No 14

No 14



VITI LUDOVICI à SECKENDORF
Equitis Franc. Consiliarii intimi Saxonici
& Brandenburgici

COMMENTARIUS
HISTORICUS ET APOLOGETICUS
De

LUTHERANISMO,
Sive

DE REFORMATIONE RELIGIONIS

ductu

D. MARTINI LUTHERI

in magna Germaniæ parte aliisque regionibus,
& speciatim in SAXONIA recepta & stabilita:
IN QUO EX

LUDOVICI MAIMBURGII
JESUITÆ

HISTORIA LUTHERANISMI

Anno M DC LXXX Parisiis Gallice edita

LIBRI TRES

ab anno 1517 ad annum 1546 Latine versi exhibentur, corriguntur, & ex Manuscriptis aliisque rarioribus libris plurimis supplentur;

Simul & aliorum quorundam Scriptorum errores aut calumniæ examinantur.

Auspiciis Serenissimi & Potentissimi

ELECTORIS
& Serenissimorum

DUCUM SAXONIÆ,
Eo fine

Ut ad veram & exactiorem notitiam rei gestæ, & ad depulsionem calumniarum, ex fide dignis monumentis, denuo via pateat:

Pro honore DEI, & pace Ecclesiæ, justaque defensione pietatis & virtutis, a Majoribus in negotio Reformationis ostensæ.

Adjectis

INDICIBUS NECESSARIIS
& locupletissimis.

EDITIO SECUNDA EMENDATIOR.

LIPSIÆ,
Sumtibus JO. FRIDERICI GLEDITSCHII.
ANNO MDCXCIV.



Ad LECTOREM ADMONITIO.

IN præloquio, quod *Libro primo*, anno 1688 publicato, præmissum est, & hic paulo post repetitum legitur, sat multa de instituto operis hujus mei dicta sunt, nec tamen invitus, ut spero, summatim ex præfamine hoc intelliget Lector, quid in progressu laboris, & quidem tam in recudendo, qui tunc prodiit, libro primo, quam in publicandis reliquis duobus, quos volumen hoc exhibet, præstitum sit.

I. Cum Librum illum primum conscriberem, documentis manuscriptis, quorum copia mihi ex Archivis Principum promissa fuerat, minima ex parte potitus adhuc eram, id quod in præloquio, modo dicto, non dissimulavi. Eorum tamen, quæ habebam, allegatio magnorum & doctissimorum virorum studium multis locis excitavit, ut me ad continuationem operæ benignis & humanissimis literis animarent, tum quædam vel manu scripta, vel edita quidem, sed fere deperdita, mihi submitterent. Illorum plerorumque favorem & officia nominatim in opere hoc celebravi, quosdam tamen, ita volentes, aut aliis honestis ex causis, silentio præterii, neque tamen minus accepti beneficii memor sum. Sic itaque excitatus *Archivum Saxonicum Vinariense*, in quo ingens actorum ab Electoribus Saxoniæ, lineæ Ernestinæ, numerus asservatur, dudum licet & ante annos fere quadraginta a me perlustratum, ipse mense Septembri anno 1688 adii. Laudanda hic a me merito est benevolentia & industria Nobilissimi & ob eruditionem eximiam, quam scriptis ostendit, orbi literato commendatissimi viri *Tobiæ Pfanneri*, Consiliarii Saxonici, cui Archivi illius suprema cura commissa est. Is enim humanitate & dexteritate sua viam quasi in vasta illa voluminum sylva mihi monstravit, ut seligere, quibus opus esse putabam, tanto facilius potuerim. Postea, indulgentia Serenissimorum Saxoniæ Ducum singulari, ad me transmissa sunt, quæ poscebam, volumina *quadringenta supra viginti*, in quibus Electorum & Principum Saxoniæ & sociorum in causa religionis cum Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliisque Proceribus & Civitatibus, item in provincia ipsa, & cum Theologis acta, ab anno 1517 ad annum 1546, continebantur. Quantus in his perlegendis excerpendisque labor fuerit, judicare poterunt, qui talem aliquando susceperunt, aut posthac suscipient; mihi vero ob senium & corporis imbecillitatem, tum etiam ideo gravior fuit, quod nullo plane adjutore in eo uti, neque ulli indicare satis accurate potuerim, quid potissimum ad scopum meum conduceret & excerpendum esset; immo, etsi id committere alterius judicio voluissem, verebar tamen aliena fide niti, longeque

tutius erat, ut ipse omnia pervolverem & seligerem, atque sic de me respondere possem. Quapropter omnia propria manu excerpsi, amanuensibus vero ea tantum describenda dedi, quæ vel integra libro meo inserere volebam, aut quorum exempla, testimonii veluti causa, conservare constitueram. Sic evitari posse objectionem existimabam, quæ aliquibus, manuscripta in scriniis aut bibliothecis Principum citantibus, facta est, aut fieri posset, si postea aliquo casu vel culpa non reperiantur quæ allegantur. In iis autem, quæ dixi, voluminibus multa inveni, quæ ad historiam annorum septem, quam *Libro primo* tractaveram, pertinebant, quædam etiam ex aliis Bibliothecis, publicis privatisque, aut relationibus manuscriptis, in eorundem annorum tempus incidentia, ad me perlata sunt. Hinc necessarium esse duxi, ut *supplementum* aliquod libro primo submitteretur; ideo ejus specimen sive prodromum anno 1689 forma quidem minori, & modico exemplarium numero edidi, in quo simul ad continuandum laborem, ob multa impedimenta (de quibus & tunc & jam in epilogo operis rationem reddidi) quodammodo interruptum, memet obtuli. Posteaquam vero & in Actis Archivi plura, quæ supplemento illi inserueram, indies deprehenderem, & nova subinde documenta aliunde etiam supervenirent, habita cum amicis deliberatione consultissimum visum est, ut *Liber primus* auctior de novo ederetur. Nam & plusquam centum & quinquaginta locis locupletari poterat, & accedebat quod aliquorum *Serenissimorum Principum*, *Illustrissimorum Comitum & egregiarum Civitatum* laudabili favore & studio (cum anno 1690 mense Martio programmate quodam Germanico progressum laboris mei & contenta librorum, quos moliebar, significassem) numerus haud exiguus exemplarium libri prodituri, in parochias distribuendus, desideraretur, parte etiam sumtuum Bibliopolæ benigne prænumerata; qua liberalitate sane effectum est, ut editio, quam calamitas bellica, qua premimur, difficilem reddebat, promoveretur. Porro, cum neque *Libri primi* anno 1688 in quarto, ut loquimur, excusi, tot superessent exempla, quot petebantur, nec reliqua pars operis uno volumine comprehendi posset, decretum est, ut integrum opus forma majori, sive in folio, prodiret. Perit quidem hoc modo, me valde invito, iis, qui Libri primi editionem priorem sibi compararunt, pretium; sed jactura illa nec per se magna est, & compensabitur augmento, quod emtores novæ editionis invenient, eaque etiam commoditate, ut uno volumine eademque forma compactum Commentarium hunc habeant. Id quoque haud displiciturum esse spero, quod quæ in editione prima *additionum* nomine separatim adjecta fuerunt, jam locis convenientibus inserta legi possint; correcti etiam sunt cura secunda aliqui, non typi saltem, sed & styli & narratorum errores. Quæ vero de subsidiis, quibus ad augendum librum *primum* adjutus sum, commemoravi, ea etiam, immo longe magis, de libro *secundo* & *tertio* dici possunt; in his enim lectores ingentem manuscriptorum, itemque librorum, quos oblivio pene sepeliverat, numerum allegari, excerpi, aliqua etiam præ cæteris notatu digna integre referri videbunt, tot forte (quod sine jactantia dictum velim) quot in alio commentario vix reperient. Ut autem constet, unde pleraque hauserim, satis clare & ubique autores & documenta indicavi. Notari quoque velim a lectoribus, (quod etiam in *supplemento* supra memorato monui) ubi has aut similes notas viderint; *Reg. H.* vel *Reg. N. &c.* item foliorum, qui iis adjuncti sunt, numeros, tum his appositas literas Germanicas, aut iterum numeros; quod illis omnibus indicentur signa, per quæ Archivi Volumina inveniri possint. Factum nempe est jamdudum cura Principum, ut indices Archivi copiosissimi conscriberentur, qui *Registranda*, sive *Registra*, vocantur. Hi indices, quorum non

parvus,

parvus, pro incredibili pene actorum & fasciculorum copia, numerus est, literis majusculis vel unis vel multiplicatis signati fuerunt, additis rubricis materiarum principalium: subdivisa autem sunt, ubi opus est, singula indicum (litera Latina majori una vel pluribus signatorum) volumina in sectiones, quæ literis alphabeti Germanici insigniuntur, itidem unis vel multiplicatis, prout fasciculorum & voluminum copia exigit: neque enim tanta multitudo commode distingui potuisset solis numeris, quanquam his signentur libri vel fasciculi, qui in eandem sectionem relati sunt; folii vero numerus ipsius est indicis sive Registri. Eadem hæc signa literarum & numerorum, voluminibus vel fasciculis actorum inscripta sunt, ut &, quantum opus fuit, loculis in quibus acta reponuntur. Quando igitur e. g. allegatur *Reg. N. fol. 133. n. 56. lit.* 𝔎. indicatur litera *N* volumen *Registri*; in hoc evolvendum est *fol. 133.* ibi in sectione, quæ litera Germanica 𝔎 notatur *n. 56.* legitur lemma seu rubrica voluminis vel fasciculi, de quo quæritur, & is invenitur in loculo quem signa ostendunt.

II. Distributionem materiarum in libros præivit Maimburgius; eumque hactenus in singulis libris secutus sum, ita ut historiam annorum cum eo inceperim & finiverim. Liber nempe *primus* continet acta septem annorum, id est, a mense Novembri 1517 usque ad initia anni 1525. *Secundus* sex annorum gesta exhibet, nam ab anno 1525 inchoatus, in anno 1530 exeunte finitur. Inde *tertius* quindecim annorum & sex præterea mensium res complectitur. Hic itaque magnitudine par est prioribus duobus simul sumtis, ita exigente rerum mole. Maimburgius quidem unam fere eandemque mensuram libris suis constituit; sed si ejus concinnitatem imitari, neque de sedecim pene annorum rebus plus, quam de sex aut septem, commemorare voluissem, truncare, ut ille fecit, plurima, aut infarcire aliena necessario debuissem. Etsi vero tres libri Maimburgiani, qui sequuntur, nempe IV. V. & VI. ab anno 1546 ad annum usque 1660 editi extent, mihique non defuerit animus, eousque laborem meum continuandi, obstitit tamen ætas annorum LXV. & corporis imbecillitas; temeritatis itaque culpa non abesset, si ulterius tendere curis & laboribus, quibus jam par non sum, occiperem. Excitabit, spero, Deus alios, qui me ingenio, eruditione, & memoriæ atque judicii vigore superabunt; quanquam, si quid ego judico, utilius esset, si de supplendo opere hoc meo cogitaretur, & viri pii & industrii reformationis in provinciis & urbibus, quarum ego uberiorem mentionem, informatione sufficienti destitutus, facere non potui, primordia & progressus ex fide dignis documentis describerent & publicarent. Nam quæ post mortem Lutheri sive annum 1546 secuta sunt, non tam ipsam reformationem, quam bella & dissidia inte orta attinent, & a multis scriptoribus tradita leguntur. De bello sane *Smalcaldico* speciales habemus relationes, & exhausit materiam illam *Hortlederus*; nec *Passaviensis* expeditionis historia ignota est, multo minus motuum nostro seculo post mortem *Matthiæ* Imperatoris ad pacem usque Westphalicam exortorum. De dissidiis etiam inter Protestantes ipsos, plus forte scriptum est quam expedit. Concilii Tridentini acta claris autoribus tradita habentur, sed Romanarum partium, nec fieri potest, ut aliquis ex nostratibus, licet hi decreta Synodi illius egregie confutaverint, ea quoque quæ ad historiam pertinent, satis ample & solide tractare queat, cum ad scrinia, in quibus acta illa asservantur, accessus nobis non pateat. Singulari tamen Dei beneficio ex medio Papatu excitatus fuit *Paulus Sarpius* Venetus, monachus ordinis *Servorum*, quos vocant, *B. Virginis*, cujus libri, sub nomine *Petri Suavis Polani* de Concilio illo Italice ab eo scripti, Latine vero & in alias linguas versi, doctis piisque omnibus merito sunt manebuntque, quamdiu pretium aliquod eruditio-

ditioni & veritati erit, commendatissimi, invisi licet multis Pontificii dominatus propugnatoribus. Inter hos omnium clarissimus *Sfortia Pallavicinus*, Jesuita & postea Cardinalis, in historia Suavi opposita, nescio profueritne suis aut magis nocuerit partibus. Mihi, cum occasione rerum, quas tractandas in opere hoc sumsi, liber ejus frequenter evolvendus esset, Pontificia consilia & decreta adeo non probavit, ut potius me in veritate Evangelica, qua a teneris imbutus sum, revelatis artium Pontificiarum arcanis, mirifice confirmaverit; id quod aliquibus libri mei locis professus fui, cum Itali hujus vaframenta retuli, ulterius tamen, quam ad anni 1546 gesta non sum progressus, & sic non nisi initia actorum Concilii attigi. Neque tamen in his, quæ tractavi, præstitisse me gloriari possum, quæ accuratis lectoribus plene satisfacerent, licet me nuper vir inter Helveticos Theologos magni nominis & edecumatæ eruditionis *D. Joh. Henr. Heideggerus* in præfatione amplissimi operis, cui titulum *Tumuli Concilii Tridentini* dedit, eo prosecutus sit encomio, quo merita mea longe superari agnosco. Aperta igitur adhuc est in hac quoque historiæ parte palæstra, in qua desudare possint eruditissimorum virorum ingenia. Præterea *Jac. Benigno Bossueto* Meldensi Episcopo, & *Antonio Varillasio*, qui superstites sunt, tum defuncti *Odorici Raynaldi* libris novissimis, hinc inde pro veritatis assertione & avertendis calumniis aliquid opposui. Non dissimulo, si horum autorum libri prius ad me pervenissent, quam maximam operis partem absolvissem, mutaturum me forte institutum fuisse; potuissem enim omissa versione & relatione librorum Maimburgii, historiam ex documentis, quibus instructus fui, explicatius & meliori ordine proponere, dein scriptorum istorum recentiorum renovatas & refossas ex veterum maleferiatorum scriptorum sterquiliniis calumnias & nugas sigillatim indicare & refutare. Sed longius, ut dixi, progressus eram, quam ut redire illuc licuisset. Constitueram etiam, idque de *Varillasii* libris nominatim me promisisse non ignoro, ut hujus errores in syllabum conferrem & refellerem. Sed crevit sub manibus labor, ejusque onus ita me pressit, ut levando illi tandem serio studere coactus fuerim. Spero tamen præcipuis istorum sophismatibus responsum sic satis esse, *Bossueti* inprimis; nam, quæ ex *Varillasii* commentis omisi, talia profecto sunt, ut collata cum iis, quæ ex fide actorum enarravi, non possint non in se ruere & evanescere. Prodiit anno 1690, ut ex *Actis Erudit. Lipsiensibus mense Augusto* proxime præterito percepi, *Pauli Segnerii*, Jesuitæ, Liber Italicus, titulo: *L'incredulo senza scusa*, id est, *Incredulus sine excusatione*, in quo auctor quicquid impudentissimi & futilissimi superioris seculi monachi, aliique ejus generis homunciones, mendaciorum & convitiorum in auctores reformationis evomuerunt, impudenter & jejune recoquit, & pro certis verisque proponit. Ad ista quoque, si libri copia mihi maturius contigisset, reponi aliquid potuisset. Sed quis finis esset scribendi, si omnibus, iisque præsertim, qui affectata ignorantia, & proterve spretis & præteritis quæ toties solide refutata sunt, non desinunt eadem semper occinere? Nullum etiam laboris hujus sat magnum fructum expectare licet; eos enim, qui Evangelicæ veritati sincera cum pietate dediti sunt, scurrilia & inficeta istiusmodi figmenta non movent, confirmant potius in studio puræ religionis, & desperatum hominum illorum statum manifestum faciunt, a quibus istiusmodi scripta proficiscuntur, & cœtus, cujus partem faciunt & patrocinium suscipiunt, indolem testantur. Vehementer quidem dolendum est, quod in Italia, aliisque florentissimis Europæ provinciis, immania illa in nos convitia renovari indies non desinant, sed Deo justissimæ causæ sunt, propter quas ad malitiam illam conniveat. Miserebitur tamen pro infinita sua bonitate & in tempore, quod ipse determinavit; & licet nostris

apo-

apologiis accessus in regiones illas nullus concedatur, & satis constet, operam ad refutandas insanas criminationes frustra impendi, sibi tamen præcludi non sinet viam, qua tandem etiam in medias illas tenebras divinæ suæ lucis splendorem immittat. Faxit hoc Deus ad gloriam nominis & solatium parvi gregis sui! Hæc me serio vovere novit, qui corda scrutatur, Deus, neque de hoc dubitabunt, qui me intimius cognoscunt. Procul itaque immo prorsus absum ab odio hominum, magnis licet erroribus corruptorum, sed quos Deus illuminare & convertere potest. Si quid asperius contra calumnias eorum, quos refuto, mihi excidit, quod virum Christianum, pium & honestum decere non videatur, id nec dictum nec scriptum volo. Interim historici officium executus sum, ex Luthero aliisque referens, quod illi pro causa sua dixerunt scripseruntve, aliquando & ipse iniquitate aliena irritatus, scapham scapham appellavi; causam enim, quam tueor, prodere & quæ majores nostri, gravibus argumentis convicti, pro separationis causa publice allegarunt, vel silere, aut timide extenuare non potui, nec ad vilitatem hanc cogi possum, stante, quam leges publicæ nobis firmant, libertate.

III. Summaria, quæ per totum opus marginibus adjecta & vel numeris, ad latus *sectionum* & *paragraphorum*, vel literulis ad *additiones* signata sunt, eum habent usum, ut indices facilius componi potuerint, &, si qua secunda editio sperari potest, retineri queant; quod fieri non potest, si ad paginarum numerum respiciatur. Neque tamen tam concinne composita sunt, aut locis commodissimis adjuncta, ut fieri potuisset a minus occupato, aut id potissimum agente; ad finem interim supra dictum conducent. Recusa vero sunt & congesta sub initium operis, ut uno veluti intuitu totus rerum contextus inspici possit.

IV. Indicum utilitas nota est omnibus. Vellem autem, ut accuratissimos locupletissimosque exhibere potuissem; opera tamen aliena hic maxima ex parte opus fuit: & licet revisionem & emendationem non omiserim, multa tamen prætervisa a me esse agnosco, nec dubitandum est, quin plurima adhuc inserenda supersint & a diligentibus suppleri queant. Triplices vero indices exhibeo: *Primus* complectitur nomina hominum & locorum, eorum quidem plusquam duo millia quingenta, neque tamen nuda plane, sed addita utplurimum rerum gestarum brevi significatione. Scholia huic indici sive augmenta, repetitis autorum aut locorum nominibus, aut noviter insertis, accesserunt, quia Serenissimus Brunsuicensium Dux *Rudolfus Augustus* pro insigni pietate, &, quo fervet in rem literariam, inprimis vero Ecclesiæ commoda studio, multos mihi ex Bibliotheca sua domestica libros submisit, quos antea non videram. Tanta autem optimi Principis erga me fuit benignitas, ut mei potissimum gratia catalogos Bibliothecæ illius suæ per excellentis doctrinæ & pietatis virum *Hermannum* von der Hardt/ Professorem Helmstadiensem, edi fecerit, omniumque communicationem clementissime obtulerit; quanquam temporis angustia obstitit, quo minus beneficio hoc integro frui potuerim. Optandum est, ut Princeps pientissimus ad multos annos incolumis & felicissime vivat, magnoque Ecclesiæ orthodoxæ & reipublicæ præsidio sit & ornamento. *Secundo* indice exhibentur dogmatica & alia ejusmodi, pleraque quidem ex Lutheri sententia, id quod subintelligi debet, nisi aliorum autorum mentio addatur. Indice *tertio* scripta Lutheri retuli, non obscura, ut puto, consilii mei ratione. Nam etsi olim ejusmodi catalogi editi fuerint, paucissima tamen horum extant exemplaria: huic vero etiam manuscriptorum, quæ allego, recensitio inserta est. Aliqua ex editis fortasse omissa sunt, factum autem id est præter intentionem, neque enim ulla industria tanta est, quæ omnia plane assequatur.

V. Id

V. Id etiam (ut finem tandem præfandi faciam) de *Erratorum* catalogo agnoſcendum eſt. Data quidem fuit opera, ut quæ vel mea, vel amanuenſium & typographorum culpa irrepſerunt, quam diligentiſſime notarentur, &, quomodo emendari deberent, indicaretur; ſed profecto defecit & hic humana diligentia, & oculatiſſimos quoque fugiunt plurima. Obſervari & notari curavi potisſimum, ubi in rebus ipſis error aliquis deprehenſus eſt, (quos non deprehendi, eos ignoſci mihi peto, correcturus, ſi monear, ingenue & lubentisſime) aut ubi conſtructio vacillat, aut ſoloecum aliquid atque inſolitum ſcribenti excidit; in tanta enim rerum varietate & copia ſtyli rationem exactisſimam habere non potui, nec memoriæ lapſum in repetendis, quæ jam dicta erant, penitus vitare. Typographica ſphalmata magno quidem ſunt numero, ſed minuta multa præterii; commiſſa puta circa diſtinctiones & diremtiones vocabulorum aut literarum, item commutatione (veluti *ae* pro *oe*) & inverſione, nec non typi variatione neglecta aut confuſa; item, ubi numeri foliorum, ſectionum, paragraphorum depravati inveniuntur, talia enim facile ſe ipſa produnt & corrigi poſſunt. Notata tamen etiam ex his bene multa ſunt, ſed nec pauca, ut vereor, meam & amicorum, quibus uſus ſum, diligentiam fefellerunt; agnita itaque ſimpliciter nolim eſſe, quæ in catalogum errorum non retuli. In allegationibus plurimum peccatum eſſe conjicio, quæ, ſi emendari debuiſſent, collatio omnium, qui citantur, autorum denuo inſtituenda fuiſſet, quod temporis ratio nullo modo permiſit. In numeris, quibus ſcripta Lutheri allegata fuerunt, pleroſque errores puto correctos eſſe, & fieri id, ubi opus erit, adhuc poteſt, ſi conferatur index tertius.

Hæc fere fuerunt, quæ in frontiſpicio operis monenda eſſe videbantur. Cæterum, quodcunque libro fatum immineat, tanto patientius ferre poſſum, quod de optima intentione mea Deum & conſcientiam teſtem habeo; deinde æſtimationem quandam operis non facile perituram eſſe, absque jactantiæ vitio affirmare fortaſſis poſſum, non ex mea induſtria, ſed ex dignitate materiæ, & illuſtribus, quæ tanto numero produxi, documentis. Denique invidiæ aut calumniæ, ſi qui metuendus eſt, inſultus, inglorius erit in hominem non illaudabilis inſtituti, nec ſuos inficiantem defectus, & ejus jam ætatis, ut non diu expoſitus eſſe injuriis poſſit. *Liberet me,* (immo cur dicere dubitem cum Paulo *II. Tim. IV. 18.*) *Liberabit me,* (ut ſpero, propediem) *Dominus ab omni opere malo, & ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte: cui gloria in ſecula ſeculorum.*

AMEN!



SERE-

SERENISSIMO POTENTISSIMO

PRINCIPI ELECTORI

SERENISSIMIS REVERENDISSIMIS

CELSISSIMIS

DUCIBUS SAXONIÆ

UTRIUSQUE LINEÆ

QUOTQUOT HODIE AVITIS REGIONIBUS

IN

SAXONIA THURINGIA MISNIA FRANCONIA LUSATIA

ET ALIBI

SUO QVISQVE IURE IMPERANT

AUT AD EIUS AXIOMATIS SPEM NATI SUNT

IIDEMQVE OMNES

RELIGIONEM CHRISTIANAM ET EVANGELICAM

ZELO D. MARTINI LUTHERI REPURGATAM

EX FORMULA ANNO CIϽ IϽ XXX

IN COMITIIS AUGUSTANIS EXHIBITA

PUBLICE PROFITENTUR

ET APUD SUOS PROMOVENT ET TUTANTUR

HUNC

DE MAGNO ILLO

REFORMATIONIS

NEGOTIO

COMMENTARIUM HISTORICO-APOLOGETICUM

NON SINE AUSPICIIS ET OPE ILLORUM

ELABORATUM

SUBMISSA CUM VENERATIONE

D. D. D.

ILLISQUE OMNIBUS ET SINGULIS
DIGNAM FASTIGIO SUO FELICITATEM
EAMQUE CUNCTIS GRATIAM ET VIRES
A SUPREMO NUMINE PRECATUR
UT OPUS A GLORIOSISSIMIS MAIORIBUS SUIS
EGREGIE COEPTUM
ET HUCUSQUE SINGULARI DEI BENIGNITATE
PERDUCTUM
DOCTRINÆ PURITATE
VITÆ SANCTIMONIA
PRUDENTIA CONSILIORUM
VIRTUTISQUE CONSTANTIA
SERVATUM AUCTUM PERFECTUM
PIÆ POSTERITATI
AD FINEM USQUE TEMPORUM
TRANSMITTANT

SERENISSIMARUM POTENTISSIMARUM
REVERENDISSIMARUM CELSITUDINUM
EORUM

OB PLURIMA BENEFICIA
VEL AB IPSIS
VEL A DIVIS ILLORUM PROGENITORIBUS
ACCEPTA
TUM MINISTERII CLIENTELÆ ET SUBIECTIONIS NEXU
OBSTRICTISSIMUS DEVOTISSIMUSQUE

VITUS LUDOVICUS A SECKENDORF
EQUES NATIONE FRANCUS

DOMICILIO MISNICUS
IN DUCATU ALTENBURGENSI.



PRÆLOQUIUM
AD CORDATOS ET ÆQUOS LECTORES, PRIORI EDITIONI LIBRI I. PRÆFIXUM.

NOn immerito acutus aliquis ex Gallis Scriptor pungere nuper cœpit eos, qui in præfationibus librorum, quos edunt, rationes proponunt, cur ad scribendum accesserint, difficillime quippe fidem prætextibus aut excusationibus suis invenientes. *Neminem enim putat facile cogi, ut nomen inter autores profiteatur; iis potius causis quendam aliquando incitari, quas si aperte recenseat, ridiculus absque dubio futurus esset. Eorum vero qui libros legunt, parum interesse, quo consilio quisque scripserit, & non minus mentem, quantumvis artificiose occultatam, quam stylum autoris ex libris innotescere.* Hoc etsi mihi non minus quam aliis dictum sit, malui tamen inepti præloquii notam incurrere, quam tacere, qua occasione, quo fine, quibusque mediis instructus (cum tot alia essent, in quibus scribendi pruritum explere aut otio abuti potuerim) materiam plurimorum calamo detritam, nec odio minus quam fastidio expositam, mea sponte delegerim. Attulerat adolescens quidam, & nobilitatis & virtutis nomine mihi percharus, ex peregrinatione Gallica anno 1681. *Ludovici Maimburgii ex Soc. Jes.* recens editum opus *de historia Lutheranismi*, quod magni in Gallia fieri, & hospitibus ex Germania, Lutheranismo addictis, objici solere referebat. Ea tunc erant, vivo *Mauritio Saxoniæ Duce*, Numburgensis Episcopatus Administratore, optimo Hero meo, cujus rebus agendis præpositus fui, tempora mea, ut vix una ex diurno labore hora mihi superesset, quam animi a negotiis curisque paulum avocandi reficiendique causa, literarum studiis possem impendere. Avide tamen ad legenda properavi quæ de Luthero in Gallia

edi

edi videbam, quæ cum illis, quos Calvinianos vocant, occupata, Lutheranismi oblita esse videbatur. Perlecto cursim libro, parum equidem deprehendisse mihi visus sum, quod ab ejus professionis homine non expectassem. In uno maxime a veterum, quorum vestigia tenebat, Luthero-mastigum instituto discessisse videbatur, quod honesti viri speciem assumens, ab incredibilibus narrationibus & insanis contumeliis quibusdam abstinuisset, temperatis plerumque verborum delinimento, quos acerbiores alii indecenter erumpere fecerant, affectibus. Hoc ipso tamen periculosius causæ Lutheranæ nociturum esse librum conjiciebam, optabamque ut aliquis ex nostratibus propediem & versionem & responsum pararet, nihil minus tunc cogitans, quam ut ego laborem istum in me reciperem. Non multo post, sublato e vivis *Mauritio Duce*, ea mihi contigit felicitas, ut post triginta annorum, partim illi, partim *Ernesto*, magnæ itidem pietatis & virtutis *Principi Saxo-Gothano*, in præcipuis, quæ habebant, negotiis præstitum, si non magnum aut utile, fidum certe & laboriosum ministerium, quod restat vitæ liberum a curis molestissimis transigere daretur. Hoc insigne beneficium, quod dudum, & præsertim post completum quinquagesimum ætatis meæ annum, multis precibus a Deo petiveram, quinquennio quidem tardius, sed exemplo non admodum frequenti obtinui, ut adjutus favore & liberalitate *Serenissimorum Principum*, qui beate defunctis successerant, nec inopem nec ingloriam senectam haberem. Tanto ergo obstrictiorem me esse existimavi, ut hos annos, quos pene solos vitæ numero, ita transigerem, ut Deo, cui omnia debeo, etiam otii mei rationem reddere paratus essem. Neque tamen illa est, certe apud me non reperitur, humanæ conditionis perfectio, ut ad finem vitæ properantibus, unica nobis occupatio sit, cœlestia cogitare; annitendum est, ut primaria sit, omniumque aliarum & comes & directrix. Agendum itaque, & sui & proximi causa, aliquid est, cui quisque maxime est aptus, & pro statione ac sorte quam Deus nobis assignavit, ne nihil agendo male agere discamus, aut speculationi, quam vocant, intenti in aliud vitium incidamus. Hæc mecum reputans, cum a teneris annis literarum studiis, parentum providentia, addictus fuerim, magnaque animi propensione iis me applicuerim, paulo tamen citius quam voluissem, &

in

in prima fere juventa, in negotiorum pistrinum detrusus, lubentissime, postquam hoc nexu exsolutus sum, cum Musis in gratiam redire cœpi, sed cum severioribus, & quæ ætatem meam maxime decerent, ad scopum mihi propositum proxime accedentes. Missis itaque, aut infrequenter salutatis cæteris, quæ in negotiosa etiam vita sese offerebant, civilis licet scientiæ utilitate æstimabiles & aliquando necessariæ, arctius commercium cum sacris disciplinis renovandum mihi esse duxi, quarum rudimenta puer didiceram, profectum nunquam penitus neglexeram, etiam lingvarum, quibus sacri codices scripti sunt, non prorsus ignarus. Cum vero affinitatem non exiguam cum hoc studio habeat notitia *Historiæ Ecclesiasticæ*, recordatus sum operæ, quam olim, dum Gothæ in *Ducis* (quem debiti honoris causa nominavi) *Ernesti* aula viverem, impendere illi cœperam. Quid tunc præstiterim, non ignotum est (quanquam pauci superstites sint) amicis. Sed plura præstare vel potuissem vel tentassem, si multitudo, quibus cumulabar, negotiorum bene cogitata non elisisset. Sæpe mecum egerat laudatissimus Princeps, ut *Reformationis*, superiori seculo in Germania, aut saltem in Saxonia, peractæ Historiam literis mandarem. Ostendebat eum in finem centena & plura Actorum volumina, quæ ex Archivis & scriniis majorum suorum, quædam & aliunde, collegerat. Exemplum mihi proponebat *Friderici Hortlederi*, Consiliarii quondam Vinariensis, quo familiariter usus fuerat, multisque illum adminiculis ad magnum illud *de Bello Smalcaldico* opus adjuverat. Majoris utilitatis & gloriæ materiam mihi offerri existimabat, si ex Actis, tam Principum, quam communitatum, aut privatorum, quorum non exiguam multis locis copiam reperiri posse dicebat, eruerem, quo consilio & successu Religionis Reformatio tractata fuerit, utque a levibus initiis in eum statum processerit, quem posteritas vix admirari satis potuit. *Dei*, ajebat, *profecto digitus is fuit; ingrati sumus, qui hunc non agnoscimus, memoriamque rerum tam illustrium non accuratius conservamus & propagamus.* Hæc quidem nec surdo nec pigro ingerebat; sed, pace beatissimorum Manium tanti Principis dicere liceat, aut mihi tunc plus tribuebat, quam exequi in illa adolescentia mea potuissem, aut justo leviorem, pro vastitate ingenii sui, æstimabat laborem, quem consistere posse credebat

 cum

cum perpetuis in aula occupationibus, quibus me in Consiliariorum numerum anno Christi 1651. ætatis meæ vigesimo quinto adscitum onerabat. Intra vota itaque propositum istud stetit, dum *Gothæ* essem: dein cum post longum tempus, sub finem nempe anni 1664. a *Mauritio* Duce p. m. ad *Cancellarii Citicensis* munus vocarer, penitus evanuit. Hæsit tamen in memoria mea laudabile Principis consilium; ita ut sæpe mecum expenderem, cur inter tot præclaros viros, quos provinciæ Saxonicæ post Reformationem ab annis centum & septuaginta tulerunt, non repertus sit, qui perfectiorem aliquam actorum in causa religionis Historiam tradiderit; sed non alia causa menti meæ frequentius obversata est, quam illa, qua fit, ut & Historia politica accurata & continuata careamus. Ignoscant mihi Principes, si salvo, quem omnibus debeo, &, uti decet ac possum, exhibeo cultu, dicam; non satis æstimare illos nec utilitatem historiæ, (de perfecta & vera loquor) nec maxima & largissima famæ præmia, quæ caperent, si Majorum & sua consulta & gesta relatu digna, ab idoneis ingeniis conscribi perpetuo studio & sumtu curarent. Verum cum aut nulla huic labori stipendia aut levia destinent, quid mirum, si erectiora ingenia ab occupatione, quæ laudatur & alget, deterreantur? Peccatur & in hoc, quod sæpe juvenes fere, aut de schola homines, negotiorum imperiti, vel obnoxia commendatione intrusi, (ut de judicii & eruditionis defectibus nihil dicam) hoc munus involent. Aliæ sunt, neque spernendæ illæ aut inutiles, Didacticorum, Philologorum, Oratorum, Poëtarum, (quanquam & hi omnes frigide satis & infra merita tractantur) aliæ Historici partes. Ad has, si quid meo, quod mediocre esse scio, tribueretur judicio, seligendum esse aliquem putarem, ex Consiliariorum sive Ministrorum numero optimum, mente calamoque vividum, talem scilicet, qui maximis gravissimisque negotiis per aliquot annos exercitatus, lingvarum & styli peritus, industrius, sobrius, laboriosus, probatæque virtutis, pietatis & fidei esset, cui omnia arcana credi tuto possint. Huic non minuto sed aucto stipendio & honoris gradu, ut Commentarios rerum gestarum conscriberet, demandandum esse suaserim; in quibus non solum acta & eventus, sed & rationes agendi, nec ex ingenio scribentis effictæ, verum in deliberationibus tractatæ traderentur, erroribus etiam

iam in arcana quadam, nec edenda, historiæ aut commonitionis parte, annotatis. Sed plura de tali instituto dicenda haberem, nisi jam latius, quam mihi proposueram, evagatus essem: memini etiam tale aliquid in *Actis Eruditorum Lipsiensibus* 1684. *p.*383. ex Historia Anglica, a D. Burneto edita, annotatum legi. Habui tamen hæc tangendi causam non plane nullam. Ut enim redeam, unde digressus sum, posteaquam ineunte anno M DC LXXXII. honesta a munere meo missione impetrata, compositisque in quietum statum rebus, in rus hoc meum secessissem, tenax propositi, de quo dixi, plurimam temporis partem literariis laboribus lubenti & alacri animo adsignavi. Inter eos primus fuit, qui conscribendo libro Germanico, jam bis excuso, *de statu christianismi*, datus est. Redibat mihi interea in mentem cogitatio supra indicata, de refellendis scriptoris Galli *de Lutheranismo* commentariis, eaque de re cum viris egregiis, qui me non raro invisebant, vel quos Lipsiæ, nundinarum tempore, alloqui solebam, conferre cœpi. Eorum plerique versionem libri Maimburgiani desiderabant, quia Gallica pauci, etiam ex doctissimis inter nostrates, & inter Theologos prope nulli, intelligunt. Erant qui dicerent, esse aliquem, nescio ubi, qui Latinam versionem pararet; sed nihil explorari potuit. Quanquam vero vertendi labor abjectus fere habetur, & tædiosissimus mihi inprimis est, ingenii, credo, culpa, quod fortasse velocius liberiusque habeo, quam ut vestigia aliena, quodam quasi vinculo ductum, sequi lubenter velit; composui tamen me ad versionis fastidium superandum, eamque horis pomeridianis moliri cœpi, quibus obtusior ad sensa propria digerenda animus aliorum lectioni facilius applicatur, valetudini simul prospiciebam, dum inter deambulandum amanuensi dictarem. Sic mihi, nondum de refutatione serio cogitanti, versio *Libri primi* intra annum (interrupta tamen sæpissime opera) nata fuit. Elegantem & puram quominus exhibeam, in causa est, quod dudum ex floridiorum literarum hortulis in negotiorum senticeta rejectus, festinans etiam, atque aliud propemodum agens, styli ornatum maxima ex parte amiserim; fidem tamen præstiti, neque eo nomine dicam metuo. Gallicæ quidem linguæ non nisi mediocrem peritiam habere me fateor, ita ut scribere ea vix ausim: est mihi tamen (ut puto) intelligendis quæ

lego

lego ſufficiens, quanquam non tanta, ut de barbariſmis judicare valeam, quos Galli quidam, facundiores ſibi viſi, Maimburgio, ut Lotharingo, objecerunt. At qualescunque ſint ſtyli ejus nævi, ſenſum tamen ſcribentis occultari mihi per eos potuiſſe non exiſtimo. Ut vero hunc tanto ſinceriorem referrem, Latinam phraſin, etſi forte puriori aliquoties uti licuiſſet, cum Gallico idiomate ſæpe conformavi, non ſine aliquo vitio. Eſt & ubi tranſitionum formulas, & alias quasdam, in quibus parum felix fuit autor, neglexi, nullo veri ſenſus detrimento. Hæc præfanda habui de verſione, cujus laborem profecto cuicunque alii libentisſime cesſiſſem, licet hoc commodi ex eo tulerim, ut mea potius, quam aliena fide, de traditis autoris confidere lectores jubere posſim, & fortaſſe non multo minor moleſtia fuiſſet, conferendi revidendique ab alio verſa.

Progreſſus eo usque, ut dixi, in vertendo, obſervavi duobus modis rei Lutheranæ adverſus novi & peregrini hoſtis aggresſiones conſuli poſſe: uno eoque faciliori, ſi falſa & invidioſa breviter excerperentur & refutarentur; ita liber Maimburgii cum animadverſionibus prodiret non prolixis: alio operoſiori, ſi vera & plena Hiſtoria Lutheraniſmi denuo ederetur, in qua veritas, cum Maimburgii aliorumque ei ſimilium ſcriptis collata, majeſtatem lucemque ſuam oſtenderet, ejusque conſpectu mendaciorum & calumniarum ſpectra ultro diffugerent. Hic enim ſerio requirere cœpi, quod, ut ſupra dixi, *Erneſtus* Princeps deſiderabat, plenius nempe quoddam opus, quo tota rerum circa Reformationem & poſtea geſtarum ſeries expoſita eſſet, additis, ubi haberi poſſent, documentis, quibus contradictiones ſolidisſime repelluntur. Multum, immo quod æqua ſectantibus ſufficiat, præſtitiſſe *Johannem Sleidanum* certum eſt, qui omnes ſui temporis, de eadem re ſcribentes, longe infra ſe reliquit. Huic tamen mendacis notam, Caroli Quinti etiam Imperatoris dicterio, neſcio quam vere allegato, inurere ſoliti ſunt, & adhuc ſolent, adverſæ partis fere omnes, ex mera, credo, invidia. Si enim demonſtrandum ſumerent, quod jactant, næ illi fruſtra forent, aut levia, & relatu referrent indigna, immo pauci absque Sleidano, quod legi mereretur, unquam ſcripſisſent ſcriberentque. Quid enim, quæſo, mentiri ille potuit, qui maximam narrationum partem, de rebus ad religionem ſpectanti-

ctantibus, in adferendis prolixe Actorum verbis, cum tædio multorum, qui ad eventuum varietatem percipiendam properant, consumit, & ad acta & scripta ubique provocat, quæ etiam pleraque adhuc extant, fidemque viri indubitabilem faciunt? Nec ullum facile Historicum rarius censuræ eorum, quæ refert, indulsisse crediderim. Sed uti Sleidano laudem suam ne ipse quidem livor detrahere penitus potuit, eamque non nisi cum fine mundi interituram credibile est, reliquit is tamen (ut omnes) spicilegia post messem tam largam. Latuerunt eum quædam, diligenter licet inquirentem, & Principis non unius cura adjutum, latebuntque alia & me & alios: nec accessus interior ad ea quæ supersunt in scriniis aularum & civitatum documenta, idoneis fidisque licet viris permissus, supplere omnia poterit. Et in Saxonicis quidem rebus jam illo, quo Sleidanus scribere cœpit tempore, anno 1546. defectum quendam scriniorum agnovit *Johannes Fridericus* Elector, Philippo Landgravio actorum editionem in Sleidani gratiam petenti respondens: pauca enim superesse questus est ex Regestis patrui sui Friderici Electoris. Constat hoc ex epistolis Sleidani, & utriusque Principis, quas operi suo præmisit Hortlederus. Nondum scilicet ea conscribendi colligendique omnia diligentia simpliciori adhuc aularum genio, militaribus plerumque viris negotia tractantibus, conveniebat, quæ postea invaluit. Servata tamen sunt, quæ negligi nequaquam debent, dandaque est recentioribus opera, ne semper actum agant, non nisi ab aliis edita, iisdem vel aliis verbis repetentes, aut, quod pejus est, nova ex ingenio suo fabricantes. A quo vitio omnes ex nostratibus nolim absolvere, sed mirum in modum peccari video ab adversa parte, maxime ab iis, in Germania nostra, qui ex Sacerdotum ordine, odio & indignatione pleni, olim non tam historias quam satyras & invectivas adversus Reformatores ediderunt, quos jam Galli imitantur aut superant. Magnæ tamen inter hos ingenuitatis & modestiæ exemplum dedit Vir immortali laude dignissimus *Jacobus Augustus Thuanus*, exiguam licet gratiam a multis ex suis civibus, & ab importunis quibusdam ex Germanis, reportans. Hunc si potius sequi voluisset Maimburgius, quam *Cochlæum*, *Surium*, *Ræmondum*, & paris maledicentiæ alios, aut si ex *Manuscriptis*,

b de

de quibus gloriatur, aliquid incognitum antehac, verum tamen, attulisset, multum ille nobis in annotandis erroribus suis laborem præcavisset.

Interea dum, ut dixi, mecum consulto, vel cum amicis tracto, quid tandem de Maimburgiano scripto statuendum esset, ne segnior nostra videretur Ecclesia ad retundendam iniquitatem adversarii, quam Reformata, ex qua non unus ejusdem autoris editam interea *Historiam Calvinismi* fortiter aggressus est, novæ revolutiones rerum secutæ sunt. Galli enim jam non calamo saltem religionem tractabant, aut suæ tantum gentis hominibus, ob Calvinismum, quem vocant, exitiabiles erant, sed & Lutheranis, quibuscum hucusque parum negotii aut certaminis in sacris habuerant, in Germaniæ illa, quam tenent, parte magis magisque infesti fiebant. Nec mirum si libellis suorum, quos pro veritatis præconibus habent, fidem adhibentes, alieniorem indies animum adversus nos induant, quorum tamen civili & sacræ libertati, bellis antehac gestis patrocinari visi sunt, & in tabulis pacis pro ea fidejubere. Ut igitur vera & renovata rerum nostrarum in religionis negotio notitia illis aliisque non deesset, neglectum aliis laborem ad depellendos novellorum Scriptorum insultus, tandem ipse mihi sumsi, postquam relecto & verso ex parte Maimburgii libro perspicere mihi visus sum, non tam Theologici quam Politici studii esse, historiam historiæ opponere. Sunt quidem, quod merito agnosco, inter Theologos, qui etiam in rebus historicis & politicis scribendis me superare valeant, in eo maxime, quod, ubi per occasionem de dogmatibus dicendum foret, ex sua scientia confidenter afferre possunt, quæ mihi aut intacta relinquenda sunt, aut imperfecte & trepide versanda, in tanta præsertim, quæ indies crescit, circa formulas difficultate; at mihi saltem majus otium erat, aliqua etiam rerum experientia, & familiarior apud Principes ad impetranda documenta admissio. Quoniam enim ex illis, quas jam attuli, rationibus nihil digne & cum fructu & gratia in hoc genere scribi posse opinabar, nisi iis, quæ dudum scripta sunt, nova quædam supplementa reperirentur, ante omnia tentare cœpi, an a *Serenissimis Saxoniæ Principibus* favorem ad obtinenda talia impetrare possem. In illorum enim provinciis

Luthe-

Lutheri dogma primum omnium emicuit: illorum Majores pro eo introducendo & tuendo, bello & pace, res maximas, vario eventu, eo tamen gesserunt, ut ad hunc usque diem, post tot annos, nulla alia quam eadem religio & doctrina in provinciis Saxonicis (in quibus ad duo parochiarum millia numerantur) publice locum habeat. In eorum itaque scriniis vel maxime quærenda sunt, quibus memoria rerum fideliter conservata est, & cum certitudine tradi potest. Duo autem sunt, ut in Germania quidem nemini ignotum esse facile potest, exterorum tamen causa paucis monendum duxi, *Serenissimæ Stirpis Saxonicæ* rami, a duobus Fratribus, *Ernesto* Electore, & *Alberto* Saxoniæ Ducibus, qui ante annos ducentos regiones paternas diviserunt, propagati. Ab *Ernesto* Electore descendunt, qui post amissum ab abavo aut atavo *Johanne Friderico* Electoratum, Ducum titulum cum quadam regionum parte retinuerunt, de quibus mox dicam. Ab *Alberto* vero genus ducit, qui primum in tota familia dignitatis & potentiæ apicem tenet, *Serenissimus Potentissimus Dux & Elector Saxoniæ, Johannes Georgius III.* ejusque patruus, & patrueles, quos a *Weissenfelsa, Mersburgo, & Numburgo* sive *Ciza* denominare solemus. Utrique Serenissimæ familiæ cum non uno, vel olim vel nunc, devinctus nexu vivam, ad *Duces Ernestinæ lineæ* maxime respexi, quia illorum Majores viginti plus minus annis Lutheri doctrinæ patrocinati publice sunt, antequam a *stirpe Albertina* idem factum esset. Eorum senior nuperrime erat, ad cujus etiam curam communia quædam negotia more Majorum spectabant, *Serenissimus Johannes Georgius Dux Saxoniæ Isennacensis*, Guilielmi, qui Vinariæ aulam habuit, filius, belli pacisque artibus clarissimus & optimus Princeps, qui me aliquot annis *Consiliarii intimi* titulo honoravit, & proximo mense Septembri apoplexia correptus, magno meo & omnium bonorum cum luctu, obiit. Ætatis inde prærogativa ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem, *Ernesti Pii*, de quo dixi, *Gothæ*, dum viveret, residentis, filium primogenitum (quem Deus ad multos annos servet!) Dominum meum clementissimum transiit, in cujus & Fratrum Serenissimorum ducatu Altenburgensi prædium hoc & oppidulum possideo, in quo quietum nec inhonorificum huc usque annis studiis-

 que

que meis receptaculum divina conceſſit benignitas. Utriusque vero, quos laudavi, Principis, ex linea Erneſtina propenſio ad promittendum patrocinium & ſuppeditanda quæ deſiderabam documenta, ex Reſcriptis ad me benigniſſimis apparet, quorum contenta apponam; Sereniſſimi vero & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ quæ fuerit de propoſito meo ſententia, ex juſſione ejus ad Senatum Eccleſiaſticum, qui Dresdæ eſt, ſupremum videri poteſt, cujus exemplum itidem appoſui: unde conſtat, ab illa inprimis parte oblata clementiſſime fuiſſe, quibus opus mihi eſſe putavi. Non poſſum hic debito cum honore non meminiſſe Illuſtriſſimi Baronis *Caroli Friſii*, *Conſiliarii*, dum viveret, *Sereniſſimi Saxoniæ Electoris intimi, dictique Senatus Eccleſiaſtici, ut & Curiæ provincialis Lipſienſis, Præſidis.* Is me a multis annis, non dicam ob morum (quorum in eo perfectionem aſſequi non potui) ſed intentionum ſimilitudinem, arcta amicitia complexus, ad laborem hunc mirifice animavit, eorumque curam in ſe ſuſcepit, quæ ad exequendum deſtinata ex Electoralibus Archivis, ſi me temporis ordo ad inſpicienda ea vocaret, deſiderabam. Cum deinde aliquam operis, quam nunc edo, partem legendam cenſendamque ei tradidiſſem, quid non fecit Vir ſummæ virtutis & pii pro religione zeli, ut me, mihi ipſi parum fidentem, multaque obſtacula vel videntem vel ſuſpicantem, ad continuandum laborem cohortaretur? Verum ille magno & ſerio, non meo ſaltem, ſed omnium bonorum, quotquot in his provinciis vivunt, cum dolore, ſuperiori æſtate ſublatus, inceſſabile ſui deſiderium nobis reliquit. Intervenerunt etiam alia cœpti operis ſufflamina; inter quæ refero incendium, neſcio culpa an caſu menſe Junio anni proximi hic exortum, quod plus quam dimidiam oppiduli mei partem in cineres redegit, abſumta etiam æde ſacra, & adjuncto conclavi quodam, in quo multa ex libraria chartaceaque ſupellectile mea repoſita habebam, reliqua, quæ in caſtello erat, cum trepidanter exportaretur, in tantam confuſionem conjecta, ut non parum temporis componendis utcunque libris chartisque impenſum fuerit, & ſpes cœpta abſolvendi fere tota interciderit. Effectum tamen eſt, Deo juvante, & benevolentia Principum, hominum etiam amicorum, ut, recepto animo, amotisque aliis, quæ oborta fuerant, impedimentis, ad inſtitutum reverſus primam operis particulam abſolverim.

Prodit

Prodit itaque, non tam meo quam amicorum arbitrio, utinam ad gloriam Dei & emolumentum Ecclesiæ! & continet gesta *annorum septem*, ab anno nempe 1517. exeunte, ad finem anni 1524. in quibus describendis Maimburgii *liber primus* occupatur, quem & verbotenus inserui, & mea, quibus is corrigitur aut suppletur, in paragraphos distributa subjeci, facile ex typorum alternatione dignoscenda. Tenuisse me apparet tertiam aliquam inter duas, quas supra proposui, viam, eam nempe, qua & Maimburgii scriptum Latine fideliter versum nostratium, qui Gallicam lingvam ignorant, notitiæ exhiberem, erroresque ejus indicarem; dein ut supplendo, quæ is omisit, pleniorem historiam producerem. Sic mixtum aliquod scripti genus enatum est, inter *Historicum* & *Apologeticum*. Neque enim Maimburgius, etsi Historici personam magnifice induens, in carceribus suscepti muneris sese continuit. Dum ergo in censuras evaganti occurrendum fuit, non potui non & ego cancellos historici aliquando egredi, & in hosticum, ut dicitur, bellum transferre. Consequens fuit, quoniam Maimburgius veteres novosque autores, eos maxime exscripsit, qui Reformationem omnibus modis culpandam exagitandamque sibi sumserunt, & inter hos ex recentioribus magni nominis virum *Sfortiam Pallavicinum* Jesuitam, qui procusa nova Concilii Tridentini historia purpuram Cardinalitiam meruit; ut hujus quoque tradita alicubi in examen vocari debuerint, quæ ex nostratibus, quod sciam, nemo adhuc data opera examinavit, cum cæteris dudum responsum pro meritis fuerit. Succenturiatus tandem anno proximo insurrexit Lutetiæ, sub *Historici Regii* titulo, *Antonius Varillasius*, qui in historia, quam *de revolutione rerum circa religionem a tribus seculis gestarum*, sive brevius & instituto suo convenientius, *de hæresibus* inscripsit, eadem aut majori quam Maimburgius cum acrimonia, sed majori imperitia, de Lutheranismo commentatus est; itaque & hujus errata annotanda quandoque fuerunt. Scio equidem frustra fere a me laboratum esse, si non nisi ad autores illos, eorumque emendationem, respiciatur: non enim solum fato suo interea functus est Maimburgius, sed etsi viveret, non magis, credo, commonstrata licet veriora agniturus esset, quam tot alii fecerunt, qui ubi rationibus & verbis destituuntur, ad lapides tandem, id est,

ad convitia & vindictas confugiunt. Ferunt etiam, libris nostris aditum in Galliam jam non amplius patere. Plures itaque gravioresque causas habui, ut vera & pleniori enarratione *Acta Reformationis* exponerem, & quæ peregrini isti & obnoxii scriptores, vel ab aliis incaute arrepta, vel ex suo ingenio depromta, falso & contumeliose cum magna confidentia tanquam compertissima tradunt, ita refellerem, ut veritati lux sua, a calumniarum & cavillorum umbra vindicata redderetur. Minime itaque omnium intendi, ut mentientium turpitudinem detegendo, recriminationis intemperie bilem exonerarem. Ejus fervoris incitamenta singularia nulla habeo; cum non nisi unus sim ex millenis millibus, qui eandem mecum fovent causam, eandemque expectant fortunam, si renascentia indies odia, tot vinculis legum pactionumque publicarum nequicquam coercita, in vim eruptura sunt. Verum hoc in Dei manibus positum est, qui pro sua sapientia & bonitate statuet, an ad veritatis agnitionem plures deducere, an qui hanc ore profitentur, sed moribus inhonestant, persecutionum igne explorare & purgare velit. Inter causas scribendi hanc quoque fuisse mihi non negaverim, ut calumniæ & imperitiæ alienæ obex poneretur: sed jam monui, metuendum esse, ne plerique ex adversariis exacerbentur potius quam corrigantur. Certior itaque fructus sperari potest ex eo, ut ostensa magis magisque rerum gestarum veritate, nostris Ecclesiis prospiciamus, animosque ad majorem constantiam firmemus, tum manendi in professione purioris religionis, tum vitam moresque corrigendi. Scientia enim veri & boni, quam praxis non sequitur, non inutilis saltem est, sed & culpam auget, cum nempe scientes prudentesque in deteriora prolabimur. Morum sane pravitati sine dubio magis quam scientiæ defectui imputari debet, quod nostro hoc tempore minima illius zeli fervorisque pars compareat, quem circa initia enascentis Reformationis majores nostri ostenderunt. Neque quidquam magis obstitisse ulteriori religionis purgatæ propagationi credendum est, quam quod relaxata morum disciplina, & vita a doctrinæ sanctitate palam discrepans, multis ex adversa parte suspicionem præbuit, ob alias omnes causas, quam urgente conscientia & veritate, discessionem factam esse. Hinc perpetua illa accusatio originem ha-

habet, ſtrepitque ad huncusque diem, quod Principes nuncium Romanæ Hierarchiæ non alio fine miſerint, quam ut opes eccleſiaſticas invaderent; populus vero, ut a legibus eccleſiaſticis ſolutus, genio ſuo indulgeret. Exempla deinde non plebis tantum, ſed & procerum, immo & Eccleſiæ miniſtrorum objici ſolent, qui parum honeſte vivant, iisdemque aut majoribus vitiis ſeſe contaminent, quæ in iis, a quorum communione ſeparati ſunt, acriter reprehendunt. His retro etiam credibilia fieri videntur, quæ de Reformatoribus ipſis, de Luthero inprimis, & de Principibus, quorum patrocinio is uſus eſt, plenis buccis declamantur. Accedit, quod in Cleri Romani actionibus multa, quæ cœptæ Reformationis tempore Principes & populum vehementer gravabant, correcta eſſe jactentur, certe cautius & majori cum ſpecie tractentur. Neque dubitandum eſt, in ipſo Clero Romano haud paucos hodie eſſe, qui de religione melius ſentiant, quam ii, qui Lutheri tempore vixerunt. Neglecta certe olim ſacrarum literarum ſtudia reſu[illegible]a ſunt, copia etiam legendi haud difficulter & plurimis ex populo data. Concionum, catechizationum, cantionum ſacrarum introductione, aut earum quas purgatæ Eccleſiæ noſtræ inſtituerunt imitatione, aliquorum etiam rituum & abuſuum correctione & moderatione, in Germania ſane effectum, ut alicubi imperitis ex plebe, aut de religione ab externa facie judicantibus, opinio naſcatur, majoribus noſtris non ſatis graves cauſas fuiſſe, propter quas ad immanem illam rupturam perventum ſit. A multis etiam annis rigor inquiſitionum & ſuppliciorum in diſſidentes remiſſus eſſe apparet, facili omnibus, qui ad Romanam Eccleſiam tranſeunt, non venia tantum, ſed & ad honores & commoda aditu. Qui ergo ex his quæ vident, de præteritis judicant, dubitare incipiunt, veranè ſint, quæ de ſævitia ſuperiori ſeculo adverſus Proteſtantes exercita narrantur, & an non ex aliis cauſis animadverſionem incurrerint. Quemadmodum autem mihi, aliisque ſenioribus, qui hodie bellorum ante annos quadraginta geſtorum mala, licet ipſi eorum pars aliqua fuerimus, narrare ſolemus, vix fides habetur, nec credibile videtur, quæ jam vivit ætati, in oppidis pagisque, frequentiſſime nunc habitatis, rerumqve neceſſariarum copia affluentibus, perpetrata eſſe qvæ audiunt, excarnificatos nempe & occiſos homines,

nihil

nihil ſanctum aut inviolatum, ſummam inopiam, famem, ſoli-
tudinem denique & vaſtitatem fuiſſe: aut ſi qui ſunt, qui hæc
ſerio aſſeverantibus tandem credant, eo tamen ex auditu non
afficiuntur dolore, quem qui talia ipſi experti ſunt, ex eorum
recordatione ſentiunt: Ita fit, ut fabulis ſimillimæ videri poſ-
ſint querelæ, quæ poſt duo pene ſecula de corrupta religione
& de inſolentia & inſcitia Cleri percipiuntur, iis præſertim, qui
neque ea, quæ hodie in aliis regionibus non reformatis fiunt,
cognita habent, aut non niſi externa & ſpecioſa reſpiciunt, aut
refrigeratum denique apud noſmetipſos zelum labentemque
diſciplinam obſervant. Hinc eſt ut tam faciles ſint multi in
admittendis, quæ hodie oppido frequentes ſunt, extenuatio-
nibus veteris mali, indeque incipiant conſiliis & inſtitutis ma-
jorum diffidere, & calumniis atque obtrectationibus aures præ-
bere, quibus tandem efficitur, ut non fruſtra ſaltem, ſed & peſ-
ſimo more, immo cum jactura animæ Reformationem factam
eſſe arbitrentur. Qui vero levioris ſunt animi, quorum magna
nunquam non eſt copia, rident zelum illum majorum, tolera-
taque ob res, quæ pro indifferentibus hodie habentur, tot &
tanta pericula; itaque ſi opus aut commodum eſſe videant, ad
rejicienda aut acceptanda, quæ haud magni momenti eſſe æ-
ſtimant, in quamcunque vertantur partem & formam, non dif-
ficulter ſeſe componunt. Neque ſolum imperiti in hunc in-
ſtitutæ a majoribus Reformationis contemtum incidunt, ſed
& docti, quique ante alios & ſupra ſcholam ſapere ſibi viden-
tur. Inter quos fortaſſe invenias, qui Acta illorum temporum,
inprimis vero ipſius Lutheri facta & ſcripta faſtidiunt, illisque
ut incultis & ſemibarbaris, vel ſua, vel aliorum recentiorum co-
gitata longe præferunt. Hi, ſi ipſis Reſpublica Eccleſiaſtica
formanda & reſtituenda concrederetur, longe ſapientius, com-
modius, felicius omnia expedituros ſe eſſe confidunt. His o-
mnibus, & ſi qui ſunt, qui alio alioque modo de juſtis Reforma-
tionis cauſis vel de proceſſu & modo dubitant, aut in tenenda
tuendaque, quam majores noſtri tanto labore, ſumtu ac ſangui-
ne pepererunt, religionis profeſſione tepent langventqve, ac-
curata geſtorum dictorumque illo tempore cognitio excitare
mentem, deinde adverſus tentationes, quas etiam optimi &
conſtantiſſimi ſentiunt, utilis & ſalutaris eſſe poteſt, cum vi-
dent,

dent, quo fundamento Reformatio suscepta sit, quamque nihil ejus sanctitati & utilitati, per calumnias illas, de quibus summatim dixi, in opere vero ipso latius ostendam, detrahi possit. Non frustra in Veteri Testamento Ægyptiacæ servitutis recordatio Israelitis toties commendatur, eademque utilitate Apostoli gentilibus non cessant pristini erroris infelicitatem ob oculos ponere. Cur non & nobis illo exemplo recolere conveniat beneficia, in repurgando Ecclesiæ statu majoribus exhibita & in nos continuata, si quidem serio credimus beneficia esse? Nolim hujus comparationis terminos odiose extendi. Scio, Deoque eo nomine gratias ago, quod etiam extra Lutheranas Ecclesias, retenta verbi divini aliqua lectione & prædicatione, Christianæ religionis capita maxima & saluberrima locum habeant; nec nostrates in medio disputationum ardore negarunt, esse etiam in corruptis cœtibus pias animas, quæ fidei, ab erroribus capitalibus singulari quadam Dei benignitate & luce liberatæ & purgatæ, efficacia salventur. Nihilominus statum religionis, ut ante Reformationem fuit, cum illo, qui per eam introductus est, conferentes ingratissimos esse oportet, qui divinam benignitatem non agnoscant, qua & vetera, quæ recta & orthodoxa fuerunt, retinuimus, & temere credita, aut per ambitionem & sordes invecta expurgavimus. Frustra hoc *schismatis* & *apostasiæ* nomine diffamant; quibus si credas, ii sumus, qui non a dominatu peregrino aut consuetudinis inveteratæ jugo, sed a Deo & Christianismo defecerimus. Unicum tamen, si omnia audiantur & excutiantur, tandem crimen est cujus incusamur, *excussio potestatis quam Romani Pontifices sibi in nos attribuerant.* Agnoscent sinceriores & doctiores ex Romano-Catholicorum Theologorum numero, quod in unico illo de Ecclesia, sub Romani Pontificis ecclesiastica jurisdictione continenda, articulo, specifica, ut ita dicam, forma schismatis consistat. Certe, quæ hodie est in conciliationes & probabilitates, post refrigeratum scholasticarum disputationum ardorem proclivitas, nescio annon omnia ferre in nobis velint, in quibus dissentimus, modo caput illud visibile, istamque concorporationem sive unionem admittere possimus. Quicquid de dogmatibus aut ritibus disputatur, valde vereor ut ulli, ex illa parte, non admodum simplici, pro vera dissidii causa habeatur.

tur. Pro autoritate ſedis Romanæ, pro dominatione, pro opibus & commodis Antiſtitum & Cleri pugnatum eſt, & adhuc pugnatur. Hæc cum ſubverti aut imminui metuerent Proceres eccleſiaſtici (minor enim Clerus, ut conſtat, & nuper faſſus eſt Pallavicinus Cardinalis, ad reformationem ſatis promtus erat,) non alio telo citius efficaciusque proſterni Reformationem poſſe exiſtimarunt, quam ſi, qui cauſam ei dabat, Lutherus hæreſeos reus pronunciaretur. Si vero is Pontificium jus ſalvum intactumque reliquiſſet, tanti ne ipſi quidem cætera habuiſſent, quorum cauſa tam graves noxiosque ſibi ipſis tumultus cierent. Si vero ad controverſiarum in dogmatibus capita ſpeciatim conſideranda accedatur, deprehendi poterit, in reliquis conciliationum viam facile inveniri potuiſſe, illis tantum ſemper difficillime obſtantibus, quæ ad honores & proventus Cleri maxime pertinebant. Quoniam ergo nobis perpetuo objicitur, majores noſtros tantum utilitatis cauſa ſeceſſionem feciſſe, cur quærere viciſſim nobis non liceat: ſi aliquid illo tempore excogitari potuiſſet, quod Cleri prærogativam & opes æque foveret & augeret, ac ſacrificium Miſſaticum & alii proventus, idque prioribus, in curiæ Romanæ & Cleri commoda, ſurrogari; annon tranſigi, & externam unionem, ſciſſis diverſisque utcunque dogmatibus, retineri non fuiſſet impoſſibile? Non auſim tamen hanc mentem omnibus tribuere, cum & in populo plurimi fuerint & ſint, qui nullo ad Cleri utilitatem reſpectu, nec ob dogmata, (quorum momenta pauciſſimi intelligunt) ſed vel ob unicum ritum, ad fidem ipſam parum facientem, capitalia odia adverſus omittentes aut diſſidentes exerceant. Etiam inter Theologos repertos fuiſſe non dubito, quibus magis cordi fuerit conſenſus in dogmatibus, quam in agnoſcendo primatu Pontificio. Sed de iis queror, penes quos rerum ſumma ſtabat, qui fulmina ex aula Romana, quique proſcriptiones in comitiis procurabant, dominationis magiſtri, qualis erat famoſus ille *Hieronymus Aleander* Pontificius Legatus, cujus machinationes in prima Hiſtoriæ hujus noſtræ parte percipimus: quales multi alii majori dignitate & potentia, quorum vita moresque oſtendebant, quo loco & pretio illis fidei capita eſſent. At hi omnium maxime hæreſin inclamabant, illoque claſſico Imperatores, Reges, Principes ad expe-

expediendas ſecures, ad rogos inſtruendos, ad bella denique ſuſcipienda incitabant. Quo vero quisque doctior pietatisque ſtudioſior erat, tanto magis is a ſcenico illo tumultu abhorrere, & larvam detrahere cœpit productis hæreſeos ſpectris. Ipſum forte Purpuratorum collegium illo tempore habuit, qui hoc animo eſſent, & remedia ſchiſmatis alia optarent, quam quæ in aſſerendo unico illo & ſupremo de Hierarchia articulo poni videbant. His annumerare non dubito *Jacobum Sadoletum*, *Caſparum Contarenum*, *Reginaldum Polum*, Cardinales, etſi non omnes difficultates ſuperare potuerint, quibus & ipſi ex infirmitate humana implicabantur, quo minus ſterilem & periculoſam veritatis profeſſionem dignitatibus commodisque ſuis præferrent, aliquando & verbis factisve, ne ſuſpecti ſuis fierent, ſævirent, quod Polum feciſſe non poteſt negari. Quod vero perpetuam illam objectionem attinet, qua præcipua ſchiſmatis cauſa in cupiditatem & avaritiam refertur, quando nimirum ajunt, Principes & Proceres invidiſſe Clero opes ſuas, populum exactionibus occaſione rerum ſacrarum exhauſtum libertatem affectaſſe; non diffiteor equidem, ipſum Lutherum has ſordes cito ſuis exprobraſſe, dum & rapinas quasdam obſervavit, a potentioribus exercitas, & populum arguit, quod mutationis maximum emolumentum in eo poneret, ut jam nihil in uſum ſacrum conferrent, qui tamen paulo ante tot penſitationes, per ſacerdotum & officialium avaritiam ſibi extortas, patienter toleraſſent. At Lutherum, & quos ille primos adjutores in doctrina aut patronos ex Principibus habuit, eo animo atque propoſito Reformationem molitos eſſe, ut opes quærerent, aut ſaltem tributis illis eccleſiaſticis populum liberarent, id ego veritati Actorum plane repugnare confidenter dico, & vel in hac ipſa *parte prima* evincam, quam frivole hoc jactetur, quamvis luculentius id demonſtrari poſſit ex ſequentium annorum hiſtoria. Adeo enim ab illa accuſatione, quaſi tantum opibus Cleri invadendis incubuiſſent vel Lutherus, vel ſuadente illo Principes, abſolvi poſſunt Lutheri actiones, ut ne leviſſima quidem iterandi calumniam, toties putide repetitam, ſpecies ſupereſſe queat. Ex ſeptem annorum hiſtoria, quæ primam operis partem facit, conſtat, Lutherum ſub Friderico Saxoniæ Electore (quem ob ſapientiam noſtrates celebrant,

 invi-

invidi ut callidum sugillant) nihil egisse nec audere potuisse, quod vel minimam suspicionem cupiditatis illius præberet. Successere postea, frater Friderici *Johannes*, qui publica autoritate Reformationem religionis primus tractavit; huic filius *Johannes Fridericus*, qui arma etiam pro tuenda illa expedivit. His regnantibus, jam omnia in Saxonia monasteria a monachis utriusque sexus vacua erant, reditusque eorum, primo ab Ordinibus provinciæ administrati, enatis variis ex œconomia illa incommodis, in Principum curam concesserant, indeque stipendia Pastoribus & scholarum magistris præbebantur. Ea erat potentia Johannis Friderici, ea etiam Agnatorum cum eo tunc temporis concordia, ut Episcopi in Saxonia ditionibus suis temporalibus exui facillime potuissent. Erant fortassis etiam, quales in aulis non infrequentes sunt, qui id suggererent. Sed quid Lutherus senserit, & quale consilium dederit, proximo ante mortem suam bellumque Smalcaldicum anno, ex documento indubitatæ fidei, hic per anticipationem demonstrabo: vitæ enim mora brevis spes vetat inchoare longas, incertumque haberi debet, an mihi vivendi scribendique facultas duratura sit, donec laborem meum ad illius anni gesta protulero.

Missum mihi est a Serenissimo Duce Friderico, supra nominato, volumen *Actorum*, in quo responsa Theologorum Wittenbergensium Germanice & Latine ad Electorem Johannem Fridericum data reperiuntur, *D. Martini Lutheri, D. Johannis Bugenhagii Pomerani, D. Casparis Crucigeri, D. Georgii Majoris, & Philippi Melanchthonis* manu subscripta. Petierat illo tempore Elector a Theologis, ut, quia iterum spes aliqua conveniendi de causa religionis (subdola illa quidem, & ad occultanda belli, quod Cæsar meditabatur, consilia) ostentabatur, illi habita consultatione, ultimam, in qua subsisti debere putarent, sententiam aperirent. Præstiterunt hoc, dicuntque in literis ad Electorem datis, cum quibus consultationem suam die 14. Jan. 1545. exhibent, *se contulisse omnia, quæ de tota politia ecclesiastica, & reformatione christiana, pro simplicitate sua sentirent, & extrema indicasse, in quibus per Dei gratiam persistere decrevissent:* Auf Chur. Churfl. Gn. befehl haben wir in unterthänigkeit vom gantzen Kirchen-Regiment und christlicher reformation unsere einfältige meinung zusammen bracht/ und auffs eusserste angezeigt/ wobey wir durch Gottes

gnade

gnade endlich zu bleiben gedencken. Scripto (de Latino exemplo loquor) in Cancellaria Electorali exhibito, ut moris est, lemma præfixit Secretarius his verbis: Wittenberg. *Reformation* durch *Ph. M.* (Philippus Melanchthon) ins Latein ꝛc. h. e. Reformatio Wittenbergensis per Philippum Melanchthonem Latine versa. Tractantur in illo capita sequentia, *de vera doctrina, de confirmatione, de ordinatione, de pœnitentia & confessione, de cœna Domini, de invocatione sanctorum, de conjugio, de ministerio Evangelico, de regimine Episcoporum, de judiciis Ecclesiasticis, de scholis, de victu & defensione ministrorum Evangelii, de monasteriis.* Jam ubi de regimine Episcoporum, eorumque officio, multis graviter egerunt, obedientiam suam ipsis denuo offerentes, *si non poscant ut veritatem Evangelicam abjiciamus & damnemus, sed veram doctrinam amplecti & propagare vellent;* de facultatibus & opibus illorum ita inter alia commentantur: *Quanquam gubernatio imperiorum & immodicæ opes impediunt administrationem Ecclesiæ & literarum studia, & multi pii & prudentes ante hæc secula non temere questi sunt, Episcopos nimium occupatos esse prophanis negotiis imperiorum, & opum suarum cura; tamen postquam nunc talis est politia & opum ordinatio, & Episcopi prudentes & timentes Deum recte uti suis facultatibus possunt, nos illam opum & ditionum possessionem non turbamus.* Eundem sensum in literis, supra relatis, ad Electorem breviter & liberius his verbis significant, postquam præmisissent, *se quidem non posse sperare, tu in æternum Episcopi cum Canonicis suis* (quos *indoctos & impios* vocant) *Christianam doctrinam & ceremonias admissuri sint.* So haben wir ihnen doch ein demüthig Erbiethen gethan/ und ihnen eine gelinde reformation fürgegeben/ daraus gnugsam zu verstehen/ daß uns nicht aufgelegt werden kan/ daß wir ihnen nach ihrer Hoheit und Gütern trachten/ oder der Spaltung ursachen sind. Id est, *humile obsequium illis obtulimus, & tolerabilem reformationem proposuimus: ex quo satis intelligi potest, imputari nobis non posse, quod dignitati & opibus illorum inhiemus, nec schismati causam nos præbere.* Asservatur hoc scriptum in scriniis Serenissimi Principis Gothani, ubi ab oculis suis fidem impetrare potest, qui eam relationi meæ (quod equidem non mereor) denegaverit; & plura de eo dicam, Deo volente, in Actis Anni 1545. Invenitur quidem inter edita a *Christophoro Pezelio* Consilia sive Judi-

 cia

cia Theologica Melanchthonis, in forma quam dicunt octava, *Neostadii anni 1600. Part. I. p. 586.* sed præterquam quod liber iste Pezelianus paucis hodie cognitus est, fallere potest lectorem rubrica Consilii, ut id solius Melanchthonis moderationi & studio irenico tribuendum esse credat; cum tamen Actorum, quæ allego, fide constet, Melanchthonem styli quidem autorem sed communis sententiæ interpretem fuisse, quam subscriptione sua omnes testati sunt: ut adeo indubitatum sit, qua mente tunc fuerit Lutherus. Scripta autem sunt ista cum florentissimæ essent Principum Protestantium opes. Nihil itaque inhumanius & iniquius esse potest, quam invidia illa de cupiditate bonorum ecclesiasticorum immerentem gravari Lutherum, quam & alias & illo denique tempore, cui ultra annum mensemque unum non supervixit, tam evidenti animi sui significatione elisit. Non quæritur jam, quid factum sit a Principibus, (quanquam & illis falsa plurima ab imperitis & malevolis afficta sunt, ut alibi ostendetur) sed quid ex principiis doctrinæ & reformationis suaserit & desideraverit Lutherus. Excesserint alii, lucrum aliquod ex spoliis ecclesiasticorum bonorum captaverint, nihil id officit doctrinæ puritati. Fecerunt paria, faciuntque multi, qui in religione nihil mutarunt.

Hoc igitur unum est accusationis caput, cujus injustitiam irrefragabiliter, ut spero, demonstratam do, non alio fine, quam ut odia, ex falsis imputationibus orta & aucta, a Reformationis autoribus amolirer, & simul ostenderem, conciliationis Christianæ & conscientiæ non repugnantis viam, jam tum summo cum judicio propositam, sed infelici pertinacia recusatam fuisse. Negari nequit, & libri ostendunt, Lutherum, cum libertatem doctrinæ ex Evangelio proponendæ, non alioquam Pontificio illo jure & imperio impediri, & se non argumentorum, sed autoritatis vi damnari cerneret, jus illud ipsum impugnasse, eaque occasione Clero divitias nimias, & imminutas illius artibus Principum dignitates & opes objectasse: dein adversus jactatam Pontificiæ potestatis divinitatem, populo libertatem amplectendi fidem Evangelicam, Principibus curam sacrorum externam & jus recusandi Pontificum dominatum asseruisse. De his disceptandum ante omnia, & jus Pontificium alio, quam factum est, modo asserendum fuisset, tali nempe, qui conscien-

tias

tias Christianorum convicisset. Id dum fieri non potuit, summe dubitandum fuit, an vi adversus Protestantes uti licuerit; & an rebellium & raptorum crimen incurrerint, qui suo jure, ut existimabant, usi, & de religione & de bonis ecclesiasticis statuerunt. Lutherus tamen, & qui eum sequebantur, doctores tum in ipso disceptationum fervore, tum vero maxime quando de concordiæ ineundæ rationibus agebatur, de summo, quod intendebat, capite ante omnia soliciti erant, de concedenda nempe populo doctrinæ puritate & legitimo sacramentorum usu: sed de dignitatibus & opibus Cleri, de aliquibus etiam jurisdictionis & administrationis speciebus & actibus ita tractabant, ut cedere pacis causa non detrectarent. Pervertunt itaque maligne statum quæstionis, qui præsupponunt quæ controversa sunt, & Luthero & sociis affingunt, ac si primario ad spolia ex opibus ecclesiasticis respexissent, aut horum ostentatione Principes & populos illexissent: quod quam falso objiciatur, ex historia ipsa luculenter constabit, aliquod tamen specimen in allato testimonio, uti spero, jam præliminariter datum est. Nolo hic in eam descendere disputationem, an de bonis ecclesiasticis statuendi jus fuerit in ditione sua Principibus & magistratibus; pendet enim & hæc a probatione primatus Pontificii, quæ si deficiat, nil est quod Clerus Principibus populisve objicere queat, sua utentibus libertate.

Alterum accusationis caput ad privatam vitam moresque pertinet, tam Lutheri, quam Sectatorum. Hic etiam observari velim ab iis, qui tam liberaliter criminantur, quam frustra, immo in se suamque Ecclesiam periculose recidenti exemplo, morum defectibus ad doctrinæ errores argumententur. Ea prolapsa proh dolor! est ubique, & per omnes coetus, pietas & disciplina, (fatentibus id gravibus in Ecclesia Romana, per Galliam maxime, scriptoribus) ut si ad corruptionem disciplinæ respiciamus, de amissa tota Christianismi veritate dubitare liceat. Neque vehementius de morum labe sub reflorescente Evangelii doctrina, facile ullum alium questum esse existimaverim, quam ipsum Lutherum, qui Jeremiæ severitatem reduxisse in suum seculum vere dici potest. Itaque & hic malitiose a scopo disceditur, & a doctorum moribus adversus doctrinam pugnatur, quæ tamen pura esse posset, quomodocunque illi

vi-

vitam suam instituerent. Insolens maxime est, quod non fatigentur de vita ipsius Lutheri perpetuo criminari. Eminet iterum hujus candor, qui suam fragilitatem ingenua professus est cum libertate, sed doctrinæ veritatem non ex vitæ suæ exemplo, (quanquam & illo adversarios longe superavit) sed ex sacrarum literarum præscripto æstimandam centies obtestatus fuit. Dicerent aliquid, si Lutherus, quod impostores quidam veteres novique jactare solent, ullum doctrinæ caput revelationi speciali attribuisset: talibus enim non immerito objicitur morum aut miraculorum defectus. Nihil tale unquam Lutherus venditavit, non nisi ad legem & testimonium provocans, & nihil sibi credi postulans, quam quod Scriptura teste asseveraret: neque inter nos sunt, qui articulorum fidei veritatem illius opinioni tribuant.

Paulo prolixius hæc præmisi, dum de fine & utilitate laboris mei dissero. Biceps enim illa pestilentis calumniæ vipera, sive amphisbæna, per totum Maimburgii & aliorum veterum novorumque scriptorum libros regnum tenet, nec ulla omittitur vel levissima occasio, aut spolia ecclesiastica, aut relaxamentum disciplinæ doctoribus, principibus, populisque objiciendi. In prima jam historiæ Maimburgianæ epocha virus illud effunditur: quamvis, quod Lutherum attinet, maximum illud & irremissibile, quod crepant, crimen, nuptiarum cum moniali, nondum in scenam producatur, ad annum 1525. librumque secundum reservatum.

Cæterum ut de adminiculis, quibus in *prima* hac parte adjutus fui, aliquid adhuc commemorem, fatendum est, me ex *Archivis*, ob eam, quam supra attuli, rationem, subsidia magna habere nondum potuisse; majora adepturum me spero, si, Deo favente, ad tempora Johannis & Johannis Friderici Electorum pervenero, qui & apertius in religionis causa versati sunt, & pluribus ministris instructi, pluribusque negotiis impliciti, Actorum monumenta copiosiora reliquerunt. Nactus tamen sum sæpe dicti Serenissimi Principis *Friderici* beneficio quædam ex *Georgii Spalatini*, qui Friderico Electori a secretis sacrisque fuit, commentariis, & aliis, quantum scio, non editis Actis descripta, quæ in loco allegavi. Opuscula Lutheri & contra eum, primis a cœpta disputatione ejus annis edita, & fere deperdita,

nec

nec in Tomos relata, ex *Lipſienſis Academiæ Bibliotheca* humaniſſime mihi ſuppeditata fuerunt. Eandem promtitudinem ſtudia hæc mea juvandi, in vicinis urbibus *Altenburgenſi*, & *Cizenſi*, ut & *Jenæ*, a præclaris viris mihi amiciſſime exhibitam, grata recolo mente. Fortaſſis publicato nunc operis qualiscunque mei ſpecimine alibi quoque excitabuntur, qui vel ad ſupplenda ſecundis curis quæ nunc edo, vel ad continuandam ſequentium annorum hiſtoriam me juvabunt; quamvis completo, dum hæc ſcribo, anno ætatis meæ ſexageſimo cogitare potius debeam illud: εὐχαί τε γερόντων. Si quis ergo annis ſtudiisque melior, quam ambulare cœpi viam proſequi, aut perfectiorem (quam reperiri poſſe non dubito) inſiſtere velit, ei profecto lampada lubens tradam, & ſucceſſum apprecabor. Pergam interim, qua ſinet, per Dei benignitatem, rerum & valetudinis meæ ſtatus, quamvis imperfecta plurima relicturum me eſſe facile conjiciam.

Si quis, ut ſuſpicor, futurus eſt, quem prolixitas *primæ* hujus partis offendat, maxime vero, quod tam multa ex Lutheri libris & epiſtolis inſerui, is facti rationes has a me, rogo, non invitus percipiat. Prima hæc, quorum hiſtoriam trado, Lutheri geſta ab anno 1517. ad 1524. omnium maxime notabilia mihi viſa ſunt, non contradicentibus, ut ſpero, qui conſiderabunt, hæc fere eſſe quæ illi ſoli tribui debeant. Intra hoc enim ſeptem annorum ſpatium ab humano præſidio totus deſtitutus erat; trepidum quippe & veluti furtivum fuit, quod ei Fridericus Elector præſtitit, cum quo ne ſemel quidem collocutus eſt, & quem bis tantum vidit. A collegis etiam parum ei acceſſit adjumenti; ſane ab illo, qui inter primos eſſe debebat, Caroloſtadio, quid paſſus fuerit, ex hiſtoria notiſſimum eſt. Timidior, uti quidem ſemper, tunc tamen, etiam ob juventam, vel maxime erat, doctior licet aliis omnibus, Melanchthon. Ipſe vero Lutherus non queri ſatis de ſe ipſo poteſt, quam titubanter & per multos errores lapſusque ex præjudicatis opinionibus ſeſe extricaverit. Quod ſi ad pericula reſpiciatur, in quæ per iſthæc tempora incidit, ad Acta videlicet cum Cardinale Cajetano, & in Comitiis Wormatienſibus; ad Pontificis & Cæſaris adverſus eum duriſſima decreta; ad labores immenſos, & hominis vires fere excedentes; ad valetudinem afflictam;

& ad incredibile ab innumeris adversariis odium, & grandinem quandam convitiorum per libellos in se jactorum; ad pauperrimum tandem & incommodissimum in inopi monasterio victum, miraculo simillimum est, vivere virum vel uno, nedum septem his annis, potuisse. Intra hoc ipsum tempus nulla Principum potentia, aliqua saltem alicubi conniventia, alibi vero inter rigidissimas persecutiones, in omnes fere Europæ regiones doctrina viri, ex sacris literis denuo eruta, veluti fulgur quoddam penetravit, sangvine etiam martyrum & plurimis exemplis pietatis & devotionis mirifice firmata. Itaque septem hi anni, si ad interna magis quam externa cogitationem referamus, floridissimam veluti juventam renascentis Christianæ religionis repræsentant, nondum licet accedente Principum autoritate, aliisque, quæ ad speciem potius & pompam, externamque professionis securitatem, quam fidei substantiam pertinent. Feliciores etiam hi anni fuerunt, nondum exortis turbis, quæ postea secutæ sunt, vel a rusticæ plebis inconsultis ausis; aut Principum consiliis, quæ in bella denique desierunt; aut divisionibus, inter ipsos Protestantium doctores & cœtus magis magisque erumpentibus. Itaque mihi propria Lutheri hæc historia videtur, cum concionibus lectionibusque suis Wittenbergæ (mediocri sane, si cum magnis urbibus conferatur, oppido) scholam aperiret, ex qua in tot regna & provincias Evangelii præcones, veluti tot coloniarum duces, mittebantur. Multo vero magis profecit per libellos suos, quibus celeberrimæ typographiæ occupabantur, in præcipuas Europæ linguas magna alacritate translatos, ut non nisi summa & extrema violentia effectum sit, ne Reformatio doctrinæ totum Christianum orbem, sicuti pervadere cœperat, ita prorsus impleret. Ex his ergo ejus libris, exosis licet apud adversarios, fastiditis etiam apud nonnullos ex nostris, non pœnituit me, præter illa quæ historiæ veritatem juvant, (ad quam Epistolæ viri multum conferunt) dogmatica etiam adscribere, quibus ille sententiam suam cum summo applausu explicavit, aut adversarios repulit. Ita & tempori & commoditati legentium prospectum est: neque enim omnibus licet vasta illa librorum volumina adire. In sequentibus, ubi Principum & Magistratuum auctoritas, & adjutorum major numerus accessit, & ad publicas confessiones perventum est,

eſt, parcius breviusque Lutheri libris utar. Nunc Lutherum ex ipſo Luthero eruo, formo, depingo, & ab ea parte conſpiciendum admirandumque ſiſto, qua is mihi pulcherrimus optimusque viſus eſt. Ab illa nempe, qua hominum mentes, propoſitis ex cœleſti Scripturarum theſauro argumentis, convicit, tantamque, quæ ei opponebatur, autoritatis & potentiæ machinam veluti folia, aut chartaceos pictosve muros, disjecit. Patebit hinc, quo reſpectu *Lutherani* ſimus, quid in eo venerati ſecutique fuerint majores noſtri, & quam inique nobiſcum, & frivole etiam atque impudenter agant, qui nos ad mores viri, aut ad duriuſcula ejus dicta aut ſcripta ablegant; in quibus excerpendis, mutilandis, cavillandis, improbam ſane, certe Chriſtianis minime dignam, conſumunt operam. Peccaverit, lapſus ſit, verbis factisve, (longe quidem levius mitiusque quam inimici & æmuli ejus tradidere) id nobis humanæ imbecillitatis argumentum dat, at doctrinæ fideique nullum adfert, detrimentum, cujus fundamentum ſcimus ubi quærendum ſit.

Rogatos itaque velim, quam poſſum decentiſſime amiciſſimeque, omnes qui in hunc librum meum incidunt, & inprimis eos, qui Lutherum hæreticum, immo hæreſiarcham fuiſſe confidenter credunt, & tot hominum myriadibus ob Lutherani, quod vocant, dogmatis profeſſionem male cupiunt, ut ſequeſtratis odiis & præjudiciis, ad legendum librum accedant. Videbunt, quomodo homines infenſiſſimi geſta & dogmata Lutheri narraverint; videbunt etiam, quæ ego, quibusque fundamentis & probationibus, adverſus calumnias produxerim, & veriora optima fide ſubſtituerim. Quid optabilius mihi eſſet, quam ſi divinæ veritatis lumen oculos omnium legentium perſtringeret & animos mutaret, ut ex inimicis & perſecutoribus fratres & ſocii fierent, qui uno nobiscum corde & ore puram in Deum fidem profiterentur, & communi zelo pietatem morum reſtituerent? Summa diſſidiorum noſtrorum ſatis nota eſt, & ſupra indicatum, quo tandem recidat. Quamvis vero in hac exulcerati ſeculi gangræna, & in fæce ultimorum temporum, vix ullus ſpei locus ſit, tollendi per tales modos ſchiſmatis, qui vere Chriſtianos deceant, nec tyrannidem ſapiant, quæ certiſſimam Anti-Chriſti notam præbet; nolo tamen inter eos eſſe, qui

 pror-

prorsus desperent. Quod si vero frustra est de perfecta pace Ecclesiæ cogitatio, perpendant velim viri docti & pii, quales profecto etiam extra cœtum nostrum magno numero reperiri minime dubito, & res loquitur, quomodo in hoc saltem (quod utique licet) puncto conveniamus, ut mutua officiorum humanitate & æquitate, quæ Christianorum summa & propria virtus est, nos tractemus. Desinant tandem ab utraque parte calumniæ, & mendaciorum fabulæ: desinant exaggerationes & perversæ consequentiarum exterebrationes: sat gravia sunt absque illis, in quibus dissidemus: cesset apud omnes (nam Protestantibus eadem dico) propagandi religionem per vim aut astum, & per illecebras indignas nomine Christiano, lubido: prædicetur veritas, ut quisque eam pro conscientia, absque hypocrisi, intus & serio sentit: indicetur mascule, sed non immodeste & falso, quid quibusque ex causis in opposita displiceat parte: preces ad Deum fiant, ut errantes in veritatem reducat, & jam in hujus tramite ambulantes magis magisque firmet & promoveat. Cogitetur etiam & pro beneficio Dei habeatur, quot & quam præclara capita fidei sint, quæ cum consensu docemus. O quanta Christianorum simplicium, id est, optimorum, pars cœlesti potietur beatitudine, quæ nunquam vel audivit, nedum didicit, quæ tanta cum acerbitate & cum tot populorum clade agitantur, controversias, illam certe minime, *sitne Pontificatus Romanus juris divini an humani?* ex quo fere tota malorum nostrorum in rebus sacris catena pendet.

Si vero praxin Christianismi consideremus, sive mores & disciplinam, quid adeo insuperabiliter nobis obstat, quo minus omnes, nullo dogmatum respectu, virtutes vere christianas colamus, summumque zelum omnemque æmulationem huc transferamus, ut alii aliis castiores, temperantiores, justiores, humaniores, benigniores simus, utque unanimiter annitamur, quo non ficta comitate & insidiosis blanditiis, sed vera sanctimonia vitæ, puritatem dogmatum demonstremus? Inter dissidentes circa dogmata facile sane convenit, quid ad veram pietatem & virtutem pertineat; etiam vulgus hoc novit, aut facile capit, nisi a pravis magistris ad externa saltem & fucata ducatur. Hactenus itaque dextras jungere, & scandala publica amovere possumus, nec asyla iis offerre aut præmia, qui mala mente ab una

una ad alteram transeunt professionem; dogmata etiam, in quibus consentimus, contra infideles, atheos & fanaticos communibus consiliis tueri nihil prohibet. Imitemur castra *invictissimi Imperatoris nostri LEOPOLDI Augusti*, quibus nuper Buda expugnata est. Nulla in iis fuit dissentientium de religione concertatio, una erat contentio, ut officium suum strenue facerent, disciplinam servarent, communem aggrederentur hostem. Quam vero ibi fecit conjunctionem bellica necessitas, hanc cur facere nobis non possit Christiana charitas? imo inter Germanos facere debent pactiones & leges publicæ, per quas etiam ecclesiastica quædam & mutuæ defensionis societas, non nuda tantum tolerantia, introducta est; nefas autem habitum, ut ad vim & persecutiones, religionis imperandæ causa, erumpatur. Facessat igitur Alecto ex inferis reducta, quæ denuo ad bella & horrida bella classicum canat; dein exitialibus armis sese mutuo lacerantes male consultos Germanos irrideat, dicatque Pacificatori alicui:

En perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic in amicitiam coëant, & fœdera jungant.

Deus omnibus, qui vel vicinorum exemplo vel sua aliqua intemperie ad vim propendent, meliorem mentem indat, & intempestivum zelum atque fervorem, ad pacem & pietatem vertat. Dum in hoc ipso labore meo Acta superiorum seculorum percurro, observasse, quod & egregii ex utraque parte viri ante me expenderunt, satis clare mihi visus sum, ad veram religionem pietatemque promovendam armorum vim nunquam profecisse. Quid effectum est Pontificum zelo, tot exercitus ad recuperandam Terram sanctam expedientium? quid post Albigensium immanes clades, aut post bella Hussitica, commodi accessit Ecclesiæ? Crevere (fatentibus id ipsis postea Pontificibus, totque ingenuis gravibusque doctoribus) barbaries, fastus, dissolutio, corruptio omnium ordinum. Quid profuit, septuaginta armatorum millia a fœderatis Smalcaldicis in castris haberi, & Cæsarem in suis obsideri? In quod non periculum res Protestantium belli illius eventu adducta est? Quis deinde non crediderit, Carolum Cæsarem, tantæ potentiæ, sapientiæ & virtutis Principem, sive post captam a suis Romam, sive post funditus prostratas Protestantium in Germania opes, rem maximam

nam præſtare potuiſſe, vel in Reformatione totius Eccleſiæ occidentalis, cui Pontifices reluctari videbantur, vel in extingvendo penitus Lutheraniſmo: quorum tamen neutrum præſtitit. Feliciori quidem ſucceſſu Mauritii Saxoniæ Electoris conſilia proceſſerunt; idem tamen vix oſtentatis armis, quibus victorem ad id usque tempus Cæſarem ad præſtandum promiſſa paucorum menſium expeditione adegit, pacem acceptavit, ſuoque etiam exemplo confeſſus eſt, religionem moderatis conſiliis optime procurari. At poſtea oblivio quædam præteritorum malorum, novusque ſubinde pruritus ad disſidia & ſimultates irrepſit, in factiones & fœdera, tandem in bella, parentum & noſtra memoria erumpens. Quis Ferdinandi Secundi, ſapientisſimi ſane & maximi Imperatoris, geſta ignorat? qui omnium victor triumphatorque hoſtium, ante annos hos ſexaginta, cum uno diplomate, non ſine juris ſpecie, publicato, effectum adverſus Proteſtantes ibat, quæ prædeceſſores ejus vix cogitare aut leviter tangere auſi erant, ſe tamen & rem Auſtriacam, immo totam Germaniam, in ſummum adduxit periculum. Quanquam enim exercitus ejus, continuis victoriis, & excidio celeberrimæ ad Albim urbis, tantum incuteret Proteſtantibus terrorem, ut jam actum eſſe de religione & libertate ſua exiſtimarent; ſubita tamen & inexpectata converſio rerum ſecuta eſt. Supervenit ex ultima Thule Rex, qui exiguis viribus incredibilia brevi tempore peregit, & ſuis continuanda transmiſit. Quod ſi verum eſt, ut puer ego tunc audiviſſe memini, ulterius tendiſſe, qui tunc Martem faventem habebant, & jam de tranſitu Alpium & ſpoliis Capitolinis cogitaſſe; experti certe & hi ſunt, fruſtra ab armis ſperari, quæ Deus ad mentes hominum convertendas deſtinavit. Tandem poſt multorum annorum internecina bella, & redactam in vaſtitatem miſerabilem totam fere Germaniam vicinasque regiones, ſuum Deo conſtitit propoſitum, ut pace data finem turbis faceret, omnibusque tempus & otium impertiretur ſe, ſi modo vellent, in ſpiritu & veritate ſanctisque ritibus colendi. O utinam omnes, iique inprimis, qui purgatæ religionis beneficium agnoſcunt, indultis his jam per tot annos Halcyoniis, ad promovendam convenientibus modis pietatem & religionem inter ſuos, utinam & alii ad emendandos potius errores defectusque proprios

prios animum applicuissent, antequam separatos dudum, & legibus suis per pacta publica relictos, Deoque jam soli de fide & religione responsuros, limis obtuerentur oculis, aut ubi prætextus & facultas fuit, odio suo imbelles immolarent! Nondum tamen fortassis eo perventum, ut de corrigendis, quæ intra & extra muros Iliacos peccantur, desperari debeat. Expectemus meliora, dum licet, & concurramus, quo quisque intelligit, valet, potestque, optimo & saluberrimo modo, in veritatis & pacis studio.

Superest, ut invidiam acerbasque laboris hujus mei censuras deprecer. Scio equidem, non posse me pro Luthero scribentem Lutheri condemnatoribus placere; audire etiam mihi videor, quid me ante alios impulerit, ut homo, uti loquuntur, laicus de rebus ad religionem pertinentibus scriberem, cur me rixantibus Theologis immiscerem. Agnosco objectionis non exiguam speciem: rationes itaque operæ meæ præcipuas jam exposui. Addo & hanc, quod ex familia equestri, & Imperiali libertate in Franconia per plurima secula gaudenti ortus sim; ex qua majores mei cum agnatis suis, Lutheri dogmatibus inter primos, ex contribulibus suis, aures præbuerunt, & quas habebant colonorum parœcias, ad exemplum aliorum Magistratuum reformarunt. Ex agnatis tamen meis aliqui ad veteres ritus reversi, opima Sacerdotia adepti sunt, *Casparo* etiam *Seckendorfio* ad Episcopatus *Aichstedensis* fastigium sub finem superioris seculi evecto. Maternum porro mihi genus ex *Sebastiano Schertelio, Equite aurato, Burtenbachii Dynasta* trahitur, qui clarissimum nomen, nec contemnendas opes, bellicis potissimum artibus, (quanquam nec humaniorum expers fuit) quæsivit, adversus Imperii hostes, Turcos maxime, felicissime pugnavit, exercitus Smalcaldici magnam partem duxit, eoque nomine multa passus, tandem tamen dignus habitus est, quem Cæsares gratia sua ad finem usque vitæ, quam ultra annum ætatis octogesimum, clarus honore & opibus, produxit, complecterentur. Ejus prosapia mascula avitis prædiis magna ex parte adhuc fruitur, fœminina per illustres & nobilissimas in Suevia & Franconia familias diffusa. Hos majores meos, Equites inprimis Franconiæ cæterarumque liberarum regionum, in universum omnes, nominatim *Schertelium*, novi ex

Gallia autores indignis modis deturpant: quod tanto quidem minus mirandum eſt, cum & maximos Principes, *Electores* inprimis *Saxoniæ*, convitiis impudentiſſimis proſcindere non ſint veriti, ut in loco notabitur. Stimulum aliquem addidiſſe mihi iſta non poſſum negare, quanquam ſola ad ſcribendum non moviſſent: majus enim incitamentum a publici commodi reſpectu habui, & quod nemo prodire vellet, qui peregrinos libros vel intelligeret, vel intellectos refellere aggrederetur. Si quis igitur eſt, qui ad librum hunc meum refutandum, defendendosque Gallos, &, quibus illi uſi ſunt, cavillorum & mendaciorum autores, animum appellit, eum obteſtor, ut ſi me, quod facile poterit, eruditione & eloquentia vincat, candore etiam & bona fide (de his enim virtutibus honeſte cum omnibus contendere mihi licet) imitari & æquare annitatur. Si mihi vita viresque Deo favente duraverint, ut adverſus inſultus, qualescunque illi futuri ſint, librum hunc meum ipſe tueri poſſim, eas mihi jam nunc leges conſtituo, ut convitia & ſcommata omnia ſpernere, aut brevi retorſione in autores ſuos rejicere velim. Dein ubi opus eſt, minime me pudebit, lapſus memoriæ & judicii agnoſcere & emendare, certus cæteroquin, ſcientem nec mentitum nec cavillatum me eſſe. Solabitur me, in factis vel ſtylo labentem, omnium ſcriptorum, vel præſtantiſſimorum, exemplum, quorum nullus unquam hiſtoriam absque omni vel rerum, vel temporis, vel nominum locorumque, errore compoſuit. In propugnandis dogmatibus quid poſſim, aut potius quid non poſſim, ſcio: agnoſco me ex velitum ordine eſſe; receptum itaque ad gravis armaturæ triarios habebo, & ſurrecturos ex iis ſpero, qui recedentem, ſive ſenio debilem, ſive armorum non ſatis peritum, excipient. Vellem, ut abſtinere me in libro hoc ab omni dogmatum tractatione potuiſſem, ſed ut jam dixi, non licuit per adverſarium, neque mihi vitio verti debet, quod fidei, cui a teneris innutritus ſum, & in qua tranſitum ad meliorem vitam propediem expecto, rationem quam potui, ſic data occaſione, reddere non detrectaverim. Nec ſuccenſebo adverſario, qui ex ſuæ conſcientiæ ductu, quæ credit, ea qua poteſt efficacia tueatur, aut mea argumentis oppugnet, dummodo ab injuriis, nihil ad cauſam facientibus, ſibi temperet: ſic, utcunque diſſentiens, æqui & modeſti hominis laudem

mere-

merebitur. Eandem ſpero me quoque aſſecutum eſſe, dum ita ſcripſi, ut non immemor fuerim, quis ſim, & quod ex diſſentientibus in religione, & cives, & amicos, & neceſſarios, immo & ſuperiores, in Principum eccleſiaſticorum etiam ordine habeam, quibus clientelæ jure, more majorum, obſtrictus ſum. Iis omnibus ſingulisque, quam cuique debeo, ſervabo & præſtabo humanitatem, officiorum cultum, reverentiam denique & obſequium. Si qui ſunt Lutheranarum partium viri, aut ex illis cœtibus, qui Reformati dicuntur, quibus minus, quam fieri debuiſſe putaverint, hoc labore meo ſatisfeci, ab iis ſi laudari dignus non videar, (quod nec affecto) benevole tamen tractatum me iri confido: immo in ſubſidium omnes voco, ut, ſi opus eſt, dogmata Lutheri, ſaltem quæ utrisque communia ſunt, majori argumentorum perſpicacitate defendere, aut hiſtoriam per documenta, ſi quæ ipſis copia eorum eſt, ſupplere velint. Errores etiam meos ſi qui ex illis arguent, tanto æquius ferre me id convenit, quanto minus dubito, pro communi omnes cauſa laborare. Qui vero ſibi majorem lucem ex, neſcio qua, revelatione affulſiſſe exiſtimant, & *extra partes*, uti jactare quidam ſolent, conſiſtere volunt, cum iis nullum mihi negotium futurum eſſe profiteor; ſilentio enim *fanaticos*, non minus atque *atheos* & omnis religionis contemtores transmitti, & ſuis puniendos relinquere mentibus ſatius eſſe opinor. Scripſi Meuſelvvizi d. XX. Decembr. Anno MDCLXXXVI. Natali meo ſexageſimo primo.

ADDITIO I.

(a) *Johannis Sleidani*, cujus mentio fit, *Apologia*, quam ipſe commentariis ſuis in repetita editione præfixit, in omnium manibus eſt, in qua, ut & in præfatione ad Auguſtum Sax. Elect. d. 10. Cal. April. 1555. ſcripta, non ſolum de veritate & candore ſuo ingenue proteſtatur, ſed & ad declinandam pravi aut obnoxii affectus ſuſpicionem graviter allegat, quod *totum opus ſuum ex Actis confecerit, quorum bona pars typis procuſa extet*, & quod *ipſe de ſuo nihil addiderit, nec ullum interpoſuerit judicium, nec rhetoricatione uſus ſit: querimonias & criminationes inter partes ex æquo retuliſſe ſe* ſcribit, *nullasve ſuas facere, quod alii fecerint, inprimis ille, qui ante annos ſex Moguntiæ librum ediderit criminationibus, calumniis, nugis & convitiis refertiſſimum.* Qua quidem deſcriptione deſignat *Johannem Cochlæum*, qui *commentaria*, ut vocat, ſua anno 1549. Moguntiæ publicavit; in *Apologia* vero eundem aperte nominat, & *ob horrendas, inauditas & fictas criminationes hiſtorici nomine indignum* cenſet. In eadem *Apologia* repetit teſtificationem coram Deo, quod lædere neminem voluerit; dein oſtendit, ut a verborum acerbitate, etiam in referendis alterutrius partis ſcriptis eriſticis, ſtylum temperaverit atque inflexerit: judicium vero ſuum ita moderatus ſit, ut nihil cuiquam derogaverit, vel plus tribuerit, quam ipſa res pateretur, licet id pauci ſcriptores præſtiterint; exempla recentiorum, omiſſis veteribus, affert: *Platinæ, Cominæi, Bembi, Jovii.* (b) Prolixam Sleidani defenſionem ſuſcepit, quem in præloquio nominavi, *Fridericus Hortlederus*, Conſiliarius quondam Vinarienſis, vir doctus & diligentiſſimus, in præfatione operis

(a) *Sleidani apologia, ab ipſo edita.* (b) *Frid. Hortlederi defenſio pro Sleidano.*

operis amplissimi, Germanice anno 1618 conscripti, *de bello Germanico sive Smalcaldico, & quæ secuta illud sunt*, duobus magnis voluminibus in folio comprehensi, quorum secundam editionem anno 1646 procuravit gener ejus, vir nobilissimus & celeberrimus, mihique, dum viveret, conjunctissimus, *Zacharias Pruschenckius*, Consiliarius Duc. Sax. Vinar. intimus. Explicat autem *Hortlederus* & pluribus rationibus firmat, quæ *Sleidanus* in sua exposuit *Apologia*, alias quoque insectationes refellit. (c) Inter asperrimas est, quam passus fuit ab *Alberto Brandenburgico* bellatore illo, & tandem exule. Hic desperata jam causa sua, scripto mordacissimo anno 1557. adversus Episcopos Bambergensem & Würzburgensem, itemque contra Senatum Norimbergensem sparso, [exhibetur ab *Hortledero Lib. VI. cap. 27.*] in Sleidanum ideo invehitur, quod objecta ab hostibus Alberto commentariis suis inseruerit. Hoc, vero, ait *Hortlederus* & multis rationibus deducit, optimo jure & exemplo Sleidanum fecisse, neque ideo teneri, ut de veritate eorum, quæ ex aliena narratione refert, respondeat. Ipse etiam Albertus agnoscere hoc videtur, dum satisfieri sibi posse scribit, si sua etiam scripta, non minus ac adversariorum, a Sleidano in continuatione aut repetita librorum editione recenserentur, idemque Johannis Brandenburgici Marchionis nomine *Georgius Sabinus*, in epistola ad Sleidanum, testatus est. Neque enim probari potuit, ex proposito ista a Sleidano omissa fuisse, cum nulla diligentia evitari possit, ne quædam fugiant historicum etiam typis publicata. Ita de his ipsis Alberti scriptis [de quorum omissione is dolebat] *Hortlederus* refert, quam difficile sibi fuerit, unicum eorum exemplum adipiscendi, quod in opus suum insereret. (d) Cæterum quod a *Carolo V.* Imperatore, *Joachimo II.* El. Brandenburgico, *Julio Pflugio* Episcopo Naumburgensi, *Wilhelmo* Duce Juliacensi, & a *Christophoro Carlevicio*, Consiliario Mauritii Sax. Elect. mendacii accusatus fuerit Sleidanus, si modo fides habenda est Surio, Gennepo, & aliis id narrantibus, aut Principes ex sua scientia, non alieno relatu, quo facile decipi solent, locuti sunt, magnum quidem est præjudicium, neque tamen tanti, ut absque demonstratione pro plene & sufficienter probato haberi possit. Quam cordate de veritate protestatus fuerit Sleidanus, ex ipsius, quam citavi, *apologia* anno 1555 evulgata, constat. Post illam editam ultra annum non vixit, neque vel vivus convinci potuit, nec hactenus tanti temporis intervallo indicatum & probatum, quod sciam, aliquid speciatim est, quod peccaverit. (e) Pro paucis denique reprehensoribus innumeros habuit approbatores, interque eos magni nominis viros inter Gallos, *Johannem Bodinum*, &, qui sine honore memorari non debet, *Jacobum Augustum Thuanum*. Hunc solum *Maimburgii* & *Varillasii* & mille talium censuris præferendum existimo. Postremus iste in præloquio *historiarum Hæresium* inter alia notat, in prima editione commentariorum Sleidani, quam *anno 1553. in folio, litera Italica* prodiisse dicit, inveniri, quæ pro Catholicis facerent, in secunda vero editione, statim post mortem Sleidani secuta, omissa esse. Sed ignoscat mihi, quod assensum suspendam, donec illam, quam describit, editionem videro: id enim, quanquam adhibita diligentia, hucusque mihi non contigit, etsi eam adeptus sim, quam ipse Sleidanus edidit, nondum addito libro XXVI. Et hæc quidem non prima, sed secunda aut ulterior fuit editio, nam mentio in illa fit prioris. Prodiit, postquam ista in priori libri hujus editione scripsissem, *Varillasii* Tomus historiarum de hæresibus *quintus*. In ejus præloquio paulo aliter de variatione illa librorum Sleidani loquitur. Neque enim jam editionem An. 1553. qualem loco, a me ex præfatione *Tomi I.* citato, descripsit, sed aliam Anno 1555. & Gallicam ejus versionem designat, ex qua *Surius* allegaverit & taxaverit, quæ Varillasius in posterioribus se invenisse negat, causas etiam mutationis ignorare se dicit: conjicit tamen Protestantes existimasse, ea, quæ in priori editione scripta fuerint, partibus suis nimis noxia fuisse. Verum ego, quod professus sum, non solum repeto, sed & in majorem dubitationem me venisse non diffiteor, postquam autor de prima illa editione *anno 1553.* jam tacet, & aliam proponit, quæ fortasse non magis, quam prima illa, reperiri potest. Dabitur tamen opera vel a me vel ab aliis, ut iterata diligentia veteres Sleidani editiones indagentur, & instituta collatione observetur & indicetur, quæ & qualia sint, quæ *Surius* allegaverit, in posterioribus editionibus, ut *Varillasius* tradit, expuncta; tum, quæ expungendi ratio fuerit, & quid inde utilitatis vel damni causæ Protestantium sperari metuive potuerit.

ADDITIO II.

(f) Quod de reformatione a familia mea mature suscepta annotavi, confirmatur ex attestationibus Pastorum Evangelicorum in pagis *Ulstet* & *Langenfeld*, ad me missis. Allegant enim documenta, ex quibus constat, *Florianum a Seckendorff*, tunc utriusque pagi & arcis Dominum, Tritavi mei fratre genitum, Anno 1529. Evangelicam doctrinam publice recepisse, & asseritur, illum inter omnes nobiles Francos primum fuisse, qui id fecerit.

ADDITIO

(c) *Speciatim adversus Albertum Brandenburgicum.* (d) *Observatio de aliis ejus reprehensoribus.* (e) *Elogia Sleidani.*
(f) *Primus inter nobiles Francos Evangelii patronus Florianus a Seckendorff.*

ADDITIO III.

(g) Non possum quin Erasmi verba adscribam, ex *purgatione adversus expostulationem Hutteni*; licet enim justo liberius controversiarum pondera elevare videatur, agnoscit tamen summam rei in quæstione de Pontificatu & similibus versari: *Non agitur* (ait) *de articulis fidei; sed an principatus Romani Pontificis sit a Christo: an Cardinalium ordo sit necessarium membrum Ecclesiæ: an confessio sit ab autore Christo: an Episcopi possint suis constitutionibus obligare ad peccatum capitale: an ad salutem conducat liberum arbitrium: an sola fides conferat salutem: an missa possit aliqua ratione dici sacrificium. Pro his, quæ solent esse themata conflictationum scholasticarum, nec ausim cuiquam vitam eripere, si judex sim, nec velim in capitis discrimen venire.*

(g) *Erasmi judicium de cardine controversiarum.*

Folget Abschrifft angezogenen Chur-Fürstl. Sächs. Rescripts an Herrn Præsidenten und Räthe des Ober-Consistorii zu Dreßden.

Von Gottes Gnaden
Johann Georg der Dritte Chur-Fürst.

Wohlgebohrne / Würdige / Hochgelahrte Räthe / Liebe Andächtige und Getreue.



UNs ist aus euerm vom 30. Maji nechsthin eingegebenen unterthänigsten Bericht gehorsamst vorgetragen worden / welcher Gestalt der bekandte Jesuit P. Maimbourg vor einziger Zeit ein Buch in Druck gegeben / welches er Historiam Lutheranismi genennet / worinnen nicht allein das heilsame / durch den Dienst Lutheri angefangene / und durch Gottes Gnade vollführte Reformation-Werck hefftig perstringiret sey / sondern auch unsere in GOtt ruhende Vorfahren überaus ehrenrührig angezogen worden / und wie die Nothwendigkeit dahero erheische / diese ausgesprengte Unwarheiten der gantzen Welt vor Augen zu legen / dergleichen Refutation-Schrifft sey auch albereit auff Reformirter Seite in öffentlichen Druck heraus gegeben / und was massen ihr darneben vernommen / daß der Fürstl. Eißenachische geheimte Rath Veit Ludwig von Seckendorff nicht ungeneigt seyn solle / dafern er Unser dißfalls gnädigst führenden intention und Schutzes versichert wäre / diese Arbeit auff sich zu nehmen / so alsdenn ins Frantzösische übersetzet werden könte.

Wann Wir Uns dann solches alles gnädigst gefallen lassen / und der Nothdurfft befinden / daß selbiges Buch förderlichst widerleget / und dergleichen unverschämte Boßheit entdecket werde / Als begehren Wir hiermit gnädigst / Ihr der Präsident wollet ermelten von Seckendorff diese unsere Meinung ehistens eröffnen / ihn dabey Unsers gnädigsten Schutzes versichern / und daß Wir darneben solche Verfügung treffen wolten / daß ihme auff sein Anmelden / eines und das andere hierzu bedürffende / aus unserm Archivo extractsweise / oder wie es sonsten am füglichsten geschehen kan / communiciret werden solte. Geben zu Torgau den 25. Junii 1684.

Johann Georg Churfürst.

Hujus Rescripti Electoralis, ad Præsidem & Consiliarios supremi Consistorii Dresdensis d. 25. Jun. 1684. dati, contenta hæc sunt:

PErcepisse *Serenissimum Electorem* ex relatione Consistorii d. 30. Maji data, quod Maimburgius, Jesuita satis notus, haud ita pridem librum, sub titulo *Historia Lutheranismi*, ediderit, in quo non solum salutare illud opus Reformationis, divina gratia per Lutheri ministerium peractum, vehementer

menter perstrinxerit, sed & Serenitatis suæ Electoralis Majores gloriosæ memoriæ contumeliosissime tractaverit, & ut inde Consistorio necessarium visum sit, calumnias illas & mendacia publice refelli; sicuti Reformati, ab eodem autore lacessiti, jam fecerint: comperisse vero, quod *Vitus Ludovicus a Seckendorff*, Consiliarius intimus Saxon. Isennac. refutationis laborem suscipere constituisset, si de intentione & protectione Serenissimi Electoris certus redderetur. His intellectis *Serenissimum Electorem* testari, quod propositum illud sibi omnino probetur, & necessarium judicet, ut liber Maimburgii, quamprimum fieri posset, refutetur, ejusque impudens malitia detegatur. Cupere itaque & mandare, ut *Præses Consistorii*, (quo amplissimo munere eo tempore fungebatur Ill. & Gen. *Carolus Liber Baro a Friesen*, ingenti cum omnium bonorum luctu die XXIX. Julii MDCLXXXVI terris ereptus) hanc Suæ Serenitatis mentem Seckendorffio propediem aperiat, eumque de protectione clementissima confidere jubeat; mandaturum vero se esse, ut ex Archivo Electorali extrahantur, alioque convenientissimo modo suppeditentur, quæ ad laborem illum conducere posse videbuntur.

Abschrifft
Fürstlichen Eißenachischen Rescripts.

Von Gottes Gnaden Johann Georg/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg 2c.

Vester Rath und lieber Getreuer.

Uns ist gehorsamster Vortrag geschehen/ was gestalt Ihr des Maimbourgs heraus gegebene Histoire de Lutheranisme zu widerlegen Euch vorgenommen/ und zu solchem Ende/ so wohl um unsern gnädigsten Schutz/ als auch üm communication derer in Unserm gesamten Archiv etwa befindlichen und hierzu dienenden Acten und documenten gehorsamst gebeten.

Allermassen Uns nun dieses euer Vorhaben in Gnaden gefällig/ und Wir gerne sehen/ wenn Ihr euer von GOtt erhaltenes gutes talent auch dißfalls/ als in einer besonders zu seiner Ehre/ auch Verthädigung der Christlichen allein seeligmachenden Evangelischen Lehre/ und Historischen Warheit zielenden Sache anzuwenden/ geflissen seyn werdet: Also sind Wir des gnädigsten Erbietens/ solche Eure Mühewaltung nicht allein gnädigst zu erkennen/ und Euch dabey bedörffenden Falls möglichst zu schützen/ sondern die hierzu dienende vorhandene Acta und documenten aus Unserm gesamten Archiv verlangter massen abfolgen zu lassen/ gestalt Wir denn hierum den Archivarium Müllern allbereits gnädigst befehliget/ die designation solcher Acten fördersamst einzusenden. Meldens euch zu gnädigster resolution ohn verhalten/ und verbleiben Euch mit Gnaden wohl beygethan. Datum Eißenach/ den 13. Sept. 1684.

Dem Vesten/ unsern geheimen Rath und lieben Getreuen/ Herrn Veit Ludwig von Seckendorff/ zu Obern-Zenn und Menselwitz/ Fürstl. Sächs. Ober-Steuer- und Landschaffts-Directorn des Fürstenthums Altenburg.

Sensus est:

Apprime placere *Serenissimo Duci*, quod Seckendorffius talentum sibi divinitus concessum, ad honorem Dei & defensionem salvificæ doctrinæ Evangelicæ, historicæque veritatis, impendere velit. Pollicetur benignam laboris illius æstimationem, & protectionem, itemque Actorum & documentorum, quæ posceret, ex Archivo exhibitionem. Idem in clementissimo Mandato, quod Ser. *Fridericus* Saxoniæ Dux d. 14. Septembr. 1685. una subscripsit, repetitur.

SUMMARIA COMMENTARII HISTORICI ET APOLOGETICI DE LUTHERANISMO VITI LUDOVICI a SECKENDORFF, UT ET HISTORIÆ MAIMBURGIANÆ.

LIBER I.

ANNUS 1517.

AD PRÆLOQUIUM.

Additio I. (a) *Sleidani apologia ab ipso edita.* (b) *Friderici Hortlederi defensio pro Sleidano.* (c) *Speciatim adversus Albertum Brandenburgicum.* (d) *Observatio de aliis ejus reprehensoribus.* (e) *Elogia Sleidani.*

Additio II. *Primus inter Nobiles Francos Evangelii patronus Florianus a Seckendorff.*

Additio III. *Erasmi judicium de cardine controversiarum.*

SECTIO 1. (1) Exordium Maimburgianum, de difficultate operis. (2) Rationes suscepti laboris.

§. I. (1) Notatur Maimburgius, quod non historici sed censoris munus susceperit, (2) quod promissa non præstet.

SECTIO 2. Status ecclesiæ, cum schisma oriretur.

§. II. (1) Quæ sit vera pax Ecclesiæ. (2) Quæ debita obedientia. (3) Maimburgius statum Ecclesiæ corruptum non agnoscit. (4) Testimonia querelarum ante reformationem. (5) Etiam in doctrina.

Additio I. (a) *Descriptio status Ecclesiæ remissive.* (b) *Myconii descriptio status Ecclesiæ ante reformationem.* (c) *speciatim de Clero urbis Gothanæ.* (d) *Epicrisis & monitum de Bossueto.* (e) *De diplomate Pontificis nuperi.*

Additio II. (a) *Maimburgii origo, mors & testamentum.* (b) *ejectio ex societate Jesuitica.*

Additio III. (a) *Apologia Phil. Decii pro Concilio Pisano.* (b) *Refutatio Cajetani per Theologos Parisienses.* (c) *Concilii Pisani literæ ad Cæsarem.* (d) *Alia quædam ex Decio contra dominatum Pontificium.* (e) *Mandata Cæsareis & Gallicis Legatis ad Concilium data.* (f) *Oratio eorum in Concilio.* (g) *Cardinalium Pisanorum cum Romanis expostulatio.* (h) *Concio Zachariæ Abbatis in Concilio.* (i) *De jure Ecclesiæ in corrigendo Pontifice.* (k) *Sententia Concilii Pisani in Julium II.* (l) *De Concilio Lateranensi.* (m) *Ægid. Viterbiensis in illo oratio mascula de defectibus Ecclesiæ.* (n) *Th. Cajetani contraria, in adulationem composita.* (o) *Spes reformationis sublata.* (p) *Richerii judicium de fucata reformatione Lateranensi, & lamentatio adversus dominatum Pontificium.* (q) *Appellatio Academiæ Parisinæ a Concilio Lateranensi.* (r) *Prædictio Francisci de Paula & Savonarolæ.*

Additio IV. (a) *Literæ Meieri Cancellarii Moguntini, anno 1457. scriptæ* (b) *Querela de abusibus curiæ Romanæ.* (c) *Rescriptum Calixti II. Pont. ad Fridericum*

cum Imperatorem de potestate sua. (d) *Confessio de quibusdam abusibus.* (e) *Remedium ex Pontificis clementia petendum.* (f) *Æneæ Sylvii, sive Pii II. variæ sententiæ de Papatu ex Richerio.* (g) *Gallorum querelæ de Pontificibus.* (h) *Sylvii revocatio.* (i) *Parisiensium Theologorum judicium de abusuum correctione.* (k) *Julii II. juramentum de reformatione, cum epicrisi Richerii.*

SECTIO 3. Dogma Ecclesiæ Romanæ de indulgentiis.

Additio (a) *de Clementis VI. & Bonifacii VIII. constitutione & hujus moribus.* (b) *Contenta Clementinæ.* (c) *Encomium Bullæ Alexandri VI. a monacho Ulmensi datum.*

§. III. (1) Momentum quæstionis de indulgentiis. (2) De norma judicii in controversiis de religione. (3) Quæstio præjudicialis de purgatorio. (4) Lutheri & Evangelicorum sententia de indulgentiis.

SECTIO 4. (1) Fatetur Maimburgius abusum indulgentiarum. (2) negat propter abusum tolli debuisse.

§. IV. (1) Postulatur probatio sancti & legitimi usus indulgentiarum in Ecclesia Romana. (2) Differentia veteris & Romanæ Ecclesiæ in usu indulgentiarum.

SECTIO 5. Leonis X. Pontificis encomium.

§. V. Ostenditur, immerito laudari Leonem X.

SECTIO 6. (1) Qua causa & quomodo Leo in concedendis indulgentiis processerit. (2) Defectus veterum & novorum præconum indulgentiæ. (3) Reprehenditur Tezelius & socii.

§. VI. (1) Confessio Maimburgii de abusu non sufficit. (2) Quid Lutherus in Alberto Archiepiscopo Moguntino desideraverit.

Additio I. *Georgii Arnoldi de Alberto Moguntino censura.*

Additio II. (a) *Relatio de indulgentiis anno 1484. Fribergensi Capitulo datis.* (b) *Excerpta ex Bulla Alexandri VI.* (c) *D. Johannis a Breitenbach rationes contra indulgentias.* (d) *Ratio dubitandi.* (e) *Ratio decidendi.* (f) *De abusu dispensationum.* (g) *Digressio de raptu virginis Britannicæ.* (h) *Et de fortitudine Alberti Sax. Ducis.* (i) *Epicrisis.* (k) *Georgii Ducis in causa indulgentiarum sententia.* (l) *Exemplum indulgentiarum anno 1516. a Leone X. datarum.* (m) *Formula absolutionis Tezelianæ.* (n) *Alius casus anno 1516.* (o) *Varillasii monitum de confessione & contritione cum epicrisi.*

SECTIO 7. (1) Descriptio Joh. Staupitii. (2) Is Lutherum ad impugnandas indulgentias stimulasse dicitur.

§. VII. (1) Negatur a Staupitio Lutherum instigatum fuisse. (2) Notatur Maimburgii iniqua censura.

Additio (a) *Lutheri relatio de causa cœptæ a se disputationis.* (b) *De præconibus indulgentiarum ex MS. Myconii.* (c) *Quædam de Comitiis anno 1512.* (d) *Tezelii impudentia.* (e) *Concessio a Pontifice Alberto Moguntino data, adjuncto ei Guardiano Franciscano.* (f) *Guardianus negotium illud detrectat.* (g) *Tezelius succedit.* (h) *Occasio rixæ inter Tezelium & Lutherum.* (i) *Descriptio templi Augustinianorum VVittenbergensium.*

SECTIO 8. (1) Lutheri genus & educatio. (2) Monachatus. (3) Vocatio VVittenbergam. (4) Iter Romanum. (5) Doctoratus in Theologia. (6) Robur corporis & animi. (7) Vitia ingenii. (8) Mores haud culpandi.

§. VIII. (1) Probantur quædam Maimburgii. (2) Fabula de origine Lutheri Bohemica. (3) Parentes, patria, nomen. (4) Pater non probat Lutheri monachismum, & dura sunt initia hujus. (5) Sacerdotium Lutheri. (6) Acta Romæ.

(7) Præ-

(7) Prædictio de eo Polichii & Staupitii. (8) Inscriptio apud Academiam, & lectio Lutheri. (9) Doctoratus. (10) Primitiæ melioris doctrinæ. (11) Fit Vicarius provincialis Staupitii. (12) Libertas sensus & linguæ.

Additio I. (a) *Annotatio de natali Lutheri ex Melanchthonis historia de vita Lutheri.* (b) *De genere materno.* (c) *Digressio de Nicolao Rebbanio, ejusque filiis.*

Additio II. *De studio Lutheri in schola Isennacensi.*

Additio III. (a) *De studiis & præceptoribus Lutheri in Academia Erfurtensi & occasione Monachismi.* (b) *Staupitii de eo cura & judicium.* (c) *De studio ejus Biblico in monasterio.* (d) *Melanchthonis de affectibus & privatis studiis Lutheri relatio.* (e) *Lutherus musicæ peritus & deditus.* (f) *item arti tornatoriæ.*

Additio IV. *De promotione Lutheri doctorali.*

Additio V. (a) *Character morum Lutheri a Varillasio efformatus.* (b) *Examinantur & refelluntur Varillasii quædam.*

Additio VI. (a) *De Georgii Spalatini vita.* (b) *Ministerium ejus in aula Electoris.* (c) *Fit conjux, Superintendens & Visitator.* (d) *Scripta.* (e) *Erasmi ad eum epistolæ.* (f) *Mors.*

Additio VII. (a) *Epistola memorabilis Lutheri de Erasmo & aliis.* (b) *Laudat Augustinum.* (c) *Idem facit in alia epistola.* (d) *Concionatur Dresdæ, sed non placet Georgio Duci.*

SECTIO 9. Lutherus ex ambitione indulgentias impugnasse dicitur.

§. IX. Refellitur calumnia ex literis Lutheri ad Moguntinum & alios.

SECTIO 10. Conciones adversus indulgentiarum præconia.

§. X. Excerpta ex concionibus.

SECTIO 11. Theses Lutheri adversus indulgentias.

§. XI. Intentio Lutheri in publicandis thesibus defenditur.

SECTIO 12. Tezelii theses contra Lutherum.

§. XII. (1) Tezelius quis? (2) Ejus theses invito Luthero combustæ. (3) Falsa suspicio de Friderico Electore, quod Lutherum instigaverit.

Additio I. (a) *Varillasii inepta Tezelii cum Luthero comparatio.* (b) *Tezelii gesta Freibergæ.* (c) *Item Zviccaviæ.* (d) *De Johannis Episcopi Misnensis actis contra indulgentias.* (e) *Tezelio a Nobili quodam illuditur.* (f) *Libellus Tezelii contra Lutheri concionem de indulgentiis.* (g) *Lutheri ad illum responsio.* (h) *Excerpta ex Thesibus Francofurtanis.*

Additio II. (a) *Lutheri de Alberto Moguntino, & Friderici Saxoniæ Electoris de eo judicio relatio.* (b) *Varillasii figmenta refelluntur de Archiepiscopatu & urbe Magdeburgensi.* (c) *De Friderici Saxonis invidia erga Albertum Brandenburgicum.* (d) *Fridericus Elector cum Luthero non est locutus.*

ANNUS 1518.

SECTIO 13. (1) Adversarii Lutheri, Eccius & Prierias. (2) Luthero multi favent.

§. XIII. (1) Theses Lutheri, respondente Francisco Gunthero. (2) Speciatim contra Aristotelem. (3) Ejusdem Theses Heidelbergenses. (4) Relatio Buceri de Thesibus illis.

Additio I. (a) *Digressio de autoris fratre defuncto.* (b) *Relatio de disputatione Heidelbergensi.* (c) *Quædam de Bucero & aliis purioris religionis doctoribus.*

Additio (a) *De Cardinali Riario.* (b) *De dissimulatione Friderici erga Lutherum.*

(3) Solicitat pro eo Cæsarem. (4) Lutherus suam mentem Spalatino aperit.

§. XLII. (1) Lutheri ad Electorem responsum ad epistolam Cajetani. (2) Alia de eadem re ad Spalatinum epistola. (3) Pallavicinus notatur. (4) Continuatur Lutheri ad Electorem epistola. (5) Electoris ad Cajetanum epistola. (6) Lutherus confirmatur, ut maneat. (7) Pallavicini de Academiæ VVittenbergensis epistola judicium notatur. (8) Lutherus edit acta Augustana. (9) Quomodo ad concionandi munus pervenerit.

Additio I. *De Simone Heinsio aliquid.*

Additio II. (a) *D. Scheurlini elogium Friderico Electori datum.* (b) *Item Richardi Sbrulii.* (c) *Spalatini epistola ad Capnionem.* (d) *Johannis Aventini.* (e) *Lutheri de ingenio Principis observatio.* (f) *De Conrado Mutiano, ejusque literis ad Electorem.*

SECTIO 21. Secunda appellatio Lutheri, ex relatione Maimburgii.

§. XLIII. Notantur quædam de ea, & de Pallavicini censura.

SECTIO 22. Bulla Pontificis de indulgentiis.

§. XLIV. (1) Contenta Bullæ. (2) Pallavicini de ea judicium.

§. XLV. (1) Consideratio actorum hoc anno a Luthero. (2) Item Pontificis. (3) Quid in religionis reformatione profectum sit hoc tempore. (4) Incrementum Academiæ VVittenbergensis. (5) De actis Principum.

Additio (a) *Annotatio ex Paulo Veneto de indulgentiis Tiguri prædicatis.* (b) *Contenta & formula indulgentiarum.*

ANNUS 1519.

SECTIO 23. (1) Mors Maximiliani I. Imperatoris. (2) Lutherum juvat Vicariatus Friderici Electoris.

§. XLVI. (1) Lutheri de patrocinio illo confessio. (2) Friderici de causa Lutheri judicium.

SECTIO 24. (1) Carolus Miltitius Nuncius Pontificius ad Electorem. (2) Taxantur Miltitii acta cum Luthero.

§. XLVII. (1) De Miltitio relatio fidelis ex Archivis Saxonicis. (2) Friderici Electoris devotio in affectatione Rosæ Pontificiæ. (3) Adventus Miltitii in Misniam. (4) Tezelii ad eum literæ. (5) Miltitius cum Luthero Altenburgi tractat. (6) Literæ Electoris Friderici ad Pontificem mittendæ. (7) Revocatæ ab Electore. (8) Miltitius Tezelium increpat, ejusque vitia propalat. (9) Proficiscitur ad Electorem Trevirensem. (10) Trevirensis ad Electorem Saxonicum de Luthero ad se mittendo literæ, & hujus responsum. (11) Literæ Cajetani ad Fridericum Electorem. (12) Notata quædam de illis literis. (13) Iter Lutheri ad Trevirensem differtur. (14) Redit Miltitius ad Electorem. (15) Rosam offert, aliaque agit & scribit. (16) Acta Miltitii cum Luthero Liebenvverdæ, & hujus de iis relatio. (17) Miltitii de potestate Pontificis confessio. (18) Ejus literæ & accessus ad Electorem. (19) Lutheri ad Staupitium relatio de colloquio Altenburgensi. (20) Item in præfatione operum Latinorum. (21) Ejusdem de Rosa relationes.

Additio I. (a) *Relatio Lutheri ad Electorem de colloquio cum Miltitio.* (b) *Epicrisis de trepidatione Lutheri & aliorum.*

Additio II. (a) *Contenta Brevium Pontificiorum ad Pfeffingerum & Spalatinum.*

num. (b) *Literæ Pontificis ad Electorem de munere Rosæ.* (c) *Breve aliud de Luthero ad Electorem.* (d) *Item ad VVittenbergenses & Donatum Grossum.* (e) *Ad ipsum Miltitium.* (f) *Ad Episcopum Missam celebraturum.* (g) *Epicrisis.*

§. XLVIII. (1) Epistola Lutheri 3. Martii ad Pontificem scripta. (2) Pallavicini observationes ex epistola Lutheri cum epicrisi.

Additio (a) *Notantur Varillasii errores.* (b) *Degenhardus Pfeffingerus, quis qualisque fuerit.* (c) *Literæ Lutheri de illo.* (d) *Libertas Lutheri in monendo Friderico Electore.* (e) *Pfeffingeri epitaphium.* (f) *Alia nota in Varillasium.*

§. XLIX (1) Rejicitur Maimburgii censura in Fridericum Electorem. (2) Item in Lutherum. (3) Pallavicini dicta de proventibus Pontificiis & alia quædam.

Additio. *De notho Friderici quædam.*

§. L. (1) Lutherus convenit Episcopum Brandenburgensem. (2) Epistolæ quædam ejus ad varios. (3) Hæsitatio de Pontifice. (4) Applauditur scriptis ejus.

Additio (a) *Erasmi de nomine Luther allusio.* (b) *Alia Nicolai Ulneri.* (c) *Non vult Lutherus ut a se cognominentur homines.* (d) *Alia ipsius allusio.*

§. LI. (1) Erasmi literæ de Luthero & aliorum ad Erasmum.

Additio. (a) *Epistola Erasmi ad Lutherum.* (b) *Erasmi de Luthero epistolæ & judicia.*

(2) Lutheri cum Minoritis certamen.

§. LII. (1) Lutheri fiducia de causa sua Spalatino demonstrata. (2) Thesis ejus de potestate Pontificis, ejusque declaratio. (3) Excusatio de styli sui asperitate.

§. LIII. (1) Commendatur Lutheri declaratio de potestate Pontificis. (2) Aliud Lutheri judicium de Papa, & distinctio inter Ecclesiam & curiam.

SECTIO 25. (1) Occasio disputationis Lipsiensis. (2) Georgius Dux eam promovet invito Episcopo. (3) Disputationis locus & forma. (4) Disputatio inter Eccium & Carolostadium. (5) Item inter Eccium & Lutherum.

§. LIV. (1) De Carolostadio & occasione Disputationis ab eo orta. (2) Eccii pruritus ad disputandum. (3) Sermo Lutheri Lipsiæ habitus. (4) Lutheri ex disputatione periculum.

§. LV. (1) Lutherus laudat Carolostadium. (2) Excerpta ex illa relatione Lutheri, de suis & Carolostadii thesibus. (3) Item ut Georgium Ducem laudaverit. (4) Indicat, quid ex disputatione profecerit.

§. LVI. De sophismate Eccii.

Additio I. (a) *Status quæstionis de causa boni operis.* (b) *Distinctio inter totum & totaliter, ejusque exempla.* (c) *Exemplorum examen.* (d) *Sententia Evangelica.* (e) *Probata ex Chemnitio.* (f) *Ex Spenero.* (g) *Tractatus Schulterri contra Hiscoldum.* (h) *Joh. Cellarii de controversia hac judicium.* (i) *Sententia recentiorum ex Romana Ecclesia, speciatim Alberti Episc. August.* (k) *Antonii Arnaldi.* (l) *Anonymi ab Arnaldo laudati.* (m) *Malebranchii opinio & refutatio.* (n) *Libellus Gregorii Nunnii de consultatione sub Clemente VIII. & Paulo V.* (o) *Ludovici Santamorii relatio de eadem consultatione.* (p) *De condemnatione Jansenii.* (q) *Remissio ad Acta Eruditorum Lipsiensium.* (r) *Friderici Electoris simplex sed verum dictum.*

Addi-

Additio II. (a) *Caroloſtadii epiſtola contra Eccium & hujus reſponſum.* (b) *Conſideratio verborum Bernardi.* (c) *Caroloſtadii monitum de autoritate Patrum.* (d) *Eccii confeſſio & alia explicatio.* (e) *Confutatio a Caroloſtadio edita.* (f) *Renovatio litis illius inter Saxonicos poſt annos triginta.*

SECTIO 26. De ſequelis quibusdam diſputationis.

§. LVII. (1) De Georgio Sax. Duce. (2) De Epiſcopi Mersburgenſis oppoſitione. (3) De Epiſcopo Brandenburgenſi.

Additio (a) *Epiſcopus Mersburgenſis quis?* (b) *Georgii Ducis cum eo expoſtulatio.*

§. LVIII. (1) Lutherus defendit theſin contra primatum Papæ. (2) Item de libero arbitrio. (3) De jure paſtorum.

§. LIX. (1) Melanchthonis præſentia in diſputatione Lipſienſi. (2) Epiſtolica ejus de illa relatio. (3) Refutatur ab Eccio. (4) Replica Melanchthonis. (5) Monitum de lectione Patrum. (6) De *toto* & *totaliter.* (7) Refellit ſcomma Eccii. (8) Lutheri judicium de Eccio & Melanchthone.

§. LX. (1) Lutheri reſolutiones contra Eccium; earumque exordium de autoritate Patrum. (2) Defendit Huſſum. (3) Negat peccatum ſua natura veniale eſſe. (4) Reſpondet ad dictum Jacobi Apoſtoli. (5) Item ad declarationem Pontificis de indulgentiis. (6) Primatum Pontificis ex jure divino negat.

Additio (a) *Joh. Dezii cavillus de dogmate Lutheri.* (b) *De epiſtola ad Hebræos dictum Helvetii cujusdam.*

§. LXI. (1) Lutheri & Eccii ſcripta de diſputatione Lipſienſi ad Electorem Sax. (2) Eccii relatio ad Ingolſtadienſes d. 1. Jul. ſcripta.

§. LXII. (1) Emſerus in Lutherum calamum ſtringit. (2) Lutherus eum refutat; Excerpta quædam ex libello ejus. (3) Speciatim de primatu Pontificis. (4) Laudat Academiam Pariſienſem, a Pontifice appellantem. (5) Reſpondet Eccii expurgationi.

Additio I. (a) *Excerpta quædam ex epiſtola Lutheri adverſus Eccium.* (b) *De Udalrico Zaſio quædam.*

Additio II. (a) *De oratione Moſellani.* (b) *Compendium ejus.* (c) *Excerpta ex ipſa Moſellani oratione.* (d) *Relatio de Moſellano.* (e) *Commendatur Friderico Electori.* (f) *Ejus conditio inter Lipſienſes.* (g) *Excerpta epiſtolæ ad Mutianum.* (h) *Mors, epitaphia & elogia.* (i) *Relatio Moſellani de diſputatione Lipſienſi.* (k) *Errata Varillaſii.* (l) *Impium dictum, mors & ſepultura Tezelii.* (m) *Simonis Piſtoris relatio ad Electorem.* (n) *Spalatini judicium.* (o) *Item D. Peifferi.* (p) *Spicilegium ad hiſtoriam diſputationis.* (q) *Oratio Joh. Langii poſt diſputationem.* (r) *Alia quædam.*

Additio III. (a) *Caroloſtadii narratio de Eccii verſutia in diſputatione Lipſienſi.* (b) *Aliæ Eccii & Caroloſtadii relationes.* (b) *De Zaſio aliquid.*

§. LXIII. (1) De judiciis Academiarum de diſputatione Lipſienſi. (2) Lutheri libellus conſolatorius ad Fridericum Electorem, & alia quædam. (3) Epiſtolæ de Poſtillarum compoſitione, & de laboribus ſuis. (4) Status reformationis hoc anno.

ANNUS 1520.

SECTIO 27. (1) Miltitii acta cum Luthero per Auguſtinianos. (2) Aliæ Lutheri ad Pontificem literæ. (3) Mittit ei libellum de libertate Chriſtiana.

§. LXIV.

§. LXIV. (1) Concio Lutheri de communione sub utraque male accepta. (2) Speciatim a Georgio Duce. (3) Electoris responsum ad querelas Georgii. (4) Declaratio sermonis a Luthero edita. (5) Fiducia Lutheri in literis ad Spalatinum ostensa.

§. LXV. (1) Protestatio Lutheri de fide Catholica, & admittenda informatione. (2) Lutheri judicium de epistola Erasmi.

Additio (a) *Quædam ex epistola Erasmi ad Fridericum Electorem.* (b) *Excerpta ex literis Erasmi ad Moguntinum.* (c) *De flagitio Dominicanorum Bernensium.*

§. LXVI. (1) Literæ Lutheri ad Moguntinum Archiepiscopum & Mersburgensem Episcopum. (2) Responsum utriusque. (3) De Eccio & Carolostadio. (4) Lutheri querelæ.

§. LXVII. (1) De epistola Lutheri ad Pontificem. (2) Intentio Spalatino detecta. (3) De die epistolæ, & de conventu ac legatione Augustinianorum. (4) Vera & singularia ex literis Miltitii de Trevirensis proposito. (5) De actis Miltitii apud Episcopum Misnensem. (6) Dolet ob Lutheri scriptum. (7) Commendat ei Legatos Augustinianos, aliaque agit & scribit. (8) De Eccio queritur & nummos ab Electore poscit. (9) Epistola ejus de colloquio cum Luthero Lichtenbergæ habito, & narrata petitaque alia. (10) Reissenbuschii literæ. (11) Notatur Maimburgius.

§. LXVIII. (1) Contenta libelli de libertate Christiana. (2) Ostendit, quomodo sola fides justificet. (3) Cur opera exigantur, & quatenus sint bona. (4) Quomodo Christiani omnes sint sacerdotes. (5) De officio cleri & populi. (6) Monitum adversus libertatem carnalem. (7) item adversus constitutiones Pontificias.

§. LXIX. (1) Mandata Electoris Valentino a Teutleben data.

Additio (a) *De Familia Teutlebiorum digressio.* (b) *De Valentino ejusque fratre.* (2) Lutheri ad Spalatinum epistola de literis Teutlebii.

§. LXX. (1) Lutheri de censuris Lovaniensibus & Coloniensibus querelæ. (2) Solatium ab exemplis aliorum quærit, speciatim Capnionis. (3) Ostendit iniquitatem adversariorum & falsam Philosophiam. (4) Refutat Romanistam Lipsiensem. (5) Profitetur qua conditione ferre velit Pontificem.

Additio I. (a) *De lite Capnionis cum Dominicanis.* (b) *De studiis & actis quibusdam Capnionis ex Altingio.* (c) *Alia quædam.* (d) *Lutheri ad Capnionem epistola.* (e) *Capnio Melanchthonem commendat. Tubingæ Professor publicus obit.* (f) *Erasmus eum laudat.* (g) *Quis Piperigranus?* (h) *Gretserus Capnionem vituperat, ut & Erasmum.* (i) *Illustrium virorum ad Capnionem epistolæ.* (k) *D. Maji oratio de vita Capnionis.* (l) *Carmen Hutteni de laudibus Capnionis.* (m) *Vituperium Maieri.* (n) *Aliud Capnionis elogium.* (o) *Compositio litis inter Dominicanos & Capnionem.* (p) *Annotatio de legatione Romana Capnionis.* (q) *De Lutheri epistolis, in quibus causæ Capnionis meminit.*

Additio II. (a) *De tractatu Alfeldensis pro Pontifice.* (b) *Ejusdem libellus in Lutherum, ejusque sermonem de communione.* (c) *Alia quædam ejus scripta.* (d) *De libro Cajetani pro Pontificatu.* (e) *Refutatio ejus per Jacobum Almainum.*

Additio III. (a) *Oratio Thomæ Rhadini contra Lutherum, Romæ habita, Lipsiæ recusa.* (b) *Melanchthonis suspicio de Emsero.* (c) *Refutat Rhadinum sub nomine Didymi Faventini, & Lutherum laudat.* (d) *De Philosophia differit.*

(e) *Scholasticæ Theologiæ abusus notat.* (f) *Eccium nominatim perstringit.* (g) *Alios Scholasticorum errores persequitur.* (h) *Quæ vera pax sit ecclesiæ ostendit.* (i) *Primatum Papæ de jure divino esse negat.* (k) *De Academiis queritur.* (l) *Alia quædam.* (m) *Rhadinus Philippo respondet, magna cum calumnia rebellionis crimen objiciens.* (n) *Gloriatur de condemnato & peremto Luthero.* (o) *Cæsaris opem implorat.* (p) *Epicrisis.*

§. LXXI. (1) De literis Schaumbergii & Sickingii ad Lutherum. (2) Lutheri de iis ad Spalatinum epistola. (3) Alia ejusdem ad eundem.

SECTIO 28. (1) De libro Lutheri ad Cæsarem & Nobilitatem Germanicam. (2) item de captivitate Babylonica.

§. LXXII. (1) Occasio scriptorum Lutheri. (2) Literæ Lutheri de libello ad Cæsarem. (3) Contenta scripti.

§. LXXIII. (1) Lutheri libellus de captivitate Babylonica. (2) Invectiva Lutheri in Eccium. (3) Mentio Andreæ Prolis & Ernesti Magdeburgensis Archiepiscopi. (4) Tumultus VVittenbergicus. (5) Lutheri epistolæ ad Spalatinum. (6) De Hutteni literis quædam.

Additio I. (a) *De Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi.* (b) *De ejus patre, educatione & fratribus.* (c) *Electio & introductio Magdeburgensis.* (d) *Elogium ejus ex Fabricio.* (e) *Item D. Scheurlii.* (f) *Denuo Fabricii.* (g) *Pius obitus & Epitaphium.*

Additio II. *Relationes Spalatini de statu Lutheri & Academiæ.*

SECTIO 29. De Bulla Leonis contra Lutherum publicata.

§. LXXIV. (1) Epistola Lutheri de Bulla. (2) Hutteni in Bullam notæ. (3) De autoribus Bullæ quædam. (4) De stylo Bullæ ex Pallavicino. (5) Epicrisis de eodem stylo.

Additio. (a) *De Burcardo Schenckio, monacho.* (b) *Ejus epistola ad Spalatinum.*

SECTIO 30. Eccius a Pontifice missus Bullam in Germaniam affert.

§. LXXV. (1) De Literis Lutheri & Eccii quædam. (2) Quomodo Bulla accepta & publicata fuerit.

Additio (a) *De publicatione Bullæ in Saxonia.* (b) *Relatio Miltitii de actis cum Eccio.* (c) *Publicatio Bullæ ab Episcopo Mersburgensi.* (d) *Item a Misnensi.* (e) *Quædam VVittenbergæ acta.* (f) *De Publicatione in Episcopatu Numburgensi.* (g) *Annotatio de Consiliariis Principum illo tempore.* (h) *P[illegible] qua de Miltitio.*

SECTIO 31. (1) Lutheri appellatio a Bulla. (2) Refutat eam. (3) non indocte.

§. LXXVI. (1) De appellatione Lutheri. (2) Scriptum Lutheri contra Bullam primum. (3) Apostrophe ad Imperatorem & Principes. (4) Jocus de salvo conductu. (5) Quædam de articulis fidei.

§. LXXVII. (1) Alterum scriptum contra Bullam; assertio articulorum in ea damnatorum. (2) Autoritatem Scripturæ propugnat. (3) Contrarios errores rejicit. (4) Excusat Patres, monetque quomodo ab iis recedere liceat.

§. LXXVIII. (1) Alia quædam ex assertione Lutheri contra Bullam. (2) Indicat fontem corruptionis in doctrina Pontificia. (3) Sævitiam etiam in hæreticos improbat.

Additio. (a) *Autores, qui de Savonarola scripserunt.* (b) *Varillasii de eo judicium.* (c) *Præfatio Lutheri in Meditationes Savonarolæ.* (d) *Guicciardini de morte ejus relatio.* (e) *Vera ejus causa.*

(4) Lu-

(4) Lutheri defensio ob asperitatem styli sibi objectam. (5) De Germanica versione assertionis.

SECTIO 32. (1) Lutherus Bullam & Decretales Papæ comburit. (2) Sequelæ illius facti.

§. LXXIX. (1) Causæ cur Lutherus combusserit libros juris Pontificii. (2) Compendium illorum, quoad doctrinam de Papa.

SECTIO 33. (1) Caroli V. electio. (2) A Friderico Electore Saxoniæ generose procurata.

§. LXXX. (1) Alia quædam de Imperio Friderico delato. (2) Erasmi ea de re epistola. (3) Aliorum testimonia cum epicrisi.

Additio. (a) *Spalatini narrata de imperiali dignitate Friderico delata.* (b) *Epistola Erasmi de Friderico Electore.* (c) *Plura de variis literis Caroli.* (d) *De Pontificis consilio adversus Carolum.* (e) *De scriptis Angliæ Regis & aliis.* (f) *Colloquium Friderici Saxonici & Joachimi Brandenburgici Electorum & præsagium quoddam.* (g) *Aliud MS. Spalatini de conventu Electorum & actis cum Pontificio Legato.* (h) *De electione Caroli V.* (i) *De Pontificis & Caroli consiliis ex Varillasio cum epicrisi.* (k) *Helvetiorum de electione scriptum.* (l) *Excerpta ex Chronico Melanchthonis.*

SECTIO 34. (1) Lutheri literæ ad Cæsarem. (2) Libelli contra Pontificem. (3) Aleandri acta cum Imperatore.

§. LXXXI. (1) De literis & scriptis Lutheri ad Cæsarem. (2) Quomodo combustionem librorum suorum acceperit. (3) De actis Pontificiorum Nunciorum cum Friderico Electore. (4) Descriptio Aleandri ex Luthero. (5) Colloquium Electoris cum Nunciis Pontificiis. (6) De actis Electoris cum Erasmo Roterodamo. (7) Quædam ex Erasmi scripto. (8) Excerpta ex Chronico Melanchthonis. (9) Alia quædam de Erasmo.

Additio I. (a) *Lutheri de translatione Imperii a Pontificibus falso jactata dissertatio.* (b) *Juste nihilominus Imperium a Germanis usurpatum esse docet.* (c) *Imperatorum superioritatem in Pontifices commendat.* (d) *Epicrisis de Lutheri sententia.* (e) *De terminis Imperatoriæ & Pontificiæ potestatis.* (f) *De Gallica in Pontifices prætensione ex dicto Maximiliani Cæsaris.*

Additio II. (a) *Erasmi de Aleandro & hujus de illo judicia.* (b) *Obitus Aleandri.*

Additio III. (a) *Pallavicini de Erasmo relatio.* (b) *De mente Erasmi in causa Lutheri ex epistola ad Peutingerum.* (c) *Excerpta ex libello quodam.*

SECTIO 35. (1) De invalescentibus partibus Lutheri. (2) De Udalrico Hutteno. (3) Scripta Lutheri & inde parta ei existimatio.

§. LXXXII. (1) Epicrisis de traditis a Maimburgio. (2) An Ludovicus Palatinus Lutheranus fuerit. (3) De libertate & mente eorum, qui Lutherum sequebantur. (4) De Schwebelio & Bucero. (5) De Udalrico Hutteno. (6) Notatur Maimburgii falsa traditio de Hutteno aliisque.

Additio I. (a) *De Ducatu Bipontino ex Altingio.* (b) *De Schvvebelio quædam.*

Additio II. (a) *De Buceri actis prioribus.* (b) *De Conrado Pellicano.* (c) *item de Paulo Scriptoris.* (d) *Plura de Pellicano.* (e) *Docere incipit Evangelium.* (f) *Erasmi ad illum epistola de sacra Cœna.*

Additio III. (a) *Varillasii figmenta de Episcopo Misnensi.* (b) *De Sickingio.* (c) *Alia de Sickingio & Cronebergio.*

§. LXXXIII. (1) Maimburgii dicta de scriptis Lutheri examinantur. (2) Commentarius Lutheri in epistolam ad Galatas. (3) Alia Lutheri scripta.

§. LXXXIV. (1) Plura de Commentario Lutheri in Epistolam ad Galatas. (2) Excerpta de justificatione. (3) De natura operum. (4) De charitate & vita Christiana, quæ ex fide oritur. (5) De dilectionis erga proximum exercitio. (6) Ut sola fides non sufficiat, licet sola justificet. (7) De discrimine legis & Evangelii.

§. LXXXV. (1) Lutheri mens de Pontificatu Romano ex eodem Commentario in epistolam ad Galatas. (2) Desiderat reformationem universalem.

Additio (a) *Titulus primæ editionis Commentarii in epist. ad Galat.* (b) *Præfatio prima in epist. ad Gal.* (c) *Altera præfatio in Commentarium ad Gal.* (d) *Encomia quædam hujus commentarii ad Galat.*

§. LXXXVI. (1) Excerpta ex Commentario in Psalmos de laude Scripturæ ex sententia Staupitii. (2) a Friderico Electore approbata. (3) Querela de Theologia Scholastica. (4) Annotatio ad Maimburgii censuram.

SECTIO 36. (1) De Erasmo Roterodamo, ejus genere, educatione & studiis. (2) De ejus variatione in religione. (3) Ut Lutheri doctrinam probaverit.

§. LXXXVII. (1) De Erasmi circa religionem mente disquisitio. (2) Lutheri de illo judicium. (3) De aliis actis vitaque & obitu ejus quædam.

Additio. *De gratia, quam Erasmus apud Reges, & inprimis Gallum, invenerit.*

ANNUS 1521.

SECTIO 37. (1) Acta Caroli V. in Comitiis VVormatiensibus. (2) Aleandri oratio contra Lutherum ejusque effectus.

§. LXXXVIII. (1) Decretum seu Recessus VVormatiensis. (2) Cur de religione in eo nihil contineatur.

Additio I. *Contenta Bullæ Pontificiæ.*

Additio II. (a) *Supplementum historiæ Comitiorum VVormatiensium.* (b) *Literæ Cæsaris ad Fridericum.* (c) *Electoris responsum.* (d) *Correctio quædam.* (e) *Acta inter Glapionem & Pontanum.* (f) *Glapionis propositio.* (g) *Pontani responsum.* (h) *Glapionis replica.* (i) *Altera ejus declaratio.* (k) *Continuatum inter utrumque colloquium.* (l) *Glapio laudat libellum Lutheri de libertate Christiana.* (m) *Consilium ejus de reformatione.* (n) *Electoris sententia.* (o) *Glapionis querelæ & dicta.* (p) *Pallavicini de Glapione relatio.* (q) *Quædam ex Erasmo de Glapione.* (r) *Judicium anonymi de compositione controversiæ cum Luthero.* (s) *Prioris Dominicanorum Joh. Fabri consilium.* (t) *Alia ejusdem consultatio.* (u) *Annotatio de duobus Fabris.*

Additio III. (a) *Acta Comitiorum lubrica.* (b) *Gravamina Georgii Saxoniæ Ducis.* (c) *Consideratio Gravaminis de indulgentiis.* (d) *Lutheri solida de indulgentiis doctrina.* (e) *Incommoda Pontificiæ doctrinæ de indulgentiis.* (f) *Reliqua Georgii gravamina.*

§. LXXXIX. (1) Notatur Varillasius. (2) Observatio ex Pallavicino de tempore vocati Lutheri.

§. XC. (1) Verior de vocatione Lutheri ad Comitia relatio ex epistola Lutheri. (2) Alia epistola Lutheri de eadem re.

Additio. (a) *Occasio vocandi Lutheri ad Comitia.* (b) *Mandatum de libris Lutheri deponendis.*

§. XCI. (1) De Aleandri actis Wormatiensibus Lutheri epistola. (2) Luthero favent plures. (3) Lucæ pictoris lusus in Pontificem. (4) Lutheri literæ de proposito suo. (5) De Aleandri oratione ex Pallavicino. (6) Calumniæ Aleandri a Maimburgio repetitæ. (7) Effectus orationis.

Additio. (a) *Summa orationis ab Aleandro habitæ.* (b) *Producit Bullam Leonis.* (c) *Jactat combustionem librorum Lutheri.* (d) *Luthero errores imputat.* (e) *Concilii Florentini Bullam ostendit.* (f) *Exaggerat peccata Lutheri.* (g) *Respondet objectioni de bonis moribus & scriptis Lutheri.* (h) *Protestatur contra ejus advocationem.* (i) *Petit comburi ejus libros.* (k) *De se ipso quædam affert.* (l) *Epicrisis de oratione & actis quibusdam comitialibus.*

SECTIO 38. (1) De Electore Saxoniæ quod Lutheri comparitionem promoverit. (2) Aleandri contradictio. (3) Imperator Lutherum advocat.

§. XCII. (1) Consideratio dictorum a Maimburgio de citatione Lutheri. (2) item Pallavicini sententiæ de foro competenti in causa religionis. (3) Quæ causa fuerit ignorantiæ in populo. (4) Literæ salvi conductus Cæsarei. (5) Cevrii obitus & agnati ejus.

Additio. *Beati Rhenani de vocatione Lutheri ad Comitia epistola.*

SECTIO 39. De Lutheri adventu ad Comitia.

§. XCIII. (1) Maimburgii de curru Lutheri ineptia notatur. (2) Quædam de ejus comitatu & concionibus in itinere. (3) De vitatis insidiosis consiliis.

Additio. *Viti VVarbeccii relatio de itinere & adventu Lutheri.*

SECTIO 40. De timiditate Lutheri in prima comparitione Maimburgii narratio.

§. XCIV. (1) Melior de Lutheri actis relatio. (2) Monitum ad censuram Maimburgii. (3) item Pallavicini.

SECTIO 41. (1) Altera Lutheri comparitio ejusque dicta. (2) Negat se revocaturum esse, quæ docuisset.

§. XCV. (1) Certiora de Lutheri secunda comparitione & responsione. (2) Notatur Varillasii relatio de juramento Lutheri. (3) Excerpta quædam ex dictis Lutheri coram Cæsare.

SECTIO 42. (1) De actis Archiepiscopi Trevirensis cum Luthero. (2) Imperatoris contra Lutherum Decretum.

§. XCVI. (1) Emendatur & suppletur Maimburgiana relatio. (2) Speciatim de colloquio cum Trevirensi. (3) item cum Hieronymo Veho. (4) Ultimum Lutheri responsum. (5) Monitum ad censuram Pallavicini. (6) Consideratio actorum VVormatiensium. (7) Fronsbergii verba ad Lutherum. (8) Lutheri de se ipso judicium.

Additio I. (a) *Lutheri exceptio & Friderici gaudium.* (b) *De colloquio Lutheri cum Trevirensi.* (c) *Alia quædam acta & dicta Lutheri.* (d) *Consilium de occultando Luthero.* (e) *De D. Hieronymo Schurfio.*

Additio II. *De Hieronymo Vebo.*

Additio III. *Excerpta ex literis Friderici Electoris ad Johannem fratrem de actis cum Luthero VVormatiæ.*

SECTIO 43. Edicti VVormatiensis contra Lutherum promulgatio.

§. XCVII. (1) Severitas edicti VVormatiensis. (2) Cautela in die publicati edicti retrahendo.

SECTIO 44. (1) Lutherus Friderici Electoris consilio capitur & abditur. (2) Impedimenta, per quæ edictum executione caruit.

§. XCVIII. (1) Lutheri ad Imperatorem & Ordines literæ. (2) De captura Lutheri quædam. (3) Errores adversæ partis autorum in nomine arcis. (4) Monita ad quædam Pallavicini tradita.

Additio I. (a) *Notæ in quædam Varillasii narrata.* (b) *Speciatim de arce, in quam abditus fuit Lutherus.* (c) *Aliquid de Ludovico Electore Palatino.* (d) *De Georgio Saxone.* (e) *De dicto quodam Lutheri ex Razebergio.* (f) *Quædam, quæ Luthero VVormatiæ acciderunt.*

Additio II. (a) *Varillasii de consiliis Cæsaris commentatio.* (b) *Refutatio ejus.* (c) *Surius notatur.*

Additio. III. *Gerbelii epistola ad Lutherum de ejus captura.*

SECTIO 45. (1) De scriptis Lutheri in Patmo sive custodia sua. (2) Sequelæ ex iis. (3) Condemnatio Sorbonica.

§. XCIX. (1) Lutheri de statu suo in custodia querelæ. (2) Improbat tumultum Erfurtensem. (3) Et timiditatem aliorum.

§. C. (1) De laboribus Lutheri in arce. (2) Libellus ejus de confessione. (3) Notatur calumnia Cochlæi.

Additio. (a) *De rigore confessionum emollito.* (b) *Erasmi de eo disputatio & sententia.* (c) *Insigne ejus de Luthero testimonium.* (d) *Epistola ad Campegium aliosque.* (e) *Libellus ejus de modo confitendi.* (f) *Acris in concionatores censura.* (g) *De postillis Lutheri.*

§. CI. (1) Libellus Lutheri adversus Latomum. (2) Refelluntur censuræ & dicta Maimburgii. (3) Elogium libri contra Latomum. (4) Prosopopœia hominis, qui meritis suis justificari vult. (5) Summa responsi ab ipso Luthero indicata, de concupiscentia, an sit peccatum. (6) Querela Lutheri de Theologia Scholastica. (7) Serio incipit Papam odisse.

Additio. (a) *Excerpta ex libello Lutheri, quæ Bellarminus sugillavit.* (b) *Lutherus defenditur.*

§. CII. (1) Lutheri sententia de Missa ex libro de captivitate Babylonica repetita. (2) De calumnia, quod a diabolo instructus Missam oppugnaverit.

Additio. (a) *Dissertatio contra Cordemoji compendium.* (b) *Observandum, quod Lutherus non ex suo scripto, sed ex versione refutetur.* (c) *Verba:* in corde meo, *ab interprete omissa.* (d) *Lutheri sententia ex fine narrationis apertissima.* (e) *Scopus calumniatorum pessimus.* (f) *De autoribus & continuatoribus convitii.* (g) *Argumentum eorum unicum.* (h) *Probatur Lutherum contra Missam scripsisse ante diabolicam illam disputationem ex temporis computo.* (i) *Ex sermone de Novo Testamento & Missa.* (k) *Ex tractatu de captivitate Babylonica.* (l) *Ex libro contra Ambrosium Catharinum.* (m) *Ex responso in Comitiis VVormatiensibus.* (n) *Ex libro ad Augustinianos.* (o) *Illatio & conclusio.*

§. CIII. (1) Defenditur sententia Lutheri de sacerdotio Christianorum. (2) Et de utilitate ministerii Ecclesiastici.

§. CIV. (1) De consiliis & præceptis Evangelicis. (2) De conjugio sacerdotum & speciatim Barthol. Bernardi. (3) Lutheri de nuptiis Cleri sententia dubia primum, deinde determinata.

§. CV. (1) Excerpta ex tractatu Lutheri de votis monasticis. (2) Argumenta pro conjugio Cleri. (3) De virginitate & quatenus voveri & præstari possit. (4) De monasteriorum veteri instituto. (5) Quid peccetur in votis. (6) Addita-

Additio (a) *Pallavicini & Gallorum quorundam invectiva in Henricum Regem.* (b) *Burneti relatio de libro Regis, & de ipso Rege judicium.* (c) *Bugenbagii de scripto Lutheri diversæ sententiæ.*

§. CXVI. (1) De statu controversiæ inter Regem & Lutherum. (2) Lutheri Disputatio de sacramento Cœnæ. (3) De judice controversiarum in sacris. (4) De Missa. (5) De Epilogo libri.

§. CXVII. (1) Annotatio de judice in religione. (2) Edictum Imperatoris ad Academiam Viennensem. (3) Mors & elogium Leonis X.

Additio. (a) *De Leone relatio ex Varillasio, speciatim de educatione & vita juvenili.* (b) *Digressio de Julio II.* (c) *Gesta Leonis in schismate Pisano & bello contra Gallos.* (d) *item Florentiæ.* (e) *Electio ad Pontificatum, & prima ejus rudimenta.* (f) *Periculum à conjuratione Cardinalium.* (g) *Vitia varia.* (h) *Mors Leonis.* (i) *Comparatio cum Luthero, & de hoc Epicrisis.* (k) *Erasmi erga Leonem adulatio.*

ANNUS 1522.

SECTIO 48. (1) Carolostadii turbæ absente Luthero. (2) Lutherus earum causa custodia egressus Wittenbergam redit.

§. CXVIII. (1) Fanaticorum motus in Saxonia & speciatim Zvviccaviæ. (2) Lutheri monita. (3) Edicta Regimenti Cæsarei contra Reformationem.

Additio (a) *De fanaticis amplior relatio.* (b) *Epistola Lutheri ad Melanchthonem.* (c) *Melanchthonis literæ ad Electorem.* (d) *Acta Electoris cum Melanchthone & Amsdorffio.* (e) *Spalatini de Friderici dictis relatio.* (f) *Trepidatio Melanchthonis, & alia ex Camerarii relatione.* (g) *Lutheri de fanaticis relatio.* (h) *Speciatim de Münzero.* (i) *Digressio de apparitionibus ex D. Spenero.*

§. CXIX. Epistola Lutheri ad Fridericum Electorem de discessu suo ex arce.

Additio. *Carmen in cubiculo Lutheri VVartburgensi.*

§. CXX. (1) Fridericus Elector cum Luthero agit per D. Schurfium. (2) Schurfii relatio. (3) Literæ Lutheri ad Electorem ex præscripto compositæ. (4) Ipsius de iis censura. (5) Contenta præcipua literarum. (6) De tumultu Carolostadiano. (7) Conciones Lutheri contra Carolostadium. (8) De nuptiis Carolostadii.

Additio. *Carolostadii nuptiæ & literæ ad Electorem.*

SECTIO 49. (1) Lutherus increpat Carolostadium. (2) Imaginum cultum retinet, judicio Maimburgii. (3) Carolostadii excessus & errores.

§. CXXI. (1) Contenta concionum Lutheri contra Carolostadium. (2) Epistola ejus ad Guttelium de sacramento. (3) Defenditur a reprehensione. (4) Item ab imputato imaginum cultu.

Additio I. (a) *Lutheri epistola de sacramento.* (b) *Epicrisis.*

Additio II. (a) *Carolostadii varii excessus.* (b) *Negatur Melanchthonem pistori operam suam locasse.* (c) *De Carolostadii odio adversus literarum humaniorum studium.* (d) *Annotatio ad Banagium, & verba quædam Maimburgii.* (e) *Carolostadius improbat gradus Academicos.* (f) *Alia quædam de ejus lapsu.* (g) *Alia de contumaci Carolostadii ingenio.*

SECTIO 50. (1) Maimburgius Lutherum laudat ob sententiam de præsentia reali. (2) Quæ Carolostadio acciderint. (3) Mors ejus. (4) Filius ejus ad Romanam Ecclesiam redit. (5) Libelli Lutheri a Maimburgio vituperati.

§. CXXII.

§. CXXII. (1) Notantur quædam ad Maimburgii dicta. (2) Acta quædam Carolostadii & mors. (3) Angustia Lutheri hoc tempore, ex epistola ad amicos. (4) Tractatus & opinio de Sacramento & communione.

§. CXXIII. (1) Lutheri liber adversus Papam & Clerum. (2) Verba a Cochlæo non integre relata. (3) Consilia de Episcoporum dignitate servanda, & quomodo Nobilitati prospiciendum sit. (4) Epicrisis de Lutheri & Erasmi scriptis. (5) Querela Lutheri de moribus cum Epicrisi.

§. CXXIV. (1) Excerpta ex libello Lutheri de vitanda hominum doctrina. (2) Defendit, quæ de stimulis carnis liberius scribit. (3) Collisio inter Electorem Saxoniæ & Episcopum Misnensem.

SECTIO 51. (1) De versione Bibliorum a Luthero cœpta & vulgata. (2) Ejus effectus.

§. CXXV. (1) Lutheri epistola de intentione sua in vertendis Bibliis. (2) De labore & cura in illo opere. (3) Epistola de Veteris Testamenti versione.

§. CXXVI. (1) Refellitur Maimburgii calumnia. (2) Præpostera hominum sapientia in præcavendis erroribus. (3) Utilitas versionis Lutheri. (4) Defensio ejus contra adversariorum insultus. (5) Defectus versionis excusantur. (6) Lectio Biblica etiam fœminis permittenda. (7) De Argula Stauffia.

Additio. *Elogium versioni Lutheri a Georgio Anhaltino datum.*

SECTIO 52. (1) De Hieronymi Emseri animadversionibus in Biblia a Luthero versa. (2) Nova Emseri versio. (3) Edicta contra versionem Lutheri.

§. CXXVII. (1) De Emsero veriora. (2) Litigium inter Lutherum & Emserum de verbis quibusdam Lipsiæ a Luthero prolatis. (3) Lutherus Emsero amplius non vult respondere. (4) Libellus Lutheri de seculari potestate.

Additio I. (a) *Emseri notæ in versionem Lutheri & calumniæ generales.* (b) *Speciales in dictum Matth. I. V. VI.* (c) *Ad Matth. VII. de justificatione, Emseri cavillationes.* (d) *Lutherus defenditur.* (e) *Excerpta ex præfatione Lutheri in epistolam ad Romanos.* (f) *Emseri responsum cum Epicrisi.* (g) *Alia Emseri calumnia ad Matth. VII. 1.* (h) *Emseri versio Novi Testamenti cum edicto Georgii Ducis publicata.* (i) *Emseri de versione sua admonitio.* (k) *Lutheri de illa judicium.* (l) *De sua versione relatio.* (m) *Secunda Emserianæ versionis editio.* (n) *Edictum Electoris Brandenburgici contra versionem Lutheri.*

Additio II. (a) *Censura de libello Lutheri de potestate seculari.* (b) *Annotatio ad Varillasii dicta.* (c) *Excerpta ex libello Lutheri de Potestate seculari; speciatim de necessitate Magistratus.* (d) *De jure Principum circa sacra, & de potestate Episcopali.* (e) *Admonitio ad Principes de colenda virtute hujusque difficultate.*

SECTIO 53. Lutheranismi progressus ex Principum conniventia.

§. CXXVIII. (1) Notantur Maimburgii dicta. (2) Cunctatio Friderici Electoris in promovenda reformatione, speciatim Altenburgi. (3) Item Zviccaviæ. (4) Aliud Exemplum. (5) De jure Principum in sacris, ex mente Pontificiorum.

Additio. (a) *Initia reformationis Altenburgensis.* (b) *Lutherus exhortatur Didymum.* (c) *VVenceslaus Linccius, Altenburgensis Ecclesiastes.* (d) *Item Eberbardus Brisgerus & Georgius Spalatinus.*

SECTIO 54. Electoris Saxoniæ acta cum Augustinianis Missam privatam abrogantibus.

§. CXXIX. (1) De synodo Augustinianorum Wittenbergensium. (2) Lutheri ad eos libellus & quædam ex eo. (3) Dehortatio a celebratione Missæ.

§. CXXX. (1) Electoris acta cum VVittenbergensibus. (2) Delectorum ex Academia responsum.

Additio I. (a) *Conradi Heldii Prioris August. apud Electorem querela de dissidiis monachorum.* (b) *Electoris responsio.* (c) *Delectorum ad componenda dissidia relatio.* (d) *Dolschii scriptum.* (e) *Canonicorum responsum.* (f) *Mandata D. Baiero data.* (g) *Carolostadii importunitas.* (h) *Compositio inter Academiam & Senatum.* (i) *Electoris de ea rescriptum.* (k) *Lutheri literæ ad Electorem.* (l) *Mandata Electoris ad Lutherum.* (m) *Georgii Ducis ad Johannem Ducem literæ de actis VVittenbergensibus & hujus responsio.* (n) *Legatio Pontani ad Georgium & hujus ad Johannem literæ.* (o) *Ejusdem Georgii ad Fridericum Electorem literæ.* (p) *Electoris responsum.* (q) *Replica Georgii.* (r) *Elector iterum respondet, Georgius acquiescit.* (s) *Epicrisis de prudentia Friderici.* (t) *Acta visitationis ab Episcopo Mersburgensi in ditione Electoris susceptæ.* (u) *Acta visitationis Episcopi Misnensis in Electoratu Saxonico.* (x) *Epicrisis de actis Episcoporum.*

Additio II. (a) *Prima fundatio a Rudolfo Electore Saxoniæ.* (b) *Ejus augmentum a Friderico III. sive Sapiente.* (c) *Studium Friderici in conquirendis reliquiis sacris.* (d) *Spalatini libellus de reliquiis eorumque numero & nomenclatura.* (e) *Modus & formula ostensionis.* (f) *Relatio ad Electorem & rescriptum de mutatione ostensionis.* (g) *De denariis Judæ.* (h) *Literæ Regum & Principum de reliquiis.* (i) *Schenckii & Vergerii in eo negotio curæ.* (k) *Decrementum opinionum de reliquiis.*

§. CXXXI. (1) Censura Lutheri in Bullam de cœna Domini. (2) Excerpta ex sermone de conjugio. (3) Refutat calumniam de Bigamia. (4) Conciones Erfurtenses & epistolæ ad ministerium urbis. (5) Sententia ejus de interitu Papatus.

§. CXXXII. (1) Epistola Lutheri ad Bohemos. (2) ad Ducem Münsterbergensem. (3) ad Baronem Schwarzenbergium. (4) De Bambergensibus rebus quædam.

Additio I. *De Johanne Grau, Coronacensi pastore.*

(5) De Hartmutho a Croneberg quædam.

Additio II. (a) *De literis Hartmuthi a Croneberg.* (b) *Epistola ejus ad Cæsarem.* (c) *Instructio Evangelica.* (d) *Relatio de expeditione Sickingii.* (e) *Exhortatio ad Regimentum.*

§. CXXXIII. (1) Lutherus laudat commentarium Melanchthonis in epistolam ad Romanos. (2) De scriptis VVesselii Grœningensis hoc anno editis & autoris vita. (3) Lutheri in scripta VVesselii præfatio.

Additio (a) *Altingii relatio de VVesselo.* (b) *De libro VVesseli.* (c) *Excerpta de justificatione.* (d) *De utilitate bonorum operum.* (e) *De Papa & officio ejus.* (f) *De opibus Ecclesiæ.* (g) *De cœlibatu.* (h) *De Prælatis & Clero.* (i) *De indulgentiis.* (k) *De sacerdotio.* (l) *De Philosophis.* (m) *De contritione.* (n) *De absolutione sacerdotali.* (o) *De satisfactione.* (p) *De thesauro indulgentiarum fictitio.* (q) *De communione sanctorum.* (r) *De Missa.* (s) *De Eucharistia.* (t) *De purgatorio.* (u) *Epicrisis.* (x) *VVesselii scripta ad Jac.*

Hœck

Hœck de indulgentiis. (y) *Narratiuncula quædam de purgatorio.* (z) *Roffensis de Luthero dictum.* (aa) *VVicelii de VVesselo judicium.* (bb) *Epicrisis de VVicelii opinione.*

SECTIO 55. (1) Lutherus ritus sacros ordinat. (2) De bonis Ecclesiæ disponit. (3) Monasteria reformat.

§. CXXXIV. (1) Examinantur dicta Maimburgii. (2) Lutheri solicitudo & angustia.

§. CXXXV. (1) Baptismi ritum Lutherus hoc tempore parum mutavit (2) Caput rei in Baptismo observandum docet. (3) Emendatio ulterior post biennium sequitur.

§. CXXXVI. (1) Confusio in administratione sacræ Cœnæ, seu Missæ. (2) Lutheri privatum de ordine & ritu sacræ Cœnæ consilium ad Hausmannum. (3) Quæ libera relinquenda aut mutanda tunc putaverit Lutherus. (4) Normam cur non sumserit ex Patribus. (5) Querela de Canonicis Wittenbergensibus. (6) Consideratio reformationis a Luthero propositæ in hoc articulo.

Additio I. (a) *Cassandri cap. II. de Liturgia.* (b) *Cap. III. ex eodem.* (c) *Quædam ex Capite IV.* (d) *Epicrisis.*

Additio II. (a) *De populi consensu ad leges Ecclesiasticas, ex autoribus quibusdam.* (b) *Vera hujus rei ratio.*

§. CXXXVII. (1) Sententia Lutheri circa bona Ecclesiæ defenditur. (2) Quo jure nitatur mutatio.

Additio. (a) *Excerpta ex libro Gallico de bonis Ecclesiæ.* (b) *Eleemosynæ primum & unicum veteris Ecclesiæ patrimonium.* (c) *De initiis mutationis Ecclesiasticæ.* (d) *De augmento opum Ecclesiarum sub Constantino.* (e) *De legibus contra abusum.* (f) *Quomodo Pontifices Romani jus supremum in bona Ecclesiarum sibi arrogaverint.*

§. CXXXVIII. (1) De statuto Leisnicensi circa bona & reditus Ecclesiæ. (2) Lutherus commendat statutum Leisnicense, & quædam monet. (3) Cochlæi calumnia refellitur. (4) Consideratio consilii de juvandis patronorum nobilium posteris.

Additio I. (a) *Varillasii errores de statuto Leisnicensi.* (b) *Animadversio in eos.* (c) *Literæ Lutheri ad Fridericum Electorem de statuto Leisnicensi.*

Additio II. *De opulentia & liberalitate Principum Saxoniæ.*

§. CXXXIX. (1) Acta quædam Lipsiæ contra Lutheranismum. (2) Aliæ persecutiones. (3) Incrementa reformationis in superiori Germania. (4) Item in inferiori. (5) Argentorati & in Alsatia. (6) In Bohemia, Polonia, Hungaria. (7) In Belgio. (8) Effectus scriptorum Lutheri, teste Cronebergio. (9) Lutheri querela de cunctatione Electoris in Saxonia. (10) De Caspare Guttelio.

Additio I. (a) *De Andrea Osiandro Norimbergensi concionatore.* (b) *De initiis reformationis Curiæ Variscorum.* (c) *De Joh. Brentio pastore Hallensium.* (d) *De reformatione Ulmensi, speciatim de Joh. Eberlino.* (e) *Edicta Magistratus Ulmensis.* (f) *De Erhardo Snepfio.*

Additio II (a) *Relatio de reformatione Francofurtana.* (b) *Cronebergii scripta quædam.* (c) *Aliorum quorundam ex Nobilitate acta.* (d) *Senatus gesta circa reformationem.* (e) *Concionatores in urbe Evangelici.* (f) *Acta cum Monachis & inter concionatores.* (g) *Celebratio Cœnæ Dominicæ integra.* (h) *Tumul-*

multus plebis ejusque sequelæ. (i) *Lis Capituli ad D. Bartholomæi cum Senatu.* (k) *Fœderis Smalcaldici acceptatio & acta alia.*

Additio III. (a) *Steph. Kempii relatio de reformatione Hamburgensi suaque & aliorum in ea præstita opera.* (b) *Edictum Senatus.* (c) *Acta cum Burstorpio & aliis Pontificiis.* (d) *Cives urgent reformationem.* (e) *Alia inter pastores disputatio.* (f) *Ejectio Pontificiorum doctorum.* (g) *Consideratio facti.* (h) *De Pomerani actis Hamburgi.* (i) *De Æpino & VVestphalo.*

Additio IV. (a) *De reformatione Magdeburgi urbis.* (b) *De eadem relatio ex actis Archivi.*

Additio V. *Lutheri epistola ad Stetinenses de subjectione Cleri ad tributa.*

Additio VI. (a) *De Davide Chytræo ejusque historia.* (b) *Ortus & studia.* (c) *Functiones.* (d) *Obitus & elogium.*

Additio VII. (a) *D. Casp. Guttelii libellus ad Comites Mansfeldenses.* (b) *Lutheranus non vult vocari.* (c) *Miseriam Ecclesiæ ante reformationem describit.* (d) *De fide, libero arbitrio & bonis operibus.* (e) *De prædestinatione & gratia.* (f) *De bonis operibus.* (g) *Desiderat Concilium.* (h) *Alius Guttelii libellus contra falsum monachatum.* (i) *Taxat abusus inter Evangelicos.* (k) *Conciones Guttelii Islebienses dedicatæ Moguntino.* (l) *Acta ejus Zviccaviæ.* (m) *Litteræ de Guttelio de statu Zviccaviensi.* (n) *Digressio de concionibus Lutheri hoc anno Zviccaviæ habitis.* (o) *De Pastore Zviccaviensi Hausmanno.* (p) *Conciones Guttelii Arnstadii habitæ.* (q) *Additamentum de Guttelio.*

ANNUS 1523.

SECTIO 56. (1) Responsum Nuncio Pontificio Cheregato in Comitiis Norimbergensibus datum. (2) Centum gravamina Germanorum adversus Pontificatum. (3) Decreta Comitialia. (4) Lutherus ea interpretatur.

§. CXL. (1) De electione Adriani VI. Pontificis. (2) Digressio Pallavicini de indulgentiis. (3) Causæ electionis Adriani. (4) Ejus consilia improbata a curialibus & Pallavicino. (5) Epicrisis de actis Adriani.

§. CXLI. (1) De literis Pontificis ad Electorem. (2) Mandata Pontificis Cheregato ad Ordines Imperii data & invectivæ in Lutherum.

§. CXLII. (1) De editione mandatorum Adriani. (2) De Edmundo Richerio novissimo eorum editore, ejusque de abusibus Pontificiis querelæ.

§. CXLIII. (1) Excerpta ex mandatis Pontificiis. (2) Lutheri ad illa notæ.

§. CXLIV. (1) Quædam de Comitiis anno præcedente Norimbergæ habitis. (2) De gravaminibus nationis Germanicæ. (3) Negatur, ea a solis Lutheranis composita esse.

§. CXLV. (1) Contenta centum gravaminum. (2) Alia vetustiora Maximiliano I. exhibita, eorumque contenta.

§. CXLVI. (1) Petitio Ordinum Imperii de remediis gravaminum. (2) Nuncii replica & Ordinum duplica.

§. CXLVII. (1) Literæ severiores Pontificis ad Electorem Saxoniæ. (2) De Planitio & Comitiis Norimbergensibus duplicibus. (3) Reditus Lutheri ex arce rixas comitiales parit. (4) Item libellus ejus de communione. (5) Redintegratio Comitiorum. (6) Proscriptio Sickingii. (7) Planitii judicium de reformatione Pontificis. (8) Friderici Electoris excusatio in causa Lutheri. (9) Item ad ministros aulæ Cæsareæ. (10) Excusatio Nuncii Pontificii. (11) Delibera-

liberatio de scriptis Lutheri. (12) Ecclesiasticorum indignatio & versutia. (13) Laus Schvvarzenbergii. (14) Planitii querelæ. (15) Judæi dictum contra Ecclesiasticos. (16) Notatur Pallavicinus. (17) Responsa Electoris. (18) Joh. Faber contra Lutherum prædicator destinatur. (19) Epicrisis de Friderico. (20) De Georgio Duce quædam. (21) Minæ in Electorem. (22) Daniæ Regina Lutherana. (23) Consilia de Luthero & hujus responsa. (24) Pallavicini de edicto Comitiali annotatio cum epicrisi.

Additio. (a) *Erasmi de compositione religionis consilia.* (b) *Erasmi dialogus, virorum illustrium hortatu scribi cœptus.*

§. CXLVIII. (1) Lutheri scriptum ad Regimen Cæsareum. (2) Lutheri epistola ad Electorem de stylo suo.

Additio. (a) *Lutheri & collegarum responsum de defensione.* (b) *de VVestermanno & Groppio.*

SECTIO 57. (1) De actis Christierni Daniæ Regis longa digressio. (2) De fuga Christierni ex Dania. (3) De reformatione in Svecia a Gustavo Rege cœpta. (4) De eadem reformatione in Dania auspiciis Friderici Regis.

§. CXLIX. Brevis ad Maimburgianam digressionem annotatio.

Additio I. *Apologia Christierni a Sceppero edita.*

Additio II. (a) *Excerpta ex Joh. Baazii historia Ecclesiastica Svecorum.* (b) *Pontificia consilia.* (c) *Cleri Svecici vetus libertas.* (d) *Conversio Gustavi.* (e) *Disputatio de religione.* (f) *De bonis Ecclesiæ.* (g) *Diploma regium de reformatione.* (h) *Decreta comitialia.* (i) *Episcoporum quorundam acta.* (k) *De bonis Ecclesiasticis edictum.* (l) *Item de disciplina & ritibus.*

Additio III. (a) *De Regis Christierni ad Evangelicam doctrinam conversione ex Spalatino.* (b) *Nota ad relationem Maimburgii de pecunia Arcimboldo oblata.* (c) *Alia quædam de Dania.* (d) *Literæ Christierni Regis ad Lutherum.* (e) *De Holsaticæ reformationis initiis quædam.* (f) *De Ditmarsis & martyrio Henrici Zutphaniensis.*

§. CL. (1) De causa & clade Francisci a Sickingen. (2) Ejus epistola de religione. (3) Lutherus ab ejus societate innocens. (4) Descriptio Sickingii ex Marcello. (5) Expeditio Sickingii contra Trevirensem Electorem. (6) Clades Sickingii a Principibus fœderatis. (7) Scripta & judicia de illa; atque alia quædam.

§. CLI. (1) De Joh. Hesso pastore Uratislaviensi. (2) Apologia Senatus Uratislaviensis.

Additio. (a) *Literæ Lutheri ad Episcopum Uratislaviensem.* (b) *Melanchthonis ad eundem, & alia quædam de Episcopo.* (c) *De Hesso & Moibano Uratislaviensibus concionatoribus.* (d) *Disputatio Hessi cum adversariis, & Lutheri de ea epistola.*

§. CLII. (1) De concionatoribus quibusdam Evangelicis. (2) De Paulo Sperato aliisque Borussiæ doctoribus. (3) De Casp. Aquila.

Additio I. (a) *Narrationes de cantico Sperati.* (b) *Contenta quædam cantici.*

Additio II. (a) *De Joh. Brismanno.* (b) *Excerpta ex ejus concione Cotbusiensi.*

Additio III. (a) *Literæ Lutheri ad Neuenhagium.* (b) *Item ad Strausium.* (c) *Henrici Plunderi dictum.*

§. CLIII. (1) Egressus virginum ex monasterio Nimptschensi. (2) Emendatio in Ecclesia Omnium Sanctorum Wittenbergæ.

Additio I. (a) *Errores Varillasii notantur.* (b) *Lutheri de virginibus narratio.* (c) *Falsa Varillasii de Catharina Boria narratio.* (d) *Ejus refutatio.*

Additio II. (a) *Friderici fundatio anno 1506. in honorem B. Virginis.* (b) *Alia anno 1519. in memoriam passionis Christi.* (c) *Lutheri de hac judicium.* (d) *Descriptio cultus & ornatus in Ecclesia collegiata VVittenbergensi.* (e) *Illius contemtus, frustra contranitentibus Canonicis & Electore.* (f) *Lutherus superstitionem scripto & voce adoritur.* (g) *Electoris cum illo acta.* (h) *D. Jonas Præpositus reformationem urget.* (i) *Electoris & consiliariorum placita.* (k) *Lutheri ad Electorem literæ.* (l) *Novæ Canonicorum querelæ.* (m) *Acta Electoris cum Decano minori.* (n) *Reliqua de Reformatione Ecclesiæ illius.*

§. CLIV. (1) Lutheri acta & scripta ratione Bohemorum sive Picardorum. (2) Ut & Pragensium. (3) Rituum formulam præscribit.

§. CLV. (1) Lutheri literæ ad Ducem Sabaudiæ. (2) Lutheri afflictiones. (3) Rixæ cum Georgio Duce. (4) Libellus de ortu Jesu Christi ex Judæis.

§. CLVI. (1) Literæ Regis Angliæ ad Ducem Saxoniæ. (2) Responsum Georgii. (3) Electoris & fratris responsum.

§. CLVII. (1) Ludovici Hungariæ & Bohemiæ Regis literæ contra doctrinam Lutheri. (2) Sævitia contra Evangelicos in Saxonia. (3) Lutheri consolatoriæ.

Additio I. (a) *Ludovici Bohemiæ Regis acta cum Minckvvitiis, Sonnevvaldæ Dynastis.* (b) *Lutherus reformationem Minckvvitianam adjuvat.*

Additio II. (a) *De Johanne Dracone Carolostadio.* (b) *Literæ ejus ad Moguntinum.* (c) *Epistola Erasmi de Dracone.*

§. CLVIII. (1) Martyrium duorum Augustinianorum Bruxellis. (2) Hymnus de eo. (3) Articuli propter quos damnati sunt. (4) Supplicium Lamperti. (5) Lutheri de martyrio epistola ad Belgas.

Additio. *Hymni de Bruxellensibus Latina versio.*

§. CLIX. (1) Maimburgii silentium de illo martyrio, & falsa de conversione Reformatorum in Gallia relatio notatur. (2) Consideratio articulorum Bruxellæ damnatorum. (3) Erasmi de supplicio illo judicium. (4) Alia ejus sententia. (5) De persecutionibus in Gallia.

Additio. *Varillasii narrata de actis in Episcopatu Meldensi.*

§. CLX. (1) Lutheri liber de Canone Missæ. (2) Item ad Equites Teutonicos adhortatio.

Additio I. (a) *Crusius importunus concionator in oppido Olsniz.* (b) *Lutheri de eo judicium.*

Additio II. (a) *Doctores VVittenbergæ creati Glatius & Otto.* (b) *Lutheri jocus.* (c) *Alii promoti.*

Additio III. (a) *Lutheri Liber adversus Cochlæum.* (b) *Narratio de actis Cochlæi in Comitiis VVormatiensibus.* (c) *De justificatione per solam fidem.* (d) *Cochlæi responsum.* (e) *Lutheri de votis monasticis scriptum.* (f) *Item de bonis operibus.* (g) *De reliquiis peccati in piis.* (h) *Alia ejus scripta.* (i) *De censura Ingolstadiensi in Seehoferum a Luthero refutata.*

§. CLXI. (1) De canonizatione Bennonis. (2) Miracula Bennoni attributa. (3) Lutheri adversus canonizationem libellus. (4) Mors & elogia Hadriani VI.

Additio. (a) *De libro Emseri quo Bennonem celebravit.* (b) *De cultu in templo cathedrali Misnæ olim instituto.*

ANNUS 1524.

SECTIO 58. (1) De Campegio Legato Clementis VII. (2) Decretum comitiorum Norimbergensium.

§. CLXII.

§. CLXII. (1) De Clemente VII. quædam. (2) Acta Comitiorum Norimbergensium. (3) De elusione centum gravaminum & literis Pontificiis ad Electorem. (4) Epicrisis de gravaminibus.

§. CLXIII. (1) Decretum Comitiorum. (2) Acta Campegii & cum eo.

Additio I. (a) *Relatio ex Archivo de Comitiis Norimbergensibus.* (b) *Langius Archiepiscopus Salisburgensis ad Papatum destinatur.* (c) *Friderici Electoris iter ad Comitia & abitus.* (d) *Norimbergæ status in religione.* (e) *Legati Campegii adventus.* (f) *Oratio Campegii.* (g) *Insipidum Cancellarii Moguntini responsum.* (h) *Campegii de Germanis & Italis judicium.* (i) *Reginæ Daniæ conversio & Ferdinandi fratris cum ea expostulatio.* (k) *Fridericus oppugnat edictum VVormatiense & Norimbergense.* (l) *Ferdinandi zelus adversus Lutheranos.* (m) *Nobiles quidam lædunt aulicos Ferdinandi.* (n) *Decreti rigor.* (o) *Haunarti vituperium.* (p) *Initia tumultus rustici.* (q) *Status religionis in quibusdam locis.* (r) *Cæsaris ad Fridericum literæ.* (s) *Electoris responsum.* (t) *Fœdus Catholicorum Norimbergæ.* (u) *Laus Friderici a Ferdinando.* (x) *Comitia turbulenta.* (y) *Regimentum aboletur.* (z) *Friderici sententia de bello Turcico.* (aa) *Consilia Ferdinandi & Suevorum.*

Additio II. *Calumniæ & errores Varillasii notantur.*

§. CLXIV. (1) De Alberto Borussiæ Magistro & Lutheri ad eum epistola. (2) Item ad Spalatinum de Comitiis, & de progressu Evangelii.

SECTIO 59. Lutherus taxat edictum Norimbergense.

§. CLXV. Lutheri in edictum comitiale acres invectivæ.

SECTIO 60. (1) Acta Campegii cum Principibus Pontifici addictis. (2) Reprehensa non uno modo. (3) Conventus civitatum Spirensis. (4) Severum Cæsaris rescriptum ejusque recusatio.

§. CLXVI. (1) Acta Campegii cum Argentoratensibus de conjugio sacerdotum. (2) Annotatio ex historia Hispanica.

§. CLXVII. (1) De conventu a Campegio Ratisbonæ habito. (2) De literis Cæsaris.

SECTIO 61. (1) De Lutheri gaudio ex incrementis reformationis. (2) Speciatim in Borussia.

Additio. (a) *Varillasii de nuptiis Alberti Borussiæ Ducis fabula.* (b) *Ejus refutatio.* (c) *Chytræi de nuptiis Alberti relatio.*

§. CLXVIII. (1) Notantur Maimburgii dicta. (2) Reformatio Ducatus Luneburgici Cellensis. (3) De Guelberbytensis in veteri religione perseverantia. (4) De urbe Brunsviga. (5) De Grubenhagensi & Calenbergensi Ducatu. (6) De Meckelnburgensi. (7) De Pomerania. (8) De Magdeburgensi & Bremensi Archiepiscopatibus.

§. CLXIX. De Henrici Zutphaniensis martyrio epistola Lutheri.

Additio (a) *Edictum Landgravii Hassiæ de disciplina & concionibus.* (b) *Literæ ad eum Franciscani.* (c) *Responsum Principis.*

§. CLXX. (1) Descriptio Borussiæ. (2) Equitum Teutonicorum in Borussiam adventus & gesta.

§. CLXXI. (1) Bella inter equites & Polonos. (2) Electio Alberti Brandenburgici in Magistrum Ordinis. (3) Ejus cum Polonis certamen & conventio, qua Albertus Dux Borussiæ factus est.

§. CLXXII. (1) Reformatio Borussica Episcopi Sambiensis potissimum opera facta. (2) Lutheri de Alberto Duce literæ. (3) Rex Poloniæ ad reformationem

nem connivet. (4) Ordinatio Ecclesiastica Borussiæ. (5) Lutherus Georgium Sambiensem Episcopum laudat.

Additio. (a) *Epitaphium Georgii Episcopi Sambiensis.* (b) *De mutatione religionis in Livonia.*

§. CLXXIII. (1) Hojensis Comitatus reformatio. (2) Norimbergæ acta a Præpositis. (3) Argentoratensis senatus promovet Evangelium.

Additio I. (a) *Liber Præpositorum Norimbergensium.* (b) *Ejus exordium.* (c) *Contenta quædam de Missa sive sacra Cœna.* (d) *De Vigiliis, anniversariis & purgatorio.* (e) *De cultu Sanctorum.* (f) *De aliis quibusdam abusibus.* (g) *Excusatio de quibusdam quæ minuta videntur.* (h) *Consilium a concionatoribus datum.* (i) *Alia eorundem propositio.* (k) *Disceptatio coram Senatu.* (l) *VVenceslaus Linccius Norimbergensis ecclesiastes.*

Additio II. (a) *Scriptum ministerii Argentinensis contra Conr. Trægerium.* (b) *Autoritatem Scripturæ asserunt.* (c) *Alia quædam.*

§. CLXXXIV. (1) Lutheri cum Carolostadio acta Jenæ & Orlamundæ. (2) Relatio de illis actis parum sincera. (3) Carolostadius ex Saxonia ad Helvetios abit.

§. CLXXV. (1) Lutheri literæ in causa Sacramentaria. (2) Melanchthonis notabile dictum. (3) De dogmate ubiquitatis ex Sculteto. (4) Lutheri sententia de Synodis.

§. CLXXVI. (1) Lutheri scripta adversus cœlestes Prophetas. (2) Et de Münzero admonitio. (3) Epistola ad Electorem & Fratrem, qua fanaticos accusat & refutat.

Additio. (a) *De Münzeri dogmatibus quædam.* (b) *Progressus erroris Münzeriani.* (c) *Münzerus Vinariæ comparet.* (d) *Georgius Dux Münzerum accusat.* (e) *Münzerus ex Electoratu aufugit.*

§. CLXXVII. (1) Dissensiones in aula de lege Mosaica. (2) Lutherus scholarum conservationem urget.

Additio. *Lutheri epistola de usuris.*

SECTIO 62. Lutherus cucullum exuit.

§. CLXXVIII. (1) Causæ, quæ Lutherum ad deponendum statum & vestem monachi compulerunt. (2) Ejus epistola de aliis monachis. (3) Item contra rapinas bonorum ecclesiasticorum.

SECTIO 63. (1) Erasmus Lutherum refutat. (2) Lutherus respondet. (3) Digressio Maimburgii de disputatione circa liberum arbitrium.

§. CLXXIX. (1) Indicatur scopus Maimburgii. (2) De mente Erasmi in causa Lutheri. (3) Pontifex Erasmum stimulat in Lutherum. (4) Erasmi excusatio apud Pontificem. (5) Ab Anglis movetur. (6) Epistola ejus ad Melanchthonem. (7) Melanchthonis responsum. (8) Erasmus replicat. (9) Lutherus invitus respondet.

Additio. (a) *Erasmi ad Lutherum literæ.* (b) *Nota ad objectionem vulgatam de pravis Evangelicorum moribus.*

§. CLXXX. (1) Ex libro Lutheri contra Erasmum quædam. (2) Erasmi replica & querelæ.

Additio. *Erasmi ad Electorem epistola.*

§. CLXXXI. (1) De durioribus quibusdam Lutheri in libro contra Erasmum formulis admonitio. (2) D. Sebastiani Schmidii explicatio verborum Lutheri.

Additio. *Alia ex libro Lutheri contra Erasmum.*

§. CLXXXII.

LIBER II.

ANNUS 1525.

§. IV. (1) Distinctior narratio gestorum in Svevia & VVeinspergæ. (2) Svevici exercitus expeditio in Franconiam. (3) Notatur Maimburgius de tertio scripto Lutheri differens. (4) Thuringica specialius referuntur.

Additio I. (a) *Motus rusticus a Friderico leniter tractatus.* (b) *Mutiani querela.* (5) Consilium Lutheri Alberto Comiti Mansfeldensi datum. (6) Münzeri furor & in Lutherum convitia. (7) Contenta ultimarum Münzeri literarum. (8) Strages ad Francohusam. (9) Supplicia sontium.

Additio II. (a) *Copia Saxonicæ in bello rustico.* (b) *Mülbusii deditio.* (c) *Gesta Johannis Electoris in Franconia.* (d) *Motus in Thuringia & Misnia.* (e) *Item Torgaviæ.* (f) *ad Salam & Orilam.*

(10) De conversione Münzeri. (11) Alia de ejus morte, Lutheri & Melanchthonis judicia. (12) Nimius rigor Georgii Ducis, Electoris moderatio. (13) Lutheri literæ. (14) Item Melanchthonis, ejusque relatio insignis. (15) Damna hujus belli. (16) Tumultus Francofurtensis.

Additio III. (a) *Lutheri de causa motuum sententia.* (b) *Tirolensium querelæ de pastoribus Pontificiis.* (c) *Remedium contra seditionem.* (d) *Consilium Electori Friderico datum a Spalatino.* (e) *Diversa de motuum turbulentorum ortu judicia.* (f) *Controversia de jure Principum & populi circa sacra.*

SECTIO 5. (1) De raptu monialium. (2) De amore Lutheri erga Catharinam Bohriam. (3) De nuptiis cum ea celebratis earumque sequelis.

§. V. (1) Calumniæ adversus nuptias Lutheri refelluntur. (2) Lutheri literæ ad Ruhelium de matrimonio suo. (3) Item ad Stifelium. (4) Iterum ad Ruhelium. (5) Ad Spalatinum. (6) Linccium. (7) Amsdorffium. (8) Relatio Amsdorffii. (9) Ex Lutheri literis ad Ruhelium explicata. (10) Melanchthonis epistola ad Camerarium de nuptiis Lutheri. (11) Erasmi de his nuptiis literæ, & sarcasmi. (12) Maimburgii objectionibus respondetur. (13) Literæ Lutheri ad Stifelium. (14) Ad Electoris filium, harumque contenta. (15) Epilogus de hac materia.

SECTIO 6. De literis Lutheri ad Albertum Moguntinum in quibus eum ad nuptias hortatur.

§. VI. (1) De tempore literarum Lutheri ad Moguntinum. (2) Alberti propensio ad nuptias. (3) Literæ ea de re Ruhelii, cum responso Lutheri. (4) Tenor epistolæ Lutheri ad Albertum, de conjugii necessitate. (5) Notatur Alberti libido. (6) De verborum obscœnitate Luthero imputata. (7) Excerpta ex Lutheri literis ad D. Reisenbusch, de necessitate conjugii, & evitandis pollutionibus. (8) Exempla Sanctorum, qui mariti fuerunt. (9) Eventus harum literarum. (10) Epistolæ Lutheri ad Albertum epilogus. (11) Epicrisis de eventu consilii a Luthero tunc dati. (12) Laus veræ virginitatis & casti matrimonii.

§. VII. (1) Johannis Electoris elogium. (2) Friderici fratris cunctatio, itemque ultima intentio. (3) Lutheri adhortatio ad Principes. (4) Visitatio & reformatio specialis VVittenbergensis. (5) Epistola Lutheri de salariis Pastorum. (6) Cœpta visitatio Ecclesiarum Saxonicarum.

§. VIII. (1) Lutheri prælectiones in Deuteronomium. (2) Admonitio de usu allegoriarum in sacris. (3) Improbat Iconomachiam. (4) Simulatam paupertatem monasticam reprehendit. (5) Modeste notat Patrum errores in explicatione Scripturæ. (6) Oppugnat dominatum Pontificium. (7) Commendatur Lutheri argumentatio. (8) Differit ille de religione per vim non inculcan-

culcanda. (9) Fanaticorum methodum deſcribit & deſtruit. (10) Anabaptiſtarum furorem taxat. (11) Monitum de ſectanda ante omnia juſtificatione. (12) Item de ſignis.

§. IX. (1) Caroloſtadius Lutherum ſcriptis aggreditur. (2) Hic illi opponit librum de cœleſtibus Prophetis. (3) Tractat de fide & operibus. (4) De imaginibus. (5) De Decalogo & lege Moyſis. (6) De Miſſa. (7) De elevatione. (8) De reformationis ſuæ ſucceſſu. (9) De inſpiratione divina. (10) De allegoriis. (11) De ſpirituali manducatione.

Additio. (a) *Abuſus circa parochias.* (b) *De Caroloſtadii actis Orlamundanis.* (c) *Ejus receptio in Saxoniam.* (d) *Melanchthonis de ſacra Cœna ſententia MS.*

§. X. (1) Eraſmi diatribe contra Lutherum, & illius falſa quædam præſuppoſita, item Cochlæi. (2) Lutheri repetitæ notæ in Pſalmos pœnitentiales. (3) Georgius Rorarius primus fuit, qui Wittenbergæ ordinatus eſt. (4) Monitum de tempore librorum Lutheri. (5) Lutheri epiſtola ad Antverpienſes de fanatico quodam. (6) Diſcurſus de occulta Dei voluntate. (7) Epiſtola Lutheri ad Albertum Mansfeldenſem de communione ſub una. (8) Ad Livonos de ritibus. (9) Ad Spalatinum de inſolentia nobilium & lenitate Electoris Johannis. (10) Lutheri de abrogatione Miſſæ moderata ſententia. (11) De caſu quodam matrimoniali. (12) De Vicelio, item de reformatione Sonnewaldenſi. (13) Sermo Lutheri de infirmis in fide. (14) De uſu legis Moſaicæ. (15) De pia præparatione ad Euchariſtiam, hujusque fructu. (16) De abuſu doctrinæ, de fide & operibus. (17) De tenenda in illa via media. (18) De perſona & regno Chriſti. (19) De fide infantum. (20) De falſis doctoribus, & contra inſolentiam quorundam concionatorum.

Additio. (a) *Mors Friderici Saxoniæ Electoris.* (b) *Ejus teſtamentum primum & ſecundum.* (c) *& ultimum.* (d) *de ejus nothis.* (e) *Præparatio ad mortem.* (f) *Sepultura.* (g) *Conciones funebres.* (h) *Epitaphium.* (i) *Dotes corporis.*

§. XI. (1) Scripta Lutheri, Zwinglii, Pomerani, eriſtica. (2) Syngramma Brentii & Antiſyngramma Oecolampadii. (3) Chaſelii Argentoratenſis iter ad Lutherum, & hujus reſponſum. (4) Quædam ex Spalatini epiſtolis.

§. XII. (1) De perſecutionibus quædam. (2) Lutherus veneno petitus eſſe creditur. (3) De Bohemia & Sileſia quædam. (4) Incrementa quædam reformationis in Luſatia. (5) Primitiæ reformationis in Haſſia. (6) Spes & remoræ in Miſnia. (7) Progreſſus in Comitatibus & urbibus quibusdam. (8) De Clemente VII. Pontifice quædam. (9) Rex Galliæ capitur ad Ticinum. (10) Lutheri eo de caſu literæ. (11) Pontificis pactum cum Cæſare contra Evangelicos.

SECTIO 7. (1.) De literis Lutheri ad Regem Angliæ. (2) Biblia Anglicana a Cochlæo detecta & in Anglia conquiſita & refutata. (3) Lutheri literæ ad Georgium Saxoniæ & Carolum Sabaudiæ Ducem.

§. XIII. (1) Tempus epiſtolarum Lutheri. (2) An palinodiam Regi Angliæ obtulerit. (3) Defenſio doctrinæ ſuæ ad Regem. (4) Rex Luthero acerbe reſpondet. (5) Notantur quædam de Volſejo. Item (6) de Bibliis Anglice verſis, & (7) De verſione Lutheri. (8) Literæ Lutheri ad Georgium Saxoniæ Ducem, hoc anno. (9) Refertur etiam vetus epiſtola. (10) Georgii reſponſum. (11) Cochlæi errores & acerbitas. (12) Georgius quædam Lutheri probat. (13) Lutheri de Georgii duritie epiſtolæ.

Additio. (a) *Georgii Ducis de Luthero querela.* (b) *Deliberatio, quomodo illi respondendum.* (c) *A ferocia in Lutherum nihil remittit.*

ANNUS 1526.

SECTIO 8. De Philippi, Hassiæ Landgravii, accessione ad Lutheranismum.

§. XIV. (1) Melanchthonis ad Landgravium de reformatione consilium. (2) Conventus Homburgensis. (3) Francisci Lamperti opera in reformatione Landgravio præstita. (4) Theses ejus & disputatio cum adversariis. (5) Marpurgensis Ecclesiæ fundatio.

SECTIO 9. (1) Narratio de Comitiis Spirensibus. (2) De Clade Regis Hungariæ.

§. XV. (1) Notatur Maimburgius & Cochlæus, & accuratius tractatur historia Comitiorum Spirensium. (2) Cæsaris literæ & mandata. (3) Acta in Comitiis Augustæ.

Additio I. (a) *Conventus ob fœdera pro defensione religionis.* (b) *Fœdus Electoris Saxoniæ & Landgravii cum quibusdam aliis.* (c) *Legatorum ad Comitia instructio.* (d) *Novus metus rusticæ seditionis.* (e) *Melanchthonis defensio reformationis.* (f) *Expenditur reformationis processus sub Friderico & Johanne Electoribus.* (g) *Consilium quorundam de usu bonorum Ecclesiasticorum.*

(4) Fœdus Electoris Saxoniæ & Landgravii cum quibusdam aliis.

Additio II. (a) *Cæsaris mandata Henrico Brunsuicensi & aliis data contra Lutheranos.* (b) *Pactum Magdeburgense.*

(5) Decreta Spirensium Comitiorum.

Additio III. (a) *Acta Comitialia.* (b) *Epistola Francisci I. Galliæ Regis.* (c) *Disciplina aularum in Comitiis.*

(6) De auxiliis Hungariæ ferendis. (7) Refutantur calumniæ de deserta Hungaria. (8) Vera causa cladis Hungaricæ. (9) Comitia Eslingensia.

Additio IV. (a) *Oppositiones adversus Evangelicos speciatim Georgii Ducis.* (b) *Epicrisis in Georgii Saxoniæ Ducis sententiam.* (c) *Consilium Philippo Badensi datum.*

(10) Maimburgii judicia refelluntur de Johanne Electore & Landgravio. (11) Speciatim de cibo eorum, & spretis jejuniis. (12) Maimburgii iniquitas & truculentia in reprehensione decreti Spirensis. (13) Asseritur Principum jus circa sacra, adversus dominatum Pontificium. (14) Notatur inepta digressio Maimburgii ad res Italicas narrandas.

§. XVI. (1) Status religionis in Saxonia. (2) Lutheri epistolæ quædam.

§. XVII. (1) Acta in Franconia a Marggraviis. (2) Casimiri ad Papatum inclinatio, renitente Georgio fratre. (3) In Saganensi Ducatu cœptam reformationem Georgius Saxoniæ Dux destruit. (4) Gesta in Frisia Orientali. (5) Ordinatio Ecclesiastica in Borussia. (6) Alberti apologia contra Ordinis Teutonici Magistrum. (7) Alberti pactum cum Electore.

§. XVIII. (1) De persecutionibus querelæ Lutheri. (2) Fama de fœdere Pontificiorum contra Protestantes. (3) Protestantes contrarium fœdus meditantur, non dissuadente Luthero, si in terminis defensionis persisteretur. (4) Alia consultatio. (5) Annotatio de fœderibus contra Protestantes.

Additio. *Persecutiones duorum pastorum.*

§. XIX. (1) Lutheri præfatio in icones Pontificis & Cleri. (2) Sermo de Hierosolymitano

mitano excidio. (3) Quædam de scripto anonymi a Cochlæo allegato & aliis. (4) Lutheri epistola ad Reutlingenses in quæstione sacramentaria. (5) De Krautwaldo & Schwenckfeldio. (6) De Oecolampadio. (7) Sermo Lutheri de præsentia Christi in cœna.

§. XX. (1) Publicatur pars tertia Lutheri de formula Missæ. (2) Consilium de lingvis in Ecclesia retinendis & exercendis. (3) Aliud consilium de cœtu piorum accuratius formando. (4) De Catechismo pro rudibus & pueris. (5) Commendatur ejus utilitas & ab adversariorum calumniis vindicatur. (6) Adhortatio ad nostrates de catechisatione. (7) Ordo cultus publici in Ecclesia VVittenbergensi. (8) De sacra communione speciatim VVittenbergæ.

Additio. *Lutheri sententia de homiliis prælegendis.*

(9) De precationibus & cantionibus; de jejuniis & ceremoniis quibusdam ineptis.

§. XXI. (1) Commentarius Lutheri in Jonam. (2) Excerpta quædam, de culpa Jonæ. (3) De cognitione Dei naturali. (4) De oratione Jonæ & alia quædam. (5) Commentarius in Habacuc. (6) De fervore intempestivo concionatorum. (7) De censura in magistratus. (8) De vitanda præsumtione ex opinione externi cultus. (9) Item contra vanam elationem ob successum, exemplo rusticorum nuper tumultuantium. (10) Annotatio ad dictum: *Justus ex fide vivit.*

§. XXII. (1) Explicatio quatuor Psalmorum, Mariæ Hungariæ Reginæ dedicata. (2) Excerpta ad Psalmum LXII. 10. (3) Ad Psalmum CIX. quædam. (4) Erasmi epistola ad Henckelium. (5) Epicrisis de sententia Erasmi. (6) De Henckelio & Maria regina quædam.

§. XXIII. (1) Sermo Lutheri, de nativitate Christi. (2) Explicatio vocis *admirabilis* Es. IX. 6. (3) Sermo ad Psalmum CXII. (4) Fiducia & prædictio de conservatione vitæ & famæ suæ.

§. XXIV. (1) De actis Concilii Apostolici Act. XV. (2) De legibus Ecclesiæ, ex populi consensu pendentibus, & ad ejus ædificationem applicandis vel solvendis. (3) Sermo in festo Trinitatis, de regeneratione spirituali. (4) De simplicitate fidei in articulo de Trinitate tenenda.

§. XXV. (1) Sermones in Genesin & Exodum. (2) Monitum de usu allegoriarum. (3) De vocatione ordinaria, contra jactatas inspirationes. (4) De rubo ardenti. (5) Interpretatio dicti: *tu eris illi in Deum.* (6) De induratione Pharaonis. (7) De operibus secundum præcepta, non exempla faciendis, de justificatione per fidem, & de imitatione Christi. (8) Epicrisis quædam de doctrina fidei & operum. (9) De divina ultione in superbiam tyrannorum. (10) De bonitate operum ex Deo æstimanda, & vitanda curiositate. (11) De vero Christianismo non per vim introducendo. (12) Detestatio tumultus rustici. (13) Distinctio Philosophiæ a Theologia. (14) Contra statum monasticum. (15) Contra fanaticos. (16) De efficacia verbi Dei. (17) De custodia angelica. (18) De laude Dei. (19) De impiorum impatientia crucis, exemplo rusticorum probata. (20) De Sabbathi observatione ante Moysen. (21) De diversitate donorum & unitate fidei. (22) De idololatria in Ecclesiam inducta; prædictio de ejus renovatione. (23) Epicrisis quædam de excusatione illius corruptelæ.

Additio (a) *Lutherus pro Melanchthone apud Electorem intercedit.* (b) *Item pro Franciscanis VVittenbergensibus.*
(24) De Zvinglianismo. (25) Transitio ad digressionem Maimburgii de rebus Italicis.

SECTIO 10. (1) Narratio de fœdere Pontificis cum Galliæ Rege. (2) Cæsar expostulat cum Papa de Concilio.

§. XXVI. (1) Plura de Cæsaris querela apud Pontificem. (2) Item apud Cardinales. (3) Revelat arcana. (4) Notatur Pallavicinus.

SECTIO 11. (1) Exercitus Cæsaris Duce Borbonio Italiam petit; Cæsaris consilia & instituta. (2) Columnii Romam invadunt & palatium Papæ spoliant. (3) Fronsbergius a Cæsare conducitur cum copiis adversus Pontificem. (4) Milites ejus Lutherani. (5) Clades Johannis Medicei. (6) Germani Padum superant & cum Borbonio junguntur.

§. XXVII. (1) Cæsaris edicta in Hispania contra Pontificem. (2) De Fronsbergii genere & gestis. (3) Duces copiarum ejus. (4) Refelluntur quædam de Fronsbergio a Maimburgio relata.

Additio. (a) *Digressio de gestis a Georgio Fronsbergio.* (b) *Ejus sententia de fugienda militia.* (c) *Epitaphium.* (d) *Alia digressio de Sebastiano Schertelio.* (e) *Ejus ortus, studia, nuptiæ.* (f) *Bellica tyrocinia.* (g) *Honor equestris.* (h) *Expeditio Romana.* (i) *Stipendia ab Augustanis accipit.* (k) *Acquirit arcem & oppidum Burtenbach & varia meretur stipendia.* (l) *Certamen & conciliatio cum Johanne Adamo a Stein.* (m) *Impeditur ab expeditione Turcica per invidiam.* (n) *Expeditio Brunsuicensis.* (o) *Expeditio Gallica auspiciis Cæsaris.* (p) *Gesta proxime ante bellum Smalcaldicum.* (q) *Gesta in bello Smalcaldico.* (r) *Ad Ingolstadium speciatim.* (s) *Discessus ejus ex castris.* (t) *Gesta Augustæ & abitus ex urbe.* (u) *Gallicam protectionem & stipendia accipit.* (w) *Sicarius in eum immittitur.* (x) *Fœdus inter Regem Galliæ & Mauritium Electorem Saxoniæ procurat.* (y) *Gallis militat; Impetitur a sicario.* (z) *Conciliatur Cæsari.* (aa) *Stipendia & honores a Cæsare accipit.* (bb) *Elogium & domestica quædam.*

ANNUS 1527.

SECTIO 12. (1) De consilio Borbonii capiendi Romam. (2) Transitus exercitus per Hetruriam. (3) Casus Fronsbergii; copiæ ejus Borbonio parent. (4) Pontificis angustiæ & hæsitatio. (5) Pactum cum Prorege Neapolitano. (6) Borbonius pactum recusat. (7) Papa novas pactiones negligit. (8) Borbonius Romam petit. (9) Papa non satis sibi prospicit. (10) Fatum Romæ signis indicatur, & a vate quodam prædicitur. (11) Borbonii oratio ad milites; paratur exercitus ad vim. (12) Trepidatur in urbe, defensio tentatur. (13) Urbs oppugnatur. (14) Descriptio Borbonii. (15) Ordo oppugnationis. (16) Scanduntur muri. (17) Borbonius vulneratur. (18) Oppugnatio continuatur. (19) Perrumpitur in suburbium. (20) Fit cædes & sævitur promiscue. (21) Pontifex in castellum Adriani fugit. (22) Borbonius obit; elogium ejus. (23) Victores urbem ipsam occupant. (24) Descriptio insolentiæ & sævitiæ militaris. (25) Crudelitas in captivos. (26) Pontifex obsidetur, & tandem duris conditionibus liberatur.

§. XXVIII. (1) Consideratio Maimburgianæ narrationis. (2) Specialia quædam de intentione Germanorum. (3) De Pontificis avaritia, quæ urbem perdidit. (4) Fronsbergii acta cum copiis suis & superveniens morbus. (5) Notatur error Maimburgii circa tempus mortis. (6) Cæsaris consultatio de Pontifice & decreta. (7) Expenditur fatum urbis. (8) Cæsaris consilium ejusque causæ & sequelæ ad Lutheranismi oppressionem.

§. XXIX. (1) Comitia Ratisbonensia exiguo cum effectu. (2) Lutherus tentationem patitur. (3) Afflictio ejus ob rapinam bonorum Ecclesiasticorum. (4) De cœnobio Franciscano VVittenbergensi Lutheri petitio. (5) Respondet Hesso, Pastori Uratislaviensi de Anabaptistis. (6) A Cochlæo & Emsero infestatur, ob responsum ad literas Angliæ Regis & Ducis Georgii. (7) Contenta responsionis Lutheri. (8) Excusatio cur Regi & Duci scripserit. (9) Narrat quædam de Comitiis Wormatiensibus. (10) Item de Erasmo & Justo Jona. (11) Fiduciam in Epilogo ostendit. (12) Cochlæi nota de conjugio Lutheri. (13) Hujus epistola de scripto suo.

§. XXX. (1) Tractatus Lutheri, an liceat Christianis bellare. (2) Liber quod verba Christi de institutione Sacramenti firma stent. (3) Rixa inter Pomeranum, Bucerum & Lutherum ob postillas hujus interpolatas. (4) Defensio Lutheri adversus imputationem ambitionis in controversia Sacramentaria. (5) Epistola ejus pro præsentia reali. (6) De Carolostadii abitu ex Saxonia, ejusque ob illam litem tristitia. (7) Zwinglii de Luthero censura.

§. XXXI. (1) Edictum Ferdinandi Regis contra Lutheranos. (2) Magdeburgensis reformatio & prodigium quoddam. (3) Georgii VVinckleri Hallensium concionatoris cædes. (4) Lutheri de ea literæ ad Hallenses & Ruhelium. (5) Historia Leonhardi Cæsaris in Bavaria ob religionem exusti. (6) Ejus confessio de aliquibus fidei capitibus. (7) Literæ ad Stifelium. (8) Intercessiones pro eo. (9) Disputatio Eccii & Leonhardi. (10) Condemnatio ejus ad supplicium. (11) Ejusdem patientia & preces. (12) Lutheri Epistolæ ad Leonhardum. (13) Ad Stifelium.

§. XXXII. (1) Lutherus tempore pestis VVittenbergæ manet. (2) Scribit quod sit officium Christianum peste grassante. (3) Electoris erga eum benignitas. (4) Lutheri lamentatio ad Menium & Jonam de corporis & animæ ægritudine. (5) Item ad Amsdorffium. (6) Agricolam. (7) Stifelium. (8) Melanchthonem & Hausmannum. (9) Linccium. (10) Brisgerum. (11) Brentium. (12) Iterum ad Hausmannum, cui recreationes suas quasdam narrat. (13) D. Pomerani & Jonæ de morbo & Lutheri dictis relatio. (14) Consideratio de objecta Luthero scurrilitate. (15) Erasmi de illa varia judicia. (16) Querela de monachis. (17) Lutheri de Erasmo sententia.

§. XXXIII. (1) Sermo in Jerem. XXIII. (2) De veneratione Scripturæ debita. (3) Solatium contra persecutiones. (4) Aliæ illustres ex illo sermone sententiæ. (5) De libertate Christiana. (6) Præfationes quædam Lutheri. (7) Relatio de statu religionis apud Erfurtenses ante reformationem. (8) Judicium de Lichtenbergeri vaticiniis. (9) Osiandri de aliis ejusmodi præsagiis relatio.

§. XXXIV. (1) Epistolæ quædam Lutheri ad varios. (2) Historica: Nuptiæ Joh. Friderici Saxoniæ Ducis. (3) Melanchthonis scriptum de visitatione a Luthero probatur. (4) Sugillatur a Joh. Agricola Eislebio. (5) Lutheri sententia de illa lite. (6) Melanchthonis cum Agricola disputatio. (7) Melanchthonis relatio ad Camerarium & Jonam. (8) Lutheri ad Jonam. (9) Georgii Ducis edictum pro versione Novi Testamenti Emseri, & hujus mors.

Additio I. (a) *De disputatione Friderici Myconii, cum Joh. Corbachio monacho.* (b) *Monachi importunitas.* (c) *Myconii de fide Evangelica confessio.* (d) *Monachus mitigatur & credit.*

Additio II. (a) *Ut Crosnerus Dresdæ causam dixerit, ex Spalatino.* (b) *De vocatione Crosneri in aulam Georgii.* (c) *Petit consilium a Spalatino & vocationem accipit.* (d) *Considerantur acta Georgii.* (e) *Schneideri de Crosnero relatio.* (f) *Crosneri ad Spalatinum literæ.*

ANNUS 1528.

SECTIO 13. (1) De bello Turcico. (2) De motu Protestantium ob fœdus a Paccio revelatum.

§. XXXV. (1) De rebus Turcicis pauca. (2) Prolixior de fœdere relatio. (3) Ejus formula. (4) Paccius quis, ejusque factum. (5) Landgravii iter ad Electorem, & fœderis cum eo pactio. (6) Discrepantes Lutheri, Landgravii & Electoris sententiæ. (7) Landgravii epistola ad Georgium socerum. (8) Hujus responsum, quo negat fœdus. (9) Landgravii edictum publicum & apparatus belli. (10) Apologia Principum, qui fœderis illius insimulabantur. (11) Exitus rei per transactionem. (12) Paccii examen & condemnatio.

Additio. (a) *Johannis Electoris moderatio in tumultu Pacciano.* (b) *Item Joh. Friderici ejus filii.* (c) *Auxilia in causa illa.* (d) *Transactio amicabilis.* (e) *Cæsar Electorem objurgat.* (f) *Quædam de Landgravio.* (g) *Lutheri & Melanchthonis literæ de causa Pacciana.*

(13) Lutherus non putat plane confictum fuisse illud fœdus. (14) Ejus ad Linccium epistola. (15) Georgius Dux litem Luthero movet. (16) Lutheri memorabilis epistola ad Electorem de Georgio. (17) Item ad Linccium.

§. XXXVI. (1) Mandatum de visitatione Ecclesiarum in Saxonia. (2) Nomina visitatorum.

Additio I. (a) *Specialia de visitatione civitatis Altenburgensis.* (b) *Quædam de actis in Thuringia.* (c) *Item Zwiccaviæ.* (d) *In Thuringia Australi & alibi.*

(3) Lutherus de libello visitatorio ab Electore consulitur. (4) Lutheri responsum. (5) Editio libelli. (6) Præfatur ei Lutherus. (7) Queritur de visitationis neglectu. (8) Rationem nunc institutæ exponit. (9) Libelli cap. I. de doctrina, sive de pœnitentia & fide. (10) Cap. 2. de lege & contritione. (11) C[illegible] 3. de oratione. (12) De concionibus. (13) De obsequio erga magistrat[illegible] (14) Cap. 4. de cruce. (15) Cap. 5. de Baptismo. (16) Cap. 6. De sacra Cœna.

Additio II. (a) *Lutheri monita & stylus de Sacramento in libello visitatorio.* (b) *Item de gradibus probibitis in matrimonio.* (c) *Alia ab eo in hoc negotio observata.*

(17) Cap. 7. de pœnitentia. (18) Cap. 8. de confessione. (19) Cap. 9. de satisfactione. (20) Cap. 10. de cultu publico. (21) Speciatim de Missa. (22) Cap. 11. de conjugio. (23) Cap. 12. de libero arbitrio. (24) Cap. 13. de libertate Christiana.

ſtiana. (25) Cap. 14. de bello Turcico. (26) Cap. 15. de elencho in concionibus. (27) Cap. 16. de excommunicatione. (28) Cap. 17. de Superintendentibus. (29) Cap. 18. de Scholis.

§. XXXVII. (1) Conſideratio viſitatorii negotii, & quid Lutherus & Melanchthon in eo præſtiterit. (2) Cautela ejus in doctrina de fide & operibus. (3) De obſequio erga Magiſtratus. (4) Contra Fanaticos. (5) De ſacra Cœna. (6) De bello Turcico & Anabaptiſtis. (7) Lutheri moderatio in ferendo ingenio & ſtylo Melanchthonis, & improbando Agricolæ rigore. (8) Philippus cenſuras patitur a Pontificiis. Epiſcoporum autoritatem conſervare voluit. (9) Cochlæi malignitas. (10) Eraſmi falſa opinio de recantatione Lutheri, & Lutheraniſmi diſſolutione.

§. XXXVIII. (1) Conciones Lutheri in Geneſin, & laudabilis illarum ſimplicitas. (2) De neceſſitate credendæ creationis. (3) De S. S. Trinitate. (4) De conjugio & virginitate. (5) De interna mentis bonitate. (6) De libero arbitrio. (7) De morte corporis & capiendo ex ea ſolatio. (8) De ſacrificio Abelis. (9) De regimine patriarchali. (10) De Concionatorum diverſitate. (11) De ebrietate Germanis familiari. (12) De turri Babylonica & de diſſidiis inter homines & ſectas. (13) De idololatria. (14) De fide Abrahami. (15) De Melchiſedeci ſacrificio, adverſus Pontificias interpretationes. (16) De Decimis. (17) De Eccleſiæ dignitate & poteſtate. (18) De lapſibus Sanctorum. (19) De fide in tentationibus ſervanda. (20) De cavendo cultu arbitrario. (21) De benedicto ſemine Abrahami, id eſt, Chriſto. (22) Cenſura in Fanaticos. (23) De moris honeſti obſervatione. (24) Quid ſit: *Major ſerviet minori?* (25) De calamitatibus publicis. (26) De diſcrimine legis & Evangelii. (27) De votis monaſticis. (28) De diverſo Dei & hominum affectu. (29) Quid ſit homo internus & externus. (30) De profanatione cultus divini querela. (31) De ritibus. (32) De neceſſitate & præſtantia doctrinæ, de fide juſtificante. (33) De ſtylo Scripturæ, cum de generatione hominis agit. (34) De Decimis loco tributuum Magiſtratui dandis. (35) De natura regni Chriſti ſpirituali. (36) De ſimplicitate hiſtoriarum ſacrarum.

§. XXXIX. (1) Commentarius in Zachariam Prophetam. (2) Taxat allegoriarum ſectatores. (3) Et Fanaticos. (4) Laudat Catechiſmi doctores. (5) Scopum ſui laboris oſtendit. (6) Fatetur in quibusdam ignorantiam v. g. de regno mille annorum. (7) De miniſterio Angelorum. (8) De myſterio regni Chriſti. (9) De loquacitate hæreticorum. (10) De falſis doctoribus Eccleſiam corrumpentibus. (11) De lætitia plebis licita. (12) De jejuniis quatuor temporum. (13) De diviſionibus & ſectis.

§. XL. (1) Libellus adverſus Epiſcopum Miſnenſem de communione ſub una. (2) Irridet adverſarios in quibusdam male ſe imitantes. (3) Defendit communionem ſub utraque. (4) Offert obſequium Epiſcopis ſalva conſcientia & fide. (5) Oppugnat traditiones. (6) De adiaphoris. (7) De prohibitione calicis. (8) Rejicit concomitantiam. (9) Monſtrat, allegato Friderici Electoris dicto, verba *hoc facite*, ad omnes pertinere. (10) Perſecutiones ab adverſariis pro ſumma ſchiſmatis cauſa habet. (11) Epiſtola Lutheri contra Anabaptiſtas. (12) Purgat ſe a conſenſu cum Hubmeiero. (13) Negat omnia rejici debere, quæ in Papatu inveniuntur. (14) Monitum de quæſtione, ubi fuerit Eccleſia ſub Papatu? (15) Oſtendit unde certitudo Baptiſmi haberi poſſit. (16) Pædobaptiſmum tuetur, argumento vetuſtatis, & quod Eccleſia interiiſſet, niſi ille validus

lidus esset. (17) Fidem baptizandorum, inprimis parvulorum asserit. (18) Effectus & fructus ex orthodoxa & Anabaptistarum sententia diversi. (19) Blasphemias Anabaptistarum execratur, ut & Carolostadii. (20) Melanchthonis adversus illos tractatus, in quo fidem infantum asserit.

§. XLI. (1) Liber Lutheri adversus Zvinglianos, qui *confessio magna* dicitur. (2) Ejus fundamenta in sensu literali. (3) Bucerus sententiam Lutheri probat & excusat. (4) Professio seria & candida Lutheri in epilogo partis secundæ. (5) Disserit de libero arbitrio. (6) Cochlæi calumnia arguitur, Lutherum mala fide allegantis. (7) De voto monastico & veris bonis operibus. (8) De Sacramentis. (9) De Ecclesia per totum orbem sparsa. (10) De variis in Papatu erroribus.

§. XLII. (1) Progressus Evangelii Hamburgi.

Additio I. (a) *Pomeranus mittitur in Saxoniam.* (b) *Ejus relatio ex Hamburgo.* (c) *Revocatur VVittenbergam.*

(2) Evangelii progressus in aliis Saxoniæ inferioris urbibus. (3) In Franconia sub Georgio Marchione. (4) Articuli Svabacenses.

Additio II. (a) *Ordines provinciæ Marchionatus reformationem petunt.* (b) *Georgii Marchionis ad Ferdinandum Regem literæ.* (c) *Acta inter Electorem Saxoniæ & Marchionem.*

(5) De Argentoratensibus & aliis quibusdam. (6) Epistola Lutheri de Anabaptistis. (7) De Svenckfeldio & de Zvinglianismo in Silesia. (8) De persecutionibus speciatim de Elisabetha Electrice Brandenburgensi.

Additio III. (a) *Spalatini narratio de Elisabetha Brandenburgica.* (b) *Alia quædam.*

(9) Jüterboci pastores Evangelici carceri includuntur. (10) Tumultus in Marchia a Minckvizio excitatus. (11) Georgius Dux nobiles qvosdam ob Evangelium persequitur, & Lutheri ea de re epistolæ. (12) De Argula Staufia. (13) De Ursulæ Monsterbergiæ, & sociarum evasione ex monasterio Freibergensi. (14) Ejus libellus & præfatio Lutheri. (15) Descriptio rigoris monastici. (16) De Cæsare & Papa qvædam.

§. XLIII. (1) Epistolæ Lutheri de supplicio pseudo-prophetarum. (2) Contra Zvinglianum qvendam. (3) De consolatione in tentatione, & non scrutando prædestinationis mysterio. (4) Notatur Sculteus. (5) Alia Lutheri de ea materia epistola. (6) De gratia universali. (7) Opinio de phreneticis. (8) De conjugio qvædam. (9) De suis aliorumqve ex Clero nuptiis. (10) Speciatim de Spalatino. (11) Narrat, qvæ per Dei gratiam reformaverit. (12) Insultat detrectatoribus suis. (13) Visio fratris Nicolai. (14) Literæ Lutheri ad Electorem Brandenburgicum. (15) Præfatio in libellum de nequitia mendicantium. (16) Carolostadii novæ molitiones contra Lutherum. (17) Lutheri epistola ad Pontanum. (18) Item ad Carolostadium. (19) Carolostadii fuga.

ANNUS 1529.

SECTIO 14. (1) Relatio de Comitiis Spirensibus. (2) De tentata inter Lutheranos & Zvinglianos concordia. (3) De edicto Comitiali & adversus id protestatione. (4) Nomen Protestantium inde ortum.

§. XLIV. (1) De legatione Pontificia ad Comitia Spirensia. (2) Ordinum literæ ad Cæsarem. (3) Johannes Elector Saxoniæ præsens in Comitiis. (4) Alia qvædam ex Actis Comitialibus. (5) De Balth. Mercelio. (6) De controversia Zvingliana. (7) Pallavicinus notatur. (8) Item Maimburgius. (9) Decretum

in Ana-

in Anabaptistas. (10) Protestantium acta, numerus & nomina. (11) Refellitur convitium Pallavicini. (12) Conventus Protestantium Norimbergæ indicitur, & publicatur protestatio.

Additio. (a) *De indictione Comitiorum & mandatis Cæsaris.* (b) *Acta Regimenti & alia Protestantibus adversa.* (c) *Mutuæ inter Electorem Saxoniæ & filium literæ.* (d) *Lutheri sententia adversus Decretum Spirense ad Electorem scripta.* (e) *Contenta appellationis a decreto interposita.*

SECTIO 15. De bello Turcico & obsidione Viennæ.

§. XLV. (1) Notatur Maimburgius. (2) Melanchthonis de Cleri importunitate relatio. (3) Hungaricæ calamitatis causæ. (4) Quædam ex diario MS. Sebast. Schertelii. (5) Negatur, quod Vienna solum a Catholicis defensa sit.

SECTIO 16. (1) Cæsaris acta cum Gallis & Papa. (2) Cum Legatis Protestantium in Italiam missis.

§. XLVI. (1) Refellitur Maimburgii malignum judicium. (2) Legationis Protestantium ad Imperatorem amplior expositio.

Additio. (a) *Occasio legationis ad Cæsarem.* (b) *Mandata Legatis data.* (c) *Referunt in illis initia reformationis & ortas dissensiones.* (d) *Suæ & subditorum conscientiæ consulere volunt.* (e) *Obsequium in reliquis offerunt.* (f) *Sumtus legationis & literæ commendatitiæ Legatis data.* (g) *Henrici Nassovii responsum.* (h) *De Alexandro Sveissio quædam.* (i) *Notantur quædam de Legatorum defectibus.* (k) *Consultationes Principum de ineundo fœdere post reditum Legatorum.* (l) *Lutherus & collegæ dehortantur Electorem a fœdere.* (m) *Landgravii diversa opinio.* (n) *Ejus & Electoris hac de re literæ.* (o) *Electoris colloquium cum Georgio Marchione.* (p) *Alii conventus & speciatim Smalcaldicus.* (q) *Alia quædam de actis inter Electorem & Landgravium in quæstione de fide & fœdere.*

SECTIO 17. (1) Landgravius colloquium instituit Marpurgi inter Lutherum & Zvinglium. (2) Conventio ibi inita & quædam ejus sequelæ.

§. XLVII. (1) De conventus intentione & diversis de illa sententiis aut conjecturis. (2) Lutheri Epistola ad Electorem, de donata sibi veste. (3) Relationes de colloquio variæ. (4) Articulus ultimus de sacra cœna. (5) Cæterorum summa capita referuntur. (6) Nomina subscribentium. (7) Concio Lutheri post reditum. (8) De Landgravio quædam & Lamperto. (9) Considerationes de hoc conventu. (10) Notatur Maimburgius. (11) Item Pallavicinus.

Additio. (a) *Lutheri sententia de tractatu concordiæ cum Zvinglianis.* (b) *Relatio D. Justi Jonæ de conventu Marpurgensi.*

SECTIO 18. De Landgravio, quod frustra fœdus cum Protestantibus inire tentaverit.

§. XLVIII. (1) Verior de Actis circa fœdus relatio.

Additio. (a) *De articulis, qui Svabacenses dicuntur.* (b) *Deliberatio de alia legatione ad Cæsarem mittenda.*

(2) Consilium Lutheri, quod vi armata religio defendi non debeat. (3) Expenditur consilii illius & aliorum fundamentum.

SECTIO 19. (1) Consultatio Cæsaris de causa Lutheri. (2) Acta inter illum & Pontificem Bononiæ. (3) Pontifex a Concilio abhorret, tandem vero in ejus convocationem consentit.

§. XLIX. (1) Observatur Maimburgii ingenuitas quædam a Pallavicino dissentientis. (2) Supplentur, quæ omisit de Gattinaræ, Cancellarii Cæsarei, ipsiusque Cæsaris disceptatione cum Pontifice. (3) Quædam ex Paulo Veneto,

Palingenio, Cœlestino. (4) Notatur Maimburgii de modo in Conciliis observando cavillus.

§. L. (1) Argentoratenses Missam abolent.

Additio. *Acta Regimenti adversus Argentoratenses Missam abrogantes.*

(2) De Helveticis rebus & de Erasmo quædam. (3) Mindenses apertius Evangelium recipiunt. (4) Supplicia in Anabaptistas & Lutheranos.

§. LI. (1) Lutherus Catechismum minorem edit, ejusque necessitatem in præfatione demonstrat. (2) Libellum hunc nonnisi pro specimine haberi vult. (3) Laudatur in primis explicatio Symboli Apostolici, & expositio Orationis Dominicæ. (4) Editio Catechismi majoris. (5) Præfatur de necessitate catechizationis & contra defectus Pastorum & Patronorum. (6) Notatur Cochlæus. (7) Lutherus suo exemplo Catechismi usum & assiduum Sacræ Scripturæ studium commendat. (8) Libelli elogium.

§. LII. (1) Lutheri exhortatio ad bellum contra Turcos, & declaratio eorum, quæ olim scripserat. (2) Christianos, qua tales, & Clerum maxime, a bellicis actionibus excludit. (3) Requirit conversionem ad Deum. (4) Dein Cæsaris auspicia & obsequium a Principibus. (5) Notat defectus quosdam. (6) Concionem habet excitatoriam. (7) Ostendit necessitatem militiæ populo incumbere. (8) Dehortatur a bello contra Evangelicos.

§. LIII. (1) Sermones a Luthero, absente D. Pomerano, habiti. (2) Libellus de literis furtivis contra Georgium Ducem. (3) Excusat quædam acerbius dicta. (4) Addit paraphrasin Psalmi VII. (5) Cochlæi & Erasmi acres hujus libelli censuræ. (6) Georgii & Electoris literæ hac de re commutatæ.

§. LIV. (1) Præfatio in librum Sapientiæ. (2) Item in libellum Menii de Oeconomia. (3) In Melanchthonis commentarium Epistolæ ad Coloss. cum magno autoris elogio. (4) Aliæ quædam præfationes. (5) Consilium de Abbate quodam Illustri, reformationem meditante. (6) Aliæ epistolæ, speciatim de Ulrico Würtenbergico.

Additio. *Mutatio testamenti ad pias causas officio Principis decreta.*

ANNUS 1530.

SECTIO 20. (1) Cæsar Comitia Augustæ indicat. (2) Coronatur Bononiæ. (3) Laudatur Lutherus, quod bellum contra Cæsarem dissuaserit. (4) Articuli ex quibus Augustana confessio composita est.

§. LV. (1) Stilus indictionis Comitiorum placidus. (2) Quædam de coronatione Cæsaris. (3) Elogium Luthero a Maimburgio subdole datum. (4) Alia Lutheri de bello epistola. (5) Consultatio Electoris cum Luthero & collegis, de capitibus religionis profitendis. (6) Articuli XVII. ab iis exhibiti. (7) A Pontificiis Theologis censentur.

SECTIO 21. Elector Saxoniæ & alii Principes ad Comitia Augustana proficiscuntur.

§. LVI. (1) Plura de itinere Electoris. (2) Lutheri conciones. (3) Lutherus Coburgi relinquitur.

Additio. *Deliberatio & alia quædam, ante iter Electoris Augustam susceptum.*

(4) Elector Augustam venit & concionari facit. (5) Landgravius idem facit. (6) Consultatio cum Theologis de continuandis concionibus. (7) Lutheri ea de re epistola. (8) Melanchthonis consilium de esu carnium. (9) Landgravius concordiam svadet cum Zvinglianis. (10) Lutheri de ea epistola. (11) Electoris comes ad Lutherum literæ & hujus responsio.

Addi-

Additio II. (a) *Electoris querela de periculo suo & de sumtibus.* (b) *Consultatio ad eum Magdeburgensium.*

(12) Celebrat Lutherus statum religionis in Saxonia. (13) Addit preces & vota. (14) Responsum Electoris. (15) Cæsar adversus Protestantes incitatur, Legatos mittit ad Electorem.

Additio III. *Legationes & scripta ante Comitia Augustana.*

(16) Elector respondens oppugnat edictum VVormatiense. (17) Objecta fœdera & conciones excusat. (18) Mora Cæsarei adventus molesta. (19) Lutheri fastidia Coburgi. (20) Acta inter Landgravium & Theologos Lutheranos in causa Sacramentaria.

Additio IV. (a) *Melanchthonis sententia de præsentia reali.* (b) *Observatio de omnipræsentia Christi, ut hominis.*

(21) Præparatio ritus in excipiendo Cæsare. (22) Gattinaræ mors & elogium ex variis.

SECTIO 22. Melanchthon, auctor Augustanæ confessionis.

§. LVII. (1) De vita Melanchthonis ex Camerario. (2) Examinatur Maimburgii comparatio inter Lutherum & Melanchthonem. (3) sententia utriusque de potestate Episcoporum.

SECTIO 23. De Augustana Confessione a Philippo composita & a Luthero probata.

§. LVIII. (1) Christophori, Episcopi Augustani judicium de Augustana Confessione. (2) Disceptatio ejus cum Episcopo Salisburgensi, item Brandenburgico Electore.

SECTIO 24. (1) Iter Cæsaris Augustanum. (2) Ejus exceptio solennis.

§. LIX. (1) Alia quædam de solennitate illa. (2) Principes Protestantes benedictionem Legati Pontificii evitant. (3) Brandenburgici Electoris latina ad Legatum Pontificium Oratio. (4) Præsidium urbi a Cæsare impositum.

SECTIO 25. (1) Protestantes processioni corporis Christi adesse jussi, repugnant. (2) Descriptio processionis.

§. LX. (1) Acta de processione inter Cæsarem & Principes. (2) Libera vox Georgii Brandenburgici. (3) Sermo Principum, quo a processione se excusarunt. (4) Alia Georgii Brandenburgici dicta. (5) Notatur Maimburgii cavillus & jactantia.

SECTIO 26. (1) Refertur Lutheri & Melanchthonis judicium de intermittendis concionibus. (2) Digreditur Maimburgius ad narrationem disceptationis inter Mauritium Imperatorem & Gregorium Papam. (3) Item ad Historiam de Hildeberto Cenomannorum, dein Turonensium Episcopo, ejusque & Honorii Papæ actis, cum Rege Ludovico Crasso. (4) Cæsar conciones Protestantium tollit, & alias substituit.

§. LXI. (1) Principes defendunt jus concionandi. (2) Interponunt se quidam ex altera parte. (3) Protestantes transigunt cum Cæsare & concionibus abstinent. (4) Notatur Maimburgii relatio & digressio. (5) Lutheri & Electoris de concionibus epistola. (6) De concionatoribus in urbe historica quædam.

§. LXII. (1) Alphonsi Valdesii acta cum Melanchthone. (2) Articuli, qui Valdesio exhibiti feruntur. (3) Excerpta de fiducia salutis & merito operum. (4) De invocatione Sanctorum. (5) De Sacramento. (6) De Pœnitentia. (7) De clavibus. (8) De traditionibus. (9) De Conjugio Sacerdotum. (10) De purgatorio. (11) De Magistratu. (12) De Missa. (13) Rationes cur articuli hi non sint Melanchthonis. (14) Cæsaris devotio & acta alia.

SECTIO 27. De præstito ab Electore munere Marescalli tempore Missæ.

§. LXIII. (1) Notatur cavillatio Maimburgii. (2) Oratio Pimpinelli Nuncii Pontificii.

SECTIO 28. (1) Prima Comitiorum sessio, item secunda. (2) Protestantes petunt & impetrant, ut Confessio sua audiatur.

§. LXIV. (1) De propositione Cæsarea qvædam. (2) Ejus differentia a literis indictionis. (3) Responsum Ordinum. (4) Electoris Saxoniæ cum suis consultatio de confessione. (5) Campegii Cardinalis oratio. (6) Responsum Comitiale. (7) Austriacorum Ordinum petitio. (8) Protestantes audiri confessionem petunt. (9) Ægre impetrant.

SECTIO 29. (1) Narratio de prælectione confessionis. (2) De ejus examinatione & confutatione. (3) Landgravii abitus.

§. LXV. (1) Plura de lectione confessionis. (2) Pontani dictum. (3) Scriptores historiæ de confessione. (4) Observatur Protestantium magnanimitas. (5) Excerpta ex exordio confessionis quædam. (6) De stylo confessionis annotatio. (7) Respondetur objectioni de variatione.

§. LXVI. (1) Confutantium consilia. (2) Principum affectus. (3) Historica qvædam de confutatione. (4) Melanchthonis de ea relatio.

Additio I. *Aliorum Theologorum consilium.*

(5) Landgravii abitus.

Additio II. *Literæ Landgravii de abitu suo.*

(6) Cæsaris acta cum Protestantibus & concordiæ tractandæ occasio. (7) Notatur Maimburgius.

SECTIO 30. De tractata concordia inter partes a die 7. ad 16. Augusti.

§. LXVII. (1) Cæsar interrogari facit Protestantes, an plura proponenda habeant, ad Confessionem pertinentia. (2) Illorum responsum adversus cavillationes notandum.

Additio I. *Monitum Theologorum & Melanchthonis de reservanda extensione confessionis.*

(3) Punctatio ex Cœlestino, quæ Protestantibus tribuitur. (4) Excerpta ex ea de dominatu Pontificis. (5) Item contra invocationem Sanctorum, aliosque abusus. (6) Oratio Electoris Brandenburgici & acta Mediatorum cum Protestantibus. (7) Terretur Elector Saxo & sese erigit. (8) Responsum Protestantium. d. 9. Augusti. (9) Accesserunt Protestantibus quatuor Civitates. (10) Replica Mediatorum satis dura. (11) Consilium Protestantium Theologorum, an & quatenus cedi possit.

Additio II. (a) *De Melanchthonis timiditate quadam.* (b) *Comitis Nuenarii ad Melanchthonem schedula.*

(12) Responsum Protestantium & querela de denegata confutationis exhibitione. (13) Exprobrationes repellunt & retorquent. (14) Offerunt Episcopis & Concilio debita obsequia. (15) Ansam dant tractatui amicabili. (16) Deputati ad eum ex utraque parte.

SECTIO 31. (1) Narratio de tractatu, & in quibus capitibus convenerint vel dissenserint. (2) De abusibus discordant. (3) Colloquium ad pauciores reducitur.

§. LXVIII. (1) Emendantur quædam Maimburgii ex Cœlestino. (2) Eccii mala fides. (3) Dissimulatio Melanchthonis. (4) Exemplo est articulus de libero arbitrio. (5) Item in phrasi, *sola fide*. (6) De invocatione Sanctorum.

(7) Ob-

(7) Oblata Proteſtantium de jurisdictione Epiſcoporum. (8) De bonis & ſtatu monaſteriorum. (9) Scita Joh. Friderici Ducis reſponſio de invocatione Sanctorum. (10) Arctior congreſſus inter trinos absqve effectu. (11) Proteſtantes Concilii & pacis petitionem reiterant.

SECTIO 32. (1) De ſcriptis Lutheri, durantibus Comitiis. (2) Judicium Maimburgii, qvid Cæſar facere debuiſſet.

§. LXIX. (1) Notatur Maimburgii de actis Lutheri Coburgenſibus relatio. (2) Veriora de illis. (3) Preces ardentiſſimæ. (4) Variæ Lutheri epiſtolæ. (5) Non bene ominatur de ſucceſſu Comitiorum. (6) Solatia promit & ſpem in Deum collocari jubet. (7) Melanchthonis relatio de Pontificiorum minis & Proteſtantium infirmitate. (8) Memorabilis Lutheri reſponſio. (9) Summa fiducia in Chriſtum & bonam cauſam. (10) Melanchthonem reprehendit & erigit. (11) Melanchthonis ad Lutherum epiſtolæ. (12) Hujus aliæ ad illum. (13) Item illius ad alios. (14) Ad ipſum Electorem. (15) Aliæ ad Spalatinum & Melanchthonem.

§. LXX. (1) Literæ Lutheri ad Electorem Moguntinum in quibus deprecatur perſecutiones. (2) Addit Commentarium in Pſalmum II. & Pontificem vehementer inſectatur.

§. LXXI. (1) Admonitio Lutheri ad Ordinem Eccleſiaſticum de hujus geſtis contra Proteſtantes. (2) Suæ cauſæ bonitatem extollit. (3) Indicat, quid a ſe ad Eccleſiæ utilitatem geſtum ſit. (4) Novitates adverſariis objicit & enumerat. (5) Invehitur in concionatorum ineptias. (6) Item cultum B. Mariæ cum contumelia Chriſti inſtitutum. (7) Scholaſticorum errores taxat. (8) Addit ſerias exhortationes. (9) Excommunicationis abuſum indicat. (10) Item bonorum Eccleſiæ. (11) Oſtendit, qvæ ejus ſit autoritas. (12) Repetit adhortationes & addit comminationes, etiam poſt mortem ſuam. (13) Oſtendit, qvatenus Epiſcoporum juriſdictionem & dignitatem ferre velit. (14) Enumerat capita religionis & cultus, qvæ curare deberent Epiſcopi. (15) E contrario recenſet, qvæ Epiſcopi & Clerus inepte aut impie curent. (16) Additur epicriſis & votum. (17) Epilogus ſcripti patheticus & proteſtatio memorabilis. (18) Lutheri magnus animus in publicando hoc ſcripto, in conſeſſu Epiſcoporum Auguſtæ publice lecto. (19) Judicium de ejus effectu.

§. LXXII. (1) Animadverſio in cenſuram Maimburgii de Carolo Cæſare. (2) Laudatur Cæſaris & Principum moderatio, & horum ad Evangelium converſio. (3) Rationes Politicæ, cur Cæſar vim & arma non expediverit. (4) Obſervatur, quod Lutheri autoritatem nemo in Comitiis allegaverit.

SECTIO 33. Rumpitur tractatus de concilianda religione.

§. LXXIII. (1) Melanchthon taxatur de ruptura tractatus, qvod Epiſcopis nimium detuliſſet. (2) Roſellii ad eum hac de re literæ binæ. (3) Melanchthonis epiſtola ad Campegium timida. (4) Defenditur a Camerario. (5) Lutheri ſententia de traditionibus & officio Epiſcoporum & Principum. (6) Judicium Melanchthonis de Miſſa & opere operato. (7) Epiſtola ejus ad Georgium Brandenburgicum contra Miſſas ſacrificatorias. (8) Lutheri qvædam de Miſſa. (9) Spalatini contra eam admonitio. (10) Alia qvædam de eadem materia.

§. LXXIV. (1) Scripta Lutheri, quid adversariis indulgeri possit, & quomodo. (2) De voce, *Sola*, epistola prolixa. (3) Excusat Ecclesiam, quod communionem sub una toleraverit. (4) Ejus sententia de conjugio Sacerdotum. (5) Item de Missa & monasteriis. (6) De jurisdictione Episcoporum. (7) De causis matrimonialibus. (8) De discrimine ciborum. (9) Responsa ad quæsita Reginarum. (10) Et ad alios. (11) Speciatim ad Electorem de Missa.

§. LXXV. (1) Varia novi tractatus tentatio. (2) Machinæ ad concutiendos Protestantium animos. (3) Electoris scriptum pro sui juris defensione. (4) Constantia in confessione religionis. (5) Excusat se de fœderibus. (6) Iteratæ erga Protestantes minæ & blanditiæ. (7) Theologi svadent patientiam. (8) Alia propositio, item replica Cæsaris ad Protestantes. (9) Horum finale responsum inclementer acceptum. (10) Novi concordiæ tractatus, & de iis consultationes. (11) Norimbergensium gravis admonitio contra iniquas conventionis formulas. (12) Lutherus dissuadet transactionem non unis literis. (13) Articuli a Protestantibus compositi, ex relatione Cœlestini, de variis religionis capitibus. (14) Excerpta epistolæ Melanchthonis ad Campegium.

SECTIO 34. Erasmi consilium de tolerando Lutheranismo.

§. LXXVI. (1) Alia de Erasmo, ejus morbo & pacis studio. (2) Literæ ejus ad Campegium. (3) Queritur de adversariis, maxime ex Pontificiis. (4) Melanchthonis ad Erasmum literæ & hujus responsum. (5) Literæ Erasmi ad Episcopum Augustanum, quem & alibi collaudat. (6) Item ad Rinckium. (7) Ad Episcopum Würzburgensem. (8) Aliæ in Poloniam scriptæ ad alios.

§. LXXVII. (1) Argentoratenses ad Confessionem Augustanam subscribendam, Bucero suadente, inclinant. (2) Diversam exhibent cum tribus aliis civitatibus. (3) Notæ quædam de illa Confessione. (4) Buceri conatus ad concordiam & iter ad Lutherum. (5) Melanchthonis ad Bucerum literæ, in quibus ab Helvetiis aperte dissentit. (6) Iterum de Confessione quatuor civitatum.

SECTIO 35. (1) Cæsaris Decretum contra Protestantes, ejusque contenta. (2) Protestantium apologia non accepta, eorumque contradictio & abitus. (3) Fœdus Imperatoris cum reliquis Ordinibus.

§. LXXVIII. (1) Observationes quædam de decreto. (2) Responsum sive apologia Protestantium. (3) Reliqua per Pontanum dicta. (4) Alia Cæsaris nomine proposita. (5) Protestantium Responsa. (6) Iteratæ Cæsaris jussiones & minæ. (7) Ultima Protestantium responsio. (8) Electoris Saxoniæ abitus; Principum quorundam apud eum excusationes. (9) Acta ejus Norimbergæ & reditus Torgaviam. (10) Gratulatoriæ ad eum Lutheri literæ.

Additio. (a) *Compendium apologiæ MS. de Actis Comitiorum Augustanorum.* (b) *Querela de evulgata ab adversa parte Comitiorum historia.* (c) *De mora Cæsaris & pompa festi Corporis Christi.* (d) *De concionatoribus & Luthero.* (e) *Reprehenduntur adversarii.* (f) *Et eorum concionatores.* (g) *Excusatio præsentiæ Principum in Missa.* (h) *Oratio Pimpinelli.* (i) *Iniquitas in poscenda Confessione aliisque mandatis.* (k) *De abitu Landgravii.* (l) *Oratio Brandenburgici.* (m) *De tractatu concordiæ inter septenos.* (n) *De altero inter trinos.* (o) *Henrici Brunsuicensis propositio.* (p) *Acta Protestantium cum Cæsare.* (q) *Iterata Henrici Brunsuicensis actio cum Joh. Friderico.* (r) *Colloquium Pontani & Vehi.* (s) *Electoris consilium de abitu.* (t) *Mora a Cæsare injecta.* (u) *De Truchsesii consiliis, ejusque & aliorum callida & periculosa suggestione.* (w) *Electoris apud Cæsarem ultima comparitio & abitus.*

(x) *Mo-*

(x) *Moguntini Acta cum Electore.* (y) *Excusatio de bello rustico.* (z) *Alia quædam acta & scripta post Comitia.*

§. LXXIX. (1) De apologia a Melanchthone conscripta quædam. (2) Notæ ad Cœlestinum.

Additio. (a) *Excerpta ex apologiæ exordio.* (b) *Ex articulo de peccato originis.* (c) *De justificatione.* (d) *De voce,* Sola. (e) *De fide & dilectione.* (f) *De impletione legis.* (g) *De Sacramento Cœnæ.* (h) *De pœnitentia.* (i) *Apostrophe ad Campegium.* (k) *Comparatio inter Ecclesiam Pontificiam & Evangelicam.* (l) *De libero arbitrio & invocatione Sanctorum.* (m) *Lutherus non fuit primus, qui contra abusus scripsit.* (n) *Aliæ disputationes.* (o) *Laus rituum Evangelicorum & reprehensio Missæ.* (p) *Laus Lutheri.* (q) *De scandalis in utraque Ecclesia.*

§ LXXX. (1) Acta Legatorum Electoris post discessum ejus.

Additio. (a) *Ernesti Badensis novæ propositiones de concordia a Luthero reprobatæ.* (b) *De rescripto Electorali & querelis de Ferdinando.* (c) *Legatorum Saxonicorum dimissio ex Comitiis.*

(2) Dura responsio quatuor civitatibus data. (3) Decretum Comitiorum ejusque contenta. (4) Contradictio civitatum & speciatim Augustanæ. (5) Acta quædam sub finem Comitiorum.

SECTIO 36. Epilogus quo Maimburgius librum secundum clausit.

§. LXXXI. (1) Acta Pontificis a Pallavicino defensa. (2) Lutherus recte de illis judicavit. (3) Utilitas quæ ex Comitiis ad Protestantes redundavit; Electoris Saxoniæ magnanimitas. (4) Elogium Augustanæ Confessionis. (5) Judicium de ea Lutheri. (6) Responsio ad nuperam cavillationem Joh. Dezii, Jesuitæ Argentinensis.

§. LXXXII. (1) De consilio Pontificis circa Concilii indictionem. (2) De conditionibus Concilii, inter Cæsarem & Papam disceptatis. (3) Pontifex decernit Concilium. (4) Durities ejus in agnoscendis abusibus, ejusque causæ. (5) Campegii ad pacem inclinatio & aversio ab Eccio & Fabro. (6) Epicrisis de moderatione quorundam.

§. LXXXIII. (1) Scripta Lutheri hoc anno. (2) Compilatio dictorum Scripturæ pro consolatione. (3) Theses de Ecclesia. (4) Contra vota monastica. (5) Consolatoria ad parentem. (6) Item ad Brentium. (7) Explicatio Psalmi CXVIII. (8) Querela de sævitia adversariorum. (9) De fiducia in Deum. (10) Narratio de certamine cum fratribus suis Augustinianis. (11) Historia de Friderici Electoris Saxoniæ dissidio cum Archiepiscopo Magdeburgensi. (12) De sua & Ecclesiæ intentione ad pacem & quietem. (13) Adversariorum contrarium studium. (14) Urget pietatis & sanctimoniæ necessitatem. (15) Elogium commentarii Lutheri in Psalmum CXVIII. (16) Alius in Psalmum CXVII. (17) Docet quis sit hæreticus. (18) Disputat de monachis & de fide justificante. (19) Explicatio Psalmi LXXXII. de Principum & Magistratuum dignitate. (20) De publica eorum correctione. (21) Laudat Principum curam pro religione, & piorum pastorum vocatione. (22) Item pro viduis & miserabilibus. (23) Pacis custodiam. (24) Pœnam hæreticorum certo modo suadet. (25) An ferri possit uno loco utriusque religionis exercitium. (26) Improbat clancularios concionatores. (27) Refutat purgatorium & ejus fulcra subruit. (28) Sermo de juventute ad Scholas mittenda. (29) De usu Sacramenti Eucharistiæ salutari. (30) Monstrat, quatenus sacrificium dici possit. (31) Ex-

positio Psalmi CXI. (32) Libellus de clavibus. (33) Refutat indulgentias. (34) Disquirit de clave scientiæ. (35) Verum usum clavium demonstrat. (36) Annotationes in Psalmos priores XXV. a Vito Theodorico exceptæ. (37) Historica quædam, speciatim de Duce Georgio & Cajetano. (38) Taxat ingratitudinem, securitatem, Libertinismum. (39) Epistolæ & præfationes quædam hujus argumenti.

§ LXXXIV. (1) Incrementa reformationis Lubecæ, & in civitatibus aliis Inferioris Saxoniæ. (2) Item in Germania superiori, Ulmæ inprimis.

LIBER III.

ANNUS 1531.

SECTIO 1. De fœdere Smalcaldico & electione Ferdinandi in Regem Romanorum.

§. I. (1) Smalcaldia quale oppidum. (2) Principes, qui ibi convenerunt. (3) Contenta fœderis Smalcaldici.

Additio. (a) *Deliberationes ante conventum; de jure fœderum cum epicrisi ex Grotio & Bœclero.* (b) *Difficultas de Zwinglianis.* (c) *Plures quærunt socios.* (d) *Pontani prudens consilium.* (e) *Epistola ad Reges Galliæ & Angliæ.* (f) *Relatio de statu religionis in Gallia.* (g) *Consilium de mittenda legatione in Galliam.* (h) *Alia ex eadem relatione.*

§. II. (1) Electio Ferdinandi ad religionis negotium non pertinuit. Notatur Maimburgius.

Additio. *De Bavaricis circa electionem consiliis secretiora.*

(2) Lutheri de electione consilium. (3) Rationes contra electionem. (4) Legatio ad Cæsarem.

SECTIO 2. (1) Alter conventus Smalcaldiæ. (2) Lutheri de fœdere sententia. (3) Libelli Lutheri seditiosi. (4) Scripta fœderatorum ad Reges.

§. III. (1) Lutheri commonitio ad Germanos de bello, quod metuebatur. (2) Dicta quorundam Episcoporum allegat. (3) Invehitur in sophistas & nominatim Eccium, ejusque acta in Comitiis. (4) Improbat concordiæ tractatum de communione sub una. (5) Vetat arma sumi contra Evangelicos. (6) Laudat Cæsaris comitatem & dicta quædam ejus & aliorum affert. (7) Rationes proponit, cur justum non sit bellum contra Protestantes. (8) Cochlæi in libellum Lutheri animadversiones, ut & anonymi Dresdensis. (9) Lutheri libellus ad edictum Augustanum. (10) Urget communionem sub utraque. (11) Improbat Missas solitarias & sacrificium. (12) Refutat liberum arbitrium. (13) Defendit justificationem per fidem. (14) Narrat oblata Augustæ & recusata. (15) Rejicit cœlibatum Cleri, & glossam de interpretatione Scripturæ ex doctoribus. (16) Expostulat de abusu bonorum Ecclesiæ ex utraque parte. (17) De suis meliora sperat. (18) Epilogus adversus osores reformationis a se cœptæ. (19) Libellus Dresdensis contra anonymum Dresdensem. (20) Suspiciones belli a Principibus adversæ partis aperit. (21) De edicti Augustani severitate queritur. (22) Excusat vehementiam scripti, & scopum ejus ostendit.

Additio. (a) *Georgii Ducis querela de libellis Lutheri.* (b) *Hujus excusatio.* (c) *Verba epistolæ notabilis.* (d) *Pontani de ea judicium; finis rixæ.*

§. IV. (1) Lutheri sententiā, an liceat religionem contra vim defendere. (2) Contenta secundorum pactorum Smalcaldensium. (3) Promittitur mutua defensio adversus aggressores. (4) Justitia fœderis ex contrario Pontificiorum fœdere.

fœdere. (5) Excusatio fœderatorum ad Reges de rapina bonorum Ecclesiasticorum. (6) Alia ex Joh. Friderici apologia contra Henricum Brunsvicensem. (7) Quædam adhuc de conventu Smalcaldico & de Helvetica Confessione.

Additio. (a) *Consilia Jureconsultorum & Theologorum de jure defensionis in conventu expensa.* (b) *Querelæ de Pontifice, Clero, aliisque persecutoribus.* (c) *Acta quædam inter Electorem Saxoniæ & Landgravium.*

SECTIO 3. (1) De Regis Angliæ causa matrimoniali & actis cum Protestantibus. (2) Item Galliæ Regis.

§. V. (1) Responsum Angliæ Regis ad Protestantes. (2) Responsum Gallicum. (3) Speciatim ad Electorem Saxoniæ. (4) Notatur Maimburgius & Pallavicinus.

Additio I. (a) *Notatur relatio Maimburgii de legatione Bellaji.* (b) *Alius Legatus Gallicus, Gerardus VVain.*

(5) Relatio Nuncii in Galliam missi. (6) Acta fœderatorum Francofurti. (7) Aliorum quorundam Principum acta cum fœderatis & inprimis Georgii Brandenburgici. (8) Mediatio de pace & legatio Cæsaris ad Electorem Saxoniæ.

Additio II. (a) *Causæ, occasiones & præparamenta mediationis.* (b) *Lutheri de ea sententia.* (c) *Acta Cancellarii Moguntini cum Saxonicis.* (d) *Conventus Legatorum Electoris Saxoniæ & Landgravii Northusæ.*

(9) Literæ Electoris & Landgravii ad Mediatores. (10) Acta conventus Francofurtani mense Decembri. (11) Elector & Georgius Dux reconciliantur; Lutherus de styli moderatione monetur.

§. VI. (1) Conciones a Luthero [absente Pomerano] Wittenbergæ habitæ. (2) Præfationes in libellos quosdam aliorum. (3) Epistolæ quædam Lutheri. (4) Altercatio ejus cum Zviccaviensibus. (5) Mors matris Lutheri.

§. VII. (1) Tractatus de concordia cum Helvetiis. (2) Argentinenses & alii Saxonicis accedunt in articulo de sacra Cœna. (3) Mors Zvinglii & Oecolampadii.

§. VIII. (1) Lubecensis & Ulmensis ulterior reformatio. (2) Martinus Frechtus, Pastor Ulmensis, Saxonicis assentitur. (3) Status reformationis Augustæ Vindelicorum. (4) Henricus Saxoniæ Dux Lutheri concionem audit. (5) Variæ persecutiones Evangelicorum.

ANNUS 1532.

SECTIO 4. (1) Cur Cæsar ad pacem cum Protestantibus inclinaverit. (2) Contenta pacificationis Norimbergensis, & quomodo Norimbergæ inita fuerit.

§. IX. (1) Quædam ante conventum & de itinere Cæsaris.

Additio I. (a) *Colloquium de pace inter Cancellarios Moguntini & Saxonis.* (b) *Aliud inter eosdem.* (c) *Acta quædam secretiora in conventu Svinfurtensi.* (d) *Scripta Electoris Saxoniæ ad Filium ut & Lutheri.* (e) *Joh. Friderici Ducis literæ ad Nuenarium.* (f) *Nomina Legatorum ad conventum.* (g) *Initia Evangelicæ doctrinæ Svinfurti.*

(2) Acta conventus Svinfurtensis. (3) Difficultates circa electionem Ferdinandi. (4) Item circa Zvinglianos. (5) Pacificatio Norimbergensis & edictum Ratisbonense.

Additio II. (a) *Notata Joh. Friderici Ducis ad formulam pacis.* (b) *Disceptatio ejus cum Landgravio & inter Theologos.* (c) *Hassiacorum sententia.* (d) *Iis assentitur Regius.* (e) *Luthero aliud placet.* (f) *Dissentiunt ab eo omnes, speciatim Cancellarius Hassiacus & ipse Joh. Fridericus.* (g) *Epicrisis quædam.* (h) *Rixæ inter Electorem filiumque & Landgravium.* (i) *Querela*

læ Landgravii de Luthero. (k) *Et de pacis conditionibus.* (l) *Joh. Fridericus parenti succedens ejus acta defendit & ad arbitros provocat.* (m) *Electio arbitrorum.* (n) *Horum acta & procurata conciliatio.* (o) *Epicrisis de illa lite.* (p) *Item de sententia Lutheri.* (q) *Elector Saxoniæ diffidit paci.* (r) *Conventus Brunsuigæ habitus.*

(6) Cautelæ in stylo edicti. (7) Orta Disputatio de Augustanæ Confessionis sensu & extensione. (8) Item de voce *Apologia.* (9) Alia lis de protectione subditorum alienorum & jure emigrandi. (10) Aliæ Protestantium reservationes. (11) Lutheri de bonis Ecclesiæ responsum, cum epicrisi. (12) Cæsar quæstiones illas indecisas relinquit, tempori serviens. (13) Quid Ratisbonæ decretum fuerit de Concilio. (14) Clementis VII. intentio ratione Concilii, aliaque acta & diplomata. (15) Notatur Pallavicini sententia de Hierarchiæ necessitate, & de capitibus controversiæ capitalibus.

Additio III. (a) *Altercatio Cæsaris cum Ordinibus in Comitiis Ratisbonensibus de Concilio.* (b) *Protestantium querela de Ferdinando Rege & ipso Cæsare, item Georgio Saxone.* (c) *Acta quædam Cæsaris cum Protestantibus & Catholicis.* (d) *Quædam de Electore Brandenburgico & Henrico Brunsuicensi.* (e) *De Bavaricis consiliis & actis.* (f) *Tractatus cum Legato Gallico.* (g) *Acta de Concilio & alia quædam in Aula Cæsaris.* (h) *Consilia Tridentini Episcopi.* (i) *Protestatio adversus Recessum Comitiorum.* (k) *Auxilia contra Turcos.* (l) *Landgravius Johanni VVaivvodæ favet.*

SECTIO 5. Belli Hungarici inter Carolum & Solymannum irritus conatus.

§. X. (1) Excerpta ex diario Sebast. Schertelii de bello Hungarico. (2) Enumeratio copiarum. (3) Expeditio adversus agmen Turcorum prædatorium. (4) Invaditur hoc & deletur. (5) Præmia post victoriam. (6) Monumenta quædam.

SECTIO 6. Cæsar urget Concilii convocationem.

§. XI. (1) Causa non obtentæ plenæ contra Turcos victoriæ. (2) Pontificis congressus cum Cæsare Bononiæ.

§. XII. (1) Morbus & mors Johannis Electoris Saxoniæ. (2) Laus ejus a bonitate, speciatim erga Lutherum. (3) Mors repentina. (4) Studium Sacræ Scripturæ. (5) Modestia summa. (6) Conciones funebres a Luthero habitæ. (7) Cochlæi in has calumnia. (8) Rumor falsus de Johannis mutatione in Religione. (9) Literæ supposititiæ de eadem. (10) Refutatio earum ex plurimis argumentis. (11) De testamento Johannis Electoris & alia quædam.

Additio. (a) *Ex Spalatino quædam de Johanne.* (b) *Epicedium ejus.* (c) *Lutheri judicium de Johanne Electore & filio, & conjectura de futura provinciæ calamitate.*

§. XIII. (1) Lutheri conciones in capita V. VI. VII. Matth. quædam ex iis de cultu commentitio. (2) De pastorum officio & scopo. (3) De paupertate Evangelica. (4) De perfectione Christiana. (5) De eleemosynis, precibus, offensionum remissione. (6) De jejuniis veris & utilibus. (7) De avaritia & quærendo regno Dei cum epicrisi. (8) Adversus temeraria de aliis judicia; Lutherus urget explorationem cujusque propriam. (9) De exauditione precum. (10) De schismatum inter Evangelicos damno. (11) De Lichtenbergio & Ernesto Magdeburgensi. (12) De voce *meriti.*

§. XIV. (1) Lutheri explicatio Psalmi CXLVII. (2) Sermo in Gal. III. 23. (3) Item in Mich. V. 1. Num. VI. 22. (4) In Eph. VI. 10. (5) De necessitate bonorum operum

perum & fide per ea confirmanda. (6) Sermo de adventu Christi exoptando. (7) Commentarius in Deuteron. cujus epilogus refertur. (8) Enarratio Psalmi II. ibi de impedimentis reformationis. (9) Hussi & suam doctrinam & fata comparat. (10) Explicatio Ecclesiastæ Salomonis. (11) Historica quædam de Friderico Electore. (12) De seipso & doctrina sua quædam.

§. XV. (1) Epistolæ Lutheri consolatoriæ in tentatione; item de Zvinglii dogmate non ferendo, ad Albertum Borussiæ Ducem. (2) De ecclesiæ testimonio in articulo de Eucharistia, cum epicrisi. (3) Tigurinorum ad Ducem de hac epistola querela. (4) Narratio de morbo Lutheri, & quæ tunc de Zvinglii causa dixerit. (5) Epistola adversus Anabaptistas, quod vocatione careant. (6) Responsio ad I. Cor. XIV. 30. de concione a pluribus habenda. (7) Aliæ epistolæ varii argumenti, item consolatoriæ ad exules Lipsienses. (8) Præfatio in conciones Brentii, & in Athanasii librum de Trinitate ad Pomeranum.

§. XVI. (1) Reformationis incrementum in Anhaltino Principatu. (2) Lutheri literæ de Hausmanno, item Melanchthonis. (3) Bremæ & Osnabrugæ gesta, item Herfordiæ. (4) Literæ Lutheri ad filium Electoris Brandenburgici. (5) Adversa quædam ad impediendam reformationem.

Additio. (a) *Crammeri, Angliæ Legati acta cum Joh. Friderico Saxoniæ Duce & ministris ejus.* (b) *Pageti, alterius Legati Angli acta cum Electore de fœdere.* (c) *Literæ Electoris de illa causa ad Comitem Nuenarium.*

ANNUS 1533.

SECTIO 7. (1) Consilia & legationes Papæ & Cæsaris de Concilio. (2) Protestantium responsio.

§. XVII. (1) De literis Papæ & Cæsaris aliqua. (2) Sleidani relatio ex actis defenditur. Lutheri in ea præfatio. (3) Legati Vinariam veniunt.

Additio. (a) *Literæ Pontificis ad sex Electores.* (b) *Articuli a Rangono & Briardo Electori traditi.* (c) *Responsum Electoris.* (d) *De itinere & receptione Legatorum quædam.* (e) *Eorum literæ ad Electorem Saxoniæ.* (f) *Lutheri de Legatis literæ.* (g) *Epistola Briardi ad Electorem.* (h) *Consilia Lutheri, Vici, Osiandri & Regii de illa legatione.*

(4) Defenditur responsum Electoris Legatis datum a cavillis adversariorum. (5) Cochlæi paralogismus de judicio in controversiis fidei ex scripturis refellitur. (6) Exemplum de præsentia reali. (7) Item de Circumcisione. (8) Notatur Maimburgius & Pallavicinus de autoritate Papæ, Concilii & Patrum disputantes, & Protestantium postulata & desideria defenduntur.

§. XVIII. (1) Contenta responsi Smalcaldiæ dati. (2) Ejus conclusio & curialia. (3) De jure Pontificis in Conciliis. (4) Protestantium intentio explicatur. (5) Lutheri ea de re sententia & collegarum ejus. (6) Notatur Cochlæi bilis ratione prærogativæ Imperatoris pro Papa.

Additio. (a) *Querelæ Protestantium de judicio Camerali.* (b) *Legatio ab iis Spiram missa.* (c) *Rotvilensium & Lubecensium querimoniæ.*

§. XIX. (1) De Clementis VII. callidis & infidis machinationibus. (2) Favet Landgravii consiliis. (3) Hujus acta in dissolutione fœderis Svevici. (4) Notantur Pallavicini errores.

§. XX. (1) Erasmi tractatus de concordia in religione. (2) Generalia quædam de officio omnium Statuum. (3) Speciatim de libero arbitrio, fide & operibus. (4) Collatio sententiæ ejus cum doctrina Lutheri. (5) Erasmi de precatione

aut sacrificio pro mortuis intricata sententia. (6) De invocatione Sanctorum quid statuat. (7) Item de imaginibus. (8) Epicrisis ad ea. (9) De confessione. (10) De Missa ejusque ritibus & communione in Missa. (11) De adoratione Christi in Cœna & censura in Sacramentarios. (12) De festis, jejuniis & baptismo infantum. (13) Epilogus memorabilis promissa & minas continens. (14) Argentinensium mite judicium de libello Erasmi. (15) Acris censura VVolfg. Musculi in eundem. (16) Dissertatio de eodem libello Ant. Corvini & Lutheri in hanc præfatio. (17) Concordiam suadet, sed charitatis, non fidei sive doctrinæ cum errantibus. (18) Urget contra autoritatem Ecclesiæ fundamenta fidei ex Scripturis. (19) Erasmi Theologiam rejicit. (20) Elogium præfationis.

§. XXI. (1) Lutherus pro Lipsiensibus exulibus scribens irritat Georgium Ducem. (2) Illo querente Elector a Luthero rationem poscit. (3) Hic apologiam edit. (4) Impugnat formulam juramenti Lipsiensibus præscriptam. (5) Allegat quæ de Magistratu honorifice scripserit. (6) Solatur Lipsienses & eorum celebrat constantiam.

Additio I. (a) *Relatio Petri Gengenbachii de exilio sibi indicto.* (b) *Item de examine coram Episcopo Mersburgensi aliisque.*

(7) Georgii sævitiam taxat Lutherus, eique pœnam prædicit. (8) Amovet calumniam ac si communionem sub una probet. (9) Aut cum Zvinglianis colludat. (10) Negat se omnibus stultis respondere posse. (11) Cochlæus Lutheri apologiam impugnat. (12) Ejus inanis argutia pro communione sub una. (13) Lutherus Cochlæi libro celeriter respondet. (14) Refellit calumnias Legatorum Georgii, qui se apostatam vocaverant. (15) Rejicit jactata monachorum merita. (16) Cochlæum irridet, & Johannem Electorem defendit. (17) Paccianum fœdus objicit Georgio. (18) Replicat Cochlæus. (19) Principes huic & Luthero silentium indicunt.

Additio II. (a) *Acerrima inter Electorem & Georgium Saxoniæ Ducem contentio per literas.* (b) *Expostulatio Legatorum Georgii cum Electore.* (c) *Transactio Grimmæ secuta.* (d) *Quædam de Electoris Brandenburgici judicio in causa Georgii Ducis & Lutheri.*

§. XXII. (1) Lutheri liber de Missa angulari. (2) Dehortatur Lutherus a Missis ob ignotam linguam & sacerdotum nequitiam, cujus exempla refert. (3) Explicat, quomodo conservata fuerit Ecclesia in corruptelis sub Pontificatu, quarum summam recenset. (4) Impugnat chrisma, excusat veterum lapsum, oblata Augustæ Episcopis nunquam reiteratum iri existimat. (5) Episcoporum & Presbyterorum ordinem pro eodem habet. (6) Errores sacerdotum ab iis, quæ rite faciunt, distinguit, & plebem, ab illis deceptam, excusat. (7) Laudat ritum Sacramenti in Saxonia. (8) Ostendit, quis sit Antichristus. (9) Scopus hujus libelli, ut ordinatio pastorum in Ecclesia Protestantium defenderetur. (10) Ordinatio ex jure divino omnibus cœtibus Christianis competens asseritur.

§. XXIII. (1) Literæ Lutheri ad Francofurtenses pro defendendo literali sensu verborum Christi in sacra Cœna. (2) Item pro utilitate confessionis & catecheseos. (3) Nec non pro titulo *Reverendi* pastoribus dando. (4) Bucerus apud Tigurinos impetrat, ne cum Luthero de hac epistola, vel libro de Missa rixarentur. (5) Lutheri ad Bucerum & Lycosthenem epistola de concordia in quæstione sacramentaria. (6) Laus scholæ Magdeburgensis & Georgii Majoris.

joris. (7) Moderate sentit & scribit de doctrina Waldensium seu Picardorum in Bohemia, sed absque approbatione errorum. (8) Ratio, cur mitius hos quam Zvinglianos tractaverit.

Additio. (a) *Lutheri expostulatio cum ministerio Augustano.* (b) *Hujus ad Senatum responsum & querela de Luthero.* (c) *Senatus & Lutheri ea de re literæ.*

§. XXIV. (1) Summaria Psalmorum, eorumque præfatio de difficultate vertendi Hebraica. (2) Sermones de summa fidei Christianæ ad I. Tim. I. 5. 6. 7. (3) Sermones in I. Joh. IV. 16. de charitate. (4) Querela de abusu doctrinæ de fide & charitate. (5) Conciones in Symbolum Apostolicum. (6) Censura atheismi & impietatis. (7) De descensu Christi ad inferos. (8) De resurrectione ejus & nostra spirituali. (9) Præfatio Lutheri in libellum Ægidii Fabri, de sangvine Christi fictitio Sverini. (10) Item in librum Balth. Raidæ contra Vicelium, & de hoc quædam. (11) In librum Casp. Aquilæ de eleemosynis. (12) Epistolæ ad Oschatienses, Rotenburgenses & Bremenses. (13) De phænomeno in aere Lutheri judicium.

§. XXV. (1) Lutheri epistola ad Georgium Anhaltinum, & Cochlæi ad eundem, cum Responso Principis. (2) Edictum Ducis Clivensis.

Additio I. (a) *Edictum Ducis Juliacensis de reformatione religionis.* (b) *De officio pastorum.* (c) *De norma concionum.* (d) *De doctrina legis.* (e) *De justificatione.* (f) *De precibus & baptismo.* (g) *De Missa & confessione.* (h) *De instructione plebis.* (i) *De servandis ritibus & cultu imaginum.* (k) *De jejuniis & festis.* (l) *Lippienses ob religionem multantur.* (m) *Susatenses petunt libertatem Evangelicæ doctrinæ.* (n) *Myconii & Spalatini ad Susatenses literæ.* (o) *Item Melanchthonis.* (p) *Electoris pro Susatensibus intercessio.*

(3) Lutherani & Zvingliani in Anglia Supplicium Frichti. (4) Alesius ex Scotia profugit, item Joh. Fife.

Additio II. (a) *Literæ Italorum ad Legatum Saxonicum.* (b) *Postulant Concilii promotionem.*

(5) Liber noxius Anabaptistarum. (6) Relatio Fabricii de persecutionibus Evangelicorum in Misnia. (7) Ernesti, Dynastæ Schönbergii conversio. (8) Item Elisabethæ, sororis Landgravii ad Evangelium inclinatio.

Additio III. (a) *Repetita visitatio Ecclesiarum Saxonicarum ad instantiam Ordinum provinciæ.* (b) *Nomina visitatorum.* (c) *Eorum decreta.* (d) *Speciatim de Missis & monasteriis.* (e) *Reformatio Ruthenicæ ditionis in Voigtlandia.* (f) *Acta in Thuringia & reformatio in Comitatu Schvvarzburgico.* (g) *De Anabaptistis quædam.*

Additio IV. (a) *Ordinatio Ecclesiastica Georgii Marchionis Brandenburgici & Senatus Norimbergensis.* (b) *Partes ejus duæ.* (c) *Part. I. cap. I. De officio pastorum.* (d) *De prædicatione Legis & Evangelii.* (e) *De precibus, libero arbitrio, libertate Christiana & traditionibus.* (f) *De baptismo.* (g) *De cœna Domini, confessione & absolutione.* (h) *Pars altera de Catechismo & conciones Catechetica.*

ANNUS 1534.

SECTIO 8. (1) Clemens VII. decernit Concilium. (2) Mors Clementis, ejusque elogium & censura. (3) Electio Pauli III. & acta quædam.

§. XXVI. (1) Clementis literæ in Germaniam displicentes Georgio Saxoniæ Duci. (2) De

(2) De Clementis vita & actis quædam. (3) Item de Paulo III. (4) Terror Romæ ob expeditionem Landgravii. (5) Lutheri & Melanchthonis de ea judicium. (6) Electoris Saxoniæ circa eam prudens consilium. (7) Ejusdem dubitatio de adsciscendis novis sociis. (8) Acta Protestantium in conventu Norimbergensi. (9) Ducatus Würtenbergicus eripitur Ferdinando & cum eo Cadani transigitur. (10) Contenta transactionis.

Additio I. (a) *Ulricus apud Ferdinandum accusatur de dogmate Zvingliano.* (b) *Rex scribit Electori, & hic respondet.* (c) *Acquiescit Rex.* (d) *Quædam de reformatione monasteriorum VVürtenbergensium.*

(11) De Gallicis & Pontificis actis quædam. (12) Obsidio Monasteriensis.

Additio II. (a) *Electoris ad coercendos Monasterienses acta.* (b) *Speciatim in conventu VVormatiensi.* (c) *De Evangelicorum actis ad avertenda gravamina ex Camera Spirensi.* (d) *Instrumentum protestationis interpositæ.* (e) *Alia Evangelicorum hac in causa acta.*

§. XXVII. (1) Lutherus denuo cum Erasmo colliditur. (2) Edit epistolam de præsentia reali. (3) Missas acriter impugnat.

§. XXVIII. (1) Melanchthon mittitur in Hassiam, ad tractandum de concordia in quæstione de Eucharistia. (2) Lutheri instructio Melanchthoni data. (3) Aliud Lutheri ea in causa scriptum. (4) Admonitio de scripto Lutheri a D. Burneto producto. (5) Melanchthonis literæ ad Brentium. (6) Bucerus bene interpretatur verba Lutheri.

§. XXIX. (1) Lutheri prælectiones in Esaiam. Præloquium de difficultate literaturæ Hebraicæ. (2) Contenta in genere. (3) Speciatim de pœnis hæreticorum. (4) Dissuadet confœderationes Principum exemplo Friderici Sapientis. (5) Præjudicium de antiquitate rejicit. (6) De angustia veræ Ecclesiæ & patientia ejus sub Pontificatu. (7) Consolatio adversus persecutiones. (8) Adversus Fanaticos. (9) Tentatio & afflictio a sensu peccati. (10) Admonitio ad agnoscendum beneficium reformationis. (11) Contra fastidium prædicationis verbi. (12) Monitum de officio Regum erga Ecclesiam. (13) De justificatione gratuita & bonorum operum necessitate. (14) De invocatione Sanctorum. (15) Commentarius in Psalmum XLV. (16) De interitu persecutorum. (17) De natura regni Christi. (18) Gloriatio piorum adversus Satanam. (19) Solatium contra autoritatem Synagogæ. (20) Descriptio monachatus sui. (21) De Scripturæ Sacræ diligenti lectione ejusque utilitate.

§. XXX. (1) Commentarius Lutheri in Psalmum CI. de officio Principum & Magnatum in aulis. (2) Alia quædam contenta. (3) Conciones Lutheri a D. Crucigero editæ in Psalmum LXV. (4) Item in Joh. XVII. (5) Contra traditiones & pro sufficientia Scripturæ. (6) Consilium adversus tentationem de electione. (7) De autoritate ministrorum Ecclesiæ. (8) De efficacia verbi divini, etiam post Apostolos prædicati. (9) Quid sit perfectio christiana. (10) De concionibus annotatio. (11) Quædam ex sermone in I. Cor. XV. (12) Epistolæ Lutheri ad Joachimum Principem Anhaltinum & alios.

Additio. (a) *Lutheri de exitu virginum ex monasteriis responsum.* (b) *Item de coercitione pastorum.*

§. XXXI. (1) Incrementa reformationis in variis locis. (2) Ex Augusta Vindelicorum discedit Clerus. (3) Electoris Saxoniæ ea de re judicium. (4) Hamburgensia quædam. (5) Danica ex Conrado Aslaco ab anno 1522. ad 1534. excerpta. (6) In Anglia Pontificis potestas omnis abrogatur. (7) De Historia Anglicana D. Burneti & Varillasii. (8) Gallica quædam.

Addi-

Additio. (a) *Tractatus Lipsiensis de concordia religionis.* (b) *Formula de justificatione a Vebo proposita.* (c) *Ejusdem alia de Missa.* (d) *Melanchthonis diversa & Vebi ad hanc nota.* (e) *Pontani de vano illo tentamine concordiæ vera epicrisis.* (f) *Querela Georgii Ducis de concione quadam Lutheri.* (g) *Electoris responsum.* (h) *Lutheri apologia.* (i) *Elector Lutherum monet de moderamine styli.*

ANNUS 1535.

SECTIO 9. (1) Paulus III. Cardinales creat, inter eos Schönbergium Germanum. (2) De eo Maimburgii narrata. (3) De Vergerio a Pontifice in Germaniam misso.

§. XXXII. (1) Taxatur Pauli III. affectus, nepotes suos ad Cardinalitiam dignitatem evehentis. (2) De Nicolai Schönbergii genere & ortu certiora, adversus Maimburgii & Pallavicini relationes. (3) Nicolai agnati & fratres. Mater an Lutheri affinis fuerit? (4) De gestis & scriptis Nicolai quædam.

Additio. (a) *De Caspari a Schönberg actis & familia in Gallia.* (b) *De alia Schönbergiorum familia.* (c) *De Schönburgiorum gente.*

SECTIO 10. Mandatum Pontificis de Concilio Vergerio datum.

§. XXXIII. (1) De Pauli III. cautela in Legati instructione ex Pallavicino, qualis etiam hodie usurpari solet. (2) Aliæ artes Pontificiæ, ad irretiendos Concilii specie Protestantes.

SECTIO 11. (1) Vergerii cum Luthero colloquium. (2) Diversa de eo Pallavicini & Veneti relatio.

§. XXXIV. (1) Narratio de eodem colloquio ex Tomo VI. Alt. (2) De eodem ex Paulo Veneto. (3) Consideratur Pallavicini relatio & judicium. (4) Vergerii acta apud Georgium Brandenburgicum & de hoc quædam. (5) Lutheri literæ ad Electorem de responso Vergerio dando. (6) Literæ Vergerii ad Electorem. (7) Mandatorum expositio. (8) Acta inter Electorem & Vergerium. (9) Secretius inter illos colloquium. (10) Epicrisis de actis Vergerii.

SECTIO 12. Conventus Smalcaldicus, & qui in eo fuerint.

§. XXXV. (1) Certior de fœderatis narratio. (2) Vergerii propositio scripta Smalcaldiam missa. (3) Responsum Vergerio a Fœderatis transmissum; in quo dolent de sævitia in suos; urgent locum Concilii in Germania, Pontificem judicem ferre nolunt, alios poscunt & rationes allegant.

Additio. (a) *Præcipuæ conventus Smalcaldici causæ.* (b) *Cæsaris & fratris scripta & legationes de spe pacis.* (c) *Literæ & responsa Principum.* (d) *Legati ex Belgio fœdus Electori offerentes.* (e) *Novæ periculi suspiciones.* (f) *Decretum conventus de adsciscendis novis sociis, aliisque negotiis.*

§. XXXVI (1) Notantur quædam adversus scriptores adversæ partis, responsum Protestantium sugillantes, inprimis Pallavicinum. (2) Eliditur hujus exceptio, quod Papa in propria causa judex esse possit. (3) Beneficium Dei in conservanda veritate & Ecclesia. (4) Rejicitur præscriptio antiquitatis. (5) Disquiritur de potestate Pontificis.

SECTIO 13. (1) Legatio Gallica ad fœderatos. (2) Maimburgii censura adversus Sleidanum. (3) Adventus Melanchthonis in Galliam desideratur. (4) Impeditur a Turnonio Cardinale. (5) Legatio Anglica. (6) Responsum a fœderatis Vergerio datum.

§. XXXVII. (1) Fœderis Smalcaldici renovatio ad annos sex. (2) Formulæ speciales de suffragiis, sumtibus, Ducibus & Consiliariis belli.

§. XXXVIII. (1) De Regis Galliæ scripto ad Principes Cal. Febr. (2) Excusatio suppliciorum in Lutheranos decretorum cum epicrisi. (3) De Turcica societate & de concilio. (4) Sleidanus defenditur Langæi sententiam de religione referens.

Additio I. (a) *Undecim articuli a Langæo propositi de sententia Regis in causa religionis.* (b) *Alia ab illo proposita.* (c) *Repetitur defensio Sleidani ex literis Regis & Langæi.*

(5) De Melanchthonis vocatione in Galliam. (6) Melanchthonis literæ & spes metusve de itinere. (7) Lutherus suadet iter. (8) Recusat veniam Elector & quare. (9) Melanchthon consilium de concordia in Galliam mittit. (10) Epistola ejus de consilio illo. (11) Sorbonæ consilium Regi datum. (12) Epicrisis de consilio Turnonii & Maimburgii.

Additio II. (a) *Bellaji Card. epistola ad Melanchthonem d. 27. Jun.* (b) *Item Gvilielmi Langii d. 16. Jul.*

Additio III. (a) *Vera denegatæ Melanchthoni in Galliam eundi veniæ causæ ex Electoris autographo.* (b) *Querela de articulis Melanchthonis in Galliam missis.* (c) *Suspicio de ejus facilitate & periculo.* (d) *Electoris ad Regem Galliæ literæ.*

§. XXXIX. De Angliæ Regis actis Maimburgii dicta examinantur.

Additio. (a) *Antonius sive Robertus Barnes VVittenbergam venit.* (b) *Itemque ad Electorem, commendatus a Luthero.* (c) *Literæ Regis Angliæ ad Melanchthonem.* (d) *Electoris responsa Barnesio & Regi Angliæ data.* (e) *Legati Anglici ad Electorem & ad Smalcaldicum conventum veniunt.* (f) *Eorum acta cum Theologis VVittenbergensibus, speciatim in articulo de sacra Cœna.* (g) *Formula adversus Pontificem, ab iis concepta.* (h) *Capita fidei inter Anglos & VVittenbergenses tractata & conventa.* (i) *Sententia VVittenbergensium de divortio Angliæ Regis.* (k) *Lutheri de eo ad Barnesium literæ.* (l) *Melanchthonis sententia.* (m) *Angli secretum de Cæsare produnt Electori, neque tamen hunc ad fœdus permovent.* (n) *Legatorum discessus.* (o) *Consilia de legatione in Angliam mittenda, cujus tamen loco literæ solum scriptæ sunt.*

§. XL. (1) Responsum fœderatorum Legato Galliæ datum. (2) Fides in Cæsarem, & molestia a Camerali judicio.

§. XLI. (1) Lutherus calumniæ respondet, quod Anabaptistæ ex sua prodierint schola. (2) Anabaptistis & Papistis alia objicit. (3) Quædam de motibus Monasteriensibus cum epicrisi.

Additio. (a) *Anabaptistæ in Electoratu Saxonico.* (b) *Errorum eorum recensio & refutatio.* (c) *Supplicium in quosdam.* (d) *De quodam Joh. Schleyero.* (e) *Melanchthonis scriptum de errore Anabaptistarum.* (f) *Aliorum fanaticorum historia.* (g) *Landgravius ab Electore in puniendis Anabaptistis dissidet.* (h) *Observatur Electoris moderatio.* (i) *De quibusdam fanaticis in Thuringia & eorum pœnis.*

§. XLII. (1) Lutheri commentarius alter in epistolam ad Galatas, & Menii in ejus versionem præfatio. (2) Encomium ejus & aliquid ex præloquio. (3) De vocatione ministrorum & sua. (4) De ingenio Germanorum. (5) De autoritate Scripturæ supra Papam & Ecclesiam. (6) Sententia quædam Staupitii. (7) De fide justificante, cujus doctrina salva, plurima concedit adversariis. (8) Nota adversus Hieronymi locum quendam. (9) De bonis operibus,

bus, fidem & justificationem sequentibus. (10) Contra formulam absolutionis sacerdotalis. (11) Quid sit, *legi mortuum esse & Christum in nobis vivere.* (12) Item de justificatione gratuita. (13) Contra fanaticos tumultuantes. (14) Quid sit legem facere. (15) Quæ sit operum bonitas seu divinitas & fidei veluti incarnatio. (16) Contra abusum Evangelii & de vero usu Legis. (17) De certitudine salutis. (18) Contra merita operum. (19) De fato suo & alia quædam. (20) De monachatu & de diffidentia eorum, qui in operibus salutem quærunt. (21) De efficacia fidei, ut charitatem operetur. (22) De duplici respectu Christi. (23) De necessitate docendi bona opera. (24) Staupitii dictum. (25) De sanctitate & ejus defectibus. (26) De veneficiis & alia quædam de monachis. (27) Epicrisis de dono Lutheri in interpretanda Scriptura.

§. XLIII. (1) Sermones Lutheri contra Anabaptistas, & laudes Baptismi, cujus fructus urget. (2) Sermones de centurione, & contra fastidium verbi. (3) Epistolæ de Sacramento & matrimoniis. (4) De oratione aliisque materiis. (5) Præfationes in libros Spengleri & Corvini. (6) Dura ad Moguntinum epistola. (7) Monita de concordia cum Pontificiis. (8) Theses contra Concilium Constantiense.

Additio. (a) *Festiva Lutheri Epistola de peste VVittenbergensi.* (b) *Quædam ex epistolis Lutheri a Mart. Mosedero editis.*

§. XLIV. (1) Ulrici Würtenbergici Ducis studium Evangelicæ doctrinæ & favor erga Lutherum. (2) Instituit reformationem adjutus a Snepfio & Blaurero aliisque. (3) De Blaureri dissensione in quæstione de cœna Ulrici & Buceri opera sopita. (4) Monasteriorum mutatio & novæ regulæ. (5) Reformatio absolvitur in Ducatu Würtenbergensi & in Comitatu Montbelgardensi & parte Alsatiæ. (6) Augustani conciliationem quærunt cum Saxonicis in doctrina de cœna. (7) Lutheri consilium. (8) Legati ex ministerio Augustano. (9) Lutheri responsum ad Senatum. (10) Literæ ad ministerium. (11) Mors Joachimi I. Electoris Brandenburgici.

Additio. *Epistola Landgravii ad Joachimum II. Electorem Brandenburgicum.*

ANNUS 1536.

SECTIO 14. Cæsar ex Africa redux urget Concilium; assentit Pontifex.

§. XLV. (1) Literæ Cæsaris expostulatoriæ ad Protestantes. (2) Aliæ mitiores. (3) Legatio Protestantium ad Cæsarem. (4) Cæsaris ad illos responsio. (5) Decernitur Concilii convocatio. (6) Epicrisis quædam. (7) Diploma indictionis & cautio de electione Pontificis.

Additio. (a) *Theologi VVittenbergenses consuluntur de Concilio.* (b) *Pauli Sperati, Episcopi Pomezani responsio ad diploma Pontificium.* (c) *Monitum de libertate & norma Concilii.*

§. XLVI. (1) Principum Protestantium fides erga Cæsarem. (2) Literæ ad eos Ferdinandi Regis & promissa Cæsaris nomine pax. (3) Gallorum contraria molimina. (4) Lutherani Cæsari militant, speciatim Schertelius. (5) Literæ Protestantium ad Cæsarem.

Additio I. (a) *Georgius Saxoniæ Dux persequitur nobiles religionis causa.* (b) *Elector repressaliis utitur.* (c) *Certant inter se literis.* (d) *Constituuntur arbitri.* (e) *Horum inter se rixæ.* (f) *Electoris cum Georgio expostulatio.* (g) *Nomina arbitrorum.* (h) *Landgravius transactionem procurat.*

Additio II. (a) *Literæ ad Electorem de actis & consiliis Cæsaris in causa religionis.* (b) *Propensio Electoris ad obsequendum Cæsari ex literis ad Hoffmannum.*

SECTIO 15. Narratio Maimburgii de concordia VVittenbergensium in articulo de Eucharistia.

§. XLVII. (1) Notantur quædam adversus tradita Maimburgii. (2) Indicantur scriptores de actis concordiæ VVittenbergensis. (3) Iter Theologorum & acta in eo. (4) Colloquium Theologorum apud Lutherum. (5) Repetitio colloquii, Buceri confessio a cæteris probata. (6) A Luthero cum gaudio excepta. (7) Secutæ conciones & concordiæ formula. (8) Effectus ejus & continuatio dissidii cum Helvetiis. (9) Quid de Baptismo & fide in usu Sacramentorum tractatum fuerit & de confessione. (10) Subscriptio formulæ & discessus amicus; Literæ Lutheri ad Argentoratenses. (11) Narratio de concione Buceri & judicio de ea Lutheri.

Additio. (a) *Landgravii cum Electore acta de tractatu concordiæ.* (b) *Electoris zelus itemque liberalitas.* (c) *Formula conventionis ex suggestu prælecta.* (d) *Annotatio ad relationem Buceri ab Hospiniano productam.*

§. XLVIII. (1) Enarratio Lutheri in Prophetam Joel. (2) Excerpta ad Cap. II. 13. (3) De dono Spiritus S. ordinario & extraordinario. (4) De prædestinatione & perseverantia. (5) Expositio prophetiæ Amos. (6) Excerpta ad I. 1. 2. (7) De rapacitate Ecclesiasticorum, speciatim Pontificum. (8) Epicrisis ad Pallavicini dictum quoddam. (9) De usu musices in sacris monitum. (10) Contra malos Principum, inprimis Ecclesiasticorum, mores. (11) Item contra criminationem & abusum libertatis Evangelicæ. (12) Adversus vitia Academiarum & monasteriorum. (13) De duplici œconomiæ divinæ utilitate in Ecclesia & politia. (14) Explicatio prophetiæ Obadiæ. (15) Monitum de periculo fœderum & vaticinium quoddam de interitu Turcicæ potentiæ.

§. XLIX. (1) Conciones Lutheri quædam. (2) Epistola de cavendo fanatico Freibergensi. (3) Præfatio in librum Moibani. (4) De vocatione Diaconorum scriptum ad Zviccavienses. (5) Literæ ad Pontanum pro excusatione acrioris ad Albertum Moguntinum epistolæ. (6) Responsum ad quæstionem, an amittatur fides per peccata mortalia? (7) Doctrina Lutheri de necessitate sanctitatis in vita, adversus calumnias veteres novasque notanda. (8) Theses Lutheri de Concilio a Cochlæo notatæ. (9) Lutherus rejicit a se matrimonialium causarum cognitionem, & queritur de Jureconsultis. (10) Epicrisis.

§. L. (1) Historia de ancilla a Dæmone obsessa. (2) Epistola ejus rei occasione a Luthero ad Andr. Ebertum scripta cum aliquibus observationibus. (3) Diploma Pontificis de emendanda urbe & curia. (4) Legatio Vorstii in Germaniam ejusque instructio & scopus. (5) Tractatio Smalcaldicorum cum Angliæ Rege de fœdere. (6) Hermanni Archiepiscopi Coloniensis prima de reformatione molimina, Groppero administro. (7) Mors Erasmi & quædam de eo.

Additio I. (a) *Ordinatio sive Synodus Coloniensis anno 1536.* (b) *Monitum de Legendis Sanctorum.* (c) *De sacra Cœna.* (d) *De communione sub una.* (e) *De Missa.* (f) *De eadem, ut sacrificio.* (g) *De Confessione.* (h) *Clausula finalis.* (i) *Annotatio quædam.*

Additio II. (a) *Compendium historiæ de reformatione Pomeraniæ a D. Dan. Cramero editæ.* (b) *Status religionis in Pomerania ante Lutherum.* (c) *De cultu Ottonis Episcopi Bambergensis in Pomerania.* (d) *Abusus excommunicationis exemplum.* (e) *Indulgentiarum nundinatio.* (f) *De Martino, Episcopo Caminensi,*

nensi, ejusque Synodo anno 1500. habita, cum epicrisi quadam. (g) *De Johannis Knipstrob ad Evangelicam doctrinam conversione.* (h) *Persecutio & fuga Evangelicorum concionatorum in Pomerania.* (i) *Bogislai, Pomeraniæ Ducis, colloquium cum Luthero.* (k) *Stetinensibus VVittenberga Pastor mittitur, Paulus Rhodius.* (l) *Persecutio nova Evangelicorum sub Georgio Pomeraniæ Duce & alia quædam.* (m) *De tragica morte quorundam hostium religionis.* (n) *Desertio monasteriorum & novorum monachorum ex Belgio vocatio.* (o) *Melior religionis status post mortem Georgii Ducis sub Philippo ejus filio.* (p) *Decernitur publica reformatio in Comitiis provincialibus & sequitur visitatio.* (q) *Sex civitatum Hanseaticarum de religione conventio.* (r) *Narratio de nuptiis Philippi.* (s) *De literis Lutheri & Bugenhagii in causa Pauli Rhodii* (t) *Legatio Pomeraniæ Ducum ad Electorem.* (u) *Responsum Electoris & Legatio ad Duces, eorumque in fœdus receptio.*

Additio III. (a) *Acta conventus Francofurtensis.* (b) *Ducis VVürtenbergensis querela.* (c) *Acta cum Lubecensibus.* (d) *Rigor judicii Cameralis.* (e) *Lis Vicarii Moguntini cum Francofurtensibus.* (f) *De monachis in Grünhayn.* (g) *De lite Landgravii cum Nassoviis.* (h) *Versio Locorum communium Melanchthonis.* (i) *Dotatio Academiæ VVittenbergensis, & elogia atque beneficia Luthero & Melanchthoni collata.* (k) *Elector duos Juliacenses commendat Luthero.*

ANNUS 1537.

SECTIO 16. (1) Narratio de actis fœderatorum cum Nuncio Pontificis & recusatione Concilii. (2) Acta eorundem cum Rege Galliæ. (3) Fœdus Romano-Catholicorum contra Protestantes.

§. LI. (1) Negligentia aut mala fides Maimburgii. (2) Consultatio cum Theologis de admittendo Legato Pontificis. (3) Electoris sententia. (4) Item Pontani. (5) Vorstii Nuncii Pontificii ad Electorem literæ, iter, adventus. (6) Expeditio ejus in conventu Smalcaldico.

§. LII. (1) Deliberatio de comparitione in Concilio. (2) Lutheri & Wittenbergensium, tum Hassiacorum, (3) item Luneburgensium, & aliorum responsum de comparitione in Concilio. (4) Item de jure defensionis adversus Cæsarem. (5) Lutheri consilium. (6) Exceptiones Protestantium apud Heldum Oratorem Cæsareum. (7) Heldi replica.

Additio I. *Responsum Borussorum de jure defensionis adversus vim in causa religionis.*

Additio II. (a) *Pallavicini de Protestantium dissensu relatio examinatur & emendatur.* (b) *Libellus de recusatione Concilii ejusque contenta.* (c) *Ejus insinuatio.* (d) *Responsum Moguntini.* (e) *Item Sveciæ Regis.* (f) *Refelluntur adversæ partis scriptorum calumniæ.* (g) *Relatio Melanchthonis de sententia Protestantium circa Concilium cum Epicrisi.*

§. LIII. (1) Acta alia cum Heldo de auxiliis contra Turcos. (2) De processu Cameræ & bonis Ecclesiasticis. (3) Electoris Saxoniæ querelæ & legatio ad Ferdinandum Regem. (4) Scripta ad Hoffmannum ejus Consiliarium.

§. LIV. (1) Conventus Smalcaldici acta & decreta. (2) Literæ Regis Galliæ ad fœderatos. (3) Horum responsum. (4) Replica Regis. (5) Notantur Maimburgius & Surius.

§. LV. (1) Elector mandat Luthero, ut articulos confessionis componat. (2) Lutheri paritio & ad Electorem epistola. (3) Electoris ad illum responsio. (4) Articuli, qui postea dicti sunt Smalcaldici a Spalatino descripti.

Additio. (a) *Relatio alia Melanchthonis de conventu Smalcaldico.* (b) *Electoris erga eum diffidentia.* (c) *Melanchthonis querela.* (d) *Jussus ab Electore sententiam de Pontifice conscribit.* (e) *Subscriptio articulorum Smalcaldicorum.* (f) *De Bucero & Blaurero quædam.* (g) *Observatio de autoritate articulorum Smalcaldicorum.* (h) *De Melanchthonis reservatione circa potestatem Pontificis.* (i) *Deliberatio, quatenus cedi possit Pontifici.* (k) *Spalatini literæ de sociis confessionis.*

§. LVI. (1) Articulorum Pars I. de Deo & S. S. Trinitate. (2) Pars II. Art. 1. de Justificatione. (3) De Missa. (4) De collegiis Canonicorum & monasteriis. (5) De Papatu. (6) Pars III. in quindecim articulos distributa. (7) Observatio specialis de viribus hominum in pœnitentia. (8) De sacra Cœna. (9) De confessione. (10) De Enthusiasmo. (11) De ordinatione. (12) De traditionibus. (13) Libelli Smalcaldiæ compositi Pars prima. (14) Pars altera de Episcopis. (15) Approbatio libelli. (16) Petitio Theologorum de bonis ecclesiasticis. (17) Decretum ad eam Principum cum epicrisi.

§. LVII. (1) Receptio Henrici Ducis Saxoniæ in fœdus Smalcaldicum. (2) Reformatio ab Henrico in ditione sua Freibergensi suscepta, ejusque norma. (3) Georgii Ducis contradictio. (4) Henrici responsum. (5) Georgii replica. (6) Henrici duplica. (7) Annotatio ad literas Georgii.

Additio. (a) *Jacobi Schenckii conditio & acta in Aula Freibergensi.* (b) *Conciones publice habet in Ecclesia collegiata.* (c) *Consilium Pontani de modo reformationis.* (d) *Acta visitationis Freibergensis.* (e) *Contentio de virginum monasticarum alimentis.* (f) *Schenckius Freiberga abit.* (g) *Annotatio quædam de communione sub una & refutatio Surii.*

§. LVIII. (1) Legatio Ducis Lignitiensis ad conventum Smalcaldicum & responsum ei de jure defensionis datum. (2) Acta fœderatorum cum Johanne Marchione Brandenburgico. (3) Item cum Georgio Marchione. (4) Conventus Protestantium Brunsvigæ & Coburgi. (5) Apparatus fœderatorum militaris. (6) Rumores de apparatu Cæsaris contra Protestantes, & Henrici Ducis Brunsvicensis machinationes. (7) Evangelicorum curæ de augendo fœdere. (8) Prorogatio Concilii. (9) Alia ex Pallavicino.

Additio I. (a) *De literis Ferdinandi Romanorum Regis ad Lutherum.* (b) *Earum contenta.* (c) *Annotatio de fide harum literarum.*

Additio II. *Ordinatio Ecclesiastica in Hassia ejusque contenta.*

§. LIX. (1) Consilium Cardinalium & Prælatorum de reformatione curiæ Pontificiæ. (2) Irridetur a Luthero. (3) Commendatur a Pallavicino. (4) Quædam reformationis illius contenta cum epicrisi. (5) Pontificis de reformatione illa sententia, ejusque varia consideratio. (6) Locus ex reformatione de concionibus.

Additio (a) *Alia quædam ex reformatione Romana.* (b) *Item ex glossis Lutheri ad eam publicatis.*

§. LX. (1) De Lutheri rebus quædam adversus Maimburgium. (2) Lutheri de morbo suo literæ. (3) Item Electoris. (4) Recidiva & quædam ejus occasione dicta. (5) De actis Electoris cum Luthero secretis aliqua.

Additio. (a) *Lutherus odium Pontificis suis commendat.* (b) *Carmina hospitalia ad Spalatinum.*

§. LXI. (1) Conciones Lutheri Smalcaldiæ habitæ de tentatione Christi. (2) De Symbolo Apostolico. (3) In cap. I. Johannis Evangelistæ. (4) Monita de Decalogo.

calogo. (5) Contra fanaticos. (6) De Francisco & Dominico. (7) De consolatione ex fide. (8) Ad dictum, *verbum caro factum est*. (9) De invocatione Sanctorum & alia quædam. (10) Præfationes quædam Lutheri. (11) Epistolæ Lutheri. (12) Speciatim de concordia cum Bucero ad Isnenses & Helvetios.

Additio. (a) *Scriptum Senatus Augustani contra Clerum, qui urbe excesserat.* (b) *Responsum Episcopi & Capituli.* (c) *Electoris Saxoniæ de illa causa judicium & ex Gassaro quædam.* (d) *Relatio de Præposituris Norimbergensibus ante reformationem.* (e) *Lis & transactio cum Episcopo Bambergensi post reformationem.*

ANNUS 1538.

SECTIO 17. (1) Pontificis iter Nicæam & acta cum Cæsare & Galliæ Rege. (2) Cæsaris ad pacem cum Protestantibus inclinatio.

§. LXII. (1) Notatur Pallavicini relatio de scopo Pontificis & judicium. (2) Pontificis fucus in reformatione Cardinalibus demandata. (3) Ejusdem violenta molimina contra Protestantes. (4) De consiliis Gallicis.

§. LXIII. (1) Fœdus Catholicum Norimbergense. (2) Heldi acta in illo conciliando. (3) Granvellani & Navii judicium de Heldo. (4) Landgravii ad Heldum literæ. (5) De Heldi, Bruni & aliorum in Camera molitionibus. (6) Heldi consilium Cæsari datum. (7) De Catholicis qui a fœdere abstinuerunt. (8) Contenta fœderis. (9) Quomodo ad fœderatos fama ejus emanaverit.

Additio. (a) *Renovatio fœderis Norimbergensis.* (b) *Pallavicini de ea relatio.*

§. LXIV. (1) Occasio conventus Francofurtensis ex metu oppositi fœderis & rigore Cameralis judicii. (2) Conventus Brunsvicensis. (3) Receptio Daniæ Regis & Johannis Marchionis Brandenburgici aliorumque. (4) Decretum de bonis Ecclesiasticis. (5) De propaganda religione.

Additio. (a) *Differentia fœderum cum Dania Rege anno 1536. & 1538. initorum.* (b) *Contenta hujus.* (c) *Annotatio de jure viduarum illustrium.*

§. LXV. (1) Oblatio pacificationis a Ferdinando Rege ipsoque Cæsare. (2) Postulatio auxilii contra Turcos & Electoris de iis sententia. (3) Lutheri consilium. (4) Legatio Electoris Brandenburgici ad Saxonem. (5) Acta conventus Isennacensis ejusque sequelæ quædam. (6) Literæ Cæsaris de legatione Archiepiscopi Lundensis. (7) Conventus Gelnhusanus & acta quædam Cameralia.

Additio. (a) *Literæ Cæsaris ad Electorem Brandenburgicum.* (b) *Narrata Pallavicini quædam.* (c) *Epicrisis de iis.*

§. LXVI. (1) Legatio in Galliam decernitur a Protestantibus & mandatis instruitur. (2) Legatorum relatio. (3) Repetita & solennior legatio. (4) Itinera & acta illorum cum ministris & ipso Rege. (5) Dimissio a Rege cum epicrisi. (6) Literæ Angliæ Regis ad Protestantes. (7) Legatus ejus Montius. (8) Protestantium in Angliam Legati, eorumque acta. (9) Sumtus legationis.

Additio I. (a) *Relatio ex actis Archivi de legatione in Angliam.* (b) *Literæ Regis Angliæ ad Electorem Saxoniæ.* (c) *De Anabaptista quodam in Hassia deprehenso.* (d) *Literæ Principum de eo ad Regem Angliæ.*

(10) Henrici Brunsvicensis acta quædam. (11) Consultationes de defensione & pace. (12) Electoris Brandenburgici inclinatio ad doctrinam Evangelicam. (13) Elisabethæ ejus sororis, uxoris Erici Brunsvicensis, ad eandem conversio. (14) Digres-

(14) Digressio de cœlibatu sacerdotum. (15) Reformatio quædam a Georgio Saxoniæ Duce tentata. (16) Reformationis in Mecklenburgensi Ducatu initia quædam. (17) Nördlingensis urbis cœpta reformatio. (18) Billicanus in urbem vocatur. (19) Carmelitæ sponte Evangelicam doctrinam arripiunt. (20) Missæ tolerantur. (21) Kautzius succedit Billicano. (22) Reformatio perficitur anno 1538. (23) Notantur alia quædam. Speciatim de conniventia circa Missas.

Additio II. *Bopfingæ Imperialis in Suevia oppidi reformatio.*

§. LXVII. (1) Lutheri commentarius in Canticum Canticorum. (2) Item in cap I. & sqq. ad XVIII. Matthæi. (3) Admonitio de scriptis suis. (4) Reprehensio licentiæ carnalis. (5) Scopus vocationis ad ministerium & doctrinæ Evangelicæ. (6) De turbis ex prædicatione Evangelii nascentibus, malisque moribus, & de abnegatione sui. (7) De suavi jugo Christi. (8) De purgatorio. (9) De thesauro cordis bono & malo. (10) Consolatio adversus malam disciplinam. (11) De tritico & zizaniis & de fermento in Ecclesia. (12) De profectu in Christianismo. (13) De usu ceremoniarum. (14) Contra primatum Pontificis. (15) De fide & operibus. (16) De statu animarum post mortem. (17) Enarratio Psalmi LI. (18) Definitio peccati. (19) De observatione legis justificatis necessaria. (20) De peccato originis. (21) De gratuita justificatione. (22) De fructibus pœnitentiæ. (23) Præfatio in epistolam Hieronymi de potestate Pontificis.

§. LXVIII. (1) Lutheri conciones in cap. II. Joh. (2) De purgatione templi a Christo peracta. (3) De miraculis. (4) De loco ubi quærendus sit Christus. (5) De regula, ad quam scripta Patrum examinanda sunt. (6) Conciones ad cap. XIV. XV. XVI. Joh. & horum elogium. (7) Cur Christus dicatur via. (8) De duabus naturis in Christo. (9) De Spiritus Sancti necessaria præsentia in credentibus. (10) De necessitate bonorum operum. (11) Evangelium prædicatur pauperibus. (12) Cur Christus se dicat minorem Patre. (13) De purgatione sive munditia Christianorum. (14) De dilectione fidem necessario sequenti. (15) De injusto Papæ in Evangelicos odio. (16) De corruptela doctrinæ. (17) Causæ separationis a Papatu, & quomodo præcaveri potuerit. (18) Cur incredulitas sola damnare dicatur, & alia quædam. (19) De fiducia in Christum. (20) Secunda editio libelli visitatorii in Saxonia. (21) Animadversio in Bossuetum. (22) De vocatione Lutheri & de jure Episcopali monitum in genere. (23) De actis in Saxonia post bellum rusticum speciatim. (24) Item de Johannis Electoris instituto circa visitationem, & Lutheri actionibus. (25) Præfatio Lutheri in editionem articulorum Smalcaldicorum. (26) Annotatio de mutatione verbali articulorum a Luthero facta. (27) Censura Lutheri in carmen Lemnii, & querelæ de eo. (28) Melanchthonis in hoc negotio acta & alia quædam. (29) Concio Lutheri in dictum Gal. I. 4. (30) Editio Symbolorum fidei cum præfatione & epilogo. (31) Præfatio Lutheri in historiam Mediolanensem. (32) In acta Hadriani. (33) In libellum Justi Menii. (34) Epistola adversus Sabbatarios. (35) Ad Senatum Augustanum.

ANNUS 1539.

SECTIO 18. (1) Induciæ Francofurtenses a Cæsare non ratihabitæ. (2) Acta quædam Protestantium & scripta Lutheri.

§. LXIX. (1) Legati Saxonis & Landgravii ad socios. (2) Captura Secretarii Brunsvicensis. (3) Conventus Francofurtensis inchoatur. (4) Electoris Saxoniæ rescri-

rescriptum de defensione. (5) Apparatus militaris. (6) Cœpta interpositio a Mediatoribus. (7) Evangelicorum responsum. (8) Oratorum Cæsaris sententia. (9) Evangelicorum replica. (10) Mediatorum consilium. (11) Ultima Evangelicorum declaratio. (12) Colloquium de religione a Lundensi propositum. (13) Formula conventionis Francofurtensis. (14) Speciatim de colloquio. (15) Reservatio Legatorum Cæsareanorum. (16) Notata ad Maimburgium.

Additio I. (a) *Literæ apud Secretarium Brunsuicensem repertæ.* (b) *Literaria de iis inter Principes certamina.* (c) *Aliæ inter eos disputationes.*

Additio II. *Monita Theologorum de fœdere & ejus conditionibus.*

Additio III. (a) *Decreta inter Evangelicos Francofurti.* (b) *Nomina Theologorum ad colloquium deputatorum.* (c) *Quædam de causa Geldrica.* (d) *Index tributorum, quæ a fœderatis collata sunt.*

§. LXX. (1) Responsum Cæsaris ad Relationem de conventu Francofurtensi. (2) Lundensis ad Electorem literæ & hujus responsum. (3) Pontifex Lundensi succenset. (4) Impedit Cæsarem a ratificatione conventionis. (5) Alia ei suggerit consilia. (6) Acta Ferdinandi cum Protestantibus Wormatiæ.

Additio. (a) *Relatio de Odorici Raynaldi Tomo XXI. annal. eccles. Romæ edito.* (b) *Mandata Pontificis Riccio ad Cæsarem data.* (c) *Animadversio quædam ad ea.* (d) *Alia quædam ex iisdem mandatis.*

SECTIO 19. (1) Mors Georgii Saxoniæ Ducis, ejusque sequelæ. (2) Reformatio in Misnia a successore Henrico suscepta.

§. LXXI. (1) Georgii Ducis conatus ad excludendum a successione Henricum fratrem. (2) Item ad conciliandam controversiam de religione. (3) Colloquium inter Pontanum & Carlovitium Mülbergæ.

Additio I. (a) *Carlovitii propositio de mediis reformationis.* (b) *Ejusdem querelæ de vitiis Cleri.* (c) *Metus de intentione Pontificis & Cæsaris.* (d) *De actis Norimbergensibus & Georgii Ducis desiderio.* (e) *Pontani breve responsum.* (f) *Colloquium Lipsiense.* (g) *Pontani prolixior ad proposita responsio.* (h) *Buceri & Melanchthonis dicta.* (i) *Carlovitii & Electoralium disceptationes.* (k) *Acta cum Vicelio.* (l) *Epistola Georgii de illa materia.* (m) *Item Carlovitii.* (n) *Ejusdem nova mediorum propositio.*

(4) De nuptiis & morte Friderici filii Georgii. (5) Legatio Georgii ad Henricum. (6) Mors Georgii.

Additio II. (a) *De Georgii Ducis Canonicatu.* (b) *Relatio Balthasaris monachi de nuptiis Georgii.* (c) *Quædam ex Balthasaris libello de Missa.* (d) *Cochlæi de morte Georgii & statu Misniæ relatio.*

(7) Henrici successio. (8) Exequiæ Georgii. (9) Consilium Electoris Henrico datum.

Additio III. (a) *Ferdinandi ad Henricum epistola.* (b) *Henrici responsum.* (c) *Legati Ferdinandi ad Henricum.* (d) *Acta cum his Henrici.* (e) *Electoris consilium.*

(10) Johannis Episcopi Misnensis propositio ad Henricum de reformatione. (11) Contenta ejus quædam. (12) Henrici responsio dilatoria. (13) Lutheri & collegarum de illa judicium. (14) Defectus ejus allegant. (15) Contumeliosam esse dicunt. (16) Errores notant.

Additio IV. (a) *Lutheri & collegarum sententia de jure defensionis.* (b) *Lutheri de agendis ab Henrico consilium.*

(17) Aliæ Episcopi ad Henricum literæ. (18) Henrici responsum. (19) Literæ Henrici ad Episcopum Mersburgensem & hujus responsum.

§. LXXII. (1) Historia reformationis Misnicæ. (2) Notatur Maimburgii iniqua censura. (3) Præparatio & inclinatio subditorum Georgii ad reformationem. (4) Elector juvat Henricum in negotio reformationis. (5) Electoris relatio de actis Lipsiensibus. (6) Conciones ibi a Luthero habitæ. (7) VVittenbergensium & Pontani de visitatione consilia. (8) Edictum & cura Henrici de concionatoribus. (9) Surii calumnia refellitur. (10) Myconii relatio de reformatione Lipsiensi.

Additio I. *Literæ Myconii ad Electorem Germanicæ.*

(11) Annotatio quædam.

Additio II. (a) *Relatio Crucigeri & Jonæ de difficultatibus in reformatione.* (b) *De Theologis Pontificiis quædam.* (c) *Item de Pflugio, Cochlæo & Vicelio.*

(12) Acta Visitatorum in Misnia. (13) Speciatim Lipsiæ. (14) Et aliis quibusdam locis. (15) Visitatio in Thuringia.

Additio III. (a) *Alia visitatio in Thuringia.* (b) *Comitia provincialia Henrici Ducis.*

(16) Alia quædam de visitationibus illis.

§. LXXIII. (1) Status Evangelicorum post mortem Georgii.

Additio I. (a) *Lis Georgii Ducis cum Antonio a Schönberg.* (b) *Interlocutum judiciale.* (c) *Querela de hoc apud fœderatos.*

(2) Epicrisis quædam. (3) Acta Evangelicorum cum Rege Galliæ. (4) Excerpta ex eorum literis. (5) Regis responsum. (6) Legatio Anglica ad Evangelicos. (7) Horum responsum. (8) Legatio Evangelicorum in Angliam. (9) Rex Angliæ condemnatur a Pontifice. (10) Edictum Regis de religione. (11) Legatorum adventus & acta.

Additio II. (a) *De eodem edicto Regis aliisque.* (b) *De consiliis Episcoporum Angliæ.* (c) *De publicatione edicti Regii.* (d) *De Crumvvello novas Regi nuptias suggerente.* (e) *Colloquium Montii Angli cum Pontano.* (f) *Diversæ Electoris & Landgravii de rebus Anglicanis sententiæ.* (g) *Acta Montii cum Electore.* (h) *Responsum VVittenbergensium in causa Anglicana.* (i) *Lutheri de ea literæ.* (k) *Melanchthonis epistola expostulatoria ad Regem Angliæ.* (l) *Excerpta de sophismatibus Episcoporum.* (m) *De abusibus & erroribus Romanis.* (n) *De articulis a Rege publicatis.* (o) *Dehortatio a persecutione.* (p) *Legatio Saxonica ad Regem propter matrimonium Clivense.* (q) *Alia legatio ad deducendam sponsam.* (r) *Falsa relatio de mutata Lutheri doctrina in Angliam missa, ejusque contenta cum animadversionibus.* (s) *Speciatim de munere Episcoporum.* (t) *De potestate Pontificis.* (u) *De ritibus & ceremoniis.* (x) *De confessione auriculari.* (y) *De fide justificante.* (z) *De libero arbitrio.* (aa) *De amissione Spiritus Sancti per peccatum mortale.* (bb) *De Missa.* (cc) *De Cœna Domini.* (dd) *De invocatione Sanctorum.* (ee) *De votis Monasticis.* (ff) *De conjugio Cleri.* (gg) *De purgatorio & indulgentiis.* (hh) *Epilogus articulorum commentitiorum.* (ii) *Annotatio de iisdem articulis in Germania sparsis.* (kk) *Quædam de cultu Thomæ Cantuariensis.*

(12) Acta inter Angliæ & Daniæ Reges. (13) De literis Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ.

Additio III. (a) *Epistola Electoris ad Regem Poloniæ, ejusdemque exordium.* (b) *Querela de odio & sævitia adversariorum.* (c) *Oblatio auxilii contra Turcos.* (d) *Verba quædam epistolæ regiæ.*

§. LXXIV. (1) Ferdinandi Regis Acta quædam.

Additio

Additio. (a) *Ludovici Granatensis sententia de Ecclesia.* (b) *Collatio doctrinæ Lutheri & Granatensis.*
(19) Notatur Bossuetus Episcopus Meldensis. (20) Scriptum Lutheri in causa Schenitii.

§. LXXVII. (1) Concio Lutheri de Ecclesia Lipsiæ habita. (2) Explicatio Psalmi CX. (3) Judicium de conciliatione controversiarum in religione. (4) Alia quædam. (5) Responsa de jure defensionis. (6) Epistola ad Norimbergenses de formula absolutionis & alia quædam. (7) Excerpta de fuga tempore pestis & communione ægrotantium. (8) De nova Bibliorum Germanicorum editione. (9) Præfatio Lutheri in libellum visitatorium in provincia Henrici Ducis editum. (10) Publicatio Ordinationis Ecclesiasticæ in eadem provincia. (11) Præfatio in librum Balth. Raydæ. (12) Quædam ex ipso libro. (13) Alia ex Præfatione Lutheri.

ANNUS 1540.

SECTIO 21. (1) Relatio de actis bello & pace inter Imperatorem & Galliæ Regem. (2) Invectiva Maimburgii in Cæsarem, de non servata Gallis fide & non oppresso Lutheranismo. (3) Conventus Hagenoæ & Wormatiæ.

§. LXXVIII. (1) Notatur Maimburgii iniqua censura. (2) De Cæsaris & Regis simulationibus. (3) Legatio Protestantium ad Cæsarem. (4) Conventus Smalcaldiæ mense Martio. (5) Acta cum Comite Nuenario. (6) Lutheri & aliorum consilium de concordia. (7) Summa actorum in conventu. (8) Cæsar indicit conventum Spiræ, postea Hagenoam translatum. (9) Literæ inter illum & Protestantes commutatæ. (10) Galliæ Regis scripta ad Protestantes. (11) Acta per Legatum Bayfium. (12) Sleidani de Bellajo relatio. (13) Legatio Joh. Fossani Galli ad Electorem & Landgravium. (14) Discrepantia quædam consiliorum inter illos Principes. (15) Alius Legatus ex Gallia Moriletus. (16) Sermo Galliæ Regis cum V Vallenrodio. (17) Blandæ Regis ad Principes literæ. (18) Legati fœderatorum in Angliam. (19) Electoris ad Regem Angliæ literæ & hujus responsum. (20) Crammeri epistola ad Electorem. (21) Articuli de religione in Angliam missi. (22) Acta quædam Angliæ Regis. (23) Cromwelli supplicium. (24) Martyrium Barnesii. (25) Lutheri de Barnesio scriptum. (26) Alia quædam de Rege & Crammero.

Additio I. (a) *Evangelici captant Granvellani benevolentiam.* (b) *Causas dissensionis in religione ex conscientia sua allegant.* (c) *Suspiciones contrarias a se amoliuntur.* (d) *Diversum suum atque adversariorum scopum ostendunt.* (e) *De horum avaritia & rapacitate queruntur.* (f) *Sumtus gravissimos, quos sustinent, allegant.* (g) *Rationem reddunt de administratione monasteriorum & redituum Ecclesiasticorum.* (h) *Abusum adversariorum circa bona Ecclesiastica taxant.* (i) *Calumniæ respondent, quasi concordiam serio non cuperent.* (k) *Narrant acta in Comitiis Augustanis.* (l) *Recensent errores & abusus Ecclesiæ Romanæ.* (m) *Moderationem suam rejectam esse dolent.* (n) *Defectionem a veritate postulari a se dicunt.* (o) *Offerunt pium de religione colloquium, si obstacula removeantur.* (p) *Augustanam confessionem denuo repetunt.* (q) *De ritibus aliisque capitibus tractare volunt.* (r) *Petunt promotionem reformationis & colloquii ab Oratore ejus propositi.* (s) *Negant se hostibus suis auxilium tulisse.* (t) *Dolent de sævitia Pontificis & impedita reformatione.* (u) *Queruntur de proscriptione Mindensi.* (x) *Itemque de aliis processibus Cameralibus.*

Addi

Additio II. (a) *Theologorum Dresdensium de potestate Episcoporum consilium.* (b) *Epicrisis.* (c) *Electoris Brandenburgici consilia de concordia.* (d) *De Electore Moguntino & Trevirensi quædam.*

Additio III. (a) *VVittenbergensium sententia de Missa, & quatenus sit sacrificium.* (b) *De communione sub utraque.* (c) *De conjugio Cleri.* (d) *De votis monasticis.*

Additio IV. (a) *Theologorum Protestantium sententia contra fanaticos quosdam.* (b) *Speciatim contra eos, qui sanctitatis prætextu separationem quærunt.* (c) *Contra Sebast. Francum nominatim.* (d) *Contra Schvvenckfeldium.*

Additio V. (a) *Testamentum Melanchthonis.* (b) *Indicat errores Pontificios.* (c) *Methodi suæ rationes reddit.* (d) *Agit gratias Luthero, item Principi & aliis.*

§. LXXIX. (1) De actis conventus Hagenoensis & contradictione Legatorum Pontificiorum adversus colloquium. (2) Farnesii ad Pontificem literæ.

Additio I. (a) *Consultatio Romæ adhibita de adventu Cæsaris in Germaniam.* (b) *Cochlæi literæ ad Contarenum de statu religionis in Germania.*

Additio II. (a) *Scriptum a Card. Farnesio Cæsari exhibitum ex Raynaldo ejusque exordium.* (b) *Nota ad exordium.* (c) *Querela de rejecta Pontificis autoritate in conventione Francofurtensi.* (d) *Responsum ad eam.* (e) *Allegat difficultates cur concordari non possit cum Evangelicis.* (f) *Consideratio illarum.* (g) *Cur nihil concedi possit Protestantibus.* (h) *Ostenditur contrarium.* (i) *Metuitur universalis a Pontifice defectio, quam Cæsar impedire non possit.* (k) *Nota ad hanc objectionem.* (l) *Querela, quod Evangelici pacis leges violaverint.* (m) *Rejicitur hæc imputatio.* (n) *Acres in Evangelicos contumeliæ.* (o) *Earum refutatio.* (p) *Suadetur Concilii convocatio.* (q) *Ostenduntur intentiones Catholicorum & Protestantium diversæ de Concilio.* (r) *Urgetur consensus omnium nationum.* (s) *Ostenditur ejus difficultas.* (t) *Commendatur Concilium ut antiquum & solenne remedium controversiarum.* (u) *Consideratur hæc assertio.* (w) *Aliæ rationes pro Concilio.* (x) *Annotatio ad eas.* (y) *Explicatur ultima Pontificis intentio de Concilio.* (z) *Observatio.* (aa) *Pax inter Cæsarem & Gallum suadetur* (bb) *Ostenditur diversus hujus pacis scopus.* (cc) *Modus suggeritur ad persuadendos Protestantes ad auxilia belli Turcici.* (dd) *Effectus agnoscitur.* (ee) *Summa in Evangelicos calumnia, quod Turcis sint pejores.* (ff) *Hujus refutatio.* (gg) *Conclusio scripti Farnesiani.* (hh) *Summa ejus indicatur.* (ii) *Alia ex Raynaldo & inprimis de consilio Heldi.* (kk) *Cervini Card. Legatio ad Ferdinandum.* (ll) *Pontificis exhortationes ad Moguntinum & alios.* (mm) *Mandata Pontificis Morono data cum epicrisi.* (nn) *Fabri consilium ejusque examen.*

(3) Elector & Landgravius socios monent de mittendis Legatis & Theologis Hersfeldiam & Darmstadium.

Additio III. (a) *De scriptoribus & autoribus qui digamiam Hassiacam denuo propalarunt.* (b) *Calumnia Varillasii & Bossueti.* (c) *Initium amoris Landgravii erga Margaretham Saliam.* (d) *Rejicitur calumnia, quod religio Landgravii causa digamiæ fuerit.* (e) *Landgravii de conscientia sua summa obtestatio.* (f) *De responso Lutheri & Melanchthonis.* (g) *Buceri cum Electore acta.* (h) *De nuptiis Landgravii.* (i) *Evulgatio secreti.* (k) *Acta Dresdæ cum Salia matre.* (l) *Legationes Electoris & Ducis Henrici in hac causa.* (m) *Landgravii cum Electore acta.* (n) *Consultatio Isenaci habita.* (o) *Hassiacorum Theologorum opinio & a Saxonicis dissensus.* (p) *Lutheri literæ.* (q) *Responsio ejus ad concionem quandam a se habitam.* (r) *Electoris de eadem sententia.* (s) *Landgravii ad Lutherum litera.* (t) *Responsum Landgravio Isenaci datum.* (u) *De Bucero & Sturmio quædam.* (w) *Legatio Brandenburgica & Saxonica ad Landgravium.* (x) *Lutheri censura in libellum Neobuli.* (y) *Scripta Landgravii & Lutheri post evulgatum secretum.* (z) *Epilogus dissertationis.*

(4) Elector & Lutherus constantiam suadent. (5) Urbani Rhegii literæ ad Electorem & hujus responsum. (6) Initium conventus Hagenoensis. (7) Ferdinandi Regis separata cum Catholicis tractatio. (8) Acta inter hos & Evangelicos secreta. (9) Ulterior Ferdinandi cum Catholicis actio. (10) Alia in conventu acta & scripta. (11) Cur Elector Saxoniæ ad conventum non venerit. (12) Ferdinandus tractat cum Evangelicis. (13) Eccii relatio de Articulis Augustæ compositis. (14) Disceptatio Ferdinandi cum Evangelicis & conventus solutio. (15) Notatur Maimburgius. (16) De Landgravio & Melanchthone aliquid. (17) Item de Nuncio Pontificis.

Additio IV. V. (a) *Ruperti a Mosham nova de concordia in religione propositiones.* (b) *Epistola Norimbergensium ei opposita.* (c) *Quædam de ejus morte.*

§. LXXX. (1) Historia conventus Wormatiensis. (2) Consultatio Protestantium de potentia Pontificis. (3) Legati Saxonici, & eorum mandata. (4) Dissidium inter collocutores Catholicos. (5) Granvellani literæ ad Ordines & Navii sermones. (6) Adventus Granvellani & mandatum amplissimum. (7) Ejusdem oratio. (8) Initium conventus. (9) Propositio Catholicorum contra majora suffragia. (10) Altercationes aliæ. (11) Admissio & oratio Legati Pontificii, item responsum ei datum. (12) Querelæ Protestantium de actis Catholicorum. (13) Melanchthonis literæ ad Granvellanum. (14) Literæ Legatorum Saxonicorum & responsum ad eos Electoris. (15) Colloquium inter Eccium & Melanchthonem, d. 14. ad 17. Jan.

Additio I. (a) *Eccius a Melanchthone descriptus.* (b) *Responsio ad ultimam ejus objectionem.*
(16) Finis & dissolutio conventus. (17) Granvellani ficta comitas.

Additio II. (a) *Planitii Legati Saxonici relatio ex aula Cæsaris.* (b) *Landgravii literæ ad Lundensem.* (c) *Hujus responsum.* (d) *Argentoratensium lites cum Clero.* (e) *Literæ Ducum Luneburgensium ad Cæsarem.* (f) *De Henrico Brunsuicensi quædam.* (g) *Conventus Evangelicorum Numburgi.* (h) *Nuptiæ Mauritii Saxoniæ Ducis.* (i) *Incrementa quædam reformationis.* (k) *Eccii de conventu Hagenoensi relatio.* (l) *Fabri nova contra Evangelicos consultatio.* (m) *Alia ex Raynaldo.*

§. LXXXI. (1) Lutheri enarratio in Psalmos graduum. (2) Commendatio tractationis verbi divini. (3) De pertinacia hæreticorum. (4) De fiducia in oratione ad Deum. (5) Rejicitur tropus in verbis institutionis sacræ cœnæ. (6) De sequelis doctrinæ Evangelicæ. (7) De miseria Ecclesiæ sub Papatu. (8) Epicrisis ad illa. (9) De retinendis ceremoniis decentibus admonitio. (10) De necessitate studii catechetici. (11) Prædictio de urbe quadam. (12) De sapientia Friderici Saxoniæ Electoris. (13) De periculo suo, cum inciperet disputare. (14) Laus virginitatis. (15) Vituperium impuri cœlibatus. (16) Bona conjugii. (17) De Atheismo Aristotelis. (18) De fide salvifica absque meritis. (19) De tolerandis infirmis. (20) De vitanda fiducia in meritis. (21) De solatio ex conservatione Ecclesiæ inter defectus & persecutiones. (22) Contra abusus Pontificiæ & Episcopalis potestatis. (23) Laus doctrinæ Evangelicæ sive reformationis. (24) Taxat eos, qui barbariem styli in Scriptura fastidiunt, & qui dissidia excitant. (25) Præstantia verbi divini.

§. LXXXII. (1) Relatio de Joh. Agricola Islebio. (2) Theses ejus contra doctrinam Legis. (3) Lutheri contrariæ. (4) Locus ejus ex tractatu de Conciliis. (5) Item ex Epistola ad Guttelium. (6) Retractat quædam olim scripta. (7) Queritur de adversariis. (8) Islebius accusat Lutherum. (9) Lutheri defensio. (10) Elector Saxoniæ judices & arbitros in causa hac constituit. (11) Agricola abit. (12) Elector Brandenburgicus pro Islebio ad Melanchthonem scribit. (13) Fidem Evangelicam egregie profitetur. (14) Melanchthon respondet. (15) Islebius scripto revocat errorem. (16) Alia quædam de ejus actis & obitu.

§. LXXXIII. (1) Adhortatio Lutheri ad Pastores, ut contra usuras concionentur. (2) Moderationem quandam admittit. (3) Commentatur de præceptis Christi, quæ pro consiliis habentur a monachis. (4) Speciatim quod omnibus dandum sit. (5) De mutuo, & patientia, & aliis quibusdam. (6) Epistola ad Canonicos Cizenses. (7) Ad Henricum Ducem Saxoniæ. (8) Ad Pomeranum & Melanchthonem de statu Religionis. (9) Ad Hieron. VVellerum de lupanaribus. (10) Quæstio Morlino proposita de bonis Ecclesiæ. (11) Preces Lutheri pro Melanchthone ægrotante.

§. LXXXIV. (1) Digressio de *Societate*, quæ vocatur *Jesu*, ab Ignatio Loyola instituta. (2) Ignatius quis. (3) Observatio de ejus & Lutheri notitia rerum theologicarum. (4) De fundamentis Ignatiani profectus & doctrinæ Lutheranæ. (5) De votis & destinationibus utriusque. (6) Ignatii primi progressus in doctrina & vita diversi a Luthero. (7) Tentationes & secuta revelatio. (8) Annotatio de revelatione illa. (9) Ignatius denuo docere incipit. (10) Scribit librum *de exercitiis spiritualibus*. (11) Epicrisis de libro. (12) Ignatii peregrinatio Hierosolymitana, & acta Venetiis. (13) Consilia ejus & studia literarum, eorumque examen aliquod. (14) Acta Ignatii Complutensia, cum epicrisi ex actis Lutheri. (15) Inquisitorum decreta in Ignatium. (16) Acta Ignatii Salmanticæ. (17) Ejus carcer & liberatio. (18) Proficiscitur in Galliam, & inter pueros literas discit, postea Philosophiam & Theologiam tractat. (19) Character morum ejus ex Maffeio. (20) Lutetiæ pericula adit. (21) Ignatii primi socii in Gallia delecti. (22) Vota & instituta societatis, eorumque consideratio. (23) Reditus Ignatii in Hispaniam & acta. (24) Ignatius Venetias repetit, suoque vivit more. (25) Romam venit, Venetias regreditur, considerantur acta ejus. (26) Apparitione cœlesti confirmatur, Romæ versatur & patronos invenit. (27) Catechesi operam dat. (28) Accusatur a Lutherano quodam. (29) Societas ab Ignatio constituta confirmatur Romæ. (30) Singulare obsequium ab Ignatio Pontifici delatum. (31) Elogium Ignatii ex verbis Bullæ Pontificiæ. (32) Regulæ societatis. (33) Excerpta ex regulis de paupertate & obedientia. (34) De exoneratione conscientiæ. (35) De omittendis negotiis secularibus. (36) De vitandis novitatibus doctrinæ. (37) De doctrina verbi divini. (38) De literis scribendis. (39) De exercitiis sacris. (40) Quartum votum & formula professionis. (41) Nova privilegia Pontificia. (42) Præpositus societatis generalis & provinciales. (43) Mors Ignatii & alia quædam de illo. (44) Consideratio primarii capitis regularum Jesuiticarum de conservanda potestate Pontificis. (45) De libris contra Jesuitas a Romano-Catholicis editis. (46) De Pallavicino aliquid. (47) De missionibus Jesuitarum Indicis sive Chinensibus. (48) Excerpta ex *theatro Jesuitico*. (49) Prævaricatio Jesuitarum in prædicando Chinensibus Evangelio & administrandis Sacramentis. (50) De idololatria, cujus participes se faciunt Jesuitæ. (51) De mutilatione doctrinæ, dum crucem Christi non prædicant. (52) Causa odii Jesuitarum in monachos. (53) Alia Jesuitis objecta. (54) De Ludovici Soteli, Episcopi Japonici, querelis contra Jesuitas, Romam delatis. (55) Speciatim quod sufficientem animarum curam non gerant, nec aliis permittant. (56) Libellus Didaci Collati Dominicani. (57) Annotationes singulares autoris *Part. II. Pract. mor.* speciatim de gestis Jesuitarum inter Abyssinos. (58) De neglectis a Jesuitis Christianis S. Thomæ. (59) De recusata a Jesuitis versione Bibliorum in linguam Chinensem. (60) Quædam ex libro Episcopi Heliopolitani de methodo conversionum. (61) Ratio cur hæc relata sint. (62) Annotatio de aliis Missionariis. (63) Item de officio Christianis incumbente in conversione paganorum. (64) De doctrina & catechesi Jesuitarum in Europa, & ejus elogiis, quæ sibi ipsis tribuunt. (65) De cognomine Jesuitico. (66) Consideratio encomiorum ex sententia Evangelicorum. (67) Nec non ex Romano-Catholicorum judicio, speciatim in articulo de gratia. (68) Jesuitarum sententia de tyrannicidio. (69)

Alia

Alia de reſervatione mentali & probabilitate. (70) Nova hæreſis Jeſuitarum denunciata ab Arnaldo, de peccato Philoſophico. (71) Sententia Jeſuitarum de attritione. (72) De infallibilitate Pontificis varia Jeſuitarum ſententia. (73) Libri Jeſuitarum Romæ & in Gallia damnati. (74) De moribus Jeſuitarum annotatio. (75) Item de ſocietatis flore, felicitate & induſtria. (76) De generalis Præpoſiti potentia. (77) Epilogus digresſionis de Jeſuitis.

Additio I. (a) *Exordium Bullæ Innocentii XI. contra Jeſuitarum ſententias.* (b) *Theſes in Bulla condemnatæ.* (c) *Concluſio Bullæ.* (d) *Annotatio quædam de ſtylo Bullæ.* (e) *Invidia Innocentio XI. ob Bullam publicatam nata.*

Additio II. (a) *Scriptum Dominicani de la Nuza contra Jeſuitas.* (b) *De Hildegardi Abbatiſſa, quæ fuerit.* (c) *Vaticinium ejus ex Bzovio.* (d) *Idem ex VVolfio.* (e) *Nuzæ explicationes vaticinii.* (f) *De Jeſuitarum impudentia.* (g) *De novitatibus a Jeſuitis introductis.* (h) *De perverſitate eorum.* (i) *De audacia, qua patribus Eccleſiæ contradicunt.* (k) *De calumniandi & adulandi ſtudio.* (l) *De fuga martyrii.* (m) *De invidia adverſus alios religioſos.* (n) *De captatione plebeji favoris.* (o) *De injuſte quæſitis.* (p) *De ingratitudine.* (q) *De vita eorum delicata.* (r) *De neglectu charitatis.* (s) *Item de calumnia.* (t) *De crudeli odio.* (u) *De amore mundi.* (w) *De licentia diſpenſationum.* (x) *De avaritia & crapula.* (y) *De ambitione.* (z) *De diſcordiæ ſerendæ ſtudio.* (aa) *De ſtructuris magnificis.* (bb) *Quid Jeſuitæ libro de la Nuzæ oppoſuerint, & quomodo reſponderit Arnaldus.* (cc) *Andreæ Oſiandri de vaticinio Hildegardis libellus.* (dd) *Excerpta ex oratione Majoragii de laudibus auri.* (ee) *Auri cupiditas in Pontifice & Cardinalibus.* (ff) *Fides eorum in ore & nummis.* (gg) *Bella gerunt auri cauſa.* (hh) *Omnia auro ab iis impetrantur.* (ii) *Etiam indulgentia peccatorum.* (kk) *Avaritia & faſtus Cardinalium.* (ll) *Item Epiſcoporum.* (mm) *Sacerdotes auri cauſa Miſſas celebrant & confeſſiones audiunt.* (nn) *Exequias vendunt.* (oo) *Minis iræ divinæ a populo aurum extorquent.* (pp) *De Jeſuitarum avaritia ſpeciatim.* (qq) *De Franciſcanis & ſimilibus quædam.*

Additio III. (a) *De hiſtoria miſſionis Tunkinenſis liber Joh. Phil. Marini Jeſuitæ, & cur ea hic allegetur.* (b) *De erroribus & abuſibus, quos Jeſuitæ barbaris proponunt.* (c) *De catechetis quos conſtituunt.* (d) *De purgatorio quod prædicant.* (e) *Quid B. Mariæ tribuant.* (f) *Locus Auguſtini de prodigiis.* (g) *De exorciſmo Tunkinenſium.* (h) *De miraculoſa pœna violati jejunii.* (i) *Stultus barbari metus ab imagine quadam.* (k) *Item fœminæ de offenſo Chriſto.* (l) *Confeſſio Marini, quod miraculorum dono careant Jeſuitæ, & aliis modis ſibi acceſſum quærant.* (m) *De abuſu dicti Paulini,* omnia fieri omnibus, *ex hiſtoria Gregorii VII.* (n) *Epiſtola Gregorii VII. Pontificis ad Regem Afrum.* (o) *Epicriſis.*

ANNUS 1541.

SECTIO 22. (1) Cæſar a Pontifice Legatum ad Comitia petit. (2) Mittitur Contarenus. (3) Acta quædam ejus. (4) Liber de religione a Cæſare exhibitus. (5) Alia Contareni acta.

§. LXXXV. (1) Animadverſio in quædam Pallavicini & Maimburgii dicta. (2) Speciatim de miniſtris Evangelicis & reditibus ſacris. (3) Quædam de Contareno. (4) Granvellani contumelioſa de Proteſtantibus dicta. (5) De autore libri Ratisbonenſis. (6) Melanchthonis de actis in Comitiis querela.

SECTIO 23. (1) Deputatio ad colloquium de religione. (2) Eventus ejus & acta Contareni. (3) Ordinum Imperii diverſa judicia. (4) Decretum Comitiale & declaratio Cæſaris particularis.

§. LXXXVI. (1) Acta Cæſaris ante Comitia. (2) Ferdinandi Regis acta quædam. (3) De Landgravio aliqua. (4) Legatio Saxonica. (5) Lutheri conſilium de negotiis comitialibus. (6) De Cæſaris & Epiſcoporum intentione. (7) De

Eccio & aliis quædam. (8) Acta Legatorum Saxonicorum cum Cæsare & Granvellano. (9) Electoris rescriptum ad Legatos. (10) Lutheri aliud de actis comitialibus judicium. (11) Epicrisis de sententia Lutheri. (12) Electoris mandata ad Legatos. (13) Misnensis Episcopi querela de Electore. (14) Propositio Cæsarea. (15) De Evangelicorum statu eo tempore.

§. LXXXVII. (1) Alia Electoris ad Legatos mandata & missio Amsdorffii. (2) Relatio Legatorum. (3) Elector Melanchthonis stylum improbat in articulo de justificatione. (4) Lutheri de illo sententia. (5) Crucigeri de eo epistola. (6) De meritis operum quædam. (7) De Ecclesia. (8) De Eucharistia. (9) De confessione & absolutione. (10) De satisfactionibus. (11) De ministerio & regimine Ecclesiæ. (12) De cultu Sanctorum. (13) De Missa. (14) De conjugio Clericorum.

§. LXXXVIII. (1) Electoris Saxonici rescripta ad Legatos de consiliis Cæsaris. (2) Item de Melanchthone. (3) Legatorum de illo & aliis Theologis & actis cum Cæsare relatio. (4) De Landgravio quædam. (5) Item de Cæsare & Navio. (6) Electoris nova solicitudo. (7) Relatio de fine colloquii & de abusuum designatione postulata. (8) Electoris responsum. (9) Nova spes concordiæ. (10) Legatio ad Lutherum ex Comitiis. (11) Responsum Lutheri. (12) Epicrisis de hac legatione.

§. LXXXIX. (1) Electoris mandatum ad Burcardum Cancellarium. (2) Speciatim de bello Turcico. (3) Nova de concordia tractatio sine effectu. (4) Lutheri de libro Ratisbonensi responsio. (5) Electoris & Legatorum ejus scripta quædam. (6) De Bucero aliqua. (7) Lutheri de conciliationibus sententia. (8) Mandata Electoris de Theologorum reditu. (9) Notatur Pallavicinus. (10) De Contareno aliquid. (11) Speciatim de dicto ejus de Episcopis. (12) Finis & decretum Comitiorum. (13) Declaratio Cæsaris Protestantibus data.

Additio. (a) *Salvi conductus specialis formula a Cæsare Protestantibus data.* (b) *Acta cum Legato Gallico in Comitiis.* (c) *Melanchthon defertur apud Cæsarem.* (d) *Poloniæ Rex intercedit pro Alberto Borussiæ Duce.* (e) *Rixa cum Henrico Brunsuicensi Protestantium & Lundensis.* (f) *Acta fœderatorum Evangelicorum separata in Comitiis.* (g) *Quædam ex Raynaldo de mandatis Pontificiis.* (h) *De expostulatione Bavariæ Ducum cum Cæsare.* (i) *Aliæ querelæ de Protestantibus & de Cæsare.* (k) *Moguntini inprimis cum epicrisi.* (l) *Errores & acerbitates Raynaldi vel autorum quos sequitur.* (m) *De actis quibusdam Pontificis nomine cum Granvellano.* (n) *Mors Joh. Fabri. Pontificis literæ ad Contarenum.* (o) *Accusatio collocutorum, & speciatim Pflugii & Gropperi apud Pontificem, ut & Protestantium. Laus Jesuitarum.* (p) *De Moguntino quædam.* (q) *Acta quædam Contareni.* (r) *Cæsar culpatur apud Pontificem & ejus Legatum. Alia quædam.* (s) *Ex Spalatino de receptione Contareni in Comitiis.* (t) *Ceremonialia quædam de Cæsare, & Legatis Saxonicis, Landgravio & aliis.* (u) *Cæsaris acta cum collocutoribus, & quædam de colloquio & qui ei adfuerunt.*

SECTIO 24. (1) Maimburgii censura de actionibus Cæsaris. (2) De infelici ejus in Africam expeditione. (3) De colloquio ejus cum Pontifice. (4) De naufragio classis Cæsareæ. (5) De clade in Hungaria. (6) Pontifex Concilii indictionem renovat.

§. XC. (1) Refellitur Maimburgii censura in Cæsarem. (2) Item in Protestantes. (3) De causa Juliacensi. (4) De Sabaudiæ Duce. (5) De cladibus Cæsaris & Ferdinandi.

nandi. (6) Eccii querela de Pflugio & Groppero. (7) De Cæsaris itinere in Italiam & colloquio Lucensi. (8) Legationes Pontificis de Concilio.

§. XCI. (1) Mors Henrici Saxoniæ Ducis. (2) Mauritius Dux, ejus filius fœderi Smalcaldico renunciat. (3) De Henrico Brunsvicensi quædam, & de Bavariæ Ducibus. (4) Lutheri ad Sveciæ Regem epistola, hujusque responsum. (5) Sveciæ Regis literæ ad Electorem & Landgravium.

Additio. (a) *Incrementa Evangelicæ religionis in inferiori Saxonia. Specialim in urbe Halensi.* (b) *Descriptio reliquiarum, quæ Halis ostendi solebant.* (c) *De origine & progressu Evangelicæ doctrinæ in urbe illa & de actis inter Senatum & cives.* (d) *D. Justus Jonas Halas vocatur, notantur etiam alia quædam.* (e) *Lutheri de reformatione Halensi epistola.* (f) *De D. Jona quædam & aliis, quæ postea secuta sunt.*

§. XCII. (1) Enarratio Lutheri in Psalmum XC. (2) De titulo, *vir Dei.* (3) Observatio de solatio in prima legis tabula latente. (4) Quod ira Dei sit causa mortis. (5) De peccato concupiscentiæ subtilius aliquid. (6) De brevitate vitæ. (7) De miseria senectutis. (8) Alia quædam Lutheri scripta exegetica. (9) Excerpta ex enarratione Prophetæ Nahum, de interitu hostium Ecclesiæ. (10) Similia ex commentario in Sophoniam. (11) De sensu vocis *pochazim*. (12) De vocabulo Hebraico *nughe*, quod Hieronymus accepit pro *nugæ*. (13) Responsio ad objectionem de malis moribus Evangelicorum. (14) Ad verba Malachiæ, quæ de sacrificio Missæ explicant Pontificii. (15) Argumentum in Haggeum autore Melanchthone.

§. XCIII. (1) Lutheri scriptum contra Henricum Brunsvicensem. (2) De scommate Hanß Worst. (3) Gloriatur de inimicis. (4) Titulum Ecclesiæ Evangelicis vindicat, Pontificiorum errores ostendit. (5) De Georgio Saxoniæ Duce & de Moguntino quædam. (6) De Concilio. (7) De pravis Evangelicorum moribus. (8) De sua cum Tezelio disputatione. (9) De moribus Joh. Friderici Electoris. (10) Quædam de Henrico Brunsvicensi. (11) Item de Landgravio & Friderico Saxoniæ Electore. (12) De bello Turcico. (13) Conciones Dessaviæ habitæ. (14) Epistola ad Myconium ægrotantem. (15) Alia de immunitate ministrorum Ecclesiæ. (16) De transsubstantiatione & elevatione. (17) Consolatio ad VVolfgangum Anhaltinum. (18) Ad Principes Anhaltinos admonitio de litibus forensibus. (19) Epistola ad Electorem Saxoniæ de sua senectute & mortis desiderio. (20) De Melanchthone & VVinshemio quædam. (21) Præfatio de libro Ratisbonensi. (22) Aliæ quædam Lutheri epistolæ.

ANNUS 1542.

SECTIO 25. (1) Evangelicorum protestatio contra Pontificem. (2) De Pflugio & Amsdorffio Episcopis Numburgensibus. (3) Indictio Concilii Tridentini. (4) Taxatur ut intempestiva.

§. XCIV. (1) Legati Electoris Saxonici ad Comitia Spirensia, eorumque mandata. (2) Ferdinandi Regis moderatio erga Protestantes, & decreta Comitiorum Spirensium. (3) Nova eorum declaratio. (4) Quædam de bello contra Turcos. (5) Evangelicorum in Comitiis Spirensibus tractatus particularis. (6) Pontificis mandata Morono data. (7) Catholicorum responsio. (8) Legatio Galliæ Regis ad Comitia Spirensia. (9) Ejusdem ad Electorem Saxoniæ literæ. (10) Alia quædam de legatione Gallica.

Addi-

Additio. (a) *De mandatis Pontificiis ad Moronum ex Raynaldo quaedam cum epicrisi.* (b) *Monita Pontificis de foedere Catholico & alia quaedam.* (c) *De loco & tempore Concilii.* (d) *Contenta diplomatis quo Concilium indictum est.* (e) *De Contareno & Occhino quaedam.*

§. XCV. (1) Visitatio Camerae suspenditur a Caesare & Ferdinando contradicentibus Evangelicis. (2) Saxo & Landgravius Ducatum Brunsvicensem occupant. (3) Legatorum ex Comitiis in Ducatum missorum relatio.

Additio. *Consolatoria Pontificis ad Henricum Brunsuicensem litera.*

(4) Electoris & Landgravii excusatio & oblatio. (5) Propositio in Comitiis Norimbergensibus. (6) Digressio de auxiliis contra Turcos a Protestantibus & speciatim a Mauritio Duce praestitis. (7) De modo collectandi. (8) De Alberto Borussiae Duce. (9) Acta in Comitiis Norimbergensibus.

§. XCVI. (1) Descriptio Episcopatus Numburgensis. (2) De Philippo Palatino, Episcopo Cizensi. (3) Consilia & acta Electoris Saxoniae de eligendo in Philippi locum Episcopo. (4) Legatio ad Capitulum Numburgense & hujus responsum. (5) Rescriptum Electorale ad Senatum Numburgensem. (6) De electione Julii Pflugii. (7) Tractatus irritus cum Capitulo de eligendo alio. (8) Caesaris mandata de admittendo Julio. (9) Electoris nomine occupatur Ciza. (10) Notatur Maimburgius. (11) Status religionis in Episcopatu, speciatim Numburgi. (12) Status religionis in urbe Cizensi. (13) De Nicolao Amsdorffio ad Episcopatum vocato. (14) De Amsdorffii introductione, regimine & oeconomia.

Additio. (a) *Consilium primum Lutheri & Collegarum de eligendo Episcopo Numburgensi.* (b) *Alterum consilium.* (c) *Monita quaedam eorum specialia.* (d) *In specie de conservandis Canonicatibus & de Academiis.* (e) *Electoris responsum.* (f) *Theologorum replica.* (g) *Elector decernit vocandum esse Amsdorffium.* (h) *Epicrisis ad dicta Maimburgii.* (i) *De Pflugio quaedam ex sequentium temporum historia.* (k) *De Amsdorffio itidem.*

§. XCVII. (1) Initia Evangelicae doctrinae in urbe Ratisbonensi. (2) Publicum ejus exercitium hoc anno introductum. (3) Otto Henricus Palatinus favet doctrinae Evangelicae. (4) Edicto publico eam in ditionem introducit. (5) Recipitur in foedus Evangelicum. (6) Receptio religionis Evangelicae in urbe Hildesiensi. (7) Episcopi Hildesiensis oppositiones & acta cum Electore Saxoniae. (8) Quaedam de controversia inter Episcopum Hildesiensem & Duces Brunsvicenses. (9) De Episcopi actionibus contra civitatem in Camera & alia quaedam.

Additio I. (a) *Consolatio Pontificis ad Episcopum Hildesiensem.* (b) *Quaedam ex literis Senatus Hildesiensis ad Episcopum.*

(10) Evangelicae doctrinae conatus in urbe Metensi. (11) Lutheri ea de re consilium. (12) Acta Procerum Evangelicorum cum Metensibus. (13) Vis Metensibus illata a Gvisio a Rege Galliae excusatur. (14) Acta Caesaris nomine contra Evangelicos Metenses.

Additio II. (a) *De laniena Gorsensi relatio ex Fürstenbergii literis.* (b) *De monacho Gallo Evangelicis infesto.* (c) *Epistola Procerum Evangelicorum ad Ducem Lotharingiae.*

(15) Visitatio in districtu Wurzensi. (16) Literae ad Lutherum Venetiis datae.

Additio III. (a) *Excusatio quod non scripserint.* (b) *Querela de persecutionibus.* (c) *Consilium & opem implorant.* (d) *Dolent ob controversiam Sacramenta-*

mentarium, & remedium petunt. (e) *De Lutheri ad Alterium literis ex Hospiniano.*

§. XCVIII. (1) Dissidium & conventio inter Electorem & Mauritium Ducem Saxoniæ. (2) De Cæsaris & Galliæ Regis rixis, & quædam de causa Geldrica. (3) Legatio Gallica ad Electorem Saxoniæ, datumque hujus responsum. (4) Conventus Evangelicorum Svinfurti. (5) Protestatio eorum adversus Cameram Spirensem.

Additio. (a) *Quædam ex Raynaldo de Episcopo Mersburgensi.* (b) *De Livonis, & libro quodam Eccii.* (c) *De Concilio quædam.* (d) *De Roberto Vanchop.* (e) *Reformatio curiæ Romanæ simulata.* (f) *Literæ Pontificis ad Polonos.* (g) *Articuli Synodi Gnesnensis.* (h) *Alia quædam ex Raynaldo.*

§. XCIX. (1) Lutheri commentarius in Michæam, & quædam ex exordio de impletione Prophetiæ. (2) De erroribus Romanæ Ecclesiæ. (3) De imaginibus, quatenus tolerandæ. (4) De abusu bonorum Ecclesiasticorum. (5) Iterum de abusibus Romanæ Ecclesiæ. (6) De ficta sanctitate monachorum. (7) De gratia Dei universali, & cur non omnibus ad salutem proficiat. (8) De elencho etiam in Magistratus necessario. (9) Taxat avaritiam Cleri. (10) Et advocatorum malitiam. (11) Salaria ministrorum Ecclesiæ commendat. (12) De spontanea Christianorum obedientia. (13) Bellare Christianis licitum esse non negat. (14) Ad constantiam & spem pios hortatur, & alia quædam breviter indicata. (15) Querela de malis moribus hominum, etiam in vera Ecclesia viventium. (16) De fructu calamitatum publicarum. (17) De characteribus Ecclesiæ. (18) De Concilio a Pontifice indicto, cur liberum non sit. (19) Formula juramenti, quo promovendi in Doctores Pontifici adstringuntur. (20) Animadversiones in eam & alia Lutheri.

§. C. (1) Lutheri dissertatio de inauguratione Amsdorffii ad Episcopatum Numburgensem, & cur Pflugius non sit admissus. (2) Rejicit exceptionem præscriptionis & possessionis. (3) Juramentum in re impia præstitum servandum esse negat. (4) Concedit Episcopis ut per Vicarios res agant & Canonicatus servandos esse svadet. (5) Defendit ritum ordinationis Amsdorffianæ, & personam Amsdorffii commendat. (6) Ad oblata a Pflugio respondet. (7) Annotatio quædam de scripto hoc ex epistola Lutheri. (8) Præfatio in libellum Richardi contra Alcoranum. (9) De impietate eorum, qui scientes peccant. (10) De incertitudine traditionum annotatio. (11) De hypocrisi Mahometanorum. (12) De Antichristianismo. (13) De damnis a Turcis illatis & metuendis. (14) Præfatio in librum de conformitatibus Francisci. (15) Adhortatio de pace ad Saxoniæ Principes in causa Wurzensi. (16) De Friderico Electore narratiuncula. (17) Epilogus scripti cum epicrisi. (18) Epistola Lutheri de causa VVurzensi.

§. CI. (1) Præfatio in Postillas Joh. Spangenbergii. (2) Admonitio de puerperis & de baptismo infantum infirmorum. (3) Libellus Bugenhagii de eadem materia. (4) Additamentum libelli autore Luthero. (5) Intercessio Lutheri pro scholæ Zviccaviensis incremento. (6) Literæ ejus de tributis propter bona sua præstandis. (7) Lutheri & Bugenhagii literæ de baptismo sine aqua.

ANNUS 1543.

§. CII. (1) Legatio Ferdinandi Regis ad Electorem Saxoniæ, & hujus responsio de comparitione in Comitiis Norimbergensibus. (2) De Christophoro, Episcopo

ſcopo Auguſtano, & ejus morte. (3) Summa actorum in Comitiis Norimbergenſibus. (4) Nomina Legatorum Proteſtantium in Comitiis. (5) Cauſæ cur decretum recuſaverint. (6) Tractatus in cauſa Brunſvicenſi ſine ſucceſſu. (7) Electoris Saxoniæ querelæ de periculo cauſæ Evangelicæ, & conſtantiæ teſtimonium. (8) Evangelicorum acta & decreta Norimbergæ. (9) Conventus alius Smalcaldiæ, quem adire recuſat Mauritius Dux Saxoniæ, ut & Norimbergenſes & Ratisbonenſes. (10) Acta in conventu. (11) Legatio Evangelicorum ad Cæſarem. (12) Reſponſum Cæſaris & relatio de Navio. (13) Conventus Evangelicorum Francofurtenſis, & ejus acta.

§. CIII. (1) Legatio ad viſitandam Cameram. (2) De Cameralis judicii illo tempore ſcopo & actionibus. (3) Dilatio decretæ viſitationis. (4) Ejusdem reasſumtio. (5) De Epiſcopo Hildeſienſi & aliis viſitationis actis. (6) Cancellarius Moguntinus a viſitatione excluditur. (7) Diſputatio de Receſſu Auguſtano. (8) Alia de articulis per Evangelicos judicio Camerali objectis. (9) De juramento Aſſeſſorum & de declaratione Cæſarea ab Hildeſienſi oppugnata. (10) Ruptura conventus viſitatorii. (11) De jure Moguntini in Cancellaria Camerali.

§. CIV. (1) De magno periculo cauſæ Evangelicæ hoc anno, & Electoris & Landgravii gravibus curis. (2) De Cæſaris intentione ſtatuque publico diverſa judicia, Bavarica inprimis. (3) Speciatim quædam de Leonardo ab Eck & de Ulrico VVürtenbergico. (4) Cæſaris & Granvellani acta cum Landgravio & Proteſtantibus. (5) Alia Granvellani & Navii acta Auguſtæ. (6) Eorum mandata ad Landgravium Schertelio data. (7) Acta Cæſaris cum Coppio Legato Proteſtantium. (8) Item Granvellani cum Burcardo Cancellario Saxonico, & de Navio quædam. (9) Ferdinandi acta cum Proteſtantibus.

§. CV. (1) Granvellani de Henrico Brunſvicenſi dicteria & ſcripta. (2) Proteſtantium ſuſpiciones de Henrico Brunſvicenſi & propter cauſam Juliacenſem. (3) Regis Galliæ acta cum Juliacenſi & Proteſtantibus. (4) Cæſaris iter Germanicum & expeditio Juliacenſis. (5) De Ulrico VVürtenbergico quædam. (6) Solicitudo Electoris Saxoniæ de fide & uſu fœderis Smalcaldici, & deliberatio cum Landgravio. (7) Mauritius Saxoniæ Dux fruſtra ſolicitatur ut ad ſocietatem fœderis rediret. (8) Epicriſis de ſtatu fœderatorum.

SECTIO 26. Pontifex Concilium ſuſpendit.

§. CVI. (1) Examinantur quædam Pallavicini dicta. (2) Acta inter Cæſarem & Pontificem. (3) De Concilio Tridentino quædam. (4) Speciatim de ejus ſuſpenſione. (5) Alia quædam ex Pallavicino.

Additio. (a) *Raynaldus cauſam ſuſpenſi Concilii Epiſcopis Germanis perperam tribuit.* (b) *Rixa in Concilio Tridentino de abſentia Epiſcoporum Germaniæ.* (c) *Variæ Pontificis conſtitutiones de eorum præſentia & abſentia.* (d) *Temperamentum in admiſſione Procuratorum ab Epiſcopis Germaniæ conſtitutorum.* (e) *Epicriſis.*

SECTIO 27. (1) Relatio Maimburgii de reformatione ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi cœpta. (2) Taxat Hermannum ut indoctum & ſtupidum. (3) Refert ut Bucerum & alios acciverit. (4) De oppoſitione Cleri Colonienſis. (5) Gropperus laudatur; culpantur Theologi Proteſtantes. (6) Pontifex Hermannum condemnat; Imperator connivet. (7) Hermannus ſe abdicat Archiepiſcopatu. (8) Cæſar in Germaniam venit ad Comitia Spirenſia.

§. CVII. (1) De Hermanno verior narratio. (2) De ejus reformatione anno 1536. (3) De altera anno 1539. & sequentibus. (4) Melanchthonis iter ad Hermannum. (5) Epistola Melanchthonis ad Lutherum de gestis Bonnæ. (6) Item ad Camerarium. (7) Respondetur Maimburgii dictis quibusdam. (8) De Buceri & Melanchthonis mollioribus consiliis quædam. (9) Item de Groppero. (10) Notatur Surius.

Additio. (a) *Epistola Melanchthonis ad Hermannum Archiepiscopum.* (b) *Rescriptum Pontificium ad Senatum Coloniensem.* (c) *Libellus Cleri Coloniensis contra Bucerum.* (d) *Canonicorum Coloniensium factiones.* (e) *Contenta quædam libelli contra Bucerum.* (f) *Improbatur, quod concupiscentia dicatur peccatum, & invocatio Sanctorum reprehendatur.* (g) *Missa defenditur.* (h) *Item confessio & monachatus.* (i) *Bucero multa exprobrantur, agnoscuntur tamen abusus quidam, & disputatio sub judice competente offertur.* (k) *Quædam ex responso Melanchthonis, speciatim ex exordio.* (l) *Describit statum Ecclesiæ ante Lutherum.* (m) *Distinguit Clerum illius temporis a veteri.* (n) *De vi & fraude adversariorum queritur.* (o) *Docet de pœnitentia & bonis operibus, & abusus notat.* (p) *Speciatim invocationem Sanctorum.* (q) *Item quæ in Missa fiunt.* (r) *Narrat historiam de protervia cujusdam sacerdotis miracula jactantis.* (s) *Emendationem vanam ridet.* (t) *Impugnat cœlibatum.* (u) *Laudat conjugium Buceri.* (w) *Superstitionem Ecclesiæ Coloniensis insectatur.* (x) *Scripta & intentiones suas defendit.* (y) *Calumnias & hypocrisin monachorum ostendit.* (z) *Exemplum ex historia Gallica affert.* (aa) *Legatio Electoris & Landgravii Coloniam missa, ejusque acta.* (bb) *Capitulum Coloniense ad Pontificem appellat.* (cc) *Hermannus apostolos refutatorios dat.* (dd) *Programma Capituli contra reformationem & acta Buceri.* (ee) *Hermanni ad id responsio.* (ff) *Protectorium Cæsaris Clero Coloniensi datum, & alia quædam ejus acta.*

§. CVIII. (1) Formula reformationis Coloniensis. (2) Quædam ex Præloquio. (3) Ex ipsa constitutione sententia de fundamento doctrinæ. (4) De invocatione Sanctorum, libero arbitrio, lege & pœnitentia. (5) Expositio Decalogi, speciatim præcepti decimi. (6) De justificatione & bonis operibus. (7) De Ecclesia & ejus ministris. (8) De precibus & speciatim de iis quæ ad sanctos fiunt. (9) Formulæ precum de Sanctis, quæ non improbantur. (10) De abusibus circa imagines. (11) De jejuniis & eleemosynis. (12) De Anabaptistis. (13) De ordine cultus publici. (14) De Sacramentis, & speciatim de Baptismo. (15) De confirmatione. (16) De Cœna Domini. (17) De Missa & communione. (18) Exhortatio de Sacramento. (19) Ordo Liturgiæ. (20) De communione ægrotantium. (21) De Confessione. (22) De disciplina Ecclesiæ. (23) De matrimoniis. (24) De sepulturis. (25) De festis. (26) De tempore & modo jejunii & diebus supplicationum. (27) De scholis. (28) De inspectione & synodis. (29) De Canonicis & monachis.

Additio. (a) *Epicrisis de reformatione Coloniensi.* (b) *Quædam ex Raynaldo de monitorio Pontificis ad Hermannum.* (c) *Hermannus a Pontifice condemnatur, cedit Episcopatu & obit.* (d) *Lutheri de libello judicium.*

§. CIX. (1) Ordinatio Ecclesiastica in Ducatu Brunsuicensi Guelpherbytano. (2) De catechismi necessitate. (3) De studio professionis Christianæ. (4) De jure consti-

constituendi ritus Ecclesiasticos. (5) De quibusdam fidei articulis. (6) De salariis Pastorum. (7) De Superintendentibus. (8) De Canonicis. (9) De usu latinæ linguæ in sacris. (10) De ceremoniis quibusdam. (11) De concionibus. (12) De confessione & absolutione. (13) De imaginibus. (14) De excommunicatione. (15) De sepulturis. (16) De baptismo infantum ægrotantium & alia quædam. (17) Reliquæ ordinationis partes, & ut abrogata fuerit. (18) Specialis constitutio de Canonicis & monachis. (19) Admonitio de fide salvifica & vero cultu Dei, rejiciendisque superstitionibus & abusibus. (20) Improbantur collectæ de sanctis. (21) Alia talium exempla ex Breviario Romano. (22) De remissione peccatorum & justificatione per solam fidem. (23) Notatur cultus Marianus. (24) Item S. Nicolai. (25) Falsa de Matthæo Apostolo narratio (26) Speciatim de voto virginum. (27) S. Laurentii historia. (28) Item de S. Bartholomæo. (29) De assumtione B. Virginis.

Additio. (a) *Ordinatio Ecclesiastica in urbe Brunsuicensi autore D. Pomerano.* (b) *Quædam ex præfatione.* (c) *De Baptismo.* (d) *De scholis.* (e) *De ministerio Ecclesiastico.* (f) *De concionibus.* (g) *De matrimonio, ceremoniis & festis.* (h) *De Sacramento cœnæ.* (i) *Alia quædam.*

§. CX. (1) Acta in Misnia ad reformationis confirmationem. (2) Constitutio Mauritii Saxoniæ Ducis de rebus Ecclesiasticis. (3) Fundatio scholarum illustrium, dotatio Academiæ, & alia. (4) Perpetua destinatio bonorum Ecclesiasticorum ad pios usus. (5) De jurisdictione Episcopali & causis matrimonialibus.

Additio. (a) *Rescriptum memorabile Mauritii Ducis ad Proceres Academiæ Lipsiensis de instituendo Consistorio.* (b) *Verba ejus Germanica.* (c) *Contenta Rescripti Latine versa.*

(6) Reformatio Principatus Hennebergici. (7) Digressio de familia Hennebergica. (8) Ecclesiæ Prælati ex Hennebergicis. (9) De Guilielmo Principe, ejusque superstitione & aversione ab Evangelio. (10) Filiorum ejus ad Evangelium propensio. (11) Guilielmus initium facit reformationis, vocato Wittenberga Forstero. (12) Constantia Guilielmi & obitus. (13) Alia ex historia Hennebergica; usque ad extinctionem familiæ. (14) De translatione Hennebergicæ provinciæ ad Duces Saxonicos. (15) Exacta reformatio in ditione Rhutenica.

§. CXI. (1) De scriptis Lutheri. (2) Libellus de Judæis & eorum mendaciis. (3) De dictis quibusdam Scripturæ in tractatu hoc explicatis. (4) Blasphemias eorum vituperat & pœna dignos habet. (5) Differentia spei Judæorum & Christianorum de Messia. (6) Alius tractatus Lutheri de Schemhamphoras Judæorum. (7) Rejicit superstitionem de non pronunciando nomen Jehovæ. (8) Confirmat genealogiam Christi. (9) Epicrisis ex loco Luc. II. 69. (10) Lutheri effatum generale de hac quæstione. (11) Item de dignitate librorum Novi Testamenti. (12) De virginitate Mariæ. (13) De conversione Judæorum. (14) Pravam eorum Grammaticam reprehendit Lutherus. (15) Ut & punctationem. (16) Agnoscit defectus in versione sua. (17) Lutheri Commentarius ad ultima verba Davidis. (18) Monet quædam de vero versionum scopo contra Rabbinos. (19) Speciatim in hoc libello suo, cujus elogium additur. (20) Quædam philologica.

(21) De

(21) De mysterio S. S. Trinitatis. (22) De communicatione idiomatum & unione personali. (23) Observatio de mysteriis fidei populo proponendis. (24) De invocatione trium personarum divinitatis. (25) Explicatio dictorum quorundam. (26) De duabus naturis in Christo.

§. CXII. (1) De oratiunculis a filiis Saxoniæ Electoris habitis. (2) Lutheri in eas præfatio & elogium puerorum. (3) Votum pro illis. (4) Annotatio quædam historica. (5) Epistolæ Lutheri ad Wolferinum de re sacramentaria. (6) Consolatoriæ Lutheri ad Amsdorffium. (7) Quæstio D. Morbachio proposita a Luthero. (8) Viti Theodorici, ut & Lutheri epistolæ de morte Eccii. (9) Lutheri epistola pro pastore, qui vitia taxaverat. (10) Præfatio in D. Linccii commentarium in Pentateuchon. (11) Admonitio ad preces contra Turcos. (12) Programma contra scortationes. (13) Consolatoriæ. (14) Contra Schwenckfeldium. (15) De excommunicatione & de ritu elevationis. (16) Relatio de elevatione ab Amsdorffio abrogata. (17) Lutheri literæ de elevatione abolenda. (18) Ejusdem narratio de secuta abrogatione. (19) Annotatio ad censuram Bossueti. (20) Compilationes & editiones librorum Lutheri.

ANNUS 1544.

SECTIO 28. (1) Cæsaris adventus ad Comitia Spirensia. (2) Querelæ ejus adversus Galliæ Regem. (3) Aliæ Ducis Sabaudiæ contra eundem Regem. (4) Apologia Legatorum Gallicorum & alia quædam. (5) Cæsar Protestantes sibi conciliat. (6) Edictum Comitiorum Spirensium. (7) Saxoniæ Electoris & Landgravii erga Cæsarem obsequium. (8) Judicium Maimburgii de Cæsare.

§. CXIII. (1) Acta quædam ante Comitia aut sub initium illorum. (2) Ordinatio Electoris Saxoniæ de disciplina aulica, & literæ de ea Casp. Aquilæ. (3) Acta inter Consiliarios Cæsaris & Electoris Saxoniæ. (4) Quædam de legatione Gallica, Duce Sabaudiæ & literis hujus causa ad Pontificem scriptis. (5) De adventu Electoris Saxoniæ ad Comitia, & alia quædam. (6) Archiepiscopi Coloniensis & aliorum Evangelicorum acta cum Catholicis. (7) Callidum Cæsaris consilium de stylo decreti Comitialis. (8) Contenta quædam decreti cum annotationibus. (9) De judicio Camerali in specie. (10) Literæ Pontificis ad Ordines Catholicos in causa Sabaudica cum epicrisi.

Additio. (a) *Landgravii acta quædam in Comitiis.* (b) *Ejus & Electoris Saxoniæ litigium in Comitiis cum Henrico Brunsuicensi.* (c) *De digamia Hassiaca aliquid, & de secta Anabaptistica.* (d) *Acta quædam Cæsaris, & Maimburgii de illis censura.*

SECTIO 29. (1) Pontificis rescriptum objurgatorium ad Cæsarem. (2) Cæsaris lene responsum, & alia quædam.

§. CXIV. (1) De literis Pontificis ad Cæsarem & cur producantur. (2) De libello Lutheri literis illis opposito & quidem duplicibus. (3) Exordium literarum Pontificiarum de indulgentia Heli. (4) Annotatio ex Pallavicino, item Lutheri ex libro supra dicto. (5) Pallavicinus laudat Paulum III. Additur epicrisis. (6) Pontifex obsequium Cæsaris olim præstitum laudat,

dat, ejus vero errata præsentia culpat. (7) Consideratur Cæsaris obsequium. (8) Queritur Pontifex, quod in decreto Comitiorum non sit nominatus. (9) Notatur Cæsareani styli negligentia. (10) Accusat Pontifex Cæsarem de indulgentia erga Lutheranos. (11) Notatur aliquid ad dictum Pallavicini & Pauli Veneti de admissione Laicorum ad Concilium. (12) Pontifex objurgat Cæsarem, quod Pontificium munus invaserit & Laicos admiserit. (13) Negatur principium Pontificiæ assertionis. (14) Pontifex exempla Veteris Testamenti Cæsari opponit. (15) Ostenditur differentia Veteris & Novi Testamenti. (16) Alia Pontificis objectio ab exemplo Regis Oziæ. (17) Examinatur allegatum jus potestatis Pontificiæ. (18) Lutheri responsio ad interpretationem Pontificiam de clavibus, Petro traditis. (19) Pontifex exempla Imperatorum proponit, qui Pontifices læserint infelici eventu. (20) Epicrisis ad exempla illa. (21) Pontifex exemplum Judæorum & Græcorum proponit, ob rebellionem punitorum. (22) Respondetur ad hanc objectionem. (23) Pontifex Constantini M. exemplum Carolo proponit; Concilium generale suadet; Lutheranos ut hæreticos aversatur. (24) Annotatio ad exemplum Constantini ex Richerio. (25) Lutheri sententia adducitur, Papam Ecclesiæ judicio subjectum esse statuentis. (26) Eadem ex Richerio. (27) Notantur alia quædam ad asserta Pontificia. (28) Pontifex commendat Concilium generale; rescindi cupit decreta Spirensia; conclusio epistolæ. (29) Brevis Annotatio.

§. CXV. (1) Annotationes ad decretum Spirense, Romæ compositæ ex Raynaldo. (2) Exordium aliarum literarum Pontificis ad Cæsarem, ex Raynaldo productarum. (3) Lutherus intentionem Pontificis de Concilio in censuram vocat, & ostendit quid sit Concilium liberum & Christianum, & cur in Germania habendum. (4) Pontifex impugnat Concilium nationale, & sibi soli jus pronunciandi in sacris asserit. (5) Rejicitur assertum Pontificis de cognitione in causis fidei. (6) Pontifex urget dictum: *pasce oves meas.* (7) Lutherus impugnat jus potestatis Pontificiæ & ejus abusum demonstrat. (8) Negat Pontificatum a Principibus aut Ecclesia, & sic neque a Deo, constitutum esse. (9) Respondet ad dictum Matth. XVI. *Tu es Petrus.* (10) Disputat de origine Romanæ Ecclesiæ. (11) Iterum refutat interpretationem dicti: *Tu es Petrus.* (12) Disputat contra jus clavium Pontificum. (13) Respondet ad *can. omnes dist. 22.* (14) Taxat alia Canonum loca de Pontificis potestate. (15) Ostendit oppositionem Christi & Pontificis. (16) Responsio Lutheri ad dictum; *pasce oves meas.* (17) Continuatio epistolæ Pontificiæ ad Cæsarem, cui defectio ab Ecclesia imputatur. (18) Defenduntur acta Cæsaris & causa metus a Concilio nationali indicatur. (19) Pontifex Cæsarem sub persona Christi alloquitur. (20) Rejicitur assertio de translato per Pontificem ad Germanos Imperio, ex Luthero. (21) Pergit Pontifex in objurgatione Cæsaris & de Concilio disputat; finis epistolæ. (22) Pallavicini de epistolæ stylo censura. (23) De sanctione pragmatica in Hispania aliquid, & alia quædam. (24) Responsum Cæsaris ad literas Pontificis Romæ probatur. (25) Contenta responsi Cæsarei.

SECTIO 30. (1) Expeditio Cæsaris in Galliam, & secuta mox pacificatio. (2) Pontifex Concilium denuo indicit.

§. CXVI. (1) Acta particularia fœderatorum Evangelicorum in Comitiis Spirensibus. (2) De lite cum Henrico Brunsvicensi, & de auxiliis contra eum per fœderatos quæsitis. (3) Landgravii ad Cæsarem in causa Brunsvicensi literæ, item acta cum Electoribus ad Rhenum, & aliis. (4) Cæsar causam Brunsvicensem differt. (5) De eventu belli Gallici & pace secuta quædam. (6) Electori Saxonico societas Gallica per calumniam objicitur. (7) Bavarorum acta cum D. Seikero. (8) Alia quædam de pace Gallica. (9) Augustanæ Civitatis metus & data illi responsa. (10) De Cæsare quædam.

§. CXVII. (1) Mors Episcopi Mersburgensis, & Augusti Ducis Saxoniæ & Georgii Anhaltini administratio. (2) Rixa de ritu elevationis in ditione Elisabethæ viduæ Saxonicæ. (3) Georgius Anhaltinus elevationis ritum, ubi adhuc erat, servari jubet.

Additio I. (a) *Digreßio de Georgio Principe Anhaltino.* (b) *Excerpta ex concione ejus de nativitate Christi.* (c) *Conciones Georgii de falsis Prophetis.* (d) *De mutatione administrationis in Episcopatu Mersburgensi.* (e) *Contenta præfationis in conciones, & querela de Michaele Episcopo Mersburgensi.* (f) *Defensio vocationis ministrorum Evangelicorum & suæ.* (g) *De indulgentiarum abusu per Lutherum impugnato.* (h) *De juramento suo Pontifici præstito, quædam.* (i) *Excusat ceremonias, ex edicto Carolino receptas.* (k) *Refellit calumniam, quod Evangelici bona opera improbent.* (l) *Scripturæ autoritatem & utilitatem defendit.* (m) *Comparat fructus doctrinæ Pontificiæ & Evangelicæ.* (n) *Scholas Evangelicorum laudat.* (o) *Encomium Lutheri.* (p) *Vitia concionatorum Pontificiorum notantur.* (q) *De catechisatione Evangelica.* (r) *De studio audiendi verbi divini.* (s) *De causis corruptæ disciplinæ morum.* (t) *De ceremoniis & sectis.* (u) *De tumultibus, seditionibus & bellis.* (w) *De verborum asperitate Evangelicis imputata.* (x) *Conciones de Sacramento Cœnæ earumque præfatio.* (y) *Quædam ex concionibus excerpta.* (z) *Literæ Eccii.* (aa) *De adoratione in Sacramento cœnæ.* (bb) *De festo corporis Christi.* (cc) *De communione ægrotorum & de elevatione.* (dd) *Conciones in Psalmum XVI. & narrata de Luthero in Præfatione.* (ee) *Margarethæ Anhaltinæ rhythmi de paßione Christi & ejus obitus.* (ff) *De descensu Christi ad inferos & alia quædam.* (gg) *Ad Carolum Cæsarem literæ apologeticæ de reformatione.* (hh) *Item ad Moguntinum.* (ii) *Formula reformationis ad Capitulum Magdeburgense.* (kk) *Acta de religione inter Georgium Anhaltinum & Georgium Saxoniæ Ducem anno 1538.* (ll) *Epistolæ ad Georgium Saxonem scriptæ & ad Electorem Brandenburgicum anno 1533. & 1534.* (mm) *De conjugio Sacerdotum speciatim.* (nn) *Relatio Georgii de initio suæ ad Evangelicam doctrinam conversionis, ex editione D. Veielii.* (oo) *Excerpta ex reliqua Georgii relatione.* (pp) *Georgii Ducis ad Anhaltinum responsio.* (qq) *Cochlæi ad Anhaltinum literæ cum responso.* (rr) *Anhaltini*

baltini ad Georgium Ducem epistola & dissertatio, speciatim de sola fide. (ss) *Item de communione sacra.* (tt) *De Concilio, & alia quædam.* (uu) *Epistola ad Cochlæum cum responso.* (xx) *Georgii Ducis ultimum responsum, & quæ secuta sunt.* (yy) *Protestatio Georgii Anhaltini contra Michaelem Heldingum, Episcopum Mersburgensem.* (zz) *Epilogus digressionis hujus de Georgio Anhaltino.*

(4) Mors Episcopi Caminensis & secuta altercatio inter Pomeraniæ Duces, item cohortatio ab Electore Saxoniæ.

Additio II. (a) *D. Bugenhagii acta in recusando Episcopatu Caminensi.* (b) *Causa recusationis præcipua.* (c) *Oblatio quædam ejus & consilium.* (d) *Legatio Archiepiscopi Rigensis ad Electorem & Landgravium, & quædam de rebus Livonicis.* (e) *Acta quædam Alberti Borussiæ Ducis, inprimis in fundatione Academiæ Regiomontanæ.* (f) *De exercitio religionis in Austria Pontani responsum.*

(5) Conatus Episcopi Monasteriensis in reformanda diœcesi. (6) Episcopi responsum ad Capituli renitentiam, & propositio reformationis Ordinibus provinciæ facta. (7) Cancellarii Monasteriensis literæ & consilia ad Landgravium. (8) Alia quædam de eventu secuto. (9) De indictione Concilii, aliisque quibusdam Pontificis actis.

Additio III. (a) *De reformatione Rotenburgi ad Tubarim.* (b) *Nomina Concionatorum, & alia quædam.*

§. CXVIII. (1) Lutheri brevis confessio de Sacramento. (2) Contenta libelli. (3) Concio Lutheri in festo Michaelis. (4) Item in sacelli Torgaviensis inauguratione. (5) Quatuor conciones Lutheri de resurrectione mortuorum.

Additio I. *Quædam ex præfatione Menii contra Anabaptistas.*

(6) Epistola consolatoria Lutheri ad Spalatinum. (7) Consolatoriæ aliæ & quædam diversi argumenti. (8) Epistolæ Lutheri Latinæ ad Spalatinum, illa speciatim, qua præfatus est in libellum quendam ejus. (9) Item ad Myconium. (10) Quædam ex epistolis Lutheri ad Amsdorffium & ad D. Jonam. (11) De itinere Lutheri ad Amsdorffium, & dono ab eo accepto. (12) Literæ ad Pastorem Juterbocensem. (13) Lutheri epistolæ ad conjugem Electoris Saxonici. (14) Alia ad Corvinum.

Additio II. (a) *Ordinatio Ecclesiastica in Ducatu Hannoverano.* (b) *Edictum Elisabethæ Ducissæ.* (c) *Contenta ordinationis.* (d) *Constitutio de ritibus lingua Saxonica edita.* (e) *Speciatim de ceremonia confirmationis.*

ANNUS 1545.

SECTIO 31. (1) Acta in Comitiis Wormatiensibus. (2) Protestantium gravamen de Concilio Tridenti indicto. (3) Cæsaris occultum contra Protestantes consilium & prorogatio Comitiorum. (4) Catholicorum indignatio; dissimulatio Cæsaris.

§. CXIX. (1) Lutheri & collegarum ultima deliberatio & responsio de formula reformationis ex decreto Spirensi 1544. conscripta. (2) Eorum literæ ad

Electorem. (3) Admonitio de autore ſtyli & correctione hujus formulæ. (4) Formula ipſa, ejusque ſumma capita ſive articuli. (5) Quæ ſit origo & verus character Eccleſiæ. (6) Prima cura in Eccleſia, ut doceatur verbum Dei. (7) Doctrina vera comprehenſa fuit in Confeſſione Auguſtana. (8) Speciatim de peccato originis. (9) De gratia & remiſſione peccatorum. (10) De bonis operibus. (11) Articulus ſecundus de Sacramentis & ſpeciatim de Baptiſmo. (12) De confirmatione. (13) De ordinatione. (14) De pœnitentia. (15) De confeſſione. (16) De inſtitutione divina accurate ſervanda in cœna Domini. (17) De Liturgia, & adminiſtratione ipſa, ejusque fructu. (18) De abuſu, quoad perſonas ſacerdotum. (19) De abuſu ratione ſacrificii miſſatici. (20) De reſtituendo calice. (21) Querela de ſacerdotibus; preces & adhortatio de reformatione abuſuum. (22) De idololatrico Sanctorum cultu. (23) Quomodo Sanctorum memoria colenda ſit. (24) De conjugio. (25) Speciatim Clericorum. (26) Admonitio de non mutandis, quæ Deus inſtituit. (27) De divina inſtitutione miniſterii Evangelici. (28) Electio miniſtrorum competit Eccleſiæ. (29) Miniſterio debetur obſequium. (30) De gradibus miniſtrorum. (31) De utilitate officii Epiſcopalis. (32) Quatenus Epiſcopi ferri poſſint. (33) De collegiorum Canonicorum reformatione. (34) De vero Epiſcoporum munere, ut & ejus abuſibus. (35) De inſtituto & natura judiciorum Eccleſiaſticorum. (36) De cauſis matrimonialibus ſpeciatim. (37) De aliis cauſis conſiſtorialibus. (38) De neceſſitate & utilitate ſcholarum. (39) Quæ docenda ſunt in ſcholis. (40) De diſciplina ſcholaſtica. (41) De mediis ad ſcholas ſuſtentandas. (42) De victu & defenſione miniſterii a Principibus curanda. (43) De monaſteriis.

§. CXX. (1) Electoris & Pontani literæ de reformatione VVittenbergenſi, ut & Argentoratenſi ſive Buceri. (2) Landgravii & Haſſiacorum Theologorum monita ad formulam reformationis VVittenbergenſis. (3) Speciatim de ſalute infantum, qui ante baptiſmum decedunt. (4) Item de poteſtate Epiſcopali & cauſis matrimonialibus. (5) VVittenbergenſium reſponſum ad monita Haſſiaca. (6) In ſpecie de infantibus non baptizatis. (7) De ordinatione ab Epiſcopis facienda. (8) De cauſis matrimonialibus & alia quædam.

Additio. (a) *De conſilio ſive libello Buceri de reformatione, & ſpeciatim de ejus exordio.* (b) *Buceri reſponſio ad objectiones contra conſilium ſuum.* (c) *Cur accuſatio Cleri inſtituenda ſit.* (d) *Quomodo illa formari debeat.* (e) *De reformatione Epiſcoporum primo omnium inſtituenda.* (f) *De doctrinæ veritate ſtabilienda.* (g) *De diſciplina Eccleſiæ.* (h) *Enumeratio defectuum in Eccleſia Romana.* (i) *Cauſas mali inquirit.* (k) *Media tolerabilia proponit, ſpeciatim in conſtitutione Epiſcopalis regiminis.* (l) *Item in capitibus doctrinæ, Sacramentis & ceremoniis.* (m) *De reformatione monaſteriorum, & bonorum Eccleſiaſticorum uſu.* (n) *Reſponſio ad duas objectiones.* (o) *Quid Elector & Pontanus in conſilio Buceri deſideraverint.* (p) *Epicriſis de eodem.* (q) *Aliud conſilium Buceri VVittenbergæ examinatum.*

§. CXXI. (1) Acta in Comitiis Wormatiensibus & speciatim de pace, an per indictionem Concilii Tridentini finita sit. (2) Evangelicorum contestatio adversus Concilium & pro pace, itemque de Camerali judicio. (3) Ferdinandi Regis, ipsiusque Cæsaris cum Protestantibus sermones. (4) Acta a Navio cum Evangelicis. (5) Granvellani cum Evangelicis altercationes. (6) Oblata ab eo mitiora & Legatorum responsa. (7) Fridericus Palatinus mediator inter Cæsarem & Evangelicos. (8) Palatinus consilia de concordia & pace & interpositionem continuat. (9) Contenta Recessus VVormatiensis. (10) Epicrisis de decreti illius clausulis. (11) Cæsar præsentiam Electoris desiderat. (12) De consiliis Cæsaris & Papæ quædam. (13) De Episcopis, qui in Comitiis comparuerunt.

Additio I. (a) *Valentini, Episcopi Hildesiensis, libellus de articulis fidei controversis.* (b) *Speciatim de peccato originali.* (c) *De justificatione per fidem.* (d) *De sacra cœna.* (e) *De confessione & pœnitentia.* (f) *De usu Sacramentorum & de ordinatione.* (g) *De libero arbitrio.* (h) *De bonis operibus.* (i) *De invocatione Sanctorum.* (k) *De communione sub utraque, & conjugio Cleri.* (l) *De Missa & confessione.* (m) *De jejuniis, votis monasticis, & potestate Episcopali.* (n) *Alii Episcopi articuli, speciatim de Ecclesia.* (o) *De ceremoniis & festis.* (p) *De Conciliis & potestate atque infallibilitate Pontificis.* (q) *De potestate Pontificis temporali.* (r) *De obligatione obediendi statutis Pontificum.* (s) *De excommunicatione.* (t) *De imaginum cultu.* (u) *De indulgentiis & purgatorio.* (x) *De thurificatione & consecrationibus.* (y) *De vita monastica & horis canonicis.* (z) *De pœna hæreticorum & concionibus.* (aa) *De septem Sacramentis, baptismo parvulorum & confirmatione.* (bb) *De præsentia reali, transsubstantiatione & adoratione Sacramenti.* (cc) *De restitutione bonorum Ecclesiæ.* (dd) *De officio Imperatoris in exequendis decretis contra Lutheranos & speciatim VVormatiensi.* (ee) *Epicrisis de Episcopi libello.*

(14) Epicrisis ad dicta Maimburgii & Pallavicini de calliditate Cæsaris. (15) Evangelicorum candor in negotiis cum Cæsare, item cum Galliæ & Angliæ Regibus. (16) De actis fœderatorum Evangelicorum in Comitiis, & speciatim de sequestratione Brunsvicensi. (17) Decreta in conventu Evangelicorum VVormatiensi.

Additio II. (a) *Canonicorum Coloniensium ad Hermannum legatio & hujus responsio.* (b) *Navii cum Hermanno acta & responsum ei datum.* (c) *Legatorum Hermanni acta in Comitiis.* (d) *Cæsar Hermannum & subditos Canonicosque Evangelicos duriter tractat.* (e) *Colloquium & scripta inter Cæsarem & Hermannum.* (f) *Evangelicorum, & speciatim Electoris Saxoniæ, consilia & acta in causa Hermanni.*

§. CXXII. (1) Deliberatio & monita Evangelicorum de formula reformationis VVittenbergensis. (2) Electoris Saxonici responsio. (3) Acta de formula illa cum Granvellano. (4) Formulæ compendium Granvellano exhibitum. (5) Dicta Lutheri ad Pontanum de formula illa.

(6) De Melanchthone & Bucero quædam. (7) De libris Lutheri de Concilio & Papatu in Comitiis distributis. (8) Electoris Saxoniæ de stylo Lutheri judicium. (9) Item de picturis libellis Lutheri præfixis. (10) De Cochlæi libello a Bucero refutato & quædam alia.

Additio I. (a) *De scriptis aliquibus Buceri, & quare ea referantur.* (b) *Libellus, qui inscribitur; Admonitio Christiana.* (c) *Cochlæi epistola adversus Bucerum.*

Additio II. (a) *Alius libellus Buceri de actis Lipsiæ 1539. & rationes cur editus sit.* (b) *Dedicatoria ad Ferdinandum Regem.* (c) *Contenta libelli, speciatim de conversione & justificatione.* (d) *De libero arbitrio.* (e) *De pœnitentia & satisfactione.* (f) *De baptismo.* (g) *De sacra cœna.* (h) *De confirmatione & ordinatione.* (i) *De potestate Papæ.* (k) *De extrema unctione.* (l) *De jejuniis & monachatu.* (m) *De invocatione Sanctorum, festis & mortuorum commemoratione.* (n) *De jurisdictione Episcoporum.* (o) *Epicrisis de hac relatione Buceri.*

Additio III. (a) *Libellus Buceri Latinus de Concilio.* (b) *Edictum VVormatiense rejicit.* (c) *Lutherum, Lutheranos, & seipsum contra Cochlæum defendit.* (d) *Item contra Billicum.* (e) *Et Gropperum.* (f) *De justificatione quædam ex actis colloquii Ratisbonensis.* (g) *Alia de Groppero.* (h) *De epistolis Cochlæi quædam.*

§. CXXIII. (1) Pontificis de Concilio & Comitiis VVormatiensibus solicitudo. (2) Card. Farnesii iter in Germaniam & expeditio apud Cæsarem. (3) Legatio Cæsaris ad Pontificem. (4) Consultatio de Concilio in locum Pontificiæ ditionis transferendo. (5) Protestantium de Concilio suspicio & metus ex literis Pontani. (6) Electoris Saxonici Rescriptum in illa causa. (7) Aliud Electoris Rescriptum in eadem causa. (8) Responsum de Concilio Erhardi Snepfii. (9) Alterius Theologi Tubingensis responsum. (10) Jureconsultorum Tubingensium responsum. (11) Norimbergensium consilium.

§. CXXIV. (1) Varia adversus Protestantes odia & molimina. (2) Persecutiones in Belgio & Hispanorum consilia. (3) Relationes de Cæsaris proposito contra Evangelicos. (4) Elector ægre ad arma movetur. Literæ ejus de Henrico Brunsvicensi. (5) Item regiminis Guelferbytani. (6) Summa expeditionis & clades Henrici Brunsvicensis, & sequelæ quædam. (7) Henrici dicta in custodia & annotatio quædam ad Raynaldum. (8) De morte Alberti Moguntini & electione successoris. (9) De Galliæ Regis oblatione erga Protestantes ab Electore Saxoniæ rejecta, ut & Angliæ Regis societate. (10) Legati Protestantium ad Reges pacis causa. (11) Relatio Joh. Sturmii de legatione illa & actis cum Anglis. (12) Sturmii cum ipso Galliæ Rege acta. (13) Annotatio quædam de Sturmio, &, quæ secuta est, pace inter Reges.

Additio I. (a) *De Mauritio Duce Saxoniæ digressio.* (b) *De simultatibus inter fœderatos Smalcaldicos.* (c) *Landgravii consilium de fœdere cum Mauritio, & hujus epistola memorabilis.* (d) *Elector Saxoniæ a Land-*

a Landgravio dissentit. (e) *Consideratio illius differentiæ.* (f) *De Mauritii consiliis alia quadam.* (g) *Mauritii apologia contra Henricum Brunsuicensem.*

Additio II. (a) *Angliæ Regis literæ ad Protestantes.* (b *Galliæ Regis literæ ad eosdem.*

SECTIO 32. (1) Concilii Tridentini initium. (2) Conventa de processu & titulo Concilii.

§. CXXV. (1) Annotata quædam de causis dilati Concilii. (2) Mandata Legatis Pontificiis ad Concilium data. (3) Notata quædam ex Pallavicino. (4) Inchoatio Concilii & scriptum in Germania contra illam sparsum. (5) De oratione Mussi. (6) De infallibilitate Papæ & Conciliorum. (7) Acta quædam & disputata in Concilio. (8) Pallavicini disputatio de primatu & jurisdictione Petri in Apostolos. (9) Item de potestate Cæsarum & Pontificum in convocandis Conciliis. (10) De colloquio, quod Ratisbonæ indictum erat, & de collocutorum denominatione quædam. (11) De concordia & societate inter Smalcaldicos & Helvetios frustra tractata, & VVittenbergensium de ea judicium. (12) De libro Bullingeri & nota ad historiam Hospiniani. (13) De consilio VVittenbergensium, de continuando fœdere Smalcaldico. (14) De usu societatum & fœderum epicrisis. (15) Electoris Saxoniæ fundatio de stipendiis aliisque piis causis. (16) De Evangelicis in Italia.

Additio. (a) *Decretum Episcoporum in Hungaria de reformatione, ex Raynaldo.* (b) *Miraculum in Polonia pro cultu B. Virginis tuendo ex eodem cum epicrisi.* (c) *De inquisitione Lusitanica quædam.*

§. CXXVI. (1) De actis & statu Lutheri quædam. (2) Fabula ignominiosa de ejus morte ab Italis sparsa. (3) Lutherus animi mœroribus affligitur. (4) Lutheri cum Jureconsultis de sponsalibus clandestinis discordia. (5) Lutherus VVittenberga abit, nec redire cupit. (6) Judicia de ejus abitu. (7) Academiæ VVittenbergensis de abitu illo querelæ. (8) Literæ Electoris ad Lutherum earumque effectus.

§. CXXVII. (1) Commentarius Lutheri in Hoseam Prophetam, & quædam ex præfatione. (2) Quædam ex Commentario ad cap. I. (3) Ad cap. II. (4) Ad cap. IV. (5) Ad cap. VI. (6) Ad cap. IX. (7) Ad cap. X. (8) Ad cap. XI. (9) Ad cap. XII. (10) Ad cap. XIII. (11) Concio Lutheri d. 4. August. Mersburgi habita de conjugio. (12) Alia d. 5. Aug. Halis de scrutanda Scriptura. (13) Concio d. 6. Aug. Mersburgi de regno Christi. (14) Concio Lipsiæ habita d. 12. August. ex Luc. XIX.

§. CXXVIII. (1) De scriptis Lutheri polemicis. (2) Ex thesibus Lovaniensium contra Lutherum quædam. (3) Lutheri theses Lovaniensibus opposita. (4) Lutheri scriptum de non dimittendo Henrico Brunsvicensi. (5) Admonitio de veritate doctrinæ & pietate morum. (6) Electoris Saxoniæ prudentia in benigne tractando Luthero. (7) Supputatio annorum mundi a Luthero edita. (8) Præfatio Lutheri in Tom. I. Op. Lat. (9) Præfatio ejusdem in libellum de infidelitate Pontificum. (10) Lutheri præloquium in dialogum Joh. Frederi de conjugio. (11)

Epistolæ Lutheri ad Georgium Anhaltinum, Henricum Einsidelium & Senatum Halensem. (12) Epistola ad D. Jonam. (13) Item ad Antonium Lauterbachium.

Additio. *Lutheri epistola ad Georgium Anhaltinum de morte Georgii Heldi Forchemii.*

ANNUS 1546.

SECTIO 33. (1) De secunda & tertia sessione Concilii Tridentini. (2) De quarta. (3) De quinta.

§. CXXIX. (1) Nota quædam generalis ad Maimburgii tradita de Concilio. (2) Quædam ex Pallavicino, speciatim de titulis Concilii. (3) Dictum quoddam Card. Poli. (4) De reformatione in Concilio tractanda difficultas & decretum. (5) Querelæ Episcoporum Hispanorum, & quædam de sessione tertia. (6) Disputatio de Canone Scripturæ. (7) Episcopi Clodiensis pium dictum de traditionibus, a Concilio rejectum. (8) Episcopi Fanensis dictum in eadem materia, item Claudii Jayi Jesuitæ. (9) Decretum de traditionibus. (10) Aliud decretum de versione vulgata. (11) Disputatio de voce authentica. (12) De interpretatione Scripturæ decretum Concilii. (13) De peccato originis & de concupiscentia disputationes. (14) Item de conceptione B. Virginis. (15) Scriptum in Germania contra decreta quædam Tridentina publicatum.

Additio. (a) *Toletani, a Cæsare Tridentum missi, acta.* (b) *Episcoporum querelæ de Pontifice & lites cum monachis.* (c) *Speciatim de concionibus.* (d) *De caussis defectuum in Episcopis ex Pallavicino.* (e) *De lectione Scripturæ monachis injungenda, & de laudibus Theologiæ Scholasticæ ex eodem.* (f) *Ex decreto de concionibus, & lectione Scripturæ, quædam.* (g) *Vergerius Tridentum venit, sed inde aufugit, & alia de eo.* (h) *Quædam de articulo justificationis & habitis de eo disputationibus.*

§. CXXX. (1) De libello recusationis contra Concilium Tridentinum ab Evangelicis publicato. (2) Testantur Deum & conscientiam suam, quod ad reformationem ex obsequio erga Deum progressi sint. (3) Veritatem religionis paci politicæ præferunt. (4) Erroris convincunt Ecclesiam Romanam, negantque quod errare non possit. (5) Non parvos sed maximos errores illos esse ostendunt. (6) Ad objectionem, quod abusus ferendi sint, ne turbæ excitentur, aut cognitioni submittendi, respondent. (7) Negant obscuram esse Scripturam in capitibus fidei fundamentalibus, quæ ab Evangelicis docentur. (8) Queruntur de sævitia erga Evangelicos. (9) Nulla nova dogmata, sed vetera & Catholica a se recipi testantur, & contraria merito abrogata esse. (10) Reformationem factam defendunt, etiam dissentientibus ordinariis potestatibus factam, ejusque summam repetunt. (11) Indicant, quale Concilium petierint & accepturi sint, & quare Tridentinum non agnoscant. (12) Excipiunt adversus Pontificis personam. (13) Item ad-

versus

versus Episcopos & monachos ad judicium illud synodale congregatos. (14) Adversus normam judicii, quam sessione tertia Tridenti stabiliverant. (15) Monstrant, quæ sit vera interpretatio Scripturæ, & quam prava sit illa, qua adversarii utuntur. (16) Speciatim refutant, quæ pro excusatione cultus Sanctorum afferuntur. (17) Quos judices ferre velint. (18) Intutum locum Concilii, exemplis ex historia Ecclesiastica adductis, vitari posse censent. (19) Epilogus. (20) Alia recusatio Germanica Concilii Tridentini. (21) Enumeratio causarum, propter quas Concilium recusandum sit. (22) Electoris Saxoniæ literæ de libello recusationis componendo & edendo. (23) Melanchthonis sententia de judicio in controversiis religionis constituendo. (24) Sententia Legatorum Mauritii Saxoniæ Ducis.

SECTIO 34. (1) De Protestantium suspicionibus adversus Cæsarem. (2) De conventu eorum Francofurtensi. (3) De Friderici Electoris Palatini ad Lutheranismum transitu. (4) Landgravii literæ ad Granvellanum & hujus responsum.

§. CXXXI. (1) Suspiciones Protestantium de bello, & alia quædam. (2) Acta in conventu Protestantium Francofurtensi. (3) Speciatim cum exteris, Gallis & Anglis aliisque. (4) De Hermanno Coloniensi, ejusque propositione in conventu. (5) Electoris Saxoniæ de ea judicium. (6) Legatio pro Hermanno ad Cæsarem, hujus responsum, & alia quædam. (7) Decreta in conventu Francofurtensi. (8) De reformatione in Palatinatu. (9) Acta inter Electorem Palatinum & fœderatos Evangelicos per Legatos. (10) Acta Friderici & Landgravii Francofurti. (11) Ex Altingio quædam de reformatione Palatina. (12) Notatur Maimburgius. (13) Card. Augustani relatio de reformatione Palatina & conventu Francofurtano. (14) Literæ Landgravii & Granvellani.

Additio. (a) *Formula novi fœderis Evangelicorum Francofurti proposita.* (b) *Alius eorum conventus VVormatiæ, item Hannoveræ.* (c) *Mandata Electoris Saxoniæ ad tractatus fœderis.*

SECTIO 35. (1) De colloquio in Comitiis Ratisbonensibus de religione instituto. (2) Ruptura colloquii, & quæ secuta sunt ad mortem usque Lutheri.

§. CXXXII. (1) Maimburgii encomium de Cochlæo & alia notantur. (2) Electoris cunctatio circa colloquium, & consilium de eo Wittenbergensium, speciatim Lutheri. (3) Missio collocutorum & auditorum ad colloquium. (4) Aliud VVittenbergensium de colloquio, & de Argentoratensium consilio responsum. (5) Sermones Mauritii Episcopi Aichstadiensis, & VVittenbergensium de eo judicium. (6) De materia in colloquio tractanda Melanchthonis responsum. (7) De personis ad colloquium deputatis quædam. (8) Zochii & Majoris relatio de collocutoribus Pontificiis. (9) Rixa de modo agendi in colloquio. (10) Monita VVittenbergensium. (11) Initium in colloquio per protestationes. (12) Disputatio de justificatione. (13) Theses Malvendæ de justificatione. (14) Consideratio illarum, & quædam

dam de antithesi Melanchthonis. (15) Alia de colloquio & speciatim de Bucero. (16) D. Georgii Majoris relatio de colloquio. (17) Item Buceri. (18) Decretum Cæsaris de forma colloquii. (19) Evangelicorum de decreto querelæ & petita. (20) Catholicorum & Præsidum acta quædam. (21) Consilia VVittenbergensium. (22) Relatio collocutorum Evangelicorum. (23) Eorum discessus, & acta quædam illorum & Præsidum. (24) Epicrisis de dissolutione. (25) Pallavicini de colloquio relatio.

Additio I. (a) *Myconii epistola ad D. Razeburgium de somnio suo, item de morbo.* (b) *Alia ejus epistola itidem de morbo suo.* (c) *Quædam ex literis Myconii de morte Lutheri.*

Additio II. (a) *Protestatio collocutorum Evangelicorum Ratisbonæ exhibita.* (b) *Responsio ad calumnias.*

Additio III. *Commissariorum Cæsaris scriptum ad Collocutores Evangelicos.*

SECTIO 36. (1) De Lutheri libro adversus Papatum. (2) De irrite tentato ab eo exorcismo dæmonii. (3) Mortis Lutheri descriptio. (4) De vitiis Lutheri censura.

§. CXXXIII. (1) Annotatio ad dicta Maimburgii de Lutheri morituri acerbitate in Pontificem. (2) Refutatur fabula de expulsione dæmonis a Luthero tentata. (3) Vera de ultimis Lutheri actis & morte narratio. (4) Occasio itineris Lutheri Islebiensis, & de Comitibus Mansfeldensibus quædam. (5) De valetudine Lutheri illo tempore. (6) Quædam de negotio Mansfeldensi. (7) Notantur quædam ad Maimburgii relationem de morte Lutheri. (8) Relatio D. Jonæ de obitu Lutheri.

Additio. *Literæ D. Justi Jonæ Germanicæ de morte Lutheri.*

§. CXXXIV. (1) Cochlæi calumniæ refutantur, speciatim de honore sessionis & proverbio quodam. (2) Alii Cochlæi cavilli. (3) Defenditur oratio Lutheri ante mortem. (4) De alia Lutheri oratione. (5) De versu Lutheri: *Pestis eram vivus &c.* & ejus occasione & sensu. (6) Nota ad Maimburgii & Pallavicini judicium de eruditione Lutheri. (7) Item de scriptis ejus. (8) De verborum licentia & morum defectibus. (9) Nota ad quædam Pallavicini dicta.

§. CXXXV. (1) Literæ Electoris Saxonici ad Comites Mansfeldenses, & horum responsio. (2) Narratio de exequiis Lutheri, ex relatione D. Jonæ & aliorum. (3) Notæ ad Maimburgii & Cochlæi sugillationes. (4) Monumentum & epicedium Lutheri. (5) Elogia Lutheri ex literis VVolffgangi Anhaltini, Amsdorffii, & Mauritii Saxoniæ Ducis. (6) Electoris Saxoniæ literæ de Luthero ad Landgravium & hujus responsio. (7) Joh. Ernesti, Saxonici, & Magni, Meckelburgici Ducis literæ. (8) Electoris Saxonici ad Albertum Borussiæ Ducem literæ, item hujus ad Ponicavium. (9) Electoris beneficia in liberos Lutheri collata, item Mansfeldensium. (10) Theologorum VVittenbergensium literæ de Luthero.

Additio. (a) *D. Jonæ concio funebris Luthero habita.* (b) *Alia Michaelis Cœlii.*

Cœlii. (c) *Programma in funere Lutheri VVittenbergæ affixum.* (d) *Concio D. Pomerani in exequiis Lutheri.* (e) *Oratio Melanchthonis itidem in exequiis pronunciata.* (f) *Melanchthonis historia de vita Lutheri.* (g) *Excerpta de moderatione Lutheri.* (h) *De mutatione doctrinæ in Ecclesia quadruplici.* (i) *Judicium Melanchthonis de libris Lutheri.* (k) *Zochii & Majoris literæ de obitu Lutheri.* (l) *Joh. Brentii epistola de eodem.* (m) *Relatio Achillis Gassari.* (n) *De testamento Lutheri.* (o) *De vidua & liberis Lutheri quædam.*

SECTIO 37. (1) Cædes Joh. Diazii a fratre ejus perpetrata. (2) Adventus Cæsaris ad Comitia Ratisbonensia & quæ ibi acta sint.

§. CXXXVI. (1) De Diazii historia ex Senarclæo. (2) Hujus relatio de desperatione trium Theologorum Lovaniensium. (3) Continuatio de Diazio. (4) De Petri Malvendæ actis cum Diazio. (5) Oratio Malvendæ ad Diazium. (6) Diazii responsum ad Malvendam. (7) Reliqui sermones utriusque & alia quædam. (8) Evangelicorum, & speciatim Electoris Saxoniæ de cæde illa querelæ.

Additio. (a) *Relatio Joh. Langii de cæde Diazii.* (b) *Confessio fidei a Diazio edita.*

§. CXXXVII. (1) De itinere Landgravii ad Cæsarem, ejusque causis. (2) Quædam de actis ejus cum Cæsare & Granvellano. (3) Notatur Maimburgii de Caroli Cæsaris intentione judicium. (4) Mandata Legatis Evangelicorum ad Comitia in conventu Francofurtensi conscripta. (5) Speciatim de excusanda colloquii Ratisbonensis interruptione. (6) Nova de colloquio oblatio & monita adversus Concilium Tridentinum. (7) De actis Comitiorum quædam. (8) Cæsar propositum suum de bello aperit. (9) Rescripta Electoris Saxoniæ & Legatorum ejus abitus. (10) Decretum Comitiorum, & discessus Cæsaris & Procerum. (11) Preces publicæ in Saxonia institutæ. (12) De urbis Leutkirchensis reformatione. (13) De Thoma Naogeorgo, ejusque opinione de electione & gratia. (14) De Historia Sleidani quædam.

§. CXXXVIII. (1) Scripta Lutheri hoc anno. (2) Commentarius in Joelem. (3) Admonitio de vitio ebrietatis vitando. (4) De securitate. (5) De precibus brevibus aut longis earumque requisitis. (6) De calamitatibus publicis. (7) De vera & falsa pœnitentia. (8) De usu ceremoniarum in pœnitentia publica. (9) De præsentia Dei in Novo Testamento, & alia quædam. (10) De dono Spiritus S. in Novo Testamento. (11) De vera invocatione, & de valle Josaphat, & alia quædam.

§. CXXXIX. (1) De commentario Lutheri in Genesin historica quædam. (2) Quædam ex præfatione Lutheri in *Partem primam* & ex præloquio Viti Theodori. (3) Præfatio Rotingi in *Partem II.* & Melanchthonis in *Partem III.* (4) Hieron. Besoldi Præfatio in *Partem IV.*

Additio. (a) *Ex Besoldi relatione dicta Lutheri de præstantia libri Geneseos.* (b) *Item de singulari scriptorum quorundam sacrorum stylo.* (c) *De efficacia mortis Christi per fidem apprehensæ.*

(5) Excerpta ex Commentario ad Cap. I. (6) Ad Cap. II. (7) Ad cap.

cap. III. (8) Ad cap. IV. (9) Ad cap. V. (10) Ad cap. VI. (11) Ad cap. VII. (12) Ad cap. VIII. (13) Ad cap. IX. (14) Ad cap. X. XI. (15) Ad cap. XII. (16) Ad cap. XIII. (17) Ad cap. XIV. (18) Ad cap. XV. (19) Ad cap. XVI. (20) Ad cap. XVII. (21) Ad cap. XVIII. (22) Ad cap. XIX. (23) Ad cap. XX. (24) Ad cap. XXI. (25) Ad cap. XXII. (26) Ad cap. XXIII. (27) Ad cap. XXIV. (28) Ad cap. XXV.

§. CXL. (1) Excerpta ex Commentario ad Part. III. Gen. & ſpeciatim ad cap. XXV. verſ. 11. & ſqq. (2) Ad cap. XXVI. (3) Ad cap XXVII. (4) Ad cap. XXVIII. (5) Ad cap. XXIX. (6) Ad cap. XXX. (7) Ad cap. XXXI (8) Ad cap. XXXII. (9) Ad cap. XXXIII. (10) Ad cap. XXXIV. (11) Ad cap. XXXV. (12) Ad cap. XXXVI. (13) Ad Part. IV. cap. XXXVII. (14) Ad cap. XXXVIII. (15) Ad cap. XXXIX. (16) Ad cap. XL. (17) Ad cap. XLI. (18) Ad cap. XLII. (19) Ad cap. XLIII. (20) Ad cap. XLIV. (21) Ad cap. XLV. (22) Ad cap. XLVI. (23) Ad cap. XLVII. (24) Ad cap. XLVIII. (25) Ad cap. XLIX. L. (26) Elogia hujus Commentarii quædam, & aliquid de ejus verſione Germanica.

§. CXLI. (1) Concio Lutheri de baptiſmo Chriſti. (2) Ultima Lutheri concio Wittenbergæ habita. (3) Alia de converſione Pauli, Halis habita. (4) Prima concio Lutheri Islebienſis, ante obitum ejus habita, de Chriſto in navi dormiente. (5) Secunda concio de purificatione Mariæ. (6) Tertia de zizaniis ſive hypocritis in Eccleſia. (7) De quarta concione in feſto Matthiæ. (8) De ſermone Lutheri cum D. Georgio Majore de cœna Domini.

FINIS SUMMARIORUM.



HISTORIÆ



HISTORIÆ De LUTHERANISMO,

A LUDOVICO MAIMBURGIO e Soc. Jesu,

Gallice editæ & Latine versæ

LIBER PRIMUS.

SECT. 1.

Decretum mihi est, historiam posteriorum hæresium, quæ magnam Occidentis partem ab Ecclesia Catholica separarunt, exacte scribere: opus adeo difficile, ut eo ipso momento, quo id aggredior, vehementer sollicitatum me esse ingenue fatear, ut ab eo desisterem. In cæteris, quas scripsi, historiis narrabantur quæ ante plurima secula gesta sunt, quæque neminem hoc tempore in partes trahunt. Sequi tunc potui satis libere propensionem animi, & Historici officium exequi, dicendo simpliciter quæ vera sunt, nullo metu nec periculo ab odio & indignatione eorum, quibus veritas in apertum producta molestiam faceret. Sed nunc temporibus nostris propius accedens, multa exponere cogor, quæ parti uni addictos irritare possunt, ægre ferentes, quæ non satis favorabiliter de illa dicuntur, aut de honore suo agi putantes, cum explicanda veniunt negotia, quibus majores eorum impliciti fuerunt. Porro fieri nequit, quin omnia regna & principatus Europæ in opere hoc meo locum inveniant, neque ulla erit regio, quæ non insignem aliquam materiæ, a me tractandæ, partem suppeditet. Terribilis præterea est conatus, tot & tam diversas res uno complexu exhibere velle; sed & arduum atque difficile, tot hominum, qui in magna illa rerum conversione intervenerunt, secreta consilia indagare, cum a nobis magno intervallo sejuncti, & non nisi librorum commercio cogniti sint, in quibus plerumque eventus rerum, non causæ & rationes referuntur, quæ tamen animam historiæ constituunt. Accedit, quod opportunitate illa non fruar, qua antea; dicendi nempe de rebus ob antiquitatem parum notis, quæque ideo legentium desideria suaviter attrahebant & explebant. Sed quoniam hæc lecturi de Luthero & Calvino millies audierunt, omnesque historiæ nostræ plenæ sunt relatione mutationum, turbarum & bellorum, quæ per schismata illa in totam Europam invecta fuerunt, incumbit mihi, ut ex me ipso promam, quæ lectoribus satisfaciant, nulla spe adminiculi a novitate aut delectamento, quod capi solet, cum leguntur quæ nondum nota erant. Hæc sine dubio satis gravia sunt, quæ me a proposito deterrere potuerunt, aut potius debuerunt.

(1) Exordium Maimburgianum de difficultate operis.

Sed permotus sum, ut ista omnia, audaci consilio meo opposita superarem, ob magnitudinem & diversitatem tot rerum admirabilium, nec nisi generaliter cognitarum: & ob promissam mihi suppeditationem egregiorum documentorum seu memorialium, ex locupletissimis Bibliothecis: denique ob conceptam spem, neminem generosum offensum iri veritate, quæ in toto opere meo nunquam aliter apparitura est, quam servata dignitate personarum, de quibus loquor. Incipio itaque, superatis quæ obstare videbantur, pro utilitate Ecclesiæ, & ad gloriam Dei, cujus a me implorati ope & protectione infirmitas mea semper evidenter sublevata fuit, & sine qua aliis laboribus meis certissime succubuissem.

(2) Rationes suscepti laboris.

A. 1517. A. 1517.

COMMENTARII
HISTORICI ET APOLOGETICI
De
LUTHERANISMO
VITI LUDOVICI a SECKENDORF
LIBER I.

§. I.

(1) Notatur Maimburgius, quod non historici sed censoris munus susceperit.



N historici officium, ut profitetur, recte secutus sit & præstiterit *Maimburgius*, dubium fit ex primo scripti hujus versiculo. Qui enim historici munus suscipiens, in limine operis pro hæresi declarat, quicquid superiori seculo pro reformatione ecclesiæ Principes & populi conati sunt & statuerunt, is censor est & definitor controversiarum, non historicus. Sed luculentius & apertius partes has censorias invasit Autor in totius operis sui contextu, id ubique agens, ut impietatis & injuriæ condemnet omnes, qui reformationi in Germania operam dederunt. De qua, si non ut adversæ partis theologus, tamen ut historicus, mitius vel ideo loqui debuisset, quod hanc ipsam *Reformationem* sive *Lutheranismum*, pacis publicæ & sanctionum pragmaticarum titulis, non sine Regum Galliæ interventu, confirmatam esse non nesciebat. Inde est, ut modestiæ & verecundiæ professio, qua præmunire se in exordio hoc cupit, affectata potius aut ironica, quam sincera & seria videri possit. Quid enim metueret sub tanti Regis, cui libros suos dedicat, clypeo, non a Protestantium invidia solum, sed & adversus magis sibi tremendum Romani præsulis tribunal securus? aut quæ verecundia est erga Reges, Principes & Magistratus Protestantium, quos tam viles habet, ut & fato suo dudum functos, durissimis convitiis, ubicunque lubet, proscindat, & qui vivunt, alio quam damnatorum ad orcum loco non habeat? Sed mittimus hæc & alia prologi hujus schemata, ex schola & secta adscita. Notamus tamen, neque terribili illi, quem designat, conatui, omnia quæ ad historiam hanc pertinent complectendi, satisfacere, qui, omissis plurimis magis necessariis, aut ad rem pertinentibus, aliena non pauca inserit; neque quidquam comparere memoratu dignum, ex documentis, quæ ex locupletissimis Bibliothecis promissa sibi fuisse Maimburgius gloriatur; compilasse potius deprehenditur omnia ex vulgatissimis, iisque potissimum libris, (ut testimonia margini adscripta demonstrant) qui recentibus olim odiis editi, & protervis calumniis adversus Protestantes repleti, tum ab his multoties refutati fuerunt, verissimumque est quod profitetur, se ex seipso promisisse, quæ lectoribus, iis nempe quorum gratiam scribendo aucupatus est, satisfaciant.

(2) Quod promissa non præstet.

SECT. 2.

Status Ecclesiæ, cum schisma oriretur.

Ecclesia Catholica alta pace sub initium superioris seculi, decimi nempe sexti, fruebatur, omnesque Europæ Potentatus supremam sanctæ sedis autoritatem agnoscebant, ejusque fidem sequebantur; cum schisma omnium maximum & perniciosissimum, uno quasi impetu, ex levi admodum principio oriretur: quod paucis exponendum esse arbitror, cum historiæ hujus fundamentum esse debeat.

§. II.

(1) Quæ sit vera pax Ecclesiæ.

Videamus ante omnia an vera & certa sint, quæ de pace Ecclesiæ Catholicæ, & de obedientia universali ab Europæ Potentatibus sedi Romanæ præstita supponuntur. Si enim vera pax & Ecclesia digna, si divino jure fundata fuit obedientia, a qua moniti & instigati a Luthero Principes & populi frivole recesserunt, jam dicta & perorata esset causa, nec haberent discedentes, quo se a turbarum & defectionis culpa purgarent. Et quis scriptori, etiam historico, vitio posset vertere, si, ut facit, pro perniciosissimo schismate habeat & accuset, quæ adversus pacem & obedientiam debitam notorie acta essent? Prius vero constare debet, quid sit pax Ecclesiæ, ne eo nomine qualiscunque torpor aut quies nobis obtrudatur: illa enim demum pax Ecclesiæ est, quæ respectum ad Deum habet, & consensum tenet in puritate doctrinæ, & sanctimonia disciplinæ. Talis nempe, qualem habebat Ecclesia primitiva *per Judæam & Samariam, quando ædificabatur ambulans in doctrina Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.* Act. IX, 31. Hanc pacem Ecclesia etiam sub Tyrannorum sica retinet, nec amittit, si gliscentes in doctrina errores & defectus disciplinæ corrigantur, etiamsi id sine odiis & motibus non soleat succedere: hæc enim secutura esse veram Evangelii doctrinam & zelum piorum doctorum, Christus ipse prædixit & expertus est. Obedientia vero, quam Ecclesiæ antistitibus præstamus, ita laudabilis est, si ex præscripto Christi & Apostolorum exhibeatur. *Præpositi enim honorandi sunt, qui loquuntur verbum Dei & pervigilant, quasi rationem pro animabus reddituri.* Hebr. XIII, 7. 17. sive, *qui laborant in verbo & doctrina.* 1. Tim. V, 17. An vero sedes Romana totaque Cleri hierarchia ad illam normam composita fuerit, & an jure sibi asserere potuerit tale obsequium, quale circa annum decimum septimum seculi superioris a Principibus & nationibus Christianis exigebat; an vero iniqua potius servitus illa fuerit, id ipsum est, de quo inter partes & disceptatum tunc fuit, & nunc quoque certatur. Itaque non abs re est, ut de statu Ecclesiæ ante Lutherum disquiratur. Si enim talis fuit, qui jure merito mutari & emendari debuerit, satis patet, nec laudem mereri statum, qui mutationem poscebat, nec vituperium eos incurrere, sed omni potius honore dignos esse, qui emendationis autores fuerunt. Mirari autem non immerito licet, Maimburgium civem

(2) Quæ debita obedientia.

(3) Maimburgius statum Eccle-

sic corruptum non agnoscit.

civem vel clientem Gallum (Lotharingus enim est, in oppido S. Nicolai prope Nancejum natus) tam secure nobis encomia temporis illius præcinere, quo, ut ipsi tot historiarum autori optime constat, non alia magis quam Gallica natio in immanes querelas de corruptissimo Ecclesiæ statu publice prorupit. Quis enim nescit, a Ludovico XII Galliarum Rege, Romam *Babylonis* nomine diffamatam, & *perditione dignam* habitam fuisse? cui notum non est Concilium Pisanum, Regis illius optimi consiliis, quibus etiam Maximilianus Imperator se junxerat, ad reformandam Ecclesiam in capite & membris, convocatum & armis protectum? Tanti quidem momenti ea collisio visa est acerrimo reformationis censori Jesuitæ, & postmodum Cardinali, *Sfortiæ Pallavicino*, ut historiam suam Concilii Tridentini, *Petro Suavi Polano*, sive *Paulo Sarpio Veneto*, oppositam, ab ejus narratione exordiretur. Quo magis decuit scriptorem Gallum incendium illud, quod adhuc Lutetiæ, cum Lutherus disputare cœpisset, fumabat, non tacere. Præterea non magnam Ecclesiæ felicitatem indicant capita, in quæ Cardinales post mortem Alexandri VI Papæ (execrabilis etiam apud suos in omne ævum memoriæ) & ante electionem Julii II. d. 1. Novembr. 1503. jurati consenserunt, ipseque postmodum Pontifex sub eadem jurisjurandi fide ratihabuit; inter quæ est *promissio Concilii generalis, intra biennium ad Ecclesiæ reformationem habendi*. Et quamvis artibus Pontificiis distracta Cæsaris & Regis societate, solutus esset conventus Pisanus, vi juramenti illius, a Cardinalibus meliorum partium pro reformatione Ecclesiæ institutus; dein sub Leone X in palatio Lateranensi Concilium, quod generale vocabant, convocatum, acerbis contra Gallos modis processerit; tam male tamen obediebatur Pontificiæ potestati, ut cedente, licet ex causis parum piis, Rege, & oppressa Episcoporum libertate, Academia Parisiensis anno 1517. d. 17. Martii, non verita fuerit, a decretis pontificiis pactisque cum Rege, ad futurum Concilium appellationem gravissimam interponere. Ejus instrumentum nuper inter opera *Edmundi Richerii*, Doctoris Sorbonici, Latine editum reperitur *hist. concil. Lib. IV. part. 2.* Eo vero ipso anno disputare Lutherus, ut innui, publice cœpit, & quæ ex Actis ab anno 1503. ad an. 1517. breviter attigimus, tam nota illi omnibusque erant, ut, si quis illo tempore pacem Ecclesiæ & consensum orbis in colendo Pontifice magnifice jactasset, pro impudenti aut stolido absque dubio habitus fuisset. Miserrima Ecclesiæ facies, si quis toti Germaniæ, in publica gravamina paulo post erumpenti, & Pontifici ipsi, necessitatem emendationis confitenti, fidem non habet, ex tot illius temporis scriptoribus, utriusque partis, tam clare conspicitur, ut operam perderem, quam ad probandam rem in vulgus cognitam vellem suscipere. Oblita & tecta quidem erant aliquo modo, falsæ concordiæ & male fidi obsequii emplastro, insanabilia Ecclesiæ vulnera, sed gangræna sectionem poscebat. Fatendum tamen est, querelas ante hunc annum non satis manifeste adversus errores in fide seu dogmatibus directas fuisse; dominatus & avaritia Pontificum, neglectus canonum & disciplinæ, potissimum incusabatur. Qui vero in dogmatibus, seculo priori, dissenserant Bohemi, jam variis artibus divisi & retusi, aut concessis contenti, silebant. Denique qui ex Albigensibus sive Waldensibus reli-

(4) Testimonia querelarum ante reformationem;

qui in Alpium angustiis quieti degebant, negotium Romano Pontifici aut Clero exhibere nec poterant nec volebant. Itaque Principes fere omnes, quidam etiam Episcopi, propioribus stimulis irritati, ante omnia adversus dominationem illam pontificiam, indeque suæ autoritati suisque proventibus illata damna insurrexerant, a Concilio generali, quod urgebant, remedium sperantes; non injuste id quidem, sed nullo, ut eventus docuit, successu. Post tot enim labores ac sumtus, post tumultus & bella, vastatasque provincias, semper prævaluit calliditas Pontificum, qui inter discordias & factiones Principum modos invenerunt, queis, reformatione in fumum versa, sua commoda retinerent aut augerent. Constat hoc, ut dixi, ex historiis ante Lutherum, aut certe per eos scriptis, qui Lutheri doctrinam non sunt secuti. Erant tamen absque dubio piæ mentes, quæ non tam ad externi regiminis ecclesiastici vitia, quam ad interna Ecclesiæ mala curanda, restituendamque lucem doctrinæ & puritatem morum, animum applicarent, spe fretæ, reducta Concilii libertate, & restituta morum rectitudine, de puritate rectius, & majori cum fructu, inquiri & statui posse. Et fuit fortasse inter Parisienses Theologos, cujus calamo Spiritus sanctus hos fines explicabat, in *Appellationis*, de qua dixi, instrumento *p. 87.* optantis: *ut divinus honor reflоreret in terris, lumen Catholicæ veritatis, Christo, vera luce, auxiliante, effulgeret, & ecclesiasticæ libertatis conservatio subsisteret, populusque Christianus salubriter regeretur, & ad salutem perduceretur æternam.* Scriptor Gallus recentissimus, *Banagius*, qui Episcopi Meldensis, *Bossueti*, opus de Variat. Eccles. Protest. docte & copiose refutavit, *Part. II. hist. reform. cap. I. p. 383.* ex Sessione Concilii Pisani III. d. 12. Nov. 1512. habita, apud *Richer. Lib. IV. part. I. p. 430.* editionis Coloniensis, (Banagius citat. *t. 3. p. 226.*) verba decreti urget, quibus statuitur, *quod Synodus non dissolvatur, nec dissolvi possit, quousque universalis Ecclesia in fide & moribus, tam in capite quam in membris sit reformata.* Nihil autem referre putat, quod Concilium illud pro schismatico habeatur: ad testimonium enim, quod desiderata fuerit reformatio in fide, sufficere tot Cardinalium & Prælatorum, Imperatoris & Regis Galliæ auspiciis congregatorum, confessionem. Sed hujus scopi propius attingendi gloria non Regibus, Prælatis & Doctoribus, utcunque magnis, verum (ut est Dei mos, maxima per minimos effecta dare) valde mediocris sortis homini, ex gente non nimis tunc celebri aut potenti, reservabatur. Tantum opus Maimburgius maximum & perniciosissimum schisma vocat, ex levi principio ortum. Sed bene est, quod pronunciando nihil agant, judicis personam sine autoritate legitima sumentes. Et quam leve principium sive occasio fuerit, ex sequentibus apparebit.

(5) etiam in doctrina.

ADDITIO I.

De miserrimo Ecclesiæ ante Lutherum statu tot extant testimonia, ut magna ex iis volumina compilari possent. Egerunt hoc *Joh. Wolfius in Memorabil.* Autores *catalogorum testium veritatis.* *Joh. Henricus Hottingerus* in Hist. Reform. aliique haud pauci, quos exscribere aut excerpere neque vacat, neque mei est instituti. Ex Erasmo plurima afferri possent. Lutherus & Melanchthon nullam facile occasionem omiserunt, miseriam illam & magnitudinem divini beneficii, in reformatione exhibiti, deprædicandi. Producam saltem *Friderici Myconii*, Pastoris & Superintend. Gothani, qui inter illorum fidelissimos adjutores fuit, & de quo alibi plura

(a) Descriptio status Ecclesiæ remissive.

(b) Myconii descriptio status Ec-

A. 1517.

sia ante reformationem.

plura dicenda venient, luculentam descriptionem, ex *Historia manuscr.* quam ex sui ipsius, qui monachus fuerat, experientia & manifesta omnium notitia, cui contradici non poterat, compositam reliquit, anno 1524. inceptam, & ad annum 1541 perductam. Hujus exordium latine versum tale est: *Papatus Antichristianus bestia fuit tam abominabilis & turpis, ut a Paulo & Johanne describi vix satis potuerit. Passio & satisfactio Christi, ut nuda historia, veluti Odyssea Homeri tractabatur; de fide, qua ejus justitia & sanctitas cum hereditate vitæ æternæ apprehenditur, altum erat silentium; Christus ut sævus judex describebatur, omnes qui intercessionibus Sanctorum & Pontificum gratiis carerent, damnaturum. Subrogarunt itaque Christi loco intercessores & salvatores, Mariam virginem, ut pagani Dianam, dein alios Sanctos, quorum subinde novi plurimi a Pontificibus creabantur. Docebant tamen, neque hos pro nobis orare, nisi id de iis, & quos fundaverant, Ordinibus seu Societatibus mereremur. Ostendebatur, quibus operibus id fieri posset. Nihil tamen de veris bonis operibus, in decalogo mandatis & cuilibet hominum ordini incumbentibus, proponebatur; vilia erant illa, nova inveniebantur quotidie, quæ multum pecuniæ sacerdotibus & monachis afferebant. Qui enim illa copiose præstarent, aut ab aliis redimerent, illos pœnitentiam vere agere, & vitam æternam promereri dictitabant; qui id negligens moriebatur, is aut in infernum aut in purgatorium incidere dicebatur, in hoc tamdiu flammis urendus, donec ipse, aut alii ejus nomine, satisfecissent. Opera itaque illa magni fiebant, & pluris quam passio & innocentia Christi; jejunia puta, & pronunciatio frequentissima orationis Dominicæ & salutationis angelicæ, rosaria, pallium Mariæ, precationes Ursulæ, Brigittæ, Psalterii & Canonicarum horarum recitationes; diu noctuque indesinenter canendum, boandum, clamandum, mussitandum erat, non attento dicto Christi:* cum oraveritis, nolite multum loqui, ut Ethnici faciunt. *Aderant sacerdotes & monachi, variis vestibus, ceremoniis, ritibus, vivendique & jejuniorum ratione distincti, qui ista servantes salvari dicebantur; eorum merita etiam redimi & aliis applicari, ut ajebant, poterant. Sic plus quam dimidia opum pars ad ordines monachorum delata est; confirmabat omnes Pontifex & protegebat; prohibitus erat carnium, butyri, caseiusus; transgredientes rei peccatorum fiebant, quæ tamen pecunia lui poterant. Inde etiam multitudo festorum, peregrinationes, Romana & Hierosolymitana, item ad S. Jacobum, ad S. Catharinam in monte Sinai, ad S. Michaëlem, ad Aquisgranum, Fuldam, S. VVolffgangum; quot fere montes, valles, silvæ, imo & arbores, tot erant loca, ad quæ peregrinandum erat: sed & hæc molestia ære redimi potuit. Apportabantur in monasteria & ad sacerdotes nummi & pretiosa, gallinæ, anseres, anates, ova, linum, cannabis, butyrum, casei. Tum strepebant, sonabant, fervebant omnia cantu, pulsu campanarum, suffitu, oblationibus: popina instruebantur, largaque compotationes: succedebant missæ, quibus omnia confirmabantur. Nec a libidine & stupris abstinebatur; confluebant meretrices & scortatores.* Schwester Hürlein und Bruder Bübìein blieben nicht aussen. *Peccatilla id erant, indulgentia pontificia facile expianda. Nova etiam habebant sacramenta, confirmationem, unctionem seu chrisma. Episcopi non concionabantur, sed consecrabant sacerdotes & monachos, campanas, templa, ædiculas, sacella, imagines, liba & placentas, cœmeteria; omnia ista clero magnos afferebant reditus. Reliquiæ in magno pretio erant; ossa, brachia, pedes, aureis argenteisque capsulis inclusa, missæ tempore osculanda porrigebantur, neque id gratis; Sanctorum vero illorum, quorum ossa, membra, capilli contrectabantur, precibus apud DEum juvari se credebant. Fraternitatum infinitus pene numerus erat, hominum in factiones coeuntium & leges conscribentium; hi suos habebant sacerdotes, altaria, ædes, cereos, suffitoria, ferias, quibus congregabantur ad missas & oblationes sacerdotibus faciendas; accedebant redituum fundationes, istis quoque salus procurabatur. In monasteria recipiebantur liberi invitis parentibus, aliquando & conjuges, desertis thori sociis. Vota monastica erant: obedientia, paupertas, castitas. Hæc toti passioni Christi præferebantur, & publice prædicabatur, baptismo illa præstare. Missa & communio a pastoribus ordinariis raro fiebat. Quotidie in urbibus, pagis, arcibus, templis, sacellis, plurimæ missæ celebrabantur, constitutis harum causa sacerdotibus, & fundatis, ad eos alendos, domibus, agris & reditibus. Pleraque missæ pro mortuis, etiam iis, qui ante aliquot secula decesserant, fiebant: aderant vivi, & ad altaria nummos deferebant, sacerdotum commodo cedentes. Tanta vero clericorum copia fuit, ut saltem in hoc oppido Gothano* (id domos ad summum tunc habuit 700.) *alerentur XIV Canonici, XL Sacerdotes, XXX Monachi Augustiniani, duo Terminarii, XXX moniales. Hi sancti habebantur, qui cœlum nobis promererentur: vita autem eorum erat turpissima & fœdissima, qua pejor in orbe reperiri non potest. A matrimonio enim probibiti, nec tamen continentia præditi, urbem stupris, adulteriis & peccatis Sodomiticis replebant, neque tamen coerceri aut puniri poterant, jurisdictioni ecclesiasticæ solum subjecti. Illis Pontifex DEI loco & infallibilis habebatur, cui nemo contradicere deberet, neque id ferebant. Papæ Cæsarem, Reges, Principes, totasque provincias excommunicabant, & contra se invicem instigabant, &c.*

A. 1517.

(c) *speciatim de Clero urbis Gothanæ.*

Hæc etsi hodie pro meris habeantur & exagitentur calumniis, tam vera tamen sunt, & tot testium myriadibus comprobata, ut in dubium vocari non possint. Neque juvat quod opponunt, abusus saltem fuisse & corrigi potuisse; pleraque enim ex errore dogmatico de meritis operum & inprimis cleri oriebantur, & hujus commodis & honoribus serviebant: unde nec in tot regionibus, ad hunc usque diem debito modo correcta, multa etiam in pejus aucta sunt: quanquam, uti speramus, multi inter scorias istas aurum veræ vivæque in Christum fidei teneant. Sed populi proh dolor! pars longe maxima in summa ignorantia perseverat, a pietate, quam Christus & Apostoli docuerunt, & a cultu in Spiritu & veritate præstando, remotissima. Utinam hoc vir magnæ eruditionis *Episcopus Meldensis* comprehendere, eumque, quo fervet, zelum ad Ecclesiæ emendationem seriam & solidam convertere potuisset! Nupero sane *de Variationibus Protestantium* tractatu *Part. I. Lib. V. §. I.* ita loquitur, ut *Myconii* narrationem confirmare videatur. Scribit enim, *Concionatores ejus temporis plurimos* (non errasset, si *omnes* dixisset) *non nisi indulgentias, peregrinationes, & eleemosynas monachis erogandas, atque adeo pro fundamentis accessoria, proposuisse, nec, quantum opus erat de gratia Christi, docuisse.* Sed quam pauci etiam hodie in plerisque regnis & provinciis Romanæ Hierarchiæ subjectis audiantur, qui meliora doceant, ipse non ignorabit. Cum vero alicubi sint, qui accessoria illa, quæ vocat, vel removere vel moderari nitantur, illico inveniunt, a quibus hæreseos suspecti fiant. Id nostro tempore in Belgio accidit, cum, ut ex editis libris constat, egregii & docti viri ex clero, immanem illum, sive ut ipsi mollius loquuntur, indiscretum Deiparæ Virginis cultum aliaque restringere intra limites quosdam vellent. Ipse quidem Innocentius XI Pontifex, ut ex edito nuperrimo a *Gerio* quodam *libro apologetico Lovaniensium Theologorum p. 472.* discimus, deputatos eorum anno 1679. monuit, ut omnem novitatem circa venerationem Sanctorum ac sacrarum imaginum, & circa sacramentum pœnitentiæ, penitus extirparent. Sed incertum est, quid novitatum nomine intelligat, & vehementer verendum, ne abusus, quo vetustiores sunt, tanto firmius servari jusserit: quæ quidem vetustatis opinio, cum emolumenti & honoris respectu conjuncta, semper reformationi gravissimum obstaculum objecit.

(d) *Epicrisis & monitum de Bossueto.*

(e) *De diplomate Pontificis nuperi.*

ADDITIO II.

Obiit Maimburgius, dum commentario meo scribendo occupatus sum, Lutetiæ, anno 1686. ætatis suæ 77. Vulgatam id est in relationibus novorum hebdomadalibus; sed luculentius narratur in V. C. *Petri Bælii excerptis Roterodamensibus de rep. literaria mens. Sept. dicti anni,* condidisse Maimburgium testamentum anno 1685. in quo narraverit, se nobilem Lotharingum esse Nancejanum, in Gallia vixisse annos 63. ante annos quinquaginta parentes suos satis opulentos fundasse collegium Jesuitarum Nanceji, & per annos decem, ante fundationem, patres collegii aluisse, idque fecisse ea de causa, quod ipse in collegium illud cooptatus fuerit, ex quo ejectum se per vim esse queritur: cum tamen vel naturali lumine evidens esse putaret, a parentibus magnas illas do-

(a) *Maimburgii origo, mors & testamentum;*

las donationes non alia conditione factas fuisse, quam ut filius suus earum fructu non privaretur. Testamento autem illo suo cavisse, (quo effectu, ignotum habeo) ut omnia, a parentibus donata, a Jesuitis ad Carthusianos prope Nancejum transferrentur. In *præfatione* quidem *historiæ Calvinismi* mitius de ejectione illa sua, mandato Pontificis facta, locutus est; refert enim, se, licet sub regio patrocinio subsistere in collegio potuisset, maluisse sponte cedere, quam Jesuitas molestiis, sui causa, implicare. Profundius tamen exauctorationem illam ad animum ejus penetrasse, ex Testamento apparet; ejusque rancoris etiam argumentum præbent, quæ in novissimo *de Gregorii Magni pontificatu* libello, de studiis suis juvenilibus conqueritur: *coactum* nempe *se fuisse, ut caput fabulis, ineptiis, chimæris, & mille ideis profanis, & falsis divinitatibus repleret, cum posset in pulchris & solidis cognitionibus, quæ ad verum Deum ducunt, proficere.* Regia pensione ad finem usque vitæ largiter sustentatum fuisse, fama fert. Multam tamen eum incurrisse molestiam intelligimus, cum aulam Romanam liberioribus scriptis offendisset.

(b) *ejectio ex societate Jesuitica.*

ADDITIO III.

De *Concilio Pisano*, anno 1511. indicto, multa referri possent, notatu ad scopum meum dignissima. Defendit id contra Julium II. aliud Concilium *Romæ in Laterano* indicentem, *Philippus Decius* Jurisconsultus Mediolanensis celeberrimus. Extat ejus, *Patrum Pisanorum* nomine conscripta, apologia apud *Richer. lib. 4. p. 167. & seqq.* dein responsum suo nomine elaboratum *p. 233. & seqq.* aliud etiam, quod *Sermo* dicitur, *p. 278. & seqq. Thomæ* vero *de Vio* Generalis tunc Dominicanorum, Cardinalis postea Cajetani, de *potestate Papæ supra concilium* librum, & Regis & Concilii Pisani rogatu vel jussu examinavit Facultas Theologica Parisiensis, & refutandum demandarunt *Jacobo Almaino, Johanni Majori*, & cuidam alii; & extat Almaini tractatus *de autoritate Ecclesiæ contra Cajetanum.* Inter alia Decius in *apologia n. 21.* periculum loci, quo Julius concilium indixerat, ostendit, *neminem esse* existimans, *qui illum ad ecclesiæ libertatem idoneum, aptumque influentiæ sancti Spiritus, qui liberas mentes in concilio impleat, dijudicaturus sit, postquam Pontifices exercitus, armatasque custodias, & arces Romæ teneant, nisi alius vivendi gubernandique modus a Pontificibus servetur.* Ex gravissimis vero *Synodi Pisanæ* literis ad Maximilianum Cæsarem d. 12. Nov. 1511. datis, hæc tantum adscribo: *Assurge igitur, Cæsar optime, adesto, vigila, labitur Ecclesia, opprimuntur boni, impii efferuntur, mergitur justitia, colitur impietas, surgunt in sinumque recipiuntur infideles; qui vero pro Ecclesia consilium capiunt, illique opem & auxilium ferunt, quasi hostes ejiciuntur, opprimuntur, obruuntur. Age, Cæsar maxime, Majestatem tuam appellat ipsa, cujus advocatum & protectorem te fecit omnipotens, Ecclesia videlicet Romana & universalis. Tuum magna miserabilique voce auxilium rogitat.* In Decii sermone *p. 279.* dicitur: *Constat & omnibus exploratum est, Ecclesiam universalem indigere reformatione in capite & membris.* Porro laudatur *Antonii Roselli* tractatus *de potestate Papæ*, (is nempe quem *Prierias* summe culpat, vide §. *xxx.*) *in quo excommunicationes Pontificum injustas neque apud Deum neque apud Ecclesiam valere* statuitur. *p. 308.* memoratur *Matthæi Gurcensis* Episcopi (Augustanus erat patricius, e familia Langiorum) solertia, qua Cardinalitiam purpuram a Julio promeruit, effecitque ut Maximilianus Cæsar a Galliæ rege dissociaretur. Mandatum vero Cæsaris, quo oratores suos d. 16. Jan. 1511. Pisas missos instruxit, habetur *p. 337.* cujus hoc est exordium: *Conspicientes immensas calamitates, quas universa respublica Christiana & ipsa nostra sancta mater Ecclesia ubique patitur, ex quo & decrementum orthodoxæ fidei & incrementum omnium malorum subsequitur, & indies major confusio in omnibus rebus ac bella intestina inter Christianos oriuntur, & effusio sanguinis Christiani; ad quæ cum non videamus aliud remedium, quam quod, juxta sanctorum Patrum instituta, concilium & congregatio universalis fieret, ut ibidem communi concilio possit omnibus commode provideri.* Galliæ Rex eadem fere in suis mandatis d. 15. Februarii 1511. allegat his verbis: *In præsentia magna adest necessitas ipsius Concilii generalis universalis Ecclesiæ congregandi, pro extirpatione hæresium, schismatum, ac divisionum in diversis mundi partibus, ac pro reformatione morum ecclesiæ, & nimium scandalizantium notoriorum, continuorum & incorrigibilium, tam in capite quam in membris, criminum eversione; pro pace Christianorum stabilienda, & bello contra infideles procurando.* Ex oratoribus Cæsaris Comes *Hieron. Nogarolus* in propositione repetiit, inter causas Concilii *reformationem morum Ecclesiæ & extirpationem hæresium.* Iis breviter assensus est *Jo. Biragus* orator Gallus. In ipso etiam convocationis Concilii diplomate, a Cardinalibus emisso, hæc habentur *p. 354. magnam instare necessitatem universalis Concilii congregandi pro vera pace Christianorum fundanda, & sufficienti bello contra infideles stabiliendo: nec non potissime pro reformatione morum universalis Ecclesiæ in capite & in membris plurimum collapsorum, ac emendatione criminum gravissimorum notoriorum, continuorum, ac incorrigibilium, universalem Ecclesiam scandalizantium.* Eadem repetuntur in Imperatorio edicto *p. 364.* Eodem tendit Pisanorum Cardinalium responsum, misso ad se Romano Episcopo datum, ubi etiam Principum officium in corrigendis Ecclesiæ malis agnoscunt, inter alia his verbis *f. 395. Item significabitis, nos cum multorum sapientum consilio pro certo tenere, indictionem concilii Pisani, per nos & Principes factam, ex præcepto universalis Ecclesiæ, voto & juramento S. D. N. & nostro, ad veritatem, non ad blanditionem intellectus, & pro scandalis Ecclesiæ sedandis, & ex præterita notoria tam longa inexcusabilique negligentia, & textu Evangelii:* Dic Ecclesiæ, *juxta synodalem interpretationem intellecto, justissimam fuisse & esse, & jurisdictionem convocandi synodum fuisse & esse hac vice juris ministerio devolutam ad indictores Pisani Concilii, quod Principes viribus omnibus prosequi intendebant, & nunc certe prosequentur. Nos tamen voluimus illis conjungi, ne ecclesiasticæ Aristocratiæ in hujusmodi indictione Concilii per omnium negligentiam jus periret; & ne spiritum per omnia spiritualesque mores videremur extinguere, & secularibus Principibus admonitionem spiritualem ex toto relinquere; etiam ut in concordando pacifico uno Concilio partes nostras melius possemus explicare. Et credebamus certe sanctissimum Dominum nostrum & reverendissimos Dominos aliter nobis responsuros quam fecerunt, cum, nostri nos officii memores, Sanctitatem ejus & Cardinalium Dominationes reverendissimas, sicut Petrum Paulus de observatione Concilii Hierosolymitani admonuerat, rogaverimus: quam admonitionem libenter Petrus admisit, imo illas Pauli epistolas, in quibus hoc contineri sciebat, Paulumque suis epistolis canonicis commendavit.* Defectum etiam priorum Conciliorum non dissimulant *p. 398.* Memorabilem concionem anno 1512. d. 11. Febr. in sessione quinta habuit *Zacharias, Abbas Sublacensis*, cujus tenor in Actis refertur, *p. 455. & seqq.* ubi *p. 458.* ita legitur: *Patefecit insuper evidentissimis rationibus, exemplis, similitudinibus, ac divinis auctoritatibus, nusquam ab nascentis ecclesiæ exordio ad hanc usque tempestatem, tantam congregandæ Ecclesiæ per generale Concilium affuisse necessitatem, quanta modo incumbit.* Sequitur ut ostendere voluerit, majores convocandi Concilii causas esse, quam fuerint veterum primitivæ Ecclesiæ, aut quatuor priorum, quæ Oecumenica vocantur. *Non enim* (ajebat) *deest modo occasio damnandi Judam venditorem Salvatoris, pertractandique in Apostolico primatu melioris sanctiorisque electionis formam, quod primæ Hierosolymitanæ synodo congregandæ materiam tradidit opportunam. Non deest de commendabili ac fideli mensurarum administratione tractandi occasio, cum Ecclesiæ temporalis substantia detestandæ dilapidationi, pessimæque distributioni subjaceat: quod secundum Hierosolymitanum promovit concilium. Non desunt enucleandarum legalium quæstionum detegendorumque errorum potissimæ causæ, sicuti de virgineo conceptu, & magna inde fidelium discordia, de excessu ecclesiastici calendarii, & compluribus aliis divinæ legis quæstionibus, quæ non nisi in oecumenica synodo, ubi dicendi copia & libertate in pertinentibus ad fidem & salutem ex multis ratiocinationibus & sententiis ac divini Spiritus affluentia veritatis judicium colligitur, commode tuteque expediri possunt; ad quæ respondet Hierosolymitanum tertium concilium, quod circa legalia coactum est. Non deest præterea dimicantes invicem Christianos principes pacificandi evidens*

(a) *Apologia Phil. Decii pro Concilio Pisano.*

(b) *Refutatio Cajetani per Theologos Paris.*

(c) *Concilii Pisani literæ ad Cæsarem.*

(d) *Alia quædam ex Decio contra dominatum Pontificium.*

(e) *Mandata Cæsareis & Gallicis Legatis ad Concilium data.*

(f) *Oratio eorum in Concilio.*

(g) *Cardinalium Pisanorum cum Romanis expostulatio.*

(h) *Concio Zachariæ Abbatis in Concilio.*

dens

A. 1517.

(i) *De jure Ecclesiæ in corrigendo Pontifice.*

dens ratio, quæ quartum Apostolicum concilium olim excitavit, ut cum fidelibus sanctæ legis æmulatoribus Paulus pacifice conversaretur. Addit quædam de Bohemorum & VViclefitarum erroribus: deinde correptione fraterna, cui Pontificem subesse [*ut acta loquuntur*] clarisime demonstravit, ac Hostiensis palpantia blandimenta liquidissime confutavit. *p. 463. Nam alias Evangelium non extaret, quam Petrum Dominus remitteret ad ecclesiam; nec tunc Prælatus aliquis accipiendus est, cum nullus sit Petro superior, sed congregatio ipsa universalis Ecclesiæ, cui capite 18. Matth. quo explicatur contentio de majoritate Apostolorum, claves regni cælorum primum datæ cernuntur, & prout Hieronymus & Augustinus constantissime asseverant, & Petrum fuisse Ecclesiæ ministrum & executorem, & ejus nomine claves accepisse definiunt. Nec illæ etiam existunt solum claves ordinis, sed & contentiosæ jurisdictionis: quum ad causam exclusionis capitis ministerialis ab Ecclesia, vel aliorum membrorum [cum incorrigibiliter scandalizant] dari referantur,* Amen dico vobis, quorum remiseritis, *&c. Sacri quoque autoritate Constantiensis concilii, quod ad instar Nicæni in Ecclesia est venerabile, quo potissimum illud,* Dic Ecclesiæ, *ad Concilium in reformatione etiam capitis referendum esse decernitur. Alias ipsius sacri Concilii vigor penitus enervaretur.* Denique ex sententia suspensionis adversus Julium, a Concilio hoc Pisano sessione VIII. d. 21. April. 1512. pronuntiata, pauca subjungo. *p. 548. Declarat (sancta Synodus) præfatum Dominum Julium Papam II. hujus sacrosancti Concilii (ultra quadrimestre & dictos XXIV adhuc dies eidem concessos) manifestum & continuum in sua perversitate impeditorem & turbatorem, ac ejusdem Concilii indictorum & suppositorum pertinacissimum insectatorem, ac decretorum ipsius sancti Concilii notorium violatorem, contemptorem, & assiduum in maximum Ecclesiæ scandalum & jacturam contumacem, & in aperta rebellione persistentem schismatis excitatorem, pacis inimicum, bella inter fideles principes & Christiani sanguinis jacturam procurantem, & promoventem, zizania & discordias in populo Dei seminantem, & in his omnibus enormibus continuis & notoriis criminibus incorrigibilem, induratum, inveteratum, & obstinatum, eo ipso incurrisse pœnas in dictis Decretis contentas, ab omnique, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Papali administratione ipso facto suspensum fuisse, esse & fore.* Hæc de Pisano Concilio sufficiant. Observo tamen, *Richerium* Gvicciardino, qui objicit Pisanos Cardinales non fuisse meliores, sed æque vitiosos ac Julium, & qui ei adhærebant, non male respondere *p. 160. 162. si ad personarum vitia respiciatur, nunquam ad emendationem Ecclesiæ perveniri posse;* & Guicciardini ipsius verba allegat, quibus refert, *nunquam augustiores ceremonias & ritus, quam in Lateranensi concilio visas esse, sed Pontificem cum suis prælatis mentem omnino alienam & aversam ab ejusmodi sacris habuisse.* Quod vero ad Lateranense concilium attinet, indictum id a Julio II fuit anno 1512. *ad extinguendam hæresin,* uti loquitur, id est, Pisanorum Cardinalium factionem ab Imperatore & Gallis, aliisque Regibus & Potentatibus protectam. Vide *Richerium Lib. IV. Part. II. p. 5.* Notat tamen Richerius, orationem ab *Ægidio Viterbiensi* Generali Augustinianorum in prima Concilii sessione habitam, elegantem, politam & liberam fuisse, & ex ea refert, quæ profecto ultra seculi illius genium æstimari debent. Sed hic illa tantum adscribam, quibus miserrimum Ecclesiæ, qua talis est, statum, licet pontificia potentia tunc ad summum fastigium externi fastus pervenisset, graviter depingit. *Freta* [inquit *p. 8.*] *initio suis armis Ecclesia, Africam, Europam, Asiam occupavit, non vi, non bello, non ferro, sed religionis actionibus & sanctitatis opinione, per universum orbem christiana signa circumtulit. At ubi sponsa, quæ tunc undique vocabatur, accersebatur, expectabatur, in vestitu deaurato, aureum paludamentum ardentis spiritus, ferreis Ajacis insani armis commutavit; imperium duodecim ductum sanguine partum amisit, Asiam & Hierusalem perdidit, Africam & Ægyptum relinquere coacta est, Europa cum Byzantino imperio sibi eripi partem vidit, & nos vidimus, cum Religio vota ferro commutavit, toto fere orbe pulsam, ejectam, explosam Ecclesiam, aucto in immensum Mahometo. Quod nisi ferro relicto rursum in pietatis sinum ad aras, ad Dei pulvinaria redeamus, crescet indies magis, subiget imperio omnia, orbem universum nostra impietatis ultor impiissimus occupabit. Video, video, nisi vel hoc Concilio, vel alia ratione, nostris moribus modum imponamus, nisi nostram humanarum rerum cupiditatem, malorum omnium fontem, cedere divinarum amori compellamus, actum de pietate, actum esse de iis ipsis opibus, quas patres divino cultu aucto peperere, nos contra neglectu amissuri sumus. Quæ opes ita ab extrema pauperie pervenere ad summum, ut non ita multo post interituræ esse videantur: ac nisi receptui canamus, nisi rationibus nostris consulamus, insula illa ditissima, cujus ad ornanda sacerdotis tempora usus fuit, vix ad operienda inveniatur. Audite divinas voces undique sonantes, undique synodum, pacem, sanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita nostra mollior? quando ambitio petulantior? quando audacia adversus pietatem loquendi, disputandi, aut frequentior aut securior fuit? Quando in populis rerum sacrarum, quando sacramentorum, quando & clavium & sanctorum præceptorum non modo negligentia sed & contemptus major?* &c. Tum epanorthosi ad Julium: *Hæc igitur mala, quæ hodie fieri cernimus, ait, voces Dei sunt monentis ac præcipientis, ut synodum habeas, ut ecclesiam emendes, ut utrimque hominis bellum tollas, ut sponsæ tuæ undique lacessitæ pacem restituas, ut gladios avertas, urbis & Italiæ jugulis imminentes, ut nostrum frænes vivendi licentiam, Ecclesiæ viscera majoribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert, quantum agri possideamus, sed quam justi, quam pii, quam divinarum rerum studiosi simus.*

A. 1517.

(k) *Sententia Concilii Pisani in Julium II.*

(l) *De concilio Lateranensi.*

(m) *Aegidii Viterb. in illo oratio mascula de defectibus Ecclesiæ.*

At alia fuit vox Thomæ illius Cajetani in secunda sessione, ubi explosis decretis Constantiensibus & Basileensibus, Julium adversus Pisanos incitat (*p. 13.*) *Ut inprimis ipsius Dei potentiam, perfectionem, sapientiam, imiteris, accingere Pater sancte gladio tuo, tuo inquam accingere, binos enim habes, unum tibi reliquumque hujus mundi principibus communem, alterum tibi proprium, atque ita tuum, ut illum alius nemo, nisi a te, habere possit. Hoc itaque gladio tuo qui ecclesiasticæ potestatis est, accingere potentissime, & accingere super femur tuum, id est, super universas humani generis potestates, cumque accinctus fueris, tum intende contra errores, contra hæreses, contra dissensiones, &c. Nec intende solum, sed etiam procede & regna. Procede inprimis & prospere, procede, gentes quæ bella volunt dissipando, tum regna, Sacerdos & Rex, quæ pacis sunt cogitando, inquirendo, persequendo.* Nolo hic inserere quæ contra duplicis gladii & temporalis potestatis usum hoc Concilio assertum & exercitum Richerius commentatur. Successere nempe Pontifici ex voto omnia. Nam Maximilianus Cæsar, illectus spe urbium quarundam in Italia recuperandarum, & Ludovicus Galliæ rex, Mediolanensis ducatus recipiendi ardore, Pisano concilio renuntiarunt, & Lateranensi obedientiam promiserunt, quod exemplum reliqui secuti sunt; nulli tamen alii Episcopi quam Itali, curiæ Romanæ asseclæ, ut ait Richerius, ad Concilium venerunt. Decessit durante Concilio, anno 1513. d. 21. Febr. Julius, & d. 4. Martii *Johannes Mediceus* electus fuit, *Leonis Decimi* nomen assumens. Cæterum reformationis veræ & seriæ, quam hactenus tantis flagitationibus petitam audivimus, spes omnis decollavit, licet Bulla quædam ab ipso Pontifice, absque deliberatione cum patribus, proposita obsequio cœco approbata fuerit; quem modum in Conciliis agendi, a Bellarmino licet laudatum, Richerius summe improbat, & de hac Bulla ita judicat. *p. 76. Hæc est illa eximia & tantopere christianis nationibus a ducentis annis exoptata reformatio, vel ut verius dicam, abusuum curiæ Romanæ incrustatio & involutio.* Nec minorem zelum ostendit adversus abolitionem *Sanctionis pragmaticæ,* quam Francisco I. Galliæ Regi juveni, multis artibus, & promisso etiam *Imperatoris Constantinopolitani* titulo, extortam fuisse refert, cum stabilimento absolutæ monarchiæ pontificiæ: quam, etsi primatum concedat, plane rejicit, & potestatem omnem ecclesiasticam *non nisi ministerialem & spiritualem esse, omni facultate absolute & temporaliter cogendi divinitus privatam* contendit, *p. 49.* decem totos annos assidue legendo & scribendo de hac materia sese impendisse professus *p. 55.* Sequuntur inde Acta *de appellatione Parisiensi* anno 1517. *p. 56. & seqq.* de qua aliquid in textu dixi. Adde his lamentabiles ex-

(n) *Thomæ Cajetani contraria, in adulationem composita.*

(o) *Spes reformationis sublata.*

(p) *Richerii judicium de fucata reformatione Lateranensi, & lamentatio adversus dominatum Pontificium.*

A. 1517.

les exclamationes *p. 113. & seqq.* ubi ruinam Episcopalis & Presbyterialis ordinis deflet, & pastores multos, *cæcos, infatuatos, obtortos* factos esse queritur, qui nullo pacto cognoscant, qui fuerint, qui sint, aut unde exciderint. Ista ex scriptore Gallo, minime quidem Lutherano, imo Lutheranis & Reformatis infestissimo, eo fine adduco, ut, quis verus Ecclesiæ status proxime ante Lutherum fuerit, ex eis quæ inter Reges & Pontifices, in Conciliis etiam, & in facie Pontificis acta sunt, appareat. Quos enim defectus, quæque crimina, Imperator, Reges, Principes, tot Cardinales & Episcopi Pisis congregati, pro confessis & notoriis anno 1511. & sequentibus agnoscebant, deplorabant, & emendare cupiebant, ea utique anno 1517. nondum cessaverant, nec correcta aut sublata erant, sed omnibus in recenti memoria versabantur, divulgatis per typos actis plurimis, sicut speciatim constat de *Appellatione Parisiensi* anno 1517. facta, quæ Latine eodem anno impressa reperitur. Exemplum extat *in Bibliotheca Paulina Lipsiensi* cum subscriptione Gallica: *L'appellation de l'Université de Paris pour les Recteur, Professeurs, Docteurs, Ministres, Regens, Escoliers & Supposts d'icelle & leurs adherens des griefs & causes cy dessus declarez.*

(q) Appellatio Academiæ Paris. a Concilio Lateranensi.

Denique vaticinium *Francisci de Paula*, Fundatoris ordinis monachorum, quos *Minimos* vocant, fide Richerii relatum, notari meretur *p. 101.* Ludovicæ enim Sabaudæ, Francisci Regis matri, pridie ante mortem suam prædixisse fertur Monachus, regnaturum filium ejus in Gallia, cæterosque seculi sui Principes gloria, opibus & felicitate longe superaturum, *si modo ad Ecclesiæ emendationem animum adjungeret; contra fore infortunatissimum, si Ecclesiæ reformandæ rationem detrectaret, quæ* (ait) *beati Viri monita si ad res a Francisco gestas referantur, pro divino habebuntur oraculo*: idque pluribus exequitur *d. l. & p. 102.* quibus addi possunt, quæ de Caroli Cæsaris fato Lutherus ominatus est §. CIX.

(r) Prædictio Francisci de Paula,

Non multum absimile est Savonarolæ responsum Cominæo datum, cum de Caroli VIII Regis reditu ex Italia in Galliam eum consuluisset: immitia enim Regi fata prædixit, *quia officio suo in Italia* (quam victrici terruerat partimque subegerat exercitu) *non satis fecisset, nec statum ecclesiasticum in ordinem reposuisset.* Vid. Comin. & VVolff. in *Memorab. Tom. I. f. 917.*

& Savonarolæ.

ADDITIO IV.

(a) Literæ Meieri, Cancellarii Mogantini, Anno 1457. scriptæ.

Antiquiora testimonia omittens, ex seculi XV, quo Lutherus natus fuit, historia appono literas *Martini Meieri*, Cancellarii Moguntini, quibus *Æneæ Sylvio* de adepta Cardinalitia dignitate gratulatus est, Prid. Calend. Septemb. 1457. *Cognovi ex literis amicorum, te Cardinalem esse creatum; congratulor & tibi, qui pro tua virtute digna consequutus es præmia, & mihi, cujus amicus in ea dignitate constitutus es, in qua me meosque necessarios, aliquando juvare poteris. Illud mihi molestum, quod in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicam afflictura videantur. Nam Domino meo Archiepiscopo frequentes adferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Constantiensis, neque Basileensis decreta Concilii custodit, neque se pactionibus antecessoris sui teneri arbitratur, nationemque nostram contemnere & prorsus exhaurire videtur. Constat enim, electiones Prælatorum passim rejici, beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis, & Cardinalibus, & Protonotariis reservari. Et tu quidem ad tres provincias Teutonici nominis sub ea formula reservationem impetrasti, quæ hactenus insolita est & inaudita.*

(b) Querelæ de abusibus curiæ Rom.

Expectativæ gratiæ sine numero conceduntur: annatæ, sive medii fructus, absque ulla dilatione temporis exiguntur: & plus etiam quam debetur extorqueri palam est: Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur: ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ indies conceduntur: decimarum exactiones, inconsultis prælatis nostris, Turcorum causa fieri jubentur: causæ, quæ tractandæ terminandæque in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistincte trahuntur: excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis, tanquam ex Barbaris, subtili extrahat ingenio: ob quas res natio nostra quondam inclyta, quæ sua virtute suoque sanguine Romanum Imperium coemit, fuitque mundi domina ac regina, nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta est, & in squalore jacens, suam fortunam, suam pauperiem multos jam annos mœret. Nunc vero quasi ex somno excitati optimates nostri, quibus remediis huic calamitati obviam pergant, cogitare cœperunt, jugumque prorsus excutere, & se in pristinam vindicare libertatem decreverunt. Erit hæc non parva jactura Romanæ curiæ, si, quod cogitant, Romani principes effecerint. Quantum itaque & tua nova dignitate lætor, tantum commoveor & angor tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortasse alia est cogitatio, & illius profecto sententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coërceri possit, pro tua sapientia cogitato, & vale optime. Responsi loco esse possunt, quæ eodem die stylo Sylvii *Calixtus II.* Pontifex ad Fridericum III. Imp. scripsit.

(c) Rescriptum Calixti II. Pontificis ad Fridericum Imp. de potestate sua.

Ubi, postquam in exordio suam ipsius laudasset pietatem & solertiam, inter alia hæc regerit: *Inprimis quidem fatemur quod scribis, inclytam nationem vestram olim fuisse florentem, & suis virtutibus Romanum imperium meruisse. Adjicimus tamen & illud: excellentissimam B. Petri sedem, postquam ille martyrio coronatus est, semper Romæ fuisse; in qua qui sederunt, vicariatum Christi tenuere, clavesque ligandi atque solvendi penes se habuere, sive Græci, sive Itali, sive Germani, aut alia gente fuere, nec unquam regni cœlestis introire januam potuisse, qui Romanorum Pontificum autoritatem contumaciter contempsere, nec hodie illis gloriandum esse, qui autoritate propria leges sibi constituunt, quibus pro suo lubitu Romanæ sedis jussiones spernere possint. Hos enim catholica veritas, nisi resipuerint ante obitum, ignis æterni mancipio sine intermissione deputat. Fatemur insuper, aliquando in Romana curia, qua reguntur homines, aliqua fieri, quæ digna essent emendatione, nec dubitamus ipsos Romanæ urbis præsules etiam, in quantum homines, falli, errare, labi ac decipi posse.* Item: *Non est cur de hac sede conqueramini, sed potius de cupiditate & ambitione vestrorum hominum, qui currentes pro Episcopatibus, invenientes competitores, his quibus palatium patet, certatim pecunias offerunt. Illi vero, qui alloqui Pontificem possunt, non sunt omnes similes angelis, sed quales in Alemannia Galliaque multos reperias; recipiunt enim quod offertur, non extorquent. Romanus autem præsul solus in thalamo suo nunc hos nunc illos audit, & illos promovere solet, qui magis commendantur, nec scit nec etiam arbitratur pecuniæ causa hos aut illos commendatione præferri, nec sibi plus auri datur, quam concordata permittant, nisi fortasse aliquando occasione expeditionis contra Turcas aliquid super annata recipit, quod sibi profecto non fuit in tanta necessitate negandum. Habes ergo & in hac parte responsionem nostram. De pecuniis indulgentiarum miramur fieri querelas. Nam illæ postquam collectæ fuerant, profecto Romani Pontificis arbitrio, non alterius, erant distribuendæ.*

(d) Confessio de quibusdam abusibus.

Et postea: *Nota est omnibus Apostolicæ sedis autoritas, manifesta cuique primæ sedis dignitas, vulgata per orbem vicarii Dei potestas, cui dictum est a Domino:* Pasce oves meas, *&:* Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, *& reliqua, quibus in Evangelio Romani præsulis eminentia divinitus declaratur. Quibus ex rebus non est cur aliquis opera nostra criminari possit, tanquam latius evagemur, quam nobis liceat, aut tanquam in alienam messem falcem mittere videamur, cum non hujus aut illius provinciæ, sed universi orbis præsulatum in Apostolicæ sedis specula consequuti simus. Quæ cum ita sint, scimus tamen eos, qui vocati sunt in partem sollicitudinis, non esse turbandos, suamque jurisdictionem, nisi forsitan abutantur, servandam esse non ignoramus.*

(e) Remedium ex Pontificis clementia petendum.

Porro: *Quinimo quamvis liberrima sit Apostolica sedis autoritas, nullisque debeat pactionum vinculis coerceri, ex mera tamen liberalitate nostra, ex zelo, quem gerimus, ad pacem, ex charitate, qua te tuamque nationem prosequimur, concordatis ipsis locum esse volumus, nec patiemur ea temere violari, dum Romanæ sedis gubernacula retinebimus. Si quid præterea est, quod ipsi nationi molestum videatur, ex his quæ prodeunt ex nostro solio, idque fortasse dignum emendatione consetur; possumus enim & nos ut homines aliquando labi atque errare, in his maxime quæ facti sunt; non decet Episcopos aut alios quosvis mortales super Apostolicam sedem auctoritatem sibi vendicare, aut illos imitari, quomodo qui pessimo more detestabilique exemplo in perniciem ecclesiasticæ hierarchiæ, in confusionem mystici corporis Christi, in animarum suarum ruinam, leges sibi constituunt, per quas licitum sibi esse arbitrantur Apostolicæ sedis mandata contemnere,*

A. 1517.

temnere, ac pro suo voluntatis arbitrio ecclesiastica dispo-nere spiritualiaque negotia; nam qui talia præsumunt, alieni sunt, Deum patrem suum appellare non possunt qui matrem Ecclesiam recognoscere nolunt, sed tanquam membra vel putrida vel arida a reliquo corpore rescindi debent: nulli enim permissa facultas est, ut contra Romanam Ecclesiam, omnium fidelium matrem ac magistram, recalcitrare posit, vel se ab illius imperio subtrahere. Comedendus est una in domo paschalis agnus: manere oportet in arca regnante diluvio, cui cura est ne pereat. Unus Deus, una fides, unum Baptisma. Unus Christi vicarius in terris est, qui cœlos bene merentibus aperit, claudit autem malignantibus. Si quis autem arbitratur, secum non bene agere Apostolicam sedem, recurrere ad eam debet, gravamen suum exponere, remedium petere, nunquam pia mater filiorum desiderio deerit, quod viderit ad salutem eorum pertinere. Et tu ergo, Serenissime Imperator, si quid arbitraris tuæ nationis prælatos habere, quod per nos emendari debeat, admone eos, hortare & urge, ut ad nos venientes suas nobis necessitates exponant, gravamina referant, desideria proferant: nam votis eorum, quæ a rationis tramite non discordent, tanto libentius annuemus, quanto confidentius eos ad nos recursum habere videbimus. Ex his ingenium Paparum, & quomodo Imperatorum, Regum & provinciarum desideria eluserint, & quam magnifice & ex quibus prætextibus de sua potestate statuerint, eaque veluti Palladis scuto summos etiam orbis Principes retuderint, satis clare apparet. Ejusdem Sylvii, quem a patria *Cardinalem Senensem* vocabant, tractatum *de moribus Germanorum* anno 1584. cum elogio Romæ recusum perhibent, quem examinat *Richerius Lib. IV. part. I. histor. concil. p. m. 8. & seqq.* ubi *p. 27. 29.* ex Bernardi libris *de consideratione* gravissimas contra dominatum Pontificium querelas adducit; paulo post Appellationem a Sylvio, qui interea ad Pontificatum sub *Pii II.* nomine ascenderat, ad Concilium, a Procuratore generali Caroli VII Galliæ Regis anno 1460. interpositam inserit *p. 37.* in qua Rex inter alia *p. 39.* queritur, *Ecclesiasticam disciplinam plurimum lapsam esse, derelictis canonibus sanctorum Patrum & sacrorum Conciliorum ac decretis antiquorum summorum Pontificum, plurimas inordinationes, deformitates & excessus in clero pariter & populo Christiano extitisse;* dein & decretum *Constantiense* allegatur, quod concilium a Christo immediate autoritatem habeat, *cui quilibet cujuscunque status & dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur.* Verum quibus blanditiis defuncti Regis filium & successorem Ludovicum XI idem Pontifex adortus sit, & per ea a paternis consiliis averterit, legere licet *p. 53.* Jactat inter alia *se inter Pontifices, Gallicæ nationi affectos, vel in primis numerari debere.* Id ridet Richerius, & ad epistolam Sylvii, qua superbiam Gallorum vehementer exagitavit, provocat *p. 57.* Sed noverat Sylvius cum temporibus animum & calamum mutare. Pontifex sane factus, quæ olim pro libertate Ecclesiæ in Synodo Basileensi adversus excessus Pontificiæ potestatis questus erat, publice in scriptis revocavit, fassus *se errasse ignoranter, & imitatione S. Pauli persequutum esse Ecclesiam Dei, & Romanam primamque sedem. Exemplo itaque Augustini nunc retractare,* vide *d. l. p. 97. & seqq.*

(f) *Æneæ Sylvii, sive Pii II. variæ sententiæ de Papatu, ex Richerio.*

(g) *Gallorum querelæ de Pontificibus.*

(h) *Sylvii revocatio.*

Consuli etiam possunt *Appellationes Parisiensis Universitatis* anno 1491. d. 13. & 18. Septembr. factæ *d. l. p. 107. 131.* Facultas autem Theologica Parisiensis Carolo VIII Regi, Alexandri VI Pontificis spurcissimis moribus offenso, ad quæstiones quasdam anno 1497. d. 11. Jan. respondit: *Teneri Pontificem de decennio in decennium generale Concilium habere, ad reformandam Ecclesiam in capitibus & membris, quod adjunt eo tempore necessarium esse ob deordinationem, quæ cunctis notoria sit: quodsi negligat, Principes tam ecclesiasticos quam seculares, & partes Ecclesiæ notabiles, posse se congregare & necessitati Ecclesiæ providere.* Vid. *p. 140. & seqq.* Quæ vero de *Julii II. capitulatione & juramento* tetigi, legi possunt *p. 147.* Juravit autem hac formula: *Præmissa omnia & singula promitto, voveo & juro, observare & adimplere in omnibus & per omnia, pure & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu perjurii & anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam, ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.* Ad ista sic commentatur Richerius: *Quibus sacramenti formulis atque execrationibus Julius II. collegis suis omnem, quam de ejus ferreo ingenio sinistram suspicionem conceperant, minuere ac auferre, illosque ad se eligendum Pontificem allicere volebat, & revera electus est Pontifex. Cæterum permulta hic continentur quæ penitus legi gratiæ repugnant: cujusmodi sunt execrationes, & alia ejusmodi, quibus nominatim declaratur, quod electus Pontifex se a perjurio & fide violata nunquam absolvi procurabit &c. Veruntamen hoc potius infidelis quam hominis Christiani est, huicque precandi formulæ,* Dimitte nobis debita nostra, *& articulo fidei:* Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, *plane adversatur. Ex quo liquet, quid non mortalia pectora cogat cæca ambitio & desiderium Pontificatus obtinendi. Quandoquidem Julius II. statim atque creatus & inauguratus est Papa, hoc se sacramento & imprecationibus obstrinxit, neque tamen promissis stetit, ut fidem datam exsolveret: idque convocationi Pisanæ & Lateranensis Synodi causam præbuit. Quæ a me dicuntur, non detrahendi voluntate, sed ut doceam, Christianos debere ab ejusmodi execrabilibus sacramentis supersedere: falsoque adulatores perhibere, summos Pontifices tanquam Pontifices vel tanquam privatas personas esse infallibiles, si modo aliquo utantur consilio peritorum. Nam hoc sacramentum de fratrum consilio & consensu editum est a Julio PP. quem proinde tam malis auspiciis incensum, toto sui pontificatus tempore Ducis potius bellicosissimi & ferocissimi, quam pii & prudentis Pontificis munus peregisse nemini mirum videri debet. Consule lector Gvicciardini Historiam ab octavo ad decimum tertium librum, & nisi ob gesta Julii obstupueris, totus quidem eris ferreus.* Hæc Richerius. Tandem cum immanibus illis Julii excessibus, consumta patientia, reluctari palam statuisset Ludovicus XII Galliæ Rex, conventum peritorum ex omnibus Parlamentis sive curiis supremis regni delectorum, in Turonum civitate habuit, qui jussu ejus justitiam causæ contra Pontificem examinarunt & asseruerunt, anno 1510. ex legis divinæ & naturalis principiis. Videatur *Richerius d. l. p. 154. ad 159.*

A. 1517.

(i) *Parisiensium Theologorum judicium de abusuum correctione.*

(k) *Julii II. juramentum de reformatione, cum epicrisi Richerii.*

SECT. 3.

(l) Dogma Ecclesiæ Rom. de indulgentiis.

Catholici semper crediderunt, quod Filius Dei Ecclesiæ suæ potestatem dederit pœnitentem peccatorem non solum a vinculis peccatorum suorum, propter meritum passionis Jesu Christi, per sacramentum pœnitentiæ applicatum, sed & a pœnarum vinculis solvendi, quas pœnas vel in hoc vel in futuro seculo pati, & justitiæ divinæ satisfacere deberet, ob peccata post baptismum commissa. Hoc est quod indulgentia *appellatur, quæ nunquam datur, quam satisfaciendo Deo, per pretium infinitum passionum Filii sui, quod ipsi offertur in hujus debiti solutionem. Ita S. Paulus rogatus a Corinthiis, remisit excommunicato ob incestum, quod reliquum erat pœnæ, pro tanto crimine debitæ. Ita Episcopi priorum seculorum pacem reddebant apostatis, eosque Ecclesiæ reconciliabant, abbreviando tempus pœnitentiæ canonicæ, ad intercessionem Martyrum, & consideratis iis, quæ toleraverant, atque hæc jungendo passionibus Salvatoris mundi, per quas coram Deo pretiosa fiunt. Hic mos, qui semper in Ecclesia post persecutiones continuatus fuit, approbatus reperitur non solum ab antiquis Pontificibus, S. Gregorio (ut tradit S. Thomas) & Leone III. sed & per Concilia, Nicænum, Ancyranum & Laodicenum, item Claromontanum, cum indulgen-*

Matth. 16. & 18. Quæcunque solveritis super terram &c.

2. Cor. 2.

Tertull. & Cypr. passim.

V. Christian. Lup. de Syn. tom. 5. diss. de indulg. c. 5.

A. 1517. *indulgentiæ cruce signatis concederentur: porro per Lateranum, Lugdunense, Viennense & Constantiense. Clemens VI in decretali vel Constitutione sua universaliter ab Ecclesia recepta, exponit dogma fidei, quod Jesus Christus infinitum nobis thesaurum reliquerit meritorum & satisfactionis superabundantis passionis suæ, & B. Virginis, quæ ipsa tota fuit innocentia, & Sanctorum, qui per pœnitentias voluntarias, aut per martyria, longe ultra meritum suum tolerata, satisfecerunt pro pœnis & peccatis, per sacramentum pœnitentiæ remissis. Porro quod Pastores Ecclesiæ applicare hunc possint viventibus, potestate clavium, & mortuis, per viam suffragii, ut a pœnis peccatorum, quas meruerunt, liberentur, sumendo & offerendo Deo ex hoc thesauro tantum, quantum opus est, ad exsolvendum debitum.* A. 1517.

S. Thom. in 4. d. 20. qu. 1. art. 3. Ludger. ap. Sur. t. 2. post vitam S. Suisbert. Concil. Nic. c. 11. ad 12. Conc. Ancyr. c. 5.

Conc. Laod. c. 2. C. unigenitus.

ADDITIO.

(a) De Clementis VI & Bonifacii VIII constitutione & hujus moribus.

In gratiam eorum, quibus vasta Juris Pontificii, quod canonicum vocant, volumina non multum nota, vel non ad manus sunt, de *constitutione Clementis VI Pontificis* quædam adferemus. Reperitur illa inter Constitutiones, quæ *Sexto Decretalium* libro subjunctæ sunt; post illas nempe, quas Clemens V & Johannes XXII publicarunt, quarum hæ *Extravagantes Johannis*, illæ, quia diversos Pontifices autores habent, *Communes* dicuntur; *lib. V. capit. 2.* titulo *de pœnitentiis & remissionibus*, incipit (& ita vulgo allegari solet) *Unigenitus*, data anno Pontificatus Clementis VI primo, id est, anno 1342. Promulgat in illa indulgentias in Jubilæo anno 1350. Romæ celebrando concedendas. Allegat autem Bonifacium VIII qui anno 1300. eandem ceremoniam instituerat. Est is *Bonifacius* Anagniæ, haud procul Roma in Hernicis natus, qui ante Pontificatum *Benedictus Cajetanus* vocabatur. Vir quidem adeo malus, ut mirandum sit, quod Editores voluminum juris Pontificii glossati, quod Parisiis anno 1561. prodiit, historiam vitæ ejus, a Platina descriptam, sexto decretalium libro, Bonifacii auspiciis collecto, subnectere non sint veriti. In ea vero immania ejus vitia & tragicum demum exitum, cui Gallorum Rex Philippus Valesius causam dederat, nullamque prorsus ejus laudem legimus: sed hanc additam a Platina epicrisin: *Discant hujus exemplo Principes omnes, tam religiosi quam seculares, præesse clero & populis non superbe & contumeliose, ut hic de quo loquimur* (Bonifacius) *sed sancte & modeste, ut Christus rex noster, ejusque discipuli & veri imitatores: & malint a populis amari quam timeri, unde tyrannorum pernicies merito oriri solet.* Ex verbis autem constitutionis Clementis VI ea potissimum notanda sunt, de quibus inter *Cajetanum* & *Lutherum* disputatum fuit. (Vide *infra* §. 37.) Ita enim postquam de Christi incarnatione & passione exorsus esset, & narrasset, quod non guttam sanguinis modicam (quam putat propter unionem ad verbum pro redemtione totius humani generis suffecisse) sed copiose veluti profluvium quoddam effuderit; porro definit & loquitur: *Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum, cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, beatæ Dei genetricis, omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumtione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quam pro eo, quod, quanto plures ex ejus applicatione trahantur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Exponit id, argumento a Leviticis ceremoniis & brevitate vitæ humanæ ducto, & se cum Moyse & Aarone comparans, rationem reddit, quare non centesimum, ut Bonifacius, sed quinquagesimum annum ad indulgentias concedendas delegerit; postea præscribit, quibus conditionibus beneficium Jubilæi adipisci liceat. Notant historici *Platina & Trithemius*, & ex illis alii, magnum quidem numerum hominum anno illo 1350 Romam confluxisse, sed vix decimum quemque rediisse ob pestem quæ grassabatur. Hi ergo sunt indulgentiarum fontes, copiosius quam unquam antea aperti; hæc argumenta, quibus jus earum nititur, & de quo dubitare & disputare Lutherus postea cœpit. Magnus etiam indulgentiarum dispensator fuit *Alexander VI.* & invenit Bulla jubilæi anno 1500. ab eo publicata dignum laudatorem monachum, *Felicem Fabri*, Prædicatorem Ulmensem, cujus *MS.* aliquoties allegat *Crusius in Annal. Svevic.* & ex eo hæc refert *Part. III. Lib. IX. c. 50. Ut bulla habeat æternum robur, plumbeo sigillo eam firmat Papa, quo sigillo solus utitur ipse, ut summus Christiani orbis prælatus. Caput Petri in eo significat, cœlum clavibus Petri aperiri observatoribus Bullæ. Pauli caput significat, gladio Pauli neglectores Bullæ pulsum ad inferos iri. Hanc Papæ sententiam esse, significatur ejus in altera sigilli parte nomine. Non cannabino vinculo (cujus usus est in sigillandis rebus bellicis, & tristibus) sed serico (leni & misericorde) sigillum appenditur, cum colore flavo & rubro. Subscriptio:* Ego Alexander, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Diß giebt viel Krafft und Macht der Bull: dann so viel will die Geschrifft: Jch Alexander/ der gantzen Welt einiger Monarch und Bischoff der gantzen Christlichen Kirchen/ hab die Bull geben/ besieglet: und bin persönlich dabey gewesen/ das bezeugt unser eigen Handschrifft. Nach dem Tittel/ so hat Sanctissimus noster Dominus gemacht zwo Figur mit der Feder: eine vor/ und eine darnach. Was die bedenten weiß niemand/ denn seine Heyligkeit: der in dem Schreyn seiner Brust alle gerecht/ göttlich und menschlich hat geschrieben. Germanicorum verborum hic est sensus. *Subscriptio: Ego Alexander &c. magnum pondus multasque vires dat Bullæ. Hoc enim indicat: Ego Alexander totius mundi Monarcha, totius Ecclesiæ Christianæ Episcopus hanc Bullam dedi, sigillavi, præsens fui, hoc testor mea manu. Post titulum,* Sanctissimus Dominus, *duas figuras fecit, unam anterius, alteram posterius; quid hæ significent nemo scit, quam ipsius Sanctitas: habet enim in scrinio pectoris sui inscripta omnia jura divina & humana.* Dignus fuisse videtur *Felix* hic seculi felicitate, quam prædicat in exordio operis Maimburgius. Quid vero sibi velit in relatione signi, manu Pontificis facti, divinare nequeo, nisi forte literam initialem nominis sui baptismalis adscripsit Alexander. Id enim aliquando fieri solere, testandi assensus Pontificii causa, legisse me memini, in Diario Gallico *Ludovici Santamorii, de negotiatione apud Innocentium X. in causa quinque propositionum Jansenii.* Vide illum *part. IV. cap. VIII.*

(b) Contenta Clementinæ.

(c) Encomium Bullæ Alexandri VI. a monacho Ulmensi datum.

§. III.

(1) Momentum quæstionis de indulgentiis.

Animadvertendum *primo* est, non leve, ut Autor paulo ante scripserat, fuisse principium disputationis, si gravitas rei, quæ in quæstionem venit, per se spectetur. Agebatur enim *de remissione peccatorum*, ex qua tota hominum salus pendet, & quæ arx & caput est doctrinæ Evangelicæ, sive, ut Lutherus primæ suæ disputationis *thesi 62.* nervose statuit: *verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Evangelium gloriæ & gratiæ Dei.* Quapropter curiosa aut illicita minime videri debuerunt, quæ ad animum sibi revocabat & explicari cupiebat Lutherus, aliique, quos enormes, nec antea tam crude promulgatæ, remissionum & indulgentiarum prædicationes percellebant. Fidem vero perpetuam Ecclesiæ Christianæ de hoc articulo, etsi emollire quædam videatur, non

A. 1517.

ita nobis exhibet autor, ut ei assentiri, & quæ ex hac hypothesi adversus Lutherum concludit, admittere possimus. Si enim *semper*, ut ait, crediderunt Catholici, quæ hic contexuntur, utique etiam Apostoli & Evangelistæ illa crediderunt, & a Christo fuissent edocti. At tacentibus illorum scriptis, tacentibus etiam, vel diversa nec consonantia inter se tradentibus, qui secutis postea seculis doctrinam propagarunt, scriptoribus Ecclesiasticis, disquiri & licuit & debuit de dogmatibus, quorum certitudo ex sacris literis non apparebat, qua scilicet causa, quo tempore, quo autore in Ecclesia extiterint. Atque hic ad primum illum scopulum necessario allidimur, de fundamento credendorum. Maimburgius suæ insistens sectæ paucissima ex Scriptura sacra, pleraque, & ea quidem omnia, de quibus controvertimus, ex libris Patrum & Theologorum, ex more Ecclesiæ, & ex Pontificum atque Conciliorum definitione deducit; quam fideliter & apposite, hic non tracto. Verum enim vero Lutherus post primas velitationes cum adversariis suis, & postquam a præjudiciis, quibus imbutus & occupatus fuerat, sese liberasset, non aliam decisionem controversiarum de fide, quam ex solis sacris literis, earumque aut verbis, aut necessariis consecutionibus, admisit, idemque huc usque contendit universus Protestantium cœtus; ut adeo stante hac principiorum inter nos & Romanæ Ecclesiæ doctores contrarietate, conveniri de credendis non possit. Incivile igitur & injustum est, si principiis utrique parti non communibus ea superstruantur, quæ alteram gravent & condemnent. Is enim legitimus disceptationis modus & exitus est, ut de principiis vel conveniatur, vel incorrupto & legitimo judicio pronuncietur. Frustra igitur imperitis, ut certæ & perpetuæ veritatis doctrinas ingerit Maimburgius, quæ Scripturarum evidentibus testimoniis carentia Protestantes rejiciunt. Inter illa non postremum est, cuique tota fere de indulgentiis disputatio innititur, dogma *de purgatorio*, sive de pœnis & satisfactionibus, quæ in futuro seculo etiam piis, ob peccata in hac vita non expiata, incumbere dicuntur, antequam vitæ æternæ gaudiis frui possint. Hoc purgatorii invento non admisso, impertinenter disceptatur, an Pontifici, Episcopis, aut Ecclesiæ ministris liceat pœnas illas sive gratuito, sive subrogata alia satisfactione, aut per suffragia remittere. Immo sub initium disputationis suæ Lutherus, etsi purgatorium nondum negaret, negavit tamen ob gravissimas rationes, potestatem Ecclesiasticam ultra vitam humanam, ad remittendas purgatorii pœnas, extendi posse, nec, ut id fiat, expedire. Et ista quidem pleraque, quod inprimis notari petimus, non primus, sed cum antiquioribus quibusdam Scholasticis sensit, ut rigidissimus ejus censor *Pallavicinus Histor. Trid. Lib. I. c. 8. n. 5.* ipse non potuit diffiteri, licet communem sententiam & Conciliorum recentiorum decreta illis opinionibus præferri a Luthero debuisse contendat. Cæterum etsi censuras, quæ lapsis post baptismum Christianis, vel Pauli, quod allegatur, exemplo, vel Ecclesiastico jure imponi olim solebant, aut etiam nunc imponuntur, remitti & temperari ex causa posse, non negent Protestantes, & censuræ publicæ in peccatores enormes disciplinam severius, quam adversarii instituerint, aut constitui posse optent; negant tamen id fieri ex eo fundamento, quod Pontifices Romani, & nominatim Clemens sextus, vulgata illa constitutione sua, arripiunt, sed ipsi sic statuunt: *Thesaurum meritorum Christi, ex quo omnium peccatorum remissio depromitur, omnibus fideliter pœnitentibus, a ministris Evangelii, Ecclesiæ nomine, per absolutionem a peccatis applicari, nulla vel Episcoporum vel Pontificis prærogativa; fictaque esse omnia, quæ de dispensatione & reservatione, qualem sibi Pontifices arrogant, magnifice vel olim debuccinata fuerunt, vel hodie, licet cautius, docentur.* Nec magis constare, *immo honori & excellentiæ meritorum Christi adversari, quæ de superabundantibus Sanctorum & martyrum, vel ultra debitum pœnitentium meritis traduntur; nec ex hac superfluitate imaginaria quidquam ad alios pervenire posse, sed unumquemque, etsi precibus fidelium ad viam salutis inveniendam & constanter tenendam juvetur, sua tamen pœnitentia ac fide, in qua ex hac vita discedit, salvari, aut, si ea careat, sine remedio perire.* Sanctiorem vero & longe veriorem doctrinam arbitratus est Lutherus, & qui eum sequuntur, quæ populo Christiano per fidem in Christo justificato perpetuam renovationem & pœnitentiam, sive quotidianam vitiorum & pravæ concupiscentiæ repressionem, id est, ut dici solet, mortificationem, & summam de conservanda fide vigilantiam, precumque fervorem, non exclusa tamen absolutione ministeriali, commendat, quam quæ falsam spem præbet, vel per aliorum merita, vel pœnis & mulctis præcepto Sacerdotum impositis, vel cruciatibus, qui post mortum demum toleranda essent, pro peccatis satisfieri posse. Dudum etiam demonstrarunt nostrates Lutherum secuti, quo fine & quo cum emolumento cleri, quantoque cum damno reipublicæ, adinventæ istæ de thesauro Ecclesiæ traditiones fuerint, quæ huc transcribere minime opus est.

A. 1517.

(2) *De norma judicii in controversiis de religione.*

(3) *Quæstio præjudicialis de purgatorio.*

(4) *Lutheri & Evangelicorum sententia de indulgentiis.*

SECT. 4.

Fatendum nihilominus est, quod quemadmodum in rebus sanctissimis & sanctissime ordinatis abusus reperiuntur, ita etiam omni tempore sat magni in distributionem illius gratiæ ecclesiasticæ, sive indulgentiarum, irrepserint. De hoc abusu sæpe questus est S. Cyprianus, modo quod martyres literas suas peccatoribus sine discrimine darent; modo quod Episcopi nimis faciles, aut præproperi essent in concedendis indulgentiis; modo etiam, quod Martyres & simplices Presbyteri ausi essent indulgentias concedere, quas tamen dandi solis Episcopis jus esset. Ideo Tertullianus, Novatus, & alii quidam horum ductum sine ratione secuti, cum abusum saltem, si possent, tollere, & zizania bono tritico noxia evellere debuissent, ipsas indulgentias insano impetu aggressi sunt; affectata & nefaria cæcitate non videntes, quod abusus, qui contingere potest, in rebus sanctissimis ad religionem pertinentibus, nullum jus conferat ad res ipsas, ut bellumo modo fecerunt, insectandas. Hoc ipsum est, quod autor schismatis & hæresis, de qua loquor, ea, de qua jam dicam, occasione effectum dedit.

(1) Fatetur Maimburgius abusum indulgentiarum;

(2) negat propter abusum tolli debuisse.

Cyprian. serm. de laps. ep. 10. 11. 12. 15. 23. 27.

Tertull. lib. de pudicitia c. ult. VVclefista. VValdensis.

IV. Etsi

A. 1517. (1) *Postulatur probatio sancti & legitimi usus indulgentiarum in Ecclesia Romana.*

§ IV.

Etsi professio abusuum ingenuitatem aliquam habere videatur, nullius tamen hic esse potest momenti, donec probetur, res illas esse sanctissimas, quæ propter abusus rejici non debuissent, aut saltem bonas & utiles. Constare itaque debuisset, quod sanctissima fuerit doctrina de purgatorio; sanctissima fictio & distributio superabundantium meritorum ad juvandos, qui sufficientibus carent; sanctissima potestas, acceptis nummis, fundis, immo regnis & ditionibus, censuras immanium peccatorum redimendas dare, aut a tenui populo pœnitentiæ & fidei loco, qualescunque satisfactiones ex arbitrio sacerdotum, & ad horum plerumque utilitatem, accipere; & si quæ sunt alia ejusdem sanctimoniæ, quibus probatis demum de cavendo aut abrogando abusu agendum fuisset. Si vero res tales nec veræ nec sanctæ, sed, ut Protestantibus visum est, confictæ aut illicitæ sunt, tunc usum & abusum, quia unum idemque sunt, una opera tollere, pietatis Christianæ & officii Episcopalis fuisset. Comparatio vero, quæ inter querelas Cypriani & aliorum, qui hic nominantur, & Lutheri tempore ortas, ab autore instituitur, nemini fucum faciet. Nulli tunc emittebantur præcones, qui indulgentias simplici populo ære venderent. Questi sunt veteres de relaxatione disciplinæ in peccatores enormes, qui ante deprecationem & conciliationem publicam ad sacra mysteria cum scandalo piorum admittebantur, conniventia vel sordibus sacerdotum; sed questus est Lutherus de promiscua indulgentiarum promulgatione, quæ totis nationibus, & cuilibet pecuniam offerenti, non pro publica illa pœnitentia, sed pro remissione peccatorum aut pœnarum (confundebantur enim hæc) in hac & futura vita, ex fictitiis meritorum opibus, & liberalitate Pontificia, minime tamen gratuita, commendabantur. Hæresiarchæ vero fuerint *Novatus* & *Novatiani*, & *brutali more pœnitentiam lapsis ademerint*; (quanquam iis speciosus non defuit prætextus) fuerint & alii, qui indiscreta abusuum reformatione grassati sunt; minime tamen inde sequitur aut demonstratur, licet confidenter & præter historici officium jactetur, ejusdem criminis reum esse Lutherum; donec evincatur, sancta & bona fuisse, quæ is reformanda sibi sumsit, & cum abusu salubrem & licitum usum simul brutaliter sustulisse, aut veterem Novatianorum hæresin restabilisse.

(2) *Differentia veteris & Romanæ Ecclesiæ in usu*

A. 1517. *indulgentiarum.*

SECT. 5.

(1) Leonis X. Pontificis encomium.

Leo decimus, *ex illustri Mediceorum familia, ab annis fere quinque tunc sacram Petri sedem tenuerat; de quo verissime dici potest, quod factione Cardinalium juniorum ad supremam hanc in Ecclesia dignitatem anno ætatis trigesimo septimo evectus, perfectiones omnes magni Principis exseruerit, sed non habuerit omnes, quæ magnum decent Pontificem. Naturalem ergo propensionem ad omnia magnifica exequenda secutus, ædificationem superbam Basilicæ S. Petri, a prædecessore Julio II. inchoatam, absolvere moliebatur; sed exhauserat ærarium immodicis in omnis generis res splendidas sumtibus, qui potentissimo orbis Monarchæ potius, quam vicario illius conveniebant, cujus regnum non est de hoc mundo.*

Vide Pallavic. lib. 1. c. 2. & 3.

§. V.

Ostenditur immerito laudari Leonem X.

Si autor bona fide agnovit, regnum Christi non esse de hoc mundo, indeque inferre voluit, Pontificem Romanum, utpote vicarium Christi, non decere, ut Monarcharum mundi mores imitetur, sincerius loqui debuisset de summi principatus, & de pontificatus conjunctione. Dum enim Leonem laudat a virtutibus magno principi competentibus, & in dignitate pontificia ostensis, eo ipso insinuat, illum jure legitimo magnum principem sive potentissimum orbis Monarcham, & simul pauperis Christi vicarium esse potuisse. At qui postremum hoc docet, prius non obscure corrigit, & hactenus Lutheri & Protestantium sententiæ accedit, qui insociabilia esse judicant, magnum orbis principatum & vicariatum Christi, immo conjunctionem utriusque potestatis, easque tuendi iniquos modos, inter apertissima Antichristi signa dudum reputarunt. Malumus itaque Maimburgium veritatis vel subdolum testem, quam impudentem immensæ illius & duplicatæ potentiæ præconem habere; licet hanc Societas, ex qua postea ejectus est, omnibus modis evehendam sibi sumserit, & ex illa, quem supra nominavimus, *Pallavicinus*, nihil in historia sua *Lib. I. c. 2. 6.* omittat, quod ad hujus ipsius Pontificis summum principatum magnifice deprædicandum faciat, & excusationes simul præbeat defectuum, qui magnis dignitatibus & potestatibus veluti inevitabiles adhærere putantur. Quæ, annon in contumeliam ecclesiastici muneris, quod Christum repræsentare creditur, cuique nulla necessitate dominatus secularis agglutinatus fuit, redundent, ipsi viderint. Sed de his alibi sæpius disserendi locus erit.

SECT. 6.

(1) Qua causa & quo modo Leo in indulgentiis concedendis processerit.

(2) Defectus veterum & novorum præconum indulgentiæ.

Exemplo igitur Julii Pontificis ad indulgentias refugium habuit. Has ubique terrarum publicari curavit, facta omnibus, qui pecuniam imperatam ad structuram S. Petri solverent, potestate vescendi ovis & caseo, tempore quadragesimæ, & eligendi sibi confessionarium. Bona fide agnoscendum est, quod Pontifices, qui postea successerunt, in dispensatione spiritualis hujus thesauri multum cautiores fuerint; & quod illo tempore quædam facta sint, quæ nunc non fierent, & per quæ tunc effectum est, ut indulgentiæ Leonis, in se licet optimæ, odiosissimæ tamen, præsertim in Germania, redderentur. Nam Leonem ferunt statim & absque hæsitatione Sorori suæ, Cibo principi nuptæ, assignasse indulgentiarum proventum in Saxonia, & vicinis regionibus, usque ad mare Balthicum, idque ideo, ut familiæ Ciborum vicem redderet pro subministratis sibi, cum res angustas haberet, largis subsidiis: Leo enim Florentia patria expulsus, Genuæ exulaverat. Sunt præterea autores, qui asserunt, quod indulgentiæ istæ ad paratam pecuniam conquirendam veluti hastæ subjectæ & plus offerentibus locatæ fuerint; qui licitatores

L. 3. diplom. Leon. L. 1. & 2. diplom. secret. Sadolet. lib. II. ep. 1. Spondan. ad hunc ann. n. 4. Guicciard. L. 13. Pallavic. d. c. Paul. Langius in Chron. Cia

A. 1517. *Guicciard. L. 13. Flor. de Ræm. l. 1. c. 8. Pallavic. l. c. Christ. Lup. de Synod. tom. 5. dissert. de indulgent. Concil. Lat. sub Inn. III. c. 62. Conc. Const. sess. I I. art. 22. Cochlæus Act. Luth. Vide Fl. de Ræm. l. 1. c. 8. & Spond. ad hunc annum. Joach. Camer. lib. de bello Smal. Paul. Lang. in Chron. Citizensi. Massa, L. 20. Erasm. ep. 12. ad* Albert. *P. Eber. in Cal. Hist. Polyd. Verg. L. 8. c. 4. Christ. Lup. de Conc. t. 5. dissert. de*

A. 1517. *indulg. c. 4. Legat. Princ. ad Adr. VI. P. Lang. l. c. Guicc. l. 13. Joach. Cam. de bell. Smal. Fl. de Ræm. l. c. Christ. Lupus; & alii.*

postea, non tantum ut æs erogatum reciperent, sed & locupletiores ex commercio hoc pudendo fierent, præcones & quæstores indulgentiarum bona mercede conduxerint, quos satis idoneos putabant, ad inducendam plebem, ut pro impetrandis indulgentiis contribueret, quicquid avari & sacrilegi isti redemtores prætenderent. Certum est, quæstores eo tempore ad oblationes fidelium recipiendas constitutos, quo Urbanus II indulgentias cruce ad bella sacra signatis publicavit, sensim avaritia tentatos corruptosque fuisse, ut tandem magnos abusus in functionibus suis admitterent. His corrigendis, & ad amovendum scandalum opus fuit canonibus Ecclesiæ, quos Innocentius III in Lateranensi, & Clemens V in Viennensi concilio condidit. Etiam in Constantiensi concilio inter capita, propter quæ Johannes XXIII condemnatus fuit, hoc erat, quod Legato cuidam suo potestatem dedisset confessionarios constituendi, qui (sunt verba Concilii) absolvere possent a pœna & culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus, de quibus maximas pecuniarum summas exhausit & extorsit, Christi fideles seducendo, & statum ac vitam Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandalizando. *Verum his decretis & cautelis non obstantibus, negari nequit, avaritia privatorum in indulgentias etiam a Leone publicatas abusus magnos irrepsisse. Pontifex hic promulgationem in Germania commiserat* Alberto, *Fratri Joachimi Electoris Brandenburgici, Archi-Episcopo Moguntino & Magdeburgensi. Iste Prælatus, magnæ utique autoritatis & raræ virtutis, ob quam biennio post a Leone Cardinalis creatus fuit, delegavit negotium* Johanni Tezelio *Dominicano, fidei inquisitori, qui non multo prius simile gesserat, & insigni cum equitum Teutonicorum utilitate, magnam pecuniæ summam collegerat, dum indulgentias pro bello contra Moscovitas prædicaret. Tezelius ordinis sui religiosos in partem laborum associaverat. Hi susceptum munus, ut sæpe fieri solet, ultra limites urgendo, ita exaggerabant indulgentiarum pretium, ut occasionem darent populo credendi, certum esse unumquemque de salute, & de liberandis ex purgatorio animabus, quamprimum soluta pecunia, literas, quibus concessio indulgentiarum significabatur, redemisset. Hoc sine dubio scandalosum erat, ut Principes in Comitiis Norimbergensibus congregati, apud Adrianum VI Leonis successorem postea questi sunt. Augebat scandalum, & plus una vice tumultuandi initium plebi dederat, quod subdelegati quæstorum, qui lucrum indulgentiarum redemerant, quotidie in popinis versarentur, & partem nummorum turpiter prodigerent; hosque crudeliter sibi interversos esse pauperes & mendici querebantur, qui hac indulgentiarum nundinatione eleemosynas sibi subtrahi dicebant, quas alias accepturi fuissent. Hi certe abusus a tot celebribus autoribus acrius quam a me, & variis linguis, Latina, Gallica, Italica & Germanica memorantur, ut Historicus, qui eos supprimere conaretur, frustra laboraret. Neque negari potest, immo ab omnibus conceditur, hos abusus occasionem Lutheranismo dedisse, idque ultima sessione S. Concilii Tridentini non obscure significatur. Admodum tamen injustum esset, si tam sancto & Ecclesiæ valde utili Dominicanorum ordini imputaretur, quod quidam ex eorum sodalitio in Germania sine approbatione superiorum, plus quam decebat, de indulgentiis prædicarent, aut subdelegati, qui ordinis socii non erant, omnia illa scandalosa perpetrarent.*

(3) Reprehenditur Tezelius & socii.

§. VI.

(1) Confessio Maimburgii de abusu, non sufficit.

Neque in hac narratione a veritate & candore alienus plane est autor, non multo mitius Leonis & monachorum gesta improbans, ac a scriptoribus Protestantibus factum est. Discrepat autem in eo potissimum, quod veniarum distributiones, quales sequioribus Ecclesiæ temporibus excogitatæ & exercitæ sunt, pro re licita & bona, immo pro optima venditat, & abusuum correctionem sufficere existimat. Lutherus enim, uti diximus, etsi ab initio ejusdem forte esset opinionis, & moderatione aliqua obtenta, quieturus esse videretur; mox tamen deprehendit, quæ nullo fundamento nituntur, frustra fulciri, neque pietatis charitatisque Christianæ esse, aut Episcopalis officii, leges invenire, quibus irretiatur primum populus, dein lucri, aut alia non gravi causa, solvatur. Quod vero postea in Romana Ecclesia desitum est ea, qua Leo aliique ante eum usi sunt, ratione in conferendis indulgentiis procedi, id profecto non minima ex parte Luthero & Protestantibus debetur, quorum monitis & exemplo ii ipsi profecerunt, qui tamen monentes ferre nolebant, sed diris modis persequebantur, ut ex sequentibus intelligi potest, & res loquitur. De Alberto Archiepiscopo, quem hic laudat Maimburgius, duo questus est Lutherus; primo, quod inaudito pene exemplo duos Archiepiscopatus, & Episcopatum præterea ambiverit, & vi pecuniæ impetraverit, utque eam corraderet, & pallii, quod vocant, pretia solveret, indulgentiarum nundinationem Romæ conduxerit, ita ut dimidia emolumenti pars ad ipsum perveniret; unde non alii magis, quam huic Prælato imputari debere judicat, quicquid præcones indulgentiæ peccarunt. Id tamen sibi ignotum ab initio fuisse dicit Lutherus; adeo ut simplici & bona fide remedium ab eo peteret contra abusus, quorum ipse maximus erat procurator. Alterum quod ei postea imputavit, erat impudicitia, cujus fama tunc magna fuit. Vide *Præf. Luth.* ad opera. Et *Tom. I. Altenb. fol. 258. & seqq.*

(2) Quid Lutherus in Alberto Archiep.

Mogunt. desideraverit.

ADDITIO I.

(a) Georgii Arnoldi de Alberto Moguntino censura.

In historia *Mauritii Electoris MS.* cujus autor est *Georgius Arnoldus*, Chemnizensis, Jureconsultus egregius, & Cancellarius quondam Cizensis, anno 1588. defunctus, hæc habentur, quæ ex Germanica versione anno 1670 a Bibliothecario Electorali *Davide Schirmero* adornata (Latinum enim exemplar nondum adipisci potui) excerpsi: *Alberti Cardinalis aula erat totius Germaniæ splendidissima & sumtuosissima. Licet autem duos Archiepiscopatus & præterea Episcopatum opulentum haberet, prodigebat tamen omnia per luxum & profusiones enormes, ita ut pecuniam Pontifici pro pallio Moguntino debitam, ex tantis reditibus conficere non posset. Ad fraudes igitur & subdolas corradendi nummos artes se convertit, se*

A. 1517.

tit, se & Imperio Romano-Germanico indignas ac demum exitiosas. Junge, quæ add. II. ad §. XII. annotavimus.

ADDITIO II.

Cum cautiores in indulgentiis his Pontifices facti sint, fatente id Maimburgio, & non nostratibus saltem, sed fortassis & aliquibus in Romana Ecclesia, non satis notus hodie sit stylus indulgentiarum illius seculi, afferam quædam ex ipsa Saxonia, in cujus archivis plurimæ adhuc restant Pontificum Bullæ, de vescendis Quadragesimæ tempore ovis, butyro & caseo, quas vulgo Butter-Brieffe vocabant, & modico ære vendebant, idque aliquando intra regionem ad ædificia sacra applicabant, parte aliqua Romam destinata. Merentur omissis aliis referri tradita ab *Andr. Mollero in Chron. Friberg. P. I. p. 51.* ex Germanico translata hoc sensu.

(a) *Relatio de indulgentiis 1484. Fribergensi Capitulo datis.*

Cum anno 1484. maxima Fribergensis urbis pars cum templis suis conflagrasset, readificari Alberti Saxonia ducis (Georgii parentis) *auspiciis Ecclesia collegiata* B. Mariæ *quam ipse adversus Bohemos fundaverat,* (vulgo der Thum) *dein & alia cœperunt. Ad sumptus impetrata fuit ab Innocentio VIII Pontifice anno 1491. d. 6. Jul. indulgentia, potestate per viginti annos data vescendi butyro & lacticiniis per totam quadragesimam, tum quatuor temporibus, & in vigiliis festorum, iis omnibus qui quotannis vigesimam floreni Rhenani partem dependerent;* (id est, grossum, qualis tunc erat cum minuta ejus particula) *hujus vero tributi pars quarta ad fabricam S. Petri Romam mitti debuit. Huic concessioni reluctati sunt viri docti, & per subreptionem impetratam esse contendebant, sed Pontifex per literas datas edictum suum repetiit & declaravit XVIII. Cal. Jul. sive 14. Junii anno Pontific. VIII. id est, 1492. Neque tamen cessarunt oblocutiones, & ipsi Dominicani in monasterio superiori Friberga reclamare, imo theses contra indulgentias typis publicare ausi sunt. Delegato inde ad cognitionem causa* (quia ordinarius, sive Diœcesanus judex, Johannes a Salhausen Episcopus Misnensis, contra indulgentias decretum tulerat. Vide *Fabric. Annal. urb. Misn. Lib. III. p. 78.*) *Egerdo Episcopo Slesvicensi, Alexander VI. anno 1496. d. 25. August.* Georgio Frichenhusio, Johanni de Bamberga *mendicantium,* uti vocat, *ordinum professoribus & verbi Dei pradicatoribus,* (id est Dominicanis) *tum & Doctori* Johanni Breitenbachio *pradicatoribus adharenti* (*qui,* ut sunt verba pontificii decreti, *de hac re publice disputare, & sic disputando nonnullas scandalosas propositiones & conclusiones circa pramissa tenere, & illa in mille quinternis imprimi facere non formidasset*) *perpetuum silentium imposuit & indulgentias confirmavit.* Sed operæ pretium est ex *Alexandri Bulla,* a Mollero *Parte II. p. 139.* producta, sequentia adscribere.

(b) *Excerpta ex Bulla Alexandri VI.*

Postquam enim ea quæ relata sunt, & commissionem Episcopi Slesvicensis narrasset Alexander, ita pergit: *Et demum ex certis causis aliquibus S. Rom. Cardinalibus successive, ac postremo dilecto filio Bernardino sacrosancta Crucis in Jerusalem Cardinali, ut de his qua ad impugnationem contentorum in dictis literis pro parte Pradicatorum & Doctoris Pradicatorum, & justificationem eorundem pro parte vestra deducebantur, se informarent, & nobis referrent, mandavimus. Cum autem prafatus Bernardinus Cardinalis, de pramissis plenarie informatus, omnia qua ad hujusmodi per partes pradictas deducebantur, nobis fideliter retulerit: nos scandalorum & seditionum materiam inter Christi fideles amputare, & litium ex pramissis ortarum & qua inde oriri in futurum possent, occasionem prascindere, ac etiam saluti animarum plurimarum pariter, & corporali necessitati commoditatique subditorum prafatorum* Alberti & Georgii *Ducum, & aliorum pradictorum consulere, nec non etiam restaurationi dicta Ecclesia, qua ad haresin Boëmicam comprimendam, & ad fidei Catholica tutelam in partibus illis procul dubio conducere dignoscitur, prospicere volentes; litem pradictam, & omnes alias inter vos & pradictos fratres Johannem & Georgium, & Johannem Doctorem, seu alios quoscunque, etiam ex officio nostro, aut ad querelam cujuscunque, & omnes alias lites pramissorum occasione motas, & coram dicto Bernardino & aliis Cardinalibus ac Auditoribus causarum dicti palatii, nec non judicibus in Curia Romana vel extra eandem, ubicunque pendentes, ad nos prasentium tenore advocamus, & illas penitus & omnino extinguimus. Et insuper ne de catero de validitate, viribus & observantia literarum pradictarum prafati Innocentii pradecessoris aliqua hasitatio in mentibus fidelium remaneat, easdem literas & in eis contenta, auctoritate Apostolica durantibus viginti annis, ex die data prima concessionis in dictis literis, ad preces* Alberti *Ducis prafati emanatis, ut pramittitur, computandis, robur firmitatis obtinere debere, illasque sine aliquo scrupulo conscientia juxta earundem continentiam atque formam observandas esse decernimus; dictisque Johanni & Georgio fratribus, Verbi Dei pradicatoribus, & Johanni Doctori super eorum oppositionibus, pradicationibus, disputationibus ac omnibus, qua per eos tam in judicio, quam extra adducebantur, contra pradictas literas, & earum observantiam, perpetuum silentium imponimus. Nostra tamen intentionis existit, quod usus lacticiniorum hujusmodi, qui fiet durantibus dictis viginti annis, ad inducendum consuetudinem quovis modo, aut causandum aliquam excusationem super illorum usu, post pradictos viginti annos decursos nullatenus alicui suffragetur, ac nullum penitus prafatis* Alberto & Georgio *Ducibus, nec non subditis suis & incolis dictarum partium ac aliis supra dictis adminiculum vel favorem prabeat, quo minus in eodem statu esse censeantur, quoad illorum usum, in quo erant antequam dicta litera ab eodem Pradecessore emanarent. Decernentes irritum & inane, si quicquam scienter vel ignoranter in contrarium contigerit, quovis modo attentari. Non obstantibus pramissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, qua idem Pradecessor in dictis suis literis voluit non obstare, caterisque contrariis quibuscunque. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. August. M. CCCC. LXXXXVI. Pontificatus nostri anno quinto.* Sub finem anni vigesimi, non obstante illius contradictionis memoria & clausulis, Alexandri diplomati adjectis, Julius II ad renovationem in alios viginti annos anno 1509. d. 23. Nov. facilis fuit, eamque Episcopi Misnensis & Mersburgensis mense Octob. 1512. in diœcesibus suis publicarunt, temporales & æternas pœnas iis comminantes & absolutionem denegantes, qui non soluto illo grosso, lacticiniis vescerentur. Neque reperio contradictum huic indulgentiæ fuisse, cum alias interim anno 1507 Dominicani ipsi prædicassent, ut paulo post notabimus.

(c) *D. Joh. Breitenbachi rationes contra indulgentias.*

Ut autem appareat, ex quibus rationibus indulgentiis illis contradictum fuerit, controversiæ statum ex ipsius *D. Joh. de Breitenbach* tractatu, quem Pontifex in Bulla allegat, referendum esse duxi. Eum nactus sum ex *Bibliotheca Paulina Lipsiensi,* ubi & alia ad causam illam pertinentia reperiuntur. Titulus est: *Consilium Johannis de Breitenbach, utriusque Juris Doctoris, in florentissimo studio Liptzensi Merseburg. Diœces. Jura Canonica ordinarie legentis: an contribuentes juxta tenorem literarum Apostolicarum, per Dominum Papam Innocentium Octavum & modernum concessarum, pro reparatione & restauratione Ecclesia Collegiata B. Maria Virginis, oppidi Freiberg. Misn. diœces. quadragesimalibus & aliis diebus, quibus esus butyri & lacticiniorum prohibitus est, sine conscientia scrupulo butyro & lacticiniis libere vesci possint; in quo quadam pulcherrima verba de potestate Domini Papa & an ipse Dominus Papa in eo facto detestabili Regis Francia nunc occurrenti dispensare possit? ac qualiter Pralati locorum se circa mandata & literas Apostolicas habere debeant, continentur.* Præmittitur *Bulla Innocentii,* dein sequitur *consilium,* quod constat paginis undecim, in quarto; post singulas fere lineas plurimis, ut tunc moris erat, allegationibus juris & Glossarum ac Doctorum refertum.

(d) *Ratio dubitandi.*

Pro rationibus dubitandi affertur, *quod Papa jus habeat supra jus dispensandi contra Consilium* (concilium) *generale, quia major est Concilio, & potest omnia ut Deus,* secundum Ostiensem in *c. quanto. de translat. Pralat.* & secundum Baldum *L. fin. C. sent. rescind. non poss.* & *quia Papa legitime electus est in terris Deus, sicuti non legitime electus est Diabolus.* Adduntur plura ejusmodi, & inter alia allegatur textus *cap. 1. de homicid. in Sext.* quem *aureis literis scribi debere* ait autor, quia *ponit rationem, qua Dominus noster Dei filius ejus vices & sui gregis curam Beato Petro & successoribus ejus commisit, & ideo idem Dominus noster Dei filius dicit ad beatum Petrum & ad ipsius beati Petri successores,* quodcunque ligaveris.

A. 1517.

Itaque si Dominus Papa intolerabilia nobis injungat, id cum mansuetudine & humilitate est acceptandum, hinc in signum suæ excellentissimæ dignitatis osculamur eum in pede. Objicit porro, *Papæ decretis parendum esse, etsi narrata non sint vera. Licet enim contra ea, quæ sunt de jure divino statuta, absque magna & rationabili causa dispensare non possit, tamen contra ea, quæ de jure humano & positivo sunt statuta, nuda sui voluntate dispensare potest, sine aliqua causa.* Sed his & aliis non obstantibus decidit contra Bullam, & *absque conscientiæ scrupulo Principem & subditos butyro & lacticiniis vesci posse* negat: *veritas* enim *esse quod falsè suggesta & narrata vitient dispensationes:* id allegationibus per duas pene paginas confirmat. *Falsum autem esse* dicit, *quod oleo & piscibus careat Misnia, habere enim oleum olivarum non majori quam butyrum, aliud ex frugibus terræ confectum, minori pretio, & nunc pro una piscina, qua majores contenti fuerunt, duas aut tres inveniri. Ex voluptate itaque & lascivia butyrum & lacticinia appeti; idque ultimorum temporum indicium esse* ex *2. Tim. III.* argumentatur. Tacuisse etiam putat impetrantes, quanto scandalo hæc dispensatio Bohemiæ aliisque vicinis regionibus futura sit, introducto butyri esu, contra piam & immemorialem consuetudinem eo abstinendi tempore quadragesimæ. Examinat inde officium dispensationis, idque non nuda voluntate, sed cum ratione & moderatione expediri debere monet, hoc præsertim tempore, quo cupiditas auri abundet. *Teneo,* ait, *pro indubitato, quod Dominus Papa sine causa rationabili non possit in foro poli, seu quoad Deum, relaxare jus positivum;* firmatque id multis rationibus & testimoniis: & postea, licet iterum agnoscat, & flosculos ex autoribus suis adducat, quod *peccatum paganitatis incurrat, qui se Christianum dicat, & sedi Apostolicæ obedire contemnat, impune tamen non pareri Papæ* pronuntiat, *si is mandet injusta & scandalosa, aut contra utilitatem publicam. Prælatos autem miseros esse qui statim timent, & ita credunt literis Papæ, ut non permittant aliquid examinari circa ipsas, cum tamen id facere teneantur.* Provocat ad Glossam & Baldum. Addit, *quomodo Papa, etsi ex magna causa contra jus divinum dispensare possit, cavere sibi tamen debeat ne dispenset, contra universalem statum ecclesiæ, contra exemtionem clericorum, quam* statuit *esse de jure divino,* per dictum Psalmi: *nolite tangere Christos meos,* & autoritates Canonistarum. Negat item *dispensandi jus esse contra matrimonium consummatum:* & occasionem hinc arripit, de causa illa regia, cujus in titulo meminit, decernendi, his verbis: *Ex his infertur, ad illam detestabilem & atrocissimam injuriam, quæ fertur gloriosissimo Domino nostro Regi Romanorum per iniquissimum Regem Franciæ, si Rex dici mereatur, per hoc, quod filiam dicti Domini nostri Regis sibi desponsatam rejecerit, ac ducissam Britanniæ, eidem Domino nostro Regi promissam, sibi conjunxerit, irrogata; de qua cuncti Christi fideles & præsertim Theotunici* (Teutonici) *Sacro Romano Imperio subjecti, merito contristari & suo capiti condolere deberent. Sint itaque prudentes, & animadvertant omnes Almanniæ Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, aut cujuscunque gradus Nobilitates, ne dicti Regis Francorum & cæterorum Barbarorum insidiis, Sacrum Romanum Imperium a Theotunicis, qui dicuntur veri Germani, & veri nobiles (ut notantur* 34. dist. C. quorundam, *& ibi Joh. Andr.) auferatur & eo ablato, quod absit, in servitutem redigeretur. Unde antedictus Dominus Princeps Albertus maxima sui sapientia hoc perpendens, ut hujusmodi gravissimo periculo Theotunicis imminenti obviaret, pudicissimam conjugem, nobilissimos filios, sapientissimos consiliarios, obedientissimos subditos, terrasque & ducatus sui operarios relinquens, se in partibus inferioribus ingentissimis periculis exposuit, malens mortem eligere, quam ut ille excellentissimus bonor a Theotunicis aufferretur, & eorum respublica desolaretur: cujus quidem prudentissimi fidelissimique Principis ac cæterorum illustrissimorum Principum Dominorum Ducum Saxoniæ, Landgraviorum Thuringiæ & Marchionum Misniæ, memoria ob id apud cunctas nationes in perpetua benedictione erit.* Subjungit, *etsi matrimonium illud non esset consummatum,* (quo casu Papæ liceat ex magna causa dispensare) *non posse tamen hoc casu propter magnum scandalum dispensationem fieri.* Concludit denique *propter scandalum non utendum esse indulgentia illa butyri ab Alberto impetrata,* & refellit rationes dubitandi supra adductas. Patet hinc, quare scripta a Breitenbachio & quæ Dominicani & Franciscani in eandem sententiam declamaverant, scandalosa visa sint Alexandro Pontifici: ità tamen, ut ausus non sit condemnare obloquentes, sed magna cum circumspectione, majori sane quam Leo postea usus est, sepelire ista silentio maluerit. Prospexerat sibi Breitenbachius non solum per consuetam clausulam, qua *censuræ Papæ & Ecclesiæ dicta sua submittit,* sed & Principum Alberti & filii ejus Georgii, & cujuscunque melius sentientis judicio, cessurum se esse profitetur, tam liberaliter quidem, ut *tenere se velle* dicat, *quod ipsi, vel quilibet eorum seorsim, approbat, & non tenere quod reprobat:* sic ait *a nullo sanæ mentis se reprehendi posse,* & hoc quoque allegatione glossarum confirmare voluit. Nondum venerat hora Domini, majorem lucem paulo post allatura. Interim, quantum in illis tenebris permissum fuit, aliquid certe luminis viros istos affulsit. Dubitare enim incipiebant de absoluta illa Pontificum potestate. Videbant si res sancta esset, ecclesias magno sumtu & ornatu ædificare, & corpus jejuniis a voluptate abstrahere, aliis mediis & institutis opus fore, quam quæ tunc exerceri apparebat. Charitas, si per fundamenta evangelica populo prædicata & persuasa fuisset, eo permovisset homines, ut ex vero amore Dei & zelo ad promovendum ejus cultum conferrent, quibus opus erat: nam beneficentiam illam laxatione disciplinæ redimere non erat Apostolici genii. Notabile est, quod ex *MS.* dictæ *Bibliothecæ Paulinæ* observavi, Georgium Saxoniæ ducem inter partes, quas nominat, Decanum & Capitulum B. Mariæ in Freyberg, & ordines Prædicatorum & Discalceatorum Lipsiensium, diplomate Germanico anno 1492. die Sabbathi post Dionys. dato, *de judicio compromissario,* quod vocant, constituisse, ita ut ab utraque parte intra certum tempus Principi mittendæ essent rationes in scriptis deductæ; dein ut Theologorum & Juris Consultorum Lipsiensium conjunctim, vel ab aliis extra Saxoniam Scholis judicium de iis peteretur, cui a parte utraque parendum esset. Annotavit autem ex monachis quidam: *Præscriptum processum, quem nos utique observavimus, ipsi* (Canonici) *minime observarunt, quin potius in curiam profecti nos falso, mendose & injuriose apud sedem Apostolicam in conspectu cœtus Cardinalium & totius publici consistorii infamando detulerunt.* Hæc de ista concertatione; ex qua genius illius temporis & studiorum proxime ante Lutherum cognosci potest. Jam de majoribus illis & carius venditis indulgentiis, quarum prædicatio Dominicanis commissa est, aliquid afferendum restat. Autographum indulgentiarum *a Johanne Angelo Arcimboldo* J. U. D. Præposito de Arcisate Protonotario & Referendario Apostolico, nec non ad Coloniensem, Trevirensem, Salzburgensem, Bisuntinensem, Bremensem, & Upsaliensem, Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, Atrebatensem, Caminensem & Misnensem provincias earumque civitates & diœceses Nuntio & Commissario, civi cuidam VVurzensi, anno 1516. concessum habuit & exhibuit *D. Heinricus Hopfnerus* Theologus Lips. in *Saxon. Evangel. p. 121.* Simile inseruit Historiæ suæ seculi XVI *Hottingerus Part. III. p. 166.* Hujus Arcimboldi vicarius tantum seu subcommissarius erat Tezelius & illius diplomata hac subscribere solebat formula:

Misereatur tui Dominus noster JESUS CHRISTUS, *per merita suæ sanctissimæ passionis te absolvat, & ego autoritate ejusdem, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & sanctissimi nostri Papæ tibi concessa, & in hac parte mihi commissa, te absolvo: primo ab omnibus censuris Ecclesiasticis per te quomodolibet incursis: deinde ab omnibus peccatis, delictis & excessibus tuis hactenus per te commissis quantumcunque enormibus, etiam sedi Apostolicæ reservatis, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, remittendo tibi per plenariam indulgentiam omnem pœnam in Purgatorio pro præmissis tibi debitam, & restituo te sanctis sacramentis Ecclesiæ & unitati fidelium, at innocentiæ & puritati, in qua eras, quando baptizatus fuisti; ita quod tibi decedenti clausæ sint portæ pœnarum, & sint apertæ januæ paradisi delitiarum, quod si non morieris, salva sit ista gratia, quando alias*

(e) *Ratio decidendi.*

(f) *De abusu dispensationum.*

(g) *Digressio de raptu virginis Britannicæ.*

(h) *& de fortitudine Alberti Sax. Ducis.*

A. 1517.

(i) *Epicrisis.*

(k) *Georgii Ducis in causa indulgentiarum sententia.*

(l) *Exemplum indulgentiarum Anno 1516. a Leone X. datarum.*

(m) *Formula absolutionis Tezeliana.*

A. 1517.

do alias fueris in mortis articulo. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Fr. Johannes Tetzel, Subcommissarius, manu propria scripsit.

(n) *Alius casus anno 1516.*

Aliud diploma reperitur *Reg. O. fol. 93.* DD. in quo Tezelius præmisso eodem & suo & Arcimboldi titulo ita loquitur: *Dilectis nobis in Christo, Jacobo Rynau Presbytero, & Severino VVeissio Custodi Parochialis Ecclesiæ in Schmiedeberg, Misnensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Exponi nobis fecistis lamentabiliter, quod quatenus feria tertia infra octavas corporis Christi anni præsentis, vesperis & completorio finitis, venerabile Sacramentum ad locum solitum in ipsa Ecclesia reposuistis, clausuris & seraturis more solito munitum, altera vero die dum ipsas clausuras & seraturas clausas integras & illæsas jam invenitas aperuistis, prædictum venerabile Sacramentum reperire non potuistis, unde volentes saluti animæ vestræ consulere, a nobis de oportuno remedio vobis provideri humiliter postulari fecistis. Quocirca nos, qui salutem quorumlibet quærimus, vos, qui nobiscum secundum tenues vires vestras in commodum præfatæ fabricæ compositionem fecistis, ab excommunicationis sententi[illegible] excessibus hujusmodi propter præmissa forsan incursa, autoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte Misniæ, absolvimus. Mandamus præterea omnibus & singulis, ad quos spectat, sub censuris & pœnis in terminis facultatum nostrarum contentis, ne vos sic absolutos, seu quemlibet vestrorum præmissorum occasione quoquo modo molestare præsumant. In quorum fidem & testimonium præmissorum præsentes fieri jussimus sigillique præfatæ fabricæ fecimus appensione communiri. Datum VVurzen anno Domini millesimo quingentesimo sexto decimo, Kal. Junii, Pontificatus præfati sanctissimi Domini nostri Papæ anno quarto.*

Hermannus Berboem Pastor in Dorsten Coloniensis diœceseos subscr.

Retulit factum ad Electorem *Capitulum VVittenbergense* d. 27. Maji, narratque, Pastorem VVittenbergam ivisse, ut pensionem, qua pastoratum a Capitulo conduxerat, solveret, interim Diaconum hostiam, ut moris erat, reclusisse. Pastorem vero domum reversum intellecta ejus amissione Diaconum & custodem templo arcuisse, donec Episcopali autoritate absolverentur; hos tamen Pontificia absolutione, Tezelii, qui in vicinia erat, opera usos esse. Miseriam seculi contemplari licet, cum aut inepta persuasione angerentur homines, in re, quæ absque culpa contigerat, aut fraude fortassis Diaconi vel custodis implicabantur, ad quem aliqua extortæ a Tezelio pecuniæ pars pervenire potuit. Locus hic fuisset dicto *Judic. VI. 31: Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus.*

(o) *Varillasii monitum de contritione & confessione, cum epicrisi.*

Antonius Varillasius *Tom. I. Lib. III. de hæres. p. 228. edit. Belg.* in eo putat officio suo defuisse Tezelium, quod non prædicaverit: *indulgentias non nisi vera pœnitentia acquiri, multoque minori numero, quam vulgus putaret; vere pœnitentibus & contritis solum merita Christi & Sanctorum via illa applicari, & quamvis per indulgentias non solum pœnæ canonicæ, sed & Deo debitæ remitterentur, mille tamen & plures annos in Bulla memoratos relationem quandam habere ad antiquos ecclesiæ canones pœnitentiales, qui longum pœnitentiæ tempus requirebant, & quandoque totius vitæ, ad unicum saltem peccatum mortale expiandum.* Verum est, in Bullis Pontificum hanc clausulam inveniri, ut, qui indulgentiis frui velint, corde sint contriti & ore confessi. Extat, & inspiciendum mihi missum est diploma plenariæ indulgentiæ *Alexandri de Neronibus, Præceptoris Hospitalis S. Spiritus Romæ,* anno 1516. 10. Junii Lembergii, *Jacobo Sussebach* datum, in quo recensetur Bulla Nicolai V. & Leonis X. indulgentias plenissimas iis, qui aureum Papalem ad Hospitale illud contulerint, concedentium; illi itidem clausula illa inserta est. Sed ea erat præconum vafrities, ut vim & naturam illius non explicarent; id enim si fecissent Tezelius aut alii, næ illis esuriente ventriculo & crumena vacua discedendum fuisset. Qui enim veræ pœnitentiæ viam requiri ad indulgentiarum fructum tutissimum certissimumque accipiendum credidissent, habebant illam domi sive in mentibus suis, per Dei gratiam nemini serio petenti negatam, nec erat, ut ære suo supervacaneam Pontificis liberalitatem redimerent. Itaque cum Lutherus eo fere modo prædicaret, conscientiæ quidem suæ & populi spei satisfecit, sed nummorum mansit indigentissimus, quales & hodie plerique sunt, qui ad ejus ductum concionantur.

SECT. 7.

(1) Descriptio Joh. Staupitii.

Cochlæus Act. Luth.

Interim Johannes Staupitius, *Vicarius Augustinianorum in Germania Generalis, ansam hinc sumsit, ut palam istis, qui ministerio suo manifeste abutebantur, & quos alioquin parum amabat, contradiceret. Erat hic vir ingenio pollens, magnæ dignationis, industrius, eloquens, corporis forma conspicuus, multumque a Friderico, Saxoniæ Duce, æstimatus, a quo in consilium adhibebatur, præcipue in rebus Academiæ Wittenbergensis aliquot ante annos a Principe illo fundatæ. Sive igitur Vicarius iste ægre ferret, & pro injuria reputaret, quod Dominicani in indulgentiis prædicandis præferrentur ordini suo, qui antea illo munere in Saxonia fungi solitus erat; sive vere commoveretur corruptelis, quæ palam in publicatione indulgentiarum apparebant; querelas suas ad Principem detulit, & omnibus viribus resistere Dominicanis decrevit.*

(2) Is Lutherum ad impugnandas indulgentias stimulasse dicitur.

Quoniam autem adjutoribus contra adversarios tam potentes & formidabiles opus se habere judicabat, ex toto religiosorum suorum & doctorum etiam cœtu uti constituit viro, qui sine contradictione, maxima tunc existimatione in universitate Wittenbergensi florebat, celebri nempe Martino Luthero, *qui præcipuus autor infelicis schismatis fuit.*

§. VII.

(1) *Negatur a Staupitio Lutherum instigatum fuisse.*

Hic quoque modestus est noster, quod in incerto relinquit, an *Johannes Staupitius*, Augustinianorum Vicarius, æmulatione adversus Dominicanos, Lutherum ad scribendum impulerit: dein quod, Cochlæi aliorumque calumniis omissis, Luthero eam æmulationem non imputaverit. Præstat credere, meliori ratione & impulsu utrumque egisse, neque quidquam in actis temporum illorum, nec in scriptis Lutheri reperitur, quod suspicionem firmet: cum tamen hic, quo erat candore, ne defectus quidem suos tacere soleret, unde nec huic conjecturæ a *Paulo Veneto* aliquatenus suppeditatæ, multum tribuere voluit *Pallavicinus L. 1. c. 3. §. 7.* Sit tamen, ut aliquid humani ab initio Staupitium, (quanquam hunc, ut §. XIX. & alibi notabitur, consilii Lutheri plane ignarum fuisse constet, neque probari possit illum cum Principe hac de re aliquid egisse) aut ipsum etiam Lutherum stimulaverit ansamque disputandi dederit, (quanquam id temere & sine fundamento traditur) nihil tamen officeret veritati. Nam hæc sæpe alia, imo contraria intendentibus & agentibus, ex divina irradiatione improvisa affulget, ne perfectioni hominum tribui possit, quod Dei solius benignæ præventioni & operationi debetur.

(2) *Notatur Maimburgii iniqua censura.*

Quod vero iterum subjungit elogium de infelici schismate a Luthero cœpto, & quæ quavis occasione in progressu operis eodem aut duriori stylo ingeminat, illa omnia una & simplici responsione repellenda esse putamus, dicentes, quod jam supra innuimus: Historicum, si perpetuo præjudicio lectorem occupare nitatur, a viri boni officio longe recedere; & licet

vera

A. 1517.

vera quandoque narret, fidem tamen minuere aut amittere. Hanc enim illi demum merentur, qui comperta sincere tradunt, aut dubia idoneis argumentis firmant, non qui nulla necessitate malignum animum in culpandis accusandisque, quos oderunt, ante cognitam legitime & decisam causam produnt. Damnatus vero licet sit Lutherus ab Ecclesia, cui nomen dedit Maimburgius; personam tamen Historici melius hic repræsentasset, si criminationibus omissis, acta retulisset, ex quibus, qui sapiunt lectores simplicem puramque veritatem facilius & lubentius agnoscunt & excipiunt, quam si rhetoricis fucis aut affectuum fuligine illita, calumniæ personam gerat, & ad illius exemplum legentium judicia prævenire velit.

ADDITIO.

(a) *Lutheri rel. de causa cœptæ a se disputationis.*

Audiamus de vera disputationis occasione & motu, post longum tempus anno 1541. Lutherum in acerrima illa *contra Henricum Ducem Brunsvicensem apologia* non solum culpam motæ disputationis omnem a Friderico Electore amoventem, sed rem totam cur & quomodo disputare cœperit ita narrantem: (sensum tamen potius quam verba refero ex Germanico.) *Accidit anno 1517. Monachum Dominicanum Johannem Tezelium, clamatorem insignem, indulgentias prædicare, & pecunia ut poterat vendere. Hunc Fridericus Elector Oeniponte a pœna submersionis a Maximiliano I. illi decreta liberaverat; neque id negare Tezelius est ausus, cum id VVittenbergenses atrociter criminanti, Principis jussu objicerent. Illo tempore in cœnobio VVittenbergensi concionator & doctor eram, vigens annis, & recens quasi ex officina Scholæ, multumque fervidus & alacer in Scripturis. Cum igitur vulgus magno numero VVittenberga in oppida, Jutterbock, Servestam & alia excurreret, ego vero (ita me Christus servator meus salvet) nescirem, quid essent illæ indulgentiæ, neque magis id scirent alii, placide concionari cœperam, esse, quæ rectius fierent, quam excursiones illæ ad indulgentias adipiscendas: idem in templo arcis pro concione jam antea innueram, malam a Friderico Electore* (nam & hic speciales pro Ecclesia illa indulgentias dudum impetraverat. Vide *addit. ad* §. *LIV.*) *gratiam reportans; quia multum æstimabat Ecclesiam illam a se fundatam. Sinebam ita & negligebam omnia, cum ad me perferretur, quanta de indulgentiis jactaret Tezelius.* Narrat inde vulgata illa de peccato in B. Virginem commisso; & quod crux rubra cum insignibus Pontificis in templis suspensa, ejusdem cum cruce Christi efficaciæ esset; quod plures animas salvasset per indulgentias suas, quam S. Petrus concionando; item de celerrima animarum ex purgatorio liberatione, quando nummus tinniret; & quod gratia indulgentiarum eadem esset ac gratia, qua homo cum Deo conciliatur, nec pœnitentia vel contritio necessaria esset; & quod pro futuris etiam peccatis venia daretur; & alia id genus, solius pecuniæ comparandæ causa instituta. *Nesciebam tamen*, pergit, *cujus usibus cederet pecunia, sed interim libellus edebatur sub insignibus Magdeburgensis Archiepiscopi, quo quæstoribus prædicatio illa demandabatur. Constabat inde Tezelium, quia stentor maximus erat, ab Archiepiscopo Alberto conductum ad prædicandum fuisse; tenebatur enim Albertus pro adepto Moguntino Episcopatu pallium Romæ redimere, nam brevi tempore tres Archiepiscopi decesserant, Bertoldus, Jacobus & Uriel, palliique pretium, quod quidam 26000, alii 30000 florenorum esse dicunt, toties solutum erat. Invenit igitur hanc conquirendæ pecuniæ Fuggeris Augustanis, qui eam prænumeraverant, restituendæ artem, & hunc nummorum per clamores extorquendorum magistrum, qui etiam magnam jam summam confecerat, ex qua tamen dimidia pars Pontifici ad fabricam S. Petri mitti debebat. Ista omnia ab initio nesciebam. Scripsi ergo ad Albertum, measque theses misi, rogans ut pro officio suo, prædicandi illam licentiam Tezelio inhiberet, timendum enim esse, ut tandem mali aliquid per illam oriretur. Idem ad Episcopum Brandenburgensem ut ordinarium scripsi, qui mihi valde favebat. Hic respondit, me potestatem Ecclesiæ impugnare, magnasque mihi molestias concitaturum esse, sibi satius videri, ut quiescerem. Cogitabant, ut arbitror, uterque, Pontificis potentiam mihi homini misero & mendico gravissimam fore. Ita editæ fuerunt propositiones meæ contra Tezelium, & intra dies quindecim totam fere Germaniam pervaserunt. Omnes enim querebantur de indulgentiis, & de articulis inprimis Tezelii. Tacebant Episcopi & Doctores, metu Dominicanorum, hæreticæ pravitatis inquisitorum, qui igne grassabantur, & Tezelius pastores aliquos, qui aliquid mussitaverant, acriter represserat. Itaque pro egregio doctore laudabar, qui unus tandem rem aggredi ausus essem; sed mihi ista fama non placebat, cum dubius hærerem quid essent indulgentiæ, & negotium supra vires meas esse metuebam.* Das Lied wolte meiner Stimme zu hoch werden. Addit alia, & secundam motuum causam præcipitatæ in se Romæ condemnationi attribuit, quæ sexdecim diebus prius facta fuisset, quam citatio sibi fuisset insinuata. Inde iter suum Augustanum narrat, & quomodo Staupitius Fridericum Electorem permoverit, ut ipse, cum Augustæ esset, Cajetanum adierit, & ab eo impetraverit, ut Lutherum audire vellet. Audiamus etiam *Myconium* in narratione MSCa, de reformatione, quam *ad* §. *II.* citavi, de occasione cœptæ a Luthero disputationis ita disserentem: *Missionarii Pontificum indulgentias in provinciis prædicabant, collationes ad bellum contra Turcos, aut ad fabricam S. Petri exigendo; qui eas facerent, a culpa & pœna peccati liberabantur. Exstant diplomata, leget illa, qui dubitat. Singulis ferre annis hæc fiebant, ut sic innumera pecunia corraderetur. Vix enim nutrix aut paupercula inquilina erat, quæ indulgentias non redimeret, pro se aut suis, quorum animas in purgatorio cruciari putabat. Solvebant igitur grossos, unum, binos, tres, quatuor,* (Schneeberger) *diplomata etiam emebant; id si continuatum fuisset, teruncius in Germania non superesset; satiari enim Pontifex & Itali non poterant. Pecunia neque in bellum, neque in ædificia S. Petri impendebatur, sed in luxum Pontificum & Romanorum prælatorum; qui contra istos loquebatur, rogo dignus erat, quod* Joh. Husso, *aliisque sanctis viris accidit. Sed modus tandem excedebatur, ut Imperatores, Reges & Principes patientiam amitterent. Consilium tamen remediumque nullum erat; terrestris ille DEUS in omnium mentibus dominabatur. In multis Germaniæ comitiis questum de ea re fuit, sed metu banni Pontificii nemo sat animose agebat. Maximilianus I. Cæsar & Electores* (quos nominat,) *pertæsi actorum Julii II Pontificis, de ejus depositione consilia conferebant, frustra tamen: manebat enim qui erat Julius, & Germaniam graviori onere premere intendebat.* Inserit hic aliquid Myconius de comitiis anno 1512. in Trevirensi urbe habitis, & de postulatis a Julio II ad bellum Turcicum tributis, eaque occasione disputatum esse ait, de distinctione inter Ecclesiam Catholicam & Romanam, idque tunc prima vice factum esse. Fateor me operam dedisse, ut aliquid ex actis illis eruerem, sed pauca & imperfecta reperta sunt; operæ tamen pretium foret, si in aliorum Principum aut urbium Imperialium Archivis inveniri aliquid posset; neque enim frustra ista ab autore notata esse crediderim. Pergit inde sequentem in modum: *Illo anno 1512.* Martinus Lutherus, *Augustinianus, VVittenbergæ Doctor renunciatus fuit, monachus austerus & doctus, qui omnem Pontificum doctrinam, quam tunc probabat, docebat & defendebat. Eodem tempore* Joh. Tezelius, *Commissarius & indulgentiarum præco maximus & stentor insignis, in Germania magnam pecuniæ vim colligebat, & Romam mittebat. Multum in nova argenti fodina Annabergensi, (ubi ego Myconius eum ipse audivi) compilavit. Incredibile est, qua impudentia declamaverit monachus iste.* Refert inter alia, quæ vulgata sunt, pollicitum esse, *si promte darent, fore, ut omnes circa oppidum montes argento solido replerentur.* (würden gediegen Silber werden/) Nihil frequentius crepabat, quam *omnem potestatem a Deo Pontifici datum esse*, tum illud: tu es Petrus, & de clavibus, &c. *Contradicentes hæreticos esse, & rogo dignos pronunciabat. Tanta in reverentia erant indulgentiæ, ut ingrediente aliquem locum præcone, Bulla Pontificia, libro in holosericum vel aureum involucrum compacto,*

(b) *De præconibus indulgentiarum ex MS. Myconii.*

(c) *Quadam de Comitiis Anno 1512.*

(d) *Tezelii impudentia.*

A. 1517.

pacto, imposita præferretur; obviam procedebant omnes sacerdotes, monachi, senatus, schola, viri, fœminæ, pueri cum vexillis & tædis; sonabant campanæ & organa, in medio templo rubra crux erigebatur, appenso Pontificis vexillo: Deus ipse splendidius recipi non potuisset. Narrat inde, ut ipse anno 1516. Vinariæ sacerdos consecratus fuerit, primamque missam in Festo Pentecostes celebraverit, sumtum suppeditantibus Friderico & Johanne Saxoniæ ducibus, quod tunc ultima vice ab iis factum esse notat. Concionatoris etiam munus se eo anno Vinariæ suscepisse, & breves quosdam sermones habuisse refert, sine noxa tamen; per Dei enim gratiam non multa dixisse de articulis Pontificum. Ex historia anni 1517. nota illa adducit de indulgentiis a Leone X promulgatis, & de Alberto Moguntino operam iis præstante, ut ex ære participans pallii sumtus conficere posset. *Erat,* ait, *vir ille superbus & pomposus, qui nulla re carere volebat; inutiles structuras Halis faciebat, luxu immodicus. Itaque Commissarius Pontificis supremus fuit Albertus, additusque ei* Gvardianus *Franciscanorum Moguntiæ, qui prædicatores constituere debebat, indulgentias commendaturos. Verum Gvardiano, ordinique ejus res parum placebat; Tezelii enim excessus jam in suspicionem venerant, quod omnia pecuniæ causa, nec in animarum commodum agerentur. Franciscani speciatim querebantur, se jam satis molestiarum habere, ut victum suum [illegible]umtum ad ædificiorum conservationem mendicando conquirerent, neque sibi commodum esse, ut pro Pontifice & Cardinalibus stipem colligerent, offensam tamen Pontificis metuebant, bene de ordine meriti, quod nuper ex suo ordine* Christophorum *de* Forlivio *Cardinalem creasset, quanquam ad id obtinendum triginta florenorum millia ordo (utut mendicus) contribuisset. Animo igitur anxii, conventum Vinariam indixerunt, ibique Gvardianus Moguntinus, itemque* Arnstadiensis, Isennacensis, Salzensis *& alii convenerunt varia disquirentes, quomodo se sine offensa Pontificis ab hoc onere expedirent. Tandem Gvardianus Moguntinus proposuit, se Cardinali in negotio commisso, si ad deliberandum vocaretur, multas difficultates excitaturum, & in omnibus contradicturum esse, donec is pro animi sui superbia & insolentia, quam omnibus notam esse dicebat, excandesceret; dein se, ut eum placaret, abdicationem injuncti sibi a Pontifice negotii oblaturum esse, ut Cardinalis solus id pro suo arbitrio expediret. Sperare id ei gratum futurum esse, sin minus, superesse refugium ad Pontificem, ut a concursu cum Cardinali, cui satisfacere non posset, liberaretur.*

(e) *Concessio a Pontifice Alberto Moguntino data, adjuncto ei Gvardiano Franciscano.*

(f) *Gvardianus negotium illud detrectat.*

Concordant hæc cum iis, quæ *Silvester Prierias* in libello contra Lutherum retulit, *se nescivisse, quod Dominicanis indulgentiarum præconium commissum esset, putasse Franciscanis id fuisse demandatum.* Idem confirmatur diplomatibus indulgentiarum, quæ Albertus Cardinalis distribuit, in quibus *Gvardiani Franciscanorum sibi a Pontifice adjuncti* mentionem facit: Producit ea *Andreas Angelus Chron. March. fol. 284.* d. 11. Aprilis 1517. data, ut & *Tezelii* 5. Octobris eodem anno, in quibus Gvardianum *Alberti collegam* vocat. Constat denique ex actis Adriani VI ad §. *CXL.* ex Pallavicino allegatis, abolitas fuisse indulgentiarum concessiones Franciscanis datas. Non enim solum *Alberto & Gvardiano* in Moguntina, Magdeburgensi & Halberstadiensi, sed & in viginti quinque aliis provinciis *Christophoro de Forlivio* supra dicto indulgentiarum promulgatio demandata erat, cujus Vicarius fuit *Samson, Franciscanus* Mediolanensis, qui Helvetiorum crumenas emunxit, de quo actum est in *addit. nostris ad Lib. I.* Cæterum, ut Myconius narrare pergit, Gvardiani consilium successit; Cardinalis solus rem in se recepit, & adjutorem Tezelium adsumsit, qui ea de causa Moguntiam venerat, operamque suam obtulerat. Repugnantibus autem Saxoniæ Ducibus, quorum provinciæ jam aliquot annis ejusmodi nundinationibus exhaustæ erant, initium promulgationis a Tezelio in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Diœcesi Halberstadiensi factum fuit, ea quidem insolentia, quam supra retulit Myconius, & iterum incredibilem fere in modum exaggerat, ita ut dicat, *a Tezelio Pontificis potestatem supra omnem modum elatam fuisse, quasi Christus se omni regimine Ecclesiæ usque ad extremum judicii diem abdicasset, omniaque absoluto Pontificum arbitrio commisisset.* Pergit inde ad Lutheri historiam hunc in modum: *D. M. Lutherus, Augustinianus eo tempore Professor erat, sive Lector Academiæ VVittenbergensis, concionabatur etiam aliquando & confessiones audiebat. Erat &* Staupitius *generalis &* VVenceslaus Lincius *provincialis Augustinianorum Vicarius, aliique per Germaniam viri docti & probi, a DEO sine dubio iis dotibus instructi, quibus opus, quod secuturum erat, expediri posset, nemo tamen Pontifici sese opponere audebat. Anno autem isto 1517. quidam confessiones apud Lutherum edentes, licet criminum atrocium sibi conscii, injunctas recusabant pœnitentias, quia se diplomatibus indulgentiarum munitos esse dictitabant. His spretis, quam allegabant, exceptione, absolutionem denegabat Lutherus: illi vero apud Tezelium, qui in vicino* Juterbocensi *oppido concionabatur, haud leviter questi, irritaverunt hominem, ut mirum in modum in contemtores Pontificii beneficii & juris debaccharetur, & inquisitionis, quæ* Dominicanis *contra hæreticos demandata erat, rigorem minaretur, aliquoties etiam ad incutiendum terrorem rogum in foro instrui juberet.* Subjungit postea quæ omnibus nota sunt. *Sic, ait, Lutherus ad Episcopos scripsit, & postquam ab illis præsidium non afferebatur, tandem ad theses suas affigendas permotus est;* plures tamen, quam ipse Lutherus, Episcopos nominat, ad quos literas dederit. Addere lubet quæ de monasterio, in quo tum Lutherus vivebat, annotavit, quod alibi reperisse me non memini. *Cœpta erat* (ait) *monasterii Augustinianorum VVittenbergensium ædificatio, sed non nisi dormitorium exstructum erat, quo monachi utebantur. Fundamenta templi jacta erant, sed non altius, quam ad soli planitiem educta. In media novorum fundamentorum area sacellum erat ex ligno constructum, tectorii operis, triginta, ut observavi, pedes longum, viginti latum, sed ruinam minitans & fulcris undique sustentatum; In pariete, meridiem versus, suggestus erat ex asseribus vetustis & impolitis, trium a solo pedum altitudine erectus, ita totum ædificium haud absimile erat stabulo, quod pingi solet, Bethlehemitico, in quo Christus natus est. In miserrima & lacera hac ædicula DEUS, ultimis his temporibus, Evangelium suum prædicari & puerum JEsum veluti denuo nasci voluit, & fasciis evolvi, totique orbi ostendi, quam dulcis & pulcher sit, beatissimus, plenus solatii; ex quo omnem salutem, remissionem peccatorum & æternam vitam accipere debeamus. Nullum inter tot myriades templorum cathedralium aut parochialium hoc tempore in toto orbe fuit, quod Deus ad hanc concionem elegisset.* Memorat post alia, ut ob magnum populi concursum jussus sit Lutherus in templo collegiato sive arcis concionari, & magnus mox affluxus juvenum ad Academiam secutus sit, quæ antea parum frequenter adibatur, ita ut oppidum ipsum, quod vetustis vilibusque casis constabat, hospites vix reciperet, donec melioribus ædificiis, ut factum fuit, excoleretur. De itineribus Lutheri ad comitia Augustana & VVormatiensia quædam in *MS.* hoc annotavit, quæ supra retulimus. De victu ejus in arce VVartburgensi mira narrantem audivit Myconius Gothæ anno 1530. Inter alia, ut bis a Diabolo infestatus sit, magni canis specie eum adorientis, & precibus abacti.

A. 1517.

(g) *Tezelius succedit.*

(h) *Occasio rixæ inter Tezelium & Lutherum.*

(i) *Descriptio templi Augustin. VVittenb.*

SECT. 8.

Natus erat Islebiæ, quod Comitatus Mansfeldensis oppidum est, anno 1483. non quidem ex incubo, ut quidam ad augendum ei odium, sine specie veri scripserunt, sed ut homines alii nasci solent, neque de hoc unquam fuit dubitatum, ne quidem postquam hæresiarcha factus est. At ut talis fieret, opus non erat in locum Johannis Luderi *patris diabolum substituere, &* Margarethæ Lindemannæ *matris honorem infamia talis genituræ contaminare. Parentes, valde licet mediocris conditionis, curarunt tamen diligenter, ut filius in literis bene instrueretur. Itaque eos*

Philipp. Melancht. t. 2. operum Luth. J. Micralii vit. Luth. Cochlæi Act. Luth.

(l) Lutheri genus & educatio.

A. 1517.

fecit Magdeburgi, Isennaci & Erfordiæ progressus, ut hic annos natus viginti Magister artium renunciaretur, & sodales ingenio & eruditione multum superare crederetur. Eo etiam tempore judiciorum Dei metu tangebatur, ita ut subita cujusdam e sociis morte, & tonantis cœli fragore & fulminis prope ferientis ictu contremefactus, relicto legum studio, quod inceperat, invitis etiamparentibus, in monasterium Patrum Augustinianorum Erfordiæ sese abderet, receptus ab illis ob magna merita cum gaudio, quia sperabant non parvum decus ordini per illum conciliari posse. Sane in sublimibus scientiis, quibus se assidue applicabat, ita profecit, ut mox pro maxime ingenioso & totius in Germania Ordinis sui eruditissimo haberetur. Ea propter Vicarius Generalis, incrementis Academiæ Wittenbergensis intentus, ad concionandi simulque philosophiam docendi munus illum evocavit. Præstitit utrumque magno cum applausu, & inter fratres suos monachos eam adeptus est celebritatem, ut Romam ad transigendum de litibus deputaretur, propter quas Ordo tunc in partes iverat. Ostendit autem in hoc negotio tantam industriam, eumque habuit successum, ut post reditum a Vicario generali juberetur Doctoris Theologiæ gradum assumere. Factum id est multa cum solennitate, Electore Saxoniæ, qui concionantem audiverat probaveratque, sumtus magnifice erogante. Novus deinceps Doctor triginta annos tunc natus, magna auditorum frequentia & approbatione theologiam & sacras literas explicavit. Ingenio erat vivido & subtili, facundus natura, & in lingva populari disertus & elegans, summe laboriosus, & in studiis adeo assiduus, ut integros aliquando dies cibo abstinens, iis incumberet. Sic magnam lingvarum & Patrum cognitionem sibi acquisivit, horum enim lectioni, & inprimis S. Augustini, (quo tamen pessime usus est) præter morem Theologorum ejus ætatis, valde insistebat. Corpore erat valido & robusto, & ideo ad laborem tolerandum sine valetudinis detrimento aptus: temperamento bilioso & sangvineo: oculis penetrantibus & igne plenis: voce jucunda, & si semel concitatus esset, vehementi: aspectu ferus: mente intrepidus & elatus: sed fingendi, cum vellet, (quod tamen raro ei accidebat) modestiam & humilitatem gnarus. In fundo tamen pectoris magnus superbiæ & præsumtionis fomes residebat, quo ad contemnendum omnia, quæ sententiæ non congruebant, impellebatur. Spiritu hoc insolentiæ belluinæ actus, indigne tractavit omnes, qui hæresi ejus se opponebant, nullo Regum, Imperatoris, Pontificis, aut quicquid magis sacrum & inviolabile toto orbe esset, respectu. Impetrare itaque a se nullo modo potuit, ut retractaret, quæ semel statuerat: iracundus, vindictæ cupidus, imperiosus, prævalere semper & novitate doctrinæ eminere annitens. Hanc in Schola sua ruinis maximorum ingeniorum Aristotelis, S. Thomæ, Scoti, S. Bonaventuræ & aliorum Scholasticorum superstruere satagebat, per quos corrupta esse dicebat solida vera Philosophiæ & Theologiæ Christianæ fundamenta. En verum Martini Lutheri characterem, de quo dici potest, quod magnam bonarum quarundam, sed plurium malarum qualitatum mixturam habuerit, quodque animo longe corruptior, quam moribus & vita fuerit. Hæc enim semper satis correcta habebatur, quamdiu in cœnobio vixit, & antequam hæresi sua ingenii & animi bona penitus perdidit.

Margin: (2) Monachatus. — Surius in Comment. Chytr. Saxon. lib. 7. — (3) Vocatio Wittenberg. — (4) Iter Romanum. — (5) Doctoratus in Theologia. — (6) Robur corporis & animi. — (7) Vitia ingenii. — (8) Mores haud culpandi.

§. IIX.

(1) Probantur quædam Maimburgii.

Multa in relatione hac de ortu & vita Lutheri ita refert Autor, ut laudem mereatur, quod a putidis scriptorum, quos alias sequitur, calumniis integrum se servaverit. Diabolicum enim illud de incubo figmentum, ut & alia de corporali, ut loquuntur, familiaritate cum diabolo non veriti sunt venditare post *Cochlæum* & *Genebrardum*, Monachorum & Jesuitarum Germanorum maledicentissimi, *Gretserus, Serarius, Naso*, & alii. Idem non ita pridem recoxit *Carolus Crucius*, sive *a Creutzen*, Borussus, quem iterata defensione *D. Johannes Müllerus*, Hamburgensis ministerii Senior, anno 1658. refutavit. Placet porro, quod ob generis ignobilitatem Luthero non detrahat Maimburgius. Qui enim viles habent veritatis doctores, quod plerique humili loco nati sunt, illi satis ostendunt, se non sinceros esse illius discipulos & sectatores, quem fabri lignarii alumnum esse non puduit. Adeo vero tenuem ortum, & inopis vitæ suæ primordia ipse non despexit nec dissimulavit Lutherus, ut dum scholas frequentaret, mendicando, quemadmodum pauperiores pueri solent, victum sibi quæsivisse ipse scribat. Quanquam vero non magnum momentum faciant, quæ de genere & parentibus Lutheri, aliisque, quæ is ante cœptam a se disputationem & reformationem gessit, traduntur; cum ipsius Servatoris nostri acta ante trigesimum ætatis annum fere omnia præterire visum sit sacris scriptoribus; quædam tamen ad supplendam vel corrigendam, quam libro hoc suo Maimburgius inseruit, narrationem subjungemus. Inter mendacia alia adversus Lutherum sparsa hoc quoque fuit, quod ex Bohemia ortus esse ferebatur, eo scilicet fine, ut pro hæretico, quo veluti cognomine *Bohemi* ob Hussi doctrinam olim defensam vulgo tunc infamabantur, tanto facilius haberetur. Id Lipsienses Luthero ab initio infensissimos divulgasse, ut Principibus eum odiosum facerent, ipse queritur. Alibi vero *Lib. I. epist. 139.* commemorat, Parentes suos (ne quis hos ex Bohemia ortos esse autumet) prope Isennacum vixisse, & inde Islebiam migrasse. Pater enim operarius erat metallicus, qui in fodinis Mansfeldensibus tunc celeberrimis, victum commodius quam domi invenit, ita ut Islebia post natum Martinum filium in oppidulum Mansfeld translato domicilio, fodinas ipse acquisiverit, & magistratus ibi gesserit, vitæ integritate omnibus carus. Pagus vero, ex quo familiam duxit, a *Johanne Mathesio*, famulo Lutheri, vitæ ejus scriptore, nominatur *Mœra*, situsque est inter Isennacum & Saltzungam, medio fere itinere ad radices sylvæ Thuringicæ, quæ occidentem & Vierram amnem spectat, satis mihi olim notus, cum optimo Principi *ERNESTO*, Saxoniæ Duci, a Consiliis essem, nam ad ejus

Margin: (2) *Fabula de origine Lutheri Bohemica.* — (3) *Parentes, patria, nomen.*

A. 1517.

ad ejus ditionem pertinebat. Incolebant etiam tunc pagum istum quidam ex Lutheri gentilibus, qui rustica pronunciatione *Luder* vocabantur. Id alias prænomen esse solet Cattis & Westphalis non insvetum, ut scurræ sint, qui cum Cochlæo scommata inde adversus Lutherum composuerunt, aut nescio quid eruisse se putent, quod juvenis promiscue *Luderi* & *Lutheri* cognomine usus fuerit. Parentes vero suos, licet tenuissimæ fortunæ, charissimos tamen habuit, omnique cum reverentia coluit, ut ex literis, quæ supersunt, & librorum dedicationibus apparet. Nec indignum memoratu est, patrem, virum utcunque simplicem, restitisse Luthero, cum ad monachismum animum appelleret; & alleganti filio, terribili apparitione quasi de cœlo se vocatum, & ad votum monasticam impulsum esse (fulmina illa horribilia & consternationem suam intelligebat) non imperite respondisse: *caveret, ne diabolica circumveniretur illusione.* Ingressus autem est Erfordiæ, quo Parentum jussu studiorum causa anno 1501 concesserat, invito & per aliquos annos graviter ob id indignante parente, Monasterium Augustinianorum anno 1505. & pro *Martino*, (quod nomen, quia d. X. Novembris, in profesto B. Martini natus erat, in baptismo acceperat) *Augustinus* vocari voluit, *Tom. IX. Altenb. f. 1103. a. b.* Refert tamen ipse in *epistola MS.* se ab initio monachatus semper tristem & mœstum incessisse, nec tristitiam illam deponere potuisse; *quapropter*, ait, *consulebam & confitebar Dn. Staupitio, eique aperiebam, quam horrendas & terrificas cogitationes haberem. Tunc ille: nescis, Martine, quam illa tentatio tibi sit utilis & necessaria: non enim temere te exercet Deus, videbis, quod ad res magnas gerendas te ministro utetur.* Sacerdos creatus fuit anno 1507 *Dominica Cantate*, cujus ritus cum postea recordaretur, in epistola dedicatoria libri *de votis monasticis*, ad Patrem scripta, serio dolet, quod sibi sacrificandi pro vivis & mortuis potestatem ab Episcopo consecrante & calicem porrigente demandari passus esset. Romam ablegatus est anno 1510. Sed de sua illic expeditione haud multum jactat, imo alicubi stolidam superstitionem suam vehementer improbat, quod per templa & cryptas cursitasset, omniaque falsissima & putidissima pro veris credidisset; notavit etiam impietatem, quam ibi observaverat, inter alia, quod cum ipse magna cum devotione sacrum celebraret, ab Italis sacerdotibus derisus & festinare jussus fuerit. Cum Wittenbergam anno 1508 ad Professoris munus vocaretur, *Martinus* quidam *Polichius* a patria, ut tunc moris erat, in Franconia oppido *Melrichstadius* cognominatus, Juris & Medicinæ Doctor, quem vulgo *lucem mundi* vocabant, dixisse de eo fertur: *Iste monachus omnes doctores turbabit, novam doctrinam proponet, totamque Romanam reformabit Ecclesiam: intentus enim est Prophetarum & Apostolorum scriptis legendis, nititurque verbo Jesu Christi; hoc nec Philosophi & Sophistæ, nec Scotistæ, Albertistæ, Thomistæ subvertere possunt.* Matthes. *conc. 1. de Luth.* Sive ut breviter complectitur Phil. Melanchthon: *sæpe dixit Mellerstadius, tantum esse vim ingenii in hoc viro, ut plane præsagiret, mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, quod tunc in Scholis unicum tradebatur.* A Staupitio relatum sibi esse dicit Lutherus in scheda MS. (*Reg. N. fol. 44. lit.* (S.)) quod Romæ Anno 1510. aut 1512. audierit, Franciscanum quendam Minoritam vaticinatum esse, *fore, ut Eremita quidam Papatum sit aggressurus*, idque Staupitium in Luthero, qui ex Eremitarum Augustini ordine erat, completum esse agnovisse. In albo Academico, referente *Andrea Sennerto in Athen. Wittenb.* inscriptio Lutheri sub Rectoratu *Nicolai Viridimontani* anno 1508. sic notata reperitur: *Fr. Martinus Luder de Mansfeld admissus mox d. 9. Mart. Baccalaureus tanquam ad Biblia.* In actis visitationis anno 1517. a Legatis Electoralibus, *Fabiano a Feilizsch & Joh. a Taubenheim* (*Reg. O. fol. 111.* (D. D.)) peractæ refertur: *D. Martinus Luther legit hora prima post prandium in Bibliis, ex fundatione Monasterii: debuisset mane hora sexta legere, sed horam illam pomeridianam ob commoditatem delegit.* Cum vero Lutherus ad assumendum Doctoris titulum, Friderico Saxoniæ Duce & Electore sumtus offerente, a conventu suo impelleretur, ipse vero honorem apud Staupitium ob valetudinem & alias causas deprecaretur, responsum veluti a jocante, tulit: *In eo sibi rem esse videri, ut Deus propediem multa in cœlo & terra negotia, & ad ea expedienda, doctoribus ætate vigentibus & laboriosis opus sit habiturus.* Obnitentem itaque se & jussu superiorum coactum, Doctoratum adsumsisse scribit, sed excitatum inde, ut sacras literas tanto majori cum studio & fide expenderet & doceret, unde sæpius postea titulum illum & jus docendi publice privatimque allegavit. Vide *Epistolam ad Georgium Spalatinum*, Canonicum Altenburgensem, qui Electori a sacris & secretis erat, anno 1520. scriptam *Lib. I. ep. 139.* Notat in concionibus *de vita Lutheri* Mathesius, ob eam causam, & quod a Scholastica theologia non parum recederet, jam antequam theses contra indulgentias edidisset, hæreseos suspectum fuisse. Idem confirmat Melanchthon in *vita ejus*, & satis apparet ex scriptis, quæ supersunt, ante cœptam anno 1517 disputationem. In *epistola* nempe anno 1509. *ad Jo. Braunium* Sacerdotem Isennacensem scripta, quæ extat *Lib. I. ep. 2. fol. 3 b. violentum sibi esse*, innuit, *studium Philosophiæ, quam lubentissime Theologia mutaturus esset: ea nempe, quæ nucleum nucis & medullam tritici & ossium scrutatur.* Inciderat vero altero, postquam monasterium ingressus erat, anno, fortuito in Biblia Latina, & tunc primum deprehendit, plures esse textus Evangelicos & Apostolicos, quam qui populo prælegerentur. Eodem anno cum ægrotaret, a sene quodam monacho doctrinam de remissione peccatorum, fide singulari apprehendenda, percepit, Bernhardi loco ex concione *de annunciatione*, quem is monstraverat, confirmatus. Incredibile inde studium ei fuit legendi sacras Scripturas & libros S. Augustini. Enarrantem igitur (postquam Doctor & Professor Theologiæ anno 1512. constitutus est) *Epistolam ad Romanos, & Psalmos*, pii & sapientes omnes summa cum voluptate & consolatione audiverunt. Dedidit se etiam tunc Hebraicis literis, ut & Græcis; & Erasmi philologiam multi fecit; Capnionis etiam partes, quem importuno zelo ob Hebraicam literaturam prosequebantur Scholastici, tueri non obscure visus est: ut ex epistolis *ad Spalatinum* anno 1514 & 1516 scriptis deprehenditur; sed ab Aristotelis philosophia abhorrere cœpit, *Momum* eum vocare solitus, *qui omnes rectius sentientes reprehenderit.* Imo d. 8. Febr. anno 1516. in literis *ad Johan. Langum*, quem ipse, cum visitator Ordinis esset, Priorem Augustinianorum Erfurti constituerat, dissentientem licet,

(4) *Pater non probat Lutheri monachismum; & dura sunt initia hujus.*

(5) *Sacerdotium Lutheri.*

(6) *Acta Romæ.*

(7) *Prædictio de eo Polichii & Staupitii.*

A. 1517.

(8) *Inscriptio apud academiam & lectio Lutheri.*

(9) *Doctoratus.*

(10) *Primitiæ melioris doctrinæ.*

A. 1517.

& Scholasticæ, id est, Aristotelicæ doctrinæ addictissimum, scribit, *nisi caro fuisset Aristoteles, non pudere se asserere, diabolum fuisse. Lib. I. epist. 8. p. 10. b.* Paulo post in epistola ad Augustinianum quendam Memmingensem *Lib. I. ep. 9. p. 11. b.* de fide justificante ita scribit: *Quid agat anima tua scire cupio, utrumne tandem suam pertæsa propriam justitiam discat in justitia Christi respirare atque confidere? Fervet enim nostra ætate tentatio præsumtionis in multis, & iis præcipue, qui justi & boni esse omnibus viribus student, ignorantes justitiam Dei, quæ in Christo est nobis effusissime & gratis donata; quærunt in se ipsis tamdiu operari bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo, veluti virtutibus & meritis ornati, quod est impossibile fieri. Fuisti tu apud nos in hac opinione, imo errore, fui & ego: sed & nunc quoque pugno contra istum errorem, sed nondum expugnavi.* Occasionem autem pluribus ex Ordine suo innotescendi sive que vel dubitatione vel doctrina imbuendi commodissimam habuit anno 1516. cum ab absente Staupitio *Vicarius medius* sive *subalternus* Misniæ & Thuringiæ, id est Monasteriorum Augustinianorum plus minus quadraginta, constitutus esset, eaque, ut moris erat, visitaret. Tantam vero magnanimitatem & παῤῥησίαν atque fiduciam sui in rebus divinis jam tum exeruit, ut d. 8. Jun. eo anno Wittenbergam reversus, Spalatino, nescio quid de Electoris Saxoniæ consiliis aut jussis scribenti *Lib. I. ep. 13. p. 16. b* responderet; *Multa placent Principi tuo, & magna species in oculis ejus fulgent, quæ Deo displicent & sordent. Non quod negem, hominem in secularibus studiis esse omnium prudentissimum; sed quod in iis, quæ ad Deum pertinent & animarum salutem, pene septies cæcum agnoscam, pariter cum tuo Pfeffingero.* Is erat Cubicularius & Consiliarius Principis intimæ admissionis. Nihil tamen nocuit Luthero ingenua libertas, quinimo æstimari a Principe magis magisque cœpit, ut ex literis ad eundem Spalatinum mense Decembris anno 1516. scriptis *Lib. I. ep. 23. p. 31.* constare potest. Quomodo vero Scholasticas quasdam theses rejecerit, inter alia videri potest ex epistola ad Langum scripta *Lib. I. ep. 18.* Spalatino dein consilium petenti de vertendis quibusdam opusculis Latinis in Germanicum sermonem, respondit epistola 23. *Quo salubriora aliqua sunt, eo minus placent ac proficiunt. Quid Evangelio & Christo salubrius? at sordent & sunt odor mortis in mortem plurimis, paucissimisque in vitam odor vitæ.* Commendat *Joh. Tauleri sermones, ac neque in Latina neque in Germanica lingua vidisse se ait Theologiam salubriorem, & cum Evangelio consonantiorem.* Sequenti anno eidem suadet circa tempus passionis legenda Augustini, Cypriani, Hilarii quædam. Hæc tum erant studia, hæc mens Lutheri, antequam adversus Tecelium disputaret. Itaque quas ingenii, eruditionis, industriæ, candoris, libertatis, constantiæ, inculpatæ etiam vitæ laudes tribuit Luthero Maimburgius, facit id veritatis vi inductus, testesque habet & scripta Lutheri, & inimicorum quoque judicia. Sed non alio fine usum esse apparet hac ingenuitate, quam ut fidem inveniat, jam acrius culpans. Neque tamen æque valida esse deprehendentur, quæ de vitiis ejus commentatur. Immunem sane a defectibus ne ipse quidem, vir summus, se venditavit, sed aperta infirmitatum professione, Christiani & modesti animi documenta sufficientissima dedit. Ex actorum itaque historia certius constabit, an typum hunc morum, vitiis quam virtutibus magis conspicuum, recte ei assignaverit Maimburgius.

(n) *Fit Vicarius Provincialis Staupitii.*

(aa) *Libertas sensus & linguæ.*

A. 1517.

ADDITIO I.

(a) *Annotatio de natali Lutheri ex Melanchthonis historia vitæ Lutheri.*

Annus natalis Lutheri usque quaque certus non est, ut scribit *Melanchthon* his verbis: *In matre Margaretha, conjuge Jo. Lutheri, cum cæteræ essent virtutes, tum vero præcipue lucebat pudicitia, timor Dei, & invocatio, intuebanturque in eam cæteræ mulieres, ut in exemplar virtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de tempore, quo filius natus est, respondit, diem & horam se certe meminisse, sed de anno dubitare. Adfirmabat autem, natum esse d. X. Novembr. nocte post horam XI. ac nomen* Martini *attributum infanti, quod dies proximus, quo infans per baptismum Ecclesiæ Dei insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed frater ejus Jacobus, vir honestus & integer, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse a natali Christi 1483.* Habentur hæc in *præfatione Tomi II. Lat. Wittenb.* qua historiam vitæ Lutheri nervose & egregie complexus est Philippus. Edita autem fuit seorsim anno 1547. a *Johanne Pollicario*, & Georgio Principi Anhaltino, Administratori Mersburgensi dedicata. Integram eam *Historiæ suæ Ecclesiasticæ* inseruit Boxhornius *p. m. 1044.* ubi Lutherum *herois incomparabilis* elogio mactat. Nihilominus Ræmondus *diem 22. Octobr.* præfert, ut malitiosæ Astrologi cujusdam *Gaurici* calumniæ fidem conciliaret, qui ex horoscopo illius diei ingenium Lutheri miris modis infamare voluit. Hunc *Isaacus Malleolus*, Professor Mathem. Argentoratensis anno 1617. edita dissertatione *de genituræ Lutheri* refutavit. Matrem Lutheri *Margaretham Lindemannam* recte nominavit Maimburgius, licet *Ziegleriæ* cognomen alii tradiderint, quod fortasse ex opificio cujusdam ex progenitoribus, ut fieri solet, additum fuit. Genus vero matris ex Franconia fuisse, a viris fide dignis accepi, qui itidem ex *Lindemannorum* familia maternum genus habent, & probant, patrem Margarethæ civem Neostadiensem ad Salam Franconiæ amnem in Episcopatu Würzburgensi fuisse. Cæterum fortuito factum est, ut Islebiæ nasceretur Lutherus. Habitabant enim eo anno parentes ejus adhuc in vico *Mæra*, mater vero gravida, cum nondum tam vicinam partui se esse existimaret, ad nundinas Islebienses profecta, ibique filium enixa est. Notatur hoc in eleganti *historia MS.* de Ecclesia Isennacensi, a *M. Nicolao Rebhan* composita. Huic anno 1611. Pastoris & Superintendentis munus Isennaci demandatum fuit, cum idem in Ducatu Coburgensi, patria sua, Romhildæ & Hilperhusæ administrasset, vir doctus & pius; cui in eadem statione, nec impari eruditione & pietate filius successit, qui non ita pridem defunctus est. Vivit tamen, dum hæc scribo, alter filius *D. Johannes Rebhan*, Jureconsultus & Antecessor in Academia Argentoratensi primarius, provecta licet sed vivida senecta, cujus hospitio usus sum, cum literis anno 1643. & 1644. operam in illa urbe darem. Memoratur in *historia* illa *MS.* etiam avus Lutheri, qui *Henricus* vocabatur, vulgo Heyne Luder. Mentio hic etiam aliqua facienda est *Jo. Hiltenii*, monachi Franciscani, qui ante cœptam a Luthero disputationem, a sodalibus in monasterio Isennacensi, ob puriorem doctrinam & abusuum reprehensionem carceri mancipatus, & in eo ad mortem usque detentus fuit. Commendatur in *Apologia A. C.* cap. *de votis monasticis*, & refertur ejus vaticinium de futura anno 1516. monachorum reformatione, aliisque casibus, quos eventus probavit: *commentarius* etiam ejus *in Danielem* allegatur. Lutherus illum Apologiæ locum citat in tractatu *de Conciliis* anno 1539. edito, qui extat *Tomo VII. Alt. f. 273.* Verba Melanchthonis ad Mathesium anno 1552. d. 18. Maj. scribentis vid. *ep. 65. Lib. II. fol. m. 259.* edit. Londin.

(b) *De genere materno.*

(c) *Digressio de Nicolao Rebhanio ejusque filio.*

ADDITIO II.

De studio Lutheri in schola Isenacensi.

Matthæus Ratzebergius, Medicus Johannis Friderici Saxoniæ Electoris, in *historia MS. Lutheri* (cui jam seniori familiaris fuit aliquando & Medici operam præstitit) Germanice scripta, quæ in *Bibliotheca Sereniss. Principis Gothani* habetur, refert, Lutherum anno 1498. Isennacum a parentibus missum, & hospitium apud Conradum Cottam (familia illa senatoria etiam nostra memoria Isennaci superest) nactum esse. Docuisse tum in Schola Franciscanorum quendam *Johannem Trebonium*, virum

A. 1517.

rum doctum, cui in more fuerit adaperto capite puerorum cœtum honorare, antequam in cathedra consideret, negligentesque id aliquando collegas serio increpasse, dicentem: *Sedent inter hos pueros, ex quibus Deus Consules, Cancellarios, Doctores & Magistratus facit, quambis id bos jam lateat: hos non immerito honoretis.* In hac schola pene quadriennio literis operam dedit Lutherus.

ADDITIO III.

(a) *De studiis & præceptoribus Lutheri in Academia Erfurt. & occasione Monachismi.*

Razenbergius annum 1502. quo Lutherus Erfordiam venerit, memorat, & præceptorem Lutheri Academicum nominat *Johannem Greiff*, sive *Gryphium*. Sed vel maxime inter præceptores quoque Lutheri numerandus est *Jodocus*, quem vulgato ejus temporis more *Doctorem Isennacensem* vocabant. Extat ad eum epistola Lutheri Erfordiæ anno 1518. data, qua suas theses paulo ante editas in scriptis defendit, cum minus recte valentem alloqui non posset. Edidit Jodocus ille *Summam Philosophiæ naturalis* anno 1517. quam nuper inter alios ex *Bibliotheca VVurtzensi* mecum humanissime communicatos libros inspexi. Illi Eobanus Hessus hoc præfixit elogium:

Garrula stelliferum minuri desinat orbem
Fama Syracusium composuisse Senem.
Vulcani clypeos Asiam Europamque ferentes
Asserat; inbenit fabula prisca fidem.
Quandoquidem exiguo natura summa libello
Tam bene composita est docte Jodoce tibi.

Lutherus an. 1519. d. 17. Decembr. Spalatino scribens hæc habet: *Audivi heri, excessisse e vivis D. Justum Jodocum Isennacensem Erfordiæ. Timeo & me ansam accelerata sua mortis fuisse, tantum ægritudinis fuit animo ejus ex meis, ut dicitur, profanitatibus & temeritatibus, quibus scholasticam Theologiam doluit incredibiliter contemni.* MS. Bibl. Jen. In Magistrum promotum esse notat idem Razebergius anno 1503. Fulmine sive tempestate territum esse in rure, cum iter faceret, ita ut in terram procidens secum constituisset, si e periculo illo liberaretur, se in monasterium concessurum esse. Idem ipse Lutherus in dicta dedicatione *coactum & necessarium botum* vocat. Invitasse paulo post amicos, & pro more suo musica, cujus peritus erat, illos delectasse, rogasseque nihil tale suspicantes, ut hilares hac ultima vice secum esse vellent, neque enim hoc statu se ab illis posthac visum iri, quia monasticam vitam instituere decrevisset. Idem autor est, duriter habitum fuisse a monachis, vilissimisque servitiis, mendicando maxime per civitatem, gravatum, idque ei omni labore molestius visum.

(b) *Staupitii de eo cura & judicium.*

Staupitium vero, cum (ut provincialis) aliquando in monasterium venisset, Priorem monuisse, ut Lutherum jam Magistrum & doctrinæ cupidum humanius tractaret, tempusque ei ad studia relinqueret. Eundem Luthero suasisse, ut sacras literas ante omnia legeret, *textualisque & localis* (ut loqui solebant) fieret, idque eo cum successu præstitisse Lutherum, quem Staupitius admiratus fuerit, eaque de causa illum aliis prætulerit.

(c) *De studio ejus Biblico in monasterio.*

In MSS. Bavari *Vol. I. p. 239.* invenio, Lutherum sub ingressum Monasterii libros, quos habebat, omnes, interque eos *corpus juris*, retento solum Plauto & Virgilio, (delectationis forte cujusdam causa) reliquisse; accepisse deinde a monachis Codicem sacrum rubro corio tectum, quem tanta cum diligentia legerit, ut primo intuitu omnia invenire posset, doluisse postea, quod pro memoria locali servare illum sibi non licuerit. Legisse ibidem glossam ordinariam, & Lyram, quem tamen parvi fecerit, ad historiam tamen facere postmodum judicavit. Totum aliquando diem unius gravis sententiæ meditationi tribuisse, multasque Prophetarum sententias memoria tenuisse, quas tunc non intellexerit.

(d) *Melanchthonis de affectibus & privatis studiis Lutheri relatio.*

Affectus Lutheri quod attinet, Melanchthon *in vita ejus*, supra citata, territum fuisse Lutherum narrat, cum sodalem, (*Alexii* nomen traditur a Bavaro) nescio quo casu, interfectum amisisset; miserabiliter confossum memorat D. Nicol. Selneccerus in oratione *de vita Lutheri* anno 1590 Hildesiæ habita, quam nuper VVittenbergæ recudi fecit & annotationibus illustravit *D. Joh. Frid. Maierus*. Melanchthon dum ista, quæ adscripsi, narrat, generatim annotat, Lutherum de ira Dei, item de mirandis pœnarum exemplis cogitantem, subito tantis terroribus sæpe concussum fuisse, ut pene exanimaretur. *Ac vidi ipse*, ait, *cum in quadam doctrinæ disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocavit, ubi hanc sententiam crebro repetitam miscuit invocationi: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.* Merentur & sequentia ex eodem libello notari, quæ ad mores Lutheri, & gesta in monachatu pertinent, ut nempe doctrinam scholasticam ejusque labyrinthos inexplicabiles diserte, multis admirantibus, explicaverit; sed ita, ut studia ista tanquam parerga tractaret, non famam ingenii, sed alimenta pietatis quærens. *Gabrielem & Cameracensem pene ad verbum recitare potuit: diu multumque legit scripta Occami, cujus acumen Thomæ & Scoto anteferebat: diligenter & Gersonem legerat; sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat & optime meminerat.* Notandum hoc contra illos, qui Lutherum rudem fuisse existimant. *Ceterum*, ut Philippus recensere pergit, *fontes doctrinæ cœlestis ex sacris literis avide hausit, doloribus illis angoribusque suis motus.* Refert etiam, ut aliquando lethaliter decumbens & seni monacho terrores suos exponens, magnum solatium cepisset, cum senex ille symboli articulum urgeret, *credo remissionem peccatorum*, & gratuitam justificationem per fidem exponeret. *Selneccerus* addit, prædictum ab illo monacho fuisse Luthero, *non esse cito moriturum, sed in virum magnum evasurum.* A Bavaro *l. Vol. I. p. 344.* refertur, Lutherum in monasterio tanta cum assiduitate scripsisse & legisse, ut aliquando multis diebus recitationem horarum canonicarum, ad quam obligatus erat, omiserit; ut vero conscientiæ satisfaceret, & decretis Pontificiis, (quæ ad minimum formalem, id est, verbalem recitationem, si materialis, quam vocabant, & spiritualis non fieret, requirebant) obediret, cubiculo sese inclusisse, & quæ per unam, duas, imo tres quandoque septimanas, præ studii assiduitate neglexerat, cibo & potu abstinentem recitasse, eumque in modum se macerasse, ut aliquando quinque septimanis somno caruerit, & pene in mentis deliquium inciderit.

(e) *Lutherus musicæ peritus & deditus.*

Quoniam musici studii mentio facta est, ex eodem *Razebergii MSto* percipitur, *figuralis*, quæ vocatur, musicæ non leviter gnarum fuisse Lutherum, ita ut in lineas sive *notas* canenda componere aut composita corrigere posset. Delectabatur *Gregoriano*, qui dicitur, cantu, & hymnis ac responsoriis in *figurali*, quem vocant, toni leges redactis. Igitur cum commensalibus & filiis post cœnam sacra modulabatur cantica, voce, quæ *Alti* nomen habet, utens. Cum melancholia, quod non raro fiebat, affligeretur, a cantionibus illis solatium petebat. Impetravit aliquando ad eundem finem, a præstanti Bavariæ Ducis Musico, ut verba Psalm. IV, 9. 10. *In pace in id ipsum dormiam, &c.* artificiose composita sibi mitteret. Accidit, ut aliquando mœrore correptus, sese per unum alterumque diem solitarius includeret, nemine admisso. Tunc quidam *Lucas Edembergerus*, qui Johanni Ernesto, Electoris Johannis Friderici fratri, a studiis erat, & juvenes alii, musicæ periti, cum conveniunt, fores musei pulsant, & cum non responderet, tandem effringunt; ibi jacentem in deliquio inveniunt, & non tam medicina aut cibo, quam concentu musico reficiunt. Solebat etiam animi causa in pagos vicinos ad pastores excurrere, & aliquando ibi concionari. Musica tamen maxime delectabatur, eam cibum, ne sumtu quenquam gravaret, secum ferebat.

(f) *Item arti tornatoriæ.*

Arti etiam tornatoriæ ad corpus exercendum operam dedisse Lutherum, ex *epistola ejus ad Lincium* patet anno 1525. scripta, in qua instrumenta quædam meliora mitti sibi Norimberga petit, jocans, si mundus nolit ipsum alere, manu victum parare velle. *Vide Tom. II. epistolarum p. 229. b.*

ADDITIO IV.

De promotione Lutheri doctorali.

In *Libro Statutorum Facult. Theolog. VVittenberg.* referente *D. Joh. Forstero*, in oratione anno 1612. *de Lutheri Doctorate & conjugio* habita, hæc leguntur: *Decima octava Octobris, quæ fuit festivitas S. Lucæ, religiosus Pater, frater Martinus Luder, ordinis E. Eremitarum S. Augustini S. Theologiæ Licentiatus, hora prima pomeridiana secundum formam statutorum a Magistro nostro eximio Domino Archidiacono omnium Sanctorum Andrea Bodenstein ex Carolstadt vesperiatus est, præsentibus Dominis de Universitate, pluribusque aliis venerabilibus hospitibus; sequenti die ad pulsum majoris campanæ congregatis ut prius Patribus & hospitibus idem Pater a præfato Magistro nostro Andrea Doctoralibus insigniis in S. Theologia secundum formam statutorum est insignitus.* Diem receptionis eundem 19. Octobris notat

A. 1517.

Sennertus, & Rectorem nominat *Sebastianum Archimagirum*, Küchenmeister. Cæterum neglectum orthographiæ in voce *Luder* & *Luther*, etiam hic notare licet.

ADDITIO V.

(a) *Character morum Lutheri a Varillasio efformatus.*

Maimburgii æmulatione, alium morum & ingenii characterem Luthero affinxit Varillasius *dict. Lib. III. p. 225.* Ejus verba ex Gallico traducta hæc fere sunt: *Martinus Lutherus, ex ordine S. Augustini, omnes hæresiarcharum qualitates a S. Patribus suo tempore observatas, bonas malasque in sua conjunxerat persona. Natura videbatur corpori Germano ingenium Italicum immisisse, tantam habebat vivacitatem, industriam, vigorem, sanitatem. Nemo eum in studio Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ superavit, nemo in arte concionandi æquavit. Perfectissima in eo erat eloquentia, rationis humanæ & robur & debilitatem penitus detexerat, noveratque aditus, per quos penetrari posset. Nulli auditorum affectus tam varii aut inæquales erant, quos non indagaret & sedare aut excitare nosset, prout opus esse putabat; & quando materiæ subtiliores essent, quam ut argumentis persuaderi posset auditor, vincebat tamen cum figurarum efficacia. Hoc regnum in affectus ex cathedra in conversationes etiam transferre sciebat; movebat animos, non alienabat, suasque opiniones tacite & insensibiliter iis instillabat; denique elegantia styli Germanici triumphabat in eos, quos eloquentia sua commovere cœperat, aut conversationis amabilitate veluti incantaverat. Nemo lingua patria, nec vivo eo, nec post illum mollius aut delicatius locutus est aut scripsit. Sed e contrario sanus erat, ferox, ambitiosus, satyricus, qui beneficiis parum moveretur, irreconciliabilis, in levissimis etiam offensis, iracundus, nec facile placabilis, gulosus, & excessuum, qui gulam sequuntur, capax; quanquam vita monastica occasionem ineos erumpendi fere abstulisset.* In

(b) *Examinantur & refelluntur Varillasii quædam.*

his, quæ de dotibus Lutheri prædicantur, demtis exaggerationibus, ex ore inimici acceptari possunt. Ex defectibus, quos allegat, nullum probabunt adversarii præter excandescentiam, de qua ipse non semel questus est, & jocandi nimiam quandam libertatem. Hæc eo tempore etiam monachis familiaris erat, qui liberioribus, imo scurrilibus dictis concionibus suis gratiam quærebant, inprimis in festo Paschali, in quo solenne erat auditores ad risum movere, quem *paschalem* vocabant, das Ostergelächter. Intrepido erat animo, non feroci; vanitatis & ambitionis, cum tot occasiones haberet, nullum dedit specimen; sorte, quam semel nactus erat, contentus, aliisque omnibus potius quam sibi prospiciens; astutiæ, quam Italicam vocant, adeo expers, ut aperta animi simplicitate & credulitate in contrarium errorem impegisse videri possit. Ingratum nemo dixerit, qui, uti constat, fere nihil cuiquam debebat, & generoso animi motu omnibus benefaciebat, etiam cum damno rei familiaris & supra vires. Quam cito placabilis fuerit, Tezelii, Carolostadii & aliorum exemplum ostendit. Comessationes invitus adiit, sæpe de incommodo earum questus: vili & parco cibo gaudebat, ita ut in custodia illa VVartburgensi lautius habitus valetudinem corruperit. Cum aliquando graviter ægrotaret, neglecto medicorum præcepto ad cibum vulgarem solitum halecis assi & pisorum conversus, (ut *Ratzebergius* memoravit) sanitatem recuperavit, & ejecto calculo morbum prodidit, quem medici dignoscere non potuerant. Capacitas, ut loquitur Gallus, aliarum voluptatum, objectum est virtutis, quæ in restinguendis naturæ ardoribus exercetur, cujusque Lutherus sat magnum documentum dedit, dilato ad quadragesimum secundum ætatis annum conjugio. Denique concessis vel omnibus, vel plurimis, quæ scribit, nondum evictum est, hæresiarcharum ingenium Luthero fuisse, quale Patres descripserint; neque facile fuerit aliquem eorum archetypum effingere. Historiæ enim testantur varii ingenii diversorumque morum homines, simplices, astutos, hilares, austeros, placidos, iracundos, doctos & indoctos hæresium autores fuisse; ingenii quosdam, alios affectuum majori culpa.

ADDITIO VI.

(a) *De Georgii Spalatini vita.*

Quia *Georgii Spalatini*, ejusque familiaritatis cum Luthero, itemque librorum, quos de temporis sui historia conscripsit, sæpe mentio facienda est, non ingratum erit aliqua de eo hic legere, quæ diligentiæ Frid. Hortlederi debemus *Vol. I. de caus. bell. German. Lib. IV. c. 23.* Georgius Spalatinus natus fuit anno 1482. (mendum enim est apud *Hortled.* ubi 1484. legitur.) in oppido *Spalato* sive Spalt/ in ditione Episcopatus Aichstetensis, indeque more ejus temporis cognomen adscivit: literis Norimbergæ, Erfordiæ & VVittenbergæ imbutus, hic Magistri titulum anno 1502. adsumsit. Erfordiam inde regressus, Jurisconsultos audivit. Anno 1507 sacerdotio initiatus pastor pagi *Hohenkircha* ad radices sylvæ Thuringicæ, prope celebre monasterium Vallis S. Georgii (Georgen-Thal) factus est, & noviciorum in dicto monasterio præceptor. Anno 1509 Johannis Friderici, qui postea Elector fuit, informationi præpositus. Anno 1511 Ottoni & Ernesto Luneburgensibus Ducibus, cum in VVittenbergensi Academia viverent, a studiis fuit. Inde a Friderico Electore Saxoniæ ad *Secretarii* & *Sacerdotis aulici* simul munus vocatus est. Extant literæ *Leonis X.* Pontificis d. 1. Jan. & *Julii Medicei*, qui postea *Clemens VII.* Pontifex fuit, d. 7. Jan. 1519. ad Spalatinum datæ, in quibus eum nominant *Saxoniæ Ducis Secretarium*, *Tom. I. Jen. Lat. f. 220. b. 221.* Adfuit Electori in Comitiis 1518 Augustæ, 1519 Francofurti in electione Caroli V. 1520 Aquisgrani & Coloniæ, 1521 VVormatiæ. Fridericus moriens legavit ei florenos aureos annuos centum & sexaginta, quam pensionem Johannes Fridericus anno 1538. sorte mille sexcentorum redemit. *Canonicus* fuit *collegiatæ Ecclesiæ Altenburgensis*, quæ in monte, ubi arx Principum est, etiam nunc extat, ad aulæ sacra splendide aptata, reditibus ad alios pios usus applicatis.

(b) *Ministerium ejus in aula Electoris.*

(c) *Fit conjux & Superintendens & visitator.*

Sed cum circa annum 1523 Lutheri doctrinam jam publice profiteretur, & anno 1525 uxorem Altenburgi duxisset, Pastor ejus civitatis vicinæque provinciæ & Voigtlandiæ, qua Electori Johanni parebat, *Superintendens* constitutus est. Adfuit eidem Electori, Spiræ in comitiis 1526, & Augustæ 1530. Johanni Friderico ejus filio 1531, Coloniæ 1532, Svinfurti 1534, ut & Cadani in Bohemia, aliisque in locis tractatuum & negotiorum postea secutorum, fœderis maxime Smalcaldici occasione. Bibliothecam Electoralem coëmtis Principum ære Venetiis libris Hebraicis & Græcis, qui postea Jenam translati fuerunt, locupletavit. Visitationibus Ecclesiarum in ditionibus Electoris ut & Henrici Ducis interfuit.

(d) *Scripta.*

Edidit versionem Germanicam libelli Erasmi *de institutione principis Christiani*, & tractatum *de Arminio Cherusco*, ut & *Chronicon de origine & familia Electorum & Ducum Saxoniæ*, Henrici Brunsvicensis diffamationi oppositum, quod Hortlederus *d. c. 23.* operi suo inseruit. Inedita autem composuit historica multa, quæ *d. l.* Hortlederus recenset, suæque vitæ commentarium; ex iis tamen quædam perdita aut situ corrupta sunt. Falli hinc aut gratis fingere oportet *Varillasium*, cum *Lib. III. p. 254.* literas Pontificias ad Pfeffingerum & Spalatinum anno 1519 datas recensens, *Consiliarium* hunc *Electoris*, *& multorum liberorum parentem* fecit, *cui paupertas suaderet, Pontifici gratificari & causæ Lutheri nocere*; eo enim tempore Spalatinus sacerdos & cœlebs erat, nec nisi post annos tredecim parens factus est.

(e) *Erasmi ad eum epistolæ.*

In epistolis Erasmi *tres* ad Spalatinum extant. *Lib. V. ep. 35. Lib. IX. ep. 24. Lib. XIII. ep. 46.* In harum prima V. Cal. Jun. 1519. scripta mire blanditur Spalatino, per quem Fridericus numisma aureum sui imaginem referens Erasmo miserat, scribitque: *Se illum non solum inter præcipuos amicos, sed & inter patronos suos observandos habiturum esse non perinde in chartis quam in pectore*: cæteras alibi allegavi. Extant & ad Erasmum Spalatini literæ *Lib. XI. ep. 23.* in quibus eum *Germaniæ communis patriæ decus* appellat & refert, *Fridericum omnes Erasmi libros in sua habere Bibliotheca, quam optimis libris refertam architectetur.*

(f) *Mors.*

Obiit d. 16. Jan. anno 1545. ætatis 63. Monumentum ejus ante altare in templo D. Bartholomæi Altenburg. pietate successorum renovatum conspicitur.

ADDITIO VII.

(a) *Epistola memorabilis Lutheri de Erasmo & aliis.*

Optandum foret, ut, quæ ante annum 1517 scripsit Lutherus, conservata majori numero essent. Ex paucis, quæ supersunt, magnæ jam tum viri dotes elucescunt. Inter epistolas, illo tempore memorabilis, si quid judico, ante omnes est, quam Spalatino scripsit 19. Octobr. anno 1516 in qua de studio & interpretatione Scripturæ, ab Erasmo tentata, & de Patribus tractat, *Lib. I. ep. 20.* totaque hic legi meretur: *Quæ me in Erasmo, homine eruditissimo, mo-*

A. 1517.

mo, movent, hæc sunt, mi Spalatine; quod in Apostolo interpretando justitiam operum seu legis, seu propriam (ita enim appellat Apostolus) intelligit, ceremoniales illas & figurales observantias. Deinde de peccato originali (quod utique admittit) non plane velit Apostolum loqui cap. VII. ad Romanos. Qui si legerit Augustinum in eis libris, quos contra Pelagianos scripsit, præsertim de Spiritu & litera, item de peccatorum meritis, & remissione, item contra duas Epistolas Pelagianorum, item contra Julianum, qui omnes in parte operum octava fere habentur, videritque quam nihil ex suo sensu, sed præstantissimorum Patrum, Cypriani, Nazianzeni, Rethicii, Irenæi, Hilarii, Olympii, Innocentii, Ambrosii, sensu sapiat: erit forte, ut non tantum recte Apostolum intelligat, sed majore etiam opinione dignum arbitraturus sit Augustinum, quam hucusque credidit. Ego sane in hoc dissentire ab Erasmo non dubito, quod Augustino in Scripturis interpretandis tantum posthabeo Hieronymum, quantum Augustinum in omnibus Hieronymo posthabet.

(b) *Laudat Augustinum.*

Non quod professionis meæ studio ad B. Augustinum probandum trahar, qui apud me, antequam in libros ejus incidissem, ne tantillum quidem favoris habuit; sed quod videam B. Hieronymum velut dedita opera ad historicos sensus incedere: &, quod mirius est, obiter sanius interpretatur Scripturas, ut puta in epistolis, quam ubi tractat eas de industria, ut in opusculis. Nequaquam igitur justitia legis seu factorum tantum est in ceremoniis, sed rectius etiam in universi decalogi factis. Quæ quando fiunt extra fidem Christi, etiamsi faciant Fabricios, Regulos, & plane integerrimos viros apud hominem, non tamen plus sapiunt justitiam, quam sorba ficum. Non enim, ut Aristoteles putat, justa agendo justi efficimur, nisi simulatorie: sed justi (ut sic dixerim) fiendo & essendo, operamur justa: prius necesse est personam esse mutatam, deinde opera: prior placet Abel, quam munera ejus. Sed hæc alias. Officium itaque & amici & Christiani facias precor, & Erasmum de iis certum face: cujus autoritatem, sicut spero & cupio futuram celeberrimam, ita metuo ne per eandem multi sibi accipiant patrocinium defendendæ illius literalis, id est, mortuæ intelligentiæ, qua plenus est Lyranus commentarius, & ferme omnes post Augustinum. Nam & Stapulensi, viro alioquin (bone Deus) quam spirituali & sincerissimo, hæc intelligentia deest in interpretando alienas literas, quæ tamen plenissime adest in propria vita agendo, & aliena exhortando. Temerarium me diceres, quod tantos viros sub Aristarchi virgam duxerim, nisi scires, quod pro re theologica & salute Fratrum hæc facio. Adde quæ postea anno 1518. eodem fere sensu ad eundem Spalatinum scripsit. *Lib. I. ep. 37.* Paulo ante ad Joh. Langum scripserat *Lib. I. ep. 27. Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt, & regnant in nostra Universitate, Aristoteles descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam; mire fastidiuntur lectiones sententiariæ, nec est ut quis sibi auditores sperare possit, nisi Theologiam hanc, id est, Bibliam aut S. Augustinum aliumve Ecclesiasticæ autoritatis doctorem velit profiteri.*

(c) *Idem facit in alia epistola.*

Quanti vero Augustinum fecerit, ex præfatiuncula in libellum ejus de *Spiritu & litera*, a Carolstadio editum, apparet, inter epistolas anni 1518. relata. *Lib. I. n. 43.* Ad historiam rerum quæ Luthero contigerunt ante motam disputationem, pertinet etiam narratio de concione ejus Dresdæ habita, ex *Fabricii Orig. Sax. Lib. VII. p. 859.* ubi scribit: *Paulo antequam mota fuerit hæc controversia, Joannem Staupitium hominem nobilem, & sui ordinis in Saxonia primarium, Georgius rogavit, ut sibi probum & eruditum aliquem concionatorem mitteret: id quod ille facturum se recipit: eique statim misit VVittenberga Lutherum, quem ut summæ indolis juvenem, studiisque & moribus sibi spectatum, commendavit. Is Dresdam cum literis Staupitii veniens, coram Duce jubetur verba facere in arce. Summa ejus sermonis fuit: Salutis fiduciam nulli mortalium esse abjiciendam, quod ii, qui verbum DEI animis attentis audirent, veri Christi discipuli, & ad vitam æternam electi & prædestinati essent. In ea materia amplificanda immoratus est, totamque doctrinam prædestinationis, si a Christo fiat initium, singularem vim habere affirmavit ad tollendum pavorem illum, propter quem cogitatione suæ indignitatis homines trepidantes a Deo fugerent, ad quem confugere unum maxime deberent. Erat honesta matrona, gynæceo præfecta* Barbara Salana: *eam in prandio Dux interrogat, quomodo concio placuisset? quæ respondit, si alteram talem audire posset, se animo tranquilliore moriturum: cui Dux iratior, se magna redempturum pecunia respondit, talem non audivisse concionem, quæ homines temerarios faceret; idque repetivit aliquoties. Salanæ autem, id quod optaverat, accidit, ut intra mensis spatium inciperet decumbere, & læta ex hac vita decederet. Post id tempus Dresdam Lutherus non rediit.* Ex eo, quod annectit Fabricius, *quod post tempus hoc Lutherus Dresdam non redierit*, lucem accipit *epistola 36. Lib. I.* ubi Lutherus d. 14. Jan. 1518. prolixe narrat Spalatino, ut Dresdæ convivio ab Emsero exceptus fuerit, sed in disputationem acrem cum subornatis monachis Dominicanis de theologia Thomistica inciderit, unde ipsi calumnia apud Georgium Ducem fuerit structa; meminit concionis suæ de stultis supplicantium votis, & quid Christiano petendum esset, quam habuisse se dicit in Festo D. Jacobi, id est, 25. Julii, unde liquet factum id esse anno 1517, quatuor mensibus ante publicatas contra Tezelium theses; liquet etiam jam antea ob liberiorem doctrinam Thomisticæ sectæ odium in se concitasse Lutherum: an tamen eadem sit concio, cujus Fabricius, & cujus Lutherus mentionem fecit, nolim definire.

(d) *Concionatur Dresdæ, sed non placet Georgio Duci.*

A. 1517.

SECT. 9.

Hic igitur erat in vigore tunc ætatis triginta quatuor annorum, magnaque Wittenbergæ æstimatione constitutus, quem Vicarius Augustinianorum Generalis in Dominicanos immisit, qui anno 1517 indulgentias Leonis Papæ in Saxonia prædicabant. Lutherus gloriæ cupidus, occasionem inclarescendi lubentissime arripuit.

Cochlæi acta Luth.

Lutherus ex ambitione indulgentias impugnasse dicitur.

§. IX.

Refellitur calumnia ex literis Lutheri ad Moguntinum & ad alios.

Insani hominis characterem, non solum ambitiosi & honoris cupidi, ostendisset Lutherus, si ex disputatione hac gloriam sibi parare cogitasset. Nam præterquam, quod cum imperitissimis impudentissimisque adversariis congrederetur, non poterat nescire, quæ sibi odia imminerent, propter gratiam, quam illi ex quæstura ista sibi adquirebant. Solius itaque conscientiæ stimulis (ut ex sequentibus constabit) incitatus, cum indulgentiæ in vicino Wittenbergæ oppido, Jüterbock, ad Archiepiscopatum Magdeburgensem tum spectante, prædicarentur, & plebs eo excurreret, calamum arripuit. Tanta autem cum submissione in epistolis ad Prælatos (de quibus paulo post agit Autor) institutum suum explicavit, ut major esse non potuerit. Ad *Albertum enim Cardinalem & Archiepiscopum Magdeburgensem* (cujus nomine edicta immodica commendatione indulgentiarum turgentia evulgabantur) theses suas mittens, ita scribit: *Testis est mihi Dominus Jesus, quod meæ parvitatis & turpitudinis mihi conscius, diu jam distuli, quod nunc perfricta fronte perficio. Dignetur Tua Celsitudo oculum ad pulverem unum intendere, & votum meum pro tua Pontificali Clementia intelligere.* Quo modo anno sequenti, licet jam confidentior & irritatior, ad *Episcopum Brandenburgensem* eandem submissionis professionem fecerit, in loco dicemus. Optima vero depulsio hujus suspicionis esse videtur, qua ad Johannem Langum *Lib. I. ep. 33.* tale quid sibi imputantem utitur: *Quis ignorat, quin sine superbia aut saltem sine specie superbiæ & contentionis suspicione possit quicquam novi produci? Finge enim ipsam humilitatem nova conari, statim superbiæ vitio subjicietur ab iis, qui aliter*

A. 1517. *aliter sapiunt. Cur enim Christus & omnes martyres occisi sunt? cur doctores passi invidiam? nisi scilicet, quia superbi & contemtores veteris & inclytæ sapientiæ seu prudentiæ visi sunt: aut quod talia nova sine consilio illorum protulerint, qui veterem sapiebant. Ista ambitiosi & claritatem nominis affectantis animi argumenta esse, quis nisi iniquissimus credat?* Vide etiam *epistolam 39. Lib. I.* ad Spalatinum. A. 1517.

SECT. 10.

Conciones adversus indulgentiarum præconia.

Conscendit cathedram, declamavit terribili modo adversus quæstores & prædicatores indulgentiarum, & ab abusibus privatorum, quos legitime reprehendere poterat, ad culpandas ipsas indulgentias progressus, plus ab illis damni quam utilitatis proficisci contendit. Convenire eas ajebat ignavis Christianis, qui a benefaciendo se redimere velint, rejecta cruce Christi: indulgentiis enim illis remitti pœnitentiam, quam agere debent, & bona opera, quæ satisfactoria dicuntur, id est, preces, mortificationes carnis, & eleemosynas, fructus scilicet pœnitentiæ tota vita præstandas. Exhortatus est postea auditores, ut pecuniam, quæ ad structuram S. Petri exigebatur, pauperibus potius gratis darent, nec falsis promissis de indulgentiarum utilitate crederent, quæ neque consilii, ut ajebat, neque præcepti sint, neque ad hoc neque ad futurum seculum conducant.

§. X.

Excerpta ex concionibus.

Quæ vero concione Lutheri (*Tom. I. Alt. f. 56. & 58.*) excerpta hic referuntur, & *terribilia* vocantur, sua se jam satis commendant veritate & modestia; sed ex totius sermonis ejusque apologiæ lectione apparet, scintillulas saltem lucis cujusdam Luthero tunc affulsisse; problematice enim pleraque tractat, & ut Ecclesiæ definitionem non recusaturus. Decisa enim aut indubitata esse non putabat, quæ non mille, ut ex adverso jactabatur, sed trium saltem Doctorum opinione niti, dicebat, *Thomæ, Bonaventuræ* & *Alexandri Alesii*, cæteros enim pro turba habet, duces sequente. Interim Pontificis autoritatem agnoscit, & de purgatorii dogmate nondum dubitat. Eleemosynarum autem hunc facit ordinem, ut primo dandæ sint pauperibus, ejus, ubi degimus, loci; dein, si desint, quod raro fit, pauperes, ad ornamenta templorum in eodem loco; & tunc demum ad structuram Basilicæ D. Petri, quæ Romæ est. Qui vero ob hæc & alia adversus abusuum indulgentiarum ab ipso dicta & scripta, hæreseos eum incusabant, *eos obfuscati tenebris cerebri homines esse*, ait, *qui sacras literas ne olfecerint quidem, Christianos doctores veteres non legerint, suos non intellexerint, & in suis saltem opinionibus laceris & perversis computrefacti, convitientur & damnent eos, qui nec auditi nec convicti sint.*

SECT. 11.

Epist. Luth. ad Albert. Mogunt. t. 1.

Eodem tempore literas dedit ad Archiepiscopum Moguntinum, eundemque Magdeburgensem, obtestans eum, ut remedia magnis confusionibus afferret, quas indulgentiarum quæstores efficerent, & populum fraude liberaret, qua per conciones illas deciperetur, credens scilicet emtores indulgentiarum certos fieri æternæ salutis, nec solicitos amplius esse ad illam per veros pœnitentiæ fructus acquirendam. Hac occasione Archiepiscopo theses nonaginta quinque misit, quas eodem die professo omnium Sanctorum, *portis Ecclesiæ Wittenbergensis affixerat, non ut eas tanquam certas & veras, ut ait, assereret, sed ut disputatione legitima examinarentur, ad eruendam veritatem. Sed jam plures ex illis satis clare affirmaverat in concionibus de indulgentia & pœnitentia habitis. Et fatendum est, esse inter eas, quæ veræ sunt, & optime defendi possunt; sed sunt etiam multæ prorsus falsæ, adversus thesaurum Ecclesiæ, potestatem Papæ, & pretium indulgentiarum pugnantes, quas malitiosus hic & astutus doctor abolere nitebatur, quamvis simularet, ac si tantum instrui desideraret.*

Theses Lutheri adversus indulgentias.

§. XI.

Intentio Lutheri in publicandis thesibus defenditur.

Hic quoque interiora Lutheri scrutatur Maimburgius, & jam astutiam eruit, postquam ambitionem protraxit, utrumque sine fundamento. Vere tunc & candide instructionem & definitionem desiderasse Lutherum, ex sermonibus, libris, epistolis ejus æquis judicibus facile constabit; neque cum isthac mentis affectione pugnat, aut astuti hominis fuit, quod interea opiniones suas proposuit, & quibus tunc poterat rationibus, stabilitum ivit. Videatur protestatio ejus, thesibus annexa, quæ *Tom. I. Jen. Lat. fol. 79.* alieno quidem loco posita est, cum, ut in *catalogo*, Tomo illi subjuncto, monetur, ad *fol. 5.* referri debeat. Submittit se in ea Scripturis, Patribus in Ecclesia Romana receptis, canonibus & decretis & omnium superiorum suorum judicio: ita ut etsi errare possit, hæreticus tamen non sit futurus; a Thoma enim & Bonaventura aliorumque Scholasticorum & Canonistarum nudis opinionibus, quæ textu & probatione destituuntur, dissentire, liberum sibi esse. Theses ipsas adscribere supersedemus. Extant in omnibus operum Lutheri editionibus: & præcipua contenta ex iis, quæ diximus & infra dicemus, quantum opus est, apparebunt.

SECT. 12.

Tezelii theses contra Lutherum.

Ap. Luth. tom. 1. Cochlæi acta Luth.

Itaque Johannes Tezelius Dominicanus, male se & quæstores suos in thesibus istis haberi cernens, centum & sex alias Francofurti ad Oderam concinnatas, illis opposuit: imo, ut fidei inquisitor, comburi jussit Lutheri theses; quo factum, ut hujus discipuli ad ulciscendum magistrum, Dominicani theses Wittenbergæ vicissim comburerent. Hoc quasi classicum belli fuit absque intermissione postea non solum inter Augustinianos & Dominicanos, sed & inter Catholicos & partes Lutheranas gesti, quæ contra Ecclesiam tunc formari incipiebant.

§. XII. Jo-

§. XII.

(1) *Tezelius quis?*

Johannem Tezelium, Pirnæ in Misnia ad Albim natum, & Dominicanorum ordini adscriptum, ob adulterii crimen Oeniponti capitis damnatum, Friderici Saxoniæ Electoris intercessione veniam impetrasse, Lutherus & Mathesius, ut comperta referunt. Hominem absque pudore & indoctum fuisse constat, etsi *Doctoris Theologiæ* titulum gereret. Nec thesium, quas contra Lutherum emisit, autor habitus est, sed quidam *Conradus Wimpina*, qui Francofurti ad Viadrum Scholasticam Theologiam docebat. Reperiuntur & illæ in Tomis Lutheri, scholasticarum, quatenus Romanæ curiæ favent, opinionum tigillis superstructæ, post quas mox aliæ, numero quinquaginta, vehementiori stylo editæ, & ad hæresis crimen Luthero impingendum directæ, ibidem leguntur. Combustarum tamen thesium Tezelianarum, etsi exemplo præiverat Tezelius, invidiam amolitur a se Lutherus, ad *Langum* scribens *Lib. I. ep. 42.* & in epistola ad *Jodocum*, Theologum Isennacensem, præceptorem quondam suum *Lib. I. ep. 47.* de fama illa ita respondet: *Miror quod credere potuisti, me fuisse autorem concremationis positionum Tezelianarum. Adeo mihi omnem sensum humanum periisse credis, ut tam insignem injuriam ego religiosus & Theologus, in loco non meo, homini tanti officii, irrogarem?* Hæc profecto non immite aut præceps viri ingenium ostendunt, quale illi affingunt adversarii. *Pallavicinus* sane, idem narrans, modestiæ laudem Luthero non prorsus detrahit. Erant tunc, ut semper inveniuntur, qui, Principum consilia rimantes, nescio quid arcani penetrasse sibi videbantur, & susurrabant, Lutherum a Friderico Electore clam instigari, ut in odium Alberti Archiepiscopi (Pontificis mandato indulgentiarum præcones commendantis) disputationes suas continuaret: sed audiamus Lutherum in literis ad Georgium Spalatinum, *Lib. I. ep. 39.* ista probe elidentem: *Unum illud te nosse volo, quod vehementer doleo; videlicet illi ipsi rabulæ & multi alii cum illis nova machina instructi ubique garriunt, Principis nostri illustrissimi esse totum, quod ego ago, tanquam inductus ab eo ad invidiam Archiepiscopi Magdeburgensis. Tu quæso censeas, quid hic faciendum? Principine sit aperiendum? Ego mei causa Principem in suspicionem venire ægerrime omnino fero, & inter tantos Principes dissidii origo esse valde horreo & timeo.* Ex his conjicere licet, vane asseri, concremationem illam pro classico belli habendam, aut factionis contra Ecclesiam initia facta fuisse, sed bellum illud, eo quidem tempore, mere scholasticum erat, nullo tunc Principe, de iis, quæ postea secuta sunt, cogitante.

(2) *Ejus theses invito Luthero combustæ.*

(3) *Falsa suspicio de Friderico Electore, quod Lutherum instigaverit.*

ADDITIO I.

(a) *Varillasii inepta Tezelii cum Luthero comparatio.*

Tezelium eloquentissimum facit *Varillasius Lib. III. p. 226.* ita ut Lutherus, qui tunc in concionibus tyro, ut ait, erat, hoc fine Tezelium sibi potissimum adversarium elegerit, ut eo superato pro maximo tota Germania concionatore haberetur. Hæc meris conjecturis noviter & impertinenter excogitatis inniti puto, donec certis & fidis testimoniis probentur; neque enim ulla æmulatio de concionibus (quas Lutherus pro parergo habebat) sed de dogmatibus fuit, & clamores Tezelii imitari indignum illo ingenio eaque eruditione erat, quam paulo ante in Luthero deprædicaverat Varillasius. Veteranum jam agyrtam, & felicem præconem indulgentiarum in Misnia etiam fuisse Tezelium, memorabili exemplo *ex Chronico Fribergensi D. Andr. Molleri* probatur. Scribit enim *part. II. p. 153. Anno 1507. die Jovis post Esto Mihi Joh. Tezelius Pirnensis Monachus Dominicanus & Doctor Theologiæ, prima vice Fribergam venit, & intra biduum duo florenorum millia indulgentiarum causa in urbe lucratus est.* Si verum esset, quod Augustiniani Dominicanis nundinationem hanc inviderint, jam decennio ante Lutheri disputationem ansam habuissent querelas suas instituendi. Ex eodem vero *Molleri Chronico Part. II. p. 170.* notandum est, Tezelium paulo post, quam Lutherus theses suas VVittenbergæ publicasset, denuo Fribergam venisse, sed non solum parum effecisse, sed & in discrimen venisse amittendæ, quam corraserat, pecuniæ, fossoribus metallicis vim ei intentantibus; itaque sine mora discessisse. Aliud ejus factum improbum & nequissimum narratur in *Chronico Zviccaviensi M. Tob. Schmidii* anno 1656. edito *p. 380.* cujus testem allegat *Georg. Strigenitium in Jon. proph. f. 142.* Tezelius cum Zviccaviæ, antequam præco indulgentiarum fieret, concionatoris munus exerceret, conviva æditui esse aliquando voluit. Hunc, cum inopiam prætenderet, Fastos inspicere jussit, & cujus Sancti nomen crastina dies gereret, referre. Juvenalem, ait ille, invenio, sed parum celebrem. Ego illum, respondet Tezelius, clarissimum faciam, tu modo cras campanarum sonitum maximum ede, qualis in Festis solennibus fieri solet. Eo facto, concurrit populus. Inter sacrum, quod celebrari solenniter in altari, quod e regione suggestus erat, fecerat, ad concionandum ascendens Tezelius ita infit: *Aperiendum vobis aliquid est, auditores, quod sine salutis dispendio ignorare non potestis. Scitis utique, nos jam dudum Sanctos plurimos invocasse, sed illi fere senescunt, & nos audire atque juvare fastidiunt. Hodie memoriam* Juvenalis *celebramus, huc usque quidem parum noti, sed confidite: novus enim Sanctus novo cultu lætus, tanto alacrior ad auxilium nobis ferendum erit. Fuit sanctissimus Martyr, innocentissimum sanguinem suum profudit. Si ejus innocentia frui apud Deum vobis cordi est, ostendite ad hodiernum ejus honorem, liberalitatem vestram: primores exemplo cæteris præeant, & oblationes in Missa hac solenni largiter omnes faciant.* Id ut certius obtineret, in suggestu perstitit, hortator & spectans, quid singuli offerrent; etiam in januis templi constituerat, qui populum exire ante oblationem non sinerent; tandem descendens & ipse nummulum obtulit, ædituo vero in aurem dixit, satis oblatum esse, unde laute cœnarent. Alia magis vulgata prætereo; sed tacere non possum egregiam relationem *de Johanne Episcopo Misnensi*, ex nobili *Salhausiorum* familia, qui ante *Sleinizium* sedem illam tenuit, in qua & præludia quædam Reformationis & de Tezelio vaticinium refertur a *Chytræo Lib. II. fol. 55.* his verbis: *Fuit præsulis Johannis sagacitas, prudentia, severitas, magnitudo animi, & industria in officio eximia. Libros precationum, lectionum & cantionum, quibus Sacerdotes utuntur, ab Andrea Prole, cujus tum eruditio & pietas inter monachos præcipue celebris erat, emendari & imprimi curavit. Præcones indulgentiarum nomine & autoritate antistitis Magdeburgici, venias venales circumferentes, ex sua diœcesi plane rejecit, & populi stultitiam reprehendit, qui pecuniam mitteret in eam cistam, ad quam reserandam claves non haberet. Superstitiones temporum suorum multas palam improbavit, ac se, sacra Biblia legentem, religionem præsenti valde dissimilem invenire dixit. Nobili cuidam de Missarum fundatione consilium ipsius petenti respondit, pulcherrimum in equo membrum esse oculos, verum si totum corpus nihil præter oculos esset, prodigio magis quam ornamento id futurum esse. Nullum animal audacius esse eo, quod e cucullo prospiceret. De Monachis loquebatur; ac multa illius similia in superstitiones ætatis suæ jocantis apophthegmata feruntur. Denique paulo ante obitum, a Tezelio indulgentias denuo vendi audiens, dixit: Hunc fore indulgentiarum institorem ultimum, quod nimia ipsius & intoleranda impudentia esset.* Aliud Episcopi hujus factum itidem in causa indulgentiarum narrat *Fabricius Lib. VII. Originum Saxonic. fol. 846.* his verbis: *Venditabat tum per Misniam Christianus Baumgartnerus, patria Norimbergensis, indulgentias pontificias contra Russorum gentem, armis Livoniam infestantium. Is per Ducis provincias jam multum pecuniæ collegerat; ad suam vero accedentem diœcesin præsul Misnensis Joannes VI de Salhusiorum familia noluit admittere: in quem cum sententia excommunicationis ab illo circulatore*

(b) *Tezelii gesta Freibergæ.*

(c) *Item Zviccaviæ.*

(d) *De Johannis Episcopi Misnensis actis contra indulgentias.*

A. 1517.

(e) *Tezelius a nobili quodam illuditur.*

mercenario lata esset, factum suum ad Pontificem, non tamen sine magnis sumtibus, defendit. Addo denique ex MS. Arnoldi *de vita Mauritii Electoris* supra allegato, festivam narratiunculam de Tezelio: *Cum Lipsiæ esset, & multam pecuniam a civibus & nobilitate corrasisset, convenit eum Nobilis quispiam, fraudem ejus subodoratus & ex eo quæsivit, an absolutionem impertiri posset de peccato, quod in animo sibi proposuisset? respondit Tezelius, se id posse, sed accepta pecuniæ summa parata. Nobilis nihil cunctatus, quod poposcerat solvit, & indulgentiarum diploma pro crimine destinato Tezelii manu & sigillo firmatum accepit. Non multo post, cum Tezelius Lipsia discederet, Nobilis, explorato ejus itinere, loco commodo illum per insidias adortus nummis spoliat, & fuste insuper probe dedolat, vacuumque Lipsiam dimittit, indicans, hoc esse illud peccatum, quod in mente habuisset, & pro quo veniam impetrasset. Georgius Dux Sax. intellecto facinore commoveri primum cœpit, indignatus quod viro Ecclesiastico, quem non parvi faciebat, in sua regione & a quodam ex subditis suis, ea contumelia illata esset, sed postea intellecta rei gestæ serie placatus fuit, & nullam Nobili pœnam irrogavit.* Hæc Arnoldus. Paulus Seidelius *de vita Lutheri* ista narrans variat aliquatenus, & invasum fuisse Tezelium non prope Lipsiam, sed in finibus Magdeburgicis & Marchicis in sylva inter Jüterbock & Trebbin, refert. Extat in *Biblioth. Paulina Lipsiensi* scriptum Tezelii Germanicum, quatuor quaternionum paulo post theses ipsius, sed ante habitam disputationem Francofurtensem typis vulgatum, in quo refutare conatus est Concionem Lutheri de indulgentiis anno 1517 habitam, quæ in viginti paragraphos distincta in Tomis Germanicis, (*Tomo I. Altenb. f. 56.*) reperitur, nec quod sciam Latine versa est.

(f) *Libellus Tezelii contra Lutheri concionem de indulgentiis.*

Tezelii scriptum titulum habet: **Vorlegung gemacht von Bruder Johann Tezel / Prediger-Ordens Ketzermeister / wider einen vermessen** Sermon **von zwanzig irrigen Artickeln / Bäbstlichen Ablaß und Gnade belangende / allen Christgläubigen Menschen zu wissen von nöthen.** Id est, *Refutatio a Fr. Joh. Tezelio Ordinis Prædic. hæreticæ pravitatis inquisitore, contra temerarium sermonem, qui viginti erroneos articulos, ad indulgentias & gratiam Pontificis spectantes, continet, pro necessaria omnium Christianorum informatione composita.* Hoc scriptum, cui Lutheri sermo articulatim insertus est, itidem in viginti puncta distribuitur. Defenduntur indulgentiæ autoritate Pontificia & Scholasticorum rationibus, tolli autem per illas jactantur pœnæ non solum canonicæ, sed & quas Deus exigit, illæ maxime, quas merentur, qui non satis fuere contriti, aut quibus satisfactiones justo minores a sacerdotibus imponuntur. Negat Tezelius bonorum operum exercitium per indulgentias retardari, putat potius promoveri, cum plus mereantur opera post indulgentias, per gratiam Christi, dispensante Pontifice ex indulgentiis acquisitam, quam quæ ex obligatione naturali fiunt: præfert vero collationes pro redimendis indulgentiis eleemosynæ, nisi hæc in extremo necessitatis casu detur. Singulis punctis, una eademque formula, submittit se judicio sedis Pontificiæ & Universitatum & Doctorum; tandem sub periculo aquæ & ignis in certamen descendere paratum se ostendit. Lutherum non nominat.

(g) *Lutheri ad illum responsio.*

Respondit ad hunc tractatum Lutherus, editis *Tom. I. Alt. fol. 58. & seqq.* vindiciis sermonis sui: **Freyheit des Sermons D. M. L. Bäbstl. ablaß und gnade belangende / wider die vorlegung / so zur schmach sein und desselben Sermons ertichtet.** Id est, *Vindiciæ Sermonis D. M. Lutheri de indulgentiis & gratia pontificia, contra refutationem, quæ in suam & Sermonis contumeliam effabricata est.* In hac dissimulato vicissim Tezelii nomine & omissis adversarii *foliis aridis aut floribus chartaceis*, ut loquitur, id est, verbis inanibus, regerit, quæ ad causæ caput pertinent, negatque pœnitentiam a Christo injunctam per Pontificem relaxari posse, sed saltem satisfactiones canonicas. Ex mille, qui in contrarium jactentur, Doctoribus, non nisi *Thomam, Bonaventuram, Lombardum & Alexandrum Hales* pro indulgentiis numerari debere monet, quos cæteri ut turba sint secuti. Reprehendit restrictionem eleemosynarum ad casum summæ necessitatis, nec præmium, quod misericordiæ erga proximum a Scriptura assignatur, attribui posse existimat illi, qui ex amore sui redimere vult meritas & justas censuras. Convitia ab adversario se patienter ferre testatur, imo se eum amare & pro illo orare profitetur: inscitiam tamen ejus arguit, & ut asini vocem a se sperni clamores ejus dicit, præstare enim a talibus culpari, ait, quam laudari: minas ignis & aquæ ridet, & consulit adversario, ut pro aqua liquorem vitis, & pro igne fumum culinæ ex anseribus assis appetat, huic enim illum magis suetum esse: expectare se, ait, intrepide, si quis sit, qui VVittenbergam venire velit, hæreticæ pravitatis inquisitorem, liberum ei accessum & apertas portas offert, hospitium etiam & victum ex liberalitate Saxoniæ Electoris certo sperandum; laudatissimum enim Principem non protecturum esse hæresin, neque talem illum esse, qualem notasse viderentur theses Francofurtanæ.

A. 1517.

(h) *Excerpta ex thesibus Francofurt.*

Inter illas enim *disputatione secunda num. 48.* ita statuerant cruenti illi magistri Tezelius & VVimpina: *Docendi sunt Christiani, qui Hæreticorum defenderunt errorem, & hoc sua potentia efficientes, ne ad manus judicis veniant examinandi, pro excommunicatis, & si non satisfecerint intra annum, ipso jure pro infamibus sunt tenendi, qui etiam per Juris capitula terribiliter multis plectentur pœnis in omnium hominum terrorem.* Thesi 50. taxatis iis, qui *de indulgentia plenissima & summi Romani Pontificis circa eandem potestatem, chartas aut libros implere, vel prædicantibus scribentibusque adhærere, eorum scripta favorisare, in vulgus spargere & per orbem invulgare, seu de eis ipsis in angulis, vel ad partem coram hominibus, impudenter & per contemtum loqui velint,* hæ subjunguntur minæ, *timeant sibi, ne in præfatas propositiones incidant, & per has atque alias damnationis periculo gravique temporali confusioni se exponant. Bestia enim, quæ montem tetigerit, lapidabitur.* Tale prætor hic, qui se *sacræ Theologiæ Baccalaureum & hæreticæ pravitatis inquisitorem* in titulo thesium venditabat, edictum proposuerat, quo multo magis quam argumentorum efficacia conatus Lutheri aut fautorum ejus retundi posse confidebat: sed qui habitat in cœlis, irridebat eos. Alias quoque ex disputationibus illis theses adscribere haud pœnitet, & ex priori quidem, quæ theses habet *centum & sex*, istas:

11. *Hanc pœnam, ob peccata contrita & confessa impositam, potest Papa per indulgentias penitus relaxare.*
12. *Sive hæc sit ab eo, vel sacerdotis arbitrio, vel canone imposita, vel etiam justitia divina exigenda, cui contradicere est errare.*
13. *Sed licet per indulgentias omnis pœna in dispositis remittatur, quæ est pro peccatis debita, ut eorum est vindicativa.*
14. *Errat tamen, qui ob id tolli putet pœnam, quæ est medicativa & præservativa, cum contra hanc Jubilæus non ordinetur.*
53. *Papa etsi in purgatorium nullam habeat clavis potestatem, habet tamen Jubilæum illis adplicandi, per modum suffragii, autoritatem.*
66. *Quemlibet Christianum vere compunctum, habere celeriter & totaliter plenariam a pœna & culpa, sine indulgentiis, remissionem, error.*
73. *Opera charitatis plus valent in merendo, sed venia plenariæ magis in celeriter satisfaciendo, & totaliter relaxando. Qui hoc nescit, vel non credit, & unum populos docet, & aliud tacet, errat.*
76. *Dans pauperi & mutuans egenti melius facit, quoad meriti augmentationem, sed redimens venias melius, quoad celeriorem satisfactionem.*
78. *Eleemosynæ spirituales sunt corporalibus præstabiliores, & sibi ipsi factæ ordinatiores; unde si quis indigeat veniis, nec posset pauperem extra articulum necessitatis juvare, melius longe facit redimendo, quam pauperi (ut prædictum) succurrendo; contrarium docens errat.*
80. *Quamvis veniarum redemtio non sit præcepta, est tamen egentibus de optimo consilio.*
91. *Thesaurum Christi non esse merita Christi & sanctorum, error.*
92. *Hæc operari venialem, hoc est, a Deo copiosam, celerem, totalemque satisfactionem extra Papæ applicationem, error.*
97. *Indulgentias, quas concionatores vociferantur, maximas esse, vere tales, quoad quæstum promovendum, error.*

98. Imo

A. 1517.

98. Imo thesauros indulgentiarum retia esse, quibus nunc piscantur divitias virorum, impiissimus error.

99. Cumque peccatum in Matrem Christi commissum (quantumvis enorme) minus sit, quam si illud ipsum in Filium committatur, quod est Christi expresso testimonio remissibile.

100. Quisquis ergo tale, in vere contritis, indulgentiis solvi non posse dicit, contra Evangelii textum & ipsummet Christum insanit, furit & errat.

Ex posterioribus quinquaginta thesibus has decerpere lubet:

1. Docendi sunt Christiani, ex quo in Ecclesia potestas Papae est suprema, & a solo Deo instituta, quod a nullo puro homine, nec a toto simul mundo potest restringi aut ampliari, sed a solo Deo.

2. Docendi sunt Christiani, quod Papae, in eos omnes immediatam jurisdictionem habenti, in his, quae ad religionem Christianam & ad cathedram pertinent, si consona fuerint juri divino & naturali, simpliciter obedire tenentur.

3. Docendi sunt Christiani, quod Papa jurisdictionis autoritate, superior sit tota universali Ecclesia & Concilio, quodque statutis suis humiliter sit obediendum.

4. Docendi sunt Christiani, quod Papa ea, quae fidei sunt, solus habet determinare, quodque Sacrae Scripturae sensus ipse autoritative, & nullus alius pro suo sensu interpretatur, & quod aliorum omnia dicta vel opera debet, vel approbare aut reprobare.

6. Docendi sunt Christiani, quod etsi Papa in fide erraret circa ea, quae fidei sunt, malam tenendo opinionem, non tamen ipsum errare contingit de his, quae sunt fidei, in judicio de eis sententiando.

16. Docendi sunt Christiani, quod Ecclesia multas tenet veritates catholicas, quae in canone sacrae Scripturae veteris & novi Testamenti in propria verborum forma minime continentur.

17. Docendi sunt Christiani, quod Ecclesia multa tenet, ut catholicas veritates, quae tamen sicut nec in canone Bibliae, ita nec a doctoribus antiquioribus ponuntur.

18. Docendi sunt Christiani, quod observantia omnes in materia fidei, Apostolicae sedis judicio definita, sunt inter catholicas veritates computandae, licet in canone Scripturae sacrae non reperiantur contineri.

19. Docendi sunt Christiani, quod ea, quae te tenenda fide & haereticorum confutatione Doctores ab Ecclesia approbati assertive tradiderunt, licet in canone Scripturae sacrae expresse non contineantur, sunt tamen hujusmodi eorum scripta inter Catholicas veritates computanda.

ADDITIO II.

(a) *Lutheri de Alberto Moguntino & Friderici Sax. El. de eo judicio relatio.*

Henricus Brunsuicensis qui *junior* cognominatur, magnus ille Lutheri & Saxonicorum Principum hostis, inter alia criminatus erat publico scripto Fridericum, quod odio Moguntini, cui Archiepiscopatum Magdeburgensem inviderit, Lutherum foverit, & tumultum illum excitaverit. Id per calumniam spargi dicit Lutherus, in *apologia contra Henricum* anno 1541. edita *Tom. VII. Alt. f. 461. Bonum laudabilemque Principem*, ait, *excusare teneor, comperi enim ipsum potius operam impendisse, ut Albertus fieret Archiepiscopus Magdeburgensis; neque enim tunc erat ex Saxoniae Ducibus, cui Fridericus eam dignitatem procurare potuisset. Quicquid sit, scio, & Lochaviae (nunquam enim alias eum vidi, nisi Wormatiae in comitiis) ex eo intellexi, quod Albertum impense laudaverit, & de eo magnam spem conceperit fore, ut utilis in Imperio Romano-Germanico Princeps esset futurus. Cum enim Servesta rediisset, ubi una cum Alberto pacem tractaverat in bello* (Hildesiensi) *anno 1519. ut Imperii Vicarius post mortem Maximiliani, ita ei placuit Albertus, & tantum ipsi tribuit Elector, ut diceret:* Laſt mir den Mann mauſen/ er wirds thun. (proverbiali dicterio innuens, annis maturiorem res egregias gesturum esse.) *Sed non multo post, cum eum intimius noscere coepisset, ad suos dixit, nunquam se tota vita in spe sua de aliquo turpius deceptum fuisse, quam ab Alberto; poenitebat ergo eum laudis, qua eum extulerat.* Addit Lutherus: *nunquam sibi ab Electoribus Saxonicis tam benigne responsum fuisse, quam ab Alberto, ita ut pro angelo eum habuisset.* Hypocrisin ergo ejus summe culpat, qui tam placide egerit, & tamen Lutheranos omnibus modis odisset & afflixisset. Notandi hic sunt *Antonii Varillasii* crassi errores, quos in relatione & judicio de Friderico Saxoniae Electore committit *Lib. III. de haeres. p. 230. & seqq.* Praetereo quod abdomen Joh. Friderici, fratre ejus geniti, Friderico tribuat, qui formosus & agilis erat, si quis alius; calumniam etiam qua hypocrisin ei in religione imputat, alibi refutavi. Quid autem ineptius & falsius dici potest, quam *Archiepiscopatum Magdeburgensem plus quam dimidiam partem Electoratus Saxonici, latissimi licet & fertilissimi*, ut ait, *occupare?* Archiepiscopatus enim anno 940 fundatus fuit, ex Ottonis I Imp. patrimonio; illa vero provincia Saxoniae, quae Electoratus dignitatem habet, & inter latissimas aut fertilissimas referri nequaquam potest (separatim scilicet a Misnia, Thuringia & aliis considerata) ad Marchiones Misniae post quinque secula, anno nempe 1423. pervenit, cum Archiepiscopali ditione minime commixta, neque Electoribus in hanc, praeter Burggraviatus, quem vocant, jura, quidquam juris. Quapropter non ex Germanorum Principum more, sed aliunde sumto exemplo fingit & criminatur, *Fridericum nisi religione impeditus fuisset, hunc Archiepiscopatum & sex suffraganeos Episcopatus sua destinasse ambitioni aut rapinae.* Non magis verum est, quod narrat *Magdeburgum, urbem totius Germaniae maximam, opulentissimam & populosissimam fuisse*, multoque minus quod *sola plus valuerit, quam totus Electoratus*; aut quod *sua potentia omnium Principum Germanorum consilia turbare potuisset, idcoque illius possidendae cupidine Electorem flagrasse.* Nihil horum in mentem venire potuit vel stupido, nedum tantae, quantam ipse scriptor ei tribuit, sapientiae Principi; addo & aequissimo suisque rebus summe contento. Unde autem probabit autor, *Fridericum omnium Canonicorum suffragia, vacante anno 1513 Archiepiscopatu, sollicitasse; sed obstitisse ei Austriacos aemulatione erga Saxones, & Sedem Romanam potentia Principum Germanorum accessiones Praesulatuum invidisse, & ita extrema cum Friderici offensa Albertum Brandenburgicum electum fuisse?* Haec omnia nisi authenticis documentis demonstrentur, vel incaute ex calumniatorum libris exsculpta, vel ab autore conficta esse apparet, ut reformationis causas ex aemulatione profana deducat. Nulla erat inter Austriacos & Fridericum aut ejus agnatos aemulatio, magna potius tunc animorum consensio. Quod si Pontificiae dominationis magistri, ut Varillasius putat, impedire incrementa familiarum supremarum in Germania volebant, cur Albertum Saxonem, Friderici fratrem, Moguntino Archiepiscopatu; cur Brandenburgicum hunc Albertum eodem non prohibuerunt; & cur paulo post, conferri exemplo inaudito, etiam Magdeburgensem huic conferri siverunt? Scriptores denique optimi ex nostratibus, tum archiva chartaeque publicae & privatae, de his simultatibus & artibus tacent: & ex Luthero audivimus, laetatum esse Fridericum de electione Alberti Brandenburgici. Verissima etiam est ratio a Luthero allata, quod nulli tunc ex Saxoniae principibus fuerint, qui ambire praesulatum Magdeburgensem potuerint; non Elector Fridericus; non frater ejus Johannes, cui uxor & filius erat, Electoratus successioni proximus; non patrueles eorum Georgius & Henricus, maritus uterque, hic tunc absque liberis, Georgii vero primogenitus puer undecennis in spem opulenti principatus educabatur, alter novem annorum mentis infirmae erat. Et hi sunt omnes qui illo tempore vivebant. Denique tam properanter ad electionem Alberti processerunt Canonici, ut teste *Fabricio*, Ernesti defuncti mortem per aliquot dies celaverint, cadavere etiam fenestris admoto, donec rata fieret Alberti successio; ita ut nulli negotiationi locus fuerit. Sed fabulis aut calumniis chartas implent scriptores isti aulici, & pessimo exemplo apud exteros diffamant magnos optimosque seculi sui Principes; magnamque insuper rerum, locorum, temporum & hominum, de quibus tractant, imperitiam produnt. Obiter notandum, quod ex Lutheri relatione hac constet, quam caute cum eo versatus sit Fridericus Saxoniae Elector, quod & ex Spalatino alicubi probavi; ita nimirum ut familiarem accessum ei nunquam dederit. Retulit hoc Lutherus publice vivo Friderico, sed paulo ante ejus mortem in libello *contra coelestes* quos vocat *Prophetas* mense Jan. 1525. ubi ad calumniam Carolstadii, qui se a

A. 1517.

(b) *Varillasii figmenta refelluntur de Archiepiscopatu & urbe Magdeburgensi.*

(c) *De Friderici Sax. invidia erga Albertum Brandenb.*

(d) *Fridericus Elector cum Luthero non est locutus.*

A. 1517. 1518.

Luthero apud Electorem Fridericum accusatum esse querebatur, ita respondet: *Se nunquam verbum tota vita sua cum Electore isto locutum esse, imo semel tantum faciem ejus vidisse, in Comitiis VVormatiensibus, cum secunda vice coram Cæsare & Statibus audiretur.* Sed oblitus tunc fuit ejus, cujus in allegata Apologia anno 1541 meminit, conspectus, qui Lochaviæ anno 1519 accidit.

A. 1517. 1518.

SECT. 13.

(1) Adversarii Lutheri, Eccius & Prierias.

Nam Ingolstadii celebris Doctor & Professor eruditissimus Theologiæ, Eccius, *& Romæ* Sylvester Prierias, *Dominicanus, sacri Palatii Magister, adversus theses Lutheri calamum strinxerunt, quibus hic ab initio, contra genium suum, satis placide respondit. Scripsit etiam tractatum prolixum, in quo probationes & autoritates sacrarum literarum & Patrum continebantur, quibus ad firmandas theses suas utebatur, misitque ad Hieronymum, Episcopum Brandenburgensem, Diœcesanum suum, & ad Pontificem Leonem; additis literis admodum submissis, protestans, quod judicium sanctitatis suæ in hac doctrina suscepturus esset, ut ipsius Christi per os ejus loquentis. Sive autem Lutherus revera tunc ita animatus erat, ut sæpe asseveravit, obtendens, quod tunc nondum a veteribus erroribus liberatus fuisset; sive aliud in pectore reconditum habebat, quam ore profitebatur; quanquam genio ejus non satis convenit, ut hypocritam diu simularet; hæc tamen ejus methodus multorum benevolentiam & approbationem ei conciliavit, credentium, bona fide ab eo agi, nec aliud quam veritatem quæri, unde ab adversariis, quorum fraudes & abusus detexerat, injuste pro hæretico haberi putabant.*

(2) Luthero multi favent.

Ann. 1518. Luth. Tom. I. Epist. Luth. ad Leonem die S. Trin. Luth. præf. 1. tom. Ad præf. Latom. tom. 2. Cochlæi Act. Luth.

§. XIII.

Supplenda hic sunt non pauca, scriptori historiæ hujus non prætereunda, quæ per compendium tradit *Joh. Sleidanus Lib. I.* fusius vero suppeditant acta & scripta ipsius Lutheri *Tom. I.* Legi igitur & considerari merentur theses, sub finem anni 1517 præside Luthero a *M. Francisco Günthero* Northusano propositæ *pro Biblia*, ut habetur in titulo thesium, *Tom. I. Jen. Lat. fol. 9. & seq.* quas etiam animadvertit *Pallavicinus lib. I. c. 8.* In his adversus Scholasticos, ducta ex sacris literis argumentatione, plurima ventilari cœperunt, quæ postea accuratius expensa reformandis dogmatibus amplissimam materiam præbuerunt. v. g. *Falsitas est, quod voluntas possit se conformare dictamini rectæ rationis. Actus amicitiæ (erga Deum) non est naturæ, sed gratiæ prævenientis. Diligere Deum super omnia naturaliter, est terminus fictus, sicut chimæra. Optima & infallibilis ad gratiam præparatio & unica dispositio est, æterna Dei electio & prædestinatio: ex parte autem hominis nihil nisi indispositio, immo rebellio gratiæ gratiam præcedit. Nulla est virtus moralis sine vel superbia vel tristitia, id est, peccato. Gratia Dei nunquam coëxistit ut otiosa, sed est vivus, mobilis & operosus spiritus. Extra gratiam Dei adeo impossibile est, non irasci, non concupiscere, ut nec in gratia satis id fieri possit ad legis perfectionem. Non efficimur justi operando, sed facti justi operamur justa.* Cum vero Lutherus nihil moraretur, ut jam supra retulimus, magna, quæ tunc personabant, Scholasticorum nomina, sed Scoto, Gabrieli, aliisque manifeste contradiceret; quid mirum, si Aristoteli & Philosophis non plus detulit? Immo jam tum sequentes proposuit querelas & censuras. *Tota fere Ethica Aristotelis pessima est gratiæ inimica. Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinæ Catholicæ, error est. Error est dicere, sine Aristotele non fit Theologus, imo Theologus non fit, nisi fine Aristotele. Nulla forma syllogistica tenet in terminis divinis, non tamen inde sequitur, veritatem articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis. Totus Aristoteles ad Theologiam est sicut tenebræ ad lucem. Bonum erat Ecclesiæ, si Theologis non notus fuisset Porphyrius cum suis universalibus. Usitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principia.* Nec minoris ponderis vigorisque sunt paradoxa Theologica, quæ Lutherus *Tom. I. f. 27.* mense Majo anno 1518 Heidelbergæ publice disputanda sumsit, Respondente ejusdem ordinis monacho *M. Leonhardo Beyero.* Erat ibi conventus Augustinianorum generalis, ad quem pedestri itinere, contritionis, ut scribit, causa, profectus est Lutherus, & egregia Electoris Saxoniæ commendatione ad Principem Palatinum instructus. In itinere Episcopum Würtzburgensem salutavit & humaniter habitus est. Excerpsit ex thesibus illis quædam, sed invidiose, & insectatus est *Pallavicinus Lib. I. c. 7. & 8.* inter quæ est vexatissima, in disputatione ista septima: *opera justorum sunt mortalia (sive peccata) nisi pro Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia timerentur. Liberum arbitrium post peccatum potest in bonum potentia subjectiva, in malum vero activa semper:* quæ quomodo in probationibus thesium jam tum explicaverit & defenderit Lutherus, ex *d. Tom. I. fol. 28. & seqq.* tacere immitis censor non debuisset, multo minus Lutherum testem allegare, quod enormes & ridiculæ visæ fuerint theses Heidelbergenses: non enim suum, sed unius ex Doctoribus junioribus dictum derisum refert. Verba ejus hæc sunt: *Domini Doctores disputationem meam libenter admiserunt, & ea modestia mecum disceptarunt, ut eo nomine mihi sint commendatissimi. Quanquam enim peregrina illis videbatur Theologia; nihilominus tamen & argute & pulchre adversus eam velitabantur, excepto uno, qui erat quintus & junior Doctor, qui risum toti movebat auditorio, quando dicebat: si rustici hæc audirent, certe lapidibus nos obruerent & interficerent.* Meretur adscribi relatio *Buceri* ad *Beatum Rhenatum* relata ex autographo epistolæ ejus a *Sculteto Annal. Evang. Dec. I. p. 22.* his verbis: *Lutherus in suorum Fratrum apud nos celebrata Synodo literariæ pugnæ solenni more præfectus, ea disputavit paradoxa, quæ non modo opinionem omnium superarent, sed etiam pleraque visa sunt hæretica. Mira ejus in respondendo svavitas, in audiendo incomparabilis longanimitas, in dissolvendo Pauli agnovisses acumen, non Scoti, adeo brevibus, eque divinæ Scripturæ penu depromtis responsis in sui admirationem facile cunctos adduxit. Cum Erasmo illi conveniunt omnia, uno hoc hic præstat, quod, quæ ille tantum insinuat, hic aperte docet.* Quæ profecto genuina & verissima descriptio est, in quo diversitas utriusque ingenii constiterit. Addidit tunc Lutherus *corollaria* adversus Aristotelem, cui aliqua Platonis, Parmenidis,

(1) *Theses Lutheri; respondente Francisco Günthero.*

(2) *Speciatim contra Aristotelem.*

(3) *Ejusdem theses Heidelbergenses.*

(4) *Relatio Buceri de thesibus illis.*

A. 1518.

menidis, Pythagoræ & Anaxagoræ dicta & opiniones præfert, ob hanc libertatem quoque Pallavicino vapulans.

ADDITIO I.

(a) Digressio de autoris fratre defuncto.

Est apud me Henrici Altingii clarissimi inter Reformatos Theologi Narratio historica de Ecclesiis Palatinis anno 1618. Grœningæ eleganti stylo composita. Describi eam fecit Heidelbergæ ante annos plus minus viginti frater meus Henricus Gottlob a Seckendorff, cum Serenissimo Carolo Ludovico Electori Palatino a consiliis esset, inde in Franconia patria & arce nostra Zenniana communi, privatim vivens, a Ducibus Saxoniæ Consiliarii dignitate ornatus, & ad Hennebergici Principatus militaria & circularia, quæ vocant, negotia adhibitus, præfecturam etiam Regiomontanam ab Ernesto Saxoniæ Duce p.m. gubernandam obtinuit; sed anno 1675 in legatione ad Sereniss. Electorem Brandeburgicum, qui tunc in Franconia cum exercitu hybernabat, lue castrensi infectus, florente ætate (nam annum XXXVIII nondum impleverat) ereptus nobis est, longiori vita, si eruditio & rerum agendarum peritia morumque honestas spectetur, dignissimus. Ignoscant mihi lectores, quod teneri amoris affectu, quo hunc non ut fratrem saltem, sed & ut filium, post communium parentum fata a me educatum, prosecutus fui, & quem ad relictos ab eo meæ curæ filios duos transtuli, digressiunculam hanc insero, memoriam viri dum viveret, haud incelebris, in libro hoc meo (si fas est ætatem aliquam ejus sperare) utcunque conservaturus.

(b) Relatio de disputatione Heidelberg.

Ad Altingii librum redeo, & ex illo, quia comperire hucusque non potui, an typis fuerit publicatus, de Lutheri disputatione Heidelbergensi sequentia adscribenda esse duxi, quibus ille post præloquium historiam suam exorsus est. Initium Reformationis non aliunde rectius deducemus, quam a primo Evangelii renati præcone Martino Luthero: qui pridie Calend. Novembr. anno 1517 themata XCV contra indulgentias Papales publice proposuit VVittenbergæ, & ut eorum adsertione ac defensione implacabile bellum indixit sedi & Ecclesiæ Romanæ, ita reformationi per Germaniam causam dedit. Is anno sequenti Heidelbergam, licet alio fine, venit, isthic quoque initium pii operis facturus. Erat Lutherus Monachus Augustinianus, ordini illi initiatus, & in eo celebris, cujus cucullum nondum deposuerat. Cum igitur conventus Augustinianorum indiceretur Heidelbergæ anno 1518 negotii alicujus causa, quod eum Ordinem spectabat, etsi dissuaderent profectionem amici ob pericula, quæ in itinere facile ipsi possent obtingere, ipse tamen perstitit in proposito, obedientiæ Ordini debitæ satisfacturus, atque eo se contulit. Delatus fuit Heidelbergam mense Aprili anni ejusdem, & honorifice exceptus a VVolffgango Principe, Electoris Palatini fratre, discipulo Johannis Oecolampadii, a quo cum aliis fratribus minoribus bonis literis & pietate imbutus fuerat, hospitium autem ei assignatum in claustro Augustinianorum, quod postea Sapientiæ Collegium appellatum est. Dum isthic moratur, & quæ Ordinis erant, tractat, ipse actus zelo propagandæ veritatis conscripsit & proposuit conclusiones (paradoxa vocat ipse) mixti generis quadraginta; ex Theologia XXVIII, & XII ex Philosophia: quibus taxavit Romanæ Ecclesiæ errores receptos, de libero arbitrio post peccatum, de gratia, fide, justificatione, operibus bonis, inprimis autem de justificatione per fidem absque operibus doctrinam Pauli & Augustini repræsentare ac demonstratam dare voluit. Respondentem sibi delegit Leonhardum Bejerum ejusdem ordinis monachum, & themata pro more affixa publice die 26. Aprilis in disceptationem vocavit; sed apud Augustinianos, & in acroaterio illorum, non in Academia, quod Professores Theologi non satis probarent disputationem, & tamen in Augustinianos nullam omnino Academia jurisdictionem haberet. Quandoquidem autem hoc est principium eorum, quæ deinde successerunt, operæ pretium erit illa paradoxa recensere, prout tunc proposita, & in Tomis Lutheri relata fuerunt. (Theses, quas inseruit, prætermittere visum est, cum in Tomis allegato loco habeantur.) Hæc igitur themata seu paradoxa, tum proposita fuerunt. Factus autem est magnus ad disputationem concursus, non tantum studiosorum, sed etiam civium & aulicorum, atque omnium Theologorum Heidelbergæ tum docentium: ac disputarunt non solum monachi eruditi, verum etiam Professores Theologi, qui illo tempore erant, Marcus Ries, Laurentius VVolfius, Johannes Hofferus, Petrus Scheibenhardt, Georgius Niger. Disputatum acute & graviter, nec minus modeste, ipsomet Luthero teste in Epistola ad Spalatinum: nisi quod quintus & junior Theologiæ Doctor lineas has transibat, qui in fervore disputationis risum movit toti auditorio, cum jactitaret: si rustici hæc audirent, certe lapidibus nos obruerent & interficerent. Ex auditoribus etiam aderant Martinus Bucerus, Johannes Brentius, Erhardus Snepfius, Theobaldus Billicanus, & alii magni post nominis Theologi, qui mirati acumen, promtitudinem & mansuetudinem Lutheri, a disputatione privatim eum adierunt, & de nonnullis, quæ non satis assecuti erant, plenius erudiri voluerunt.

(c) Quædam de Bucero & aliis purioris religionis doctoribus.

Præ cæteris Martinus Bucerus, qui jam discentium ordine exemtus, commendatione Francisci a Sickingen, Friderico Palatino Heidelbergæ a sacris erat, id sibi faciendum esse putavit, & cum, qua valebat scribendi celeritate, pleraque Lutheri notasset, operosius cum ipso egit, & multa ex ipso est sciscitatus, de quibus respondit aperte, ac plene satisfecit: quæ responsa quoque Bucerus in sua adversaria retulit. Quo nomine literis ad Spalatinum commendatus fuit a Luthero, ipse autem omnia perscripsit ad popularem suum, virum doctissimum, Beatum Rhenanum Selestadiensem; cujus epistolæ autographum penes me est, narrans & ordinem disputationis, & sententias novas Scholis inauditas, sed ex verbo Dei depromtas; id elogii tribuens Luthero, quod non modo pleraque haberet cum Erasmo communia, sed etiam quæ Erasmus tectius indicaret, ea ipse explicatius proponeret. Laudavit simul diligentiam Lutheri & sedulitatem ipsius. [Epistolam hanc Buceri datam d. 23. Jan. sive X. Kal. Febr. 1520. integram mecum communicavit V. C. Theophilus Spizelius alibi laudatus, eaque, nisi in Buceri operibus reperiatur, editione dignissima est.] Sed ipse Lutherus easdem conclusiones peculiari scripto confirmavit & obscura illustravit, & a cavillis adversariorum vindicavit, quod extat Tomo primo operum Lutheri Latinorum. Aliis etiam scriptis, quæ paulatim successerunt, eadem illa dogmata plenius explicavit ac deduxit. Atque hæc est prima sementis Evangelii, quam Heidelbergæ & in Palatinatu ministerio Lutheri Deus fieri voluit: hæc prima, licet tenuia, Reformationis fundamenta, a quibus cætera processerunt. Etenim a discessu Lutheri illa ipsa doctrina ab ejus discipulis primum privatim, mox etiam publice in Academia tradi cœpit. Privatim eam collegialibus lectionibus, disputationibus ac concionibus auditoribus suis instillabant cum alii, tum inprimis M. Johannes Brentius & Theobaldus Billicanus. Nam Bucerus secutus fuerat Herum suum Fridericum Palatinum in Belgium, & paulo post, pertæsus vitæ aulicæ, in Germaniam ad Franciscum a Sickingen, magnum Evangelii patronum, sese receperat. Hæc Altingius.

ADDITIO II.

(a) De Laurentio a Bibra Episc. VVürzburg.

Episcopus VVürzburgensis erat Laurentius a Bibra, ex familia equestri Franconica splendidissima & vetustissima, non uno adfinitatis nexu mihi juncta. Obiit anno sequenti 1519, magno sui desiderio ob insignem virtutem & pietatem relicto. Optime animatus fuit ad emendandos Ecclesiæ errores, & propterea Lutheri conatibus favebat.

(b) Spalatini de eo relatio.

Testis est Spalatinus in vita Friderici MS. ubi non solum arctam Electoris amicitiam cum Laurentio plus una vice celebrat, sed & hæc refert: Anno 1519. mense Februario Laurentius a Bibra, Episcopus VVürzburgensis, decessit, vir honestissimus, probus & sapiens, is paulo ante Electori propria manu scripserat: Euer Liebe wolle ja den frommen Mann/ Doctor Martinus/ nicht wegziehen lassen/ denn ihm geschehe unrecht. Id est, Ne permittas, quæso, ut pius vir D. Martinus Lutherus abeat ex ditione tua; fieret enim id cum ejus injuria. Hæc verba Electori adeo placuerunt, ut sua manu Lochaviæ descripta ea mihi miserit, & paucis ante obitum suum septimanis me de iis per Joach. Saccum (nobilem Silesium, tum inter ephebos Electoris) admoneri fecerit. Tanta sapientia & virtute fuit hic Laurentius, ut uno eodemque anno Consiliarius fieret Archiepiscopi Coloniensis, Electoris Palatini, ipsius etiam Cæsaris Maximiliani, & simul Episcopus VVürzburgensis. Si diutius vixisset, multi putant, qui eum probe cognoverunt, futurum fuisse, ut Evangelicam doctrinam susciperet, valde enim displicebat ei

A. 1518.

res Romana, ita ut Jubilæum & nundinationes indulgentiarum ægre & semper parcius admitteret. Narrarunt mihi nobiles Franci, si quis ex Vasallis eum rogasset, ut in oppignorationem prædii clientelaris consentiret, repulsam tulisse, si audisset, pecuniam ad filias monasteriis includendas destinari & dixisse: Da filiæ tuæ maritum, noli eam in monasterium trudere: si pecunia ad dotandam eam eges, mutuam egomet tibi dabo: Sic vitæ monasticæ vehementer infensus erat. Hæc Spalatinus.

§. XIV.

(1) *Lutherus per gradus profecit, non subita inspiratione.*

Sed eo jam tum animo erat Lutherus, ut autoritate Scholasticorum, qui Aristotelis doctrinam divinæ vel æquiparabant vel præferebant, parum moveretur. Hærebat quidem ad nomen *Ecclesiæ*, nec in dubium vocaturus videbatur, quæ illa definiisset: sed cum certus de ejus definitionibus non esset, etiam dum theses componeret; quærentis autem & discere cupientis potius quam asserentis personam gerebat, donec introspecta in dies magis magisque argumentorum Scholasticorum debilitate, postmodum etiam, deprehenso abusu potestatis ecclesiasticæ, fundamenta veritatis unice in sacris literis posuit. Sapuit igitur non per subitas inspirationes aut enthusiasmum (quem nec ipse jactavit, nec eo prætextu fidem apud alios invenit) sed ex profectu, & secundum mensuram imperitæ sibi ad Scripturæ lumen agnoscendum a Deo gratiæ. Audiamus ipsum post annos viginti octo, & paulo ante mortem, ætate jam gravem, *& temperato, si quis nimius fuisset, ardore, in *præfatione operum* publice profitentem: *Hæc ideo narro* (de commentariis suis in sacras literas) *optime lector, ut si lecturus es opuscula mea, memento, me unum fuisse ex illis, qui (ut Augustinus de se scribit) scribendo & docendo profecerim, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi.* Nihil ergo ex his initiis & progressibus concludi adversus Lutherum potest, quod dogmatum, quibus tandem post disputationes acquievit, certitudinem infirmet. Neque alius modus inquirendi & detegendi orthodoxiam post Evangelii prædicationem Ecclesiæ necessarius fuit. Liceat mihi nascentis illius primordia huc applicare. Quis enim majori cum evidentia & fide inspirationem & Pythagoricum illud αὐτὸς ἔφα ostentare potuisset, quam Apostoli, quibus visibili & miraculoso prorsus modo lumen illud spiritus affulserat? Sed quid aliud illi pro fundamento proponunt, quam sacram Scripturam? ideo nomine omnium & ante omnia D. Petrus profitetur *Actor. II. 16. 25. 29. hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel*, & paulo post; *audenter* (ut ipse loquitur) Davidis testimonio resurrectionem Christi demonstravit. In altero porro sermone post primum miraculum in sanando claudo editum, *ad os omnium Prophetarum, & ad ipsum Mosen* provocat, *Act. III. 18. 22.* posthabitis simul, & rejectis Synagogæ, Christum damnantis & occidentis, præjudiciis *d. c. v. 14. 17.* Sed ut propius ad fundamenta ista accesserit Lutherus, jam ex primis cum Eccio & Prieriate velitationibus, & ex prima thesium suarum defensione sive *resolutionibus* apparuit; de quibus, quia justo brevior hic est Maimburgius, aliqua commemorare, non abs re erit.

(2) *Scriptura certissimum veritatis principium.*

§. XV.

(1) *De obeliscis Eccii & eorum refutatione.*

Et Eccium quidem quod attinet, amicum Luthero & æstimatum fuisse, ex epistola conjici potest, qua *asteriscos* suos Eccii *obeliscis* oppositos, & d. 10. Aug. anno 1518 editos Norimbergensium Augustinianorum Ecclesiastæ & vere (ut scribit) Theologo, *Wenceslao Linccio* commendat: dolet enim, *quod Eccius se, ut amicum non præmonitum, insidiosissimus & iniquissimus tanto felle amaricaverit.* Eccius tamen postea exasperato jam disputatione Lipsiensi dissidio, ad Electorem Saxoniæ scribens, negat *obeliscos* hos, quos Episcopi Aichstetensis jussu (erat enim ejus Ecclesiæ cathedralis canonicus) composuerit, a se vulgatos fuisse, & nescire, quomodo ad Lutherum pervenerint. Quicquid sit, Lutherus sive alia de causa, sive quod amicorum injuriæ plerumque acrius offendunt, non nimis placide respondit, Eccio arrogantiam & inscitiam non semel, nec sine multo sale, objiciens. Omnem vero disputationis Eccianæ vim prima statim responsi sui periodo Lutherus enervat, principiorum diversitatem demonstrans. Ait enim: *per totum illud obeliscorum chaos nihil sacrarum literarum, nihil Ecclesiasticorum Patrum, nihil Canonum, sed omnia Scholasticissima, opiniosissima, meraque somnia comminiscitur.* Morem etiam Scholasticorum, quando Scripturam interpretantur, & argumenta inde sumunt, allusione ad Scholæ vocabulum, ut *lusorium & derisorium* taxat. At Augustinum magnificat, scribit enim: *Si Eccius vel unicum illum de spiritu & litera libellum legisset, se fortiter sibi persvadere, quod omnes obeliscos, immo totum studium suum Scholasticum damnaturus & deploraturus fuerit.* Ad contumeliam vero, qua Eccius Luthero *Bohemicum virus*, id est, hæresin impingit, ita respondet: *Se quidem Christi causa injurias patienter ferre, vivere tamen in insigni Academia, in approbata religione,* (ordinem Augustinianum intelligit) *in illustrissimo Ducatu Saxoniæ, in amplissimo Episcopatu, & his omnibus Catholicis; neque quicquam asserere, sed disputare, ac ut Catholicus sit, quærere, hæreticum enim non fieri, nisi pertinacia erroris in fide. Si disputare sit hæreticum, jam Eccium omnium, quos vidit Ecclesia, hæreticissimum fore, qui in quatuor illustrissimis Academiis, venenis, id est, disputationibus, omnium intoxicaverit.* De Pontifice in *asteriscis* hisce suis honorifice satis loquitur, non immemor tamen libertatis; ideo adulatoribus tribuit, quod abusus circa indulgentias extiterint. *Confidit, si maxime* (quod non sperat) *obtemperare adulatoribus vellent Pontifices, non ausuros tamen Biblia & Doctores ecclesiasticos contemnere; præsidio enim Ecclesiæ relictam esse per Dei admirabilem sapientiam, multitudinem virorum eruditorum & ingeniorum, Christo favente, prospere agentium, tum potentiam Regum & Principum illis impense faventium, & proceres in curia seriam pietatem foventes.* In qua fiducia sane non omnino falsus est, ut eventus in tot regnis & provinciis non longe post docuit. Ad modestiam etiam, quam Maimburgius in responsionibus hisce deprehendit, pertinet, quod *se paratum esse* ostendit, *Eccii, dum Ecclesiastice sive orthodoxe scriberet, pedes, immo vestigia osculari:* culpam denique scandali, per theses suas dati, ita amovet, ut scribat, *se cavendi illius causa lingva Latina eas edidisse, nec latius quam ad vicinos emisisse, solumque doctioribus obtulisse, & amicis eruditioribus.*

(1) *Excerpta ex Lutheri responso.*

ADDITIO.

(2) *Eccii epistola ad Carolostadium.*

Prolixius sese excusavit Eccius epistola *ad Carolostadium* d. 18. Maji hoc anno 1518 data, quæ inter variorum *a D. Joh. Gothofredo Oleario* anno 1671 sub titulo *Scrinii antiquarii* editas habetur; cujus hæc sunt verba *p. 30.* huc facientia: *Accepi, Andrea celeberrime, te tuosque VVittenbergios in Eckium esse commotiores, quod contra Martini Lutheri, communis amici, sententiam, Episcopo meo privatim aliqua conscripsi, arbitratus, doctorum hominum*

A. 1518.

A. 1518.

num judicium nænias illas nunquam subituras. At quomodo elapsæ sint e manibus Episcopi mei, & ad vos delatæ, suspicor quidem, at non certe scio. Jam si hoc futurum scivissem, non extemporarie sine omni librorum opitulatione, & ut ingenium suppetebat, confestim & tumultuarie illas effudissem. Et ut nosti, liberiores sumus omnes in scribendis privatim, quam cum quid edimus in publicum. Ideo miror plurimum, cur tantopere Eckio vestro deditissimo succenseatis. Extat alia epistola Eccii separatim anno 1519 excusa, ad Abbatem Gallum, mense Martio ante disputationem, scripta, in qua memorat, *se theses suas anno 1518 edidisse, antequam Lutheri literas d. 7. Jan. 1519. accepisset, & quandam cum hoc amicitiam per literas contraxisse prius, quam eum vidisset ex commendatione Christophori Scheurlii, Patricii Norimbergensis.* Invidiam itaque, ac si thesin de potestate Pontificis saltem Lutheri irritandi & tentandi causa concepisset, a se amoliri conatur.

(b) *Item ad Abbatem quendam.*

§. XVI.

(1) *Dialogus Sylvestri Prieriatis.*

Pergo ad *Sylvestrum Prieriatem*, sive *de Prierio*, Monachum Dominicanum, ex quo ordine Magistri palatii (qualis ipse erat) sive Inquisitores Pontificii, librorum nempe & dogmatum censores, sumi solent. Ejus *dialogus* & *responsio Lutheri* reperitur, *Tom. I. Wittenb. fol. 159. & seqq.* Sylvester in epistola dedicatoria contemtim de Luthero locutus erat. *Martinus*, scribit, *nescio quis Luther, in veritatem ipsam & sanctam hanc sedem cervicem elatam ostentat* &c. *Animosum deinde se* profitetur, *qui Satanam ipsum in futuro certamine non extimescat, & avide experiri cupiat, an ferreum nasum, an caput æneum gerat iste Martinus.* At ne sine gravis armaturæ tegmine procederet, disputationi suæ fundamenta præstruxit; quæ, quoniam haud dissimilibus ad hunc usque diem adversus nos utitur Roma, huc transcibere non piget: *Fundamentum primum: Ecclesia universalis, essentialiter, est convocatio in divinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia vero universalis, virtualiter, est Ecclesia Romana, Ecclesiarum omnium caput & Pontifex maximus. Ecclesia Romana repræsentative, est collegium Cardinalium, virtualiter autem est Pontifex summus, qui est Ecclesiæ caput, aliter tamen quam Christus. Fundamentum secundum: Sicut Ecclesia universalis non potest errare determinando de fide aut moribus; ita & verum Concilium, faciens quod in se est, (ut intelligat veritatem) errare non potest: quod intelligo, incluso capite, tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, quo usque durat modus inquirendæ veritatis, imo etiam aliquando erravit, licet tandem per Spiritum sanctum intellexerit veritatem; & similiter nec Ecclesia Romana, nec Pontifex summus determinans ea ratione fallitur, qua Pontifex, id est, ex officio suo pronuntians, & faciens, quod in se est, ut intelligat veritatem. Fundamentum tertium: Quicunque non innititur doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis, tanquam regulæ fidei infallibili, a qua etiam sacra Scriptura robur trahit & autoritatem, hæreticus est. Fundamentum quartum: Ecclesia Romana, sicut verbo, ita & facto potest circa fidem & mores aliquid decernere. Nec in hoc differentia ulla est, præter id, quod verba sunt accommodatiora quam facta. Unde hac ratione consuetudo vim legis obtinet, quia voluntas Principis factis, permissive aut effective, exprimitur. Et consequenter quemadmodum hæreticus est male sentiens circa Scripturarum veritatem; ita & male sentiens circa doctrinam & facta Ecclesiæ inspectantibus ad fidem, & mores, hæreticus est.* Ex his corollarium, ut vocat, sive fatale illud acroama, consecutione, si præmissæ veritate nituntur, necessaria, conficit & subjungit: *Qui* (addit quidem *circa indulgentias*, sed vis argumenti, si qua est, generalis est) *dicit; Ecclesiam Romanam non posse facere id, quod de facto facit, hæreticus est:* Dein ad Lutherum converso stylo: *Age nunc*, ait, *Martine, & tuas conclusiones in medium adfer.*

(2) *Ejus fundamenta.*

(3) *Acris pronunciatio & provocatio.*

§. XVII.

Jam pauca quædam ex *responsione* Martini, quem bis provocare non fuit necesse, adjicimus. Is adversus galeatum & loricatum, fundam videtur expediisse, ea modestia vel cautela, ut sub initium congressus fundamenta illa declinet, & prætereat. *Omitto*, inquit, *fundamenta tua, quorum intelligentiam magis suspicor quam capio. Et more exemploque tuo mihi quoque fundamenta faciam necesse est. Primum est illud B. Pauli I. Thess. V. omnia probate, quod bonum est, tenete, & Gal. I. si Angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, quam accepistis, anathema sit. Secundum est illud Augustini ad Hieronymum: Ego solis eis libris, qui canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum eorum Scriptorum errasse, firmissime credam: cæteros autem quantalibet doctrina sanctitateque polleant, non ideo verum esse credo, quia illi sic senserunt* &c. Quibus addit: *His fundamentis, si me intelligis, simul intelligis, totum tuum dialogum funditus eversum.* Omnia scilicet Sylvestri argumenta Thomæ Aquinatis doctrina stabant cadebantque: ideo Sylvestrum *in Commentariis Thomæ non tam implicitum quam immersum dicit: totum Thomistam, qui nihil probet.* Sed ne quis putet, quæ Sylvester præstruxerat fundamenta, immota & certa Luthero videri, jam §. 6. apertissime profitetur, *Papam & Concilium errare posse, idque egregie notatum esse a Panormitano in C. significasti.* Negat, & pro nihilo habet distinctionem Ecclesiæ in *essentialem, repræsentativam, virtualem. Tua illa sunt*, inquit, *id est, sine Scriptura & autoritate ulla prolata. Ego Ecclesiam virtualiter non scio, nisi in Concilio. Alioquin, si quicquid fecit Ecclesia virtualis, id est, Papa, factum Ecclesiæ dicitur, obsecro, quanta monstra in Ecclesia pro benefactis numerabimus? Nonne Julii secundi horrendas Christiani sangvinis effusiones? Nonne Bonifacii octavi tyrannides in toto orbe abominabiles, & per omnes Chronicas pulsatas? Ex Papa monstrum facis, tribuis ei utriusque potestatis apicem, scilicet ut sit simul Pontifex & Imperator.* Scripserat enim Sylvester: *Pontificem, qui pecunias accipit a sponte offerentibus, pro hoc communi & quidem celeberrimo bono, juste tanquam summum in mundo gemina potestate Regem, imperare eas & indicere posse. Hac tua mollissima sed nocentissima adulatione* (ait) *id agis, ut futurus aliquis Pontifex, tandem hujus nominis pertæsus, jus sibi credat esse deglubendi totius orbis Christiani, idque cum imperio & potestate.* Hæc, quamvis dura visa sint Sylvestro, placida tamen videntur Maimburgio, nec mirum. Constat enim, eum haud mitiora in Pontifices scripsisse, cumque illo paria facere Gallorum doctissimos. Sed utinam cum majori Ecclesiæ emolumento! Mascula non minus sunt & Gallis cordatioribus etiam hodie, ut puto, placitura, quæ adversus Scholasticos toto suo responso urget Lutherus: *Confirmari se Sylvestri disputatione in sententia, quam diu mente volvisset, quod Theologia scholastica exulem nobis fecerit veram & sinceram Theologiam, nam vides*, ait, *quod perpetuo hoc dialogo*

A. 1518.

(1) *Lutherus contraria fundamenta ponit.*

(2) *Negat Ecclesiam virtualiter per Papam repræsentari.*

(3) *Recedit a Theologia Scholastica.*

A. 1518.

logo nihil ago, nisi quod resisto & redarguo scholasticam Theologiam, id est, falsam Scripturæ & Sacramentorum intelligentiam. Et porro: *nolo ego docere vel doceri in Ecclesia, quod requisitus non possum defendere, nisi dicendo: S. Thomas sic dixit. Christianus sum, non Pythagoricus.* De avaritia vero Romana, quam reprehenderat Lutherus, ingenuitatem Sylvestri acceptam habet: fassus enim hic erat, quod *Romanus clerus a perfectione primæva declinaverit.* Omitto, quæ adversus *attritionis*, quam vocant, *figmentum*, & adversus *meritum congrui*, & *præparationem hominis*, quæ infusionem gratiæ præcedat, tanquam hæreseos Pelagianæ dogmata graviter disputat, aliaque, ad quæ ventilanda casu se perductum esse, asserit. Unum addimus: Sylvester, cum non haberet, quod commode regereret ad *thesin* Lutheri *48.* qua dicitur: *Papam magis egere devota oratione, quam pecunia*; sumtus Pontificios ad instaurationem hospitalium & Ecclesiarum omnibus gratos prædicaverat, addens: *Si tu, Luthere, a Domino nostro*, (id est, Papa) *habuisses bonum Episcopatum, cum plenaria indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, & quibus detrahis, venias extulisses.* His ita respondet Lutherus: *Forte & tu spectas me ex animo tuo, quod conjicio ex eo, quod tam molliter adularis. Si ego ad Episcopatum adspirarem, certe ea non loquerer, quæ tu impatientissime audis. An ignorare me credis, qua via Episcopatus & Sacerdotia in urbe obtineantur, quando hanc pueri in omnibus plateis urbis cantant. DENIQUE NUNC FACTA EST RERUM FOEDISSIMA ROMA* &c. Quæ cantilenæ ex Poëtarum, qui paulo ante vixerant, carminibus desumtæ, indicio sunt, jam ante Lutherum non parum imminutam fuisse, quam ab initio historiæ suæ laudat Maimburgius, existimationem Romani Pontificatus.

(4) Elidit Sylvestri suspicionem de affectatione dignitatis Ecclesiasticæ.

ADDITIO.

Cantilenæ & ludibria in Leonem X Parisiis exercita.

De iis quidem cantilenis, quæ ante Lutheri disputationes & Leonis electionem vulgatæ erant, hic sermo est; at quid electo jam Leone, & abrogata pragmatica sanctione, initisque pactis Bononiensibus, ad quæ Rex a Matre sua & Cancellario *Antonio Pratensi* (qui Cardinalitiam dignitatem isthoc officio promeruit) inductus fuerat, Parisiis factum sit, ex Richerio cognoscitur *Libr. IV. Part. II. f. 106. 107.* hæc scribente: *Quis totius Ecclesiæ Gallicanæ, sed præsertim Parisiensis Academiæ, planctus incredibiles scriptis digne mandare queat? Cum enim tanquam ex alta specula imminentem Ecclesiæ & bonis moribus ruinam ex sacrarum electionum abdicatione prospiceret: nullus tum scholasticus, pædagogus, magisterve extitit, qui in Pratensis Cancellarii & Concordatorum odium non aliquid dixerit, scripserit aut factitarit. Gymnasii Plessæi scholastici, Pratensem centonibus atque purgamentis personatum effinxerunt, magnaque scholasticorum turba sese ad Collegium Plessæum adgregante, Legatum sic difformatum & inquinatum, velut reum & piacularem hostiam in B. Mariæ atrium exhibent, accusant, patratique in Ecclesiam sceleris damnant: atque universa Civitate ad spectaculum advolante, omni genere contumeliarum, luto ac sordibus conspurcatum populo execrandum ignominiose exponunt. Tumque res haud longe a tumultu & seditione, cui solum dux deerat, abfuit, ut narrant Historici, hocque epigramma, cujus meminit Genebrardus in Chronologia, per omnes vicos & plateas urbis affixum est:*

Prata, Leo, Mulier, frendens Leo rodit utrumque:
Prata, Leo, Mulier, sulphuris antra petant.
Prata, Leo, consorte carent, Mulierque marito,
Conjugio hos jungas, Cerberus alter erunt.

Nam ut idem ait Genebrardus, Leo Pontifex, Regis mater, & Cancellarius a Prato, hujus facinoris auctores habebantur. Hic premo silentio quoddam populare diasyrticum: Concilium cleri fle: quicquid habes sera riffle, &c. *partim Latina, partim vulgari lingua ex his solennibus Jurisconsultorum formulis contextum: Do ut des, facio ut facias: quo dicterio & Regem & Pontificem velut de Ecclesiæ & Christi opibus colludentes culpabant.*

A. 1518.

§. XIIX.

(1) Epistola Lutheri ad Episc. Brandenb.

Venio nunc ad epistolam Lutheri, qua *Hieronymo*, Brandenburgensi Episcopo, Ordinario sive Diœcesano suo anno 1518 *Sabbatho Exaudi* scripsit. (Episcopus nominabatur *Scultetus*: Natus enim erat, ut *Andreas Angelus Chron. March. Lib. III. p. 267.* refert, patre præfecto pagi *Gramschiz* in Glogoviensi Silesiæ Ducatu; alias *Suevus* dicebatur. Episcopatum Brandenburgensem adeptus erat ann. 1505 ab Electore Brandenburgico, in locum *Joachimi a Bredou* promotus, postea anno 1520 etiam Havelbergensem diœcesin regendam accepit.) In hac iterum iterumque protestatur, se *non determinare, sed disputare: exemplo scilicet omnibus scholasticis licito, qui etiam*, ut ait, *de rebus sacratissimis reverendisque, de quibus per tot secula nullus dubitavit Christianus, disputant.* Dein etsi *resolutiones*, sive explicationem thesium suarum, d. 31. Octobr. anni præteriti editarum, mittat & commendet, *pedibus tamen Episcopi, quicquid fuerit, quod operatus sit, subjicit. Non solum permitto*, scribit, *sed obsecro, ut Reverenda Paternitas tua, arrepto calamo, quæcunque visum est, aboleat, aut igne facto totum comburat; mea prorsus nihil refert. Scio, quod Christus opera mea non eget.* Addit: *s. bullas & minas non timere, sed audacia aut inscitia hominum impulsum ægre tamen prodire, cum alias nemo se nisi angulus suus cognovisset. Si opus non fuerit Dei*, (inquit) *omnino volo, ut nec sit meum, sit vero nihil & nullius. Gloriam habeat ille solus, cujus solius est, qui est benedictus in secula.* Ex his, ut supra monuimus, rectius de mente Lutheri, quam ex judicio æmulorum pronunciari potest. Extat inter epistolas Lutheri, quæ in *Lib. I. numerum 32*, & annum adscriptum habet 1517, in qua Spalatino nunciat, *fuisse apud se Abbatem Leninensem, missum ab Episcopo Brandenburgensi, ejusque nomine petentem, ut differret probationum suarum editionem & quarumlibet lucubrationum. Se autem pudore confusum, quod tantus Pontifex* (Episcopus) *tantum Abbatem, tam humiliter ad se miserit, & solius hujus rei gratia respondisse, se contentum esse. Malo enim*, scribit, *obedire, quam miracula facere. Licet ipse Episcopus nihil erroris in illis, sed omnia catholica esse censeret, ipseque damnaret illas indiscretas proclamationes indulgentiarum.* Unde apparet, ante has Lutheri literas, mense Majo sequentis anni ad Episcopum scriptas, commercium aliquod inter eos fuisse, neque dubitandum, quin jam tempore publicatarum thesium ultimo Octobris 1517, vel prius, Episcopo huic, Diœcesano utpote suo, propositum suum aperuerit, licet literæ non æque ac illæ, quas tunc ad Archiepiscopum scripsit, extent; & sic lucem capiunt, quæ in literis ad Pontificem paulo post datis refert, *se privatim monuisse aliquos magnates Ecclesiæ.* Observari etiam potest, statim post theses, & ante finitum annum 1517. *probationes* sive *resolutiones* ejus jam paratas fuisse; sed intuitu Episcopi & spe æqua impetrandi, publicationem dilatam.

(2) Episcopi cum Luthero tractatio per Abbatem Leninensem.

§. XIX.

(1) Lutheri ad Staupitium epistola.

Post dies quindecim, ipso Festo Trinitatis, scripsit Vicario *Staupitio*, easdem resolutiones suas mittens: quod omisit Maimburgius, sed recte notavit Sleidanus.

 nus. Habetur hæc epistola *Tom. I. Luth. Jen. Lat. fol. 77.* In exordio ejus laudat inter alia Staupitii dictum, *quod velut e cœlo sonans exceperit, quodque ut sagitta acuta in se hæserit: pœnitentiam veram non esse, nisi quæ ab amore justitiæ & Dei incipit.* Hoc dicit se cum Scripturis postea contulisse, & cum prius sibi nullum amarius ferme verbum in tota Scriptura visum fuerit quam pœnitentia, jam nihil dulcius aut gratius sonare: ausum inde putare, eos falsos esse, qui tantum tribuunt operibus pœnitentiæ, ut præter frigidas quasdam satisfactiones, & laboriosissimam confessionem, nihil reliquum pœnitentiæ fecerint. Quapropter non potuisse non commoveri, cum audiret, neglecta veræ pœnitentiæ doctrina, vilissimam tantum ejus partem, nempe satisfactionem, & vilissimæ hujus partis remissionem, id est, indulgentias tam magnifice prædicari. Statuisse itaque furori eorum occurrere, & modeste dissentire, atque in dubium vocare eorum dogmata: ea de causa nunc diffamari, ac si Pontificis potestatem læserit. Invitum vero se & infeliciter ex latebra sive angulo suo extrahi queritur, & spectaculo exponi; rogatque Staupitium, ut ineptias suas (ita extenuat scriptum suum) suscipiat, &, qua fieri possit industria, ad optimum Pontificem Leonem decimum transmittat, ut sint sibi adversus studia malignantium vice alicujus paracleti. Addit tamen, nolle se, ut Staupitius suo conjungatur periculo; *meo solius* (ait) *periculo hæc egisse volo. Christus viderit, suane sint an mea, quæ dixi.* Et paulo post: *Minacibus vero amicis nihil habeo, quod respondeam, nisi illud Reuchlinianum: Qui pauper est, nihil timet.* Denique postquam *rem, famam & honorem veritati postpositurum se* obtestatus esset, subdit: *Unum superest, imbecille & assiduis fatigatum incommodis corpusculum; quod si qua vi vel dolo abstulerint, (in obsequium Dei) forte una vel duabus vitæ horis me pauperiorem facient. Sufficit mihi dulcis Redemtor & Propitiator, Dominus meus Jesus Christus, cui cantabo, quamdiu fuero.* Hæc referre minime piguit. Ex epistola enim familiariter, præsertim ad virum, quem Patris loco colebat, scripta, genuina animi sensa elucent, & argumento sunt, verum non esse quod ex petulantissimis Lutheri insectatoribus *Cochlæo, Ræmundo, Spondano*, Maimburgius hausit, *Lutherum jussu Staupitii, aut invidiam ejus in Dominicanos secutum, ad disputandum processisse.* Si enim Staupitio, cui jubendi jus erat, in edendis thesibus suis obsecutus fuisset, qua prudentia illum in epistola hac a causa sua separare, & periculum in se solum recipere voluisset? Brevissima via ad excusandum Pontifici conatum suum erat, si dixisset, se Superioris sui jussu disputasse. Notandum & hoc; quod semina purioris doctrinæ non adeo obscura etiam ante Lutheri disputationem fuerint, quin in mediis monasteriorum latebris, & sub Scholasticarum tricarum involucris aliquando progerminarent. Huc enim pertinent, quæ Staupitius de pœnitentia disseruerat.

(1) Refutatur suspicio, quod invidia contra Dominicanos aut jussu Staupitii scripserit.

§. XX.

Lutheri epistola ad Pontificem.

Jam, qua reverentia ipsi scripserit Pontifici Lutherus, ex literis *Tom. I. Lat. Jen. fol. 78. 79.* eodem die datis apparet. *Infantem se & incultum* statim ab initio profitetur; narratis deinde excessibus prædicantium indulgentias, *monuisse se* refert *aliquot magnates Ecclesiarum. Sed cum alii id acceptarent, aliis ridiculus ipse monitor aut nescio quis crederetur,* statuisse se *leniuscule reluctari, & dogmata eorum in dubium & disputationem vocare, ad quam tamen doctiores tantum invitaverit.* Factum hoc suum defendit jure Magistri Theologiæ, & concessæ a Pontifice facultatis, qua alii omnes in rebus etiam gravioribus utantur. *Quodnam fatum,* ait, *urgeat has solas meas Disputationes præ cæteris, non solum meis, sed omnium Magistrorum, ut in omnem terram pene exierint, mihi ipsi miraculum est. Miror tamen,* ait, *quo fato theses meæ, pro nostris tantum, & propter nostros editæ, in omnem pene terram exierint, licet ab omnibus non intelligantur. Disputationes enim sunt, obscurius & ænigmatice posita, non doctrina, non dogmata: quod si prævidissem, intellectu faciliores dare potuissem. Jam vero cum revocari & mutari id nequeat, doleo me indoctum, stupidum ingenio, vacuum eruditione, florentissimo hoc seculo, quod etiam Ciceronem lucis & publici olim cupidissimum, si viveret, in angulum cogere possit, protrudi, ut anser inter olores strepam. Mitto itaque ad mitigandos adversarios, & explenda multorum desideria, nugas meas, id est, declaratorias disputationum, & quidem, ut tutior sim, sub præsidio nominis Pontificii & umbra ejus protectionis.* Addit: *Si talis essem, qualem illi me videri cupiunt, ac non potius omnia disputandi facultate recte a me tractata fuissent, non potuisset fieri, ut illustrissimus Princeps FRIDERICUS Saxoniæ Dux, Elector Imperii, hanc pestem in sua permitteret Universitate, cum sit catholicæ & Apostolicæ veritatis unus facile amantissimus, nec tolerabilis fuissem viris nostri studii acerrimis & studiosissimis.* Concludit tandem: *Prostratum me pedibus tuis, Beatissime Pater, offero, cum omnibus, quæ sum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit: vocem tuam vocem Christi, in te præsidentis & loquentis, agnoscam: si mortem merui, mortem non recusabo. Domini est terra & plenitudo ejus.*

§. XXI.

(1) De resolutionibus Lutheri, quibus theses suas confirmabit.

Nunc ex ipsis *Resolutionibus* (quæ *Tomo I. Jen. Lat. fol. 80. seqq.* extant) quædam sunt afferenda: nam etsi exscribendi labor inglorius est, mihique, si cui alii, molestus, multum tamen positum esse existimo in vera primorum horum Lutheri conatuum cognitione. Maimburgius paucis eas verbis, ut videmus, transilit, *prolixum tractatum* vocans, *complectentem probationes ex sacris literis & Patribus, quibus ad firmandas theses utebatur:* idque in universum verum est. Sed profecto talem se Lutherus in hoc scripto præstitit, ut viri pii & docti officio, famæque suæ satisfecisse, non præoccupatis judicibus merito visus sit, quod nec Maimburgius negare audet, cum multorum ei benevolentiam partam esse memoravit. In *Resolutionibus* autem illis singulas theses ita distinguit Lutherus, ut plerasque pro veris asserat, quasdam vero non nisi probabiles & disputabiles, ideoque pertinaciter non defendendas declaret. De *Indulgentiis*, ut ex jam dictis apparet, tunc quidem principaliter quærebatur, sed cum Dominicani opinionem suam non nisi Scholasticorum, & quem hi inprimis sequuntur, Thomæ, traditis niti cernerent, & inde necessario ad autoritatem istius stabiliendam confugerent, neque tamen hanc satis tutam, nisi sub Pontificiæ approbationis clypeo esse deprehenderent, fieri non potuit, quin ad hanc demum summa disputationis rediret. Istam autem Lutherus, eo quidem tempore, maxime reverebatur; sed ita, ut duobus illam vinculis constringeret, Scripturæ uno, Concilii generalis altero: Scri-

A. 1518. pturæ quidem confidentius, quia divinam autoritatem pontificiæ præpollere a nemine putabat dubitari. Quapropter ad Conclusionem suam sive thesin III *de satisfactione*, quæ pars pœnitentiæ habebatur, & in jejunio, oratione & eleemosynis consistit, ex Evangelica dispositione extra determinationes Scholæ & Sacerdotum, ita docet, ut sub *jejunio* omnes castigationes carnis, sine delectu ciborum & differentia vestium: sub *oratione* omne studium animi meditando, legendo, audiendo, orando: sub *eleemosyna* omne obsequium erga proximum complecteretur. Hoc pacto spatiosius longe & illustrius veræ pœnitentiæ & exercendæ pietatis stadium aperiens, quan. eo usque ab iis factum erat, qui per præcepta innumera & intricatissima Christiano populo compedes injecerant, quas dein cum lucro cleri amplissimo, accepta pecunia, aliaque majoris pretii redemtione, pro lubitu solverent. E Scripturis itaque, ex quibus suam sententiam confirmari posse confidebat, & eorum nativo & puro sensu, adversus Scholastica interpretamenta pugnans, *ad dict. Conclus. III. fol. 81.* scribit: *Quis negat, hucusque Theologis quibusdam non paucis licuisse, totam ferme Scripturam corrumpere audacibus suis distinctionibus & amphibologiis nuper confictis, adeo, ut pro Paulo & Christo Paulo-centonas & Christo-centonas legamus? Ego de germana & propria verbi* (pœnitentiæ) *locutus sum significatione.* Descripserat vero pœnitentiam *ad Concl. I. fol. 80.* quod esset *resipiscentia seu odium sui, tota vita exercendum: ex Joh. XII. 25. qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam:* aliisque, quos citat, locis. *Christus* (pergit) *magister spiritus est, non literæ; & verba ejus sunt vita & spiritus; ideo necesse est, ut eam doceat pœnitentiam, quæ in spiritu & veritate agitur, non autem eam, quam foris agere possunt superbissimi hypocritæ, in jejuniis suis facies suas exterminantes, in angulis orantes, & cum tubis eleemosynam facientes. Matth. VI. Eam, inquam, doceat Christus oportet, quæ in omni vitæ genere agi potest, quam rex in purpura, sacerdos in munditia, princeps in dignitate, non minus possunt agere, quam monachus aut mendicus in suis ritibus & paupertate, sicut egerunt Daniel & socii ejus in media Babylone. Omnibus enim hominibus, id est, omnium conditioni debet convenire doctrina Christi.* Et ad *Concl. XXVI. fol. 98. b. Cum vero contritio sit incipienda a benignitate & beneficiis Dei, præsertim a vulneribus Christi, ut homo ad sui ingratitudinem* (tædium & displicentiam sui vult dicere,) *primo veniat ex intuitu divinæ bonitatis, & ex illa in odium sui, ac amorem benignitatis Dei; tum fluent lacrymæ & oderit se ipsum ex corde, citra tamen desperationem. Tum oderit peccatum, non propter pœnam, sed propter intuitum bonitatis Dei, qua inspecta conservatur, ne desperet, & sese ardentissime odiat, etiam cum gaudio. Sic dum fuerit unius peccati vera contritio, omnium simul erit. Rom. 2. Ignoras, quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? O quam multi id ignorant, S. Paule, etiam aliorum magistri!* Pios vero pœnitentiæ præcones, diversos ab Indulgentiariis, ita concionantes producit *Concl. XXXII. fol. 103. Ante omnia, fratres, in Christum credite, atque confidite, & pœnitentiam agite, crucem vestram tollite, Christum sequimini, mortificate membra vestra, discite pœnas & mortem non formidare. Ante omnia mutuam inter vos charitatem habete, invicem servite, etiam neglectis veniis, primum pauperibus & egenis subvenite.* Si vero adversarii per pœnitentiam a Johanne Baptista & Christo prædicatam, sacerdotalem illam & impositiam satisfactionem intelligi debere, & hanc a Papa mutari posse per indulgentiarum largitionem contenderent, *sequi inde*, ait, *Papam in arbitrio habere jus divinum; quo nihil posset dici immanius aut terribilius, aut hæreticæ pravitatis nomine & inquisitione dignius.*

(2) *Sententia ejus de satisfactionibus & pœnitentia.*

§. XXII.

Ut autem hic murum sibi quasi aheneum exstruit in asserendo jure divino adversus Pontificias mutationes aut correctiones; ita *Concl. V.* (ubi negat Papam velle aut posse remittere ullas pœnas, præter eas, quas suo vel canonum arbitrio imposuit) tam modestus est, ut dicat: *hanc thesin disputo, & doceri humiliter peto; manum porrigat, qui potest.* Idem profitetur *ad Concl. VIII.* qua statuit, *canones pœnitentiales viventibus quidem, sed mortuis non posse imponi.* Queritur tamen *de oneribus gravissimis, quibus Ecclesia Christi premitur, olim*, ut scribit, *liberrima:* & in eo numero habet *festa, jejunia, vigilias, horas canonicas, prohibita ova, lac, carnes, certis diebus, & concessum saltem oleum, pisces, fructus, legumina, indumenta vestium pullarum aut candidarum pro differentia dierum.* Sed improbat etiam *profusionem indulgentiarum*, qua Sixtus IV usus sit, laudat vero *Joh. Gersonem* in abusus illos jam olim invectum, & quod cum *Guilielmo Parisiensi* & aliis statuerit, *morte omnia solvi, & Christianos voluntarie morientes statim ad cœlum evolare.* Opponentibus vero, fore ut vilescant indulgentiæ, si nil nisi canonum pœnæ remitti per eos possint, respondet: *Præstat viles fieri indulgentias, quam crucem Christi evacuari, & melius est viles habere indulgentias, quam aliquid in Ecclesia docere, quod fictionis possit argui in Ecclesiæ confusionem.* Cumque id multis rationibus confirmasset, iterum subjungit: *si erro, revocet me, qui potest.* In his ipsis tamen resolutionibus, Augustini autoritate motus, *Concl. XV.* purgatorium pro certissimo adhuc habet, & Pickardos sive Bohemos id negantes acriter culpat. Sed disputat multa circa statum animarum in purgatorio, & circa indulgentias a communi Scholasticorum opinione, Thomam & Bonaventuram sequentium, discrepantia, quanquam, ut *Pallavicinus* diffiteri noluit, etiam habuerit ex illis, qui ei consentiebant. Adducit dein Lutherus glossam ad *C. quod autem X. de pœn. & rem.* in qua mira sententiarum varietas de indulgentiis proponitur. Occasione vero *Concl. XXV.* tractat de potestate Episcoporum & Parochorum circa indulgentias sive suffragia pro animabus in purgatorio, eamque Pontificiæ æqualem esse, non definit quidem, sed ita disputat, ut affirmans videri possit.

A. 1518.

(1) *Hæsitat circa quædam.*

(2) *Purgatorium adhuc credit.*

§. XXIII.

Post hæc multos questus instituit adversus infelicitatem Ecclesiæ sub dogmatum servitute laborantis, inter alia hæc habet *fol. 97: Adversarios meos rogo, ut ferant dolorem meum, quo crucior, dum audio ea prædicari in Ecclesia Christi, quæ nunquam scripta & statuta sunt, quando sanctis olim Patribus legimus visum esse periculosissimum, aliquid ultra præscriptum cœleste doceri, ut inquit Hilarius. Et S. Spiridion, Cypri Episcopus, hujus disciplinæ tam rigidus observator fuit, ut interrumperet sermonem ejus, qui tantum Græci vocabuli æquivocatione usus:* tolle cubile

(1) *Querela ejus de sententiis extra Scripturam.*

A. 1518.

bile tuum, & vade, *dixerat, pro* tolle grabatum, seu lectum tuum, & vade; *reprehendens eum in re, quæ sensum nihil mutarat. Atque hujus doloris mei veniam, puto mihi justissime ab illis deberi, quando nos ferre cogimur, nunquam rogati aut moniti, eorum præsumtiones, quibus delectantur ea prædicare, in quibus nos cruciamur audiendo. Non hæc dico aut ago, quod tam impudenter arrogans sim, ut me inter doctos Ecclesiæ sanctæ numerandum putem, multo minus inter eos, quorum hæc sit statuere aut destituere, atque utinam novissimum merear Ecclesiæ membrum fieri aliquando; sed id potius ago, cum sint in Ecclesia & doctissimi pariter & sanctissimi viri, ea tamen est nostri seculi infelicitas, ut etiam tanti non possint Ecclesiæ succurrere. Quid enim potuerit hodie doctrina & pius zelus, satis probavit infelix eventus eorum doctissimorum & sanctissimorum virorum, qui sub Julio II studuerunt reformare Ecclesiam, instituto ad hanc necessitatem Concilio. Sunt & alii passim, quos novi, optimi & eruditi Pontifices* (id est Episcopi) *sed exemplum paucorum imponit silentium plurimis. Est enim tempus pessimum (ut ait Amos Propheta) ideo prudens in illo tempore tacebit. Denique & nobis hodie Pontifex optimus, Leo X. cujus integritas & eruditio deliciæ sunt omnibus bonis auribus. Sed quid ille suavissimus homo potest unus, in tanta rerum confusione? dignus profecto, qui melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora essent sui Pontificatus. Nostro seculo digni sumus, pontificari non nisi Julios secundos, Alexandros sextos, aut si quos alios atroces Mezentios, ut finxerunt Poetæ; nam bonos hodie ridet etiam Roma ipsa, imo Roma omnium maxime. In qua enim orbis Christiani parte liberius ludunt, etiam in summos Pontifices, quam in vera illa Babylone Roma? Sed sat ista. Cum itaque præter innumeros privatos, etiam in sedibus suis habeat Ecclesia doctissimos, si prudens voluissem existimari, illorum exemplo & ipse tacerem. Sed præstat vel a stultis, a pueris, ab ebriis veritatem dici, quam omnino taceri, ut fiducia doctorum & sapientum animosior fiat, ubi audiunt nos, rude vulgus, tandem præ rei nimia indignitate clamare, sicut ait Christus: Si hi tacuerunt, lapides clamabunt.* Et ad *Conclus. XXVI. Non credo necessarium, iterum protestari, quid disputem, aut quid asseram. Sed cum nostro seculo sint tam zelosi hæreticæ pravitatis inquisitores, ut Christianissime Catholicos vi conentur ad hæresin adigere, opportunum fuerit super singulis syllabis protestari. Nam quid aliud fecerint Johannes Picus Mirandulanus, Laurentius Valla, Petrus Ravennas, Johannes Vesalia, & novissime diebus istis Johannes Reuchlin, atque Jacobus Stapulensis, ut inviti cogerentur & bene sentiendo, male sentire, non facile viderim, nisi quod omiserint forte protestationem super singulis (ut dixi) syllabis; tanta est hodie in Ecclesia puerorum & effæminatorum tyrannis.*

(2) *Et de infelici fato reformationem desiderantium.*

(3) *Excusat Leonem X.*

§. XXIV.

(1) *Disputat de autoritate Papæ & Concilii.*

Ad eandem thesin objicientibus Sixti IV autoritatem, alterum suum telum *de concilio* e longinquo quasi (nam alia interim habet, quibus pugnet) ostentat, ita scribens *fol. 101. Me nihil movet, quid placeat vel displiceat summo Pontifici; homo est, sicuti & cæteri: multi fuerunt summi Pontifices, quibus non solum errores & vitia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam, ut Papam, id est, ut in canonibus loquitur, & secundum canones loquitur, aut cum Concilio determinat; non autem, quando secundum suum caput loquitur, ne forte cogar cum quibusdam male Christum cognoscentibus, dicere, quod Julii II horrendæ cædes in Christianum populum, fuerint quædam beneficia pii pastoris in oves Christi collata.* Et paulo post *fol. eod. b. Hic vero objicitur: primo, Sixtus IV determinasse dicitur, quod per suffragium ille modus nihil minuit plenitudinem indulgentiarum. Respondeo: Primum, si quis pertinax esse vellet, diceret: probo quod dicis, optime Pater, maxime cum solius Papæ non sit novos fidei statuere articulos, sed secundum statutos judicare & decidere quæstiones fidei. Hic autem erit articulus novus, ideo ad universale Concilium pertinebit ejus determinatio, multo magis, quam conceptio B. Virginis, præsertim cum hic nullum, illic multum & magnum sit animarum periculum; alioqui cum Papa sit unus homo, qui errare potest in fide & moribus, periculo assidue laboraret totius Ecclesiæ fides, si quidquid sibi visum fuerit, necesse sit verum credi. Secundo, etiamsi Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. Quod ne multis agam, illo unico probatur. Quod Ecclesia Romana etiam cum Concilio universali Basileensi, ac tota ferme Ecclesia sentit, B. Virginem sine peccato conceptam. Et tamen, quia altera pars non est reprobata, non sunt hæretici, qui contrarium sapiunt.* Licet vero *ad Concl. XLIIX. f. 109.* iterum pericula Pontificum proposuisset, ob pestilentem scilicet Sirenum vocem: *non præsumitur tanta celsitudinis apex errare: omnia jura positiva habet in scrinio pectoris sui,* & Bernhardi ad Eugenium Papam considerationes commendet; ad *Concl. tamen LVIII.* (ubi meritum Christi *thesaurum Ecclesiæ esse* omnibus modis agnoscit, sed *indulgentiarum thesaurum esse* pernegat) demonstrare vult, quem scopum habeat; adversus Pontificum determinationes, & Clementis VI, cui fere tota innititur indulgentiarum doctrina, constitutionem disputans. Sic enim scribit *fol. 112: Dixi autem prius, quod in Ecclesia aliquid asserere, cujus nulla potest ratio vel autoritas reddi, est Ecclesiam hostibus & hæreticis irrisioni exponere, cum secundum Apostolum Petrum teneamur rationem reddere de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Et Paulus: ut sit Episcopus potens in doctrina sana etiam contradicentes redarguere. Hic autem adeo est nulla autoritas, ut si hodie determinaret Ecclesia Romana partem affirmativam, nihilominus maneret idem periculum, scilicet, quia non possumus rationem reddere aliam, nisi quia sic Papæ & Romanæ Ecclesiæ placuit. Sed quid ista ratio faciet, si ab his urgeremur, qui Romanam Ecclesiam non sequuntur? ut, hæreticis Pickardis. Hi non voluntatem Papæ & Romanæ Ecclesiæ, sed vel autoritatem, vel rationem probabilem quærent. Et certe iste est mihi vel unicus scopus in ista materia tota.*

(2) *Solidum in disputationibus fundamentum postulat.*

§. XXV.

(1) *Christianos, absque indulgentiis Pontificum, gratiæ Christi participes fieri statuit.*

Equidem metuo, ne tædium excitem plura adscribendo, non possum tamen, quin ex tractatu hoc, qui etiam in primitiis illis melioris doctrinæ, summam viri eruditionem, pietatem, & generosum pectus in clarissimam lucem producit, sequentia referam, ex plurimis, non minus egregiis ac veris excerpta *Concl. XXXII. fol. 104. Ego mea sententia* credo,

A. 1518.

credo, si indulgentiæ essent etiam præcepta & salutares, tamen quia in tam grandem sunt nunc abusum & scandalum redactæ, ut vel hæc sola causa satis justa sit, ut universæ tollerentur, ne forte, si diutius permittantur vigere, tandem præcones earum præ pecuniarum amore insaniant. Quæ vero pro firmanda thesi sua *XXXVII.* adducit: *quod quilibet verus Christianus omnium bonorum Christi & Ecclesiæ particeps sit, etiam sine literis indulgentiarum*, incredibile fere est, a quoquam in dubium vocari posse. Hæc tamen doctrina liquidius postea exposita, etiam hodie, nostratibus summam parit invidiam. Scribit inter alia *fol. 106: Cum spiritus Christi sit in Christianis, per quem fratres, cohæredes, concorporales & cives fiunt Christi, quomodo ibi possit non esse participatio omnium bonorum Christi? nam & Christus ex eodem spiritu habet omnia sua. Ita fit, per inæstimabiles divitias misericordiarum Dei Patris, ut Christianus possit gloriari, & cum fiducia præsumere in Christo omnia, scilicet, quod justitia, virtus, patientia, humilitas omnia merita Christi sint etiam sua, per unitatem spiritus ex fide in illum. Rursum, omnia peccata sua jam non sint sua, sed Christi per eandem unitatem, in quo & absorbentur omnia. Et hæc est fiducia Christianorum, & jucunditas conscientiæ nostræ, quod per fidem fiunt peccata nostra, non nostra, sed Christi, in quem Deus posuit peccata omnium nostrum, & ipse tulit peccata nostra. Ipse agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Rursum, omnis justitia Christi fit nostra, imponit enim manum suam super nos, & bene habemus, & extendit pallium suum, & operit nos benedictus Salvator in secula, Amen.* At thesi sequente *XXXVIII.* remissionem Papæ sive Sacerdotalem nullo modo contemnendam esse statuit, esse enim *declarationem remissionis divinæ*; quod pluribus examinat, & fidem potestati clavium adhibendam ad consolationem pœnitentium requirit, majoremque sua hac, quam Scholasticorum opinione, reverentiam Pontifici & Sacerdotibus parari existimat; ita enim concludit (fol. 107:) *Hac sententia mea (credo) potestatem clavis non minuit, ut mihi impingitur, sed a falso honore & tyrannica reverentia in sibi debitam & amabilem reverentiam reducit. Non enim est mirum, si claves contemtui fiant, si falsis honoribus, id est, terroribus tantummodo offerantur suscipiendæ. Cum cognita earum saluberrima commoditate, saxum sit, aut lignum, qui non cum lachrymis eas exosculetur & amplectatur. Quid ergo Pontificem propter eas magnificamus, & hominem terribilem fingimus? non illius sunt claves, meæ potius sunt, mihi donatæ, meæ saluti, meæ consolationi, paci & quieti concessæ. Pontifex servus est & minister meus in clavibus, ipse non eget illis ut Pontifex, sed ego.*

(1) *Non tamen spernit Ecclesiæ ministerium.*

§. XXVI.

(1) *Negat hominem sine peccato esse.*

Nihil vero tota hac thesium suarum assertione confidentius oppugnat, quam jactatam ab indulgentiarum venditoribus abundantiam meritorum in Sanctis. Non enim saltem de Bonaventura, qui asseruit, *hominem posse sine veniali peccato esse*, ita judicat *fol. 112: utique defecit sanctus homo*; sed paulo ante ad *Concl. LVIII. fol. 111.* sic pronunciat: *Concludo, merita Sanctorum nulla esse superflua sibi, quæ nobis otiosis succurrant*; addens: *Et ut aliquando audax sim, protestor de iis, quæ jam dixi, me non dubitare, sed paratus sum ignem & mortem suscipere pro illis, & hæreticum asseram omnem, qui contra sapit.* Audiamus etiam de Scholasticis *d. l. fol. 113. b.* disserentem: *Etsi S. Thomas, B. Bonaventura, Alexander de Ales, sint insignes viri cum suis discipulis, Antonio, Petro Paludano, Angelo Anconitano, præter Canonistas, qui omnes eos sequuntur; tamen justum est eis præferre veritatem primo, deinde & autoritatem Papæ & Ecclesiæ. Nec mirum est, tantos viros in hoc errasse. Nam in quantis, quæso, B. Thomam etiam Scholastici errasse arguunt? immo, quod majus est, jam plus trecentis annis tot Universitates, tot in illis acutissima ingenia, tot ingeniorum pertinacissima studia in uno Aristotele laborant, & tamen adhuc non solum Aristotelem non intelligunt, verum etiam errorem & fictam intelligentiam per universam pene Ecclesiam spargunt: quanquam si etiam intelligerent eum, nihil egregiæ sapientiæ adepti essent, præsertim in eis libris Aristotelis, quos usitatiores habent, in quibus vel ipsiusmet testimonio apud Aulum Gellium lib. 20. c. 4. & Greg. Nazianzen. in serm. adversus Arianos, non nisi merus Logodædalus & Logomachus deprehenditur. Audax, impudens, temerarius forte hic videor; atque utinam mihi tantum superesset ætatis & otii, ut hujus temeritatis meæ rationem reddere & verbis meis fidem facere possem; forte efficerem, ut non frustra sic sapere viderer. Non Aristotelem cum Platone & aliis concordarem, quod Johannes Picus Mirandulanus cœpit, sed Aristotelem suis coloribus pingerem, sicut dignum est pingi eum, qui ex professo est artifex verborum (ut Greg. Nazianzenus ait) & illusor ingeniorum. Si itaque per tantum tempus in tantis ingeniis permisit Deus, tantum nubis & tenebrarum dominari, quid adhuc nobis ita securi placemus, & non potius (sicut Christianos decet) omnia nostra suspecta habemus, ut solus Christus sit lux, justitia, veritas, sapientia, omne bonum nostrum. Igitur sancti illi viri, cum viderent Aristotelem ab indoctis & Christum ignorantibus in tanta autoritatis veneratione haberi, ipsi, ut erant humiles sensu, pia simplicitate sunt secuti, & in errorem lapsi, cæteris occasio fuerunt tot turbinum, opinionum, quæstionum, errorum, sicut in Scholasticis doctoribus videmus. Et digni fuimus, qui Christum reliquimus, ut ipse quoque nos derelictos, etiam per electos suos, in occasionem daret erroris & infiniti laboris. Sicut ait in Ezech. 14. Propheta, cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum. Et ibidem: Si venerit ad Prophetam interrogans me per eum, ego Dominus respondebo ei secundum multitudinem immunditiarum suarum. Ideo cum timore & judicio omnia sunt legenda & suscipienda, etiam a magnis & sanctis viris tradita, secundum Apostolum: omnia probate, quod bonum est, tenete. Et illud Johannis: Probate spiritus, utrum ex Deo sint. Quæ consilia, qui omiserint & in hominem confisi fuerint, (sicut hi qui dicunt; malo cum tantis errare, quam tecum recte sapere) digni sunt, quos etiam condemnet & relinquat consilium. Qui enim consilium spiritus spernit, cur non spernatur merito a spiritu consilii.*

A. 1518.

(2) *Rejicit autoritatem Scholasticorum & Aristotelis.*

§. XXVII.

(1) *De Theologis crucis & gloriæ.*

Dignissima etiam lectu sunt, quæ paulo post habet de *Theologis crucis*, & de *Theologis gloriæ*: *illos* vocat, qui docent, pœnas, cruces, mortem omnium pretiosissimum esse thesaurum & reliquias sacratissimas, quas ipsemet Dominus hujus Theologiæ consecravit, vere osculandas, quærendas, amplexandas. Addit notabilem admonitionem circa reliquiarum cultum. A Theologis vero *gloriæ*, ut loquitur, qui ex Aristotele docent, objectum voluntatis esse bonum,

A. 1518.

num, definiri thesaurum Christi, quod sit relaxatio & solutio pœnarum, tanquam rerum pessimarum & odibilissimarum, quas Theologi crucis dicunt esse optimas & amabilissimas. Interim illos pecuniam pro suo thesauro accipere, cum hos gratis offerentes nemo dignetur intuitu, immo denique persequatur. Vide *fol. 114.* Quamvis vero ad *Conclusionem LXIX.* potestatem Pontificis ita veneretur, ut etiam injustas ejus sententias ferendas esse dicat, & exemplum Ecclesiæ sui temporis alleget, quæ infinitis oneribus pressa, pie nihilominus & humiliter quiescat, veritati tamen palmam defert. Vide *Resol. Concl. XXVI. & LXXII. fol. 102. & 117.* ubi sanctæ, qualis olim fuisset, Romanæ Ecclesiæ illam opponit, quæ lerna jam sit & tartarus Simoniarum, libidinum, pomparum, cædium, reliquarumque abominationum; & hæc omnia remitti dolet per indulgentias, cum tamen non remittantur, quæ Pontificiæ utilitati obsint, & in Bulla cœnæ Domini semper excipiantur. Benedictione denique dignos pronunciat, qui nituntur purgare Scripturas sanctas & elucidare ex tenebris opinionum & humanarum rationum, *quibus prope facti sumus* (ait) *Pelagiani sensu, & Donatistæ opere.* Porro *fol. 118. b.* scribit: *Adhuc major esset gratia summi Pontificis, si has omnes facultates gratis donaret omnibus Christianis, qui eis egerent: deinde si sublatis canonibus onerosis, libertatem populi Christiani restitueret, & tyrannides officiorum ac Simonum exploderet. Sed hæc non sunt forte in potestate ejus, invaluit enim inimicus, & princeps provinciarum facta est sub tributo. Dextera Domini faciet hanc virtutem, si id digni fuerimus impetrare.* De gemino vero gladio Pontificum per glossas excogitato ita loquitur ad *Concl. LXXX.* *Id ego vehementer admiror, quisnam illam glossam invenerit primus, quod duo gladii significent, unum spiritualem, (non ut Apostolus vocat, scilicet gladium Spiritus, verbum Dei) alium materialem, ut sic Pontificem utraque potestate armatum, nobis non patrem amabilem, sed quasi tyrannum formidabilem faciant, dum nihil nisi potestatem undique in eo videmus. Et ista est fidelissima glossa super Patrum decreta, in quibus tam rigide prohibentur clericis arma. Hic vide, num Deus iratus, videns, quod pro gladio spiritus & Evangelio dileximus intelligere ferrum, justissime nobis fecit, ut daret gladium, quem voluimus, & auferret, quem noluimus; ita ut nusquam in mundo fuerit crudelior strages bellorum, quam apud Christianos: rursum vix neglectior sacra Scriptura, quam apud Christianos. En tibi gladium, quem voluisti. O glossa vel tartaro digna! Adhuc tamen sumus saxei, ut iram Dei non intelligamus.* Sed eo nihilominus erat tunc animo Lutherus, ut Bohemis, qui *fœtore*, ut ait, *Romano gaudent*, sive qui Ecclesiam ob vitia deseruerant, acriter reprehensis, tandem scribat *fol. 119.* *Etsi amici mei me hæreticum, impium, blasphemum jam multis diebus clament, quod Ecclesiam Christi & Scripturas sanctas non teneam Catholico sensu: ego tamen fretus conscientia mea, credo eos falli, me vero diligere Ecclesiam Christi & decorem ejus. • Qui autem me judicat, Dominus est, licet mihi nihil conscius sim. Et ideo istas positiones omnes coëgit me ponere, quod viderem alios falsis opinionibus infici, alios per tabernas ridere, & sanctum sacerdotium Ecclesiæ manifesto ludibrio habere, occasione tam effusæ licentiæ prædicandarum veniarum. Non erat vulgus laicorum ampliore occasione in odia Sacerdotum excitandum, quod jam a multis annis propter avaritiam & pessimos mores nobis offensum (heu solo timore pœnæ) honorat sacerdotium.* Adde quæ ad *Concl. XC.* statuit, *Laicorum scrupulos non sola potestate, sed reddita ratione compesci debere, ne ex malo pejus fiat.* Subdit: *Quanto rectius doceremur hanc iram Dei intelligere, & pro Ecclesia orare, & talia tolerare in spe futuræ reformationis, quam dum tam manifesta vitia volumus cogere virtutes videri, pejus irritemus. Si quidem nisi nos mereremur vexari, Deus non permitteret solos homines in Ecclesia dominari, daret nobis pastores secundum cor suum, qui nobis pro veniis darent tritici mensuram in tempore suo. Nunc autem, etiamsi sint boni pastores, tamen non possunt ad officium suum venire, tanta est vis furoris Domini.* In tota vero exegesi sua, ex qua ista excerpsimus, Tezelii aut aliorum nominatim non meminit. Sed non abstinet aculeis; nam adversarium *Leontem* vocat, (ad apologum notum respiciens) id est asinum pelle leonis indutum, & *bubulcum*. Fini operis admonitiunculam subnectit, *se non scribere erudito lectori; itaque stylum parum Ciceronianum* excusat. *Ita enim* (ait) *oportuit cum mei similibus nostris, id est, rudia & barbara tractare,* & Pontificis officium implorat, *ut debitor sit*, D. Pauli exemplo, *sapientibus & insipientibus, Græcis & Barbaris.*

(2) *De magna Ecclesiæ corruptela.*

(3) *Jus gladii secularis Pontifici abjudicat.*

(4) *Schisma vitare vult.*

A. 1518.

§. XXIIX.

Has Resolutiones sub finem Augusti mensis anno 1518 in aulam Electoris Saxoniæ misit Lutherus typis, parum tamen, ut queritur, correctis, publicatas: quas si absque præoccupatione considerassent Romanæ Ecclesiæ doctores, in tantas iras non exarsissent. Interverti quidem per Lutheri disputationem videbatur fructus pecuniarius, qui ex indulgentiis quærebatur; sed carere illo poterat opulentus jam satis fiscus Romanus, & optimi quique turpem illum quæstum improbabant, ii maxime, ad quos nihil ex eo redibat. Maimburgium fatentem jam audivimus, correxisse postea Pontifices abusum istum, corradendæ per indulgentiarum nundinationes pecuniæ. Thesaurus igitur ille superabundantium meritorum, qui quoad illum prædicandi & publice vendendi modum clausus hucusque & infructuosus fuit, claudi & tunc potuisset. Porro quæ de potestate Pontificis, & de conciliis sentiebat Lutherus, communia pleraque habebat cum Parisiensi schola. In reliquis vero dogmatibus primariis, quæ tunc tractabat, magnam ostendebat pietatem: nam, ut diximus, duo Christianismi maxima quasi fulcra & fundamenta, *fidem* in meritum Christi, & *pœnitentiam* in perpetua vitæ emendatione quæ versatur, thesibus suis egregie stabiliebat. Nec cætera ejus fuere ponderis, ut schisma necessario inducerent, cum non minus gravia sint, quæ etiam hodie inter Romanæ Ecclesiæ theologos disputantur. Denique quanticunque illa fuerint momenti, hæresis tamen Lutherum reum facere nondum poterant, protestatione & submissione illa sua de obsequio Pontifici præstando munitum. Simulate vero & callide eum egisse, nec Maimburgius audet asserere, a *Cochlæo* hic dissentiens, & prudentiæ erat, utcunque oblata pro seriis accipere; sed aliter hæc Deus disposuerat, ut in loco videbimus. *Pallavicinus Lib. I. c. 8.* omni, quo potest, acumine id agit, ut in pectus Lutheri introspiciat, & quo fine theses suas conceperit & publicaverit, deprehendat & eruat. Sed justum est, unumquemque sese explicantem audire,

(1) *Notatur injustus rigor Pontificis, modeste monentem Lutherum aspernantis.*

A. 1518.

audire, nec fidem præcipiti cum judicio alicui demere, antequam mendacii convincatur. Quanta vero cum asseveratione longo post tempore, & cum, facta jam ruptura, nulla fingendi causa superesset, novitatis & schismatis studium a primo hoc suo conatu amoliatur, ex *præfatione* Latina anno 1545. ad operum *Tom. I.* scripta aliquatenus, sed plenius & luculentius ex illa patet, quam editioni thesium post aliquot annos factæ *Tom. I. Jen. Germ. fol. 4. Tom. I. Altenb. fol. 11.* inseruit. *Permisto*, inquit, *has theses edi, quas ab initio causæ meæ adversus indulgentiarum doctrinam opposui, ideo maxime, ut magnitudo & successus rei, qui postea secutus est, non mihi, sed soli Dei beneficio tribuatur, me vero minime ad superbiam efferat. Per has enim propositiones ignominia & debilitas mea maxima detegitur, quam trepide negotium illud cœperim. Incideram in illud solus & incautus, & cum retrocedere non possem, multa non saltem in multis & gravibus articulis Pontifici detuli, sed serio profecto illum adoravi. Quam contemtus enim tunc eram, & miserrimus monachus, cadaveri quam homini similior! quanta vero Papæ majestas, ut nutus ejus non regibus terræ modo, sed &, ut ita dicam, cœlo & inferno metuendus esset? In quantis angustiis illo anno & sequenti cor meum fuerit, & in qua submissione, minime ficta aut falsa, imo in qua propemodum desperatione versatus sim, securæ quidem illorum mentes nesciunt, qui nunc Papæ majestatem magna cum temeritate & superbia aggrediuntur. Ego vero, qui tunc solus in periculo hærebam, tam audax & certus non eram. Multa nesciebam, quæ nunc per Dei gratiam scio. Disputabam saltem, & discendi cupidus eram. Non reperiens igitur in libris Theologorum & Canonistarum, quæ satisfacere desiderio meo poterant, vivos & Ecclesiam ipsam consulere & audire volebam. Erant pii quidam viri, quibus propositiones meæ apprime placebant; at non habebam eos pro membris Ecclesiæ, quæ Spiritus S. donis regerentur; solummodo Papam, Cardinales, Episcopos, Theologos, Jurisconsultos, Clericos, Monachos respiciebam. Spiritum itaque tanta cupiditate expectabam, turbatus veluti mente & fere stupidus, ut vix scirem, num vigilarem an dormirem. Dein licet omnia, quæ mihi obstare videbantur, argumenta ex Scripturis solvissem, ultimum tandem & unicum, Ecclesiam nempe audiendam esse, magna cum lucta, & ægerrime, tandem tamen per Christi gratiam superavi. Ego profecto majori longe eum veneratione Ecclesiam Pontificiam pro vera habui, quam nunc perversi illi faciunt, qui eam contra me mire extollunt.* Hæc nullo adulandi proposito, nec mentiendi utilitate scripta fidem utique majorem merentur, quam suspicio *Pallavicini*, qui Lutherum ex offensa quadam privata Pontifici negotium facessere voluisse tradit, & nescio, quibus ejus literis id probari posse existimat *Lib. I. cap. 4. n. 93.*

(1) Lutheri de trepidatione sua confessio.

A. 1518.

SECT. 14.

De Hochstratani crudeli sententia.

Nec parum plausibilem ejus causam faciebat, quod Jacobus Hogostratus, Inquisitor Dominicanus, contra Lutherum scribens, Papam exhortabatur, ut non alio remedio, quam ferro & igne adversus illum uteretur, mundumque ab homine hoc pessimo liberaret.

Luth. contra Jac. Hochstr. Tom. I.

§. XXIX.

Lutheri defensio adversus Hochstratanum cum epicrisi.

Hogostratum hunc, (vulgo *Hochstratenum* ab aliis *Hochstratanum* appellatum) Dominicani ordinis Monachum Lovaniensem, &, quo primores illorum titulo uti solebant, *Inquisitorem hæreticæ pravitatis*, brevi, sed acri apologia, jam Idibus Julii repulerat Lutherus, quæ extat *Tom. I. Lat. Jen fol. 121.* Consilium vero istud, quod Maimburgius aut non probat, aut causæ nocuisse existimat, præpropera tunc vehementia protrusum, ut nempe vi ageretur, non multo post per plurima regna & provincias, non quidem adversus Lutherum (qui Deo sic volente mire servatus fuit) sed in magnam, qui ejus doctrinam secuti sunt, hominum multitudinem, locum invenit; immo experientia sequentium & nostrorum quoque temporum comprobatum est, non facile ab illo cessari, nisi cum vires ad exequendum id desunt, aut quando cum utilitate regnantium differri potest. Sed de his alibi.

SECT. 15.

Sylvestri Prieriatis scriptum improbat Maimburgius.

Et quod Sylvester Prierias, qui refutare solide, ut poterat, debuisset, quæ Lutherus ad illius librum responderat, alium edidit, in quo potentiam & autoritatem Pontificis ultra modum exaggeravit, longissime eam super omnia Concilia iis verborum formulis evehens, quæ ne Romæ quidem probarentur. Hoc occasionem Luthero dedit, ut autoritatem illam Germanis odiosam reddere, & a scopo abducere alios posset, tractando magna cum oris & calami vehementia articulum cautius & delicate tractandum, de quo tunc nec quærebatur. Tanti interest, ut qui adversus hæreticos agunt, præcise intra terminos, quos fides docet, se contineant; nec intempestive & fiducia ingenii in quæstiones quasvis litigiosas incidant, data adversario facultate, ut sententiam suam pari jure defendere possit, quo oppugnatur.

Epitom. Responsi. Sylvestr. ad M. Luth. ap. Luth. t. 1.

§. XXX.

(1) Excerpta quædam ex Sylvestro.

An Sylvester solide, (ut putat Maimburgius) refutare potuerit Lutheri responsum, dubitare licet, tum ob sententiæ, quam Lutherus defendebat, veritatem, tum ob impar ingenium. Sed videamus aliqua ex iis, quæ replicavit *Tomo I. Op. Lat. Jen. fol. 62. & seqq.* inserta. In epistola quidem ad Lutherum, artem ei rhetoricam imputat, Magistri palatii sive Inquisitoris munus, quo ad scribendum impulsus fuerit, obtendit, nec dolorem occultat, quod parum reverenter tractatus sit. Animosus tamen adeo est, ut scribat, *se vivere nolle, nisi demonstraverit Lutheri dicta hæresin*, ut ait, *complicare*. Thomæ dein autoritatem celebrat, *ab Ecclesia Romana cribratam & probatam*, & ab Innocentio III Pontifice *soli Scripturæ canonicæ postpositam*: sibi itaque gloriæ ducit, quod *Thomista* vocetur. *Abbatem Panormitanum*, Cardinalem, cujus sententiam sequi videbatur Lutherus, ut *rebellem & schismaticum* abominatur, *qui in Basilea* (id est, in Concilio ibi habito) *Basiliscus pullulaverit, & pileum iniquitatis meruerit*; atque ita schismaticum sua doctrina redoleat. *Johannem*

A. 1518. *hannem Gerſonem* ibidem Luthero laudatum, inter *Doctorellos* refert, *qui peſſime ſenſerint & ſcripſerint.* Acrius vero ob Ariſtotelem ſpretum ſuccenſet, quem, licet Ethnicum, Thomæ præferre non dubitat; ſcribit enim *fol. 63: Quid mirum, quod Thomam vilipendas, cum & Ariſtotelem ipſum dehoneſtas, quem tota natura (ut ita dixerim) miratur, & cujus veritate, Boethio teſte, nihil clarius, & in cujus doctrina ſive in Logicis, ſive in Phyſicis, ſive in moralibus, hactenus nulla inventa eſt falſitas, præter id, quod non certe, ſed eodem* (Boethio) *teſte, dubitative, de mundi æternitate ſenſit.* Ab adulatione deinde & avaritia utcunque ſe purgat, gloriatur vero de ſcriptis ſuis *Sphæricis* & *Theoricis*, de *Epitomate* (ita ſcribit) *Capreoli, quod Lipſiæ ex Legato publice legatur:* addit, *ſe juvenem oblatum Epiſcopatum cum ſexcentis aureis recuſaſſe.* Proteſtatur etiam, *ſe nihil Ordinis ſui Dominicani gratia dare,* Deum teſtem appellans, quod *præcones indulgentiarum ex Minoritis* (Franciſcanis) *eſſe*, ab initio putaverit. Declinat alia, & tandem velut mitigatus Lutherum compellans, *Oro te,* ſcribit, *ſi Chriſtum amas, ne plus ſapias, quam oportet, ſed ad ſobrietatem, & quam cœpiſti viam perambules, jugiter & perſeveranter; quod ſi feceris, puto quod etiam in me ſis auditurus Chriſtum loquentem: & forte Sylveſtro, quem nunc horres, tunc amicum fideliorem habiturus es neminem.* Ad lectorem vero præfatiuncula, ſcripto ſuo præmiſſa, converſus, pæana de Luthero canit, & *victum toto Chriſtiano populo ſpectante*, jactat. Scripti titulus eſt: *De juridica & irrefragabili veritate Romanæ Eccleſiæ Romanique Pontificis, Liber tertius, index quidem longiſſimus, ſed breviſſimum Epitoma.* Ridet Græciſſantem in rubrica hac Lutherus in *epiſt. ad Spalatinum* d. 15. Dec. 1518 ſcripta, quæ extat *Tom. I. fol. 65. b. Mitto Sylveſtrinam* [Greek], *quam ipſe* Epitoma *vocat, homo Græco-barbarus & Latino-coquus.* Sed audiamus ex dogmatibus Sylveſtri præcipua: *Eccleſia militans eſt Chriſti regnum monarchicum & hierarchicum. In hac hierarchia Romanus præſul primus ac ſummus hierarcha eſt, autoritate divina, qui ſolus ſupremarum dubitationum reſolutivus & ſolus judex infallibilis veritatis, in ſpectantibus ad fidem & mores. Eccleſia eſt regnum monarchicum, in ordine ad cæteras monarchiarum mundi eſt quinta, & ibi etiam, ſecundum divinas literas, de quatuor terrenis monarchiis* (quas enumerat) *omnium præſtantiſſima.* Ex hac hypotheſi plurima eruit, ex quibus hæc potiſſimum notare lubuit: *Probabiliter ſolus Petrus a Chriſto eſt inſtitutus Epiſcopus perſonaliter, alii vero a Petro inſtituti ſunt. Romanus præſul rite inſtitutus, æque & æquali jure caput eſt, ſicut & B. Petrus.* Et deſtruitur opinio quædam hominum perverſorum, quod *Papa non ſit caput Eccleſiæ univerſalis collective, ſed ſolum diſtributive;* volentium ex hoc, Papam non eſſe caput Concilii. *In eccleſiaſtica hierarchia Romanus præſul eſt Hierarcha ſummus;* contra adverſarium, ſubtrahentem nonnullas nationes, ſcilicet, Græcos & fideles, inter infideles habitantes. Per literas ſacras probatur univerſalitas iſtius monarchiæ, & improbatur impietas *Antonii Roſelli*, dogmatizantis, *Chriſtum ea ratione, qua homo, non habuiſſe jus terreni principatus.* Per Auguſtinum & Scripturas probatur iterum futura *Evangelii ſecunda prædicatio, cum majori populorum converſione, quam Apoſtolorum temporibus, cum in omnem terram exivit ſonus eorum, adeo ut non jure modo, verum etiam facto ipſo Pontifex maximus rerum ſummam ſit moderaturus, & juriſdictionem Papa in infideles exercere poſſit, ſive Gentes, ſive Judæos, vel etiam hæreticos. Omnis poteſtas ordinis & juriſdictionis ineſt Epiſcopis a Romano Pontifice. Juriſdictio Romani Præſulis eſt incomparabilis.* Contra adverſarium, qui vult *in Concilio, & conſequenter in Eccleſia univerſali, eſſe quandam poteſtatem, quæ non ſit in Romano Pontifice. Quando ſancti dicunt, Eccleſiæ univerſali datas eſſe claves, non eſt ea ratione accipiendum, quaſi omnibus Eccleſiæ membris datæ ſint, aut diviſim, aut etiam conjunctim, ſed quia datæ ſunt aliquibus membris Eccleſiæ, ut Petro primum, Apoſtolis autem in ordine & ſubjectione ad Petrum. Romani Præſulis eſt condere leges. De neceſſitate ſalutis eſt, ſubeſſe legibus & præceptis Pontificis, nihil contra Dei præcepta mandantis. Decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum, etiam non editæ in Concilio, nec Corpori juris inſertæ, & etiam omnes ſanctiones, ſuſcipiendæ ſunt ab omnibus, & executioni mandandæ. Quia Romani Pontificis poteſtas a Deo Chriſto immediate eſt, totus mundus ſimul ejus autoritatem nedum auferre, verum ne limitare quidem aut reſtringere poteſt. Autoritas Concilii non eſt a Deo, niſi in caſu hæreſis vel ſchiſmatis, non quidem omni, ſed quodam; quando videlicet de nullo eſt certum & purificabile, quod ſit Præſul Romanus, ſed omnis autoritas Patrum concilii ſive ut ſinguli, ſive ut collegium vel concilium, eſt a Romano Pontifice. Inter homines ſolus Romanus Pontifex habet ſuam autoritatem a Deo immediate.* Et poſtquam *Cap. XI.* omne jus conciliorum Papæ adſeruiſſet, rejectis Concilii Conſtantienſis placitis *th. 8.* concludit: *Decreta Conciliorum nullum ligant vel adſtringunt, niſi Romani Pontificis autoritate firmentur, & Cap. XII. th. 1. Autoritas concilii eſt commiſſa, & quantum placet, Pontifici.* Porro: *Romanus Antiſtes nullo modo ligatur Conciliorum canonibus, vel decretis, etiamſi ſint de jure divino; ligatur quidem, ſed non ea ratione, quia Concilii ſunt, ſed quia Dei. Papa poteſt omnia Conciliorum decreta poſitiva, (quæ non ſunt de jure divino) ſicut & ſua, ex rationabili cauſa, ſuo tamen arbitrio penſanda, tollere. Pontifex indubitatus, nedum a Concilio, ſed neque a toto mundo poteſt jure deponi vel judicari, etiamſi ita ſit ſcandaloſus, ut populos ſecum catervatim ducat ad Diabolum.* diſt. 40. c. Si Papa, *ſed ut ibi dicitur: Deus orandus eſt:* hæc contra Schiſmaticos & Panormitanum. *Contra hunc,* ait, *cupio ſpecialiter diſputare:* concedit tandem *ob hæreſin notoriam, probatam vel confeſſam per Concilium deponi poſſe Papam,* vel potius *declarari depoſitum.* Improbat autem appellationem a Papa ad Concilium. *Concilium* ſcribit *non præeſt Pontifici, in his, quæ ſunt fidei, neque hoc decidere poteſt, ſi Papa interdicat. Romani Præſulis ſolius eſt, a Deo & natura inſtitutas leges interpretari & declarare in dubiis, nedum in moribus, ſed etiam in ſpectantibus ad fidem. Papa, ut Papa, non poteſt male decidere;* (admittit tamen conſilium aſſiſtentium) *Concilium vero univerſale etiam rite celebratum, intellectum tamen, ut aliquid contra Pontificem diviſum, decidendo de fide & moribus poteſt errare, & probatur erraſſe ſæpius de facto. Theſi* tamen *4. cap. 16.* concedit, *ſi inter Papam & Concilium eſſet diſſidium, & res eſſet deciſa per judicium irrefragabile Spiritus ſancti, ſtandum eſſe illi parti, quæ pro ſe haberet dictam deciſionem; at in dubio,* licet

(2) *Titulus libri a Luthero irriſus.*

(3) *Sylveſtri de poteſtate Pontificis hyperbolæ.*

(4) *Concilia Papæ ſubjicit.*

A. 1518. licet Panormitanus irrationabiliter dicat, standum esse parti, quæ melioribus rationibus utatur, *judicium Papæ sequendum esse; ex motu sui cordis* (quod in talibus a Deo regi putat) *prolatum. At dissidentibus sententiis in Concilio, Papa non sequi tenetur majoris suffragia, sed saniora, saltem unius, exemplo Nicæni concilii; in quo Paphnutii solius sententia obtinuit.* Omittimus, quæ *Libro II.* pro indulgentiis statuit, & quos errores propterea, & ob opiniones quasdam circa purgatorium Luthero imputat; tum quos ex dictis ejus contra absolutam Pontificis potestatem, & pro Conciliis excerpit & rejicit. Quæ vero *Cap. illius libri 7.* de repræsentatione Ecclesiæ universalis per Concilia, aut Cardinalium collegium, & virtualiter per Pontificem repetit, eadem sunt, quæ dialogo suo præmiserat. Epilogum addit hoc modo: *Caveat iste, quia, quantum ego capio, cervice sua Dei judicium bajulat.*

§. XXXI.

(1) *Examinatur censura Maimburgii de Sylvestro.*

Antequam dicam, quomodo Lutherus has Sylvestri theses exceperit, consideranda est, quam legimus, Maimburgii indignatio & admonitio. Queritur, exaggeratam esse ultra modum a Prieriate potentiam & autoritatem Pontificis, iis verborum formulis, quas ne Roma quidem approbaret. Si hæc ex animo scripsit, certe non saltem a societate Jesuitarum, sed & ab illorum doctrina secessum fecit, quam extra Galliam semper, aliquando & intra eam professi sunt, & quandocunque licebit, professuri esse videntur, nisi ab instituto suo plane recedant. Quæ vero sit Gallicorum Doctorum, & inprimis Academiæ Parisiensis de potestate Pontificum limitatio, si aliquatenus dubitari olim potuerit, certe, quo nunc in statu sunt res Gallicæ, dubitare non licet. Infelix fuit ante annos quadraginta *Edmundus Richerius*, Doctor Sorbonicus, cujus libros *de conciliis* & *de doctrina majorum* circa has quæstiones nuper editos habemus. Sed tutiores hodie, qui sub magni Regis protectione liberrime non saltem & publice, sed & jussi statuunt, quod olim nec omnes & caute docebant. Quapropter Lutetiæ quidem Sylvestrum impune redarguere potuit Maimburgius; sed ut in eundem sensum Romæ scribere auderet, nisi eadem, sub qua in Gallia securus est, potentia protegatur, nemo illi autor fuerit. Quod vero addit, ne Romæ quidem probari, quæ Sylvester tunc scripserit, id de Roma illius temporis, cum Leoni X subesset, utique intelligi non potest. Ajunt quidem, silentium ei impositum fuisse, ut impari autincauto; sed nihil eorum quæ scripserat improbatum fuisse cognoscitur, & Pontifex hunc ipsum Sylvestrum, tam animosum numinis sui defensorem, inter judices Lutheri esse voluit. Nec secutis postea temporibus ad nostra hæc usque unquam audita fuit contraria de potestate & jurisdictione Pontificis opinio, quæ Romæ non damnaretur. Hactenus igitur non ut Romano-Catholicus, sed ut Gallus, & Regius Theologus, Sylvestri placita improbat Maimburgius. Admonitionem etiam, qua instruere vult eos, qui cum Hæreticis disputant, ut præcise intra terminos doctrinæ, quæ de fide est, sese contineant, nec in litigiosas quæstiones implicent, eodem pertinere putamus. Hoc ipsum enim dogma de potestate Pontificis de fide non esse, sed ad disputabilia referendum, satis indicat. Sed de hac materia dicendi causa sæpius dabitur. Sylvestrum vero una cum Tezelio & Eccio reprehendit etiam *Paulus Venetus*, quod scilicet firmitati doctrinæ de indulgentiis, quæ solum Clementis VI constitutione anno 1350 edita nitebatur, diffisi, in locos communes confugerint, & jacto autoritatis pontificiæ & consensus Scholasticorum fundamento, quandoquidem Pontifex in rebus fidei errare nequeat, Clementinam illam de indulgentiis decisionem pro articulo fidei defendi posse putaverint; data hoc modo Luthero occasione, de ipso hoc fundamento pontificiæ potestatis disputandi. Nec multo aliter *Pallavicinus*, utcunque a Paulo illo in omnibus fere discors, de Prieriatis scriptis judicat, *lib. I. cap. VI. §. 3.* ubi scribit: *jejune illum attulisse rationes ad convincendum Lutherum, cum ejus assertiones non alio fere argumento damnaret, quam Pontificiæ autoritatis: unde hic, expugnata ista, victoriam causæ sibi promiserit.* Sed meliora huc usque argumenta prolata esse, non apparet. Quæ enim ex centonibus Scripturæ desumuntur, nullam vim habent, quam quæ ex interpretatione Pontificum illis accedit.

(2) *Pauli Veneti & Pallavicini judicium de Sylvestro.*

A. 1518.

ADDITIO.

(a) *Erasmi sententia de Prieriatis adversus Lutherum scriptis.*

De Prieriate etiam *Erasmum* audiamus, jam quidem cum Luthero publice commissum, anno 1527 ad Theologum quendam Hispanum Doctorem Sorbonicum *Libr. XIX. ep. 71.* hæc scribentem: *Hoc gravissimum Lutheri incendium unde natum, unde huc progressum, nisi ex Beddaicis intemperiis?* (notatur *Natalis Bedda*, Theologus Parisiensis, acris Erasmi adversarius.) *Martinus proposuerat aphorismos d[illegible] andos de condonationibus Pontificiis. Eas non minus impie quam imprudenter deprædicabant ptochotyranni quidam, qui spe lucri nihil non audent. Horum intemperiis Lutherus opposuit sua problemata. Indignabantur, quorum res agebatur. Missa sunt ad Leonem X. Respondit Sylvester Prierias tam feliciter, ut ipse Pontifex indixerit illi silentium. Successere quorundam monachorum vociferationes apud populum, nihil habentes in ore præter hæreses, blasphemias & schismata. Visa narro. Nulla res magis conciliavit omnium favorem Luthero. Quod si de condonationibus sobrie, sicut erant proposita, disputatum fuisset, nunquam hæc lues sic occupasset orbem.* Sed prætereundum non est Leonis ipsius dictum notatu dignissimum, quod indicio Viri illustris & edecumatæ eruditionis, *Huldrici Eybenii*, Assessori Cameræ Imperialis, debere me profiteor; Refertur autem in opusculis *Pauli Colomesii*, ex *Bandelli*, scriptoris Itali *Part. III. in præfatione Novell. 25.* his fere verbis ex Italico versis: *Sub initium propullulantis hæresis Lutheranæ convenerant nobiles quidam circa horam meridianam in domo virtuosi viri Scipionis Attellani nostri, varia colloquentes; inter alios fuerunt, qui Leonem X culpabant, quod in principio non quæsivisset remedium, cum ei Sylvester Prierias ostendisset, hæreticos quosdam articulos de indulgentiis typis a Luthero publicatos. Imprudenter iis respondit Pontifex: Fratrem Martinum pulcherrimo esse ingenio, & hæc esse invidias monachales.* Che Fra Martino fosse un bellissimo ingegno, e che coteste erano invidie fratesche.

(b) *Leonis X dictum ex scriptore Italo.*

§. XXXII.

(1) *Lutherus acrius insurgit in adversarium.*

Lutherus, visis Sylvestri literis, & thesibus, quocunque consilio aut motu scriptis, ita concitatus est, ut adversarium jam non saltem *ut hominem* (sic scribit) *rudem & barbarum, tenebris Thomisticis & nugalibus Pontificum, seu potius scribarum indoctissimorum decretis captivum* rideret, ut antea se fatetur fecisse; sed *ut blasphemum & a Satana impulsum execraretur, qui Papam, quamvis impium, Deum faceret, & robur divinæ Scripturæ, id est, verbi Dei vim, quod est ipse Deus, ex illius hominis, etiam impii, autoritate pendere statueret, licet omnes velint Papæ autoritatem ex Scripturis pendere, noto scilicet illo dicto, Tu es Petrus. Neque enim* (ait) *ubi urgentur, alio confugiunt. At nunc Satan iste Scripturas per*

A. 1518.

(1) Suspicatur Papam esse Antichristum, nisi corrigatur.

ras per hominem roborat. Quid est Antichristus, si talis Papa non est Antichristus? Hæc & alia, partim a *Sleidano* notata, in præfatione Lutheri, qua Sylvestri scriptum recusum comitatus est, habentur. *Optimam enim* (scribit) *libelli confutationem sibi videri, si, ut editus est, nudus evulgetur, cum secum habeat suam confutationem, plus quam optari a se potuerit, potentem.* Margini tamen quædam adscripsit, ut patet ex inserto *Tom. I. Jen. Lat. fol. 65. & seq.* Sylvestri libello. At in epilogo, quem addidit *fol. 71. b.* lectores monet, ut intelligant Sylvestrum non nisi summo odio & incredibili metu generalis Concilii ita scripsisse. Jamdudum enim id agere, quos vocat, Romanistas, ne aliquando Concilii remedio afflictæ Ecclesiæ succurratur, & criminibus, (quæ recenset) & erroribus modus ponatur. Ideo fingere, Papam esse supra Concilium, sine ejus autoritate nullum cogi posse, nullum durare, nullum obligare &c. ipsum vero Papam esse regulam infallibilem veritatis, autorem intelligendæ Scripturæ. Eo vero provehitur, ut dicat: si sic pergant, nullum esse reliquum remedium, quam ut Imperator, Reges, Principes, vi & armis accincti pestes has orbis terrarum (ob læsam scilicet majestatem, & arrogatam sibi solis immediatam a Deo potestatem & quintam monarchiam) aggrediantur. Alia ejusdem zeli, quæ ab immani illa Sylvestri in Pontifices adulatione expressa tunc Luthero fuerunt, ibi legas, quæ tamen sub finem scripti ita temperat, ut correctionem evangelicam, sive ex præceptis Dei, quibus etiam Papa non minus, quam quivis fidelium subjectus sit, præmitti, & ab omnibus Christianis sub pœna damnationis fieri debere suadeat. Reperitur eodem loco fol. 72. & sqq. cujusdam *Johannis Nannis, Viterbiensis*, Theologi Dominicani disputatio, ex commentario ejus Apocalyptico anno 1481 edito, excerpta, in qua defenditur: Christum sive agnum, & ejus vicarium, Pontificem Romanum, jure divino esse Regem Regum, seu Monarcham temporalem hujus mundi, unde inter alia consequi facit autor, Constantinum Imp. jure divino obligatum fuisse, ut Sylvestro Papæ urbe Roma cederet. Hæc edenda esse visa sunt Luthero cum epicrisi acerrima, quæ *d. l.* legi potest. Fateor tamen dubium mihi subortum esse, an hæc ipsa epicrisis eo tempore edita fuerit. Epistola nempe eadem, in margine allegata, sine die & adscripto anno 1520. extat *Lib. I. ep. 198.* inque ea de scriptis *Alveldensis*, & de libello Lutheri *ad Nobilitatem Germanicam* mentio fit, quorum utrumque ad annum 1520 pertinet, nec ante Bullam hoc anno publicatam, tanto zelo potestatem Pontificis Lutherus oppugnavit. Secutus tamen sum Maimburgii narrata, ne distraherem, quæ materiæ saltem ratione cohærent, incerto licet tempore.

A. 1518.

(3) De animadversione ejus in librum Joh. Nannis.

SECT. 16.

Lutherus Romam citatur.

Interim cum Romæ accusatio contra Lutherum ejusque libros & doctrinam, sententiæ Ecclesiasticæ palam oppositam, intentata semper continuaretur, Pontifex eum citavit, ut intra sexaginta dies Romæ compareret, coram datis ei judicibus, Hieronymo de Genutiis, Episcopo Asculensi, Cameræ Apostolicæ Auditore, & Sylvestro Prieriate, S. Palatii Magistro, qui jam juridice Lutheri theses pro hæreticis declaravisset. Citatio etiam hæc prius facta est, quam epistola Maximiliani Cæsaris Romæ redderetur, quam ex Comitiis Augustanis ad Leonem scripserat, rogans, ut quantocyus litem illam dirimeret, promittens etiam se executurum, quod Pontifex jussurus esset.

Die 7. Augusti. Epistol. Maximil. ad Leonem, Tom. I. Luth.

§. XXXIII.

(1) Lutheri de citatione suaque comparitione desideria.

De citatione Pontificia supplenda quædam sunt, occasionem præsertim suggerente *Pallavicino lib. I. capp. VI. & VII.* Die 7. Augusti datam notat ad marginem Maimburgius, sed eo die præsentatam Luthero esse, verisimile est, quia sequenti *Cyriaco* sacra, id est, *d. 8. Augusti* eam ad Spalatinum, qui tunc cum Friderico Electore in Comitiis Augustanis erat, misit, & commissionem ad audiendum se in partibus Alemanniæ petiit. *Lib. I. ep. 41.* Prieriatem, cujus dialogo tum responderat, sibi judicem datum esse, breviter questus, his verbis: *Idem homo suavissimus mihi simul adversarius & judex est.* Post quatriduum acrius institit *ep. 56.* & modum suppeditavit, quo liberari a comparendi necessitate posset, nempe, ut negato ab Electore salvo conductu, sive abeundi licentia, Wittenbergæ manendi causam haberet. Ideo sophismatum a *Pallavicino* accusatur, sed ex epistola apparet, quod amicorum saltem consilium referat, & quod certum esse scribat, Principis animum & mentem semper fuisse, negare abeundi licentiam. Quod vero Electoris interventione, aut precibus Academiæ Wittenbergensis, motum Pontificem, causam in Germania cognoscendam decrevisse & Cardinali Cajetano delegasse putat Maimburgius, actis repugnat. Nam Rector, Magistri & Doctores Academiæ Wittenbergensis non nisi sequenti mense d. 25. Septembr. ad Pontificem supplices literas pro Luthero scripserunt, in quibus eum *fidele & gratum membrum Academicum* vocant, & corporis valetudinem viæque periculum allegantes, in excusando eo ab hæretici dogmatis labe finiunt, nihil de cognitione causæ petentes; sed in literis *ad Carolum Miltitium*, Cubicularium Pontificis & Nuntium, quibus ea, quæ ad Pontificem scripserant, commendant, Lutherum majoribus prosequuntur laudibus, eique *multijugam & pene singularem eruditionem, moribus integerrimis & defæcatissimis conjunctam* tribuunt. Elector vero non tam ut Cajetano, quam ut Germaniæ quibusdam Prælatis causa committeretur, petierat. Quanquam cum Augustæ cum Cajetano collocutus esset, contentus esse videretur, ut ibi ab illo audiretur Lutherus. Itaque Pontifex d. 23. Augusti ad illum blande scribens, precum ejus pro Luthero nullam facit mentionem, nec iis dedisse se aliquid jactat, sed simpliciter refert, se & citari jussisse Lutherum, & interea Cajetano mandasse, quid in causa ejus agere debeat.

(2) Academia Wittenb. pro Luthero intercedit.

A. 1518.

ADDITIO I.

Contenta literarum Pontif. ad Fridericum Elect.

Extat Breve Pontificium *Tom. I. Lat. VVitt. fol. 204.* In eo Lutherus vocatur *iniquitatis filius, professionis suæ, quæ in humilitate & obedientia consistit, prævaricans, Friderici præsidio munitus, nullius autoritatem reprehensionemque veritus.* Fridericum quidem Papa a culpa absolvit, *sed suspicionem quoque vitare* jubet. Ex Magistri Palatii, aliorumque doctissimorum religiosissimorumque hominum relatione intellexisse se, scribit, *impia & hæretica a Luthero asseri*, jussisse ergo eum citari, & Cajetano, homini omnis Theologiæ Philosophiæque consultissimo, commisisse, quid cum eo agere debeat. Mandat in virtute sanctæ obedientiæ, ut Elector efficiat, quo Lutherus in potestatem & judicium sanctæ Sedis Apostolicæ deducatur; *fore*, ait, *si quid de Luthero in bonam partem Elector persuasum sit, aut is innocens fuerit, ut cum bona pace remittatur, neque enim se innocentiæ pœnam proponere, & pœnitentiæ gremium suæ clementiæ largiter aperire.*

(3) Cajetani legatio in Germaniam & ejus causa.

Aliam itaque causam delegandi Pontifex habuit, breviori nempe & leviori modo componi Lutheri negotium industria Legati posse persuasus. *Pallavicinus*, Majestati Pontificiæ consulturus, negat Cardinalem Lutheri causa, sed ideo missum, ut Principes Christianos ad societatem armorum contra Turcos moveret. Fortasse veriorem & intimam Lutherus subodoratus est, ut scilicet decimas ex Lateranensis Concilii placitis in Germania impetraret. Quanquam neutrum exitum habuit, tantoque indignius tulit Legatus, quod etiam in Luthero subjugando frustra fuisset.

ADDITIO II.

(a) Acta Friderici Sax. Elect. in Comitiis August.

Spalatinus, in *vita Friderici Electoris*, duo magna negotia in his Comitiis superata esse solius Friderici prudentia & constantia, notavit: *primum*, quod Pontifex, sub prætextu belli Turcici, per indulgentias Germaniam denuo exhaurire non potuerit: *alterum*, ne vivo Imperatore Rex Romanorum eligeretur. *Ea enim*, ait, *Fridericus animi magnitudine erat & firmitate, ut in re, quæ justa & honesta erat, a consilio semel recte capto, nullo modo dimoveri se pateretur, sed muri ahenei instar resisteret.* Licet ergo omni laboraretur industria, ut in Comitiis his Augustanis Carolus, Imperatoris nepos, in Regem Romanorum eligeretur, & omnes reliqui Electores jam consensissent; Fridericus tamen multis rationibus dissensum suum Cæsari excusavit. Instabat apud Electorem *Laurentius a Bibra*, Episcopus VVürzburgensis, intimus & charissimus ejus amicus; tum consiliarii, *Philippus Comes Solmensis, Fridericus Thunavius* Eques, *Degenhardus Pfeffingerus* Cubicularius, & qui ei a Secretis erat, *Hieronymus Rudolfus*, & super omnes ipse *Cæsar*; perstitit tamen in sententia, eique Cæsar tandem acquievit; pristinam benevolentiam erga Electorem ad mortem usque nihilo minus servans.

(b) Maximiliani Imp. constans erga Fridericum benevolentia.

Nam & cuidam ex Consiliariis suis, qui repulsam Friderici sugillare videbatur, dixit, *se responso ejus bene contentum esse.* Dein Augusta discedentem benigne admisit, multumque cum eo collocutus, quanquam haud optime valens, & pede claudicans, ad scalas usque comitatus est. Paulo post cum VVelsæ in Austria decumberet, paulo ante mortem Pfeffingero ab Electore misso, humanissima ad Herum mandata dedit: detracta prius capiti, qua tegebatur, mitella rubra (sein roth Schläplein) ita locutus: Du solt deinem Herrn / dem Churfürsten zu Sachsen / meinem lieben Oheim / von mir alles gutes und Gnade sagen / dann er hat gehandelt als ein frommer Churfürst / und daß er ja auff dem Reichs-Tage zu Franckfurt am Mäyn nicht aussen bleibe / sondern komme / denn ich wil auch hinkommen / und mich auffs längste auff den achten des Obersten erheben. Id est: *Nunciabis Domino tuo, Saxoniæ Electori, cognato meo charissimo, salutem plurimam, gratiamque: gessit is se, ut fortem & probum Electorem decet; dicasque, ut ad Comitia Francofurtensia certissime veniat, nam & ego ad illa venturus sum, iter circa Octavam Festi Epiphaniæ facturus.* Imperiti judicabant magnum Electori periculum a Cæsare, repulsa, ut suspicabantur, offenso instare; sed falsi sunt, ostenditque Deus, (ita hic commentante Spalatino) & in tempore & æternum felices esse Principes & subditos, qui secundum Verbum ejus, & præscripta honestatis & virtutis, consilia & actiones suas instituunt. An de rumoribus illis, & de simultate inter Cæsarem & Electorem aliquid legerit *Varillasius*, an ex conjecturis solum scripserit, quæ *Libr. III. de hæres. pag. 244.* de consiliis Friderici disputat, equidem ignoro; falsa plurima in tota illa narratione illum commisisse infra ad §. *XXXIX.* ostendam.

(c) Caroli V. legatio ad avum Maximilianum & Principes Imperii.

Communicatum mecum fuit ab *Illustri* quodam *amico* exemplum mandati, quod Carolus, tunc Hispaniarum Rex, *Heiero Comiti Mansfeldensi* Cæsaraugustæ d. 10. Jun. 1518 dederat, quod notis secretis (*ciffras* vocant) magna ex parte scriptum fuit; accesserunt autem explicationes interlineares, ita ut integer mandati sensus pateat. Is hic est: ut Comes ad Comitia Augustana iret, & Maximilianum, Caroli avum, adductis rationibus hortaretur, ut electionem suam in Regem Romanorum in his Comitiis procuraret: hoc enim se impense cupere, non ob suum commodum, sed pro gloria Germaniæ, & domus Austriacæ, & pro augmento fidei Christianæ. Addit, se magnam pecuniæ summam (eine treffentliche Summa Geldes) *Cortevilla*, ministro in aula Cæsaris residenti concredidisse, quæ Principibus distribueretur: Mandat præterea, ut Cardinalis Gurcensis *Jacobi Villingeri* & *Johannis Renneri* (Meister Hans Renners / qui Secretarius Imperatoris erat) officiis uteretur, omnes etiam Principes Caroli nomine conveniret, eorumque opem ab obtinendum desiderium suum imploraret: inprimis Electores, *Fridericum* Saxonem & *Joachimum* Brandeburgicum, & *Georgium* Saxoniæ Ducem.

(d) Epicrisis.

Ex his confirmatur Spalatini narratio, & judicium de Friderici virtute & magnanimitate, qui neque blanditiis, neque pecunia expugnari potuit, ut, quod legibus Imperii adversari existimabat, ullo modo admitteret, immo cum plerique jam cederent, ipse tamen sua constantia locum teneret, eaque simul uteretur prudentia, ut nihilominus Cæsaris offensam vitaret, alioque postea tempore, & justo atque legitimo modo, fidem & officia Austriacæ familiæ præstaret. An consistere cum his possint, quæ *Varillasius* in historia Cevrii de Maximiliani consiliis, Ferdinandum nepotem secundogenitum Carolo præferre volentis, commentatur, non abs re dubitari potest.

(4) Maximiliani Imp. litera ad Pontificem.

Quod ad epistolam Maximiliani Imperatoris d. 5. Aug. ad Pontificem datam attinet, verum est, quod Lutherus in ea præjudicio oneretur, & dogmata ejus pleraque hæretica & damnosa videri dicantur; sed bonum Principem controversiarum theologicarum parum peritum, facile ad ista scribenda inducere, ut fit, potuerunt ministri præoccupati, ut adeo horum potius, quam Imperatoris mentem inde liceat intelligere: hanc vero ipse in familiari sermone ita dicitur aperuisse, ut cleri consiliis & actionibus parum eum favisse appareat. Hoc forte movit *Paulum Venetum*, ut Epistolæ hujus mentionem in historia sua non fecerit, reprehensus ideo a *Pallavicino cap. VII. n. 5.*

ADDITIO III.

Maximiliani Imp. de Luthero, Pontifice & Clero dicta.

Cum Maximilianus Augustæ in Comitiis anno 1518. theses Lutheri legisset, Pfeffingero, Friderici Electoris consiliario, dixit: *Quid agit monachus vester? certe non spernendæ sunt theses ejus; sacerdotibus negotium facesset.* Er wird ein Spiel mit den Pfaffen anfangen. Per eundem moneri jussit Fridericum, *ut Lutheri curam haberet; fieri enim posse, ut ipso opus esset.* Er soll den Münch fleißig bewahren / es möchte sich zutragen / daß man seiner bedürffte. Cum vero Augustæ Prior, quem vocant, Dominicanorum cum Legato Cajetano discors, postea in causa Lutheri conciliatus esset: Cæsar id intelligens, teste D. Peutingero, dixit:

Ecce

A. 1518.

Ecce ut nequam isti homines agere soleant, voluerunt me liti suæ immiscere, id si obtinuissent, eodem modo concordes facti essent. Hæc & alia reperiuntur, quæ de Clero & Pontificibus vehementer questus est, omnium, qui suo tempore sedem tenuerunt, machinationes & mutationes insidas enumerans; & cum de Leone X primo bene speraret, mox tamen erumpentibus, quæ is cum Gallis egerat, dixit, *nisi me hic quoque Papa fefellisset, ille unicus esset, cujus bonam fidem laudare possem.* Vide *Tom. I. Alt. p. 124. & 150.* Scultet. *in anno 1520. p. 56.* ubi ex Hutteno hæc Maximiliani verba Germanica, quorum sensum Latine retuli, allegat: **Nun ist dieser Pabst auch zu einen Bösewicht an mir worden: Nun mag ich sagen/ daß mir kein Pabst/ so lang ich gelebt/ je treu und glauben gehalten hat: Hoffe aber/ ob GOtt wil/ dieser soll der letzte seyn.**

§. XXXIV.

Philippus Melanchthon Wittenbergam vocatur, & Luthero summe probatur.

Priusquam de itinere Lutheri Augustano agamus, alia quædam ad historiam pertinentia notare visum est. Venisse nempe circa hoc tempus Wittenbergam d. 25. Augusti vocatum, posthabitis aliis, ad Professoris Græcæ linguæ munus, *Philippum Melanchthonem*, Brettæ in Palatinatu inferiori natum. Inscriptus est, teste *Sennerto*, Rectore *Joh. Stæbio de Ginglin* Constantiensi, his verbis: *Philippus Melanchthon a Pretten* (nota incuriam scriptionis, pro *Bretta*, sicut in *Luder* & *Luther*) *Artium Magister Tubingensis, Græcarum literarum lector primus admissus, & ipso mox anno sequente Baccalaureus Biblicus.* Alii nempe Baccalaurei dicebantur *Sententiarii*. Agebat tunc annum ætatis vigesimum secundum, & jam Tubingæ annos quatuor Oratoriam docuerat, exili corpore & contemtibili fere specie; sed cum d. 29. Aug. lectiones suas oratione habita auspicatus esset, ingentem sui admirationem excitavit, ut Lutherus ipse pridie Calend. Septembr. ad Spalatinum scriberet, *Lib. I. ep. 57. Habuit orationem quarto die, postquam venerat, plane eruditissimam & tersissimam, tanta gratia omnium & admiratione, ut jam non id tibi cogitandum sit, qua ratione nobis eum commendes. Abstraximus cito opinionem & visionem staturæ ejus & personæ, & rem ipsam in eo & gratulamur & miramur.* Et paulo post: *Ego plane Græcum præceptorem, illo salvo, alium non desidero.* Monet tamen de ampliori salario ei prospiciendum esse, si enim, ut suspicatur, Pfeffingerus pro more suo nimium voluerit Principis marsupio consulere, metuere, ne eum auferant Lipsienses. Et post quatriduum alia epistola quæ est *59: Philippum Græcissimum, eruditissimum, humanissimum habe commendatissimum; auditorium habet refertum auditoribus, inprimis omnes Theologos, summos cum mediis & infimis studiosos facit Græcitatis.*

ADDITIO I.

Elogia Melanchthonis aut judicia de eo qui compilare velit, librum grandem effecerit: pauca referam aliquorum illius seculi doctissimorum celeberrimorumque virorum, qui diversæ erant religionis.

(a) Erasmi de Melanchthone judicium.

Erasmi ad Oecolampadium anno 1518 Lovanio scribentis judicium breve, sed maximi momenti est: *De Melanchthone* (ait) *& sentio præclare & spero magnifice, tantum ut eum juvenem nobis Christus diu velit esse superstitem; is prorsus obscurabit Erasmum.* Quamvis vero, cum paulo post VVittenbergam venisset Philippus, & in dogmatibus cum Luthero consentiret, Locosque suos Theologicos ederet, nollet omnia ejus probare Erasmus, non ausus tamen est laudes ei suas auferre, aut amicitiam cum eo abrumpere. Hoc ipso

A. 1518.

(b) Petri Mosellani ad Erasmum de Melanchthone epistola, cum responso Erasmi.

enim anno cum delatus apud Erasmum esset Philippus, quod sinistri aliquid de laboribus ejus in Novum Testamentum judicasset: intercedit apud illum *Petrus Mosellanus*, Professor Græcæ Linguæ Lipsiensis, vir doctissimus d. 6. Jan. 1519 his verbis: *Illud magnopere rogo, per Jesum etiam Christum, ne inducas animum, credere illis, qui apud te Phil. Melanchthonem deferunt: cave quidquam sinistrum de homine suspiceris; est adolescens optimus, ad summam eruditionem natus, nec pietatem minorem.* Respondit ad hoc Mosellano Erasmus: *Philippus Melanchthon apud me patrono non eget aut deprecatore. Faveo juveni, ut cui maxime; plus quam atrox injuria sit oportet, quæ apud me dirimat amicitiam.* Dein ipsius Philippi excusationem lubens accepit, ut constat ex epistola, Lovanii Cal. Maji data. Scribit enim: *Illud tibi persuadeas velim, me Philippum ex animo diligere, & illius felicissimo ingenio non vulgariter favere. Dici vix potest, quantum arriserit hymnus, quo jam veterem illum Orpheum nobis referens angelos celebras. Legi & præfationem, qua veterem eruditionem prædicas, fortiter quidem ingentique spiritu, quemadmodum & juvenem decet & Germanum. Bene vale, Melanchthon eruditissime, totisque viribus annitere, ut spem, quam optimam de tuo ingenio tuaque pietate concepit Germania, non æques modo, verum etiam superes.* Item: *Moderare studiorum labores, quo diu juvandis literis superesse possis, nam audio tibi valetudinem esse non prorsus adamantinam. Postremo vel in hoc vitam cura, ne gratum facias τοῖς βαρβάροις τούτοις.* Vid. *Lib. V. Epist. Erasm. ep. 38. Lib. VI. ep. 1. 2. & Lib. XIX. ep. 113.* ubi, acceptis Philippi Locis Theologicis, *etsi non omnia* dicat *assequi, aut propter conscientiam profiteri se posse, suspicere se tamen ingenium ejus candidum & felix scribit; vidi,* ait, *dogmatum aciem pulchre instructam adversus tyrannidem Pharisaicam.*

(c) Sadoleti Card. ad Melanchthonem epistola, & de illo.

Ex *Jacobi* denique *Sadoleti*, Cardinalis, literis anno 1537. d. 15. Calend. Julii Romæ datis, etsi tempore posterioribus, referre quædam huc visum est, dudum quidem editis. Inscriptio epistolæ, quæ typis vulgatæ addita non est, in vetusto ejus exemplo, quod in *Bibliotheca Citensi*, a Julio Pflugio Episcopo colligi cœpta, extat, ita habet: *Dilectissimo tanquam fratri Philippo Melanchthoni, sacrarum literarum Professori.* Verba Sadoleti inter alia hæc sunt: *Carpentoracti cum essem, quo in loco statutum habere me credens domicilium perpetuum vitæ fortunarumque mearum omnium, repente tamen inde decedere & Romam redire, jussu Pontificis Maximi, sum coactus. Sed cum ibi essem, accidebat mihi ferme quotidie, ut aliquid nanciscerer de scriptis tuis, quæ ego & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam styli & orationis libentissime legere solebam. Id cum sæpius facerem, magnaque in legendo delectatione adficerer, sensi paulatim mihi incendi animum ad quandam benevolentiam nominis tui, usque eo quidem, ut miro quodam studio tecum ineundæ amicitiæ tenerer.* Exponit deinde ut invitus, ex Episcopatu suo Romam tractus Cardinalitia purpura vestitus sit, & in familiaritatem admitti se a Philippo petit, addens: *Non enim is sum, qui ut quisque opinione a nobis dissentit, statim eum odio habeam. Arrogantis est hoc & elati animi, non mansueti & comis, quas me pronius ad partes natura mea vocat: sed faveo ingeniis, virtutes hominum colo, studia literarum diligo, in quibus tu, ut doctrinæ & ingenii, sic amoris mei non mediocres partes possides. Nec dubito, quin tu eadem mente & voluntate sis præditus. Isti enim animo, qui tam liberaliter artibus ingenuis expolitus sit, nihil agreste atque asperum inesse potest, quo etiam majorem mihi spem virtus tua facit, meas hoc apud te literas ponderis habituras, ut qui locorum spatiis disjuncti sumus, animis tamen & benevolentia conjungamur, quod ego maxime aveo & expeto.* Sequuntur plura ejusdem humanitatis. Ad quæ tamen an & quid responderit Philippus, incompertum habere me fateor. Extat & alia *Sadoleti* epistola ad *Joh. Sturmium* paulo post anno 1539 data, cujus excerpta nuper Londini edidit *Paulus Colomesius.* In ea hæc sunt verba: *Palam, cum facultas datur, soleo & commemorare & loqui, me tibi &*

A. 1518.

Melanchthoni & Butero, hominibus doctissimis; plane benevolum & ex animo fautorem esse. Quis *Varillasio* imposuerit, (nisi ipse finxit) ut scribat *Lib. VII. p. 140. Melanchthonem Lutheri Secretarium fuisse*, & quod *eadem domo, mensa & lecto per septem annos usi* sint, *usque ad conjugium Lutheri*, non vacat inquirere. Falsissima interim sunt omnia: nam Melanchthon anno 1518. VVittenbergam venit, cum Lutherus in cœnobio Augustiniano esset, & annis adhuc pluribus maneret, nec contubernalem, qui monachus non esset, recipere posset. Sequenti anno 1520 Melanchthon *Catharinam Crappiam* uxorem duxit, quinquennio prius quam Lutherus de nuptiis cogitasset. *Secretarii* denique titulus ineptissime huc trahitur, eoque loco erat Melanchthon apud Lutherum, ut non magis pro collega, quam magistro in quibusdam haberetur.

ADDITIO II.

(a) *Capnionis epistola ad Fridericum Electorem de Professione linguarum, & de Melanchthone.*

Memorabilis est *epistola Capnionis* satis longa d. 7. Maji 1518 ad Electorem Fridericum Saxonem Germanice data, qua ei ad literas die Marci sive 25 Aprilis ad se scriptas respondit. Petierat Elector, ut viros ad docendam Hebraicam & Græcam linguam in Academia VVittenbergensi idoneos sibi denominaret & procuraret. Laudat consilium Principis Capnio, quod Academiam ad Germaniæ utilitatem & gloriam ornare & amplificare vellet studiis Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ melius excolendis; hoc in perpetuam Electoris gloriam cessurum esse affirmat. *Herculis*, ait, *facto nullam superfuturam fuisse memoriam, nisi eloquentiæ simul magister aut patronus fuisset, & doctos viros in omnibus regionibus constituisset*, id quod ex Luciani testimonio & cognomine Herculis, qui *Ogmius* dicebatur, probatum it. *Deucalionis* fabulam eodem trahit, quod ex saxis, id est, rudibus & barbaris, homines eruditos, instituta in Parnasso schola, formasset. Idem de *Prometheo* statuit, ex luto homines fingente. *Ita* (pergit) *cum Sophistæ nugis hucusque non sine damno Ecclesiæ nos dementaverint*, (um Narrenseil geführet /) *ut defectu linguarum ad sapientiam veterum pertingere non potuerimus; æternam laudem meretur Princeps, qui viam per linguarum illarum, quæ non sine mysterio in titulo crucis Christi scriptæ fuerunt, studia, ad veram aperit eruditionem, & humanitatem in Germaniam reducit.* (ein Stiffter der Menschligkeit.) Promtissimum itaque se esse profitetur, ut ejus desideriis obsequatur, & primo quidem laborasse, ut Oecolampadium, (*Icolampadium* scribit pronunciationem vulgarem secutus) concionatorem *VVinsbergensem* Hebraice doctum mitteret, sed a Basileensibus illum præreptum, neque in Germania superiori sibi notum esse inter laicos, cui munus docendi Hebraica concedi posset, nisi forte *Paulum Riccium*, Cardinalis Gurcensis medicum, sed se humiliorem esse, quam ut audeat Cardinalem eo nomine compellare. Esse etiam in monasterio Rubeaquensi Franciscanum ex iis, qui ab observantia denominantur, *Conradum Pellicanum*, qui tamen sine permissione Superiorum vocari non possit. Judæos conversos satis in sua lingua, sed usu saltem doctos reperiri, quia vero Latinæ imperiti sint, ad alios docendum parum aptos esse. Ad Græcam vero literaturam habere se idoneum hominem, cognatione sibi junctum, einen gesippten Freund/ quo quidem haud libenter careat, sed ex singulari in Electorem studio, (cum ipse, licet maxime cupiat, per ætatem suscipere munus id nequeat) effecturum, ut operam suam addicat, *Magistrum* nempe *Philippum*, Maister Philipp Schwartzerd/ *Brettanum*, licet eum Ingolstadiensi Academiæ negaverit. Addit quædam de stipendio, & itineris commoditate, & impensa.

(b) *Aliquid de sua lite cum Dominicanis.*

Subjungit postea, quod Elector desideraverat, aliquid de lite sua cum Dominicanis, questus quod finis ejus retardetur artificiis adversariorum, id agentium, ut ipse interim ætate gravis decederet; neque sibi quidquam prodesse Imperatoris, Electorum, Principum, Episcoporum, Prælatorum, & Civitatum apud Pontificem intercessiones, precari se Deum, ut emendentur cives, quo melioribus Magistratibus digni redderentur: daß wir Unterthanen uns selber bessern / damit wir besserer Häupter würdig wären. Alias literas d. 25. Julii ad Electorem scripsit, quibus significat, Philippum ad eum Augustam Vindelicorum venturum esse, cum supellectile sua libraria.

A. 1518.

§. XXXV.

(1) *Lutherus constantem animum ostendit in literis ad Staupitium, & alios.*

Frequentia igitur studiosorum, Lutherum & Melanchthonem audientium, Wittenbergæ indies crevit, Lipsiæ vero minuta est; sed aucta etiam Lutheri invidia fuit, tum ob *concionem* de excommunicatione adversus abusus Officialium & Vicariorum, quæ legitur *Tom. I. f. 171. & seqq.* tum ob *Resolutiones* thesium, de quibus supra dictum est, hoc mense Augusto publicatas. Sed animum non dejecit. Monuerat eum, superveniente jam citatione Pontificia, *Staupitius*, nescio quid; huic Cal. Sept. respondit: *Nihil dubites, Reverende Pater, futurum me liberum in verbo Dei scrutando & tractando. Neque enim illa citatio & intentata comminationes me movent.* Postero die ad Spalatinum hæc scripsit: *Scribis, esse quosdam, qui Principem nostrum illustrissimum conentur & cœlo & terræ invisum facere: obsecro, quid hoc monstri est? opto ex corde, ne id mei causa fiat; sicut dixi, ita dico, nolo in hac re Principem nostrum innocentissimum quicquam facere, quod propositiones meas defendat, sed offerri & objici volo omnibus, quicunque contra me vel agere vel scribere voluerint: sicut spero facturum esse, nisi forte id commode præstare posset, ne vis mihi irrogaretur. Quia si ne hoc poterit; etiam sic volo meum esse periculum totum. Spero me pulchre defensurum ea, quæ defendenda suscepi, invitis (ut Christo duce glorior) omnibus opinionibus Thomistarum. Violentiæ autem locum dare necesse erit, veritate tamen salva.* Non multo post circa Idus Septembr. in epistola ad Joh. Langum, Priorem Augustinianorum Erfurtensem, refert: *Dominicanos coëmere exemplaria Dialogi Sylvestrini, atque supprimere, recudi autem nunc Wittenbergæ*; dein *scriptum sibi esse ab Electore, effecisse illum, ut Legatus Cajetanus scripserit ad urbem pro causa committenda ad partes, interim sibi expectandum, & sperare censuras non venturas esse*; addit tamen: *displiceo multis, pluribus, plurimis.*

(2) *Staupitii pium responsum.*

Eodem tempore piæ Staupitii literæ ad Lutherum Saltzburgo scriptæ, huc inseri omnino merentur, quæ leguntur *Lib. I. ep. 61. Videtur mihi mundus contra veritatem exasperatus: olim in tanto odio fuit crucifixus Christus: & quid hodie præter crucem te maneat, non video quicquam. In foribus, ni fallor, est sententia: ne quis inconsulto Pontifice scrutetur Scripturas, ad inveniendum se; quod utique Christus, ut fieret, jussit. Paucos habes patronos: & utinam non sint occulti propter metum adversariorum. Placet mihi, ut Wittenbergam ad tempus deseras, meque accedas, ut simul vivamus moriamurque. Idipsum & Principi complacitum est. Hic pono modum verbis. Expedit ita fieri, quatenus deserti desertum sequamur Christum. Vale & felix veni. Datum Saltzburgæ, die exaltationis sanctissimæ crucis*, id est, d. 14. Septembr. *Anno M. D. XVIII.*

(3) *Ejusdem literæ ad Spalatinum.*

Paulo ante, d. 7. Sept. ad Spalatinum scribens, eandem magnitudinem animi ostentat, pro veritate quidvis patiendi, precaturque Electorem, *ne se, nec Lutherum, nec ordinem Augustinianum respiciat, veritatis tantummodo manutentioni intendat, utque hæc in lucem veniat, fugatis tenebris, satagat: modo*

securus

A. 1518. *securus sit locus, ubi absque metu, cadente in virum constantem, libere loqui possit.* Ibidem ait: *Ego novi, quantum saviat Babylonica, ne dixerim Romana, pestis in eos, qui abusibus vendentium Christum contradicunt. Vidi enim, concionatorem verissima docentem, de pulpito violenter rapi, & licet in maxima festivitate, coram omni populo per cordas trahi, carcerique mancipari.* Hæc epistola alieno loco inserta est. *Tom. I. fol. 384. b.* Permotus autem est Staupitius, ut Augustam iret, & auxilio Luthero esset, eoque paulo post Lutherum adventavit. A. 1518.

SECT. 17.

Act. Luth. ap. Cajet. Ep. univers. ad Carol. Miltit. & ad Leon. Luth. Tom. I.

Sed interpositis Electoris Saxoniæ & Academiæ Wittenbergensis pro Luthero precibus, consensit Pontifex, ut causa in Germania cognosceretur, data judicandi facultate Thomæ de Vio, *Cardinali Cajetano, Legato suo, qui tunc Augustæ Vindelicorum erat. Lutherum Fridericus Dux urgebat, ut coram tanto viro se sisteret, quem virtus omnibus plus quam purpura venerabilem reddebat. Obtemperavit Lutherus huic jussui, die XII Octobris Augustam venit, acceptis prius literis Cæsaris, quas salvi conductus vocant, sine quibus, amicis ita consulentibus, comparere nolebat.*

(1) Cajetanus ad audiendum Lutherum mandatum a Pontifice accipit.
(2) Lutherus Augustam venit.

§. XXXVI.

(1) Uberior narratio de Lutheri itinere.

Multa in his, & quæ sequuntur, de actis Augustanis cum Cajetano prætermittit aut turbat Maimburgius, quæ ex *Lutheri* Tomis Latinis & Germanicis, ejusdemque epistolis, aut ex ipso *Pallavicino* plenius, saltem verius tradere potuisset. Fridericus Elector ante iter Lutheri, Augusta abiens, Legato Pontificio promiserat, ut ex literis ejus postmodum ad eum scriptis apparet; *se effecturum, ut Lutherus coram eo sese sisteret;* nec de salvi conductus literis aliquid dixerat, aut pactus erat. Dubitantem vero, ut videtur, de comparitione Lutherum animaverat, promittendo, non passurum se esse, ut Romam duceretur, & commendationibus ad senatum aut proceres quosdam civitatis Augustanæ, viatico etiam instruxerat, fortasse non amplo. Pedes certe iter fecit Lutherus, ut ipse scribit, & pauperiem miseriamque suam, immo & temeritatem, quod nulla prius impetrata securitate profectus esset, non celat. Norimbergæ a *Wenceslao Linccio*, ordinis sui Theologo, cucullum commodatum sumsit; dein tribus ab Augusta milliaribus conducto curru in urbem vectus, ad Augustinianos primum venit; sed nescio, qua causa apud Carmelitas hospitium impetravit, vel, ut *Pallavicinus* scribit, emendicavit. Convenit eum ante omnes Italus quidam, ex Cajetani comitatu; quem *Urbanum oratorem* nominat. (Montisferratensem (*de longa Serra* cognomen in aliis scriptis reperii) fuisse, ex Cajetani literis ad Electorem percipitur.) qui lenissimis verbis bene sperare de Cardinali jussit, eumque sine ulla suspicione adire. Ignorabat tunc Lutherus argumentum diplomatis sive commissionis Pontificiæ, id tamen non nisi in reditu Norimbergæ accepit, ut ex *epistola 68. Lib. I.* ad Spalatinum constat. Illo enim ante iter viso, si condemnatum se jam Romæ esse, & in captivitatem peti comperisset, vix persuaderi sibi passus foret, ut Cardinali se sisteret. Hærentem autem, an Urbano illi, Cardinalis emissario, sive *Sinoni* (ut eum vocat) obsecundaret, Augustani omnes, quibus ab Electore commendatus erat, monuerunt, ut prius a Cæsare, qui venatum exierat, salvi conductus literas expectaret. Itaque, quoad hoc consilium *multos Germanos, antea cognitos, atque vita & autoritate celebres, se Germanum uni Italo prætulisse,* scribit *epist. 76.* Eorundem amicorum opera factum est, ut Cæsar petitis annueret, ægre id quidem ferente Cardinale. Is tamen in literis ad Electorem postea scriptis videri voluit, se consensum Cæsari præstitisse, vere, an callida offensæ dissimulatione, non disputo. Erat utique, stante illa universalis potentiæ Romanæ hypothesi, res invisa, Imperatorem tutelam suscipere monachi, in quem nullam, si cleri principiis locus est, habebat jurisdictionem. Quod si Brevis Pontificii rigor consideretur, parata jam erant adversus omnes fulmina, (solo Imperatore excepto) qui patrocinium Luthero præstituri essent, non censuris saltem ecclesiasticis coërcendi, sed dignitatibus & feudis, a quocunque collatis, privandi. Tetigit hoc ulcus *Pallavicinus*, dum *Lib. I. c. IX. n. 2.* Cardinalem *noluisse* scribit, *ut consensus suus patesieret, ne hac ratione comprobaret, a profano Principe fidem porrigi reo, in causa religionis jam ad Pontificem delata.* Sed erant revera hæ Imperatorii juris reliquiæ, in tanta licet, qua tum potestates summæ premebantur, servitute ad veritatis & innocentiæ præsidium utcunque exerciti.

(2) Impetratio salvi conductus.

Non erravit igitur Lutherus, cum in suis relationibus memorat, *Cardinalem non probasse salvi conductus impetrationem*; nec vane forsitan absque illo metuisset Lutherus, quanquam ipse majori fiducia, quam res ejus ferre videbatur, agebat. Narrat ipse in *præfatione operum Latinorum* anno 1545 repetiitque paulo ante mortem in colloquio cum familiaribus, quomodo responderit Oratori Italo, a Cardinali misso; Urbano, puta, illi: *Tertio die venit expostulans, cur non accederem Cardinalem, qui benignissime me expectaret?* Respondi, *mihi obtemperandam esse consiliis optimorum virorum, quibus essem a Principe Friderico commendatus, esse autem eorum consilium, ne ullo modo absque tutela Cæsaris, seu fide publica, Cardinalem accederem. qua impetrata (agebant autem illi apud Senatum Cæsareum, ut impetrarent) mox eisem accessurus.* Hic commotus ille, *Quid* (inquit) *putas, Principem Fridericum propter te arma sumturum?* dixi: *Hoc nollem prorsus. Et ubi manebis?* Respondi: *sub cælo.* Tum ille: *Si tu Papam & Cardinales in potestate tua haberes, quid esses facturus? Omnem,* inquam, *reverentiam & honorem exhibiturus.* Tum ille, gestu Italico mordens digitum, dixit: *Hem!* Et sic abiit, neque reversus est.

(3) Sermo inter Lutherum & oratorem Cajetani.

SECT. 18.

(1) Narratio de colloquio Cajetani cum Luthero.

Acta Luth. ap. Cardin. Cajet. Tom. I. Cochl. Acta Lutheri.

Cardinalis illum ab initio comiter excepit, & evitata disceptatione, quæ ejus dignitati & officio judicis non conveniebat, Pontificis nomine denunciavit, necesse esse, ut errores in libris suis extantes revocaret, & se ab iis abstinere velle promitteret. Respondit Lutherus, se non putare, quod errores docuerit; aliquosque sibi ostendi rogavit. Inde duos ei Cardinalis notavit, primo, quod contra Constitutionem Clementis VI negasset, merita Christi infinita thesaurum indulgentiarum esse; dein, quod ad justificationem sola fides sufficiat, qua firmiter & sine dubitatione creditur, omnia peccata pœnitentibus remitti: hoc enim Scripturis adversari, ex quibus constet, hominem nunquam omni certitudine securum esse posse de gratia. Lutherus, qui Clementinam legerat, dixit, se ad eam admittendam non teneri, quia tantum referat opinionem S. Thomæ; Scripturam inde allegabat, sed suo sensu explicans, & falsa distinctione quadam utens, quales ingenia hominum, ad ejusmodi illusiones fertilia, facile invenire possunt, ad asserendum quicquid aliquam veri speciem habet. Cum vero post satis longam de hoc argumento (ad alterum enim non accedebant) habitam disputationem Lutherus videret, quod Legatus responsionibus suis parum contentus, semper retractationem urgeret, & ulteriorem disceptationem recusaret; tempus ad deliberandum in diem sequentem petiit, eoque impetrato comparuit, comitante Notario & testibus, præsentibus etiam quatuor Senatoribus Augustanis. Tum protestatus, quod judicio Ecclesiæ Romanæ omnia, quæ dixisset & fecisset, submitteret; nihil se aliter proposuisse dicebat, quam per modum disputationis, ad investigandam veritatem, neque scire, quod contra hanc quidquam asseruerit, adeoque nec reperire, quod retractare deberet, antequam ostensum fuerit, in quo errasset, quanquam ut hominem errare se potuisse, non diffiteretur; offerebat autem rationem redditurum se esse sive disputando sive scriptis omnium, quæ dixisset, & judicium Universitatum Basileensis, Friburgensis, & Lovaniensis, maxime vero Parisiensis, quæ mater scientiarum & semper in studiis Theologiæ florentissima fuisset, se secuturum. Tandem cum longum scriptum exhibuisset, in quo rationes & testimonia, quibus errores suos probari putabat, exposuerat, Legatus vero horum nihil admittens, semper retractationem imperaret, & censuras ecclesiasticas minaretur, etiam ulteriori ad se aditu, nisi obtemperaret, eum prohiberet, noctu appellationem ad Pontificem affigi fecit, & festinanter Wittenbergam reversus est, metuens, aut metuere simulans, ne Cardinalis jussu, una cum Staupitio Vicario, Patrono suo, captivus retineretur. Nihilominus literas valde modestas ad Legatum scripsit, in quibus benignitatem, qua exceptus fuerat, laudavit, seque excusavit, quod minus reverenter, quam decuisset, ipsi locutus fuerit. Ad alios vero, ipsumque Pontificem, plane contrarias exaravit, querens de duritie, vel potius intolerabili, ut dicebat, Cardinalis hujus tyrannide, qui se constringere ad retractandum voluisset, neque tamen demonstrasset, in quo erraverit; dein, quod non acceptasset, quæ obtulisset, nempe quod de indulgentiis nihil amplius dicere vellet, modo adversariis quoque silentium imponeretur.

(2) Lutheri protestatio & oblatio.

(3) Ejusdem appellatio & abitus.

§. XXXVII.

(1) Verior de colloquio Cajetani cum Luthero relatio.

Comis exceptio, quam etiam Lutherus laudavit, illa fuit, ut Cardinalis procidentem in faciem, (id ut faceret, ab Urbano illo monitus erat) dein in genua subsidentem erigeret, alloquentem placide aliquandiu audiret, nec, postquam ad colloquium ventum est, Magistro ceremoniarum, quo utebatur, permitteret, ut eum interturbaret. Laudavit etiam illum Cardinalis apud Staupitium, immo *amare se Lutherum, nec jam pro hæretico habere*, dixisse fertur. Tria autem statim a Luthero postulavit, ut *revocaret errores*, ut *ab iis imposterum abstineret*, & ut *ab omnibus etiam aliis abstineret, quæ turbare possent Ecclesiam*. Omissa hæc a Maimburgio Lutherus in relatione sua ad Electorem *Tom. I. fol. 208. b.* etiam *Cochlæus* referunt, ipse vero Cardinalis ad Electorem ita scribit: *fol. 206. Dixi ante omnia, quod secundum solidam Scripturam sacram interrogandus esset, & quod si se cognosceret, & de cætero caveret, possemusque secure dormire, nec reverteretur ad vomitum, omnia componerem sanctissimi Domini nostri Leonis X Papæ autoritate.* Duos vero saltem articulos Lutheri improbasse, verum est. *Primum* nempe & potissimum, quo indulgentias & Clementis VI bullam impugnabat; sed *alterum* non recte enunciat Maimburgius, sed ex suo forte ingenio huc trahit, immo & decidit quæstionem de justificatione per fidem. At Cardinali utique credendum hic est, concordante inprimis Lutheri & Cochlæi relatione, quod alterum caput Luthero objectum fuerit *de fide Sacramentorum. Objecit*, (scribit Lutherus) *quod concl. 7. inter declarandum dixeram, oportere eum, qui ad Sacramentum accedit, credere se consecuturum gratiam Sacramenti.* Notandum vero est, ad supplenda vel emendanda Maimburgii narrata, satis vehementer de litera & sensu, tum de autoritate constitutionis Clementinæ inter Cardinalem & Lutherum disceptatum, sed paucula quædam *de fide utentium Sacramentis* tractata esse; quamvis Cardinalem postea pudere ejus conflictationis visum est, ut infra dicemus. Summam vero offensam incurrit Lutherus quod Bullæ Clementinæ non tantum præferret Scripturas, sed & nihil probari ex Constitutione illa posse contenderet, quia torqueret Scripturas in alienum sensum, & tantum opinionem Thomæ recitaret: deinde quod extollenti potestatem pontificiam Cardinali, *supra Concilium, supra Scripturam*, & Concilii *Basileensis abrogationem*

A. 1518.

tionem allegantí, *Universitatis Parisiensis appellationem* opposuerat, & *Joh. Gersonis* scripta. Respondit enim Cardinalis cum commotione: *Parisienses videbunt pœnas suas:* & *Gersonistas damnatos esse* dicebat. Memorat hæc Lutherus in relatione ad Electorem *fol. 210.* quæ Cardinali postea transmissa est. Quam si attendisset Maimburgius, causam Lutheri pro Concilio Basileensi, & pro Joh. Gersone, atque Parisiensi Academia adversus Cardinalem pugnantis, tueri, aut communem saltem sibi cum eo agnoscere debuisset, si modo ex animo scripsit, & pro veris habet, quæ pro Concilio Basileensi in tractatu suo nupero *de jure Pontificum* asseruit. Fundamentum itaque unicum Cardinalis in articulo indulgentiarum erat autoritas Pontificia.

ADDITIO I.

Tractatus Maimburgii de Pontificatu Romano.

Tractatus Maimburgii Gallice scriptus, & anno 1685 editus, titulum habet: *Traité historique, de l' etablissement & des prerogatives de l' Eglise de Rome & de ses Evêques.* Id est: *Tractatus historicus de institutione & prærogativa Ecclesiæ Romanæ ejusque Episcoporum.* Qui Gallica non intelligunt, contenta libelli *ex Actis Eruditor. Lipsi. anni 1685. p. 216.* discere possunt. Asserit in illo primatum & jurisdictionem universalem Pontificum, ut successorum Petri Apostoli, contra Protestantes, sed restringit potestatem illam ad concilia & canones: dein infallibilitatem Pontificum negat, etiamsi e cathedra & abhibito consilio Cardinalium aut Theologorum (extra concilium) decernant. Exempla lapsus Pontificum, a Petro orsus, notabilia adducit, & Conciliorum autoritatem supra Papas prolixe adstruit; Canonum regulis omnino teneri docet, & tandem jus temporale in Reges & Principes Pontifici prorsus abjudicat.

(1) Disputatio de fide in usu Sacramenti.

Cæterum etsi ipse in literis ad Electorem commemorat, & Lutherus *fol. 208. b.* affirmat, Cardinalem *non opinionibus Doctorum, sed Scripturis sanctis & Canonibus acturum se esse* promisisse; provocantem tamen ad Scripturas Lutherum vel irrisit, vel ei meras Doctorum opiniones oggerere cœpit, præsertim ubi ad quæstionem de Sacramentis ventum est. Scribit itaque ad Electorem Lutherus: *fol. 208. b. Expecto, peto, rogo usque hodie unam Scripturæ autoritatem, vel sanctorum Patrum, quæ sit contra meam hanc sententiam.* Hanc vero longe majoris facit, quam litem de indulgentiis: (quanquam hanc maxime urgebat Cardinalis) addit enim: *fol. 209. a. Non sum ideo malus Christianus, si indulgentias nolim; sed si hanc fidei sententiam mutavero, Christum negavero. Sic sapio, sic sapiam, donec contraria sententia per Scripturas fuerit probata, & adductæ per me autoritates dissolutæ, quod nondum est factum, neque fiet, Deo propitio, unquam.* Sed Cardinalis levia habuit, & contemtu voluit elidere, quæ Lutherus ex Scriptura adduxit, immo in colloquio cum Wenceslao Linccio non veritus est dicere; *si indulgentiarum impugnationem revocaret Lutherus, totam causam componi posse: articulum enim de Sacramentis admittere moderationem & interpretationem.* Quo intellecto Staupitius optavit, *ut notario & testibus præsentibus illa dixisset Cardinalis, ut constaret, Romæ plus æstimari pecuniam quam fidem.* Vide *Tom. I. Alt. fol. 123.* Constat, Cajetanum Scholasticis quidem doctrinis refertissimum, sed eo tempore Scripturarum valde imperitum fuisse. Lutherus sane ad Spalatinum scribens d. 19. Novembris *Lib. I. ep. 71. audisse se ait ex ore ejus*

(3) Cajetanus in Scripturis imperitus.

propositiones atheologissimas, quas, si alius dixisset, hæreticissimas pronunciasset; & hunc tamen inter Dominicanos principem principissimum doctrinæ esse, secundum vero Sylvestrum; unde cogitari possit, quales sint decimi & centesimi. Ipse etiam *Pallavicinus* imperitiam sacrarum literarum, seu theologiæ ecclesiasticæ ei non obscure tribuit; & in hac postea demum, sive postremis annis suis, (tunc enim in sacram Scripturam commentatus est) eruditionem acquisivisse tradit *Lib. I. cap. X. n. 7.* quem zelum ex hoc ipso cum Luthero conflictu natum ei fuisse probabile est. Cæterum quæ Lutherus sive ex schedula recitavit, sive scripta porrexit, literasque duas, quas ad Cardinalem dedit, *Tom. I. Jenens. fol. 202.* legere licet. Fallitur autem Maimburgius, dum Lutherum venisse scribit Augustam *die 12. Octobr.* cum ipse adventus diem nominet *S. Marci* post Franciscum, id est, Marci Papæ, scilicet *8. Octobris* die Veneris, sive feria sexta & post quatriduum, id est, die 12. Octobris, impetrato nempe illo die conductu Cæsareo, Cardinalem prima vice accessit: altera die nempe 13. Octobr. iterum comparuit, comitatus quatuor insignibus Consiliariis Cæsareæ Majestatis, ut ipse refert: quanquam in relatione *Tomo I. Germ. f. 122. & seqq.* inserta tres tantum & inter illos *Decanus Tridentinus*, & *D. Conradus Peutingerus*, (quem unum in re sua studiosissimum prædicat *Lib. I. ep. 62.* Lutherus) recenseantur; (*Senatores* solum Augustanos perperam vocat Maimburgius.) Adduxit etiam Notarium & testes, & responsionem suam ex scripto recitavit, in qua Academiarum judicio se submisit, acriter obloquente & disputante Cardinale, ita ut Luthero parum temporis ad replicandum concederetur; unde surgens, qui aderat, Staupitius, in scriptis eum audiri petiit, idque repetente Luthero impetratum fuit. Aderant ei etiam Legati Electoris Saxoniæ *Philippus Feilitschius* Eques Auratus, & *Joh. Rüel* Jurisconsultus, autor relationis ad Electorem *fol. 194.* Tertio dein accessu d. 14. Octobris scriptum illud exhibuit, quod in relatione continetur, *fol. 196.* Id contemsit Legatus, ad Urbem tamen missurum se esse dixit, & Lutherum abire jussit, nec redire, nisi revocaret. Egit tamen eodem die cum Staupitio, ut Lutherum ad revocandum persuaderet, quod hic promisit; sed cum Cardinalis juberet, ut ex Scripturis Lutherum convinceret, respondit, *id supra vires suas, & imparem se Luthero esse, in sacris literis & ingenio.* Vide *Lib. I. ep. 64. & 76.* Staupitii (ut in collectaneis Bavari *Vol. I. p. 265.* notatur) ea cautela fuit, ut Lutherum ab obedientia, ante colloquium cum Cajetano absolveret, ne scil. in Ordinis sui contumeliam redundaret, si quid ei adversi accideret, nec ipse excusatione careret, si juberetur eum ad revocationem vel silentium cogere. Hanc primam excommunicationem suam vocare solebat Lutherus, alteram a Pontifice, tertiam a Cæsare passus. Cum igitur Staupitius & Linccius audita ex Cardinale exposuissent Luthero, non solum per eos aliosque multa cum submissione Cardinalem placare conatus est, sed & d. 17. Octobr. (*pridie Lucæ*) literas ad eum scripsit: in his Staupitium, ut *patrem*, Linccium, ut *sodalem, quorum uterque se solidum in manu habeat*, deprædicat, *nec per alios fortius & dulcius*

(4) Tempus adventus & comparitionis Lutheri, item comites.

(5) Cajetani & Staupitii acta cum Luthero.

(6) Lutheri ad Cajetanum literæ.

moveri

A. 1518. *moveri se posse* profitetur, Cardinalem dein mire laudat, & timore posito, amorem & veram filialemque reverentiam erga eum testatur; deprecatur etiam quod, (irritatus scilicet) *irreverentior in Pontificem fuerit*, & *promulgaturum se id per omnia* offert *pulpita*, *aliumque futurum & aliter locuturum* pollicetur. *Promtissimum se etiam* dicit, *de indulgentiis posthac non tractare*, *sed quiescere*, *modo illis quoque modus aut sermonis aut silentii imponeretur, qui tragœdiam in se suscitaverint*. Cæterum *revocationem* recusat, *quæ in dubiis & indeterminatis nihil ad rem faciat*, *& pro Thomæ autoritate* (qua sibi satisfieri posse negat) *Ecclesiæ*, *sponsæ Christi*, *vocem audire & sequi* vult, *quippe quæ sponsum audiat*. Nescio an non ad has preces hancque facilitatem ab amicis, maxime a Staupitio, permotus fuerit. Nam hic quidem consentiebat cum Luthero in doctrina, & judicio de abusibus, & confirmabat aliquando illum, ut supra vidimus: unde quæ Augustæ hoc ipso tempore dixerit, ex epistola ad illum Lutheri post triennium data, quæ *207* est in *Lib. I.* adscribere lubet: *Cum Augustæ essemus, inter cætera, quæ de hac mea causa tractabamus, dicebas ad me: memor esto frater, te ista in nomine Domini nostri JEsu Christi incepisse. Quod verbum non a te, sed per te mihi dictum accepi, & memori valde mente repositum teneo.* At humiliorem justo optimum illum virum & timidiusculum fuisse constat; unde & Lutherus de eo suspicatus est, imo ipsi objecit, quod *inter Christum & Papam medius hæreat, Lib. I. ep. 211.* Saxonia enim relicta (quod hic mihi anticipare liceat, omissum a Maimburgio & aliis) *Salisburgum* concessit, ubi jamdudum faventem habebat Archiepiscopum; ita ut Lutherus anno 1516 scribat, oblatum ei fuisse Episcopatum suffraganeum in Chiemsee, sed Abbatiam S. Petri accepisse verius est: ut ex literis Lutheri ad Staupitium mense Junio 1521 scriptis apparet. Ibi post paucos annos decessit, brevi functus potentatu, ut idem Lutherus ad Amsdorffium mense Januario 1525 scripsit.

(7) *Item ad Staupitium.*

(8) *Staupitius deserit Lutherum.*

ADDITIO II.

Duas epistolas Lutheri MS. producere hic visum est, historiæ causa, neque enim publicatas esse reperio & conservari merentur. Prima in Bibliotheca *D. Bern. Bertrami*, qui ante annos 50. Cancellarius Altenburgensis fuit, viri ob eruditionem & virtutem laudatissimi, olim asservabatur, & hæc est: *Reverende & optime pater. De Abbatia tua non tam ex Prioris Norimberg. quam ex vulgata fama audivi, ita constanter asserente, ut, nisi vidissem literas, credere coactus fuissem. Eadem puto via & ratione & ad vos deferri mendacia de nobis. Et quanquam nec ego vellem Dei voluntati te subtrahi, tamen pro mea ruditate plane nondum capio, si voluntas Dei esse posset, ut Abbas fieres, neque mihi consultum videtur. Verum tuo spiritui neque judex esse volo. Unum autem oro te, per viscera Christi, ne facile credas delatoribus nostris, sive adversus* VVenceslaum, (is erat Prior, cujus ab initio meminit) *sive erga me. Nam quod tu scribis, mea jactari ab iis qui lupanaria colunt, & multa scandala ex recentioribus scriptis meis orta, neque miror, neque metuo. Certe nos hic egimus & agimus, ut sine tumultu purum verbum publicemus apud homines, quo & boni & mali utantur. Scis, quam non sit in nostra potestate. Nam cœlibatum istum jucundum, tum missarum impietatem, & religionum tyrannidem, quicquid per homines invectum & adversus sanam doctrinam erectum est, proposuimus persequi verbo, facturi, quod Christus prædixit, angelos suos collecturos de regno suo omnia scandala. Destruendum est, mi pater, regnum illud, abominationes & perditiones Papæ cum toto corpore suo. Atque id agit jam sine nobis, sine manu, solo verbo; finis ejus venit coram Domino. Res est supra captum & sensum nostrum, ideoque non est quod mirer, pro magnitudine rei magnos animorum motus, magna scandala, magna portenta oriri. Non turbent te, mi pater, hæc omnia. Ego bene spero. Consilium Dei in his rebus & manum ejus magnam vides. Memento, quam ab initio mea causa semper formidolosa & intolerabilis visa sit mundo, & tamen de die in diem prævaluit. Prævalebit & hoc quem tu male metuis modo, sustine parumper. Satanas sentit vulnus suum, ideo sic furit & miscet omnia. Sed Christus, qui cœpit, conteret eum, frustra renitentibus omnibus portis inferni. Jacobus Prior Antwerp. denuo captus est & præsumitur jam exustus esse, & alii duo cum eo. Nam certum fuit, eum occidendum fuisse ob damnatam suam revocationem.* (Hæc tunc spargebantur, sed evasit Jacobus, ut alibi relatum est.) *Sophistæ properant ad perditionem sui, quæ veniet eis propter sanguinem innocentem, quem fundunt, Amen. De me quoque exurendo consultatur, at ego indies magis provoco Satanam & suas squamas, ut acceleretur dies ille Christi, destructurus Antichristum istum. Bene vale, mi Pater, & ora pro me. Salutat te D. Hieronymus, Amsdorff Rector, & Philippus. VVenceslaum volo apud te excusatum, bonus vir est & dextre tractat Evangelium; hoc est scandalum sanctorum & sapientum. VVittenbergæ feria 6. post octavam corporis Christi,* (i. e. d. 27. Junii.) Annum, qui omissus est, indicat Rectoratus, cujus mentio fit, Amsdorfii, incidit autem hic, ut ex publicato a *Sennerto* Catalogo constat, in annum 1522.

(a) *Epistola Lutheri ad Staupitium ex MS. D. Bertrami.*

Alterius autographum est apud venerabilem senem *Dan. Haakium*, Bopfingæ (quod Imperiale in Suevia oppidum est,) Pastorem, qui exemplum ejus misit, sua descriptum manu, ut sequitur: *Reverendo in Christo Patri, D. Johanni, Abbati S. Petri Ord. Benedictini Salisburgæ, suo in Domino Majori, Patri & Præceptori. Gratia & pax in Christo Jesu, Domino nostro, Reverende in Christo Pater. Injustum est nimio silentium tuum, de quo ut nos cogitare debeamus, ipse facile perspicis. Sed nos certe etiamsi desivimus tibi grati ac placiti esse, tamen tui non decet esse immemores & ingratos, per quem primum cœpit Evangelii lux de tenebris splendescere in cordibus nostris. Sed hoc etiam verum esse fateor, nobis fuisse acceptius, te non esse factum Abbatem, nunc cum factus sis, utrinque boni consulamus, unumquemque sensu suo abundare permittamus. Ego sane cum tuis optimis amicis non tam ægre ferimus, esse te alienum a nobis, quam quod monstro illi famoso, Cardinali tuo, proprius factus es, cui quæ libeat ac liceat furere, orbis pene non fert, hæc tamen tu ferre & tacere cogeris. Mirum, si non Christum negare pericliteris. Proinde nos omnimus plane & optamus, te nobis reddi, & redditum dari ex istius tyrannidis carcere, idque speramus & a te cogitari. Nam ego, ut hactenus te novi, non possum ullo modo duo ista pugnantia componere, nempe ut idem sis, qui fueris, si sic manere statueris, aut si idem sis, non aliunde moliaris discessum. Cum autem optima cogitemus & optemus tibi, posterius adhuc tenemus spe bona, licet diuturno tuo silentio satis fortiter pulsata. Itaque hac ratione ausus sum, has ad te dare literas pro fratre Achatio,* (Seehoferum intelligit, alibi a nobis memoratum) *tui monasterii quondam captivo, nunc Christi, spero, liberto. Quin si talis nobis es, qualis fuisti, non tantum audeo veniam pro illo petere, quod aufugit sine licentia,* (*quam spero, isti facies egregie;*) *verum diligenter pro illo ipso obsecrarem, ut aliquid ei de plenitudine optimi monasterii tui impertireris, quo meliorem vita rationem inire posset pauper & egenus. Nam id a me quoque postulavit, ut facerem. Et ego in dubio incertus, meliorem spem apprehendi & in hanc partem inclinavi, ut adhuc omnia optima de te præsumam. Sin autem mutatus es in alium virum erga nos, quod avertat Christus,* (*libere loquor tecum,*) *nolim plura verba perdere, sed misericordiam Dei super te & nos omnes invocare. Vides itaque, reverende Pater, quam ambigue scribam, quod tuo silentio tanto nos in-*

(b) *Altera ex communicatione Dan. Haakii.*

An. 1518.

nos incertos tamdiu relinquis, quis sit tuus animus, cum tibi certissimum sit, quid nos sapiamus & sentiamus, & certum mihi sit, non contemni nos a te ex animo, etiamsi per omnia displiceremus. Ego plane non desinam optare & orare, quam ut alienus a Cardinale tuo & Papatu fias, sicut ego sum, imo sicut & tu fuisti. Dominus autem exaudiat me, & assumat te sibi nobiscum. Amen. VVittenbergæ die Lamberti (17. Sept.) *1523.*

Filius tuus Martinus Luther.

(c) *Annotatio de Abbatia & morte Staupitii.*

Liquet hinc, certum esse, Staupitium *Abbatiam D. Petr. Ord. Bened.* Salisburgi adeptum fuisse, neque tamen reperio, quid hæc Lutheri parrhesia profecerit. Staupitius enim anno sequenti obiit, nempe *d. 28. Dec. 1524.* ut in *indice Chronol.* notavit Buchholzerus. Utut vero meliora sperare conveniat, neque Lutherus durius de illo judicaverit, magnæ tamen imbecillitatis indicium est, quod tanta licet luce respersus, deserta patria in monastica illa claustra regressus sit. Editus est, ut me docuit laudatus alibi *Spizelius*, anno 1672. *Catalogus Abbatum S. Petri Salisb.* In eo *fol.* 63. *Johannes IV.* recensetur, omissa gentili appellatione, sed appositis Staupitiorum insigniis, quæ cornu cursorum publicorum (ein Post-Horn) exhibent, cum sequenti viri elogio: *Johannes IV. ab Ordine Eremitarum S. Augustini ad D. Benedicti castra, autoritate Pontificia transiit, vir doctus & facundus; suasu & voluntate Matthæi Langii, Cardinalis & Archiepiscopi; Abbas electus, curam rei familiaris sollicite gessit, & duas vineas coëmit: Præfuit ann. 2. obiit ann. 1525.* (numerato nempe a festo Natali, sed revera sub finem anni 1524. d. 28. Decembr. ut dictum est.) Subjungitur carmen:

(d) *Excerpta ex catalogo Abbatum S. Petri.*

Palladis, & priscæ fervens pietatis alumnus
Cœnobii blando imperio moderatur habenas:
Vivere magni Augustini qui suetus eremo,
Transiit ad Sancti Benedicti castra vocatus.
Ingenti, quicquid divina volumina nube
Obscura involvunt, animo comprendit, & ore
Facundo in populum sparsit, docuitque fidelis.
Non minus aucta bonu tamen est Ecclesia Petri,
Plura vetat Clotho; properato fine recedit.

(e) *Epicrisis quædam.*

Cæterum ex hac viri mutatione, sive seria, sive simulata, colligi haud difficulter potest, si verum fuisset, *non nisi Staupitii consilio, & æmulatione adversus Dominicanos, impulsum Lutherum ad certamen progressum esse*, quod scire id & evulgare potuerit Salisburgensis Archiepiscopus, infensissimus Lutheranismi hostis. Sed vel silentium hoc satis prodit, meras conjecturas aut calumnias esse, quæ de Staupitii suggestione & invidia erga Dominicanos sparsa sunt.

§. XXXIIX.

(1) *Lutheri appellatio & abitus.*

Interim Lutherus eodem die 16. Octobris ab amicis instructus, *Appellationem a Pontifice male informato ad melius informandum* Notario exhibuerat. Cum igitur nihil responderet Cardinalis ad submississimas illas literas; *die Lucæ*, id est, 18. Octobris, alias ad Cardinalem composuit, quæ leguntur *fol. 203.* in quibus appellationem non tam sua, quam amicorum voluntate insuperabili, factam excusat, sumtuum defectum allegat, & quia præter id, quod scripserit, præstare nil possit, reditu tamen ad Cardinalem prohibitus sit, abiturum se esse significat, *finita & completa*, ut ait, *obedientia*, simulque petit, ut sanctissimo Domino benigne commendetur. Sequenti die 20. Octobris, erat feria quarta, sive dies Mercurii, summo mane procurato a Staupitio equo usus, & Langenmantelio, Augustano Senatore, portulam aperiri jubente, præpropere abiit, nec femoralibus, nec ocreis, neque calcaribus aut gladio instructus, eoque die octo milliarium iter confecit, adeo fatigatus, ut ab equo descendens stare non posset, sed in stramen illico procidens quiesceret. Narravit id ipse suis anno 1546. ut habetur *Tomo I. Altenb. Germ. fol. 150. a.* Ideoque an vere metuerit, non erat quod Maimburgius dubitaret. *Staupitius* etiam se subduxerat, insalutato Cardinale, ut hic questus est, in literis ad Electorem, vel eodem, quo Lutherus die, vel prius, si Pallavicino fides est. Abiit etiam ob eundem metum *Linccius*, & quatriduo post Prior Carmelitarum, *Johannes Frosch*, Theol. Doctor, Bambergæ natus, Wittenbergæ anno 1516. promotus, Lutheri hospes, in Saxoniam eum secutus, quem ob præstita sibi beneficia benigne in aula Saxonica tractari rogat, *Lib. I. ep. 68. & 70.* Reliquerat Lutherus Monachum, qui appellationem suam Cardinali exhiberet; sed id non ausi sunt nec Monachus nec Notarius; hic tamen hortatu Prioris, quem dixi, Lutheri hospitis, in foro eam affixit. Vide *epistolas* memoratas & *Tom. I. p. 207 sqq.* Appellatio illa primario adversus citationem, ad instantiam Fiscalis Pontificii *Martini de Perusio* factam, dirigitur, in qua hæc fere gravamina Lutherus exponit. (1) quod tantum de indulgentiis, quæ nec præceptæ, nec consultæ, nec meritoriæ sint, non vero de fide, non de moribus, non de præcepto Dei aut Ecclesiæ disputaverit. (2) quod judicio Ecclesiæ & Pontificis, ut ex epistola, Resolutionibus præmissa, constare dicit, omnia submiserit. (3) quod judices sibi suspecti sint, Sylvester nempe, ob editos jam contra se dialogos, & quod in Scripturis non exercitatus, Scholasticæ solum theologiæ, sive Thomisticæ addictus sit; Auditor vero Cameræ, *Genutius*, civilium licet causarum gnarus, in theologicis tamen Sylvestri sententiam sequi debeat. (4) de loco intuto queritur; sæviri enim Romæ in multos, etiam habentes salvum conductum, & Pontificem ipsum, ac Cardinales, sæpius in periculo mortis fuisse, applicatque urbi dictum *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ*. (5) Imbecillitatem corpusculi. (6) metum insidiarum ab inimicis per Magnates certo denunciatarum. (7) defectum viatici adducit, quia sit de ordine mendicantium, & sub obedientia aliena positus. Modeste queritur de commissione Cardinali Cajetano data, cum ipse non eam, sed aliam ad viros doctos, probos & honestos in partibus, id est, in Germania, per Fridericum Electorem petiisset. Et licet Cardinalem, quia de partibus adversariorum, nempe Dominicanorum, erat, & ob alias verisimiles causas, suspectum merito habere potuisset, comparuisse tamen, & ab illo, ut viro omnibus modis doctissimo & humanissimo, primum paterne & clementer exceptum, at postea solummodo jussum fuisse, ut revocaret, rejecta honestissima protestatione & submissione, (de qua supra) additaque comminatione excommunicationis, nisi revocaret, aut Romæ se sisteret. Ex his læsus, gravatus & oppressus, cum omnia, quæ disputasset, Pontificis pedibus etiam nunc subjiciat (iisdem scilicet verbis, quibus in *epistola* ad Leonem in festo Trinitatis scripta, & supra relata usus est) a Papa non bene informato ad melius informandum provocat.

An. 1518.

(2) *Contenta appellationis.*

ADDITIO.

(a) *Varillasii varii errores indicandi.*

Complectar hic quasi per indicem, errores aut sinistra judicia *Varillasii*, quæ in relatione de Actis Cajetani cum Luthero *Lib. III. de hæres. p. 235. ad p. 252.* observa-

An. 1518. *tur, speciatim de Friderico Elect. Sax. & ejus literis.*

servavi. (1) Fridericum Electorem occasionem nocendi Pontificiæ sedi ex causa Lutheri quæsivisse, ob collatam Alberto Brandenburgico Cardinalitiam dignitatem aliaque ejusmodi: quæ credenda esse nego, donec idoneis documentis probari possint. (2) Leo X in literis ad Electorem d. 23. August. 1518 datis, quarum sensum referre vult Varillasius, non scripsit, *sedem Romanam in possessione esse cognoscendi de fide fidelium, & quod Electores Imperii hoc jus nunquam in dubium vocaverint,* itaque hoc ex se supplet autor, absque causa; nullum enim dubium erat, pro illorum temporum conditione, ad tribunal Pontificium pertinere cognitionem de fide aut hæresi, & Elector scripserat hoc ipso mense Augusto ad *Raphaelem Cardinalem Riarium*, se tueri Lutherum nolle, neque tunc aliud desiderare, quam ut coram æquis judicibus, a Pontifice delegandis, audiretur. Ægre saltem ferebat, quod causa Romam evocaretur, quam in Germania more majorum tractari debere existimabat. Itaque (3) acris illa expostulatio, qua Elector in responso ad Pontificem, (quale nullum extat) usus esse dicitur, ex eodem ingenio, quo literæ Pontificis interpolata aut conficta est. Nihil enim ex actis demonstrari potest, quam quod Fridericus Augustæ in comitiis Cajetano promiserit, se facturum esse, ut Lutherus se coram eo sisteret. Caret etiam fundamento, quod allegasse Fridericum dicit, Electoribus investituras non alia conditione dari, quam ut libertatem Germanicam conservarent. Pertinet enim id ad officium eorum, non ad stylum investiturarum. In his enim fides & obsequium Imperatori promittitur, subintellecta Imperii libertate. (4) Falsum est, totique rerum & temporum ordini repugnat, per *Miltitium* demum Electorem inductum esse, ut Lutherum ad Cajetanum mitteret. Miltitius enim ad Electorem venit post peractum inter Cajetanum & Lutherum negotium, & Elector ipse Augustæ cum Cajetano de Luthero eo mittendo jam egerat. (5) Lutherus non tam imprudens fuit, ut de salvo conductu non cogitaret, sed Electoris fide nitebatur, ut ipse in relatione, ad eum d. 20. Novembr. scripta, his verbis memorat: *Mandaverat mihi Illustrissima Dominatio per Spalatinum meum, non esse mihi necessarium salvum conductum, adeo Illustr. Tua Cels. omnia bona de Reverendissimo Legato præsumebat.* In eadem autem relatione asseverat, non suo, sed amicorum omnium & singulorum, quibus commendatus erat, consilio, uno Urbano Montisferratensi excepto, salvum conductum quæsivisse. Exaggeratio itaque metus & periculi Lutheri, quam hic tragice facit Varillasius, ingeniosa est, sed non historica. (6) Neque magis verum est, latitasse Lutherum usque dum salvi conductus literæ venissent; misit enim primo statim adventus die 8. Octobr. VVenceslaum Linccium Augustinianum, & ex sociis alium ad Legatum, & adesse se atque comparere velle significavit, dictusque est ei ad comparendum dies sequens, sed ex consilio amicorum dilatus fuit accessus ad biduum, & interim a Cæsare, qui prope urbem venationi indulgebat, & reverti sperabatur, literæ commeatus venere. Itaque omnes illi cursus & labores, quos Varillasius hic in scenam producit, intra quatriduum contigissent. (7) Sunt & in relatione disputatorum & actorum, quæ speciose magis quam vere narrantur: sed imprimis rejici debet quod dicitur in primo congressu (d. 12. Octobr.) ita consternatus fuisse Lutherus, ut vocem in præsentia Cardinalis perdiderit: unde etiam fortassis immerito culpatur Cajetanus, quod hoc temporis momento ad flectendum Lutherum non esset usus. (8) Errat Varillasius, dum inter primum & secundum congressum triduum interponit, cum alter proximo sequenti statim die, id est, 13. Octobr. secutus fuerit; tertium accessum omittit aut ignorat, quo nempe scriptum suum Lutherus exhibuit, ita enim scribit ad Electorem: *Tertio reversus obtuli responsiones.* Quæ de rationibus afferuntur, quibus Lutherus permotus fuerit ab amicis, ne revocaret, animi causa dici puto: neque enim ullo modo ad revocationem inclinabat Lutherus, nisi prævia demonstratione ex Scripturis; vix, ab Augustinianis suis Staupitio & Linccio persuaderi sibi passus, ut verbis humilibus & compositis submissionem offerret. At quis (9) credat autori, cum negat Pontifices, licet Imperatores excommunicaverint, interdicto subjecisse ditiones Principum, cum tot exempla in contrarium extent? dein (10) quod Fridericus Elector Imperatorem throno dejicere voluerit & potuerit, quia scilicet ut præfectus fœderis Suevici intra tres septimanas plusquam septuaginta millia, absque sumtu conscribere potuisset. Mirandum est (11) autorem tot arcanorum, ut profitetur, ex scriniis regiis aliorumque, conscium, tam imperite *de fœdere Svevico*, & de *Friderici Electoris in Maximilianum animo* scribere. Nam ut de hoc primum & paucis (quia alibi etiam tetigi) dicam, nullus fuit tota Germania Princeps Maximiliano addictior, totaque familia Saxonica cum Austriacis pulcherrime consentiebat, recenti Alberti & filiorum ejus rerum pro Maximiliano in Belgio gestarum memoria; & Friderici ipsius officiorum, quæ Imperatori præstiterat. Gliscebat adhuc æmulatio inter Austriacos & Bavaros, quæ ante annos viginti fœderi Suevico ansam dederat, ut *Bilibaldi Pirckhaimeri* Norimbergensis, viri illo tempore egregii, testimonio probavit nuperrimus *vitæ Reuchlini* scriptor, quem infra laudabo. Quoniam autem fœderis illius mentio in annorum sequentium historia aliquoties facienda est, breviter hic noto, procuratum id fuisse Friderici III Imp. filiique ejus Maximiliani opera, circa annum 1487, cum Bavariæ principes vicinis graves esse & autoritatem Cæsaream contemnere viderentur, ut adeo nec illis nec Helvetiis fiderent Austriaci. Pro tutandis igitur, quas in Suevia & Tirolensi tractu habebant, provinciis, cum Episcopis, Principibus, Prælatis, Comitibus, Equitibus, Civitatibus Sueviæ, (quibus Elector Moguntinus & ex Franconia Episcopi VVurzburgensis & Aichstadiensis, itemque Norimberga & VVindshemium urbes, denique & Hassiæ Landgravius accesserunt) societatem bellicam inierunt, constituto exercitus numero ad 1330 equitum & 10075 peditum; delectisque ducibus (Hauptleute) seu præfectis tribus, & totidem judicibus, qui de controversiis inter fœderatos oborientibus decernere debebant, quos vocabant Bunds-Richter. Sumebantur autem & duces & judices ex singulis classibus ordinum paciscentium, unus scilicet Princeps, alter Comes vel eques, & tertius ex Civitatibus. Prorogatum quater fuit hoc fœdus, & postremo quidem anno 1522 ad annos undecim, quorum finis in annum 1534 incidit. Is hujus societatis ultimus fuit, sive artibus Gallicis, quod scriptores gentis & inter hos Varillasius jactant, sive etiam ipsius (ut alii suspicati sunt) Caroli V consilio, qui ad bellum contra Protestantes inclinabat, quorum partibus plurimi ex fœderatis, & civitates fere omnes jam accesserant, ejusque jam erat potentiæ, ut Suevorum societate carere posset. Hoc comitiorum Augustanorum tempore ex Principum ordine Præfecti fœderis munere fungebatur *Guilielmus* Bavariæ Dux. Nam etsi, ut dixi, ab initio in illos cudi visa esset hæc societas, ipsi tamen tempori prudenter cedentes satisfecere Cæsari, & in fœdus recipi satius duxerunt, quam ejus odio & viribus cum periculo exponi. Formulam fœderis, quæ profecto & æquitate conditionum, & provisu plurimarum rerum eximia est, & speciminis singularis vicem præbere potest, exhibuit *Hortleder. L. III. c. IV.* item *c. X.* Ferdinandi Austriaci apologiam pro fœdere adducit. Nugas itaque hic agit Varillasius, cum Fridericum Sax. Electorem Suevici fœderis caput facit, cujus nec socius fuit, deinde septuaginta millium exercitum somniat, quem fœderati vix ad 12000 constituerant, & licet eum pro rerum statu multiplicare ex communi consilio possent, ad sextuplum tamen augeri nulla patiebatur ratio, multo minus Duci fœderis obtemperatum fuisset, si suo arbitrio copias imperare, & in Cæsarem, qui ipse maximum & primum fœderis membrum erat, vertere ausus esset. Sed ad Cajetanum & Lutherum redeundum est. Confundit autor (12) acta secundi & tertii congressus, neque fidem meretur, cum scri-

(b) de Carolo Miltitio.

(c) de trepidatione Lutheri.

(d) de accessu Lutheri ad Cajetanum.

An. 1518. *(e) de fœdere Suevico.*

An. 1518.

scribit, quod *Principes Germaniæ plurimi Lutherum animaverint, ne revocaret, idque Cajetanum turbaverit:* nemo enim tunc Principum satis intelligebat, nedum protegebat causam Lutheri, imo ne aderant quidem; neque hoc tacuisset Lutherus in relationibus suis, cum non reticeat longe minutiora, quæ sui causa facta erant. (13) Falsissimum est Lutherum eodem die 17. Octobr. ultimo cum Cajetano collocutum esse, eodemque abiisse: tertia enim, id est, ultima vice apud Cajetanum fuit d. 14. Octobr. totumque inde quatriduum adhuc expectavit, an denuo vocaretur, & non nisi d. 20. Octobr. abiit. Quæ ergo de Saxonicorum ministrorum consternatione, ob Lutheri submissas ad Cardinalem literas, & de magna hujus trepidatione declamantur, conjecturæ sunt, non historiæ. Neque enim in literis d. 17. Octobr. datis causæ suæ nocuit Lutherus, sed post multas excusationes & urbanitates verborum, ad judicium Ecclesiæ provocavit, rejecta revocatione; multo minus remisit aliquid in ultimis literis d. 18. Octobr. ad Cardinalem scriptis. In his enim appellationem suam allegat, in qua priora satis mascule repetit. Durius etiam referuntur literæ Electoris ad Cajetanum, quam scriptæ sunt: ut aut non legisse acta videatur Autor, aut inventione supplere, quæ memoriæ exciderunt.

§. XXXIX.

(1) *Cajetani ad Electorem Sax. litera.*

Hujus appellationis, ne insinuatam sibi agnosceret, nullam mentionem facit Cardinalis, in literis septiduo post abitum Lutheri ad Fridericum Electorem datis *Tom. I. f. 206.* In his autem Electori objicit, procuratum ejus favore Luthero salvum conductum Cæsareum, dein vehementer de ejusdem Lutheri audacia, fraudulento ingenio & heterodoxia querens, petit, *ut Elector Lutherum ad urbem mittat, aut e terris suis ejiciat.* Subscripserat quædam manu propria, & in his ista, *ne ponat maculam in gloriam majorum suorum & suam, propter unum fraterculum.* Lutherus acceptis in reditu, ut diximus, Norimbergæ literis, & cum iis exemplo Brevis Pontificii d. 23. Augusti sæpe jam memorati ad Cardinalem, quod huc usque nondum viderat, ita exasperatus est, ut *diabolicum* id diploma, *nec a Pontifice, sed a nebulone quodam scriptum* diceret: ita enim scribit ad Spalatinum eodem die, quo Wittenbergam rediit, id est, d. 31. Octobris, sive vigilia omnium Sanctorum. Maimburgii censuræ hic respondendum est, qui Luthero imputat, quod contraria de Cardinale scripserit. Et de epistola quidem ejus ad Pontificem d. 3. Martii sequentis anni data, quam hic anticipat Maimburgius, in loco agetur. De cætero verum est, non omnia omnibus, nec eodem tempore scripsisse Lutherum, neque ad id obligatus erat. Interim nihil falsi scripsit; laudavit quæ laudanda erant, non saltem reverentiæ causa, cum ipsi Cardinali scriberet, sed & in literis ad familiares. Questus vero est non immerito de duritie ejus, revocationem simplicem urgentis. Neque vitio ei verti potest, quod in epistolis ad amicos, ex sua nempe intentione non vulgandis, defectus quosdam notaverit v. g. theologiæ imperitiam, & clamores atque rixas.

(2) *Lutheri indignatio & literæ diversa.*

(3) *Pallavicini censura refellitur.*

Pallavicinus acerbior censor est, qui *Lib. I. c. X. §. 6.* ex humanitate & submissione Lutheri, qua erga Cardinalem & Pontificem usus est, reperisse se putat, ex quo illi *gentium,* ut loquitur, *apostolatum* abjudicet; scilicet quod postea fassus sit, se tunc, cum se Pontifici subjiceret, nondum ad plenam lucem pervenisse; dein ut sacrilegam urbanitatem & hypocrisin exprobret, quod Pontificis judicium secuturum se diceret, circa quæstionem, in qua ob Scripturæ autoritatem mutare sententiam ipse nunquam vellet. Sed aërem verberat utrumque hoc telum. Jam enim supra notatum fuit, Lutherum non per enthusiasmum, sed profectu sapuisse: neque enim Apostolatum, eo, quo adversarii cavillantur, modo, sibi unquam arrogavit; (quanquam nec Apostoli uno momento omnia intellexerunt:) multo minus dissimulavit, quod eo tempore ab obedientia [illegible] Pontificem liberare conscientiam suam [illegible] erit. Urbanitas autem (utcunque i[illegible] expers fuisse videatur adversariis) [illegible], aut debita potius modestia, & optim[illegible], quod Pontificis decisionem exoptarit, [illegible] sententiam suam Scripturæ congruentem [illegible]; & in Admonitione, Augustanis Actis, [illegible] se editis, annexa, negaret se eam mutaturum esse; neque tamen id aliter intellexit, quam præsupponendo, nihil sibi ex sacra Scriptura opponi posse, quo ad mutationem urgeretur, ut ex aliis ejus scriptis, & ex oblatione sua, publice in comitiis Wormatiensibus postea facta, apparet. Sperabat nempe, Pontificem veritati cessurum esse; unde in dicta Admonitione scribit: *Veritas divina est etiam domina Papæ; non enim judicium hominis expecto, ubi divinum judicium cognovi. Sed oportuit reverentiam servare ei, qui vice summi Pontificis fungebatur, tum quod etiam verissime dicta oporteat cum humilitate & timore asserere & tueri.* Idem hoc ipso anno *Lib. I. ep 77.* suadet *Joh. Sylvio,* Zviccaviensi Pastori: *Placet, quod omnia sub judicium Ecclesiæ, inprimis Ordinarii tui submittis: nam vera etiam loqui cum timore oportet in Ecclesia Dei.*

SECT. 19.

Paul. Suavis. Flor. de Ram. Pallav. Lib. I. c. 20. & 13. Cardinal. Sadolet. l. II. ep. I.

(1) Reprehensio Cajetani.

Scio quosdam Legatum culpasse, quod doctoris hujus ingenio uti, & mollius tractando reducere eum nesciverit; sive, quod ordinis sui Monachis Dominicanis nimium faverit, qui tamen indulgentias eo modo, qui spiritui Ecclesiæ non satis conformis erat, prædicaverant; quo ipso turbarum occasio data fuit. Neque ignarus sum, esse, qui eum excusent, & secundum mandata, quæ habebat, egisse dicant, urgendi scilicet Lutherum ad revocationem, vel eum apprehendendi, quod absque dubio fecisset, nisi Monachus iste satis astutus, literas commeatus ab Imperatore impetrasset, antequam coram Legato compareret. Ego qui jus nullum habeo de hac differentia, nondum satis decisa, pronunciandi, hoc tantum dicam, negotium istud videri ad finem perduci potuisse, si cum Luthero secundum scriptum suum actum fuisset, in quo forensi ordine protestatus fuerat, quod submissuras se esset Ecclesiæ Romanæ judicio. Debuissent igitur Pontifici mitti, quæ pro defensione thesium suarum consignaverat, & interim silentium, ut ipse petebat, utrique parti

(2) Judicium Maimburgii de processu cum Luthero.

An. 1518. *injungi, usque dum Papa sententiam pronunciasset. Nam Dux Saxoniæ, Universitas Wittenbergensis, & tota Germania Pontificiam autoritatem adhuc recognoscebant, cumque Lutherus idem solenniter profiteretur, debuisset is omnino sententiæ Pontificis parere, nisi ab omnibus ut mendax & impostor deseri voluisset. At cum alia via procederetur, spatium ei datum fuit, ut erroribus primis novas hæreses adderet, quas ille nova lumina, in dies ex studio sacrarum literarum acqvisita, vocabat; ita factum, ut remedium istud cum aliis omnibus frustra fuerit.* An. 1518.

§. XL.

(1) *Examen judicii Maimburgiani.*

Liceat etiam mihi, quod licuisse sibi existimavit Maimburgius, ut rem factam pro infecta habeam, & quid Cajetano tunc faciendum fuisset, considerem. Et Cajetani quidem sive affectus sive defectus cæteros, quos a *Maimburgio*, & ante eum a *Pallavicino* notatos videmus, in medio relinquimus, imo recte hactenus & ordine fecisse eum putamus, quod nec dolo malo nec vi grassatus sit, sed expeditis , quæ mandata habebat, causam ad Pontificem retulerit. Peccasse autem videtur Maimburgio, quod ad petita Lutheri silentium utrique parti non injunxerit. At nescio, quomodo salva Pontificis autoritate, Cajetanus silentio supprimere potuisset Tezelii & aliorum sententiam, quæ Luthero opposita, & Pontificis utilitati accommodata erat. Præcipitata enim jam tum erat res per Breve Pontificium d. 23. August. ad Cardinalem datum, in quo diserte dicitur, *Lutherum declaratum jam esse hæreticum*; & licet venia revocaturo offerretur, eo ipso tamen sententia ejus damnata & hæretica mansisset. Imo eo ipso tempore alia & pejori festinatione, novum pro indulgentiis decretum (de quo postea dicendum erit) Romæ cudebatur, paulo post, nempe quinto Idus Novembris, publicatum. Cum igitur inter abitum Lutheri & diem hujus decreti sive Bullæ, non plures quam viginti dies intercedant, eorumque dimidia fere pars perferendis Romam Cardinalis relationibus deberetur; nihil certius esse videtur, quam Romæ determinatissimum & immutabile fuisse, indulgentiarum institutum adversus Lutherum & pronam ad sequendum eum Germaniam, omnibus modis tueri. Suadet itaque hic Maimburgius Cajetano, quæ in ejus potestate minime erant, & quibus, si locum dedisset, summam Romæ offensam non potuisset evitare. Sed si id vult Maimburgius, ut prævia cognitione, majori specie juris pronunciari in causa potuerit, nihilo meliora sentit, nec veritati sed prætextui & scenæ servit. Gallica etiam principia intempestive Romanæ Curiæ obtrudit, quæ ex plenitudine potestatis per os magistrale Sylvestri jam satis prædicata, definiverat & pronunciaverat. Misso igitur inani vaframento, uno dicam verbo, quid non tam Cajetano , quam Pontifici sequendum fuisset: nempe *veritas*. At quoniam præhabitus huic est, clarissime licet effulgenti, turpis quæstus, spretusque per fastum Lutherus, & contemti, qui jam ad puriorem ejus doctrinam oculos aperiebant, Germanorum non pauci: agnoscere nos & celebrare grata mente oportet divinam providentiam, quæ ex illa obstinatione, & præcipitatis callidissimorum alias hominum consiliis, id produxit commodi, ut non intra unum alterumve articulum staret emendatio, sed confirmato ac edocto magis magisque in pluribus Luthero, tantos progressus fecerit, qui in tot regnis aliisque provinciis intra breve tempus cum summa admiratione orbis secuti sunt, majores futuri, nisi justo Dei judicio, in veterno errorum torpere, sive, quod Cardinalis ad Electorem scribens unice optat, secure dormire, suisque frui opibus & honoribus, plurimi maluissent.

(2) *Quid Cajetanus sequi debuisset.*

SECT. 20.

(1) Lutherus insolentior factus esse perhibetur.

Sane aucta ejus post hoc colloquium, cujus acta in suum favorem per Germaniam vulgabat, existimatione, ad nova dogmata procudenda audacior & magis temerarius factus est, maxime ut Pontificis autoritatem minueret, neque judicem eum vellet agnoscere, dicens: nullum esse judicem nisi verbum Dei, & hoc per se ipsum satis explicari posse, nec necesse esse, ut ad verum ejus sensum percipiendum ad Pontifices eatur; hos enim primos ajebat fuisse, qui id corruperint, ut falsum sensum suum stabilirent, per quem injustum & tyrannicum dominatum in Ecclesiam erigerent. Neque tamen ab initio statim eo usque progressus est, sed intra terminos quosdam se continere satis putavit, donec de protectione Friderici Saxoniæ Ducis, plane securus fieret. Habebat in aula ejus duos magni valoris patronos, Johannem Staupitium *nempe Vicarium Generalem, &* Georgium Spalatinum *Secretarium, qui ei efficaciter in hac occasione adsistebant. Hi duo valde industrii animum Principis ita tractabant, ut qui jam epistola eloquentissima Lutheri, Augustæ post colloquium ad se data, moveri cœpisset, nunc Legato, qui petebat, ut Lutherum, manifeste hæreticum, desererere vellet, satis duriter responderet: putasse se, cum Luthero, posteaquam Augustam, ut Dux permiserat, missus fuerit, non sola autoritate & præcepto agi debuisse, ut retractaret theses, quarum falsitas non fuisset validis argumentis demonstrata: esse enim excellentes plurium universitatum Doctores, qui dogmata Lutheri valde probarent, licet proficua non essent iis, qui eum persequerentur, se vero Academiam suam privaturum non esse viro tam docto, & qui ejus maximum esset ornamentum.*

(2) & patronos habere in aula Electoris, & ipsum Principem.

Epist. Frider. Sax. ad Card. Cajetan. ibid.

§. XLI.

§. XLI.

(1) Lutheri angustiæ.

Distinctius & plenius narrari debuissent, quæ post reditum Lutheri a colloquio acciderunt. Primo enim Lutherus in magnas redactus est angustias, cum accepto, ut dixi, in itinere Brevi Pontificio, jam damnatum se esse Romæ cerneret, nec de publicanda contra se censura dubitare posset, quo facto nec Wittenbergæ in monasterio subsistendi, nec Professoris munus continuandi facultatem sibi, immo nullibi locum fore prævidebat, ubi tutus viveret. De Friderici Electoris protectione bene sperabat, securus tamen non erat. Licet enim Staupitii (qui tamen pars aulæ aut assiduus in ea non erat, hoc vero tempore plane ex Saxonia abierat) & Spalatini commendatione jam aliquot annis faventem Principem haberet; is tamen non ita capere poterat sententiæ Lutheranæ veritatem, ut ob eum tuendum res suas in manifestum discrimen missurus esse videretur. Scripserat jam ante iter Lutheri V. Id. August. ad Raphaëlem Cardinalem S. Georgii, *se nunquam hactenus sibi sumsisse autoritatem, vel scripta vel conciones Lutheri tuendi. Tom. I. f. 189.* Quod ita non sine causa intellexit Sleidanus *lib. I.* ac sine legisset aut audiisset quidem.

(2) Electoris cunctatio in illo tuendo.

ADDITIO.

(a) De Cardinali Riario.

Quæ amicitiæ aut familiaritatis inter Cardinalem illum & Fridericum Electorem occasio fuerit, nescire me fateor, nisi quod in itinere Friderici Italico contractam fuisse conjicio. Erat autem Cardinalis iste, quem *Riarium* Sleidanus vocat, nepos sororis Sixti IV. Pontificis, Savonæ in Liguria tenui loco nati, sed qui familiam suam tam fratrum (qui *della Rovere*, id est, *de robore* seu *quercu* cognomen habebant) quam sororum ad magnas opes extulit. *Raphaëli* Cardinali cognomen erat *Samsoni*. Sed ab avunculo *Hieronymo Riario* (is ex sorore Sixti natus erat) adoptatus *Riarii* adsumserat. Gesta Riariorum multa cum libertate nuper denuo exposuit *Varillasius* in libello Gallico, *de Historia secreta Gentis Mediceæ, (Anecdotes de Florence)* & pluribus ostendit, quæ ad opprimendos Mediceos conjuratione Pazziana moliti fuerint, cum exigua Pontificis avunculi laude. Licet autem, ut dictum est, favorem suum erga Lutherum apud plerosque dissimularet Fridericus, familiares tamen non æque celabat, & extant literæ, manu ejus *ad Spalatinum (Reg. N. fol. 110. lit. H. n. 43.)* scriptæ, in quibus ei relationem Augusta, ubi tunc Lutherus erat, acceptam mittit, addens: Es betrifft unsern Martinum, seine Sachen stehen noch wohl/ und der Pfeffinger tröstet auch wohl. Id est, *Ad Martinum nostrum ista pertinent; causa ejus bene se habet, & bonam spem facit Pfeffingerus.*

(b) De dissimulatione Friderici erga Lutherum.

Ex Lutheri etiam ad Staupitium & Spalatinum literis post reditum datis apparet, ægre permisisse Principem, ut Acta Augustæ cum Cajetano ederentur, immo bis prohibuisse. Vide *Lib. I. ep. 69. 70.* Solicitum quidem de Luthero fuisse, sed maluisse, ut alium in locum discederet, eaque de re per Spalatinum Lichtenbergæ, prope Wittenbergam, agi cum illo fecisse, dissuasisse tamen iter in Galliam. Eo enim se recipere cogitabat Lutherus; multum nempe tribuens Parisiensi Academiæ, cum qua de potestate Pontificis, ex Basileensis concilii placitis sentiebat. Sed & Orator Gallicus, qui ex comitiis Augustanis paulo ante adventum Lutheri abierat, insigne judicium de eo reliquisse ferebatur, ut in epistola d. 9. Octobris Augusta ad Spalatinum scripta, narratur *Lib. I. epist. 62. Certus* erat, ut scribit, *non manere, si censuræ venirent.* Idque expresse Lichtenbergæ dixerat *epist. 69.* sed satis apparet lubentius eum Wittenbergæ mansisse. Unde est, quod die 9. Novembris Spalatino proponit, *epist. 71. annon consultum sit, ut Princeps ad summum Pontificem scribat, pro commissione causæ ad partes*, id est, in Germaniam: addens (digna sane virtute & pietate sua obtestatione) *Non quod ego multum curem pro me; cum doleam, miserum me non esse dignum aliquod insigne malum pro veritate pati, cum tamen hac professione* (Augustana) *prope usque ad tentationem Dei pericula & mala quæsierim; sed quod Universitas nostra mihi curæ est, & optimorum adolescentulorum in sacras literas mire ardentium studia nollem in ipso jam lacte immolari.* Sed Fridericus, acceptis Cardinalis literis, ante omnia cum Cæsare agendum sibi esse ratus est. Extat ejus mandatum ad *Degenhardum Pfeffingerum*, qui Augustæ erat, d. 19. Novembris: In hoc narrat, quæ Cardinalis præter spem suam, ut scribit, fecerat & scripserat, & quæ Pfeffingerus apud Cæsarem & ministros ejus jam sæpius in hoc negotio, se mandante, proposuisset; dein jubet, ut Cæsarem admoneret, urgeretque, ut Romam scriberet, & autoritatem suam interponeret, quo causa amice componeretur, aut a non suspectis viris in Germania cognosceretur: paratum fore Lutherum solidam informationem, ut virum bonum & Christianum decet, obsequenter admittere, absque illa ad revocationem adigi non posse, idque cuilibet, qui extra partes sit, satis patere. Eodem tempore literas ad Electorem Lutherus componebat, quibus ad Cardinalis epistolam, ut jussus erat, respondebat. Has censendas Spalatino misit d. 25. Novembris *epist. 72.* Expecto, scribens, *censuras tuas super responsione mea, quam in epistolam Legati elidi; nisi forte in spongiam cadere debeat. Cæterum expecto maledictiones ex urbe Roma quotidie: ideo omnia dispono & ordino, ut cum venerint, paratus & succinctus eam cum Abraham, nesciens quo, immo certissimus, quo: quia Deus ubique; sed relinquam tamen epistolam valedictionis. Tu vide, ut audeas legere epistolam maledicti & excommunicati.* Ad eundem vero d. 2. Dec. scripsit *epist. 73. Nisi venissent heri literæ tuæ, jam parabam recessum: sed & adhuc sum in utramvis partem paratus. Mira est hominum nostrorum de me sollicitudo, & major, quam ipse ferre possim. Institerunt nonnulli magno hortatu, ut Principi nostro me in captivitatem darem, & ipse acceptum alicubi servaret, scriberetque Legato, me captum & sistendum in loco tuto ad respondendum. Quale sit illud consilium, tuæ committo prudentiæ; ego in manibus Dei & amicorum sum.* Non possum, quin & sequentia ex eadem epistola adscribam. *Certum est credi, Principem mihi adhærere una cum Universitate, de quo nuper ab uno, quem scio mentiri nequaquam mihi, in curia Episcopi Brandenburgensis de me tractatum est; quanam fiducia & cujus adhæsione ego niterer? Hic unus, Erasmus (inquit) Fabritius, & alii doctissimi viri, fiducia ejus sunt. Non, inquit Episcopus: hi nihil essent ad Papam: Universitas Wittenbergensis & Dux Saxoniæ prævalent. Ita intelligo, manifestissime Principem mecum esse credi, quod sane diffiderem. Et sane Universitatem ipsam vellem, ut quam maxime timerent. Verum ista suspicio Principis coget me recedere, si recedendum est: quanquam Princeps*

(3) Solicitat pro eo Cæsarem.

(4) Lutherus suam mentem Spalatino aperit.

An. 1518. *potest obtendere in scriptis suis, sese Laicum non posse de tantis rebus judicare: jam multo minus, postquam videt approbatam ab Ecclesia universitatem non contra me stare. Sed hac sunt parerga. Ego si hic mansero, multa dicendi scribendique libertate carebo; si iero, totum effundam, & vitam offeram Christo.* Obiter noto, *Fabritium*, quo niti videbatur Lutherus, fuisse *Wolffgangum* illum, cognomento *Capitonem*, Hagenoæ natum, qui Medicinæ Doctor anno 1498. & Theologiæ anno 1504. Friburgi creatus, Canonici Doctoratus titulum Moguntiæ etiam assumserat, ut & a consiliis & concionibus Archiepiscopo Alberto esse posset. Dein Argentorati & Hagenoæ Evangelium docuit, & anno 1541 decessit. *Melch. Adam. vit. Theol p. 89.*

§. XLII.

(1) *Lutheri ad Electorem responsum ad epistolam Cajetani.*

Jam de epistola Lutheri ad Electorem sæpe memorata quædam adhuc dicenda veniunt. Dies illi adscriptus est, licet, ut innui, prius compositæ, 29. Novembris. *Eloquentissimam* vocat Maimburgius, & Pallavicinus *cunctis artibus scriptam esse* censet, *quas docet homines vera rhetorica*, id est, *ingenita:* illius enim, quæ arte comparatur, expertem fuisse tradit Lutherum, nullo quidem fundamento; contrarium enim notorium est, & vel ex epistola, paulo post ad Spalatinum data *epist. 100.* intelligi potest, ubi de Rhetoricis Aristotelis scribit: *Calleo librum intus & foris, ut qui sejectis glossis jam bis fratribus meis privatim eum dederim expositum.* Verum autem est, stylo Latino non uniformiter usum esse Lutherum, sed pro materia, quam tractabat, aut hominibus, ad quos scribebat. Certe in his literis non multum dedit operæ, ut eleganter scriberet, neque artificiis dispositionis opus habebat, cum sequeretur literas Cardinalis secum communicatas. Veniam etiam petit a Principe, sibique permitti vult, ut theologica coram eo ut Laico tractet, id est, crasse & aperte: *Volo interim*, addit, *oblivisci acerrimum illud, & omnibus doctissimis quoque formidabile judicium, quo Deus insignivit præ omnibus, quos nostra vidit ætas, ingenium Principis Friderici.* Has laudes, ut mirificas, taxat *Pallavicinus*, & technis usum esse censet Lutherum *lib. I. cap. XI. n. 3.* eadem, cum Maimburgio, ut puto, fini, ut Fridericum adulationibus Lutheri & amicorum ejus Staupitii & Spalatini inductum ad protegendum eum fuisse indicent; obliti quod hunc ipsum Lutherum, ut blanditiarum & elegantiæ rudem, & omnino inurbanum depinxerint, atque hoc modo aut Principi, communi istius ætatis hominum testimonio sapientissimo, judicii acerrimi, nec persuasionibus expositi, gloriam maligne minuant, aut Luthero augeant, qui superare eum noverit. Ex contentis literarum jam supra quædam allegavimus, sed sequentia non libuit omittere. Liberat Electorem a diffidentiæ culpa, quam Cardinalis ei imputabat, & profitetur, se nec suo, nec Electoris, sed amicorum consilio salvum conductum expetiisse. Dein, ubi refert, quæ primo die de constitutione Clementis disputata fuerunt, vocem suam, quam *indignam relatu* scripserat Cardinalis, eam fuisse fatetur, quod dixerat, *Pontificem in illa Constitutione torsisse in alienum sensum Scripturas, & iis abusum esse. Hoc verbum*, scribit, *torquere & abuti, mire torquebat hominem.* Subdit tamen: *non esse rarum nec novum, ut Pontifices & Doctores torqueant, & in alienum sensum ducant Scripturas*, & exemplum ex dicto *Hebr. VII. 12.* adducit, ubi de translato ad Christum sacerdotio & finita lege manifeste loquitur Apostolus; at in Decretali quadam impie, nisi multo sudore temperetur, de translato a Christo in Petrum sacerdotio intelligi. *Talia sunt*, addit, *in Jure Canonico multa, quibus (ut cum fiducia loquar) si non corrupta, certe obscurata est Scriptura.* Decretalis, de qua loquitur, est *Cap. III. extr. de constitutionibus*, ubi ad allatum ex Augustino locum, glossa trahit vulgatum illud: *pasce oves meas.* Quod vero Cardinalis ad Electorem scribens de insolentiori quodam dicto Lutheri, altero Colloquii die retulerat, id narrantem etiam audiamus Lutherum, quoniam *Pallavicinus* tantum Cajetani verba memoravit *Lib. I. cap. XI. n. 12. Cum ego non verbis sed scriptis respondere promitterem & peterem; satis fuisse (dicens) mecum anteriori die digladiatum: hoc verbum*, digladiatum, *mordicus apprehendit, & ridens, fili mi, inquit, non sum tecum digladiatus, nec volo tecum digladiari, sed monere, & intuitu illustrissimi Principis Friderici paterne ac benigne audire. Hoc est, (ut ego cogebar intelligere) ad nihil aliud quam ad Revocationem urgere. Displicuit enim merito stultitia mea, quod pro disputare vel contendere (quod anteriori die egimus reipsa, si non oportet negare) digladiari dixeram, elegantius, quam tunc res ipsa postulabat. Tom. I. fol. 211.* Patet hinc, quod supra tetigi, disputatoris personam incaute Cardinalem sumsisse. Neque tamen id in tertio congressu vitavit, pejori etiam cum successu; scribit enim *ibid.* Lutherus: *Tertio reversus, obtuli Responsiones ad objecta duo in scriptis: quas primo multa & inania verba esse dixit (sicut & nunc scribit) me admodum fatue respondisse, & replesse papyrum locis Scripturæ impertinentibus, sese que veram eorum intelligentiam dedisse. Verum cum dixissem tandem, pro me stare, quod* Extravagans *dicit, Christum suis passionibus acquisivisse thesaurum Ecclesiæ suæ: statim arripuit codicem, legit, & in verbum, ACQUISIVIT, impegit, sedulo tamen dissimulans sese impegisse. Surgens tandem dixit: vade, inquit, aut revoces, aut in conspectum meum non revertaris.* Clarius & festive hæc narrat in epistola ad Spalatinum, eodem, quo gesta illa fuerunt, die, Augusta scripta *Lib. I. ep. 64.* Postquam nempe retulisset, quo modo (uti permissum fuerat) scriptum suum obtulisset, addit: *Tandem rejectis schedulis atque contemtis, revocationem denuo clamabat: & multo longoque sermone ex S. Thomæ fabulis tracto, me vicisse & compescuisse visus est. Decies fere cœpi, ut loquerer, toties rursus tonabat, & solus regnabat. Tandem & ego clamare cœpi, dicens: si potest ostendi, quod* Extravagans *illa dictet, merita Christi thesaurum esse indulgentiarum, revocabo, ut voles. Hic, o Deus, quantus gestus & cachinnus. Repente librum arripuit, legit fervens & anhelans, donec pervenit eo, ubi scribitur, quod Christus sua passione acquisivit thesaurum. Hic ego: heus Pater reverendissime, hoc verbum, ACQUISIVIT, perpende. Si Christus per sua merita acquisivit thesaurum, ergo merita non sunt thesaurus, sed id, quod merita meruerunt, id est, claves Ecclesiæ. Ergo conclusio vera.*

(2) *Alia de eadem re ad Spalatinum epistola.*

ra. Hic repente confusus, cum nollet videri confusus, transiliit fortiter ad alia, & volebat hæc oblivisci prudens: verum ego, (certe satis irreverenter) fervens erupi: non etiam Grammaticam nobis deesse credat R. P. tua Germanis: aliud est esse thesaurum, aliud acquirere thesaurum. Et sic fracta fiducia ejus. Cum adhuc clamaret Revocationem, abii, dicente ipso, vade & ne revertaris ad me amplius, nisi revocare velis. Pallavicinus *Lib. I. cap. XI. num. 4. & sqq.* multus est in exagitando Luthero, quod causam vicisse apud Cardinalem sese putet, quia Lutheri dogmata, ad Electorem scribens, fassus esset, *disputative* posita esse in thesibus, at *affirmative* in sermonibus. *Sic enim totum negotium cadere, quia super disputationibus & non super sermonibus fuerit citatus.* Sed & acuta est Lutheri exceptio, & e re Cardinalis & Pontificis fuisset, etiam pro sufficienti acceptari, & informationem, quam tam enixe rogabat, non denegare. Nam etsi in judiciis secularibus opus non est, ut reus, si delicti alias convictus sit, ad confessionem publicam adigatur; debuisset tamen Pallavicinus, hac objectione utens *d. l. num. 8.* officium pii pastoris, quod non ad destruendum, sed ad ædificandum datum est, a rigore judicis criminalis distinguere. Pergit Lutherus: *Crassas & pueris decantatas Italitates & Romanitates* vocans, *quod Cardinalis ex sola assertione sua hæreticum Lutherum credi velit ab Electore, & ex prudentissimo & acerrimi judicii Principe Pilatum facere, qui inauditum condemnet. Neque enim sufficere, ut solum dicant, Errasti, male dixisti; sed in scriptis signare debere errorem, & male dictum probare, aut Electori saltem scribere vel Imperatori vel Archiepiscopo alicui in Germania, si se fraterculum & mendicum contemnant, in quibus erraverit, & quibus rationibus erroris convinci possit.* Provocat ad disputationem publicam in ditione vel sub salvo conductu Electoris. *Dolere se tamen,* scribit, *quod Legatus oblique mordeat Electorem, quasi ejus fiducia moliatur ista omnia. Sycophantas enim quosdam jactasse, se ejus hortatu & consilio disputasse, cum tamen hujus disputationis nullus etiam intimorum amicorum fuerit conscius, nisi Archiepiscopus Magdeburgensis & Episcopus Brandenburgensis; hos enim privatis literis, antequam disputationem ederet, monuisse, bene scientem non ad Principes Laicos, sed ad Episcopos illa referenda esse.* Ad minas deinde Cardinalis epistolæ insertas ita scribit: *fol. 213. Ne Illustrissimæ Dominationi Tuæ quidquam meo nomine mali accidat, ecce regiones tuas relinquo, iturus quo misericors Deus voluerit, ejus divinæ voluntati me in omnem permissurus eventum. Nihil enim minus sequor, quam ut quisquam mortalium mea causa (nedum Illustrissima Dominatio Tua) vel in invidiam, vel in periculum aliquod adducatur. Quamobrem, Illustrissime Princeps, Illustrissimam Dominationem Tuam reverenter saluto; eique simpliciter valedico, gratias immortales pro omnibus suis beneficiis erga me agens. Ego enim ubicunque ero gentium, Illustrissimæ Dominationis Tuæ nunquam non ero memor, futurus semper sincerus & gratus pro Tua & Tuorum felicitate precator.* Ultimo ad querelam Cardinalis, quod Staupitius Vicarius eo inscio abierit, ita respondet: *Quid hoc ad Illustrissimam Dominationem Tuam? Vicarius non erat vocatus, nihil ad eum ista causa pertinebat: poterat ire, redire, abire, venire, omni hora ut voluit. An etiam portas Augustæ ingredientibus & egredientibus propter me claudi oportebat? Sed timeo, quod undique corradatur & quæratur causa contra me. Ego adhuc gratia Dei gaudeo & gratias ago, quod Christus Dei filius in tam sancta causa me pati dignum judicaverit.* Desiderium abeundi, quod Lutherus significat, pro artificio, suo more & ingenio, habet *Pallavicinus d. loc. §. 7.* Idem *subacerbam* vocat Electoris ad Cardinalem Epistolam, quæ data est Altenburgi d. 8. Decembr. *Tom I. fol. 207.* & ut *satis duram* taxat Maimburgius; qui tamen contenta ejus non male exposuit, ut opus non sit eam huc transcribere, multo minus defendere. Commotum fuisse Electorem, acceptis Cardinalis literis, ob minas iis adjectas, observari potest ex epistola Lutheri ad Spalatinum *Lib. I. ep. 81.* in qua bilem Principis non improbat, ita scribens: *Optime actum est, ut is,* (Cajetanus) *qui paulo ante mei similis, mendicus monachus,* (erat enim Dominicanus) *nunc etiam Principes potentissimos non vereretur sine ulla honoris ratione adire, alloqui, minari, mandare, & pro libitu superbissime tractare. Discat vel sero, etiam seculi potestatem a Deo esse, & suos non licere honores conculcari, præsertim ab eo, qui ab homine* (id est, Pontifice) *tantummodo potestatem accepit.* Prudentiæ fuit, quod Elector, quæ ipse Cardinali opponere potuisset, ex *Lutheri* potius *ad se epistola,* quam suæ incluserat, cognoscenda præberet; masculum vero, quod ante cognitam causam pro hæretico habere aut tractare Lutherum nollet. Vulgatam eam epistolam Latine & Germanice, *summa cum laude & admiratione Principis apud multos legi, omnesque mire efferre ejus ingenium & artem elegantissimam,* Lutherus postea sub initium anni sequentis ad Spalatinum scripsit *epistola 85.* nec negari potest animum ei restitutum auctumque esse, ut faceret scriberetque, de quibus paulo post agemus. Scripserat etiam pro eo ad Electorem Academia Wittenbergensis *Tom. I. fol. 214.* in qua epistola (quam referre omisit Maimburgius) nescio quem *commendationis teporem* deprehendisse sibi visus est *Pallavicinus cap. XI. n. 8. Laudant* quidem Academici, *quod Elector honorem deferat Ecclesiæ & summo Pontifici, neque se quidquam judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiquius ducere, & primos futuros, qui alienum Lutherum, si male senserit, habituri sint,* obtestantur; *petitionem* tamen *ejus justissimam, ipsumque nobile & celeberrimum Academiæ suæ membrum* agnoscunt & commendant, nempe, *ne cogeretur revocare sententias, antequam cognosceret esse damnandas. Sic enim antiquam esse Ecclesiæ consuetudinem, & Patrum exempla docere, ut datis rationibus & autoritatibus ad emendationem urgerent errantes, non nuda sua assertione & potestate ullius dicta damnarent.* Alio & Romanæ curiæ accommodato ingenio Pallavicinum esse apparet, & Maimburgii doctorem, cum *optimum fuisse* putat, si Pontifex hoc statim tempore, ut postea fecit, ex tot Theologorum suorumque senatorum suffragio, *non auditum licet Lutherum, multo minus convictum, solenni anathemate ferisset.* Electorem enim nondum tam vehementer causæ affectum, deserturum eum fuisse. Sic animato Electore, Lutherus, ut dixi, timorem minuere

(3) *Pallavicinus notatur.*

(4) *Continuatur Lutheri ad Electorem epistola.*

(5) *Electoris ad Cajetanum epistola.*

(6) *Lutherus confirmatur ut maneat.*

(7) *Pallavicini de Academia Wittenberg. epistola judicium notatur.*

An. 1518.

ere visus est, editis, invita licet aula Electorali, *Actis Augustanis*, cum additamento admodum libero. Agnoscit id ipse, *Lib. I. ep. 79.* literis ad Spalatinum d. 9. Decembr. datis. *Jam actum erat*, scribens, *quod literis tuis mihi inhibes. Edita sunt acta mea, sed multa veritatis libertate, nondum tota tamen: mihi in his & omnibus festinandum video.* Subjungit enim *se comperisse; adventare missum a Pontifice Carolum Miltitium, aliaque, sive vera, sive ad se terrendum, spargi. Sed quo illi magis furunt*, ait, *eo minus ego terreor; ero adhuc liberior aliquando in Romanas illas lernas.* Negat etiam se, ut in aula rumor fuerat, valedixisse populo Wittenbergensi, sed solummodo pro concione dixisse: *se incertum & instabilem esse concionatorem, & sæpius insalutatis auditoribus recessisse; quod si igitur aliquando idem fieret, valedixisse velle, si non fuerit reversus;* monuit etiam, *si censuris papalibus in se sæviretur, ne ob eas Pontifici aut ulli mortalium male vellent, sed Deo rem committerent.*

(8) *Lutherus edit acta Augustana.*

Obiter hic notandum: concionandi in templo oppidano munus Luthero jam ab aliquo tempore a Pastore urbis ordinario, quem morbus diuturnus impediebat, delegatum fuisse. Erat is *Simon Heinsius*, alias *Pontanus*, ab oppidulo patrio vulgo Brück dictus, frater *Gregorii*, ejusdem cognominis, qui Cancellarius postea Electoralis fuit. Vitam Simonis ab eruditione & pietate laudati, qui anno 1522. decessit, & *Johannem Bugenhagium*, Pomeranum, successorem habuit, inter Theologorum aliorum editas a se retulit *Melchior Adamus p. 14. 15. 16.*

(9) *Quomodo ad concionandi munus pervenerit.*

ADDITIO I.

De Simone Heinsio aliquid.

Extat *in Archiv. Vin. Reg. O. fol. 124.* 31. libellus supplex Heinsii, sive, ut ipse subscripsit, *Heyns*, absque die & anno (sed ut conjici potest, anno 1517. cum visitatio Academiæ fieret) ad Electorem Fridericum datus, in quo petit, *ut munus legendi in Academia, pro quo XVIII. florenos annuos percipiebat, sibi conservaretur, se enim ex munere Pastoratus exiguum commodum habere, quod gravi pensione Capitulo affectus esset, & malle se Pastoris quam legendi munere carere.* Queritur tamen *de valetudinis imbecillitate, & quod a parente, non inope quidem, sed quatuor filiorum in Academia nutritorum sumtu exhausto, juvari non possit.*

Ad *Linckium* Norimbergensem eodem Decembri mense scripsit Lutherus *Lib. I. ep. 80.* fassusque est, *se Acta acutius edidisse, quam Legatus speret;* sed *longe*, ait, *majora parturit mihi jam calamus: nescio, unde veniant istæ meditationes: res ista nec dum habet initium suum, meo judicio, tantum abest ut finem sperare possint Romani proceres. Expecto homicidas meos ex Urbe, vel undecunque: censuras miror differri.* Addit: *Princeps primo fuisset contentus me non esse in loco; præterea* (id est, postea) *voluit omnino, ut manerem.* Ex epilogo vero, quem Actis addidit, hæc potissimum notanda sunt: quod *vim fieri Scriptura in Decretalibus Pontificiis* iisdem pene verbis & argumentis indicet, quibus in literis ad Electorem usus est, & primatum atque universalitatem ex dicto *Matth. XVI. Tu es Petrus*, probari posse dubitet, etsi dudum ita visum fuerit Pelagio Pontifici. Inde vero & ex iis, quæ contra Constitutionem Clementis disputat, hac vice concludit, *non in omnibus decretis Pontificum haberi verum & legitimum sensum Scripturæ, ideoque citra illorum injuriam aliter dici, sentiri & teneri posse, quam ipsi habent;* denique *Papam neque supra Concilium esse, neque supra Scripturam, & errare posse: qui contra sentiant, per impudentissimas adulationes monstra inducere, per quæ Scriptura pereat, nihilque præter verbum hominis restet, immo ipsius Ecclesiæ Romanæ invidiam, ruinam & perniciem quærere.*

An. 1518.

ADDITIO II.

Quanquam nec adversæ partis scriptores laudem sapientiæ adimant *Friderico*, cum tamen *adulatum ei esse Lutherum* verbis supra citatis & alibi dicant, & calliditatem immo & ruditatem ipsi objiciant, afferam testimonia quædam ante Lutheri disputationes & ortum inde schisma prolata. *Christophorus Scheurlius* Norimbergensis, Bononiæ, ubi multis annis studio legum incubuerat & Germanicæ nationis Syndicus fuerat, orationem habuit d. 3. Id. Nov. 1505. in laudem Germaniæ & Ducum Saxoniæ, eamque (postea Lipsiæ anno 1508. recusam) Friderico Electori dedicavit. In hac inter alia hæc scribit: *Tu enim, quum felicitate Syllam, magnitudine Pompejum, clementia dictatorem Cæsarem, liberalitate Cimonem, elegantia cultus victusque splendore Lucullum, vel æques vel antecellas, omnibusque virtutibus sis ornatus: ut emineas undecunque laudatissimus, amœniores literas, humanitatisque studia avidissime complectaris; semperque existimasti præclarum Alexandri Macedonis dictum esse habendum in memoria atque in pectore: longe nobilius, longe fore præstantius, literis antecellere, quam imperio atque divitiis. Unde quum sis Germanorum Principum eruditissimus, & eruditorum facile princeps, omnium doctorum ita amator existis, ut eos undequaquam amplissimis præmiis ad te allicias, eorumque consuetudine mirum in modum delecteris: inde fit, ut ego te ætatis nostræ Mæcenatem alterum appellare soleam. Nam ut Romanus ille Mæcenas consiliis, divitiis, opera favebat sui seculi literatis viris, ita tu facis; quandoquidem doctorum omnium decus & præsidium & unicum refugium, doctos omnes doctus ipse juvas, & juxta Platonicum præceptum, diligis, sustentas, alis, das munera, prodes denique omnibus studiosis.* In illa vero orationis parte, quam laudibus Saxoniæ & Misniæ Principibus destinavit, inter alia plurima, ita describit Principem: *In Friderico multa sunt quæ laudare possis: corpus egregium & species principe digna, animus sedatus ac tranquillus, ingenium perspicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & ocii. Homo certe ita mitis ingenii, ut omnes diligat, neminem odio habeat, tardus ad iram, ad miserendum promtus, insignis pietate, clemen ira monstrabilis, liberalitate conspicuus, fortissimus rerum ecclesiasticarum, honorisque divini procurator, & defensor acerrimus. His adjicias illa præclara, sine quibus omnis præstantia in principe deformatur, frugalitatem, honestatem, mansuetudinem, tranquillitatem, religionem, sanctimoniam. Et hæc omnia egregia. Quas res transeunter signatas, etsi justum volumen exposcerent, tamen paucis explicabimus. Igitur Fridericus cum sit omnium virtutum vivax imago, inprimis rectos & vividos animos fovet & attollit, & bonis omnibus prodest; his honores, his sacerdotia, his magistratus offert. Peregrinos autem humaniter excipit, attentus audit, liberaliter tractat, & adeuntibus ita facilem se præbet atque benignum, ut ejus lateri hæreat quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non principis superbia faciat; a quo, juxta Titi Vespasiani monitum, nullus tristis discedit.* Et post alia: *Princeps Fridericus, ut beatas efficeret suas civitates, ipse vero optime imperaret, adeo literario studio delectatur, adeo avide amœniores literas complexus est, ut Germanorum Principum sine controversia eruditissimus habeatur.* Item: *Quantum Princeps Fridericus musicam calleat, quantum illa oblectetur, nulla possum oratione consequi, qui exemplo Achillis, qui e pugna fessus discedens gravia Martis opera carminis amœnitate lenibat, post multas curas, variosque labores musices suavitate se reficit atque refocillat. Qui non tantum musicos, ut docet Aristoteles, quotiens in otio degere vult, adhibet; verum etiam illis quotidie ad divinum*

(a) *Scheurlii elogium Friderico Electori datum.*

An. 1518.

vinum cultum utitur, quos tota Germania conquisitos ad se allicit, & allectos tanta munificentia alit atque nutrit, ut in hac quoque re, sicut & in literarum præstantia, a cæteris Germaniæ Principibus, ei Principatus deferatur. Porro non tantum musicæ incumbit, & oblectatur, verum etiam celerrime legit, soluta oratione eleganter dictat, & quod in Principe mirandum est, nec ipse de eo dicere auderem, nisi de Augusto & Tito Vespasiani filio idem legissem, ita venuste manu propria scribit, ut omnes librarios vel adæquare, vel superare possit. Autor hujus orationis Doctoris gradu adsumto, VVittenbergam vocatus, Jurisprudentiam aliquandiu docuit, &c, ut alibi notabitur, observata Lutheri doctrina, Norimbergæ in patria religionis Reformationem promovit. Vivebat eodem tempore Bononiæ *Richardus Sbrulius* Forojuliensis (ex ditione forte Saxonica, quasdam enim in illo tractu Fridericus pignore a domo Austriaca acceperat) qui & VVittenbergam postea venit, Poëta non spernendus; ejus carmen ad Fridericum, cum aliis ejusdem & Scheurlii orationi isti subjunctum reperitur:

(b) *item Richardi Sbrulii.*

Extemporale Richardi Sbrulii Itali Decastichon ad divum Fridericum Saxoniæ Ducem, Sacrique Imperii & Electorem & Locumtenentem Generalem &c.

Ut decorant nitidum radiantia sidera cœlum:
Sic decoras regnum, Dux Friderice, tuum.
Illa polis, ponto, telluri lumina præbent:
Tu terrisque tuis, Teutonicoque solo.
Moribus, ingenio, titulis, virtute, tropæis;
Judice me, cunctos vincis in orbe duces.
Consilium Pallas, Pallas tibi tradidit arma,
Conspicuus bello, conspicuusque toga es.
Juppiter ad superos jubeat te sero redire,
Sed longo faxit tempore adesse tuis.

Extat ad Poëtam hunc *Erasmi* elegans epistola *Lib. XIII. ep. 29.* in qua ei pro carmine in elogium suum edito gratias agit. Celeberrimi viri *Joh. Reuchlini*, de quo plurima *ad* §. 70. annotavi, merita agnovit etiam Fridericus & ab eo summe est laudatus. Patet id inter alia ex epistola Georgii Spalatini, quæ invenitur *Lib. I. epist. ad Capn.* ubi hæc leguntur: *Ægre fuit animo meo, Capnion eruditissime, jam anno & amplius non potuisse literis tuis & humanissimis & literatissimis respondere, quibus ex autoritate veteris & reconditioris historiæ scribis, Phrygas nostris Saxonibus generis esse autores: & simul, divum Fridericum ducem Saxoniæ, Principem nostrum, immo Romani Imperii Electorem optimum maximum graviter & vere laudas. Mirum qua religione Deum omnipotentem & suos suspiciat, qua charitate bonos amplectatur, qua munificentia Mutianum, & me, & eruditissimum quemque prosequatur, qua denique fide, justitia, integritate, vigilantia tot gentibus imperet. Diceres vel Ptolemæum, vel Cæsarem Julium, vel Carolum alterum, si audires, quantis sumtibus Academiam VVitenburgi architectatus, quanta excolat diligentia, liberalitate, industria: quantis muneribus illuc eruditos Professores contrahat, quot sacerdotiis amplissimis a fundamentis templum Divis omnibus sacrum auxerit. Vere præstantissimus Princeps, & ut tu quoque sentis, maximo imperio non indignus; qui & tuam ad me epistolam legit, qua de ipsius virtutibus pari gravitate & elegantia, sed & de Saxonibus quoque scribis. Qua de re jussu ejus tibi significo, non ingratam ei fuisse eam commemorationem. Præterea etiam pro magno officio habiturum se, si ex autoribus tuis eruditissimis ad Saxoniam & Saxones pertinentia collegeris, tuum enim judicium Princeps sapientissimus plurimi faciens mihi commisit, ut ad te id ipsum scriberem. Quocirca cum sis jam pridem tanti Principis observantissimus, te scio summa cum voluptate hæc facturum. Joh. Aventini* clarum eo tempore nomen fuit, immo ob scriptam *Bavariæ historiam* immortale erit. Hunc quoque Fridericus Elector favore complexus ejusque consilio usus est in Chronicorum Saxoniæ compositione, quam Spalatino demandaverat, ut ostendunt literæ Principis Dominica Esto mihi 1514. scriptæ, & aliæ 4. Octobr. eodem anno, in quibus ei quædam proponit ex historiis Germanicis eruenda. Excusæ hæ sunt *Augustæ Vindelic. anno 1518.* mense Augusto cum carmine Sapphico & Choriambico ab Aventino conscripto, ex quibus saltem hæc appono, quæ in laudem Friderici cecinit:

(c) *Spalatini in epistola ad Capnionem.*

(d) *Johannis Aventini.*

Principem nullum similem sub orbe
Esse Romano videas; recondit
Nobiles magno pretio coëmtos
Undique libros.
Ordinat longa serie parentes,
Quin & heroas prius obsoletos
Eripit stagnis Acherontis atri,
Donat & ævo.

Subscriptio Aventini hæc est, unde tempus carminis compositi patet:

Totius Europæ Principi omnium gravissimo, Reipublicæ rerumque Germanicarum adsertori, literarum parenti, Musarum patrono optimo, Joan. Aventinus cliens devotissimus posuit. Angilostadii Saturnalibus Domini. Anno Christi Deique nostri M D XVII.

Non ausim inter virtutes Friderici referre, singulari tamen observatione haud indigna judico, quæ Lutherus de eo retulit, notante id *Valentino Bavaro*, in collectaneis, quæ in *Bibliotheca Gothana* asservantur, *Vol. II. p. 962.* Fridericum nempe solitum esse in deliberationibus contrarium sentire; & rationem reddidisse, quod satius sit, Principem contradictionis studio aliquando peccare, quam Consiliariis jus dominandi in se concedere. Media sane via tenenda erat. Interim ex sua conjectura sumsisse apparet Maimburgium, quæ de Staupitii & Spalatini gratia & potentia apud Fridericum commemorat. Spalatinus enim charus quidem illi erat, sed modicæ autoritatis: Staupitius eo ipso tempore, nescio quam offensam ejus incurrerat, ut ex Lutheri *literis MS.* constat, qui pro eo intercedere tunc ausus erat. De parsimonia & frugalitate Friderici aliud Lutheri dictum *Bavarus* annotavit *d. l. p. 937.* consuevisse illum accipiendo modiis uti, in expendendo cochleari. (**Er habe mit Scheffeln eingenommen/ und mit Löffeln ausgegeben.**) Addiditque epicrisin: *Nunc fit contrarium in aulis Principum.* Et verum quidem est, quod, imminutis licet aut neglectis Principum reditibus, sumtus tamen largissimi fieri soleant; sed tertium quoque malum observare licet, vetus & continuatum, conjunctionem scilicet avaritiæ & luxuriæ, qua fit, ut, quæ iniquissime corraduntur, fœda dissipentur prodigentia. Cæterum inter admiratores & laudatores Friderici fuit *Conradus Mutianus* (**Muth**) ad quem Mosellani literas *infra* referam, Canonicus Gothanus, cognomento *Rufus*, quem Erasmus, ei *Lib. XXX. ep. 4.* scribens, *virum omni doctrina genere consummatissimum* nominat. Is veteris ritus tenax erat, ut ex epistola *Croti Rubiani* anno 1520. scripta percipitur. Extant ad eundem Lutheri literæ, scriptæ anno 1516, in quibus eum *delicatissimæ eruditionis virum* vocat. Superest etiam ipsius ad Electorem Fridericum epistola Germanica graviter & pie scripta d. 13. Aug. 1514. (*Reg. O. fol. 134.* **DDD.**) Adjunxerat illi Eobani Hessi, quem *suum* vocat, libellum quendam consolatorium, quem cum voluptate lecturum esse putat Electorem. Respondit hic ei humanissime d. 23. Aug. illique tum pro libello, quem lecturum se esse promittit, tum pro adhortatione ad constantiam in calamitatibus publicis (meminerat speciatim tumultus rustici in Suevia, & turbulenti status in Hassia) clementer gratias agit & Mutianum vocat *virum doctum & prudentem* (**einen weisen und fürsichtigen Mann.**) At summe elegans & memorabilis est Mutiani epistola anno 1525. tempore rusticæ seditionis scripta, cujus *Lib. II. §. IV. addit.* (*b*) mentionem fecimus. Præteriri non debet Eccii testimonium, qui utcunque male affectus in Fridericum, edito tamen anno 1520. contra Carolostadium tractatu, eum bis (veluti cognomento ordinario) vocat *salutem patriæ*, itemque *potentissimum & sapientissimum Principem.*

(e) *Lutheri de ingenio Principis observatio.*

(f) *De Conrado Mutiano ejusque literis ad Electorem.*

An. 1518. SECT. 21. An. 1518.

Secunda appellatio Lutheri, ex relatione Maimburgii.

At Lutherus certus, se Romæ condemnandum esse, ut ipse Legatus Duci scripserat, præveniendum Pontificem ratus, nova protestatione forma juridica usus est, qua promtum quidem se esse dicit, judicium Papæ bene instructi subire; sed quoniam, utut Papa, errare tamen possit, ut Petrus erraverit a Paulo reprehensus, appellationem ad Concilium generale, quod supra Papam sit, se interponere profitetur, ab omnibus quæ Pontifex adversus se decretum iret.

d. 28. Nov. apud Luther. Tom. I. f. 217.

§. XLIII.

Notantur quædam de ea & de Pallavicini censura.

Appellatio hæc Lutheri secunda facta est Wittenbergæ d. 28. Novembris, habetque præmissam protestationem de autoritate Ecclesiæ & Papæ agnoscenda, & deprecationem eorum, quæ ex lubrico forsan linguæ & adversariorum irritamento minus recte aut reverenter dicta fuerint; dein innititur iis principiis, quæ Maimburgius refert; tum gravamina eodem fere stylo, quo prima, continet, nisi quod minæ in literis Cardinalis ad Electorem scriptis, pro nova appellandi causa assumuntur. Celare voluit hanc appellationem Lutherus, eaque non nisi suo arbitrio & tempore uti, ideo cum Typographo pactus, ut nullum exemplum distraheret, sed omnia apud se deponeret. At is lucri causa fere omnia, nescio & dolente Luthero, vendiderat, uti apparet ex literis *ad Spalatinum* pridie D. Thomæ scriptis, & ad *Linckium ep. 80. Pallavicinus Lib. I. c. XII. n. 7.* ubi appellationem hanc recenset, nullius ideo valoris eam fuisse statuit, *quia concessa licet superioritate Concilii, efficere tamen non potuerit, ne sententia interim a Pontifice contra Lutherum prolata executioni mandaretur.* Hoc si simpliciter verum est, quis non videt vana esse omnia, quæ de Concilii potestate supra Papam, vel tunc Lutherus sensit, vel hodie tanto fervore in Gallia asseruntur? Neque enim facilius quidquam esset, quam Pontificis interim sententia omnes, qui aliquid adversus placita ejus statuunt aut admittunt, pro hæreticis condemnare, immo & e medio tollere, antequam Concilium convocetur. Apparet hinc, quas difficultates habeat hierarchia Ecclesiastica, & quicquid de potestate Pontificum & Conciliorum disputatur. Sed hæc ab aliis & alibi expensa sunt.

SECT. 22.

Bulla Pontificis de indulgentiis.

Interea Leo magnum hunc tumultum Bulla *compesci posse credens, componi illam fecerat, per quam doctrina catholica de indulgentiis exponebatur, & confirmabatur, secundum constitutionem Clementis VI. Sed cum Legatus hanc in Germania quindecim diebus post Lutheri protestationem publicari fecisset, & indulgentiæ jam valde invisæ essent, in Saxonia potissimum; factum est, ut Bulla isthæc saltem pro utilitate Papæ & quæstiorum edita esse videretur, neque fere esset, qui quidquam pro indulgentiis solvere cuperet.*

d. 13. Dec. ap. eund. Tom. I. Pallavic. lib. I. c. 12.

§. XLIV.

(1) Contenta Bullæ.

Bulla hæc, sive *Nova decretalis* extat *Tom. I. f. 215.* data Romæ *V. Id.* sive *d. 9. Novembr.* publicata a Cardinali, ad quem directa erat, *Linzii* in Austria *d. 13. Dec. 1518.* In hac, caute omissa Lutheri mentione, ejusque antithesi, tota de indulgentiis doctrina, quanta illa qualisque ab immemorabili, ut Pontifex loquitur, tempore, id est, si ab ætate Bonifacii VIII. ejusque jubilæo, quod Clemens VI. pro fundamento habuit (priores enim Pontifices eo usque progressi in distributione indulgentiarum non fuerant) calculum ducamus, paulo plusquam a ducentis annis, invaluerat, sine omni moderatione, sub pœna excommunicationis, quam vocant, *latæ sententiæ*, prædicari jubetur. Judicium de successu hujus decreti ex *Pallavicino* hausit Maimburgius. Sed iste, ut solet, subtilius, & intentionem Pontificis aperuit & errorem notavit. Sperabant Romæ, Lutherum citationum atque diplomatum, quibus condemnatus jam esse videbatur, & Cajetani minis territum, insignem curiæ artem grata mente respecturum, eaque lubentissime usurum esse. Porta enim ad honestam evasionem aperiebatur, decisa quæstione, quam, ut toties protestatus erat, disputandi tantum & informandi sui causa moverat, & Pontifici definiendam detulerat; tanto etiam honore ei habito, ut nulla plane in decreto mentio ejus fieret, culpatis potius præconibus indulgentiarum, qui *Religiosi ad evangelisandum verbum Dei deputati* dicuntur, reprehenduntur tamen *quod errores multorum cordibus imprimerent:* quanquam vix alia docuissent, quam quæ hæc ipsa Bulla approbabat. Poterat itaque Lutherus sine pudore, ut *Pallavicinus* judicat, pedem retrahere, quia *multi*, ut ait, *ex Patribus Ecclesiæ, doctrina & sanctimonia spectatissimi, sententias foverunt, quæ nunc post sancita ab Ecclesia dogmata, hæreticæ haberentur, neque tamen ullam illis maculam inurunt.* Sed quid Lutherus senserit feceritque, postea videbimus. Audire nunc aliam *Pallavicini* epicrisin lubet, qua *d. l. §. 9.* existimat, rectius facturum fuisse Pontificem, si aliquam ex tot odiosis Lutheri sententiis, iisque maxime propter quas (uti quidem falso narrat *Pallavicinus*) Heidelbergæ irrisus fuerat, condemnasset; quo facto ad palinodiam adactus aut existimationem perdidisset, aut non retractans, pro hæretico habitus, & populari aversioni expositus fuisset. At nullum est consilium hominum, utcunque callidorum, quod impedire destinata a Deo valeat.

(2) Pallavicini de ea judicium.

§. XLV.

(1) Consideratio actorum hoc anno a Luthero

Vidimus ex anni hujus 1518 & duorum ex præcedenti mensium historia, veluti rudimenta & tyrocinia quædam Lutheri. Et siquidem ipsum ejusque gesta hujus temporis summatim consideremus, magnam in eo luctam, nec exiguos defectus (ipso ingenue fatente) deprehendimus. Animum quidem magnum ostenderat, sui solius ingenio & consilio, nullo mortalium, ut asseverat, vel conscio, nedum suasore aut defensore, disputare, immo contradicere ausus, misellus & mendicus

An. 1518.

dicus monachus, quæ per totam Europam, longo tempore sub summorum Pontificum autoritate exercita fuerant. Auxit intrepidæ mentis laudem multis scriptis, quæ non poterant non potentiores offendere, & periculoso illo itinere ad Cajetanum, & quod coram hoc mascule & imperterritus steterat. Idem tamen amicorum, tam ecclesiasticorum quam politicorum, vel timori & diffidentiæ, vel circumspectioni nimiæ, multum hoc tempore dedit, iisque submissionibus usus est, quarum ipsum postmodum pœnituit, ut vel ex *præfatione operum*, anno 1545. scripta, omnibus constare potest. Quapropter admirandæ plane Dei sapientiæ, non vero viri hujus, quantiscunque dotibus præditi, industriæ accepta ferri debent, etiam levia & tenuia tantorum, qui secuti sunt, eventuum primordia. Quod si ex diverso aulæ Pontificiæ consilia & gesta spectemus; nescio an ab illa plura politicarum artium documenta hoc rerum statu expectari potuerint, quam dedisse deprehenditur, stante, quam quidem non laudo, sententia, quod nihil mutandum esse videretur ex iis, quæ magna cum specie Lutherus corrigenda esse contendebat. Divinæ vero, ut jam supra observavi, indubitanter adscribi debet justitiæ, & de patefacienda veritate providentiæ, qua factum est, ut, quoniam Romæ summa consiliorum in protegendis indulgentiarum nundinationibus ex utilitate pecuniaria pendebat, & ad hanc solam potenter tuendam respiciebatur, oculi hominum tantæ alias perspicacitatis, ne ad unum quidem & tam clarum ac pene palpabilem purioris doctrinæ radium discernendum & admittendum converterentur. Nihil enim facilius, ut supra diximus, fuisse videtur, quam abusibus circa indulgentias correctis, Luthero, & quotquot ei favebant, satisfacere. Quo facto cæteræ ejus theses vel obliterari vel scholasticarum disputationum pulveri, sicut aliæ innumeræ, immergi potuissent. Sed immani illa & autoritatis & utilitatis cupidine occæcatus cum suis Pontifex, emisso tam præcipitanter pro indulgentiarum recepta doctrina Decreto, spem omnem reformandæ in melius religionis & disciplinæ jam tum præscindere est visus, cum opinionem omnium incertissimam & recentissimam de indulgentiarum thesauro & dispensatione, ne levissima quidem correctione emolliendam, sed pro summo fidei capite excommunicationis sub pœna venditandam statueret. Apparebit tamen ex sequentibus, non ita confisos Decreto hoc suo aulicos fuisse, ut non aliis quoque ad compescendum Lutherum machinis utendum sibi esse existimarent. Nolo quidem *Paulo Veneto* adversus Pallavicinum hic patrocinari, & ut certum defendere, quod Cajetanus Romam redux, aulica odia incurrerit, quia durius cum Luthero egisset, nec Episcopi infula vel Cardinalis purpura oblata, hominem inescasset; neque putaverim, apud Lutherum, cui animus pecuniæ & honorum contemtor tota vita fuit, id quicquam valiturum fuisse; sed quæ sub finem hujus anni de legatione Miltitii decreta, & initio sequentis expedita fuerunt, indicio sunt, non defuisse tentamina, quod rigore non poterat, per blanditias obtinendi.

(2) *item Pontificis.*

(3) *Quid in religionis reformatione profectum sit hoc tempore.*

Quod vero religionem ipsam attinet, non invenio hoc anno quicquam ex dogmatibus, aut cultu publico, mutatum fuisse; sed præparamenta secutæ reformationis satis magna & valida erant, duo potissimum, quæ Lutherus voce & calamo docebat. *Primo*, quod veritas Christiana nec ab opinionibus, nec a decretis hominum, quantiscunque dignitatibus aut donis præditorum, adeoque nec a Pontificis autoritate, sed a Scripturæ sacræ doctrina penderet: *dein*, quod ad Deum recte colendum, & ad salutem adipiscendam, non externæ illæ & innumeræ observationes, tot legibus & regulis Pontificum & Cleri populo Christiano injunctæ, earumque qualecunque exercitium & operatum, quod vocabant, opus, sed prævenientis gratiæ divinæ auxilium, ejusque pia & interna admissio, id est, fides requiratur, quam tamen non aliter intelligebat, quam ut per charitatem efficax est. *Ego* (scribit tunc ad *Joh. Egranum Lib. I. ep. 88*) *fidem justificantem a charitate non separo: immo ideo creditur, quia placet & diligitur is, in quem creditur.* Talia igitur, quæ ex scriptis Lutheri, quorum quædam recensuimus, aliisque, quæ tunc singulatim in populum sparsa, postea in Tomos collecta fuerunt, elucescebant, apud doctos indoctosque, tenebras, barbarie & dominatu Cleri invectas, fortius dispellebant, quam eruditorum quorundam virorum literatura illius aut anterioris temporis eo usque factum erat, reperto, qui majori cum libertate arcem errorum aggrederetur, & aliquid supra Pontificem publice ostenderet, unde veritas peti posset. Tanta vero ad hæc audienda confluentium undiquaque Wittenbergam Studiosorum frequentia fuit, ut Lutherus Dominica III. Adventus ad Linckium scriberet: *Studium nostrum more formicarum fervet. ep. 80. Audivimus* (ita scribit *Scultetus* in *Annalibus an. 1517. p. 16. 17.*) *a Præceptoribus nostris: diversarum gentium studiosos, Lutheri & Melanchthonis audiendi gratia, Wittenbergam profectos, ad primum oppidi conspectum complicatis manibus Deo gratias egisse, quod sicut olim e Sione, ita illo seculo e Wittenberga Evangelicæ veritatis lucem in remotissima regna voluisset diffundi.*

(4) *Incrementum Academiæ VVittenb.*

De Principum hoc anno circa res religionis consiliis & actis nihil apparet. Languerat Maximilianus Imperator, eique mortuo alius nondum suffectus erat. Unus repertus est Fridericus Saxo, nescio an Luthero magis, quam Academiæ suæ prospiciens. Favit tamen illi hactenus, ut tutus vivere in ditione Electoris posset, nec inimicis indemnatus traderetur. Altiores radices egerat Hierarchiæ Romanæ in mentibus Principum opinio, & recentior erat infelicium eventuum memoria, quos Imperatores & Reges, reformationem molientes, incurrerant, quam ut quisquam animum ad eam applicare serio cogitaret; aliqua tamen, ut mox dicemus, fiducia nasci cœpit.

(5) *De Actis Principum.*

ADDITIO.

Refert *Paulus Venetus*, erectis Romæ hac Bulla curialium animis, quasi ejus beneficio flamma (a Luthero excitata) ardere desiisset, confestim ad easdem indulgentias apud Helvetios vocis suæ præconio celebrandas missum *Samsonem Mediolanensem* Franciscanum, qui populo emuncto CXX. aureorum millibus Tigurum pervenerit, ibique Huldrici Zvinglii oppositiones expertus fuerit. Neque huic narrationi, cum alias nihil negligere soleat quod reprehendi possit, quid-

(a) *Annotatio ex Paulo Veneto, de indulgentiis Tiguri prædicatis.*

An. 1518. 1519.

quidquam detrahit Pallavicinus. Lapsus tamen est in tempore Venetus, ut constat ex diligentissimo rerum, in religionis negotio apud Helvetios gestarum, scriptore *Joh. Henr. Hottingero.* Hic ex documentis, a se allegatis, tradit, *Bernardinum* illum *Samsonem* jam æstate hujus anni 1518. atque adeo ante editam Bullam, ad Helvetios venisse, & cum in pago Suiziæ, unde genti nomen est, primum merces suas exponeret, Huldrici Zvinglii, qui tunc in illustri monasterio, quod Eremi (Einsidlen) nomen habet, pastor erat, contradictiones incurrisse. Tugi mense Septembris appulit, ubi vox famuli, populum confertius concurrentem arcentis, excepta fuit: *Ne quæso vobis mutuo ita molesti sitis: illis primum pateat aditus, qui pecunia sunt instructi: pauperum postea habebitur ratio.* Bernæ diplomata pauperioribus pro duobus bacionibus (Batzen / ab impresso urbis insigni, quasi Bätzen / id est, *ursi*, nomen habentibus) vendiderat, locupletioribus majori pretio, sub discessum tres Pontificis gratias solenniter in templo majori promulgavit: *Prima*, ex superabundanti Christi & omnium Sanctorum thesauro, omnibus tum præsentibus, qui flexis genibus peccata confiterentur, orationem Dominicam cum salutatione Angelica ter recitarent, omnium peccatorum remissionem a culpa & pœna concessit, eique quam in baptismo habuissent, integritati restituit. *Secunda* in ipsum Purgatorium perrupit; ut qui ter quotidie Templum majus orantes circuirent, animam, quam vellent, liberarent ex purgatorii flammis. *Tertia* omnium erat liberalissima: postquam enim singuli genibus flexis quinquies tum orationem Dominicam, tum salutationem Angelicam, in defunctorum subsidium, recitassent, elata exclamavit voce: Ab eo momento omnes Bernensium defunctos, ubicunque excessissent, simul liberatos, tam ab inferorum, quam purgatorii cruciatibus, & in cœlum translatos. *Leonis* vero Bulla jam XVIII. Cal. Octob. an. 1517 data erat ad Generalem ordinis Minorum, *Christophorum de Forolivio* Cardinalem S. Mariæ in Ara cœli, facta illi in viginti quinque provinciis prædicandi indulgentias potestate: hujus vero subdelegatus erat Samson. Cæterum tenor sive formula eadem fere ab Hottingero refertur, qualem Arcimboldo datam supra retuli. Ut vero postea sub ipsius Episcopi Constantiensis, ejusque Vicarii, Johannis Fabri, autoritate Pastores quidam, & inprimis *Zwinglius* Tigurum interea vocatus, & *Bullingerus* Decanus Bremogartensis, nundinationi restiterint, quæque inde secuta fuerint, ex historia Helvetica petendum est. Videatur omnino *Hottingerus Sec. XVI. Part. III. C. III. §. 12.* ubi *p. 177.* rescriptum Leonis X. ad querelas Helvetiorum de monachi impudentia, prid. Cal. Maji 1519. respondentis, legitur, in quibus jus indulgentiarum ex nupera Bulla sua confidenter asserit; in fine tamen significat, se Prædicatorem (*Samsonem*) ad requisitionem eorum revocasse, & si eum in his, quæ scripserint, excessisse invenerit, puniturum esse. Adduntur ibidem alterius ejusdem Ordinis Monachi *Joh. Franc. de Puppio* Commissarii, ut se nominabat, fabricæ S. Petri in facultatibus sacri Jubilæi, blandæ ad Helvetiorum ordines literæ, in quibus pro Samsone intercedit eumque vel tolerari vel saltem illæsum dimitti precatur, Cal. Maji 1519.

(b) *Contenta & formulæ indulgentiarum.*

SECT. 23.

(1) Mors Maximiliani I. Imp.

(2) Lutherum juvat Vicariatus Friderici Electoris.

Sed Bullæ effectum maxime impedivit mors Maximiliani Imperatoris, Principis admodum catholici, & pro honore sanctæ sedis animosi. Decessit enim eodem fere tempore sub initium anni sequentis 17. Januarii. Ita factum, ut Fridericus, Imperii Vicarius, tempore interregni, in tota illa Germaniæ parte, quæ legibus & consuetudinibus Saxonicis regitur, rerum potiretur. Inde Lutheri factio mox potentissima evasit, nec de eo alii in oppidis & rure sermones habebantur, quam quod vir esset a Deo missus, qui errores in Ecclesiam invectos corrigeret, & Christianos in libertatem Evangelicam vindicaret.

§. XLVI.

(1) *Lutheri de patrocinio illo confessio.*

(2) *Friderici de causa Lutheri judicium.*

Fatetur Lutherus, post annos plusquam viginti in *Tomos Latinos* præfatus: *post mortem Maximiliani & sub Vicariatu Friderici Electoris deseviisse paulatim tempestatem, & sensim obrepsisse contemtum excommunicationis seu fulminis papistici.* Subdit postea: *Procedebat feliciter Evangelium sub umbra istius Principis, & late propagabatur; movebat ejus autoritas plurimos, qui cum esset oculatissimus & sapientissimus Princeps, non poterat, nisi apud invidos, suspicionem incurrere, quod hæresin aut hæreticos vellet alere & tueri; quæ res Papatui magnum intulit detrimentum.* Audiamus vicissim Principis hujus non multo post ex epistola *ad Erasmum Roterodamum* circa Idus Majas hujus anni scripta, de Luthero, aut potius de causa ejus, judicium, *Tomo I. fol. 224.* Ita enim loquitur: *Non damnari ab eruditis causam Lutheranam, & Doctoris Martini lucubrationes ab optimis quibusque isthic cupidissime legi, lætamur, eoque magis, quod plerique bonorum & eruditorum in nostris quoque regionibus & principatibus, nedum externis, hominis tam vitam & mores, quam eruditionem miro consensu laudant. Quod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini quam causæ dedimus, nihil minus unquam conati, quam ut dignos præmiis pœna premeret. Neque Deo omnipotente juvante committemus, ut nostra culpa innocens quispiam sua quærentium impietati dedatur.*

SECT. 24.

(1) Carolus Miltitius Nuntius Pontificius ad Electorem.

Acta Luth. cum Carolo Miltitio T. I. Cochlæ.

Pallavic. L. 1. cap. 13.

(2) Notantur Miltitii acta cum Luthero.

His elatus adeo ferociebat, ut vix accessum daret Carolo Miltitio, *Equiti Saxonico, Papæ cubiculario, quem is Nuncium ad Ducem miserat, Rosam solenniter, ut moris erat, quarta Quadragesimæ Dominica consecratam exhibiturum, & rogaturum ne ulterius tueretur hæreticum declaratum. Dux elegantis alioqui & honesti moris, non satis honorifice, sed cum aliquo contemtu donum Pontificium accepit, præventus infelici favore Lutheri, & offensus ab aula Romana, quæ beneficium quoddam filio ejus naturali gratis noluerat conferre. Persistit itaque constanter in priori sententia, quam Legato Cajetano significaverat. Apparuit etiam, quantum Lutherum attinebat, regulam politicam nullius pretii esse, si excessui ab excessu contrario remedium quæratur. Nuncius enim iste diversam plane a Legati instituto viam (qui, quasi nimis duriter Lutherum tractasset, Romæ traducebatur) ingrediendam sibi ratus, in extremum oppositum incidit, eum submisse laudans, & more, qui charactere & loco*

An. 1519. *loco suo plane indignus erat, palpans: immo eo progressus est, ut Tezelium, Lutheri primum antagonistam, tanquam odii victimam immolaret, eumque tam aspere & indigne, exprobratis indulgentiarum abusibus, & qui inde provenerant motibus, increparet, ut miser ille præ mœrore, ipso quoque Luthero tandem dolente, moreretur. Nihil tamen his artibus, parum rectis aut politicis, profecit Nuncius, nec plus a Luthero impetrare potuit, quam ut Pontifici literas demissas, aut potius comes scriberet, irritas tamen prorsus. Nam utcunque eum blande demulceret, ejusque potentiam post Deum maximam esse diceret, addit tamen, formula licet honorifica, se nihil retractaturum esse. Admonitus vero, ut Confluentiam ad Archiepiscopum Trevirensem, quem arbitrum se laturum esse promiserat, ad finiendam litem proficisceretur, ita se excusavit, ut diceret: se Cajetanum, quem ibi esse audiverat, ferre non posse; tempus etiam instare, ut una cum Carolostadio Lipsiæ ad celebrem disputationem compareret, quam cum D. Eccio inituros se constituerant.* An. 1519.

§. XLVII.

(1) *De Miltitio relatio fidelis ex Archiv. Sax.*

Quæ *Carolus a Miltiz* Pontificis nomine cum Friderico Saxoniæ Electore & cum Luthero egerit, recensentur quidem, ut videmus, a Maimburgio satis jejune, prolixius vero & mordacius a *Pallavicino* referuntur *Lib. I. cap. XIII. XIV. & XVIII.* & de iisdem aliquid in priore *Libri primi* editione a me dictum est. Cum vero postea ex Illustri *Bibliotheca Gothana* negotiationis illius documenta authentica nactus fuerim, & ex illis plurima didicerim huc usque non vulgata, operæ pretium esse duxi, ut hac de re plenius dissererem, &, quæ in scriniis Principum inveni, fideliter enarrarem. *Miltitius* ex vetustissima & nobilissima equitum Misnensium familia, ex qua nostra hac ætate egregii viri summis & honestissimis in aula Electorali Saxonica ministeriis functi sunt, & adhuc funguntur, natus est, habuitque *parentem*, arcis Miltitiorum ad Albim supra Misnam urbem sitæ (cui nomen est **Scharffenberg**) Dominum. Ipse literis aliquatenus imbutus, Ecclesiasticis dignitatibus destinatus, & Moguntiæ, Treviris & Misnæ in collegia *Canonicorum* adscitus fuit. Romæ in aula Leonis X. inter *Cubicularios* locum obtinuit, sic & in literis Pontificiis vocatur, itemque *secretus & familiaris.* Maimburgius Gallice vertit *Camerier;* Varillasius minus commode ineptissimeque *Valet de chambre.* Fridericus Elector, ut alibi pluribus notabitur, & *Pallavicinus d. cap. XIII. §. 2.* non reticuit, devotus erat in cultu sacro, qualis ante cœptam a Luthero disputationem invaluerat, nullique ad ejus splendorem sumtui parcebat, deditus etiam venerationi indulgentiarum, neque Pontificii favoris negligens. Hujus testimonia publica affectans, Miltitio Romæ versanti, circa annum 1515, negotium inter alia dederat, ut *aureæ Rosæ* donum sibi procuraret. Hoc Miltitius in literis d. 26. Sept. hoc anno 1519 ad Electorem datis per occasionem commemorat, se nempe ante annos quatuor Electori gratiam quandam Romæ impetrasse, deinde per annos tres Rosæ munus magno labore & sumtu sollicitasse. Cur autem beneficium illud tamdiu retardatum fuerit, explorare ex Actis, quæ inspexi, non potui. Miltitius Roma d. 10. Sept. 1518. Electori scribit, paratum jam esse munus cum diplomatibus ad id pertinentibus, de quibus seorsim dicam; diem adscriptum habent 24. Octobr. 1518. & quædam *Tom. I. Lutheri Witt. Lat. fol. 233.* mensem Januarium 1519. Licet autem Miltitius sub finem anni 1518. in Misniam venerit, munus tamen chartasque Pontificias secum non attulit, exploraturus scilicet prius, quo statu aula Electoralis & Lutheri negotium esset. Primum omnium, cum culpam excitati de indulgentiis certaminis ubique per Germaniam *Tezelio* imputari intellexisset, hoc agere decrevit, eaque de causa illum Lipsia, ubi in Paulino Dominicanorum monasterio versabatur, Altenburgum ad se vocavit. Extant autem *Tezelii ad Miltitium literæ*, ultimo Decembr. 1518. (quanquam pro more illius temporis, quo annus a festo Natalitio numerari incipiebat, 1519. scripserit) datæ, in quibus sese excusat, & in tutum sibi iter esse affirmat, quia Lutherus totam pene Germaniam, Poloniam & Hungariam concitaverit, ut nuspiam secure vivere possit; delatum se etiam esse a Luthero apud Cajetanum de blasphemiis in B. Virginem; se quidem refutasse calumniam, sed nullo fructu, (**es helffe nichts**) concionanti etiam sibi nunc Lipsiæ auditores oculis torva minari, monitumque se esse, ut a Lutheri factione sibi caveret, quippe quæ mortem intentaret: se vero plurima pro prærogativa & privilegiis Sedis Romanæ tolerasse, & pro iis, dum viveret, constanter esse staturum, (**wolle dabey halten/weil er lebe.**) Tezelio igitur non comparente Miltitius ineunte mense Januario cum Luthero in ædibus Spalatini egit, quæ *d. Tom. I. Lat.* & Germanice *Tom. I. Alt. fol. 258. sqq.* leguntur, quanquam non sine malignitate a Pallavicino aliisque referantur. Exaggeraverat Miltitius periculum schismatis, ejusque culpam Luthero, aliquatenus etiam Friderico Electori tribuerat. Lutherus illam in Pontificem rejecit, cujus concessione & conniventia Albertus Brandenburgicus Episcopatus plures, quam fas esset, adeptus, malos conquirendæ pecuniæ modos ad palliorum, quæ vocant, & dispensationum sumtus arripuerit, & Germaniam indulgentiarum nundinatione turpissime velut excoriaverit (**das Christliche Volck sey aufs schändlichste durch den Ablaß geschunden worden**) parte etiam fœdi lucri ad Pontificem delata, cujus optimam mentem fœneratores Florentini ad abusus illos flexerint. Addidit quædam de Tezelii impudentia, qua indulgentiæ Pontificiæ in summam totius mundi abominationem venerint. Conventum inter eos fuit, ut Miltitius reciperet Pontifici omnia referre & efficere, ut silentium disputantibus indiceretur, & causæ cognitio docto alicui in Germania Episcopo demandaretur, Lutherus quiesceret, & literas ad Pontificem daret, quibus obsequium profiteretur. Id quomodo factum sit, postea dicemus. Permoveri etiam se passus erat Elector, ut literas ad Pontificem, eo sensu & stylo, daret, qui *d. Tom. I. Alt. fol. 256.* refertur.

(2) *Friderici Electoris devotio in affectatione Rosæ Pontificiæ.*

(3) *Adventus Miltitii in Misniam.*

(4) *Tezelii ad eum literæ.*

(5) *Miltitius cum Luthero Altenburgi tractat.*

An. 1519.

(6) Literæ Electoris Friderici ad Pontificem mittendæ,

fertur. Narrabat Elector, ut desiderante id Cardinale Cajetano, Lutherum Augustam miserit, quid ibi actum, & ad se a Cajetano scriptum fuerit, utque ipse decreverit a causa Lutheri prorsus abstinere, cum animadverteret, se ob illam Pontifici suspectum esse: nunc vero Miltitium advenisse, & inter multa alia petiisse, ut Lutherum in provincia retineret, eumque ad colloquium sisteret; fecisse se hoc, & Pontificem successum colloquii ex relatione Miltitii percepturum, simulque deprehensurum esse, quod Lutherus sit filius obediens, & contra voluntatem suam in litem tractus, magna de cætero existimatione & fama apud viros doctos aliosque, ut omnino mereatur Pontifici commendatus esse. Hæc Altenburgi ita constituta erant;

(7) revocatæ ab Electore.

sed Elector, ut ex literis *ad Fabianum a Feilitsch* d. 11. Jan. Torgaviæ datis, *d. l. fol. 257.* apparet, mutavit propositum, & satius sibi videri indicat, ut ad Pontificem non scriberet, neque illi suspicionem injiceret, ac si de causa Lutheri valde laboraret, unde facile fieri posset, ut Pontifex irritatus, custodiri Lutherum postularet, & ad interdicta aliaque provolaret, quæ cum Miltitii ipsius consiliis non convenirent, immo molesta potius illi futura essent; sibi igitur decretum esse, negotio huic se non immiscere, præsertim quia ad illa, quæ Cajetani minacibus ad se literis regessisset, nullum hucusque responsum venisset. Eadem fere eodem die Miltitio scripsit.

(8) Miltitius Tezelium increpat, ejusque vitia propalat.

Hic igitur, cum in præsens nihil amplius agendum esse cerneret, *Lipsiam* profectus est, ibique Tezelium cum Provinciali suo bis accersitum acerrime increpuit, uti quidem ipse Miltitius in literis, in itinere d. 22. Jan. in oppido Græfenthal datis, *Pfeffingero* scribit. Ait enim; *Ab aliis relatum mihi, & ab ipso Tezelio indicatum est, quo ex Saxonia se proripere & aufugere velit, ne majus malum incurrat;* (daß er sich heben und fliehen will aus diesen Landen / ehe es ärger mit ihm werde) *mendacia & fraudes ejus mihi satis manifeste innotuerunt, easque & alia magna capita ei exprobravi, & testibus coram eo productis demonstravi: omnia Pontifici scribam, & sententiam in Tezelium expectabo. Convici eum ex institoris Fuggerorum, qui Lipsiæ est, & pecuniam ex indulgentiis collectam in rationes retulit, autographo, quod singulis mensibus octoginta florenos pro se, pro famulo decem, & præterea victum suum suorumque, & pabulum trium equorum acceperit, exceptis quæ surripuerit & prodegerit.* (ohne was er gestohlen und unnütze verthan) *Cogitare potes, quid de gratia concionatus sit, & quomodo S. Romanæ Ecclesiæ, & Moguntino, Domino meo clementissimo servierit. Hæc & multa alia comperta mihi sunt. Habet præterea duos liberos.* Ista ex literis, Miltitii manu Germanice exaratis, summa fide refero, unde mores Tezelii cognosci possunt, judicium etiam de disciplina Ecclesiastica illius temporis ferre licet. Prosecutus inde iter Miltitius *Augustam* venit, & ex illa urbe d. 6. Febr. ad Electorem & Pfeffingerum literas dedit, in quibus bene eos in causa Lutheri sperare jubet, petit tamen, ut Lutherus, quem *Reverendi* titulo honorat, (Seine Würde) quiescere a scribendo juberetur, donec ipse rediisset, retulisse enim se omnia Romam.

(9) Proficiscitur ad Electorem Trevirensem.

Deinde ad Electorem *Trevirensem* perrexit, apud quem tunc Cardinalis Cajetanus erat, ad cujus nutum Miltitius agere a Pontifice jussus erat. Effecit autem, ut Lutherus, qui se ad causam coram Trevirensi tractandam in Altenburgensi congressu obtulerat, accerseretur.

(10) Trevirensis ad Electorem Sax. de Luthero ad se mittendo literæ & hujus responsum.

Extant Richardi Trevirensis Electoris literæ ad Fridericum Saxonem d. 3. Maji datæ, in quibus Lutherum ad se mitti petit, eique commeatum tutissimum pollicetur: (ein starck und sicher Geleit) Cajetano id probari significat, & facturum se testatur, quod deceat pacis, religionis & honestatis studiosum, (Er wolle handeln als ein Liebhaber des Friedens / der zu Göttlichen und erbarn Dingen sonderliche Zuneigung trägt) quique tam Pontifici, quam Ordini S. Augustini impense faveat. Fridericus d. 8. Junii ex *Heldburgo*, arce sua in Franconia Trevirensi respondit, se jam in itinere esse Francofurtum versus, ibique cum Richardo locuturum, interim, quod is scripserit, Luthero significaturum.

(11) Literæ Cajetani ad Fridericum Elect.

Accesserunt Cardinalis Cajetani literæ, d. 5. Maj. ex oppido Trevirensis *Confluentia* ad Electorem Fridericum scriptæ, quas integras, quia breves, nec, quod sciam, editæ sunt, appono. *Illustrissime & Excellentissime Princeps, Domine observandissime. Cum primum ad me rediit Rever. Dn. Carolus de Miltiz, Sanctissimi Domini nostri Nuntius, eum e vestigio ad Illustrissimam Dominationem Vestram remisi, ut cum bona ejus Sanctitatis voluntate & gratia sacrum Rosæ aureum donum illi referret. Videat ergo Excellentia Vestra, quantum illi S. D. N. & sacer ejus Senatus, atque ego, Suæ Sanctitatis minister, tribuamus. Tanto enim munere summi tantum Principes, de Sacra Romana Ecclesia optime meriti exornari solent; neque reliquum aliquid fuit, quo Sua Sanctitas majorem posset erga Illustrissimam Dominationem Vestram ostendere charitatem, neque etiam eligi poterat Princeps, cui ego summa omnia magis cuperem. Superest, ut Excell. [illegible] Vestra progenitorum suorum, qui de summo Pontifice & universa Christi religione egregie meriti sunt, vestigiis, uti facit, insistat, ipsam Romanam orthodoxam Ecclesiam colat, amplexetur ac viriliter tueatur; quod si effecerit, non minorem utique laudem & gloriam ab ea consequetur, quam sui hactenus majores. Ego vero, si qua in re Excellentiæ Vestræ obsequi possum, certe id toto animo concupisco, & bene ac feliciter valeat. Ex Confluentia oppido Trevirensis diœceseos*

D. V.

Thomas Card. S. Sixti Legatus.

(12) Notatu quædam de illis literis.

In his Lutheri causam dissimulat, blandiens Electori & summa ominatus, ipsum forte axioma imperatorium. Cajetanus enim a Leone missus erat, ut Electores in partes Gallicas, aut alias quascunque traheret, quo electionem Caroli Austriaci impediret, quod alibi notatum est. *Masenius* Jesuita *Lib. XX. Chron. Trevir.* Cajetani non meminit, scribit tamen *Robertum Ursinum, Archiepiscopum Rhegiensem, Pontificis mandato pro electione Galli cum Trevirensi aliisque Electoribus tractasse.*

(13) Iter Lutheri ad Trevirensem differtur.

Francofurti postea inter Trevirensem & Saxonem conventum est, ut causa Lutheri ad prima Caroli Cæsaris comitia, quæ tunc in mensem Novembrem hujus anni 1519. designabantur; sed in finem sequentis dilata sunt, differretur, & Miltitius ipse tunc suasit, ut Lutherus in Saxonia maneret, & iter

Trevi-

An. 1519.

(14) *Redit Miltitius ad Electorem.*

Trevirense omitteret. Utrumque ex actis Friderici cum Miltitio d. 11. Dec. Torgaviæ constat. Sed Miltitius eodem tempore, quo Cajetanus Confluentiæ versatus, d. 11. Maj. Electori per literas significavit, munus Pontificium cum diplomatibus jam Roma ad Fuggeros Augustanos mercatores perlatum esse, neque tamen prius quam d. 24. Sept. id apportavit, gratius utique si ante annos tres vel quatuor venisset; jam vero intempestivum prorsus id erat, postquam Pontificis autoritas in disputatione Lipsiensi, paulo ante mense Junio habita, (de qua postea multa referam) in dubium, ipsæque indulgentiæ Pontificiæ in magnum contemtum adductæ essent. Igitur Fridericus Elector pro solertia sua a solenni muneris acceptilatione abstinuit; ne tamen oblatum honorem penitus spernere videretur, Consiliariis, inprimis *Fabiano a Feilitsch* mandavit, ut id a Miltitio reciperent. Factum id est Altenburgi d. 25. Sept. die Dominica, ut ex literis Miltitii ad Electorem postridie datis, constat, in quibus simul refert, *se Jubilæum, sive indulgentias plenarias, ex diplomate Pontificio publicasse*, & gratias agit pro numeratis sibi *ducentis florenis*, sed ita, ut non vereatur *alios ducentos petere*, magna cum asseveratione (**bey seiner Seelen Seligkeit**) *se ducentos in muneris solicitatione consumsisse*. In iisdem literis indicat se, quæ Luthero Altenburgi promiserit, servaturum esse, petit tamen ut is denuo secum ad colloquendum sisteretur, locumque indicat *Liebenwerdam*, oppidum haud procul Wittenberga situm; affert etiam excusationes: imputabatur enim ei, quod minas de excommunicatione sparsisset. Secutus inde conventus *Liebenwerdensis* d. 8. Octob. de quo Miltitius Electori sequenti die scribit, *paratum denuo esse Lutherum, ut ad Trevirensem Electorem proficisceretur*. Extat etiam scheda manu Lutheri scripta, Spalatino missa, quam totam exhibeo: *Primo mihi mandata dedit, salutem suo nomine dicerem Illustrissimo Principi nostro. Secundo, salutem quoque tibi eodem mandante dicerem. Tertio, an pacto, quod Altenburgi placuerit, Archiepiscopo Trevirensi starem. Respondit: utique. At hic ultimus actus fabulæ. In fine his dictis commissionem Apostolicam sese expedivisse ajebat, profecturumque se mox domum, noluisse se discedere, nisi hanc commissionem ore mecum tractasset.*

(15) *Rosam offert, aliaque agit & scribit.*

(16) *Acta Miltitii cum Luthero Liebenwerdæ, & hujus de iis relatio.*

M. Luther.

(17) *Miltitii de potestate Pontificis confessio.*

Subscripsit nomen, & postea subjunxit: *Vice chori* (quo scilicet scenæ finiuntur) *tandem lusimus de potestate Papæ, in quo convenimus, Papam non habere jure divino eam potestatem, quam modo habet, aliam tamen commissionem a cæteris Apostolis; quæ cum a me quæreretur, quomodo aliud a potestate esset? dixit: eandem tandem esse, nisi quod in aliam partem orbis Petro tradita.* **O wir wolten der Sachen bald eins werden**, id est, *O quam facile in causa hac conveniet nobis!* Id quod serio an joco scriptum sit, mihi non satis liquet: Lutheri enim relatio indicat, ipsum non plane de concordia tunc desperasse, & paratum ad eam fuisse. Producam etiam alia inedita, ex quibus id satis manifestum est. Cæterum altercationi postea ansam dedit, quod Lutherus de colloquio Liebenwerdensi retulerat, Miltitium dixisse, *finem negotiationis suæ nunc factum esse*; id enim Miltitius negabat, aut eo interpretabatur, tunc finem fore, si Lutherum Trevirensi stitisset. Electori etiam Friderico d. 8. Dec. scripsit, *se Roma literas accepisse, ex quibus percipiat, indignari Pontificem, quod Lutheri causa tamdiu protelaretur, & is interea conciones continuaret*. Significat etiam, *Episcopos aliquos Romam scripsisse, & Pontifici consuluisse, ut alii quam Miltitio negotium hoc committeret, vereri se ne res ad interdicta & censuras veniret, sibi tamen concordiam curæ esse*. Paulo post d. 11. Dec. ipse ad Electorem Torgaviam venit, ibique denuo actum est de itinere Lutheri ad Trevirensem, & ut interea interdicta & censuræ omitterentur. Finis fuit, ut Elector decreverit, se hoc negotium amplius non esse tractaturum. Hæc ex fide documentorum comperio hoc anno 1519 acta esse; ex quibus explicanda sunt quæ alii scripserunt, & corrigenda quæ adversarii tradunt. Concordant Lutheri literæ, nam paulo post colloquium d. 20. Febr. *epist. 97.* Staupitio ita rem narraverat: *Carolus Miltitius me vidit Altenburgi, conquestus, quod orbem totum mihi conjunxerim, & Papæ abstraxerim: exploratum se habere per hospitia cuncta, quod inter quinque homines tres aut duo vix Romanæ parti faverent: fuit armatus septuaginta Brevibus Apostolicis, in hoc negotium, ut me captum perduceret in homicidam Jerusalem, purpuratam illam Babylonem, ut postea ex aula Principis accepi. Quod studium, cum desperatum esset, cœpit agere, ut Romanæ Ecclesiæ restituerem quod abstulissem, & revocarem. Cum autem peterem, ut doceret revocanda, tandem convenimus, ut Episcopis aliquot causa committeretur. Ego nominavi Archiepiscopum Saltzburgensem, Treverensem & Freisingensem,* (idem erat etiam Numburgensis, Philippus nempe Palatinus) *atque vesperi, me accepto convivio, lætati sumus, & osculo mihi dato discessimus: ego sic me gessi quasi has Italitates & simulationes non intelligerem.* Nec abs re erit, quæ longe post, in supra allegata *præfatione* ad opera Latina, narravit, adscribere: *Anno 1519 misit rosam Leo X per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut Papæ reconciliarer. Is habuit LXX Brevia Apostolica, ut si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti Papa per Rosam quærebat, per singula oppida affigeret unum, & ita tutus me perduceret Romam. Prodebat autem coram me consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam, te esse senem aliquem Theologum, qui post fornacem sedens ita secum disputasset; nunc video te esse adhuc integrum ætate & validum. Si haberem XXV millia armatorum, non confiderem, te posse a me Romam perduci: exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent; ecce, ubi unum pro Papa stare inveni, tres pro te contra Papam stabant. Illud vero ridiculum erat: Exploraverat etiam mulierculas & virgines in hospitiis, quidnam de sede Romana sentirent? Illæ, ut ignaræ hujus vocabuli, & sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneasne an lapideas? Rogabat itaque, ut consulerem ea, quæ pacis essent; se omnem daturum operam, ut Papa idem faceret. Ego prolixe quoque promisi, quod omnia, quæ ullo modo salva conscientia & veritate possem, promtissime essem fa-*

An. 1519.

(18) *Ejus literæ & accessus ad Electorem.*

(19) *Lutheri ad Staupitium relatio de colloquio Altenburgensi.*

(20) *Item in præfatione operum Latinorum.*

An. 1519.

sem facturus: me quoque esse pacis cupidum & studiosum, qui per vim tractus in has turbas, necessitate adactus fecissem omnia, quæ feci, culpam non esse meam. Vocaverat autem ad se Johannem Tezel Prædicatorii ordinis, autorem primarium hujus tragœdiæ, & verbis minisque Pontificiis ita fregit hominem, hactenus terribilem cunctis, & imperterritum clamatorem, ut inde contabesceret, & tandem ægritudine animi conficeretur. Quem ego, ubi hoc rescivi, ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac jussi animo bono esse, nec mei memoriam metuere; sed conscientia & indignatione Papæ forte occubuit. Futilis habebatur Carolus (ob mores puto quosdam minus correctos, de quibus videndus Lutherus in epistola ad Spalatinum *ep. 122. Lib. I.* & Pallavicinus *Lib. I. c. XVIII. n. 1.*) *& futile ejus consilium; sed meo judicio, si Moguntinus a principio, cum a me admoneretur, denique si Papa, antequam me non auditum damnaret, & Bullis suis sæviret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet sero, & statim compescuisset Tezelianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum; tota culpa est Moguntini, cujus sapientia & astutia eum fefellit, qua voluit meam doctrinam compescere, & suam pecuniam, per indulgentias quæsitam, esse salvam. Nunc frustra quæruntur consilia, frustra coguntur studia. Dominus evigilavit, & stat ad judicandum populos; etiamsi nos occidere possent, non tamen haberent, quod volunt, immo minus haberent, quam nobis vivis & salvis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omnino obesæ naris sunt, satis olfaciunt.* (Hoc eo forte pertinet, quod sectas seditiosas compesci a se posse existimabat.) Non habent igitur post Lutheri confessionem censores, quod Miltitium tantopere exagitent. Nam ejus profecto blanditiis, lacrymis & osculis effectum est, ut Lutherus in epistola ad Pontificem d. 3. Martii Altenburgi scripta, (quicquid illi dicant) tam demisse obsequium polliceretur, quo plus præstare non poterat. Vide *Tom. II. Lat. fol. 222.* & *Lib. I. ep. 98.* De Rosa mense Sept. ad Langum (*Lib. I. ep. 119.*) scribit: *Miltitius adest, & tentabit cum aurea rosa Electorem; gloriatus est Dresdæ, Martinum in manibus suis esse, sed nihil proficiet, Deo propitio.* Et postea d. 30. Oct. Staupitio: *Carolus a Miltiz Rosam tandem Altenburgi obtulit, absente Principe, quam nescio quanta pompa conatus fuerat Wittenbergam ducere.* Post annos viginti in *præfatione* Op. Lat. anno 1545. scribit: *Rosam, quam vocant auream, a Leone missam, nullo honore dignatus est, immo pro ridiculo habuit Elector.*

(21) *Ejusdem de Rosa relationes.*

ADDITIO I.

(a) *Relatio Lutheri ad Electorem de colloquio cum Miltitio.*

Extat Reg. N. fol. 1. n. 1. Lutheri MS. ad Electorem Fridericum epistola, altero colloquii Altenburg. die Anno 1519. data, in qua refert, Miltitium vehementer heri exaggerasse contumeliam & injuriam, (die Unehre und Frevel) quam Ecclesiæ Romanæ Lutherus intulisset, & se humillime & quantum potuerit (auffs allerdemüthigste/ was ich vermocht) ad reparationem (Erstattung zu thun) obtulisse. Exponit inde oblata (1) se posthac quieturum esse, ut negotium hoc per se expiraret (zu tode bluten lassen) dummodo adversarii quoque silerent. Se enim existimare, si scripta sua neglecta fuissent, futurum fuisse, ut omnia conticuissent, & cantilenæ hujus omnes pertæsum foret, (hätte man mein Schreiben lassen frey gehen / es wäre längst alles geschwiegen und gesungen / und ein iegliche des Liedleins müde worden) vereri autem, si ipse verbis aut factis ulterius infestetur, ne res ex jocosa plane seria fiat, se autem suas facultates adhuc integras habere, (ich habe meinen Vorrath noch gantz) optimum itaque esse, ut causa hæc quiescat. (2) Scripturum se Pontifici, (Päbstl. Heyligkeit) cum humillima submissione, & agniturum, quod nimis fervidus & acris fuerit, eo tamen minime animo, ut Romanæ Ecclesiæ aliquid derogaret, sed ut tanquam fidelis illius filius blasphemos sermones refelleret, ex quibus magnum dedecus, opprobrium & scandalum populi erga Ecclesiam Romanam ortum fuerit. (3) Scriptum se publicaturum esse, omnesque adhortaturum, ut Ecclesiæ Romanæ obsequium & venerationem præstarent, thesesque suas non ad ignominiam, sed ad honorem Sanctæ Ecclesiæ Romanæ editas esse intelligerent, confessurum etiam, se veritatem nimis fervide & fortassis intempestive propalasse, (habe die Warheit allzuhitzig/und vielleicht unzeitig an Tag bracht) quia tamen tam graves causæ fuerint, se id intendisse & egisse, ut quilibet justam differentiam inter indulgentias & bona opera intelligeret. (4) Significat, *Spalatinum* suggerente *Fabiano a Feilitsch* proposuisse, ut causa ad Reverendissimum Archiepiscopum Salisburgensem deferretur, ejusque sententia ex consilio virorum doctorum & non suspectorum ferenda definiretur, fieri autem posse, ut causa in judicium & litis pendentiam delata per se concideret. Hic se vereri dicit, ne Pontifex judicem non admittat, se vero Pontificis sententiam ferre non posse, ideoque primum modum (mutui nempe silentii) a se præferri, alias hunc futurum esse scenæ exitum, ut Papa textum scriberet, ipse glossas adderet, id vero non expedire. (Es wird sich das Spiel machen/daß der Pabst Text wird machen/und ich ihn glossire/das wäre nicht gut.) Egisse se de hoc cum Miltitio, qui id non probaverit, neque tamen revocationem postulaverit. Petit inde a Principe propter Deum, ut, quid fieri a se velit, clementer aperiat. *Facturus sum*, ait, *libenter omnia & passurus, modo non cogar plura prodere: Ex revocatione tamen nihil fiet.* (Ich wil gern alles thun / alles leiden / daß ich nur nicht weiter auffzustechen veruhrsachet werde / denn aus der Revocation wird nichts.) Hæc dissimulare, etsi poteram, ideo nolui, ut appareat, quam tenue lumen, debilisque motus fuerit, quem Lutherus sub initia magni illius moliminis habuit. Accepta enim, quam offerebat, silentii conditione, concidere & expirare cœpta ejus facile potuissent. Neque tamen satis consuluisse conscientiæ suæ videtur, si ipse veritatem, quam voce & scripto eo usque professus erat, revocasset, cum ejus ulteriorem & ampliorem assertionem magna pars Germaniæ aliarumque regionum jam flagrantissime desideraret. Lapsi etiam insigniter sunt *Feilitschius* & *Spalatinus*, qui Archiepiscopo Salisburgensi, vafro & irreligioso homini, judicium in causa deferrent. De Electoris titubatione satis dictum est. In MSS. Bavari sane Vol. I. p. 213. annotatum reperio Lutherum adventante Miltitio & percepta Friderici consternatione ad abitum ex Saxonia celerrimum se parasse, & non nisi Spalatini literis supervenientibus retentum, quibus monebatur ut maneret, nisi abiisset, quia Miltitius spem faceret, fore, ut res colloquio aut disputatione componeretur. Interim Deus per instrumenta valde infirma opus illud suum peregit, & strophas tricasque adversariorum in fumum & ventum dissipavit.

(b) *Epicrisis de trepidatione Lutheri & aliorum.*

ADDITIO II.

(a) *Contenta Brevium Pontificior. ad Pfeffingerum & Spalatinum.*

De diplomatibus & literis Romanis inspiciendus est Tom. I. Lat. VVitt. fol. 233. sqq. ubi Leonis X. Brevia, quæ vocant, ad *Degenhardum Pfeffingerum*, Friderici Electoris Consiliarium, & *Georgium Spalatinum* Secretarium Kal. Jan. 1519. data leguntur, in quibus significat, se auream Rosam per Miltit. Principi mittere, & Nuntio illi quædam mandasse, quæ suam & Sedis Rom. dignitatem & autoritatem respiciant, scire se autem, quanta uterque sit, & merito quidem, apud Ducem gratia, quantive ille salubre ac prudens consilium eorum faciat; hortatur eos, ut recte considerent quanto decore & munere Ducem dignum duxerit, & quam detestabilis sit unius Satanæ filii fratris Martini Lutheri nimia temeritas, quæ etiam notissimam hæresin sapiat,

An. 1519.

sapiat, & tanti Ducis clarum nomen, claramque progenitorum famam denigrare possit, sano itaque consilio Duci persuadeant, per quæ Pontificis & sedis suæ dignitati & Ducis decori recte consulatur, & Martini temeritas comprimatur, errorque heu! nimium gravis, qui in populo plerumque nimium credulo seminetur, tollatur. Hæc & alia Germanice versa reperiuntur *Tom. I. Alt. fol. 254. sqq.* Scripsit etiam ad utrumque d. 5. & 7. Jan. *Julius Medicæus*, Card. Vice-Cancellarius, (qui postea Pontifex factus Clemens VII vocari voluit) causamque commendavit. Verum relata in Tomos non sunt, nescio qua ex causa Pontificis diplomata ad Electorem ipsum, aliosque antea, sed in eodem negotio data, quæ tamen authentica habentur *d. Reg. Arch. Vin.* Friderico nempe d. 24. Octob. 1518. munus suum his verbis mirifice prædicat Leo. Sacratissimam auream Rosam quarta Dominica Sanctæ Quadragesimæ a nobis chrismate sancto delibatam, odoriferoque musco inspersam cum benedictione Apostolica, ut vetus est consuetudo, aliisque adhibitis sacris ceremoniis consecratam, munus quippe dignissimum & magni mysterii, a Romano Pontifice non nisi alicui ex primoribus Christianorum Orbis Regi aut Principi, de Sancta Apostolica Sede bene merito quotannis dicari & mitti solitum. Excusat postea, parum quidem pertinenter, quod munus illud mittere distulerit, (dudum enim, ut ex Miltitii relatione ostensum est, spem ejus fecerat) nempe ut oblatio ejus in celebri aliquo loco fieri posset: Miltitium vero ob generis nobilitatem & integritatem morum delectum esse, & quia dignitatis & amplitudinis Electoralis esset studiosissimus. Redit iterum ad ostentationem beneficii, ut dicat: Debet, ac profecto debet nobilitas tua ex hoc sacratissimo munere, tanto affectu, tantaque charitate a nobis ei dicato eo magis lætari, & Deo Salvatori nostro atque nobis & sanctæ Sedi majores gratias habere, atque suam erga nos & eandem sedem devotionem ostendere, quia scilicet simile a Xysti IV. Romani Pontificis tempore, nullus Saxoniæ Dux, nisi *Hernestus*, pater Friderici, qui Romæ per id tempus egerit, accepisset. Sequuntur alia eodem spectantia; postea etiam mysterium doni explicat, ut nempe per Rosam corpus Christi figuretur, qui est, ait, flos florum & omnium, quos alma tellus protulit, aspectu jucundior & amœnitate fragrantior. Poscit denique ut Miltitio mandata reliqua, de quibus alias literas in forma *Brevis* allegat, pio animo concipere, nobili pectore condere & pro magna animi & rerum gerendarum virtute admittere velit. *Breve* istud eodem die datum est, & complectitur exhortationem ad Principem, ut consilia & opem adversus Turcos conferat, deinde vehemens *Martini Lotter* (ita scribitur) *fratris Ordinis S. Augustini* vituperium, qui in ditione Electoris contra Pontificem & S. Apostol. Sedem populo Christiano talia audeat prædicare, quæ non solum notissimam hæresin sapiant, sed & gravi animadversione digna sint, & conscientiam Electoris non mediocriter offendere, famamque & gloriam ejus & progenitorum (qui hereses acerrime oppugnaverint) denigrare possint. Petit ergo, ut, quæ Miltitius propositurus sit, consideret, & pretioso munere ornatus, Rosæ suavitatis odore lætus, tanto lubentius & promtius exequatur. Attulit idem Miltitius Breve Pontificium ad *Capitaneum & Consules insignis oppidi VVittenbergensis, Brandenburgensis diœcesis* (Episcopatuum enim mentio raro a Pontificibus omittitur, nulla Principum cujusque loci mentione facta, ut totum Orbem sub imperio Ecclesiastico descriptum esse ostendant) in quo Lutherum *filium perditionis* vocat, *qui suadente Diabolo salutis nostræ hoste sævissimo, de Pontifice ejusque Sede diversimode non prædicando sed maledicendo dicere papam non erubescat;* postulat igitur, ut Miltitium, quem *Clericum Misnensem, Notarium & Cubicularium suum* nominat, audiant, & quæ petiturus sit, celeriter exequantur. Aliud ad *Donatum Grosum*, Canonicum Numburgensem (de quo præterea mihi nihil innotuit) expediri fecit Pontifex, eodem stylo, quo postea, ut supra narratum est, *Pfeffingero & Spalatino* scripsit, nempe ut & hic desideria Pontificis Electori commendaret.

(b) *Literæ Pontificis ad Electorem de munere Rosæ.*

(c) *Breve aliud de Luthero ad Electorem.*

(d) *Item ad VVittenbergenses & Donatum Grosum.*

Mandatum ad Miltitium scriptum est d. 15. Oct. d. a. 1518. quo jubetur Rosam & indulgentias Friderico offerre, & Pontificis causam apud eum agere, addita tamen admonitione *in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis latæ sententiæ & indignationis Pontificiæ pœnis*, ut omnia faciat ex consilio, voluntate & expressa licentia Cardinalis Cajetani, sui in Germania de latere Legati. Exemplum mandati exhibuit Miltitius, ut & *Memorialis* a Cajetano accepti. In hoc ei præscribit, ut Bullas de indulgentiis, quas afferebat, solenniter in Ecclesiis & cœtibus publicari curet, efficiatque ut Elector Cajetano tutum locum prope Francofurtum designet, ubi cum eo colloqui posset, antequam electio Imperatoris fieret, significet etiam adventum Lutheri, quem Cajetanus sperabat, & per Miltitium procurabat, & ut dilationem muneris excusaret. Apparet hinc, Memoriale hoc Anno 1519. post mortem Maximiliani & indictam Francofurti electionem scriptum esse. Denique ut nihil scenæ & pompæ deesset, diploma Pontificium, ad Episcopum, qui Missam in traditione Rosæ celebraturus esset, expeditum, secum tulit Miltitius, quo jubebatur Episcopus, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui in celebratione Missæ, in die exhibitionis Rosæ adfuerint, & pro Pontificis Ducisque incolumitate sanctæque Rom. Ecclesiæ felicitate & Christiani nominis propagatione quinquies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam devote recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta elargiri, post illam tamen Missam celebratam minime & ea tantum vice promulgandam. Videmus ex his qua pompa, quave ostentatione Romani Pontifices beneficia sua, nec nisi diu rogati multisque officiis & submissionibus deliniti contulerint; deinde quam fatua fuerit persuasio hominum, etiam maximorum & sapientissimorum, de pretio & emolumento talis liberalitatis. Illa tamen vel superflua erat, vel gratis & modeste absque secularis typhi fuco & strepitu exercenda. Nimiæ vero illius & puerilis venerationis fundamentum & veluti mater erat ignorantia solidæ doctrinæ Christianæ & sacrarum literarum, quæ non solum plebi, sed & Principibus, maximæque Cleri parti incognitæ erant. Hæc est illa disciplina arcani, de qua hodie Romani dominatus defensores longe alia nobis occinunt. Sed quam facile illæ artes pateant, & in contemtum veniant, Friderici Electoris exemplo docemur, qui modica licet luce Evangelii aspersus, tantum Pontificii blandimenti tædium concepit, ut dona, quæ paucos ante annos flagrantissime ambierat, jam nec aspectu quidem dignaretur.

An. 1519.

(e) *Ad ipsum Miltitium.*

(f) *Ad Episcopum Missam celebraturum.*

(g) *Epicrisis.*

§. XLVIII.

Jam epistolam Lutheri, instante Miltitio ad Pontificem datam, integram exhibebimus ex *Tom. I. Lat. Witt. fol. 235.* Est autem hæc: *Beatissimo Patri, Leoni X. Pontifici Maximo, F. Martinus Lutherus Augustinianus, salutem æternam.*

(i) *Epistola Lutheri 3. Mart. ad Pontificem scripta.*

Beatissime pater, cogit iterum necessitas, ut ego fex hominum & pulvis terræ, ad Beatitudinem tuam, tantamque majestatem loquar. Quare paternas ac vere Christi vicarias aures huic oviculæ tuæ interea clementissime accommodare dignetur Beatitudo tua, & balatum meum hunc officiose intelligere. Fuit apud nos honestus hic vir, Carolus Miltitius, Beatitudinis tuæ Secretarius Cubicularius, gravissime causatus nomine Beatitudinis tuæ apud Illustrissimum Principem Fridericum, de mea in Romanam Ecclesiam & Beatitudinem tuam, & irreverentia & temeritate expostulans satisfactionem. Ego ista audiens, plurimum dolui, officiosissimum officium meum tam infelix esse, ut, quod pro tuendo honore Ecclesiæ Romanæ susceperam, in irreverentiam etiam apud ipsum verticem ejusdem Ecclesiæ, ac ple-

An. 1519.

ac plenam omnis mali suspicionem venerit. Sed quid agam Beatissime Pater? Desunt mihi consilia prorsus, potestatem iræ tuæ ferre non possum, & quo modo eripiar, ignoro. Revocationem expostulor disputationis, quæ, si id posset præstare, quod per eam quæritur, sine mora ego præstarem eam. Nunc autem cum resistentibus & prementibus adversariis, scripta mea latius vagentur, quam unquam speraveram, simul profundius hæserint plurimorum animis, quam ut revocari possint. Quin cum Germania nostra hodie mire floreat ingeniis, eruditione, judicio, si Romanam Ecclesiam volo honorare, id mihi quam maxime curandum video, ne quid ullo modo revocem; nam istud revocare nihil fieret, nisi Ecclesiam Romanam magis ac magis fœdare, & in ora omnium hominum accusandam tradere. Illi, illi, heu Beatissime Pater, hanc Ecclesiæ Romanæ intulerunt injuriam & pene infamiam, apud nos in Germania, quibus ego restiti, id est, qui insulsissimis suis sermonibus, sub nomine Beatitudinis tuæ non nisi deterrimam avaritiam coluerunt, & opprobrio Ægypti contaminatam & abominandam reddiderunt sanctificationem. Et quasi id non satisfuerit malorum, me, qui tantis eorum monstris occurri, autorem suæ temeritatis apud Beatitudinem tuam inculpant. Nunc Beatissime Pater, coram Deo & tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle, Ecclesiæ Romanæ ac Beatitudinis tuæ potestatem ullo modo tangere aut quacunque versutia demoliri; quin plenissime confiteor, hujus Ecclesiæ potestatem esse super omnia, neque ei præferendum quicquam sive in cœlo sive in terra, præter unum Jesum Christum, Dominum omnium. Nec Beatitudo tua ullis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur. Et quod unum in ista causa facere possum, promittam libentissime Beatitudini tuæ, istam de indulgentiis materiam me deinceps relicturum, penitusque taciturum (modo & adversarii mei suas vanas ampullas contineant) editurum denique in vulgus, quo intelligant & moveantur, ut Romanam Ecclesiam pure colant, & non illorum temeritatem huic imputent; neque meam asperitatem imitentur adversus Romanam Ecclesiam, qua ego usus sum, imo abusus & excessi adversus balatrones istos; Si qua tandem gratia Dei, vel eo studio rursum sopiri queat excitata discordia. Nam id unicum a me quæsitum est, ne avaritiæ alienæ fœditate pollueretur Ecclesia Romana mater nostra, neve populi seducerentur in errorem, & charitatem discerent posthabere indulgentiis. Cætera omnia, ut sunt neutralia, a me vilius æstimantur. Si autem & plura facere potero aut cognovero, sine dubio paratissimus ero. Christus servet Beatitudinem tuam in æternum. Ex Aldenburgo III. Martii, An. MDXIX. Pallavicinus *d. cap. XIV. §. 5. & 6.* duo potissimum ex epistola hac observavit; *primo* magnum illud de Ecclesiæ dignitate elogium; *dein* oblationem sui, & reciprocam postulationem aliorum silentii, quorum illud, nisi revocatio accederet, pro inutili, hoc pro illegitimo habet. Ait enim, Lutheri silentio consuli negotio huic non potuisse, quando per tot ora jam locutus esset, scriptis nempe Latinis & Germanicis; adversarios vero tacere nequivisse, nisi Theologiæ & religionis linguæ simul essent evellendæ. Postremum hoc quale sit, satis apparet: Theologiæ scilicet & religioni Romanæ prospiciendum erat, asserta Romani Pontificis suprema autoritate & ad dispensandam gratiam divinam opulentia. Interim etsi, ut supra non celavi, multum humani in colloquio Altenburgensi contigerit Luthero, & si hæc epistola ex ea, quæ in literis ad Electorem tunc datis observatur, trepidatione æstimetur, reprehensionem effugere non possit, unde & ab ipso plus semel, non minus atque omnes aliæ submissiones suæ, improbata est; videtur tamen intra duorum mensium spatium, quod inter colloquium & epistolam interpositum fuit, animi robur confirmasse. Tenuit enim in tanta licet obsequii oblatione summa principia, quæ pium & Christianum doctorem decent, ex quibus verborum quædam nimia urbanitas correctionem accipit. Cum enim Christum Ecclesiæ & Pontifici præferat, Christus vero in scripturis loquatur & præcipiat, ad eas perpetuum sibi regressum & sic libertatem dogmatum servavit, Dein dum in veritate immutabilem profitetur constantiam nulla revocatione labefactandam, silentium illud, quod offerebat, privatæ quietis & securitatis gratia, servilis quidem submissionis nota non caruisset, sed veritati tot scriptis jam patefactæ, & a magno hominum numero agnitæ, non obfuisset. Et sic nullus fuit epistolæ illius effectus, nec minus vanum Miltitii de Trevirensi audientia tentamentum. De eo ex literis Lutheri quædam lubet adscribere. Necessarium inprimis esse putabat Pontificis ad Trevirensem mandatum, cum autem hoc deesset, hanc potissimum ob causam, (quam Maimburgius omittere non debuisset) Lutherus Confluentiam ire noluit. Nam ad Miltitium iter illud & revocationem apud Trevirensem Archiepiscopum suadentem scribit *Lib. I. ep. 111.* Si revocationem efficacem & probabilem facere deberet, opus esse, & Altenburgi ita fuisse conventum, *ut discussis suis sententiis statuerentur articuli revocandi, & modus revocandi, assignatis rationibus, ut fieret revocatio efficax & probabilis: ne si aliter fieret, extorta sibi diceretur per vim, & fierent novissima pejora prioribus.* Addit vero: *Sed etsi venire omnino deberem, poteris tu ipse cogitare, quam stultum me essent habituri, qui causam istam audirent, cum nondum venisse mandatum ex urbe scribas: nec dum Archiepiscopus me ejusdem mandati virtute vocarit: sed nec certum habeam, an sit mandatum hoc venturum, præsertim in isto tumultu Imperii: nec certus sum, an veniens mandatum Archiepiscopus sit accepturus. Quomodo ergo in tanta dubia me dabo, per tot pericula, & tam gravibus expensis? quas unde habeam pauperrimus? tot consumsi huc usque in ista causa, & fessos feci Patronos, ut pudeat plura postulare; ut interim taceam, quod durante interregno ne posit quidem ulli salvus conductus præstari, præsertim mihi, tot inimicis appetito.* Sequitur inde allegatio aliarum, quas Maimburgius retulit, excusationum, & tandem ita clauditur epistola: *Jam quod rem difficiliorem putas futuram, si sanctissimus Dominus Leo X plures Episcopos ad istam causam deputarit: ego contrarium arbitror. Cum enim sub judicium totius orbis rem istam editis libellis posuerim, & nunc Lipsiæ coram tot viris tractandam suscipiam: non modo non difficile, sed & gratum fuerit, multorum judicum arbitrio*

(1) Pallavicini observationes ex epistola Lutheri cum epicrisi.

An. 1519.

An. 1519.

bitrio caussam transigi. Liberius ad Spalatinum pridie ejus diei *ep. 111. Ridiculum Caroli Miltitii caput fatetur, nondum venisse mandatum ex Urbe, & me vocat. Vocat autem ipse, non Archiepiscopus: deinde ad præsentiam Cardinalis. An homines insaniunt? Scribam ei, interim consule mihi quæso.* Et ad Langum eodem die *ep. 110: Vocavit me Carolus Miltitius ad Confluentiam, responsurum Archiepiscopo Trevirensi, præsente Legato Cajetano: homo suavis simul confitens se nondum ex urbe recepisse mandatum: & sperat, me tam crassæ naris esse, ut non vocatus, nisi sua temeritate, veniam. Video ubique, undique, quocunque modo, animam meam quæri.*

ADDITIO.

(a) Notantur Varillasii errores.

In narratis *Varillasii* de negotiatione Miltitii *Lib. III. p. 252.* observandum est, ex scriptoribus illius temporis non apparere, quod Miltitius cum Electore de violandis Pontificis gratia legibus Imperii tam crude egerit, ut Varillas. refert; incognita etiam plane sunt, quæ de excusatione delati ad Albertum Brandenburgicum Archiepiscopatus Magdeburgici, & de promissis Electori beneficiis afferuntur. Ista omnia ab ingenio Principis istius, ipsiusque Miltitii multum abhorrent, nec tacuisset talia Pallavicinus, cui scrinia Vaticana patuerunt. Nimis etiam inurbana & dura fuissent, quæ de lentitudine Electoris & de ejus ministris Pfeffingero & Spalatino dicere debuerit Miltitius. Dein multis modis incerta aut falsa sunt, quæ de duobus istis ministris, v. g. quod pauperes fuerint, multos liberos habuerint, & Lutherum, acceptis a Pontifice beneficiis ecclesiasticis, Pontifici tradere voluerint, referuntur.

(b) Degenhardus Pfeffingerus, quis qualisque fuerit.

Degenhardus Pfeffingerus nobili in Bavaria familia natus, *Mareschalli* illius provinciæ *hæreditarii* titulum gerebat; prædium ejus nominat, uxoris etiam meminit Lutherus anno 1516. *Lib. I. epistol. 21.* Amabat nationem Bavaram Elector, ex qua maternum genus trahebat, & hunc comitem habuit in peregrinatione ad Terram sanctam anno 1493, posteaque *Camerarii* (Secretarium vocat *Scheurlinus*) munere & intima dignatus est familiaritate: obiit hoc ipso anno 1519 mense Julio Francofurti, magno cum Friderici luctu, in comitiis Electorum, ibique in Ecclesia Franciscanorum sepultus est, sed & cenotaphium ei erectum VVittenbergæ in templo omnium Sanctorum conspicitur. Infensusne Luthero an benevolus fuerit, incertum habeo, laudari a Luthero non reperio, imo ob avaritiam taxari. Narrat Spalatinus, Fridericum eo, quo Pfeffingerus obiit, die, navi in Mœno inter Francofurtum & Steinhemium, [arcem Moguntini] vectum cum dolore dixisse: *O quam fidelem, strenuum, & bonum ministrum in Pfeffingero perdidi.* Fuit & alius hoc cognomine, *Johannes Pfeffingerus*, & ipse Bavarus, VVasserburgi natus, discipulus Lutheri, postea Theologiæ Doctor & primus Lipsiensium Superintendens, cujus vitam retulit *Melchior Adami.*

(c) Literæ Lutheri de illo.

Festivæ sunt Lutheri ad Fridericum Electorem literæ (*Arch. Vin. Reg. N. fol. 109. lit. H. n. 42.*) absque die & anno, in quibus Electorem de nova veste sibi promissa interpellat, addit tamen, si id Pfeffingero committere vellet, curandum esse, ut non solum *comis promissio*, sed & *res* sequeretur, *is enim*, ait, *blandorum verborum fila ducere probe novit, sed pannus bonus ex illis non texitur.* **Er kan fast gute Worte spinnen / es wird aber nicht gut Tuch draus.** Memini me juvenem in actis, quæ ubi extent jam non reminiscor, legisse, Pfeffingerum provinciæ Ordinibus exosum fuisse, ita ut Electorem in comitiis compellarent, ut illum ex aula dimitteret, allegantes inter alia, quod nimio stipendio gravis esset ærario. Id fuit 400 florenorum, quæ summa tunc pro temporum frugalitate enormis videbatur. Nescio an peregrinitas hominis, (Bavarus enim erat) an illud invidiæ causa fuerit, quod tributa nova provinciis imponenda a patriæ fortassis suæ exemplo suggessisset, decimas nempe ex potu, quæ tam graves visæ sunt populo, ut nulla fere alia causa tumultus postea anno 1525 excitati in Saxonia allegata fuerit.

An. 1519.

(d) Libertas Lutheri in monendo Friderico Elect.

Notabilis est in hac ipsa epistola libertas Lutheri, qua Electorem, cui parum familiaris erat, & tunc ab eo munus expectabat, hortari ad testandam pro veste sperata gratitudinem non est veritus, ut a tributi impositione desisteret. Verba germanica hæc sunt: **Gnädigster Herr / daß ich meine treu E. F. G. auch erzeig / und mein Hoff-kleid verdiene. Ich habe gehört / wie daß E. F. G. nach abgang dieses auffsatzes wolte eine andere und vielleicht schwehrere auffsetzen. So E. F. G. nicht wolte verachten eines armen bettlers gebeth / bitte ich wollets um GOttes willen nicht lassen dahin kommen / denn mirs von hertzen leid ist / und vielen E. F. G. günstigen / daß auch diese schatzung E. F. G. letzten tagen so viel gutes gerüchts / nahmen und gunst beraubet hat / GOtt hat E. F. G. wol mit hoher vernunfft begnadet / daß sie in diesen sachen weiter siehet / denn ich / oder vielleicht alle E. F. G. unterthanen. Aber mag doch wol seyn / ja GOtt will es so haben / daß grosse vernunfft zuweilen durch wenigere vernunfft gewiesen werde / auf daß niemand auf sich selbst sich verlasse / sondern allein auf GOtt unsern HErrn.** i. e. *Si celsitudo tua non spernit preces miseri & mendici hominis, per Deum oro, ut tributi impositionem, quam ut fama fert, iterum aut graviorem meditatur, omittat; ex animo enim doleo, & mecum plurimi, qui tibi favent, quod propter eam, quæ nuper ultimo hoc tempore tuo facta est, magna gloriæ, famæ & amoris pars tibi decesserit. Dotavit quidem Te Deus sublimi sapientia, ut longius quam ego aut omnes subditi tui in his rebus prospicias: sed placet forte Deo, ut magna sapientia aliquando a minori instruatur, ne quis sibi potius quam soli Deo fidat.*

(e) Pfeffingeri epitaphium.

Cæterum *Pfeffingeri* epitaphio, quod in templo omnium Sanctorum VVittenbergæ etiamnum conspicitur, epigramma picturæ Christi in cruce pendentis subjunctum legitur, quod Melanchthonis venam sapit:

Suscipe defunctum clemens in sidera, Jesu,
Et dona requie meque meosque tua.
Quod vivens precibus sum voce & mente secutus,
Nolebam mortis non memor esse tuæ.
obiit d. 3. Julii 1519.

(f) Aliæ notæ in Varillasium.

De *Spalatino* dixi ad §. *IIX.* Errat Varillasius, qui eum facit Consiliarium & multorum liberorum patrem, ex mera, credo, conjectura. Hoc sane anno 1519 sacerdos adhuc erat, neque vivo Friderico maritus aut parens factus est. Fallitur etiam, cum Lutherum literas ad Pontificem d. 21. Martii scripsisse dicit, datas enim d. 3. Martii acta ostendunt, nec metu, sed Miltitii rogatu, neque in iis reperias, quæ hic Varillasius recenset, duplo longiora quam ipsa est epistola, ita ut hanc cum illa, quæ post annum ad Leonem scripta fuit, confundere, aut plane aliam excogitasse videatur. Argumento hæc iterum sunt, non legisse quæ allegat, omnium minime epistolas Lutheri, licet eas in præloquio alleget: neque enim (v. g.) de humanitate & osculis Miltitii *p. 259.* famæ attribuisset, cum rem ut gesta est, ex Lutheri literis potuisset intelligere.

§. XLIX.

(1) Rejicitur Maimburgii censura in Fridericum Electorem.

Cæterum, quæ hic ex Pontificii Legati *Aleandri* actis eruisse se dicit *Pallavicinus*, de filio Friderici notho, qui sacerdotii cujusdam collationem Romæ petens, pecunia parum civiliter emunctus fuerit, indeque irritato Electoris adversus curiam Romanam animo; vix meruerunt, ut neglectis magis ad rem pertinentibus, Maimburgius suæ insereret historiæ. Longe profecto infra Friderici sapientiam & pietatem, cujus insignia documenta tota vita dedit, fuisset, ob leviculam caussam tam molestum negotium Pontifici facessere, ex quo totius Ecclesiæ status in discrimen vocari videbatur. Ob eandem rationem non magis verisimilia sunt, quæ ex æmulatione inter Electores, Saxonem & Moguntinum, propter turbas Erfurti anno 1510 obortas conjicit Pallavicinus. Eundem

An. 1519.

(2) *Item in Lutherum.*

male habet, quod Lutherus tam impudens, ut ait, fuerit, ut apud Miltitium allegaret, imo scripto profiteretur, *culpam omnem controversiæ de indulgentiis ipsi Pontifici adscribendam esse, quia Alberti Brandenburgici causa leges canonicas solverit, duosque ei Archiepiscopatus, & Episcopatum præterea insignem contulisset, neque tamen id gratis, sed pro palliis exiguis multa aureorum millia acceperit, ad quæ corradenda populum christianum fœdissime deglubendum ei dederit*, coacto hunc in modum Episcopo, ut hominem quæreret *indulgentiarum*, ut loquitur, *despumatorem*, qualis erat Tezelius. Sed hæc libertas Luthero propria erat, & vero innixa. Nec ejus fundamentum infringit *Pallavicinus*, cum *d.c. XIV. n.4.* scribit: *Germaniæ Principibus non posse denegari pluralitatem beneficiorum, ne nunc quidem, postquam a Concilio Tridentino illa interdicta fuit*; nisi agnoscat auri sacram famem, & politicæ considerationis vim esse, quæ legum vincula perrumpat. Nam quod addit, de debitis ex collatione beneficiorum proventibus ad sustentationem Pontificis, non *qua Domini*, ut loquitur, *profani*, sed *quatenus est Patriarcha*, talia sunt, quæ præsupponunt id, quod est in quæstione & contradictione. De profusione & perditis moribus Tezelii, utque a Miltitio increpatus fuerit, supra actum est. De tota vero Miltitii legatione plenius edoceri potuissemus, si *Pallavicinus* ex Vaticanis scriniis, ex quibus quæ voluit contra Paulum Venetum produxit, Miltitii relationes proferre voluisset. Hujus enim, qualiscunque fuerit, judicium de Luthero & de Electore, totiusque negotii a se gesti serie, non contemnendam lucem historiæ afferre potuisset: majorem certe quam fabella de notho Friderici in contumeliam tanti Principis intempestive exposita, eique superstructa indigna suspicio, & de avaritia sacerdotum affectata declamatiuncula, quæ *cap. XIII. n. 6.* legitur. De iis vero, quæ *Miltitium* attinent, & ex secretis scriniorum Papalium revelantur, cum ad annum 1520 venerimus, agendum erit.

(3) *Pallavicini dicta de proventibus Pontificiis & alia quædam.*

ADDITIO.

De notho Friderici quædam.

Parum certi de hoc optimi alioqui & laudatissimi Principis defectu apud scriptores illius temporis reperias. *Paulus Langius in Chronico Citicensi* sugillare eum videtur; dum *cælibem vixisse* memorat, *neque tamen se castrasse propter regnum cælorum*. Gravior autor *Chytræus Lib. XIV. Saxon.* (edit. Lips. 1593.) *p. 415.* ubi expeditionem Christophori Oldenburgici pro Christierni II. Daniæ Regis restitutione narrat, inter duces, qui ad Helsingburgum Scaniæ anno 1535 infeliciter pugnarunt, nominat *Sebastianum a Jessen*, vocatque *Friderici Saxon. Elect. nothum.* Puerum hoc nomine nobilem morienti Friderico adsuisse ex *MS. Spalatini* apparet: per eum enim Electori consolationem, quam conscripserat, porrigi fecit. Quod sacerdotio destinatus fuerit, nuspiam reperire potui. Vide sis quæ *Lib. II. §. X. in Addit. (d)* relata sunt.

§. L.

Ad vernum hujus anni 1519 tempus pertinet elaboratio & procurata editio aliquot scriptorum Lutheri, inprimis *Commentarii in Epistolam ad Galatas*; sed quoniam Maimburgius eorum mentionem in anni sequentis historiam rejecit, nos quoque eum sequentes, annotationes nostras eo differimus. Mense Januario Lutherus, ut ex epistola ejus ad Spalatinum scripta *Lib. I. n. 92.* apparet, apud Episcopum Brandenburgensem fuit, quem multis secum expostulasse refert, quod tanta auderet. Addit: *Intelligo Episcopos nunc tandem sapere, sui fuisse officii, quod in me vident, ideoque nonnihil pudere.* Cœpit etiam hoc mense epistolicum aliquod Lutheri cum *Hieronymo Dungersheimio*, a patrio Franconiæ oppido *Ochsenfart* dicto, Theologo Lipsiensi, commercium, quo secutæ hac æstate disputationi cum Eccio prælusum quasi est, de primatu Pontificis *Lib. I ep. 93. & seqq.* Monenti vero ex aula Spalatino de servanda veneratione & obedientia erga Pontificem, & declarationem edi cupienti, respondit Lutherus 3. Non. Martii *ep. 99. sibi nunquam fuisse in animo, ut ab Apostolica sede velit desciscere*, provocat ad *declarationem* Germanice & populariter editam, quam puto esse eam, quæ *Tom. I Altenb. fol. 294.* (quanquam post Lipsiensis disputationis tempus collocata) legitur. In hac non solum de *intercessione sanctorum*, de *purgatorio*, de *præceptis Ecclesiasticis* & de *bonis operibus*, sed & de *potestate Pontificia* ita agit, ut imputationem hæreseos depellat, & disputabilia a credendis separet. Interim angi se animo non obscure significat, dum ad eundem Spalatinum Dominica Invocavit *epist. 100.* scribit: *Verso decreta Pontificum pro mea disputatione*, (Lipsiæ scilicet habenda) *& (in aurem tibi loquor) nescio an Papa sit Antichristus ipse, vel Apostolus ejus, adeo misere corrumpitur & crucifigitur Christus (id est veritas) ab eo in decretis. Discrucior mirum in modum, sic illudi populum Christi specie legum & christiani nominis.* Et paulo post: *Nascitur mihi indies magis ac magis subsidium & præsidium pro sacris literis.* Lætum eo tempore fuit Luthero, quod audiret doctrinæ suæ longe lateque applaudi. *Johannes* enim *Frobenius*, celebris tunc Basileæ typographus, ei significaverat d. 14. Febr. *legi & probari scripta ejus Lutetiæ etiam a Sorbonicis, & dispersa a se omnia, quæ Basileæ recuderat, exemplaria esse in Italia, Hispania & alibi, omnium Doctorum judiciis approbata*; Sedunensem etiam Episcopum *Matthæum Scheinerum*, celeberrimum illo tempore virum, acceptis Lutheri lucubrationibus dixisse; *Luther, tu es vere Luther*, id est, liquidus & purus: (lauter) & alicui, qui Eccii propositiones obtulerat, & victoriam ei in disputatione instanti ominatus erat, respondisse: *disputet Eccius, quantum velit; Lutherus veritatem scribit.*

(1) *Lutherus convenit Episcopum Brandenburg.*

(2) *Epistolæ quædam ejus ad varios.*

(3) *Hæsitatio de Pontifice.*

(4) *Applauditur scriptis ejus.*

ADDITIO.

Erasmus in *epistola 35. Lib. XVIII.* qua anno 1526 Concionatori Mariæ, Hungariæ Reginæ, Lutheranismum maligne depingit, hæc habet: *Quin insuper addebat nonnihil læti ominis ipsum Lutheri cognomen, quod Germanorum lingua* repurgatorem *sonat. Id habet ex patris opificio, qui rudes æris massas officina sua repurgat.* Sed ut a multis tunc allusum ad nomen Lutheri esse hinc apparet, fallitur tamen Erasmus Germanicæ linguæ non admodum gnarus in reddenda etymi ratione. *Luther* enim non significat Germanis nisi *liquidum*, non autem *eum qui liquidum facit.* Denique, ut supra dixi, pater Lutheri cognomen suum non ab opificio, sed a familia habuit. *Nicolaus Ulnerus*, Vicarius Coloniensis, vir octogenarius, teste Selneccero, jam anno 1520 ex literis nominis LUTER boni ominis causa hæc elicuit vocabula: *Lux Vera Totius Ecclesiæ Romanæ.* Cæterum ipse cognomen hoc suum, ut alibi & a plurimis notatum est, in sectæ nomen verti ægre tulit, quapropter in dehortatione a seditione, anno 1522 publicata, his verbis increpat eos, qui impetu quodam & sine sufficienti informatione,

(a) *Erasmi de nomine Luther allusio.*

(b) *Alia Nicolai Ulneri.*

An. 1519.

(c) *Non vult Lutheranos ut a se cognominentur homines.*

tione, novandi saltem studio, & ut Lutherani haberentur, vetera deserebant, wollen gut Lutherisch gesehen seyn/ & abutuntur Evangelio ad licentiam. His satis acriter respondet: Nicht also/ du Narr/ und laß dir sagen; zum ersten bitte ich/ man wolte meines nahmens schweigen/ und sich nicht Lutherisch/ sondern Christen heissen. Was ist Luther? ist doch die lehre nicht mein/ so bin ich auch für niemand gecreutziget/ id est: *Audi, stulte, hoc primum postulo, ut nomen meum reticeatur, nec quisquam se LUTHERANUM, sed CHRISTIANUM vocet. Quid est Luther? Doctrina non est mea, & ego pro nemine crucifixus sum.* Et paulo post: *Papistæ se vocent a Papa, qui Christi doctrina non contenti, Papæ dogmata urgent: habeant magistrum Papam, & nomen ab eo. Ego nullius sum, nec esse volo magister: communem cum Ecclesia habeo doctrinam Christi, hic unus est Magister noster.* Matth. XXIII, 8. Item in Epistola ad Miltenburgenses anno 1524 data, dolentissime scribit: *patior doctrinam meam hominesque eandem amplectentes hoc profanari nomine, ut LUTHERANI vocentur, cogamurque ferre Evangelium Dei hac contaminari contumelia.* Addit tamen solatium, quo & huc usque ejusdem doctrinæ confessores sese erigunt, ut nempe Lutherum Lutheranamque doctrinam & Christianos ejusdem asseclas, velint nolint, tolerare cogantur. Vide *Tom. II. Alt. f. 754.* & versionem illius epistolæ Latinam *Lib. II. ep. p. 193. b.* Hæc serio scripsisse ex aliis multis locis probari posset.

(d) *Alia ipsius allusio.*

Ad nomen etiam suum, ut alii scommatis causa faciebant, ipse aliquando allusit, quasi *luteus* diceretur; nam Epistolam ad Justum Jonam, de tentationibus suis, & quod una cum doctrinæ sociis pro opprobrio hominum & contemtu populorum haberetur, anno 1527 acerbe questus subscripsit, *Martinus Luther, Christi lutum.* Gloriatur tamen spe, se suosque esse gaudium & coronam angelorum & sanctorum.

§. LI.

Erasmi literæ de Luthero & aliorum ad Erasmum.

Circa idem tempus *Erasmum*, quem ob magnam eruditionis famam demereri & sibi conciliare cupiebat, literis adiit 5. Cal. April. quæ extant *Lib. I. n. 101.* Hic interim 18. Cal. Maji Antverpia ad Fridericum Electorem scribens, Lutheri (ut jam supra *§. XLVI. (z)* tetigi) ita meminerat, ut *ignotissimum quidem eum sibi esse, & scripta ejus nec tueri se, nec improbare velle* diceret, *pro hæretico tamen haberi ægre ferat, & vitam ejus ab omnibus probari, libros vero ab optimis quibusque cupidissime legi adseveret. Tomo I. f. 222.* Ad quæ quid d. 14. Maji responderit Elector, supra quoque per occasionem relatum est. Erasmus vero postea Luthero peramanter respondet, ejusque commentarios in Psalmos laudat, monens tamen de temperandis affectibus & stylo, & ne in Pontificem, sed in eos, qui Pontificibus abutuntur, detonet. Vide *Lib. VI. edit. Frobenianæ p. 244. 245. Londinens. Lib. VI. ep. 4.*

ADDITIO.

(a) *Epistola Erasmi ad Lutherum.*

Quia non nimis longa est Erasmi Epistola, totam apponam: *Frater in Christo charissime, epistola tua mihi fuit gratissima, & ingenii argutiam præ se ferens & animum spirans Christianum. Nullo sermone consequi queam, quas tragœdias hic excitarint tui libelli: ne adhuc quidem ex animis istorum revelli potest falsissima suspicio, qua putant tuas lucubrationes meis auxiliis esse scriptas, meque hujus factionis, ut vocant, vexilliferum esse. Existimabant quidam sibi datam ansam, qua & bonas literas opprimerent, quas capitaliter oderunt, velut offecturas majestati Theologicæ, quam multi pluris faciunt quam Christum: simulque me, quem arbitrantur ad excitanda studia nonnihil adferre momenti. Tota res vociferationibus est acta, temeritate, strophis, obtrectationibus, sycophantiis; ut ni præsens hæc spectassem, imo sensissem, nulli unquam autori fuerim crediturus sic insanire Theologos. Pestem fatalem esse diceres. Et tamen hujus mali virus a paucis ortum, in plures serpsit, adeo ut magna pars hujus Academiæ non infrequentis, ejus morbi contagio lymphata ferretur. Testatus sum te mihi ignotissimum esse, libros tuos nondum esse lectos: proinde nec improbare quicquam, nec probare. Tantum admonui, ne libris tuis nondum lectis ad populum tam odiose vociferarentur; id ipsorum referre, quorum judicium oporteret esse gravissimum. Quin & illud perpenderent, an expediret ea traduci apud plebem promiscuam, quæ rectius libris editis refellerentur, aut inter eruditos disputarentur, præsertim cum uno ore vita autoris prædicaretur. Nihil profectum est: huc usque insaniunt obliquis immo famosis suis disputationibus. Quoties inter nos de pace convenit? quoties illi ex temere concepta suspiciuncula novos tumultus excitarunt? Et hi cum hujusmodi factis Theologi sibi videntur. Est hoc hominum genus hic aulicis fere invisum: quod ipsum quoque mihi imputant. Episcopos omnes habeo mihi satis æquos: libris nihil fidunt: in solis sycophantiis victoriæ spes illis sita est. Eas ego contemno, recti conscientia fretus. In te redduntur aliquanto mitiores. Eruditorum calamos fortasse timent, sibi male conscii: quos ego sane suis pingerem coloribus, ut digni sunt, nisi me Christi tum doctrina, tum exemplum alio vocaret. Immanes feræ mansuescunt officiis, isti benefactis efferantur. Habes in Anglia, qui de tuis scriptis optime sentiant, & sunt hi maximi. Sunt & hic, quorum est eximius quidam, qui tuis favent. Ego me, quoad licet, integrum servo, quo magis prosim bonis literis reflorescentibus. Et mihi videtur plus profici civili modestia quam impetu. Sic Christus orbem in suam ditionem perduxit. Sic Paulus Judaicam legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in eos, qui Pontificum autoritate abutuntur, quam in ipsos Pontifices: idem de Regibus faciundum censeo. Scholæ non tam aspernandæ sunt, quam ad studia magis sobria revocandæ. De rebus receptioribus, quam ut subito possint ex animis revelli, disputandum est argumentis densis & efficacibus potius quam asseverandum. Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere quam refellere. Ubique cavendum, ne quid arroganter aut factiose loquamur, faciamusve: sic arbitror gratum esse spiritui Christi. Interea servandus animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrumpatur: nam hæc in medio pietatis studio solet insidiari. Hæc non admoneo ut facias, sed ut quod facis, perpetuo facias. Degustavi commentarios tuos in Psalmos; vehementer arrident: & spero magnam utilitatem allaturos. Est Antverpiæ Prior ejus monasterii, vir pure Christianus, qui te unice deamat, tuus olim discipulus, ut prædicat. Is omnium pene solus Christum prædicat. Cæteri fere aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant. Melanchthoni scripsi. Dominus Jesus tibi suum spiritum indies uberius impertiat ad ipsius gloriam & publicam utilitatem. Cum hæc scriberem, tua epistola ad manum non erat. Vale. Lovanii. Tertio Calendas Junias,* id est, d. 30. Maji, *anno M. D. XIX.*

(b) **Erasmi de Luthero epistolæ & judicia.**

Anno sequenti, prid. Non. id est, 6. Jul. 1520. *ad Spalatinum* scribens, more suo in causa Lutheri sese torquet, ut laudare videri possit & reprehendere, consilium etiam dare. Verba *epistolæ 40. Lib. XIII.* ista sunt: ***Scripsi nuper Philippo Melanchthoni, sed sic, ut eadem opera putarim me scripsisse Luthero. Precor, ut Christus optimus maximus Lutheri stylum & animum ita temperet, ut plurimum adferat fructus Evangelicæ pietati, mentemque meliorem det quibusdam, qui cum ignominia Christi suam quærunt gloriam, qui cum illius jactura suum quærunt lucrum. In castris eorum, qui Lutherum oppugnant, multos video, qui mundum spirant magis quam Christum. Et tamen utrinque peccatur. Utinam Huttenus temperasset stylo suo, cujus ingenium amo unice. Optarim Lutherum ab istis contentionibus aliquantisper conquiescere, ac rem Evangelicam tractare pure, non admixtis affectibus, fortasse res aliquanto melius successerit. Nunc & bonas literas degravat invidia nobis exitiabili, ipsi infrugifera: & periculum est, ne publica morum corruptela, cui nemo non fatetur opus fuisse***

An. 1519.

publico remedio, ceu pestis exagitata, magis ac magis sese confirmet. Nec semper est proferenda veritas; & magni refert, quomodo proferatur. Quam epistolam Melanchthoni nuper a se scriptam intelligat, ignoro, & desiderari credo: proxima enim ante illud tempus extat *Lib. V. ep. 38.* sed mense Aprili 1519 data, in qua de Luthero hæc saltem scribit, *vitam ejus neminem non probare, de doctrina variari sententiis, se vero libros ejus non legisse.* Scandalum vero ex vita quorundam, qui Lutheri doctrinam ore profitebantur, imprudenter sumsit; tum quod fanaticos & hypocritas a piis non distingueret, tum quod non idem de Ecclesia, cui adhuc adhærebat, judicaret, in qua nemo facile acerbius quam ipse morum & disciplinæ labem deploravit.

(2) *Lutheri cum Minoritis certamen.*

Pensaverant qualecunque Lutheri delectamentum ex Erasmi judicio captum monachi Franciscani, quos *Minoritas* vocant, molestia quadam. Hi conventum in oppido *Jüterbok* prope Wittenbergam celebrantes, scriptis ad Episcopum Brandenburgensem literis, Lutherum conviciis proscriderant, & theses XV ex ejus scriptis excerpserant, malæ, ut putabant, notæ. Sed illis acerrimo scripto, Dom. Jubilate dato, inscitiam & malitiam exprobravit, & quædam ad objecta respondens, minatus est, nisi revocent adversum se vulgata, se eos ita tractaturum, ut id ordini illorum non futurum sit honorificum. Vide *Tom. I. f. 225. & seqq.* Exarsit vero postea vehementius, cum Eccium judicio suo monachorum dicta approbare intellexisset. Sed apologia illa, qua *fol. 227. & seqq.* monachis simul & Eccio respondetur, licet actis disputationis *d. l.* præponatur, postea tamen conscripta & publicata est, & de ea infra agemus.

§. LII.

(1) *Lutheri fiducia de causa sua Spalatino demonstrata.*

In aula interim timuisse Spalatinum & alios apparet, ob theses Lutheri, quas Eccii thesibus opposuerat, maxime ob *decimam tertiam*, quæ agit de potestate Pontificis. Nec satisfecerat, ut apparet, Spalatino Lutherus, licet epistola satis ampla secretum mentis, quare ita concepisset thesin suam, explicasset. Mira itaque fiducia denuo literas dat, quæ *n. 108.* habentur, scribens: *Obsecro te, mi Spalatine, noli nimio timere, nec humanis cogitationibus totum cor cædere. Scis, quod nisi Christus me & mea ageret, jamdiu prima disputatione indulgentiarum, deinde vulgari sermone, tandem resolutionibus & responsione mea ad Sylvestrum, novissime Actis meis,* (cum Cajetano, quæ edidecat) *me perdideram, maxime profectione Augustana. Quis enim mortalium horum singulum non timebat, aut sperabat mihi excidium allaturum? Denique nuper ex urbe scripsit Olsnitzer Cancellario Ducis Pomerani nostri, me adeo conturbasse totam Romam resolutionibus & dialogo, ut nesciant, quomodo compescant. Esse tamen illis propositum, non scientia juris, sed Italicis subtilitatibus (hæc enim verba ejus sunt) me aggrediendi: has autem ego intelligo venena, vel mortem insidiarum. Multa ego premo, & causa Principis & Universitatis nostræ cohibeo, quæ (si alibi essem) evomerem in vastatricem Scripturæ & Ecclesiæ Romam; melius Babylonem. Non potest Scriptura & Ecclesiæ veritas tractari, mi Spalatine, nisi hæc bellua offendatur. Non ergo speres me quietum & salvum futurum, nisi velis & me penitus Theologiam intermittere. Sine ergo amicos putare, me insanire. Res ista finem non accipiet (si ex Deo est) nisi, sicut Christum discipuli & noti sui, ita & me derelinquant omnes amici mei: & sola sit veritas, quæ salvet se dextera sua, non mea, non tua, non ullius hominis: & hanc horam ab initio spectavi.* Concludit: *Dixi tibi semper, me paratum esse cedere loco, si qua ego Principis illustrissimi viderer periculo hic vivere. Aliquando certe moriendum est: quanquam jam edita vernacula quadam apologia satis aduler Romanæ Ecclesiæ, & Pontifici, si quid forte id prosit.*

An. 1519.

(2) *Thesis ejus de potestate Pontificis, ejusque declaratio.*

Ut vero trepidationi aulicorum consuleret, *Resolutionem* sive *probationem thesis XIII* composuit Latine, de qua ad Langum Fer. 2. post Exaudi *Lib. I. ep. 113.* scribit: *Edo jam probationes super odiosissimam propositionem tertiam decimam propter invidiam, quæ hoc agit, ne Lipsiæ admittar ad respondendum. Ternis literis a Duce Georgio non potui certum obtinere responsum, adero tamen saltem oblaturus me ad respondendum.* Habetur hæc explicatio sive resolutio *Tom. I. Lat. Jen. fol. 311.* quanquam præponi, meo judicio, illis debuisset, quæ ibi sequuntur *a fol. 294. ad 311.* nisi, quod ex Emseri scripto *Tom. I. f. 369.* suspicari licet, editio ejus post disputationem dilata est. Erat autem Eccii propositio XIII ista: *Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem aliis Ecclesiis ante tempora Sylvestri, negamus. Sed eum, qui sedem beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri & vicarium Christi generalem semper agnovimus.* Huic Lutherus hanc opposuit: *Romanam Ecclesiam aliis Ecclesiis fuisse superiorem probatur ex frigidissimis decretis Romanorum Pontificum, contra quæ sunt textus divinæ Scripturæ, historiæ approbatæ mille centumque annorum, & decretum concilii Niceni omnium sanctissimi.* Præfatur resolutioni sive probationi hujus thesis Lutherus, & excusat ab initio stylum, quem *aliquando sordidiorem suique dissimilem* ex industria sibi esse fatetur, *quia spem nominis & memoriæ diuturnæ non habeat, nec quærat, sed vi in publicum tractus, quam citissime de reditu in angulum suum cogitaret, salvo Christiano suo nomine. Putare theatrum suum habere suam horam, prodituram post se alium, Deo volente, si ipse tempori suo satisfecerit.* Hæc indicio sunt, quam injuste Luthero ambitio sive inclarescendi studium imputetur; & quod adversus commoda ipsius egerint, qui eum a quietis & secessus studio insectatione sua avocarunt.

(3) *Excusatio de styli sui asperitate.*

Excusat porro imputationem asperioris & immodestæ in adversarios linguæ, & objectioni isti, per totam postea vitam factæ, veluti præventione quadam occurrit *Tom. I. Lat. Witt. f. 311. b. Videor & multis paulo durior in adversarios, & velut modestiæ theologicæ oblitus. Hic si qua & alia vitia mea inveniantur, non magnopere deprecor culpam, quod hoc me alia causa facere non sum mihi conscius, quam nimio publici tædio & odio, in quod me mergunt illi, plurimum mihi pretiosissimi temporis suffurantes. Deinde, quod tam præfractos & obstinatos oblatratores patior, ut e quavis syllaba mihi ignominiam, sibi victoriam nominis Christiani insidiosissime & pertinacissime quærant, ut malo nodo malus mihi cuneus necessarius videatur. Quanquam videor mihi stomacho meo multam semper fecisse vim, ne facerem quæ possem. Et nescio, si molliter simul & utiliter tangi queant, qui inveteratissima jamdiu consuetudine opprobrandi hæretici nominis, ita in judicandis aliorum*

scriptis obstupuerunt, & ad audiendam veritatem obdurruerunt, suisque opinionibus obsurduerunt, ut vix caduceo divino quopiam excitari posse videantur. Ut id taceam, quam intolerabile sit leviter arguere eos, qui e templo Dei speluncam latronum fecerunt, & e Scriptura Dei negotium hominum; abominationem eam e loco sancto & Christus flagellis pepulit, & Paulus dure increpandos censuit hos vaniloquos. Nam id coguntur, velint, nolint, confiteri, sacras literas passim in universalibus studiis fuisse neglectas penitus, quantumvis sese jactent, Scripturas intelligere religiosius humano aliorum sensu, quam illarum proprio.

§. LIII.

(i) Commendatur Lutheri declaratio de potestate Pontificis.

In tota vero hac declaratione, ad scopum, quem Principis & aulæ respectu tenendum sibi præfixerat, non sine magna, ut ex *epistola* supra allegata cognoscitur, lucta, & reclamante pene mente, consentire cum Eccio præ se tulit, de primatu Pontificis, & de obedientia ei præstanda *d. Tom. I. f. 312. 313.* sed ex alio fundamento. Ipse nempe ex generali regula Apostoli *Rom. XIII.* quod *omnis potestas*, etiam quæ nobis injusta videtur, *a Deo sit*, Pontificatum agnoscit, & divinæ voluntati tribuit, quæ ex signo, id est, eventu & consensu fidelium per tot secula hanc potestatem ferentium, agnosci debeat; sed probationes, huc usque pro Pontificatu ex Scripturis & canonibus afferri solitas (quasque sciebat ab Eccio in futura disputatione allatum iri) rationibus robustissimis (ut *d. l.* loquitur) oppugnandas sibi sumit. Scio quidem, & ex actis disputationis mox secutæ, totque aliis scriptis constat, neque tunc defuisse Eccio, neque nunc deesse, quæ scriptis dictisve a Luthero reponantur; neque mihi propositum est, vel huc transcribere, quæ disceptata sunt, vel superfluo labore in defendenda Protestantium sententia, ab innumeris aliis dudum suscepto, & ad hoc usque tempus continuato, me & lectores onerare. Lectis tamen & expensis omnibus, atque sequestrato præjudicio, quod ab educatione & disciplina non potui non habere, deprehendo, quæ Lutherus adversus scripturæ dicta, *Tu es Petrus* &c. *oravi pro te, Petre* &c. *pasce oves meas*, &c. pro Pontificis universali potestate & vicariatu adduci solita, opposuit, & quæ ad Patrum loca & decreta Pontificum replicavit, summi ponderis, nec ab Eccio ita confutata esse, ut conscientiæ satisfieri possit. Tanto nempe Lutherus vel unica hac præliminari declaratione rationum & argumentorum robore causam suam firmavit, tantamque Scripturarum & antiquitatis peritiam demonstravit, ut successoribus, licet plurium, & tunc nonæque cognitorum librorum adminiculis, multisque argumentationum subtilitatibus instructis, & creberrimis disceptationibus exercitatis, parum, aut nihil reliquerit, quo superare industriam ejus potuerint. Tantum abest, ut Maimburgio credam, qui *Eccium* scribit *veritatem & causam Dei in partibus habuisse*. Sed antequam narrata hujus de disputatione Lipsiensi audiamus, mentem Lutheri de pontificatu, ad Petrum Lupinum & Andream Carolostadium in *dedicatione commentarii in Epist. ad Galat. Tom. I. Jen. Lat. fol 390.* & *Lib. I. ep. 84.* circa hæc eadem tempora, aut paulo ante, (dies enim non adscriptus est literis) masculeexplicatam, cognoscendam damus. Postquam igitur de Cajetano, & de decreto Pontificio in causa indulgentiarum questus erat, & invectus in Italos, qui Germanos *meros* (omitto cætera) *barbaros & bestias* habeant, & ut *incredibilis illusionis & expilationis patientes* irrideant; summis laudibus evehit Principes & Proceres Germanorum, qui in comitiis Augustanis anno 1518 *recte, sancte & auguste inter Romanam ecclesiam & Romanam curiam discreverint, & decimas, vigesimas, quinquagesimas, in concilio Lateranensi sancitas, & tantopere a Legatis Apostolicæ sedis expetitas*, recusaverint, eoque ipso viderint & agnoverint, *errasse Papam & Concilium*. Subdit: *Deum fessum blasphemiis & irrisionibus abusionibusque sui & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nominis, monere voluisse Romanos proceres, ut res Ecclesiæ, posito joco & ludo, aliquando serio curarent, antequam eliciant sanguinem, dum nimium emungunt Germaniam. Quare & ego* (scribit) *horum Theologorum Laicorum* (id est, Statuum Imperii) *exemplo pulcherrimo, longissime, latissime, profundissime distinguo inter Romanam ecclesiam & Romanam curiam. Illam scio purissimum esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, dominam mundi, sed spiritu, id est, vitiorum, non rerum mundi, sponsam Christi, filiam Dei, terrorem inferni, victoriam carnis: & quid dicam? cujus sunt omnia: juxta Paulum 1. Cor. 3. ipsa autem Christi, Christus autem Dei.* Magistrum hic Lutherum agnoscat Maimburgius, etiam in definienda vera Ecclesia Romana, quemadmodum agnovisse in nupero tractatu deprehenditur, *curiam a fide* Romana distinguens.

(t) *Aliud Lutheri judicium de Papa, & distinctio inter Ecclesiam & curiam.*

SECT. 25.

(1) Occasio disputationis *Lipsiensis.*

Cochlæ. Act. disput. Lips. ap. Luth. l. 1. Ep. Phil. Melanchth. Ep. Ecci ibid.

Ea res sic se habuit. Andreas Bondestein, *vulgo a loco nativitatis in Franconia,* Carolostadius *dictus, Doctor & Archidiaconus Wittenbergensis, ille ipse, qui primus, & omnium ferocissime a Luthero, (cujus tunc adorator erat) postea in diversas partes ivit, pro defensione thesium hujus novi Dogmatistæ contra Eccium scripserat; qui illas fortiter oppugnaverat, & jam novum hunc adversarium rigide urgebat, satis prævidens, a Luthero desertum eum non iri. Itaque cum Carolostadius, homo præceps, inflatus & vehemens, in replicis suis ad publicam disputationem cum Eccio provocasset, Lutherus aut diffidens Carolostadii viribus, quas Eccio impares esse sciebat, aut honoris sui interesse existimans ut certamini huic misceretur, socium sese ad disputandum obtulit, idque ipsum Eccius flagrantissime desiderabat. Neque enim dubitabat, cum veritatem & Deum, cujus causam propugnaturus erat, in partibus haberet, quin superior evaderet; idque sæpe ei in ejusmodi conflictibus contigerat, ut nempe semper profundæ doctrinæ, excellentis ingenii, solidissimi etiam judicii,*

An. 1519. *cii, & prodigiosæ memoriæ laude reportata discederet. Georgius, Dux Saxoniæ, Friderici Electoris patruelis, Lipsiæ ad ditionem suam pertinentis Dominus, duos tantæ famæ viros in certamen prodituros videre desiderans*, arcem Lipsiensem *omnemque ad disputandum commoditatem & securitatem illis obtulit. Quanquam vero neque Episcopus Merseburgensis, in cujus diœcesi est Lipsia, neque hujus urbis Academia approbaret, quod causa religionis populi judiciis exponeretur, processit tamen negotium, & dies dicta est XXVII. Junii; qua etiam antagonistæ comparuerunt. Luthero quidem, cum spectator & testis tantum esse vellet, de securitate, quemadmodum Carolostadio, non erat a Duce cautum; sed Eccius omnino cum Luthero congredi cupiens, facile id obtinuit, atque ita iste in partes admissus est. Celebris hæc actio peracta fuit in cœnaculo arcis majori, præsentibus Duce, ejusque Consiliariis, Magistratu, Doctoribus & Baccalaureis Academiæ, infinitaque multitudine hominum ex vicinis oppidis accurrentium, quo theses, de quibus ultro citroque disputandum erat, missæ fuerant. Conventum erat de forma & regula disputandi, ut nempe quisque suo loco & ordine placide exponeret, quæ adversario vel objicere vel objicienti respondere vellet. Scribæ constituti erant, qui fideliter omnia hinc inde dicta notarent; id quidem non lubenter concedente Eccio, qui languidam fore disputationem metuebat ob tempus scribis tribuendum. Lutherus etiam, qui alios judices, quam cœtum adsistentem, ferre nolebat, quod idem erat ac nullum ferre, tandem tamen in Universitates Erfurtensem & Parisiensem consensit, quo Acta hujus disputationis ad decidendum mitterentur. Sperabat, utramque sibi favituram: illam, quod in ea studiis operam dederat; hanc, quod ei cum Pontifice post abolitam sanctionem pragmaticam non bene convenire credebat. His ita constitutis, Carolostadius primus contra Eccium insurrexit, & postquam ab utraque parte protestatio facta erat, nihil esse statuendum contra sententiam & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, Eccius oppugnare dogmata Carolostadii & Lutheri cœpit, de libero arbitrio; quod dicebant, sine gratiæ auxilio homines nihil nisi malum facere posse, nec solum sine illa, quæ voluntatem movet, sed & sine illa, quam Deus mentibus sanctificandis per Spiritum Sanctum immittit, id est, sine charitate, ita ut homo, qui hac careat, nil nisi malum facere possit, ad bonum vero voluntas nihil contribuat, nisi recipiendo gratiam, quæ sola in homine operetur, ita tamen, ut nemo sit, quantumcunque justus & sanctus, qui etiam in bona actione a Deo producta non peccet. Hæc thesis ventilata fuit usque ad diem IV Julii, quo Carolostadius admodum duriter ab Eccio tractatus, & fatigatus disputationis finem fecit. Rediit ad eam die XIV & XV Julii non majori successu. Interim Lutherus locum ejus occupavit, tenuitque decem diebus. Singulis vero diebus mane & a meridie disputabatur, scilicet de* purgatorio, *quod Lutherus negabat ex sacra Scriptura probari posse: de* indulgentiis, *quas inutiles esse statuebat; de* remissione pœnæ, *quam inseparabilem a remissione culpæ esse dicebat, & porro inferebat, quod eam quilibet Presbyter non minus ac Pontifex dare posset: de* pœnitentia, *quam semper a charitate seu amore incipere debere asserebat, non vero a metu, talem enim falsam esse: de* primatu Papæ, *quem non nisi jure humano, nequaquam vero divino niti contendebat. De hoc articulo omnium vehementissime & diutissime disputatum fuit, & ex actis apparet, utrumque disputatorem, unum, dum bonam causam defenderet, alterum, dum oppugnaret, multum ingenii & eruditionis ostentasse; hoc tamen cum discrimine, ut facile conspiciatur, veritatem a solidæ doctrinæ viro, qualis Eccius erat, defensam, erroris victricem fuisse, quamvis error scientia & subtilitate pulchri ingenii fulciretur.* An. 1519.

(2) Georgius Dux eam promovet invito Episcopo.

Luth. in præfat. Tomi I.

(3) Disputationis locus & forma.

(4) Disputatio inter Eccium & Carolostadium.

(5) Item inter Eccium & Lutherum.

§. LIV.

(1) *De Carolostadio, & occasione disputationis ab eo orta.*

Moneo primo: erratum esse in voce *Bondestein*, scribi enim debet *Bodenstein:* invenio etiam *Rudolfi* cognomen habuisse; dein quamvis Carolostadius adorator Lutheri a Maimburgio dicatur, constat tamen, illi, ut ætate & dignitate antecedenti, a Luthero honorem delatum esse, *Præceptorem enim & majorem suum in Christo* eum vocabat, ut videre licet *Lib. I. ep. 84. Tom. I. Jen. Lat. f. 385. b* Erat nempe Canonicus & Archidiaconus in Ecclesia collegiata omnium sanctorum, a Friderico Electore non tam fundata, quam restituta & aucta, & cum Decanus esset, Luthero Doctoris Theologi titulum anno 1512 contulerat. Occasionem disputationis Lipsiensis verum est a Carolostadii thesibus ortam. Eccius enim Augustæ cum Luthero comiter conversatus, vel ad disputandum cum Carolostadio sese obtulerat, ut in relatione Germanica *Tom. I. Alt. fol. 124* memoratur, vel a Luthero ipso ad id inductus fuit, ut ex hujus literis ad Joh. Egranum *Lib. I ep. 88.* colligitur. Sed Eccium sive disputandi pruritus, sive, quod ei Lutherus sæpe exprobravit, flagrantissimum gloriæ studium, & adulandi curiæ Romanæ & honores opesque, oppresso Luthero, quærendi propositum eo perpulit, ut cum Luthero publice congredi vellet, ideo & tredecim theses illas *Tom I. Lat. Jen. fol. 241.* jam vulgaverat, quæ postea Lipsiæ disputatæ fuerunt, & apud Georgium, Principem Saxoniæ, effecerat, ut Lipsiensem Academiam ad locum disputationi concedendum, invitam licet, permoveret, ut ex Eccii ad Lutherum epistola d. 19. Febr. scripta *Tom. I. Lat. Jen. f. 387.* videre licet. Dein cum Lutherus, ut comes Carolostadii, sed non ut ipse disputaturus Lipsiam venisset, & nisi salvo conductu speciatim accepto disputare nollet,

(2) *Eccii pruritus ad disputandum.*

An. 1519.

nollet, etiam hunc ei Eccius impetravit. Quapropter incertum est, quod Maimburgius putat, Georgio Duci id destinatum ab initio fuisse, ut Eccius cum Luthero concurreret. Theses Carolostadii & disputata cum eo, integre licet tunc edita, in Actis Lutheri non extant, sed Lutheri saltem & Eccii Disputatio *Tomo I. Jen. Lat. fol. 242. seqq.* legitur. Adjunctus etiam est *fol. 292.* sermo Lutheri, compendium quoddam disputationis complectens, *in festo Petri Pauli*, adeoque ante disputationem suam in sacello arcis, rogatu Ducis Pomeraniæ Barnimi, qui Wittenbergæ studiis operam dans, & tunc honoris causa Academiæ Rectoratum gerens, Lipsiam venerat, habitus. Nam in templis urbis concionandi facultas concessa non fuit Luthero, qua tamen Eccius in rem suam strenue & sæpe usus est, aliaque pro concione, alia in disputatione statuisse perhibetur. Quod disputationem & disputatores ipsos attinet, sperni video a Maimburgio Carolostadium, sed Lutheri & Eccii ingenium ex æquo laudari, palmam tamen veritatis Eccio, ut supra jam dictum est, tribui: quam sincere, nescio; nam Concilia supra Papam evehentem, & infallibilitatem ei negantem Lutherum publice nunc sequitur ipse Maimburgius. Cæterum optandum foret, ut Acta disputationis, & quæ Lutherus vel ante vel post eam ad sententiæ suæ defensionem commentatus est, separatim ut olim edita, in multorum versarentur manibus, quæ nunc aut vastis Tomorum voluminibus inserta, aut perditis veteribus editionibus, fere in oblivionem venerunt. Nam etsi Luthero adversa & suspecta Lipsiæ erant fere omnia, ita ut favore & applausu se caruisse ipse ingenue agnoscat; dixit tamen, quæ ingenii & doctrinæ copiam ita ostenderunt, ut nec adversarius, die 23. Julii ad Electorem postea scribens, laude ejus plane potuerit abstinere, etsi Carolostadio nil nisi inscitiam adscribat. Excresceret ultra, quam ferre possim, labor meus, & libri modus, si saltem maxime notabilia adscribere vellem. Interim verum est; Eccium, quod voluerat, obtinuisse, nempe, ut ex Luthero eliceret, quæ Romæ condemnationem ejus maturarunt, & quæ, si aulæ consiliis sese accommodasset, tacere debuisset. Inter hæc omnia odiosissimum erat, quod decreta Constantiensis concilii contra quosdam Hussi articulos, in dubium vocaret. Hoc enim statim d. 23. Julii Eccius in literis ad Electorem, & ad Hochstratanum d. 24. Julii *Tom. I. fol. 360.* questus est. Periculose etiam laborabat Lutherus in evitando fulmine excommunicationis, quod Bulla nupera Leonis in dissentientes circa dogma indulgentiarum intentabat: *(fol. 282. & seq.)* Si enim etiam huic aperte contradixisset, actum de ejus statu & securitate fuisset, nondum obfirmato ad censuras Papales spernendas Principum consilio. Ad amicos autem scribens, reprehendit stylum Bullæ, quæ pro decidendi ratione non sacræ Scripturæ testimonium, sed immemorabile tempus allegabat. Vide *Lib. I. ep. 84. p. 135. b.*

(3) Sermo Lutheri Lipsiæ habitus.

(4) Lutheri ex disputatione periculum.

§. LV.

(1) Lutherus laudat Carolostadium.

Expedire puto, ut quædam ex Lutheri relatione de hac disputatione apponamus. Scribens igitur Spalatino d. 21. Jul. *Lib. I. ep. 114. Eccium prævaluisse* fatetur *Carolostadio, voce & gestu, sed* (per Deum jurat) *hunc egregie & locupletissime adductis libris, argumenta sua defendisse, & solvisse contraria: adactum vero, poscente Eccio & acclamantium tumultu, ut absque libris postea disputaretur, eoque factum esse, ut Eccius memoria & lingua validior speciosius pugnaret. In fine,* pergit, *subdolus homo (Eccius) omnia concessit, quæ Carolostadius arguebat, quæ tamen fortiter impugnaverat; & omnino per omnia cum eo consensit, glorificans, quod in suam sententiam pertraxisset Carolostadium. Nam Scotum cum Scotistis, & Capreolum cum Thomistis rejecit, dicens, cæteros Scholasticos idem & sapuisse & docuisse, quod Carolostadius. Ita cecidit tunc Scotus & Capreolus, id est, duæ celeberrimæ factiones Scotistarum & Thomistarum.* Quod vero hic privatim ad Spalatinum scripsit, publice Eccio objecerat, die 6. Julii *Tom. I. Lat. Jen. f. 255. Iste,* dicens, *articulus* (de divisione operum in bona & mala ratione subjecti operantis) *triumphatus est præcedente hebdomade, ita, ut egregius D. D. Joh. Eccius* (semper enim honorum titulis mutuo utebantur) *coactus sit Scotum & Scotistas, Capreolum & Thomistas cum universis suæ factionis doctoribus celebrioribus repudiare, & antagonistæ consentire.* Quanquam id Eccius audacter negarit. Sed & postea de hoc ipso inter se in scriptis publicis certarunt, & Lutherus sophisma Eccii, quo elabi voluit, vehementer improbavit, indeque sycophantiam & hypocrisin ei attribuit, epistola adversus eum edita. *Tom. I. f. 379.* Cum enim Lipsiæ in disputatione cum Carolostadio falsum esse Eccium Lutherus dicat, *liberum arbitrium sine gratia non posse nisi malum facere:* Eccius edita, quam vocavit, *expurgatione,* id ita est interpretatus, ut *malum* idem sit ac *non meritorium*, id est, indifferens, vel ita saltem bonum, ut gratiam mereatur, quam Scholastici vocant, *de congruo. Expurgatio* vero ista Eccii opposita erat alteri Lutheri *epistolæ ad Spalatinum*, in qua de disputatione Lipsiensi amplam satis relationem fecit die assumtionis Mariæ, id est, d. 15. Augusti. *Lib. I. ep. 116. f. 185. sqq.* Præfixa est eadem Resolutionibus post disputationem *Tomo I. Jen. Lat.* editis *fol. 294. & seqq.* Ex hac, inter multa notatu digna, brevitatis studio pauca excerpemus. Disputationem *perditionem temporis fuisse*, ait, *non inquisitionem veritatis, neque scopum fere ullum ab Eccio tactum, & conclusiones suas a Wittenbergensibus per annos duos multo acrius & validius oppugnatas fuisse, quas Eccius vix in facie cutis leviter perstrinxerit, notissimis & vulgo proculcatis argumentis utens.* Addit tamen: *Ita me Deus amet, fateri cogor, victos nos esse clamore & gestu. Concedit adversarium in literis humanis & scholasticis varie & copiose eruditum, sed sacrarum literarum inanem esse disputatorem, & imperitiæ suæ credibilia nimis testimonia in papyrum effudisse: sibi quidem soli* (quod objiciebatur) *se non vendicare Scripturarum sacrarum scientiam; arbitrari tamen, se in sacris literis tantum versatum & exercitatum, ut de Scholastici Theologi sententia, qui sacras literas vix a limine salutaverit, possit sine periculo pronunciare. Carolostadii vero propositiones* (ait) *velint, nolint, testari coguntur, domum salvas rediisse, nec una vel syllaba refutatas, licet crudas eas devorare Eccius statuerit.* Repetit aliqua de artificio, quo consentire

(2) Excerpta ex illa relatione Lutheri, de suis & Carolostadii thesibus.

An. 1519.

An. 1519.

tire sibi Carolostadium finxisset Eccius, cum ipse Carolostadio cessisset, approbata Gregorii Ariminensis, adversantis omnibus Scholasticis sententia, & quidem necessario, *nisi Pelagianus Ingolstadium reverti voluisset. De indulgentiis* (scribit) *pene concordamus, quæ & prope in risum abierunt: siquidem & ipse* (Eccius) *palam in vulgus quoque concionatus est, non esse quidem eas contemnendas, nec tamen iis fidendum: quomodo si fuissent per indulgentiarios prædicatæ, nec Lutheri nomen hodie ullus forte nosset.* Et postea: *De primatu Ecclesiæ Romanæ acrius certatum est. Ego primatum honoris non negavi, nec potestatis dedi, saltem jure divino, nihil repugnaturus, immo constanter confessurus ac defensurus, si facto vel jure humano eum habeat. Nihil enim minus quæro, quam ut a summa sede S. Petri & Pauli ulla causa quisquam recedat, aut obedientiam debitam subtrahat. Solum ne tot sanctos Patres in cælo regnantes, qui in Oriente viventes, sub Romana sede non fuerunt, contra jus divinum egisse concedam. Ille contra jure divino utrumque conatus asserere, cum multas autoritates Patrum conveheret, inventum tandem est, eos ambiguos & varios esse, inque alteram sententiam aliquando videri inclinasse.* Exponit inde, quæ *de conciliis* disputata sunt, & contrariari sibi *Constantiense* & *Lateranense* monstrat; distinctionem vero Eccii irridet, qua concessit, *Papam non esse Episcopum universalem, sed tamen universalis Ecclesiæ.*

(3) Item ut Georgium Ducem laudaverit.

Georgium Ducem laudat, quod Principali clementia & munificentia nihil omiserit quod ad felicissimum disputationis eventum facere potuisset: narrat etiam, ut Princeps convivio exceptum se & Eccium manu palpaverit, & disputationis eorum recordans dixerit, *sive hoc sit jure divino sive humano, Romanus Pontifex est & manet summus Pontifex. Ita vere dixit,* (ait Lutherus) *& non leviter inutilem hanc nostram disputationem insigni hac modestia taxavit.* In secretiori vero illa, quam supra allegavi, *epistola* d. 21. Julii data, *(Lib. I. epist. 114.) ad Spalatinum* retulit etiam alia a Principe sibi adversus doctrinam suam objecta, aliorum scilicet instinctu.

(4) Indicat quid ex disputatione profecerit.

Nec ego eram, ait, *tam stupidus, qui non distinguerem inter fistulam & flatum, indoluique optimum & piissimum Principem alienis ita patere & parere affectibus, quem videbam & expertus eram satis principaliter loqui, quando sua loquebatur.* Denique ad Carolostadii propositiones rediens, hæc *d. ep. 116. p. 196.* scribit: *Sufficit mihi, quod carnifex illa conscientiarum Theologistria, cui totum debeo, quod conscientia mea patitur, cecidit in hac disputatione. Nam prius didiceram, meritum aliud esse congrui, aliud condigni; facere hominem posse, quod in se est ad obtinendam gratiam; posse removere obicem; posse non obicem ponere gratiæ; posse implere præcepta Dei, quoad substantiam facti, licet non ad intentionem præcipientis; liberum arbitrium posse in utrumque contradictorium; voluntatem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia; posse ex naturalibus haberi actum amoris, amicitiæ; & id genus monstra, quæ pro primis ferme principiis feruntur scholasticæ Theologiæ, & omnium libros & aures impleverunt. At nunc hi omnes errores sub Ecciano præsidio & triumphabundis signis satis strenue ceciderunt, sine ullo ferme Marte, conterriti ad solum conspectum duarum propositionum illarum, quarum prior hæc Augustini: liberum arbitrium sine gratia nihil valet, nisi ad peccandum; posterior Ambrosii hæc: liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni.*

An. 1519.

§. LVI.

De sophismate Eccii.

Hæc & alia plurima pro Lutheri sententia defendenda postea publicata, si cum narratis Maimburgii conferantur, apud æquos judices facile evincent, quam nihil ex illis veritati christianæ & pietati adversum erui possit; & sophismata esse, quæ tunc Eccius, & post illum tot alii, ad tuenda Scholasticorum commenta, & ad lucem veritatis obfuscandam, tanto nixu & acumine procuderunt. Etiam *Pallavicino*, qui *Lib. I. cap. 15. & 16.* nihil non movet, quo Eccii partes tueatur, non magno negotio responderi posset, nisi id controversiarum potius tractatoribus relinquendum esset. Mirari se dicit *cap. 17. n. 4. quod homines ingeniosi atque eruditi, quales erant*, ut ait, *Lutherus & Melanchthon, in confutationibus subtile cum sophistico male confuderint.* Exemplum autem paulo ante attulerat, de distinctione inter *totum & totaliter*, per quam Eccius effugium quærebat, concedens, Deum *totum* operari in homine per gratiam, sed non *totaliter*. Hanc distinctionem *subtilem* esse dicit, non *sophisticam*; Eccius enim adversus Melanchthonem (ut postea referemus) scribens, ita tueri voluit inventum suum *Tom. I. Lat. Jen. fol. 363. b. Cum bonum opus dixissem totum esse a Deo, non totaliter, irridet Grammatista hoc, velut commentum indignum majestate theologica, cum in disputatione clare me exposuerim. Nescit essentiam Dei videri totam a beato, at quia non comprehenditur a beato, non videtur totaliter. Quidditas generis est tota in una specie, sed non totaliter, cum etiam sit in alia. Sic anima est tota in manu, non sic, quin etiam sit in pede. Sic bonum opus est totum a Deo, non tamen sic, quin etiam sit a libero arbitrio, quia simul agunt, non vicissim, mixtim, non sigillatim. Id expresse ait Bernhardus pertinentissime ad propositum.*

ADDITIO I.

Quanquam Scholasticæ theologiæ & metaphysicæ subtilitatis parum peritus sum, qua & multi me doctiores carent; annitar tamen, ut faciliori quodam & veluti populari modo assequi & exprimere possim, quis sit status quæstionis, *de toto & totaliter*, de qua multum operæ consumsit *Pallavicinus Lib. I. cap. XIV. §. 9. & 10. & cap. XVII. §. 2. & seqq.* Fateor autem me sententiæ ejus, utcunque speciose propositæ, assentiri non potuisse. Rem ita concipio: Disputarunt Lipsiæ *de causa boni operis*, sive *bonitatis, in actionibus humanis.* Intelligebat autem Carolostadius, & qui ei assistebat Lutherus, non quamlibet *causam*, sed causam *effectivam principalem:* Dein per *bonitatem* non intelligebant quamcunque physicam aut civilem, (quanquam utraque ex Deo est, autore & datore omnis boni, tam in ordine naturæ quam gratiæ) sed de illa loquebantur bonitate, *quæ requiritur, ut opus Deo placeat, ex fide salvifica profecta*, quæ & *supernaturalis* vocari solet. Satis hæc percipiebat Eccius, malitiose ergo a statu quæstionis, & terminorum notione digrediens objecit nebulas per distinctionem Scholasticam inter *totum & totaliter*, ut aliquid assereret, quod hominibus meriti loco esset, sive ut Scholasticorum (quorum doctrinam universam fatente *Pallavicino c. XVII. §. 1.* propugnabat) figmentum de *merito congrui*, & quæ illi superstruuntur, stabiliret. Quod autem sophisma fuerit, meraque cavillatio & aberratio a quæ-

(a) Status quæstionis de causa boni operis.

(b) Distinctio inter

An. 1519.

totum & totaliter ejusque exempla.

a quæstione proposita, haud difficulter intelligi potest, si consideretur, quid sit *totum*, & quid *totaliter*, & quo sensu utrumque ab Eccio intellectum fuerit, idque postea ad propositionem, de qua disputabant, applicetur. *Totum* est, quod omnes partes suas habet, cui nihil, quod ad integritatem requiritur, deest. *Totaliter*, (quia a *toto* deducitur) sive idem adverbialiter significat, sive etiam indicat, quod sit solum sive solitarium, unicum, excluso socio, pariter agente, & quod hoc modo totaliter operetur. Exempla ab Eccio & Pallavicino allata rem clariorem facient. Quatuor enim propositiones hic adducuntur, quibus vim distinctionis explicare volunt, caute tamen omittunt applicationem.

(c) *Exemplorum examen.*

Prima est: (Pallavic. *Lib. I. cap. XV. n. 8.*) *pomum totum est a sole, sed non totaliter, sine plantæ efficientia*, id est, pomi causa non solum est sol, sed & planta. In hac propositione pomum est corpus compositum sive mixtum ex elementis, de hoc autem dici simpliciter & accurate non potest quod sit *totum* a sole, sed saltem ex parte, respectu nempe caloris solaris, quo omnes plantæ opus habent, itaque ratione alterius qualitatis, v. g. humoris, est a planta, & ita prædicatur hic causa particularis de causato pro parte; & indicantur causæ particulares & sociæ aut subordinatæ. In propositione autem Carolostadii prædicatur Deus ut causa universalis & unica, independenter & vi sua propria efficiens, de causato integro, totali, & quasi indivisibili; de qualitate nempe bonitatis in conversione hominis: dum statuitur, bonum illud totum, integrum, solum, quatenus bonum est, illoque sensu & respectu, quem disputatores intelligebant, placens nempe Deo & quatenus ex fide salvifica proficiscitur, totaliter a Deo esse, independenter, efficaciter, & propria vi agente. Ad hanc bonitatem nihil præstat homo, quam facultates suas passivas, ut Dei operationem recipiat, & postea cum Deo & per eum sua etiam voluntate cooperari discat. Nullas ergo partes habet homo in operatione illa effectiva principali, de qua quærebatur; sed illud opus *totum* & *totaliter*, unice solummodo, & exclusa omni alia causa principaliter & vi propria agente, a Deo est, licet homo ejusque voluntas instrumentaliter, materialiter & capacitate subjectiva, quæ & mere passiva dicitur, ad opus concurrat. Apparet ergo propositionem de pomo applicari non posse ad propositionem de bonitate operis: neque ratione subjecti, neque ratione prædicati: & sophisma esse quicquid hic commentus est Eccius. Idem dicendum de secunda propositione, *genus totum est in qualibet specie, sed non totaliter, quia est etiam in aliis omnibus:* item de tertia: *anima tota est in pede, sed non totaliter, quia tota etiam est in manu & aliis membris*, Pallavicinus *d. Lib. I. cap. XVII. n. 2.* Applica hæc ad propositionem; *bonum opus in homine est a Deo*, vel, *Deus operatur bonum opus in homine*, & videbis nihil concludi, quam Deum non in uno tantum homine, sed in pluribus, non minus nempe in Paulo, quam in Petro operari. Inter disputantes autem de hoc non quærebatur, sed de integritate & totalitate operis, & ejus causa effectiva, principali, unica, in uno codemque homine sive individuo. Iterum atque iterum ergo sophisticatus est Eccius, & cum eo Pallavicinus; & hæ propositiones nullam habent cum Carolostadiana conformitatem. Quarta propositio est: *Beati vident Deum totum, sed non totaliter, quia est infinitus.* Sed neque hæc quadrat ad propositum. Deus enim hic non consideratur ut causa efficiens, sed ut objectum, & quatenus est infinitus. Hoc respectu, accurate loquendo, Deus qua infinitus, neque totus neque totaliter videtur aut comprehenditur a beatis; videtur quidem sub conceptu infinitatis, sed non modo infinito, verum eo, quem subjectum videns, quod finitum est, admittit. Quid autem hoc ad propositionem Carolostadianam: *bonum opus est a Deo totum & totaliter?* nulla hic est de subjecti aut objecti qualitate disceptatio, quæ utrique disputatori satis nota erat, sed de *totalitate*, ut ita dicam, *causæ*. Sic quarta hac propositione eo applicata dicendum fuisset: *bonum opus non est totum aut totaliter a Deo*, quia non est opus infinitum, quia in hominem finitum confertur,

An. 1519.

aut quia Deus ut infinitus non omnem nec infinitam vim operandi in solo hoc homine exercet. Lusus itaque merus & nugatorius erat, quicquid Eccius tunc cavillatus est, & defendit Pallavicinus. Riserunt merito & exploderunt Carolostadius & socii distinctionem, sive ut plane peregrinam, Scholasticis antiquioribus & sibi probatis ignotam, sive ut impertinentem, & quæ ad propositionis suæ terminos applicari non possit.

(d) *Sententia Evangelica.*

Per hos enim id volebant asserere, quod Deus *totus* (atque sic etiam *totaliter*) & *exclusive*, ut causa principalis independens & vi propria agens, sit causa boni, seu conversionis in homine, & quod homo ab illius causæ consortio *totus & totaliter* excludi debeat, sic exigentibus clarissimis Scripturæ & Patrum, inprimis Augustini, & quicunque contra Pelagianos disputarunt, testimoniis. Nihilominus tamen cum Scriptura & Patribus orthodoxis admittebant hominis vires ut instrumenta, immo & post acceptam gratiam, ut causam subordinatam, sociam & cooperantem; ita tamen, ut homo hanc cooperandi vim soli Deo acceptam ferat, & sic non habeat de quo glorietur. Ita etiam agnoscebant differentiam inter instrumenta inanimata, & inter hominem, anima & ratione præditum: nam etsi ratione Dei operantis hominem non aliter considerarent, quam ut Lutherus (loco alibi citato) scripsit, *ut serram in manu hominis eam trahentis*; in *passivitate* tamen illa capacitatem agnoscebant, non recipiendi saltem operationem & gratiam Dei operantis, sed & talem quæ non sit saxum aut stipes, sed quæ sentiat opus operantis, quæ resistere possit, & quæ accepta vi & efficacia divina, postea etiam cooperetur. Hæc itaque est manetque doctrina, quam tunc Lipsiæ propugnarunt, deinde magis magisque excoluerunt VVittenbergenses, quamque stylo Melanchthonis Augustæ confessi sunt, *Art. XVIII.* ejusque *Apologia*, & quam eorum successores hucusque defenderunt.

(e) *Probata ex Chemnitio.*

Videatur *Chemnitius* in *Examine Concil. Trid.* Artic. *de libero arbitrio*, ubi difficultatem, quæ ex consideratione subjecti recipientis objici solet, solidissime explicat, allata Scholasticorum doctrina, qui dicunt *mere passive* se habere, *quæ ex se ad productionem formæ nullam habent activitatem*. Lutherus ergo (ait) usus Scholasticorum phrasi, sententiam illam ita explicavit, quod *mere passive* se habeat. Et tamen non docuit, sine cogitatione mentis & consensu voluntatis fieri conversionem, sed hoc voluit: Deum eos, quos convertit, trahere voluntatibus eorum, quas ipse in illis per Spiritum Sanctum operatus est, sicut Augustinus loquitur. Nihil igitur incommodi habet illa phrasis, si recte intelligatur. Sed constituta de rebus ipsis vera sententia, de modis loquendi facilis potest iniri ratio, ut scilicet sine ambiguitate, rem ipsam proprie, commode & perspicue explicent. Interim bono & sano illo sensu, phrasis ista (*mere passiva*) in Formula Concordiæ, quam vocamus, retenta est, nec satis gravis causa fuit, ut ab ea discederetur. Vid. *D. Jo. Adam Scherzerus* in *Syst. Theol. Loc. VII. §. IX. p. m. 159.* Addam locum ex Theologi nostrarum partium clarissimi *Leon. Hutteri Locis Theol. fol. 282.* ubi format quæstionem: *Num post lapsum in homine ita vires omnes sint fractæ, immo extinctæ in spiritualibus, ut nulla prorsus ἱκανότης, aptitudo sive capacitas, remanserit?* eamque sic decidit: Vocabula isthæc gemino sensu possunt accipi, *activo* nimirum & *passivo*: *Activo* tum, si per aptitudinem & capacitatem talem intelligas facultatem ἐνεργητικήν, qua homo ex se possit apprehendere oblatam in verbo prædicato gratiam conversionis. *Passivo* vero si homo statuatur esse subjectum παθητικόν, quod sit habile ad recipiendam conversionem, sive aptum ad conversionem. Qualis passiva capacitas sive aptitudo in truncum aut lapidem non cadit, quorum neuter est ἱκανὸς aptus, sive δεκτικὸς capacitatis. Et posteriore sensu B. Lutherus noster homini recte tribuit capacitatem, hoc est, δύναμιν παθητικῶς se habentem, sic scribens in defensione contra Eccium: *Quando Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem illius libertatis prædicant, qua ipse converti possit ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatum est* &c. Cæterum de hac passiva capacitate hoc loco non contro-

trover-

An. 1519.

troverticur; sed tantum de activa illa, quam (ut ad propositum ζήτημα respondeamus) homini non renato usque adeo in solidum denegamus, ut ne quidem illud ipsi largiamur, quod aliquibus nominare placuit, *modiculum*. Hæc Hutterus.

(f) *Ex Spenero.*

Nuperrime quæstiones hasce solidissime, pro solita modestia & insigni pietate sua, tractavit Theologus summi loci & nominis *D. Philipp. Jacob Spenerus*, in laudatissimo opere *contra D. Joh. Brevingium*. Liceat mihi ex Germanico latine versa quædam adscribere, speciatim ubi de operatione Dei & de viribus hominis agit, *Cap. VI.* Ostendit ibi, in quo hodie discrepantia inter Romanam Ecclesiam & nostram post tot tamque diuturnas disputationes adhuc hæreat & versetur. Deinde monet primo illa *canonis IV. Conc. Trident. Sess. VI.* verba nos non tangere, quibus condemnantur qui negant liberum arbitrium dissentire aut resistere Deo excitanti & operanti posse, id enim nos quoque (ait) concedimus, immo docemus, liberum arbitrium per se & absque gratia victrice, nihil posse quam malitiose & pertinaciter resistere. Deinde quoad explicationem phrasis, quæ dicto canone damnatur, quod homo se habeat *mere passive*, ad Chemnitii locum provocat, quem adscripsi. Pergit: si verba Canonis (quo asseritur, liberum arbitrium a Deo motum & excitatum cooperari, & excitanti & vocanti Deo assentiri, & ad obtinendam justificationis gratiam se disponere & præparare posse) ita accipiamus, ut voluntas nostra cooperetur, dum gratiam vocantis Dei acceptat, & quod pœnitentia & fides sit actus voluntatis, ita ut dici possit, homines pœnitere & credere, quod non diceretur, si plane nullus voluntatis motus adesset; possemus utique hoc sensu verba illa ferre. Verum enim vero quia error in decreto isto latet, quod vis & potentia quædam ad bonum in voluntate superstes manserit, quæ a Deo saltem excitari, non autem ab integro conferri & donari debeat, assentiri decreto illi non possumus. Id enim eo tendit, ut voluntas non ita solum concurrat, ut ipsa sit, quæ id velit, quod gratia operata est, ut vellet, sed quod in ea naturalis potentia sit, quæ eodem plane modo, quo bono potest resistere, ita oblatæ gratiæ & vocationi assentiri valeat. Hinc enim *liberum* vocant arbitrium, ut ipsum sit quod ad gratiam se præparet, non quod per gratiam præparetur. Hinc tanta vehementia disputatur *(can. V.)* non esse amissum & extinctum: ubi sane non agitur aut ambigitur de potentia *volendi aut nolendi in se*, sed de potentia *volendi bonum ex sua natura*. Si itaque hæc est sententia Concilii, sequi eam tenentur omnes, qui Romanæ Ecclesiæ fidem profitentur. Quanquam cordicitus optemus, ut, agnito hoc errore, nobiscum secundum verbum Dei crederent, totum pœnitentiæ opus quoad efficaciam solius Dei esse; aliquando certe verba illorum, si non accuratissime expendantur, id videntur asserere. In §. *sequenti 13.* ad quæstionem *de merito congrui*, quod Scholastici statuunt, eoque contritionem & præparationes conversionis trahunt, mitiores phrases Bellarmini & Becani, maxime VVallenburchiorum, allegat, qui statuunt opinionem illam non esse de fide Catholica, *quia* (ajunt) *nec Concilium Tridentinum, nec aliud generale eam quæstionem definivit; & negantem sententiam cum multis aliis tenet Alvarez.* Monet vero per dispositiones & præparationes in Concilio Tridentino nihil aliud intelligi quam *meritum congrui*, quamvis duræ & odiosæ hujus vocis mentione Patres Tridentini callide abstinuerint, atque ita ad minimum libertatem reliquerint meritum congrui statuendi. Videmus itaque in hac ipsa materia memorabile sophismatis exemplum, tantoque minus Eccium ab ejus culpa absolvere poterimus. Extat in Bibliotheca Paulina Lipsiensi Epistola uti vocatur exegetica, cujusdam *Joh. Ulrici Schultherri* monachi (ut alibi legisse memini) Benedictini, ex monasterio S. Haimerani Ratisponensi, quem Johannes Faber, Vicarius Generalis Constantiensis, Eccio comitem dederat. In hac refutat alterius monachi Posaviensis, *Matthæi Hiscoldi*, (quem tamen ex monasterio profugisse dicit) relationem de disputatione Lipsiensi, quam jussu Degenhardi Pfeffingeri, illo ipso tamen

(g) *Tractatus Schultherri contra Hiscoldum.*

tempore mortui, edidisse dicebatur. Sed Ratisponensis non tantum magnam ruditatem Hiscoldo, sed & falsa plurima imputat, & quamvis judicium suum videatur suspendere, idque ab Academiis expectandum esse dicat, mire tamen extollit Eccium, quod annum ætatis trigesimum tertium vix egressus, in octo Academiis disputando magnum nomen acquisiverit, & non a memoria tantum, sed & Scripturæ & Patrum notitia, & a modestia, celebrandus sit. Producit etiam magnificum testimonium a Theologica Facultate Lipsiensi Eccio datum d. 5. Julii, in quo illum *strenuum pugilem, in omnem partem armatum* nominant, ejusque *memoriam, alacritatem*, & *ut ex Scriptura sententias suas confirmaverit*, commendant, Carolostadium tamen etiam & Lutherum *egregios & eximios viros* vocant. Inter alia vero de distinctione illa inter *totum* & *totaliter*, postquam Eccii exempla retulisset, subjungit monachus: *Addo, quando duo socii vel fratres possident fundum pro individuo, tunc fundus est totus cujuslibet, quum ante divisionem nullus eorum dicat, hæc medietas mea est. Sint ergo duo Duces fratres regentes individue provinciam, hi conferunt cuidam nobili feudum castri, neuter eorum medietatem confert feudi, sed quilibet totum, neuter tamen totaliter, verum ambo simul. Adducebat tunc Eccius noster pertinentissime Beatum Bernhardum de Lib. Arbitr. loquentem de bono opere. Quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operantur; non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa. Nihil hercle manifestius.* Hæc monachus. Jam si locus Bernhardi recte consideretur, apparebit illum de operibus hominis post acceptam gratiam agere, ut adeo mirum non sit convenisse de hoc inter disputatores: sed id non erat, de quo controvertebant, verum de viribus hominis naturalibus, de quibus probare debuisset Eccius, eas in perficiendo opere bono ita concurrere, ut Deo *efficientia tota & totaliter* adscribi non posset. Hoc vero per adductas comparationes Eccianas minime demonstratum est; multo minus per crassam illam Monachi, quo Deum & hominem in communionem causæ principalis, ut duo principia, conglutinat. Si enim de operatione ante gratiam id intellexit, plusquam Pelagius insaniit; si post eam, ne sic quidem scopum feriit. Bernhardus enim, etsi de mixta sive individua actione loquitur, hominem tamen ut *subjectum*, gratiam vero ut *causam efficientem* considerat, quod patet ex verbis, quæ in tractatu *de gratia & libero arbitrio* extant *f. 921.* edit. Antverp. Henr. Sommalii: *Non operatur partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt; totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Et ab initio dixerat: *quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur.* Superest denique *Joh. Cellarii*, Professoris Linguæ Hebraicæ Lipsiensis ad *VVolffgangum Fabricium Capitonem* relatio de disputatione, pridie Cal. Augusti scripta, in qua etsi medius inter partes esse velit, propendet tamen ad Eccium, sed de distinctione illa hæc refert: *Rediit itaque mane Carolostadius, leges disputantium observans (instructus tamen multis libris) & docte in medium adduxit:* Totum bonum opus esse a Deo, *quod Eccius admisit, quia simul agant gratia & liberum arbitrium individuo opere secundum Bernhardum, mixtim, non sigillatim vel divisim; at per hoc non dici debere:* liberum arbitrium non agere, *quoniam etsi Deus ageret totum, non tamen totaliter, per quod concursus alterius causæ negaretur. Carolostadius fortiter opposuit, quia sancti Patres non sic essent locuti. Quod diluit Eccius, quia disputatio de nominibus esset pertinacibus relinquenda, constare ex sanctis Patribus opus bonum esse totum a Deo, & tamen liberum arbitrium agere illud, hoc ipse rotunde enuntiavit per* totum, *sed non* totaliter. Ex quibus idem quod dixi colligi potest, aberratum nempe a scopo fuisse, non satis liquide constituentibus, an de homine ante gratiam sive post eam operante agerent. Fatendum est, cautius quam

(h) *Joh. Cellarii de controversia hac judicium.*

An. 1519.

An. 1519.

(i) *Sententia recentiorum ex Rom. Ecclesia, speciatim Alberti Episc. August.*

quam Eccium, aliosque Synergismi assertores, loqui aliquos, ex adversa etiam parte, ita ut si aliunde non constaret quæ principia, ad ductum Concilii Tridentini, quidam sequerentur, qui hodie de gratia & libero arbitrio scribunt, cogitari aliquando posset, nullam aut exiguam de hac materia controversiam superesse. Prodierunt ante paucos annos lingua Gallica *D. Alberti, Episcopi Augustæ Prætoriæ in Subalpinis* (Aoste, S. Val' d' Aoste) *Literæ Pastorales*, multa cum eloquentia & eruditione scriptæ, etiam Pontifici & Cardinali Cibo probatæ, quibus pleræque dedicatæ fuerant. Verum est, autorem, ubi de libero arbitrio tractat *Part. II. epist. I.* inhærere Scholæ suæ placitis, dum liberum arbitrium idem facit ac ipsam voluntatem, & in hac imaginem Dei constituit, cætera hominis ante lapsum bona pro supernaturalibus & accidentalibus habens. At ubi practice & in specie de gratia, bonum in homine operante, agit, itemque de fidei efficacia, ea tradit, quæ multum ab Eccii & aliorum Congruistarum stylo discrepant. Vide *Part. III. Edit. Lugd. 1681. Ep. VI. p. 155. & seqq.* ubi inter alia scribit: *Ex meo consilio scriptores & prædicatores magnum Deo exhiberent servitium, & animabus, quas Christus suo redemit sanguine, si libris & concionibus suis Christianos exhortarentur, ut indefesso studio bene agerent, neque se inquietari vanis curiositatibus paterentur, per quas de modo & natura boni, quod faciunt, indaganda magis solliciti sunt, quam ut operentur cum humilitate & fiducia in providentiam Dei. Hoc consilium nobis dat Spiritus sanctus per os Apostolorum & Prophetarum.* Addit dicta *II. Pet. I, 2. & seqq.* itemque alia. Præclara etiam sunt, quæ *Lib. I. Ep. V.* de characteribus veri & falsi Christiani commentatur. Nam etsi fidem ad notitiam mysteriorum divinorum restringere videatur, & illam a charitate moveri dicat, intelligit tamen charitatem Dei, quæ fidem moveat, sive ipsam gratiam, quam Augustinus vocat *inspirationem dilectionis*, ut patet ex iis, quæ habentur *pag. 123.* *Fides est lumen supernaturale, sicut ratio hominis est lumen naturale: itaque fides aliquo modo est res peregrina, divina quippe, & ut ita dicam, insititia & implantata animo hominis. Quantumcunque tamen hac luce illuminatus homo, & supernaturaliter hoc spiritu animatus, non tamen habet nisi vitam Christiani essentialem, cui sola fides sufficit, ut Christianus denominetur, sed opus ei est vita accidentali ad agendum, & ad applicandam fidem, quam habet de mysteriis spiritualibus. Voluntas ejus naturalis, quæ veluti cor aut centrum est animæ, non potest ei motum supernaturalem dare, quia saltem est potentia naturalis, indiget ergo inspiratione a Deo & dono cordis supernaturalis: quemadmodum jam dedit spiritum sive intellectum supernaturalem dum fidem dedit, & hoc cor supernaturale est charitas, quæ fidem movet in homine & activam reddit.* Ita explicat dictum Pauli de fide, *quæ per charitatem efficax est.* Quod Lutherus utique simplicius & verius, eodem tamen & scopo & effectu docet, quod fides non solum notitiam de mysteriis fidei, & quidem divinam, sed & assensum & fiduciam habeat, & causa sit justificationis instrumentalis, quæ, dum apprehendit meritum Christi, sola faciat & denominet (quod fatetur Episcopus) *Christianum essentialem*; deinde quod fidei hoc supernaturali dono justificatus homo, inseparabiliter & incessabiliter per charitatem sive in charitate a Spiritu sancto in corda credentium effusa, efficaciter operetur. Neque minus verum est, per gratiam, qua homo convertitur, charitatem erga Deum simul animo inspirari, quod Lutherus cum Augustino contra eos, qui terrores & contritionem sive attritionem solam docebant, semper asseruit. Apparet interim etiam ex Episcopi illius doctrina, omnia illa bona esse supernaturalia & a Deo data, & *potentiam illam naturalem*, quam solam in homine absque gratiæ auxilio agnoscit Episcopus, in causæ principalis & efficientis dignitatem & gradum evehi non debere, sed revera esse *capacitatem recipientem*, & vi gratiæ divinæ agentem, adeoque si cum hujus virtute & activitate conferatur, non nisi *passivam & subjectivam*, id quod asserebat cum Carolostadio Lutherus & Philippus. Dum ista scribo, occasio mihi nascitur pervolvendi libros nuperrimos *Arnaldi & Malebranchii*, duorum inter Gallos Theologorum celeberrimorum, quos notum est, jam ab aliquot annis *de Natura & Gratia* disceptare. Et Arnaldus quidem Jansenii sententiæ de gratia efficaci insistens, eorum qui Molinistæ vocantur, tradita vehementer oppugnat; sed Malebranchii hypothesin sive systema, ex Cartesiana Philosophia productum, nihilo magis probat, nec a Pelagianismi contagio plane absolvit. Quomodo vero in novissimo contra Malebranchium tractatu, *Libri* nempe *II. Reflexionum* anno 1686. Coloniæ editi, *cap. 29.* operationem Dei in homine eleganter & emphatice describat, digna æstimavi, quæ ex Gallico versa huc apponam. Præmittit quædam ex libro Anonymi, *(Essais de Morale) Specimen moralis disciplinæ* dicto, *Vol. 3.* quomodo Deus, etsi absolute possit, ordinate tamen & per media conversionem & salutem operetur, his verbis: *Non ignorabant magni illi & sancti viri ex Patribus, quod a Deo expectari debeant omnes virtutes, & quod sit causa omnium bonarum actionum, quas Christiani faciunt. Sciebant, Deum esse dominum cordium, & quod in iis omnia quæ vult invincibili & omnipotenti efficacia operari valeat: interim nobis regulas præscripserunt & exercitia, qualia Philosophi proponerent, qui virtutem propriis viribus acquirere prætendebant. Volunt cogitationibus sanctis animum nostrum semper occupari, jubent indesinenter legere verbum Dei, a mundo semotos vivere, corpus labore & mortificatione in servitutem redigere, occasiones infirmitatum & lapsuum vitare, passionibus nostris omni conatu continue resistere, vitam uniformem, regulatam, laboriosam, & ad certas actiones adstrictam gerere. Sciebant tamen perfectissime, Deum nobis majorem gratiam etiam absque exercitiorum illorum impositione dare posse; sed simul sciebant, ita regulariter ab illo provisum esse, ut nobis non concedatur nisi post exercitiorum illorum seriem, & in illis ipsis exercitiis, & quod prius animabus gratiam largiatur, ut ea exerceant, per quæ postmodum ad virtutes illas perveniant, ad quas illos elevare desiderat. Neque enim minus autor est actionum, quas in illis operatur ad acquirendas virtutes, atque virtutum ipsarum, quas per actiones illas acquirunt. Ita veritas combinat, quæ pro contrariis habent, qui eam non perfecte cognoscunt. Omnia dependent a Deo, ergo (dicebant quidem hæretici) laborandum non est. Laborandum est: ergo (replicabant Pelagiani) virtus non est ex gratia. Doctrina autem Catholica unit has veritates, & rejicit falsas conclusiones, Laborandum est, dicit, & nihilominus omnia dependent a Deo. Labor est effectus gratiæ, & est etiam medium ordinarium ad obtinendam gratiam. Præsumtio Pelagiana est, si quis non credat, laborem & virtutes esse dona Dei. Sed media, quibus Deus ordinarie utitur ad communicandam hominibus gratiam suam spernere, id esset tentare Deum, & ordinem sapientiæ ejus pervertere. Ita vera pietas consistit in hoc, ut media illa exerceamus, & tamen agnoscamus Deum esse, qui nos ea exercere faciat.* Hic postea subjungit Arnaldus: *Satis apparet hunc discursum, quem pro utilissimo & solidissimo habuerunt piæ mentes, prorsus fundatum esse in doctrina Patrum. Certum enim & hoc est, sanctos illos credidisse, Deum agere voluntate particulari* (id quod Malebranchius ordinarie fieri negat) *in corda hominum, in quæ diffudit gratiam suam; credidisse etiam, Deum operationes suas divinas ordinarie celare, ita ut speciem habeant ejusdem viæ ad acquirendas virtutes, quibus utitur mundus ad acquirendas qualitates pure humanas, v. g. civilitatem, virtutem militarem, prudentiam politicam, artem parandi amicitias, affectus domandi, ex amore proprio.* Negat inde *causam occasionalem* (qua secundum adversarii sui opinionem homo determinet generalem Dei voluntatem) in homine quærendam esse, v. g. si desideret & oret, aut mortificationem quandam subeat, quæ ab homine non a Deo dependeat. Neque enim ex his duobus, *petite & dabitur vobis: vigilate & non succumbetis tentationi: humiliamini & humilitatis virtutem acquiretis*, prius ab homi-

An. 1519.

(k) *Antonii Arnaldi.*

(l) *Anonymi ab Arnaldo laudati.*

(m) *Malebranchii opinio & refutatio.*

homine est, alterum a Deo, sed utrumque est a Deo. *Pelagianum est, dicere initium esse ab homine, progressum ex Deo; ex nobis tamen est, quia id facimus; ex Deo, quia is est, qui nos facit facere.* Probat id ex dictis Apostoli, & ex Augustino. Concludit denique: *Sequitur hinc manifeste, quod Deus non minus sit autor præparationum ad gratiam, quam gratiæ, quæ post illam præparationem sequitur; precum non minus, per quas gratiam petimus, quam doni quod illas preces sequitur; vigilantiæ contra tentationes, quam victoriæ contra easdem. Quicquid rationabiliter dici potest, hoc esset, quod quædam ex illis mediis considerari possint, ut causæ occasionales cæterorum: sed impossibile est, ut ullum illorum sit occasio vel causa occasionalis voluntatis divinæ: omnium enim, nullo excepto, causa principalis est voluntas Dei. Ideoque absurditatis manifestæ rei sunt, qui ex his mediis argumentantur: Deum non agere in ordine gratiæ, voluntate particulari sed generali, quæ determinanda sit ab homine veluti causa occasionali. Contradictio esset palpabilis. Si enim preces sunt donum Dei & effectus divinæ voluntatis, eædem etiam voluntatem Dei determinarent (sive applicarent ad hominem) & tunc voluntas Dei determinaret se ipsam, & unum donum alterum ad se traheret.* Hæc & plura in eundem sensum Arnaldus, cujus etiam *Caput XXXII.* de gratia efficaci, (quanquam de ea ex sua doceat hypothesi) legi meretur, in quo *pag. 398.* definitionem Augustini urget, quod gratia Jesu Christi sit *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Ubi in his locum habere possit Eccii distinctio inter *totum* & *totaliter*, & quæ causa efficiens aut principalis aut socia ab initio, in bono opere homini adscribi possit, *si præparationes etiam a Deo sunt, si preces, si desideria, si vigilantia: si homo nihil boni vult, nisi Deus det velle, si nihil facit, nisi quatenus Deus eum facere vult & facit: si homo tantum facit, id est, instrumentum est, animatum quidem & voluntate sua voluntati Dei obsequens:* equidem videre me non posse fateor, multoque minus, qua de causa Lutheri doctrinam tantis conviciis proscindant Maimburgius, Pallavicinus, & ejusdem sectæ innumeri alii, nisi sophismatibus & cavillis indulgeant. Licet enim Jansenismi nomine odiosa sit Arnaldi sententia, non tamen damnata est Romæ, aut damnari potest, nisi simul plurimi Augustini sectatores ex Thomistis aliique in eandem censuram (quod ne fiat sedulo cavetur) involvantur. Nescio an non eidem Arnaldo tribui debeat libellus recentissimus Gallicus, in quo *compendium historiæ de congregatione a PP. Clemente VIII. & Paulo V. in quæstione de auxiliis gratiæ habita* exhibetur, addita relatione Latina *D. Gregorii Nunnii Coronel*, qui Congregationis Secretarius fuit. Certe in censuris adversus dogmata *Ludovici Molinæ* ita sæpe loquuntur Prælati & Theologi ad disquisitionem illam delegati, ut ab Eccii, & quicunque hominis arbitrio & viribus plus justo tribuunt, opinione, longissime videantur abesse. Unum saltem locum apponam, in quo crassi istius Monachi, quem supra nominavimus, assertum *de causa socia* sive *partiali* diserte rejiciunt. *p. 139. Resolvit congregatio, secundum doctrinam Sancti Augustini contra Pelagianos & Semipelagianos, ex divinis Scripturis plene cumulateque comprobatam, gratiam Christi efficacem esse prævIam, non pedissequam, & influere in voluntates hominum bonum motum voluntatis eorum, atque adeo bonum usum auxiliorum esse effectum gratiæ efficacis. Secundum vero doctrinam Molinæ, qui negat gratiam adjuvantem esse influxum in voluntatem, & constituit, gratiam & voluntatem concurrere tanquam duas causas partiales ad actus supernaturales, atque gratiam efficacem, non ab omnipotentia Dei, & absoluta ejus voluntate, quod docuit S. Augustinus, sed ex consensu liberi arbitrii habere suam efficaciam: bonum usum auxiliorum esse ex sola innata libertate: quod est omnino Pelagianum.* Hæc utique & Eccium feriunt, & Pallavicinum, qui in Eccio defendendo Molinæ etiam causam agit. Cur vero ab annis octoginta, decreta illa quæ duo Pontifices, eorumque alter magno cum studio, nec exigua sancti zeli specie, elaboraverant, imperfecta & inedita manserint, tanto magis mirari licet, quanto urgentior occasio dari videbatur, ante annos pene quadraginta, orto in Belgio & Gallia super *Cornelii Jansenii* Episcopi Iprensis sententia immani dissidio, quod Bullis Pontificiis Regiisque imperiis oppressum magis quam extinctum est: ut adeo appareat, altiores radices egisse Pelagianismum, quam ut Pontificum autoritate evelli possit.

(n) *Libellus Gregorii Nunnii de consultatione sub Clemente VIII. & Paulo V.*

Cui copia est Diarii a *Ludovico Santamorio*, Doctore Sorbonico, anno 1662 editi, legat si placet, quas ex *MS. Augustiniani* quod Romæ est *Monasterii*, in collectaneis *fol. 45.* apponit censuras Prælatorum & Doctorum a Clemente VIII. deputatorum ad quatuordecim propositiones ex Molina excerptas, quas subscripserunt *Petrus Lombardus* Archiepiscopus Armacanus, *Joh. de Rada* Pactensis, *Jul. Sanctutius* Agathensis, *Lælius Landus* Neritonensis, *Hieronymus Pallantus* Bisontinus Episcopi; *Anastasius* Abbas Farsensis, *Joh. Bapt. Plumbinus* Augustinianorum Generalis, & is ipse *Nunnius*, qui contenta earum in libello, cujus memini, refert, denique *Jacobus le Bossu* Doctor Sorbonicus: inter quas decima hæc est, *Eccio* ejusque encomiastæ *Schultherro*, ut puto, contradictorie opposita: *Qui dixerit Deum per auxilium gratiæ suæ, & liberum hominis arbitrium, tanquam duas causas partiales se habere in negotio nostræ justificationis, ita ut una ab altera non promoveatur, nec ab ea virtutem agendi recipiat, errat.* Eodem fasciculo *p. 173.* exhibentur responsa, Innocentii X jussu a consultoribus tredecim de quinque propositionibus Jansenianis consignata. * Inter hos primus fuit *Sfortia Pallavicinus* Jesuita, postea Cardinalis, sententiæ Molinianæ, quanquam caute & multa cum moderatione accedens; cæteri plerique, etsi Jansenii sensum, quem supponebant, damnent, Molinismo tamen adversantur. Producitur etiam scriptum *Dominicani* cujusdam ad informationem Cardinalis cognomento *Romæ* elaboratum, *p. 79. & seqq.* in quibus inter alia *p. 81.* autor iste de controversiæ illius momento hæc scribit: *Agitur itaque de summa rerum, & quod olim dicebat, in hostem conflicturus Imperator,* Hodie in uno orbis angulo de totius imperio dimicatur: *agitur, inquam, in uno articulo de totius corporis salute & vita; de tota dico fide sacrosancta, quam in causa liberi hominis arbitrii, gratiæ Christi medicinalis, & gratuitæ Sanctorum prædestinationis a Paulo gentium doctore assertam, a Pelagio & Massiliensibus impetitam, acies Ecclesiæ per viginti & amplius annos, Augustino Doctore, fortiter dimicans illæsam vindicavit. Delitescit enim tota in hac una propositione, quæ sedis Apostolicæ judicium hodie præstolatur, ut cum hac stante stet tota, cum hac cadente tota concidat. Si enim damnatur propositio Jansenii, asseritur eo ipso gratia Molinæ, quam solam propositio negat, & solam Jansenius impugnat; pro gratia Christi humanorum cordium victrice & domina, stabilitur gratia creatæ voluntatis serva & pedissequa; libero arbitrio humano bonorum operum gloria adscribitur; prædestinatio Sanctorum non jam ex vocante, sed ex operibus prædicatur; electorum salus æterna non amplius miserenti Deo, sed volenti & currenti homini plenissima deputatur; atque ut uno verbo concludam, pro solidissima & sacratissima ac per omnes Ecclesiæ ætates usque ad Molinam celebrata fidei doctrina, quæ abjicitur, nova Massiliensis farina molitura cum sui remolitoris Molinæ novis & pejoribus paraturis in Ecclesiæ sanctuarium importatur.* His non obstantibus *Innocentius X.* propositiones Jansenii anno 1653. prid. Cal. Junii damnavit. Idem fecit *Alexander VII.* 17. Kal. Nov. 1657. acerbe conquerentibus Jansenii defensoribus, qui & affictum ei stylum & sensum, & Augustinum ipsum in Jansenio damnatum esse contendebant, multum gloriantibus ex adverso Jesuitis. Sed ista ex editis ejus controversiæ occasione libris petenda sunt, & compendiose retulit *Joh. Henricus Heideggerus*, Theologus Tigurinus clarissimus, *historia de Papatu* §. 245. & *seqq.* Ita tamen concepta est condemnatio Pontificia, ut utraque dissentientium pars, si velit, sententiam aut approbatam aut intactam esse causari possit. Cavent sibi nempe Pontifices, ne factiones monasticas offen-

(o) *Ludovici Santamorii illatio de eadem consultatione.*

(p) *De condemnatione Jansenii.*

offendat, quarum potentiæ, ut dudum *Erasmus* notavit, impares sunt. Insigne exemplum idem *Alexander VII* dedit, edita anno 1667. d. 7. Maji Bulla, in qua circa aliam, ex disputatione de auxiliis tamen dependentem, quæstionem inducias indixit, liberum & a censura immune pronuncians, num aliqualis dilectionis Dei necessitas in attritione ex metu gehennæ concepta negetur, an requiratur. Vide *Heidegger. d. l.* §. 297.

(q) Remissio ad Acta Erudit. Lips.

Postquam ista in editione libri hujus prima commentatus sum, continuata est disputatio de efficacia gratiæ inter *Antonium Arnaldum*, vel qui ejus nomine vel ductu scripserat, & *Jesuitas*, itemque *Reformatos* doctores, libris Gallice potissimum editis, acutis sane & elegantibus, quorum compendium in *Actis eruditorum Lipsiensibus* exhibetur. Inter multa, quæ Arnaldus & alii gratiæ, efficacis per se, defensores adversus Molinæ sectatores statuunt, notabilis est distinctio, qua Jansenii & Calvini sententias discernunt, & Concilii Tridentini decreta pro se interpretantur, inter actum nempe *compositum* & *divisum*. Vide *Principis Contii epistolas*, relatas in *Act. Lips. Anno 1689.* inprimis *p. 432.* Possem etiam ex Eccii epistolis & ex ipsius disputationis Lipsiensis actis haud contemnenda ad illustrandam hanc materiam afferre, quæ secunda cura observavi. Sed finiam longam digressionem, quæ tamen magnum fidei Christianæ articulum, ex cujus vera cognitione multa pendent, complectitur, commemoratione illustrissimi exempli *Friderici Electoris Saxoniæ*, illius nempe, de quo in hoc opere toties mentio facta est. Hujus pietatem & studium sacræ Scripturæ his verbis (Latine redditis) narrat *Spalatinus* in *vita* ejus, quæ manuscripta extat. *Quanto amore, quanta diligentia, quanta devotione Elector hic verbum Dei prosecutus sit, neminem latet. Etiam antequam Deus pro ineffabili sua bonitate & misericordia doctrinam de divina sua & paterna dilectione & gratia denuo prædicari, & mundo illucescere fecisset, multum illi displicuit, quod tam male tractaretur verbum Dei. Orta dein quadam per Dei gratiam Evangelii luce, dixit ad me* (Spalatinum) *se semper sperasse, fore, unde fide puriorem cognitionem simus habituri. Interim conciones libentissime audivit, nec minus lubenter legit verbum Dei, Evangelistas præsertim, ex quibus multa egregia & consolationis plena dicta in promtu habebat, & utiliter applicare noverat. Inprimis & ante omnia allegabat dictum Christi Joh. XV.* sine me nihil potestis facere: *& ex eo adversus libertatem arbitrii, quam jactabant, probe argumentari noverat, etiam prius quam* Erasmus Roterodamus *miseram illam libertatem adversus verbum Dei scriptis plurimis asserere auderet. Dixit mihi aliquando,* quomodo liberum arbitrium habere possumus, *cum Christus ipse dicat,* sine me nihil potestis facere? Hæc Spalatinus. Nemo credat, sapientissimum, omnium testimonio, nec indoctum Principem necessitatem Stoicam asseruisse, aut voluntatem hominis naturalem, ejusque propensionem ad bonum naturale negasse. De illo bono loquebatur, quod Christo unice acceptum est ferendum, quod sine Christo neque cognosci, neque appeti, neque obtineri potest, & ad quod corrupta hominis natura per se nihil potest.

(r) Friderici Elector. simplex sed verum dictum.

ADDITIO II.

Postquam longam istam de liticula inter Carolostadium & Eccium digressionem conscripsissem, nactus sum tractatus utriusque, quibus se mutuo super ista scholastica distinctione inter *totum* & *totaliter* proscidere runt, ea quidem vehementia, quam Lutherus nec in Carolostadio probabat. Edidit hic epistolam anno 1519. ad *Levinum ab Emden* Jureconsultum, & *Fridericum de Salzen*, Medicum Elector. Brandenburg. hoc titulo: *Adversus ineptam & ridiculam inventionem Joh. Eccii argutatoris, qui dixit Lipsiæ cum urgeretur, bonum opus esse a Deo totum sed non totaliter.* Respondit Eccius anno 1520. d. 3. Decembr. suumque tractatum dedicavit *Gervasio Vaim* Memmingensi Suevo, Parisiis Theologiam in Sorbona legenti, quem *Germaniæ decus* vocat. Longum & superfluum esset enarrare, quibus argumentis Carolostadius distinctionem illam improbet, Eccius tueatur; in summa, quantum scripta utriusque capio, verbis magis quam re differre, aut statum quæstionis non exacte satis eos concepisse qui dicat, haud multum erraverit.

(a) Carolostadii epistola contra Eccium, & hujus responsum.

De Bernardi loco, *totum in illo, totum ex illa*, mire digladiantur. Licet autem cooperationem hominis post primam gratiam non neget Carolostadius, non vult tamen eam in causarum ordinem & gradum evehere, sed venerationi, quam homines Deo debent, convenire statuit, ut pro passivo atque inde pro non meritorio habeatur, quicquid homo agit etiam gratia præveniente & adjuvante, adeoque bonum opus *totum & totaliter* Deo adscribi vult: sic ipsum Christum, de cujus cooperatione dubitare impium sit, dixisse, *Pater in me manens ipse facit opera.* item: *verba quæ loquor non a me ipso loquor*: quasi ipse nihil faceret aut loqueretur; tanto magis decere homines, ut nihil sibi arrogent, nec inepta conjugatorum vocabulorum interpretatiuncula, dum *totum & totaliter* distinguunt, se juxta Deum collocent & prædicent. *Blasphemam itaque & hæreticam* distinctionem illam vocat, *ne in dialectica quidem Schola ferendam, & ut somnium obscurum & commentum ignobile spernendam.*

(b) Consideratio verborum Bernardi.

Citat loca Scripturæ, preces Ecclesiæ publicas, dicta etiam Patrum; & ad ea, quæ aliud innuere videantur, commodas desiderat interpretationes: *Volo*, inquit, *lectorem diligenter libros autorum legere: neque tamen id statim illi persuasum esse, omnia quæ autores dixerunt, utique esse perfecta. Adhibendum acre judicium, nam & labant aliquando & oneri cedunt, & nonnunquam indulgent ingeniorum acuminibus, neque semper intendunt animum: nonnunquam ad commodum opinionum, quas tutantur, Scripturas præter nativum sensum pertrahunt, aliquando defatigantur. Summi sunt, homines tamen. Accidit quoque iis, qui quicquid apud illos reperierunt intelligendi legem putant, ut deteriora imitentur. Modeste tamen & circumspecte de tantis viris pronuncio, neque eos damno, sed delectum diverse sentientibus oppono. Immo in uno autore unum alio est receptius, & stylo & moribus ingenii congruentius, & deligenda suadeo, quæ lectorem non fallunt.*

(c) Carolostadii monitum de autoritate Patrum.

Eccius fatetur distinctionem illam *totius* & *totaliter* non reperiri apud Patres, sed tutatur se exemplo Athanasii *de homousio*, & in voce *persona*. Interim ita se sentire profitetur; etsi concedat bonum opus *totum* esse a Deo, non excludi tamen debere liberum arbitrium, sed quod gratia & liberum arbitrium sint *una causa totalis*. Dein hoc modo sese explicat: *Teneo primo motionem seu inspirationem prævenientem esse a solo Deo: & ibi liberum arbitrium habet se passive: Secundo velle illud, de quo Apostolus, & quod Bernhardus* consensum, *Augustinus* acquiescentiam *vocat, sequens priorem inspirationem, est partim a Deo, & partim a libero arbitrio, Psalmista vocat,* auditum: Hodie si vocem ejus audieritis, *in hoc consistit: facere quod in se est ad bonum; in hoc consistit ratio meriti de congruo. Tertio in eodem instanti Deus infundit gratiam, qua est justificans, cooperans,* &c. *& ad illam habet se liberum arbitrium etiam mere passive: ob id Bernhardus dixit quod illius tantum capax esset.* Subjungit tabellam, in qua Dei & hominis operationes in conspectum sistit. Alibi scribit: *Opus meritorium est effective & partialiter a libero arbitrio: licet magis principaliter a Deo, ideo plus solet attribui Deo, quam libero arbitrio, eoque trahit vocem perficere,* per quam vulgata versio *Philipp. II. 13.* expressit Græcum *ἐνεργεῖν*. Carolostadius vero exponit *operari*. Sed Eccius mavult magno Erasmo (uti eum vocat) assentiri, qui vertit *efficere*. Licet vero dum in Hiscoldi, monachi ut scribit *profugi* (Carolostadius *venerandum patrem & hominem multi studii* nominat) libellum invehitur, & Schultherri responsum defendit, hujus similitudinem de duobus qui fundum pro indiviso possident, & de duobus fratribus Ducibus, qui uni nobili feudum conferunt, defendat, paulo post tamen ait: *Semper mihi constans dico, liberum arbitrium effective concurrere ad bonum opus, licet ad bonam motionem habeat se tantum passive.* Carolostadius ista & plurima iterata defen-

(d) Eccii confessio & alia explicatio.

(e) Confuta-

An. 1519.

tio a Carolostadio edita.

defensione, refellit anno 1520. quam vocat *Confutationem ad epistolam defensivam Eccii; & τὸ effective* ab hominis voluntate & libero arbitrio prorsus removet, licet concedat voluntatem agere, currere, operari, sed id *effective & totaliter* esse Dei miserentis, & cum *Paulo* semper dicendum, *gratia Dei sum, quod sum,* non *partim* sum, sed *totus* & *totaliter:* item *sufficientia nostra a Deo est. 2. Cor. III. 8.* id est, omnis sufficientia. *Consentit* (ait) *homo, sed consensus est donum Dei, consentire non est agere.* Bernardus durius locutus est, cum hominem dixit *socium Dei.* Hieronymus etiam ita explicandus, (v. gr. cum dicit *nostrum est rogare, nostrum incipere*) ut quæ homini tribuere videatur, ad Deum tamen referenda esse, utique non neget; Deus enim dat ut rogare & incipere possimus. Bernardi dicta facilius ad veram sententiam trahi posse, quia *cogitare, velle, perficere,* omnia Deo tribuat, & peragi dicit in nobis: unde sequitur nos non nisi receptive operari, & quæ bona a nobis fiunt, radiorum instar esse a Sole reflexorum: aut ut alibi loquitur, *Deus in genere causæ efficientis, & præparantis; voluntas instrumentaliter operatur. Si Deus non infunderet, voluntas non caperet, si nulla esset voluntas, Deus voluntati non infunderet.* Magnas hæc ipsa controversia post annos plus quam triginta turbas in Ecclesiis Saxonicis dedit, collisis inter se Theologis Augustanæ Confessionis primariis. Defenderunt autem contra *Georgium Majorem, Victorinum Strigelium, Justum Menium,* & alios, operationem Dei totalem, & homini in actu conversionis non nisi mere vel pure passivam facultatem tribuerunt Principes Saxonici, Joh. Friderici filii, publico scripto, & præ aliis *Nicolaus Amsdorffius,* Exepiscopus Numburgensis, qui tum Isennaci ut Consiliarius Ducum Ecclesiasticus & Generalis veluti Superintendens vivebat, ibique diem suum obiit, ut alio loco, si Deo visum fuerit, dicemus. Nitebantur inter alia maxime dicto Paulino *1. Cor. II. 14.* ubi homo animalis dicitur *non percipere* sive *non recipere* (ὐ δέχεται) *ea, quæ sunt spiritus:* negant tamen hominem ut truncum & lapidem considerari debere. Ita ipse Flacius in apologia sua scripsit: *non dixi nihil agentem,* sed *audientem, attendentem, cogitantem verbum Dei.*

An. 1519.

(f) Renovatio litis illius inter Saxonicos post annos triginta.

SECT. 26.

De sequelis quibusdam disputationis.

Certum est, etsi (ut in plerisque talibus disputationibus fieri solet) utraque pars victoriam sibi tribueret, quod tamen Dux Georgius magis quam unquam firmus post hanc disceptationem in fide Catholica perstiterit, & præter Universitates Lovanii & Coloniæ, etiam Parisiensis, cui judicium de doctrina Lutherus detulerat, aliquo post tempore eum condemnaverit; ut ex iis, quæ in hac historia sequentur, constabit.

§. LVII.

(1) De Georgio Saxoniæ Duce.

Verum est, quod Dux Georgius pertinaci adversus Lutherum odio grassatus sit, sed de hoc non haberet, quod glorietur Maimburgius, si ad deplorabilem exitum Principis respexisset, quem *Lib. III.* ipse refert, minus etiam, si eandem Lipsiam, post annos viginti (ut ipse itidem narrat) una concione Lutheri reformatam cogitasset. Acutius vidit *Pallavicinus,* quantum nocuerit hæc disputatio Pontificiis partibus. Quapropter *cap. XIV. n. 9.* prudentiam Episcopi Merseburgensis laudat, disputationem, quantum in se erat, impeditum euntis. Scribit enim; (quod ob pares nostrorum temporum casus notari meretur) *Huic congressui obstitit Episcopus Merseburgensis, in cujus Diœcesi Lipsia sita est; nec certe sine causa: etenim, ut in locis, ubi permissu Principum hæresis grassatur, hæ concertationes incredulis lucem affundunt, ita, ubi catholica religio sola dominatur, sinceros fidelium animos importunis nebulis involvunt, atque in controversiam revocant id, quod pacifice possidebatur.* Et *cap. XVII. n 6.* fatetur publicatis actis disputationis *in dubitationem adductos quosdam fuisse, circa eos articulos, quos antea pro compertis recipiebant,* dum quædam ex argumentationibus vel solutionibus Eccii nequaquam inexpugnabiles videbantur. Inter inimicissimos Lutheri post disputationem hanc locum sumsit, de quo huc usque bene confidebat, *Hieronymus Episcopus Brandenburgensis,* ab Eccio incitatus, quem dixisse refert Lutherus *Lib. I. ep. 118. & 121. non reclinaturum se caput, nisi prius Martinum in ignem conjecerit, sicut titionem istum, quem, hæc dicens, simul in ignem misit.* Spalatinus tamen in *hist. MS.* autor est, Episcopum hunc postea æquo animo erga Lutherum fuisse, ut existimaretur publice Evangelium recepturus fuisse, si supervixisset.

(2) De Episcopi Merseburgensis oppositione.

(3) De Episcopo Brandenburgensi.

ADDITIO.

(4) Episcopus Merseburgensis quis?

Episcopus Merseburgensis, de quo loquimur, *Adolfus* erat, ex Anhaltinorum Principum familia, jam alibi memoratus, senio tum gravis, moribus ad clericam disciplinam satis compositis, avaritiæ tamen & sanctitatis affectatæ a Luthero non semel incusatus. Hic ex fundationis legibus Lipsiensis Academiæ *Cancellarius* erat. Cæterum quibus rationibus Georgius, Saxoniæ Dux, longe aliud, quam Pallavicinus, sentiens, Episcopum & Academiam ad permittendam disputationem moverit, ex tenore Epistolæ a *Zacharia Schneidero in Chronic. Lips. Lib. IV. pag. 168.* relato, agnoscere non pœnitebit: *Mirari se* scripsit, *cur Episcopus a veteri laudabilium majorum & Ecclesiæ patrum, in controversiis religionis usitato more veritatem explorandi, tantopere abhorreret. Expedire certe ut nuper mota quæstio examinaretur, an animæ defunctorum illico in cœlum ex purgatorio evolarent, cum nummus pro indulgentiis in pelvim projectus sonaret, & annon plebs misella pecunia hoc modo defraudaretur. Videri Episcopum plus justo hominibus nihili, inflatis tamen patrocinari, qui militum pavidorum more ante pugnam feroces, canentibus signis fugam capesserent. Veterem consuetudinem esse controversias disputatione inter partes examinare. Si errarent Theologi, neque Papæ neque Ecclesiæ displicere posse, ut corrigerentur. Si bonam causam haberent, & ab adversariis industria dialectica vincerentur, superesse provocationem ad Pontificem. Publicum hoc colloquium non nociturum esse recte sentientibus, nec Romanum Pontificem aut Cardinales invidere posse Laicis, ut in capitibus, quæ ad omnium hominum salutem spectarent, recte instruerentur. Theologos, qui disputationem recusant, contra officium facere, contraque prærogativam, quam officii intuitu in consessibus publicis ante omnes obtinerent; hanc defendere & tueri eos debere; alias satius fore ut stipendia eorum ad alendas vetulas & pueros impenderentur, ex quibus reipublicæ plus commodi sperari posset, majusque obsequium Magistratibus exhiberi, quam a Theologis inertibus; fœminas sane fila ducere aut cantu delectare auditores posse. Consideraret pro prudentia sua Episcopus, quid molossus ovibus prodesset, qui nec latrare nec lupum aggredi auderet: petere se ne pigros illos tueretur, sed noctuas lucifugas ad certamen in lucem produceret, ut faciant, quod pro officio aut munere suo deberent; neque enim prohibitum esse a Pontifice, ne adversus hæreses pro veritate Christiana pugnarent. Catholicos esse, nullum ab iis si veritatem mascule tuerentur, periculum aut præjudicium Ecclesiæ aut Academiæ timeri posse. Quod si nec Episcopi, nec sua, ut Principis, autoritate permoveri se sinerent, contumaciam illam apud omnes*

(b) Georgii Ducis cum eo expostulatio.

rerum

An. 1519.

rerum intelligentes argumento fore, non esse illos theologos, sed illusores populi, qui sententias suas nec producere nec tueri possent aut vellent. Si tergiversari pergerent, se edicto proposito coram Deo & orbe protestaturum esse, se nihil intendisse, quam ut hac ratione de controversia recte judicari, & veritas erui posset; Theologos vero ex ignorantia & ruditate disputationem declinasse, & ne fieret, manibus pedibusque laborasse. Quæ inde gloria in Ecclesiam & Clerum redundatura, & ad posteros perventura sit, cogitaret Episcopus. Rogat tandem *ut se virum, & ipso facto & opere Episcopum ostenderet.* Hæc profecto si non dura, mascula utique & falsa sunt. *Fabricius*, qui contenta illius scripti *Lib. VII. Orig. Saxon. p. 861.* aliis verbis, sed eodem sensu retulit, Theologos acquievisse nec hiscere ausos esse memorat. Attamen non attenta seria ista Principis cohortatione, statim atque d. 17. Junii VVittenbergenses urbem ingressi essent, mandatum Episcopi nomine valvis Ecclesiæ affixum fuit, quo sub pœna excommunicationis disputatio de religione inhibebatur. At Senatus jussu Principis non refigi saltem illud, sed & eum qui affixerat in carcerem conjici jussit.

§. LVIII.

(1) *Lutherus defendit thesin contra primatum Papæ.*

Ex iis, quæ post publicata acta disputationis prodierunt, brevis sed tersa est Lutheri defensio, cui, ut supra dicere cœpi, *Minoritarum* theses Luthero oppositæ, sed ut ipse conjecit, ab Eccio elaboratæ, occasionem dederunt *Tomo I. Jen. Lat. fol. 227. b. & seqq. & Tom. I. Witt. Lat. fol. 356.* ubi recte postponitur Actis disputationis. In hac & de primatu Papæ, & de libero arbitrio & gratia divina egregie & cordate disputat, soli Scripturæ palmam deferens. Scribit enim: *Plus mihi valet unus locus Scripturæ, quam omnes Doctores per Eccium adducti, quanquam nec ipsos recte adduxerit. Adducat mihi,* ait, *vel unum Scripturæ locum, in quo Petrus Petra dicitur, petra enim est Christus 1. Cor. X.* Omittimus alia adversus primatum, quem juris divini esse pernegat; humano vero jure admittit.

(2) *Item de libero arbitrio.*

De libero arbitrio scribit *fol. 235. b. Scito, lector, & certus esto, Eccium nihil prorsus in hac re dissentire mihi, nisi ad meram vocem & speciem. Quod ut noscas, adverte: Eccius Lipsiæ concessit, liberum arbitrium ante gratiam non valere, nisi ad peccandum. Ergo non valet ad bonum, sed tantum ad malum. Ubi ergo libertas ejus? Nam omnis homo, saltem rudis, audiens liberum arbitrium, intelligit, ipsum æque posse in bonum & in malum, prorsus non cogitans, quod solum possit in malum. Inde procedit in fiducia sui, præsumens, posse se ad Deum ex suis viribus convertere. Hæc esse impia Eccius bene novit, nec tamen Fratres erudit, sed eorum erroribus impiissime cooperatur. Dico ergo, quod homo habeat liberum arbitrium, non quia sit modo, quale fuit in Paradiso [de quo loquitur Eccles. 15. per Eccium inductus] sed quia fuit liberum, & potest fieri per gratiam iterum liberum; alioqui vere est servum arbitrium. Non ergo liberum arbitrium tam a facto esse, quam a debito esse dicitur. Unde Augustinus Lib. 2. contra Julianum, vocat ipsum servum arbitrium. Et Christus: Qui facit peccatum, servus est peccati. Et iterum: Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit, Joh. 3. Sicut ergo civitas devastata, vel collapsa domus, habet quidem nomen & titulum, quem prius habuit & posterius habebit, non tamen idem potest quod prius; ita liberum arbitrium. Quid autem cum indoctissimis Fratribus agam? Eccius respondeat. Si liberum arbitrium est liberum, cur in potestate Pauli non fuit* Rom. 7. *facere quod volebat? cur servit peccato, quod odiebat? Ecce in gratia Apostolus captivum se dicit in lege peccati, & tu homini peccatori tribuis liberum arbitrium? Sed iterum, si liberum est arbitrium, cur oramus: Sanctificetur nomen tuum: fiat voluntas tua? An, ut facilius possimus, sicut Pelagiani dixerunt? Si oramus, impossibile est quod oramus, ac per hoc nullo pacto in libertate nostra. Quid moror? Augustinus dicit, contemnendos esse, qui ex malitia resistunt veritati, docendos, qui ex ignorantia. Eccius autem hæc non ignorat, ut dixi. Quando ergo sancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant, quod scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatum est.*

(3) *De jure pastorum.*

Memorabili etiam cum libertate de restricta plebanis (sive ordinariis Pastoribus) absolvendi potestate queritur *fol. 234.* & adducto loco *Cypriani*, adversus evocationes causarum pœnitentialium statuentis, singulis Pastoribus adscriptam esse portionem gregis, subjungit: *Vides unicuique Pastori portionem gregis adscriptam; at nunc unus grex quatuor, immo centum Pastores vel depastores habet. Vides nullum casum reservatum, sed in sua Ecclesia quemque debere pœnitere. Si hoc est contra jus divinum, Cyprianus est hæreticus in hoc dogmate, quod & Nicænum concilium constituit. Nec est, quod garrit Eccius, disciplinam Christianam everti hac sententia. Cur Cyprianus eam & Nicænum concilium non evertunt? Immo per Romanam curiam & casuum reservationem disciplina evertitur. Si servaretur hoc Cypriani & concilii Nicæni decretum, minus impunita esset peccandi hodie licentia. Plebani nullam habent potestatem, paulo majorem Episcopi, totam Romana curia. At illic nemo disciplinatur, sed pro pecuniis omnia peccata venduntur, ubi est urbs mere indulgentiis, id est, disciplinæ eversionibus plena, usque ad clamorem in cœlum.* Addit denique quatuor & viginti *articulos hæreticos*, quos ex Eccii & monachorum assertis deduxit *f. 238.* Plura annotatione dignissima, ut prolixitatem vitem, prætereo.

§. LIX.

(1) *Melanchthonis præsentia in disputatione Lipsiensi.*

Tractus est occasione hujus disputationis in Theologorum lites *Philippus Melanchthon*. Is Lipsiæ, ut quidem ipse scribit, ut otiosus spectator disputationi adfuerat, & in reliquo vulgo sederat, *(fol. 365. b.)* quanquam alii tradant succurrisse eum non parum Carolostadio, & ab Eccio increpatum propterea fuisse, dicente, *Tace tu Philippe, ac tua studia cura, nec me perturba.* Observaverat autem & excerpserat quædam; cumque se iis, quæ de non publicandis actis disputationis inter partes cauta erant, teneri non putaret, relationem per epistolam scripserat, judicii profecto & modestiæ plenam. Edita tunc est separatim, nomenque ejus, ad quem scripta fuit, exprimitur, nempe *Johannis Oecolampadii*, quod in Tomis omissum est. Neque enim dissimulat, a scopo aberrasse disputatores, & horum tamen omnium honorifice meminit, ita claudens epistolam:

(2) *Epistolica ejus de illa relatio.*

Ceterum apud nos magnæ admirationi plerisque fuit Eccius, ob varias & insignes ingenii dotes. Carolostadium de scriptis, credo, novisti. Bonus est vir, & rara doctrina, planeque nonnihil extra vulgi aleam

An. 1519. *am eruditus. In Luthero longo jam usu mihi familiariter cognito, vivax ingenium, eruditionem & facundiam admiror, sincerum & pure Christianum animum non possum non deamare.* Epistolam eam nescio quomodo, statim nactus Eccius, edita d. 25. Julii excusatione *fol. 363. & seqq.* acriter in Philippum invehitur, eumque ut Grammaticum contemnit, ait enim: *Etsi Græce & Latine non sit indoctus, eum tamen non esse, cum quo Theologus in theologico studio congrediatur.* Luthero eruditionis laudem in hoc scripto tribuit. Negat inter alia, quæ de libero arbitrio concessisse Carolostadio dicebatur, & affirmat, *hunc tandem concessisse voluntatem habere activitatem ad bonum opus:* scilicet, (ut ex disputatione apparet) *post gratiam.* Philippus adversus Eccianam inculpationem defensionem edidit, *fol. 364. b. & seqq.* quæ indicio esse potest, an ut Grammatista exagitari ab Eccio meruerit: pauca ex illa adscribemus. Postquam notasset, quomodo Eccius non solum Patrum dictis abusus, sed & sacras literas audacius interpretatus sit, quam ratio patitur; subjungit *fol. 365.* quæ ad Scholasticæ Theologiæ pulverem collata, purissimi auri pretium apud cordatos æstimatores obtinebunt: *Plane eo sum in sanctas literas animo, ut nihil indignius censeam, quam ipsas pro more humanarum fabularum in varios sensus dilacerari, immo, ut Penelopes telam texi & retexi, ut sua cujusque fert libido; ut interim taceam, quam sit impium, Scripturam rapi ad humanos affectus, & sancta sanctorum profanis manibus, imo idolothytis violari. Quo nomine ipse scit Eccius, quid deploratæ quæstionum Theologiæ debeamus, quæ tam clementer affectibus indulget humanis, quanquam hujus se patronum & assertorem velit haberi.* Postea de Patrum interpretamentis loquens ita *f. 366.* scribit: *Primum non est cordi mihi cujusquam autoritati quidquam derogare; veneror & adoro tot Ecclesiæ lumina, celeberrimos vindices Christianæ doctrinæ. Deinde puto non temere fieri, sicubi sententiis S. Patres variant, quemadmodum solent, ut judice Scriptura recipiantur, non ipsorum variantibus judiciis, Scriptura vim patiatur. Quandoquidem unus aliquis & simplex Scripturæ sensus est (ut & cœlestis veritas simplicissima est) quem collatis Scripturis, e filo ductuque orationis licet assequi. In hoc enim jubemur discere Scripturas divinas, ut hominum sententias decretaque ad ipsas, ceu ad Lydium lapidem exigamus. Deinde ut omnino adjudicandas Scripturas adhibendi sint S. Patres, satius est ex his locis Scripturæ sententiam colligere, ubi hoc ipsum agunt, ut enarrent, quam iis, ubi vel rhetoricantur vel affectibus suis quocunque modo indulgent. Quemadmodum hoc & ipsi fere experimur, varie nos Scripturam intelligere, quia varie afficimur: jam hic, jam ille arridet sensus, quia quo quemque rapit affectus, in id incumbit, in eo se multiplici animi cogitatione oblectat, & ut polypus, cuicunque petræ adhæserit, ejus colorem imitatur, ita nos quorsum propensum animi studium rapit, id omnibus viribus effigiare studemus. Jam quoties evenit, ut excipiat vim alicujus sententiæ propriam & sinceram mens nostra, oblectetque se paulisper in ea, mirabili quodam modo, quem revocare post elapsum prorsus nequit. In eum modum sancti Patres & affectu quodam rapti, in sensum non malum quidem, sed impertinentem sæpe numero Scriptura sunt abusi. Quod ut non damno, sic tamen recipio, ut in controversia parum valere arbitrer. Nam ut Græci dicunt: καλῶς τρέχουσιν, ἀλλὰ ἐκτὸς ὁδοῦ. Immo ausim & hoc dicere, nonnunquam sensu quodam S. Patres interpretatos esse Scripturas, quem suggerebat & inspirabat vivax aliquis affectus, qui sensus & verus sit, & non impertinens, quem tamen nos homunculi ad literam quadrare non videmus, nempe alio nos nostra mediocritas rapit. Est enim ejusmodi quædam tacita mentis alimonia, & manna quoddam, quod puto Paulum intellectum spiritualem vocare, quæ facilius sit percipere, quam verbis delineare. Jam vero quis non videt, veteres liberrime Scripturis abusos, pleraque temporibus, pleraque dissensionibus hæreticorum data sunt, quod genus exempla liceat innumera producere. Neque raro accidit, præsertim in recentioribus, ut pugnet cum origine sua expositio quæpiam. De Scholasticis non est, ut multis agam, quibus divinæ literæ quidvis sunt potius, quam simplices, imo, nescio, quem Proteum fingunt, dum eas in allegoricos, tropologicos, anagogicos, literales, grammaticales, historicos sensus transformant, & transfundunt in, nescio, quas lacunas.* Quod vero quæstionem de libero arbitrio, sive operatione Dei in homine attinet, illamque Scholæ subtilitatem de *toto* & *totaliter*, ita se defendit Philippus *fol. 365. b. Susceperat Carolostadius defendendam conclusionem suam undecimam, liberum arbitrium ante gratiam non valere, nisi ad peccandum. Hanc oppugnabat Eccius, quam vides de humanis viribus propositam, atque adeo de justitia humana, seu merito congrui. Neque jam disputo, accedat peculiare auxilium, nec ne; variant enim & ipsi quæstionum Magistri. Certe magno consensu Scholæ id peculiare auxilium gratiam Jesu Christi esse non permittunt. Atque id erat, quod avidi auditores expectabamus. Quod lectorem ad suam conclusionem relegat, nemo tam stupidus est, qui putet, Carolostadium Eccianam conclusionem defendendam suscepisse. Ab illo instituto in angustias quasdam, an recipiat voluntas tantum, causa sensim tracta est, cum in Carolostadii conclusionibus unica est, quæ obiter causatur, totum opus bonum a Deo esse, atque eam ipsam Eccius largitus est, modo non sit opus divinitus totaliter. Ego vero certum habeo, Carolostadio nunquam in mentem venisse, causam in has Symplegadas cogere. Credo, permovit eum, ut diceret, atque id recte, totum opus bonum a Deo esse, propter Eccii profanam scholam, quæ gratiæ & naturæ opera non distinguit, nisi respectu rationis, ut vocant, planeque eadem specie censet actus, quos cum natura citra gratiam, tum voluntas & gratia efficiunt. Hic vero tutandus seu excusandus erat Barbarus ille Heraclitus, Scotus, quem meministis in rhapsodiis suis quam Christiana hac de re doceat. Non displicuit argutia de toto & totaliter, nempe festiva, eoque ipso gratior, quod nova est & digna Eccii professione, penes quem hodie cum rerum, tum verborum arbitrium est. Jam quod docet, inter illa quid intersit, non est ingratum amici studium, quanquam jam olim Porphyrium didicimus, & nunc ad id genus nugalia theoremata revocari molestum est. Porro, quia necesse erat, novis glossematis*

(3) *Refutatur ab Eccio.*

(4) *Replica Melanchthonis.*

(5) *Monitum de lectione Patrum.*

An. 1519.

(6) *De toto & totaliter.*

An. 1519.

matis & plane fictitiis asserere vim liberi arbitrii, qua bonum efficiat, cum receptissimum sit, & apud Scholasticos vel summæ notæ, nempe Occamicos, quosdam voluntatis actus tantum recipi. Denique (ut omittam, quæ de dicto: *Tu es Petrus*, doctissime commentatur) ad objectam Theologiæ imperitiam ita respondet *fol. 367. Quod vero crassiores nos putat, quam ut de sublimibus Theologorum quæstionibus aliquid attingamus, non displicet: modo permittat, & vulgus Christianum de piis nonnunquam quæstionibus colloqui, atque adeo nos, qui a theologiæ studiis non omnino abhorremus, id genus sacris deliciis animum nonnunquam pascere. Quanto satius erat parvulos, in quibus nos quoque sumus, favore ac studio animare ad pias literas, imo etiamsi quid delinquerent per imprudentiam, connivere, quam hujusmodi tragicis vocibus deterrere.* Addo etiam Lutheri de hac Philippi & Eccii concertatione judicium ex *Resolutionibus*, Spalatino *fol. 298. b* inscriptis: *Vidisse te credo Eccii excusationem adversus Philippum nostrum, satis dignam Ecciano ingenio, in qua homini etiam in sacris literis terque quaterque omnibus Ecciis doctiori, denique & sordidæ illius Eccianæ theologiæ non ignaro, opprobrat pro magno vitio Grammaticam professionem. Tam recto sunt judicio Magistri illi nostri eximii, ut eruditionem metiantur secundum qualificationes suas & inanes titulos. Conatus est & eundem mihi invidiosum reddere, dum mihi & ingenium & eruditionem, nescio quantam, tribuit. Nam ut hoc etiam scias, me quoque nonnihil gloriæ retulisse ex disputatione ista. Tribuit mihi Eccius eruditionem, tribuunt & Lipsienses, adeo (quantum fama cepi) ut nisi Eccio subsidiarias opes suffecissent ipsi, fateantur Eccium a me fuisse prostratum, atque ita victoria jam ab Eccio in Lipsienses incipit migrare. Rursus dicitur, illum magnificum contemtorem Lipsienses habuisse pro bonis quidem hominibus, sed in quibus longe plura sperasset, & se solum omnia fecisse. Ita vides novam quandam Iliada & Æneida illos cantare, & me saltem Hectora & Turnum arbitrari, quo illum Achillem & Æneam statuant, nisi quod in hac victoria fluctuat, an suis id Eccius præstiterit, an Lipsiensium viribus & copiis. Certum est ipsum solum semper clamasse, illos autem semper tacuisse. Putasne magnas me illis debere gratias? Sed redeo ad Philippum; quem tantum abest, ut ullus Eccius mihi reddere possit invidiosum, ut in omni mea professione nihil ducam antiquius Philippi calculo, cujus unius judicium & autoritas mihi stant pro multis millibus sordidorum Ecciorum. Neque me pudet, etsi Magistrum artium, philosophiæ & theologiæ, & omnibus pene Eccii titulis, insignem, si hujus mihi Grammatistæ dissenserit ingenium, meo sensu cedere; quod & sæpius feci, & quotidie facio, ob divinum donum, quod Deus in hoc fictile vasculum (Eccio quidem contemtibile) larga benedictione infudit. Philippum non laudo, creatura est Dei, & nihil, sed opus Dei mei in ipso veneror. Nec Eccium vitupero, sed crassas istas seminandæ discordiæ & invidiæ concitandæ vafritias toto corde detestor abominorque, quas neque frequentiores, neque maligniores usquam vidi, quam in Eccio, quibus & pene totius nostræ disputationis farraginem fermentavit. Nam hac una sola pene re pessima potens est Eccius; ad rem Theologicam ὄνος πρὸς λύραν.* Hæc Lutherus. Etsi vero suspecta haberi possint, ut ab amico Melanchthonis & inimico Eccii profecta, confido tamen, candida ingenia, quæ Melanchthonis ista (quanquam nonnisi viginti trium annorum tunc juvenis) expendent, aliam longe eruditionem, piam nempe & solidam, quam in Eccio aliorumque ex difficilibus Scholasticorum nugis sapientium scriptis placitisque deprehensura esse. Cæterum etiam *Amsdorffii*, Canonici tunc Wittenbergensis relationem de disputatione consulere licet. *Tom. I. Alt. f. 276.*

(7) Refellit somnia Eccii.

(8) *Lutheri judicium de Eccio & Melanchthone.*

§. LX.

Sed Luthero multum laboris post disputationem accessit, referendi nempe, quid actum esset, ut obtrectationibus responderet. Attulimus jam aliqua ex literis ad Spalatinum. Adjunxit iis, quas d. 15. Aug. scripsit, *Resolutiones conclusionum suarum*, quas Eccius impugnaverat *fol. 299. ad fol. 311.* In his statim ad concl. I. profitetur, *se Theologorum scholæ reverentiam omnem debere, veniam tamen petere, si divinas literas iis præferat. Concilia & Episcopos errare posse & errasse; se liberum ab illorum & Pontificum captivitate esse velle, & verum profiteri, a quocunque adsertum sit, Panormitani exemplo, qui statuerit, uni privato fideli, si meliorem habeat autoritatem & rationem, plus credendum, quam toti Concilio, aut Papæ.* Hieronymi etiam effatum allegat: *Orbis est major urbe:* immo perspicue scribit, male damnatum esse Constantiæ Hussi hunc articulum; *Papa non est jure divino super omnes ecclesias:* cum tamen in eodem Concilio non sine manifesta, ut putat, contradictione decretum sit, *Concilium esse supra Papam;* quod cum nuper mutatum sit in Lateranensi Concilio, incertos per vicarias Conciliorum nostri seculi determinationes & reprobationes fieri Christianos conqueritur, ubi quærendus sit Christus, Ecclesia, Concilium, Spiritus sanctus, & omnia in primum chaos confundi. Male etiam damnatum aliud Hussi dogma dicit, quo omnes actus in *malos & bonos* [ex personarum nempe operantium qualitate] distinxerat. *Nam etsi bona sint opera sapientiæ & virtutum, quæ mali faciunt, non bene tamen ab illis fieri: bona illa Dei dona, mala reddi vitio hominum.* Porro *omnem Christianum quotidie pœnitere debere & quotidie remissionem petere, quia quotidie peccat, non quidem perpetrando crimina, sed non perficiendo mandata Dei.* Allegat D. Pauli exemplum, & illam renitentiam sive noluntatem carnis, de qua *Rom. VII.* quiritatur, in causa esse, ut nunquam impleatur lex Dei, hæc enim perfectam voluntatem requirit. *Igitur (ait f. 303.) tantum ibi peccati est, quantum est noluntatis, difficultatis, repugnantiæ; tantum ibi meriti, quantum voluntatis, libertatis, hilaritatis. Tota noluntas est peccatum mortale; defectus totius voluntatis (quæ in hac vita non datur) facit, ut semper peccemus, etiamsi bene agamus. Hæc est causa, cur non sit justus in terra.* Reprehendit inde Theologos, qui de rebus divinis humano modo loqui, relictis Scripturis, maluerint, & *fomitem non peccatum*, sed *infirmitatem* vocaverint. Fatetur itaque, *se nihil ex illa theologia didicisse.* Refutat, quæ *de levitate peccatorum venialium*, & *quod Deus perfectam impletionem legis non requirat,*

An. 1519.

(1) *Lutheri resolutiones contra Eccium; earumque exordium, de autoritate Patrum.*

(2) *Defendit Hussum.*

(3) *Negat, peccatum sua natura veniale esse.*

An. 1519. *rat*, huc usque in scholis statuta fuerant, persistens in sententia, *peccatum nullum sua natura veniale esse, & actum bonum totum & totaliter, quicquid garriant Sophistæ, a Deo esse, qua voluntas rapitur, trahitur, movetur per gratiam, atque ita passiva sit, quemadmodum serra tum demum secat, cum manu trahitur; tracta*, ait, *operatur, & serratio opus ejus esse dicitur, cum tamen mere patiatur. Fide* vero *sola justificari homines* ideo dici, quia corde creditur ad justitiam, *Rom. X. 10. Solo itaque corde (quod non operatur) nominato, excludi tacite cetera membra, quæ operantur.* Ad objectum Jacobi locum *fol. 307.* non saltem regerit, quo Epistolæ ipsius autoritatem imminuat, (in quo vix habet hodie, qui eum sequantur) sed hoc quoque: *De fide viva loquitur D. Paulus: nam fides mortua non est fides, sed opinio. At vide Theologos, hanc unam Jacobi autoritatem mordicus tenentes, nihil prorsus curantes, quod tota alia Scriptura fidem sine operibus commendet.* Et postea: *Multo periculo opera præ fide prædicantur; fides autem sine opere nullo periculo prædicatur, propterea, quod facilis est & proclivis populus in fiduciam operum, & opera facile præponderant fidei. Ubi autem pura fides recte docetur, sponte sua & sine periculo venient opera, dum didicerint, majorem vim, immo totam in fide positam, quæ facit opera. At nunc Ecclesia repleta est jactantia operum externorum, ut Christus de nostro tempore dixisse videatur: Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? Breviter: cum fides sit recta & bona opinio de Deo: opinio autem quælibet per se solam hominem trahat in opera; non est dubitandum, quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris non sinit esse otiosum, sed sine lege & magistro facit plura, quam postulatur: quomodo non fides multo magis idem præstet? Mundus regitur solis opinionibus suis, & sola fide non possit regi Christianus?* Ex his jam tum scriptis, doctrina de fide, quam constanter tenuit Lutherus, ita ob oculos ponitur, ut fundamentum ejus nemini ignotum esse possit, simulque appareat, quam immerito hoc dogma in tantam invidiam fuerit adductum, ac si omnem pietatem subverteret: cum sanctius & efficacius argumentum pro bonis operibus ex divinarum literarum regulis erui non possit. Sed non minus clarum est odium doctrinæ huic inde natum, quod ea admissa mercenaria illa, per opera externa & in Cleri commodum cedentia, pietatis ostentatio funditus periret. Sed pergendum est. De Bulla Clementina & declaratione ejus nupera Leonina, ita se expedivit Lutherus *ad concl. 10.* ut dicat: *Non esse in manu Ecclesiæ, nec Pontificis, articulos fidei statuere, & cum dicatur Ecclesiam non deseri a Spiritu Christi, intelligi id non posse de Papa & Cardinalibus, vel,* ut postea loquitur, *de notariis & pœnitentiariis aut magistris palatii Papæ.* Interim se in sententia stare, *merita Christi nullius hominis potestate dispensari, nisi ministerialiter, cum absolutio confertur credentibus. Declaratoriam illam tamen* (Leonis) *non damno*, ait, *sed in suo sensu relinquo. Si autem aptata fuerit, ut contra prædicta militet, respuo, & postulo ut reddatur ratio dictorum; deinde ut ostendatur potestas faciendi articulos fidei, aut proferatur probata tr[illegible]latio; nudis verbis prohibet me Paulus credere.* Iterum de autoritate Ecclesiæ (*ad concl. 12.*) luculenter respondet ad objectum illud Augustini dictum vulgatissimum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret autoritas.* Id enim voluisse, *ut Manichæos toto christiano orbi adversantes, per argumentum externum consensus illius universalis moveret, ut Evangelium audirent, eique crederent, cum sine maximo Dei miraculo non esset factum, ut tot resistentibus tyrannis, tot morientibus Christianis, Evangelium maneret. Crediturum autem fuisse Augustinum* non dubitat, *etsi totus orbis insanisset contra Evangelium. Loqui igitur eum magis de probanda fide catholica, quam de sua propria fide. Denique & hoc modo stare Augustini dictum, quia fides est ex auditu, & sine prædicatione credi non potest.* De potestate Pontificis brevis est in hoc scripto, & allegat *resolutionem* suam *propositionis XIII* separatim editam, de qua supra egimus. Tandem vero ita concludit *fol. 311. In fine repeto, quæ in principio dixi, me prorsus confiteri & tueri primatum Romani Pontificis, quantus quantus est, fuit aut futurus est, solum, quod novum dogma esse scio, jure divino eundem stabiliri, quia nullus antiquorum Patrum meminit ejus articuli fidei, qui tamen omnia tam pie & solicite, quæ nostræ fidei sunt, exquisiverunt, nec secundum eundem egerunt aut vixerunt, quos omnes hæreticos dici nulla ratione patiar. Atque indies magis mihi placeo & superbus fio, quod video, nomen pessimum mihi crescere. Veritatem enim*, id est, *Christum oportet crescere, me autem minui. Plus gaudeo ad vocem sponsi & sponsæ, quam tumultum & clamorem luxuriosorum procorum metuo; certus, quod homines, qui videntur mihi adversarii, ipsi non sunt malorum autores, nec eos odio habeo, sed Behemoth ille princeps malorum, qui per umbras suas, ut video, vellet mihi formidabilis fieri, si posset, & veritatem e regno suo mei occasione exturbare; sed major est, qui in nobis est, quam qui in mundo, quo duce, nihil proficiet inimicus iste, Amen.* Versum etiam subscribit: *Præsens male judicat ætas, judicium melius posteritatis erit.* An. 1519.

(4) *Respondet ad dictum Jacobi Apostoli.*

(5) *Item ad declarationem Pontificis de indulgentiis.*

(6) *Primatum Pontificis ex jure divino negat.*

ADDITIO.

Quantum crimen imput[illegible] Luthero ex dubitatione illa de Epistola Jacobi, cujus hoc §. *n. 4.* mentio fit, satis notum est, ita ut post tot veteres dudum refutatos nuperrime *Johannes Dezius*, Jesuita Gallus, in concionibus suis henoticis, Argentorati habitis, magnum argumentum invenisse se putaverit, quo Protestantes, qui Lutheri illam opinionem non sequuntur, ad deserenda etiam alia ejus dogmata permoveret. Sed quæ hujus argumentationis debilitas sit, non est, ut a me demonstretur; per instantiæ tamen modum ex historia, quam tracto, aliquid afferendum esse duxi. Incidi in libellum quem quidam *Johannes Buchstabius* Scholæ Magister Friburgensis in Helvetia, sive Uchtlandia anno 1528 edidit, titulo: Eigentliche und gründliche Kundschafft ꝛc. in hoc tractat de iis, quæ in colloquio Bernæ inter Zvvinglium & adversarios habito, non satis ex parte Romanensium videbantur defensa esse, & speciatim queritur injuste actum fuisse cum Catholicis, quod ipsis non fuerit permissum *Epistolam ad Hebræos* rejicere, ex qua tamen (male scilicet, ut ait, intellecta) omnia contra sacrificium Missæ tela desumserint Zvvingliani. Hi vero vice versa non fuerint prohibiti, libros *Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Baruchi, Machabæorum* & *Apocalypsin* pro Apocryphis habere. Quemadmodum ergo liberum est Roma-

(a) *Joh. Dezii cavillus de dogmate Lutheri.*

(b) *De Epistola ad Hebræos dictum Helvetii cujusdam.*

An. 1519.

Romano-Catholicis, ut de Epistola ad Hebræos hodie non dubitent, ita & Protestantibus liberum fuit, & adhuc est, a Lutheri dubitatione dissidere: quanquam jam dudum ostensum fuit, quod pertinaciter illi non inhæserit.

§. LXI.

(1) *Lutheri & Eccii scripta de disputatione Lipsiensi ad Elect. Sax.*

Scripserat vero primus post disputationem, uti jam innui, Eccius ad Fridericum Electorem d. 23. Julii multa cum Lutheri insectatione, ita, ut libros ejus ne legendos quidem sed comburendos esse Electori suaderet. Responsum come sed dilatorium tulit, quod legitur *Tomo I. Altenburg. fol. 275.* Postea ad communicatam secum Eccii epistolam Lutherus & Carolostadius prolixe & acriter responderunt d. 18. Aug. ceu *Tomo I. Alt. fol. 277. & seqq.* refertur. Extat in *Archivis* ea epistola responsoria, tota Lutheri manu exarata, sed a Carolostadio (secus ac in Tomis *d. l. pag. 282.* conspicitur) priori ante Lutherum loco subscripta. Replicavit Eccius d. 8. Nov. eum quidem in modum, ut nihil eorum omiserit, quæ & ad personam & ad doctrinam Lutheri infamandam possent conducere, adeo, ut in his literis compendium quoddam fere omnium deprehendatur, quæ ad hunc usque diem in præcipuis, de quibus controvertitur, articulis opponi vulgo Protestantibus solent. Historia etiam lucem ex illis accipit, & Eccius literas Lutheri tunc produxit, secunda post Martini feria anno 1518 ad se datas, in quibus *pactum se esse cum Eccio* scribit, *ut Lipsiæ vel Erfordiæ cum Carolostadio disputaretur;* ex quibus tamen non apparet, de quo altercabantur, quis nempe primam propositionem disputationis Lipsiæ fecisset, invitatum vero postea Lutherum ad disputandum ab Eccio Lipsiam fuisse, ex hujus literis, quæ *fol. 387.* extant d. 19. Febr. manifestum est: itaque vere Lutherus Spalatino scribit, Eccii excusationes elevans d. 3. Decembr. *Lib. I. ep. 131. Non obtulimus Lipsiam, sed oblatam accepimus.* Adeo vero exarserat in Lutherum calumniandi impetus, ut & levia & fortuita fœdis criminationibus a Lipsiensibus quibusdam traducerentur, ita ut inter alia dæmoniacum aliquid ei objicerent. Id etsi adserere noluit Eccius, in literis tamen ad Electorem, quas allegavimus, vanissime scribere non est veritus; *habuisse Lutherum aliquid filo & annulo argenteo, quem digito gerebat, alligatum, quod multis sermonibus occasionem dedisset.* Reprehenderant etiam, *quod sertum odoris & spectandi gratia in manu gesserat. Lib. I. ep. 122. p. 213.* Lutherus sane multum de iniquo civitatis & Academiæ in se animo questus est. Scribit enim in epistola supra allegata *Lib. I. ep. 114. p. 183. Lipsienses sane nos neque salutarunt neque visitarunt, ac velut hostes invisissimos habuerunt: illum,* Eccium, *comitabantur, adhærebant, convivabantur, invitabant: denique tunica donarunt, & schamlottum* (est telæ subtilioris tunc multum æstimatæ species) *addiderunt, cum ipso spatiatum equitarunt: breviter quicquid cogitare potuerunt, in nostram injuriam tentaverunt.* Eccius vero apud Electorem de sumtu queritur, quem privatus & pauperculus Sacerdos (**ein armes Pfäfflein**) in iter hoc fecisset *Tom. I. Alt. fol. 274.* Et ad Hochstratanum *Tom. I. Lat. fol. 360. se solum non nisi æquitate comitatum adversus plures stetisse* jactat: *Erant,* ait, *eorum plures; ipsi Doctores duo,* (Lutherus scilicet & Carolostadius) *Dominus Langus Augustinianorum Vicarius, duo Licentiati Theologiæ, unus nepos Reuchlini, multum arrogans, tres Doctores juris, Magistri plurimi, qui & privatim & publice juvabant, etiam in ipso facto disputationis.*

An. 1519.

(2) *Eccii relatio ad Ingolstadienses 1. Julii scripta.*

Extat etiam Eccii epistola Latina, barbaro stylo deproperata, cujus autographon a viro eximio mihi missum est, lectu quidem, ob contortos literarum ductus difficile. Data est d. 1. Julii in *regia*, ut scribit, *Misniæ*, id est, Lipsiæ; Inscripta: *Clarissimis viris Georgio Hauen & Francisco Burkardi, Professoribus jurium Ingolstadii, fratribus candidissimis.* Ex hac sequentia exhibeo, quæ licet arrogantiæ & petulantiæ characteres habeant, multa etiam falsa contineant, ad historiæ tamen illustrationem faciunt: *Venit Lotter cum Bodenstein maxima pompa, affuere ducenti studentes ex Wittenberga, Doctores quatuor, Licentiati tres, Magistri plures, cæterum Lutherani plurimi, D. Langius ex Erfurdia eorum vicarius, Egranus temeritatis præceptor, prædicator ex Görliz, plebanus Annebergensis, missi ex Praga schismatici & Picardi, hæretici plurimi, qui Martinum maximum veritatis doctorem asserunt, non minorem Johanne Hussio. Vigesimo sexto die* (*Jun.*) *actum fuit & conventum de disputatione: ego ultro cessi, quod Lipsienses non judicarent, quamvis sint egregie in meam partem, & volui non recedere Carolostadium, nisi in judicem compromitteret mecum. Per totum oppidum erat conclamatum, me inferiorem bis futurum. Natio nostra, quamvis mihi favens, tamen formidans verecundiam, nullam quæsivit ad me societatem. Ego tamen, tanquam senior Doctor, semper aliis fui prælatus. Illustrissimi Principis nomine mihi dono datus est cervus bonus, Carolostadio cerva. Die 27. Junii convenimus in Collegio majori, ubi Ordinarius* (*D. Simon Pistoris*) *nos excepit pulchra oratione nomine Universitatis, dein ad Ecclesiam ivimus cum hospitibus omnibus & tota Universitate; ibi facta sunt sacra de Spiritu Sancto. Arx dein petita, ubi Princeps curavit amplissimum locum sedilibus & tapetis munificentissime apparari. Petrus Mosellanus, Græcitatis Professor, oratione luculenta animum Principis expressit, more tamen suo in Scholasticos invehebatur, præter Ducis jussum. Aderant armati LXXVI. & hi quotidie adsunt ab initio disputationis usque ad finem, propter insultum Wittenbergensium & Bohemorum timendum, cum vexillo & tympanis semper arcem petunt. Maxima est Senatus humanitas, ut dicam. Pomeridie hora 2. cœpta disputatio. Opponebam Carolostadio de libero arbitrio. Hui, quam frigidissime assumsit; mallem ex alio audiretur; caret memoria; fatetur memoria me superiorem ingenue, cum frigide nostra solvisset. Ego ex ordine punctatim recensui omnes ejus solutiones melius, quam ipse exposuisset, cum omnium admiratione. Ex continenti replicavi; nil poterat assumere; permagnam habebat catervam assidentium, & jam ex uno, jam ex alio libro legebat, cum maximo sui contemtu. Unde primum nostris animus factus est, & me deducere catervatim studebant. In uno peccavi: Posui replicas de nocte & dedi ei spatium deliberandi usque in crastinum horo octava. Venit mane & Notarius contra pacta, ei fecerat copiam actorum & dictorum; conscripse-*

An. 1519. *scripserat Doctor schedas, & legit de verbo ad verbum unam post aliam cum suo maximo dedecore; ego rejeci inutilia per eum adducta, non tamen processi ad veras objectiones, quoniam tam prolixe prælegerat cum omnium fastidio. Quod si perrexissem objicere, intercepta fuisset disputatio, & habuisset iterum terminum deliberandi & conscribendi, data igitur opera distuli usque in horam secundam, ubi hominem minima potentem assumere, ita adegi, ut cogeretur invitis dentibus concedere liberum arbitrium: habere activitatem in opus bonum, quo habito ego nolui amplius argumentari, quod traxissem eum in sententiam Christianam. Opposuit: se hoc nunquam negasse; statim ei opposui ex sua defensione sex locos, ubi adstruit, liberum arbitrium se habere mere passive ad bonum, & quod sæpe hoc in disputatione assumserat, de quo remitto me ad acta per Notarios conscripta. Ultima Junii debebat mihi opponere Carlstadt de Libero arbitrio: ista elegit, & cum omnia sua in scheda conscripsisset & legeret puerorum more, ego restiti, nolebat omittere, quod ipse non haberet illam memoriam. Dixi: cur ergo disputaret? Verum retuli in Dominos, qui exeuntes in consilium, vocaverunt Carlstadium, & dixerunt: illum non esse morem disputandi, quare deberet cessare, & posset autoritates legere ex scheda, sed non totam deductionem argumenti. Ille, habito consilio, dixit, se non posse aliter disputare, petere licentiam abeundi. Vocatus ego, omnia commisi discretioni Dominorum, si possent perpendere mihi esse admittendum, vellem admittere. Dixerunt omnes: videri eis iniquum, concessi, quod pro illo tempore faceret, sed deinceps abstineret. Sed & hoc noluit acceptare. Petii a Dominis hujus rei testimonium: itaque re infecta discessimus. Dominus Cæsarius Pflug nomine Principis exposuit vulgariter* (i. e. Germanice) *totam causam, & quomodo ipsi determinassent contra Carlstadt, sed ipsum noluisse acceptare, tamen vellent ei dare terminum deliberandi usque in crastinum. Misit Notarios & Baccalaureos Theologiæ ad me supplicans, quod permitterem eum legere argumenta ex scheda. Ego dixi, me manere cum declaratione Dominorum; unde in maxima stabant, & hodie stant Wittenbergenses confusione. Hodie tamen venit & debebat opponere, solum proposuit tria, quamvis sine omni autoritate & ratione. Maxime confuse stetit; quæstiones ego ordinatissime cum inductionibus assumsi, ad eas respondi, responsiones autoritatibus confirmavi, ac Theologos sanctissimos & selectissimos, quos ipse Scholasticos contemtim vocat, cum sententia Augustini, Hieronymi, & Ambrosii convenire evici. Hæc hactenus de Carlstadt.* (Ad marginem adscripsit: Ich habe dem Lutter eine gute Boßheit gethan / *dicam præsens*, gloriatur nempe se insigni aliqua arte Luthero nocuisse.) *De monstro alio Lutter. In ejus adventu percepi, eum nolle disputare: omnia commovi, ut adigerem hominem ad disputandum. Convenimus apud Principis Commissarios & Universitatem; omnia posui in arbitrium eorum; quare voluerunt eum disputare eisdem conditionibus, quibus Carlstadt disputaverat. Ille plurima causatus in suum Principem; dixi ego: me non expetere judicem Principem, quamvis eum non recusem, quare vel Universitatem aliquam deligeret, & si Germania nimis esset arcta, quod vel in Italia, vel Gallia, aut Hispania aliquam deligeret. Ille omnino nullum voluit ferre judicem, quare non fuit admissus: nam Principis jussus erat, neminem admitti, nisi qui paratus esset judicari: petii ut suo tempore hujus rei testimonium mihi daretur a vices tenentibus Ducis & Universitate. Plurimi sunt Lutherani, D. Urbach, Medicus Archiepiscopi Moguntini, Doctor Comitum in Mansfeld* (Ruhelius forte) *& alii, impulerunt Lutherum, quod omnium gratiam & Electoris sit amissurus, si judicem nullum pati posset in toto mundo. Unde ad mendacia pulsus, Dominos locumtenentes Principis multum commovit, dixit: totam Universitatem ei suspectam. Demum eo redacta est res, quod volebat in fine disputationis mecum convenire super judice & mecum disputare, tamen, si liberum esset, interea emittere scripta disputationis suæ in vulgus. Huic restiti, quod vellet sine judicio emittere, ut simplices deciperet, quoniam indubie epistolas & alia adjiceret in eorum laudem, quod viderentur triumphasse. Quare & hoc coactus fuit assumere. Nescio adhuc, quando disputatio auspicabitur; sunt tamen Wittenbergenses, quasi omnes felle, furore & veneno pleni, plurimas faciunt mihi displicentias. Multæ de iis minæ relatæ sunt ad Senatum; certi adhuc nihil habet Senatus; tamen hac nocte præterita in vicinis domibus constituerunt triginta & quatuor armatos, ut, si venirent, quicquam mali aut insultationis conaturi, reciperent mercedem; vident jam se confusos. De Luthero adhuc sperant; de Bodenstein omnis spes fracta. Non fuit hactenus Lutherus admissus prædicare Lipsiæ, sed Dominus de Pomern* (id est Dux Pomeraniæ Barnimus) *Rector Universitatis Wittenbergensis, per instructionem monachi petiit, ut sibi posset Evangelium dicere in arce, quod fecit. Totus erat sermo Bohemicus* (i. e. hæreticus) *in die Petri. Rogatus a civibus & Doctoribus cras & dominica die prædicabo, subtiles illius errores destructurus.* Subjungit relationem de novis quibusdam, & non tacet, quid sibi Lipsiæ maxime placuerit, homo libidinosus. Fatetur in fine, plurimos aulicos Georgii & maximam partem civium Lutheranos fuisse, sed jam, ut vanissime jactat, ipsos sapere cœpisse.

§. LXII.

(1) *Emserus in Lutherum calamum stringit.*

Novus & malignus adversarius ex ejusdem disputationis occasione oblatus est Luthero *Hieronymus Emserus* Suevus, Juris Canonici Licentiatus & Professor Lipsiensis. Laudaverant Lutherum & animaverant Bohemi quidam Doctores aut Ecclesiastæ ex illis, qui *sub utraque* vocabantur, post finitum tumultum Hussiticum & Basileensis concilii tempora utcunque tolerati. Extant duorum literæ *Tomo I. Lat. Jen. f. 387. & 388.* ad Lutherum Praga datæ, mense Julio, quas tamen Octobri demum accepisse videtur, *Lib. I. epist 121.* in qua eos ob stylum & sensum *Erasmisare* dicit. At Emserus, quem dixi, Romani ritus Doctori & Pragensis Ecclesiæ Administratori Idibus Augusti de Lipsiensi disputatione scribens, id potissimum agebat, ut Bohemis istis opinionem, qua superbire videbantur, adimeret, ac si Lutherus doctrinæ Hussiticæ consentiret, aut eorum partes multum juvare vellet. Licet vero in hac epistola de Luthero satis honorifice locutus esset, eumque & Eccium cum Xenophonte & Platone compararet, male tamen habuit Lu-

An. 1519. it Lutherum hoc Emseri scriptum, ut subdola & maligna mente profectum, adeo, ut prolixa epistola *Tomo I. Lat. Jen. f. 370. sqq.* id exagitaret, *Ægocerotis* sive *Capricorni* nomen autori imponens. Solebat enim Emserus, nescio qua nobilitatis ostentatione, libellis suis insignia gentilitia præfigere, in quibus caper saliens & cornupetens conspicitur. Sed Lutherus ei astutam invidiam & effœminatam mentem exprobrat, quod pessima sentiens & moliens, nulla tamen paterni sanguinis vena, nec tanta virilitate præditus esset, ut aperto Marte secum congrederetur; itaque blanditias ejus pro Judæ osculis reputabat, segnemque laudationem manifesto postponebat vituperio. Dein minime sequi scribit, si dogmata sua hæreticis Bohemis placeant, ideo hæretica esse. Sic enim hæreticos fore viros fortissimos in diversis mundi partibus, quorum literæ quotidie ad se veniant gratulantium veritati, & id unice (ut ait) timentium, ne felicibus cœptis desistat & palinodiam canat. *O infelices vos*, addit, *& nihili Theologos, idolaque mundi, qui sacrarum literarum ignari Ecclesiasticas sententias non aliis armis tueri potestis, quam quod timetis, indignamini, suspicamini pueriliter & muliebriter, placitura esse dogmata hæreticis.* Hæc monstra didicisse illum dicit ab Eccio, qui scientia Scripturæ inanis, robustius argumentum Lipsiæ non habuerit, quam locum illum communem de hæreticis. Vagari per regiones sua dogmata, & a Christianissimis multis, Gallis, Italis, Anglis, Germanis, Hispanis quoque, jactari, illos vero Theologos Bohemicam fovere pertinaciam, qui tam frigida & inconstantia scribant: pigre enim confutare, esse bis confirmare. Cum vero Emserus narrasset, *Bohemos sacra pro Luthero fecisse*; ne id quidem consensus argumentum esse regerit, se enim pro Emsero & Eccio magno affectu sacra facere, imo pro nemine ardentius, quam pro illis orare, quemadmodum oraverit pro Tezelio, hujus Tragœdiæ autore; additque: *cujus anima sit in pace:* decesserat enim mense Augusto hoc ipso anno Lipsiæ. Dogmata vero, quæ Emserus in epistola sua leviter tetigerat, percurrens, irridet argumentum ejus pro Pontificatu, a sacerdotio veteris Testamenti desumtum, & ad epistolam ad Hebræos eum ablegat, quæ Christum ipsum veteris Pontificis loco exhibet. *Non vestium*, scribit fol. 374. *pompa aut potentiæ magnitudo, Novi Testamenti honor, sed figura fuit, & nunc ignominia est. Spiritus nunc regnat, qui talibus umbris non eget, nec ornatur. Hanc gloriam Emserus noster fastidiens, honorem carnis & umbras rursus e Veteri Testamento suscitat.* Pugnat dein argumento suo a Nicæno concilio, quod *invictum esse* dicit, & deplorat, quod postea Romani Pontifices adeo pertinaces fuerint in primatu potestatis sibi acquirendo, ut maluerint integram Græciam, Bohemiam, Galliam & omnes provincias fulminibus suis perdere, & excommunicare, quam uno momento voluntatis suæ mutationem pati. Affert quædam de suo in Theologia studio, & in eo se Eccio præfert, Deo tamen omnia fert accepta, & non hoc, sed Christi nomine gloriandum esse censet, in quo fortissimus sit infirmissimus & viceversa. A nulla disputatione libentius se recessisse ait, cum non nisi pulverulenta & trivialia argumenta ab Eccio audivisset, quæ in Summistis & Sententiariis tirones Theologi legant. Laudat Carolostadii divites & uberes solutiones. Denique totum Pontificii primatus arcanum revelaturus, nunquam se crediturum esse contestatur, illum jure divino esse supra Concilium. *Vis scire*, scribit fol. 377. *qua causa? audi. A multis jam annis id quæsitum est per Romanos Pontifices & adulatores eorum, ut essent jure divino supra Concilium, & super omnes in tota Ecclesia, super ipsam quoque universalem Ecclesiam. Quid, putas, hac industria quærebant? Nempe, cum eum, qui sit jure divino superior, non liceat judicare, reformare, emendare; (ut sentiunt) jam quodlibet audendi in omnibus regnaret potestas, sicut est dies hæc, staretque in Ecclesia Dei horrendum illud, ut Oseas dicit, & abominatio illa in loco sancto, scilicet impunita nequitia & peccandi secura licentia. Qua quid fieret, nisi Ecclesiæ vastitas & desolatio? Hac enim potestate, quæ ad ædificationem solum data est, molirentur aliud nihil, quam destructionem.* Et post alia: *Verbum Dei super omnes est: quod si habet inferior & non superior, cedere debet superior inferiori;* idque exemplo Prophetarum firmat, quibus Reges & Sacerdotes cedere debuerint. *Adde*, ait, *quod potestas in Ecclesia nulla est, nisi pro coërcendo peccato, quod liget & solvat.* Paulo post: *Atque hic audacter loquar, & quod tu cum adulatoribus Romani Pontificis vehementer sis admiraturus, ac forte hæresin definiturus, dico, Pontifices primo teneri sub peccato mortali & reatu æternæ damnationis, ut resistant pestilentibus his monstris Romanæ curiæ, quibus passim venduntur omnia Christi, exuguntur populi, vorantur Episcopatus palliis, sacerdotia annatis. Nec eos ullo pacto excusat superioritas Papæ, quia plus debent supremo omnium Christo, id est, veritati, quam ubi vident per Papam pessundari, & non succurrunt, rei sunt omnium malorum, quæ Papa vel volendo vel dissimulando facit.* Pergit: *Hinc multis nominibus commendanda est Universitas Christianissima Parisiensis, quæ plus principis omnium veritatis & dominantis in Ecclesia verbi, quam servientis potestatis per verbum constitutæ, cura sollicita, Leoni X, vel potius sub nomine Leonis adulatoribus furentibus, appellatione interposita, resistit coram omnibus, sicut Paulus Petro Gal. 2. Atque utinam exemplo isto Christianissimo ita facerent singuli Episcopi, singuli Abbates, Pastores, Principes, Magistratus, denique singuli Christiani, quoties ex Urbe sub nomine Papæ viderent monstra adversus Evangelium Christi prodire. Evangelio enim inprimis ab omnibus adstandum est, nulli cedendum, nulli connivendum, nulli favendum, qui contra Evangelium Christi quidquam molitur, nec patri nec matri, sicut dicit Christus: Qui amat patrem plus quam me, non est me dignus.* Dolet denique de infelicitate seculi, & quod tempus & operam in causa indulgentiarum & potestatis Pontificiæ perdere debuerit, quam ad fidem Dei & salutem minime dicit pertinere. Emserus hoc ipso anno replicavit acerbissime, sed de illo infra agetur. Alio etiam scripto forma epistolæ, dicto *Tomo I. fol. 378. & seqq.* & *Lib. I. ep. 117.* Lutherus Expurgationi Eccii respondit, simulationem potissimum ei objiciens, & mutatum controversiæ statum, multaque cum constantia pronun-

(2) Lutherus eum refutat; excerpta quædam ex libello ejus.

An. 1519.

(3) Speciatim de primatu Pontificis.

(4) Laudat Academiam Parisinam a Pontifice appellantem.

(5) Respondet Eccii expurgationi.

An. 1519. pronunciat victum esse a Carolostadio. Inter omnia vero, quæ tunc edita sunt, scripta, nullum acrius pupugisse ferunt Eccium, quam responsum nomine *Canonicorum indoctorum Lutheranorum* evulgatum, quod legitur *Tom. I. Jen. Lat. fol. 382.* cujus autorem professus se est in literis ad Philippum *Johannes Oecolampadius*, notissimus in Helvetia postea Doctor Cinglianarum partium *Lib. I. ep. 157.* Objicitur inter alia, quod *Lutheri scripta variis prælis excudantur, Eccii a paucis æstimentur, doctis pariter & indoctis improbata.* Confirmat id Lutherus Gallorum & Batavorum testimoniis *ep. 121.*

ADDITIO I.

(a) *Excerpta quædam ex epistola Lutheri adversus Eccium.*

Edita est epistolica Lutheri responsio non adscripto die, sed post Lutheri librum adversus Emserum, mense Septembri publicatum, & legitur *Lib. I. ep. 117.* & *Tomo I. Lat. Jen. fol. 378.* Multa in hac valde notabilia sunt: stylus Melanchthoniano simillimus est. *Ingenium Eccii expurgatione illa mire denudatum esse* scribit & lætatur, his verbis: *Hucusque misera & inquieta vexatus sum conscientia, præcepto Dei confixa, quo non licebat libere de te sentire, & dicere, quæ tot argumentis mihi movebantur, tot virorum integerrimorum testimonio firmabantur: tam valide mihi obstabat, præsertim in publico, species illa tua & simulatio speciosissima; qua amicum Lutheri, veritatis sincerum & apertum amatorem, te passim venditabas. At bene habet! Expurgatio tua, velut medium Comicum, has omnes turbas dispulit ac sedavit, qua omnibus, qualis fueris & sis, palam ostendis. Ea sane paucula, quæ ceu perizomata contexis, quibus modestiam charitatemque etiam cum juramento tibi affingis, talia sunt, ut criminationum tumultibus & tempestatibus collata, quendam ridiculum Struthionem referant. Hujus enim animantis eam ferunt esse stultitiam, ut se totam credat tectam esse, si una fronde collum texerit. Ita & tu totus criminatio & impatientia, uno & altero verbo te verecundæ modestiæ & charitatis exemplar proponis.* Circa liberum arbitrium & gratiam statum quæstionis nervose proponit: *Attende itaque quid quæram: Has propositiones Carolostadii duas, nonne obtulit defendendas? Liberum arbitrium ante gratiam non valet nisi ad peccandum. Liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intendit actioni. Verum ne hic dico? Quid autem amicus veritatis zelosissimus & apertus impugnare veneras nisi errores? Sic de teipso jactas. Falsas ergo has propositiones tenebas & teneri volebas. Si enim veras putabas, cur impugnabas veritatis defensor? At in media disputatione veras esse concessisti, libere pronuncians, liberum arbitrium sine gratia non posse, nisi malum facere. Addebas; nec Scholasticos doctores unquam aliud docuisse: ob idque negabas te Scotum & Capreolum tueri. Hæc dico, non timens tuos Lipsienses, quos toties mihi frustra intentas: testis est horum omnium totum auditorium. Ego sane hæc audiens, gaudebam, tam cito te rediisse in viam, atque jam totius disputationis finem esse ducebam: quando ex hac rei summa fere omnia pendebant. Hæc itaque rei summa est, quam nunc agimus: quare & epistolæ meæ rationem audi. Ego eum disputatorem vinci judico, qui id asserat, quod prius impugnaverit. Ita pronunciavi & pronuncio, Eccium victum, Carolostadium victorem: & hoc ad nobilissimum virum Pyrcheymerum* (Birckheimerum) *Nürnbergensem scripsi, staturam victoriam Carolostadio: & illud scheda publica, Carolostadium non fugitivum militem (sic eum tu traduxeras) venturum, victorem Ecciani erroris jam dudum. Omnia hæc vera sunt, hodie quoque, etiamsi judices aliud judicarent, quod non spero.* Defendit inde sententiam Hussi dividentis actus in *bonos* & *malos*, Scholasticos tamen ab hæresi Pelagiana excusat, quia sententiam suam, *quod liberum arbitrium ante gratiam dare possit actum sine peccato*, pertinaciter non proposuerint; ad effugium vero Eccii, quod actus ille non *malus*, sed non *meritorius* dicendus sit, hæc inter alia *fol. 380.* respondet: *Ubi unquam legisti, peccatum, malum, iniquitatem, pro non meritorio accipi, nisi in tuis Pelagianis erroribus, Scripturæque depravationibus? Qua Scriptura, qua ratione niteris? quibus viribus defendes, ne hæreticus hoc significationis jure fretus, neget peccatum in Scripturis contineri, sed omnia esse* non meritoria *contendat? Siccine illudis verba Patrum, quæ etiam Scripturæ soles præferre? Ista est medulla, quam me in dictis Patrum jactas non videre? Sic didicisti pro veritate disputare, ut aliud coram hominibus loquaris, & aliud penes te intelligas?* Et postea: *Uror ego utrinque nimis, & miserens tui & indignans tuæ maledictæ simulationi. Desine tu veritatem theologiæ quærere: abolita est fides tui: ad sycophantam tuum Aristotelem, impiissimum inter philosophos simulatorem redi; qui nunquam id voluit dicere videri, quæ dixisset; magister hic tuus est dignissimus. O me miserum, quod unquam mihi contigit tecum esse quippiam negotii!* Spiritus disciplinæ effugit fictionem, *ut Sap. I. scribitur, &* in simplicitate, *inquit,* cordis quærite illum. Addit in eam sententiam plura, & sinceritatem ei plane abjudicat, oratque ut nihil posthæc secum rei habere velit, pœnitere etiam se libellorum contra eum scriptorum testatur, cum fraudes ejus nunc videat, & cur noluerit dicta sua a notariis excipi, nec Carolostadio permittere ut libris aut schedis uteretur, scilicet ut negare aut aliter interpretari illa posset. *Dixerunt* (ait) *mihi ante disputationem insigni autoritate viri: cave Luthere; experto crede, homo iste nihil nisi fictio est & simulatio. Non credidi eis, nec omnibus sensibus meis: licet Erasmi epistola & Udalrici Zasii apologia quoque talem te mihi formarent. Et circa finem majusculis literis hæc proponit: Si has propositiones veras esse concedis: quod liberum arbitrium ante gratiam non solum non meretur, sed etiam peccat damnabiliter (audis, audis, Ecci, ne simules) & propinquat non solum ei, quod est non meritorium, sed iniquitati mortali, dum intendit actioni: victus es; & epistola mea vera est. Si negas aut concedere simulas, Pelagianus es.*

(b) *De Udalrico Zasio quædam.*

Zasius ille cujus meminit, professor primarius Jurisprudentiæ in Academia Friburgensi fuit, vir celeberrimus, quem Erasmus *Germanorum doctissimum, sanctissimum, candidissimum* vocat, & vix ullum alium majoribus prosequitur laudibus. Vid. *Lib. III. Ep. Erasm. 39. XII. 7.* (ubi & Zasii ad Erasmum Epistola habetur *n. 6.*) *XV. 17. XXIV. 10. XXV. 9.* Favebat is Luthero, ut ex Epistola inter *Schwebelianas* edita, & a *Sculteto* ad *annum 1520* relata constat, in qua Lutherum *Theologorum Phœnicem* vocat, & scripta quædam ejus, maxime *commentarium in Epist. ad Galatas* mire commendat, licet de potestate Pontificia nimis ab eo attenuata aliquantum queratur. Ea vero æquanimitate commeruit, ut omnes ejus libri, doctissimi licet & excellentissimi, Romæ in indicem librorum prohibitorum relati fuerint, *donec corrigantur.*

ADDITIO II.

(a) *De oratione Mosellani.*

De oratione, ante disputationem habita, sciendum est, conscriptam eam fuisse jussu Principis a *Petro Mosellano*; quanquam id negare videatur Eccius. Sed pronunciandam eam a puero quodam esse quibusdam videbatur, qui morum innocentia & habitu Theologum referret; aliis hoc improbantibus, *Ottoni Paccio* ex nobilitate aulica (de quo alibi dicendum erit) id muneris injungebatur, sed is morbo correptus exequi mandatum non potuit. Itaque Mosellanus ipse recitare eam adactus est, in consessu Principis & totius auditorii. Exhortatus in illa est disputatores, ut ad gloriam Dei & veritatem, positis affectibus, respicerent.

(b) *Compendium ejus.*

Extat oratio non ita pridem recusa, sed compendium ejus tersissimum inseruit ex *D. Davidis Peiferi*, Cancellarii olim Electoralis Saxonici, *MS. de Lipsia* patria sua, *D. Henricus Hopfnerus* parentationi *D. Polycarpi Lyseri Filii* his verbis: *Cogitarent, palmam in eo sitam esse, ut absque acerbitate & pertinacia suscepta veritatis cœlestis indagatio summi brabei loco haberetur. In palæstra enim Theologica vinci humanum, vincere vero, humanarum virium non esse; atque ideo nec victorem virtuti suæ tribuere quicquam posse,*

An. 1519.

posse, neque victum ullam dolendi causam habere: quod victo error, in quem naturæ imbecillitate inciderat, sic eripiatur, victor autem non suum sed Dei negotium gerat, & quod a Deo acceperit, id cum altero tantum communicet: ut victus nil, nisi quod nocuerit, amittat, eoque ipso, quod ab altero confertur, fiat melior: proinde & hac in parte vinci quam vincere, pio & veritatis studioso longe optabilius esse. Fabricius *Lib. VII. Orig. Sax. p. 862.* ex relatione *D. Joh. Nevii,* qui disputationi interfuit, narrat, *Cæsarem Pflugium* Equitem auratum, summa apud Georgium autoritate, alia gravi oratione disputaturos ad studium veritatis, moderationis & concordiæ adhortatum esse. Cum ante finitam hanc Additionum compilationem *orationem Masellani,* ut primum edita & infelici illi *Ottoni Packio* d. 3. Jul. 1519. inscripta fuit, nactus sim, non potui non sequentia summe pia & elegantia hic inserere: Postquam enim Hieronymi & Augustini modestas dissensiones retulisset, itemque Gregorii & Basilii erga Arianos, quos *fratrum* nomine dignati sunt, mansuetudinem laudasset, ita porro disserit: *Utinam ejusmodi moti exemplis & nos hodie divinæ sapientiæ armis tantum fideremus, ut præ his plerasque humanæ Philosophiæ rationes non magni penderemus, aut saltem non immodice adeo in rem theologicam inveheremus. Cum plerique haud scio an non recte existiment, ex hac curiositate, quasi segete, pullulascere quæstiones omnes ac λογομαχίας, circa quas factiosi insaniunt, quasque Paulus toties monet fugiendas. Quid autem? inquies, Non ethnici ethnicorum quoque rationibus sunt revincendi, & suo veluti gladio jugulandi? Non Basilius ethnicos & ipse legit, & aliis legendos præcipit? Præcipit omnino, sed idem Arrianæ factionis turbulentissimas turbas μαθήματι τοῖς ἔξωθεν acceptas refert. Et Hieronymus quidem ethnicorum scriptorum curam, & ipse pene dixerim immodice habuit, & aliis in epistola ad oratorem Magnum permittit. At idem Philosophos* hæreticorum Patriarchas *pulchre vocatos testatur, & Pelagiani erroris non alios prædicat autores: ut vel ex hac diversitate appareat, quam sit periculo plenum, in externarum disciplinarum rationibus exhibendis modum non servare. Mihi post Paulum, quem in quovis theologiæ tractatu exemplum satis idoneum habemus, in hoc genere Græci circumspectius sincerinsque versari videntur. Inprimis Origenes, Basilius, Gregorius, Athanasius & Chrysostomus. Neque enim Latini, præsertim recentiores, adamatæ captivæ capillos perinde abradunt, unguesque resecant, ut non inter reginæ sapientiæ pedissequas, pro alienigena queat agnosci. Quod si in alterum omnino sit peccandum, malim equidem nascentis ecclesiæ Theologorum exemplo, evangelicæ doctrinæ simplicitate contentus, externarum disciplinarum subsidio carere, quam ultra justi tractatus septa transiliens, in paganismi suspicionem cadere. Et ne nostri seculi felicitati parum videar gratus, superioribus annis magnus ille literarum princeps* Erasmus, & Jacobus Faber *Stapulensis, in Psalmorum expositione adeo dissenserunt, ut nominatim alter alterum impeteret. Sed quam Christiane ab Erasmo respondeatur, nescit nemo, qui modo mirabilem ejus apologiam legerit. Nam homo cordatissimus in eas angustias detrusus, ut, vel impietatis crimen esset agnoscendum, vel cum magni nominis amico publice in arenam descendendum, objectis maluit respondere, quam tot hominum millibus male de se suspicandi occasionem relinquere. Sed ea religione rem temperat, ut dum crimen partim refellit, partim excusat, & vicissim aliqua in adversario coactus subnotat, nullo tamen verbo hominis existimationem lædat, aut sese fraternæ charitatis immemorem declaret. Quo minus laudandus esset* Faber, *si tantum beneficium non agnoscens, bellum iteraret: quod eum pro singulari ejus, cum eruditione, tum pietate, minime commissurum, constanter credimus. Hæc vos moveant exempla: ad tantorum hominum imitationem vestram hanc pugnam componite: in hoc sitis toti, non ut alter alterum rixoso clamore opprimat, ut inscitiæ infamia notabilem reddat, ut parta utcunque victoria vulgi applausum domum referat, ut postremo apud suos triumphet; sed, ut suas ratiocinationes ex arcana Scripturæ sacrario depromtas, placide committat, nomen alter alterius conservare studeat, ac denique vel veritatis suffragio adversarium ab errore vindicet, vel veritati ostensæ docilem se præbeat. Alioqui, si in rixam vobis res abit, quid adeo interest inter theologum disputatorem, & animæ prodigum gladiatorem, nisi quod hic de vita periclitatur, ille pro vanissima nominis gloria, vaniore clamore decertat? Immo audimus vulgo aliquos eo temeritatis labi, ut vel ad incendii periculum usque nugas suas sese defensuros pertinacissime jactent; cum ejus rei exemplum, haud scio an quisquam laudare prudens possit. Certe, nec præscripserunt Theologorum duces Apostoli, nec veteris theologiæ proceres, sive Græci, sive Latini, ejusmodi aliquid sunt secuti. Nam quod plerique horum pro Christo, proque Evangelii fide cervicem impiis carnificum manibus porrexerunt, non arbitror ad theatricos hos dissidentium Christianorum congressus quicquam pertinere. Quid autem e nostris conflictationibus, modo sanæ sint, expectamus aliud, quam ut juxta charitatis regulam mutuo nos juvemus? Quid in hoc genere vincere est aliud, quam fratrem ab errore, qui sub veritatis imagine sæpe sese nobis ingerit, revocare? & accensam a Deo animi lucernam, non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, ponere? Quid autem vinci, nisi ab errore, in quem nostra nos duxit fragilitas, in veritatis viam redire, & errantem quasi ovem e luporum faucibus ereptam, in æterni pastoris casas reportari? Ut magis pene in votis esse debeat vinci, quam vincere. Nimirum, quod qui vincit, non suum, sed Dei donum aliis impertit, (quid enim habemus, quod non acceperimus?) contra qui vincitur, veritatis lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, accipit, & per hoc seipso redditur melior. Magnificentius quidem est docere alios, sed doceri utilius. Porro, errorem agnoscere, tam non est pudendum cuiquam, ut hinc bonam sapientiæ partem pendere putent sapientes. Quid enim est aliud cognoscere seipsum (quod verbum e cælo descendisse credebat antiquitas) quam suam ipsius fragilitatem non ignorare & compertum habere ὅτι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται? Præsertim cum nemo omnino mortalium sit ab hoc casu immunis. Immo, quo quisque plus sapere sibi videtur, eo graviorum errorum labyrinthis implicatur. In multis enim, inquit Jacobus, offendimus omnes: qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Solus Deus verax est: omnis autem homo mendax. Socrates certe ethnicus apud Platonem laudatur, quod disputando vinci, quam alios vincere maluit; & nos Christiani, sanctæ humilitatis professores, grandem nominis jacturam facere nos arbitrabimur, si quando aliena ope ad veritatis frugem perducamur? Rursum, Chrysippi volumina propterea, quod Sophisticam ingenii ostentationem referrent, publico Atheniensium decreto sunt exusta; & adhuc aliquis hujus σωφείτας, quam laudatam Socratis modestiam imitari mavult?* Hæc eleganter & graviter Mosellanus pronunciavit. Meretur eruditione & pietate sua, ut honorifica ejus mentio fiat. Natus erat in pago *Protegensi* ad Mosellam, sed a flumine, ut notiori, ex more temporum, cognomen sumsit: alias *Schade* vocabatur: excellentis ingenii & doctrinæ juvenis, Professor Græcæ linguæ, secundus post *Richardum Crocum* Britannum Lipsiæ circa annum 1517. constitutus, paris cum Melanchthone præcocitatis, sed brevioris vitæ. Evangelicæ veritatis fautor fuit, ut ex ipsius ad Erasmum epistola *Lib. VI.* & hujus ad illum *d. Lib. ep. 2.* colligi potest. Lutherus ad *Casp. Bornerum,* mense Majo 1522. scribens de hac Mosellani ad Erasmum propensione, ita *Lib. II. Epistolar. p. 67.* loquitur: *Salutabis Mosellanum: neque ideo alienus sum ab eo, quod Erasmi magis quam mea sectetur, immo dicito ei, ut fortiter sit Erasmianus: erit tempus, cum aliter sentiet: interim est ferendus optimi animi sensus inferior.* Monachi Paulini conservarunt exemplum alius epistolæ Lutheri ad *Mosellanum* datæ, quæ diem non habet, cum vero illi inscribatur, ut *Rectori Magnifico Lips. Academiæ,* ejusque antecessor proximus nominetur *Arnoldus* (is scilicet

(d) *Relat. de Mosellano.*

An. 1519.

qui *VVeissenfelderi* cognomen habuit, & anno 1519. semestri priori Academiæ Rector fuit) satis apparet epistolam istam anno 1519. scriptam fuisse; quamvis Mosellanus postea iterum anno 1523. fasces Academicos gesserit. In epistola illa Lutherus queritur de maledicentia monachi cujusdam, quem non nominat, sed ita describit, ut *Alfeldensis* intelligi possit. Contestatur se omni studio curare, ne Lipsiensis & VVittenbergensis Academiæ in arma, ut loquitur, ruant, dein subjungit: *Hæc sic tecum loquor, optime Petre, non quod ulla scintilla mihi perierit mei in te amoris: immo hoc ipso magis accendisti, quod te unum saltem ostendis, qui ista sentiat & odiat; sed ut habeas quod coram tuis de nobis respondere queas. Jam res, vita, anima mea quæritur per vestros, & miraculum censetur, si quid vel mutiam. Tu optime vale & persevera Petrus noster.* Ex Lutheri etiam literis anni 1518. *Lib. I. ep. 52.* scriptis constat, Mosellanum professionem Græcæ linguæ VVittenbergæ ambiisse, eoque nomine Spalatino commendatum fuisse. Extat epistola ejusdem Spalatini ad Electorem (*Reg. O. f. 124. Z.*) in qua Mosellanum commendat, ut *virum pium, probum, & tam doctum, ut Latina Græce commodissime vertat.* Suadet, quoniam Lipsiensibus saltem ad annum operam suam addixisset, ut VVittenbergam vocaretur, octoginta enim florenorum stipendio contentum fore. Scire se, quod Elector ad Capnionem de Melanchthone scripserit, sed dubitare, an, quæ desideret, impetraturus sit, quia Capnio tenere amaret Melanchthonem, & Bibliothecam suam ei legaturus esset. Sed cum ex responso Capnionis intelligeretur, Melanchthonem venturum esse, Mosellanus Lipsiæ mansit. Ex ipsius vero epistola, III. Id. (d. 11. Nov.) ad *Conradum Mutianum* data (cujus exemplum in collectaneis Heckelianis est) cognoscitur, eum non sine incommodo inter Lipsienses vixisse, indoctos tunc ut plurimum, & Scholasticæ Theologiæ unice addictos, cui, ut ex Eccii literis, supra ad §. *LXI.* relatis, percipitur, parum favebat Mosellanus. Sed Georgius magni faciebat virum, id quod ex epistola, modo allegata, apertum est: Scribit enim, cum & in aula & apud Senatum ambiisset præbendam *Collegii maximi*, quæ centum aureorum reditum haberet, Principem, invitis sophistis omnibus, in se contulisse, licet sibi obstarent consuetudo & leges scholæ. *Vici tamen*, ait, *idque partim magnorum hominum favore, partim quadam arte.* Subjungit post alia: *Novarum rerum hic nihil habemus, neque etiam novum est bellum, quod infestis utrinque armis cum sophistis gerimus. Circumspicimus hic viam, per quam Fabritium Capitonem huc queamus adducere. Tota juventus in sacrarum literarum studia pronа fertur. Ipsum adeo me, certe non optimum præceptorem, Paulinas epistolas interpretantem, audiunt plus minus trecenti. Vide quanta rerum vicissitudo. Olim hæ literæ, ut jejunæ, sordebant omnibus; nunc, cæteris rejectis, hæ solæ placent.* Obiit Mosellanus anno 1524. 13. Kalend. Martii (d. 17. Febr.) anno ætatis 31. *Chytræus* in *Chron. Sax. Lib. XI. p. 323.* versum in æde Nicolai Lipsiensi monumento insculptum memorat:

(e) *Commendatur Friderico Electori.*

(f) *Ejus conditio inter Lipsienses.*

(g) *Excerpta epistolæ ad Mutianum.*

(h) *Mors, epitaphia & elogia.*

Μικρὸς ἔην ῥώμην οὗτος, γνώμην δὲ μέγιστος.

Iste parvo corporis robore mente maximus fuit.

Id Epitaphiorum Lipsiensium collector *Stepnerus in paralipomenis*, in lapide sepulchrali extare notavit *n. 2216.* Sed elegantissimum Epicedium æneæ laminæ incisum, dignum omnino est, quod hic locum inveniat, vel ob autoris gloriam, qui fuit *Julius Pflugius*, postmodum Episcopus Naumburgensis, de quo suo loco plura dicenda venient. Versus hi sunt:

Conditus exiguo jacet hoc sub marmore PETRUS,
Nobile cui nomen clara MOSELLA dedit.
Attica quo primum hic audita interprete lingua est,
Cum docuit Grajo Teutonas ore loqui.
Et Latiæ veterem linguæ revocavit honorem,
Nativumque illi reddidit arte decus.
Ipsius eloquium vivo Cicerone probasset
In medio quondam Roma diserta foro.
Magna etiam coluit pietate oracula Christi,
Et sanctis studiis consona vita fuit.
Ipse sua vivens quod spe votisque petebat,
In gremio ut vivat da, bone Christe, tuo.

Julius Pflug, Præceptori cariss. F.

Positum anno post natalem Christi M. D. XXXVI. Mense Julio. Melanchthonis epistola MS. extat ad Hessum Uratisl. apud *Bavarum Tom. II. pag. 611.* in qua scribit: *Heri amisimus Mosellanum; magnam ejus morte res literaria jacturam fecit, fuerunt enim in illo dotes plane eximiæ.* Hæc per digressionem. Jam elegantissimam, multaque pietate & gravitate scriptam Mosellani epistolam ad *Bilibaldum Birckheimerum*, quam *Scultetus* ex MS. erutam *Decadi* suæ *primæ pag. 37.* inseruit, hic exhibere lubet, in qua brevis & sincera de Lipsiensi disputatione relatio invenitur: *Editum est nobis hisce diebus Lipsiæ rarum omnino & jucundum spectaculum. Nempe Theologorum insignium disputatorius congressus: de quo non dubito, quin plura scire gestias. Sed gravissimi morbi, qui me totos quatuordecim dies decumbere coegit, reliquiæ, non sinunt rem accuratius perscribi. Tum itineris molestia, quod ex rei familiaris negotiis ad Treviros institui, multum quoque alacritatis adimunt. Itaque capita rerum paucis tibi significabo. XXVII. Junii, qui dies condictus erat, illustrissimi Principis mei Georgii jussu & sumtu, magnificum sacrum mane, omnis generis musica adhibita, in honorem sancti Spiritus cœptum. Quo peracto Doctores peregrini qui disputaturi erant, honestissima totius Scholæ nostræ pompa in arcem deducebantur. Ibi enim spectatissimus locus in auditorium erat, aulæis & tapetis, pulpitis, suggestisque instructus. Hunc locum armatorum civium manus ita obsedit, ut non cuivis gregario (confluxit enim ad illud spectaculum magna vis hominum, doctorum pariter & indoctorum) aditus pateret. Huc ubi ingressum est & consessum, ipse conscenso suggestu, illustrissimi Principis mei nomine disputatores commonui sui officii, longa oratione disserens de disputandi ratione, præsertim in re theologica. Quam partem liberius fortasse tractavi, quam ut omnium auribus grata fuerit. Princeps ipse lectam orationem, antequam pronunciaretur, vehementer probavit. Hoc unum mirabatur: esse tam stultos Theologos, immo malos, ut locum facerent ejusmodi reprehensionibus. Eam orationem, Principis jussu editam, hic una mitto. Tu, si quando vacabit, lege & judica. Sed ad rem. Posteaquam ipse peroraram, tibicines pariter & liticines, tum cantores dulcissimo concentu canticum illud;* Veni sancte Spiritus, *ter modulabantur. Quod ipsum ex meo consilio Princeps demandarat. Hic finis apparatus. Jam prandii tempus appetebat. Quare disputationis serium initium in horam secundam dilatum est. Quod tempus ubi advenit, partes utrinque, pro more Theologico, simplicitatem suam protestabantur.* Martinus hoc adjecit: Se hoc gravatim ferre, quod ex fratribus Prædicatoribus, qui eam tragœdiam primi exuscitassent, nemo disputaturus adesset: cum tamen in singulis suis concionibus graviter Martinianos errores in invidiam vocassent. *Commissi sunt primum Carolostadius & Eccius, par omnino dissimile. Nam Carolostadius voce, vultu, gestu, incessuque modestiam Theologicam præ se ferebat, disputabatque non ad ingenii gloriam aut victoriam, sed veri, rectique inquisitionem: quare nihil nisi adhibitis libris asserebat, nihil item ab adversa parte adductum admittebat, nisi sententiam scriptoris ex præcedentibus & sequentibus collegisset. Qua diligentia doctis se vehementer commendavit; indocti timorem & tarditatem interpretabantur. Eccius contra clamore, vultu militari ac truci, gestu histrionico pene, & incessu impetuoso, ferocul us quispiam apparebat: omnia illa externa corporis signa animum parum theologicum declarabant. Dixisses Gorgiam quempiam disputare, non Theologum. Adeo leviter & impudenter subinde se jactabat. Magnam adeo jacturam nominis sui apud nos fecit. Levissime asserit, quæ falsa sunt: impudentissime negat, quæ pro certo vera, idque cum jactatione sui, quo res fit odiosior. Res fuit Eccio cum Carolostadio de libero arbitrio:* Omnene bonum opus proficiscatur e divina gratia, an vero nonnihil

An. 1519.

(i) *Relatio Mosellani de disputatione Lipsiensi.*

An. 1519.

nonnihil etiam de suo conferat humani arbitrii actio? *Priorem sententiam Carolostadius, posteriorem Eccius tuebatur. Tum illud jactatum:* sitne omnis Christianorum vita pœnitentia? *unde fluit*, in opere suo hominem peccare: *Contra quæ nisus est Eccius. Porro Martinus negavit Romani Pontificis potestatem primariam jure divino, hoc est, sacræ Scripturæ testimoniis posse comprobari: immo sacerdotem quemvis ex æquo (quod ad Pauli Theologiam attinet) Apostolis succedere, habereque facultatem & culpæ & pœnæ remittendæ, si necessitas ita ferat. Hic Eccius in adversum multa decreta, multas Patrum autoritates congessit, cum jure divino tantum primatus Pontificis esset asserendus. Ventum tandem est ad sacram ancoram nempe illud Matth. XVI.* Tu es Petrus, & super hunc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. *Hic Martinus* petram *solidam fidei confessionem interpretabatur; aut totum corpus Ecclesiæ cum Origene, aut Christum ipsum cum Augustino. Eccius cum recentioribus, hominem Petrum, & ejus successores: eamque expositionem aliquot Bernhardi & Hieronymi verbulis decerptis firmavit. Quæ omnia Martinus mire elusit, per hoc: quod toties Ecclesia redderetur ἀκέφαλος, quoties Episcopus Romanus aliquis moreretur. Nam eo tempore, quo necdum surrogatus sit in sedem alius Pontifex, dubio procul ἀκέφαλον reddi Ecclesiam. Nam quod de Cardinalium cœtu, qui interim agat Pontificem, respondeatur, duplici de causa frivolum esse: primum quia Cardinales haud ita multa ante secula esse cœperint, qui tamen multa capita faciant, non unum: deinde quod, quæ jure divino statuantur, nullius hominis morte, immo ne cœlorum ruina, interpellari possint. Jactatæ item in disputationis aleam indulgentiæ, sed magis pro ludo, quam re seria. De purgatorio item disceptatum: non quod non esset, sed quomodo erga Deum afficerentur animæ in illo supplicio detentæ. Ejusmodi contentionibus tres pene hebdomades sunt consumtæ, certe (quantum mihi judicare licet) majore expectatione quam fructu. Neque enim quidquam est decretum, nec ulla de re partes consenserunt. Res tota notariorum fide est excepta. Judices disputatis sunt delecti Erphurdienses ac Parienses: Erphurdienses, quantum privatim ex quorundam colloquio conjicere potui, gravatim tanti oneris sarcinam in humeros suos recipient: cum ob alias causas, tum maxime, quod Eccius optimos quosque & doctissimos Theologici ordinis, ut sibi suspectos, a judicio submovit. Hoc præjudicium vulgo jactatur: in primatu Pontificis asserendo Eccium se turpiter daturum. Ut ut est futurum, mea nihil refert. Mihi hoc disceptandi genus theatricum nunquam visum est mansuetusima Christi doctrina dignum. Nec adduci possum, ut credam, Spiritum sanctum, pacis autorem, ad ejusmodi pugnas unquam sese demittere. Christianæ theologiæ veritas citius impetratur orando, quam invenitur disceptando. Habes totam hanc disceptationem, ex tempore a me & negligentissime descriptam. Si quæ reliqua sunt, fama ad te pertulit. Sed vide ne fidas. Tam est ficti quam veri tenax: & scis ut* πολλὰ τῦ πολέμυ κενά. *Erfurti quinto Nonas Augustas Anno M. D. XIX.*

(k) *Errata Varillasii.*

Multa in recensenda historia disputationis hujus hallucinatur *Varillasius Lib. III. p. 260. & seqq.* non persequar tamen, quod in dictis & personis disputatorum referendis & describendis turbat & errat, nimii id laboris esset; sed a supina negligentia excusari non potest, quod locum disputationi *Mersburgum* assignet, idque bis facit *p. 260. & p. 264.* cum nemo, vel levissimam historiæ peritiam habens, nescire possit, *Lipsiæ* disputatum esse. Senatum tamen Lipsiensem inutili & præpostera curiositate Mersburgum transfert, ut cum Georgio Principe disputationi assistat. Eidem etiam Senatui contra omnem rationem autoritatem dat, ut Lutherum de moderatione admoneret, præsente Principe cum consiliariis suis, qui omnia dirigebat. Falsum est, inter judices electam fuisse Academiam Lipsiensem: falsum etiam duplici modo, (quod *d. p. 263.* pro certo asseveratur) Lutherum in verba illa prorupisse: *disputationem non esse cœptam in nomine Dei.* Nam etsi Emserus tale aliquid ei objecerit, masculo tamen ad id respondit Lutherus; dein quicquid dixerit, id non in disputatione, sed ante eam, in Cancellaria Ducis, factum est, ut in commentario memoravi §. *CXXVII.*

(l) *Impium dictum, mors & sepultura Tezelii.*

Tezelius, qui hujus disputationis tempore in cœnobio Dominicanorum peste correptus decessit, cum audisset disputationem fieri debere, dixisse fertur: *hoc faxit Diabolus;* Das walt der Teuffel. sive, ut hodie ejusdem levitatis homines pronunciarent: Das hole der Teuffel. *Luth. L. I. ep. 104.* Adeo inquisitorium & dictatorium illud monachorum genus malebat igne & gladio opprimere dissentientes, quam palma in medio posita, cum iis certare. Pertinet huc forte relatio Lutheri ad Spalatinum de convivio quo se a *D. Breitenbachio & Henrico a Schleiniz* exceptum narrat, in quo de Theologis Lipsiensibus multus fuerit sermo, & apophthegma audisse se memorat; qui Theologum ejus generis (Scholasticum scilicet) viderit, illum septem peccata mortalia videre: *Lib. I. ep. 218.* De sepultura Tezelii, si tanti est, notari potest, quod fuerint, qui corpus ejus Lipsia Pirnam in patriam ejus translatum fuisse crediderint: Sed ut Vir clarissimus *Jacobus Thomasius* in schedis MSS. notavit, decepti sunt tabella in templo Pirnensi, in qua asino insidens & indulgentias vendens ludibrii causa depictus conspicitur. Positam autem hanc esse oportet post Georgii Ducis, qui Tezelio annis viginti supervixit, tempora; illo enim vivo ludibrium hoc memoriæ Tezelii non fuisset inflictum.

(m) *D. Simonis Pistoris relatio ad Electorem.*

D. Simon Pistoris sen. Friderico Electori id poscenti relationem d. 23. Julii de disputatione Lipsiensi scripsit, quæ in *Archiv. Vin. (Reg. N. fol. 110. lit. H. n. 43.)* sed obscuris literarum ductibus efformata extat. Narrat, quæ ex filio, quem nominavi, (ipse enim absens erat) audivisse se dicit, doctissimum inter disputatores fuisse *Lutherum*, & eatenus *Eccio* superiorem; hunc vero memoria & eloquio potiorem visum esse, famam interim Luthero palmam dare. Das gemeine gerüchte von jederman und dem meisten theil fället D. Martino zu. Convenisse, ait, inter eos in multis articulis, maxime de pœnitentia & indulgentiis, aliisque & mutuo professos esse, se non satis intellexisse alterius mentem: De potestate Papæ vero, ait, plane discordarunt, & hactenus nostri Theologi Eccio adstipulantur & vehementer improbant, quod D. Martinus Hussum in quibusdam capitibus injuste condemnatum esse contendit.

(n) *Spalatini judicium.*

Meretur etiam referri *Spalatini*, viri profecto candida simplicitate & animi moderatione valde commendandi, judicium de Eccio; ejusque scriptis & disputatis, quod in *hist. MS.* hoc anno 1519. aperit. Scribit enim, istum & alios non solum multorum bene sentientium animos scriptis suis turbasse, sed & causæ Pontificis vehementer nocuisse, nimia nempe potestatis ejus exaggeratione. Absque horum scriptorum impia maledicentia, voce & scriptis exercita, in tantum autoritatis suæ decrementum non delapsuros fuisse Pontifices.

(o) *Item D. Peiferi.*

Non possum præterire parem fere censuram viri quondam excellentissimi *Davidis Peiferi*, trium Saxoniæ Electorum Cancellarii, qui sub initium hujus seculi decessit, ex *historia* elegantissime & terse *de inclyta Lipsiensium urbe*, patria sua, composita, & nuper a *V. Cl. Lic. Adamo Rechenbergio Prof. Publ.* edita, ubi ingeniosa & lepida comparatione *Lib. III. p. 339.* idem quod Spalatinus simplici stylo indicaverat, festive significat. *Hi* (de *Tezelio* & similibus Lutheri adversariis loquitur,) *fallaces quasdam conclusiunculas ex turbidis humanæ rationis puteis tractas in lucem proferunt, iisque Lutherum, contra quam initio voluntas ejus fuerat, in arenam, unum adversus plures, tot Sophistarum garritu & convitiis stimulatum descendere cogunt, qui haustis ex limpidissimo verbi divini fonte argumentis, ineptas Pontificiorum malitias ita discussit, protrivit & extinxit, ut aridæ & leves stipulæ in ardentem ignem conjectæ conflagrando absumuntur atque pereunt, aut velut exorto sole caligo nocturna penitus discutitur & evanescit. Idem autem tum D. Lutheri adversariis accidit, quod in fabulis de quodam portitore narratur, cui jus esset, in singula hominum transeuntium vitia unciam ultra*

An. 1519.

consuetum sextantis portorium exigendi. Ad quem cum calvus quidam viator venisset, & quadrantem a se postulari videret, contendere cum Vectore capit: qua in re a galero ex capite decusso & occipitis sede detecta, trientem solvere jussus; cum ne sic quidem acquiesceret, & lucerna inter luctandum humeris et dir pta informes gibbus nudaretur, jam tum quincuncem dare coactus, nec aliter tandem quam omni pecunia persoluta transportatus fuit. Eodem plane modo Lutherus errore de condonatione peccatorum mercede comparanda Pontificiis crepto acquieturus, & lubenti animo se a certamine ulteriore remoturus fuerat, nisi adversariorum veluti irritatorum canum latratibus petitus defensionem veritatis assumere necessario suscipere, & plures subinde pravitatum errores indagando reperire patefacere coactus fuisset. Itaque alienus fit [illegible] *dubium non est, ut multorum attentio & cura excitaretur, qui utriusque partis dogmata excuterent, probarentque ad regulam verbi divini, velati ad lapidem Lydium, & ad judicem, quo lites Theologicæ asseruntur, cælo delapsum examinarent.* Hoc prægustu excitari posse spero palatum lectorum, ut avide librum appetant & legant, in quo inter plurima alia memoratu dignissima, egregiam de disputatione Lipsiensi narrationem *p. 340. usque ad 357.* invenient. Sublegenda adhuc quædam ex schedis *Lipsiensis Bibliothecæ Paulinæ* restant, & ex iis quæ Vir clarissimus *Jacobus Thomasius* annotavit. Ingressi sunt VVittenbergenses Lipsiam, magno comitatu, nec sine aliqua pompa. Carolostadius solus in curru vehebatur, omnesque præcedebat, sed pro omine habitum fuit casus ejus postea secuti, quod non longe a porta Grimmensi, qua ingressus erat, apud ædem D. Pauli rota carpenti, in quo sedebat, rupta fuit. Sequebatur currus Barnimi Pomeraniæ Principis, qui tunc VVittenbergæ studiis operam dabat, & Rectoris honorarii titulum gerebat; assidebant ei Lutherus & Melanchthon: Studiosi plurimi ex VVittenberga, & quidem, ut alii observarunt, armati, currum comitabantur. Georgius Dux ab initio disputationibus interfuit, sed arte aulicorum inde distractus est, ut calumniis contra Lutherum magis pateret. Orationem, finita disputatione, habuit alius ex Academicis *Joh. Langius Lembergius*, qui Eccio magnas laudes tribuit, sed nec in Carolostadium & Lutherum iniquus fuit. De hoc ex *Schneideri Chronico Lips. Lib. IV. p. 176.* ista hæc verba notabilia sunt: *Sed quo piaculo te, Martine, virum integerrimum præterierim? & qua honoris præfatione tuam doctrinam, ingenii acumen, (quo plus sapere, quam dicere videris) tuam denique in exploranda veritate constantiam commendem? qui tot male feriatorum hominum procellis exagitatus, nulli, nisi meliora dicenti, cedere voluisti. Mira & ingenua est tui sermonis libertas, quæ veritati perbelle quadrat. Hæc cum nuda pingitur, nullis involucris vult obumbrari. Ob id Ethnici, sacris Saturni, temporum Dei, capite discooperto operabantur, quod veritas temporis (ut Sophocles ait) filia, nullo velamine celari velit: Sed (ut Menander ait)* ἐγχέλεις ἡ ἀλήθεια εἰς φῶς ἰέναι οὐ ζητήσασα: *venit veritas in lucem, vel non quæsita. Hæc tuæ vitæ integritatem, nobis communi rumore prodidit, qua & doctrina & vivendi ratione Augustinianum agis.* De judicio Academiis delato, & in specie de lite circa Erfurtensem, hæc habet *Cellarius* supradictus: *Martinus Parisienses & Erfurtenses judices obtulit, quos quoque Eccius acceptavit modo confratres Martini Eremitæ in Erphordia non interessent; abeunte autem Duce, volunt Martinus totum consilium Universitatis debere judicare. Sive essent Juris civilis prudentes, Medici vel Philosophi, & quod patres ordinum S. Dominici & S. Francisci non interessent. Sed id injustum visum est Eccio, Medicos aut alterius professionis homines de altissimis Theologiæ locis judicare: res tamen utriusque consensu in illustrissimi Principis manus data est.* Reservavit autem Lutherus appellationem a decretis Universitatum ad Concilium. *Schultherrus* refert, Lutherum prius, dein & Carolostadium subito post disputationem & quasi clanculum discessisse, Eccium post aliquot dies. Carolostadium argumenta sua, & eorum

(p) *Spicilegium ad historiam disputationis.*

(q) *Oratio Joh. Langii post disputationem.*

(r) *Alia quædam.*

probationes non ex memoria sed ex scheda protulit [illegible] magna prolixitate, id a contrario [illegible] dictum [illegible] aliter [illegible] tamen, ut ex [illegible] quoniam [illegible] copiam [illegible] vexerat, (etiam [illegible]) [illegible] quibus opus haberet. [illegible] autem Carolostadius memoriæ defectum ob [illegible] corpus, qua illi se oportune dictitabat. *Chronici Lipsiensis* autor miratur non solum ex Episcopis [illegible], sed nec ex undecim Abbatibus [illegible] Doctorem [illegible] Thomasius [illegible] memorant. Lutherus scribit [illegible] a quo [illegible] Eccianum [illegible] quod eo [illegible] Magna etiam juventutis [illegible] Luthero [illegible] Lipsia VVittenbergam concessit.

ADDITIO III.

Ex libris *VVurzensibus*, quos supra memoravi, hæc quoque ad disputationis Lipsiensis historiam pertinentia adscribo, quæ non ingrata Lectoribus fore confido. Eccii veteratorium ingenium Carolostadius sequenti narratione arguere voluit: *Vidi, conspexerunt multi, quemadmodum Prædicatorem* [illegible] *ter continuo auditorii* [illegible] *Lipsiensis Theologos, qui* [illegible] *quæ scriptis afferebat, propugnandas in reverendum & doctissimum Patrem, Martinum Lutherum, Doctorem & Theologiæ Professorem VVittenbergæ præclarum* [illegible] *ita spectat de* [illegible] *quod eum aliud prorsus agere* [illegible] *recondit* [illegible] *præcipue capite, præcentu* [illegible] *ne* [illegible] *tertius* [illegible] *tus* [illegible] *perspicua* [illegible] *Martinum* [illegible] *quet.* [illegible] *per schedas, quarum aliquas quidam ex Fratribus* [illegible] *dine (aliis* [illegible] *aliis* [illegible] *ut* [illegible]*) Germanice* [illegible] *scripsit, subministrarint, ut* [illegible] *Lutherum* [illegible] *pyxidem, quam in* [illegible] *bat digito medio, quia illa* [illegible] *quasdam* [illegible] *tiones & præstigias, &* [illegible] *re, se ægre* [illegible] *denique* [illegible] *pro cujus causa* [illegible] *esse ait,* [illegible] *quod VVittenbergenses* [illegible] *pararent.* Quis verisimilius scribat, lectorum arbitrio permittitur. Vanam Luthero suspicionem fuisse, nemo sanus dubitabit. Et Eccius contemnere debuisset ineptissimum figmentum. Sed idem jam antea in epistola ad Electorem, ut ex *Tomo I. Alt. f. 25*[illegible] notavi, mense Nov. 1519. [illegible] *non* [illegible] (ut alicubi Tullius loquitur) *pusilli animi, & ipsa malevolentia jejuni atque inanis.* Acerbe queritur Carolostadius, quod Eccius Lipsiæ apud Electorem Brandenburgicum convivatus, publice dixerit; *Carolostadium tam rudem esse disputatorem, ut ne cum indoctissimo comparari possit.* Ad id regerit Eccius, se Principi docto & erudito de Carolostadio & Lutherio interroganti hæc respondisse: *Illum minus aptum esse disputatorem, quod pronunciatio ei esset crassa, aspera & rustica, memoria vel nulla vel parva,* [illegible] *modicus. Multo aptiorem esse Lutherum,* [illegible] *memoria,* [illegible] *acumine & eruditione,* [illegible] *modationes;* sed culpat eti[illegible] In præfatione tamen ad Georgium, Carolostadium vocat *virum minus eruditum,* [illegible] *Lutherus, sed ad injurias propensiorem qui* [illegible] *disputare* [illegible] *sed clamare, & injuriari, &* [illegible] *legere, & ex* [illegible] *alteri, tertio & quarto præ*[illegible] *ut infantiorem* [illegible] Eccius in tractatu suo etiam [illegible] mentionem [illegible] opinione

An. 1519.

(a) *Carolostadius* [illegible]

(b) *Alia Ecci & Carolostadii relationes.*

(c) *De Zacio aliquid.*

An. 1519.

opinione ejus se [illegible] credens: *Libenter* (scribit) *[illegible] pati non patior clarissimi Doctoris Zasii, quem (Carolostadius) credit esse offensum ob hoc, quod, cum in tractatu de [illegible], ubi nihil non tribuo Zasio, ejus sententiam de fide hosti non servanda, patentiorem quam volebam, non traxissem, Grammaticorum quorundam susurris excitatus, in me calamum aculeatum exacuit. At ejus sit & eruditionis & integritatis Zasius, ut facile depravationem Carolstadii deprehendat, & exemplum mei familiaris comprobabit, secundum creditam ejus & [illegible] doctrinam & individuam explicationem, quam [illegible] praecepto [illegible] qui etiamsi esset [illegible], venerarer tamen sicut praeceptorem, quod toto [illegible] fere sexennio eum Augustae [illegible] profitentem [illegible] & cum admiratione audiverim.* Verum Zasius editâ anno 1529 declaratione Eccium nihilo minus tractavit, & Carolostadii partes tueri non est veritus. Merentur verba viri ea aetate doctissimi & gravissimi adscribi. *Quomodo tu ab evidenti culpa te defendes, qui cum nulla necessitate, non dico, quam [illegible] contra doctissimum, & vitae integritate probatissimum virum Martinum Lutherum, scriberes, id est verae Theologiae nostrae poenitentium assertorem inter alia scripseris:* voluntatem esse in anima, sicut reginam in regno. *Caeterum cum clarissimus vir Andreas de Bodenstein, fide & doctrina cumprimis perspicuus, te [illegible] suis confutationibus urgeret, tu conclusionem [illegible] declarando, istam tuam reginam voluntatem [illegible] veste nuptiali denudasti, ut in vicesimo (credo) dicto, eam paulo minus ancillam relinqueres.* Extant etiam Eccii & Carolostadiani libelli, quibus ante disputationem Lipsiensem inter se pugnarunt: illius quidem excusus [illegible] Vind. Cal. Aug. 1518. hujus vero responsio d. [illegible] ejusdem eo, quo acceperat, die, (ut memorat) [illegible].

§. LXIII.

(1) [illegible]

[illegible] decretis, quae adversus Lutherum a Theologorum facultatibus edita Maimburgius nominat, duo hoc anno publicata sunt; *Coloniensium*, [illegible] Lovanienses consuluerant d. 30. Augusti, & ipsorum *Lovaniensium* d. 7. Novembr. *Parisienses* nominat anno 1521. nec ad disputationem Lipsiensem, sed ad excerptas ex libris Lutheri theses, censuras suas ediderunt. Agemus aliquid de omnibus, cum ad responsiones Lutheri narrandas tempus nos vocabit. Induci se passus erat Lutherus, cum ad disputationem alia conditione non admitteretur, ut, quemadmodum commemorat Maimburgius & alii, *Erfurtensis & Parisiensis* Academiae judicium de disputatione Lipsiensi recepturum se esse promitteret. At Erfurtenses, apud quos Langus Augustinianorum Vicarius Lutheri partes tuebatur, tardarunt primo, dein, etsi urgente Georgio Duce, prorsus siluerunt, non improbante id Luthero, immo acerrimam refutationem, si pronunciassent, minitante. *Lib. I. epistolis 119. 125. 131. 150.* Aegrotavit circa hoc tempus Fridericus Elector, ejusque consolandi causa tractatum scripsit Lutherus, quem: *Tessaradecada* vocavit; Continet enim *bis septem*, ut vocat, *spectra*, sive considerationum capita, septem nempe malorum, quibus affliguntur Christiani, & totidem bonorum, quibus eriguntur. Relatum hoc scriptum est cum Lutheri epistola ad Electorem in Acta anno 1520, illo enim ineunte [illegible]. Vide *Lib. I. ep. 134. 149. 152.* Praeterire [illegible] non debet *Erasmi* ad *Christophorum* Basileensem Episcopum judicium, quanquam post annos quatuor, anno scilicet 1523. prolatum, quod [illegible] *Lib. XXI. ep. 8.* edit. Londinensis, & *f. 816.* edit. vet. Basileensis. *Mitto*, scribit, *Celsitudini tuae libellum Lutheri de quatuordecim spectris, qui magnopere probatus est, etiam ab his, qui doctrinam illius omnibus modis aversantur; scripsit enim hunc prius, quam res ad hanc [illegible] progressa.* Addit vero ex suo ingenio & instituto: *utinam vir ille sic amicorum monitis potuisset ad moderationem revocari, quemadmodum quorundam odiis efferri.* Sed ut alibi monuimus, non erat is Ecclesiae morbus, qui emplastris Erasmi curari posset. De aliis Lutheri libris hoc anno editis infra, ubi Maimburgius eorum meminit, agetur. Mense Octobri, Bohemus quidam ad Lutherum veniens omnes ejus libellos accepit domum referendos, ut cognoscitur ex *Luth. ep. 124. Libri I.* Cum Eccio vero Lutherus amicitiam prorsus abrupit, ita enim ad Spalatinum exeunte hoc anno scribit *Lib. I. ep. 154: Eccio nihil respondeo, nisi tria verba, cum Sophistam per orbem, non [illegible], sed sua culpa infamari. Nolo cum homine plus illud agere; totus nebulo est, & aperte rupit amicitiae jura.* Impatientior tamen ob multitudinem insectantium, *opto prope*, ait *ep. 133 [illegible] venire, quo furias suas aliquando facerent, nisi verbo Dei timerem & pusillo populo Dei.* Maximum vero sibi esse odium ab Emsero apud Episcopum Misnensem conflatum, postea memorat *epist. 157.* ob Bohemorum in se studia. Lubet addere, quae sollicitatus ab Electore per Spalatinum, ut *postilla* (quae vocant) sive commentarios & exegeses in Evangelia & Epistolas Quadragesimae scriberet, respondit *epist. 134. Nihil est, mi Georgi, quod saepius a pluribus & anxius a me petitum est, quam quod tu scribis a Principe illustrissimo a me peti. Sed nec ego inter omnia, quae facio, libentius illo quid facerem: quod hac unanimitate sacerdotibus & religiosis posse succurri crederem, ut rescissis rejectisque illotis illis fabulis sermocinistarum, Christum proscribentibus magis, quam describentibus, haberent, quo purum Christi theologiam in populo vulgarent, & errores pellerent, qui velut diluvium inundarunt. Atque utinam hoc summi Pontifices curarent; hoc enim erat eorum officium. Verum quantum est in hac re votum, tantum timeo defuturum esse successum, quod sim occupatior, quam ut huic rei serviam: aut necesse erit publicae tum lectioni tum concioni non nihil detrahi, quod difficile erit. Tentabo tamen [illegible]: si Deo placuerit, procedet, aut certo in hoc totus servire.* Immensi porro labores ejus, quibus onerabatur, ex *epistola 135.* cognosci possunt: *Quod de enarrandis Evangeliis & Epistolis quadragesimalibus tantopere urges, nescio si queam praestare; multa sunt, & ego oneratissimus. Putas ne, Psalterium exigit integrum virum? totum eundem concio in populum per Evangelium & Genesin laborans: tertio totum ipsum preculae & instituti mei Augustiniani Jeculus: quarto totum hoc enarrandi munus; ut taceam epistolarum scribendarum, deinde negotiorum alienorum occupationem: inter quae & congressus familiarium, quem pene commessationem nomino, plurimum mihi temporum pessime furatur. Certe homo sum & unus.* Ex his ipsis literis aliisque tunc scriptis progressum Lutheri in deprehendendis Ecclesiae corruptelis videre licet. Quo magis enim in eum saeviebant adversarii, nec tamen haberent, quod valide opponerent, quam Scholasticorum dogmata, Pon-

(2) Lutheri libellus consolatorius ad Electorem [illegible] quadam.

(3) Epistola de Postillarum compositione & de laboribus suis.

(4) Status reformationis hoc anno.

An. 1519. 1520.

tificum autoritate vel jam probata, vel quæ probatum iri non dubitabant, tanto magis ille suspecta omnia habere, quæ Scripturæ manifesto testimonio non niterentur, & fulcra illa inveteratarum opinionum contrectare & explorare ea cœpit fiducia, ut infirmitatem eorum deprehensam producere in publicum non vereretur. Itaque jam tum de numero Sacramentorum septenario dubitavit, & de confessione peccatorum, item de communione, quam vocant, sub una, de officio Sacerdotum, de quo eum Spalatinus consuluerat, & alia plura meditatus & locutus est, quæ postea clarius protulit & constanter defendit. Labor Lutheri *in Psalterium*, de quo aliquid in epistola allegata meminit, ad prælectiones ejus pertinet, quas in Psalterium publice fecit, easque hoc anno 1519 mense Martio cœpit. Sed commodior alibi de his dicendi locus erit. Aucta interea erat Friderici Electoris erga eum benevolentia, ita tamen, quantum ex Spalatini (quo interprete ad Lutherum utebatur) literis conjici potest, ut, si fieri posset sine offensa Pontificis, doctrina Evangelica procederet, *epist. 139*. In cultu vero publico neque hoc anno mutatum aliquid reperio. Electionem Caroli V. Imp. mense Junio factam constat, sed de illa per occasionem in anni sequentis gestis agit Maimburgius, cujus ordo qualiscunque sequendus nobis est, nisi eadem sæpius dicere velimus.

An. 1519. 1520.

SECT. 27.

(1) Miltitii acta cum Luthero per Augustinianos.

Inter hæc Miltitius, nuncius, sibi persuadens, quod lenitate, aut potius vili & majestate mittentis indigno obsequio, Lutheri pervicaciam superaturus esset, Patres Augustinianos induxerat, ut ex congregatione sua (Capitulum generale *vocant) quam tunc in Saxonia habebant, deputatos Ordinis nomine ad Lutherum mitterent, rogantes, ut petitis locum daret. Hac occasione Patres istius Ordinis, qui semper magna officia Ecclesiæ præstitit, omnique tempore viros excellentes doctrina & moribus produxit, satis ostenderunt, non plus sibi ex infamia rebellionis & apostasiæ Lutheri attribui posse, quam sacro Apostolorum collegio ex maledictione, quæ Judæ ob abominabilem proditionem data est, & æternum dabitur. Fecerunt quidquid poterant, remonstrando, exhortando, precibus etiam & lacrymis, ut pectus hoc refractarium emollirent, & perditum atque prodigum filium in domum Patris, id est, Ecclesiam Catholicam, ex qua per hæresin excesserat, reducerent. Sed nihil effecerunt, quam ut ferocior fieret, cum jam non autoritate sed precibus & submissionibus secum agi cerneret. Fingebat quidem, ac si in eorum gratiam aliquid remittere vellet, & Pontifici scripsit, sed tali modo, ex quo satis apparebat, malum quod leniri posse sperabatur, incurabile esse. Maligne etiam literis hisce Leonem laudare simulans, insolentissime & abjecte de prædecessoribus quibusdam ejus, & sanctæ sedis, sive potentiæ & autoritatis Pontificiæ (quam pro nihilo habebat) defensoribus loquitur; tandemque Papæ, tanquam pari aut potius inferiori, veluti ex commiseratione pacem offert, hac tamen conditione, ne unquam a Luthero postularet, ut quidquam dictorum scriptorumve retractaret, aut ullius, quisquis id fuerit, judiciis aut legibus interpretandum verbum Dei subjiceret, id enim ajebat, talibus vinculis, ut servum, ligari non posse, cum ipsum ostendat, nos perfecte liberos esse. Eo ipso tempore, quasi insultaret Pontifici, librum suum* de libertate Christiana, *ei misit, quam ad solam fidem restringit, quæ instar omnium sit, nos justificet, liberet & salvet, sine bonorum operum auxilio; quippe quæ nihil ad salutem faciant, quanquam a fide producantur: quæ nos omnes æquo jure Sacerdotes, Episcopos, Pontifices faciat. Eos itaque qui splendida hæc nomina & munia gerant, ea tantum ratione Laicis præstare, ait, quod servire illis & verbum Dei prædicare debeant. Per hoc liberari nos ab intolerabili traditionum & legum humanarum jugo, inprimis Pontificum, qui in populum Christianum tyrannidem exercuerint.*

(2) Aliæ Lutheri ad Pontificem literæ.

(3) Mittit ei libellum de Libertate Christiana.

Pallavicin. lib. 1. c. 14.

1520.

d. 6. April. Tom. 2. Luth.

Porro palinodiam ut canam, non est quod ullus præsumat. Deinde leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oporteat verbum Dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. Luth. ep. ad Leon. X. Tomo II. Succedente humanorum operum & legum intolerabili captivitate. fol. 17. Leges Pontificum acriter vituperandæ, quibus in populum Dei grassantur. Plebem, quam captivam tenent impii illi tyranni. f. 11.

§. LXIV.

(1) *Concio Lutheri de communione sub utraque male accepta.*

Antequam de Miltitii postremo conatu, quem ex Pallavicini *cap. XVIII.* Maimburgius refert, agamus, inseremus quædam ad historiam anni hujus 1520 ineuntis pertinentia, quæ vel ex *Sleidano* autor petere potuisset. Concionatus fuerat anno præterito de gravissimis dogmatibus Lutherus, inter alia de Eucharistia, dixeratque *Tomo I. Alt. f. 331. probari sibi aut desiderari, ut Ecclesia per Concilium universale statueret, ut in Sacramento Cœnæ utraque, quam vocant, species populo non minus quam sacerdotibus exhiberetur:* neque plus ei imputavit Johannes, ex nobilissima Schleinitziorum gente, Episcopus Misnensis, edito Stolpæ, ubi residebat, adversus istum sermonem decreto d. 24. Jan. 1520. quod legitur *Tomo I. Jen. Lat. f. 493.* quanquam in Sermonibus iis postea Latine editis alia quædam reperiantur. Sed jam ante Episcopale decretum invidiosissime ob Sermonem illum traducebatur, Lipsiæ potissimum, ita quidem, ut & in Bohemia natus, Pragæ educatus, & in Wiclefi libris institutus diceretur. *Georgius* etiam Dux Sermonem illum nactus d. 27. Decemb. 1519. prolixas ad Electorem literas sua manu dedit, omniaque argumenta conquisivit, ut eum adversus Lutherum concitaret, modestia tamen usus: dat enim Luthero *Doctoris* titulum, & *virum* fatetur esse *celeberrimum;* tanto autem magis cavendam ignominiam esse censet, quæ ex hoc ejus scripto in Electorem, totamque Saxoniam redunda-

(2) *Specia- tim a Georgio Duce.*

An. 1520. dundatura sit: quæ enim de Eucharistia a Luthero statuantur, Pragam, sive Bohemicam hæresin sapere, & ad hanc confirmandam vergere: dici sane, jam plus quam sex millibus hominum auctum esse in Bohemia communicantium sub utraque numerum, post Sermonis illius publicationem: item quod pastor *Leutmaricienfis*, hæreticus pessimus (ein arger Ketzer) Lutherum ipse convenerit, multaque cum eo commercia per nuncios & literas alat: temeritatem magnam esse Lutheri, quod Sermones suos semper typis publicet, quasi nemini præter illum gratia a Deo concessa sit vera docere. Cavere itaque monet Electorem, ne Lutherus ex Professore Wittenbergensi Episcopus aut Hæresiarcha Pragæ fiat: Fridericum nunc seniorem inter Electores esse, & Principem christianum ac sapientem, se quoque jam senem, qui haud parum ob tantum scandalum affligatur. *Elector* d. 29. Decemb. respondit; se nunquam ausum esse conciones aut disputationes Lutheri defendere, neque nunc ausurum, sed ab ista causa penitus abstinere, idque Pontificiæ Sanctitatis Legato Cardinali, & Nuncio Miltitio verbis & literis significasse: itaque de libello illo se judicare non posse, audire tamen, quod a multis doctis & sapientibus viris pro christiano habeatur; id se in medio, & Luthero defendendum relinquere, qui cognitionem & sententiam expectare debeat, ad quam apud Commissarium Pontificium (Miltitium puta) provocaverit, unde simul appariturum sit, sibi a nemine quicquam, quod illicitum sit, imputari posse, & gravissime se laturum esse, si suo tempore in ditionibus suis fratrisque, aut aliis, errores contra fidem oriantur, multo magis, si a se foveri putarentur. Edidit inde Lutherus declarationem lingua Germanica paulo post Calendas Januarii, in qua nondum quidem urget, sed optat, ex Ecclesiæ decreto, communionem sub utraque; Bohemos autem, qui eam servant, pro hæreticis haberi debere negat, quia Ecclesiæ consensu facultatem illam obtinuerint. At qui ex illis Picardi vocabantur, præsentiam realem corporis & sanguinis Christi inficiantes, inter hæreticos numerat; de tertio sectariorum in Bohemia genere, quos *Grubenheimeros* (Grubenheimer) cognominari scribit, nihil sibi constare ait. Erant autem illi ex Hussitica plebe reliqui, quos cæterorum odium cogebat in speluncis & cavernis (Gruben) sacris suis vacare: *Fossarios* nominat *Trithemius Chron. Spanheim.* & ex eo nuperrime *Natalis Alexander Sec. XV. & XVI. hist. Eccl. p. 430.* An vera sint crimina, quæ in fossis committere dicebantur, dubitare licet, cum novum non sit, damnatos ab Ecclesia Romana falsis imputationibus diffamari. Dein nativitatis & educationis suæ rationem reddit, & ad Comitum Mansfeldensium, in quorum ditione lucem aspexerat, notitiam provocat. Sed in autores decreti Episcopalis officiales Stolpenses, quos duos aut tres *rudissimos sycophantas* vocat, stylum vehementer acuit, & minime scandalosum, nedum hæreticum esse scribit, quod optare aliquid a futuro Concilio ausus sit, exemplum Pii II. allegans, qui matrimonium Clericis concedi desideraverit. *Vide, ait, Lector, infelicitatem meam: huc usque vexatus sum, quia de credendo, sperando, amando, opinando, sciendo locutus sum. Nunc de optando & desiderando arguor.* Sed ista paulo serius publicata sunt, ægre ferente Spalatino & aula Electorali, ut videre licet ex *epist. 199. Lib. I.* Ibi enim ad temperamenta, ut fit, respectum fuisse, apparet ex responso Lutheri ad Spalatinum d. 14. Januar. dato; *epist. 159.* Ex eo tamen simul constat, quanta ei causæ suæ fiducia, quantaque patiendi omnia pro veritate constantia fuerit. Ita enim scribit: *Me petunt omnia: atque utinam fieret cito, quo a legendi & docendi officio solverer. Nihil enim æque optarim, quantum in me est. Quod si persistendum est in docendo, mi Spalatine, non intelligo consilium tuum & tuorum, quos memoras, posse videlicet sacram theologiam sine offensione Pontificum doceri. Scriptura potissimum sacrorum abusum persequitur, quod non poterunt Pontifices sustinere. Ego tradidi & obtuli me in nomine Domini. Fiat voluntas ejus.* Et postea: *Istam hominum causam fideli oratione Deo committamus, & securi simus. Quid enim facere poterunt? Occident? Nunquid resuscitabunt, ut iterum occidant? Hæreticum infamabunt? at Christus cum iniquis, seductoribus, maledictis damnatus est: ejus passionem si quando intueor, mire uror, hanc meam tentationem non solum aliquid, sed etiam maximam videri, tam magnis & multis, cum sit revera nihil, nisi quod funditus desuevimus passionibus & malis, id est, christianæ vitæ. Proinde sine; quanto illi insurgunt potentius, tanto a me ridentur securius. Statutum est apud me, nolle quicquam in hoc timere, sed omnia contemnere. Et nisi Principem vererer involvere, Apologiam fiducia plenam ederem: provocaturus amplius istas Erynnidas, irrisurus stultissimum eorum furorem in me.*

(3) *Electoris responsum ad querelas Georgii.*

(4) *Declaratio sermonis a Luthero edita.*

(5) *Fiducia Lutheri in literis ad Spalatinum ostensa.*

§. LXV.

Sequenti die, nempe 15. Januar. ad *Carolum* Cæsarem literas scripsit Lutherus, quarum mentionem in alienum locum trajecit Maimburgius, ut postea videbimus. Edidit quoque memor eorum, quæ Miltitio promiserat, *d. 17. Januar. Protestationem*, quæ habetur *Tom. II. Lat. Wittenb. fol. 45. a.* in qua de *infelicitate sua* queritur, *qua factum*, ait, *ut toto pene triennio pro Evangelica veritate infinitas persecutiones passus, & invitus in publicum pertractus sit; Deum testem advocans, nihil se volentem aut scientem docere pro concione vel in schola, quod Deo vel saluti animarum esset contrarium.* Profitetur dein, *se fidelem & obedientem S. Ecclesiæ Catholicæ filium mori velle, &, si per adversarios liceat, quieturum, & permissurum meliora & christianiora ex sacris literis doceri & institui; in publicas disputationes descensurum; omnium academiarum non suspectarum cognitionem & sententiam passurum; coram judicibus spiritualibus & secularibus, conductu libero impetrato, compariturum: quæ cum jam sæpius oblata minime obtinuisset, neque tamen aliud quam pro gloria Dei, & pro salute, commoditate, solatio & felicitate totius reipublicæ Christianæ, & pro officio Doctoris Theologi agat, sine omni spe & expectatione privatæ laudis, quæstus & commodi, & tamen, ut Hæreticus, & impius ab adversariis traducatur;* (quod quidem illis ex corde ignoscere se, scribit) obsecrat per Deum omnes, *ut a temerario adversum se judicio, odioque & invidia sibi caveant,*

(1) *Protestatio Lutheri de fide Catholica, & admittenda informatione.*

An. 1520.

An. 1520. *caveant, & si quid scripserit vel scripturus sit, vel serio vel joco, secus quam deceat, id sibi benevolenter ignoscant, ob bonum quod habeat propositum, & adversariorum iniquitatem & maledicentiam.*

(z) *Lutheri judicium de epistola Erasmi.*

Accepit hoc ipso mense exemplum literarum, quas *Erasmus* ad *Albertum* Cardinalem Moguntinum dederat; has laudat apud Spalatinum, & egregie se defendi ab Erasmo putat, *quamvis, qua soleret dexteritate, nihil minus agere Erasmus videatur*, ut loquitur *Lib. I. ep. 143.* Datæ erant literæ Erasmi Lovanii Cal. Nov. 1519. & extant *Lib. XII. epistolarum Erasmi n. 10 fol. 400. seqq.* edit. Basil. *fol. 583. seqq.* edit. Londin. In his alienissimum quidem se a Lutheri non minus quam Reuchlini causa, licet in hanc a Lovaniensibus doctoribus invitus tractus sit, profitetur, sed pro excusandis, quæ Lutherus, ut putat, *non tam impie, quam imprudenter* scripserit, multa adfert, eique *bonarum literarum studia mediocria, sed præclaras quasdam Evangelicæ doctrinæ scintillas, & vitæ probatissimæ laudem* tribuit; monachorum vero inscitiam, crudelitatem & potentiam miris modis depingit: ut profecto dignissima lectu sit ista epistola, statum Ecclesiæ, ut tunc fuit, egregie repræsentans. Divulgata autem est, ut optaverat Lutherus, sine dubio *Ulrici Hutteni*, de quo infra dicetur, opera, tunc in aula Moguntina versantis, cui eam Erasmus commendaverat, Cardinali tradendam; sed valde id doluit Erasmus, ut ex literis ejus ad Cardinalem Octobri mense hujus anni 1520 scriptis aliisque apparet.

ADDITIO.

(a) *Quædam ex epistola Erasmi ad Fridericum Elect.*

Constitueram totam Erasmi ad *Moguntinum* epistolam inserere, sed ejus literæ eodem anno 1519. & quidem maturius, quam illæ ad Albertum, ad ipsum *Fridericum* Electorem Antverpia scriptæ, a *D. Majero*, *in notis ad Selnecceri orat. de Luthero pag. 87.* nuperrime exhibitæ sunt, per quas Erasmus libellum *de vitis Cæsarum* Friderico dedicavit. Hæ literæ in volumine Epistolarum Erasmi non æque, ac illæ ad Albertum, reperiuntur, ejusdem tamen sunt argumenti, verbis etiam fere iisdem. Merentur sequentia ex illis adscribi: ***Prodiere nuper lucubrationes aliquot Martini Lutheri, simulque rumor allatus est, hominem supra modum gravari autoritate Reverendissimi Cardinalis S. Sixti, qui apud Suevos, Romani Pontificis agit Legatum. Ut his protinus exilierunt? ut gestierunt? ut gavisi sunt? occasionem, ut ipsis visum est, maxime oportunam esse datam, lædendi bonas literas. Nam, juxta Græcorum proverbium:*** improbis præter occasionem nihil deest, ***quæ videlicet nocendi facultatem præbeat iis, quibus adest perpetua nocendi voluntas. Continuo sacræ apud populum conciones, scholæ, conciliabula, convivia, nihil aliud crepabant, quam hæreses & Antichristos. Atque huic tam odioso negotio, præsertim apud mulierculas & indoctam plebeculam, miscuerunt homines callidi, trium linguarum, eloquentiæ, politiorisque literaturæ mentionem, quasi aut Lutherus his præsidiis fideret, aut ex his fontibus hæreses nascerentur. Hæc impudentia plus quam sycophantica, cum optimis quibusque displiceret, tamen ut bellum inventum probabatur quibusdam, qui se Theologiæ antesignanos, & Christianæ religionis columnas existimant. Et vide quam studio cæci, nostris blandimur vitiis! Atrocem contumeliam, imo facinus hæresi proximum ducimus, si quis Theologum rabulam, quales sunt non pauci, pro Theologo Ματαιολόγον nominet. Ipsi nobis ignoscimus, cum apud frequentem populum hæreticum & Antichristum vocamus, cuicunque succensemus. Lutherus mihi tam ignotus quam cui ignotissimus, ut suspectus esse non queam, quasi faveam amico. Hujus lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut quas hactenus non legerim nisi raptim.*** *Certe vitam hominis nemo, qui novit, non probat, quæ cum longissime absit ab omni suspicione avaritiæ aut ambitionis, & morum innocentia, vel apud Ethnicos favorem invenit. Quam non congruit mansuetudini theologicæ, protinus, ac ne perlecto quidem libro tam immaniter debacchari in nomen ac famam probi viri, idque apud imperitam plebeculam, quæ prorsus caret judicio? Præsertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium judicio sese submiserit, quorum oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo revicit: tantum vociferantur hæreticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant. Dicas eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum. Quo invisius est hæreseos nomen auribus Christianis, hoc minus committendum est, ut temere in quenquam impingatur. Non statim quicquid error hæresis est, neque protinus hæreticum est, quicquid huic aut illi displicet. Neque semper fidei negotium agunt qui prætexunt hujusmodi splendidos titulos. Imo, plerique suum agunt negotium, vel quæstui suo consulentes, vel tyrannidi. Quin præcipiti lædendi studio sæpe criminantur in alio, quod ipsi domi probant. Denique, cum tot sint veteres ac neoterici Scriptores, nec horum quisquam adhuc repertus sit, in cujus libris non fateantur inesse periculosos errores: cur reliquos taciti placidique legimus, in unum aut alterum tam atrociter sævimus? Si veritati patrocinamur, cur non ex æquo offendit, ubicunque reperitur quod veritati repugnat? Sanctissima res est fidei religionisque sinceritatem tueri, sed sceleratissima res est, prætextu defendendæ fidei nostris servire cupiditatibus. Si quicquid in Scholis receptum est, oraculum haberi volunt, cur inter se Scholæ dissentiunt? cur Scholastici doctores inter se se pugnant ac digladiantur? Imo, cur in eadem Sorbona Theologus a Theologo dissentit? Imo perpaucos reperias, qui consentiant nisi conspirarint. Adhæc, non raro deprehenduntur damnare in recentium libris, quod in Augustino aut Gersone non damnant, quasi veritas cum autore mutetur. Eos, quibus favent, sic legunt, ut omnia torquentes nihil non excusent; quibus infensi sunt, sic legunt, ut nihil non calumnientur. Optima Christianismi pars est, vita Christo digna. Quæ cum suppetit, non debet esse facilis hæreseos suspicio. Nunc quidam nova comminiscuntur fundamenta, sic enim vocant, hoc est, novas leges condunt, per quas docent, hæreticum esse, quidquid non placet. Quisquis alterum hæreseos accusat, ipse præstare debet mores Christiano dignos, charitatem in admonendo, lenitatem in corripiendo, candorem in judicando, lentitudinem in pronunciando. Cum nemo nostrum careat erratis, cur alienos lapsus tam inclementer insectamur? cur malumus vincere quam mederi? cur opprimere quam docere? At ille, qui solus omnium omni caruit errore, non comminuit baculum confractum, nec extinguit linum fumigans. Augustinus de Donatistis plusquam hæreticis agens, non vult eos cogi, sed tantum doceri; & ab horum cervicibus magistratuum gladios depellit, quorum fidis ipse quotidie impetebatur. Nos quorum proprium munus est docere, cogere malumus, quia facilius. Hæc, illustrissime Dux, eo scribo liberius, quo minus ad me pertinet causa Lutherana. Cæterum, ut Tuæ Celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protegere, ita prudentiæ est, non committere ut quisquam innocens te justitiæ præside, sub prætextu pietatis, aliquorum impietati dedatur. Vult idem Leo Pontifex, cui nihil magis est cordi, quam ut tuta sit innocentia. Pater vocari gaudet, nec amat eos, qui super ipsius membra tyrannidem exercent. Neque quisquam magis paret animo Pontificis, quam is, qui quod æquissimum est, exequitur. Quid istic de Luthero sentiant, nescio. Certe hic video libros illius ab optimis quibusque cupidissime legi. Quanquam mihi nondum vacavit evolvere.* Ex ea vero epistola, quam Erasmus ad Albertum Moguntinum dedit *Lib. XII. ep. 10.* de defectibus Ecclesiæ & erroribus Theologorum hæc potissimum notanda sunt: *Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionibus & dogmatibus scholasticis, tyrannide fratrum mendicantium, qui cum sint satellites*

(b) *Excerpta ex literis Erasmi ad Moguntinum.*

An. 1520.

A. 1520.

tes Sedis Romanæ, tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici atque ipsis adeo Regibus sint formidabiles. His cum pro ipsis facit Pontifex, plusquam Deus est: in his quæ faciunt adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium. Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum ac tyrannidem, data opera illaqueant conscientias hominum. Ac perfricta fronte, jam cœperant omisso Christo, nihil prædicare, nisi sua nova & subinde impudentiora dogmata. De indulgentiis sic loquebantur, ut nec idiotæ ferre possent. His & ejusmodi multis rebus paulatim evanescebat vigor Evangelicæ doctrinæ: & futurum erat, ut rebus semper in deterius prolabentibus, tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christianæ pietatis, unde redaccendi poterat extincta charitas. Ad ceremonias plusquam Judaicas summa religionis vergebat. Hæc suspirant, ac deplorant boni viri, hæc ipsi etiam Theologi, non monachi, & monachi quidam in privatis colloquiis fatentur. Hæc, opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiæ opponere. Quid enim aliud suspicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit? De articulis, quos objiciunt Luthero, in præsentia non disputo, tantum de modo & occasione disputo. Ausus est Lutherus de indulgentiis dubitare; sed de quibus alii prius nimis impudenter asseveraverant: ausus est immoderatius loqui de potestate Romani Pontificis; sed de qua isti nimis immoderate prius scripserant, quorum præcipue tres sunt prædicatores, Alvarus, Sylvester, & Cardinalis Sancti Sixti; (id est, Cajetanus) *ausus est Thomæ decreta contemnere; sed quæ Dominicani pene præferunt Evangeliis: ausus est in materia confessionis scrupulos aliquos discutere, sed in qua monachi sine fine illaqueant hominum conscientias: ausus est ex parte negligere Scholastica decreta; sed quibus ipsi nimium tribuunt, & in quibus ipsi nihilo minus inter se dissentiunt; postremo, quæ subinde mutant, pro veteribus rescissis inducentes nova. Discruciabat hoc pias mentes, cum audirent in scholis fere nullum sermonem de doctrina Evangelica; sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos autores haberi pro antiquatis: immo in sacris concionibus minimum audiri de Christo, de potestate Pontificis, de opinionibus recentium fere omnia; totam orationem, jam palam quæstum, adulationem, ambitionem, ac fucum præ se ferre. His imputandum opinor, etiamsi quæ intemperantius scripsit Lutherus.* Queritur dein Erasmus speciatim de monachorum Dominicanorum & Carmelitarum crudeli erga literatos odio, utque illos sub hæresis prætextu prosequantur, Capnionis & suo, jam etiam Lutheri exemplo demonstrat, & subjungit: *Olim hæreticus habebatur, qui dissentiebat ab Evangeliis, ab articulis fidei, aut his, quæ cum his parem obtinerent autoritatem. Nunc si quis unquam dissentiat a Thoma, vocatur hæreticus, immo si quis a commentitia ratione, quam heri sophista quispiam in scholis commentus est. Quicquid non placet, quicquid non intelligunt, hæresis est; Græce scire, hæresis est; expolite loqui, hæresis est; quicquid ipsi non faciunt, hæresis est. Fateor, grave crimen est vitiatæ fidei, sed non oportet quidvis trahere in quæstionem fidei. Et qui tractant fidei negotium, debent ab omni specie ambitionis, quæstus, aut odii, vindictæque procul abesse. At quid isti præ se ferant, quis est qui non videat? quorum cupiditati si semel licentiæ frena laxentur, passim incipient sævire in optimi cujusque caput: postremo minitabuntur ipsis Episcopis, atque ipsi etiam Romano Pontifici. Quod non recusabo, quo minus falsum videatur, nisi jam a quibusdam fieri videamus. Quid ausit ordo Dominicanorum, ut ne quid aliud adferam,* Hieronymus Savonarola & Bernense facinus, *admonere nos debet: Non renovo Ordinis infamiam, sed admoneo quid sit cavendum, si illis successerit quicquid temere tentarint.* Historiam *Savonarolæ*, (cujus hic mentionem facit Erasmus,) tangam infra ad §. LXXIIX. Ex Helveticarum rerum scriptoribus petendum est, quid patraverint *Dominicani Bernæ*, cum hominem semifatuum ementitis apparitionibus, dein fraudis conscium, in æmulationem Franciscanorum subornassent, ut contra conceptionem B. Virginis immaculatam, quam illi statuunt, revelationes publicaret. Factum id ante Lutheri disputationem fuit, combustique sunt ob imposturam diabolicam multaque crimina, quorum coram Pontificiis delegatis convicti fuerunt, ex Dominicanis *quatuor* anno 1509. Amplissimam immanis sceleris relationem a Franciscano quodam ejusdem urbis Monacho, ut apparet, descriptam ex Archivo Bernatium produxit *Hottingerus Hist. Secul. XVI. Part. V. f. 334. ad 411.*

(c) *De flagitio Dominicanorum Bernensium.*

A. 1520.

§. LXVI.

Lutherus vero continuato consilio modestæ submissionis, aulæ etiam hactenus obtemperans, ad *Archiepiscopum Moguntinum* literas dedit, d. 4. Febr. in quibus testatur Jesum Christum omnium judicem, *se non esse sibi conscium mala docuisse, & paratum esse, doceri, & errore cognito sententiam mutare*, petitque, *ne calumniantibus fides habeatur.* In eandem sententiam & eodem die ad *Adolphum, Episcopum Mersburgensem* scripsit, ab utroque etiam responsum tulit. A *Moguntino* quidem V. Cal. Martii satis benignum, in quo fatetur, se scripta Lutheri non legisse, & judicium de iis superioribus permittere, monet vero, ut reverenter, religiose & sine tumultu res sacras tractet, & a temeraria de potestate Pontificis, & de Sacramento Eucharistico, digladiatione abstineat, licet inter literarum peritos commodo loco & tempore disquiri de talibus non improbet. Concludit his verbis: *Cæterum quod te veritatem, quam sacris in literis legeris didiceris que, docere profiteris: non possumus improbare, modo id a te fiat pie, mansuete, citra mordacitatem, absque inobedientiæ in publicam Ecclesiæ autoritatem incitamento fomentoque. Quod si ita fiat, opus tuum ex Deo erit utique laudabile fructuosumque & ut cum Gamaliele illo,* (de quo Act. 5.) *tibi loquamur, firmum ac indissolubile; sin vero ex invidia opus tuum, fastuque, & malevolentia, ex hominibusque est, facile dissolvi poterit. Quando nulli non periculum esse constat, Dei beneficiis abuti, veritati Deoque repugnare: qui & nobis & tibi omnibusque Christianis bene agere concedat. Mersburgensis* brevius & acrius respondit VI. Cal. Mart. improbatis & dogmatibus Lutheri & styli aculeis, & ab his eum dehortatur, cætera ad colloquium differt. Nec multum displicuit hoc responsum Luthero, ut videre est ex literis *ad Spalatinum* paulo post datis. Vid. *Lib. I. Ep. Luth. n. 145–148.* A Moguntino titulum tulit *honorabilis* & *religiosi*, a Mersburgensi *venerabilis fratris*. De Moguntino, qui adversus mendicantes monachos aliquid decreverat, nescio quid boni sperare incepisse Lutherum ex epistola allegata apparet, & infra clarius fiet.

(1) *Literæ Lutheri ad Moguntinum Archiep. & Mersburgensem Episcopum.*

(2) *Responsum utriusque.*

Inter Eccium interea & Carolostadium libellis tam acerbis & fœdis certatum est, ut Lutherus ipse Carolostadium ab aula moneri ad silentium desideraverit, sed ne rescisceat id a se consilii suppeditatum: *est enim* (uti scribit) *homo infirmatus suspicionibus. ep. 149.* At Eccius irarum adversus utrumque plenus, Romam ipse profectus est, *successurus*, ut Lutherus loquitur, *saltum Libani*, *concitato nempe ad condemnationem Lutheri Pontifice.* Vid. *ep. 161.* De hujus rei fama & insidiis sibi structis, ita scribit Lutherus *ad Spalatinum* altera post Quasimod. *ep. 167. p. 262. De mea causa jactatur, esse contra me censuram præ manibus omnium du-*

(3) *De Eccio & Carolostadio.*

(4) *Lutheri querela.*

A. 1520.

um durissimam: sic enim præpositus Hallensis novi operis me fecit moneri & avisari, ut vocant. Deinde etiam inimici quidam mei miserti per amicos ex Halberstadio fecerunt moneri me; esse quendam Doctorem medicinæ, qui arte magica factus pro libito invisibilis quendam occidit, mandatum habentem & occidendi Lutheri, venturumque ad futuram Dominicam ostensionis reliquiarum; valde hoc constanter narratur.

§. LXVII.

(1) De epistola Lutheri ad Pontificem.

Sed veniendum est ad Epistolam Lutheri *ad Pontificem*, quæ mire displicet Maimburgio, Pallavicinum pro more sequenti. Extat die VI. April. hujus anni data, & legitur *Tomo I. Lat. Jen. fol. 461. seqq.* ut & *Libro I. Epistolarum Luth. n. 166.* Adde *Sleidan. initio libri II.* Nec temperare mihi possum, quin omnes, etiam Lutheranismo infensos, qua possum animi contentione, rogem, ut legere illam & relegere, sepositoque affectu agnoscere velint, quantus in ultimo hoc conatu ad movendum Pontificis animum, ut seriæ reformationi operam daret, sit spiritus, quantaque solertia, invidiam a Leone amoventis, & culpam exasperatæ causæ in Cajetanum & Eccium devolventis; ut profecto inter rara & admiratione dignissima scripta referri merito debeat. Neque sine providentia divina accidisse credo, ut literæ tam animosæ, cum adjuncto libro, opera Miltitii, Papalis ministri, Romam perferrentur, testimonium simplicissimæ veritatis perpetuum futuræ. De tempore tamen, quo tradita epistola est, dubitationem quandam infra aperiam. Fuisse autem tunc Lutherum in aliqua adhuc spe, correctionem obtineri posse, servata Pontificatus prærogativa, negare non ausim; quanquam ei non tam ex suo ingenio, quam aliorum, in aula præcipue Electorali, nata aut conservata. Nam d. 24. Febr. ad Spalatinum scribens: *Ego (ait) sic angor, ut prope non dubitem, Papam esse proprie Antichristum illum, quem vulgata opinione expectat mundus, adeo conveniunt omnia, quæ vivit, facit, loquitur, statuit.* Immitis ergo est censorum conjectura, ac si insultationis tantum & ludificationis causa ad Pontificem scripsisset.

(2) Intentio Spalatino detecta.

Serio egisse ostendit epistola ad Spalatinum *Lib. I. ep. 141.* cujus hæc sunt verba: *Convenimus Lichtenbergæ, mi Spalatine, Dn. Carolus Miltitius & ego: quantumque ex eo audio, magna spe statuimus, ut ego ad summum Pontificem epistolam edam utraque lingua, præfixam parvulo alicui opusculo; in qua narrem historiam meam, & quod non unquam personam ejus appetierim, totum pondus in Eccium versurus. Quæ omnia, cum ita vere se habeant, facile facio, & quam possum humillime offeram silentium: modo cæteri quoque sileant, ut nihil videar omittere, quod in me ad pacem quoquo modo facere possit, desiderandum: id quod semper facere paratus fui, quod non ignoras. Parabo itaque hæc ante omnia propediem: si eveniet, quod speramus, bene factum est; sin aliud erit, id quoque bonum erit.*

(3) De die epistolæ & de conventu ac legatione Augustinianorum.

Cum vero dies huic epistolæ Lutheri ad Spalatinum adscriptus non sit, & literæ ejus ad Pontificem Germanice versæ *Tomo I. Altenb. f. 353.* non *VI. April.* sed *VI. Septembr.* datæ legantur, scrupulum aliquem de tempore non levem hæc faciunt. Refert, ut dixi, Maimburgius ex Pallavicino, Miltitium per Augustinianos Lutherum ad epistolam illam Pontifici *d. 6. April.* scriptam permovisse; At ex *epistolis* Lutheri *171. 191. 193.* apparet, Capitulum Augustinianorum generale Islebiæ die Augustini, id est 28. Augusti hoc anno habitum fuisse, in quo Staupitius Vicarii officio sese abdicavit, eique Wenceslaus Linckius suffectus est. Hi duo Doctores cum aliquot fratribus ad Lutherum venerunt Cal. Septembr. & Miltitii suasu cum eo egerunt, ut ad Pontificem scribens testaretur, se nihil in caput sive personam ejus unquam fuisse molitum; id quod facilime a se fieri posse, Spalatino scribit d. 11. Septembr. sed agnoscit, cavendum etiam sibi esse, *ne sedem ipsam atrocius tractet, ita tamen, ut sale aliquo illam aspergat*; addit, *non displicere Augustinianis causam suam, displicere potius Romam.* Postea d. 3. Octobr. ad eundem Spalatinum literas dans, *mutasse se animum*, indicat, *& nolle jam ad Pontificem scribere.*

(4) Vera & singularia ex literis Miltitii de Trevirensi proposito.

Sed quomodo tandem & quo tempore ad scribendum permotus fuerit, aliaque multa ex literis Miltitii, quas post *libri* hujus *primi* editionem nactus sum, ut supra *§. XLVII. n. 1.* notavi, rectius percipiuntur. Miltitius solicitare non desierat Trevirensem, ut Lutherum ad se vocaret, allegans, quod is sermones & articulos in magnum Ecclesiæ Romanæ præjudicium publicare non cessaret. Responsum Trevirensis d. 5. Febr. extat, in quo, ad alias literas suas provocans, scribit, causam Lutheri (quem vocat *Reverendum & Spiritualem* den Ehrsamen und Geistlichen / Meister *Martinus Luther*, in der Heyl. Geschrifft *Doctor.*) ad Comitia differendam; quod si hæc non procederent, alio modo negotium tractaturum se esse; repetit idem d. 24. Mart. spem tamen de Comitiis concipit, quoniam fama esset, Cæsarem ex Hispania in Germaniam venturum esse.

(5) De actu Miltitii apud Episcopum Misnensem.

Igitur hujus anni maxima parte Miltitii negotiatio quievit, nisi quod aliquando literas ad Electorem dare soleret; asservantur enim, quas d. 19. Febr. Scharffenbergæ scripsit, in quibus *pensionem centum florenorum*, quam per aliquot annos Romæ ab Electore & fratre ejus acceperat, *ad vitam suam continuari sibi* petit, simulque narrat, *se Stolpæ apud Episcopum* (Misnensem) *fuisse & hilariter cum eo potasse*, (habe sich beym Trunck lustig gemacht) *allatum eo vespere fuisse libellum Lutheri*, illum scilicet quem contra *Officialem Stolpensem* ediderat (supra *§. LXIV.* relatum) indignante Episcopo & dejerante Officiali; se vero risisse, ut & postea Georgium Ducem. Cajetanum inde quærens in Bavariam profectus, Landshuti ægrotus decubuit, ut ex literis d. 20. Mart. ad Electorem datis intelligitur.

(6) Dolet ob Lutheri scriptum.

D. 19. Aug. idem in literis ad Electorem ex Halis Saxonicis queritur, *Lutherum aliquod scriptum vehemens & odiosum moliri, quo Romana Ecclesia in tantum contemtum ventura esset, ut dubitet, an vitæ suæ tempore dignitatem & existimationem suam recuperatura sit.* Petit itaque *ut Elector propositum illud impediat: se jam in procinctu esse, ut ad Conventum seu Capitulum*, quod vocant, *Augustinianorum Islebiam proficiscatur.* Ad hæc Elector d. 24. August. respondet, *Lutheri librum jam editum esse; si id præscivisset, impediturum publicationem libenter fuisse.* Non dubito libellum hunc esse eum, quem *de captivitate Babylonica* conscripsit, cujus *§. LXXIII.* mentio facta est. Posthæc

Conventus

A. 1520. (7) *Commendat ei Legatos Augustinianos, aliaque agit & scribit.*

Conventus ille Augustinianorum Islebiæ, de quo diximus, habitus, & legatio ex eo ad Lutherum missa fuit, literis Miltitii, ad eum d. 29. Aug. datis, instructa. In his vocat eum *Reverendum patrem & doctissimum virum*, & titulum illi dat, *Fraternitas tua*, hortaturque *ut obsequatur Capituli deputatis; se quidem ipsum ad eum iturum fuisse, sed metuere quosdam Lutheri amicos, qui se hostem ejus esse existiment.* Idem d. 2. Oct. Electori refert, *se ex Lincio*, novo Augustinianorum Vicario, *Erfurti intellexisse, Lutherum ad Augustinianorum patrum propositiones benevole respondisse* (sey gutwillig gewesen) *& scripturum esse ad Pontificem, atque sese ut obedientem filium gesturum; id se magno cum gaudio percepisse, & confestim Altenburgum ad Spalatinum, dein Islebiam profectum, ut Lincio adsumto Lutherum conveniret; sed non invento Lincio Lipsiam perrexisse.* Quæ ibi cum Eccio, qui Bullam attulerat, egerit, infra ex eadem relatione memorabo. Eodem vero die 2. Octob. ad *Fabianum a Feilitsch* scripsit, rogans, *ut Lutherum vel Eulenburgum* (ubi erat Feilitschius) *vel Lichtenbergam vocet: effecturum enim se esse, ut Lutherus, si promissis stare vellet, a Bulla liberaretur, cum ante centum & viginti dies effectum non sit habitura.*

(8) *De Eccio queritur, & nummos ab Electore poscit.*

In literis vero eodem die datis nummos ab Electore solicitat, quos in nundinis frustra exspectaverat, petitque propter Deum, *ne solutio differatur, quo haberet, unde Romæ patronos apud Pontificem sibi pararet; si enim ab Eccio maligne delatum & fœdis mendaciis in Lutheri negotio oneratum esse:* (hat mich bey Päbstlicher Heiligkeit angegossen / und grausamlich in *Martinus* Sache belogen) *magnum inde moerorem se concepisse* indicat, & Electori suadet, *quia Bulla non sit adversus eum emissa, ut ipse quoque ad Pontificem scribat, ne sine literis ejus ad Pontificem veniret; item, ut Cardinalibus juvenibus* (nepotibus scilicet Pontificiis, quos olim *sodales suos fuisse* dicit) *numismata Electoralia aurea duo vel tria, totidemque argentea dono mitteret: jurat per animam suam, illos Electori favisse; petit etiam sibi aliquod donari, furto enim subreptum sibi esse, quod acceperat:* repetit, quæ de *continuatione pensionis ad vitam* antehac rogaverat. Hæc præterire nolui, quia ingenium hominis & aulæ Pontificiæ statum aliquatenus indicant.

(9) *Epistola ejus de colloquio cum Luthero Lichtenbergæ habito, & narrata petitaque alia.*

Ejusdem relatio de colloquio suo cum Luthero Lichtenbergæ habito, extat, Eulenburgi d. 14. Octob. scripta. Narrat, se ibi d. 11. Octobr. cum eo ita egisse, ut speret, Dei beneficio causam ad bonum finem esse perventuram. *Lutherus* (scribit) *ex Spiritus sancti inspiratione non offenditur, quicquid clament, aut quascunque Bullas publicent.* (*D. Martinus* nimmt sichs durch Eingebung des heiligen Geistes nicht an / sie schreyen oder publiciren Bullen wie sie wollen) *Scripturus est intra dies 12. ad Pontificem modeste prorsus & humiliter* (in aller Demuth) *in præfatione nempe libelli, quem elaboraturus & Pontifici missurus est. Epistola dies adscribetur VI. Septemb. qui est decimus post Capitulum Augustin. Islebiense & quindecimus a publicata Bulla; tacebit quoque si alii taceant; petit propter Deum ut Celsit. Tua literas ad Papam det, & gratias pro Rosæ munere agat, Lutherum etiam excuset, asserendo, illum dudum taciturum fuisse, si utrique parti silentium fuisset indictum.* Promittit inde *cum Eccio & ejus factione aliter, quam sperarent, actum iri* (solte ihnen also begegnet werden / daß sie es nicht gedacht hätten) *& fore, ut aliud Breve impetretur, ad abrogandam vel moderandam Bullam.* Consilium dat, *ut Elector Cardinali Sanctorum quatuor quadraginta vel quinquaginta florenos mittat:* Addit, *Eccii opera Misnæ etiam inter condemnatos publice denominatos sive affixos esse Carolostadium, D. Joh. Doltschium,* (de quo alibi dictum est) *M. Egranum, Bernhardum Adelmansfeldium* Canon. Augustanum, *Bilibaldum Pirckheimerum* & *Lazarum* (quem per errorem *Johannem* vocat) *Spenglerum*, Norimberg. *se statim Romam festinaturum esse, antequam tempus centum viginti dierum transeat, & Bulla vires adipiscatur, alias magnum schisma* (ipse *cisma* scribit) *extiturum.* Asservatur inter literas, quas recenseo, etiam epistola Præceptoris Antonianorum Lichtenbergensium D. *Wolffgangi Reissenbusch*, qui 13. Octobr.

(10) *Reissenbuschii literæ.*

Feilitschio narrat, *Miltitium* & *Lutherum, & hunc quidem plus quam triginta equitibus, cum Miltitius quatuor saltem haberet, comitatum d. 11. Octob. Lichtenbergam venisse, & hilariter ipsos inter se vixisse, suppeditante illis omnia affatim procuratore suo: A Miltitio Lutherum Wittenbergam usque deductum fuisse; se absentem esse maluisse, quod Miltitium parum æquum haberet, & plus quam sexcentorum florenorum damnum ab eo passus esset; sibi non placere, quod apud se convenissent, & quod in causam illam nulla culpa sua traheretur; id quidem haud multum curaturum, si Pontifice & Episcopis carere, ut alii, posset.* Ex his multa de negotiatione Miltitiana lectores percipient, quæ nullibi tradita, & ipsis quoque adversæ partis scriptoribus incognita sunt. Cumprimis observandum est, unde fit, quod literis Lutheri ad Pontificem diversi dies adscripti inveniantur, quaque mente Miltitius in causa hac, & quam periculosa Lutheri cum illo conversatio fuerit.

(11) *Notatur Maimburgius.*

Patebit simul quod Maimburgius hic non historiam, sed declamationem scripserit, & calumniis impertinentibus indulserit, cum *Augustinianorum preces & lacrymas* fingit, & illos cum *Apostolorum collegio*, Lutherum autem cum *Juda* comparat: optimi enim & doctissimi ex illo ordine haud pauci Lutherum sequebantur, quidam etiam cum vitæ jactura, ut in tempore memorabitur. Judæ vero adsimilari merentur, quibus pecunia ante fidem est; quo vitio ne acerrimi quidem persecutores Lutherum infamare ausi sunt, cui contemtor opum & fortunæ cæterorumque bonorum animus ad mortem usque duravit. Nihil etiam agit magno nisu *Pallavicinus*, dum Lutherum mendaciorum & contumeliarum accusat; nec plus, cum libellum *de libertate christiana* epistolæ adjunctum *impudentissimum* vocat.

§. LXIIX.

(1) *Contentum libelli de libertate Christiana.*

Non inepte Lutherus libellum hunc in literis ad Pontificem pro *compendio quodam vitæ christianæ*, & pro specimine exhibet, quibus studiis malit & utilius possit occupari. Duo in illo axiomata, verbis pugnantia, sed optime conciliata tractat: *Christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subjectus. Christianus homo omnium servus est officiosissimus, omnibus subjectus.* Utinam vero duo isthæc,

A. 1520. isthæc, ita ut Lutherus explicavit, omnium Christianorum animis insiderent! Videamus, quæ Maimburgio in illo maxime displicent, dogmata *de fide, quæ sola justificet*; & *de sacerdotio Christianorum*; tum querela *de tyrannide Pontificum*. Liceat nobis verba quædam libri apponere ex *Tomo I. Lat. Jen. fol. 464. & seqq.* Postquam, ut jam alibi fecerat, docuisset, *fidem ideo solam justificare, quia non nisi in homine interiore regnat, neque hic externo opere justificari possit*, verbum Dei universum in *præcepta* & *promissa* distinguit. *Igitur ubi per præcepta homo cognoscit, se bona illa, quæ præcipiuntur, facere & implere non posse, succedere promissa; quæ cum sint vera, sancta, justa, libera, pacata & universa bonitate plena, ita absorbeant animam, quæ firma fide illi adhæret, ut non modo participet, sed satietur & inebrietur omni virtute eorum: atque hoc modo per fidem solam, sine operibus, e verbo Dei justificetur, liberetur, omni bono impleatur, veraque filia Dei efficiatur, sicut dicit Joh. I. 12*, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus. Hinc fidei virtutes prosequitur, quæ sint, ut Deum, quem pro verace habet, omnium piissime colat, & per omnia Deo obedientissime serviat. *Quod ergo* (ait) *præceptum est reliquum, quod talis obedientia non abunde impleat? quæ plenitudo plenior, quam omnimoda obedientia? at hanc non opera, sed sola fides præstat.* Dein ostendit, ut anima copuletur per fidem Christo, ut sponso sponsa, omniaque cum eo communia habeat. *Intelligis*, scribit, *qua causa tantum tribuatur fidei, ut sola impleat legem, & sine ullis operibus justificet. Vides enim primum præceptum, quo dicitur*; unum Deum coles, *sola fide impleri. Si enim ipse aliud non esses, a planta pedis ad verticem, quam bona opera, non tamen justus esses, nec Deum coleres, nec primum præceptum impleres, cum Deus coli non possit, nisi tribuatur ei veritas & universæ bonitatis gloria, sicut vere tribuenda est. Hoc autem opera non faciunt, sed sola fides cordis.* Egregie autem occurrit omnibus objectionibus, v. g. cum *f. 468.* scribit: *Quanquam homo, ut dixi, intus secundum spiritum per fidem abunde satis justificetur, habens quicquid habere debet, nisi quod hanc ipsam fidem & opulentiam oportet de die in diem augescere, usque in futuram vitam; tamen manet in hac vita mortali super terram, in qua necesse est, ut corpus suum proprium regat, & cum hominibus conversetur. Hic jam incipiunt opera; hic non est otiandum; hic certe curandum, ut corpus jejuniis, vigiliis, laboribus aliisque disciplinis moderatis exerceatur, & spiritui subdatur, ut homini interiori & fidei obediat, & conformis sit, nec ei rebellet, aut ipsum impediat, sicut est ingenium ejus, si coërcitum non fuerit. Interior enim homo conformis Deo, & ad imaginem Dei creatus, per fidem & gaudet & jucundatur propter Christum, in quo tanta sibi collata sunt bona, unde & hoc solum negotii sibi habet, ut cum gaudio & gratis Deo serviat in libera charitate.* Dein similitudinem affert de Episcopo sacris operante: *Episcopus*, ait *fol. 469. sacer templum consecrans, pueros confirmans, aut aliud quippiam officii sui faciens, non consecratur iis ipsis operibus in Episcopum: immo nisi ante esset consecratus Episcopus, nullum istorum operum quidquam valeret, essentque stulta & puerilia & ludicra. Ita Christianus per fidem suam consecratus, facit bona opera; sed non per hæc magis sacer aut Christianus efficitur: hoc enim solius fidei est, immo nisi ante crederet, & Christianus esset, nihil prorsus valerent omnia sua opera, essentque vere impia & damnabilia peccata. Vera itaque sunt hæc duo verba:* Bona opera non faciunt bonum; sed bonus vir facit bona opera. Mala opera non faciunt malum virum; sed malus vir facit mala opera, *ita, ut semper oporteat ipsam substantiam seu personam esse bonam, ante omnia opera bona.* Itaque Christianum ita apud se loquentem inducit *fol. 470. b. En mihi indigno damnatoque homuncioni citra omne meritum, mera gratuitaque misericordia, dedit Deus meus in Christo omnes divitias justitiæ & salutis, ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, quæ credat, hoc se sic habere. Huic ergo tali Patri, qui me suis his inæstimabilibus divitiis obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoque studio omnia faciam, quæcunque scivero placita & grata coram illo esse. Dabo itaque me quendam Christum proximo meo, quemadmodum Christus sese præbuit mihi, nihil facturus in hac vita, nisi quod videro proximo meo necessarium, commodum & salutare fore, quandoquidem per fidem omnium bonorum in Christo abundans sum.* De regno vero & sacerdotio omnium Christianorum, etiam laicorum, quos vocant, perspicuis dictis sacrarum literarum firmat, quæ scribit; ad objecta vero ita respondet *fol. 467. b. Hic quæres: Si omnes, qui in Ecclesia sunt, Sacerdotes sunt, quo nomine discernuntur ii, quos nunc Sacerdotes dicimus, a Laicis? Respondeo: vocabulis istis*, Sacerdos, Clericus, Spiritualis, Ecclesiasticus, *injuria facta est, dum a reliquis Christianis omnibus translata sunt ad paucos istos, qui nunc usu nostro* Ecclesiastici *dicuntur. Scriptura enim sancta nihil discernit inter eos, nisi quod* ministros, servos, œconomos *appellat, qui nunc* Papæ, Episcopi Dominique *jactantur, qui cæteris serviant ministerio verbi, ad docendam fidem Christi & libertatem fidelium. Nam etsi verum est, nos omnes æqualiter sacerdotes esse, non possumus, nec si possemus, debemus omnes publice servire & docere. Sic Paulus 1. Cor. 4.* Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. *At dispensatio ista nunc in tantam pompam potestatis & terrificam quandam tyrannidem evasit, ut nec gentium, nec ulla mundi imperia queant ei conferri, quasi Laici aliud quiddam, quam Christiani sint. Qua perversitate factum est, ut penitus interciderit scientia christianæ gratiæ, fidei, libertatis, & totius Christi, succedente in locum ejus humanorum operum & legum intolerabili captivitate, factique sumus, juxta lamentationes Jeremiæ, servi hominum vilissimorum, qui in terra sunt, qui nostra miseria abutuntur in omnes turpitudines, & ignominias voluntatis suæ.* Etsi vero ex hac assertione non fluat, quod maxime timebat Clerus, vitæ clericæ aut monasticæ, quam tanto cum emolumento ingens hominum numerus colebat, contemtus aut abolitio, corrigi tamen illam posse & debere ostendit, ita scribens *fol. 471. Talia oportuit esse omnium collegiorum, monasteriorum, sacerdotumque opera, ut quisque suæ professionis & status opera solum in hoc faceret, ut per*

(2) *Ostendit quomodo sola fides justificet.*

(3) *Cur opera exigantur & quatenus sint bona.*

A. 1520. (4) *Quomodo Christiani omnes sint sacerdotes.*

(5) *De officio Cleri & populi.*

A. 1520.

ut per hæc non justitiam, sed corporis sui subjectionem exerceret, aliis in exemplum, qui & ipsi opus habent corporis sui castigatione. Deinde ut aliis duntaxat obsequerentur, ad eorum voluntatem, gratuita charitate, hoc tamen semper & summa cura observato, ne vana fiducia præsumat per ipsa quisquam justificari, mereri aut salvus fieri, quod solius fidei est, ut sæpius dixi. Inde etiam obedientiam Pontifici & Prælatis non derogat, sed roborat, pergens *fol. 471. b. Si quis ergo hanc scientiam haberet, facile se posset gerere citra periculum in infinitis illis mandatis & præceptis Papæ, Episcoporum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Principum & Magistratuum, quæ aliqui stulti pastores sic urgent, quasi ad justitiam & salutem sint necessaria, appellantes ea præcepta Ecclesiæ, cum sint nihil minus. Christianus enim liber sic dicet: Ego jejunabo, orabo, hoc & hoc faciam, quod per homines mandatum est; non quod illo mihi sit opus ad justitiam aut salutem, sed quod in hoc morem geram Papæ, Episcopo, communitati illi, & illi Magistratui, aut proximo meo ad exemplum, faciam & patiar omnia, sicut Christus mihi multo plura fecit & passus est, quorum ipse nullo prorsus egebat, factus propter me sub lege, cum non esset sub lege. Et quamvis tyranni vim aut injuriam faciunt hoc exigentes, non tamen nocebit, donec contra Deum non fuerit. Ex iis omnibus quisque poterit certum judicium & fidele discrimen omnium operum & legum accipere, & scire, qui sint cœci & stulti, & qui veri & boni pastores. Nam quodcunque opus non huc solum dirigitur, ut fiat vel ad castigandum corpus, vel ad obsequium proximi (modo contra Deum nihil postulet) non est bonum nec christianum. Et hinc ego vehementer metuo, pauca vel nulla collegia, monasteria, altaria, officia ecclesiastica esse christiana hodie, nec non & jejunia & preculas peculiares de certis sanctis. Metuo, inquam, in his omnibus quæri non nisi ea, quæ nostra sunt, dum arbitramur per hæc purgari peccata nostra & salutem inveniri, & sic funditus extinguitur libertas Christiana, quod ex ignorantia Christianæ fidei & libertatis venit.* Denique jam tum impudenti, qua proscissus est, quamque etiam hodie patimur, calumniæ de libertate carnis per hanc doctrinam lascivientis, optime respondet *fol. 472. a.* scribens: *In fine propter eos, quibus nil tam bene dicitur, quod non depravent male intelligendo, addendum est, si tamen & id ipsum intelligere possint. Sunt quamplurimi, qui hanc libertatem fidei audientes, mox eam in occasionem carnis vertant, omnia sibi statim licere arbitrantes, nec alia re ulla liberi & Christiani videri volentes, quam contemtu & reprehensione ceremoniarum, traditionum, legum humanarum. Quasi ideo Christiani sint, quia statis diebus non jejunant, aut aliis jejunantibus ipsi carnes comedunt, aut preculas usitatas omittunt, suspenso naso præcepta hominum illudentes, cætera vero ad Christianam religionem pertinentia prorsus posthabentes.* Et post alia: *Quare hic audienda est Scriptura, quæ docet, ut nec ad dextram nec ad sinistram declinemus, sed sequamur justitias Domini, rectæ lætificantes corda. Ut enim non justus est quisquam, quia operibus & ritibus ceremoniarum servit & addictus est, ita nec justus ex eo censebitur solo, quod illa omittit & contemnit. Non enim liberi sumus per fidem Christi ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est, a stulta præsumtione justificationis per opera quæsita.*

(6) *Monitum adversus libertatem carnalem.*

Offensam vero maximam incurrit sine dubio ea, quam sub finem subjungit, censura, inter alia his verbis *fol. 472. b. Cum ergo hæc vita agi non possit, sine ceremoniis & operibus, immo fervens & rudis ætas adolescentium opus habeat, his vinculis arceri & servari, & unicuique corpus suum eisdem studiis castigandum sit; prudentem & fidelem oportet esse ministrum Christi, ut sic regat & doceat populum Christi in his omnibus, ne conscientia & fides eorum offendatur, ne in eis opinio aut radix amaritudinis oriatur, & per illam inquinentur multi, ut Paulus præmonuit Ebræos; hoc est, ne amissa fide incipiant opinione operum inquinari, quasi per ipsa justificandi. Quod facile fit, & plurimos inquinat, nisi fides constanter simul inculcetur. Impossibile autem est vitari, ubi tacita fide, constitutiones hominum solæ docentur, sicut hactenus factum est, per pestilentes, impias, animicidas Pontificum nostrorum traditiones, & Theologistarum opiniones, infinitis animabus ad inferos his laqueis pertractis, ut Antichristum agnoscere possis.*

(7) *Item adversus constitutiones Pontificias.*

§. LXIX.

Omisit Maimburgius, quæ hoc ipso tempore, & antequam Lutherus epistolam ad Pontificem Miltitio tradidisset, Fridericus Elector ad *Valentinum a Teutleben* Romæ tunc agentem, postea Hildesiensem Episcopum, Cal. April. scripsit, a *Sleidano* fideliter relata & in *Tomo I. Alt. Germ. f. 352. Tomo II. Lat. Jen. fol. 269. b.* extantia. Considerari vero ex mandatis Electoris maxime debet, eum inveterata opinione, ac si Principibus in causa religionis nil nisi obsequium erga Clerum relictum esset, adhuc ita imbutum fuisse, ut negaret, sibi unquam in mentem venisse, sua autoritate Lutheri doctrinæ patrocinari, neque sibi judicandi potestatem de ea sumere, licet a multis doctis viris pia & christiana prædicetur: permittere saltem, ut Lutherus eam suo tueatur periculo, præsertim cum ad dicendam causam coram commissariis Pontificiis, obtenta prius securitate, paratum se etiam nunc exhiberet, & si veris & liquidis Scripturæ testimoniis convinci posset, revocationem offerret. Nihilominus se dudum cum Luthero egisse, ut ex ditione sua abiret; eumque id præstiturum fuisse, nisi Pontificius nuntius Miltitius multis precibus a se contendisset, ne id permitteret, metuens, ne alibi locum inveniret, ubi majori libertate & securitate scriberet ageretve, quam Wittenbergæ, ubi & Electorem & Academiam respicere deberet. Familiarius postea Teutlebium, ut vasallum suum, pro communis patriæ utilitate compellans, *audire se*, scribit, *Lutherum ab Eccio aliisque, qui gratificaturi Pontifici eum læserint, lacessitum scripsisse, quæ alias scripturus non fuisset.* Addit: *non esse eum nunc, qui olim, Germaniæ statum: efflorescere bonas artes & literas, & plebejos etiam cognoscendæ Scripturæ desiderio teneri, inde fore, si non nisi vi ecclesiasticæ potestatis agatur, & conditiones a Luthero propositæ, denegato examine doctrinæ, recusentur, nec ex Scriptura sacra testimonia & solida argumenta proferantur, ut maximi sint orituri motus, ex quibus ad Pontificem nulla sit utilitas reditura.* Verum vatem fuisse Principem hunc sapientissimum, eventus docuit.

(1) *Mandata Electoris Valentino a Teutleben data.*

A. 1520.

A. 1520.

ADDITIO.

(a) *De familia Teutlebiorum digressio.*

Illustrium virorum memoriam renovare, si qua commoda datur occasio, haud facile negligendum est. Equestris *Teutlebiorum* familia in Thuringia, sine dubio ab ejus nominis vico appellatur, in via regia, qua Gotha Isennacum itur, sito, in quo & reditus quosdam adhuc habet. Huic proxime adjacet prædium & vicus *Laucha*, quod Teutlebii a Landgraviis Thuringiæ feudi nomine cum omni jurisdictione tenuerunt, ut & jus Castrensis incolatus (Burgmann) in vicina arce *Tenneberga*, idque per aliquot secula. Cædem enim Palatini Thuringiæ, quæ Ludovico Thuringiæ Comiti vulgo tribuitur, *Ulrici Teutlebii* opera anno 1065 patratam fuisse, *Gozecensis* monachus, & ex eo *Fabricius Lib. II. Orig. Saxon. fol. 84.* annotavit. Aliud autem antiquum meritum *Friderici* cujusdam *Teutlebii* insigne innuitur (sed non describitur) in diplomatibus investiturarum Lauchensium, ejusque causa fœminis successio in prædio, deficientibus masculis, a Principibus olim indulta fuisse indicatur. Ex hac familia natus fuit *Valentinus Teutlebius*, (Sleidanus *Ditlebium*, Chytræus *Tetelebium*, vocant, ipse quoque variavit & *Teteleben* æque ac *Teutleben* scripsit; in Lutheri tomis *Deitleben* invenitur) in studiis Canonum multum versatus, qui Doctoris titulum, quod Nobilitati tunc valde solenne fuit, assumsit, diu Romæ vixit: Præbendas, quas vocant, in Collegiatis Ecclesiis *Moguntiæ*, *Magdeburgi*, *Francofurti*, tum maxime *Hildesiæ* in Cathedrali obtinuit, fuit *Vicarius Archiepiscopi Moguntini*, magnumque pro Romana hierarchia zelum ostendit, ut *Lib. II.* dicemus. Sic meruit, ut Pauli III Pontificis commendatione, cum Otto, Comes Schaumburgensis, Hildesiæ Episcopus, Lutheranismi suspectus esset, Collegio Canonicorum commendatus, ad Episcopatum anno 1537 veheretur, litis diœcesis suæ adversus Duces Brunsuicenses acris prosecutor. Fratres habuit plures, horum tamen non nisi unus *Casparus* (nam cæteri Clero adscripti Canonicas præbendas sectati sunt) qui *Doctoris legum* & *Electoralis Saxonici Consiliarii* titulis insignis erat, familiam propagavit. Ejus abneptis Fratri meo juniori, cujus supra §. *XIII. Addit I. (a)* memini, nupsit, haud indignis majorum gloria moribus matrona. Hujus cum familia ista contractæ affinitatis occasione, documenta quædam vetusta ad notitiam meam pervenerunt, ipsiusque *Valentini* autographum, quo pactum hæreditarium inter fratres firmavit.

(b) *De Valentino ejusque fratre.*

(2) *Lutheri ad Spalatinum epistola de literis Teutlebii.*

Literas Teutlebii aliasque Roma acceptas Elector per Spalatinum Luthero miserat, & hic d. 9. Julii epistolam illam scripsit, quæ habetur *Lib. I. n. 179.* ex qua aliquid ad *§. LXXI.* allegavi. In exordio ejus ita loquitur: *Legi tacitus literas istas Romanas magno cum dolore, tantam videns in tantis Ecclesiæ verticibus hebetudinem & impietatem. Timeo eos conscientiæ & veritatis luce sic confusos, ut nullius amplius esse queant judicii aut sensus. Damnant mea, & simul fatentur, esse ea ingenii & eruditionis, deinde nec lecta nec legi petita sibi. Dominus nostri omnium misereatur.* Germanice versa extat *Tom. I. Alt. f. 473.* & in rubrica mentio fit *Doctoris Teutlebii*, in Latina omittitur. Inter alia notabiliter *p. 271. Epistolar. Lib. I.* scribit: *Omnibus modis placet, ut illustrissimus Princeps se prorsus alienum gerat a causa mea, sicut hucusque gessit: & me in publicum projiciat vel erudiendum vel convincendum; se vero, ut eruditorem agere non possit, ita nec judicem velle nec executorem, nisi producta & exposita sententia: nec videre se, quomodo sine cognita causa, quam & ipsi ne verbo quidem tangunt, possit quenquam sive Turcam sive Judaeum plectere: nisi velint Romani, ut ipsis hominibus plus obediat quam Deo: & in eum grassetur, quem nesciat, nocens ne an innocens sit; quod salva conscientia fieri non potest, nec ad talem conscientiam ullis præceptis ne divinis quidem urgeri queat. Plectant Sylvestrum, Eccium, Cajetanum, & alios, qui pro gloria sua hanc Ecclesiæ Romanæ sine ulla causa moverunt tragœdiam: ego sum extra noxam. Quicquid feci & facio, coactus facio, semper quiescere paratus, modo veritatem Evangelicam non jubeant quiescere: nihil a me non impetrabunt, immo oblata omnia sponte habebunt, si salutis viam Christianis permittant esse liberam. Hoc unum peto ab illis vicissim, ac præterea nihil. Quid honestius peti potest? non peto galerum, non aurum, non quicquid Roma hodie in pretio habet. Aut si hoc non impetro, ministerio privent: & in angulo deserti sinant vivere & mori. Ego miser invitus doceo; simul tamen pro eo patior mala; cum cæteri & libenter doceant, & pro eo honorentur: prorsus non potest animus meus sic affectus vel minas timere, vel pollicitationes suscipere. An quærunt, ut metum vel spem violenter insculpam in animum, vel foris tantum simulem? Habes quid sentiam. Cæterum spero illustrissimum Principem ita scripturum, ut capita ista Romana intelligant Germaniam fuisse hactenus non sua, sed Italorum ruditate per occultum Dei judicium oppressam.* Audito Teutlebio Pontifex postmodum ipse ad Electorem literas dedit d. 8. Julii [Sleidanus diem 6. ponit: Leguntur autem integræ *Tomo II. Jen. Lat. f. 270. b.*] ejusque oblata aulico more sic interpretatus est, ac si Elector infensus Lutheri causæ esset; ideoque blandis verbis collaudatum urget, *ut hominem hæreseos aperte reum, & jam decreto sive Bulla, cujus exemplum mittebat, damnatum ad revocationem adigeret, aut custodiri faceret.*

A. 1520.

§. LXX.

(1) *Lutheri de censuris Lovan. & Colon. querela.*

Sed ante ista Lutherus in Lovaniensium & Coloniensium censuras stylum strinxerat, responsumque *Christophoro Franco J. C.* inscriptum, sub finem Martii, ut colligitur ex epistola ad Spalatinum *Lib. I. ep. 160.* typis publicari fecit, quod habetur *Tom. I. Jen. Lat. f. 500. b. & seqq.* Arrogantia nempe & tyrannide, ut ait, plus quam Turcica Theologorum illorum, nulla allata ratione, nudis verbis in condemnationem prorumpentium, ita se fractum mutatumque esse dicit, ut flere magis libeat, quam quidquam scribere. Antichristum enim aut jam regnare, aut propediem regnaturum esse, hominibus tam impudenter supra verbum Dei sese extollentibus. Mallet tamen id non totis tribuere collegiis, ipsumque Cardinalem Adrianum, qui postea Pontifex fuit, excusatum habere. Viderat enim ejus epistolam d. 4. Decembr. 1519 scriptam, sibi maxime iniquam, qua Lovanienses ad condemnationem stimulaverat *l. c. f. 498.* Quamvis circa idem tempus Spalatino scribens, Cardinalis illius doctrinam scholasticam valde improbet, *Lib. I. ep. 164.* Solatium quoddam sumit a communi cum aliis viris doctissimis sorte, quorum recentes libri præcipitanti consilio damnati, postmodum magni habiti fuerint, inter quos laudat *Occamum, Picum, Vallam*, dein etiam *Wesselum, Fabrum Stapulensem*, ipsumque *Erasmum*. Parisiensis etiam scholæ exemplum allegat, quæ multoties revocaverit, quæ antea damnasset, ut ejus inconstantia in proverbium abierit. Tum *Capnionis* causam adversus *Johannem Pfefferkornum*,

(2) *Solatium ab exemplis aliorum quærit, speciatim Capnionis.*

A. 1520.

num, Judæum conversum, a quinque Universitatum Theologis temere damnatam iterum tangit. Ejus compendiosam historiam ex *Sleidani Lib. II.* qui volet, petere potest, ampliorem mox subjungemus. Etiam *Joh. Husii* & socii condemnationem Epistola Poggii Florentini, & robustissima fama, & privatis magistrorum confabulationibus taxatam, in exemplum adducit. *Inhumanissimos* vocat, *qui cum Aristotelem impiissimum & publicum veritatis hostem atque animarum carnificem, per officiosa interpretamenta excusent & honestent, ejusque turpitudinem, etiam cum Christi ignominia impurpurent & inaurent; se tamen Christianum & fratrem, sua imprudentia & aliena vi in publicum tractum non vestiant, sed doctrinalitatibus suis subtilissimis denudent, adversus charitatis legem jurisque ordinem, qui vult, ut prius audiantur, & ad explicationem admittantur, qui errare videntur.* Prætereo quæ ad ipsas propositiones de bonorum operum imperfectione, & Sanctorum erroribus pertinent, & ex alibi dictis satis nota sunt, ut & alia, in quibus censoribus inscitiam veræ philosophiæ objicit, suumque in ea per duodecim annos studium allegat. *Philosophiam verononesse*, ait, *garrulitatem de materia, motu, infinito, loco, vacuo, tempore, quæ fere sola ex Aristotele discantur, neque intellectum, neque affectum, nec communes hominum mores quidquam juvent, tantum contentionibus serendis servandisque idoneam.* In fine sectam suam philosophicam, quam penitus imbiberit, adversus Scotistas & Thomistas, quos Pelagianos vocat, aperte profitetur, *Occamicam* nempe sive *Modernorum, f. 406. b.* Sleidanus contenta scripti hujus prolixius refert, Maimburgius neglexit.

(3) *Ostendit iniquitatem adversariorum & falsam Philosophiam.*

(4) *Refutat Romanistam Lipsiensem.*

Interea plurimi Lutherum variis scriptis exagitabant. Inter eos erant *Abbas Ord. Cisterc. veteris Cellæ* (Alten Cella prope Nossenam) *Paulus Amnicola*, vulgo Bachmann / & inprimis *Augustinus* quidam *Alfeldensis*, Franciscanus Lipsiæ monachus scribacissimus. Huic, quem *Romanistam* vocat, libello Germanico Lutherus *Tom. I. Alt. f. 452. & seqq.* magna cum eloquentia nec minori argumentorum vigore respondit. Convitia vero adversus se largiter effusa, sale aliquo respersa paucis diluit, pleraque condonat, protestans nihilominus, acriter defensurum se esse Scripturæ sacræ sententiam, nec ullam a se moderationem in hoc expectari debere. Impugnat toto hoc scripto clare & efficaciter omnia, quæ pro potestate Pontificis ex jure divino afferri solent, & quid sit Ecclesia Christi, quod ejus caput, quod regimen, egregie explicat, argumenta a forma regnorum mundi & sacerdotio Aaronis ad ecclesiasticam Monarchiam conquisita irridens. Liberrime etiam queritur de abusu potestatis Papalis, & immanibus exactionibus, quibus Germania exhauriatur, notatque, intra hominum memoriam octo pallia Moguntinam solum metropolin redimere Romæ debuisse, singula fere triginta florenorum millibus. Cum igitur plus quam dimidia Germanicarum ditionum & opum pars in patrimonium Cleri jam concesserit, & quæ ex pallis & annatis Romam portetur pecunia, turpissime prodigatur, *tandem aliquando opus esse* ait, *ut pigri & ebriosi Germani, principes maxime & nobiles, de remediis cogitent.* Nondum tamen ad abrogandum Pontificatum provehitur. Sed quoniam Dei vel gubernatione, vel, ut magis putat, ira hucusque invaluerit, ferri & honorari eum posse, non repugnat; dummodo pro articulo fidei non statuatur, nec pro hæreticis habeantur tot & tanti per orbem Christianum cœtus, qui potestatem ejus non agnoscunt, nec pallia, mitras & bullas ab eo emunt: dein ut decreta Pontificia ad normam sacræ Scripturæ examinare liceat. His conditionibus se non passurum solum Pontificem, sed & adjuturum, ut magis magisque extollatur.

A. 1520.

(5) *Profitetur qua conditione ferre velit Pontificem.*

ADDITIO I.

(a) *De lite Capnionis cum Dominicanis.*

Lis *Johanni Reuchlino*, seu *Capnioni*, cum monachis erat de libris Hebraicis, quos intempestivo quodam zelo omnes comburendos esse, Colonienses quidam monachi & inquisitores apud Maximilianum Cæsarem instabant. Consultus ea de re Capnio distinguendos & servandos plurimos esse respondit: reprehendentem vero id *Johannem* quendam Judæum baptizatum, cognomine *Piperigranum* (Pfefferkorn) edito libello acrius castigans, offendit Theologos, ita ut liber ejus Coloniæ deinde & Parisiis combureretur. Exagitatus inde Capnio a monachis indoctis, & odio furentibus, quorum caput erat *Jacobus Hochstratanus*, famosus ille Inquisitor Dominicanus, graves sustinuit lites. Earum relatio, & ut Capnio a Georgio Com. Palatino Episcopo Spirensi, Pontificis Commissario, adscitis nobilissimis doctissimisque viris ab imputatione hæresis absolutus, Hochstratanus etiam in expensas condemnatus fuerit, excusa est *Hagenoæ anno 1518.* ex qua tamen patet, monachorum artibus, & inprimis *Sylvestri Prieriatis*, (qui jam tum Magister palatii erat) in Hochstratanum propensione, effectum esse, ut causa Romam evocata diu in suspenso hæserit. Commendaverant Pontifici Capnionem Maximilianus Cæsar, multique magni Germaniæ Principes, interque alios Fridericus Saxoniæ Elector; sed paulo post mota a Luthero controversia, & Reuchlini mors anno 1522 secuta, in oblivionem induxit litem illam ex mera calumnia optimo viro intentatam. Plura de eo, quoniam facem quandam meliori doctrinæ & literaturæ sacræ prætulit, licet ipse morte præventus receptum eo usque in Suevia cultum non mutaverit, memoratu non indigna sunt. Natus fuit Pforzhemii in Badensium Principum ditione, ut ipse ad Joh. Cuspinianum scripsit, anno 1455. & cum *Reuchlini* (a *fumo*) nomen haberet, Græcum *Capnionis* ab Hermolao Barbaro suggestum aliquando usurpavit, ut tunc fieri moris erat. De ejus studiis & gestis quibusdam *Henricus Altingius in MSta historia Palatina* hæc habet: *Post fata* Rudolphi Agricolæ *circa annum Christi 1497. in Aula atque Academia Heidelbergensi successit* Johannes Reuchlinus *seu* Capnio, *a patria* Phorcensis *dictus, qui quidem cum alibi, tum inprimis Parisiis & Basileæ fundamenta studiorum posuit, usus magistro illo VVesselo Groningensi, qui utrobique docuit; a quo præter necessariam philosophiæ & linguarum cognitionem cum Hebrææ linguæ rudimenta percepit, tum etiam sensa ejus & judicium de religione ac capitibus controversis recte hausit, & constanter tenuit. Eum hortatus est VVesselus Basileæ, ut cum mediocrem Græcarum literarum peritiam acquisivisset, iisdem plenius cognoscendis sese dederet, propterea quod copia codicum Græcorum major suppeteret Basileæ, quam alibi, utpote quo tempore concilii Basileensis Cardinalis Cusanus magnum eorum numerum devehendum curarat. Ita his partibus plenius informatus ad Academiam Tubingensem, & inde porro in Aulam VVürtenbergensem adscitus fuit. Sed cum ab obitu Ducis Everhardi gubernationis mutatio accideret, & vita ipsius Monachi cujusdam insidiis, qui apud Principem plurimum valebat, peteretur, ipse periculi declinandi causa Heidelbergam ad Electorem Palatinum Philippum concessit, & tum in Aulam, tum etiam in Academiam vocatus fuit, delectatus ubique magnorum ac doctorum virorum consuetudine,*

(b) *De studiis & actis quibusdam Capnionis ex Altingio.*

A. 1520.

tudine, quibus tum Heidelberga florebat. Et in aula quidem, quod ante fecerat Rudolphus Agricola, idem ipse instituit, rogatu Electoris, ut novam epitomen historiarum per omnes Monarchias deductam Principi contexeret, explicatis præcipuis rerum momentis, quæ sub imperiis illis contigerant. In Academia autem novo & eo usque inaudito in Germania exemplo, scripsit comœdias, Hennonem & Sergium : *quarum alteram magno cum applausu publice spectandam exhibuit, cætera autem studiis Hebraicis excolendis ac propagandis tribuit. Agitabantur tunc in aula Palatina consilia de conjugio Ruperti Principis Palatini, qui tertio genitus erat, & Elisabethæ, filiæ unicæ Georgii divitis Ducis Bavariæ : qui cum consobrini essent, nulla ratione, propinquo sanguine, jungi posse videbantur, quam ut juxta Pontificis dispensationem nuptiæ coirent. Romam igitur destinatus fuit Capnio legatus, cum comitatu ad Alexandrum VI, gratiam dispensationis ab eo petitum, ubi annum pene integrum a Pontifice ejus rei potiundæ ergo detentus fuit. Quod tempus sibi non putavit otio transigendum, sed literis Hebraicis potissimum excolendis impendendum esse. Ideoque cum Romæ viveret Judæus, nomine* Abdias, *exactissimus literarum Hebraicarum magister, dum istic egit, eum ingenti pretio conduxit ; ita quidem ut in singulas horas singulos aureos didactri loco ei penderet. Quo ipso id assecutus est, ut Judæus non tantum diligentiam & assiduitatem, sed etiam fidem præstaret Reuchlino ; adeoque ipse tempore legationis suæ eousque proficeret, ut summa cum laude literas Hebræas alios docere posset. Accidit autem & aliud in hac legatione. Vivebat & docebat Romæ eodem tempore* Argyropulus, *exul ex Græcia profugus, & stipendio publico ad literas Græcas docendas conductus : quod quidem uti magna cum gratia, ita magno cum affluxu præstabat, ut viri imæ, mediæ & summæ ætatis, nobiles & ignobiles, Episcopi & Cardinales ad lectiones ejus audiendas concurrerent. Putavit Capnio etiam hujus auditorium sibi subeundum esse, quod quum magno cum comitatu, Legato Principis digno, fecisset, & ante lectionem, confidentibus Nobilibus & auditoribus universis, magistrum reverenter salutasset, gratiis actis hic sciscitatus est, num Græcas calleret literas? quod cum affirmaret, mediocriter se eas posse, rogavit, ut eas clara voce legeret, & Latine interpretaretur. Id cum Capnio Legatus promte & cum gratia faceret, ita quidem ut ad dialectum Græcorum attemperaret pronunciationem, tum etiam commode ac eleganter redderet, gemens & tantum non lacrymans bonus senex publice exclamabat ;* Græcia nostro exilio Alpes transvolavit. *Divinabat scilicet, Græcas literas & artes non jam amplius Italiæ finibus contineri, sed longe lateque ad gentes etiam horridiores (quo nomine tum Germani censebantur) propagatas esse. Sic igitur cum & publice rem, cujus gratia illuc missus fuerat, confecisset, & privatim literas Hebræas excoluisset, atque etiam Græcarum specimen non infelix edidisset, regressus est ad Electorem Palatinum, & legationis suæ ratione reddita, ad quietem se composuit, ac simul ad studia Hebræa rediit. Mutatis autem interea rebus in Ducatu VVurtembergensi, cum ad Aulam & Academiam Tubingensem revocaretur, vix dimissus ab Electore, eo reversus est, ita tamen ut fructum sui, memoriamque relinqueret.* Hucusque Altingius. Recte itaque inter restitutores eruditionis & reformationis præcursores censetur Capnio, gratamque ei memoriam æternum debet Germania, multam etiam Gallia. In illa Pictavii anno 1481 Grammaticam Græcam prælegit & (ut ostendit diploma inter *epistolas ad Capnionem scriptas Lib. I.* relatum) Licentiati in Jure titulum assumsit : Hebraicam postea Grammaticam & Lexicum edidit. Cabbalæ tamen, quam vocant, Judaicæ ineptiis plus justo visus est indulsisse, quod & *Pico Mirandulano* accidisse fertur. Comœdiam a Capnione in honorem Johannis Dalburgii Episcopi VVormatiensis, viri laudatissimi, conscriptam & primam omnium in Germania habitam esse, annotant etiam *Bucholzerus*, & *Crusius* in anno 1497. Antea, nempe anno 1492. a Friderico Austriac. Imp. *Comitis Palatini*, tum non adeo ut nunc vulgata dignitate cum egregio elogio honoratus est.

(c) *Alia quadam.*

Videatur diploma sub finem *dicti libri I. Epistol. ad Reuchl.* Lutheri ad Capnionem epistola d. 14. Dec. 1518 data integra exhibetur *Lib. II.* ejusdem voluminis Hagenoæ 1519. editi : ex ea *Martinus Crusius Parte III. Hist. Svev. Lib. X. cap. 4.* hæc producit, quæ hic inseri merentur : *Dominus tecum, vir fortissime. Gratulor misericordiæ Dei, quæ in te est, vir & eruditissime & humanissime, qua tandem prævaluisti obstruere os loquentium iniqua. Fuisti tu sane organum consilii divini : sicut tibi ipsi incognitum, ita omnibus puræ Theologiæ studiosis expectatissimum : adeo longe alia fiebant a Deo, & alia videbantur geri per vos.* Item : *Invadunt dentes istius Behemoth me : si quo modo sarcire queant ignominiam, quam retulerunt ex te. Occurro & ego ipsis, longe quidem minoribus ingenii & eruditionis viribus, quam tu occurristi & prostravisti, sed non minore animi fiducia. Congredi mihi detrectant, respondere recusant : sed mera vi & violentia in me viam affectant. Vivit vero Christus : & ego perdere nihil possum, quia nihil habeo. Fracta sunt in tua firmitate, non parum quidem, cornua horum taurorum. Hoc enim in te egit Dominus, ut tyrannis Sophistarum aliquando & tardius & mitius disceret veris Theologiæ studiis resistere, ac respirare inciperet Germania, scripturarum doctrina tot (heu) annorum centenariis, non tam oppressa, quam extincta. VVittenbergæ altera die Luciæ, anno 1518.* Hortatus est Capnio Philippum Melanchthonem, quem puerum aliqua affinitate sibi junctum admiratus erat, & ad studia incitaverat, ut vocante Friderico Electore VVittenbergam iret. Refert epistolam ejus ad Philippum *Scultetus in an. 1518. p. 24.* adde *Camerar. in vita Melanchthonis p. 19.* edit. Lips. Capnio autem paulo ante mortem *Ingolstadio*, ubi lingvam Hebræam & Græcam docuerat, *Tubingam* revocatus, anno 1521. eandem subiit professionem ; anno vero sequenti *Stutgardiæ* obiit, anno ætatis 67. Magni eum fecit *Erasmus*, sed ut cautus erat, causæ ejus sese non immiscuit. In *præfatione ad Epistolas Hieronymi* ad Leonem X anno 1515. inter eos qui in Hieronymum aliquid commentati erant, laudat virum his verbis : *Johannes Reuchlinus Phorcensis, trium linguarum, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ pene ex æquo peritus, ad hæc in nullo doctrinæ genere non versatus, ita ut cum primis certare possit ; unde merito virum hunc ceu Phœnicem & unicum suum decus tota suscipit ac veneratur Germania.* Hac certe laude a laudato viro quæ major esse possit vix video. Vide *Erasmi Lib. II. ep. 1.* Iniquum ejus fatum ob libellum ipso non volente editum, eodem tempore ad Cardinalem Grimanum scribens deplorat *ep. 2.* mortuum ex Germanis unicum desiderat *ep. 5. Lib. XXIII.* Per libellum vero illum non intelligo, quem titulo Augenspiegel (*Speculi ocularis*) contra Piperigranum utique ex proposito edidit, sed comœdiam quam *Hennonem* vocavit, in qua monachos salse exagitaverat. Eam enim suasu VVormatiensis Episcopi ipse suppressit, sed ab aliis illo inscio edita fuit, & monachorum iram ei peperit, nata postmodum occasione exsertam. Judæum Capnionis adversarium ob Judaismum male dissimulatum, & profanatam hostiam sacram anno 1514. Halis combustum fuisse refert *Bucholz. in an. 1510.* sed *Erasmus Lib. XXX. ep. 23.* anno 1517 ad Pirckheimerum Judæi illius ut viventis meminit. Error forte ex similitudine nominis ortus est, nam Halis ejusdem nominis Judæum ob crimen illud, aliaque multa, supplicio affectum *Dresserus* refert in *Chron. Sax. Ann. 1514.* & ante eum *Spangenbergius* in *Chronico Mansfeldensi.* Extat & *Theodor. Pleningii* Equitis Suevi viri docti, (*Plinium* vocabant literatores) ad Capnionem epistola, anno 1508 data, in qua eum *Germaniæ Homerum & Ennium* nominat.

A. 1520.

(d) *Lutheri ad Capnionem epistola.*

(e) *Capnio Phil. Melanchthonem commendat. Tubingæ Professor publ. obit.*

(f) *Erasmus eum laudat.*

(g) *Quis Piperigranus.*

Audiamus etiam ex adversa parte *Jacobum Gretserum* Jesuitam, infensissimum & mordacissimum Lutheranismi insectatorem, ubi de Erasmo, Capnione & Philippo Melanchthone eodem fere modo ex sectæ suæ genio judicat in Satyra, quæ titulum habet, *Suppetiæ Luthero Academico missæ, anno 1612* edita, ut patet ex epistola dedicatoria ad Abbatem Cæsareensem (Käysersheim) : *Video Academia nostra Ingolstadiensi*

(h) *Gretserus Capnionem vituperat, ut & Erasmum.*

A. 1520.

stadiensi ter præsentissimum periculum imminuisse, ne morum & fidei orthodoxæ jacturam, immo naufragium faceret. Primo, quando huc Basilea accersitus est Erasmus Roterodamus anno 1516. Secundo, quando hic reipsa jam Hebræas Græcasque literas docebat Johannes Reuchlinus, seu Capnio, anno Redemtoris 1520. & quidem ingenti discipulorum numero, quod ipse testatur in epistola ad Bilibaldum Pirckheimerum, Patricium Norimbergensem; Quotidie, *inquit*, de throno Doctorum, frequenti auditorio prælegendus est a me in lingua Hebraica, mane Rabbi Moses Kimchi, & vesperi Plutus Aristophanis, discipulis plus trecentis, & multo inquam plus. *Tertio, quando eodem salutis anno, Philippo Melanchthoni, VVittenbergæ in Saxonia degenti, & jam tunc cum Luthero quintum Evangelium procudenti, Professoris munus in ista Academia oblatum est, proposito lauto & largo stipendio. Licet autem Erasmus & Reuchlinus apertis machinis Catholicam religionem non oppugnarent, ejus tamen eversionem fraudulenter per cuniculos moliebantur; erant enim acerrimi Religiosorum & Clericorum rituumque Ecclesiasticorum osores & insectatores, quos dicacitate sua dentataque facundia publico ludibrio passim exponebant, & in contemtum apud auditores operumque suorum lectores adducebant. Cui fundamento in pectoribus mortalium semel jacto, firmiterque stabilito, facillime postea manifesti sectarum conditores, hæreseos fabricam inædificare ac superimponere possunt; quia si non rem penitus factam, at certe dimidium facti habent. Aurea est D. Bernhardi sententia:* Plus nocet falsus Catholicus, quam si verus appareret hæreticus. *Cæterum divino nutu & singulari Numinis in Academiam Ingolstadiensem, totamque Bavariam, benevolentia accidisse arbitror, ut Erasmus & Philippus, licet vocati, venire abnuerint; Reuchlinus autem, quantum ex epistolis ejus hinc Norimbergam ad Pirckheimerum missis conjectare licet, vix annum hac in urbe transegerit. Invitaverat Erasmum huc Urbanus Rhegius, præstantis Theologi Johannis Eckii tunc in Theologia discipulus, at aliquot annis post, novi Evangelii, Augustæ Vindelicorum, & alibi, buccinator & tibicen, inter synergos suos non infimus; idque fecerat jussu Principis Ernesti,* (Bavari) *studiorum & studiosorum omnium eximii patroni, mox Episcopi Passaviensis, & tandem Archiepiscopi Salisburgensis, fratris laudatissimorum Bavariæ Ducum, VVilhelmi & Ludovici; cui tantus Erasmi Ingolstadium pertrahendi ardor injectus fuerat, flammas indubie ipso Rhegio subministrante, ut tabellarium Basileam Erasmi adducendi causa ablegaret.* Quod si animo apud nos manendi venire recusaverit, inquit Rhegius, aureos ducentos quotannis si noluerit, & opulentissima sacerdotia respuerit, Princeps tamen hoc unum petit confiditque se exoraturum, ut videlicet Erasmus, visendi Gymnasii causa veniat. Huic itineri mensem impendat, ut a Principe videatur, excipiatur, amplexetur (*ita loquitur nescio an satis urbane, Urbanus Rhegius,*) videre enim ex animo Erasmum cupit: sumtus ad iter ministrabit magnificos, remunerabitque virum liberalissime, ut videat Principem nihil æque ac literatos & literas amare, observare, suscipere. *Verum enim vero, & o factum bene, tantis promissis Erasmus, ut Basileam desereret, illici haud potuit. Rescripta epistola per Rhegium Principi amplissimas gratias egit, obtendens* se multiplici vinculo adstrictum teneri, quo minus ad Bojos commigret. *Ego ita judico. Ex gestis Erasmi, quæ laudem merentur, hanc recusationem ejus vel primo loco collocandam, quia Bavariæ valde salutaris accidit: illos enim secum fructus Erasmus intulisset, & forsan duplicatos aut triplicatos; quorum semina jam per libros suos passim severat, vel potius, qui jam ex monumentis ejus in uberrimam messem omnibus ferme in locis excreverant. Magna autoritate & existimatione apud plerosque tunc erat Erasmus; & habebat, quorum opera apud Summates in gratia poneretur; quia nec dum satis dilucide veritas veteris illius verbi:* Notum malum optimum; *ad Erasmum spectare intelligebatur. Id ubi intellectum est, enimvero tum suas sibi res Erasmus habere, &, quo pedes & auræ ferrent, abire jussus est; non modo ab illis, qui Erasmum non nisi ex fama (inter quos Princeps noster Ernestus,) sed & ab illis, qui cum familiariter noverant, quales in Britannia, sanctum illud par martyrum, Roffensis & Morus. Melanchthonem detinuit in Saxonia Lutherus, magno, negare non possumus, Bavariæ bono; nam si Ingolstadium venisset, quas strages versipellis ille & versatilis hæreticus non dedisset? Detinuit autem Lutherus Philippum, procurato uberiore stipendio. De quo ita ad Spalatinum suum.* Spero Philippum ad Bavaros non adspirare. Id tamen est, quod semper optavi, ut honestiore magnificatus stipendio, spem illis adimeret, quam concipiunt, quod vilius eum haberi sciunt, quam apud eos futurus esset. ***Alibi idem Lutherus ad eundem Spalatinum:*** De stipendio Philippi nihil scribo ad Principem, si tu non satis fueris. Quæ antea scripsi, feci, ut homini nulla esset occasio migrandi unquam a nobis. ***Animadvertebat nimirum Lutherus, quantopere ad fabulam, quam exorsus fuerat, Philippi, juvenis tunc audacis, diserti, & ad quemcunque laborem indefessi, persona sibi opus esset. Gratias Luthero, qui tantam pestem scholæ nostræ nec misit, nec ut mitteretur permisit. Est cum & hostes prosunt, etiam nescii atque inviti. Id hic evenit.*** Affero hæc historiæ causa, & Capnionis occasione, & ut calliditatis exempla, qua fit, ut Principes, etsi aliquando lucis & veritatis desiderio accenduntur, facile tamen avertantur, præclusis mediis ad audiendos per quos proficere possent.

Quanti autem, post Cæsarem & Pontificem ipsum, a viris sui temporis maximis & doctissimis habitus fuerit Reuchlinus, epistolæ jam sæpe memoratæ ex omnibus Europæ partibus ad eum datæ, & *anno 1519. Hagenoæ* excusæ, luculenter demonstrant. Inter eos præter *Henricum Nuenarium* Comitem, *Huttenum, Capitonem, Eobanum Hessum,* aliosque qui ob Lutheranismum suspecti videri possent, & odiosum, ut audivimus, clero *Erasmum*; inveniuntur *Johannes Fischer*, Episcopus Roffensis, *Johannes Dalburgius*, Episcopus VVormatiensis, *Thomas Truchsesius*, Decanus Spirensis, *Ægidius Viterbiensis*, Augustinianorum Generalis, *Philippus Beroaldus* Jun. *Picus Mirandulanus*, aliique plurimi, qui religionem non mutarunt; plures vero nominari possent, si *tertium* volumen Romanarum epistolarum, quod in fine secundi promittitur, inspicere mihi licuisset: quanquam an editum fuerit incompertum habeo. His oloribus anserinus Gretseri strepitus officere utique non potest.

(i) *Illustrium virorum ad Capnionem epistolæ.*

Finieram ista, (*anno 1687.*) cum editus proximis nundinis Francofurtensibus libellus *de vita Reuchlini* ad me pervenit, autore *Joh. Henr. Majo* Phorcensi, Ecclesiaste Durlacensi & Professore Gymnasii, docto, ut stylus probat, & eloquenti viro, (secundæ hujus editionis tempore Professor est Theologiæ in illustri Academia Giessensi) in quo & ea, quæ ex Capnionis epistolis aliisque autoribus collegi, & multa alia dignissima referuntur, præmissa Theologi, in provincia illa primarii & celeberrimi, *Lic. Joh. Fechtii*, Doctoris hodie Theologiæ & Professoris Rostochiensis, insigni præfatione. In hoc tractatu Friderico III Imp. carissimus fuisse Capnio memoratur, a quo & codice Bibliorum Hebraico donatus fit, (qui in Bibliotheca Durlacensi asservari dicitur) & in aula ejus a Medico Judæo, quo Imperator utebatur, linguam illam didicerit: idem in Theologia recte sensisse de justificatione & Sacramentis perhibetur. Magna ei dignitas accessit, cum ex lege fœderis Suevici, de quo supra dixi, inter triumviros illos judices a Cæsare Maximiliano & Principibus constitueretur. Encomio insigni eum mactavit *Ulricus Huttenus*, in Carmine Heroico, quod *Triumphum Capnionis* inscripsit, & nomine ficto Eleutherii Byzeni edidit (v. *Act. Erud. Lipsf. anni 1688. p. 21.*) magna cum monachorum & inprimis Dominicanorum insectatione. Speciminis loco paucos versus addam:

(k) *D. Maji oratio de vita Capnionis.*

Dicat io, si se novit Germania, dicat.
Jam vacuum curis, atque ambitione solutum,
Viventemque sibi, reliquoque suavius uti
Tempore quærentem, studia inter sancta librosque
Lite relegata fessum, effœtumque senecta
Invasere senem innocuum, nil tale merentem.
Causa viros movit, qui nil superesse videbant,

(l) *Carmen Hutteni de laudibus Capnionis.*

Lib. I. O Post

A. 1520.

Post Bernense nefas, quo se inquinare liceret.
Respexere diu; placuit Capnione reperto
Exercere invidiæ stimulos, solitumque venenum.
Sollicitus quo principio se accingere possent
Flagitio, curas recutitus apostata solvit:
Consiliumque dedit, sed versu dicere durum est,
A piperis grano germanum nomen adepti.
Hunc olim pœnas fugientem, extrema secutum
Opprobriis coopertum hominem, famaque sinistra
Flagitiique reum, simulantem, ac multa voventem
Ad Christi traxere fidem; præstabat in illa
Religione mori, & pro factis solvere pœnas,
Quam bellum ac fœdas nobiscum accendere lites. &c.

Et post alia:

- - - accusat Capnionem & judicat idem
Acer Hogostratus, scriptis quoque lædere quærunt:
Allexere Ubios fratrum ad se cœpta Sophistas,
Una omnes ruere, & pugnam miscere parati.
Pallidus imprimis, & olenti Tungarus ore,
Ultro scribit opus, cui putidiore Minerva
Ebrius Ortuinus scabris se versibus addit.
Deinde alii certant. - - - - - -

(m) *Vituperium Maieri.*

In *Petrum Maierum*, plebanum Francofurtensem, cum quo *Cronebergius*, ut alibi notavi, per literas disceptavit, inter alia his ludit versibus, qui & alios concionatores perversos Capnionis hostes, egregie depingunt:

- - - Quantum est potuisse furentis
Judicio vulgi, stolidæque placere coborti.
At si quando tibi ridet leviora loquuto,
Aut si quando oculos fanti lugubria tergit,
E populo quisquam, vel de mulieribus istis,
Tum sublime caput, tumefactaque nubibus effers
Labra tenus, plaudisque manu, mollique triumphas
Continuo gestu, tunc te hæc suggesta, tuumque
Vix capit hoc regnum, tunc tu omnia voce lacessis,
Omniaque exuperas, & inanem percutis auram.

(n) *Aliud Capnionis elogium.*

Ex plurimis, quibus Capnionis laudes prædicat, hos appono:

Hic vir, hic est, cives, quem vos paulo ante petitum
Mille dolis, mille insidiis, atque arte maligna,
Promissa doluistis ope, hæc venerabilis illa est
Canities sancti capitis, cui debet honorem
Et cui semper habet plenis Germania votis
Virtute illustrata viri. Hic est ille ferorum
Intrepidus domitor monstrorum, invictaque mastix,
Qui temere fratres ausos, temereque Sophistas,
(Laudis opus plenum, & memorandum in secula factum!)
Contudit, & multa trepidos formidine sternens
Intactam asseruit ab iniquo judice famam.

Et paulo post:

Hic vir, hic est, cives, qui non torporis inerti
Segnicie socordis agens, quæsivit honores;
Verum acri studio atque opera, multoque labore.
Qui gravibus rebus quæsitus Cæsaris egit
Et patris & nati caussas; qui plurima fecit,
Plurima qui docuit, non ventri obnoxius unquam,
Et nunquam indulgens, quique ut nos vera doceret,
Quæ non dura tulit? cui non se inferre periclo
Est ausus? qui si temere non Ennius olim
Adscripsit tria corda sibi, nos quatuor isti
Jure bono dabimus, scribenti apteque loquenti
Quattuor in linguis, patria, Græcaque, Latinaque,
Et tandem Hebræa. Quare infantissima Fratrum
Plebs sileat, quis enim melius multa ardua scribet,
Rectius & dicet, quam qui multa ardua novit?
Hic vir, hic est, cives, qui quam quis legerit alter,
Plura dedit calamo: qui primus Comica scripsit,
Germanisque suis scenam patefecit, & amplam
Ostendit caveam, vetuitque silere theatrum.
Plurima qui numero, qui plurima lege soluta
Condidit, invenit qui multa incognita nobis,
Optimus interpres, qui certe pluribus annis
Ante duces summos in Cæsareoque senatu
Jus dixit, quam quis studuisse putabitur alter.

(o) *Compositio litis inter Dominicanos & Capnionem.*

Lis cum monachis anno 1520, interveniente cum aliis *Francisco Sickingio*, ita composita fuit, (ut ex epistola Capnionis *ad Bilibaldum Pirckhaimerum* apparet) ut monachi abolitionem causæ suo sumtu Romæ, cum honorifica Capnionis mentione, se impetraturos esse & expensas litis refusuros promiserint, quemadmodum jam illos, in quos sententia Spirensi condemnati erant, ultra centum florenos, *in bono auro*, ut scribit, restituerant. In epistola *Buceri* ad *Rhenanum*, (cujus supra *§. XIII. Addit. I. (c)* mentio facta est,) refertur, Sickingium hastam & caduceum simul obtulisse, unde nec Romæ transactio probata est. *Phœnicem* in literis illis Capnionem vocat Bucerus. Unum adhuc noto: causam, propter quam Capnio Romam missus fuit, aliam a *Melanchthone* in oratione de Reuchlino, ut & ab *Altingio*, loco supra citato, aliam in recentissima Capnionis, quam allego, historia referri. In hac enim traditur, legatum fuisse a Philippo Palatino Electore Reuchlinum, ut contra Abbatem, sive Præpositum VVeissenburgensem & Commissarium Pontificium, qui a Præposito instigatus, sine cognitione causæ Electorem excommunicaverat, apud Pontificem Alexandrum VI conquereretur, & extat oratio ejus Romæ de lite illa habita, perquam elegans & gravis; potuit tamen & alterum illud negotium, quod reliqui memorant, dispensatio nempe matrimonialis, inter legationis causas fuisse, idque non negat scriptor novissimus, *Majus*. Finiam longam digressionem, unum tantum monens, quod legi omnino mereantur *epistolæ duæ Lutheri ad Spalatinum*, tum VVittenbergæ agentem, quarum una (*Lib. I. 4.*) *Ortuinum Gratium*, Reuchlini adversarium exagitabat: ea scripta fuit anno 1514. altera (*Lib. I. 6.*) diem & annum non habet, Chytræi tamen & Calvisii judicio scripta fuit anno 1510. in qua Capnionem non solum prolixe ab hæresi defendit, sed & Ecclesiæ miserum statum & inquisitorum, quos vocabant, inscitiam & tyrannidem deplorat, jam tum antequam cum Tezelio congressus esset, plenus adversus illos zelo. *Plenum est*, scribit, *cor meum harum cogitationum magis quam lingua dicere possit.* & paulo post: *Confido Dominum fore veracem etiam invitis & frustra sudantibus mille millibus Coloniensibus; Dei enim solius hoc opus erit ab intra operantis, non hominum a foris tantummodo ludentium potius quam operantium.*

A. 1520.

(p) *Annotatio de legatione Romana Capnionis.*

(q) *De Lutheri epistolis, in quibus causæ Capnionis meminit.*

ADDITIO II.

(a) *De tractatu Alfeldensis pro Pontifice.*

Ab *Augustino Alfeldense* scripti plurimi libelli collecti a Monachis Paulinis Lipsiensibus in *Bibliotheca Academica* asservantur, tam Germanici quam Latini, indigni profecto qui lucem adspexerint, nisi Luthero ansam dedissent, sententiam suam magis magisque confirmandi. Inter primarios infelicis ingenii Alfeldensis fœtus est tractatus, de cujus refutatione dixi, qui hunc habet titulum: *Super Apostolica sede, an videlicet divino jure sit nec ne, anque Pontifex, qui Papa dici captus est, jure divino in ea ipsa præsideat, non parum laudanda, ex sacro Bibliorum canone declaratio, edita per Fratrem Augustinum Alveldensem, Franciscanum, regularis (ut dicitur) observantiæ sacerdotem, Provinciæ Saxoniæ, Sanctæ crucis, sacrique Bibliorum canonis publicum Lectorem in Conventu Lipsico, ad Reverendum in Christo patrem & Dominum, Dom. Adolphum, Principem illustrem in Anhaldt, Episcopum Mersburgensem.* Excudit Lipsiæ Melchior Lotther. 1520. Præmittit articulos Græcorum contra Pontificatum Romanum, Romæ damnatos, dein suam thesin proponit his verbis: *Sedes Apostolica seu cathedra Petri sola suprema, jure divino erecta, firmata & defensa, in qua Christo Deo nostro jubente præsideret Petrus & successor ejus, ut universalis ecclesiæ militantis caput, pontifex summus, primus, papa, rector, pastor, unus & solus summus Christi vicarius, Romæ tanquam in loco sibi congruo fixa atque situata est.* Hanc septem probationibus, (*gladios* vocat) propugnat, v. g. a necessitate regiminis monarchici, quod stabiliri putat dicto Christi, *omne regnum in se divisum desolabitur:* a figura veteris testamenti, quia enim *omnia in figura contigerunt*, *1. Cor. X. 6.* ideo & Aaronis figura impleri debuit, nempe per Papam. Eo quoque trahit dictum *Hebr. VIII. 6.* quod *Christus sortitus sit melius ministerium.* Addit dein vulgata illa: *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. item: *Dabo tibi claves cœlorum: Rogavi pro te Petre: Pasce oves meas.* Sed subtili-

A. 1520.

subtilius fortassis est quod dicit, *Christum in una navi Petri consedisse, quanquam duæ adessent, Luc. V. 3.* & quod didrachma pro Petro *solverit*, utpote pro *vicario suo*, & alia ejuscemodi, ita ut & *Petro reliquos Apostolos pro consultoribus* assignet, sicut Papæ Cardinales. Per hæc putat blasphemiæ & hæreseos convinci posse contrarium sentientes, eosque cum *pestilentico viro & lethiferi veneni conflatore asello Joh. VVicleffo* & cum *Joh. Husso consobrino diaboli ac virulento diaboli cacula*, comparat. Post hos flores pronunciat: *Quicunque negat jure divino esse summum pontificium Petri, atque sedem Apostolicam, quod idem est; simul qui negat jure divino esse Christi vicarium Petri successorem; hunc coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos ac mortuos, & coram tota universali Ecclesia proclamo, accuso, debito velut perversum hæreticum, si pertinaciter in errore & hæresi persistit.* Edidit inter alios Alfeldensis sermonem Germanicum, in quo compendium quoddam convitiorum & retorsionum in Lutherum invenitur, cum delineatione plurimorum scriptorum, quos contra eum meditabatur. In hoc adversus desideratam a Luthero missæ seu Eucharistiæ celebrationem in lingua populari, ex inscriptione Pilati, quæ in tribus saltem linguis facta sit, argumentatur, negatque licere in alia quam una ex tribus illis missam celebrare, addita gravissima, uti ipsi videtur, ratione, ne populus ad inobedientiam & multos errores moveretur, aut ansam sumeret communionem sub utraque desiderandi. Comparat in illo sermone *Lutherum* cum *Conrado Fabro*, qui Sangerhusæ Principum jussu olim combustus fuerit ob dogma Hussiticum, quo nunc Saxoniam, Misniam & Thuringiam infici queritur a Luthero. At de eadem *communione sub utraque* Latinum tractatum edidit, anno (nisi in numero errarunt Typographi) 1529. Huic proœmium præmisit de nomine Jesu indeclinabili, cui quintam literam addidit & JESUH scripsit, ut conveniret cum voce JOSUA tot literas habente: mira inde mysteria eruit, præcipue ob interpositam literam S, quam semivocalem esse tradit, quia incipit a vocali, & pronunciatur *ES. Id notat (ait) mysterium incarnationis, nam natura a Verbo assumta ex se plenam vocem, id est, personam non habet.* Æmulari ita Lutheri studium Hebraicæ & Græcæ linguæ voluit Therfites iste, ut literaturæ gloriam sibi quæreret, & Reuchlini, quem *doctissimum virum* vocat, autoritatem sequi videretur. Elegantiæ etiam monasticæ specimina sunt, tituli librorum *Fœtor Luderanus, Syrupus Alfeldensis.* Sed ex his plura piget referre; prætereo etiam alias chartas, quas tum adversus Lutherum, tum adversus eos, qui pro Luthero, cum is ipse respondere homuncioni nollet, calumum sumserunt, *Dolschium* & *Lonicerum*, nugis suis implevit.

(b) *Ejusdem libellus in Lutherum, ejusque sermonem de communione.*

(c) *Alia quædam ejus scripta.*

Mense Junio tractatus *Card. Cajetani, de divina institutione Pontificatus*, Coloniæ recusus est, is puto quem teste *Richerio supra ad §. 2.* citato occasione Concilii Pisani scripsit, in quo pro scholastico, quo valuit, acumine, nihil omisit, sed ad stabiliendam sententiam suam testimonia veterum studiose collegit, ex quibus non solum principatum sive πρωτεῖα Petri & successorum, sed & dominatum illum universalem, & infallibile de religione judicium adstrui posse existimavit. Neque tamen ipse dissimulat, *certitudine mathematica firmari non posse quæ scripserit, sed interpretatione Scripturæ secundum sensum doctorum & in autoritate Conciliorum acquiescendum esse, ita enim certam esse fidem, de Pontificatus institutione divina, ut certior haberi non possit.* Refutavit Cajetani tractatum, anno 1511. primo editum, anno sequenti *Jacobus Almainus* Doctor Parisiensis, cujus hunc & alium ejusdem argumenti libellum *Edmundus Richerius* compilationi suæ, sive *Vindiciis doctrinæ majorum Scholæ Parisiensis* anno 1683 editis inseruit. Dedicavit scriptum suum Almainus *Tristando Salezario*, Senonensi Archiepiscopo, his exorsus verbis: *Quod inprimis optabam, mihi hoc tempore sorte quadam obtigit argumentum, scilicet edendi quidpiam in assentatorias, & quasi quodam adulationis illicio, summum Pontificem sibi nimis blandiendo demerentes doctrinas, illius Fratris Thomæ de Vio Cajetani, hominis alioquin eruditi, nisi suam eruditionem assentationis macula contaminasset, & nisi sacratissima illa Concilia Constantiense & Basileense, suis procacibus verbis insamare & sugillare annisus esset.* Cum satis innotuerit nova hac editione liber iste, non opus est ut multa ex eo exscribantur: invenient interim Pontificiæ majestatis assertores, quæ Lutheri & Protestantium sententiam excusare, & hos labore impugnandi supremam & infallibilem illam potestatem levare possunt; quanquam Richerio in iis, quæ pro absoluta infallibilitate Conciliorum asserit, non assentiant.

(d) *De libro Cajetani pro Pontificatu.*

(e) *Refutatio ejus per Jacobum Almainum.*

Lib. I.

A. 1520.

ADDITIO III.

Paulo ante editum Cajetani libellum, mense nempe Octobris anni 1520. recusa est, annitente Emsero, Lipsiæ *Thomæ Rhadini Ord. Prædic. oratio ad Principes & populos Germaniæ*, Romæ, ubi Theologiam profitebatur, in Lutherum habita. Gloriatur autor de origine Germanica, quod natus sit *Placentiæ* ex Comitum familia, quæ *Theodiscorum* (id est, Germanorum) cognomentum retinuerit: Luthero (ex vulgi, ut dicit, opinione) magnum ingenium, uberrimas artes & compositum sermonem tribui non negat, item quod sit vir fortis, & bonus, qui bene vivat, solertissimus etiam, & qui professione vitæ Eremiticæ Augustinianæ Christum pauperem secutus sit; culpat vero ut rerum & opinionum novarum cupidum, qui nullum ex Theologis, quos seculum illud venerabatur, imitari velit, sed superiores vincere, & posteritati exemplum & autoritatem relinquere studeat, Germanorum fortia facta & pietatem extollit, eas autem laudes a Luthero imminui putat, & Nobilitati Germanicæ dedecus inferri, inprimis Friderico Principi, qui templum VVittenbergense celeberrimum extruxerit, & ex multis regionibus conquisitis reliquiis ornaverit, indulgentias etiam centum dierum visitantibus templum impetraverit, quas nunc Lutherus in contemtum adduxerit. Objicit eidem quod Philosophiam Aristotelicam spreverit & *Theologiæ pestem* vocaverit, cum summa Scholasticorum doctorum injuria; qui tamen per annos trecentos Philosophiam Theologiæ ancillari, & omnem humanum intellectum in obsequium Christi captivum facere allaboraverint. Exagitat encomia quibus Lutherus se efferri, & veluti sanctum pingi patiatur: maxime vero ei vitio vertit, quod adversus regale sacerdotium petulanter insurrexerit. *Esto*, inquit, *sacerdotes ab illo antiquo clarissimarum virtutum, morumque sanctissimorum tenore defecerint. Esto (licet Salomon non consentiat) hoc sit sub sole novum vivendi genus, prioraque tempora meliora fuerint, ut morosi senes & stultus quisque causatur. Esto, nunc primum, juxta prophetam, dominus de cœlo prospiciat, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, omnesque declinaverint, simul inutiles facti sint, nec sit qui faciat bonum, nec usque ad unum. Esto, inquam, tandem sit Roma peccatrix, sit misera, sit adultera. Non tamen debuerat Martinus primus in eam lapidem mittere, nisi forte fortuna se innocentem & sine peccato dicat, atque seipsum seducens mendacem faciat.* Peccasse deinde eum dicit contra decreta Juris Canonici, quæ nullam in Pontifices censuram admittunt. Dum vero contra dogmata Lutheri disputat, in traditione Ecclesiæ fundamentum ponit, & *ideo non omnia scripta esse, sed viva voce a Christo & ab Apostolis eorumque successoribus tradita* contendit, *ne sacrosancta & divina secreta in profanum vulgus exirent, & amaracinum suibus offerretur.* Dein ex Lutheri dictis contradictiones colligit, & errores suos ex VVicleso, Husso, Marsilio Ficino, & Johanne Laudunensi hausisse eum asserit; pugnat pro primatu & potestate Pontificis testimoniis Patrum, speciatim exprobrat Luthero odium in ordinem Dominicanorum, & Hussitarum exemplum eum sequi scribit, qui monasterium Prædicatorum Glatoviæ in Bohemia funditus everterint. Gratias agere Philippo Melanchthoni Lutherum jubet, quod hic scripta ejus expoliat, & ut loquitur *supra balbiloquentiam nonnihil elevet.* Reprehendit commentarium ejus in Epistolam ad Galatas, nulla tamen allata ratione, quam quod Paulum Petro æqualem fecerit. Allegat dictum *II. Petr. III. 15.* eo, credo, sensu, ut censuram Pauli ex cathedra

(a) *Oratio Thomæ Rhadini contra Lutherum, Romæ habita, Lipsiæ recusa.*

O 2 Ponti-

A. 1520.

Pontificia continere videatur. Appellationem vero ad Concilium a Luthero interpositam, Pii II & Julii II decretis damnationem Luthero afferre asseverat. Post innumera convitia & scommata, quæ collectis & applicatis Scripturæ centonibus, Poëtarum dictis, historicisque & grammaticis allusionibus (quarum magna tumet copia) toto spargit & effundit sacco, tandem Deum omnesque sanctos implorat, *ut a Germania, quam patriam suam vocat, mala illa ex Lutheri doctrina metuenda avertant, ipsum vero ad meliorem mentem reducant, vel interitum ei accelerent, ut omnes posthac in tranquillo Ecclesiæ statu dormiant.* Hæc summa votorum erat. Oratio hæc cum Lipsiæ esset recusa, Phil. Melanchthon æque ac Lutherus suspicati fuerunt autorem ejus esse *Hieronymum Emserum* sub *Rhadini* nomine latentem. Fassus id est aperte in epistola MS. *ad Hessum Uratislav.* apud *Bavarum Tom. II. p. 607.* Scribit enim: *Nos Thomæ Placentino respondimus, principio arbitrati Emserum autorem, nunc nihilominus dubitamus de autore.* Constat idem ex epistola Lutheri *ad Spalatinum part. II. pag. 7.* & ex *Hirci* cognomine, quo Emserum, ad insignia ejus alludens Philippus compellat. Edidit autem hic sub *Didymi Faventini* nomine Orationem pro Luthero doctissimam gravissimamque, Principibus Germaniæ itidem dicatam, quæ in *Tomo II. Oper. Philippi p. 38. & seqq.* extat. In hac, rerum eousque gestarum ordine breviter & perspicue enarrato, *iniquissime accusari* dicit *Lutherum, qui patriam Romanensibus fraudibus liberavit, qui seculorum aliquot errorem unus his temporibus ausus est convellere, qui Christianam doctrinam impiis Pontificum constitutionibus, & nugacibus Scholarum sophismatis prope extinctam, in lucem revocavit. Nam has laudes docti tribuunt Luthero, non ego tantum, & vere tribui intelligetis, cum ad accusationum capita respondero. Hæc præfari libuit, ne hunc tumultus hujus autorem esse putaretis, quam plane istorum furoribus debetis, qui jam annos plus tres nihil non agunt, nihil non moliuntur, ut extinguatur Lutherus: non ut quieta sit respublica Ecclesiæ, sed ut ipsi in quietam Ecclesiam tyrannide sua libere grassari queant.* Dein ad capita accusationis respondet. *De Missa,* ait, *ita docuisse Lutherum, ut boni non offensi, sed testati sint aliquot eorum, multum se debere Luthero, quod eo autore tandem sanctorum mysteriorum fructum cognoverint; reclamare autem illos solum, qui sacra in quæstu habent. Fridericum Electorem* (quem *a Luthero læsum esse* declamaverat Rhadinus) *testem* appellat, *quod Lutherus indulgentias non in Principis contumeliam & damnum, sed veritate Evangelica convictus reprehenderit, ipseque Elector intellexerit, meras imposturas esse indulgentiarum nundinationes:* laudat eum, quod *Lutherum non prodiderit inimicis pro libidine cruciandum.* Ad objectam porro studiorum oppressionem, & primo quidem Philosophiæ, hæc regerit: *Non damnat Lutherus eam Philosophiæ partem, quæ mathemata, quæ gemmarum, plantarum & animantium naturas descripsit. Nam horum cognitionem fatetur ad sacra necessariam esse, soletque in loco uti, quoties res postulat; probat inquam pinguem illam rerum descriptionem, cujus autores habemus, apud Latinos Plinium, apud Græcos Athenæum, addo, si vis, Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, ut Poetas interim taceam. Breviter, collaudat Lutherus, quæ de rerum natura fere sunt a medicis conscripta; damnat autem, si ignoras, eam Philosophiæ partem, quæ de rerum principiis, ventorum ac pluviarum causis, prodigiosas nugas comminiscitur, adeoque quicquid id est, quod Aristoteles vocat Physica ἀκρόαματα, καὶ τὰ μετὰ φυσικά, damnat quicquid de moribus a Philosophis proditum est.* Allato dein Antiochi regis contra Philosophos decreto optat, ut in Christianismo illi locus fuisset: *Sic enim* (ait) *sacra doctrina sincerior hoc tempore esset, & cum doctrinam mores imitentur, adhuc esset reliqua Ecclesiæ nonnulla disciplina, quæ jam ita cum doctrina Christiana, novis Theologorum dogmatis, quæ e Philosophia nata sunt, & impiis Pontificum constitutionibus extincta est, ut ne nomen quidem Ecclesiæ mereatur horum temporum confusio.* Speciatim porro Theologiæ Scholasticæ vitia exponit, tam in metaphysicis quam moralibus, magno pondere argumentorum & verborum flumine. Pauca saltem speciminis loco adscribam. Postquam doctrinam Physicam Aristotelis notasset, de ea parte disserit, sine qua Theologiam mancam putaverint, metaphysica nempe de Deo. *De iis quæ Deo tribuuntur ab hominibus, de unitate, de intellectu, de voluntate, de simplicitate, disserunt Metaphysici, quos vocant, quam partem Theologia Scholastica sibi totam vindicavit, in qua regnare sibi videtur. Hinc natæ sunt factiones illæ, Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, velut ex Chao δημιουργημένα. Hic Theologorum vulgus studia in contraria scinditur, dum hic rem rationabilem, ille realitates, breviter dum suum quisque dogma asserit.* Ostensa vero vanitate dogmatum istorum ita judicat: *Ni sol noster Jesus Christus præeat humanis tenebris, fieri plane non potest, quin palantes animi passim errent & a vero excidant. Quo duce cum careat istud Theologorum genus, quas non opiniones, quæ non portenta, immo quæ non idola confingit? cum varias divini numinis formas delineat: cum hic essentiam divinam re ipsa a relationibus, ille ratione distinguit: cum hic aliquot realitatum myriadas in eo numerat, ille realitates inter Platonicas ideas ridet. Quæso quorsum ista tam putida? quæ Paulus testatur ad ædificandam fidem nihil conducere. Est enim alia quædam spiritus doctrina, alia quædam lux, qua tenebræ mentium nostrarum divinitus discuti solent.* Post alia eodem facientia *moralem Philosophiam* aggreditur, *eamque* negat *cum Christiana doctrina convenire, immo e diametro cum Christo* dicit *pugnare. Optabile* (ait) *foret me rhetorice hoc potius quam vere dicere, & hoc errare loco. Sed hæc nimium vera est oratio mea.* Post multas alias querelas, *deprædatricem illam Philosophiam* esse statuit, quam Paulus caveri jusserit. Summam inde necessitatem ostendit, quæ Lutherum ad damnanda Philosophorum Ethica adegerit, præcipue in articulis summis *de lege, peccato & gratia.* Omitto quæ de *legibus,* de *peccatis* ac *affectibus* disputat Philippus: ubi *stultos* vocat *Theologos Scholasticos, qui dogma mediocritatis ad virtutes etiam theologicas applicent, ut prohibeant ne Deus immodice ametur.* De gratia tantum quædam addo: *Censent Philosophi absolutam virtutem in homine assuetudine parari; contra divinæ literæ docent, humana omnia polluta esse peccato, nec purgari nisi spiritu, quem Christus emeruerit generi humano. Omnia philosophi viribus humani ingenii tribuere, divinæ literæ omnia ademerunt, in comparanda absoluta, & germana virtute. Hic Scholæ Theologorum Philosophos secutæ virtutem parari posse viribus humanis, docent: Spiritum accedere, ut sese in nobis jam nostro Marte purgatis oblectet, non ut suo numine transformet, ac purget animos. Quo dogmate quis non videt Christum vulgo obscuratum esse, quem cum exhibeant divinæ literæ autorem boni spiritus, & purificatorem humanarum mentium, isti plane repudiant, cum nihil non pudet eos humanis viribus arrogare. Hinc prodigiosæ illæ de donis, de fructibus, de theologicis, de cardinalibus virtutibus disceptationes, ubi omnia tribuuntur naturæ, Christo nihil. Donorum enim quæ vocant & virtutum cardinalium plane fatentur seminaria quædam in natura esse. Theologicas vero virtutes, ne quid divino spiritui relinquant, fingunt alias divinitus in nos effundi, alias a nobis parari. Deinde, plane otiosas in nobis stertere eas, quæ divinitus inspiratæ sunt, vigere vero, quas nos paravimus. Quod dogma, ut veteres taceam, nuper contra Lutherum ausus est vinosus Lapitha, Sophista Eccius proponere disputandum, in hanc sententiam.* Nobilior est fides infusa quam acquisita, tamen ut dicam, fides acquisita est activior; *hæc enim illius verba sunt. Quæso vos, Principes, quid magis impium, quid magis blasphemum vel excogitari unquam aut a Marcione aut a Pelagio potuisset. An non videmus quid infusæ fidei tribuerit in Evangelio Christus, cum ait Petro,* Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. *An non*

(b) *Melanchthonis suspicio de Emsero.*

(c) *Refutat Rhadinum sub nomine Didymi Faventini, & Lutherum laudat Melanchthon.*

(d) *De Philosophia disserit.*

A. 1520.

(e) *Scholastica Theologiæ abusus notat.*

(f) *Eccium nominatim perstringit.*

A. 1520.

(g) Alios Scholasticorum errores persequitur.

non hic tribuit fidei confessionem spiritui Patris? aut vim fidei cui tribuit, quum ait, omnes a Deo doceri? Hoc genus sexcenta licet reperire in istorum commentariis, quos pro sacrosanctis habent. Et paulo post: Jam & nominibus gratiæ, fidei, caritatis ac spei sic abusi sunt, ut nihil minus in divinis literis significent, quam quod istis, in disputationibus suis. Adeo non modo Christi doctrinam, sed & sermonem dedidicimus. Nam ubi gratia quod Christo favoris vocabulum est, formam animi, ut isti disputant, signat? aut unde sunt fidei infusæ & acquisitæ, formatæ & informis appellationes natæ? Unde ille item caritatis ordo, quem præscribunt? Aut quo autore docent humanis meritis in spem salutis erigi Christianas mentes? Immo unde profana illa meriti appellatio, qua nihil impudentius aut magis impie confingi potuit? Persequitur inde multitudinem legum Pontificiarum, & casuum conscientiæ tot voluminibus enarratorum, quorum nomenclaturam nemo facere possit, interim in tanta Theologastrorum copia, non esse qui conscientias erudiant, qui leges divinas, peccati formas, aut ipsum Evangelium norint: Sacramenta vero ita tractari, ut baptismus facta sit frigida ceremonia, pœnitentia conscientiæ carnificina & ratio compilandæ plebis: missa in profanum quæstum & sacrificium a Scholasticis conversa, cujus fructus in quosvis dispensari possit pro arbitrio sacrificantis: multiplicatum Sacramentorum numerum a Thoma & Scoto, viro hoc nomine dignissimo. His & aliis argumentis dicit Lutherum & Philosophiam & Philosophorum fæcem Theologiam Scholasticam damnasse, huic enim deberi quicquid est in republica Christiana publicorum & privatorum malorum. Quorsum (ait) vesana curiositas, qua ne quid ignorare viderentur isti, omnium mysteriorum cælestium exactas rationes vestigare conati sunt? Adorari & credi volunt sublimia de Trinitate, de providentia, de incarnatione verbi mysteria, rationibus humanis penetrari non volunt. Atque utinam saltem Aristotelem suum audissent, hac parte, ubi tam pueriliter desipuere! ait enim ille, τὸ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον. Quorsum vero hæc stultitia, malle ad naturæ leges, quam ad divinas exigi hominum mores? cum falli judicium naturæ possit, divinæ legis non possit. An vero non fefellit usquam Philosophos ratio, quæ eis tot sectarum, tot dissensionum autor est. Quorsum hæc amentia, absolutam virtutem, humanis conatibus potius, quam divini Spiritus operæ tribuere, cum & Philosophi quidam innasci verius, quam parari nostro sudore virtutem docuerint? Hic vestram fidem, Principes, vestram pietatem implorat Ecclesia, ut hactenus Philosophiæ & humanarum traditionum captivam, vel tandem ab hac misera & bis Babylonica servitute adseratis. In Scholasticorum primores quosdam nominatim stylum acuit, quos omnes a Luthero vinci dicit bis sedecim pedibus, si de ingenii acrimonia, de eloquentia & Cyclicis disciplinis contendatur. Damnat Scholas non ut parum ingeniosas, aut quod orationis ornamentis careant, aut quod obscuræ & imperitæ; sed quod impiæ sint, & de impietate ex sacris literis a Luthero convincantur: affert inter alia exempli loco Thomæ sententiam: Antequam ratio in qua est peccatum mortale reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare. Hoccine (ait) est, in Christi obsequium vincire intellectum humanum? illam enim gloriam Rhadinus Scholasticis tribuerat. Occamum (delicias ait quondam nostras) ob hanc thesin condemnat: Gratia opus esse ad justificationem, neque Scriptura neque experientia testatur. Hac occasione adversus jactatam Ecclesiæ pacem (quam in frontispicio operis Maimburgiani collaudatam vidimus) ita scribit Philippus: Pax censenda non est, quod annos jam quadringentos nulla videntur hæreses fuisse, nulla dogmatum bella in Ecclesia: nam & hæreses ipsi communi in scholis decreto professi estis, nisi hæreses vocare non licet, quæ contra Evangelium prodita sunt, & cum pro Evangelio reluctari Pontificum & Principum tyrannidi debuissetis, contra Evangelium a tyrannide stetistis. Ibi cum libere degrassari in pietatem tyrannis licuerit, quicunque tandem fuere, quorum scelere factum est, ut prisca Ecclesia statuta legesque paulatim

(h) Quæ vera pax sit Ecclesiæ ostendit.

extinctæ sint, vos socordiam vestram, pacis studium interpretamini. An nescitis non pacem in terras sed gladium missum esse? Non minus acriter oppositam illam autoritatem Cleri aggreditur: Si Christianos (ait) faciunt purpura, mitra, tituli vestri, & illa insana stipendia, quibus saginamini, nihil Christianius reperiemus Sybaritis illis ac Milesiis hominibus, ut ferunt, prodigiosæ luxuriæ. Et quia ab opibus ac deliciis vestris æstimari doctrinam vultis, quæso Paulum audite, hujus judicii vestri βάσανον, cum scribit: Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Cum vero Rhadinus Lutherum provocet ut unus insurgat contra decem millia, Audi (inquit Philippus) unius Christi potior est, quam decem myriadum calculus. Christi spiritum Lutheri doctrina referri contendit. Vincat itaque, ait, si ex Deo ejus spiritus est, si cum Christi literis consentiunt ejus dogmata, quem unum profitetur, ut vero cum Aristotele, cum Thomastris, cum insanis Pontificum constitutionibus conveniant, non laborat. Quanta vero, & soliditate & eloquentia, quantaque fiducia ad objecta vulgaria illa pro primatu Pontificis, loca respondeat, & quomodo Lutheri institutum & sententiam tueatur, optandum esset, ut omnes ex ipso legerent tractatu. Summam disputationis huc reducit, ut neget jure divino primatum illum niti: Causentur isti (ait) seculorum consensum, consuetudinem, hominum opiniones: nos oracula sancti Spiritus causabimur, quibus par est humana omnia cedere. Esto, imperarit Romanus Episcopus Galliarum & Germaniarum Ecclesiis, nos de jure quærimus: Num divino jure oporteat Romano Pontifici serviamus, quo cum non cogamur, quid obstat, quo minus Papæ, quod dedimus jus, adimamus? Nam in hoc vindicanda est libertas Ecclesiastica, ne illius legibus diutius conscientiæ divexentur & crucientur. Et postea: Hic vestram fidem, hic vestra studia implorat Lutherus, implorant omnes pii. Alii apertis vocibus, alii lamentis, alii miserabilibus gemitibus, & ipsi etiam in cunis infantes, qui vobis suam salutem, cum non possunt voce ac verbis, vagitu commendant: vel tandem recordamini vos & Christianos esse, & principes Christiani populi, & ab Antichristi tyrannide miseras Christianismi reliquias adserite. Fallunt enim qui vobis adversus sacerdotes, ut ipsi loquuntur, licere nihil volunt. Nam qui spiritus animavit Jehu adversus sacerdotes Baal, idem nunc quoque cohortatur vos prisco illo exemplo, ut extinguatis illam multo teteriorem Baalis idololatria Romanam superstitionem. Proinde ut intelligatis, qui fuerit dominatus Pontificius jam a seculis aliquot, & quam nihil referat Christi, paucis percurram res Pontificias. Quæ affert ex historiis Pontificum, cum notissima sint, hic recitare non est opus. Acerbe invehitur in sublatas scholas quæ olim in collegiis habebantur, & queritur de intrusis in hæc otiosis monachis, & sacrificis: multa queritur de Academiarum instituto, quas severa reformatione indigere validis demonstrat argumentis, & Principes graviter cohortatur, ut animum ad illas reformandas serio intendant. In manu, inquit, vestra est, modo velitis opem ferre vel hac parte Christiano populo, quem fidei vestræ Deus optimus maximus commendavit. Equidem hæc non sine magno animi mei dolore vel dicere vel cogitare possum, atque utinam salutem Academiarum hac anima mea queam emere. Non eram de moribus eorum qui degunt in Academiis dicturus. Sed huc me rapit dolor, maxime cum hic peccetur publicis exemplis. Quæso quid aliud Academiæ sunt, quam quædam omnium vitiorum lerna? Adolescentia, quæ tenerrima pars Christiani populi est, luxu, libidinibus, ingluvie perit. Quid enim faciat hæc ætas, cui tam suaviter indulgent magistri quos pascunt? Deinde ut diligens præceptor contingat, quid promoveat cum sacra aut plane non doceat, aut parce doceat? At juvenilem mentem frustra regas, nisi adversus carnem, adversus exempla mundi, adversus insidias Dæmonum Evangelicis literis & exemplis munias. Et post alia quædam: Nulla apud gentes respublica fuit, in qua non fuerit

A. 1520.

(i) Primatum Papæ de jure divino esse negat.

(k) De Academiis queritur.

A. 1520.

præcipua cura juventutis optime instituendæ: soli nos, qui Christi nomen habemus, nihil perinde atque hanc unam rem inprimis necessariam contemnimus. Agite Principes, cognoscite quibus minis vocet ad curam regendæ juventutis Christus, cum inquit, Qui offenderit unum ex pusillis istis qui in me credunt, illi melius fuerat mola asinaria de collo suspensa, in profundum maris demerso esse. *Si parum adficiunt cætera, at miserescat vos innocentis adolescentiæ, quæ alieno scelere perit. Ipse aliquot vidi minime malos juvenes, qui nescisse literas malebant quam tanto emisse, qui ex Academiis præter sauciam conscientiam nihil retulerant.* Dominici deinde & Francisci instituta eatenus laudat, quod Ethnicis studiis se opposuerint, & Ecclesiæ vindices esse voluerint; sed queritur horum discipulos ad Paparum dominatum stabiliendum & ab Evangelio ad hominum commenta transiisse, ita ut nemo jam Theologus Christianus sit, sed aut pinguem Thomæ philosophiam aut impeditas Scoti quæstiones aut argutias Occami discere debeat, cœlestem ac simplicem Christi sapientiam nemo ambiat. Pergit: *Cum in Ecclesia docendi provinciam jam Episcopi parochis, parochi fratribus* (Monachis) *delegassent: fratres alii per ambitionem philosophicas suas, alii ventris causa plausibiles fabulas docere cœperunt. Hic confingi Divorum historiæ, venundari preces, præscribi subinde novæ ceremoniolæ, & hoc genus infinita. Breviter, sic certatum est mendaciis, ut minime sit obscurum, Satanæ scenam fuisse, istorum conciones, o gratiam, o jucundam dæmoni comœdiam! sic ridere, ludere, subsannare stultum vulgus. Non erat jam cur insidiaretur Ecclesiæ Satan, sed fruebatur capta & subacta.* Postremo orationis capite *de indulgentiis & pœnitentia*, item *de attritione*, qua spiritus Dei impetretur ex Scholasticorum traditis, quæ sit controversia egregie ostendit. Calumniam denique, quod Lutherus bellum cum Turcis improbet, ita eluit, ut dicat, *nil aliud velle Lutherum, quam ut pium esse dicat, nos ipsos prius emendare, quam ferro in Turcas grassari, & astum Paparum detegit, quo vel objecerint Principes & populos gladio infidelium, ut ipsi interim domi dominarentur, vel pecuniam Turcici belli prætextu corraserint.* Epilogus quo Principes ad ferendam Ecclesiæ opem admonentur, summe est memorabilis, & in tota hac oratione specimen elucet quid inventione & stylo valeret Philippus, eo præsertim juvenilis ætatis vigore: neque enim alibi puto altius eum assurrexisse, aut magis mascule sententiam suam aperuisse.

(l) *Alia quadam.*

Reposuit Philippi responso *Rhadinus* declamationem aliam; cujus, etsi in annum sequentem incidat, hic mentionem faciendam esse existimavi. In hac quicquid ex Catilinariis & Philippicis imitari potuit, largissime denuo in Lutherum & omnes, qui ei vel assensum vel patrocinium præstabant, effudit. Immanis calumniæ specimen esto inter plurima cum scribit: *Nonne tu Cæsar & vos Principes jam videtis, quo sceleratissimæ hujus conjurationis & seditiosæ flammæ incendium tenderet? Oppressam primum volebant Pontificiam dignitatem extinctumque Episcoporum splendorem, quo sic deinde populos religione exolutos facilius corrumperent, neque Ducibus, neque Regibus, neque Cæsari parere paterentur: quoniam ea demum Lutheranis Christiana libertas est, non Sacerdotes, non Pontifices, non leges, non mores majorum, non instituta Patrum, non principatus, non ipsum denique vereri Deum.* Et postea: *Quantum iste tibi Cæsar & vobis Principes amicus sit, quantum Christo & Paulo obediens, hinc apertissime cognoscitis. Christus, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda, statuit: Paulus tributa propter conscientiam præstanda censuit: proptereaque potestatibus sublimioribus omnem animam subditam esse oportere, ne ordinationi Dei, cujus Principes ministri sunt, resistamus: iste vero inflatus furiisque accensus, satis per se volubilis incitat plebis animos, ne Lutheranæ* (*Christianam ipse vocat*) *libertatis immemores sint: ut sua jura viresque cognoscant: ut æquatis solo* (*si possent*) *principatibus libere tandem vivere, immo ut fundamento libertatis, & æquitatis fonte, quæ in legibus posita sunt, ablatis, sine mente, sine animo, sine consilio, pecudes demum feroci ariete attollere cornua aliquando possint.* Cum Melanchthone multa expostulat. Lutherum præter infinita convitia etiam ideo a diabolo edoctum esse contendit, quod Romam *Babylonem* dixerit; oblitus dudum idem ab iis factum, quos reprehendere Romæ nemo facile ausit. Cætera quis enumeret, quæ vel adversus Lutheri dogmata, vel ad Philippi defensiones, incredibili despumat petulantia? Subjungam etiam verba, ex quibus vana hominis spes elucet, quam de interitu Lutheri, prostrataque tota ejus causa, per Edictum VVormatiense conceperat: *Quoniam perscriptum est Cæsareum illud tuum edictum, jamque apud omnes gentes pervulgatum est, Martinum turpi exilio mulctatum, vitam illam arrogantissimam ignibus justis debitisque ereptam fugæ solitudinique mandasse, proscriptionem ipsam in præsentia non exponam: verum Christianæ reipublicæ summopere gratulabor, qui Dei optimi voluntate ac numine, divorum suffragio & precibus, bonorum omnium studio, Pontificis maximi autoritate, eruditissimorum virorum laboribus & consilio; tua, Carole Cæsar, pietate, religione ac imperio, ex Lutheranis flammis erepta sit. Quanquam enim voces illæ jactentur:* adhuc Martinus vivit, vivit adhuc; *nostræ tamen gratulationi haudquaquam officiunt, quandoquidem hac Lutheri expulsio nefandissimæ istius conjurationis vires vehementius fregerit ac debilitaverit, quam si ultimo supplicio ille ipse fuisset affectus. Isto namque uno interfecto ad breve quoddam tempus ab hac pestilentia fortasse relevata extitisset religio, sed mox densior quædam malorum hominum seges ex Lutherano seminario succrevisset: qui scilicet superbissimi & violentissimi conjurati morte illa terreri non possent, qua ob desperatam tranquillæ vitæ rationem, quum sibi anxietates in præsenti & miserias adimi viderent, tum ob effrenatam gloriæ cupiditatem parari famam apud posteros arbitrarentur. Sed major hæc fuit sceleratæ factionis vulneratio & excisio, ductorem illum & principem, quem triumphali pompa VVormatiam deduxerant, cui ex oppidis & ex agris tot impii occurrerant, quem jam victorem salutaverant, condemnatum, infamem, profugum, redeuntem videre, viarum flexiones ac diverticula quærentem, ut sese tandem a conspectu hominum in ignoto quopiam loco abderet ac sepeliret. Hæc illa pœna est, hi sunt ignes, hæc est mors, quam plus omni morte Lutherus odit, elata illa sua cornua confracta esse, abjectum se & contemtum intueri, prodire in publicum non audere, sibi & amicis diffidere, circumspectare omnia, & quicquid increpuerit pertimescere, atque in æternis demum tenebris sine libertate, sine autoritate, sine voce, cum sempiterno arrogantis animi cruciatu ac dolore marcescere. Vivat igitur Martinus* (*neque enim illius unquam sanguinem expetivi*) *vivat miser, derelictus & vilis.* Denique Cæsari ita blanditur: *Tu ille igitur Cæsar ecclesiasticæ dignitatis assertor, heros & semideus, qui in hac tua adolescentia hoc specimen virtutis, hoc indicium animi & prudentiæ, hoc lumen imperii tui fore putavisti, si in conservanda religionis pietate eum te præstares, quem Cæsarem habere Christiana respublica jure optimo gloriari possit. Quanquam enim tua ista præstans singularisque natura ab illius Capricorni cœlestis astro, sub quo natus es, favores maximos hauserit, quibus & tibi magnitudo illa imperii, quæ Cæsari Augusto concessa est, promitti videatur; nescio quid tamen divinius in te Cæsar intueor, quod certe non a Capricorno defluxit, etsi sub ipso Reges maximos & acutissima cujusdam ac divinæ mentis viros nasci, quum mathematici tum etiam Platonici doceant, qui hoc signum Saturni domicilium portamque Deorum appellavere: non inquam cœlo, quam potens & ampla sit hæc tanta pietatis & fidei Christianæ lux, quam de te oboriri videmus, descendit; ab illo patre luminum tibi donata est, apud quem nulla reperitur conversionis differentia, vicissitudinisve diversitas, per quem Reges regnant ac tibi tot regnorum accessio facta est, ut vere his auspiciis Romanæ Ecclesiæ sedisque servatæ, nihil dubitemus imperii tui fines illos futuros, qui non terræ sed cœli regionibus terminentur. Sit itaque Constantinus clarus, ille cujus religione atque virtute perfidus*

(m) *Rhadinus Philippo respondet, magna cum calumnia, rebellionis crimen objiciens.*

A. 1520.

(n) *Gloriatur de condemnato & peremto Luthero.*

(o) *Cæsaris opem implorat.*

Arrius

A. 1520.

Arrius exulare coactus est: ornetur eximia laude Gratianus, qui Arrianos itidem ex Italia depulit: habeatur vir egregius Theodosius ille, cujus autoritate & imperio fretus Innocentius Cataphrygas impios ejecit ex urbe: sint æterna gloria Sigismundus & Fridericus proavi tui, qui ut Hussiticam pestem funditus extinguerent, consilio, vi, armis, omnibusque severitatis rationibus laborarunt. Erit profecto inter horum laudes sublimis locus tuæ gloriæ, quod non modo Lutherum & socios a pernicie reipublicæ Christianæ repuleris, sed quod prudentissimo illo & severissimo tuo Edicto provideris, ut minimo vel nullo motu ac tumultu nefandissima secta per sese a radice concideret. Non ingratum credo Lectoribus futurum esse legere ista, Viri, inter doctissimos tunc Romæ, nec immerito habiti, quum præsertim in paucorum versentur hodie manibus, quæ tum pagellis impressa & sparsa, variis casibus periere, aut neglecta & fastidita fuerunt. Interim dupliciter falsus est in spe sua monachus, nam res Lutheri, ut ex sequentibus apparebit, minime prostrata VVormatiensis decreti fulmine, aut ejus secessu in arcem VVartburgensem, majora potius habuit incrementa, & Caroli severitas quam Romani ab eo in Lutherum postulabant, in ipsos haud multo post recidit, cum Roma exercitui Cæsareo in prædam cessit. Cæteras rabidi Rhetoris calumnias refutatione non egere lectores ipsi observabunt; impudens præsertim mendacium illud de seditione in magistratus & sublato ordine Ecclesiastico, quod commune est Rhadino cum Aleandro & aliis eodem spiritu actis. Interim Cochlæus exultat, *quod Philippus tacere maluerit quam dedecora sua dedecorosius in literas referre.* Operæ pretium faceret qui utramque *Rhadini* declamationem & *Philippi* sive *Didymi* responsum, separatim edere: additisque annotationibus judicio Eruditorum deferre velit, uter dedecora retulerit.

(p) *Epicrisis.*

§. LXXI.

(1) *De literis Schaumburgii & Sickingii ad Lutherum.*

Inter hæc *Sylvester a Schaumburg*, splendidus in Franconia ex libera, quam vocant, nobilitate eques, (familia nobilissima etiam nunc superest) filium Wittenbergam miserat Philippo Melanchthoni commmendatum, eaque occasione Luthero patrocinium obtulerat, ut ex hujus epistola ad Spalatinum apparet, *Dom. Voc. Jucund. (d. 13. Maji.)* scripta. *Lib. I. ep. 172.* Idem fecerat *Franciscus Sickingius*, magni nominis in tractu Rhenano eques, *(ep. 183.)* de quo plura postea dicenda erunt. Sed *Schaumburgius* mentem uberius explicans, literas ad Lutherum *(Tom. I. Alt. fol. 549.)* dedit, in quibus *audivisse se* scribit *a viris eruditis, doctrinam ejus verbi divini autoritate niti, intelligere tamen, Lutherum, licet se concilio, & piorum doctorumque virorum judicio submisisset, de vita periclitari, & fugam ad exteros, maxime Bohemos meditari, qui Ecclesiasticam potestatem haud multum curent. Id ne faciat, nec causam suspectam odiosamque ex Bohemorum societate reddat, impense rogat, offertque suum & centum, quos accessuros sibi sperat, Nobilium patrocinium, sub quo tutus esse possit, donec de doctrina ejus cognoscatur.* Hanc epistolam Lutherus, cum jam de Bulla Pontificia aliquid ex literis Pontificis & Cardinalis S. Georgii ad Electorem datis, percepisset, Spalatino misit d. 10. Jul. his verbis *Lib. I. ep. 180. Mitto literas Francici equitis, Sylvestri Schauenbergen, & nisi molestum esset, vellem in literis Principis id subindicari Cardinali S. Georgii: ut scirent, etiamsi me pellerent diris suis e Wittenberga, nihil effecturos, nisi ut rem pejorem e mala reddant: quandoquidem jam non in Bohemia, sed media quoque Germania sint, qui expulsum tueri possint & velint, invitis ipsis, contra omnia sua fulmina. Ubi periculum est, ne iis protectoribus tutus sævius in Romanenses sim grassaturus, quam si sub Principis imperio publicis militarem officiis docendi: id quod sine dubio, nisi Deus obsistat, futurum est: Principem vero, ut hactenus in multis suspexi, etiam irritatus, tunc certe non necesse erit suspicere. Itaque, quæ illis a me nondum sunt illata, nec meæ modestiæ, nec suæ tyrannidi aut meritis, sed Principis nomini & autoritati, tum communi studiosorum Wittenbergensium causæ, sciant deberi. A me quidem, jacta mihi alea, contemtus est Romanus furor & favor: nolo eis reconciliari nec communicare in perpetuum: damnent exurantque mea. Ego vicissim, nisi ignem habere nequeam, damnabo publiceque concremabo Jus Pontificium totum, id est, lernam illam hæresium: & finem habebit humilitatis exhibitæ hactenusque frustratæ observantia; qua nolo amplius inflari hostes Evangelii. Quanto magis epistolam Card. Georgiani cogito, tanto magis eos contemno, quos mera ignavia & pessima conscientia video convulsos, velut extremo halitu simulare ferociam. Vi tentant suam ignorantiam tueri: sed metuunt, ne non sicut heri & nudius tertius feliciter succedat. Dominus autem, qui scit me esse teterrimum peccatorem, suam causam sive per me, sive per alium perficiet, quod non dubito.* Eodem fere sensu Romam ipse scripsit, ut ex literis d. 23. Augusti. ad Spalatinum datis apparet *Lib. I. ep. 188.* ubi eum, ad quem scripsit, nominat *S. Crucem*, Cardinalem forte ejus tituli. Quapropter alieno loco, nec sine maligno interpretamento, Maimburgius infra de equitum Franconicorum protectione Luthero oblata commentatur; uti postea *§. LXXXII.* videbimus. Hoc tamen ex literis his constare videtur, Lutherum confirmatiori animo acceptis Schaumburgii literis fuisse. Quæ enim præcedenti die 9. Julii ad eundem Spalatinum scripserat, perturbationem non levem indicant, nec minus adscribi merentur. Questus nempe quædam de odiis Romanensium in se ita pergit, *Lib. I. ep. 179. Nosti, quod justiore causa ego querularer quam ipsi: testes sunt mei editi libelli, in quibus toties confiteor & queror, me in hanc rem nulla libidine venisse, sed per vim tractum esse: deinde toties obtuli pacem & silentium: ubi autem non rogo & extorquere conor informationem meliorem? Adhuc sic sum animatus ut taceam, si tacere permittar, hoc est, si illi quoque compescantur. Omnibus notum est, Eccium nulla alia causa me rapuisse in rem Pontificiam, quam ut me, nomen meum, omnia mea, denique Universitatem nostram in ludibrium poneret & conculcaret. Nunc, cum videant homini divinitus resisti, me gloria insana accusant. Quid ego gloriam quæram miser, qui aliud non peto, quam ut privatus & latentissimus deserto publico, agere sinerer? Habeat officia mea, qui volet: exurat mea, qui volet: quid amplius faciam, rogo? Sed hoc simul dico, si non permittor ab officio docendi & ministerio verbi liber esse, certe liber ero in ministerio fungendo. Sat multis peccatis sum onustus: non addam etiam hoc irremissibile, ut in ministerium positus, ministerio desim, & reus inveniar impii silentii, neglectæ veritatis, & tot millium animarum.*

(2) *Lutheri de iis ad Spalatinum epistola.*

(3) *Alia ejusdem ad eundem.*

A. 1520.

SECT.

A. 1520. SECT. 28. A. 1520.

(1) De libro Lutheri ad Cæsarem & Nob. Germ.

(2) Item de captivitate Babylon.

Sic Lutherus ludos faciebat Papam, quem laudare simulabat; cumque animadverteret hac doctrina falsæ libertatis Christianæ, licentiæ hominum faventis, plures sibi quam unquam sectatores quæri, voce & scripto id operosissime agebat, ut Ecclesiam Romanam in dies magis invisam redderet, disciplinam & leges ejus culpans, & autoritatem negans, libello Germanico, quem ausus est Imperatori & Germanicæ Nobilitati inscribere. Omnem etiam doctrinam de sacramentis corrupit, libro Latino de captivitate Babylonica, & in hujus fine cruentius bellum minatur, quia comperisset, fulminantem adversus se Bullam parari.

Cochlæus. Capt. Babylon. Luth. t. 1.

§. LXXII.

(1) Occasio scriptorum Lutheri.

Piget reiteratam toties calumniam de licentia plebis, per Lutherum procurata, refellere, cum ex tot ejus scriptis dictisve contrarium manifeste appareat; neque aliud scripserit, quam ipsæ de libertate Christianorum clarissime docent sacræ literæ. Verum autem est, Lutherum non tam fama, quæ de condemnatione ejus Romæ decreta vulgabatur, quam conscientiæ scrupulis & indies aucta veritatis eruendæ cupidine impulsum, ad libellos illos edendos progressum esse, quos culpat Maimburgius. Et prior quidem Germanice scriptus est *ad Cæsarem & Nobilitatem Imperii*, cum brevi ad *Nicolaum Amsdorffium* præfatione d. 24. Jun. data, extatque *Tomo I. Alt. fol. 480. ad 510.* Retulit libelli contenta *Cochlæus* in historia hujus anni, eaque facilius vituperat, quam refutat. Tanta quidem cum libertate scripsit Lutherus, ut etiam amici ejus libellum istum pro classico belli haberent, quapropter apud *Langum* Augustinianorum Vicarium, non alia se ratione excusat, quam quod persuasus sit, *Papatum veram & Germanam Antichristi sedem esse, Lib. I. ep. 187.* addit tamen, *multis placere, nec aulæ Electorali penitus displicere.* Et jam d. 20. Julii ad *Linccium*, Norimbergensem Augustinianum, ita scripserat: *Editur libellus noster in Papam, de reformanda Ecclesia vernaculus, ad universam Nobilitatem Germaniæ, qui summe offensurus est Romam, ductis in publicum impiis artibus & violentis potestatibus ejus.* Nihil sane in illo omisit, quæ ad abusus per tot secula invectos detegendos & corrigendos facere putabat.

(2) Literæ Lutheri de libello ad Cæsarem.

(3) Contenta scripti.

Triplicem ante omnia murum, quo Pontificatum adversus reformationes semet muniisse dicit, subruendum aggreditur. Primo enim negat prærogativam Cleri, qua Laicis præcellere volunt, tantam esse, quanta prædicari hucusque solita fuerit. Exaggerat e contrario præstantiam conditionis, quæ omnibus Christianis, ut spiritualibus & sacerdotibus competat, adeo ut ad ministerium exercendum in casu necessitatis quilibet aptus sit. Negat secundo, Scripturam dependere ab autoritate Pontificis, cum is æque ac alii falli possit. Tertio itidem negat convocandi Concilii potestatem ad Pontifices pertinere, sed jus illud quoties eo opus est, Principibus vindicat: deinde remedia expendit adversus luxum, avaritiam, Simoniam ecclesiasticam, omnesque Romanæ curiæ defectus, quos longo ordine recenset: ut tantam rerum peritiam, non nisi cum admiratione, in homine monacho & scholæ atque cathedræ addicto, cognoscere liceat. Complectitur fere omnia, quæ postmodum Imperii ordines de Pontificii regiminis vitiis publice questi sunt. Quædam etiam adversus confessionum, missarum, peregrinationum, adeoque contra cultus & dogmatum abusus & errores inserit, & Pontificum invasiones in regna & urbes Italiæ improbat. Monasteriorum & collegiatarum ecclesiarum rectum & salutarem usum reducendum suadet, ad Nobilitatis etiam conservationem respiciens. Bohemorum schisma facile tolli posse arbitratur, immo & Picardos, quos vocabant, Ecclesiæ conciliari, etsi dogma scholasticum de transubstantiali præsentia non admittant, dummodo veram & naturalem confiteri velint. Academica studia omnia & singula corrigi debere contendit; in impietatem Aristotelis graviter invectus, neque ex eo præter Logicam, Rhetoricam & Poëticam quidquam doceri optat. Rejicit jus Pontificium seu Canonicum, emendandum vero & contrahendum Cæsareum, & in subsidium tantum eo utendum censet, restitutis legibus patriis. Egregia monet de studio theologico, utque id primario ad intellectum sacræ Scripturæ destinetur; scholas tam puerorum quam puellarum, præcipue ad pietatis præcepta institui debere docet. Quæ de translatione Imperii ad Germanos a Græcis, & de Imperatorum majestate tractat, infra recurrent §. LXXXI. Tandem etiam Politiæ vitia emendanda monstrat: luxum vestium & mensæ, invectionem aromatum & mercium peregrinarum, damna usurarum & monopoliorum, neglectam educationem liberorum, turpitudinem lupanarium: qua occasione promiscua & præmatura vitæ monasticæ vota improbat, & ante annum trigesimum neminem ad illa admittendum esse existimat: mendicos, sive monachi sint sive laici, tolerari debere negat. In epilogo certum se esse, ait, odii & persecutionum, scire tamen, plus quam vitam sibi eripi non posse: se jam satis diu petiisse ut audiatur, repulso & contemto sibi Deum os aperuisse, & alia magis invisa se habere, quæ Romæ objiciat. Quocunque vero zelo in libello hoc utatur, Pontificatum tamen ipsum bonis legibus ordinatum non rejicit, & Cardinalium collegium ex piis & peritis viris constituendum, & intra duodenarium numerum restringendum esse monet.

§. LXXIII.

(1) Lutheri libellus de captivitate Babylon.

Alter libellus Latine mense Augusto, ut §. *LXVII.* ex literis Electoris & Miltitii annotavimus, prodiit, titulum habens: *De captivitate Babylonica Ecclesiæ, præludium D. Mart. Lutheri*, ubi præcipue de natura, numero & usu Sacramentorum agitur, & extat *Tomo II. Lat. Jen. f. 273. & seqq.* De jure Pontificum in hoc pauca quidem, sed talia præmittit, quibus ea, quæ Lipsiæ concesserat, retractat, & jam Papatum regnum Babylonis, sive Nimrodicam venationem esse aperte statuit. Reliqua hujus libri, cum dogmatica sint, clarius postea & fusius disputata, enarrare hic supersedeo. Germanice versus exhibetur *Tom. VI. Alt. in Append. fol. 1370. & sqq.* Cum vero Lutherus Eccium jam Lipsiam venisse, & Bullam afferre intelle-

(2) Invectiva Lutheri in Eccium.

intellexisset, scripto Germanico (*Tomo. I. Alt. f. 526.*) acriter in eum invectus est, & allegatis tractatibus paulo ante publicatis, *indoctorum Canonicorum & Eccii dedolati*, imputationes quasdam ejus adversus se, ut mendaces & malignas refellit. Etiamsi Hussi, cujus libros interea legerat, causam aperte tueri incepit, dolens quod Lipsiæ id non æque fecisset. De condemnatione ejus memorabilem historiolam refert, ut a quodam Doctore *Joh. Zacharia* adjuta fuerit, producto ex Hussi diversorio, per fraudem, Bibliorum exemplari quod ab aliis omnibus discrepans, in loco *Ezech. XXXIV. 11.* verba inserta habebat, *& non populus meus*, quæ Hussus ibi reperiri negaverat. Audisse se hæc scribit Lutherus ex *Andrea Prole*, Lipsiensi, Priore Augustiniano. Is Leoni Pontifici totique consessui festa multiplicaturo, in concilio Lateranensi liberius contradicens, excommunicationem incurrerat, & decrepita ætate nec quicquam ab Ernesto, Electoris Sax. fratre, Archiepiscopo Magdeburgensi, [qui anno 1513 decessit] protectus, antea cœptam a Luthero disputationem exul aut vagus obierat. Erat vir doctus & reformationis cupidissimus, quam etiam instare vaticinabatur. Vide *Melch. Adami in vit. Theol. pag. 5. Dresser. Mill. VI. p. 40. & seqq. Petrus Sylvius*, Pastor Dresdensis, acerrimus Lutheri calumniator, conciones Prolis edidit anno 1530. Vocat eum *Prælatum & Vicarium Augustinianorum, & prædicatorem gratiæ plenum*; (**einen gnadenreichen Prediger**) sed interpolatas esse oportet conciones, parum enim habent, quo elogium illud mereantur. Sub finem scripti, de quo loquor, Lutherus negat se Bullam Pontificiam, quam Eccius attulisse dicebatur, pro vera habere, nisi autographum viderit; & adversus executionem ejus protestatur. Sublegenda, antequam de Bulla tot turbarum autrice agamus, quædam sunt, quæ historiæ hujus temporis partem faciunt. Mense Julio cum tumultus Wittenbergæ inter Studiosos & cives concitatus, & Lutherus in juventutis Academicæ licentiam durius concionatus esset, magnam invidiam sibi conflavit, quam ipse inter insignia pericula, quæ intra triennium sibi contigerint, refert. Spalatinum etiam in hoc negotio iratum habuit, & Amsdorfium dissentientem. Vide *Lib. I. ep. 181. & seqq.* Sed Pontificiæ condemnationis major metus instabat, & consilium ab amicis sibi datum Lutherus d. 3. Octobr. Spalatino aperuit, ut ab Electore edictum imperiale impetraretur, ne quis eum nisi Scriptura convictum damnaret; simul de libellorum suorum multiplicatione ipse queritur, optatque ut concionatores potius multiplicari possent, qui, quæ scripserat, vulgo traderent; nunciat etiam, nescio quid, quod ad eum scopum in Italia fieri, & ab Electore promoveri posse credebat. Eccium non eo quo antea favore, sed male tutum & contemtum haberi scribit, & apud Dominicanos latitare pericula metuentem, a quibus tamen eum salvum cupiat. Ex Lutheri epistola d. 3. Octobr. data hoc quoque discimus, quod Hutteni libri Moguntiæ prohibiti fuerint, ipse vero ingenti spiritu in Pontificem accensus, armis & ingenio rem tentarit. Scripserat autem Huttenus jam d. 4. Junii ad Lutherum, eumque animaverat, Eccio insultans. Retulit epistolam scriptor vitæ

(3) Mentio Andreæ Prolis & Ernesti Magdeburg. Archiep.

(4) Tumultus Wittenbergicus.

(5) Lutheri epistolæ ad Spalatinum.

(6) De Hutteni literis quadam.

Lib. I.

Hutteni *Melchior Adamus*, & Germanica eorum versio extat *Tomo I. Altenb. fol. 444.* Sed & aliis postea literis de cavendo veneno Lutherum monuit, quo se jam tentatum esse questus est. Vide *Lib. I. ep. 193.* & *Tom. I. Altenb. fol. 546.*

ADDITIO I.

Dignissimus est *Ernestus* Saxoniæ Princeps, Archiepiscopus Magdeburgensis, cujus memoria recolatur. Postulatus fuit ad Archiepiscopatum Magdeburgensem anno ætatis suæ duodecimo 1476. autoritate enim summo loco nati & eximiis opibus præditi, Parentis cognominis, Saxoniæ Electoris, opus esse Canonici putabant, ad pacem & disciplinam inquietissimo illo seculo tenendam. Ernestus autem Elector tanta erat sapientia, fortitudine & potentia, ut veluti arbitrium quoddam belli & pacis in Germania haberet: respiciebatur etiam liberalis atque honesta educatio filiorum; nam non solum *Fridericus* primogenitus, de quo plurima dixi, talis fuit, ut *sapientis* cognomento etiam nunc prædicetur, & *Johannes*, qui ei in Electoratu magna cum laude bonitatis & constantiæ successit, sed & reliqui. Et Albertus quidem secundogenitus ante annos curamque gerens animumque virilem, Archiepiscopus Moguntinus ætatis anno decimo octavo electus, quietum & felix quidem sed breve habuit imperium, anno 1484 altero post adeptam dignitatem, præcipiti fato abreptus. Sed Ernestus iste Præsulatum Magdeburgensem & Halberstadensem summa cum laude, ut ex illorum temporum instituto licebat, rexit. Introduxit eum pater Elector Magdeburgum, quatuor millium comitatu, in quo erant Elector Brandenburgicus, Principes quidam Brunsuicenses & Hassi, tum Episcopi Saxonici octo. Cum vero nec tantæ potentiæ & dignitatis metu pax in provinciis conservari posset, patriis armis adjutus Præsul refractarios domuit. Sed ista ad seculi typhum pertinent, ut multa alia magnifica magis quam pia; (non immerito ita judicante Chytræo *Lib. II. p. 56. 57.*) Præstitit interim, quod mores seculi & inveterati defectus permittebant, & aliquanto plus quam alii: neque enim sacra prorsus neglexit: Sacerdotis ordinem ipse suscepit, quod excelso genere nati, licet ad Episcopatus evecti, sæpe omittebant. Fabricii verba adscribi merentur ex *Lib. VII. Orig. Sax. fol. 795.* *Ipse in obeundis muneribus Ecclesiasticis diligens & assiduus fuit: ea enim quæ majores ipsius per vicarios aut suffraganeos, ut nominant, egerant, aut quæ multis annis plane intermiserant, ipse per se egit atque instauravit: turpe dicens esse, Episcopi dignitate excellere & gloriari, & ea, quæ ad officium ejus pertinent, pudore aut superbia omittere atque negligere. Sacra igitur sæpius ipse fecit, quæ Halberstadii hominum memoria in suo templo ab ullo præsule celebrata nulli meminerant. In ædibus templisve dedicandis alii locum reliquit nulli. Ea tum religio præcipua erat, & opus unicum præsulum: nam docendi munus monachis mendicantibus, aut curionibus mercenariis committebatur, cum id non modo Canonici non susciperent, sed minorum etiam ordinum sacrifici ad se pertinere non existimarent. Eo tempore si aulas Antistitum vidisses, Regum aulas diceres: tam venerabiles comitatus, & tam selecti ministri erant; in vestitu vero atque sumtibus exquisita copia & varietas. Quod cum pugnare cum suo officio duceret, disciplinam domesticam correxit, luxum sustulit, frequentiam turbæ ad minorem numerum coëgit; in ministros fidos & spectatos semper mansit perhonorificus. Sumtus autem præ cæteris majores fecit in ædificia: nam arcem Halensem de fundamento excitavit, & a Divo tutelari* Mauricianam *appellavit: sacellum in eadem ornatissimum extruxit, idque & pluribus & pretiosis auxit donariis. Tum alias quoque per universam diœcesin aut condidit aut renovavit, Eglensem, Vancelebiam, Volmerstetiam, Gruningiam, Jatterslebiam, Glanstetiam. Palatia etiam, in qua sedes præsulum erant, Magdeburgi & Halberstadii, in formam meliorem reduxit & ampliavit.* De eodem Antistite hæc leguntur in oratione Christophori Scheurlii supra ad §. XLII.

(a) De Ernesto Archiepisc. Magdeb.

(b) De ejus patre, educatione & fratribus.

(c) Electio & introductio Magdeburg.

(d) Elogium ejus ex Fabricio.

(e) Item D. Scheurlii.

P

A. 1520.

XLII. (a) citata. *Maximum etiam & præcipuum habeo dicendi argumentum de augustissimo Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi, qui Archiepiscopatum suum vehementer ornavit, auxit, locupletavit: cui alium episcopatum, quem Hemipolensem appellant, adjecit, & multa oppida, potissimum civitatem Hallensem armis subegit: ubi munitissimam arcem maximis sumtibus extruxit, magnificentiam conditoris haud dubie ostentantem, cujus epigramma, meo rogatu, ex officina doctissimi Camilli Palleoti Bononiensis, nisi molestum sit, audire velitis.*

Perduellis quisquis es, huc non accedito: neve machinas tormentave diruendæ hujusce arcis tecum adducito: neve populationes in hisce finibus edito: si quis adversum ierit feceritve, id ne sibi suisque copiis fraudi internecionique sit, caveto.

Tu quicunque vides surgentem mœnibus arcem,
Quanta Semiramida nec Babylonis erant;
Ne mirare hospes: Hernesto præside structa
Auctoris retinet nomen & ipsa sui.

(f) *Denno Fabricii.*

Compendio felicitatem provinciarum sub hoc principe enunciat *Fabricius p. 796. 797. Ipso sedente & Ecclesia tranquilla & Respublica felix habita fuit: cives in otio bonis suis fruebantur, negotiatores pace ditescebant, ex agrorum cultu magnos percipiebant fructus agricolæ, nobilitati ex fœcundis prædiis atque fundis plurimum accedebat: Antistitem suum amabant, venerabantur, prædicabant universi.* Et postea: *In nuptiis Joachimi Electoris Brandenburgici cum Elisabetha Danica, Stendelii anno 1500 celebratis, sacra ipse fecit, & solennem peregit copulationem. Cum Fridericus frater Academiam VVittenbergensem aperire decrevisset, consilio Ernesti fere omnia egit, habuitque eum præclari cœpti adjutorem prudentissimum.* Itaque hac ipsa Academiæ fundatione bonum postea secutum promovit, aliud licet agens.

(g) *Pius obitus & epitaphium.*

Sed quoniam de nullius felicitate ex Solonis monito ante mortem tuto judicatur, hæc quoque Ernesto ita contigit, ut de beatitudine ejus confidere liceat. Refert enim *Matthæus Dresserus in Chron. Sax. fol. 494.* Cum decumbentem Archiepiscopum Monachi Franciscani visitassent, omniaque sua opera & merita ad promovendam ejus salutem obtulissent, respondisse illum: *Nolo vestra merita & opera quæ nullius sunt valoris; opera Domini & Salvatoris mei Jesu Christi unice mihi prosunt:* Lieben Herren / es ist nichts mit allen eurem verdienst und wercken / ich begehre derselben auch nicht / die wercke meines Herrn und Heylandes JEsu Christi müssen es alleine thun. Epitaphium etiam ejus memorabile est margini laminæ æneæ incisum:

Qualicumque me arte artificis manus elaboravere, terra tamen terram, & quod Ernesti ex Ducibus Saxoniæ, Magdeburgensis Archipræsulis, Germaniæ Primatis, ac Halberstadensis Administratoris, reliquum est, tego. Ipse me vivus posuit, & ex ære, ut posteris pietatis & amoris sui memoriam relinqueret quam longissimam. Vixit annis 49. mense uno, diebus decem, præsedit Ecclesiæ Magdeburgensi annis 37. mensibus novem, diebus duobus, & Halberstadensi annis 33. Obiit die tertia mensis Augusti: cujus anima in refrigerio lucis ac pacis requiescat, Amen. In plumbea vero tabella, quæ pectori defuncti imposita fuit, hæc erant: *Ernestus Ecclesiæ Magdeburgensis Archiepiscopus, primas Germaniæ, & Halberstadensis Administrator; Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misniæ, anno Domini 1476. ætatis suæ anno duodecimo postulatus: obiit Halis in arce D. Mauritii die Mercurii, 3. Augusti, anni 1513.*

A. 1520.

ADDITIO II.

Relationes Spalatini de statu Lutheri & Academiæ.

Extant literæ *Spalatini* d. 3. Decembr. anno 1520 scriptæ, ex quibus apparet, missum eum ad Lutherum fuisse, ut cognosceret de statu Academiæ post tumultum illum, cujus supra mentio facta est, & quid ageret Lutherus de Bulla Pontificia jam certior factus. Refert autem Spalatinus: *dilapsos quidem esse quosdam ex studiosis, pestis potissimum causa, sed præcipuos mansisse. Lutherum læto animo esse, & contra Bullam scribere, dicere tamen, se id modeste esse facturum Electoris causa; combusturum vero decreta Pontificia,* (id quod post septem dies effectui dedit) *quam primum intelligeret suos libros comburi.* Addit, *se plus quam triginta epistolas a Principibus aliisque Magnatibus, & a doctis clarisque viris ex Suevia, Helvetia, Pomerania ad Lutherum scriptas vidisse, plenas omnes solatii & pietatis.* Alia epistola, sed absque die & anno (sed eodem 1520. Rectore nempe Comite *Christophoro Schlickio*, qui magistratum mense Octobri inierat) scripta ad Electorem, refertur a Spalatino; *famam esse, quod ducenti ex Scholaribus abierint, sed alios quotidie advenire, & frequentiam magnam esse, ita ut ipse in lectione Philippi ad sexcentos, in Lutheri quadringentos auditores viderit, angustiorem etiam esse & parochialem & monasterii ædem, ad recipiendos, qui ad Lutheri conciones audiendas confluerent, & Priorem Augustinianorum metuere ne & sacellum & ædes ob multitudinem hominum conciderent.* (*Reg. O. fol. 134. Ddd.*)

SECT. 29.

De Bulla Leonis contra Lutherum publicata.

Epist. Eccii ap. Luth. t. 2.

Sane Leo a Legatis suis ipsoque Eccio, qui ad eum informandum Romam profectus erat, edoctus, ingens hoc malum, in quo avertendo tres fere anni frustra consumti erant, lenia remedia non admittere, ad ultimum rigorem descendere demum decrevit, quo in similibus casibus Ecclesia semper usa est. Ideoque prævia matura deliberatione edidit tandem constitutionem d. 15. Junii hujus anni, qua propositiones Lutheri, ex libris ejus excerptas, partim ut manifeste hæreticas, partim ut scandalosas & temerarias condemnavit, & ei sexaginta dies præfixit, intra quos retractationem in forma probante Romam mitteret, aut eam ipse afferret, literas salvi conductus omnemque securitatem impetraturus. Hoc si negligat, & terminum non observet, excommunicatum declarat, & probibet omnes, quicunque sint, ab ejus protectione, sub pœna incurrendi easdem censuras, & amittendi omnes functiones & dignitates.

§. LXXIV.

(i) *Epistola Lutheri de Bulla.*

Venit tandem, verba sunt Lutheri ad Spalatinum d. 13. Octobr. epist. 196. *Bulla ista Romana per Eccium allata: de qua nostri scribunt ad Pontificem plura: ego eam contemno, & jam invado tanquam impiam & mendacem, omnibusque modis Eccianam. Vides in ea damnari Christum ipsum: deinde nihil afferri causæ: tandem me vocari non ad audientiam, sed ad palinodiam: ut scias eos plenos esse furore, cæcitate & amentia, qui nihil vident neque cogitent. Agam tamen adhuc presso nomine Papæ, tanquam in effictam & mentitam Bullam: quanquam credo veram & propriam esse eorum. O utinam Carolus vir esset, & pro Christo hos Satanas aggrederetur! Ego sane mihi nihil metuo; fiat quod voluntas Dei volet. Nec quid Principi faciendum sit scio; nisi quod dissimulare mihi hic optimum videtur. Nam & Lipsiæ & ubique tam Bulla quam Eccius contemtissimi sunt: unde hoc suspicor, ne autoritatem sibi acquirat nimia forte nostra cura aut solicitudine, quæ in se ipsa facile corruens quiescet. Mitto exemplar ejus, ut videas monstra Ro-*

A. 1520.

stra Romana: quæ si dominentur, actum est de fide & Ecclesia. Gaudeo tamen toto corde mihi pro optima causa inferri mala: neque dignus sum tam sancta vexatione. Jam multo liberior sum, certus tandem factus, Papam esse Antichristum, & Satanæ sedem manifeste inventam: tantum servet Deus suos, ne seducantur ejus impiissima specie. Erasmus scribit, aulam Imperatoris esse mendico-tyrannis occupatam, ut nulla in Carolo spes esse possit: nec mirum. Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Iisdem pene verbis ad *Johannem a Grafendorff*, Cameræ Electoralis Consiliarium, quem vocat virum autoritate & eruditione spectatum, scripsit d. 30. Octob. quæ epistola *MS.* extat. Exemplum Bullæ cum notis Hutteni marginalibus extat *Tomo I. Lat. Jen. fol. 508.* Fallitur *Jac. Ben. Bossuetus*, Episcopus Meldensis, qui in *Lib. I. de variat. Eccles. protest. §. 26.* has notas Luthero tribuit, magnamque tragœdiam excitat, quod verbis *Ps. II. disrumpamus vincula eorum &c.* contra Pontificem utatur. Neque enim notæ illæ Lutheri sunt, sed Hutteni; neque etiam tantas iras meritus Huttenus est, qui verbis malorum in bonum sensum uti potuit; id quod Lutherus alio tempore fecit, ut in loco indicabimus. Secreta quædam circa Bullæ compositionem *Pallavicinus* aperuit *lib. I. cap. 20.* zelum nempe Cajetani, qui licet æger deportari se in consistorium fecerat; dein rixas mordaces, inter Petrum de Accolithis Cardinalem Anconitanum & Laurentium Puccium, Cardinalem Datarium (quorum uterque diversam diplomatis formam conscripserat) ægre ab ipso Pontifice sopitas, qui demum Anconitani stylum approbavit, sed post quatuor consultationes intra decendium habitas, & a se ipso interpolatum & reconcinnatum. Quid Lutherus taxaverit & opposuerit, postea videbimus. *Paulus Venetus* in *historia concilii Tridentini*, quæ judicio virorum sapientum in Bulla Papali desiderata fuerint, annotavit; ea *Pallavicinus cap. 21.* refutanda sumsit: Barbariem styli, vetustate observantiæ, quam Aristotelis (hic enim in omnibus sequendus est) monitu mutare non expediat, utcunque excusat, perplexitatem formularum, quibus articuli Lutheri respective *tanquam haeretici* vel *tanquam scandalosi*, vel *tanquam piarum aurium offensivi* damnabantur, non expresso, quodnam vitium singulis conveniret, prudentiæ & libertati Christianæ tribuit, non omnia nimio rigore persequenti, sic & alia diluere conatur, & a præsentia doctorum virorum, qui deliberationi interfuere, diplomati laudem quærit. Inter primos nominat *Sylvestrum Prieriatem*, & *Joh. Eccium*, ex quibus de aliis judicium esto. Ut vero Pauli reprehensionem elevet, quod Pontifex cum aulicis saltem tantam rem aggressus sit, omissa non solum Concilii convocatione, sed & communicatione cum Episcopis & Academiis, extollit Lovaniensium & Coloniensium allegatam in Bulla autoritatem, & ad exempla Pontificum provocat, qui eodem modo ad decisionem progressi sint; quo cum emolumento Ecclesiæ, alibi expenditur. Interim qui Bullam legent, observabunt, non solum constructionis distractionem, quam *Paulus Venetus* notavit, quod nempe quadringenta vocabula inter duo verba periodum circumscribentia interjaceant, sed & multa alia tumida & fastidiosa; v. g. inclamationes illas, *Exurge Domine, Exurge Petre, Exurge tu quoque Paule, Exurgat omnis Sanctorum Ecclesia.* Dein fastum in Pontificia potestate & jurisdictione magnifice debuccinanda, intimatas privationes & amissiones non solum ecclesiasticorum munerum, sed & regnorum, ditionum & omnium bonorum: allegata Pii II & Julii II edicta, quibus hæretici declarantur, qui a Papa ad Concilium provocant. Denique octodecim vocum forensium ex rabulari disciplina cumulatarum inanem strepitum. Diploma enim nominatur *pagina damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, confessionis, condemnationis, subjectionis, excommunicationis & anathematizationis.* Hæc atque alia si ad normam sacrarum literarum, ad stylum Apostolicum, & primitivæ puræque a mundano tumore Ecclesiæ morem, imo secundum Gallicana principia, quæ nuper ipse publice defendenda sumsit, examinare voluisset Maimburgius, non tam generaliter scripsisset, *Leonem rigore usum esse, quo Ecclesia semper uti solita fuerit*: & subdola est cautio, quod sanctionem hanc recitans tantum *functionum & dignitatum jacturam interminatam* notet, clausulam illam prætervectus, qua Leo secularibus amissionem feudorum non solum a Romana Ecclesia, sed & quomodo libet obtentorum comminatur. Vidit sine dubio etiam Hutteni glossam, cum scribit: *Quid secularibus te negotiis implicas, qui Christo militas? est hoc vicem Christi gerere, trahere ad se, quæ Christus non agnoscit?* Quocunque autem odio Lutheri flagraverit Romana curia, moderationem tamen non imprudenter, pro rerum suarum statu, tenuit, cum capiti sive personæ Lutheri, damnata licet ejus doctrina, parcendum duxit, eique denuo posticum monstravit, per quod elabi, & periculum corpori fortunæque, si reniti pergeret, imminens vitare haud difficulter potuisset. Sed ille causæ potius Pontificiæ debilitatem inde collegit, quam suæ ullo modo diffidere voluit, ut paulo post dicemus.

(2) *Hutteni in Bullam notæ, &*

(3) *De autoribus Bullæ quædam.*

(4) *De stylo Bullæ ex Pallavicino.*

(5) *Epicrisis de eodem stylo.*

A. 1520.

ADDITIO.

Vixit eo tempore Venetiis illustris monachus *Burcardus*, ex antiqua in Thuringia Baronum *Schenckiorum Tautenburgi* Dynastarum familia, quæ multos egregios viros tulit; inter alios *Georgium*, Frisiæ Gubernatorem, Maximiliano I & Carolo V charum. Extincta est ante annos plus minus quinquaginta. Is Burcardus Spalatino familiariter notus fuit, extantque in *Archivo Vinariensi* ejus ad hunc literæ *MSS. Reg. O. fol. 95. 99.* Inter has sunt d. 19. Sept. anno 1520 datæ, in quibus famam de Luthero optimam Venetiis esse scribit, his verbis: *Legi, quæ de Domino Martino Luther petiisti, & certe bona fama viri diu apud nos fuit, dicunt autem: caveat sibi a Pontifice. Ante duos menses decem libri de suis apportati & statim venditi fuerunt, antequam novissem; in principio vero hujus mensis supervenit mandatum Papæ & Domini Patriarchæ Veneti, inhibens libros, quos Dominus Patriarcha apud librarios investigando unicum imperfectum invenit & abstulit. Ego habere desideravi, sed præ timore librarius non vult adducere. Fratres autem non nulli de provincia Saxonia, qui eos legerunt & cognoscunt personam Domini Martini, multa bona retulerunt mihi de eo, de scientia, de vita & doctrina ejus. Deus dirigat eum per viam veritatis & charitatis.* In aliis vero d. 5. April. 1521. datis, publicationem Bul-

(a) *De Burcardo Schenckio monacho.*

(b) *Ejus epistolæ ad Spalatinum.*

A. 1520.

nem Bullæ, nescio qua causa in sequentem annum dilatam significat, scribens: *Unum dolens dico; quoniam Patriarcha Venetiarum secunda feria Paschæ jussu Papæ ab omnibus prædicatoribus fecit excommunicari Magistrum Martinum Lauther & omnes habentes libros suos, quoscunque & fautores ipsius, cujuscunque gradus & status, cum magna totius Germaniæ derisione, tanquam consentientis; in hoc tamen Domini Veneti prudenter egerunt, quod noluerunt hoc publicari, nisi postquam populus fuerat confessus*, dimisso nempe cœtu aut maxima ejus parte.

A. 1520.

SECT. 30.

Eccius a Pontifice missus, Bullam in Germaniam affert.

Ad hanc Bullam in Germaniam deferendam Eccius nuncius constituitur, acceptis ad Ducem Saxoniæ & Universitatem Wittenbergensem literis, in quibus ad publicationem ejus commonebantur. Sed hoc ipsum non parum nocuit huic negotio. Amici enim Lutheri Bullam istam tantum odio & fervori Eccii contra Lutherum attribuebant. Itaque in Saxonia veluti suspensa habebatur, & Elector Lutherum semper, quamvis id adhuc dissimularet, protegens, effecit, ut Bulla aliquo tempore nec reciperetur, nec rejiceretur.

Cochlæus.

§. LXXV.

(1) *De literis Lutheri & Eccii quædam.*

Videri voluit Eccius invitus legationem suscepisse, sed nactus est, nescio quo modo, ejus literas ex Urbe d. 3. Maji scriptas, & additis notis publicavit Lutherus, sycophantiam & utilitatis privatæ procurationem detegentes *Tomo I. Lat. Jen. f. 507.* Literas autem Pontificis ad Wittenbergensem Academiam, quas Maimburgius innuit, quarumque diem *8. Julii* Pallavicinus *Lib. I. c. 22. n. 1.* ex Archivo Vaticano notat, allatas fuisse, dubitandum est, quia Eccius ad Magistratum Academicum d. 3. Octobris scribens, nullam earum mentionem facit, sed tantum Bullæ exemplum mittit, per Salvatorem orans, ut obsequium præstent. Urgentibus, ut ait, de causis ejici jubet Lutherum, cujus solius meminit Bulla, pariterque Carolostadium & Dolschium (qui *Johannes Dolesch* dictus *a Veldtkirch* Canonicus Wittenbergensis & Professor Theologiæ erat, *Dulcius* a Sleidano alicubi vocatus); sed pœnitentibus & revocaturis veniam & absolutionem Pontificis nomine blande offert. Aberat tunc Elector ad coronationem Cæsaris jam profectus. Retulit itaque ei per literas Petrus Burcardus Academiæ Rector d. 11. Oct. & Eccium suspectum Academiæ esse indicat, mandata Pontificia non afferentem *Reg. O. fol. 137.* Ecc. Quid tamen rescriptum sit, non invenio; tacuisse Principem & rem Academiæ arbitrio reliquisse facile conjicio. Itaque Eccius Lipsia in Franconiam rediens ad fratrem ejus Ducem Johannem, qui Coburgi erat, d. 6. Octobr. misso itidem Bullæ exemplo, scribit, *se pro injuncto munere Episcopis, Misnensi, Mersburgensi & Brandenburgensi Bullam publicasse, hosque obedientiam obtulisse.* Addit epistolam Pontificis ad Electorem (quam supra retuli) seque Bambergæ responsum expectaturum esse aliquandiu scribit, & excusationem annectit, quod religionis tantum causa multo cum labore & sumtu ista agat. Nomen subscribit aliter quam alias solebat, nempe *Johannes Mayr ab Eck* Nuncius Apostolicus. Extat *d. l. Reg.* Johannis epistola ad fratrem Electorem, qua publicationem dissuadet. *Pallavicinus* summa lætitia exceptam esse in Germania Bullam memorat: quod ex parte verum est; placuit enim Clero, neque tamen omni. Nam ut Lutherus d. 4. Novembr. *Lib. I. ep. 197.* scribit, Bambergensis Episcopus noluit eam publicare, nescio quem insinuationis defectum obtendens; Erfurtensis Academia idem causata est, & juvenes Academici Eccium armati obsederunt, Bullamque discerptam in aquam jecerunt. Primus forte publicavit Episcopus Eichstetensis Canonico suo, Eccio, puto, gratificans: Ejus diploma habetur *Tomo I. Alt. fol. 512.* d. 24. Octobr. datum. Elector Saxoniæ, cujus dissimulationem aut tacitum consensum hic & paulo post notat Maimburgius, Coloniæ & Aquisgrani tunc erat, ubi hoc mense Octobri Carolus Cæsar coronatus fuit. Ibi cum eo Pontificii legati de Lutheri causa egerunt, ut postea videbimus.

(2) *Quomodo Bulla accepta & publicata fuerit.*

ADDITIO.

(a) *De publicatione Bullæ in Saxonia.*

Plura ex Actis Archivi & epistolis Miltitii MSS. supplenda veniunt. Ex literis Spalatini d. 3. Decemb. quas supra *ad §. LXXIII.* citavimus, intelligitur, Georgium Saxoniæ Ducem Senatui Lipsiensi inhibuisse, ne Bullam, ab Eccio allatam, nisi præcedente Episcopi Mersburgensis jussu, publicarent. Igitur Eccius, cum Lipsiam venisset, obstaculum invenit, nec pro voto exceptus fuit. Hoc ab aliis quoque observatum liquido ex Miltitii relatione d. 2. Octob. quam supra ad *§. LXVII.* allegavimus, percipitur, cujus verba Latine, quoad sensum fideliter versa, hæc sunt: *Inveni Lipsiæ Eccium, vehementer clamantem & minantem* (mit grossen geschrey und pochen) *Invitavi eum ad convivium, nihilque omisi, quo propositum ejus explorarem. Inter pocula autem alacriter hausta narrare statim & magnifice de mandatis Romæ acceptis cœpit, & quomodo Martinum in ordinem redigere vellet* (wie er ihn lehren wolte) *Retulit, ut d. 21. Sept. Misnæ, d. 25. Mersburgi, d. 29. Brandenburgi publicari & affigi Bullam, fecerit. Exemplum ejus auscultatum, quod mitto, mihi exhibuit; magna cum pompa ostentat Bullam.* (macht ein gross geprânge damit.) *Hospitium habet apud Præfectum commeatus publici.* (im Geleite) *Georgius Dux mandavit Senatui, ut ei poculum deauratum multosque aureos donaret: sed non obstante publica securitate & Bulla, die Michaëlis boni quidam juvenes* (gute fromme Kinder) *schedulas decem locis affixerunt* (earum exemplum addere se scribit, quod tamen non invenio) *in quibus ei minati sunt. His perterritus in monasterium Paulinum se recepit, neque conspici vult. Questus est apud Cæsarem Pflugium* (Julii, credo, patrem, Capitaneum Lipsiens.) *& a Rectore Academico mandatum ad compescendos eos, a quibus infestatur, impetravit,* (Hujus quoque exemplum allegat, quod itidem deest) *sed nihil profecit; composuerunt carmen de eo, quod in plateis decantant. Vehementer angitur & animum ac minacitatem remisit. Quotidie hostiles diffidationes* (Fehde-Briefe) *in monasterium illi mittuntur.* (man sagt ihm Leib und Guth ab) *Plures quam centum & quinquaginta studiosi Wittenbergenses hic sunt, valde in eum concitati. Hodie libellum contra Lutherum publicavit, quem mitto. Alium bonus ille monachus* (Alfeldensis ut puto) *edit, sed unus tantum quaternio prodiit, quem addo.* Hæc Miltitius, qui in iisdem literis memorat, Eccium noctu Friburgum versus aufugisse. Ab Episcopo Mersburgensi dilatam publicationem ad Aprilem usque mensem sequentis anni fuisse ex Archivo (*Reg. N. fol. 55. n. 19*) constat. Rogatus enim absente Electore a Consiliariis d. 5. Mart. 1521. ut publicationem differret, quoniam

(b) *Relatio Miltitii de actis cum Eccio.*

(c) *Publicatio Bullæ ab Episcopo Mersburgensi.*

A. 1520.

niam de concordia VVormatiæ tractaretur, & tumultus inter Clerum & plebem metuendus esset, respondit: *jam bis præfinitum in Bulla sexaginta dierum tempus prætermissum a se esse, juramento autem, quo Pontifici obstrictus esset vetari, quo minus diutius cunctaretur, se enim neminem a pœna Banni per Bullam injuncti absolvere posse.* Regesserunt ei Consiliarii priora, & quod ignotum haberent juramentum Pontifici præstitum, quod in præjudicium Principis vergeret. Primus ad publicationem festinavit infensissimus Luthero, Episcopus Misnensis; ejus enim diploma d. 7. Jan. 1521. typis excusum extat. Neque tamen difficultate in ditione Electorali carebat publicatio. Intelligitur ex *Planitii*, Præfecti Grimmensis mandato ad Quæstorem Leisnicensem d. 5. Mart. quo jubet, ut populus, si Bulla in templo prælegatur, egrederetur, & ut affixa clam tolleretur. *Præceptor Lichtenbergensis* sæpe memoratus, Officialem Misnensem, hominem, ut d. 12. Mart. scribit, simplicem delusit, persuasum, quoniam vestibulum templi ob contagionis metum claudi soleret, ut Bullam in postica turris parte affigeret, ad quam tunc nemini aditus erat. Antea mense Decembri 1520. ut Spalatini literæ ostendunt, Elector Brandenburgensis & Albertus Meclenburgensis ad coronationem Cæsaris iter facientes, VVittenbergam transierant, benigne cum Luthero collocuti. Erat in comitatu Episcopus Brandenburgicus & Bullam VVittenbergæ suæ diœceseos oppido publicare constituerat, sed tumultus metu non est ausus. Num in Episcopatu Numburgensi publicata sit Bulla, an plane dissimulata, compertum mihi non satis est. Extant literæ Vicesgerentis (des Stadthalters) & Consiliariorum Philippi Episcopi ad Consiliarios Electorales, in quibus consilium petunt, *an publicanda sit Bulla ab Eccio missa, se enim absque Electoris præscitu & consensu nihil statuturos esse, jussos dudum ab Hero, ut se absente graves causas ad Electorem, agnatum Dominumque suum, deferrent* (solten sich an seinen Oheim / Herrn und Vettern den Churfürsten halten.) Responderunt Electorales *causam sibi, ut illiteratis, nimis arduam videri, consulturos itaque de ea esse literatos Electoris Consiliarios VVittenbergenses, ipsiusque voluntatem exploraturos.* Notari hac occasione meretur mos priscus illius temporis, Principes nempe in aulis præter Cancellarium, quem rudioribus seculis *primarium scribam* (den obersten Schreiber) vocabant, & plerumque ex Clero, qui tunc solus fere literis imbutus erat, sumebant, non nisi viros ex Nobilitate provinciæ & Præfectos arcium & oppidorum in negotiis publicis Consiliarios habuisse, ad quæ hodie adhiberi solent, qui *intimi* nominantur; (die geheimen Räthe) causas vero & litigia partium in judiciis certo tempore constitutis, accitis ex Academiis & oppidis Juris peritis tractasse. Judicia illa vocabantur *aulica*: (die Hoffgerichte) in loco, ubi Princeps erat, & quando opus esset, indicta. Posteaquam vero tempore Caroli V. non solum causæ religionis, sed & aliæ politicæ & publicæ indies magis arduæ & difficiles Principibus occurrerent, Jurisperiti jam non in Academiis solum frequentius consuli cœperunt, sed & in aulas ad deliberationes advocati constantem ibi sedem & domicilium constituerunt. Ita factum est, ut præsentibus legum & forensium causarum peritis, sive consiliariis literatis, (gelehrte Räthe) quotidie cognosci de litibus privatorum summarie quidem ab initio cœperit, aut amica conventione finita sint jurgia, remissis ad judicia illa ordinaria, quæ certis anni temporibus locisque constanter habebantur, causis intricatioribus. Et hæc est vera origo judiciorum sive curiarum, quæ hodie in provinciis Saxonicis singulis trimestribus, ex Nobilitate & JCtis, convenientibus assessoribus & præposito primario ex equestri ordine viro, quem *Judicem aulicum* vocant, den Hoffrichter / celebrantur. Sed hæc obiter dicta sunto. Addo etiam, quanquam ad sequentes annos pertineant, reliqua de *Carolo Miltitio*, de quo posthac dicendi nulla dabitur occasio. Negotiatio ejus, postquam non solum Bulla Pontificis, sed & decretum Caroli Cæsaris VVormatiense prodierat, desperata utique erat parvamque ipse gratiam ab utraque parte reportaverat. Scripsit quidem d. 10. Maj. 1521. Electori, meliori loco causam Lutheri Romæ esse, quam putaretur, sed benevolentiam captabat, ad obtinendum Principis decretum de pensione, quam flagitabat, ad vitæ tempus constituenda. Electoris responsum d. 18. Aug. extat, in quo non negat pensionem, sed promisisse se eam scribit hac conditione, ut Miltitius Romæ esset, & negotia Electoris procuraret. Distulit itaque, quæ ille petebat & cum suis ea de re deliberaturum esse dictitabat. Post hæc nihil in Actis Archivi reperio, quam quod aliquis ex Nobilitate d. 22. Decemb. dicti anni ad Spalatinum scribens indicari sibi petiit, ubi tunc locorum esset Miltitius. In *MSS.* vero *Bavari p. 213. Vol. I.* annotatur, omisso tamen die & anno, illum Moguntiæ flumine Rheno mersum esse bene potum & quingentos aureos secum portantem; lugubri sane, si ita est, casu, de quo, deficiente uberiori notitia, satius est judicium suspendi.

(d) *Item a Misnensi.*

(e) *Quædam VVittenbergæ acta.*

(f) *De publicatione in Episcopatu Numburg.*

(g) *Annotatio de Consiliariis Principum, illo tempore.*

(h) *Reliqua de Miltitio.*

A. 1520.

SECT. 31.

Interim Lutherus, cui neque Dux neque Academia sese opponebant, sed tacite potius cum eo conspirabant, denuo ad Papam aut Concilium appellavit; scripsit etiam contra Bullam, omnesque errores per eam damnatas defendit, autorem Bullæ semper ut Antichristum tractans, & atrocissimas injurias, majori quam cogitari aut dici potest, scribendi furore & insania effundens. Negari tamen non potest, hac intemperie, quæ ei naturalis erat, impeditum eum non fuisse, quo minus consideraret, quæ scriberet, semperque ingenium & doctrinam in scriptis suis ostenderet.

d. 17. Nov. d. 1. Decemb.

(1) Lutheri appellatio a Bulla. (2) Refutat eam. (3) non indocte.

§. LXXVI.

Appellatio die 17. Novembris adhibitis Notario & testibus, Wittenbergæ in monasterio Augustinianorum facta, repetitio & appendix fuit Appellationis die 28. Novembr. 1518. a Papa ad Concilium interpositæ, quam supra retulimus. Sed nunc commotior Lutherus Pontificem ipsum ob editam Bullam pro *tyranno, hæretico, apostata, Antichristo, & superbo concilii contemtore* habet, oratque Cæsarem & omnes Imperii ordines, ut huic Appellationi adhærere, Papæ tyrannidi adversari, aut saltem quiescere, & Bullæ executionem differre velint, donec legitime vocatus, per æquos judices auditus, & Scriptura dignisque documentis convictus fuerit. Vide *Tom. II. Lat. Jen. fol. 272.* Duobus autem libellis ad Bullam respondit, quorum utrique dies 1. Decembris adscriptus est. Qui prior prodiit, inscribitur *adversus execrabilem Antichristi bullam*, & habetur *dicto Tomo II. fol. 301. ad fol. 308.* Utitur tamen Lutherus in hoc ipso fervore suo hoc schemate, ut dicat, *se id agere, quod credat, Leonem X. Romanum Episcopum cum suis eruditis Cardinalibus non esse insanæ Bullæ autores; quanquam non tam pro honore Leonis, quam suæ modestiæ causa ita sentiat, se enim indignum esse reputat tantæ felicitatis, ut tam pulchra & gloriosa pro veritate Dei patiatur, a tanto vertice damnatus, eoque casu optare, ut nunquam absolveretur,*

(1) *De appellatione Lutheri.*

(2) *Scriptum Lutheri contra Bullam primum.*

A. 1520.

solveretur, aut cum Antichristo conciliaretur. Felix illa dies, (ait) *felix illa mors, cum gaudio & summa gratitudine Deo referenda, si quando fiat, ut in ista causa apprehendar & perdar.* Damnat postea & execratur Bullam, suosque articulos, per eam damnatos, omnibus Christianis sub æternæ damnationis pœna asserendos commendat, qui secus fecerint, pro Ethnicis se habiturum pronuncians. Inscitiam vero Bullæ ante omnia arguit, quod nudis verbis sua damnet dogmata, nullis (ut tamen Episcopos & Christianos omnes deceat) allatis rationibus, quas ipse jam in tertium annum efflagitaverit. Exagitat *respectivam* illam & *confusam* damnationem, & ad *Occamicæ*, quam sequi se profitetur, scholæ præcepta *absolutam, determinatam & distinctam* urget, ut dicatur, quinam sint articuli *hæretici*, qui *erronei*, qui *scandalosi*; monstratque, quomodo ista differant, & quod *malis veritas ipsa semper scandalosa & offensiva esse soleat.* Immo aperte asserit, Christianam veritatem eamque cognitam in suis articulis damnari. Exclamat *f. 304: Ubi es nunc, optime Carole Imperator? ubi estis Reges & Principes Christiani? Christo dedistis nomen in Baptismo, & has tartareas voces Antichristi potestis ferre? ubi estis Episcopi? ubi Doctores? ubi quicunque Christum confitemini? ad hæc horribilia Papistarum portenta tacere potestis? Miseram Ecclesiam Dei, factam Satanæ tantum ludibrium! Miseros omnes, qui his temporibus vivunt! Venit, venit ira Dei in finem super Papistas, inimicos crucis Christi & veritatis Dei, ut resistant & ipsi omnibus hominibus prohibentes prædicari & doceri veritatem, sicut de Judæis dicit Paulus.* Indignatur porro & expostulat, *cur omnia sua damnent, & quis eos docuerit, ut triticum cum zizaniis, si qua habeat, evellant? cur Origenem ferant? cur impiissimum Aristotelem? cur impias & barbaras decretales Pontificum?* Ipsum etiam Pontificem & Cardinales graviter alloquitur & hortatur, *ne in furore illo perseverent, & Antichristum repræsentent.* Addit iterum euphemismum, *se Eccio potius quam illis Bullam tribuere.* Negat speciatim, quod in Bulla narratur, *pecuniam sibi oblatam fuisse ad iter Romanum. Cajetani id figmentum esse; qui tantum abfuerit a pecunia offerenda, ut Augustæ tam sordida & infami ageret penuria, ut crederetur familiam suam fame occisurus esse.* Ad se vero relatum esse, *offerri centenarios aliquot aureorum sicariis, qui necem sibi inferant.* Ludit inde & tantam expetit pecuniam, *ut viginti peditum & quinque equitum millia conducere possit, quibus comitatus, absque salvo conductu, tutus Romam ire velit.* Dolet *universalis* Ecclesiæ titulum ad viginti hominum numerum, paucos Cardinales nempe, & aliquos Priores & Doctores reductum. Scripturam omnibus præfert. His præmissis non nisi aliquos Articulos *de fide ad salutarem sacramentorum usum requisita,* de *peccato vel fomite* (quæ pro iisdem habet) *in baptizatis residuo;* de *imperfecta charitate ad damnationem sufficienti;* de *rejicienda satisfactione, qualis huc usque exigebatur;* & de *insufficientia contritionis* breviter defendit, & ad amplectendam veritatem, omnes commonefacit, pro qua se ultimum, quod habet, nempe vitam & sanguinem, expositurum esse profitetur.

(3) *Apostrophe ad Imperatorem & Principes.*

(4) *Jocus de salvo conductu.*

(5) *Quædam de articulis fidei.*

§. LXXVII.

A. 1520.

At alter tractatus *Fabiano Feilitschio, (Felicem* ipse per allusionem vocat) Equiti & Electoris Consiliario inscriptus, cui titulus est: *Assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X novissime damnatorum,* eundem præfert diem, ut dixi, 1. Decembr. sed serius perfectus est: extat autem in *Tomo II. Lat. Jen. fol. 308. ad fol. 330.* Refert enim in illo *fol. 318.* exustos a se esse Decretales, quod d. 10. Decembr. factum esse constat. In hoc scripto XLI articulos, quos Bulla condemnat, singulatim explicat & tuetur, ea sane cum eruditione & argumentorum evidentia, ut laudanda sit Maimburgii ingenuitas, qui dotes ingenii & doctrinæ hic observavit. Legi inprimis merentur, quæ de autoritate & interpretatione Scripturæ ab initio commentatur. Ostendit enim, quam frivola sit, quæ sibi objici soleat exceptio, *Scripturas non esse interpretandas proprio spiritu.* Id enim facere adversarios, sensum non Scripturæ, sed qui in eas commentati sunt hominum quærentes, eumque tandem uni homini, at indoctissimo, & sophistis indoctissimis circumvallato, deferentes. Cur Augustinum aut Thomam sequantur, qui tamen proprio spiritu Scripturas explicarint, & sæpissime a sensu Scripturæ recesserint? *Scripturas,* ait fol. 309. *non nisi eo spiritu intelligendas esse, quam quo scriptæ sunt, qui spiritus nunquam præsentius & vivacius quam in ipsis sacris suis, quas scripsit, literis inveniri potest. Insudandum esse, sepositis omnium hominum scriptis, tanto magis & pertinacius solis sacris, quo præsentius periculum est, ne quis proprio spiritu eas intelligat. Id placuisse, id licuisse primitivæ Ecclesiæ, qua Patrum dicta nulla viderit. Scripturæ principem deberi locum, ut sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans & illuminans, secundum Psalmum octonarium* (119.) *qui totus nos ad hunc Scripturæ fontem deducat. Quod si non ita sit, cur Augustinus & reliqui sancti Patres ad sacras literas, ut prima principia veritatis, recurrunt, & sua obscuriora & ignotiora ex Scriptura confirmant, quæ ideo notior & clarior esse debet, quia, si incertior & obscurior esset, ad eam non deberet provocari, contrarium enim ratio exigit, & vel Aristoteles docet.* Hujus argumenti vim non enervant, quæ de obscuritate Scripturæ & necessitate interpretationis objici solent. Necessitatem illam non negavit Lutherus, qui scivit dictum Christi: *Scrutamini (ἐρευνᾶτε) Scripturas, Joh. V. 39.* nec Pauli zelum prophetias exigentis I. Corinth. XIV, 39. sed ex clarioribus & collatis inter se locis faciendam esse ursit. Quod eleganti alicubi similitudine explicat, cum post nubes obscuritatum, quæ nobis inpenetrabiles videntur, nihil tamen aliud, quam solem, id est, eandem veritatem, quæ in aliis locis effulget, latere docet, in *explicat. Psalm. XXXVII. Tom. I. Alt. f. 825.* Sequitur inde, quacunque interpretum multitudine aut autoritate aliquid statuatur, pro articulo tamen fidei ad salutem necessario obtrudi Ecclesiæ non posse, ideoque nihil agere, qui clare & determinate definire velint, quæ non ex claris & liquidis Scripturæ locis, aut necessaria & evidenti eorum sequela, sed ex locis singularibus, obscuris, & faciliores magisque ana-

(1) *Alterum scriptum contra Bullam: Assertio articulorum in ea damnatorum.*

(2) *Autoritatem scripturæ propugnat.*

A. 1520.

que analogas explicationes admittentibus deducunt: quod tamen factum est in asserendo imperio Pontificio, purgatorio, aliisque. Sed audiamus reliqua Lutheri huc pertinentia. *Quæ ergo est* (pergit fol. 309. b.) *nostra tam irreligiosa perversitas, ut sacras literas non per se ipsas & illarum proprium spiritum, sed per hominum glossas velimus discere, diverso omnium Patrum exemplo, & in hac perversitate gloriemur, ceu religiosissima pietate? Si enim hoc volumus, concedemus Scripturas sanctas esse obscuriores & ignotiores, quam Patrum scripturas. Hoc autem admisso, ulterius dabimus, sanctos Patres suis commentariis nihil aliud fecisse, quam ut, dum sua probant per Scripturas, notiora probarint per ignotiora, & sic tam se ipsos quam nos mire illuserint, prorsusque in vanum laboraverint, & erit, ut plus credamus interpretantibus quam loquenti Scripturæ. Quis ita insaniat?* Posthæc errores Patrum notat, ut Scripturas sæpius torserint, ut Augustinus disputet, non definiat; Hieronymus quoque fere nihil asserat. Allegat iterum Augustini dictum, quo honorem infallibilitati soli Scripturæ canonicæ deferat, & Hilarii, qui scribit: *optimum interpretem esse, qui sensum ex Scripturis retulerit potius, quam illis intulerit.* Affert dicta Apostolorum *I. Thess. V. 21. Gal. I. 8. I. Joh. IV. 1. Act. XVII. 11.* & eorundem exempla, quod omnia ex Scripturis probaverint, cum sine dubio autoritate sua rectius quam Patres uti potuissent. Addit, nolle se per hæc sanctis Patribus detrahere, & pro sanctis eorum laboribus ingratitudinem rependere, sed libertatem spiritus & majestatem verbi Dei illis præponere. *Sint* (ait fol. 310.) *sancti viri & Ecclesiarum Patres, sed homines, & Apostolis atque Prophetis impares, & horum autoritati non prælati, nec æquati, sed subjecti, ut quos non ipsi erudierunt aut illustraverunt, sed a quibus ipsi eruditi & illustrati sunt; tantum nobis exemplo sint, & quemadmodum ipsi in verbo Dei pro suo tempore laboraverunt, ita & nos pro nostro seculo in eodem laboremus. Una est vinea, sed diversi diversarum horarum operarii, omnes tamen in ipsa vinea, non in sarculis aut cultris operariorum laborant. Satis est e Patribus didicisse studium & diligentiam in Scripturis laborandi, non omne opus eorum probari necesse est: siquidem & diligentia pluribus quandoque non dat quod dat vel uni sola occasio, & nescio qua spiritus incomprehensibilis impulsio. Exemplo itaque S. Bernhardi, si id poterimus, potius ex fonte ipso quam ex rivulis bibamus; sic enim de se confitetur, ob id non raro Patribus sanctis reluctari ausus. Alioqui si Pontificibus aut Doctoribus solis fidendum est, nec ad Scripturæ tribunal vocandi sunt, cur non Scripturas sanctas explodimus, tanquam superfluas & obscuriores, quam ut eas possimus consequi? Eodem exemplo tandem & Patres sanctos repellamus, receptis in eorum locum apertioribus (ut jactant) Theologis scholasticis, donec & his abjectis, Aristotelem, & quo quisque remotior a sacris literis & sanctis Patribus fuerit, duces habeamus, sicuti revera habuimus & habemus. Tum revera erit, ut Scripturas sanctas non solum spiritu proprio non interpretemur, sed nihil nisi proprium spiritum, Scripturis in totum incognitis, reliquum retineamus, & meris opinionum nostrarum turbinibus & procellis sine fine agitemur, sicut est dies hac.* Declarat denique antehac a se dicta atque scripta, cur Scholasticis Theologis Ecclesiasticos, id est, Patres Scripturarum interpretes prætulerit; id nempe non eo pertinere, ut omnia eorum vera arbitraretur, sed quod propiora vero senserint.

(3) *Contrarios errores rejicit.*

(4) *Excusat patres, monetque quomodo ab iis recedere liceat.*

A. 1520.

§. LXXIIX.

Articulorum XLI quam subjungit exegesin recensere longum foret. Sancta maxime & pia sunt, quæ de fomite peccati & de fidelium infirmitatibus post baptismum remanentibus *ad art. 2. & 31. 32. 35. 36.* disputat, ex quibus monstrari posset, nihil nisi logomachiam & cavillationes in vocibus *peccati* & *defectus* seu infirmitatis superesse: ubi vero *de indulgentiis* agit, jam olim mollius dicta retractat, immo exuri petit, totamque illam Indulgentiarum œconomiam disturbat. Adversus *primatum Pontificis* denuo pugnat, & ad dicta Scripturæ pro eo afferri solita respondet. Hussi etiam librum *de Ecclesia* laudat, omniaque ejus dogmata, quæ Constantiæ damnata fuerunt, asserit, quanquam alia ejusdem non damnata non admittat. Calumniam de se quod bella contra Turcos improbaverit, diluit, suam *ad art. 34.* ita explicans mentem, ut rem Christianam prius intus corrigi & constitui debere statuat, si feliciter adversus illos præliari velimus. Sententiam vero suam *de liberi arbitrii* in salute hominis operanda impotentia, pro primario fidei a Pelagianismi errore conservandæ fundamento commendat, cæteros *de Papatu, conciliis, indulgentiis,* & ut ait, *aliis non necessariis nugis* ei posthabens: agnoscit tamen & quasi vaticinatur, veritatem hanc nunquam admissum iri ab Ecclesia Pontificia. Notatu dignissima sunt verba ejus *ad art. 36.* quæ vulnus illud insanabile, de quo hodie etiam cordati piique omnes dolent, quodque nullo malagmate placari potuit, ingenue denudant. Ita ergo *fol. 329. b. Nisi Papa Ecclesia opera bona doceret ac venderet, aut sola gratia nos justificari sincere doceret; neque in hanc pompam crevisset, neque ad horam, si quo casu crevisset, stetisset. Crucis est enim hac Theologia, quæ damnat, quicquid Papa probat, & martyres facit. Unde & Ecclesia, finito martyrum tempore, optima ac pene tota sui parte desloruit. Mox pro cruce successit voluptas, pro penuria opulentia, pro ignominia gloria, donec ea, quæ nunc Ecclesia vocatur, ipso mundo, ut sic dicam, mundanior, & ipsa carne carnalior facta sit. Et ego non habeo aliud contra Papæ regnum robustius argumentum, quam quod sine cruce regnat. Prorsus nihil pati, omnibus autem abundare & excellere studet, & non est fraudatus desiderio suo. Habet quod voluit, factaque est meretrix civitas fidelis, vereque regnum veri illius Antichristi.* Suppliciis in hæreticos sæviri improbat, & pro argumento inter alia habet, quod Ecclesiastici judices pro puniendis, quos secularibus tradunt, (quanquam ficte & fucate) intercedere soleant, ut vitæ eorum parcatur. Inter injuste damnatos non *Hussum* modo habet & *Hieronymum Pragensem*, sed *Hieronymum* etiam *Savonarolam* Dominicanum, & socios, anno 1498 Florentiæ exustos.

(1) *Alia quadam ex assertione Lutheri contra Bullam.*

(2) *Indicat fontem corruptionis in doctrina Pontificia.*

(3) *Sævitiam etiam in hæreticos improbat.*

ADDITIO.

De hoc viro, qui monachus Dominicanus Florentiæ fuit, in cœnobio S. Marci, & anno 1498. cum duobus sociis,

(a) *Autores, qui de Savo-*

Dominico

A. 1520.

narola scripserunt.

Dominico Pisciensi & *Sylvestro Florentino* exustus est, legendi sunt Historici *Paulus Jovius, Franciscus Guicciardinus* cum Scholiaste suo *Thoma Porcacio*, qui Petrum Delfinum, & Bernardinum Corium allegat, ut & *Wolfius Vol. I. Memorabil. in anno 1494.* item *Apologia* pro eo a *Johanne Francisco Pico Mirandulano* scripta. Nuperrime *Varillasius Lib. V. anecdot. Florent. p. 212. & seqq.* in causas & actionum & mortis ejus suo more inquisivit, magnis tamen eum elogiis extollit, sed quæ censuris quibusdam temperat. Inter alia scribit, *Doctiorem Italum a prima Cæsarum ætate non fuisse.* Id nolim in tribunali Parnassi serio defendere; sed quod sanctam & austeram vitam, & maximam in taxandis vitiis seculi libertatem, & multarum prædictionum veritatem ei tribuit, consensu facit cæterorum. Nec de *meditationibus* ejus, quas *in Psalmos pœnitentiales*, in septiduo illo, quo in carcere fuit, male judicat, *quod etiam ab iis non sine devotionis stimulo legi posse dicit, qui induratissimi sint.* Lutherus præfationem in eas, cum anno 1523 recuderentur, conscripsit, quam quia brevis est totam inseram: *Gratia & pax in Christo. Meditationes sanctas hujus sancti viri* Hieronymi Savonarolæ, *tibi, lector optime, exhibemus, quo & hoc exemplo videas, quales viros perdere solcat perditionis illa sedes abominabilis; vipera enim quædam ex eorum numero, qui titulo* Francisci *inflantur & turgent, hunc virum perdidisse dicitur, nulla culpa, nisi quod Lernæ Romanæ optabat purgatorem. Et ausus quidem tum fuit Antichristus ille sperare, memoriam tanti viri extinctum iri, etiam sub maledictione, sed ecce vivit, & memoria ejus in benedictione est. Canonisat eum (quod ajunt) Christus per nos, rumpantur etiam Papæ & Papistæ simul. Deinde & hoc observabis in istis lucubrationibus, quam nulla sit gloria operum in conspectu Dei, & quam necessaria sola & solida fides misericordiæ Dei, sine omnibus operibus (quibus fidi possit) in judicio & morte, quando hic & ipsam fidem cernis luctari, & ægre superare per verbum Dei, tantum abest, ut opera quicquam hic posse confidas. Et quamvis aliquando humana Theologia lutum adhuc in pedibus ejus hæreat, in qua multum videtur temporis perdidisse (quis enim per id tempus ab istis sordibus satis purus esse potuisset?) tamen credendi, fidendi, sperandi in Dei misericordiam, diffidendi vero & desperandi de nobis & nostris viribus, hoc est, Evangelicæ doctrinæ, & Christianæ pietatis, purum & pulchrum exemplum tibi monstrat. Non enim per vota sua substantialia, non per statuta, cucullum, missas & opera sui ordinis, eum incedere vides, sed in præparatione Evangelii pacis, indutum lorica justitiæ & armatum scuto fidei & galea salutis stare, non de ordine Prædicatorum, sed de communi ordine Christianorum. Vale & imitare.* *Guicciardinus*, qui eo tempore vixit, *Lib. III. p. m. 99. b. & seq.* per tormenta interrogatum Savonarolam calumnias omnes de avaritia, turpitudine, occultaque cum Principibus externis conspiratione elisisse refert, sed falsum esse, quæ aliquando prædixerit, non ex inspiratione divina, sed ex sua opinione, doctrinæ & sacræ Scripturæ innixa sumsisse; neque aliquid mali intendisse, aut dignitates affectasse, sed solum desiderasse ut sua opera Concilium universale convocaretur, per quod corrupti clericorum mores & status Ecclesiæ reformaretur, ad illam maxime formam, quæ primitivæ Ecclesiæ tempore fuisset, hoc si obtinuisset, Pontificatu majus habiturum fuisse, qui sæpe casu aut malis artibus pararetur. Addit, mortem ab eo constanter toleratam fuisse, sed nihil locutum esse, nec de culpa nec de innocentia sua. Judicia hominum variasse, fuisse enim qui eum pro impostore haberent, alios contrarium statuisse, & confessionem ejus, quam judices Pontificii publicarunt, vel corruptam fuisse, vel cruciatu extortam, fidem plenam non mereri dictitantes, cum & Petrus non tormentis coactus, sed ancillularum & servulorum verbis territus negaverit se discipulum Domini esse, cujus tamen sancta præcepta & miracula sciebat. Veram etiam causam & ordinem processus idem autor exponit. Excommunicatus nempe Savonarola ab Alexandro VI fuit, non tam ex odio singulari (nam parvi eum faciebat) quam aliorum suggestione, (Franciscanorum puta) qui eum accusabant, quod cum scandalo in mores cleri & curiæ Romanæ concionaretur, discordias Florentiæ nutriret, & non satis concordantia cum fide catholica doceret. Citatus ob hæc Romam, varias excusationes, quo minus compareret, obtendit: itaque ut contumax anno 1497 condemnatus & sacris functionibus privatus & excommunicatus fuit. Spreto hoc, continuavit conciones, & sententiam contra se latam publice impugnavit, vehementer in Pontificem totamque aulam invectus. Cum vero motus inde in urbe factiosa orirentur, Magistratus illum a concionando prohibuit. Huic paruit, sed socii ejus non desinebant eadem de pulpito declamare. Contradicebant iis non minori cum vehementia Franciscani, eoque exarserunt mutuis contentionibus, ut ex utraque parte unus sponsionem facerent, ad experimentum veritatis publice in rogum se conscensuros esse, victoria penes illam partem mansura, quam propugnans intactus ex igne prodiret. Rei temerariæ dies dictus est, concurrit populus, comparuere certantes: At Dominicanus sacram quam vocant hostiam secum in rogum illaturus erat; hoc ferre nolebat Franciscanus, Savonarola (ita refertur) sui socii institutum defendebat, omissum itaque experimentum fuit indignante populo, & incitato inde, adversariorum artibus & impetu plebis, magistratu, ut Savonarola ex monasterio vi raptus in vincula conjiceretur. Sic Pontificii judices Generalis Dominicanorum & Episcopus quidam, hucusque a Magistratu ac populo in munere sibi demandato impediti, jus suum tenuere. Damnarunt itaque cum sociis Savonarolam & supplicium ejus procurarunt. Hæc gravissimi autoris *Guicciardini* narratio historiam sapit, *Varillasii* inventis, si quid judico, præferendam. Modestius etiam de eo sentit *Spondanus*, & dubitat an supplicio dignus fuerit.

(b) Varillasii de eo judicium.

(c) Præfatio Lutheri in meditationes Savonarolæ.

(d) Guicciardini de morte ejus relatio.

(e) Vera ejus causa.

A. 1520.

(4) Lutheri defensio ob asperitatem styli sibi objectam.

Vehementiam styli, quem cum *Pallavicino* suo hic maxime reprehendit & exagitat Maimburgius, ut sæpe alias, ita & hoc ipso tempore, non una Lutherus excusavit ratione. Nam & aula Electoralis fervorem ei nimium non semel exprobraverat, & aliquando acrius, quam ut patienter id ferret Lutherus. Operose itaque se in epistola ad Spalatinum *Lib. I. ep. 199.* defendit, quæ etsi occasione eorum quæ Misnensium officialium censuris (supra memoratis) opposuerat, scripta est, rationes tamen adfert, quæ ad alios etiam ejus libros pertinent. Fatetur, *se esse vehementiorem, quam oporteat: rem sibi esse* dicit *cum blasphemis in veritatem evangelicam hominibus, cum lupis, cum iis, qui se inauditum, non monitum, non edoctum damnent, & atrocissimis criminationibus in se & verbum Dei grassentur; ita fieri, ut si nec calore nec stylo raperetur, tamen indignitate rei vel saxeus animus ad arma queat moveri, tanto magis se, qui & calidus sit, & stylum habeat non penitus obtusum, & mores quibus ultra modestiam feratur. Mirari tamen se, unde ista nata sit religio nova, ut quicquid in adversarium dicatur convitium appelletur. De Christo,* ait, *quid sentis? an convitiator fuit, quando Judæos appellat generationem adulteram & perversam, progeniem viperarum, hypocritas, filios diaboli? deinde Paulus, canes, vaniloquos, seductores, indoctos: qui Actor. 13. sic invehitur in Pseudoprophetam, ut videri possit insanus, dicens:* O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice veritatis? *Cur non hic Paulus modeste potius blanditur, ut convertat, quam sic tonat? Nec potest sane conscientia veritatis esse patiens in præfractos & indomitos hostes veritatis.* Et mox: *Video ab omnibus in me peti modestiam, maxime*

A. 1520.

(5) De Germanica versione assertionis.

xime ab hostibus, qui minime tamen omnium eam præstant: ego si immodestior sum, simplex tamen & apertus sum, quo illis me puto præstare, cum non nisi insidiosissime commententur. Satisfactum esse Spalatino oportet, quia hic Germanice vertere non est dedignatus *assertiones XLI articulorum*, quos Lutherus Latine scripserat, ut apparet ex epistola hujus d. 29. Novembr. data, *Lib. I. ep. 209.* in qua tamen monet Spalatinum, *ut majori eas cum libertate vertat, quam hucusque alia vertisset, aut sibi istam provinciam relinquat.* Extat sane Germanica versio, ab ipso Luthero, & liberiori quidem, ut Cochlæus queritur, stylo composita. *Tom. I. Alt. fol. 615.* Spalatinus enim interim cum Electore ad comitia profectus erat, & mense demum Martio 1521 versio illa publicum vidit. Vide *Lib. I. ep. 216.*

A. 1520.

SECT. 32.

Cochlaus. Act. Luth.

(1) Lutherus Bullam & Decretales Papæ comburit.

Tandem cum de favore plebis & aulæ confidere posset, & a literatis, & qui ingenii laudem affectabant, magnis elogiis extolleretur, qui liberatos se per eum ab Antichristi Romani tyrannide, & in libertatem evangelicam assertos dicebant, rem ausus est omnium insolentissimam, ut eos omnes ad æternum bellum Pontifici denunciandum, & se ab Ecclesia Romana semper separandos implicaret. Ut enim ultionem sumeret ob libros suos Romæ, & in quibusdam Belgii & Germaniæ civitatibus combustos, rogum ingentem extra muros Wittenbergenses extrui, eique, comitantibus, quos invitaverat, omnibus civibus, multisque Doctoribus, maxime vero juventute literis operam dante, Decretum Gratiani, Decretales Pontificum, Clementinas & Extravagantes, *dein* Bullam Leonis *imponi fecit, ignemque ipse subjecit, voce sua tonanti proclamans:* Quia turbasti sanctum Domini, æterno igne comburaris. *Exceptum hoc fuit a fanaticis illis, qui eum sequebantur, magnis acclamationibus, & exemplum imitati sunt discipuli falsi hujus Prophetæ, in quibusdam urbibus, etiam Lipsiæ, quod Dux Georgius, infensus licet Luthero, & vere Catholicus, impedire nequibat; tantam sibi potentiam novus hic dogmatista in Saxonia paraverat. Multum tamen abfuit, ut idem præsidium apud novum Imperatorem inveniret, quemadmodum vane speraverat.*

(2) Sequelæ illius facti.

§. LXXIX.

(1) Causa, cur Lutherus combusserit libros juris Pontificii.

Invectivas hic audimus, aut echo potius earum, quas *Pallavicinus* eructat *Lib. I. cap. XXII. §. 3.* eatenus diligentior, quod non prorsus tacuit, quæ Lutherus pro facti sui defensione adducit. Extant illa *Tomo II. Lat. Jen. fol. 334.* ubi triginta ex Juris Pontificii libris sententias attulit, ob quas comburi meruissent, interque eas præcipue *can. Si Papa dist. 40.* & *can. cuncta. 9. q. 3.* aliaque, quibus Pontifici & peccandi licentia & judicandi de omnibus potestas adscribitur, ipso ab omnium judicio exemto, contra præceptum Christi, qui differentiam secularis & ecclesiasticæ potestatis in hoc maxime constituit *Luc. XXII. 25. 26.* ut illa quidem nemini, at hæc omnibus subjecta esse debeat, veriora scilicet docentibus. Ex iis enim aliisque Lutherus summam totius juris Canonici hanc colligit: *Papa est Deus in terris, superior omnibus cælestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus, & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, quid facis?* Plures articulos producturum se minatur, *hi enim* (ait) *sunt initium tragœdiæ, siquidem hactenus cum causa Papæ lusi tantum & jocatus sum. At quoniam audent meos articulos comburere, in quibus plus evangelii & veræ theologiæ est (id quod sine jactantia & cum veritate dicere & probare possum) quam in omnibus Papæ libris; multo majore merito & jure impii eorum libri Juris exuri possunt, in quibus nihil boni inest. Quod si in illis etiam aliquid boni inesset, quod de Decretis fateri cogor, totum tamen eo detortum est, ut noceat, & Papam in sua Antichristiana & impia tyrannide confirmet.* Connexio, qua hic utitur Maimburgius, ad inserendam de Caroli V electione historiam, valde impertinens est. Neque enim tunc post delatam ad se Bullam, sed ante menses decem, die nempe 15. Januarii ad Imperatorem scripserat Lutherus, ut supra notavimus, & postea iterum dicendum erit; immo spem de Carolo, ut ex supra relatis tractatibus ejus apparet, jam fere abjecerat. De actis *Lipsiæ* vide quæ *Addit. ad §. LXXV.* annotavimus, & epistolam Lutheri *Lib. I. 218.* in qua narrat, ut ibi Bulla Pontificia contaminata & lacerata fuerit.

(1) Compendium illorum, quoad doctrinam de Papa.

SECT. 33.

(1) Caroli V. electio.

Sleidanus.

Imperator hic erat Carolus *Austriacus, Hispaniæ Rex, sex circiter ante menses, anno præterito, post mortem avi sui Maximiliani Imperatoris electus, & quidem opera singulari Ducis Saxoniæ, qui in hoc negotio præstitit aliquid extraordinariæ plane magnanimitatis, cui certum est a Carolo Imperatoriam dignitatem deberi. Cum enim ambigeretur inter duos Reges ambientes, & quidam Treverensem Archiepiscopum secuti, Gallo adhærerent, alii cum Moguntino Hispanum præferrent, quidam adhuc dubii essent cui parti accederent, uno impetu consenserunt, ut ad dissidia tollenda neuter adsumeretur, sed Fridericus, Saxoniæ Dux, Imperator fieret, & ita dignitatem hanc in natione Germanica retineret. Verum Princeps hic gratiis collegio actis, honorem oblatum constanter recusavit, dicens, res Imperii in eo statu esse, ut potentior se Princeps, qui viribus Ottomannicis, quæ metuebantur, par esset, ad tuendum id requireretur: & sic suffragium suum Carolo dedit, qui Galliæ Regem sorte nascendi (Germanicæ enim originis erat) superabat, magnasque ditiones in Germania possidebat.*

Ep. Cardin. Caj. ad Leon. Erasm. epist. l. 13. ep. 4.

(2) A Friderico Sax. Electore generose procurata.

A. 1520. *debat. Sic lance ad Caroli partes inclinata, electus is fuit die sequenti 28. Jun. Ejus Legati cum pro compensando beneficio generoso huic Duci triginta ducatorum millia offerrent, rejecti sunt illico; & cum ab eo peterent, ut saltem aulicis ejus decem millia distribui sineret, respondit: se quidem Legatis inhibere nihil posse, at si quis ex suis denarium vel unum acciperet, eum se die sequenti ex ministerio suo dimissurum esse.* A. 1520.

§. LXXX.

(1) Alia quædam de Imperio Friderico delato.

Recte facit Maimburgius, *Pallavicini* quidem exemplo (*Lib. I. cap. XXII.*) quod Friderici Electoris prudentiam & magnanimitatem in recusando imperio & oblato a Carolo sibi suisque præmio, merita non fraudat laude. Fecerunt tamen hoc librorum censores Romani, qui ex *Joh. Funccii chronologia* exturbari mentionem ejus jusserunt, *neque tamen,* (ut loquitur D. Jo. Hülsemannus in *epistola dedic. Breviarii sui extensi* anno 1648 editi,) *hac loligine aut sepia tam illustris exempli memoriam de monumentis historiarum & mentium humanarum delere potuerunt.* Inventus nuper est in Gallia *Varillasius*, qui in *historia Francisci I.* ex documentis, ut scribit, antea incognitis recens compilata, & Parisiis anno 1685 Gallice edita, insigni elogio Fridericum honorat, totumque rei gestæ ordinem exponit, *Roberti Cardinalis Ursini*, & *Erardi Marcani* Episcopi, & *Card. Leodiensis* testimoniis nixus. Ad Episcopi hujus relationem in *epistola ad Johannem Episcopum Roffensem* provocavit *Erasmus Lib. XIII. ep. 4.* cujus verba hic inseri merentur, cum & Lutheri aliquam mentionem faciant. *Dux Saxoniæ Fridericus bis ad me scripsit, eidem meæ respondens epistolæ: hujus unius præsidio substitit Lutherus. Id ait se causæ dedisse verius quam personæ. Addit, non commissurum sese, ut in sua ditione opprimatur innocentia, eorum malitia, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Ab omnibus delatum imperium ingenti animo recusavit, idque pridie quam Carolus eligeretur; cui nunquam contigisset Imperii titulus, nisi Fridericus deprecatus esset, clarior honore contemto, quam fuisset adepto. Mox rogatus, quem igitur censeret eligendum? negavit sibi quenquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quam Carolum. Ob hunc insignem animum a nostris* (id est, Cæsaris ministris) *oblata triginta florenorum millia constantissime rejecit. Quumque urgeretur, ut saltem decem millia pateretur dari famulis: accipiant (inquit) si velint, attamen nemo manebit postridie apud me, qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi ut compertissimum retulit Episcopus Leodiensis, qui comitiis imperialibus interfuit.* Nescio tamen quid moverit *Varillasium*, ut tradat, nullum Germaniæ Scriptorem superioris seculi hæc narrasse. Nam ut alios complures taceam, ipsi forte non visos, *Sleidanus* eadem memorat, tum is, de quo dixi, *Funccius*, exteris non ignotus, in *commentario Chronologiæ adjecto* edit. Basil. 1554. *p.* 242. Sed nec spernendum est testimonium ipsius Lutheri, a nemine adversariorum, quod sciam, rejectum, cum in epilogo Libri *de abroganda Missa privata Tomo II. Lat. Jen. fol. 493. b.* anno 1522. mense Januario editi, (licet prius scripti) ad vaticinium quoddam vulgo creditum alludens, ita de Friderico Electore scribit: *Nonne in comitiis Electorum concordibus suffragiis & designatus & petitus est in Imperatorem? eratque vere Imperator, nisi noluisset.* Johannes Fridericus Elector Saxoniæ in apologia adversus Henricum Brunsvic. anno 1540 edita, apud *Hortled. Tom. I. Lib. IV. c. 9. n. 177.* ad objectam sibi aut familiæ suæ ambitionem, ad imperatorium axioma obtinendum, ita loquitur: *Si Domui Saxonicæ tantum interfuisset, ad summum illum honorem eniti; satis notum est, Dei gratia, quomodo Fridericus Elector, patruus noster, illum in manu sua habuerit, sed recusaverit, & hoc decus & axioma Cæsareæ, quæ nunc imperat, Majestati libentius detulerit.*

(2) Erasmi ea de re epistola.

(3) Aliorum testimonia cum epicrisi.

Novam etiam *Varillasius* secreti revelationem venditat, de *Francisco Sickingio* Equite, non quidem, ut scribit, *Suevo*, sed *Rhenano*, supra a me memorato, magno Lutheri patrono, quomodo electionem Caroli apud Electores quosdam, Moguntinum maxime, juverit, & desertis Gallicis partibus pro ea, qua apud militares viros in Germania pollebat gratia, & quodam sub prætextu ingentem exercitum pro Caroli electione tuenda collegerit. *Pallavicinus* Friderici virtutem *d. l.* commendans, divinum tamen aliquid suspicatur, *quod Princeps, qui*, ut loquitur, *Lutheranam hæresin jam pro filia adoptasset, ad dominationis fastigium in perditionem*, ut putat, *Germaniæ non fuerit evectus.* Sed mihi id potius consideratione dignum videtur, quod ex tot Lutheri scriptis, in quorum plurimis Fridericum magnis extollit laudibus, ne minimum quidem vestigium conspiciatur, quod is evectionem talem desideraverit aut suaserit. Fixum nempe illi erat in reformanda religione, nihil ab externæ potentiæ adminiculis desiderare: eodemque animo Electorem fuisse, ex moderatis pacificisque ejus consiliis, quibus, quamdiu vixit, insistebat, concludi potest. Censura vero, quam Jesuita de perditione Germaniæ fert; si Fridericus Imperii thronum conscendisset, retorqueri facile posset, dicique: indignam ea felicitate judicatam a Deo esse illam Germaniæ partem, quæ cum oculos ad tantam lucem verbi divini clauderet, etiam optimi Principis autoritatem eadem contumacia sprevisset.

ADDITIO.

(a) Spalatini narrata de imperiali dignitate Friderico delata.

Præter eos quorum libri editi extant, qui de recusata a Friderico electione mentionem faciunt, allegandus hic etiam est *Spalatinus*, tanto quidem fide dignior, quia in comitatu Friderici, cum Carolus eligeretur, adfuit, magnamque in omnibus narrationibus sinceritatem ostendit. Is in *Vita MS. Friderici* hæc habet ex Germanico versa: *Cum mortuo Maximiliano Cæsare callidæ negotiationes ad eligendum alium fierent, Elector Fridericus honestissime, & ut Principem decet, sese gessit, non obstantibus variis artibus & machinationibus, Regum, Principum, & nationum exterarum; quarum quædam contra Carolum, quædam pro illo parabantur.* Paulo post responsum Electoris, quod die Jovis post Reminiscere anno 1519 Altenburgi Legatis Gallicis dederat, refert, in quo *sibi liberum suffragium relinqui* peramanter rogat, *quod pro juramento & officio suo daturus esset. Sperare etiam se, quia Rex Electorem pro pio, sapienti & honesto Principe in mandato Legatis suis dato, quanquam immerentem, celebrabisset, non ægre laturum illum esse*

A. 1520.

esse hoc responsum, conscientiæ suæ conveniens. Idem alii Legato Gallico, qui in comitiis Augustanis fuerat, Grimmæ hebdomade sacra respondit. *Quamvis vero* (pergit Spalatinus) *Galli & Hispani ita de Imperio cum Electoribus tractarent, ut fama esset, multa aureorum millia ad quosdam ab utroque Rege pervenisse: tanta tamen virtus fuit Friderici, per Dei gratiam, ut ne teruncium quidem acceperit. Neque ullus fuit qui ad illam usque horam, qua electio peracta fuit, penetrare potuisset, quo ille inclinaret: quanquam continuæ fuerunt sollicitationes non a peregrinis saltem, sed & ab ipsis Electoribus; a Richardo Trevirensi maxime, qui aliquando circa mediam noctem Fridericum convenit, eumque de recipiendo in seipsum Imperii onere admonuit.* Refert inde Spalatinus, contenta literarum ad se *Erasmi* die VII. Id. Aug. 1519. datarum; quarum tamen ipsa verba satius est hic legi ex *epist. 24. Lib. XI. Richardus Pacæus, vir in utraque literatura pracellens, qui in electione Imperatoris nomine Serenissimi Angliæ Regis legatione fungebatur, reversus isthinc, dictu mirum, quo pectore, quaque facundia mihi Federicum totum depinxerit, gravitatem viri, prudentiam, integritatem, eruditionem, quid multis? omnia magno principe digna. Is mea sententia majore cum laude recusavit imperium, quam quidam ambierunt. Et tamen nemo melius gerit principatum, quam qui pondus ejus penitus perspexit.* Item ex *epistola 40. Lib. XIII.* ad eundem, in qua alias etiam Friderici laudes deprædicat: *Alexander juvenis longe candidissimus, reddidit mihi tuas literas exoptatissimas, una cum duobus numismatis, optimi Principis tui vivam imaginem nobis referentibus. Quo sane dono magis sum exhilaratus, quam si mihi misisset auri talentum Atticum. Ille se mihi misit argenteum & aureum, ego me vicissim illi mitto æreum. Utriusque meritis respondet materia. Quid enim in isto Principe non aureum? qui pro magnitudine animi plus quam heroica contemsit ultro delatum Imperium; qui pro singulari fide & integritate sua nullis præmiis vinci potuit, quo minus ei decerneret imperium; quem oneri ferendo judicasset unum omnium hujus ætatis principum maxime idoneum; qui tantam auri vim a nostris oblatam pertinacissime respuit; qui mira quadam prudentia, dexteritateque inaudita, ditionem suam ornat ac locupletat, idque nulla finitimorum injuria, sed omnium potius publico bono; qui nova schola rem Christianam auxit, quam annis perpaucis ex rara frigidaque, omni linguarum ac literarum genere florentissimam reddidit, ea moderatione favens optimis studiis, ut tamen non sit veteris doctrinæ patronis, quod de illo querantur. Ingratissimæ literæ, nisi hujus herois merita monumentis consecrent nunquam intermorituris.* Subjungit dein Spalatinus exempla literarum ad electionis negotium pertinentium, in iis duas *Caroli ad Fridericum*, suffragium ejus petentis, & legatis suis fidem facientis datas d. 6. Febr. in Monteferrato & d. 2. Martii Barcinone 1519. Indicat plurimas aliorum Regiorum legatorum & ministrorum literas & Georgii Brandenburgici officia pro *Ludovico Bohemiæ Rege* minorenni interposita. Caroli item literas d. 29. Jul. Barcinone scriptas, quibus ingentes gratias Friderico pro suffragio ejus agit, curamque salutis publicæ se absente commendat, alias denique quibus de adventu suo in Germaniam spem certam facit d. 24. Decembr. 1519. & ad has responsum Electoris d. 8. Febr. 1520. Reprehendit *Roberti Latini Ursini* Archiepiscopi Rhegini a Leone missi importunitatem (**er kam gar mit einem Rumpelwagen gefahren**) quod aperte in literis ad Fridericum Confluentia & Moguntia datis, ut & ad alios Electores scribens postulaverit, ut Galliæ Regem suffragio suo juvaret, Carolum vero rejiceret: juramento enim Ferdinandi (qui avus Caroli fuit) cautum esse, ne Imperator fieret, qui regnum Neapolitanum teneret, neque fore, ut Pontifex Carolum, etsi eligeretur, pro Imperatore habiturus esset. Apponit literas Cardinalis Cajetani, Legati Pontificii, ad Electores Moguntia d. 24. Jun. postea datas, quibus mutatum Pontificis animum exponit, & ut jam repugnaturus non sit, si Carolum eligere vellent. Adjicit alia Spalatinus (ordine quidem temporis non servato) v. g. Literas Angliæ regis ad Fridericum d. 11. Maji Grenvici datas, cum mandatis ad Pacæum non immodestis sed tardius & paulo ante electionem d. 24. Jun. Friderico exhibitis. Item literas Helvetiorum, acriter Galli Regis electionem, nec sine minis, dissuadentium, die Lunæ post Lætare 1519 datas. Miram vero producit epistolam, cujus exemplum nescio quomodo in manus Philippi Comitis Solmensis, qui Friderico a consiliis erat, pervenisse notat: data est d. 1. Jun. Gelnhusæ ad Regem Galliæ, a quodam Principe, qui omisso nomine subscripsit, *Regiæ dignitatis vestræ bonus frater & cognatus.* Dicit se Ammiralium Regis Legatum, & quendam Jossinum Centurionem, in cubiculo suo clanculum servare, promittit Regi Imperium, aperitque quorum Electorum ope id præstare confidat. Duos autem, Trevirensem nempe & Brandenburgicum, in partes Gallicas propensos fuisse multi tradunt, & novissime *Masenius* supra allegatus in *Chron. Trevirensi.* Post interjecta alia Spalatinus ad historiam electionis redit, narratque anno 1519 mense Januario, eodem die quo Maximilianus Cæsar obiit, Albertum Cardinalem & Electorem Moguntinum apud Fridericum *Lochaviæ* fuisse: (hodie ab *Anna* Danica, Augusti Electoris conjuge, instauratrice arcis, *Annaburgum* dicitur) inde Torgaviam profectos, cum in itinere venatione sese oblectarent, tres soles vidisse, Torgaviæ vero, cum ex fenestra in arce Albim versus prospectarent, aviculam (quem regulum vocant) a nemine in conclavi observatam, inter utriusque Electoris caput evolasse: hoc pro omine mortis Maximiliani acceptum fuisse; sed tres soles Spalatinus ad tres Reges imperium ambientes applicat: narrat porro, ut Pacæus Anglicus Legatus, qui Moguntiæ commorabatur, per quendam Magistrum *Vitum VVarbeck* Francofurti, Friderico sæpius significaverit (in speciem tamen, ut haud male judicat) Regem suum cupere, ut ipse Elector Imperium acciperet omnesque opes suas ei in auxilium offerre; sin vero onus illud recusaret, petere, ut Regi suffragium suum gratificaretur. Extat & aliud *MS.* de electione & coronatione Caroli V. quod *Spalatino* tribuitur, Moguntiæ tamen ex actis publicis collectum videtur. In hoc de Leonis X consiliis aliqua referuntur non admodum vulgata. Convenerant ante electionem quatuor Electores Rhenani, tres nempe Archiepiscopi & Palatinus, in oppido ad Rhenum VVesalia superiori, Trevirensis ditionis, & de mutua defensione vacante Imperio pacti erant, die Veneris post Lætare 1519. Ad eos accedens Pontificis nomine Cajetanus tria postulavit: (1) ut de eligendo Imperatore potente & sapiente cogitarent. (2) ne Regem Neapolitanum, id est, Carolum Austriacum eligerent, vetari enim id Bulla Clem. IV. aliisque rationibus. (3) ut aperte dicerent quid facturi essent. Responderunt Electores, se jam defensionis suæ, non vero electionis causa convenisse, neque de hac adhuc cogitare, dubitandum tamen non esse, quin eligendus sit Imperator, & Pontificiæ sedi & toti Christiano orbi utilis & hostibus formidandus. Mirari vero se, quod Pontifex inaudito exemplo leges electionis præscriberet. Regessit Cajetanus post deliberationem cum Rhegiensi, qui ei aderat, Archiepiscopo, se quidem relaturum esse quæ responderint, petere tamen, ne Pontificia monita pro insolitis haberent; id enim non agere Papam ut ipsis leges daret, sed jure suo & Ecclesiæ uti, præsertim cum audiverit Maximilianum ante mortem jactasse, se jam de quinque Electorum suffragiis pro Nepote Carolo certum esse. Apparet etiam ex insertis huic volumini documentis, & Protocollo Electionis, in ipso actu die Martis, quæ erat vigilia Festi Apostolorum Petri & Pauli, id est, 28. Jun. per Electores sex præsentes, & Ladislaum Sternebergium Legatum Bohemicum, unanimibus votis, incipiente ad interrogarionem Moguntini Trevirensi, & sequentibus inde reliquis omnibus, electum fuisse Carolum, præsentibus duobus notariis, testibus vero *Hieronymo* Episcopo Brandenburgensi, *Laurentio Truchsesio* Pommersfeldio, (Equito Franco) Decano Moguntino, *Henrico Rhuteno*,

(b) *Epistola Erasmi de Friderico Electore.*

(c) *Plura de variis literis Caroli.*

(d) *De Pontificis consilio adversus Carolum.*

A. 1520.

(e) *De scriptis Angliæ Regis & aliis.*

(f) *Colloquium Friderici Sax. & Joach. Brandenb. Elector. & præsagium quoddam.*

(g) *Aliud MS. Spalatini de consensu Electorum & actis cum Pontificio Legato.*

(h) *De electione Caroli V.*

A. 1520.

teno, Decano Colonienſi, *Florentio a Venningen* Cancellario Palatino & *Friderico Thunavio* Equite Thuringo, Conſiliario Saxonico. Itaque omnia illa quæ hiſtorici de certamine inter Electores referunt, jam antea extra conclave tranſacta fuere. Legati, oratores & procuratores Caroli fuere, & in mandato d. 8. Martii Barcinone dato, nominantur *Matthæus* Cardinalis Gurcenſis Coadjutor Salisburgenſis, *Fridericus* Comes Palatinus (poſtea Elector) *Erhardus* Leodienſis, *Bernhardus* Tridentinus Epiſcopi, *Henricus* Comes Naſſovius, *Maximilianus* Bergenſis Sevenbergæ Dominus, *Burchardus de Plan* Rochæ Dominus, *Cyprianus Serentinus*, *Paulus Arnsdorffius*, *Jacobus Villingerus*, *Nicolaus Zieglerus* & *Johannes Rennerus*, Equites, Conſiliarii, Cubicularii, Secretarii. Conſilia Leonis Papæ alio modo proponit *Varillaſius in hiſtoria Florent. Lib. VI. p. 288.* aſſeverans ſi per Leonem ſtetiſſet, neque Carolum neque Franciſcum electum fuiſſe, ſed quendam ex Germanis Principibus, nominatim Electorem Brandenburgicum. Quo fundamento iſta tradat, hic non examino; interim cum perſona vicarii Chriſti, quam præ ſe ferebat Pontifex, difficulter conciliari poterunt, quæ tam varie egit, cujuscunque autoris relationem ſequamur. Idem autor in electione Caroli V. *Lib. IV. hiſtor. hæreſ.* collegium Electorale cœcum fuiſſe dicit, quod non videret ſe ſibi dominum imponere, dum nimis potentem principem eligerent. *Statim enim* (ait) *Carolus, poſtquam Hiſpaniam, Belgium, & Italiæ duas partes Imperio junxerat, conſilium celebris illius Monarchiæ delineavit, quod omnes autores non obnoxii ei attribuunt.* Si vera hæc fuit de Carolo ſuſpicio, indeque periculum Germaniæ metui debuit, putat ne Varillaſius minorem a Franciſco I Galliæ Rege Germanos ſibi metuendi cauſam habuiſſe? Taceo quæ Electores, aut Principes, Ordinesque alii cogitaverint: certe Helvetii habito Tiguri conventu, datisque inde ad ſingulos Electores literis, die Lunæ poſt Lætare 1519 de cavendo dominatu Gallico graviter admodum diſſerebant. *Audimus* (ajunt) *Regem omni ſtudio omnibusque viribus apud Electores quosdam agere, ut diadema & decus Imperiale adipiſcatur, & Germaniam in ſuam redigat poteſtatem. Hoc profecto nobis moleſtiſſimum eſſet, ſi calliditate & nummis obtineretur; id enim omnibus Principibus, Statibus & membris Nationis Germanicæ, totique orbi Chriſtiano contumelioſum & noxium foret, & ad bella & ſangvinis profuſionem ruinamque omnimodam verteret. Gens enim Germanica fortitudine ſua, multoque ſangvine axioma Romani Imperii ſibi peperit, meritaque eſt, ut eligendi aliquem jus habeat, ex ſua natione; idque per ſex ſecula exercitum, &, ut percipimus, confirmatum fuit a Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus Romanis.* Addunt, *Regem Galliarum miſſis legatis ad electionem ſui promovendam egregiis promiſſis Helvetios ſollicitaſſe; ſed blandimentis illis non obſtantibus, ſe nullo modo a Pontificatu & Imperio Romano Germanico, cujus membra ſe eſſe prædicant, cauſam eſſe ſeparaturos, nec unquam conſenſuros, ut Imperii dignitas a Germanis, inter quos ſint qui eam optime mereantur, ad Gallos transferatur, ſe potius omni ope repugnaturos eſſe.* Hæc ex *MS. Spalatini.* Addamus etiam ex *Chronico*, quod vocant, *Carionis*, a Melanchthone *Part. V. operum* edito, in quo quidem nihil ad hanc rem pertinens narratur, niſi oratio Trevirenſis, in qua fertur Fridericum Saxonem his verbis allocutum eſſe: *Quoties in Germania mediocres Principes contraxerunt regios exercitus, & res præclaras geſſerunt. Fuit recens Dux Saxoniæ, Albertus, qui ſuis ſumtibus magna ex parte bellum in Belgio geſſit. Quid? ante hunc quantos exercitus ſæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Erneſto bellum denunciarat Rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus ſubito contraxerunt pater & patruus tuus? Itaque ceſſit vobis Pannonius ſine dimicatione, quod non feciſſet, ſi duorum fratrum ingenia & vires contemſiſſet. Quare non dubito, poſſe iniri rationem electo Germanico Principe, ne ei vires, copiæ, arma deſint ad tuendam autoritatem domi & apud exteros.*

(i) *De Pontificis & Caroli conſiliis ex Varillaſio, cum epicriſi.*

A. 1520.

(k) *Helvetiorum de electione ſcriptum.*

(l) *Excerpta ex Chronico Melanchthonis.*

SECT. 34.

Spem igitur Lutherus concepit fore, ut favore Ducis Saxoniæ, cui juvenis Imperator tantum debebat, conciliare ſibi illum poſſet. Propterea literas extreme blandas & demiſſas ad Imperatorem ſcripſit, quibus protectionem ejus, ad exemplum Athanaſii Conſtantinum implorantis, petere ſe dicebat, ſimilem ob Evangelii veritatem perſecutionem patientem. Sparſit etiam ubique libellos plurimos, in quibus Pontifices horribili modo traducens, ſubjectos Imperatori eſſe debere contendit ad Reformationem Eccleſiæ obtinendam, cujus is protector eſſet. Caruit tamen hæc ſpes, quam Lutherus ejusque factio conceperat, fundamento. Imperator enim ex Hiſpania in Belgium reverſus, ut Aquisgrani conſueto more coronaretur, benigne audivit Hieronymum Aleandrum, *Nuncium Pontificium, qui exhibita Bulla Leonis contra Lutherum, nomine ejus duo petiit; unum, ut publicata Bulla libros hæretici hujus comburi mandaret; alterum, ut condito edicto Imperiali, hæreſin hanc pernicioſiſſimam una cum autore ſuo, Imperio exterminaret. Primum ſine mora obtinuit, juſſit enim Imperator, ut libri in ditione ſua Belgica comburerentur, idemque factum eſt in civitatibus Electorum & Archiepiſcoporum Trevirenſis, Moguntini, Colonienſis. Alterum differendum erat ad comitia Imperii, ut magna, quæ huic rei obſtabant, impedimenta ſuperari poſſent.*

(1) Lutheri literæ ad Cæſarem.

(2) Libelli contra Pontificem.

(3) Aleandri acta cum Imperatore.

Epiſt. Luth. ad Carol. t. 1. Cochlæus.

§. LXXXI.

Non intelligo, qua ratione de literis Lutheri ad Cæſarem hoc loco agat Maimburgius. *Pallavicinus* ſane, quem ſequitur, *d. l. §. 2.* non de literis, ſed de libellis Lutheri aliquid habet, eo ſcilicet maxime, quem ſupra *§. LXXII.* allegavimus, ad *Cæſarem & Nobilitatem Germaniæ*, in quo Imperii jura adverſus Pontificiam dominationem maſcule aſſertum ivit, ad quem etiam noſter hic iterato videtur reſpexiſſe. Literæ autem d. 15. Januar. ut ſupra innuimus, ad Cæſarem datæ, extant non inelegantes & modeſtiſſimæ, absque ulla Pontificis inſectatione. Aliquam nempe tunc Lutherus de Carolo ſpem habebat, ſed illam nunc depoſuerat, Eraſmi judicio motus, ut apparet ex *epiſtola 196. libri I.* ad Spalatinum d. 13. Octobr. data, ubi dictum allegat: *Nolite confidere in Principibus.* Sed etſi verum eſt, Imperatorem a Pontificiis legatis miniſtrisque ſuis permotum, in prohibitionem & exuſtionem librorum Lutheri in provinciis Belgicis conſenſiſſe, eodemque modo etiam Prælatos quosdam graſſatos eſſe; nihil tamen ex eo ſequitur, quam quod cœco impetu vis oppoſita fuerit veritati, quam tot hominum millia jam agnoſcebant, quæ profecto indagationem quietam & affectibus vacuam merebatur, nec per præcipitata Scholarum, paucorumque, Pontificiæ dominationi metuentium, judicia opprimi poterat, ut eventus do-

(1) *De literis & ſcriptis Lutheri ad Cæſarem.*

A. 1520. (2) *Quomodo combustionem librorum suorum acceperit.*

tus docuit. Cæterum combustionem librorum suorum constanti animo accepit Lutherus, ut videre licet ex iis, quæ ad Spalatinum, & postea ad Staupitium sub initium anni sequentis scripsit *ep. 207.* dicens: *Mea ter arserunt Lovanii, Coloniæ, Moguntiæ; sed Moguntiæ cum magno contemtu, adeoque periculo comburentium.* Speciatim vero totam combustionis Lovanii factæ ceremoniam persequitur, publicata narratione *Tomo I. Lat. Jen. f. 496. & sqq.* in qua multa de Erasmo aliisque notatu digna reperiuntur, ex ejus epistolis hausta. *Pallavicinus Lib. I. cap. XXII. & seq.* mire deprædicat *Hieronymi Aleandri*, Pontificii ad Imperatorem nuncii industriam, qua effecit, ut spectacula illa comburendorum librorum exhiberentur, multisque rationibus eam severitatem defendit; &, qui jam tum eam reprehendebant, nec doctrinam hoc modo supprimi posse monebant, interque eos *Erasmum*, pro fautoribus Lutheri, id est, hæreticis habet. Vide *c. XXIII. §. 2. & seqq.* Hic vero temporis rationem neglexit, & plurima omisit noster, cum aliquid inserere debuisset de gestis Nunciorum Pontificiorum cum Friderico Electore, qui Cæsari tunc Aquisgrani coronato, & inde Coloniæ aderat, quia postea demum ad comburendos libros Coloniæ ventum est, sed tacente Pallavicino etiam ipse tacuit. Retulit autem diligenter, quæ acta sunt, *Sleidanus Lib. II.* Nuncii erant *Marinus Caracciolus* & *Hieronymus Aleander*, ille Neapolitanus, hic in Carnia, ut Pallavicinus scribit, natus, (Erasmus *Mottanum* vocat,) uterque postea Cardinalitia purpura ornatus, quorum magna encomia apud *Pallavicinum cap. XXIII.* leguntur. Sed Aleandrum (qui paulo ante *Cancellarius Leodiensis*, & olim famosissimi *Cæsaris* illius *Borgiæ* seu Ducis Valentini *Secretarius* fuerat, famulus Hero dignus & pars aulæ Romanæ sub Alexandro VI.) pessime describit Lutherus, *d. Tom. I. fol. 496.* his verbis: *Venit his diebus Hieronymus Aleander, vir sua opinione longe maximus, non solum propter linguas, quas eximie callet, siquidem Ebræa illi vernacula est, Græca a puero illi coaluit, Latinam autem didicit diutina professione, sed etiam mirabilis sibi videtur ob antiquitatem generis. Nam Judæus natus est, quæ gens immodice gloriatur de Abraham vetustissimo se originem ducere. An vero baptisatus sit, nescitur. Certum est, eum non esse Pharisæum, quia non credit resurrectionem mortuorum, quoniam vivit perinde atque cum corpore sit totus periturus, adeo nullum a se pravum affectum abstinens. Usque ad insaniam iracundus est, quavis occasione furens. Impotentis arrogantiæ, avaritiæ inexplebilis, nefandæ libidinis & immodicæ, summum gloriæ mancipium, quanquam mollior, quam qui possit elaborato stylo gloriam parare, & pejor, quam qui vel conetur in argumento honesto. At ne nesciamus, cessit felicissime simulata defectio ad Christianos. Nactus enim sic est ansam illustrandi Mosis sui, & obscurandi Christi gloriam, qua hoc seculo cœpit reflorescere, flaccescente superstitione & pestiferis hominum traditiunculis. Itaque instructus literis pontificiis nuper venit, perditurus (quantum potest) optima quæque.* Pallavicinus, nescio cur hæc intacta relinquens, alia memorat, quæ adversus eum sparsa sint *d. l. §. 5.* & extant Hutteni in eum invectivæ. Qualiscunque autem fuerit *Aleander*,

(3) *De actis Pontificiorum Nunciorum cum Friderico Electore.*

(4) *Descriptio Aleandri ex Luthero.*

ad causam contra Lutherum agendam specialiter delectus, & *Marino Caracciolo* adjunctus erat; qui postquam Dominica post Festum omnium Sanctorum, id est, mense Novembri ineunte in templo Minoritarum Coloniæ initium loquendi ad Fridericum Electorem fecisset, & Pontificias literas exhibuisset, plurimis verbis & argumentis Collegæ dicta prosecutus, institit, ut & libros Lutheri comburi, & ipsum vel supplicio affici vel capi juberet, Pontifici transmittendum. Elector interprete *Bernardo, Episcopo Tridentino*, qui aderat, dilationem petiit, posteaque per Consiliarios d. 4. Novembr. respondit, ea, quæ *Tomo II. Lat. Jen. fol. 332. sqq.* referuntur, ex MS. Spalatini, quod extat, desumta. Summa est, *Electorem cum fratre, Duce Johanne, venerari Pontificiam dignitatem, commune nihil cum causa Lutheri habere, misisse eum Augustam ad Cajetanum, & huic postea responsum dedisse, quod ne Momus quidem calumniari possit: in eo etiam fuisse, ut Lutherum ex Academia sua Wittenbergensi dimitteret, nisi Pontificis Nuncius, Miltitius, restitisset: commisso vero a Pontifice negotio Trevirensi Electori, Lutherum paratum ad sistendum se fuisse, sed commeatus tuti literas non potuisse impetrare. Viros probos & eruditos plurimos Lutherum excusare, neque constare Principi Electori, an libri ejus incendium mereantur, rogare igitur, ne id fiat sine causæ cognitione; hanc æquis, eruditis, piis & non suspectis judicibus committi* petit, *ut Lutherus argumentis, doctis rationibus, piis & solidis Scripturis convincatur, quo facto se præstiturum, quæ obedientissimum sacratissimæ matris Ecclesiæ filium deceat.* Regesserunt multa Nuncii, inprimis Aleander, qui inter alia, *Trevirensis mandata expirasse* dicebat, *postquam Pontifex causam ad se traxisset, a cujus solius judicio decisio penderet; nec majori ratione ab eo nunc flagitari posse, ut alii eam deleget, quam a Friderico, ut de subditi cujusdam sui causa a Rege Galliæ cognosci pateretur.* Sed persistente Saxoniæ Electore in sua sententia, finis sermonis fuit, ut *Nuncii dicerent, se, ut mandatum erat, ad libros Lutheri comburendos processuros.* Addidit Aleander, prioribus contradicens, & repulsam arte vulpina occultaturus, *a Pontifice personam Lutheri non peti, neque eundem ejus sangvine manus illiturum.* De colloquio illo, & simul de *Erasmo Roterodamo*, qui Coloniæ tunc erat, haud pauca annotavit *Spalatinus*; Inter alia de Erasmo hæc habet, *hist. MS. in anno 1520.* Cum *Carolus V.* Imperator, Aquisgrani coronatus, Coloniam venisset, Fridericus Elector Erasmum diligenter rogari fecit, ut ad se in hospitium suum, quod in foro Trium Regum habebat, veniret. Accessit itaque d. 5. Decembris, & ante focum cum Principe stans, præsente Spalatino, sermones conferre cœpit. Desiderabat Elector ut Erasmus lingva sua, id est, Belgica loqueretur, sed Latina ille uti maluit, eamque intelligebat Princeps, sed per Spalatinum respondit. Narrat postea, ut Elector judicium Erasmi de Luthero petierit; ille (ait) collisis prius labiis (er schmatzte erstlich) & cunctabundus differebat responsum. Elector vero, ut in more habebat, si serio cum aliquo ageret, apertis eum oculis & graviter intuebatur; tum in hæc verba prorupit Erasmus: *Lutherus peccavit in duobus,*

A. 1520. (5) *Colloquium Electoris cum Nunciis Pontificiis.*

(6) *De actis Electoris cum Erasmo Roterod.*

A. 1520.

bus, nempe, quod tetigit coronam Pontificis, & ventres monachorum. In *commentario de Friderico Electore* eadem fere refert, additque, subrisisse illum, cum Erasmus ista diceret, & dicti illius paulo ante mortem recordatum esse. In *historia* vero memorat, Erasmum tam bene tunc de Lutheri doctrina judicasse, ut, cum Spalatinus illum ab Electore abeuntem in aedes Henrici Comitis Nuenarii, Praepositi Coloniensis, deduceret, statim considens axiomata, ut vocabat, scripserit & Spalatino tradiderit, illa ipsa nempe, quae *Tomo II. Lat. Jen. fol. 331.* habentur. At mox scripto epistolio Spalatinum impense rogavit, ut ea sibi redderet, ne apud Aleandrum fraudi sibi essent. Inter ea haec leguntur: *Optimum quemque & Evangelicae doctrinae proximum minime offensum esse Luthero: Bullam vero saevitiam probos omnes offendere, ut indignam mitissimo Christi vicario: duas Academias damnasse Lutherum, sed non convicisse: aequum peti a Luthero, ut a non suspectis judicibus audiatur: suspectum ipsum minime esse, quia nihil ambiret: Pontifici priorem esse suam, quam Christi gloriam: quae hucusque contra Lutherum scripta sint, etiam a Theologis Luthero non adsentientibus improbari: mundum fatali desiderio Evangelicae veritatis nunc ferri, nec odiose resistendum esse, nec Caroli Imp. auspicia rigore illo funestanda.* Caeterum de his ipsis actis cum Erasmo & de Friderici Elect. animo insignia sunt & dignissima quae adscribantur verba *Melanchthonis*, in *Chronico Carionis Lib. V. fol. 704. 705.* *Tantum abest, ut ab aulicis subornatus aut incitatus sit Lutherus, sicut scripsit Dux Brunsvicensis, ut doluerit etiam Illustrissimus Princeps, Dux Saxoniae Fridericus, Elector Imperii, moveri certamina, longe prospiciens, quanquam exordium esset de re plausibili, tamen paulatim latius vagaturam esse hanc flammam. Nec ipsi, cum & sapientia excelleret, & jam senex usu cognovisset omnia gubernationum pericula, praecepta de vitandis mutationibus ignota erant. Sed vir sapiens & vera pietate Deum colens, nec tantum profana judicia sequens, quae tenera initia omnia mutationum celerrime opprimunt, sed etiam normam vocis divinae in consilium adhibens, quae jubet audire Evangelium, intelligebat omnibus privatis & publicis periculis anteferendam esse gloriam Dei. Sciebat horrendam & insanabilem blasphemiam esse agnitae veritati adversari. Idcirco cum studiose legeret Lutheri scripta, & accurate pensitaret testimonia, quibus niterentur, deleri non voluit, quae judicavit vera esse. Et confirmabatur divinitus. Quare nullis minis ac terroribus frangi potuit, etsi & Maximilianus & Carolus Imperatores & Romani Pontifices minaciter edicerent ei, ne locum docendi Luthero concederet. Nec tamen sibi ipsi tantum sumebat, ut solus de doctrina judicaret, sed multorum senum & eruditorum, & quidem principum judicia sciscitatus est, interque alios doctos Erasmum Roterodamum, in eo conventu, quem in urbe Agrippina Colonia egit Carolus V post coronationem. Erasmum ergo ad se accersitum amanter allocutus est: Postquam controversia mota sint, malle se ut sibi terra dehiscat potius quam velit falsis opinionibus assentiri ac favere. Sed si Lutherus recte taxet errores, & veros monstret doctrinae fontes, se, etiamsi videat, quantum sibi & suis sit periculi, non tamen adversaturum veritati. Nec se suum de re tanta judicium sequi, sed eruditorum ac peritorum sententias inquirere. Et cum his simul Erasmum obtestatus est, suum liberrime judicium ut de tota re diceret. Erasmus ab ironia exorsus, duo magna Lutheri esse peccata dixit, quod ventres monachorum & coronam Papae attigisset. Postea pertexuit suam sententiam, & dixit: Lutherum juste taxare errores, & eorum emendationem Ecclesiae necessariam esse. Addidit etiam: summam doctrinae Lutheri veram esse, sed lenitatem se in eo desiderare. In eandem sententiam scripsit ad Fridericum Electorem & Laurentius Episcopus Würzeburgensis, qui se multorum eruditorum judicia explorasse affirmavit.* Scribitur in relatione ex *Tomo II.* supra allegata *fol. 333. b.* Oratore Pontificis Erasmo pinguissimum Episcopatum promisisse, si adversus Lutherum scriberet, at respondisse illum: *Major est Lutherus, quam ut a me intelligatur, tantusque est, ut plus erudiar & proficiam ex lectione unius pagellae Lutheranae, quam ex toto Thoma.* Observandum tamen, haec ab Erasmo ipso non affirmari, sed id tantum, quod Episcopatum mereri potuisset, stylum adversus Lutherum stringendo; alias vero causas cur tunc non scriberet, Paulo Bombasio Romae viventi, aperuit *Lib. XVII. ep. 14. fol. 545. ed. Basil.* Dicta etiam Coloniae aut secreta habuit, aut non agnovit. Ex Lutheri certe epistola *Lib. I. ep. 214.* apparet, invito utroque & ad invidiam eorum Lipsiae publicata ea fuisse.

(7) *Quaedam ex Erasmi scripto.*

(8) *Excerpta ex Chronico Melanchthonis.*

(9) *Alia quaedam de Erasmo.*

A. 1520.

ADDITIO I.

(a) *Lutheri de translatione Imperii a Pontificibus falso jactata dissertatio.*

Liceat mihi denuo ad libellum Lutheri *Caesari & Nobilitati Germanicae* inscriptum, qui extat *Tomo I. Alt. f. 480. & seqq.* recurrere, & praeter ea, quae §. *LXXII.* excerpsi, de Imperii & Pontificum jure ejus sententiam referre, praesertim quia Latine, quod sciam, non extat, magnis tamen adversariorum clamoribus exagitatur. *Scio, ait fol. 507. jactari Romae Imperium a Graecis ad Germanos Pontificum beneficio translatum esse, eoque facto magnas gratias & submissionem illis a Germanis deberi, nec fas esse, de Papis in ordinem redigendis cogitari. Ex hoc principio multis egregiis Imperatoribus superbe insultarunt, & se supra illos constituerunt, arrogata sibi temporali superioritate, adversus Evangelii regulas; sed videamus quo jure? Dubitari non debet, Romanum illud Imperium, de quo Prophetae vaticinati sunt, dudum interiisse. Praedixit id Balaamus Num. XXIV, 24. Venient de Italia, vastabunt Hebraeos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. Factum id est per Getas, maxime cum ante annos mille Turcorum coepisset dominatus, sic defecerunt Asia & Africa, postmodum Galli, Hispani, Veneti invaluerunt, ut ex pristina potentia nihil fere reliquum Romae manserit. Cum vero Pontifex Graecos, & Imperatores Constantinopolitanos, qui haereditario jure Imperium tenebant, pro arbitrio tractare non posset, fraudes adhibuit, ut imperio & titulo illos exueret, & ad Germanos, fortitudinis & virtutis fama tunc celebres, devolveret. Id ei successit: perdiderunt Imperium Graeci, Germani id titulo-tenus acceperunt, sed ita ut Pontificum servi fierent. Diversum itaque hoc Romanum Imperium, quod Papa Germanis tribuit, ab antiquo illo, quod intercidit. Obtinuerunt, quod desiderabant, Pontifices, & Imperatores Germanos juramento obligarunt ne Romae residerent. Nomen itaque hi, sed Pontifices rem habent. Ita semper simplicitate nostra abusi sunt Papae, & nos Germanos veluti amentes tractarunt & vocarunt, ut libuit. Modica profecto res est coram Deo regnum aut principatus, dat enim illa saepe malis, adimit probis, permittit per infidelium hominum machinationes, aut successiones haereditarias transferri, ut exempla Persarum, Graecorum, aliorumque*

A. 1520.

(b) *Juste nihilominus Imperium a Germanis usurpatum esse docet.*

rumque regnorum ostendunt. Sic Daniel dixit Cap. II. 21. *Deus transfert & constituit regna. Magni itaque nemo illa facere potest, minime is, qui vere Christianus est, ideoque nec Germani superbire imperio isto debent. Regnum in Dei oculis leve est donum. Omnes habitatores terræ in nihilum apud eum reputati sunt, dabit cuicunque voluerit & humilimum constituet super eum.* Dan. IV. 32. & 12. *Quamvis vero Papa jus non habuerit auferendi imperium iis, qui id legitime possidebant, & Germanis dandi, Deo tamen liberum fuit his ejus ausis uti, & regnum tale, quod nunc est diversum ab antiquo, Germanis tribuere. Majores nostri hanc Pontificum injustam & subdolam machinationem non intellexerunt, nobis constitit multo sanguine & multa opum jactura. Nobis nomen relictum est, Papæ habent opes, immo vitam & animam nostram. Sic deludendi fuerunt Germani, sic Pontifices, cum Imperatores ipsi esse non possent, supra hos ascenderunt. Quoniam vero utut alienæ injuriæ interventu, ex Dei tamen dispositione absque culpa nostra delatum ad nos est Imperium, nolim autor esse ut illud dimitteretur, regendum potius est fortiter & pie, dum Deus permittet. Is nunc non respicit quomodo olim partum sit, sed quomodo probe gubernetur. Si Papæ id contra fas ademerunt, bona tamen fide ad nos pervenit. Non intentio Pontificum sed Dei dispositio respici debet. Vi partum erat Babylonicum Imperium, regi tamen illud Deus per pios voluit viros* Dan. II. 48. 49. *quanto magis a Christianis Germaniæ Principibus regi nostrum hoc volet Imperium, quocunque id titulo Papæ dederint. Dei fuit consilium & ordo, licet eum non intelligeremus. Gloriari autem non possunt Romani Pontifices, de beneficio Germanis collato: nam nihil boni intenderunt, sed simplicitati nostræ illuserunt, ut se contra legitimos Imperatores suos Constantinopolitanos erigerent: deinde non nobis sed sibi imperium quæsiverunt, & nostro sanguine nostrisque viribus totum orbem (ut in Decretalibus suis non dissimulant) sibi subjicere, nisi Deus obstitisset, moliti, malisque artibus plurimis Imperatoribus Germanis ad id abusi sunt. Sic nos Germani probe decepti, & cum Domini esse deberemus, tyrannidem injustam passi & mancipia facti sumus; nomen, titulum, insignia Imperii habemus, opes, vim, potentiam, jus & libertatem Pontifices invaserunt; hi nucleum edunt, nos in putamine hæremus.*

(c) *Imperatorum superioritatem in Pontifices commendat.*

Justum inde esse statuit, ut tandem non nuda simulacra sed rem ipsam Imperatores habeant, verumque imperium, utque nobis reddatur libertas corporis, animæ & opum, & revera detur, quod verbotenus concessum fuit, adeoque, ut loquitur, *inclyta nationis Germanicæ ludificatio tandem finem habeat.* Negat denique ex eo quod Papa Imperatores coronat, sequi, quod superior illo sit. *Samuelem*, qui Saulum & Davidem coronavit, non fuisse supra Reges, neque *Nathanem* supra Salomonem, quem ungebat, neque *Elisæi famulum* supra Jehu. Ipsum quoque *Pontificem* a tribus coronari Cardinalibus, qui non sint supra eum. Sufficere Papam supra Imperatorem esse in rebus spiritualibus, in doctrina & sacramentorum dispensatione (qua tamen ratione quilibet Episcopus & pastor superior esset.) Sic *Ambrosius* fuit supra Theodosium, *Nathan* supra Davidem, *Samuel* supra Saulum. *Imperator itaque sit Imperator verus & summus, potentiam & gladium eripi sibi non patiatur, neque Pontificis figmentis inducatur, ut illos gladium arripere & super omnia sinat dominari.* Hæc Lutherus.

(d) *Epicrisis de Lutheri sententia.*

Dura hæc videri possunt, sed non sunt duriora iis, quæ illis temporibus scripta sunt, cum Imperatores Germani de summa illa potestate cum Pontificibus decertarent, immo nec illis, quoad sensum, quæ nuperis libris suis de *declinatione Imperii Romani*, de *Pontificum potestate* & de *vita Gregorii Magni* tradidit Maimburgius. Lutherum irritaverat Sylvester & alii, qui quintam Monarchiam Pontifici tribuebant, unde sequebatur, Imperatores non nisi clientelæ & beneficii titulo dignitatem suam ex manibus Pontificum tenere. Neque absimile vero est, quod de callido Pontificum consilio commentatur Lutherus, aliisque idem fuit observatum. Hærebant illi inter debilitatem Imperatorum Græcorum, & ingruentem Germanorum ac Francorum (qui Carolo illo Magno imperante unam fere gentem constituebant) potentiam medii, vicinosque hostes Longobardos habebant impune in se grassantes. Deserti ergo a Græcis, & aliquando non pro spe tractati, etiam Constantinopolitanorum Patriarcharum fastu irritati, præsidium sibi a nationibus nostris quæsiverunt. Eventus probavit destinata; & ultra spem, ut existimo. Neque enim credibile est Pontificem, qui primus hunc honorem Carolo vel detulit, vel sumtum suo firmavit applausu, de illa dominationis amplitudine, de prærogativa supra Imperatores & Reges, de triplici corona, aliisque pompis cogitasse: ista omnia & Pontificum, qui successere, solertia & ambitione, & per discordiam aut inertiam Principum, & populorum socordem patientiam accessisse historiæ evincunt. Ne illud quidem ab initio in mentem venisse Pontificibus putaverim, ut Majestatem Imperatoriam in ipsa urbe Roma ejusque agro, multo minus in reliquis Italiæ regionibus, in quibus nihil tunc possidebant, nollent agnoscere. Contrarium professi sunt multis modis, maxime quoties eo comitatu Imperatores Germani Romam accedebant, qui nimia jactantes aut affectantes reprimere poterat. Verisimile tamen & id mihi videtur, Imperatoribus & Regibus propositum fuisse, Majestatis illius titulo & exercitio erga Pontifices moderatissime uti. Nondum tributorum quæ postea invaluerunt multiplices impositiones adinventæ erant: fidem & auxilia in bellis exigebant Imperatores a vasallis Laicis: ab Ecclesiasticis, antequam ditiones sibi acquirerent, preces expectabant aut consilia. Fidei tamen vincula Imperatores juramentis & postea solennitate investiturarum, quas vocant, etiam ab Ecclesiasticis firmari volebant. Hoc jus prioribus seculis in confirmandis Pontificibus exercitum fuit; neque vicissim juramentum detrectabant Principes, quo Ecclesiæ & populo fidelem & justam gubernationem & protectionem promittebant.

(e) *De terminis Imperatoriæ & Pontificiæ potestatis.*

Excusari itaque hactenus possunt Pontifices, ipsaque Roma & aliæ urbes & ditiones, in Italia non minus ac in Germania, dum moderatæ libertatis & immunitatis cupidine pristinum statum tueri allaborarunt. Excesserunt modum, cum Pontifices aliique Imperatoriæ Majestatis, sive sponte agnitæ, sive armorum jure partæ, immemores, invaserunt reliqua Imperatorum jura, immo in factiones & bella adversus ipsos insurrexerunt, quod profecto magno, ut Lutherus loquitur, cum ludibrio tituli Imperialis factum est, ut jam nihil fere Imperatori ex vero axiomate suo Romæ supersit. Sed quod Deus hoc modo permisit, cum publicæ pacis & sanguinis tot Christianarum gentium periculo, ad veteres terminos post tot secula violenter reduci non debet, neque id suadendi Luthero mens erat. Accedit quod jamdiu Imperatores Germanici, & quorum illi consilio & auxilio usi sunt, maximi & potentissimi Principes, Electores inprimis, non inviderunt Romanis Pontificibus, quæ vel prisco illo tempore sub Carolo Magno tenuerunt, (quod modicum quidem fuit) vel postea acquisiverunt, licet non deessent quæ de titulo sive jure disquiri possent. Non tamen semper animus vindicandi amissa aut neglecta defuit, & illo ipso tempore Germaniæ Principes de recuperando in Italia imperio Imperatorem admonuerunt, ut ex actis comitiorum relatum fuit. Ea vero fuit Pontificum cautela, ut sub pietatis sive devotionis specie semper invenirent, quorum potentia adversus rigidi juris Imperatorii assertores protegerentur. Commodissima ad hæc erat æmulatio inter nationes quæ maxime formidari poterant; ita Germanis Galli opponebantur, his illi. Tam nota & certa hæc sunt, ut probatione non indigeant.

(f) *De Gallica in Pontifices prætensione ex dicto Maximiliani Cæsaris.*

Ex propositione tamen Maximiliani I. Imp. qua Germaniæ proceribus Constantiæ ad lacum Brigantinum congregatis anno 1507 actorum suorum ab adolescentia usque ad id tempus compendium quoddam enarravit, satis intelligi potest, quod Imperator jus aliquod supremum in Pontificatum Romanum sibi asseruerit. Inter machinationes enim Gallorum contra Imperium non levem memorat, quod Pontificatum ab Imperio avellere voluerint. Ita enim ibi §. Aus solchen oberzehlten &c. loquitur:

A. 1520.

quitur: Der König in Franckreich/ als die Römische Käyserliche Majestät in übung und vornehmen des Römischen Zugs war/ rüstet sich neben Ihrer Majestät gen Rom zu ziehen/ und Ihrer Majestät/ dem Reiche und Teutscher Nation das Pabstthum und Käyserthum zu entziehen und abzudringen/ & paulo post §. So aber aus dem allem rc. des Heil. Reichs und Teutscher Nation obliegen/ kummer und sorg wird immer grösser und mehr/ dann vor ie/ insonderheit aus anfechtung und täglicher übung der Frantzosen/ wie sie sich denn ietzo in Italien mercken lassen und etliche mächtige stätte und gebiete zu ihren willen gebracht haben/ des fürnehmens/ wo die Röm. Käyserl. Majestät durch ihre fleissige handlung und practicken die Eydgenossen nicht von ihnen gezogen hätte/ daß sie unsern Heil. Vater den Pabst zu erlangen/ und endlich das Käyserthum/ das durch die Teutschen durch ihr blutvergiessen vor viel jahren ritterlich erobert/ und bißher gehalten/ in ihre gewaltsam zu bringen/ unterstanden haben wolten. Sensus est: *Gallos id agere, ut Pontificatum & Imperium, tam multo sanguine a Germanis partum, sibi assererent: ideo Regem Galliæ, in Italia civitates & ditiones aliquas sibi adjunxisse, & cum audiret, Imperatorem cum exercitu Italiam ad coronationem impetrandam petere, se quoque instruxisse ut eandem ingredi & Pontificatum cum Imperio Cæsari auferre posset.* Discitur hinc, expeditionem illam Romanam Cæsaribus Germanicis solennem (der Rom-Zug) non ceremoniæ saltem causa, sed ad asserendum jus supremum in Pontificatum institutam fuisse, licet ea occasione Pontifices etiam suis privilegiis & redditibus, juramento ab Imperatoribus exacto prospicerent. Idem inter Germanos & Gallos de autoritate in Pontifices certamen, patet ex historia Caroli V & Francisci I. Neque Carolum post captam cum Clemente VII Pontifice Romam religionis magis reverentia, quam invidia (per quam omnium aliorum Regum contra se vires coaluissent) ad media consilia adactum fuisse credendum est. Exemplo nocebat subjugata Roma. Quod enim jus Imperatorius titulus in illam tribuebat, idem præstabat in alia regna & ditiones, quæ & olim imperii Romani provinciæ fuerunt. Sed id minime egerunt Pontifices adversus propria commoda, cum titulum illum Germanis Francisque darent, ut hi Romanum imperium ad veteres terminos restituerent, neque de Imperatoribus præsumi potest quod id propositum tunc habuerint, aut diu conservaverint. Ex his, ut candide profitear, apparere puto, Lutherum, cum illa quæ narravi scriberet, retundere Romanæ aulæ jactationem de translato ad Germanos imperio voluisse, & reverentiam Pontifici erga Imperatores svadere. In eum sensum, cum mature de his rebus deliberaretur, mentem suam alio tempore declaravit, ut immoderati fervoris incusari non possit. Neque enim tantum spiritualem Pontificum prærogativam, in iis quæ ad officium pastorum Ecclesiæ ex lege divina debito modo exercendum spectant, (quod & in hoc fecit libello) agnoscere paratus erat, sed & in temporalibus quicquid salva religione concedi potuit, non negavit; uti vel ex eo, quod in præloquio allegavi, responso, haud diu ante mortem ejus dato, demonstratur. Qua enim ratione Episcopis temporalia non invidit, eadem & Romano, quem omnibus Ecclesiastico jure præferebat, cæteris paribus, quantum in se erat, detulisset, salva religione & conscientia. Huic Lutheri & Principum Germaniæ moderationi si locum, re integra & ut licebat, dedissent Pontifices, ad extrema, quæ postea secuta sunt, non fuisset perventum.

ADDITIO II.

(a) *Erasmi de Aleandro, & hujus de illo judicia.*

De Hieronymo Aleandro Erasmus multum queritur, quanquam amicum, ut scribit, veteri ac jucundissima necessitate conjunctum habuisset, immo & in tenuiori ejus fortuna juverit commendationibus *Lib. XXV. ep. 24.* Culpatus ab illo fuit Erasmus, ac si Lutherum non uno juvaret modo, & libellorum quorundam ab aliis sparsorum autor esset. Vide *Lib. XVII. ep. 14. 16.* Imputat id Erasmus aliorum calumniis, a quibus vir apprime quidem, ut ait, doctus, & acri simplicique ingenio præditus, sed credulus, deceptus fuerit. Concitavit contra Erasmum Pontificem, & alienavit ab eo Leodiensem Episcopum ipsi amicissimum. Postea itaque epistola *Lib. XIX. ep. 113.* anno 1524 data placare eum Erasmus voluit, amnestiam offerens, & eruditionis laudem ei tribuens, *Lib. XIIX. ep. 53.* sed parum profecit: mansit enim iniquus ejus & librorum illius censor, immo his schismatis culpam pene unice tribuebat. Ita refert Erasmus in Epistola ad *Christophorum a Stadio* (von Stadion) Episcopum Augustanum anno 1528. Vide *ep. 84. Lib. XX.* & *Lib. XXX. ep. 56.* Paulo ante ad Prieriatem scripserat Erasmus anno 1523. *Aleandrum nihil non facere adversus Lutherum, at se plus fregisse animos illius factionis quam omnia Aleandri molimina, Lib. XX. ep. 52.* Inter hæc, ut obiter notem, erat & corruptionis per nummos tentamen. Narrat enim Selneccerus, Aleandrum dixisse, *Lutherum etiam pecunia non posse emolliri: & hanc bestiam non spectare largitiones & honores; alioqui dudum multa millia ei de Pontificis voluntate per Fuggeros numeranda fuisse.* Sed ut ad Erasmum redeam, scripsit is anno 1531. ad amicum, *exitium sibi ab Aleandro parari*, & hunc cum Eccio ea de causa Lutetiam profectum esse suspicatur. Vide *ep. 56. Lib. XXX.* Antea ad Cardinalem Sadoletum scripserat, *dixisse Aleandrum, se mirari cum tot millia hominum in Germania* (bello rustico) *cæsa sint, vivere adhuc Erasmum, qui totius tumultus princeps & antesignanus fuerit.* Hoc pro atroci habet calumnia, dein hæc subjungit: *Præclarum facinus sibi facere videtur ille διπλωματοφόρος, qui quacunque iret Carolus, chartarum fumis & incendiis implebat omnia, nulli non minitans. Me vero quo minus oppresserit, per illum non stetit: perierat Erasmus, si pronas aures Principum reperisset.* Furiosum ejus librum, nomine *Doleti* emissum, indicat anno 1535. *Lib. XXX. ep. 70.* & *Julium Scaligerum, ac Paulum Merulam in se subornari ab Aleandro* refert anno 1536. *d. Lib. ep. 74.* addit tamen, *sibi quoque Romæ Cardinalitiam dignitatem destinari, sed quam accipere nolit.* De moribus Aleandri non discrepantia ab iis quæ spargebantur, ex Erasmi epistola ad Goclenium anno 1533 data (*Lib. XXX. ep. 62.*) intelliguntur; scribit enim: *Aleander nunc Venetiæ plane vivit Epicureum, non sine dignitate tamen:* erat enim gemina mitra insignitus Brundusina & Oretina. Vide *d. Lib. ep. 60.* Obiit anno 1542. & sepulchro Græcum distichon, quod ipse (ut erat trium linguarum peritissimus) composuerat, inscriptum est, tersum & memorabile, relatum a Chytræo *Libr. XVII. fol. 458.*

(b) *Obitus Aleandri.*

Κάτθανον οὐκ ἄκων ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρτυς
Πλείσων, ὧν ἄλλων ἤδειν ἄλγιον ἦ θανάτου.

Non invitus obii, quia quiesco, testis multorum quæ videre pejus est morte.

Tædere itaque vitæ & hunc cœpit, licet, ut narratur, laute & læte actæ; felix si vel in extremo ejus cursu salutis anchoram arripuit. Memorabilia etiam sunt quæ de Ferdinandi Cæsaris ab eo aversione, & moderatione, quam Melanchthon ei tribuerit, referuntur a *Pallavicino Lib. IV. c. VIII.* sed de iis alio loco agendum est.

ADDITIO III.

(a) *Pallavicini de Erasmo relatio.*

Notari merentur quæ *Pallavicinus Lib. I. c. XXVIII. §. 8.* de Erasmo refert, quod Bullam Pontificis pro suppositicia habuerit, & ostensione autographi ab Aleandro convincendus fuerit; quodque nocturnis congressibus Principes, eorumque amicos, a Pontifice & Aleandro alienare voluerit, & Bullam malevolorum artibus, præter Pontificis voluntatem, conditam esse, denique colloqui de hac re cum Aleandro contenderit, ut librorum Lutheri exustionem retardaret aut impediret. Quæ pleraque ex Aleandri relationibus arrepta fuisse credibile est. In epistolis Erasmi id saltem reperitur, quod Leonem ab aliis inductum ad Bullam festinasse existimavit. Extat in Volumine Basileensi Epistolarum Erasmi *Lib. XIII. f. 435.* Erasmi epistola ad *Conradum Peutingerum*, Cæsaris Consiliarium eo ipso tempore, Idibus nempe Novembris Coloniæ scripta, in qua ei *Johannem Fabrum* Dominicanum commendat, hujusque consilia laudat.

(b) *De mente Erasmi in causa Lutheri ex epistola ad Peutingerum.*

A. 1520.

laudat. Ex his literis de mente Erasmi judicare licet majori cum certitudine, quam ex iis, quæ blande cum Friderico Electore locutus fuit, aut quæ de eo suspicatus est Aleander: mediam nempe quærebat viam. Verba ejus inter alia hæc sunt: *Ex levioribus initiis, sæpe nata sunt horrenda mundi dissidia. Ac, mea sententia, hic quoque verum est, quod scripsit Marcus Tullius:* pacem vel iniquam bello æquissimo potiorem esse. *Ac jam nunc fabula longius progressa est, quam vellim; & tamen adhuc opinor malum esse medicabile, certe sanabilius est, quam si quibus cœpit auctibus longius etiam provehatur. Sic autem sanari cupiam, ne malum ad tempus suppressum, post majore cum discrimine recrudescat: quod solet usu venire medicis, qui potione propellunt febrem, non ante purgatis venis, unde febris scatet; aut qui cicatrice obducunt vulnus, nondum satis educto pure. Quibusdam videtur optimum factu, ut res omnis sævitia coerceatur, a quibus nec Faber admodum dissentit, nisi metueret, ne parum feliciter cedat austeritas. Ait, non satis esse fortiter huc tendere, quo vocat animi voluntas, plurima circumspicienda sunt. Primum ut sic consulatur dignitati & autoritati Romani Pontificis, cui merito favent omnes, ut Christi vicario summo, qui Christum ex animo diligunt, ne quid jacturæ patiatur Evangelica veritas. Neque dubito, quin hoc animo sit Leo noster, ut tum demum se gloriosum esse putet, si doctrinam Principis sui viderit ubique florere. Negat hoc tantum esse spectandum, quid mereatur Lutherus, aut si qui Luthero favent, sed quid conducat publicæ orbis tranquillitati. Magni refert, qui manum admoveant huic malo, & quibus remediis curetur.* Invehitur postea in illos qui Lutherum ideo maxime, ut putat, oppugnarent, ut cum eo simul obruant bonas literas. Lutheri stylum vehementiorem improbat, eoque veritati fructum adimi metuit. Odium Romani nominis penitus infixum esse multarum gentium animis fatetur, ob ea quæ vulgo de majoribus ejus nobis jactentur, & ob improbitatem quorundam qui Pontificis negotia gerant, quosque Christi potius gerere deceret. Nihil agi posse in causa illa statuit, si eam tractent, qui alium scopum sibi proposuerint, quam Christi gloriam. Postea quæ vaticinii instar sunt subjungit: *Saxum illud hinc atque hinc tundi potest, loco moveri non potest, cui inscriptum est illud mysticum elogium:* Novit Dominus qui sunt ipsius. *Quicquid a spiritu Christi proficiscitur, non potest humanis præsidiis opprimi, quantumvis prematur: quicquid humanis consiliis tentatur, temporarium est, quantumvis ardentibus studiis agatur, quantumvis operoso molimine ad perpetuitatem communiatur. Mei similium non est, de Pontificum diplomatis judicare. Erant tamen, qui in Bulla, quam attulit Nuncius pontificius, mansuetudinem illam desiderarent, dignam eo, qui mitissimi Christi vices primarias gerit in terris, dignam hujus Leonis ingenio, multo hactenus placidissimo; quod tamen ipsi non imputant, sed instigatoribus. Jam ut hac, inquit, sævitia maxime aboleantur libri Lutherani, ut ipse etiam tollatur e medio; metuendum est, ne malum exasperetur magis, quam finiatur, & pro uno sublato exoriantur plures, donec res ad certamen & schisma deducatur.* Denique Fabri sententiam ita explicat: *Censet igitur Faber noster, rei summam arbitris doctis, integris, & ab omni suspicione alienis delegandam, non quod Romanus Pontifex sit cogendus in ordinem, & alieno subjiciendus arbitrio, sed quod existimet, illius pietatem hoc sponte volentemque facturum, si cognorit ad publicam Christianæ religionis tranquillitatem conducere. Sed hujus consilii viam ipse tibi copiosius exponet coram: quæ si probabitur, adjunges tua prudentiæ consilium, ut in VVormatiæ conventu statuatur aliquid, quod omnibus bonis approbetur.* Videatur etiam relatio de *Actis Lovaniensium contra Lutherum* anno 1520. *Tomo I. Lat. Jen. f. 496. b.* in qua multa de Aleandro, Erasmo, Bulla Leonis, & de Theologis Lovaniensibus leguntur, cum quibus non parum concordant, quæ in Epistolis Erasmi legimus.

A. 1520.

(c) *Excerpta ex libello quodam.*

Vulgatum est tempore Comitiorum VVormatiensium scriptum Latinum paucarum paginarum, quod nunc quidem, ut alia ejusmodi, raro reperitur: extat tamen in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi*, ex quo sequentia exhibeo: Comes de Nassau Subregulus Flandriæ, Brabantiæ & Hollandiæ, ad prædicatores in Haga Comitis inquit: *Ite & prædicate sinceriter Evangelium Christi, sicut Lutherus, neminem offendentes, nec habebitis occasionem interpellandi adversus aliquem.* Lovanienses Magistri conquesti fuerunt Dominæ Margarethæ, Cæsaris sorori gubernatrici Belgii, quod Lutherus suis scriptis subverteret rem Christianam; interrogavit ipsa: *Quisnam est iste Lutherus?* indoctus est, inquiunt, monachus. Respondit ipsa: *Scribite multi docti contra unum indoctum, tunc totus mundus plus credet multis doctis, quam uni indocto.* Dominus de Ravenstein in imperiali convivio, ut sermo inciderat de Luthero, ait: *unus homo Christianus surrexit in quadringentis annis, quem Papa vult occidere. Domini nostri Lovanienses curaverunt suis pecuniis, ut opera Lutheri incinerarentur: concursus factus est: plures apportarunt libros, sed non Martini; studentes itaque & plerique alii parato jam igne libros comportant. Ille sermones Discipuli, alter* Tartaretum, *sic hic* Dormi secure, *& alios id genus, ut plures ex illorum autoribus combusti sint, quam ex operibus Martini Lutheri.* Ad Mosellanum delata Julii Pflug epistola est ex Italia, qua scribit: *contra Scoti & aliorum nugas, tum Romæ tum Bononiæ prævaluisse, qui Martini scripta sequuntur. Spalatinus* quoque in *historia* de Friderico supra allegata refert; Dixisse ei aliquem ex Electoribus Ecclesiasticis Coloniæ: *utinam Lutherus Latine scripsisset, non Germanice.*

SECT. 35.

(1) De invalescentibus partibus Lutheri.

Nam Lutheri partes sensim ita invaluerant in Germania, ut plurimi ex Consiliariis Imperatoris prudentiæ non convenire judicarent, si autoritatem suam statim ab initio in periculum mitteret, condito edicto, cui nemo obediturus esse videbatur. Non enim solum Dux Saxoniæ, inter omnes Electores tunc maximæ in Imperio autoritatis, aperte Luthero favebat; sed & Ludovicus, Elector Palatinus, Princeps potentissimus, multos ex familia sua proceres secum trahens. Nobilitas Equestris spe utilitatis, ex opulentorum monasteriorum spoliis & ex magnis beneficiis, quæ novus reformator pollicebatur, capiendæ inescata, toto pectore reformationem sibi tam proficuam amplectebatur, & jam minitabatur se eam armis defensuram esse. Caput eorum erat Udalricus Huttenus, *homo audax, sed gratiosus, amœni ingenii, prosa & carmine Latine & Germanice eloquens, Pontifici etiam magis quam ipse Lutherus infestus, & hujus perpetuus encomiastes. Hic sermonibus & scriptis seditiosis omnes contra Romam incitabat, ejusque defectus continuo exaggerabat. Plebs, cum nihil nisi de tyrannide Antichristi Romani in concionibus audiret, Lutherum ut magnum prophetam respiciebat, quem Deus ad verbi divini vim in Ecclesia restituendam, & jugum legum & traditionum humanarum, quo Christiani misere oppressi essent, excutiendum excitasset. Cumque Lutherus vitia acriter pro concione taxaret, multosque jam libros Latinos*

Cochlæus. Luth. tom. I.

(2) De Udalrico Hutteno.

A. 1520. | A. 1520.

(3) Scripta Lutheri & inde parta ei exiſtimatio.

& Germanicos ad pietatem pertinentes edidiſſet, v. g. explicationes Decalogi, Orationis dominicæ, Epiſtolarum & Evangeliorum Adventus, in Canticum B. Virginis, in Pſalmos, & in Epiſtolam ad Galatas, in quibus optima dixit; præterea minime avarus aut obnoxius eſſet, & morate viveret; vir bonus & magnus in univerſum, immo ſanctus habebatur, ita ut capiti ejus effigiato radios circumpingerent, tanquam canonizato. Acceſſit, quod Eccleſiaſtici ut plurimum valde corrupti eſſent, & Monachi, conditionis ſuæ pertæſi, concionantem de libertate magno cum applauſu audirent; cupiditati enim eorum hæc ejus dogmata mire congruebant. Tandem etiam literati Grammatici, & qui ob linguarum, quas doctas vocant, peritiam, eo tempore jus interpretandi ſacram Scripturam ſibi arrogabant, & Scholaſticos ignorantiæ & barbariei accuſabant, (quia Lutherus, pro Theologo egregio habitus, idem faciebat maximosque in ſcholis Magiſtros & Theologiæ Doctores, ut corruptores ſacræ Scripturæ traducebat) omnes, veluti conſpiratione quadam facta, prætenſi hujus Reformatoris laudes extollebant.

Pallavicin. lib. I.

§. LXXXII.

(1) Epicriſis de traditis a Maimburgio.

Deplorandum eſt, hæc ex autoribus ſuis exſcribentem Maimburgium non affici eo veritatis ſenſu, ut agnoſcat, non niſi divina eaque manifeſta providentia & ope progreſſum hunc Evangelicæ doctrinæ promoveri potuiſſe. Conſideremus quo tunc rerum ſtatu Lutherus verſabatur. Unicus ei patronus ex Principibus erat *Fridericus Saxoniæ Elector*, magnæ quidem apud Carolum gratiæ, a quo *Patris* nomine honorabatur, ſed non tantæ, ut miniſtrorum ejus Hiſpanorum, Belgarum, Italorum, a quibus educatus & obſeſſus erat, conſilia autoritate ſua impedire poſſet. Ipſe, ut audivimus, nullo modo ad vim pro defenſione Lutheri inclinabat, nec Lutheri argumentis eo tempore movebatur, ut obſequium Pontifici denegaret. Equites vero illi, quorum ſtudia in Lutherum erumpebant, quorumque hic meminit noſter, potentia exigua erant, non niſi cum deſperatione & ruina rerum ſuarum uſurpanda, ut non multo poſt Sickingius omnium locupletiſſimus & potentiſſimus, expertus eſt.

(2) An Ludovicus Palatinus Lutheranus fuerit.

Repugnat etiam Actis & hiſtoricorum teſtimoniis, quod *Ludovicus Elector Palatinus* aperte Luthero faverit, multosque ex familia ſua proceres ſecum traxerit. Ludovicus enim nihil in religione veteri mutavit, etſi ſuſpicari aliqua de erroribus dogmatum cœpiſſet, & quibusdam locis ſuæ aut mixtæ cum aliis ditionis conniveret Evangelii prædicatoribus. Obſtabant Theologi Academiæ Heidelbergenſis, Pontifici adeo non hoc ſolum tempore ſed & longe poſt adhærentes, ut anno 1523 ab Adriano VI Papa excitari ſe ad ſcribendum contra Lutherum paterentur. Etiam a Paulo III anno 1536 ad concilium Tridentinum vocati ſunt. Mortuus eſt Ludovicus anno 1544, ante cœptam in Palatinatu reformationem: hæc enim ſucceſſoribus ejus debetur, ut in tempore notabitur.

(3) De libertate & mente eorum, qui Lutherum ſequebantur.

Porro qui Lutheri doctrinam ſequebantur, ab ipſius conſiliis non ita pendebant, ut cauſam cum eo communem facerent. Id inprimis notari meretur, ut ſemel ac ſemper occurratur falſæ perſuaſioni aut calumniæ, ac ſi uni Luthero tanquam Apoſtolo aut Patriarchæ omnes paruiſſent. Erant quidem, qui ipſum Lutherum videbant & audiebant, quibus ille magnus & ſanctus & obſequioſe colendus videretur; erant tamen etiam ſacerdotes plurimi, in partibus præſertim remotioribus, qui libellis ejus eatenus ſaltem excitabantur, ut Scripturarum lectioni eousque fere neglectæ ipſi incumberent, adeoque ut par erat, non Lutheri, ſed Scripturæ monitu a Pontifice & Scholis diſſentirent. Itaque non unius iſtius viri autoritate, quæ tenuis erat, ſed perſpecta divinæ veritatis luce, & pontificii dominatus ac ſcholaſticæ ſervitutis injuria, plurimi eccleſiaſtæ & paſtores populum ad verum purumque cultum adhortari incipiebant; non abſimiles Samaritanis illis, qui cum Chriſti ſermones ipſi audiſſent, mulieri eos referenti dicebant: *jam non propter tuam loquelam credimus, Joh. IV. 42.* Erant etiam qui in aliquibus diſſidebant, ut in ſuperiori Germania circa articulum de cœna Domini factum eſſe negari nequit, nec Zwinglii ſaltem, ſed & aliorum exemplo comprobatur, qui ægre patiebantur ſe *Lutheranos* vocari, licet occaſionem doctrinæ ex Lutheri ſcriptis accepiſſe non diffiterentur.

(4) De Schwebelio & Bucero.

Talis erat *Johannes Schweblinus* vel *Schwebelius*, Pforzhemii anno 1490 natus, & anno 1514 Argentorati ſacerdos factus. Is monaſtico Sancti Spiritus ordine relicto, & patria profugus, ad Sickingium conceſſit, ibique anno 1521 uxorem duxit. Hujus potiſſimum opera trans Rhenum in Palatinatu Bipontino Evangelica doctrina ortum habuit. Talis *Martinus Bucerus*, Seleſtadienſis, Dominicani ordinis monachus, quem Sickingius, nondum Lutheranus, Electori Palatino commendaverat, ut ei a ſacris concionibus eſſet. Viderat eum Heidelbergæ Lutherus, ut patet ex epiſtola ad Spalatinum d. 12. Febr. hoc anno 1520 ſcripta, *Lib. I. epiſt. 153.* ubi eum nominat *ſolum in ſecta ſua* (Dominicana) *candidum, & optimæ ſpei juvenem, dignum amore, fide & ſpe.* Hic ob Lutheri doctrinam aliquatenus ſibi probatam, perſecutioni monachorum cedere, & ad Sickingium ſe recipere eodem tempore coactus eſt, & paulo poſt Wormatiam ad Lutherum venit. Taceo alios, qui ab eodem Equite recepti, & inde ad propagationem doctrinæ in varias regiones diſperſi fuerunt, poſtquam nempe Sickingius Principum æmulatione, ex alia quam religionis cauſa, armis petitus, in arce ſua anno 1523 occubuiſſet.

(5) De Udalrico Huttено.

Apud eundem etiam ſecuritatem ſibi quæſivit, quem hic deſcribit Maimburgius, *Ulricus Huttenus.* Natus hic fuit in arce patria Steckelberga, quæ etiam nunc ad Huttenorum in Franconia gentem inter equeſtres clariſſimam pertinet, anno 1488 ſtudiis humanioribus in nova tunc Francofurtenſi ad Viadrum Academia operatus, Magiſtri gradum anno ætatis decimo octavo aſſumſit: poëticam inprimis excoluit, ut carmina ejus quæ extant, oſtendunt. Militavit deinde (relicto, ut quidam referunt, ordine clerico, cui in Fuldenſi Abbatia deſtinabatur,) Maxi-

A. 1520.

miliano Imperatori, & equestri torque, ut & corona seu laurea poëtica, ab eo donatus est. Parvo & debili erat corpore, ingenti tamen animo, eaque fortitudine, ut anno 1517 Roma in Germaniam regrediens Viterbii quinque Gallos, a quibus in rixa quadam impetebatur, solus, accepto licet vulnere, profligaverit. Id factum carmine celebravit, quod hoc versiculo finitur:

Gloria prima Deo, qui me servavit, ut illos
Perderet, & vicit, non ego, quinque viros.

In aulam inde Alberti Moguntini receptus, tanta non multo post ob Lutheri dogmata, quæ avide imbiberat, odia incurrit, ut non modo ab Hero, cui charus erat, discedere, sed & persequente Pontifice, nec protegente (ut speraverat) Carolo Imperatore, latitare cogeretur apud Sickingium primo, dein in insula quadam lacus Brigantini, ubi anno 1523 omnium rerum egenus, &, ut Erasmus scribit, ære alieno oppressus decessit. *Caput* itaque *Franconicæ nobilitatis* qui hunc vocat Maimburgius, historiam viri, immitibus fatis agitati, & extra patriam plerumque agentis, aut ignoravit, aut non satis consideravit; neque violentia illius, quam calamo & aliquando manu cum poterat exercebat, religioni profuit, nocuit potius. Improbavit eam etiam Lutherus, & eo quidem, quo in magno periculo versabatur, tempore, ut ex epistola mense Junio anni 1521 ad Spalatinum data, videre licet, *Lib. I. ep. 232.* ubi ita scribit: *Quid Huttenus petat, vides. Nollem vi & cæde pro Evangelio certari: ita scripsi ad hominem. Verbo victus est mundus: verbo servata est Ecclesia: etiam verbo reparabitur; sed & Antichristus, ut sine manu cœpit, ita sine manu conteretur per verbum.* Ex his colligi potest, præsidia ab Equitibus illis reformationi præstita, non ejus esse momenti, quod iis tribuit Maimburgius. Aperte autem fallitur, cum *Equites spe utilitatis ex opulentorum monasteriorum spoliis, & ex magnis beneficiis, quæ Lutherus pollicitus esset, inescatos, arma minitatos esse*, dicit. Ne verbum quidem ex Lutheri dictis scriptisve proferri potest, quo talem prædam illis ostenderit, longeque alia ei sententia de bonis Ecclesiæ fuit, immo & Equitum, ut alibi dicam. Ipse etiam eventus calumniæ convincit autorem. Neque enim Nobilitas equestris ea erat potentia, ut monasteria, licet a majoribus suis ex parte fundata, invadere aut tueri posset; majorum Principum & Dynastarum ea potestas & cura fuit, ut narrabitur. Quicquid autem postea secutum sit, certum est, hoc tempore (anno nempe 1520) a nemine, nisi stultissime, cogitari de tali re potuisse: non a Luthero, qui in extremo periculo versabatur: neque a Principibus & Proceribus, qui veritati licet aurem præberent, trepidabant tamen, sive causæ nondum certi, sive Pontificis & Imperatoris metu. Nam etsi hic post recens adeptum Imperium, autoritatem suam in discrimen dare eo modo nollet, quem Pontificis Nuncii svadebant, (contrarium enim suggerebant ministri; quos memorat *Pallavicinus Lib. I. cap. 24.*) mox tamen in comitiis Wormatiensibus satis ostendit, se Pontifici non esse defuturum; neque aliud, ut supra dixi, Lutherus sibi ab illo promittebat.

(6) *Notatur Maimburgii falsa traditio de Hutteno aliisque.*

ADDITIO I.

(a) *De Ducatu Bipontino ex Altingio.*

Hoc quidem anno in Palatinatu Bipontino publice locum non habuit doctrina Evangelii, sed jacta fuere semina; paulo post, anno 1523. publica Principis autoritas accessit, ita referente *Altingio* in *Historia Palatina* quam manuscriptam habeo. *Unum dicere* (scribit) *prætericram de Ducatu Bipontino, qui pars est Palatinatus, sed ab Electoratu secreta, Principem ejus* Ludovicum, *Ducis VVolffgangi patrem, inter primos Imperii proceres censendum, qui Evangelium amplexi sunt. Nam anno Christi 1523 faces fermenti Papistici ex ditionis suæ Ecclesiis expurgavit, missificos omnes eliminavit, &, quoad inter initia fieri potuit, doctrinam & cultum ad normam verbi divini composuit. Qua in re usus est ministerio* Johannis Schwebelii *Pfortzensis, qui Landsteinio, ubi cum* Hutteno *equite Franco, cum* Bucero, & Caspare Agricola *apud inclytum illum Heroëm, Franciscum a Sickingen vivebat, Bipontum evocatus fuit. Intercedebant quidem vicini Episcopi, maxime Trevirensis, & Principem minis ab instituto dimovere conabantur, sed frustra, tuentibus etiam ab obitu ipsius, qui incidit in annum Christi 1532. novellam reformationem fratre Ruperto, tutore filii ipsius VVolffgangi, atque ipso quoque VVolffgango, qui provincia gubernationem adiit anno 1544.* Vidi postquam ista scripsissem, quomodo (quem §. *LXX.* allegavi) *D. Joh. Henr. Majus* in libello nuperrime edito, Schwebelium civem suum a Zvinglianismi imputatione vindicet, & si quæ in ejus epistolis aut scriptis discrepantia a Lutheri doctrina de sacra Cœna reperiri videantur, corruptionis & interpolationis suspecta faciat, allegans scriptum apologeticum ipsius *VVolffgangi Palatini Ducis Bipontini* nomine editum, *Vit. Reuchlin. p. 73. seqq.* Confirmare hoc videtur *Altingius*, dum verbis illis *quoad inter initia fieri potuit*, Reformationem Bipontinam restringit, perfectiorem scilicet eam judicans, quæ postea secuta fuit, Helveticæ confessionis introductione. Plura vero de sententia & actis *Schwebelii* cognoscuntur ex scriptis ejus Germanicis, quæ hodie rarissime inveniuntur. Excusa autem sunt forma octava Biponti anno 1605. Inserta ibi leguntur epistolæ ad eum Melanchthonis, Buceri & aliorum. Inter alia *Melanchthon* ad eum anno 1519. scribit: *Multo major, multo admirabilior est Lutherus, quam quem verbis possim adumbrare.* Ipsius vero *Schwebelii* insignes extant epistolæ. Ex iis percipitur, vocatum eum anno 1523 fuisse Heidelbergam a Ludovico Electore Palatino, satisfacturo scilicet mandato Imperiali, eo anno de concionibus ex sacra Scriptura & probatis interpretibus habendis publicato. Itaque Matthæum Evangelistam, & quasdam Pauli epistolas explicatas a se ad illum modum esse scribit: rogasse se etiam, ut ab Episcopis instrueretur, sed nihil impetrasse; quosdam vero, qui conciones suas audissent, dixisse, si alia non concionaretur, nihil esse, quod in iis corrigerent. Vide *d. Lib. p. 84.* Matrimonium suum defendit ex ordinatione divina & conscientiæ necessitate; scandalum ab aliis acceptum contemnit, *p. 176.* In articulo de Cœna urget communionem integram, rejicit sacrificium Missaticum. *Impie*, ait p. 117. *Christus non semel, ut a Juda, sed sæpius venditur, dum pro pecunia Missæ celebrantur. Impie Christus non semel, ut a Judæis, sed sæpius crucifigitur, dum in Missa sacrificatur. Infideliter agunt populum celantes verba Cœnæ dominicæ, consolationis plena. Infideliter agunt cum calicem fidelibus subtrahunt; per avaritiam decipiunt fideles, quos docent offerre Missas pro mortuis.* Ibidem improbat usum linguæ Latinæ non in Cœna solum, sed & in Baptismo. *Qui baptizantur*, scribit, *in eorum recipiuntur numerum, qui per Christum salutem quærunt. Hic quid peregrina facit lingua? an nihil refert scire, cui nomen in baptismo detur?* Hæc & alia adversus Canonicos Hornbacenses disputavit. Rusticos Bipontinos a seditione, ne Evangelium tumultui causam dedisse diceretur, cohibuit *p. 141.* Principibus jus reformandi & visitandi asseruit *p. 151.* sed eosdem dehortatus est ab invasione bonorum Ecclesiasticorum. Severe etiam contra ebrietatem scripsit ad *Rupertum Comitem Beichlingensem.* Ordinationem Ecclesiasticam Ducatus Bipontini composuit & defendit *p. 183.*

(b) *De Schwebelio quædam.*

A. 1520.

ADDITIO II.

(a) *De Buceri actis prioribus.*

De *Martino Bucero*, in progressu historiæ multa dicenda venient. Annis illis, de quibus in prima hac parte tractatur, tyrocinia quædam doctrinæ posuit, tum in aula Heidelbergensi, tum in Belgio, cum Principe Friderico Palatino Electoris fratre eo profectus; sed monachorum insidias fugiens ad Sickingium, ut dixi, se receperat. Bello in hunc orto, VVeissenburgi civitate Alsatiæ inferioris imperiali, a pastore vocatus, aliquandiu concionatus, sed & inde ab officialibus Spirensis Episcopi exactus, anno 1523 Argentoratum venit, & aliis Evangelium ibi docentibus collegam se adjunxit. In controversia sacramentaria quas partes egerit, utque tandem in Angliam concesserit, & quæ ibi fata incurrerit, satis notum est, & alibi memorandum. De obitu ejus (qui contigit d. 21. Febr. 1551.) Joh. Checi & Nic. Carri relationes, variæque in funere ejus habitæ orationes & epicedia scripta, tum historia de accusatione, condemnatione, exhumatione, combustione ac restitutione ejus, extant in volumine operum, quæ sub *Martini Buceri Scriptorum Anglicanorum* titulo Basileæ anno 1577 prodierunt *fol.* 864. *sqq.*

(b) *De Conrado Pellicano.*

Pertinet ad hujus temporis periodum historia *Conradi Pellicani* (Germanice Kürschner) inter primos Lutheri sectatores numerandi, licet postea Helveticis Ecclesiis accesserit. Luculentam ejus vitæ descriptionem exhibet *Melchior Adami p. 262. & seqq.* ex qua ad illustranda quæ ad reformationis negotium pertinent sequentia non indigna notatu duxi. Rubeaci (Rufach) in oppido Episcopatus Argentoratensis natus fuit anno 1478. senior Luthero sex annis, monachatum Franciscanum ætatis anno decimo sexto suscepit, paulo post anno 1496 Tubingam in sui ordinis monasterium venit, cui præerat Guardiani, ut vocant, nomine quidam *Paulus Scriptoris*, VVila Suevus. Hic Theologiam Scotisticam, quam Parisiis sub celebri magistro Stephano Brulio didicerat, magno cum applausu, ut & mathesin, docebat, auditus etiam ab Augustinianis, quorum tunc Prior Tubingæ erat Joh. Staupitius. Facundus fuit Paulus iste, & ad solennes conciones sæpe in vicinas civitates evocatus, de sacramentis & indulgentiis declamare solebat ad eam fere sententiam, quam postea Lutherus propalavit: unde & in suspicionem hæresis incidit, & Lecturæ & Guardiani, quod vocant, officio amotus est. Hujus ab ore pendebat Pellicanus, nec parum ab illo amabatur, ita ut ejus causa grandem codicem Hebræum Oppenheimii acceptum, humeris suis Pfortzhemium usque portaret, ubi Pellicanus Capnionis audiendi causa substiterat. Qua molestia, nullo manuductore, Hebraica rudimenta didicerit, apud Adamum legi potest, Capnionis tamen instructione mox ita profecit, ut libellis Grammaticis edendis juvare magistrum potuerit. Cum anno 1501 sacerdos in patria Rubeaci consecraretur, Paulus ille Scriptoris concionem habuit solennitatis & honoris causa. Sed auxit bonus ille vir odia in se monachorum, cum dicere soleret: *Instare tempus mutandæ theologiæ, & deserendæ scholasticæ disputationis: resumendos priscos & sanctos doctores, omissis Parisiensibus, tempus etiam appetere mutandarum legum plurimarum.* Hæc ei libertas exitium attulit: vocatus enim in Galliam, ut Tolosæ doceret, cum se ad iter pararet, & antequam istud aggrederetur, ab Episcopo Basileensi rogatus, commissa sibi negotia quædam tractaret, Keysersbergæ obiit, fraude, ut Pellicanus existimavit, monachorum. Ipse Pellicanus anno sequenti 1502 Basileæ Lector Theologiæ in conventu Franciscano constitutus fuit, & celebres typographos Amerbachium, Frobenium, & alios in edendis libris, Augustini præsertim, juvit. Raymundus Cardinalis, qui legatione in Germania fungebatur, reliquiarum superstitiosus indagator & cultor, & indulgentiarum jactator, Pellicanum ob eruditionem *Licentiati* titulo (quo tamen nunquam uti voluit) honoravit 1504. & Romam secum duxit. Inde reversus variis muneribus in ordinis sui monasteriis admotus, lectiones tamen continuavit, tum Scholasticas tum Hebraicas, in quibus Sebastianum Munsterum discipulum habuit, itemque Astronomicas. Refert *Adamus* ejus cum Capitone colloquium anno 1512 habitum de Sacramento Eucharistiæ, in quo mutua confidentia agnovisse dicuntur doctrinam Ecclesiæ labascere, & si liceret, malle profiteri eam, quam postea Zuinglius tenuit, sententiam, anno 1514. & quam Scotus inter tres alias primo loco recitaverit in *quarto Sentent.* Provinciali Minoritarum *Casparo Sazgero* (*Schatzgeyerum* puto intelligi, qui contra Lutherum postea scripsit) sese adjunxit, Secretarii vicem præstans: cum Joh. Eccio etiam familiaritatem coluit: ubique vero Hebraicæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ literaturæ operam dedit. Anno 1516 ad Capitulum generale in Galliam missus Fabro Stapulensi innotuit: postea Romam iterum ad aliud Capitulum profectus summam monachorum inscitiam ut & sordes in corradendis per indulgentias nummis deprehendit. Reversus inde monasterii Rubeacensis Guardianus factus, sequentis anni initio Lutheri articulos & sermones cum stupore legere & ad adsensum inclinare cœpit; Erasmi vero scripta jam antea magnifecerat, ejusque paraphrasin Epistolæ ad Romanos fratribus monachis prælegebat. Hoc ipso anno Basileam venit, ut Franciscanorum Guardianus esset: ibi cum Lutheri opuscula Frobenius primum typis vulgasset, postea vero Erasmo instante continuare operam nollet, Pellicani suasu alius typographus *Adamus Petri* magno cum lucro suo editionem suscepit. Anno 1521 finitis Comitiis VVormatiensibus, Franciscus de Angelis Hispanus & Provincialis Franciscanus, a Cæsare in Hispaniam missus, toto biduo Basileæ cum Pellicano de causa Lutheri disseruit, ita ut eam magna ex parte probaret. Anno sequenti in Capitulo, Leonbergi in Ducatu VVürtenbergico ab ordine habito, ægre admissus est, imputato ei Lutheranismo, a quo se utcunque tunc excusavit, decretumque inde est, ne juniores monachi Lutheri libros legerent, licet doctioribus non interdicerentur. Sed recruduit adversus eum odium, ita ut eodem anno una cum vice Guardiano & concionatore Basileensis monasterii ex Schazgeri Provincialis decreto a muneribus suis dejiciendus & in alia monasteria transferendus esset. Sed senatu autoritatem interponente, omniumque monachorum Franciscanorum expulsionem minitante, Basileæ in monasterio cum sociis quadraginta conservatus est. Mox vocante senatu, & alios ab ea prohibente, Theologicam lectionem cum collega Oecolampadio publice suscepit: in periculo tamen haud levi inter monachos versabatur, ita ut veneni metu aliquandiu non nisi cibo a civibus suppeditato uteretur. Rogatus postea a primoribus civium, concionem ex Novo Testamento quotidie ad dimidiæ horæ spatium in templo habuit, indignantibus monachis, qui Lutheranum esse dicebant diebus profanis prædicare: substitit tamen in ordine & habitu suo, usque ad annum 1526, quo Tigurum vocatus cucullum deposuit, & exemplo aliorum, ne scandalo esset, jam annos natus quadraginta & octo uxorem duxit. Congessit ista & plurima alia *Adamus* ex vitæ Pellicani chronico, quod ipse suorum gratia composuit, ex quibus multa observari possunt, quæ statum Ecclesiæ ante & circa tempora Lutheri indicant: ut nempe in mediis corruptionibus doctrinæ & disciplinæ, reliqui tamen semper fuerint, quibus veritatis aliqua lux affulgebat, quibusque idem semper fatum, odiosæ nempe persecutionis, incumbebat. Tantam vero temporum illorum ante Lutherum infelicitatem notasse Pellicanus dicitur, ut nullum Græcum Testamentum in tota Germania reperiri potuerit, quantumvis quis magnam vim auri pro unico exemplari voluisset expendere.

(c) *Item de Paulo Scriptoris.*

(d) *Plura de Pellicano.*

(e) *Docere incipit Evangelium.*

A. 1520.

(f) *Erasmi ad illum epistola de sacra cœna.*

Cæterum etsi relatum supra sit de Pellicani opinione, circa articulum sacræ Eucharistiæ, in Epistolis tamen *Erasmi* ad Pellicanum scriptis legitur, eum non nisi postquam Carolostadius Basileam venisset, de præsentia reali publice dissentire cœpisse, aut saltem in modo præsentiæ exprimendo hæsisse. Expostulat enim cum eo *Lib. XIX. epistola 95.* anno 1526 scripta Erasmus, & negat fortiter, quod Pellicanus jactasse dicebatur, se cum eo in illa quæstione consentire: objicit itaque ei inter alia mutationem sententiæ:

Damnabat

A. 1520.

Damnabas (scribit *fol. 676.* edit. Basil.) *eos qui audebant profiteri, illic* (in sacra Cœna) *nil esse nisi panem & vinum. Nec aliud opinatus sum unquam de te, nisi proximo colloquio, quum veluti afflatus aut alius factus absque fuco declarabas animi tui sententiam. Eam nunc palam profiteris. Ego vero ne in priore quidem sententia tecum sensi. Censebas enim, profitendum in synaxi esse corpus Domini, cæterum quomodo sit illic, Deo, qui novit omnia, committendum esse. Ego vero hoc tua sententia adjiciebam, mihi istuc videri simplicius, quod ita viterentur varii difficultatum labyrinthi, si fas esset homini Christiano ab eo dissentire, quod Conciliorum autoritas, quod omnium Ecclesiarum ac gentium consensus, tot jam seculis comprobasset: Ad id semper negavi, me posse animum inducere, præsertim quum Evangelica & Apostolica litera tam evidenter nominant, corpus quod datur, & sanguinem qui effunditur: quum hoc mirifice congruat ineffabili Dei erga genus humanum charitati, ut quos redemit sanguine & corpore filii sui, eos voluerit ejusdem carne & sanguine modo quodam ineffabili pascere, & hac arcana filii præsentia, ceu pignore consolari, donec rediret gloriosus & omnibus conspicuus. Hæc me redderent propensiorem ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam, etiamsi nihil esset definitum, nec in hanc partem nec in illam. Nunc quis furor esset, si ego non vererer pronunciare, ibi nihil esse præter panem & vinum? Soleo cum amicis eruditis, maxime quum absunt infirmi, libere commentari de quibuslibet, inquirendi studio, nonnunquam & tentandi causa, interim animi gratia, hac in re fortasse simplicior quam par est. Sed agnoscam etiam parricidii crimen, si quisquam mortalium vel serio vel joco audivit ex me hanc vocem,* in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum, *aut,* non esse ibi verum corpus & sanguinem Domini, *quod nunc quidam libellus editus propugnant. Immo Christum ipsum mihi precor parum propitium, si ista sententia unquam insedit animo meo. Nam si quid volatilium cogitationum aliquando tetigit animum meum, facile discussi considerata Dei erga nos inæstimabili charitate, perpensis divinæ Scripturæ verbis, quæ Lutherum etiam ipsum, quem vos omnibus scholis, Pontificibus, orthodoxis, & Conciliis antefertis, coegerunt profiteri, quod profitetur Ecclesia Catholica, a qua tamen solet libenter dissentire.* Et post alia fol. 677. *Scis me in nullo dogmate per omnia sentire cum Luthero, nisi quod nimium fere taxat corruptos hominum mores: & hic ob Carolostadium, qui a suo ipsius dogmate jam descivit, recedam a communione Ecclesiæ catholicæ?* Item: *Si tibi persuasum est, in Synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim discerpi malim, quam idem profiteri quod tu profiteris, & omnia perpeti malim, quam tali flagitio contra meam ipsius conscientiam admisso, ex hac vita demigrare.* Patet itaque ex hac epistola usque ad id tempus Lutheranis accensendum esse Pellicanum, & Erasmi simul professio in hoc articulo & in Lutherum bilis percipitur: duæ aliæ non mitiores eodem anno ab Erasmo ad Pellicanum scriptæ literæ habentur *d. Lib. XIX. 96. & XVIII. 3.*

ADDITIO III.

(a) *Varillasii figmenta de Episcopo Misnensi.*

Censura & conjecturis superat Maimburgium *Varillasius*, eum *Lib. IV. p. 291. & seqq.* fabulis & nugis liberaliter indulget. Fingit primo factionem, ab Episcopo Misnensi ad tradendum Pontifici Lutherum, aut saltem expellendum ex Saxonia, formatam: immemor quod paulo ante *Lib. III. p. 259.* Episcopos Saxoniæ clam favisse Luthero & a Pontificia jurisdictione subtrahere se voluisse retulerat. De hac factione nihil apud scriptores reperio, & confictam puto, quia ipse silet Lutherus, multa licet tunc questus, & satis aliunde habens quod metueret. Sed ficto huic nodo etiam solutio fingenda fuit, itaque de Equitibus Franconicis & de Francisco Sickingio (hunc semper *Sequingue* vocat) incredibilia affert; voluisse nempe hunc in principem locum ascendere, & Archiepiscopum atque Electorem Ecclesiasticum fieri, non obstante, quod conjugem haberet, quia cleri conjugiis favebat Lutherus; cæteros vero nobiles & inprimis Schaumburgium & Huttenum ad partes Lutheri ideo

(b) *De Sickingio.*

transiisse, ut ditiones (*Seigneuries*) a majoribus suis Ecclesiæ datas recuperarent *p. 298.* Magnam profecto, qui talia scribit, rerum ignorantiam prodit. Sickingium, quem longe quidem majoris & consilii & potentiæ facit, quam rei veritas patitur, plane insanisse oporteret, si cogitasset, quæ hic finguntur. Equites arces quidem & prædia sed non ditiones habebant, neque tales dederant Ecclesiis: fundos aliquos aut colonos dedisse constat, non tamen ita multos, ut horum causa tanta adeunda pericula, tantæ turbæ excitandæ essent. Novæ nempe machinæ, qua hæreses impugnaturum se esse in præloquio recepit Varillasius, magis congruebat, exaggerare omnia & *ostendere*, ut ait, *quod religionis reformatores & protectores non nisi ex causis mere humanis & sæpe criminalibus*, aut *usurpandi aliena studio egerint.* Fingendi tamen artem non satis hic ostendit: etenim licet verisimilia sint quæ narrat de Misnensis Episcopi in Lutherum molimine, (sat magno enim odio in eum flagrabat) impertinenter tamen remedium illi a Sickingio, Schaumburgio, & Huttenο quærit: nam & longissime aberant, & omnes eorum vires potentia Georgii Saxonis superabantur, auxiliis, si voluisset, Brandenburgicis & Magdeburgensibus e vicinia firmati. Quæ *p. 304.* memorantur, quod Lutherus per Sickingium inducere Imperatorem voluerit, ut honorifice cum Pontifice transigere posset, fateor me eodem quo cætera commenta loco habere, donec idoneis autoribus probentur. In opusculis *Schwebelianis*, de quibus paulo ante mentio facta est, inveniuntur *Hartmuthi Cronebergii*, de quo infra dicetur, literæ, ad *Sickingium* anno 1521. d. 13. Oct. datæ, in quibus spem optimam de Carolo Cæsare ostendit, & optat, ut ejus autoritate Pontificiis & Clero placidissimis modis remonstretur, regimen eorum & Papæ non esse Christianum, sed Antichristianum, quod Vicario Christi minime conveniret; moneri itaque eum cupit, ut officium suum ad præscriptum Christi instituat, secus si faciat, Cæsari jus esse bonis Ecclesiasticis ad coërcendum illum Clerumque & reformandam Ecclesiam uti. Testatur autem, a se hæc non ex rancore, sed pro gloria Dei scribi, morique pro iis se velle, si opus sit. Vide *d. l. p. 51. & sqq.* Hæc indicio sunt, qua mente primores Equestris ordinis fuerint, utque utilitatem privatam minime sint secuti. Denique a *Varillasio* nulla verisimilitudine fingi puto, quod Lutherus ad combustionem Decretorum Pontificiorum, eo processerit consilio, ut amicos suos irreconciliabiles cum Pontifice faceret: ab iis enim quos facti illius socios aut spectatores habuit, juvenes Academicos, patrocinium sperare hominis plane stolidi fuisset; eratque ea tunc mente Lutherus, ut nec Electoris Saxoniæ viribus tutum se præstari posse crederet.

(c) *Alia de Sickingio & Cronebergio.*

A. 1520.

§. LXXXIII.

(1) *Maimburgii dicta de scriptis Lutheri examinantur.*

Quæ vero de libris Lutheri exegeticis & practicis hic referuntur a Maimburgio, ad veram causam propagatæ tam subito religionis purioris efficacissime eum deducere potuissent. Dum enim vel conscientiæ suæ, si libros legit, vel aliorum testimonio convictus, fateri cogitur, *optima in iis a Luthero scripta esse*, optima autem illa e verbo Dei depromta esse, ipse negaturus non sit, agnoscere simul debuit, unde venerit vis illa corda penetrans, & unde ortum sit lumen, in orbem Christianum tanta celeritate effulgens. Hæc enim verbi divini nativo sensu explicati, & populo Christiano in scriptis Lutheri propositi virtus & energia, nullis externæ potentiæ adminiculis adjuta, tam valida fuit, ut trium annorum spatio, quæ per annos mille & plures tot Pontificum decretis, tot scholarum dogmatibus, tot fabularum dulcedine, tanta Regum & Principum pro tuendis illis violentia, ad summum fastigium surrexerant, ita labefactari inciperent, ut postea conciderent, & in ludibrium cederent apud omnes, qui divino motui

non

A. 1520.

non resistebant, nec utilitatem temporalem aut magistratuum imperia saluti animæ præferebant. Recte itaque ostensum jam est ab aliis, eadem via & ratione hanc Evangelii renovatam purgatamque prædicationem processisse, quæ in prima illa Apostolorum Ecclesia & proximis seculis observata fuit. Utrobique nulla autoritas a potestatibus mundi accessit, non per mulctas & exilia, per tormenta aut militarem sævitiam, per vivicomburia & alias suppliciorum crudelitates, religio inculcata fuit, sed potius *contra eam fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum Psalm. II. v. 2.* Docuerunt in primitiva Ecclesia ore & scriptis veritatem Evangelicam sine pompa homines plebeji, a Spiritu sancto, singulari quidem & mirifico modo, illuminati, & tunc, quod ad convincendos Judæos & paganos necessarium erat, miraculorum dono instructi. Prædicavit ore & scriptis hoc reformationis tempore Lutherus, nulla generis aut dignitatis prærogativa conspicuus, sociosque & sectatores habuit ejusdem fortunæ, neque alia fundamenta, quam quæ Apostolorum scripta, miraculis jam confirmata, & pro divinis in orbe Christiano recepta, præstruxerant. Legat quicunque de hoc dubitat, si non alios, saltem hos, quos Jesuita hic non potest non laudare Lutheri libros, vel unicum modo *in epistolam ad Galatas commentarium,* qui tunc tanto cum applausu exceptus est, ut in præcipuas Europæ Christianæ linguas, & ante quidem apud exteros, quam apud Germanos transferretur; hi enim eandem doctrinam ex aliis sua lingua editis percipiebant, aut concionantem Lutherum audire poterant, ita ut demum anno 1525 tractatus hic Germanice verteretur. Vide *Tomum I. Altenburgensem fol. 151. & seqq.* Tradit *Pallavicinus Lib. I. cap. 24. n. 7.* jam hoc anno 1520 Lutheri libros, inter quos primarius erat Commentarius iste, *Hispanice redditos & Antverpiæ excusos fuisse.* Dum vero iis solummodo Hispanis, quos vernili convitio *Mauros* vocat, id tribuit, & optimates ad excidium novæ, quam vocat, hæresis, flagrantissime progressos fuisse celebrat, quid aliud, quam spiritum geniumque Synagogæ refert, quæ *Joh. VII. 47. 48. 49.* gloriabatur; *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicta est.* Si quis objiciat, festinatione etiam falsa invalescere, rogatum illum velim, ut seposito præjudicio fundamenta doctrinæ (nam de his magis quam de celeritate propagationis gloriamur) Lutheri libris contenta consideret. Retinuit enim ille, ut dixi, quæ ab Apostolis erant prædicata, & in Ecclesia, etiam inter admixtos errores, innumerosque traditionum & legum tricas & quisquilias, ita servata, ut accedente pia contemplatione & justæ interpretationis industria ex sacris literis, ab erroribus facile separari, & in puritatem restitui potuerint, atque applausum piarum mentium, divinam veritatem esurientium, mereri. Evanuerunt e contrario illa tantum, quæ Aristotelica Scholasticorum subtilitas in Theologiam transformata, aut barbaries seculorum, morumque corruptio, maxime vero dominatus & opum honorumque cupido, veris fidei articulis veluti agglutinaverant & consarcinaverant. Sed ad libros Lutheri redeundum est. Turbato ordine eos memorat Maimburgius, & anticipato tempore. Nam *explicationes epistolarum & evangeliorum Adventus,* ut & *commentatio in canticum B. Virginis* non hoc sed sequenti anno prodierunt, ut constat ex epistola dedicatoria ad Electorem d. 3. Martii 1621. *Tom. II. Alt. fol. 339.* & ex epistolis ad Spalatinum *Lib. I. ep. 232. 233.* mense Junio. Sed *orationis Dominicæ paraphrasin* ad populi captum ter Germanice scripsit, nempe semel anno 1518. bis 1520. Vide *Tom. I. Alt. f. 76. 403. 544.* In *decalogum* eodem anno aliquid edidit *f. 395.* sed eundem in concione explicaverat anno 1518. quæ Latine extat *Tom. I. Lat. Jen. fol. 122. seqq.* In *Psalmos* a primo ad vigesimum secundum commentatus est sub initium anni 1519. teste dedicatione ad Fridericum, quæ data est d. 6. April. eo anno, sed serius edidit, adjectis quibusdam, cum in Patmo, ut vocat, lateret, de quibus in loco dicetur.

(2) Commentarius Lutheri in epistolam ad Galatas.

A. 1520.

(3) Alia Lutheri scripta.

§. LXXXIV.

Commentarius *in Epistolam ad Galatas* prius quidem elaboratus, & Petro Lupino Præposito, ac Carolostadio, Canonicis Wittenbergensibus dicatus, Septembri mense anno 1519. excusus prodiit, ut constat ex literis ad Staupitium *Lib. I. epist. 121.* Tractat autem Lutherus in illo doctrinæ Christianæ nobilissima & summe necessaria capita de fide justificante & per charitatem operante, & de discrimine & usu legis & evangelii, omnia tanta cum eruditione, eloquentia, gravitate, perspicuitate, adductis etiam testimoniis Patrum, ea denique in universum ratione, ut omnibus, qui veritatis studio & implorato Spiritus sancti auxilio, lecturi ea sunt, etiam hodie satisfacere possint, & adversus tot disputationes, contradictiones & condemnationes immota consistere. Quoniam vero calumniæ ab initio sparsæ & millies postea, indignum putidumque in modum recoctæ, nullus est finis, sed hodieque Luthero imputatur, quasi sua isthac de fide doctrina, pietatem & sanctitatem omnem solvisset & enervasset; dein inter nostrates etiam, utinam non tanto numero, reperiantur, qui nescio quam fidei in labris natantis spumam, vana imaginatione, concipiunt; non possum, quin quædam etiam ex hoc commentario, ut supra ex aliis, ad Lutheri mentem nostræque religionis professionem clarius ostendendam, adscribam. Ad capitis II. vers. 16. *Tom. I. Lat. Jen. fol. 407. b.* hæc habet: *Inprimis sciendum, quod homo dupliciter justificetur, & omnino contrariis modis. Primo ad extra ab operibus, ex propriis viribus, quales sunt, humanæ justitiæ, usu [ut dicitur] & consuetudine comparatæ: qualem describit Aristoteles aliique Philosophi, qualem leges civiles & ecclesiasticæ in ceremoniis, qualem dictamen rationis & prudentia parit. Sic enim putant, operando justa justum fieri, temperando temperatum, & similia. Hanc facit & lex Mosis, ipse quoque decalogus, scilicet, ubi timore pœnæ aut promissione mercedis servitur Deo, non juratur per nomen Dei, honorantur parentes, non occiditur, non rapitur, non adulteratur &c. Hæc est justitia servilis, mercenaria, ficta, speciosa, externa, temporalis, mundana, humana, quæ ad futuram gloriam nihil prodest, sed in hac vita recipit mercedem, gloriam, divitias, honorem, potentiam, amicitiam, sanitatem, aut certe pacem ac tranquillitatem,*

(1) Plura de commentario Lutheri in Epistolam Pauli ad Galatas.

(2) Excerpta de justificatione.

A. 1520.

litatem, minusque malorum, quam ii, qui secus agunt, sicut Christus Pharisaos describit, & B. Augustinus Romanos libr. I. de civit. Dei cap. 8. Hæc mire fallit, etiam sapientes & magnos viros, nisi in sacris literis fuerint eruditi &c. Pergit *fol. 408. a. Secundo, ab intra ex fide & gratia, ubi homo de priore justitia prorsus desperans, tanquam ab immunditia menstruata, proruit ante Deum, gemens humiliter, peccatoremque sese confessus cum publicano dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Hic (inquit Christus) descendit justificatus in domum suam. Hæc enim est aliud nihil, quam invocatio nominis divini* &c. Et porro: *Invocatio autem nominis divini, si est in corde, & ex corde vere facta, ostendit, quod cor & nomen Domini sint unum simul, & sibi cohærentia. Ideo impossibile est, ut cor non participet ejusdem virtutibus, quibus pollet nomen Domini, sicut dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis: Et rursum: ut annunciet in Sion nomen Domini. Sicut ergo nomen Domini est purum, sanctum, justum, verax, bonum &c. ita si tangat, tangaturque corde (quod fit per fidem) omnino facit cor simile sibi. Sic fit, ut credentibus in nomen Domini, donentur omnia peccata, & justitia ei imputetur, propter nomen tuum, Domine, quoniam bonum est, non propter meritum ipsorum, quoniam nec ut audirent meruerunt. Justificato autem sic corde per fidem, qua est in nomine ejus, dat eis Deus potestatem filios Dei fieri, diffuso mox Spiritu Sancto in cordibus eorum, qui charitate dilatet eos, ac pacatos hilaresque faciat, omnium bonorum operatores, omnium malorum victores, etiam mortis contemtores & inferni. Hic mox cessant omnes leges, omnium legum opera, omnia sunt jam libera, licita, & lex per fidem & charitatem est impleta.* Qualem autem libertatem intelligat, in libello *de libertate Christiana*, supra relato, egregie explicavit. Deinde *fol. 409.* operum naturam *quadrupliciter* considerat. *Opera peccati*, quæ dominante concupiscentia fiunt sine resistentia gratiæ. *Opera legis*, quæ foris, coërcita concupiscentia, fiunt, tamen intus eo magis fervente & legem odiente, id est, quæ sunt bona in specie, mala in corde. *Opera gratiæ*, quæ repugnante concupiscentia, victore tamen spiritu gratiæ fiunt. *Opera pacis & perfectæ sanitatis*, quæ extincta concupiscentia, plenissima facilitate & suavitate fiunt, quod in futura vita erit, hic incipitur. Docetque postea, non primum saltem genus, sed & secundum, ob defectum gratiæ inter peccata referri, ut verum sit, *non esse*, (extra illam) *qui faciat bonum. Psalm 14.* At tertium genus post impetratam jam justificationem; quartum demum in futura vita exerceri. Ad Cap. IV. vers. 4. *fol. 427.* charitatis sive vitæ Christianæ naturam ita describit: *Ne imagineris tibi vitam Christianam statum & quietem esse, sed transitum & profectum de vitiis ad virtutem, de claritate in claritatem, de virtute in virtutem. Et qui non fuerit in transitu, hunc nec Christianum arbitreris, sed populum quietis & pacis, ad quos inducit Propheta hostes ejus. Ne ergo credas Theologis istis deceptoribus, qui tibi dicunt: Si unum & primum gradum charitatis habeas, satis habes ad salutem, stultis opinionibus suis otiosam, ac velut in vase vinum, in corde charitatem fingentes. Non est otiosa charitas, sed crucifigit carnem assidue, & suo gradu stare non potest contenta, sed se dilatat in totum hominem expurgandum. Illi autem cum suo uno gradu, tempore tentationis & mortis, nec primum nec secundum gradum habebunt.* Et ad vers. 6. *fol. eod. b. Hoc magis observandum, quod Apostolus credentibus mox & Spiritum filiorum dari testatur. Quia, inquit, estis filii (utique per fidem, ut jam sæpe dictum est) misit Deus Spiritum filii in corda nostra. Quibus facile solvitur illorum quæstio, quomodo sola fide hominem justificari & salvari doceatur. Nihil est, quod movearis: si vera est fides, & vere filius, non deerit Spiritus; si autem adsit Spiritus, charitatem diffundet, & omnem illum virtutum concentum absolvet, quem 1. Corinth. 13. tribuit charitati. Charitas patiens, benigna est &c. Ideo quando de fide justificante loquitur, de fide, quæ per dilectionem operatur, ut alias dicit, loquitur. Fides enim meretur, ut Spiritus detur, sicut & supra. Ex operibus, an ex auditu fidei Spiritum accepistis? Cæterum fides, qua & dæmones contremiscunt, & impii miracula faciunt, vera non est, cum non sint filii, nec hæredes benedictionis.* Ad Cap. V. vers. 4. *fol. 438. b: Taxat D. Hieronymus interpretem in verbo:* Evacuati estis, *quod significet magis: ab opere Christi cessastis. Et mire placet hujus verbi emphasis. Vult dicere: otiosi, inanes, vacui estis opere Christi, & Christi opus non est in vobis, siquidem (ut supra dictum est) Christianus non vivit, non loquitur, non operatur, non patitur, sed Christus in eo. Omnia opera ejus sunt opera Christi, tam inæstimabilis est gratia fidei. Qui ergo in legem transfertur, jam ipse in se vivit ipso, suum opus, suam vitam, suum verbum exercet, id est, peccat, & legem non implet, otiosus est Christo, Christus non habitat in eo, nec utitur eo, agitque pessimum & infelix quoddam sabbatum ab operibus Domini, cum contra sabbatisare deberet, ab operibus suis vacare & otiosus esse, ut opera Domini in eo fierent, quod per Sabbatum olim figuratum docet B. Augustinus. Igitur qui credit in Christum, evacuatur a se ipso, fit otiosus ab operibus suis, ut vivat & operetur in eo Christus. Qui lege quærit justificari, evacuatur a Christo, fit otiosus ab operibus Dei, ut vivat & operetur in se ipso, hoc est, pereat & perdatur.* Porro *fol. 439. b. Igitur qui verbum Christi sinceriter audit, & fideliter adhæret, mox quoque Spiritu charitatis induitur, ut supra dixit: Ex auditu fidei, an ex operibus Spiritum accepistis? Neque enim fieri potest, si Christum sincere audias, non etiam mox eum diligas, ut qui tanta pro te fecerit ac tulerit. Si diligere potes eum, qui te viginti florenis donat, aut honorat officio quocunque, quomodo non diliges eum, qui non aurum, sed seipsum pro te tradit, tot vulnera pro te accipit, sanguinem sudat & fundit, moritur & omnia extrema subit? Sin autem non diligis, certum est, quod hæc nec sincere audis, nec pure credis pro te facta esse: hoc enim Spiritus facit, ut facias. Reliqua autem fides, quæ miracula facit, donum est Dei liberale, in ingratos* (quandoque) *dispersum, qui in suam gloriam operantur, quæ operantur, de quibus* 1. Cor. 13. *dicit: Si habuero omnem fidem, &c. Elegantissime ergo & significantissime dicit, fides, quæ charitate operatur, id est, (ut Erasmus ex Græco docet) efficax est, non quæ per acquisitionem sui stertit, nec quæ per miracula*

A. 1520.

(3) *De natura operum.*

(4) *De charitate & vita Christiana, quæ ex fide oritur.*

A. 1520.

racula potens est, sed quæ per charitatem efficax est, quomodo superius dixit: Qui operatus est Petro, operatus est & mihi inter gentes, energiam enim sonat. Ad vers. 14. ubi summa legis refertur ex præcepto de dilectione proximi, ita commentatur *f. 443. Quam multi describunt, quid loquendum, quid agendum, quid ferendum, quid cogitandum? nempe multa sunt, quæ erga homines invicem fieri possunt, tot sensibus, tot membris, tot objectis, tot casibus: ita ut legum & librorum faciendorum non sit finis. Quantis enim præceptis sola indiget lingua? quantis oculi? quantis aures? quantis manus? quantis gustus? quantis tactus? deinde, quantis res familiaris? quantis amici? o reptilia, quorum non est numerus! Si non credis, vide jurium & legum hodie infelicissimum studium. At hoc præceptum, quanto compendio, quam cito, quam efficaciter omnia absolvit, ad caput, ad fontem, ad radicem horum omnium mittit manum, ad cor (inquam) unde, juxta Sapient. aut vita aut mors procedit. Siquidem inter opera hominis, alia magis vel interiora vel exteriora, nullum vero intimius est dilectione, ultra quam nihil in humano corde secretius invenitur. Quo affectu in rectitudinem posito, jam nullis præceptis indigent alia membra.* Emphasin porro & epitasin verborum illorum persequuturus ita docet. *d. fol. b. Primo nobilissimam describit virtutem, puta dilectionem. Non enim (inquit) affabilis esto proximo tuo, da ei manum, benefac, saluta, aut ullum aliud opus externum, sed diliges: siquidem sunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Deinde nobilissimum depingit objectum, quia detractis omnibus personis, dicit proximum tuum. Non dicit, diliges divitem, potentem, doctum, sapientem, probum, justum, formosum, jucundum &c. sed absolute: proximum tuum. Per hoc ipsum declarans, nos omnes esse quidem diversos personis ac conditionibus coram hominibus, verum unius massæ, & æqualis opinionis apud Deum. Personarum enim differentia observata penitus extingvit hoc præceptum, ut qui indoctos, pauperes, infirmos, humiles, stultos, peccatores, difficiles fastidiunt. Hi enim non homines, sed larvas & facies eorum considerant, atque ita falluntur. Tertio nobilissimum exhibet exemplum utriusque hujus, Sicut teipsum inquit. Cæterarum legum exempla extra nos petenda sunt, hoc intra nos nobis monstratur. Deinde externa exempla, quia non sentiuntur neque vivunt, non satis movent: hoc autem exemplum intus sentitur, vivit, ac efficacissime docet, non literis, non vocibus, non cogitationibus, sed ipso experientiæ sensu. Quis enim non sentit vitaliter, quam seipsum diligat, quam omnia quærat, cogitet, tentet, quæ sibi salutaria, honesta, necessaria sunt? At universus hic sensus vivus est judex, intimum monitorium, præsentissimum documentum, quid proximo debas, nempe eadem eodemque affectu. Quid est ergo, quod multis libris occupamur? quid multos magistros quærimus? quid operibus & justitiis laboramus? Ad hujus intimi sensus & affectus amussim, omnes leges, omnes libri, omnia opera exigenda sunt. In hoc exercitandus Christianus homo per omnia opera, per totam vitam. Non potuit igitur efficacius tradi exemplum hujus doctrinæ divinæ, quia hoc non videmus & audimus, sicut cæterarum legum exempla, sed experimur & vivimus: nec unquam nos ab ipso & ipsum a nobis abesse potest. Nec dignius tradi objectum, quam proximus tuus, id est, simillimus & cognatissimus tuus. Nec perfectius tradi virtutis genus, quam dilectio, quæ est fons omnium bonorum, sicut radix omnium malorum cupiditas. Et sunt plane omnia summa in isto brevissimo præcepto, ut verissime sit summa, caput, perfectio, finis omnium legum, sine quo omnes merito nihil sunt.* Et postea *f. 444. b. Ecce hæc eruditio docebit te, quantus sis in Christianismo. Hic invenies, quos diligas, & non diligas, quantum proficias aut deficias: nam si unum habes, in quem non es dulcis affectu, jam nihil es, etiamsi miracula opereris. Hac denique regula disces tu ipse, sine magistro discernere inter opera & opera bona. Clare tunc tu videbis, melius esse proximo bene velle, bene dicere, bene facere, & totam vitam tuam facere, ut sit servitus proximi in charitate (ut Apostolus paulo supra dixit) quam si omnium omnes Ecclesias ædificares, omnium monasteriorum merita haberes, omnium prorsus sanctorum miracula faceres, absque hoc, quod proximo in iis servires. Ecce hæc est doctrina, quam hodie non modo ignorant, sed suis traditionibus, velut copiis infinitis, penitus expugnant. Quorum institutum hoc est, ut proximum nunquam nisi personalem doceant diligere, dum inter opera tantum digladiantur & facies distingvunt. Nec minus caute intelligenda est vulgatissima illa distinctio, legis naturæ, legis scriptæ, legis evangelicæ. Cum enim Apostolus hic dicat, omnes in uno & in summa convenire, certe charitas omnis legis finis est, ut 1. Tim. 1. dicit. Sed & Christus Matth. 6. illam legem naturæ (ut vocant) omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, expresse eandem facit, cum lege & Prophetis dicens: hæc enim lex est & Prophetæ. Cum autem ipse evangelium doceat, clarum est, tres has leges, non tam officio quam falso sensu intelligentium differre. Proinde hæc lex scripta: diliges proximum tuum sicut teipsum, prorsus idem dicit, quod lex naturæ: Quæ vultis, ut faciant vobis homines (hoc enim est seipsum diligere) eadem facite vos illis. (hoc certe est sicut seipsum, ita diligere & alios, ut claret) At, quid aliud totum Evangelium quoque docet? Igitur una est lex, quæ transiit per omnia secula, omnibus nota hominibus, scripta in omnium cordibus, nec excusabilem relinquit ullum ab initio usque ad finem, licet Judæis accesserint ceremoniæ, tum aliis gentibus suæ propriæ leges, quæ non universum mundum obligabant, sed hæc sola, quam spiritus dictat, in cordibus omnium, sine intermissione.* Ad vers. 21. *fol. 449: Ecce hoc est, spiritu ambulare, & non perficere carnis desideria, spiritu duci, non esse sub lege, atque omnem legem in uno charitatis capitulo complecti, scilicet, si hæc* (opera carnis quæ dicto vers. 21. enumerantur) *non fiant. Jam vides, quod non sufficiat sola fides, & tamen sola fides justificat: quia si vera est, impetrat spiritum charitatis. Spiritus autem charitatis hæc omnia* [carnis opera] *fugit, ac sic legem implet, & regnum Dei consequitur. Proinde totum fidei tribuendum, fides autem verbo, verbum autem divinæ misericordiæ, mittenti verbi Apostolos & prædicatores, ut sit omnis sufficientia nostra ex Deo, a quo venit omne donum & datum optimum. Hæc sunt, quæ in populo tractari oportuit, & eo ordine*

(5) De dilectionis erga proximum exercitio.

(6) Ut sola fides non sufficiat, licet sola justificet.

dine tractari, quo ab Apostolo traduntur: ut primum de suis viribus desperantes, verbum fidei audiant, audientes credant, credentes invocent, invocantes exaudiantur, exauditi spiritum charitatis accipiant, accepto spiritu, spiritu ambulent, & desideria carnis non perficiant, sed crucifigant, crucifixi cum Christo resurgant, & regnum Dei possideant. Nos autem in operibus a nobis electis & statutis animas occupamus, semper docentes, & nunquam veritatis scientiam attingentes, immo contra pietatem, liberum arbitrium & virtutes nostras erigentes, præsumtionem docentes, & merita congrui & condigni vanissime jactantes, tandem notitiam Christi penitus tollentes, & miserrimas conscientias hominibus multiplicantes. Unum adhuc addam locum de discrimine legis & evangelii, quem habet *ad Cap. I. vers. 11. fol. 398. Evangelium & lex proprie in hoc differunt, quod lex prædicat facienda & omittenda, immo jam commissa & omissa, ac impossibilia fieri & omitti, ideo solam peccati ministrat cognitionem. Evangelium autem remissa peccata, & omnia impleta factaque. Lex enim dicit: Redde quod debes. Evangelium autem: dimittuntur tibi peccata tua. Sic Rom. 3. per legem cognitio peccati. Et cap. 4. Lex iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. At de Evangelio dicitur Lucæ ultimo: Sic oportuit Christum pati, & a mortuis resurgere & prædicare in nomine ejus (nota insigniter, in nomine ejus, non nostro) pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Ecce prædicatio remissionis peccatorum per nomen Christi, hoc est, Evangelium.* Et Rom. 10. *Quam speciosi pedes Evangelisantium pacem, annunciantium bona, id est, remissionem peccatorum, & gratiam, legis plenitudinem per Christum. Inde justificatus per gratiam, a lege ad evangelium fugiens, dicit, dimitte nobis debita nostra. Sed cur Christus in Evangelio multa præcipit & docet, si hoc legis officium est? item & Apostoli multa præcipiunt, cum tamen sint Evangelici prædicatores? Respondeo: Doctrina ejusmodi, quæ ultra fidem traduntur (nam credentibus annunciatur salus & remissio peccatorum in Evangelio, ut Joh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus, quotquot eum receperunt) sunt vel interpretationes legis, quibus peccatum clarius cognosceretur, ut gratia tanto ardentius quæreretur, quanto peccatum certius sentiretur: vel sunt remedia & observationes, quibus gratia jam accepta & fides donata custodiretur, aleretur, perficereturque, sicut fit, dum ægrotus incipit curari.* Sed hæc speciminis causa, quid ex lectione hujus commentarii sperari possit, & ut Maimburgii judicium de his libris confirmemus, sufficiant.

(7) De discrimine Legis & Evangelii.

§. LXXXV.

(1) Lutheri mens de Pontificatu Rom. ex eodem commentario in ep. ad Gal.

Quanquam vero non leves de defectibus Ecclesiæ, aulæque inprimis pontificiæ, querelas passim interserat, nondum tamen, dum ista scriberet, fiduciam abjecerat, fore, ut de doctrina sua ex sacris literis statueretur. Hoc præsupposito Pontifici obsequium magna cum adseveratione, nec non cum Bohemici schismatis seria improbatione, in hoc ipso commentario detulit. Vide quæ annotat ad *cap. VI. vers. 2. fol. 454.* Excusat etiam, quicquid mordacius dixisse videri poterat, necessitate aperiendæ veritatis, & promovendæ reformationis. Notabilia sunt quæ *fol. 453.* disserit. *Dices forte, mi lector, me semper in Romanam curiam grassari, quod hucusque nimis insolitum fuit. Respondeo, testis mihi Dominus est, non studio aut libidine mea me hoc facere, qui nihil optem ardentius, quam in angulo latere: sed quando omnino sacras literas publice tractare debeo, Domino Jesu Christo volo pure servire, quantum possum. Nam si literæ divinæ sic tractantur, ut tantum de præteritis intelligantur, ac non nostris moribus quoque accommodentur, quid proderunt? frigidæ, mortuæ, & ne divinæ quidem tunc sunt. Vides enim quam apte & vivaciter hic locus, immo quam necessario in nostrum seculum cadat: quod, quia alii vel non sunt ausi, vel non intellexerunt, quid mirum, si citra invidiam fuerunt Theologiæ Magistri? Mihi certum est, verbum Dei non posse sine invidia & mortis periculo recte tractari, atque hoc esse unicum signum, recte fuisse tractatum, si offendat, maxime principes & optimates populi: petra est scandali, juxta quam absorbentur judices populorum. Denique Ecclesia clamat, quod principes eam persequantur, & principes Christum crucifixerunt.* Et ad *cap. VI. vers. 6. fol. 456.* ubi adversus assertum a Sylvestro Prieriate Pontifici Imperatorium totius mundi dominatum aliquid scripserat, subjungit: *Iterum mordes? non mordeo, sed necessitate Scripturæ elucidandæ nostri seculi mores commonstro, ut videamus, quo pervenerit gloria Ecclesiæ, & quæ sit vera aut ficta Ecclesia. Et, ut dicam libere, impossibile est, Scripturas posse elucidari, & alias Ecclesias reformari, nisi universale illud reale Romana curia quam primum reformetur. Hæc enim verbum Dei audire non potest, nec sustinere, ut pure tractetur. Verbo Dei autem non tractato, neque cæteris Ecclesiis succurri potest.* Hæc vero quæ tunc spe movendi adversarios ad veritatis agnitionem scripsit & alia ejusmodi, in altera hujus commentarii editione, quæ anno 1524 prodiit, omitti curavit, ut patet e *Tomo III. Lat. Jen. fol. 1. & seqq.*

(2) Desiderat reformationem universalem.

ADDITIO.

Cum Commentarii in Epistolam ad Galatas primæ & vetustissimæ editioni, quam videre licuit, literis obscuris & abbreviatis factæ, duæ egregiæ præfationes stylo, ut videtur, Melanchthonis, sed floridiori, quam quo postea uti solebat, & sub nominibus fictis præfixæ reperiantur, eas dignas esse existimavi, quæ renovatæ, cum libro meo, si qua ei ætas speranda est, denuo productæ servarentur. Appono itaque simul titulum libri & in eo epigramma, haud inscitum, dein, quæ dixi, præloquia.

(a) Titulus primæ editionis comm. in ep. ad Gal.

In Epistolam Pauli ad Galatas F. Martini Lutheri Augustiniani commentarius.

LIBER AD LECTOREM:

Plus satis est actum: sano modo judice, san[illegible]
Ad stomachum facio, cætera turba, vale[illegible]
Si Sophiæ pupis, mundi dominisque placere[illegible]
Certum est, me Domino displicuisse meo.
Prima mihi laus est, nullis mea sacra probari,
Qui temere a sacra relligione tument.
Cætera turba, vale; sola est mihi spesque salusque
Vel soli Christo me placuisse; vale.

CUM PRIVILEGIO.

Nolite timere Deos alienos; quia oves meæ vocem meam audiunt.

OTTHO GERMANUS PIO LECTORI S.

(b) Præfatio prima in epist. ad Galatas.

Non dubium est, quin ea philosophia Christiano vel maxime conveniat, in qua & citius promoveat, & sinceram felicitatem propius contingat. Qualis est nimirum, quæ ex sacris literis, inprimis Evangelicis Apostolicisque, petitur. Hanc enim sive felicitatem, sive beatitudi-

A. 1520.

beatitudinem, sive utrumque sequaris, nihil est expeditius, nihil efficacius, quippe quæ omnibus omnium ingeniis ita se attemperat, ut neque difficultate quenquam deterreat, neque simplicitate in sui contemtum adducat, neque sanctos aculeos, æternæ vitæ desiderium excitantes, in animis non relinquat; quo quid potest in hac mortalitate aut pervestigari salubrius, aut optari sanctius? Quanto magis eorum requiro prudentiam, qui hac sacra philosophia, Christiano maxime necessaria, vel prorsus neglecta, vel leviter transmissa, in gentilium philosophorum libris macerantur & senescunt. Quotus enim quisque hoc seculo, non prius magno sudore, longo temporis spatio, Aristotelis volumina censet excutienda, atque memoriter tenenda, quam ad hanc divinam sapientiam se transferat? quasi Peripatetica philosophia, non magis præpediat ad Christi doctrinam quam expediat viam. An semper Christiani ignorabimus mundi sapientiam apud Deum esse stultitiam? An nunquam credemus, suave esse jugum Domini ab adolescentia portare? Quod quo minus fieri possit, quid magis officit, quam profanæ disciplinæ perpetua nimisque curiosa tractatio? Nec est, quod hic imperitiæ pariter & invidiæ me insimules, tanquam omnium philosophorum principi, naturæ miraculo, quin etiam cum injuria Platonis Deo sim parum æquus. Non sum adeo stupidus, pie lector, atque malignus, ut ei Philosopho in suo albo non plurimum tribuam. Verum conqueror istius miraculi seu monstri, immo Christianæ philosophiæ vere hostis, tricas magis involventes, quam expedientes, tanto temporis & fructus dispendio Christianum sectari. Deinde quicquid in eo lectum est, sine judicio in sancti Spiritus oracula convehere atque inculcare, unde necessarium est, vel nullum vel admodum parvum locum veræ Theologiæ in nobis esse reliquum. Quod si quis paulo cordatior admonet, pro officio, tanquam schismaticus damnatur & hæreticus. Quemadmodum nuper accidit Luthero, *homini, quod ad vita genus attinet, satis spectato, & in divinis literis non vulgariter erudito. Is, cum themata quædam in scholis disputanda, propter eorum licentiam retundendam, qui pro libidine sacris literis, prætextu religionis abutebantur, necessario proposuisset, atque non nihil ab indulgentiariis, Aristotelicisque theologis variasset, primum citatus est Romam, scilicet propter tam grave hæreseos periculum: deinde, ubi itineris difficultatem causatus esset, ad amicorum preces* Augustam; *quo cum venisset, variis artibus petitus, ita tandem dimissus est, ut adhuc pene nesciat, quatenus illic sit profectum. Hoc sane constat, hominem de Christiano nomine meritum, a seria & frugifera Scripturæ tractatione, non sine frequentis auditorii jactura, in, nescio quæ deliramenta quorundam Trossulorum factione esse detrusum, quod in sequenti epistola si non gratis querelis, certe necessariis, prosequitur magis quam expostulat. Cæterum tanta omnium rerum turba, famæ & vitæ periculo laboranti, inter alia non infelicia opuscula, & hic, qualiscunque est, in epistolam Pauli ad Galatas excidit commentarius, quem quia per impotentiam æmulorum non satis recensuit,* commentarii *nomine fuit dedignatus, quo tamen vel invito autore per amicos invulgatus est: in quo si quando tibi videbitur vehementior, cogitare debebis primum, omnes homines esse mendaces & proinde peccatores: deinde, Christi verbum esse æternum, nec de majoribus ta[illegible] nostris accipiendum: postremo, quod hac Pauli ep[illegible], paulo concitatior, occasionem præbuerit, perversos mores, studium, leges, superstitionem, luxum, libidinem ac tyrannidem, salubri severitate vellicandi. Posthac, ubi locus non exegerit, libenter taciturus est, & annotationes in omnes reliquas, si hæ bene cesserint, non supprimentur. In Psalterium quod scripsit, quantum per adversarios licet, strenue prodibit. Tu interim hoc fruere & vale. Data VVittenbergæ, trium linguarum studio claræ. 1519.*

(c) *Altera præfatio in Comm. ad Gal.*

PAULUS COMMODUS, BRETTANUS,
LECTORI S.

Suspice, candide lector, in epistolam S. Pauli ad Galatas, fratris Martini, Augustiniani, quicquid est commentarii, instituti potius quam perfecti, cum propter amicorum quorundam plus æquo efflagitantium preces, tum, propter importunam & iniquam otiosorum hominum malitiam, quotidie ejus autorem, citra ullam causam vexantium, ac nugis subinde, nescio quibus, a seriis gravibusque studiis alio rapientium, per quos stetit, ut nec commentarium satis ipse cognosceret, nec pro dignitate elaboraret; in quo tamen si quid fuerit, quod ad Christianam pietatem facit promovendam, soli Deo, universæ bonitatis autori, gratias age, atque ad tuam spectante commoditatem pro voluntate utere; sin quippiam offenderit, candide pro Christiana professione submone, qua re Martino neque quicquam fuerit gratius, neque te, ipsius fratre ac Christiano, dignius, præmium a Christo centuplum recepturus. Quid enim iniquius, quam pro beneficio maleficium reponere? contra, quid æquius, quam studio bene merendi cum eo certare, cui unicus scopus est, quorumcunque vel gratia vel invidia contemta, de te, totoque Christiano nomine optime mereri? Porro, id unum Martinus semper spectavit, ut deliriis quorundam rejectis, sacras literas pure tractaret, atque ad id post Erasmum, *unus omnium maxime contendit. Jam si forte alicubi, ut homo est, a recto itinere deflexit, tuæ est humanitatis deviantem ad rectam viam revocare. Quod si pro tuo Christianismo & communi omnium utilitate & in Deum amore feceris, Lutherum tuum ad hos commentarios accuratius retractandos, & in reliquas quoque D. Pauli Epistolas diligentius scribendum, non mediocriter animabis. Atque id te inprimis velim spectare, orationem veritatis tanto esse meliorem, quanto simpliciorem. Tu in nomine Jesu Christi vale, ac vita potius Christum, a quo nomen habes, quam verbis exprime. Data in Academia VVittenbergensi, ubi prudentissimi omnium studiosorum Mecænatis Friderici Principis & Electoris &c. munificentia recta studia in tribus linguis Latina, Græca & Hebraica, gratis docentur. Iterumque vale, Anno natali Christiano supra sesquimillesimum decimo nono.*

A. 1520.

(d) *Encomia quædam hujus comm. ad Galatas.*

Subjiciemus encomia quædam illustris Commentarii hujus, ex epistola *Martini Buceri* alibi laudata, quam *ad Spalatinum* d. 23. Jan. 1520 scripsit. Loquitur autem prius de disputationibus ejus contra indulgentias hunc in modum: *Cum primum sua Lutherus paradoxa de indulgentiis Pontificum, quibuslibet Tagi aut Pactoli fluentis charioribus, orbi nostro donasset, tetigit animum meum verborum ipsius ἐνέργεια, id quod luculentissime deprehendi, cum hinc sesquiannum hic sua dogmata, non tam rara nobis quam juxta vera ac salubria disputaret. Porro divinissimis suis lucubrationibus, quas deinde edidit, meum sibi animum adeo devinxit, ut non secus atque Angeli cujuspiam ipsius sententiam habeam, qua ceu filo divinæ Scripturæ labyrinthis me credere audeo, neque id, nisi ἡ φιλαυτία mihi imponat, sine fructu. Mira itaque sitis in me, reliquarum, quas pollicitus est, lucubrationum excitata est, potissimum autem, quas in Paulum & Psalmos sciebam moliri.* His de Commentario in Galatas hæc subjungit: *Atque ideo, cum nuper mei instituti frater quidam ejus commentarium in epistolam D. Pauli ad Galatas Norimberga attulisset, quanto me credis gaudio exultasse? etiamnum libello vix per transennam viso, parum aberat, quin Choro illi Aristophanico in Pluto succinuissem: ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι ὑφ' ἡδονῆς. Nam ὁ σωρὸς τῶν ἀληθινῶν χρημάτων, non jam nunciabatur venire, sed præsens ipsis oculis subjiciebatur, quem etiam technis quibusdam, velut una duntaxat nocte usurus eo, a suo domino obtinui, quo postridie abeunte, ac nescio, me suum adhuc habere libellum, nactus quendam qui Selestadium erat petiturus, illo ad B. Rhenanum meum misi.* Sequuntur plura de opera, quam impensurum se dicit ut recudatur. Cæterum comparatione scriptorum Lutheri cum filo Thesei hoc eodem anno usus etiam est *Melanchthon*, & in specie ad hunc commentarium applicavit in epistola ad *Joh. Hessum* Pastorem Uratislaviensem *d. 17. April.* data, quæ extat *Lib. III. ep. 126.* ubi scribit: *Martini Galatas habes, quæ sunt Thesei fili vice, quo per labyrinthos harum literarum sequi tuto possis;* Et alia *MS.* apud *Bavarum p. 601. Vol. II.* d. 8. Jun. ad eundem: *De loco, apud Paulum Martinus respondet: quis enim Martino aptius respondeat,* quo ad

A. 1520.

quo ad Pauli spiritum nemo quod sciam scriptorum Græcorum & Latinorum propius accessit ? Denique ipsius Lutheri dictum, a *Bavaro Vol. I. p. 434.* notatum, non omittam : Sæpe enim Epistolam ad Galatas meditandam & explicandam post hoc tempus, & cum jam in matrimonio dulcissimo cum uxore sua viveret, resumens, dixisse aliquando fertur : *Epistola ad Galatas est mea epistola, cui me despondi ; est mea Catharina de Bora.*

§. LXXXVI.

(1) *Excerptus ex comment. in Psalm. de laude Scripturæ ex sententia Staupitii.*

Jam etiam ex *Commentationibus* seu *Operationibus in Psalmos*, de quibus infra *§. CLXXXIII.* dicendi redibit occasio, unicum locum adscribam, quo in dedicatione Friderici Electoris pietas commendatur, & Lutheri theologia cognoscitur. *Retulit olim* (scribit *Tom. II. Lat Jen.*) *optimus ac vere mihi reverendus in Christo Pater meus Joannes Staupitius, cum apud D. T. conversaretur, incidisse aliquando sermonem de iis, qui ad populum declamant ; tum quæ est judicii tui mira acrimonia te dixisse : conciones illas, quæ argutiis & traditionibus hominum constant, mire frigere, ac ad persuadendum in rebus nostris elumbes & eviratas esse, quando nihil potest tam acutum adduci, quod non rursus alia argutia possit convelli. Scripturam vero sanctam unam esse, quæ tanta majestate & energia, etiam citra nostram operam, sonet, ut captis confusisque mox omnibus machinis disceptationis urgeat & cogat dicere : Nunquam sic locutus est homo : Hic digitus Dei est, non enim docet ac scribæ & Pharisæi, sed sicut potestatem habens.*

(2) *A Friderico Elect. approbata.*

In quam sententiam cum ille non illibenter pedibus ivisset & commendasset, tum te porrecta manu manum illius postulasse, & dixisse : Stipulare mihi quaso, ita perpetuo te sensurum. Obsecro, annon hæc vox & sententia vel sanctissimum & summum Pontificem deceret ? eoque magis, quod non voce tantum, sed affectu quoque cordis prolata perspicue cognoscitur. Quid ? an nondum videmus, qui sint veri Theologi ? pudeat tandem Theologos & Juristas, eos maxime, quibus sacræ literæ pene ridiculum sunt, & qui consarcinatis infinitis glossis, pestilenter palpant iis, & quicquid dixerint, verbum Dei videri velint, (sicut & divus Hieronymus conqueritur) quasi Christus ad Petrum dixerit ; jube, aut præcipe, aut doce ; ac non potius, pasce oves meas, hoc est : illud trade, quo pascantur : pascuntur autem solo verbo Dei, non opinionibus aut traditionibus hominum.

(3) *Querela de Theologia scholastica.*

Porro quam vere dixeris , nihil posse tam argute proponi, quod non rursus possit retundi ; miserum illud pistrinum abunde docet, in quo Scotistæ, Thomistæ, Albertistæ, Moderni, & singuli in suas quique sectas divisi, tempus perdunt. Hac fateor historia jucundissima, Illustrissime Princeps, sum totus in amorem tui raptus. Nescio enim qui fiat, ut quoscunque sacrarum literarum amantes audio, non possim non diligere ; rursum perversores & contemtores earum, non odisse, ita ut in utramque partem amoris impatientia sim nimio vehemens, & ut amici illi mei criminantur, mordax & vane gloriosus. Sed criminentur me, ut volent, nomina mihi possunt vel mala vel bona imponere, sive prima sive secunda, aut etiam tertia intentionis, immo impositionis, (ne quid peccem in dialectica eorum) rem ipsam Theologiæ nunquam auferent, nec amorem illius extingvent Christo propitio. Scio quid mihi fecerit scholastica Theologia, scio rursum, quid ei debeam : gaudeo me erutum, & gratias ago Christo Domino meo. Non est quod me doceant eam, novi eam ; nec quod concilient mihi eam, nolo eam.

A. 1520.

(4) *Annotatio ad Maimburgii censuram.*

Alios etiam tractatus de articulis fidei aut exegeticos his annis publicatos, quos præterit Maimburgius, recensere possemus, sed illorum catalogus alibi habetur. Cæterum quas causas, quibus applausum adeptus sit Lutherus, exponit Maimburgius, etsi alia mente scribat, veras tamen magna ex parte agnoscimus. Plebi nempe, jugi Pontificii pertæsæ, libertatis prædicationem acceptissimam fuisse. Quid enim æstimabilius est libertate illa, in quam Christus nos restituit, & quam Lutherus tantopere commendaverat, & ab abusu vindicaverat, peculiari, quem supra laudavimus, libello. Mores vero ejus sanctos & inculpatos quis non, in illa præsertim corruptione cleri, admiretur, illumque appictis radiis, si quo fundamento illa nititur relatio, digniorem censeat, quam tot scholasticarum nugarum barbaros magistros, quos eo honore mactat Romana ecclesia. Neque pudere Lutherum debuit, quod literati, qui sub Grammaticorum nomine insulse contemnebantur, magni eum facerent. Monachos vero quosdam conditionis suæ pertæsos, eos maxime, qui mendicando victum quærere cogebantur, ei applausisse, mirandum non est ; nec leve argumentum pro veritate doctrinæ præbet, quod tot ex illis docti & pii viri in variis remotissimisque locis, qui Lutherum nunquam viderant, ut supra retulimus, sententiæ ejus, Scriptura duce, accederent ; immo, ut refert *Pallavicinus Lib. I. cap. XXIV. §. 11.* inter Clerum summum & infimum discordia nata erat, dum inferiores Lutherum sustinerent, Ecclesiarum Rectores eundem impugnarent. Hos scilicet, non illos, retinebat dignitatum & opum dulcedo.

SECT. 36.

(1) De Erasmo Roterodamo, ejus genere, educatione & studiis.

Modo vero omnium efficacissimo existimationem novi hujus dogmatistæ stabilivit celeberrimus Erasmus Roterodamus, *qui pro ingeniosissimo & eruditissimo viro sui temporis æstimabatur, & ab initio inter præcipuos Lutheri approbatores fuit. Homo iste aut incerto aut obscuro admodum genere natus, aspectu & physiognomia ingratus, sed ingenio excellenti & subtili, naturaque tam felici erat, ut vir honestissimus evadere potuisset, si meliori educatione usus fuisset. Sed a parentibus ob paupertatem sorti commissus fuit ; quam ab initio non satis æquam expertus est, dum Trajecti ad Rhenum inter symphoniacos chori pueros sese sustentabat ; dein Goudæ inter Canonicos regulares Sancti Augustini, ex necessitate potius, quam ex instituto religioso, locum habuit. Inde, nescio qua porta post annos novem egressus, magnam Universitatum Europæarum partem percurrit, tantamque ingenii & eruditionis famam acquisivit, juncta etiam modestia, morum honestate, & styli Græci Latinique ele-*

Spond. ad hunc ann.

A. 1520. *gantia, ut maximi ea ætate viri, Episcopi, Cardinales, Principes, ipsique Pontifices, honori sibi ducerent literas ab eo accipere, iisque semper cum elogio respondebant. Interim certum est, non apparere satis clare ex ejus scriptis, quid crediderit: in causa enim Lutheri adeo vacillabat, modo eum laudando, modo culpando, ut neque simpliciter Lutheranus, neque Catholicus haberi possit. Falso scilicet pacis amore promtum se in utramque partem ostendit; quod ipse Lutherus ei objecit, cum in dissidia aliquo post tempore cum eo prorumperet, antea enim constat amicissimos fuisse. Erasmus sane luculenter id testatus est, cum Coloniæ apud ministros Imperatoris contra Alcandrum Nuncium omni vi obniteretur, ne libri Lutheri comburerentur. Cumque Dux Saxoniæ sententiam ejus de doctrina Lutheri rogasset, sine hæsitatione respondit: bonam a se haberi, & tantum in modo proponendi aliquid desiderari, quo nimis acri & violento uteretur. Hoc Elector Luthero significavit, vehementer ob applausum viri tam insignis gaudenti; sed ex monito illo nihil admisit, quam quod commodum erat, geniumque suum ferum & indomitum corrigere noluit.*

(2) De ejus variatione in religione.

(3) Ut Lutheri doctrinam probaverit.

A. 1520. *Luth. de servo arbitrio. Lit. Aleand. ad Card. Medic. apud Pallavic. Melanchthon in Vita Luth.*

§. LXXXVII.

(1) *De Erasmi circa religionem mente disquisitio.*

Hæc quoque, quæ Maimburgius de Erasmo narrat, ex *Pallavicino* sumsit *Lib. I. cap. XXIII.* in quibus plus etiam est invidiæ & loliginis, sed ejus abstergendæ labor a proposito meo longius abit & pleraque supra tetigi. Etsi enim Erasmi summæ & infinitæ pene eruditionis sacræ & profanæ laudem, nulla censorum malitia, apud eos imminuere posit, qui declamatorias & sophisticas artes a solida sapientia, & fucum a nativa pulchritudine discernere valent; in religionis tamen negotio, ut dudum cum Luthero & post eum questi sunt nostrates, eum se non præstitit Erasmus, qualem potuisset & debuisset: excusatione quidem dignior, si pacis tantum & concordiæ, sive vitandi, ut sæpe scripsit, tumultus studio, medius veluti hæsisset. Cogitasse me sæpius fateor, immo doluisse, quid tantæ scientiæ & moderationis virum ea jam ætate ac conditione, ut ubique terrarum honestam stationem invenire potuisset, impediverit, quo minus veritati manus aperte daret, & Reformationis negotium, ut poterat, abjecta de corrigendis Romanæ curiæ defectibus spe, serio & candide juvaret. In mentem quidem venit, eum honorum, laudum & præmiorum cupidissimum fuisse, idque suspicabar ex frequentibus ejus ad aulas itineribus, ex blanditiis, quibus magnates demulcet, ex deprædicatis remunerationibus, & callidis favoris parandi, vel invidiæ declinandæ artibus, quibus usum esse epistolæ ostendunt. Vidi postea acriter illi ab Hutteno objectam inconstantiam, levitatem & *constupratam*, ut loquitur, *conscientiam*, Theologo, qui veritatem antea docuerit, & adhuc probe norit, minime dignam. Labi autem eum statuit ob inexplebilem famæ sitim, gloriæ avaritiam, animi imbecillitatem, minis terroribusque cedentem, & muneribus atque honoris spe facile corrumpendum & ebrium. Sed cum ea non tantum edito libello, cui *Spongia* nomen dedit, a se amoliatur, sed & in *Epistolis* ad familiares ab honoris & opum cupidine immunem se tota vita fuisse, ad mortem usque sancte affirmet, sæpe etiam oblatas dignitates & opima sacerdotia recusaverit, nolui meo judicio Hutteni fervori subscribere. Addam quæ Lutherus de Erasmo senserit, ex epistola anno 1521. d. 9. Septembr. antequam cum eo in disputationem venisset, *ad Spalatinum* data: *Erasmum*, ait, *a cognitione gratiæ longinquum esse video, qui non ad crucem sed ad pacem spectat in omnibus scriptis. Hinc omnia putat civiliter & benevolentia quadam humanitatis tractanda gerendaque; sed hanc non curat Behemoth, neque hinc quicquam sese emendat.* Objicit etiam ei gloriæ studium, se vero de nulla re gloriari audere, nisi de verbo veritatis, a Domino dato. Addit postmodum: *Igitur illorum scripta* (loquitur de Capitone & Erasmo) *quia abstinent ab increpando, mordendo, offendendo, nihil promovent. Civiliter enim admoniti Pontifices sibi blanditum putant, & veluti jus habeant incorrigibilitatis, perseverant, contenti, quod tremendi sint, & nemo eos reprehendere audeat. Lib. I. ep. 243.* Cæterum quæ Coloniæ pro Lutheri causa Erasmus egerit, fide stant Jesuitarum, Aleandri relationem sequentium, qui ex contubernali inimicus Erasmo factus erat. Ex actis Lutheri traditis a Spalatino, nihil præter illa apparet, quæ supra retulimus. Nec reperio, quid Fridericus, Erasmo monente de stylo temperando, ad Lutherum scripserit, quæ spreta huic esse narrat Maimburgius. Video tamen, hunc, in *dedicatione Evangelicarum enarrationum* supra allegata, *Tom. II. Lat. Jen. fol. 339.* aliquid ejusmodi agnoscere, & veluti deprecari, *quod Principis monitis in acrimonia contentionum de lana caprina* (id est, de indulgentiis) *vitanda non satisfecerit, sed improborum procacitates asperius quam pro religione & modestia tractasset*, veniam autem sperat, *si perpendatur, quantas virulentias unus ipse perpessus sit.* Sed ista, ut dixi, acrius in epistola *ad Spalatinum* postea propugnavit. Probabile videbitur conferentibus Erasmi & Lutheri ingenia, & eventum spectantibus; nisi Lutherus incredibili adversus pericula animi constantia & severitate proposito suo institisset, sed Erasmi versutam lenitatem imitari voluisset, nihil metuendum Pontifici de reformatione fuisse. De vita Erasmi certiora, quam Maimburgius refert, aliunde petenda sunt. Ipse amicis scribens, quæ de se ad famam tuendam memorari post mortem voluerit, non reticuit, quæ alii forte dissimulassent. Genitus est extra matrimonium a juvene Roterodamense *Gerardo*, quem pater sacris destinabat, & ab adamatæ puellæ, quæ Erasmum peperit, conjugio abstraxerat. Cur autem ex *Regularium*, quos vocant, *Augustinianorum*, sodalitio, in quod adolescens tutorum iniquitate detrusus fuerat, discesserit, ipse ad *Servatium* eorum Præpositum, & ad *Lambertum Grunnium* sub Florentii persona scripsit. Vide *Lib. XXIV. Epistolar. p. 919.* edit. Basil. Annus nativitatis non satis certus est: sunt, qui annum 1464. tradunt: Cardanus 1466. memorat. Bucholzerus medium, veluti ex arbitrio,

(2) *Lutheri de illo judicium.*

(3) *De aliis ejus vitaque & obitu ejus quædam.*

A. 1520. bitrio, definivit, annum nempe 1465. & diem notavit 28. Octobr. cum tamen anno 1518. se quinquagenarium esse referat, colligi potest, natum esse circa annum 1468. adeoque Luthero annis quindecim majorem fuisse. Diem obiit Basileæ anno 1536. cum Friburgo in Brisgovia abiens Belgium cogitaret, & in typographia Frobeniana editioni librorum suorum incumberet, arthritide & dysenteria consumtus. Ex *Beati Rhenani* ad Carolum Cæsarem *dedicatoria in Origenem*, ab Erasmo recognitum, *epistola* anno 1536. scripta pleraque haberi possunt ad historiam vitæ ejus pertinentia. Præmissa est illa dedicatio editioni epistolarum Erasmi *Anglicanæ* quæ anno 1642. prodiit cum aliis eo facientibus: inserta etiam libello primum a Merula, postea sæpius in Belgio edito, *Vitam Erasmi* & *epistolas* insigniores ejus complexo. Sed plura de eo dicenda infra occurrent. §. *CLXXIX. & seq.* A. 1520.

ADDITIO.

Adversus Maimburgii bilem, quam in *Erasmum* effundit, notari meretur magna ejus in Gallia existimatio, & favor Francisci I Regis. Cum enim *Ulricus Huttenus* inter alia ei objiceret, *quod de Principum favore & literis ad se multum gloriaretur*: in responso supra citato, *se quidem vanitatem illam odisse & vitare, ideoque vix decimam partem epistolarum, quas Principes dicti ad se scribant, producere, interdum tamen ob improbitatem & impudentiam obtrectatorum sese tueri bonorum ac Principum favore* scribit. Meminit autem Cæsaris, & fratris ejus Ferdinandi Austriaci, item Regis Angliæ, maxime autem Francisci, his verbis: *Rex Galliæ toties ad honestissimas conditiones invitat, literis etiam propria manu descriptis; id quod negant eum ter a corona suscepta fecisse.*

De gratia, quam Erasmus apud Reges, & in primis Gallum invenit.

SECT. 37.

Hoc statu Lutheri factio erat, cum comitia Wormatiæ *haberentur. Unde factum, ut aliqui Imperatoris ministri inconsultum putarent, edictum adversus eum condi, quod Nuncius urgebat. Sed Princeps juvenis licet, judicio tamen acri præditus, animadvertit, maximum negotio huic obstaculum ex præjudicata opinione oriri, quod putabatur Romæ contra Lutherum non alia de causa excommunicando sine omni conditione procedi, & aliam Bullam d. 3. Jan. emissam esse, quam ad privatam Papæ & curiæ Romanæ utilitatem; quia Doctor hic abusus corrigi & potestatem mitigari debere contendebat, ne odiosæ illæ exactiones per Germaniam continuarentur, de quibus plus una vice jam questi erant Proceres. Itaque Nuncium monuit, ut ante omnia in plenis comitiis liquido demonstraret, a Luthero non Papam solum & curiam Romanam, sed præcipua religionis Christianæ capita oppugnari, eosque errores a Pontifice condemnatos esse. Præstitit hoc Aleander excellenter: admissus enim in comitiis ab Imperatore, ut publice audiretur, tres integras horas summa vi peroravit, magnoque & illustri illi cœtui Principum & deputatorum Imperii, libros Lutheri ipsos producendo, ostendit, necessario hujus hæretici sectam abolendam esse, utpote Ecclesiæ & statui publico pariter perniciosam. Destrui enim per eam autoritatem spiritualem capitis ecclesiastici, ipsiusque Concilii generalis, sine qua, & sublato, qui de sensu Scripturarum decideret judice controversiarum, tot religiones extituræ essent, quot capita. Negari ab illo libertatem hominis, & statui bona & mala ex insuperabili necessitate fieri; sic portam late ad effrenem licentiam aperiri, omnibusque criminibus defensionem parari, legitimam nempe excusationem, quod aliter agi non potuerit. Annihilari præterea omnem Sacramentorum novæ legis valorem, negando conferri per ea gratiam: dari promiscue omnibus potestatem absolvendi: eximi Christianos ab omnium legum vinculis sub prætextu Christianæ libertatis, pessime intellectæ: contradici votis solenniter Deo factis, quasi neminem obligent: denique mundum conjici in extremam omnium rerum confusionem, sine legibus, sine hierarchia, sine subordinatione & obedientia in Ecclesia, vel erga Principes, vel erga Deum ipsum, quia is, si hæretico huic credatur, nobis præcipiat, quæ effectu sint impossibilia. Addidit: cum frustra fuerint omnia, jam per annos quatuor adhibita, ad liberandam Ecclesiam & Rempublicam ab ingenti hoc malo remedia, nullum jam superesse aliud, quam ut edictum Imperatorium conderetur, quo ab omnibus Ordinibus plena submissione observato, detestabilis hæc hæresis cum autore suo communi odio & execrationi exponeretur. Hæc oratio, quamvis longa, magna cum attentione audita fuit, bonumque effectum statim habuit. Inita enim deliberatione conventum est, aboleri debere hanc hæresin, quæ fundamenta religionis Christianæ subrueret.*

(1) Acta Caroli V in Comitiis Wormatiensibus.

(2) Aleandri oratio contra Lutherum, ejusque effectus.

Ex actis Wormatiensibus. Archiv. Vatic. apud Card. Pallavicinum.

§. LXXXIIX.

Imperator prima comitia, quæ ex lege Caroli IV, quam *Auream Bullam* vocant, *Norimbergæ* habere debuisset, ob pestem ibi grassantem *Wormatiæ* celebravit. In his, ut patet ex constitutione, quæ post finita comitia sub discessum Imperatoris & Ordinum Germaniæ (ideo *Recessus* vocari solet) publicata fuit, maxima gravissimaque negotia tractata & conclusa sunt: ordinatio nempe consilii supremi virorum viginti duorum ex Electoribus, Principibus & Civitatibus Germaniæ delectorum, *Regimentum* appellabatur, cui absente Cæsare tota Imperii gubernatio concredita fuit; Cameræ etiam sive tribunalis summi ad jurisdictionem exercendam, Assessorum octodecim; interdictum adversus vim armatam, qua jus suum manu persequebantur quicunque poterant, satis juri & honori, ut jactabant, consulentes, si modo vim illam (*fehdas* seu *diffidationes* vocabant) adversario, certo quodam ritu & tempore, denunciassent.

(1) *Decretum seu Recessus Wormatiensis.*

A. 1520.

assent. Decretus etiam Germaniæ sumtibus Cæsari exercitus, quo Romam coronæ adipiscendæ causa proficisceretur, *ut ablata, diuque alienis manibus usurpata in Italia recuperaret.* (sunt verba Recessus) Hæc & alia quædam singularibus edictis & sanctionibus, quibus omnibus *dies XXVI Maji* adscriptus est, publicata, in volumine *Recessuum Imperii* leguntur. Cur vero ne unico quidem verbo religionis, & quæ contra Lutheri doctrinam Pontificii Legati postulaverint, tandemque Edictum impetraverint, mentio fiat, cum illo tempore nondum ea diligentia & prolixitate, ut postea factum est, deliberationum & actorum Commentarii diurni (*protocolla* vocant) scribi solerent ex Archivorum libris, quos mihi inspicere licuit, doceri non potui. Conjecturæ itaque subjectum manet, an (quod infra verisimillimum reddet *Pallavicini* narratio) Recessus conscriptus, plenisque omnium suffragiis receptus, & postea demum adhibitis paucis Edictum conditum fuerit; an Legatis Pontificiis, pro potestatis eousque exercitæ axiomate tuendo consultius tutiusque visum fuerit, si in legibus Imperii politicis nihil de religione statueretur, utque Edictum contra Lutherum, non tam ex decreto Imperatoris & Ordinum, quam ad ministerium Pontifici præstandum condi videretur; an vero Carolus gratificari Friderico Electori voluerit, cavendo, ne de actis contra Lutherum quidquam in Recessu diceretur. Moguntini etiam Archiepiscopi & Electoris, qui stylum Actorum & constitutionum comitialium ex more dirigit & temperat, quædam providentia & circumspectio fuisse in hac re potest, militares Equitum in illis regionibus spiritus vel metuentis vel sibi conciliantis, aut de Reformatione ipsa haud male sentientis: cum Sickingio enim bene ei convenisse, postmodum apparuit, quanquam Hutteni minas, pro libris Lutheri oppida & pagos Moguntini combusturum se jactantis, narret *Pallavicinus Lib. I. cap. XXV. §. 1.* Maimburgius ex eodem fonte hausit, quæ nobis propinat, & speciatim *Bullæ Pontificiæ novæ* d. 3. Januar. emissæ meminit, qua, elapso tempore citationis in priori definito, Lutherus sine omni conditione denuo excommunicatus fuit.

(1) *Cur de religione in eo nihil contineatur.*

ADDITIO I.

Contenta Bullæ Pontificiæ.

Extat in *Bullario*, sive compilatione Bullarum Pontificiarum tertio Non. Jan. 1521. data, & incipit: *Decet Romanum Pontificem* &c. Præfatur in ea de officio suo, quod spiritualium & temporalium pœnarum dispensator divinitus constitutus sit; quod quidem maximam habet dubitationem, & quoad temporalia sine ullo fundamento asseritur. Repetit deinde Bullam anno superiori contra Lutherum editam, & narrat, quosdam, ea publicata, ad pœnitentiam esse perductos & absolutionis beneficium impetrasse, tum quod libri Lutheri in Germaniæ locis nonnullis combusti sint: queritur vero de Lutheri & aliorum ejus sequacium eique faventium pertinacia, eosque omnes, quacunque celsa vel grandi præfulgeant dignitate, anathemate ferit, læsæque majestatis, ac maledictionis æternæ reos pronunciat, eosque & eorum descendentes omnibus dignitatibus & bonis privat. Interdictum in omnia loca, in quibus hæresis illa deprehenditur, publicat, & omnibus sacerdotibus mandat, ut intra tres dies, consuetis ceremoniis, accensis & extinctis atque conculcatis candelis & trina lapidum projectione, excommunicationem publicent, & contra hæreticos intrepide concionentur. Adduntur aliæ curiæ Romanæ formulæ satis rigidæ & diræ,

Exiguum tamen hæc Bulla effectum habuit, nec in Saxonia ullum de ejus publicatione vestigium extat.

A. 1520.

ADDITIO II.

Cum ista in *priori editione* de Comitiis VVormatiensibus scriberem, nondum inspexeram acta *Archivi Vimariensis*, neque multam spem habebam, ut de iis aliquid ibi reperiri posset; nam ex responso *Johannis Friderici* Electoris anno 1546. d. 7. Junii *Philippo Hassiæ Landgravio* dato (quod *Hortlederus* operi suo præfixit,) observaveram, *Fridericum Electorem* acta comitiorum VVormatiensium anno 1521. conscribi non fecisse. Inventum tamen nunc est, volumen actorum de *comitiis illis*, quod *Hortlederum*, ut videtur, fugerat. Continet id pleraque, quæ cum ipso Luthero acta, & in *Tomos* relata sunt, tum & alia, quæ ante adventum ejus acciderunt. Inventa etiam est in eodem Archivo *Georgii Spalatini historia MS. ab anno 1519. ad 1542.* Ex illis aliisque actorum fasciculis excerpsi, aut integra describi feci, quæ ad pleniorem historiæ Comitialis cognitionem pertinent. Itaque eorum compendiosa relatione fraudare lectorem nolo.

(a) *Supplementum historiæ Comitiorum VVormatiensium.*

De Cæsaris literis ad Electorem anno 1520. aliquid ex Lutheri epistolis retuli. Extant d. 28. Novembris *Oppenhemii* datæ, earumque summa est: Se a Pontificis nunciis sæpe requisitum esse, ut libri Lutheri, quemadmodum in provinciis Burgundicis, ita & in Germania, ad præcavenda plura incommoda, comburerentur, meminisse etiam eorum, quæ Elector per *Gvilielmum Marchionem Araschotium* (vulgo *Chevrium*) & *Henricum Comitem Nassovium*, Hollandiæ Præfectum (illi titulum *Principis* Hochgebohren/ huic *Comitis* Wohlgebohren tribuit,) rogasset, nempe ut nihil decerneretur contra Lutherum, priusquam audiretur, ne turbis ansa daretur. Cum itaque Cæsar hæc libenter præcavere vellet, petit ab Electore (begehren an deine Lbd. mit hohen fleiß) ut Lutherum secum ad comitia VVormatiensia, quæ instabant, adduceret: curaturum se esse, ut a doctis & sapientibus viris sufficienter audiretur, & ab injuria tutus esset. (daß ihm kein unrecht/ oder nichts wider recht beschehe.) Addit admonitionem, ut Elector Lutherum prohiberet, ne interea aliquid contra Pontificem & sedem Romanam scriberet. Accessere Croii & *Nassovii* ad Electorem epistolæ, quibus idem petitur.

(b) *Literæ Cæsaris ad Fridericum.*

Responsum etiam Electoris d. 20. Decembris *Alstedii* datum extat, in quo scribit, se nunquam in animum induxisse, ut D. Martini libros & conciones defenderet, idque sæpius Sanctitati Pontificis (Ihrer Päbstl. Heiligkeit) literis significasse, neque alia causa Cæsarem per Marchionem & Comitem rogasse, ut a decretis contra Lutherum abstineret, quam ut de veritate aut errore, qui Luthero imputaretur, prius cognosceretur. Obtulisse enim semper Lutherum, idque scripto satis prolixo publicasse, quod impetrata securitate, comparere, respondere, & si ex sacra Scriptura convinci posset, cedere paratus esset. Sperasse Electorem, fore ut id acceptaretur, & adversarii ejus quiescerent, maxime cum ipsi Legati Pontificii Electori inter alia spem fecissent, (id Coloniæ factum esse oportuit,) fore, ut media hac in causa invenirentur, accedente Electoris opera, ad quam etiam promtum se ostendisset, & posthac mediorum propositionem expectaverit. Sibi vero interea innotuisse, quod libri Lutheri præter expectationem suam, Coloniæ, Moguntiæ, & alibi combusti fuerint; id omitti, si non Lutheri, saltem sui causa satius fuisse; neque enim se ex Cæsaris literis intelligere, quod ejus voluntate id factum sit, & vereri, ne Lutherus quoque re illa percepta aliquid ausus sit, (respicit ad exustionem Bullæ & librorum juris Pontificii, ante dies decem VVittenbergæ peractam) & ideo difficile sibi videri, ut Lutherum secum ad comitia duceret, idque a Cæsare deprecari; rogat denique, ut fidem nemini habeat, qui de se spargat, quasi contra religionem Christianam aliquid moliretur; id enim nunquam se facturum esse, eam potius gratiam sibi a Deo exoptat & sperat, ut ad confirmationem & augmentum fidei multa conferre posset. In eandem sententiam eodemque die ad *Chevrium* & *Nassovium* scripsit. Patet hinc, exustionem librorum Lutheri Coloniæ & alibi

(c) *Electoris responsum.*

A. 1520.

sibi factam Fridericum haud immerito improbasse, quia Pontificii Legati dilationem promiserant, unde & sine dubio Luthero animus crevit, ut ad comburendos libros Pontificios provolaverit, dissimulante id tanto facilius Electore, quod combustioni illi Coloniensi Cæsaris autoritatem defuisse, & solis Pontificiis Legatis attribuendam esse existimaret, immo ab his contumelia affectum se esse judicaret, quod contra fidem datam in re, ad conditiones & tractatus ab ipsis remissa, præcipitanter egissent. Obiter notandus Maimburgii error est, qui etiam *Trevirensem Electorem* iis accenset, qui injussi a Cæsare libros Lutheri exusserint; neque enim tacuisset id Elector aut Lutherus; & Trevirensis illius facti abstinentia mediatoris partes sibi servaverat, ut ex actis Comitialibus notum est. Ex his etiam suppleri debet aut corrigi relatio de actis inter Legatos & Fridericum ex *Sleidano* & aliis a me *§. LXXXI. n. 5.* repetita. Neque enim Fridericus unquam Cæsari scribere ausus esset, Legatos combustionis dilationem promisisse, si isti simpliciter in proposito comburendi libros perstitissent, licet Aleander id, ut alia plura, falso in declamatione sua jactaverit. Ex eodem volumine *Archivi*, quod allego, a nullo, quod sciam, scriptore (præter *Pallavicinum*, qui aliquid innuit,) notatum reperio, post adventum Electoris ad comitia inter hujus Cancellarium *Gregorium Pontanum*, &, qui Cæsari a confessionibus erat, *Joh. Glapionem* Franciscanum, de negotio Lutheri secretum colloquium institutum esse, cujus relationem Pontanus operose composuit. Meretur illius relatio tota adscribi; sed quia Germanica est & satis prolixa, tum alia fortassis occasione publicanda, præcipua saltem ejus contenta adducam. Indubitatæ autem fidei esse nemo negabit, qui consideraverit, Pontanum non solum (etiam adversæ partis judicio) virum egregium fuisse, sed & relationem hanc Hero suo exhibuisse, quem decipere voluisse non turpissimum modo, sed & stultum fuisset, nulliusque plane utilitatis. Acta autem ista tam arcana habita sunt, ut ne Spalatinus quidem, qui VVormatiæ aderat, quidquam de iis resciverit: itaque non solum in commentariis suis nihil de his annotavit, sed & in epistolis in Saxoniam scriptis, incerta & diversa, ex rumoribus arrepta, de Glapione retulit. Colloquii initium fuit, ut Glapio benevolentiam captans, diceret: Se visis Lutheri scriptis prioribus ex animo & summopere lætatum esse; germen enim nobile & recens in corde Lutheri ortum observasse, quod jam surculos & palmites emiserit, & utilissimos fructus promiserit ad Ecclesiæ emolumentum. Illa quidem, quæ Lutherus monuerit, etiam alios intellexisse, neminem vero spiritum illum impetrasse, ut veritatem producere auderet. Pergit inde & dicit: *Cum librum de captivitate Babylonica legissem, non minus terrefactus atque afflictus sum, ac si me aliquis a capite ad calcem scutica flagellasset, neque tamen credo Lutherum librum istum pro suo agniturum esse; cum nec stylus nec industria in eo, quæ in prioribus viri scriptis eminet, deprehendatur; si tamen omnino ejus est, ira & furore percitum ob Bullam Pontificis fuisse oportuit. Sed nihil tam impense malum esse* ajebat, *quod remedia non admittat.* Cœpit inde rogatus, quæ in Luthero improbabat, articulatim edisserere, & Pontano, ut ea calamo aliquatenus exciperet, permittere. Audivit etiam regerentem quædam, & vulgato illi *de clavibus a Christo Petro commissis*, & quod *Deus Ecclesiam errare non sit passurus*, potissimum innixus est; postulavit postea, ut ad Electorem ipsum admitteretur, comitante aliquo, qui linguarum peritus esset, sic Principi, præsente Pontano, errores prolixe indicaturum esse. Sed Pontanus, ingenii herilis gnarus, honeste id amolitus est, prætensis negotiis Comitialibus, & quod Elector causam Lutheri suam non faceret; Glapionem vero rogavit, ut quoniam de remediis etiam in causa mala desperari non debere dixisset, & per Nassovium jam spem fecisset, aliqua proponendi, ut mentem suam nunc de iis explicaret. Tum Glapio vultu ad ecclesiasticam sanctimoniam composito (mit einem geistlichen gesichte) testari cœpit, *quam vehementer Cæsar desideraret, ut talis vir* (Lutherus) *cum Ecclesia conciliaretur*; scripta enim ejus Majestati suæ, antequam tractatus *de captivitate Babylonica* prodiret, aliquatenus placuisse. Cum igitur articuli in hoc tractatu asserti Luthero ex ira & præcipitantia exciderint, neque tamen ullus eorum tam pravus esset, quin ad sensum bonum & catholicum reduci possit, ex re fore, ut Lutherus eos declararet, & salva semper pace sanctæ matris Ecclesiæ scriptos esse profiteretur. Hoc facto Martinum in omnibus nationibus viros doctos in partes suas attracturum esse. Addit iterum preces, ut ab ipso Electore audiretur. His intellectis Elector nihilominus, multa quidem cum urbanitate, colloquium recusavit, & altera vice Pontanum ad continuanda, quæ cum illo agere cœperat, ablegavit. Ibi Glapio honestissimis verbis Electoris excusationem accipiens, iterum contestari cœpit, se & alios ex prioribus Lutheri scriptis judicasse, *felicem finem* (hæc ejus verba Latina notavit Pontanus) *ab illo respectum, aliosque timidiores ad eundem scopum excitatos fuisse*, nempe *ut Ecclesia universaliter reformaretur, longo tempore multis abusibus maculata*, magnam etiam laudabili hoc ausu gratiam apud doctos meruisse; sed edito libro de *captivitate Babylonica* se aliosque observasse, conatum esse lapidem volvere suis viribus longe graviorem: ita optimæ intentioni magnum obstaculum objecisse, neque temporum & hominum, minime certe Principum, statum & defectus considerasse. Nunc nullam superesse viam, quam ut a disputationibus publicis abstinendo, res in secreto tractetur, alias Diabolum non esse cessaturum ab objiciendis reformationi Ecclesiæ obstaculis, immo seditionibus & bellis excitandis. Consultissimum itaque esse, ut Elector viros intimæ admissionis ad tractandum negotium deputaret, coram quibus omnia media expendi & proponi possent. Si scriptis rem exequi expediret, se magnum volumen adversus libellum *de Babylone* editurum, eumque solidis argumentis refutaturum fuisse. His Pontanus denuo regessit: Fridericum causam Lutheri tuendam non suscipere, nec ut id a se postularetur, expectasse, neque adduxisse consiliarios Scripturæ sacræ & linguæ Latinæ satis peritos, multo minus a Luthero mandatum habere, aut accepturum esse, ut ejus dogmata defenderet. Institit tamen postulato Glapio, aut ut ipse saltem Pontanus, secreto secum & cum aliis, quos Cæsar deputaturus esset, ea de re ageret. Testatus etiam fuit per Jesum Christum, se id bono animo erga Ecclesiam & Lutherum, *qui aliis aperuisset pectus ad multa bona*, (sunt ejus verba) in medium afferre; invehebatur inde denuo in librum *de captivitate Babylonica*: tandem Pontanum abiturum tenuit, eique, cum quæreret, quid in negotio hoc faciendum esset? ita respondit: consuli huic rei posse, si Lutherus librum hunc suum revocaret, ut ab irato & ob Bullam exasperato scriptum, aut plane suum esse negaret, quod facile & probabiliter facere posset ob styli discrepantiam. Replicavit ad hæc Pontanus: id etsi faceret Lutherus, superesse tamen Bullam, qua condemnata scripta ejus essent, ante libellum istum edita. Ad hæc Glapio: *His quoque remedium invenietur. Ajunt sane Bullam contra Lutherum publicatam, librosque ejus & articulos damnatos esse, sed factum id est in contumaciam nondum illo audito: prævia igitur revocatione libelli* de captivitate Babylonica *Pontifex ex plenitudine potestatis restituere Lutherum potest: & omnino is audiri debet, neque aliter fas est, & causa committenda est hominibus doctissimis & omni exceptione majoribus in Germania. Neque tamen Lutherus protectione potentissimi & laudatissimi Principis, sub cujus tutela vivit, se abdicare debet. Ego bona mente ita consulo; neque enim aliud magis mihi cordi est, quam reformatio Ecclesiæ; & ad eam, Deo sit gratia, commodam occasionem habemus, sub capite egregio, Cæsare scilicet.* Ursit inde iterum, ut Elector deligeret aliquos ad causam hanc tractandam, addiditque aculeos contra Lutherum, ex Bibliis argumentantem. Scripturam enim esse sicut mollem ceram, quæ duci & tendi posset pro lubitu; sibi, ajebat, si fas esset, facile fore, opiniones longe acutiores & magis paradoxas

Marginal notes (left): (d) *Correctio quædam.* — (e) *Acta inter Glapionem & Pontanum.* — (f) *Glapionis propositio.* — (g) *Pontani responsum.* — (h) *Glapionis replica.*

Marginal notes (right): A. 1520. — (i) *Alterum ejus declaratio.* — (k) *Continuatum inter utrumque colloquium.*

A. 1520.

doxas ex illa producere: exempla etiam quædam adduxit, inter alia dicens, se ex Scriptura probaturum esse, *nemini licere Missam celebrare;* Christum enim Apostolos saltem allocutos esse, cum diceret: *hoc facite in meam commemorationem.* Item, transsubstantiationem non solum rejici, sed & omnem præsentiam realem negari posse, quia Christus dixit: *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, atqui impossibile esse frangi corpus Christi glorificatum; allegavit etiam dictum: *eripe oculum & projice foras*, quod si ad literam intelligatur, absurdum esset. Errare Lutherum, qui ex omnibus Christi dictis præcepta faceret. Pro voto castitatis pugnabat ex verbis & exemplo Pauli. Improbavit Lutheri dictum, *non esse delectum operum apud Deum*, cum tamen Mariæ actiones Christo magis placuerint quam Marthæ. Minas in fine sparsit, quid futurum esset, si Cæsar hodie vel cras erigeret vexillum. Ita nunc discessum est. Alio congressu, cum Pontanus referret, quæ Coloniæ inter Electorem & Legatos Pontificios acta essent, respondit Glapio: se illa ignorare, neque sibi combustiones librorum Lutheri Coloniæ & Moguntiæ factas probari. Diffudit se inde denuo in arguendo libro de *captivitate Babylonica*: cujus revocationem iterum suadebat, salvis quæ antea Lutherus scripsisset, cum quibus necessario non cohærerent, quæ hoc libro statuisset, id exemplis aliquibus confirmavit, v. g. *quod omnes homines sint sacerdotes; quod non sint septem Sacramenta;* hunc enim numerum traditione niti, cujus fundamentum, ut solent, in dicto Christi quæsivit: *multa dicenda adhuc sunt vobis*, & in testimonio seu charactere Ecclesiæ, quo probatur, ut ait, canon Scripturæ. Utut autem in librum istum Lutheri multa diceret, & adductas ab eo ex Scripturis probationes pro tenuibus haberet, laudavit tamen libellum *de libertate Christiana;* In hoc, ait, magnum judicium, magnam artem spiritumque ostendit, & scripsit ut vir doctus: & ex eo alter ille *de captivitate Babylonica* potest explicari. Affirmavit etiam, primas theses contra indulgentias laudem mereri, & paucos viros doctos fuisse, qui iis non essent adstipulati. Instanti postea, cum finem differendi non faceret, sæpius Pontano, ut scriptis consignaret quæ in Lutheri libris improbaret, denuo sese excusavit, satis dicens librorum scribi, & jam quendam fratrem *Ambrosium Catharinum* librum adversus Lutherum edidisse & Cæsari misisse; id sibi parum placere, nullamque utilitatem afferre: præstare, ut inter doctos secreta talia tractarentur. Porro ad mentionem consilii de revocatione libri *de captivitate Babylonica* reversus, ita locutus est, ut id ab aliis potius quam a se propositum esse innueret. Deinde aliud Nassovio Comiti medium, quod ad optatum reformationis scopum faceret, se aperuisse narravit, nempe ut commodo tempore homines doctissimi, sanctissimi & justi, probatæ doctrinæ & vitæ, ad causæ cognitionem deligerentur, his Pontifex & Lutherus judicium deferre deberet: neque verendum, ut Pontifex refragaretur, aut ad Cæsarem rem pertinere negaret. Arbitros illos utrique parti oretenus indicaturos esse, quid probent aut improbent, vivam vocem esse spiritum vivum, scripturam esse spiritum mortuum. Lite vero pendente ab utraque parte quiescendum esse. Lutherum a scribendo abstinere, & libros ejus apud aliquem deponi, qui extra partes sit; Pontificem vero, ejusque Legatos, a comburendis Lutheri libris aliisque actibus cessare debere. Dubitari non posse, quin Lutherus in multis articulis victoriam sit reportaturus, doctum enim virum esse, & multa bona dixisse. Subjungit, heri in vigilia Cardinalis (Moguntini puto) Episcopum quendam dixisse: *non opus esse, ut Lutherus audiatur, cum libri ejus extent;* verum se respondisse: *maxime audiendum esse, articulos enim a Luthero ita positos esse, ut aliquo sensu veri, alio falsi sint.* Hoc consilium suum Pontano commendavit ad Electorem referendum, ut ejus sententiam hoc vespere aut mane sequenti sibi aperiret; se enim cum Chevrio & postea cum ipso Cæsare acturum de eo esse. Si non placeret Electori, ab eo se aliud expectare. Sperare se tamen, addidit, Cæsari rationem hanc suam placituram, & omnia, quæ forte alii molirentur, cessatura esse. *Ego enim Cæsari jam tum dixi,* (verba Latina hic refert Pontanus) *Deus flagellabit Cæsarem & omnes Principes, nisi sponsa Christi liberetur ab istis oneribus & rugis quibus premitur. Dixi etiam hunc hominem* (Martinum scilicet) *a Deo missum & illi praeceptum esse, ut maledicat hominibus, & ut sit flagellum propter peccata.* Cum vero Pontanus diceret: Electori nunciari, apud Cæsarem quotidie consultari de hac causa, se non admisso, id quod Elector de Cæsare optime meritus non sperasset; fassus est Glapio, consultatum esse aliquoties, se tamen una saltem vice interfuisse, cum Pontificii Legati vehementer urgerent, ut Cæsar libros Lutheri per totam Germaniam comburi juberet, sed Cæsarem nondum consensisse, facturos tamen Legatos quod iis mandatum esset. Securum esse Electorem jubebat, de Cæsaris gratitudine pro exhibito in electione officio, factum id esse memoratu dignissimum, & tantum, ut nullo tempore oblivioni tradi possit. Dixit etiam, appariturum esse, si Cæsaris imperium ad quinque saltem annos adhuc duraret, quid præstiturus sit in reformationis negotio. Monuit iterum, ne Lutherus Romam iret, sed in ditione Electoris commoraretur. Relatione posthæc ad Electorem facta, responsum Glapioni reportatum est, Electorem modum illum de constituendis arbitris proponere, tanquam profectum a se, non posse, neque enim scire, quæ Lutheri de eo mens esset, neque illi conditionem graviorem imponi a se posse; hoc saltem petiisse, ut Lutherus accerseretur, ut eo audito de veritate constaret. Suspiravit ad ista Glapio profunde, Deumque testem invocavit, quantum in hac causa & qua mente præstitisset, ut felix ille scopus (reformationis) obtineri possit, nec nobilis merx a Luthero fere ad portum delata submergeretur; neminem in toto orbe plus in hac re quam Electorem efficere posse, quia in ditione sua Lutherum haberet, & retinere etiam deberet; neque enim consultum esse, ut ulla ratione inde discederet. Regessit Pontanus: *Quid fiet, reverende pater, si accepta conditione Lutheri libri apud aliquem extra partes deponerentur, abeunte autem, ut futurum esse dicitur, in Hispaniam Cæsare, Pontifex depositario illi mandaret, ut libros omnes ad rogum traderet?* Cæsari enim jus nullum esse de iis statuendi, & talia jam Aleandrum Nuncium Coloniæ locutum esse. Ad ea Glapio respondit: *præsumi id non posse, neque Pontificem actis mandatisque Cæsareis contraventurum; optimum igitur esse, ut Lutheri libri deponerentur, & modum hunc omnibus consiliariis Imperatoris placuisse.* Meminit iterum delegandorum ad cognoscendam causam, & quod damnosa sit librorum multiplicatio; notasse etiam se in *Ambrosii Catharini* libello, de quo dixerat, viginti fere loca, in quibus Lutheri mentem non recte percepisset. *Quid expectandum ei est*, ait, *si liber ad Lutherum pervenerit?* Quæsivit postea, quot dierum itinere VVittenberga VVormatiam iri possit? & iterata precum suarum oblatione Electori se commendari petiit. Monachi hujus solertiam insigni elogio prosequitur *Pallavicinus* (loco *§. XCIII.* allegato *Lib. I. cap. XXIV. §. 4.*) quod nempe antehac licet Pontificiæ curiæ non multum addictus, officiis tamen recentibus delinitus, singulare probitatis & ardoris specimen in negotio Lutherano dederit, cum præcipuis etiam hæresis fautoribus privatos congressus magno cum fructu habuerit, Cæsaris consiliarios repentes inflammaverit, aut perplexe cunctantes stimulaverit.

Hæc Pontani dictis fidem faciunt, sed simul incredibilem Glapionis versutiam aperiunt. Et hanc quidem communi fama illi tributam esse ex literis Spalatini, quæ in *Archivo Vinariensi* (*Reg. N. fol. 110. Lit. H. n. 43.*) asservantur, apparet. Scribit enim, *Luthero favere visum esse; alios vero affirmasse, extreme illi infensum, & vehementer territum fuisse, cum adventare eum audiisset.* Dubitari itaque vix potest, (idque si literæ ejus & relationes Romam scriptæ, & a Pallavicino sine dubio visæ, ederentur, palam fieret) nimis subdole cum Pontano ipsum egisse, sive id solum

A. 1520.

(l) *Glapio laudat libellum Lutheri de libertate Christiana.*

(m) *Consilium ejus de reformatione.*

(n) *Electoris sententia.*

(o) *Glapionis querela & dicta.*

(p) *Pallavicini de Glapione relatio.*

lum intenderit, ut rem in moras & impedimenta conjiceret, & Lutheri calamum & vocem ad quietem & silentium redigeret, tum spe reformationis ostensa, Electorem aliosque Principes lactaret, donec via modusque inveniretur propositum istud, ut multoties factum erat, eludendi; sive (quæ mitissima de eo præsumtio esse posset) revera reformationi, sed ita addictus fuerit, ut præcipua, quibus cleri potentia & ambitio nititur, intacta manerent, suaque ad Erasmi & similium consilia composuerit. Vana tamen omnis ejus fuit solertia, & Fridericus nihil illa motus, suum tenuit institutum. Erasmum, cujus mentio hic facta est, *Huttenus* taxavit, quod Glapionem laudibus ornasset, cujus malitiam alias execrari solitus fuisset. Sed Erasmus utrumque in *purgatione*, sive *Spongia*, adversus Huttenum edita, negavit, ingenue tamen fateri se dicit, *se nunquam ausum fuisse homini toto pectore fidere, ejusque ingenium tam occultum esse* ait, *ut dubitet, an Huttenus decem annorum conversatione illud pernoscere potuisset.* Interim etsi frigida & inepta multa contra Lutherum declamaret Glapio, vi tamen veritatis multa ei expressa esse videmus, quæ hodiernis defectuum patronis opponi possunt, qui reformationem plane inutilem aut saltem in disciplina, minime vero in dogmatibus, instituendam fuisse nobis persuadere volunt. Notandum etiam est, hunc monachum Pontificis judicium infallibile venditare non esse ausum, eumque pro parte potius quam judice habuisse, arbitrorum quippe sententiæ subjiciendum.

(q) *Quædam ex Erasmo de Glapione.*

Idem in iisdem comitiis duo alii, ut in actis reperio, senserunt, & Friderico Electori suppeditarunt. Unus, cujus nomen tacetur, dicitur *vir doctissimus*, ein hochgelehrter/ qui ita sensit: Deputandos esse ab Imperatore, Rege Angliæ & Hungariæ viros integros, (unpartheyische/) ut judices; tum quæ hi in libris Lutheri reprehensuri sint, deleri debere, & recudi libros; neque enim ob paucos errores summam Evangelii utilitatem impediendam esse. Papam his acquiescere debere; si enim ipsi audire & definire causam concederetur, parum id apud plerosque valiturum, qui suspicaturi sint, Papam, ut indulgentiarum potestatem & reliquam jurisdictionem servaret, sibi non multum esse detracturum. Compendium hic videtur referri consilii prolixioris quod *Tom. II. Lat. VVitt. fol. 123. b. & seq.* exhibetur; proponit enim autor illius, postquam multa contra præcipitata adversus Lutherum (cujus dogmata in medio relinquit) judicia Lovaniensium & Coloniensium, & ipsius Bullæ Pontificiæ inclementiam, itemque adversus eos, qui impiis concitationibus suis & furiosis ac odiosis clamoribus Lutheri spiritum exacerbarent, attulisset, eundem cognoscendi & definiendi modum: addit tamen, *si is non placeret, ad Concilium universale causam deferendam esse.* Quisquis ejus scripti autor sit, Lutheri doctrinæ non subscribit; sed tanto minus suspectum est ejus de intentione & moribus Lutheri, & applausu quem habuit, testimonium, & adscribi verba merentur *fol. 124. Sunt tot eruditi viri, & iidem boni, quorum ut quisque sincerissimus est ac veritatis Evangelicæ tenacissimus, ita Lutheri scriptis minime est offensus. Hujusmodi ingenia doceri cupiunt, cogi nolunt neque debent. Asinorum est, cogi tantum; tyrannorum, cogere tantum. Certe Theologos maxime decet docere cum omni mansuetudine, non convitiis, neque favoribus & conspirationibus rem agere. Neque hic considerandum est solum, quid dignum sit Luthero, de quo in præsentia nihil præjudico, sed quid in præsenti periculo magis expediat tranquillitati Reipublicæ Christianæ. Videmus Lutherum apud omnes vitæ integritate commendatum, & sic esse infixum animis hominum, præsertim Germanorum; quanquam & apud alias nationes, ut quisque est integerrimi judicii, hoc est, maxime semotus ab iis rebus, quæ solent judicia corrumpere, ita minimum infensus est Luthero. Nemo non fatetur sese ex illius libris factum esse meliorem, etiamsi quædam fortasse merito displiceant. Novimus Germanorum animos, videmus Bohemiam tot annis pertinacem, & ab horum factione non multum abhorrentes finitimas regiones; audimus quotidie graves multorum querimonias, negantium diutius ferri posse*

(r) *Judicium anonymi de compositione controversiæ cum Luthero.*

Lib. I.

Romanæ sedis jugum, quod fortasse non tam Pontifici imputant, quam his, qui Pontificis autoritate ad suam tyrannidem abutuntur. Haud dispar Electori consilium dedit Prior Dominicanorum Augustanus, *Joh. Faber*, cujus hæc sunt contenta ex Germanico, quod in actis Comitiorum extat, scripto translata: *Papa, Imperator, Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Lusitaniæ, Hungariæ & Poloniæ singuli quatuor excellentes & doctissimos viros, singuli autem Electores Imperii unum deligant; quicquid hi de D. Martini scriptis pronunciabunt, validum esto. Contra Arium, Sabellium, Nestorium talis processus observatus; nec unquam soli Papæ, aut alteri cuicunque creditum fuit. Imperatores aliquando soli, aliquando cum Pontifice concilia convocarunt, & in his semper decisum fuit, quid verum, quid erroneum esset; patet id ex prioribus quatuor conciliis. Neque Romam citati fuerunt, qui de doctrina erroribus deferebantur, nec ibi condemnati sunt, sed in conciliis. Tempus & locus ad hæc, prout commodum est, denominetur a Cæsare & Electoribus optima cum securitate. Expediret etiam semestre spatium concedi, ut viri docti omnia legere & expendere possent, ne quid inconsiderate fiat in re tam gravi & ad totam Ecclesiam pertinente; maxima enim ex utraque parte sunt pericula. Ex una metui potest tumultus in Imperio, astu forte Gallorum exoriturus, cleri & populi periculum, gaudium hostium Imperii, imminutio obsequii erga magistratum, Principum etiam quorundam forte & ipsius Cæsaris discrimen: ex altera parte scandalum populi, augmenta tyrannidis & sævitiæ, & oppressio veritatis ejusque publicæ prædicationis. D. Martinus audiatur commodo tempore & loco, ita spero omnia prospere cum Deo successura esse, idque ut fiat, precor. Papa cum suis hac vice ad patientiam componere se debet;* (soll das mahl Gedult haben) *periculum enim instat. Neque Papæ detrimentum inferetur; agitur enim de pace orbis Christiani, quæ promovenda omnino est. Mandatum interim Cæsar toto Imperio publicet utrique parti, ut a scribendo & disputando quies sit.* Patet ex his, etiam hunc virum Papæ judicium non agnoscere & alios judices expetere. Ejusdem sine dubio est alia consultatio, paulo ante comitia Coloniæ Electori Moguntino exhibita, quæ in fasciculo supra allegato (*Reg. G. n. 43.*) a Spalatino ex comitiis VVormatiensibus allata esse dicitur, his verbis: *Dura atque gravis videtur hæc doctrina ob id, quod magnam mutationem maximarum ac plurimarum rerum præ se ferre videatur. Si Romani & quos hæc doctrina inprimis tangit, se ac suum vivendi genus non mutaverint, seu non emendaverint, non modo fratrem Martinum non compescent, sed lapides atque ligna loquentur. Non placet mihi is modus, qui in manibus habetur, contra fratrem Martinum, puta excommunicatum, quia viris doctis non satisfacit, tum quia vulgus per hunc non sedabitur, neque contentabitur. Magis placeret, ut Pontifex atque Cæsarea Majestas homines doctos & Deum timentes deputarent, qui nulli partium dediti essent, & quicquid illi pronunciarent, hoc utraque pars stare cogeretur; ut res cum modestia per utramque partem omnino agantur. Hæc sunt, quæ mihi visa sunt de doctrina fratris Martini, quæ Reverendissimo Dno. Moguntino Coloniæ in hac re respondi, dum Reverendissima Dignitas sua ex me scire vellet mentem meam in hoc. Anno 1520. d. 2. Nov.* Subscriptum est.

(s) *Prioris Dominicani, Joh. Fabri, consilium.*

(t) *Alia ejusdem consultatio.*

Fr. Joh. Fabri ppa. manu subs.

Confundendus hic *Joh. Fabri* vel *Faber*, monachus Dominicanus, Heilbrunnæ natus, non est cum *Joh. Fabro* Leutkirchensi, Canonico & Suffraganeo Constantiensi, postea Episcopo Viennensi. Hic acerrimus Lutheri & Lutheranorum insectator & hostis semper fuit, mansitque; at ille ad concordiam si non semper, aliquandiu tamen inclinavit. De eo loquitur *Erasmus* epistola supra in *Addit. III. §. LXXXI.* adducta, ejusque moderatum judicium refert. *Huttenus* mutatum eum esse scripsit, & Erasmo propterea insultavit, quod eum laudaverit. Sed bis in *Spongia* sive *purgatione sua* de mutatione illa nihil sibi compertum esse scribit, neque se præstare potuisse ut

(u) *Annotatio de duobus Fabris.*

An. 1521.

non mutaretur. *Is*, ait, *qualis nunc sit, nescio. Certe mihi Lovanii persuasit, quod instituerit Augustæ collegium tradendis linguis & bonis literis. Ostendit diploma Cæsaris Maximiliani. De capitalibus quibusdam Lutheri hostibus atque de ipsa Romana curia plusquam hostiliter loquebatur. Arridebat morum commoditas, & in sua theologia videbatur non vulgariter eruditus. His rebus extorsit a me commendationes aliquot. Quin & Coloniæ, cum illic esset Cæsar, & colebat nos. De Luthero reliquit æquissimum judicium sua manu descriptum, tum apud Cardinalem Moguntinum, tum apud me.* Hæc Erasmus: ex quibus confirmantur quæ retuli, quod idem sit utriusque scripti autor. Meminit *ibidem* Joh. Fabri Canonici Constantiensis & libri ejus contra Lutherum editi, & ita utrumque satis clare distinguit.

ADDITIO III.

(a) *Acta Comitiorum lubrica.*

Valde lubrica, nisi fallor, fuit omnium rerum & consiliorum in comitiis illis tractatio, tum ob juventam Cæsaris, de cujus gratia & intima apud eum admissione Hispani & Belgæ certabant, maxime post mortem Gvil. Croji Cevrii, quo rectore morum & consiliorum usus erat; tum ob artes Pontificiorum Legatorum, qui plus minusve apud Cæsarem poterant, prout rebus ejus aut Gallorum sese accommodarent. Simulatione itaque omnia plena fuerunt. Quanquam adstipulari nolim scriptoribus Gallis, qui Carolo illa jam ætate tantam tribuunt calliditatem, ut Lutheri causam ad suam utilitatem vertere, & Pontifici ejus occasione frenum laxare aut adstringere noverit. Id tamen ex actis observo, majorem ab initio ad reformandam Ecclesiam propensionem in Cæsare & primoribus quibusdam VVormatiæ apparuisse, sed postea plus indultum esse Pontificiis desideriis. Ipse sane *Georgius Saxoniæ Dux* a consiliis licet Electoris agnati fere semper discors, & inter instigatores aut approbatores secuti postmodum Edicti non postremus, in iisdem tamen comitiis de reformatione Ecclesiæ sollicitus fuit. Fateor pleraque, de quibus questus est, ad disciplinam pertinere; sunt tamen quæ a dogmatibus dependent. Referam omnia bona fide, quædam ad verbum ex Germanico versa, quædam summatim. *Duodecim* capitibus gravamina, quæ exhibuit, constant. Queritur (1) Annatas, quæ olim consensu Imperatorum ad emolumentum rei Christianæ introductæ fuerint, nunc ut debitas, cum ditionum Ecclesiasticarum ruina, a Pontifice exigi, dein per luxum profundi. (2) Curtisanos Romanos (Prælatos & ministros Pontificis domesticos) quotidie regulas invenire sive leges ferre, quibus beneficia seu munera ecclesiastica ad se traherent, deinde venderent, aut pacta mercede elocarent. (3) Multa prohiberi, quæ postea data pecunia relaxarentur: sic inopes damnari, qui in leges illas peccent, nec habeant, quo pœnam redimant. Persvasus erat Princeps, leges illas conscientiam hominum obligare, ideoque saluti delinquentium metuebat. Sed ab hac opinione Germanos Lutherus liberatum ibat, optimumque istis legum architectis remedium opposuit, potestatem & jus obligandi iis abjudicans. (4) Expectationes a Pontificibus in patronorum beneficiorum ecclesiasticorum præjudicium aulicis suis concedi. (5) Stationum, quas vocabat, multiplicationem: unam olim in Germania fuisse, *S. Antonii* nomine, jam etiam, *S. Spiritus, S. Huberti, S. Cornelii* & *S. Valentini* accessisse: ab istis sodalitiis Romæ redimi jus stationum, & redemtores Metropolitanis censum aliquem sive locarium præstare, **wie ein Stätte-Geld auff dem Marckte**, ut liceat forum venale (gratiarum & indulgentiarum) instituere; & ista omnia ex miseræ plebis peculio corradi. Hæc quæ de stationibus queritur, ita apud nos exoleverunt, ut, quid fuerint, dicere accurate non possim; in foro & compitis nugas suas proposuisse & concionatos esse impostores illos deprehendo, unde fortassis *STATIONUM* nomen ortum est. (6) De indulgentiis ad verbum versa ita habent. *Indulgentiæ, quæ ad salutem animæ conferri, & quæ precibus, jejuniis & charitate proximi aliisque bonis operibus acquiri deberent, ære venduntur. Nullus est pudor eas laudandi & extollendi, tantum id agitur, ut multum pecuniæ conquiratur; ita fit, ut concionator, qui veritatem docere deberet, nihil, quam fraudes & mendacia, hominibus proponat. Hoc toleratur, & merces illis solvitur; quia tanto plus æris in cistam infertur, quanto magis homines persuadentur. Maximum scandalum ex corrupto hoc fonte in rivos diffunditur. Officiales enim Episcoporum non minus attenti sunt ad corradendas pecunias; agunt etiam indiscrete: censuris vexant pauperes ob blasphemiam, adulterium, stupra, violatas ferias; locupletibus parcunt. Ecclesiastici, qui ista faciunt, a nemine arguuntur. Delicta, quæ pœnitentia* (id est precibus & jejuniis) *expiari deberent, pecunia luuntur, ut Officiales multos nummos solvere* (Episcopis) *possint, & ipsi lucra sua habere: ubi vero mulcta indicitur, id eo fit modo, non ut delictum non amplius committatur, sed ut delinquens propediem idem peccet, & plus pendat. Hinc omnia Sacramenta ære venduntur, aut cum non est, quod solvatur, negliguntur.*

(b) *Gravamina Georgii Sax. Ducis.*

(c) *Consideratio gravaminis de indulgentiis.*

Hoc de indulgentiis testimonio, ex ore & calamo Georgii Ducis, acerrimi religionis Romanæ defensoris, eoque nomine fere inter Sanctos a Maimburgio nostro relati, convinci debent, qui Luthero non credunt, aut hodie omnia extenuant. Sed ne quid dissimulem, alia erat Lutheri, alia Georgii & aliorum, quorum Glapio, ut supra dixi, magnum numerum esse fassus est, querela. Georgius abusum & damnum satis superque agnovit & descripsit, sed fontem originemque mali non æque ac Lutherus deprehendit. Questus ille quidem est, quod pecunia pro indulgentiis peccatorum accepta, preces, jejunia, aliaque charitatis opera negligantur; neque parum mali & scandali sublatum fuisset ex illius etiam temporis Ecclesia, si omnis redemtio pœnitentiæ sublata, & peccatoribus nihil aliud quam precum, jejuniorum, & eleemosynarum exercitium impositum fuisset; sicut bona fide agnoscendum est, post ista tempora, in Germania certe, tam fœdas nundinationes etiam in ditionibus Romano-Catholicis vel cessasse, vel secretius & tolerabilius exercitas esse, & hactenus Lutheri dogma illis quoque profuisse. Sed donec fons erroris non penitus obstruatur, cessare quidem aut minui potuit aperta illa & veluti in foro seu mensa publica administrata indulgentiarum venditio; non cessarunt tamen alii abusus ex eodem fonte manantes.

(d) *Lutheri solida de indulgentiis doctrina.*

Quapropter Lutherus ex clarissimis sacrarum literarum testimoniis, totiusque religionis Christianæ systemate ostendit, remissionem peccatorum, seu indulgentias (has enim nisi imaginariæ sint, idem esse cum illa oportet;) ex sola fide in gratiam Dei & meritum Christi ad nos pervenire: ideoque illam pœnitentiæ partem, quam in satisfactionibus, arbitrio sacerdotum injungendis, collocarunt, ex hoc capite religionis, quod inter solum Deum & cor hominis versatur, sustulit, servato quidem ministerio Ecclesiastico & clavium jure, sed exploso determinatarum satisfactionum externarum commento. Subjunxit autem dogmati de fide justificante annexum & inseparabilem articulum de sanctificatione, sive operatione fidei per charitatem, quæ non coarctatur ad modos mensurasque temporis & pecuniæ aut aliorum operum, nec mercenaria est & Levitica, sed totius mentis, omniumque actionum Christianarum reformatrix; unde omnia pietatis in Deum & hominem officia sponte procedunt.

(e) *Incommoda Pontificiæ doctrinæ de indulgentiis.*

Hanc libertatem ex Pauli ad Galatas epistola assertam Lutherus prædicavit, & captivitati sive servituti in Ecclesiam ex Judaismo reductæ opposuit. Hanc vero retinent, qui licet publico illo & impudenti indulgentiarum præconio & mercatu abstineant, nihilominus in tribunali, quod erexerunt, confessionum, ut & Episcopalium & Pontificalium reservationum, conscientias hominum etiam hodie illaqueant, ut expedire se ex angustiis animæ, & gratiæ Dei per Christum gratis datæ, & fide sola apprehensæ fidere non possint, nisi ex arbitrio sacerdotum satisfaciant: id quod pauperes tenuium quorundam operum, quæ nec Deus mandavit, nec hominibus prosunt, exhibitione, ditiores autem ita præstant, ut ad sacerdotes & monachos magna & optima pars opum & divitiarum etiam nunc derivetur. Ita ut, dum multæ hominum myriades

An. 1521.

riades in regionibus, disciplinæ illi sacerdotali subditis, vix alimenta habent, clerus lautissime vivat, & templa quædam donariis magni pretii repleta sint, vacua plerumque a nummis urbe & regione. Ex magno illo incommodo, quod in solas facultates hominum & reipublicæ utilitatem peccat, majus aliud & animarum saluti inprimis noxium oritur, quod plerique defunctos se esse credant omni pietatis officio, & salutem non quidem ex fide in divinam gratiam, quam Lutherus respicere jubebat, sed satisfactionum illarum merito sibi certam promittant, sive parte opum, quas possident, pœnas in purgatorio, quod temere credunt, redimant, sive ad has sustinendas se componant, accedente solatio ex precibus & meritis cleri, quæ tam larga esse jactantur, ut ex iis supersit, quod aliis per suffragii modum conferatur. Quanta vero ex his opinionibus apud plurimos peccandi, & vitia toties per confessiones & satisfactiones qualescunque expiata, reiterandi licentia & securitas nascatur, cordatissimi quique ex clero Romano non ignorant. Sed hæc per occasionem dicta sunto; ut appareat disciplinæ reformationem non sufficere, si abusus ex dogmatum vitio oriatur, & ut traditionis de satisfactione in hac & altera vita natura, & qui inde ad Cleri honores & commoda nascitur uberrimus proventus, cognoscatur. Pergo jam ad reliqua Georgii Ducis gravamina. (7) Officiales accusat, quod ad tribunalia sua causas civiles trahant, cum detrimento jurisdictionis politicæ. (8) Eosdem culpat, quod fœminis absque culpa abortum facientibus satisfactiones durissimas imponant. (9) Quod homicidis aliisque censuras gravissimas (in hebdomade potissimum sacra) cum summa ignominia & derisione injungant, & nihilominus illis nummos etiam extorqueant. (10) Quod sub vario prætextu fœminas citent, eas vero minis aut pretio ad stupra solicitent, vel mala suspicione gravent. (11) Commendas, quas vocat, Abbatiarum & monasteriorum Romæ Cardinalibus, Episcopis & Prælatis fieri solitas reprehendit, quibus fieri dicit, ut reditus fundationum ad illos perveniant, & paucissimi religiosi in monasteriis alantur, in quibus viginti aut triginta sustentari possent & deberent. (12) His verbis conceptum est: *Maxima miserarum animarum damnatio ex scandalo oritur, quod Clerici dant. Unde necesse est, reformationem universalem instititui, quæ commodius fieri nequit, quam in concilio generali, itaque ejus promotionem omnes summo studio & debita cum submissione petimus.*

(f) *Reliqua Georgii gravamina.*

§. LXXXIX.

(1) *Notatur Varillasius.*

Varillasius, quicquid de consilio Cæsaris hic refert Maimburgius, prudentiæ Cevrii tribuit, & ab hoc monitum Aleandrum esse scribit, ut dogmata Lutheri, quæ impia & hæretica essent, non autem ea solum quæ Pontificis utilitatibus adversarentur, produceret. Idem etiam rei gestæ ordinem aliter narrat; nempe Aleandrum non eo, quo causam Pontificis contra Lutherum oravit, sed alio postea die, excerptas ex libris Lutheri de captivitate Babylonica *quadraginta propositiones* coram Cæsare & Ordinibus clara voce prælegisse, nulla vel exaggeratione vel explicatione addita, sed paucis præfatum, legere se illa, ut dictis suis nuperis fidem faceret. Excitatam inde indignationem refert omnium, neque dubitare potuisse, quin condemnatio Lutheri per edictum Cæsareum eo ipso consessu secuta fuisset, nisi Fridericus Saxo insigni, ut scribit, artificio, negasset librum illum Lutheri esse, ex quo excerptas istas theses dicebat legatus, atque hoc demum modo ab Imperatore obtinuisset, ut Lutherus VVormatiæ audiretur. Vide *Varillas. de educatione Principis sive vita Gvil. Croji Cevrii Lib. VI. in fin.* ubi etiam formulam salvi conductus pro Luthero ab eo compositam fuisse scribit. Sed si isthæc veritate nituntur, multum tamen ab iis recedunt, quæ idem autor in recentiori *de Hæresibus* historia de comitiis Wormatiensibus tradidit: ut infra *ad §. XCVIII. Add. I.* annotabitur. Differt ab ejus relatione *Pallavicinus*, cum Aleandri unam saltem orationem absente Friderico, &, ut ait, morbum simulante habitam, & ab eo simul productos & proxime assidentibus ostensos Lutheri libros fuisse narrat *d. cap. XXV. §. 7.* Idem, licet brevius, tradit Maimburgius. Cum vero Aleander, ut Pallavicinus notavit, peroraverit in die, qui vocari solet *cinerum*, id est, d. 13. Febr. non possum satis percipere aut conciliare, ab his scriptoribus diversimode tradita, quasi post orationem demum Aleandri de Luthero in comitiis sistendo actum fuerit.

An. 1521.

(2) *Observatio ex Pallavicino de tempore vocati Lutheri.*

§. XC.

(1) *Verior de vocatione Lutheri ad Comitia relatio ex epistola Lutheri.*

Nam sub finem anni 1520. & initium hujus 1521. adeoque ante comitia, cum Imperator & Elector Saxo multique Principes Wormatiæ essent, id actitatum fuisse constat. Elector sane scribi fecerat Luthero, *quid facturus esset, si vocaretur a Cæsare, id enim adversarios moliri?* & hic respondit d. 21. Decembr. 1520. *se omnino venturum Cæsarisque vocationem pro divina habiturum esse, si autem vis fiat, sicut verisimile sit, Deo commendaturum esse causam, qui tres pueros in fornace ignis servaverit; si vero servare nolit, parvam rem esse caput suum, si ad Christum comparetur, & quæ ille passus sit.* Nec minus cordata & pia sunt, quæ addit: *Proinde etsi ita fieri oporteat, ut Reges terræ & Principes conveniant in unum, & cum gentibus & populis fremant adversus Dominum & adversus Christum ejus, tamen eodem Psalmo docet Spiritus, beatos fore, qui confidunt in eo. Nec solum hoc, verum & irridebit Dominus & subsannabit illos. Nostrum certe definire non est, ex vitane an ex morte mea plus minusve periculi sit oriturum Evangelio & publicæ saluti. Scis, quod veritas Dei petra scandali est, posita in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Nostra autem nunc cura id unicum est officium reliquum, ut oremus Dominum, ne Caroli imperium in meo aut illius sangvine, pro impietate tuenda, primas operas cruentet: mallemque, me (quod sæpius dixi) in solis Romanistarum manibus perire, ne ille cum suis in hanc causam involveretur. Scis quæ miseria Sigismundum Imperatorem post occisum Hussum consecuta sit: ut nihil deinde prosperum habuerit, sine prole obierit, & filius etiam filiæ Ladislaus postea perierit, & in generatione una deletum sit nomen ejus, uxor vero Barbara infamia reginarum evaserit: & alia, quæ te nosse credo. Si tamen ita fieri oportet, ut & ego non modo Pontificibus, sed & gentibus tradar, fiat voluntas Domini, Amen. En habes meum consilium & animum! omnia de me præsumas præter fugam & palinodiam: fugere ipse nolo, recantare multo minus. Ita me confortet Dominus Jesus. Neutrum enim sine periculo pietatis & multorum salutis facere possem. Lib. I. ep. 205.* ad Spalatinum. Miror taceri, quæ ex *epistola 207.* die *Felicis*, id est, 14. Jan. ad Staupitium data, cognoscuntur, vocatum jam illo mense Lutherum a Cæsare, literis ad Electorem datis, fuisse, sed hunc recusasse, Cæsaremque aliis literis priores revocasse. Ita eodem die *epist. 208.* Linccio scribit Norimbergam: *Vocatus eram a Cæsare, & nunc revocata est eadem vocatio.*

(2) *Alia epistola Lutheri de eadem re.*

An. 1521. *vocatio.* Caute autem sine dubio versatus est sapientissimus Princeps, ne in periculum mitteret Lutherum, quanquam ei hanc Cæsaris de ejus comparitione voluntatem eodem mense significaverit. Quæ vero responderit, ex epistola ejus d. 25. Januarii ad Electorem cum multa submissione scripta apparet (quæ extat *lib. I. n. 210.* & Germanica in *Archiv. Vin.* in Actis Comitiorum VVormat. Tit. Handlung mit D. Martin Luthern *fol. 13. Tom. I. Alt. fol. 612.*) cujus inter alia hæc sunt verba: *Cæterum quod ad me attinet, paratissimus sum in humili obedientia, si sufficiens securamentum & liberum conductum ultro citroque iterum ad meam securitatem adsecutus fuero, ad proxime futurum conventum Imperialem Wormatiæ habendum, coram æquis, doctis, probis & non suspectis judicibus comparere: & cum adjutorio Dei omnipotentis, me ita exhibere & excusare, ut omnes in veritate experiantur, me hactenus nihil ex temeraria, indeliberata & inordinata voluntate, aut propter temporalem & secularem honorem & utilitatem; sed quicquid scripsi & docui, secundum meam conscientiam, juramentum & obligationem, ut indignum Doctorem sanctæ Scripturæ, ad laudem & gloriam Dei, ad salutem & felicitatem Ecclesiæ Catholicæ, bonumque & commodum totius Germanicæ nationis, ad evulsionem periculosarum abusionum & superstitionum, & ad liberationem totius Christianæ Reipublicæ, ex tot infinitis, innumerabilibus, impiis & damnabilibus tyrannicis dedecoribus, probris, gravaminibus & blasphemiis proposuisse & fecisse.* Sed quæ petiit aut speravit, quanquam pia & justa essent, Pontificii Legati artibus, quas ipse propalat *Pallavicinus dicto cap. XXV. §. 3. 4.* in summam venerunt difficultatem.

ADDITIO.

a) *Occasio vocandi Lutheri ad comitia.*

Ad supplendam actorum Comitialium historiam notandum hic est, quod Scriptorum, quos sciam, neminem observasse video: Mandatum a Carolo decretum fuisse *d. 7. Martii*, quo libros Lutheri omnes Magistratibus exhiberi præcipiebatur. Eo intellecto, Imperii Ordines Cæsari, præmissa gratiarum actione pro bona intentione, cui in genere assentiri se dicunt, repræsentarunt, non magnum fructum ex mandati illius publicatione expectari posse: Lutheri enim doctrinam jam per totam Germaniam divulgatam multas cogitationes & consilia excitasse, quibus remedium afferri non possit, nisi ille audiatur. Suadent igitur, ut dato ei salvo commeatu vocetur, & interrogetur, *an articulos contra sanctam fidem Christianam a majoribus acceptam & huc usque servatam revocare vellet?* quo facto in aliis audiri eum, & quæ æqua videbuntur, constitui posse. Si non revocaret, Ordines Cæsari in mandato omnibus viribus adfuturos. Annectunt petitionem, ut abusus, quibus a sede Romana Germaniæ multis modis noceretur, debito & tolerabili modo corrigi curet. Hoc Ordinum consilium eatenus probavit Cæsar, ut citandum esse Lutherum constitueret, simul etiam de gravaminum Romanæ curiæ remedio curam suam polliceretur, eaque singulatim indicari juberet. Unde constat non solum Fridericum, sed in universum omnes Status & Ordines Lutheri comparitionem desiderasse, diverso licet respectu, & spe forte plane contraria. Fuere tamen, qui Cæsari difficultates moverent, quod ex Actis, quæ sequor, non uno loco apparet: quæsivit enim *an non intereà libri ejus aboleri debeant?* dein, *quid decernendum sit, si non venerit?* Ad quæ quid responsum sit ab Ordinibus, non invenio. Mandatum tamen illud de libris Lutheri apud Magistratum deponendis *d. 15. Aprilis* valvis templorum VVormatiæ affixum fuit, addita ratione, *ne plures turbæ oriventur.*

(b) *Mandatum de libris Lutheri deponendis.*

daß kein mehrerer unrath entstehe. Tentavit etiam Cæsar Fridericum, ut ipse solus Lutherum accerseret, & commeatum ei præstaret; quæ omnia ab illis suggesta esse dubitari nequit, quibus comparitio Lutheri terrori erat, aut qui technas struebant, per quas, non obstante commeatu, advenienti noceri posset.

§. XCI.

(1) *De Alexandri actis VVormatiensibus Lutheri epistola.*

Aleander enim vel propensionem Germanorum procerum ad Lutheri doctrinam, vel languorem in autoritate Pontificia tuenda VVormatiæ cernens, impetravit Roma literas & pecuniam ad conciliandas quorundam mentes. Nec Lutherum machinæ inimicorum prorsus latuerunt; scribit enim *Lib. I. ep. 211.* Staupitio (quamvis tunc mutato, ut alibi dixi) d. 9. Febr. *Wormatiæ nihil contra me adhuc actum, etsi miro furore Papistæ moliantur mihi mala. Spalatinus scribit, tantum favoris Evangelio esse isthic, ut me inauditum & inconvictum damnari non speret.* Interim & in Saxonia & in Bohemia crescebat indignatio in Pontificem, & amor doctrinæ Lutheri, ut videre licet ex epistolis *Dominica Quadragesimæ sive Invocavit* d. 17. Febr. datis, in quibus ad Spalatinum refert, ut *Bohemi libellos quosdam suos in linguam patriam verti curaverint*, & ut *juventus Academica Bacchanalium tempore in Papam luserit.* Etiam *Georgii* Saxoniæ Ducis in Lutherum odium, fratris ejus *Henrici*, qui Freibergæ residebat, favor utcunque pensabat. Ausus denique est celebris pictor, *Lucas Cranachius*, figuras ligno insculpere, & inde chartas excudere, quæ Christi & Antichristi gesta sibi opposita, dissimilemque exitum repræsentarent: quibus iconismis inscriptiones adjecit Lutherus, & ad Spalatinum misit d. 7. Martii, quæ habentur in *Tomo I. Altenb. Germ. fol. 597. seqq.* Adde *Lib. I. ep. 219.* Subscripsit autem gestis Christi testimonia ex historia Evangelica, Pontificiis vero actionibus dicta ex Decretalibus, quibus potentia & majestas Papæ magnifice asseritur, additis ex Daniele & Apocalypsi vaticiniis ruinam & damnationem Antichristi indicantibus. Paulo post cum ex Spalatini literis intelligeret, eo consilio vocatum se ad Comitia iri, ut articulos suorum dogmatum, qui mittebantur, revocaret, *die Martis post Judica*, id est, d. 19. Martii ita scribit *Lib. I. ep. 220. Articulos revocandos, mi Spalatine, & res gerendas a me præscriptas, accepi. Tu ne dubites, nihil me revocaturum: postquam video, non alio eos niti argumento, quam quod contra ritum & consuetudines Ecclesiæ (quam fingunt) scripserim. Respondebo ergo Carolo Imperatori, solius palinodiæ causa vocatum me non venturum, quandoquidem idem sit, ac si jam illuc venissem & huc rediissem. Possem enim & hic revocare, si revocandum esset solum. Cæterum si me ad occidendum deinceps vocare velit, & hac responsione Imperii hostem me habuerit, offeram me venturum. Neque enim fugiam (Christo propitio) verbumve in acie relinquam. Certissimum autem habeo, illos non quieturos sanguinarios, donec occiderint me: quanquam hoc cupiam, ne in meo sanguine rei fiant, nisi Papistæ.* Sed ad Aleandri orationem veniamus. Exhibuit illam *Pallavicinus dicto cap. XXV. n. 8. & seqq.* non (quod utique rectius & melius fuisset) ut habita est, sed, ut fatetur & Historicorum more excusat, quibus potuit fucis & cincinnis in summam Lutheri ejusque dogmatum contumeliam

(2) *Luthero favent plures.*

(3) *Lucæ pictoris lusus in Pontificem.*

(4) *Lutheri litera de proposito suo.*

(5) *De Aleandri oratione ex Pallavicino.*

An. 1521.

tumeliam adornatam: Eo ipso tamen causæ Pontificiæ parum consulens, quæ si Dei & Christi esset, ut confidenter jactant, calumniis & cavillis propugnari minime debuit. Totam vero hanc orationem talibus scatere facillimo ostendi possit negotio, nisi jam ex maligne allegatis Lutheri dogmatibus manifesto appareret. Quamvis vero non modo compendio usus sit in declamatione illa recensenda Maimburgius, sed & quædam crassiora mendacia omiserit, retinuit tamen, quæ eodem vitio pessimæ depravationis aut aperti mendacii laborant: qualia sunt, quod Lutherus necessitatem actionum omnium humanarum, & sic etiam patrandorum criminum statuerit; dein quod absolvendi a peccatis licentiam omnibus attribuerit, promiscuam nempe, ut loquitur, id est, neglecto aut sublato ministerii ordine; porro, quod impossibilitatem parendi legibus publicis asseruerit, dum scilicet hominum imbecillitatem ad rigidam & perfectam mandatorum divinorum impletionem, & obtinendam meriti, quod jactabatur, superabundantis gloriam commonstrabat; *Pallavicinus* addit, quod bellum in Turcas improbaverit; & alia non minus putida & veteratoria.

(6) Calumniæ Aleandri a Maimburgio repetita.

Effectum orationis paulo aliter refert *Pallavicinus*, quam noster, neque tunc defuisse dissimulat, etiam præter Saxonem, qui Luthero faverint; addit tamen, *Cæsarem aversissimo ab eo animo fuisse, & literas ejus non lectas repente concisas Alexandro tradidisse*, quod quam verum sit, in medio relinquo: literas enim ante annum datas fuisse, supra retuli; si vero eas indicat, quas post abitum ex itinere scripsit, tempus turbat. Laudat Aleandrum, quod disputationem cum Luthero, ab aliquibus suggestam, recusaverit, & contumeliam janitoris (Lutherani scilicet) qui eum a consilii Cæsarei introitu, pugno in pectus illiso, repulerat, prudenter toleraverit.

(7) Effectus orationis.

ADDITIO.

(a) Summa orationis ab Alexandro habita.

In *Archivo Vinar.* volumine sæpe citato *de Act. comit. VVormat. f. 16. & seqq.* conservata est summa orationis *Aleandri* contra Lutherum habitæ Germanicis verbis excepta. In qua multa reperiuntur, quæ ad historiam pertinent, a *Pallavicino* ignorata aut omissa, cum ingenio solum suo in effingenda declamatione *Lib. I. cap. 25.* indulgeret. Produxit Aleander inter alia *Bullam Pontificis* contra Lutherum avthenticam, quia Antvverpiæ nuper se audivisse dicebat, esse, qui eam, cujus exempla circumferebantur, publicatam fuisse negarent & falsitatis accusarent, eam vero ab Episcopo Leodiensi, viro, ut ait, præclare docto & rerum experto, in diœcesi sua executioni mandatam esse. Refert etiam, se & collegam Coloniæ, Electoris Friderici alloquium ægre post octo dierum dilationem impetrasse, neque responsum tulisse petitis suis conforme; se vero dixisse, facturos esse quod jussi sint, & Bulla exigat; obtinuisse inde ab Archiepiscopo Coloniensi, ut libri Lutheri comburerentur. Denuo nunc calumnias sparsas esse, quasi Imperatore inscio & invito id factum sit, & Lutherum scripsisse, *pecunia impetratum per Legatos Pontificis fuisse.* Provocavit itaque ad Cæsarem & Cancellarium ejus, an aliquid a se acceperint, negatque se tantum attulisse, unde largitiones facere potuerit. Petiit postea aliquos articulos Lutheri audiri, *qui profecto*, ut ait, *merentur, ut centum hæreticorum millia ob illos comburantur*, utpote quibus Hussum immo & VViclefum defenderit, cum tamen hic blaspheme docuerit, corpus Christi identice & realiter non esse in Sacramento. Eundem negasse, ullum hominem Christianum legibus Magistratus obligari posse; idem a Luthero in libello *de libertate Christiana* tradi. Purgatorium etiam negare, & contra inferos (ita locutus est) peccare; cum tamen purgatorium in concilio Florentino præsente Imperatore Constantinopolitano assertum, simulque agnitum sit, Pontificem totius Christianæ Ecclesiæ caput esse. Hoc dicto Bullam istius concilii, quam nunc demum reperisse se simulabat, produxit, & coram Cæsare deposuit, quam Moguntinus sustulit, & Coloniensi atque Treviro dedit, qui eam cum pompa quadam recipiebant & ostentabant. Addidit, etsi quidam Episcopi Græci controversias cum sede Romana habuerint, universam tamen Græciam Pontificem supremum agnovisse. Peccasse porro Lutherum, ut in purgatorii articulo, contra inferos, ita & contra cœlites: scripsisse enim, *etsi angelus de cælo aliquid doceret, se non esse crediturum*; neque tamen Luthero fas esse idem loqui cum Paulo. Peccare contra totum clerum, quia scripserit *in lib. de capt. Bab.* omnes Christianos sacerdotes esse. Librum illum jam Argentorati recusum esse, præmissa duorum canum figura se invicem mordentium, ad indicandum cleri & laicorum dissidium. Rejici etiam ordines monasticos, & VVittenbergæ legi Herculem Gallicum (*Amadis*) & Lucianum, qui ceremonias paganas irridet, ut eodem modo Christianæ spernantur. In epistola quadam consuluisse Lutherum, ut manus in sanguine sacerdotum lavarentur. Peccare eundem in Sanctos, quorum libros spernat, in specie S. Dionysium de cœlesti Hierarchia, id ex *libro de capt. Bab.* probavit. Peccare adversus mundum, cum vetet, supplicio quempiam affici, qui non commiserit peccatum mortale; hoc summe esse temerarium. Peccare contra concilia & speciatim Constantiense, quod vocaverit *sentinam diaboli.* Paucis meminit articuli de libero arbitrio & indulgentiis. Miratus deinde est, quod sint, qui prædicari ab eo dicant Evangelicam veritatem, ad ductum Scripturæ sacræ, hanc enim ab illo aliter explicari quam a Patribus & Ecclesia. Alios dicere, Lutherum esse virum probum, a quo nihil mali timendum sit; se quidem vitam ejus nolle culpare, sed a diabolo falli homines specie boni, & Hieronymum notasse, quod hæretici maximi sint hypocritæ. Si probus esset, non saperet ultra sententiam Patrum & Ecclesiæ. Ad objectionem, quod libri ejus ideo comburi non debeant, quia multa bona contineant, respondet, semper usitatum fuisse, libros hæreticorum comburi. Origenis exemplum allegat, qui tamen nec auditus, nec vivus condemnatus fuerit. Contradicit deinde iis, qui Lutherum audiri, atque salvi conductus literas dari debere contendant; protestatur enim Lutherum a nemine informari se esse passurum, ne quidem ab angelo ex cœlis; a Pontifice securitate oblata citatum fuisse, sed non paruisse, & ad concilium provocasse. Orat Cæsarem, ne hanc ignominiam subeat. Non pertinere ad eum hanc causam; a Constantino Imp. Eutychen hæreticum ad Pontificem remissum fuisse; Laicis quoque non competere judicium, & ipsis Ecclesiasticis non licere absque venia Pontificis cum hæreticis disputare, ideoque disceptationem cum Johanne Hierosolymitano ab Hieronymo vitatam esse. Denique a Luthero non agnosci judicium Pontificis. Curandum itaque esse, ne hæresis ulterius propagetur, ne Judæi, Turci & Pagani dicant, Christianos de fide disputare, maxime Germanos, qui tamen pro maxime piis habeantur. Petit itaque, ut librorum combustio edicto præcipiatur, vetita etiam aliorum editione & distractione. Secus si fiat, Cæsari & Episcopis, Moguntino, Coloniensi & Leodiensi probrum inferri, quia hi combustionem jam mandaverant, nisi eadem per Germaniam universam peragatur. Tandem questus est a Luthero spargi, quasi Aleander gente Judæus esset: *DEum immortalem!* dixit, *multi hic sunt boni viri, quibus notus sum ego & familia mea, & asserere ego vere possum, majores meos Marchiones in Istria fuisse, quod vero parentes mei ad inopiam redacti sunt, fato tribui debet. Natales meos ita legitimavi, ut in Canonicum Leodiensem receptus sim, quod factum non foret, nisi ortus essem ex familia illustri vel spectabili. Quod si maxime Judæus fuissem, sed baptismum suscepissem, rejici propterea non deberem;*

(b) Producit Bullam Leonis.

(c) Jactat combustionem librorum Lutheri.

(d) Luthero errores imputat.

(e) Concilii Florentini Bullam ostendit.

(f) Exaggerat peccata Lutheri.

(g) Respondet objectioni de bonis moribus & scriptis Lutheri.

(h) Protestatur contra ejus advocationem.

(i) Petit comburi ejus libros.

(k) De se ipso quædam affert.

An. 1521.

(1) *Epicrisis de oratione & actis quibusdam comitialibus.*

Christus enim & Apostoli Judæi fuerunt. Hæc ex ore loquentis ab aulicis Electoris Saxonici, qui declamante Aleandro consessu abstinuerat, (morbum simulasse dicit *Pallavic. d. l. §. 7.*) excepta & ad herum relata, fidem utique indubitatam merentur. Neque magna Aleandri eloquentia aut eruditio ex hac oratione apparet, ut de manifestis calumniis falsisque allegatis nihil dicam. Caute itaque fecit *Pallavicinus*, quod istorum loco suam substituerit *Philippicam*, ad omnes Rhetorum leges elaboratam, cui nihil nisi candor & veritas deest. Speciatim observandum, nihil Aleandrum dixisse de Bulla aliisque Pontificiis libris a Luthero combustis, nihil de minis adversus ejus patronos; hæc enim neutiquam neglexissent, qui orationem exceperunt. Notare etiam lubet, quod omiseram, nihil reperiri in actis Electoralibus, neque in Spalatini, qui tamen leviora multa observavit, de rixa illa vehementi inter Fridericum Saxoniæ & Joachimum Brandenburgicum Electorem, qua usque ad manus conserendas exarserint, quam *Pallavicinus Lib. I. cap. XXIV. §. 6.* retulit. Interim vere mirandum est, non obstante vehementi illa Aleandri oratione d. 13. Februarii habita, Lutherum tam fœdis licet convitiis deturpatum, & a Pontifice in Bulla damnatum, nec scriptis saltem suis sed & ausu illo plane inexpectato, quo Bullam aliosque Pontificum libros VVittenbergæ publice combusserat, odiosissimum, tam honorifice & tanta cum securitate ad comitia accersitum & admissum fuisse. Magnum id profecto contemtum Pontificii nominis, magnam Cæsaris generositatem, magnam Friderici Electoris autoritatem & constantiam indicat.

An. 1521.

SECT. 38.

(1) De Electore Sax. quod Lutheri comparitionem promoverit.

(2) Aleandri contradictio.

(3) Imperator Lutherum advocat.

Sed Saxoniæ Dux, qui cæteris in quæstione de jure consentiebat, omnes tamen proposita quæstione facti permovit, cum diceret, agi de proscribenda non solum doctrina, sed & de Doctore Luthero, qui ejus autor haberetur, requiri itaque, antequam ulterius procedatur, ut in his ipsis Comitiis audiretur, & ex ipso intelligeretur, verum ne esset quod propositiones istas doceret, quæ in libris ejus reperiri dicebantur. Hoc valde anxium habuit Nuncium Aleandrum, metuentem, ne Lutherus, qui loquendi & disputandi occasionem avide quærebat, eloquentia sua & falsis subtilitatibus homines, non satis ad judicandum de talibus rebus idoneos deciperet, itemque ut verba sua ita interpretaretur, ut dubitari possit, an recte & secundum sensum, quem ipse illis daret, intellecta & juste condemnata fuerint. Sed Imperator, qui Saxoniæ Ducem nolebat offendere, sibi vero ipsi satisfacere, ac Nuncio gratificari cupiebat, sapienti temperamento usus est. Dixit itaque, Lutherum audiendum esse, ne prætendi possit, inauditum damnatum fuisse, sed hactenus solummodo audiendum, ut profiteretur, an retractare vellet errores, qui in libris suis reperirentur. Ita Luthero scripsit die 6. Martii, injunxitque ut intra dies XXI. Wormatiæ se sisteret: misit etiam fecialem, qui eum adduceret cum literis salviconductus, suo & totius conventus nomine, quibus munitus tuto accedere, morari & recedere posset, ea tamen conditione, ne in itinere concionaretur. Sed fecialis, Caspar Sturmius, *totus jam Lutheranus, concionari eum pro lubitu Erfordiæ permisit, contra doctrinam, leges & mores Paparum, neque de hoc quidquam Imperatori renunciavit.*

§. XCII.

(1) *Consideratio dictorum a Maimburgio de citatione Lutheri.*

(2) *Item Pallavicini sententiæ de foro competenti in causa religionis.*

(3) *Quæ causa fuerit ignorantiæ in populo.*

Quæ de Friderici Electoris sententia ex *Pallavicino* refert noster, ex actis Lutheri & Saxonicis non possunt tam clare demonstrari, ut dubitatione careant. Aliæ potius sistendi & audiendi Lutherum & Electori petenti suadentive, & Cæsari concedenti, causæ fuisse videntur. *Varillasius*, quem supra laudavi, Electorem cum Aleandro, præsente Cæsare, vehementissime rixantem producit, & callide, ut ait, negantem, librum *de captivitate Babylonica*, quem ille monstrabat, Lutheri esse. Sed illa suspicio ab ingenio Principis alienissima est; crediderim hic potius Jesuitis, qui Electorem generatim desiderasse narrant, ut Lutherus ipse de iis, quæ scripsisset, audiretur. Nec sine ratione hoc postulabat Elector, malignitatem interpretationum ex specimine Aleandri facile perspiciens, qui nullo sophismate in referenda Lutheri doctrina abstinuerat. Carolum ipsum videndi Lutheri cupidum fuisse, *Varillasius* notat. Inter causas, ob quas præsentiam Lutheri impeditum ibat Aleander, tacet Maimburgius, quam gravissimam indicat *Pallavicinus*, fori scilicet incompetentiam. Angebat enim hominem, quod Cæsar & Ordines, utpote Laici, (Latinus interpres reddit *profani*) condemnatum a Pontifice Lutherum, & jam post bis terve finitos, quos ei ad revocandum constituerat, sexaginta dies, excommunicatum & detestabilem, videre & audire cuperent. Nec diffitendum est, Majestatis juri hic locum fuisse, utcunque aulæ Pontificiæ inviso. Idem Pallavicinus *periculosum vel ineptum fuisse* statuit, *causam istam solenniter disputandam ad conventum hunc trahi; qui communi* (universali) *laboraret ignorantia.* Inter auditores tamen erant Archiepiscopi quinque, Episcopi undecim, præter Legatos reliquorum, qui plerumque Clerici esse solent, ut tot Principes & minorum gentium Prælatos taceam. Quod si Laicos saltem *ignorantiæ communis* reos habuit, & a judicio de religione removendos; quid sine cavillo respondebit Paulo, qui de magno mysterio tractaturus, Corinthiis, tum quidem schismate & morum vitiis corruptis, scribit, *ut cum prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico 1. Cor. X, 15.* & Thessalonicensibus, per regulam ad omnes applicabilem imperat: *omnia probate, quod bonum est, tenete. 1. Thess. V, 21.* Sed nondum erectum erat tribunal, cujus decreta Laicorum turba cum Regibus Principibusque suis cœco sequi debeat servitio. Quis denique in culpa fuit, quod in *communi ignorantia* Laici versarentur, quam illi ipsi, qui populum erudire debebant de religione, quam omnes & singuli eatenus nosse oportet, ut in capitibus ad salutem necessariis vocem summi Pastoris Christi ab impostorum fistula distinguere valeant; ut maxime aliæ quæstiones, quarum infinitus numerus fidem & religionem pene suffocaverat, ignorari, & doctiorum

An. 1521.

doctiorum judicio deferri possint. Sed cum eo usque præter magnificas potestatis Pontificiæ deprædicationes, fabulasque & ritus, nihil fere, quod ad fidem & mores Christianorum requiritur, qua par erat, perspicuitate & sobrietate populo propositum fuisset, id vero Lutherus, & qui ejus exemplum sequebantur, magna facerent dexteritate, quid mirum, si in illo vocem Christi & divini verbi efficaciam magno cum solatio & plausu exciperent & sentirent tot hominum in omnibus nationibus myriades? Hanc veritatis reductionem promovere & melius meliusque efformare & perficere sua autoritate Pontifex ejusque Legati potuissent, quemadmodum Lutherus jam ab annis plus tribus instantissime, & cum eo vox omnis pene populi flagitaverat; sed quid obstiterit, quo minus tanto beneficio quiete & bono cum ordine potiri potuerit totus Christianorum cœtus, & cur in contrarium omni vi & arte grassati fuerint, omniaque in summum periculum & tumultum adduxerint, qui pastorum loco erant, ex iis, quæ dicta sunt, & porro dicentur, satis notum est. Aleandri igitur strepitus impedire non potuit Lutheri comparitionem, & displicuisse ei necesse est literas Imperatoris d. 6. Martii datas, quibus non solum plenam securitatem ad iter & reditum Lutherus accepit, sed & benigne & honorifice compellatus fuit. Inscriptæ enim sunt, *Honorabili, dilecto, devoto, Doctori Martino Luthero, Ordinis Augustiniani.* In his, sicut nec in diplomate salvi conductus, quod fecialis secum ferebat, nihil invenitur de conditione, quam hic refert Maimburgius, de non concionando in itinere. Interdictum tamen id sibi fuisse non negavit Lutherus, ut postea videbimus. De *salvo conductu* disceptatum esse inter proceres, prout quisque in Lutherum affectus erat; & cum essent, qui Cæsareis literis, exemplo Hussi territi, fidendum non esse dicerent, Principum quorundam fidem speciatim interpositam fuisse, *Cochlæus* autor est. Id industria, & quidem ultima, Cevrii procuratum refert & laudat *Varillasius*, fide jussores autem fuisse Saxoniæ Electorem, Hassiæ Landgravium, & Principes quosdam, ut ait, Brunsuicenses atque Brandenburgenses. Literæ salvi conductus, quas Principes, per quorum regiones iter Luthero erat, nempe Elector Saxo cum fratre Johanne, Georgius Dux Saxoniæ, & Philippus Hassiæ Landgravius expedierunt, extant *Tomo I. Alt. fol. 653. 727.* Ex literis Gregorii Pontani *(Reg. H. fol. 154. n. 75. A.)* invenio, Fridericum Electorem ex consilio *D. Conrad. Peutingeri*, Augustani, speciatim a Cæsare stipulatum esse, ut in salvi conductus exhibitione constitutioni, *quod hæreticis non sit servanda fides*, renunciaretur, idque factum esse, & hoc demum anno 1541. relatum Pontano fuisse a filio Peutingeri *Conrado Pio*, qui itidem Doctor erat: Sed secretis literis cautum id esse oportuit. Tam cautus præterea fuit Fridericus, ut non nisi jussus ab Imperatore literas commeatus ad Lutherum expediret, quod ex diplomate *d. Tom. I. fol. 653.* relato, & ex literis ad ipsum Lutherum, quibus Cæsaris diploma & rescriptum adjunctum erat, d. 11. Mart. datis, ex Actis Archivi *d. l. fol. 107.* constat. Extat itidem ejusdem Electoris mandatum ad Præfectum & Senatum Wittenbergensem d. 12. Mart. ut Feciali, *Caspari Sturmio*, cognomento *Germania*, nullam paterentur molestiam exhiberi nec verbis nec factis, sed si opus foret, custodes adderent, tum de honesto victu ei prospicerent. (**solten Ausrichtung thun.**) Cevrius, quem dixi, in his comitiis obiit die 18. Maji veneno, ut creditur, per Hispanorum insidias, quo & paulo ante Fratris filius, Guilielmus Crojus, Cameracensis & Toletanus Archiepiscopus, ibidem sublatus habetur. *Varill. d. l.* Lutherus utriusque obitum notavit *epistolis 231. & 233.* per *Schiferum* enim intelligit *Cevrium*, (ex pronunciatione Gallobelgica vocis *Chevres*) & millionem aureorum Imperatori reliquisse ex fama memorat, addens: *Audacem Christum, qui hos montes auri nihil vereatur, sed utinam cognoscant aliquando, quoniam ipse Dominus DEUS noster!* Capitonis epistola MS. ad Spalatinum in Heckelianis memoratur mors Cevrii, his verbis: *D. 27. Maj. intra decimam & undecimam fato functus est Marchio, Gvilielmus de Schivres; non admodum magno luctui Hispanis & aulicis ea mors esse videtur.*

(4) *Literæ salvi conductus Cæsarei.*

(5) *Cevrii obitus & agnati ejus.*

An. 1521.

ADDITIO.

B. Rhenani de vocatione Lutheri ad Comitia epistola.

De causa accersiti Lutheri memorabilis est epistola *Beati Rhenani* ad Spalatinum, quæ in *MSS. Heckelianis* sub *n. 16.* habetur d. 11. Mart. data. Scribit ibi: *Principi tuo Vellejum idcirco consecravi, quod videam huic uni recta studia, veramque pietatem cordi esse; quæ laus illi perpetua futura est, si nunc, cum maxime præsidio opus est, Martinum Lutherum non destituerit. Non faciet autem, si tuo consilio fuerit animatus. Proinde fac, omnes ingenii tui vires explices, ut ista felicissima causa reparandæ pietatis ea maturitate graviter tractetur, qualem hoc negotium religionis poscit. Scio, quid Princeps hic tuus possit, cui inprimis felicitatem hanc totus orbis feret acceptam.* Et paulo post: *Cæterum arbitror Martinum Lutherum in hoc accitum a Principibus, ut suo consilio hos adjuvet modum statuturos tyrannidi Pontificiæ. Sunt, qui nollent vocatum, illi a violentia timentes. Sed video non alium fuisse modum cohibendi edicti Cæsarei, quam si accerseretur. Proponet paucis summam veri Christianismi, & quantum ab illo degeneravit vita nostra, & inprimis Pontificum, simul ostendet; & est alioqui incipiendum a capite. Hoc omittere non possum, quosdam suspicari, idcirco Gallorum & Helvetiorum exercitum cogi a Pontifice, ut Cæsarem in officio retineat, timentem regno suo Neapolitano, si Luthero subscribere videatur.*

SECT. 39.

Acta Wormat. Conf. ex cod. Vat. Acta Mart. Luth. Wormat. t. 2. Cochlæus hoc anno.

De Lutheri adventu ad Comitia.

Profectus itaque est Wittenberga curru magnifico vectus, comitante centum equitum turma, qui ei honoris causa aderant, utque appareret, non defore illi viros, ad defensionem ejus paratos. Intravit die 6. April. Wormatiam, *octo tantum ex equitibus suis comitatus. Amicis autem qui eum ab itinere dehortabantur, quia ab Imperatore, qui libros ejus comburi fecerat, jam condemnatus esset, respondit; quod se omnes homines toto orbe juncti, omnesque dæmones inferni, ab hoc itinere non essent impedituri, se enim causam Dei tueri. Die sequenti,*

An. 1521. *sequenti, hora quarta post meridiem, in consessum Comitialem adductus fuit a Mareschallo Imperii, Comite Pappenheimio, qui & statim interdixit, ne quid loqueretur, sed praecise responderet ad ea, quae Imperatoris nomine ei proponenda forent.* An. 1521.

§. XCIII.

(1) *Maimburgii de curru Lutheri ineptia notatur.*

Currum magnificum hic ad Gallicae elegantiae genium fingit noster. *Cochlaeus*, qui totum ejus iter, & laeta convivia, & quod aliquando hilarior testudinem pulsaverit, (Musicae enim peritus erat) insectatur, talem describit, qui *in modum lecticae paratus* fuerit, *umbrosus & contra coeli injurias munitus.* Neque alios tunc habebant Germani, panno nempe tectos, quales mercatoribus etiam hodie in usu sunt, ad nundinas euntibus; talis denique, qualem Senatus oppidanus Wittenbergensis ei praebere potuit, cui eo nomine gratias egit, *Tomo I. Altenb. fol. 732.* De centum equitum comitatu nihil reperitur in actis Lutheri. Comites habuit *Jodocum* (sive ut postea nomen suum scribere solebat *Justum*) *Jonam*, Praepositum Collegiatae Ecclesiae Wittenbergensis, *Nicolaum Amsdorfium* ejusdem Canonicum, & *Hieronymum Schurfium* Juris Doctorem celebrem, quo veluti advocato utebatur. Accesserant in itinere alii quidam: inter quos *Euricius Cordus* ludimoderator tunc Erfurtensis. Vinariae a Duce Johanne, fratre Electoris, viaticum accepit. Erfurti instanter rogatus, Dominica Quasimodogeniti concionem habuit, quae extat *Tomo I. Altenb. fol. 714.* & a Cochlaeo (quem Maimburgius exscribit) exagitatur. Extemporanea & brevis est, adversus fiduciam operum, & vitia cleri directa. Isennaci etiam concionatum se esse, sed in reditu, ipse refert, protestante tamen, jussu Superiorum, ut ajebat, Parocho. Conciones excusat Lutherus, quod in conditionem illam, de non concionando, non consensisset, *nec verbum Dei alligari possit. Lib. I. ep. 229.* immo jam Wormatiae id responsi Principibus dedisse, ad Comitem Mansfeldium scripsit *Tomo I. Altenb. fol. 732.* In aliis etiam locis concionatum esse, & quandam urbem, quam *Andors* vocat, uno sermone totam Lutheranam fecisse narrat Varillasius, sed nullo teste, nec eo nomine ullum est in Germania oppidum. Terrebant eum & distrahebant in itinere non pauca: nunciabatur condemnatum jam esse Wormatiae; corpore parum valebat: Francofurto enim ad Spalatinum Wormatiam scribit: *Lib. I. ep. 221. Tota hac via ab Isennaco usque huc langui, & adhuc langveo, incognitis mihi antehac modis. Sed & mandatum Caroli esse in terrorem mei evulgatum intelligo*, id scilicet de quo *Addit. III. ad §. LXXXVIII.* dictum est. *Verum Christus vivit; & intrabimus Wormatiam invitis omnibus portis inferni & potentatibus aëris.* Et postea: *Satanam terrere & contemnere propositum est.* Oppenheimii autem ab amicis, ipsoque Spalatino, ne veniret, per literas monitus respondit: (quae plurimi memorarunt) *Si tot diaboli Wormatiae essent, quot in domibus lateritiae tegulae, se tamen intrepide eo venturum esse.* Narravit haec suis paulo ante obitum Islebiae *Tomo I. Alt. f. 734. Ita Deus*, addens, *impavidum reddere potest hominem; nescio an nunc tam fortis essem.* Tentatus fuit etiam Moguntini, ut putabat, consiliis, ut evitata Wormatia in arcem Sickingii *Ebernburgum* concederet, ibi cum Joh. Glapione Franciscano (cujus *Pallavicinus Lib. I. cap. XXIV. §. 4.* meminit & nos in *Addit. II. ad §. LXXXIIX.* saepius eum nominavimus) Caesaris Poenitentiario collocuturus; ipse quoque Sickingius idem rogabat, misso Oppenheimium Martino Bucero cum equitibus quibusdam. Sed cum triduum tantum ex viginti & uno diebus, intra quos comparere debebat, superesset, & ipse insidias vereretur, *se, quo jussus erat, iturum esse*, constanter respondit, & cucullo suo indutus, curruque aperto vectus, die Martis, 16. April. urbem intravit, magno populi concursu. Hospitium habuit apud equites Rhodios, ut Cochlaeus scribit, qui nunc *Melitenses* vocantur, Lutherus *Teutonicos* nominat, vulgarem appellationem secutus, qua domus illa vocabatur: statimque a magno procerum & nobilium numero salutatus fuit. Honestum erat, quod non per alium, quam ipsum Imperii, quem vocant, Mareschallum, Saxoniae Electoris, Archi-Mareschalli, vicarium haereditarium, Dynastam Pappenheimium (nondum enim Comitum nomen familia illa tum adsumserat) in consessu publico adesse juberetur. Convenerat is eum in hospitio ante prandium, neqve tunc, sed in ipso consessu monuit, ne loqueretur, nisi interrogatus.

(2) *Quaedam de ejus comitatu & concionibus in itinere.*

(3) *De vitatis insidiosis consiliis.*

ADDITIO.

Viti VVarbeccii relatio de itinere & adventu Lutheri.

Ad historiam de adventu Lutheri & gestis VVormatiae ex *actis Archivi* sequentia a probatae fidei viris notata referre non piguit, quibus multa Cochlaei & similium, quos Pallavicinus & Maimburgius exscripsere, mendacia refutantur. Ingressum ejus narravit *Vitus VVarbeccius* Suevus, Canonicus Altenburgensis, qui in aula Friderici Electoris ob Gallicae linguae peritiam versabatur, in literis ad *Johannem* Electoris fratrem d. 16. Aprilis datis. *Hodie*, scribit, *advenit huc D. Martinus, vectus rheda Saxonica cursoria*, (auf einen Sächsischen Rollwagen/ quali nempe in planis illis & arenosis ad Albim regionibus utebantur, ut & adhuc faciunt,) *cum tribus comitibus, fratre nempe*, (monacho) *Amsdorfio Licentiato, & nobili Dano, Suabenio. Ante currum equitavit fecialis Caesaris veste solenni, aquila lateri applicta ornatus, ejusque famulus. Currum secutus est Lic. Jonas Northusanus cum famulo. Multi illi obviam processerunt ex Nobilitate quidem Saxonica Bernardus ab Hirschfeld, Johannes Schottus, Albertus a Lindenau pincerna, cum equis sex, multi etiam aliorum Principum aulici. Prandii tempore circa horam decimam urbem intravit; attamen plus quam duo hominum millia eum sectabantur usque ad hospitium ejus, quod commune habet cum consiliariis Saxonicis, Friderico Thunavio, Philippo Feilitschio, Equitibus auratis, & Ulrico Pappenheimio Marescallo Imperii, non procul a diversorio, quod cygni insigne habet, quo Ludovicus Elector Palatinus utebatur. Addit: In itinere honestissime habitus est in locis Saxonicae ditionis, concionatus quoque Erfurti, Gotha, Isennaci; Erfurtenses vero ad duo milliaria obviam progressi honorifice illum exceperunt. Lipsia, praeterquam quod Senatus eum vino (ut moris) donavit, inhonoratus discessit. Papistae, ajunt, adventu ejus non leviter territi sunt; speraverant enim non esse venturum, ut occasionem haberent, severius cum eo agendi.* Haec ille. Spalatinus eadem fere in *historia* sua *MS.* nisi quod hospitem expresse nominat Commendatorem Johannitici ordinis, & Augustinianum sodalem ejus *Johannem Pezensteinium* Norimbergensem.

SECT.

An. 1521. — An. 1521.

SECT. 40.

De timiditate Lutheri in prima comparitione Maimburgii narratio.

Erant in conventu, qui eum serio monebant, ut firmo esset animo, immo aliqui ei verba Evangelica recitabant: (*Matth. 10.*) Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. *Sed parum ex his profecit, satisque ostendit, spiritum Evangelii se non habere. Cum enim officialis Trevirensis ipsi denunciaret, velle Imperatorem, ut ad duo responderet: primo an autorem se esse fateretur omnium horum librorum, quibus nomen suum præfixum esset, & quorum index ei prælegebatur? dein, an retractare vellet, quæ in iis condemnata essent? Ad primum respondit: agnoscere se libros, nisi aliquid iis esset additum; ad alterum: quia de re omnium maximi momenti, de fide nempe & verbo Dei, ageretur, tempus se ad cogitandum petere, ne præcipiti responso plus minusve diceret, hoc enim non esset Christum coram hominibus confiteri, ut facere decrevisset. Hæc profecto responsio non sapiebat genium Prophetæ divinitus inspirati, cum ex ea spes appareret, retractaturum ipsum dogmata sua esse. Prævia deliberatione responsum fuit ab Officiali: quanquam scivisset, quæ interrogandus esset, & paratus ad promtam responsionem esse debuisset, Doctor præsertim tanti nominis, Imperatoriam tamen Majestatem concedere, ut in posterum diem dilationem haberet.*

§. XCIV.

(1) Melior de Lutheri actu relatio.

Actorum cum Luthero Wormatiæ relatio Latina extat *Tomo II. Lat. Jen. fol. 236. & seqq.* lectu dignissima, quam nescio qua cavillatione taxat *Cochlæus*, ac si illam Lutherus semetipsum laudans composuisset. Eadem Germanice reperitur *Tomo I. Altenb. f. 718. & seqq.* Sed præter hanc aliæ tres, una ad *Lucam Cranachium* Consulem Wittenbergensem *f. 731.* altera ad *Hoyerum* Comitem Mansfeldensem *fol. 732.* tertia *Islebiæ*, de qua dixi, suis ante obitum facta *fol. 733.* Ex his quædam a Maimburgio omissa supplebo. Ductus est die Mercurii (d. 17. April.) in consessum publicum, præeunte Pappenheimio Mareschallo, & feciali Sturmio, per hortos & domus ad evitandum concursum, ita tamen, ut magna nihilominus multitudo ad eum videndum, omnibus modis, etiam perruptis tectis, confluxerit. Officialem Trevirensem, (qui *Johannes ab Eck* vocabatur, alius a disputatore, de quo supra egimus, sed non minus Luthero infestus) de libris suis recognoscendis interrogantem Cæsaris nomine Lutherum, interpellavit Hieronymus Schurfius, exclamans: *Intitulentur libri.* Prælecti itaque sunt eorum tituli.

(2) Monitum ad censuram Maimburgii.

Maimburgius, ut videmus, negat spiritu Evangelii animatum fuisse Lutherum, dum dilationem peteret. Sed etsi promissionem Apostolis factam, si de immediata inspiratione verborum intelligatur, Lutherus sibi non arrogaverit; nemo tamen sine temeritate, ut a spiritu Christi alienum, condemnare potest, quod extemporanea responsione, in augusto illo consessu, se suamque causam prostituere noluerit. Audiamus ipsum pie & graviter locutum *fol. 436. b. Quia de fide est quæstio & animarum salute, & quia divinum verbum concernit, quo nihil majus est, tam in cœlo quam in terra, quod nos merito revereri convenit omnes, temerarium ac juxta periculosum fuerit, me quidquam incogitatum proferre, cum & minus quam pro re, & majus quam pro vero, non præmeditatus, asserere possim, quorum utrumque me in sententiam adducet, quam Christus tulit, cum ait: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Peto igitur hac de causa, & quidem suppliciter, a Cæsarea Majestate spatium deliberandi, ut citra divini verbi injuriam, & animæ meæ periculum interrogationi satisfaciam.*

(3) Item Pallavicini.

At bilem suam hic etiam effundit *Pallavicinus*, rusticitatem Luthero objectans, quod in primo hoc aditu ad Cæsarem tantum modestiæ in verbo & gestu ne tantisper quidem valuerit sibi mutuari ab arte & reverentia, ut, qualis esset reapse, dissimularet, unde lepide Cæsar dixerit: *hic certe nunquam efficeret, ut hæreticus fierem.* Quam elegantiam & urbanitatem desideraverint Itali, equidem nescio, nihil tamen a Cochlæo (cui omnia conquirere, quæ contemtum aut invidiam Luthero moverent, otium & libido fuit) memoratum reperio, quo indecens aliquid ei imputetur. Lutherus, cum sequenti die denuo coram Cæsare & Principibus staret, in exordio *per misericordiam Dei* obsecravit, *ut benigne sibi ignosceretur, si per imperitiam vel dignos titulos cuique non dederit, vel quocunque modo in mores gestusque aulicos peccaverit; se enim non in aulis, sed in angulis monachorum versatum, nihil amplius de se testari posse, quam ea simplicitate animi hactenus docuisse & scripsisse, ut tantum gloriam Dei & sinceram fidelium Christi institutionem spectaverit. (d. Tom. II. Lat. fol. 437. a.)* Hæc elegantiæ magistro Jesuitæ sufficere possunt. Cæsaris vero dictum fide stat narrantis, nec ad rem facit. Deplorandum potius est ingenium hominum, qui veritatem ex persona æstimant, & quibus tiaræ & infulæ aliique mundani fastus præstigiæ pro Evangelio sunt. De Carolo tamen si non illa, certe provectiori ætate, meliora licet ominari, ut in loco dicetur. Eidem *Pallavicino* si credas, Lutherus famam præsentia sua Wormatiæ perdidit, intemperantia, superbia, iracundia, immo a dæmone obsessus habitus fuit: quæ immania & putida Maimburgius merito prætervectus est. Nos istæ contumeliæ confirmant, Lutherum ex domesticis cœlestis Patrisfamilias fuisse, qui convitio eodem, quo ille, excepti, non habent quod conquerantur. *Matth. X, 25.* Cochlæus e contrario applausibus invidet, quos audivisse in reditu ex consessu Comitiali Lutherus ipse (nescio ubi) retulerit, & inter hos dictum perceperit, *Beatus venter, qui te portavit.*

SECT. 41.

(1) Altera Lutheri

Illo igitur die, hora sexta vespertina iterum admissus, repetiit responsum ad primum caput,

An. 1521. comparitio ejusque dicta.

caput, sed ad secundum perorare cœpit; ad hoc enim, ut meditari posset, quæ diceret, tempus postulaverat. Sed in summa hæc dicebat: se libros varii generis, nec unius materiæ, composuisse, quosdam de fide & pietate Christiana, hos sine impietate revocare non posse; alios contra decreta, abusus, doctrinam & usurpationes Pontificum, qui tyrannidem in Christianos exercerent, & scandala darent, hæc quoque quæ scripserit, revocare se non posse, nisi manifeste prodere Evangelium & tyrannidem in Ecclesia Dei fovere vellet; denique adversus privatos quosdam se scripsisse, qui doctrinam suam impugnaverint, & Papæ dogmata pariter & tyrannidem defenderint, in his fateri se, quod aliquando nimium acris in adversarios fuerit, sed quoniam non de moribus suis, sed de doctrina ageretur, hæc vero a se semper evidentibus Scripturæ testimoniis confirmata fuerit, nunquam se eam negaturum, sed paratum esse ad illam coram quocunque defendendam, revocaturum etiam, & libros suos ipsum combusturum, si ex solo verbo divino, non humano, demonstrari possit, quod erraverit. At cum in sermonem prolixum, quo Principes ad protegendam veritatem adhortabatur, evagaretur, Vicarius eum Imperatoris jussu interpellavit, dicens non id agi, ut doctrinæ suæ rationem redderet, quæ jam per Concilia, inprimis Constantiense, Germanis singulariter venerabile, damnata esset, post quod nihil examinandum restaret; sed exigi, ut uno verbo simpliciter & absque ambiguitate diceret, an revocare doctrinam suam vellet an non? Respondit autem, quoties iterato idem interrogaretur, simpliciter & pure, se non revocaturum; neque enim se Papas aut Concilia respicere, quæ sæpe erraverint, sed solum verbum Dei, quod a suis partibus stare existimet, hoc esse unicum judicem quem agnosceret. Quoniam igitur conscientia sua divino hoc verbo ligata esset, necessum esse, ut ex hoc erroris convinceretur, si vellent, ut salva conscientia revocationem faceret.

(2) Negat, se revocaturum esse, quæ docuisset.

§. XCV.

(1) *Certiora de Lutheri secunda comparitione & responsione.*

Admissus est die sequenti, id est, 18. April. circa vesperam, postquam duas horas expectasset; inde factum, ut in noctem protraheretur consessus. Quæ dixerit, in relationibus ejus fusius reperiuntur, non male tamen in compendium a Maimburgio contracta. Locutus esse dicitur in relatione supra allegata *Tomo I. Altenb. fol. 720.* modeste & verecunde, non clamans, nec vehementi sed moderata utens voce, Christiana tamen cum fiducia, eaque animi præsentia, quam adversarii ei adfuisse noluerint: speraverant enim, quia dilationem petiisset, mitiora dicturum & revocaturum fuisse. Memorat ipse in Islebiensi, quam dixi, relatione *fol. 734.* cum Germanice primum locutus esset, & eadem Latine dicere juberetur, hæsisse paululum, & respiratione opus habuisse, incalescentem & sudantem a vapore circumstantis multitudinis, & ob Principum, quibus proximus erat, præsentiam, ita ut Fridericus Thunavius, Eques Thuringus, ex primoribus Aulæ Electoralis, eum monuerit, satis locutum esse; sed resumto animo omnia Latine repetiisse, valde id probante Electore. Ultimam orationis partem ex *Tomo II. Jen. Lat. fol. 438. a.* adscribere non piget, cum, increpante Officiali & urgente, ut simplex nec cornutum responsum daret, revocarene vellet an non, ita locutus est: *Quando ergo Serenissima Majestas vestra, Dominationesque vestra, simplex responsum petunt, dabo illud, neque cornutum neque dentatum, in hunc modum: Nisi convictus fuero testimoniis Scripturarum aut ratione evidenti, (nam neque Papa neque Conciliis solis credo, cum constet, eos errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse) victus sum Scripturis a me adductis, captaque est conscientia in verbis Dei, revocare neque possum neque volo quidquam, cum contra conscientiam agere neque tutum sit neque integrum.* Addidit verba Germanica: **Hier stehe ich/ ich kan nicht anders/ GOtt helff mir/ Amen!** id est, *Hic sto, non possum aliter, Deus me adjuvet! Amen.* Varillasius, aut autor, quo usus est, ignoratione Germanicæ linguæ, putavit juramenti formula, Germanis sueta, usum esse Lutherum, quo dicta sua veluti confirmaret & clauderet, sed fallitur. Nam & post ista verba cum Officiali Trevirensi in disputationem quandam venit de conciliorum infallibilitate, nec dixerat, ut jurantes solent: *Ita me Deus adjuvet!* sed more precantis & optantis: *Deus me adjuvet!* Dimidiam vero consessus partem Luthero per duas horas locuto applausisse idem fatetur Varillasius, idque observasse Lutherum, tantoque majori fiducia & libertate locutum esse, indignantibus ob id non parum, qui Pontificiis partibus adhærebant, & Officiali Trevirensi succensentibus, quod non prius eum interrupisset: dimissum sibilis prosecuti sunt Hispani. Mererentur plurima ex dictis Lutheri adscribi, sed non nisi sequentia apponam, quæ *Tomo II. Lat. Jen. fol. 437. b.* leguntur: *Alio patrocinio meis libellis adesse non possum, quam ipse Dominus meus Jesus Christus adfuit sua doctrina; qui cum coram Hanna de sua doctrina fuisset interrogatus, & alapam a ministro accepisset, dixit:* Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. *Si Dominus ipse, qui sciebat sese errare non posse, non detrectavit testimonium adversus suam doctrinam audire, etiam a vilissimo servo; quanto magis ego fex, non nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si quis testimonium reddere velit adversus meam doctrinam. Itaque rogo per misericordiam Dei, Serenissima Majestas vestra, Illustrissimaque Dominationes vestræ, aut quicunque tandem, vel summus vel infimus, possit, reddat testimonium, convincat errores, superet Scripturis propheticis & evangelicis; paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quemcunque errorem revocare, eroque primus, qui libellos meos in ignem projiciam. Ex his arbitror, liquidum fieri, me satis curasse & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meæ doctrinæ occasione in orbe excitatas, de quibus heri graviter & fortiter admonitus fui. Mihi plane omnium jucundissima facies ista in rebus est, videre ob*

An. 1521.

(2) *Notatur Varillasii relatio de juramento Lutheri.*

(3) *Excerpta quædam ex dictis Lutheri coram Cæsare.*

An. 1521. *ob verbum Dei studia & dissensiones fieri. Is enim est verbi Dei cursus, casus & eventus. Nam dicit:* Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem &c. *Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consiliis suis, ne forte id, quod tantis studiis tentatur, si a damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potius in intolerabile malorum diluvium, & quod cavendum sit, ne Adolescentis hujus optimi Principis Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat imperium.* An. 1521.

SECT. 42.

(1) De actis Archiep. Trevirensis cum Luthero.

Quanquam vero ei objiciebatur, eodem verbo divino condemnatos fuisse in Constantiensi concilio errores Wiclefi & Hussi, quos renovaret, & quod apud Concilium, non apud eum, staret, verum sensum Scripturis dare; nihil tamen aliud ab eo impetrari potuit, neque in comitiis, neque in colloquiis, quæ publice privatimque cum Doctoribus eruditissimis, præsentibus multis Principibus, & maxime Archiepiscopo Trevirensi, habebantur. Hic enim magnam operam adhibebat ad eum reducendum. Post multos sermones sine fructu hinc inde habitos, pro conclusione omni allegavit dictum Gamalielis ad Proceres Hierosolymitanos, Apostolos in carcerem compingentes: Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere. *Imperator statim atque Lutherus secunda vice auditus fuisset in consessu Principum, scriptum sua manu exaratum legi fecit, in quo paratum se profitebatur, omnes suas vires pro defensione religionis Catholicæ impendere, quam ab Imperatoribus & Regibus antecessoribus accepisset, & jam a misero Monacho subrui cerneret. Ideo cum adversus ingenium ejus pertinax nihil proficeretur, jussit eum d. 26. April. Wormatia excedere, dato iterum XXI. dierum spatio, ut se in locum tutum reciperet, addiditque eundem fecialem, qui eum adduxerat, easdemque salvi conductus literas, quibus fretus in comitiis comparuerat.*

Actor. 5.

(2) Imperatoris contra Lutherum decretum.

§. XCVI.

(1) *Emendatur & suppletur Maimburgiana relatio.*

Turbat hic omnia, & plurima præterit Maimburgius memoratu digna. Sequenti post secundam Lutheri admissionem die, id est, d. 19. Aprilis Cæsar ex schedula illa Burgundice, (ait *Cochlæus*) id est, Gallice scripta, quid sibi videretur, juvenili ardore & præter morem comitiorum recitari fecit, cum Principes sententiam rogare debuisset. Itaque nihil festinatione illa effectum est, sed is dies cum sequenti deliberationibus consumtus. *Interea*, ut in actis, *Tomo I. Jen. fol. 439. a.* refertur, *visus & visitatus est*, ut ibi dicitur, *Lutherus a multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Sacrificis, Religiosis, Profanis; & vulgus curiam circumsidens videndo satiari non potuit. Schedulæ etiam binæ fuerunt affixæ, una contra Lutherum, altera, ut videbatur, pro illo.* Fœdus enim Nobilium quadringentorum protegendi ejus causa initum significabatur, & Sickingii copiæ, quas in promtu habebat, metuebantur, sed suppositititiæ atque in ejus invidiam compositæ credebantur minæ, & ab ipso Cæsare irridebantur, ut *Pallavicinus* notavit. Addit tamen hic, precibus Moguntini plus justo timidi (quod ei etiam Lutherus objectare solebat) obtentum fuisse a Cæsare, ut triduum indulgeret, intra quod non quidem publico nomine, sed ab iis, qui vellent, ex Principibus, cum Luthero ageretur, tentando, an ad revocationem impelli posset. Suscepit negotium *Richardus a Greiffenclau*, Archiepiscopus Trevirensis, adscitisque Electore Brandenburgico, Episcopis Augustano & Brixiensi, Magistro ordinis Teutonici, Georgio Saxoniæ Duce, & ex Comitibus & Civitatum delegatis quibusdam, Lutherum d. 24. April. ad se introductum per *Hieronymum* Vehum, Cancellarium Badensem, eruditionis & eloquentiæ nomine etiam Luthero laudatum, cohortatus est multis argumentis ex locis rhetoricis, ab honestate, utilitate, periculo, salute publica & privata petitis, ut a proposito discederet. Lutherus actis gratiis, quod se homuncionem tanti Principes commonefacerent; ad id, quod inter objecta odiosissimum erat, nempe quod Concilia rejiceret, paucis respondit: *se Constantiense solum improbare, quod contra symbolum Apostolicum in damnanda Hussi de Ecclesia doctrina impegisset:* scandali vero, quod metuebatur, culpam a se ita amoliebatur, ut diceret, *inevitabile esse, ut doctrina Christi non pariat scandala:* ex verbo Dei denique omnia sua examinari & decidi cupiit petiitque. Id cum habita interim a Principibus consultatione digressus & revocatus repeteret, & apud Cæsarem intercedi pro se rogaret, ne contra conscientiam suam quidquam agere cogeretur, dimissus ex illo conventu fuit, cum ultimo interrogante Electore Brandenburgico, an in eo persisteret, ut, nisi Scriptura convictus nollet cedere, respondisset: *Etiam, Domine clementissime, vel rationibus clarissimis & evidentibus.* Sevocatum postea in Trevirensis triclinium Eccius Officialis, & Cochlæus adorti sunt acri & sophistica, ut refert, disputatione, quibus, assistentibus sibi D. Schurffio & Amsdorffio, respondit. Finis erat, ut eum admonerent, ne amplius doceret aut scriberet. Prorogato iterum ab biduum salvo conductu, d. 25. April. Vehus ille Badensis & D. Peutingerus Augustanus permovere conati sunt Lutherum, ut Cæsari & Imperio judicium de scriptis suis permitteret; quod non abnuit, si secundum Scripturam judicare vellent. Redeuntes dein post meridiem postularunt, ut saltem Concilio submitteret dogmata sua; in hoc quoque eadem conditione consensit, si ex Scriptura deciderentur. Sed illis, uti quidem in Lutheri Actis refertur, (dissentiente Cochlæo) Trevirensi renunciantibus, *Lutherum simpliciter Concilio decisionem detulisse*, vocatus ad ipsum Trevirensem, conditionem adjectam a se fuisse ostendit, & post humanissimum colloquium, quod primum cum solo Electore, dein & præsentibus Consiliariis habitum fuit, quærenti

(2) *Speciatim de colloquio cum Trevirensi.*

(3) *Item cum Hieronymo Vebo.*

An. 1521. quærenti Principi, *quale causæ huic remedium inveniri possit?* respondit, ut Maimburgius & omnes narrant, allegato dicto *Actor. 5.* ita quidem, ut diceret, *intra triennium aut biennium sponte sua periturum esse propositum suum, si non esset ex Deo.* De *Concilio Constantiensi* denuo moto sermone, perstitit in sententia, verbo Dei contraria decidisse, & se caput vitamque prius amissurum, quam verbum Dei deserturum. Post quæ benigne & promissa securitate redeundi unde venerat, dimissus fuit. Eodemque die denunciatum ei est ab Eccio Trevirensi & Secretario Cæsareo, ut (data ad 21. dies securitate) abiret, quoniam post tot commonitiones ad cor & unitatem redire nollet, Cæsarque officium, ut advocatus fidei Catholicæ, facturus esset; addiderunt prohibitionem, ne in itinere concionaretur, aut alio modo populum concitaret. Respondit Lutherus: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Addiditque: *se supplicem, primum omnium, Serenissimæ Cæsareæ Majestati, & reliquis Imperii Ordinibus, gratias agere, quas posset, maximas, pro tam benigna & clementi audientia, proque conductu libero & servato & servando. Neque se quidquam desiderasse, nisi reformationem per Scripturam sanctam, a se tantopere flagitatam. Alioqui pro Cæsarea Majestate & Imperio passurum omnia, vitam & mortem, famam & infamiam, nihilque sibi prorsus reservaturum, nisi unicum verbum Domini liberum ad confitendum & testificandum illud. Postremo Cæsareæ Majestati & toti Imperio se humillime, tum commendare, tum subjicere. Tom. II. Lat. Jen. fol. 440. 441.* Postridie d. 26. April. salutatis, qui eum frequentissime convenerant, patronis & amicis, sumto jentaculo abiit, comitatus ab iis, qui eum adduxerant, & insequente mox Feciali, qui illi Oppenheimii pernoctanti junctus est. *Pallavicinus* allegantі consilium Gamalielis Luthero insultans, etiam Mahommetismum & Calvinismum defendi posse putat, quia ab hominibus non potuerint dissolvi, impingitque impudentissime Luthero calumniam, ac si doceat, *scelera etiam ex Deo esse.* Sed Lutherus ad hominem argumentatus est, utque violentiam, quæ parabatur, declinaret; satis alioquin certus, non ab eventu solo causæ suæ justitiam pendere, cujus fundamentum pro conscientia sua unice in verbo divino collocabat. Quicquid autem malevoli de gestis Wormatiæ a Luthero & cum eo, muginentur, illustre in omne ævum exemplum, cui par nullum memorari potest, Imperator, Principes Proceresque, & Lutherus utrinque ediderunt: Illi quidem, quod privatum & monachum, tum, quod maximum erat, damnatum jam solenniter a Pontifice, in consessum suum splendidissimum admissum, benigne & patienter audiverint, securitatem promissam, spretis multorum, qui tollendum homuncionem dicerent, suggestionibus, servaverint, amice & humaniter in colloquiis particularibus tractaverint, etsi præter unum Saxoniæ Electorem nemo tunc patrocinium ejus neque hic tam aperte profiteretur, ut causam ejus suam faceret. Errat enim *Varillasius*, cum Philippum, Hassiæ Landgravium, una cum Saxone, defensionem in his Comitiis Luthero præstitisse refert. Nondum enim hic ad partes accesserat, quod ipse Lutherus in relatione Islebiensi sæpe allegata fatetur, narrans: venisse quidem ad se Philippum, & jocatum aliquid esse de doctrina, sed abeuntem porrecta manu hoc solum dixisse: *Si jure niteris, Deus tibi assistat.* Non multum differunt, quibus celeberrimus Eques Georgius Frundsbergius, vel Fronsbergius, de quo *Lib. II. in Addit. §. XXVII.* plura dicendi locus erit, Lutherum allocutus esse perhibetur. Hic enim euntis in consessum humerum manu feriens dixisse fertur: *O fratercule, tu gradum nunc facis, qualem ego multique belli duces, in periculosissima acie vix fecimus: si tamen recte sentis, & tuæ causæ certus es, pergas in nomine Domini, & confidas, non deseret te Deus.* Verba Germanica significantiora sunt, relata in breviarium vitæ Lutheri *Tomis Altenb.* annexum ex *Cyr. Spangenb. speculo Nobilitatis fol. 54. a.* **Münchlein/ Münchlein/ du gehest ietzt einen gang/ dergleichen ich und mancher Oberster/ auch in unser aller ernstesten Schlacht-Ordnung nicht gethan haben. Bistu auff rechter Meinung/ und deiner sache gewiß/ so fahre in GOttes namen fort/ und sey nur getrost/ GOtt wird dich nicht verlassen.** Illa qualiscunque Principum & populorum propensio, ingens quidem omnium studium cognoscendæ tandem veritatis Evangelicæ & excutiendi jugi Pontificii ostendit; sed imperfecta adhuc & incerta erant omnia. Quapropter admiranda merito est, nec humanis viribus, sed ardentissimis precibus Lutheri (quarum formula aliqua *Tomo I. Altenb. fol. 726.* exhibetur) tribui debet, quæ in eo eminuit præsentia animi & invincibilis in veritate profitenda constantia, ad conspectum & minas tremendarum potestatum servata, nec non dexteritas in refutandis adversariis, quam negare tandem post tot extenuationes non plane ausus *Pallavicinus* lateribus, id est, clamori & corporis robori Lutheri tribuit *Lib. II. cap. I. §. 5.* Ipse vero vir admirandus, ut mos est optimo cuique, sibi non satisfecit, & hoc anno, quanquam desperatis pene rebus suis, exul & semicaptivus, tum corpore pessime valens, in literis ad Spalatinum d. 9. Septembr. datis conqueritur: *Ego timeo valde & vexor conscientia, quod tuo & amicorum consilio cedens, Wormatiæ remisi spiritum meum, & idolis illis non exhibuerim Eliam quendam; alia audirent, si denuo sisterer coram eis;* & ad Hartmannum Cronbergium anno sequenti scribens *Tom. II. Epistol. p. 103. b. Wormatiæ in amicorum nonnullorum gratiam, ne viderer reluctari pertinacius, spiritum meum pressi, nec tyrannis animosius & obfirmatius Evangelio confitendo restiti; quo nomine non semel post, a perfidis & impiis male audire coactus sum. Ut gentiles impii (ut sunt) judicare solent, & ipsi judicant, qui nullius aut fidei, aut spiritus capaces unquam fuerunt. Ejus tamen animi moderationis & habiti honoris sæpe numero me & taduit & piguit.* An. 1521.

(4) Ultimum Lutheri responsum.

(5) Monitum ad censuram Pallavicini.

(6) Consideratio actorum Wormatiensium.

(7) Fronsbergii verba ad Lutherum.

(8) Lutheri de se ipso judicium.

ADDITIO I.

Supplenda sunt plurima ex *Archivi* Actis & *MSS.* Spalatinus inter alia observavit, Electorem putasse, fore, ut confessionarius Imperatoris allocuturus esset in consessu Lutherum, sed ejus loco Officialem Trevirensem prodiisse. Luthero, ait, tantum immo majorem honorem habitum fuisse, quam ulli Principi, spectatorum certe & invisentium numero omnes superasse, quotidie magnam copiam ad eum concurrisse,

(a) Lutheri exceptio & Friderici gaudium.

An. 1521.

risse, se ipsum apud eum vidisse Philippum Hassiæ Landgravium, VVilhelmum Brunsuicensem Ducem, VVilhelmum Hennebergicum Principem; sed Fridericum Electorem amorem erga Lutherum dissimulasse, & timuisse, ne is animo concideret, si coram Cæsare & Ordinibus respondere deberet. Cum vero tam confidenter & pie, in altera nempe admissione locutus esset, Electorem summo gaudio fuisse affectum, & eodem vespere Spalatinum, ex hospitio Lutheri accersitum, etsi parata esset cœna, & aqua, ut solet, ad lavandas manus afferretur, in cubiculum tamen seduxisse, & plenum admiratione dixisse: *O quam bene Pater Martinus Germanice & Latine coram Cæsare & Ordinibus locutus est; satis aut nimium animosus fuit,* quo dicto Spalatinum ad Lutherum redire jussit. Interfuit etiam Spalatinus colloquio Trevirensis Electoris cum Luthero una cum Amsdorffio, Jona, & Schurfio; dein cum Trevirensis Lutherum in superius conclave vocasset, Spalatinum quoque nominatim accivit, excusans, quod in primo aditu eum non admisisset, neque enim notum sibi fuisse. Laudat Trevirensem, ut virum rerum mundi valde peritum, einen geschickten Welt-Mann / qui magna cum humanitate Lutherum tractare noverit, audivit ipse cum diceret: *mi Domine Doctor, quid consilii est in hac re?* Mein Herr Doctor, wie thäte man ihm denn? & responsum Lutheri de consilio Gamalielis refert his verbis, post recitata dicta Gamalielis: Ist meine Sache nicht aus GOtt / so wird sie über zwey oder drey Jahr nicht währen / ist sie aber aus GOtt / so wird man sie nicht dämpffen können. *Si causa mea non est ex DEO, ultra duos aut tres annos non durabit, si est ex DEO, a nemine opprimi poterit.* Cum vero Elector replicaret, *an non aliquid præstari posset, renunciando aliquibus articulis?* Respondit Lutherus: *Domine clementissime, modo non sint illi, qui Constantiæ damnati fuerunt.* Ad ea Elector, *vereor ne iidem sint,* tum Lutherus: *in iis cedere non possum quicquid mihi evenerit,* addidit petitum, ut Elector apud Cæsarem dimissionem sibi procuraret; se enim jam ad decimum fere diem hic hærere, neque tamen ipsos quicquam apud se effecturos. Ihr richtet nichts mit mir aus. Ista quidem pleraque & quædam fusius in relatione *Tom. I. Alt.* inserta *fol. 225. & seq.* leguntur; confirmare tamen ea volui ipsis *Spalatini* verbis, testis integri, qui omnia audivit & sua manu consignavit. Subjungit, quomodo digressus a Trevirensi Lutherus visitaverit *Johannem Minckvitium* equitem, ex comitatu Electoris, graviter decumbentem, & egregie solatus sit, abiturus vero dixerit, se die crastino VVormatiæ esse discessurum, idque ut certum affirmaverit, licet Spalatinus moneret, id eum scire nondum posse. Minime tamen falsum esse, quia post tres horas venerit Officialis Eccius & Secretarius Cæsaris Maximilianus Transylvanus, qui ei abitum denunciaret. Notat autem, Secretarium hunc tam fideliter retulisse ad Cæsarem responsum Lutheri, ut ipse melius referre non potuerit, idque se a Johanne Stabio ex Cæsaris ministris postea intellexisse. Narrat item, ut eodem vespere consilium ceperit Elector de occultando Luthero, idque ei per *Fridericum Thunavium* & *Philippum Feilitschium* equites, & per *Spalatinum* significari fecerit. Hoc Lutherum in honorem Electoris acceptasse, licet mallet aperte rem aggredi, wolte lieber frisch dran gangen seyn; neminem vero consilii hujus conscium factum esse præter hos, & postea fratrem Electoris *Johannem*, tum Secretarios *Hieronymum Rudolffum* & *Johannem Veihelium.* Mira in his omnibus apparet Dei providentia, neque tamen de consilio Electoris satis certo constat, quale id fuerit; probabile est, illum a tempore in causa periculosissima remedium quæsivisse, cum nullum aliud superesse crederet. At id ipsum Lutherus post aliquot menses subvertit, injussus & invito Electore ex latebra progressus, ut postea dicetur: adeo ut nihil humanæ industriæ aut calliditati tribui possit.

(b) *De colloquio Lutheri cum Trevirensi.*

(c) *Alia quædam acta & dicta Lutheri.*

(d) *Consilium de occultando Luthero.*

(e) *De D. Hieron. Schurfio.*

Hieronymi Schurfii, cujus sæpius in progressu operis mentio fit, vitam ex *Melanchthonis Declam. P. III.* retulit *Adamus de vitis Germ. Jurisconsultor. p. 97. seq.* Natus fuit in Helvetiorum finibus oppido San-Galli anno 1480. patre Medico. Jurisprudentiæ Basileæ & Tubingæ operam dedit. Ipse de se, exhibito Visitatoribus Academiæ VVittenbergensis anno 1517. scripto, hæc est professus, quæ aliquantum a relatione Adami discrepant: Auspiciis Friderici & Staupitii procuratione se anno 1502. mense Septembri Tubinga VVittenbergam vocatum fuisse, & Logicam Aristotelis in via Scoti docuisse, ejusdemque librum de cœlo & mundo explicasse, stipendio triginta florenorum annuorum & promisso victu, sed pro eo non nisi decem florenos annuos accepisse, cum septendecim ipsi constaret, (quo stipendio aut sumtu hodie pedissequum non alimus) postea lectorem Sexti Decretalium & Clementinarum constitutum fuisse mercede sexaginta florenorum. Anno 1508. Doctoris dignitatem adeptum esse, & ab anno 1510. lectionem ordinariam (id est, Decretorum juris, quæ primario e JCtis Academicis dari solet, & is inde nomen *Ordinarii* fert) centum florenorum salario. Supervixit Electori Johanni Friderico, cui a consiliis erat, & honoratus est a Carolo Cæsare, inter Assessores Cameralis judicii illum designante, sed senectæ excusatione usus fuit. Decessit magna cum fiduciæ de gratia Dei testificatione, & pie precatus, anno 1554. d. 6. Jun. Epicedion a Melanchthone compositum refert *Adamus d. l. p. 99.* Extat volumen *Consiliorum* ejus, non exiguæ apud Jureconsultos æstimationis. Generum habuit, eundemque Consiliarium Electoralem haud incelebrem *D. Laurent. Zochium*, de quo in loco plus una vice dicendum erit. *Reg. O. fol. 111. Qq.*

An. 1521.

ADDITIO II.

De Hieron. Vebo.

Ut de *Vehi* mente constare aliquatenus possit, addemus aliquid ex epistola anno 1522 typis vulgata, cujus exemplum asservatur in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi.* Scripsit eam Vehus d. 28. Martii Norimberga ad Georgium Ducem Saxoniæ, in qua quidem multa contra Lutherum pro *confessione* potissimum, quam vocant, *auricular*i, pro *Missa*, quod sit sacrificium, & pro *veteribus ritibus servandis* acriter disputantur; fatetur tamen Vehus *Lutheri prima scripta contra licentiam indulgentiarum & excommunicationum, item de decem præceptis & de triplici justitia magnum zelum domus Dei præ se tulisse, & eruditionem Christianæ veritatis egregiam in multis eluxisse:* agnoscit etiam *miserum Ecclesiæ statum, & tempora, in quibus,* ut scribit, *refriguit charitas, tepuit devotio, voluptatum spinæ in comessationibus & ebrietatibus ita excrevere, ut verbum Dei quasi suffocatum ne dicam pessundatum sit.* Et postea: *Ipse miserum Ecclesiæ statum desleo, de cujus reformatione diu se desperasse dicebat Gerson.* Animat denique Principem in Lutheranos, sed simul curare eum jubet & optat, non solum ut ecclesiastici abusus in vita, moribus, & conversatione, generali Concilio reformentur, sed & ut verbum Dei tamdiu *sub modio positum*, (en eadem phrasi confitentem, quod in Luthero adversarii irrident) clarius effulgeat, & Domino nostro soli serviens Ecclesia secura tranquillitate potiatur. Unde confirmatur quod alii notarunt, & supra *Add. III. ad §. LXXXVIII.* indicatum est, Georgium Ducem reformationem quandam animo volvisse, sed ad eam forte formam, quam Erasmus aliique præscribebant; sive, quod Lutherus suspicatus esse fertur, ut opes cleri minueret: ut ex *Apophthegm. ejus cap. 45. p. 438.* refert *M. Jeremias VVeberus* in concione seculari anno 1639. *de Lipsia Evangelica* habita. Vehi scriptum vidit Lutherus, sed ut alia, quibus idem contra se dicebatur, quibusque idem responderat, neglexit.

ADDITIO III.

Excerpta ex literis Friderici Elect. ad Johannem fratrem de actis cum Luthero VVormatiæ.

Adscribam quædam ex Friderici Electoris literis sua manu VVormatiæ anno 1521. de initio & fine comitiorum ad fratrem Johannem datis, quæ in Archivo (*Reg. N. fol. 58. n. 12.*) extant, & ob Serenissimi autoris dignitatem & pietatem magni sunt habendæ. Scribit d. 16. Jan. se intelligere, quod adversus Lutherum quotidie consulretur, ut a Pontifice & Cæsare proscribatur, omnibusque aliis modis eum impeti: *Hoc faciunt,* ait, *rubro pileo ornati, & Romani cum suis adhærentibus.* Addit, eo die Philippum Landgravium

An. 1521.

um cum sexcentorum equitum (inter quos multi strenui viri sint) comitatu advenisse, seque statim & postea Georgium Saxoniæ Ducem socerum ejus, ab illo conventum esse: humanissime Georgium secum conversari, incertum qua mente. (Wie das Hertz ist/ das ist GOtt bekant.) D. 30. Jan. causam Martini eodem statu esse, quo esse nuper scripserit, confidere tamen, fore ut Dei beneficio veritas manifestetur, indicat. D. 25. Martii de incommodis negotiis, quibus diu noctuque molestetur, queritur, & quod singulis diebus octo aut novem horis in curia sedendum sit. *D. Martinus* (ait) *huc citatus est, nescio an venturus; lente procedunt omnia, nec multum boni possum promittere.* D. 16. Aprilis: *Nescio an Lutherus venturus sit: mandata contra eum affixa sunt:* (de libris scilicet ejus sequestrandis præcedenti die publicata) *Cardinales & Episcopi summopere ei adversantur: Deus omnia in bonum vertat! utinam præstare aliquid pro eo possem, quod & justum & proficuum esset; nollem quidquam omittere.* **Wolte GOtt ich könte Martino etwas gutes zu der Billigkeit ausrichten/ solte an mir nicht mangeln.** D. 23. Aprilis, cum jam adventasset, & auditus esset Lutherus, idem asseverat: *Si in viribus meis positum esset, promtissimus forem juvandi Martinum in iis quæ jure petere posset. Credas tamen mihi, ita me urgeri & a talibus, ut miraturus sis, si id narravero. Nihil aliud agi videtur, quam ut in exilium pellatur. Quicunque ullo modo illi bene cupere deprehenditur, pro hæretico habetur. Deus ista in bonum vertat! & profecto justam causam non deseret. Quomodo dimissus sit, propediem scribam:* Sed maluit de iis coram ad fratrem referre, ideo postmodum cum jam abiisset Lutherus d. 5. Maji hæc tantum scribit: *Martini causa in hoc versatur, ut in exilium ejiciatur; nullum contra hæc est remedium; eventus tamen stat penes Deum. Si ad te Deo juvante pervenero, mira narrabo: opus est Dei, non hominum. Credas velim, quod non solum Annas & Caiphas, sed & Pilatus & Herodes Luthero adversentur.* Abdito interim in arcem Luthero, Johanni fratri, de fama ejus rei scribenti, ita d. 21. Maji respondet Elector: *Rumores de captivitate Lutheri etiam hic varii sparguntur, multique, ut audio, ægre illam ferunt. Pontifex novam excommunicationem contra eum publicavit & hic severa mandata cuduntur. Faxit Deus ut agantur quæ recta sunt.* Discessit postea, infirmo licet corpore, Elector valde de valetudine sua, ex negotiorum molestia, debilitata d. 23. Maji questus; in itinere vero d. 30. Maji ex oppido *Geroldshofen* in VVürzburgensi Episcopatu scribit: *nihil certi se habere, quæ de Luthero referat; ex Georgio Duce multa auditurum esse fratrem, sed parum benigna.* Differt ulteriorem relationem in adventum suum, & se ita invalidum esse significat, ut gestandus sit. Hæc a tanto Principe & ad fratrem familiariter scripta fidelia sunt & candida. Confirmant inter alia, nihil subdole a Friderico actum esse in causa Lutheri, neque illo sciente & consentiente, nec nisi post abitum ejus, sanguinarium illud *edictum VVormatiense* conditum fuisse, quanquam dies publicationis callide in diem 8. Maji (ut in loco dictum est) retractus fuerit.

An. 1521.

SECT. 43.

Edicti VVormatiensis contra Lutherum promulgatio.

Sequenti mense in templo majori præsentibus omnibus Principibus publicari fecit Edictum *suum Imperiale, quo Lutherus ab Imperio, ut schismaticus & hæreticus manifestus proscribitur, & interdicitur omnibus, ne illum recipiant aut protegant, neque libros ejus habeant, potestate omnibus facta, ipsum ejusque complices atque protectores invadendi, & eorum bona mobilia atque immobilia capiendi.*

d. 26. Maji. apud Goldast. Const. Imper. t. 2. Cochl. act. Luth.

§. XCVII.

(1) *Severitas edicti VVormatiensis.*

Prius quidem de itinere Lutheri cum *Pallavicino* dicendum fuisset, sed sequor Maimburgium. Edictum rigorosissimum fuisse nemo mirabitur, qui ex *Pallavicino* intelliget, ab Aleandro conscriptum fuisse. Quidquid igitur oratione illa sua jam exprobraverat Luthero, quicquid ex scriptis ejus odiosum eruere, & in pessimam partem interpretari potuit, omne denique affectuum & styli virus in illum effudit, adeo ut dicat, *illum unum non ut hominem, sed diabolum ipsum, sub hominis specie, ad perniciem generis humani assumta monachi cuculla, quamplurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses jam diu sepultas in unam sentinam congessisse, aliquas etiam de suo excogitasse: & sub simulata fidei prædicatione, & evangelicæ veritatis professione, omnem evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique Ecclesiæ faciem invertere, labefactare & penitus pessundare moliri.* Hos flores dignos habuit Jesuita, quos operi suo innecteret. Sequitur dein, ut moris est, ex illis præmissis atrocissimarum pœnarum interminatio, in Lutherum ejusque patronos, fautores, doctrinæ sectatores, librorum lectores, evulgatores &c. Sed & alterius secreti revelationem *Pallavicino* debemus. Quod dies edicti, licet 26. Maji (postquam plurimi ex Electoribus & Principibus interque hos Saxo jam discessissent) publicati, retractus ad diem ejus mensis octavam fuerit. Vide *Lib. I. cap. XXVIII. §. 7.* Id factum est, ut omnibus suffragiis approbatum esse videretur, quanquam paucis probatum fuisse fama erat, ut *Sleidanus* notat. Ludovicus Palatinus Elector Guilielmo Duci Brunsuicensi confirmavit, & quidem cum indignatione, se inscio edictum conditum esse, teste *Spalatino* in *hist. MS* Fridericus Saxoniæ Elector paulo post *Johanni Baroni a Rechenberg* Silesiæ Satrapæ (Ober-Amt) roganti, verumne esset, quod tale edictum, cujus exemplum typis excusum ad se pervenisset (& ipse literis addiderat) Wormatiæ decretum fuerit? respondit; se ob valetudinis incommoda Wormatia discessisse, antequam de decretis Comitialibus conventum esset. In concepta responsi formula, quæ extat, apertius quædam conscripserant Consiliarii; sed Elector, ut erat cautus, generalibus brevibusque verbis uti maluit. Frustra itaque *Pallavicinus* de universæ Nobilitatis Senatusque Germaniæ consensu contra Paulum Venetum gloriatur, ab eventu mox secuto satis refutatus. Vulgatum fuit Edictum utraque lingua, & extat varia forma, insertum etiam Lutheri Tomis Germanicis. Vide *Tom. I. Altenburg. fol. 736.* De effectu postea videbimus. Parum abfuit, quin Aleandri consilium statim successerit, de quo ex Spalatini relatione ad Linccium scripsit hoc anno, antequam Wormatiam iret, Lutherus *Lib. II. epistolar. p. 8. a.* ausum nempe dicere: *Etiamsi vos Germani, qui minimum omnium dependitis æris Romano Pontifici, jugum servitutis Romanæ excusseritis; tamen curabimus, ut mutuis cædibus absumti vestro cruore pereatis.*

(2) *Cautela in die retrahendo publicati edicti.*

SECT.

An. 1521.

SECT. 44.

An. 1521.

Sed multum abfuit, ut edictum hoc, quem Imperator cupiebat, effectum haberet. Dux enim Saxoniæ, qui publicandum id fore sciebat, ut & Imperatoris offensam evitaret, nec tamen Lutherum desereret, secreta jussa dederat, quibus ex compacto obsequens Lutherus fecialem suum Friburgi a se dimiserat. Inde ab hominibus personatis in sylva quadam, simulata vi, curru extractus, in arcem Vestberg, monti impositam, in regione fere deserta prope Alstad, ductus, ibique per menses plusquam novem inclusus, splendide tamen habitus est, nemoque rescivit, ubi esset. Fertur ipse Saxoniæ Dux id scire noluisse, ideoque tantum mandasse, ut in locum aliquem tutum abderetur, nempe, ut apud Imperatorem jurare posset, se nescire, quo Lutherus confugisset. Interea hæretici hujus sectatores ubique disseminabant, Papistarum insidiis necatum esse, quod fere in seditionem Wormatiæ erupisset, in magnum vitæ periculum adducto Nuncio Aleandro, quem Lutherani vehementer oderant. Majus vero impedimentum executioni Imperatorii edicti attulit, & negotium hoc bene cœptum meliori exitu destituit, quod Imperator post comitia Wormatiensia cogeretur in Hispaniam ad sedandos tumultus redire, quos mala gubernatio ministrorum suorum Belgarum ibi excitaverat. Tunc enim magni protectores Lutheri, Dux Saxoniæ, & Comes Palatinus, Imperii Vicarii, summa autoritate fruebantur. Itaque edictum Caroli Quinti executioni non fuit mandatum, & Lutherani sub illorum præsidio potentiores & insolentiores, quam unquam, facti sunt.

(1) Lutherus Friderici Electoris consilio capitur & abditur.

(2) Impedimenta per quæ edictum executione caruit.

Cochlæus.

§. XCIIX.

(1) *Lutheri ad Imperatorem & Ordines litteræ.*

Dicendum tandem est de itinere Lutheri. Venit is d. 28. April. *Dom. Cantate* Friedburgum sive *Friedbergam.* VVetteraviæ id oppidum est Imperiale cum castro Liberæ nobilitatis, a Maimburgio, typographorum errores incaute secuto, *Friburgum* vocatur. Inde literas ad Imperatorem & Ordines Imperii scripsit, eodem utrasque tenore. Recenset quæ secum acta erant, gratias agit pro impetrato & servato salvo conductu, queritur tamen, quod dogmata sua ex sacris literis non essent examinata, harum veritatem & præeminentiam omnibus modis extollit, & conscientiam suam illis devinctam esse testatur, petitque iterum instantissime, ut sub fide Cæsaris a judicibus non suspectis, eruditis, liberis, tam profanis quam ecclesiasticis audiatur, quibus libellos & dogmata libentissime esset submissurus: rogare se hæc dicit, non sui causa, qui se nullius esse sciat pretii, sed totius Ecclesiæ nomine: nihil enim se quærere, quam gloriam Dei & communem omnium salutem, neque se considerare, sive ab adversariis condemnetur sive non: orare etiam pro illis, sed maxime pro Cæsare & Germaniæ, patriæ suæ, ordinibus. *Lib. I. ep. 223. 224.* Has literas (quarum exempla Germanica in Archivis extant) postmodum typis divulgatas, omni cum reverentia & submissione, nullaque cujusquam insectatione scriptas, feciali VVormatiam ad Spalatinum reportandas dedit postero die. Ibat enim Friedberga in Cattorum provinciam, eaque nocte *Grunbergæ* hospitium habuit, quod oppidum Philippi Landgravii erat, qui literis commeatus, ut diximus, speciatim ei caverat, ut adeo earum fide tutus in Thuringiam proficisci posset. Dimissum fecialem fuisse suspicatur, Cochlæi ductu, *Pallavicinus*, ut, quæ secuta est, occultatio Lutheri, tutius expediri potuerit: sed ex hujus actis scriptisve, in quibus nihil dissimulat, tale nihil apparet. Cæterum historia itineris & captivitatis ex Lutheri literis ad amicos d. 12 Maji & sequentibus scriptis recte cognoscitur. Vide *Libri I. epist. 226. & 229.* Mire prædicat Abbatis Hersfeldensis, qui Imperii Principibus accensebatur & Benedictini Ordinis erat, humanitatem sibi exhibitam, & ut ipso flagitante concionatus fuerit, nequicquam inhibitionem Wormatiensem opponens. Captus autem est, cum Isennaco, non recta, quam in Saxoniam euntes per Gotham Erfurtumque habent via, sed ad invisendos propinquos suos (in tractu Salzungensi, magno numero, ut refert, habitantes) deflecteret, prope arcem Equitum Hundiorum, *Altenstein*, & vicum *Schweina*, ad radices sylvæ Thuringiacæ, Vierram amnem versus sitæ, in ditione Electorali. Secretum commissum erat *Johanni a Berlepsch* Præfecto Wartburgensi & *Burckardo Hundio* Altensteinii Dynastæ. Retro inde ductus fuit per sylvas in arcem supra Isennacum in altissimo montium vertice constructam, vetustissimam Landgraviorum Thuringiæ sedem, & Sanctæ Elisabethæ habitatione aliisque casibus notam, quæ vocatur *Wartburg* vel *Wartemburgum*, quasi dicas *Castellum speculæ.* Mirus hic est noster, de locis, ut apparet, sibi incognitis tam confidenter quam falsissime scribens. Cum enim apud Pallavicinum *Wastburgum*, vel, ut interpres Latinus scripsit, *Westbergam* invenisset, (voces nihili) Cochlæum etiam consuluit; at hic ex sermonibus tunc sparsis mendacissimum lubenter arripuerat, ut Lutherum in arcem *Alstet* abductum scriberet. Ea cum oppido cognomine plus bidui itinere Wartburgo distat, & Munzerum parochum habuit, rusticæ seditionis incentorem, cujus cum Luthero comparatio quædam opportunissima hic visa est Cochlæo. Ex diversis his erroribus unum conflavit Maimburgius, simul &, nescio quod, desertum, in tractu, qualis circa Alstedium est, frequentissime habitato, effinxit. Neque montes & sylvæ circum Isennacum & VVartburgum desertam faciunt regionem, quæ & populosa est, & ob viam regiam ex Thuringia in Cattos & ad Rhenum notissima. Sed tales lapsus, (quamvis ab audacia veniant, incomperta tradentis) condonari possunt homini peregrino, modo nocentioribus aliis careret. Modestior tamen idem est *Pallavicino* magistro. Hic enim non solum refert, quod locum custoditi Lutheri ideo nescire voluerit Elector, ut jurare Cæsari, si opus esset, de ignorantia posset, quod hactenus

(1) *De captura Lutheri quædam.*

(3) *Errores adversæ partis autorum in nomine arcis.*

(4) *Monita ad quædam Pallavicini tradita.*

An. 1521. ctenus sequitur Maimburgius, sed & jurasse dicit. Si conjecturis uti licet, ubi desunt rei gestæ clara testimonia, credere malim, non sine Cæsaris ipsius conscientia hunc servandi Lutheri modum adhibitum fuisse. Ipse mihi *Pallavicinus* facem præfert *Lib. I. cap. XXVIII. §. 5.* Caroli calliditatem revelans, qui Pontificis amicitiam contra æmulum Galliæ Regem, condemnando Lutherum, ita ambiebat, ut tamen neglecta Edicti executione media sibi servaret, suis commodis varie prospiciendi, si Pontificis fides, quæ lubrica habebatur, labasceret. Certe quæ postea acciderunt, dubitare vix sinunt, causam Lutheranam & prætextibus & utilitati sæpius serviisse. Quapropter præter absentiam Imperatoris alias etiam causas non observati Edicti fuisse oportet; inter quas Dei providentia pro summa & præcipua numerari debet. Nam Principes ad hoc usque tempus præter conniventiam quandam nihil præstabant, sola Sickingii circa Rhenum, eaque debilis, factio tumultuosius agebat, infelici, ut in tempore dicetur, exitu.

ADDITIO I.

(a) *Notæ in quædam Varillasii narrata.*

Ex Historia *Varillasii Lib. IV.* de comitiis VVormatiensibus & de Lutheri in iis comparitione, incerta aut falsa inter alia hæc notari possunt. (1) Probatum huc usque non est, insertas fuisse salvi conductus Cæsarei literis conditiones de non prædicando & scribendo. (2) Nec quod examinatum & pro insufficienti deprehensum sit Cæsaris diploma in consilio Saxonico. (3) Sturmium in omnibus urbibus tibicines & tubicines in Lutheri introitu præcinentes habuisse. Obiter noto: Sturmium hunc quem *nobilem* Galli vocant, *Oppenheimensem civem* fuisse; illum *virum optimum & pientissimum* vocat Selneccerus, & ex ejus relatu quosdam sermones facetos Lutheri audivisse se notat, & alia quæ da n VVormatiæ acta narrat. (4) Verum non est, ad concionem ejus maximum templum Erfurti præbitum fuisse: concionatus enim est in æde ordinis sui Augustiniani, quod neque primarium neque maximum est. (5) Tumultum Erfurtensem malitiose *p. 311.* concioni Lutheri subjungit, qui tertio post mense, latente illo in arce & rem indignissime ferente, (vide ejus epistolam allegatam §. *XCIX.*) secutus est, studiosis mille & ducentis in sacerdotes concitatis, quod Canonici B. Virginis quendam cognomento *Draconem*, ob Lutheranismum sodalitio & choro suo ejecissent. (6) Contra omnia aliorum scriptorum testimonia & rei evidentiam *p. 317.* refertur, Lutherum ex monasterio Augustiniano VVittenbergensi, in quod se inclusisset, simulata vi, raptum fuisse Electoris jussu. Quis enim nescit id in Thuringia, cum sex pene dierum itinere a VVittenberga abesset, factum esse? Dein cum Cochlæo, Surio, atque aliis eundem errorem errat, dum arcem in quam ductus fuit Lutherus, *Alstat* nominat. Cæterum quæ de Ludovico Electore Palatino scribit *p. 314.* quod restiterit iis, qui Lutherum contra impetratum salvum conductum VVormatiæ retineri & in vincula conjici suaserant, *Altingius* ita narrat, ut in colloquio potius quam in consessu comitiali dictum esse appareat. Scribit enim: *Quum anno 1521. Lutherus ad comitia VVormatiensia a Carolo V. Imp. evocaretur, & dictitarent non pauci, in ipso revocatum iri exemplum Johannis Hussi, qui contra datam fidem ceu hæreticus concrematus fuit: Ludovicus se interposuit dicens, ad labem & dedecus Germanici nominis sempiternum pertinere, siquidem fides publica non Imperatoris tantum, sed potius Imperii nomine data, violaretur. Sunt qui hac occasione dictum a Carolo V. Imp. referant: si fides toto orbe exularet, in aulis Principum refugium illi deberi.* Vid. nuperrimus Historiæ Burgundicæ scriptor Gallus *de Fabert p. 453. Matth. Razebergius in MS.* sententiam illam de capiendo Luthero Principibus Ecclesiasticis plerisque & Electori Brandenburgico tribuit, laudem vero improbati ignobilis consilii assignat (quod mireris) Georgio Saxoniæ Duci, qui etsi

(b) *Speciatim de arce, in quam abditus fuit Lutherus.*

(c) *Aliquid de Ludovico Electore Palatino.*

An. 1521. infensissimus esset Luthero, aperte tamen dixerit: *Principes Germanos hanc turpitudinem, maxime in his primis Cæsaris comitiis, admissuros neutiquam esse, ut fidem datam violarent: non convenire hæc cum priscis Germanorum moribus, sed servari debere quæ promissa sint.* Hæc sane fide & candore Principis dignissima sunt, & in hoste etiam merito laudanda. Aliud quoddam dictum Lutheri notat autor: Cum VVormatiam proficiscens in monasterio Reinhardsbrunn, ad radices sylvæ Thuringiacæ (Præfectura hodie est Principatus Gothani) pernoctaret, Vicario, qui monasterio præerat, monacho, sollicitudinem suam de eventu itineris & metum ab Italorum & Hispanorum fraudibus testanti, respondisse per jocum: *ora tu quæso Deum, ut Christo filio suo faveat: si hujus causa salva est, etiam mea salva erit.* Sed in vita Frid. Myconii a *Melch. Adamo* edita facta hæc esse perhibentur, cum anno 1518. Lutherus Augustam iret, & partim per jocum partim serio dicta aliter enunciata hoc modo *p. 176.* referuntur: *Anno Christi millesimo, quingentesimo decimo octavo, cum Lutherus iter suscepisset Augustam, & pedes venissent Vinariam; pernoctavit eo in monasterio, missamque decantavit. Ibi Myconius primum vidit Lutherum, sed ab accessu & colloquio ejus tum est prohibitus. Monachorum vero tunc temporis* διοικητὴς *vel* ἐπίτροπος, *vicarius & administrator Joannes Kestnerus solus Lutherum compellavit, & de religionis negotio multa cum eo contulit, atque vel ex pia quadam* συμπαθείᾳ *vel potius* μικροθυμίᾳ *& humana imbecillitate: Mi frater, inquit, habebis Augustæ Italos homines doctissimos & acutissimos, antagonistas acerrimos, qui plurimum tibi facessent negotii. Valde metuo, ut ne in hac religionis controversia causa excidas: profecto in ignem te conjicient, & flammis exurent. Cui Lutherus per jocum respondit: Si urticis me usserint, aliquo modo tolerabile erit: si igne, nimium grave, & prorsus intolerabile: addens hanc patheticam & spiritu plenam adhortationem: Interpone, quæso, tuas preces apud Deum pro me, & ora Christum filium ejus, cujus est causa hæc, ut mihi adsit, quam si obtinuerit, mihi obtenta erit: sin vero causa exciderit, nec ego eam obtinere potero, atque ita ipse solus ignominiam reportabit.* Aliud quod VVormatiæ Luthero accidit, narrat Razebergius: *Invitatus, ait, ad cœnam ab Episcopo (nescio an Trevirense) cum bibiturus vitrum ori admoveret, id tamen prius ex more suo, cruce digitis efformata signaret, subito inferior vitri pars rupta est, effuso vino. Inde suspicati sunt multi, venenum ei paratum fuisse, sed ipse putabat, vitrum dissiliisse, quod aquæ nimis frigidæ subito fuisset illatum.* Testem rei gestæ allegat Cornelium Block, Regis Ferdinandi musicum, qui cœnæ illi interfuerit & sibi hæc Pragæ anno 1545. narraverit. De meliori potu, in consessu Comitiali defatigato propinato, non ingrata lectu memorat *Selneccerus pag. 108. Luthero egredienti, & multorum hominum caterva circumdato, Ericus senior Dux Brunsvicensis mittit cantharum argenteum cerevisia Einbeccensi repletum, jubens ut se reficiat. Interrogans Lutherus, quis Principum sui ita recordetur, & audiens donatorem Pontificium, ex eodem cantharo, ne quid sinistri Lutherus suspicetur, præbibentem, ipse quoque bibit, inquiens: Sicut mei nunc recordatus est Princeps Ericus, ita Christus recordetur ipsius in ultimo agone. Hujus vocis Dux Ericus animam efflaturus recordatus est, & a puero adstante nobili Francisco a Kramm petiit, consolatione Evangelica se recreari.* Alia vitæ Lutheri circa illa tempora structa pericula refert *p. 97.*

(d) *De Georgio Saxone.*

(e) *De dicto quodam Lutheri ex Razebergio.*

(f) *Quædam quæ Luthero VVormatiæ acciderunt.*

ADDITIO II.

De consiliis Cæsaris *Varillasius*, qui nullam facile negligit occasionem ut ea rimetur, & sugillet, ac si suæ utilitati omnia, etiam Ecclesiæ salutem, servire fecerit, & extirpationem Lutheranismi suis emolumentis posthabuerit, scribit: consilium de Luthero VVormatiam evocando, in Hispania captum esse. Ait enim *Lib. IV. p. 294. Imperator, etsi quodammodo ejus intererat, ut titulum Catholici Ferdinando prædecessori suo a sancta sede collatum tueretur, negotium Lutheri ita considerabat, ut duplici modo sibi utile esset. Primo enim occasionem habebat ulciscendi Pontificem, qui*

(a) *Varillasii de consiliis Cæsaris commentatio.*

Electio-

An. 1521.

Electionem ejus impediverat, & simul Germanorum benevolentiam acquirendi, ostendendo, se Romanæ sedi non multum gratificari. Secundo Pontificem adigere poterat, ut amicitiam suam requireret, qua ad explendam ambitionem suam opus sibi maxime esse judicabat. Narrat inde prolixe, ut Cæsar Mediolanum Gallis eripere cogitaverit, totiusque Europæ dominatum invadere, & cum Pontificis rationes non paterentur, ut conatibus illis in suam etiam servitutem redundaturis faveret, terriculamentum a Luthero ei injecerit. Hoc *pag. 298.* ita efformat, ut dicat, Lutherum per potentissimum in Germania Principem *Electorem Saxoniæ*, per fortissimum belli ducem *Sickingium*, per *Huttenum* eloquentissimum, per *Nobilitatem* recuperandarum ditionum avidam protectum, in ordinem redigi a sede Romana non potuisse, nec schisma, quale post separationem Ecclesiæ Latinæ & Græcæ non fuerit, præcaveri. Dein Imperatorem Nuncio Pontificio in Hispania, qui capturam Lutheri urgebat, ita respondentem induci, ut dixerit: *Lutherum in ea regione esse, in qua non tam facile ac in Italia statui de hominibus posset. Nec se præstare officium, quod desideraretur, posse: nisi postquam ex Hispania in Germaniam rediisset, coronari se fecisset, & Comitia VVormatiæ habuisset. Eo se Lutherum citare velle, ut de doctrina sua responderet, indeque reus peractus, Pontificis ministris traderetur.* Papæ in hoc responso displicuisse, ait, tum quod Imperator quasi ad Calendas Græcas rem differret, malo interim per temporis moram crescente, tum quod sub auspicia imperii sui adversus jurisdictionem Ecclesiasticam attentaret, auditurus Lutherum, cujus causa jam Romæ ventilabatur. Cum autem Pontifex debilioribus esset viribus, quam ut impedire hoc attentatum posset, consilium de condemnando prius Luthero cepisse, Bulla d. 15. Jun. 1520. publicata, cujus contenta referuntur *p. 299. & seqq.* Suspecta hæc Varillasii tradita, nisi bonis documentis probare illa possit, non uno sunt modo. Quæ enim de potentia Friderici, & de Sickingio, Hutteno, & Equitibus aliis, ut magna & formidanda refert, tam exigui erant ponderis, ut callidum & peritissimum omnium rerum Pontificem terrere non possent. De Sickingio & Equitibus jam dictum est, de Friderico vero hic notandum, illum sapientiæ & opum fama, & consiliorum moderatione clarissimum, sed inermem fuisse, nullo milite, nec unico loco satis munito, si arces quasdam in montibus sitas excipias, tunc instructum, pacisque & quietis adeo cupidum, ut timiditatis notam vix effugerit. His igitur, quæ præsupponit Varillasius, labascentibus, cætera etiam quæ inter Carolum & Pontificis legatum in Hispania tractata referuntur, vix consistent. Certe Bullam Leonis ad præveniendum Imperatorem festinatam esse non tacuisset *Pallavicinus*, cui in scriniis Vaticanis sine dubio relatio Nuncii ex Hispania ad manus venire debuit. Sed is Bullæ historiam aliam nobis narrat, emissamque dicit, postquam Leo Lutheri, sive mansuetudine sua, sive coercitione per Electorem, recuperandi spem perdidisset *Lib. I. c. 20.* Porro cum legationem Caraccioli & Aleandri narret *Pallavicinus cap. XXIII.* cur oblivisceretur eorum, quæ in Hispania acta forent, nulla apparet ratio. At legatos illos a Cæsare, non in Hispania, sed in Belgio ante coronationem & post publicatam jam Bullam, edictum contra Lutherum (de capiendo eo nihil memoratur) postulasse, diserte tradit *Pallavicinus d. l.* & pro magno secreto tum demum profert vocem, quæ Cevrio, Politicis artibus dedito, exciderit, dicenti: *Cæsarem erga Pontificem ita se esse gesturum, uti se erga Cæsarem se gereret.* Denique consilium de Luthero ad Comitia vocando, minime in Hispania, sed VVormatiæ ex tempore, & Friderici Saxoniæ Electoris suggestione captum esse, ut rem Aleandro improvisam & Pontifici ob jurisdictionis violationem ingratam, memorat. Quis ergo credat hæc scribentem Pallavicinum, ignorasse aut dissimulasse alia & apertiora jam in Hispania dicta? sed stant hæc, ut innui, Actorum fide: quæ si producere potest Varillasius, præ Pallavicino arcanorum Pontificiorum & Cæsareorum scientiam jactare non immerito poterit. Sed si ista ex conjectura scripsit, ruunt etiam quæ *pag. 307.* de consilio mittendi Caracciolum & Aleandrum commentatur, quasi tum demum Pontifex id ceperit, cum Lutherus Libros Juris Canonici combussisset, & potestatem Pontificiam acribus argumentis oppugnasset. Hæc iterum adversantur narratis a *Pallavicino*, qui Caracciolum omnium primum ad gratulandum Cæsari, ex Hispania in Belgium profecto, de electione missum, & adjunctum ei propter negotium Lutheri Aleandrum refert. Cætera de avocatione & comparitione Lutheri ad §. *XC.* notata sunt. *Laurentii Surii* spiritum notare hic lubet, qui in relatione hujus comparitionis deplorat, quod Carolus, piissimus Princeps, etiam Catholicorum dynastarum precibus, qui mitius agendum cum Luthero putabant, induci se passus sit, ut eum dimitteret. Cantat carmen illud: *Principiis obsta &c.* & *crudelitatem non esse*, ait, *sævire in membrum morbidum ne serpat contagio.* Sane ipsum Carolum intus in corde suo meliora de Luthero sensisse ex dictis factisque ejus haud difficulter ostendi potest, eritque alibi locus de iis aliquid commemorandi.

(b) *Refutatio ejus.*

(c) *Surius notatur.*

An. 1521.

ADDITIO III.

De fama capti vel interfecti Lutheri & Evangelicorum de illo metu referri merentur verba *Nic. Gerbelii* JCti Argentoratensis alibi laudati in *epistola MS.* quæ inter Heckelianas est XX. d. 26. Maji ad ipsum Lutherum data. Scribit enim: *De te apud nos adeo incerta sunt omnia, ut nihil videris audierisque incertius. Nam constans ubique fama volat, per insidias te captum esse, deinde vero occisum, etiam adacto in cervicem tuam gladio. Sunt, qui dicunt, salvum te VVittenbergam rediisse. Ex his, quodnam sit verum, ambigitur. Postremum certe nemo est eruditorum vel proborum hominum, qui non ita esse cupiat. De priore non credis quam exultent, quam gratificentur Diis suis adversæ partis assertores: insani homines profecto & ignari, quantum malorum, quantum etiam humani sanguinis exposcat interitus tuus. Nos sane, quotquot adspiravimus ad salutem & libertatem, quique Evangelii & veræ fidei propagatorem te esse agnovimus, varie afficimur, deque vita tua, non credis, quam simus solliciti. Non quod hanc tibi gloriam invideamus, ut mundo mortuus, vivas apud superos, pro quo tu animo tam excelso, tamque incredibili constantia hos rerum motus exsuperasti, sed quod Evangelium Christi tu cum paucis rectissime tractare visus es, & quo duce, non fallaci agebamur spe, restitui posse omnia, quæ majorum nostrorum injuria atque desidia fuerunt obliterata. Quare, mi doctissime Luthere, si me amas, si reliquos, qui adhuc mecum curam tui habent, Evangeliique Dei, per te tanto labore, tanta cura, tot sudoribus, tot periculis prædicati, fac sciamus an vivus an captus sis: num prærepta tibi libertas scribendi & docendi nos, vel quonam in statu sint res tuæ. Interdicetur, si vera est fama, omnibus aqua & igni, qui libros tuos legent, qui vera docuisse te sint credituri.*

Gerbelii epistola ad Lutherum de ejus captura.

SECT. 45.

Lutherus ipse in solitudine sua, quam Patmon insulam *vocabat, indefesse laborans, multis novis libellis subinde editis, suos confirmabat, & veteres errores stabiliens etiam novos indies invenit. Eo ipso in loco tractatum* de confessione secreta *conscripsit, quam crudeliter a Papis inventam esse dicit, ad torquendas immaniter conscientias. Ibidem Doctori* Latomo *respondit, defenditque omnia, quæ Lovanienses Doctores in scriptis suis condemna-*

(1) De scriptis Lutheri in Patmo sive custodia sua.

Luth. t. 2.

An. 1521. *demnaverant, præcipue hanc propositionem, quod Deus homini mandet, quæ præstare non sit possibile, & quod gratia ita operetur bonum a Deo præceptum, ut voluntas nihil contribuat, quam malum & peccatum, & semper in omnibus bonis operibus peccet. Ibidem præterea composuit tractatus* adversus Missas privatas, *aliosque: in quibus ultra ea, quæ in libro* de captivitate Babylonica *dixerat provectus, statuit Missam non posse esse sacrificium; nullum esse purgatorium, neque transsubstantiationem, sed corpus & sanguinem Jesu Christi in Sacramento sub substantia panis & vini esse; Laicis duas Sacramenti species esse porrigendas; nullam esse inter Clericos & Laicos differentiam; cuilibet in Ecclesia eandem consecrandi & administrandi Sacramenta, itemque docendi potestatem competere, quamvis ordinis & decoris causa Senioribus demandetur, per quos intelligit Presbyteros & Episcopos, duoque hæc nomina non nisi unam, ait, rem significare; nihil esse quod conscientiam nostram obliget, quam quod in Evangelio præscriptum & preceptum est; præcepta vero & consilia æquali modo omnes Christianos obligare; nullum votum quam quod in Baptismo fit, obligatorium esse. Ex hoc capite in secessu illo suo tractatum* contra vota monastica & cœlibatum Ecclesiasticum *composuit, illaque & hunc directe libertati filiorum Dei adversari asserit. Ita ostium ad vitam dissolutam apertum fuit iis, qui amissæ libertatis desiderio angebantur, & brevi tempore monasteria utriusque sexus deserta, multique Monachi & Presbyteri in magna Germaniæ parte, uxoribus juncti, apparebant. Eodem vero tempore non parum commotus est, cum intelligeret, quod* Sorbona, *cujus judicio se cum magno ejus elogio submiserat d. 15. April. plusquam centum theses doctrinæ suæ, ex libris ejus excerptas, tanquam execrabiles, hæreticas, impias, schismaticas & blasphemas condemnasset.*

Omne opus bonum est peccatum Luth. t. 2.

(2) Sequela ex iis.

(3) Condemnatio Sorbonica.

§. XCIX.

(1) Lutheri de statu suo in custodia querela.

Multa hic sed imperfecte, crude, maligne, confuse dicuntur, quæ si evolvere, ordinare, refutare, ut fieri posset, vellem, volumen conficerem, sed brevitatis causa pauca annotabo. Lutherus prudentiæ & potestati politicæ obtemperans potius, quam suo consilio vel consensu in arcis solitudinem abditus, multa patiebatur; queritur enim in epistolis, quas dixi, de valetudine ex obstructionibus pene desperata, ita ut multoties medicinæ causa Erfordiam excurrere vellet: improbat vir laboriosus & parsimoniæ monasticæ suetus, abundantiorem & delicatiorem victum: (quem post aliquod demum tenpus a Principe sibi suppeditari divinavit potius, quam scivit) tentationibus non satis fortiter se dicebat resistere, ad orationem languere, crapulosum atque otiosum desidere: maxime vero de Ecclesiæ statu & Wittenberga sua angebatur. *Ego*, scribit Melanchthoni *Lib. I. ep. 226. hic sedens tota die, faciem Ecclesiæ ante me constituo, & illud video Psalm. 88. nunquid vane constituisti omnes filios hominum? Deus! quam horrendum iræ Dei spectrum est, abominabile illud Romani Antichristi regnum: ac meam duritiam detestor, qui non totus in lacrymas resolvor, ut & ego fontibus lacrymarum flerem interfectos filios populi mei. Sed non est qui surgat & teneat Deum, aut opponat se se murum pro domo Israel, in hoc die novissimo iræ ejus. O dignum regnum Papæ fine & fece seculorum! Deus misereatur nostri.* Et *ep. 231.* ad eundem: *Pro verbi gloria, & aliorum & mea mutua confirmatione, mallem inter carbones vivos ardere, quam solus semivivus, atque utinam non mortuus, putere.* Consolatur tamen se ex Dei voluntate, additque: *Ego etiamsi peream, nihil peribit Evangelio*; & Philippum sperat Helisæum fore, Eliæ succedentem. Paulo post: *Si Papa omnes aggreditur, qui mecum sentiunt, sine tumultu non erit Germania, & quo citius id tentaverit, hoc citius & ipse & sui peribunt, & ego revertar. Deus suscitat spiritus multorum, atque adeo & vulgi corda, ut mihi verisimile non sit, posse rem istam vi compesci, aut si compesci cœperit, decuplo major erit.* Sæpius optat, ut dignus habeatur mortem pro veritate oppetere, honoremque sui occidendi Georgio, Saxoniæ Duci, veluti defert; neque enim alius majori zelo edicti Wormatiensis executionem curabat, quanquam & de Electoris Brandenburgici rigore queritur. Interim a vi & tumultu ita abhorrebat, ut Erfurtensis plebis & Academicæ Juventutis petulantiam in Clerum omnibus modis improbaret, licet sui causa fieri audiret. Notanter sane in fragmento quodam Epistolæ (*n. 230. Lib. I.*) scribit: *Etsi bonum est incessabiles illos impios coerceri, modus tamen iste Evangelio nostro parit & infamiam & justam repulsam. Vehementer me offendit gratia ista hominum in nos. Ex qua liquido videmus, nondum esse nos dignos coram Deo verbi sui ministros, & Satanam in nostra studia ludere & ridere.* Affligebat etiam aulæ timiditas, ex qua difficultas oriebatur in publicandis scriptis quibusdam Lutheri, & habendis disputationibus, ita ut Academiæ Professores, interque eos Melanchthon, animum fere desponderent. Itaque hunc, & cum eo reliquos, d. 13. Julii scribens *ep. 234.* cohortatur, ne aulæ consilia sequantur, sed præveniant, sicut ipse fecerit: *dimidium* (ait) *factum non esset, si ab illius* (Spalatini) *consilio pependissem: sunt etiam ibi homines, sicut & nos.* Sed postea *die Martini* (sive 11. Novembris) acerrime respondet Spalatino (*epist. 251.*) & scriptum quod *adversus Moguntinum*, ut postea dicemus, paraverat, *invito ipso & Principe publicaturum se esse* constanter affirmat, perditionem utrique comminatus; & mascule affirmans, *pacem Dei paci mundi præferri debere, nec se moveri, quod quidam ex suis immodestius agant, non ideo ruiturum Evangelium; etiam inter Apostolos Judam fuisse; verbo, non gloriæ verbi adhærendum esse: alienetur*, ait, *a nobis, qui alienatur; cur non spectat nostra meliora & firmiora? cur spectat pejora & infirmiora?*

(2) Improbat tumultum Erfurtensem.

(3) Et timiditatem aliorum.

§. C.

An. 1521.

§. C.

(1) *De laboribus Lutheri in arce.*

Quod vero ad libros ejus in hoc ſeceſſu elaboratos attinet, ſtupendus eſt labor viri, tot curis agitati & corpore male habentis. Non omnes enumerat Maimburgius, nec mihi neceſſe videtur catalogum omnium ex *Tomis* huc tranſcribere, aut contenta promiſcue enarrare. Confirmavit in quibusdam quæ antea ſcripſerat, & contradicentes refutavit; quædam vero poſt novas meditationes & diſputationes propoſuit, quæ utinam ſincere retuliſſet Maimburgius. Sed non alibi magis, quam in librorum & dogmatum recenſione oſtendit, Jeſuitam ſe & ſectæ propugnatorem non Hiſtoricum eſſe. Duobus fundamentis omnia ſcripta Lutheri dogmatica innituntur: affirmat ut certa & credenda, quæ ex ſacra Scriptura probari poſſunt; negat articulos fidei eſſe, quæ ex Scriptura pro talibus non poſſunt demonſtrari. Itaque fruſtra debacchantur in Lutherum adverſarii, & in his Maimburgius, qui ex aliis principiis eum adoriuntur, ut jam ſub initium Commentarii hujus monuimus. Confeſſionem igitur privatam, qualem Romanæ Eccleſiæ ſacerdotes ex Bulla Pontificia, præcipue in ſeptimana ſancta, exigebant, rejecit Lutherus, quia, ut breviſſime ad articulos Wormatiæ excerptos reſpondit, ex Scriptura probari ea nequit, *(Tomo II. Jen. fol. 441. b.)* retinendam autem cenſet debita cum moderatione.

(2) *Libellus ejus de confeſſione.*

Tractat hæc libello Germanico d. 1. Jun. 1521, *Franciſco a Sickingen* dedicato, qui extat *Tomo I. Altenb. f. 783. & ſeqq.* Vehementiſſime in abuſus, qui partim dominatu, partim negligentia & pravis moribus Epiſcoporum irrepſerant, detonaſſe Lutherum, non poteſt negari; inprimis quod nihil effecerint omnibus illis de confeſſione legibus & conſcientiæ torturis, ad fidem populi augendam & vitam corrigendam, ſed ſtulta ſaltem opinione homines imbuerint, ac ſi confeſſione privata, & quæ eam ſequuntur ſatisfactionibus a Clero impoſitis, omnia crimina expiarentur, quæ interim millies & publice repetebantur. Docet e contrario confeſſionis & cenſuræ ſalutaris modum ex *Matth. XVIII, 15-20.* quibusque rationibus Chriſtiani ad ſpontaneas confeſſiones moveri poſſint & debeant, nempe ex utilitate ſubmiſſionis & mortificationis, & ex ſolatii ubertate, quod abſolutio eccleſiaſtica ob promiſſionem Chriſti ſecum fert. Ex his conſtat, nihil agi adverſus hoc dogma, ſi nil niſi decreta Pontificis pro eo allegentur, donec horum divina ſtabiliatur autoritas; ideoque nec hæreticum eſſe, quod Scripturæ dictis firmatur, donec horum ſtat (ut merito ſtare debet) adverſus decreta & temporum præſcriptiones majeſtas.

(3) *Notatur calumnia Cochlæi.*

De hoc tractatu (quamvis ejus verſionem promiſerit Lutherus) quia Latine non extat, ex Cochlæo edoctus fuit noſter; ſapienter tamen omiſit, quæ vitilitigator iſte ex præfatione ad Sickingium extorſit, quaſi Lutherus vim minitatus fuerit Pontifici & Clero: neque enim plus quam hoc ſcribit, *vereri ſe, ne poſt ſpreta omnia, qua verbo & ſcriptis, & in duobus comitiis examinanda propoſuiſſet, ſe jam ex acie quaſi abducto, inveniatur aliquis, qui non verbis ſed re doceat.* Id vero non multo poſt (ut alia taceam) magnam Cleri partem in Germania per tumultum ruſticum expertam eſſe conſtat, improbante & dolente Luthero, ut in loco dicemus. Qui & hoc ipſo anno ult. Febr. ad Spalatinum ſcribens *(Lib. I. ep. 214.)* mentem ſuam ſatis explicat: *Omnes,* ait, *divinant, fore Bohemicæ ſimilem ſeditionem, in noſtros quoque clericos graſſaturam. Ego ſine culpa ſum; qui hoc molitus ſui, ut nobilitas Germaniæ non ferro ſed conſiliis & edictis, quod facile poſſunt, Romaniſtis illis modum poneret: nam contra imbellem vulgum Cleri, idem eſt ac contra fœminas & pueros bellare.*

An. 1521.

ADDITIO.

(a) *De rigore confeſſionum emollito.*

Quantum in confeſſione, qualem Pontificiæ leges introduxerunt, ponat Clerus Romanus, nemo mirabitur, qui obſervat, arcem hanc quaſi fuiſſe magnæ illius poteſtatis, quam ſibi in populum arrogarunt ſacerdotes; quanquam multum ex vinculo hoc relaxatum eſt, etiam in Romana Eccleſia, partim per imminutum Paſtorum ordinariorum officium, datamque aſſumendi pro lubitu confeſſionarios, quos vocant, indulgentiam; partim facilitate abſolutionum, quam, (ut ex libris noſtro tempore, Janſeniſmi occaſione, editis conſtat) alii aliis ex Ordinibus ſacris imputant.

(b) *Eraſmi de eo diſputatio & ſententia.*

Eraſmum ob magnam antiquitatis peritiam & hiſtoriæ cauſa, ex epiſtolis ſuis audire hac de re non pigebit. Diſputavit in apologia contra *Eduardum Leum, an confitendi ratio illa eccleſiaſtica conſtitutionis eſſet divina an humana?* Id Lovanii *Nicolaus* ille *Egmondanus* impotentiſſimæ & ſanguinariæ mentis monachus, immo carnifex, ut hæreticum publice exagitaverat, palum etiam minatus. Eraſmus eo intellecto, etſi jam, poſt condemnatum Romæ Lutherum, nihil ex ejus dogmatibus tueri ſe velle profiteatur, ita tamen ſua defendit, ut ad *Roſemundanum* Doctorem Lovanienſem 15. Cal. Nov. 1520. *(Lib. XV. Ep. 18.)* ſcribat, *ſe quidem nihil definiiſſe, ſed ita diſputaſſe, ut Egmondus refutaturus non ſit;* addit paulo poſt, quod ſumme notandum eſt:

(c) *Inſigne ejus de Luthero teſtimonium.*

non deeſſe magnos Theologos, qui non vereantur affirmare, nihil eſſe in Luthero, quod per probatos autores non poſſet defendi. Scripſit iſta poſtquam jam timidiorem pœnitere videretur eorum, quæ ad *Albertum Cardinalem Moguntinum* anno 1519. *Lib. XII. ep. 10.* ſcripſerat, alibi a me relata.

(d) *Epiſtola ad Campegium aliosque.*

In prolixa vero ad *Card. Campegium* expurgatione menſe Decembri 1520. ſcripta *(Lib. XIV. ep. 1.)* qua ſuſpicionem Lutheraniſmi a ſe amolitur, fatetur, *in plebe multos eſſe, qui pro gravi habeant confitendi onus; ſe vero nihil definiiſſe, ſed conſuluiſſe, neque ulcus illud tangere voluiſſe, ob abuſum, qui metui deberet, ſi quis Theologus aut probatæ vitæ vir, contra confeſſionis neceſſitatem pronunciaret.* Cum *Juſto Jona* expoſtulans *Lib. XVII. ep. 18.* perperam quidem Luthero affingit, quaſi in totum confeſſionem improbaret, non negat tamen *onus illud laqueo quorundam aggravatum eſſe.* Multis vero locis profitetur, pro articulo fidei defendere ſe non poſſe, quod confeſſio iſta ſit divinæ conſtitutionis; ſubmittit tamen ſe judicio Eccleſiæ. Ita ſcripſit ad *Præſidem Mechlinienſem* anno 1522. *Lib. XIX. ep. 112.* & ad acerrimum adverſarium ſuum *Natalem Beddam* Pariſienſem anno 1525. *d. l. ep. 91.* tum ad *Lovanienſes Theologos* eodem anno *epiſt. 82.*

(e) *Libellus ejus de modo confitendi.*

Edidit etiam libellum *de modo confitendi,* cujus aliquoties meminit, ſed maxime anno 1528. ad *Epiſcopum* quendam, cujus diœceſin non nominat, ubi & ſecretum monaſticum aperit his verbis: *In libello de modo confitendi, non hoc ago, ne confiteamur, ſed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, niſi propoſitis quibusdam incommodis, quæ non adſcribo confeſſioni, ſed vitio confitentium & audientium. Jam quum totus mundus plenus ſit fabularum de flagitiis ac ſceleribus quæ ſub umbra confeſſionis admittuntur; indignantur mihi, quod moderatiſſime quædam attigerim: nec reputant, quam multa pudore Chriſtiano ſiluerim ejus generis, ut vel ſola commemoratio poſſet lectoris animum inficere. Verum Monachi complures non amore pietatis urgent hanc confeſſionem, ſed quod hinc auferant luculentam meſſem, dum regnant in ædibus divitum, quorum ſecreta norunt, dum adſunt morientibus,*

An. 1521.

rientibus, dum arrodunt testamenta. Considerent lernam malorum, quæ hactenus orta est ex confessionibus, & mirari desinent, si quid admonui de recte confitendo. Unum addam, quamvis ante id tempus, nempe anno 1521. ex Brugis Flandriæ scriptum *Lib. XVII. ep. 24.* quia ingenium concionatorum istius seculi ostendit, & festivum est: *In natali Divi Augustini quidam hic concionatus est, vir ἱεροπρεπεῖ cultu spectabilis. Is inter multa, quæ divinitus dixit, mire restituit dignitatem quatuor ordinum, quos vulgo Mendicantium appellant, simulque confessionem, quorum utrumque nonnihil videbatur opera Lutheranorum cœpisse labascere. Dignitatem ordinum sic restituit: Augustinus, inquit, fuit fons ille in Paradiso, unde prodierunt quatuor amnes, hoc est, quatuor ordines Mendicantium, sua doctrina, sanctisque moribus irrigantes & fœcundantes universam superficiem terræ, hoc est, universam Ecclesiam. Si Christum dixisset fontem, quatuor fluvios, quatuor Evangelia, non omnino fuisset absurda allegoria. Nunc quid Augustino cum illis ordinibus? Porro quod addebat de irrigando fœcundandoque, complures boni viri optabant esse verum, risere permulti. Confessionem ita restituit: Augustinus, inquit, scripsit multos libros de confessione, in quibus confitetur quædam pene frivola, veluti quemadmodum aliquando contemplatus sit, non sine voluptate, araneam venari muscam. Hoc, inquit, arguit, nihil esse tam minutum, quin oporteat confiteri. Primum Augustinus illic utitur confessionis vocabulo, ut est anceps, & ad gratiarum actionem & ad confessionem culpæ: atque in eo opere plus laudis sibi tribuit, quam agnoscit culpæ: neque confitetur sacerdoti, sed Deo. Et tamen ille concionator hæc dicens, vulgata voce est usus, quæ populo nihil aliud declarat, quam eam confessionem, quam Sacramentalem vocant Theologi. Hujusmodi cum multa dicant publicitus apud frequentem multitudinem, mirantur se non haberi pro diis. Tertium fortassis ad me pertinebat, qui in declamatione plus æquo tribuere videor matrimonio. Quidam, inquit, damnant cœlibatum: imo nisi nos cœlibes fuissemus, jam Christiana fides esset extincta. Olim nemo fere dicebat pro concione, nisi dispositis notariis, qui sermonem exciperent: quod si fieret hodie, Deus bone, quæ fabulæ nascerentur! Qui talia dicunt in celeberrima civitate Brugensi, quæ tot habet eruditos, tot, & sine literis, felicia sanique judicii ingenia, quid censes eos dicere in pagis, quid in conviviis? O columnas orthodoxæ fidei!*

(f) *Acris in concionatores censura.*

(g) *De postillis Lutheri.*

Inter libros, quos Lutherus in arce VVartenburgensi vel cœpit vel absolvit, numeranda etiam est explicatio Evangeliorum homiletica, sive *Postilla Ecclesiastica*, die Kirchen-Postill. Hunc librum ipse optimum omnium vocat, quos unquam scripserit, & quem etiam Pontificiis non ingratum esse dicit, in Libro *pro verbis institutionis sacræ Cœnæ defendendis* anno 1527. edito, *Tom. III. Alt. fol. 739.* mein allerbestes buch/ die Postillen/ das ich ie gemacht habe/ welches auch die Papisten gerne haben. Alius est, ut nostrates sciunt, in quo habentur sermones in Evangelia Dominicalia *domi* ad suos habiti, die Haus-Postill. Nunquam enim neglexit officium docendi, ita ut & in custodia illa sua singulis Dominicis concionaretur in conclavi, præsente præfecto arcis & aliis, ut in *MS. Isennac.* notatum invenitur.

§. CI.

(1) *Libellus Lutheri adversus Latomum.*
(2) *Refelluntur censuræ & dicta Maimburgii.*

De Lutheri scripto *adversus Jacobum Latomum*, Theologum Lovaniensem, ob rixas cum Reuchlino & Erasmo non incelebrem, (quod extat *Tom. II. fol. 400. & seqq.*) sub titulo *Rationis Latomianæ pro incendiariis Lovaniensis Scholæ sophistis redditæ, confutatio Lutherana*, jejune & maligne agit Maimburgius. *Primo* enim verum non est, quod omnia defenderit in hoc tractatu Lutherus, quæ Lovanienses condemnaverant; sed præteritis, ut expresse ait, quæ de pœnitentia & indulgentia disputata sunt, solummodo paradoxum illud asseruit, quo superbam de viribus humanis seu merito congrui sententiam exagitabat: *Omne bonum opus est peccatum.* Vide *fol. 407. 434.* *Deinde* Tomum secundum citat, foliorum plusquam sexcentorum librum Maimburgius, in quo istam propositionem, veluti pisciculum in mare projectum indagare jubet Lectorem, ut profecto dubitandum sit, an vel Tomum, vel Confutationem unquam evolverit legeritque. Sed *tertio* insigniter perversus est, quod dogmata Lutheri, omissa eorum pia & sancta explicatione, quam paucissimis verbis ex confutatione addere potuisset, eo solum fine eaque versutia proponit, ut imperitis fucum faciat, & invidiam religioni conciteт, quasi opera bona aspernaretur. Propositionem enim illam: *Dei præcepta impleri impossibile est*, ita intelligit Lutherus, *nisi gratia accedat auxilium*; sive: *impleri, non operantibus plene nobis, sed ignoscente copiose gratia Dei. f. 406.* Alteri: *omne bonum opus est peccatum*, addit ipse brevissimam verissimamque explicationem, *nisi Dei ignoscat misericordia. fol. 420. b.* Jam ad judicium cujusvis non plane obtusi aut summe malevoli provocare possumus, qui Confutationem legerit: an non Lutherus nullo quidem tunc alio quam sacræ Scripturæ libro, ut refert, instructus, utramque hanc thesin tam erudite & solide, imo divine explicaverit, omnibusque adversariis os adeo obstruxerit, ut sine manifesta impietate aut cavillatione frigidissima nihil reponi potuerit. Micat profecto hic Lutheri libellus inter alios eo tempore scriptos, ut inter stellas luna minores: & ausim dicere, si nihil aliud tota vita scripsisset, esset tamen vel ob hunc unicum maximis Ecclesiæ doctoribus comparandus. In hoc præcipua Prophetarum & Apostolorum dicta tam docte interpretatur, glossas vero Sophistarum exquisitissime annihilat, ut Spiritus sancti genuinus sensus non possit non cordibus pie & attente legentium innotescere. Usum vero (ad quem ultimo respiciendum est sacra tractantibus) repurgatæ a Scholasticis fermentis doctrinæ de gratia & fide, inter alia a contrario demonstrat, ut hominem inducat, qui post bonum opus etiam auxiliante gratia a se perpetratum, Deum hoc modo compellet: *Ecce Domine Deus, hoc opus bonum per tuæ gratiæ auxilium feci, non est in eo vitium aut peccatum ullum, nec indiget misericordia tua ignoscente, quam super eo nec peto; deinde volo, ut judicio tuo verissimo & strictissimo ipsum judices. In hoc enim gloriari coram te possum, quod nec tu possis illud damnare, cum sis justus & verax, immo nisi te ipsum neges, non damnabis, certus sum; non jam opus misericordia, quæ remittat debitum in isto opere, sicut oratio tua docet, evacuata hic est utique, sed tantum justitia, quæ coronet. fol. 415. a.* Huc, ait, redire fastum scholasticum, de perfectione bonorum operum gloriantem. Cum vero non negat quosdam ex Patribus *peccati* voce in describenda hominis infirmitate abstinuisse, indeque motos Scholasticos, Aristotelis, non Scripturæ, vestigia sequentes, homini plus virium tribuisse, ex quibus thesaurum illum dispensandæ aliis indulgentiæ Pontifices & Clerus accumularent; sibi tamen certius tutiusque visum esse cum Scriptura loqui, & alia potius Patrum, inprimis Augustini, dicta præferre, quæ cum

An. 1521.

(3) *Elogium libri contra Latomum.*

(4) *Prosopopœia hominis, qui meritis suis justificari vult.*

(5) Summa responsi ab ipso Luthero indicata, de concupiscentia, an sit peccatum.

cum stylo Apostolico concordant. Audiamus pauca quædam ex ipso *fol. 422.* Summa responsionis Lutheranæ & confutationis Latomianæ est hæc: *Si peccatum in locis Apostoli Pauli citatis probari potest, non esse vere & proprie peccatum, ruit Lutherus; si non potest probari, ruit Latomus. At probari non potest nisi per quædam Patrum dicta, sibi etiam pugnantium, insuper humana, etsi non pugnarent, quibus præferri debent divina, sine quorum autoritate nihil est asserendum; quare ruit Latomus & omnia sua, & stat Lutherus cum omnibus suis.* Et postea *fol. 423. b. Ego vero tibi promitto & orbi, me non velle uti vocabulo aliter quam Paulus, in quod invoco nomen Domini, ut mihi resistat, si aliter usus fuero. Quid vis amplius? At vocabulum ipsum volo tenere, & tua Patrumque vocabula nolo, quod scias. Volo, inquam, peccatum dicere, quod vos defectum vel imperfectionem dicitis, numquid me aliter coges? Nihil moveor vestro impetuosissimo tumultu, quem non sine causa vos concitare video, nempe ne succumbatis, & inveniamini temere in tanta crimina irruisse, sed hoc antea fuerat prævidendum.* Irridet postea contrarium statuentes, etiam hanc ob causam, quod similes sint Stoicis, qui sapientem definiunt, qualem nunquam viderunt, & Quintiliano, qui oratorem format, qualis nec fuit, nec erit. Suo igitur illos argumento confutat, qui *dubitare unumquemque de sua* præcipiunt *justitia*, adeoque exemplum propositionis & regulæ, quam Lutheranæ opponunt, nempe *omne opus bonum est sine peccato*, in hac vita dare non possint. Tandem utilitatem suæ sententiæ ita ostendit *f. 428. b. Dices autem: videmini verbi controversia torqueri, quando in summa convenitis, neutri asserentes, damnabile esse illud reliquum Baptismi, sive peccatum sit sive pœna. Respondeo, de fine concordamus, esse scilicet innoxium, sed nequaquam de causa ipsa. Nam ipsi naturæ tribuunt, quod gratiæ Dei est, quod ferendum non est. Deinde securos faciunt homines, ne peccatum expurgent. Minuunt etiam mysterii Christi notitiam, per hoc & laudem & amorem Dei, dum non considerant effusissimæ gratiæ bonitatem super peccatores expansam, sed innocentem naturam faciunt, atque si nihil aliud obstaret, sine Scripturis loquuntur, tum Scripturæ sinceritatem sine causa perdunt, & intelligentiam rerum obscurant. Quo fit, ut amissa simplicitate sua scandalum fiat, quod nos ab ipsa longius ducat, sicut contigit, cum primo admisimus hominum glossas tanquam pias & lucidiores, quam sit Scriptura, tandem & hujus glossæ aliam glossam, ut jam non sit modus glossas glossarum augendi, & nos in confusionem verborum confusissimam trahendi, donec prorsus nihil Christianarum rerum amplius nosceremus, & jam gentiles insanias nostris pares & utiles arbitraremur.* Miseranda est cœcitas eorum & culpanda pertinacia, qui ne his quidem intellectis sapere volunt, sed in malitia, hæresin Luthero, & tot regnorum & provinciarum incolis, ob verissimam & saluberrimam doctrinam, objiciendi, perseverant.

(6) Querela Lutheri de Theologia scholastica.

Possent & alia notatu dignissima ex hoc scripto Lutheri afferri, inprimis quæ adversus Theologiam scholasticam *fol. 434. b.* graviter monuit, quibusque rationibus, suo damno, ut ait, edoctus simplicitatem studii theologici, ad exemplum veteris Ecclesiæ, quæ sine ulla scholasticarum nugarum cognitione, puellas etiam Theologiæ peritissimas & martyres produxit, commendavit. Questus erat sub initium libri *f. 404. b.* quod Maximilianus Cæsar tempore controversiæ Reuchlinianæ, cum Judæorum libros omnes præter Biblia comburi mandasset, non idem adversus Scholasticos statuerit, eosque ad solam Scripturam adegerit, ablatis omnibus *erucis*, ut loquitur, *bruchis, locustis, ranis, pediculis sophisticis.* Inscripsit hunc librum *Justo Jonæ*, Præposito Wittenbergensi, in locum defuncti *Lupini* tum facto, eique de honoris accessione gratulatur, incepto, ut patet ex epistola d. 8. Junii & d. 20. finito opere. Nec prætereundum est, quod ad præfationem Latomi, in qua Lutherum criminatur, *quod verbotenus saltem Papæ ab initio scripta sua submisisset*, dolere se dicit, quod tam serio submiserit, se enim ex animo non alia tunc de Papa Conciliis & Universitatibus sensisse, quam quod vulgo audiverit, & cogitationes suas ultra decennium frenasse, dicto Salomonis: *ne innitaris prudentiæ tuæ*, semperque arbitratum esse, latere in Academiis Theologos, qui non silerent, si impia docerentur; crevisse autem cognitionem suam & animum, cum adversarii inscitiam & ignorantiam suam immani copia revelassent, quod nisi fecissent, se in finem usque stultum & dementatum mansurum fuisse. Gratias inde agit Domino Jesu Christo, qui pro tentatione hac se centuplo temporalis illius scientiæ (scholasticam intelligit) honoraverit, ut jam persuasissimus sit, de iis, quæ adversus Papam & Academias sentiat. Vide *fol. 401. b.* Hæc mire confirmant, quæ supra non uno loco indicavi, de profectu Lutheri, ejusque primitiis in puriori doctrina ante tot annos perceptis, & mente tamdiu volutatis; tum quæ de adversantium importunitate eorumque in erroribus pertinacia dicta sunt.

(7) Serio incipit Papam odisse.

ADDITIO.

(a) Excerpta ex libello Lutheri, quæ Bellarminus sugillavit.

Ex libro Lutheri, de quo agimus, *contra Latomum* verba captavit *Bellarminus*, ex quibus Lutherum Arrianismi suspectum facere tentavit. Lutherus enim, cum de concupiscentia multa disputasset, Latomi vero oppositionem autoritate Patrum, qui concupiscentiam pro pœna peccati habent, unice niti videret, post alia, quibus absurditatem interpretationis dicti Paulini, ex allegata Patrum sententia *Rom. VII. 14. & sqq.* proposuerat, *Tom. II. Lat. VVitt. f. 252.* hæc scribit: *Nec est, quod mihi homousion illud objectes adversus Arianos receptum. Non fuit receptum a multis iisque præclarissimis, quod & Hieronymus optavit aboleri, adeoque non effugerunt periculum, hoc invento vocabulo, ut Hieronymus queratur, nescire, quid veneni lateat in syllabis & literis; adeo illud Ariani magis quam Scripturas etiam exagitabant. Nec Hilarius hic aliud habuit, quod responderet, quam quod idem per id vocabuli significaretur, quod res esset, & tota Scriptura haberet, id quod in præsenti non datur. Nullo enim loco Scriptura peccatum, pro pœna ista, sed contra ubique pro malo legi Dei adversario accipit, ut similitudo etiam, (qua Latomus vel sola Theologus est) hic non habeat locum. Jam, si esset similitudo & exemplum valeret, tamen non esset trahendum in consequentiam, sed indulgendum Patribus, qui semel extra Scripturam posuissent vocem profanam. Alioqui si exemplum statuas, totam Scripturam licebit in alias voces mutare, sicut sophistæ fecerunt. Quod si odit anima mea vocem homousion, & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim coget me uti, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est? Etsi Ariani male senserunt in fide, hoc tamen optime, sive malo sive bono animo, exegerunt, ne vocem profanam in regulis fidei statui liceret. Scripturæ enim sinceritas*

An. 1521.

custodienda est, nec præsumat homo suo ore eloqui, aut clarius aut sincerius, quam Deus elocutus est ore suo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei, per se loquentis, non credat se intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur, quam qui optime intelligit. Quis autem res Dei intelligat melius quam Deus ipse? immo, quantum est id quod homo intelligit de rebus Dei? Ex his, & præcipue ex verbis, quibus per modum concessionis & in hypothesi usus est, cavillantur eum adversarii & clamant, eum fateri, *quod in anima sua oderit vocem homousios.* Recoxit calumniam impudentissimam novissimus *D. Petri Jurii*, celebris & eruditi inter Reformatos Doctores autoris *antagonistes*, qui librum ejus *de Præjudiciis contra Papismum* editum satis grandi volumine anno 1690. refutavit, & se *Richardum Abbatem* vocat c. 58. p. 593. scribens: *Audetne Jurius negare, quod Lutherus dixerit, animam suam odisse vocem homousion?* Ego vero, quicquid Jurius facturus sit, audeo non solum negare, sed & manifestæ cavillationis accusare omnes, qui ex propositione conditionali malitiose puram faciunt. Deinde sensum quoque Lutheri pium & laudabilem esse existimo, cum de verbis litigare non vult, si de concordia in re ipsa constaret. Cætera, quæ Abbas iste, tum ex libro de Conciliis, *Tom. VII. Alt. fol. 261.* tum ex *Postillis* Lutheri allegat & sugillat, nunc quidem examinare non vacat. Nemo interim dubitet, quin ejusdem sint farinæ.

(b) *Lutherus defenditur.*

§. CII.

(1) *Lutheri sententia de Missa ex libro de captiv. Babyl. repetita.*

Pergit Maimburgius ad alia Lutheri dogmata, de quibus in eremo ut vocat, sua, hoc anno scripsit. Et vera quidem sunt, quæ refert de sententia Lutheri, circa Missam & sacramentum Cœnæ; sed præterquam quod rationes ejus reticet, manifeste errat, quod ultra ea provectum esse scribat, quæ in libro *de captivitate Babylonica* docuit, quasi hoc demum anno negare cœpisset, quod Missa sit sacrificium. Nam hoc ipsum jam disertis verbis, eodemque rationum fundamento docuit in eo, qui allegatur, libro *de captivitate Babylonica* plusquam integrum ante annum, nempe 1520 edito *fol. 282. & seqq.* Immo in dedicatione tractatus *de abroganda missa privata ad fratres Augustinianos conventus Wittenbergensis* Cal. Novembr hoc anno 1521. repetere se fatetur, quæ jam scripserit, quia adversus Episcopos priora damnantes id necesse sit. Hoc ideo notari peto, ut fœda calumnia, quam quidem Maimburgius, nescio an ignoratione, an, quod mallem & laudarem, consulto præteriit, vel ex hac una temporis observatione respuatur. Eam enim impudentes & maleferiati inter Germanos Jesuitæ & Monachi jam dudum evomuerunt, nec alios hodie, post plurimas refutationes piguit eandem putidissimam cramben semper recoquere. Immo nuper emunctioris naris etiam inter Gallos viri, *Antonius* puta *Arnaldus* tot scriptis celebris, nec senio mitigatus, & *Abbas* quidam *Cordemoyus*, denique, qui Maimburgio in historiographia hac successisse videtur, *Antonius Varillasius* invenisse se putant, quibus Lutheranam doctrinam pro diabolica diffament, &, maxime in provinciis ab Imperio avulsis, tanto atrocius persequendam sistant, aliisque exemplo præeant.

(2) *De calumnia, quod a Diabolo instructus Missam oppugnaverit.*

ADDITIO.

(a) *Dissertationes contra Cordemoji compendium.*

Rei gravitas & atrocitas contumeliæ per renovationem fabulæ dudum explosæ, Protestantibus, & speciatim Lutheranis illatæ, cum ex Theologis pauci essent, qui Gallicum libellum intelligerent, movit me, ut anno superiori *Dissertationem historicam & apologeticam, adversus tractatum Cordemoji, tertia vice Parisiis anno 1684. editum* conscriberem: ita ut libellum ipsum, cui titulus: *Recit de la conference du Diable avec Luther &c.* Latine verterim, & annotationes inseruerim, quibus omnia (ut puto) Abbatis argumenta sufficienter refutata sunt. Nolui tamen tunc nomen meum dissertationi præfigere, sed a *D. Casp. Sagittario* Professore Jenensi impetravi, ut editionem susciperet; quod pro suo erga me affectu præstitit, ut ex præfatione ejus constat. Ex illa quam potero brevissime huc transferam, quibus calumnia putidissima penitus destruitur. Quamvis actum agere videri possim, cum ab eo tempore, quo primum producta est, innumeris vicibus repulsa & prostrata sit. Consulantur quæ scripserunt Theologi inter nostrates clarissimi, *Jacobus Heilbrunnerus, Fridericus Balduinus, Georgius Zæmannus, Joh. Gerhardus, Casp. Erasmus Brochmandus, Joh. Mullerus, Erasmus Gruberus*, & plures alii. Notandum ante omnia, narrationem Lutheri, quam ex *Tomo VII. VVitt. Lat. fol. 228.* libello suo præmisit Cordemoyus, non esse opus Lutheri, qui Germanice scripsit, sed *D. Justi Jonæ*: quem (mendoso, credo, *Hospiniani* loco *Part. II. Hist. Sacram. fol. 200. b.* deceptus) Abbas *Præceptorem liberorum Lutheri* facit, cum *Canonicus* esset *VVittenbergensis, Canonum & Theologiæ Doctor & Professor*, dein *Ecclesiastes Halensis*, & denique *Superintendens Ducatus Coburgensis*. Variant itaque Germanica & Latina, & hæc ex illis explicanda sunt, quia (ut voculæ *&c.* pluribus locis indicant) interpres sensum potius quam verba secutus est, quædam etiam per festinationem omisit. Inter omissa, statim ab initio narrationis, verba sunt Lutheri, quibus disputationis modum indicavit: **Der Teuffel fieng mit mir in meinem hertzen eine solche** disputation an/(**wie er mir dann manche nacht bitter und sauer gnug machen kan.**) Hæc integre reddita significant: *Cœpit diabolus mecum in corde meo disputationem: multas enim noctes satis acerbas & molestas mihi facere potest.* Jonas pro illis hæc saltem ponit & ex iis Abbas: *Satan cœpit ejusmodi disputationem.* Omisit itaque verba: *in corde meo*, &, quæ sequitur, parenthesin; ex qua tamen liquido apparet, quod in illa disputatione diabolus nulla forma conspicua apparuerit, aut locutus sit, sed quod tota illa disputatio *in corde*, id est, per cogitationes peracta fuerit, quas Lutherus pro diaboli insultibus habuit. *Hospinianus* ipse, licet occasione controversiæ sacramentariæ Luthero infensus, vocabula ista *in corde* ex Germanico supplevit. Si hunc Abbas, cum in aliis alleget, vel *Joh. Claudium*, quem itidem *pag. 30.* citat, & in quo eadem reperiisset, etiam in his secutus fuisset, frivola disquisitione de forma colloquii supersedere potuisset. Paulo post principium periodus satis longa a *Jona* omissa est, in qua Lutherus ea quæ dixi confirmat, dum cogitationum illarum, quas diabolus in tentatione suggerit, celerrimos impetus & pericula exponit. Sed ut excusari possit Abbas Germanicæ linguæ ignarus, dum versionem Latinam sequitur, culpa tamen aut dolo non caret, quod finem narrationis omiserit, quem *Jonas* exhibet, & in eo inter alia hæc, in quibus natura tentationis illius, & victoria Lutheri planissime describitur: *Satan enim in ictu oculi repente totam mentem terroribus & tenebris obruit, & si nihil quam hominem inermem & verbo non instructum invenit, quasi digitulo totum evertit. Verum quidem hoc est, quod mendax sit, sed ejus mendacia non sunt simplicis artificis, sed longe callidiora & instructiora ad fallendum, quam humanus captus assequi possit: ipse sic adoritur, ut apprehendat aliquam & solidam veritatem, qua negari non potest, atque eam adeo callide & versute urget & acuit, & adeo speciose fucat suum mendacium, ut fallat vel cautissimos &c. Uti cogitatio illa, quæ Judæ cor percussit, vera erat, Tradidi sanguinem justum, hoc Judas negare non poterat; sed hoc erat mendacium: Ergo est desperandum de gratia Dei. Et tamen Diabolus hoc mendacium, hanc cogitationem tam violenter ursit, ut Judas eam vincere non posset, sed desperaret. Proinde bone frater, Domine Papista, non mentitur Satan, quando accusat aut urget magnitudinem peccati, ibi enim habet duos inconvincibiles graves testes, legem Dei & nostram propriam conscientiam. Non possum negare, me peccasse; non possum negare peccatum*

An. 1521.

(b) *Observandum, quod Lutherus non ex suo scripto, sed ex versione refutetur.*

(c) *Verba; in corde meo, ab interprete omissa.*

(d) *Lutheri sententia ex fine narrationis apertissima.*

tum meum magnum esse; non possum negare quod reus sim mortis & damnationis &c. Sed ibi mentitur Satan, quando ultra urget, ut desperem de gratia, sicut Cain dicebat, majus est peccatum meum &c. Et ibi tum opus est in tali agone, divino & cœlesti auxilio, ut vel frater adsit, qui te consoletur promissionibus gratiæ foris, vel intus in corde Spiritus sanctus per verbum fratris erigat & animet ac sustentet cor tuum, ut possis sic apud te statuere: Confessus quidem sum (lege Dei convictus) coram Diabolo, me peccasse, me damnatum esse, ut Judam, sed verto me ad Christum cum Petro, & respicio ejus immensum beneficium & meritum &c. ille omnem horrendam damnationem damnavit. Extra Christum istum essem quidem reus mortis æternæ, sed quia sum in Christo, & in ipsum credo, ipsum invoco, tum jam mea damnatio est damnata, meus reatus jam ipsius reatus, atque ibi constanter possum dicere: Etiamsi sim peccator, tamen sum sanctus & innocens in Christo: peccator quidem sum in me ipso extra Christum, sed sanctus, purus, mundus sum extra me in Christo, quia ipse meum peccatum delevit per sanguinem suum: de hoc non dubito, in hoc accepi baptismum, absolutionem & sacramenta, ut sigilla certa divinæ gratiæ &c. Igitur calumniæ immo mendacii apertissimi omnes convincuntur, qui scribunt, Lutherum fassum esse se a diabolo convictum fuisse, & quod ex eo didicerit Missam non esse sacrificium. Nihil enim tota narratione illa sua fatetur aut narrat Lutherus, quam quod graviter tentatus sit a diabolo, immisso cordi acerrimo dolore, quod per annos quindecim ex cœna Domini contra ejus institutum sacrificium fecerit; ita autem afflictum fuisse ut pene desperasset, aut mortem incurrisset, nisi singulari Dei gratia per fidem in Christum solatia accepisset. Frustra itaque & nugatorie insultant Luthero, quod quasi discipulus doctorem diabolum submisse audiverit, nec statim eum rejecerit: quod postremum in hominis potestate non est, sed a divino pendet auxilio, per quod etiam Lutherus impetum Satanæ repulit. Gravissimum autem convitium est, cum non Luthero saltem eam proterviam imputat Abbas, quod sciens ac prudens diabolum magistrum in hoc de Missa articulo admiserit, sed & quod etiam nunc Protestantes ipsi, scientes licet quo doctore usus sit Lutherus, hujus tamen dogma sequantur. Hæc criminatio non Reges modo, Principes, & populos, qui Protestantes vocantur, sed & Imperatorem augustissimum, & omnes alios Reges & proceres tangit, qui cum Protestantibus, per fœdera aliisque vinculis conjuncti sunt; vitari autem non modo, sed & pro hostibus generis humani haberi & tractari deberent, qui scientes & prudentes diabolum magistrum profiterentur. Neque alium scopum sibi proposuerunt immanis contumeliæ architecti, quam ut internecino in Protestantes odio imbuant Principes Romanæ religionis. Primus omnium Lutheri librum aggressus est hostis ejus irreconciliabilis *Cochlæus*, qui ipse id refert in hist. anni 1534. *fol. 262.* ita tamen, ut non dicat, quod Lutherus argumenta sua contra Missam a diabolo didicerit: id enim sine summa, & quam ne ipse quidem, ferreæ licet frontis homo, ferre potuisset, impudentia scribere non poterat, cui prima Lutheri scripta contra Missam notissima erant; sed hoc tantum narrat, quod diabolus quinque argumenta Luthero objecerit, quibus evinceret, quindecim annis idololatriam ab eo commissam esse, cum sacrificaret. Id ipsum est, quod modo ex verbis Lutheri retulimus, verusque disputationis diabolicæ, quam narrat, scopus, nempe ut Lutherus exaggerato peccato ad desperationem adigeretur. Sed postea *fol. 280.* subjungit Cochlæus, quæ ***Paulus Bachmannus*** *(Amnicolam* se vocabat) ***Abbas*** *veteris cellæ* apud *Nossenam* in Ducatu Georgii Ducis, homo insulsissimus & maledicentissimus (*Cochlæus*, similis simili gaudens, *pium & eruditum* vocat) pro Missa contra Lutherum scripsit, inter alia convitiatus, quod cum de divina revelatione aut visione nunquam gloriatus sit, sæpe tamen commercium cum diabolo jactaverit, & jam fateatur, hunc præceptorem suum esse, a quo didicerit, nihil boni esse in Missa. Hunc igitur *Paulum*, quem Lutherus plane sprevit, neque responso dignatus est, primum teterrimi scommatis autorem esse patet, quod in prima libri hujus editione & in dissertatione *Jenæ* edita, neglecta *Cochlæi* inspectione, prætermisi. Secutus postea, quod sciam, ante alios est *Surius*, & præter plurimos, quos nominare piget, ex Lojolitis *Gretserus, Tannerus, Schererus, Vetterus, Serarius, Keddius, Crucius*, item *Becanus* & *Cornelius a Lapide*: Ex Gallis vero recentioribus præter *Cordemoyum*, qui libellum integrum hoc mendacio illevit, *Ant. Arnaldus* & *Bossuetus* Meldensis Episcopus, a cujus eruditione & gravitate id minime expectassem; ut pene conjicere liceat, haud falsum plane esse, quod ei ab adversariis & Reformatis opponitur, quod libros, quos allegat, non omnes inspiciat, sed excerptis & relationibus nimium tribuat. Ut vero execrabilis figmenti tota corruat machina, sciendum est, primarium, imo unicum argumentum, quo nititur, ab unica conjectura pendere, quod Lutherus Missam quatenus non est distributio & communicatio corporis & sanguinis Domini, sed pro sacrificio offertur, non nisi post disputationem cum diabolo impugnaverit. Hanc veluti sponsionem init ipse Abbas *p. 40. & 41.* & litem quasi contestans agnoscit, corruere argumenta sua, si probari posset Lutherum prius contra Missam scripsisse, quam conflictum illum cum diabolo habuerit. Probari autem hoc posse, in *Dissertatione* evidentissime & luce ut confido clarius, hunc in modum demonstravi: (1.) Lutheri disputatio illa cum Satana (rectius *tentatio* diceretur) non nisi vel completo vel saltem currente anno decimo quinto sacerdotii ejus accidit. Ipse quidem, cui soli & unico tota illa narratio anno 1533. publicata debetur, expresse ita loqui facit diabolum: *annos quindecim totos semper solus privatim pro te Missa usus es in Sacramento.* Lutherus autem sacerdos factus fuit Erfurti anno 1507. primamque celebravit Missam Dominica Cantate, ut patet ex epistola paulo ante X. Cal. Maji ad Johannem Braun Vicarium Isennacensem scripta. *Lib. I. ep. I.* totus autem annus quintus decimus completus fuit anno 1522. mense Majo; ut ipse Cordemoyus computat, cum *p. 62.* scribit, tractatum Lutheri, quo disputationem narravit, undecim vel duodecim annis post disputationem editum esse, id est, vel anno 1521. vel 1522. Quod si largiamur annum decimum quintum non completum, sed cœptum intelligi posse, disputatio incideric in annum 1521. a mense Majo currentem. Largimur hoc non necessario, (cum possimus cum D. Balduino vel tempus factæ narrationis anno 1533. computare) sed ex conjectura, quod Lutherus passus sit hunc diaboli insultum in secessu illo vel custodia in arce VVartburgensi: in illa enim multoties territum & tentatum esse Satanicis persecutionibus ex epistolis illius & historia vitæ ejus constat. Vide quæ scribat anno 1521. die Petri, id est, in *festo vinculorum* Cal. Aug. *Lib. I. ep. 238.* Hinc irrefragabiliter sequitur, quicquid scripsit aut docuit Lutherus ante mensem Majum 1521. illud indubitanter præcedit decimum quintum annum sacerdotii, & tempus disputationis, ideoque a diabolo non didicit quæ antea scripsit aut professus est. (2) Scripsit autem docuitque Lutherus contra Missam sacrificatoriam ante mensem Majum anno 1521. *primo* in Sermone anno 1520. Germanice habito, qui eodem anno sub titulo *de Novo Testamento & sancta Missa* seorsim excusus in Bibliothecis extat, & postea in omnes Tomorum compilationes relatus est. Vide *Tom. I. Alt. fol. 514. b. & seqq.* Quod vero hic *Sermo* præcesserit librum *de captivitate Babylonica*, ex eo manifestum est, quia in hoc numerum septenarium Sacramentorum in dubium vocare cœpit, quem habiti Sermonis tempore adhuc agnoscebat. Ex hoc sequentia *§. 16. & seqq.* fideliter translata (Latine enim sermo ille, quod sciam, non habetur) excerpendo: *Testamentum Christi, sive sacra Cœna, est beneficium acceptum, non Christo datum aut redditum. Quis unquam dixit, se bonum opus facere, cum aliquid ex testamento capit? accipit nempe non dat beneficium. Itaque Sacramentum hoc non est opus, sed est fidei exercitatio. Preces quidem quæ occasione Missæ fiunt, & eleemosynæ, quæ prisco more distribuebantur,* sunt

(e) *Scopus calumniatorum pessimus.*

(f) *De autoribus & continuatoribus convitii.*

(g) *Argumentum eorum unicum.*

(h) *Probatur Lutherum contra Missam scripsisse ante diabolicam illam disputationem ex temporis computo.*

(i) *Ex sermone de Novo Testamento & Missa.*

sunt opera bona, sed hæc non sunt Sacramentum: hoc enim nemo potest offerre, aut sacrificare Deo aut hominibus, sed unusquisque id sumit, & ex eo tantum sibi salutariter applicat, quantum fide apprehendit: hic non est officium sed beneficium, nec magis pro alio sumi potest, quam baptismus aut pœnitentia, aut unctio. Itaque maximus omnium abusus est, quod nunc totus fere orbis ex Missa sacrificium facit, & Deo sacrificare vult. Vocabulum illud oblationis, *sive* sacrificii *absque dubio ex Veteris testamenti ritibus retentum & post tempora Apostolorum continuatum est, quia fideles conferebant cibos, pecuniam & alia, quæ Missæ tempore egentibus distribuebantur, non sine benedictione & precibus, quæ super elevata illa dona fiebant. Inde est quod orationes prima & ultima in Missa* Collectæ *vocantur, dein quod post lectionem Evangelii adstantes offerunt aliquid super altari, unde hymno nomen* Offertorii *mansit. Itaque non Sacramentum, sed illa quæ populus exhibet, offeruntur, & quasi sacrificantur; neque sacerdos, quando hostiam aut calicem elevat, ullum verbum profert, quod oblationem aut sacrificium indicet, non magis, cum ipse sumit aut porrigit Sacramentum. Nunc omnia inversa & turbata sunt: Sacramentum quod non offertur sed accipitur, pro oblatione & sacrificio habetur; oblationes cessarunt; bona Ecclesiæ quæ hostiarum loco esse, & pauperum usibus servire deberent, ad bella & luxum aliasque res indignissimas applicantur, ut nullius rei major abusus esse possit.* Pergit §. 24. *Quæris, quid ergo reliquum est, aut manet in Missa, ut sacrificium vocetur, totque verba fiant de sacrificio & oblatione? Respondeo, nihil reliquum est aut manet, sed præcise statuendum est, Missam esse sacramentum & testamentum, quod non est, nec esse potest sacrificium, non magis ac alia sacramenta, baptismus, confirmatio, pœnitentia, unctio.* &c. *Alias perderemus Evangelium, Christum, solatium, omnemque gratiam Dei. Ideo Missam simpliciter separare debemus a precibus & gestibus a S. Patribus additis, & tam longe ab illis sejungere, quam longe cœlum a terra distat, ita, ut Missa nihil aliud maneat, quam verbum & sacramentum Christi* &c. *Porro, si Missa vel Sacramentum esset sacrificium, tunc esset etiam tale, cum ad ægrotantes portatur, aut a communicantibus in templo accipitur, totque essent sacrificia, quot homines qui acciperent. Si autem hic non est sacrificium, quomodo in manu sacerdotis esset sacrificium, cum tamen unum idemque sit sacramentum, unusque ejus usus apud omnes?* (§. 25.) *Caute itaque de* sacrificii *vocabulo sentiendum est, ne tam temerarii simus, ut aliquid in Sacramento Deo offeramus; nam ille nobis dat omnia. Nos spiritualia sacrificia offerre debemus, abolitis corporalibus, in quorum locum templa, monasteria, hospitalia successerunt. Quid igitur offerre Deo debemus? Nos nimirum ipsos, & quicquid habemus, per preces devotas, quemadmodum dicimus:* Fiat voluntas tua, sicut in cœlo ita & in terra &c. *Tradamus nos voluntati divinæ, ut de nobis disponat ut vult, laudesque ei offeramus pro ineffabili bonitate & misericordia sua, quam nobis in hoc Sacramento promisit & exhibet. Hoc sacrificium posset quidem extra Missam fieri, neque enim ad Missam proprie pertinet, ut dixi; sed præstantius, convenientius, efficacius & gratius est, si fiat in cœtu, in quo mutuo nos excitamus & accendimus, ut oratio facilius ad Deum penetret, & desideratis sine dubio potiatur.* §. 26. ostendit quo sensu *sacrificium* dici possit Missa, non quod Christum, sed quod nosmet ipsos in Christo & per Christum offeramus & sacrificemus. *Sed hoc modo* (ait §. 27. 28.) *pauci Missam intelligunt; putant potius sacerdotem offerre seu sacrificare Missam coram Deo. Cum tamen id faciant (semetipsos offerentes) qui Sacramento utuntur, immo qui præsentes sunt, etsi non communicent; ideo omnes Christiani sunt sacerdotes, cujuscunque sexus & ætatis.* Quærit postea: *quid igitur fit de Missis, quæ pro animabus in purgatorio celebrantur, consuetudine universali & frequentissima?* Respondet: *nihil moror consuetudinem, verbum Dei præferendum & tenendum est. Missa nihil aliud est, quam testamentum & sacramentum divinum, nec potest esse opus aut sacrificium, etsi per modum sacrificii* (*ut dictum est*) *& bono opere accipiatur* &c. *Facile dicitur: Missa est opus operatum, non operantis, sed difficillime probatur; non sufficit dicere, aut consuetudinem allegare & laudare* &c. *Ego non capio, quomodo tot Missæ & vigiliæ absque abusu fundentur & habeantur; eo præsertim animo, ut pro operibus, ut sit, habeantur, quæ Deo satisfaciant, cum tamen nostrum saltem sit accipere & frui.* §. 30. *Scio me ob hæc a quibusdam pro hæretico haberi, sed vide tu, qui me ita criminaris, quid probare possis. Non ignoro artem & argumentationem tuam, sed ea nullum habet fundamentum, nec unquam ex Missa sacrificium efficies, aut opus satisfactorium.* Succedit *secundo* liber de *Captivitate Babylonica.* Hic prima vice editus fuit mense Augusto anno 1520. secunda vero mense Octobri. Constat hoc ex epistolis Lutheri *Lib. I. ep. 187. 188. 189.* Ex hoc non opus est ut aliquid exscribatur: fatetur enim Abbas, in libro hoc disputasse Lutherum contra Missam, sed inde contra evidentiam facti evincere vult, librum hunc post disputationem cum diabolo scriptum, adeoque diabolicæ informationis, qua Lutherus usus fuerit, fœtum esse. Patet enim apertissime, librum novem mensses ante cœptum decimum quintum annum sacerdotii Lutheri, in quo tentationem diaboli sustinuit, scriptum fuisse. *Tertio* scriptus est a Luthero mense Martio anno 1521. antequam ad Comitia VVormatiensia proficisceretur, currente adhuc anno sacerdotii decimo quarto, tractatus *contra Ambrosium Catharinum.* Dedicavit hunc *VVenceslao Linccio* Augustiniano d. 1. April. Vide *Tom. II. Lat. Jen. fol. 370. seqq.* Pugnat in hoc libello contra Missas his verbis: *d. l. fol. 388. b. Quis enumeret prodigia illa de solis defunctis? Bone Deus! quantum hic mare mendaciorum, de apparitionibus, adjurationibus, responsisque spirituum inundavit? quibus factum est, ut Papa etiam mortuorum Rex factus sit, & in purgatorio jam regnet. Nec est repertum ab initio mundi negotium quæstuosius & minoris operæ; siquidem hoc ingenio huc derivata sunt per fundatores Ecclesiarum, omnium ferme Principum, & divitum opes, & per opes delitiæ & otia, per otia autem Babylon ipsa & Sodoma. Odiebat enim Satanas Sacramentum altaris, nec patebat via evacuandi ejus. Invenit ergo, ut pro bono opere & sacrificio haberetur, emeretur, venderetur, quod pro Sacramento Christus ad fidem viventium alendam duntaxat instituit. Atque ita fide extincta non viventibus sed mortuis accommodatur salutare hoc mysterium, id est, prorsus nullis neque viventibus neque mortuis. O furor Dei incogitabilis! Ecce hoc voluerunt spiritus illi nequam, qui Missas postulaverunt, & sese redimi finxerunt. Infinita sunt hujus monstri exempla, in quæ nos, rude vulgus, sine judicio, sine spiritu, sicut imprudentes bestiæ, in laqueum irruimus, prorsus nullum mendacium Satanæ suspicantes, cum Deus non penitus nos dereliquerit, quin in multis locis illusiones istas manifestarit. Quarto* in Comitiis VVormatiensibus mense Aprili dicti anni 1521. itidem ante finitum quartum decimum sacerdotii annum, propositi fuerant Luthero *quadraginta* articuli, quos *Hieronymus Aleander* nuncius Pontificius ex libris Lutheri excerpserat, inter hos *quintus* de Missa ita conceptus erat: *Manifestus & impius est error, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis aut aliorum, offerre seu applicare.* Hunc articulum Lutherus pro suo agnovit his verbis: *De ipsa Missa seu Sacramento dixi, non de orationibus in Missa.* (has enim proficere non negabat.) Rationes patent in libro (ex quo articulus excerptus erat) *de Captivit. Babylon.* quia Sacramentum natura sua pro nullo alio accipi potest, sed tantum pro se ipso. *Tom. II. Lat. Jen. 441. b. Quinto* postquam redux ex comitiis & jam cœpto sacerdotii anno decimo quinto Lutherus in arcem, quam Patmon vocat, mense Majo 1521. abditus fuisset, & in latebra illa libris scribendis & edendis occuparetur, composuit illum *de abroganda Missa.* Hunc dedicavit fratribus suis Augustinianis VVittenbergensibus, cum audivisset, illos Missas solitarias abrogasse. Vide *Tom. II. Lat. Jen. a fol. 465. ad f. 494.* misit eundem Georgio Spalatino die Martini, id est, XI. Novembris, ut patet

(k) *Ex tractatu de capt. Bab.*

(l) *Ex libro contra Ambrosium Catharinum.*

(m) *Ex responso in comitiis VVormat.*

(n) *Ex libro ad Augustinianos.*

An. 1521.

ut patet ex *Epistola 251. Lib. I.* Jam si literæ narrationis supra allegatæ insistamus, concludere quidem possumus, quod tentatio diabolica post completum annum decimum quintum sacerdotii contigerit, adeoque etiam hic liber sex mensibus finem illius anni, qui in mensem Majum anni 1522. incidit, præcessisset; sed jam monui, opus non esse, ut hoc pro certo asseramus, cum verisimilius sit, a Luthero hunc librum illo ipso tempore, quo diabolicis insultibus in custodia illa sua maxime vexabatur, compositum esse. Interim ex hoc libro evidentissime probatur, primam abrogationem Missæ non Luthero sed Augustinianis VVittenbergensibus deberi. Ita enim scribit ad eos in dedicatione: *Significatum est mihi, Fratres charissimi, & literis & verbis amicorum, cœpisse vos primos omnium in vestra congregatione abusum illum Missarum, quas vocant, abrogare.* Fecerunt autem hoc absente & inconsulto Luthero, quem a mense Aprili istius anni 1521. non viderant, neque librum ejus ante mensem Januarium anni sequentis videre potuerunt, eousque enim cum aliis, aulæ Saxonicæ cautela, suppressus nec prius editus est. Factum Augustinianorum synodus ordinis provincialis mense Decembri 1521. habita, itidem absente & inscio Luthero, per decretum probavit. *d. Tom. II. fol. 496. b.* tum eodem tempore Theologi VVittenbergenses, in responsis ad Electorem Saxoniæ, quæ in commentario allegavi. Itaque insolubili nodo constricta hic tenetur calumnia, & falsissimum esse evincitur, quod primus Lutherus fingitur ex diaboli informatione Missam impugnasse, cum eam non voce tantum aut scriptis, sed ipso facto oppugnassent & sustulissent alii, eo absente & ignorante, antequam quidquam de disputatione & tentatione illa diabolica, quæ Luthero contigerat, inaudissent; quanquam argumenta ejus, in libris quos citavi, ab anno 1520. ante tempus tentationis publicatis intellexissent, & ad animum revocassent. Accedit quod in *epistola*, de qua dixi, *ad Fratres*, expresse memorat Lutherus se antea adversus Missas scripsisse (*fol. 466.*) sed denuo ad scribendum & repetendum verbum veritatis moveri, quia Episcopi scripta sua identidem damnent & opprimant. Sed non opus est conjecturis, aut extensionibus argumentorum in re clarissima; demonstravi enim quod demonstrandum sumsi, a Luthero publice oppugnatam fuisse Missam, antequam tentationem illam Satanicam, anno Sacerdotii decimo quinto expertus esset: nec minus manifestum est, in illa tentatione quæstionem non fuisse de jure Missæ, quam Lutherus jam publicis scriptis rejecerat, sed de peccato Lutheri missificantis, quod ei exprobrabat conscientia, & per hanc exaggerabat Satanas. Explicata ista sunt omnia, & qua occasione & fini Lutherus anno 1533. narrationem illam de tentatione publicaverit, in *dissertatione* illa, ea fide, eoque argumentorum pondere, ut confidere possim, æquis omnibus, etiam ab adversa parte, satisfactum esse. Pœnitere itaque debet autores calumniæ, recentiores præsertim, & in illis Varillasium, qui tam effrenem impudentiam & audaciam Luthero tribuit, ut eum scribat ultro, & nulla, quæ penetrari possit, causa, post annos duodecim sectatoribus suis indicasse, quod ex diabolo didicerit quæ illos de Missa docuisset. Certe præteritis annis, innumeris vicibus asseveravit, se doctrinam suam ex cœlo, id est, ex verbo Dei habere; idque anno 1522. in odiosissime diffamato tractatu illo *adversus Regem Angliæ* proximis post tentationem illam mensibus iis verbis fecit, quæ magis seria & gravia esse non possunt, ubi, ut alibi allegavi, scribit: *Certus sum dogmata mea habere me de cœlo &c. Tom. II. fol. 548. b.* dein ubi speciatim de Missa agens *fol. 561. b.* hæc scribit: *Ego vero adversus dicta Patrum, hominum, angelorum, dæmonum, pono, non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius majestatis æternæ verbum, Evangelium, quod ipsimet coguntur probare; in quo Missa evidenter traditur esse signum & testamentum Dei, in quo nobis promittit, & signo certificat gratiam suam; hoc enim opus & verbum Dei, non nostrum est. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferni, nedum dictis hominum, quantumlibet sanctorum aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia, Divina majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Deus errare & fallere non potest; Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt & erraverunt.* Ultra omnem humanæ stultitiæ modum insaniisset Lutherus, si, cum ipse jam tutior viveret, & tot regna & provincias, quas doctrinam suam amplecti apparebat, inprimis vero magnam Germaniæ partem, impetrata prima illa pacificatione in rebus religionis anno 1532. publice lætari videret, aperte profiteretur, diabolum in doctrina maximi momenti magistrum a se agnosci. Sane falsissimarum religionum autores divinas mentiebantur revelationes; solus Lutherus, cui revelationis specialis allegatione opus non erat Scripturam sequenti, jam ultro & nemine cogente propalaret, quæ sibi uni nota erant, & ex quorum evulgatione non jam pro doctore Evangelico sed pro Satanæ discipulo se ipsum proderet. Execrati illum essent non solum innumeri, quos habebat, adversarii, sed & sui auditores: quibus tamen ab eo tempore, quo narrationem illam publicavit, semper charior & venerabilior fuit. Neque erat tunc, qui in illo libello talem immanitatem reperiret, quam maledicentissimi & pestilentissimi calumniatores *Cochlæus* & *Bachmannus*.

(o) *Illatio & conclusio.*

§. CIII.

(1) *Defenditur sententia Lutheri, de sacerdotio Christianorum.*

Pergit etiam ex dogmatibus Lutheri hoc referre Maimburgius, quod nulla sit inter Clericos & Laicos, neque inter Episcopos & Presbyteros differentia; & quod cuilibet in Ecclesia eadem consecrandi & administrandi Sacramenta, itemque docendi potestas competat. Hæc invidiose proponuntur aut falsa sunt. Lutherus jam sæpius ad fastum Cleri intolerabilem, quo ad id usque tempus populum Christianum tractaverat, retundendum, in discrimen Cleri & Laicorum accuratius inquirens, Scripturæ locis clarissimis *1. Pet. II. 9.* & *Apocal. V. 10. & XX. 6.* convictum se esse existimavit, post sublatum veteris Testamenti sacerdotium, & Christo unico novi fœderis sacerdote constituto, Christianos veros sive fideles omnes, *sacerdotum spiritualium* nomine censendos esse, neque aliis Sacerdotibus proprie sic dictis magis opus habere, quam sacrificio vel cruento, vel ceremoniali & repræsentativo, nisi quod se ipsos hostias Deo spirituales quotidie sisterent, & sacrificii loco preces & gratiarum actiones in spiritu & veritate, & quicquid ex cultu & obsequio nostro Deo placere per Christum potest, offerrent. Ursit vero adversus contraria docentes, quod ne unicus quidem locus ex novo Testamento ostendi possit, in quo ministri Ecclesiæ *Sacerdotes* vocentur. Itaque iis nomen illud, eo quo utebantur sensu, quantum in se erat, abstulit, non nescius, horribile id visum iri; sed veritate irrefragabili convictum se esse asseveravit. Frustra vero, dicit, ad Ecclesiæ leges provocari; Ecclesiam enim illam quæ creditur in Symbolo Apostolico, non esse eam, quæ tales leges faciat sine verbo Dei: neque enim verbum Dei esse, quod Ecclesia dicit, sed ex verbo Dei fieri Ecclesiam. Adducit Pauli locum *1. Cor. XIV. 24. 25.* quo probatur, ex prophetia, id est, ex verbi divini prædicatione, dignosci, in quibus sit Deus, vel ubi sit Ecclesia. Itaque jure suo & ex natura vocationis omnes omnino Christianos Deo hostias spirituales, uti dictum est, præter quas aliæ non exigantur, offerre, eosdemque verbum etiam Dei docere, atque adeo prophetare posse, ex eodem D. Pauli capite *v. 26. & seqq.*

An. 1521. *& seqq.* concludit; hos omnes esse Christos Dei, quos tangi nolit. *Psal. CIV. 15.* nec mulieres a prophetia aut docendi facultate repelli posse, etsi decoris causa publico munere abstinere debeant; sic prophetasse Oldam, Mariam Deiparam, septem Philippi filias. Gravem inde antithesin facit inter sacerdotes, ab Hierarchia papali institutos, & veros Christi sacerdotes sive fideles: & vitia Cleri & Episcoporum, ut tunc erant, quos *equestre & heroicum genus vocat*, satis aperte taxat, veros autem Episcopos sive Presbyteros unos eosdemque facit atque describit ex notissimis Apostolorum dictis *Tit. II. 7. 8. 9. 1. Pet. V. 2.*

(2) Et de utilitate ministerii Ecclesiastici.

Interim non negat, ad docendum verbum Dei (cum præsertim in populo studia & dona docendi magis magisque, nec sine Cleri culpa, cessaverint) & ad administranda sacramenta certos viros constitui debere; neque nisi summa necessitate, & modo decenti atque analogo, singulos fideles præstare aliis fraterna charitate posse, quæ a ministerio Ecclesiastico ordinarie præstari debent. Vide *tract. de abroganda missa a f. 468. ad f. 477.* Si quæ igitur liberius in hoc articulo scripsit dixitve, ea, ut monui, ad deprimendas Cleri, quas jure divino sibi deberi putabat, quibusque abutebatur, nimias prærogativas, revinciendi quodammodo causa, quæ in alteram partem detorta erant, scripsit; praxi vero & ipsius Lutheri & Ecclesiarum, quæ ejus doctrinam secutæ sunt, ita explicata & observata fuere, ut scandalo careant. Sed & de his ulterius agendi occasio alibi dabitur.

§. CIV.

(1) De consiliis & præceptis Evangelicis.

Quæ vero idem *de consiliis & præceptis* Evangelicis disputavit, eodem pertinent. Neque enim populum a decenti ritu & disciplina abducit; sed ostendit, Clerum ideo solvisse sanctissima Christi verba, quibus legis divinæ veram intentionem adversus Synagogæ superstructiones & depravationes explicavit, ut sibi vitæ genus arrogarent, quod plus præstare videretur, quam Christus exegisset: scilicet ut haberent, quo populum præcellerent, & merita superflua aliis applicare cum lucro & honore suo possent.

(2) De conjugio sacerdotum & speciatim Bart. Bernardi.

Ultima quæ his refert noster, ad *vota* pertinent *monastica*, de quorum validitate & præcipue de *conjugiis monachorum*, non sine magna lucta diu ambegit Lutherus; licet de reliquorum Ecclesiasticorum nuptiis, non tam voto quam ecclesiastica solum lege prohibitorum, minus dubitaret. Primus in Saxonia, quod sciam, conjugem ducere ausus est, hoc anno 1521. *Bartholomæus Bernhardi*, Veldtkirchensis Bavarus, Curiæ in Rhætis Sacerdos factus; sed Kembergæ (*Cameracum* nominat Lutherus) quod est cis Albim oppidum, ditionis Electoralis, haud procul Wittenberga, Præpositus sive Parochus. Professor Physices in Academia Wittenbergensi fuerat, ut ex *Spalatino* & gestis Academicis constat. Albertus Cardinalis ab Electore Saxoniæ postulavit, ut eum Halas ad causam dicendam sisteret, *Spalatino* teste, sed is moras comiter quæsivit, & lictorium illud officium dextre declinavit. Ejus *Apologia ad officiales Diœcesanos Magdeburgensis Archiepiscopatus* extat *Tomo II. Jen. Lat. fol. 462. & seqq.* admodum docta, sed a *Melanchthone* scripta, quod & stylus arguit, & *MS.* quoddam *Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis* indicat. Habetur & *libellus* ejus *supplex ad Fridericum Electorem d. Tom. II. f. 464. b.* Tutatur autem se argumentis notissimis, a libertate, jure divino humanoque permissa, a praxi veteris Ecclesiæ, a necessitate, quæ conscientiam urget ad vitandas impuritates, cui nec oppositione legis Pontificiæ, nec votis de servanda castitate satisfacere potuerit; *paratum tamen se* scribit, *ut portet iram Domini, si secundum traditionem Pontificiam potius, quam divinas literas, & veteres Synodos adversum se decerneretur.* Latitabat tunc Lutherus, sed factum non improbavit. An. 1521.

(3) Lutheri de nuptiis Cleri sententia dubia primum, deinde determinata.

Ad Philippum enim scribens Amsdorffio nunciari jubet, quod *Pastor Hersfeldæ* (Abbatis, de quo diximus, oppidum erat) *vir optimus, uxorem duxerit, ne soli Wittenbergenses*, ut ait, *habeant præpositum illum Neogamon* [illegible]etuit tamen *ne hic expellatur & duplo ventre egeat*, addens: *Dominus vivit, pastor omnium, per quem nec ales esurit.* Sciendum itaque non tam a Luthero quam aliis VVittenbergensibus Doctoribus, Philippo (qui sacris non initiatus uxorem jam anno 1520. duxerat) & maxime Carolostadio, pro libertate Clericorum circa matrimonia voce & scriptis actum esse. Consentiebat Lutherus, quoad *Sacerdotes*, urgens Pauli dictum, inter Diaboli doctrinas prohibitionem matrimonii referentis; sed hæsit circa *Monachos*, qui a Deo non instituti, neque sola lege Pontificia prohibiti, sed spontaneis votis obstricti illum statum elegerint & Deo obtulerint. Nec Carolostadii argumenta sufficere credidit ad Monachos a voto liberandos, quanquam *misereri se* scribat *pollutionibus & uredinibus vexatorum.* Vide *ep. 238. Lib. I.* Sequenti epistola nondum se potest expedire, sed *vexari* queritur *nube quadam pompæ & opinionis humanæ.* Inde ad Spalatinum die Sixti (6. August.) scribens, *nostri Wittenbergenses*, ait, *etiam monachis dabunt uxores: ac mihi non obtrudent uxorem. Utinam Carolstadii quoque scripta plus lucis haberent, cum & ingenii & eruditionis magna vis in eis sit. epist. 240.* Repetit idem fere in *ep. 241.* metuens, *ne ille fabulam excitet, aptioribus argumentis ex Scripturis non utens; periculosum* etiam arbitratur, *tantam turbam cœlibum ad nuptias, infidis & incertis Scripturæ locis provocare, ut perpetua conscientiarum cruce, pejore quam nunc, divexentur.* Verum Philippo contra votorum monasticorum obligationem argumentanti, hac succurrit ratiocinatione: quod eatenus improbanda & rescindenda sint, *si animo salutis & justitiæ quærendæ facta fuerint, ut a vulgo voventium fieri soleat;* quanquam de se id non affirmet, qui incertus sit, quo animo voverit, cum raptus potius quam captus fuerit, & contra parentis voluntatem, ut supra notavimus. Misit etiam *theses* eas, puta quas Episcopis & presbyteris Ecclesiæ Wittenbergensis de voto religionum disputantibus hoc anno 1521. inscripsit, quæ habentur inter cæteras disputationes *Tomo I. Lat. Jen. fol. 525. seqq.* subjunxit alias, quas pro disputandis & inquirendis, non pro certis & tenendis habet: his tamen annus 1522. præscriptus est, quia forte eo demum editæ sunt; Philippi autem judicio detulit, an edendæ sint. Jocatur deinde, & Philippum, cui Lutherus uxorem dederat, *id agere* dicit, *ut sibi quoque det, sed pulchre*, ait, *cavebo ne id possis Lib. I. ep. 242.* Idem fere ad Amsdorffium sequenti die

An. 1521. die scripsit *ep. 244.* Extat fragmentum epistolæ ad Philippum *n. 245.* sine die, sed circa idem tempus, sine dubio datæ, in qua jam manus dat: *Fidendum est*, ait, *Evangelio, & vota ista quocunque casu, quocunque animo, quocunque tempore emissa, cum tota fiducia deserenda sunt, & ad libertatem fidei Christianæ revertendum. Hæc mea est firma & indubitata sententia, de qua benedico & gratias ago benignissimo liberatori, Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula. Amen.* Adde his, quæ ad Gerbelium Jureconsultum scribit *in odium miserrimi vel uredine perpetua vel immundis fluxibus damnabilis cœlibatus, & in laudem conjugii*, quod *paradisum* vocat, *etsi summa inopia laborans. ep. 250.* nec multo aliter ad Spalatinum die Martini *ep. 251.* Hæc profecto neque lascivientem neque præcipitem animum arguunt, quem Luthero hostiles calumniæ tribuunt.

§. CV.

(1) *Excerpta ex tractatu Lutheri de votis monasticis.*

Proposuit autem sententiæ suæ argumenta in tractatu *de votis monasticis*, quem Patri suo *Joh. Luthero* d. 21. Novembr. 1521. inscripsit. *Tomo II. Lat. Jen. f. 504. & seqq.* Narrat in epistola dedicatoria, ut jam supra tetigi, quomodo Pater monasterium ingressuro restiterit, dicens, *caveret ne, quem allegabat, terror & agon, illusio esset, & præstigium*, dein ut replicanti sibi, & filiali fiducia Patri duritiem dissensus opprobranti, iste opposuerit, *audistine etiam tu, parentibus esse obediendum?* ait tamen: *etsi in tota vita non audiverit verbum potentius, securum nihilominus in justitia sua, Patrem velut hominem fortiter contemsisse.* Scribit porro *neque Patrem neque se tum intellexisse vim divini mandati, & sic doctrinam hominum & hypocritarum superstitionem prælatam fuisse.* Addit *fol. 504. b. Verum Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & sapientiæ ejus non est finis, ex omnibus his erroribus & peccatis quanta bona, ecce, promovit! Nonne centum filios nunc malles amisisse, quam hoc bonum non vidisse? Videtur mihi Satanas a pueritia mea aliquid in me prævidisse eorum, quæ nunc patitur, ideo ad perdendum impediendumque me insanivit incredibilibus machinis, ut sæpius fuerim admiratus, egone solus essem inter mortales, quem peteret?* Profitetur, *vixisse se quidem ut monachum non sine peccato, sed sine crimine, nisi illo, quod fuerit inobediens: at se ejus filium nihilominus esse, & vota omnia nullius esse momenti.* Hoc in tractatu multis & gravissimis rationibus deducit, statuitque

(2) *Argumenta pro conjugio Cleri.*

(1.) vota monastica non niti verbo Dei, sed illi adversari, invento scilicet a Clero discrimine inter præcepta & consilia evangelica, cum nulla sint præcepta (proprie nempe sic dicta) evangelica, sed tantum promissiones, & in his quædam declarationes mandatorum Dei & exhortationes ad eadem servanda *Matth. 5. 6. 7.* consilium autem unicum esse de continentia, si quis dono peculiari Dei instructus eam servare libere & sine voto velit. Damnat igitur votorum vincula, ita tamen, ut sanctos piosque monachos excuset, & prædicet nominatim Bernhardum sanctum & beatum, quia ex scriptis ejus constet, & de aliis etiam sperari possit, quod vota monastica ex fide, non meriti opinione, servaverint. (2) Ostendit vota adversari fidei, pluribus explicans dictum Pauli *Rom. XIV. 23. omne quod non est ex fide, peccatum est*, fidem que ibi non pro fide *conscientiæ* (quanquam etiam eam interpretationem suo modo admittat) sed *justificante* intelligendam esse contendit. Sententiam vero suam hac occasione egregie stabilit, quod *sola fide justificemur, & quod opera ante fidem peccata sint, post fidem vero fructus ex remissione peccatorum & bona conscientia provenientes.* Concludit inde, *illos qui ea vovent opinione, ut per vitam monasticam boni & salvi fiant, peccata deleant, & operibus bonis ditescant, impios & Judæis similes esse, a fide apostatare, eamque blasphemare & abnegare. Si vero sint, qui meliori mente voverint, comparari posse pueris in fornace ardenti per miraculum servatis.* Severe postea ex *1. Tim. IV. 3.* contra doctrinam dæmoniorum prohibentium nubere argumentatur, & ad objectionem, qua diu detentum se esse dicit, quod scilicet *non prohibeantur, sed voto abdicentur nuptiæ*, respondet, *quia illa vota non nisi per abusum & neglectum fidei justificantis & spe meriti singularis & præcipui fiant, ideoque impia sint, nullo modo per hæc excusari doctrinam aut leges de cœlibatu posse.* Iterum tamen sanctos, qui bene in monasteriis vixerint, excusatos habet, neque ideo magis vitam in monasteriis, quod quidam in illis sancte moriantur, voveri debere; quam ignes, cruces, bestias, in quibus sancti sancte mortui sunt. Votum vero pium & licitum admittit, quod fit, reservata, si conscientia urgeat, solvendi facultate, & secundum fundamentum fidei, ex formula, quam proponit *fol. 517. (3)*

(3) *De Virginitate & quatenus voveri & præstari possit.*

Rejicit vota monastica, quia sunt contra libertatem Christianam sive evangelicam, definit autem hanc *fol. 528.* quod sit *libertas conscientiæ, qua solvitur conscientia ab operibus, non ut nulla faciat, sed ut in nullis confidat, hærens nempe in solis operibus Christi absolutissime, sicut columba in foraminibus petræ; bona vero opera sua apprehendens, & dictans, ea facienda gratis, ad commodum solum proximi & ad exercendum corpus, nequaquam ad justitiam, pacem, & satisfactionem, & remissionem peccatorum parandam, quia hanc non nisi in operibus Christi quærit.* Taxat hic obiter scholam Parisiensem, quæ statuit, *dogmata Aristotelis moralia non dissentire a Christi dogmatibus*, cum tamen ille aliud non doceat, quam *per opera acquiri virtutes*, v. g. faciendo temperantiam efficimur temperati. *Id vero Christiana conscientia*, ait, *execratur & dicit, credendo in Christum temperatum, efficiar & ego temperatus.* Intelligi inde posse monstrat, cur toties dixerit, *nec vota nec opera necessaria esse ad justitiam & salutem. Sola enim opera Christi in baptismo in nos effusa, necessaria ad salutem esse, sed bona opera facienda esse secundum substantiam, sed non secundum conscientiam sive opinionem, velut defendentia & justificantia, hoc enim esset conscientiam corrumpere, & a Christo sponso suo abstrahere; sed si libera sint & gratis fiant, jam non opera esse legis, sed Christi in nobis per fidem operantis & viventis per omnia, ideo non posse magis omitti quam ipsam fidem, nec minus necessaria esse quam fidem.* Vide *fol. 519.* Monet postea, quantum obstent doctrinæ huic vota monastica, spe & intentione meriti singularis facta, & ad Hieronymi nimias virginitatis laudes respondet. Virginitatem fatetur quidem esse rem maximam, si nulla lege, nulla necessitate, nulla spe præmii; sed

An. 1521. sed gratuita & voluntaria mente servetur, & si virgo sic cogitet: *Quanquam possim nubere, tamen placet virginem manere, non quia præcepta, non quia consulta, non quia pretiosa & magna præ cæteris virtutibus, sed quia mihi sic visum est vivere, sicuti alteri visum est nubere, vel agricolari. Nolo enim molestias conjugii, volo libera esse a curis & Deo vacare. Ecce, hoc est simplicitate Christiana virginem esse, quæ non in se ipsa, sed in Christo glorietur. Unusquisque enim in dono suo debet gratis Deo servire, omnes autem communi fidei virginitate, in uno Christo gloriari, ubi non est masculus neque fœmina, ita nec virgo nec conjunx, nec vidua nec cœlebs, sed omnes unum in Christo fol. 520.* Porro *fol. 521.* ita statuit: *Votum castitatis & totius vitæ monasticæ, si pium est, debet necessario secum involvere libertatem rursus omittendi, & in hanc ferme sententiam interpretari: Voveo tibi obedientiam, castitatem, paupertatem servandam, cum tota regula S. Augustini usque ad mortem, libere, hoc est, ut mutare possim, quando visum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, cernis ex prædictis peccari adversus libertatem divinam nobis mandatam, nec posse fieri, ut Deus aliter acceptet, nisi revocet libertatem, id est, nisi neget se ipsum. Quid ad me, si S. Patres vel nulli ita voverint aut senserint? Quid si omnes erraverint, aut miraculose intus ducti fuerint? Aperta est & irrefragabilis Evangelii sententia, damnari doctrinas hominum, & liberas eas, nosque illarum Dominos esse, quare non possumus earum fieri servi ulla autoritate Angelorum, ne dum nostra stulta superstitione & humilitate, ut Paulus ait.* Animadvertit fore ut subsanneturr & irrideatur tale, quod ipse suadet aut admittit votum, sed *se scire* scribit, *quod sermo Dei sit veritas, verbum hominis mendacium; humanum inventum esse votum, nec aliter utile futurum nisi liberum maneat. Videmus enim* (ait) *primitivæ Ecclesiæ institutum fuisse, & morem plane saluberrimum, ut juventutem seniores sibi ad tempus commendatam, instituerent in fide & disciplina, quod & Apostolorum Petri & Pauli epistolæ indicant, ubi juniores volunt subdi senioribus. Hinc primum natæ scholæ Christianæ, in quibus & puellæ quoque erudiebantur, ut sancta Hagnes* (Agnetis) *habet historia. Ex his tandem collegia & monasteria pullulaverunt, propter eos, qui perpetuo & libere in scholis istis manere volebant. Ubi autem cœperunt ii, qui juventutem instituendam susceperunt segnes fieri, & sua curare, aucti opibus & ocio, & juventus rebellior facta, tum voti laqueos invenerunt, quibus conscientias alligatas tenerent sub disciplina, ut quisque se ipsum metu peccati cohiberet, & ocium fieret curatoribus. Sicut & nunc mos est furiosus Academiarum, juventutem irretire juramentis & conscientias eorum excarnificare, ne sit necesse illis vigilare & sollicitos esse, sed ut in utramque aurem secure dormiant. Sic ex liberis & Christianis scholis servilia & judaica monasteria, veraque Synagogæ impietatis facta sunt. Si igitur votum ... dierum ad priscum illum morem revocaretur, & ita servaretur, nihil ibi periculi esset, & absque dubio apud Deum aliter non agnoscitur, quam ad illum morem servandum temporaliter, tantum ut institutionem Christianam infirmiores & rudiores animi imbibant, & postea rursum liberi dimittantur.* (4)

(4) *De monasteriorum veteri instituto.*

Vota adversari tradit præceptis Dei: impediri enim monachos a legitima observatione decalogi in prima tabula. Cum enim primum præceptum fidem, secundum laudem, tertium opera Dei proponat; nihil horum recte a monachis tractari aut præstari. (5) Idem ostendit ratione secundæ tabulæ, ut peccet contra charitatem & obedientiam parentibus & superioribus debitam, inducta alio obedientiæ, alioque victus genere, quod Deus nec exigat nec probet. (6) Adversari etiam rationi. Hoc præcipue deducit ab impossibilitate servandi vota, & quod his semper insit conditio, si servari poterit, ex quo fundamento etiam in hierarchia Pontificia dispensationes oriri notat. Injustum itaque & absurdum esse, cum alia vota facillime solvant Pontifices, cur in solo virginitatis voto tam duri esse velint. De paupertate autem imaginaria & illusoria monachorum multa habet *fol. 532. & seqq.* & Satanæ commentum esse judicat, quo religiosi liberi facti sunt a juvanda paupertate aliorum, & ab impendendis operibus charitatis, utque nulli quam sibi serviant, immo ociosi, & manuum operibus tantum ab aliis sibi sinant serviri *f. 534.* Obedientiæ denique monasticæ vitia describit, illique præfert, quæ parentibus, magistratibus, maritis & heris præstatur. De castitatis periculis in vita monastica scribens *f. 536.* deplorat non tantum scortationes, stupra & adulteria, sed quas vocat monasticas, moniales, & monachales, id est, solitarias libidines, in quas per Satanæ insidias labantur, qui alienis opibus saginati, saturitate & abundantia securi agant: solari se interim unumquemque & de altero præsumere castitatem, quam ipse se non servare sentiat. Laudat castitatem, quæ libere servetur, & quamdiu servari sine conscientiæ vulnere queat, dummodo ea colatur intentione, quam supra explicavit. Vide *fol. 537.* Qui secus docent, eos seductores esse, quos Christus caveri jusserit *Matth. XXIV, 5.* Id de nullis hæreticis intelligi posse ait, quam de illis, qui vias & modos vivendi ad justitiam & salutem docent, qui jactant eremitas, & vocant ad desertum & penetralia, id est, ad claustra & monasteria *f. 539.* Baptismi votum extollit, in quo Dei se nobis offerentis est promissio, nostra vero acceptatio. Sic bona omnia a Deo dari, a nobis accipi: neque alia a nobis præstari, quam ad quæ peragenda nobis Deus gratiam suam donat, inter quæ non possit referri virginitas, quia nec sit in nostra potestate, nec a Deo voventibus promissa, itaque minime vovenda, nisi quando & quamdiu appareat Dei dono nobis eam dari: annum vero probationis ad hanc explorationem non putat sufficere, sed tentari temporis præfinitione Deum. Hæc fere est summa eorum quæ de isthac materia hoc anno scripsit: recuso tamen tractatui quædam addidit *f. 540. b.* ubi iterum urget votum castitatis (quia sit *lex mere corporalis & de re corporalissima*) hunc sensum, Christo interprete, habere debere, *ut servetur, quantum fieri possit, absque periculo corporis & animæ.* Occurrit cavillationi, si quis dicat, *ergo etiam licet in casu necessitatis occidere, furari & omnia præcepta solvere.* Ait enim, *non necesse est peccare; sunt mulieres, sunt viri, duc uxorem, nube.* Respondet denique ad locum Pauli *1. Tim. V, 11.* de viduis lascivientibus, & ex eo minime sequi ostendit, quod ex Augu-

An. 1521. (5) *Quid ... * [illegible]

(6) *Additamenta Lutheri in secunda editione.*

stino

An. 1521. stino de prohibita voti retractatione affertur, cum nec eo tempore vovendi ritus in Ecclesia fuerit, nec tale quid, sed contrarium potius ab Apostolo intendatur. Notabilis in fine est admonitio, qua libellum, quemadmodum cœperat, concludit, nempe ut conscientiis infirmorum potius consulat, quam obstinationem adversariorum impugnaret. Scribit itaque *fol. 543. b. Per Christum oro omnes, qui meo voluerint hoc consilio uti, & deserta monastice, libertati sese reddere, ut ante omnia suam conscientiam probent, ne forte hoc tentent novitate rei allecti, aut solo hominum contemtu vel odio. Nam ii in morte, suscitata & vexata per Satanam conscientia, de apostasia, de soluto voto* &c. *non subsistent, sed ad sacrilegam pœnitentiam spectabunt, fientque novissima pejora prioribus.* Duo subjungit Apostolorum dicta, nempe Petri *1. Pet. II. 16. quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* & Pauli *Gal. V. 13. In libertatem vocati estis tantum ne libertatem detis in occasionem carni.* Hæc itaque fuit doctrina Lutheri sincere relata, qua ostium apertum esse scribit Maimburgius ad vitam dissolutam iis, qui amissæ libertatis desiderio angebantur, quaque effectum sit, ut brevi tempore monasteria in magna Germaniæ parte deserta fuerint, monachique & presbyteri multi uxoribus juncti apparuerint. Negari factum nequit, de jure quæritur. Ejus fundamenta ita proposuit Lutherus, ut ad hunc usque diem conscientiæ Christianorum consultum per ea fuerit, immani illa & infanda, quæ ex cœlibatu coacto oriebatur, impuritate in provinciis Protestantium sublata. Si qui tunc fuerunt, quod nolim abnuere, & ipse animadvertit & questus est Lutherus, qui non bona mente, lecto ejus libello, monasteria deseruerunt, & dissolutæ vitæ turpitudine sese contaminarunt; sique etiam hodie sunt, quales proh dolor! inveniuntur, qui permisso matrimonio non contenti, libertate abutuntur in velamen malitiæ; nihilominus stant Lutheri argumenta, nec illi imputari possunt, quæ per abusum malorum hominum sequuntur. Ita nempe comparatæ sunt res humanæ, ut etiam, Christo teste, *necesse sit, ut veniant scandala*, neque fas est, aliis quam legitimis modis iis resistere, aut graviora malo remedia adhibere, quod cœlibatus lege factum esse apparuit. Interim quicquid oppositum jam tanto tempore fuit doctrinæ huic Lutheri, quantumcunque a Romanæ ecclesiæ doctoribus improbatæ & exagitatæ; nullum tamen pondus habuit, nisi ubi vis coactiva per exilia, carceres & supplicia, vel spes honorum & lucri, accesserit. Stat potius divinarum literarum aliisque validissimis argumentis probatum, ob conjugia clericis monachisque permissa, damnari neque Lutherum, neque doctrinam ejus secutos, jure posse. Ipse certe Lutherus de tractatu illo suo, aliquo post tempore, non immerito ita judicat, *esse omnium, quos scripserit, munitissimum, immo, quod gloriari audeat, invictum:* Ita scripsit ad *Johannem Brismannum* (de quo alibi dicetur) anno 1523. eumque rogat *ut Minoritæ Wurtzburgensi* (qualis ipse Brismannus fuerat) *Casparo Schatzgeyer*, qui Lutheri libellum de votis refutaverat, *responderet, cum sibi nec vacaret nec operæ pretium videretur*, vide *Lib. II. Epistolar. p. 113. b.* Erasmus libertatem votorum, sive jus ex monasteriis discedendi, & conjugia clericorum, laudat aut non improbat, pluribus locis, ita ut in longa illa, qua suæ juventutis casus sub nomine *Florentii* descripsit, epistola *Lib. XXIV. epist. 5.* notanter dicat, *si vere piorum & spiritualium sententia plus valeret, quam crassorum judicia, nullum posthac esse votum insolubile, præter vota baptismi, præsertim ut nunc habet mortalium vel malitia vel imbecillitas.* Quia tamen invidia Lutheranismi, ut queritur in literis, ad *Jodocum sive Justum Jonam* hoc anno 1521. datis, *Lib. XVII. epist. 18.* ob hanc quoque sententiam gravabatur, oppositionem fecit suæ & Lutheri sententiæ. *Moneo*, ait, *juvenes non esse pelliciendos ad vincula religionis, priusquam sibi ipsi noti sunt & norint quid sit religio. Lutherus, ut ajunt, in totum damnat omnia vota.* Sed falsus est Erasmus, illud, *ut ajunt*, aliter pronunciaturus, si tractatum Lutheri *de votis monasticis* legere voluisset. Post decennium anno 1531. purgans se apud *Georgium Sax. Ducem*, in literis ad ejus consiliarium *D. Simonem Pistoris*, hæc habet de conjugio sacerdotum: *Lib. XVIII. ep. 4. Ego nec Sacerdotibus permitto conjugium, nec monachis relaxo vota, ni id fiat ex autoritate Pontificum, & ad ædificationem Ecclesiæ, non ad destructionem. Eo perpellere pueros ac puellas inhumanum arbitror, & pium, eximere fraude captos: inprimis optandum esset sacerdotes castitatem & cœlestem vitam amplecti. Nunc rebus adeo contaminatis fortasse levius malum esset eligendum. Hæc opinio si non placet Ecclesiæ præfectis, pro somnio ducatur.* Ita attemperare dicta sua ad genium eorum, quibus scribebat, noverat Erasmus. Interim quod a Pontificibus frustra petierunt Reges & cordatissimus quisque, quod tamen ipsi Pontificii juris assertores agnoscunt positivum & arbitrarium esse, in quo etiam, cum lubet, dispensationibus utuntur: bona conscientia suoque jure in Germania & alibi statuerunt proceres Reipublicæ & Ecclesiæ, & assensit populus. Attamen collegia hominum in casto cœlibatu libere viventium, cum utilitate Ecclesiæ & ad excolenda bonarum literarum studia; tum etiam virginum monasteria, eodem libertatis jure (uti quidem aliquibus locis etiam inter nostrates factum est) instituta, non repugnant Protestantium religioni, nec abhorrent a Lutheri consiliis, ut ex hoc ipso tractatu patet. De Parisiensi censura paulo post dicemus, ubi de refutatione ejus agitur a Maimburgio. Nunc de aliis Lutheri libris hoc anno 1521 editis, quos noster ille omisit, dicendum est.

An. 1521.

(7) *Epicrisis contra dicta Maimburgii.*

(8) *Lutheri de tractatu suo judicium.*

(9) *Erasmi scripta quædam de votis.*

(10) *Protestantium sententia.*

§. CVI.

Memorari meretur ante omnes, quem adversus *Ambrosium Catharinum* Senensem, Dominicanum, tunc juvenem, postea ad Episcopales dignitates evectum, & ex concilii Tridentini actis celeberrimum composuit. Pervenerat ad eum *Catharini* liber ante iter Wormatiense, opera Linccii, Augustiniani Norimbergensis, ut constat ex Lutheri ad hunc *epistola 218. Libri I.* d. 7. Mart. data. Scribit enim: *Deus bone, quanta farrago insulsissimi istius Thomistæ Catharini! Respondebo ei paucis, ad summum quatuor quaternionibus.* Sed crevit refutatio ad quatuordecim, non tamen nisi sub finem anni publicata. Vide *ep. 250.* Extat

(1) *Lutheri liber contra Ambros. Catharinum.*

An. 1521.

Latina *Tom. II. Jen. f. 370. b.* Germanica vero, interprete *Paulo Sperato*, insigni Lutheri adjutore, & postea in Borussia Episcopo Evangelico Pomezanensi, *Tom. I. Alt. f. 653.* Dedicavit librum suum Lutherus Linccio d. 1. April. Catharinum inter alia vocans *Sylvestrini Registri consummatorem. Prodiit enim*, ait, *primum Sylvester, & sicut sorex mutivit, ac mox periit. Secutus est Cajetanus ille. Sacratum implet numerum Catharinus, Thomistarum* (Dominicani ordinis) *jam tertius. Hi Thomisticæ factionis in Italia proceres sunt, ex quibus alios omnes licebit æstimare.* Thomam ipsum hæretica docuisse confidenter asserit, forte imprudentem, quapropter sanctum fuisse non vult negare. Omisit autem in tractatu suo Lutherus quæstiones *de indulgentiis & de libero arbitrio*, aliasque a Lovaniensibus & Coloniensibus damnatas; & Catharino contradictiones & variationes objicienti ultro largitur, se nunc in multis aliter sentire. Unum jam probandum sumit, *Papam esse Antichristum.* Aggreditur autem primo locum illum solennem *Matth. XVI. Tu es Petrus*, multis argumentationibus ostendens, nihil hoc dicto pro Romana hierarchia effici, neque eam Ecclesiam esse Romanam, multo minus Papam, adversus quam portæ inferorum, id est, peccata non prævaleant. Petram in qua fundatur Ecclesia, esse invisibilem & spiritualem, sola fide perceptibilem, de qua non demonstretur, sed credatur, esse Ecclesiam Catholicam. Dein Catharini sententiam per syllogismos quosdam proponit, interque eos *fol. 374.* hunc: *Omnia quæ facit Ecclesia, Spiritus Sanctus facit: Omnia quæ Papa cum suis facit, facit Ecclesia: Ergo omnia quæ Papa cum suis facit, facit Spiritus Sanctus.* Majoris probationem non exigit, præsupponens, Ecclesiam, de qua loquitur, esse cœtum vere fidelium, qui a Spiritu sancto regitur. At minorem a Catharino vult probari, idque nec factum esse, nec unquam fieri posse contendit. Irridet consequentias. *Petrus est Apostolus*, ergo *Papa etiam est Apostolus. Petrus fuit sanctus*, ergo *Papa etiam est sanctus.* Dicta Patrum sine Scripturis nil se dicit morari. Locum Scripturæ clarum in tanta re non producere, impudentissimum esse dicit: interim & vocabulum *Ecclesiæ* & *petræ* scenica quadam & portentosa cavillatione torqueri, ut inde pro *petra* substituant hominem, eundemque impium; pro *Ecclesia*, homines impios, & in has cloacas Spiritum sanctum incarcerent, qui inerrabiles faciat; cum tamen sub petra deberet intelligi res sanctissima. Et ut effugium occludat distinguentibus inter personam & officium Pontificum, negat ullum locum Scripturæ dari posse, in quo idem vocabulum simul significet hominem in totum impium, & simul pium & sanctum, sicut de vocabulo *Petræ* fingere necesse habeant, qui per id Pontificem intelligunt. Opponentibus vero vulgatum illud, quod & nunc quotidie aures Protestantium circumstrepit, *quo signo Ecclesia cognoscatur, si visibilem illam petram auferamus?* respondit, signa necessaria & quæ habemus, esse baptisma, panem eucharisticum, & omnium potissimum evangelium. Tria hæc esse Christianorum symbola, tesseras, characteres. Evangelium autem non modo scriptum sed vocale exigit, non quidquid de suggestu declametur, sed quod germanam & genuinam Christi fidem doceat. Ecclesiæ deinde Romanæ statum cum eo comparat, quem Danielis prophetia *cap. VIII.* præfiguravit, & nihil omittit, qvo omnia, quæ tunc Pontifici ejusque curiæ & Hierarchiæ objecta sunt, & adhuc objiciuntur, ex Prophetæ dictis stabiliat. Inprimis omnem illam Ecclesiasticarum legum & rituum molem, Moysi non Christo convenire docet. Non enim in vestibus, cibis, personis, domibus, gestibus & similibus, externam speciem præ se ferentibus, nec in tota morum doctrina, sed in fide Christi sanctitatem Ecclesiæ spectari; qui nos non ideo solum sanguine suo mercatus fuerit, ut doceret bene vivere, sed ut ipse vivat & regnet in nobis, sitque Dominus noster operans in nobis omnia opera nostra: idque per solam in eum fidem fieri. Excusat tamen, quos in Romana Ecclesia sanctos habent, monasticæ præsertim vitæ institutores; putatque quæ illi libertate Spiritus & fidei fecerint aut ordinaverint, in necessarias postea leges, fallacia insensibili, degenerasse: fidem itaque eorum non exempla & facta nuda imitanda esse. Quæ adversus luxum, avaritiam, rapinas, dominatum, superbiam, libidinem, aliosque malos cleri, Romanæque inprimis aulæ, mores liberrime quidem & intrepide objicit, quæque dogmata reprehendit, quoniam nota sunt & sæpe recurrunt, repetere hic nihil attinet. Missam queritur in sacrificium conversam, auctum Sacramentorum numerum ad cleri utilitatem, reliquiarum cultum illegitimum, fraternitatum inventa, universitatum doctrinas corruptas, & vitam licentiosam, tum maxime Aristotelis nimiam autoritatem, ab Alexandro de Hales & Thoma Aquinate, omnium, ut scribit, Aristotelicissimo, Theologiæ invectam, Theologastrorum multiplices sectas, Moralistarum infelicissimos scrupulos; eumque in modum ista & alia depingit & deplorat, ut miraculo simillimum sit, potuisse hominem post editum librum istum viginti quinque adhuc annos vitam producere, nec odii irreconciliabilis victimam fieri, tam debili præsidio ab humana protectione nixum. Ex plurimis sequentia saltem, quæ non tam increpantis quam commonentis & meliora suadentis verba sunt, adscribam (nam acerbiora sciens & bona mente prætereo) *f. 384. b.* *O væ tibi Papa! væ vobis Cardinalibus! væ vobis Episcopis! væ vobis Sacerdotibus! væ vobis monachis, & toti ordini Ecclesiastico! Quis vobis monstrabit fugere a ventura & instante ira? Quid respondebitis pro officio verbi, quod subiistis, & non implestis? Nunquid ille triplices coronas, pileos, infulas, annulos, aurum, purpuram & omnes jam dictas facies acceptabit? Stat sententia fixa, non respicit in faciem hominum. Quocirca consilium Christi audiat, qui potest, ubi docet Matth. XXIV. Fugiendum esse in montes, & non revertendum in domum. Relinquat publicum qui potest, in solitudinem vadat, qui liber est. Noli, noli, o homo, quisquis es, ambire Episcopatum, Canonicatum, Monachatum, aut ullum ordinem Clericatus, peccatum & perditio est in omnibus, ut facies prædictæ monstrant. Aut si omnino vis aut urgeris initiari sacris, age, contemne has facies Antichristi hujus, & cura, ut Evangelio pure inservias, vel per te ipsum*

(2) *De dicto; tu es Petrus.*

(3) *De characteribus Ecclesiæ.*

(4) *De vaticinio Danielis, Papæ applicato.*

(5) *Abusus varii Papismo objecti.*

(6) *Gravis de iisdem querela.*

An. 1521. *ipsum docendo, si gratiam habes, vel iis, qui possunt docere, assistendo, cooperando & serviendo, quales Apostolus se habuisse multos testatur; tum orationibus puris pro fructu Evangelii insles coram Deo. Crede mihi, nisi hoc feceris, Clericatum non nisi in damnationem tuam portas, etiamsi miracula feceris, & te ipsum igni tradideris. Proprium & unum officium est Clericatus, docere verbum; quo evacuato, non Clericus sed facies Clerici sola reliqua est.* Surdis quidem ista plerisque ex primoribus Cleri cecinit Lutherus, & persistentibus in institutis suis molestissima; talia tamen, quæ facilius vi & autoritate damnari, quam veritate divina refutari potuerunt. Agnoscit autem ipse *fol. 388. infelices omnes fuisse, qui Papæ semet opposuerint, sive,* ut Itali scribunt, *rebellaverint, sed & martyres,* ait, *fuisse infelices & ipsum Christum.* Indignatur, quod *legentes omnes Decretales & historias nihil inveniant, quod Papæ conquerantur, nisi quod Principes vel offenderint vel non defenderint sedem Apostolicam; nunquam vero, quod fidem & Evangelium contemserint, aut in Deum peccaverint, ut adeo unum solumque crimen sit Pontificiæ majestatis læsio.* De iis vero, quæ adversus Germanos gesserunt Pontifices, graviter lamentatur. Ait enim: *piget me pudet que imo miseret, quoties cogito, quæ & quanta ludibria ex Imperatoribus, Principibus universaque natione Germaniæ fecerint, quanta libidine & fiducia in illis luserint, non secus eos ducentes & jactantes, atque irrationabilia bruta, quibus tantum ad cædes, ad rapinas, ad dolos & fraudes abuterentur.* Non multum profecto ista discrepant ab his, quæ Maimburgius in *historia de declinatione Imperii* tradidit; & ex gestis Henricorum, Fridericorum, & Ludovici Bavari notiora sunt, quam ut referri debeant. Pergit Lutherus & miratur Pontifices tantum sibi imperium imbellibus & ignavis artibus peperisse, socordia potissimum Principum, & quod fastigio illi Papali non offecerit universale odium, cum nemo fere sit, qui ei non invideat & male cupiat. Ea vero omnia ad iratum Christianis Deum refert. Si enim populi, qui Christi nomen profitentur a peccato & lege liberati, Christi revera essent, eumque voluntarie audirent & sequerentur, non legis timore, sed gratuita libertate & benevolentia ducti, idque ut fieret curassent Pontifices & Episcopi, non dubitat in meliori statu futuram fuisse Ecclesiam, & pro hierarchia nos habituros fuisse charitatis ministerium. Merentur attente legi quæ habet *fol. 392. & seqq.* in quibus genuinam & veram pietatem Christianorum semoto fuco, qui ab externa specie sumitur, egregie exponit. In epilogo vero ad Linccium non vane ominatur *f. 400. Hoc meo libro habent quod agant homines loquaces & scribaces, nisi fallor, quamvis sperem eo usque rem mihi perductam, ut superati mea perseverantia, solis clamoribus, furiis, fraudibus, viribus, deinceps in me sint grassaturi, ut in Hæreticum, qualem omnia secula non viderint: obturabunt autem aures suas, sicut aspis illa, quæ vocem incantantis non audit. Nec hoc agent, ut Scripturis contra me pugnent, sed abolendum duntaxat de terra clamabunt. Verum ego scio, & certus sum, Jesum Christum Dominum nostrum vivere & regnare, qua scientia & fiducia inflatus, non timebo etiam multa millia Paparum. Major est enim, qui in nobis, quam qui in mundo est.*

(7) *Fiducia de libro hoc suo.*

§. CVII.

Ad hunc annum etiam referenda sunt, quæ Lutherus *Hieronymo Emsero* respondit, & *Thomæ Murnero*, Lipsiensibus, qui aliquibus libellis eum aggressi erant. Sed quia Maimburgius *Emserum* ejusque scripta in historia anni sequentis magnifice commendat, satius est, ut ibi de Lutheri scriptis Emsero oppositis simul agatur. Prætereunda non est summa Lutheri de causa sua fiducia, qua factum, ut ad *Albertum* Cardinalem Moguntinum & Magdeburgensem literas illas scriberet, quæ extant *Tom. I. Altenb. fol. 925.* die 25. Novembr. 1521. ex latebris suis datas. Novas enim indulgentiarum nundinationes Albertus Halis Saxonicis, incluta urbe, quæ sedes erat Archiepiscoporum Magdeburgensium, instituerat, & Parochum quendam ad uxorem, quam duxerat, dimittendam & abjurandam carceris pœna coegerat. Minatus autem est in literis illis Alberto Lutherus, *ni ab ista indulgentiarum prædicatione & Pastorum conjugatorum persecutione cessetur, se, licet pro perdito & veluti mortuo habeatur, ita Albertum scriptis esse aggressurum, ut omnis corruptæ religionis & morum impudicissimorum culpa & ignominia in eo sit hæsura.* Audet etiam ab eo postulare, *ut intra dies quatuordecim respondeat, an petita Lutheri admittere velit.* Albertus *Wolfgangi Fabritii Capitonis* consilio & stylo, lenissime Luthero respondit d. 21. Decembr. scribit enim: *se literas ejus benevole & in optimam partem accepisse; sperare etiam causas, propter quas Lutherus scripserit, jam cessasse; agnoscit se peccatorem esse, immo inutile & fœtidum stercus, nec recusare Christianam & fraternam Lutheri admonitionem, eique propter Christum optime velle.* Promittit denique *se officio pii & ecclesiastici Principis functurum esse.* Sed gaudium quod ex literis talibus Lutherus percipere potuisset, *Capitonis* epistola fuit sublatum, qua Luthero significabat, *ea lenitate usum esse, se consulente, Archiepiscopum, ut Lutherus ab insectatione ejus aliorumque Prælatorum posthac abstineret.* Addebat, *alium promovendi Evangelii modum ab Archiepiscopo intendi, tutiorem & commodiorem.* Verum Lutherus sub initium anni sequentis d. 17. Jan. Capitoni omnem de temperamento illo spem prolixa epistola ademit, quæ extat *Lib. II. epistolarum p. 36. & seqq.* Germanice autem versa in *Tomo I. Altenb. fol. 927.* legitur. Distinguit inter *correptionem spiritus*, sive falsorum dogmatum refutationes, quam sine omni personarum respectu fieri debere contendit, nullique fastigio parci, & inter *mansuetudinem*, qua acerrime licet correptos suscipere, tolerare, & juvare conveniat. *Fides per verbum Dei*, ait, *nihil prorsus sustinet, sed arguit, devorat, evellit, destruit, dissipat, & maledictus qui facit opus Domini fraudulenter; at charitas omnia suffert, omnia sperat.* Opposuerat aliquid Capito de conjugii abusibus, a sacerdotibus uxoratis metuendis, sed hoc nihil contra doctrinæ puritatem facere ostendit. *Hoc a vobis* (ait) *non exigimus, ut conjugia præstetis omnibus molestiis libera, sed tantum ne doctrinam & exempla ejusmodi damnetis. Nihil de sacerdotum conjugiis promittimus, nisi quod autoritate Dei liceat sacerdotes esse conjuges.*

An. 1521.

(1) *De literis Lutheri minacibus ad Moguntinum.*

(2) *Responsum Moguntini & Capitonis.*

(3) *Lutheri ad Capitonem epistola.*

An. 1521. *conjuges.* Concludit denique, *se Capitoni amicissimum obsequentissimumque futurum, dum is verbo pietatis amicus fuerit; egregium vero contemtorem, si cum Cardinali suo pergat ludere in re sacra. Charitas nostra* (scribit) *pro vobis mori parata est; fides vero si tangitur, pupilla oculi nostri tangitur. Fidem nostram nunquam non timete.* Interim *a scribendo contra Cardinalem quieturum se aliquandiu* pollicetur, *& epistolæ ejus ideo non responsurum, quod neque laudare neque vituperare, sive sinceritatem sive hypocrisin ejus, consultum nunc duceret.* Vide quæ eodem tempore ad *Philippum* scribens, de arte & fuco Capitonis queritur *Lib. II. epist. p. 41.* Tantum animum in homine omni fere præsidio (nam infidum & debile erat, quod ab aula Saxonica præstabatur) destituto, nullumque commodum aut honorem spectante aut sperante, sed solius conscientiæ fiduciæ innitente, nisi divinitus concessus fuisset, inveniri impossibile est. Quid potuisset vehementius aut imperiosius scribere tantæ dignitatis & potentiæ Præsuli, si legatione Pontificia instructus, & Cæsareis omniumque Regum exercitibus comitatus, ad reformationem instituendam missus fuisset? Sed de hoc ulterius agendi mox dabitur occasio, cum de certamine Lutheri cum Angliæ Rege sermo erit. Cæterum antequam epistolam illam ad Albertum scripsisset, *adversus Idolum* (ita indulgentiarum præconium nominat) *Hallense*, reprehensionem publicam Germanice elaboraverat, ut ad *Gerbelium* scribit *Lib. I. ep. 250. Germanis meis natus sum, quibus & serviam.* Sed editio libri prohibita fuit ab aula: graviter quidem succensente, & cum Spalatino expostulante Luthero *Lib. I. ep. 251. & 253.* quanquam postea, ut ex epistolis supra adductis apparet, ipse in dilationem editionis consenserit. Notabilis etiam est epistola *Philippi Melanchthonis* ad *Capitonem*, ab *Abrahamo Sculteto* ex autographo relata (in tomis enim epistolarum non extat) in *Annal. Evang. Decad. I. p. 96.* qua suadet, ne Lutherus, quem spiritu Dei agere judicat, contemnatur, & ad edenda acerbissima contra Albertum scripta proritetur, quod sua opera hactenus impediverit. Refertur etiam *Capitonis* ad *Melanchthonem* responsum, quo innuit, *Albertum clam cum Luthero facere, illique vires & autoritatem confirmare.* Quod si verum est, nihil nisi ingens illud Archiepiscopale & Electorale fastigium, sicut & aliis Ecclesiæ proceribus, & pinguia sacerdotia tunc obstitisse apparet, quo minus Evangelicam veritatem cum periculo ea amittendi amplecterentur.

(4) *Liber adversus idolum Hallense suppressus.*

ADDITIO.

(a) *Epistola Capitonis ad Lutherum.*

Quoniam *Capitonis* hic mentio fit, abs re non erit, ut, qua mente is sub initium cœptæ a Luthero disputationis fuerit, ex epistolis ejus discamus, quas *Sculteto* debemus in *Annal. Evang. Dec. I. pag. 32.* Ad Lutherum scripsit anno 1518. inter alia his verbis: *Vidi,* inquit, *concionem tuam de pœnitentia, & alteram de condonationibus; utramque contra receptos hujus ætatis mores apertis figuris militantem. Obstupui, de amici salute anxius, qui densis hostium turmis ita nudum objicis latus, quamvis instructissimus videare armis veritatis. Tu tamen longe aliis, male metuo, impugnaberis, & periculum est, ne vi res geratur. Quod si ex fide consulenti aures dignaris, expertus moneo, Sertorii consilium ampiectaris. Crede mihi, carptim facies, quod viribus ne labefactare quidem potuisses. Arcem, ut vides, undique munitam occupant, triplici vallo septi, velut extra tela, quod dicitur, stertunt, autoritate Pontificia, hoc est, universalis Ecclesiæ potentia, tyrannorum, & omnium scholarum pertinaci consensu. Profecto triplicem hunc Cacodæmonis funem crassissimum haud facile rumpes. Opus est Alexandro quodam, ceu Gordii vincula gladio confidenter dissolvente: ingenio aut ratione fieri difficultas est: piorum simplicitas a nutu, & renutu pendet hujus factitiæ Ecclesiæ, argutioribus animum tyrannis adimit.* Proponit inde Pauli exemplum, qui per cuniculos adortus sit auditores, & addit: *Quam vellem semper aliquam servares fenestram, qua effugias, vel disputatione vexatus.* Item ubi de Prieriatis scripto refutando loquitur: *Sedulo a Pontifice lædendo abstineas, quin omnem detorqueas invidiam in illum, tanquam impudenter adulantem, tanquam indigna affingentem Pontificis dignitati, tantum ventris causa.* Sed anno sequenti de causa Lutheri melius sperabat. Epistolam *MS.* ad *Erasmum* allegat *Scultetus p. 44.* non indignam quæ hic legatur: *Helvetia & Rhenana regio ad Oceanum usque solidos amicos fovet Luthero, eosque potentissimos, neque omnino alienos a bonis studiis. Cardinalis Sedunensis, Comes de Gerolseck, Episcopus quidam eruditus ac primæ honestatis, aliique ex nostris non pauci, cum nuper audierant te periclitari, non tantum sumtum, sed etiam tuta loca pollicebantur: quibus aut latere, aut aperte degere posses. Cum peregre constitutum fama prædicaret, & summa rerum difficultate laborares, fuerunt qui per me submittere nitebantur largissimum sumtum, & submisissent utique. Verum hoc vespere nuncium accepimus aureum: vivere Lutherum, & semper victurum. Deinde vidimus exemplum literarum Ducis illustrissimi, & vere Principis ad D. Cardinalem, unde cognoscimus, quam nihil opella nostra indigeas. Favore tamen, si quid possumus, aderimus ubique. Monimenta tua junctim expressimus, sicut ex dono Frobenii cognosces, statim post nundinas Francofurdianas, simulque per Italiam, Gallias, Hispanias, Angliam, intra sesqui mensem bona fortuna publicavimus, in hoc videlicet communi causæ consulentes, cui maxime consultum putamus, si veritas quam latissime declaratur. Natura enim veri gratia vel invitum in amorem sui pellicit. Ignosce quod nuper monitus es ex sententia Erasmi, hoc est, quod noctuas Athenas intuli.* Paulo post *p. 45.* Erasmum monet, *ne Luthero* (LUTHERIUM semper ipse vocat) *noceat*, dicit tamen *se non omnia ejus probare: Martini* (scribit) *obsecro, negotium, in publicum nihil eleves. Nosti quantum valet calculus tuus. Ex animo loquor. Expedit superesse famam Luthero, dabitur animus reliquæ juventuti ut aliquid audeant pro libertate Christi: quanquam ipse multa in eo desidero. Curato, Lovanium ne obsit. Nos tibi in officio continebimus Germaniam & Saxoniam, ubi princeps potens, Lutheri patronus, & florentissima Academia VVittenbergensis, tot illustres viri, qui ex æquo favent Erasmo & Luthero. Nihil in votis potius habent adversarii, quam tuum in illum stomachum videre. Tibi cum suis addictissimus est. Omnes præstat infestos habere Theologos, quam illius propugnatores. Sunt enim Principes aliqui, Cardinales, Episcopi, & clarissimi quique Ecclesiasticorum, quibus cordi est negotium.*

An. 1521.

(b) *Item ad Erasmum.*

§. CIIX.

(1) *Lutherus ut in custodia sua affectus fuerit.*

De aliis etiam Lutheri gestis in custodia illa sua dicendum est, unde de spiritu, & quo jure eum tam atrocibus conviitiis incessant adversarii, judicari possit. Invitus, aut, quemadmodum alibi loquitur, nolens volens secessum illum admiserat, cautelis aulicis cedens. Nam, ut sæpius tetigi, nondum ita obfirmatus erat Electori Saxoni animus, ut periclitari de tota fortuna sua Lutheri causa voluerit. Apparet id inter alia ex quadam historia Actorum Wormatiensium, quæ per allusionem ad passionem Christi composita *Libro II. epistolarum p. 33.* reperitur. Ægre itaque obtemperaverat Lutherus, malebatque in publicum prodire, & furoribus adversariorum occurrere, objecto jugulo,

An. 1521. gulo, ut ad *Philippum* scribit Dom. Exaudi *Lib. I. ep. 226. 230.* incertus an Wittenbergam esset rediturus, & ire paratus quo Dominus vellet. *d. l. ep. 234.* Præsupponit tamen vocationem, qualis tunc ab *Erfurtensibus* ei videbatur expectanda esse, *ep. 234.* Nulla itaque invidia sed magno gaudio afficiebatur, cum intelligeret, florere doctrinam & studia Wittenbergæ, etiam se absente: *Ego sic gaudeo de vestra abundantia,* scribit *ep. 235. ut mitissime feram absentiam meam.* Et *ep. 243. Gaudeo Wittenbergam crescere hoc maxime nomine, quod me absente crescit, ut videat impius, & fremat, & desiderium ejus pereat, Christus autem perficiat quæ incepit.* Philippi interim timiditatem & in cruce ferenda impatientiam non semel, sed amice, increpavit, animoque forti eum esse jussit; sed & curam ejus gessit, & per Spalatinum sollicitavit Principem, ne eum egere in re familiari patiatur. Vide *ep. 236.* Tenero vero amore Wittenbergenses in universum prosequebatur, ideo ad consolandos eos, & in pietatis studio excitandos, prolixam conscripsit epistolam, quæ legitur *Lib. II. epistolar. p. 15. sqq.* cui explicationem *Psalmi XXXVI.* (Hebr. XXXVII.) addidit. Dolet, quod nondum dignus fuerit plura quam odium, invidentiam, ignominias, contumelias, & probrosa convitia a Papistis pati: Quanquam, nisi Deus obstitisset eorum conatui, jamdudum dentibus eorum contritum se fuisse agnoscit: Deo tamen attribuit constantiam suam, quod jam ter coram infensissimis adversariis fidei rationem redditurus comparuerit, *Augustæ, Lipsiæ,* & hoc anno *Wormatiæ,* ubi tantum se submisisse refert, ut etiam fidem publicam sibi datam saluti suæ postponere paratus fuerit (si scilicet ad defendendam doctrinam fuisset admissus). Addit postea *p. 16. b. Quo vero ibi non sunt affecti dedecore? Sperabam profecto, ut Episcopi & Doctores accuratiori habita indagine singula diligentius ex me perquirerent, nihil non penficulantes & perscrutantes rimatius; quorum tamen alia non audiebatur vox & postulatio, quam quod prædicatæ a me doctrinæ palinodiam canerem. Quorum vesano consilio, si omnes Germaniæ Principes & Ordinum proceres adjectis consensissent calculis, (erant enim qui suffragium non addebant) extreme me puduisset nominis Germanici, quod se Papisticis tyrannis ita ultro deridendum & dementandum devovisset. Omnis enim rerum cardo vertebatur ab adversariis, id quod obscurum erat nemini. Nunc vero has tres submissiones & apparitiones non ut a nobis factas jacto, sed ut gratiam Dei cognoscamus & laudibus extollamus, certa fiducia animo nostro obfirmato, qui nostros inimicos audacia dispoliatos ita exanimavit metu, ut unicum mendicum coram audire apertoque Marte oppugnare non sustinuerint, sed vitata luce veluti vespertiliones & nycticoraces in tenebris volitantes, turpiter ululant, putantes hac ratione nos metu consternatum iri.* E contrario adversarios reprehendit, quod nullus eorum Wittenbergam accedere ausus fuerit, oblata licet securitate: *ita Thrasonica tantum & ventosa lingua eos multam eruditionem venditare,* ait, *at pro officio suo pastorali pugnare nolle.* De prædicatione vero Evangelii, quam sitiebat populus, non tantum ita laboravit in secessu illo, ut *Postillas,* quas vocat, *Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium* lingua patria conscriberet, & imprimendas Wittenbergam mitteret (Vide *Lib. I. ep. 234. p. 335. b. ep. 237.*) sed & omnibus modis suasit, ut pomeridianæ conciones diebus festis Wittenbergæ haberentur, loco compotationum & ludorum, *ut fieret consuetudo libertatis* (Evangelicæ) *introducendæ, & in priscæ Ecclesiæ faciem & morem restituendæ:* hoc munus autem Philippo demandari cupit, etsi uxorato (*Lib. I. ep. 243.*) in qua re Origenis exemplum allegat, qui privatim mulieres docuerit. Dubitationibus etiam Wittenbergensium ad se delatis judicio suo succurrebat, ut jam supra de cœlibatu agentes diximus. Sed & quæstio tunc orta fuerat, *an armis uti, sive militare, liceat Christianis?* & licere respondit Lutherus, etsi nec præceptum nec consilium extet Evangelicum, sufficere enim, quod non sit prohibitus sed potius commendatus gladii usus. Inde *Philippo* hæsitanti Johannis Baptistæ concionem, Cornelii exemplum, dicta Pauli & Petri, ubi Magistratus (qui sine gladio geri non possunt) colendos, & prece juvandos docent, allegat *ep. 234.* An. 1521.

(1) *Epistola ejus ad VVittenbergenses.*

(3) *De postillis in arce elaboratis.*

(4) *Christianos licite bellum gerere asserit.*

§. CIX.

(1) *Prædictio Lutheri de bello rustico & morte Friderici Elect.*

Ridiculos haberi nostrates scio, cum prophetiæ donum Luthero tribuunt, neque is sibi eo modo id arrogavit, ut se Prophetis veteris aut novi Testamenti æquaret; non possum tamen non locum summe notabilem, ex epistola ejus ad Linccium *Lib. II. p. 10.* adscribere, etsi sequenti demum anno datam esse appareat, feria quarta post Reminiscere, id est, d. 27. Febr. & erratum sit in numero anni, nam ex Patmo scriptam esse multa ostendunt. Nemo post edictum Cæsareum sævius doctrinam Evangelicam persequebatur, aut alios ad eandem crudelitatem magis incitabat, quam *Georgius,* Saxoniæ Dux, incentoribus Episcopis *Misnensi* & *Mersburgensi,* potissimum vero hoc, qui erat *Adolfus* ex Anhaltinorum Principum familia natus, quem Lutherus *sancticulum Episcopum* vocat *superbissima & avarissima humilitatis, Lib. I. ep. 217.* Nec stimulare Principem cessabant Lipsienses quidam Academici, & ob iracundiam omnibus invisus *Emserus,* qui Misnæ præbendam quandam habebat, & a Georgio Duce *Secretarii* vel *Consiliarii* titulo ornatus fuerat. Scribit igitur Linccio Lutherus: *Vehementer metuo, si pergant Principes audire stolidum illud cerebrum Ducis Georgii, futurum esse tumultum, qui tota Germania Principes & Magistratus perdat, & simul Clerum universum involvat: sic enim res ista mihi apparet. Vulgus concitatum est ubique, & oculos habet; vi premi nec vult, nec potest; Dominus est qui facit hæc, & has minas & intentata pericula abscondit ab oculis Principum: immo per cæcitatem & violentiam eorum talia consummabit, ut videar mihi videre Germaniam in sanguine natare. Quare te per viscera Christi oro, optime Wenceslae, ora cum tuis nobiscum, & ponamus nos murum contra Deum pro populo in isto die furoris sui magni. Res seria est, quæ instat, & stolidum caput illud Dresdense nihil curat populorum causam, modo suas insanias & inveterata odia impleat. Deinde si quid potes, satage, ut per senatores vestros moneantur Principes modeste & sine vi statuere & agere: cogitent, populos non esse tales modo, quales hactenus fuerunt: sciant gladium domesticum suis cervicibus certissime impen-*

An. 1521. *impendere. Ipsi agunt, ut Lutherum perdant; sed certe Lutherus agit, ut ipsi serventur. Non Luthero sed ipsis instat perditio, quam moliuntur, tantum abest, ut eos timeam. Hæc certe in spiritu loqui me arbitror. Quod si omnino definita est ira in cœlo, ut nec orationibus nec consiliis impediri possit, impetrabimus ut Josias noster in pace dormiat, & mundus sibi relinquatur in suam Babylonem.* Quod autem ex spiritu se loqui non vane putaverit Lutherus, eventu probatum est: nam tumultu rusticorum post triennium sequuto, quæ damna Principibus & Clero illata fuerint, notum est, & Fridericus, quem *Josiam* nominat, placida morte miseriæ illius spectaculo fuit subtractus. Non minus vera sunt, quæ de Germaniæ fato & Carolo Imp. vaticinatus est, qui Pontificis societatem adversus Galliæ Regem, edicto suo VVormatiensi mercatus, gravissimis bellis implicitus fuit: id enim cum rescivisset Lutherus, ad Spalatinum scribit: *Lib. I. ep. 236. Carolum impeti bellis, nihil mirum: nihilque unquam habebit prosperum: & cogetur alienæ impietatis pœnam solvere, infelix juvenis, quod veritatem Wormatiæ malis consultoribus in faciem sic repudiarit: & Germaniam involvet calamitas sua quoque, quod impietati consensit: Dominus autem suos agnoscet.* Negari quidem nequit, successisse quædam non infeliciter Carolo, sed nihil ex iis prosperum habuisse, ut Lutherus loquitur, nulloque successu recte usum, certissima historiarum fide, nec aliorum magis, quam Gallorum scriptorum testimonio comprobari potest.

(2) *Alia de fortuna Caroli V. prædictio.*

(3) *De habitu, vestitu & victu ejus in arce.*

Talis in custodia illa sua fuit Lutherus, *mirabilis*, ut ipse agnovit, *& monachus & captivus, qui barbam comamque*, ut scribit, *nutriebat, & sub equestri ornatu, & Georgii nobilis* (Juncker George) *nomine latere debebat*, ita ut nec ipsi Principes, ubi esset, satis scirent: certe *Johanni*, Electoris fratri, mense demum Septembri a Præfecto arcis revelatum id fuit. Vide *Lib. I. ep. 234.* Ignorare etiam Lutherum patiebantur, quo sumtu alimonia suppeditaretur. Haud pigebit, quæ d. 15. Augusti hac de re ad *Spalatinum* scripserit, & genium viri generosum ostendunt, aliaque scitu non injucunda, hic inserta legere, ex *Lib. I. ep. 241. De patientia mei exilii nihil sis sollicitus. Mea enim nihil refert, ubi ubi agam: modo non sim tandem onerosus & molestus his hominibus. Neminem enim vellem per me gravari. Omnino autem credo me hic agere alimonia & expensis Principis nostri: alioqui ne horam quidem hic subsisterem, si scirem hujus viri me consumere substantiam: quanquam & hilariter & libenter omnia mihi ministret. Scis enim, quod, si cujuspiam opes perdendæ sunt, Principum perdendæ sunt: quod Principem esse, & non aliqua parte latronem esse, aut non aut vix possibile est, eoque majorem, quo major Princeps fuerit. Tu bene feceris, si me de hoc certum facies. Nam ex hoc homine tam liberali nihil intelligere possum, nisi quod e marsupio Principali me sustentet. Sed sic est ingenium meum, ut metuam esse onerosus, ubi forte onerosus non sum: atque hoc metuere etiam decet liberalem animum. Fui proxima feria secunda in venatione, duobus diebus, visurus voluptatem illam Heroum γλυκύπικρον: cepimus duos lepores, & aliquot perdiculas miseras: dignam profecto occupationem hominum otiosorum: theologisabar etiam ibi inter retia & canes. Ac quantum voluptatis attulit species illa rerum, tantum misericordiæ & doloris miscuit mysterium. Quid enim ista imago nisi diabolum significat, per insidias suas & impios magistros canes suos, scilicet episcopos & theologos, venantes innoxias istas bestiolas? nimis præsens erat mysterium hoc tristissimum de animabus simplicibus & fidelibus.*

§. CX.

Interim dum ille negotioso distinetur otio, doctrina ejus longe lateque personare cœpit; cultu licet externo nondum mutato, nec autoritate publica accedente. Magnum tamen ad mutationem sub hujus ipsius anni finem gradum fecerunt Augustiniani VVittenbergenses, qui solitarias Missas intermiserant; sed de iis in sequentis anni historia plura dicemus. In Saxonia Electorali liberius quidem jam concionabantur multi, scriptis Lutheri ad lectionem Biblicam incitati; sed ringentibus Episcopis, cunctantibus etiam ex Clero & Magistratibus, quibus periculum honorum opumque ex Cæsarei edicti rigore non videbatur spernendum, plebecula fere puriori doctrinæ adhæsit. Inter primarias urbes *Zuiccavia* (quam *Cygneam* vocant) jam ab initio Lutheranæ doctrinæ prædicatores Evangelii habuerat, sed veluti occultos; inter quos *Fridericus Mecum* sive *Myconius* fuit, Liechtenfelsæ in Franconia natus, Annæberga, ubi in monasterio a Georgio Duce noviter extructo Franciscanum induerat cucullum, pulsus, celebris postea Gothæ in Thuringis Ecclesiastes, & Luthero conjunctissimus, aliique; sed hoc anno pastorem accepit ex vicino Schneebergæ oppido, sive Nivemonte, virum Luthero charissimum, *Nicolaum Hausmannum*, de quo dicere solebat: *Quod nos docemus, ille vivit.* Huic consulenti, an oblatum Pastoris munus accipere deberet, mense Martio responderat inter alia Lutherus: *Si pasturam assumis, Papæ & Episcoporum hostem te facies, illorum decretis repugnans; si non repugnaveris, Christi hostis eris. Lib. I. ep. 222.* Eodem tamen tempore etiam Anabaptisticæ sectæ primordia Zuiccaviæ jacta fuerunt, ut paulo post narrabitur. *Friberga* (splendida etiam illa est, & argentifodinis sepulchrisque Principum celeberrima Misniæ urbs) Henricus Saxoniæ Dux, imperabat, ad exiguam provinciæ portionem a Georgio fratre primogenito, ex paterni testamenti dispositione redactus. Hic propendere ad Lutheri doctrinam cœperat, Bullam Pontificiam detestatus, & a Luthero petens, ut ad se scriberet, quod & hic factum a se refert, in literis d. 7. Martii datis, *Lib. I. ep. 219.* Sed Dux ob metum Georgii, publicato postea edicto VVormatiensi, ulterius progressus tunc non est. In *Frisia* Ezardus Comes jam ab anno 1520. Evangelicæ doctrinæ, ex libris Lutheri perceptæ, favere cœpit. Emdæ præsertim, ubi *Georgius Aportanus*, filiorum Ezardi præceptor, publice concionatus est. Vid. *Ubbo Emmius* a *Sculteto* relatus *p. 69. & sqq.* ubi alia cœptæ reformationis exempla refert, interque ea *Halberstadensium*. In urbe enim illa *Eberhardus Widensee*, Præpositus D. Johannis, & *Valentinus Musteus* Carmelita, (qui Canonicorum & suffraganei instinctu noctu captus & virilitate orbatus fuit) docere cœperunt. In *Dania* eatenus faveri sibi cœptum

An. 1521.

(1) *Primordia reformationis in Saxonia.*

(2) *Specia-tim Zuiccavia.*

(3) *Friberga.*

(4) *in Frisia & Halberstadii.*

(5) *in Dania.*

An. 1521. ptum scribit Lutherus *d. ep. 219.* ut Rex Christiernus mandato Universitati suæ dato, nollet ejus scripta damnari. Idem Rex jam anno præcedenti ab avunculo suo, Friderico, Saxoniæ Electore, concionatorem Evangelicum petierat, missusque fuit *Martinus* quidam, ille nempe, cujus in epistola allegata Lutherus meminit, qui ob Doctoris titulum assumendum VVittenbergam venerat. Allegat hæc ex *Arsuidi Huitfeldii* Chronico Daniæ *Scultetus in an. 1520. p. 59.* Verum de rebus Danicis infra iterum dicendi occasio dabitur. *Erfurti* cum tumultu agebatur, minime probante id (ut jam diximus) Luthero. Docebat ante omnes ad Lutheri ductum sæpe memoratus *Johannes Langus*, Prior Augustinianorum. In *Bohemia*, qua Misniæ adjacet, in *Valle Joachimica* Schlickiis Comitibus tunc subjecta, hoc anno Scholæ Rector *Philippus Eberbachius* evangelium docere cœpit. In *Pomerania*, Treptoviæ, *Johannes Bugenhagius* & *Andreas Cnophius* Scholam celebrem regentes, tanto applausu docebant, ut ex Livonia aliisque remotis locis concursus scholasticorum eo fieret. Allatum anno 1520. Lutheri librum *de captivitate Babylonica* Bugenhagius primo ut hæreticum execratus, paulo post secunda cura perlegens, ita probavit, ut universum mundum cœcutire, solum & unicum Lutherum vera videre, profiteretur. Sententiæ ejus Abbas loci & quidam Ecclesiastæ accesserant; sed orto a petulanti plebe adversus Monachos Antonianos, cum tintinnabulis & porcis pro more discurrentes, tumultu, secuta est ab Episcopo Caminensi, *Erasmo*, ex nobili *Manteufeliorum* familia, atrox persecutio, quam evitans Bugenhagius vere hujus anni 1521. VVittenbergam venit, antequam Lutherus VVormatiam iret, & postea Simone illo Clinico, de quo supra dixi, defuncto, Pastor urbicus factus est. Ad *Rhenum* non minor plurimorum in Lutheri doctrinam propensio, sed magna etiam ejusdem oppugnatio fuit. VVormatiæ, ubi Lutheri constantia animos hominum moverat, post ejus discessum, cum in templis id non liceret, aliis in locis conciones habitæ sunt ex suggestu portatili, eam ob causam circumlato. Argentorati *Matthias Cellius*, Keisersbergæ natus, magna cum libertate Lutheri dogmata proposuit. Is in *Apologia* adversus Fiscalis Episcopalis accusationes anno 1523. edita, cum edictum VVormatiense objiceretur, exemplo totius Germaniæ se defendit, in qua, *non obstante edicto, nullam urbem, nullum oppidum, cœtum, monasterium, academiam, capitulum, imo nullam familiam nec domum esse asseverat, in qua non sint, qui Lutheri, quam vocant, sectam profiteantur.* In *Belgio* etsi nullus ad opprimendam hanc doctrinam rigor omitteretur, impediri tamen non potuit, quo minus in plurimis urbibus locum inveniret. Antverpiæ, quæ tunc omnium maxime florebat, a duobus jam annis Prior Augustinianorum, *Jacobus*, cognomento *Præpositus*, alias *Spreng*, (vide *Lib. II. ep. 70. b.*) Lutheri imitatione concionatus fuerat; (ille nempe, cujus elogium facit *Erasmus* in epistola ad Lutherum, *Addit. ad §. LI. fol. 69.* relata) Is vero hoc anno Bruxellas ductus, mireque divexatus, & ignis supplicio territus, palinodiam publice egit, ineunte anno sequenti, mense Febr. coram *Hieronymo Alexandro* Commissario

(6) in Bohemia.

(7) in Pomerania.

(8) in urbibus ad Rhenum.

(9) in Belgio.

Apostolico, *Hieronymo Vandernoot* Cancellario Brabantiæ, *Adriano Herboutio* Suffraganeo Cameracensi, *Joh. Glapione* Cæsaris Confessionario, aliisque: eamque typis Lipsienses vulgarunt. Nec puduit judices inter triginta articulos Lutheri etiam sequentes condemnare, & ad abjurandos eos miserum mortis metu cogere. Artic. 6. *omnia opera Sanctorum peccata sunt, & egent misericordia ignoscente & remittente.* Artic. 10. *Omne opus liberi arbitrii quantumcunque bonum, peccatum est; egens Dei misericordia ignoscente.* Artic. 24. & 25. *Concupiscentia quæ in baptizando relinquitur est peccatum proprie dictum, contra hanc legem Dei: non concupisces. Caro tali concupiscentia infecta ad omne opus liberi arbitrii concurrit, unde quodlibet opus humanum peccatum efficitur.* Artic. 28. *Displicentia de peccatis admissis non est via ad gratiam justificantem, sed e contrario gratia est via ad ipsam displicentiam.* Art. 30. *dolor de uno peccato, sine dolore omnium, est peccatum.* Nec sufficiebat hæc recantare, sed & juratam assertionem dogmatum Pontificiorum, quæ *Catholicæ Ecclesiæ doctrinam* vocabant, exegerunt, inter quæ sunt: *Credo opera sanctorum sic esse vitæ æternæ meritoria, quod omni culpa carerent. De libero arbitrio credo & assero, quod active concurrit, & cogit ad actus bonos libere. De operibus liberi arbitrii credo non omnia esse peccata, sed aliqua esse vitæ æternæ meritoria absque omni culpa, & per consequens non indigentia misericordia remittente.* Hæc profecto horrida & Christiano nomine indigna esse multos etiam ex Romana Ecclesia judicaturos esse spero. At idem *Jacobus* tunc dimissus, Brugis in Flandria iterum prædicare, quæ abjuraverat, cœpit, & e carcere Bruxellensi, in quem denuo compactus fuit, ope Franciscani cujusdam elapsus, postmodum quæ secum acta erant ipse publicavit, & lapsum deprecatus, Bremæ multis annis Evangelium docuit. Vide Sculteti *Annal. Evang. ad ann. 1521. p. 84.* & Epistolas Lutheri *Lib. II. p. 74.*

ADDITIO I.

(a) *De Vita Friderici Myconii.*

Vita Friderici Myconii, quam *Melchior Adamus* in *Vitis Theol. p. 171.* prolixe descriptam exhibet, dignissima est quæ legatur. Nolo exscribere quæ de somnio Myconii summe memorabili, quod anno 1510. d. 14. Julii, eo ipso die, quo monasterium ingressus fuit, habuit, referuntur. Memorat inde *Adamus*, ut Myconius scholasticam Theologiam exiguo successu tractaverit, ut septennium totum Biblia monachis sub prandium & cœnam prælegerit, cum interpretatione Lyrani, & pene tota memoriæ impresserit, sed sine intellectu & judicio, retentis tamen historiis sacris. Maxime vero notabilis est ejus cum Tezelio disputatio, ex qua simul ingenium hujus, immo seculi, Simoniaca lue penitus infecti, egregie cognosci potest *p. 172. & seqq.* ita enim narratur: *Sub id tempus venit in Germaniam Johannes ille Tecelius: quem Myconius Annaberga ipsum biennium docentem audivit, nil nisi indulgentiarum virtutem crepantem & affirmantem: nullam esse aliam viam consequendæ remissionis peccatorum & vitæ æternæ, præter satisfactionem per opera: quæ quidem homini sit impossibilis; sed hanc unicam restare viam, illam satisfactionis vim & efficaciam, si nummis redimatur a Romano Pontifice, & emantur indulgentiæ Papales, quas definiebat esse remissionem peccatorum, & certissimam viam ingrediendi vitam æternam. Minabatur præterea, se depositurum crucem; clausurum januam cœli, jam latissime patentem; extincturum radios & splendorem solarem; futurum brevi, ut res tam pretiosæ non amplius tam vili pretio extarent venales, nec in posterum*

(b) *Acta ejus cum Tezelio.*

An. 1521.

rum sperandum, nunquam in Germaniam, donec hic mundus staret, tantam liberalitatem Romanæ sedisredituram esse. (In hoc uno verus vates fuit, aliud licet agens.) *Hortabatur etiam serio, ut singuli suæ, & suorum mortuorum, & vivorum amicorum, animæ salutis rationem haberent: adesse enim diem salutis, adesse tempus acceptabile, occasionem præsentem arripiendam. Nisi enim quis habeat literas indulgentiales, non posse eum a quoquam absolvi a suis peccatis. Clamitabat etiam hic Stentor Pontificius: si Annabergenses cives largiter darent nummos, fore, ut singularum fodinarum venæ circa S. Annæ oppidum argento puro puto abundarent. His clamoribus effecit indulgentiarum caupo, ut literæ indulgentiales in tanto haberentur honore & precio, ut, si quando Tezelius urbem aliquam ingrederetur, Bulla Pontificia holoserico vel etiam linteolo aureo involuta præferretur, processione tam longa & pomposa, ut vix sit credibile, si Deus ipse alicubi visibili forma ingrediatur, tanto eum splendore & honorificentia eum exceptum iri. Nimirum Deus omnem potentiam Papæ tunc resignarat in cœlo & terra. Cum autem literæ indulgentiarum papalium annexam haberent appendicem:* Pauperibus dentur gratis propter Deum: *inter Myconium & Tecelium orta est disputatio. Didicerat domi puer Myconius Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & admonitus erat, ut frequenter oraret: quod a solo Deo nobis gratis omnia dentur, & ille nos gubernet, si serio oremus: & sanguinem Christi esse unicum pretium pro peccatis totius mundi: & hanc fidem cuilibet Christiano esse necessariam, omninoque sibi persuasum, animoque suo infixum haberet ἀξίωμα Theologicum, si tantum tres homines essent salvandi per sanguinem Christi, certo statueret, unum se esse ex tribus illis, & contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare. Indulgentias Romanas esse retia, quibus venarentur pecuniam, & deciperent simpliciores: remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia. Hæc domi didicerat ex patre, quem apparet recte sensisse de justificatione; de vera ac non dubitante fide, qua omnia a Deo impetremus; de invocando solo Deo; & de indulgentiarum vanitate. Fuit haud dubie aut VValdensium discipulus, aut alioqui Θεοδίδακτος, mirabili modo a Deo veritatem edoctus, quales multi omnibus temporibus in densissimis Papatus tenebris fuerunt. Et idem postea docuit Myconius monachus, sed tamen non sine fremitu & indignatione fratrum. Cum ergo in concionibus publicis nihil præter indulgentiarum laudes audiret populo inculcari, & gratiæ Christi ac satisfactionis ejus pro peccatis mundi nullam fieri mentionem, aut si fieret, ita exponi: eos fieri mortis Christi participes, qui vel bonis operibus meriti essent, vel emissent pecunia; ancipiti ac dubio in tenebris istis oberrabat animo, utri parti magis, parentibus ne an sacerdotibus esset credendum; tamen hoc unum non admittebat, remissionem peccatorum impetrari sine pecunia non posse, maxime qui essent pauperes. Adeo mirifice ipsi placebat clausula in fine literarum Papalium:* Pauperibus gratis propter Deum. *Quare spiritu Dei incensus, non tamen intelligens quid ageret, adiit commissarium Pontificium, petivitque exemplum diplomatis Papalis, addens, se peccatorem esse pauperem, & indigere gratuita remissione & participatione meriti Christi. Audiebat Tecelius orationem Myconii latinam, admirabatur hominis ingenium, cum in illa barbarie nemo esset inter clericos, qui unum aut alterum verbum Latine pronunciare posset; deliberabat hac de re cum collegis, qui pro eo deprecabantur. Sed respondebatur post longam deliberationem: petitioni ejus locum dari non posse, literas enim Papales dispensationem non admittere, & eos solum capaces & participes fieri indulgentiarum & thesaurorum Ecclesiæ, adeoque meritorum Christi, qui manus porrigerent auxiliatrices, hoc est, qui nummos darent. Instabat Myconius & objiciebat literas, publice valvis & parietibus templorum affixas: Sanctissimum patrem Papam mandasse, ut pauperibus gratis darentur propter Deum, & adscripta esse hæc verba, quæ simpliciter & significanter hoc vellent; nimirum* ad mandatum Domini Papæ *proprium.*

Ita improbe urgente Myconio, collegæ denuo intercedebant pro illo apud Tecelium ut satisfaceret petitioni, daret literas, dimitteret, esse adolescentem ingeniosum & facundum, & omnino dignum, in quem præ cæteris aliquid beneficii collocaretur; ne injurius fieret in pauperem, quem nec Deus nec Pontifex exclusum vellent a gratia, nec rejiceret propter pauculos nummos. Sed Monacho abnuente, insusurrabant Myconio in aurem, ut saltem aliquid nummulorum daret; contra Myconius diserte negare, vel nummum se additurum. Hic alii metuentes ne vel subornatus ab aliis esset Myconius, vel turba ab agmine Scholasticorum aut pauperum orirentur; suaserunt illi mangoni cucullato, non dimittendum Myconium sine literis, & ut eo facilius impetrarent, offert quidam eorum Myconio sex nummos, pro redimendis illis literis, ne destructor ædis Petrinæ aut osor Papæ haberetur. Sed Myconius aperte respondet, nolle se emtas indulgentias, si vellet emtas, posse libro divendito emere, se gratuitas cupere indulgentias, propter solum Deum, quas si non impetraret, redderent ipsi rationem Deo ob neglectam animæ salutem, propter solos sex nummos; siquidem & Deus & Papa remissionem peccatorum gratis dari velint petentibus, pro meritis quidem singulorum, sed pauperibus gratis. *Quærebatur tandem, a quo esset missus? a quo instructus hanc rem tam pertinaciter urgeret? Respondebat Myconius: se a nullo prorsus homine (ut & erat) subornatum, sed sola fiducia gratuitæ remissionis in literis promissæ fretum, rem illam egisse, nec sibi unquam cum tantis viris fuisse colloquium: natura se esse verecundum: siti gratiæ divinæ ac remissionis peccatorum exstimulatum. Et cum videret, se ex pumice poscere aquam, discessit: partim dolens se voti compotem non factum, partim vero gaudens, quod adhuc esset Deus in cœlo, qui peccata remitteret pœnitentibus sine pecunia & precio, propter solius Christi filii sui lytron, juxta consolationis plenissimam promissionem:* Vivo ego inquit Dominus: nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur & vivat. Hæc ex oratione *D. Antonii Probi* de vita & obitu Fr. Myconii refert *Adamus.* Ex historia autem *MS. Myconii,* quam supra §. *II. Addit. I. fol. 3. seq.* allegavi, hæc quæ de se ipse narrat, adscribenda esse duxi: *Ego minimus omnium sum, opus Domini Dei mei in me prædico. In bello rustico Deus per verbum suum me ministro hoc oppidum cum præfectura a seditione conservavit. Eos, qui Ichtershusæ congregati erant, oratione habita permovi, ut sine noxa abirent; volebant autem tres arces in vicinis montibus sitas,* (Gleichen / Wachsenburg und Mülberg) *destruere & nobilitatem expellere. Tribus vicibus cum Electore Saxoniæ profectus sum in inferiorem Germaniam, Coloniam, Juliacum, Cliviam, & ibi Evangelium de pœnitentia & remissione peccatorum prædicavi. Bis cum eodem in Saxonia fui, inferiori scilicet seu VVestphalia, Brunsvici, Cellæ, Susati, Esseniæ; Düsseldorffii concionatus sum magno cum populi applausu. Disputavi ibi publice cum monachis & sophistis Coloniensibus.* (Vide *Lib II. §. XXXIV. n. 2.*) *Christum fidelium salvatorem & infidelium judicem agnoscere cogebantur. Quater in conventibus Smalkaldiensibus concionatoris vices sustinui. In Comitiis etiam Norimbergensibus & conventu Francofurtensi operam præstiti; multa ibi utilia Spiritus sancti auxilio dicta sunt; cum Melanchthone omnia communicavi, & ejus informatione usus sum.* (der mir die Pfeile fiederte) *Lipsiæ novem mensibus commoratus sum, doctrinæ Christianæ fundamentum posui, & in ministerio constituendo adjutor fui, assistebant D. Cruciger, D. Johannes Pfeffinger, Pastor Belgeranus, & M. Balthasar, VVittenbergensis. Qui Pontificiæ doctrinæ adhærebant, ad dogmata monachorum & sophistarum provocabant, etiam aliquas propositiones de Baptismo ediderant, item de transsubstantiatione, aliisque nostræ doctrinæ capitibus; putabant me respondere non posse. Res ad disputationem deducta est in Collegio Majori ad S. Nicolaum: ubi primo per horas quinque, dein novem uno die disceptavi; Papæ & Satanæ quisquilia omnes in pulverem ciderunt. D. Melchior sophista se subduxit; L. Balthasar Dominicanus Herbipolin abiit; D. Ochsenfurt paulo post*

An. 1521.

(c) *Myconii ipsius de se narratio.*

An. 1521.

lo post mortuus est. Omnes Ecclesias per Thuringiam visitavi cum Melanchthone, Menio, item ex nobilitate Christ. Planitio, Georgio VVangenheimio & cum Georgio Cotta. (Isennacensi Consule.) *In oppido adjutores habui, Henricum Thilonem, qui Augustinianus fuit, Johannem Gebhartum, Georgium Merulam: cucurrimus, certavimus, laboravimus, pugnavimus, viximus: viximus semper conjunctissime, nullibi ministerium inter se & cum Senatu & Schola magistris tam concors fuit. O Domine Deus, autor charitatis, conserva in nobis bona tua, quæ operatus es in nobis! Scholam instauravit Basilius Monnerus Vinariensis anno 1524. cum Augustiniani monachi adhuc in monasterio essent, postea Legum Doctor & Principum Consiliarius.* Novit & nominetenus recenset magno numero, qui alibi Evangelium docuerunt, quorum plerosque in Opere meo nominavi. *Spalatino* trium Electorum concionatori & historico elogium dat, **eines treuen/ theuren und gelehrten Mannes** / *viri fidelis, eximii & docti.* Hæc ex illo. Adjungo ex *Archivo* Vinariensi (*Reg. N. fol. 65. n. 16.*) quæ & Myconii & reformationis historiam illustrant.

(d) *Alia de eodem ex Archivo.*

Annaberga urbs a Georgio Duce non diu ante condita, in magno tunc, ob rei metallicæ uberrimos proventus, flore erat; tanto magis curæ fuit Principi, ne Lutheri dogma in ea propagaretur. Habebat autem Elector vicinum oppidulum **Buchholtz** ibique præfectum fodinarum *Matthæum Buschium*, Evangelicæ doctrinæ valde studiosum; eo magno numero excurrebant Annæbergenses. Severe igitur injunctum est a Georgio omnibus, ut id intermitterent. Id ex Buschii literis mense Julio 1524. ad Electorem scriptis cognoscitur. Refert enim, jussu Georgii nuper monachum captum fuisse, qui prædicare Annæbergensibus ausus erat, liberatum tamen cum compertum esset, eum in valle Joachimica (in regno Bohemiæ sub comite Schlickio) concionatoris officio fungi. Venisse postmodum ad se alium monachum, vero nomine *Fridericum*, in monasterio autem *Franciscum* dictum, cognomento *Mecum*, quem Vinarienses monachi, spreto Johannis Ducis mandato Isennacum miserint, inde Lipsiam amandatum, & porro jussum, ut Annæbergam iret; (ubi scilicet ante hac eum fuisse intelleximus) sed cum deprehendisset, se ad vincula destinari, aufugisse in itinere & ad Buschium venisse, ab hoc Zuiccaviam esse missum. Postea itidem ad se amicitiæ & communis fidei causa advenisse Torgavia *VVenceslaum Linccium & Gabrielem* cujus mater in valle Joachimica habitaret: (*Didymum* intelligit) eos festo Johannis Baptistæ concionatos esse, illum ante, hunc post meridiem. Cum vero hic parva statura & exili voce esset, templum vero altum, auditores omnes ex subselliis suis surrexisse, & ad pulpitum accessisse, tantaque cum attentione auscultasse, ut integrum diem perseveraturos in concione eos fuisse crederet. Locutum autem esse Gabrielem de fide & prædestinatione. Rogatum a civibus fuisse ut maneret, dum Lutherus alium, ut promiserat, missurus esset. Dein d. 2. Julii *Myconium* (sive *Mecum*) concionem habuisse, totamque Scripturam percurrentem de peccato, de fide, spe & charitate excellenter dixisse. Adfuisse duos Senatores Annæbergenses, ut qui ex suis civibus adessent observarent: supra mille autem tunc ex illis adfuisse. Jam *Buchholtianos* flagitare, ut Fridericus ille Myconius pastor suus fieret, Johannem vero Ducem eum Gotham vocasse. Addit Georgium, ut Annæbergenses ab excursione arceret, monachum nuper advocasse, qui Evangelicam doctrinam ab initio proposuerit, magno cum applausu, sed cum non multo post prava immiscuisset (**habe Gifft spüren lassen**) deprehensam esse fraudem a civibus jam non imperitis. Renovatum tamen d. 26. Julii a Georgio interdictum fuisse, & mandatum, ut ii, qui posthac excurrerent, in arcem *Schellenberg* (ea nunc *Augustoburgum* vocatur, a nomine Augusti Electoris, novi palatii conditore) captivi abducerentur. Paulo post in legatione Georgii, de qua alibi dicam, mense Augusto ad Electorem & Fratrem missa, expostulatum etiam est de duobus monachis in Buchholz, quorum alter monialem duxisset.

ADDITIO II.

An. 1521.

(a) *De Henrico Sax. Duce.*

Historia *Henrici* Saxoniæ Ducis aliunde nota est, ex scriptoribus rerum Saxonicarum. Habetur Lipsiæ & alibi descriptio quædam inedita, a quodam, qui ei a secretis fuerat, composita, in qua mores ejus ita referuntur, ut virum appareat fuisse animi simplicioris, sorteque sua contenti, item militaris, popularis, & genio indulgentis. Religionem, quo tunc maxime usitatum erat, modo colebat, institutis peregrinationibus ad loca quæ sancta habebantur. Adiit itaque Palæstinam anno 1498. ut Eques sancti Sepulchri fieret, dein D. Jacobi fanum, quod Compostellæ in Gallæcia celebre est. De hoc itinere ipse narrare solitus fuit, se in altari D. Jacobo centum florenos aureos obtulisse, & dixisse: *ego quidem tibi, in cujus honorem hanc profectionem suscepi, hac offero; sed si patiaris illa a nebulonibus istis* (Clericos templi intelligens) *tibi auferri, excusatus ego ero.* **Ich bin dir zu gefallen herein gezogen/ und schencke dir dis Geld/ läst du dirs die Buben nehmen/ da kan ich nicht darwider.** Sero, & fere quadragenarius anno 1512. cum *Catharina Meckelburgica* matrimonium iniit, ex quo Serenissima linea Electoralis hodierna propagata est. Hæc Catharina Evangelicam doctrinam propis accepit auribus, licet ab initio obscurius a duobus monachis, Franciscano quodam *Stephano* & Dominicano, cui *Georgii Schumanni* nomen erat, Fribergæ prædicatam, & renitente Georgio, qui fratrem subinde de veteri ritu servando admonebat. Obstabant & Consiliarii, qui sacri ordinis erant Canonici Fribergenses; inter eos maxime Cancellarius *D. VVolfgangus Strehlinus*, Professor paulo ante VVittenbergensis, Tubinga evocatus. Fatendum itaque est, uxori Henrici post Deum maxime deberi studium purioris doctrinæ, marito tandem implantatum. Nec parum juvit amicitia, quam cum Electoribus Saxoniæ colebat, inprimis cum Johanne Friderico. In magno pretio habendæ sunt, & hic per anticipationem referri haud incommode possunt literæ Celsissimæ matronæ d. 12. Maj. 1525. Fribergæ ad Joh. Fridericum, Sax. Ducem, filium Electoris, manu filiæ suæ *Sibyllæ*, quæ postea *Duci Lauenburgico* nupsit, scriptæ. (*Reg. N. Lit. G. n. 40.*) Testatur in his dolorem suum ex morte *Friderici* Electoris; confidit *Johannem* ejus successorem, patrem Joh. Friderici, & hunc ipsum verbo Dei nonminus quam defunctum adhæsurum esse, non attenta persecutione; sibi quoque illam imminere significat, ex odio & calumniis Consiliariorum mariti sui, quibus apud Georgium ejus fratrem gravetur, se tamen Deo auxiliante paratam esse asserit, ut omnia patienter pro verbo Dei ferat. Addit alia, quibus felix regimen novo Electori auguratur, & excusationem, quod oculorum debilitate quadam tunc laborans sua manu non scripserit. Nunciat etiam, quod Præfectus aulæ suæ, *Rudolfus a Bünau*, ad Georgium Ducem transierit, Consiliarius ejus factus. Istum postea Evangelicæ doctrinæ vehementer adversatum esse ex actis observavi.

(b) *Literæ Catharinæ uxoris Henrici Ducis ad Joh. Fridericum Electoris filium.*

(c) *Responsum Joh. Friderici.*

Responsio ad literas illas d. 8. Julii Joh. Friderici Ducis manu, *Grimmæ* exarata, eodem loco asservatur non minoris valoris, sanctissimique affectus plena. Excusat ab initio moram ob bellum cum rusticis, gratiasque agit pro significatione doloris ex morte patrui Friderici, quam divinæ voluntati attribuit; confidere deinde eam jubet, quod parens suus & ipse, quantum viribus hominum fieri possit, defensuri sint, divino auxilio freti, verbum Dei, neque passuri, ut vi opprimatur, corpus, vitam, provincias & quicquid habeant in discrimen & jacturam daturi. **Wollen Leib und Leben/ Land und Leute darüber zusetzen/ und ob solches alles darüber solte zu Boden gehen/ ob GOtt wil/ von seinem göttlichen Worte nicht weichen oder abschrecken lassen.** Scire tamen non a se & ejusmodi mediis, sed a solo Deo verbum ejus defendendum esse, idque precibus quotidie ab eo peti debere, & deprecandum ne ob peccata & ingratitudinem illud auferat. Nunquam sufficientes gratias agere se Deo posse dicit, quod Ducissam ad verbum suum divinum miranda operatione perduxerit, & ex persecutrice, ut ex Saulo Paulum, talem eam fecerit, quæ nunc constanter verbum Dei

An. 1521. profiteatur. Ich kan Gott . immer verdancken / daß er E. Liebden auf sein göttlich Wort geführet hat: denn hier hat GOtt sein Werck höchlich beweiset / daß er aus einer Verfolgerin seines Worts nun eine beständige (Bekennerin) bey seinem Wort gewürcket hat/ hier ist recht aus einem Saulo ein Paulus gemacht. Addit vota & solatia, monetque ut vindictam adversus Georgium Deo, justo judici, committat: offert officia sua & parentis: & rusticorum tumultum magna ex parte sopitum & spem pacis renatam esse indicat.

ADDITIO III.

(a) *De Erfurtensis reformationis initiis.*

Præluserunt Erfurti quasi doctrinæ Evangelicæ, bonarum literarum Professores celeberrimi; Latinarum quidem & Poeseos inprimis *Eobanus Hessus*, Francobergæ in Marpurgensi districtu natus, tanto cum applausu legens, ut sæpe quingentos haberet auditores. Græca docebat *Joachimus Camerarius* Bambergensis, uterque Erasmo laudatus: ita ut Eobanum *Germaniæ præcipuum decus, Nasonem alterum, sed castum & pium* vocaret, magnisque præmiis ob carmina dignum censeret, si *Principes*, ut loquitur, *qui laudari sciunt, etiam munerare scirent.* Vide epistolas anno 1519. & 1531. scriptas *Lib. VI. ep. 25. XXVII. 5. XXX. 6.* Aperuerat etiam Erfurti ludum literarium *Euricius Cordus*, is quoque ex Hassia, & demum Professor Marpurgensis; hunc quoque collaudavit Erasmus literis Cal. Maji 1519. datis, quibus judicium de Scholarum magistris pium & verissimum fert, dignumque quod non memoretur saltem, sed & in effectum deducatur. *Secundum Principes* (ait) *& Episcopos nemo magnificentius meretur de republica, quam ludi literarii magistri, si rudibus adhuc & in quemvis habitum sequacibus animis, mentem instillent Christo dignam, easque citeras, quæ semper optimo cuique placuerunt.* De iis qui Evangelicam doctrinam primum publice Erfurti prædicarunt extant *annotationes* quædam *MS.* Concionati sunt nempe præter *Langum*, qui in æde D. Michaelis cœperat, *D. Joh. Culsamerus*, qui acerrimum adversarium in Bartolomæo Usingio habuit, amico olim tum vero hoste Lutheri infensissimo; *Ægidius Mechlerus* & *Conradus Klingius* Franciscani, *Petrus Geltnerus* Bambergensis, *Antonius Musa*, *Johannes Rotelstein* Dominicanus, *Nicolaus Fabri* Augustinianus, *Chilianus* quidam ex Regularibus Augustini, *Matthias VVidemann* ad D. Andreæ, *Justus Menius* ad D. Thomæ, tum *Georgius Forcheimius*, quem illito cathedræ in æde S. Michaelis veneno sublatum fuisse perhibent anno 1522. De hoc Lutherus ad Langum d. 16. Julii dicti anni scribit: *Forchemio & faveo & invideo hunc recessum, immo vobis condoleo. Si veneficiis interemtus est, nec accusatore nec explicatore opus est, ipse Christus pro Habele suo loquetur & suo tempore prodet Cain, justius & oportunius, quam vos possitis: patiamur ista!*

(b) *Nomina concionatorum.*

ADDITIO IV.

(a) *De Joh. Pomerani studiis.*

Merentur *Bugenhagii* in instauranda religione per Germaniam & in Dania gesta clarissima, de quibus dicendi locus sæpe occurret, ut ex *Melchioris Adami* Collectionibus *p. 311. & seqq.* subjungamus quæ ad initia studiorum ejus, & vitam, antequam VVittenbergam venisset, acta pertinent, & gradus doctrinæ & profectuum ostendunt. Natus fuit *Julini* (Wolin) in Pomerania ad Viadri ostia, anno 1485. patre Senatore. In pueritia & domestica disciplina & Scholæ informatione ad Catechesin adsuefactus, cumque Grammaticen ac Musicen didicisset, in Academiam Gryphiswaldensem missus: ibi & tyrocinium Latinæ linguæ melius habuit, & Dialecticen cum elementis Physicæ cognovit. Erat in ipso non solum ingenium doctrinæ capax, sed etiam avidum: ac stimulos addebant scripta *Hegii*, *Rudolphi Agricolæ*, *Hermanni Buschii*; quibus superiorum temporum solœca corrigebantur, & juventus ad diligentiam rectius loquendi revocabatur, Græcæ insuper linguæ initia tradebantur, eratque velut aurora doctrinarum. Cupide ergo legit tum recentiores illos, tum veteres Latinæ linguæ autores, seque tam in soluta, quam ligata oratione exercuit. Postea vigesimum ætatis ingressus annum, *Trepta* oppido docere juventutem cœpit: ubi cum linguæ Latinæ exercitia urgeret melius, quam aliis in scholis tum fiebat, fama frequentiam scholæ ipsius auxit. Legit etiam assidue sacras literas, precesque adjunxit, quibus divinitus se regi ac doceri petivit. Accedebant Erasmi lucubrationes, quæ monachorum taxant histrioniam, & statuarum adorationes, ethnicis similes. Regulam igitur hanc tenuit: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies;* & intellexit, Deum nolle coli histrionia externorum gestuum, sed virtutibus & operibus, quæ præcepit, sicut inquit: *In præceptis meis ambulate.* Ut igitur alios etiam ad veram pietatem flecteret, enarravit in schola Matthæum, epistolam ad Timotheum utramque, & Psalmos, adjuncta Catechesi, in qua symboli & decem præceptorum erat explicatio, ac verus Dei cultus monstrabatur, rejectis falsis. Hæc docendi ratio tam accidit grata illis temporibus, ut ad eum audiendum confluerent & cives, & sacrificuli, & monachi, qui non erant ἄθεοι. Quanquam autem Scholæ tunc præerat nondum sacris initiatus, autores tamen ei amici fuerunt, ut in templo concionaretur, eoque fine collegio presbyterorum fuit adjunctus. Placuerunt piis ejus conciones; & multum profuerunt: ac magis magisque fama doctrinæ ipsius disseminabatur. Habebat inter auditores multos adolescentes, equestri natos ordine, & expetebatur a nobilibus, præsertim eruditis, ejus consuetudo; quibuscum jam de ecclesia, jam de literis, jam de patriæ rebus fuit collocutus. Hi ergo hortati eum sunt, *patriæ* colligeret *historiam.* Hanc ad rem cum & sumtus & principis mandatum requireretur, aulici ad Bogislaum principem deferunt, qui, audita eruditione & virtute viri, præsertim cum & Spalatinus, *Chronicon ducum Saxoniæ* colligere jussus, per Bogislai filium Barnimum, studiorum causa tum VVittenbergæ agentem, genealogiam & res gestas ducum Pomeraniæ peteret, benigne annuit, mandavitque ut monumenta vetera in aula conquirerentur, ipsum autem Bugenhagium jussit in collegiis & monasteriis scrutari historias, inspicere literas, ac sumtibus instruxit. Hoc in labore cum biennium consumsisset, seriem principum, bella, res gestas, ecclesiarum constitutiones, & alia ordine prudenterque descripsit. Liber adhuc in aula dicitur adservari, & tum a principibus, tum a consiliariis frequenter legi: inque eo non solum diligentia & fides ejus probata est, iis qui legerunt; sed etiam operis forma atque oratio. Cæterum purior evangelii veritas ei hac occasione illuxit. Anno millesimo quingentesimo & vicesimo exeunte, *Otho Slutovius*, patricia illius oppidi familia natus, Inspector Ecclesiæ Treptoviensis, cum Bugenhagium rectorem Scholæ, & collegas illius convictores aleret; librum de *Captivitate Babylonica* recens ab amico Lipsia missum, ad mensam attulit, ac Bugenhagio, cujus præ cæteris ingenium & judicium, doctrinaque in lectionibus & concionibus probabatur, perlegendum tradidit. Hic mox paginis aliquot inter cœnandum perlustratis, præcipitata sententia, *multos a passo Christo Salvatore hæreticos Ecclesiam infestasse, ac duriter exercuisse; sed nullum ejus libri autore pestilentiorem unquam exstitisse* pronunciat: commemorans, quæ adversus recepta ecclesiæ dogmata ab eo adsererentur. Post aliquot dies, libro attentius lecto ac relecto, singulisque accuratius pensitatis, reversus ad collegii sodales, & palinodiam canens: *Quid ego vobis*, inquit, *multa dicam? Universus mundus cæcutit, & in Cimmeriis tenebris versatur: hic vir unus & solus verum videt.* Ac singulis libri illius capitibus diligenter disputatis & defensis, plerosque in suam adduxit sententiam; adeo ut collegæ Pastoris *Johannes Kyrichius* & *Joan. Lorichius* (qui ad extremam senectam Ecclesiæ illi deinceps servivit) cum Diacono, qui vicini cœnobii Belbugensis monachus erat, [illegible]*ano Kettelbut*, nec non Abbas ipse *Johannes B[illegible]delvinus*, publice Papatus præstigias detegere, & a superstitionibus atque abusibus traditionum humanarum, ad unicum Christi meritum auditores traducere magno zelo instituerent. Legit ergo attentius scripta Lutheri Bugenhagius, & vidit ibi perspicuum discrimen legis & evangelii: vi-

(b) *Conciones ejus & scripta.*

(c) *Conversio ad Evangelium.*

An. 1521.

dit ju-

An. 1521.

vidit justitiam fidei melius exponi, quam ab Origine vel a Thoma: vidit congruere Augustini & Lutheri sententias, ac enarrationem ejus probavit: hancque consolationem populo copiosius declaravit, deliramentis monachorum liberius refutatis.

ADDITIO V.

Erasmi ad Cnophium epistola.

Ad Andream Cnophium extat epistola *Erasmi Lib. XIV. ep. 22.* inscripta *Andreæ Cnophæ sacerdoti optimo*, data prid. Kal. Jan. 1519. Laudat in eo, &, ut scribit, vehementer exosculatur mentem piam, & avidum Christianæ doctrinæ studium, & quod inter barbaros & hæreticos Rutenos (Russos) versans, honestis vivat studiis, nec a fide Catholica deficiat; confirmat eum in præclaris conatibus, ut ipsissimam viam ingressum, qua perveniatur ad veram felicitatem; Subjungit acrem in Clerum censuram his verbis: *Atque adeo demiror, cum multi sint ubique pastores, neminem exoriri, qui clementissimi pastoris exemplum imitetur, quem non piguit ob unam ovem erraticam tantum malorum perpeti. Decimas qui petant, video permultos, qui sitiant animarum salutem, prope nullos. Hic monachorum plena sunt omnia, ubi nihil est discriminis, & messis ampla. Quin Rutenos magis adeunt, eosque sua doctrina suaque sanctimonia revocant ad caulas Ecclesiæ? Hic fulciunt Ecclesiam, cui magis oneri sunt quam usui. At ubi res poscit ingenue germaneque Christianum, qui pro lucro Christi subeat capitis periculum, ibi nusquam apparent: ita dum suis quisque commodis studemus, negligitur populus Christi. Ac proh dolor! nostri mores partim in causa sunt, quo minus multi se conferant ad factionem nostram. Legunt Evangelicam & Apostolicam doctrinam, & vident vitam nostram ab hac longe lateque discrepare. Non jam loquor de vulgo, quod tale fere est, quales sunt ii, qui præsunt, sed de proceribus Ecclesiæ, de sacerdotibus & monachis. Bona pars servimus quæstui, aut ventri, aut gloriæ, aut tyrannidi; fidei nomen prætextus tantum est. Hoc illos alienat, quos oportebat mansuetudine, tolerantia & officiis allicere: sed tamen bona quædam spes habet animum meum, postquam video & isthic esse, qui sic flagrent amore doctrinæ Evangelicæ.* Si tres Cnophii literæ, quarum Erasmus in suis mentionem fecit, extarent, constare liquidius ex illis posset de consilio ejus, quod tantopere Erasmus probavit. Certum tamen est, Cnophium anno 1521. cum Luthero consensisse, unde colligi posset, factionem quam Erasmus profitetur, eandem fuisse; sed is duplicem habebat, prout commodum erat profitendam, ut alibi notatum est.

§. CXI.

(1) Lutheri dolor ob lectionem juris Canon.

Tanta incrementa doctrinæ non potuerunt non Lutherum magno gaudio afficere, & solitudinis illius tædium levare; sed præter tentationes, de quibus sæpe queritur, VVittenbergæ fiebant quæ moleste ferret. Inter illa non puto prætereundum esse, quod Jus Canonicum (quod combustione illa sua satis infamatum esse credebat) publice adhuc VVittenbergæ legeretur, & quidem a *Justo Jona* Can. Lic. ob salarium forte, in eam lectionem constitutum, ut innuit *Pallavicinus Lib. I. cap. XXII. in fine.* At Lutherus optimum judicabat, *ut jus Pontificium prorsus excluderetur, & Principes animo aliquando accepto jurisdictionem & censuras istas penitus antiquarent in suis terris.* Vide *Lib. I. ep. 237.* Indignabatur etiam de Canonicorum VVittenbergensium plerorumque pervicacia in superstitionibus, & de morum turpitudine, eaque occasione de transferendis ad meliorem usum reditibus illis cogitare cœpit; scribit itaque ad Spalatinum d. 25. Novembr. *Lib. I. ep. 252. Utinam & Princeps noster Bethaven quoque suam Wittenbergensem aboleret: dispertitis post vitam eorum, qui nunc sunt in ea stipendiarii, reditibus in pauperes: quales multos habet ea terra, etiam in sanguine generoso, sicut nosti. Ea enim erat Principe digna munificentia, quæ ei regnum aperiret æternum. Ista impietas per eum roborata quid faciet?*

(2) Et ob Canonicos VVittenbergenses veteribus institutis & moribus insistentes.

(3) Ob Carolostadii insolentiam.

Carolostadii denique perversum ingenium magis magisque erumpebat, unde mense Septembri Amsdorfio scribit *Lib. I. ep. 244. De Carlstadio doleo; cui etsi facile resisti potest, tamen adversariis nostris gloriandi dabitur occasio, de intestina nostra discordia, magno scandalo infirmorum.* Sive igitur hujus emendandi, sive cum amicis conversandi cupidine, ex arce, paucis consciis, excurrit, & hospitio Amsdorffii usus, clam Electore, aliquot dies cum amicis jucunde transegit. Scribit de itinere illo suo ad Spalatinum & de librorum suorum suppressione vehementer queritur *ep. 253* sed epistola diem adscriptum non habet, sub finem autem anni datam facile conjicitur. *Veni Wittenbergam, & inter dulcissimas amicorum suavitates hoc absinthium inveni: scilicet libellos & literas nemini esse neque auditas neque visas: quem dolorem tu judica, an justum esse debuerim arbitrari. Omnia vehementer placent, quæ video & audio. Dominus confortet spiritum eorum, qui bene volunt: quanquam per viam vexatus rumore vario, de nostrorum quorundam importunitate, præstituerim publicam exhortationem edere, quamprimum reversus fuero ad Eremum meam, cætera alias. Principi Illustrissimo me commenda, cui celatum meum accessum ad Wittenbergam & recessum volui; qua causa, satis ipse intelligis. Vale, Wittenbergæ, apud Philippum meum in ædibus Amsdorffianis.*

(4) Clandestina excursio ad VVittenbergenses.

SECT. 46.

(1) Liber Henrici VIII. Angliæ Regis contra Lutherum.

Rescivit etiam, Henricum VIII. *Angliæ Regem pulchrum librum a se pro septem Sacramentorum defensione, adversus tractatum Lutheri de captivitate Babylonica conscriptum Pontifici misisse, quo meritus est, ut condita ob id Bulla gloriosum* defensoris fidei *titulum acciperet, quem etiam post defectionem suam ab Ecclesia Romana (bonam matrem suam eam tunc appellabat) retinuit, & successores etiamnum gerunt; licet eam ipsam fidem deseruerint, cujus defensæ titulum Henricus acquisivit. Sed salvo omni coronatis capitibus debito honore, videtur mihi dici illis posse: aut ad fidem illam redite, aut titulum ponite, qui sine illa stare nequit. Sperandum tamen est, venturum diem, quo Deus per gratiam suam quendam ex magnis illis Principibus excitaturus sit, qui exequatur, quæ precibus nostris a divina Majestate contendere debemus: nempe ut titulus iste non ut hodie speciosa saltem sit designatio ejus, quod esse deberet, nec tamen est; & ut Anglia eodem horrore hæresin aversetur, quo eam tunc Rex ejus aversabatur, tam fortiter contra Lutherum scribens, ad quem nunc post brevem hanc digressionem redeundum est. Difficile dictu est, in quantum furorem Lutherus, nunciatis istis, conjectus fuerit; exacerbatus*

Cogor tamen, ne ingratitudine maculer, Matrem meam, Christi sponsam, utinam tanta cum facultate, quanta cum voluntate defendere. Apud Cochl.

(2) Maimburgii spes de Angliæ ad Papismum reversione.

An. 1521. *batus etiam solitudine aut potius captivitate illa sua, & plusquam natura sua erat efferatior, quanquam hanc nunquam vel tantillum frenare posset, si semel incaluisset. Protestatus erat semper voce & scriptis, maxime coram Legato Cajetano, & in celebri disputatione Lipsiensi, quod Doctores* Parisienses *pro veræ Theologiæ Magistris haberet, sed affectuum impetu statim in extremum alterum furoris & rabiei adversus eos, quos tantopere laudaverat, detrusus, exagitare illos in responsione sua ad censuram illorum, & in aliis scriptis postea editis, quavis occasione tempestive & intempestive cœpit, non tantum; ut primos divinæ hujus scientiæ corruptores, sed & omnium hominum imperitissimos & stupidissimos, sine ingenio, lumine & judicio; innumeras alias & vilissimas injurias addens, ut qui eas legit, difficulter indignatione abstinere possit, ne easdem in autorem retorqueat. Voluit etiam, ut discipulus suus,* Philippus Melanchthon *Grammaticus admodum disertus, qui Wittenbergæ humaniores literas docebat, adversus eos scriberet; quod is eo stylo præstitit, ut præter dictionis nitorem & puritatem, genium potius magistri, cujus bilis in ipso titulo libri deprehendebatur, quam discipuli referret, qui alias timidus & moderatus erat. Fatendum interim est, omnia ista convitia magis proficuisse Sorbonæ, quam tanta elogia, quæ antea in eam sparserat Lutherus pro suffragio ejus impetrando, inprimis contra primatum & supremam Pontificis potestatem, quam hæreticus hic non debilitare tantum, sed & penitus abolere nitebatur. Inde enim cognoscitur, quod illustris hæc Facultas, quæ semper jura & prærogativam sacræ Sedis firmissime defendit, nullo modo flecti in hoc puncto voluerit, a quo unitas Ecclesiæ Catholicæ dependet. Hoc est, quod eadem centum fere post annos, post condemnatum Lutherum censura etiam notavit libros* M. Antonii de Dominis, *qui hunc Lutheranismi articulum renovare, & tueri contra autoritatem Jesu Christi in terris annixus est.* An. 1521.

(3) Lutheri scriptum adversus Parisienses.

(4) Item Melanchthonis.

(5) Elogium Sorbonæ.

Adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum Apologia pro Luthero. Atque illius supremam potestatem non tantum imminuere & labefactare, sed etiam funditus evertere studuisset. Censur. Facult. Parif. in libr. II. Marci Ant. de Dominis in præfat. Ecce evoluto centum annorum spatio alter apostata & Ecclesiæ perduellis in medium prodire ausus est, eandemque defectionem contra Ecclesiam, & generalem Christi in terris vicarium renovare cogitans &c. ibid.

§. CXII.

(1) *Quædam de libro Regis Angliæ.*

Rescire quidem Lutherus hoc, quod Maimburgius notat, tempore, de libro *Angliæ Regis* nihil potuit, sed eum sub finem demum anni, aut initio sequentis vidit; debuisset itaque vel Cochlæi ductu, hæc de Angliæ Rege digressiuncula in locum convenientiorem referri. De materia libri dicetur, cum de responso Lutheri agemus. Ambitione juvenili elatum Regem, ad scribendum se accinxisse, vel ut Clerum Regni sibi devinciret, facile credent, qui ingenium hominis ex moribus gestisque ejus considerabunt. Refert *Pallavicinus Lib. II. cap. I. §. 8.* ex Archivis Pontificiis, Henricum jam ante scriptum librum, a Pontifice aliquem speciosum titulum, qualibus Reges Galliæ & Hispaniæ, ille *Christianissimi*, hic *Catholici* utuntur, desiderasse, diuque deliberatum fuisse, quo pacto ei satisfacere absque aliorum Regum invidia Pontifex posset: ita dilato negotio supervenisse mense Octobri hujus anni librum Regium, Pontifici disticho hoc qualicunque inscriptum:

Anglorum Rex Henricus, Leo Decime, mittit
Hoc opus & fidei testem & amicitiæ.

Indeque, penetrata Regis voluntate, per Cardinalem Volsejum titulum *Defensoris fidei* petentis, gratificatum esse Leonem X. Reticuisse non debebat, jam Julium II. Ludovico XII. Gallorum Regi infensissimum, hunc ipsum *Christianissimi* titulum Angliæ Regi, adversus Gallos concitato, destinasse, & Leonem mutata rerum facie id exequi non ausum, novi vocabuli invento utcunque satisfacere Regiæ ambitioni voluisse. Extat typis eo anno vulgata *Joh. Clerici*, Angliæ Regis legati, *Oratio ad Leonem habita*, cum ei librum Regis nomine in consessu Cardinalium offerret, satis tumida, cui Leo breviter & apte respondit. Refert inter alia orator, *Regem* (sacris enim destinabatur, cum fratrem seniorem haberet) *sub optimis præceptoribus ætatem trivisse, & in sacris Scripturis plurimum versatum fuisse, sæpius magna laude cum doctissimis Britannorum disputasse; nunc non sine gloria audere cum Luthero, non contemnendæ eruditionis viro, in certamen descendere.* Cæterum de religionis in Anglia statu proximis ante Lutherum annis, dein postquam hic scribere cœpit, legi meretur *D. Gilberti Burneti*, nuper mira fortunæ conversione ad *Episcopatum Salisberiensem* ex meritis evecti, *Historia de reformatione Ecclesiæ Anglicanæ*, lingua patria ex documentis fide dignis edita, & Gallice a *Rosemondo*, ab aliis etiam Latine versa; opus illustre & ætatem laturum. Dispositio magna in populo Anglicano jam a Joh. Wiclefi temporibus adversus abusus Pontificios & Cleri supererat, severis Episcoporum decretis & inquisitionibus, pœnisque atrocibus non ita extincta, ut non subinde ex cineribus quasi resurgeret. Enumerat Scriptor, quem dixi, aliquot exempla condemnatorum sub initium seculi decimi quinti (quos vocabant) *Lollardorum* utriusque sexus, quibus vel Wiclefi vel alia invidiosissima dogmata imputabant, & confitenda per fidiculas extorquebant judices. Quamprimum igitur Lutheri libri in Angliam importati & in linguam popularem versi sunt, statim applausum invenerunt, primique adversus Clerum concionari cœperunt; sicut & in Germania monachi mendicantes, nullis honoribus aut opibus a veritatis studio retracti, & vitæ austeritate ad omnem fortunam ferendam indurati. Populus vero jam dudum a Cleri doctrina & moribus aversus avide accipiebat dogmata, quibus simplicior ad cœlum via aperiebatur, & remotis scholasticarum subtilitatum & ceremoniarum ac legum involucris, cuilibet per Scripturarum sacrarum evulgationem cognoscenda præbebantur religionis mysteria; sed Episcopi magno zelo persequebantur omnes, qui novis libris aut concioni-

(2) *De reformatione & statu Anglicano in Ecclesiasticis.*

cionibus studebant. Sufficiebat ergo ad condemnationem, si quis liberos suos orationem Dominicam, decem præcepta & symbolum Apostolicum lingua populari docuisset. Hoc unum ob crimen jam anno 1519. Conventriæ, in ipsa septimana sacra d. 4. April. sex viros fœminamque unam supplicio affectos memorat *Burnetus*. Aucta inde in Clericos odia, quod in homines moribus inculpatis viventes sævirent, ipsi sua non corrigerent vitia. Succurrere itaque eorum honori ipse Rex suo libro voluit. Quam vero fidem defenderit, ex responsione Lutheri postea apparebit. Voti sui eatenus compos factus est Maimburgius, ut, dum viveret, Regem Angliæ viderit, qui *defensoris* titulo, omissa, quam initio servabat, moderatione, ita uti cœpit, ut, nisi insperata mutatio intervenisset, Romana sacra per totum regnum restabiliri potuissent. Aliter visum huc usque est Deo, in cujus manibus gravissimorum motuum exitus positus est, de quibus, ut hic agatur, nec necessarium nec consultum est.

(3) *Epicrisis ad Maimburgii dictum.*

§. CXIII.

(1) *De apologia Lutheri & Melanchthonis, contra Parisienses.*

Quod ad *Parisiensis Academiæ decretum* sive censuram attinet, ejus notitia ad Lutherum in arcem, in qua latebat, simul & *Apologiæ* a Melanchthone conscriptæ, mense demum Julio, ut patet ex *epistola 234. Libri I.* pervenit. Utraque habetur *Tomo II. Jen. Lat. fol. 443. & seqq. fol. 451. & seqq.* Versio autem Apologiæ Germanica ab ipso Luthero composita est, sed, ut Cochlæus queritur, aculeatior Melanchthoniana, extat autem ea *Tomo I. Alt. fol. 836.* Immanes iræ Lutheri, quas hic exaggerat Maimburgius, in ejus scriptis reperiri non possunt. Ab initio sane non male sperabat de Parisiensibus, ob opinionem nempe *Sorbonæ* (ita enim a collegio quodam vocatur *Theologica facultas*) de superioritate Conciliorum supra Papam, & ob appellationem a Papa ad Concilium, qua anno 1517. usa erat Academia; non ignarus tamen erat, quod scholasticæ Theologiæ veluti mater esset Theologica Parisiensium schola. Nec negare velim, ex rumoribus quibusdam, quod non deessent in Gallia qui sua probarent, in spe illa sua confirmatum fuisse; sed vicit Lutetiæ inveterati erroris apud plurimos præjudicium. Lutherus igitur, postquam, ut dixi, censuras accepit, d. 15. Julii *ad Spalatinum* scribit *Lib. I. ep. 236 Vidi Parisiensium Sophistarum decretum cum Philippi apologia, & ex corde gaudeo. Non enim sic eos excœcaret Christus, nisi consulere rebus statuisset, & finem tyrannidi illorum facere inciperet.* Quæ verba *furiose excandescentis* esse nemo dixerit: ad Philippum autem familiariter scribens, *asinos & insanos* eos vocat *Lib. I. ep. 234.* Hic obiter notamus, promiscuam literarum evulgationem Luthero aliquatenus fraudi fuisse: aliter enim plerique omnes præmeditati & in publicum, aliter ad familiares scribimus. Interim si quædam liberius dicta vel excandescentiam vel rusticitatem quandam ex illius seculi & monachalis vitæ genio arguunt, eadem candorem & simplicitatem ingenuam ostendunt. Cæterum *Philippi apologia* pro Luthero brevis est, inscripta, ut in margine annotavit Maimburgius, *adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum.* Exprobrat in hac Academiæ propagata scholasticæ Theologiæ figmenta, & quod Gersoni meliora monenti majores eorum restiterint; nugas scholæ, adductis quibusdam Johannis Majoris thesibus, irridet; epistolam, quam decreto præmiserunt, *muliebrium furiarum & monachalis impotentiæ plenam esse* ait, & a Rhetore quodam conductitio conscriptam: Principia fidei illis esse, hominum opiniones: Lutherum tamen in doctrina *de libero arbitrio & gratia* consentientem Augustinum habere: injuste & ineptissime illum cum Hæreticis comparari, præcipue cum Montano, qui spiritui cuidam suo credi volebat, cum Lutherus omnia sua ex Scriptura probanda suscipiat: Concilia frustra allegari, quorum quædam non Christi sed Antichristi doctrinam firmaverint: Academias Theologiam scholasticam secutas in hæresin incidisse: Sorbonam non esse Ecclesiam, quæ autoritate absoluta decidere possit. In lucem provocat Sorbonistas, ut prodeant, & rationes reddant: Luthero enim per mendacium affingi, ac si Ecclesiam audire nollet, qui nihil impensius desideraverit, quam ut doceretur, dummodo id ex Scripturis fiat: ideo merito ei a Germanis credi, qui ad Sorbonistarum nomina jam obsurduerint: non dogmata, sed dogmatum rationes conferri debere. Exagitat speciatim strophas Parisiensium *de gratia gratum faciente. O infelicem*, exclamat, *Galliam, cui tales contingunt censores.* Addit alia mordaciora; Dei vero misericordiam prædicat, *quod nunc vera habeatur doctrina de pœnitentia, qua per annos quadringentos caruerit Ecclesia.* Addit epilogum *fol. 456. b. Hæc monere te, Christiane lector, volui, ne a Lutherana doctrina absterreret Sorbonæ autoritas, quæ quid sapiat, ex uno atque altero loco hic cognovisti. Et ex his, quos adnotavimus, reliqua æstimabis. Est enim sui similis Sorbona, Christum inter fabros citius, quam in isto genere, reperias. Tuum est interim una mecum postulare Lutetiam rationem sui judicii, quam ubi ediderit, de nostris nos quoque copiosius disseremus.* Prodiit etiam adversus apologiam Philippi *censum* ludicra & jocosa quæ habetur *Tom. II. Lat. Jen. f. 457. & seqq.* incertum an ab ipso Luthero, an alio composita, stylo scholastico, ut risum lectoribus moveat.

(2) *Excerpta quædam ex Melanchthonis scripto.*

ADDITIO.

(a) *Notatur Varillasii acerba in Lutherum satyra.*

Quæ de promiscua literarum evulgatione notavi, opponi in specie debent *Varillasio*, qui in *apparatu Historiæ de Hæresibus* de literis *Lutheri* maligne judicat, ejusque & *Melanchthonis* ingenium non optima fide comparat. Nam Lutherus paucissimas epistolas eo scripsit animo, aut prævisu, ut ederentur. Extemporaneus & negligens erat in stylo Latino Scholasticis lectionibus depravato; ita tamen ut si diligentiam adhiberet, præter vulgarem monachorum consuetudinem assurgeret. Quod vero ea scripserit quæ salvo pudore verti & referri non potuerint, ultra modum & veritatem a censore jactantur. Duo aut tria forte loca, ubi cum familiaribus liberius jocatur, omitti potuissent. Sed cogitare deberent Aristarchi, quæ sibi aut aliis imputari possint, si secretiora sua dicta aut scripta incaute vulgarentur. Quanta spurcitia etiam in illorum scriptis reperiatur, qui Curios simulant, aut monastica sanctimonia tument, quanquam exempla abunde suppetant, præstat tamen tacere, & humanæ sortis memores verba præcipitanter extrusa excusare, quam eorum acerba reprehensione alias egregias autorum dotes & merita illustria in contemtum adducere. Reliqua in comparatione illa Varillasii, Luthero per calumniam afficta breviter excerpenda esse duxi; id enim refutationis vice erit. Scribit, *Lutherum, cum rationibus pro sententia sua stabiliendda destitueretur confugisse ad versum vulgatum:*

tum: sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas; *nullum discrimen servasse inter homines ad quos scripserit; nullum honorem Regibus aut Principibus exhibuisse; ad extrema illico provolasse, ferrum & ignem in eos expediri suasisse, qui doctrinam suam recusarent; sapientiorem omnibus se æstimasse & præcepta in scientiis dare ausum esse, ex quibus fere nihil intellexerit; vanissimum sui jactatorem fuisse; satyris vilissimis & scurrilibus indulsisse; adversariorum defectus publice redarguisse; in refutando, rationes Catholicorum, quibus respondere non possit, omisisse; errores suos, sine ulla ambage aut insinuatione proposuisse.* Inter hæc quædam v. g. quod fine ratione sibi credi voluerit; quod dissentientes ferro & igne cogi voluerit; quod nullum discrimen inter homines cum quibus egerit, aut ad quos scripserit, servare noverit; quod scientiarum, quas docere voluerit, imperitus fuerit; quod objectiones adversariorum ex proposito dissimularit, aut præterierit; & quod per principum autoritatem doctrinam populis inculcare, neglecta hujus informatione, voluerit; aperte falsa sunt, sive ea confinxerit autor, ut parallelismum suum Lutheri cum Melanchthone speciosiorem faceret, sive ab aliis calumniatoribus arrepta temere crediderit. Quod tamen in specie versum illum *sic volo, sic jubeo &c.* attinet, usus eo aliquando est veluti per jocum Lutherus, cum versionem suam Novi Testamenti & inprimis vexatum illud, *sola fides*, defenderet, in epistola quadam ad amicum, Germanice adversus Emserum scripta *Tom. V. Alt. fol. 269.* Latine vero versa apud *Cælestin. Tom. III. Hist. Aug. Conf. p. 70. b.* Cum enim rationes suas mera obstinatione & contradicendi libidine ab adversariis rejici videret, nec argumentis sed convitiis, aut contra principia, vel ex ignorantia affectata, aut rustico fastu contra se pugnari; ipse nudæ eorum assertioni & perversæ ruditati suam etiam opposuit autoritatem, neque id sine jure aut exemplo. Talibus enim contradictoribus ita tandem secundum stultitiam eorum responderi nil vetat. Sed frustra hæc credo *Varillasio* opponi, quem ista legisse minime credibile est, cum magis obvia & protrita neglexerit & corruperit. Cæteris imputationibus liberioris aut vehementioris oris & calami, sæpissime responsum est etiam ab ipso Luthero. Ultimum quod de aperta & simplici dogmatum propositione affertur, in laude est, & pro argumento veritatis & fiduciæ bonæ causæ habendum. Interim acceptari debet character ingenii *Melanchthoniani*, quem ita efformavit, ut integram ei eloquentiæ, vis persuasivæ, moderationis singularis, insinuationis commodissimæ in animos auditorum, humilitatis, mansuetudinis, modestiæ laudem tribueret, (nam quæ de heterodoxia addit, tam facile rejiciuntur, quam ab eo asseruntur.) Sic nempe excusatio aufertur illis, qui cum Erasmo de Lutheri impetu querebantur, existimantes lenitate plus profici in Reformatione potuisse. Hac enim Philippus usus est plus forte satis; & major ei, cum Regibus & Principibus, quam Luthero conversatio fuit, nec multo pauciora quam Lutherus scripsit. Si quem igitur Lutheri impetus a veritate absterruisset, illum Philippi humanitas allicere poterat.

(b) *Defensio Lutheri.*

(c) *De ingenio Melanchthonis aliquid.*

SECT. 47.

Jam quod ad librum contra Regem Angliæ attinet, submisse rogo Lutheranos, qui hanc historiam legent, & satis deprehendent, me ex præoccupatione & affectu adversus illos nihil scribere, ut credant, si mihi cum honesto quodam inter eos viro convertendo res esset, quod nihil aliud ab eo peterem, quam ut sine præventione & frigide (ut dici solet) legeret, quæ Lutherus scripsit, dum Regi respondet. Certus enim sum, Lutheranum talem illico a Lutheranismo discessurum esse, si insolentem, belluinum & furiose impudentem stylum, quo Lutherus Regem istum, tanquam fatuum & infimum ex plebe tractavit, & horrendas injurias, quas in eum effudit, consideraverit. Inde enim concludet, impossibile esse, quod Spiritus Dei tam inhonesto & turpi isto homine ad reformationem mundi usus sit. Tandem in hac ipsa solitudine delineationem totius reformationis, quam prætendebat, absolvit, nullumque modum tenuit, ut ab initio fecerat, cum partem dicendorum reticeret, nec, ut ait, ab erroribus Papismi plane liberatus esset. Pontificem itaque nequaquam amplius agnoscere voluit, neque traditionem, autoritatem Patrum & Conciliorum, nec purgatorium, missas, vota, monasteria, episcopos, presbyteros (qui Laici non essent) leges, decreta, ceremonias, quæ vim obligandi haberent: non cultum sanctorum, sacramenta, (excepto Baptismo, & sacra Cœna, ademta tamen virtute conferendi gratiam) denique nec Ecclesiam visibilem, quæ infallibiliter & ultimo de controversiis judicandi jus haberet, sed solam Scripturam suo sensu interpretandam. Quoniam vero secundum hanc ideam, quam de religione formaverat, nihil fixum determinatumque erat, quo mentes in unitate fidei & disciplinæ retineri potuissent, brevi factum est, ut ex secta ejus verum Babylonis sive confusionis instar emergeret, quo in plures alias sibi refragantes distrahebatur, magnaque Luthero molestia creabatur, quod eo ipso tempore, de quo loquor, accidit.

(1) Acris censura in librum Lutheri adversus Regem Angliæ.

(2) Judicium de secta Lutheri.

Ut nesciam an ipsa mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam fatua sit, quam est caput hoc Henrici nostri, damnabilis putredo ista & vermis. Jus mihi erit Majestatem Anglicam luto suo & stercore conspergere &c. Luth. contra Reg. Angl. t. II.

§. CXIV.

Jam monui, librum Lutheri *adversus Henricum VIII. Angliæ Regem* non ad hunc, ad quem relatus est a Maimburgio, sed ad sequentem annum pertinere. *Pallavicinus Lib. II. cap. I. §. 9.* nescio qua ratione, scribit, Lutherum *paucos* post annos respondisse; interpres pro paucis *aliquot* habet. Extat, ut scriptus est a Luthero, Latine, & dedicatus d. 15. Julii 1522. *Sebastiano Schlickio*, Comiti Bohemo Evangelicæ doctrinæ faventi. Vide *Tom. II. Jen. Lat fol. 547. & seqq.* & Germanicam versionem ab ipso Luthero factam *Tomo II. Altenb. fol. 189. & seqq.* Occasionem dedicandi inde sumsit, quod Rex inter alia ei objecerat, *quod fugam in Bohemiam meditaretur*; itaque *se per scripta sua in Bohemiam venire & in ditione Schlickiana hoc modo initium receptus facere* dicit: Et porro: *Rex laicus scripsit ad sacerrimum suum Pontificem; ego quondam miseratione Papæ clericus, scribere debui ad Christianissimum laicum.* Et paulo post: *Sic* (per libros nempe) *non modo in Bohemiam fugero, sed & habitavero in ea, etiamsi hic me excusserit illaudatæ meretricis furor. Invidiam tamen ejus simul succendero & vicero in Christo.* Principio libri queritur, cum ipse nihil clamet, quam Evangelium & Christum; quod adversarii tamen nihil respondeant, quam Patres, usus, statuta hominum: atque sic Regem plane a disputationis scopo & fun-

(1) *Intentio Lutheri in refutando Rege Angliæ.*

An. 1521.

& fundamento aberrasse dicit, stipula & fœno contra rupem verbi Dei pugnantem. Mallet Regis librum *Eduardo Leo* (qui ex disputationibus cum Erasmo notus est, & postea Archiepiscopus Eboracensis fuit) attribuere; finit tamen Regis esse, & excusatum se cupit, durius & asperius Regi respondentem: *prudens ille & sciens* (ait) *mendacia componat, adversus mei Regis majestatem in cœlis, damnabilis putredo ista & vermis: jus mihi erit pro meo Rege, etiam Majestatem Anglicam luto suo & stercore conspergere, & coronam istam, blasphemam in Christum, pedibus conculcare.* Hoc profecto non perfunctorie fecit, ita quidem, ut non tantum Erasmi, cautæ urbanitatis & blandi obsequii magistri, sed & amicorum sinceriorum judicio, excessisse modum visus sit. Nec eum id latuit, scribit enim d. 4. Sept. ad Spalatinum *Lib. II. epist. p. 91. b. Sciebam multos offensurum, quicquid in Regem Angliæ scriberem, insulsum & virulentum Thomistam; sed ita placuit mihi, atque adeo multis causis necessarium fuit; quod facio nescitur modo, scietur postea.* Paulo ante mense Augusto ad amicum quendam scripserat in eundem fere sensum, allegata Christi & Johannis Baptistæ severitate in culpandis Pharisæis (vide *Tom. II. Altenb. fol. 207.*) clauseratque epistolam his verbis: *Elector, Princeps meus, aliique amici me sæpe monuerunt, ut mollius scriberem, sed semper respondi, & nunc quoque respondeo, me id non esse facturum: causa mea non est inter res medias, in qua cedi & dissimulari possit, sicut hucusque stulte feci.* In ipso vero libro etiam hæc inter alia habet, *fol. 548. Si idolum Romanæ abominationis propter Christum conculcavi, quod sese in locum Dei statuerat, magistrumque Regum & totius mundi fecerat; quis est iste Henricus novus Thomista, discipulus duntaxat tam ignavi monstri, ut virulentas blasphemias ejus honorem? Sit ipse defensor Ecclesiæ, sed ejus Ecclesiæ, quam tanto libro jactat & tuetur, nempe purpuratæ meretricis, & ebriæ & fornicationum matris. Ego & Ecclesiam ejus & defensorem ipsum pro eodem ducens, utrosque eodem impetu invadam, & Christo duce conficiam. Certus enim sum, dogmata mea habere me de cœlo, quæ etiam adversus eum triumphant, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ & Reges & Doctores; ut nihil agant, qui Bullas nominum & titulorum contra me jactant, & libellos sub regiis inscriptionibus venditant. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferni & potestatibus aeris, & terræ, & maris. Ipsi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur habebunt; pacem oblatam contemserunt, pacem igitur non habebunt. Deus viderit, uter primo fessus defecerit, Papa an Lutherus. Sic placet in Christo indies magis ac magis superbire adversus insulsos istos & ineptos Basiliscos, quo magis ipsi furunt.* Georgius Saxoniæ Dux de scriptis Lutheri, & inprimis contra Angliæ Regem, literis ad regimentum Norimbergense d. 6. Aug. vehementer questus est; (*Reg. N. fol. 62. n. 14.*) Poposcit etiam, ut injuriæ Cæsari illatæ punirentur, & nescio quem motum Germaniæ metuendum esse indicavit, offenso a Luthero Angliæ Rege. Sed responsum, ei d. 16. Aug. datum, nil nisi honesta verba continet.

(2) Agnoscit ipse vehementiam styli sui & excusat.

(3) Georgius Dux accusat Lutherum ob scripta sua.

§. CXV.

An. 1521.

(1) Responsio ad interrogationem Maimburgii.

Jactantem vero hic audimus Maimburgium argumentum, quæ Lutheranum uno momento converti a se posse confidit, si vir honestus sit. *Semper ego auditor tantum?* Ecce conversionis præconem ausculto. Ante omnia autem oporteret & illum honestum esse, qui provocat honestum; Præsumam id de Maimburgio, si non ut Jesuita, (qualis erat dum ista scriberet, & *Patris* potius quam aulicum & equestrem illum Gallorum titulum *honeste homme* affectabat) certe ut de Domino, (*Monsieur*) quo vocabulo paulo post cum Pontificis autoritate ex sodalitio Jesuitico ejiceretur, omisso *Patris* titulo in historiæ Calvinianæ & sequentium tractatuum suorum inscriptione usus est. Peterem autem ab eo, si supervixisset, (& ab aliis paria objicientibus peto) ut & me pro honesto viro eadem præsumtionis benignitate reputet. Assumo itaque palmarium illum & verticordium, ut putat, pro deserendo Luthero syllogismum, hac forma: *Spiritus Dei non utitur inhonesto & turpi homine ad reformandum mundum: Lutherus fuit homo inhonestus & turpis, & quidem enormiter;* Ergo, *Spiritus Dei non usus est eo ad reformandum mundum.* Respondebunt docti subtilius; mihi honesto, simplici, aut equestri more regerere liceat, quæ possum: In *majori* propositione ante omnia inquiro, quæ sit illa inhonestas & turpitudo, quæ spiritum Dei repellat? Hic non aliam indicat argumentator, quam maledicentiam, qua Lutherus in Regem Angliæ usus est, cujus specimen margini adscripsit. Dein interrogo, quid sit reformare mundum, annε majus aliquid, quam prædicare Evangelium? Non, puto: certe aliud nec egit nec agere voluit Lutherus, millies protestatus, & facto suo probans, se nulla vi nisi verbi divini uti, aut usurum esse. His constitutis, vacillat major propositio, nisi probetur, mortale esse peccatum, maledicere Regi impio, & non suo, & atrociter insultanti; & prædicari Evangelium non posse ab iis, qui vel mortaliter, vel, ut loquuntur, venialiter peccant. Nemo nescit, quales fuerint Apostoli, cum a Christo ad prædicandum Evangelium mitterentur *Matth. X. Marc. VI. Luc. IX.* quantosque defectus tunc non in moribus tantum, sed, quod magis est, in doctrina habuerint. Præstiterunt tamen egregie, quæ jussi erant, & reversi cum gaudio dicebant: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo Luc. X. 17.* Erat & Judas inter hos, quem scimus qualis vixerit, mortuusque sit. Assentior itaque omnibus, qui cum Donatistis errare nolunt, sed statuunt, veritatem Evangelicam, si per eam intelligitur *reformatio mundi* (qua voce hic invidiose utitur noster) id est, purgatio doctrinæ ab erroribus, non pendere a sanctitate prædicantium, sed a verbi divini efficacia. Non potest hæc negare Maimburgius, nisi sua ipse vineta velit cædere. Hic enim ipse liber Regius, cui *pulchri* elogium (modicum id quidem) dat, talemque prædicat, quo *Defensoris fidei* titulum a supremo fidei Romanæ (de hac enim, ut dicemus, disputabatur) definitore meruerit, ab homine turpi & inhonesto scriptus est. Aut igitur fidem defendit, & mundum ab hæresi, si credas panegyristæ, salvavit, spirituque Dei actus fuit Rex ille

(2) Mores scribentis an noceant scripti veritati.

An. 1521.

Henricus, minime sanctus; ut confitente Maimburgio mox probabitur; aut cadit fides, quam defendit, si sanctus non fuit defensor. Deum immortalem! quid de plerorumque Pontificum decretis, quid de Leonis X. Bullis pro indulgentiis & adversus propositiones Lutheri editis, dici posset, si vel uno hoc argumento ab impuritate & turpitudine autorum impugnari deberent? Sed non est opus Lutheranis istuc confugere, & glaucomata populo objicere: habent Lydium lapidem, quo dogmata explorent, & unde Spiritus sancti dictamina agnoscant, quæ docentium nævi infirmare nequeunt. Hæc ad majorem. *Minorem* quis non videt negari posse & debere, dum Luthero ob librum hunc adversus Regis aggressionem scribenti *turpitudinis belluinæ & furiosæ impudentiæ* crimen imputatur. Conferant quibus otium est, utrumque scriptum; Regem tamen pro eo habeant, qui deposita Regis persona monachum Thomistam induit, & cum viro peregrino, liberrimi, ut sciebat animi & oris, congredi, eumque convitiis provocare non est veritus. Retinere Regem ab hac temeritate debebant suæ sectæ leges. Laicus erat, nec calamo ad defendendam fidem illam septem Sacramentorum opus habebat, qui jam illa ætate gladio, laqueo & igne Lutheranos in regno suo refutare, & veluti leunculus ungues faucesque sanguine imbuere cœperat, quem deinde senior leonina sævitia largiter profudisse ab omnibus notatur. Hæ illi artes sufficiebant, & Romæ probabantur. Denique si inhonestum & turpissimum est, Regem quemcunque increpare, quis Maimburgio inhonestior, qui hunc ipsum Regem nullo convitio lacessitus, non ut Lutherus scholasticis dicteriis exagitat, sed centum impietatum reum pronunciat? *Lib. III. Hist. Calvin.* Perdidit itaque oleum & operam argumenti illius inventione Maimburgius, minimeque omnium apud Lutheranos fidem invenit, cum jactat, sine præoccupatione & affectu se scripsisse.

(3) *Annotatio de Regis scriptione.*

(4) *Digressio de Maimburgio.*

Optavi igitur Maimburgio in priori hujus libri editione Lutheranorum, quos tam officiose compellavit, nomine, ut, si ista legisset, agnoscere vellet, nihil effici adversus agnitam veritatem divinam technis, quas didicit docuitque in schola sua, aut fucis rhetoricis: immo eliso, cui tantum tribuit, argumento, persuasum nobis esse crederet, Lutherum in increpatione illa Regis eodem spiritu actum esse, quo Josua, qui pedibus conculcari a populo voluit impios Reges; quo Samuel Agagum in frusta concidit; quo Elias Achabum increpavit; quo Christus & Apostoli in hostes veritatis invecti sunt. Hoc ex sanctitate doctrinæ, & ex fine, in quem zelus Lutheri tendebat, colligimus; neminem enim destruere, neminem per supplicia & militum sævitiam ad credenda quæ nollet, cogere voluit; nihil suæ autoritati, omnia Scripturæ detulit. Hoc animo cum esset, eos qui hominum decreta cum tanta convitiandi licentia & minis mortiferis opponebant, pro impiis habebat & tractabat. Pertinent huc, quæ *Melanchthon* ad *Capitonem*, Lutheri iras in Moguntinum improbantem scripsit, ex Epistola a Sculteto jam supra §. *CVII.* allegata. *Negare non potestis,* (ait) *quin Evangelium doceat: id rejicitis, si Lutherus rejicitur. Nec ignoro, te acerbitate offendi. Sed quid, si divinitus accendatur εὐαγγελίσματος? obsecro vide, qui rerum ac temporum status sit, quo sale opus sit istis tam pinguibus Dominis. Nunc tibi contigit, qui saliat, vosne conculcabitis? Paulus cavere præcipit, ne Spiritus extinguatur: quod ne a vobis præstetur, adnitere.*

(5) *Melanchthonis de libro Lutheri judicium.*

An. 1521.

ADDITIO.

Si quis specimen summæ contumeliæ, quæ verbis in Regem exerceri potest, quam hic tantopere exaggerat Maimburgius, videre velit, adeat *Pallavicinum Lib. IV. c. VII.* inprimis §. 2. ubi tantæ impietatis Henricum accusat, ut vel *Ethnicis abominandus videatur, & nullius excusationis capax, quia non æstu furoris, sed animo sedato (si quid unquam sedati in intestinis ejus furiis fuerit) sæviret.* Non multo mitius tractat eundem Regem Angliæ ex recentissimis Reformatorum Gallorum insectatoribus non postremus *Ferrandus*, Advocatus Parisiensis in responsione Gallica a Sorbonistis magnopere laudata ad Apologiam pro Reformatis *D. Petri Jurieu. p. 322.* ubi scribit: *Henricus VIII. legem divinam restituere conatus, dum fundamenta jacere vult, in limine impegit, & vita ejus posthac nonnisi continuatio criminum & crudelitatis fuit.* Hæc profecto etiam Lutheri vehementiam superant, non minus ac illa quæ ex Maimburgio adscripsi. Adde his quæ *Varillasius Lib. VII. de hæresibus*, & *Bossuetus Episc. Meld. Lib. VII. de variat. Eccl. Prot.* de hoc Rege commentati sunt. *D. Gilb. Burnetus* in opere supra laudato *de reformatione Anglicana Lib. I. Edit. Lond. fol. 31.* de libro Regis hæc narrat: *Rex ut nomen sibi faceret & Clerum suum utilitatis vinculo sibi constanter jungeret, non sufficere ratus est, autoritate sua illis assistere, sed & in arenam pro illis ut hyperaspistes descendere voluit. Scripsit ergo adversus Lutherum pro defensione septem Sacramentorum. Magni hunc librum Clerus fecit, tanquam doctissimum quod sub Sole esset opus. Comparabant Regem cum Salomone, omnibusque Imperatoribus Christianis, qui unquam fuerunt. Hæc erat adulandi materies multis annis. Pontifex ob hunc librum gloriosum illum Defensoris fidei titulum Regi concesserat. Fatendum sane est librum, considerato tempore, & quod Rex esset, qui scriberet, meruisse aliquam commendationem; sed Lutherus eo minime territus, imo elatus potius, quod tantus Rex secum certamen iniisset, respondit, non sine magna acrimonia mixtura. Improbatum id omnibus fuit, quod nempe oblitus esset honoris, qui summorum Principum personis debetur.* Quamvis vero Lutherus suspicatus fuerit alium sub Regis nomine scripsisse, *Burnetus* tamen nihil tale commemorat, minime taciturus, si quid eo pertinens eruisset. Eruditionem autem Regis alibi laudat, licet neget eum Clericæ vitæ destinatum fuisse, aut ideo literis excultum; eandem enim cum fratre natu majore Arturo educationem habuisse, & post illius mortem, cum ipse ætatis annum undecimum ageret, & jam regni hæres esset, reliquos adolescentiæ annos majori contentione & profectu literis impendisse, Rege patre id fortassis curante, ut animum ejus studiis istiusmodi occupatum teneret, quominus de regno, quod materno jure sibi vindicare poterat, patri eripiendo cogitaret. Moderatum est, & Gallorum nimiæ in Henricum insultationi opponi potest ejusdem autoris judicium quo Henrici historiam claudit, his fere verbis: *Henricus inter magnos potius quam bonos Principes referri potest: tantum sane rigorem contra utramque persuasionem* (in religione) *exercuit, ut scriptores ambarum partium defectus ejus detexerint, & crudelitatem taxaverint. Ita quia neminem fere beneficiis sibi devinxit, repertus non fuit, qui ea cura virtutum ejus memoriam conservaret, qua vitia ab inimicis propalata fuerunt. Non nego inter malos principes eum collocari debere, nolim tamen illum inter corruptissimos censeri.* Inter amicos, qui vehementiam Lutheri adversus Regem non multum probabant, *Bugenhagius* etiam fuit, sive *Pomeranus*; Sed mutavit sententiam, ut refert *Selneccerus p. 144.* his verbis: *Cum Lutherus ab aulicis potissimum, & alius*

(a) *Pallavicini & Gallorum quorundam invectiva in Henricum Regem.*

(b) *Burneti relatio de libro Regis, & de ipso Rege judicium.*

(c) *Bugenhagii de scripto Lutheri diversa sententia.*

An. 1521.

aliis multis accusaretur nimia vehementia, excusabat se, quod non ex privato odio aut alio malo affectu, sed ex amore gloriæ & veritatis Dei opponat se iis, qui alia ratione ad Dei timorem adduci & emendari nolunt, nisi detectione errorum & scelerum, quibus indulgent, seque exemplum Christi, Petri & Pauli imitari, qui hostes induratos nominent genimina viperarum, fures, latrones, fatuos, natos ex diabolo, proditores, canes, mendaces, bestias, fraudulentos, seductores. Et memorabilis vox est Doctoris Pomerani qui dixit: Opinabar Patrem nostrum Lutherum nimis vehementem esse in Henricum regem Angliæ; sed jam video nimis lenem fuisse & vaticinatum esse de horrendo lapsu Regis, ita, ut fateri cogar, Spiritum sanctum dictasse omnia verba Luthero, cujus spiritus non est alius, nisi sanctus, verax, constans, & invictus.

§. CXVI.

(1) *De statu controversiæ inter Regem & Lutherum.*

Jam pauca de materia disceptationis inter Regem & Lutherum addemus. *Non erat illa*, quod graviter queritur Lutherus, *de capitibus veræ Christianæ doctrinæ, non*, ut scribit, *de fide, spe, charitate, baptismate, sacra cœna; nec de lege, peccatis, morte, libero arbitrio, gratia; non de Christo, de Deo, judicio novissimo, cœlo, inferno aut de Ecclesia & similibus, quæ scire oportet Christianum, & ad salutem sunt necessaria; sed de Papatu, conciliorum decretis, doctoribus, indulgentiis, purgatorio, missa, academiis, votis monasticis, episcopis, traditionibus, cultu sanctorum, novis sacramentis, quibus Ecclesia non modo potest saluberrime carere, verum etiam ne consistit quidem, nisi aut careat, aut iis pro libero arbitrio utatur.* Hæc autem defendit Henricus; hæc est fides, cujus defensæ præmium fuit titulus a Leone datus, & postea Rosa ab Adriano donata, quo utroque dono ita usus est, ut datorum non multo post pœniteret Pontifices, ut in loco dicetur. Hi sunt denique illi articuli, quorum prætextu tot myriades hominum, Roma id urgente, vel sub carnifice, vel bellorum furiis perierunt. Digna fides hoc Rege defensore, cujus vitia Romano-Catholici ac Protestantes uno damnant ore: hujus majestatem Lutherus, si obtrectatores ejus audias, venerari debuit, etiam in scholastico pallio, conviciis ac calumniis certare incipientem. Sed satis aut nimium de Rege. Pauca adhuc de libro. Tractavit in hoc Lutherus unum saltem articulum *de Sacramento cœnæ Dominicæ*, tempus de reliquis scribendi sibi deesse querens. Indignatur enim omnium maxime, quod Rex præteritis argumentis suis, quibus calicis usum populo injuste ablatum esse Scripturæ testimoniis evicisse se dicit, in autoritate humana & observatione antiqua opponenda operam consumserit, aut verba Scripturæ neglectis interpretationis legibus, ex consequentibus, circumstantibus & repugnantibus, imperite aut maligne torserit. Insistit suæ sententiæ adversus dogma transsubstantiationis in verbis, *hoc est corpus meum*, a Rege oppositis; pronomen *hoc* non ad prædicatum, *corpus*, sed ad subjectum, *panem*, pertinere docet, hunc enim Christus dicit se accepisse, benedixisse & fregisse, non corpus. Urget Pauli locum *1. Cor. X. 16. panis quem frangimus.* Propugnat similitudinem suam, de corpore Christi sic, salvo pane, præsenti, ut est ignis in ferro candenti, aut Deus in homine salva humanitate. Irridet objectionem, quod indigna sit substantia panis, quæ cum corpore Domini subsistat, ideoque in accidens transmutari debeat, sic enim humanæ naturæ unionem cum divina etiam negandam fore. Itaque transsubstantiationem, quam antea pro opinione indifferenti habuisse se fatetur, jam pro impio & blasphemo habet dogmate. At potentissimam rationem pro Missa a Rege allatam esse per ironiam fatetur, cum is scriberet: *Si Missa non esset bonum opus, Laici nihil pro ea tribuerent Clericis temporalis beneficii: Recte & optime Rex*, ait, *ex hac ratione dixit, & dignissima tanto assertore ratione Missam asseruit. Itaque in largitione Laicorum & arbitrio pecuniæ est, Missam esse opus, & quicquid esse sacerdotibus utile fuerit.* Examinat inde & monstrat, quomodo Missa sit opus, ex parte Sacerdotis, non vero ex parte populi. Quæ Patrum & Doctorum prolixæ allegationi responderit, supra in *addit. ad §. CII. (lit. o.)* relata sunt.

(2) *Lutheri disputatio de Sacramento cœnæ.*

(3) *De judice controversiarum in sacris.*

Nec minori fiducia defendit effatum suum, quod *judicium de veritate dogmatum non ad Papam, sed ad populum & singulos pertineat;* alias frustra in veteri & novo Testamento tot dehortationes ad populum factas fuisse, ut sibi a falsis Prophetis caveret, nec dicta Christi valitura, quod oves suæ vocem suam audiant, & quicquid Apostoli de explicatione & probatione doctrinæ monuerint. *Quod si dicant, nullum sic modum fore dissensionis, si unitas sub Pontifice non admittatur; unitatem illam sufficere* dicit, *quam Christus exigit, quamque facit unus Deus, unus baptismus, unus panis, unus mediator, una fides, quam fideles omnes a Deo docentur Joh. VI. 45.* Denique librum Regis, ut inter omnes, qui contra se scripti sint, Latinissimum agnoscit, ita stolidissimum & ineptissimum esse existimat, non defensa ex Scripturæ fundamento Missa, sed saltem hominum verbis & usu seculorum. *Missa* vero, Lutheri argumentis, ut existimat, *triumphata, totum Papatum triumphari. Nam super Missam*, ait, *ceu rupem, nititur totus Papatus, cum suis monasteriis, episcopatibus, collegiis, altaribus, ministris & doctrinis, atque adeo cum toto ventre suo.* Si itaque evincere non possunt, humanorum verborum observantia articulos fidei fieri; nihil contra Lutherum effecturos, etsi mille libros scripserint: neque enim se disputare quid a quoquam dictum scriptumve, vel non dictum aut scriptum sit, sed an id dictum aut scriptum necessarium sit servatu, an hic articulus fidei & æquale verbo Dei, quod conscientiam liget. Addit epilogum *fol. 564. Si quem offenderit mea in Regem asperitas, hoc sibi responsum habeat: Cum insensatis monstris me hoc libro agere, qui omnia mea optima & modesta scripta, tum humillimam meam submissionem contemserunt, & magis ex mea modestia induruerunt. Deinde a virulentia & mendaciis abstinui, quibus liber Regis refertissimus est: nec magnum est, si ego Regem terræ contemno & mordeo, quando ipse nihil veritus est Regem cœli in suis sermonibus blasphemare & virulentissimis mendaciis profanare. Dominus judicat populos in æquitate, Amen.*

(4) *De Missa.*

(5) *De epilogo libri.*

§. CXVII.

(1) *Annotatio de judice in religione.*

Quæ porro subjungit Maimburgius de Lutheri dogmatibus jam apertius propositis, vera esse ex hoc ipso adversus Regem libro, aliisque hoc & sequentibus annis editis certum est. At maligne enunciat quædam v. g. quod Sacramentis ademerit vim conferendæ gratiæ; Lutherus enim ad salutarem

An. 1521.

lutarem Sacramentorum usum, gratiam requirit, sed nudum opus operatum, absque fide utentis, sine fructu esse statuit. Nec verum est, Scripturas suo saltem sensu explicare illum voluisse; patet enim ex sæpius dictis, quas interpretationum leges sibi & omnibus præscribat. Tandem quæ de sectarum multiplicatione subjungit & exaggerat, adversus veritatem doctrinæ non possunt allegari. Hoc enim divisionum & hæresium malo ab initio statim afflicta fuit Ecclesia; & gravius turbatur, quo propius fini seculorum accedit. Quod si non alio modo unitas fidei conservari potest quam Pontificia illa potestate, cujus decreta vi & manu Reges exequantur, nulla esset fidei gloria, ex efficacia verbi & spiritus, sed omnia a vi externa penderent, eodemque modo, (uti & factum est) & Muhammedismus, & quæcunque hæresis & profana superstitio obtrudi debilioribus posset.

Ad annum hunc 1521. referendum esset initium persecutionis sanguinariæ in Belgio, procurante Aleandro, aliisque, Caroli Imperatoris nomine abutentibus, factum; sed commodiori loco de ea agetur. Mense Novembri Carolus ad Viennensem universitatem, quæ executionem Bullæ Pontificiæ huc usque suspenderat, rescriptum dedit, jussitque, ut pareant, & libros Lutheri publice comburant. Extat id Wormatiæ datum d. 30. Dec. 1521. in *Archivo* Germanice versum, (sed nescio quam recte, adscripto die 25. Nov.) & *Tomo I. Altenb. fol. 924. b.* Pertinet etiam ad finem anni synodus Augustinianorum Wittenbergæ habita, & Friderici Electoris acta cum Theologis Wittenbergensibus circa Missam; sed ea in aliud tempus distulit Maimburgius, ibique quædam annotabimus. Calendis Decembribus mortuus est *Leo Decimus*, annos non nisi XLVI. natus, sive toxico ei propinato, sive ulcere fœdo, quod ex intemperantia dudum contractum, causam tamen electioni dederat. Cum enim juvenem ad Pontificatum evehere insolens esset, ex fœtore ulceris, quo jamtum laborabat, per conclave disperso, brevis vitæ prognosticum captum est. Hæc & alia ad mores Leonis pertinentia, *Varillasius* nuper in *arcana historia Florentina* prodidit, ex quibus, & ex silentio *Pallavicini*, judicium *Pauli Veneti* de Pontifice hoc confirmatur, quod duobus maximis vitiis laboraverit, ignorantia religionis & impietate sive atheismo. Ut adeo mitem nimis appareat fuisse Lutherum, qui talia ei non objecerit, neque compensari illa poterunt liberalitatis & magnificentiæ, aliarumque, quæ nec Christianum, nedum Christi vicarium faciunt, dotium laude, qua illum literati ejus ætatis vehementer extollebant, interque eos omnium copiosissime *Erasmus*.

(2) Edictum Imp. ad Academiam Viennens.

(3) Mors & elogium Leonis X.

ADDITIO.

(a) De Leone relatio ex Varillasio, speciatim de educatione & vita juvenili.

Ex allegata *Varillasii Historia Florentina*, de moribus Leonis quædam excerpere non abs re visum est. Cardinalitiam dignitatem adeptus est *Johannes Mediceus* (qui postea *Leonis X.* nomen sumsit) contra legem, plus quam quinquaginta Pontificum tempore stabilitam, ne quis minorennis Cardinalis fieret; sed hanc Innocentius VIII. Papa violare non dubitavit, ut filio suo (ante sacerdotium enim plures liberos genuerat) nuptias cum *Laurentii Medicei*, qui Florentinis imperabat, filia, Johannis sorore, procuraret. *Lib. III. p. 141.* Hæc erat ad tantum munus vocatio. Romam deinde evocatum ex Academia Pisana admodum juvenem misit Pater, plusquam regio luxu ornatum & comitatum, libro etiam a se ipso (ut erat regnandi & hominum ingeniis dextre utendi peritissimus) conscripto instruxit *p. 148.* Inter magistros ei dederat *Angelum Politianum* ab eruditione quidem satis laudatum, sed & infandis vitiis famosum, quæ tandem ei exitium attulerunt. Vide *Lib. III. p. 196.* Dejecto fratre suo *Petro* a Florentinorum dominatu, & mutato Italiæ statu, per Caroli VIII. Galliæ Regis expeditionem, cum juvenibus aliis duodecim peregrinantis equitis habitum sumsit, & Germaniam & Galliam percurrit, eo vitæ & morum genere, quo tales uti solent. *Lib. V. p. 220.* Reversus Romam circa primum seculi decimi sexti annum, favorem Alexandri VI. tunc Pontificis ambire cœpit, variisque tandem artibus Cardinalis quem *Nepotem* vocant (juvenis corrupti) animum sibi adjunxit, magister omnium voluptatum & elegantiarum, quæ in venatione, conviviis & musica quæruntur. Utebatur autem solertissimo earum rerum ministro aulæ suæ præfecto, *Bibiana, Lib. V. p. 225.* cujus industriam postea galero Cardinalitio remuneratus est. Interim mortuo Cardinali illo nepote, ante patruum, spes hujus amicitia enitendi decollavit, magnoque ære alieno ex luxu contracto in angustias incidisset Johannes, nisi illi successor Alexandri, Julius II. in odium Gallorum (qui Florentinos, post ejectos Mediceos libertate utentes, protegebant) patrocinium præstitisset. *d. l. p. 229.* Hinc per occasionem narrat *Varillasius*, objectum tunc non solum a Gallis Simoniæ crimen Julio fuisse, per quod ad Papatum ascenderit, sed & hoc, quod Cæsarem illum Borgiam, Ducis Valentini titulo ornatum, sibi conciliasset, patrem ejus sese profitendo: genuisse enim se illum dicebat ex eadem concubina, qua Alexander utebatur, decepto hoc, ut se Cæsaris patrem esse crederet. *p. 230.* Exorto inde schismate inter Julium & septem Cardinales, qui Pisanum Concilium convocaverant, Johannes Julii partes non secutus saltem est, sed & valide juvit, collectis amicorum ope militibus, & excitatis factionibus, quibus effectum est, ut Pisani Gallorum præsidium oppresserint, Cardinales Papæ adversantes inde fugerint, (*p. 234.*) & Florentia tandem sub Mediceorum dominatum redierit. Interim in celebri illa ad Ravennam pugna, Johannes, legatus Julii captus est; sed ea fuit ejus industria, ut adjutus a Julio patrueli illo suo notho, tunc equite Rhodio, (qui in Mediceam familiam adsumtus, Cardinalis & postea Pontifex factus est Leonis successor) res Pontificis restabiliret. (*pag. 235. 236.*) Absolutionem enim Gallicis militibus, a Julio II. excommunicatis, obtulit, ea conditione, ne militare adversus Pontificem pergerent, & sic ad exercitus dissolutionem magnum momentum attulit. Tam felix etiam fuit, ut cum in Galliam transferendus esset, ubi perpetuam captivitatem instare sibi videbat, custodum manus, magno licet cum periculo suo, evaderet. (*p. 239. & seqq.*) Inde Pontificis & Hispanorum ope expulsis adversæ partis proceribus ex diuturno exilio cum agnatis Florentiam rediit, pristinumque familiæ suæ dominatum instauravit. (*pag. 216.*) Inter prima Florentiæ acta fuit, ut famosum illum *Nicolaum Machiavellum*, quia contrariæ factioni adhæserat, torturæ subjici fecerit, dein, cum nulla ab eo secreta explorare posset, in amicitiam receptum, ob ingeniosas, quibus excellebat, facetias amaverit, & pensione larga conduxerit, ad *historiam Florentinam* scribendam. (*pag. 248.*) Eundem magistrum theatricarum repræsentationum habuit, quibus postea Romæ indulsit. (*d. Lib. V. p. 2.*) Mortuo Julio II. Johannes Romam, sed tardissimo itinere, profectus est, laborabat enim fœdissimo ulcere in inguine. (*Lib. VI. p. 253.*) A duobus Astrologis *Marsilio Ficino* & *Erasmo* quodam Germano prædictum ei Pontificatum fuisse traditur *p. 254. & seqq.* ubi & Bibianæ (quem aulæ magistrum habuit,) artes ad suffragia Cardinalium hero suo acquirenda, referuntur, & speciatim, ut pessimus rupti ulceris odor electionem maturaverit (*p. 259.*) *Leonis* nomen assumsisse perhibetur, quia mater eum utero gerens somniaverat, se Leonem ingentem, sed plane mitem, in altari Ecclesiæ parere. (*p. 258.*) Julium inde agnatum mox natalibus restituit, & pileo Cardinalitio, quem ipse gesserat, & paulo post Archiepiscopatu

An. 1521.

(b) Digressio de Julio II.

(c) Gesta Leonis in schismate Pisano & bello contra Gallos.

(d) Item Florentiæ.

(e) Electio ad Pontificatum & prima ejus rudimenta.

patu

An. 1521. 1522.

patu Florentino honoravit: *p. 260.* thesaurum a Julio II. collectum ad æs alienum suum dissolvendum impendit. *p. 259.* Juliano fratri sororem Ducis Sabaudiæ uxorem pactus est. Adscitis in ministerium viris literatissimis, quos semper, ipse etiam eruditus, coluerat, interque eos *Petro Bembo & Jacobo Sadoleto*, magnos applausus apud eum ordinem hominum meruit, apud populum etiam statuas, & arcus triumphales, quia theatricis ludis omnes oblectabat. Inter primas repræsentationes fuit *Penulus Plauti*, per biduum actus, sumtu immenso & gestibus turpissimis, quos tamen nemini scandalo fuisse narrat autor, *p. 261.* Tales enim mores erant seculi & cleri, & hæc pax atque felicitas Christianæ reipublicæ, quam extollit Maimburgius. Ambitionis haud vulgaris documentum est, quod de Ducatu Mediolanensi Juliano fratri suo acquirendo consilia cepit, morte tamen hujus disturbata. *p. 264.* Cætera ejus cum Gallis & Hispanis varie gesta, & ut Urbini Ducatum vi subactum fratris filio Laurentio Mediceo juniori tradiderit, aliunde nota sunt, quanquam quædam minus cognita legi possunt *a p. 254. ad 275.* Horribilia sunt quæ de conjuratione quinque Cardinalium contra Leonem narrantur *a p. 275. ad p. 286.* quibusque suppliciis & pœnis eos eorumque complices affecerit; invento etiam tunc exemplo Romæ insueto, ut pecunia mulctarentur qui delinquerent. Hæc ignorasse oportet Lutherum, qui Leoni multum condoluit de periculo isto a Cardinalibus structo. Inter conjuratos erat *Adrianus* quidam humili loco Corneti (quod est Tusciæ ad mare oppidum) natus, unde cognomen sumsit, & per omnes gradus ad Cardinalitiam dignitatem ascenderat. Hic magum dissimulata persona consulens, cum didicisset Leonem brevi moriturum & aliquem ei, cui Adriano nomen esset, virum doctum sed plebeji generis (id quod de *Adriano Ultrajectino* eventus probavit,) successurum esse, prædictionem de se summa cum verisimilitudine interpretatus est, eaque spe cæteris, Pontifici mortem per venenum machinantibus, magno malo suo sese adjunxit. *p. 276.* De luxu & liberalitate Leonis, qua singulis diebus crumenam aureis plenam in donationes promiscuas evacuabat, vide *p. 292.* de corruptis Cardinalium moribus ad Pontificiarum venationum aliarumque voluptatum ingenium *p. 293.* de licentia & sumtu theatrorum. *ibid.* Impiæ delectationis quam captabat, si quos vanitate mentis imbecillæ elatos, ita posset corrumpere, ut pro fatuis exagitari se paterentur, duo exempla admodum ridicula de musico, & de poeta quodam referuntur *p. 294. 295.* de scurris & parasitis ejus, inter quos & monachus erat, vide *p. 297.* supplet autor (ut ait) neglectum *Paulo Veneto*, quod diplomata indulgentiarum in Germaniam miserit, quibus pro uno aureo ingressus in cœlum vendebatur, *p. 294.* Neglexit fabricam S. Petri, & porticum Vaticani palatii ædificare maluit, picturis celeberrimi Raphaëlis Urbinatis exornatam. Aulæa in Belgio fieri curavit, quorum quantum ad unum conclave ornandum requiritur pretium ad septuaginta aureorum millia ascendit, *p. 299.* Bibianæ illi purpura jam ornato, de quo dictum est, voluptatum ingenioso magistro, quod Legatus in Gallia ad pontificis secreta prodenda corrumpi se passus esset, ad mensam invitato, offam venenatam porrexit, ex qua subito, cum domum rediisset, mortuus est, *p. 300.* Vitæ generi mors Leonis respondit. Narrat autor, immodico gaudio adeo elatum fuisse, cum in venatione nuncium acciperet, Gallos Mediolano pulsos esse, ut febri corriperetur; inde, ut solebat, pilulis aloeticis usum, & hausto vino, non sine suspicione veneni, decessisse d. 13. Decembr. 1521 anno ætatis 47. vigente & robusto corpore. Cum cadaver ante sepulturam a domesticis negligenter custodiretur, mures odore unguentorum allecti, nasum ei morsu consumserunt, ut velata facie inter exequias exponi debuerit. *p. 302. ad 308.* Hæc de Leone etsi aliena a scopo videri possent, ideo tamen ex autore, cujus stylus contra Lutheranos conductus est, exhibeo, ut parallelismum ex iis facere possint, qui omissis corvis columbarum censuram instituunt, & ex Lutheri moribus exsculpunt, per quæ doctrinam ejus suspectam faciant. Inveniunt in Leone, quæ si conciliare cum persona possunt, quæ vicarium Christi in terris caput, & sponsum Ecclesiæ, veritatis oraculum, summumque & divinum hæresium judicem repræsentare debebat, næ illos rhetorum artem perfectissime callere oportet. Certe si in quo alio pontifice, in hoc utique verendum est *ne fides Petri cessaverit.* Sed bene est, quod neque capitis talis existentia ad Ecclesiæ statum requiratur, neque a Prælatorum moribus pendeat veritas doctrinæ, ita ut sub Caipha etiam reperiri potuerit Nicodemus & Josephus Arimathiensis, aliique fideles Deo noti, donec corruptæ Synagogæ compages dissolveretur. Quanto minus nocebunt, si qui fuere Lutheri nævi, reformationi Ecclesiarum; quæ illum neque pro capite aut patriarcha, immo ne unius quidem vel oppidi vel pagi parocho agnoverunt, sed ut vocem clamantis in deserto, & pœnitentiam atque evangelium prædicantem susceperunt, eatenus illi obsecuti, quatenus dogmata ejus cum supremi pastoris Jesu Christi voce concordare pro conscientia quisque sua judicabant, deinde singulæ regiones aut civitates politiam Ecclesiæ talem sibi constitutum ibant, qualem statui rerum suarum & temporum rationi convenientem & utilem judicarunt, agnita jam & vindicata libertate sua, a potentatu, per seculorum barbariem & infelicitatem in Ecclesiam invecto, & ad abusuum & corruptelarum apicem tunc perducto; quod fatentem mox audiemus Leonis successorem. Hæc occasione historiæ de vita & morte Leonis hic dicenda occurrerunt. Quæ de *Erasmi* erga eum adulatione notata sunt, pluribus ejus dictis probari possunt; sed non nisi unum subjungam ex *dedicatione Epistolarum Hieronymi* anno 1515. scripta his verbis: *Sensit illico mundus Leonem gubernaculis rerum admotum, repente seculum illud plus quam ferreum in aureum versum: ac tanta tamque fatalis subito rerum omnium commutatio, ut nemini non palam esset, hac autore Deo geri. Composita bellorum unda, cohibita Principum inter ipsos mina, acerbis odiis dissidentes maximorum Regum animi in Christianam adacti concordiam, sublatum perniciosissimum illud schisma,* (Julii intelligit & Pisanorum,) *& ita sublatum tam ingens malum, ut ne cicatrix quidem superfit.* Quam vana hæc fuerint sequentium annorum gesta ostendunt.

(f) *Periculum a conjuratione Cardinalium.*

(g) *Vitia varia.*

An. 1521. 1522.

(h) *Mors Leonis.*

(i) *Comparatio cum Luthero, & de hoc epicrisis.*

(k) *Erasmi erga Leonem adulatio.*

SECT. 48.

Dum enim Lutherus arci illi inclusus esset, nec Dux Saxoniæ inde eum exire, & in publico conspici permitteret, ne Imperator, qui illum proscripserat, offenderetur; Carolostadius *Archidiaconus, homo turbulentus & præceps, magistrum superare, & se quoque caput factionis constituere aggressus est. Hunc in finem, postquam uxorem, licet in sacerdotii ordine constitutus, ducere ausus esset, (ut cælibatum ecclesiasticum non doctrina solum, sed & exemplo destrueret, quod plurimi quoque alii presbyteri Lutherani statim secuti sunt) juvenum ejusdem ferociæ caterva stipatus, in pulchrum omnium Sanctorum templum intravit, ibique iconoclastico furore Christi crucifixi statuas & alias imagines sacras comminuit, & altaria dejecit, ut Missæ celebrationem penitus impediret. His intellectis Lutherus, qui discipulum pati non poterat, se magistrum superantem, ex solitudine sua, vetante licet Electore, prorupit, huicque scripsit, se magis obligari ad obediendum Deo quam omnibus mundi Principibus.*

Melanchth. epist. ad Frid. Meeum.

An. 1522. Cochlæus.

Epist. Luth. ad Frideric. Ducem. t. 2.

(1) Carolostadii turbæ absente Luthero.

(2) Lutherus earum causa custodia egressus

An. 1522. VVittenbergam redit.

cipibus. Properat itaque Wittenbergam, & adscita multitudine populi, a quo adorabatur, cathedram conscendit, & terribili voce contra Carolostadium detonat, qui ne verbum quidem regerere ausus est, quippe neque ingenio neque eloquio magistro comparandus, & præsente eo contremiscens.

An. 1522. Cochlæus.

§. CXIIX.

(1) *Fanaticorum motus in Saxonia & speciatim Zuiccavia.*

Antequam de rebus Carolostadii dicam, de Luthero quædam narranda sunt. Occupatus fuerat custodiæ suæ tempore non solum aliis in scriptis, sed vel maxime in vertendo Novo Testamento, de quo Maimburgii ordinem sequentibus infra agendum erit. Interea novos Prophetas, ut videri volebant, Zvviccaviæ prodiisse compererat, anabaptismum & enthusiasmum, aliaque non toleranda, populo ingerentes. Horum præcipui erant *Nicolaus* cognomento *Ciconia* (Storch) ex pannificum numero, qui ex tribulibus suis duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos legerat; dein *Marcus* quidam *Stubnerus*, *Martinus Cellarius*, & *Thomas Münzerus*, qui in æde S. Catharinæ cum tumultu prædicabat; idem nempe, qui postea rusticorum seditiosorum dux factus est, ut in secundo libro memorabitur. Resistebant insanientibus Pastor urbis, *Nicolaus Hausmannus*, & duo Diaconi, quos Lutherus laudat.

(2) *Lutheri monita.*

Antequam vero hic Wittenbergam rediisset, monuit Philippum & Amsdorffium, ne judicium de iis præcipitarent, sed spiritus primo probent, an ex Deo sint. Suspecta tamen sibi maxime esse scribit, jactata ab illis cum Majestate divina colloquia; Deum enim, Scriptura teste, spiritualibus angustiis animas explorare prius solere: qui igitur non nisi blanda, tranquilla, devota, &, ut vocant, religiosa crepent, etiamsi in tertium cœlum se raptos dicant, fidem non arbitratur mereri, Vide *Lib. II. Ep. p. 42. 46.*

(3) *Edicta Regimenti Cæsarei contra reformationem.*

Audiebat etiam severissima edicta adversus doctrinam suam condi; nam ex Regimine Cæsareo, Norimbergæ, absente Cæsare, stabilito, Electore Palatino præsidente, d. 20. Jan. mandatum ad Principes publicatum fuerat, ut coercerent profanatores sacræ Cœnæ, communionem sub utraque usurpantes, & Clericos uxoratos. Hoc exasperans Georgius Dux Saxoniæ, qui eo tempore ex Principum Ordine consessui aderat, condito Norimbergæ circa Idus Febr. edicto, in provincia sua carceri includi & pœnæ servari jussit monachos & presbyteros, qui Lutheri dogmata prædicarent, tum omnes, qui sub utraque communicarent: revocari etiam mandavit, qui studiorum causa in Academiis aut Scholis nova doctrina imbutis versarentur. Philippus quoque Frisingensis & Numburgensis Episcopus, mandatum Regiminis, sed ut erat, publicari curavit d. 24. Febr. Vide *Tom. II. Alt. f. 86. 87. 88.*

ADDITIO.

(a) *De fanaticis amplior relatio.*

Cum inter hodiernas Ecclesiæ afflictiones etiam fanaticorum nec numerus nec magna desit temeritas, divinas revelationes fingentium, haud abs re erit paulo accuratius annotare quid *Melanchthoni* & *Luthero* negotii creaverint istiusmodi homines. Absens erat & in arce latitabat Lutherus, cum isti quos in commentario nominavi, Zuiccavia VVittenbergam venirent. Accidit autem non Carolostadio solum sed & sagacioris ingenii & reconditioris doctrinæ viro Philippo Melanchthoni, renascente tunc veritatis Evangelicæ luce, post tot seculorum scholasticas tenebras, id fere, quod iis solet qui intempesta nocte iter faciunt, ut quamcunque nubeculam lucidiorem pro luna, fatuos etiam ignes pro lampadibus habeant, donec intentiori observatione verum ab apparenti discreverint. Quid Philippus ad Lutherum scripserit, etsi epistola, quod sciam, non extet, ex responso tamen Lutheri die Antonii seu 17. Jan. 1522. dato (ex quo aliqua allegavi) facile conjicitur: juvat tamen plura ex eo adscribere:

(b) *Epistola Luther ad Melanchthonem.*

Venio ad Prophetas, ac primum non probo tuam timiditatem, cum & majori tam spiritu, quam eruditione polleas quam ego. Ac primum cum testimonium perhibeant de se ipsis, non statim audiendi sunt, sed juxta consilium Johannis, spiritus probandi. Habetis consilium Gamalielis, differendi, nihil enim adhuc audio ab eis dici & fieri, quod Satanas non queat præstare vel æmulari. Tu autem ex mea parte hoc explores, an vocationem suam possint probare. Neque enim Deus unquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum, ne ipsum quidem Filium. Prophetæ olim ex lege & ordine prophetali jus habebant, sicut nos modo, per homines. Prorsus nolo eos recipi, si nuda revelatione sese vocatos adserant, cum nec Samuelem quidem vellet loqui Deus, nisi per autoritatem conscium Heli. Hoc primum ad publicam docendi functionem pertinet. Jam vero privatum spiritum explo[illegible] etiam, quæras num experti sint spirituales illas angustias, & nativitates divinas, mortes, infernosque; Si audieris blanda, tranquilla, devota (ut vocant) & religiosa, etiamsi in tertium cœlum sese raptos dicant, non approbabis. Quia signum filii hominis deest, qui est βάσανος probator unicus Christianorum, & certus spirituum discretor. Vis scire locum, tempus, modum colloquiorum divinorum? Audi: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. Et, projectus sum a facie oculorum tuorum. Et, repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Non sic loquitur majestas (ut vocant) immediate, ut homo videat, immo, non videbit etiam homo & vivet. Et, stellam parvam sermonis ejus non fert natura. Ideo enim per homines loquitur, quod loquentem ipsum ferre omnes non possumus. Nam & Virginem turbavit angelus, sic & Danielem, sic & Jeremias queritur, corripe me in judicio, & non sis tu mihi formidini. Et quid plura? Quasi Majestas possit cum vetere homine loqui familiariter, & non prius occidere atque exsiccare, ne fœteant odores ejus pessimi, cum sit ignis consumens. Etiam somnia & visiones sanctorum sunt terribiles, saltem postquam intelliguntur. Tenta ergo, & ne Jesum quidem audias gloriosum, nisi videris prius crucifixum.

(c) *Melanchthonis literæ ad Electorem.*

Paulo ante Philippus ad ipsum Saxoniæ Electorem 1522. die Johannis Evangelistæ de adventu fanaticorum literas dederat, quas quoniam in Epistolarum libris non reperio, neque ab aliis editas observavi, ex avthentico, quod *Lipsiæ* asservatur, huc transcribemus: *Illustrissimæ Celsitudini vestræ gratiam ac pacem Christi opto. Boni consulat Celsitudo vestra, quod ad eam scribere ausus sum: cogunt enim hoc tempore res summæ & periculosissimæ, quæ sollicitudinem & curam Celsitudinis Vestræ magnopere desiderant.* Est autem hæc causa, quam proponere oportuit. *Non ignorat Celsitudo Vestra, quam multæ, variæ & periculosæ dissensiones de verbo Dei in urbe Celsitudinis Vestræ Zuiccaviæ excitatæ sint. Sunt & illic in vincula conjecti, qui, nescio quæ novarunt. Ex horum motuum auctoribus huc advolarunt tres viri, duo lanifices, literarum rudes, literatus tertius est. Audivi eos; mira sunt, quæ de sese prædicant, missos se clara voce Dei ad docendum, esse sibi cum Deo familiaria colloquia, videre futura; breviter, viros esse Propheticos & Apostolicos: quibus ego quomodo commovear, non facile dixerim. Magnis rationibus adducor certe, ut contemnere eos nolim, nam esse in eis spiritus quosdam, multis argumentis adparet, sed de quibus judicare præter Martinum nemo facile possit. Proinde cum vertatur hic Evangelii periculum, Ecclesiæ gloria & pax; modis omnibus efficiendum est, ut his hominibus Martini copia fiat: ad hunc enim provocant.*

Non

An. 1522.

Non scriberem ad Celsitudinem Vestram nisi rei magnitudo postularet, in tempore maturari consilium. Cavendum enim est simul ne occupemur a Satana. Dominus conservet Celsitudinem Vestram longævam pro salute Ecclesiæ suæ, Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ deditissimus Philippus Melanchthon. Inscriptio est: *Illustrissimo ac sapientissimo Principi D. Friderico Saxoniæ Duci Electori, Lucernæ Israel, Domino suo clementissimo.* Accersivit utrumque ad d. Cal. Jan. in oppidum Prettin prope Lichtenbergam arcem, & per *Hauboldum Einsidelium* ex Consiliariis suis, virum nobilissimum, nec indoctum, & splendidissimæ familiæ propagatorem interrogari, cur tanto cum affectu in causa illa ad se scripsissent, & rationes scripto exponere, illos jussit. Fecit id *Philippus*, narravitque quæ Storkius & socii de seditione Zuiccaviensi retulissent, quomodo de Baptismo infantum disputassent, & revelationes divinas allegassent, addens se omnino existimare, Lutheri judicio opus esse, nec melius ab alio expectari posse, & ad illud ab iis provocari; se certe parem non esse, ut de causa tam ardua pronunciaret. Subjunxit aliquid ex Augustino de baptismo infantum differente, illumque non nisi antiquæ consuetudinis argumento adstruente, unde inferebat, difficillimam esse quæstionem illam, neque Lutherum id latere. Quod vero rem ad Electorem detulerit, ideo factum esse, quod illum unicum hoc tempore Ecclesiæ patronum agnosceret. *Amsdorffius* in sua responsione brevior fuit, & rem tanti momenti visam esse scripsit, quæ omnino Electori aperienda esset. Die sequenti Elector renunciari iis fecit, se graviores causas factæ ad se relationis ab illis expectasse: scire enim eos, se sacræ Scripturæ imperitum esse, neque judicare posse, per quos illi homines informari debeant, dubitare potius, an expediat, ut cum illis disputetur; satis notum esse disputationis Lipsiensis effectum, & ut jam ubique pro hæreticis diffamarentur VVittenbergenses: caveri itaque debere graviorem invidiam, nec disputandum esse de pædobaptismo, & sufficere posse Augustini autoritatem, cui multum deferre soleant VVittenbergenses; certe non liquere, an & quid Deus per plebejos istos agere velit, quamvis aliquando vilium hominum ministerio uti consueverit. De iis vero, quæ Zuiccaviæ acta sint, multas ad se querelas a fratre Johanne & agnato Georgio deferri, quapropter providendum esse, ne tumultus exemplum ad VVittenbergenses transeat. Lutherum revocari jam non posse, ob periculi metum, & sufficere, quod Elector illum eatenus tueatur, ne quid contra inauditum statuatur, de cætero sibi incumbere, ut Cæsari Domino suo obsequium præstet. Si de justitia causæ (fanaticorum illorum) constaret, se nec fratrem nec matrem respecturum esse, sed passurum, quæ patienda forent: consultissimum itaque esse, ut homines istos missos facerent. *Spalatinus* in historia *de Friderico Electore* dicta ejus præcipua in illa cum Melanchthone & Amsdorffio & Consiliariis suis actione his verbis annotavit: Da auch die elenden Schwarmgeister / Nicol Storck und Marx von Elsterburg / abwesens D. Martins Luther / welcher noch in seinem Patmos steckte / sich gen Wittenberg begeben / und schier all Unglück angerichtet / auch fast die Gelehrtesten und Fürnehmsten betrübt hätten / derhalben auch S. Churfl. Gn. etliche Hochgelahrten gen Pretyn erforderten / der Sachen mit GOttes Hülffe zu rathen. Da es nun zum Rathschlag kam / und S. Churfl. Gn. seiner Räthe und Diener / so sie bey denselben Händeln leiden kunten / Bedencken gehöret hatten / sagte S. Churfl. Gnaden unter andern diese harte Worte mit grossem Ernst: **Das ist ein grosser wichtiger Handel / und den ich als ein Laye nicht verstehe. Nun hat mein lieber GOtt meinem Bruder und mir eine ziemliche Armuth gegeben / wenn ich nun die Sachen verstünde / ehe ich wolte mit wissen wider GOtt handeln / ehe wolte ich einen Stab an meine Hand nehmen und davon gehen.** Ob welchen Worten S. Churfl. Gn. Räthe und Diener / so dazumal vorhanden / mit grosser Verwunderung sich entsetzten / und gewißlich / sein Hertz ist auch also gestanden biß an sein Ende.

(d) *Acta Electoris cum Melanchthone & Amsdorffio.*

(e) *Spalatini de Friderici dictis relatio.*

An. 1522.

Sensus est: Cum fanatici illi, *Nicolaus Ciconia & Marcus Elsterbergensis*, (oppidulum est Voigtlandiæ) absente & in Patmo suo latente Luthero, VVittenbergam venissent, multas turbas fecissent, & fere doctissimum & potissimum quemque pervertissent, Elector quibusdam ex doctioribus *Pretinam* evocatis deliberavit, quomodo Dei ope malo occurri possit? Intellectis igitur eorum, quos adhibuerat, consiliis, inter alia (cum scilicet res dubia videretur, & metuendum forte aliqui dicerent, ne temeraria istorum hominum condemnatione in spiritum Dei peccaretur) in hæc verba summe notanda Princeps prorupit, ut diceret: *Hæc causa gravissima & difficillima est, quam ego, ut Laicus, non intelligo. Dedit fratri meo & mihi Deus mediocres opes; sed si rem recte intelligerem, nollem sane sciens Deo adversari, immo, priusquam id facerem, arrepto baculo abire*, id est, omnia deserere *mallem*. Mirati hæc sunt cum stupore Consiliarii & ministri, qui aderant: & profecto ista mens Principi ad extremum usque vitæ terminum fuit. Hæc *Spalatinus*, qui deliberationi interfuit. Unde profecto colligi potest, quam seria fuerit Principis hujus de salute animæ solicitudo, & quam non præcipitanter aut utilitatis respectu, ut malevoli arguunt, in religionis negotio processerit. *Marcum* sane *Stubnerum*, qui literatus erat, hospitio excepit Melanchthon, quosdam informandos dedit, multasque ejus ineptias tulit, nec dimisit eum nisi postquam reversus VVittenbergam Lutherus *Marcum* illum & collegam *Martinum Cellarium* habito colloquio repressisset, ut eodem die oppido excesserint. Hoc ita narrat *Camerarius* in *vita Philippi p. 51. Reversio Lutheri incidit in Nonarum Martii dies anni Christi M. D. XXII. quibus diebus conciones eo habente omnia conquiescebant, & audientes, cum singularem facultatem explicandi susceptas res, tum dicendi vim, tum etiam virtutem atque fortitudinem admirabantur & reverebantur autoritatem. Interrogatus tunc unus ex Marci familiaribus, ecquid Doctorem esse Lutherum egregium judicaret? Immo, inquit, angeli non hominis vocem mihi audiisse videor. Sed Marcus iis diebus aberat, cum nescio quo, quarumve rerum causa, discessisset. Mox tamen hic se VVittenbergam ad suum, quem ibi habebat, gregem recepit. Qui rursum ad ipsum confluere, & opiniones haustas inter se confirmare, & Marco ad retinendas & defendendas eas animos hortando addere: inque omnibus maxime & ardentissime M. Cellarius. Placuit igitur Martinum Lutherum accedi, & ei summam doctrinæ exponi. Ægre Lutherum hoc concessisse rescivi. Sed tandem certo die & hora fecit potestatem Marco ad se veniendi, solo Philippo Melanchthone sibi adhibito, cum Marcus Cellarium & alterum quendam ex suis adduxisset. Audivit Lutherus placide narrantem Marcum sua. Cum dicendi finem fecisset, nihil contra illa adeo absurda & futilia disserendum ratus Lutherus hoc modo monuit: Viderent quid agerent: nihil eorum quæ commemorassent sacris literis niti, commentaque esse cogitationum curiosarum, aut etiam fallacis & fraudulenti spiritus deliras & perniciosas suggestiones. Ibi Cellarius & voce & gestibus vesanis, cum & solum pedibus & propositam mensulam manibus feriret, exclamare & indignari, ausum esse Lutherum suspicari tale aliquid de divino homine. At Marcus paulo sedatior, ut scias, inquit, Luthere, me spiritu Dei præditum esse, ego, quid in animo tuo conceperis, sum indicaturus, idque est: Te incipere inclinari ad hæc ut meam doctrinam veram esse credas. Cum Lutherus, ut ipse postea dixit, istam dedita opera sententiam cogitando esset complexus:* increpet te Deus Satana. *Post hæc plus verborum faciendum Lutherus non putavit, & minantes gloriantesque eos dimisit, ac nescio quid pollicentes de mirabilibus effectionibus, quibus probaturi sua essent, cum hoc modo dixisset: Is Deus, quem ego veneror & colo, facile vestra numina, ne quid tale efficiatur, coercebit. Eo die oppido illi excesserunt, & Chembergo distante passibus amplius millibus quinque, literas plenas maledictis & execrationibus ad Lutherum miserunt, de quibus longiorem esse narrationem hanc meam non decet. De Ciconia autem & Marco ipso quid factum sit, & quid ipsi amplius conati,*

(f) *Trepidatio Melanchthonis & alia ex Camerarii relatione.*

An. 1522.

conati, quique exitus vitæ eorum fuerint, non habeo compertum, deque eis narrata atque prodita scio neque temporibus neque personis consentanea. Hæc Camerarius. *Ciconiam* in monasterio quodam Bavariæ interiisse quidam memorarunt; de *Marco* nihil certi invenio. *Cellarius* in Prussia errores propagans in carcerem incidit, elapsus inde, Basileam se contulit, ibique Latino cognomine in Græcum detorto *Borrhaus* dictus, saniora docuit & scripsit, referente *Sculteto* in anno 1521. Extat *Lib. II. pag. 92.* Lutheri Epistola, sed sine die ad Spalatinum, in quo de Nicolao & aliis hæc habet: *Fuit apud nos princeps Prophetarum Claus Storck incedens more & habitu militum istorum quos* **Lands-Knecht** *dicimus, adjuncto alio in longa tunica, & D. Gerardo Coloniensi. Et homo per omnia ferme dissentit Marco & Thomæ, nihilque tractavit, nisi de Baptismo parvulorum; videturque spiritu levitatis ferri, qui nec ipse magnificat, quæ sentit. Sic ludit Satan in hominibus.* *Thom. Munzerus* eo tempore Alstedii in Thuringia pastor erat, eosdemque errores, sed tunc paulo tectius disseminabat. De hoc Lutherus ad Spalatinum anno sequenti 1523. hæc scribit: *Alstadii Quæstorem, cum apud me esset, monui, ut Thomæ Prophetæ spiritum ab se alienaret, si quid interim actum est ignoro. Ego plane spiritum istum, quisquis sit, non queo ferre. Laudat mea (ut Thomas ipse scribit,) & tamen contemnit, & alia majora quærit. Deinde sic absurdis & invisitatis extra Scripturam verbis & orationibus loquitur, ut phreneticum & ebrium credas. Nos fugit & congredi non vult, & tamen sese mire jactat. Rogavi itaque Quæstorem ut urgeret hominem ad conferendum nobiscum suam doctrinam: nescio an efficiet. Noster spiritus talis non est, qui metuat audiri & conferri cum omnibus etiam malis & bonis spiritibus.* Alia epistola (*Reg. N. fol. 111. lit. H. n. 44.*) absque die & anno, sed hoc tempore ad Johannem Elect. scripta, queritur de Münzero, quem *Satanam* vocat, *quod contra promissa VVittenbergam non veniret;* addit: *Valde superbit in angulo suo, sed nondum maturus est; satius est, ut feratur, donec protrudat, quæ in recessu habet, quæ multa sunt. Si tamen non placet venire, eum jubeat Cels. T. aut abire in Ducis Georgii ditionem, si audet; nec sinat eum nostræ pacis umbra ad allatrandos Evangelii doctores abuti.* Cum bona, uti spero, lectoris venia, addam hic judicium Theologi aulæ Electoralis primarii, ob pietatem & doctrinam merito æstimatissimi *D. Philippi Jacobi Speneri*, in explicatione Germanica *Evangelii Dominicæ post Circumcis. Matth. II. 15.* anno 1677. Francofurti ad Mœnum pro concione facta, cui junxit dictum *Hebr. I. 1. 2.* Ibi cum de apparitionibus & inspirationibus ante & post Moysis tempora, & circa initia Ecclesiæ Novi Testamenti dixisset, de nostris tandem temporibus hæc docet: *Quod vero ad tempus Novi Testamenti post Christum & ad nos usque attinet; notandum (1) immediatas apparitiones, & immediata & revelantia somnia, neque promissa admodum nobis, nec necessaria esse. Ab initio quidem tempore Christi & primæ Ecclesiæ ex iisdem causis, quæ in Veteri Testamento apparitiones frequentiores exigebant, Deus etiam nonnunquam extraordinario illo medio usus est; sed cessare id una cum miraculis cœpit, postquam additis Novi Testamenti libris totus Canon & quantum Deus in verbo suo manifestare voluit impletus, & finis revelationibus immediatis datus fuit. Quia ergo singularem promissionem, quod Deus isto modo nobiscum acturus sit, non habemus, neque adeo causæ, propter quas Deus in Veteri Testamento sæpius illo usus est, supersunt, recte ex his omnibus concludimus, non esse voluntatem Dei, ea ratione sæpe nobiscum agendi: contenti itaque simus luculenta revelatione verbi sui irrefragabilis, & ex illo provenientis operationis Spiritus sancti in cordibus fidelium, qui veritatem Scripturæ, & necessariorum ex ea mysteriorum, in illis sigillat. Ita & Christus ipse animabus se manifestat, ut dicit Joh. XIV. 21. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Fit hoc interna ipsius & Spiritus sui operatione, per quam sentimus & agnoscimus, quæ in verbo audivimus. (2) Si quis apparitiones & revelationes jactat, ad probandos articulos fidei extra Scripturas, novosque quos Christus non docuit, in medium proferendos, & credendi necessitatem urget, quia id ipse dicit, & se pro immediate illuminato vendidat, neque obligatum se agnoscit, ad conscientias hominum, per externum verbum Dei convincendas; de eo absque dubio & confidenter dicendum, quod falsa jactet. Verum enim est de quo Paulus gloriari suo tempore potuit Act. XX. 27. annunciavi vobis omne consilium Dei. Itaque aliud consilium, de via nempe salutis, expectari non debet. Paulus enim (unus tamen eorum per quos Christus locutus est) non quædam saltem sed omnia consilia Dei annunciavit. Ideo tempus Novi Testamenti novissimum dicitur, quod modus colendi Deum & adipiscendi salutem nec mutari, nec aliquid novi, iis quæ ab initio revelata fuerunt, accedere debeat, etsi prioribus temporibus non unus semper cultus divini ordo fuit. Sic concludit Spiritus sanctus Apoc. XX. 18. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Hoc veluti sigillum est Scripturæ a Spiritu sancto appositum. Quicunque ergo novum in Scriptura non contentum fundatumque articulum fidei tradit, ex somnio suo & apparitione, sive se Christum, vel angelum, vel animam defuncti nominet, (qui apparet) is a diabolo deceptus esse confidenter dicatur; hæc est Pauli sententia Gal. I. 8. Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Repetit id, ut accurate observemus, & a periculo nobis caveamus, si salutem nostram novis ejusmodi revelationibus committere, aliamque viam ad cœlum discere vellemus, quam cujus veritatem Christus nobis semel demonstravit. His acquiescimus: habemus enim firmiorem sermonem propheticum. 2. Petr. I. 19. Ad hunc, non vero ad novas apparitiones remittimur, nisi in fraudem incidere velimus. (3) Si vero non articuli fidei, sed alia sunt, quæ vel nos vel alios, aut Ecclesiam in universum attinent, ad implementum veterum vaticiniorum in circumstantiis quibusdam spectantia; vel per quæ ad bona, alias cognita sit adhortatio, & si quæ sunt ejusmodi; nolumus Deo manus quasi ligare, ne tale aliquid ex sanctis nobisque ignotis causis etiam nunc extra ordinem facere possit: licet ordinarie per immediatas visiones nobiscum agere jam non velit. Exempla forte etiam reperiuntur, ubi Deus adhuc veluti radios prophetici luminis sequentibus etiam temporibus effulgere fecit, ostenditque eadem se potentia & sapientia esse extraordinarii aliquid agendi. Ita & somnia magni momenti in suis vel aliorum negotiis, piis mentibus aliquando obtigerunt, quorum exitus & implementum aliquid non vulgare demonstravit; quæ omnia rejicere & condemnare temerarium foret. Nihilominus pro dubiis & periculosis æstimamus, quæ sic jactantur, ideoque advitandam illusionem, accurate examinari merentur. Quapropter & ii qui talia sibi putant contigisse, conscientiam suam diligentissime explorare, & qui narrari ista audiunt, observare debent, ne in periculum incidant, arripiendi apparitionum loco propriæ phantasiæ aut diaboli, qui se in angelum lucis transformare novit, figmenta. Major est phantasiæ vis, quam putatur, neque diaboli astus unquam satis perspici potuit. Nemo certe errabit, qui illa non æstimat, sed usque ad majorem evidentiam pro tentatione habet, nisi divina majestas indubitate in convincenda conscientia eluceat. Sic enim veritati agnitæ contradici non posset, neque contra Deum pugnandum, sed quicquid ille manifeste revelat, cum humili veneratione accipiendum est. Maturum piorum & divinitus sapientium virorum judicium & examen ad illa requiritur. Si quid denique invenitur de quo indubitate judicare, aut quod statim rejicere nequeamus, id non tollit regulam. Relinquendum tunc est in medio, quod non intelligimus, ne gravius, quam putamus, peccemus, condemnando in quibus nobis inscius aliquid divini latere posset. Nihil quidem recipiamus, de quo non convincamur, quod divinum sit: quæ vero ipsi dijudicare non valemus, aliorum relinquamus judicio, expectantes donec Deus ipso eventu vel alio modo faciliorem judicandi facultatem dede-*

(g) *Lutheri de fanaticis relatio.*

(h) *Specia-tim de Munzero.*

(i) *Digressio de apparitionibus ex D. Spenero.*

An. 1522.

An. 1522.

dederit, vel ipse potius rem deciderit. Qui sic subsistunt, dum lumen divinum in ejusmodi rebus & vaticiniis non percipiunt, neque tamen culpant quæ non intelligunt, sed si aliqua suspicio rei divinæ appareat, Deo rem commendant, illi non peccant, etsi divinum fuisset, quod pro tali nondum potuerunt agnoscere. Notanda hæc sunt, quia in communi vita aliquando de talibus rebus disseritur, & Christianos scire decet, quid judicare de iis debeant. Sic stantibus rebus apparitiones neque expectemus neque optemus; optaremus enim aliquid præter ordinem Dei, ipsumque cum maximo damno nostro tentaremus. Sunt tamen homines qui ante omnia desiderarent angeli alicujus apparitionem, sed nesciunt in quantum discrimen incidere possent. Hæc Spenerus. Adde quæ infra ex ipso Luthero §. *CLXXVI.* annotavi.

§. CXIX.

Odiosam maxime fecerant doctrinæ Evangelicæ causam Carolostadii excessus, de quibus hic agit Maimburgius. Et hoc ipsum graviter objicit Wittenbergensibus Lutherus in fragmento Epistolæ, dicto *Tomo II. Alt. fol. 89.* extante. Cum vero nihil proficeret, & Electoris cunctationem in reprimendis fanaticis, de qua diximus, observasset, retineri se amplius in arce non est passus. Quæ ante discessum ad Fridericum scripserit, in Actis excusis non reperiuntur. Apparet tamen ex epistola ad eundem, ex itinere in oppido Borna, haud procul Lipsia, die cinerum (5. Mart.) data, quod Elector Lutherum a reditu dehortatus fuerit; sed is abitus sui causas, inaudita cum libertate, dicta epistola defendit, & *primo quidem iis, quæ Wittenbergæ acciderant, pene in desperationem adductum se esse* scribit, *quæ enim huc usque passus esset, meros jocos & ludos sibi videri; at ista in summam Evangelii contumeliam erupisse, nec deplorari aut improbari satis posse. Sola itaque causæ suæ fiducia erectum vivere, & nisi id jam sciret Elector, expresse ei denunciatum a se velle. Evangelium suum non ab hominibus, sed solum ex cœlo a Jesu Christo Domino nostro se habere, ideo se servum Christi & Evangelistam, & in posterum hoc nomine usurum esse. Obtulisse se quidem huc usque cognitioni, sed ex superflua humilitate, ut alios alliceret. Nunc cum videat eam modestiam in detrimentum Evangelii a Diabolo verti, nolle se amplius cedere, ut anno præterito in gratiam Principis, non metu fecerit. Wormatiam se ingressum esse, innumeros Diabolos non formidantem. Cum vero Dux Georgius* (forte hunc respiciendum esse Elector innuerat) *ne uni quidem Diabolo viribus par sit, per Evangelium autem fideles tanto gaudio & fortitudine erigantur, ut Patrem Deum habeant & invocare possint; sperni Ducis iras debere, eoque se esse animo, ut Lipsiam quoque intraturus esset, si eodem urbs illa, quo Wittenberga, statu foret, idque facturum, etsi novem diebus nil nisi Georgios Duces plueret, quorum singuli hunc novies sævitia superarent: se passum hactenus esse, quemadmodum & Deus toleraverit, ut Georgius Christum pro stramineo homunculo haberet, immo & orasse pro eo sæpius, & adhuc semel oraturum, quanquam uno verbo occisurum se illum esse confidat. Scribo hæc,* ait, *Celsitudini Tuæ, ut sciat, me longe potentiori sub protectione, quam Electorali, Wittenbergam ire; noli a Te protegi, nec gladio ad hanc causam opus est, Deus absque ullo hominum auxilio illam est curaturus. Quoniam igitur Celsitudo Tua infirma est fide, non possum eam pro defensore meo habere. Quoniam autem scire vult, quid sibi agendum sit, dicitque, se minus justo fecisse, dico ego, nihil Tibi faciendum esse, & jam nimium Te fecisse. Non fert Deus, ut Tua Celsitudo aut ego causam vi tueamur; si hæc credis, tutus eris; sin minus, ego tamen credo, & sinam, ut Tua te angat incredulitas. Excusatus itaque es, quoniam Tibi obsequi nolo, si capior ego aut occidor. Noli Cæsari vi resistere, patere, ut agat adversus corpora & opes in ditione Tua, quæ velit. Non potest a Te (quem sciunt, quo loco natus sit) postulare, ut carnificis munus adversus me exerceas. Quod si id petant, Tuaque Celsitudo id mihi aperiat, faxo (credas aut non credas) ut mei causa tutus & illæsus sis corpore, anima, bonis.* Concludit denique: (plura imposterum, ut ait, scripturus) *Alius vir est quam Dux Georgius, quo cum mihi res est: ille me optime novit, nec ego eum male. Si hoc crederet Celsitudo Tua, videret gloriam Dei, sed quia nondum credit, nihil huc usque vidit.* Hæc quia, quod sciam, in Tomis Latinis non extant, ex dicta epistola Germanica excerpere visum est, ut constantia viri appareat, cui similem orbis non habuit, & quæ (quicquid objiciant adversarii & invidi) divini motus characteres manifestos exhibet, eventu etiam probatos; omnes enim minæ, contumeliæ & machinæ adversus eum per annos, quos adhuc vixit, viginti quatuor irritæ fuerunt.

Epistola Lutheri ad Fridericum Elect. de discessu suo ex arce.

ADDITIO.

Carmen in cubiculo Lutheri VVartburgensi.

Cum novissimi in Gallia Lutheri insectatores, de loco in quo Lutherus delituit, malint nugas Cochlæi, & Surii, qui *Alstadium*, & nescio quas alias Phæacum arces nominant, sequi quam rei veritatem, carmen quod in cubiculo Lutheri VVartburgensi, *Rebbanius* supra laudatus, Isennacensium Superintendens, inscribi fecit, quodque ipse vidi, ex *historia MS.* appono:

Tertius Elias en Teutoniaque Propheta
Lutherus, quondam Vangionum urbe redux.
Pontificis propterque minas & Cæsaris iram
Hic velut in Patmo conditur exul inops.
CarLstaDII ob fVrIas aD SaXona teCta reCVrrIt
FaVCIbVs eX sæVIs rVrsVs oVesqVe rapIt.
Vile licet, clarum merito tamen hospite tanto
Claustrum hoc, quod lætus lector amice vide.
A. C. N. MDXXI. IV. Maji VVartburgum deductus D. Martinus Lutherus, in hoc conclavi delituit, usque VI. Martii A. MDXXII. quo VVittenbergam iterum abiit. M. N. R. id est, *M. Nicolaus Rebban.* Erratum tamen est in die, cum enim d. V. Mart. Bornæ fuerit Lutherus, oportet eum, nisi die noctuque mutatis equis cucurrerit, d. III. Mart. ex arce discessisse; tridui enim iter Isennaco est Bornam petentibus.

§. CXX.

An. 1522.

(1) Fridericus Elect. cum Luthero agit per D. Schurfium.

Fridericus acceptis sequenti die 6. Martii, quas dixi, literis, magna prudentia & moderatione, ne suam autoritatem cum zelo Lutheri committeret, nihil ei respondit, sed dato 7. Martii (Veneris post cinerem) Lochavia, ad *Hieronymum Schurfium*, Jurisconsultum Wittenbergensem, & Consiliarium suum, mandato, benigne salutare jussit Lutherum, & cum eo agi, ut literas ad Electorem scriberet, quibus causas, cur Wittenbergam regressus sit, aperiat, fateaturque se injussu Principis rediisse, & aliquo modo sese offerat, promittat etiam nemini molestum futurum esse. Literas nempe ita volebat componi Elector, ut eas cum magnatibus & amicis communicare posset. Addit, se nihil in hac causa intendere, quam ne seditiones fiant, idque diligenter curandum, & Luthero interim

An. 1522.

terim a concionando in arce (id est, templo Omnium Sanctorum) abstinendum esse, omniaque hæc secretissime habenda. Vide *Tom. II. Alt. f. 93.*

2) *Schurfii relatio.*

Schurfius d. 9. Martii (Dom. Invoc.) ad Electorem retulit, Lutherum (quem mirifice ut Apostolum & Evangelistam Christi commendat, & turbas ab aliis, absente eo, excitatas valde improbat) ad literas, quæ desiderabantur scribendas promtum fuisse, eorumque exemplum, adscripto die 7. Martii, mittit. Schedulam inseruerat Lutherus, qua Electori integrum facit, aliam formam præscribere, addens: *se nihil plane, quod lucem ferre non possit, acturum, nec metuere, si priorum etiam literarum* (scilicet d. 5. Martii datarum) *contenta evulgentur: si motus timeatur, eum non Sacerdotes solum, ut huc usque suspicatus fuerit, sed ante omnia Principes esse experturos, oppressa tamen prius Evangelii doctrina, ut semper antehac factum sit.* Elector Schurfio d. 11. Mart. rescripsit, pauca quædam paulo vehementiora in Lutheri literis esse, quæ mutari cuperet. Assensit Lutherus, ut ex relatione Schurfii d. 15. Martii *d. Tom. II. fol. 99.* apparet, in qua hic simul memorat, quanto gaudio omnium doctorum & indoctorum Lutheri adventus exceptus fuerit, quam egregie ille quotidie veritatem doceat, & omnia in ordinem restituat: adfuisse etiam Capitonem (qui apud Albertum Cardinalem Halis tunc erat) duasque conciones Lutheri adversus abusus sacræ Cœnæ, lætantem laudantemque audisse. Hæc & alia Schurfius.

(3) *Literæ Lutheri ad Electorem ex præscripto composita.*

Literæ quas Lutherus ex compacto cum Electore, & hujus jussu correctas scripsit die Mercurii post Invocavit, id est 12. Martii, Germanice *Tomo II. Alt. fol. 96. 97.* Latine *Tomo II. Jen. fol. 544. 545.* & *Lib. II. Epistolarum p. 46. 47.* extant. Latinæ tales sunt, quales Lutherus composuerat: itaque in iis residua manserunt, quæ Elector expungi voluerat, v. g. ubi scripserat Lutherus, *longe aliud in cœlo quam Norimberga in conventu pronunciatum & conclusum esse, & brevi appariturum, quod illi qui nunc somniant se penitus devorasse Evangelium, & quasi crudum in alvum transmisisse, nondum has ipsas epulas illibatas precibus de more consecraverint.* Horum enim loco in Germanico exemplari correcto saltem legitur, *longe aliud in cœlo, quam in terris conclusum esse.* Inserta vero sunt quædam Germanicis istis, quæ in Latinis non habentur, non admodum lubenter a Luthero admissa, ut patet ex epistola ad Spalatinum d. 13. Martii data *Lib. II. ep. p. 56.* cujus inter alia hæc sunt verba:

(4) *Ipsius de iis censura.*

Mitto hic literas ad Principem, in quibus, ut multa incredulitatis pavida signa Princeps ostendit, qua infirmitas ejus ferenda est, ita hoc unum me offendebat verbum, quod Cæsarem cogor appellare Dominum clementissimum Meinen allergnädigsten Herrn/ *cum sciat orbis, esse mihi infensissimum, & hunc fucum manifestum omnes ridebunt. Tamen ego potius rideri volo, & fuci argui, quam infirmitati Principis resistere; conscientiam autem ab isto fuco sic redimo, quod usus & stylus sic habeat, Cæsarem appellari velut proprio nomine & titulo, etiam ab iis, quibus sit infensissimus. Nam ego fucos mire odi & satis multum eis concessi hactenus; aliquando & παῤῥησίαν præstare oportet.*

(5) *Contenta præcipua literarum.*

Tres autem utrobique rationes pro adventu suo Lutherus allegavit, quas Maimburgius, ut alia, præteriit: *primo* quod incumbere sibi crediderit inceptam a se Wittenbergæ religionis restitutionem prosequi; *secundo* quod a cœtu, cujus cura sibi commissa fuerit, ob enatas turbas, quas absens sedare non potuerit, per literas revocatus fuerit; *tertio*, quod valde angeretur animo, & vereretur, ne qua magna seditio in Germania oriatur, eaque pœnas det contemtus & ingratitudinis beneficiorum Dei. *Videmus enim*, ait, *quanta cum approbatione, applausu, gratulatione & concursu Evangelium a plurimis accipiatur. Sed in populo multi hoc beneficium carnaliter accipiunt, cernunt apertis oculis veritatem, nec tamen ea, ut debent, utuntur.* Hæc omnia uberius explicat, & pro ratione generali, quam solam notavit Maimburgius, plus semel affert, *Deo ante omnia parendum esse.* Scribit enim: *Urgent me causæ inevitabiles, Deus cogit & vocat. Hic nulli creaturæ tergiversandum est; age, fiat igitur in nomine Jesu Christi, qui est Dominus mortis & vitæ.* Et postea: *Non solum Celsitudinis Vestræ vel offensionem vel benevolentiam, sed etiam totius mundi vel odium vel furores tantæ Ecclesiæ necessitati posthabenda duxi.* Et in fine: *Celsitudo Vestra Dominus quidem est mei corpusculi & fortunularum, Christus vero etiam animarum, ad quas me misit, & ad quarum vitam me exsuscitavit.* Fiducia vero bonæ causæ ita inter alia loqui eum fecit: *Ego firmissime persuasum habeo, meum verbum seu initium mei Evangelii non a me sed a Deo profectum esse. Nec ullum genus mortis aut persecutionis, Deo juvante, hoc mihi excutiet aut diversum docebit. Et videor mihi recte divinare, nullis terroribus aut sævitia hanc lucem aboleri posse.* Annuit tunc & huc usque huic divinationi & his votis Deus, & si per peccata nostra liceat, etiam imposterum annuet.

(6) *De tumultu Carolostadiano.*

Cæterum de tumultu Carolostadiano, etsi multa dici possent, neglecta aut ignorata Maimburgio, cum tamen tot alia & meliora dicenda restent, multa prætermittenda sunt. In literis Schurfii d. 9. Mart. scriptis *dicto Tomo II. Alt. f. 94.* inter alia refertur, sublata a Carolostadio confessione & facta Sacerdotum expulsione in locum quinque aut decem Missarum in templo oppidano habitarum, uno die plus centum per tumultum confluentis plebis, neglectis omnibus ceremoniis, successisse.

(7) *Conciones Lutheri contra Carolostadium.*

Conciones autem, quas adversus abusus Lutherus diebus septem continuis habuit, nempe a Dominica Invocavit d. 9. Mart. ad 15. Mart. extant *dicto Tom. II. f. 99. & seqq.* Has non video, cur *terribiliter detonatas esse* Maimburgius dicat. Sed de iis paulo post agetur. De matrimonio Clericorum, quod hic iterum tangit noster, plus satis supra dictum est.

(8) *De nuptiis Carolostadii.*

Carolostadii nuptias Lutherus, dum in arce esset, intellexerat, & in literis d. 14. Jan. ad Amsdorffium datis mire sibi placere scripserat, addito voto: *Confortet eum Deus in bonum exemplum inhibendæ & minuendæ Papisticæ libidinis, Amen.*

ADDITIO.

(a) *Carolostadii nuptiæ & literæ ad Electorem.*

Literæ *Carolostadii* MS. d. 6. Jan. 1522. extant in *Archivo* Vinariensi (*Reg. N. fol. III. lit. H. n. 44.*) ad *Fridericum*, in quibus significat, se cum honesta virgine (der erbarn/ quod tunc Nobilitatis epitheton erat,) *Anna Mochavia* sponsalia pactum, & nuptias d. 14. Jan. celebraturum esse, petitque, ut Elector clementem se exhibeat: (E. Churf. Gnaden wollen sich in gnaden allhier

An. 1522.

allhier erzeigen/) rationes facti allegat, quod ex Scriptura sacra observaverit, *nullum statum Deo magis placere, aut majori benedictione ornatum esse, nec Christianæ libertati magis convenire quam conjugalem, si in eo divine vivatur;* (wenn er göttlich gelebet würde:) *Deum quoque olim sacerdotes suos ad matrimonium vocasse, & regulam vitæ præscripsisse; velle se exemplo aliis præire, qui ut oves balantes & deceptæ in Satanæ captivitate hactenus detenti vixerint; amicorum etiam consilio usum esse.* Non invenio, an & quid Elector responderit; potius est, ut siluisse credam, idque dissimulationi ejus magis conveniebat.

SECT. 49.

(1) Lutherus increpat Carolostadium.

Scripserat quidem contra Missam Lutherus, nec a nuptiis abhorrebat, ut non multo post apparuit; sed quoniam sciret, Ducem, patronum suum, nolle quidquam in externis immutari, ipse vero Missam alia prorsus quam Catholica forma introducere vellet, non tamen omnia, licet in se bona, sine ordine tractari debere dixit, sed scandala vitanda esse. Ideo palam acriter inculpato Archidiacono, ita ut ob fractas imagines hæreticum & Iconoclastem nominaret, permissas esse imagines docuit, exceptis iis, quibus Deitas effingeretur, immo utile esse eas haberi, præsertim Jesu Christi. Certe in Lutheri operibus, tribus post mortem ejus annis Wittenbergæ vulgatis, præmissa imago Christi crucifixi conspicitur, ad cujus unum latus Dux, ad alterum Lutherus, flexis genibus orantes repræsentantur. Hanc publicam correctionem miser iste Archidiaconus ferre debuit, ægre licet; neque tamen ab aliis excessibus abstinere potuit. Cum enim quod Deus Adamo dixerat: In sudore vultus tui vesceris pane tuo; *pro præcepto, quo omnes homines obligarentur, haberet, terram fodere cœpit, & Melanchthon a stulto illo se induci passus est, ut operam suam pistori locaret; ita ut Lutherus vix multo negotio ab his ineptiis illos revocare posset. Sed aliæ perniciosiores sequebantur. Nolebant enim, ut aliud quidquam quam sacra Scriptura in Academia prælegeretur: ita literarum studia Wittenbergæ interrupta fuissent, nisi Lutherus autoritatem suam interposuisset, quamvis continua vituperatione Philosophiæ & doctrinæ Scholasticæ causam errori dedisset. Manifestum vero dissidium tandem erupit, cum infelix novam contra Lutherum sectam constituturus realitatem corporis & sanguinis Jesu Christi in sacra Eucharistiæ Sacramento negare cœpit.*

(2) Imaginum cultum retinet judicio Maimburgii.

(3) Carolostadii excessus & errores.

Staphyl. l. de Luth. Erasm. Alberus contr. Carolostad. Flor. de Ræm. Lib. 1. c. 15.

Carolost. dialog. de Cœn. contra Luth.

§. CXXI.

(1) Contenta concionum Lutheri contra Carolostadium.

Non invenio increpationes illas in concionibus Lutheri, quas hic refert Maimburgius: sed pro magno illo, quem ex tumultu se absente & contemto facto ceperat, dolore, modeste locutum esse judicabunt, qui conciones legent. Breves illæ sunt, & quatuor tantum priores Latine versæ habentur *Tomo VII. Lat. Witt. f. 273. & seqq.* In *prima* placide insinuat auditoribus, qua charitate infirmi tractandi sint; & adversus hanc peccatum esse præcipitantia & violentia; neque se, licet primus per Dei gratiam verbum divinum iis annunciaverit, si præsens fuisset, approbaturum, quæ egerint, fuisse; Missas tamen solitarias ob abusum notorium abrogatas sinere. Concione *secunda* neminem ad fidem vel cultum cogi debere rationibus firmat, & suo exemplo, qui (ut est in textu Latino *dicto Tomo VII. f. 275. b.*) Wormatiæ tumultum excitare potuisset, ut nec ipsi Cæsari tuto illic agere licuisset. Concione *tertia* inter alia de sacris imaginibus ita loquitur, ut propter ingentem abusum mallet nullas esse; tolerari tamen posse absque adoratione, immo nec eas, quæ adorantur, vi tollere consultum fuisse, sed sufficere, si abusus publice demonstretur. Idem *quarta* persequitur concione, neque tamen imagines utiles esse docet, ut hic refert Maimburgius, sed indifferentes, si cultus absit; scilicet neque bonas neque malas. In eadem, de usu abusuque jejuniorum sive abstinentiæ a carnibus tractat, & liberam relinquit. *Quinta* improbat, quod pro necessario habere voluerint, panem & vinum in sacra Cœna non ore a porrigente sacerdote, sed manibus prehensa accipere: etsi enim ritus iste liber sit, sine scandalo tamen mutari non potuisse. *Sexta* promiscuum accessum seu concursum ad sacram Cœnam reprehendit, & piam requirit præparationem, ante omnia vero fidem, sine qua salutaris non sit usus. *Septima* denique confessionis Sacerdoti faciendæ utilitatem commendat. In his omnibus nihil jubet, aut terrore vel minis exigit, aut præcipit, sed adductis rationibus, monens precansque suadet. De communione sub utraque ita statuit, ut, etsi illam præferat, noluerit tamen vi introducere, sed argumentis propositis cœtum ad illam invitare, & interea ferre, qui unam speciem sumere voluissent. Taxatur hic ex Reformatorum parte ab *Abrah. Sculteto*, quod in epistola ad Priorem Augustinianorum Islebiensem, Casparum Guttelium, Dom. Lætare (d. 30. Mart.) scripta inter res nihili communionem sub utraque retulerit. Verba literarum hæc sunt *Lib. II, p. 56. Ego Carolostadium offendi, quod ordinationes suas cassavi, licet doctrinam non damnarim, nisi quod displicet, in solis ceremoniis & externis faciebus laborasse eum, neglecta interim vera doctrina christiana, hoc est, fide & charitate. Nam sua inepta docendi ratione eo populum perduxerat, ut sese Christianum arbitraretur, per has res nihili, si utraque specie communicaret, si tangeret, si non confiteretur, si imagines frangeret. En malitiam Satanæ, ut per novam speciem molitus est erigere se ad ruinam Evangelii. Nam hæc ego quæsieram hactenus, ut conscientiæ ab istis contrariis faciebus liberarentur, & res ipsa per sese rueret communi consensu. At ille cupiebat fieri subito novus magister, & suas ordinationes in populo pressa autoritate mea erigere. Non sic impii, non sic, sed soli Deo gloria.* Spero tamen æquas mentes facile judicaturas, Lutherum id modo reprehendere, ejusque verba eo pertinere, quod res sanctæ profanentur & in nihilum reducantur, si externa tantum specie, non ex conscientia fidei fiant. Alia etiam suggillatio ex postremis istis verbis, cum ad solum Deum gloriam refert,

(2) Epistola ejus ad Guttelium de Sacramento.

(3) Defenditur a reprehensione.

An. 1522. fert, repellitur, qua quidam zelum Lutheri ambitioni & æmulationi tribuunt. Nec justior est censura, cui inter alios *Erasmus* adversus Lutherum non semel indulget, quasi bonarum literarum studia sub Lutheranismo interitura sint. Quicquid enim in eam sententiam Carolostadius tumultuarie & fanatice dixerat aut egerat, Luthero invisum ingratissimumque fuit. Neque justa, qua usus est, vituperatio abusus Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ reprehensionem, sed potius laudem meretur. Ea sane effectum est, ut, vel ipsorum adversariorum testimonio, longe alia Philosophici & Theologici studii facies posthac apparuerit in toto Christiano orbe. De Maimburgii relatione, cum narrat, imaginem Christi Tomis Lutheri præfixam esse, cui ille & Elector positis assistant genibus, notandum est, nihil inde de necessitate aut cultu imaginum concludi posse; nec aliam Electori aut Luthero sententiam pictura illa Typographorum studio facta tribui, quam qualem illi viventes publice professi sunt. Eriguntur multoties in templis & cœmeteriis Lutheranorum ejusmodi statuæ & picturæ, neque tamen per eas aliud indicatur, quam defunctos pia & devota mente Christum coluisse. Nam viventium nemo ad imagines se prosternit, licet non raro publice privatimque orantes in genua provolvantur, & statuæ in templis aliquibus supersint.

(4) Item ab imputato imaginum cultu.

ADDITIO I.

(a) Lutheri epistola de Sacramento.

In causa sacramentaria in eundem prope sensum Lutherus Johanni Friderico Sax. Duci scripserat *d. 18. Martii*: exemplum conservavit in compilatione *MS.* epistolarum *Spalatinus*. Verba ex Germanico versa hæc fere sunt. *De communione sub utraque & de Sacramenti prehensatione quæ manu fit, ita scripsi, ut docuerim informandas esse conscientias de libertate sua, & rumpenda vincula Papatus. Sine dubio enim liberum reliquit Deus, an manibus vel alio modo Sacramentum tangamus, ita ut lege constringere ista nullo modo fas sit. Quia vero in vulgus hoc nondum notum est, per charitatem accommodare nos simplicium captui debemus; nullum enim periculum in mora est, & expectari potest, donec libertatem suam intelligant, interim scandalum infirmis conscientiis nostra libertate dandum non est. Non ideo sumus Christiani, quia Sacramentum tangimus vel non tangimus, sed quatenus fidem & charitatem habemus. Libertas servanda est in conscientia & publice prædicanda; sed ferenda erunt infirmorum conscientia, donec & ipsi intelligentiores fiant. Hic errarunt VVittenbergenses mei. Recte docuerunt, sed non recte usi sunt doctrina; arte divites fuere, charitate pauperes,* die Kunst ist reich bey ihnen/ aber die Liebe bettelt bey ihnen. *Idem servandum est circa esum carnium & alia hujusmodi. Scriptum est, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. In rebus liberis oculus intendi debet ad proximi infirmitatem; multa proponenda sunt, ut liberentur conscientiæ, sed non sunt obruendæ antequam libertatem adeptæ sequi docentem possint. Celsitudini tuæ utique licet utraque specie frui, idque optime fieret. Sed si idem non agnoscant & intelligant qui adsunt, cedendum est infirmæ eorum conscientiæ, quia nostro robori nihil decedit. Ita scripsit D. Paulus Rom. XIV. I. Cor. IIX.*

(b) Epicrisis.

Hæc quæ Lutherus ad quæsitum Principis respondit, videri possent, ac si non tantum apprehensionem, quæ manu fieret, sed & communionem ipsam sub una vel utraque specie sumendam pro ritu & ceremonia libera habuisset; sed postmodum mentem suam explicavit, ut tantum ad tempus & donec homines veteri errore liberati, divinam ordinationem solide intelligerent, ista tolerantia utendum esse statuerit. Quodsi illo anno nondum omnia plene & perfecte comprehendere potuit, nil aliud inde colligi potest, quam quod, ut sæpe monuimus, per gradus profecerit.

Id minus mirari aut sugillare debebant, qui constitutionibus suis per tot secula clerum & populum ita constrinxerant, ut Sacramenta non ex sacrarum literarum præscripto sed ex ritualibus æstimarent. Quemadmodum igitur apparatum illum sacrificatorium & missas solitarias, ita & elementa ipsa seu species externas in Sacramento, ecclesiastici juris & statuti esse, & pro arbitrio mutari posse haud difficulter credebant. Ita excusari deberet Lutherus, si persuasionem illam, qua totus pene orbis Christianus captus erat, non protinus abjicere potuerit, aut in ejus tolerantiam ad tempus pronus fuerit. An. 1522.

ADDITIO II.

(a) Carolostadii varii excessus.

Inter excessus Carolostadii haud minimus erat stultus zelus adversus literarum studia, & nimia infimæ plebis prensatio. Cursitabat enim per cerdonum tabernas & de intellectu sacræ Scripturæ eos consulebat, simplicitatem vero suam opponentibus objiciebat dictum Christi *Matth. XI. 25.* de abscondita a sapientibus mysteriorum cognitione & revelata parvulis. Concessit etiam in pagum oppido vicinum *Segrenam*, & rusticis laboribus sese occupavit, neque doctoris aut alio honoris vocabulo compellari amplius volebat, sed vocari more plebejo *vicinus*, & suo nomine Nachbar Andreas. Studiosis nihil opus esse literatura dicebat, & opificia præferenda esse: quo facto magna juventutis pars dilapsa est, & solitudo VVittenbergæ facta: schola etiam puerorum deserta & in officinam pistoriam conversa. In judiciis, neglectis legibus humanis, secundum Mosaicas pronunciandum esse urgebat. Hæc & alia nostri tradunt autores, inter alios *Frimelius* Diaconus VVittenbergensis edita anno 1646. *historia oppidana, de motibus Carolostadii & Sacramentariorum pag. 6.* Cætera quæ Maimburgius de Melanchthone addidit, ex apostata *Staphylo*, & *Ræmondo* hausta, carent fundamento: illud præsertim quod scribit Melanchthonem Carolostadii dogmate commotum neglectis studiis in officina pistoris laborasse. Species calumniæ inde orta, quod alius quidam *Philippus* Rhetoricam VVittenbergæ docens eo vesaniæ venerit. Vide *Selneccer. d. l. pag. 116.* Suffecerunt interim Carolostadii fanatici motus ad pessimam famam Evangelicæ doctrinæ conciendam, cum Lutheri & Enthusiastarum dogmata & actiones non distinguerentur ab adversariis, aut a malignis censoribus, qualis erat *Erasmus*; qui ut ex Epistolis eo tempore, aut non multo post scriptis patet, & alibi jam monitum est, non solum in mores tumultuantium invectus est, sed & vane metuit, aut id metuere videri voluit, Lutheri doctrina futurum, ut bonæ literæ penitus interirent. Idem tamen magis serio (ut opinor) loquens imputavit Pseudomonachis, de quibus ad Doctorem Sorbonicum *Lib. XIII. ep. 71.* queritur, eosque id agere dicit, ut cum Luthero linguas ac bonas literas obruant. Sed nescio an de progressu literaturæ gratulari magis Christiano orbi, an de nimio ejus amore & abusu veræ & simplici pietati Christianæ noxio, conqueri debeamus. Adeo difficile est auream mediocritatem tueri, & vitare extrema.

(b) Negatur, Melanchthonem pistori operam suam locasse.

(c) De Carolostadii odio adversus literarum humaniorum studium.

(d) Annotatio ad Banagium & verba quædam Maimburgii.

Edidit nuper vir doctissimus *Banagius* amplissimum opus Gallicum, quod *historiam de religione Ecclesiarum Reformat.* inscripsit, *Bossueti variationibus Eccles. Protestant.* oppositum. In hoc *Lib. IV. cap. I. §. II.* scribit: *Non ita pridem Maimburgius perniciosam stultitiam vocavit institutum Melanchthonis, ut Sacra Biblia præ Scholasticis & Philosophis docerentur.* Fateor bona fide, me in prima editione libri hujus verba illa Jesuitæ de Melanchthone non intellexisse, locutus enim est plurali numero, & cum Melanchthonis factum (ex falsa quidem relatione) notasset, quod pistori operam locasset, mox addit, Lutherum difficulter illis (quotquot nempe Carolostadium sequebantur) stultitiam, (scilicet ut quilibet opificium aliquod tractaret) eximere potuisse, & secutam esse perniciosiorem aliam, qua nolebant, ut aliud quidquam quam sacra Scriptura in Academia prælegeretur. Verba Maimburgii Gallica hæc sunt. *Lib. I. p. 94.* edit. Paris. 1680. *Luther eût de la peine à leur oster de la teste cette folie, qui fut suivie d' une autre plus pernicieuse; par laquelle*

An. 1522.

quelle ils vouloient qu' on n' enseignast plus que la Bible dans l' Université. Hæc si Maimburgius de Melanchthone intellexit, oppido falsus est; Melanchthon enim ad doctrinam Philosophicam conservandam intentissimus erat; nec repugnabat Lutherus, licet nimium Scholasticæ Theologiæ & Philosophiæ studium moderandum esse contenderet. Censura vero Maimburgii, ut verba ostendunt, eos saltem ferit, qui nihil aliud quam sacram Scripturam in Academiis doceri volunt, hanc opinionem stultam & perniciosam vocat, illam autem, quæ Lutheri haud dubie erat, ut cum prærogativa, (*preferablement* ut scribit Banagius) id est, majori studio sacra Scriptura quam artes Scholasticæ & Philosophicæ tractaretur, Maimburgius hoc quidem loco non rejicit, quid vero alibi scripserit mihi non liquet.

(e) *Carolostadius improbat gradus Academicos.*

Cæterum inter alios intempestivi zeli impetus Carolostadii etiam hic fuit, quod titulos *doctorum* & *magistrorum* penitus improbaret. Cum enim gradum Doctorum *VVestermanno* & *Godscalco* (ut alibi notabo) ut promotor, quem vocant, contulisset, palam testatus est, se nullum posthac in quemcunque gradum subvecturum esse. Id ex Actis Facultatis adversus *Joh. Hornbeccium*, qui Lutheri id narrantis fidem in dubium vocat, confirmavit nuper *D. Jo. Frid. Majerus* in *notis ad tractatum Selneccerí*, & Lutheri verba Actis illis inscripta adduxit *pag. 136.* Lapsum Carolostadii ex nimia de se opinione ortum esse Selneccerus affirmat, ex ore Philippi audivisse se referens *pag. 205.* erupisse Carolostadium aliquando præ arrogantia in hæc verba: *Non minus cupio magnus esse & magni fieri ac Lutherus est.* Addebat Philippus: *hæc vox æmulationis, invidentiæ & superbiæ fuit.* Cæterum a Munzeriano spiritu etsi excusatum in colloquio Jenensi Carolostadium se habuisse fateatur Lutherus, absolvere tamen illum postea non est ausus, ut patet ex literis ad Argentinenses, & quas ad Amsdorfium anno 1525. scripsit, *Lib. II. p. 251. & 280. b.* Obiter noto, tribui *a Surio*, quem & Gallici scriptores sequuntur, Carolostadio quod primus omnium ex sacerdotum ordine uxorem duxerit; sed falli illos certum est, & in commentario nominavi, qui primus fuerit.

(f) *Alia quædam de ejus lapsu.*

Cæterum prævidisse Lutherum multa quæ moliebatur Carolostadius, ex literis ejus in arce, in qua custodiebatur, scriptis, colligi potest, sed remedium, quia absens erat, & ob violentiam ingenii ejus, invenire non poterat, itaque ad Spalatinum mense Augusto 1521. scribit *Lib. I. epist. 241. sinendum esse, quia cursum suum remorari nolit.* Neque reversus sincere corrigere hominem potuit, licet supplicibus precibus etiam, non solum minis, eum adoriretur. Vide *Lib. II. Epist. p. 60. b.* De Carolostadii turbido & contumaci ingenio jam ante cœptam a Luthero reformationem argumenta habeo ex Actis Vinar. (*Reg. O. fol. 93. Dd & fol. 127. Ee.*) Anno enim 1515. VVolfgangus Princeps Anhaltinus, tunc Academiæ Rector, ad Electorem retulit, Carolostadium a creditore quodam, duodecim florenorum, quos debebat, nomine conventum, a judicio Capituli ad Pontificem appellasse, multasque in judices injurias evomuisse; esse enim hominem rixosum, cujus conversationem omnes fugiant; deinde causatum, ex voto se obligatum esse, ut Romam peregrinaretur, & protinus absque venia discessisse, neque constituisse, qui se absente sacra faceret, aut lectionibus Academicis fungeretur. Elector mense Januario 1516. mandavit Carolostadio, ut mense Junio VVittenbergam rediret, nisi loco suo moveri vellet. Romæ, nescio quo scribæ munere in Cancellaria Pontificis sese sustentavit. Reversus postea Orlamundanam parochiam suo invasit arbitratu, nulloque jure. Reditus quidem Archidiaconatui VVittenbergensi in fundatione Capituli attributi erant, sed ipsa functio Vicario perpetuo, ab Electore nominato, data, aliqua pensione concedi solebat: itaque d. 8. Mart. 1517. Electoris rescripto desistere ab incepto jussus est, cui tamen male paruit, ut ex reliqua ejus historia constat.

(g) *Alia de contumaci Carolostadii ingenio.*

An. 1522.

SECT. 50.

Luth. ep. ad Argent. Melanchth. de Cœna. Histor. August. Sleid. l. 3. & 5. Schlusselburg. de Cæn. Dom. Luth. ep. ad Argent. Cochlæus. Flor. Ræm. l. 2. c. 7.

(1) Maimburgius Lutherum laudat ob sententiam de præsentia reali.

Bona fide laus hæc tribuenda est Luthero, quod nunquam errorem hunc Sacramentariorum ferre potuerit; sicuti nec hodie Lutherani illum in Calvinistis ferunt, quantocunque nisu hi unionem cum iis moliti fuerint. Ingenue etiam profitetur Lutherus, se, ut Papæ ægrius faceret, & multa molestia se liberaret, optasse, ut bona cum conscientia negare præsentiam realem posset; sed quia sacra Scriptura tam perspicua in hoc argumento sit, nullam vidisse se eam negandi rationem, nisi quis manifesta malitia oculos claudere vellet. Itaque tam acriter persecutus est Carolostadium, ut hic discipulus ejus Wittenberga excesserit, & se in oppidum ad Salam fluvium, Orlamundam receperit.

(2) Quæ Carolostadio acciderint.

Ibi multos decepit, qui postea Lutherum, eos ab errore revocaturum, parum abfuit quin obtruncassent. Permotus igitur a Luthero Dux, Carolostadium tota ditione sua exegit. Is Tigurum abiens cum Zuinglio conferre cœpit, qui Lutheranus antea, Sacramentarius factus erat, & semper postea hujus hæreseos autor habitus est. Hæc ad historiam Calvinismi pertinent, quam ad aliud opus differo. Sed Zuinglius, qui gloriam inventa novæ sectæ cum nemine communem habere volebat, Carolostadium postea deseruit; & hic tam inops factus est, ut ad veterem magistrum rediret, & vilissima submissione condonationem & veniam Wittenbergam redeundi impetraret. Verum adeo contemtus ibi, & ab omnibus desertus fuit, ut miser panem rustico labore quærere cogeretur, ligna venum in urbem portans: donec miseria illius & quotidiana insultationis ab iis, quibus antea ut Archidiaconus & Doctor venerationi fuerat, pertæsus, Basileam se conferret, ubi prædicatoris munus adeptus est.

Histor. August.

Hist. de Com. August. Flor. de Ræm. l. 2.

(3) Mors ejus.

Ibi, ut multi Lutherani scriptores asserunt, (quanquam ea narratio suspecta mihi est) a Diabolo demum strangulatus dicitur; qui & concionanti, specie viri immaniter magni apparuerit, dein in domum ejus venerit, eique nunciari jusserit, intra triduum se venturum esse, quo exacto Carolostadius obierit.

(4) Filius ejus ad Rom. Ecclesiam redit.

Quicquid sit, filium reliquit Johannem *patre sapientiorem & feliciorem. Concilio enim Tridentino is se submisit, & Catholicus factus est. Verum hæc multo post evenerunt, conjuncta tamen hic sunt a me, ut uno conspectu exhiberetur, quis exitus fuerit conatus Carolostadiani adversus Lutherum;*

Adversus falso nominatum sta-

(5) Libelli Lutheri a Maimbur-

qui ob victum & penitus oppressum discipulum elatus, ferocior indies multoque imperiosior & insolentior quam antea evasit. Hoc enim tempore seditiosum adversus totum ordinem Ecclesiasticum & inprimis contra Episcopos, quos exterminari volebat, librum publicavit. Fuit etiam

An. 1522. *etiam tanta impudentia, ut Bullæ Pontificiæ* In Cœna Domini, *qua nominatim excommunicatus erat, aliam a se factam opponeret, sub titulo* Bullæ & Reformationis D. Lutheri: *in qua dicit, quod omnes qui vires suas ad diripiendos Episcopatus & Episcoporum potestatem abrogandam impenderent, filii Dei genuini sint futuri; e contrario qui eos defenderent, aut iis obtemperarent, Satanæ sint ministri. Horrendum vero maxime, quod impietatem tam apertam multis sacræ Scripturæ dictis probare nititur, quam summo studio plurimis in locis corrupit, & promiscue omnium hominum manibus insinuavit, ut doctrinam ejus purum putum Dei verbum esse crederent.*

gio vitupe-rati.

An. 1522. *tum Ecclesiasticorum tom. 2.*

§. CXXII.

(1) Notantur quadam ad Maimburgii dicta.

De controversia circa præsentiam realem alibi, ut jam innui, convenientior dicendi locus erit: illa enim hoc tempore nondum eruperat, neque Lutherus manifeste doctrinam Carolostadii sed importunitatem taxavit. Laus, qua hic ob assertam præsentiam Lutherum donat Maimburgius, quo tendat, facile conjicitur. Quod vero Zuinglium Lutheranum fuisse scribit, a Reformatis fere omnibus negatur, asserentibus, illum prius Evangelium docuisse, quam Lutherus docere cœpisset, idque Zuinglius ipse de se prædicat. Distinguendum forte est inter studium legendi & explicandi Evangelium, quod rarum quidem tum temporis, non tamen plane insolitum erat, ut *Erasmi*, & ante eum *Wesselii* exemplum ostendit, & inter apertam oppugnationem superstitionum & abusuum, qua utique Zuinglium anteivit Lutherus, licet ille Evangelii cognitionem haud spernendam prius habuerit, nec celaverit. Cætera de Carolostadio examinanda non sumo, nec defendo, si quid de eo invidiosius scriptum est.

(2) Acta quadam Carolostadii & mors.

Tumultus rustici tempore infeliciter in Franconia vagans, & inter seditiosos delatus, Rotenburgo ad Tuberam vix elapsus est, nec nisi Lutheri opera a criminis intentatione liberatus, & in Saxoniam receptus: ibi de cœna Domini disputationis non assertionis causa scripsisse testatus, suspectum se Zuinglianis partibus fecit. Postea tamen cum ne Lutheri quidem commiserantis interventu invenire conditionem posset, qua se suosque aleret, Basileam anno 1531. pervenit, ubi tunc Lutheri potius quam Zuinglii dogmata, aut utraque, locum habebant; cumque annis decem in templo Petrino & in Schola quoque docuisset, pestis tempore anno 1541. ipso Nativitatis Christi Festo obiit. Famam Diabolicæ apparitionis, qua territus mortem oppetierit, ab *Hesbusio*, qui eo tempore Basileæ non sine autoritate vivebat, sparsam, & pro concione ad populum delatam refutavit *Petrus Boquinus*, Reformatæ sive Helveticæ confessionis in Palatinatu Heidelbergensi primarius administer: ex quo aliisque vitam Carolostadii conscripsit, & inter Theologos Lutheranos (qui tamen eum vehementer detestantur) retulit *Melchior Adami*. Ipse etiam Melanchthon litis & tumultus de cœna Domini autorem illum facit, vocatque *hominem ferum, inconsideratum, indoctum, & suo sensu abundantem*, einen wilden/ unverständigen/ ungelehrten und eigensinnigen Menschen. Sed hæc per anticipationem hic tanguntur, & *Lib. II.* memoranda redibunt. Notandum tamen, quod concio, quæ hic allegatur, non fuerit *Hesbusii*, eo tempore adolescentis, sed *Cunæi* cujusdam, interim tragicus ille exitus, de quo *Boquinus*, licet tunc Basileæ versatus & funus comitatus, nihil se audivisse scribit, ab Ecclesiastis Basileensibus Wittenbergam perscriptus est, ut Lutherus in *ep. MS. ad Amsdorffium*, quæ in *D. Bertrami* scriniis fuit, expresse testatur, addens, *sibi credibile videri, eum non peste sed terrore obiisse, mortem enim misere* (ait) *horrere solebat.*

De insolentia, ferocitate & impudentia Lutheri veteres querelas ex *Cochlæo* hic repetentem Maimburgium patienter feramus.

(3) Angustia Lutheri hoc tempore, ex epistola ad amicos.

In quantis ipse angustiis tunc vixerit, epistola ejus ad Nic. Gerbelium Argentinensem JC. ostendit mense Martio scripta *Lib. II. p. 52.* his verbis: *Furit Satanas, & fremunt vicini undique, nescio quot mortibus & infernis; jam & reipsa mea adeo aula medius fidius turbavit res usque ad desperationem. Vivum ergo coactus sum meipsum in medium Cæsaris & Papæ furorem conjicere, si forte lupum e caula queam ejicere. Itaque jam nullis præsidiis cinctus sum, nisi cælestibus; sed versor in medio hostium, quibus jus est per homines datum me omni hora occidendi. Ego me sic solor, quod scio Christum esse Dominum omnium, cui Pater omnia posuit sub pedibus ejus, haud dubium & Cæsaris iram, & universos Dæmones, qui non sunt de ovibus, quas Pater subjecit Filio. Ita si is volet me occidi, occidat in nomine ejus; si nolet, quis me occidet? Tu tantum cum tuis cura, ut Evangelium juves orationibus. Video enim Satanam id moliri, ut non modo Evangelium extinguatur, sed & tota Germania sanguine proprio inundet. Heu qua monstra ille cogitat, & nisi fallor, nimis certo instant, eo quod non sint, qui se murum ponant adversus Deum pro domo Israel. Tum quod Evangelion regni præ dura nostra ingratitudine habemus in solo sermone, sed non in virtute, & magis inflamur scientia quam ædificamur charitate; ideo dabitur nobis, ut metuo, sicut meremur.* Et eodem die ad Joh. Langum, Erfurtensem Ecclesiastem: *d. l. p. 54. b. Ad vos venire non licet; neque enim Deum tentare fas est, & pericula quærere ultro, cum hic satis periculorum expectandum sit mihi, qui Papali & Imperiali anathemate exclusus, prorsus omnibus sum ad cædem expositus, nullo præsidio tutus, nisi cælesti.*

(4) Tractatus & opinio de Sacramento & communione.

Sed antequam de libris, quorum hic mentio a Maimburgio fit, agatur, tacendum non est, edidisse Lutherum eodem mense Martio tractatum Germanicum *de communione sub utraque & innovationibus aliis* a Carolostadio scilicet factis: qui extat *Tomo II. Altenb. f. 120. & seqq.* In hoc, quæ extemporaneis illis concionibus monuerat, plenius explicat. Sentiebat autem tunc temporis & suadebat, donec ex verbo Dei mentes hominum convincerentur, ut ob præoccupatum per tot secula fere omnem populum observantia & metu Pontificiorum decretorum, communio sub una nondum vi abrogaretur, sed publice adhuc retineretur; qui vero conscientiæ impulsu communionem sub utraque desiderarent, ita admittantur, si id sine scandalo eorum, qui sub una communicant, fieri possit. Sic

etiam

An. 1522.

etiam Missam denique ipsam omissis saltem formulis, quæ ad sacrificium pertinent, &, quem vocant, canone, veteri ritu & Latino sermone, sed cum communione, & prævia libera confessione accedentium, celebrari. Si qui sint Sacerdotes, qui solitarias missas nolint intermittere, tolerari eos, nec vi ab altaribus abigi volebat; imagines etiam non removeri; conjugia denique Sacerdotum & Monachorum libera esse debere. Hæc insolentis & audacis non sunt, sed nimium forte caventis, & ad infirmitatem Principum & populi respicientis.

§. CXXIII.

(1) Lutheri liber adversus Papam & Clerum.

Quacunque autem moderatione ille circa ritum sacræ Cœnæ omnium judicio expositum, uteretur, nullam tamen erga Pontificem & Episcopos, qui doctrinam ejus, Bullarum Papalium autoritate nixi, ubique persequebantur, mediocritatem servandam sibi imposterum esse existimavit, sed edito libello Germanico **wider den falschgenanten geistlichen Stand des Pabsts und der Bischöffe** / *Tom. II. Alt. fol. [illegible] adversus falso nominatum statum Ecclesiasticum Papæ & Episcoporum*, omnia argumenta veluti in aciem eduxit, quibus eos nihil minus quam Christi Apostolos, sed plane damnabiles, & populis damnationis causam præbentes demonstret. In exordio *Ecclesiasten* se nominat, quia Sacerdotis & Doctoris titulis, lubens quidem, per Papæ & Cæsaris Bullas exutus sit, nihilque ex Pontificio charactere reliquum habeat. Quod si etiam *Evangelistæ* titulum sumeret, majori id jure facturum se esse scribit, quam ullus Episcoporum suum titulum probare possit, certumque se esse, a Christo ipso sic nominari, & pro tali haberi, qui doctrinæ suæ magister, & in novissimo die testis futurus sit. Argumenta vero, quibus verum Episcopatum describit, & cui oppositum esse ait illum, quem Episcopi ejus temporis gerebant, ex epistolis Pauli *1. Tim. III. Tit. I. & Petri Ep. II. cap. 2.* depromit, & incredibili libertate vitia Ecclesiasticorum, impudicitiam & luxum, pompas aulicas, ignorantiam Theologiæ & desidiam in docenda plebe, ut & avaritiam depingit, & belle, ut *Cochlæus* loquitur, commemorat, quas per officialium & Procuratorum rapacitates in aulis & consistoriis suis exercebant. Bullam etiam, ad imitationem & retorsionem Pontificiæ, libello huic inseruit, qua veluti ex cathedra definit & edicit ea, quæ Latine vertit Cochlæus:

(2) Verba a Cochlæo non integre relata.

Quicunque opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filii Dei, & veri Christiani; observantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus Diaboli. Aut si hoc non possint, regimen tamen illud saltem condemnant ac vitant. Contra vero, quicunque manutenent Episcoporum regimen, eique obediunt voluntaria obedientia: hi sunt diaboli ministri proprii, & repugnant Dei ordinationi ac legi. Sed debuisset etiam Cochlæus bona fide adscribere explicationem & moderationem, quam Lutherus diserte subjungit *dicto Tom. II. f. 175. a.* in hæc verba: *Devastationem & extinctionem nequaquam intelligi volo, ac si manu ac gladio res agenda esset (neque enim digni hoc sunt labore, neque is expediret) sed secundum doctrinam Danielis c. VIII. 25. sine manu conteretur, ut scilicet omnes per verbum Dei contra illos doceant, & argumententur, donec pudefiant & sponte contemnantur & cadant. Hæc destructio Christiana est, in quam omnis impendi debet opera.* Dein vulnera etiam oleo, ut scribit, fovens, illis Episcopis, qui vitia agnoscant, & de salvanda anima sua solliciti esse velint, consilium dat, *ut, si ipsi præstare id non possint, viros doctos adsciscant, per quos in diœcesi sua Evangelium pure prædicent, nihilque omittant aut vitent, quod Christus faciendum patiendumve Evangelii sui causa statuerit.* Sic Valerium Hipponensem sibi Augustinum substituisse, & in multis Græcæ Ecclesiæ diœcesibus Presbyteros Episcoporum loco, iisque præsentibus, fuisse concionatos.

(3) Consilia de Episcoporum dignitate servanda, & quomodo nobilitati prospiciendum sit.

Quomodo objectionibus respondeat de tumultu, qui metuendus sit, & de damno Principum & Nobilium, quorum filii hoc modo a dignitate & proventu Episcopatuum & Præbendarum excluderentur, aliaque quæ pro cœlibatu & virginitatis voto allegari solent, refutet, tum quod nota sint, tum quod vetera odia nimis renovarent, satius est omitti. Summa est, præferri omnibus aliis considerationibus, utilitatibus & dignitatibus debere salutem animæ, & verbi divini clarissimas dispositiones. Nec abs re sunt, quæ dicit *fol. 182. b. Etiamsi illustrium virorum filii in Clerum, filiæ in monasteria, rei familiaris levandæ causa, assumantur, nihil tamen profici: adesse vindictam divinam clamore sanguinis ob cædem spiritualem animarum veluti profusum, provocatam, qua Principes & Nobilitas depauperentur.* Ait postea: *Cur secundo genitis Principum & Nobilium non aliquid datur, more Israelitarum, ut ad aliorum civium conditionem redigerentur? quis jubet omnes æquali jure bona dividere, omnesque Principes & nobiles manere? futurum brevi prædicit, ut nobiles cum plebejis jungantur, opum scilicet causa.*

(4) Epicrisis de Lutheri & Erasmi scriptis.

Quomodo excepta fuerit tam acris censura, florentibus Episcoporum rebus, quorum plurimi magnorum Principum & illustrissimorum Comitum fratres filiique erant, aut vix ullus, qui non ex Baronum & equestri genere esset, egregiis affinitatibus subnixus, facile judicari potest, mirumque profecto, ut jam sæpe dixi, est, hominem hunc vel unum diem superstitem libertati huic suæ vivere potuisse. Quanta in eum veluti grando conviciorum ceciderit, ipse quidem non dissimulat; quanquam verum est, adversarios ei plerosque rudes & infacetos contigisse, quos ingenio longe superabat. Erasmum inter paucos excipio, qui stylo & politiori literatura potior, eaque elegantia & moderatione affectuum applausum captans, ita scripsit, ut neminem Lutheri causæ magis nocuisse existimem. De hoc ipse quidem Erasmus gloriatur, quanquam exigua ab ecclesia, cui adhærebat, gratia. Nolo repetere, quæ supra notavi, opus fuisse immiti Prælatorum castigatore, ut *Erasmus* ipse non diffitetur, epistola ad Melanchthonem anno 1524 scripta *Lib. XIX. ep. 3.* Nam eventu comprobatum est, quotidieque adhuc comprobatur, quod frustra idem Erasmus speraverit, ut temperata libertate Pontifices & Reges ad hujus negotii (reformationis nempe) consortium pellicerentur. Quod vero in iisdem literis optat Erasmus, *ut Lutherus tam cito posset Pontifices & Principes ad Evangelicæ pietatis studium convertere, quam*

An. 1522. *re, quam in vitia illorum fortiter debacchari*; id profecto ipse Lutherus anxie desideravit, immo cum non succederet, quam plusquam omnia intendebat, vitæ & morum, etiam in illis locis ubi purior doctrina prædicabatur, correctio, nemo vehementius de malo illo questus est. Testis est inter alia epistola ad Joh. Langum, qui tunc monasterio Augustiniano Erfurtensi exierat, supra relata, in qua queritur: *Virtus verbi adhuc latet, vel nimis modica est in omnibus nobis, quod miror valde. Sumus enim iidem, qui antea, duri, insensati, impatientes, temerarii, ebrii, lascivi, contentiosi; summa, symbolum illud & insigne Christianorum charitas nusquam prodit, & fit illud Pauli: regnum Dei habemus in sermone, non in virtute.* De Monachis vero cucullum exuentibus ita loquitur: *Video Monachos nostros multos exire nulla alia causa, quam qua intraverant, hoc est, ventris & libertatis carnalis gratia, per quos Satanas magnum fœtorem in nostri verbi odorem bonum excitabit.* Paulo ante ad Spalatinum d. 27. Maj. scripserat, *in monachos, monasteria deserentes, omnes nummos sibi dilapidandos esse.* Mirum sane non fuit, multos, qui in monasteria temerario consilio ingressi erant, haud meliori egressos, & inique postulatur ab adversariis, ut sancti repente evaderent Luthero concionante, quos per tot annos pessima docuerant, & pravis moribus viventes dissimulaverant. Interim non deerant ex desertoribus illis, qui vere resipiscerent, nec per alios magis doctrina Evangelica in tot regnis & provinciis propagata fuit. De eadem materia anno sequenti 1523. m. Jul. ad Spalatinum hæc scripsit: *Mihi molestissimum est, huc tanto numero volare defectores monachos, & quod magis movet, statim uxores ducere, cum sit genus hominum ad res gerendas ineptissimum. Lib. II. Ep. p. 139. b.* Hanc ingenuitatem viri sancti dissimulare non debui, qua multæ imputationes adversariorum repelli possunt. Si enim fraudulenter versatus esset, suumque tantum commodum, & popularem applausum sequi voluisset, non ea, quam videmus, libertate de abusu doctrinæ questus foret. Fecit igitur quod potuit, quantumque Deus permittebat. Asseruit in libertatem Christianam populos, jugum humanarum traditionum confregit, verbum Dei omnibus, qui audire & legere vellent, obtulit, morum castimoniam gravissimis argumentis ex vero fidei fundamento ursit, plantavit nempe & rigavit, incrementum a Deo expectandum fuit. Neque tamen infructuosus adeo erat labor ejus, ut non insignia pietatis exempla undique conspicerentur, martyrii etiam honore novellas Ecclesias decorante, ut postea memorabimus. Quantumcunque vero vel tunc langueret, vel nunc etiam langueat inter nos pietas, nondum tamen (Deo sit gratia!) habent, quod Germaniæ protestanti se præferant Reformationis osores, omnium vero minime illæ nationes, quæ Lutheranismum ferro & igni arcent, meliorem morum disciplinam jactare possunt.

(5) *Querela Lutheri de moribus cum episcopis.*

§. CXXIV.

(1) *Excerpta ex libello Lutheri de vitanda hominum doctrina.*

Edidit hoc anno Lutherus tractatum Germanicum *de vitanda hominum doctrina*, qui legitur *Tomo II. Alt. fol. 135. & seqq.* in quo allatis & explicatis Scripturæ dictis, præsertim *1. Tim. IV. 1. 7. Coloss. II. 16. 23. 2. Pet. II. 1. 3.* præcepta Pontificum de jejuniis, de cælibatu aliaque impietatis accusat. Veritus interim ne in abusum ista verterentur, in exordio libelli ita loquitur: *Sciant impudica & proterva eorum capita, qui Christianismum jactant, quod ovis & carnibus vescantur, confessione abstineant, imagines confringant, me illis minime scribere. Habeo enim istos pro talibus qui castra Israelitarum contra præceptum Deuter. XXIII. 12. 14. conspurcant & fœdant: toleramus illos, donec a Deo corrigantur. Scribo autem ista miseris, afflictis & quasi captivis conscientiis monachorum & monialium, qui liberari ex vinculis votorum desiderantes dubitant, an id sine peccato fieri possit.* Repetit deinde contenta libelli *de votis monasticis* anno præterito Latine editi, ostenditque, quomodo vita monastica salva fide & conscientia geri possit, & qua ratione ab ea discedere & cælibatui renunciare liceat. Hic (quod multi ex adversariis nulla ratione ei exprobrant) stimulos carnis & pericula pollutionum allegans, nullum alium conscientiæ tranquillandæ modum inveniri posse tradit, quam conjugium: petit autem non solum a lectoribus veniam, quod ista non taceat, sed & improbat affectatam harum rerum dissimulationem, *satius esse* scribens, *ut quæ Spiritus sanctus per Mosen aperte & multis locis ad instruendos homines non celavit, eodem fine, incautæ juventuti non reticeantur; aures,* ait, *volumus puriores habere, quam os Spiritus sancti: pudorem affectamus, ubi illo opus non est: non pudet, ubi pudere nos deberet.* Cum vero conjiciat, sibi talia scribenti ab inimicis objectum iri, ac si ipse libidine vehementer ureretur, *ea se ætate esse* dicit, *ut per Dei gratiam de continuatione cælibis vitæ bene speret, neque tamen tam arrogantem esse, ut castissimis se accensere velit; minime vero illis, qui virginitatem jactent, in occulto tamen faciant, quæ turpe sit dicere Eph. V. 12.* Hæc adversus recentiores ex Gallis, qui hanc Camerinam movent, *Bossuetum, Richardum, Varillasium* & tot alios semel notasse sufficiat.

(2) *Defendit quæ de stimulis carnis liberius scribit.*

(3) *Collisio inter Electorem Sax. & Episcopum Misnens.*

Notanda hic est inter Electorem & Episcopum Misnensem collisio quædam. Cœperat anno 1521. Nam *Nicolaus* Clajus, Pastor Schmiedebergensis, apud Electorem d. 21. Junii questus est, se in periculo esse, ut captivus Stolpenam (ubi Episcopus residebat) abduceretur, & fratrem Episcopi, Trebantiæ in vicinia sibi insidiari. Episcopus vero ad Electorem d. 3. Julii scripsit, Pastorem citatum non comparere, petitque ut sisteretur, salvum conductum si opus sit offerens. Sed Elector d. 28. Julii respondit, ab Episcopo causam ex qua eum citet indicari debere, neque se permissurum esse, ut ex sua ditione Pastores se inscio & invito abducantur. Stolpena enim in Georgii Ducis territorio aut protectione erat. Perstitit in sententia Elector, ut constat ex literis d. 24. Septembris, in quibus improbat, quod Episcopus sine causæ expressione citare Pastorem pergat & mandatarium ejus admittere noluerit, neque tamen repugnaturum se dicit, si quid peccasse convincatur Pastor, quo minus pœna afficiatur. Invenio autem conjugii causa Pastorem suspectum fuisse. Secuta est inde sub initium, ut existimo, anni hujus 1522. epistola illa, quæ *Tomo II. Alt. fol. 133.* extat & diem adscriptum non habet, de tribus tamen Pastoribus agit, nempe *Lochaviensi, Schmiedebergensi* (pro quo mendose *fol. 132.* legitur Sonderberg) *Reg. N. f. 54. n. 8.* & *Dibensi.* De Lochaviensi anno 1522. aliquoties certatum fuit inter Electorem

An. 1522.

rem & Episcopum, nempe a die 7. Februarii usque ad diem 4. Maji. Finis fuit, quod Elector nollet vi contra Pastores, ut Episcopus petebat, agere, neque amplius eam ob causam ab illo interpellari: jubebat eum sua, id est, Ecclesiastica uti potestate. Innotuerat autem Electori ex literis *Joh. Minckwitii* d. 5. Aprilis scriptis, quod Episcopus sæve cum pastoribus ex D. Georgii ditione egisset, & tres tetro carceri inclusisset, quendam etiam necasset. *Reg. N. fol. 56. n. 10.*

SECT. 51.

Ut hac arte Scripturam suo commodo translatam ad dogmata sua confirmanda detorqueret. Epist. Georgii Ducis ad Reg. Angl. apud Cochlæum. Jo. Cochlæus. Hier. Emser.

(1) De versione Bibliorum a Luthero cœpta & vulgata.

Eodem enim tempore in lucem emisit partem Bibliorum *a se translatorum, cui labori magna diligentia incubuit, postquam adversus Ecclesiam Catholicam insurrexit. Nihil enim instituto suo magis proficuum fore judicabat, quam versionem illam, in quam sub specioso prætextu styli, ad genium linguæ patriæ eleganter accommodati, explicationes quasdam subtiles insinuare posset, quibus dogmata sua juvarentur. Sane quemadmodum, ut linguæ istius periti affirmant, Lutherus ejus genium probe intelligens, nunquam elegantius, quam in isto opere scripsit; ita Doctores quidam Germani sapientissimi, qui plus quam linguam suam popularem callebant, asseverant, nihil ea versione magis corruptum, minusque fidele esse, utut elegans & polita sit. * In hac enim, neglecta versione vulgata, ab Ecclesia solenniter recepta & probata, Hebraicum textum male intellectum, aut Græcum sæpe corruptum sequutus est, addens & omittens pro lubitu, quæ dogmatibus suis obstabant vel serviebant. Inprimis affectavit, ut Novum Testamentum perverse interpretaretur, eleganter tamen scriberet, & ita jucundo errorum suorum veneno & populum & nobiliores inficeret; qui rei novitate & elegantia styli permoti, avidissime & magna cum voluptate istam versionem, ut purum Dei verbum legebant, cum tamen hominis esset, a quo decipiebantur. ** Curavit ideo, ut in parva volumina digestum a typographis, qui ei adhærebant, imprimeretur, neque quidquam elegantius & correctius ederetur. Sic infinitus exemplorum numerus excusus est, per totam Germaniam subito divulgatus, ita ut omnes libris his commode uti possent. *** Notas etiam breviusculas margini adjecit, quibus falsus, quem textui attribuebat, sensus stabiliretur. Præmisit quoque præfationem summe artificiosam & malignam, in qua nihil omisit, quo homines ad ardorem legendi libri permoveri possent, in quo dicebat, verum Dei verbum in puritate sua, qualis ante hanc versionem haberi nequiverit, contineri. Neque eventus spem ejus destituit. **** Hæc enim versio Lutheri, quam discipuli ejus ultra modum, tanquam opus absolutissimum, immo ut miraculosum Dei donum per magnum hunc virum Germaniæ collatum, extollebant, tam accepta & familiaris omnibus facta est, ut non solum in Saxonia, sed & in aliis provinciis nemo esset, qui eam non haberet, ***** aut legisse videri vellet. Fœminæ maxime honori id ducebant, & in assidua ejus lectione versabantur. Quædam præcipuæ etiam dignationis, tam obstinate deditæ lectioni Bibliorum illorum erant, ut illam, pariterque doctrinam Lutheri, non tantum adversus alias fœminas, sed & presbyteros, monachos & doctores Catholicos defendere auderent, tanta cum arrogantia & superbia, ut iis tanquam indoctis & invidis insultarent, nec vererentur objicere, quod Hebrææ & Græcæ linguæ ignari Scripturam non intelligerent, verusque intellectus penes solum Lutherum esset.*

(2) Ejus effectus.

§. CXXV.

(1) Lutheri epistola de intentione sua in vertendis Bibliis.

Post impugnatam Pontificum potestatem nihil odiosius Clero Romano præstitit Lutherus, sed nihil populo Christiano acceptabilius & utilius, quam Sacræ Scripturæ in linguam popularem versionem, cujus exemplum mox omnes fere nationes secutæ sunt; quemadmodum & in prima Christianæ religionis plantatione factum esse constat, ut Scriptura, in intelligibilem linguam versa, populis proponeretur. Primam instituti sui mentionem de novo Testamento vertendo, quod sciam, in epistola ad *Langum* Lutherus fecit, *Lib. I. ep. 204.* sed annus mendose adscriptus illi est. Cum enim data dicatur *fer. 4. post Luciæ* (d. 18. Dec.) in eremo (id est, *Wartemburgi*) non potuit scribi anno 1520. cum sequenti demum anno Lutherus in arcem venerit; irrepsit ergo sphalma, ut alia multa, & legi sine dubio debet annus 1521. Deinde mense Januario 1522. ex arce ad *Nicol. Amsdorffium* ita scribit *Lib. II. ep. p. 45. b. Interim Biblia transferam; quanquam onus susceperim supra vires. Video nunc quid sit interpretari, & cur hactenus a* nullo

* *Quis satis narrare queat, quantus turbationum & ruinarum fomes & occasio fuerit ea Novi Testamenti translatio, in qua data opera contra veterem & probatam Ecclesiæ lectionem multa immutavit, multa addidit, & in alienum sensum detorsit.*

** *Mirum in modum multiplicabatur per chalcographos Novum Testamentum Lutheri. Multum promovit novum istud Evangelium chalcographorum & bibliopolarum mens, industria, impensa & opera; nam quicquid pro Luthero erat, quam diligentissime & emendatissime imprimebatur.* Cochlæus.

*** *Multas adjecit in marginibus passim glossas erroneas atque cavillosas, & in præfationibus nihil malignitatis omisit, ut in partes suas traheret lectorem.* Idem *ibid.* Luth. in postil.

**** *Matthes. Conc. 13. de Luth. Flor. de Ræm. lib. 1. cap. 15.*

***** *Ut etiam sutores & mulieres & quilibet idiotæ Novum illud Testamentum, tanquam fontem omnis veritatis, avidissime legerent &c. Ut non solum cum laicis partis Catholicæ, verum etiam cum sacerdotibus & monachis, atque adeo etiam cum Magistris & sacræ theologiæ Doctoribus disputare de fide & evangelio non erubescerent &c. Et quidem procacissime insultantes, ignorantiamque improperantes. Id quod de nobili quadam muliere compertum habetur &c.* Cochlæus.

An. 1522. *nullo sit attentatum, qui profiteretur nomen suum.* (priores enim versiones nomen autorum non memorant) *Vetus vero testamentum non potero attingere, nisi vobis præsentibus & cooperantibus. Denique si qua posset fieri, ut secretum cubile apud vestrum aliquem haberem, mox venirem, & vestro auxilio totum ab initio transferrem, ut fieret translatio digna, quæ Christianis legeretur; spero enim nos meliorem daturos esse, quam habeant Latini, nostra Germanica. Magnum & dignum opus est, in quo nos omnes laboremus, cum sit publicum & publicæ saluti donandum.*

(2) *De labore & cura in illo opere.*

Diligenter incubuerat in ista solitudine sua Lutherus per totam æstatem anni 1521. excolendæ linguæ Hebraicæ & Græcæ, ut versioni, quam meditabatur, parem se præstare posset. Extabant quidem versiones Bibliorum Germanicæ *Norimbergæ* annis *1477. 1483. 1490.* item *Augustæ 1518.* typis publicatæ, sed nullo populi fructu, cui nec legi permittebantur, nec ob styli & typorum horriditatem satisfacere poterant. Incommodis istis remedium quærens Lutherus, & veritati operam dedit, dum quantum poterat sensum Scripturæ genuinum ex textu originali sequebatur, & perspicuitati atque puritati sermonis studebat; formæ etiam librorum prospiciens, ut partiti & minori pretio emendi prodirent. Neque tamen sibi soli in labore hoc fidere voluit, sed cum collegis diligentissime contulit, quæ verterat. Discimus id ex literis ejus post reditum ex arce Dom. Lætare 1522. ad *Spalatinum* datis *Lib. II. p. 55. b. Non solum* (ait) *Johannis Evangelium sed totum Testamentum Novum in Patmo mea verteram; verum omnia nunc elimare cœpimus Philippus & ego, & erit* (*Deo volente*) *dignum opus: sed & tua opera aliquando in vocabulis apte locandis necessaria est, ideo sis paratus, sed sic, ut simplicia, non castrensia nec aulica suppedites. Hic enim liber simplicitate volet illustrari. Et ut ordiar, vide ut gemmarum Apoc. 21. tum nomina, tum colores, & utinam aspectus, nobis ex aula, aut unde potes, ministres.* Impetravit autem gemmas istas & reddidit inspectas, ut ex aliis epistolis illius temporis constat: vide *p. 135. b.* Edidit initio Matthæi Evangelium, postea Marci, & Epistolam ad Romanos, & sic alios Novi Testamenti libros, *Lib. II. p. 50. 78. b. & 92.* ut totum primo prodierit mense Sept. 1522. De secunda igitur editione intelligenda erit epistola ad *Spalatinum MS.* in *Bibl. Jen.* an. 1524. (omisso die data) in qua rogat, ut exemplaria Novi Testamenti a se missa Joh. Friderico Principi tradat. Veteris inde Testamenti translationem incredibili labore & diligentia aggressus est, a Mose incipiens: ita enim ad *Spalatinum* scribit d. 2. Novembr. 1522. *p. 94. Invertendo Veteri Testamento sum modo in Levitico: incredibile est enim, quam me hactenus literæ, negotia, societates & multa alia impediverint. Sed jam statui domi me claudere & festinare, ut ad Januarium Moses sub prælum mittatur. Nam hunc seorsim edemus, deinde historias, ultimo Prophetas. Sic enim partiri & paulatim emittere cogit ratio magnitudinis & pretii librorum.* Mosen vero typographis, qui mense Decembri secundam Novi Testamenti editionem absolverant, dandum esse memorat d. 15. Decembr. in literis ad *Linccium.* Eodem tempore in prolixa ad *Hartmutum Cronebergium*, Equitem, epistola, de proposito illo suo scribit *d. l. p. 107. b. Statui quoque Vetus Testamentum in linguam Germanicam transfundere, quare peropus mihi esse intelligo, fortasse alioqui vana scientiæ persuasione induta mortuus essem. Quem quidem laborem obire debebant hi, qui sibi stulte placentes nihil non scire videntur.*

(3) *Epistola de V. T. versione.*

Laudanda est modestia, qua agnoscit, quam arduum opus aggressus sit, & quæ doctrina & eruditio requiratur ad versionem accuratam; unde consilium sæpe amicos rogavit. Vide epist. ad *Spalatinum* an. 1523. (omisso die) scriptam *p. 137.* in qua loca ex Genesi quædam proponit, & Germanica verba ministrari sibi petit. Aliis literis in animalium nominibus hærens eundem consuluit. *p. 171.* Sub finem anni d. 4. Decembr. ad *Nicol. Hausmannum* scribit, *se alteram Veteris Testamenti partem absolvisse, & jam tertiam aggredi, difficilimam & maximam.* In Hiobo, Martio demum mense 1524. occupatus fuit, multa cum difficultate, de qua apud *Spalatinum*, quasi per jocum, queritur *pag. 183. b.* his verbis: *In transferendo Hiob tantum est nobis negotii, ob styli grandissimi granditatem, ut videatur multo impatientior translationis nostræ esse, quam fuit consolationis amicorum, aut certe perpetuo vult sedere in sterquilinio. Nisi forte id voluit autor libri ejus, ne unquam transferatur: ea res moratur præla in hac tertia parte Bibliorum.* Prophetarum versio non nisi anno 1527. secuta est; ut patet ex epistola ad *Langum* d. 4. Febr. eo anno scripta *p. 328.* & ad *Linccium p. 332.* Versi autem erant etiam Wormatiæ Judæorum ope, non contemnente laborem Luthero, sed Germanismum obscuriorem notante. Absolvit Esaiam anno 1528. dein Danielem, sed in cæteris non nisi anno 1530. ad finem pervenit. Adjutores habuit *Johannem Bugenhagium Pomeranum, Justum Jonam, Philippum Melanchthonem, Matthæum Aurogallum*, aliquando & alios: *Georgius Rorarius* correctoris vicem subiit. Integrum volumen anno 1534. editum fuit, dein 1541. & 1545. recusum, non sine emendationibus, de quibus se moneri lubenter ferebat, immo amicos, ut id facerent, rogabat.

§. CXXVI.

(1) *Refellitur Maimburgii calumnia.*

Hæc quanquam ad sequentes annos pertinent, conjungenda esse duxi. Jam Maimburgii maligna quædam judicia breviter refellemus. Quis illi, & quos habet, autoribus credat, Lutherum ideo vertisse Scripturas, ut explicationes subtiles insinuare posset, quibus dogmata sua juvarentur? Si enim annotatiunculas illas, quas glossas vocant, intelligit, & paucæ istæ sunt & breves, & quod maxime notandum, ex fortuitis sermonibus, cum versiones in consessu cum collegis relegerentur, a *Rorario*, paulo ante nominato, exceptæ, ut *Matthesius*, scriptor vitæ Lutheri, *Conc. XII. pag. 160.* tradidit. Quid opus erat hoc ignobili artificio, cum dogmata, quæ controversa erant, tot tractatibus non Latina solum sed & Germanica lingua editis stabiliisset, dein antequam tota versio absolveretur anno 1530. publica Procerum quorundam Germaniæ confessione asserta & in omnium manibus essent? Frustra quoque ad Doctores provocat Maimburgius, plus quam linguam patriam callentes (quasi scilicet Lutherus nullam aliam callnerit) qui de corruptione textus & infidelitate versio-

te versionis attestentur. Nimium quantum mentem denudant, quibuscunque hæc versio sudes adhuc in oculis est; qua nihil salutarius Germaniæ, & vicinis nationibus, quæ ex ista suas translationes elaborarent, post barbaram ignorantiam, tot seculis sive per incuriam sive invidiam Cleri invectam, contigisse certum est. Scio regeri, hæreses natas aut multiplicatas esse, propalato in vulgus sacro codice. Quasi tam ardua res esset Latinam versionem legere, aut quasi non ex hac quoque hæreses oriri possent, quales quidem ma no numero extiterunt antequam promiscuæ versiones in linguas populares fierent. Itaque querela ista non tam ad præcavendas hæreses instituitur, quam id indicat, metuisse Clerum, ne populus ex ruditate illa sua eluctans, majorem eruditionem melioresque mores a pastoribus desideraret. Quapropter Lutherus licet populo valde probasset studium suum, non majorem tamen apud proceres Ecclesiasticos gratiam retulit, quam Romanus ille scriba apud Patricios, cum legum civilium arcana plebi prodidisset. Quis vero sapientiam hanc præposteram miseros homines docuit, cum Deus ipse de Veteri Testamento Judæis populariter legendo, dum & obscuriora & nondum impleta essent, quæ de Christo promittebantur, præcepisset, ut jam adimpletis omnibus & in clarissimam lucem productis, secreta & abscondita Christianis esse Scripturarum monumenta curarent, & non nisi a Sacerdotibus, quatenus, quando, & quo sensu vellent, docenda? Præviderat utique Deus fore, ut quædam a legentibus non intelligerentur, quædam in abusum verterentur: præviderat idem sectas Judaicas, ex lectione promiscua & diversitate interpretationum orituras. Anne consultoribus his Deo opus erat, qui Bibliorum lectionem supprimerent, aut magna cum cautione dispensarent, ne hæreses orirentur? quis jus dedit Clero, ut has non solum ferro & igne, sed & sublata lectione sacrarum literarum extinguerent? nonne idem hoc est, ac cibo hominibus interdicere, quia aliqui, plus justo vorantes, in morbos incidunt? Intererat scilicet Cleri potentiæ & utilitatis, ut omnes potius in extrema religionis ignorantia versarentur, nec nisi ab ore aut nutu sacerdotum (utinam piorum & doctorum!) penderent, quam ut populus eorum placita ex regula verbi divini metiretur, erroresque notaret & reformari, ubi opus est, urgeret. At rei Christianæ intererat, ut neminem mysteria regni Dei laterent, utque veri fideles & Christiani ex verbo Dei per Spiritus sancti operationem in dogmatibus & moribus salubriter erudirentur, licet plurimi vel ignorantia vel erronea interpretatione ab hoc scopo dilabi, & schismata atque hæreses fieri possent. Immortales itaque laudes Luthero debet Germania, quam si nihil aliud unquam ei præstitisset, vel hoc uno translationis Bibliorum labore, tanto beneficio affecit, quale nullum per omnia retro secula post cœptam Evangelii prædicationem illi contigit, aut in posterum sperari potest. Non imminuent hanc laudem impudentes calumniæ *Cochlæi, Emseri*, aliorumque quos sequitur *Maimburgius*, de corruptione, omissione, insertione. Nihil huc usque demonstratum est, quod tantis conviciis dignum sit: immo vix ulla erit versio, quæ minus reprehendi possit, quæque elegantia & perspicuitate illam vincat. Periculum faciat aliquis vel mediocriter Hebraicæ & Græcæ, ut & Germanicæ linguæ peritus, & conferat cum textu originali Vulgatam aliasque versiones, deinde etiam hanc quam Lutherus elaboravit, & judicet in qua commodiorem & clariorem interpretationem deprehendere possit. Omittantur vero licet omnia loca, quæ adversarii sugillant, vel ex Vulgata, quam ipsi authenticam vocant, Latina substituantur, nihil tamen veritati dogmatum ad salutem necessariorum, quæ Lutherus proposuit, decedet. At erepta Christianis, linguæ Latinæ ignaris, Bibliorum lectione, aufertur id, quod religionis quasi alimentum est, & quo nihil pretiosius dari potest. Vanus est Maimburgius, cum hominis non Dei verba suggesta esse populis a Luthero nugatur, nisi de Latina, omnibusque versionibus, immo de Evangelistarum & Apostolorum scriptis, quæ non Syriaca Christi verba, sed Græca proponunt, idem statuere velit. Christi pastoris vocem oves agnoscunt. Sint quædam in Lutheri versione, quæ emendationem admittant, (quis enim hoc negat, aut infallibilem eam facit?) at sunt in Latina tanto numero, ut post tot doctissimorum virorum labores, & tot Pontificum decreta plurima nondum expurgata sint, quæ expurgari & corrigi debent, ut ipsi sinceriores scriptores ex Romanis inficiari nequeunt. Interim tot tamque variis Scripturæ locis divina sese exeruit sapientia & bonitas, & tam fructuosa est diversitas linguarum, ex dono Spiritus sancti interpretationi accommodata, ut neminem via salutis latere posit, qui implorato sancti Spiritus auxilio ad lectionem versionum accedet, si originarios libros non intelligat. At male habet censores, quod fœminæ etiam ea utuntur. Sed quis dimidiam generis humani partem, ratione præditam & Ecclesiæ membra, ab hac felicitate excludat? Non est in Christo masculus neque fœmina, nec minoris interest fœminas pie sapere, a quibus mares prima rudimenta ut vitæ, ita educationis accipiunt, immo major fere in primitiva illa Ecclesia fœminarum quam virorum in Christianismo laus fuit. Quid non de Sanctis suis ex hoc sexu recentioribus prædicat Roma? ex quibus etiam scriptis inclaruerant & magistræ virorum sunt Brigitta, Catharina Senensis, Teresia, aliæ. Inter fœminas vero, quæ sub initium reformationis & Bibliorum Germanicorum versione ita profecerunt, ut Doctores Pontificiarum partium refutare ausæ fuerint, *Cochlæus p. 55.* quem hic exscripsit Maimburgius, unam nominat *Argulam*, eamque laudat Lutherus non una epistola *Lib. II. p. 181. 235. b. 244.* Extant hujus literæ ad Bavariæ Duces, & ad alios Magistratus Christianos, tum ad Ingolstadiensem Academiam anno sequenti 1523. Dietfurti datæ, quibus *Arsatium Seehoferum* Monacensem, quem Ingolstadienses ob Lutheranismum vexaverant, defendit; se vero audiri petit, ex sacra Scriptura disputaturam; *Christum enim*, ait, *non puduisse cum Maria Magdalena, & cum muliercula Samaritana de religione colloqui, nec Hieronymum, ut fœminis plurimis scriberet. Si Lutheri versionem suspectam haberent, esse vetustiores; nullum tamen ipso melius Germanice scripsisse*, quapropter ei remunerationem pro versis Bibliis a Deo precatur

(2) Præpostera hominum sapientia in præcavendis erroribus.

(3) Utilitas versionis Lutheri.

(4) Defensio ejus contra adversariorum insultus.

(5) Defectus versionis excusantur.

(6) Lectio Biblica etiam fœminis permittenda.

(7) De Argula Staufsia.

An. 1522. precatur largissimam. *Se vero non Lutheri, sed Dei verbo niti* asserit, *nec ab hoc recessuram, etsi Lutherus sententiam mutaret.* Qua ingenua professione eliditur, quod hic cavillatur noster, ac si intellectum Scripturæ penes solum Lutherum stare credidissent, qui tunc Evangelii doctrinam amplectebantur. Nata fuit ista matrona ex illustri inter Bavaros *Stauffiorum* familia, nupta in *Grumbachiam*, non minus olim in Franconia celebrem, & nuper extinctam.

ADDITIO.

Elogium versioni Lutheri a Georgio Anhaltino datum.

Ex infinito eorum numero, qui laudes & grates Luthero persolverunt, ex Germanis unum saltem, sed Illustrissimum sanguine & merito testem adducam, *Georgium Principem Anhaltinum*, Præpositum Magdeburgensem, & postea Administratorem Mersburgensem, cujus verba Germanica ex *concione II. de fals. Proph.* anno 1550. Martisburgi habita, quæ extat *fol.114. Opp. Germ. Georgii* anno 1577 excusorum, retulit *D. Jo. Christfried Sagittarius* in *appendice Tom. IX. Alt. f.1578.* Sensus hic est: *Quis eloqui potest ingentem utilitatem & beneficii divini magnitudinem, quod tota Biblia V. & N. Testamenti per Reverendum D. Mart. Lutherum, & alios quos adhibuit, ex fontibus Hebraicis & Græcis per singularem gratiam & donum Spiritus sancti tam pure, clare & perspicue translata sunt, ut David etiam aliique sancti Prophetæ tam liquide, quoad verba & sensum, loquantur, ac si in lingua nostra patria nati & educati essent. Iidem tamen in aliis interpretationibus tam obscuri & parum intelligibiles fuerunt, ut omnes Doctores veteres vehementer de eo questi sint, & ideo tot tantosque commentarios conscripserunt. Certe S. Hieronymus & Augustinus, si viverent, summe extollerent hanc versionem, & ex ea profectum & gaudium caperent, testaturi, nunquam S. Biblia in ullam linguam tam sincere & accurate, ut in hac translatione versa fuisse. Quanquam enim magna fuit gratia Dei, quod Biblia a LXX interpretibus in Græcam linguam (qua versione etiam Apostoli usi sunt) traducta, posteaque ab Hieronymo aliisque Latine versa fuerint, idque beneficium grata mente agnoscendum sit, Hieronymus tamen in quibusdam præfationibus, libris Biblicis præfixis, ut & in aliis commentariis scriptisque suis passim multos indicat defectus & loca obscurata, & inde ad fontes Hebræos lectorem remittit. Augustinus vero, quia Hebraicæ linguæ ignarus erat, sæpe in textu offendit, aut bonum quidem sensum, sed alieno loco attulit. Manifestum ejus rei exemplum est in præfatione Ps. XXXIII. (ut Latini numerant) & in scriptis inter se & Hieronymum, tum ex ipsius confessione in libris retractationum. Jam vero testantur viri docti plurimi, ex translatione hac D. Martini tantum intellectus hauriri posse, quantum ex omnibus aliorum commentariis, quantacunque sint mole; idque res ipsa confirmat. Neque tamen sperni debet piorum illorum virorum labor & diligentia, qui sæpe pias bonasque habuerunt considerationes, sed has non recipiunt adversarii nostri, verum loca sectantur, in quibus illi errarunt & impegerunt; ea pro catholica patrum doctrina venditant & Evangelio opponunt. Omnes qui Christiana sunt mente, neque invidiæ felle infecti, singularem & summam Dei gratiam, (illi enim opus hoc tribui debet) D. Martino in hac translatione collatam agnoscent, licet aliqui, cum fatuo in fabula Æsopica gallo, gemmam hanc spernant, aut cum Epicuri porcis lutum aromatibus præferant, alii vero laborem hunc reprehendere & corrigere, suamque translationem substituere ausi sint. Ex illa, si verba Lutheri, quibus illis prævit, demantur, graculo similes forent, qui alienis plumis sese ornaverat: quod vero ipsi addiderunt, crepat ut cortex (klingt wie Pass) absonum nempe & absurdum est. Miranda itaque est in iis amarulenti animi pertinacia, quod, licet Lutheri Bibliis carere nequeant, & absque illis in vanum sudarent, & pessime starent; non verentur tamen diris & atrocibus criminationibus illa incessere.* An. 1522.

SECT. 52.

(1) De Hieron. Emseri animadversionibus in Biblia a Luthero versa.

Interim eruditi viri reperti sunt, qui monstrabant, * *infidam & perniciosam esse hanc versionem; inter quos ante omnes insigne nomen adeptus est, sed & implacabile odium & persecutionem adversæ partis incurrit,* Hieronymus Emserus, *vir egregius & sapiens, atque in scientiis divinis & humanis versatissimus, Doctor Lipsiensis, & Consiliarius Georgii Ducis Saxoniæ, qui Electoris patruelis erat. Pulchris istis donis naturalibus & acquisitis magnum religionis zelum junxerat, & inter primos erat, qui nascenti hæresi Lutheri se opponeret; illius vestigia semper premens, omnique occasione eum impugnans.* ** *Irritavit hoc immanem in modum Lutherum, quod eum perpetuo adversarium haberet, neque fuit, contra quem tot libellos scripserit, aut quem tantis convitiis cumulaverit. Hic erat ille vir Dei, qui spretis importunitatibus & injuriis Lutheri & ejus sectatorum, præclare se de re Christiana mereri credebat, si furori factionis Lutheranæ (ut futurum esse facile conjiciebat) se exponeret. Primus itaque omnium publice privatimque, scripto & voce horrendas corruptiones Novi Testamenti detexit,* *** *& plusquam mille in versione falsitates in publicum produxit.* ****

(2) Nova Emseri versio.
(3) Edicta contra versionem Lutheri.

Idem, ut antidotum Catholicis non deesset, & errores Lutheranæ versionis demonstrarentur, exactissimam & fidelem aliam composuit, vulgatæ perfecte congruentem, unde facile omnia loca apparuerunt, quæ in Lutherana corrupta erant. Hoc in causa fuit, ut plurimi Principes Ecclesiastici & seculares, v. g. Ferdinandus Archidux, frater Imperatoris, Georgius Saxo, & Bavariæ Dux, legibus & edictis publicis perversam istam versionem comburi mandarent, & magnis mulctis indictis subditos omnes cogerent, ut quæcunque libri exempla haberent, Magistratibus ad id constitutis exhiberent. ***** *Hoc adeo efferavit Lutherum, ut insolentissimo*

* *Inventi sunt igitur ex Germanis qui ex ea translatione admissos a Luthero passim errores & mutationes collegerunt, alii supra mille, alii pauciores: inter quos sane Hieronymus Emserus præcipuam laudem promeruit.* Cochlæus.

** *Nulli adversariorum sæpius quam illi respondit. Scripsit petulantissime tot sane convitiis exuberantem, tot scommatis mordacem, tot calumniis acerbam, ut Emser magis obrutus quam invasus videretur.* Cochlæus.

*** *Supra mille.* Cochlæus. *Flor. de Ræm. l. c.*

**** *Propriam translationem, quæ probato & recepto Ecclesiæ textui Latino per omnia consonaret, velut antidotum contra Lutheri venena evulgavit.* Cochl. *Flor. Ræm. loc. cit.*

***** *Luth. lib. de potest. secular: In Misnia, in Bavaria, in Marchia, aliisque in locis promulgaverunt tyranni edictum, ut Nova Testamenta hinc inde in præfecturas mittantur, ne tradant sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Christicidæ, sicut Herodes.*

An. 1522. *solentissimo libello emisso Principes* tyrannos *appellaret, & autoritate, quam Papæ subreptam sibi arrogabat, suprema, omnibus inhiberet, ne obedirent; idem alioqui facturos, ut dicebat, ac si Jesum Christum Herodi occidendum traderent.* An. 1522.

§. CXXVII.

(1) *De Emsero veriora.*

Inter tot alios, qui Luthero obstrepebant, mordacissimum & importunissimum fuisse *Emserum*, ex tot scriptis ejus, quæ tineis nunc inter scruta Bibliothecarum quarundam escam præbent, satis constat, quanquam non segnior aut mitior fuit *Cochlæus, Alfeldensis*, & obscuriores alii. Eruditionem quandam habuisse apparet, sed majorem ambitionem, ut pro docto celebraretur, ex epistola ad eum *Erasmi Lib. XIIX. ep. 28.* facile colligitur. Laudatorem *Cochlæum* potissimum invenit, sibi simillimum, id est, effrenem & mendacissimum calumniatorem. Ex hoc *Maimburgius* hausit, quicquid de eo tradit, cujus nullum credo librum vidit. Longum esset referre utriusque scripta. Inter omnia vero jejunissimum est, quod hic tantopere commendatur, in quo errores in versione Novi Testamenti a Luthero commissos demonstrandos sibi sumsit. Nam totius propemodum reprehensionis fundamentum, discrepantiæ Lutheranæ versionis a vulgata Latina, aut variæ quorundam exemplarium lectioni, innititur; cum tamen Lutherus aperte professus sit, se Græcum textum Latino prætulisse, quod & alii, quicunque sapiunt, interpretes fecerunt, inprimis Erasmus, qui tamen a Leone X. Pontifice mirifice laudatus est; quanquam nunc sint, qui laudes illas tanquam non Pontificio, sed privato spiritu pronunciatas taxent & improbent. Inter multa, quæ in aliis libellis Luthero objectat *Emserus*, & ad quæ illum obmutuisse *Cochlæus* falso gloriatur, illud fere primarium est, quod Lutherum Lipsiæ, tempore disputationis, præsentibus Consiliariis Ducis Georgii, dixisse refert, *rem istam* (Lutheri scilicet doctrinam) *non esse propter Deum cœptam, nec propter Deum finiendam.* Ex hoc, *Cochlæo* judice, fama Lutheri apud bonos graviter fuit sauciata. Sed quam vane hoc spargatur, constare potest ex Lutheri responsione, quam in libro Germanico anno 1521 adversus Emserum edito *Tom. I. Alt. fol. 558.* in hunc sensum facit. *Factum est Lipsiæ in arce, in Cancellaria, cum de disputationis forma ita tractaretur, ut in Eccii emolumentum, meum vero damnum, omnia tenderent, & adversarii plus ambitioni quam veritati darent, cum tamen eousque sperassem illos sicut & ego in Dei nomine (sive* ad Dei honorem) *negotium illud aggressos esse. Tunc verbis querulis & tristi animo dixi: Res hæc non est cœpta in nomine Domini, nec in nomine Domini exitum habebit; idque eventu comprobatum est, omnibusque notum, quam nullus ejus disputationis fructus fuerit. Hæc verba mea non nostratium testimonio tantum, sed & Emseri ipsius conscientia probare possum, qui aderat, invidiam ardenti vultu spirans.* Hoc responsum etsi tardius justo prolatum, & nescio, quo chirographo Lutheri ad Tezelium elisum esse cavilletur *Cochlæus*, satisfacere omnibus potest sincere judicantibus. Sed sinamus, qui volunt, imaginariis tropæis lætari. Emserum, cum non cessaret continuis convitiis & calumniis Lutherum lacessere, aliosque magno numero id facientes, negligere tandem Lutherus statuit; ajebat enim, mores suos se non esse defensurum, pro doctrina autem jam satis pugnasse, frustraque fore, si eadem semper repeteret, cum diversis principiis ipse & adversarii incumberent: se enim Scripturæ ejusque genuino, quem ex bonæ interpretationis legibus eliciebat, sensu; illos Ecclesiæ Romanæ autoritati, aut longo usui, aut excerptis detortisque sacrarum literarum centonibus inniti: sibi itaque tempus ad instruendum populum, & confirmandos fratres, Ecclesiæque emendationem promovendam, utilius impendendum esse. Denique, etsi manifesto convictos, tacere non solere, sed in convitia aut ironias dilabi. Itaque ad *Wolffgangum Stein* in Vinariensi Ducis Johannis aula tunc concionantem scribit, sub finem anni *Lib. II. p. 99. Quod hoc spectas, ut amici tui volunt, sic eis respondere, ut non rideant, frustra spectas; nihil loquacius vanitate, neque enim tales sunt homines isti, qui tacere queant aut quiescere, etiam manifeste victi, immo nec mortui tacebunt. Nunquid Pharisæi victi quieverunt? Nunquid Judæi a Stephano desistebant victi? Ita & hic facies, ut reddita semel ratione has, deinceps sinas eos latrare & blasphemare, tu, contemtis nimis, tuo pergas itinere. Nam nec ego meos adversarios eo possum redigere toties victos turpissime, ut desinant. Dic ergo amicis tuis, ut talia non expectent ab his vanissimis hominibus, qui nihil nisi facci verborum, vel toti lingua sunt.* Notabilia quoque maxime sunt, quæ postea mense Apr. 1524. de Emsero, *Hausmanno* respondit *Lib. II p. 204. b. Emsero nihil est respondendum, optime Nicolae, quia is est, de quo Paulus dicit, subversus est & suo judicio damnatus & vitandus, peccat enim peccatum ad mortem. Adhuc modicum & orabo contra eum, ut reddat ei Dominus secundum opera sua, melius est enim ut moriatur, quam ut sic pergat contra conscientiam suam Christum blasphemare; sine ergo eum, velociter nimis satis compescetur miser iste. Sed & tu desine pro eo orare.* Hæc non multo post eventum habuerunt, ut in loco notabimus. Cætera in quæ hic invehitur Maimburgius, quod Lutherus pro tyrannis habuerit, qui Bibliorum traditionem & combustionem violentis edictis, eorumque executionibus inhibuerunt, suo stant fundamento; neminem tamen incitavit, ut auferentibus libros vi resisteret, immo etsi sponte tradere vetuit, cedere tamen ob vim majorem jussit, nec Papæ imperiositatem imitatus est, cum verbis tantum & rationibus se suosque libros defenderet, nec haberet aut cuperet, qui militari coactione placita sua exequerentur. Libellus vero *de seculari potestate*, in quo Lutherus edicta adversus Novum suum Testamentum improbat, sub initium sequentis anni prodiit, ex quo *Cochlæus* sumsit, quæ margini Maimburgius annotavit. *Tom. II. Alt. f. 258.* Inscriptus fuit Johanni Saxoniæ Duci, Electoris fratri Cal. Jan. 1523.

(2) *Litigium inter Lutherum & Emserum de verbis quibusdam Lipsiæ a Luthero prolatum.*

(3) *Lutherus Emsero non vult amplius respondere.*

(4) *Libellus Lutheri de seculari potestate.*

ADDITIO I.

Notas edidit *Emserus* Lipsiæ excusas d. 21. Sept. 1523. lingua Germanica, sed horrida dialecto, præmissis pro more insignibus suis caprigeris, insulsisque rhythmis:

(a) *Emseri notæ in versionem Lu-*

Fahr

An. 1522. *theri, & calumniæ generales.*

Fahr hin mein Bock in GOttes Geleith / *Vade caper mi, in conductu Dei &c.* Præfationem adornavit convitiorum & scommatum plenissimam, qualibus etiam per omnes pene notarum lineas usus est. Numerum errorum hæreticorum & mendaciorum in versione Novi Testamenti a Luthero commissorum ad mille & quadringentos computat. *Cochlæus* paulo mitior in anno 1523. ab aliis supra mille, ab aliis pauciores annotari refert. Hieronymi inde versionem ex constitutione Damasi, ante annos plus mille Ecclesiæ propositam, tanti habitam esse prædicat *Emserus*, ut nemo tam temerarius fuerit, qui vel literam, nedum vocem in ea mutaverit, nisi id scribarum errore contigisset: quoties ergo Lutherus ab hac vel unica discessit vocula, toties hæresis aut erroris reus est. Sed hujus culpæ complices non multo post habuit ipsos Pontifices & Theologos Romanenses, qui Latinam illam versionem non mille sed innumeris locis ipsi correxerunt. Sed neque sic effecerunt, ut emendatione ulteriori abstinere potuerint. Prologum deinde Lutheri acerrime aggreditur, sugillat ejus dictum, quo concordiam quatuor Evangelistarum stabiliens, non nisi unum Evangelium esse scripserat, item quod Novum Testamentum non habere velit pro libro legis: affingit ei, quasi sentiat, fidem nudam Evangelio adhibitam requiri, nullis operibus efficacem, tum quod omnem elenchum & pœnitentiam auferat, tanquam a Christi Evangelio alienam: quod etiam necessitatem bonorum operum urgeat, quæ tamen nihil mereri statuat, ne cum gratiæ quidem cooperatione, adeoque sibi ipsi contradicat. Hæc perpetua hominis hujus sycophantia est, qua sciens prudensque de verbis pugnat, & cum Lutherus de fide viva, assensus & fiduciæ plena, tum per charitatem efficaci loquitur, ipse de historica litigat; & ad actum justificationis coram Deo opera requirit. Tolerabiliora sunt quæ ad dubitationes Lutheri de epistola ad Hebræos, itemque Jacobi & Judæ, & de Apocalypsi Johannis regessit: illam enim opinionem nec ipse pertinaciter tenuit Lutherus, nec aliis ut necessario sequendam obtrusit. Denique (ut alia omittam) nulla ratione suspicatur Lutherum exemplari Bibliorum VViclefitico aut Hussitico usum, idque spreta & Hieronymi & Erasmi translatione secutum esse. Interim verum est, ex diversis Bibliorum exemplaribus diversitati versionis aliquam multis locis causam extitisse, & Lutherum in editionibus posterioribus, cum codices plures & correctiores nactus esset, ipsum non pauca, de quibus in notis suis litigat Emserus, mutasse, omissa supplevisse, aut quæ per errorem irrepserant, sustulisse: quæ tamen omnia capitibus fidei substantialibus & necessariis nullum attulere detrimentum. Si quis bonas horas scripto Emseri legendo perdere velit, deprehendet uti spero, nihil eum egisse toto illo labore suo, quam quod minutias sectando, cornicum, ut dici solet, oculos confixerit, aut ex diversitate principiorum inutiliter disputaverit, aut manifeste calumniatus sit. Speciminis loco pauca quædam afferam. Ad Matthæi Cap. I. reprehendit quod Lutherus ita verterit versiculum primum, ut Christus dicatur *filius Davidis, qui erat filius Abrahami*, ubi Emserus verti vult: *Christus filius Davidis & filius Abrahami.* Cap. V. 13. verba *in quo salietur?* Lutherus ita vertit: Womit soll man saltzen? id est, quid esset (corrupto sale) quo cum salire possimus? sed Emserus id reprehendens vertit, womit solls gesaltzen werden? scilicet ut sal saliatur. Cap. VI. 9. vapulat Lutherus, quod vertit, Unser Vater / & non Vater unser / & quod vers. 11. verterit *panem quotidianum* omissa voce quæ verti commode non potest, *supersubstantialem* seu *ἐπιούσιον*. Emserus ergo pro sua sapientia vertit überselbstständig. At in Luca XI. 3. ubi in Græco idem vocabulum *ἐπιούσιον* est, Emserus ipse (täglich) vertit, quia Vulgatus interpres idem sibi sumsit, & *quotidianum* posuit, & Emserus exscribere se Lutherum oblitus erat. Et hæc exempla inter sexcenta ad vitilitigationes demonstrandas sufficiant. Ad ignorationem elenchi pertinent pleraque quæ ad glossas, quas vocant, Lutheri respondent. v. g. ad Matth. VII. 24. annotatiunculam fecerat Lutherus: *Hic Christus etiam exigit fidem; ubi enim non est fides, lex Dei non recte observatur. Rom. III. 31.* (non destruimus sed statuimus legem per fidem) *Omnia bona opera, quæ in speciem, absque fide fiunt, peccata sunt; sed e contrario ubi fides est, vere bona opera necessario sequuntur, hoc Christus vocat facere, quod fit ex puro corde: fide autem purificatur cor, Actor. XV. 9. hæc pietas firma est adversus omnes ventos & potentiam inferni: bona opera absque fide sunt lampades fatuarum virginum sine oleo.* Hæc ita refutat Emserus: *In hac glossa quatuor mendacia coacervat Lutherus: primo quod dicit a Christo hic etiam fidem exigi; Christus enim his verbis: Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, sed qui facit voluntatem patris mei, non fidem, sed opera injungit: apparet enim satis clare, loqui eum de iis qui credunt, Dominum quippe vocant, sed mandata ejus non faciunt; itaque Dominus opera ab iis exigit qui credunt. Secundum mendacium est, cum dicit, opera bona absque fide esse peccata. Nemo enim dicet Trajanum peccasse cum juste egit, vel Aristotelem aut poetas paganos cum utilia docuerunt, aut scripserunt, neque enim Paulus eorum dicta allegasset, si peccata fuissent. Nec Jethro peccavit cum Moysi, nec Achior cum Holoferni bonum consilium dedit, verum tamen est, opera illa extra fidem non mereri salutem æternam, ut dicam in notis ad epistolam ad Rom. Tertium mendacium est quod dicit, necesse esse ut fidem sequantur opera; demonstravi enim & Paulus id confirmat 1. Cor. XIII. fidem esse posse sine charitate aut operibus. Quartum mendacium infarcit Lutherus cum scribit, per lampades fatuarum virginum absque oleo significari opera sine fide, oleum enim non fidem sed succum charitatis & devotionis, qui in operibus nostris requiritur, significat, sicuti in præfatione dixi. Quod autem etiam fatuæ virgines fidem habuerint & in Christum crediderint, inde patet, quia una cum quinque prudentibus comparantur regno cælorum, id est Ecclesiæ, sicut Gregorius aliique sancti Patres unanimiter hanc parabolam explicarunt.* Cuilibet, credo, hæc absque præjudicio legenti, appariturum esse, cum larvis pugnare *Emserum*, & pro quatuor mendaciis, quæ Luthero impingit, ipsum bis quater aut pluries nugari & errare. *Lutherus* non negat opera requiri, sed vult ut præter eorum nudum actum, fides adsit, ex qua procedant, & quidem fides salvifica, quæ corda purificet, & ex gratia datur, adeoque non est sine amore; *Emserus* vero de nuda notitia, aut de dono fidei miraculosæ agit, quæ utraque absque charitate esse potest; dein non solum electos & fideles, pro veris & propriis Ecclesiæ membris, sed & virgines fatuas habet, id est, hypocritas, fide salvifica & efficaci carentes, & nomine saltem Christianos. Quoniam vero ad ea quæ in epistolam ad Romanos adversus Lutherum commentatus est, provocat, & inter præcipua controversiæ capita merito refertur quæstio de justificatione, audiamus utrumque de ea docentem. Et *Lutherus* quidem vix alibi clarius & efficacius sententiam suam, populariter licet, expressit, quam in præfatione ad dictam epistolam. Quod versio præfationis hujus Latina extaret, ignorasse me professus sum in editione prima. Sed cum Serenissimi & pientissimi Principis *Rudolfi Augusti* Duc. Brunsvig. & Luneb. auspiciis ex thesauris Bibliothecæ Gvelferbytanæ editæ hoc anno sint Lutheri quædam in libros Biblicos præfationes Latinæ, & ad me missæ, didici, a *D. Justo Jona* anno 1523. Latinam versionem præfationis illius adornatam, & VVittenbergæ typis vulgatam, tum anno 1524. Argentorati recusam fuisse. Interim inter deperdita haberi potuit versio Jonæ, donec jam beneficio tanti Principis denuo in lucem protracta est. Quia tamen, antequam ea potirer, Lutheri verba pressius fortasse secutus sum, quam Jonas, qui libertate majori plerumque usus est, excusari me posse spero, si, quæ priori editioni ex mea versione inserui, hic repetam. Scribit autem Lutherus: *Fides est viva & determinata fiducia de gratia Dei, tam certa, ut millies mortem pro hac oppetere parata sit. Et hæc fiducia & cognitio divinæ gratiæ lætos, confidentes, & alacres nos facit, erga Deum & homines; hoc præstat Spiritus sanctus per fidem. Inde homo lætus & alacer fit ad benefaciendum*

(b) *Speciales in dictum Matth. I. V. VI.*

(c) *Ad Matth. VII. de justificatione Emse-*

An. 1522. *ri cavillationes.*

(d) *Lutherus defenditur.*

(e) *Excerpta ex præfatione Lutheri in ep. ad Rom.*

An. 1522.

endum & serviendum omnibus, & ad omnia patienda, pro amore & gloria Dei, a quo tantam gratiam accepit: ita ut tam impossibile sit opera a fide divellere, quam impossibile est flammam & lucem ab igne separare. Caveas ergo tibi a falsa opinione & nugatoribus qui sibi sapiunt, & de fide & operibus judicare volunt, stultissimi cum sint. Roga Deum ut fidem in te operetur, alias, quicquid agas, in aeternum non habebis fidem. Dein de certamine carnis & de necessitate bonorum operum ita loquitur: *Docet Apostolus, non ita nos liberatos esse per fidem a peccatis, ut otiosi, ignavi & securi esse possimus, ac si nullum superesset peccatum. Adest omnino, sed non imputatur ad damnationem, quia fides adest, quae cum illo pugnat. Itaque tota vita laborandum nobis est, ut corpus edomemus, concupiscentias ejus mortificemus, membra ejus subjugemus, ut spiritui non vero cupiditatibus obsequantur, utque morti & resurrectioni Domini assimilemur, & baptismum nostrum perficiamus, qui mortem peccati & novam vitam significat, donec a peccatis plane purgati, etiam corporaliter cum Christo resurgamus, & aeternum vivamus. Et hoc, teste Apostolo, facere possumus. Hoc ipse Paulus interpretatur: quando enim dicit, non esse nos sub lege, non id vult, ut legem non habeamus, aut ut faciamus quae lubet; sed ut nemo absque gratia in operibus legis versetur, tunc enim regnaret peccatum per legem, quia nemo per naturam favet legi, & hoc ipso vehementer peccat. Gratia vero legem nobis acceptam facit, & abest hoc modo peccatum, quia lex nobis non adversatur, sed nobiscum se conjungit. Haec itaque est vera libertas a peccato & lege, de qua Apostolus in capite hoc VI. ad finem usque tractat, nempe quod sit libertas ad bene agendum, cum alacritate & voluptate, absque coactione legis. Libertas haec spiritualis est, quae legem non tollit, sed praebet & porrigit ea, quae lex exigit, nempe lubentiam & promtitudinem, qua lex contenta est: veluti si creditori cuidam obstrictus esses, nec haberes unde satisfaceres, ab hoc duplici modo liberari potes, uno, si is chirographum tuum & rationes suas dilaceraret, ut nihil praestare deberes: altero si tibi daret, quo debitum solveres & rationes expungeres. His modis Christus nos a lege liberavit. Non est itaque libertas fera & carnalis, quae nihil praestet, sed quae multa & varia praestat, a postulatione & obligatione tamen legis libera est.* Quid ad haec *Emserus?*

(f) *Emseri responsum cum epicrisi.*

vidit utique de qua fide tractet Lutherus, sed obstinatus in conceptas opiniones, & odio coecus, ita in suo ad Epistolam prologo respondet, ac si non nisi de nuda notitia & confessione articulorum fidei, quam & impii immo diaboli habent, quaestio esset. Ait enim: *Hic Lutherus* (ubi de Spiritus sancti gratia ad implendam legem necessaria docet) *non nisi fucum facit & catenam quasi nectit, ut falsum dogma de justificatione per solam fidem adstruat. Haec catena ut rumpatur, tertium membrum observandum est, ubi dicit, Spiritum charitatis nempe & promtitudinis ad impletionem legis, non dari nisi per fidem; quod ita intelligit, ut fides secum afferat charitatem & promtitudinem illam, & ubi fides est, ibi etiam sequi charitatem & opera. Hoc falsissimum & mendax est:* (es ist falsch und erlogen / ita enim pro urbanitate sua hic & alibi frequentissime ludit) *quod enim fides non semper secum ferat charitatem, sed quod fides & charitas separari possint, probatur ex Paulo 1. Cor. XIII.* Haec ille, sibi semper similis. Sed jam monui & apertum est, Apostolum ibi non tractare de fide quae salvat, sed de dono miraculosae fidei; & cum charitatem a fide distinguit, & duraturam post fidem esse asserit, de statu beatitudinis agere, ubi fides & spes cessabunt, quia praesentibus bonis, quae credidimus & quae speravimus, aeterno cum amore & gaudio fruemur. Haec latere utique non potuerunt *Emserum;* nihilominus paulo post in eadem praefatione, pari petulantia, *mentiri* dicit *& inepta comparatione uti Lutherum, cum statuit flammam vel vim urendi non magis ab igne separari posse quam opera a fide.* Nec ad rem facit cum *Jacobum* citat, *de fide quae operibus careat conquerentem:* illam enim fidem quam Jacobus taxat, veram & sufficientem, qualem Paulus describit, non esse sed vane jactari, clarissimum est. Ad tertium genus, calumnias nempe manifestas, (quanquam & eodem spectant quae jam retulimus, & alia ejuscemodi) plurima ab Emsero in notis illis Luthero imputata pertinent. v. g. Matth. VII. 1. Lutherus non reperiit in exemplari Graeco nec Latino (haec enim etiam variant) verba: *nolite condemnare, ne condemnemini,* ideoque nec in Germanicam versionem retulit; hoc Emserus ei exprobrat, adjiciens: *Fortassis ideo omisit, ut omnes condemnare posset, ipse vero a nemine condemnaretur.* Quae frigidissima est cavillatio, eadem enim verba Lucae VI. 34. ubi in Graeco & Latino textu habentur, Lutherus versioni suae inseruit.

An. 1522.

(g) *Alia Emseri calumnia ad Matth. VII. 1.*

Haec de notis Emseri, quas *Adolfi* Mersburgensis Episcopi jussu conscripsisse se dicit, & an. 1523. edidit. Postea versionem ipse aggressus est, eamque anno 1527. perfecit; allegans *Georgii* Saxoniae ducis adhortamenta, tum *Johannis* Misnensis & *Vincentii* Mersburgensis (uterque ex gente *Schleunizia* erat, & posterior Adolfo Anhaltino, anno 1526. defuncto, successerat) jussa & suasiones. Georgius vero Dux diploma Cal. Aug. 1527. libro praemisit, in Lutherum omnesque qui eum sectabantur contumeliosissimum. Quicquid enim non solum ex dogmatibus aut actis ejus reprehendi posse putabat, sed & plebis rusticae & Anabaptistarum excessus omnes, ei objecit, maxime damna, quae verso & publicato Novo Testamento rei Christianae dedisset, exaggerat; se vero ab imputata tyrannide omnibus modis excusat, nec verbum Dei ejusque lectionem sed haeresin & depravationes sacrarum literarum, prout deceat Principem, & ut Edicto Comitiorum Norimbergensium obediret, opprimere voluisse testatur, vetito Lutheranae versionis usu. Ut autem id ipso facto demonstraret, utque nemo conqueri posset, de subtracta lectione & praedicatione Scripturae, egisse cum *Hieronymo Emsero,* Licentiato & Sacerdote, ut non saltem Lutheri errores annotaret & refelleret, sed & ex probatis veteris textus exemplaribus novam & emendatam versionem componeret; gratissimum sibi fore professus & ad animarum emolumentum multum profecturum esse, si Novum hoc Testamentum ex Emseri versione pro vero & legitimo verbo Dei agnoscerent, legerent, eique obsequerentur. Indulget inde Privilegium Emsero ad biennium, sub ducentorum florenorum mulcta edicens, ne quis absque ejus permissu id typis vulgaret, aut alibi excusum in suis ditionibus venderet. Praestitit hoc modo Georgius plus quam Principibus tum concedebant Pontifices, & Luthero ejusque institutis magis profuit quam nocuit. Emserus enim versionem Lutheri pene totam exscripserat, nec id plane dissimulavit, cum in epilogo operis (supra citato) fateatur, *se veterem & novam* (per quam non aliam quam Lutheri intelligere potuit) *translationem Germanicam contulisse, & ex textibus in Ecclesia probatis emendasse: Latinum pro norma secutum esse, sed ubi Graeca differrent id in margine notasse: Lutheri falsas glossas refutasse, iisque suas opposuisse, secundum sensum Ecclesiae.* Agnoscit tamen errare se potuisse, nec censuram recusat, rem enim esse difficillimam, ad quam Argi oculi & Geryonis manus requirantur. Hortatur Episcopos Germanicos ut ad Ptolemaei Regis exemplum interpretationem irreprehensibilem procurent, dato v. g. decem ex doctissimis viris negotio, & praestituto salario, qui laborem illum junctis viribus susciperent; addit tamen in fine hanc cautelam, se nondum certum esse, expediatne lectionem Scripturae plebi indoctae committere, nec ne? Scripturam enim abyssum esse, in qua etiam doctissimi mergantur, & profunde sese demittere debere, qui per hanc portam intrare velit, ne caput allidat. *Studeat itaque* (ait) *Laicus unusquisque, si me audire vult, vitae sanctitati magis quam Scripturae, haec enim solis doctis demandata est.* Haec quo fundamento & fine dicantur, satis patet. Quis enim illi credat sanctitatem vitae aliunde rectius quam ex lectione sacrae Scripturae disci aut parari posse? & unde probabit, non nisi doctis Scripturae lectionem mandatam esse? Lutherus etsi iniquissime se perstrictum ab Emsero & ejus patronis cerneret, solatium cum Paulo habuit

(h) *Emseri versio N. T. cum edicto Georgii Ducis publicata.*

(i) *Emseri de versione sua admonitio.*

An. 1522.

Phil. I, 15. quod veritas ex Novo Testamento etiam ab adversario per invidiam & contentionem publicato promoveretur. Mens ista ejus, & judicium de Emseri versione, ex scripto anni 1530. intelligi potest, quod *Tom. V. Altenb. f. 269.* Germanice legitur, Latine vero *Tomo III. Epist.* & a *Georgio Cœlestino in histor. Comit. August. 1530. Tom. III. p. 70.* relatum invenitur. Ex illo sequentia excerpere utile visum est: *Juxta viam ædificantem varia hominum judicia & censuras audire & experiri, verum est; id quod & mihi accidit. Qui enim nunquam loqui, multo minus interpretari & vertere aliquid potuerunt, nunc mei sunt magistri, egoque ipsorum cogor esse discipulus. Si enim ex ipsis, qua Germanica formula duo illa vocabula* Liber generationis, *in fronte statim Novi Testamenti expressa, reddi deberent? quæsivissem, nemo qui vel γρῦ respondere potuisset, repertus esset, & crassi illi asini nunc de toto opere judicare non erubescunt. Idem quoque S. Hieronymo sacra Biblia transferenti accidebat. Totus enim mundus de labore illo judicabat, ac Hieronymus solus is erat, qui nihil sciebat: ac optimi illius viri laborem sæpe ii judicabant, qui purgandis calceis ejus indigni fuissent. Igitur magna patientia opus est illi, qui publicis rebus commodare & prodesse studet. Mundus enim omnium rerum ignarus, judicium tamen sibi de omnibus sumere & præpostere ingredi non desinet. Hæc est natura ipsius, quam mutare non potest. Equidem illum Pontificium videre percuperem, qui unam tantum S. Pauli epistolam, vel unum ex Prophetis transferre auderet, nisi Lutheri versione uteretur. Pulchra scilicet & laudabilis translatio futura esset, cujus rei exemplum in Falsario Dresdensi habemus, qui Testamentum meum correxit. Nomen ipsius libris meis non amplius inseram: judicem enim jam habet, & alias nimis est notus. Ille Germanicam versionem meam dulcem & bonam esse fatetur, quam cum emendare non posset, corrumpere tamen conabatur, ac Testamenti mei versionem, ut erat de verbo ad verbum a me composita, nomine & præfatione mea omissa, & nomine ac præfatione sua addita, vendebat. Illud vero pergrave & molestum mihi accidebat, quod Princeps ipsius horrenda præfatione Novum Lutheri Testamentum condemnabat, illudque legere prohibebat, sed Falsarii illius Testamentum legere præcipiebat, quod unum idemque cum meo erat. Et ne me mentiri aut falsa dicere existimes, utrumque, Lutheri scilicet & Falsarii, Testamentum inter se confer, & quis sit interpres, facile videbis. Quæ enim paucis in locis consarcinavit & mutavit, licet non omnia mihi probentur, tamen facile illud ferre possum, neque quoad textum quicquam mihi officit. Igitur contra versionem illam nihil scribere volui, sed sapientiam istorum admiratus sum & risi, qua Testamentum meum tam atrociter convitiati sunt, condemnarunt, & prohibuerunt, tantum eam ob causam, quod meo adscripto nomine in publicum prodiit: quanquam, quæ virtutes illæ sint, aliorum scripta falsificare & furari, ac proprio nomine adscripto in vulgus emittere, atque ita alieno labore laudem quærere & nomen extendere, in præsentiarum non disputo, vindictam justissimo Judici permittens. Interim mihi sufficit, meum laborem, ut & S. Paulus de se prædicat, etiam per inimicos & hostes meos promoveri, & Lutheri librum, suppresso ejus nomine, sub inimicorum nomine legi. Melius enim eos ulcisci non possem.* In eadem epistola lectu dignissima, plurima sunt quibus adversus versionis suæ censores se defendit, maxime de vexato illo vocabulo, *Sola*, qua locum Pauli *Rom. III. 28.* interpolavit: *satis sciens* (ut ait) *vocabulum illud neque in Latino neque Græco textu extare. Si enim pure & perspicue & quidem Germanice loqui aliquis velit, particulam illam addere debere, siquidem hæc sit natura & proprietas Germanici idiomatis, ut de duabus rebus, quarum alteram veram alteram falsam esse affirmat, verba faciens adverbium* solum *cum particulis* non *vel* nullum *usurpet:* idque exemplis firmat, & alia quædam affert de natura linguæ cujusque in translationibus retinenda. (Quæ de particula sola ex usu linguæ affert, verissima esse constat ex versionibus Bibliorum antiquioribus, ante Lutherum editis, quas ex nostratibus multi allegarunt.) Paulo quidem acerbius tractat adversarios, *Fabrum* & *Cochlæum* maxime innuens, & sua studia animose defendit, non possum tamen quin quædam adhuc apponam, quibus fidem & laborem in versione sua propugnat: *Me summam fidem* (ait) *& diligentiam adhibuisse, nec quicquam falsi immiscere voluisse, bona conscientia dicere possum. Nam ne teruncium labore illo meo quæsivi, nec quicquam pro eo accepi. Deus etiam mihi testis est, me gloriæ acquirendæ gratia id non fecisse; sed in gratiam omnium Christianorum & gloriam altissimi feci, quicquid horum feci, qui singulis horis tanta in me confert bona ac beneficia, ut, etiamsi multo plures & difficiliores transferendi labores subirem atque susciperem; tamen indignus essem vel unam horam spiritum ducere, vel oculi sani beneficio frui. Quicquid sum & possideo, divinæ gratiæ est & misericordiæ. Immo omnia illa mihi suo sanguine pretioso & sudore maximo acquisivit; igitur, Deo volente, vicissim in gloriam ipsius cedere debent. Si me falsarii & asini Pontificii convitiantur & calumniantur, Christiani & fideles cum Christo e diverso me prædicant, & laudibus extollunt. Nam abunde mihi meisque laboribus satisfactum esse arbitror, dum fidelis Ministri laus ab uno Christiano tribuatur. Asinos Pontificios non curo. Indigni enim sunt, qui de laboribus meis judicent; ac me ab iis laudari ex animo dolerem. Convitia ipsorum in summum meum honorem & gloriam cedunt. Nihilominus nomen & titulum Doctoris & quidem summi defendam & retinebo, quibus me ad extremi judicii diem, quod certo scio, non privabunt. Nec tamen literarum curam omnem abjeci. Sed cum collegis & συμμύσταις meis diligenter eas perpendi, & necessitate postulante, secundum literam verba reddidi, neque tamen liber & vacuus ab omnibus curis fui. Ita cum Johannis sexto Christus inquit:* Diesen hat GOtt der Vater versiegelt / *commodius & purius reddi potuisset,* Diesen hat GOtt der Vater gezeiget / *vel,* diesen meinet GOtt der Vater. *Sed Germanico idiomati aliquid detrahere, quam a verbo discedere malui. Transferre certe non est cujusvis, ut amentes isti existimant. Nam pium, rectum, fidele, timidum, Christianum, eruditum, multarum rerum usu instructum & exercitatum cor ad eam rem requiritur. Igitur hypocritam & fanaticum hominem fideliter aliquid transferre posse non credo: ut ex Prophetis VVormatiæ Germanico sermone donatis apparet, in quibus certe magna adhibita fuit diligentia, meamque versionem sibi imitandam proposuerunt. Sed Judæi irreconciliabiles Christi hostes interpretibus illis conjuncti fuerunt, absque quo si fuisset, industria & diligentia nulla certe desiderari posset.* Satisfacere hæc Lutheri apologia etiam potest scriptori recenti, Gallo, *Richardo Simoni*, qui in *Critica Sacra Veteris Testamenti, Lib. II. Cap. XXIII.* versionem ejus exagitat, eique scientiam Hebraicæ linguæ mediocrem tribuit, festinationem culpat, Helvetiorum & Belgarum censuras quodammodo approbat. Quæ omnia vel imperite vel invidiose dicta esse apparet. Sed quæ pro versione Lutheri dici possunt, a plurimis, & dudum allata sunt. Sed ad Emseri versionem redeo. Recusa illa fuit post ejus mortem anno 1529. Coloniæ Agrippinæ, insertis omnibus Emseri annotationibus, quæ anno 1528. separatim editæ, nec in Dresdensi editione repetitæ erant. Procuravit Coloniensem publicationem *Joh. Dietenbergerus*, qui postea etiam Vetus Testamentum, & sic integra Biblia, eadem Emseri methodo, in exscribenda, corrumpenda, & proterve exagitanda Lutheri versione edidit. Eodem anno prodiit *Lipsiæ* alia editio in octavo (ut vocant) prioribus elegantior; præfixum ei est epitaphium Emseri cum ejus effigie addito epigrammate, & subjuncta inscriptione, in qua zelus ejus contra Lutherum mire laudatur. Obiisse notatur anno ætatis quinquagesimo d. 8. Nov. 1527. Huic editioni Syllabus additur locorum, quæ Lutherus in secunda suæ versionis editione 1527. mutaverat, substitutis commodioribus vocabulis, idque ei vitio vertitur, cum laudari debuisset. Sub finem admonitio subjungitur & excusatio Emseri, quod ætate, labore & morbis confectus quædam in Lu-

An. 1522.

(k) *Lutheri de illa judicium.*

(l) *De sua versione ratio.*

(m) *Secunda Emseriana versionis editio.*

An. 1522.

in Lutheri versione reliquerit, quæ nunc *in gratiam* (sic nugantur) *virginearum & pudicarum mentium* corrigi debuerint; ita aperte confitentur Emserum exscriptorem versionis Lutheranæ fuisse, aliaque addunt, quæ jactatam ab ipso versionis suæ puritatem minuunt. Cæterum inter principes, qui Lutheri versionem proscripserunt, recensendus est *Joachimus* Elector Brandenburgicus qui anno 1524. Dom. Oculi (28. Febr.) edictum proposuit, in quo profitetur; *Relatum sibi ab Academia suæ aliisque Theologis fuisse, in versione Lutheri centenis aliquot locis erratum esse, omissis verbis & sententiis magni ponderis, additis vero quæ in veteribus codicibus ab Ecclesia approbatis non reperiantur, manifeste etiam multa falsificata esse, ita, ut si divulgentur, gravia dissidia in fide Christiana & seditiones metui debeant.* Jubet igitur aliorum Principum exemplo, *ut omnes subditi sui Bibliis illis abstineant, & qui ea habeant, Magistratibus tradant*, renitentibus pœnas minatur, sed non determinat. Testatur tamen si quis libros Evangelicos, aut Veteris & Novi Testamenti Latinos, aut Germanice antehac, non vero a Luthero versos habeat, illorum prohibitionem se non facere. Obreptum fuit magno Principi calumniosa Theologorum suorum delatione, quam res ipsa refutare potuit. Observari tamen meretur, quod Bibliorum lectionem, (ut & Georgius in sua fecit ditione,) contra morem eousque introductum, & non sine Episcopalis juris invasione (si ex Romanis principiis res æstimetur) subditis indulserit.

(n) Edictum Electoris Brandeburgici contra versionem Lutheri.

ADDITIO II.

(a) Censura de libello Lutheri de potestate seculari.

Negari non potest vehementi stylo scriptum esse libellum *de potestate seculari* aut epistolam, ex qua acriora, omissis optimis, maligne excerpsit *Cochlæus* in principio historiæ hujus anni. Neque tamen refutare veritatem sententiarum æque illi facile fuit, aut cuicunque alii erit, qui id tentaverit. *Varillasius* licet libellum ipsum, quia Latine non extat, legere, ut puto, nequiverit, censuram tamen ejus cum supercilio sibi sumit *Lib. VI. hæres. pag. 5.* & pro acumine suo magnum inde periculum Saxoniæ Principibus impendisse autumat. Georgium enim Principem nova plane & ab eo tempore, quo imperium a Gallis ad Germanos translatum sit, (quomodo hæc epocha huc pertineat, aut quam verus sit imperii a Gallis ad Germanos transitus, hic non disputo) inaudita contumeliæ tractatum esse a Luthero scribit, idque hac ratione, quia eum læsæ divinæ majestatis reum pronunciaverit: unde colligit, in Misniam Georgii hæreditariam provinciam Cæsari jus nasci potuisse, pro arbitrio suo & in damnum masculorum ex stirpe Saxonica de illa disponendi, immo si Fridericus Elector cum fratre Lutheranismum deserere voluissent, jam Lutheri præjudicio rem decisam fuisse. Quam frivole, quamque contorte & imperite hæc dicantur, tædet pluribus exponere. Si de crimine læsæ divinæ majestatis indeque merita provinciæ jactura ea scripsisset Lutherus, ex quibus argumentum suum construit *Varillasius*, non tacuisset id *Cochlæus*. Talis sane formula in Lutheri libello non extat, fingi itaque debuit, ut subtiles illæ conjecturæ locum invenirent. Lutherus statuit, peccare in Deum & pervertere ordinem divinum Principes, qui neglecto quod in corpora & bona habent officio politico, in conscientias dominari volunt, & (quæ summa tunc Lutheri querelarum fuit) lectione verbi divini subditis interdicunt; id qui faciunt, aut aliis sese vitiis contaminant, aut fatuorum aut nequam hominum loco habet. Aliæ causæ, in Germania certe, sunt, neque pro lubitu aut arbitrio absoluto Imperatorum, sed legitima cognitione deciduntur, propter quas ducatus & ditiones Dominis suis auferantur. Nam si ob quæcunque morum vitia, illa inprimis, quorum ultio Deo curæ est, facultatibus suis privari debeant summi aut infimi, paucissimi forent, qui sua retinerent. Quid autem sibi velit autor, dum *in præjudicium masculorum ex gente Saxonica, de Misnia statui ab Imperatore potuisse* scribit, non capio. Si enim Georgio auferri ex Lutheri delatione aut censura Misnia potuit, & Friderico & fratri dari, hi utique non minus mares erant, quam Georgius & filii ejus: idemque fuisset, si illis adempta quæ habebant, ad Georgium translata fuissent. Quis autem putet ex Lutheri opinione pependisse, quis Principum ita delinqueret, ut privandus esset avitis ditionibus? Pontificum illa legislatio est; hi illis qui non parent regna & principatus abjudicant; nihil tale docuit, sed ut Antichristianum damnavit Lutherus. De desertione Lutheranismi, qua nescio quid mereri potuerint Saxones, præpropere nimis hic fabulatur hæreticæ historiæ architectus, cum nondum Lutheranismum amplexi essent. Alia etiam, quæ paucis istis lineis errantur, Germanicarum rerum ignorantiam produnt. v. gr. cum dicit Misniam ad Georgium hæreditario jure spectasse: pars enim tantum dimidia ad eum spectabat; altera ad Electorem & fratrem ex paterna divisione; sicut & Thuringiam post patrui VVilhelmi mortem æquis portionibus diviserant. Nolo cætera persequi, quæ autor hoc ipso libro contra alia Lutheri scripta non lecta credo nec expensa eodem modo conviciatur. Talibus interim calumniis & nugis, novitate styli & inventionum incrustatis, per istiusmodi scriptorum artificia, Rex maximus & tot præclari viri in florentissimo Galliæ regno imbuuntur, & adversus immeritos odiis implentur, præclusa apologia. Qua fide, quaque pietate & conscientia id fiat, non definiam; Deus judex erit, sicut Emseri fuit, ut Lutherus in allegata epistola innuit.

(b) Annotatio ad Varillasii dicta.

An. 1522.

(c) Excerpta ex libello Lutheri de pot. sec. speciatim de necessitate Magistratus.

Jam sicut ex aliis Lutheri libris feci, etiam ex hoc *de seculari potestate* quædam speciminis loco adferam. Cum ab initio jus Magistratuum ex sacræ Scripturæ dictis confirmasset, differentiam inter statum Christianismi & politicum ostendit, & quod Christianis, qua talibus, magistratu non sit opus, inter alia his verbis quoad sensum latine versis, deducit: *Tom. II. Alt. f. 260. Si omnes & singuli toto orbe veri essent Christiani, sive vere fideles, neque Regibus & Principibus, nec gladio aut legibus opus esset. Ad quid enim ista? haberent nimirum in corde doctorem Spiritum sanctum, a quo instruuntur, ne cuiquam malefaciant, omnes ament, injurias & mortem ipsam patienter ferant. Ubi autem iniqua patienter feruntur, aut non nisi æqua fiunt, ibi nulla est lis aut rixa, nullus judex, nulla pœna, judicium, aut gladius. Itaque inter vere Christianos locus judicio & gladio temporali esse non potest, plus enim præstant quam omnes leges aut doctrinæ ab iis exigunt. Hinc Paulus docet 1. Tim. I. 9. Lex justo non est posita, sed injustis &c.* Explicat ista pulcherrime, allata inter alia similitudine de arbore frugifera, cui non opus est legem dari quomodo aut quæ poma ferre debeat, cum id faciat ex sua natura; *ita vere* (ait) *Christiani, ut arbores bonæ, sponte & injussi bonos ferunt fructus. Sed ita* pergit *fol. 261. cum ingens malorum sit numerus, & inter mille vix unus vere Christianus, ordinavit Deus statum Magistratus & regiminis politici, quod si non fecisset, homines sese mutuo consumerent. Duplex itaque regimen est, spirituale, quod Christianos & pios facit per Spiritum sanctum, sub Christo, & temporale, quod impiis & non Christianis resistit, ut vel inviti pacem colant. Hoc itaque teste Paulo, non est timori boni operis sed mali. Rom. XIII. 3.* Et postea: *Christus gladio in suo regno non habet opus, regit absque lege forensi, solum per Spiritum suum sanctum confirmavit jus gladii, sed non utitur eo in suo regimine: interim omnes etiam Christiani gladio seculari ex charitatis & spiritus directione lubentissime obsequuntur, ut ordinationi divinæ etiam hac in parte satisfiat, & proximo serviatur; ita etiam, ut ipsi, si opus sit, magistratum gerere, ejusque mandata exequi, militare etiam possint & debeant, idque non solum in Veteri Testamento, sed in Novo etiam licuisse & licere ait: (fol. 263.) Spiritum enim eundem, eandem petram spiritualem Christum in utroque testamento esse. 1. Cor. X. 4.* Respondet ad objectiones ex factis & dictis quibusdam Christi *fol. 264.* Hæc fere *prima* tractatus parte habentur. In *altera* disputat adversus leges politicas de religione, cum ex sola autoritate Ecclesiæ aut Patrum & Conciliorum, extra verbum Dei hoc vel illud credere jubentur subditi. *Solius Dei esse viam salutis & credendi leges animabus*

(d) De jure Principum circa sacra & de potestate Episcopali.

An. 1522.

præscribere, quas etiam ille solus novit & introspicit; fidem itaque imperari non posse, & qui id faciant, enormiter peccare, & omnium peccatorum reos fieri, quos committunt, qui coguntur. (fol. 266. 267.) Ad casum inde, de quo tunc quærebatur, accedens, ita loquitur (pag. 268.) Si tibi Princeps injungat, ut Papæ obedias, utque hoc vel illud credas, libros tradas &c. ita respondeas: parebo ratione corporis & bonorum, impera pro jure quod habes in terris, obsequar: sed non parebo si credere aut libros tradere jubes, sic enim Tyrannice imperas quæ jure imperare non potes. Si vero tibi sic respondenti bona tua auferat, aut pœna te afficiat ob inobedientiam, beatus es: gratias age Deo, quod dignum te fecerit ad patiendum pro verbo ejus: perfer insani illius sævitiam, habebit judicem suum. Si ergo non contradicis sed fidem prohibenti, aut libros exigenti sponte obsequeris, Deum negasti. Incolas inde Misniæ, Bavariæ, & Marchiæ, qui jussi erant Novum Testamentum præfectis tradere, exhortatur ne id faciant, idem enim fore, ac si Christum Herodi tradant. Ferre tamen jubet, ut lictores domos percurrant & libros vel alia auferant: hanc violentiam repelli non posse, sed patiendam esse, nihil autem quo obsequium aut consensus demonstretur, agendum. Mirandum vero non esse (ait) quod Principes adversus Deum & Evangelium sæviant, id enim iis consuetum ab initio mundi fuisse, nihilque rarius quam pium Principem, immo pro miraculo habendum esse. Scio verba quædam nimis generalia & acerba ex contemplatione temporum suorum ei excidisse, sed temperat ea, & bonos quoque inter Principes agnoscit, laudat & colit multis locis. Interim & malis, quibus Deus veluti pro lictoribus & carnificibus utatur, vi non esse resistendum, sed debitum iis cultum & obsequium, salva conscientia, præstari debere monet. Deinde ad Episcoporum officium pertinere asserit, non ad potestatem secularem, ut hæresibus resistatur, sed non ferro & igne Principum, verum verbo Dei. Si hoc non tollat hæreses, frustra id vi principum fieri: sanguine repleri mundum posse, hæresin vero, utpote rem internam, nec igne comburi nec aqua suffocari: immo nihil magis hæreses fovere, quam violentam illarum aggressionem absque demonstratione ex verbo Dei. Ab omnibus enim pro mera vi & injustitia haberi, quod sine ratione & convictione agitur. Linguas domari & ad mentiendum & fingendum adigi homines posse, sed hæresin in mente residuam hærere, hanc solo Dei verbo expelli, corda illuminante: ita Christi officium describi ab Esa. XI. 4. percutiet terram virga oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Perversum inde orbis statum deplorat. Episcopi (ait) negligunt verbum Dei, non regunt animas, mandant principibus, ut gladio illas regant. Principes, usuras, rapinas, adulteria, homicidia & alia mala impunita dimittunt, ipsi quoque committunt: Episcopos sinunt excommunicationum & censurarum decretis papyraceis grassari, ita cothurnum invertunt, animas ferro, corpora papyro gubernant, ex principibus secularibus ecclesiastici, ex ecclesiasticis seculares fiunt. Minatur inde serio, ni cessent, futurum esse, ut secundum Ps. CVII. effundatur contemtus super Principes: idque pluribus & vehementer inculcat. De Episcopis vero & presbyteris ita statuit: Regimen eorum non esse imperium aut potestatem, sed ministerium & officium; per se illos non esse majores aut meliores aliis Christianis, nec jus habere cæteris leges ferendi, absque eorum voluntate & consensu, sed uti debere verbo Dei, ad Christianos regendos & convincendos hæreticos. Christianos fide, non externo gubernari imperio. Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei, Rom. X. 17. Qui non credunt, non sunt Christiani, nec in regno sunt Christi, sed sub regno seculi aut potestate externa & gladio regendi. Christiani sponte omnia bona faciunt, sufficit illis verbum Dei. Parte tertia monita dat (fol. 270.) Principibus, quæ observare debeant, si & ipsi Christiani, & aliquando beati esse velint; non sufficere ut dominentur & benefici vocentur Luc. XXII. 25. deponere, ait, debent opinionem ac si omnia vi & potentia agere possint: Maledicta (scribit) est omnis vita & damnabilis, quæ suum saltem commodum quærit; maledicta omnia opera, quæ non ex charitate fiunt: fiunt autem ex charitate si non quæratur propria voluptas, utilitas, gloria, commoditas, salus; sed aliorum utilitas, honor & salus, toto & sincero pectore. Exigit postea a Principe ut non solum scriptis legibus inhæreat, sed prudentia & æquitate ipse utatur pro diversitate casuum & personarum; a Deo autem illam petendam esse assiduis precibus: dein respici a Principe subditos debere, ita ut omni studio nitatur, ut illis prosit: Non cogitet (ait) mea est hæc regio, mei sunt homines, faciam quæ lubet; sed ita dicat: ego sum regionis & hominum, teneor ita agere, non ut ego extollar & dominer, sed ut iis bene sit, & ut in pace vivant & defendantur. Christum sibi typum sumat. Venit is in mundum, nobis serviit, non quæsivit, ut ipse potens, dives, honoratus esset; omnia fecit, ut nostræ succurreretur necessitati, ut in eo & per eum omnia haberemus. Dices, quis hoc modo Princeps esse velit, qui tantas molestias suscipiet, quis tali Principe miserior esset? delectamentane nulla licebit habere, omittendane est saltatio, venatio, equorum decursio, alea, ludi, & ejuscemodi plura? Respondeo: me de Principe loqui qui Christianus esse & cælum intrare velit, quanquam id raro fiat (ein Fürst ist Wildpret im Himmel) neque sperare possum doctrinæ meæ locum daturos esse Principes, sed si quis obsequi velit, ad verbi divini normam conformare se debet, hæc enim non flectitur ad ejus placita. Itaque pene impossibile, certe rarissimum est, ut Principes sint Christiani. Neque tamen Deus tam rigidus erit ut illorum recreationes non ferat, si eas instituant absque damno subditorum, & si officium suum erga nos in charitate exerceant. Hoc si præstent, multæ saltationes, venationes & decursiones per se cessarent. Secundo suos consiliarios & proceres ita tractet, ut neminem contemnat, nemini etiam nimium fidat. Deus aliquando per asinum loquutus est, & e contrario nemo tam sapiens est, qui non erret &c. Principes certe maximo cum damno suo omnia credunt proceribus & adulatoribus. Interim si per eos deceptus Princeps erret, damnum in totam redundat regionem. Ipse itaque habenas teneat, non sit somnolentus & negligens, visitet omnia, Josaphati exemplo, neminem eadem fide aliena credat curaturum esse, qua ipse propria, nisi minister ille sit verus Christianus, quem Spiritus Dei regat; at tales cum sint rarissimi, nec certum an semper mansuri, indubitate & sine omni præcautione nemini fidi debet. Qui id ex ministris sibi arrogat, eum credat Princeps dominari velle, & ex Principe statuam facere. Si vere bonus est minister ille, lubenter feret, ut omnia quæ agit sciente & inspiciente fiant principe. Davidis & Ahitophelis exemplum adducit, proverbia etiam, oculus Domini saginat equum & alia &c. Tertio, circa delinquentes cautum esse dicit Principem oportere, ne pœnas cum damno innocentium exerceat. Davidis iterum exemplum, Joabo parcentis, proponit. In vindicandis etiam injuriis circumspectionem requirit, ne Princeps aureo piscetur hamo, & ob unum caput totam regionem impleat viduis & orphanis. Non sunt auscultandi (ait) ferrei & gloriosi illi (die Eisenfresser/) qui ad bella semper incitant, dicuntque: hoccine ferendum est? Sed qui nescit dissimulare, nescit regnare, regula esto: ubi injuria sine majori injuria puniri non potest, omittenda est ultio, utcunque justa. De jure belli ita disserit, ut rebellionem in superiores, Imperatorem puta aut Regem, plane damnet, necessariam autem defensionem adversus pares non improbet, & subditis ut pro principibus bona fide arma capiant, autor est. In tali bello etiam cædes & rapinas Christianismi & charitatis opera esse scribit, dummodo criminibus abstineatur adversus sexum infirmum & deditos & subjectos. Ante omnia monet Principes, ut ad Deum sese convertant; deinde, ut dictum est, erga subditos, charitate & cura; erga consiliarios, prudentia & discretione; erga malos moderata severitate utantur. Subjungit, corollarii loco, quædam de restitutione ablatorum. Hæc & alia ejus, credo, ponderis ejusque pietatis & masculæ veritatis esse, deprehendent æqui lectores, ut Cochlei & aliorum, qui eum cæco affectu sequuntur, calumniis fidem demant. Offendere autem neminem debet quod

An. 1522.

(e) Admonitio ad Principes de colenda virtute, hujusque difficultate.

Luthe-

An. 1522.

Lutherus in hac diatriba, de officio Principum circa sacra, sive de tutela & suprema cura in externis ad promovendam religionem, & adversus hæreses & scandala, nihil tractaverit, id enim alio tempore & loco præstitit: tunc quæstioni propositæ inhæsit: idque ut ex dedicatione apparet jussus a Principibus suis; nec verum est, quod Varillasio persuasum fuit, hunc libellum illis displicuisse.

An. 1522.

SECT. 53.

Sed neque generosi illius Doctoris Emseri, nec Principum mandata & edicta Lutheranismi stabilimentum impedire potuerunt. Elector enim Saxoniæ, qui Lutheri, subditi sui, audaciam reprimere debebat, pro lubitu eum agere permisit. Hinc apparet, felicitatem aut miseriam provinciarum, etiam quoad spiritualia, sæpe a Principe, qui rerum potitur, dependere, & quod populus salutem suam ei post Deum debeat, si magno conservandæ puræ religionis zelo a Deo donatus, novatores corruptionem molientes impigre ab initio reprimat,

Lutheranismi progressus ex Principum conniventia.

§. CXXIIX.

(1) Notantur Maimburgii dicta.

Luthero hic magis credendum, qui adeo non pro lubitu agere se potuisse dicit sub hoc Principe, ut continuis potius querelis per hoc tempus cunctationes & artes aulæ deploret. Favebat quidem veritatis vi convictus Princeps dogmatibus, sed vel certus non erat, an adversantibus Pontifice & Imperatore omnibusque Episcopis, Reformatio doctrinæ obtineri posset; nec provinciæ Ordines, quorum ab antiquo magna erat in negotiis publicis autoritas, consiliis opibusque ad rem tam insolitam & arduam tentandam concurrebant. Lutherus quidem, ut dixi, quanquam nihil vi agi vellet, a Principe tamen desiderabat, ut prædicationi Evangelii liberiorem cursum permitteret, & stipendiis atque alimentis juvaret, qui populi studiis ad ministeria vocabantur, monasteriis exacti vel sponte cedentes; dein ut Prælatis quibusdam, causam doctrinæ vi impedientibus, autoritate sua obsisteret; sed ægre illa & parce obtinebantur. Hæc ex multis Lutheri epistolis ad Spalatinum probari possunt. Miserat Lutherus Altenburgum, rogante Senatu, *Gabrielem Didymum* Exmonachum. Hunc cum Clerus ferre nollet, nec Princeps adversus illum tueri hominem vellet, ita ad *Spalatinum* scribit Lutherus, die Adscensionis 1522. *Scio quid Princeps metuat, scio etiam, quod in carne adhuc sumus & multa timemus, ubi timor non est: summa, faciat Princeps & aula in hac re quod voluerint, ego Spiritui sancto non resistam; ipsi viderint. Sententia mea est, non probari, nec consentiri a me, Gabrielem illic submovendum; neque rursus animus est illum adhuc commendare, vel eo in loco tueri adversus vim, vos videritis.* Satis liquide hinc constare potest, quam parum indultum fuerit Luthero, nam *Gabriel* ille paulo post cedere loco coactus fuit, alio jussu Principis suffecto. Vide *Lib. II. ep. p. 80.* quod male factum esse paulo post Spalatino Lutherus objecit, neque tamen mutare potuit *d. l. p. 88. b.* Eodem fere tempore *Hausmanno* Zuiccaviensium Pastori interroganti, quid faciendum esset, si Episcopus ad confirmationis, quod vocant, Sacramentum celebrandum eo veniret? resistere ei non nisi verbo jubet, ut Paulus Petro; sed si id non valeat, populum monere ne fidat ludicris ceremoniis. Vide *Lib. II. Ep. p. 91.* Paulo post sollicita iterum aula, mense Sept. ita scribit ad Spalatinum: *Valde vellem Principem nostrum sua curare, & me sinere cum Satana squamisque suis agere, sicut & ante scripsi: cœlum non ruet. Si id non credit, ego tamen credo & certus sum, quanquam quid verbis laboro? quis non videt præsente opere Dei hactenus omnes minas versas in ludibrium? qui fecit sic, faciet sic in finem. Nullius nisi meo periculo res geritur d. l. p. 92. b.* Adeo vero caute & timide fovebatur Lutheri causa, ut Jo. Pomerano nuptias tunc celebraturo ferina & munusculum non Principis nomine, quod petierat Lutherus, sed Spalatini mitteretur. Unde gratias agens Lutherus, *Secretum erit* (ait) *scimus & ante a hanc silendi causam, tu miseris, non Princeps. p. 93. b.* Nihil igitur Fridericus Elector vel hoc anno vel sequentibus, dum vixit, Lutheri causæ majus aut utilius præstitit, quam quod carnificis, ut ita dicam, ministerium, quod Pontificia ei & Imperatoria decreta injungere videbantur, amolitus a se est, & quoniam nondum nec juri suo nec viribus in reformanda religione satis confidebat, adeoque nondum agnoscebat, quod Maimburgius hic contra principia Romanæ Hierarchiæ præsupponit, Lutherum subditum suum esse, medium quasi se gessit, veritatis luce, quæ sibi effulserat, interea lætus. Hoc animo & alii tunc erant, ut de Prussiæ Magistro Marchione Brandenburgico narrat Lutherus in epistola ad Linccium, *p. 99.* quod Legato Pontificio responderit, *sese Ecclesiam libenter adjuturum, sed eum non esse modum Ecclesiæ juvandæ, damnare manifestam veritatem & libros exurere.* Reperti autem plures sunt qui consilium Maimburgii, quod hic aperit, strenue exequebantur, & sub hæreticorum nomine veritatis præcones impigre opprimebant, ut in loco dicemus. Problema nempe quod hic de officio Principum circa sacra proponit noster, caveas ut aliter interpreteris, quam de servili illa opera, quam Pontifex & Clerus exigit, ut ubi dogmatum efficacia nihil proficiunt, nec nuda autoritate convincere populos possunt, tum isti sicas & rogos expediant. Ita sancti & cœlo digni habentur, & hac charitate facile obtegunt quicquid alias peccant. Si vero & ipsi, ut magna Ecclesiæ non membra saltem sed & fulcra, & quibus ex officio incumbit religionis cura, qualemcunque explorationem aut cognitionem de dogmatibus aut emendationem disciplinæ moliuntur, tunc cum Ozia rege jus adolendi dicuntur invadere, & ut profani ac hæretici solioque suo deturbandi condemnantur, immo omnium, qui id audere velint, aggressionibus exponuntur; quod qui nescit ex historia Gallica & Anglicana discere potest.

(2) Cunctatio Friderici Electoris in promovenda reformatione, speciatim Altenburgi.

(3) Item Zuiccaviæ.

(4) Aliud exemplum.

(5) De jure Principum in sacris, ex mente Pontificiorum.

ADDITIO.

(a) Initia reformationis Altenburgensis.

Altenburgum quæ urbs Ducatui, in quo habito, nomen dat, & arce antiqua & splendida Principum, & regimine atque Consistorio illustris est, Evangelii lucem circa annum 1519. respicere cœpit, cum Lutherus ibi in ædibus Spalatini, Canonici Ecclesiæ D. Georgii Collegiatæ, cum Carolo Miltitio colloquium habuisset, dein VVormatiam proficiscens ibi hospitatus, & in templo Franciscanorum concionatus esset. Is post

An. 1522.

reditum ex Patmo, Senatu oppidano de mittendo prædicatore rogante ablegavit eo, quem nominavi, *Gabrielem Didymum*, ut apparet ex literis die Viridium (17. April.) 1522. ad Senatum datis, quæ *Tomo II. Alt. f. 253.* habentur, ut & alteris, quas paulo post die Martis post Misericord. Dom. (6. Maji) scripsit, in quibus lætatur, quod Didymus placeat, & simul hortatur, *ne se absterreri patiantur renitentia cleri, & inprimis Canonicorum Regularium*, quibus jus erat oppidanis prædicatores dandi. Literas etiam ad ipsum Electorem d. 6. Maji scripserat (*Tom. II. fol. 153.*) in quibus disputat adversus Canonicos, illisque potestatem contra Evangelium competere negat. Fatetur quidem, *Didymum aliquid peccasse* (particeps enim fuerat tumultus Carolostadiani) *sed & resipuisse & promisisse, quod ab omni innovatione abstinere, & non nisi de fide & charitate in concionibus tractare vellet.* Censet ergo Electorem patrocinari non posse Canonicis, sed ut membrum Ecclesiæ, & Principem Christianum teneri, ut lupis illis obsistat. Nihil autem profectum est, ut dixi, vel Senatus studio vel Lutheri commendatione; sed Didymus Altenburgo *Torgaviam* abiit, ibique per multos annos Pastoris officio functus est. Cum adhuc Altenburgi esset, literas ad eum dedit Lutherus fer. 5. post Misericord. Dom. & postquam illum ob præsumtionem quandam spiritualem commonuisset, & ad constantiam hortatus esset, hæc notatu dignissima subjicit: *Ambula ergo in timore & contemtu tui ipsius, & ora Dominum ut ipse tua omnia faciat, & tu nihil facias, sed sis sabbathum Christo. Ceterum sicut exhortatus sum te, ut a facto abstineres innovandi, sed solo verbo conscientias liberes, puram fidem & charitatem tractando, urgendo: ita adhuc rogo & hortor, ut sic facias. Nam ita facturum te Principi promisi, quantum promittere potui; vide ergo ne & me & te, simul & Evangelion confundas, aliter faciendo.*

(b) *Lutherus exhortatur Didymum.*

Vides vulgum irruere ad externa, ad sacramenta, ad ritus; huic occurrendum est, & unice curandum, ut retrahatur, & primo ad fidem & charitatem formandum, ut fructibus probent, sese palmites esse vitis nostræ. Venit paulo post Altenburgum *VVenceslaus Linccius*, de quo multa retuli, Vicarius tunc Augustinianorum per Saxoniam, antea Norimbergensis cœnobii, ejusdem ordinis, socius & prædicator. Hic primum, quia Canonici resistebant, sub tilia, quæ ante hospitale magnum erat, dein in domo civis cujusdam in foro, inde in Franciscanorum, & tandem in templo parochiali D. Bartholomæi conciones habuit, & anno 1523. in Quadragesima Sacramentum Eucharisticum sub utraque specie paucis aliquibus id petentibus exhibere cœpit. Anno sequenti formula baptismi Germanica usus est, qualem Lutherus præscripserat, uxorem etiam duxit & sic, ut Lutherus scribit, vicariatu Augustinianorum liberatus est, *Lib. II. Ep. p. 113. b.* præsente, &, ut Altenburgenses referunt, consecrationem peragente Luthero, ita tamen ut sponsum, qui a Canonicis sibi metuebat, cives quidam armati ex templo domum deduxerint. Sed Linccius anno 1525. *Norimbergam* est revocatus. Interim Altenburgum *Eberhardus Brisgerus* Augustinianorum VVittenbergensium Prior, Valendariæ in Treveris natus concesserat, privatim victurus, sive ut Lutherus scribit, *Lib. II. p. 296. b.* futurus Laicus; idem nempe quem jam non Priorem sed magistrum vocat & *d. l. p. 197.* & cujus causa apud Electorem intercesserat, ut notavi §. 178. Hunc *Eberhardum* Senatus, commendante Linccio, ad pastoratus munus & *Georgium Spalatinum* ab Electore Johanne impetravit, suffragante Luthero, cujus literæ mense Julio 1525 datæ ex archivo Altenburgensi, *Tomo IX. f. 588.* adjunctæ sunt. Sed Spalatinus primum locum & Superintendentis munus obtinuit.

An. 1522.

(c) *VVenceslaus Linccius, Altenburg. ecclesiastes.*

(d) *Item Eberhardus Brisgerus & Georgius Spalatinus.*

SECT. 54.

Electoris Saxoniæ acta cum Augustinianis Missam privatam abrogantibus.

Inter hæc Augustiniani Wittenbergenses qui Lutheri, sodalis sui, doctrinam primi sectabantur, Missas juxta fundationem amplius non celebrabant, sed simpliciter cœnam administrabant, panem & vinum consecrantes, & sub utraque specie communicantibus distribuentes. Igitur Dux Saxoniæ ægre in mutationes externas consentiens, Academiæ rem examinandam proponi fecit, & judicium ejus poposcit. Sed hoc collegium, totum jam Lutheranum, effecit, ne Princeps diutius, ut hucusque fecerat, dissimularet. Per deputatos enim suos, qui erant* Justus Jonas, *Præpositus Ecclesiæ Wittenbergensis,* Philippus Melanchthon, *&* Nicolaus Amsdorffius, *tres maximi Lutheri amici, decreverunt, non posse salva conscientia Missam Catholicorum amplius tolerari, quam abominabilem & cœnæ Dominicæ plane contrariam esse dicebant. Sic tandem induci se passus est Princeps; quanquam in pulchro suo omnium Sanctorum templo Missam Catholicam adhuc continuari vellet.

§. CXXIX.

Quæ hic de Missa privata ab Augustinianis omissa, & de Electoris decretis narrantur, ad finem anni 1521. pertinent, & alieno loco hic inseruntur. Facta enim sunt ante tumultum Carolostadianum, & antequam Lutherus ex Patmo suo Wittenbergam rediisset. Nec verum est, Electorem per deputatos suos adversus Missam decidisse. Rei ordo, quantum ex *Tomis* Lutheri, aliisque documentis colligi potest, hic fuit: Augustiniani ex provinciis Misniæ & Thuringiæ Wittenbergæ ad Capitulum, quod vocant, sive synodum convenerant. Extat eorum decretum *Tom. II. Alt. f. 18. Tom. II. Lat. Jen. f. 496. seqq.* sed non adscripto die, sub finem vero anni 1521. vel ineunte 1522. factum constat ex epistola *D. Casp. Beieri* Islebiensis die Mercur. post Epiphan. 1522. scripta, quæ ex *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* mecum communicata fuit. Ejus capita erant (1) ut liberum esset in monasteriis manere vel egredi, (2) qui manerent veste monachali uterentur, ex libertate tamen Christiana, (3) ut in ceremoniis vel utendis vel abrogandis ea fieret moderatio, ne fides lædatur, (4) mendicatione & missis votivis abstineretur, (5) ut deligerentur ex monachis apti ad prædicandum verbum Dei, cæteri victum manu pararent, (6) ut superioribus monasteriorum obsequium præstetur ex charitate & pro vitando scandalo. Sed Augustiniani Wittenbergenses jam ante synodum, Missas votivas & privatas omiserant, approbante id, qui aberat, Luthero, egregio suo ad fratres tractatu ex arce mense Nov. 1521 scripto, qui Latine habetur *Tomo II. Jen. Lat. f. 465.* Is tamen anni demum sequentis initio, ad notitiam eorum pervenit, suppressus interim cum aliis Lutheri scriptis timiditate Spalatini, ut supra ex *Lib. I. ep. 253.* notavi. Extat & Germanice tum in veteribus editionibus tum recentiori. *Tom. II. Alt. f. 21. & seqq.* Mererentur multa ex illo adscribi, sed summa capita referam. Protestatur primo se nullorum Patrum aut Doctorum Academiarum autoritate, sed solius Jesu Christi doctrina niti, nec de facto aut longo usu sed de jure disputare; dein sacerdotium Novi Testamenti unice spirituale esse statuit, omnibus Christianis competens:

(1) *De Synodo Augustinianorum VVittenberg.*

(2) *Lutheri ad eos libellus & quædam ex eo.*

competens: sed de hoc jam supra *§. 103.* per occasionem dictum est. Hæc *prima* libri parte continentur. In *altera* post refutationem adversariæ sententiæ ex verbis institutionis demonstrat, quod dixerat, Missam non esse sacrificium, octo argumentis; deinde ad contraria, quæ pro sacrificio afferri solent, respondet, speciatim ad canonem, quem vocant, Missæ, & denique *fol. 485. b.* concludit: *curandum esse, ut rursus ad formam & institutionem Christi quam proxime accedamus, scilicet ut singulis Dominicis diebus & iis solis, unica tantum Eucharistia consecretur, sicut modo fit in die Paschæ: & illic conveniant esurientes & sitientes, id est, piæ & afflictæ conscientiæ, quæ a peccatis optent sanari, exclusis iis, qui palam secundum carnem ambulant: tum in medio, memoria Christi, publico verbo fidei peragatur, in communi oretur, & gratiæ agantur, sicut ex epistolis & actibus Apostolorum & Evangeliis facile est ordinare.* Parte *tertia* leges Pontificias præcipuas examinat, utque Christi Evangelio adversentur, pluribus ostendit, & Ecclesiam Romanam cum synagoga comparat. Addit parænesin verbis memoratu dignissimis *fol. 493. In fine, (scribens) si hæc omnia non movent, sinant tamen a se impetrare me miserum, quotquot sunt sacrifices Missarum, quod omni humilitate & toto corde ab eis peto, nempe, ut saltem hoc concedant suæ propriæ saluti aliquod remedium, ne inviti sacrificent aliquando, aut intuitu census & commodi sui. Ultinam hoc saltem obtineam. Probet itaque sese quilibet, & ubi talem sese invenerit, ut nullo modo esset celebraturus, nisi cogeretur vel timore amittendi sacerdotii seu præbendæ, vel infamiæ & oblocutionis humanæ, vel affectu capiundæ (quam vocant) præsentiæ, vel quocunque alio affectu, qui non sit fidei rectæ. Hic, inquam, caveat, ne celebret, sed potius tota vita abstineat, si non potest aliter, & mandata vel verba hominum ad celebrandum cogentia prorsus conculcet pedibus. Melius est enim hominum mandata conculcare, in quibus non potest peccari, quam incurrere in divinæ Majestatis tam salutare & vivificum mysterium. Neque enim mundus premitur majoribus & pluribus peccatis, etiamsi perversitas deesset impii sacrificii, quam hac indigna celebratione sacrificum, & communione Laicorum toto orbe inundantissima. Fidei autem rectæ affectus est, non accedere nisi animo quærendæ misericordiæ & remissionis peccatorum, hoc est esurire & sitire justitiam. Esurientem & inanem animam requirit & replet hoc regale & magnificum convivium. Divites, saturos, fastidientes, aut hominum gratia & pecuniæ intuitu venientes dimittit inanes, immo cum Juda tradit Satanæ ad æternam mortem. Non quod confirmatum velim celebrandi negotium, sed cum prævalente traditionum & inolitæ consuetudinis tyrannide, desperata sit catholica instauratio hujus divini Testamenti, id saltem efficiamus, ut fide recta incedentes minus peccemus, si forte cum errantibus electis tandem salvemur. Video enim quam plurimos incredibili tædio, alios autem perturbata, sæva atque tandem contemtrice conscientia accedere, nihil quærentes, nisi ut opus ipsum perficiant, & debito sese liberent, aut lucro potiantur, aut ruborem evadant. O horrendam hanc & miserabilem præsumtionem!* In epilogo non dubitat fore, quin clamoribus adversariorum Augustiniani Wittenbergenses pro *hæreticis, Antichristianis & insanis* diffamentur, sed jubet vicissim rideri, *qui charitatem servientem proximo, & hostiam viventem corporis, ira, contemtu, luxu, libidinibus extinguunt.* De Principe vero Friderico (cujus magnum elogium supra relatum, quod Imperatoris axiomate nuper dignus habitus fuerit, subjungit) bene sperare jubet, taxato interim Canonicorum Wittenbergensium cultu, & quam male in illis alendis Principis opes impendantur.

(1) *Dehortatio a celebratione Missæ.*

§. CXXX.

(1) *Electoris acta cum Wittenbergensibus.*

Interea, ut dixi, & antequam hic tractatus ad Augustinianos pervenisset, ut in præfatione libelli manifeste legitur *fol. 465. b.* illi primi omnium cœperant abusum Missarum abrogare. Hac re in aulam nunciata Elector, non ut *Pallavicinus Lib. II. cap. 8. n. 18.* narrat, *Jonam, Melanchthonem & Amsdorffium,* (quod aliquo modo sequitur Maimburgius) sed ex consiliariis, autumno anni 1521. *D. Gregorium Pontanum* deputavit, ad Wittenbergensem Academiam, de novationibus, & intermissa ab Augustinianis Missa atque de concione cujusdam Magistri Gabrielis expostulantem. Delecti inde fuere ex Academia, qui ab Augustinianis rationem factorum poscerent. Hi intellecta horum sententia, ejusque rationibus, Electorem rogarunt, *ut Missas per totam ditionem suam abrogaret, neque id ob pudorem hæretici aut Hussitici nominis omitteret; hoc Christum, qui pro omnibus aliis Principibus Electorem hac veritatis luce dignatus esset, exigere.* Patet id ex scripto, quod *Deliberatio* inscribitur *Tom. II. Lat. Jen. fol. 497. & sqq. Tom. II. Alt fol. 16.* cui nomina subscripsere; *Justus Jonas, Johan* Doltsch, *Andreas Carolostadius, Hieronymus Schurfius, Nicolaus Amsdorffius, Philippus Melanchthon;* quanquam in Latino exemplari omissi sint *Carolostadius* & *Schurfius.* Hoc Academiæ responso accepto, Princeps per *D. Christianum Baierum,* tunc Professorem Wittenberg. ita sese explicavit, *se quidem, ut Principem Christianum decet, nihil omissum velle, quod ad Dei gloriam & fidei Christianæ confirmationem faceret, sed videri sibi, nihil præcipitandum in tanta re, qua ad totam Ecclesiam Christianam pertineret, & a tantilla hominum parte difficulter obtineri posset: veritatem ab aliis quoque agnitum iri, & sperandum esse, ut in commune emendatio succederet; nescire etiam se, annon celebratio Missæ pluribus jam seculis duraverit, nec notum esse, quando illa, qua Apostoli usi sint, cessaverit; cogitandum porro, quoniam templa & monasteria pleraque Missarum causa fundata sint, quomodo his cessantibus, reditus servari possint, & hæretici nominis exprobratio vitari. Desiderare Principem, utpote laicum & Scripturæ ignarum, ut delecti ab Academia & Capitulo cum cæteris collegis rem ita expendant, ut nihil fiat, quod discordias & motus excitare possit.* His ab iisdem sex delectis alio scripto, quod *Informationis* titulum habet, & extat in *Tomo II. Lat. Jen. f. 501. Tom. II. Altenb. f. 19.* ita responsum est, ut repetitis, quæ Princeps per Baierum proposuerat, priori sententiæ adversus Missas inhærerent, illasque, quod quæstus vel fundationis gratia absque desiderio exercendæ fidei fierent, abrogandas censerent, idque sine tumultu aut scandalo fieri posse

(2) *Delectorum ex Academia responsum.*

An. 1522. posse existimarent, aut si quid turbaretur, Christi exemplo dicendum esse putarent, *finite illos, cæci sunt, & cæcorum ductores:* Et cum Apostolis, *obediendum Deo magis quam hominibus.* Porro negant *referre, quod ipsi pauciores aut minima pars sint: nam ab initio mundi semper a minima parte veritatem agnitam fuisse, & Christo teste, Evangelium infirmis, paucis, miseris, indoctis prædicatum & commendatum esse; quapropter mirari neminem debere, quod nunc Pontifices & sapientes mundi dignitati, potentiæ, tranquillitati aliisque commodis suis metuentes, veritatis prædicationem non agnoscant, nec in piam mutationem consensuri sint, donec eis desuper donatum patefactumque fuerit. Fundationes quod attinet, collegia & monasteria ab initio non Missarum sed juventutis in religione erudiendæ causa & ad pauperes alendos constituta, & regiis opibus locupletata fuisse* tradunt, *idque ad Augustini usque, partim etiam ad Bernardi ætatem. Sed a quadringentis aut quingentis annis Missarum certo tempore habendarum causa fundari cœpisse, pro defunctis autem vix a ducentis annis; aboleri tamen istæc ut errores debere, utcunque antiqui sint. Paulum enim jam suo tempore de cæremoniarum æmulatione, & Antichristi tyrannide conquestum esse. Antiquissimum morem ad Cypriani usque tempora fuisse, ut semper in Missa integrum sacramentum adstantibus fuerit porrectum, hodiernum ritum postea introductum vel ex Missalis Mediolanensis discrepantia apparere.* Addunt, *non esse magnifaciendos adversariorum furores, nec pericula metuenda, quæ Christus jamdudum prædixerit, & Apostoli experti fuerint; fore enim ut ea circa ultima mundi tempora multiplicentur. In scandalum constitutam esse doctrinam Christi, & in lapidem offensionis, & signum contradictionis, ut constet ex Luc. II. 34. & XX. 18.* Ad hæc Fridericum aliquid publice decrevisse probari nequit, sed dum cunctaretur & conniveret, Carolostadius paulo post absente Luthero, ad violentas illas mutationes in templo oppidano progressus est, de quibus dictum fuit. Canonici ritus veteres servarunt, & non nisi post biennium, multum annitente Luthero, sustulerunt, ut adeo *Pallavicinus Lib. II. cap. 8. in fin.* sibi non constans Friderici dissimulationem ipse notaverit.

ADDITIO I.

Quæ de Missa privata ab Augustinianis abrogata narravi, magnam lucem ex *Archivo Vinariensi* accipiunt & memorari prolixius merentur, cum ab iis reformatio urbis VVittenbergensis multaque alia dependeant. Monachorum in cœnobio VVittenbergensi Augustinianorum discors erat sententia: *Prior*, quem vocant, *Conradus Heldius* cum paucis quibusdam in veteri ritu persistebat; plures & ii maxime, qui ex inferiori Germania discendi causa in monasterium venerant, ad abrogandam Missam propendebant. Fervidior inter eos *Gabriel Didymus*, ut Pontanus d. 11. Octobris ad Electorem refert, adorationem Sacramenti, ut idololatricam, oppugnabat, neque Missam rite celebrari dicebat, nisi adessent, quibus Sacramentum sub utraque distribueretur; multo minus monachos cogi posse, ut Missas solitarias haberent, quod Prior urgebat; aut nisi id facerent, cultum Missaticum suspendere volebat, donec aliter a superioribus decerneretur. Elector *Heldio*, ista & alia referenti, nihil aliud rescripsit, quam ut Provincialis sui, ad quem negotium a se delatum esse scripserat, responsum expectaret, quod tale secuturum esse confidebat, quo saluti Ecclesiæ consuleretur, & turbæ vitarentur. Interea cum tumultuosius agerent non monachi saltem, quorum jam tredecim cœnobium Augustinianum deseruerant, sed & scholares & oppidani, delecti fuerunt ex Canonicis & Academicis mense Octobri, quos *d. l.* nominavi, quorumque subscriptio *Tom. II. Alt. f. 16.* legitur omisso tamen nomine *D. Tilemanni Platneri* (quod in autographo reperitur) & die qui adscriptus est Dominica post Lucæ, id est, d. 20. Octobris 1521. In postscripto quod in *d. l.* non habetur, de *Gabriele* refertur, quod multa sibi imputata negaverit, nec adorationem Sacramenti absolute, sed saltem extra usum & actum communionis improbaverit. *Johannes* etiam *Dolschius*, D. & Canonicus, cujus nomen *d. l.* subscriptum invenitur, sententiam suam seorsim aperuit, pro veteri instituto retinendo vulgatis argumentis pugnans, denique suadens, ut liberum cuique relinqueretur, sacramento pro conscientiæ suæ dictamine, vel sub una vel sub utraque specie uti; fatebatur etiam Missam non nisi quoad preces totumque sacri cultus actum pro sacrificio haberi posse, revera autem tale non esse, sed fruitionem corporis & sanguinis Christi. Idem literis d. 13. Decembris repetiit, & Electori vulgarem illum scrupulum injecit, fore ut Magistratus quoque potestas labefieret, si permitteretur novatio adversus tot seculorum in Ecclesia statuta. Reliqui Canonici omnes, cum Decano suo, numero novem, pristinum ritum probabant & servari petebant: fassus tamen est *D. Otto Beckmannus* Missas solitarias non nisi ab annis quadringentis sacerdotum avaritia invaluisse. Querebantur nominatim de Præposito suo *D. Jona*, qui concionibus suis populum opinione impleret, ac si majores Regum & Principum in fraudem inducti fuissent, dein sacerdotes in contemtum adduceret, ut multi a celebratione Missarum ultro abstinerent, monachi vero ex claustris egressi in urbe vagarentur: communionem sub utraque singulis dominicis in æde parochiali Augustinianorum haberi, & veteres ritus funditus interire: Invehi etiam publice (quanquam id prohibitum fuerit) contra indulgentias, & Senatum postulasse, ut Melanchthon concionatoris munus in templo urbano susciperet: illud vero plane insolitum esse, quia is licet alias satis idoneus, laicus tamen, & lectionibus suis occupatus esset. His intellectis Elector mense Decembri usus est *D. Christiano* (sive *Christianno* ut ipse scribere solebat,) *Baiero*, Professore tunc & consule VVittenbergensi, postea Cancellario Electorali. Mandati, cujus exemplum *Tom. II. fol. 18.* habetur, autographon extat *Reg. O. fol. 99. M. M.* absque die, & relationi ejus adjunctum est responsum deputatorum quod *d. Tomo II. fol. 19. & seqq.* insertum est; id tamen præter eos qui ibi nominantur subscripserunt *Joh. Montanus* Hessus, Rector; *Stephanus VVild* & *Augustinus Schurffius* Dd. & *Joh. Bockenheim* Lic. Cum vero plures ex Canonicis illorum consilio resisterent, quidam etiam sententiam imperitiæ obtentu suspenderent, Elector d. 19. Septembris *Baiero* injunxit, ut ab innovatione reliquos dehortaretur, metu ne causam Evangelicam in ignominiam & vituperium adducerent; se tamen non impediturum, quin concionari, legere & disputare de quæstionibus illis pergerent, modo pie & modeste agerent. Ex consilio etiam *Jacobi Voigti* confessionarii Electoralis (monachi Franciscani) & *Spalatini*, scripta Latina & Germanica conscribi a VVittenbergensibus desiderabantur, quibus abusus Missæ demonstrarentur. His utcunque constitutis Carolostadii importunitas novas turbas excitavit. Is enim circa festum natalitium Missam Germanice & sub utraque publice celebravit, omnesque etiam absque confessione jejunos & pransos admisit, aliaque multa indecentia egit, de quibus, ut & de scholarium petulantia in templis & in ipsis vigiliis & festis natalitiis perpetrata, Academia & Senatus acres querelas ad Electorem detulerunt. Ita cum res ad extrema spectaret, vel anceps consilii Princeps esset, interventu consiliariorum quorundam, & *Baieri* maxime, compositio inter Academiam & Senatum sub initium anni 1522. inita est, de qua Baierus d. 25. Jan. ad *Hugoldum Einsidelium* Consiliarium Electoris, (Dynastam in Gnand-Stein) hæc narrat: *In templo Parochiano, quod nobis omnibus com-*

(a) *Conr. Heldii, Prior. August. apud Electorem querela de dissidiis monachorum.*

(b) *Electoris responsio.*

An. 1522.

(c) *Delectorum ad componenda dissidia relatio.*

(d) *Dolschii scriptum.*

(e) *Canonicorum responsum.*

(f) *Mandata D. Baiero data.*

(g) *Carolostadii importunitas.*

(h) *Compositio inter Academiam & Senatum.*

bus commune est, cultus publicus hoc modo ordinatus est: Canitur ab initio Gloria &c. Sequitur Epistola, Evangelium & Sanctus &c. inde Concio, postea Missa ex verbis institutionis Jesu Christi Germanice clara voce pronunciatis, & admonetur populus, ut ad communionem accedant, qui de peccatis pœniteant, & gratiam Dei sitiant. Dum id fit, canitur Agnus Dei & Benedicamus: Canon evanuit. Addit alia de non ferendis amplius mendicis, ne monachis quidem, & hi quidem ipsi a mendicando abstinebant, & computo facto, cum reditus non sufficerent, nisi stipem peterent, monasterio tanto promtius excedebant. Actum etiam est de institutione ærarii, & curatorum qui pauperibus prospicerent, & imaginibus in templo oppidano tollendis, propter clarum præceptum Dei, quod allegabatur: *non facies tibi sculptile.* Conventionis hujus formula a Theologis conscripta est. (vid. *Reg. O. fol. 97. L.*) in qua elevatio ut actus sacrificatorius rejicitur, & Melanchthonis manu annotatum est sacerdotem celebrantem sacramentum sumere non teneri, neque debere, nisi spiritualem ejus famem sive desiderium sentiat. Eodem tempore Melanchthon *Einsidelio* scripsit, se quidem maluisse ut nihil innovaretur, sed confusionem tantam fuisse, ut alio modo res componi non potuerit. Correcta tamen est formula ista *Einsidel.i* opera ut colligitur ex *Reg. O. fol. 101.* Nn. restituta nempe elevatione, ut signo, quo populus admoneatur, prohibito etiam carnium esu, statis diebus, prisco more, ad cavendum scandalum. Elector d. 17. Februarii accepta actorum relatione rescripsit, *plus quam sibi placeret a Consiliariis actum esse, confidere tamen eos ita egisse, ut mandatum suum non allegarent: nolle enim sibi hæc instituta imputari, & notum esse quid jubeat Regimentum Imperiale, & quid Episcopi nunc agant.* Moliebantur enim visitationem in ditione Electorali, ut in loco dicemus, quam Elector impedire nolebat. Neque tamen temperamenta illa *Carolostadio* satisfaciebant, cujus literæ ad Einsidelium d. 4. Febr. extant, plenæ temeritatis & præsumtionis, se enim ajebat simpliciter verbo Dei inhærere, ad nullum hominem respicere, neque cuiquam nisi impio (Unchristen) scandalo gesta sua esse posse. Apud eundem Einsidelium *Melanchthon* etiam d. 5. Februarii de Carolostadii impetu questus est. *Gabriel* vero, cujus vehementiæ motus illi magna ex parte tribuebantur, illo tempore sese ex urbe subduxerat. Hæc dum fierent, *Lutherus* in Patmo sua delitescens, intellectis quæ agerentur literas ad Electorem dedit (*Reg. d. l.* Nn.) In his veluti per jocum illi gratulatur de novis cimeliis, sive sanctis reliquiis, quales per tot annos multo sumtu & labore conquisiverit, *nunc vero*, ait, *Deus Celsitudini tuæ gratis dat integram crucem, cum clavis, lancea & flagellis. Non est, quod ea terrearis, laudes potius Deum & gaudeas, hoc evenit illis, qui verbum Dei habere volunt: Non Annas saltem & Caiphas furere debent, sed & Judas inter Apostolos, & Satanas inter filios Dei comparere. Prudenter age, nec ad externam respice speciem aut humanæ rationis ductum. Noli timere; nondum res eo perducta est, quo vult Satanas. Credas mihi, stulto licet homini, sed qui artes illius novit. Non nisi initium rei nunc conspicitur. Sinas clamare mundum & judicare. Cadat qui cadit: Sanctus etiam Petrus cecidit, & Apostoli: redibunt utique tertia die, resurgente Christo. In nobis quoque implenda sunt dicta Apostoli II. Cor. VI. Exhibeamus nos in seditionibus* &c. Petit inde liberæ scriptionis veniam, & propediem se adfuturum esse dicit. Permotus his Elector *Joh. Osvvaldo* Prætori Isennacensi prolixum mandatum dedit, jubens, *ut Luthero pluribus aperiret, quæ VVittenbergæ agerentur: dilabi scholares, & a Principibus suis avocari; dubium hærere Principem, nec seditionem ferre posse; obstare Regimenti mandata, & Episcopos jam promittere, se Evangelium concionaturos, & idoneos ad concionandum viros missuros esse:* (tugendliche Prediger) *hoc rejici non posse, sed probandum esse; consilium itaque ab illo desiderari, monendum tamen esse ne VVittenbergam iret, id enim minime fieri debere: Papam & Cæsarem postulaturos esse, ut illis traderetur, quo gravius nihil accidere Electori possit, qui tamen etiam nesciat, quo pacto sese excuset, neque enim Lutheri tutelam ulterius suscepisse, quam ut benigne audiretur, neque aliud ipsum Lutherum petere, aut a se præstari posse. Hoc tamen se esse animo, si accurate & solide cognosceret, quæ esset voluntas Dei, & quid bonum & justum sit; ut omnia pati, tolerare, facere aut omittere vellet, qua deberet. Quod si hæc essent illa de quibus Lutherus scripserat cimelia, ea a se minime reformidari, memore dicti: jugum meum suave & onus meum leve. Libenter igitur se crucem, quam Deus offerret, portaturum esse, auxilio ejus & robore. At VVittenbergæ mira fieri & tot sectas enasci, ut incertum futurum sit, quis superior aut inferior esset.* (wer Koch oder Keller wäre) *Instare comitia,* (Dominica Lætare d. 30. Mart.) *in quibus de causa Lutheri multa expectanda esset tractatio; quiescere igitur illum & latitare debere; magnam mutationem imminere, sibi vero molestum & illatabile futurum esse, si opus Dei impediretur.* Subjungit benignam contestationem fidelis & propensi in Lutherum affectus. Ex his profecto egregia sapientia & moderatio Principis apparet, inde maxime quod dubia adhuc conscientia nihil definire, multo minus per vim & imperium in causa religionis agere voluerit. Sed Deus longe melius istæc omnia disposuit, neque mandatum illud ad *Osvvaldum* pervenisse crediderim (nulla enim ejus relatio aut alia nota in *Actis* reperitur,) sed Lutherus ipse, ut supra relatum est, invito & inscio Principe VVittenbergam accurrit, suaque præsentia stultitiam Carolostadii repressit, Episcoporum consilia disjecit, & Electoris animum firmavit: Regimenti etiam minæ sine noxa transierunt.

(i) *Electoris de ea rescriptum.*

(k) *Lutheri literæ ad Electorem.*

(l) *Mandata Electoris ad Lutherum.*

Quæ VVittenbergæ ab Augustinianis & Carolostadio acta sunt, multis inter *Georgium* Ducem, & agnatos Electorem *Fridericum*, & *Johannem* Ducem literis ansam dederunt. *Georgius* d. 16. Novembris 1521. Johannem adortus est, sua scribens manu, & conquerens, quod hoc tempore errores renascerentur, pro quibus majores (contra Bohemos) sanguinem fudissent: Narrat deinde *gesta VVittenbergæ* ab Augustinianis, quæ Electori ipsi displicuissent, neque tamen ejus jussis impedita essent. *Sancti Antonii* reliquias (quas nempe, cum suibus & tintinnabulis, discurrentes monachi circumferebant) cœno conspurcatas esse: *Zuiccaviæ* in sacerdotem sacramentum ferentem lapides esse conjectos: *Carolostadium* pro monachorum conjugio librum edidisse: *Præpositum Kembergensem* uxorem duxisse: esse, qui nullam habeant religionem & animæ immortalitatem negent: hæc omnia ex Lutheri doctrina promanasse: non posse se non summopere dolere, quod in urbe Ducatus Saxonici primaria, unde maximum decus & nomen gerant Principes, talia fiant: subditos suos in vicinia eodem inclinare, & sic futurum esse, ut eodem loco Saxoniæ Duces haberentur, quo avus suus Georgius Bohemiæ Rex habitus fuerit: orat itaque ut apud Electorem fratrem efficiat, ut suspicionem illam purget, sive puniendo novatores, sive palam profitendo, quæ bona esse putaret; se juncturum cum agnatis consilia esse & plura indicaturum, tanto quidem diligentius, quanto omnes jam ad finem vitæ propius accederent, (wären alle im letzten Viertel) id barbas & pilos testari. Comiter ad hæc respondit *Johannes* d. 15. Decembris, se cum Fratre communicaturum, & paratum esse, ad cognoscenda quæ ulterius proponere Georgius vellet. Paulo post circa festum Natalitium, cum Georgius Norimbergam, ad locum in Regimento capiendum, proficiscens Salfeldam venisset, missus ad eum a Johanne Duce fuit *Gregorius Pontanus*, Cancellarius. Ex hujus relatu percipitur, quanto zelo, quamque acribus verbis reformationem oppugnaverit Georgius. Non enim saltem Carolostadium vocavit *hominem nequam & levissimum*, (einen losen leichtfertigen Mann) sed & Melanchthonem *homuncionem & juvenem* (das junge Männlein/) *tantæ rei minime sufficientem*: addidit, si sui talia auderent magna se pœna illos affecturum esse. Avi deinde sui *Georgii* Bohemiæ Regis historiam narravit, ut *VViclefi* causa hæreseos notam incurrerit: VViclefum enim Johannis Bohemiæ regis

(m) *Georgii Ducis ad Johannem Ducem literæ de actis VVittenberg. & hujus responsio.*

(n) *Legatio Pontani ad Georgium & hujus ad Johannem literæ.*

An. 1522.

uxori a confessionibus fuisse, & cum ea in Bohemiam venisse. Minatus deinde est atrocia pastori cuidam, in tractu Misniæ montano (zur Glaß-Hütte und Platte/) qui Dœbelæ, in oppido suæ ditionis, concionem in curia habuisset, cum in templum non admitteretur. Tandem ad ulteriorem communicationem & conjunctionem ad extirpandas novitates sese obtulit. Paulo post in eodem itinere d. 26. Decembris, Coburgi prolixius iterum ad *Johannem* scripsit, & ex Electoris ad se literis quædam adduxit. Scripserat ille: se adversus ea quæ VVittenbergæ acta fuerant, quæ potuerit, mandasse, monachorum ex cœnobiis fugas parvi facere, alios facile surrogari, aut reditus melius impendi posse, nec de communione sub utraque multum litigare velle, esse enim qui dicant eam in Evangelio fundatam nulloque jure prohibitam esse, cum Georgio vero, Bohemiæ Rege sese comparari impatientius tulit. Verum Georgius Johanni scribens, temperatis licet verbis multaque cum honoris præfatione, responsum & consilia Electoris sugillat, & reformationem variis argumentis improbat. Bohemorum exemplum iterum allegat, quos VViclefus Reginæ gratia nixus deceperit, ut Pontifici injustas concessiones extorserint, bona Ecclesiastica invaserint, & in tantam inopiam & paucitatem Clerum reduxerint, ut tandem defectu sacerdotum plurimos ex vilissima & infami plebe, etiam carnifices (Hencker und Schinder) ministerio adhibuerint: in sectas postea divisos fidem fere totam amisisse, & aniles fabulas secutos, & in discordias lapsos esse, ut se ipsos invicem, prout cuique lubitus aut facultas fuerit, invadant & consumant, jam vero insolentiores factos esse, postquam Lutherus docere cœperit. Laudat *Ernesti* & *Alberti* Ducum, fratrum, progenitorum utrinque suorum, pietatem, qui arcta licet amicitia cum Georgio Rege conjuncti, ejus tamen errori non adhæserint, immo illum ab eo, nisi fatis præreptus esset, abducturi fuerint. Ostendit inde quantos thesauros Deus Saxoniæ largitus sit, metallifodinas maxime; sed ab eo tempore quo Lutherus res novare cœperit, parum feliciter proventus metallicos successisse, mores quoque prolapsos esse, desertis monasteriis; frustra jactari Evangelii doctrinam restitutam, sibi a quadraginta annis eam innotuisse, meliorem quam nunc deprehendat. Multa ab Ecclesia decreta, aut usu diuturno introducta esse, quæ unius, haud laudati viri, loquacitate mutari non debeant, absque universalis Ecclesiæ cognitione. Petit itaque ut obsequium erga Ecclesiæ statuta tueri velit, se tamen si forte proposita in legatione Pontani non satis recte intellexisset, doceri velle. Ad hæc non invenio, quid responderit Johannes, videtur potius inutilem cum agnato, præjudiciis præoccupato, disceptationem abrupisse. Nihil enim argumenta illa ad rem faciebant, neque alia erant, quam quæ pagani Christianis olim objicere soliti erant, antiquitatem superstitionis, & calamitates temporum, quas Christianismo imputabant, ab Ecclesiæ doctoribus solide refutati. Secutum est proximis mensibus anni 1522. inter eundem *Georgium* & *Fridericum* Electorem literarium de eadem materia commercium, vel certamen. Initium fecerat *Georgius* ex Norimberga, nescio quid de fama motuum quorundam Electori obscurius indicans, quam quæ hic perciperet aut percepisse videri vellet. Explicationem itaque desideranti Electori d. 2. Februarii 1522. Georgius respondit, se quidem nihil indicare posse, quod ad illum speciatim pertineret, multa tamen a mercatoribus, aliisque ex Saxonia venientibus referri, quæ *VVittenbergæ*, *Ilenburgi*, *Schmidebergæ* & *Lochaviæ* in Electoris ditione contra honorem Dei & sanctorum ejus, & contra obsequium Ecclesiæ & leges sanctorum Patrum (qui cooperante Spiritu sancto scripserint) docerentur & agerentur, etiam ab Electoris ministris: præcipuum vero ductorem & instigatorem omnium esse *Gabrielem* illum monachum excucullatum, *Ilenburgi* tunc versantem: *Carolostadium* etiam, jam maritum, & *Melanchthonem* accusat, qui ea agant, a quibus etiam Bohemi abhorreant, & ideo multo magis quam illi schismatici dici possint: mirari autem multos, quod ista ab Electore tam

(o) *Ejusdem Georgii ad Electorem Fridericum litera.*

bono & Christiano Principe, tolerarentur, sibi vero illa auditu molestissima esse, & malle, ut ii, qui Evangelium in ditione Electoris in lucem denuo produxisse jactarent, Constantinopoli operam illam suam impendissent: magnam inde ignominiam in Electorem jam senem redundare, cum tamen certus esse debeat, quod Georgio Regi non sit indultum, nec ipsi indultum iri. Hortatur ergo eum ut in monachos & sacerdotes, quos *apostatas* vocat, severe animadvertat, prout pietati & officio Principis conveniat. Responsum *Electoris* d. 9. Martii datum hæc continet: Parum curandos rumores de quibus Georgius scripserat, & Deo committi talia debere, qui solus mentes & linguas hominum in potestate habeat. Se nec occasionem dictis scriptisve ejusmodi daturum, multo minus aliquid, quod honori Dei & sanctorum Patrum legitimæ sententiæ aut saluti hominum contrarium esset, suo assensu probaturum esse, semper ab his rebus abstinuisse neque immisceri iis velle: Si qui peccent quos nominaverit aut alii, id suo facturos esse periculo, & se apud suos impediturum esse, quæ illicita esse certo sciret. Repetit quæ nuper Johanni fratri, (quia Georgius ei maluerit de his rebus quam sibi scribere) responderit, nempe, si vel a Georgio vel a Johanne fratre vel ab utroque simul sibi demonstraretur, in quibus Georgii Bohemiæ Regis acta hæretica imitaretur, se ita mentem suam declaraturum esse, ut nihil sibi imputari possit, quod virum Christianum non deceat, & se Deum orare, ut in hoc proposito ad finem vitæ conservetur. Sperasse se Georgium sermones hominum Electori iniquos, ad se delatos, ut amicum & necessarium & Christianum, refutaturum fuisse; hucusque tamen a nemine audivisse, quod pro hæretico, ut Georgius Rex, infamaretur. Scripsisse nunc ad se Episcopum Misnensem & significasse jussa Regimenti allegans, quod proxima quadragesima concionaturus & concionatores ablegaturus esset; illi petito se annuisse, ne ullo modo saluti hominum moram objicere, aut suam negligere videretur. Addit, nihil a se actum esse, quod Georgio causam dederit talia ad se scribendi. Accepto responso intellexit *Georgius*, commotum esse epistola sua Electorem, ideoque d. 21. Martii replicans excusationem præmisit, testatus bono animo se scripsisse, rogansque, si quid sibi incauto durius excidisset, ut id Elector in meliorem partem interpretaretur. Enarrat inde quæ ex rumoribus intellexerat, quod VVittenbergæ & in aliis Electoris oppidis communio sub utraque fieret, Laici sacramentum manibus tangerent, utque id verbis Germanicis (præter morem & statuta Ecclesiæ) consecraretur, wie man es mit Teutschen Worten firmet. (vocabulum hoc obsoletum firmen vel sie-men/ item die Firmung/ apud Lutherum aliosque ejus temporis scriptores legitur, quod nescio an consecrare aut transmutare significet.) Sanguinem etiam Christi in vulgaribus poculis consecrari, monachos vestes sacras abjicere & profanis uti, sacerdotes uxoribus jungi, altaria destrui, imagines Dei & Sanctorum misere confringi aut dehonestari, VVittenbergenses novam ordinationem alienam a ritu Ecclesiæ composuisse: Ilenburgi in ædes pastoris impetum factum esse, & quendam asino insidentem templum intrasse; nec tamen se illa Electori imputare, improbari autem a multis, quod impune talia fieri sineret, cum facili negotio impedire posset. Exemplo esse, quod, cum imagines in oppidano VVittenbergensium templo ablatæ fuerint, in templo tamen collegiato (im Dom) servarentur, ita jubente Electore, licet Canonici primarii tollendarum in templo urbano imaginum autores fuerint. Se non habuisse quæ ad hæc responderet, eum enim, qui facinus, cum possit & debeat, non impedit, in pari culpa esse cum illo, qui id perpetrat; itaque fideliter monitum a se esse Electorem, ne Georgii Regis ignominiam incurreret. Cæterum placere sibi testatur, quæ Elector Episcopo Misnensi responderit, & omnia Electoris prudentiæ se committere, qui consideraturus sit, quæ honor Dei & salus animæ exigat. In fine significat, se literas vidisse, ex quibus constet Lutherum VVittenbergam rediisse & publice concionari, quem tamen Imperator proscripserit;

An. 1522.

(p) *Electoris responsum.*

(q) *Replica Georgii.*

An. 1522.

scripserit; rogare itaque ut Elector cogitet, quod periculum sibi apud Deum & homines inde immineat. *Lutherus*, ait, *dulce canit*, *sed cauda venenata ferit ut scorpio*. Hortatur inde Electorem per Deum & fidem Christi, ut in homines illos severe animadvertat. Ad ista *Elector* d. 7. April. omnes priores obtestationes suas repetiit, & tandem hæc subjungit; Scire Georgium, quod defensionem doctrinæ Lutheri non susceperit, & a causa illius se abstinuerit (habe sich seiner Handlung entschlagen) rediisse illum VVittenbergam absque præscitu suo: plura se respondere nunc non posse, ne molestus Georgio esset, petere tamen per Deum & charitatem Christianam, ne, quæ hucusque scripsisset, ita acciperet, ac si nollet ad se scribi, quæ ad gloriam Dei & salutem suam pertinerent. *Georgius* interea Dresdam reversus illico d. 10. Aprilis, sed non nisi paucis & leniter respondit, se cum gaudio intelligere quod Electori imputentur quorum culpam non sustineat, & quod is rationes suas habeat, cur in sua ditione ista toleraret. Vidisse etiam Lutheri literas, quibus ipse fateatur, se absque præscitu Electoris VVittenbergam venisse; se vero credere quod Elector causas sufficientes habeat, propter quas eum ibi ferat. Addit votum, & indicat se prolixis literis molestiam illi posthac exhibiturum non esse. Hic scriptitationis illius finis fuit, & Fridericus singulari prudentia & modestia impetum Georgii tunc fregit. Hic quoque haud imprudenter a fervore suo discessit, sive quod abessent qui Norimbergæ eum stimulaverant, sive quod dissimulandum sibi esse crederet, aut denique existimaret Fridericum conscientiæ vinculis constrictum in negotio illo spectatorem quam judicem aut executorem esse malle. Attuli hæc ex *Reg. N. fol. 42. n. 14.* quæ etsi varietate casuum & eventuum delectare lectores, talia in historiarum libris sectantes, non soleant, ad perspicienda tamen hominum, & maxime Principum, consilia & gesta haud parum conducunt. Eadem fidem faciunt ineptos & iniquos esse adversæ partis scriptores, qui Fridericum improvide & cœco quodam favore vel impetu in Lutheri partes transiisse contendunt. Certum enim ex his aliisque est, illum cum summa circumspectione sese gessisse, & cum religionis & controversiæ scientiam sufficientem sibi non arrogaret, de imperii etiam sui jure circa sacra dubius esset, exitum rei Deo, & provincialium suorum studiis permisisse. Factum hoc est singulari Dei providentia qui Principum autoritate uti nondum volebat, donec ipsi de veritate melius edocti & in conscientia firmati doctorum & populi desiderio decretis suis succurrerent.

(r) *Elector iterum respondet; Georgius acquiescit.*

(s) *Epicrisis de prudentia Friderici.*

Majorem vero etiam animi moderationem ostendit circa acta Episcoporum, qui hoc eodem tempore in ditione Electorali edicta publicabant & visitationes moliebantur. De his cum scriptores, quos consului, nihil aut parum referant, operæ pretium est ex *Reg. N. fol. 56. n 10. & 12.* pluribus agere. Regimentum Imperiale d. 20. Januarii 1522. decreverat, (Georgii Ducis præsentia non parum ad rigorem illum contribuente suisque edictis imitante) & mandata publicaverat, per quæ omnibus episcopis, (in quos tamen nulla Regimento ex Pontificiæ hierarchiæ principiis jurisdictio ecclesiastica competebat,) injungebatur, ut in pastores, qui in Missa aliisque ritibus a veteri instituto discederent, monachos item cœnobia sua deserentes, & qui ex Clero uxores ducerent, severe inquirerent & delinquentes mulctarent. Mandatum hoc *Adolfus* Anhaltinus Episcopus Mersburgensis in diœcesi sua publicaturus suumque præceptum additurus, ad Electorem d. 13. Martii literas dedit, ut id sibi in territorio Electorali, quatenus Episcopatui suo suberat, facere liceret, sibi enim gloriam Dei & charitatem proximi curæ fore. Annuit illico Elector d. 17. Martii & Episcopo respondit, se & Johannem fratrem suum nihil aliud intendere, quam ut gloria Dei & verbi ejus propagatio promoveretur. Eodem die ad Fratrem scripsit, & grave quidem esse agnoscit, quod Episcopi moliren-tur, & in Principum detrimentum vergere fortassis posse, se tamen ad eorum petita aliter respondere non potuisse, demonstrat. Edictum deinde ad Magistratus edidit, quo admittere jubebantur, quæ ab Episcopis ad honorem Dei & charitatem proximi ordinarentur. Legavit inde Elector ad Episcopum Mersburgensem occasione Parochi cujusdam, qui citatus ab illo comparere nolebat, Cancellarium *Pontanum* & Secretarium *Hieronymum Rudolfum*, paulo post mortuum, ex quorum relatione percipitur, multa dicta esse adversus *Officiales*, quem vocant, *Episcopalis* perversitatem, quam metuentes citati parochi comparitionem abnuebant, neque diffiteri Episcopus vitia illius ausus est. De Luthero etiam fatebatur, justam ab initio causam illum habuisse, sed ulterius quam decuerit, postea progressum: culpam in Georgium Ducem rejiciebat, qui se invito disputationem Lipsiensem procurasset, qua res exasperata fuisset. Urgebat Legatos, ut Electorem ad exequenda Episcopi decreta permoverent; penes illum enim stare, ut exemplo centurionis in Evangelio ministris & subditis suis diceret, *fac hoc & facit*. Legati cognitionem causæ, si pastores ad sacras literas provocarent, desiderari dicebant, illam vero, multoque minus executionem, ad Principes pertinere negabant. De monachis etiam controvertebant, qui ex monasteriis egressi, multis locis concionabantur. Episcopus enim a Principibus coercendos esse dictitabat, quod suam jurisdictionem obtentu exemtionis non agnoscerent, & ipse paratus esset omne jus suum in eos ad Principes transferre. Regerebant Legati, Electorem accepturum id non esse, cui de causa non liqueat, neque illi ea ætate Theologiam discere liceat, eundem non posse a Monachis obsequium exigere, quod Episcopis denegent. Sic hoc anno 1522. in irritum ceciderunt Episcopi destinata; deterrebatur etiam Misnensis Episcopi exemplo, qui suscepta illo tempore visitatione habitisque concionibus in ditione Electorali ludibrium incurrerat. Cum tamen post biennium idem Episcopus Mersburgensis novis Pontificis & Regimenti mandatis excitatus visitationem susceperit, haud abs re esse puto, quæ tunc gesta ab eo sunt, anticipare & rerum potius quam temporis ordinem hic sequi. Et anno quidem 1523. nova Episcopo querelæ occasio nata est ex contumacia pastorum quos ille frustra citabat: Illi enim & inprimis Parochus in Schönbach acerbe de impietate & tyrannide Episcopi apud Electorem lamentabantur, inter alia, quod S. Pauli doctrinam rejecisset; Episcopus vero non omittebat excusationem, & hoc saltem dixisse se fatebatur, quod Evangelistarum scripta Paulinis præferenda essent. Cum vero impetrare ab Electore non posset, ut refractarios istos Episcopo sisteret, aut ipse in eos animadverteret, excommunicationis & privationis sententias in illos publicavit, & Electori misit. Latine compositæ erant & hac formula subscriptæ: *Ita ego Adolfus Episcopus Mersburgensis ad laudem Dei & SS. Johannis & Laurentii patronorum pronunciavi.* Hanc excommunicationem incurrerunt *Johannes Stumpf* Pastor in Schönbach, *Franciscus Klotsch* in Grossenbuch: *Conradus Klug* in Machern & postea in Laussig: *Johannes Kress, Joh. Kalbfleisch, VVolfg. VVeichard* (duo hi Augustiniani erant,) in Polenz & Grimma. Sed postea ad visitationem anno 1524. mense Martio sese accinxit Episcopus, & ab Electore concessionem & securitatem petiit, ac, dissuadente licet Duce Johanne, amplissima formula impetravit. Misit etiam ad eum Elector *Johannem a Minkwiz* equitem, & *Nicolaum ab Ende*, qui eum d. 24. Aprilis Lipsiæ convenerunt, & nomine Electoris illi apprecati sunt, ut pro officio boni pastoris conscientiis hominum succurreret, illisque solatia & salutem secundum verbum Dei & Evangelium procuraret, ad honorem divinum & charitatem inter homines. Testati etiam sunt, Principes suos, utpote Laicos, negotio religionis sese huc usque non immiscuisse, neque id facturos esse, sed conscientiæ Episcopi committere, an in civitatibus & præfecturis Electoralibus, suæ diœcesis, examen instituere velit, & justum esse putet, ut pastores condemnet. Neque tamen dissimulabant, ad exequenda ejus decreta hæsitare Electorem, magisque optare, ut

(t) *Acta visitationis ab Episcopo Mersburgensi in ditione Electoris suscepta.*

An. 1522.

An. 1522.

re, ut inter Germaniæ proceres habita consultatione de dissidiis hisce in ceremoniis certi aliquid constitueretur, quod & ipsi secuturi, neque tamen interim impedituri essent, quæ Episcopus jure suo ordinario agere posset. Ille igitur d. 28. Aprilis quadraginta equorum comitatu *Grimmam* venit, habebatque secum Decanum Mersburgensem *Sigismundum a Lindenau*, Doctorem *Ochsenfarth* & *Ecclesiasten* Cathedralis sui templi. (**den Dom Prediger**) Adstitebat ei Electoris nomine *Minckwizius*, & ut jussus erat, liberali hospitio eum excepit. Concionem in templo Grimmensi habuit is quem dixi Ecclesiastes haud inconcinnam, ut Minckwitius testatur; postea vocatum ad se Senatum longo sermone adhortatus est Episcopus, ut veteres ritus servarent, contestatus se in extremo judicio excusatum esse velle de pernicie errantium. Ad ea Senatus, actis gratiis, nec aliud replicans, discessit. Increpavit deinde Episcopus ex nobilitate illius tractus *VVilhelmum a Polenz*, quod expulso sine venia aut confirmatione Episcopi pastore veteri, novum in vico Polenz substituisset. At ille obsecuturum esse se Episcopo dicebat, si secundum verbum Dei aliquid mandaret; quæ vero egerit, ad conscientiæ suæ ductum acta esse asseverabat, & se eorum rationem coram Electore Domino suo redditurum. Pastori inde Grimmensi injunxit Episcopus, ut Missas more consueto frequenter celebraret, quod ille non nisi die Dominica, & cum adessent qui communione uterentur, facere solebat. De iis quæ *Bornæ* acta sunt, luculenta extat relatio Præfecti telonii, *Michaelis* **von der Strassen** d. 3. Maji data. Venerat eo Episcopus die præcedenti, statimque vocatum ad se pastorem interrogavit, an Missas rite celebraret. Respondit ille: id se die Dominica facere, si enim alio tempore id tentaret, neminem accedere, & ceremonias Ecclesiæ sperni: intra biennium neque aquam, neque sal, neque palmas, aut alia consecrari potuisse. Die sequenti concionatus est in templo idem Ecclesiastes Episcopi, cantata veteri ritu, jubente Præfecto, Missa. Post concionem in qua multa de controversiis dicta erant, concionator Bornensis Ecclesiastem allocutus, contradicere quæ ille asseruerat, cœpit; hic defensurum se ea esse coram Episcopo recepit. Is vero vocatos post concionem ad se in hospitium suum Præfectum & Decuriones sedulo ad veteres Ecclesiæ ritus servandos adhortatus est, multa de Patrum autoritate, tum de aquæ consecratæ efficacia adversus dæmonem ex historiis allegans. Post prandium concionatorem Bornensem accersi, & cum adesset, reverentiam Episcopo suo debitam exhibere jussit. Id cum inclinato corpore præstitisset, interrogavit, quis ei potestatem concionandi dedisset? respondit: pastorem & populum, idque ex Scripturis defendit. Orta deinde est disputatio inter illum & Ecclesiasten Episcopi, ita tamen, (quemadmodum Præfectus refert,) ut Bornensis longe superior esset. Ausus vero hic est ab Episcopo consilium petere, an sibi uxorem (qua pro conscientia carere non posset) ducere liceret, an melius esset, ut concubina uteretur? Respondit Episcopus: neutrum licere; affirmavit tamen per animæ suæ salutem, satius esse, ut concubina uteretur. Id vehementer oppugnare cœpit concionator, defendere Ecclesiastes Episcopi, ita ut finiendæ rixæ causa Præfectus Bornensem abire juberet. His peractis Episcopus alium quendam pastorem ad dimittendam uxorem, & monachum ad reditum in cœnobium, quod deseruerat, exhortatus eademque vespera *Pegaviam* profectus est. In illo oppido, licet Georgio Duci subesset, importunitate *D. Ochsenfarth* ita concitata fuit plebs, ut Episcopus in magnum periculum adductum se fuisse, apud Legatos Electoris postea narraverit. Post hæc Episcopus longas de actis visitationis suæ ad Electorem literas dedit, quæ cum iis quæ jam ex *Minckwitii* & *Strassii* narratis recensui, satis conveniunt, speciatim inter alia questus de *Johanne Kalbfleisch*, quondam Augustiniano, qui matrimonium suum immodeste coram Episcopo defenderit, fassusque fuerit se illum publice anathematizasse. Bornæ pastorem laudat quidem, quod Missam veteri ritu celebraverit, culpat autem, quod aquæ & salis consecrationem omiserit. Reliquos sacerdotes (*Altaristas* vocant) aut habere jam conjuges, aut ambire dicit. Agit inde gratias pro liberali hospitio & executionem decretorum suorum flagitat, multa laude Principes, ut Catholicos, cumulans. Hæc cum percepisset Elector, iterum *Pontanum* Cancellarium & *D. Benedictum Pauli*, Consiliarium & Professorem VVittenbergensem, ad Episcopum ablegavit. Ii prolixam cum illo disceptationem habuerunt de exequendis ejus decretis. Id enim acriter urgebat Episcopus, obligari Principes dictitans, ut pastoribus adjumento essent, ad compellendas in septa oves: seniores fratres teneri ajebat ut Benjaminum minimum ad Josephum adducerent. At Legati mandatum sibi esse negabant, ut cum Episcopo hac de re disputarent, sibi vero videri dicebant, gladium Principibus non nisi ad externa, id est, pacem tuendam & puniendos maleficos traditum esse; fidem vero esse rem spiritualem a Deo per Spiritum sanctum dandam, quæ humana potestate & per gladium produci non possit; a Prælatis in partem sui officii vocari non solere Principum imperia; sacras literas nunc in hominum manibus esse, nec multum æstimari patrum aut interpretum autoritatem; ideo Electorem & Fratrem non videre, quomodo populus a verbo Dei violente abripi possit, neque Principem post hac expectaturum, ut denuo de executione ab Episcopo interpellaretur. Iidem referunt, jactasse Episcopum, refutata a se esse, quæ ex sacris literis a pastoribus Lutheranis objecta fuerint ex sententia Gregorii, Ambrosii, Hieronymi & Augustini; his enim magis credendum esse, quam novis doctoribus, qui nuper errores in provincias has sparserint. Cavendum esse, dixit, Principibus, ne suam quoque potestatem amitterent, si Ecclesiasticam labefieri sinerent. Ad ea Legati responderunt: si Episcopus ex Scriptura sacra refutasset obloquentes, futurum esse, ut ultro sint cessuri; (**sie würden sich selbst bescheiden:**) si vero hi constanter affirmarent, se pro conscientia & ad Scripturæ præscriptum egisse, Electorem merito dubitaturum, an potentia sua eo extendenda sit, ut vi agere possit. Sic discessum est, Episcopo nil nisi brachii secularis, quod vocant, subsidium poscente, Legatis vero, dum de principiis controversia erat, id in dubium vocantibus. Repetiisse reperio postulata sua Episcopum sub finem anni, nihil tamen quod effectum sit, deprehendi, exorto mox bello rustico.

An. 1522.

(u) *Acta visitationis Episcopi Misnensis in Electoratu Saxonico.*

Redeo jam ad Misnensem Episcopum *Johannem a Schleiniz*, qui impetrata ab Electore venia jam anno 1522. visitationem instituerat. Initium fecit *Herzbergæ*, quod Electoratus haud procul VVittenberga oppidum est. Ibi d. 2. Aprilis ipse breviter sermocinatus, dixit, se & ex officio pastorali, & jussum a superioribus adesse: reprehendit communionem *sub utraque* & alia quædam, & hortatus est ad obsequium Ecclesiæ præstandum, adductis dictis *Joh. XIV.* ubi Christus promisit missionem Paracleti, & *Joh. XV. qui manet in me & ego in eo;* sub finem professus est, se pro illorum salute animæ suæ periculo responsurum esse: (**er wolle ihnen seine Seele zum pfande setzen.**) excusavit inde senium suum, & Doctorem Theologum (Lipsiensem illum *Ochsenfarth*,) a se adductum ostendit, plura dicturum. Hic & illa & sequenti die longas conciones habuit, quas calamo excepit *Henricus a Lindenau* Alberti, pincernæ Electoralis filius, literis VVittenbergæ imbutus. Extant quæ consignavit, plena ineptiarum & paralogismorum. Lutherum (tacito nomine) sugillavit & contemsit ut nullo modo cum patribus conferendum: nominavit alia regna, in quibus nullus novæ doctrinæ sive hæresi locus esset: ritus Missæ & mysticas eorum significationes mire collaudavit: mentiri dixit eos, qui statuerent Christianos omnes sacerdotes esse; exclamavit: **Das ist erlogen:** & esse Hussiticum & VViclefiticum. Communionem sub una exemplo S. Elisabethæ defendit, quæ ea in articulo mortis usa sit. Similia eodem die *Lochaviæ*, sequenti (d. 4. Aprilis) *Torgaviæ*, d. 5. Aprilis *Schmiedebergæ* & postea *VVurzenæ* & *Colditii* dicta sunt, a Decano VVurzensi & concionatore Episcopi *Melchiore Luderer:* præfatus

An. 1522.

præfatus tamen semper est Episcopus illa, quam retuli, formula. Impudentius Torgaviæ actum est. Magnifice ibi detonabant de Pontificis & Ecclesiæ potestate & sanctimonia, quæ angelica major esset, quia Christus humanam naturam assumsit: a Pontifice jus divinum mutari posse: id probari surrogata *Dominica* pro *Sabbato*, & quod inter plura Evangelia quatuor tantum recepta sint. Pro Pontificis potestate adducebant dicta *Rom. XIII. 1.* & *I. Petr. II. 13.* ubi jubemur *omni potestati subjecti esse*, igitur etiam Pontifici. Absolutionis sacerdotalis necessitatem concludebant ex dicto Christi de Lazaro: *Solvite eum*, aliaque ejusmodi. Unum sapienter, quod neminem dicebant ad fidem cogendum esse. Extat protocollum quod vocant examinis, quod concionator Torgensis apud Episcopum subiit & fortasse integrum aliquando edetur, ex quo magna Episcopi inscitia, concionatoris vero cordatæ & argutæ responsiones apparent. Excepit Episcopum *D. Ochsenfarth*, nihilo meliori successu. Tandem concionatorem, cum convinci is non posset, dimisit Episcopus & concionandi facultate interdixit, mox tamen præceptum relaxavit, monente qui aderat agnato *VVolfg. a Schleiniz*, qui asseverabat, nihil effici posse apud hominem istum & æqua ab eo oblata esse. (Gnädiger Herr/ ihr könnet dem Mann nichts anhaben/ er erbent sich genug/) Hæc Episcoporum acta fideliter ex actis authenticis *Reg. N. f. 56. n. 10. f. 57. n. 11. f. 64. n. 15.* expono, ex quibus illustri exemplo, ut puto, apparebit, nihil agi adversus divinarum literarum lucem, quæ semel populo alicui affulsit, scholastica illa argutatione & humanæ autoritatis allegationibus, nisi aliæ persuasiones quæ opes aut honores ostentent, aut minæ & violentiæ accesserint. Hac fiducia Elector sapientissimus, Episcopis proponendi argumenta sua potestatem non infelici successu tunc permisit, qua illi non nisi contemtum sibi pepererunt, & ne unum quidem, quem sciamus, ad partes suas reduxerunt, immo nec omnes in Georgii Ducis provincia retinere potuerunt, illosque universos jam tum amisissent, nisi magna vi & vehementia subsidium ex Principis rigore advocassent.

(x) *Epicrisis de actis Episcoporum.*

Non nescio, illo jam tempore Episcopos eorumque parasitos *Cochlæum* & similes, causatos esse, eandemque cantilenam perpetuo & hodie occini, quod populus dulci Evangelicæ consolationis, sive de salute per solam fidem absque operibus acquirenda, prædicatione inescetur. Innuit id *Georgius* Dux in epistola supra citata, ubi dicit *Lutherum dulce canere, sed venenum in cauda habere, licentiam nempe carnalem suggerendo.* Neque abnuendum penitus est, plurimis & tunc magis placuisse, & nunc quoque arridere laxamentum jugi, quo a Clero premebantur, quam veræ & puræ religionis & pietatis restabilimenta: dubitari tamen non debet, tantam esse Evangelicæ doctrinæ ex scriptis Evangelistarum & Apostolorum absque humanis assumentis fideliter depromtæ suavitatem & efficaciam, ut qui semel eam recte gustaverint, nunquam velint Galatis similes esse, & *ad infima & egena elementa iterum converti Gal. IV. 9. sed stare malint in libertate, nolintque jugo servitutis iterum contineri Gal. V. 1.* Obsequuntur ejusdem Apostoli monito *Col. II. 16. 17. Nemo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ & Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, & mortui elementis hujus mundi non decernunt ut in mundo viventes, nec audiunt dicentes: ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu secundum præcepta & doctrinas hominum. d. l. v. 20. 21. & 22.* Quid autem aliud erat tota illa præceptorum & rituum operosissima & rigida disciplina, cum occultatione solidæ doctrinæ ex sacris literis tot putaminibus circumdatæ? Quapropter quicunque hodie tanto beneficio Dei, majorum zelo suscepto & ad nos propagato, adhuc fruuntur, summo vituperio gravissimisque pœnis, ut non semel monui, dignos se faciunt, si libertate Christiana contra præceptum Apostoli *Gal. V. 13. in occasionem carnis abutantur, nec per charitatem Spiritus invicem serviant.* Deus misereatur tot mortalium tantorumque virorum, qui nondum ad inæstimabilis hujus libertatis Evangelicæ pretium cognoscendum pervenerunt, sed adhuc *infirmis & egenis elementis* serviunt; sive eos externus splendor dignitatum & opum, sive antiquitatis jactatio, sive numeri assentientium magnitudo, sive persuasio facilioris peccatorum per tetricam illam disciplinam expiationis, moretur.

An. 1522.

Visitationis istius brevem mentionem facit *Spalatinus* in *historia sua MS.* & Episcopos nil nisi ludibrium reportasse, Lutherum vero post reditum ex arce habitis in quibusdam locis concionibus, acta eorum facili negotio destruxisse refert. Stimulatos fuisse Episcopos illos duos a *Georgio* Duce, sub cujus protectione habitabant, verisimile est; nihil enim tale in Thuringia, Voigtlandia & Franconia, itemque in Saxoniæ parte Transalbina, in præfecturis Electoralibus a Moguntino, Bambergensi, VVurzburgensi, Brandenburgensi & Numburgensi factum est, licet illis jus diœcesanum competeret, eademque mandata a Regimento Imperiali haberent.

ADDITIO II.

Quoniam hoc §. & sæpius mentio facta est *Ecclesiæ collegiatæ VVittenbergensis omnibus Sanctis* dedicatæ, operæ pretium est, ut ex actis authenticis explicetur origo & incrementum, tum decrementum & abolitio superstitionis, in fundatione Ecclesiæ illius, & instituti ibi cultus, promulgatarumque indulgentiarum: facit enim ad judicium de temporibus inter se comparatis, & de ingenio Friderici Electoris, progressuque aut impedimento Reformationis, melius formandum.

(a) *Prima fundatio a Rudolfo Elect. Sax.*

Origo peregrina fuit: *Rudolfus* nempe II. Saxoniæ Dux & Elector, seculo XIV. Philippo Valesio, Galliæ Regi, contra Anglos suppetias tulerat, & spina quæ ex corona Salvatoris nostri servata & sanguine ejus tincta esse ferebatur, a Rege donatus, tanti eam fecerat, ut ejus potissimum asservandæ & colendæ causa ædem sive *capellam* ut vocavit, VVittenbergæ exstrueret, *S. VVenceslao omnibusque Sanctis* dedicatam. Ea nunc vix quarta structuræ postea secutæ pars est, occidentem versus. Testatur de regio illo dono *Clemens VI.* qui roganti Rudolfo concessam a Bonifacio IX. exemtionem Parochiæ VVittenbergensis, ad Decanum & Clericos capellæ a Rudolfo fundatæ extendit. Mirari licet artes & ausa Pontificum, juri Episcoporum, quorum divina institutio & successio magnifice ubi expedit prædicari solet, tam facile & sine ulla causæ cognitione derogantium. Ita enim loquitur Clemens: *Ducis nobis exhibitæ petitionis series continebat graves exactiones & molestias, in illis partibus per Ecclesiarum Prælatos, presbyteris & beneficiatis, petendo sæpius fructus beneficiorum suorum primi anni, & subsidium annis singulis sub excommunicationis & interdicti pœnis contra justitiam illatas.* Brevius Bonifacius: *ne indebitis exactionibus & molestiis agitentur*, quasi legitimæ potestatis medio occurri illis exactionibus non potuisset, aut Roma non præiisset omnium illarum exactionum & vexationum exemplis longe gravioribus.

(b) *Ejus augmentum a Friderico III. sive Sapiente.*

Extincta in pronepote Rudolfi *Alberto* familia veteri, delatoque Electoratu ad Marchiones Misniæ, opulentos potentissimosque Principes, ornamenta haud pauca VVittenbergæ, primariæ tunc illius tractus urbi, accesserunt, præsertim a *Friderico III.* sive *Sapiente*, cujus acta multas libri hujus paginas implent. Ut autem religiosus erat, ad augendum Cleri in Ecclesia collegiata omnium Sanctorum numerum & ad ædificiorum cultum ducentorum aureorum millium (teste *Spalatino* in *hist. MS.*) impensam fecit, ita ut jam pro viginti octoginta sacerdotes, aut minorum ordinum homines, alerentur, inter quos quatuordecim Canonici erant, plerique Doctorum aut Magistrorum saltem titulo insigniti. Idem Fridericus, cum sub initium seculi XV. novarum Academiarum constitutio in Comitiis decerneretur, Collegium Canonicorum in Academiam transformavit Julii II. Pontif. consensu; solerti & frugali potius quam utili consilio. Deprehensum enim est VVittenbergæ, ut & aliis locis, male conjungi Academicorum & Canonicorum functiones, & paucissimos utrisque pares esse, uti quidem eo tempore Canonicorum labores institu-

An. 1522.

ti erant, ut magnam temporis partem in Missis & recitando Breviario consumerent. Magnam vero famam Princeps sibi nova templi structura quæsivit, eamque mire prædicavit jam tum *Christophorus Scheurlius* in allegata oratione: exaggerant vero etiam ultra modum Maimburgius & alii, alio licet fine, nempe ut culpam Friderici ostenderent, quod ab ardore illo discessisset. Hoc vero dum flagrabat, & ut majorem venerationem institutis suis conciliaret, tum etiam commoda & reditus Ecclesiæ augeret, per totam Europam reliquias Sanctorum magno sumtu ac labore conquisivit, & uberrimas indulgentias omnibus procuravit, qui certis diebus Ecclesiam accederent, aut ostensas reliquias venerarentur, &, quod caput rei erat, nummos largirentur, sive, (ut Romæ scribi solebat) *manus adjutrices porrigerent*. Initium concessionis fecit anno 1502. *Raymundus Cardinalis Gurcensis*: confirmavit, auxitque liberalitatem *Julius II.* anno 1510. maxime vero *Leo X.* cujus Bullas aliquas anno 1516. datas, quarum quæ ibet, computatis quæ scribæ accipiebant, septingentis aureis redimi debuit, *Carolus Miltitius* anno 1519 attulit. Licet enim indulgentiarum valor Lutheri disputationibus fere jam in ludibrium versus esset, tam tenax tamen veteris persuasionis fuit Fridericus Elector, ut non solum hoc anno, sed & sequentibus duobus, pompa in ostendendis reliquiis nihilominus continuaretur, maxime *die Lunæ* post *Dominicam Misericord. Dom.* alteram nempe a Paschali festo. *Spalatinus* tanto jam Lutheranæ doctrinæ studio imbutus, nihilo segnior tamen in conquirendis & describendis reliquiis & computandis earum particulis & indulgentiis annexis fuit. Extat libellus bene grandis manu ejus scriptus, anno 1519. (*Reg. O. fol. 94. Cc.*) ex quo & computo, quem anno sequenti 1520. laboriose composuit, non possum non quædam referre. Numerus sacrarum particularum anno 1520. adscendit ad novendecim millia & tredecim, accessere enim hoc anno & thesauro illi illatæ sunt 361. Distributæ & repositæ erant secundum dignitatem & gradum venerationis, in capsis & thecis lapideis, vitreis, ligneis, eburneis, argenteis & denique aureis & gemmatis. Supersunt plerorumque vasorum icones *d. fasciculo Cc.* inter quæ magni quædam erant pretii: duodecim erant classes, sive transitus. (Gänge) Initium monstrandi fiebat ex illis, quæ ex minorum gentium Sanctis custodiebantur: sequebantur Apostolorum, Prophetarum, & denique B. Virginis & ipsius Christi. Singulis particulis, quæ ostendebantur & deprædicabantur, indulgentiæ centum annorum, totidemque dierum & unius quadragenæ ex Pontificum concessione attributæ erant, affectata numeri curiositate: summam prodigiosam inde confecit *Spalatinus* ad vicies centena annorum millia, quæ subtili & incomprehensibili calculo expiandis peccatis applicabantur. Dicendum vero aliquid etiam est de materia hujus thesauri. Nullus in *fastis* aut *martyrologio* & *Breviario* Sanctus & Beatus memoratur, ex cujus vel corpore, vel veste, vel loco martyrii aut sepulturæ non ostenderentur particulæ quædam, ex aliquibus etiam satis multæ, aut integra scelera. Obscuriores saltem quosdam notabo, quos nemo facile nominari hodie audiat. Tales sunt ex viris *Amanthon*, *Bano*, *Basinus*, *Cancius*, *Cancianus*, & *Cancianchus*, *Cucufotus*, *Gangoritius*, *Gebeanus*, *Gruiraeus*, *Ignotus*, *Luchuminus*, *Madelgisilus*, *Mallusius*, *Philosophus*, *Piatus*, *Rungo*, *Seronius*, *Stanius*, *Sturmion & Sturmius*, *Sunarianus*, *Trentius*, *Visibodus*, *Viton*. Ex fœminis & virginibus, *Alguina*, *Autofra*, *Basila*, *Bobilia*, *Butilla*, *Cambaria*, *Capitna*, *Cepina*, *Corona*, *Cristantia*, *Crispaniana*, *Ennera*, *Favina*, *Farrina*, *Faramina*, *Fenegaria*, *Halberta*, *Leyvina*, *Ludela*, *Lysa*, *Madalberta*, *Officia*, *Orthomaria*, *Osilia*, *Piviana*, *Quarantaria*, *Pistoria*, *Pinosa*, *Sambaria*, *Samrina*, *Sandula*, *Sola*, *Temata*, *Tremata* &c. Mirari etiam particulas licet, quæ monstrabantur & enumerabantur, e. g. *S. Elisabethæ*, Landgraviæ Thuringiæ, dentes duo, lucerna, pars sellæ, pallii, pelliceæ, mensæ, capilli, lecti, in quo Christus repertus ab ea fuisse dicitur; poculum vitreum; summa in universum ex Elisabetha particularum quadringentarum & unius. Ex *Maria Magdalena* centum & una, inter quas portiones vestium, capilli, sudarii, unguenti. Ex *Agneta* pars pepli & tunicæ. Ex *Hildegardi*, costa, crines, vestis pars. Ex *Otilia* dentes duo, tum ex crinibus & vestimentis partes. *Dorotheæ* tres dentes & particulæ aliæ sex & sexaginta. Ex *Margaretha* dens, pars tunicæ & centum ac tres particulæ ossium. Aqua quæ ex *VValburgis* sepulchro effluxit. Ex *Barbara* una & nonaginta particulæ & pars vestis in qua decapitata est, tres itidem dentes & digiti articulus. Ex *Catharina* olei, vestis, capilli, pepli partes, item lactis, quod ex collo decapitatæ sanguinis loco manasse dicitur, tres dentes. *S. Fidei* caput integrum & totum prope corpus. Ex *S. Ursula* & sociis duodecim loculi reliquiis pleni, a Maximiliano Cæsare Electori donati. *Alexii* pars scalæ. *Francisci* dens. *S. Ludovici* Galliæ Regis portiones VII. Humus ex *S. Ulrici* sepulchro. Portio ex *Hartmanni* indusio: item ex auro quod *S. Nicolaus* virginibus in navi distribuit. Ex *S. Henrico* Imperatore brachium & viginti ac novem ossa, item pars vexilli. Ex *Carolo Magno* articulus & centum atque undecim particulæ. Ex *Thoma Aquinate* ossa & vestium reliquiæ. *Hieronymi* dens & particulæ aliæ quadraginta. *Augustini* triginta sex. Ex *Burchardo* maxilla integra, ossa triginta & tria. *Valentini* sexaginta & sex particulæ, totidem *Laurentii*, inter quas dens & culter quo corpus ejus Pragæ asservatum, sectum esse dicitur & sanguine manasse. Ex *Gereone* & sociis duo capita, portiones ducentæ & octo. Ex fornace *trium pueiorum* fuligo. Ex *Bonifacio* centum viginti & quinque portiones. Pars crucis in qua *pius latro* pependit. Ex *Stephano* ossa, sanguis, lapides eo tincti, terra ex loco in quo supplicium passus est, particulæ aliæ centum & una. Ex *Thoma Cantuariensi* partes duodecim. Ex *S. Mauritio* & sociis sagitta, & Partes lancearum, vexillorum, sagorum, & plus quam quadringentæ particulæ ossium. Ex *S. Georgio* (quem extitisse multi negant) dentes duo, partes vestis, calcarium, capilli, sanguinis, cerebri. Quædam ex *S. Christophoro*, non magis forte vero, & alia a Leone X. Friderico donata. Multa ex *Canuto* & aliis Danorum & Norvvegiorum Sanctis a Christierno Rege missa. Oblitus pene essem brachii *Friderici*, quem *Sanctum* vocant & qui ante annos octingentos vixit, Episcopi Ultrajectini; id magno labore & sumtu Fridericus Elector obtinuit. Promiserat id Fridericus Badensis, ejusdem urbis Episcopus, Electori amicissimus, sed morte præventus non præstitit. Itaque postea demum anno 1518. apertum est in æde S. Salvatoris sepulchrum, magna cum solennitate, & ex eo, ut senior ex Canonicis *Joh. Tulemannus* d. 7. Julii ad *Spalatinum* scribit, dulcissimus odor perceptus est, miraculi etiam loco habitum, quod ossa post septingentos annos integra mansissent, cum alterius Episcopi corpus juxta positum, quod ante centum annos conditum erat, totum in pulverem redactum deprehenderetur. Altero post separatum brachium die Senatus & cives protestati sunt, ne tam pretiosa corporis pars alienaretur; acquieverunt tamen, cum audissent Electorem missurum esse reliquias *Bonifacii* & *VVillebrordi*, qui Frisios ad Christianam religionem convertisse perhibentur. Extant literæ Capituli ad Electorem d. 22. Maji & hujus responsum d. 1. Junii datum. Sed pergo ad reliqua. Ex Apostolis ostendebantur ossa vel dentes, vestimenta & alia. Ex *Bartholomæo* speciatim pars cultri, quo excoriatus est, totaque faciei cutis. Ex *Petro* partes baculi & catenæ. Ex *S. Paulo* pars cinguli. Nec deerant Sanctorum Veteris Testamenti λείψανα: *arcæ Noachi*, *Abrahami*, *Isaaci*, *Hiobi*, *Moysis*, *Samuelis*, *Esaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*, *Zachariæ*, *Aggai*, *Malachiæ*. Ubi ossa deficiebant, exhibebatur terra ex loco mortis vel sepulchri, aut aliud quidpiam: Item *Josephi*, *Simeonis*, *Johannis Baptistæ*, & *trium Regum*, quorum vulgata nomina adscribuntur & ossium particulæ recensentur. Pollex dexter *D. Annæ*, *B. Mariæ Virginis* partes ex filis, domo, cubiculo, lacte, pilis, vestibus, pallio, peplo, indusio, cingulo, sudario sanguine Christi asperso, loco mortis & sepulchro,

(c) *Studium Friderici in conquirendis reliquiis sacris.*

(d) *Spalatini libellus de reliquiis eorumque numero & nomenclatura.*

An. 1522.

chro, ſumma nonaginta & octo portiones. Ex Chriſti præſepi, cunis, ſtramine & fœno in quo jacuit, auro, thure & myrrha, quibus donatus eſt; ex humo, in qua ſedit, ſtetit, concionatus, aliaque egit aut paſſus eſt, item ex menſa, mappa, panibus hordeaceis, ſangvine, barba, multæ ex cruce particulæ, auro incluſæ & gemmis ornatæ. Ex inſtrumentis paſſionis varia, & quid non? Cum ſpina ſupra memorata oſtenderetur, jubebatur populus, pro Principibus fundatoribus & patronis orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam recitare. Ultimus, ut *Spalatinus* retulit, actus erat, hoſtiæ in ciborio recondita oſtenſio, his additis verbis & efformata digitis cruce: *Nunc vobis in hac argentea figura S. S. Trinitatis oſtenditur ſanctiſſimum & ſupremum omnium, nempe Sacramentum veri corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ab hoc benedictionem devota mente accipite, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Hæc, uti dixi, non obſtantibus quæ Lutherus ſcripto & voce jam per annos quatuor & plures publice oppoſuerat, ad annum uſque 1522. continuata ſunt. Extat formula anno 1520. typis impreſſa & in vulgus ſparſa, in qua indulgentiarum beneficium indicabatur. Summarium etiam ex Bullis Pontificiis concinnaverat tunc *Spalatinus*, hunc in modum: (1.) Pontifex Sanctiſſimus (die Päbſtliche Heiligkeit) omnibus, qui in octava feſti omnium Sanctorum templum viſitant, reliquias venerantur, & eleemoſynas dant, largitur remiſſionem omnium peccatorum quoad pœnam & culpam. (2.) Licitum etiam eſt, hanc impetrare pro mortuis, ſi eorum nomine ex charitate divina eleemoſynæ offerantur. (3.) Qui confitentur, indulgentiæ hujus Romanæ fiducia, ab omni excommunicatione, omnibusque peccatis, etiam atrocibus & ſolius Pontificis abſolutioni reſervatis, liberantur, exceptis tantum caſibus *Bullæ Cœnæ Domini*. (4.) Omnia vota mutari vigore harum indulgentiarum poſſunt, exceptis quæ facta ſunt de peregrinatione Romana, ad D. Jacobum, & pro caſtitate, & religione monaſtica ſuſcipienda. (5.) Omnia male quæſita, quorum pretium ad quingentos aureos non adſcendit, retineri bona conſcientia poſſunt, ſi non conſtet, quibus ablata ſint, & reſtitui poſſint. (6.) Qui in gradu prohibito matrimonium contraxerunt, ſi id nondum propalatum, aut in judicium deductum eſt, conjuncti manere poſſunt ſalva conſcientia. (7.) Qui has indulgentias oppugnant, aut abſolutionem in dubium vocant, in excommunicationem incidunt, a qua non niſi a Pontifice & in articulo mortis abſolvi poſſunt. (8.) Nulla alia conſtitutione hæc gratia Pontificia tolli poteſt. Anno 1522. d. 24. Aprilis Canonici literis ad Electorem datis ſignificant, majoribus ſuffragiis decretum quidem a ſe eſſe, (repugnaverat enim *Præpoſitus Jonas, Amsdorffius* aliique,) ut conſueta oſtenſio reliquiarum proxima d. 12. Maji fieret, ſed omiſſa indulgentiarum mentione, quæ populo jam inviſa & ridicula eſſet. Probat id Elector reſcripto d. 26. April. & Norimbergenſium exemplum allegat, qui eodem modo ſeſe gererent: mandat tamen, ut armati quidam adhiberentur, qui tumultum plebis impedirent: liberum præterea Canonicis relinquit, quid de concionibus & Miſſis ſtatuere vellent. Anno ſequenti 1523. aucta jam populi averſione, alio mandato ordinavit Elector, ut reliquiæ ſaltem in altaribus, ut in feſtis ſolennioribus fieri conſveverat, proponerentur, omiſſa non ſolum indulgentiarum prædicatione, ſed & oſtenſione. Hic tunc fuit Eccleſiæ Saxonicæ, quoad reliquiarum venerationem & indulgentiarum conceſſionem, ſtatus, iſta optimi Principis, totiusque Cleri & populi univerſi perſuaſio & credulitas, aut oſcitantia, quæ non niſi plurium annorum labore extingui potuit. Adeo facile & commodum videbatur, DEUM tantilla moleſtia & modico ære placari poſſe. Accedebat lucri dulcedo ex affluxu & collationibus populi. Reperio emolumentum aliquod tenue licet, captatum eſſe diſtributis denariis typo unius ex illis, pro quibus Judas Chriſtum vendidiſſe dicebatur, inter cimelia templi aſſervati, ſignatis. Extat computus (*Reg. O. fol. 93.* Dd.) ex quo liquet, anno 1517. florenos 14. & denarios 17. hoc modo ad Eccleſiam perveniſſe. Dixi ſupra de Friderici ſolicitudine ad conquirendas reliquias. Extant *Franciſci I.* Regis Galliæ ad eum literæ, ut & Cancellarii *Antonii de Prato* d. ult. Junii non adſcripto anno (ſed 1518.) datæ, in quibus tamen Fridericus per errorem *Archidapifer* Imperii vocatur: extant & *Margarethæ Auſtriacæ* Belgii gubernatricis d. 10. Junii ad eundem ſcriptæ, in quibus ſignificantur donationes reliquiarum. Sunt & aliæ ex Mantua, Colmaria, Baſilea & Ilmena Thuringorum, ubi illuſtre virginum cœnobium erat, hac de cauſa ſcriptæ. Venetiis monachus *Burcardus Baro Schenckius*, cujus ſupra ad §. *LXXIV. fol. 115.* mentio facta eſt, Friderico reliquias procurabat, uſus potiſſimum opera *Jacobi* & *Petri Pauli Vergerii*. Hos Schenckius literis d. 29. Oct. 1521. ad Spalatinum datis, (*Reg. O. f. 95.* Gq.) his verbis commendat: *Intendit ipſe Petrus Paulus, frater Jacobi, permanere & complere in VVittenberga ſtudium ſuum, ſi potuerit & ſit beneplacitum Principis noſtri. Rogavit quoque me, ut tibi ſupplex fierem pro eo, & certe credo, magni honoris & utilitatis eſſet illi Univerſitati; habet enim nobiliſſimum ingenium & memoriam, ut experientia videre licet, reputaturque præcipuus de humanitate & jure, inter juvenes ſtudii Patavini. Rogo propterea, T. Dom. ſuſcipe eum & commenda eum Principi Seren. ut filium, & primo in Univerſitate, ut inveniat locum legendi, vivendi, & proficiendi.* Hæc obiter notari poſſunt, quia occaſionem indicant, qua *Vergerius* Saxoniæ Principibus innoteſcere cœpit, & fortasſis etiam legatio poſtea hoc intuitu illi delata fuit. Interea indulgentiarum pretium in Germania concionibus & ſcriptis Lutheri imminutum erat, ut Elector anno 1522. ad pecuniam quam Burcardus poſcebat, tardior eſſet; accidit etiam ut Vergerius uterque, cum reliquias ex Italia Electori afferre vellent, in itinere in morbos inciderent. Urgente itaque Burcardo, & nummos expoſitos repoſcente, Spalatinus in anguſtiis erat, & apud Electorem ſeſe excuſabat, optans, ut indulgentiarum cauſa ante aliquot annos in diſputationem veniſſet, ut tunc venerat, ſic enim pecuniæ & laboris compendium fieri potuiſſe, ipſi vero Burcardo tandem d. 28. Julii 1522. aperte reſpondit: *Reliquias nobis miſſas, una cum cruce, recipies omnes, a te, quanticunque poteris, vendendas; credibile enim eſt, iſtic quam hic majoris eſſe tum pretii tum honoris. Hic enim vel vulgus ita reſipuit, ut verbo DEI edoctum ſatis ſibi eſſe putet, ut & revera eſt, fide & fiducia erga DEUM & charitate erga proximum.* De Vergeriis ſcribit nihil ſe poſſe promittere. Pertinax tamen adhuc anno 1523. d. 19. Novembris Canonicorum VVittenbergenſium quorundam in tuenda veteri ſuperſtitione ſtudium fuit; eo enim die multis rationibus Electorem dehortantur, ne Philippo Comiti Solmenſi, neſcio quas reliquias petenti annueret, tandemque negant, ſe absque ſummi Pontificis, cujus imperio immediate ſubſint, venia conceſſuros eſſe, ut aliquid ex theſauris illis deminueretur.

(e) Modus & formula oſtenſionis.

(f) Relatio ad Electorem & reſcriptum de mutatione oſtenſionis.

(g) De denariis Judæ.

An. 1522.

(h) Literæ Regum & Principum de reliquiis.

(i) Schenckii & Vergerii in eo negotio opera.

(k) Decrementum opinionum de reliquiis.

§. CXXXI.

Antequam ad ea, quæ Maimburgius, non ſervato temporis ordine, ſubjungit, progrediar, alia quædam ad annum hunc 1522. pertinentia referenda reperio. Et ſcripta quidem Lutheri quod attinet, edidit præter illa, quæ memorata ſunt, *cenſuram Bullæ Pontificiæ*, quam vocant, *de cœna Domini* quotannis in die viridium ante Paſcha recitari Romæ ſolitæ; ita nempe, ut Germanice verſæ annotationes adderet ſatis mordaces, præſertim ad locum, ubi prima Lutheri inter hæreticos mentio facta fuit. Adjecit, quaſi antidotum, pſalmum, qui in Bibliis Latinis nono conjungitur, Hebræis decimus eſt, *Ut quid Domine receſſiſti longe*, ſcholiis explicatum. Ex ſermonibus etiam ejus aliqui typis vulgati fuerunt, v. g. *de vita conjugali, Tomo II. Alt. f. 208.* Hunc ſuo more exagitat *Cochlæus*, ſed nullo jure. Neque enim neceſſitatem conjugii indiſtincte præcipit Lutherus, ſed injuſti-

(l) Cenſura Lutheri in Bullam de Cœna Domini.

(2) Excerpta ex ſermone de conjugio.

An. 1522. justitiam & nullitatem votorum cœlibatus demonstrat, neminemque hic obligari posse contendit, nisi aliquam ex tribus illis continentiæ conditionibus habeat, quas Christus *Matth. XIX. 12.* enumerat; ex his vero tertiam de illis, *qui seipsos castrant propter regnum cœlorum*, rarissimam & inter mille vix uni possibilem æstimat, eorum nempe, qui, ut loquitur, Dei gratia frænati, natura licet & corpore conjugio apti, voluntarie tamen (non ex voto obligatorio) nuptiis abstinent, & malunt generandis per Evangelium liberis spiritualibus occupari. Hoc inter miracula Dei singularia refert, quæ acquiri proprio ausu nequeant; tales vocatione Dei singulari, ut Jeremias, excitari, ut eam vim gratiæ divinæ in se sentiant, ut verbo illi divino alteri, *crescite & multiplicamini*, locus apud eos non sit. In hoc tractatu calumniam repellit, qua etiamnum a male feriatis quibusdam laceratur, ac si sensisset, *ut fœmina impotenti ad rem maritalem viro juncta, alio uteretur:* sententiam igitur suam quam dubius adhuc & timidus dederat, ita declarat, ut apertæ separationi locum esse statuat, quoniam nullum est tali casu matrimonium. Postea alias separationis causas, & quid de gradibus prohibitis jure divino sentiendum sit, expendit, & Pontificias leges, matrimoniorum libertatem arctantes, & dispensandi utilitatem sectantes, reprehendit. Erfurti hoc anno duas habuit conciones d. 21. & 23. Octobris: ex quibus posterior (die S. Severi) impressa extat *Tomo II. Altenb. f. 154.* in qua de fide & bonis operibus sententiam suam proponit & de cruce Christianorum salutaria monet. Antea epistolam ad Christianos & Prædicantes Erfurtenses de cultu Sanctorum dederat sub finem Maji, quæ Germanice habetur *Tomo II. Altenb. f. 159.* & Latine *Parte II. epistolar. p. 84.* Latinæ dies decimus Julii adscriptus est. Dissidebant autem in quibusdam prædicatores Evangelici, quos in epistola illa nominat & salutat, inter quos primarius erat *Johannes* ille *Langus*, Prior nuper Augustinianorum. Cum enim inter illos quidam vehementiores essent, jam antea in vigilia Palmarum ad *Langum* scribens monuerat, ne tumultum Carlstadianum in auferendis imaginibus Missisque solitariis abrogandis imitarentur: *verbo solo* (ait) *sunt auferenda scandala, ut sponte sua cadant, & sine manu conterantur, sicut idola per Apostolos ablata sunt.* Hoc autem principium suum sæpissime inculcavit, nec Pontificatui Romano, quantumcunque eum abominaretur, alium exitum aut finem, quam per verbum divinum, aut per adventum Domini, ominatus est. Ita clare scribit in allegata annotatione ad Psalm. IX. vers. ult. *Hic versus certe de extremo judicio cantat: dicit enim post destructionem Pontificis & liberationem pauperum non fore in terris tyrannum, qui metui debeat. Hoc fieri non posset, si mundus post Papam duraturus esset, mundus enim nunquam erit sine tyrannis. Concordat itaque Propheta cum Apostolo, quod Christus adventu suo sedem illam subversurus sit: utinam propediem fiat! Amen.* Itaque nugas agunt nugacissimas *Cochlæus* aliique, qui verba ejus cavillantur, cum Papæ interitum mox instantem denunciare videtur. Nam hæc aliter non intelligit, quam de particulari, magno tamen Pontificiæ autoritatis in Germania aliisque provinciis decremento & ruina. Itaque & alias sæpius, tum hoc ipso anno, cum adhuc in arce latitaret, die conversionis Pauli exhortationem scripsit, in qua gravissime omnes a violentia & seditionis consiliis dehortatur, divinam œconomiam allegans, quæ non vult, ut vi agatur. *Quicunque*, ait *Tomo II. Altenb. f. 81. doctrinam meam legunt, & recte intelligunt, a seditione abstinent; eamque ex me minime discunt; si qui sunt, qui ea abutantur, id nobis imputari non debet.* Monstrat autem, quantum brevi prædicationis suæ tempore profectum sit, sine omni violentia, adversus abusus Ecclesiæ, quibus corrigendis & Imperatores & Reges frustra insudaverint. *Non est*, scribit, *meum opus, nec in hominis viribus est ita operari, imo ne mea quidem deliberatione aut consilio hucusque successit, nec porro per me succedet; alius vir est, qui rotam machinæ impellit, quem non vident Papistæ, sed mox videbunt. Tu modo Evangelium urge & promove, doce, scribe, concionare, ostende, vitam Christianorum in fide & charitate consistere, & vide, quomodo post biennium Papa, Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, monachi, moniales, campanæ, turres, missæ, vigiliæ, cuculli, tonsuræ, regulæ, statuta, totaque legum papalium moles in fumum sit abitura.* Hæc etsi exsibilantur ab adversariis, magnum tamen implementum in tot regnis & provinciis habuerunt, etsi justo Dei judicio universalis totius Christiani orbis reformatio non fuerit secuta, nec Lutherus talem, ut ex iis, quæ alibi scripsit, constat, intellexerit.

(3) *Refutat calumniam de Bigamia.*

(4) *Conciones Erfurtenses, & epistolæ ad ministerium urbis.*

(5) *Sententia ejus de interitu Papatus.*

§. CXXXII.

Inter epistolas, quas hoc anno scripsit, memorabiles quædam sunt, & historiam juvant. Notanda maxime est illa, quam ad Bohemiæ proceres comitia Pragæ habentes d. 15. Jul. dedit *Lib. II. epist. p. 85.* extat etiam Germanice *Tomo II. Alt. f. 187.* In hac hortatur, ne ab Evangelio deficiant, tum Hussi memoriam commendat, sectasque tolerandas esse monet. In Silesia *Carolus* Monsterbergensis Dux, Lutheri libellis motus, humanissime ad eum scripsit d. 29. Jun. querens, quod proavum suum *Georgium Podiebradium*, Bohemiæ Regem, Pontifices ob Hussi dogma anathemate in quartam usque generationem devoverint, hortaturque Lutherum, ut contra Pontificum abusus porro scriptis & voce pergeret. Respondisse se Duci Lutherus ipse refert, sed exemplum literarum nondum vidi. In Franconia *Johannes* Baro *Schwarzenbergius*, (quæ familia inter equestres a multis seculis splendidissima, dudum in Baronum & Comitum, nuper etiam in Principum ordinem evecta fuit) aulæ Bambergensis Magister, vir erat non indoctus, scriptisque quibusdam clarus, & Luthero favere cœperat, sed ita, ut nondum omnia ejus dogmata probaret. Hujus literis Lutherus mense Septembr. (vide *Tom. II. Altenb. f. 221.*) respondens, inter alia laudat moderationem Episcopi Bambergensis, & parci petit intercessione Baronis, Pastori Coronacensi, qui uxorem duxerat. Certe in ipsa urbe Bamberga eos Evangelii doctrina progressus fecerat, ut Pontifici Adriano dignum cura sua videretur, ut ad Senatum urbis prolixe scriberet, d. ult. Novembr. hujus anni 1522. Hoc diploma in Lutherum injuriosissimum ipse Latine & Germanice edi, & notis ad marginem per-

(1) *Epistola Lutheri ad Bohemos.*

(2) *Ad Ducem Monsterbergensem.*

(3) *Ad Baronem Schwarzenbergium.*

(4) *De Bambergensibus rebus quadam.*

An. 1522.

nem perstringi curavit. Vide *Tom. II. Lat. Jen. f. 570. Tom. II. Alt. f. 244.* ubi Germanica commonitio Lutheri subjuncta est, in qua barbaram Latinitatem Pontificii scripti, & alia exagitat, acceptat tamen, quod Adrianus judicium de doctrina Bambergensibus deferre videatur. Igitur & ipse populum inter Pontificem & se judicem ferre vult, uter Scripturam recte alleget.

ADDITIO I.

De Johanne Grau, Coronacensi pastore.

Pastor Coronacensis, cujus mentio facta, vocabatur *Johannes Grau*; pulsus erat ab Episcopo Bambergensi & Regimentum Cæsareum frustra imploraverat. Constat id ex *literis* Lutheri *MS.* d. 8. Martii 1524. (in Bibliotheca Jenensi) commendatus inde ad pastoratum Olsniciensem in Variscis a Luthero fuit, verbis quæ adscribi merentur: *Prædicatores pro Olsnizen, duos habeo. Sed unus, quem maxime vellem in hoc ministerio servire, uxorculam habet, alioquin omnibus dotibus pollet, quæ Evangelistam decent, modestia, eruditione, pietate & morum honestate simul cum uxorcula insignis. Nam plus duobus annis inculpate ac magna laude vivit apud nos. Is est Parochus, Cranachio ab Episcopo Bambergensi pulsus ob conjugium, cui tolerabilis fuisset, si scortator & adulter esse voluisset, id quod ei concessum etiam ac permissum erat. Si is placet, vel non placet, aut ferri vel non ferri potest, significari peto. Nam eum in nostris regionibus teneri velim, ut est rarus talium virorum vultus, alioqui jam extra terras alio vocatur.* Cæterum ex *historia MS. Myconii* intelligitur, virum illum in aula Vinariensi Ecclesiasten fuisse.

(5) De Hartmutho a Croneberg quædam.

Sæpius jam *Hartmuthi Cronebergii* potentis in tractu Rhenano Equitis meminimus. Is scriptis & voce Lutheri causam mascule defendere cœperat, aliqua tamen ejus nomine ipsum Lutherum composuisse compertum fuit. Extant vero, & ex *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* mecum communicata fuerunt, quæ stylus arguit, Cronebergii esse. Talia sunt literæ ejus ad *Petrum Meierum*, Pastorem Francofurtensem anno 1522. Sabb. post Pentecost. datæ, in quibus eum ad veritatem Evangelicam docendam hortatur, & quam anno 1523. coram Regimine Norimbergensi apologiam fecit; tum quæ ad Adrianum Papam eodem anno per modum epistolæ edidit. In his magnum pro religione evangelica & adversus hierarchiam Romanam zelum ostendit. Speciatim vero contendit, ut Episcopi, Prælati & Monachi ditionibus temporalibus cedant, utque reditus illi ad veram Dei laudem, alendis Prædicatoribus & pauperibus impendantur, Episcopis etiam honesta præbeantur salaria, eaque omnia magistratuum cura & consentiente populo, nulloque privatæ utilitatis respectu expediantur. Quæ ideo refero, ut appareat, quod supra jam monui, quam false & inique Nobilitati Germanicæ, Lutheri doctrinam tunc amplexæ, imputetur cupiditas bonorum Ecclesiasticorum, in suos usus vertendorum. Ejectus tunc erat *Cronebergius* arce & oppido suo, unde nomen habuit, prope Francofurtum, occasione societatis cum Sikingio & inimicitiarum cum Trevirensi Archiepiscopo, cujus vasallus erat, sed feudum ultro, ut loquuntur, refutaverat sive abdicaverat. Eadem tamen cum magnanimitate locutus est, qua florentibus rebus consueverat. Laudat id Lutherus *Lib. II. Ep. p. 126. Vir tanta* (scribens) *passus, adhuc satis firmus in fide stat.* Sed legi meretur Epistola, quam Lutherus ad eum dedit, mox cum ex arce VVittenbergam rediisset, *Lib. II. p. 100.* (Germanica etiam extat *Tom. II. Alt. f. 116.*) piis admonitionibus & consolationibus plenissima. Acerbe in ea queritur de Wormatiensi decreto, quo Germania veritatem indicta causa damnaverit, ut & de tumultu VVittenbergensi, ex quo cautiorem se factum fuisse non diffitetur. Gratias autem agit Deo, quod & Cronebergius & alii inveniantur, quibus Deus spiritum largitus sit nulli offendiculo obnoxium, fidemque per charitatem operantem & efficacem. Non vult in se credi, sed in Christum, nec *Lutheranos*, qui doctrinam ejus recipiunt, vocari, ut alibi non semel contendit. *Verbum habent* (ait) *& ipsos verbum habet: Lutherum, sanctus sit an improbus nebulo, non morentur; potest juxta Deus per Balaam loqui atque per Esaiam, per Caipham ac per Petrum, sed & per asinam.* Addit alia magna cum parrhesia *p. 106. b.*

An. 1522.

ADDITIO II.

(a) De literis Hartmuthi a Croneberg.

Reperit pro magno suo in eruendis antiquitatibus Germaniæ, maximeque Saxoniæ studio *D. Caspar Sagittarius*, haud ita pridem *Salfeldiæ* Thuringorum plurimas literas schedasque ad *Joh. a Dolzig*, Consiliarium & Mareschallum Saxonicum, cujus sæpe in opere nostro mentio fit, scriptas missasque. Inter has etiam sunt *Cronebergii* quædam, ex quibus satis certo constat, non Luthero, sed illi adscribenda esse, si non omnia, plurima certe, quæ *Tomo II. Alt. fol. 247.* Luthero vindicantur; illa præsertim epistola, quam *ad Cæsaream Majestatem* exaravit, hujus enim exemplum d. 2. Nov. 1521. ad *Dolzigium* misit Cronebergius, cum literis ad *Sickingium* in eadem causa compositis, in quibus Lutherum defendit, quod Papam pro Antichristo habeat. Accessit mox alia ad agnatum suum *VValterum Cronebergium*, tum Commendatorem Francofurtensem, Teutonici Ordinis postmodum Magistrum d. 6. Nov. dicto anno, quam Dolzigio d. 30. Nov. misit. Prolixiores autem sunt, quam ut referri hic integræ possint, publicatione alioquin dignissimæ. Licet autem vir hic militaris & Sickingii factioni implicitus, vehementer in abusus Pontificios invehatur, ita tamen moderatur fervorem, ut dicat: *erga Pontificem ejusque sectatores misericordia potius, quam rigore & vindicta utendum esse, a Deo enim cæcum illum pastorem nobis datum esse ob atrocia peccata, maxime ob ingratitudinem abominabilem adversus Deum tantis beneficiis per Christum nos cumulantem, & quod divinam ab humana sapientia discernere, & hanc præ illa sequi voluerimus.*

(b) Epistola ejus ad Cæsarem.

Epistola *ad Cæsarem* data diem adscriptum non habet; compellat autem Cæsarem multa quidem cum reverentia, sed stylum Latinum in versione forte, imitatus, & præter morem linguæ Germanicæ, singulariter (Deine Majestät.) Commendat ei exquisitissimis verbis & rationibus a divinæ veritatis præstantia deductis, Lutheri doctrinam, & Cæsarem orat, *ut Pontifici errores suos ostendat, & demonstret, quod tamdiu Antichristus sit, quamdiu se ipsum non agnoscat, & vitia regiminis corrigat:* ita enim mentem suam explicat in literis ad *Sickingium* d. 13. Octob. (Dom. post Dionys.) Dicit enim: *Cæsarem optimo modo Papæ autorem esse posse, ut vere fiat vicarius Christi, si nempe ad ejus præscriptum oves pascat, avaritiam Cleri & numerum ejus superfluum aboleat, vel per Concilii decretum, vel ut decedere eos sinat, quibus carere Ecclesia possit.* (lasse sie aussterben) *reliquos vero ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem ministerium gerere doceat.* Addit tamen; *si refragetur Pontifex, Cæsari jus esse ut eum cogat, & media ex ipsis bonis, quæ Ecclesiastica vocantur, corroget, adjutus ab Episcopis omnibusque sacerdotibus & monachis, quorum opes melius impendi non possint. Animandum,* ait, *ad hoc Cæsarem ex verbo Dei, neque quicquam ei a Pontifice metuendum esse.*

(c) Instructio Evangelica.

Anno sequenti 1522. d. 29. Maj. Dolzigio mittit instructionem Evangelicam, sive legem stipendiariam, nomine Christi, (eine Bestallung) quam vocat, pro D. Martino Luthero bona mente conscriptam, quæ *Tomo VI. VVitten-*

An. 1522.

VVittenbergensi inserta est, ut & *fraternitatis Cronebergicæ* noviter ordinatæ statuta, quæ omnia Lutheri censuræ subjicit. Indicat etiam, se cuidam sacerdoti Cronebergensi indulsisse, ut ancillam suam in matrimonium duceret. Fridericum Electorem ob hospitium & alimenta Lutheri mire laudat, & se multosque illi affuturos esse contestatur, corpore & opibus, si opus sit, adversus hostes, qui Evangelii causa adversus illum sint insurrecturi. *Spalatinus* in epistola *ad Dolzigium*, d. 8. Jun. satis probat Cronebergii scripta, sed minas omitti & Scripturas allegari debere monet. Autumno ejus anni per literas d. 16. Sept. significavit *Dolzigio* Sickingium quinquies mille equitibus & decem peditum millibus adversus Trevirensem movisse ut portam aperiat Evangelio & verbo Dei, ab Episcopo humanis viribus vehementer occlusam. Dem Wort GOttes die Thüre zu öffnen / die von demselbigen Bischoff nach menschlichen Vermögen auff das härteste beschlossen. Ipse ad custodiam arcis Ebernburgensis relictus erat. Sed de infelici illius ausus successu jam satis dictum est, & Cronebergius plus quam triginta millium aureorum jacturam illo bello fecit, animo tamen infracto. Eodem die 16. Sept. ad *Regimentum Imperii Norimbergense* exhortationem scripsit, in qua inter alia *dirissimum supplicium sectionis in quatuor partes se vivum passurum esse* dicit, (wolle sich gern lebendig viertheilen lassen) *si procurare sua illa morte posset Germaniæ salutem in accipienda Evangelica doctrina.*

(d) *Relatio de expeditione Sickingii.*

(e) *Exhortatio ad Regimentum.*

§. CXXXIII.

(1) *Lutherus laudat commentarium Melanchthonis in ep. ad Rom.*

Lutherus hoc tempore *Melanchthonis commentarios in Epistolam ad Romanos* inscio & invito ipso subtraxit, & edi fecit; idque in epistola ad eum d. 29. Julii scripta defendit *d. l. p. 87.* præfert autem ejus labores (etsi id cum magna invidia se facere animadvertat) Hieronymi & Origenis commentariis: *illos enim sua potius quam Paulina & Christiana*, ait, *tradidisse. At Philippi annotationes commentarium appellari non posse, sed indicem legendæ Scripturæ & cognoscendi Christi, qualis nullus huc usque extet.* Edita hoc anno quædam sunt *Wesseli* (cognomento *Gansevoit*) *Frisii Groningensis*, qui ob variam illoque tempore stupendam eruditionem *Lux mundi* dici solitus fuit. Natus erat anno 1400. decessit anno 1489. trium linguarum sacrarumque literarum gnarus, & a corruptela dogmatum scholasticorum ita recedens, ut justitiam illam operum externam & constitutiones traditionesque humanas rejiceret, & verbum Dei pro credendorum regula haberet, Missarum etiam abusum notaret & cœlibatum cleri impurum detestaretur. Illum, cum Parisiis & Basileæ docuisset, Philippus Elector Palatinus renascentibus literis favens, Heidelbergam evocavit anno 1477. ubi, cum Clericus non esset, nec fieri vellet, a Theologiæ professione repulsus, Philosophiam & linguas aliquandiu docuit, discipulum & successorem reliquit popularem suum *Rudolfum Agricolam*, Omlandum Frisium, celeberrimum postea nomen adeptum, primumque bibliothecæ Palatinæ pararium. Huic *Joh. Reuchlinus* sive *Capnio* successit, itidem Wesseli auditor. Reconditiora vero de omnibus illis memoravit *Henricus Altingius in historia reformationis Palatinæ* ad testimonia *Gosvini* Halensis Belgæ provocans, quæque is ad Melanchthonem anno 1528. de Wesselo scripsit. In hujus igitur Wesseli librum sive farraginem Lutherus præfationem edidit 3. Cal. Aug. quæ in *Epistolarum Part. II. p. 89.* habetur, ex qua sequentia merito adscribenda veniunt: *Ego nescio qua Dei providentia in publicum raptus, cum monstris istis indulgentiarum & pontificiarum legum, & falso nominatæ Theologiæ, sic pugnavi, ut me solum esse putarem. Etsi satis mihi semper fuerit animi, ita ut passim mordacior & immodestior accuser, præ nimia, qua ardebam, fiducia: semper tamen id optavi, quo tollerer & ego de medio meorum Baalitarum, & civiliter mortuus in angulo mihi viverem, prorsus desperans me posse quicquam promovere apud æneas frontes istas & cervices ferreas impietatis. Sed ecce & mihi dicitur, esse Domino reliquias suas salvas, etiam in hoc tempore, & Prophetas in abscondito servatos, nec hoc solum dicitur, sed & cum gaudio ostenditur. Prodiit enim Wesselus* (*quem Basilium dicunt*) *Phrisius Groningensis, vir admirabilis ingenii, rari & magni spiritus, quem & ipsum apparet esse vere Theodidactum, quales prophetavit fore Christianos Esaias; neque enim ex hominibus accepisse judicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset lectus, poterat hostibus meis videri Lutherus omnia ex Wesselo hausisse, adeo spiritus utriusque conspirat in unum. Mihi vero & gaudium & robur augescit, jamque nihil dubito, me recta docuisse, quando tam constanti sensu, peneque eisdem verbis, tamen diverso tempore, alienis cælo & terra, alioque casu, sic ille mihi per omnia consentit. Miror autem, quæ infelicitas obstiterit, quo minus in publico christianissimus hic autor versetur, nisi in causa fuerit, quod sine bello & sanguine vixerit,* (*qua una re mihi dissimilis*) *aut metus Judæorum nostrorum* (Aleandrum innuit) *eum oppresserit, qui suis impiis inquisitionibus in hoc nati videntur, ut optimos quosque libros faciant hæreticos, qui suos Aristoteles & plusquam hæreticos nobis statuant Christianos, quorum finis Deo vindice jam desinit in confusionem. Legat itaque pius lector, legatque cum judicio, quo maxime hic præstat, quod & egregie format, & quos in me offendit nimia asperitas, in aliis nimia dictionis elegantia, hic non habent quod querantur. Stylus est trivialis, ac pro seculo suo res ipsa tractatur modeste & fideliter. Et si in stercoribus Ennii legit aurum Virgilius, poterit & ex Wesselo nostro legere, quod opibus eloquentiæ suæ addet Theologus. Dominus Jesus addat ad hunc multos alios Basilios.* Subjuncta est cujusdam *Joh. Ostendorpii* Daventriensis relatio, ad quem VVesselus jam senex dixisse perhibetur: *Studiose adolescens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum, Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ, ab omnibus vere Christianis Theologis explodetur.*

(2) *De scriptis VVesseli Græningensis hoc anno editis, & autoris vita.*

(3) *Lutheri in scripta VVesseli præfatio.*

An. 1522.

ADDITIO.

(a) *Altingii relatio de VVesselo.*

Merentur ipsius *Altingii* verba de VVesselo adscribi: *Primam hic* (Heidelbergæ) *facem prætulit inclytæ Reipublicæ Groninganæ civis, VVesselus Gæsevoit* (sive Gansevoit) (alii scribunt *Gansfort*) *Græcis* Basilius *appellatus, natus Groningæ in platea Dominicana, e regione viæ Carolinæ anno 1400. denatus ibidem 1489. ætatis suæ octogesimo nono, ac in æde virginum spiritualium, ubi monumentum ejus hodieque visitur, tumulatus. Hic eo seculo præ aliis floruit ingenii doctrinæque gloria, & totum scientiarum orbem tam feliciter complexus est, ut summis in artibus, disciplinis ac facultatibus & Magistris & Doctoribus æquipararetur, adeoque* Lux Mundi *vulgo diceretur. Præcipuam tamen operam trium linguarum cardinalium, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ cognitioni impendit, & ex omnibus sectis Philosophorum Platonicam unice amplexus est, ceu propiorem doctrinæ Christianæ & ejus genio magis convenien-*

convenientem. Quum vero sacrarum literarum studio se dedisset, Scripturasque diurna nocturnaque manu versaret, facile deprehendit, quantum erroris in doctrinam, quantum superstitionis in cultum, quantum denique tyrannidis in gubernationem vitio temporis invectum esset. Quod cum non dissimularet, graves ipsi cum Monachis atque aliis sacri ordinis viris de his capitibus concertationes intercessere, qui non ferentes receptis dogmatibus contradici, sævas in ipsum persecutiones concitarunt, ut non semel domicilium mutare, & alias atque alias subinde sedes quærere coactus fuerit. Dogmata ejus eadem ferme fuerunt, quæ Lutheri, uti ea cum aliunde, tum inprimis ex epistolis Gosvvini, viri docti & senis, peti possunt. Iste enim Gosvvinus sive Josquinus natus in pago Halen ad Mosam, unde Halensis cognomen tulit, Pater Monachorum in collegio Fratrum Groningæ, de VVesseli doctrina, biennio ante suum obitum, id est, 1528. ad Melanchthonem perscripsit. Sunt autem hæc potissimum: Damnabat justitiam operum, & quicquid ex iis meriti ac satisfactionis propriæ comminiscebantur Monachi, contra solam justitiam Christi nobis imputari & donari per fidem absque operibus nostris asserebat. Rejiciebat traditiones humanas & constitutiones ecclesiasticas quibus omnem necessitatis cultus partem negabat, unicum contra agnoscebat fidei & religionis canonem, verbum Dei, scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensum, hujusque autoritatem non ab ecclesiæ autoritate sed ex ipsiusmet verbi dignitate arcessebat. Exsecrabatur horrendam profanationem Cœnæ Domini in Missa, ubi credulis hominibus persuadebatur transsubstantiatio panis in corpus Christi ejusque religiosa adoratio: spiritualem contra præsentiam & manducationem quæ fit per fidem Jesu Christi adstruebat; denique cœlibatum sacerdotum, tanquam omnis impuritatis fontem, toto pectore detestabatur. Adeoque omnia quæ seculo sequenti a Luthero in disceptationem sunt adducta, ea ipse veluti præsultor tunc movit & redarguit. Factum autem anno 1477. ut Philippus Elector Palatinus, de restauranda Academia Heidelbergensi sollicitus, quæ inde a prima fundatione viris doctissimis & clarissimus fuerat nobilitata, hunc VVesselum ad professionem Theologicam Heidelbergam vocaret; quo quidem ipse animo obsequendi quoque profectus est. Cæterum hoc ipsi a proceribus suis Scholæ permissum non fuit, quod titulum Theologi non haberet; neque is quoque petenti collatus est, quod id per canones non liceret nisi prius ordinem aliquem sacrum suscepisset. Hoc autem cum aversaretur, ac ne primam quidem tonsuram admitteret, relicta cathedra Theologica ad Philosophos se contulit, & aliquandiu literas Græcas, Hebræas, Latinas & Philosophiam docuit: eaque in professione primam quasi sementem jecit purioris doctrinæ, non dissimulans, quid in recepta formula confessionis & cultus desideraret. Hæc Altingius.

(b) *De libro VVesseli.*

Sed jam ex ipso *VVesselo*, cum liber ejus in paucorum, ut puto, manibus sit, quædam apponenda sunt, ut Lutheri dictis fides adstruatur. Editioni anni 1522. quam ex *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* utendam accepi, præmissa est præfatio *Joh. Arnoldi Bergellani*, (extat hæc in editione Amstelod. p. 851. 852.) in qua inter alia memorat, multa VVesseli scripta propter impias sophistarum imposturas intercepta esse, hanc vero *farraginem rerum theologicarum* maximopere commendat, utpote rectum ad Christum iter monstrantem. Continet autem magnum dictorum Christi & Apostolorum de aliquibus fidei articulis acervum, absque allegatione locorum unde sumta sunt, & commentationes quasdam VVesseli, v. g. *p. 25. b.* (edit. Amstelod. Jo. Lydii quæ prodiit anno 1617. *p. 746.*) lemma habet, *quod fide justificamur tanquam argumento, non tanquam causa*, illi inter alia hæc subjungit:

(c) *Excerpta de justificatione.*

Jam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis, non propter verbum fidei vestræ, aut propter verbum confessionis vestræ, tametsi mundi sitis, habentes verbum fidei in corde; & verbum confessionis in ore, quoniam fide mundificat corda fidelium: sed non propter fidem, sed propter sermonem & verbum Dei vivificans hominem. Sic neque in baptismo propter verbum credulitatis & confessionis, neque propter verbum sacramenti baptismatis, sed propter verbum loquentis Dei justificatur, vivificatur impius, in fide & ex fide vivens. Fide dico tanquam argumento, sed non tanquam causa. Omnia enim hæc sunt per verbum, de quo dictum: Jam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis, ut in sermone concludit. Apostolus ad Hebr. III. v. 14. vocat fidem & confessionem principium substantiæ Christi, quia per eam participes sumus in Christo, cum sit vita. Justus per fidem vivit. Et hoc magis expresse in III. cap. v. 18. ubi dicit: Quibus juravit non introire in requiem suam: id est, incredulis; incredulitas ergo separat a vita. Et qui credit in eum habet vitam æternam.

(d) *De utilitate bonorum operum.*

Nostra igitur bona opera fidem alunt & confortant, non autem vivificant, sed vitæ vinculum confortant, fidem scilicet nostram. Solus enim Christus & Spiritus vivificat nos, & sacrificium Christi sanctificat nos, & fortiori vinculo fidei, fortius huic vitæ cohæremus. Sed nihil hoc vinculum firmat magis dilectione, fortis enim ut mors dilectio. Per hanc enim cum operatur fides firma est, & principium substantiæ nostræ firmum est. Firmissimum igitur principium substantiæ Christi in quibus dilectio sola operatur. Sed & in aliis operibus ex charitate susceptis, etiam firmum est vitæ vinculum. Non enim aditus est ad Deum nisi per Christum; & quemadmodum infirmus, licet ad mortem declinet, & crescente infirmitate magis declinet, quamdiu operatur aliquod opus vitæ, vivere dicitur, licet exiliter, vivit tamen; ita & in spiritu, quicunque vel tantum credit in Christum, ut non faciat contra Christum, licet langueat, vivit: & si ita hinc tollatur, salvus erit. Et paulo post *pag. 26. b.* (edit. Amstelod. *p. 548. 549.*) *Utrobique ergo fides justificat; non circumcisio, non lex, sed fides prior utroque justificat: non ex merito credentis, sed proposito & acceptatione Dei in quem credidit: quoniam patrem multarum gentium constitui te ante Dominum, in quem credidisti, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Rom. V. Per Dominum Jesum accessum habemus per fidem in gratiam istam, scilicet justificationis, & in hac gratia stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Neque ergo fides nostra, qua vel in Christum, vel in Deum tradentem Christum, neque sacrificium Christi; sed propositum Dei acceptantis sacrificium Christi, & per Christum acceptantis sacrificium Christianorum, justitia nostra est.* Addit dicta Scripturæ plurima.

(e) *De Papa & officio ejus.*

Dein *pag. 27. b.* (edit. Amstel. *p. 748.*) lemma aliud, *quod subditi non obligentur credere Papæ nisi recte credenti*, ita probat: *Papa tenetur credere, & obligatur cum omnibus obligatis fidelibus. Et quando credit sicut obligatur, tunc fideles obligantur credere quod ipse credit: non quia ipse credit, sed quia credit, quod credere debet. Et si alius melius eo crediderit, quod credere debet, ipse Papa debet cum illo credere, quocunque etiam laico & muliere: non quia laicus est, aut quia mulier ita credit, sed quia ad veritatem Evangelii recto calle incedit. Unde Petrus Gal. II. non recto pede ad veritatem Evangelii incedens, tenebatur Paulo, non quia Paulus aut subditus erat, credere; sed quia ad veritatem Evangelii rectiori pede incedebat. Unde concluditur, quod licet verisimiliter præsumendum sit, summum Pontificem & prælatos tanto rectius ad veritatem Evangelii incedere, quanto cæteris aliis altius in sublime dignitatis evecti sunt, & ita cæteris paribus potius illi quam alicui subditorum credendum: non tamen simpliciter subditos obligatos ad credendum illis. Hoc enim adeo irrationabile est, & blasphemia plenum, ut etiam quacunque hæresi pestilentius inveniatur. Potest enim prælatus & summus Prælatus errare; ut primus illorum a Domino Jesu proprio oraculo electus, & Spiritu sancto plenus erravit. Sed hoc factum Domino permittente, ut sciremus, non homini, sed Spiritui sancto nostram fidem obligatam. Et recte: Fides enim cum sit virtus theologica, soli Deo obnoxia, in solum Deum credit, in quo solo justus vivit per fidem. Valde periclitaretur vita justi, si penderet ex vita Papæ. Summorum enim Pontificum plerique pestilenter erraverunt: ut novissimis diebus nostris, in Constantia, celebri concilio claruit Benedictus, Bonifacius & Johannes XXIII. quam graviter fidem lacerarunt*

An. 1522.

rarunt. Et nostris postremis diebus, Pius II. & Sixtus IV. quorum alter patentibus bullis regna terrarum sibi vendicavit; alter turpissimas dispensationes, non solum de præstito in causa civili juramento, sed etiam de præstando, de plenitudine potestatis plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ. Quicquid frater Petrus vel comes Hieronymus, insolenter aut avare gesserunt, ipse postea cum resciret, ratificavit etiam bullis plumbatis. [Per *fratrem Petrum* & *comitem Hieronymum* intelligit *Petrum* & *Hieronymum Riarios*, plebeji in Liguria generis, Sixti IV. sorore natos, quorum ille *monachus Franciscanus*, dein *Episcopus Tarvisinus & Cardinalis*, hic *Imolæ Dominus* avunculi beneficio factus fuit. Utriusque immania scelera nuperrime descripsit *Varillasius in Anecdot. Florentin. Lib. II. pag. 69.* & *VVolfius*, (qui tamen eos cum *Roboreis* fratre pontificis genitis confudit) *Vol. I. Memor. in anno 1455. fol. 836.* eorum & Sixti horrendam turpitudinem quandam narrat, quam libro huic inserere me puduit: quanquam VVesselum testem alleget, in cujus tamen *farragine* non potui locum, quem citat, invenire.]

(f) *De opibus Ecclesiæ.*

De opibus Ecclesiæ ita ratiocinatur *pag. 29.* (edit. Amstel. *pag. 751.*) *Bonum est quod Ecclesia habet multas divitias & temporalem potestatem, & melius esset si plures haberet: bonum enim est, multa bona posse, & melius, plura posse. Malum est, quod Ecclesia habet multas divitias & temporalem potestatem, non solum quia malum exinde potest, sed etiam quia multa mala exinde facit. Male adverterunt prisci Patres, quoniam Principes seculares suos volunt ex opibus Ecclesiæ provideri, qui fere omnes corrupti sunt, & si qui incorrupti accedunt, occupatione & sollicitudine corrumpuntur.*

(g) *De cælibatu.*

De voto cœlibatus, utrum obliget irremediabiliter, ut non liceat redire ad consilium Apostoli: *propter incontinentiam habeat unusquisque uxorem suam*, breviter *pag. 29. b.* (edit. Amstel. *pag. 752.*) respondet: *Stultam promissionem displicere Deo, sicut impia juramenta non obligant contra salutem.*

(h) *De Prælatis & Clero.*

De mandatis Prælatorum & quatenus obligent, utque Dei præcepta semper prævaleant multa docet *pag. 31. & seqq.* (edit. Amstel. *pag. 755.*) & indignos prælatos sustinendos esse dicit ob majorum incommodorum timorem, sicut meretrices in civitatibus. De sapientum vero sententia Papalibus decretis præferenda ita philosophatur. *pag. 36. b.* (edit. Amstel. *pag. 766.*) *In casu simultatis & contradictionis inter Papam & sapientem, non solum Papa tenetur audire & sequi sapientem, & sapiens in his quibus vere sapiens, hoc est, in quibus cordi sermo veræ sapientiæ, secundum immaculatam legem Domini, nullatenus debet a sua sententia discedere & sequi Papalem autoritatem; sed etiam omnis ecclesia fidelium, quæ cognoscit rectum sermonem sapientiæ, debet similiter adhærere sapienti. Factum hoc nuper in concilio Constantiensi, quando Johanni XXII. dissenserunt fideles, & Joanni Gerson consenserunt. Quis enim hodie contradicentibus ac dissentientibus Eugenio ac Bernhardo Claravallense; non Bernhardo magis quam Eugenio cohæreret? Docet hoc exemplo suo Eugenius, qui severas illas monitiones & correptiones de consideratione plurimas tam desideranter acceptavit. Pontificum igitur mandata, quantum obligent, ad Theologum diffinire spectat, si tamen vere theologiset. Quis est hic & laudabimus eum? Plus igitur consensu sapientum Ecclesia in unitate quam prælatorum regimine continetur: quia sapientum consensus efficaciter a Deo dirigitur; Prælatorum regimen sæpe non ita, ut quoniam cæci cæcos ducunt, vel deserunt, vel errare sinunt.* Graviter de corruptione cleri & abusu potestatis Ecclesiasticæ conqueritur *pag. 37.* (edit. Amstel. *pag. 767. 768.*) Taxat negligentiam, lasciviam, incuriam, pompam, præeminentiam, censurarum rigorem, securitatem mandatorum, tutelam conservandæ prælationis. *Hu ego (ait) non puto claves regni cœlorum, immo puto clavem esse Pharisæorum, qua nec ipsi ingrediuntur, cum per ista non ingrediantur, & alios ingredi non sinant, malo exemplo corruptos & impeditos. Quantumcunque certent pro clave potestatis & vere certent, quia revera clavis est, magis clavis est & verior clavis pietatis, sine qua nihil facit clavis potestatis: & ubicunque fuerit, semper invenit sibi conjunctam clavem potestatis. Nunquam per has artes Petrus & Paulus januam regni cœlorum gentibus aperuissent. Nunquam suo consilio; suo studio, suo exemplo duxissent, liberassent a jugo servitutis & corruptionis. Liquet hoc ex familiaribus eorum, qui quanto magis illorum conscii, tanto sunt morum socii. In omnibus enim Cathedralibus ecclesiis collegiatis, ubi sunt crassiora beneficia, semper qui claves ferreas habent, primi sunt ex domo Papæ & Cardinalium, qui quales in ædificatione sunt, nisi qualiter ibidem, unde venerint, instituti sunt. Nunquam hoc fastu Cardinalium cum Apostolis & discipulis, vel in Hierosolymis præside Romano ac pontificibus, nunquam Antiochiæ, nunquam Romæ, nisi majoribus armis, invito Nerone, invito Senatu, januam regni aperuisset.* De potestate & usu clavium & de indulgentiis disputat in quadam epistola *pag. 38. b. & seq.* (edit. Amstel. *pag. 892.*) inter alia his verbis:

(i) *De indulgentiis.*

Ego autem sic accipio, quod minister Christi, si secundum traditionem Christi & Evangelii ministraret, sive fidei verbum, sive fidei sacramentum, sive charitatis exemplum, & subditi sive auditores fideliter accipiant, quod revera fidei & pietatis ministerio solvat & liget in terra ligata & soluta in cœlis; & quacunque alia via vel solvere vel ligare tentet, nihil esse quod facit. Nihil enim nisi salutare pietatis ministerium, Petro puto, & successoribus ejus promissum. Et hoc interim, donec per te aut alios fuero sanius informatus. Neque parum horrori mihi est verbum illud tuum, quo mones, quod magis quam pro ratione mihi esse debet autoritas Papæ. Numquid Parisiensi Facultati Theologicæ *non dico ratione majus fuit, immo numquid fuit pro ratione Clementis Papæ autoritas, quando temeritatem illius angelis præcipientem reprehenderunt & correxerunt? quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio quas vellent elargiebatur? item quando indulgentias a pœna & culpa publicabat? Horum tamen errorum hodie plumbatæ bullæ reperiuntur. Tu tamen mones, in hujusmodi autoritatem Papæ, non solum pro ratione, sed supra rationem mihi esse debere. Quæ quæso in his ratio mea? nonne Scriptura sacra? Nunquid vis Papæ autoritatem supra sacram Scripturam ferre? Papæ voluntas, & Scripturæ autoritas, non æque constituta sunt, ut voluntas Papæ secundum Scripturæ veritatem, non veritas sacræ Scripturæ a Papæ voluntate regulanda sit.* Paulo infra breviter pronunciat: *indulgentiæ sunt remissiones de his pœnis, quas Prælatus injunxit aut injungere potuit.*

(k) *De sacerdotio.*

De sacerdotio loquitur *pag. 41. b.* (edit. Amstel. *pag. 775.*) *Duplex est sacerdotium: unum ordinis & sacramentale; alterum naturæ rationalis & commune omnibus. Secundum sine primo satis est; primum sine secundo reatum habet. Secundum gratiam affert; secundo Antonius* (Eremita ille) *supra multos Episcopos, & coriarius supra Antonium. Apostoli consecrabantur, & ungebantur in Spiritu sancto, quoniam Spiritus sanctus ipse est unguentum, quod nobis Christus sua morte promeruit: ideoque omnes baptisati sumus & inuncti in morte Christi, & in Spiritu sancto. Invenimus namque Christum consecrasse apostolos & discipulos; receperunt enim omnes unguentum Spiritus sancti. Nullo quidem alio oleo seu chrismate usus est Christus in episcoporum ac sacerdotum suorum consecratione. Sed propter reverentiam ac dignitatem sancta Ecclesia plurima ordinavit, quibus cultus Sacramentorum redimitus est, quæ in primitiva Ecclesia fieri non solebant. Apostolus ad Hebr. IV. ait:* Impossibile est sanguine hircorum aut taurorum auferri peccata. *Non ignorabat Apostolus legalia ceremonialia divinitus fuisse instituta, & eodem autore quo novæ legis sacramenta, unde ut quæcunque sacramenta essent, necesse erat, ut filius veniret, ut singulari sacrificio placens, faceret Dei sui voluntatem. Eadem etiam ratione de sacramentis novæ legis. Adeo enim impossibile est, aqua vel oleo peccata auferri, quatenus hircorum sanguine: & eodem autore instituta sunt.* Ne tamen confessionem videatur improbare, ita scribit *pag. 776.* *Non tamen hic volo, quin debeant confiteri, ubi commode possunt; ut qui vivifice vident magis videant, & qui vere vivunt perfectius vivant. Semper enim cum pietate*

pietate subeuntibus efficacia sunt ad majorem gratiam sacramenta: nisi quando majoris pietatis fiunt impedimenta. Ut in quibusdam vocalem confessionem ita sectantibus, ut majora legis, charitatem, cordis pacem, interiorem psalmodiam impediant. His non tam sacramenta quam impedimenta sunt, quare in quibusdam ad horam intermittenda. Hoc nisi Paulus, Antonius, Macarius, Arsenius sensissent, magno spiritualium damno latuissent in solitudinibus, vacantes ab Ecclesiasticis. De Philosophis paganis censuram fert *pag. 46. b.* (edit. Amstel. *pag. 785.*) *Omnis Philosophorum curiositas, quæ non pietate sata germinavit, animalis fuit. Unde evanuerunt in cogitationibus suis, ut bestiales fierent & terreni, & traderet eos Deus in reprobum sensum, adeo, ut corpora sua quæ templa esse debebant per pietatem inhabitantis Dei, passionibus ignominiæ afficerent, neque illo ruinam sistentes ex terrenis diabolici facti sunt, occulte dæmoniorum suasu seducti, ut statuas, aras, thura, templa, diesque festos, ritum sacrum, titulos & nominum inscriptiones sibi fieri procurarent. Hæc Pythagoras, hæc Socrates, hæc Plato, sed maxime Aristoteles. Propterea in Ægyptum & Persidem profecti, ut inde sibi nomen & suam diabolicam curiositatem, dæmonum colloquio & familiaritate, disseminarent.* De universitatibus seu academiis *pag. 48.* (edit. Amstel. *pag. 788.*) quæ subjungit, eo pertinent ut Doctores Scribis & Pharisæis Judæorum comparet, quibus publicanos pœnitentes Christus prætulit.

(l) *De Philosophia.*

De contritione docet *pag. 49.* (edit. Amstel. *pag. 790.*) *Infusæ jam gratiæ opus est contritio, detestatio videlicet peccati, opus meræ justitiæ: non ergo pars sacramenti pœnitentiæ, quia sacramentum pœnitentiæ præcedit & operatur justificationem. Et est contritio nihil aliud, quam justa peccatorum æstimatio, qualem de se Magdalena habere potuit in medio gaudio suo diei Paschæ, & Petrus quando apparuit ei Dominus Jesus: nam tunc sensibilem habuerunt cordis dolorem. Multum ergo derogant liberalitati donatoris, & multum aggravant humeros peccatoris, qui ante Sacramentum gratiæ, justitiam præexigunt in accedente. Justitiam dico contritionem: qui enim conteritur jam justus est, neque Sacramento vivificatur, sed a debito confitendi duntaxat in facie ecclesiæ solvitur. Præterea valde circa hunc locum notandum quod neque dolor, neque tristitia, neque contritio in oculis Dei accepta sunt magis, quam amor ex quo procedunt. Omnium enim passionum primus est amor. Judas enim doluit, & ideo tristis fuit, quod abiens laqueo se suspendit. Sed non acceptus dolor ejus, qui ex amore sui non Dei processit, ut ex ejus origine, videlicet pravo judicio & stultitia ducentibus eum ac dirigentibus in finem stultum, aperte liquet. Quoniam omnis timor, mœror, spes, dolor, ex amore velut radice nascitur, ideo confiteri oportet in pœnitente mœrorem de peccato non acceptiorem esse in conspectu Dei, quam sit amor unde procedit. Unde dolor Judæ pœnitentia ducti, quod justum sanguinem tradidisset, non plus Deo placuit quam amor ille unde processit.* Addit alia plurima in eundem sensum & de veris pœnitentiæ fructibus.

(m) *De contritione.*

Iterum vero de potestate ministerii *pag. 50. b.* (edit. Amstel. *pag. 794.*) *In sacramento confessionis non est sacerdos judex aut absolutor magis quam mundator in baptismo. Sicut enim sacerdos tingit aqua foris, & Christus tantum baptisat in Spiritu sancto, sic in reliquis etiam sacramentis. Sensibile quidem ministerium sacerdos exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Spiritualis enim vita per gratiam Spiritus sancti a nullo nisi a Christo donatur. Sacramentalis ergo absolutionis beneficium in confessione, non ex judiciaria potestate confessoris pendet, ut nulla sit absolutio, tanquam a non suo judice quam ab alio sacerdote* &c. *Quia non sacerdos absolvit vincula peccatorum, sed Christus: sicut non presbyter baptisat in Spiritu sancto, sed Christus: Christi enim baptisma est, non Johannis aut Petri, aut Pauli, aut Apollo.*

(n) *De absolutione sacerdotali.*

Contra satisfactionem disputat *pag. 51. b.* (edit. Amstel. *p. 796.*) *Valde irrationabiliter de sacramento confessionis loquuntur, qui adjunctam satisfactionem asserunt essentialem partem pœnitentiæ. Primo quia detractant sacramentali sufficientiæ, qui non putant principis donationem sufficere ad remissionem. Secundo falsificant verbum absolutionis: quia cum dicunt absolvo, postea ligant & innodatum dimittunt. Sed quod omnium gravius est, universum sacramentum periclitant, quia protrahunt usque in peractam totaliter pœnitentiam injunctam. Unde si fragilis ille iterum tempore medio labatur, durante sacramento propter obicem positum in parte essentiali sacramenti, totum sacramentum facit nullum fuisse. Quæ enim essentialiter unum constituunt, unius nullitate omnia fiunt nulla. Videant igitur quantum laqueum fidelibus injiciant, qui tanto tempore dicunt essentialiter trahi sacramentum. De non injungendis aut imponendis satisfactionibus grande argumentum in patre recipiente filium suum ex perditione & morte revertentem ad se. Non increpavit, non castigavit, non flagellavit, non incarceravit, sed accurrens osculatus, amplexatus, præ gaudio lacrymans, jussit proferri calceamenta in pedibus, stolam puram indui, annulum dignitatis in digitum, occidi vitulum saginatum, instrui convivium, epulari, lætari & cantare. Quales huic revertenti papales indulgentiæ necessariæ? Plena igitur ad Deum reversio, dignus fructus pœnitentiæ solus. Sola igitur conversio, satisfactio est.* Sequuntur plurima ad confirmandam illam sententiam, & quod Papa non possit relaxare pœnas purgatorii.

Tandem *pag. 54.* (edit. Amstel. *pag. 801. 802.*) ita statuit: *Verbum satisfactionis quod a Decretistis & prædicantibus in sacramento pœnitentiæ tertia pars statuitur, si ad rigorem accipiatur, errorem non solum habet, sed & blasphemiam continet, ac desperationem nutrit. Si enim Christus jurejurato constitutus sacerdos in æternum super domum Dei, neque vacue, neque vane constitutus est, sed a Deo gratiæ plenus & veritatis, quia veræ gratiæ plenus, & de plenitudine ejus accipiant universi, oportebit confiteri, pleno illum sacerdotio sacerdotem esse; plenam igitur & perfectam hostiam, victimam, perfectas primitias, perfectas decimas, perfecta pacifica, perfectum sacrificium, perfectum holocaustum, perfectum incensum obtulerit. Igitur in hostia sua pro peccato perfecte repropitiavit populum, perfecte reconciliavit, perfecte mundavit, perfecte restituit, perfecte justificavit, perfecte sublimavit, perfecte univit in plenitudine gratiæ & veritatis. Nihil de veræ gratiæ plenitudine detrahere licebit: & quisquis detraxerit, blasphemiæ reus in donatorem, calumniæ reus in donatarium. Detrahit autem qui non integram gratiam dicit, aut qui non gratuitum donum, gratuitam propitiationem, gratuitam remissionem confitetur. Gratuita vero quomodo erit ei, quem oportet, pro sui remissione, pro relaxatione, pro redemtione æquum aut tantum refundere, donec satisfaciat? Ad rigorem enim, nisi æquum aut ultra refundat, non satisfacit.* Addit refutationem objectionum, & *pag. 55. b.* immunes ab implenda quam Sacerdos injungit pœnitentia satisfactoria pronunciat fideles. *Perfectam* (ait) *debere injungi pœnitentiam*, scilicet *noli amplius peccare.*

(o) *De satisfactione.*

Thesauri meritorum distributionem Papæ abjudicat. *pag. 56. b.* (edit. Amstel. *pag. 805.*) *Sancta ecclesia fidelium corpus unum, sancti Spiritus operatione vivificatur, in nobilioribus membris potiora charismata suscipiens. Sed horum membrorum collatio vel adunatio in corpore, & spiritualis vivificatio, Dei duntaxat opus est; quæ licet sit meritum hominis Christi, opus tamen est Christi Dei. Quod si Papa pro arbitrio æstimare posset, & taxare valores operum pietatis, subverteretur fundamentum pietatis antiquorum Patrum, qui serviendum Deo putabant in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ; magis enim serviendum Domino Papæ, vel exigua pecunia obtemperandum, ut post verum confessionem & contritionem momentaneo labore liberati de manu inimicorum nostrorum sine labore evolarent. Pœna enim est in manu inimicorum nostrorum servitus. Quod si Papa arbitrarius arbiter, non jam ipse Christi, sed Christus ejus esset vicarius: nam ex voluntate ejus penderet judicium Christi.* Idem prolixius deducit.

(p) *De thesauro indulgentiarum fictitio.*

De communione sanctorum notabiliter loquitur *pag. 59.* (edit. Amstel. *pag. 809.*) *Vera essentiali unitate communicant sancti omnes, quotquot una fide, una spe, una charitate Christo cohærent, sub quibus-*

(q) *De communione Sanctorum.*

An. 1522.

cunque Prælatis, quantumlibet ambitiose contendentibus aut dissentientibus aut errantibus etiam hæreticis prælatis degant: quantulibet locorum spatiis, quantulibet annorum intervallis disjungantur. Et hæc est illa sanctorum communio de qua in symbolo, Credo sanctorum communionem. Unde nobiscum communicaverunt patres nostri omnes, qui eodem nobiscum baptismo baptisati, & eadem esca spiritali refecti, eadem spiritali petra nobiscum refocillati. Nihil hanc sanctorum unitatem & unionem præsidentium diversitas distrahit, nihil identitas promovet: quia piis nihil nocet præsidentium impietas, etiam hæreticæ pravitatis. Constat autem quod valde possibile sit Græcum, vera pietate affectum, omnia credere in Constantinopoli sub suo Patriarcha schismatico, quæ Latinus Romæ credit. Quid illi nocet suorum hæretica pravitas? Unitas ergo Ecclesiæ sub uno Papa tantum accidentalis est, adeo ut non sit necessaria, licet conferens multum in sanctorum communione: stat enim sub eodem præsidente subjectis eis qui præsidenti non communicant. Talibus enim quisque communicat, qualis ipse est, pius piis, fidelis fidelibus: quemadmodum impius impiis, fur furibus, adulter adulteris &c. it. *pag. 60. 61. 62.* (edit. Amstel. *p. 813. seqq.*) ubi fraternitatum & participationum literas a monasteriis datas rejicit. De Missis agit *p. 63. b.* (edit. Amstel. *p. 816. seqq.*) earumque fructum frustra ex opere operato aut ex fundationibus & recitationibus pro aliis expectari dicit, cum sine dispositione & fide suscipientis nihil conferant. *Sacramenta* (ait *p. 63.* edit. Amstel. *pag. 818.*) *sunt fidei instrumenta, tanto semper efficacia, quanto est fides negotiosa; quemadmodum ubi ars torpet & dormit, instrumenta effœta sunt, sic sopitæ fidei otiosa sunt sacramenta. Non igitur data pecunia, non sacerdos, non missa, non sacrificium, sed participatio & communicatio est quæ abolitionem facit, sicut redemtionem & remissionem impetrat & obtinet. Quoniam Dominus Jesus eucharistiam tradidit in redemtionem, sicut in remissionem, vere abolitionem in pietate constituit, absque omni pœnali supplicio; quia manducatio fructum passionis affert digne manducanti: juxta illud: Quotiescunque* &c. *quia communicatio est corporis & sanguinis ejus in remissionem & redemtionem.* De virginitate commentatur *p. 63.* (edit. Amstel. *p. 820. seqq.*) ejusque aureolas seu coronas ex charitatis puritate, non ex corporali cœlibum continentia, æstimari debere tradit, eodemque præmio & honore dignos esse statuit, qui in conjugio, sed cum fide & charitate, vivunt, quam cœlibes. *Videmus,* scribit, *Petrum in conjugio vocatum ad Apostolatum & Timotheum in virginitate ad discipulatum longe Petro inferiorem in fructu verbi Dei.* Ait tamen *se non intrepidum hæc definire, propter communem scholam contradicentem.* De potestate Papæ propositiones plurimas habet, quæ ministerii ejus veram & salutarem conditionem explicant, sed excessum potentiæ refrenant. *p. 66. b. & seqq.* (edit. Amstel. *p. 827.* De purgatorio igne, quid sit, hæsitat, *purgationem* non *torturam* esse statuit, locumque Pauli *1. Cor. III. 12.* manifeste tropicum esse ostendit *p. 69. & seqq.* (edit. Amstel. *p. 829.*) & post multa quæ affert *p. 71.* (edit. Amstel. *pag. 833.*) scribit, *hæc mihi videntur convincere, purgatorium spirituale potius esse quam suppliciale,* ideoque *p. 72.* indulgentiariis dicam scribit, & frustra eos de remissione purgationis gloriari ostendit, *ignem* enim *purgatorium non esse satisfactorium*, adeoque indulgentias non recipere. Eo tandem collimat, ut putet *in paradiso fieri purgationem animæ, ut in amore Dei perfecta fiat, eumque statum ejus felicem esse, quem plena beatitudo in vita æterna excipiat. Paradisus,* scribit *pag. 83.* (edit. Amstel. *p. 860.*) *est locus medius inter debitores & comprehensores,* ideoque in eum purgationis causa latronem ex cruce translatum esse existimat *pag. 84. b.* (edit. Amstel. *pag. 863.*) & sic compleri Scripturam, omnesque apparentes contradictiones tolli. Hanc ejus opinionem Lutherus quidem secutus non est, interim hac stante tota nundinatio indulgentiarum corruit, ut & orationes & missæ pro defunctis. Quid enim opus esset pro pœnarum mitigatione orare, cum nullas patiuntur, itaque pro se mortuo ita vult orari, *ut magis magisque purgatus & illuminatus tanto citius, ex Paradiso ad intuitionem Dei transferatur pag. 81.* (edit. Amstel. *pag. 856.*) Lutherum VVesseli scripta ab initio cœptæ de indulgentiis disputationi ignorasse inde patet, quod multis locis fatetur quæstionum illarum se ignarum fuisse, & discendi magis quam definiendi animo disputasse: maxime vero in allegata *præfatione in farraginem* hanc VVesseli asseverat, *visum sibi esse ac si solus adversus monstra indulgentiarum & legum Pontificiarum pugnaret.* Merito itaque lætatus est producto isthoc tanti viri, quem etiam *Capnio* præceptorem habuit, libro. Neque parvo solatio est omnibus repurgatæ religioni addictis, cum vident quomodo luctuosis illis Ecclesiæ tenebris servati tamen semper fuerint veritatis & purioris doctrinæ professores. Hic sane VVesselus (*Johanni* prænomen fuisse *VVolfius Vol. I. in anno 1455.* memorat, & quædam ex ejus libris excerpta refert) etsi non omnia eadem phrasi, quædam tortean etiam incommodius, eloquatur, principia tamen eadem, quæ Lutherus post annos plurimos secutus est, in summa rei tenuit. Vidit excessus Romanæ hierarchiæ, morumque & doctrinæ corruptionem, recte judicavit de sacræ Scripturæ autoritate, de via salutis, de pœnitentia & fide, de usu sacramentorum, de officio ministrorum Ecclesiæ. Hæc & alia qui pro hæreticis ex ignorantia traducunt, commiseratione; qui scientes, gravissima censura digni sunt. Sed talia testimonia plurima alii dudum congesserunt, quæ huc transscribi non possunt. Interim aureis, ut ita dicam, literis, denuo edi mererentur scripta *VVesseli*, in quibus Spiritus veritatis manifeste deprehenditur; neque dubito, per collationem exemplarium loca quædam manca aut obscura, quorum sensum aliequi me non potuisse fateor, lucem & emendationem accipere posse. Cum, postquam illa scripsissem, aliam *VVesseli* editionem ab *Adamo Petri Basileæ anno 1523.* procuratam ex Bibliotheca *VVurzensi* nuperrime acceperim, repetita lectione quædam adhuc observavi, quibus Lectorem fraudare nolo. Scripserat quidam *Jacobus Hoeck* (angularem se vocat) Decanus Naeldvicensis ad VVesselum, ejusque opiniones contra indulgentias taxaverat, *contradictionis magistrum* eum nominans, fassus quidem, nihil in Scripturis de iis reperiri, & dubium esse an Gregorius, ut vulgo ferunt, stationes illas indulgentiarum Romæ ordinaverit, autoritati tamen Ecclesiæ cedendum esse contendebat. Huic respondet *VVesselus* & ab initio refert, ut Heidelberga recusatis opimis conditionibus, veritatis saltem studio Lutetiam abiisset, ut famosissimos Magistros *Henricum Somerem* & *Nicolaum* Trajecti, ex Nominalibus Reales faceret; sed mutatum se ipsum in *Nominalem* fuisse, paratum etiam esse ad *Formales* & *Reales* transire, si fidei & veritatis ratio id exigeret. Ita objectam sibi obstinationem, & contradicendi studium a se amolitur. Postea censori autoritatem veterum opponenti inter alia sic respondet: *Confiteris tu, maximas ob causas interdum te a veteribus Patrum limitibus recedere. Num igitur tibi leves aut futiles causæ videntur, quibus ab hac nova indulgentiarum assertione, Patres ante Albertum ac Thomam (ut ipsi scripto testantur) discesserunt, asserentes nihil esse, nisi piam fraudem ac dolum non malum, quo plebs officioso errore trahatur ad pietatem? Non ergo temporibus omnibus credebant, neque qui sincera solicitudine verum quærebant, hæretici fuerunt. Mihi sane non parvæ illorum causæ videntur, qui propter indubitatam Scripturæ autoritatem, necessario confitendam, a probabili sententia Pontificum discesserunt. Apertius dico, quamdiu mihi videtur, quod Papa, vel Schola, vel quæcunque multitudo contra Scripturæ veritatem asserat, semper debeo Scripturæ veritatem prima sollicitudinis parte amplecti, secundo autem, quia non probabile tantos errare, debeo diligenter veritatem utriusque partis pervestigare, sed semper cum reverentia majore sacri canonis, quam humanæ assertionis, quicunque sint assertores. Quantos errores in materia indulgentiarum Romana curia temere præsumserit, & pestilenter publicaverit, & hodie noxiæ pullularent nisi sana paucorum verorum Theologorum severitas obstitisset,*

(r) *De Missa.*

(s) *De Eucharistia.*

(t) *De Purgatorio.*

An. 1522.

(u) *Epicrisis.*

(x) *VVesseli scripta ad Jac. Hoeck de indulgentiis.*

An. 1522.

tisset, non opus omnia commemorare. Gersonis de indulgentiis sententiam laudat, sed ita ut agnoscat eum aliquando variasse, officiosa pietate & moderatione, ne infirmos offenderet. Allegat *Antoninum* celebris, ut scribit, doctrinæ & sanctitatis Episcopum Florentinum, qui scripserit, ante Bonifacium reperire se non potuisse indulgentiarum autorem. Sed de Papa isto hæc subjungit VVesselus *p. 111. Digna auctoritas, quæ tanti viri sanctitate roboraretur. Tria grandia fecit Bonifacius ille: persuasit Cœlestino cedere Apostolatum: asseruit Papam dominum omnium: statuit indulgentias: Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, defunctus ut canis. Et eundem plenarias voluisse facere de centenario in centenarium, tresque tantum assignasse Ecclesias visitandas, Lateranensem, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ majoris. Et hoc circa annum Domini MCCC. Igitur per hos MCCC. annos, ubi & quare obdormivit illa Apostolica traditio, si sic Apostolica, ut in regula fidei stricte accepta, connumeranda sit? Non puto ego in regula fidei censendum, quicquid Bonifacius Octavus, vel post eum Clemens, aut Gregorius determinaverunt. Satis ad hoc venerabilis ille Gerson. Palam reverendissimus ille Antoninus confitetur copias bullarum Clementis tantam continere exorbitantiam, quod non credit fuisse bullatas, quæ tamen hodie Viennæ, Limovis, Pictavis plumbatæ in thesauro privilegiorum reservantur. p. 109. b.* Hœckium fatentem quod Patres nihil expressum in Scriptura de indulgentiis reperirent, erroris arguit, sed falsè non minus ac pie. Ait enim: *Ponit judicio meo non primus Papa Petrus, sed per Petrum Spiritus sanctus unicam, solidam & solam Bullam indulgentialem quam solidam contestatur, qui per eandem abundanter ministratur in regnum Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, & quod eadem etiam sola sit, idem contestatur:* Respicit nempe ad *1. Pet. I. 4. & seqq. & v. 11.*

(y) Narratiuncula quædam de purgatorio.

Recordor hac occasione similis fere responsi quod ante annos plus quam quadraginta vir, indoctus licet, sed honestus & pius, qui Principis Saxoniæ *Bernardi* Vinariensis, celeberrimi copiarum Ducis, dein *Ernesti* fratris, pientissimæ memoriæ, tubicen, denique Senator Gothanus fuit, Jesuitæ cuidam dedit. Tubicen tunc per Sylvam Thuringiacam, quod viæ minus tutæ essent, comitari eum jussus erat; dum variis, ut fit, sermonibus tempus & viam fallunt, Jesuita de religione disserere & exagitare comitem cœpit, inter alia ei exprobrans, quod non crederet purgatorium. Immo vero, ait hic, ego omnino credo purgatorium. Repetenti autem Jesuitæ, an serio loqueretur, & quale crederet? respondit: Purgatorium Lutheranorum est sanguis Jesu Christi, & recitavit dictum, quod omnibus in ore est, *1. Joh. I, 7.* Obmutuisse ad hæc dicebat hominem, & flexo postea ad alia sermone, de religione amplius nihil secum disputasse. Relatum mihi ab ipso hoc fuit, statim atque ab itinere illo rediisset, cum tunc in ædibus ejus hospitium haberem. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Cæterum etsi Lutherus negat VVesseli scripta sibi ante cœptam contra indulgentias disputationem nota fuisse, aliud tamen visum est *Roffensi Episcopo.* In præfatione enim *defensionis sacerdotii ad Tonstallum* edita Colon. 1525. scribit, *Lutherum ex VVesselo & Gochio haud pauca desumsisse.* Sed similitudo sententiarum id saltem probat, quod uno fundamento & spiritu in multis usi sint, qui semper conservavit verioris doctrinæ propagatores. In aliam censuram prorupit *Georgius* ille *VVicelius* acerrimus Lutheri hostis ex discipulo factus, de quo in sequentium annorum historia dicendum erit. In *apologia* enim sua anno 1533. edita non improbat VVesseli dogmata, ideoque nec negat Luthero causas fuisse disputandi & contradicendi, sed peccatum in eo esse contendit, quod schisma fecerit, putatque satis consuluisse conscientiæ, qui errores arguerint, & non auditi quieverint. Verba ejus Germanica hæc sunt: Der fromme Taulerus / desgleichen Tuicensis / item Gerson, Valla, Picus, VVesselus, Petrus de Alliaco Card. &c. sahen auch / daß nicht gar wohl um die Kirche stund / traten sie drum aus / und machten neue Kirchen? Nein / sondern sie schreyeten darwider / daß ihnen der Hals kracht / verschoneten nichts / erhuben ihre Stimme wie eine Posaun / und verkündigten den Christen ihre Sünde / damit sie ihre Seele retten. Erasmus das edle Perlen / sahe dieser Zeit am ersten beyde der Schulen und Kirchen feyle / hat aber drum noch kein eigens gemacht / auch in keines verwilligt. Weh gnug thut es ihm und allen Gottsliebhabenden / daß solcher erbärmlich Unfall ist und so lang währen soll / er schweigt oder berget es auch nicht / noch bleibt er in der Kirchen einigkeit / unangesehen / wie er darum von beiden seiten verfolget wird. Also thät auch Reuchlinus, Mutianus, Longolius, Mosellanus, und der viel mehr / so da neulich verstorben. Stapulensis, Rhenanus, Cornelius, Crotus, Campensis, Egranus, und der unzehlig / durch alle Lande / ja viel frommer gelehrter Bischoff / Doctores und Prediger hin und wieder / haben auch einen Mißfall an der Ungestalt der Kirchen / aber sie scheiden sich darum nicht von ihr. Sie ist gleichwohl unsere geistliche Mutter / ob sie schon etliche Mackel ohn ihren Willen empfangen hat / vielleicht ist diese Sect drum / von Gottes Zulassung / eingerissen / auf daß die Kirche / als durch Ursach derselbigen / desto ehe zu ihrer selbst Erkanntnüß / Reformirung und Besserung käme. Darum aber ist diese Secte nicht gerechtfertiget. Latine quoad sensum ita reddi possunt: *Pius ille Taulerus, Tuitiensis, Gerson, Valla, Picus, VVesselus, Petr. de Alliaco viderunt defectus Ecclesiæ, sed ex illa non secesserunt. Clamabant quidem ad ravim usque, exaltabant vocem sicut tubam, scelera Christianis annunciabant* (ex Esa. LVIII. 1.) *ut animas suas liberarent. Erasmus, margarita illa pretiosissima, nostro tempore primus vidit Scholarum & Ecclesiarum vitia, neque tamen novum aliquid instituit, neque aliis id agentibus accessit. Dolet vehementer, sicut omnes qui Deum amant, ob miserabilem illam tamque diuturnam ruinam, neque de ea tacet, manet tamen in communione Ecclesiæ, etsi utramque partem offendat. Ita & Reuchlinus fecit, & Mutianus, Longolius, Mosellanus, aliique nuper mortui, item Stapulensis, Rhenanus, Cornelius Crotus, Campensis, Egranus, immo innumeri ex omnibus nationibus, multique docti & pii Episcopi, Doctores, prædicatores variis locis improbant deformitatem Ecclesiæ, sed eam non deserunt. Est enim nihilominus mater nostra spiritualis, etsi quasdam præter voluntatem suam attraxerit maculas: forte id Dei permissione accidit, ut tanto promtius ad agnitionem sui & ad reformationem atque emendationem ducatur, sed non ideo secta* (Lutherana) *defendi potest.* Refero hoc viri non minus odio in Lutheranos quam eruditione celebris, ut argumenti machina conspiciatur, quod ipsum Lutherum, ut fassus est, diu retinuit, & hodie multos moratur. Considerabunt ejus structuram Theologi & expendent, an sufficiat in errores declamare si adsit facultas illos reipsa corrigendi: an scientes prudentesque in cœtu capitaliter errante communionem externam retinere salva conscientia possint: an ecclesiæ communio consistat in adhæsione illa & obedientia quam Pontifices Romani cum clero suo exigebant: num spiritualis mater sit ecclesia, etiam eatenus, cum maculas habet, an in novercam degeneret emendationem recusans: an Ecclesiæ, quæ corpus Christi & capiti suo per veritatem & charitatem (hæc enim substantialia & formalia unionis vincula tradit Apostolus *Eph. IV. 15.*) unita est, maculæ illæ (quas vocat VVicelius) errores scilicet crassissimi, tribui debeant, an non potius hominibus in Ecclesia externa pro tempore versantibus, qui doctrina & moribus aperte produnt, se non esse genuina membra & fideles matris spiritualis filios, ideoque facile vitari possunt & debent: an separatio ab ipsa matre fiat, si ab errantibus illis, præsulibus licet & pastoribus, cum moniti non resipiscunt, & monentes persequuntur, divortium fit: Interim *VVicelius* suæ ipsi causæ nocuit, dum vera docuisse & clamasse fassus est, quos nominat, & in iis VVesselum, quos tamen illi ipsi, quos pro Ecclesia & spirituali matre habet, rejecerunt, aliquos etiam publice damnarunt. Denique si ejus argumentationi locus esset, Apostoli quoque schismatis rei forent, quod ultra verba processerunt, cœtusque Christianos constituerunt a Judæis separatos, & Synagogam pro

(z) Roffensis de Luthero dictum.

(aa) VVicelii de VVesselo judicium.

(bb) Epicrisis de VVicelii opinione.

An. 1522.

matre

An. 1522. matre spirituali amplius non agnoverunt. Huc sane recidunt, quæ autores Galli recentissimi *Bossuetus* Ep. Meld. & nuperrime *Richardus*, nescio quis Abbas, operose urgent, & manendum esse in communione Romana contendunt, quia multa vera & substantialia dogmata, ut Protestantes non negant, retinuerit. An. 1522.

SECT. 55.

(1) Lutherus ritus sacros ordinat.

Lutherus vero, qui post reditum suum pro Evangelista Wittenbergæ se gerebat, ipse scilicet Papa, vel nullum alium laturus, ritus Baptismi & Missæ seu sacræ Cœnæ ordinavit. Existimabat enim cultum divinum cum aliquibus ceremoniis celebrari debere, ita tamen, ut nemo ad eas cogeretur, sed cuique sua relinqueretur libertas, pro libitu iis utendi. Christianorum enim conscientias semper liberas esse, nec alio jugo quam Evangelii subdi debere contendebat. (2) De bonis Ecclesiæ disponit. *Dispositionem etiam fecit de bonis ecclesiasticis, volebatque ut expulsis Episcopis, Abbatibus & Monachis, omnes fundi & reditus Episcopatuum, Abbatiarum & Monasteriorum Principibus territorii aut Magistratibus oppidorum accrescerent, nisi Episcopatus in Principatus seculares erecti fuissent.* (3) Monasteria reformat. *Conventus vero ordinum mendicantium in scholas publicas esse mutandos, in quibus juventus utriusque sexus instrueretur, aut in Hospitalia convertenda, in summa ut ex reditibus illorum bonorum sustentatio fieret Pastorum, Ministrorum, Rectorum & Magistrorum Scholæ, pauperum & orphanorum, & ad omnes alias necessitates publicas sublevandas impenderentur. Hoc propositum Principibus & Magistratibus, quos cupido ditescendi ex opulentis Ecclesiarum spoliis tentabat, maxime placebat, partesque Lutheri indies potentiores reddebat, ut deprehensum est in Comitiis Norimbergensibus eo tempore habitis, in quibus Lutherani prævaluerunt.*

Deliberat. de abrog. Miss. priv. Informat. & deliber. delector. ab univers. Formul. Miss. seu comm. pro Eccl. Witt. Luth. t. 2. Luth. de communi fisco. Cochlæus.

§. CXXXIV.

(1) *Examinantur dicta Maimburgii.*

Repetit hic otiosa; optime facta pessime traducit, & pro more suo saltum in annum sequentem moliens, conglomerat multa, aliqua anticipat, subdit falsa, omittit vera. *Evangelista* quo sensu Lutherus fuerit, supra dictum est. Quid enim aliud est Evangelista, quam qui Evangelium sive doctrinam Jesu Christi populo proponit, quales a Christo, sicut alios Ecclesiæ doctores, constitui tradit Paulus *Eph. IV. 11.* Quod si *Papam* (ut noster ait) *repræsentare* voluerit, alios mores induisse Lutherus debuisset. Nulla illi præcipiendi de fide, & dissentientes fulmine anathematum percellendi atque magistratibus & carnificibus tradendi mens erat. At *ferre* (dicit) *alium noluit* Lutherus; nullum nempe, qui jussu & autoritate non rationibus ex verbo Dei evidenter deductis, de religione decerneret, mandaret, juberet, interdiceret, & quæ alia imperantis Romanæ sedis formulæ esse solebant. Effectum huc usque erat, incipiente Luthero, ut per maximam Germaniæ partem in urbibus non solum, quas vocant, Imperialibus & liberis, sed & sub Episcopis aut Principibus, Lutheri doctrinam improbantibus, aut timore Imperatorii & Pontificii rigoris non admittentibus, doctrina purior personaret, concionantibus magno numero Monachis, qui errores veteres ingenue agnoscebant, populoque libertatem a jugo, quohucusque præter fas & nullo pietatis profectu pressus erat, prædicabant. Vilescere inde cultus eo usque usurpatus cœpit, nec tamen satis vel autoritatis prædicatoribus, aut populis ea erat prudentia & moderatio, ut omnia recte & decenter ordinarent; auferre enim mala facilius est quam bona surrogare. Dein ut Satanæ astu semper fieri solet, non deerant, qui optime cogitata abusibus & excessibus vitiarent, & in extremum aliud tendentes tumultu agerent. (2) *Lutheri solicitudo & angustia.* Hæc Luthero, ut par est, & jam supra occasione Carolostadiani motus notatum, magnam incutiebant solicitudinem. Maxime vero & intime immo plusquam metu ab hostibus, angebatur in ipsa Saxonia, Principis Electoris & aulicorum trepidatione, qui etsi doctrinam probarent, manum tamen publice introducendæ admovere cunctabantur, nec Lutherus ab iis majora postulare pro rerum, qui tunc erat, statu consultum putabat, sufficere ratus, dummodo non repugnarent, sed Evangelicæ concioni locum facerent. At ipse jam satis præparatis, immo convictis tot hominum animis, de abusibus Ecclesiæ; cum Magistratus, ut dixi, veteri persuasione vel metu nihil auderent, sed eventum specularentur, intereaque populi & Pastores ab erroribus discedere cœpissent, multa tamen mutanda & ordinanda relinquerent, quotidie consulebatur & urgebatur, ut qui primus abusus ostendisset, meliorem etiam usum monstraret. Non poterat is desiderio huic resistere, quanquam in summo discrimine versaretur, nullo præsidio, ne Wittenbergæ quidem satis tutus. Itaque non quidem legislatoris, sed consulentis & hortantis personam sumens, de ritibus Sacramentorum sententiam suam aperuit, quanquam id non hoc, sed sequenti anno 1523. factum est, sicut & cætera, quæ hic Maimburgius alieno loco infarsit.

§. CXXXV.

(1) *Baptismi ritum Lutherus hoc tempore parum mutavit.*

Baptismus ad id usque tempus Latinis verbis peragebatur, nulla populi ædificatione. Formulam igitur, qua uti solebant baptizantes, Lutherus ex Latina Germanicam fecit, præfatus; *esse quidem quæ in illa emendari potuissent, sed nihil mutasse, ut infirmis parceret, nec scandalo & calumniis ansam daret, ac si novum baptismum introducere intenderet.* In ista itaque formula (vide *Tom. II. Alt. f. 324.*) ritus Romanos retinuit, non solum *Exorcismum*, quem vocant, cum trina baptizantis sufflatione, sed & ut *sal in os infantis ingereretur, sputo aures & nasus tangerentur, oleo consecrato pectus & humeri illinerentur, crux in vertice pingeretur, mitella infantis capiti imponeretur, cereus in manum daretur.* Hæc servasse non temere novaturientis, sed plus forte nimium observantiæ inveteratæ tribuentis esse apparet, & a Maimburgio (si novit) taceri non debuerunt. Is tamen ita hic loquitur, ac si nescio quos ritus in baptismo etiam ordinasset, cum ne unum quidem

tunc

An. 1522.

tunc ordinaverit aut mutaverit; præfando saltem monens, *externa illa (*paulo ante relata*) ab hominibus ad ornandum baptismum addita pro parvis habenda esse: potest enim* (ait) *omissis illis baptismus fieri, neque ea sunt, quæ diabolus metuat, qui majora etiam spernere novit. Seriis hic opus est; qui adstat, fidem habeat, verbum Dei audiat, devote oret. Preces Parochus ita pronunciet, ut adstantes (sive fidejussores) sequi eas in corde possint, infantem Deo commendent, & diabolo resistant. Pios sacerdotes sobriosque, probos piosque fidejussores adhibere decet, qui tanto Sacramento peragendo attenti & apti sint, ne id diabolo ludibrio fiat, & in contemtum Dei cedat, qui nos per baptismum tam ineffabili & abundanti gratia cumulat, ut ipse regenerationem vocet, qua ab omni tyrannide diaboli, peccato, morte & inferno liberati, filii vitæ & hæredes omnium bonorum Dei, immo Dei filii & fratres Christi efficimur. O Christiani, nolite ineffabilia hæc dona tam oscitanter tractare; nam baptismus unicum nobis solatium, & ad omnia divina beneficia introitum præbet.* Hæc credo talia sunt, quæ pietatem viri manifestam faciunt, & quæ dudum ad instructionem Christianorum doceri in administratione Baptismi, & loco Latinæ illius demurmurationis & scenicæ ceremoniæ servari debuissent. Neque tamen dissimulo, biennio post, parta jam securitate aliqua religionis, sub Johanne Saxoniæ Electore, iterata formulæ baptismatis editione, *sufflationes, sal, sputum, chrisma*, omissa fuisse, servato ex ritibus vetustis saltem *exorcismo*, & *signo crucis* atque *indusio* quo baptizati velari solent. Vide *Tom. II. Alt. f. 327.*

(2) Caput rei in Baptismo observandum docet.

(3) Emendatio ulterior post biennium sequitur.

§. CXXXVI.

(1) Confusio in administratione sacræ Cœnæ seu Missæ.

Missam quod attinet, sive administrationem sacræ Cœnæ, ex supra dictis repetendum est, primam abrogationem missarum solitariarum, earumque inprimis, quæ pretio fiebant, sive votivarum, non a Luthero sed ab *Augustinianis*, ipso absente, Wittenbergæ anno 1521. cœptam fuisse; dictum etiam fuit, qua cautela in communione sub utraque introducenda, moderandaque Carolostadii violentia, Lutherus usus fuerit. Sed populus jam de vero Sacramenti usu passim edoctus erat, & sacri calicis præbitionem flagrantissime desiderabat, ceremonias vero Missificantium aversabatur. Cum vero Episcopi officio suo ad tollendos abusus minime uterentur, sed pessime consulti Reformationem flagitantibus populis, qua vi & severitate poterant, obniterentur, Magistratus vero partim conniverent, mediique inter populum & clerum versarentur, fieri non poterat, quin multa perperam & confuse agerentur. Igitur Lutherus ab aliquibus egregiarum civitatum parochis consultus, quid pro temporis ratione circa missas & communionem salva fide fieri posset, & quæ ipsius svasu VVittenbergæ (consensu civium & dissimulante Principe) observari cœperant, edito anno 1523. libello notum facere voluit, eumque *Nicolao Hausmanno*, jam sæpe nobis memorato, Zuiccaviensium sive Cygneæ Ecclesiæ primario & laudatissimo Pastori (*Episcopum* Lutherus vocat) inscripsit, cujus exordium integrum, ex quo intentio Lutheri patescit, omnino adscribendum esse existimavi. *Tom II. Lat. Jen. fol. 588. Hactenus libellis & sermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impiis opinionibus cæremoniarum avocarem, christianum & commodum arbitratus me facere, si causa fierem, ut absque manibus contereretur abominatio, quam Satan per hominem peccati in loco sancto statuerat. Proinde nihil vi aut imperio tentavi, nec vetera mutavi, semper cunctabundus & formidabundus: tum propter imbecilles in fide animos, quibus subito eximi non potuit tam vetus & inolita, nec inseri tam recens & insveta ratio colendi Dei: tum maxime propter leves illos & fastidiosos spiritus, qui ceu sues immundæ, sine fide, sine mente irruunt, & sola novitate gaudent, atque statim ut novitas esse desiit, nauseant. Quo genere hominum, cum in rebus cæteris nihil est molestius, tum in rebus sacris sunt molestissimi & intolerabiles, quamvis ut rumpar ira, ferre illos cogor, nisi velim & Evangelium ipsum e publico tollere. Sed cum jam spes sit, multorum corda per gratiam Dei illustrata esse & roborata, ipsaque res poscat, ut tandem scandala tollantur de regno Christi, audendum est aliquid in nomine Christi. Justum est enim, ut vel paucis consulamus, ne dum perpetuo levitatem & abusum illorum formidemus, nullis prorsus consulamus, & dum istorum futura scandala cavere volumus, universas abominationes illorum roboremus. Quare de formula aliqua pia missandi (ut vocant) & communicandi, ut & tu postulasti toties, optime Nicolae, agemus, ac sic agemus, ut non amplius solum verbo doctrinæ corda regamus, sed manum quoque apponamus, & publica administratione, in opus perducamus, nulli prorsus præjudicantes, ne aliam amplecti & sequi liceat. Quin ex animo per Christum obsecramus, ut si quid melius illis revelatum fuerit, nos priores tacere jubeant, ut communi opera rem communem juvemus.* Plura ex libello afferenda essent, sed præstat ipsum legere. Verum est, ceremonias Missæ in libertate populi Christiani Lutherum reliquisse, sed ita, ut substantialia minime negligerentur, *quæ Christus ipse*, ut in initio libelli *fol. 588. b.* dicitur, *primum instituit & sub Apostolis simplicissime atque piissime absque ullis additamentis observata fuerunt. Quæ vero successu temporum humanis inventis aucta sunt, ut præter nomen (*ut ait*) ad nostra secula nihil de Missa & communione pervenerit*, ex iis retineri ad tempus saltem putavit, quæcunque salva fide poterant, ut novitas & scandalum vitaretur; quædam autem ut superstitiosa & intoleranda omnino abrogari & omitti. Præsupponit, quæ alias abunde se docuisse memorat, *Missam non esse sacrificium, seu opus sacrificantis, sed Sacramentum & testamentum, seu benedictionem, eucharistiam, cœnam Domini, mensam Domini, memoriam Domini vel communionem &c.* Itaque ex omissis præcipuum est *offertorium* & *canon*, & quicquid ad sacrificandi formulas & ritum pertinet. Ex retentis (præter necessaria illa scilicet, recitationem verborum institutionis & orationem Dominicam) sunt usus Latinæ linguæ (quanquam is postea sublatus etiam fuit) addita tamen pro concione explicatione populari. Toleravit præterea, ut prior sumat Sacerdos, utque *elevet* sacrum panem & calicem, & ut *pacem annunciet*; servavit etiam plerasque precum & cantus formulas. Aquæ cum vino *mixtionem* etsi non plane improbat, omitti tamen mavult. A communicantibus

(2) Lutheri privatum de ordine & ritu sacræ Cœnæ consilium ad Hausmannum.

An. 1522.

(3) Quæ libera relinquenda aut mutanda tunc putaverit Lutherus.

An. 1522. cantibus exigit, ut antequam admittantur, interrogentur, an intelligant sciantque verba institutionis & Dominicam orationem, dicantque, quo animo quaque fructus spe accedant; qui hæc noverint, riteque semel responderint, interrogari amplius necesse esse non putavit. Confessionem peccatorum liberam sinit, suadet tamen; optimam præparationem esse statuit, pœnitentiam, fidem, desiderium solatii & confirmandæ fidei ex Sacramenti participatione. Utramque porro speciem porrigi debere, cum biennio toto Evangelica doctrina inculcata jam sit, aperte contendit, neque concilii decretum expectandum, immo si id ad necessitatem fidei requiri dicatur, potius rejiciendum & contrarium faciendum esse, ne ab hominum autoritate res fidei dependeant. Cantica vernacula ad populi instructionem a poëtis, si qui essent, componi desiderat, interim vetusta, quæ etiam nunc durant, retineri vult, ista tamen omnia pro tempore proponit, *cætera*, ait, *usus & res ipsa docebunt, modo verbum Dei strenue & fideliter in Ecclesiis annuncietur*; addit, ut objectionem adversariorum præveniret *fol. 592. Nam quod forte petent aliqui, hæc omnia Scripturis & exemplis Patrum probari, non multum movemur; quod supra diximus, in his debere libertatem regnare, & neque legibus neque imperiis liceat conscientias captivare christianas: unde & nihil de his rebus Scripturæ definiunt, sed sinunt libertatem spiritus abundare suo sensu, pro commoditate locorum, temporum, & personarum. Patrum vero exempla partim sunt incognita, quæ vero nota sunt, tam varia sunt, ut nihil certi liceat constituere, videlicet quod & ipsi libertate sua usi sunt. Quin ut maxime certa & simplicia essent, nobis tamen nec legem nec necessitatem imitandi imponerent.* Debacchatus in hunc libellum miris modis cum aliis est *Emserus*, eumque scripto aliquo, anno sequenti 1524. eidem Hasmanno (quem satis palpat laudatque) dedicato, acerbe insectatus est; nec *Cochlæus* bilem suam continere potuit, maxime quod Lutherus tam impatienter ferret, Canonicos Wittebergenses in missa solitaria veteri ritu celebranda pergere; quodque in aula illis conniveretur: In epilogo enim tractatus *fol. 592. b.* hæc habet Lutherus: *Nec vos aut quosvis alios absterreat, quod in nostra Wittenberga adhuc perseverat Topheth illa sacrilega, quæ Principum Saxoniæ impia & perdita pecunia est, Templum dico omnium Sanctorum. Nam tantum est miserante Deo apud nos antidoti per copiosum verbum Dei, ut pestis illa in angulo suo langvens, non nisi sibi ipsi pestilens sit. Denique vix tres aut quatuor porci & ventres sunt, in ipsa illa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt; cæteris omnibus simul & universo populo insignis nausea & abominatio est. Neque licet vi aut imperio in eos grassari, ut nosti, decere Christianos, non nisi virtute gladii spiritus pugnare; sic enim informo populum quotidie, alioqui jamdudum domus illa omnium Sanctorum, immo domus omnium Diabolorum, alio nomine ferretur in orbe.* Satisfactum tamen est zelo ejus haud multo post, ut in loco dicetur. Judicare nunc possunt omnes, quibus æqua mens est, quid peccatum sit a Luthero, aut ab illis, qui ei obsequebantur, quamdiu non demonstratur necessitas obedientiæ, quam Sedes Romana in orbem terrarum, omnesque Christianas gentes sibi arrogabat. Hac enim non probata, ex decretis pontificiis doctrina Lutheri, & provinciarum urbiumque, quæ eum secutæ sunt, consilium & institutum frustra & frivole impugnatur. Neque enim minus Christiani, immo majori puritate & fide esse potuerunt, fuerunt & sunt, qui rejectis, quæ superstitiosa & superflua esse perspexerant, quibusque conscientiam suam obligari negabant, illa solummodo in sacramentorum ritu ut necessaria servarunt, quæ de eorum substantia & integritate esse, indubitatis argumentis ex sacris literis convicti deprehenderant, reliqua, ut recte docuit Lutherus, etsi per se non mala, sed nec necessaria, in libertate reliquerunt, non quidem crude & laxe, ut hic insinuare velle Maimburgius videtur, sed decenti ordine, quadamque Cleri & populi conventione. Videant igitur, qui orbem Christianum cædibus & sangvine miscuerunt, ob hoc unum, quod populus Christianus jugi, per tot secula ex inscitia & barbarie tolerati, pertæsus fuerit, & quædam mutaverit, ea tamen cum moderatione, ut qui mallent prioribus inhærere, id suo facerent arbitratu. Jam vero quod sacræ Cœnæ sacramentum, ritusque attinet, constare existimo apud omnes antiquitatis ecclesiasticæ non imperitos, substantiam ejus consistere in modo, quem Christus instituit, & Apostoli servarunt. Fatentur autem scriptores in media etiam seculorum istorum barbarie, & diu ante Lutherum, nihil probari posse ex instituto primitivo, quam usum verborum institutionis & orationis Dominicæ. Idem adductis auctoribus stabilivit *Georgius Cassander* Theologus eximius, minime is quidem Lutheranus, sed veritatis amans, & Ferdinandi I. & Maximil. II. Cæsarum Consiliarius, (quorum jussu *consultationem de religione* anno 1564. scripsit, *Thuano Lib. XXXVI. Histor.* summe laudatam.) Libro *de Liturgicis Cap. II.* ut explodendus sit *Emserus* aliique, qui ex supposititiis scriptoribus ementitas antiquitates propinant. Quicunque igitur in simplicitate hac acquiescunt, illi nihil adversus Christianam disciplinam admittunt, etsi a placitis Romanis & longo usu discedant. Culpa schismatis penes eos stat, stabitque, Deo olim justo judice, qui potestate, cujus titulum non probant, in alios utuntur, & hæretici nominis invidia, pœnarumque atrocitate, suas inculcant sententias, non Christi. Hujus instituta ad salutem pertinentia, si servet populus, utut in ritibus variet, satisfacit nomini & officio Christianorum, nec legibus Ecclesiasticis mere positivis obligatur, nisi expresse vel tacite consentiat; quod axioma, & Scripturis sacris & Christianæ fidei naturæ conveniens, juris Pontificii etiam compilatores, multique ex doctoribus sincerioribus Romano-Catholicis, quotquot scilicet nullam adulandi Hierarchiæ causam habent, agnoscunt, idque Protestantium conscientiæ maximam præbet securitatem.

(4) Normam cur non sumserit ex patribus.

(5) Querela de Canonicis VVittenberg.

(6) Consideratio reformationis a Luthero

An. 1522. proposita in hoc articulo.

ADDITIO I.

Georgius Cassander simplicitatem veteris ritus, antequam tot ceremoniis augeretur, adductis vetustorum autorum,

(a) Cassandri cap. II. de litur. ia.

An. 1522.

autorum, ejus tamen temporis, quo superadditi ritus invaluerant, testimoniis, confirmavit d. cap. II. quod quia breve est ex editione Operum Parisiensi 1616. fol. 11. 12. totum apponam, lemma est: *Missas sive sacri convivii mysteria quomodo Christus celebravit, & post eum Apostoli.* Rabanus *Instit. Cler. Lib. I. cap. 32.* *Hunc morem sacrificii primum Dominus noster Jesus Christus & magister instituit, quando commendavit Apostolis suis corpus & sangvinem suum, priusquam traderetur, sicut legitur in Evangelio: Accepit panem Jesus & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum: & accepto calice, gratias agens dedit eis; & biberunt ex illo omnes: & reliqua. Cum benedictione enim & gratiarum actione primum Dominus corporis & sangvinis sui sacramenta dedicavit, & Apostolis tradidit, quod exinde Apostoli imitati fecere, & successores suos facere docuerunt, quod & nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit Ecclesia.* Honorius *in gem. animæ lib. I. cap. 86.* *Missam inprimis D. Jesus sacerdos secundum ordinem Melchisedec instituit, quando ex pane & vino corpus & sangvinem suum fecit, & memoriam sui suis celebrare hic præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.* Gul. Durandus *in rationali divinorum officiorum. lib. 4. cap. 1.* *Hoc officium ipse Christus instituit, cum novum condidit testamentum, disponens hæredibus suis regnum, sicut pater suus sibi disposuit, ut super mensam ejus edant & bibant in regno, quod Ecclesia consecravit. Cœnantibus enim illis accepit Jesus panem & gratias agens benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Hac igitur institutione formati, cœperunt Apostoli sacrosanctum frequentare mysterium, propter causam quam Christus expresserat, & formam servantes in verbis, & materiam tenentes in rebus, sicut Apostolus Corinthiis protestatur dicens: Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte, &c. Item: Apostoli hanc Missam Christi adauxerunt, dicentes in ea non solum verba præmissa, verum etiam Dominicam orationem superaddentes.* Idem *lib. 6. cap. 77. n. 26. de parasceve.* *Quo facto incipit mox: Oremus, præceptis salutaribus, perficiens Dominicam orationem, & illam: Libera nos quæsumus, &c. In quo repræsentatur antiqua Apostolorum celebrandi Missam consuetudo. Prius enim lectione præmissa, dicebantur solummodo verba illa: Hoc est corpus, &c. Hic est sangvis, &c. Sed ipsi postmodum Dominicam orationem addiderunt.* Amalharius *lib. 3. de divin. offic. in præfat.* *Satis esset sine cantoribus & lectoribus & cæteris, quæ ibi aguntur, sola benedictio Episcoporum aut presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum salutem, sicut primævis temporibus fiebat apud Apostolos.* Capitis III. fol. 12. titulus est: *Ritus communionis sacræ expositus a B. Justino Martyre Apolog. 2. ex versione Perionii collata cum Græco exempl.* *Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Deinde ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum, quæ cum accepit, laudem DEO tribuit, & gratias ei agit. Quibus perfectis, populus omnis, qui adest, benedicit, dicens, Amen: Postea ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt.* Ex eod. Justino, paulo post. *Die qui Solis dicitur, omnes, qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quandiu hora patitur. Deinde ubi is, qui legit, destitit, is, qui præest, admonet & hortatur, ut ea, quæ lecta sunt bona, imitemur. Tum surgimus omnes & comprecamur. Conclusis precibus, panis, vinum & aqua offeruntur. Tum is, qui primum locum tenet, preces gratiarumque actionem pro virili mittit. Populus benedicit, dicens: Amen. Iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat. Eademque ad eos qui absunt Diaconis dantur perferenda.* Cap. IV. ex *Tertulliano* agapas describit. Sequentibus dein Capitibus Liturgias *Dionysii*, *Joh. Chrysostomi*, *Basilii*, *Æthiopum*, *Russorum*, *Armeniorum*, & denique *Latinorum* subjungit, adductisque testimoniis ostendit, quam simplex ab initio celebrandi sacram cœnam, sive Missam, ritus fuerit, & quantum postea accesserit. Insignis quem citat locus *fol. 37.* est *VValafridi Strabonis* Abbatis Fuldensis, qui seculo nono vixit *de rebus Eccles. cap. 22.* *Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi (ut creditur) orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Unde circa domos, secundum superius commemorata testimonia, frangebant panem. Quod etiam alia sententia Lucas declarat, dicens: Una autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem & reliqua. Et relatio majorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in quo die apud Rom. Missæ non aguntur,) communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sangvini, quos ratio permittebat.* Item ex *Petro Cirvelo Complutensi Theologo fol. 38.* *Urgentibus Ecclesiam persecutionibus infidelium Eucharistiæ sacrificium, quod in Missa conficitur, agebatur a fidelibus valde simpliciter, & sine pompa alicujus solennitatis, quia offerebatur a sacerdotibus Christi occulte in domibus privatis. Ideo tunc Missæ officium erat satis breve. Nam Apostoli super verba consecrationis panis & vini a Christo accepta, solam orationem Dominicam, id est, Pater noster apposuerunt, & statim communicabant, id est, Eucharistiam assumebant, & aliis ministrabant. Deinde Romani Pontifices, Petri successores, paulatim successu temporis addentes etiam devotas orationes, totius Missæ Canonem secretum in trecentis fere primis annis Ecclesiæ perfecerunt.* Quæ quidem postrema verba, si de omnibus aut plerisque ritibus, aut de dogmatibus ipsis & usu Missæ intelligantur, fundamento carent. Sufficit ex his, vel aliis pluribus, quæ Cassander consignavit, & Lutherus ante eum, cum inducta per abusum tolleret, expendit, demonstratum esse, totam illam Missaticæ pompæ machinam seculorum decursu, variis ex caussis, quæ alibi examinatæ sunt, extructam, ab inventione & autoritate Sacerdotum & Pontificum pendere, neque præter verba institutionis Christi & orationem Dominicam, precumque piarum formulas quicquam produci posse, quod Ecclesiæ necessario & tanta violentia injungendum sit, circa sacramenti hujus administrationem: multo minus quod veritas & substantia Sacramenti, quale in nostris Ecclesiis celebratur, alicujus defectus aut nullitatis accusari possit, etsi ritibus illis abstineatur, nec alius Sacramenti usus, quam in sancta communione & participatione, quæratur.

(b) *Cap. III. ex eodem.*

An. 1522.

(c) *Quædam ex Cap. IV.*

(d) *Epicrisis.*

ADDITIO II.

(a) *De populi consensu ad leges Ecclesiasticas ex autoribus quibusdam.*

Notius est axioma de consensu populi in legibus Ecclesiæ requisito, juris Ecclesiastici peritis, quam ut probatione egeat. Dixi aliquid in libro Germanice ante biennium edito, *de Christianismo. Lib. III. cap. 12. §. 2. in addit.* quod hic paucis repeto. Allegavi ex jure Pontificio *C. in istis dist. IV.* ubi doctores nominatissimi theorema illud asserunt; *Covarruvias* maxime & *Navarrus*: citavi etiam famigeratum illum problematum moralium promumcondum *Anton. de Escobar Tom. I. Theol. Mor. Lib. V. Sect. I. c. III. n. 23.* tum *Petrum de Marca* Archiepisc. Tolosanum & demum Parisiensem, quem *Samuel Sorberius* in *epistola ad Baluzium, patriæ suæ decus, regni totius oraculum, Ecclesiæ sidus, literatorum Apollinem* vocat, *Lib. II. de Concordia Sac. & Imp. c. 16.* Hic Augustini dictum adducit, quod in compilationem suam retulit Gratianus: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* itemque Paulinum *2. Cor. XIII. 10. potestas* (Apostolica) *in ædificationem non in destructionem data est.* Chry-

An. 1522.

Soft. hom. XXV. in prior. ad Cor. *Hæc est Christianismi regula, hæc illius exacta definitio, hic est vertex super omnia eminens, publicæ utilitati consulere.* Bernardum ex consideratione ad Eugenium Lib. II. c. 6. & tandem concludit: *Ex quo sequitur leges Ecclesiasticas quæ de rebus jure naturali & divino non vetitis ad εὐταξίαν & ordinem Ecclesiæ externum tantummodo componendum feruntur, non necessitate sed voluntate, non timore corporali sed dilectione subjectorum niti debere.* Gregorii Nazianzeni sententiam adscribit: *Lex nostra & Legislator id vel maxime sanxit, ut grex non coacte sed sponte & libenti animo pascatur.* Hæc Marca. Intima ratio est, quia populus pars Ecclesiæ, & quidem maxima est, in quam imperium & jus legis ferendæ non habet Clerus, sed ministerium ex præscripto verbi divini, aut ubi hoc clare non definit, ex consensu populi exercendum. Peccant itaque qui præcepto, immo advocato brachii secularis auxilio vi & armis obtrudunt, quæ naturali & divino jure non sunt liquide definita; quale ne unum quidem hactenus probari legitime potuit, propter quod in Lutherum & Lutheranos vel olim sævitum fuit vel adhuc sævitur.

(b) *Vera hujus rei ratio.*

§. CXXXVII.

(1) *Sententia Lutheri circa bona Ecclesiæ defenditur.*

Accedimus jam ad tertium, quod hic ex sequentis anni gestis retrotrahit Maimburgius, nempe ad consilium Lutheri, *de bonis Ecclesiasticis.* Mirum quam temere hic prodiderint studia sua, & quid in religione ipsis maximum videatur, qui de opibus & dignitatibus Cleri tantos excitarunt clamores & motus, cum nihil hic jure divino exigatur, quam ut ministris Ecclesiæ populum docentibus, & sacra legitime curantibus de alimentis prospiciendum sit. Cætera omnia ab humano sunt instituto, aut Pontificio potius dominatu, cujus vis legitima, si non probatur, manent omnia, sicut ab initio fuerunt, in dispositione Principum & populi. Hoc irrefragabilibus argumentis non a Protestantibus modo, sed & ab adversæ partis doctoribus ita credo assertum esse, ut pro principio satis tuto haberi debeat. Quapropter etsi Lutherus omnem per seculorum priorum patientiam invectam patrimonii, quod vocant, Ecclesiastici constitutionem mutari svasisset, Principesque & populos obsequentes habuisset, nullum tamen crimen ne sic quidem demonstrari posset, stante, quod Principes & populi legibus pontificiis insolubili nexu non fuerint adstricti; sed ad libertatis suæ vindicias ex gravibus causis provocare & progredi jure potuerint, sicut potuisse rationibus ostenderunt, quæ conscientiæ suæ satisfecerunt, nec a judicio eorum, qui ob suas utilitates resistebant, & jus dicendi legitima potestate carebant, reprobari potuerunt. Paucis dicam, omnis de bonis Ecclesiasticis ira & rixa frustra est, nec in foro conscientiæ (quicquid vi & armis in hanc vel illam partem factum sit aut fiat) attendi debet, donec Pontifices, non armis suis aut obnoxiarum sibi potestatum, sed legitimo more evicerint, divini juris esse, ut illi cum Clero suo, pro arbitrio, ex opibus vi aut astu coactorum & inductorum hominum capiant, unde pro lubitu & splendide vivant. Cessante autem divini juris necessitate, jus est Principibus & potestatibus, etiam olim sponte data, sive, ut dicitur, fundata, animadverso errore aut abusu, revocare, & alia ratione de impensis in rem sacram statuere & definire. Sequitur inde, injustas querelas esse, quæ de mutatis bonis Ecclesiasticis fiunt, injustiorem vero vim,

(2) *Quo jure nitatur mutatio.*

quæ ad illa in arbitrium Cleri reducenda cum publicæ pacis dispendio & effusione sangvinis adhibetur. Scio equidem autoritatem civilem & edicta Imperatorum vetera allegari a Pontificibus & Clero, adversus hanc libertatem disponendi de bonis Ecclesiæ. Utut vero ea cum tumultu infringi a mere subditis non liceat, de Germaniæ tamen principibus & Statibus aliter judicari debet, qui salva Majestate Imperatoria, quæ suis constat fundamentis & terminis, in ditionibus suis Legislatoriam habent potestatem. Hæc controversia superiori & nostro seculo armis in Germania non semel ventilata, tandem pactionibus in eam redacta est formam, cui nunc merito insistitur. Quid in aliis regnis & provinciis aut quo jure fiat, non opus est, ut hic examinemus. Videmus tamen a Regibus & Rebuspublicis, etiam Pontifici in cæteris obsequentibus (Galliam, Siciliam, & Venetos, pro exemplis nomino) multa asseri & effici, quæ libertati illi supremæ, quam Protestantes postliminio jam olim recuperarunt, suoque postea sangvine tutati sunt, vel paria sint, vel valde affinia, prudenterque facere Romanam Hierarchiam, si lenibus modis, de opibus Cleri, potestatibus summis gratificetur, & lites redimat, quarum decisio si non ex Lutheri, certe non multum dissimilibus placitis, ut nunc sapit mundus, valde ipsi metuenda esset. Sed ista de jure, pro meo instituto hic sufficiant: jam factum quod Luthero imputatur, considerandum est.

An. 1522.

ADDITIO.

(a) *Excerpta ex libro Gallico de bonis Ecclesiæ.*

Quia cum scriptore Gallo res mihi est, ex recenti ejusdem gentis autore, docto sane & ingenuo, qui nomen *Hieronymi a Costa* sumsit, dicta firmabo. Extat libellus Gallicus anno 1684. editus, qui *Historiæ de origine & progressu redituum Ecclesiasticorum* titulum habet: Ejus compendium in *Act. Erud. Lips. illius anni p. 497.* reperitur, nec a me id compositum esse dissimulo: aliquas enim horas, pomeridianas maxime, animi causa, & ut labores non tam [illegible] & torpore quam vicissitudinis amœnitate sublevem, ad excerpendos libros quosdam ab eximiis mihique amicissimis viris Lipsiensibus, qui Actorum edendorum curam gerunt, missos, destinare soleo. Autor vero ille quisquis est, de natura redituum ecclesiasticorum commentans incipit a consideratione communionis bonorum in Ecclesia Hierosolymitana, cujus ortum aut ansam a Judæis deducit, quibus lege divina incumbebat, ut pauperes suæ gentis & Synagogæ alerent, eamque ob causam, quoties Sabbathis aliisque festis congregabantur, stipem conferebant. Hoc, utpote ex lege charitatis, & morali obligatione debitum, Christianos Apostolorum autoritate inductos, ab initio quidem, pro temporis necessitate, largiori contributione & venditis fundis exercuisse docet, sed non eodem modo in alias provincias propagasse. Nec enim diu duravit contributio illa & dispensatio Hierosolymitana, sed alibi satius visum est, more Synagogico in cœtibus publicis stipem exigere & conferre, quanta ad usum pauperum requirebatur. Inter hos autem sine dubio connumeratos fuisse scribit Ecclesiarum ministros, qui populo docendo aliisque sacris officiis occupati, & ab alia victus quærendi ratione abstinentes, alimenta jure maximo a fidelibus sumebant. Tunc itaque, ut statuit, extra eleemosynas nullum erat Ecclesiarum peculium. Decimæ enim a Levitis & Sacerdotibus perceptæ, postmodum cum ipsa Judæorum republica interciderunt, nec aliis populis imperari poterant. Quemadmodum igitur Judæi sub aliena ditione viventes, Archisynagogos, Presbyteros, & Diaconos in cœtibus suis habebant, & collata stipe alebant, (quod & hodie faciunt)

(b) *Eleemosynæ primum & unicum veteris Ecclesiæ patrimonium.*

An. 1522.

ciunt) ita etiam Christianorum ministeria ab Apostolis, Judaicæ gentis morisque viris, ad eandem formam constituta esse asserit, & hac occasione notat, Episcopos Christianorum, ad exemplum Archisynagogorum, inter Presbyteros non potestate aut jurisdictione, sed ordine & honore primi loci eminuisse, nec ad illos, sed ad consessum sive collegium omnium Presbyterorum, distributionem collatæ pecuniæ pertinuisse. Hoc satis quiete observari potuisse quamdiu unus Episcopus & unum Presbyterium in singulis urbibus, unusque ad cœtum & sacra locus esset. Sed cum aucta Christianorum multitudine, plures ædes sive templa separatis titulis (ut postea vocabantur) insignienda requirerentur, quibus singuli pastores præponendi erant, crevisse Episcoporum potentiam, ex usu & necessitate rerum & temporum, sive ut Hieronymus *Comm. in Ep. ad Titum* censet, *Episcopos magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris majores factos esse*. Notat porro, ex politia Græcorum quædam ad externum Ecclesiæ regimen translata fuisse: inde diœceses, ipsumque Ecclesiæ nomen, duplici tamen modo intellectum, ut aliquando conventum seniorum & primorum populi, aliquando omnium coitionem significaret, quam *Agorajam* vocaverint. Græcorum etiam in fingendis novis vocabulis genio deberi nomina *Metropolitarum, Archiepiscoporum, Patriarcharum* sequentibus temporibus inventa, ad majoris honoris & exterioris jurisdictionis titulum significandum. Antea enim ignota ista fuisse, & eundem Episcopi, & Presbyteri sive senioris ordinem ex impositione manuum dependisse, & hunc quoque ritum ab Apostolis ex Synagoga retentum. Addit, Rabbinos tradere, impositionem hanc non a Præside solum, sed omnibus Presbyteris simul peragi solitam fuisse, & ex *Hieronymo* refert, Presbyteros Alexandrinos Episcopo ex suo collegio electo manus simul imposuisse. Ex his constare ait, frustra de fundationibus redituum Ecclesiasticorum, istorum seculorum tempore quæri, & ante Constantinum Magnum nullos fundos in Ecclesiarum dominio fuisse; illumque Imperatorem primum omnium permisisse, ut quemadmodum Paganorum templa, ita & Christianorum legata & donationes capere possent. Sed memorabile esse *Hieronymi* judicium, scribentis in vita Malchi: *Ab eo tempore Ecclesia potentia & divitiis quidem major, sed virtutibus minor facta est:* & *Chrysostomum* (*hom. 86. in Matth.*) valde queri de Episcopis & Clericis, villarum suarum & litium cura distractis, & tempus consumentibus. Observatus non multo post fuit abusus, cum Episcopi fructuum maximam partem, cum damno pauperum, suis & numerosæ familiæ alimentis & commodis impenderent. Huic malo varie provisum, constitutis in oriente Oeconomis, qui Episcoporum expensis moderarentur. In occidenti cautum fuit, ut quarta tantum redituum pars Episcopo, tres reliquæ Clero, pauperibus, & fabricæ Ecclesiarum ex æquo assignarentur, ut constat inter alia ex constitutione Gelasii Papæ Can. *Vobis enim 23. C. 12. Q. 2.* Putat tamen ex hac partitione tantum lites natas fuisse, nec præcaveri potuisse, quo minus Episcopi & Prælati bona Ecclesiastica ad privatæ possessionis titulos & modos redigerent, sub dominatu præsertim barbarorum Regum, qui occidentalis Imperii regionibus potiti erant. Nec tamen negat, etiam in oriente divitiarum cupiditatem, captationes hæreditatum aliaque vitia, de quibus Hieronymus & alii queruntur, apud Clerum invaluisse. Refert postea, ut non saltem Episcopi, Canonici & Parochi, sed & monachi, qui affectata paupertate distingvi a clericis per opes corruptis voluerint, jam dudum populi favore ad corradendas divitias abusi fuerint, & ex donationibus pro remedio animæ & ad Missas privatim celebrandas, possessiones amplissimas & invidiosas acquisiverint. Monstrat nullam ab initio Pontificum Romanorum curam aut potestatem in bona ista temporalia Clero & Monachis possessa ullo legitimo titulo prætendi potuisse, sed temporum injuria, & Gregorii VII potissimum artibus arreptam fuisse; ita quidem ut Papæ plerumque Monachis præ Episcopis faverent, horumque jura per istos non una ratione diminuerent. Dein cum Monachi quoque concessis abuterentur, Pontificum officium tanto magis invaluisse, ita ut tandem omnem sibi in bona Ecclesiastica potestatem arrogaverint, nec parum ex illis in sua lucra verterint, licet maximam partem ex Principum & Nobilitatis liberalitate profecta essent. Frustra autem jus divinum Primatus Petri a Pontificibus huc applicari, quanquam id maxime fecerit Innocentius III. qui tamen ignorare non potuerit, omne jus antiquum assertioni illi suæ resistere; certum enim esse antea causas omnes de ordine & bonis Ecclesiæ vel ab Episcopis decisas, vel orta cum his controversia a Synodis provincialibus sub autoritate Regum expeditas fuisse, ita ut ne cogitare quidem Papæ de tali potestate potuerint, nisi litigantes partes ad Judicium primæ sedis provocare cœpissent, eaque occasione per negligentiam Principum & ipsorum Prælatorum culpa dominatio illa Pontificia inducta fuisset. Præterea alia. Judicari ex his potest, quanta probatio requiratur, ut supremum arbitrium de bonis Ecclesiasticis, quibus prioribus Ecclesiæ seculis Clerus plane caruit, & quæ ex liberalitate Principum & populi ad ipsum pervenerunt, Principibus & Rebuspublicis ablatum peregrino dominatui tribuatur, & quam difficile sit ut adductis vel ab hoc autore Gallo, vel a *Paulo Sarpio Veneto*, aliisque qui Romana sacra retinuerunt, & spiritualem quendam primatum Papæ non denegant, rationibus & argumentis, nedum illis quæ Protestantes allegant, solide responderi possit.

(c) *De initiis mutationis Ecclesiarum.*

(d) *De augmento opum Eccles. sub Constantino.*

(e) *De legibus contra abusum.*

(f) *Quomodo Pontifices Rom. jus supremum in bona Eccles. sibi arrogaverint.*

§. CXXXVIII.

Edidit is anno 1523. præfationem in *statutum* quoddam *Leisnici* ad Muldam, quod mediocre in ditione Electorali Saxonica oppidum est, de reditibus istius parochiæ conditum, ad quam vici aliquot circumjacentes pertinent. Convenerant autem Nobiles, vicorum Domini, & inter eos vir egregius, multumque Luthero laudatus (vide *Lib. II. Ep. p. 331. b.*) *Sebastianus Cotteritius*, (familia equestri etiamnum florenti natus) cum Senatu oppidano, & vicorum incolis (inito prius pacto cum Abbate vicini monasterii Buchensis, eoque ab Electore confirmato) de decemviris (duobus nempe ex nobilitate, duobus ex senatu, tribus ex civibus, tribus etiam ex vicorum incolis) per suffragia omnium quotannis deligendis, qui omnes parochiæ reditus, eleemosynas etiam, colligerent, aut si opus esset, collationes indicerent, ex quibus parochus, diaconi, puerorum & puellarum in scholis magistri & magistræ honeste alerentur, ædificia sacra conservarentur, & pauperibus prospiceretur, sublata omni mendicandi, sive ut loquebantur, terminandi & stationandi, tum monachis tum vagabundis aliis licentia. Tam pie vero & prudenter ista omnia pro modo facultatum suarum providerunt, quos dixi oppidani, suo quidem arbitrio, nulloque superiorum jussu, ut optandum cum Luthero sit, hoc exemplum pro regula ubique observatum fuisse. Notabilis inter alia est in ordinatione ista de Eleemosynis colligendis dispositio hunc in sensum: *Habeantur in templo duo vasa portatilia, in qua panis, carnes aliaque esculenta reponantur, alia in qua pecunia conjiciatur. Collecta igitur eleemosyna, ea præsertim, quæ servari nequeant statim, quæ vero servari possunt die Dominica pauperibus distribuantur, ita ut nemo ex cœtu qui ætatis aut morbi causa alimenta sibi acquirere non possit, egere cibi, vestium aut hospitii debeat; sed ex decreto Decemvirorum necessaria capiat. Porro ut ex reditibus sacris & sumtibus publicis, cum vile est annona pre-*

(1) *De statuto Leisnicensi circa bona & reditus Ecclesiæ.*

An. 1522. *tium, frumenti modus coematur, ex quo, tempore caritatis, donari, vendi aut mutuo dari egentibus, itidem ex arbitrio Decemvirorum possit. Si vero reditus annui, & quæ sponte conferuntur, ad omnes erogationes non sufficiant, tunc Decemviris proponentibus totus cœtus, quæ necessaria erunt, pro facultatibus colliget, idque tanto faciet lubentius, quia antehac longissimo tempore intolerabili modo per totum annum a mendicantibus domesticis & peregrinis, aliisque callidis artibus exhaustos se fuisse sciunt.* Cæterum Leisnicenses in exordio profitentur, *se divinarum literarum peritos consuluisse*, Lutherum tamen non nominant: quanquam verisimile est, consilio ejus usos esse. Ipse vero in *præfatione* haud prolixa Leisnicenses, quos alloquitur, magnopere laudat, statutumque illud *dignum judicasse se* scribit, *quod typis publicetur, aliisque ad imitationem proponatur. Eo enim*, ait, *rem Clericorum, qui sub specie cultus divini tantas mundi opes corraserint, jam devenire, ut videantur Deo & hominibus molesti, nec ferendi amplius esse. Cum igitur monasteria jam deseri incipiant, nec sint, qui in iis vivere post hac velint, & hæc mutatio suæ doctrinæ imputetur, curandum sibi esse, quantum consilio & suasionibus possit, minuendæ invidiæ causa, ne derelicta monasteriorum & collegiorum bona in prædam promiscuam hominum avarorum cedant, sed pie & utiliter impendantur.* Nihil autem præcipit aut urget, neque ad ullum Principum desideria illa sua defert, sed, ut dixi, solis Leisnicensibus respondet, multaque pro casuum & temporum ratione ulterius expendenda, & secundum regulam christianæ charitatis omnia æstimanda & instituenda esse monet, adeoque intra vota consistit, contentum se fore, ajens, si modo duo aut tres consilia hæc sua vel sequantur, vel saltem non improbent. Scripta est præfatio hæc Germanice, ut & ipsum Leisnicensium statutum, nec Maimburgius ex illis quidquam, credo, cognovit, quam quæ ex *Cochlæi* maligna & mendaci relatione exscripsit. Moderatiora quippe omnia sunt, quæ Lutherus proponit. Neque enim expelli vult monachos, sed volentes dimitti; manentibus alimoniam, & quidem uberiorem, quam habuerint, præberi, ne avaritiæ sed charitatis impulsu ista fieri videantur. Neque se aliis consulere, ait, quam qui Evangelicam doctrinam recipiant, & facultatem disponendi de his rebus habeant. Falsissimum igitur est, eum velle, ut quæ ex reditibus monasteriorum desertorum supersunt, Principibus & Magistratibus accrescant; quinimo diserte svadet, ut omnia ad pias causas sive ad charitatis christianæ exercitia impendantur, tanquam *bona ecclesiastica*, quo nomine olim vocata fuerint, id est, *communia, & ad cœtum & Ecclesiam, in pios usus pertinentia.* Addit exceptionem, si forte fundatorum posteri ipsi nunc egeant, ut ex his de alimentis & subsidiis quibusdam prospiciatur, sed citra abusum, & ad præscriptum ordinatæ charitatis. Improbat autem promiscuam istius modi fundationum retractationem, qualis in Bohemia facta sit. De Ecclesiarum cathedralium & collegiatarum reditibus ita judicat, quod in effectu & re ipsa nil aliud sint, quam politici reditus, atque ita mallet Episcopos & Prælatos in numerum civilium potestatum referri, quam pro divini cultus ministris haberi; aut ut ad fundatorum hæredes proventus isti, eo, quo supra dixit, modo, reverterentur, aut communi fisco Ecclesiastico accederent. Cum vero usuraria pravitate laborare contractus, quos vocant, venditionis annuorum redituum, in quibus magna pars proventus Clericorum consistebat, censeret, debitores liberandos ære illo alieno esse svadebat: sed neminem invenit, qui in hac opinione ei assentiretur, ita ut non multo post, ut §. CLXXVII. dicam, ab illo rigore ipse discesserit, a Jureconsultis informatus, & Principum leges de usuris vicesimis non improbaverit. Cæterum ex hoc ipso, non libro, ut *Cochlæus* nominat, sed brevi consilio per epistolam vel præfationem exposito, manifestum fit, de quo jam in præloquio aliquid monui, quam calumniose insimulentur Principes & magistratus Germaniæ, quod Lutheri doctrinam hoc uno fere argumento acceptaverint, ut spoliis ex bonis Ecclesiasticis ditescerent. Scripsit ista hoc anno 1522. & sequenti edidit Lutherus, cum ipse in summo periculo viveret, Elector vero Saxonicus nondum de publica Ecclesiarum ordinatione & reformatione decrevisset, & jam doctrinam ipsam maxima populi pars probaverat, nullo ad bona Ecclesiastica habito respectu. Adeo vero nulla tunc lucrandi & ditescendi cogitatio Principem aut proceres provinciarum movere poterat, ut metu Pontificis & Cæsaris magno potius ære libertatem Evangelicæ doctrinæ redemissent. Quibus enim in angustiis hoc ipso tempore, quo Comitia Norimbergica habebantur, versati sint purioris doctrinæ fautores, paulo post dicetur. Quod si consilium Lutheri processisset, & id sequi placuisset Principibus, quid quæso lucri ad eos redundasset, cum statuta a Luthero suprema regula de charitate christiana, nihil omnino ad fiscum Principum & magistratuum redire potuisset, nisi ipsi indigentiam & paupertatem majorem pro conditione sua, non minus quam plebeji probassent, tantumque post sumtus ad cultum divinum & scholas publicas necessarios pauperumque sustentationem superfuisset, ut etiam Principibus & Nobilibus aliquid tribui potuisset, quod per regulas a Luthero positas, ineptum cogitatu, nedum effectu fuit. Principes sane Saxonici illo tempore tam opulenti erant, ut pecuniis (quod probare facile possem) mutuo datis alios juvarent, aut eas magnificis ædificiis impenderent. Ex minori Nobilitate depauperatas familias quasdam fuisse haud negaverim. Constat autem primas dotationes antiquitus admodum tenues, multorumque fundatorum familias dudum extinctas fuisse. Maxima nempe redituum pars Clericorum industriæ aut collationibus pecuniariis, multum etiam usuris debebatur. Itaque, ne quid dissimulem, consilium illud de fundatorum hæredibus juvandis, levandæ invidiæ causa propositum fuisse puto, sterili aut nullo effectu. Neque enim restituta ad eum modum fundatorum ex equestri ordine posteris monasteria fuerunt, aut si quid tale accidit, onus subrogatum fuit scholas constituendi, certumque An. 1522.

(2) *Lutherus commendat statutum Leisnicense, & quædam monet.*

(3) *Cochlæi calumnia refellitur.*

(4) *Consideratio consilii de juvandis patronorum nobilium posteris.*

An. 1522.

que præceptorum discentiumque numerum in iis alendi; quanquam non nisi unum hujusmodi exemplum in Saxonica ditione mihi notum est in splendida Equitum *Witzlebiorum* familia, qui *Roslebiæ* in Thuringia monasterium in scholam converterunt. Nihil itaque nisi perpetuæ & tædiosissimæ contumeliæ sunt, quæ reformationi ex bonorum Ecclesiasticorum invasione opponuntur; nec nisi vanissime fingitur, Luthero autore spolia Principibus ostensa esse. Quid vero longo post tempore, nempe anno 1532. sequestratis jam post publicas cum provincialibus conventiones monasteriis & collegiatarum Ecclesiarum reditibus, pro commodo aliquo fisci ducalis permittendum esse existimaverit Lutherus, ut scilicet maximi sumtus in religionis negotia facti quodammodo refunderentur, in loco exponetur. vide *Tom. V. Alt. fol. 1027. & seqq.* Sed ab ejus intentione & consilio neque hoc anno, neque sequentibus profecta sunt, si quæ minus probanda per varias rerum mutationes evenerunt, immo vix alius acrius in abusus bonorum Ecclesiasticorum invectus est.

ADDITIO I.

(a) *Varillasii errores de statuto Leisnicensi.*

Varillasius Lib. VI. hist. hæres. p. 9. hæc habet: *Cives Lipsienses, omnes fere Lutherani, bona Ecclesiastica occupaverant, sub prætextu, quod plus redituum ex iis proveniat quam opus esset ad sustentandos ministros Ecclesiæ. Ut tamen ostenderent, se non ditescendi causa ea invasisse, constitutionem fecerant, per quam quæ supererant, in pauperum sustentationem, & ad informationem juventutis adhiberentur. Statutum illud ab homine idoneo sed incognito conscriptum erat, & Lutherus id examinans itaprobavit, ut ex eo correcto suum opus faceret, & præfationem adderet. Magna autem Lipsiensi magistratui elogia dedit, quod ecclesiam eo modo, qui post tot seculorum corruptionem possibilis fuisset, ad puritatem Apostolicæ œconomiæ restituissent, quo tempore omnibus pro indigentia succurrebatur, & tanto magis miranda erat charitas, quod in commune exerceretur. Addit, quasi Prophetam agere vellet, exemplum Lipsiensium brevi imitaturos quicunque sinceræ reformationis stimulum sentirent, & fore ut tot beneficiorum reditus, qui in Germania pinguiores essent, quam in toto reliquo orbe Christiano, otiosis & vitiosis hominibus ademti, ad pios & castos usus impendantur, nec quisquam superfuturus esset, qui in decem Imperii circulis miseriæ & mendicitati succumberet.* Condonari potest homini peregrino, si in nominibus locorum aliquando labitur.

(b) *Animi aversio in eos.*

Quanquam qui ad historias scribendas animum appellit secum prius habitare viresque suas metiri debet, idque operæ dare ne ignota & falsa memorando alios decipiat, & se ipsum ludibrio exponat. Hic certe Autoris error crassissimus est, qui de rebus Germanicis illo tempore gestis tanta cum confidentia loquitur, ac si omnibus consiliis & actionibus præsens interfuisset, neque tamen celeberrimam urbem *Lipsiensem*, ab oppido obscuro *Leisnicensi* aliquot inde milliaribus & sub alio tunc Principe sito, ob aliquarum literarum similitudinem distingueret. Sciebat præterea, ut ex his ipsis libris ejus constat, Lipsienses illo tempore Principem Georgium habuisse, Lutheranismi acerrimum persecutorem, ita ut non nisi cum manifesto capitis sui periculo, de invadendis aut mutandis Ecclesiasticis reditibus decernere potuissent; sanguine enim aut exilio luebant, (ad obitum usque Georgii, qui non nisi post sedecim annos secutus est) quotquot ex illis Lutheri doctrinæ & reformationi quocunque modo faverent; quid autem non passi essent, si vel tantillam redituum sacrorum particulam attigissent? Ineptum etiam est, quod de ministris Ecclesiæ *Lipsiensibus*, eo tempore sic loquitur, ac si a senatu aut civibus constituti & sustentati fuissent, cum in urbe essent non solum duæ magnæ Parochiæ, sed & Benedictinorum, Augustinianorum regularium, Dominicanorum & Franciscanorum monasteria, monialium etiam unum in suburbio, quinque præterea Academica collegia, quorum omnium maximam curam Georgius Princeps gerebat, & ab omni vi & mutatione tuta præstabat. Falsum quoque est quod Lutherus *Leisnicensium* statutum interpolaverit, aut suum ex illo opus fecerit; publicavit id, uti erat, nec nisi præfationem addidit. Hanc ipsam tamen ita refert autor, ut veritati studere, aut eam legisse credi non possit. Itaque historiæ loco fabulam narrat & calumnias veteres ad genium seculi, suumque propositum, arreptis ex probabilitatum quisquiliis centonibus resarcit, sed ea imperitia quam nec patronis suis excusare possit. Cæterum *Leisnicum* arx est & oppidum ad Muldam, unde illustris familia Burggraviorum nomen habuit, quæ paulo ante Georgii Ducis mortem extincta est, ex qua genus suum celeberrima & opulenta *Ranzoviorum* gens in Holsatia deducit. Præfectura hodie *Leisnicus* est Electoralis, & Pastor oppidi in vicinas Ecclesias ephoriam habet. Exemplum quod illi tunc instituerunt, collatæ stipis, ad alios propagatum non est, sed aliæ leges per constitutiones Ecclesiasticas harum provinciarum inductæ sunt, quas Leisnicenses nunc non minus ac cæteri sequuntur.

(c) *Literæ Lutheri ad Fridericum El. de statuto Leisnicensi.*

Duæ Lutheri literæ in *Arch. Vin. (Reg. N. fol. 108. lit. H. n. 41.)* habentur ad Fridericum Electorem de statuto Leisnicensi satis libere scriptæ d. 11. & 29. Aug. 1523. Cunctabatur enim pro more suo Princeps in confirmandis quæ acta erant, & erant in Senatu oppidi, qui mallent in alios usus bona parochialia verti, aut ex invidia erga nova statuentes veteribus ritibus inhærere. Mascule itaque Lutherus justitiam causæ defendit, ostendens pio & vero usui nunc applicanda esse, quæ olim ad abusum fundata fuissent, neque hostibus Evangelii convitiandi causam præberi debere.

ADDITIO II.

De opulentia & liberalitate Principum Sax.

Ad calumniatorum confutationem pertinet etiam quod dixi de opulentia Principum Saxonicorum eo tempore, quæ utique ex rationum libris aliisque documentis non spernendis, ut & eorum liberalitas & beneficentia in Ecclesiasticos & alios, demonstrari posset. De Friderico Electore speciatim narrat *Spalatinus in Vita MS.* non solum quantum impenderit in Vittenbergensem *Ecclesiam collegiatam*, quod jam retuli, sed & quod redux ex Palæstina ædiculas seu Capellas titulo *S. Crucis* & *B. Virginis* cum altaribus, *Torgaviæ*, itemque Decanatum & vicarios in arce fundaverit, dein collegiatis Ecclesiis *Gothæ*, *Isennaci* & *Altenburgi* omnibusque monasteriis multa donaverit, neque quidquam toto regiminis sui tempore iis auferri passus sit, etiam post cœptam Evangelii a Luthero prædicationem, ita ut non nisi summa cum circumspectione magnaque cum cunctatione de mutationibus cogitaret, & quidem sine dispendio redituum Ecclesiæ, multo autem minus cum suo emolumento. Multum vero in ædificia expendisse idem autor narrat, nominatim in arces *Eulenburgi*, *Lochaviæ*, *Liebenwerdæ*, *Coburgi*, *Vinariæ*, *Colditii*, *Altenburgi*, idque fecisse, non tam delectamenti aut famæ causa, quam quod pecunia abundaret, eaque opifices alere vellet; adeo denique ab avaritia alienum, ut ad tributa, licet tunc modica, populo imponenda ægerrime moveretur. Huic tamen tam bono & generoso principi, ejusque successoribus paris probitatis, mordacissimi & mendacissimi homunciones *Cochlæus* & alii terræ filii, ex suo ingenio sacrilegii crimen & mutatam eo intuitu religionem nulla ne specie quidem veri proterve impingunt, eademque petulantia Lutherum criminantur, cujus mores tota vita a sordibus alienissimi fuerunt, neque erat, qui illo vehementius in rapinas detonaret. De *Georgio* Duce dicere nihil attinet, cujus divitiæ celebrattissimæ fuerunt, is enim, etsi suspicionem quandam cupiditatis, ut alibi notavi, incurrit, Cleri tamen opes vel in Lutheri odium fovit potius aut auxit, quam minuit; sed mortuus minorem quam pro opinione pecuniæ summam reliquit, & mutatio in monasteriis post decessum

An. 1522. sum demum ejus, a fratre Henrico ejusque filiis, procurata fuit.

§. CXXXIX.

(1) *Acta quædam Lipsiæ contra Lutheranismum.*

Sævitia, ut supra innui, contra Lutheranos, quos vocabant, palam & vehementer exerceri isthoc anno 1522. cœpta est. Durior ante alios *Georgius* Saxoniæ Dux mandatum mense Novembr. anno 1522. de tradendis Novi Testamenti libris a Luthero versis emisit, quos sub sua pecunia a subditis redimebat, *Tom. II. Alt. f. 224.* severe punitis, qui retinebant. Ausus est sequenti anno quidam *Georgius Schœnichen* Lipsia ejectus, & Ilenburgi in ditione Electorali receptus, d. 4. Jun. ad Senatum scribere, concionatores Lipsienses eo tempore nil agere, quam ut Principes adversus Lutheranos concitarent, ex verbo Dei autem respondere eos ad objecta non posse, melius itaque facturum esse Senatum, si, quæ in eos impenderet, pauperibus colonis erogaret. (solten's den armen Bauern geben.) Visitavit etiam, incitatus a Duce, autumno hujus anni, Academiam Lipsiensem Episcopus Mersburgensis, & gravissimis pœnis denunciatis, lectionem Novi Testamenti a Luthero editi, & excursum ad conciones in vicina Electoris ditione audiendas, prohibuit: quo facto juventus studiis incumbens, ut jam ante cœperat, Lipsiam magis magisque deseruit, & VVittenbergam petiit. Nec mitiores erant *Henricus* Brunsvicensis & *Ferdinandus* Rex, Caroli Imp. frater, tum in Austria, tum in VVurtembergico, quem tunc tenebat, Ducatu. Sed violentissima Belgis persecutio incubuit, magno hominum numero præcipiti condemnatione vita aut bonis spoliato. Mense Octobr. destructum est totum Augustinianorum monasterium Antverpiense, monachique omnes vel extremo supplicio postea affecti, vel, cum carceris tædio mortisque metu revocassent, aliis modis puniti sunt. Prædicaverant autem illi secundum Lutheri doctrinam tanto cum applausu, ut templum affluentem hominum multitudinem non caperet; nec Jacobi illius casus, quem supra retuli, cæteros absterrebat. In Germania vero doctrina Evangelica multis in locis majori cum libertate admissa est. Norimbergæ *Andreas Osiander* mense Februario publice concionari cœpit, & Monachus quidam Franciscanus *Gallus Kornius* causas deserti a se monasterii publicavit. Augustæ Vindelicorum hospes olim Lutheri *Joh. Froschius*, Theol. Doctor, Carmelitarum Prior; Francofurti ad Mœnum *Hartmannus Ibachius*, Ulmæ Monachi aliquot non sine periculo, & vocatus postea a Senatu *Conradus Samius*, Halæ Svevorum *Johannes Brentius*, magni postea inter Evangelicos nominis, docuerunt. In tractu, qui Chraichgoa dicitur, in finibus Palatinatus & VVurtembergici agri situs, in Equitum Liberorum, quorum ibi multi & opulenti habitabant, quibusdam etiam Palatinæ ditionis pagis & vicis, concionati sunt bene multi, inter quos celebriores habentur *Erhardus Snepfius*, & *Franciscus Irenicus*. Pulsi quidam, ubi Clerus prævalebat, in alias regiones dogmata transtulerunt. In Franconia *Georgius Comes Wertheimensis* Lutherum de Prædicatore mittendo rogavit, cui aureorum centum stipendium (non exigua tunc summa erat) & victum in mensa sua offerebat *Lib. II. Epist. p. 92.* Mildeburgi ad Mœnum Moguntinæ ditionis oppido, *Johannes Draco Carolostadius* docuit; Bremæ *Henricus Zuthphaniensis*, Augustinianus Antverpiensis, carcere elapsus; Magdeburgi *Melchior Myricius* (von der Heyde) itidem Augustinianus, *Eberhardus Widensee*, Halberstadio pulsus, & *Johannes Fritschhans* Franciscanus, qui tamen anno sequenti fratrum odiis cessit, & ne iis resistens populo tumultuandi occasionem præberet, Wittenbergam profugit, discessusque sui causas & doctrinæ fundamenta brevi sed pio nec indocto libello Magistratui Magdeburgensi exposuit; Servestæ, quæ egregia Anhaltini Principatus ad Albim urbs est, Lutherus ipse in Augustinianorum monasterio hoc anno concionem habuit magno successu. In Pomerania florentissima Emporia Stetinum & Sunda, illud quidem petitis Wittenberga concionatoribus, *Nicolao Curiensi* & *Paulo a Rheda*, hoc exulem Treptoviensem, *Christianum Ketelhut*, recipiens, reformationis initium fecerunt: sed Sundæ cum tumultu res acta fuit, plebe ad imagines frangendas concitata, & monachos uno die expellente. Stolpenæ ulterioris Pomeraniæ claro oppido *Petrus Svavenius* Danus, Lutheri domesticus, prima semina jecit. In Livonia primariæ urbes Riga, Revalia, Dorpatum eadem receperunt, *Andrea Cnophio* prædicante, qui cum Bugenhagio vere præcedenti Treptovia ejectus fuerat, sed ab aliis impulsa plebs vehementius, quam par erat, agebat. Rogatu postea Magistri equitum Teutonici ordinis, cui Livonia tunc parebat, Lutherus ad Livonos scripsit mense Januar. 1523. *Lib. II. Ep. pag. 122. b. & seqq.* in quibus inter alia ita loquitur; *Caput totius Christianæ doctrinæ est fides in Christum, & deinceps erga proximum dilectio. Indulgentiarum nundinationes, sanctorum cultum, & quicquid præterea operum ad animarum nostrarum salutem pertrahitur, ut venenum lethale & præsentissimum defugite & devitate.* Queritur in eadem epistola de Principibus & Episcopis Germaniæ eorumque blasphemiis, condemnationibus, proscriptionibus, insectationibus, igne, ferro, vinculis; & beatos Livonos prædicat, qui veluti Britanni toto orbe remoti, in extremis terræ finibus salutiferum Christi Evangelium omni cum voluptate exosculati & amplexi sint, confortat autem eos ad persecutiones, quas secuturas esse prædicit, fortiter sustinendas. Hamburgenses hoc anno expulso officiali Archi-Episcopi Bremensis; Frisii etiam ministros Evangelii VVittenberga petierunt, teste Luthero *Lib. II. Epistolar. p. 98.* De Helvetiis & Alsatis multa narrari possent: dissensus enim in articulo de sacra Cœna nondum in schisma eruperat. Itaque *Caspar Hedio, Martinus Bucerus, Joh. Oecolampadius*, hoc etiam anno Moguntiæ, VVeissenburgi in Alsatia, & apud Sickingium docentes, pro Lutheranis habebantur. *Hedio* tamen ad *Capitonis* ingenium se accommodans Moguntiæ in summo Templo tectius concionabatur, reprehendente simulationem illam Oecolampadio. Vide *Scultet. Annal. Evangel. hoc anno 1522. p. 123. & p. 137.* ubi hujus methodum in aula Sickingii ad reformandum cultum publicum adhibitam ex epistola ejus ad Zvinglium refert. In Bohemia & Silesia, etsi Ludovicus

(2) *Aliæ persecutiones.*

(3) *Incrementa reformationis in superiori Germania.*

An. 1522 (4) *Item in inferiori.*

(5) *Argentorati & in Alsatia.*

An. 1522.

(6) *In Bohemia, Polonia, Hungaria.*

vicus Rex Luthero infensus esset, Georgii tamen Marchionis Brandenburgici, qui regiæ aulæ Magister erat, & favere Luthero cœperat, opera florere incipiebat Evangelica doctrina, Uratislaviæ maxime, quæ nobilissima Silesiæ urbs est, & sub Ducibus Lignicensibus & Monsterbergensibus. Ex Polonia missum ad se Secretarium religionis causa memorat ipse Lutherus mense Julio in epistola ad Spalatinum, *Lib. II. p. 88. b.* Ex Hungaria, fama novæ lucis in doctrina excitata, adolescentes VVittenbergam venerunt, in quibus primus hoc anno nominatur *Martinus Cyriaci*, Leutschoviensis, Rectore Melanchthone, albo Academico insertus. De Dania & Svecia Maimburgium paulo post audiemus. Majoris vero laboris esset, & plura ex singulis regionibus & urbibus documenta requireret, si quis ortum & progressum doctrinæ repurgatæ ubique locorum notare & describere accuratius vellet. Præterire tamen nolo quæ *Scultetus* ex autographo literarum *Friderici Canirmii*, Scholæ Rectoris Delphis Batavorum Moguntiam ad Hedionem scriptarum, in historia hujus *anni 1522. p. 136.* annotavit, statum illarum provinciarum, quæ durissimo Cæsarei edicti jugo premebantur, & Erasmi aliorumque animos repræsentantia. *Multa* (ita scribit) *moliuntur adversarii per mandata, epistolas, legationes etiam, sed infatuat Dominus consilia Ahitophel, & fit, ut monte parturiente nascatur ridiculus mus. Tantum scio, si vel semel liceat in publico concionari, res monachorum, (quæ hic infestissimæ sunt veritati) plane ad nihilum redituras, cum magna ex parte labefactatæ sint pauculis in gymnasio nostro sermonibus a me habitis. Sed expectanda patienter voluntas ac beneplacitum Domini, qui cum videat, usque adeo fervere nos, consulto dissimulat auxilium, ne nostris conatibus aut laboribus quidquam arrogemus, si omnia feliciter cadant, cum non tam habeat rationem vocandorum, ut ad gratiam perveniant, quam jam vocatorum, ut in gratia permaneant; sed ubi viderit nos cessare, immo desperare salutem Israel, ac totis animis inde pendere, ut ipse solus operetur jam in medio terræ, tum demum ex improviso aderit Ecclesiæ suæ, qui insperata feret auxilia: ut tantum Deo sit laus & gloria, Amen. Erasmum in dies magis frigescere, & quantum ego judicare possum, retractare latenter, quæ videatur olim liberius vel dixisse vel scripsisse, ægerrime fero, & agnosco puerilem metum, qui plus veretur hominum gloriam quam Dei. Cæterum tales Nicodemi apud nos in magno sunt numero; sed qui firmius starent haud dubio, si detur publicare gloriam Christi, quo uno fortificantur ægræ conscientiæ.* Ex his, quæ de incremento Evangelii extra Electoris Friderici & Ducis Johannis ditionem adduxi, constare potest, plus fere alibi per viros doctos & pios, qui scriptis Lutheri excitati erant, ad sacræ Scripturæ lectionem quam intra Saxoniam Electoralem præstitum esse. Testatur de hoc *Hartmuthus Cronebergius* insigni ad *Dolzigium*, Marescallum Electoris & *Spalatinum* epistola MS. d. 15. Apr. hoc anno 1522. data (*Reg. N. fol. 64. n. 15.*) in qua sibi a Luthero, quem *pium* & *a Deo missum* (den Christlichen und von GOtt gesendeten) item *virum Dei* nominat, libellum missum esse significat, addens, tam altas radices agere verbum Dei, ut impossibile videatur, nisi Deus gratiam suam auferat, ut ab hominibus aut Diabolo evelli ex animis possit. Omnes ejus libros ad Francofurtenses nundinas allatos publice venditos esse, non obstante edicto Banni. Responsum *Dolzigii* & *Spalatini* d. 25. Apr. datum, repertum est *in schedis Dolzigianis*, de quibus supra dictum fuit. Hic enim dissimulantibus Principibus procedebant aut hærebant omnia ad arbitrium magistratuum aut populi, prout quisque affectus erat, aut potentia præpollebat. Apparet hoc clarissime ex epistola *Lutheri* ad Parochum Zuiccaviensem *Hausmannum* fer. 2. post Cantate scripta: Consulenti enim de negotio quodam ecclesiastico respondet: *Nullo modo mihi consultum videtur ut Principi illustrissimo de hac re scribatur, certus sum quod non acceptabit, sed a se ad vos denuo retorquebit. Novi hominis ingenium, qui ferre potest, ut ab aliis fiant, quæcunque fiunt, sed mandare aut consulere nolit; ita Senatui & tibi res perficienda est, Lib. II. epist. p. 65.* Docebat eo tempore Islebiæ Prior Augustinianorum *Caspar Guttelius*, cujus §. *CXXI.* memini, Theologiæ Doctor, quem *optimum patrem* nominat Lutherus, loco supra citato, & alibi etiam laudat. Hic referente *Sculteto ad annum 1522. p. 135.* Arnstadii in Thuringia Comitum Schvvartzburgensium nobili oppido, a civibus rogatus, in foro aliquot conciones habuit, sequenti anno VVittenbergæ typis excusas & Comiti Gunthero loci Domino inscriptas.

(7) *In Belgio.*

(8) *Effectus scriptorum Lutheri, teste Cronebergio.*

(9) *Lutheri querela de cunctatione Electoris in Saxonia.*

(10) *De Caspare Guttelio.*

An. 1522.

ADDITIO I.

Melchior Adami & quos ille secutus est, *Osiandrum* Norimbergensium Ecclesiasten in Bavaria natum tradunt, sed errant. *Gunzenhusa* enim (ubi anno 1498. natus fuit,) Franconiæ oppidum est, ad *Alemannum* seu *Altmulam* amnem, quod *Burggravii Norimbergenses*, nunc *Brandenburgici Marchiones*, a *Seckendorffiis* ante annos paulo plus quam trecentos coemerunt, *Limnæo* referente. Pater Osiandri faber fuit ferrarius; hujus cognomentum *Hosemann*, cum juventus oppidana, ut solet, commixtum cum baptismali *Andreæ* nomine, & deminutum in Hosen-Enderle corrupisset, ipse, literarum studiis deditus, & ut tunc moris erat, in *Osiandri* transformavit. Præcoci & fervido fuit ingenio, grandiloquentia & mysticorum imitatione tumidus & singularis: disputator etiam haud inpromtus, ita ut coram Episcopo Bambergensi diœcesano suo cum aliis auditus, admirationem sui excitaverit. Plura in progressu operis de illo dicenda erunt. Concionabatur eodem tempore in templo Sebaldino *Dominicus Sleupnerus*, uterque a Præpositis parochiarum ad prædicationes constitutus, ut infra §. *CLXXIII.* referetur. Cæterum sine dubio Norimbergensibus prima laus recepti in Franconia Evangelii debetur. *Georgius* quidem, Marchio Brandenburgicus, mutare propensus fuit ad Evangelicam doctrinam, sed is hoc tempore in Silesia agebat, Franconicas ditiones Casimirus frater diverso instituto curabat. Emicuere tamen hoc anno in Voigtlandia, quæ Marchionibus paret, & nominatim in civitate & præfectura non ignobili, quæ Curia, vulgo Hoff dicitur, prioris doctrinæ scintillæ. Didici hoc ex missis ad me reverendorum & doctissimorum virorum *Joh. VVolffgangi Rentschii* Ecclesiastæ Byrutensis & *Joh. Christoph. Layrizii* Rectoris Curiensis dissertationibus. Parochia Curiensis, ut pingvioribus aliis accidere solebat, Canonicis Bambergensibus fere commendabatur, & hoc tempore Friderico Brandenburgico Casimiri fratri, qui Canonicus non unius Præsulatus erat, concredita erat, sed per Vicarios administranda. Illo munere post alios potitus *M. Casp. Löhnerus* Evangelicæ doctrinæ fundamenta jecit, maxime circa annum 1524. immo, quod mirum est, moderator scholæ *Martinus Helfferus* jam anno 1517. recepta dogmata im-

(a) *De Andr. Osiandro Norimbergensi concionatore.*

(b) *De initiis reformationis Curiæ Variscorum.*

An. 1522.

ta impugnare cœperat, & relicta statione VVittenbergam concesserat, unde postea reversus in pagis vicinis Evangelium docuit. Fanaticæ sectæ contagium inde a famoso illo *Nicolao Storkio* Zuiccaviensi illatum est Curiensibus, tractis etiam in partes monachis quibusdam, ita ut anno 1525. exardescente tumultu rustico periculum etiam seditionis in civitate haud leve oriretur, Löhneri tamen concionibus potissimum sopitum. Sed huic mala gratia ab Episcopo relata est; dejectus enim fuit ex parochia ad D. Michaelis & postea quoque ex æde Franciscana. Quæ secuta sunt, in altera operis mei parte, DEO volente, tradam. Hallensium pastor *Johannes Brentius* VVilæ, quod parvum est sed imperiale in Svevia oppidum, natus fuit, patre prætore, anno 1499. Tyrocinia Academica Heidelbergæ habuit, eo progressu ut anno ætatis decimo octavo magisterii titulum assumeret, & contubernii, quod *realium* vocabant, Rector creatus, non Philosophiam saltem, sed & Theologiam doceret, ringentibus sacri ordinis viris. Invidiæ itaque leniendæ causa sacerdotium suscepit, & inter *Canonicos Ecclesiæ S. Spiritus* receptus fuit; audivit disputantem Heidelbergæ Lutherum anno 1518. eumque admiratus est, ac scripta ejus postmodum avide legit. *Halam Svevorum*, commendante quodam qui literis Heidelbergæ operam dabat, *Isenmanno* Halensi, vocatus fuit ad Pastoris munus anno 1522. & in festo Natalitio B. Virginis concionem primam habuit. Evangelicam doctrinam modeste profiteri cœpit, non tamen sine contradictione monachorum, ex Franciscanis maxime. Effecit nihilominus doctrinæ præstantia, quam applausus populi sequebatur, ut plerique ex adversariis alio secederent. Missæ celebrationem aliquandiu continuavit, ita tamen ut ab illis, quæ pro defunctis habentur, abstineret. Invalescente interim plurimis locis Evangelii prædicatione, cum & *Isenmannus* ille Heidelberga in patriam revocatus operam jungeret, abrogatio Missæ anno 1523. secuta fuit, excusante se Brentio hunc in modum: Optimi auditores, audio quosdam vestrum nostris actionibus offendi; & quidem verum est, ego quoque aliquoties Missam hic apud vos celebravi; sed non per omnia sacrificulorum more, sed impietate horrenda, sacrificii scilicet oblatione pro vivis & defunctis omissa: idque propter vos a me factum est. Nam cum primum huc a vobis essem vocatus, in profundum idololatriæ vos immersos reperi, ideo aliquid erat faciendum, & ad vos in lacum descendi, ut vos educerem, & in libertate paulatim erudiendo & nonnihil etiam, exemplo Apostoli, ad tempus cedendo & simulando. Jam vero rectius ex verbo Dei a me estis instituti, & horrendam Missæ abominationem & cœnæ Dominicæ profanationem intelligitis. Ideo ea & fugienda est, & legitime abroganda. Hæc de *Brentio*, quæ ad hoc tempus pertinent, sufficiant, ex *Melch. Adam. & MS. Altingii* excerpta. add. Sculter. pag. 122. 160. Alia sequentibus annis de illo commemoranda occurrent. Editæ sunt Ulmæ anno 1617. conciones a ministerio Evangelico in Festo jubilæo habitæ; quarum prima est *D. Conradi Dieterici*, Superintendentis, Theologi meritissimi. In hac initia reformationis egregie referuntur, quæ in compendium redacta exhibebo: Quamprimum Lutheri theses anno 1517. prodierunt, excitatus illorum lectione *Johannes Eberlinus Gunzburgensis, monachus Franciscanus*, prædicare in monasterii sui templo Evangelicam cœpit veritatem magno cum populi applausu, sed pulsus est, frustra intercedente plebe & Senatu, a fratribus, multasque persecutiones passus, VVittenbergam sese contulit: inde edito Anno 1523. libello, Ulmenses hortatus est, ne ab Evangelio deficerent, monuitque ut a monachorum fraudibus sibi caverent, eorum vero immania crimina in omnibus monasteriis Ulmæ perpetrata ita descripsit & execratus est, ut dixerit, intra annos quadraginta tanta admissa esse in illis scelera, ut mirum non sit, si sol radios urbi subtrahat, nullaque herba aut planta crescat. Recusus est libellus, qui VVittenbergæ editus fuerat, Lüneburgi An. 1638. cum *Georgii Ziegleri* libello, qui titulum habet Welt-Spiegel (Speculum mundi) in quo prima editio ad annum 1524. refertur, & pro *Eberlin* mendose legitur *Ebetlen*. Pia & egregia in brevi illo scripto docuit autor, inter alia adversariis his verbis respondet: Nolite nobis Lutherum objicere, non omnes pares illi estis, sunt ex vobis, qui nec legere scripta illius recte possint, paucissimi Lutheri sapientiam, experientiam & probitatem habent. Nos quoque scimus quid intersit inter pyra & rapas. Tribus aut quatuor annis Lutherus VVittenbergæ publice disputavit, concionatus est, consilia & responsa dedit, adstitit ei vir modestus & doctus Philippus Melanchthon, cum similibus aliis, neque tamen properavit publicos ritus mutare, ridente licet Diabolo. Jam intra annum capit unum post aliud corrigere. Alia plurima ejus scripta anno 1521. Basileæ & alibi edita enumerantur. Abeuntis *Eberlini* exemplo *Henricus Kettenbachius*, ex eodem monasterio, magno animo adversus abusus concionatus est, cujus opuscula typis anno 1522. mandata itidem allegantur. Contradixit huic publice ex *Dominicanis Ulmensibus Petrus Nestlerus*, ejusque clamoribus effectum est, ut & *Kettenbachius* pulsus fuerit. Eodem tamen tempore *Johannes Diepholtus* quem vulgo loripedem cognominabant, in templo suburbano docere cœpit, adversus *cultum Deiparæ, & de Missa Evangelica*, ejusque homiliæ typis excusæ fuerunt. Cum vero alius nomine *Johannes Hoslichius* in loco suburbano, sub dio concionari cœpisset, eique populus immoderatius adhæreret, Senatus illum ex improviso capi jussit, & Episc. Constantiensi vinctum transmisit, qui eum in carcere totum annum tenuit, torqueri etiam fecit, ab Evangelii tamen professione dimovere non potuit, tandem dimisit, Ulmam postea reversum, & alicui functioni Ecclesiasticæ præfectum. Sequenti anno 1524. Pastor *Leipensis*, in ditione Ulmensi evangelium docere & sacram cœnam *sub utraque* celebrare ausus est, magno ad eum ex urbe concursu. Ausus etiam est Pastor Xenodochii Missas intermittere, & eo nomine in censuram vocatus, libello supplici, conscientiæ suæ, verbo Dei aperte constrictæ, rationem haberi petiit, a qua animæ suæ salus penderet, eaque submissione decretum a Senatu obtinuit, ut in statione sua conservaretur. Instantibus autem indesinenter civibus, vocatus fuit eodem anno ad Conciones Evangelicas *Conradus Samius*, Brackenheima ex VVurtembergico ducatu, ob doctrinam Evangelii pulsus (extat ad eum Consolatoria Lutheri *1. Octobr. 1520. data Lib. I. Ep. n. 195.*) qui primo in æde Franciscanorum dein & in templo maximo (quod *Monasterium* vulgo Münster nominant) conciones habuit, ita tamen ut & Pontificii in eodem templo docerent. Crescente vero Evangelicorum numero, Samio *Johannes Diepholtus* & tres alii coadjutores dati sunt. Ex Monachis quosdam immodestiores, & vitæ probrosæ reos senatus urbe ejecit, interque eos quendam, qui cum a Samio ex scripturis in colloquio coram senatu urgeretur, dixerat, si omnia in scripturis continerentur, monstrari debere, num in iis extet, quod Ulma sit urbs. Eo anno Senatus pastoribus injunxit, ut concubinas dimitterent, aut matrimonio legitimo sibi jungerent, quod & aliqui fecerunt: mandavit item ut baptismus, & consecrationes nuptiales Germanica lingua administrarentur: anno 1527. *officium* B. Virginis, & cantus ille *Salve regina* ante annos ducentos institutus, itemque *festum corporis Christi* & expositio hostiæ in Altari abrogata sunt, idem factum anno 1528. de lectisterniis die passionis Christi, de candelis perpetuis, & aliis ejusmodi ritibus. Sed plenior reformatio anno demum 1531. secuta est, quæ cum aliis quæ postea acciderunt luculenter ab autore recensentur. *Erhardus Snepfius* celebrem ad Nicrum urbem imperii *Hailbrunnam* patriam habuit, quatuor annis Brentio major, studiis a matre, pia matrona sacratus, Erfordiæ *Justum Jonam*, *Eobanum Hessum & Joachimum Camerarium* audivit, Heidelbergæ jurisprudentiæ se applicuit, ægre a matre ad Theologica revocatus, cum interim lux Evangelica ex Lutheri dogmate tenebras veteres dispulisset. *VVeinsbergæ* primum, quod ad Nicrum oppidum est, VVurtembergicæ ditionis, docere Evangelium cœpit, inde pulsus,

(c) *De Joh. Brentio pastore Hallensium.*

(d) *De reformatione Ulmensi, speciatim de Joh. Eberlino.*

(e) *Edicta Magistratus Ulmensis.*

(f) *De Erhardo Snepfio.*

An. 1522.

An. 1522.

pulsus, sub patrocinio *Gemmingiorum*, quorum splendidissima inter liberos Equites Sueviæ in Craichgoa familia est, & nunc quoque floret, *Guttenbergæ*: paulo post circa annum 1523. *VVimpinam* translatus est, oppidum imperialis libertatis; exorto anno 1525. rusticorum tumultu, non nisi matrimonio inito a maleferiatis illis, qui eum sibi concionatorem castrensem expetebant, extricare se potuit: Reliqua ex ejus vita etsi in sequentes annos protenduntur, paucis addo. *VVeilburgi* in Comitatu Nassovico pastor & reformator fuit, inde Professor *Marpurgensis*; postea Stutgardiæ docuit & Tubingæ Theologiam professus est, ubi *doctoris* titulo ornatus fuit, tandem ob *Interimisticæ* doctrinæ recusationem ejectus & *Jenæ* eodem Theologicæ professionis munere per annos decem functus, obiit anno 1558. In conventibus & colloquiis religionis causa habitis utilem navavit operam; facundia tanta fuit, ut cum summa admiratione & attentione audiretur; scriptis etiam Ecclesiæ commoda procuravit.

ADDITIO II.

(a) *Relatio de reformatione Francofurt.*

De *Francofurti ad Mœnum*, urbis nobilissimæ reformatione opera egregiorum virorum, quos nisi ex singulari modestia aliud ipsis visum esset, nominatim laudarem, quorumque gratissimam recordationem menti infixam teneo, didici, quibus scriptis hisce meis nobilem accessionem facere possum. Specimen sane fidelis & tersæ relationis Germanice scriptæ, sed a me in compendium redactæ produco, cujus tamen contenta, non modo ad epocham *Libri I.* sed & ad *secundi* & ulterius pertinent. Post comitia VVormatiensia Lutheri doctrina publice asserta semper longius latiusque propagabatur, & admiratores approbatoresque undique inveniebat, cum *Hartmannus Ibachius* (is nempe, quem supra nominavi,) concionator ad D. Catharinæ, eandem proponere pro concione cœpit; sed tantas in se cleri iras concitavit, ut varias & maximas pateretur molestias. Delatus est ut hæreticus apud tribunal diœcesanum Moguntiæ, & a Vicario spirituali requisitus est Senatus Francofurtensis d. 11. Martii 1522. ut illum ad causam dicendam sisteret. Sed missa a Magistratu legatione apud Archiepiscopum & Electorem Moguntinum excusatus est, quippe qui nihil mali docuisset. Secuta tamen postea fuit ejus interdictio sive suspensio & ex urbe expulsio, & invenitur (*Reg. O. Lit. Ji. f. 86.*) *Ibachium* anno 1523. commendatione Amsdorfii, *Sonnewaldam* missum esse, ad prædicandum Evangelium, rogante *Joh. a Minckwiz*, Eq. loci ejus eo tempore cum fratribus suis domino.

(b) *Cronebergii scripta quædam.*

Harthmuthus interea *Cronebergius* ex vicina nobilitate, vir insignis (cujus plus semel mentionem feci,) pro zelo suo ad promovendam veritatem Evangelicam publico scripto & Reminiscere, d. 16. Martii valvis portæ vectoriæ (der Fahr-Pforte) affixo, Magistratum & cives adhortatus est, ut a sacerdotum superstitione & erroribus pessimis, verboque Dei & Evangelio plane contrariis, quorum quosdam adducebat, sibi caverent: literas etiam ad *Petrum Majerum* Pastorem ad D. Bartholomæi, Lunæ post Pentecosten (quæ nescio an eædem sint, quas Sabbato sequenti datas §. *CXXXII.* allegavi,) d. 9. Junii scripsit, expostulans, quod doctrinam Lutheri falsitatis accusaret, sectatores ejus ut hæreticos diffamaret, & potestatem Pontificiam illegitime extolleret, poscebatque ejus asserti rationes. Respondit *Majerus*, & argumenta sua proposuit, sed a *Cronebergio* fortiter refutata. Tentavit inde Archiepiscopus amicam inter eos compositionem, sæpiusque eam ob causam Aschaffenburgium illos accivit, sed nullo effectu.

(c) *Aliorum quorundam ex nobilitate acta.*

Eodem fere tempore alii ex nobilitate vicina *Marcus Löschius a Molnheim*, *Georgius a Stockheim*, & *Emmericus a Reifenstein*, sacerdotes & monachos Francofurtenses edito diplomate monuerunt, ut Evangelium prædicarent, & *Ibachium* ab exilio revocarent, id ni facerent, curaturos se esse, ut decimarum in agris perceptione arcerentur; nec morati, pro temporum illorum nondum sedata per constitutiones publicas licentia, colonis decimarum debitoribus intimarunt, ne quidquam tyrannico illi, quem vocabant, Clero, verbi divini & Sacramentorum osori, posthac præstarent.

An. 1522.

(d) *Senatus gesta circa reformationem.*

Inde Cæsareo mandato d. 4. Junii d. a. 1522. Senatui injunctum est, ut clerum adversus vim istorum nobilium defenderet. Habita interea frequenti & matura deliberatione ex Senatus consulto d. 5. Martii 1523. per deputatos propositum est omnium *Collegiatarum* parochialium & monasticarum Ecclesiarum prædicatoribus, *ut jam nihil aliud quam purum & simplex* (pur und lauter) *verbum Dei docerent, tum ut ordine ac modeste agerent.* Non multo post Dominica Lætare d. 15. Martii *Majerus* concione ad D. Bartholomæi habita, magna cum protervia & calumnia cives ut hæreticos insectatus est, inter alia, quod carnes Quadragesimæ tempore comederent; sed eo facto tantum contemtum & odium in se concitavit, ut vix tutus per plateas incederet, & in ipso etiam templo insultus pateretur. Inquisivit quidem Senatus in petulantiæ illius autores, sed anno sequenti d. 8. Novembris 1524. prius mandatum ad Clerum & concionatores iteravit, testatus, se, nisi, ut injunctum fuerat, Evangelium usque ad concilii definitionem pure docerent, tutelam illis adversus plebem præstare non posse.

(e) *Concionatores in urbe Evangelici.*

Anno 1525. *Johannes Gailingius* concionator aulæ Heidelbergensis Senatui commendavit *Dionysium Melandrum*, qui & *Theodorici Dalbergii* nobilis viri systaticas attulit: Illi igitur & *Johanni Bernardo* Senatus concionandi munus demandavit; Lutherus vero *Johannem Agricolam* Islebium anno 1525. cum epistola sua manu d. 30. Maji scripta, Francofurtum ad Senatum misit, qui Evangelii præconibus aliquandiu assisteret. Inter eos *Joh. Bernardi* plurimum ad reformationem contulit. Adversarium acerrimum habebat *Michaëlem Grossium* ad D. Petri pastorem, eà vehementia de hæresi declamantem, ut Dominica Reminiscere (12. Martii) ingens tumultus in templo illo oriretur, & cives tributim congregati a Senatu postea postularent, ut *Michael* iste ob seditiosas conciones urbe ejiceretur, neque aliis nisi *Melandro* & *Bernardo* concionandi potestas fieret. Petiit etiam hoc anno Senatus cum aliis civitatibus, quæ Spiræ conventum habuerunt, ab Imperatoris Legato & fratre *Ferdinando*, ut Cæsarea autoritate de religione & ceremoniis statueretur. Oblatam tamen a *Philippo* Landgravio, qui in vicinum urbi castellum suum *Rüsselsheimium* delegatos Senatus ad se vocaverat, suo & Saxoniæ Electoris nomine societatem fœderis tunc recusarunt, idemque anno 1526. in comitiis Spirensibus fecere.

(f) *Acta cum monachis & inter concionatores.*

Hoc anno d. 20. Septembris monachi *Franciscani* sua sponte monasterium suum Senatui obtulerunt, missisque deputatis cum iis de alimentis tractatum fuit. In actis pro religionis reformatione in conventu civitatum anno 1528. & in comitiis anno 1529. Senatus cum Evangelicis reliquis sese conjunxit. Hoc etiam anno *Dominicanis* & *Carmelitis* curatores dati sunt, sine quorum præscitu & autoritate de bonis monasteriorum nihil decernerent, nec alienarent, & Carmelitis, aliorum protectionem implorantibus denegata fuere, quæ præbebantur, salaria. D. 14. Septembris *Job. Cellarius* VVittenberga vocatus concionatoris munus ad D. Catharinæ accepit; adjunctus fuit ei anno sequenti *Petrus Cambergerus*. His quatuor continuum cum *Majero* & aliis adversæ partis, a quibus multas calumnias patiebantur, certamen fuit.

(g) *Celebratio cœnæ Dominicæ integra.*

Constituerunt autem eodem tempore ritum sacræ Cœnæ, eamque Dominica Oculi d. 21. Martii prima vice, recitatis Germanice verbis institutionis & præmissis additisque admonitionibus, cantionibus & precibus in æde *Franciscanorum* celebrarunt. Secuta est ad Senatum acris exprobratio per literas Archiepiscopi Moguntini, urgentis, ut decreto comitiorum anno 1529. morem gererent, sed ei d. 5. Martii 1531. responsum fuit, se satis diu emendatiorem universalem in religione constitutionem expectasse, ea vero spe dejectos desideriis civium suorum diutius deesse non potuisse. Eo tempore *Cellarius* in Saxoniam rediit.

(h) *Tumultus plebis, ejusque sequela.*

In Festo natalitio anno 1533. ex plebe quidam sacra Missæ in templo S. Bartholomæi turbarunt; postulatum etiam tribuum nomine a Senatu fuit, ut cultum illum Missaticum plane abrogaret, idem fervide urgebant concionatores, sed cunctatus est Senatus, clerum

An. 1522.

rum tamen Romanum ad modestiam cohortatus est, quæ vero petulanter in templo S. Bartholomæi facta erant, apud Archiepiscopum excusavit; verum persistente in postulatione plebe anno 1533. omnem Missarum celebrationem prohibuit. Secuta est Legatio Moguntina, qua factum illud Senatus vehementer improbatum fuit. At hic civium desideria & pastorum suorum doctrinam, qua Missæ cultus pro idololatrico demonstratus fuerit, opposuit, & sequenti anno 1534. ad Electores Ecclesiasticos, itemque Palatinum & Brandenburgicum prolixa epistola institutum suum defendit. Tum vero Capitulum, quod vocant, D. Bartholomæi Senatum in Camera Imperiali accusavit, & non obstante exceptione, quod causa hæc ad Cameræ tribunal non pertineret, impetravit, ut in mulctam gravissimam condemnaretur. Executionem retardavit interpositio *Ludovici* Electoris Palatini, sed magis receptio civitatis in fœdus *Smalcaldicum* anno 1536. d. 1. Decembris secuta. Huic enim jungere se maluit, quam Missæ sacra restituere. Postulavit hoc tempore Senatus prædicatores a Luthero, & hic *Cellarium* denuo ad eos destinabat; sed is Dresdam se vocatum esse scripsit. *Melanchthon* anno 1536. Francofurtum profectus, in religionis causa quædam tractavit, ut & *Joh. Brentius*, qui sæpe concionatus ibi est, post frustra sollicitatum *D. Crucigerum* VVittenbergensem, & *Casp. Hedionem* Argentinensem, *D. Petrus Geltnerus* Bambergensis Erfurto, alii aliunde advenerunt. Suspicionem inde Zwinglianismi sibi imputatam, (ut ex Lutheri epistola anno 1536. d. 15. Augusti publicata constat,) misso *Joh. Bernardo*, qui concordiæ eo anno VVittenbergæ conclusæ subscripsit, Senatus & ministerium diluit. Anno 1537. Dominicanorum & Carmelitarum cimelia pretiosa, quæ alio vorsum transportare voluisse dicebantur, ablata & custodita sunt. Eodem anno inter pastores Evangelicos dissidium ortum est, accusato *Geltnero*, quod ceremonias Romanas in ritum sacræ Cœnæ reducere niteretur; dimissus inde est causa cognita *Petrus Cambergerus*, & mox *Baumannus*, qui *Franciscanus* fuerat, & post traditum Senatui monasterium jam annis octo Evangelium docuerat, sponte discessit. Anno 1539. inducias in causa religionis Francofurti inter Cæsareos Legatos & Smalcaldici fœderis proceres pactas, Francofurtensis Senatus sua subscriptione firmavit. Anno 1541. nova disceptatio in ministerio urbis Evangelico exorta est, cum recens vocatus *Melchior Ambachius* cum duobus aliis ad sententiam Zwinglianam in articulo sacræ Cœnæ & de imaginibus propenderet, *Geltnerus* & reliqui contrarium tuerentur, composita tamen fuit ea lis amice anno 1542. d. 9. Decembris, operam inter alios navante *Bucero*. Sublatæ etiam fuerunt ad D. Virginis hoc anno, quæ supererant, ceremoniæ Pontificiæ; sequenti anno transactio inter ministros Evangelicos de ceremoniis in sacra Cœna, Baptismo, & consecratione conjugum, procurata & subscripta est a *Philippo Melanchthone* & *Joh. Pistorio Niddano*. Vexationes ob interdictum anno 1548. etiam Francofurtenses passi sunt, quod illi neque pastores neque populus parere vellent; extracta autem est causa usque ad annum 1551. quo in comitiis Augustanis pars utraque edicto illi contradixit; dein secuta est conventio Passaviensis anno 1552. & inde solennis ac pragmatica de pace religionis constitutio, anno 1555. Augustæ Vindel. promulgata. Hæc ex relationibus quas dixi MS. Cæterum quod in his non memoratur, notari tamen debet, cultum Romanum in Ecclesiis collegiatis *S. Bartholomæi* & *B. Virginis* restitutum postea fuisse, qui & hodie in iis servatur.

(i) *Lis Capituli ad D. Bartholomæi cum Senatu.*

(k) *Fœderis Smalcaldici acceptatio & alia alia.*

ADDITIO III.

Cum ex *Bibliotheca Gothana* volumen MS. acceperim, in quo inter alia continetur relatio (dialecto Saxonica conscripta) de abrogatione Missæ, concionum papisticarum, aliorumque rituum Hamburgi peracta, compendium ejus referendum hic esse duxi. Relationis quoad annos priores, (cæteros enim alii suppleverunt,) autor est *Stephanus Kempius*. Is orsus ab anno 1521. finiit cum vita anno 1540. obiit enim hoc anno d. 23. Octobr. cui *Joachimus Frederus* Scholæ Johanneæ Conrector hoc epitaphium fecit:

(a) *Steph. Kempii relatio de reformatione Hamburg. suaque & aliorum in ea præstita opera.*

Conditur hoc tumulo Stephanus cognomine Kempe,
Convenit officio nomen utrumque suo.
Pro palma strenue certavit miles Iesu,
Fortiter asseruit dogmata sacra Dei.
A Domino reddetur ei promissa corona,
Corpora cum surgent jam resonante tuba.

Alludit ad nomen *Kempe* seu Kampff / quod *certamen*, & *Stephani*, quod *coronam* significat. Memorat autem Kempe, anno 1521. *Ottonem Stifelium* artium Magistrum & ad S. Catharinæ pastorem contra indulgentias & adversus pessimos Cleri mores & fabulosas conciones, tunc frequentissimas, invectum esse, & Evangelium pro captu suo pure docuisse, sed senio & Cleri oppositione fractum destitisse, licet aliquandiu supervixerit: se vero anno 1523. die corporis Christi (4. Junii) ex monasterio S. Mariæ Magdalenæ (quo paulo ante Rostochio venerat) a curatoribus & plurimis ex parochianis rogatum fuisse, ut verbum Dei & Evangelium ipsis prædicaret; id vero cum facere cœpisset, tantam hominum multitudinem ex reliquis parochiis ad conciones suas confluxisse, ut parochi & concionatores reliqui omnes maxima indignatione & invidia accensi, nihil non adversus ipsum tanquam hæreticum tentaverint, neque tamen vel ipsorum odio, neque senatus, apud quem illum accusaverant, metu, neque quorundam ex plebe in se concitatorum iris deterritum esse, quo minus cœpta continuaret. Accessisse etiam novam molestiam anno 1525. cum *Joachimus Vysbequius* in Stifelii locum suffectus, ab Evangelica doctrina deficeret, præbendæ seu vicariæ cujusdam beneficio a Canonicis delinitus. Anno 1526. se a primario Pastore *D. Bertoldo Mollero*, quem Rostochii præceptorem habuerat, vocatum, & de religione quibusdam quæstionibus actum secum esse, discessum autem amice in eam sententiam, ut Kempius diceret, se ut cœperit in prædicando Evangelio progressurum, Mollero autem, si id cuperet, rationem dictorum amice redditurum esse. Cum vero Kempius Quadragesimæ tempore pro concione dixisset, optandum esse, ut communio sub utraque permitteretur, Mollerum magna cum vehementia in concione sua id improbasse, sequentibus exemplum ejus cæteris plerisque. Eodem tempore Magdeburgo advenisse *Johannem Zechenhagium*, & Diaconatum ad *S. Catharinæ*, paulo post autem grassante peste vacantem pastoratum ad *D. Nicolai* suscepisse, & adversus abusus in doctrina & moribus mascule concionatum esse. Irritatos inde Canonicos & sodales tempore festi natalitii chorum deseruisse, ea spe ut plebem contra Evangelii præcones solitudine illa exacerbarent; sed contrarium evenisse, quia pastor & diaconi cum ludimagistro & pueris cantum optime instituerant, ut populus absentiam cleri lubenter ferret, prohibitos etiam a Pastore postea sacerdotes fuisse a cantus veteris restitutione, & sic plurimas ceremonias per se cecidisse & communioni sub utraque locum datum esse. Cum vero rixarum & mutuæ inculpationis inter concionatores nullus finis esset, senatum eodem anno d. 29. Decembr. concionatores utriusque partis in curiam vocasse, & decretum edidisse, quod in omnibus templis recitatum fuit, hoc tenore (ex comitiorum conclusis fere depromto,) *ut concionatores omnes purum Evangelium DEI proponerent, & ex Scriptura sacra itemque ex probatis & receptis ab Ecclesia libris explicarent, ad auditorum emendationem & vitato scandalo. Prædicatores se invicem publice & ad offensionem plebis convitiis non proscinderent, hæresis vel alio prætextu; sed si quid alter in alterius doctrina desideraret, secundum præceptum Christi Matth. XIIX. & Luc. XVII. amice inter se & adhibitis aliis viris doctis conferrent; disputationes, ex quibus fructus nullus ad populum perveniret, vitarent; obsequium erga superiores secundum doctrinam Pauli Rom. XIII. commendarent; & a violenta adversus ceremonias Ecclesiæ & sacras imagines molitione dehortarentur*, addita fuit comminatio, *fore, ut concionatores, qui ista non observarent, ex urbe relegarentur:* Ita constituta utcunque quiete, singulos docuisse quæ didicerant. Vocatum

(b) *Edictum Senatus.*

An. 1522.

An. 1522.

catum postea Lubecæ *Joh. Frizium* ad munus Pastoris in æde Jacobæa fuisse, qui magno zelo Evangelium prædicaverit. Iisdem feriis natalitiis *Nicolaus Burstorpius* Canonicus pro concione inter alia docuerat, Christum mortuum solum esse pro peccato originali, pro actualibus autem, sive mortalibus quemlibet satisfacere debere, & acriter in Evangelicos, maxime vero adversus eos, qui communione sub utraque uterentur, invectus est; item, quod auditores Novum Testamentum Germanicum in templa secum ferrent, & in eo, durante concione, legerent. Missi autem Evangelicorum nomine, ut decretum Senatus exigebat, ad Burstorpium fuere, qui cum eo de illis aliisque capitibus agerent; verum cum is colloquium evitaret, ad Senatum causa delata est. Hic tempore Quadragesimæ anno 1527. prædicatores omnes denuo in curiam vocavit, adhibitis parochiarum curatoribus juratis. Disceptatum ibi est de iis, quæ in concionibus dicta erant. *D. Mollerus*, *Burstorpius* & alii, quos autor nominat, quanquam nec inter se satis concordes essent, sua defendebant autoritate Ecclesiæ & Concilii Constantiensis: excusabant tamen quæ de satisfactione Christi Burstorpio exciderant, quasi ad plebem saltem terrendam prolata essent. *Evangelici* autoritatem Ecclesiæ non aliter agnoscendam esse contendebant, quam si vocem pastoris Christi sequeretur, quod cum Constantiæ neglectum esset, nullas illis decretis vires esse dicebant. Senatus *Burstorpio* injunxit, ut dictum illud suum revocaret, quod tamen is non præstitit nisi post septennium ab exilio ea conditione in urbem receptus; Diaconum vero quendam ex Evangelicis, qui sacerdotem se concionante missam celebrantem cum diabolo comparaverat, munere suo privavit Senatus, cætera in medio relicta tunc sunt. Eodem anno *Kempius* Pastor a D. Catharinæ constitutus est a parochianis. Sequenti anno 1528. cum non solum Burstorpius, sed & Dominicanus quidam *Henricus Rensburgius* acriter in Evangelicos spreto Senatus decreto declamarent, nec moniti cessarent, cives rixarum pertæsi, coire & consilia conferre cœperunt, ita ut d. 27. Aprilis maxima populi pars congregaretur, nullis tamen armis aut ligonibus (quod adversarii postea sparserunt,) instructa, sed habitu, quo templa & forum frequentari solent. Senatum itaque adeuntes, impetrarunt, ut sequenti die concionatores omnes in curiam citati, doctrinæ suæ fundamenta ex sacra Scriptura ostenderent, & qui id non possent, reliquis meliora demonstrantibus cederent. Die igitur Martis 28. Aprilis congregati iterum in loco publico cives sunt, concionatores vero, & quidem ex Romanensibus *D. Mollerus* cum septem aliis, Evangelici quatuor, *Kempius* nempe, *Zechenhagius*, *Frizius* supra nominati, Pastores ad S. Nicolai, Jacobi & Catharinæ & *Conradus Lunsmannus*, prædicator ad Mariæ Magdalenæ in curiam admissi, coram Senatu & selectis ex civibus de controversiis, ut in relatione satis prolixe narratur, disputarunt, ita tamen, ut Pontificii ægre & inviti responderent, & Dominicanus ille *Rensburgius* non nisi Latine loqueretur, Laicorum enim præsentiam & judicium refugiebat. Cardo controversiæ iterum erat de principio, quod Evangelici ex sacris literis, Pontificii vero ex decretis Ecclesiæ accersebant, quorundam tamen dictorum sacrorum interpretatione ad defendendos articulos, v. g. *de communione sub una, cœlibatu Cleri, & necessitate operum ad salutem* pro more admixta. Cum vero iidem ad tribunal, ut solent, Ecclesiasticum, aut ad Academias provocarent, Evangelici Scripturæ judicium deferrent, erant quidam in Senatu qui dicerent, se non videre quomodo Scriptura judex esse, aut sententiam promulgare posset, plerique tamen adducti ab Evangelicis Pastoribus claris sacræ Scripturæ verbis, quibus nil nisi autoritatem Ecclesiæ adversa pars opponere poterat, convictos se esse fatebantur. Habita inde tum a Senatu, tum a selectis civibus, qui aderant, deliberatione, hi petierunt, ut quoniam satis appareret, quod septem illi concionatores, aliique eorum socii decreto Senatus anno 1526. publicato non paruissent, secundum legem illam cum iis ageretur, contentos tamen fore, si duo saltem, nempe Dominicanus ille & alius quidam sacerdos præ cæteris turbulentus, urbe excederent, reliqui revocarent quæ concionati essent, & a concionibus abstinerent, excepto *D. Mollero* & *Fabiano* quodam Lubecensi, qui modestius egerant. Verum cum res ad multitudinem civium in platea expectantium emanasset, severiorem illi animadversionem postularunt, ita ut, cum aliter compesci non possent, quinque ex Pontificiis concionatoribus urbe illico excedere jussi sint, deducentibus eos primariis ex civibus, ne a plebe injuriam paterentur. *D. Mollerus* post triduum sponte Rostochium concessit, & sequenti anno ibi diem suum obiit. Hoc Hamburgensium factum & tunc pessime acceptum est a Clero Romano, nec hodie probatur. Considerantibus vero œconomiam divinam & naturam ministerii Evangelici, agnoscendum est, aliam convertendi homines ad doctrinam Christi methodum divinitus proditam non esse, quam ut auditoribus judicii & assensus libera facultas deferatur, acceptandi aut rejiciendi ea, quæ proponuntur, eamque vim esse veritatis in Scriptura sacra propositæ, ut accedente Spiritus sancti in cordibus audientium, etiam rudium & simplicissimorum, operatione, assensus salutaris sequatur absque humanæ autoritatis & coactionis adminiculo. Salutaris inquam; qui enim humanis persvasionibus aut violentis inculcationibus tribuitur, aut inconsiderate præstatur, nullam habet aut brevem exiguamque utilitatem. Accedebant quidem ab initio signa seu miracula a Christo promissa, quæ comitabantur sermonem Marc. XVI. 20. sed confirmatione illa miraculosa dudum facta, opus jam non erat, & puritas veritatis ex doctrinæ Apostolicæ simplici ac sincera propositione, ab illis, quos Deus hoc beneficio dignatur, haud difficulter deprehensa, & ab hominum placitis, quæ scholastica subtilitate aut privati commodi causa adinveniuntur, distincta & segregata est, quanquam semper in eorum numero, qui verbum Dei accipiunt, magna pars agro similis sit, qui, ut parabola Christi docemur, vel oscitantia, vel mollitie, vel per voluptates & curas seculi, fructum perdit. Hoc malum Evangelicas etiam Ecclesias infestat, nulla doctrinæ sed hominum culpa. Actorum istorum relatio egreditur quidem epocham *Libri primi*, sed satius duxi præclaræ & post illa tempora ad majores opes evectæ, civitatis conversionem ad Lutheranismum, quem & hodie retinet, serie non interrupta ex autore contemporaneo & fide digno afferre. Addam igitur & reliqua, quæ ad *Libri* mei *secundi* tempora pertinent. Anno 1529. *Johannes Pomeranus* VVittenberga evocatus ordinationem ministerii urbani composuit, cum totius civitatis approbatione, eaque publice recepta esse notatur anno 1531. die Antonii id est, 17. Jan. itaque privatim saltem scripta esse anno 1521. oportet, aut ad hoc tempus referri debent, quæ ex *Melchiore Adami* retuli. Eodem anno *Dominicanis* (quos *nigros monachos* vocabant,) ob morum notoriam pravitatem indictum fuit, ut qui verbi divini conciones habere possent, vellentque, manerent, cæteri alimenta in monasterio Mariæ Magdalenæ expectarent, aut viatico decem florenorum accepto urbem relinquerent. Idem monachis ad *Mariæ Magdalenæ* oblatum & a plerisque alterutra conditio accepta fuit, pauci tamen utraque spreta discesserunt. Schola etiam ad *D. Johannis* constituta est autore *Pomerano*, & pauperum receptioni & victui provisum. Hoc demum anno *Joh. Æpinus* ad D. Petri pastor factus, dein anno 1532. ad Superintendentis munus promotus Doctoris gradum VVittenbergæ cum Jo. Bugenhagio & Caspare Crucigero anno 1533. assumsit. Hunc monachum Franciscanum in Anglia fuisse in *MS. Myconii* notatum reperio, unde factum sine dubio est, ut Anglicæ linguæ gnarus, & in religionis negotio a Rege in Angliam vocatus fuerit. Anno 1541. *Joachimus VVestphalus* Theologus non incelebris VVittenberga vocatus, Kempio in pastoratu S. Catharinæ idemque Æpino in Superintendentis officio postmodum successit. Reliqua commentarii illius, quæ in tempora mortem Lutheri secuta incidunt, prætereo.

(c) *Acta cum Burstorpio & aliis Pontificiis.*

(d) *Cives urgent reformationem.*

(e) *Alia inter pastores disputatio.*

(f) *Ejectio Pontificiorum doctorum.*

(g) *Consideratio facti.*

(h) *De Pomerani actis Hamburgi.*

(i) *De Æpino & VVestphalo.*

An. 1522.

(a) *De reformatione Magdeburgensis urbis.*

ADDITIO IV.

De initiis Evangelicæ doctrinæ in potenti tunc & celeberrima Magdeburgensi urbe legi potest *Dresserus* in *Chron. Sax. f. 515. & sqq.* ubi *de Melch. Mirizio* Augustiniano, *Joh. Frizhans* Franciscano, *D. Eberh. VVidensee*, qui Halberstadio pulsus Magdeburgum venerat, cum de Senatus & civium gestis multa notatu non indigna refert. Reperitur præter libellum a Dressero allegatum, quem *Frizhansius*, cum vim a fratribus metuens ex monasterio Magdeburgensi VVittembergam confugisset, ad Senatum & cives scripsit: alius quoque, *adversus Mensingium* Dominicanum Paulinum Lipsiensem de Missa anno 1527. publicatus & D. VVidenseo tunc Ducis Holsatiæ concionatori inscriptus. In hoc inter alia urgenti Mensingio, *Ecclesiam & Doctores audiri debere*, ita respondet: *Audiemus vos, si prædicatis verbum Dei, etsi diaboli essetis, Matth. XXIII. sed si peccata quasi ex verbi divini autoritate arguitis ubi nulla sunt, non audimus, etsi angeli essetis. Gal. I. Audiemus omnem magistratum, Cæsarem & Papam, Principes & Dominos, si non imperent ultra ea quæ Deus & Christus imperarunt.*

(b) *De eadem relatio ex actis Archivi.*

Supplenda est historia de reformatione amplissimæ urbis ex *Archivo Vinariensi* (*Reg. H. fol. 1. lit. A.*) Cives d. 23. Junii in cœnobio Augustinianorum cum septem concionatoribus congregati, articulos Senatui proponunt, poscentes prædicationem verbi Dei, absque traditionibus hominum & commentis rationis, usum sacræ Cœnæ sub utraque, cessationem sacrificii Missatici, & ut fundationum reditus ad ærarium Ecclesiasticum, ad exemplum Norimbergensium instituendum, deputarentur. Sacerdotibus alimenta ad vitæ tempora offerunt, ut & monachis, qui facta abeundi potestate manere tamen velint, sed ita ut vestes & hypocritica cætera deponerent, & in Evangelica doctrina instrui se paterentur. Matrimonia permitti postulant iis ex Clero, qui continentiam servare non possint, omnia officia pastoralia gratis expediri volunt, & mendicos extraneos arceri. Senatus ista omnia admisit, missoque Legato, *Nicolao Sturmio* Consule, & quodam Senatore, literas d. 23. Julii ad Electorem scripsit, quas ita exorditur: *Invictum & æternum verbum Christi, quod hucusque umbra veluti obscuratum fuit, nunc sole clarius (laus sit Deo) ad salutem & solatium peccatorum, ad animarum felicitatem & sempiternam gloriam Dei, maxime in urbe Celsitudinis Tuæ Electorali VVittenberga ex omnipotentis Dei virtute & efficacia exortum est, & pure ac liquide prædicatur &c.* Narrant inde, ut parochiani ad D. Ulrici, immo tota civitas, magnam fiduciam de *L. Nicolao Amsdorfio* conceperint, & per illum magis magisque edoceri & salubriter se pasci posse sperent, petunt igitur illi permitti, ut vel uno anno verbum Dei apud se docere & cæteris concionatoribus præesse possit, sed &, ut reditus in collegiata VVittenbergensi Ecclesia retineat. Elector missos ex Senatu & a parochianis ipse tunc non audivit, excusans, quod Legati Ferdinandi Regis adessent; potestatem tamen Magdeburgum sese conferendi Amsdorfio id petenti fecit, & Canonicatus sui reditus ad annum concessit, addita adhortatione, ut contra seditiones concionaretur. Retulit inde ad Electorem *D. Pascha*, sive *Paschalis Alvensleben*, qui Magdeburgi stipendium aliquod (ut videtur) ab Electore habebat d. 26. Augusti, verbum Domini quotidie incrementa habere, esse tamen maleferiatos quosdam ex plebe, qui tumultuarentur, ita ut in æde Franciscana inter illos & Monachos fustibus & lapidibus pugnatum sit. Senatum resistere, quantum possit. Electorem Brandenburgicum protectionem urbis quam susceperat, resignasse obtentu hæresis, sed veram causam a Senatu indicari, quod pecuniæ quandam summam mutuari sibi poscens repulsam tulerit, neque protectionem illam aliud fuisse quam honestam pacti cujusdam, quod vi extorserit, & jam finitum sit, denominationem. Canonici interim Metropolitani reliquias & pretiosa sua in alia loca asportari fecerant, & procuraverant, ut *D. Caspar Martius* Fiscalis Cæsareus actionem apud Regimentum & Cameram, quæ tunc Eslingæ habebantur, institueret. Mandata ergo rigidissima ab utroque Collegio adversus Magdeburgenses emanarunt, d. 6. Septembris 1524. Capita accusationis erant, quod in festo Corporis Christi neque genuflexione neque alio ritu Sacramentum honorassent, ostensas reliquias subsannassent, statuas lapideas *Misericordiæ Christi* & *S. Mauritii* confregissent, monachos apostatas concionari sinerent, veros pastores non admitterent, Archiepiscopo non obedirent, Christiana Ecclesiæ statuta rejicerent: præterea quod Lutheranam sectam assumserint, Lutherum in festo Johannis Baptistæ ad se vocaverint, sæpiusque concionantem audiverint, & equitibus armatis Servestam deduxerint: porro quod Missam Germanice celebrent, communionem sub utraque instituerent, librum etiam, in quo acta sua defenderant (tit. Ursach und Handlung in der Käyserl. Löbl. Stadt Magdeburg Christl. Wesen und Wandel belangende in den Kirchspielen S. Johannis und Ulrici den Tag Margarethæ, id est, 13. Julii beschlossen.) ediderint, Laicum quendam ad D. Jacobi concionari permiserint, qui dixerit, *verbum Dei gladio defendendum esse*, suo concionatori *Episcopi* titulum tribuant, *S. Florentii* corpus disjecerint, capsas & statuas argenteas abstulerint, in monasterium Virginum in nova civitate (in der Neustadt) impetum fecerint, virgines renitentes in urbem duxerint, monachos clamoribus & conviciis inter sacra impediverint, in templo Metropolitano tumultum excitaverint, Decani vestem laceraverint, ipsum quoque pulsaverint, Senatum his omnibus non restitisse: nominatim Consul *Sturmius* culpatur, & citantur rei ut videant audiantque se in pœnam banni edicto VVormatiensi sanciti condemnari. Senatus his perceptis Electorem Saxoniæ rogavit, ut *D. Hieron. Schurfium* sibi patronum causæ concederet. Illo autore de angustia termini exceperunt, & quod causæ cognitio omissa sit, in eventum ad Cæsarem melius informandum appellare decreverunt. Majorem vero fiduciam in viribus suis habebant; nam, ut *Spalatinus* refert, suis stipendiis 1500. equites cataphractos conduxerant, aliisque omnibus rebus instructi erant, id quod annis sequentibus clarius deprehensum est. Accusationes procuratoris fiscalis quod attinet adversus Magdeburgenses institutas, præcipui illarum articuli ad religionem ipsam aut ad ritus spectabant, eodemque modo repelli possunt, quo Principes postea suam reformationem adversus objecta defenderunt. Quæ vero ad facta plebis pertinent, de iis Senatus respondere non poterat, si officium suum ad coercendam petulantiam adhibuerunt, quod *Doctor* ille *Alvenslebius* testatur. Magna pars culpæ in ipsum redundat Clerum, qui dum æqua omnia quæ postulabantur recusat, iniqua in se provocavit, ut postea in bello rustico plus satis apparuit.

ADDITIO V.

Lutheri epistola ad Stetinenses de subjectione Cleri ad tributa.

A Stetinensi Senatu consultus sub finem anni 1522 Lutherus responsum dedit, quod in fasciculo MS. literarum *Spalatinus* conservavit, cujus sensus latine versus hic est. *Etsi nullum haberetis pactum cum Canonicis, hos tamen si Christiane, & divine,* (Christlich und Göttlich) *agere vellent, decere, sepositis immunitatibus, pactis & privilegiis se ipsos sponte ad ferenda cum civibus onera accommodare. Ad hoc obligantur ex Evangelio, Matth. XVII. ubi Christus censum Cæsari solvit. Matth. XXII. expresse jubet Cæsari dare, quæ sunt Cæsaris, & Paulus Rom. XIII. docet, omnem animam potestati subditam esse debere, & tributum dandum esse cui debetur. Neminem ex hoc præcepto eximit, sive sacerdos aliquis sit, sive laicus, si Christianus esse vult, subditus sit oportet. Non juvat illos, si allegent Cæsarem & Principes immunem fecisse Clerum. Neque enim licet Cæsari, ut donet, quæ sua non sunt, aut quæ sunt Dei. Posito vero licitam olim fuisse illam exemtionem, immensum tamen in modum toti orbi onerosa facta est, & in intolerabilem abusum degeneravit. Deo itaque, conscientiæ, charitati, immo & rationi adversatur, neque diutius ferri potest, tenentur potius ad levanda onera publica, illis immunitatibus omnibus renunciare. Sed homines illi fraterne & Christiane vivere non cupiunt, obnituntur* præfracte,

An. 1522.

præfracte, & odia in se immodica cumulant. Monendi itaque sunt placide primum de officio Christiano; quod si nihil proficiatur, lege generali sanciendum est, ut secundum verbum Dei Magistratibus obediant. Contra Christianismum enim & naturam pugnat, qui tutela & protectione Magistratus & publicis commodis fruitur, neque tamen onera communia subire, sed ex aliorum laboribus vivere vult. Præsertim cum jam omnibus constet, quod illorum opera carere possimus, & quod nihil agant, quo beneficia illa mereantur, sed nundinatione sua in rebus sacris nos deceperint. Ex ultimis hisce verbis, additis quæ alibi scripsit, de mente ejus judicium fieri potest, nempe non simpliciter eum omnes immunitates Cleri improbasse, sed ejus solummodo, qui opulentus esset, neque continuis officiis Ecclesiæ serviret. Quando igitur in nostris Ecclesiis & Rebuspublicis ministri Ecclesiæ modico ut plurimum salario vel reditibus bonorum Ecclesiasticorum non magnis sustentantur, & salutem hominum labore suo quotidiano procurant, iniquum esset tributis illos onerare, cum plerisque nihil ultra suam suorumque sustentationem supersit. Neque in eos quadrant, quæ Canonicis illis & monachis latifundiorum aut pingvium decimarum & redituum possessoribus cum otio ac luxuria marcentibus objici solebant.

ADDITIO VI.

(a) De Davide Chytræo ejusque historia.

Particularia pleraque, de reformatione in provinciis & urbibus Germaniæ, inferioris præsertim, diligentiæ *D. Davidis Chytræi* debemus, quem princeps Gallicorum historicorum *Thuanus* magni fecit, multaque ex eo mutuatus est, & nuper etiam collaudavit *Varillasius*, in *præloquio historiæ hæresium*, ubi nec industriam nec veritatem in eo desiderat; quamvis dubitari possit an illum legerit, quia tantam ei styli barbariem objicit, ut sine tædio legi non possit; valde autem delicatum esse oportet, cui Chytræi dictio, Melanchthonem non infeliciter imitantis sordeat, nec magis accurate judicat, cum dicit eum mediocris ingenii fuisse. Suppeditata *Chytræo* fuerunt Regum & Principum jussu, ut in *præfatione Saxoniæ* suæ memorat, narrationes ex Archivis & actis publicis depromtæ, optimo sane & utilissimo exemplo, itaque post *Sleidanum*, vix reperitur, cui majori securitate in historiis hisce credi possit. Meretur vir optimus, qui tot rerum quæ absque illo æterna oblivione fuissent sepultæ, memoriam conservavit, ut de vita ejus aliquid annotetur. Natus fuit anno 1530. *Brackenhemii* in VVurtembergico Ducatu, patre *Matthæo* ejus loci Pastore Evangelico, Germanicum cognomen Kochhafe (cacabum significans) in Græcum convertit, ut a χύτρα *Chytræus* sive *Testaceus* diceretur. *Tubingæ* Academica studia inchoavit, ibique annoætatis decimo quinto magisterii gradu ob ingenii præcocis dotes raro exemplo honoratus fuit. *VVittenbergam* venit anno 1545. Melanchthoni a fratre Prætore Brettano commendatus. Hic Chytræum ob eruditionem in ea ætate, valde amavit & quasi filii loco habuit; Lutherum ad quem a *Joh. Brentio* commendatitias attulerat, ultra annum audivit in Genesis explicatione, qui ultimus ejus labor fuit. Turbato Caroli V. victoria VVittenbergensi statu, *Heidelbergam* & *Tubingam* digressus, restituta tamen VVittenbergensi Academia, & Melanchthone in eam revocato, ipse quoque ad hunc rediit, dein parto ex informatione studiosorum aliquo ære in *Italiam* profectus est anno 1550. Anno sequenti post reditum commendatus a Melanchthone ad munus docendi in Academiam *Rostochiensem* vocatus fuit, ubi anno 1561. Doctoris Theologiæ titulum cum duobus aliis assumsit. Extant, & juveni mihi lectæ sunt, theses in justi tractatus modum (forma octava quam vocant) conscriptæ, in quibus totius religionis summa pie & solide proponitur, quas defendendas cum duobus sodalibus, in totidem partes divisas, sumsit; erant ii *Simon Pauli* & *Joh. Kittelius*, promotor vero *Joh. Rungius* Theologus clarissimus. Cæterum Chytræus a plurimis Academiis, urbibus, provinciis, amplissimis stipendiis licet invitatus, recusatis omnibus in vocatione semel adepta perstitit, lucri cupiditate omnino vacuus, gravissimis tamen negotiis apud alios, indulgentibus id Principibus Academiæ patronis, adhibitus est, inter quæ commemoratione dignum est, quod a laudatissimo Imperatore *Maximiliano II.* cum Ordinibus Austriæ libertatem religionis Evangelicæ permisisset, anno 1569. accersitus, & sæpe ad colloquium admissus, in Ecclesiis illis constituendis præclaram operam præstiterit, ut ex libris, qui typis vulgati sunt, constat. Idem ad formationem Academiæ *Helmstadiensis Julii Ducis Brunsvic* auspiciis, multum contulit. In Saxoniam missus consultationibus de *Formula concordiæ* interfuit. Obiit septuagenarius anno 1600. insigniter laudatus carmine celeberrimi viri *Jani Gruteri*, quod cum reliqua Chytræi historia & librorum quos scripsit recensione conservavit *Melch. Adami in Vit. Theol. p. 992.* Morum summa fuit bonitate, & in ore crebro habuit hæc vota: *Utinam ambitio & avaritia ex animis hominum funditus tolleretur! Utinam publicæ tranquillitatis causa magni viri remitterent invicem simultates! Utinam reges ac potentes rerum Domini, majorem Ecclesiæ ac Scholarum curam susciperent, certe pulchrum & stabilem Apostolicæ & orthodoxæ religionis consensum & florentem reipublicæ Christianæ statum haberemus!* Hæc de Chytræo.

(b) Ortus & studia.

(c) Functiones.

(d) Obitus & elogium.

An. 1522.

ADDITIO VII.

(a) D. Caspar Guttelii libellus ad Comites Mansfeld.

D. Caspar Guttelius, de quo haud pauca referri merentur, edidit anno 1522. ineunte, dialogum eumque *Comitibus Mansfeldicis* inscripsit, *strenæ* titulo, (Ein selig Neu Jahr/) Erfurti excusum. Stylo & dialecto linguæ Germanicæ Luthero inferiorem fuisse satis patet, sed dogmata eorumque usum tam pie & orthodoxe tractat, & Ecclesiasticæ antiquitatis eam ostentat peritiam, ut dolendum sit hæc Viri scripta in oblivionem venisse. Ex illis sane apparet verissimum esse quod alibi monui, doctissimum & cordatissimum quemque conscientiæ ex Scripturis convictæ impulsu, non cœco impetu Lutherum tunc secutum esse, neque sola ejus autoritate moveri potuisse, qui eruditione, ætate & dignitate vel æquabant eum vel præcedebant; inter hos certe *Guttelium* hunc, quem vulgo *Doctorem Casparum* vocabant, quantum ex scriptis (cætera enim mihi ignota sunt) conjicio, referri debere existimo. Meminit, dum ista ederet, se jam a viginti annis monachum fuisse, etiam tribus annis prius quam Lutherus Doctoris Theologiæ titulum adeptus est. Scholasticam doctrinam perfecte callebat, sed eam contemnere cœpit, ut Scripturarum lectioni se totum addiceret, unde vix ulla ejus disciplinæ vestigia in scriptis suis reliquit. Erasmi admirator sectatorque fuit, & per concilium vel universale vel nationale defectibus Ecclesiæ remedia inveniri posse arbitratus est. Ex *dialogo* sive colloquio isto inter *Magistrum & Discipulum* quædam adscribam. Laudat alium dialogum antea vulgatum inter Franciscum Sickingium & rusticum quendam fossorem (vulgo Karsthansen) & secundum ejus contenta Scripturæ lectionem omnibus modis commendat; gratiasque eo nomine Deo agit, quod tandem post diuturnam famem ab *Amoso* propheta *cap. VIII.* prædictam, unicus ille & pretiosissimus animæ cibus, verum verbum Dei, hoc tempore clarius quam per aliquot secula innotescere cœperit, & Theologia pura & incontaminata ex pulvere & cœno repurgata, & producta ex latebris fuerit; id ostensum esse ait in libello populari *de fide antiqua & nova*, provocat etiam ad exemplum fœminæ in vicinia, quæ ex Scripturis duos valde tumidos ardeliones convicerit. Tria inde tempora Ecclesiæ refert: *primum* optimum, ubi in plantanda Ecclesia Christus solus cum verbo suo sanctissimo pro scopo habitus fuerit, uno tamen oculo ad Christianos etiam fratres directo, & pascendo oves, ex præcepto Christi, Petro dato: illa secula aurea (ait) fuisse, & martyrum coronis ornata. *Alteram* periodum negligentem vocat cum Pastoribus prioribus, qui plerique mortem pro Christo subierant, succederent trepidi & inertes, qui jactum a Satana hamum avaritiæ & superbiæ incauti deglutiverint, alia præter Christum quærentes: tunc plures hæreses contra Christi personam & officium obortas,

quibus

An. 1522.

quibus tamen Hieronymus, Augustinus, aliique mascule restiterint. At *tertium* tempus luctuosissimum, a Paulo *2. Tim. III.* & a Petro *2. Epist. Cap. II.* prædictum esse. Pastores enim extitisse, qui pro lubitu legibus novis ecclesiam oneraverint, & cœlum clauserint, quod tamen nec ipsi intraverint. Spretam fuisse Scripturam; *Humanistis, Summistis, Sophistis* omnia repleta, regnasse superbum illum paganum Aristotelem; ita veteres frigidosque præceptores suos nil nisi *secundam secundæ, distinctiones, quæstiones, summas* crepasse. Ita Theologos Pharisæis similes factos esse, qui meriti fuerint quod Christus comminatus est Matth. XXI. 43. *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Se vero dicit, nullo alio fundamento quam verbo Dei uti velle. *Nolo*, inquit, *Lutheri nomen & litem mihi imponere; absit a me ut Martini aut Petri aut Pauli sim; a solo Christo nomen, gratiam & salutem, ut decet baptizatum Christianum, sumo. Mihi nec Cephas, nec Apollo, nec Paulus, multo minus Martinus, aut ullus alius homo, dare illam potest, itaque Martinianorum & Eccianorum nomina, si sapimus, omitti debent, unicum habemus Christum, alterius non egemus.*

(b) *Lutheranus non vult vocari.*

Tria inde tractat capita (1) miserum Ecclesiæ statum describit. (2) examinat qualis sit verus Christianus, & quæ vera bona opera. (3) ostendit quomodo ex misero illo statu ad veritatem perveniri possit. In *primo* comparat Pastores prioris temporis illis, qui *Zachar. X.* describuntur, qui neglecta prædicatione verbi divini, quam Christus unice injunxit, & Petrus exercuit, nil fecerint, quam *excommunicare, pompas agere, nummos colligere, immo sanguinem Christianum profundere, & miseros opprimere. Debebant*, ait, *Christum prædicare, & proximi salutem etiam cum vitæ suæ periculo quærere. Sed ubi sunt tales? nil nisi nomen spiritualium* (der Geistligkeit) *reliquum mansit, opera sunt minime spiritualia, immo nec Christiana.* (ungeistliche/ ja auch aller unchristliche) Speciatim refert multis annis in Italia se versatum, templa, monasteria, commendas, in desolatione & penuria, aliquando in quibusdam unum alterumque monachum lacera veste invenisse, neque unquam audisse, qui concionarentur, illos omnium minime, quibus id ex officio Apostolico incumberet. In Germania etiam concionandi munus non primoribus aut doctioribus, sed plerumque inferioribus, indoctis & jejunis vicariis seu Capellanis, & inter Monachos iis, quos *terminarios* vocabant, concreditum fuisse. *Hi juvenes*, ait, *erant Scripturæ ignari, & qui sermones sibi præscriptos fabulis repletos sequerentur, eum in finem ut plebem caseo & butyro aliisque emungerent reculis, & sic regnum ciconiarum in ranas exercerent. Si qui excellentiores in magnis urbibus ingenti salario ad concionandum conducti essent, illi Christum, ut debuissent, solum Regem eumque mitem & humilem, qualis ad filiam Sion venit, minime prædicabant, sed doctrinis hominum horumque meritis, & libero arbitrio referti, satellitio profani Aristotelis tum Summistarum & Partistarum obruebant & dedecorabant: charitas vera in pauperes in desvetudinem abiit, neque fuere qui eam commendarent, hæ saltem voces strepebant*, gib/ bring/ kauff/ lose/ mach dich theilhafftig/ stiffte/ baue/ stecke Licht auff/ faste/ lauff dahin/ lauff dorthin/ da vergibt man Pein und Schuld/ id est, *da, affer, eme, redime, participem te fac*, (meritorum monasticorum) *funda, ædifica, cereos accende, jejuna, curre huc, curre illuc, ubi culpa & pœna remittitur. Sic*, ait, *non ut Christus modeste & placide, sed superbe & equis vecti incesserunt.* Tales erant *Stationarii*, quos vocant, qui se *legatos Spiritus Sancti* dicebant *S. Antonii, S. Valentini, S. Mariæ de Roma, S. Joh. Baptistæ, S. Bonifacii, S. Bernhardi, S. VVendelini, S. Huperti*, pluresque alii, cum iisdem mercibus, *vexillorum, campanarum, cereorum, historiarum de Sanctis*, magnus apparatus, magnus numerus erat, de Salvatore nostro Jesu Christo ejusque gratia & solatio, ne verbum quidem: exempla sanctorum in moribus nulla, nec informatio, quomodo gratiam a Deo sanctis exhibitam venerari, eorumque fidem & opera imitari deberemus.

(c) *Miseriam Ecclesiæ ante reformationem describit.*

Mirum adeo fuisse dicit, *quod Petri navicula non plane submersa fuerit; itaque ejus conservationem solius Christi promissioni & gratiæ adscribendam esse.* Jam parte *altera* fidei naturam & efficaciam, & liberi arbitrii corruptionem, quæ etiam optima opera nostra Deo ingrata & imperfecta faciat, & quod veræ pietatis exercitium ex fide necessario sequatur, egregie deducit, allatis & nervose applicatis clarissimis sacrarum literarum testimoniis. Hanc autem doctrinam plane neglectam fuisse queritur, dum profani & lucripetæ ex clero (die Welt-Knaben und Geld-Priester und Münche/) opera solum sanctorum ebuccinarent, de fide vero eorum, ex qua operati sunt, ne mutirent quidem: *ita vulgus cum sanctos audiret orasse, jejunasse, peregrinatos esse, eadem* ait, *tentavit stolido impetu, ad novas, a Diabolo potius quam Deo institutas peregrinationes prorumpens, domi uxores & liberos egenos reliquerunt, tempus & operam perdiderunt, cibum animæ, verbum Domini, quod domi habere potuerunt, neglexerunt, contra manifestam Dei voluntatem, qui nulla probat opera quam ex vera fide profecta.* Monstrat inde, quam exiguo aut nullo fructu a confessionibus remedium quæsitum sit, & ut conscientiæ hominum, post frequentissimas confessiones, magis magisque in securitatem inciderint. Impossibilem etiam esse docet enumerationem omnium peccatorum, Deo ante omnia confitendum esse, inter Deum & hominem solum esse mediatorem Christum, ad hunc fide confugiendum. Citat Erasmum ad hæc confirmanda, qui doceat, quomodo Christus in verbo Evangelii inveniatur. Monet graviter, verbo ob cœlestem vim veritatis, non ob prædicantium autoritatem credi debere; qui hanc solam sequatur, nihil agere: *qui verbo credit* (ait) *non respicit personam prædicantis, nec verbum ob personam honorat, sed hanc honorat ob verbum, & pereunte licet & errante persona, aut aliter docente omissa illa & valere jussa, verbo adhæret. Hæc est fidei divinæ & humanæ differentia, illa Verbo & Deo, qui est verbum, innititur, hæc hominum autoritati:* allegat exemplum *Joh. IV.* de Samaritanis. Illud vero axioma, *quod fides nunquam sit absque spe & charitate*, prolixe & clare inculcat. Respondet etiam pie & docte tentationibus de æterna prædestinatione. Has dicit inter alia ideo pro diabolicis habendas esse, quia eo hominem ducant, ut aut a pietatis exercitiis cesset, cogitando scilicet, nihil ea prodesse, si ex absoluta prædestinatione salus contingat; aut opinione electionis tumidus fiat. *Oppone* (ait) *ex Psalmo I. Beatus qui meditatur in lege Dei die & nocte: non dicit, Beatus qui meditatur & scrutatur an electus sit nec ne;* addit alia in eum sensum, & tela diaboli vitanda esse monet, quibus eo tendit, ut neglecta via mandatorum Dei, arcana ejus decreta rimemur: optimum & tutissimum esse media salutis strenue sequi, armaturam sacram a D. Paulo præscriptam arripere, gratiam Dei pro fundamento habere, absque illa enim nullum fieri posse bonum opus, sed omnium hominum actiones peccato contaminatas esse. *Apparuit enim* (scribit) *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* Tit. II. *Apparuit; ergo ante illam nil fuit nisi ira & damnatio: apparuit gratia Salvatoris sive salutaris (ut est in Græco) ut constet salute carere, quicquid caret gratia: ubi hic est liberum arbitrium? ubi virtus, ratio, bona intentio hominis? omnia extra salutem, omnia damnata extra gratiam, omnia peccata & pudenda coram Deo, utcunque coram hominibus splendeant. Dicitur etiam significantissime, omnibus hominibus, nemo enim excipitur, omnes sumus natura filii iræ. Apparuit autem ut abnegemus impietatem & secularia desideria, quid hinc colligitur, nisi talia esse omnia nostra, ante gratiam & sine ea? Hic succumbere debent omnes hypocritæ, etsi jejuniis, orationibus, vigiliis, laboribus sese ad mortem usque macerent, nisi cor gratia purificatum habeant. Non dicit Apostolus apparuit festum, aut peregrinatio, aut ordo hic vel ille monachorum, aut hoc illudve opus; nequaquam; sed gratia salutaris apparuit, hæc sola & unica id præstat. Stulti hinc omnes monachi & monachæ, qui opera sua jactant præterito fidei fundamento.*

An. 1522.

(d) *De fide, libero arbitrio & bonis operibus.*

(e) *De prædestinatione & gratia.*

An. 1522.

(f) De bonis operibus.

mento. *Ipsa gloriosissima mater Domini, nulla prædicavit opera, sed simpliciter dixit, ecce ancilla Domini, & Elisabetha eam celebrans exclamavit: beata quæ credidisti. Si tamen unquam homo fuit, qui de bono opere gloriari potuisset, facere id B. Virgo potuisset: opus enim ejus cum fide & obedientia corpus suum virgineum filio Dei, quem cœlum & terra non comprehendunt, inhabitandum tradidit, præcellit omnia hominum opera: quid enim sunt ædificia, fundationes, campanæ, puppæ, quibus nos superbimus?* Respondet inde ad objectiones ex dictis, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & ad alia, quibus libertas arbitrii & obsequii statui videtur, Scripturam enim ex Scripturis explicari debere docet; utitur similitudine, qua & Lutherus usus est, quod ubi solem nubes quædam obduxit, sol tamen post nubem splendeat, & quærendus sit: intelligi itaque ex clarioribus dictis debere, quicquid de operum nostrorum bonitate aut libertate dicitur, ut prævia gratia Dei fieri censeantur, ex fide scilicet quæ nunquam otiosa est, si vera est: sibi quidem (ait) fides ad salutem sufficit, sola eam assequitur, operibus ad id non habet opus, sed opus est ei operibus, ad salutem proximi; fides recipit bona, charitas distribuit, quæ fides accepit, neque aliud vult Jacobus Apostolus cum opera urget, quam ut fidei veræ argumenta sint: quanquam ejus verba insulse ad operum merita trahant Sophistæ. Taxat inde opera illa conficta, nugatoria & hypocritica, missas, vigilias, erogationes cujusdam eleemosynæ, anniversaria &c. quibus mire (ait) sibi placent Clerici & Prælati, iisque obtegi & compensari posse putant summam avaritiam & duritiem, qua census & servitia a subditis extorquent. Egregia inde, ad majorem fidei fructum ex sacris meditationibus, incarnationis, passionis totiusque vitæ Christi, & ex communione corporis & sanguinis ejus in Sacramento, capiendum commentatur, ut & de mysterio desponsationis inter Christum & animam piam, itemque regenerationis. *Tertia* parte tractatus de mediis inquirit, quomodo ex captivitate hac, qua populus Christianus premitur, ut non nisi nudum nomen Christi retinuerit, eluctandum sit: describit iterum extremam Ecclesiæ miseriam, vitia immania in moribus, superstitionem in cultu, multitudinem & abusum festorum, tum quod mala ista multi non sentiant aut agnoscant. Exigit itaque agnitionem & confessionem morbi, dein ut arca Domini in humeros recipiatur, id est verbum Dei; ut abusus quibus pecuniæ rete tenditur, & qui in cultu sanctorum in missis mercenariis, in vigiliis, & exequiis committuntur, tollantur, ex his enim omnibus apparere, quod ventrem pro Deo habeamus. Exclamat inde: *O concilium concilium quam summe es necessarium! Nondum* (ait) *plane despero, multa regna, provincias, ditiones peragravi, Germaniam pro corde Christiani corporis habendam judico. Habemus Carolum Cæsarem Principem valde pium & Christianum: habemus inter tot alios proceres Albertum Cardinalem Archiepiscopum &c. hunc & alios supplices adeamus, ut si totius orbis Christiani concilium fieri nequeat, saltem ut in Germanica natione quantocyus convocetur, in quo de tantis rebus tot animarum, quas Christus sanguine suo redemit, salutem spectantibus ex verbo Dei libere & publice tractetur, & quid sequendum sit, definiatur; quod si neque hoc obtineri potest, nullum auxilium, ita me Deus amet, neque consilium scio, quam ut qui in Christum credimus, verbo ejus irrefragabili adhæreamus, & simus sicut Loth in Sodomis, Israelitæ sub superstitiosis gentibus, & hodie multi ex Christianis inter Turcos & paganos.* Ostendit inde, quid præstare Episcopi & Principes possint & debeant; detestatur Christianorum bella & inmania peccata, inprimis militum mores diabolicos, ita ut Turcis longe pejores sint. Turcos in nobis ipsis ante omnia quærendos & vincendos esse suadet, nempe, vitia nostra, hoc facto facillimum Deo esse vel uno ictu ut olim Assyrias copias, Turcorum myriades sternere. Prolixitatem excerptorum istorum confido lectoribus piis non fore tædiosam, & demonstratum esse specimine hoc, quæ tunc fuerit Ecclesiæ illius temporis miseria, a viro experto & modesto, summa cum adse-

(g) Desiderat Concilium.

veratione descripta, tum quæ sit veritatis divinæ vis, qua factum, ut ex iisdem principiis & rationibus, & ex uno spiritu, saluberrima remedia proposita fuerint. Neque dubito talibus libellis multa hominum millia a superstitionibus & abusibus retracta, & de vera fide in Christum ejusque fructibus optime instructa fuisse. Mirandum potius est, accensa hac face cœlestis luminis superesse potuisse, quibus tenebræ magis placerent, nisi ex ipso Dei verbo disceremus id mundo familiare & suetum esse, & paucis contingere, ut salutis viam inveniant. Vere nempe & divine ipse Christus docet: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt.* Publicavit hoc ipso anno *Guttelius* alium *Dialogum* itidem Erfurti excusum, cujus præfatio scripta est vigilia S. Bartholomæi. In hoc tertius collocutor accedit, quem jocose *flagellatorem* vocat, id est, monachum *terminantem*, & cum sacco mendicantem. In hoc quoque tractatu vitia insectatur & Antichristum apparuisse dicit ex doctrina Johannis *I. Ep. c. IV. 3.* reprehendit eos qui ut moram nectant, dicunt se deliberaturos esse de Evangelio recipiendo, magis vero illos, qui ejus prædicationem vi impediunt, Pharisæorum exemplo, Gamalielis etiam consilio spreto. *Intra triennium*, ait, *Deus oculos aperuit pauperibus in multis Christianorum orbis partibus, & tamen sunt qui sanctitatem adhuc quærunt in vestibus & ritibus:* **in Kleidern/ Platten/ Kappen/ Singen/ Eyern/ Fischen/ Butter/ Oel/ Essen/ Läuten/ Räuchern/ in köstlichen Chor-Mänteln prangen/** *& in jactatione & fiducia cultus interdiu & noctu Deo præstiti. S. Paulus plebi jam cognitus est* ait. *Detracta est pellis leonina asino, nil nisi asinus cum auribus & voce sua superest; jam hypocritæ, seductores, mendaces & impostores isti vocantur, qui se mediatores inter Christum & populum ferebant, unus est Deus, unus mediator &c. unus sacerdos summus; per hunc solum salvamur; hæc est fides Christiana. Jam Biblia hucusque spreta, die noctuque circumferuntur, prædicantur ex pulpitis, & famem verbi divini excitant.* Indicat pluribus verbis monachorum mendicantium turpitudinem & inscitiam, nec parcit opulentis collegiis & monasteriis, sed & horum avaritiam, durum in pauperes dominatum & hypocrisin, graviter taxat. Indignatur, Carthusianos etiam tantas opes conquirere, neque tamen hos aut alios charitatem pro tanta affluentia erga pauperes digne & pie exercere. A trecentis annis degenerasse omnem monasteriorum disciplinam; questum de hac corruptione Gersonem, quem virum vocat excellentem, **einen theuren Mann**/ & nunc tamen vendi superabundantia opera, ex fœtidis monachorum operibus. In illorum manibus rarius Psalterium, frequentissime censuales libros conspici, primum nec aliud quæri, an afferantur census, an præstentur servitia, ut ager se habeat, **bringst du Zins/ bringst du Geld/ fröhnen auch heute die Bauren/ wie stehets im Feld?** Christum cum thesauris suis nullius esse considerationis, ceremoniis omnia tribui, **auff Neigen/ auff Ducken/ auff lang Beten/ auff Eyer/ Oel/ Kappen/ Schleyer/** quæ omnia nihil valeant apud Deum, nisi adsit fundamentum a Deo præceptum, fides vera & efficax. Ad pecuniam tandem omnia referri: **Geitz ist der Vater zum Kind/ Geld ist die Losung.** Ita monasteria in infernum, monachos in diabolos transformari; *dura sunt ista*, ait, *sed dudum ab Hieronymo notata.* Episcoporum inde & Prælatorum mores aperte depingit, ut armati incedant & bella gerant, & sanguinem Christianum effundant, ut deliciosum otium quærant, ut aleæ indulgeant, **im Schacht ziehen/ im Bret spielen/ rümpffen/ flüssen/ scherwentzeln/ karnöffeln/ bockmänteln.** Addit, se hæc non dicere, ut motus excitentur, id enim non esse Evangelii scopum aut doctrinam. Respondet ad excusationes, quod Evangelium semper fuerit prædicatum in Ecclesia: negat enim debito modo prædicatum esse, *putant* (ait) *prædicari Evangelium, cum diebus Dominicis particula quædam prælegitur, si surgant, dein sedeant auditores, & ex hominum doctrina, ex Summistis & Partistis audiant, quæ ad lucra cleri diriguntur. Si totum Evangelium non vero particulas quæ*

(h) Alius Guttelii libellus contra falsum monachatum.

An. 1522.

An. 1522.

las quæ omnes simul vix sex folia majora impleant, explicassent, si omnes quatuor Evangelistas, si omnium Apostolorum scripta, si Prophetas etiam utpote de Christo vaticinantes non neglexissent, nunquam in hanc corruptionem præcipitata fuisset Ecclesia. Horum omnium loco librum exemplorum successisse, succum & nucleum Evangelii omissum, Christum etiam ut exemplum saltem aut legulatorem & consultorem propositum fuisse dicit. Utilia inde multa subjungit ad probandam Scripturæ veritatem & præstantiam, & adversus Atheorum blasphemias & cavillos, ut & contra clamores de hæresi. Interim *non sufficere* ait, *si quis dicat, se Evangelicum esse. Quam facile didicerunt* (scribit) *aulæ, nobiles, & rustici, ut sacerdotes & monachos criminari, avaritiam & pravos mores illis exprobrare, negligere preces, jejunia, parum offerre noverint, quidam etiam monachi promtissime cucullos abjecerunt, alii lignea simulacra combusserunt, carnes comederunt, & alia in conspectu simplicium Christianorum egerunt, quæ putant & jactant, Evangelica esse; Diabolica illa potius sunt, ex his fructibus fœtidis & impiis arbor bona & Christiana non cognoscitur, nemo Evangelicus esse potest, qui veram fidem non habet, eamque per charitatem assidue exercet, crucem patienter gestat, & spem servat.* Ista omnia ex Pauli, & quia hunc fere pro hæretico haberi dicit, ex Petri etiam epistolis deducit; & Principes proceresque serio commonefacit, ut officium suum faciant, & subditos benigne tractent. Cum vero tam pauci sint, qui ad gregem illum parvum Christi referri possint (esse enim quosdam non negat, *sed* (ait) *quid sunt inter tantos?* Joh. VI. 9.) impedimento esse notat (1) Diaboli astum & sævitiam, auctam hoc tempore, cum videat detegi fraudes. (2) respectum temporalis commodi & charitatis defectum. (3) *Sophistarum, Partistarum, Summistarum* clamores hæresin meliora ostendentibus imputantium: esse etiam qui absolutionem principibus denegent, ni exequi velint sua decreta. Accedere adulatores & religionem Dominorum facile probari servilibus & parasiticis ministrorum & subditorum ingeniis. (4) antiquitatem & veterem morem obtendi; retinenda esse dici quæ parentes majoresque probaverint, quasi non & illi diaboli fraude & hominum malitia decipi potuerint; si hoc argumentum validum esset, paganismum restituendum fore. Patres & majores illos sequendos esse, quales nominat B. Virgo & Zacharias, pios nempe, Abrahamum & semen ejus, Isaacum & Jacobum. De vita monastica tandem censet, nisi pro judaica illa fide, quæ fere hucusque invecta sit, Christiana restituatur, abjici debere cucullos, tonsuras & omnia ista, & in legitimum statum reduci. Profitetur autor se primis studiorum annis per frigidos præceptores male instructum, jam pro veteramentario (einen Altreissen) habendum, juniores & egregios nunc magistros esse, qui reformationem rectius plenius que indicare & promovere possint. Monacho vero isti collocutori, ad cuculli objectionem auditis tot censuris inclinanti svadet ne id faciat, corrigi mores debere, & verum fidei fundamentum teneri, sic nociturum non esse cucullum; denique adversus persecutiones & afflictiones solatiorum fontes aperit, & Ecclesiam sub cruce optime semper floruisse, nec cœli viam nisi per tribulationes patere ostendit.

(i) *Taxat abusus inter Evangelicos.*

Anno 1523. *Guttelius* Islebiæ per totam quadragesimam singulis diebus a Dominica Invocavit usque ad festum Paschale & in hoc quoque conciunculas doctas piasque habuit, quæ Zuiccaviæ mense Septembri typis vulgatæ sunt, & Alberto Cardinali Brandenburgico d. Veneris post Fest. Ascens. dedicatæ. Hunc laudat, quod librorum piorum editionem non prohibuerit in sua diœcesi, eumque hortatur ad pascua pura populo procuranda, & ad concilium promovendum, quod liberum & Christianum sit, in Spiritu sancto congregatum, in quo post tot gemitus, preces, & desideria ovium Christi tandem hominum dogmata removeantur, & Christi fides ex verbo Evangelico restituatur. In epilogo ad eundem petit, si generale concilium a Romana sede impetrari non possit, ut de nationali pro officio suo ut Primas Germaniæ cogitet, neque enim coram Deo nisi id faciat, culpa cariturum esse; suadet etiam reformationem missarum & festorum, & ut precibus populi indulgeatur sacri calicis usus secundum institutionem Christi, atque alia ordinentur, quæ erroribus & oppressionibus Ecclesiæ remedia afferant. Hæc suo & aliorum nomine demisse & humillime immo per Deum rogat, & innumerarum animarum miserias & angustias quantocyus sublevandas impense commendat. Sed ad annum 1522. redeo. In illo Zuiccaviam vocatus fuit Guttelius, literis Senatus & Pastoris, ut dissidentem in urbe clerum & populum concionibus suis ad concordiam reduceret, ut ita arbitri loco habitus esse videatur, ab iis qui de doctrina Lutheri discrepabant. Offensos enim ab illo ex plebe non paucos fuisse verisimile est, sive Cleri instinctu, sive quod Storchium aliosque ejus sectæ damnasset. Erant & in Senatu & ex vicina nobilitate, qui reformationi resistebant. Extat autem non saltem Guttelii concio, *Dominica post Petri & Pauli festum* Zuiccaviæ habita & excusa, sed & literæ MS. habentur in doctissimi viri *Christiani Daumii* Scholæ Zuiccaviensis Rectoris emeriti bibliotheca, quarum exempla mecum communicata fuerunt, ex quibus ista aperte probantur. Versabatur tunc VVittenbergæ *M. Stephanus Rothius* Zuiccaviensis, vir doctus & civitatis postea Syndicus, qui cum Luthero amicitiam inierat, uxoris novellæ opera, ut Schmidius refert, a simultate & odio, quo Luthero adversabatur, retractus. Ad eum quidam ex prædicatoribus Zuiccaviensibus *VVolff. Zeunerus* hæc scripsit d. 28. Maji 1522. *Ignaviam & torporem nostrum haud inepte notasti, probeque admodum dicis. Cum igitur populus duræ cervicis, multisque mirum in modum ambagibus in superstitiones traditiunculasque nescio quas deflexus, ut majore avocetur ab hisce ineptiis auctoritate Doctorem Caspar Guttel & Senatus ipsius & nostri Pastoris literis vocavimus, qui sic requisitus brevi temporis spatio se venturum pollicetur, pro sacro pulpito declamaturum, sperantes, Deo prabente, eum id suis revocationibus effecturum, quod forte nobis, plerisque assertionibus ac pugnationibus etiam a scriptura desumptis, vix credituri essent.* Dein successum concionum Guttelii narravit: *Adfuit nobis paucis diebus Doct. Caspar vocatus. Mirum qua gratia primum Scholasticorum, præsertim Thomistarum dogmatibus adeo exutus, ut jam eorundem extremus contemtor existat, dein verbum Dei per Scripturam solidam mire tractare consuevit, ut an fuerit Thomista penitus ignoretur, dubiteturque utrum magis didicerit aut dedidicerit. Nec absque fructu discessit, multos sermones nostros approbando, ita ut quidam operariorum satis grandævus diceret ipsum cum nobis in unum conspirare cornu. Est & insuper quidam inveteratus homo, plusquam sexaginta annorum presbyter & pastor, idem canus & dives. Is frequentissimus suis concionibus aderat, nec Cygneam relinquere volebat, donec ipse Doctor Caspar abiisset. Is (ut cognati sui ajunt) plerumque coram, inter concionandum, miseriam suam flentibus oculis deplorabat, talia usque in hac ipsa tempora nunquam audita protestabatur. Asserens nunc pastoris munere relicto ac renunciato ad Cygneam (ad quam unice suspirat) reversurum, perpetuoque mansurum, faxit Deus eum constanter id exequi. Est & alias populus ut nosti ad conciones frequentissimus. Quo fit, ut & pastor noster opera Senatus & consensu populi plures institui sermones curet.* Addit alia de mutationibus circa Missam & ritus inutiles, quæ tamen nonnisi rudimenta perfectioris reformationis fuerunt, post annos quosdam sub Johanne Electore secutæ. Nullam mentionem *Guttelii* fecit in Chronico suo *Schmidius*, qui tamen pleraque illius temporis ex commentario diurno æditui cujusdam Zwiccaviensis descripsit. At hic Guttelii conciones in annum 1523. refert habitas ante & post meridiem *Dominica post corporis Christi*, id est, d. 22. Jun. ideoque de aliis agit, priorum oblitus, nisi in anni numero error est. Ex hoc ipso *MS.* hausit *Schmidius*, quæ de Lutheri adventu & concionibus narrat *Part. I. pag. 385.* verba æditui *MS.* ex Germanico versa hæc sunt: *Anno 1522. die Lunæ post Misericord. Dom.* (incidit

(k) *Conciones Guttelii Islebienses dedicatæ Moguntino.*

An. 1522.

(l) *Acta ejus Zuiccaviæ.*

(m) *Literæ de Guttelio de statu Zuiccaviensi.*

(n) *Digressio de concionibus Lutheri*

An. 1522. 1523. *hoc anno Zuiccaviæ habitus.*

cidit eo anno in diem 27. April.) *Zuiccaviam venit D. Martinus Lutherus, & hospitium apud consulem Hermannum Muhlpfortium habuit. Die Mercurii* (d. 30. April.) *concionatus est in templo Franciscanorum de fide, & a meridie de bonis operibus; disputavit etiam acriter in articulo de prædestinatione & de matrimonio. Die Philippi Jacobi* (huic qui est 1. Maji per errorem adscribit diem 29. April.) *ex curia* (ad populum scil. in foro spatioso collectum) *sermonem habuit, hunc audivit* (additur in margine ex alia manu) *pater meus, & diabolus tumultum excitavit, cum vetula inter cæmenta, quæ ad ædificium publicum destinata in foro jacebant, sedere videretur; Die inventionis crucis circa vesperam in arce concionem habuit: Concurrerat ex agris magna multitudo virorum, qui videre & audire eum volebant, multi etiam milites in urbe erant, ita ut quidam numerum advenarum ad 14000. computaverint.* Incredibile videri posset Lutherum eo tempore, cum ob proscriptionem Cæsaream vix VVittembergæ tutus, nec de Electoris tutela certus esset, ausum fuisse tridui itinere Zuiccaviam excurrere, & interjecta plurima loca sub ditione Georgii Ducis sibi infensissimi, aut transire aut difficulter vitare. Errarunt in diebus itineris & concionum, ut dixi, & æditus, & Chronici Zuiccaviensis autor Schmidius. Veram temporis notam suppeditat epistola Præfecti Bornensis, qui ad Electorem retulit; d. 1. Maji summo mane Bornam venisse Lutherum, habitu politico indutum (cucullo thedæ imposito) comitatum fuisse a Prætore Zuiccaviensi, qui narraverit, quater concionatum esse in urbe Lutherum, in æde B. Mariæ, in arce, & de curia urbana; concurrisse hominum millia fere viginti quinque Schneeberga, Anneberga, locisque vicinis. Extat & ipsius Lutheri epistola ad Spalatinum, in reditu d. 5. Maj. *Ilenburgi* data, in qua scribit: *Quid hac profectione egerim ex aliis cognosces vel cognovisti;* & paulo post: *Cygneæ modo tribus egregiis viris Evangelistis bene provisum est; ipso pastore optimo viro, & aliis duobus Magistris sacerdotibus;* ut adeo verisimile sit iter hoc non sine voluntate & ope, quamvis occulta, Electoris susceptum fuisse ad componendos motus in urbe tunc populosa & potenti. Effectus concionum fuit, ut monachi urbe vel ejicerentur, vel ultro cederent, quod Schmidius notavit, in MS. autem unus tantum Franciscanus, qui d. 4. Oct. 1522. petulanter declamaverat, pulsus fuerit. Pastor Zuiccaviensis erat, de quo alibi egi, *Hausmannus.* De hoc in MS. legitur anno 1521. vocatum eum esse a Senatu, & primum pastorem post annos novendecim fuisse, qui præsens in urbe esset. Solebant enim, ut alibi notavi, parochiæ pinguiores artibus Romanæ curiæ & Episcoporum iis conferri, qui reditibus frui, functionem vero aliis, tenui salario conductis, locare possent. Extat *Reg. N. fol. 65. n. 16.* prolixum ejus ad Fridericum Electorem, & Johannem Ducem anno 1524. de reformatione consilium, defectus Ecclesiæ Romanæ graviter exponens, & remedia ostendens, quod integrum edi mereretur. Sed ad Guttelium redeundum est.

(o) *De pastore Zuiccaviensi Hausmanno.*

An. 1522. 1523.

(p) *Conciones Guttelii, Arnstadii habita.*

Nactus paulo serius quidem sum ex bibliotheca Gothana *Guttelii* conciones Arnstadii habitas, vel potius epitomen earum anno 1522. VVittenbergæ impressam, adscriptus est dies Sabbati Francisci (4. Octob.) dicto anno, & in dedicatione ad Guntherum Comitem; refert autor, se Sabbatho post Nat. Mariæ (8. Sept.) Arnstadium fortuita occasione venisse, & rogatum esse, ut aliquos sermones, ex veteri more, in foro haberet: id se, quoniam muneris sui fuisset, non recusasse, proposuisse autem voluntatem Dei, ex Evangelio, septem concionibus, præsentibus civibus, magnoque aliorum numero, absente vero Comite. Monitum inde ab amicis, ut typis publicaret, quæ dixisset; id se nunc facere quanquam magna inter vivam vocem & mortuam literam sit differentia, sensum autem potius quam verba expressisse. Libellus quatuor quaternionum, inscribitur: Schutz-Rede wider etliche freche Clamanten etc. i. e. *Apologia adversus protervos quosdam Clamantes, qui Evangelii concionatores novam fidem docere, sanctos contumelia afficere, S. Jacobo contradicere, jejunia, preces & bona opera vetare vociferantur.* Ista omnia in tractatu persequitur, septem concionum compendium exhibens ad dictum *Luc. X. 25. 1.* sive ad Evangelium Domin. XIII. post Trin. quæ in initium mensis Sept. incidere solet. Quanquam vero contenta hujus libelli, quia rarissime invenitur, excerpi mereantur, quia tamen ejusdem sunt doctrinæ cum iis, quæ retuli, nolui referendis iis lectori fastidium exhibere.

(q) *Additamentum de Guttelio.*

Scripseram ista, cum amicorum opera ad me pervenit dissertatio Synodalis a *Mag. Mich. Emmerlingio* Superintendente Mansfeldensi anno 1646. habita, ex qua sequentia de Guttelio annotavi: *In suburbio Islebiensi Albertus comes exstruxerat cœnobium Augustinianum S. Annæ dedicatum anno 1518. In eo post Johannem Luderum & Liborium Zeunerum Doctores Theologos & Priores tertius erat Guttelius iste, qui multum ad novam illam structuram opera contulerat concionibus suis. Postquam vero Lipsiæ, ut dictum est, Doctoris titulum assumsisset, & Lutheri scripta paulo post edita legisset, errores agnoscere & pro concione publice arguere cœpit, maxime in æde S. Andreæ. Importunus illi Collega fuit Georgius Vicelius, cum quo multa illi concertatio erat, usque dum eum, post extinctos Comites, qui Papismo favebant, anno 1540. expulisset.* Ex epistolis Vicelii querelæ non unæ adversus Guttelium percipiuntur. Edidit autem hic, ut *Emmerlingius* refert, anno 1538. gestorum suorum relationem, quam non vidi: composuit ordinationem Ecclesiasticam comitatus Mansfeldici, quam Lutherus paulo ante mortem recognovit & omnimodo probavit: decessit anno 1542. & Bibliothecam suam templo S. Andreæ legavit.

SECT. 56.

Acta Conventus Norimb. Fascicul. rer. expet. & fug. Goldast. Const. Imp. t. 2.

(1) Responsum Nuncio Pontificio Cheregato in comitiis Norimb. datum.

Cum enim Franciscus Cheregatus, Nuncius Adriani VI. qui ante menses plus minus viginti Leoni successerat, eo missus, executionem Bullæ prædecessoris sui & edicti Wormatiensis adversus Lutherum peteret, responsum tulit: remedium hoc intempestivum esse, gravibus per Germaniam querelis contra abusus Curiæ Romanæ ejusque dominatum exortis; (hæc enim Lutherani ubique vulgabant) si igitur nunc contra Lutherum aliquid decerneretur, crediturum esse totum populum, fieri id ad fovendos abusus, & destruendam veritatem Evangelii, unde majores turbæ metuendæ essent. Longe efficaciora itaque media quæri debere; inter quæ primum esset, ut Pontifex cum consensu Imperatoris Concilium liberum indiceret, intra annum in urbe quadam Germaniæ habendum: deinde ut status Ecclesiasticus reformaretur, ante omnia vero ipsa curia Romana: tandem ut querelis sive gravaminibus nationis Germanicæ satisfieret. Horum centum composita erant, a Lutheranis, ut satis apparebant, suppeditata; quædam enim manifeste ad destruendam totam Pontificis autoritatem, disciplinam etiam Ecclesiasticam, & sanctissimas quasque consvetudines Christianismi, ab immemorabili tempore observatas, tendebant. Additum de cætero fuit, ne dum concilium expectaretur, Lutheranis contra Ecclesiam Catholicam amplius quidquam scribere fas esset, & ut concionatores utriusque partis nihil nisi purum Dei verbum prædicarent, ad normam do-

Centum gravamina German. ap. Goldast. & in Fascic. rer. expet.

(2) Centum gravamina Germanorum adversus Pontificatum.

(3) Decreta comitialia.

An. 1523. An. 1523.

ctrinæ & interpretationis in Ecclesia receptæ. Instante autem & graviter querente Nuncio, Ordinariis injunctum fuit, ut Sacerdotes, qui uxores duxerant, & monachi, qui monasteria & regulas suas deseruerant, pœnis canonicis coercerentur, privilegiis & beneficiis privandi, utque nullum a Magistratibus impedimentum executioni huic objiceretur. Hæc in formam Edicti redacta d. 6. Martii nomine Imperatoris absentis publicata sunt. Lutherus, quanquam non erat, ut his lætaretur, edito tamen scripto artificioso & maligno, suo illa interpretabatur modo, populo nempe satis placituro: atque sic approbare se decreta simulabat, illaque sibi proficua esse multis persvadebat.

(4) Lutherus ea interpretatur.

Luth. contr. falsar. Edict. Cæsar. t. a.

§. CXL.

(1) *De electione Adriani VI. Pont.*

Adriani VI. Pontificis electionem, quæ absente ipso in Hispania Romæ facta est d. 9. Jan. 1522. cur tam paucis verbis referat, digressionum alias non parcus noster, equidem nescio. Mihi ratio est, quædam a scopo non aliena de ea commentari. *Adrianum* Trajecti ad Rhenum, sive Ultrajecti natum, sacris ordinibus addictum, Decanum Lovaniensem, Caroli quinti præceptorem, magnisque ministeriis in Belgio, & Hispaniarum gubernatione honoratum, Theologiæ Thomisticæ innutritum, scriptis etiam ante Pontificatum clarum fuisse, vulgata sunt. Ex moribus ejus candor sive animi aperta libertas, Belgarum genti veluti innata, præcipue laudatur. In aula regia sub amici specie æmulum habuit, quem supra aliquoties nominavi, *Crojum Cevrium*, Caroli educatorem primarium. Hujus, qui solus Regiæ juventæ arbitrium sibi asserebat, artibus, in Hispaniam amotus potius quam legatus, ad Ferdinandum Caroli avum fuit, a quo *Episcopatum Dertusanum* & a Leone X. *Cardinalis* dignitatem accepit: deinde mortuo Ferdinando, *Gubernator Hispaniæ* constitutus est; parum felici & consilio & successu, ut ex nupera *Varillasii* historia paulo accuratius, (dummodo & fidelius) quam ex vetustioribus commentariis, cognosci potest. Humilitatem generis, quæ quidem negari non potest, imperite tamen ex eo arguit *Pallavicinus*, quod familiæ nomine carens *Florentii* tantum patris nomen pro cognomento assumserit. Id enim Belgis, si paucos ex illustri genere excipias, populare est, sicut olim Hebræis Græcisque fuit, & apud Svecos ac Danos etiam nunc ut plurimum servatur. In Germania quoque post Caroli demum Magni aut Ottonum tempora cognomina familiarum in consuetudinem venerunt, nulla aut rara antea etiam apud nobiles. Cæterum *Pallavicinus* non solum a *Paulo Veneto*, sed & a *Francisco Gvicciardino*, qui tempore illo vixit scripsitque, multum discrepat in historia hujus Adriani, pugnatque vehementer in Venetum de vexatissima tunc indulgentiarum materia, liberius, quam Romanæ rei expedit, relatis Pontificis & Cajetani Cardinalis sententiis, commentantem. Tractat autem ista *Pallavicinus* prolixe *Lib. II. capitibus* 5. & 6. sed omni subtilitate sua & sophismatum artificio excusare apud cordatos Lectores debilitatem causæ Pontificiæ in asserendo indulgentiarum jure, magnasque alias corruptiones non poterit. Enormia sunt quæ postulat: *primo* sanctos creditores Dei esse, id est, plus mereri, quam opus habeant; *dein* quæ superflua iis sunt, communioni Ecclesiæ sive omnibus Christianis fidelibus accrescere; *porro*, quod Christus in superabundantia meriti sui hæredem instituerit Ecclesiam; *denique* quod hujus nomine Pontifex & Vicarius dispensationem tanti habeat thesauri. At cum multis ratiunculis id agat, ut pecuniæ ex dispensationibus corradendæ artes defendat, & Ecclesiastico foro jus asserat, ut Legum dissolutioni fræna injiceret ex argento, cum æque ut profano, ex ferro id non liceat, dein de defectu regiminis hierarchici ob senium Pontificum & diversa successorum ingenia & instituta mirifice philosophetur; nimium quantum simplicitati & sanctitati Christianæ religionis adversari, & Italicæ calliditatis genium sapere deprehenditur. Sed missis his notabimus ad historiam reformationis propius pertinentia.

(2) *Digressio Pallavicini de indulgentiis.*

Causas eligendi Adriani, hominis exteri, &, ut Romani ajebant, barbari, non celat ipse Romanæ politices magister *Pallavicinus*, interque eas habet Theologicam Adriani peritiam & fervorem, cujus specimen dederat, cum Doctores Lovanienses, suos olim collegas, ad condemnandas Lutheri theses (ut supra dictum) stimulasset. *Doctis itaque hæreticis*, quos vocabant, *doctiorem se opponere* dicebant *Pontificem*. Sed interior causa erat, quod Julius Mediceus Cardinalis post Leonis obitum factione sua nondum ad Pontificatum adipiscendum prævalere poterat, ad quam post mortem Adriani pervenit. Cum igitur cedendum tunc contra nitentibus esse videret, malebat peregrinum & factionum expertem quam æmulum ex præsentibus & notis evehi, sibique simul præsidia ab Imperatore adversus Gallos, quos Leo, nec non ipse Cardinalis Mediceus, non uno modo offenderant, conquirebat, dum virum, quem Cæsari charum credebat, suo extolleret suffragio. Adeo parum divini aut pii consilii in eligentibus deprehenditur; pro bono tamen signo erat, magna Romanorum & Italorum a novo Pontifice aversio; quibus corruptissimis non nisi melioris famæ vitæque vir displicere poterat.

(3) *Causa electionis Adriani.*

Jam consilia novi Pontificis ita pandit *Pallavicinus*, ut Protestantes non tum saltem scire potuerint, quid sperandum sibi ab aula Romana esset, sed & idem hoc monitore in præsens luculenter cognoscant. Reformationem capitosus senex, si non in doctrina, saltem in moribus, animo volvebat; sed hunc ei zelum ex schola aut simplicitate naturæ adhærentem, confestim aut exemerunt, aut difficillimis objectamentis infructuosum fecerunt veterani dominationis Pontificiæ artifices. Non veretur laudare hos *Pallavicinus*, putatque emendationem Ecclesiæ vel ideo negligi debuisse, ne Protestantes sui causa factam esse sibi imaginarentur; dein perduellionis (pro qua reformationem habet) incendium non concessionibus sed terroris gelu & sangvinis pluvia restingvendum esse. Quæ sententia *cap. VI. §. 8.* audacter pronunciata, a quo spiritu efflata sit, obesæ naris esset, qui non olfaceret: præsertim cum Protestantes, qui Pontifici & emunctionibus pecuniariis se subduxerant, pecuniosiores alius,

(4) *Ejus consilia improbata a curialibus & Pallavicino.*

An. 1523.

aliis, qui jugum adhuc ferunt, non esse asseveret; sed in veras paupertatis causas non inquisivit, quæ ex libertate illa ab exactionibus Romanis utique non veniunt. Interim satis liquidum est, ingenti onere magnam pecuniæ vim Romam mittendi, & tot quibus carere potuerunt, monachorum & monialium cohortes alendi, liberatos fuisse, idque pro divino beneficio non immerito agnovisse. Nunc Adrianum, non tam quæ volebat, quam quæ per consultores illos suos poterat, remedia pro Ecclesia expedientem videbimus. Testem habemus ipsum *Pallavicinum*, inter capita, quæ ante electionem a Cardinalibus conscribi & jurejurando sanciri post Leonis mortem placuit, futurum Pontificem obligatura, etiam illud fuisse: *Revocandas esse facultates omnes, Fratribus minoribus* (Franciscanis) *concessas, promulgandi indulgentias pro Vaticani templi molitione.* Hoc non potest non esse Luthero honorificum, cujus monitis ista revocatio debebatur. Aperte sane tradit *Pallavicinus*, Pontificem promulgationem indulgentiarum *pro scintillis incendii habuisse, cap. IV. §. 2.* Ulterius vero progressus, exactiones, quæ *Dataria* nomen fecerunt, moderari instituebat; sed hic ei *ferventiora consilia ex formis abstractis nata* objiciuntur, *speculantibus speciosa, sed subjectæ materiæ conditioni minime accommodata, dicto cap. VI. §. 7.* Acrius etiam reprehenditur, quod misso ad Norimbergensia comitia Legato depravationes curiæ Romanæ nimis aperte agnovit, & *reformationem in capite & membris summe necessariam, sibique omnino cordi esse*, professus est. Hic ei Pallavicinus *simplicitatem animi, credulitatem erga eos, qui Leonis gesta culpabant, nimiam vehementiam, & liberiorem, quam par est, sinceritatem, imprudentiam vero summam ista publice evulganti*, exprobrat, ut ex toto fere *cap. VII. Lib. II.* apparet. Prægnantissima vero ratio candorem illum Adriani exagitandi ipsi est, quod *Romanus Pontificatus sacra profanaque dominatione permixtus sit, adeoque multis gravibusque de caussis civili prudentia, id est, artibus dominationis, summe indigeat.* Quo quid apud Christianos, vicarium Christi, (si quis esse debeat,) magistro, quam fieri potest, simillimum exoptantes, & dominatum profanum, sive carnale regimen in Ecclesia non agnoscentes, dici possit insolentius, judicandum cordatis relinquo, sicut & politicum, quod subjungit problema, quo *præfert rectorem Ecclesiæ, mediocri sanctitate sed eximia prudentia præditum, ei, qui sanctimoniam modica prudentia conjunctam haberet.* Facile quidem assentientes nos habebit, si sanctimoniam non aliam intelligit, quam quæ externa pompa aut ostentatione ascetici rigoris exhibetur; sed si veram & genuinam æstimare decet, quam Christus & Apostoli præscribunt, serpentinam prudentiam cum columbæ simplicitate copulantes, quamque sectari eum convenit, qui Christi boni pastoris personam gerere vult, eam Adriano non inviderent Protestantes, modo veritatis Evangelicæ lux illi affulsisset, isque zelum suum ad hanc agnoscendam & promovendam applicuisset, & sinceræ pietatis Christianæ fundamenta, quæ Lutherus, applaudente pene tota Europa, proponebat, inveteratis scholæ suæ vaframentis prætulisset. Sed cum nil nisi iras & censuras in doctrinam puriorem per diplomata & Legatum effunderet, neutrum quod intendebat, tenuit. Neque enim Luthero nocuit, nec suam reformationem, quæ crumenis quam animabus hominum utilior erat, ad effectum perduxit.

(3) *Epicrisis de actis Adriani.*

§. CXLI.

(1) *De literis Pontificis ad Electorem.*

Videamus tamen, quomodo occasione Comitiorum Norimbergensium, quæ absente in Hispania Carolo sub finem anni 1522. a Ferdinando fratre, Cæsaris locum tenente & a Regimento congregata fuerant, usus sit Adrianus. Et siquidem Acta *Tomis Lutheri* inserta, & *Sleidanum* sequimur, Pontifex hic, postquam ex Hispania Romam venisset d. 5. Octobr. 1522. humanissimas literas ad Fridericum Saxoniæ Electorem, quem Norimbergæ præsentem esse putabat, *Hieronymo Rorario*, Camerario suo perferendas dedit, quæ habentur *Tomo II. Jen. Lat. f. 567. b.* in quibus tamen nihil de Luthero memorat, sed benigne hortatur Principem, qui *Sacri Imperii (Romanæ Ecclesiæ Advocati) membrum & Elector* esset, *ut ad salutem & tranquillitatem totius Christianæ Reipublicæ sanctamque fidem tuendam incumberet*, cætera ex subsecuturo mox Legato intellecturus. Dubium vero hic facit *Pallavicinus* de literis hisce, easque putat per errorem in Tomis Lutheri *Adriano* tribui, cum a *Clemente VII* missæ sint, eædem nempe, quæ adscripto die 7. Dec. 1523. *dicto Tomo II. fol. ult.* habentur. Sed cum utriusque Pontificis literæ non solum in Jenensi, sed & in Wittenbergensi editione diverso stylo & tempore inveniantur, & Rorarius ille, olim Maximiliani Cæsaris cubicularius, eodem titulo ab Adriano, sicut a Clemente, honorari & in Germaniam, cujus rerum gnarus erat, ad secuta mox altera Comitia, ut Legati præcursor, mitti potuerit, non est, ut de fide literarum ambigamus. Cæterum Adrianus ad ista Comitia anno 1522. cœpta Legatum expedivit *Franciscum Cheregatum*, Vicentinum, Episcopum Fabrianensem, qui Cardinalibus Sedunensi & Cornetensi a secretis, multisque legationibus adhibitus fuerat, dato ad Ordines Imperii diplomate, d. 25. Novembr. quod totum fere in invectivis adversus Lutherum occupatur. Extat *Tomo II. Jen. Lat. fol. 568. & seqq.* Imputat autem ei non modo *veterum hæresium resuscitationem*, sed & *corruptionem morum, & invasiones bonorum sacrorum, & bella civilia, quæ fieri cœpissent*, (Sickingianos motus, de quibus postea dicemus, innuens) dein *damna a Turcis Hungariæ eo anno illata, & obsidionem Rhodi Insulæ* (quæ paulo post mense Decembri capta est) deplorans. Ante omnia ab interna lue purgandam esse statuit Germaniam, & exprobrat, *quod per unum*, ut loquitur, *fraterculum apostatam, quasi is solus sapiat & sciat, aut solus Spiritum sanctum acceperit, a via, quam Christus & Apostoli demonstraverint, totque martyres & sancti viri incesserint, seduci se passi sint, nec in Edicti Wormatiensis executione debitam præstiterint obedientiam: cavere eos sibi a Lutheri sectatoribus* jubet, *postquam Pontifici & Clero obsequium subtraxerint, etiam Laicorum bona invasuris. Neque enim qui Christos Domini violare ausi sint, eos esse, qui cervicibus cæterorum parcerent.* Ingentes denique minas divinæ ultionis addit,

(2) *Mandata Pontificis Cheregato ad Ordines Imp. data & invectiva in Lutherum.*

An. 1523. addit, utque Germani majorum suorum exemplum adversus Hussum & Socium in Constantiensi concilio editum, imitentur, serio omnes cohortatur. Hæc non sine effectu publicata sunt a Legato, conterritis aut commotis fere omnibus, immensum vero, ut ex ablegati Saxonici relatione (*Tom. II. Alt. fol. 276.*) patet, clamantibus Episcopis & sacri Ordinis statibus, *tollendum esse Lutherum, & carceri includendos, qui Norimbergæ dogmata ejus in concionibus propalabant.*

§. CXLII.

(1) *De editione mandatorum Adriani.*

Ut vero apud seculares Principes Pontificis consilia majorem invenirent applausum, Legatus ineunte anno 1523. mandati, quod conceperat, formulam sive instructionem, quam prius, monstrata breviori alia, celaverat, in consessu Ordinum prælegi fecit. Hæc typis cum diplomate Pontificio ad Ordines, quod retuli, subjunctoque responso Ordinum, horumque gravaminibus (de quibus statim dicam) & annexa taxatione Annatarum, quas vocant, Latine & Germanice Norimbergæ a *Friderico Peypus* cum gratia & privilegio Imperiali vulgata fuit. Recusa sunt postea omnia anno 1538. cum præfatione Lutheri, quæ habetur *Tom. VI. Alt. fol. 1254.* Et anno 1607. *Melchior Goldastus* isthæc, quæ jam oblivioni videbantur tradita esse, in memoria tamen hominum conservari merentur, in collectione sua sive *Rationali Constitutionum Imperialium* denuo exhibuit, quem *Pallavicinus* allegat. At nuper prodierunt *Edmundi Richerii* Doctoris Sorbonici, qui Cardinalis Richelii tempore ob liberiora scripta quædam dure habitus fuit, *Historiæ conciliorum libri quatuor*, in quorum postremo eadem instructio reperitur, additis egregiis admonitionibus, in quibus autor demonstrat, quam necessaria fuerit, quam in hac instructione promittebat Adrianus, Ecclesiæ reformatio, quantaque cum infelicitate tam bene animatus Pontifex eo ipso anno e vivis sublatus fuerit. Refert, eum apud Gvilielmum Encurtium (Enkenfurt) & Theodorum Hezium, populares & familiares suos, posteaquam curiæ Romanæ artes & consilia perspecta habuit, conquestum esse, *permiseram esse Pontificum Romanorum conditionem, eoque in statu res esse, ut, quanquam maxime vellet, emendare Ecclesiam non posset, quandoquidem omnes corruptelæ atque abusus in formam status politici quæstuosissimi evaserint.* Vide *Richer. hist. concil. Lib. IV. Part. II. p. 133.* Quæ etsi a viro Romano-Catholico & Protestantibus infesto scripta sunt, laudem tamen Adriani, vulnera Ecclesiæ confitentis, (quam a *Pallavicino* & aliis sugillari videmus) firmant & augent, aliorum vero Pontificum artes faciunt suspectas. Taxat *Richerius* satis acriter homines obnoxios, qui suas merces, ut facilius exponant & venditent, incrustare nituntur, dicentes, *Papam neque ut Papam neque ut privatam personam errare posse.* *Bellarmin. lib. quarto de Rom. Pontif. cap. VI.* item: *Papam neque in approbatione Religiosorum, neque in canonizatione Sanctorum errare posse.* *Quorsum autem hæc* (ait p. 120. seqq.) *nisi ut tanquam infallibilem regulam omnia & singula curiæ Romanæ adinventa, ritus & ceremonias recipiamus, (licet universum Ecclesiæ statum a Christo & Apostolis institutum pessundent) & si quis in contrarium aliquid muginari audeat, pro schismatico & hæretico censeatur. Verum hæc mundanæ sapientiæ arcana, quo minus pateant, etsi magno quidem cum artificio ab hominibus obtegantur; (ne scilicet populus Ecclesiam emendatione egere cognoscat, & ne cui perspectum fiat a ducentis amplius annis omnes bonos & pios viros in studium emendandæ Ecclesiæ vehementer incubuisse, & nihil quicquam promovisse) attamen Deus optimus maximus sua inscrutabili providentia illa tandem in omnium oculis exponi voluit: quoniam illo ipso anno, quo synodi Constantiensis & Basileensis decreta cum sanctione pragmatica in Synodo Lateranensi a Leone X. abrogata sunt, Lutherus quæstum turpissimum indulgentiarum reprehendit: atque in curiæ Romanæ corruptelas, non ut Ecclesiæ filius, sed hostis acerrimus detonuit. Siquidem magno veritatis ac virtutis præjudicio usu evenire compertum, ut qui amicum recte monentem audire detrectat, tandem a proprio inimico corripiatur: quoniam Deus nunquam veritatem opprimi patitur. Certe dum apud me perpendo Arianismum & Monotheletismum, in quo de sola doctrina, non de sanandis moribus Ecclesiæ certabatur, trecentos circiter annos continuasse: valde quidem reformidare incipio, ne Lutheri & Calvini hæreses, quæ potissimum ex regiminis Ecclesiastici corruptela & morum bonorum tabe originem & incrementa hauriunt, multo longius latiusque pervadant, nostrique mores corruptissimi, quos nulla jam ratione sanari posse experimur, demum immani Turcorum barbarie aut alia memorabili clade justissime & severissime contenantur. Quando eo furoris ac dementiæ ventum est, ut jam nec cum propriis vitiis diutius hospitari, nec ullam eorum medicinam, quantumvis benignam & salutarem, perferre queamus? Nam homines obnoxii & ad eam rem conducti, statim atque aliquem etiam pium & maxime Catholicum intuentur, qui lapsum Ecclesiasticæ disciplinæ paulo liberius deflet, continuo illum partes & querelas Hæreticorum fovere criminantur. Quid igitur in causa tanti mali & corruptela pertinacius obdurescente atque in dies singulos altius pervadente, superest, quam ut hæreses & schismata acrius inflammentur, nosque in illas horribiles ruinas dedant præcipites, quæ postremis temporibus venturæ ac illam diem terribilem Domini nostri Jesu Christi acceleraturæ sunt?* Hæc demtis, quæ sine necessitate & ex sua præoccupatione contra Lutherum sparsit, cordati sane & sapientis viri esse quis non affirmet?

(2) *De Edmundo Richerio, novissimo eorum editore, ejusque de abusibus Pontificiis querela.*

§. CXLIII.

(1) *Excerpta ex mandatis Pontificiis.*

Sed jam ex Adriani instructione (præteritis, ut satis tritis notisque, quæ Luthero falsissime objiciuntur) confessionem corruptelarum & necessariæ reformationis percipiamus, cum non in multorum manibus libri, quos allegavimus, versentur. Ita autem *p. 129.* loquitur Pontifex: *Scimus in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse; abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si ægritudo a capite in membra a summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos, (id est, Prælati Ecclesiastici) declinavimus unusquisque in vias suas, nec fuit jam diu qui faceret bonum, non fuit usque ad unum: quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam*

An. 1523.

Deo, & humiliemus animas nostras ei: videat unusquisque nostrum, unde ceciderit: & se potius quilibet judicet, quam a Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in re quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc, unde forte omne hoc malum processit, reformetur: ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. Hoc testimonium satis, puto, ostendit, quam immerito Maimburgius in exordio libri sui universalem illam obedientiam & quietem ante Lutherum commendaverit. Quæ enim illa esse potuit, quum universus mundus reformationem hanc, nec sine causa legitima, desideraverit, fatente id ipso Pontifice, qui non nisi oracula edere æstimatur. Addit postea Adrianus quædam de se, ut *Pontificatus onus invitus, eoque animo susceperit, ut sponsam Christi deformatam, Ecclesiam Catholicam reformaret, oppressis subveniret, doctos & virtute præditos, qui multo tempore neglecti jacuerint (provisionibus*, ut paulo post ait, *Apostolicis, ad histriones & stabularios delatis) erigeret & ornaret, aliaque ageret, quæ bonum Pontificem & legitimum Petri successorem agere oporteret.* Agnoscit vero difficultatem propositi & subdit *p. 130: Quanquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit: inveteratus enim morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est: & prius gravioribus magisve periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus: omnes subitæ mutationes, inquit Aristoteles, in republica periculosæ sunt: qui nimis emungit, elicit sangvinem.* Germanice versa Pontificia ista scripta extant *Tom. II. Alt. f. 237. & seqq.* & Lutherus annotationes marginales addiderat, referente *Sleidano*, quas in Tomis non invenio. Exagitavit inter alia postremum illud de lentis remediis dictum, idque ita intelligendum esse putavit, ut *pedetentim procedere; sit singulis pedibus atque passibus intervallum aliquot seculorum dare.*

(1) Lutheri ad illa nota.

§. CXLIV.

(1) Quædam de Comitiis anno præcedenti Norimbergæ habitis.

Tetigit in hac instructione Pontifex quædam, de quibus Germani speciatim questi erant. Sciendum enim, ante ista comitia, quæ in annum 1523. protracta sunt, verno anni 1522. tempore, *Norimbergæ*, præsente Imperatore, convenisse Ordines, & Ludovico Hungariæ Regi, cui Turci Belgradum, regni propugnaculum, eripuerant, copias illas, quæ Carolo ad coronationem in Italiam profecturo, pro more destinatæ erant, in auxilium decrevisse. Extat Recessus hujus conventus die Jovis post Cal. Maji datus in volumine *Constitutionum*, quæ Moguntiæ edi solent, in quibus tamen nihil ex actis sequentium hujus anni comitiorum, de quibus hic sermo est, reperitur. In prioribus vero illis comitiis inter alia postulaverant & repetierant Ordines, quæ jam Wormatiæ urgere cœperant, ut ad Turcici belli sumtus annatæ & pensiones Romam mitti solitæ, assignarentur, eundemque in finem ex Collegiatarum Ecclesiasticarum proventibus decima pars, vel unius saltem præbendæ fructus, item ex monasteriis opulentis sufficientia tributa, & ex mendicantibus quinque floreni annui penderentur. Hæc postea Carolus datis Vallisoleti in Hispania ult. Octobr. 1522. ad Pontificem Adrianum literis perscripsit, addens (quod in Germania profiteri nondum, puto, ausus fuerat) *opus esse illis corrogationibus, ut in Lutheranæ doctrinæ sectatores districto gladio animadverti posset.* Sed cum in mandatis Pontificiis nihil ad hoc responderetur, seculares Principes & Status, *gravamina* sive *abusus sedis Romanæ*, quæ jam olim & nuper Wormatiæ anno 1521. colligi cœpta & in *capita sexaginta septem*, *puncta* vero *centum* digesta erant, denuo Ferdinando Cæsaris locum tenente & Ecclesiasticis statibus conscıis compilarunt. Responsum inde communi decreto tam Ecclesiasticorum quam secularium, præsante Ferdinando, Pontificis Legato datum est, in causa quidem Lutheri sive religionis, eum in modum, qui infra explicabitur. Quod vero ad gravamina attinet *§. 8. & 9.* responsi sui Ferdinandus & Ordines, gratias primo Pontifici agunt, *quod testatus sit, displicuisse sibi, cum in minoribus esset, quoties concordatis Germaniæ Principum per curiam Romanam derogaretur, quodque promitteret, etiamsi Principes id nunquam requirerent, se tamen Pontificatus sui tempore abstinere, & unicuique nationi, maxime Germanicæ, jus suum conservare velle;* dein petunt, *ut abusus & gravamina, simulque certi articuli, quos seculares Principes specialiter designaverint, & scripto exhibituri sint, fideliter reformentur, secus si fiat, pacem & concordiam inter Ordines sperandam non esse.* Patet hinc, uti etiam ex edicto, quod finitis Comitiis Cæsaris nomine d. 6. Martii editum fuit, *centum illa gravamina*, etsi a secularibus composita, a Cæsare tamen ejusque Fratre & Legato, ut & ab Ecclesiasticis, Præsulibus & Prælatis communi approbatione recepta, in responso solenni, quod Legato Pontificio exhibitum fuit, allegata, petitaque eorum correctione publice agnita esse. Impudentissima itaque *Cochlæi* calumnia est, a Maimburgio oscitanter hic adoptata, quæ Lutheranos gravaminum illorum autores facit; contrarium enim Acta, quæ, ut dixi, & tunc & postea edita sunt, evincunt: nec suspecta fiunt, quod Index Annatarum simul editus est, namque & illum seculares non nisi ab Ecclesiasticis habere potuerunt; quod vero hi a secularibus solis compilationem gravaminum fieri, quam ipsi ad eum laborem concurrere maluerint, inde fortassis factum est, quod aliquibus commodi sui major quam pietatis ratio esset, omnes vero juramenti, quo Pontificiæ sedis Prælati adstringuntur, religione tenerentur, & sibi tutius putarent, aliorum potius ore & calamo quam suo, odiosum remedium quæri. Interim dubitari non debet, Lutheri scripta & dogmata novum gravaminum exhibitioni impulsum dedisse, etsi nullus tunc Principum aut Statuum Lutheri defensionem publice professus sit. Itaque omnibus adhuc obsequium erga Romanam sedem profitentibus, Lutheranis inepte adscribuntur, quæ universalia Comitia, ipseque Cæsaris Frater pro suis agnoscunt, nisi hac ratione totam Germaniam, quatenus per comitia repræsen-

(2) De gravaminibus nationis Germanicæ.

(3) Negatur ea a solis Lutheranis composita esse.

An. 1523. repræsentatur, Lutheranam facere velint: & parum profecto aberat, quin fuerit. Sed Deo visum est non multo post voluntatem suam patefacere, quousque repurgatæ doctrinæ locum concedere decrevisset.

§. CXLV.

(1) *Contenta centum gravaminum.*

Continet autem centenaria illa enarratio abusus jurisdictionis Ecclesiasticæ, excommunicationum, consecrationum, multiplicium exactionum & casuum reservatorum, denegatæ absolutionis, mendicantium & terminantium impudentiam, & aulicorum Pontificiorum (*Curtisanos*, immo *nebulones* vocant) artes, quibus beneficia & præbendas invadant, & populum pecunia emungant; multæ etiam concordatorum, quæ vocant, sive pactorum inter Imperatores & Papas contraventiones culpantur. Adducunt inde Status paupertatem suam ex fundationibus veterum ortam, quibus factum sit, ut vix tertia aut quarta pars bonorum Laicis supersit, & ideo Turcis resisti non posse, nisi large contribuentibus Ecclesiasticis, & quidem ex arbitrio Episcoporum Germanorum, non Pontificis; & nisi aurum, argentum aliaque pretiosa templorum in usus publicos convertantur. In flagitia vero Clericorum & quæ inprimis ob interdicta matrimonia per impudicitiam committunt, & ære redimunt, vehementer invehuntur, pœnisque iisdem, quibus Laici plectuntur, coerceri delinquentes volunt. Feriarum numerum minui desiderant. Ablata Teutonici ordinis equitibus in Italia & Sicilia prædia sive Commendas, restitui flagitant, bonorum immobilium posthac ad Clerum provenientium reluitionem sibi concedi, onera vero fundorum ab iis præstari, ab hæreditatibus repelli Clericos, & ut iis renuncient, cogi debere contendunt. Sunt tamen, quæ religionem strictius attinent, v.g. quod humanis traditionibus multa prohibeantur, quæ nullo divino præcepto interdicta vel imperata sint, eaque postmodum pecunia accepta relaxentur, (*c. 1.*) quod per indulgentiarum imposturas & fraudes profligata fuerit Germana Christianorum pietas, immo Christi; quodque incestus, stupra, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna inde originem apud credulos nimis ad prædicationes tales Germanos traxerint, (*cap. 2.*) quod Stationarii sanctos singulorum pene morborum averruncos lucri causa constituerint, Antonianorum monachorum exemplo, (*cap. 4.*) quod Pastores mercede conducti & ut plurimum indocti, pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas propinent lacunas & fabulas gentilibus similimas, per quas plebs a Germana Christi fide, & in Deum fiducia ad hominum superstitiosa commenta & somnia abstrahatur, (*cap. 14.*) quod sacra omnia, Missæ etiam, vendantur, (*cap. 67. 68.*) Alia præterimus, sicut & pene omnes Clericorum artes pecuniarias, in gravaminibus istis descriptas, quas Protestantium Ecclesiæ, excusso jugo Romanæ sedis, jamdudum neque senserunt, neque nunc, quales fuerint, satis intelligunt; ut adeo Gravamina ista iis potius legenda & expendenda sint, qui oneribus talibus etiam nunc premuntur.

(2) *Alia vetustiora Maximiliano I. exhibita, eorumque contenta.*

Inseram hic, quamvis supra in actis anni 1518. referenda fuissent, tunc temporis in Comitiis Augustanis Maximiliano I. Imp. exhibita gravamina, ex *Goldasto Polit. Imp. Part. XXII.* & *Wolffio Tom. II. Memorab. edit. sec. fol. 212. 213. 214.* Illa sane Lutherani non composuerunt, Luthero tunc nondum a Cajetano audito nec a Pontifice condemnato. Immo longe prius conscripta apparet, quia *sanctionis pragmaticæ* in Gallia, ut vigentis & imitandæ mentio fit, quæ tamen jam anno 1516. *in Concilio Lateranensi* abolita erat, ut narrat & vehementer queritur *Richerius Lib. IV. Hist. de Concil. Part. II. p. 32. & sqq.* Fateor in his quoque errores doctrinæ non allegari, miscentur tamen quæ ad graviora Ecclesiæ vulnera curanda viam aperuissent, si obtineri potuissent, ut judicare licet ex præcipuis eorum contentis quæ sequuntur. *Decem* erant gravaminum capita, quorum *primum* his verbis conceptum est: *Quod ad servandas Bullas, pacta, privilegia, & literas ab antecessoribus absque omni derogatione concessas, successores Pontifices teneri se non arbitrantur: immo per crebras dispensationes, suspensiones, revocationes, ad cujuscunque (etiam vilis) personæ instantiam contraveniunt.* (2) Queruntur, *quod electiones Prælatorum quandoque rejiciantur.* (3) *Speciatim Præpositorum, quorum tamen eligendorum jus multo ære impetratum fuerit.* (4) *quod beneficia & dignitates majores Cardinalibus & Protonotariis reserventur.* Hinc fiebat, quod alibi notavimus, ut parochiæ præcipuæ aulicis Pontificiis collatæ, ab iis postmodum hominibus nullius doctrinæ & pietatis locarentur, qui pensiones Romam mitterent. (5) *Quod gratiæ, quas vocant, expectativæ absque numero & ad unum sæpe collatorem concedantur, unde quotidianæ surgant lites, & pecuniæ dilapidentur, adeo, ut in proverbium abierit, quod is, qui talem gratiam impetraverit, centum aut ducentos aureos in cista reponere debeat, quibus ad prosequendas lites utatur.* (6) *Quod Annatæ absque dilatione & misericordia ultraque modum exigantur.* (7) *Quod Ecclesiarum regimina minus dignis committantur, qui ad mulos magis, quam homines pascendos & regendos sint idonei.* (8) *Quod indulgentiæ novæ cum revocatione aut suspensione veterum (laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias concedantur.* (9) *Quod decimæ sub prætextu expugnandorum Turcarum exigantur, nulla expeditione subsecuta.* (10) *Quod causæ, quæ in Germania a doctis & justis judicibus terminari possent, ad tribunalia Romana indistincte trahantur*, id quod *S Bernardus* ad Eugenium Papam scribens valde reprobaverit. In remediis, quæ Cæsari proponunt, præcipuum est abrogatio vel insignis moderatio *Annatarum*, quam multis argumentis urgent. Merentur adscribi, quæ de sede Moguntina narrant, a Luthero non semel postea allegata. *Sedes Moguntina*, inquiunt, *olim, ut dicitur, solum dedit decem millia florenorum. Quæ cum quidam electus illic dare renueret, sicque usque ad mortem suam persisteret, electus post eum confirmationis cupidus, se opponere timuit Sedi Apostolicæ, offerens antiquam summam, puta decem millium florenorum: is nec confirmationem impetrare potuit, nisi & reliqua decem millia simul redderet, quæ adhuc extabant, a suo prædecessore nondum persoluta. Sicque cogebatur dare viginti illa florenorum, quæ tunc indubie in registrum*

An. 1523.

strum Cameræ consignata sunt, & usque ad nostram ætatem a singulis Archiepiscopis exacta: & nedum viginti millia, sed & viginti quinque propter nova officia, & novos Pontificum familiares. Tandem excrevit summa usque ad viginti septem millia, quæ Archiepiscopus Jacobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit Vicarius in spiritualibus Moguntinus: sicque vita unius hominis septies viginti quinque millia a solo Archiepiscopatu Moguntino, pro confirmatione Archiepiscopi, Romam pervenerunt. Et cum Archiepiscopus Jacobus vix quatuor annos sedisset in Archiepiscopatu, mox post eum electus Dominus Uriel, ad minus viginti quatuor millia coactus est persolvere: quorum partem mutuo forsan accepit a mercatoribus, sed ut illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos, & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio, a suo prædecessore Jacobo imposita. Et post alia: *Non sine causa Jacobus Archiepiscopus Moguntinus jam fere moriens dixit, se de morte sua non adeo dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur. Mitius ergo summus Pontifex, velut pius pater, filiorum suorum amator & fidelis ac prudens pastor, cum filiis suis Germanicæ nationis agat, ne propediem vel in universos Christi sacerdotes persecutio suboriatur, vel instar Bohemorum plerique ab Ecclesia deficiant Romana.* Sic jam tum prædicunt, quieto adhuc Luthero, motum & defectionem plebis, scribunt: *Non solum eviscerantur nostrates & ad extremam inopiam rediguntur (de qua Reverendissimo Domino Bernardino, S. crucis Cardinali & nuper Legato constat) verum etiam incitantur ad rebellionem, & quærendam utcunque libertatem: & ubi possunt, inter se susurrant de sævitia in Clerum.* Describunt pluribus inopiam Germaniæ & si quid tributis confici posset, majori longe cum utilitate in pias causas intra Germaniam impendi debere monent. Subjungunt, quæ vocant *avisamenta*, sive suggestiones, quomodo contra Pontificum iniquam dominationem prospicere sibi & Germaniæ posset Imperator. Summa est. (1) ut contra violatores *concordatorum* Germaniæ ad exemplum Gallorum contradictiones & cognitiones fiant, cum approbatione celeberrimæ Academiæ Parisiensis, hanc enim sciebant machinationibus Romanis mascule resistere, ut inter alia ex appellatione a decretis Concilii Lateranensis supra *§. II.* relata constat. (2) Ut caveat ne Archiepiscopi Electores metu censurarum Romanarum, quas a populo non diu sustineri dicunt, a Cæsare in hoc negotio dissentiant. (3) Ne monachi mendicantes contra Imperatoris consilia concionentur; illos enim Sedi Apostolicæ libenter deferre, ne privilegia sua perdant. De his satis libere dicunt: *Utinam Christo & natura innixa sint*, contrarium haud obscure indicantes. Reliqua etiam subjungam, ut ex illustri hoc testimonio demonstretur, quid de Pontificatu Romano illo tempore majores nostri judicaverint & questi sint, ut adeo mirum non sit, quod Luthero argumenta subministrante paulo post tanta Germaniæ pars jugum illud, ut tyrannicum & Antichristianum, aversati sint & excusserint. *Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa mandet Electoribus, ut ad electionem novi Regis Rom. procedant: sicut contra Fridericum II. Landgravius Thuringiæ* (Henricus) *& Gvilielmus Hollandiæ Comes (jubente Papa) fuerunt electi. Timeat Cæsarea Majestas omnes Prælatos Ecclesiarum, præcipue Præpositos, qui ex juramento tenentur avisare Papam. Timeat Cæsarea Majestas, ne S. D. N. Papa obedientiam a subditis auferat, & circumjacentes populos provocet, ut in terras Cæsaris seu Archiducatus Austriæ irruant, quod isti homines, sub colore obedientiæ, Apostolicis mandatis præstandæ, promtissimo animo sunt facturi. Timeat Cæsarea Majestas censuras Apostolicas, a quibus sanctissimus Dominus noster Papa non abstinebit. Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa argutissimis locis* (argumentis) *rudi populo persvadeat contra pragmaticam, seque excusans, simplicium benevolentiam captet.* Et post alia: *Circumspiciat ergo & deliberet Cæsarea Majestas, qualiter sapientissimo suo consilio omnibus illis Romanorum subtilitatibus (si necessitas exegerit,) sit responsura.* Sequitur, ut ipsi inscribunt, *Conclusio & pia exhortatio ad Cæsaream Majestatem*, hunc in modum: *Nihil sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea Majestas, quam ut tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, ut laicis Clerum persequendi occasionem auferat, ut parochias (quarum aliquas Episcopatus Italicos æquare Æneas* (Sylvius scilicet; postea *Pius II. Papa) scribit) ex faucibus Curtisanorum eripiat, eisque frenum imponat: ut jus patronatus laicorum in utrisque, & nominationes Canonicorum collationesque Ecclesiasticorum in ordinariis mensibus conservet: ut multorum illustrium, nobilium, & civium filiis in Germania consulat, qui in Universitatibus ab adolescentia divinas & humanas literas discunt, ut & ipsi extra curiam Romanam absque inquietissimis vexationibus, sumtuosissimisque, interdum etiam indignis litibus ad præbendas Ecclesiasticas adscendant: qui & Imperio Romano consiliis, & toti Ecclesiæ orationibus suis opem ferre possint. Neque enim minima causa est, cur tantopere floreat Franciæ Regnum, nisi quod tantos tamque præstantes in omni bona doctrina viros multos habet. Si Cæsar hanc impietatem enervaverit, si Germaniam, tributo gravi oppressam, in pristinam libertatem vindicaverit, si doctis & honestis ad præbendas aditum fecerit: tum vere liberator Germaniæ, libertatisque restitutor, tum vere pater patriæ, perpetuo ab omnibus passim poterit appellari: nec minorem sibi gloriam Germaniæque fructum afferet, quam si provinciam aliquam bellicis ei viribus adjecisset. Sicque non minores uni Maximiliano gratias debebit, quam his omnibus, qui a translato ex Græcis in Germanos imperio, multis antea temporibus regnaverunt.*

§. CXLVI.

(1) *Petitio Ordinum Imp. de remediis gravaminum.*

Sed ad illa nunc Gravamina redeundum est, quæ his comitiis 1523. exhibita fuerunt, quibus in fine satis animose denunciationem subjecerunt Proceres, nisi enumerata illa onera atque gravamina in præstituto tempore ocyus ex oculis mortalium sublata, abolita & abrogata fuerint, *ea se diutius tolerare nec velle nec posse, sed rei iniquitate cogi & impelli, ut pro suo captu & industria de-*

An. 1523. *de aliis commodioribus viis & mediis cogitent, quibus exonerari ab illis molestiis ac in pristinam libertatem vindicari possent.* Ad hoc vero additamentum non parum severum, incitatos se esse non dissimulant, quod Legatus præter omnium expectationem inopinato discessisset: nempe ut centum illorum Gravaminum exhibitionem evitaret. Minime etiam ei satisfecerat responsum Ferdinandi & Ordinum nomine datum, quod supra tetigi, & in Actis publicis legitur. Nam etsi ex sententia plurium suffragiorum, ut fieri solet, ita compositum esset, ut Lutheranam sectam improbarent Ordines, & Edictum Wormatiense probare viderentur; executionem tamen ejus absque periculo popularis tumultus fieri non potuisse ostendebant, *irritatis*, ut ajebant, *omnibus, per abusus curiæ Romanæ, quos ante omnia reformari oporteret*, laudantque id offerentem Pontificem, & ut promissis staret, obnixe rogant. Dein pro commodissimo, efficacissimo & opportuno remedio habent, *si liberum Christianum concilium in natione Germanica, Argentorati, Moguntiæ, Coloniæ, Metis, aut alio convenienti loco indiceretur, in quo Ecclesiastici & Laici nullo obstante juramento, libere pro gloria Dei & salute animarum loqui & consulere possint; interea Cæsaris Locum tenentem & Ordines provisuros, ut tumultus compescantur, curaturos etiam apud Fridericum Saxoniæ Electorem, ne Lutherus in illius ditione versans, ulterius aliquid scribat, aut edat, utque concionatores per totam Germaniam nihil præter verum, purum & sincerum & sanctum Evangelium, & approbatam Scripturam pie, mansvete & Christiane secundum receptam doctrinam Ecclesiæ doceant, omniaque omittant, quæ sanctius & tutius a populo ignorantur, quam sciuntur, utque ad hoc a Prædicatoribus obtinendum inspectores a Prælatis constituantur.* In fine rigorem aliquem exserunt adversus Presbyteros, qui uxores ducebant, & monachos claustra relinquentes, itemque adversus typographos, qui libros promiscue edunt. Quam valde vero sibi displicuerint pleraque istius responsi (quod mire liberum ipse prædicat *Lutherus Lib. II. ep. p. 127.*) non dissimulavit Legatus, quanquam *Pallavicino* judice id facere non debuisset. Scripta enim Replicatione laudatis modice Ordinibus, sed magnificis encomiis mactato Pontifice, ut sanctissimo & Germano, perstitit in poscenda Edicti Wormatiensis executione; Ordines vero tam segniter causam Dei curare, & Edicti vires suspendere, adeoque *vehementer in divinam Majestatem & in Apostolicæ sedis dignitatem, nec minus in Cæsarem peccare* conqueritur. Tumultum metuendum esse negat, illum enim autoritate etiam Papæ non difficulter compesci posse. Ad postulationem *de Annatis*, Pontificis responsum expectandum esse ait. Consilium non improbat, sed stylum, quo postulabatur, insectatus est, *ligatis*, ut ait, *Pontifici manibus* per ea, quæ de consensu Cæsaris, de libertate suffragantium & de relaxatione juramentorum addidissent: nec contentus iis, quæ de typographis & librorum edendorum moderatione obtulerant, omnia illa ad Pontificis & Cæsaris arbitrium secundum edictum Wormatiense pertinere contendit; notat denique aculeum in cauda habere, quæ adversus Presbyteros & monachos statuenda dixissent, nisi cognitionem de delictis illis solis Ecclesiasticis concedi debere declararent. Ad hæc *Duplicæ* loco paucis verbis priora repetierunt Ordines, iisque acquiescere jusserunt Legatum, donec Gravamina Germanicæ nationis Pontifici transmissa essent, & de effectu blandorum verborum, quibus usus fuerat, constaret.

(1) *Nuntii replica & Ordinum duplica.*

An. 1523.

§. CXLVII.

(1) *Literæ severiores Pontificis ad Electorem Sax.*

Exacerbatus etiam in Fridericum Electorem Pontifex alias literas scripsit, quibus Lutherum mirum in modum exagitat; Friderici vero fidem & conscientiam multis argumentis ac minis aggreditur. Earum exemplum sed non adscripto die *Tom. II. Lat. Jen. fol. 572.* habetur. Jactat inter alia (quam vere, nunc non examino,) Electoris dignitatem Saxoniæ Ducibus a Gregorio V. Papa natione Saxone collatam esse, non animadvertens, quod beneficium illud ad Fridericum non pertineret, qui extincta veteri familia, in Electoratum ex Sigismundi Imp. concessione Proavo suo collatum, successerat. *Pallavicinus* duarum quidem literarum Pontificis ad Electorem mentionem facit, *cap. IIX. §. 20.* utrasque cum per valetudinem ad Comitia non venisset, a Legato ei transmissas scribens; sed nisi genuinæ sint illæ, quas Pallavicinus (ut supra notavi) pro erroneis habet, non nisi unius diplomatis exemplum extat. Neque in Actis nostris comparent, quæ idem Autor narrat, quomodo Elector acceptis literis, misso Norimbergam *Johanne Umet Pluncerizio*, apud Legatum se purgaverit, & Pontifici d. 15. Febr. per generalia responderit, quæ in Cheregatorum scripturis repperisse se *d. l. §. 21.* commemorat. Certum tamen est, *Johannem Planitium* Equitem ex familia etiam nunc splendida, Norimbergam ab Electore amandatum fuisse, sive ut Regimento assideret, sive ut Comitiis interesset, cujus nomen in monstrosum illud *Umet Pluncerizii* detortum esse videtur. Extant autem duæ *Planitii* relationes ad Electorem *Tomo II. Altenb. fol. 276. & 369.* sed præpostere collocatæ, quæ enim *fol. 369.* reperitur d. 27. Decemb. 1523. data, ad finem anni 1522. pertinet, quem a natali Christi, sive d. 25. Dec. tunc numerabant. Secuta est postea altera *fol. 276.* quæ diem habet 8. Jan. 1523. Rem omnem ex Actis Archivi plenius exponam: Fuit *Planitius* Præfectus Grimmensis & Electori Saxoniæ a consiliis, vir cordatissimus, nec indoctus, tum cautus, & Hero ob elegantem jo[illegible] di libertatem charus, ut ex utriusque scriptis colligi potest. Cœpta sunt Norimbergæ Comitia, ut ex literis Planitii constat, prima vice d. 17. Martii 1522. postquam die præcedenti Missa solennis de Spiritu sancto celebrata fuisset, a qua nemo, qui Lutheranismum sequi videbatur, abstinuit. Fama, quod Lutherus ex latebris suis Wittenbergam rediisset, Norimbergam perlata, novam invidiam Electori excitaverat, itaque Planitius missas sibi a Principe Lutheri literas, quibus reditum illum suum excusabat, produxit, ut refert d. 22. Martii. Fiscalis tamen ex edicto Wormatiensi contra Electorem, itemque adversus civitates, *Augustanam, Ulmensem* aliasque agere volebat, nisi a Regimento impeditus fuisset. Lutheri igitur causa, quæ latente eo quieverat, jam denuo ut scribit (d. 16. April.) fervere, & ob Episcopo-

(2) *De Planitio & Comitiis Norimberg. duplicibus.*

(3) *Reditus Lutheri ex arce rixam*

An. 1523. scoporum, qui in comitiis frequenter aderant, vehementiam periclitari cœpit, querente inter alios Argentoratensi, quod plerique sacerdotum in sua diœcesi Luthero faverent. *Philippus Feilitschius* Eques auratus, Præfectus Weidensis, ab Electore ad comitia Legatus advenit, quia Planitius non in his sed in Regimento locum habebat. Prior ille mox inter deputatos ad causam religionis adscitus est, cum *Ludovico* Bavariæ Duce, *Ludovico* Comite Lovvensteinio, *Johanne* Barone Svarzenbergio, *& Marco Sittico ab Ems*. Ferdinandus Archidux frater Cæsaris d. 13. Maji urbem ingressus est, a dextris ei adequitavit *Fridericus Palatinus*, Cæsaris in Regimento Locum tenens, der Stadthalter / a sinistris *Cardinalis Moguntinus*; Palatinus tamen a Ferdinando adactus fuit, ut in subscriptione non simpliciter se *Locum tenentem* Cæsaris, sed *in absentia Archiducis* vocaret, licet Cæsar ei *Locum tenentis* sui titulum, quoties ad eum scriberet, tribuere consvevisset. Misit inde *Georgius Saxo* ad comitia libellum Lutheri *de communione sub utraque* (quem §. *CXXII.* retuli) vehementer apud Ordines instans, quia jam manifestum esset, ubi locorum ille versaretur & scriberet, ut contra eum debito modo decerneretur. Sed nuncius ejus postquam decem dies expectasset, cum responso dilatorio dimissus est. Planitius, ut Electorem excusaret, illo inscio scribere dicebat Lutherum, Electori tamen suggessit, ut Lutherum moneret, ut in scriptis suis, quatenus absque doctrinæ Christianæ detrimento fieri posset, verbis aculeatis in Cæsarem & Regimen abstineret. Cum postea d. 20. Maji *Ferdinandus* & paulo post *Georgius* Saxo, qui interim ipse accurrerat, ad sua rediissent, negotium Lutheri mitius tractatum est, & Planitio ab Electore mandatum fuit, ut excusationem omitteret, nisi nominatim querela adversum se ab aliquo institueretur. Posthæc suspensa fuerunt comitia, & ad mensem Octobrem dilata. Extat relatio *Balthasaris a Techwiz* Decani Wurzensis *& Joachimi Marescalli Pappenhemii* ad Electorem d. 11. Octobris data, in quibus nomina Principum, qui redierant, perscribuntur; causa vero *Sickingii*, qui Trevirensem urbem adortus erat, tunc severius tractari cœpta est, neglecta huc usque, ut Trevir querebatur, a *Regimento*, & sparsa fama, quod a Bohemis auxilia Sickingio speranda essent; Publicata igitur est adversus eum sententia proscriptionis, nequicquam pro eo interveniente *Hartmutho Cronebergio*, qui etiam Lutheri causam scriptis ad *Regimentum* literis tuebatur. Moguntinum vero aperte Sickingio adhæsisse, eoque nomine 25000. flor. dependere coactum fuisse, Planitius refert d. 30. Octobris. Postea præter illas quas d. 27. Decembris dedit *Tomo II.* insertas, non parum memorabiles ad Electorem scripsit d. 30. Decembris hoc sensu. *Pontifex spem facit, se multa gravamina sublaturum esse, ut ex adjuncta designatione lit. D. apparet.* (Sed hæc in volumine, quod allegavi, non extat,) *ast ego plane nihil credo* (ich halte lauter nichts darvon) *sed pro blandimentis habeo, ut omnia ad Ecclesiæ Romanæ, si ei fidamus, commoda, ut antea, dirigat. Eventus id sine dubio docebit: donec enim neque Christi gloriam neque proximi salutem quærat Pontifex, nihil ab ejus justitia spero; si enim gloria Christi & salus hominum illi curæ esset, quid opus fuit, ut Ferdinando scribat, lit. B.* (sed neque hoc adest,) *eumque instiget, ut virga utatur, addere debuisset ferrea, ut aperte omnia diceret;* (so stünde es gantz da /) *ipsum sane si verus pastor esse vult, decet placide agere & veritatem indagare, errores vero & schisma absque violenta coactione tollere. Confido autem, Deum aliu, quam qui Pontifici placet, modo, gloriam suam & salutem nostram procuraturum esse.* Elector intellectis quæ agebantur, sive morbo, quo laborabat, fractus sive tempori serviens & suæ inhærens cunctationi, literas ad Cæsarem d. 8. Januarii 1523. Colditii scripsit, respondens ad Cæsareas, quibus jubebatur, ut ulteriorem Lutheranæ doctrinæ progressum impediret. Revocat igitur Cæsari in memoriam, quæ sæpius & ab illo & ab Ordinibus Imperii petiisset, ut secum in hac causa nihil agere vellent, valetudine enim & senio imbecillem se esse, neque negotium intelligere, (sey der Sachen unverständig /) & in eo parum aut nihil præstare posse, wisse wenig oder nichts darinnen zu thun. Eodem die ad *Henricum Nassovium*, primarium e Cæsaris ministris & ad *Johannem Haunartum* Secretarium (qui postea *Burggravii Lunibecensis* seu *Limbecensis* titulum assumsit,) scribit, eademque desideria commendat. Curiosorum gratia, qui veterem & nostræ ætatis stylum comparare cupiunt, notare volui, ab Electore Nassovio dari titulum, tanquam Principi, Hochgebohren und lieber Oheim / *celsissimi & propinqui*, neque tamen formulam addi, *vestra dilectionis* E. Ld. sed ut ad Comitem Ihr / *vos*, scribi. Haunartum vero simplicissime compellat: Unsern Gruß zuvor / lieber Herr Hans. (ita enim olim subsignare literas Cæsareas solebat Hans Haunart.) *Prævia salute, chare Domine Johannes*, & literas ad hunc vulgariter clausit, ut benevolentiam suam ei offerat. Euch gnädigen Willen zu erzeigen / sind wir willig. Hæc prisco illo seculo sufficiebant, hodie auctis titulis, imminuta re, majori comitate procedendum est. Obiter præterea noto *Haunartum* non multo post d. 1. Julii 1524. Wittenbergam transiisse, refert enim *Pontanus* ad Electorem, quod eum allocutus fuerit, & aculeata contra Lutherum verba ex eo audiverit, inter alia dictitante, ignominiosum esse tot viris doctis, qui Wittenbergæ viverent quod ab unius Lutheri nutu penderent. Scribit autem *Pontanus* se cum eo disceptare noluisse, cum plus rationi humanæ quanquam ne hac quidem abundaret) quam Evangelio tribueret. *Reg. O fol. 134.* DDD

Perveneratur hoc tempore ad Electorem *Breve Adriani*, cujus hoc §. *CXLVII.* mentionem feci, (nam de priori, de quo §. *CXLI.* egi, nihil invenio, & parum abest, quin Pallavicino errorem alleganti, assentiam,) illo non parum offensus, *Planitio* mandaverat, ut cum Nuncio expostularet. Scribit itaque *Planitius* d. 3. Februarii, varia prætexi a Nuncio, eumque dicere, se contenta Brevis Pontificii ignorasse, negare etiam decreta Papæ aut Cæsaris (ut fama erat,) in Electorem cudi, polliceri se Pontificem placare velle, (wolle alles gut machen) queri tamen, quod a pueris in plateis subsannaretur; excusare etiam postulatam prædicatorum coercitionem, & *Ferdinando* eam im-

Marginalia: *Comitiales parit.* — (4) *Item libellus ejus de communione.* — (5) *Redintegratio Comitiorum.* — (7) *Proscriptio Sickingii.* — (7) *Planitii judicium de reformatione Pontificis.* — (8) *Friderici El. excusatio in causa Lutheri.* — (9) *Item ad ministros aulæ Cæs.* — (10) *Excusatio Nuncii Pontificii.*

An. 1523.

imputare, itemque *Moguntino* & *Salisburgensi*. Addit *Planitius* sibi non probari responsum Ordinum nomine Nuncio datum, jam enim d. 23. Januarii scripserat, id ad Ecclesiasticorum, (qui numero vincebant Politicos,) & paucorum ex his assentientium nutum conditum esse reclamantibus cæteris. Deliberari dicit de Legatione ad Fridericum mittenda, qua peteretur, ut Luthero scriptura librorum interdiceretur. Fieri id posse putat *Planitius* ea cum explicatione, ne scriberet, quod ad seditionem excitandam pertineret, & ut nihil ederet absque approbatione Academiæ. Addit, ad se quoque Pontificem epistolam seu Breve misisse, & se sanctas has literas liberis suis servaturum esse jocatur. Edicti Wormatiensis executionem maxime urgeri ab Electore *Brandenburgensi* adstipulante Ferdinando & Cancellario Treverensi; Ordines vero plerosque repugnare, & Episcopum Argentoratensem in consessu dixisse, *se digiti jactura redempturum esse, ut clericus non esset.* Wolte einen Finger drum geben / daß er nicht Geistlich wäre. Pupugit etiam *Joh. Schwarzenbergii* filium, qui Canonicatum Argentoratensem acceperat, itemque *Ludovicum Bavarum* atque *Casimirum* Brandenburgensem, quod fratres haberent Canonicos. Irritati enim Ecclesiastici omnes mirum in modum fuerunt, audita Nuncii Pontificii ingenua confessione, de vitiis Cleri & promeritis per ea divinis pœnis. Id *Feilitschius* d. 29. Januarii ad Electorem retulit, unde etiam Episcopi inviti in responsum Legato datum consenserunt, expostulavitque eo nomine inter alios Augustanus Episcopus cum *Schwarzenbergio* & aliis Lutheranismi suspectis. Idem fere *Planitius* scripsit d. 4. Februarii de Ecclesiasticis querens, quod in decreto comitiali narrare pro lubitu de Luthero cupiant, quæ velint, ex Pontificii vero Nuncii oratione omittere, quæ contra se sint, & illis quosdam e Politicis assistere, Ferdinandum maxime & Brandenburgicum. Equites Imperii *Svinfurti* congregatos esse, numero sexcentos, qui de Fœdere Svevico querelas instituant, & illius tribunal (in causa puta *Sickingiana*) recusent, paratos tamen se ferant, in Regimento aut Cameræ judicio causam dicere. Se tandem, scribit, pervicisse, renitentibus licet cum indignatione plurimis, ut in responso ad Pontificis Nuncium ab Ecclesiasticis concepto, non tantum quatuor doctores, seu patres, ut illi scripserant, allegarentur, ex quorum sententia publice docere deberent concionatores, sed hæc verba ponerentur: *quod nihil præter verum, purum, sincerum & sanctum Evangelium & approbatam Scripturam pie, mansvete & Christiane juxta doctrinam & expositionem approbatæ & ab Ecclesia receptæ Scripturæ doceant & prædicent.* Sed ad istam formulam decretum conditum non fuit. Addit: *Augustanum Episcopum* acerrime agere contra Evangelicos: (qui tamen postea in Augustanis comitiis mitior erat,) laudat *Johannem Schwarzenbergium*, quod sibi fideliter assistat, *vir, ait, est valde industrius & dignus quo Principes ministro utantur*, er ist fürwar ein geschickt Mann / und einem Fürsten nicht übel zu halten. D. 8. Februarii cum retulisset, quid in responso ordinum desideraverit Nuncius, ita scribit: *Quamprimum, quæ de silentio Lutheri & concionatorum cupiunt, obtinuerint, ita ut nihil amplius ei adversus sedem Romanam & Clerum scribere & docere liceat, tunc spes de concilio nulla superest,* (es wird aus dem Concilio gar nichts) & *omnis nequitia* (alle Leichtfertigkeit) *ad priorem statum redibit, majori quam antea malo.* D. 18. Februarii de Lutheri scriptis severioribus Electorem iterum monet, & indicat parum abfuisse, quin instante Georgio Duce a Regimento juberetur Lutherum punire, sed mutatum id fuisse & Georgio dictum, ut ipse solus id ab Electore peteret, quia se particulariter offensum esse prætendebat. *Deus* (addit) *graves pœnas immittet, ob Ecclesiasticorum contra Evangelium obstinationem; quantum tumultum trimestri hoc in Regimento, quoties de Lutheri causa aliquid actum est, excitaverint, & quomodo exarserint, dici non potest.* *Judæus quidam* (ait) *hic viro alicui probo dixit, cavere debere Christianos Principes, & Ecclesiasticos suos observare, ne illorum culpa sceptrum suum amittant, sicuti Judæi suorum sacerdotum culpa id amiserint.* Levis quidem hominis hoc judicium fuit, sed parum aberat, quin bello rustico paulo post secuto, in Germania eventum haberet. In Archivi voluminibus, quæ allego, invenitur mandatum Electoris *Planitio* datum, secundum quod Legato Pontificio responderet, & continet ea, quæ *Pallavicinus* allegato a me n. 1. hoc §. *CXLVII* loco recensuit, id quod bona fide profitendum hic fuit. Sed errat Pallavicinus cum putat Nuncium digressum esse antequam *Planitius* Norimbergam venisset; toto enim anno ad Regimentum delegatus ibi consederat, & multa jam, ut ex relatis apparet, cum Nuncio egerat; sed verum est, postremum Electoris mandatum d. 24. Februarii datum Norimbergam pervenisse, cum Legatus d. 28. Februarii jam abiisset, ideoque Planitius per literas Nuncio aperuit, quæ dicere jussus fuerat. Illæque ad Pallavicini notitiam, ex chartario Vaticano, pervenerunt. Inter alia tamen scribit Elector, se tale Breve nunquam accepisse neque expectasse, & existimare id Norimbergæ compositum esse; cum vero simul ad *Regimentum* scribere vellet, & se ad causam dicendam coram illo & Cæsare offerre, idque etiam Pontificio Nuncio renunciari voluisset Elector, Planitius, qui dubitabat, an negotium reformationis ad judicium illud deferri deberet, & certam condemnationem instare prospiciebat, consuluit, ut generalius conciperetur, idque probavit Elector. Ante publicationem decreti comitialis *Feilitschius* Electoris nomine d. 11. Februarii protestatus erat, ne prædicatio verbi divini inhiberetur, addens, Electorem se ita in hac causa gesturum esse, ut probum & pium Principem deceret, (wie einen frommen / löblichen und tugendhafften Fürsten gebühret.) Vulgatum eo tempore in comitiis conjugium inter Carthusianum quendam & monialem Wittenbergæ initum, sermonibus ansam dederat. Elector vero d. 3. Martii *Planitio* id referenti respondit, sibi non constare quid factum sit, neque curæ esse aut probari, quæ insolito more agerentur. Denique Planitius d. 5. Martii sub finem comitiorum Electori refert, *Johannem Fabrum* Suffraganeum Constantiensem mandato instructum esse, ut contra Lutherum in Germania concionaretur, & postulari, ut

An. 1523.

(11) *Deliberatio de scriptis Lutheri.*

(12) *Ecclesiasticorum indignatio & versutia.*

(13) *Laus Schwarzenbergii.*

(14) *Planitii querela.*

(15) *Judæi dictum contra Ecclesiasticos.*

(16) *Notatur Pallavicinus.*

(17) *Responsa Electoris.*

(18) *Joh. Faber contra Lutherum prædicator destinatur.*

An. 1523. ut salviconductus literæ ei darentur, sed eas ita expeditum iri, ut meliores sit desideraturus, (man wirds ihm machen/ daß ers gerne besser hätte.)

(19) Epicrisis de Friderico. Hæc ex actis *Archivi* fideliter excerpta lectoribus ingrata non esse futura confido. Apparet autem ex his, qua circumspectione usus sit *Fridericus*, quantisque obstaculis impeditum opus reformationis fuerit, ut incredibile pene videatur, id Principis unius, & in publica religionis veteris professione eo usque manentis, trium aut quatuor virorum mediocri industria adversus extremum Episcoporum & Pontificii Nuncii fervorem sustineri potuisse. Nam etsi inter Civitates multæ essent, quæ magno studio emendationem urgebant, exigua earum tamen in his comitiis ratio, ut *Planitius* aliquoties in literis suis questus est, habita fuit. Divinæ itaque gubernationi tribui debet, quod inter ipsos Prælatos fuerint, qui reformationis necessitatem agnoscerent, ejusque causa concilium expeterent, neque huic præjudicare, aut curiæ Romanæ artibus locum dare vellent, quibus, ut *Planitius* vere & prudenter judicabat, facillime & brevi tempore elidi omnia & solita incuria & segnitie hominum obliterari potuissent, si vel rigor in executione Wormatiensis edicti adhibitus, vel saltem Luthero os obstructum, & calamus e manibus excussus fuisset. Alia quoque ad historiam pertinentia ex *Feilitschii* & *Planitii* relationibus & duobus de comitiis Norimbergensibus voluminibus discere licet, v. g. de *Georgio* Duce, quod Norimbergæ disserere cœperit de periculo quod agnatis Friderico & Johanni instaret, amittendi nempe Electoratus, unde suspicionem incurrit, se eo casu sibi non esse defuturum. Certe cum mense Julio ad sessionem ex ordine in Regimento sibi debito Norimbergam venisset, noluit locum capere, prætexens, Principes convitiis in libro Lutheri proscissos esse, wären Schälcke und Buben gescholten: ita interpretabatur librum de *magistratu politico*: ab iis prius purgari debere; recusavit etiam præsidis locum a *Friderico Palatino*, qui ad tempus discesserat, sibi delatum; ita *Schwarzenbergio* a Palatino datus est, cum commodo rei Lutheranæ. Multæ tunc spargi cœperunt adversus Fridericum Electorem minæ; Svevicum enim fœdus vim adversus eum parare dicebatur, & Regimenti, quia æquiora & ad pacem tendentia curabat, dissolutionem jam tum meditari. Post cladem *Sickingii*, *Eberhardus Comes Königsteinii* Legatos Saxonicos monuit, de cavendis fœderatis, qui Sickingium oppresserant, & Cancellarius Trevirensis jactavit, repertas esse in arcibus Sickingianis Lutheri literas in Cæsarem contumeliosas. His motus fuit *Planitius*, ut Lutherum VVittenberga amovendum esse suaderet, aut ut Elector in tempore de auxiliis cogitaret; illi enim aperte imputari, quod salutem Germaniæ turbaret, (sey ein Zerstörer des Reichs wohlfarth.) Ferdinandum summo fervore adversus causam Lutheranam ardere, & dixisse, *se malle sororem suam* (Daniæ reginam) *mari mersam, quam cum Luthero Wittenbergæ locutam esse*. Erat Regina Norimbergæ, & libros Lutheri plurimos ab Alberto Borussiæ Duce missos acceperat, ita ut mense Octobri manifestum fieret, eam Lutheri doctrinam publice profiteri. (sey Lutherisch

(20) De Georgio Duce quædam.

(21) Minæ in Electorem.

(22) Dania Regina Lutherana.

worden.) Finita sunt d. 18. Augusti 1523. comitia absque concluso, prorogata in autumnum proximum, *Regimento* interim continuato. Videntur sane comitiorum tempore, mense nimirum Januario anni 1523. quidam in aula Saxonica de occultando denuo Luthero cogitasse, sed hic Spalatino scribens d. 12. Jan. *ne præsumas*, ait, *me denuo in angulum reversurum esse*, *insaniant Behemoth & squamæ ejus*. Timorem vero aulæ & indicat & reprehensione aliqua corrigere, sed & consolatione juvare nititur Lutherus mense Octobr. hujus anni *Lib. II. Ep. p. 166.* his verbis: *Pulchre memini quid Principi ex Bornis* (vide Epist. supra relatam *Tomo II. Alt fol. 365.*) *scripsi, mi Spalatine, atque utinam vos ita crederetis fore, moniti tam manifestaria Dei manu, qua jam fere secundum annum præter omnium spem ego vivo, & Princeps non modo tutus est, sed longe mitiores furores Principum sentit, quam ante annum. Non est Christo difficile Principem tueri in hac mea causa, in quam sine causa solo Dei consilio venit. Nam si & ipse rationem scirem, qua citra Evangelii ignominiam illum ex ista causa volverem, ne vitæ quidem parcerem. Ego speraveram me intra annum raptum iri ad supplicium mortis, hæc erat ratio mea, qua ille liberaretur, si tamen sic etiam liberaretur, me extincto. Nunc cum simus impares ad investigandum & comprehendendum consilium ejus, tutissimi interim erimus, si dixerimus, fiat voluntas tua.* Errat *Pallavicinus*, cum *c. VIII. §. 16.* Lutheri epistolam, in qua ad Electorem scribit, *aliud in cælo, aliud Norimbergæ decretum esse*, huc trahit. Scripsit enim istam mense Martio 1522. & de alio Edicto, cujus supra memini, loquitur. In edicto, quod decreti seu Recessus loco Cæsaris nomine d. 6. Mart. datum & publicatum est, & *Tom. II. Alt. fol. 288.* extat, pro sagacitate sua animadvertit *Pallavicinus d. c. VIII. §. 15.* quædam Romæ minus ferenda, tacite suppressa fuisse, inter quæ præcipuum erat *relaxatio juramenti & obligationis eorum, qui Concilio interfuturi essent*.

(23) Consilia de Luthero & hujus responsa.

(24) Pallavicini de edicto Comitiali annotatio cum epicrisi.

Hæc Comitiorum Acta expendentes, mirum divinæ providentiæ ordinem observabunt, quo factum est, ut nec opprimi veritatis renascentis lux posset, neque tamen iis proficeret, qui inveteratis erroribus inhærere malebant. Videbant Imperii Proceres, nævos plerosque Hierarchiæ, eosque in centum illis gravaminibus multa cum libertate ostendebant, ita, ut quemadmodum dixi, nec illi querelas improbare possent, quorum interesse videbatur, ne fierent. Omnium enim conscientia eatenus informata & convicta erat, ut Concilio opus esse unanimiter statuerent, utque jam rigorem illum, quo Wormatiæ Lutherum ejusque dogmata præcipitanter tractaverant, intempestivum esse agnoscerent. Doctrinæ publicæ, quæ ad populum erudiendum pertinet, emendationem, sive verbi divini sinceram propositionem & piam explicationem, uno ore flagitabant, quo ipso abusus priores evidenter arguebantur. Quid autem hac rerum facie Pontifici pro Pastoris universalis, quod gerere se dicebat, officio, magis curandum agendumque fuisset, quam ut justissimis desideriis inclutæ nationis, cujus exemplum jam aliæ plurimæ probare & sequi incipiebant, & dum ex Proceribus nemo adhuc obsequium ei aperte

An. 1523. perte denegaret, aures benignas præberet, viasque & modos vel proponeret vel admitteret, per quos ante omnia veritati divinæ satisfieret, dein & concordiæ & tolerantiæ in iis rebus ratio haberetur, quæ salva veritate cum aliquo licet commodi Clericalis dispendio mutari potuissent.

ADDITIO.

(a) *Erasmi de compositione religionis consilia.*

Erasmus edita paulo post hoc ipso anno *Spongia* sua sive *expurgatione* adversus *Ulricum Huttenum*, more suo tecte & caute ostendit, quid consilii fuisset capiendum, & quid optari potuerit pro bono Ecclesiæ. Cum enim indicasset quid in Lutheri, ut vocat, *paradoxis & vehementia* desideret, & Lutheranos, qui sibi spiritualem cognitionem vindicabant, commonuisset, ut cogitarent se quoque homines esse, iisdem malis obnoxios, quibus Pontifices & Principes, utque publicam non spernerent autoritatem; hac parænesi ad Principes, Ecclesiasticos nempe & Politicos, utitur: *Rursum principes quamlibet potentes ac magni, ne aversentur veritatem Christi, a quamlibet humili propositam: humiles erant & apostoli: pharmacum corpori profuturum accipimus ab obscurissimo idiota, aut a muliercula, & animi medicinam respuimus ab humilioribus oblatam? Submoveantur utrinque privatæ cupiditates, & communibus votis imploretur spiritus ille pacificus, ne mutuis dissidiis Christiana res jam nunc in arctum contracta, penitus concidat, ne ferarum ac piscium ritu mutuis morsibus nos invicem lacerantes jucundum spectaculum præbeamus, & Satanæ, & Christiani nominis hostibus. In omnibus articulis a priscis proditæ fidei consensus est. Cur ob paradoxa, nescio quæ, quorum aliquot ejusmodi sunt, ut ad plenum non possint intelligi, quædam ejus generis, ut in utramque partem disputari queant, nonnulla talia, ut non ita multum momenti adferant ad mores emendandos, sic tumultuetur orbis? Tota vita Christianorum undique differta est bellis insanissimis, tumultibus, latrociniis, jurgiis, odiis, obtrectationibus, fraudibus, dolis, luxu, libidinibus, nihil usquam sanum est, & omissis omnibus digladiamur, an principatus Romani pontificis sit profectus ab autore Christo? Utraque pars alteri sese attemperet. Obsequium parabit amicitiam, pervicacia tumultum gignet. Quis autem finis erit, si altera pars nihil habeat nisi tumultus, rixas & convitia, altera nihil nisi censuras, bullas, articulos & incendia? Quid magni est homunculum alioqui moriturum in ignem conjicere? Docere ac persuadere magnum est. Ne palinodiæ quidem illæ magnopere movent quenquam. Quis enim non sic interpretatur, maluit pudefieri quam exuri? Quam vero non plausibile, quum Episcopus qui debebat docere Philosophiam Evangelicam, in his quæ sunt hujus mundi, plusquam satrapes est: in his quæ sunt fidei, nihil habet nisi articulos, carceres, carnifices & incendium? Non pudeat Episcopos servire charitati Christianæ, quod facere non puduit Apostolos; non pigeat eruditos, episcopis suum honorem reddere. Hoc interim consilium dederim utrique parti, ut neutri addictus, ita utrique bene cupiens.* Ne vero hæc solius Erasmi consilia fuisse existimentur, testatur ipse in Epistola ad *Joh. Bozemum* Canon. Constantiensem tertio Cal. Febr. d. an. 1523. scripta, quæ in volumine editarum non habetur, sed seorsim mense Aprili illius anni cum alia ad *Marcum Laurinum* Decanum Brugensem & ad Theologos Lovanienses a Frobenio excusa fuit, se *Marini Caraccioli, Hieronymi Aleandri* (quem *trilinguis eruditionis hoc tempore principem* vocat) & *Joh. Glapionis*, Concionatoris Cæsarei consilio, immo & *Georgii* Saxoniæ Ducis & *Montioii* ex Angliæ proceribus hortatu, *disputationem* sive *collationem, tribus dialogis*, de negotio Lutheri, sed suppressis sive mutatis nominibus, scribere cœpisse. *In his* (ait) *Thrasymachus Lutheri partes agit, Eubulus diversas. Primus dialogus inquirit, an expedierit hac via rem tractari, etiamsi Lutherus omnia vera scripsisset. Secundus excutit aliquot illius dogmata. Tertius ostendit viam, qua tumultus hic ita possit sopiri, ut in posterum non facile repullulascat. Res peragitur inter duos, absque convitiis, nulla contentione, nullo fuco, tantum nude simplex & rusticana veritas proponitur; tanta æquitate, tantaque moderatione, ut majus periculum videatur ne mihi succenseat pars diversa, videlicet lenitatem meam, interpretans collusionem, quam Lutherus ipse, si modo micam ullam habet ejus mentis, quam multi de illo prædicant: & ego certe gratulor, si habet: opto, si non habet. Video quibusdam magis placere sævitiam, ac per me quidem licebit, ut suum cuique judicium blandiatur. Sævire facilius est, sed hoc mihi visum est conducibilius. Si corporis affectio in uno quopiam membro versetur, fortasse profuerit cauterium, aut sectio. Cæterum ubi malum per omne corpus fusum est, ubi per intimas venas, ac fibras sparsum est, fortassis aliquo Mercurio sit opus: qui quemadmodum lethalem soporem exemit ex omnibus membris Psyches, ita paulatim ex intimis educat id quod est noxium.* addit postea: *Multa tamen intercurrerunt, quæ me non patiebantur longius in opere cœpto progredi, quam ad unam aut alteram pagellam, ut opus conceptum sit magis quam cœptum: quanquam & alias ab hoc scripti genere natura satis abhorreo. Odi cruenta dissidia, lusibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum probe mihi conscius sum, quantum Herculem hæc res postulet, & quantulus ego sim pygmæus. Ac prorsus nondum mihi satis decretum est, an velim quod institutum est absolvere. Quicquid fiet, non fiet temere: nec exibit omnino, nisi privatim lectum ac probatum ab his, quos maxime decet favere gloriæ Christi; nam in hoc certe cudetur, si tamen cudetur unquam. Siquidem video partem utramque sic esse accensam, ut tota velit vincere, aut tota perire. Porro altera devicta magnam Evangelicæ veritatis ac libertatis ruinam secum trahet: altera non opprimetur, nisi perniciosissimo orbis tumultu, qui multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi, ut utraque pars victoriam concederet veritati & gloriæ Christi. Hac de re obtuli secretum consilium meum Monarchis, si jubeant exhiberi.* An perfecerit & ediderit quæ cœpisse se dicit, fateor me nescire. Si extaret, luculentius forte quam ex omnibus aliis ejus scriptis judicium ejus haberemus. Quanquam vero hodie diversa plane sit rerum facies, in Germania maxime nostra, in qua publicis legibus sancita est pax & concordia inter dissentientes, ad moderanda tamen mutua odia & ad firmandam quietem, immo & ad emendationem multorum defectuum ejusmodi considerationes non sine fructu legerentur. Laudanda est etiam Ordinum in Comitiis Norimberg. pietas, quod cum edicto d. 6. Mart. publicata etiam fuit formula, & per totam Germaniam ex pulpitis prælecta, qua populus admonebatur ad preces & collectas contra Turcos, tum ut Deum rogarent, ut dissidia & errores a Magistratibus & populis Christianis, quibus nunc ubique distraherentur, auferret, & per gratiam suam efficere velit, ut in concordia veræ fidei Christianæ & in pace viverent & persisterent, viamque salutis invenirent. Hæc certe non sunt eorum, qui omnem reformationem aspernarentur.

(b) *Erasmi Dialogus, virorum illustrium hortatu scribi cœptus.*

§. CXLIIX.

(l) *Lutheri scriptum ad Regimen Cæsareum.*

Sane Lutherus edito ad Locum tenentem seu Præsidem & membra Imperialis, quod Norimbergæ constitutum erat, Regiminis scripto, ex fervore suo multum remittens, tam pie, prudenter & modeste mentem suam explicavit, ut si id considerasset Maimburgius, pro artificioso & maligno illud non diffamasset. Sed sine dubio Cochlæi saltem fide scripsit, quamvis libellus Lutheri non solum Germanice *Tom. II. Alt. f. 290.* sed & Latine *Tom. II. Lat. Witt. f. 387.* extet. Laudat & magna gratiarum actione se accepisse dicit Mandatum, populoque diligenter commendasse, neque se dubitare, quin divina inspiratione illud compositum fuerit; dein quatuor articulos ex eo excerpit, & quomodo eos ipse cum suis intelligat,

An. 1523.

gat, utque ab aliis perverse explicentur, breviter commonstrat. (1.) *Evangelium*, ait, *jubemur prædicare secundum interpretationem Doctorum ab Ecclesia Christiana receptam. Hic puto ad antiquiores Doctores, Augustinum, Cyprianum, Hilarium, similesque, quatenus & hi conformia sacris literis docuerunt, respicitur, non ad Thomam, Scotum aliosque Scholasticos, a Romana saltem Ecclesia probatos. Si enim ea mens Edicti esset, ut etiam porro non nisi Scholasticæ & Aristotelicæ nugæ populo proponerentur, nil opus foret Concilio. Se igitur & suos mandato pulchre obsecuturos esse* profitetur, *& purum Evangelium prædicaturos, at cum adversarii, quid sit Evangelium ejusque doctrina, nesciant, sed sophismatibus suis inhæreant, metuendum esse, ne nihil præstent. Facile dici, prædicate Evangelium: sed operarios in hanc messem a cœlo precibus impetrandos esse. Matth. IX. 38.* (2.) *Rectissime constitutum esse, ut Episcopi doctos sacrarumque literarum peritos ordinent, qui prædicatores observent, errantes modeste & placide moneant, & in refractarios animadvertant, ita quidem, ne veritas Evangelica opprimi videatur. Nihil hic desideratur*, ait, *quam ut fiat; nimis bonus est hic articulus, nec tempori nostro convenit, quod nunc forte illud est, quod Christus Luc. XVII. 22. prædixerit, in quo ne unus quidem dies filii hominis videtur. Non reperiuntur qui præstent, quæ Edictum requirit. Quomodo Scripturarum periti invenientur, cum per aliquot secula nec in Academiis, nec collegiis & monasteriis, sacræ literæ debito modo expositæ, sed non nisi sophismata inculcata fuerunt? Quomodo errantes modeste & placide corrigant, qui non nisi excommunicationibus, anathematismis, combustionibus, aliisque sæviendi modis adsveti sunt? Si mecum* (addit) *modeste egissent, meliori loco res illorum starent; utinam vero vel nunc fidele hoc Edicti monitum observarent.* (3) Laudat, quod usque ad Concilium librorum novorum editio, nisi peritorum virorum censura præcedat, prohibita sit; hoc dudum dicit factum oportuisse, seque obtemperaturum esse, neque tamen existimare, prohiberi simul sacræ scripturæ versionem & editionem aut librorum hucusque divulgatorum. (4) Pluribus verbis, sed non nisi precantis & supplicantis persona, intercedit adversus ea, quæ contra conjugia Clericorum statuta sunt. Distingvit inter monachos & parochos atque beneficiatos alios: illos, qui desertis monasteriis conjugio operam dare velint, de victu & vitæ genere sibi prospicere debere, infamia tamen & pœna carituros. At pro reliquis, qui non saltem sacerdotiis & præbendis, ob conjugia inita exuti hactenus, sed & carcere & aliis duris modis puniti fuerint, & Edicto hoc mitius quidem, sed tamen ad privationem beneficiorum condemnantur, per Deum orat Proceres, ut necessitati naturæ inevitabili indulgentes, rigorem mitigent, cœlibatum impossibilem nemini injungant, nec conjugatos durius habeant, quam fornicatores, quos nemo sacerdotio & dignitate spoliet; addit, ea sibi quotidie ex omnibus regionibus de fœditate cœlibatus scribi, ut si ea vel inimicissimi sui scirent, ad monasteria evertenda secum credat concursuros esse. Sibi deinde, stante hoc Edicto, adversus anathema & proscriptionem Papæ & Cæsaris ad Concilium usque securitatem concessam esse confidit, mandatis præsertim obsequenti; addit tamen, quia mundo molestus sit, mundusque sibi, parum sua referre, proscriptus sit necne. Ad modestiam styli iterum hoc anno ab Electore occasione Comitialis decreti, ut conjicio, admonitus Lutherus, in feriis Pentecostalibus respondit, quæ habentur *Tomo II. Altenb. fol. 348.* Integre vero, ut d. 29. Maj. datæ sunt, cum repetitione eorum, quæ Elector mandaverat, a *Spalatino* exhibentur in *MS.* In his non solum refert, *se, nec conscio nec consentiente Electore, ad primum certamen* (anno 1517.) *prodiisse, & anno præterito, suo periculo* (auf sein ebentheuer) *Wittenbergam rediisse*, sed & animose profitetur, *se, quæ ad veritatem divinam pertinent, tacere non posse, illiusque solum propagandæ, neminem vero lædendi causa, scribere, & quoniam nunc a Johanne Fabro Vicario Constantiensi refutatus sit prolixo libro, Lipsiæ impresso, itemque Emserus aliquid editurus sit, non posse se ista silentio transmittere, ne opprimatur veritas, quod ne fiat in ipso Edicto nupero prospectum sit. Cæterum se nihil metuere, sed paratum esse, quicquid Deo visum fuerit, pro doctrina, quam divinam esse certo sciat, expectare & tolerare.* Invenitur *Tomo II. Alt. fol. 343.* sicut & in vetustioribus editionibus, anno hoc 1523 scriptum quoddam, quod apparet de concordiæ rationibus ineundis aliquid actum fuisse, Moguntini Archiepiscopi & Electoris auspiciis, (ut videtur) tractatumque, ut vel *Servestæ* vel *Naumburgi*, aut alio, qui Moguntino placeret, loco, ipse Archiepiscopus & Episcopus Mersburgensis, tum Lutherus, adhibitis ex utraque parte quatuor aut quinque viris idoneis, convenirent. Utque Johannes & Georgius Saxoniæ Duces, vel duo alii ex Principum aut Comitum ordine adessent. Sed ista ut multa alia ejusmodi cogitata successu caruerunt. Et Fridericus Elector fratrem Johannem Ducem monuit, ne agonothetæ (Grießwärtel/ sic vocabantur, qui in certaminibus equestribus arenæ præerant) munus susciperet. Extant utriusque Principis notabiles epistolæ d. 10. & 24. Jul. *Reg. N. f. 76. lit. D. n. 43.* Referenda in anni hujus gesta etiam est legatio Civitatum Imperialium ad Carolum Cæsarem, ex aliis quidem causis instituta. Ea tamen occasione Cæsar Valisoleti in Hispania, cum legatos mense Augusto benigne audisset, questus est de novationibus in religione, & ut edictis suis parerent, admonuit. Vide *Sleidan. Lib. IV.*

An. 1523.

(1) *Lutheri epistola ad Electorem de stylo suo.*

ADDITIO.

Circumspicere cœpisse ad defensionem suam Principes Saxones, post secessum illum Ratisbonensem & coeuntes Pontificis artibus factione adversus reformationem, ex *Hortledero* disci potest. Nactus enim is est autographum Latinum *Lutheri*, *Melanchthonis* & *Bugenhagii*, in quo singuli *hoc anno 1523.* de quæstione, *An liceat Principi subditos suos si a Cæsare vel aliis Principibus religionis causa vim paterentur, armis defendere,* sententiam suam aperiunt. Dissvadent id, ea maxime ex causa, quia Principes in conscientia sua nondum convictos esse intelligebant de veritate Evangelica, nec a subditis ad defensionem imploratos, nec de bello cum Ordinibus provinciæ deliberasse: certos autem ante omnia de justitia causæ esse debere statuunt, qui arma pro defendenda ea arripiunt. Sed de hac disceptatione & in universum de jure belli pro religione gerendi plura in progressu operis

(a) *Lutheri & collegarum responsum de defensione.*

An. 1523.

ris dicenda venient. Ex his interim constat de reformatione manu regia promovenda quæsitum quidem hoc tempore, sed nihil definitum esse, & Principes trepidos adhuc & sui juris incertos fuisse. Vid. *Hortled. Tom. I. Lib. II. cap. 1. edit. An. 1645. fol. 161.* Eorum trepidationi igitur etiam Lutherus multum & fortasse plus quam vellet indulsit: Patet id inter alia, insigni exemplo anno 1523. ineunte, cum Augustiniani duo ex inferiori Saxonia *Johannes* nempe *VVestermannus* & *Godscalcus Groppius* Herfordiensis VVittenbergæ doctoratum veteri more acciperent, *Papistico* nempe ut expresse ad Spalatinum scribit *Lutherus, Lib. II. p. 111.* addens: *probe illos rem scire, sed majoribus suis cedere, Principem vero hypocrisin suam continuaturum & suspicionem priorem purgaturum esse, si ad convivium solenne ferinam mitteret.* Paulo post tamen *Godscalcus* ille in monasterio Augustiniano Eimbeccensi cum *Ernesto Burmestero* aliisque Evangelium docere cœpit, vide *Chytr. Lib. XI. p. 326.* donec urbe ejiceretur, sed revocatus postea fuit, & interim Zellæ docuit; cum enim ibi esset, ad eum scripsit Lutherus anno 1524. & 1525. *Lib. II. p. 236. & 298.*

(b) *De VVestermanno & Groppio.*

An. 1523.

SECT. 57.

(1) De actis Christierni Daniæ Regis longa digressio.

Sed licet hic successus imaginarius esset, alium tamen verum & solidum hoc ipso tempore expertus est, quod secta sua in regna Sveciæ *&* Daniæ *aditus præberetur, magnarum mutationum occasione, quas breviter narrabo.* Christiernus II. *Daniæ & Norvegiæ Rex, regnum quoque Sveciæ, patri suo Johanni II. & avo Christierno I. possessum sibi deberi dicebat, & regiam Stokholmiam anno 1518. obsidione cinxerat; sed princeps aut Gubernator regni Steno Sture, interregni tempore constitutus, excusso Danorum jugo, tam strenue restitit, ut Christiernus ad extremam omnium rerum necessitatem redactus, pacem petere cogeretur. Tentabat tamen, ut erat nullius fidei & honestatis, ut Stenonem, oblatis obsidibus, in navem suam pellectum opprimeret, colloquium de sedandis dissidiis prætexens. Cum vero consiliarii Stenonis, metu proditionis, quam merito suspicari videbantur, id dissvaderent, ipse Stokholmiam se venturum esse obtulit, si obsides sibi, ut ipse dare paratum se ostendebat, traderentur. Hoc satis generosum esse ratus Steno, libere & ingenue consensit; & præcipuos ex nobilitate juvenes ad eum misit, inter quos erat* Gustavus Erici, *ex antiqua Regum Gothicorum, & Caroli Canuti, qui ante annos sexaginta Rex Svecorum fuerat, prosapia oriundus. Sed Danus iste perfidus, statim atque obsides acceperat, levatis velis, contra fidem publicam & jus gentium Hafniam obsides abduxit, usurus iis aliquando, ut proceres Svecorum, metu ne filios amitterent, ad obsequium reduceret. Ita post biennium satis virium se habere putans, denuo validum exercitum ad invadendam Sveciam misit. Huic ad Stokholmiæ obsidionem eunti, Steno in itinere cum omnibus copiis suis occurrit, decertaturus, antequam Dani a nausea marina se collegissent. Dimicatum est ab utraque parte summo cum ardore, sed Steno, dum non tantum ducis sed etiam militis officium, ut suis animum exemplo faceret, implevisset, globo sclopetario per medium corpus trajectus, ante turmam, quam ducebat, cecidit. Sveci animo fracti solutis ordinibus loco cesserunt, victoria Danis relicta. Hoc nuncio accepto Christiernus, ut consternatione Svecorum ex tanta clade orta ad suum commodum uteretur, ipse ad exercitum se contulit, Holmiam obsidione cinxit. Cum vero animadverteret, strenuam defensionem parari, tam liberaliter omnia promisit, & pacto cavit, quæ ad privilegia gentis conservanda pertinebant, ut tandem eum reciperent, & Regem coronarent. Sed infamis hic proditor ultionem adversus viros fortissimos, qui tamdiu restiterant, meditans, eorumque exitio acquisita firmaturus, scelus, quo immanius magisque barbarum historiæ non memorant, patravit. Invitavit enim ad magnificas epulas ob solennitatem coronationis suæ per triduum in arce celebrandas, Senatum & omnes qui Holmiæ erant honoratiores; at tertio die a militibus portas arcis & fora civitatis subito occupari jussit, dein convivas omnes, inter quos duo erant Episcopi, ut ex arce egrediebantur, unum post alterum trucidari, immissoque in cives milite, sine misericordia plerosque cædi fecit, ut nemo fere præter mulieres & infantes in urbe desolata, & a Danis crudeliter direpta superstes esset. Post detestabilem hanc actionem Tyrannus tutum se in Svecia fore diffidens, in Daniam se recepit. Verum divina Nemesis eum secuta est, tantorum criminum pœnas subditis suis daturum. Hi enim execrabilem Tyrannum abominati, & Hafniæ metuentes, quod Holmiæ perpetraverat, arma adversus eum arripuerunt, & patruum ejus* Fridericum *Holsatiæ Ducem evocarunt, quem ejus loco Regem constituerent. Ut vero sævitiæ plerumque pusillanimitas juncta est, & quia tyranni semper metuunt, a quibus metuuntur; ita & hic statim desperans, neque animum neque ullum consilium ad se defendendum habuit, etsi omnia munimenta regni in ejus potestate essent. Nihil itaque prius habuit, quam ut quicquid pretiosi aderat, in naves celeriter imponeretur. Dein cum Regina uxore (Elisabetha hæc erat, soror Caroli Quinti) & liberis suis in Zeelandiam profugit. Fuit porro tam infelix, ut cum longo post tempore reditum in regnum moliretur, cæsis copiis a novo Rege Friderico, patruo suo, captus, ejusque jussu arci Smideburgensi inclusus, quod superérat vitæ captivus transegerit. Interea Princeps Svecus,* Gustavus Erici, *antequam Christiernus Hafniam rediisset, elabendi ex carcere modum nactus, invicto animo ad liberandam a Danorum oppressione patriam se convertit; & favente magnæ fortitudini fortuna, tanta pru-*

Ziegler. Attent. Christiern. 2. in Svec. t. 3. script. Germ. Freher. Chytræus Sax. l. 9.

Anno 1520.

(2) De fuga Christierni ex Dania.

1521.

An. 1523. *ta prudentia, constantia, & felicitate usus est, ut auxiliis a Lubecensi civitate & copiis, quas in Svecia colligere poterat, adjutus, brevi Holmiam aliaque loca a Danis insessa recuperaret, & hos toto regno ejiceret. His gestis ut liberator Patriæ magnis acclamationibus Rex fuit electus. Atque sic duo hæc regna septentrionalia anno 1523. novos Reges singula acceperunt, Svecia* Gustavum, *Dania* Fridericum. *Hi sopitis veteribus inter utramque gentem litibus, mutua ope & junctis arcte fœderibus omni studio intenti fuerunt, ut quisque in solio, quod subditorum libera electione conscenderant, confirmaretur. Deplorandum tamen inter hæc & funestum fuit, quod in hoc quoque convenerint Reges isti, ut religionem mutarent, & Lutherani fierent. Florebat egregie religio Catholica in Svecia, cum schisma in Germania indulgentiarum occasione fieri inciperet. Adeo nemo offendebatur oblationibus ad fabricam S. Petri, ut & Princeps tunc Regni Steno, & magnates aulæ omnes magnifica dona Legato Arcimboldo dederint, & Prælatus iste plusquam decies centena florenorum millia ex Svecia exportaverit, quam pecuniam Christiernus crudelis ille tyrannus paulo antequam regno pelleretur, belluino more a Leone X. reposcere non est veritus. Circa hoc itaque tempus quidam* Olaus Petri, *Stegoburgo Svecus, redux Wittenberga, ubi Lutheranus factus erat, venenum novæ doctrinæ in patria disseminare cœpit. Inter plurimos, quos corrupit, summa cura Archidiaconum* Laurentium Andreæ *pervertere, annixus est, quia hic vehementer irritatus erat, quod in electione ad Episcopatum vacantem postpositus fuisset. Hi duo in aulam venientes, ut, sicuti jam alibi fecerant, libertatem novæ sectæ commendarent, faventem Secretarium Gustavi, cui hic multum tribuebat, habuerunt. Is in Germania corruptæ religionis, quæ ob novitatem suam omnibus fere acceptabilis & ex eleganti more esse videbatur, auram hauserat. Non difficile igitur fuit Secretario Heri sui mentem flectere, qui belli causa æs alienum ingens contraxerat, ærariumque exhaustum habebat, adeoque nihil magis curabat, quam quomodo id replere posset. Nihil expeditius itaque ei fore ostendebat, quam si novam puri Evangelii doctrinam, quæ in Saxonia prædicabatur, sequeretur, & reformationem novam amplecteretur, quam Doctor Martinus Lutherus paulo ante cum magno Principum Germanorum applausu in Ecclesiam introduxisset: Hoc si fieret, maximam bonorum Ecclesiasticorum partem fisco Regio uniri posse, partem autem Proceribus regni concedi, ejusdem utilitatis intuitu reformationem facile probaturis. Hoc argumento magis quam duorum Lutheranorum Stegeburgensium sermonibus persuasus, Gustavus totum se iis dedit. Initium fecit, concedendo subditis omnibus libertatem conscientiæ, & novis doctoribus Lutheranismum publice concionandi licentiam. Allaboravit dein vehementer, ut celebrem virum* Johannem Magnum, *Archiepiscopatu Upsaliensi serio ei oblato, in partes traheret, eo fine eaque fiducia, ut synodo postmodum habita Lutheri doctrina approbaretur, persuasis jam & dispositis ad id a se plurimis. Sed magni hujus viri constantiam, nec vi nec minis, nec rigore, quo eum persequebatur, frangere potuit; id tamen effectum est, ut una cum fratre* Olao Magno *Romam confugeret, ubi præ dolore postea mortuus est, cum patriam totam Lutheranam factam esse cognosceret. Posteaquam enim Gustavus habitis Upsaliæ, dein Arosiæ aut Westrasiæ, comitiis paratum se professus esset, regnum a superstitionibus & tyrannide, ut ajebat, Ecclesiæ Romanæ liberare, & novam reformationem amplecti, protestatus etiam, regno se abdicaturum, si Proceres huic proposito non consentirent; Lutherani, ex quibus major numerus constabat, facile in hanc sententiam rem deduxerunt. Conclusum inde, ut Episcopi & Pastores honesta sustentatione contenti reliquis Ecclesiæ bonis cederent, fisco regio applicandis, ita tamen ut unicuique familiæ etiam restitueretur, quod a majoribus ejus donatum inveniretur Ecclesiis & Conventibus, abolitis omnibus monasteriis, & servatis tantum Ecclesiis cathedralibus & parochialibus. Ita intra quatuor annos non integros Lutheranismus in toto regno sine molestia & tumultu invaluit, cum Nobilitas partem spoliorum ex monasteriis capiens, lucrum ex mutatione sentiret, Clericis matrimonia placerent, Populus autem fere nihil in externis mutatum animadverteret, retentis plerisque cultus divini ceremoniis. His peractis dilatam semper usque ad mutationem hanc religionis coronationem solenniter peragi fecit, & post annos quindecim id quoque novo exemplo impetravit, ut Regnum Sveciæ successivum fieret, ad posteritatem suam transferendum, ut & factum est, postquam per triginta & septem annos feliciter regnasset.*

1522.

Joh. Magn. de vit. Pontific. Upsal. p. 110. Chytræus Saxon. l. 11. Joh. Magn. de vit. Pontif. Upsal. Flor. Ræm. l. 4. c. 16.

(3) De reformatione in Svecia a Gustavo Rege cœpta.

Non multo aliter in Dania *actum est; Ibi enim* Fridericus *sine turbis regnum sibi firmare cupiens, nihil aliud ab initio fecit, quam ut subditis mutandi religionem, & ministris Lutheranis prædicandi potestatem faceret. Sed post ejus mortem Christiernus III. filius non habens quod metueret, confidentius agere cœpit, & coronari se fecit a* Johanne Pomerano, *quem Lutherus eo miserat; dein vi subactis, qui adhuc resistebant, quia hæresin aperte profitebatur, Episcopatum solenni Ordinum regni decreto sustulit; Canonicatus autem nihilominus*

Chytr. Saxon. l. 10. Flor. Ræm. l. 4. c. 14. Chytr. Sax. l. 15.

(4) De eadem reformatione in Dania, auspiciis Friderici Regis.

An. 1523. *bilominus reservavit, quos Lutheranis benigne concedere volebat, & sic Lutheranismum quiete & placide, cum in externis ceremoniis nihil mutaret, in toto regno stabilivit. Aliquorum tamen annorum spatio hæc gesta, sed hic a me una serie relata sunt, ut uno conspectu appareret, quomodo in duo hæc regna septentrionalia secta Lutheri introducta fuerit. Ipsa interim progressus suos in Germania valde augebat, inprimis post Comitia Norimbergensia, magisque adhuc post altera sequentis anni initio ibi celebrata.* An. 1523.

§. CXLIX.

Brevis ad digressionem Maimburgianam annotatio.

Transitio Maimburgii, quam hic facit ad narrationem mutatæ in Regnis Septentrionalibus religionis, contradicit clausulæ, qua eam finit. Hic enim Lutheri spem de successu vel comitiorum Norimbergensium, vel suæ petitionis, imaginariam, id est, nullam fuisse scribit, in fine vero queritur Lutherum successus suos post comitia, tum hoc anno 1523. tum anno 1524. habita, auxisse. Ita connectendi commoditates & elegantias, ut putat, inventurus, veritatis exiguam habet rationem. Verum autem est, quod Comitia utraque non sine successu, nec Lutheri spes aut petitiones imaginariæ fuerint. Accidit enim non solum, ut securus Wittenbergæ commorari posset, sed & prædicatio Evangelica strenue plurimis in provinciis & urbibus procederet, ut partim dictum est, & postea dicetur. In iis vero, quæ hic de Actis Regum Septentrionalium recitat Maimburgius, non pauca mihi occurrunt, quæ & ob immodestiam, & ob malignas interpretationes, fortasse & ob læsam historiæ veritatem, reprehendenda videntur. Sed cum utrumque regnum egregios viros & olim habuerit, & nunc habeat, qui & falsa refellere, & veriora narrare noverunt; mihi vero tot alia de Germaniæ & inprimis de Saxoniæ rebus dicenda supersint, quæ certius comperta habeo, temerarium esse existimavi, si istam historiæ Maimburgianæ partem, aut ea, quæ nuperrimæ *historiæ Gallicæ* autor *Varillasius*, de his regnis eadem licentia, aut a Maimburgio diversa narrat, prolixe examinanda & supplenda mihi sumerem, quædam tamen quæ amicorum potissimum opera indicata mihi sunt, subjungam.

ADDITIO I.

Apologia Christierni a Sceppero edita.

Extat in Bibl. VVurzensi de rebus Danicis apologia Christierni regis anno 1524. d. 10. April. *Altenburgi Libonotriæ*, (i. e. im Osterlande) data & typis vulgata, hoc titulo: *Illustrissimi & Potentissimi Daniæ, Sveciæ, Norwegiæ Regis responsio ad duas epistolas Friderici patrui sui, autore Cornelio Duplicio Sceppero Novoportuensi, ad Pontificem Romanum Clementem VII. Imperatorem Carolum V. Henricum Angliæ Regem, Ferdinandum Austriacum omnesque Reges & Principes.* Autor fuit Regis Vice-Cancellarius, vir non indoctus, (ut apparet,) nec immodestus, qui postea in Belgio Cæsareus fuit Consiliarius. Multa ex hoc scripto non vulgaria afferri possent, sed longius a rebus ad religionem spectantibus abeunt, confirmant tamen ea quæ notavi, magnasque de Episcopis Danis, eorumque immanibus vitiis querelas continent, quibus ut & aliorum ex nobilitate puniendis dum ex officio, ut asseverat, Rex incumbit, odia & motus contra se concitaverit: laudat tamen Arusiensem Episcopum *Avonem Bildium*, & *Johannem VVezium* sive VVesalium Lundensem Archiepiscopum, qui postea inter Caroli V. primarios ministros fuit. Miserabilis est Epilogus libelli, in quo Rex pro solatio quidem habet, Deum, quos castigat, diligere, justum esse Deum, neque de illo se queri, majora meritum esse apud Deum, licet conscientiam bonam habeat erga homines. *Interim* (ait) *vagor omnibus egenus; opes, divitiæ, potentia trium regnorum evanuit, juventutis impetus consenuit, soli sumus, relicti sumus, omnibus oneri, omnibus ludibrio.*

ADDITIO II.

(a) Excerpta ex Joh. Baazii historia Eccles. Svec.

Ab amico veteri, & studiorum, cum adolescentes essemus, sodali *Hiobo Ludolfo*, Viro ob eruditionem omnigenam, linguarum plurimarum cognitionem, gestaque in aulis insignia munera illustri, missa mihi est *Joh. Baazii Historia Ecclesiastica Svecorum* Lincopiæ anno 1642. excusa, quæ paucis, ut videtur, in Germania innotuit. Ex ea excerpere quædam non indignum labore aut a scopo alienum putavi, testimonio etiam Illustrissimi olim, mihique benevoli, Regni Sveciæ Senatoris *Stenonis Bielkii* motus, qui, ut in libro Baazii annotavit Ludolfus, contulisse se retulit scripta autoris cum Actis publicis, & fidelissime cuncta, sine odio & studio tradita reperiisse. Et primo quidem prætereundum esse non duxi, mala illa a Christierno II. Daniæ Rege Svecis illata, de quibus declamat Maimburgius, Clero & Pontifici non immerito imputanda esse, factioni nempe *Gustavi Trollii* Archiepiscopi Upsaliensis. Hic enim Christiernum per proditionem in Sveciam introducere molitus est, convictusque licet, accusante *Stenone Sturio*, Regni gubernatore, coram *Arcimboldo* Pontificis Legato criminis, & hujus opera Stenoni reconciliatus ad prava consilia rediit, tuente illa Leone X, qui anno 1520. Stenonem & Proceres, immo totum regnum interdicto subjecit, renitente tamen populo & Christiernum demum expellente, quam libertatem ipse *Joh. Magnus Lib. XXIV. hist. cap. 3.* non potuit non laudare, ut refert *Baazius Lib. I. c. X.* Iraque Christiernus immanem illam lanienam supplicio tot procerum & civium anno 1520. exercitam, eo prætextu excusavit, quod excommunicatos omnes a Pontifice esse diceret. Vid. *Chytræus Lib. VIII. fol. 263.*

(b) Pontificia consilia.

(c) Cleri Svecici vetus libertas.

Dein notari meretur, quod *Baazius cap. XII.* allegatis documentis probat, Clerum populumque Svecicum, omnimodam illam & absolutam Romanæ fecis potentiam ne illis quidem seculis agnovisse, cum immanem in modum aliis in regnis invaluisset. Queruntur enim in diplomatibus sive Bullis Pontifices anno 1160. 1210. 1250. quod Episcopi neque Capitulorum electione, neque consultis Pontificibus, sed Procerum & plebis consensu constituerentur; & aliunde constat, quod ipsæ diœceses non a Pontifice aut ejus Legatis, sed a Rege & Ordinibus regni fines suos acceperint. Testis ejus rei citatur antiquus Scriptor *Adamus Bremensis.* Alia prætereo. Post hæc *Lib. II. cap. I.* tradit, *Gustavum Erici*, postea Regem, cum regnante Christierno anno 1519. apud Lubecenses exularet, primum de Lutheri doctrina, quæ ad Ecclesiæ Reformationem tendebat, rumorem accepisse, informatum autem postea fuisse a duobus illis Lutheri discipulis, *Laurentio* & *Olao Petri*; maximam vero aversionis a Romano pontificatu causam habuisse, factiosam illam Cleri potentiam, & injustam, de qua diximus, excommunicationem, qua tyrannidi Christierni Pontifex velificabatur. Fabulam igitur suo ingenio & vulgarem quidem ac protritam pro historia nobis obtrudit *Maimburgius*, cum Gustavum ad Lutheranismum perductum esse tradit, monstrata ex bonis Ecclesiasticis præda. Quomodo vero ad reformationem processerit Gustavus, quæ obstacula passus sit, qua prudentia populi a Clericis in seditionem concitati impetum superaverit, quomodo furori Anabaptistico a Rinckio & Knipperdollingio, in Sveciam irrepentibus, excitato, pulsis fanaticis restiterit, a *Baazio d. L. II. c. 2. 3.* explicatur. Disputatum est publice Upsaliæ inter *Olaum Petri* qui Lutheri, & *Petrum Galle* Professorem Theologum, qui Pontificia dogmata propugnabat, & utriusque argumenta postmodum scriptis mandata & publicata fuerunt. Quorum compendium lectu dignissimum *cap. V.* reperitur. Jussu vero Regis a *Laurentio Andrea*

(d) Conversio Gustavi.

(e) Disputatio de religione.

drea Presbytero Stregnensi, Cancellario suo, (Secretarium Maimburgius vocat) ad exemplum Lutheri Biblia Sacra in Svecicam linguam translata fuerunt, initio a Novo Testamento facto, publicata etiam ritualia sive *Agenda* eadem lingua, & Psalmi Davidis rhythmici. De bonis vero Ecclesiæ & speciatim de decimis anno 1526. in comitiis Holmiensibus agi cœptum est, non ob mutationem religionis, sed necessitatis publicæ causa; nam bello cum Christierno ingens æs alienum apud Lubecenses contractum solvi non potuit, nisi subsidia ex opibus Ecclesiæ peterentur, quod paribus aut minus gravibus ex causis in regnis Pontificatum etiam nunc agnoscentibus sæpiuscule fieri videmus: Decretum itaque tunc est ordinum consensu, ut decimæ parochiales duplæ corrogarentur, earumque triens ad Pastorum Ecclesiæ sustentationes, reliqua cum tertia parte argenti & æris ex aliis bonis Ecclesiasticis, ad expungenda nomina impenderentur, Vid. *cap. 6.* Fuga Archiepiscopi Upsaliensis, utque simulata legatione & naufragio Pastores diœcesis convocatos pecunia emunxerit, eamque cum multis patriæ documentis secum abstulerit, refertur *cap. 7.* Diploma Regis, quo calumnias a profugo sparsas diluit, anno 1527. editum extat *cap. 8.* cujus hæc inter alia verba sunt: *Religionis veræ curam nos habere juxta Dei verbum non diffitemur: Veriorem nullam habemus religionem, quam a Christo & Apostolis traditam, de hac non controvertitur; sed de ritibus quibusdam ab hominibus inventis, præsertim immunitate Prælatorum Ecclesiæ. Ritus inutiles cupiunt docti abrogatos; novam vel aliam quam vere Christianam religionem introducere minime insimulari possumus: nam pietati veroque Dei cultui recte studentes, de gaudio vitæ æternæ participare cum omnibus Christi fidelibus unice laboramus. Quare jubemus clementer dilectos nostros subditos, ne calumniæ de nobis sparsæ locum dent, quin potius religiosa pie judicantes, cogitent nos tractare illa, quæ Dei gloriam & nostram, nostrorumque subditorum æternam & temporalem felicitatem concernunt. Sumus experti haud ita pridem, qua usus sit fraude Papa Romanus in colligendis nostris bonis, dum per Missas atque indulgentias corrasit magnam vim pecuniæ, prætendens connumerandam esse conducto militi, contra Turcam merenti stipendium, sicut emissarius Papæ divulgabat factum, hac pecunia utitur Papa Romanus ad stabiliendum Regnum suum contra Imperium Cæsaris Romani. Quas Episcopi & Prælati Ecclesiastici noverint alias fallacias, quibus decipiant simpliciores, tum gravando conscientias miserorum ut lucrum reportent, si relaxent impositam satisfactionem, tum multiplicando hypocrisin Religionis, ut nomen Sanctitatis* (ementitæ) *obtineant, hoc totum docti viri in aliis regionibus ad oculum demonstrant. Dum Prælati Ecclesiastici suo ventri indulgentes, observant doctos piosque viros hæc mala detegere, veritati summo nisu resistunt, accusantes illos novæ Religionis, mutatæque Catholicæ fidei. Hic cum nullius sit veritatis sermo, ne huic calumniæ locum detis, serio hortamur.* Abusum inde, post discessum Archiepiscopi, ingruentem, dum plebs reditus clero præberi solitos lucrifacere conabatur, Rex correxit, emissis edictis quibus sustentationi pastorum consultum est. In comitiis postea Upsaliensibus, tumultuante in *Dalecarlia* præcipue ob mutatum cleri statum plebe, publice allegavit Rex non nisi unum Cœnobium Carthusianorum *Gryphsholmense*, quod in prædio suo hæreditario, non plena sua voluntate erectum fuisset, in commodiorem usum esse conversum, & *Lutheranismi* nomen recusans, non defendere se aliam religionem dixit, quam vere Christianam & Apostolicam. *Cap. XIII.* extat historia comitiorum Arosiensium anno 1527. celebratorum, in quibus statim in limine offensi sunt Episcopi, quod Rex Senatoribus Regni primam sedem ante Episcopos dedisset, Pastores deinde & Clericos infra Nobiles collocasset. Obstitit Reformationem serio urgenti Regi, magno conatu, *Johannes Brasche* Episcopus Lincopiensis, sed cum Clero metu ordinum Regni obsequium simulavit, ita tamen ut protestationem scriptis clam consignatam, sub lapide sepulchrali in templo occultaret, unde post annos quindecim protracta Regi de illorum calliditate fidem fecit. Post disputationem *Olai* & *Galli* publice & quidem postulantibus, qui aderant, Ordinibus, Svecica lingua habitam, decreta condita sunt quæ *cap. XIII.* recensentur, quorum *secundum* caput est, ut *Episcopi Regi specificationem expensarum de bonis Ecclesiasticis annuatim collectarum exhiberent, ut Rex cum consensu senatorum disponat, quantum sufficiat sustentandis Ecclesiis & quid supersit coronæ, sive regio fisco numerandum.* Monachis etiam leges præscriptæ, mendicantibus quidem, ut *bis saltem anno ad stipes corrogandas exirent;* cæteris, quibus præbendæ, quas vocant, erant, mendicatione interdictum fuit. Pastoribus & Scholarum magistris injunctum, ut purum Dei verbum docerent; adversus excommunicationum abusus, Regia & Senatus cognitio stabilita. His decretis Episcopi *Lincopiensis*, *Arosiensis*, *Scarensis*, *Stregnensis*, & Canonici *Upsalienses* & *VVexonienses* (vacantibus sedibus) parituros se esse syngrapha polliciti sunt, sed cum clandestina, ut dictum est, cautela. Arces Episcoporum, quibus bellorum tempore sæpe abusi erant, in Regis potestatem concesserunt. *Johannes* ille Lincopiensis ut fraudem tegeret, Regem convivio excepit, paulo post visitationis obtentu in Gothlandiam insulam discessit, & convasatis quæ poterat ex Ecclesiarum & monasteriorum bonis, Dantiscum profugit, ubi & *Johannes Magnus* Archiepiscopus Upsaliensis substitit, donec hic desperato in patriam reditu Romam, Lincopiensis in Poloniam secessisset, ubi in monasterio vitam finiit. Anno sequenti comitiis Stregnesiæ celebratis, ordinari Rex per Arosiensem Episcopum, tres alios fecit, non requisito consensu aut investitura Pontificis. Eodem anno *coronatio Regia* Upsaliæ peracta est, præmissa pia de officio Regis & civium admonitione, quæ legitur *cap. 15.* De bonis ecclesiasticis quæ nobilium fundatorum hæredibus exposita esse narrat Maimburgius, edictum anno 1528. d. 26. Maji promulgatum fuit, in quo allegata veteri quadam ordinatione anno 1454. facta, nobilitati mandatur, ne suo ausu invadant illa bona, sed jus quo niti velint, prius doceant, & auditis Episcopis & capitularibus Regiæ cognitioni submittant, additur: *Quicunque horum controversantium meliores habuerit rationes, obtinebit causam.* Unde patet non per spolia, sed justis causis & titulis ad vindicationem male quæsitorum processum esse. Anno 1529. Dominica Quinquagesima habitis *Orebrogiæ* comitiis, Clerus Regni de reformatione Ecclesiæ, constitutionem edidit. Primus nominatur *Laurentius Andreæ* Archidiaconus Upsaliensis, Præses sedis Archiepiscopalis, Regiusque Nuncius; dein *Scarensis*, *Stregnensis*, *Arosiensis* Episcopi; inde Pastores, Diaconi, Canonici, Monachi. Præcipuum, quod edicunt, est prædicatio verbi divini, & correctio quædam externi cultus, in quo tamen plurima servarunt, ex veteri ritu. Edidit etiam hoc ipso anno *Olaus Petri*, tum Holmiæ Pastor factus, *Manuale* sacrum lingua patria, *Missæ* præsertim sive *cœnæ dominicæ* celebrationem præscribens, & articulum *de Justificatione* explicans. Secutus est spontaneus monachorum ex claustris egressus, ex quibus qui idonei erant ecclesiæ ministerio præfecti fuerunt. Versum etiam Novum Testamentum in linguam Finnonicam, & sic successu temporis sub Gustavo Rege, non tamen sine motibus quibusdam, Reformatio plenarie peracta fuit. Hæc ex autore, quem nominavimus, publica actorum fide probata, cavillis scriptorum exterorum præponderare debent, multis modis digna, quæ memorentur, inprimis ut appareat efficacia veritatis Evangelicæ, in ultimas Septentrionis provincias duorum saltem qui Lutherum audierant mediocris conditionis hominum ministerio delatæ, nulloque sanguine aut aliis quas in contrarium exerceri cernimus violentiis, sed pie & feliciter propagatæ. Scripseram hæc cum mihi visa est Relatio Illustris viri *Samuelis Pufendorfii* Germanice edita, de rebus Sveciæ, lectu sane dignissima, ex qua hæc, quæ ex *Baazio* excerpsi, confirmari possunt; pauca enim quæ discrepare videntur, rei veritati in summa non officient.

(f) *De bonis Ecclesiæ.*

(g) *Diploma regium de reformatione.*

(h) *Decreta comitialia.*

(i) *Episcoporum quorundam acta.*

(k) *De bonis Eccles. edictum.*

(l) *Item de disciplina & ritibus.*

An. 1523.

ADDITIO III.

De rebus Danicis illius temporis plures notioresque scriptores habemus. *Meursium*, *Chytræum*, alios, ad quos recurrendum est iis, qui veriora, quam a Gallis noviter relata & partim excogitata sunt, desiderant. De *Christierno* non desunt qui scribant, illum nobilitati licet infensum pariter & exosum, plebi tamen acceptissimum fuisse. *Friderici* Electoris Saxoniæ avunculi sui favore non caruit. De Rege & de propensione ejus ad D. Lutherum *Spalatinus* in *Vita Friderici* hæc habet: *Anno 1523. Christiernus Daniæ Rex cum sorore sua ejusque marito Electore, Joachimo Brandeburgico, apud Electorem Fridericum biduo fuerunt Schweinitii; eo tempore Lochaviam etiam venit, eamque arcem omnibus, quæ in Anglia & Hispania vidisset, præferre se dixit. Eodem autumno Rex Lutherum VVittenberga in arcem Electoris Sveinitium accersivit, & concionantem audivit, tanta cum voluptate, ut dixerit, se tota vita Evangelium ita explicari non audivisse, nec dum viveret concionis hujus oblitursum, immo jam omnia quæ sibi acciderent, Deo juvante, patientius esse toleraturum.* Sane Lutherus miseriam Christierno ideo immissam a Deo judicat, ut jam soli Christo viveret *Lib. II. ep. 313. b. Forte Deus aliquando ferinam* (proverbio Germanico res rara & insolita significatur) *id est, regem & reginam, ad cælum vocabit, atque eum Regem de quo minime sperasset sensus humanus, ut sit mirabilis* (Deus) *ad ludendum nostrum judicium.* Et paulo ante mense Febr. 1525. ad *Joh. Agricolam* Islebium scripserat: *Regia illa mulier & vere Regina Elisabeth Danorum Regis uxor excessit e vivis, ut ipse mihi scripsit Christiernus Rex, sed magna fide excessit, accepta cœna Domini legitimo ritu Christi, nec persvaderi potuit fortiter tentata per proceres, ut in Papæ fidem rediret.* Unum adhuc ad Maimburgii relationem noto: incredibilem esse *decies centenorum millium florenorum* summam, quam ab Arcimboldo corrasam fuisse in Svecia refert. Extat Satyra titulo *Philalethis* in contumeliam Arcimboldi circa illud tempus Basileæ edita, in qua omnia ejus vitia exaggerantur, sed nonnisi ad *viginti millium ducatorum pretium* æstimatur pecunia, quam in Svecia & Dania collecta Rex Arcimboldo abstulerit. Ut vero ratione summæ plus dixit Maimburgius, ita minus dicit, cum scribit Regem repetiisse saltem istam pecuniam a pontifice, nam revera abstulerat, prætextibus non carens; memorat id *Varillasius Lib. IV. p. 321.* & pluribus refertur dialogo illo Satyrico, qui *Hutteni* stylum sapit.

(a) *De Regis Christierni ad Evangelicam doctrinam conversione ex Spalatino.*

(b) *Nota ad Maimburgii relationem de pecunia Arcimboldo oblata.*

De rebus Danicis ut plura addam insigni humanitati debeo Viri de Ecclesia nostra egregie meriti *D. Christiani Kortholt*, Theologi primarii in Academia Holsatica Chiloniensi. Is enim mecum ex libris rarioribus, quorum copia in his regionibus nostris haberi non potuit, inprimis ex *Conradi Aslaci* edita anno 1622. Hafniæ *historia Reformationis Danicæ*, haud spernenda communicavit, quæ tamen fere omnia ad epocham *Libri II.* pertinent; unum tantum hic memorandum habeo, nempe a Christierno Rege jam anno 1521. VVittenberga accitum esse *Martinum* quendam, eique permissum, ut in æde D. Nicolai Evangelicas conciones haberet. Addere aliquid lubet, quod in *epistolis MS. Spalatini* annotavi, de literis Christierni Regis, *Lyris* in Belgio d. 20. Maji 1525. ad Lutherum datis, in quibus illum *sanctum fratrem* vocat, aliisque elogiis prosequitur. Significat inde ei, accepisse se a subditis suis (quos itidem *fratres* nominat,) literas, ex quibus intelligatur, *rusticum* (ut loquitur) *genus pene totum & civile totius regni adeo erga se revocandum ardere, ut quem antea Regem contempserant, persequebantur & explodebant, jam vel extremis votis videre semel velint, petant & suspirent, licet potentiores reclament* (Episcopi nempe & nobiles, ut aliunde constat,) *nihil tamen æque expectare illos, & anxiis suspiriis a Deo postulare, quam a tyrannica captivitate liberari, in qua miserrimum in modum pro impia Ecclesiasticorum libidine opprimantur; illis*, ait, *non satis est in corpora & res temporales sævire, nisi etiam saluberrimum Dei verbum simul ac omnes dotes per Christum nobis præstitas perditum ire una nitentur.* Scripta hæc sunt Latine, stylo, ut videtur, *Cornelii* illius, de quo dixi, *Scepperi.* Sed desideriis gentis paulo post a successoribus Christierni egregie satisfactum est, ut in loco dicetur. Refero etiam huc, quæ ad vicinam Daniæ regionem *Holsatiam & Ditmarsiam* pertinent, ab ipso laudatissimo viro *D. Kortholt* excerpta & ad me transmissa, ex quibus speciatim illustrantur, quæ §. *CLXIX.* de *Henrico Zutphaniensi* narrabo. *Postquam D. Lutheri fama & doctrina excitati etiam nostrates Theologiæ studiosi, VVittenbergensem Academiam petere cœperunt, reversi inde, quæ ex tanti præceptoris informatione hauserant, saniora dogmata popularibus suis tum privatim, tum publice diligenter instillarunt. Primus Hermannus Tast anno 1522. Husumi, cum templum a Clericis Pontificiis ipsi clauderetur, in cœmeterio sub tilia quadam de Evangelica doctrina ad congregatam ibi numerosam multitudinem sacros sermones instituisse reperitur, qui etiam biennio post primam Gardingæ concionem publicam secundum repurgatæ religionis fundamenta habuit. Nempe anno 1524. Fridericus I. Daniæ & Norwegiæ Rex, idemque totius provinciæ Slesvicensis & Holsatiæ Dux per regna sua & ducatus edicto sanxit publico:* Daß niemand bey Hals / Leib und Guth / um der Religion Päbstischer oder Lutherischer Willen / einen andern an Leib / Ehre / und zeitlichen Güthern Gefahr und Unheil solte zufügen / sondern ein jeder sich in seiner Religion also solte verhalten / wie ers gegen GOtt den Allmächtigen mit reinem Gewissen gedachte zu verantworten. id est, *Ut nemo sub pœna amittendarum facultatum, corporis & vitæ, alteri ob religionem, sive Pontificiam sive Lutheranam, damnum vitæ, honoris aut opum inferret; sed quisque ita sese in religione sua gereret, quomodo coram Deo, pura conscientia, de facto suo respondere se posse existimaret. Simulque ut in subjectis sibi terris, improbatis Ecclesiæ Romanæ erroribus Evangelica doctrina populo commendaretur, serio mandavit. Cui tamen edicto tantum absfuit, ut morem gererent Ditmarsi, Daniæ Regum Ducumque Holsatiæ dominium tunc nondum agnoscentes, ut potius eodem isto anno animosum illum sincerioris doctrinæ Professorem Henricum Mullerum* (*hoc enim ei cognomen fuisse, a sympatriotis meis didici,*) *Zütphaniensem, igni tradiderint. Erat Henricus iste Magister artium, Theologiæ Lic. & antequam a Pontificiis dejiceretur, Prior monasterii Augustiniani, Antwerpiensis. Qui cum biennium Bremæ tanquam Evangelicus ædis Anscharianæ Pastor exegisset, piæ cujusdam viduæ, VVibæ auspiciis, per M. Nicolaum Boje, Pastorem Meldorpiensem, Dithmarsiæque Superintendentem, in Dithmarsiam accitus est. Atque hæc est illa VViba* (nomen proprium *VViba* vel Wiebecke / hodieque passim usitatum est Cimbris) *de qua Lutherus Henrici describens martyrium:* Da gieng hinzu / inquit, eine fromme Christliche Frau / Claus Jungen Frau / mit WEJBE nahmen. i. e. *Accessit pia matrona Nicolai Jungii uxor, nomine VVibæ* (legi debet mit nahmen Wibe) *Soror Petri Nannii. Vidua fuit defuncti tunc jam Jungii, unius ex collegio 48. Regentum, quos vocant, filia autem* (*non soror*) *Petri Nannen, cum qua post perpetratam hanc cædem, literarum commercium B. Luthero intercessit, & ex cujus prosapia, annis abhinc non adeo multis superfuit adhuc atneptis Margareta, D. Reimari* Dorn *Consiliarii Regii conjux. Estque omnino memorabile, eodem illo loco, ubi crematus Henricus, postea anno 1559. in famoso illo bello Dithmarsico, a Regio & Ducali exercitu ad internecionem cæsos fuisse Dithmarsos, omnimoda sic avitæ libertatis jactura facta. Ut vero ad superiora redeamus, ubi facultatem sine periculo Pontificiis contradicendi sincerioris Theologiæ cultores nacti sunt. Homerus* Hansen / *Fridericus* Backsen / *Laurentius* Junsen / *aliique, cum monachis Romanarumque partium præconibus congressi, mascule veritatem agnitam propugnarunt, nec infeliciter per has provincias propagarunt, sic ut ex ipsis illis adversariis nonnulli victas manus dederint. Alii interim pertinaciter Lutheri doctrinæ se objecerunt. E quibus ex insula Fœra monachus aliquis, ad vicinos ordinis sui fratres, ut ad constantiam in superstitione Papistica illos hortaretur, profectus,*

(c) *Alia quædam de Dania.*

(d) *Literæ Christierni Regis ad Lutherum.*

An. 1523.

(e) *De Holsatica reformationis initiis quædam.*

(f) *De Ditmarsis & martyrio Henrici Zutphaniensis.*

profectus, salvum se & vivum nolle domum reverti dixit, nisi vera sit, quam Romana Ecclesia profiteatur religio; cui imprecationi eventus respondit. Rediturus enim ad suos, equo delapsus, cervices misere fregit. In cujus rei memoriam lapidum cumulus hodieque locum, ubi hæc accidere, viatoribus in dicta illa insula monstrat. Quæ ad annos sequentes pertinent, ad *Librum secundum* reservo. Indicavit mihi vir optimus *Nicolai Helduaderi* Historiam Septentrionalem ab anno 1500. usque ad annum 1623. synoptice scriptam & Hamburgi anno 1624. excusam. Ejusdem benevolentiæ debeo narrationem quandam de reformatione Hamburgensi ex Chronico MS. *D. Adami Thracigeri*, Cancellarii Gottorpiensis, cujus *Chytræus Lib. XIX.* non multa quidem cum laude meminit, excerptam: Uti tamen ea opus mihi non fuit, cum eadem & prolixius ex *Stephani Kempii* Diario MS. quo ante accepta Thracigeri excerpta potitus eram, prolixius enarraverim.

§. CL.

(1) *De causa & clade Franc. a Sickingen.*

Incidit in hunc annum clades & mors *Francisci Sickingii* sæpe jam memorati, quam maledicentia sua *Cochlæus* ad res Lutheri trahit, & nescio qua de causa in annum 1524. conjicit. De propensione sane Sickingii ad Lutheri dogma, præstitoque purioris doctrinæ professoribus, qui monasteria deseruerant, & infelici illi Ulrico Hutteno, patrocinio, ex supra dictis constat. Edita jam anno 1522. fuit Sickingii epistola ad socerum, *Theodorum ab Handschuchsheim.* In illa defenduntur *communio sub utraque, Missæ celebratio lingva Germanica, libertas religiosorum in deserendis monasteriis, & abrogatus sanctorum cultus.* Præfatus in eas est *Johannes Schwebelius*, de quo supra, ubi ad Nobilem quendam inter alia scribit: *Cum Prælati Ecclesiæ jam vi grassentur, nec ut deberent, fidei fundamenta ex Scripturis sacris proponant, & quos errare putant, placide instruant, nunc mira conversione a Laicis, qui olim arma tractabant, discenda est religio; gladio utuntur Episcopi.* Recusa extant hæc inter opuscula Schvvebelii Germanica Biponti anno 1605. excusa. Nec abnuerim, quo *Chytræum* etiam propendere video, Sickingium virum ingenti animo, opibus supra equestrem fortunam, sociisque ex nobilitate fortissimis subnixum, Cæsari etiam & Principibus non paucis charum, & factionibus innexum, acriora justo & vastiora consilia mente versatum esse. Negari etiam non potest, Lutherum haud parvi eum fecisse. Verum qui Luthero ejusque doctrinæ Sickingii molimina imputant, præterquam quod iste vim omnem diserte improbavit, vel eo argumento liquidissime refelluntur, quod Archiepiscopus & Elector Moguntinus Albertus Brandenburgicus Sickingium fovebat, eoque nomine a fœderatis Principibus multatus fuerit, quod nec *Cochlæus* tacet, & *Historiæ Trevirensis* autores Jesuitæ *Christ. Browerus* & *Jacobus Masenius Lib. XX.* enarrant. Non injucundum forte erit, lectoribus characterem ingenii Sickingiani, stylo illustris & militaris quondam viri, *Roberti de Marca*, vulgo *Marescalli Florangii*, descriptum apponere ex *historia* ejus *MS.* quam nuperus Gallicarum rerum egregius autor, *Gvilielmus Marcellus* ad seculum XVI. in probationibus *n. 156.* allegavit. *Franciscus a Sickingen nobilis erat Germanus mediocri stirpe natus, sed elegantis & sociabilis conversationis, & hoc, quo scribo, tempore,* (1521.) *quadraginta fere annorum; minime miles, sed militiæ amantissimus, licet eam nunquam exercuisset, generosus etiam & honestus, lepidus idem & facetus* (ita intelligo obsoletam vocem *langageur,*) *ut nemo neque nobilis in Germania, neque Princeps neque vir militaris esset, qui ipsi non gratificaretur.* Tanta vero fuit Sickingio & potentia & audacia, ut anno 1522. collecto sexcentorum equitum, inter quos exercitatissimi fortissimique ex Nobilitate non unius provinciæ viri erant, & octo millium peditum exercitu, *Richardum* Archiepiscopum & Electorem Trevirensem bello aggrederetur, & in metropoli sua obsideret. Causam prætendebat, quod Elector cives duos, pro quibus Sickingius apud quendam ex sociis suis fidejusserat, sistere aut ad solvendum lytrum adigere nollet. Sed quicquid prætexi poterat, ad eluendas nuper admodum publicatas, *de Pace publica* & *de summorum Tribunalium jurisdictione* constitutiones & Regiminis Norimbergensis mandata spernenda, sufficientem non afferebat excusationem. Conciliationem tentabant vicini Principes, maxime Archiepiscopus Coloniensis, qui missis legatis pacem svadebat, autorque Richardo erat, ut Sickingio ducenta aureorum millia solveret. Sed is rejectis conditionibus, non solum urbem ab hoste defendit, sed & cum *Ludovico* Electore Palatino, & *Philippo* Hassiæ Landgravio, cui olim impuberi Sickingius, Fuldensi Abbati tunc auxilia ferens, multa damna intulerat, inita societate, Sickingii primum patronos & socios aggressus est, mulcta viginti quinque millium aureorum Alberto Moguntino indicta, & in quosdam primarios aulæ ejus viros animadvertens: denCroneberga (arx & oppidum) Hartmutho, Sickingii genero, de quo supra mentio facta est, per Hassorum Principem erepta fuit. Mox anno sequenti, mense Aprili & Majo, bellum totum tres illi Principes unitis viribus profligarunt, expugnato vi tormentorum Sickingii castello Landstein/ juxta oppidum Landstuhl sito. (Nanstall etiam pronunciari solet.) In ejus propugnatione ipse graviter sauciatus fuit, & paulo post, cum ab ingressis post factam deditionem Principibus satis humaniter inviseretur, eosque infracto excepisset animo, obiit, confessione sacerdoti facta, sed sacramentum accepturum mors prævenit. Extat typis impressa *Casparis Sturmii*, Fecialis sive Heraldi Cæsarei, cognomento *Germaniæ*, ejusdem qui Lutherum Wormatiam duxerat, & tunc fœderatis Principibus aderat, Relatio Germanica de expugnatione arcium Sickingii & fœderatorum aliorumque; poema etiam Latinum Heroicum *Bartol. Latomi* Trevirensis, quod Jesuitæ ob aculeos in Lutherum & Sickingium mire sibi probatum, Chronicis suis inseruerunt. Majora odia & contumeliæ Luthero ingruissent, si causa Sickingii directe ad religionem spectasset, nec ille præter Moguntinum, etiam Luthero palam infestos, interque eos Lotharingiæ Principes, & Abbatem Prumiensem, aliosque in partibus, aut clam faventes habuisset. *Adrianus* Papa gratulatus est de victoria Richardo per epistolam, quam referunt Jesuitæ supra nominati *dicto Lib. XX.* in qua inter alia *delectari se* asserit Pontifex, *ita emicuisse virtutem Richardi, ut* intelli-

(2) *Ejus epistola de religione.*

(3) *Lutherus ab ejus societate innocens.*

(4) *Descriptio Sickingii ex Marcello.*

(5) *Expeditio Sickingii contra Trevirensem Electorem.*

(6) *Clades Sickingii a Principibus fœderatis.*

(7) *Scripta & judicia de illa, atque alia quadam.*

An. 1523.

intelligerent & sentirent improbi, summi Dei sacerdotes etiam ad res magnas temporales gerendas idoneos inveniri, quanquam nollet opus fuisse armis; sed si arma necessaria sint, non esse illa repudianda, præsertim si ad conservationem veræ & sanæ Christi fidei & ad Reipublicæ Christianæ utilitatem sumta fuerint. Sickingii filius, *Franciscus Conradus* restitutionem bonorum postea impetravit, Imperatoribus charus, & negotiis imperii adhibitus, nepos *Reinhardus* literis primus ex familia operam dedit, & Cameræ Spirensis assessor fuit. Huic *Henricus Schwebelius*, Cancellarius Bipontinus, *epistolas centum* ad patrem suum, sæpe dictum Johannem, ab aliis Theologis datas anno 1597. dedicavit. Honoratus etiam nostro tempore cubicularii Cæsarei titulo vixit *Franciscus Baro Sickingius. Varillasius* in nupera *de hæresibus* historia *Lib. IV.* Maimburgii diligentiam superaturus, de Sickingii pro Luthero consiliis & gestis, mira & nec a Poeta illo maledico asserta, nec a Jesuitis memorata refert, quæ, donec idoneis autoribus probentur, in medio jacent. Constat autem bello illo pro vera sanaque fide nihil, parum etiam pro Romana effectum esse.

§. CLI.

(1) *De Joh. Hesso pastore Uratislav.*

Dixi supra de progressu doctrinæ Lutheranæ variis in locis, speciatim *Uratislaviæ*. Hic probante non solum populo, sed & Episcopo, Jacobo a Salza, *Johannes Hessus* Norimbergensis, Theol. Doctor Luthero valde charus, Pastor ædis S. Mariæ Magdalenæ constitutus; mense Octobri 1523. concionari cœpit. Dum vero Senatum jam antea Adrianus Papa, Lutheranismi causa, per literas acriter increpasset, nec deessent, qui Hessi adsumtionem diffamarent, Apologiam amplissimam Senatus edidit, in qua defectus priorum Pastorum ad vivum descripsit, suique facti rationes graviter exposuit.

(2) *Apologia Senatus Uratislaviensis.*

Allegant inter alia constitutionem Leonis Imp. ex Tit. Cod. *de Ep. & Cler. L. si quicquam 31.* Queruntur, *tot annis pro Christi Evangelio Thomam, Scotum, Aristotelem, Christianis auribus instillatum esse, alios parochos saltem loculis & marsupiis consuluisse, & in operculum suæ carnis & impietatis sacras literas detorsisse; se vero in Hesso pastorem, Episcopo suo consentiente, quæsivisse, qui incredibili fiducia & alacritate verbum Domini & impervestigabiles ab humana prudentia divitias ejus, & communionem mysterii absconditi a seculo decantet, immarcessibili fructu verbi divini pascat ac nutriat vivos, defunctos vero in Domino pie sepeliat, non ut prædecessores, quibus una opera fuisset inhiare lucro. Nam,* ajunt, *sive nasceretur, sive moreretur aliquis, omnes erant tributarii & vectigales parocho, ut multa millia gratiarum & indulgentiarum nomina, remissionem peccatorum præ se ferentia, atque id genus alia pastorum nostrorum commenta taceamus. Quod vero omnium miserrimum, mortui plus vivis censebantur, ut credibile sit poeticum illum Charonta in transportandis mortuis mitiorem fuisse, quam nostros parochos in sepeliendo. Huic malo remedium se a Rege Bohemiæ Domino suo, & hujus intercessione a Pontifice frustra* (scribunt) *quæsivisse; sed ab hoc responsi loco Lutheranismum sibi exprobratum fuisse.* Integra hæc apologia lectu dignissima refertur a *Sculteto in ann. 1523. p. 148. seqq.* Hoc etiam tempore Goldbergæ in Lignicensi Silesiæ Ducatu, Schola illustris erecta fuit, accitis Wittenberga præceptoribus, ex quibus inclaruit *Valentinus Trocedorfius.*

An. 1523.

ADDITIO.

(a) *Litera Lutheri ad Episcopum Uratislav.*

Mortuus erat paulo ante Episcopus Uratislaviensis *Johannes Thurzo*, illustri in Pannonia familia natus, renascenti Evangelii doctrinæ admodum favens. Ad hunc jam lethaliter decumbentem, epistolam Lutheri 3. Kal. Aug. anno 1520. scriptam refert *Scultetus* in *Annalibus evangelicis* istius anni *p. 60.* his inter alia verbis: *Ego sane fateor, & me nonnihil, immo multum cum Reverenda Paternitate Tua ægrescere, quod Ecclesia Dei compatior, cui proh dolor, rari dantur, qualem R.P.T. dedit, Episcopi, cum nunquam magis eguerit talibus. Cæterum confido, quod manus ejus percutiet, & sanabit: atque qui R.P.T. tam insignibus ornavit dotibus, non deerit, ut det virtutem fortitudinemque omnia constanti, Christiano, Episcopalique animo ferendi, & standi in omnes sanctas voluntates ejus. Si vita negabitur Ecclesiæ, prosit mors. Potens autem est, tam ex vita quam ex morte R.P.T. Ecclesiam suam juvare, pro divitiis bonæ voluntatis suæ. Non hoc scribo, quod necessarium arbitrer, animum tuum confortari in Domino, (quanquam quis est tam fortis, qui non egeat vel minimi fratris solatio?) sed quod communia nobis omnia voluit & fecit is, qui pro nobis omnia factus jussit, ut alter alterius onera portaret; ne ullus fidelis suus solus viveret, aut solus moreretur, sed in communione sanctorum securus per omnia ageret & pateretur. Itaque quantum nos contristat communis Tuæ Paternitatis ægritudo, aut, si Dominus velit, etiam futura mors: tantum nos rursus lætificat, quod nec sola patitur, nec sola vivit anima tua, sed vivimus & patimur cum illa, & cum omnibus Jesus Christus, medium cordis nostri, in quo sancte valeat R. P. T. & meæ temeritati ignoscat.*

(b) *Melanchthonis ad eundem & alia quædam de Episcopo.*

Adducit & aliam *Scultetus* biduo post a Melanchthone scriptam *p. 61.* in qua hæc leguntur: *Victus hominis amici consilio, hoc, quicquid est, literarum scribo: ac Reverendæ Paternitati tuæ simul mea studia, & hunc animum laudibus tuis impense faventem addico. Quis enim ei non faveat? qui unus nobis, quod sciam equidem, in Germania Episcopi παραδειγμα absolvisti, autoritate, literis ac pietate. Quod, si haberet Christiana Respublica, ut ille Rex Homericus ait, decem tui similes συμφράδμονας, non dubitarem, renasci aliquando Christum.* Sed neutra epistola Episcopo reddita fuit, decesserat enim postridie Cal. Aug. id Lutherus postea 3. post Martini 1520. ad *Linccium* scribens, his verbis memorat: *Eadem fide* (in Christum) *Episcopus Uratislaviensis obiit, omnium Episcoporum hujus seculi optimus.* Extant duæ ad eum *Erasmi* epistolæ anno 1519. & 1520. scriptæ *Lib. V. 34.* & *Lib. XV. 2.* una itidem Episcopi ad Erasmum, elegantis styli, qua munera quædam ei insinuat. *Lib. XV. 1.*

(c) *De Hesso & Moibano Uratislav. concionatoribus.*

Cæterum de *Joh. Hesso* qui Canonicus prius, dein pastor Uratislaviensium fuit, paucis notandum, Norimbergensem fuisse, Theologiæ doctorem. Primam concionem habuit d. 25. Octobr. 1523. collega ei datus est *D. Ambrosius Moibanus* Uratislaviensis, cujus libellum quendam anno 1537. editum præfatione ornavit Lutherus *Tom. VI. Altenb. fol. 1109.*

(d) *Disputatio Hessi cum adversariis, & Lutheri de ea epistola.*

Hessus anno sequenti 1524. de fiducia in solum Deum & contra sacrificium missaticum, tum pro matrimonio Cleri, publice per octiduum disputavit, adjutus a Valentino Trocedorfio. Felicem successum hujus disputationis memorat Lutherus in epistola ad Spalatinum, *frustra*, ut ait, *resistentibus tot legatis regum & technis Episcopi:* Ipsum vero Hessum jam anno 1522. m. Mart. *Evangelistam factum esse*, & principem ejus (nescio an Episcopum an ex Silesiis alium,) ob zelum pro Evangelio commendat. In eadem epistola monet, *fidem prius & charitatem urgendam esse apud auditores, nec ad communionem sub utraque solum* (quod vulgo fiebat) *festinari debere, cum fides, non utraque species, faciat Christianum. Damnandus est Papa,* ait, *qui lege posita sustulit alteram speciem adversus Evangelium, sed nec nos laudandi sumus, si charitatem & fidem*

An. 1523.

dem omiserimus, quantumlibet juxta Evangelium utraque specie potiti fuerimus. Postea anno 1524. eundem jam Pastorem ad constantiam adversus persecutiones hortatus erat, scribens: *Ascendisti in navem cum Christo, quid expectas? serenum? imo ventum, & procellas & fluctum navem operientes ut mergi incipiat; sed hoc baptismo baptisandus prius es, tum sequetur serenum excitato & implorato Christo* &c. Hesso filius fuit *Paulus* Medicus & Professor VVittenbergensis; sed ex filiabus una infeliciter elocata est *Friderico Staphylo*, qui a religione Evangelica defecit & immanibus calumniis in eam grassatus est. Defuncto Hesso anno 1547. Melanchthon Græcum scripsit Epitaphium. vid. *Adam. in vitis Theolog. p. 183. & seqq. Luth. Lib. II. Ep. p. 57. 205. 240.* Extant in collectaneis *Bavari Tom. II. a p. 594. ad 619.* Melanchthonis epistolæ ad Joh. Hessum, plus minus octodecim, quarum non nisi prima in compilatione *Peuceriana, edit. Londin. Lib. III. ep. 126.* excusa est. Multa tamen ex literis illis notatu dignissima sunt. *Gratulatur inter alia ei plus una vice de munere pastorali, bonisque instruit monitis, ut agat rem Evangelii, in ceremoniis moderationem teneat, exemplo Apostolorum, qui triginta circiter annis ad imbecillitatem eorum, qui ex Judæis credebant, connivere voluerint. Indicat ad dextram & sinistram in his peccari, & raros esse, qui regia via, quam requirit Scriptura, ingrederentur. Item: *potissimum* scribit *excubes, ne te furor multitudinis & plausus vulgi, qui jam aliquot concionatores fefellit, evertat. Mihi crede, nihil est difficilius, quam multitudinis studium vincere.* Scripsit ista circa tempora Carolostadii & Munzeri.

§. CLII.

(1) *De concionatoribus quibusdam Evangelicis.*

Moguntia relicta Argentoratum venerunt *Capito* & *Hedio*; Weissenburgo *Bucerus*, quos tamen in articulo de Sacramento Helvetiis adhæsisse, postea apparuit. De *Cellio* supra dictum fuit. Lepidum est, quod Gerbelius Argentorato d. 21. April. Schvvebelio scribens, de *Antonio* Pastore in æde S. Thomæ refert, quod eodem die elegantis formæ concubinam aliquot annis habitam, in templum S. Laurentii multo comitatu duxerit, & solenni ritu sibi jungi fecerit, concionante ad plebem in matrimonii commendationem Cellio, & quodam ex populo acclamante: *Recte fecit, Deus det illi mille bonos annos. Seehoferus*, cujus itidem supra mentionem feci, ab Ingolstadiensibus ad palinodiam coactus & in monasterium detrusus, ex eo se subduxit, & Wittenbergam venit, inde in Borussiam missus, sed postea in Sveviam rediens Augustæ & Winidæ, scholis & Ecclesiis præfuit.

(2) *De Paulo Sperato aliisque Borussiæ doctoribus.*

Paulus etiam *Speratus* sive *Spretter*, nobili in Svevia loco natus, cum Augustæ, Herbipoli, Salzburgi & Viennæ docuisset, in Moravia (illuc ad eum scripta Lutheri Epistola habetur *Lib. II. Epistolar. p. 71.* anno 1522.) Iglaviæ ab Olomucensi Episcopo vincula passus, indeque elapsus Wittenbergam sub finem hujus anni 1523. vel sequentis initio venit, jam quadragenarius. Hunc Lutherus missum Alberto Brandenburgico, Borussiæ Principi, & Joh. Brismanno Cotbusiensi Lusato, qui Franciscanus fuerat, & Regiomonti docebat, commendavit, ubi receptus, & postmodum *Pomezanensis Episcopus* factus est. Is Poesi Germanicæ operam dans inter alia composuit canticum de justificatione, in Ecclesiis Protestantium notissimum: **Es ist das Heil uns kommen her** *rc.* Tertius inter primos Borussiæ doctores Evangelicos fuit *Johannes Poliander*, Eccii in disputatione Lipsiensi amanuensis aut famulus; non minus celebris hymni (**Nun lob meine Seel den HErrn**) qui Psalmi Lat. 104. paraphrasis est, autor. *Petrus* (alii Johannem vocant) enim *Amandus*, qui cum Brismanno in Borussiam venerat, ob vehementiam animi & lingvæ non diu ibi substitit.

(3) *De Casp. Aquila.*

Ex partibus Rheni post cladem Sickingii, dissipatis, quos ille fovebat, Evangelii præconibus, *Caspar Aquila* Augustanus, Isenacum venit, ibique docere cœpit, ita ut radii reformationis e Saxonia in superiorem Germaniam emissi, nunc quasi repercussi in Saxonica ditione effulgerent.

ADDITIO I.

(a) *Narrationes de cantico Sperati.*

Duæ historiolæ de effectu cantici a *Sperato* compositi, non displicebunt lectoribus, quas ex *MSS.* annoto. Cum id *Speratus* in Prussia composuisset, & vulgo, ut solet, innotuisset; mendicus quidam ex illis partibus VVittenbergam veniens sub fenestra domus Lutheri illud cantavit. Lutherus auscultans & novum esse observans, cum non satis intelligeret, repeti jussit; rectius itaque percipiens & de autore ejus edoctus non sine lacrymis gratias Deo egit, ob veritatem etiam per cantica istiusmodi tam late longeque propagatam. (2.) cum Fridericus II. post mortem fratris Ludovici anno 1544. in Electoratu Palatino successisset, & Evangelii quidem doctrinam ex Bucero (qui ei a concionibus olim fuerat) satis didicisset, verum metu Imperatoris, & fratris defuncti exemplo, innovare aliquid publice in cultu nondum auderet, subditi tamen eo inclinarent, factum est anno 1546. *Heidelbergæ*, in primaria æde *S. Spiritus*, dum Missa pro veteri more celebraretur, ut populus sua sponte clara voce hymnum illum Sperati, **Es ist das Heil uns kommen her**/ canere inciperet. Veritus ergo perspecta populi mente tumultum, & ne agnatus *Otto Henricus*, qui tum domicilium Heidelbergæ habebat, Evangelio favebat, & postea in Electoratu successit, gratiam illam in se derivaret, indulgere cœpit, ut Missæ non Latine sed Germanice dicerentur, & S. Cœna sub utraque distribueretur. Hoc, teste *Altingio*, principium publicæ mutationis in Palatinatu fuit, de cujus progressu in sequentibus dicendum veniet. Ex cantico ipso, quod ut alia rhythmo Latino utcunque expressit ante annos plus centum *VVolffgangus Ammonius* Dunckelspühlensis Ecclesiastes, quædam apponam:

(b) **Contenta quædam cantici.**

Venit salus ex gratia
Dei mero favore,
Nil facta conferunt pia
Nec quem valent beare.
Christum fides sed aspicit,
Hic omnibus nobis luit
Factus sequester ultro. &c.
Coram Deo mox justus est
Hanc qui fidem prehendit,
Per facta quæ tamen fides
Ex corde tum resplendet,
Fides quiescit in Deo,
Dat charitas se proximo
Si sis Deo renatus. &c.
Ceu fonte profluunt fide
Quæ facta sunt probanda,
Abest fides si pectore,
Nec facta sunt probanda.
At sola nos salvat fides,
Sunt facta proximi comes
Quibus fidem probamus.

ADDITIO II.

(a) **De Joh. Brismanno.**

Johannis Brismanni Doctoris Theol. Franciscani concio in patria Gotbusii, antequam ex ea abiret, anno 1523. habita, ex Bibliotheca Gothana ad me missa est, quæ insigne compendium Evangelicæ doctrinæ, quam docuisse se refert, exhibet, & simul apologiam adversus **Jacobum Suedericum** Ibigaviensem (*Ubigau* Saxoniæ Electoralis oppidulum) itidem Doctorem & ejusdem ordinis monachum. Operæ pretium est quædam ex concione ista Latine versa producere, ut pateat, quam sedulo jam tum calumniæ occursum fuerit,

ac si

An. 1523.

(b) *Excerpta ex ejus concione Cotbusiensi.*

ac si adserta justificatione per solam fidem, virtutum Christianarum exercitium tolleretur. Postquam enim primarium illud de justificatione dogma stabilisset, ita pergit: *Juxta fidem etiam charitatem proximi docui, quæ ex fide oritur, ut fructus ex arbore; impossibile enim est, ut fides absque dilectione proximi maneat: Sicut enim cordiali fiducia, per fidem vivam Deus amatur, ita & in proximum amor nascitur, ut ei verbo & opere, autoritate, opibus, immo corpore & vita serviamus, hoc enim est præceptum Christi Joh. XIII. 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos &c. O quam altam nobis metam Christus præfixit! In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Novum est mandatum, quod non terret & conturbat homines, sed ostendit quid novi homines, qui absque operibus per fidem justificati sunt, facere debeant, amare nempe proximum absque coactione legis, ex affectu intimo cordis. Duo itaque hæc puncta docui, fidem & charitatem conjunxi, nequeunt enim separari, nec fieri potest, ut fides non continuo ad honorem & gloriam Dei, & proximi commoda operetur. Sicuti enim per fidem in Christum intras, & per Christum ad Deum, ita per amorem exire debes ex Christo ad proximum tuum, ut illi benefacias, servias, consulas, opem feras, omnibus viribus, sicut tibi fecit Christus: dicit itaque Joh. X. 9. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur & pascua inveniet.* Hæc est Brismanni hujus hæresis, ob quam patria expulsus fuit, ut in longinquis regionibus salutarem propagaret doctrinam. Fatetur autem in hac ipsa concione, *se per annos duodecim in Theologiæ Scholasticæ rixis demersum Evangelio vehementer restitisse, donec miseratori Deo placuerit, ut ex sophismatum cœno illum educeret.*

ADDITIO III.

Aquila qui Isenaci concionatus fuit, postea *Superintendens Salfeldensis* factus est. Duos Monachos, Franciscanum unum, Carthusianum alterum, abusus & errores Pontificios publice anno 1522. Isennaci perstrinxisse, ex MS. refert *Scultetus d. an. p. 132.* Anno sequente *D. Jacobus Straus* vehementius concionatus est, a Decano & Capitulo ob id apud Johannem Ducem Electoris fratrem accusatus, *Scult. p. 163.* ubi *archivum Isennacensis Ecclesiæ* allegat. Copiam historiæ MS. ex archivo Eccl. Isenac. factam mihi esse, supra professus sum, sed in ea paucula inveni ad hos annos pertinentia: autor enim prolixior est in narrandis maxime iis quæ post adventum Amsdorffii anno 1550. acciderunt. De *Caspare Aquila* nihil reperio. Inter primos Evangelii præcones memorantur *D. Jacobus Straus* & *Thomas Neuenhagen*, qui, ut *Reg. N. fol. 54. n. 8.* invenitur, VVurzensis parochiæ conventor (id est, conductor) cum Bullam Leonis anno 1520. publicare nollet, Episcopi Misnensis jussu in vincula conjectus, sed, nescio quomodo, post mensem ex illis elapsus VVittenbergam venit. Et *Straussius* quidem jam anno 1523. contra purgatorium & alia ejusmodi concionari cœpit, non tamen sine erroribus: purior fuit, licet eruditione inferior *Neuenhagius*. Utrumque discimus ex Lutheri ad hunc epistola, cujus quanquam serius, id est, anno 1526. scriptæ, contenta huc referre visum est: *Locutus sum cum Georgio parocho tuo, de his quæ postulasti, mi Thoma, placetque ut libertatem Evangelicam verbo tractes, tum ceremoniis prorsus libere utaris, contemto Satana cum suis contentiosis, sciens quoniam Satan est: denique malo te, in despectum Straussii, Straussianorumque excedere in hanc partem, quam uno digito illis in suam partem cedere. Quod si in te multa blaterent, tu fortiter contemne, ac neque audias, neque noris eos. Imparem te & longe Straussio inferiorem jactabunt: hoc tu pro laude ducas, & Deo gratias age, quod pernicioso, contentiosoque, denique seditioso dissimilis traducaris. Tu servito Christo, ille Satanæ servit, tantum verbo conscientias libera. Serva & id diligenter. Indignæ sunt ceremoniæ, ut propter eas contendamus, tamen ne contentiosis subjiciamur, fortiter contra eos sunt servandæ. Vale & ora pro me, cætera Georgius. 3. Septembris anno 1526.* Extant ad Straussium duæ in Bibliotheca Jenensi Lutheri epistolæ MS. prima absque die & anno, altera anno 1524. d. 25. Aprilis adscriptus est. Vocat eum in titulo *servum Christi in verbo Dei Isenaci, item fratrem Christi fidelem & Evangelistam populi Isenacensis & fratrem charissimum.* Disputat cum eo de usuris & rigorem illius improbat iis argumentis de quibus supra ad §. *CXXXIIX.* dictum aliquid est, & cavere eum jubet, ne vulgus ad licentiam concitet. Præsagit Lutherus, quæ anno sequenti Isenaci acciderunt, cum *Straussius* iste furenti plebi, non eo, quo debebat, modo præivit, eaque præcipitantia sua meruit, ut Vinariam ductus in custodiam conderetur. Carthusianus ille, cujus *Scultetus* (allegans *Chronic. Thuring. MS.*) *in anno 1521. pag. 132.* meminit, *Henricus Plunderus* vocabatur, in monasterio *Hieronymi* nomen gesserat. Ita refert *Rebhanius* in *MS.* & ex epistola ejus anno 1523. ad Priorem Norimberg. edita quædam excerpsit. In illa expostulavit cum Priore, quod ob Lutheranismum & egressum ex monasterio sese infestaret, cum tamen ipse Prior Erfurti dixerit: *Se Lutheri libris carere nolle, etsi totum Romanum Imperium lucrari posset.* Dein ita loquitur: **Wann unsere Statuten gleich aus und in der Schrifft gegründet wären / so solte man doch aus den Clöstern gehen / und die verwüsten / von wegen des grossen Hasses und Neides / und anderer ungenanten Sünde und Schalckheit / so in denen Orden und Clöstern sind / ohn allerley wunderliche Anfechtung. Wann es die Leute wüsten / wie es zugehet / sie liessen uns nicht eine Stunde leben / und es müste kein Stein auf dem andern bleiben. Dieweil sie aber nur den äusserlichen Schein ansehen / so gefällt es ihnen wohl. Denn wir sind (als du wohl weist) gleich als die gemahlten Gräber / welche auswendig hübsch scheinen / aber inwendig sind sie voller Todten-Beine und Unflats.** Matth. 23. id est, *Etsi statuta nostra fundamenta in Scripturis haberent, relinquenda tamen essent monasteria, immo vastanda, propter maximam æmulationem, & invidiam, & peccata, & scelera infanda, aliasque tentationes varias & miras. Si homines scirent, quomodo in iis viveretur, ne ad horam quidem vitam nobis concederent, neque lapis supra lapidem relinqueretur. Quia vero externam saltem speciem respiciunt, placet ea illis. Sumus autem (ut tu optime nosti,) sicut sepulchra dealbata quæ a foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Matth. XXIII.* Quam vera ista tunc fuerint, aut etiam nunc hodie sint, nolo odiose disquirere; Deo & conscientiæ omnia patent.

(a) *Litera Lutheri ad Neuenhagium.*

(b) *Item ad Straussium.*

An. 1523.

(c) *Henrici Plunderi dictum.*

§. CLIII.

(1) *Egressus virginum ex monasterio Nimptschensi.*

Cœperunt hoc anno virgines, magna quidem cum invidia Lutheri, monasteria deserere. Exierunt enim adjutæ a *Leonhardo Coppe*, Senatore Torgensi, aliisque honestis civibus ex Niemitschensi cœnobio, (*Nimptschen* prope Grimmam) ipsa sancta septimana, quam vocant ante Paschatis festum, novem, nobili omnes genere natæ, quas in tractatu ad Coppenium illum edito, & in epistola ad Spalatinum data (*Tomo II. Altenb. fol. 310. & Lib. II Epist. p. 131.*) Lutherus nominat; inter has erat *Catharina de Bora*, quæ post biennium ei nupsit. Elector dissimulavit factum, & ab eo largitio quædam ad alendas illas non nisi clanculum petita, aut præbita fuit. Vide *d. l. ep. p. 134.* In tractatu vero, de quo dixi, Lutherus breviter rationes exponit, cur nec virginum, nec Coppenii eas juvantis factum reprehendi debeat, scandali culpa in adversarios rejecta. Taxat inprimis stultorum parentum & aliorum, qui puellas in monasteria trudunt, consilia, quodque putent illas castitatem bona mente servare, & tentationibus resistere posse, cum verbi divini instructione in claustris illis careant: dein donum continentiæ rarissimum in tot monasteria, & in tantum fœminarum

numerum

An. 1523.

numerum a Deo profundi incredibile esse tradit; immo tam singulare æstimari debere hoc donum, ut vix sine tentatione Dei, preces, nisi caute, pro eo impetrando fieri possint, nedum ut voto & juramento aliquis id acquirere, aut se ad id obstringere præsumat. Non multo post sedecim aliæ virgines ex cœnobio Widerstetensi in Mansfeldensi comitatu egressæ sunt. *Lib. II. epist. p. 139.* Læta hoc anno 1523. Luthero fuit cœpta in collegio Canonicorum Wittenbergæ mutatio, quam dudum exoptaverat, sæpiusque non sine importunitate aliqua per Spalatinum flagitaverat, ut nempe Elector inhonestis Canonicorum moribus & cultui Missatico, quem retinebant, remedium poneret. Vide *Lib. II. Ep. p. 111. 126. 134.* ipsos quoque Canonicos epistolis acribus adhortatus est. Vide *Tom. II. Alt. fol. 355.* Interim cunctante, ut solebat, Principe, mors unum & alterum Canonicorum sustulit, qui reformationi renitebantur, aut eam oscitanter curabant. Vide *Lib. II. Ep. p 148 b.* Dolschius etiam obierat, cujus supra aliquoties mentio facta est, cujusque scriptum pro Luthero adversus Alfeldium Franciscanum *Tomo II. Lat. Witt. fol. 213.* extat. Sublecti inde alii fuere melius animati, *d. Lib. II. Ep. p. 135. b.* eosque cum consilium peterent, quæ reformare & corrigere debeant, aut quæ ex veteri ritu sine peccato servare possent, Lutherus pie & placide informavit, Epistola mense Augusto ad illos scripta *pag. 153.* quamvis post biennium demum junctis Academiæ & Senatus oppidani consiliis, mutationem pleniorem obtinuerit, ut ex Actis apparet: valido cum argumento, quam nihil vi actum sit, Lutheri svasu. Vide *Tomo II. Altenb. f. 849. 851.* Laudat Lutherus etiam Abbatem Hersfeldensem *Lib. II. Ep. pag. 140.* quanquam Romanarum partium, quia exeundi monasteriis libertatem Monachis & Monialibus permittebat: & cum eo tempore Linccius Augustinianus Vicarius, qui Norimberga Altenburgum in Misniam patriam suam (Colditii enim natus fuit) venerat, ibique pastoris munus exercebat, uxorem duxisset, pro miraculo id habet, & gaudere se scribit, *quod tanti viri nomen stultum fiat, in confusionem falsæ continentiæ. d. l. ep. p. 135.*

(:) Emendatio in Ecclesia omnium Sanctorum VVittenbergæ.

ADDITIO I.

(a) Errores Varillasii notantur.

Confunditur hoc Cistertiensium monialium claustrum *Nimpschen* cum *Niemeccensi*, haud procul VVittenberga, quod erat *Canonicorum regulatium S. Augustini*, sed incorporatum *Petersbergensi* cœnobio. *Varillasius Lib. VI. p. 6.* pro sua in rebus germanicis imperitia *Vimigbe* vocat, & duobus a VVittenberga milliaribus collocat, cum id, ex quo novem virgines exierunt, ad Muldam jaceat, prope Grimmam, bidui a VVittenberga itinere; sed leve hoc est ejus erratum, si cum aliis conferatur, quæ ibidem committit. Fingit enim nullo idoneo autore, quæ de relaxata monialium disciplina memorat; & *Coppenium Præpositum (Prevost) Scholarium VVittenbergensium* vocat, quale munus aut nomen in Academiis Germaniæ insolens & inauditum est; neque Coppenius VVittenbergensis erat, sed Torgensis civis & senator. Quicquid porro de conspiratione inter Lutherum & liberatores virginum, & de pompa triumphali, qua VVittenbergam ductæ fuerint, refert, aut ipsius mera commenta sunt, aut ex frivolis aliorum figmentis hausta. Falsissimum quod *Catharina Boria* pulcherrima inter eas, & ad Lutheri conjugium destinata fuerit; nihil minus enim tunc quam nuptias cogitabat Lutherus, ut probatur ex iis quæ §. *CLXXXII.* adduxi. *Lib. I.*

An. 1523.

(b) Lutheri de virginibus narratio.

Adscribo relationem Lutheri de adventu virginum ex epistola ad Spalatinum die Vener. post Pascha 1523. data: *Lib. II. Epistolar. p. 131. Ad me venerunt novem istæ apostatæ Moniales, vulgus miserabile, sed per honestos cives Torgavienses advectæ, nempe per Leonbardum Coppe & fratruelem suum, & VVolffium Tomitsch, ut nihil ibi sit suspicionis iniquæ. Miseret me illarum valde, maxime autem & aliarum, quæ ubique in tanto numero pereunt maledicta & incesta illa castitate. Sexus iste per sese longe infirmissimus, & ad virum natura immo divinitus conjunctus tanta crudelitate separatus perditur. O tyrannos, o crudeles parentes & cognatos in Germania! Sed te Papa, & vos Episcopi quis digne maledicat? Quis vestram cæcitatem & furorem talia docentem & exigentem satis execretur? Sed hic non est locus. Quæris quid cum illis agam? Primum cognatis significabo, ut eas suscipiant, qui si nolint, curabo eas alibi suscipi. Nam est mihi promissio facta ab aliquibus, aliquas etiam matrimonio jungam, ubi potero. Sunt autem hæc earum nomina, Magdalena Staupitz, Elsa de Canitz, Ave Grossin, Ave Schonfeld, & soror ejus Margaris Schonfeld, Laneta de Golis, Margaris Zesschau, & soror ejus Catharina Zesschau, & Catharina de Bora. Tales sunt quibus opus est misericordia vere, in quibus Christo servitur, satis autem mirabiliter evaserunt. Te autem oro, ut & tu opus charitatis facias, & pro me mendices apud aulicos tuos divites aliquid pecuniæ, qua eas ad octiduum, vel quindenam aliquam alam, donec eas commode suis cognatis aut meis promissoribus tradam.*
Quam parum vero constet sibi Historicus hic hæresium, & quam plane nihil nisi ficti & falsi de *Catharina* illa cognitum habuerit, non possum non ex ipsius verbis (*Libr. VII. p. 86.*) referre, ubi de nuptiis Lutheri, (alieno quidem tempore, nempe anno 1526. cum ad annum 1525. pertineant) inter alia non minus putida hæc narrat: *Catharina de Bora Abbatissa Misniæ, illustri genere nata fuit, sed tam inops, ut eam pater, non habens unde dotem daret, in Monasterium Misniæ abdiderit, ipsa non sponte sed ex desperatione consentiente. Assveta tamen monasticæ vitæ progressu temporis fuit, & solatium habuit tum ex sodalitio paris conditionis virginum (quia fundatio monasterii alias non admittebat) tum quod parentes ambitioni illius satisfacturi Abbatissæ munus illi procuraverant. Sed occultatur potius quam extinguitur affectus prædominans. Quamprimum enim Abbatissa comperisset Lutherum librum edidisse de nullitate votorum, legendi ejus desiderio capta est, lecto vero libro etiam autorem videre cupiit. Apparet ex prioribus Lutheri epistolis, quæ publicata sunt, illum statim ab initio separationis suæ ab Ecclesia, de matrimonio cogitasse. Cum vero pauperem se esse, nihilque unde viveret, habere sciret, quam stipendium Electorale, pro impossibili habuit, opulentam uxorem invenire. Contentus itaque erat pulchritudine & genere, quod in aula potens esset, si Elector moreretur, nec frater ejus successor eodem favore illum prosequeretur. Hoc fine frequenter Catharinam visitavit; quæ sero nimis animadvertit, laborem sese informandi, quem Lutherus susceperat, non esse purum. Certe Lutherus ut tempus eundi VVittenberga Misniam lucraretur, consultius putavit ut amicam Misnia VVittenbergam transferret. Neque plus fecit vivente Electore, sed inter primas conditiones, quas cum Johanne Friderico fratre & successore hujus Principis iniit, hæc fuit, ut nuptias cum Abbatissa impetraret.*
Quid ineptius & falsius cogitari aut referri potuisset, equidem ignoro. Fieri tamen divina benignitate credo, ut scriptores isti, qui nullum aliud quam calumniandi studium, quo veritati religionis noceant, habent, ne in indifferentibus quidem rebus ab insulsissimis mendaciis abstinere possint. Horum sane enorme & monstrosum specimen hic exhibuit autor. Dixerat, ut notavi supra, Boriam ex *Vimiguensi* (ita ipse nominat, & situm indicat, quanquam nullum tale unquam fuerit) raptam, & ob pulchritudinem Luthero destinatam esse anno 1523. oblitus istius relationis, post pagellas 80. jam ex Catharina, quæ modico & fere obscuro, equestri licet, genere nata fuit, illustrem & Abbatissam fecit, & propinquis subnixam, qui in-

(c) Falsa Varillasii de Catharina Boria narratio.

(d) Ejus refutatio.

An. 1523.

in aula potentes essent. Monasterium in quod concesserat *Misniam* vocat, quod provinciæ non urbis nomen est, hanc enim omnes non *Misniam* sed *Misnam* appellant, nisi tam ineptus est, ut Moniales in Misnia provincia unicum saltem cœnobium habuisse existimaverit, in qua ad triginta fuerunt. Esto tamen ut oppidum intellexerit, quia eo VVittenberga commeasse fabulatur Lutherum, sed nihil etiam hoc imperitius dici potuit; Misna enim suberat partim Episcopo, partim Georgio Duci Saxoniæ: Luthero autem nihil magis tunc cavendum fuit, quam ne vel semel, nedum frequenter in ditione Georgii (a quo vix VVittenbergæ tutum se esse non semel questus est) conspiceretur, multoque magis ne ad corrumpendas sub informationis specie moniales evagaretur. Quod vero ex Lutheri Epistolis prioribus & ab initio secessionis publicatis scilicet usque ad annum 1525. propensionem ejus ad nuptias apparere statuit, falsissimum, magnoque indicio est autorem epistolas Lutheri, quas tam confidenter allegat, non legisse: quomodo enim fugere eum potuissent, quæ prorsus in contrarium scripsisse Lutherum omnes deprehendent, ut paulo ante allegavi: aut quæ major posset esse malitia, si legit, ut contraria tam impudenter ex illis eliciat. Quam improviso vero consilio ad nuptias cum Boria, quas pro alio sollicitabat, progressus sit Lutherus, ex *Camerario*, gravi autore & minime suspecto, retulit in Lutheri vita *Melch. Adamus p. 130.* item *Abrahamus Scultetus*: & a me in tempore recensebitur. Una est epistola ejus ad Spalatinum *Lib. II. p. 280.* duobus ante nuptias mensibus, nempe fer. 2. post Palmarum 1525. data, ex qua quædam ad matrimonium propensio colligi posset, ait enim *cur non procedis ad conjugium*, (agitabat id tunc, sed non sine magna trepidatione & tentatione Spalatinus) *cum tot ego argumentis alios urgeam ut ipse pene movear, cum non cessent hostes hoc genus vitæ damnare, & nostri sapientuli quotidie idem ridere?* sed per hæc non nisi accommodare se Spalatini afflictioni, illique animum addere voluit. Ad *Varillasium* redeo. Summæ inscitiæ est, quod de impetrata ducendi fictitiam hanc Abbatissam licentia a *Joh. Friderico* subjungit, quem fratrem Electoris Saxoniæ, Friderici nempe, & successorem facit, cum fratris filius fuerit, nec nisi octavum post annum, mortuo patre Johanne (is enim Friderico fratri successit) ad Electoratum pervenerit. Quis insicitam hanc fingendi proterviam hominis non detestetur, tot falsa & se invicem destruentia orbi literato obtrudentis, idque sub *Regii historici titulo & magni Ecclesiæ Prælati* patrocinio, accepta etiam scriptionis mercede. Huic si credas, duæ fuerunt *Catharinæ Boriæ*, altera *Vimiguensis* (ex Utopia scilicet) monialis, equestri; altera *Abbatissa Misnensis* ex illustri & potenti genere nata. Lutherus utramque amavit, illam sibi destinavit, & raptum ejus per *Coppenium* procuravit, hanc aulico more, (quasi id monacho & Abbatissæ liceret) frequenter visitavit inter VVittenbergam & Misnam, bidui scilicet itinere ex Electorali, ubi tutus erat, in ducalem ditionem inimicissimam, sæpe commeans, spretoque periculo, quod ei a Principibus Misnæ Ecclesiastico & Politico imminebat: audaces enim ad usque miraculum esse solent heroes illi Venerei, quorum fabulæ in Gallia effabricantur. Denique hoc autore *Joh. Fridericus*, jam anno 1526. Elector fuit, quem totus orbis non nisi post annos octo, mortuo Patre, pro tali agnoscit. Crebro quidem errant homines, etiam qui bona fide scribunt & quam possunt adhibent diligentiam, neque a me ipso, utcunque veritati ex animo studeam, alienos esse puto lapsus, in tempore præsertim & nominibus; an vero simile exemplum tot errorum in paucas paginas coacervatorum hoc seculo nostro, aurito profecto & oculato, & in re, quæ ex tot scriptorum utriusque partis relatione aperta & notissima est, inveniri possit, considerandum lectoribus permitto. Reliqua ad annum 1525. differenda sunt.

ADDITIO II.

Quæ ex allegatis Lutheri de canonicis VVittenbergensibus literis retuli, satis quidem certa sunt, sed cum ex iis non intelligatur, quantam difficultatem reformatio Capituli habuerit, tum ob Canonicorum quorundam, tum ob ipsius Electoris renitentiam aut cunctationem; hæc vero ex Actis *Archivi* (*Reg. O. fol. 97. KK.*) luculenter appareant, operæ pretium est, rem paulo altius repetere. Religiosus erat, si quis alius, eo tempore Princeps Fridericus, ut alibi notavi. Non contentus vero fundatione illa XIV. Canonicorum totidemque vicariorum & plurium, quos Chorales vocant, anno 1506. quatuor sacerdotes cum octo Choralibus & 16. pueris symphoniacis, novo sumtu instituit, qui pro temporis superstitione in honorem Virginis Deiparæ Missas celebrarent, & statis horis post Canonicos hymnis & psalmodiæ vacarent. Sodalitium hoc *parvus Chorus* vocabatur, eique Decanus specialis, alius nempe ab illo qui Canonicis præerat, præpositus fuit. Sed cœpta postea a Luthero disputatione contra indulgentias, & libellis concionibusque ejus jam ultra biennium continuatis, aliam fundationem ex consilio *Jacobi Voigti*, Franciscani Torgaviensis, confessionarii, quem vocant, sui, & olim in peregrinatione Hierosolymitana comitis, tum Spalatini opera & stylo usus, operose molitus est, constitutis iterum duobus sacerdotibus Missas celebraturis, & octo Choralibus, qui ad memoriam Dominicæ passionis per totum annum singulis hebdomadibus, a die Jovis ad dominicam usque psalmos & hymnos decantarent ac recitarent, eo ritu, qui in hebdomade, quæ Pascha præcedit, observari solebat. Hæc quidem institutio melior erat prioribus, quod formulæ & preces omnes ad ipsum Christum Salvatorem dirigebantur, neque indulgentiarum novæ quærerentur accessiones; Lutherus tamen de proposito hoc consultus, datis ad *Spalatinum* literis d. 18. Augusti 1519. dilationem ad respondendum petiit, hæsitare se dicens, an expediret in tanta externarum ceremoniarum copia, qua vera & seria pietas in abusus & superstitiones versa erat, novos ritus instituere; cum difficillimum sit eos ita ordinare, ut licet externa specie placeant, intus fructum & emolumentum habeant, ab Evangelio vero summam pietatem poni in charitate fraterna. Post biduum d. 20. Augusti eandem fere difficultatem indicat, & homines externis illis ritibus defatigari dicit, ut ad internum spiritualis devotionis ardorem inutiles fiant, tum opinione impleantur, ac si demurmuratione illa multum præstitissent, de vero divini amoris affectu parum solliciti neque se ipsos satis cognoscentes. Addit: *ut aperte tecum loquar, placet fundatio non propter se, sed propter salaria, quæ hac occasione sacræ Scripturæ studiosis accedent; Scripturæ enim studium unicum est, quod rem Christianam juvat & cujus defectus eandem opprimit.* Probat deinde moderationem instituti, ut cultus ille non per integros dies, sed horas tantum quasdam fieret, & intervalla haberet, ne mole sua Spiritum extingueret, quod Paulus vetat *I. Thess. V. 19.* & monet quædam de Psalmis deligendis, qui de passione Christi agant, & ut horæ recitationis convenianti cum horis passionis, quæ in hymno: *Patris sapientia* (Germanica ejus versio incipit: Christus der uns selig macht) referuntur. De Missis nulla fit mentio, nondum enim eas Lutherus valde impugnaverat. His igitur incrementis numerus Cleri in collegiata ista Ecclesia ad 83. auctus est, Missæ vero celebratæ sunt quotannis, ut *Spalatinus* computavit (*Reg. O. fol. 95. Ii.*) 9901. inter quas canebantur 1138. cæteræ submisse pronunciabantur, singulis autem Sacerdotibus quatuor ad minimum Missæ singulis hebdomadibus dicendæ incumbebant. Cereorum, qui in templo absumebantur, pondus singulis annis ad libras 35570. adscendit. Ornatus præterea multus & pretiosus aderat. Calices ex auro solido cum patinis duo, argentei XXVII. aliaque ex argento vasa ad XL. stolarum, aliarumque sacrarum vestium ingens numerus, inter quas plus centum ex holoserico aut damasceno quod vocant, varii coloris aureis filis intertextæ. Ista omnia tanto sumtu Principum aut ex stipe devotorum comparata, magnam speciem habebant, & apud Electorem in veneratione erant. At paulo post cum Lutherus anno 1520. Missis sanctimoniam sacrificii, quæ jactabatur, concionando & editis libris abstulisset,

An. 1523.

(a) *Friderici fundatio ann. 1506. in honorem B. Virginis.*

(b) *Alia anno 1519. in memoriam passionis Christi.*

(c) *Lutheri de hac judicium.*

(d) *Descriptio cultus & ornatus in Ecclesia collegiata VVittenbergensi.*

(e) *Illius contemtus frustra conlisset.*

An. 1523.

tranitentibus Canonicis & Electore.

lisset, (ut adversus *Cordemoyum* ad §. *CII.* demonstravi) latitante eo licet in arce VVartburgensi, Missarum tantus jam contemtus anno 1521. invaluit, ut d. 9. Octobris *D. Laurentius Schlamavius* majoris, & *Christophorus Blancus* minoris chori Decanus Electori scriberent: *deesse sacerdotes qui Missas nuper fundatas celebrare vellent.* Et licet die sequenti Elector eos ad operam adhibendam adhortaretur, ut fundatio conservaretur, frustra tamen id fuit, ita ut d. 16. Martii anni secuti 1522. referrent, Sacerdotes anno 1506. ad cultum Marianum, & nuper anno 1519. ad passionis Dominicæ memoriam ordinatos, munera sua resignasse, unde etiam Chorales illi cantores dimitti debuerint. Canonici ipsi & qui ex veteri fundatione supererant Sacerdotes vicarii, Missas continuabant; cum vero *Schlamavius*, Decanus major, & veteris ritus tenacissimus mense Februario 1523. obiisset, Præpositus *D. Jonas* concionari publice contra cantum Ecclesiasticum & vigilias Missasque votivas cœpit, & Lutheri literas produxit, quibus illa impugnabat & mutari a Capitulo petebat. Scribunt itaque Electori d. 4. Martii (*Reg. O. fol. 97. Nl.*) 1523. *Matth. Beskavius* Scholasticus, *Joh. Dolschius*, Custos, *Georgius Elnerus* a patria Staffelstein dictus & *Joh. Volmarus*, quid fieri vellet? Respondit is d. 6. Martii, ritus institutos servandos esse, aut justas causas, cur mutari debeant, aperiendas. Electus interim in Decanum *Beskavius*, (*Amsdorfius* enim, quia Missas improbabat, sese excusaverat,) cum cæteris Capitularibus veterem ritum utcunque tenebat. At Lutherus iteratis primum literis, deinde cum nihil proficeret, publice d. 2. Augusti pro concione (cujus excerpta *Tom. II. Alt. fol. 356.* referuntur) adversus Canonicos acriter invectus est, inter alia dicens, frustra ab illis Electoris mandatum allegari, illi gladium a Deo commissum, sed nullum jus datum esse de cultu divino statuendi, & obediri magis debere Deo, quam hominibus, minatus etiam est, se communionem cum iis abrupturum esse, nisi a superstitioso cultu desisterent. His ad Principem a Capitulo delatis d. 7. Augusti jussi sunt ab Electore *D. Schurfius* & *Schwerdfegerus* legum Professores & *Phil. Melanchthon* Lutherum adire, eique in mentem revocare quod Electori mandatum comitiale (quo ulterior innovatio in religione inhibebatur) cum eo communicanti respondcrit, sibi id placere; hortarentur ergo, ne tam vehementer ageret, (solle nicht so geschwinde handeln/) instare enim iterum comitia & sperari concilium. Queritur etiam Elector de tumultu, qui adversus Franciscanos VVittenbergenses excitatus fuerat, ob eandem Missarum, quas illi continuabant, causam; neque sua approbatione, sed potius dissuadente se factum esse, quod nuper tres novi Canonici in defunctorum locum surrogati fuerint, qui nunc Missarum celebrationem detrectent; neque sibi placere, quod quidam ex Canonicis uxores duxerint, (*Carolostadius* nempe & *Jonas*) & jam, neglecto officio & veteri instituto, circumvagentur aut otiosi essent. His nihil motus Lutherus, ut missi ad eum d. 13. Augusti referunt, se mandata comitialia contra innovationes ita intellexisse dixit, ut illæ tantum vitari deberent, quæ sint contra verbum Dei, si alium sensum habeant & verbo Dei adversentur, obedire se illis non posse, sed adversus Missas publice concionaturum & precaturum apud Deum esse, moniturum tamen plebem ne vi agat. Paulo post d. 27. Augusti Præpositus *D. Jonas* prolixas literas sua manu scriptas ad Electorem dedit, in quibus exponit, postquam hoc tempore larga Dei gratia sanctum Evangelium & verbum Dei VVittenbergæ, post tot doctrinas humanas pure & liquide effulserit, & Deus per unum hominem intra quatuor annos doctrinam tam alte cordibus inseruerit & dilataverit, ut vel ratione humana comprehendi possit, Dei, & non hominis opus id esse, se quidem post agnitam illam veritatem sæpe secum constituisse, ut scandalosos quosdam & abominabiles ac profanos abusus, (ärgerliche/ greuliche und unchristliche Mißbräuche) in Ecclesia collegiata, cujus Præpositus ab Electore nominatus erat, abrogaret, idque sua faceret autoritate, Deo & Principi de facto suo re-

(f) *Lutherus superstitionem scripto & voce adoritur.*

(g) *Electoris cum illo acta.*

(h) *D. Jonas Præpositus reformationem urget.*

sponsurus, cunctatum tamen esse Decani, aliorumque infirmorum & maxime Principis causa, nec dissimulat, metum etiam offensarum sibi obstitisse, & in aliis defectum zeli, quem paucissimi in causa Dei habeant: Jam vero a *D. Martino Luthero* pro gratia illi a Deo concessa, Capitulum serio admonitum, & multorum conscientias acriter tactas esse, ideoque se permotum, ut Electori sententiam suam, quomodo abusus corrigi possent, aperiret. Scribit igitur, certum se aliosque esse, verbum Dei a Christo & Apostolis prædicatum jam innotuisse, & sufficienter intelligi linguæ Græcæ & Hebraicæ beneficio. Hoc donum Dei summe æstimandum esse, licet Satanas omni vi & astu eripere illud conetur. Factum inde esse, ut ex delectorum ex Academia ad Electorem consilio abusus quidam in Parochiali Ecclesia VVittenbergensi abrogati fuerint, mansisse autem eosdem in templo collegiato & ad triginta Missas adhuc singulis hebdomadibus ex fundationis requisito potius, quam a volentibus celebrari, sæpe male præparatis, & contra divinam ordinationem, id quod Lutherus in libello *de Missa N. T. & de Captiv. Babyl.* clarissime probaverit. Inde fieri, ut aliæ provinciæ & urbes a reformatione Ecclesiæ deterreantur. Ut igitur scandalum hoc tollatur, proponit, quomodo aliqua ad præsens correctio introduci possit. Suadet nempe ex *matutinis*, quas vocant, *Legenda Sanctorum* omitti debere, subrogata lectione ex Veteri Testamento: Pro hymnis ad Sanctos, cantandos esse eos, quibus divinum auxilium imploretur, *vesperas* retineri posse, addita lectione ex Novo Testamento, cessare debere omnes *vigilias* & Missas mercenarias, retenta saltem celebratione *Missæ Dominicalis & festorum*, si adsint communicantes; Chorum minorem, Mariæ virginis, ut consalvatricis, cultui perperam (quod pluribus demonstrat,) destinatum, cum majori miscendum esse; Canonicis & vicariis otio & luxuria interdicendum, eisque Scripturæ studium injungendum esse; quæ pro *vigiliis* numerari solebant, & *præsentiarum*, quas vocant, commoda iis præbenda esse qui lectionibus & precibus surrogatis interessent. Concordant hæc maximam partem cum iis, quæ *Lutherus* suggessit d. 19. Aug. *Tom. II. Alt. fol. 357.* Subjungit inde *Jonas* rationes mutationis, & improbat, quod sacra huc usque peregrina lingua fieri solita sint, contra Apostoli præcepta *I. Cor. XIV.* & quod tot ritus externi introducti fuerint, neglecta verbi divini prædicatione, ex quo salus unice peti debeat: id jam dudum a piis viris reprehensum esse. Non obstare, quod parvus sit numerus hæc poscentium, eam enim naturam idque fatum Ecclesiæ semper fuisse, ut numero vinceretur ab infidelibus. Moram quoque abrumpendam esse, & opportunitatem luminis nunc effulgentis captandam, solere enim cito transire, quia etiam post Apostolorum tempora mox secutæ sint corruptiones, idemque in Veteri Testamento acciderit, v. g. ut post Esaiam, cujus ductu Ezechias Rex abusus reformaverit, denuo superstitio invaluerit; multo minus expectari debere, ut magnates in mundo præeant exemplo, metuendum potius ne ex conversis aliqui deficiant, quod Paulus sibi accidisse queritur *II. Tim. I. 15.* persecutiones defuturas non esse, sed has pro signo veritatis haberi, & minime recusari debere, neque optandum, ut aliter fiat, ita enim a mundo tractari consuevisse Evangelium. Tandem expresse profitetur se Missis non amplius interfuturum esse, & expectare, quid de se statuere Elector velit. Hic vero in sua persistebat sententia, mutandum Missarum ritum non esse, iis vero, qui ab earum celebratione abhorrerent, resignandos esse Canonicatus. Svadebant hoc Consiliarii, ut patet ex eorum responso d. 4. Octobris dato. Mira scilicet omnium trepidatio adhuc erat ob Cæsaris & Ordinum Imperii adversus reformationem severitatem. Ideo jam ante, cum tres novi, ut dicere cœpi, Canonici electi essent & confirmatio eorum a Principe peteretur, *Schurfius* & *Schwerdfegerus* suggesserunt Principi, ut rescriberet *se illos admissuros esse, si facerent quæ Canonicis injuncta, & quæ divina essent;* ita ajunt, nec Missæ, si divinæ non sunt, aliique abusus probantur, neque tamen imputari potest

An. 1523.

(i) *Electoris & Consiliariorum placita.*

An. 1523.

test Electori, quod suo mandato ante concilium aliquid innovatum esset. Eadem cautela *Reisenbuschii* Praeceptoris Lichtenbergensis fuit, non exiguae inter Consiliarios Principis autoritatis, ut apparet ex literis ejus d. 29. Sept. datis. Defendebat autem veteres ritus Decanus *Beskavius*, cum duobus quos nominavi, *Staffelsteinio* & *Volmaro*, (*Dolschius* enim, qui & ipse Missas, sed cum quodam moderamine, retinendas esse svadebat, decesserat) nec tamen nisi temporis praescriptionem allegabant, & quod credibile non sit, Ecclesiam tamdiu errasse, negant vero se ad disputationes aptos aut progressuros esse, & Lutherum semper *Reverendi patris* titulo honorant. Elector inter haec severius aliquando rescripsit, nisi vetera instituta servarent, redituum ablationem minatus, aliquando auditis partibus sententiam suspendit, & spem reformationis fecit, ut reditus Canonicorum ad meliores usus & Academiae incrementa impenderentur, dummodo conveniri ea de re ex consilio & decreto publico posset. Ita enim respondit Luthero d. 8. Julii 1524. blande roganti, ut resignatos jussu Principis a tribus novis illis Canonicis, qui Missarum celebrationem abnuebant, reditus ad stipendia Professorum & studiosorum destinaret. Laudat his literis Electorem, quod fere solus esset, cui Deus hanc gratiam dedisset, ut studiis faveret.

(k) *Lutheri ad Electorem literae.*

Recruduit disceptatio eodem anno mense Novembri cum *Beskavius* Decanus foeminae cuidam aegrotanti sacramentum sub una specie porrexisset, inde enim Lutherus acerrimis literis expostulare coepit, quae extant *Tom. II. fol. 839.* sed erratum est in die, non enim datae sunt *Jovis post Nicolai* sed post *Martini*, id est, d. 18. Novembris. Cum vero Decanus, & duo illi, qui ei adstipulabantur, flebili modo apud Principem quererentur, & tumultum plebis timerent, facturos tamen se esse dicerent, quod Elector juberet, dedit is negotium *D. Schurfio* & *Bened. Pauli*, ut Lutherum a violentia dehortarentur, quia ipse docuisset, quod religio persvaderi non imperari deberet, moram itaque ferret, sicut Norimbergae etiam Missae adhuc tolerarentur; promittit se mutationem non impediturum, si post diligentem informationem & preces ad Deum factas, intelligeret quae legitima essent & Deo placeant, poscit itaque a Luthero ut sententiam suam scripto aperiret: neque tamen reperio quid scripserit.

(l) *Novae Canonicorum querelae.*

Novae mox querelae ad Principem delatae sunt d. 3. & 8. Decembris 1524. a Decano & sociis, quod Lutherus canonem Missae pro concione Dominica II. Adventus habita, publice improbasset, & quod inde Rector Academiae, item Consules duo cum decem senatoribus Decanum convenerint, & omnem communionem illis Capitularibus renunciaverint, si in ritibus suis persisterent, item quod fenestrae Decani noctu lapidum ictibus ruptae fuerint. Ad haec non nisi dilatorie responsum est a Principe, testante tamen sibi acta non placere.

(m) *Acta Electoris cum Decano minori.*

D. 24. Decembris *Christophorus Blancus* Decanus minor Electori per literas aperuit, se quotidiana exploratione tandem comperisse & edoctum esse, ut Missas amplius defendere non posit, dimisisse etiam quosdam qui illas huc usque vario quidem ritu celebrassent. Respondit ei Elector die sequenti, gravem esse causam & quae expendi deberet, & daturum se operam, sperare etiam fore ut media invenirentur ad negotium hoc ita dirigendum, ut ad Dei gloriam & nostram salutem proficuum sit.

Haec est, quam ex actis authenticis excerpsi, vera historia quomodo mutatio Missae in celeberrima eo tempore Ecclesia *collegiata Omnium Sanctorum VVittenbergensi* a Luthero desiderata, & a Capitulo partim recusata, denique admissa fuerit, & quomodo Princeps se in causa hac gesserit, dubius nempe adhuc & de suo jure in reformando veteri ritu, & de ipsa fortassis religione, utque nec Lutherus nec Canonici civesque VVittenbergenses aliud fundamentum, quam Scripturae & conscientiae secuti sint, & vi abstinuerint.

(n) *Reliqua de reformatione Ecclesiae illius.*

Quid vero ab initio sequentis anni 1525. ad obitum usque Friderici qui Mense Majo secutus est, actum fuerit, in Actis non reperio. Conniventia tamen Principis factum esse satis apparet, ut locum habuerit emendatio a *Luthero* & *D. Jona* proposita. Ad Electorem enim huc usque cunctantem, & tandem quid fieret inquirentem Quaestor VVittenbergensis d. 26. Aprilis 1525. retulit, matutinas abbreviatas esse, pro *salve regina* cani *media in vita*, Missam non nisi Dominicis diebus, si adsint qui communicent, celebrari, quotidie lectionem sacram aut concionem fieri, omnem veterem morem, reliquiarum, vestium, cereorum & lectisternii in nupera hebdomade sacra omissum esse. Illustri etiam hoc exemplo convinci possunt, qui reformationem ex Principum libidine aut avaritia institutam esse criminantur; Fridericus enim cunctatus satis est, & ne obolum quidem ex opima illa VVittenbergensis Ecclesiae totius regionis suae primariae fundatione revocare aut lucrifacere voluit, omniaque potius in pristino statu conservare serio allaboravit. Mutatio ergo non nisi Theologorum zelo & assensu plerorumque ex Clero & populi peracta est.

An. 1525.

§. CLIV.

(1) *Lutheri acta & scripta ratione Bohemorum sive Picardorum.*

Ex Bohemis & speciatim iis, quos Picardos vocabant, hoc anno quidam ad eum venerunt, doctrinamque suam (ob quam vel maxime haeretici habebantur) de Sacramento Coenae ita explicaverunt, ut non male se de iis sentire ad *Hausmannum* scribat *d. l. p. 133.* Nactus vero postea libellum a Picardis sive Valdensibus Bohemis & Moravis editum, in quo *Christum substantialiter & naturaliter in Sacramento praesentem nec esse, nec adorandum* statuebant, ipse tractatum Germanicum *Tom II. Alt f. 299. & seqq.* edidit, iisque inscripsit, *de adoratione Sacramenti corporis Christi.* In hujus exordio profitetur, *se eos jam, ut olim cum Papista esset fecerit, pro haereticis amplius non habere, dicturum tamen, quid in illorum doctrina desideret, & quae ipse statuat, quanquam ea ex Melanchthonis scriptis possent cognoscere.* Dein de Sacramento agens rejicit sensum significationis, soliusque spiritualis participationis; asserit realem praesentiam & communionem, explodit transsubstantiationem, improbat Sacramenti mutationem in sacrificium, ejusdemque ostentationem & circumgestationem. Quod adorationem attinet, pro necessaria habet eam, quae interna animi devotione Christo ipsi exhibetur. Externam ceremoniam, in communione nempe adhibendam, indifferentem habet, quia absque haeresis crimine omitti possit; neque tamen si servetur, reprehendi deberet. Idem senserat in *epistola MS.* ad *Joh. Henricum* Comitem Schvvarzburgicum anno 1522. mense Dec. data. Percurrit postea Waldensium dogmata, & postquam summa & ad salutem necessaria capita; de Dei essentia & personis, de Christi mediatione, de Spiritus sancti officio & potestate in Ecclesia, quae Waldenses agnoscunt, probasset, recteque eos facere dixisset, quod traditiones hominum, purgatorium & ejus causa ordinatas Missas, item Sanctorum cultum rejicerent, non dissimulat tamen, quae in illorum religione taxet & corrigenda aestimet, nempe quod praesentiam realem corporis Christi in Coena, & fidem infantum in Baptismo negent; quod fidei salvificae in justificationis opere charitatem annectant; quod septem Sacramenta statuant; quod ministros Ecclesiae a matrimonio prohibeant. Haec omnia tamen benigne intelligi vult, quia forte ignoratione lingvae Bohemicae eorum sententiam minus liquide penetraverit, commendatque iis literarum & lingvarum studia, maximopere denique morum innocentiam in iis laudat.

Ad

An. 1523.

(2) Ut & Pragensium.

Ad Bohemos vero Pragenses, qui *sub utraque* sive *Calixtini* vulgo dicebantur, & in cæteris Pontificem Romanum agnoscebant, ita ut consecrationes Pastorum suorum, quas vicini Episcopi (mira obstinatione) aspernabantur, magno sumtu Romæ peterent, alium tractatum gravissimum hoc anno conscripsit, qui legitur *Tomo II. Alt. f. 496. b. & seqq.* In eo ex Principiis sæpe jam a se propositis, cuilibet cœtui Christiano facultatem eligendi & ordinandi sibi Presbyteros sive Pastores, aliosque Ecclesiarum ministros vindicat. Primarium autem argumentum inde sumit, quod omnes Christiani generatim & singulatim spiritualis sacerdotii dignitatem & munus habeant, indeque non solum licitum, sed & facile & utile sit, certos ex suo numero, qui ministerio ordinario fungantur, constituere. Itaque frustra Bohemos Roma petere, quod singuli cœtus facere possint, vel illi etiam committere, qui jam a Pontifice in Administratorem Episcopatus consecratus sit, (*Gallum* nominat) iisque porro, quos iste suffragiis cœtuum præsentatos ordinaverit. Eadem, quæ ad potestatem eligendi & ordinandi ministros, itemque de religione judicandi spectant, brevius Germanico libello complexus est *Tom. II. Alt. fol. 328. & seqq.* Ordinem etiam quendam cultus publici proponit *f. 332.* qui est, ut quotidie mane & vesperi verbum Dei Veteris & Novi Testamenti legatur & explicetur, preces fiant, diebus dominicis Missa, id est, sacra communio habeatur, cantica resonent, festorum vero numerus minuatur. Hæc etiam Latine extant *Tom. II. Witt. Lat. f. 417. b.*

(3) Rituum formulam præscribit.

§. CLV.

(1) Lutheri literæ ad Ducem Sabaudiæ.

Ad prospera etiam pertinere potest relatio de *Caroli* Sabaudiæ Ducis propensione ad Evangelicam veritatem, quam Lutherus ex *Annemundo Coc̃to* Equite aurato, Gallo, percipiens, literas prolixas de doctrinæ suæ præcipuis articulis ad Principem dedit d. 7. Sept. 1523. quæ extant in *Lib. II. epistolar. p. 156. sqq.* & *Tom. II. Alt. f. 360.* Sed molesta & adversa multa tum Luthero, tum doctrinam ejus amplexis hoc anno evenerunt. Ille quidem continuis laboribus respondendi ad multorum quæstiones, refutandi adversarios, consolandi afflictos, & in libris scribendis defatigatus, valetudine valde tenui utebatur, ut vitæ eum non semel pœniteret; accedebat aulæ tepor & res domi angusta. Sed omnia Deo confisus superavit, & patientissime tulit, immo ea erat animi generositate, ut si quid acciperet, aliis egentibus subito erogaret, neque pro se quidquam, sed tantum pro aliis peteret. Vide *Lib. II. Epistolar. p. 131.* Immo cum tunc nummum, nescio qualem, aureum tamen ex aula accepisset, ad Spalatinum scribit: *Mansfeldenses mei illum mibi extorserunt, nec volo alium habere, ne rursus extorqueatur mihi; nibil debeo ego habere. d. l. p. 140. b.* Georgius Saxoniæ Dux ineunte anno 1523. copiam literarum nactus supra memoratarum, quas Lutherus ad *Cronebergium* scripserat, offensus ob quædam verba, quibus Georgii persecutio adversus Evangelii doctrinam improbabatur, dato ad illum die Martis post Innocent. diplomate, indicari sibi postulavit, an literas illas agnosceret? At Lutherus promte, eoque stylo respondit, quo Princeps efferatior factus est. Optat enim ei sub initium meliorem mentem, utque asævitia contra Deum & Christum cessaret, *inclementem* vocat & *mendacem, aut mentientibus credentem*, se enim nihil adversus eum commisisse, quod jure non possit defendi. An epistolam scripserit, nec negat nec affirmat; pro Duce tamen, licet hoste, oraturum se esse, ipsique obsequia, si queat, exhibere velle profitetur: Bullas vero non timere. Subscripsit: *Martinus Lutherus Evangelista Wittenbergensis, octava Joh. Evangel. 1523. Tom. II. Alt. fol. 257.* & *Lib. II. Epistolar. p. 112. b. 113. 132.* Cum vero haud multo post Albertus, Comes Mansfeldensis, cum Luthero ageret, ut Ducem leniori aliquo responso mitigaret, Comiti respondit, *si salva sit gloria Evangelii, velle non solum Principi illi, sed omni hosti deditum esse servum, sicut decet Christianum*; permisitque Comiti, *ut omnia de se polliceretur Duci, si cesset furere in verbum Dei, sin minus, nihil facturum, quod furori & cœcitati ejus placeret d. l. p. 134. b.* Sed de his in progressu historiæ plura occurrent.

(2) Lutheri afflictiones.

(3) Rixæ cum Georgio Duce.

An. 1523.

(4) Libellus de ortu Jesu Christi ex Judæis.

Proscindebatur interim calumniis, Norimbergæ in comitiis tum a Georgio Duce, tum a Leo Angli Regis legato sparsis, ac *si de virginitate Deiparæ irreverenter sentiret, & quod Christum semen Abrahæ dixerit.* (hoc enim, nescio quare pro hæretico habendum videbatur.) Has repulsurus, tractatum scripsit Germanicum, ostendens, *quod Jesus Christus natus fuerit Judæus*, Vide *Tom. II. Altenb. f. 313. & seqq.* In hoc & virginitatem perpetuam B. Virginis, & genus Christi ex Abrahamo & Davide deducit, monstratque, quomodo cum Judæis pro conversione eorum promovenda rectius placidiusque, quam huc usque factum fuerit, agi, erroresque eorum refutari debeant.

§. CLVI.

(1) Literæ Regis Angliæ ad Ducem Saxoniæ.

Scripserat *Henricus* Angliæ Rex sub initium anni 1523. d. 20. Jan. ad *Fridericum* Electorem, ejusque fratrem *Joannem* & patruelem *Georgium* literas eloquentissimas humanissimasque, in quibus queritur, quam contumeliose sibi ad librum suum responderit Lutherus, & quam furiosa sit ejus mens, & perniciosus error: inde Duces pro cognatione (nam a clarissima Angliæ Regum stirpe majores eorum serenissimos progenitos esse ait) proque communi Principum causa & honore cohortatur & orat, *ut Lutheri sectam coerceant, sine sangvine quidem, si fieri possit, sin minus, omni alio modo.* In fine monet, *ut Bibliorum versionem, quam a Luthero fieri intellexerat, impediant.* Ad hæc Georgius haud minori elegantia & comitate 7. Id. Maji respondit, & Rege ob eruditionem & editum librum collaudato, Lutherum omnibus modis execratur: ex dogmatibus vero ejus unum & præcipuum exagitat, quod *bonorum & malorum necessitatem a Deo pendere* statuat, errore ne Ethnicis quidem tolerando, quo omnis humanæ rationis vis, omne consilium, jus denique omne, quod vel præmium bonis vel pœnam malis decernit, tollatur. (quæ quam falso dicantur, aliunde constat, totoque Lutheranæ doctrinæ tenore, & praxi refutantur.) Postea omnia officia offert, tum in Rege demerendo (cujus librum Germanice verti & Lipsiæ edi fecerit) tum adversus Lutherum ejusque doctrinam nitendo. *Sed eum, ait, extra ditionem suam vivere, & hanc longe lateque*

(2) Responsum Georgii.

 vitare.

An. 1523. *vitare.* Commemorat etiam ut ante annos quatuor Lipsiensium disputationem procuraverit, utque Biblia Lutheri in terras suas illata proprio ære redemerit, suosque a dogmatibus ejus prohibuerit. Has Regis Ducisque literas Lipsiæ excudi fecit Emserus, & *Johanni Schleunizio,* Episcopo Misnensi, tunc Roma reduci, dedicavit d. 10. Cal. Jun. 1523. Sed Electoris Friderici & Johannis fratris responsum Aprili mense datum, in Germanicam lingvam una cum Regiis literis translatum, legitur *Tom. II. Altenb. fol. 286.* eo sensu conceptum, ut Regis benevolentiam multum æstiment, cognationem utriusque gentis & familiæ agnoscant, de Luthero vero profiteantur, se facta & doctrinam ejus nec probare nec improbare, (liessen es auf seinen werth und unwerth) & relatis, quæ Fridericus Elector Augustæ & Wormatiæ in ejus causa tractaverit & egerit, addunt, *Lutherum inscio nec consentiente Electore Wittenbergam rediisse, & per literas obtulisse, se ad cujuslibet accusationem in judicio responsurum esse, Electorem vero, quæ Rex & Lutherus per libros disceptent, & quæ hic furiose scripsisse dicatur, non intelligere. Optimum fore* ajunt, *si juxta nuperum Norimbergense decretum Concilium generale habeatur;* ad id promovendum & pacem colendam Regem hortantur, suaque officia prolixe ei offerunt. Hoc modo elisæ tunc sunt Regis in Lutherum iræ, sed religionis causa timide nimis tractabatur. Offensus erat Elector, teste *Spalatino* in *hist. MS.* quod literæ Regis sex mensibus, antequam ad ipsum perferrentur, evulgatæ in Saxonia essent, id fecialis Anglus, qui eas attulerat, (der Persevant) inscio Rege factum esse dejeravit.

(3) *Electoris & fratris responsum.*

§. CLVII.

(1) *Ludovici Hung. & Bohem. Regis literæ contra doctrinam Lutheri.*

Ludovicus etiam Hungariæ & Bohemiæ Rex, qui non multo post a Turcis misere cæsus est, Friderico Electori scripsit, questus, quod Luthero patrocinaretur, qui fidem Christi & Ecclesiæ autoritatem oppugnaret, Principes Christianos proterve traduceret, & Turcos extolleret; puniri itaque monachum hunc monet, nec diutius ei indulgeri. Respondit Fridericus, se, ut Christianum decet, obedire Ecclesiæ Christianæ, honoremque Dei & verbi ejus & charitatem proximi pro scopo habere, neque quicquam eorum quæ malevolorum calumnia ad Regem delata fuerint, suo patrocinio fovere. *Tom. II. Alt. fol. 342.* Sed non intra verba stabant, qui doctrinam Evangelii persequebantur. Ludovicus enim etiam pœnis grassatus est maxime per Episcopum Olomucensem: Dein in Misnia & Thuringia, quæ Georgio Duci parebat, carcere, mulctis, exiliis, paulo post etiam capitalibus suppliciis, sævitum fuit. *Henricus* Dux Freibergæ residens, licet Luthero (ut supra §. *CX.* dicere cœpi) favere cœpisset, potentiæ tamen Georgii fratris cedens aut ne ei displiceret, tres virgines nobiles gynæceo conjugis ejecit, quod libros Lutheri legissent; has consolatus est Lutherus literis mense Junio scriptis. *Tom. II. Alt. fol. 352.* quæ & Latine extant *Lib. II. Epistolar. p. 138.* Nec alibi mitius actum. Miltenbergenses ad Mœnum, in Moguntino Electoratu, primi omnium vim armatam, ut relationes tunc publicatæ ostendunt, religionis causa passi sunt. Aufugerat *Joh. Draco* Carolostadius Pastor; Diaconus, qui manserat, vitam vix servavit. Extat Lutheri ad oppidanos *epistola consolatoria*, anno sequenti composita, cum *explicatione Psalmi 120.* (Lat. 119.) in qua inter alia scribit, *brevi apparriturum, si uno loco doctrina verbi divini opprimatur, ut in decem aliis resurrectura sit.* Item: *ægre se ferre, quod in contumeliam verbi divini Lutherani vocentur, qui doctrinam suam probent: futurum tamen sive vivat ipse sive moriatur, & utcunque adversarii furant & sæviant, ut Lutherus Lutherique doctrina & Lutherani durent, adversarii pereant;* sed agnoscit, quod *cursus verbi & doctrinæ defectu pietatis & precum, impedimenta & moras habeat.* Magna tunc moderatione erga Albertum Cardinalem usus est Lutherus, ut patet ex literis d. 14. Febr. datis, quas *Spalatinus* in compilatione MS. servavit. Scribit, se quidem comperisse, quod nemini permittatur Albertum in causa illa vel voce vel scripto compellare, sed se conscientiæ suæ vim inferre non posse, cum sciat Miltenbergenses non nisi Evangelii causa passos esse, ideoque consolatoriam ad illos non posse non edere, ne cogeretur aliquando in die illo judicii audire: *in carcere fui, & non visitastis me,* se tamen parcere nunc velle Archiepiscopo, neque spem de illo abjicere, & dissimilem eum credere luporum & leonum, quos in aula haberet, si quid tamen sibi excidat non svavissimum (wenn ichs nicht gleich alles werde treffen/ und aufs schönste machen) illis imputandum esse. Extant etiam consolatoriæ ejus *ad Wormatienses* d. 24. Aug. 1523. *Tom. II. Alt. fol. 358. ad Eslingenses* m. Octobri *d. Tom. f. 363. ad Augustanos* d. 6. Dec. *d. Tom. fol. 366.* in quibus omnibus de veritate agnita & de fidei incremento, quod per afflictiones maxime procuratur, gratulatur.

(2) *Sævitia contra Evangelicos in Saxonia.*

An. 1523. (3) *Lutheri consolatoria.*

ADDITIO I.

Ludovicus Rex literas ad Georgium Ducem Saxoniæ anno sequenti Budæ d. 19. Septembris dedit, hujus ut videtur suggestione, ut *Nicolaum, Georgium & Johannem a Minckwitz,* Sonnevvaldæ Dominos, (quæ dynastia feudi jure Saxoni obstricta, sed Lusatiæ, Bohemiæ provinciæ tunc accensebatur) ad extirpandam in ditione illa sectam, quam vocabat, Martinianam adigeret. Misit igitur Dux mense Decembri *Georgium a Polenz*, Elsterwerdæ præfectum, ad exequenda Regia jussa, monens, ut monachum apostatam, (quem pastori indocto & inepto subrogaverat) Lutheranæ sectæ propagatorem, Episcopo Misnensi traderet, ni pareret vim minatus. Aberat pastor, sed Altaristæ quatuor promiserunt, se coram Episcopo intra dies quatuordecim comparituros esse. *Nicolaus* inde *Minckwitius*, eques, vir splendidus & bellicosus Pragam profectus, ab Ordinibus regni mandatum ad Lusatiæ inferioris Prætorem (den Land-Voigt) impetravit, ut adversus Georgium protegeretur. Scripserunt etiam Ordines ad hunc, negantes ei hac in causa jurisdictionem competere. Modeste tamen usus est illis literis *Nicolaus*, cum fratribus, & multa cum submissione placare Principem conati sunt, eaque de causa Dresdam, dein mense Januario 1525. Lipsiam venerunt: cum vero Dux in eo persisteret, ut pastorem & Altaristas duos ad Episcopum Misnensem mitterent, permoveri se ad hoc passi non sunt, sed reformationem continuarunt. Favore sublevabantur Electoris Saxoniæ, cujus Consiliarius erat *Joh. Minckwitius* Eques, (*Reg. N. fol. 54. n. 8.*) *Spalatinus* in *epistolis MSS.* Lutheri literas ad *Johannem* illum conservavit, in quibus ei ordinationem Ecclesiæ Sonnewaldensis, ut rogatus erat, anno 1525. præscripsit, & scrupulos, quos ex testamento parentis sui habebat, exemit. In eo constitutus erat Diaconus

(a) *Ludovici Bohemiæ Regis acta cum Minckwitiis Sonnewaldæ dynastis.*

(b) *Lutherus reformationem adjuvat Minckwitianam.*

cum

An. 1523.

cum duobus Altaristis ad Missas & officium B. Virginis & ad anniversaria: omitti illa ut nullius pretii jubet Lutherus, personis tamen, quibus collata illa officia erant, dum viverent, reditus servari, postea ad eleemosynas pauperibus incolis aut ad elocationes filiarum egenarum impendi. De pedum lotione, quæ eodem testamento cauta erat, & vocabatur *animæ lavacrum*, ein Seelbadt / negat quidem eo nomine celebrari debere, sed ad memoriam lotionis a Christo peractæ, & in honorem tam pii balneatoris exerceri posse, cum pedum lotio sit antiquus ritus, teste Paulo. Tolli etiam non vult cantum matutinum Psalmorum, neque Missas Latinas aut Germanicas, si scilicet communio accedat, & omisso canone. Si vero non adsint communicantes, consecrandum non esse, sed nihilominus hymnos & preces Missæ cantari posse. Sperat se VVittenbergæ Germanicam Missæ formulam introducturum esse. Festa Sanctorum non esse celebranda, sed ea solum, quæ ad Christum pertinent. *Hæc* (sc. quæ consulo) *coram Deo* (ait) *defendi possunt, at nescio an coram mundo.* Addit: *reliqua a pastore ordinari possunt, si placet, adhibito nostro consilio.* Notari merentur verba: *Si placet*, ad refutationem calumniæ quæ Luthero impingitur, ac si Pontificis aut Patriarchæ potestatem in ordinandis ritibus sibi arrogasset, a quo fastu fuit alienissimus.

ADDITIO II.

(a) De Joh. Dracone Carolostadio.

An idem sit *Joh. Draco* Miltenbergensis concionator, ac is cujus vitam enarrat *Melch. Adami p. 405.* conjicio quidem, sed pro certo non assero. Concordat nomen & patria. Hic Erfurti ubi circa hæc tempora *Eobanus Hessus, Joachimus Camerarius* & alii Evangelio faventes docebant, magisterii gradum assumsit, *Erasmum* etiam & *Paulum Fagium* invisit, & ab hoc in Hebræa lingva institutus fuit, ita ut in Targum Chaldaicum commentarios scriberet. VVittenbergæ Doctoris Theologi titulum adeptus, Marpurgum inde vocatus fuit ad Theologiæ professionem. Augustæ cum aliis Theologis adfuit, cum anno 1530. Confessio fidei ederetur. Rostochii postea Theologiam docuit, & inde ab Alberto Borussiæ Principe Episcopatui Sambiensi præpositus fuit; sed isti dignitati & commodo studia sacra ante habuit, & VVittenbergam regressus Bibliorum quinque lingvarum editionem molitus eique labori immortuus est anno 1560 septuagenario major. Laudatus fuit carminibus *Pauli Melissi, Georgii Fabricii, Petri* item *Ægidii*, celebrium in Poesi & literatura virorum, quæ ab *Adamo* recensentur. Excusa vero est anno 1523 cum relatione de Miltenbergensium persecutione epistola ad Albertum Cardinalem, Norimbergæ die Jovis post Martini 1523. data, cum subscriptione E. C. G. armer unterthäniger / Doctor Johann Carlstadt / verjagter Pfarrherr zu Miltenberg / i. e. *miser subditus Doctor Johannes Carolostadius, Pastor Miltenbergensis exul.* In hac vehementer de injusta excommunicatione & sæva ejus executione, inscio, ut putat, Cardinali facta, queritur, & captivos cives suumque Diaconum ex vinculis liberari petit: testatur se nihil docuisse, quod non coram divino tribunali confiteri audeat, & Evangelio Christi congruat: negat vim a se aut civibus alicui factam, sed fraude officialium ad fugam inductos, quos vocant *Altaristas*, finxisse se a pastore ejectos esse. Sollicitat Cardinalem ut ipse Miltenbergam adeat, & omnia exploret, se enim culpam suam si qua deprehendatur, sangvine luere velle. Commendat Draconem *Erasmus* epistola Cal. Aug. Lovanii anno 1518. data ad *Rectorem Scholæ*, id est, Academiæ Erfurtensis, ut *juvenem iis moribus eaque ingenii svavitate & puritate, ut non possit non esse optimo cuique gratissimus.* Juvat autem ex eadem, quanquam ad anteriora tempora pertinent, quæ de exoriente tunc Lutheri doctrina Erasmus commentatus est, adscribere. *Eo* (ait) *vanitatis processerat frigida illa disputatrix Theologia, ut necesse fuerit ad fontes revocare. Sed tamen illam quoque corrigi malim quam explodi, aut certe tolerari, donec potior aliqua theologiæ ratio fuerit parata. Multa præclare monuit Lutherus, sed utinam civilius admonuisset: plures haberet & fautores & propugnatores, & uberiorem messem demeteret Christo. Et tamen impium sit illum in his quæ recte dixit, prorsus indefensum relinquere; ne posthac nemo sit, qui verum ausit proloqui. Non est nec hujus conditionis, nec hujus ingenii de illius doctrina pronunciare. Hactenus certe profuit mundo. Nonnulli sunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros, alii quo sibi consulerent, alii quo Luthero negotium facesserent.*

(b) Literæ ejus ad Moguntinum.

(c) Epistola Erasmi de Dracone.

§. CLIIX.

(1) Martyrium duorum Augustinianorum Bruxellis.

Sed in Belgio adnitente Pontificis nomine *Hieronymo Aleandro*, & sævitiæ administris seu inquisitoribus, *Nicolao Egmondano* Carmelita, & *Jacobo Hochstratano* Dominicano, aliisque Lovaniensibus & Mechliniensibus monachis, ad extremum rigorem perventum est, Margarethæ Sabaudæ viduæ, Caroli amitæ, Belgii gubernatricis, & Magistratuum Regiorum auspiciis. Primæ itaque hoc anno victimæ immo holocausta veritati Evangelicæ immolata sunt, exustique d. 1. Jul. 1523. Bruxellis duo Augustiniani, ex Antverpiensi cœnobio, *Henricus Voës* & *Johannes Esch* vel *Nesse*, puto von Esse/cum nec carceris diuturni molestia, nec aliis artibus ad revocationem, quam cæteri subierant, permoveri possent. Æternam martyrum horum memoriam autores plurimi, maxime vero ipse Lutherus fecit, Latinis Germanicisque relationibus, *Tom. II. Alt. f. 352.* hymno etiam Germanico eorum mortem celebravit, qui multis annis in sacris ædibus personuit, librisque cantionum paulo vetustioribus, etiam novis quibusdam (ut ei, quem jussu Electorali *D. Martinus Geierus* anno 1673. collegit ac edidit, *p. 579. n. 629.*) insertus reperitur. (Ein neues Lied wir heben an/ ꝛc.) Historiam vir quidam pius & doctus, qui supplicium spectavit, luculenter descripsit, quæ *Epistolarum* Lutheri *Part. II. p. 142.* & *Sculteti Decadibus* inserta est *p. 178.* Leguntur ibi ceremoniæ operosæ, quibus Sacerdotio exuti sunt, mira patientium constantia, immo hilaritate & exultatione, qui pro flammis & carbonibus rosas sibi substerni dicebant. Articuli etiam in *Epistolis* Lutheri *p. 145. & seqq.* extant, quorum causa tam crudeli morte puniti sunt. Eorum primarii sunt, quos Henricus, qui junior, sed doctior sodalibus erat, asseruit, nimirum *quod Scripturam, Luthero indicante, lectam, Pontificiis decretis omniumque doctorum placitis præferret, & ex Scripturis probari posse negaret, quod Papa & alii Prælati plus habeant, quam ministerium verbi, diceret etiam, quod Pontifex non sit vicarius super omnes terras a Christo constitutus, sed minister ad prædicandum & pascendum verbo oves.* In cæteris dogmatibus per omnia fere Luthero consensit, de fide sic statuens: *Vera & catholica fides non potest separari a charitate, quia charitas est fructus fidei, & fides Christiana sine dilectione mortua est.* De Missa: *quod non habeat oblationem in altari, sed in cruce tantum oblationem semel factam esse.* Ad multas vero quæstiones inutiles & Scholasticas noluit respondere, & cum sæpius interrogatus diceret, *per scripta Lutheri se ad cognitionem Evangelii venisse*, urgentibus ultra inquisitoribus, *an Lutherus habeat spiritum Dei?* tacere maluit. Tandem cum inculparetur, *a Luthero seductus esse*, respondit, *se seductum esse sicut Apostoli seducti sint a Christo.* Commissarios offendit, dum diceret, eos non agere secundum Evangelium, nec verbum Dei in illis esse. Quarto

(2) Hymnus de eo.

(3) Articuli, propter quos damnati sunt.

post

An. 1523. | An. 1523.

(4) *Supplicium Lamperti.*

post exustos duos illos die, tertius etiam *Lampertus*, qui Jacobo priori, cujus supra mentio facta est, successerat, eodem supplicio sublatus refertur, *d. l. p. 148.* alii in carcere necatum memorant. *Emsero* tamen hic credendum esse puto, qui tres combustos esse narrat & quasi de re bene gesta triumphat in *not. ad N. T. Lutheri.* Lutherus Epistolam ad fratres in Hollandia, Brabantia & Flandria edidit, quæ Latine extat *Lib. II. epistolar. p. 149.* & Germanice *Tom. II Alt. fol. 354.* Gratulatur quod ex illis primos omnium Christus esse voluerit, qui ob ejus nomen & Evangelium injurias, ignominiam, angustias, tribulationes, carcerem, pericula, mortem denique sufferrent. De Henrico & Johanne vero hæc habet: *Duæ illæ felices nec minus pretiosæ animæ, Henricus & Johannes, Bruxellæ vitam suam vilem æstimaverunt, quo Christus verbo suo solus adeo plenioribus præconiorum tibiis ebuccinaretur. O quam contemtim & ignominioso supplicii genere damnatæ sunt illorum animæ! verum quam ineffabili gloria & inæstimabili gaudio revertentur olim vere judicaturæ eos, a quibus hic inique latam sententiam audiverunt. Quam vero levicula, immo nullius prorsus momenti res sit, a mundo ignominiose tractari, occidi & calumniari, his præsertim, qui certo persvasum habent, sangvinem celebrem, & mortem suam fore pretiosam in conspectu Domini, perinde ut est in Psalmis? Quid vero est mundus ad Deum collatus? Quantum voluptatis, quantum tripudii & lætitiæ omnes Angelos ex hoc spectaculo cepisse putatis? Quam non illibenter credendum est, ignem horum perpetuitati inservivisse, auxilioque fuisse migrantibus e vita, peccatis obnoxia, ad immortalem justitiam, ab hac infami ignominia ad perennem gloriam, ab his tempestatibus ad perpetuæ tranquillitatis portum? Benedictus sit, inquam, Deus in ævum, cujus nunc demum gratia vere sanctos & vere martyres nostro seculo & vidimus & audivimus, qui hactenus tot mentita sanctitate celebratos ab impiis dæmones coluimus. Nos superioris Germaniæ, Fratres charissimi, nondum eam dignitatem nobis adjectam esse sensimus, ut Christo ejusmodi victima, hecatombe sic splendida, fieremus, tametsi ex membris nostris aliquot non citra persecutionem vixerint, & adhuc vivant.* Denique *p. 150.* inter alia solatium & istud addit: *Quanquam adversarii nostri hosce sanctos Hussiticæ, aut Viglephiticæ, aut Lutheranæ denique hæreseos insimulabunt, seque horum cæde ac supplicio jactanter venditabunt, nihil est, quod miremur, hoc magis robustiore spiritu firmati. Fieri enim non potest, quin crux Christi habeat virulentos, maledicos, & impios calumniatores. Judex tamen noster in propinquo est, aliam brevi pronunciaturus sententiam, id quod certo scimus, adeoque dubium non est.*

(5) *Lutheri de martyrio epistola ad Belgas.*

ADDITIO.

Hymni de Bruxellensibus Latina versio.

Hymnum de martyrio Bruxellensi, a Luthero confectum, sequenti elegia aliquando reddidimus Latinum:

Pandimus ecce novis miracula cœlica rhythmis,
Bruxellis Domini fortiter acta manu.
Henricum canimus læti, sociumque Johannem
Mentum quos juvenes, mens notat alta viros.
Christum sincere confessos magna coronat
Laurea victores, martyriique decus.
Vincula non meritis rabies antiqua Draconis
Decernit, sæva personuere minæ.
Quotquot habet cautos Lovania clara Sophistas
Mittit, & in juvenes promere tela jubet.
Irrita cuncta cadunt, nihil efficit ira nec astus,
Explodit pietas mascula inane sophos.
Vafritiem blandam furor excipit, ultima sciscunt
Sacrifici: crimen morte piare jubent.
Crimen erat soli Christo debere salutem,
Præque hominum placitis jussa tenere Dei.
Ordine privantur sacro, rituque operoso
Demitur haud mæstis, unctio, vitta, stola.
Instruiturque rogus, qui vivos devoret igne,
Atque uno absumat dogma virosque foco.
Ast rogus est illis thalamus roseumque cubile
Ludibrio judex, mors, pyra, lictor erant.
Quæ credunt, jussi subscribunt, sanguine firmant.
Inque hymnis animas sacrificare Deo.
Obstupuere hostes, facinus patrasseque nollent,
Conscia nam mordax pectora culpa coquit.
Occultant frustra, loquitur quod Spiritus: ictum
Fraternum prodit sanguis, Abele, tuus!
Sparguntur late cineres, volitantque per orbem
Undique, non illos terra nec unda tegit.
Sic quorum dira cupiebant claudere morte
Ora, sonant passim carmina læta Deo.
Quæ nunc post mortem fingit Schola subdola, risu
Rejicimus, constat laus sua certa viris.
Laus major Domino, qui testibus hisce renata
Tempora doctrina & germina sancta probat.

Sanctos hos viros pro maledicentia sua martyres diaboli facit *Surius*, quia non fuerint in Ecclesia. Sed quis dubitet pretiosam mortem eorum fuisse in oculis Domini, qua ea doctrinæ capita confessi sunt, quæ æternæ sunt veritatis, & quæ veram constituunt Ecclesiam, quocunque illa loco, nomine aut ordine externo contineatur?

§. CLIX.

(1) *Maimburgii silentium de illo martyrio, & falsa de conversione Reformatorum in Gallia relatio notatur.*

Non recessit ab ingenio Maimburgius, quod hæc sicco pede transgressus est, sive ut gloria martyrii nascentem Reformationem defraudaret, vel quod Lutheranismi historiam non tam scribens, quam perfunctorie exscribens, ad digressiones suas genio aulico accommodandas festinaret. Quid vero dicam inspecto nunc recentissimo ejus libro, quo *historiam Gregorii Magni* explicatum ivit? In hujus certe dedicatione Regem Christianissimum alloquens, conversionem, quam vocat, Reformatorum in Gallia, anno proximo inauditis modis ad finem perductam, his inter alia verbis celebrat, quod *adversus Protestantes Gallos in Ecclesiam revocandos non alia arma, nullæque adhibitæ violentiæ fuerint, quam zelus,* ut loquitur, *charitativus, & manifestissima Ordinationum & Edictorum Regiorum justitia.* Si igitur vel ignorat vel negare ausus est, quæ in Gallia gesta sunt, testibus tot centenis millibus; quis miretur eum duorum vel trium Monachorum Belgarum supplicia vel ignorasse vel tacuisse? Magna mihi hic & justissima digrediendi occasio porrigitur, quid judicandum sit de vivicomburiis istis, quibus sub sanctissimi Pontificatus nomine, immo ex vicaria Jesu Christi potestate, sub Regibus & Principibus Christianis, tunc denuo initium factum est; sed hoc argumentum sæpius & a multis, a quibus me doctrina & sapientia vinci scio, tractatum & examinatum fuit. Pie & acute inter innumera alia Lutherus *commentario in Ps. I* ex Patribus Athanasio & Augustino monet, *affectus Psalmorum induere debere, qui eos legunt. Ut quando legis* (ait) *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum: oportet simul affectum movere & detestari ac deprecari concilium impietatis, non solum pro te sed pro tota prorsus Ecclesia, sic viam peccatorum, sic cathedram*

An. 1523. *thedram pestilentiæ. Nam hoc igne* (charitatis affectu) *comburendi sunt hæretici, & quicunque impie sapiunt ac docent: quem ignem quia contemsimus, tradidit nos Deus in reprobum sensum, ut carnifices fieremus, & hæreticos igne naturali combureremus, rursum combureremur & ipsi.* Notabunt interim qui ista legent ex articulis, propter quos teterrimo mortis genere excarnificati sunt a Belgicis proceribus Augustiniani isti duo, cives, adolescentes, doctrina non spernenda, ne unum quidem inveniri, qui (quicquid Scholæ crepent) non dico morte, sed vix alia quam scholastica & literaria censura dignus fuerit. Quicquid ad salutem Christiani hominis credi debet, crediderunt & isti, & sangvine suo obsignarunt; quæ negarunt, salva fide salvaque honestate negari potuisse, agnoscent, quicunque præjudicio vacant. Vana interim & futilis fuit omnis illa Monachorum rabies, crevitque etiam tunc, ut semper, sub gladiis & ignibus Ecclesia, quod non alio malim quam *Erasmi* testimonio probari, qui de hoc ipso supplicio non semel mentem suam aperuit. In epistola sane ad *Georgium* Ducem Saxoniæ prid. Id. Decembr. 1524. data, cum jam edito adversus Lutherum libello tam implacabilis ei esset, ut cum Pharaonibus, Philistæis & aliis tyrannis illum compararet, quibus Deus usus est ad populum suum puniendum *Lib. XXI. ep. 7.* hæc scribit: *Æquum non est ut quivis error igni puniatur, nisi accedat seditio, aut aliud crimen, quod leges capite puniunt. De potestate Pontificis in multis articulis Theologi Parisienses dissentiunt ab Italis, & alteram partem errare necesse est: neutra tamen alteram ad ignem vocat. In multis dissentiunt qui Thomam sequuntur ab his, qui adhærent Scoto; & utrosque fert eadem schola. Nunc magnopere vereor, ne vulgaribus istis remediis, hoc est, palinodiis, carceribus & incendiis malum nihil aliud quam exasperetur. Bruxellæ primum exusti sunt duo: tum demum cœpit civitas favere Luthero.* Nec minus memoranda habet in literis ad *Carolum Utenhofium* anno 1529. datis, quæ *Lib. XXIV. Ep. 4.* extant: *Quum Bruxellæ primitias immolassent, exustis duobus Monachis Augustinensibus, tertio in carcerem reducto & clam interfecto, quum mira constantia mortem oppetiissent, quæ res gravem judicibus movebat invidiam; sparserunt* (Franciscani) *ridiculam fabulam; unum ex illis apparuisse cuidam Augustinensi, qui nunciaret, animas illorum esse incolumes, quod in extremis resipuissent, videlicet jam in ipso incendio, idque factum precibus Virginis matris. Nam & pridie visitationis* (id est, Cal. Jul.) *exusti sunt, & Nicolaus Carmelita magno studio sacrificium hoc procurarat. Rogatus Carnifex, ecquam pœnitentiæ vocem edidissent in rogo? negavit, sed cum ducerentur ad palum, clara voce testati sunt, se mori Christianos, & alligati palo, admoto igni canere cœperunt symbolum fidei, mox doxologiam, Te Deum laudamus, donec flamma vocem intercluderet.* Hanc epistolam, in qua *Ludovici Berquini*, viri nobilis & docti, qui Lutheranismi prætextu Parisiis anno 1529. exustus fuit, historiam refert, his verbis finit: *Si Berquinus discessit bona cum conscientia, quod admodum spero, quid eo felicius? Damnari, dissecari, suspendi, exuri, decollari, piis cum impiis sunt communia; damnare, dissecare, in crucem agere, exurere, decollare, bonis judicibus cum piratis ac tyrannis sunt communia. Varia sunt hominum judicia; ille felix, qui judice Deo absolvitur.* Item *Lib. XXVI. ep. 18. Quidam classicum canunt ad hæreticos armis disjiciendos, huc tantum spectantes, ut Sacerdotibus opes, otium & autoritatem vindicent.* Dein postquam narrasset, quid ab initio a Theologis & Pontificibus adversus Lutheri libros, nullo successu actum sit, & ut spreto consilio suo evenisset, quod prædixerit, aucto in majus incendio: *Visum esse*, ait, *Carmelitæ* (Nicolao illi) *ut carceribus ageretur & incendiis, præsertim cum quorundam* (ut ait) *improbitas rigorem provocaret. Venit itaque* (sic scribit) διπλωματοφόρος (diplomatogerulus) *Hieron. Aleander, cum bulla terrifica, minitans omnibus, & quacunque Cæsar iret, fumis & librorum incendiis implens omnia. His rebus cum nihil aliud excitaretur, quam risus, impetratum est diploma Cæsareum. Id editum est ante tempus, quemadmodum & bulla Leonis per monachos exierat, priusquam ille vellet. Datus est Carmelitæ & huic simillimo Collegæ* (Hochstratano puto) *gladius; cœpta est carnificina. Tandem Bruxellæ tres Augustinenses publicitus affecti sunt supplicio. Quæris exitum? Ea civitas antea purissima cœpit habere Lutheri discipulos & quidem non paucos. Sævitum est in Hollandia. Quid multis? ubicunque fumos excitavit Nuncius, ubicunque sævitiam exercuit Carmelita, ibi diceres factam fuisse hæreseos sementem. Hic aula Principis* (Caroli) *animadvertens ita rem geri per furiosum Monachum, ut omnia spectarent ad seditionem, exarmavit illum cum suo Collega, & aliis Theologis, non Monachis, eam provinciam delegavit, aliquanto mitioribus: quanquam & aula sustulit aliquos, plures metu pepulit.* Denique ad *Joh. Henkelium* Caroli Imperatoris Sorori, Mariæ Hungariæ Reginæ a concionibus *Lib. XVIII. ep. 25. Et illud arguebat hoc negotium aliquo numine geri, quod quo magis in adversum nitebantur conjuratæ phalanges, & his favens monachorum potentia, hoc latius serpebat malum. Exustis aliquot promittebant sibi finem totius tumultus. Hoc erat monachorum consilium. Hic plane nobis usu venit, quod Herculi in hydra. Damno crevit pestis, & a sævitia duxit opes animumque nostra.* Cum vero postea G[illegible]ardus Noviomagus, quem ille *Vulturium Neocomum* vocat, edito libello pro Erasmi sententia venditasset, *non esse fas in quenquam hæreticum pœna capitis animadvertere*, Erasmus suo more, ut invidiam averteret, de eadem quæstione & de aliis gravandi Lutheri causa mollius philosophatus est, in mores Lutheranorum acerbissime invectus, quam ejus epistolam magni faciunt scriptores Galli, quasi scilicet non semper, in purissima licet Ecclesia, hypocritæ & profani fuissent. Vide *Lib. XXXI. ep. 47.* Possent ad persecutiones hujus anni referri, quæ in Gallia adversus Lutheranismi primitias supprimendas gesta sunt, in *Meldorum* potissimum civitate. Ibi enim *Gvilielmus Brissonetus*, Episcopus, vir magnæ eruditionis, aliquos de hæresi suspectos, sed doctos viros, interque eos, *Jacobum Fabrum* a patria in Picardia *Stapulensem* dictum, *Gvilielmum Farellum*, aliosque fovebat. Delata re a Mona-

(1) *Consideratio articulorum Bruxellæ damnatorum.*

(2) *Erasmi de supplicio illo judicium.*

(4) *Alia ejus sententia.*

(5) *De persecutionibus in Gallia.*

An. 1523.

a Monachis ad famosum illum *Antonium Pratensem* Cancellarium Regni & postea Cardinalem, Episcopus acerbe a Francisco Rege increpatus, absistere cœptis, quam iras regias sustinere satius habuit. *Faber* ad Sororem Regis in Aquitaniam diffugit; *Farellus* ad Helvetios, alii aliovorsum. Sed quoniam in Gallia paulo post Helvetica & Joh. Calvini doctrina pro Lutherana invaluit, a Scriptoribus Gallis historia ista rectius petitur. Pertinet etiam huc mors *Provincialis Carmelitarum Halberstadiensium*, cujus meminit Lutherus *Lib. II. epistolar. p. 161. b.* quanquam is noctu a grassatoribus quibusdam cæsus est, sed instinctu, ut credebatur, Sacerdotum.

ADDITIO.

Varillasii narrata de actis in Episcopatu Meldensi.

De actis in Episcopatu Meldensi *Varillasii* historiam Hæresium vidi; in illa *Libr. V. p. 373. & seqq.* hæc habet: *Lutheranismus ex Metensi regione, in quam eum Franciscus Sickingius bellum Trevirensi Electori inferens, introduxerat, per Campaniam & Briam in Meldorum provinciam penetravit. Episcopus urbis erat vir excellentissimus Guilielmus Brissonetus, filius aut ut alii tradunt nepos Cardinalis ejus nominis, qui Carolo VIII. a ministerio status fuit, longe charissimus. Tanta flagrabat literarum cupiditate, ut omnes, quas curæ diœcesanæ subtrahere poterat horas, iis impenderet, & cum non reperiret Meldis, quos studiorum adjutores habere posset, quatuor literatos aliunde accersivit, nescius suspectos hæreseos esse. Jacobum nempe Fabrum Stapulensem, Gvilielmum Farellum, Martialem & Gerardum Rufos. Faber ut magis se insinuaret, novam Bibliorum versionem adornabat, prætexens veteres & inprimis vulgatam non satis congruere cum textu Hebræo & Græco. Farellus Zvinglii errorem docebat discipulos, quos putabat secretum custodituros esse. Rufi duo licentiam sibi sumserant, Librum de captivitate Babylonica defendendi, quo Lutherus acerrime in curiam Romanam invectus erat. Hi novæ doctrinæ Missionarii, quamvis secreto docerent, a Franciscanis tamen Meldensibus non multo post detecti & Cancellario Galliæ* (Antonio) *Pratensi denunciati fuerunt. Hic, ut in Historia Francisci I. prolixe relatum est, Politicorum suæ diœceseos* (nescio an dicere voluerit, seculi, aut regni illius) *maximus fuit. Perfecte noverat ingenium Gallorum, & prævidebat majora in regno illo, quam in reliquo Christiano orbe toto, damna daturam esse hæresin, si reciperetur. Regem herum suum indies ardentiorem deprehendebat ad recuperandum Ducatum Mediolanensem, ab Imperialibus sibi ablatum. Hanc pulcherrimam Christiani orbis regionem non alia de causa Galli perdiderant, quam quod Papam sociare sibi neglexissent; opus itaque ante omnia esse videbatur, ut cum sacra sede reconciliarentur. Tutissimum autem medium ad id erat, si novis hæresibus aditus in Galliam precluderetur. Statim itaque ac Franciscanorum Meldensium Gvardianus Cancellario per literas denunciasset, urbem hæresi infici, & contagium ex palatio Episcopali propagari, Episcopus ad regem citatus, & ab eo, qui in talibus occasionibus mire facundus erat, acerbe reprehensus est, quod tribus aut quatuor hominibus receptum apud se daret, qui diœcesin ejus brevi essent perversuri, nisi prohiberentur; promisit igitur Episcopus se eos statim esse dimissurum, ut & fecit. Sic Lutheranismus in cunis oppressus fuit in Gallia. Martialis Rufus publice recantavit tantaque pœnitentiæ signa dedit, ut tandem Canonicus & Pœnitentiarius Parisiis factus sit. Frater ejus & Faber, asylum Neraci invenerunt, ubi Soror Francisci I. eos protexit, sive quod ejusdem cum illis esset sententiæ, sive simplici erga literatos cujuscunque religionis affectu. Duo illi Lutheranismum constanter tenuerunt, sed Farellus, qui ad Helvetios fugerat, Zvinglii dogmata statim professus est, & Calvinum postea Genevæ adjuvit, ubi centrum sectæ suæ habuit. Discipuli eorum, plerique lanifices, obstinatiores erant. Johannes Clericus qui scriptum quoddam adversus indulgentias publice in valvis templi Cathedralis affixerat, virgis cæsus & stigmate notatus fuit. Cum vero illa animadversione spreta in Metensem civitatem profectus esset, & cum interdiu lanas carminaret, noctu Lutheranismum doceret, sequenti anno detectus & ultimo supplicio affectus fuit.* Sunt in his non pauca quæ censuram admitterent, sed notare jam solummodo volo confessionem autoris, quam originem Pratensis & Regis ipsius severitas in Lutheranos habuerit, quanquam alibi *Lib. VII. p. 118.* magnifice zelum illius, postquam ad Archiepiscopatum Senonensem pervenit, extollat.

An. 1523.

§. CLX.

E scriptis Lutheri præter illa, quorum mentio facta est, hoc anno 1523. etiam alia quædam prodierunt, tractatus, puta, *de abominatione canonis Missæ* Germanicus. Quanquam enim inter acta 1524. referatur *Tom. II. Alt. f. 841.* prius tamen editum fuisse constat, *d. l. fol. 492.* & versio ejus Latina *Tomo II. Wittenb.* publicata habetur. *Ad equites ordinis Teutonici* ob impudicitiam male audientes *parænesin* d. 28. Mart. 1523. Lutherus composuit, quæ habetur *Tom. II. Altenb. fol. 293.* eaque in Borussia effectu non caruit, ut postea narrabitur. Præterea, quæ occasione monstrosorum partuum in adversarios lusit, ut & Melanchthon *Tom. II. Alt. f. 376. & seqq.* quæ etiam Latine versa habentur *Tom. II. Witt. f. 425. & seqq.* Dogmatica quædam & moralia *de definitione & natura fidei, de damnatione hominum, qui fide carent, de matrimonio* & *de continentia. In Cap. VII. Ep. I. ad Corinth* item *de usuris*, eodem anno scripta, & primariis quibusdam ex nobilitate Misnica dedicata extant *Tomo II. Alt f. 345. 349. 365 383.* Editæ etiam sunt hoc anno ejus *conciones in Epistolas divi Petri*, itemque *Judæ* (vide *Tom. II. Alt. 405 464. 486.*) plenæ egregiis explicationibus & admonitionibus. Erat Olsnitii in Variscis sive Voigtlandia, qui specie Evangelicæ prædicationis populum ad vim concitabat; hoc comperto, Lutherus Senatum d. 4. Decembr. ab omni violentia dehortatus est, verbo, non manu, veritatem propagari debere contendens, & adversus renitentes precibus se pugnaturum minatus. At datis paulo post ad ministrum quendam Electoris literis, autor fuit, ut violento homini & aliquibus ejus sequacibus manus injicerentur, turbas enim ferri non debere. *Tomo II. Alt. f. 366.* Nec defuere, qui Lutherum hoc anno libris & tractatibus infestarent, inter quos doctissimus absque dubio habendus est *Johannes* ille *Fischer*, Roffensis in Anglia Episcopus, qui non solum assertiones thesium Lutheri refutavit, sed & postea anno 1525. contra eundem pro Rege suo calamum strinxit, a quo tamen malam gratiam reportavit, ut notum est.

(1) *Lutheri liber de canone Missæ.*

(2) *Item ad equites Teutonicos adhortatio.*

ADDITIO I.

(a) *Crusius importunus concionator in oppido Olsniz.*

Concionator Olsnitiensis *VVolffgangus Crusius* sacerdos quondam, improbabat durissimis verbis, quæ *Spalatinus* in *epistolis MS.* annotavit, confessiones & absolutiones sacerdotales, jus Pontificium Missas absque communione, & Evangelium ab annis mille non recte prædicatum fuisse contendebat. Lutherus in literis d. 16. Octobris datis (vid. *Spalat. d. l.*) improbat vehementiam hominis, er hebt zu hoch an / und wirfft die alten Schue weg / ehe er neue hat / *justo altius insurgit, & veteres calceos abjicit, dum novos nondum habet; mustum recondit in utres veteres. Placide populum de fide & charitate instruere deberet, nec rudem harum rerum acrimonia replere, antequam Christum bene cognoscerent. Ego per triennium VVittenbergæ*

(b) *Lutheri de eo judicium.*

An. 1523.

tenbergæ concionatus sum, antequam huc pervenirem, quo ille ambitiose erumpit, & una hora cœpta vult perficere. Addit, *admoneri eum debere, ut modeste agat, & munus Pastoris a monasticis & aliis ejusmodi abusibus distinguat.* Von Klösteren und Thümerey. Non falsus est in judicio de concionatore illo; mox enim ulterius provectus populum in Magistratum concitavit, & causam dedit literis Lutheri, quas paulo ante allegavi.

ADDITIO II.

(a) *Doctores VVittenbergæ creati Glatius & Otto.*

(b) *Lutheri jocus.*

(c) *Alii promoti.*

Hoc anno Doctorum in Theologia titulum VVittenbergæ assumserunt, ut ex catalogo ab *Andrea Sennerto* edito constat, *Caspar Glatius* & *Jacobus Otto* pastor Northusanus, & more quidem veteri, unde Lutherus occasionem jocandi sumsit, ut diceret Electorem ad hypocrisin occasionem habere ad probandos Pontificios ritus, Vid. *Part. II. Epistolar. Luth. p. 111.* Gratias etiam pro accepta ferina Principi per Spalatinum egit, qua novellos Doctores ad prandium donaverat. Excusat quoque illorum institutum, & præcipue Pastoris Northusani, qui *larvam illam*, ut vocat, *quam sciret rem nihili esse, assumat, & ita se ornet ad ministerium verbi.* Sic loquitur in *epist. MS.* ad *Spalatinum* (in Bibliotheca Jen.) d. 12. Octobris. Eodem modo ab anno 1517. promoti sunt, ut ex albo allegato percipitur, *Johannes Dolzius* (Doltzsche/) Feldkirchensis, Canon. VVittenberg. *Jacobus Sperensis* (*Præpositi & Sprengeri* cognomen alias habebat,) Prior Antverpiensis Augustinianus, *Tilemannus Plattner*, *Franciscus Guntherus* Pastor, (Lutherus Episcopum vocat) Lochaviensis, *Jodocus Jonas* Præpositus VVittenberg. anno 1521. Dein anno 1522. *Johannes VVestermannus & Godscalcus Kropphus*, quorum plerique non minus quam duo isti anno 1523. insigniti, Evangelium docuerunt, sicut & *Ambrosius Moibanus* Vratislaviensis, qui anno 1525. honore illo potitus est; postmodum autem anno 1533. mutati fuerunt ritus, ut in loco dicetur.

ADDITIO III.

(a) *Lutheri liber adversus Cochlæum.*

(b) *Narratio de actis Cochlæi in Comitiis VVormatiensibus.*

Ad scripta Lutheri hujus anni 1523. pertinet brevis illa *in Joh. Cochlæum* invectiva, quam *Gvilielmo Neseno* dedicavit. Habetur Latine *Tom. II. Jen. fol. 599.* & Germanice *Tom. II. Alt. fol. 905.* inscribitur; *Adversus armatum virum Cochlæum.* Præmittuntur versus ex Virgilio inflexi: *Arma virumque cano &c. Cochlæus* (paucis notare liceat) cum alias *Dobneck* cognominaretur, maluit nomen sumere a vico patrio, in agro Norimbergensi, qui dicitur *VVendelstein*, cæmentis majoribus celebris; *Cochleæ* enim sive *cochlides* a formæ similitudine nominari solent scalæ tortiles; unde & Germani Schnecken/ id est testudines vel cochleas vocant, aut Wendelstein vel Wendelsteig / a scalis versis seu tortis. *Cochlæus* inter Sacellanos Georgii Ducis fuerat, dein Francofurti *collegiatæ Ecclesiæ ad B. Virginem Decanus.* In Lutherum perpetuo odio inflammatus, plurimis libellis grassabatur; spernebat eum Lutherus & dicteriis variis a cochlea & cochlearibus petitis irridere solebat: Id vel ex hoc scripto patet, (quod alterum esse dicit Lutherus, adversus eum a se editum) defensioni Bullæ Leoninæ quam Cochlæus ediderat, opposito: *quid*, ait, *cochlear hoc popinarium aut quid testudo hæc possit, si comparetur cum Eccio, qui incomparabilis in erroribus Scholasticis, tum Bullis & viribus Pontificiis instructus, nihil tamen nisi ignominiam a me retulit.* Gloriantem vero Cochlæum quod Lutherum VVormatiæ sermone suo ad lacrymas adegerit, his verbis reprimit: *Quantum est dementia argumentum, quod gloriatur, sese VVormatiæ sic mihi locutum, ut ad lacrymas cogeret. Non imputabo hoc nequitiæ, sicut dixi, sed dementiæ; malo eum insanum & misericordia dignum, quam malum & odio dignum haberi; alioqui si compos sui sic impudenter mentiretur, quis non Cochlæum insignem nebulonem judicaret? Scilicet iste Pericles Lutherum ad lacrymas moveret, qui sic pueriliter loquebatur & agebat omnia VVormatiæ, ut ab omnibus, qui aderant, etiam me invito & prohibente, tanquam fatuus rideretur. Testem appello suam ipsius conscientiam, si sanus meminit, quantum vel ab uno D. Hieronymo Schurff salis & nasi passus est, tum maxime, cum vellet sapientissimus & prorsus armatus ille Cochlæus videri; sensit enim, & indigne etiam tulit.* Pertinent etiam ad historiam VVormatiensium comitiorum quæ sequuntur: *Sic & hoc mendacium morbo tribuerim, non malitiæ, quod jactat triumphum, nempe quod oblatum duellum recusarim. Teste etiam Cochlæo sic res habet. Cochlæus sive propria stultitia, sive alienis verbis subornatus postulabat a me, ut fidem publicam Cæsaris resignarem, tum sese velle mecum disputare palam. Hic antequam ego responderem, communi cachinno excepta hominis absurditas est. Pars eum insanire putabat, ut qui disputare nollet nisi fide publica postposita. Pars vero proditorem malignum arguebat, qui non disputationem quæreret, sed ut exutum fide Papistis proderet. Pessimo nomine sese tum Cochlæus & omnium odio per hoc verbum oneravit, quo se in perpetuum non exonerabit. Et nunc gloriatur pulchra ista Testudo, sese mihi recusanti duellum obtulisse, & canat victorias, cum ego nec disputationem recusarim, nec fidem publicam offerre* (id est, *diplomati renunciare*) *detrectarim.* Ad rem postea accedens Lutherus propositionem suam *sola fides justificat*, strenue defendit, & ineptias adversarii exagitat, cum ita argumentaretur, *sola fides* non salvat, *quia Spiritus sanctus etiam & baptismus* salvat. Concedit id Lutherus & plura addit quibus salvatio adscribitur, nam & ministeriter salvare dicitur; *aliud nempe* ut ex Cochlæi stylo loquitur, salvat *autoritative*, aliud *mediative*, aliud *subjective*, aliud *active*, aliud *ministrative &c.* sed ut aliis qui vehementer voce illa *sola* offendebantur, satisfaciat, nil aliud per eam significare se voluisse contendit, quam ut voce illa *sola*, removeatur concursus operum, quia Paulus vehementissime urgeat, excludenda esse opera omnia a justificatione, ita ut ne circumcisio quidem, quæ tamen opus divinitus mandatum erat, justificaverit, cum Abrahamus ante illam fide justificatus apertissime dicatur ab Apostolo: Itaque plus non dici hac propositione *sola fides justificat*, quam quod Paulus dicit: *sine operibus legis justificatur homo.* Loqui autem Paulum (ait) de *justificatione spirituali*, (quæ scilicet inter Deum & hominem intus in mente peragitur) ut Sophistæ loquuntur, *formali & subjectiva. Contendit enim* (Paulus) *contra opera & justitiam legis, & prorsus in re conscientiarum versatur, ubi sola fides totum est, opera nihil sunt, immo opera fructus sunt jam justificatæ per fidem arboris, ut etiam juxta communem sensum impossibile sit operibus justificari.* Deinde rationem adsertionis suæ ita exponit. *Ego certe meis adsertionibus hoc egi, dum soli fidei justificationem tribui, ut impia studia Sophistarum & Monachorum refutarem, qui totum orbem seduxerunt in fiduciam operum. Sciebam eos non negare, saltem verbo, justificationem per Christum, per Baptismum, per Spiritum contingere. Sed videbam eos negare, solius fidei esse justificare, operibus vero totam fere gloriam justificationis tribuere. Quod nisi fecissent, non essent tanta examina Monasteriorum, Collegiorum, Scholarum & infinitorum studiorum per opera justitiam quærentium. Omnia enim hæc super opera nituntur, non super solam fidem. Et fingunt fidem, nescio quid in anima latentis formæ, quæ sit veluti pars, non summa omnium virtutum. Quare non est ut verbum meum extra argumentum seu materiam subjectam trahas. Et ubi de fide & operibus disputo, pro conscientiæ judicio instituendo, tu de potestate Dei fidem creantis cogites.* Ad Patrum dicta a *Cochlæo* coacervata respondet, illos quoque homines fuisse, & aliquando humano sensu extra Scripturas docuisse: *sequor* (scribit) *Augustinum ubi cum Scriptura sentit, & relinquo, si citra vel contra Scripturam loquitur, in re conscientiarum nullius hominis sed solius Dei verbum amplector, quia soli Deo nulli vero homini convenit conscientias regere & docere.* Tractat hac occasione de fide infantum, eamque fide & precibus Ecclesiæ illis impetrari statuit in baptismo, hoc nisi credatur, satius fore parvulos non baptizari. Deinde gratiam a fide non separat, *justificat enim nos*, scribit, *Deus, dum gratuito donat fidem, qua sola justificamur, & in tota Scriptura non legitur*

An. 1523.

(c) *De justificatione per solam fidem.*

An. 1523.

legitur charitati tribui justificationem; sed est fructus fidei justificantis Gal. V. Petri dictum, charitas operit multitudinem peccatorum, de alienis peccatis intelligit, idemque vult ac Paulus, cum dicit: charitas non irritatur, non offenditur, omnia sustinet &c. Cum vero Cochlæus inter alia scribat, etsi Paulus ita dixerit (quod tamen non fecit) solam fidem justificare, non tamen contra omnem Ecclesiam per verba Pauli protervum esse oportet, major est sensus Ecclesiæ, quam sonus Scripturæ, non oportet utique sonum sequi Scripturæ: id Lutherus pro blasphemia habet, & quamvis Scripturam alicubi figuratam esse, & ex simplicioribus locis explicari debere non neget, sceleratos tamen & impios esse Sophistas dicit, qui Scripturam non per Scripturam, sed per suos blasphemiæ sensus tradant, & id autoritate ecclesiæ fieri jactent, addit: Nihil unquam dictum est simplicius, purius, clarius, facilius, quam verbum Dei; id quomodo scirent istæ testudines, limaces, talpæ, lacertæ, erucæ, locustæ, bruci, vespæ, immo viperæ & stelliones, qui totis vitæ diebus in terrenis suis volutabris reptant, & pereunt in immundiciis suis Sophisticis? Quid mirum, si sonum Græcæ linguæ non intelligas, qui nihil græce didiceris? Lux enim est verbum Dei omnium hominum, ad quod & venit in hunc mundum. Non autem homines lux verbi Dei sunt, ut Cochlæus hic sacrilegus cum suis insanit. Concludit tandem: Finis hic esto cum larvis nugandi, sicut enim recte dicitur: Solus Deus creavit cœlum & terram, licet Scriptura tantum dicat: Deus creavit cœlum & terram, cum non sit alius creator. Ita nostra loquendi ratio exigit dicere: Sola fides justificat, licet Scriptura tantum dicat: Fides justificat, cum nihil nisi fidem justificare, ipsa clarissime probet. Huic Lutheri tractatui asperrimum opposuit Cochlæus titulo adversus cucullatum minotaurum, præscriptis itidem versibus: monstra bovemque cano &c. gloriatur tamen nihil respondisse ad hunc Lutherum, aut ejus nomine alios. Sed victoriæ argumentum id non æque est ac contemtus, quo Lutherus, ut professus erat, & alia habens quæ ageret, innumeros ejusmodi latratus despexit.

(d) Cochlæi responsum.

Edidit etiam hoc anno 1523. animadversiones in concionem quandam Provincialis ordinis Prædicatorum habitam in velatione virginis, monasterium ingredientis, Tom. II. Lat. Jen. fol. 593. ex quibus, cum cætera adversus vota monastica & cœlibatum ex aliis ejus scriptis satis nota sint, hoc saltem nunc refero, quomodo jactationem illam, quod mundum spernant, qui monasteria ingrediuntur, elidat. Dementarunt his præstigiis (ait) omnes homines; cum tamen non spernant sed possideant potius mundum cum omni gloria & opulentia sua. Scilicet pannosus mendicus spernit in domo paterna furfures & siliquas, nuditatem & summam omnium rerum penuriam, fugit vero in monasterium, & fit alienis opibus Doctor aut Abbas, etiam Principibus adorandus; & puella in mundo futura focaria (ut dicitur) ancilla, aut famelica materfamilias, fit in Monasterio Abbatissa & gloriosa Domina, etiam Reginis mundi venerabilis. Quod si simplices & inferioris gradus Nonni & Nonnæ manserint, tamen victum & vestitum, domum & omnia necessaria sic habent opulenter, in summo ocio & securitate, cum summa laude & gloria, denique cum spe vitæ æternæ (ut somniant) ut totus mundus ab eis tam religiose spretus, non possit nec Regum filiis, tantam mundi securitatem & saturitatem cum tanta gloria & laude præstare. Habes itaque mundi contemtores, nomine & fuco, sed mundi Dominos, re ipsa & veritate. Addo quædam de aliis Lutheri scriptis hoc anno, quæ in tomos relata sunt. Consulueras eum VVolffgangus Salhausius Tetschenæ in Bohemia Dynasta, de discrepantibus circa prædicationem & usum legis & Evangelii opinionibus; & speciatim de Dominici Beieri concionatoris Tetschenensis sententia, qui bona opera ad propitiationem gratiæ meritoria; post adeptam gratiam legem fidelibus amplius non esse proponendam docuisse ferebatur. Respondit Lutherus & solus & cum collegis Bugenhagio & Melanchthone, excusato Beiero, quod male intellecta essent ejus dogmata, docetque bona opera facienda esse, & legem prædicari debere, quæ malos corrigat, pios in disciplina conservet, & licet in operibus non sit meritum, neque eo fine fieri debeant, fieri tamen omnino debere, & a peccatis cavendum, manifestorum vero criminum reos a magistratu etiam puniendos esse. Tom. II. Alt. fol. 787. & seqq.

(e) Lutheri de votis monasticis scriptum.

(f) Item de bonis operibus.

An. 1523.

De usu legis & Evangelii salutari, ex Apostolica doctrina prolixius egit in explicatione homiletica 1. Tim. I. 3. & seqq. d. Tom. II. fol. 827. & seqq. ibi circa finem fol. 836. & seq. recapitulatione quadam dictorum instituta hæc habet: Secundum spiritum fidelis plane justus est & absque peccato, sed secundum carnem habet adhuc peccata. Si itaque Christianum, qui (secundum summam illam legis a Paulo d. Cap. I. v. 5. propositam) charitatem habet de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta, examines, ille sic dicet: Etsi isthæc habeo, pura tamen non est caro, lingva, manus, Adamus vetus, quem gero, non est purus. Fides quidem cœlum versus, & ad Deum me trahit, & lege non eget; cor habet promtitudinem ad bene agendum, humilitatem, mansvetudinem, sinceritatem, sed caro non sequitur ut deberet. Gravatur multis sordibus, concupiscentia, curis vitæ, metu mortis, invidia, odio. Hoc cœnum semper adhæret etiam fidelibus & cum eo luctatur fides. Hoc cum ita sit, Scriptura etiam fideles peccatoribus in hoc æquiparat, ut legem iis inculcet, qua carnis cupiditas refrenetur. Fit tamen hoc in fidelibus ex spiritus promtitudine absque fastidio & recalcitratione. Hoc enim inter fideles sive renatos & non renatos discrimen est, licet lex utrosque coerceat, ut illi alacres & promti sint spiritu, hi vero eo careant, illis itaque non imputatur, quod reliquum est peccati, hi ob peccata condemnantur. Justi ergo habent omnia quæ habere debent, non coguntur ad opera, ideo ut justi fiant, sed sufficit ad pietatem ut Evangelium accipiant, & Christi subeant patrocinium, hoc facto opera bona faciunt &c. Prætereo sermones alios in 1. Tim. II. 4. in Evang. Dom. Invoc. & Dom. XI. & XXII. Trinit. Tractatum de mercatura egregiis monitis refertum; denique glossas acerrimas in duas Clementis VII. bullas quibus Jubilæum anno 1525. publicaverat, & alia quædam. Non possum tamen non aliquid ex animadversione in censuras Ingolstadienses, per quas Arsacium Seehoferum (de quo sæpius mentio facta est) ad revocationem adegerant, referre ex Tomo II. Alt. fol. 771. & seqq. Examinaverunt XVII. Arsacii articulos, Rector, Senatus & Ordinarii Academiæ Ingolstadiensis exemplo non admodum consueto, ex omnibus facultatibus ad hoc judicium coadunati. Nicolaus Appellas, Leonhardus Marstallerus, Theologi, Franciscus Burckardus, & Georgius Hauer, Jurisconsulti, VVolffgangus Peysser, Petrus Burckardus, Panthaleon Brunner, Medici, Antonius Braun & Johannes Schrotlinger, artium Magistri; omissis autem cæteris hæc tantum noto. Articulus I. Arsacii erat: Sola fides ad justificationem hominis sufficit. De hoc censores ita definiunt, verum esse articulum secundum verba, & ita enunciari a Paulo Rom. III. & V. rationes addunt, quia homo justificandus nondum est justus; si injustus & in peccatis est, non habet gratiam Dei; si hanc non habet, opera ejus grata non sunt Deo, nec ad salutem sunt meritoria: opera enim hominis non placent Deo, nisi prius homo placeat: ita Gen. IV. Deus respexit ad Abel, & ad munera ejus, ad Abelem nempe primo, deinde ad munera; si igitur hominis actio Deo placere debet, placere prius oportet hominem Deo, opera enim non faciunt, ut homo bonus fiat, sed homo bonus facit & præstat bona opera. Porro si homo lapsus & injustus justificatur, fit id ex gratia & misericordia Dei. Hæc dicitur gratia, post eam sequuntur bona opera. Quanquam vero (pergunt) Articulus hoc modo verus sit, non tamen ita simpliciter proponi debet, rudibus, levibus, pigris & impiis hominibus, tales enim putarent, se fidem habere & ideo nihil opus esse, ut mandata Dei servent, jejunent, orent, eleemosynas dent, aut alia bona opera faciant, quia Paulus & Habacuc dicunt: justus ex fide vivit &c. ideo revocatus est hic articulus. Ad hæc Lutherus: Cum hunc articulum pro vero habeant, & probent ipsi

ex Pau-

(g) De reliquiis peccati in piis.

(h) Alia ejus scripta.

(i) De censura Ingolstadiensi in Seehoferum a Luthero refutata.

An. 1523. *ex Paulo & Habacuc, quæ immanis cæcitas est, ut ideo pro hæretico illum damnent, quia impii per eum scandalizantur? Annon & ex aliis articulis v. g. quod Christus sit Deus & homo, scandalum sumunt gentiles & Judæi; dein cur simpliciter non proponeretur hic articulus, quem tamen Christus & Paulus simpliciter proposuerunt? Possuntne duo uno dici halitu & cur hæreticum esset, si prius dicatur, fides sola justificat, & postea addatur, fides facit bona opera? utrumque dicendum est, sed unum post aliud.* Artic. III. damnant Ingolstadienses propositionem, quod per nulla bona opera aut merita homo justificetur, dicunt enim repugnari Scripturæ, quia Cornelius Paganus *Act. X.* per opera impetravit fidei annunciationem a D. Petro, & quia Deus opera bona hominis mortaliter peccantis, ex misericordia pro melioribus habet, quam sunt, & propter ea operanti benefacit. Lutherus Cornelium proselytum fuisse asserit & ex fide bene operatum, absque qua bona ejus opera non placuissent Deo, & contradictionem implicare monet, quod jam dicant peccatoris opera Deo placere, quod antea negaverant. Articulum V. *Fiduciam habere non debemus in bona opera nostra*, verum videri ajunt ex *Luc. XVIII.* sed terrere infirmos: a Deo enim opera bona exigi, & ex gratia præmium habere. Hic eos male excipit Lutherus, quod capere non velint, aliud esse bona opera facere, aliud fiduciam in iis habere: illud debitum & utile esse; hoc prohibitum & malum. Articulum VI. *Fides non potest esse sine operibus* negant Academici, adductis locis *Luc. XII. & Matth. VII.* ubi agitur de servo sciente voluntatem Domini, sed non exequente, & de iis qui dicunt: *Domine Domine*, & miracula allegant &c. Lutherus dicit, talem esse horum fidem, qualis Theologia censorum. Arsacium de fide vera & efficaci docuisse, & censores per Sycophantiam de historica loqui. Articulum XVI. (*Lex Moysis plus exigit ab homine quam præstare potest*) durum esse dicunt censores, agnoscunt tamen inveniri *Act. XV. 10.* ubi lex dicitur jugum insupportabile, sed addunt portari posse per gratiam Christi. *Joh. I. 17.* Ita, ait Lutherus, se ipsos refutant, Articulus agit de implemento legis, extra gratiam, quod est impossibile: at cum gratia est possibile, quod Arsacius non negasset. Notari hæc possunt de iis, qui alia Lutheri dicta eo torquent, quasi omni ratione & modo impossibilem statuerit Legis impletionem; apparet enim eum illam pro impossibili habere, quæ justitiæ Dei exacte conveniat, non illam, quam Deus non solum ex gratia in nobis operatur, sed & imperfectiones ejus condonat, & pro perfecta reputat ex eadem gratiosa ἐπιεικείᾳ & æstimatione.

§. CLXI.

(1) *De canonizatione Bennonis.*

Pertinet ad hunc annum 1523. *Bulla Adriani de canonizatione Bennonis Episcopi Misnensis* d. 31. Maji 1523. data; Ad eandem obtinendam Johannes Schleunizius tunc Misenæ Præsul, Romam ipse profectus erat, Imperatoris Caroli, fratrisque Ferdinandi, tum Alberti Moguntini & Magdeburgensis Archiepiscopi, Matthæi Cardinalis Salisburgensis, itemque Principum, quibus Misena suberat, Georgii & Henrici Saxonum, systaticis & commendatitiis literis magnifice instructus. Multis vero annis negotium hoc Romæ tractatum fuerat, ad quod etiam Fridericus Elector cum Johanne fratre legatos miserant; ut tradit *Fabricius Annal. Urbis Misn. in an. 1524.* nec confectum forte fuisset, nisi causa Lutherana novum attulisset momentum. Publicavit diploma Episcopus d. 7. Septembr. in quo ut præcipuum meritum extollitur, quod Benno solus Gregorio VII. Papæ paruerit, Imperatorem Henricum IV. & qui ei fidus erat, Marchionem Misniæ excommunicans, cum universi Germaniæ & Galliarum Episcopi (hæc sunt verba diplomatis) Imperatori adhærerent. An. 1523. Dein miracula, quæ vivus patravit, enarrantur, v. g. quod claves Ecclesiæ, Imperatori ejusque Legatis occlusæ, in Albim projecerit, quæ postea in piscis ventre repertæ & Episcopo restitutæ fuerint: quod fluvium illum sicco transierit pede: vinum ex aqua fecerit: fontem pulsu pedis ex terra elicuerit: uno tempore in duobus locis Missas celebraverit: Marchioni alapam infligenti mortem post annum prædixerit, secuto eventu. Nec pauca ejus facta post mortem referuntur, inter quæ est, quod Gvilielmo Marchioni in somno apparens oculum eruerit.

(2) *Miracula Bennoni attributa.*

Lutherus occasionem inde arripuit, hanc apotheosin (ita enim vocabatur) cum sequenti anno solenniter peragenda esset, vehementer insectandi. Edidit itaque postea tractatum Germanicum, quem inscripsit *contra novum idolum & veterem Dæmonem Misnensem. Tomo II. Alt. f. 780. & seqq.* Protestatur autem primo, se de *Bennonis* sanctitate & salute nihil definire: etenim si salvus sit, nihil ejus beatitudini per Pontificis elogium accedere, sin minus, nullum afferri levamentum: inde hypocrisin Papæ (jam mortui) taxat, quod inimicus verbi divini & persecutor fidelium fuerit, ejus enim auspiciis Augustinianos Bruxellæ concrematos esse. Maxime vero & Magistrum illum (ut loquitur) Adrianum, & quicunque ceremoniam apotheoseos procurent, ob summam culpat imprudentiam, quod ex ea potissimum ratione Bennonem extulerint, quia Pontifici adversus Imperatorem adhæserit in lite, quæ ad religionem non pertinebat, & qua Pontifici solum potestas secularis & opes quærebantur, Imperatori & Germaniæ damnum & ignominia. Cætera Bennonis miracula vel pro figmentis vel pro diabolicis illusionibus habet, quædam plane improbat, illud maxime, quod Marchioni oculum eruerit. Frustra sumtus in ceremonias illas impendi, ait, & veris sanctis, id est, piis Christianis & egentibus rectius erogari debere. Certo autem sciri non posse, an sancti salvique sint, qui pro talibus in Ecclesia celebrantur; nec Adrianum, qui precibus a Deo petiisse se in Bulla scribit, ne in canonizatione hac erret, certum esse potuisse, an exauditus a Deo fuerit; addit argumenta adversus panegyricos, quos Misnæ recitandos esse non dubitat, & dicta Scripturæ, quibus abuti concionatores pro laude & cultu Sanctorum solent, a perverso sensu liberat. Respondit huic scripto *Emserus* magna cum acerbitate, & solennitatem, frustra ringente & dissvadente Luthero, ingenti concursu populi nihilominus peractam fuisse jactat, perpetuamque futuram ominatur; in quo tamen manifesto falsus est, cum post mortem Georgii Ducis ista omnia in ventum & fumum abierint. Ipsa canonizationis solennitas XVII. Calend. Jun. sive d. 16. Maj. celebrata, ut scribit *Fabricius*, aliis religioni, aliis joco & risui erat. Aderant cum Georgio & Henrico, eorumque filiis, Adolfus Episcopus Mersburgensis, Comites tres & multi ex Nobilitate. Erecta Bennoni ex marmore ophitino, (quod haud procul Misna eruitur) tumba, post annos quindecim dejecta fuit. *Fabric. d. an. 1524. & 1539.*

(3) *Lutheri adversus canonizationem libellus.*

Mors *Adriani VI* accidit d. 24. Septembr. 1523. vix primo Pontificatus anno peracto. *Pallavicinus* ei

(4) *Mors & elogia Hadriani VI.*

An. 1523. 1524.

nus ei *Lib. II. cap. 9.* elogium dat *optimi Sacerdotis, sed Pontificis revera mediocris.* Ait, *illum apud populum ob temporum iniquitatem infra mediocritatem, ante evectionem supra meritum a Cardinalibus æstimatum, adepta dignitate, supra noxam invisum, post mortem supra modum culpatum fuisse:* Ab infamia tamen avaritiæ, qua maxime laboraverat, absolvit, cum *ne tria quidem aureorum millia in arca ipsius reperirentur.* Retulit *Joh. Wolffius* in *memorabilia* sua *Tom. II. f. 191. edit. vet. f. 199. edit. novæ* epistolam *Batti Parmensis* ad *Hieronymum Saulium;* in qua Hadriano non avaritiam solum incomparabilem & duritiem odiosissimam impingit sed & suspiciones refert de obscœnis voluptatibus, & de magia, quæ ex metallorum transmutandorum curiositate fortassis conjectabatur: eruditionem & parsimoniam commendat. In *epistola MS. Spalatini* ad Warbeccium hoc judicium de obitu ejus legitur: *Credo te jam scire Adrianum VI. Pont. Rom. d. 14. Sept. hora 2 pomerid. sive 19. Romano computo vitam cum morte commutasse. Deus bone! quam brevem, quam odiosum, quam abominabilem Magistratum! quanto satius erat, hominem privatum in angulo reliquias senectæ & ætatis postremæ transmisisse. Verum, sic habent ingenia hominum, ut nemo tam carnalis sit, quin suis affectibus Christi nomen prætexat.*

ADDITIO.

(a) *De libro Emseri, quo Bennonem celebravit.*

Post illa quæ de *Bennonis* apotheosi scripsi adeptus sum ex libris VVurzenfibus *Emseri historiam de vita Bennonis* Lipsiæ editam & Georgio Duci Sax. dedicatam anno 1512. adeoque quinque annis ante cœptam a Luthero disputationem. Vellem ut a pluribus legerentur insulsi & superstitiosissimi literatoris, quem Luthero veluti Achillem opponit Maimburgius, ineptiæ. Mihi (fateor) quicquid mitius de illo ejusque eruditione sentiebam, lectio libri penitus excussit. Hic laudes Hildebrandi sive Gregorii VII. exitiosi Germaniæ ac universæ Ecclesiæ hominis invenias *cap. 21. & sqq.* cui fere unus ex Episcopis Germanis Benno adhæsit; sed habet Emserus ejus perversitatis socios. At si quis credat quæ de Bennone *c. 25. & sqq.* referuntur, illi persvaderi potest & venerationi esse, quicquid mendax Græcia & Judæorum & Turcarum absurditas confinxit. Ea tamen omnia carmine non ineleganti celebrat Emserus; etiam canonizationis, quam vocant, moram, excusat, post tot labores & sumtus eo anno 1512. nondum obtentæ, quæ etiam non nisi in Lutheranismi odium post annos duodecim secuta est. Caussam rejicit in mutationes & cunctationes Pontificum, &, ut putat, in divinam providentiam; interim pro sancto & mirifico, conquisitis, quæ excogitare potest, argumentis, jam tum Bennonem venditat, in eo tamen maxime falsum esse apparet, quod teste Emsero moriturus dixerit, *precibus suis effectum esse ut cultus Ecclesiæ Misnensis perpetuus sit futurus.* Non abs re erit, illum cultum, quem Emserus miris modis prædicat & sine exemplo esse contendit, describere, ut de ingenio illorum seculorum insigne exhibeatur specimen; quanquam Ernesti Electoris & Alberti Ducis fratrum munificentiæ potissimum debeatur augmentum superstitionis, quod Emserus refert, nec ullibi, ne Romæ quidem, reperiri notat; nempe *ut nullum diei aut noctis tempus cantu & deorum* (ita loquitur) *hymnis ac laudibus vacet.* Id autem hoc modo præstabatur: *Hora meridiana duodecima (secundum minorem computum) pueri Scholastici minores præcinunt vigilias, id est, preces pro defunctis: hos sequuntur illico octo, qui vocantur Principum Capellani, canuntque easdem vigilias, vesperas, & completorium usque ad horam secundam: succedunt Canonici & universus clerus, vigilias (ubi dies postulat) & pensum legitimum, vesperas & completorium absolvunt: succedunt qui Grabati vocantur, quia ad grabatum sive sepulchrum Principum consident, hi quoque vigilias, vesperas & completorium decantant, & alternis diebus de passione Christi & compassione virginis matris, tertio quoque die historiam transfigurationis Christi. His superveniunt Octaviani, ab octava hora noctis qua canere incipiunt, nomen habentes: psallunt autem ad mediam usque noctem. Excipit hos chorus major, matutinas canens: alii inde Grabati horas persequuntur ubi vesperi desierant; redeunt principum Capellani, & matutinas horas magnæ Deæ* (ita scribit) *canunt, & prima de ea Missa, altera pro mortuis celebratur, cantillant ad hanc minores pueri. Illucescente die primæ & reliquæ horæ, ut moris est, peraguntur. Sequuntur duæ aut tres Missæ, corpori Christi, cruci, & diis tutelaribus sive Patronis destinatæ, dein summum sacrificium peragitur: reliquum ad meridiem usque tempus psallendo consumitur.* Hæc est illa religio quam Emserus laudat, interim pietati Principum, qui incauti & meliora non edocti opes suas, longe melius ex instituto Christiano impendendas, erogarunt, nihil detractum cupio. Fecerunt quod tunc recte se facere putabant, meliora posteri præstiterunt majori luce illuminati.

(b) *De cultu in templo cathedrali Misn. olim instituto.*

SECT. 58.

(1) De Campegio Legato Clementis VII.

Cochlæus ad hunc annum.

Clemens VII. successerat Adriano VI. ante aliquot menses mortuo. Misit hic Legatum Cardinalem Campegium, *non meliori, quam Adrianus, successu. Nam etsi Principes Luthero clam addicti, nondum tamen aperte contra Ecclesiam Romanam prorumpentes, magno eum cum honore excepturi extra urbem processissent, rogabant tamen, ne introitum solitis ceremoniis, signisque dignitatis suæ adhibitis, facere vellet, metu ne plebs maximam partem Lutherana ei insultaret. Intravit itaque vestitu iter facientis, & postea in consessu Principum & Civitatum auditus est. Ibi posteaquam magna eloquentia & efficacia, mala, quæ Imperio imminerent, exposuisset, nisi ignis per Lutheri hæresin in Germania excitatus promte extingveretur, flagitare cœpit executionem Bullæ Leonis, & Edicti Imperatoris contra Lutherum, nihil commemorans de Concilio, quod in Comitiis proximis postulatum fuerat, quodque Clemens bonis rationibus neque debere, neque posse eo tempore convocari existimabat. Quod vero ad centum Gravamina attinet, promissa dedit, remedium iis allatum iri, dummodo quidam articuli manifeste ad destructionem Pontificis veterumque Ecclesiæ jurium tendentes, resecarentur. Facile deprehensum est, partem Lutheranam in hoc conventu prævalere. Nam etsi Legato adstipularentur Archidux Ferdinandus, Frater & Vicarius Imperatoris, & Bavariæ Duces, tum Cardinalis & Archiepiscopus Salisburgensis & Episcopus Tridentinus cum novem aut decem aliis, & Legatus Caroli Imperatoris de executione Edicti Wormatiensis, quod tamen omnino servandum*

An. 1524. *dum esset, tamdiu retardata, valde quereretur; obtinuerunt tamen reliqui Principes & Deputati Civitatum Imperialium, quæ maximam partem jam Lutheranismo infectæ erant, ut pacis causa aliquid concedendum esse prætexeretur, & decretum aliud conderetur, in quo, ut in priori statuebatur, necesse esse, ut Papa consentiente Imperatore, Concilium in Germania convocaret, in quo dissidia in plurimis religionis articulis, ob Lutheri doctrinam enata, componerentur: interim proximo Martini Festo novus conventus Spiræ haberetur, ubi examinatis intermedio tempore Principum cura in singulis provinciis per Doctores idoneos operibus Lutheri, & quid ex illis retinendum aut rejiciendum videatur communi consensu statueretur, quod credendum faciendumque esset, usque ad decisionem Concilii: deliberaretur etiam, an mitigari quædam ex centum Gravaminum adversus curiam Romanam & Clerum Germaniæ articulis possent. Tandem jubetur, ut Imperatori obsequium præstaretur, & Principes edictum Wormatiense observare tenerentur, quatenus possent; hæc enim clausula adjecta fuit, ut liberum esset nihil præstare, quemadmodum accidit. Nunquam major contradictio adversus decreta comitialia facta est. Repugnarunt non solum Legatus & Papa, aperte conquesti, quod Laicis potestas fieret de dogmatibus judicandi, publicata jam tanta cum solennitate sacræ Sedis sententia;*

An. 1524. d. 18. April. (2) Decretum comitiorum Norimberg.

§. CLXII.

(1) *De Clemente VII. quædam.*

De *Julii Medicei*, qui in locum Adriani d. 19. Novembr. 1523. suffectus est, & *Clementis VII.* nomen sumsit, natalium defectu, deque ejus vitiis & virtutibus, multa est autorum disceptatio, ut & de artibus, quibus in solium Pontificatus ascenderit. Nec *Pallavicinus* omittit, quibus illum adversus *Pauli Veneti* judicia tueatur, maxime ut culpam non convocati Concilii ab eo vel amoveat, vel excusando leviorem faciat, Pontifices autem supra leges evehat. Vide *Lib. II. Histor. Concil. Trident. cap. X. §. 2. & seqq. Richerius* supra memoratus *Lib. IV. part. II.* Lutheranismi augmenta Pontificatui Clementis aperte imputat: dicit enim, ab Adriani instituto dissentientem, ne Pontificiam Majestatem in periculum mitteret, aut mores aulæ reformationi subjiceret, Concilii celebrationem perpetuo impedivisse. Novissime *Varillasius*, in *historia arcana Medicea*, & in *Francisci I. gestis*, de Clemente prodidit, quæ satis ostendunt, Scriptores qui perfidiam, astutiam & avaritiam hominis non tacuerunt, de vitiis ejus minora vero tradidisse, ut adeo autor *vitæ Georgii Frundsbergii*, qui liberius quam alii Clementem notavit, hoc testimonio non parum juvetur. In Comitiis initio anni 1523. Norimbergæ habitis, cum conveniri de quibusdam non potuisset, dies 13. Julii ad iterandum conventum indictus erat, sed legatis a Cæsare ex Hispania non adventantibus, paucisque Procerum comparentibus, prorogatio alia in mensem Novembrem secuta est, Legatusque cum Cæsareis mandatis adfuit *Johannes Haunartus*, Burggravius Limbeccensis, D. Jacobi Eques, Consiliarius Imperatoris, & Secretariorum primarius. Tractatum ibi fuit & conclusum de Regimine, Norimberga (ex urbe Lutherano dogmate jam repleta) Eslingam (quæ parva sed Imperialis seu libera urbs est, intra terminos Wurtenbergici ducatus, tunc a Ferdinando, Cæsaris fratre possessi) transferendo, sumtuum dimidiam partem Cæsare ex Austriacis & Burgundicis provinciis in se recipiente. Deliberatum etiam de auxiliis Hungariæ Regi ferendis, & contributione ad perpetuum contra Turcos bellum; de quo capite Proceres antiquæ libertatis Germanici populi memores, absque consilio subditorum suorum nihil definire, sed (decretis interim modicis suppetiis) ante omnia cum iis consultare voluerunt: Vide *Recess. §.* Weiter nachdem unser Statthalter / rc. De religione quid actum fuerit, apud autores, *Sleidanum* maxime, satis prolixe narratum invenitur, justo brevius apud *Maimburgium*. Nihil hic de Pontificis calliditate refert, qua Legato, *Laurentio Campegio* Cardinali, Episcopo Bononiensi mandaverat, ut centum gravaminum exhibitionem Pontifici defuncto factam dissimularet, nec nisi privatam eorum notitiam fateretur. Non negat id *Pallavicinus d. cap. X num. 9. & 10. Maimburgius* etiam omisit literas Friderico Electori a Clemente humanissime scriptas d. 7. Decembr. 1523. quas *Rorario*, de quo supra dixi, perferendas tradidit. In his nihil de Luthero memoratur, sed petitur, *ut Elector fidem Legato habeat, eum benigne excipiat, ipse vero ad Comitia veniat & ita se gerat, sicut nobilitatem sive familiam ejus deceret, quæ tot Romanos Pontifices & Pontificum advocatos Cæsares dedisset.* Extat *Tomo II. Lat. Jen. fol. ult. Wittenberg. fol. 444.* At non minus blandas & prolixiores Legatus ipse attulit d. 15. Januar. 1524. datas, quæ habentur *Tomo II. Wittenbergens. fol. 444.* Cum vero is d. 14. Februar. ad Comitia venisset, jam domum profecto Friderico, non solum Pontificias literas ei misit, sed & suas addidit d. ult. Februar. 1524. datas, in quibus modeste quidem & blande, apertius tamen Electori mentem Pontificis exposuit, ad excitandum adversus novatores & plebis audaciam ejus animum, vulgato illo totiesque recocto argumento usus, fore, ut qui Ecclesiasticum ordinem contemserint, etiam adversus Principes sint insurrecturi. Cæterum eo tendebat tota *Campegii* negotiatio & sollicitudo, ut licet de pace & moderatione multa diceret, nihilominus adversus Lutherum ejusque doctrinam, secundum formulam Wormatiensis edicti procedi vellet; quanquam satis appareret, id sine belli periculo fieri non posse. Dein omnem ingenii vim exercuit, ut desideria de Concilii convocatione & de reformatione defectuum, quæ in centum gravaminibus proposita fuerant, eluderet. Detonat hic denuo *Pallavicinus* in gravamina ista, per quæ putat omnem Ecclesiastici ordinis libertatem a Deo & Ecclesia constitutam, totque Principum piis legibus confirmatam everti: indignatur speciatim quod iisdem pœnis criminum Clerici subjiciantur, quibus Laici. Sed neque discrimen aut

(2) *Acta Comitiorum Norimbergensium.*

(3) *De elusione centum gravaminum, & literis Pontificiis ad Electorem.*

(4) *Epicrisis de gravaminibus.*

An. 1524. aut gradus excludebant gravaminum autores, nec omnem & decentem, sed nimiam libertatem & exemtionem Reipublicæ damnosam, & Christi ministris minime convenientem, improbabant, aut intra legitimos cancellos redigi optabant. Verum ut ex *Pallavicino* discimus, fixum erat Pontifici, idque Legatus in privatis colloquiis satis inculcabat, nihil concedere Germanis, potiusque pati, quæ eventura essent, quam suo consensu, aut aliqua moderatione, postulatis illorum annuere. Metui enim Romæ dicebat, ne eadem, quæ Germanis indulgerentur, etiam cæteræ nationes extorquerent; animarum vero periculum, quod erumpente apertius schismate ostendebatur, tanta jactura dignitatis & opum redimi debere negabat, cum verendum esset, ne impetratis istis alia atque alia proponerentur, nullusque postulandi finis esset.

§. CLXIII.

(1) *Decretum Comitiorum.*

Decretum inde Comitiale d. 18. Aprilis conditum, Saxonis, qui tamen ante Legati adventum abierat, pertinaciæ imputat *Pallavicinus*, & quasi a solis Lutheranis profectum exagitat, mutilum etiam a *Sleidano* relatum esse queritur *d. l. §. 14.* Sed longe imperfectius a *Maimburgio* decreti tenor refertur, neque ostendi potest, quid *Sleidanus* in detrimentum Romano-Catholicorum, ex decreto isto omiserit. Quæ enim *Pallavicinus* deducit, interpretamenta sunt, ab ipsius præoccupatione dependentia. Conscripta vero decreti formula est, Cæsaris, ejusque vicarii Ferdinandi Fratris, & Haunarti Oratoris, Electorum, Principum, Prælatorum, Comitum & Statuum Imperii nomine. Summa est, Status ad Cæsaris postulata de servando edicto Wormatiensi, quod utpote cum consensu Statuum conditum, omnino exequendum esse urgebat Orator, respondisse: se ut fidelia Imperii membra decet, id præstituros esse, quantum possint, speciatim, quæ de non edendis famosis libellis & picturis, & contra Typographorum licentiam constituta essent; quod si molestiæ aut impedimenta suborirentur, ad Regimen Imperiale recursuros, cui mandatum esset remedia adhibere. Ex his nimis laxe colligit *Pallavicinus*, universalem Germanorum Principum voluntatem in execranda & extirpanda Lutheri hæresi perstitisse. Aliud indicat addita clausula, *quantum fieri possit*, qua veritati Evangelicæ consulebant, ut eventus docuit. Postea unanimiter Concilii citissime convocandi necessitas asseritur, modus vero in Comitiis proximis, ad quæ habenda diem *Martini*, locum *Spiræ* indicunt, definiendus promittitur. Inter libros quorum contenta excerpi deberent, Lutheri scripta non nominantur, sed generatim novorum doctorum & librorum compendium a delectis ad id ex Procerum, eorum maxime, qui Academias habent, consiliariis, viris doctis & probis, componi debere statuitur, ut bona a malis separari possent. Repetitur deinde, quod *Pallavicinus* & *Maimburgius* in recensendo decreto reticere non debuissent, totidem verbis, quod in Edicto priorum Comitiorum d. 6. Mart. 1523. statutum fuerat, nempe ut interea Evangelium verbumque Dei juxta sensum & interpretationem scriptorum ab Ecclesia approbatorum sine tumultu & scandalo prædicetur. Denique de gravaminibus, quæ vel contra sedem Romanam, vel adversus Ecclesiasticos in Germania (duo enim hæc distinctim memorant) a Statibus secularibus in nuperis Comitiis exhibita fuerint, decernitur, ut delectis illis ad excerpendos libros denuo traderentur, ad inveniendam viam, ut loquuntur, tolerabilem (eine leidliche Bahn) de qua postea in futuris Comitiis relatio Cæsari & Statibus fieri & certi aliquid statui posset. An. 1524.

(2) *Acta Campegii & cum eo.*

Conclusa isthæc, antequam publicarentur, cum Campegio communicata vehementer ei displicuisse, paucis innuit *Maimburgius*, sed ex *Pallavicino* fusius discitur *dicto Libro II. cap. 15. n. 19.* De Concilio quidem spem aliquam fecit Legatus, suam præsertim operam ad id procurandum apud Pontificem offerens, sed examen quod Spiræ instituturi erant, summe improbabat; de gravaminibus etiam adversus Ecclesiasticos superfluam dictitabat deliberationem fore, cum sibi satis esset autoritatis ad defectus illos corrigendos; at quæ Pontificem attinent, de iis per Oratores Romam missos cum illo commode tractari posse. Sed non attentis Legati contradictionibus decretum locum habuit, & edicta ad omnes Imperii Status edita fuerunt, adscripto eodem qui in decreto legitur die 18. April. & servatis plerisque ejus verbis, nisi quod pro affectu scribentium Lutheri nomen expressum fuit, quod in decreto dissimulatum erat; omittitur etiam jussio de prædicando Evangelio secundum sacras literas. Narrat inde pluribus *Pallavicinus*, ut Pontifex decretum illud ægerrime tulerit, utque, habita deliberatione, Reges Angliæ & Lusitaniæ, quibus maxime fidebat, incitaverit, ut Germanos ab instituto dehortarentur, & refragantes a commerciis excluderent, quod postremum tamen non obtinuit. Campegio postmodum mandavit, ut Catholicos, Ecclesiasticos maxime, Germanorum Principes, a cæteris separaret, & difficultatem convocandi Concilii ostenderet, quia pacem prius Christianarum gentium firmari oporteret; denique negotium illud Romam rejiceret. Gravamina jam concilio Lateranensi sublata esse statuebat Papa, aut si quæ superfint, in congregatione Romæ ad id stabilita, tractari debere. Cum Saxoniæ Electore, quia verborum blanditia nihil efficeretur, visum est severe procedendum, ut pro hæretico habitus Septemviratu dejiceretur. Hæc ex *Aleandri* consilio, qui prolixum commentarium de illis rebus ad Pontificem miserat, ut *Pallavicinus* refert; sed Fridericus minas machinasque has morte sua, sequenti anno secuta, prævenit, ut dicemus. Cæterorum consiliorum successum, & quid apud Cæsarem Pontifex effecerit, postea videbimus.

ADDITIO I.

(a) *Relatio ex Archivo de Comitiis Norimbergensibus.*

De comitiis anno 1523. exeunte cœptis & mense Aprili 1524. finitis, ex actis *Archivi* (*lit. E. fol. 26.*) sequentia observavi. Cæsar aliis negotiis impeditus neque venire ipse in Germaniam, & comitia priora ad finem aliquem perducere poterat, neque legatos eo, quo constituerat, tempore mittere, licet diem 13. Julii 1523. quo legati sui advenire deberent, nominasset, postea vero datis d. 18. Septembris literis ad ordines, comitia ad 11. Novembris prorogavit, & quædam de

sua in

An. 1524.

sua in regendo Imperio, quod *nobilissimum fontem omnium aliarum potestatum* appellat, (den edelsten Brunn/daraus alle andere Obrigkeit entsprossen/) sollicitudine præfatus est. De Gallis vero (quos tamen non nominat) queritur, quod per aliquot annos totum orbem Christianum bellis & tumultibus afflixerint, & inprimis sibi & majoribus suis incubuerint. (hätten zu ihm und seinen Vorfahren Lust gehabt.) E contrario Galliæ Rex literis ad ordines scriptis petiit, ne Cæsari adversum se auxilia decernerent. Mortuo interim *Adriano Papa* fama erat, fore, ut Cæsaris autoritate iterum Germanus aliquis ad Pontificatum eveheretur, & *Salisburgensis Langius* in ore hominum erat; de quo *Planitius* ad Electorem scribens ita judicat, si is Papa fieret, Lutheranis oppressionem imminere, (müsten sich drücken und leiden) & amorem fœminarum pulchrarum, ut legitimum & justum, permissum iri. (würde recht seyn alle hübsche Frauen und Jungfrauen zu lieben.) Sed ille metus aut spes de Salisburgensi frustra fuit, electo *Clemente VII.* qui d. 24. Decembris hoc anno 1524. electionem suam, misso *Hieronymo Rorario* Ordinibus Imperii significavit. Fridericus Elector nihil moratus rumores autminas, proximis mensibus ad se a Legatis relatas, infirma licet valetudine, Norimbergam venit, mense Novembri 1523. sed magnam ibi solitudinem & hominum & negotiorum reperit; retineri tamen se passus est, misso Ferdinandi nomine ad se *Johanne* Comite Palatino, Barone item *Schwarzenbergio* & *Præposito Viennensi*, ita ut d. 2. Decembris polliceretur, se aliquandiu adhuc eius expectaturum. De actis ejus dum Norimbergæ esset, nihil consignatum invenio. Discessit circa Idus Februarii 1524. Itaque ineunte Martio Legatorum relationes incipiunt, nempe *Philippi Feilitschii*, quem ad consessum Comitiorum Legatum reliquerat, & *Planitii*, qui ad Regimentum deputatus erat. Prima scripta est d. 11. Martii. Refert *Feilitschius*, consultatum esse de receptione adventantis Legati Campegii, & ut ei significatum fuerit, ne urbem intrans benedictionem populo impertiretur; cum enim Augustæ id fecisset, irrisum fuisse a plebe, digitos in mulum ejus intendente, ita ut & comitatus ejus a risu abstinere non potuerit. Ferdinandum narrat d. 4. Martii occasione adventantis Legati Pontificii Norimbergensi Senatui Lutheranismum exprobrasse, & ab eo dehortatum esse; sed ita hunc respondisse, ut a veritate se non esse discessurum appareret. Neque enim cives solum sed & monachi a Papismo defecerant, non Augustiniani modo, sed & Dominicani; unde factum, ut Electores Trevirensis & Palatinus, qui bis in hebdomade vinum & panes iis præbere solebant, beneficium illud denegarent, quod ex *Joh. VVolffii a VVolfsthal* equitis, qui Electori Saxoniæ stipendio quodam & Consiliarii titulo devinctus erat, literis d. 3. Martii percipitur. Refert porro *Feilitschius*, ut Ferdinandus omnesque, qui aderant, Principes, Legato obviam processerint, excepto *Ludovico* Electore Palatino, qui venæsectionem instituerit, & agnato ejus *Ottone Henrico*. Invitatum esse Legatum, ut apud templum *S. Sebaldi*, ut moris erat, descenderet, omniaque parata ibi fuisse; sed id eum evitasse, & recta in hospitium perrexisse, non prælata cruce, nec galero Cardinalitio, sed pileo rufo villoso tectum, ejusdem tamen coloris chlamyde indutum. Consessum accedens, exceptus est Ordinum nomine a *Trevirensi & Bambergensi*, a nullo vero seculari Principe. Ex alloquio ejus ad Ordines hæc annotavit *Planitius* in literis d. 14. Martii, quod dixerit: *se omnem dignitatem & fortunam suam Germanis debere, & cum omnes alii recusarent, legationem hanc suscepisse, mirari se novam doctrinam: Pontificem nihil postulare, sed consilium potius petere: Non esse deneganda adversus Turcos tributa, licet forte olim quædam collata sint, & Romam missa, quæ in usum illum non sint impensa.* Cum Ordines vicissim ab eo consilia peterent, & gravamina sua nuper exhibita allegarent; *VVormatiense edictum sibi satis innotuisse* replicavit, *gravamina ex privata communicatione aliquatenus ad*

(b) *Langius Salisburg. Archiep. ad Papatum destinatur.*

(c) *Friderici El. iter ad Comitia & abitus.*

(d) *Norimbergæ status in religione.*

(e) *Legati Campegii adventus.*

(f) *Oratio Campegii.*

cognitionem suam pervenisse dictitabat, *sed sibi non videri Ordinum nomine scripta esse, quod nimis insulsa sint, & privatis quibusdam imputanda, male affectis. De illis igitur tractare se non posse, nisi quæ sint, quæ non adversentur sedi Romanæ. Hispanorum exemplum imitandum esse* svadebat, *qui Romam delegatos miserint & æqua impetraverint. In vulgus nihil esse spargendum, Pontificem omnia quæ honeste posset, facturum esse.* Ad ista Latine sed tam barbare & insipide respondisse refert Cancellarium Moguntinum (*D. Caspar VVesthusius* vocabatur) ut omnes attoniti & pudore affecti fuerint, se sane ipsum ex auditus molestia sudasse. (ist mir heis worden.) Offendit paulo post *Campegium* concionator in templo Laurentiano, qui dicere ausus fuit: *Antichristum eo die Romam ingressum esse, quo Constantinus Imperator exiisset.* Dolere inde Legatus & *sollicitum se esse* dixit, *non tam de Germania, quod Lutheri doctrinam amplecteretur, quam de Italia; jam enim Venetiis libros Lutheri copiose legi. Germanos eo esse ingenio, ut nova cupide accipiant, sed & facile deponant; Italos pertinaciter inhærere semel acceptis.* Secuto mox festo Paschali, omissa est palmitum consecratio & lectisternium, sive sepulchri sacri repræsentatio, neque de Juda cantatum est, nec alia observata sunt, quæ usitata erant. Communionem sub utraque concionatores palam svaserunt, & licet in parochiis eam administrare vetitum esset a Legato, apud Augustinianos tamen plus quam quatuor hominum millia ea usos esse memoratur. Regina etiam Daniæ publice id in arce fecit, summe indignante Ferdinando fratre, ita ut ei in faciem diceret: *se optare ut soror sua non esset.* Refertur & hujus responsio, dixit enim: *se ab una eademque matre, qua ille, editam esse, velle tamen verbo Dei adhærere, & quidem soli, absque ullius hominis respectu; in aliis omnia facturam quæ Fratri placerent, quod si se pro sorore habere nollet, passuram id esse.* (Sie wären von einer Mutter zur Welt bracht/ wolle sich des Worts GOttes halten/ und zu dem allein/ und keines Menschen bekennen/ aber sonst alles thun/ was ihm wohlgefiele/ wolte er sie für Schwester verleugnen/ müste sie es geschehen lassen.) Questa erat Regina publice de calamitate sua & mariti apud Ordines, tam pathetice, ut nemo lacrymas teneret. Id ex literis *VVolffii* supra allegatis constat, in quibus tamen indicat, nihil ab Imperio sperandum esse Reginæ & Regi. Spargebatur eo tempore rumor *Moguntinum & Brandenburgicum* Electores cum *Friderico* Saxone ita concordare, ut ab ejus consiliis plane dependerent. At illum hominum sermonem improbavit Fridericus, & per *Feilitschium* apud Episcopum Tridentinum excusari jussit, repetique quæ Coloniæ cum eo egisset; addidit, edictum VVormatiense (quod Præsules urgebant repugnantibus comitibus & civitatibus,) neque secum, neque cum fratre Johanne communicatum fuisse, quæ vero Norimbergæ acta sint (anno 1521.) de Evangelii scilicet prædicatione permittenda, post maturam deliberationem decreta & publicata esse: nec probare se posse, quod nunc tacerentur, quæ tunc Legato Pontificio Ordinum nomine responsa fuerint; illam mutationem non profuturam esse ad pacem, hanc tamen sibi cordi esse. De cætero mandavit, ut cum Campegio nihil ageret, mandati defectum prætendens, immo etiam protestaretur, de actis cum illo ab aliis. Idque præstitit *Feilitschius* d. 11. Aprilis, ita ut nomen Electoris recessui Comitiorum subscribendum esse negaret, (id tamen nihilominus in Recessuum libro legitur.) Biduo ante excepta est vox *Ferdinandi* ad Treviri aliorumque Electorum Legatos, qua hortabatur, ut honores ac commoda sua considerarent, (ihr Herren/ bedenckt eure ehre und frommen/) *si auxilia non præstentur contra Turcos, in exilium ejiciemini ut alii. Secundo, nisi Lutheri doctrinam extinguatis, nihilo secius pellemini, maxime vos Prælati.* Addidit Episcopus Gurcensis, *satius esse, ut Lutherani quam ut Turci extirparentur, & se adversus illos lubentius opem esse laturum.* Sed nec Lutherani omnes modestius agebant; ferebatur enim, quosdam ex Nobilitate No-

An. 1524.

(g) *Insipidum Cancellarii Moguntini responsum.*

(h) *Campegii de Germanis & Italis judicium.*

(i) *Regina Daniæ conversio & Ferdinandi fratris cum ea expostulatio.*

(k) *Fridericus oppugnat edictum VVormat. & Norimb.*

(l) *Ferdinandi zelus adversus Lutheranos.*

An. 1524.

te Norimbergensibus obtulisse, si receptum sibi & sociis in urbe sua daturi essent, effecturos se esse, ut intra milliarium viginti spatium nullus reliquus esset Episcopus; & *Feilitschius* paulo ante scribit, quendam Ferdinando a sacris, (Capellanum) in sylvis prope Neustadium ab equitibus incognitis sex captum atque castratum, comitemque quendam ejus occisum fuisse, sparsis atrocibus in Ferdinandum minis, quod caput Pontificii fœderis esset, tunc Norimbergæ actitati. Refert hæc *Planitius* d. 16. Aprilis. Certatum esse scribit idem d. 17. Aprilis de stylo decreti, non saltem contradicente Electoris Saxonici Legato, sed & aliis, neque tamen mutari multum potuisse, nisi ut Lutheri nomen omitteretur, ubi de turbis in religione enatis mentio fit: VVormatiensis edicti executioni majoribus suffragiis contradictum esse, nihilominus tamen decreto insertum, fieri eam debere: in Camerales assessores inquisitum fuisse, an carnes quadragesimæ tempore comederint: Haunartum multorum malorum autorem fuisse: Bavaros & Ecclesiasticos pervicisse, ut decretum conderetur, protestatos tamen esse Salisburgensem aliosque Episcopos, qui in Austria ditiones habent, & recusasse præstationem tertiæ redituum partis, quam Ferdinandus ad bellum Turcicum consensu Pontificis exigebat. Ex *Planitii* etiam literis d. 9. Junii scriptis intelligitur, jam tum rusticos Bambergenses in clerum insurrexisse, & in Svevia Montfortensium & VVerdenbergensium Comitum colonos tumultuatos esse; addit Monachii in Bavaria publice vendi Lutheri libros & a VVilhelmo Duce ipso legi: Heidelbergæ conciones Evangelicas haberi, neque tamen Lutheranismum agnosci: in Alsatia sæviri adversus Evangelicos: VVurtenbergenses desiderare veteris Ducis sui imperium: Eslingæ ejectum esse concionatorem Evangelicum substituto alio, qui doceret Christum saltem pro peccato originis satisfecisse. Cæterum exemplum literarum, quas Cæsar in Germaniam misit, adversus decretum Norimbergense, ab ipso subscriptum extat ad *Fridericum* Electorem Burgis in Castellæ Regno d. 15. Julii datum, vehemens & acre; indignatur Cæsar, quod concilium postulent, urgeantque Ordines, cum ea cura ad se & Pontificem pertineat, multo magis quod Spiræ convenire & dogmata examinare velint; vetat illa omnia & VVormatiense edictum stricte observari jubet. Lutherum *immanem & profanum*, unmenschlich und unchristlich vocat, *qui veneno suo dulci omnia velit inficere, & sibi autoritatem parare, Mahometis exemplo.* Ad hæc optimo Imperatori ab osoribus reformationis vanissime suggesta, Elector d. 20. Octobris respondit, se negotiorum Imperii causa incommodissima anni tempestate, & valetudine afflictissima ad comitia venisse, sed deprehendisse, quod nihil boni effici possit, abiisse itaque relicto Legato, qui tamen in Recessum seu decretum non consenserit, sed protestatus sit, secundum formulam cujus exemplum apponit; repetit etiam quæ Coloniæ & VVormatiæ professus erat, se nolle religionis negotio implicari, promittit se & Fratrem ita sese gesturos esse, ut gloria Dei & religionis Christianæ, amorque proximi, pax denique & concordia promoveretur. Hac modestia duram illam Cæsaris epistolam elusit & protestationi, quam contra decretum interposuerat, gratiam quæsivit, quia id Cæsari ipsi, licet ex aliis rationibus, displicebat. Formula fœderis integra exhibetur in actis Archivi, *a Ferdinando* Archiduce, *Matthæo* Salisburgensi Archiepiscopo, *VVilhelmo & Ludovico* Bavariæ Ducibus, Episcopis vero *Tridentino, Ratisbonensi, Bambergensi, Spirensi, Argentoratensi, Augustano, Constantiensi, Basileensi, Frisingensi, Passaviensi, Brixinensi* initi, id Norimbergæ tractatum, Ratisbonæ d. 10. Julii signatum fuit, cujus compendium ex Maimburgio *Sect. 60.* relatum est. Tam turbulenta fuere hæc comitia, ut Ferdinandus ipse, referente, quem supra nominavi, *VVolffio*, Electori Saxoniæ gratulandum esse diceret, quod fastidium ingens abitu suo redemisset, illum solum ajebat pristinæ sinceritatis & virtutis Germanicæ instar & exemplum esse. Civitates Imperiales durissime ex odio religionis tractatæ in hoc conventu fuerunt, & a jure suffragii pene exclusæ, quod multis disputationibus causam dedit. Electoribus etiam, ut *Planitius* notat, non ea quæ antiquo more debebatur, reverentia habita est; Principum ordo, Episcoporum frequentia & intemperie concitatus prævalebat: Comitibus tamen fere omnibus male cum Principibus conveniebat, itaque per *Bernardum Solmensem & Georgium VVertheimensem* publice protestati sunt, quod & Civitates fecerunt. Regimentum a fœderatis in causa Sickingii vehementer accusatum fuit, quod *Frobenio Hutteno*, Marescallo Moguntino, ab illis spoliato patrocinaretur. Accedebat invidia erga assessores, quorum aliqui reformationi studebant, *Schwarzenbergius* puta, *Planitius* & alii. Itaque licet gravissimis excusationibus gesta sua tuerentur Regimenti assessores, evictum tamen fuit in fœderatorum tam Svevicorum quam Rhenanorum gratiam, ut omnes, honesto tamen sub prætextu, quod tributa ad eorum salaria cessarent, & nova post aliquot menses demum conferenda essent, dimitterentur. Alii postea ad restitutum Eslingæ collegium denominati fuerunt, Romanæ omnes factionis. *Planitius* tamen ab Electore ire eo jussus fuit, & protestari adversus ea, quæ libertati & religioni damnosa essent, simul tamen profiteri, quæ ad pacem & justitiam spectant, & VVormatiæ anno 1521. conclusa fuerant, servaturum sedulo & exacte esse Electorem & fratrem. De bello Turcico referri meretur *Planitii* suffragium, mandante Electore in Regimenti consessu dictum, his verbis: Mein gnädiger Herr hält dafür / wo wir als Menschen von diesen sachen reden wollen / daß man damit wenig oder gar nichts ausrichten werde / sondern man müste vor allen dingen GOtt um gnade und hülffe anruffen / daß seine gottliche Barmhertzigkeit uns armen Sündern die gnade und erkentnüß gebe / daß in einem rechten christlichen Glauben seine ehre und die liebe des nechsten gesuchet würde. Denn solten wir die Ungläubigen als die Türcken nützlich bekriegen / und den widerstand thun / so müsten wir zuvor unsern selbst unglauben und mißtrauen zu GOtt / unsere eigennützigkeit / auch den unwillen / verdruß und haß gegen unsern Nechsten bestreiten / und also GOtt dem Allmächtigen alle dinge heimgeben / und ihm darum vertrauen. id est, *Herus meus clementissimus ita sentit, nihil aut parum valitura esse hominum, qua talium, hac in causa consilia; gratiam & opem divinam ante omnia implorari debere, qua miseris nobis peccatoribus concedatur, ut in vera fide Christiana honor Dei & salus proximi quæratur. Si enim contra Turcos infideles cum successu pugnare volumus, nostram prius infidelitatem & diffidentiam in Deum, nostram in privata commoda propensionem, tum indignationem, invidiam & rancorem erga proximum superare debemus, & sic rem Deo committere & de prospero eventu bene sperare.* Apparet hoc ex Lutheri sententiis haustum esse, quas licet adversarii odiosissime traducerent, nemo tamen nisi pias & solidis rationibus nixas deprehendet. Agitabatur jam tum secreto electio *Ferdinandi* in Regem Romanorum & ex literis *Ludovici Seinsheimii Commendatoris Provincialis ordinis Teutonici Confluentiæ*, relatum est ad Electorem, quadringenta aureorum millia Coloniam ex Hispania missa esse; ad negotium illud conficiendum Bavaris tum satis bene cum Austriacis convenire apparebat, sed mutarunt postea affectus. A Clero etiam provinciæ suæ stipulati (teste *Planitio*) tunc sunt quintam redituum partem ad annos quinque, ea conditione, ut Lutheri doctrinam in territorio suo impedirent. Hic finis fuit simulationis in permittendis & legendis Lutheri libris. *Svevicum* fœdus, quod multos ex equestri in Franconia & Svevia Ordine, qui pacem publicam violasse dicebantur, huc usque afflixerat, non satis magno operæ pretio, jam Principibus minitari cœpit, qui patrocinari equitibus dicebantur, interque eos Saxoniæ Electori, in cujus provinciis profugi quidam ex Franconia receptum habere ferebantur, licet id probari non posset. Neque a fœderatis

Marginalia:

(m) *Nobiles quidam lædunt aulicos Ferdinandi.*

(n) *Decreti rigor.*

(o) *Haunartii vituperium.*

(p) *Initia tumultus rustici.*

(q) *Status religionis in quibusdam locis.*

(r) *Cæsaris ad Fridericum litera.*

(s) *Electoris responsum.*

(t) *Fœdus Cathol. Norimb.*

(u) *Laus Friderici a Ferdinando.*

An. 1524.

(x) *Comitia turbulenta.*

(y) *Regimentum aboletur.*

(z) *Friderici sententia de bello Turcico.*

(aa) *Consilia Ferdinandi & Svevorum.*

An. 1524.

deratis Rhenanis meliora sperabantur; lætus tamen *Planitius* d. 25. Julii Electori nunciat, famam esse, Philippum Landgravium Evangelicam doctrinam recepisse.

ADDITIO II.

Calumniæ & errores Varillasii notantur.

Acta comitiorum & legatorum Pontificiorum tum *Cheregati*, tum *Campegii*, non prorsus male retulit *Varillasius Lib. IV. & V. de hæres.* ita tamen ut haud pauca de suo inserere videatur, aut ex aliorum actis dictisve elicere quæ fundamento carent. Ut alia omittam *Lib. V. 388.* ex ingenua illa Adriani VI. confessione de necessitate reformationis abusuum *Lutherum*, *Carolostadium* & *Zvinglium* argumentatos esse narrat, *absolute requiri, ut forma gubernationis ecclesiasticæ & politicæ immutaretur.* Impertinenter hic conjungit tres istos, cum constet neque Zvinglium cum Luthero, neque Helvetios cum Saxonibus, in consiliis aut actionibus de religione societatem habuisse. Carolostadius vero tumultuariis suis ausibus & doctrinæ novitate sub initium anni 1522. jam omni se ipsum autoritate, ut & amicitia cum Luthero, privaverat. Et cum Adriani mandata post aliquot menses in Comitiis Norimbergæ Principibus innotescerent, contemtus & miser VVittenbergæ vivebat, & post biennium demum ad Helvetios pervenit. Dein pro calumnia inconsideratissima habendum est, *quod Lutherus politicæ gubernationis mutationem desideraverit*, qui nihil omnibus scriptis suis dictisque apertius inculcabat, quam separatos esse utriusque muneris fines & Magistratui politico obsequium præstandum esse. Denique falsum & contumeliosum est, quod *postulaverit, Episcopos suis sedibus ejici, capitula & jurisdictionem Ecclesiasticam aboleri, templa profanari.* Magno hoc hiatu nil nisi mendacia efflantur, & licet probatio ab autoribus exigi deberet, eaque illis impossibilis sit, contrarium tamen ex indubitato documento in *præloquio* adducto, ultro demonstravi, & historiæ continuatio evidentissimum faciet. Sed nec adeo stupidus fuit Lutherus, ut Adriani oblata de reformatione ad illa traheret capita, quæ ipse primario tractabat, nempe ut libertas prædicandi Evangelium, semotis quæ invecta erant falsis & inutilibus, & integer Sacramentorum usus Ecclesiæ restitueretur; sciebat enim Adrianum Scholasticis nugis obstinatissime deditum esse, & emendationem illam, cujus spem faciebat, illam non esse, quam ipse desiderabat, vidit eam in speciem offerri & longis procrastinationibus in nihilum reduci. Eo vero ipse animo erat ut obtentis doctrinæ & cultus correctionibus, circa reliqua nihil movere cuperet, quicquid ei affingant & cavillentur ejus adversarii; quæ enim aliquando acrius locutus est, qualia fere isti sola & lacera maligne ex ejus libris excerpunt, si integra, & junctis quæ alibi scripsit, sincere considerentur, non alium, quam quem dixi sensum aut explicationem pati apparebit.

§. CLXIV.

An. 1524.

(1) De Alberto Borussiæ Magistro & Lutheri ad eum epistola.

Interfuit his Comitiis *Albertus Brandenburgicus*, Ordinis Teutonici in Borussia magnus, quem vocabant, Magister, qui inter Ecclesiasticos Principes Germaniæ post Archiepiscopos locum habere solebat: sed is jam Lutheri doctrinæ aures præbere cœperat, inque ea conciones *Andreæ Osiandri* Norimbergæ audiens confirmatior fiebat. Extat Lutheri ad Albertum epistola, in Comitiis per Spalatinum oblata, in qua ad quæstiones aliquas de Pontificia potestate interrogatus respondet: Negat nempe Ecclesiam super Petrum aut Papas esse ædificatam; verum Episcoporum munus ex Apostolicis dictis explicat; leges Pontificias, quatenus ad salutem necessariæ venditantur, vel divinum jus mutant, speciatim prohibitione & dispensatione de matrimoniis, oppugnat, concludendo, nihil a Papa omnibusque ministris verbi tractari debere, nisi mysteria Dei, verbum vitæ, doctrinam fidei, nec quicquam geri secundum arbitrium cujuscunque citra verbum Dei, *subjectus enim est*, (ait) *Deo & verbo ejus, licet usu jandudum sese extulerit super omnem Deum, qui dicitur & colitur 2. Thess. II. 4. &c.* Vide *Lib. II. Epistolar. p. 176. & sqq.* Eodem tempore ad *Spalatinum*, qui cum Electore in Comitiis erat, Calend. Febr. scribens, optare se testatur, ut in Comitiis alia curarentur, quam Evangelii causa; nunciat progressum doctrinæ Uratislaviæ, Tiguri, sed maxime in Livonia & in Borussia, ubi (ut hæc obiter inseram) *Georgius Polentius*, (a Polentz) ex familia in Misnia & Lusatia nobili ortus, Episcopus Sambiensis, Brismanni, a Luthero missi, instructione, primus omnium Episcoporum emisso ad Parochos diplomate d. 28. Januar. 1524. Lutheri libros legendos commendavit, & baptismum lingua patria administrari jussit. Edidit ejus edictum Lutherus, simulque aliud, cui censuras addidit, contrario plane sensu, a *Mauritio* Warmiensi Episcopo publicatum *Tomo II. Lat. Wittenb. f. 452. & sqq.* Epistolam vero illam ad Spalatinum, quam dixi, ita finit: *Videant aliquando stulti Principes & Episcopi, non Lutherum, nibili hominem, sed omnipotentem Christum hæc agere.* Paulo post *Hausmanno* d. 2. post Jud. scribens, nihil contra se Norimbergæ decretum esse nunciat, & periisse ibi misera apoplexia a Deo perculsum Cancellarium Trevirensem, qui biduo ante mortem in convivio gloriatus fuerat, *ante festum Martini abolendum fore ferro Lutheranum negotium d. l. p. 184.*

(2) Item ad Spalatinum de Comitiis & de progressu Evangelii.

SECT. 59.

Lutherus taxat edictum Norimbergense.

Sed & Lutherus ipse decretum id valde reprehendit, quanquam in effectu pro eo faceret. Imprimi igitur illud & ubique divulgari curavit, addito virulento scripto in speciem adversus Principes, qui id publicaverant; gnarus tamen injurias atrocissimas, quibus utebatur, non nisi in Catholicos recidere, nec has de se ullo modo intellecturos esse suarum partium Proceres. In libello illo contradixisse sibi ipsis, ait, decreti autores, ejusque partem unam per alteram destrui. Nec negari potest, cum ratione illum hæc dixisse. Si enim edictum Wormatiense, quo Lutherus hæreseos damnatus est, executioni mandari deberet, ut Norimbergæ decretum fuit; cur libri ejus Spiræ examinandi forent, & disquirendum, bonine essent an mali? Quod si hoc examen doctrinæ ejus fieri deberet, cur condemnandus & puniendus esset, antequam examen fieret?

§. CLXV.

(1) Lutheri in edictum comitiale acres invectivæ.

Negare equidem nolo, magna vehementia usum esse Lutherum, cum exemplum Mandati, quod finitis Comitiis, uti supra innui, ex Regimine Norimbergensi ad Status Imperii d. 18. April. emissum fuit, a Comitibus Mansfeldensibus nactus esset: Non enim hoc solum, sed & sævum illud Edictum Wormatiense anni 1521. d. 8. Maji publi-

An. 1524.

publicatum edidit, & ut invicem pugnent, ostendit. At Wormatiensi etiam glossas marginales, sicut & utrique prologum & epilogum addidit, in quibus *bestias* & *furiosos* & *stolidos* vocat, qui Wormatiense edictum executuri, quasi gigantes cœlo bellum inferre velint; Cæsarem etiam, quod se *fidei Catholicæ defensorem* jactet, & Angliæ Regem, atque Hungaros, eundem titulum sibi arrogantes irridet, immo adversus Turcos nec arma arripi, nec pecunias ad bellum conferri consultum putat, cum sub his Principibus nullus sperari possit successus. Denunciat etiam certo certius impendentem horribilem aliquam tempestatem & procellam Germaniæ, nullo pacto, si pergant Deum irritare, declinabilem; quæ prædictio mox secuto bello rustico verissima fuisse apparuit. Se vero mortem, scribit, non pavescere, & confirmatiori quam olim esse animo; neminem enim sibi nociturum esse confidit, nisi Deo permittente; tandem si hostium manibus pereat, perinde æstimare, ac si a lupis vel apris dilanietur, semel saltem occidi posse, & credere, mortem suam adversariis exitio fore. Extant hæc Germanice scripta *Tomo II. Altenb. f. 762. seqq.* Latine autem versa *Tomo II. Wittenb. f. 444. seqq.*

An. 1524.

SECT. 60.

(1) Acta Campegii cum Principibus Pontifici addictis.

Ita illi ipsi, qui decretum Norimbergæ fecerant, ejusdem causa in partes distracti sunt. Catholici justo metu, ne eo Lutherani ad hæresin suam stabiliendam abuterentur, cum Legato sub finem Junii mensis Ratisbonæ convenerunt, initoque arcto fœdere d. 6. Julii publicari mandatum fecerunt, ut Edictum Imperatoris adversus Lutherum ejusque sectatores exacte observaretur; ut nihil in administratione Sacramentorum, neque in ritibus, præceptis & consuetudinibus Ecclesiæ Catholicæ, innovaretur; ut sacerdotes, qui uxores duxerant, & monachi apostatæ, secundum rigorem Canonum punirentur; ut Evangelium secundum interpretationem Patrum & approbatorum in Ecclesia doctorum prædicaretur; ut qui ex subditis suis Wittenbergæ studiis operam darent, intra tres menses domum redire compellerentur, sub pœna amittendorum bonorum, & quod nunquam ad beneficia Ecclesiastica sint admittendi; ut nemo Lutheranus, a Principe aliquo proscriptus, in alterius ditione reciperetur; denique si cui fœderis hujus causa vis fieret, ut cæteri omnes summa ope auxilia ferrent. Eodem tempore, ut aliquo modo querelis circa abusus Ecclesiasticos, & inde exorta incommoda satisfieret, Legatus, consentientibus Principibus, constitutionem, triginta quinque articulos continentem, emisit ad mores Cleri corrigendos, & abolendas aut minuendas exactiones quasdam, quibus fideles in rebus ad religionem pertinentibus onerabantur.

(2) Reprehensa non uno modo.

Sed quia nihil statuebatur de veris aut prætensis curiæ Romanæ abusibus, de quibus in centum Gravaminibus a Principibus ad Papam missis vel maxime agebatur, Lutherani ansam arripuerunt, ut animos hominum suarum partium tanto acrius adversus Romam irritarent. Cæteri quoque Principes, qui a Legato in Comitiis Norimbergensibus dissenserant, ægerrime ferebant, quod tam exiguus collegarum numerus separatione facta ausus esset Ratisbonæ leges componere, quæ non nisi in universali totius Imperii conventu communique consensu statui debuissent.

(3) Conventus civitatum Spirensis.

Civitates igitur Imperii, quæ fere omnes Luthero adhærebant, occasionem inde commodam, ut sibi videbantur, nactæ, ut non minus quam Principes Catholici conventum haberent, deputatos Spiram miserunt, ibique decreverunt, ut qualibet per doctores suos maxime idoneos, articulos Confessionis conscribi faceret, & ex iis omnibus bene examinatis Spiræ in Comitiis proximis una conficeretur confessio, ab Ecclesiis universis recipienda, donec Concilium liberum, quod in Germania habendum desiderabatur, aliter ordinaret.

(4) Severum Cæsaris rescriptum ejusque recusatio.

Sed destinata hæc omnia conciderunt, allatis literis Caroli Quinti d. 15. Jul. ad Ordines Imperii, ex Burgis Hispaniæ urbe, magna cum severitate datis. Valde enim iratus ob acta Norimbergæ, jubebat, ut edictum Wormatiense observaretur, & conventu Spirensi, quem Norimbergæ decreverant, abstineretur. Postremo huic mandati capiti obtemperatum fuit, sed quoad primum, ii, qui ex Principibus & deputatis Luthero favebant occasione sumta a clausula Recessus Norimbergensis, Ferdinando Archiduci, qui literas Imperatorias miserat, responderunt; invenire se in civitatibus provinciisque suis impedimenta executioni edicti Wormatiensis insuperabiliter obstantia.

Vide Pallavic. l. 2. c. 10. sub fin.

§. CLXVI.

(1) *Acta Campegii cum Argentoratensibus de conjugio sacerdotum.*

Antequam Campegius Norimberga discederet, inter Episcopum & Legatos civitatis Argentoratensis *de Sacerdotum conjugatorum* causa cognitionem instituit, excusante sacerdotes Senatu, quod concubinatui ab Episcopis permisso matrimonia prætulissent. At Legatus, etsi improbaret Episcoporum Germanorum morem, quod accepta pecunia sacerdotibus scortationem permitterent, multo tamen gravius peccari dicebat, si sacerdotes fierent mariti, quam si plurimas domi meretrices alerent. Hæc & alia apud *Sleidanum Libro IV.* leguntur coram Legato acta, eo tamen effectu, ut reformatio in urbe illa nihilominus procederet, & sacerdotes impune mariti essent, etsi Regimen etiam Imperiale conatibus illis obsisteret. Recordor hac occasione, cum lego, quæ *Campegius* Germanis Episcopis objecit, eorum, quæ in historia Hispanica observavi, ab *Episcopo Gerundensi* ante Lutheri tempora scripta, unde apparet, in illis etiam regionibus, invitis Episcopis, populi studio non permissum modo, sed & injunctum parochis concubinatum, eoque remedio pudicitiæ mulierum prospectum fuisse. Verba autoris *in Paralipom.*

(2) *Annotatio ex historia Hispanica.*

An. 1524.

pom. Lib. II. in fin. hæc sunt, nimium quidem aut ridiculum zelum præ se ferentia: *Refert Strabo Lib. III. de orbis situ, quod Gallæci Hispaniæ populi olim nullum habuerint Deum; quod Biscajæ usque ad hæc tempora perdurat, quæ regio intra Gallæciæ fines sita est, & licet ejusdem incolæ Christianæ religionis cultores appellentur, ab illis tamen nullum venerari colique Deum certum est, solumque Christianam religionem labiis profitentur. Apud illos Presbyter nullus recipitur non habens concubinam. Arbitrantur enim neminem posse a carnalibus continere. Quod cum non possent, dicunt necesse esse, presbyteros ad parochianorum uxores converti.*

§. CLXVII.

(1) De conventu a Campegio Ratisbonæ habito.

Porro quod ad Conventum Ratisbonensem a Campegio habitum attinet, quam pie & quo Ecclesiæ emolumento Pontificium istud consilium captum fuerit, expendendum candidis, etiam ex adversa parte, viris desero. Præstitisset sane bona fide agi, & de corrigendis erroribus & abusibus serio cogitari, quam omnem salutaris & solidi remedii spem extingui. Hic enim conventus apertum schismatis initium & quasi classicum fuit. Agnoscebant quippe adhuc omnes Germaniæ Ordines (diverso licet aliquantum gradu, nec sine dubitatione) Pontificem pro capite Ecclesiastico, nec spem de reformatione penitus abjecerant; sed hac per violenta consilia, & ludicram potius quam seriam defectuum emendationem, penitus præcipitata, non potuit non immane illud schisma erumpere. Pauci autem erant, qui cum Legato secesserunt. Ex Ecclesiasticis Archiepiscopus Salisburgensis & duo Episcopi, novemque aliorum Legati: Ex Politicis Ferdinandus Austriacus & Bavariæ Duces duo. Quanta igitur pars erat quæ negligebatur? omnes nempe ad Rhenum, omnes Saxoniæ superioris & inferioris, omnes Westphaliæ, multi Franconiæ Ordines, Civitates universæ. At quam exigua, frigida & infida pleraque sunt, quæ Legatus pro reformatione venditabat. Ita certe *Pauli Veneti* de conventu hoc judicium solidissimum esse apparet, & frustra a *Pallavicino Lib. II. cap. XI.* impugnatum. Inter rationes, quibus Principes adversus Lutheri dogmata incitabat Legatus, maxima & præcipua habebatur, quam sæpius jam inculcaverant, fore nimirum, ut qui Ecclesiasticam potestatem sprevissent, etiam civili refragarentur, idque *Pallavicinus* eventu comprobatum esse secuto bello rustico existimat, *d. Lib. II. cap. X. §. 28.* At eundem plebis motum etiam Lutherus prædicebat, quem aliter evitaturi non essent Principes, nisi populo justa petenti aliquid indulgerent. Cui igitur parti culpa tribui majori jure potest? Huicne, quæ postulata sua ad religionem spectantia tam validis stabilire poterat argumentis, ex jure divino puriorisque Ecclesiæ exemplo depromtis; an illi, quæ aliquot seculorum errores pro legibus obtrudebat, & sua manifesto sectabatur commoda, cum cæteri de damnis & oppressionibus quererentur? Sed callidissimi & oculatissimi homines cæcutiunt, cum adversus lucis divinæ radios oculos obfirmant. De Cæsaris literis ad Status non sine ratione posset dici, nec bono more nec salubri effectu scriptas fuisse; dum Pontifici ob causas mere politicas gratificaturus, eversum ibat, quæ licet se absente, præsidente tamen Fratre, & quem miserat, Legato, & consensu Ordinum rite decreta erant. Vidit hoc ipse, ideoque ut ex *Pallavicino d. c. X. §. 30.* discimus, trepide versatus est, addito arcano ad Fratrem mandato, ut literas Principibus redderet, si obtemperaturos eos prænosceret; retineret, si eos contemturos putaret: qua cautione infirmitas juris & potestatis satis denudatur. Ferdinandus vero deteriorem secutus est partem, cum publicatis literis autoritatem Imperatoris in discrimen misit, nec quicquam impetravit, nisi ut Spirensis conventus, qui in Novembrem mensem Ordinum decreto indictus erat, intermitteretur: quod facile tolerari poterat. Interim enim, quam enixe flagitabat Pontifex, quamque Cæsar toties frustra poposcerat, Wormatiensis edicti executio nihilominus in maxima Germaniæ parte cessavit, eique insuperabiles difficultates a Principibus opposita sunt.

(2) De literis Cæsaris.

SECT. 61.

(1) De Lutheri gaudio ex incrementis reformationis.

Itaque Lutherus securum se Wittenbergæ ab Imperatoris fulmine esse videbat, quod longe magis quam Pontificium metuebat. Maxime vero eum exhilaravit, quod apparebat non tantum post duos illos conventus Norimbergenses, partium vires sectamque suam magna augmenta accepisse, & hanc, ex Saxonia superiori per provincias Septentrionales propagatam fuisse, verum etiam in Ducatibus Luneburgico, Brunsvicensi, Megapolitano, Pomerano, item in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Bremensi, in Civitatibus Hamburgensi, Wismariensi, Rostochiensi, totaque ora maris Balthici, prorsus stabilitam esse. Transiit quoque in Livoniam & Prussiam, ubi Albertus Brandenburgicus magnus Teutonici Ordinis Magister, ordinem & religionem, cui voto ab bellum contra infideles gerendum adstrictus erat, deserens, Lutheranus factus est, posteaque Sigismundo I. Poloniæ Regi, præstito ei ratione Prussiæ Orientalis homagio, se subjecit, qua Ducatus titulo in Principatum secularem erecta fuit: quo facto, Dorotheam, Daniæ Regis filiam uxorem duxit.

Chytræus Lib. 10.

(2) Specialim in Borussia.

ADDITIO.

(a) Varillasii de nuptiis Alberti Boruss. Ducis fabula.

Egregiam de nuptiis his fabulam amatoriam contexuit *Varillasius Lib. VII.* sub anno 1526. *pag. 87.* quam etsi non admodum lubens, tamen ad ingenium novorum historicorum demonstrandum, adscribam, & in honorem maximorum Principum, qui ex isto conjugio descendunt, improbas nugas hominis demonstrabo. Cum prius pactionem Alberti cum Polonis & alia ejus gesta non sine bile & exaggerationibus iniquis descripsisset, addit sequentia: *Ultra mensem dissimulare* (Albertus) *non potuit veram mutationis suæ causam. Natus jam erat annos sexaginta novem completos; nec gravis hæc senecta eum a cogitatione conjugii avertebat. Amabat Dorotheam Holsatiæ Principissam, cujus saltem effigiem viderat, eamque solenniter in matrimonium poposcit. Desponsata ei fuit, quia Dux Holsatiæ auxilio Alberti sibi opus esse credebat, ad conscendendum thronum Danicum, & Princeps virgo tanto minus repugnabat, quia sibi imaginabatur, brevi se viduam fore, & inde eo in statu, ut novo & juveni marito alicui paratam pecuniam, & opulentum dotalitium, quod ob extremam ætatis inæqualitatem impetratura erat, afferret. Sed falsa est: Prægnans enim facta peperit filium, cujus nativitas partem potissimam*

An. 1524.

ſimam commodorum, quæ pacta erat, corrupit, & quod peſſimum erat, tam infelix fuit, ut ſenex maritus triginta fere annos adhuc vixerit, & ipſa totam adoleſcentiam ſuam cum ipſo conſumere coacta fuerit. Qua diligentia in evolvendis autoribus, ex quibus hiſtorias ſuas compilat, verſetur, aut qua fide eos exſcribat, tum quam feliciter inſtitutum ſuum de rimandis conſiliis & rationibus in actionibus hominum, eorum maxime qui in religione aliquid mutarunt, executus ſit, ex iſta narratione liquide apparet.

(b) *ejus refutatio.*

Primo, enormem errorem committit, cui tamen tota fabula innititur, quod Alberto ſexaginta novem annos & quidem completos, plena bucca & præfidentiſſime aſſignat, cum tamen is natus eſſet anno 1490. atque ſic tempore nuptiarum anno 1525. non niſi triginta quinque annos numeraret: amores itaque ridiculi Principi, & regiæ virgini fœdæ ſpes & viles cogitationes petulantiſſime affinguntur, nec niſi meræ calumniæ & ſubſannationes ſunt, quæ per ſatyram hanc evomuntur. Non magis reverenter tractatur Fridericus Rex, quem Ducem adhuc Holſatiæ facit, qui anno, ut ipſe computat, 1526. nondum thronum conſcenderit: illi easdem quas filiæ ſordes impingit, ac ſi ſolius utilitatis reſpectus has nuptias filiæ cum ſilicernio conciliaſſet. Fridericus enim d. 7. Auguſti anno 1524. (jam toto regno & regia ipſa Hafnia potitus) Rex electus & coronatus fuit, quod in *Chytræo* Lib. X. legere potuit Varillaſius, niſi idem ipſi eſſet, non inſpectos autores ex Bibliothecarum indicibus vel relatu neſcio quorum, utcunque noſcere, ac debita cum attentione legiſſe. Quapropter Fridericus auxilio Alberti non egebat ad conſcendendum thronum, neque hujus res ferebant, ut ex Pruſſia Danos juvaret. Quam vera itaque hæc ſunt, aut potius quam falſum & abſurdum, quod Albertus ſeptuageſimo anno ætatis ſuæ Dorotheam duxerit, tam falſum etiam eſt *ſecundo*, quod illa adoleſcentiæ annos in ſenis decrepiti conſortio per annos adhuc triginta cum tædio conſumſerit.

(c) *Chytræi de nuptiis Alberti relatio.*

Chytræum, quem laudat, Varillaſius rejicere non poteſt: Quid autem teſtimonio ejus *Lib. XXIX. fol. 882.* illuſtrius, cum ſcribit: *Dorothea cum marito viginti duos annos in conjugio pleno pietatis, concordiæ & ſuavitatis vixit, ac ut Placilla Theodoſii conjunx, marito ad Chriſtianæ pietatis doctrinam ſinceram in toto Boruſſiæ ducatu plantandam & Academiam veluti ſalutarem & perennem fontem, ex quo veræ de Deo doctrinæ & religionis ſinceræ omniumque honeſtarum artium vitæ neceſſariarum rivuli, in totius Ducatus eccleſias, templa, ſcholas, curias & privatorum familias derivarentur Regiomonte condendam, aſſidua hortatrix fuit, & propter beneficentiam & liberalitatem erga inopes* φιλόπτωχος *nuncupata eſt.* Falſum *tertio* quod primo partu filium enixa fuerit: nam poſt biennium a nuptiis, id eſt, anno 1527. filiam peperit, *Annam Sophiam*, quam pater poſt annos viginti tres *Johanni Alberto Duci Meckelburgenſi* deſponſavit. Poſtea duorum filiorum & quatuor adhuc filiarum mater facta eſt, qui liberi omnes in tenera ætate deceſſerunt, ipſa anno 1547. obiit. Anno abhinc tertio 1550. Albertus tunc ſexagenarius, ſed vivida ſenecta, alteram uxorem duxit *Annam Mariam, Erici Ducis Brunſvicenſis* filiam, & ex ea *Albertum Fridericum* Boruſſiæ Principem progenuit, ex quo *Sereniſſimi* qui nunc vivunt *Electores, Saxo & Brandenburgicus* multique alii ex Principibus, maternum genus ducunt. Albertus ipſe deceſſit anno 1568. cum vixiſſet annos ſeptuaginta octo, quibus viginti & unum ex ſuo calculo liberaliter addit Varillaſius, & nonaginta novem annorum Principem raro exemplo effingit, ſaltem ut fabulæ ſatyricæ occaſionem haberet.

§. CLXVIII.

(1) *Notantur Maimburgii dicta.*

De incrementis Lutheraniſmi ad hunc annum pertinentia pleraque jam dixi, cum temporis ratio id exigeret; ſed eam parvi habet *Maimburgius*, & ex ſequentium annorum hiſtoria anticipat, quæ de Ducatibus Germaniæ Lutheri religionem amplexis inſarſit: cum tamen ne in ipſa quidem Saxonia ante annum 1525. nempe poſt Friderici Electoris mortem, & ſuccedente Johanne fratre, publice recepta ea dici poſſit, nedum in aliis, niſi uni Ducatui Bipontino hanc gloriam aſſeramus; quod is primus inter omnes autoritate Principis ſui Ludovici Palatini jam anno 1523. Evangelicam religionem ſuſceperit, id quod ſupra *Addit. I. ad §. LXXXII.* annotavi.

An. 1524.

(2) *Reformatio Ducatus Luneburgici Cellenſis.*

Sequemur autem Maimburgii ductum, & de primordiis Reformationis in Ducatibus, quos hic enumerat, agemus. *Luneburgenſem*, cujus aula Cellæ eſt, primum nominat Maimburgius. Ejus tunc Dominus erat *Henricus* Dux, Ottonis filius, ſed in Gallia apud Franciſcum Regem ſponte exulabat, cujus amicitiam patriæ & Caroli Cæſaris favori prætulerat. Hic genitis ex *Margaretha* Saxonica, Friderici Electoris ſorore (quæ tamen religionis mutationi reſiſtebat, ut ex epiſtolis *Lutheri Lib. II. pag. 236. b.* apparet) filiis, *Ottoni, Erneſto* & *Franciſco* ditionum regimen tradiderat. Ex his *Erneſtus* Cellæ reſidens conſenſu fratrum anno 1525. ad exemplum Johannis Electoris, qui Friderico fratri ſucceſſerat, patrui ſui, reformandæ religioni incubuit, opera inter alios uſus *Martini Oudermarckii* Paſtoris Cellenſis, quem lineamentis faciei Luthero ſimillimum fuiſſe teſtatur, qui utrumque vidit, Chytræus. Neque tamen celeriter aut vi egit, ipſaque urbs Ducatus primaria Luneburgum paulo ſerius circa annum 1530. emendationem admiſit. Revocatus anno 1527. a Prælatis quibuſdam ex Gallia Pater Henricus, ut Filiorum inſtituto reſiſteret, ſed transactione cum his facta, in monaſterio Wenhuſen, quod reliquum habuit vitæ, peregit.

(3) *De Gvelferbytenſi in veteri religione perſeverantia.*

In *Brunſvicenſi*, qui ita ſpeciatim ab urbe primaria vocari ſolet, Ducatu, cujus aula *Gvelferbyti* eſt, alius *Henricus, Junior* dictus, imperabat, de quo plura dicenda in ſequentibus venient. Hic favere Lutheraniſmo hoc anno 1524. cœpit, ut Lutherus ipſe ad Spalatinum die 11. Maji ſcribit, *Lib. II. pag. 205.* ſed ab agnatis Luneburgenſibus, eorumque patruo & conſobrino, Electoribus Saxonibus multis de cauſis diſſidens, mutato animo, Pontificias partes, quanquam infelici eventu, ad extremam usque ſenectutem, quam ad annos octoginta produxit, pervicaciter tenuit; ita ut demum anno 1568. a filio ejus *Julio* reformatio ad Auguſtanæ confeſſionis normam publice inſtitueretur. Quapropter præmature hunc Ducatum inter Lutheranos Maimburgius retulit.

(4) *De urbe Brunſviga.*

Brunſvigæ vero, quæ tunc urbs a Ducum imperiis libera erat, ſemina, ut dixi, reformationis anno hoc 1524. jacta ſunt, Diaconis quibuſdam plebis favore, invitis Prælatis & Paſtoribus urbicis Evangelium prædicantibus. Sed nonniſi anno 1528. ad eam pervenerunt maturitatem, ut Senatus evocato Wittenberga *Johanne Bugenhagio* miniſterium ad inſtitutum Lutheri in decem templis ordinaret, in quæ *Martino Gerlitio*, ſuprema inſpectio concredita fuit, quem Halberſtadio a Clero ejectum Lutherus ſuſceperat, & Brunſvicenſi magiſtratui commendaverat.

(5) *De Grubenhagenſi & Calembergenſi Ducatu.*

Eam porro Ducatus partem, quæ a vetuſta arce *Grubenhagia* prope Eimbeccam nomen habet, *Philippus* Dux tenebat, qui anno demum 1534. opera *Nicolai Amsdorffii* puriorem religionem ſtabilivit. *Calembergenſem*, qui vocatur, Ducatum, *Ericus* Luneburgicus regebat, Pontificii cultus, dum viveret,

An. 1524. veret, assertor, ita ut non nisi anno 1540. post ejus obitum, sub impubere filio, ejusdem nominis, ejusque matre & tutrice Elisabetha Brandenburgica, plena ditionis reformatio, urgentibus Provinciæ Ordinibus facta sit, quanquam in urbibus majoribus *Hannovera* & *Gottinga*, quæ Hanseatico fœdere comprehensæ libertatis quandam speciem retinuerant, aliquanto prius (nempe anno 1534.) introducta.

(f) De Mecklenburgensi.

In Ducatu *Megapolitano*, sive Mecklenburgensi ab arce & urbe olim spatiosa, sed diruta, nomen habente, prima Evangelicæ doctrinæ promulgatio *Rostochii*, quæ Academia insignis urbs est, *Joh Sluterum* Domitiensem autorem habuit anno 1523. cui adversus Clerum *Henricus* Dux patrocinabatur. *Albertus*, Henrici frater, cum Annam Joachimi Electoris Brandenburgici filiam sibi conjugem junxisset, Berolino secum adduxerat *Henricum Mollensem*, hic *Wismariæ* concionari anno 1524. cœpit.

(*) De Pomerania.

In *Pomerania* purior religio, initio ab urbibus majoribus jam anno 1523. facto, ut supra notavi, in cæteras quoque, sed conniventia solum principum progressum habuit. *Bogislaus* enim dux anno 1523. non mutato veteri ritu obierat, nec filii *Georgius & Barnimus* novationes admittere audebant, immo in concionatores quosdam, qui vehementiores erant, animadverterunt. *Barnimus* tamen Wittenbergam studiorum causa missus, ut supra diximus, Lutherum audiverat, & Lipsiensi disputationi interfuerat, sed non nisi post Georgii Fratris mortem consentiente Philippo ejus filio, (cum quo triennio ante, regiones diviserat) reformationem publicam, cum consensu Ordinum, tutiori jam tempore, anno 1534. instituit, accito ea de causa Wittenberga cive suo *Johanne Bugenhagio*. Ex his apparet, sine fundamento a Maimburgio scribi, stabilimentum sectæ Lutheranæ in his Ducatibus hoc tempore, id est, anno 1524. absolutum esse.

(g) De Magdeburgensi & Bremensi Archiepiscopatu.

Neque magis vera sunt, quæ de Archiepiscopatu *Magdeburgensi* & *Bremensi* adjicit. In illo enim, excepta urbe *Magdeburgensi*, quæ ea tempestate libertate fere plenaria gaudebat, *Albertus* Archiepiscopus progressum doctrinæ vehementer impedivit, ut hoc ipso anno Lutherus vix sibi a novo contra eum libro edendo temperare potuerit, ut constat ex *Lib. II. Epistolar. pag. 221.* quo vero tempore secuta sit reformatio, in progressu operis referetur. *Bremæ*, in urbe quidem, civium potentia prævalente, non cœpta solum, ut supra innui, Evangelii prædicatio anno 1522. sed & anno 1525. Missæ celebratio ex omnibus templis, excepto cathedrali, sublata fuit, sed reluctante Archiepiscopo & Canonicis.

§. CLXIX.

(i) De Henrici Zutphaniensis martyrio epistola Lutheri.

Horum etiam, sive officialis potius impulsu *Henricus*, de quo supra jam aliquid retuli, *Zutphaniensis* Augustinianus, (quem Antverpiæ ob religionem in vincula conjectum a mulieribus liberatum fuisse Lutherus testatur) cum vocatus a parocho & civibus Meldorfensibus in *Ditmarsia*, quemadmodum Bremæ cœperat, Evangelium prædicaret, crudeli supplicio, instantibus monachis & plebe judice, affectus est, cujus martyrii historiam Lutherus celebravit, epistola ad Bremenses, & dedicata iis explicatione Psalmi noni. Vide *Tom. VII. Witt. Lat. f. 492. seqq.* item *Lib. II. Epistolar. p. 252. & seqq.* Verba Epistolæ, quæ historiam hujus anni illustrat, inter alia hæc sunt: *Nunc denuo ad nos rediit postliminio vera Christianæ vitæ facies, quæ afflictionibus & persecutionum procellis coram mundo deformata, horrenda est aspectu, pretiosa tamen, & multi momenti in oculis Dei, juxta Psalmistæ testimonium: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et iterum Psalm. 71. Sanguis eorum pretiosus in oculis ejus. Inter quos haud dubie vester ille Henricus Sudphanus potissimum eminenter elucet, qui terribilem adeo mortem propter EvangeliumDei a Dicthmarsianis parricidis crudeliter peremtus obiit, sanguineque suo prodigaliter effuso doctrinæ Christianæ testimonium certissimum exhibuit. Quanquam Johannes & Henricus Bruxellæ interfecti priores obtinentes, & ipsi duo pulchra lumina facti sint, sic speciosa morte occisi, quæ Deo oblati sunt in holocaustum & odorem bonæ fragrantiæ. In quorum album & catalogum merito referendus est etiam Caspar Tauberus, Viennæ Pannoniæ igni absumtus, item Georgius Bibliopola, quem vita spoliavit Ungaria. Sed & illum non injuria his adjungendum censeo, quem non ita pridem Pragæ in Bohemia supremo supplicio adfectum esse audio, non aliam ob culpam, quam quod libidinosæ castitatis deserto ordine, ad Christiani connubii & vere cœlibis vitæ ordinem sese contulerat.* Addit alia ex quibus colligit, martyrum sanguine religionem confirmatum, Papatum & pullulantem novarum sectarum immunditiem prostratum iri. *Neque enim dubium est*, ait, *quin in hoc Deus omnipotens pro sua in nos paterna misericordia hos mori & sanguinem effundere permittat hoc tempore, in quo tam varii suppullulant errores, ut nos per hoc monere videatur, horumque morte testatum habere, hanc suam esse doctrinam, per quam veri spiritus donum Christo credentibus cœlitus demittitur: & quam ipsi docuerint, servaverint, & cui tandem morte mulctati, martyrio suo verum præstiterunt testimonium. Non secus atque olim sancti martyres ob Evangelii gloriam mortui sunt, illudque sanguinis sui signo consignatum ut verax & infallibile persvaserunt omnibus.* Cæterum in Bremensi Archiepiscopatu extra urbem non nisi post multos annos reformatio locum habuit, conciliatis prius interventu Electoris Saxoniæ, & Ernesti Ducis Luneburgensis anno 1553. *Christophoro* Lüneburgico, Archiepiscopo, cum Senatu urbis, dein Archiepiscopis ipsis Augustanam confessionem amplectentibus. Hassiæ & Principis ejus *Philippi* oblitus est Maimburgius, quanquam *Varillasius* eum inter primos Lutheri protectores jam Comitiorum VVormatiensium tempore anno 1521. referat. Sed hoc tempore anno nempe 1524. tenuia saltem reformationis præludia in Hassia facta sunt. An. 1524.

ADDITIO.

(a) Edictum Landgravii Hassiæ de disciplina & concionibus.

Edidit *Philippus Landgravius* die Lunæ post Margarethæ, id est d. 18. Jul. 1524. edictum typis vulgatum, ad præfectos & proceres Provinciæ, in quo compotationes aliaque prohibet, in bonos mores & publicam utilitatem peccantia, de cultu vero divino mandat, quæ Edicto Norimbergensi conveniebant, nempe ut Pastoribus quibus concionandi munus incumbit, injungeretur, ut populum in Evangelio & doctrina Christi Servatoris nostri pure & liquido instruant, ad amorem Dei & proximi, ad concordiam & pacem mutuam,

An. 1524.

am, & ad reverentiam & obsequium erga magistratum legitimum, utque seditiones & turbas ac rixas cum omnibus hominibus evitent, secundum doctrinam Christi omniumque ejus Apostolorum. Dein cum de non ferendis in provincia mendicis & vagantibus quædam statuisset, *stationarios* qui reliquias sanctorum circumferebant ad stationem quam vocabant sive mendicationem admitti prohibet, exceptis *Antonianis*, qui in ditione Hassiaca *Grunbergæ* erant. Ulterius hoc anno progressum esse Principem non invenio, laudatum potius ab altera parte speciatim a *Cochlæo*, quod nihil innovaverit. Constat id ex Epistola initio sequentis anni d. 9. Januar. ad Principem data, a *Nicolao Ferbero*, Minoritarum Marpurgensium Guardiano, in qua collaudata prius ejus pietate, objicit tamen quod Lutheri & Melanchthonis scripta legat, in quibus (ut ait) sint, quæ Christo repugnent. Excusa est hæc epistola, cum notis marginalibus & responso Principis eodem mense, die Mercurii post Felicis, *Immenhusæ* dato. Miserat ei *Nicolaus* tractatum Latinum approbatum, ut dicebat a Superioribus, & de servanda religione majorum, *S. Elisabethæ* inprimis, eum cohortatus, exemplo aliorum Regum & Principum in Italia, Gallia, Hispania, & alibi, gladio animadvertere in Lutheranos jubet. Regerit ad hæc Princeps: Legisse se librum sed pa um in illo reperisse, quod Christianæ charitati congrueret. A veteribus quidem institutis, quæ in sacra Scriptura fundamentum haberent, se non discessurum, neque tamen meris hominum traditionibus inhæsurum esse, sed regulam verbi divini servaturum. Contradicit deinde Monacho, quod negaverit, fide sola justificari homines, & dicta sacrarum literarum opponit; improbat etiam quod virginem Deiparam pro mediatrice inter Deum & homines venditet, & Evangelium plebi rusticæ prædicari inconsultum ducat, utrumque testimoniis Scripturæ breviter refellit, differt reliqua ad colloquium, quod *Nicolaus* petierat. Sed de iis quæ in religionis negotio in Hassia illo anno & sequentibus gesta sunt, alio loco & tempore dicendum est.

(b) *Litera ad eum Franciscani.*

(c) *Responsum Principis.*

§. CLXX.

In *Borussia* etiam præludia saltem repurgandæ religionis hoc tempore apparuerunt, & ad sequens pertinent, quæ hic Maimburgius recenset. Diximus supra de primis, qui ex Saxonia in Borussiam pervenerunt, Lutheranismi doctoribus. Operæ vero pretium est de nobilissima provincia a Germania tum avulsa, sed in qua adhuc hodie sub *Serenissimo & Potentissimo Electore Brandenburgico* per Dei gratiam trecentæ octoginta sex populosæ parochiæ Evangelicam doctrinam ad Lutheri dictum profitentur, paulo pluribus agere, cum pauca nec sincera proponat Maimburgius. *Borussiam*, sive malis *Prussiam* scribere, spaciosam & fertilem regionem, mari Balthico inter Vistulæ & Memelæ ostia ad 50 milliaria Germanica prætensam cum finitimis quibusdam regionibus, juris Germanici fecerunt seculo XIII. Equites, ex illustribus & nobilissimis variarum Provinciarum Germanicarum familiis occasione bellorum in Palæstina gestorum, in societatem sive *Ordinem*, quem vocant, collecti, & *Magistro*, quem sibi ipsi præficere solebant, subditi. Nomen ab *Hospitali S. Mariæ*, quod in Palæstina ad curandos ægros commilitones exstruxerant, sed consuetius a natione sumserant, *Teutonici* vocati. Signum societatis sive ordinis gestabant crucem nigram collo appensam, aut chlamydi albæ assutam, qui mos iis mansit, qui in Germania ex ordine hoc reliqui sunt, quorumque Magister *Borussiæ* titulum retinet, speciatim tamen *Teutonicus Magister* dici solet, in oppido S. Mariæ (Mergentheim vel Mergenthal/ Marienthal.) ad Tubarim Franconiæ amnem nunc residens. Primus Borussiam, *Conradi* Ducis, ut tum dicebatur, Masoviæ (cujus caput est regia jam Polonorum Warsavia) jussu ingressus est Magister Generalis equitum *Hermannus a Saltza*, ex Dynastis cognominis in Thuringia urbis non incelebris, quæ *Salza Longa* vel *Longosalissa* dicitur, anno 1220. quanquam ante eum in Livonia Alberti Bremensis Archiepiscopi cura, *Gladiferorum equitum* sodalitium cœptum fuisset, & in Masovia *Dobrinensium*: illud tamen Borussico paulo post unitum subjectumque fuit, nec alterum duravit. Destructo namque a Saracenis regno illo, quod Europæi Principes Pontificum impulsu in Palæstina constituerant, ejectis inde, qui sacræ isti militiæ operam dabant, alii quidem paris instituti equitum ordines, *Johannitici* & *Templarii*, aliis locis; *Teutonici* vero bellandi occasionem in Borussia adversus barbaros, qui ex Sarmatia regiones Germaniæ Septentrionem versus sitas infestabant, religionis prætextu invenerunt, eo successu, ut ingentibus illis tractibus terrarum occupatis, coloniisque ex Germania eo deductis, & Magistris provincialibus (Landmeister) quorum primus fuit *Hermannus Balko*, constitutis, magnæ potentiæ Principatum extruerent, ita ut supremus ordinis Magister ex Germania, *Conradus a Feuchtwangen* Eques Francus, sedem in Borussiam transferret, circa annum 1309. relicto in Hassiæ urbe Marpurgo, Magistro Germaniæ provinciali, qui postea in Franconia, ut dixi, aulam habuit. Arcibus vero & prædiis Borussiæ cum pagis adjacentibus sibi a Magistro ut & primoribus ordinis, quos consultores & suffragatores, (Rathsgebietiger) eorumque conventum *Capitulum* vocabant, commendatis. Equites præerant, *Commendatores* inde nominati, qui juniores alios, donec & hi pro ætate aut meritis in præfecturas istiusmodi succederent, alebant, & armis exercebant. Certum etiam sacerdotum numerum, ex plebejis fere, nutriebant, habitu ordinis utentes. In quatuor Episcopatus diviserant regionem, *Culmensem*, *Warmiensem*, (qui duo nunc Polonici juris sunt.) *Pomezanensem* & *Sambiensem*, quos sub Ducibus postea, Præsides aut Superintendentes & Consistoria administrare cœperunt, cedentibus aut abolitis Episcopis. Magnus inde nobilitatis ex Germania, præcipue superiori, & tractibus illis, in quibus equestris ordo a Principum potestate liber est, in terras illas confluxus fuit; non saltem, ut militiæ religiosæ nomen darent, sed & ut stipendia mererentur, aut præfecturas aulicas & provinciales adipiscerentur. Hæc eorum causa, qui historias temporum illorum rerumque Borussicarum non legerunt, aut quid sint *Equites Teutonici* non satis intelligunt, breviter recensenda visa sunt.

(1) *Descriptio Borussiæ.*

An. 1524.

(2) *Equitum Teutonicorum in Borussiam adventus & gesta.*

§. CLXXI.

Postquam vero vicinæ gentes Masoviorum, Polonorum, Lithuanorum & Moscorum Christianam fidem suscepissent, minui tunc aut perire cœpit, quem Equites prætendebant titulum, de propaganda religione. Ideoque jam a duobus seculis non cum infidelibus, sed cum illis, quas dixi, nationibus, maxime Polonis antiquum jus in terras ab Equitibus possessas, & illis, ut ajebant, saltem ad extirpandos infideles commendatas, vin-

(1) *Bella inter Equites & Polonos.*

An. 1524.

vindicantibus, bella cruentissima extiterunt; quod imperite hic aut invidiose dissimulat Maimburgius, Alberto Borussiæ magistro objiciens, quod votum adversus infideles pugnandi neglexerit: neque enim supererant, qui hoc nomine oppugnandi essent. Sed res Magistri & Equitum eo jamdudum erant delapsæ, ut cum Christianis vicinis collisi, maxime vero Polonorum potentia fracti, in extremo periculo versarentur. Accedebant interna dissidia; nobiles enim indigenæ & civitates, duro, ut putabant, servitio a Magistro & Ordine pressæ, cum nec delatis ad Fridericum III. Austriacum Imperatorem querelis, æqua, quæ petere videbantur, adversus Magistrum impetrarent, *Casimiri* Poloniæ Regis patrocinium implorarunt; cujus cœpti is exitus fuit, ut maxima & cultissima pars Borussiæ ad Vistulæ ripam, totaque Culmensis & Pomerelliæ regio, cum egregiis urbibus Gedano sive Dantisco, Elbinga, & Thorunio, ipsaque Magistri sede Mariæburgo, vel armorum vi vel pactionibus, (quarum celeberrima anno 1466. inita est) Polonici juris fieret, reliqua ab Ordine sub clientela Regum Poloniæ haberi deberet. Magister Ordinis anno 1500. electus *Fridericus* Dux Saxoniæ, Georgii & Henrici, de quibus jam multa diximus, frater, juramentum, quo, a pacti illius tempore, prædecessores se obstrinxerant, Poloniæ Regi denegare cœpit, fretus promisso a Maximiliano Imperatore & aliis Germaniæ Principibus auxilio, quo libertatem amissam recuperaturum se esse sperabat, sed infelici successu. Itaque potentiæ Polonicæ imparem se cernens, & destitutus, quas expectabat, suppetiis, ad patruelem, Ernestum Saxonem Archiepiscopum Magdeburgensem profugit, a quo Coadjutor adsumtus, sed ante eum in arce fraterna Rochlitiana hydrope extinctus est anno 1510. In hujus locum *Albertus*, Marchio Brandenburgensis, sequenti anno, unius & viginti annorum adolescens, electus fuit. Filius erat Friderici, cui in divisione cum Johanne Electore Brandenburgico, Franconicæ ditiones, quæ nunc Bayrutensem & Onoldsbacensem Principatum faciunt, obvenerant, frater Casimiri & Georgii; patruelis vero Electoris Brandenburgici Joachimi, tunc viventis, ejusque fratris Alberti Moguntini Archiepiscopi, & post Ernestum Magdeburgensis. At statim post adeptum Principatum Ordinis in easdem cum Polonis, quæ antecessorem afflixerant, difficultates incidit: adeo autem nihil præsidii ab Imperio impetrare potuit, ut Maximilianus Cæsar, pacto cum Sigismundo Poloniæ, & Ladislao Bohemiæ Rege inito, quo successioni Austriacæ familiæ in Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ regna prospexit, res Borussicas non deseruisse tantum, sed & Poloniæ Regi permisisse tradatur, ut Albertum ad juramentum sibi præstandum adigeret. Vide *Calvisii Chronol. anni 1515.* Contra Polonos vero Albertus, dissuadentibus provinciæ Ordinibus, a peregrinis quibusdam viris militaribus, oblatisque a Moscis & Svecis auxiliis, nec non juvenili ardore incitabatur: utque sumtus pararet jam anno 1513. *Walterum Plettenbergium*, Livoniæ Magistrum provincialem, pecuniam pactus, liberum pronunciavit, ut is jam proprio jure, non secus ac ipse Albertus, pro Imperii Principe censeretur. Non erupit tamen res ad arma, (occupatis Moscovitico bello Polonis,) nisi circa annum 1520. sed cum Albertus imparibus esset viribus, interventu Georgii Marchionis fratris inducias cum Sigismundo Poloniæ Rege ad annos quatuor anno 1521. pepigit, & simul utriusque partis consensu de controversiis intra hoc tempus finiendis, arbitri nominati sunt, Cæsar, aut ejus loco Frater Ferdinandus, & Ludovicus Hungariæ Rex, qui adscitis aliquot Episcopis, & Georgio Saxoniæ Duce, de causa sententiam ferrent. Sed his, quicquid moneret rogaretque Albertus, cessantibus, elapso vero tempore induciarum Polonis prorogationem recusantibus, & Carolo Imperatore suis in Italia & alibi rebus intento, misere expositus desertusque ad transigendum adactus est. Consilio itaque Procerum quorundam ex Borussia, inter quos *Erbardus* ex nobili *Queisiorum* familia Episcopus Pomezanensis, præcipuus erat, & conciliatoribus *Georgio* Marchione fratre, & *Friderico* Duce Lignitiensi sororis marito, conventio d. 8. Apr. 1525. Warsaviæ secuta est, per quam Borussia, qua parte ab ordine adhuc possidebatur *Ducatus* nomine Alberto a Polonis concessa fuit. Confirmant autem graves autores, *Chytræus* inprimis, & recens luculentæ historiæ Ecclesiasticæ Borussicæ scriptor *Christophorus Hartknochius* aliique consilium hoc a Polonis profectum fuisse; Albertus tamen invidiam sustinuit, & postea ab Imperio proscriptus, & *Magisterii Borussici* inanis titulus, *Magistro* in Germania *Teutonico*, qui tunc erat *Walterus Cronebergius*, delatus fuit. Si autem Albertum, ut par erat, isque per tot annos sollicitaverat, Cæsar & Germaniæ Principes defendere voluissent, aut arbitri intra induciarum tempus, quemadmodum receperant, pronunciassent, servari fortasse Germanici Imperii majestas in Borussia potuisset, nec propensio Alberti ad doctrinam Evangelicam impedimento fuisset.

(2) *Electio Alberti Brandenburgici in Magistrum Ordinis.*

(3) *Ejus cum Polonis certamen & conventio, qua Albertus Dux Borussiæ factus est.*

An. 1524.

§. CLXXII.

Hanc vero quod attinet, ex supra dictis jam constat, annis 1523. & 1524. missis ex Saxonia Theologis initium prædicandi, ad Lutheri ductum in Borussia factum esse, & alterum ex Borussiæ Episcopis Sambiensem, *Georgium* nempe a *Polentz*, ut dicere cœpi, aperte Evangelio favisse. Id in primis comitiis, Regiomonte, (quæ ex tribus oppidis composita, primaria Ducum urbs est, egregia arce & æde Pomezanensis diœcesis cathedrali instructa) cum Albertus novum Ducatum auspicaretur, anno 1525. insigni actu testatus est: Episcopatus enim sui ditionem temporalem, quam vocant, oppida nempe, castella, pagos, omnemque jurisdictionem in subditos, sponte & solenniter Principi tradidit, sibi honesta alimenta ad exercendum munus pactus; cum diceret, ex instituto Christi Episcopos ministerio Evangelico fungi debere, non more Principum seculi dominari. Hoc itaque anno publicato consilio prima omnium provinciarum Germaniæ, sed tunc Poloniæ clientelaris, Borussia, mutationem religionis solennem fecit, præparatis jam antea per concionatores & Sambiensem Episcopum, tacente & ferente Pomezanensi, civium

(1) *Reformatio Borussica, Episcopi Sambiensis potissimum opera peracta.*

An. 1524. vium animis, & quod Albertus, dum Norimbergæ in comitiis esset, ut dixi, conciones Lutheranas audiisset. Idem in itinere cum Luthero Wittenbergæ collocutus erat, dissimulato aut nondum capto consilio mutationis, ut constat ex epistola Lutheri, qua ad *Brismannum* hæc scribit: *Cum primo loquerer cum Principe Alberto, Magistro ordinis Teutonici, & ille me de sui Ordinis regula consuleret, svasi ut contemta illa stulta confusaque regula uxorem duceret, & Prussiam redigeret in politicam formam sive Principatum sive Ducatum; idem sensit post me Philippus. Ille tum arrisit, sed nihil respondit, interim video homini placuisse consilium.* Obsequentes habuit imitatoresque sui equites seu commendatores ordinis, uno resistente *Erico* Brunsvicensi, quocum tunc trans ctum est, ut apud suos viveret, Borussia relicta, in quam tamen post aliquot annos denuo, sed frustra, regredi tentavit, dissipato quem collegerat ad Vistulæ ripam, exercitu. Lutheri itaque instructioni id debuit Albertus, ut oblatas a Polonis conditiones sine peccato accipere se posse crederet. Poloniæ autem Rex, ut invidiam mutationis, quam procuraverat, declinaret, Oratori suo apud Pontificem *Johanni Dantiscano*, Warmiensi postea Episcopo, in mandatis dedit, quæ ex Epistola ejus anno 1525. *Prilusius* in *Statutis Polon.* & ex hoc nuper *Hartknochius p. 275.* retulit his verbis. *De religione nihil inter nos actum, tum qvia interesse nostra nihil videbatur, tum quod Ordinis institutores non fuerimus, tum vero, quod fere in ditione tota prorsus de catholica religione sit actum & deploratum: proinde abusi sumus ea conditione depravati temporis in rem pacis, cum res transigi nullo pacto potuit. Proinde si qui isthic hos actus nostros in re Prutenica sugillare vellent, habes, quo innocentiam tueri possis.* Publicata fuit hoc eodem anno 1525. Episcoporum duorum nomine nova ordinatio rituum, *Agenda* vulgo vocant, in qua notabilis est interpretum, quos Tolcken appellant, mentio, qui ex Alberti instituto ex suggestu alio eadem, quæ parochi concionantes proloquebantur, lingua veteri Borussica unam periodum post alteram recitarent. Id cessavit posteaquam capita religionis libellis catecheticis & concionibus tradi cœpta sunt, quanquam hodie paucissimi incolarum antiquo sermone uti dicantur.

(1) *Lutheri de Alberto Duce litera.*

(3) *Rex Poloniæ ad reformationem connivet.*

(4) *Ordinatio Ecclesiastica Borussiæ.*

Antequam vero ad sequentia accedam, non possum non ex Lutheri epistola hoc anno, licet sequens ei, cum ederetur, adscriptus sit, ad *Georgium*, Sambiensem Episcopum data *Lib. II. Epistolar. fol. 286. 287.* & ipsius Episcopi, & Alberti Principis elogium adscribere: Et de Episcopo quidem inter alia hæc habet. *Non te laudamus, cum dona Dei in te extollimus, sed insigne illud miraculum gratiæ Dei extollimus, quam in te valere, regnare & triumphare videmus & audimus cum gaudio. Ut quemadmodum pastor, sicut Amos loquitur, eruit ex ore lupi extremum auriculæ aut duo crura, sic te unicum & solum inter Episcopos orbis elegerit Dominus & liberaverit ex ore Satanæ, quod dilatavit sicut infernum, & devorat omnes. Nihil enim videmus in cæteris episcopis (quanquam esse inter eos sperem aliquot Nicodemos) nisi quod subversis Cæsare & Regibus ac Principibus, fremunt & insaniunt contra resurgens vel potius oriens Evangelion, ut denuo impleant illud Psalmi secundi: Adstiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Quo provocent simul, ut & Deus in eis impleat, quod sequitur: habitator cœli ridebit, & Dominus subsannat eos: tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Tibi vero ea singularis plane & mirabilis gratia donata est, ut non modo verbum susciperes & crederes, sed pro Episcopali autoritate etiam palam & publice confessus, doceres, docerique per tuam diœcesin curares, liberaliter his, qui in verbo laborant, provisis, videntibus impiis, irascentibus ac dentibus suis frementibus & tabescentibus frustra.* De Principe vero *d. l. fol. 287. Ad hæc ut gratia & donum hoc Dei cumulatius esset, addidit Dominus & curavit benignitate sua, ut Principem terræ haberes Evangelio studiosissimum, Heroëm illum inclytum Adelbertum ex Marchionibus Brandenburgensibus, Magistrum magnum Prussiæ, cui donatum est eodem spiritu, ut cogitet, quæ Principe digna sunt, ut verbis Prophetæ utar; ita fit ut utriusque vestrum præsidio Christianissimo populus Prussiæ, qui forte nunquam Evangelion habuit, nisi opertum vel adulteratum, nunc late currens & fructificans, audiat purissimum & clarissimum, inenarrabili beneficio Dei.*

(5) *Lutherus Georgium Sambiens. Episcopum laudat.*

An. 1524.

ADDITIO.

Elegans Carmen *Georgii Polentii* Sambiensis Episcopi epitaphio inscriptum, quanquam longe post decessit, per anticipationem referri hic meretur, cum incertum sit an Episcopi hujus mentionem faciendi occasio sit reditura; exhibet id *Hartknochius Lib. II. cap. I. p. 308.*

(a) *Epitaphium Georgii Episc. Sambiens.*

Saxum hoc præsulis ossa Sambiani
Claudit; nomen ei fuit Georgi,
Qui de stirpe satus Polentiana,
Monstrans stemmata Misniæ vetusta,
Illustrem peperit sibi & perennem,
Virtutum studio artiumque, famam.
Has propter Latias adivit urbes
Præstans eloquio & fidelitate.
Romæ, præsule Julio Secundo,
Scribæ munere functus, inque causis
Legatus gravibus subinde missus
A te, Maximiliane Prime Cæsar,
Sub quo, militiam diu secutum,
Alberto Duce Prussia Magistro,
Elegit Marianus ordo fratrem.
Post hæc præditus infulis, pedoque
Christi pavit oves, salubris herbæ
Monstrans pascua latiora, Pastor,
Ductu atque auspiciis tuis, Luthere.
Factus deinde maritus est paterque.
Vitæ curriculo suo peracto,
Cœlestem in patriam receptus, annos
Cum septem decies duosque haberet,
Felix in gremio Dei quiescit.

Joh. Brismanni qui primarius Evangelicæ doctrinæ autor Borussis fuit, & anno 1549. obiit, epitaphium apud eundem autorem habetur *pag. 307.*

Incidit in hæc tempora mutatio insignis in *Livonia*, ejusque metropoli *Riga*. Nam etsi superioribus annis Evangelii doctrina jam recipi cœperat, *Andrea* potissimum *Cnophio* (cui etiam sacra quædam cantica debemus) præcone; obsistebat tamen Archiepiscopus Rigensis, *Casparus Lindius* VVestphalus cum Capitulo suo, cujus politico etiam imperio dimidia urbis pars suberat, sed curis impar, coadjutorem adscivit *Johannem Blanckenfeldium* Berolinensem, qui jus Canonicum Francofurti ad Viadrum docuerat, inde ad Episcopatum Revaliensem & Dorpatensem in Livoniam promotus. Huic vero, imploratus a civibus, hoc

(b) *De mutatione religionis in Livonia.*

anno

An. 1524.

anno 1524. graviter reſtitit, & Evangelii prædicandi libertatem juvit *VValtherus Plettenbergius* Ordinis equitum Magiſter; nec parum nocuit Archiepiſcopo, quod Moſcorum patrocinia ſollicitaſſet: In comitiis enim Provinciæ eo adactus eſt, ut cum toto clero ſuo *Magiſtro Ordinis* ſeſe ſubjiceret; id cum ſequentibus annis revocaret, & cauſam contra Magiſtrum apud Cæſarem proſecuturus eſſet, in itinere deceſſit. Inde anno 1527. necquicquam annitente Cæſare, ut *Georgius* ex Brunſvicenſium ducibus, Præpoſitus Colonienſis, in Archiepiſcopum eligeretur, Plettenbergii autoritate & favore civium *Thomas Schoningius* Conſulis Rigenſis filius dignitatem eam adeptus eſt, & cum Georgio amice tranſegit. Hæc & plura *Chytræo* debentur *Libr. X. & XI.*

§. CLXXIII.

(1) Hojenſis Comitatus reformatio.

Ampliſſimus etiam ad Viſurgis utramque ripam comitatus Hojenſis (nunc Sereniſſimis Luneburgenſibus Principibus ſubjectus) hoc anno 1524. religionem Evangelicam publice admiſit. *Jodocus* enim Comes a Socero, *Wolfgango Comite Gleichenſi* ex Thuringia, libros Lutheri & Melanchthonis nactus a Luthero concionatorem petiit; is *Adrianum* Antverpia ex monaſterio profugum, ablegavit, qui Neoburgi ad Viſurgim, Monachum, in Lutherum de ſuggeſtu fulminantem, palam allocutus, probatione eorum, quæ falſo in populum ſparſerat poſtulata, ita terruit, ut profugeret, & cæteri Adriano reſpondere nollent. Inde Miſſæ & Sanctorum invocationes, aliaque ejus generis abolita fuerunt. In urbibus etiam Germaniæ majoribus ſtrenue progreſſa eſt doctrina. *Norimbergæ* Præpoſiti magnarum Parochiarum S. Sebaldi & Laurentii, *Georgius Peslerus* & *Hector Bohmerus*, cum jam biennium Evangelium docuiſſent, miſſaticos aliosque abuſus ſuſtulerunt, edito, quibus factum ſuum defendebant, ſcripto Germanico, quod ex Bibliothecis, ubi latet, denuo publicari, non una ex cauſa mereri videtur. *Argentoratenſis* etiam Senatus jam civibus aſſentiens in omnibus templis concionandi libertatem permiſit, Scholam erexit, & Monachis ex clauſtris egreſſis alimenta ordinavit, illorumque reditus aliis piis erogationibus deſtinavit, Theologi *Capito*, *Hedio*, *Cellius*, *Pollio*, *Bucerus*, aliique, edito libro mutationem propugnarunt, & *Conradi* cujusdam *Trægeri* Monachi, virulentis conviciis reſponderunt. Miſſi a Margaretha Regina Navarræ, Franciſci Galliæ Regis ſorore, *Jacobus Faber* & *Gerardus Rufus (Rouſſel)* de religione cum Argentinenſibus Eccleſiaſtis contulerunt concordesque diſceſſerunt. Nec parum illos confirmavit *Sebaſtianus Mejerus*, qui quæ eo usque pro Pontificiis dogmatibus in æde Franciſcana concionatus fuerat, libello Bernæ in Helvetiis menſe Septembri hoc anno publicato, retractavit. Ut tamen ſupra monui, erant inter Doctores Argentinenſes, qui in articulo de ſacra Cœna aliam, quam Lutherus, ſententiam circa præſentiam Chriſti fovebant, ſed ita, ut in diſſidia aperta res nondum erumperet. Extat *Tomo II. Altenb. f. 855.* Lutheri epiſtolium Germanicum ad Catharinam *Matthiæ Cellii* uxorem, menſe Decembri hoc anno ſcriptum, in quo eam & maritum ſalutat, & hunc ob Evangelicam doctrinam valde laudat.

(2) Norimbergæ acta a Præpoſitis.

(3) Argentoratenſis Senatus promovet Evangelium.

ADDITIO I.

(a) Liber Præpoſitorum Norimbergenſium.

Titulus libri a Præpoſitis Norimbergenſibus Germanice editi eſt: *Fundamentum & ratio ex S. Scriptura, cur & quomodo Reverendi duarum parochiarum S. Sebaldi & S. Laurentii Norimbergæ Præpoſiti, abuſus circa ſacram Miſſam, ut & circa anniverſaria, ſal & aquam benedictam, cum aliis quibusdam ceremoniis abrogaverint, omiſerint & mutaverint.* Grund und Urſache aus der Heil. Schrifft/ wie und warumb die Ehrwürdigen Herren beyder Pfarr-Kirchen S. Sebalds und S. Laurenzen Pröbſte zu Nürnberg/ die Mißbräuche bey der Heil. Meß/ Jahr-Tag/ geweyhet Saltz und Waſſer/ſammt etlichen andern Ceremonien abgeſtellet/ unterlaſſen und geändert haben. Subſcriptum eſt titulo dictum Pauli *2. Cor. X. 4.* *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt.*

(b) Ejus exordium.

Exordiuntur gratias Deo agendo, de magno beneficio ejus, quo ultimis his temporibus multis locis & ſpeciatim civitati Norimbergenſi ſalutaris doctrinæ lucem reſtituerit, & veritatem ſuam ſanguine martyrum jam denuo confirmet. Se quidem dicunt partem abuſuum antea deprehendiſſe, & ex ſacra Scriptura arguiſſe, ſed infirmorum gratia toleraſſe, & ante omnia per prædicatores ſuos, qui Evangelium diligenter docuerint, de fundamento recte collocando ſollicitos fuiſſe, non ſine damno commodorum temporalium, multarumque calumniarum & perſecutionum periculo. Poſtea urgentibus cognita jam veritate auditoribus, abuſuum correctionem differre amplius non potuiſſe; & Senatui rationes mutationis a ſe expoſcenti, ex ſacris literis ita reddidiſſe, ut acquieverit & negotium totum ad Eccleſiæ miniſtros & doctores rejecerit. Auctis inde impiorum contradictionibus citatos ſe ab Epiſcopo Bambergenſi (ordinario ſuo) cauſam dixiſſe, & meliora, ſi erraſſe viderentur, ex ſacra Scriptura doceri petiiſſe. Inde procuratorem epiſcopalis fiſci, impia & blaſphema actione, decretum ab Epiſcopo impetraſſe, quo verbum Dei & ipſi, qui id ſequuti ſint, condemnati fuerint. Ab hac ſententia appellatione typis vulgata ſeſe provocaſſe. Jam ut Epiſcopo, de cujus Chriſtiana & pia mente bene ſperent, innoteſcant, quas jam Senatui expoſuerint, rationes, in lucem nunc emittere conſtituiſſe ea fini, ut vel reſpondeatur, meliorque ex ſacra Scriptura informatio detur, vel ſine fundamento adverſantes tandem pudefiant & taceant. Monent poſtea omnes, qui iſta lecturi ſint & imitari velint, ut nihil prius habeant, quam ſimplicem populum, ſuo exemplo, qui integrum biennium prædicatione contenti nihil mutaverint, in veritate ex verbo Dei, recte inſtruere, antequam deſtruere & mutare abuſus aggrediantur; Sic enim auditores agnituros eſſe, quo jure & fundamento id fiat, & certa ac tranquilla conſcientia in emendationem conſenſuros. Adſcriptus præloquio huic eſt dies 21. Octobr. 1524.

(c) Contenta quædam de Miſſa five S. Cœna.

Tractant deinde ante omnia de Miſſa, & quoniam ex effato Chriſti *Matth. XV. 8. 9.* & teſtimonio *Eſaiæ* Prophetæ *XXIX. 13.* fruſtra colatur Deus mandatis hominum, Miſſæ ſeu ſacræ Cœnæ ſcopum & fructum ex verbis Evangeliſtarum & D. Pauli oſtendunt, quibus convictos, calicis etiam ſacri uſum populo reſtituiſſe ſe profitentur. Poſthæc ad naturam Novi Teſtamenti, & ſacrificii a Chriſto ſemel & plane præſtiti explicandam progreſſi, defendunt abrogationem canonum quos vocant Miſſæ, majoris & minoris, eorum idololatricas formulas vehementer improbant, & quæ pro ſacrificio Miſſatico ex hiſtoria Melchiſedeci, aliaque regeruntur, examinant & refutant. Utuntur autem inter alia hoc argumento: *Si actio Domini in cœna ſua ultima, in qua Miſſam inſtituiſſe dicitur ab illius aſſertoribus, eſt illud ſacrificium aut officium, per quod Chriſtus factus eſt ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedeci; ſequitur, ſacrificium iſtud a Chriſto iſthac cœna, non vero patiendo mortem, peractum fuiſſe. Cum vero hoc abſurdum & impium dictu, & e contrario certiſſima & divinæ veritatis ſit; altero demum poſt ſacram cœnam die, per ſubſecutam mortem æternum Chriſti ſacerdotium conſtitutum fuiſſe; hinc ajunt manifeſtum eſſe, in cœna nullum fuiſſe factum aut inſtitutum ſacrificium.* Prophetiam *Malachiæ Cap. I. v. 11.* explicant de ſacerdotio & ſacrificio omnium Chriſtianorum, quod patiendo pro nomine Chriſti afflictiones, & pie moriendo præſtant, ideo prophetam dicere, *in omni loco ſacrificatum iri*, quod de Miſſa intelligi non poſſit. Subjungunt poſtea formulam quam acce-

An. 1524.

accedentibus ad sacram Cœnam prælegi fecerint, qualem fere multæ nostratium Ecclesiæ adhuc retinent, & per quam verus & salutaris usus Sacramenti breviter indicatur. Significant etiam, quæ ex Missæ veteris precibus & cantibus libere, & sine necessitatis opinione, retinuerint, nempe *introitum* sive versum alicujus Psalmi, (pro quo tamen integrum Psalmum decantari melius putaverint) *Kyrie eleison & Gloria in excelsis &c.* ex *collectis* unam, in qua a Deo, quæ toti cœtui profutura sunt, petuntur. *Evangelia* integra (prisco, ut notant, more) prælegenda ordinasse, & quidem Germanico sermone, sicut & lectiones *Epistolicas*, ut populus quæ leguntur, cum fructu intelligat: Sequi *symbolum fidei*, & ipsa postmodum *institutionis verba*, tum *consecrationem*, *orationem dominicam*, *atque distributionem* Sacramenti, omnia juxta præceptum Christi, & concludi apta *precatione*, & pronunciata *benedictionis formula*, verbis Scripturæ: innuunt etiam, omnes formulas precum & hymnorum in patrium sermonem translatum iri ad populi instructionem. *Altero* capite docent, cur Missas pro defunctis & anniversaria atque vigilias abrogassent; tum quia pecuniæ causa inventæ sint, tum quod nihil proficiant mortuis, & impium sit aliquid pro cultu Dei aut salutis medio venditare, quod is non præscripserit, etsi bona intentione id fiat, & prætenso nomine Christi. Ostendunt etiam profanationem Psalmorum & Hiobi, quæ in *vigiliarum* recitatione fiat, in quibus nullum verbum sit, quod ad mortuos pertineat. Sic ipsum quoque *purgatorium* & *precationes pro mortuis* ex eodem principio rejiciunt, quod mandato divino, exemplis piorum, Ecclesiæ Judaicæ & Apostolicæ, careant, & vivi mortuique omnes in duas saltem classes a Christo distribuantur, credentium qui salventur, non credentium qui damnentur; addunt & argumenta alia. *Tertio* rationem reddunt cur cultum beatæ Virginis, cantu *Salve regina*, quotidie peragi solitum abrogaverint; scilicet, ut nec necessarium, nec universalem, & vix ante quatuor secula in Ecclesiam invectum, adeoque novum, & denique blasphemum: cum Maria in eo dicatur, *vita, dulcedo, & spes nostra*, quæ elogia soli Christo debeantur; neque sufficere sibi visum esse, si verba ista saltem, quod alicubi factum esse dicunt, expungerentur, populo enim opinionem cultus illius duraturam fuisse, & satius esse mala inventa penitus abolere. Sic etiam *Quarto*, sal & aquam benedictam, etsi libera videri potuerit eorum conservatio, prorsus removisse, ob opinionem impiam, quæ illorum usui in contumeliam Dei afficta fuerit, & propter abusum superstitiosum. *Quinto* denique *matutinas* & *completorium* omisisse, ut nec præcepta, nec utilia, sed mera hominum commenta. In *epilogo* dehortantur omnes ab sublatorum abusuum violenta defensione; inde enim constare, non esse tot clericis & doctoribus argumenta ex sacris literis, quibus eos tueantur, ideoque ad carceres, ad exilia, ad ignem & gladium provolare. Mirum itaque non esse, si populus veritatis jam cupidissimus clerum, qui opibus solum inhiet, nec ratione uti, sed vi agere & verbi divini notitiam impedire velit, summo odio persequatur: urgent dictum frontispicio libri allegatum, *arma doctorum non esse carnalia sed spiritualia*, neque ullo modo licere populum a verbo divino abstrahere, & præceptis humanis opprimere. Exaggerant, quam graviter, & contra Spiritum sanctum peccent, qui veritati verbi divini scienter sese opponunt: applicant iis ex *Deuteron. c. XXVIII.* maledictiones, obedientibus vero benedictiones impertiuntur. In fine maximis minimisque, qui meliora ex verbo Dei ostensuri sint, omne deferunt obsequium. Lutheri toto hoc scripto nullam faciunt mentionem, sed argumentationes suas allegatis Scripturæ dictis firmant. Debeo hujus scripti, ut multorum aliorum, notitiam *Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensi*. Ex ea etiam legenda accepi quæ hoc ipso anno 1524. aut initio sequentis, in religionis negotio acta sunt. Scio quidem *Marcellini* monitum quod *historicum deceat per negotiorum celsitudines discurrere, non humilium causarum minutias indagare*, verum

(d) *De Vigiliis & anniversariis & purgatorio.*

(e) *De cultu Sanctorum.*

(f) *De aliis quibusdam abusibus.*

(g) *Excusatio de quibusdam quæ minuta videntur.*

præterquam quod historici leges omnes mihi non præscripserim, sed & apologiæ studeam, minuta mihi non sunt visa, quæ in magnis urbibus, qualis est Norimberga, in religionis causa acta fuerunt, vellem modo ut plura vel typis olim edita, & postea neglecta, vel in archivis recondita mihi innotuissent. Incitamento forte hæc qualiscunque diligentia mea erit illis, qui singulis in locis accessum ad magistratus eorumque scrinia & ad Bibliothecas habent, ne perire sinant, quorum memoria non sine fructu & voluptate legentium conservari & renovari cum utilitate potest.

Excusum est anno 1525. Norimbergæ consilium anno præcedente Senatui exhibitum a prædicatoribus tribus (quorum duos ad §. CXXXIX. nominavi) *Dominico Sleupnero*, *Andrea Osiandro*, & *Thoma Venatorio*, qui in novo Hospitali concionabatur. Titulum habet: Ein gut Unterricht und getreuer Rathschlag aus Heil. Göttlicher Schrifft/ weß man sich in diesen Zwietrachten unsern heiligen Glauben und Christliche Lehr betreffende/ halten sol &c. i. e. *Informatio bona, & fidum consilium ex S. Scriptura, quid agendum sit in his dissidiis circa sanctam fidem & doctrinam Christianam.* Divisum est in partes tres, quarum tamen ultima de controversiis uberius tractatura, omissa est. Agitur *Parte I de verbo Dei tam substantiali quam orali; de Spiritu sancto; de doctrina Christiana; de concionibus; de sacra Scriptura, Lege & Evangelio, & utriusque usu; de Sacramentis; de fide vera & efficaci, qua* sola *justificet, item de spe. Parte II. de damno doctrinæ hominum*, & *de Antichristo*, ubi Danielis & Johannis vaticinia omnia ad Romanam sedem applicantur; etiam numerus ille 666. cabbalistice ex nomine *Sylvestri* Papæ eruitur. Autorem hujus scripti *Andream Osiandrum* fuisse phraseologia ostendit; jam tum enim dogmatum illorum, quæ postea in Prussia asserere voluit, semina in iis animadvertas, quæ tamen nemo illo tempore, quod sciam, observavit, aut reprehendit, quia obscurius proponebantur, aut ex aliis verbis commodas recipiebant interpretationes.

Prodiere etiam Norimbergæ eodem anno (quanquam non adscriptus est) circa finem duæ pagellæ, in quibus brevius sed liquidius & modestius a concionatoribus Senatui proponuntur duodecim puncta, quæ examinari & tractari deberent a prædicatoribus: nempe (1.) ut indicent quid sint peccata. (2.) cur lex data sit, & cui usui. (3.) quæ sit justitia coram Deo. (4.) quid sit Evangelium. (5.) quid baptismus. (6.) quid mortificatio veteris hominis, in baptismo significata. (7.) quid sacramentum corporis & sanguinis Christi, & quis ejus usus salutaris. (8.) an per opera ad justificationem, an per hanc ad bona opera perveniatur. (9.) quid sit doctrina hominum & quatenus locum habeat. (10.) quid debeatur Magistratui. (11.) quomodo vitanda sint scandala vitæ & morum. (12.) an liceat clericis S. Ecclesiæ ministris conjuges ducere. Anno sequenti Mense Martio in Senatum vocati sunt concionatores omnes, & ad eos per *D. Scheurlium* (*Christophorus* supra a nobis non semel nominatus, & Luthero memoratus *Lib. I. Epist. 52.*) adhortatio egregia (eine schöne Rede) facta est, *ut ex sacra Scriptura, sepositis paparum, conciliorum, patrumque decretis, Jure Canonico & veteri observantia, ad duodecim illa puncta placide & absque disputatione responderent, & amice conferrent, eo nempe fine, ut concordia iniretur, & motus plebis præcaverentur ex dissidiis eorum metuendi.* Initium respondendi fecit *Dominicus Sleupnerus*, ad S. Sebaldi concionator: assensit ei, & dein fere solus locutus est *Andreas Osiander*, ad D. Laurentii prædicator: eorum partes tenebant qui in *Hospitali*, tum ad *D. Ægidii* & in æde *Augustinianorum* concionabantur, Prior istorum maxime: Contradixerunt *Priores & concionatores Dominicanorum*, *Franciscanorum*, *Carmelitarum*, & qui in duobus virginum monasteriis prædicabant, tamen ut mallent omne colloquium evitare, Cæsarea edicta causantes, & conciliorum & Pontificum decreta; provocabant denique ad Academias, *Ingolstadiensem*, *Tubingensem* & *Heidelbergensem*. *Prior*

An. 1524.

(h) *Consilium a concionatoribus datum.*

(i) *Alia eorundem propositio.*

(k) *Disceptatio coram Senatu.*

ra-

An. 1524.

or tamen *Dominicanorum* dixit, in fidei articulis capitalibus nullum esse dissidium, prædicari enim ab omnibus unum Deum, unum Christum, unam fidem, unum baptismum, & obtulit tandem se adducto concionatore suo, in amicum colloquium descensurum esse. Cum idem diceret *Franciscanorum Gvardianus*, reversi ut jussi erant, Dominica Invocavit, & die Martis & Jovis proxima, itemque Dominica Reminiscere, disceptationes continuarunt, dirigente & interrogante ut plurimum per *Scheurlium* Senatu. Impediri tamen non potuit vehementia collocutorum, & monachi querebantur, se ab altera parte duriter tractari. Inde occasionem sumserunt, cum die Martis post Reminiscere redire juberentur, ut comparitionis loco, scriptis ad Senatum literis, sese excusarent, obtendentes *iniquum esse judicium, & ex colloquio disputationem orituram esse adversus Cæsareum edictum.* Protestantur itaque contra omnes innovationes, & ad Academias supra nominatas, vel ad Ordinarium suum denuo provocant. Auditus inde fuit nomine quinque collegarum, *Osiander*, qui habita oratione duarum horarum spatio sententiam de XII. articulis defendit. Paulo post Dominica Oculi, Senatus monachis & prædicatoribus quinque monasteriorum, concionandi & confessiones audiendi munere interdixit, & die Mercurii sequenti *Prior Augustinianorum* monasterium Senatui tradidit. Hæc in relatione typis excusa quatuor quaternionibus exhibentur. Nulla quidem in hoc libello mentio fit *Præpositorum Pessleri* & *Bohmeri*, quorum scriptum anno præcedenti editum recensui, aliunde tamen constat illos inter præsides colloquii hujus assedisse. Quod vero articulos ipsos attinet, respondit Osiander & collegæ ex sententia Lutheri, (illum enim VVittenbergæ docentem audiverat) nunquam tamen allegato ejus nomine, verum omnia ex Scripturis probans. De justitia autem disserens jam tum phrasi sua usus est; respondit enim Franciscanus, qui triplicem justitiam statuerat, *unam esse justitiam*, i. e. *Deum ipsum & Christum esse Verbum qui fide comprehensus in nobis sit justitia nostra.* Fidem tamen describit quod non sit absque operibus ex charitate profectis; his si careat, non magis esse fidem quam pictus homo sit homo. Monachi svetis suis dogmatibus, & Scripturarum detorsionibus insistebant. Memorabile est quod *Franciscanus* in articulo de cœna Domini, cum Osiander literæ Scripturæ inhæreret, & inter alia ex *Epistola ad Hebr.* urgeret, Christum semel sacrificium præstitisse, respondit, Epistolam ad Hebræos non esse librum Canonicum, & a multis dubitari an autorem Paulum habeat. Talia dicere inter crimina Lutheri fuit. Cœlibatum & in eo castitatem ideo putavit servari posse & debere, quia Deus illis qui eam voveant, gratiam servandi non deneget. Hoc si praxi comprobaretur, expeditissimam hujus quæstionis decisionem faceret; at qui vovet, quæ in potestate non habet, nec quæ Deus jussit, aut promisit, tentare DEUM deprehenditur. Idem Monachus potestatem Ecclesiæ circa fidem adstruxit eo, quod alibi etiam notatum est, argumento, quod Apostoli a formula baptismi, quam Christus præscripserat, recesserint, idque probari posse putavit ex *Actor. II. 38.* Hæc Norimbergæ acta indicant, illustris illius urbis Senatum plus ausum esse illo tempore, Monachis prædicationes & Sacramentorum administrationes per decretum publicum adimendo, quam vel in Saxonia factum sit. Cives nempe primores consentientes & pronam ad obsequendum plebem habebat; cum in provinciis proceres plurimas objicerent difficultates, & aulicæ cautelæ non parva injicerent impedimenta. Isto anno 1525. *VVenceslaus Linccius* qui jam olim in Augustiniano cœnobio Norimbergæ vixerat, & concionatus erat, inde vero Altenburgum delatus, uxore ducta, cucullum exuerat, & pastoris munus susceperat, Norimbergam vocatus est, primus, ut perhibetur, urbis pastor Evangelicus, a Senatu scilicet confirmatus: antea enim prædicatores Præpositorum arbitrio constituebantur, qualis fuerat Osiander & alii. Vixit autem Linccius ad annum usque 1547. & in munere suo obiit. Epitaphium ejus, quem puer coluit, *Selneccerus* refert:

(l) *Linccius Norimb. Ecclesiastes.*

Autorem vitæ dum viveret atque salutis
Asseruit, docuit, glorificavit, habet.

An. 1524.

ADDITIO II.

In admonitione ad Helvetios mense Aprili 1524. nomine ministerii & fratrum Argentoratensium excusa Tit. Verwarnung der Diener des Worts und der Brüder zu Straßburg an die Brüder von Landen und Städten gemeiner Eidgenoßschafft / adversus *Conradi Trægeri* Provincialis Augustinianorum calumnias, agnoscitur Senatum anno 1523. causam *Matthiæ Cellii* cum is ad Episcopi tribunal citaretur, neglexisse; illi vero cives die Erbare Bürgerschafft / modeste tamen adstitisse; nunc autem a plurimis veritatem doctrinæ etiam in Senatu probari, & promoveri, & pulchre eum cum civibus consentire, ab his etiam omne obsequium Magistratui exhiberi. Cæterum scopus hujus scripti is potissimum est, ut *Trægeri* jactantiam deprimant, qui provocasse ministros Argentoratenses ad disputationem, hanc vero ab illis recusatam esse gloriari dicebatur. Referunt igitur illum centum theses edidisse, de quibus disputaturus esset: quas cum vidissent ministri, misisse ex Senatoribus viros insignes, & se ad disputandum, adhibitis doctis aliquibus & prudentibus, & evitato plebis concursu, obtulisse, idemque etiam Senatus nomine ab eo postulatum esse; verum illum excepisse, etsi paratissimus sit ad disputandum, sine licentia tamen Episcopi, ut ordinarii, id minime ausurum esse, cupere itaque ut ejus consensus a Senatu vel ministris impetraretur. Hoc effugium vanum esse dicunt, cum non solum publicatis thesibus & provocans ad disputationem de consensu Episcopi nihil monuisset, aut pactus esset, sed & quod Episcopus omne controversiarum examen evitaret. Addunt, *Trægerum* tandem ita sese excusasse, quod de articulis illis non Argentorati sed Friburgi in Helvetiis (*Uchtlandia*) disputaturum se esse constituisset: accusant eum ambitionis, dum provincialis officium præter morem continuaret, & a Legato Pontificio præmia expectaret, si adversus Evangelium traditiones hominum assereret; hanc nunc viam esse honores & opes adipiscendi & a paupere Luthero multos ditatos fuisse (der arme Luther hat vielen zu reichlicher Nahrung geholffen.) Ex centum vero *Trægeri* paradoxis summatim & breviter illud tantum, in quo fundamentum totius litis versari dicunt, tangunt, quod Scripturam judicem ferre nolit, & autoritati Ecclesiæ eam subjiciat, immo Apostolos homines fuisse & errasse dicat Petri exemplo: Ecclesiam vero ab omni errore immunem pronunciet. Idem clamare alios, ita ut nuper Doctor *Murnarus* Dominica Palmarum pro concione ita fuerit locutus: *Dicere vobis aliquid deberem de institutione Sacramenti; sed vos creditis Evangelio, ego vero illi non credo, sed solum iis, quæ recepit Ecclesia.* Huc itaque omnia ajunt recidere, si enim Evangelii veritas libere prædicetur & innotescat, tunc totum illud, quod *Antichristianum* vocant *regimen*, in fumum & ventos abire, monachos nempe, moniales, sacerdotes, tonsuras, campanarum, psalmodiarum perpetuos strepitus, aquæ, salis, palmitum, herbarum consecrationes, candelas, chrismata, extructiones tot templorum & altarium, baptismum campanarum, lotiones altarium, præbendas, anniversaria, missarum fundationes, coactam etiam confessionem auricularem, fictam pœnitentiam, impias pro peccatis satisfactiones, indulgentias, dispensationes Romanasque omnes nundinationes, per quas tot ventres pigri & plurimi nequam homines alantur. Fide enim vera & charitate renovata, fore ut monachorum mendicantium patrumque & priorum Provincialium impuritas & luxuria pessum sit itura. De iis quæ anno præcedenti 1523. adversus ministros Evangelicos Argentorati acta sunt, & de eorum, inprimis vero *VVolffgangi Capitonis* apologia ut & de *Antonio Firnio* Pastore Thomano, qui primus uxorem duxerat, vid. *Sculter. Annal.*

(1) *Scriptum ministerii Argentoratensis contra Conrad. Trægerium.*

(b) *Autoritatem Scripturæ asserunt.*

(c) *Alia quadam.*

An. 1524.

Annal. Evangel. Dec. I. p. 171. 172. In Alsatia vero Austriaci regiminis jussu vis facta est Evangelii doctoribus & auditoribus, & capitali supplicio in quosdam hoc anno 1524. animadversum. *Scultet. p. 187.* idem *p. 199.* epistolam *Capitonis* d. 4. Maj. 1524. scriptam adducit, in qua, quæ ab Episcopo & Canonicis ipse cum aliis passus sit, memoratu digna legi possunt.

§. CLXXIV.

(1) *Lutheri cum Carolostadio acta Jenæ & Orlamundæ.*

Sed hoc ipso anno cum *Carolostadio* acriter collisus est Lutherus, & acciderunt quædam quæ supra Maimburgius per anticipationem narravit. Carolostadius enim Wittenbergæ invisus, & ab iis, quos, uti dicebat, absente Luthero socios consiliorum & excessuum habuit, præsente eo, desertus, Orlamundam concesserat, quod modicum est ad Salam oppidulum, unde tamen Comites quondam in Thuringia & Franconia opulentissimi nomen habuerunt. Vocaverant eum cives suo lubitu, nullo confirmante Episcopo, sed ut tunc fieri solebat, dissimulantibus regionis Principibus, Electore Friderico & fratre Johanne, Saxoniæ Ducibus. Ibi igitur Carolostadius & imagines sustulit, & dogma suum de sacra Cœna propagavit, inspirationes etiam, nescio quas, jactans, ita ut cum *Thoma Münzero* communia consilia agitare crederetur. Lutherus itaque volente Electore Jenam venit, ubi non deesse putabantur, qui & Münzero & Carolostadio faverent. Concionatus est ibi d. 22. Aug. maxime adversus ea, quæ Münzerus tumultuose docebat egeratque speciatim adversus violentas imaginum disjectiones. A meridie inter illum, & qui concioni interfuerat, Carolostadium disceptatum est satis acriter, & excusatum quidem tunc Lutherus illum habuisse dicitur de Münzeriani tumultus societate, sed a dogmate ejus de sacra Cœna, in quo se unum post Apostolos vera sentire gloriabatur, & a rigore in imaginum destructione abhorrere se dixit, eumque dato arrhæ loco aureo, ad defendendum quæ asserebat, seque scriptis refutandum invitavit. Dicta sunt in illa conversatione multa ab utroque vehementer, & a Carolostadio fere duriora, quæ ipse naturæ suæ vitio excusavit, professus, se licet asperius loquentem, iracundo tamen aut malo animo non esse. Allatæ sunt mox Orlamundanorum literæ ad Lutherum, fanatica inurbanitate scriptæ, in quibus expostulabant, quod se jam antea Wittenbergæ, præsente itidem Carolostadio, ob imaginum abolitionem in concione reprehendisset, & Principum iras minatus esset; rogabant tamen, ut ad se veniret, quæ crederent, audiret, & si non probarentur, meliora placide doceret. Has literas, simplicitatem oppidanorum superare existimans, Carolostadio imputabat, mox tamen Orlamundam d. 24. Augusti, comite Concionatore aulæ Vinariensis *Steinio*, sese contulit, sed præsente & suis auditoribus assistente Carolostadio, commotior, literarum incivilitatem civibus exprobravit, & rogatus licet, concionari noluit. Illi vero in sententia sua de abolendis imaginibus perstiterunt, quæ omnia ex relatione *Tomo secundo Altenburg. fol. 800.* inserta percipiuntur. Sed de eadem relatione notandum est, eam ab aliquo, qui Luthero minus favebat, ita compositam esse, ut Carolostadii dicta & facta, immo & Orlamundanorum, speciose proponantur, & malignam quandam & artificiosam insectationem Lutheri simul contineant, quod ipse in epistola ad Spalatinum sub initium mensis Octobr. data dissimulaturum se esse, scribit, *d. Tomo II. Alt. f. 797. Mihi,* ait, *vehementer placet libellus de actis meis Jenensibus & Orlamundensibus, hoc nomine, quod video homines malæ fidei & conscientiæ metuere sibi, & in hoc prævenire voluisse, & gloriam præripere, & opinionem mei lædere; quia tamen liber mendaciis mixtis cum veritate sine nomine prodit, patientia superandus est.* Postea ad Argentoratenses scribens *Lib. II. Epistolar. p. 251.* gratulatur sibi, quod furibundæ plebeculæ a Carolostadio incitatæ manus evaserit, conviciis & imprecationibus satis infestatus. Secuta inde est, re ad Principes relata, Carolostadii ex terris Saxonicis ejectio, quam tamen suo consilio Lutherus in dicta epistola tribui non vult, quanquam ei *Cochlæus*, ut alia multa, etiam hoc affingat. Scripsit autem Carolostadius literas ad Orlamundenses, se nec auditum nec convictum, a Luthero tamen pulsum, flebiliter questus, ut ipse Lutherus ad Amsdorffium & Spalatinum scribit *Lib. II. Epistolar. p. 236. 237.* Cedere etiam loco jussus fuit *Martinus Reinhardus*, concionator Jenensis, & alii; quidam tamen resipuerunt, ut patet ex epistola ad Amsdorffium *d. l. p. 237.* Carolostadius Argentinam & Basileam delatus, dogma suum editis libris propugnavit, Anabaptistis, ut Reformati scriptores ipsi narrant, statim probatum. *Scultet. Annal. Evang. Dec. I. hoc anno p. 233. & seqq.* Sed Basileensis Senatus editores libellorum Carolostadii carcere punivit, quod *Erasmus Lib. XIX. ep. 3.* refert, & Tiguri prohibiti sunt vendi. Oecolampadius tamen, qui Basileæ tum publice concionabatur, & Zvvinglius, Carolostadii sententiam, utut incommodis verbis conceptam, a vero tamen sensu non discedere, & cum sua explicatione conciliari posse existimarunt, quod ex Zvvinglii epistola ad *Matth. Alberum*, Reutlingæ Imperalis in Svevia urbis, Ecclesiasten, tunc scripta, manifestum fit. Vide *Scultet. d. l.*

(2) *Relatio de illis actis parum sincera.*

(3) *Carolostadius ex Saxonia ad Helvetios abit.*

§. CLXXV.

(1) *Lutheri literæ in causa Sacramentaria.*

Hoc igitur anno infelix illa de Sacramento controversia renascentem reformationem publice turbare cœpit: de qua tot librorum non volumina sed plaustra extant, ut neminem a me exspectare credam, ut de ea hic multis tractem. Historiæ tamen causa notari & legi merentur epistolæ Lutheri, hoc ipso anno scriptæ, *Lib. II p. 196. seqq. p. 247. seqq.* ex quibus apparet, quo fundamento doctrinam suam adstruxerit, & in primis qua charitatis fraternæ significatione Argentinenses tunc tractaverit. Injuriam sane omnes ei facere existimandum est, qui ex sola pervicacia opiniones suas tuendi, vel nescio qua ab Helvetiis aversione, in doctrina de præsentia corporis Christi perstitisse illum tradunt. Serio enim & ex conscientiæ suæ dictamine, nec sine lucta adversus oppositæ sententiæ plausibilitatem, egisse, omnia ejus scripta & dicta ad extremum usque vitæ suæ diem evincunt. Erravit enim epistolarum Latinarum compilator, quod eam, quæ *ad Carolostadium* data est, in annum hunc 1524. retulit, cum non nisi anno 1528. scripta fuerit, quo etiam *Tom. IV. Alt. fol. 445. & sqq.* refertur. Nec minus errant, qui putaverint, eum plebis favorem respexisse: Nam et ut *Erasmus dicta epist. 3. Lib. XIX.* loqui-

An. 1524. loquitur: *Laici indignentur Deum suum sibi eripi*, additque satis libere, *quasi nusquam Deus sit nisi sub illo signo;* exemplum tamen & Anabaptistarum & Helvetiorum, & eorum, qui Carolostadium sequuti sunt, ostendit, interpretationem illam de spirituali manducatione, a populo, quo quisque ad tumultum aut enthusiasmum magis inclinabat, facillime admissam esse; immo Lutherus non postea solum, sed sub hoc ipso erumpentis dissidii initio agnovit, scripsitque, sibi longe expeditiora omnia progressiura fuisse, si isti sententiæ accedere salva fide & conscientia potuisset. Ita enim *dicta epistola* ad Argentinenses *p. 250.* aperte utique & ingenue scribit: *Hoc diffiteri non possum nec volo, quod si Carolostadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persvadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus nervis extensis me extricare & expedire conatus sum, cum probe perspicicbam, hac re Papatui cumprimis me valde incommodare posse. Præterea duos habui, multo dexterius & acutius hac de re ad me scribentes, quam Carolostadius, nec ita proprii ingenii captu verba detorquentes, verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Evangelii nimium apertus est & potens, qui facile convelli non potest, multo minus verbis aut glossis e capite vertiginoso confictis subverti. Quod si etiam hodierno die fieri posset, ut quis firmo Scripturarum testimonio mihi fidem facere queat, in Sacramento non nisi panem & vinum esse, nihil tamen opus esset, quenquam tam amaro me adoriri animo, sum enim proh dolor plus æquo in hanc partem propensus, quantum Adami mei naturam animadvertere possum. Verum quibus furiis Carolostadius hac de re furit & insanit, tantum me movet, ut etiam in sententia mea defendenda fiam pertinacior. Ad hæc si prius non credidissem, jam primum tam futilibus rationibus e vertigine sic vesani cerebri excogitatis adducerer, ut credam opinionem suam debere esse frivolam & invalidam, quemadmodum spero vos omnes hoc statim intellecturos, ubi libellis in hoc editis respondero.* Quantiscunque vero conviciis ratio pro præsentia reali postmodum ex unione naturarum in persona Christi deducta accepta & exsibilata fuerit, eam tamen sententiam sic explicarunt in progressu disputationis Theologi Lutherani, ut ab absurditatibus sufficienter liberata nemini non præoccupato scandalo esse possit. Simplicissime sane jam anno 1520. *Philippus Melanchthon* (quicquid secutis annis senserit) ad *Joh. Schwebelium* scribens (*Epist. ad Schwebel. anni 1520.*) ita sensum Lutheri expressit: *Cum fateantur omnes, Christum secundum divinitatem adesse in Synaxi, quid attinet discerpere humanitatem a divinitate? quis gignit has tam callidas distinctiones?* Neque tamen Lutherus illis assentiri voluit, qui quæri de præsentia Christi, ut hominis, nolebant, inter quos bene multi & hodie sunt, qui hoc modo sopiri, quæ inter Lutheranos & Reformatos est, discrepantiam posse arbitrantur. Ita jam illo primæ disputationis tempore affectus fuit inter alios *Capito*: Vid. *Scultet. p. 235.*

(2) Melanchthonis notabile dictum.

Notat vero *Scultetus* (quam recte non disquiro) *ubiquitatis*, quam vocat, dogma, in Gallia hoc anno ortum suum debere *Jacobo Fabro Stapulensi*, qui illud ex *Joh. Gersonis* sententia de communicatione naturarum Parisiis docuerit, & sequenti anno accusatus a *Natali Beda*, vehementissimo veterum opinionum propugnatore, damnatus, eoque nomine relegatus fuerit. Lutherum miris modis hæc dissensio afflixit, inde inter alia apud Amsdorffium queritur: *Nobis nihil est, nisi unde humiliemur. Nam Carolostadii venenum latissime serpit: accessit ejus sententiæ Zwinglius Turegi* (Tiguri) *& Leo Judæus, atque multi, constanter asserentes, in Sacramento esse purum panem sicut in foro.* Erant, ut *Scultetus* existimat, qui conventum aliquem sive Concilium suaderent, tollendis rixis, quas de ritibus aut rebus indifferentibus esse putabant; sed Luthero, ut ex epistola ad *Hausmannum* d. 11. Novembr. scripta videre licet, alia mens erat; ait enim *Lib. II. Ep. p. 243. Mihi non satis tutum videtur, Concilium ex nostris cogi pro unitate ceremoniarum statuenda, est enim res mali exempli, quantumvis bono zelo tentata, ut probant omnia Ecclesiæ concilia ab initio. Ita ut & in Apostolico concilio ferme de operibus & traditionibus magis quam de fide sit tractatum, in posterioribus vero nunquam de fide, sed semper de opinionibus & quæstionibus disputatum, ut mihi Conciliorum nomen pene tam suspectum & invisum sit, quam nomen liberi arbitrii. Si una Ecclesia alteram sponte non vult imitari in externis istis, quid opus est conciliorum decretis cogi, quæ mox in leges & animarum laqueos vertuntur? Imitetur ergo altera alteram libere, aut suis moribus sinatur frui, modo unitas spiritus salva sit in fide & verbo, quantumvis sit diversitas & varietas in carne & elemento mundi.* Certe eventus docuit, Lutherum non vane de difficultate, ex dissidiis per tractatus & conventus eluctandi conjectasse.

An. 1524

(3) De dogmate ubiquitatis ex Sculteto.

(4) Lutheri sententia de Synodis.

§. CLXXVI.

Multus ei hoc etiam anno adversus *Prophetas cœlestes* (uti vocabantur) sive *Anabaptistas* labor fuit, qui libertate Evangelica proterve abusi jam ad vim publicam spectabant. Eorum quidam *fratrum & sororum* nomine sese compellantes in hortis conveniebant, unde vocati sunt Gartenbrüder/ atque *somniatores & spirituales*, Träumer und Geisterer/ ut *Spalatinus* notavit. Id prævidit non solum Lutherus, prædixitque secuta a plebis concitatione mala, verum & antequam in apertam vim erumperent (de quo alibi agendum est) voce & scriptis remedia quæsivit, ut supra jam notatum fuit. Speciatim vero Senatum & cives *Mulhusinos*, Imperialis in Thuringiæ finibus urbis, d. 15. Augusti hoc anno (*Tom. II. Alt. f. 789.*) serio monuit, ut a *Munzero* sibi caverent. Is enim, postquam Zviccaviæ, & Alstedii ferri amplius non potuisset, Mulhusium petebat, non vocatus, sed spiritus sui, quem cœlestem jactabat, vertigine impulsus, a quo etiam in Svevos & Helvetios actus fuerat, multis ad sectam suam perductis. Jubet igitur Lutherus eum repellere, quoniam divinam vocationem extraordinariam probare per miracula non posset, nec ab hominibus vocaretur, cædes enim & seditiones illum moliri certum esse. Paulo post

(1) Lutheri scripta adversus cœlestes Prophetas.

(2) Et de Münzero admonitio.

An. 1524.

(3) *Epistola ad Electorem & fratrem qua fanaticos accusat & refutat.*

lo post d. 21. Augusti ad Fridericum Electorem & Johannem ejus fratrem, Saxoniæ Principes prolixa epistola idem argumentum tractavit, quæ Germanice extat *Tomo II. Altenb. f. 790.* Latine autem versa habetur *Tomo VII. Wittenb. Lat. f. 506.* & in *Parte II Epistolar. p. 223.* In exordio de conditione verbi divini præfatur, ut ei Satanas non solum cædibus & cruciatibus, sed & Pseudoprophetarum maxima turba sese opponere, nascentis Ecclesiæ Christianæ tempore, consveverit. Idem nunc eum agere, ait, (quia per Proceres Ecclesiasticos atque Politicos, tyrannico more grassantes, Evangelicam doctrinam opprimere non potuerit) ut ementitos spiritus & perditas sectas producat. Fieri id ex prædicatione Pauli Apostoli, *oportet hæreses esse. Ita (pergit p. 224.) postquam ejectus Satanas jam per tres annos circumvagatus est per loca arida, quærens requiem nec tamen inveniens, tandem in vestra ditione, reperta in Alsteta mansione nidum congessit, in animo habens sub nostra pace & defensione adversus nos pugnare. Illustrissimi enim Principis D Georgii ditio, quanquam hic in proximo sita sit, ejus fecis spiritibus imperterritis & (ut jactant) invictis plus justo mitior est & benignior.* Addit: *Singulare mihi gaudium præbet hujus vesaniæ nostros non esse autores, cum ipsi se jactent hoc nomine, quod nostrarum partium non sint, atque adeo nihil a nobis didicerint, sed de cœlo descenderint, perpetuos tres annos cum ipso Deo collocuti. Parvi momenti æstimant rem, Wittenbergæ charitatem & crucem doceri. Audienda tibi,* inquiunt, *ipsa Dei vox est, & opus Dei in te ferendum; Scripturam* Bibel/Bubel/Babel *vocant, sic, ut superbiorem & elatiorem spiritum hoc me neque legisse neque audiisse jurare possim.* Hortatur deinde, quoniam spiritus ille Alstetinus *verbi divini negotio omni armorum genere consulendum esse* jactet, idque Wittenbergæ satis clare confessus fuerit, ut Principes concessa sibi a Deo potestate seditionem præcaveant, neque enim coram Deo aut mundo excusari posse si officium suum negligant. Exagitat porro fanaticorum ignobiles ausus, quod in delubra, monasteria, & imagines, ubi nemo est qui defendat, vim exerceant; si strenui essent, Dresdam, Berolinum, Ingolstadium petere debere: id est, Electoris Brandenburgici, Georgii, Saxonis, Bavariæ ducum, qui potentia sua veteres ritus tuebantur, urbes primarias. Increpat etiam, quod lucem subterfugiant, & domi feroces, nolint foras in disceptationem de religione prodire, ore jam bis terve Wittenbergæ in cœnobio Augustiniano illis obstructo. De se postmodum allegat Lutherus, quam humiliter, trepide & pedetentim Papatum adortus sit. Licet autem se nec magnificis verbis extulisset, & miser atque ærumnosus nulliusque potentiæ esset, stetisse tamen se Augustæ, Lipsiæ, Wormatiæ publice, & in singulis pene angulis tam uni quam pluribus rationem suæ doctrinæ reddidisse, & secuta esse, quæ fanatici nunquam effecissent. Nunquam se ullum lapillum diruisse, nullum cœnobium sua opera combustum; calamo tamen & ore suo pene omnia devastata esse monasteria, etiam sub Principibus Evangelio parum faventibus. Respondet objectioni, qua uti solebant, quaque etiam hodie plerosque fanaticorum uti videmus, quod spiritum sublimiorem habeant, quam ut percipi ab aliis possit. Ait enim, S. Petrum, qui non ignorabat, suum quoque & omnium Christianorum spiritum sublimiorem Gentilibus & Judæis esse, nihilominus jussisse, ut parati essent omnes ad dicendam causam; Christum etiam ipsum exemplo suo id docuisse. Mirum esse, ait, quod nunc editis libellis doctrinam suam evulgent, cum ex illorum principiis nihil opus sit scriptis, spiritu sive divina voce cœlitus omnes docente. Id vero agere, ut verbum Dei & Sacramenta plane tollant; diserte scribere ausos esse contra ultimum capitulum S. Marci, ubi de baptismo scripsit. Fructus doctrinæ etiam examinat, suæ illum esse statuens, ut fiant quæ Paulus *Rom. VIII.* & *Gal. V.* exigit, & breviter, ut *fructus spiritus* sit perfectio decem præceptorum Dei, sive *charitas 1. Cor. XIII.* quem vero excellentiorem fructum Alstetinus spiritus nunc ferat, nescire se dicit; nam quæ in expugnandis monasteriis & dejiciendis imaginibus fiant, qualia sint, satis apparere. Neque tamen negat, in sua quoque Ecclesia esse qui aliter vivant, quam doceantur, nec cessaturam esse imperfectionem illam, dum homines fuerint; Christum tamen ipsum ferre peccatores, nec superbe eos fastidire, doctrinam autem ante omnia sanam & rectam esse velle. Moderatur denique, quæ de officio Principum scripserat, ut nolit ab iis prædicandi libertatem inhiberi; sed in militia illa spirituali committendos esse concurrentes spiritus, & si a falsis doctoribus decipiantur, id pro Martis communis conditione ferendum esse. *Doceant itaque,* (ait) *modo manus contineant: sed has exercentes & vim parantes ejiciantur ex regione.* Non vult eos audiri, cum Israelitarum exemplum allegant, idola confringentium, & Cananæos extirpantium: non enim facta sed fidem illorum imitandam esse statuit. In Novo Testamento diaboli expellendi & offendiculorum tollendorum veram rationem esse verbi divini prædicandi exercitium, quo corda moveantur, inde diabolum cum tota pompa sua & potestate per se pessum esse iturum. Ex his puto satis constare, quam inique Luthero imputetur, quod discipulos habuerit Münzerum & socios, & quam remotus ille ab eorum insano dogmate fuerit, etiam antequam seditio rustica anno sequenti erumperet.

An. 1524.

ADDITIO.

(a) *De Münzeri dogmatibus quadam.*

De *Munzeri* actis hoc anno 1524. ex *Archivo Vin. Reg. N. lit.* G. *n. 38. 39. fol. 101.* multa cognosci possunt huc usque in oblivionem deducta. Quod enim ad doctrinam attinet, libellos & epistolas Munzeri fere omnes interiisse verisimile est, neque consultum fuerit, immanes hominis errores promiscue denuo vulgare. Interest tamen Ecclesiæ ne plane ignorentur, cum & in ipsis sacris literis conservata sit superstitionum & hæresium pessimarum historia. Facit id ad facilius agnoscendam & cavendam Satanæ malitiam, qui eosdem errores subinde renovat. *Munzerus* antequam ex Friderici Electoris & Johannis Ducis ditione sese subduxisset, scriptum exhibuit Germanicum, nescio an Cal. Augusti, 1524. quo die, ut paulo post dicam, Vinariæ comparuit, an antea. Titulum scripto fecit *Testificatio primi Capitis Evangelii Lucæ totius orbis Christiani judicio proponenda, autore Thoma Munzero.* In frontispicio dictum Dei ad Ezechielem c. VIII. 8. *fode parietem,* sed ex suo ingenio versum, detortum & extensum legitur: **Mache das Loch weiter und laß sie alle sehen wer die grossen Hansen**

An. 1524.

Hansen sind. Quædam ita proponit, ut tolerabilia videantur. Ait enim *Christiana religionis magisterium consistere in interpretatione sacræ Scripturæ secundum doctrinam Spiritus Christi:* Sed addit, *fidem cum summo tremore recipiendam esse, ad exemplum Mariæ contremiscentis in conceptione Christi:* Per illa haud obscure immediatam quandam & terrificam fidei revelationem innuit, & jam tum tremori fanaticorum nostri temporis prælusisse videtur. Ad fidem requirit *indumentum,* sive ut induatur, & *transitum* ut loquitur (den Durchgang) in imum fundamentum animæ. Hoc quoque explicari forte haud male posset, sed subjungit, scrutinium Scripturæ impiis Pharisæis a Christo *Joh. V.* propositum esse non electis, hos enim veram fidem habere posse etsi per totam vitam Biblia neque viderint neque audiverint, dum habeant doctrinam Spiritus, & certi sint, infallibilem se a Deo fidem accepisse, non eam quam diabolus aut natura imitando depinxerint. (vom Teuffel oder eigner Natur abconterfeyt) Sane fucatam fidem, seu falsam ejus opinionem apud plurimos qui Scripturas non ignorant, inveniri satis manifestum est; verbi tamen divini auditus aut lectio ad veram fidem producendam ex ordinatione Dei omnino requiritur: qui igitur Scripturam excludunt, cum Munzero crassissime errant. Christianos dicit in omnibus infidelibus etiam nationibus & sectis esse posse, & inter se consentire (id quod verum est) sed male applicat dictum *Act. X. 35.* statuens, quod inter infideles educatus verum opus veramque doctrinam Dei absque omni libro experiri possit, quod plane ad enthusiasmum spectat. Ex *Phil. III.* docet, homines plane deificari & veluti in cœlum vivos adhuc transferri, immediate ab ipso Deo, per incarnationem Christi. Invehitur postea in Magistratus qui adversus exortum lumen sæviant, sed & insanos vocat, qui dicant parendum esse Principibus etiam iniquis (den Unvernünfftigen) per omnia, & sic duobus Dominis serviendum. Dein satis clare statuit, toti mundo ictum imminere, (die gantze Welt muß den Puff halten) & tale futurum esse spectaculum, ut *impii de sede deponantur & exaltentur humiles,* ut Maria canit. Populo opus esse novo Johanne, præcone gratiæ, qui fidem ipse expertus sit; *quæ enim (ait) sine experientia est,* (id est, sine inspiratione & sensu enthusiastico) *pejor est blasphemia diaboli ex inferno contra Deum.* Eos qui Scripturam solam ad fidem sufficere dicunt, ex ipsa Scriptura refutare conatur, quod ubique exigat ut a Deo doceamur. Explicat id ut electi ex ore Dei fidem percipiant, ut intelligant longitudinem, latitudinem, &c. *Eph. III. 18.* Recte hæc, si operationem Spiritus sancti cum verbo & per verbum intelligat, sed alia ei mens est, ideoque subinde aspersionem & afflatum exigit. In Sacerdotum dogmata & mores acerrime detonat, speciatim nescio quos, taxat, qui vetulas uxores ducant, optimæ dotis causa. Donatismum renovat, dum reprehendit eos, qui dicant *sacerdotes etiam malos recta posse docere:* Deum enim odisse impios ex Scripturis ait notum esse, & dicta allegat. De possessione Dei in nobis, & nostra in creaturis, facilius a se instrui posse dicit Ethnicos, Turcos & Judæos quam Christianos; ab his enim fanaticum vocari, qui docere talia vel uno verbo incipiat. Habebat in oppido *Alstet* typographum evulgandis scriptis; sed is jubente *Johanne* Duce abire jussus est. Literas inde ad Ducem d. 13. Julii dedit Münzerus, in quibus eum vocat: Den theuren Hertzog und Vorsteher zu Sachsen seinen lieben Vater. *Eximium Ducem & Præsidem Saxoniæ, patrem suum dilectum.* Petit autem ne impediatur a libera prædicatione coram toto orbe, eorum quæ ex infallibili testimonio Dei didicerit, se quidem obstructurum esse os mundi perversi, sed VVittenbergæ nolle respondere, adesse enim debere Romanos, Turcos & Judæos. Se in eo esse ut Christianos insipientes prosternat; permittendum sibi esse ut libros suos edat & legendos præbeat, observanda esse Principibus de quibus ex revelatione Dei monendi a se sint. Quanquam vero vel ex his satis videatur apparuisse quo spiritu jam tum ageretur Munzerus, tam timidi tamen aut circumspecti tunc erant Principes & Consiliarii, ut ista in meliorem partem, obscuriora præsertim, interpretarentur, aut vi agere nollent. Interea effectus doctrinæ Münzerianæ plus satis erumpere cœperunt. Retulit enim *Johannes Zeisius* quæstor Alstetensis d. 18. Junii ad Johannem Ducem, & hic d. 22. Junii ad Electorem fratrem, plebem in sacellum *Mellerbacense* irruisse & statuas confregisse, aliaque per tumultum egisse. Vocati inde sunt cum quæstore decuriones & quidam ex plebe Alstetensi Vinariam, quia pœnam tumultuantibus indictam recusaverant. Sed loco comparitionis literas miserunt Münzeri stylo scriptas. Exordium erat apprecatio veri, perpetui & sinceri timoris Dei. Die rechte/ ewige und rechtschaffene furcht GOttes sey E. Fürstl. Gn. zuvor. Factum, adversus *diabolum Mellerbacensem* sub *Maria* nomine, ut ajunt, cultum defendunt, ex dicto *Exod. XXIII. 1. Non suscipies vocem mendacii,* sive ut ipsi exponunt, *non defendas impium:* paratos tamen se esse dicunt, in corpore & facultatibus pati, quæ sibi injungerentur, *diabolum* autem *Mellerbacensem* adorare nolle, neque tradere qui illum destruxissent; addunt tamen iterum vim se passuros esse, ut Christo conformes fierent. Citatus inde Münzerus ipse d. 1. Augusti, Vinariæ comparuit, & de concione verbisque seditiosis interrogatus, plurima negavit, fassus tamen est, venisse ad se subditos *Friderici a VVizleben* (arcium & pagorum *VVendelstein, Rosleben & VVolmerstett* Domini) & consilium suum petiisse, annon fœdus inire possint adversus Dominum illum suum, qui mulctam illis dictaverat, quod ad conciones Münzeri excurrissent, & ab Evangelio violenter se detineret, daturos tamen pensiones suas, & servitia præstituros, ut olim: Similia a magno fossorum metallicorum numero (ex Comitatu scilicet Mansfeldensi) sibi proposita fuisse; his se respondisse, licere iis ut fœdus ineant ad audiendum Evangelium. Venerunt paulo post d. 8. Augusti Legati *Georgii* Ducis, *Henricus a Schleiniz & Georgius a Carlowiz,* questi primum de *Lutheri* conviciis quibus Georgium oneraret, tyrannum & hostem vocans, quæ tamen haud magni facere dicunt Principem, quia Pontificem & Cæsarem non mitius tractet. Deinde de *Schneebergensi* Ecclesiaste & de monachis in oppido *Buchholz* concionantibus expostularunt, denique *Munzerum* accusabant, quod ad *Sangerhusanos* (oppidum Thuringiæ sub Georgio Duce) seditiosas literas scripsisset. Ajebant, nisi his malis remedium adhiberent Elector & Frater, Georgium cogi ut ipse sibi consuleret, & Evangelii, quod jactatur, persecutor esset. Elector inde Fratri d. 16. Augusti scripsit, mandandum esse Alstetensi quæstori & Senatui ut Munzerum abire juberent; sed is clam & noctu se subduxerat, & a Mulhusinis, renitente licet Senatu, concionator constitutus erat. Missi itaque ad Georgium Electoris & Fratris nomine *Fridericus Thunavius & Johannes Planitius* equites, qui referrent, ut Munzerus multa ei imputata Vinariæ negasset, dein noctu evasisset; ad reliquas vero querelas respondebant *Schneebergæ* (in quod oppidum communis trium Principum jurisdictio erat) delegandos esse communiter, qui concionatorem examinarent, & quod æquum esset, statuerent; de cæteris cognitionem instituturos esse Principes fratres, & non permissuros nisi Christiana & decentia. Hoc statu causa Münzeri anno 1524. fuit, donec sequenti in tumultum & bellum erumperet, ut in loco dicetur.

An. 1524.

(b) *Progressus erroris Münzeriani.*

(c) *Münzerus Vinariæ comparet.*

(d) *Georgius Dux Münzerum accusat.*

(e) *Münzerus ex Electoratu aufugit.*

§. CLXXVII.

Restitit etiam aliis, subtilius quidem, periculose tamen errantibus. Erant enim in aula Vinariensi Concionator *Wolffgangus Steinius,* & Isenaci *Straussius,* de quo supra dictum est, & JCti quidam, qui Cæsareas leges, ut ab Ethnicis; Canonicas, ut a Pontificibus profectas, improbarent, & Mosaicum jus reduci mallent, tum usuras omnes, etiam legitimas, improbabant. Erant qui mercaturam, fidejussiones, & alia ejusmodi damnarent. De his, quæ sibi viderentur, con-

(1) *Dissensiones in aula de lege Mosaica.*

An. 1524. consultus Lutherus scripto complexus est, Melanchthonis etiam consilio adhibito. Vide *Tom. II. Alt. f. 815. & seqq.* Gratias ei hoc nomine egit Johannes Fridericus Princeps, Johannis Ducis, postea Electoris, filius, annos jam natus 21. qui Parenti, sententia Lutheri confirmatus, & a Cancellario adjutus, modeste obstitit, ne novarum istarum opinionum autoribus pro indulgentia sua nimium tribueret. Extat epistola ab ipso Principe composita, egregii animi & judicii characteres exhibens, in qua inter alia de necessitate visitationis Ecclesiarum non indigna se scribit, & quæ non multo post effectum habuerunt, *d. Tom. II. fol. 815.* Inter alios Carolostadii excessus hic quoque erat, ut literarum studia improbaret & exosa faceret: cujus quidem insaniæ invidia a malevolis etiam Luthero impingebatur; sed ille & Principi formam scholæ instituendæ proposuit, ut patet ex epistola ad Spalatinum *Lib. II. Epistolar. p. 235. b.* d. 18. Octobr. data, & cum, (nescio, qua causa) Academiæ ruinam metueret, non parum questus est *d. l. p. 237. b.* dein edita hoc eodem anno gravissima ad Magistratus civitatum Germaniæ parænesi omni argumentorum, qua poterat, vi ab iis contendit, ut scholarum constitutioni operam darent. Vide *Tom. II. Alt. f. 805. & seqq.* Præmittit in illa quædam de se, significans, ut ante annos tres proscriptus & condemnatus, tacere tamen, licet id suo commodo & tutissime facere potuisset, hoc tempore noluerit, quæque inde secuta sint, manifestæ Dei operationi attribuenda: queritur inde, scholas interire, Academias detrimenta pati, monasteria deseri. *Exsiccatum* (ait) *est fœnum, cecidit flos, spiritus Domini sufflavit in eo Es. XL. 7. Patuerunt per verbum Dei clericorum defectus, sed plebs carnalis, cum liberos suos alieno sumtu, ut hucusque consueverat, in monasteriis ali jam non posse videat, nec sacerdotes, monachos monachasque fieri; mavult eos omnes alio vitæ genere victum sibi parare. Sic apparet, ventris non religionis causa clericorum conditionem antehac affectasse. Diabolus nempe in aliud extremum tendit; juventutem, quam corruptelis monasticis eximi cernit, jam ab omni informatione & eruditione remotam, in barbariem & animæ periculum præcipitare cogitat. Parentes tot sumtibus indulgentiarum, missarum, vigiliarum, fundationum, testamentorum, anniversariorum, fraternitatum, peregrinationum, & quos in mendicantium greges erogabant, levati, tantillum eorum partem ad liberorum in scholis educationem conferre detrectant.* Illos igitur, ut & Magistratus officii sui admonet; linguarum peritiam, ut divinum donum, quo Evangelii propagatio & Scripturæ intellectus nititur, commendat; VValdensium opinionem, linguarum studium spernentium, improbat; agnoscit se, utcunque zelo spiritus, quem alii jactent, se non putet destitui, ea tamen non fuisse effecturum, quæ præstiterit, si absque linguarum cognitione fuisset. Ostendit deinde scholarum & linguarum utilitatem ad vitam civilem & ad statum Principum sustinendum, *qui nunc*, ut satis libere monet, *aurigando, compotando, bacchanalibus & curis illis suis maximis, de culina & cella occupantur.* Faciliori informandi methodo, quam olim fuerit, invitari debere contendit juventutem, ad scholarum frequentationes; paucas horas singulis diebus sufficere, & paucos annos ad discenda, quæ omni vitæ generi profutura sint. Excellentiora vero ingenia nunc insulsissimorum librorum ab indoctis monachis consarcinatorum loco (nominat *Catholicon, Floristam, Græcistam, Labyrinthum, Dormi secure*) egregia habere profectuum a libris utilibus adminicula; bono tamen delectu opus esse: sacram ante omnia Scripturam, linguis non solum originariis, sed & popularibus legendam: ex Poetis & Oratoribus, etiam ethnicis, Grammaticæ studium formandum, artium deinde & facultatum compendia & Syntagmata extare, Historiarum vero singularem utilitatem esse, ut Dei miranda opera & eventus humani cognoscantur; dolendum tamen, quod Germanicarum rerum monumenta paucissima extent. Epilogum addit, rogans, ne consilium suum, tanquam ab homine contemto & condemnato proficiscens despiciant. *Neque enim*, ait, *mea sed Germaniæ commoda quæro, immo etsi stultus sim, si quid tamen boni svadeo, cur non audiar? Audiri deberet etiam Turca, aut Paganus, si quid proponeret, quod proficuum esse posset. Sæpe ab insipienti rectum aliquod consilium datum fuit, Mosen socer Jethro docuit.*

(1) *Lutherus scholarum conservationem urget.*

ADDITIO.

Quæ Lutherus Principi ad epistolam ex *Tom. II. fol. 815.* allegatam, respondit, non integre in Tomos relata fuerunt, leguntur autem in Epistola ad *Johannem Fridericum* Ducem d. 17. Maji 1524. (*Arch. Vin. Reg. N. fol. 111. lit. H. n. 44.*) ubi sententiam suam hunc in modum explicat. Universale esse fœnebre illud malum, & charitati adversari; interim in privatorum arbitrio non esse, ut se quisque a debito liberet, aut vi cogi se ad præstandas usuras sinat, quod *Straussii* consilium erat. Creditorum potius conscientiæ relinquendum esse, an usuras exigere & recipere velint, modo ultra quatuor aut quinque pro centenis non sumant. Hanc quantitatem per se injustam esse non putat, sed injustam fieri perpetuitate perceptionis. Unde patet, contractus illo tempore, præsertim apud Ecclesiasticos, valde usitatos *emtionem nempe perpetui reditus*, a quo venditor sive debitor liberari absque emtoris vel creditoris voluntate non potest, unablößlicher Gült oder Zins-Kauff / Luthero potissimum displicuisse. Svadet tamen, ut amicis transactionibus usurarii excessus corrigantur quovis æquo modo, & ut census ad rationem vigesimæ vel vigesimæ quintæ partis mutui reduceretur. Secutæ sunt post aliquot annos cum consensu Ordinum provinciæ constitutiones publicæ, in quibus usuræ vicesimæ, ut legitimæ probatæ sunt. Toleratæ tamen diu & ad nostra usque tempora fuerunt majores, nempe sex pro centum, favore fisci Ecclesiastici aut Principum; sed & hoc in Electoratu Saxonico ante aliquot annos correctum est.

Lutheri epistola de usuris.

SECT. 62.

Tantis in Germania ob tot Principes & Civitates, publice doctrinam & reformationem ejus amplectentes, præsidiis roboratus, superbior & audacior evasit Lutherus. Itaque vestem monachalem, qua huc usque usus erat, sibi amplius non convenire putabat, quod semper monastici aliquid oleret & repræsentaret, quem ille ordinem in maximum contemtum adducere nixus

Lutherus cucullum exuit.

An. 1524. *nixus erat. Apud Electorem igitur, mutationes externas cæteroquin non probantem, tandem effecit, ut cucullum exeundi veniam impetraret, & Doctoris veste, quam Dux ipse ei dedit, uteretur. Titulum etiam* Reverendi Patris *deposuit, qui ei hucusque publice in omnibus actibus dabatur, nullumque alium admisit quam* D. Martini Lutheri, *& hunc ad mortem usque retinuit.* An. 1524.

Bucholcer. Indic.

§. CLXXIIX.

(1) *Causa, quæ Lutherum ad deponendum statum & vestem Monachi compulerunt.*

Verum quidem est, & sæpe notatum, Fridericum Electorem in mutationibus admittendis nimis cautum fuisse, neque id *Spalatinus* in *vita MSCa* dissimulat; non reperio tamen, quod restiterit Luthero, cucullum monasticum deponenti, nec quod Lutherus a Principe licentiam id faciendi postulaverit, cum suo potius arbitrio in his omnibus ageret. Refertur in compendiosa hujus anni 1524. actorum recensione, Tomis inserta *Tom. II. Alt. f. 864.* Electorem non quidem vestem, sed pannum Luthero misisse, & veluti jocantem ei significasse, conficere sibi ex eo curaret, quicunque placeret, habitum. Itaque d. 9. Octobr. (Dominica XX. post Trinit.) exuto cucullo Augustiniano, in illa comparuit veste, qua Prædicantes uti solent. Alium etiam quam *Doctoris* aut *Professoris* titulum gerere non potuit, cum alio non fungeretur munere: neque enim inter Canonicos erat, & Parochiæ oppidanæ *Joh. Bugenhagius* præfectus erat. Monastici vero habitus & Augustiniani cognominis mutandi necessitatem quandam sine dubio fecerat, quod fratres sui, cœnobitæ, jam omnes præter unicum Priorem, quem vocant, diffluxerant. Inde est, quod anno hoc (absque die) scripta *ad Spalatinum* epistola ita loquatur: *Ego sane jamdudum monasterio relicto alicubi me locassem, ut labore meo viverem (quanquam hic non sine labore meo vivo) nisi contumelia Evangelii atque adeo Principis me tenuisset, ne diceer expulsus, & lætificentur hostes pietatis, quod sperant. Neque enim mea mutatio posset sine magno rumore fieri; proinde ego nihil malim, quam ut sciam, an oporteat nos isto modo torqueri, an secus; quamvis frustra hoc opto, sed non ero molestus solicitando amplius, & Dominus providebit, quod facto opus sit.* Cum vero hoc ipso anno, conscientia sua impulsus, de vitæ genere mutando cogitaret, & reditus monastici jam olim tenues, nunc difficillimæ exactionis essent, in literis ad Electorem exposuit, se solum in monasterio remanere non posse, sed quæsiturum, ubi Deo favente alimenta inveniret. Itaque cum Priore de cœnobio Principi (novissimo, ut ait, hæredi) tradendo convenisse, rogare autem, ut conniveret Elector, vel secreta quadam ratione permitteret (scire enim se, cur id aperte non sit facturus) quo areæ cujusdam ad cœnobium spectantis venditio, sibi aut Priori permitteretur; subsidio isto hunc tanto digniorem & egentiorem esse, quia a patrimonio in Trevirensi ditione odio religionis arceretur. Vide *Tom. II. Alt. f. 854.* Ex quo apparet, quam alienus ab omni opum & bonorum cupidine, & de sua sustentatione incuriosus fuerit Lutherus, qui nec Prioris munus in cœnobio unquam affectasset, & tantillo munusculo, nec sibi sed sodali conferendo, contentus esset, nihil a Principe sibi petens aut pactus. Simile monasterii deserti & Principi traditi exemplum anno prætterito Hertzbergæ in oppido Wittenbergæ vicino acciderat, de quo Lutherus epistola ad Spalatinum *Lib. II. p. 110.* mentem suam paucis explicavit: *scire se Principem nihil accepturum esse ex bonis monasterii, decere tamen, ut desertum Quæstoris curæ committat, monachis autem abeuntibus concedat, ut adhibitis duobus bonis & fidelibus viris anathemata* (donaria sive cimelia sacrarii) *inter se partirentur, & ad conjugia vel artificium* (mechanicum) *impenderent, ex quo alerentur; Sic enim res illa* (addit) *quæ per impietatem partæ sunt, in pietatem vertentur, nec melius mihi locari posse videntur.* Idem non multo post svaserat, *ut pauperibus sacrificulis* (vicariis puto Wittenbergensibus) *ex prioribus censibus assignaretur, unde viverent, quia aliam* (ut ait) *artem non didicerunt, & ignorantes in abominationes istas lapsi sunt Lib. II. p. 219. b.* Nihil ergo minus spectavit Lutherus, quam ut Principes ex bonis Ecclesiasticis ditescerent, & cum jam tum quosdam circa eam rem abusus ex literis *Hessi*, Uratislavia ad se scribentis, perciperet, respondit, *nihil mirum, si Principes in Evangelio sua quærant; & raptores novi raptoribus veteribus insidientur. Lux orta est, qua videmus, quid sit mundus, nempe regnum Satanæ. Sic & Paulus queritur, omnes quærere quæ sua sunt. Porro hæc ipsa nos animare debent, quod omnia respondeant priscis exemplis Evangelii Lib. II. Ep. p. 234.* Acrius etiam apud Spalatinum expostulavit mense Decembri hoc anno, cum nescio quid adversi *D. Justo Jonæ*, Præposito Wittenbergensi, ab aula instaret, & Canonicorum duorum aut trium veteri superstitioni & reditibus consuleretur. Exprobrat enim ingratitudinem, quod non agnosceretur in aulis, per Evangelii doctrinam & animabus consultum esse, & substantiam mundi non parvam ad marsupium Principis redire, unde scilicet haberent, quod ad pios usus impenderent. Vide *Lib. II. epist. p. 246.*

(2) *Ejus Epistola de aliis monachis.*

(3) *Item contra rapinas bonorum Eccles.*

SECT. 63.

(1) Erasmus Lutherum refutat.

Sed gaudium quod ex hoc rerum suarum statu ceperat, dum se caput formidabilis adversus Ecclesiam Romanam, quam capitali odio prosequebatur, factionis esse cerneret, multa amaritudine hoc ipso tempore mixtum expertus est; magnumque dolorem concepit, cum se vehementer impugnari cerneret ab amico, qui ab initio rebellionis suæ omnium utilissime ei adstiterat, & ob eruditionem, eloquentiam, magnamque apud omnes toto orbe literatos & Proceres famam, maxime nocere poterat. Erat hic celebris ille Erasmus Roterodamus, *qui ab Anglia Rege, a quo multum æstimabatur, rogatus, Lutherum in capitali, ut ipse bona fide asserit, doctrina suæ articulo aggressus est. Hoc enim anno Erasmus doctum & eloquentem*

An. 1524.

tractatum de libero arbitrio *edidit, quod Lutherus simpliciter eripere hominibus, maxime in rebus ad salutem pertinentibus, nitebatur, specioso sub prætextu extollendi gratiam Jesu Christi, & superbiam humanam deprimendi, dum omnia Deo, nihil prorsus liberæ cooperationi voluntatis nostræ tribueret. Statim ab initio hujus tractatus monet Erasmus, de Scripturis non esse controversiam, cum utraque pars dicat, eas se sequi, sed de vero Scripturæ sensu quæri, a qua parte ille stet. Inde longo ordine dicta Scripturæ profert, quibus liberum arbitrium optime asserit, porro Patres Græcos & Latinos, ut & Concilia allegat, quæ hunc sensum accipiendum esse statuerunt. Posthæc totum orbem alloquitur, & quid magis congruum sit, quærit, nempe ut in hac lite Conciliorum & tot maximorum Sanctorum & illuminatorum virorum judicium respiciatur, an eo rejecto, Martino Luthero assentiendum sit, qui neminem pro se habeat, quam Johannem Wiclefum & Laurentium Vallam, & tamen supremus judex esse velit circa sensum; omnibus dictis illis attribuendum. Hæsit diu Lutherus, antequam responderet, sive quod congredi cum homine nollet, cujus ingenium & autoritatem formidabat; sive quod tractatus iste Latine scriptus apud populum & Nobilitatem parum valere videbatur, satiusque foret, ut neglectus in oblivionem caderet, quam suo responso magis innotesceret. Cum vero eum ab adversario suo gravissimo, Hieronymo Emsero, Germanice versum videret, omniumque hominum manibus teri, respondere demum statuit, idque præstitit magno satis libro, cui titulum fecit*, de servo arbitrio adversus liberum arbitrium ab Erasmo defensum. *In hoc autem libro clare dicit, * quod homo, quicquid boni vel mali agit, per necessitatem agat, quodque nullum habeat liberum arbitrium, sed servus sit voluntatis aut Satanæ per concupiscentiam, aut Dei per gratiam, quæ necessitate insuperabili in homine operetur, quodque hic nullam libertatem habeat, ut nollet bonum, quod illa necessario vult eum velle, licet velit sine coactione & sine violentia. Scio eum adjicere, quod voluntas hominis recipiat saltem bonum, quod Deus in illa solus operetur, nihilque ex se ad id præstet; idem tamen dicere hoc modo vult, nempe quod solus Deus determinet voluntatem ad volendum, quodque hæc nullam libertatem determinandi habeat, velitne an nolit. Nam illico atque Deus operatur volitionem in voluntate, certum est, quod voluntas velit, idque sine coactione, ut Lutherus formaliter dicit. Quemadmodum enim globus nequit recipere motum, quin moveatur, nec ferrum calorem recipiens non calescit: ita nec voluntas recipere potest gratiam volendi, quin effective velit bonum, quod gratia vult velle. Itaque hæresis Lutheri non consistit in eo, quod negat voluntatem agere, ait enim positive, quod velit sine coactione & violentia; sed consistit præcise in hoc, quod agat per necessitatem immutabilem, ita ut non possit non velle. Quicunque igitur pertinaciter statuit, quod gratia Jesu Christi cogat voluntatem ad bonum id, quod eam velle facit, ita ut non possit non velle, ille est ingenuus Lutheranus. Ceterum nihil magis in hoc libro Lutheri stupendum est, quam quod Erasmo objicienti quasi Wiclefum saltem & Vallam in partibus habeat, audaciter regerit, injuste Augustinum præteriri. † Sanctus enim Augustinus, ait, de quo loqueris, totus pro me est in hac quæstione. Interim evidentissimum est, quod nihil clarius aut frequentius in operibus Sancti hujus Doctoris exprimatur, quam liberum arbitrium hominis, cum gratia quæ id perficit, facultatem ei concedens bona facere per se, nec auferens eam, quam habet, ut mala faceret per seipsum. Sed hoc, si fas est ita loqui, fatale est S. Augustino, ut ad Scripturæ exemplum falsis interpretationibus & illusionibus hæreticorum expositus sit; ita ut ipse Lutherus, qui ex Ecclesiæ rebellantibus omnium minime æstimat autoritatem Patrum, sed eos sæpe indignissime tractat, nihilominus de assensu ejus glorietur. Sed id non jactat de Erasmo; cum enim hic quereretur, esse qui sibi imputarent quasi cum Luthero in hoc articulo consentiret, lepide respondit: magnam Erasmo injuriam fieri, & se quoque eum ab hac inimicorum calumnia defensurum, semperque testaturum esse, Erasmum nullo modo Lutheranum, sed tantum Erasmum esse, id est, hominem, qui omnia tam incerte & ambigue, sæpe etiam minime serio in causis religionis dicat, ut ægre sciri possit, quid sentiat.*

(2) Lutherus respondet.

(3) Digressio Maimburgii de disputatione circa liberum arbitrium.

Erasmi diatribe de lib. arbitrio.

Hic de Scripturis non est controversia, utraque pars eandem Scripturam amplectitur & veneratur; de sensu Scripturæ pugna est.

Cochlæus. Luth. de servo arbitrio t. 2.

† Augustinus quem prateris, meus totus est. Luth. de servo arb. t. 2. f. 432. Quomodo trahit, si dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed pauci id intellectu comprehendere valent. Aug. cont. Petil. t. 2.

Cum sit, ut nimis certo & fideli teste, nullo modo Lutheranus, sed Erasmus tantum. Luther. ep. ad Nicol. Amsdorff. t. 2.

* *Quicquid fit a nobis non libero arbitrio sed mera necessitate fieri. In rebus quæ pertinent ad salutem vel damnationem non habet liberum arbitrium, sed captivus subjectus & servus est vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ, ut nec hic sit ulla libertas, vel liberum arbitrium alio sese vertendi, aut alio volendi, donec durat spiritus & gratia Dei in homine* &c. *Necessitate dico non coacte. Necessitate immutabilitatis non coactionis. Mera lubentia & pronitate ac sponte sua vult & facit, non coacte, ut nullis contrariis mutari in aliud possit. Pergit volendo & lubendo & amando bonum.*

§. CLXXIX.

(1) *Indicatur scopus Maimburgii.*

Prolixa hæc digressio ore Lutherum petit, cauda illos ferire videtur, qui *Augustinum* omnibus pene paginis allegantes Jesuitarum dogmata *de gratia*, dein totam disciplinam exagitarunt, *Jansenistarum* nomine celebres & odiosi. Istam controversiam ut hic describam, vel subtilitates Scholæ, quas vix capio, Maimburgii exemplo exponam, nulla svadet ratio. Examinabo potius, quæ de Erasmo & Luthero tradit hic noster, sublestæ partim fidei, aut mutila. Falsum est, quod Erasmus dicitur Luthero ab initio rebellionis (ita pro humani-

An. 1524.

manitate sua loquitur noster) utilissime adstitisse. Non negavero equidem, veritatem in doctrina Lutheri *Erasmum* magna ex parte deprehendisse, sed tam callide versatus est, ut nullum ab illo rebus Lutheri emolumentum accedere potuerit, nisi forte apud Fridericum Electorem qualiscunque ejus approbatio, ut supra dictum fuit, aliquid valuit, quod Erasmus non male de Luthero sentire videbatur, idque ipse jam anno 1519. in epistola ad *Melanchthonem* jactaverat, *Lib. V. ep. 38.* Alibi vero affectata illa & subdola Erasmi moderatio doctissimis plurimis viris effugia suppeditavit, quibus freti, defectus & errores, quos Lutherus vehementer & aperte taxabat, pro talibus habebant qui ferri possent. Utilem sibi Erasmum fuisse non uno loco fatetur & prædicat Lutherus, sed non alia de causa, quam quod linguarum studium commendabile & gratum fecisset, & quod ad Scripturæ & Patrum Ecclesiasticorum lectionem multos invitaverit, qui in tricis & nugis scholasticis ætatem huc usque consumserant, monachorum vero inscitiam & pravos mores etiam ante Lutherum ita taxaverat, ut hujus censuræ non multo acriores esse viderentur. Interim verum est, optasse Lutherum & ab Erasmo hoc ipso anno 1524. (vide *Lib. II. Epistolar. p. 195.*) contendisse, *ut spectator*, ut loquitur, *tragœdiæ esse velit, nec copias suas cum adversariis jungere*, id est, ne libellos contra se ederet, promisitque vicissim se adversus eum nihil scripturum esse. In hac ipsa epistola satis libere, quanquam amice, de studiis & moribus Erasmi judicat; ait enim: *Videmus nondum tibi esse a Domino datam eam fortitudinem vel sensum, ut monstris illis nostris libens ac fidenter occurras nobiscum; nos non sumus qui a te exigere audemus id, quod vires & modum tuum superat.* Sed majorem vim habebant quibus ad scribendum impellebatur: Neque enim eum Angliæ Rex solum, Maimburgio memoratus, rerum ipse Pontifex *Adrianus*, in literis Cal. Dec. 1523. datis (Vid. *Lib. XXIII. epist. Erasmi ep. 3.*) omni argumentorum acie aggressus est. Asseverat quidem, *nullam hæreseos suspicionem sibi adversus illum esse*, purgandi tamen ejus apud alios causa in certamen prodire non tam jubet, quam rogat, mire palpans hominem, cui *magnam vim ingenii, scribendi promtitudinem, quanta*, ut ait, *nostra memoria paucissimis aliis, immo nulli contigerit*, aliaque elogia tribuit, addens, *se alienum esse a rigore, qui per censuras & leges imperiales exercebatur.* Tantam vero spem in Erasmi eruditione ad convincendos, quos vocat, hæreticos se ponere profitetur, ut major esse non possit. Invitat denique eum, *ut Romam ipse veniat, quam primum pestilens tunc aer purgatus fuerit.* Repetit idem iterata epistola d. 23. Jan. anno 1523. & jam cessasse pestis contagionem nunciat *Lib. XXIII. ep. 4.* At *Erasmus* his blanditiis, & iis quæ *Card. Campegius* aliique scripserant (tunc quidem) immotus, Pontifici ita respondit (*Lib. XVIII. ep. 20.*) ut ætatem, valetudinem, invidiam monachorum, & suspicionem hæreseos sibi immerenti impactam obstare dicat, quo minus scribat: queritur inde aut jactat, quod nunc tot viri insignes Luthero faventes sibi succenseant, quia in easdem non transgrederetur partes. Arcani etiam aliquid, quod revelari nolit, subindicat, quo Pontificias res multum juverit, cum in sua, ut scribit, potestate fuisset, magnam tragœdiam excitare. Lutheranismi propagationem & potentiam exaggerat. *Late* (ait) *patet Germania & abundat excellentibus ingeniis, nec hanc tamen solam habet hic affectus: non ausim scribere, in quam multis regionibus, quam penitus popularibus animis* (sic temperat, quæ de excellentibus ingeniis dixerat) *infixus sit Lutheri favor, & odium Pontificii nominis.* Laudat Adriani moderationem, dolens, quod eandem alii non servent, qui frustra sperent, malum sectione & ustione curari posse. Ita olim in Anglia Wicleficam factionem oppressam verius quam extinctam fuisse. Difficilius in Germania vim tentari, in tot Principes dissecta. Mortuo inter hæc *Adriano*, ad quem an responsum istud pervenerit, compertum non habeo, (imperfecta enim epistola, & fortasse omnino transmissa non est) propinquiores stimulos ab Anglia admotos Erasmus sensit, opera *Cutberti Tonstalli* Episcopi Londinensis, cujus literæ Non. Julii 1523. scriptæ *Lib. XXII. ep. 22.* extant. Pensionum jacturam, quibus in Anglia fruebatur, Erasmum, nisi scriberet, metuisse, non est vero absimile. Invitus itaque & renitens, nec sine timore acris, quam prævidebat, refutationis, diatribem illam suam extrusit. Ita enim pridie Non. Septembr. 1524. ad *Tonstallum* scribit: *Exiit libellus de libero arbitrio, modestissime quidem ille scriptus, sed qui gravissimos tumultus sit excitaturus.* Et ad Regem sequenti die, idem referens, addit: *expecto lapidationem.* Ad *Thomam Volsejum*, Archiepiscopum Eboracensem, *audax* vocat facinus suum; dein causam aperit, cur nemini scriptum suum dedicaverit, quanquam id huic ipsi Cardinali destinasset, *Lib. XIX. ep. 1.* evitare scilicet voluisse, ne conductum se esse clamarent Lutherani. Iisdem Non. Sept. ad *Melanchthonem* prolixam scribit epistolam quæ *Lib. XIX. ep. 113.* est, in qua de moribus eorum qui se Evangelicos vocabant, queritur, suamque moderationem jactat, propter quam tamen invidiam maximam sustineat, Aleandri potissimum calumniis Romæ traductus; tandem causas cur adversus Lutherum scripserit his exponit verbis: *Miraberis cur emiserim libellum de libero arbitrio. Sustinebam triplex agmen inimicorum: Theologi & bonarum literarum osores nullum non movebant lapidem ut perderent Erasmum, tum quod attacti essent libris meis, tum quod collegium illud florentissimum invexerim Lovanium, eamque regionem totam infecerim linguis & bonis literis; sic enim loquuntur. Hi monachis omnibus persuaserant, me junctissimum esse Luthero. Itaque amici videntes me periclitari, spem prabuere Pontifici & Principibus, fore ut aliquid ederem in Lutherum. Eam spem & ipse pro tempore alui. Et interim isti non expectato libello cœperant me libellis lacessere. Nihil igitur restabat, nisi ut ederem quod scripseram, alioqui & monarchas habuissem infensos, quibus visus fuissem dedisse verba, & isti tumultuosi clamassent me metu premere, & atrocius aliquid expectantes impotentius sævissent. Postremo, quoniam epistola Lutheri jam est in manibus, qua pollicetur se cohibiturum calamum in me, si conquiescam, viderer ex pacto non edere. Ad hæc qui Roma profiten-*

(2) *De mente Erasmi in causa Lutheri.*

(3) *Pontifex Erasmum stimulat in Lutherum.*

(4) *Erasmi excusatio apud Pontificem.*

(5) *Ab Anglia movetur.*

(6) *Epistola ejus ad Melanchthonem.*

An. 1524.

An. 1524. *fitentur literas ethnicas, ipsi ἐθνικώτεροι, mire fremunt in me, invidentes ut apparet Germaniæ. Itaque si nihil edidissem, præbuissem ansam & Theologis & monachis & illis Romanensibus figulis, quorum Alpha, ni fallor, est N.* (*Aleandrum* forte intelligit) *ut facilius persvaderent Pontificibus ac Monarchis quod persvadere conabantur; Postremo, hos furiosos Evangelicos habuissem iniquiores: nam ipse rem tractavi modestissime. Et tamen quod scribo, non scribo adversus animi sententiam; quanquam ab hac quoque libenter discessurus, ubi persuadebitur quod rectius est.* Respondit ad hæc Melanchthon pridie Id. Octobr. (Vide *Lib. XIX. Erasmi epistolar. ep. 2.* & *Melanchth. Lib. III. ep. 65. edit. Lond.*) & postquam Erasmum ex moribus de doctrina judicantem reprehendisset, & Lutherum ipsum deplorare dixisset, quod privatis cupiditatibus *religionis* vocabulum etiam ab iis prætexeretur, qui cum pharisaico Pontificis regno bellum gerere videri vellent; diatriben Erasmi æquissimis animis Wittenbergæ acceptam esse refert: tametsi alicubi nigrum salem adsperserit. Tyrannidem enim fore, si quisquam vetetur in Ecclesia sententiam de religione dicere, debere id esse omnibus liberrimum, dummodo ne privati affectus admisceantur. Lutherum non esse tam irritabilem ut nihil devorare possit. Polliceri proinde se in respondendo pari usurum esse moderatione. Multis, addit, profuturum esse, si locus de libero arbitrio diligenter excutiatur, sacras tamen literas Lutheri sententiæ suffragari innuit, & Erasmum ab oppugnatione vehementiori dehortatur. Læta fuerunt Erasmo, quæ de moderatione styli adversum se intelligebat, eaque apud alios jactavit. Vide epistolam ad *Ludov. Vivem Lib. XVII. ep. 36.* Sed *Melanchthoni* paulo animosius respondit d. 4. Id. Decembr. *Lib. XIX. ep. 3.* Nam Lutheri vehementiam valde improbat, multa etiam in doctrina ejus sibi displicere profitetur; non negat tamen corruptos Christianorum mores immitem requisivisse castigatorem; sed scopo suo insistit, ut temperata libertate Pontifices & Monarchæ ad reformationem invitarentur, utque Sacerdotum religio ita restitueretur, ut nihil decederet autoritati. Non audet quidem Luthero imputare, quæ ex doctrina ejus crude ab aliis proferebantur, sed foveri tamen hos ab iis quos Lutherus pro Evangelicæ doctrinæ proceribus habeat, & de iniquo ejus in se animo, cum aliquo contemtu loquitur, monens Melanchthonem, ut illum respondere diatribæ patiatur suo more: ardens nempe & vehemens esse ingenium ejus, & Pelidæ stomachum, cedere nescii, ubique in eo agnosci. Nigros tamen sales a Melanchthone notatos ad alios trahit, & omnino moderate scripsisse, & sine affectu causam egisse videri vult. Quamvis etiam Lutherus in literis (supra allegatis) existimet, omnino nihil esse momenti, sive adsit ei Erasmus sive adversetur, pollicetur tamen se nunquam scientem arma adversus Evangelicam veritatem sumturum, ideo veritum esse etiam illa labefactare, quæ in Luthero displicuerint, ne simul ruerent alia probata. Quin immo id per omnem occasionem moliri, ut ex amaro violentoque pharmaco, quod Lutherus mundo, ut ait, porrexerit, nascatur aliquid bonæ sanitatis in moribus Ecclesiæ. Addit multa de dissensionibus inter Evangelii doctores.

(7) *Melanchthonis responsum.*

(8) *Erasmus replicat.*

Sed sufficiant hæc, quanquam plurima relatu non indigna supersint, de *Erasmi* adversus Lutherum scribentis vel mente vel simulatione. Ingenue sane apud alios fassus est, *se dum Diatriben scriberet in sua arena non esse versatum.* Vide epistolam ad Johannem Episcopum Roffensem, *Lib. XIIX. ep. 47.* & ad Hezium Pontificis Secretarium *ep 48.* Immo Ludovico Vivi *Lib. XIX. ep. 22.* candide aperit, *se perdidisse, dum de libero arbitrio scriberet, liberum arbitrium; aliud sibi animum dictasse, aliud scripsisse calamum.* Patet hinc fluctuans viri animus, ita ut laus quam Maimburgius hic illi tribuit, ob alia omnia ei potius quam ob hanc scriptionem debeatur. *Lutherum* quod attinet, non dissimulavit ille apud amicos conceptum ex libello Erasmiano dolorem, non abjecta tamen autoris æstimatione; Ad Spalatinum enim d. 4. Nov. 1524. scribit *Lib. II. epist. p. 238. Incredibile est, quam fastidiam libellum de libero arbitrio, nec dum ultra duos quaterniones legi, molestum est tam erudito libello respondere tam eruditi viri.* Et mense Nov. hoc anno 1524. ad Hausmannum scribens, *Erasmo se responsurum esse* promittit, *non propter ipsum, sed propter eos, qui autoritate ejus abutuntur in gloriam suam contra Christum.* Responsum tamen non nisi mense Decembri anno 1525. prodiit, libello, qui titulum habet, *de Servo arbitrio,* Vide *Tom. II. Lat. Witteb. f. 457. Tom. III. Jen. f. 165.*

(9) *Lutherus invitus respondet.*

An. 1524.

ADDITIO.

(a) *Erasmi ad Lutherum literæ.*

Responsum *Erasmi* Basileæ d. 5. Maji datum ad Lutheri epistolam supra *n. 2.* memoratam, in Volumen Epistolarum ejus relatum non invenitur, extat autem *MS.* cum in *Archivis*, tum in *Bibliotheca Jenensi* & alibi. Plena est querelis adversus abusum Evangelii. Excusat etiam, quam ei Lutherus objecerat, timiditatem, ita ut ab initio statim dicat: *Nec tibi concedo, ut magis ex animo cupias Evangelicæ sinceritati, quam ego, cujus rei gratia nihil non perpetior, & hactenus omnem venor occasionem, ut Evangelium fiat omnibus commune.* Dicit etiam *se rectius consuluisse negotio Evangelico, quam multi, qui se jactent Evangelii nomine.* De Lutheri doctrina ambigue loquitur: *Valde,* ait, *pertimesco, ne qua arte deludat Satanas animum tuum; Rursus alia sic non sapiunt, ut velim hunc metum meum esse falsum.* Hærere se dubium palam fatetur: *Nolim* (ait) *profiteri quod ipse mihi nondum persvasi, multo minus, quod nondum assequor: metuo ne pessum eant bonæ literæ & disciplina.* Ad ea vero, quæ Lutherus petierat, ut a scriptione contra se abstineret, hæc respondet: *Nihil adhuc contra te scripsi, facturus id magno Principum applausu, nisi vidissem, hoc absque jactura Evangelii non futurum. Tantum eos repuli, qui conabantur omnibus Principibus persvadere, mihi tecum fœdus esse, & mihi tecum per omnia convenire, & in libris meis esse, quicquid tu doceres. Hæc opinio vix etiam nunc revelli potest ex illorum animis. Quid scribas in me, non magnopere laboro, si mundum spectem, nihil mihi posset accidere felicius. Cupio hanc animam puram reddere Christo, & in hoc affectu velim omnes esse. Si paratus es omnibus reddere rationem de ea, quæ in te est, fide, cur ægre feras, si quis discendi gratia tecum disputet? Fortasse Erasmus scribens in te, magis profuerit Evangelio, quam quidam stolidi scribentes pro te, per quos non licet esse spectatorem istius tragœdiæ, quæ utinam non habeat tragicum exitum.* Sic tecte subindicat se omnino scripturum esse, ut & non multo post fecit. Reliqua epistolæ pars atroces in *Huttenum* habet imputationes, quia Lutherus *Spongiam* in eum Erasmi ut justo acriorem taxaverat. Antiquum hic quoque obti-

An. 1524.

(b) *Nota ad objectionem vulgatam de pravis Evangelicorum moribus.*

obtinuit Erasmus, ut ob morum defectum doctrinam aversaretur, aut excusationem suæ quæreret tergiversationi. Idem & hodie faciunt, qui eandem cantilenam continuo repetunt, & Luthero nostrisque cœtibus exigunt, quæ nec Christus nec Apostoli præstiterunt aut promiserunt. Quis enim nescit, divina illorum eloquia & stupenda miracula apud maximam tamen hominum partem etiam ad externam Christianorum societatem aggregatam non effecisse, ut ad veræ pietatis exercitium, multo minus perfectionem perveniret, omnium vero minime hoc præstiterunt, quos pro terrestribus Diis & infallibilibus Ecclesiæ Principibus nostri illi censores habent.

§. CLXXX.

(i) *Ex libro Lutheri contra Erasmum quædam.*

Non pigebit ex prologo & epilogo quædam hic exhibere, ex quibus animus & stylus scribentis agnoscatur. Inscribit autem adversario ipsi librum hac honorifica præfatione: *Venerabili Viro, Domino Erasmo Roterodamo, Martinus Luther gratiam & pacem in Christo.* Inde sic exorditur: *Quod tardius diatribæ tuæ de libero arbitrio respondeo, venerabilis Erasme, præter spem omnium, præterque morem meum accidit, qui hactenus ejusmodi occasiones scribendi non solum libenter apprehendisse, sed ultro etiam quæsiisse visus sum. Mirabitur forte quispiam novam illam & insolitam vel patientiam vel formidinem Lutheri, quem nec tot jactatæ voces & literæ adversariorum excitarunt, Erasmo victoriam congratulantes, & Io! Pæan! cantantes. Scilicet Maccabæus ille & pervicacissimus assertor invenit tandem dignum antagonistam, contra quem hiscere non audet. Verum illos non modo non accuso, sed ipsemet tibi palmam concedo, qualem nulli antea concessi, non solum, quod viribus eloquentiæ & ingenio me longissime superas, qualem nos omnes merito tibi concedimus, quanto magis ego barbarus in barbarie semper versatus, sed quod & spiritum meum & impetum remoratus es, & languidum ante pugnam reddidisti, idque duabus rationibus. Primum arte, quod mirabili scilicet & perpetua modestia causam hanc agis, qua mihi obstitisti, ne possem in te accendi. Deinde fortuna vel casu vel fato, quod in tanta re nihil dicis, quod non sit dictum prius, atque adeo minus dicis, & plus tribuis libero arbitrio, quam hactenus Sophistæ dixerunt & tribuerunt: (de quo latius dicam infra) ut etiam supervacaneum videretur respondere istis argumentis tuis, antea a me quoque toties confutatis, conculcatis vero & prorsus protritis per Phil. Melanchthonis de locis Theologicis invictum libellum, meo judicio non solum immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum, cui tuus libellus comparatus ita mihi sorduit ac viluit, ut tibi vehementer compaterer, qui pulcherrimam tuam & ingeniosam dictionem in istis sordibus pollueres, ac materiæ indignissimæ indignarer, quæ tam pretiosis eloquentiæ ornamentis veheretur, tanquam si quisquiliæ vel stercora aureis argenteisque vasis portarentur. Id quod tu ipse quoque persensisse videris, qui tam difficilis fuisti ad hoc scriptionis munus obeundum; nempe quod conscientia tua te monuit, fore, ut quantislibet eloquentiæ viribus rem tentares, non posse tamen mihi fucum fieri, quin feces ipsas, semotis verborum lenociniis perspicerem, qui et si sermone sum imperitus, rerum tamen scientia non sum imperitus, gratia Dei.* Et post alia: *Itaque nec multitudine negotiorum, nec rei difficultate nec magnitudine eloquentiæ tuæ, nec timore tui, sed mero tædio, indignatione & contemtu, seu (ut dicam) judicio meo de tua diatribe impeditus est mihi impetus respondendi. Ut illud interim taceam, quod tui perpetuo similis satis pertinaciter observas, ne non ubique lubricus & flexiloquus sis, ac Ulysse cautior, inter Scyllam & Charybdim tibi videris navigare, dum nihil vis assertum, rursus tamen assertor videri: cum quo genere hominum, quid rogo, potest conferri aut componi, nisi quis Protei capiendi peritus fuerit; in qua re quid possim, & quid ea tibi profuerit, postea ostendam cooperante Christo.* Incitatum se addit, *a fidelibus in Christo fratribus fuisse, quia Erasmi autoritas contemnenda non sit, & doctrinæ veritas in multorum cordibus periclitetur, ut ne amplius cunctaretur respondere, immo silentium suum hucusque servatum non satis pium sed a carnis prudentia vel malitia sibi illusum fuisse agnoscit; jam vero officii memorem esse, quo debitor sit sapientibus & insipientibus. Quamvis enim*, inquit, *res nostra talis est, quæ externo doctore non est contenta, sed præter eum qui plantat & rigat foris, etiam desideret Spiritum Dei, qui incrementum det, & vivus viva doceat intus (quæ cogitatio mihi imposuit) tamen cum liber sit ille Spiritus, ac spiret, non ubi nos volumus, sed ubi ipse vult, servanda fuerat regula illa Pauli, insta opportune, importune, non enim scimus, qua hora dominus venturus sit.* Optat porro & Deum precatur, ut ipse, miserum licet & fragile vasculum, lucrifacere Erasmum Christo possit, stylum etiam (qui tamen in hoc tractatu satis nitidus apparet) excusat, & rogat, ut sicut ipse ferat ejus in his rebus ignorantiam, ita ille suam ferat infantiam; *non uni*, scribit, *dat cuncta Deus, nec omnia possumus omnes, seu, ut Paulus ait, sunt distributiones donorum, idem autem Spiritus.* Epilogus vero hic est fol. 137. *Te nunc, mi Erasme, per Christum oro, ut, quod promisisti, tandem præstes: promisisti autem, velle te cedere meliora docenti. Pone respectum personarum. Fateor, tu magnus es, & multis iisque nobilissimis dotibus a Deo ornatus, ut alia taceam, ingenio, eruditione, facundia usque ad miraculum. Ego vero nihil habeo, & sum, nisi quod Christianum esse me prope glorier. Deinde & hoc in te vehementer laudo & prædico, quod solus præ omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est, summam causæ, nec me fatigaris alienis illis causis de Papatu, de purgatorio, indulgentiis, ac similibus nugis potius quam causis, in quibus me hactenus omnes fere venati sunt frustra. Unus tu & solus cardinem rerum vidisti, & ipsum jugulum petiisti, pro quo ex animo gratias tibi ago: in hac enim causa libentius versor, quantum favet tempus & ocium. Si hoc fecissent, qui me hactenus invaserunt, si adhuc illi facerent, qui modo novos spiritus, novas revelationes jactant, minus seditionis & sectarum, & plus pacis & concordiæ haberemus. Sed Deus ita per Satanam nostram ingratitudinem vindicavit. Quanquam nisi aliter causam istam agere potes, quam hac Diatribe egisti, optarim magnopere, ut tuo dono contentus literas & linguas, sicut hactenus cum magno fructu & laude fecisti, coleres, ornares, proveheres, quo studio nonnihil & mihi servivisti, ut multum tibi me debere fatear: & certe in ea re te veneror & suspicio sincero animo.*

An. 1524.

mo. Huic nostra causa ut par esses, nondum voluit nec dedit Deus: id quod rogo, nulla dictum arrogantia existimes. Oro autem, ut propediem Dominus tantum te in hac re superiorem me faciat, quantum in aliis omnibus mihi superior es. Non enim est novum, si Deus Moysem per Jethro erudiat, & Paulum per Ananiam doceat. Nam quod tu dicis, procul esse aberratum a scopo, si tu Christum ignores, arbitror te ipsum videre, quale sit. Neque enim ideo omnes errabunt, si tu aut ego erramus. Deus est, qui mirabilis in suis sanctis prædicatur, ut sanctos putemus, qui longissime sint a sanctitate. Neque difficile est, ut homo cum sis, Scripturas aut Patrum dicta, quibus duceris te credis scopum tenere, neque recte intelligas, neque diligenter satis observes, quod satis monet illud, quod nihil asserere, sed contulisse te scribis. Sic non scribit, qui rem penitus perspicit, & recte intelligit. Ego vero hoc libro non contuli, sed asserui & assero, ac penes nullum volo esse judicium, sed omnibus svadeo, ut præstent obsequium. Dominus vero cujus est hac causa, illuminet te, & faciat vasculum in honorem & gloriam, Amen.

(2) *Erasmi replica & querela.*

Quamvis autem, quæ alicubi in ipso tractatu paulo acriora adversus Erasmum inspersit, emollita exordio hoc & epilogo Lutheri videri potuerint, nec Erasmus nigris, ut ipse loquitur, salibus abstinuerit, vehementer tamen lecto hoc Lutheri responso exarsit, & intra duodecim dies defensionis suæ sive *Hyperaspistæ* (ut vocavit) partem primam deproperavit, ut in epistola ad Episcopum Lingonensem mense Martio 1526. data, refert. Eodem vero tempore ad Reginaldum Polum scribens, *invitum se & pacis ac quietis amantissimum, nunc cogi* queritur *retiarium esse, immo*, ut parum modeste pungit, θεομαχεῖν. Alteram *Hyperaspista* partem anno 1527. edidit, & Georgio Saxoniæ Duci mense Septembri misit. Fatetur autem alicubi se a neutra parte scripto suo gratiam iniisse.

ADDITIO.

Erasmi ad Electorem epistola.

Extat Erasmi autographon ad *Johannem* Elect. Sax. (*Arch. Vin. Reg. N. fol. 109. lit. H. n. 42.*) d. 2. Mart. datum, in quo incredibilem bilem adversus Lutherum, a quo famam suam capitalibus mendaciis læsam esse queritur, effundit, & animadverti in eum, aut saltem commonefieri petit, ne simili petulantia debacchetur. Irarum maximum stimulum habet, quod atheismi sive Epicureismi a Luthero insimulatus fuerit. Subscripsit illis Erasmus his verbis: *E. S. C. T.* (id est, *Electoralis Serenissimæ Celsitudinis Tuæ*) *addictissimum mancipium, Erasmus Roterodamus, mea manu subscripsi.* Non invenio communicatæ hæ literæ Erasmi cum Luthero fuerint, necne; extant tamen eodem fasciculo Lutheri literæ, quæ quadrare ad epistolam illam videntur, d. 23. Apr. datæ, Friderico Electori inscriptæ, qui anno 1525. obierat, nisi in inscriptione erratum sit. Scribit autem: *sibi & collegis* (loquitur enim pluraliter) *consultum non videri, ut Elector in causam hanc se ingerat, quippe Ecclesiasticam, in qua ille judex nec velit nec possit esse, & Erasmum decuisse, ut Electorem hac in re non molestaret. Præterea etsi causa esset politica, ab Erasmo ita tractandam esse, scriptis in universum Orbem publicatis, quæ majus judicium quam Principis alicujus requireret. Denique non esse justum, ut aliquis puniatur ex accusatione per epistolam, opus esse actione, exceptione, & aliis ad processum pertinentibus.*

§. CLXXXI.

(1) *De durioribus quibusdam Lutheri in libro contra Erasmum formulis admonitio.*

Materiam librorum eristicorum ipsam, ut jam professus sum, tractare supersedeo. Dissimulare tamen nolo, fuisse etiam post Lutheri obitum inter Theologos nostrates, quibus quædam in tractatu illo *de servo arbitrio* visa sunt illis, quæ Calvini de decretis divinis doctrinæ tribui solent, affinia, aut etiam horridiora, unde quidam tolerantiam dissensus in istis quæstionibus tanto impensius commendant. Alii Lutherum postea emendasse sententiam suam putant, præcipue *in commentario in Genesin*, & quæ constanter crederet, ex Augustana confessione post annos quinque exhibita, judicari debere monent. Prioribus illis qui concordiæ studio plus justo Luthero imputasse existimantur, insignis ex nostratibus Theologus Argentoratensis *D. Seb. Schmidius*, edito anno 1664. ipso Lutheri *de servo arbitrio* libello, additisque notis, occurrit, & genuinam Lutheri mentem explicavit; laudabili sane labore. Præmisit autem ante omnia excerpta quædam, quibus orthodoxia Lutheri probari potest. Cum vero ex istis quædam, sed imperfecte, nec satis sincere, margini libri sui adscripserit *Maimburgius*, paulo integriora hic apponi debere existimavi. *Pag.* 67. ed. Schmid. hæc habentur: *Alterum paradoxon: Quicquid fit a nobis, non arbitrio libero, sed mera necessitate fieri, breviter videamus, ne perniciosissimum dici patiamur. Hic sic dico: ubi id probatum fuerit, extra vires & consilia nostra in solius opere Dei pendere salutem nostram: (quod infra in corpore disputationis spero me evicturum) nonne clare sequitur, dum Deus opere suo in nobis non adest, omnia esse mala, quæ facimus, & nos necessario operari, quæ nihil ad salutem valent? Si enim non nos sed solus Deus operatur salutem in nobis, nihil ante opus ejus operamur salutare; velimus, nolimus.* Ad quæ Schmidius; *Hæc verba; velimus, nolimus, videri possunt dura, quasi homo aliquid salutare velle possit, sed non facere. Sed res facile tamen expediri poterit. Loquitur scilicet Beatus Vir non de velle bono, quod cum voluntate Dei convenit, sed de velle & conari malo seu hypocritico, quo plena est nostra corrupta natura; cujusmodi velle fuit Judæorum Rom. IX. 31. c. X. 2. nam ad legem justitiæ non pervenerunt nec zelus eorum fuit secundum scientiam. Et de hoc velle hominum loquitur Apostolus Rom. IX. 16. non est volentis nec currentis.* Sed pergentem audiamus Lutherum p. 68. *Necessario vero dico, non coacte, sed ut illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non coactionis; hoc est, homo cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, quemadmodum fur aut latro nolens ad pœnam ducitur; sed sponte & libenti voluntate facit. Verum hanc libentiam seu voluntatem faciendi non potest suis viribus omittere, coercere, aut mutare, sed pergit volendo & lubendo: etiamsi ad extra cogatur aliud facere per vim, tamen voluntas intus manet aversa, & indignatur cogenti aut resistenti. Non autem indignaretur, si mutaretur, ac volens vim sequeretur. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, id est, quod voluntas sese mutare & vertere alio non possit, sed potius irritetur magis ad volendum, dum ei resistitur, quod probat ejus indignatio. Hoc non fieret, si esset libera, vel haberet liberum arbitrium.* Et paulo post p. 69. *Facimus volentes & lubentes, pro natura voluntatis,*

(2) *D. Seb. Schmidii explicatio verborum Lutheri.*

An. 1524.

tis, quæ si cogeretur voluntas non esset, nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas. Quod vero hominem bestiis similem in negotio conversionis non faciat, clare patet ex aptitudine illa quam tribuit libero arbitrio *p. 72: Si vim liberi arbitrii eam diceremus, qua homo aptus est, rapi spiritu & imbui gratia Dei, ut qui sit creatus ad vitam vel mortem æternam, recte diceretur; hanc enim vim, hoc est, aptitudinem, seu, ut Sophistæ loquuntur, dispositivam qualitatem & passivam aptitudinem, & nos confitemur, quam non arboribus neque bestiis inditam esse, quis nesciat? neque enim pro anseribus, ut dicitur, cœlum creavit.* Adversus impudentissimam Manichæismi imputationem quod Deus mali autor sit, faciunt verba *p. 210. 211.* ubi videri potest *Schmidii* annotatio. it. *p. 212. 213. Quæritur fortassis, quomodo Deus mala in nobis dicatur operari, ut indurare, tradere desideriis, seducere & similia? Oportuit sane verbis Dei contentos esse, & simpliciter credere, quod dicunt, cum sint opera Dei prorsus inenarrabilia: tamen in obsequium rationis, id est stultitiæ humanæ, libet ineptire & stultescere, & balbutiendo tentare, si qua possimus eam movere. Primum, etiam ratio & Diatribe concedit, Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse. Est enim omnipotens, pertinetque id ad omnipotentiam suam, ut Paulus ait ad Eph. Jam Satan & homo lapsi & deserti a Deo, non possunt velle bonum, hoc est, ea quæ Deo placent, aut quæ Deus vult; sed sunt in sua desideria conversi perpetuo, ut non possint non quærere quæ sua sunt. Hæc igitur eorum voluntas & natura sic a Deo aversa, non est nihil. Neque enim Satan & impius homo nihil est, aut nullam naturam aut voluntatem habent, licet corruptam & aversam naturam habeant. Illud igitur reliquum quod dicimus naturæ in impio & Satana, ut creatura & opus Dei, non est minus subjectum omnipotentiæ & actioni divinæ, quam omnes aliæ creaturæ & opera Dei. Quando ergo Deus omnia in omnibus movet & agit, necessario movet etiam & agit in Satana & impio. Agit autem in illis taliter, quales illi sunt & quales invenit, hoc est, cum illi sint aversi & mali, & rapiantur motu illo divinæ omnipotentiæ, non nisi aversa & mala faciunt, tanquam si eques agat equum tripedem vel bipedem, agit quidem taliter, qualis equus est, hoc est, equus male incedit; sed quid faciat eques? equum talem simul agit cum equis sanis, illo male, istis bene, aliter non potest nisi equus sanetur. Hic vides Deum cum in malis & per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis utitur, quæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt evadere. Vitium ergo est in instrumentis, quæ otiosa Deus esse non sinit, quod mala fiunt, movente ipso Deo, non aliter quam si faber securi serrata & dentata male secaret. Hinc fit quod impius non possit non semper errare & peccare, quod raptu divinæ potentiæ motus ociari non sinitur, sed velit, cupiat, faciat, taliter qualis ipse est.* Et plura non minus notabilia. De universali denique Dei voluntate qua vult omnes homines salvos fieri, quid senserit Lutherus, dubitare nos non sinunt verba *p. 162. Si Deus non vult mortem, nostræ voluntati imputandum est, quod perimus. Recte inquam si de Deo prædicato dixeris. Nam ille vult omnes homines salvos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit, vitiumque est voluntatis, quæ non admittit eum, sicut dicit Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos & noluisti? Verum quare Majestas illa vitium hoc voluntatis nostræ non tollit aut mutat in omnibus, cum non possit homo eo carere, quærere non licet; ac si multum quæras, nunquam tamen invenias, sicut Paulus ad Rom. XI. dicit: Tu quis es, qui respondeas Deo?* Hæc & plurima alia qui semotis præjudiciis considerare voluerit, deprehendet quam maligna immo pessima fide agatur in recensendis Lutheri dogmatibus de necessitate actionum humanarum, & quam proterva calumnia doctrinæ sanctissimæ, quæ & honori divino omnia defert, & pœnitentiæ utilitatem optime & liquidissime ostendit, in odium adducatur. Sed *Maimburgii*, qui Erasmi & Lutheri controversias anticipat, saltus in sequentium annorum gesta me abripuit.

An. 1524.

ADDITIO.

(a) *Alia ex Libro Lutheri contra Erasmum.*

Ex libello *Lutheri* adversus Erasmum bona cum lectorum, ut spero, gratia addenda adhuc esse existimavi quædam, ex quibus & mens ejus, qua ad inveteratas opiniones oppugnandas motus est, & alia quædam maxime notabilia cognoscuntur. Objicienti *Erasmo* argumentum illud, quod hodie quoque tritissimum est, mihique ipsi a magnis ex adversa parte viris sæpissime objectum, de consensu tot eruditissimorum Theologorum per plurima secula, de sanctitate doctorum & martyrum, de miraculis, & aliis ejusmodi, quæ ad autoritatem & venerationem movent, ita respondet. *Tom. III. Lat. Jen. fol. 179. Fateor, mi Erasme, non immerito te istis omnibus moveri, ego ultra decennium istis sic motus sum, ut nullum alium arbitrer esse, qui æque sit istis permotus, eratque mihi incredibile ipsi, hanc Trojam nostram, tanto tempore, tot bellis invictam, posse aliquando capi. Et testor Deum in animam meam, perseverassem, & adhuc hodie sic moverer, nisi urgente conscientia & evidentia rerum me in diversum cogeret. Potes sane cogitare, nec mihi saxeum esse pectus, atque si saxeum esset, tamen tantis fluctibus & æstibus luctatum & collisum potuisse liquescere, dum id auderem, quo facto, videbam omnem illorum autoritatem, quos recensuisti, super caput meum, velut diluvium inundaturam. Sed non est nunc locus, meæ vitæ aut operum historiam texere, nec ut nos ipsos commendaremus, hæc suscepta sunt, sed ut gratiam Dei extolleremus. Quis sim & quo spiritu & consilio in istas res raptus sim, illi commendo, qui scit hæc omnia, suo, non meo arbitrio libero gesta, quamvis & ipse mundus id jam dudum sensisse deberet. Et plane in odiosum locum me isto exordio conjicis, ut nisi me ipsum jactavero, & tot Patres vituperavero, non facile me expediam; sed breviter dicam, eruditione, ingenio, multitudine, autoritate, & omnibus aliis, etiam te judice, cedo. Quid autem sit ostensio spiritus, quid miracula, quid sanctimonia, hæc tria si a te requiram, quantum ex literis & libris tuis te novi, imperitior & ignorantior videberis, quam ut ulla syllaba queas ostendere. Aut si urgeam & postulem, quemnam inter omnes illos, quos jactas, certo possis monstrare, sanctum fuisse vel esse, aut spiritum habuisse, aut vera miracula edidisse, arbitror te multum, sed frustra sudaturum esse. Multa loqueris ex usu & publicis sermonibus accepta, quæ non credis, quantum amittant fidei & autoritatis, si ad judicium conscientiæ vocentur. Verum est proverbium, multos in terra pro sanctis haberi, quorum animæ sunt in inferno. Sed donemus tibi, si vis, etiam omnes fuisse sanctos, omnes habuisse spiritum, omnes fecisse miracula: (quod tamen non petis) hoc mihi dic, an in nomine aut virtute liberi arbitrii, aut ad confirmandum dogma de libero arbitrio ullus eorum fuerit sanctus, acceperit spiritum, ediderit miracula? Absit (inquies) sed in nomine aut virtute Jesu Christi, & pro*

An. 1524.

& pro dogmate Christi, facta sunt hac omnia. Quid igitur sanctimoniam, spiritum, miracula eorum pro dogmate liberi arbitrii adducis? pro quo data & facta non sunt. Nostra igitur sunt illorum miracula, spiritus & sanctimonia, qui Jesum Christum, non autem vires aut opera hominum prædicamus. Quid jam mirum, si ii, qui sancti, spirituales, mirabiles fuerunt, aliquoties carne præventi, locuti sunt & operati secundum carnem, quando id & ipsis Apostolis sub ipso Christo non semel accidit? Neque enim tu negas, sed asseris, liberum arbitrium non esse spiritus aut Christi negotium, sed humanum, ita ut spiritus qui Christum clarificaturus promissus est, utique non possit liberum arbitrium prædicare. Si ergo Patres aliquando liberum arbitrium prædicaverunt, certe ex carne (ut fuerunt homines) non ex spiritu Dei sunt locuti, multo minus pro eo miracula ediderunt. Quare inepta est allegatio tua de sanctimonia, spiritu & miraculis Patrum, quod ex iis non liberum arbitrium, sed Jesu Christi dogma, contra liberi arbitrii dogma probetur. Post alia quædam ad phrases Patrum & Theologorum quæ allegari solent hæc regerit *fol. seq. Ego vero contrarium vobis facile ostendam, quod viri sancti, quales jactatis, quoties ad Deum oraturi vel acturi accedunt, quam penitus obliti incedant liberi arbitrii sui, desperantes de semetipsis, ac nihil nisi solam & puram gratiam longe alia meritis sibi invocantes, qualis sæpe Augustinus, qualis Bernardus, cum moriturus diceret, perdidi tempus meum, quia perdite vixi. Non video hic allegari vim aliquam, quæ ad gratiam sese applicet, sed accusari omnem vim, quod non nisi aversa fuerit. Quanquam illi ipsi sancti aliquando inter disputandum aliter de libero arbitrio locuti sunt, sicut video omnibus accidisse, ut alii sint, dum verbis aut disputationibus intenti sunt, & alii, dum affectibus & operibus; illic dicunt aliter, quam affecti fuerunt ante, hic aliter afficiuntur quam dixerunt ante, ex affectu vero potius quam ex sermone metiendi sunt homines tam pii quam impii.*

§. CLXXXII.

(1) *De morte Guilielmi Neseni.*

Ad annum itaque 1524. in quo *Liber primus* finiri debuit, regressus, pauca quæ sublegenda invenio, subjungam, ex *Epistolis Lutheri* potissimum observata. Periit hoc anno Wittenbergæ Albi flumine, quod cum aliis lavandi aut natandi causa ingressus erat, haustus *Gvilielmus Nesenus*, vir doctus, qui Lovanii bonas literas docens, pulsus fuerat. Luctuosus is Luthero casus fuit & ab eo diaboli sævitiæ adscriptus. Vid. *Lib. II. Epistolar. p. 220.* acerbe deflesse defunctum & optasse ut miraculosum donum haberet resuscitandi mortuos, alii notarunt. Vide *Buchholtz hoc anno. Erasmus* etiam ad Philippum scribens, dolere se ob mortem viri testatur, *Lib. XIX. ep. 3.* Cæterum de cunctatione & dissimulatione in aula, circa religionis negotium querelas suas ad finem usque anni continuavit Lutherus, indignatus inter alia, quod parochiæ negligerentur, cum scilicet quidam, ad quos jus Patronatus spectabat, non præsentarent, qui populo Evangelicam doctrinam desideranti satisfacerent, quodque plures parochiæ uni, nec idoneo, committerentur; dein quod alicubi Pastoribus alimenta subtraherentur, cessante aut connivente ad ista Principe. Patet id ex epistola d. 24. Novemb. 1524. data, quæ extat *Lib. II. epist. p. 244 b.* Paulo post Lutherus Spalatinum hoc rerum statu, & langvente diuturno & lethali tandem morbo Electore, discessum ex aula meditantem, ut maneret, cohortatus est; *d. l. p. 245.* vel ut causam quam subesse suspicabatur, aperte potius indicaret, nempe quod uxorem vellet ducere, ut & non multo post ab eo factum est. At ipse Lutherus averso adhuc erat a conjugio animo & morti potius, quam

(2) *Litera Lutheri de conjugio suo.*

a persecutoribus sibi imminere existimabat, intentus. In eadem ergo Epistola, Nobili isti fœminæ, quam supra nominavi, *Argulæ*, ad uxorem ducendam hortanti, scribi & gratias agi jubet, addens: *Non miror talia de me garriri, cum garriantur & multa alia, verum tu ei gratias age nomine meo, & dicito me esse quidem in manu Domini sicut creaturam, cujus cor mutare & remutare, occidere & vivificare potest, singulis momentis & horis: hoc tamen corde, quo hactenus fui & modo sum, non fiet, uxorem ut ducam; non quod carnem meam aut sexum non sentiam, cum neque lignum neque lapis sim, sed animus alienus est a conjugio, cum expectem quotidie mortem, & meritum hæretici supplicium: itaque nec Deo figam terminum operis in me, nec in corde meo nitar. Spero autem quod non sinet me diu vivere.* Eandem a matrimonio aversionem testatus est aliis ad Spalatinum literis d. 27. Mart. sive festo Pasch. datis, quo die Islebiam profectus est, rogatus ab *Alberto* Comite ut Scholam ibi instrueret, duxitque secum Philippum & Agricolam. *Bibl. Jen.* Judicare hinc licet quam impudenter mentiantur, qui Luthero uxoris desiderium & amores *Catharinæ Boriæ* dudum meditatos imputant. Sed de his alibi.

An. 1524.

ADDITIO I.

(a) *Erasmi de Neseno epistola.*

Erasmus, eos qui *Guilielmi* nomen gerebant, fato quodam amicos sibi esse scribere solitus, in epistola ad *Gvil. Budæum* anno 1516. data *Lib. I. epist. 16.* inter omnes hunc Nesenum *optimarum literarum consectatorem ardentissimum* vocat, *sibique sic unice deditum, ut Pyladem suum optimo jure appellare possit.* Duæ ad eum epistolæ Erasmi extant *Lib. V. 28.* & *X. 31.* in quarum posteriori anno 1518. illum, Parisiis tunc versatum adhortatur, ut Germanus Gallos eruditione vincere satagat. Eundem in collegio trilingui, quod Lovanii sua opera constituerat, lectorem habere voluit, sed in literis ad *Ludovicum Vivem* anno 1519. *Lib. XXI. epist. 20.* queritur obsistere monachos & inquisitores *Neseno*, Pomponii Melæ Geographiam gratis profiteri aggresso, nihilo remissioribus studiis, quam si parasset totam urbem incendio miscere. Sed *Nesenus* Evangelicæ veritati majori cum libertate animum applicans, & in Saxoniam concedens, Erasmi favore excidit. Lutherus cum morte ejus valde turbatus, dixisset: *O utinam possem resuscitare mortuos*, calumniam passus est, ac si resuscitationem ejus serio tentasset; quo mendacio aliqui ex ejus insectatoribus mire delectati sunt, ut eum summa vanitate miraculorum donum sibi arrogasse criminarentur. Nesenum eleganti epicedio honoravit *Jacobus Micyllus* non infelix illius temporis Poeta. Cum Neseno eodem periculo implicitum fuisse Priorem VVittenbergensem (*Brisgerum* Augustinianum) intelligitur ex epistola Lutheri ad *Langum Lib. II. p. 309.* ubi tamen pro *Gvilielmo* mendose legitur *Georgius Nesenus*, *is* (dicit) *misere periit magno nostro mœrore magnoque hostium tripudio, forte & majore blasphemia Evangelii nostri & nominis Christi, pene quoque occidisset Satan Priorem nostrum, nisi miraculo insigni fuisset servatus.*

(b) *Alia quædam de eo ex Luthero.*

ADDITIO II.

(c) *Literæ Spalatini ad Electorem & hujus responsum.*

Scripserat *Spalatinus* d. 25. Nov. ad Fridericum Electorem, ut a munere concionandi in aula dimitteretur, & veniam impetraret, uxorem ducendi, neque enim se conscientiæ angores diutius ferre posse; (könte den Unlust im Gewissen nicht länger außziehen) ambire se puellam laboriosam, pauperibus, sed piis parentibus natam, quam tamen nominare nollet, nisi prius venia Principis impetrata, & quia nondum certus esset, an sibi nuptura foret. *Reg. O. Lit. JJ. fol. 86.* Responsum Electoris in scriptis non invenio, oretenus datum esse oportet, neque tamen illo perito gratia excidit, sed in testamento Principis paulo post legato honoratus est, ut alibi dixi, nuptiarum tamen consum-

matio

An. 1524.

matio in annum sequentem dilata fuit. Puellæ nomen erat *Catharinæ Heidenreichiæ* sive *Streubeliæ*, quæ Johannis, Vicarii Altenburgensis filia fuit.

ADDITIO III.

Ulrici VVurtenberg. de Luthero litera.

Annotare hic lubet epistolam hoc anno d. 13. Januarii Montisbeligardi ab *Ulrico VVurtenbergensi* Duce ad *Bernhardum ab Hirschfeld*, nobilem in aula Saxonica virum scriptam, quæ in Epistolis MS. Spalatini reperitur. Miserat Dux Hirschfeldio scriptum quoddam in causa sua publicatum ejusque exemplum Luthero tradere eum jubet, his verbis: **Nachdem wir den D. Martinus Luther für einen wahrhafftigen Christlichen Lehrer des heiligen Evangeliums hören rühmen / auch dafür halten / ist unser gnädigst Begehr / wollest ihm solchen Abdruck einen von unsertwegen überantworten / und ihm zu noch weiterer und wahrer Erleuchtung zu Heil und Trost gantzer Christenheit Gnade von GOtt wünschen.** i. e. Cum D. Martinum Lutherum pro vero & Christiano S. Evangelii Doctore celebrari audiamus, & ipsi æstimemus, petimus, ut illi exemplar scripti nostri exhibeas, & ad adipiscendam ampliorem & veram illuminationem pro salute & solatio totius Ecclesiæ Christianæ gratiam a DEO appreceris.

§. CLXXXIII.

(1) Scripta quædam Lutheri.

Ex scriptis Lutheri, hoc anno, præter illa quorum mentio facta est, repeririuntur in Tomis *sermones* quidam, & *tractatus exegetici* itemque *epistolæ*, tum *versiones* eorum quæ antea Latine scripserat, v. g. tractatus *de instituendis ministris Ecclesiæ Tom. II. Lat. Jen. f. 577.* Hunc *Paulus Speratus*, cujus supra meminimus, Germanicum fecit, & Salisburgensibus, & Herbipolensibus, auditoribus olim suis dedicavit mense Januar. hujus anni. Vide *Tom. II. Alt. f. 494. & seqq.* dein *Commentarius in Psalmos priores usque ad XXII.* cujus versionis autor fuit *Stephanus Rothius*, Syndicus Zviccaviensis, eo nomine a Luthero laudatus. *Tom. II. Alt. f. 520.* Edidit hoc ipso anno *D. Pomeranus* commentarium in Psalmos, cui epistolam commendatitiam præmisit Lutherus. Vide *Lib. II. Epistolar. p. 241.* quæ & Germanice versa extat *Tom. II. Alt. f. 519.* in Latina inter alia hæc habet:

(2) Præfatio Lutheri in commentarium Bugenhagii in Psalmos.

Johannes Pomeranus Episcopus Ecclesiæ Wittenbergensis, voluntate Dei & patris nostri, per ministerium suum, tibi, charissime Lector, donat hoc Psalterium spiritu Christi, qui est clavis David, resignatum. Quod ut multis verbis ornem, non est operæ pretium, quod satis abunde tibi (scio) commendatum erit, non meo testimonio, sed suo ipsius argumento, quo te coget, si legeris, testificari, spiritum esse, qui loquitur mysteria hæc a tot seculis abscondita. Nam ut conferri possit tam priscorum quam recentiorum commentariis, etsi odiosum est statuere, audeo tamen dicere, a nemine (cujus extent libri) esse Psalterium David explicatum, esseque hunc Pomeranum primum in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur. Adeo cæteri fere omnes tantum opinionem quisque suam eamque incertam in hunc pulcherrimum librum congesserunt. Hic vero judicium Spiritus certum te docebit mirabilia. Porro & ego aliquando in hoc libro cœpi operam impendere, sed Papistarum tyrannis suspendere me coegit organum meum in salicibus Babylonis istius, verum Christus meam sortem vindicavit gloriose. Nam loco mei unius, cujus stillas noluit ferre Satan, cogitur pluviam & majora sustinere tonitrua & cataractas, ita me oportet minui, illos vero crescere. Quare non est, optime lector, ut meum expectes Psalterium amplius, sed mecum gaude, gratulare, & gratias age Christo Salvatori nostro, qui pro uno Luthero paupere & tenui, jam ipsiusmet David, Isaiæ, Pauli, Joannis, atque adeo sui ipsius tibi spem, immo rem & copiam fecit clare & palam, videndi, audiendi & palpandi, non unius tandem calamo aut lingua, sed virtute multa ut Psalm. 67. ait. Hæc & quæ non semel in *Melanchthonis* laudem scripsit, argumento esse possunt, quam iniqui sint, qui Luthero eum tribuunt animum ac si omnes præ se contemsisset.

(3) Insigne Lutheri de Melanchthone judicium.

Testimonium ipso hoc anno insigne produci potest ex epistola Lutheri ad Electorem *Fridericum* d. 23. Martii data, in qua instantissime rogat, ut Philippo demandetur Theologica lectio (injussus enim suscipere eam nolebat.) Dicit magnum esse auditorum numerum ex regionibus dissitis verbi divini cupidine affluentium, tam pauperum licet, ut quidam non nisi pane & aqua sese sustentent. *Melanchthonem* vero insigne donum ad legendam Scripturam a Deo habere, majus quam se ipsum. (**Er ist von GOttes sondern Gnaden reichlich begabt die Schrifft zu lesen / auch besser denn ich selbst.**) Totam scholam id poscere, & omnes professores idem flagitare: Epistola cum aliis ineditis, Deo secundante, integra publicabitur. Extat *Reg. O. fol. 140.* **C. C. C.**

(4) Cantica sacra elaborat & procurat Lutherus.

Continuavit hoc anno studium suum Lutherus, ut Psalmi quidam in rhythmos Germanicos translati in templis a populo canerentur, aliaque sacra carmina; quapropter & *Spalatinum* & *Joh. a Dolzig*, equestris ordinis virum, cujus elegantiam & copiam commendat, ad societatem illius operæ invitavit. Vide *Lib II. epistolar. p. 239.* Erat autem in aula Friderici præfectus Musici chori *Joh. Waltherus*, qui tonos composuit, exiitque hoc anno primus *Cantionum sacrarum* libellus, præfatiuncula Lutheri laudatus *Tomo II. Altenburg. fol. 751.* In illa piorum hymnorum usum ex Ecclesiæ non solum ritu, sed ex verbo Dei adstruit, & Musicam vel ideo commendare se velle profitetur, ne putetur per doctrinam Evangelii artibus honestis interitum afferre. Quamvis vero poesis Germanica ad id usque tempus non ita exculta fuit, ut postea factum est, multum tamen pro felicitate ingenii sui Lutherus etiam hac in re Germanis præstitit; & hymni sive ex Psalmis, sive ex historia & materia Festorum præcipuorum, quæ in Ecclesia celebrantur, ut & de aliis quibusdam fidei capitibus compositi, non solum (pro illius ætatis profectu) ornatum verborum, sed & tantum pietatis & spiritus habent, ut aliis, licet nitidiori stylo & metro aptiori elaboratis, præferri debere, etiam nunc merito censeantur.

(5) Alia quædam de Lutheri actis & scriptis.

Non defuerunt hoc anno, qui Lutherum acerbissimis scriptis insectarentur, *Cochlæus* inprimis; sed Lutherus spernere illos cœpit; scribit enim *Lib. II. Ep. p. 183.* *Cochlæo non est ut respondeatur, cum alii simus occupati melioribus, & ejusmodi libri per se pereant quotidie multi.* Sub initium anni *Florentina* quædam, nobilis virgo in Thuringia, ex familia jam extincta (*a Vinaria superiori*, **Ober-Weymar** / cognominata) monasterio prope Islebiam (**Neue Helffte** vocabatur) elapsa, historiam suam scripto publicavit, referens, ut sex annorum puella, parentum jussu in cœnobium missa, undecimo ætatis anno, cum institutum

An. 1524.

tum monasticum nec intelligeret, nec de consensu suo interrogaretur, velata fuerit, quæque passa sit cum antistes sive Domina comperisset, se de mutatione cogitare & ad Lutherum scripsisse, &c. Hanc ejus relationem Lutherus sequenti anno typis vulgari fecit, addita præfatione & epicrisi ad Comites Mansfeldenses, per quam inconsultum consilium, quo parentes liberos cum corporis & animæ periculo in claustra illa intrudunt, indignosque quibus ibi tractantur modos haud leviter reprehendit. Memini supra illustris in Franconia Baronis *Joh. Schwarzenbergii*. Is hoc anno filiam ex cœnobio tali retraxerat, magnum inde a Luthero præconium meritus, ut constat ex epistola ad eum d. 21. Decembr. hoc anno scripta quæ legitur *Tom. II. Altenb. f. 515.* Sed adversariis multa inde calumniandi occasio nata est, ut ex *Cochlæo, Surio*, aliisque id generis Scriptoribus satis cognoscitur; nec pudet Cochlæum crudelia illa supplicia quæ hoc anno *Henricus Zutphaniensis* in Ditmarsis, & *Casparus Tauberus* Viennæ religionis causa passi sunt, defendere. Budæ in Hungaria bibliopolam quendam una cum libris exustum refert Lutherus, *L. II. Ep p. 243. b.* Eadem sævitia in media Saxonia sive Misnia grassabatur *Georgius* Saxoniæ Dux adversus Lipsienses inprimis, ex quibus, duro licet Principis & Episcopi Mersburgensis, ac universi Cleri jugo pressis, multi doctrinæ Evangelicæ magno desiderio flagrabant, sed mulctis, carcere, exiliis coerciti, meliora tempora expectare cogebantur. Capite tunc publice in foro Lipsiensi plexus est *Johannes Hergotius*, Bibliopola: ex Academicis Magister quidam *Sebastianus Fröschelius*, instigante Episcopo, Lutheranismi causa captus, & in arcem ductus ab ipso Principe vehementissime increpatus, & in exilium ejectus est, (is postea diaconatum Wittenbergæ multis gessit annis) alii Mersburgum missi, in carceribus Episcopi dum viverent habendi, nec multo post duo alii ex civibus capitibus truncati sunt, ut narratur in *Chronico Lips. Schneideri p. 178. 179.*

ADDITIO.

(a) *De commentario Lutheri in Psalmos.*

Cœpit Lutherus prælectiones suas in Psalterium, sed secunda ut ipse memorat vice; anno 1519. ut supra §. LXIII. paucis notavi. Continuavit laborem anno 1521. interruptus enim fuit itinere VVormatiensi, neque tamen ulterius quam ad finem Psalmi (secundum numerum Hebraicum) XXI. Latin. XX. pervenit; dum vero post comitia in arce lateret, Psalmum XXII. quo passio Christi clarissime præfiguratur, explicavit. Dedicationi ad *Fridericum* Electorem annus 1519. & dies VI. Cal. April. adscriptus est, licet serius & post disputationem demum Lipsiensem publicatio secuta sit. Accessit commentarius in Psalmum XXII. (ut dixi) in arce compositus, & nunc omnia conjunctim in Tomis Latinis reperiuntur, ea quidem prolixitate, ut *Tom. II. Jen.* dimidiam pene partem constituant. Quanta in hoc opere vis & copia eluceat piæ & spiritualis eruditionis, deprehendent, qui cum attentione & Spiritus divini auxilio legerint. Laudanda vero magnopere etiam est summa viri modestia, cujus tum in præfatione tum in conclusione insignia dat documenta. Et in præfatione quidem Friderico Electori debitas laudes tribuit, *quod exemplum in provehendis literis omnibus factus sit Principibus, ejusque liberalitate artes & linguæ non solum VVittenbergæ floreant, sed & sincera Christi theologia triumphet, opinionibus & quæstionibus hominum cessantibus;* dein beneficia ab illo sibi ad id tempus exhibita celebrat, collatum in se, impensis

(b) *Excerpta quædam ex præfatione.*

Electoris, Doctoratus honorem, *insigne illud* (ait) *ostentationis meæ, cujus me pudet, & tamen gestari oportet, ita volentibus illis quibus me obedire par est.* Protectionem etiam Principis gratus agnoscit, scribit enim & eo quidem tempore, ubi de Leone X. adhuc bene sperabat: *Scit universa tua ditio, longe majorem Principi pro me sollicitudinem, quam mihi ipsi fuisse. Ego, pro mea temeritate, aleam jeci, extrema semper tentare & expectare paratus. Nam & hac occasione fore sperabam, ut a docendis aliis submotus, angulum mihi invenirem, deserto, quod odiebam, publico: sed perstitit tua Celsitudinis officium, & cum ego cuperem pati, qua illi ardebant inferre, neutris cessit, quod cupitum est. Sed nondum finis, placet tamen iterum eventus iste, vel hoc nomine, quod nulli Christiano non debeat esse molestissimum, tantum in Ecclesia Christi quorundam audere impudentiam, ut sub nomine venerabilis potestatis Ecclesiæ, suis fœdis cupiditatibus præsumant successum, & quo quis Pontificum est clementior, melior, eruditior, eo isti impii impostores majora sibi pollicentur portenta, sub ejus titulo promovenda. Nam quot manifestis mendaciis, in hac una levicula causa, sacrum Leonis X. nomen, ad terrendum unum fraterculum, dirasque suas tyrannides stabiliendas, prophanarunt, conspurcaruntque?* Laboris vero sui difficultatem, suæque operæ tenuitatem postea adducit, scribens: *Jam secundo in VVittenberga tua Psalterium profiteor, urgentibus & exigentibus optimis auditoribus, quibus debitorem me esse non possum negare. Verum ita profiteor, ut nolim ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum & doctissimorum patrum, id est, Psalterium in omnibus legitimo sensu suo intelligere & docere. Sat est, aliquot, & eosdem ex parte intellexisse; multa sibi reservat Spiritus, quo nos semper discipulos habeat, multa solum ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat, & (ut beatus Augustinus praclare dixit) nullus unquam ita locutus est, ut ab omnibus in omnibus intelligeretur, multo magis ipse Spiritus Sanctus solus omnium suorum verborum intelligentiam habet. Quo circa ingenue confiteri me oportet, me ignorare, legitimam habeam necne intelligentiam Psalmorum, etsi veram esse non dubitem, quam trado. Nam & omnia quæ B. Augustinus, Hieronymus, Athanasius, Hilarius, Cassiodorus & alii super Psalterium contulerunt, verissima sunt, sed a sensu literæ quandoque remotissima, & mea quoque secunda hac professio, a prima longe lateque diversa est, nec est liber in Bibliis, qui me diligentius exercitarit, donec in eam sententiam venerim, oportere nullius interpretationem, modo pia sit, rejicere, nisi talionis lege rursum quis optet rejici. Defecit ille in aliquibus, tu in pluribus, nonnulla video, non visa beato Augustino, rursum multa visuros scio, quæ ipse non video.* Et paulo post: *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri unum librum Scripturæ a se in omnibus partibus intellectum. Quin quis audeat præsumere unum Psalmum rotunde ab illo intellectum? Vita nostra initium & profectus est, non consummatio; ille melior, qui ad spiritum propius accesserit. Si attigero Lunam, non mox & Solem apprehendisse arbitrabor, sed nec stellas minores fastidiam. Sunt gradus in vivendo & agendo, cur non & in intelligendo? Apostolus transformari nos dicit de claritate in claritatem. Et, ut dicam quod res est, tantum illis servio, qui hac ignorant & volunt, tum id saltem præstitisse juvabit, quod melioribus studiis & me & auditores meos interim occuparim, quam si super libros Sententiarum novas tenebras, & ranas & muscas creassem.* Primas ejus in Psalmos prælectiones, quarum meminit, & quas paulo post adeptum in Theologia Doctoratum peregit, fateor me non vidisse, neque an extent scire: Laudat eas *Melanchthon* in vita Lutheri & ex eo *Melch. Adamus* his verbis: *Aggressus est, officii ratione, enarrare epistolam ad Romanos, deinde Psalmos. Hæc scripta sic illustravit, ut post longam & obscuram noctem, nova lux oriri videretur, omnium piorum & prudentum judicio. Hic monstravit Legis & Evangelii discrimen: refutavit errorem tunc in scholis & concio-*

(c) *Extenuat sese.*

(d) *Primæ ejus commentationes a Melanchthone laudatæ.*

An. 1524.

nibus

An. 1524.

nibus frequentatum : quo docetur, *mereri homines remissionem peccatorum operibus , & homines coram DEO justos esse disciplina , ut Pharisæi docuerunt. Revocavit igitur Lutherus hominum mentes ad Filium Dei , & ut Johannes Baptista, monstravit agnum Dei, qui tollit peccata nostra ; ostendit gratis, propter filium Dei , remitti peccata, & quidem oportere id beneficium fide accipi.* Sed redeo ad secundas prælectiones ; in fine harum post absoluta nempe quæ in Psalmum XXI. commentatus fuit, hunc addit epilogum *d. Tom. II. f. 237. Finem hic facio, & ingenue ac fideliter confiteor , me plurima tentasse supra vires, nec habere hanc Apostoli gloriationem , qua ad Romanos scribit :* Non audeo aliquid loqui eorum, quæ non effecit per me. *Nam vita sanctimonia nihil consecutus sum , quod tamen scio, quam fuerit & sit necessarium , ne docerem antequam facerem ; eruditione vero parum ; cum & ipse discipulus hactenus fuerim, non solum in linguis, sed & propheticis spiritibus discendis : utrunque enim tractatori Scripturarum necessarium est, magis tamen spiritus quam lingua. Unde etsi in lingua Hebraica, non uno loco me videam errasse, metuo tamen ne pluries in spiritu erraverim, quanquam mihi conscius non sim, sinceram & catholicam fidem a me usquam læsam , ut gloriari possim , errores meos esse prorsus sine periculo, cum in lingua ista peritissimi & maximi, in spiritu autem & summi & sanctissimi viri , erraverint. Hoc didici, scripturam esse eam , quæ nullius ingenium, nullius eruditionem, nullius diligentiam, nullius sanctimoniam, non in multis partibus fallat & superet : atque cum omnibus etiam parvulis sit exposita ad satietatem usque, magnis tamen semper seposita est ad esuriem : ut verissime & sapientissime dixerit Gregorius ,* Scripturam esse fluvium, in quo agnus peditat, & elephas natat. *Nec in ea fœdius nec perniciosius erraverunt, quam qui se nihil in ea errasse præsumserunt. Nec felicius & salubrius in ea profecerunt , quam qui timuerunt se in omnibus errare. Sapientia enim est, cujus principium timor Dei, quæ intellectum dat parvulis , & sapientiam sapientum reprobat. Quare meos errores sic judicet Frater meus quisque , ut sese etiam alicubi errare non dubitet, ne forte superbus nusquam non erret. Porrigamus potius summis viribus mutuas operas in Domino, præsertim in Scripturis sanctis tractandis, etiam sic errores non evademus , donec in vita hac sumus immunda. Solus hic se glorietur non errare in ulla parte , qui sine peccato fuerit in hac vita.* Nemo offendi debet hac imperfectionis suæ, aut obscuritatis in Scripturis Lutheri professione, eamque ideo refero, ut os obstruatur calumniæ, quasi infallibilitatem & enthusiasmum sibi arrogasset Lutherus. Interim in veritate & sensu doctrinæ, quatenus nempe ad salutem necessaria est, vel non repugnat analogiæ fidei , minime hæsitat. Eandem extenuationem repetit post adjectum commentarium in Psalmum XXII. *fol. 267. 268. Visum est hic tabernaculum figere & mansionem facere ; & quia video istos commentarios rapi ad typos & prala, cum ego mallem eos perpetuo latere, adeo multa sunt , in quibus ipse contentus non sum : unus ultra vires suscepi, ideo sapius nuto. Rogo itaque pium lectorem , ut legat omnia cum summo judicio , non quod mihi conscius sim, usquam prava docuisse, sententia mihi per omnia placet, sed non semper suo loco mihi venit : erratumque est aliquando in Ebraa Lingua, dum occupatus & distractus variis, non totus incubui. Non me excuso difficultate & obscuritate libri, nec parvitate eruditionis & ingenii, cur enim non abstinui ? nec me aliorum exemplo solor, quanquam hæc sit honestissima ratio. Sed hoc anhelo, ut purus, genuinus appositusque suo quisque loco sensus habeatur, quod si potui vel ex parte tradere, libens , temerarius, erroneus, indoctus, in multis habebor præ ceteris.* Quatuor inde locis quædam corrigit, & his concludit verbis : *Sunt multa alia præter hæc & forte majora , ipse non video ; accedunt ad hac errores librariorum ; breviter , totus commentarius mihi placeret magis , si recognitus a me primum fuisset, cum & prolixitas & verbositas magnum in eo vitium sit. Verum non nihil in illis est spiritualis eruditionis & revelationis, de qua , qui pius est , gratias agat Domino Jesu Christo, qui est lux nostra, benedictus , Amen.*

(e) *Epilogus posterioris commentarii.*

(f) *Alius epilogus.*

Temperare mihi non possum, quin ad commendandam libri ipsius lectionem quædam ex interpretatione *Psalmi primi*, speciminis causa apponam. Scribit itaque ad Vers. I. *Beatus Vir &c. Inprimis id in Scripturis observandum, quam prudenter abstineat a nominibus sectarum & personarum ; Nam cum hoc Psalmo , sine dubio , Judæorum populus taxetur primo, sicut ait Apostolus : Judæo primum & Græco. Et Rom. III. Scimus quoniam quæcunque lex loquitur , his qui in lege sunt , loquitur ; Non tamen dicit , Beatus Judæus aut beatus ille vel ille. Nec in consilio gentium, horum vel horum, sed absolute, Beatus vir , & consilium impiorum, via peccatorum , sessio illusorum &c. quicunque illi tandem sint ; quia non est acceptio personarum apud Deum. Et hoc fieri fuit summe necessarium, ut verbum Dei, cum sit æternum, omnibus omnium hominum seculis conveniret. Nam etsi varient per tempora, mores, persona, loca, ritus , eadem tamen vel pietas vel impietas transit per omnia secula. Sic videmus Prophetas, adversus falsos Prophetas , Apostolos contra Pseudoapostolos, Doctores contra Hæreticos ; eisdem Scripturis usos, cum tamen nec Prophetarum, nec Apostolorum, nec Doctorum, aut suorum adversariorum nomen, sed piorum & impiorum in illis invenirent.* Et post alia : *Hic esto tibi Canon perpetuus & infallibilis, atque (quod ajunt) Lydio lapide certior, quod proprium est impiorum, Deum non timere, secure de misericordia ejus (sicuti putant) omnia præsumere. Piorum autem, cum Job omnia opera sua vereri , in nulla sua justitia confidere, & sanctitatem suam pro stercore ducere, ideo non posse pro ea certare, se justificare aut vindicare, sed dignos esse se omnium odio & vindicta. Itaque dixi , Fidei oculis & auribus opus est, ut hæc verba Spiritus audias , & eorum rem videas : homo enim non potest ea intelligere. Non autem existimes me (pias) ceremonias & bona opera damnare, sed opinionem , fiduciam in studio illorum, pestes voco ; quod his fieri videmus , ut in sectas, iras, detractiones , & infinita monstra peccatorum ruant, quæ omnia tegunt nomine pietatis, velo consilii sui, specie dogmatum suorum, si enim in humilitate fierent , bona certe essent.* Ad verba d. vers. 1. *Cathedra pestilentiæ : Cathedram pestilentiæ possident , qui opinionibus Philosophorum, traditionibus hominum , consiliis capitum suorum replent Ecclesiam Christi, opprimuntque miseras animas, omisso interim verbo Dei, quo solo pascitur, vivit, servatur anima. Quo fit ut homines aliam justitiam ignorent, quam quæ operibus paratur, hæc autem est impietas, & peccatum coram Deo. Impossibile est enim , ut sine periculo opera legum doceas, quarumcunque, nisi meliore parte doctrinæ & majore studio prius fidem docueris in Christum. Paulus ad Rom. undecim capitibus fidem fundat , & quinque capitibus deinde mores superædificat. At Galatas quinque fidem, uno & sexto mores docet. Sic & in aliis quoque Epistolis facit. Christus in Evangelio non nisi fidem quærit.* Ad verba ; *In lege Domini voluntas ejus : Voluntatem, primum hic neque pro potentia, neque pro stertente illo habitu , quem recentiores Theologi ex Aristotele invexerunt, ad subvertendam intelligentiam Scripturæ, item neque pro actu, quem ex ea potentia & habitu elici dicunt , habeto. Non habet universa natura humana hanc voluntatem , sed de cælo veniat necesse est. Cum enim humana natura sit intenta & prona ad malum, ut divina dicit autoritas, Gen. 8. lex vero Domini sit bona , sancta, justa ; sequitur, quod voluntas hominum sit adversaria legi, odiat legem, fugiat legem. Quod si quandoque timore pœnæ aut concupiscentia promissi , simulet se diligere legem, manet tamen intus semper odium legis, nec potest eam gratuito diligere , non enim diligit , quia bona est lex, sed quia sibi commoda. Est autem voluntas hæc purum illud beneplacitum cordis , ac voluptas quædam in lege, quæ non quærit quid lex promittat , nec quid minetur , sed solum id quod lex sancta, justa, bona est. Est ergo non modo amor legis , sed etiam amans dele-*

(g) *Quædam de Psalmi primi explicatione.*

An. 1524.

delectatio in lege, quam nullis prosperitatibus, nullisque adversitatibus possit mundus & Princeps ejus tollere ac vincere, sed per inopiam, infamiam, crucem, mortem, infernum, victrix perrumpit, in adversitatibus enim maxime eminet. Venit autem hæc voluntas ex fide in Deum per Jesum Christum. Ceterum voluntas, quæ metu pœnarum extorquetur, servilis est & violenta, quæ autem cupiditate præmiorum allicitur, mercenaria est & simulata. Illa autem liberalis, gratuita, hilaris, unde Christi populus, Nedaboth *Ebraice,* spontanei, voluntarii, liberales *vocantur. Ex quibus omnibus liquet, quod hic Psalmus, nisi de solo Christo intelligatur, speculum & meta est, ad quam nitendum sit beato viro, cum nullus sit in hac vita, cui non aliquid hujus voluntatis desit, propter legem & voluntatem membrorum contrariam illi, ut Apostolus Rom. 7. queritur, quæ juxta Theologiam crucifigenda est juxta Philosophiam vero pro virtute habenda.* De libertate vero Christiana, propter cujus assertionem immanis illi invidia conflata est, sic loquitur ad vers. 3. verb. *In tempore suo. O aureum & amabile verbum, quo asseritur libertas justitiæ Christianæ! Impiis stati sunt dies, stata tempora, certa opera, certa loca, quibus sic inhærent, ut si proximus fame esset moriturus, non ab illis divelli possint. At beatus hic vir, liber in omne tempus, in omne opus, in omnem locum, in omnem personam, utcunque sese obtulerit casus, tibi serviet, quodcunque invenerit manus ejus, hoc faciet: Non est Judæus neque Gentilis, neque Græcus, neque Barbarus, nullius prorsus persona: Sed dat fructum suum in tempore suo, quoties opus sit ejus opera Deo & hominibus. Ideo neque fructus ejus habet nomen, neque ipse habet nomen, neque rivi aquarum ejus habent nomen, unus non uni nec uno tempore, loco, opere, sed omnibus ubique per omnia servit; estque vere vir omnium horarum, omnium operum, omnium personarum, & imagine sui patris, omnia in omnibus, & super omnia. Impii vero, sicut Psalm. 18. dicitur, clauduntur in angustiis suis, seipsos captivant, & in operibus, temporibus, locis a se electis, torquent, extra quæ nihil rectum geri putant. Unde suorum fructuum æstimatores nihil faciunt, quam ut alienos fructus mordeant, judicent, damnent, liberrimi & in quocunque tempore prompti alios reprehendere, & omnino tales in malo faciendo, quales pii sunt in bono: Sunt enim & ipsi omnium horarum viri, non uno modo, non uno tempore, non uni homini, sed utcunque sors obtulerit, aliis detrahentes ac nocentes, quæ studia, si verterent ad bona, multo meliore compendio pii fierent. Non sane hæc dico, quod ceremonias Ecclesiarum & monasteriorum reprobem, immo hæc fuit prima Religiosorum institutio, ut qui monasterium ingressus esset, majori subjectus, disceret nihil proprie operari, sed promtus omnibus in omnibus servire. Erantque monasteria vere quædam Gymnasia Christianæ libertatis exercendæ & perficiendæ, sicut adhuc sunt, sicubi priscam servant institutionem; hic inquam erat finis & modus ceremoniarum. Nam quid sunt ipsa quoque charitatis & misericordiæ opera, quam liberæ quædam ceremoniæ, cum & ipsa sint externa & corporalia? Et veteris legis ceremoniæ itidem erant utilissimæ exercitationes veræ & liberæ pietatis. At ubi cœperunt perversitatis studio in libertatis injuriam usurpari, & earum prætextu vera pietas extingui, jamque pro libertate servitus tyrannisaret, opus erat, ut universæ tollerentur, sicut & nunc quoque Pastorum piæ solicitudinis esset, tumultus ceremoniales abrogare, ubi non nisi in laqueos animarum, & in offendicula liberæ pietatis grassantur.* Ad versum 3. cum fructus justorum explicasset, egregie monet regnum Dei *non esse in sermone sed in virtute, 1. Corinth. IV. 2. cœpit Jesus facere & docere,* Actor. I. 1. *erat vir potens in opere & sermone,* Luc. XXIV. 19. sed sequentia Psalmi verba, *& omnia quæcunque faciet prosperabuntur,* quia de operibus singulorum jam præcedenti versu actum est, ad architectonicam in Ecclesia sapientiam accommodat, scribit itaque: *Facere esto instituere, ordinare, diversis ministeriis Ecclesiasticis distribuere, & ut Apostoli Petrus & Paulus docuere, multiformis gratiæ Dei ministratores facere, Ecclesias fundare, multiplicare, ut sic ipsi fideles sint plasmata, opera, facta eorum: Sic enim Galatas parturit, & Corinthios genuit Apostolus: Opus meum, inquit, vos estis in Domino. Intelligis ergo spiritualem esse hanc facturam beati viri, non palatia, non imperia, non pompas: hæc enim & gentes faciunt ac pariunt. Sed multos bonos & beatos, sibique similes reddere, hoc demum est facere hujus beati viri. Prosperitas quoque cave ne carnalis a te intelligatur, in abscondito hæc est, & penitus in spiritu, adeo ut nisi fide eam teneas, potius summam adversitatem judices. Nam Diabolus, sicut folium & verbum Dei extreme odit, ita & eos, qui ipsum docent & audiunt, totius mundi adjutus viribus persequitur. Miraculorum ergo omnium miraculum audis, quando prosperari audis omnia, quæ facit vir beatus. Quid enim mirabilius, quam quod fideles dum occiduntur crescunt; dum minuuntur multiplicantur; dum subjiciuntur superant; dum expelluntur intrant; vincunt cum vincuntur, sic enim mundus est victus & princeps ejus. Sic mirificavit Dominus sanctum suum, ut hoc sit summæ prosperitatis, quod summæ est infelicitatis; Hæc est prosperitas sapientium & conversio virorum. At nunc illud Proverb. I. videmus impleri,* Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos, *nunc enim quia rebus Ecclesiæ Personas & nomina fecimus, & spiritum in carnem traximus, ideo bonus status Ecclesiæ nunc vocatur opulentia; tyrannis, impunitas; pax carnis & pompa plusquam mundana. Vidit enim Diabolus & intellexit tandem prosperitatem hanc spiritualem, ideo cohibuit se, & alia via nos aggressus, horrenda infelicitate nostra triumphat. Et qui bello vincebatur, pace nunc regnat; mira certe utriusque Dei ordinatione. Scite ergo & verissime S. Hilarius dixit: Ecclesiæ esse naturam ut adversitatibus crescat, utque prosperitatibus decrescat. At hæc sapientia crucis & nova rerum significatio non modo incognita est, sed longe omnium quoque horrendissima, ipsis etiam Ecclesiæ optimatibus. Nec mirum postquam desertis sacris literis, infelices hominum constitutiones & ratiocinaria pecuniarum cœperunt legere.*

An. 1524.

Maxime denique memorabilia sunt & mentem Lutheri explicant simul & historiam illustrant, quæ ad *Psalmum XVI. vers. 4. fol. 176. & seq. non congregabo conventicula eorum de sanguine* ingenue profitetur: *Hic plane ipse Christus quæstiones illas infinitas de Ecclesia sua dirimit, quam alii virtualem, alii repræsentativam, alii aliam finxerunt, Christus dicit, se non congregare eos qui sunt ex sanguinibus, sicut Joh. I. dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Eundem locum Paulus, ut ubique, ita ad Romanos & Galatas ex professo & magnifice tractat, ubi probat, non omnes filios carnis esse Israel, sed solos filios promissionis, & filios liberæ Saræ, non ancillæ Agar esse semen Abrahæ, ut Ecclesiam Christi prorsus omni persona exuat, & sicut alibi dicit, in Christo neque est masculus, neque fœmina, neque Judæus, neque Græcus, neque liber, neque servus: ita neque Romanus neque Germanus, sed qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. Quare detestanda est impietas Romana, quæ de Ecclesia somniat sua mendacia, cum Ecclesia aliud esse non possit, quam congregatio spiritualis hominum, non in aliquem locum, sed in eandem fidem, spem & charitatem spiritus: Non hoc contenta, Ecclesiam alligat loco, scilicet Romæ, neminem esse Christianum permittens, nisi fuerit Romanus, impudenti temeritate contra articulum fidei statuens suum mendacium. Credimus enim Ecclesiam sanctam Catholicam esse communionem Sanctorum. Non dicimus communionem Romanorum & aliorum quorumcunque locorum. Christus quoque dixit Luc. XVII. Non veniet regnum Dei cum observatione, nec dicet: Ecce hic aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est. Idem Matth. XXIV. Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & seducent multos. Tunc si dixerint vobis: Ecce hic est, aut ecce illic, nolite credere. Contra tam manifesta verba audent impii isti dicere, ecce Roma est Ecclesia, Romæ est Christus, Romæ est Vicarius Christi. Quando ergo tempora ista jam*

(h) *Item ad Ps. XVI.*

An. 1524.

jam currunt, de quibus Christus locutus est, & furor impietatis Romanæ Evangelio tam manifeste resistit, nec intelligens, nec intelligere sinens, quid sit Ecclesia, armemus nostras intelligentias verbo Dei, firmiter credentes & certissime scientes, Ecclesiam Christi esse aliud nihil quam spiritualem fidelium collectionem ubi ubi terrarum fuerint, & quicquid est carnis & sanguinis, hoc est, quicquid est personæ, loci, temporis, & eorum, quibus caro & sanguis uti potest, non pertinere ad Ecclesiam Dei. Ideo caveamus omni studio ne cum lupis ululemus, & cum Romanistis romanisemus, hæreticos eos blasphemando, qui sub Romanæ Ecclesiæ seu curiæ potius collectione non fuerint. Christus enim & Apostoli, Petrus & Paulus, quia viderunt necessarium esse, ut corpora & nomina eorum in aliquo certo loco haberentur in terris; & hanc necessitatem futuram esse occasionem superstitioni & impietati huic, ut ecclesiam eadem locis affigerent, & sic ecclesiam e spirituali collectione in temporalem traherent; prævenerunt ac sedulo nos monuerunt. Insuper ne Christum ipsum in hanc impietatem sibi pro patrocinio haberent, curavit incomprehensibili consilio, ut Jerusalem vastaretur, & conculcaretur a gentibus, quod nisi fuisset factum, nemo prohibere potuisset, quin locum Jerosolymitanum tanta specie & titulo præditum, pro Ecclesiæ capite erexissent. Ubi hoc prohibitum est, cœptum est Romæ id mali, titulo S. Petri & Pauli, verbis Christi, Tu es Petrus, & pasce oves meas, magna specie huc detortis. Verum & hic restitit Christus potenter, nec enim permisit unquam fieri, ut Rom. Pontifici esset subjectus totus orbis; quod tamen fieri oportuisset, si jure divino staret ille Primatus, quia verbo & promissioni divinæ nemo potest resistere. Nec sic tamen aperimus oculos ut figmenta Satanæ videamus. Unde Petrus has fictiones pulchre prædixit 2. Petr. 2. Erunt in vobis Pseudo-Magistri (pene dixisset Magistri nostri eximii) in avaritia fictis verbis de vobis negotiantes. Quid enim magis fictum est quam dicere, quod petra significet potestatem regitivam Petri, & pascere, monarchiam Papæ? aut ad quid valet ista monarchia, nisi ad avaritiam, quæ suum quæstum in nobis exercet? Quare ut meam redimam conscientiam, ne ve in hora mortis meæ, & extremo judicio rationem impii silentii expostuler, his scriptis coram omnibus, qui legunt & audiunt, & coram cœlo & terra assirmo & confiteor, articulos istos, quos Lipsiæ Evangelicos & Christianissimos suscepi defendendos, Ecclesia universalis est prædestinatorum universitas, & eos qui ex hoc sequuntur, dicoque & protestor, eos fuisse impie damnatos, Conciliumque Constantiense, quantum in hanc partem, fuisse conciliabulum Satanæ, dum eos damnavit. Damno, excommunico, devito, detestor omnes, qui huic concilio affuerunt & consenserunt, aut adhuc consentiunt, sive sint Papa, Episcopi, Reges, aut quicunque dehinc, ne sanguine innocenti polluar. Ulterius protestor, si Johannes Huß & Hieronymus de Praga sunt ob nullam aliam causam (sicut videtur) exusti, quam propter hos articulos, factam esse eis injuriam, & Papam cum suis esse & fuisse crudelissimos & impiissimos homicidas, inimicos Christi & Ecclesiæ ejus. Testes erunt mihi hujus fidei & confessionis meæ quicunque hæc legerint. Ego sane ignorabam Lipsiæ sensum articulorum eorum, quorum verba vidi esse christianissima, ita non potui tum sensum, quem adulator Papæ dedit, confutare. At nunc cum extet Johannis Huß liber, ex præcedentibus & sequentibus video, & sensum eorum esse christianissimum, quid est Papa? quid mundus? quid Princeps mundi? ut propter eum veritatem Evangelii pro qua Christus mortuus est, negem? Valeat qui valet, pereat qui perit, ego sic sentiam, Deo propitio, semper.

An. 1524.

Quanta vero cum animi constantia Lutherus inter tot persecutiones veritatem istam Evangelii professus sit, paratusque fuerit, ad mortem pro illa subeundam, patet ex literis ad *Lampertum Thorn*, qui religionis causa in vinculis erat, mense Jan. 1524. datis, *Lib. II. Epistolar. p. 182.* in quibus cum gratulatus esset Lamperto, *de opulenta illa & magnifica gratia, quod pro Christi causa vincula pateretur*, hæc scribit: *Me miserum, qui primus ista docuisse jactor, & novissimus & forte nunquam vestrorum vinculorum & ignium particeps esse dignus sum. Vindicabo tamen hanc meam miseriam, & consolabor me quod vestra vincula mea sunt, vestri carceres & ignes mei sunt, sunt vero, dum & ea confiteor & prædico vobisque simul compatior & congratulor.*

(i) *Literæ ad Lampertum Thorn.*

SECT. 64.

Epilogus Maimburgii Lib. I.

Hæc prima bella sunt, quæ Lutheranismus in Germania produxit, sed tantum calamo & lingua intra septem priores defectionis Lutheranæ annos gesta. Jam alia apparebunt, quæ ferro & igne turbas horrendas dederunt, neque tamen funestum hæreseos hujus incendium extinguere potuerunt, sanguine licet innumerorum hominum effuso, qui vel pro ea destruenda vel defendenda cæsi fuerunt.

§. CLXXXIV.

Epicrisis.

Epiphonema hoc impertinens est, & sternendæ tantum viæ ad transitionem *de bello rustico*, quod libro sequenti describitur & Luthero imputatur, arreptum. Neque enim per annos hos septem intra verba stetit controversia de religione, sed sanguinis jam plus satis fusum fuit, tanto quidem crudelius, quod nullo bellorum strepitu, sed sub forma juris in inermes per supplicia horrenda sæviebatur. Ratio autem fuit Maimburgio sicco illa pede transire, ex quibus puriorem doctrinam profitentes in veritatis studio firmabantur, & deprehendebant, quo spiritu adversarii agerentur, utque prædicta in Scripturis novissimorum seculorum fata implerentur.

Hucusque scribendo perveneram, laborque meus & typographorum ad finem properabat, cum in *Actis Erudítor. Lipſ. Mensis Augusti* hujus anni 1687. excerpta *ex historia Ecclesi. Natalis Alexandri Dominicani Parisiensis* observo. Itaque librum celeriter allatum cupide pervolvi: sed statim mihi in mentem venit Virgilianum illud --- --- *ab uno Disce omnes* ----
Cochlæi nempe, Surii & similium sycophantiæ utramque paginam scriptoribus his novellis faciunt, qui nescio quo œstro perciti, in omnibus pene Europæ regionibus veteres & centies explosas recoquunt adversus Lutherum & Lutheranismum criminationes. Nam paucos ante menses etiam *Anglus* quidam anonymus Oxfordiæ duas edidit dissertationes de *Spiritu Lutheri & de cælibatu Sacerdotum*, quæ effreni maledicendi licentia superare Gallos videntur. Sed non est ut singulis commonstremus, ubi vel vetera exscripserint mendacia, vel nova finxerint. Quæ enim *Maimburgio* & *Varillasio* dicta sunt, illa *Monachus* iste & *Anglus*, & mille ejusdem genii sibi quoque dicta esse intelligant, & tandem diffidere autoribus suis incipiant. Illorum autoritate imponere possunt imperitis, iisque quos a librorum nostrorum lectione arcent, sed nec conscientiæ suæ satisfacient, nec quenquam ex nostratibus decipient, cui veritas ex irrefragabili optimorum autorum testimonio innotuit.
Nullum illa a mendaciis & cavillis præsidium quærit, sed se ipsam probat.

FINIS LIBRI PRIMI.

[An]n. 1525. An. 1525.

HISTORIÆ De LUTHERANISMO LUDOVICI MAIMBURGII e Soc. Jesu

LIBER SECUNDUS.

SECT. 1.

Transitio Maimburgii ad narrationem de bello rustico.



Uando Luthero ab initio hæresis suæ objiciebatur, quod nova ejus doctrina nil nisi turbas produceret, atque animos antea in omnibus religionis articulis perfecte unitos distraheret, dicto JESU CHRISTI abutens, semper respondere solebat: Non veni pacem mittere, sed gladium, *Matth. X. 34. Impletum hoc fuit alio quidem, quam intelligebat, sensu, eoque modo, qui Germaniæ funestissimus fuit, orto nimirum hoc anno bello rusticorum, ea, quam dicturus sum, occasione.*

COMMENTARII HISTORICI ET APOLOGETICI De LUTHERANISMO VITI LUDOVICI a SECKENDORF

LIBER II.

§. I.

[Ex]amen [transi]tionis [...] concor[dia] [E]cclesiæ.



Arum sani verique exhibet in transitione hac, qua librum suum secundum orditur Maimburgius. Ait, perfectam animorum in omnibus religionis articulis unionem fuisse, antequam Lutherus, ut loquitur, appareurit. Contrarium, credo, ipsi conscientiam suam dictasse; neque enim de interno in capitibus ad salutem necessariis ex verbo Dei consensu, quem Spiritus Sanctus in cordibus fidelium per totum orbem operatur, sed de externo agit: qui qualis fuerit, inde patet, quod non populus saltem universus, sed & maxima pars cleri in summa religionis ignorantia versabatur, unum illud credere jussa aut sueta, quod Pontifex cum schola sua statueret, quod ipsum paucissimi sciebant; doctiores vero ex clero & scholis innumeris distrahebantur controversiis, quarum sine dubio quædam ad summam religionis pertinebant. Quam ægre autem pontificiæ potestati obtemperatum fuerit, quantusque gravaminum numerus contra Papas & clerum prodierit, ex Actis tum antiquioribus, tum proximi ante Lutherum temporis manifestum est, & a nobis *Libro primo §. II.* annotatum fuit. Porro, verum quidem est, quod Maimburgius scribit, objectum fuisse Luthero, quod divisionibus & turbis doctrina sua ansam daret, sed objectio non est probatio: idem enim falsissime imputatum fuit ipsi Christo, & perpetuo objici consuevit veritatis Christianæ præconibus. Ita Thessalonicæ Paulum accusantes Judæi clamabant: *Hi, qui orbem concitant, & huc venerunt,* Act. XVII. 6. & paulo modestius, idem tamen Romani quiritantur: *De secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur,* Act. XXVIII. 22. Neque aliud persecutionum tempore, imo etiam post stabilitum jam publicis Imperatorum edictis Christi cultum, crepabant paganismi defensores. Idem Athanasio ab Arianis eorumque fautoribus opponebatur, unum esse illum, qui mundum turbaret. Itaque non abusus est dicto

A. 1525. Christi Lutherus, nec exprobrationem istam saltem de dissidiis, quæ intra verba aut libros consistunt, (ut Maimburgius innuit) sed de apertis turbis motibusque intellexit; imo hos secuturos esse, evidenter prædixit, ut *Lib. I. §. C. & CLXV.* monuimus. Nihil itaque inopinatum ei hactenus contigerat. Eodem calumniæ spiritu rustici belli occasionem Lutheranismo tribuit noster, quo *Cochlæus, Surius* & alii, quos sequitur. Altiora illius motus semina sunt; de quibus ut aliquid dicatur, veritatis interest. Accidit nempe Germaniæ, quod aliis regionibus, quarum status verus & internus ab antiquo instituto in novas formas detorquetur, quod nunquam sine magnis motibus fieri solet. Decantata illa Germanorum libertas, non solum principum aut procerum sive nobilitatis bonum olim erat, sed & suo modo infimæ plebis. Patet id ex consideratione temporum, quibus in tot populos divisi Germani, aut incertis vagabantur sedibus, pro agriculturæ aut pascuorum commoditate, aut si quas longiori quadam possessione proprias sibi asseruissent, ita colebant, ut nihil præterquam victum & amictum (simplicissimum utrumque) desiderarent, pro sua tamen quisque conditione; ita ut principum & procerum prærogativæ & opes in equorum & armorum, & in satellitii sive clientelæ numero consisterent. His ad bella, quæ gens ferox non semper prædæ aut proferendorum finium, sed aliquando gloriæ & ultionis causa adibat, opus habebant principes. Nota ista sunt vel ex *Corn. Taciti* libris, ex quibus etiam discimus, nullam fere pecuniæ notitiam aut usum illis fuisse, mercium permutatione contentis, & altero demum post Christum natum seculo eos, qui Romanorum provinciis finitimi erant, aurum & argentum noscere cœpisse: unde colligi potest, tributorum imponendorum aut nullum aut admodum simplicem & tolerabilem modum fuisse. Cum vero Germanorum, aliarumque ex septentrione gentium, coloniæ numerosissimæ Galliam Italiamque ipsam, prostrata Romanorum potentia, replevissent, alia vivendi ratio & regiminis forma ex assumtis eorum, quos devicerant, ut fieri solet, moribus, sensim invaluit. Certe sacerdotes & tot monachorum familiæ ex Italia, Gallia & Britannia in Germaniam postea delatæ, cum ipsa religione christiana artes etiam politicas & œconomicas antea parum notas introduxerunt, non tamen sine abusu, qui res etiam bonas comitari aut sequi solet. Arctiori nempe imperio subditi premi cœperunt, aut durioribus conditionibus agros fundosque colendos acceperunt, ut esset, unde ad peregrinæ elegantiæ exemplum, victus, amictus, ædificia & alia pararentur. Notabile vero luxus incrementum observari potest posterioribus Friderici III. Imp. annis, cum filius ejus Maximilianus externæ affinitati, lætoque, quo erat, genio indulgentior, a patria simplicitate longius abiret. Occasionem etiam inutilis sumtus dedit ingens cleri & monachorum, semper auctus per novorum sodalitiorum seu ordinum inventa numerus, longe lautius, quam primi ordinum autores constituerant, viventium. Augeri itaque etiam operæ plebis, (quas servitia, Frohn-Dienste vocant) & graviores mulctæ indici, & usuris gravissimis augeri peculia cleri cœperunt. Accessit decimarum collectio, sive ad Levitici juris imitamentum, sive prætextu expeditionum adversus Saracenos & Turcas, qui Palæstinam occupaverant. Nec ignotum est, quantum sanguinis ea de causa Henrico IV. imperante in Thuringia & Saxonia fusum sit, rebellante, ut onus illud decimarum evitaret, populo. Tardius ad tributa imponenda ventum est, nec sine magna difficultate. Majori id cum subditorum offensa fiebat a proceribus ecclesiasticis, qui jurisdictionem benignitate principum acceperant, aut ære acquisiverant, & mitius cum colonis agere debere videbantur. In plerisque etiam principum secularium, quos vocant, [illegible]iis non nisi consensu nobilitatis & civitatum tributa indici consueverant, cum multi ex ecclesiasticis ditiones suas ex conquisitis vario titulo particulis conflassent, & cum subditis pro arbitrio agerent. Acerrimi veterum jurium & immunitatum vindices extitere Helvetii, quorum acta in depellendis dominis notiora sunt, quam ut referri debeant. Sed propinquiora Lutheri temporibus fuerunt Belgarum molimina, quibus perpetua querela erat de libertatis veteris immunitione, & tributis absque populi consensu impositis. Pertinent huc, ut vetustiora taceamus, fere omnia quæ Gandavensium potissimum impetu adversus Maximilianum, de quo diximus, multis annis gesta sunt, ipso etiam Brugis in custodia detento. Sed cum aliæ quoque causæ motui illi obtendantur, eum tamen, qui postea in Hollandia potissimum secutus est, & a scriptoribus Belgicis, tum a *Fabricio in anno 1492* notatur, ex ipsius Cæsaris Maximiliani sententia, omnino huc referre licet. Audiamus illum in Oratione comitiali ad Imperii proceres anno 1507 Constantiæ congregatos habita, quam *Libro primo Addit. ad §. LXXXI.* allegavi. Postquam enim retulisset, ut ex Belgio ad suppetias Friderico Imp. parenti suo contra Hungaros ferendas regressus, laudatissimum & fortissimum Principem (den löblichen und theuren Fürsten) Albertum Saxoniæ Ducem provinciis illis præposuisset, hæc subjungit: *Rex Galliæ per Ravensteinium* (Philippus erat, ex Clivensi familia) *plebem Belgicarum provinciarum excitavit; collecto enim exercitu rustici in vexillis caseum & panem depingi fecerunt, & Casembrodii vulgo vocabantur; dicebant, se plebis onera sublevaturos, & nobilitatem in ordinem redacturos esse. Convenerant ab initio sex millia; sed triginta aut quadraginta millia facile confluxissent. Verum ab Alberto, cui quidam ex Batavis & Brabantiis Cæsari fidi assistebant, prælio victi & dissipati fuerunt. Sic deterriti sunt ab ausis suis rustici. Absque illo successu Rheni tractus Moguntiam usque, & quæ Mosella adjacent, perdita fuissent, & plebs illa omnes proceres ecclesiasticos & civiles expulisset.* Hæc Cæsar. Eodem fere tempore, anno videlicet 1491. (ut *Crusius* & alii Suevicarum rerum scriptores memorant,) subditi Campodunensis Abbatis (Kempten) in Algoia, Sueviæ regione, (quæ ex Alemanniæ veteris nomine reliquias servare videtur,) tumultuari cœperunt. Dein anno 1503 circa Rhenum in agro Spirensi, fœdus rusticorum conflatum est, quod veteri formula vocabant *calceum militarem*, den Bundschuch. Hi ad Helvetiorum exemplum liberi esse volebant. Gravior itidem in Würtenbergica regione anno 1514 seditio erupit, cum Ulricus Dux tributum, modicum licet, id est, nummum ex pretio floreni, exigeret. Autor erat *Conradus* quidam Beutelsbacensis agricola; (vulgo der arme Cuntze) & jam tum exitium non nobilitati saltem, sed & prælatis & clero intentabatur: ho-

Marginalia: (2) *Antiqua & vera rusticæ seditionis causa.* — An. 1525. (3) *Seditionis exempla ante Lutherum;* — (4) *in Helvetiis & Belgis;* — (5) *item in Suevia,* *atque ad Rhenum;* — (6) *in Ducatu etiam Würtenbergico;*

A. 1525.

horum enim avaritiam & malos mores impatienti-us ferebant. Occupatum erat a tumultuantibus Schorndorffium, aliaque oppida, ita ut nisi summa diligentia Cæsar vicinique principes, missis legatis, consilia & vires junxissent, etiam ante Lutheri conciones evenissent, quæ post annos decem sunt secuta. Tunc vero prudenti onerum moderatione & paucorum supplicio sopitæ sunt turbæ. Circa idem tempus in Austria tumultuatum est, majori cum sanguinis profusione. Anno enim 1515. cum mense Julio Maximilianus I. Cæsar, cum Hungariæ & Poloniæ regibus celeberrimum conventum Viennæ haberet, duo rusticorum rebellantium millia in Carnia a Joh. Herbersteinio cæsa sunt. Id relatum ad Cæsarem & inter prospera habitum fuit, ut in *Hodæporico Matthæi Cardinalis Gurcensis*, postea *Salisburgensis*, narrat panegyristes regii istius congressus non ineptus, *Richardus Bartholinus Perusinus*. Sed illi consentiens & notior autor *Joh. Cuspinianus*, medicus & consiliarius Cæsaris & præfectus Viennensis, ut & rerum Pannonicarum scriptores, Hungaricæ plebis horrendam seditionem referunt, quæ paulo ante vix oppressa fuit a Johanne Comite Zepusiensi, Transsylvaniæ Palatino seu Waiwoda, qui postea Regis titulum usurpavit. Iis idem, ac Germanis tumultuantibus, prætextus erat, tyrannis & libido prælatorum & nobilium. Grassabantur autem, Georgio quodam Siculo, sive Ciculo, Laurentio presbytero, ac Michaele monacho ducibus, ac prælatos & nobiles palis infigebant, quod & Episcopo Chonadiensi contigit. Totam nobilitatem morti addixerant, ex qua etiam quadringentos interemerunt: & ex quatuordecim regni Episcopis non nisi unum ferre decreverant. Incredibile pene est, hoc tumultu septuaginta omnis ætatis & sexus hominum millia interiisse; id tamen autores fide digni narrant, & relato eo, *Cuspinianus* in *diario congressus* (de quo dixi) *Cæsaris & Regum*, cui ipse spectator non solum sed consiliarius Cæsareus aderat, exclamat: *Quod seculum mihi narrabit simile facinus? quis unquam talia aut legit aut audivit? sed longe majora sunt, quam quæ scribuntur, multa enim ob pudorem nemo scribere audet. Betulius*, sive à Bircken, in amplo *Rerum Austriacarum* opere *p. 1355. & seqq.* alium rusticorum motum ob tributorum gravitatem in finibus Austriæ & Croatiæ, in der Windischen Marck, exortum refert anno 1517. quem in festo Michaelis, edita factiosorum strage, Sigismundus Dietrichsteinius, illustrissimæ familiæ propagator, oppressit. Allegant Hungarorum & Croatarum casum seditiosi Suevi, in libello impudentissimo, quem adversus magistratus ediderunt, ad excitandos aliarum provinciarum colonos. Titulum habet prolixum, picturam etiam ignominiosam; summa inscriptionis est: *Adhortatio ad communionem rusticorum, a fratribus in provinciis superioribus bona mente edita.* An die Versammlung gemeiner Baurschafft, von den Oberländischen Mit-Brüdern guter meynung ausgangen. Caveri inter alia jubent discordias, *ne fatum*, ajunt, *incurratis, quo ante annos novem Hungari & Venedici* (in Windischen landen) *perierunt*, & *pauper Conradus cum suis.* (der arme Cuntze.) Hæc & alia, quæ ex historicis istorum temporum prolixius petere licet, Luthero ejusque doctrinæ imputari utique non possunt. Silentio ista transmittunt calumniatores, quæ tamen in Ecclesia illa, summe scilicet catholica & consentiente, (qualem nobis depingunt,) publice patrata sunt, maximas vero tragœdias de bello rustico anni 1525. excitant, non aliam ob causam, quam ut invidiam Luthero & dogmati ejus concitent.

(7) *in Austria,*

& Hungaria,

(8) *nec non in Croatia.*

A. 1525.

SECT. 2.

Cum Lutherus ex latebris suis Wittenbergam, ad reprimendam Carolostadii, imagines sacras confringentis & crucifixi simulacra in humum projicientis, insolentiam accurrisset; deprehendit, permotum istum ad impietatem talem a duobus mortalium nequissimis fuisse, qui erant Nicolaus Storkius *&* Thomas Müntzerus, *primi Enthusiastarum & Anabaptistarum duces & capita. Scelesti hi, deserto Luthero, cujus sectam ut nimis laxam taxabant, novamque moliti, externa devotionis & disciplinæ specie homines decipiebant, dicebantque, vivendum esse ad revelationum ductum, quæ a Patre cœlesti in oratione fierent, nullasque esse leges neque ecclesiasticas, neque civiles, quibus homines obligarentur; omnes enim pariter filios Dei, & per Jesum Christum in plenam libertatem assertos esse, qui proinde æquali jure in omnibus reliquis rebus gauderent, ut nemini fas sit aliis imperare, aut onus quodcunque invitis imponere.*

Lutherus cum doctrina tam perniciosæ sequelas periculosas videret, neque pati posset, ut alius quisquam in caput factionis sese erigeret, fanaticos istos Wittenberga expulit. At hi multos jam sectatores habebant, & per totam Germaniam dispersi Anabaptistarum prorsus more concionabantur, excepto, quod nondum rebaptizarent. Seditiosum vero dogma profitebantur præcipue apud rusticos, ad id recipiendum valde dispositos. Erant enim jam fere omnes Lutherani, qui perpetuo in concionibus libertatem evangelicam prædicari audiverant, qua, ut Lutherus docebat, homines liberi fierent, & a tyrannide traditionum humanarum exsolverentur. Cum igitur his creberrime ingererent, velle Deum, ut liberi essent, &, captis armis, ab oppressione dominorum seu potius tyrannorum ecclesiasticorum & secularium, a quibus intolerabilibus oneribus gravarentur, se vindicarent, Deum etiam præcepisse, ut inter filios suos, sicut in primitiva Ecclesia, omnia communia essent, paulo post universalis rebellio rusticorum erupit, libertatem evangelicam ubique inclamantium.

Arnold. Meschov. hist. anabapt. Lib. I. Cochlæus. Sleidan. l. 4. & 5. Chytr. Sax. l. 11.

(1) De Carolostadio, Storkio, & Munzero, fanaticis, a Luthero pulsis; eorumque errore & secta.

§. II.

Quod Lutherus Wittenbergam ex custodia reversus deprehenderit, Carolostadium a Storchio & Munzero ad novationes permotum esse, non satis certum est. Suspicatus id fuit Lutherus, ut patet ex libello ejus, hoc anno 1525 ineunte, edito, *contra cælestes prophetas & Carolostadium, Tom. III. Alt. f. 40. 41. 42.* & alibi. Sed, ut erat placabilis, & in-

(1) *Veriora de Munzero & sociis, eorumque dogmatibus & factione, ante Lutherum tenta-*

An. 1525.

ta, & quid hic adversus eos egerit.

mitiorem partem propensus, publico postmodum scripto Carolostadii excusationes, si non probare, tamen nec rejicere prorsus voluit. *d. Tom. III. fol. 109.* Dein, quod Maimburgius innuere videtur, Munzerum & Storchium uno tempore Wittenbergæ fuisse, aliter se habet, & quando Munzerus ibi fuerit, incompertum est; cum Storchio non adfuisse, ipse ante mortem fassus fuit. *d. Tom. III. f. 137. a.* Dubitandum quidem non est, ex ejus concionibus Zvicaviæ habitis Storchium & alios insaniendi impetum cœpisse; sed dudum illa urbe exierat Munzerus, & Alstedii in Thuringia ecclesiastæ munus invaserat, indignante Luthero, & Friderici Electoris conniventiam improbante, uti ipse fatetur in *d. libello f. 49. & 52.* ubi cumprimis queritur, fanaticos nullibi grassari, quam in locis, ubi evangelica doctrina spatium & libertatem obtinuerit. Adde quæ *Lib. I. §. CLXXVI.* notata sunt. De dogmatibus Munzeri præter ea, quæ ibi diximus, consulendus est tractatus sub *Philippi Melanchthonis* nomine *Tomo III. Altenb. fol. 126. & seqq.* insertus; inde suppleri possunt, quæ Maimburgius omisit aut nescivit. Disciplinæ, cujus laxamenta Luthero imputabant, correctionem in rusticitatis & sordium affectatione quærebat vesanum Munzeri caput; jubebatque suos taciturnos & torvum videntes, & promissis barbis hispidos, vili vestitu incedere, jejuniis corpus aliquamdiu macerare, in angulo reclusos otiose (in der langen weil) de Deo cogitare, obortisque, quod fieri debere non negabat, dubitationibus, signum petere, eoque nomine cum Deo proterve expostulare. (blasphemæ & obscœnæ formulæ referuntur *Tom. III. f. 128.*) Hæc quantum a Lutheri doctrina, qui ad regulam verbi divini omnia referebat, distent, nemo non videt. Neque quidquam cum libertate Christiana, quam ille urgebat, commune habebat conjuratio adversus magistratum, quam Munzerus non probabat solum, sed adscito turbidissimo quoque ex vicinis regionibus, (ex quibus multi ad conciones ejus Alstedenses conveniebant) ipse promovebat, præscripta formula fœderis. Ut vero tanto clarius appareat, ipsum hoc a Luthero nec didicisse, neque occasione ejus doctrinæ arripuisse, interrogatus postea per tormenta, confessus est, *se jam Halis Saxonicis, cum hypodidascalus esset, Ernesti Saxonis Archi-Episcopi Magdeburgensis tempore, talem factionem procurare cœpisse.* Decesserat autem Ernestus anno 1513. quinque annis ante cœptam a Luthero de religione disputationem. Vide *d. Tom. III. f. 132. & 137. b.* Calumniosum præterea est, quod Lutherus ideo restiterit fanaticis, quia ferre noluerit, ut alius in factionis caput erigeretur. Quoties enim deprecatus sit invidiam illam, qua factionis & sectæ autor habebatur, ex scriptis ejus constat. Indicatum etiam fuit *Libro I. addit. ad §. CXVIII.* Lutherum suspendisse judicium, & probari spiritus hominum illorum jussisse; admissurus itaque erat, si quid sani & recti proposuissent. Verum etiam non est, expulsos illos a Luthero Wittenberga fuisse; ipsi enim, ut narravi, cum improbari sua a Luthero viderent, nec jussi nec coacti, sed ex improviso & irarum pleni abierunt. Non magis probari potest, rusticos tumultuantes omnes fere Lutheranos fuisse, aut conciones evangelicas audivisse. Certe apud eos, qui motuum initium in Suevia, Alsatia & Franconia fecerunt, quorum maxima pars Episcopis & Prælatis subditi erant, Lutheri doctrina non fuit prædicata, neque id patiebantur Episcopi, ubi jurisdictionem & potestatem habebant, maxime vero ubi temporalem cum diœcesana junctam. Licet itaque conjuncti in Suevia primo inter articulos XII, de quibus paulo post dicemus, Evangelii puram prædicationem postularent, Lutherus tamen haud immerito judicavit, id prætextus causa fieri. Notabilia sane sunt verba responsionis seditiosis ab illo datæ, in qua tamen Cochlæo, & malevolis aliis, plus justo rusticis tribuisse vel indulsisse, visus fuit. *d. Tomo III. fol. 121. Non est* (scribit) *verum, quod de evangelica doctrina & vita jactatis; nullum proponitis articulum, qui ullam Evangelii partem doceat; omnes eo tendunt, ut corpora & bona libera habeatis. Omnes in summa ad temporalia pertinent, quæ absque injuria & vi possidere vultis; Evangelium vero de illis nihil tractat, & vitam externam in afflictionibus, patientia & contemtu opum & vitæ ponit. Quid igitur vobis est cum Evangelio, nisi quod prætextum ex eo sumitis conatibus vestris, qui nec evangelici nec christiani sunt? &c.* Ostendit porro, etsi serio peterent, quam jure petere possent, libertatem evangelicæ prædicationis, vi tamen a magistratu non esse extorquendam; deserendam potius regionem, & eo concedendum esse, ubi libertas illa indulgetur. Allegat dictum Christi Matth. X. 23. *Fugite in civitatem aliam.* Idem antehac sæpe inculcaverat, ut patet ex iis, quæ *Libro primo* ex scriptis ejus de officio magistratus & subditorum retulimus. Multum autem interest, si negotium religionis per tumultum plebis, aut autoritate publica tractetur. Interim verum est, justo Dei judicio factum esse, quod in iis potissimum regionibus, ubi evangelicæ doctrinæ prædicatio prohibebatur, tumultus primi & maximi orirentur. Agnovit hoc lethaliter tunc decumbens Fridericus Saxoniæ Elector, in literis ad Johannem fratrem, successoremque postea suum, qui a principibus vicinis, Episcopis maxime Franconiæ, ad fœdus contra rusticos invitabatur, sed & propiorem seditionis causam ingenue confessus est. Merentur utique verba tanti Principis adscribi ex epistola *die Veneris, Passioni Domini sacra,* (erat tunc 14 April.) 1525. *Lochaviæ* data, quæ inserta est, cum aliis duabus, *Tomo II. Alt. fol. 877.* E. Lbd. wolt ich von Hertzen gern mein Bedencken anzeigen / was den Fürsten zu Antwort solt gegeben werden / aber E. Lbd. wissen meine Schwachheit / so ist das ein grosser Handel / daß man mit Gewalt handeln soll / vielleicht hat man den armen Leuten zu solcher Auffruhr Ursach gegeben / und sonderlich mit Verbietung des Worts Gottes / so werden die Armen in viel Wege von uns geistlichen und weltlichen Oberkeiten beschweret. Sensus est: *Vellem utique consilium meum aperire, quid respondendum sit principibus, (auxilia contra rusticos postulantibus) sed notus est morbus meus; res tamen ardua est, vi agere; fortassis maxima causa motuum miseris data est, prohibita prædicatione verbi Dei; præterea subditi multis modis a nobis politicis ut & ab ecclesiasticis magistratibus gravantur.* Hanc ipsam tributorum & onerum causam, & remedium adversus eam, indicat in ultimis literis pridie ante obitum, *die Jovis post Miseric. Dom.* (*d. 4 Maji*) dictatis: (scribere enim præ debilitate ipse non potuit, idque excusavit.) Wo E. Ld. zu Francken mit dem zehenden Pfennig / den E. Ld. abgethan /

(2) an rustici fere omnes Lutherani fuerint?

An. 1525.

(3) Lutherus negat, eos Evangelii causam agere, neque eam ad tumultum trahi licere.

(4) Friderici Saxoniæ El. de motu rustico sententia.

An. 1525. gethan / unter dem volck etwas eine stillung und gehorsamen willen machen könten / so wäre es an den und andern orten nicht übel gethan / unser HErr Gott wird es E. Lbd. und mir ohne zweifel in andere wege wiederum reichlichen und gnädiglich wiederstatten. id est: *Si in Franconia* (Coburgensi tractu Saxonicæ ditionis) *abolitione decimarum* (intelligit tributum cerevisiæ & vino imponi cœptum, quod erat decima pars amphoræ) *quam mandasti, tranquillare aliquatenus populum & ut ad obsequium redeat efficere posses, recte id & ibi & aliis in locis fieret. Deus tibi & nobis id sine dubio aliis modis largiter & benigne compensabit.* Æterna laude digna est pietas, quam die sequenti, qui ei vitæ ultimus fuit, post peractam sacram confessionem & communionem, referente *Spalatino*, testatus est, cum adstantes ministros famulosque ita alloqueretur: Lieben Kindlein/ ich bitte euch um Gottes willen/ wo ich euer einen irgends erzürnet hätte/ es sey mit worten oder wercken/ ihr wollet mirs um Gottes willen vergeben/ und wollet mir andere Leute auch um Gottes willen bitten / sie wolten mirs auch um Gottes willen vergeben / denn wir Fürsten thun den armen leuten allerley beschwehrung/ und das nicht taug. id est: *Filioli charissimi, per Deum vos rogo, si quem vestrûm verbo vel opere offendi, ut mihi propter Deum condonetis, idemque meo nomine alios rogetis. Nos enim principes miseris subditis multas inferimus molestias & injurias.* Incidi in exemplum scripti, (*Reg. N. fol. 486. PP. n. 7.*) quod hoc ipso anno 1521 coloni Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ, magno numero supra centum millia congregati, ad nobilitatem & magistratus miserunt. In eo nullam reformationis circa religionem mentionem faciunt, sed solum petunt, ut onera noviter inventa (die neuen fünde) abolerentur, paratosque se esse profitentur, ut vetera & consueta præstent, & nemini molestiam exhibeant. Ex his confirmatur, quod dixi, veram motuum causam ex novis oneribus plebi impositis extitisse, & plerosque religionem obtentui sumsisse. A. 1525.

(5) *Ejus pia mors & deprecatio.*

SECT. 3.

Magnus hic tumultus in Suevia initium habuit, tantaque fuit agrestium audacia, ut principibus & magistratibus duodecim articulos scripto porrigerent; quibus postulabant, ut sibi potestas concederetur eligendi ministros, purum verbum Dei, sine omni humanorum decretorum admixtione, prædicaturos: ut decimas non nisi ex frumento solvere tenerentur, solummodo in alimenta ministrorum & pauperum impendendas: ne principes & magistratus (quos toleraturi, eorumque mandatis, neque tamen aliis, quam quæ honestati & rationi convenire ipsi subditi judicarent, parituri essent) se posthac pro servis haberent, quia pretioso Christi sanguine omnes liberati essent. Porro, ut magna onerum, quæ exigebantur, parte levarentur: ut venandi & piscandi jus ubique haberent, Deum enim ab initio mundi hominibus dominium in bruta dedisse: ut sylvæ communes essent, & cuique lignorum usus permitteretur: denique ut omnes consuetudines aut potius abusus in detrimentum libertatis suæ introducti abolerentur. His denegatis, efficacia media sibi in promtu esse ad recuperandam libertatem, eamque contra omnem vim tyrannidis & oppressionis defendendam. Scriptum hoc passim divulgatum, magnoque applausu exceptum, rebellionem rusticam perfecit. Qui in Suevia erant, miserunt ab initio ad Lutherum, eumque arbitrum litium inter se & nobiles expetiverunt, nequaquam dubitantes, illum, qui primus libertatem evangelicam prædicasset, pro se pronunciaturum fore. Sed hæc spes eos fefellit. Lutherus enim, cum videret a multis culpam hujus rebellionis sibi attribui, quia libros pro libertate evangelica, & adversus tyrannidem traditionum humanarum, qua illa opprimeretur, lingua populari ediderat, prolixe respondit, ostenditque: obligari eos per sacras literas, ut principibus & magistratibus obedirent, licet hi potestate a Deo in subditos data abuterentur: ad Deum igitur recurrendum esse, & donec ille pro lubitu suo remedium daret, in patientia perseverandum. Addidit: arma, quæ arripuissent, damnationem illis esse allatura, nisi ea deponerent. Eodem tempore, ut iis gratificaretur, edito scripto, principes exhortatus est, ut leniori magisque Christiano more cum subditis agerent, iram divinam, nisi hoc facerent, minatus. Nihil denique quod potuit apud utramque partem omisit, ut ab armis utrinque discederetur, & de controversia amice transigeretur, obtestans, qui id non facerent, & in hoc bello ab una vel altera parte perirent, æternæ damnationis periculum non evitaturos.

(1) Initium tumultus in Suevia. Postulata tumultuantium.

(2) Lutheri de iis judicium.

§. III.

Verum est, initium tumultus in Suevia factum fuisse, sed confundit Maimburgius quæ anno præterito 1524 acciderunt, cum iis quæ hoc anno 1525 secuta sunt. Ex relatione enim quadam *d. 19. Jul. 1524.* ad Fridericum Electorem missa, intelligitur, in Turgovia magnum tumultum jam tum excitatum fuisse, contra Abbatem Reichenoviensem, (sub Episcopo Constantiensi) quod subditis conciones evangelicas denegaret; & ad Tengam, illius tractus oppidum, multa colonorum millia congregata fuisse, ut concionatorem quendam captivum liberarent. *Sleidani Lib. IV.* hæc sunt verba: *Mense Novembri (1524) cœperunt a suo domino Comite Lupfio, Suevo, dissidere homines rusticani, propter onera, quibus gravari se nimium querebantur: idem & alii deinde vicini faciebant, in suum quisque magistratum, ita quidem, ut Imperii senatus* (Regimentum Eslingæ tunc constitutum) *missis legatis controversias aliquot sedaret.* &c. *Martinus Crusius* in *Annalibus Suevicis Lib. X. part. III. fol. 583.* addit: *concursum rusticorum prope Ulmam anno 1524 cœpisse, quia Abbas quidam rustico morienti, ex veteri servitutis jure, jumentum unum, aliis duos equos abstu-*

(1) *Plura de principiis tumultus in Comitatu Lupfensi.*

A. 1525. *abstulerat*. Quæ sane res cum Evangelio nihil habet commune, & Abbatem decuisset, jure illo, quod mitissimi & optimi quique faciunt, moderate uti. Memorat idem *Crusius*, conscriptum tunc esse in Ducatu Würtembergico peditum cohortem contra Lupfenses agricolas; sed lente & trepide actum, indeque factum, ut anno sequenti tumultus gravior erumperet. Promovit eum sine dubio Munzeri & aliorum ejusmodi fanaticorum malitia, qui, cum plebis animos ad seditionem ob onerum gravitatem dispositos viderent, evangelicæ libertatis prætextum maleferiatis suppeditabant. Munzerus enim Alstedio profugus Norimbergam excurrerat, & inde quoque pulsus, in Sueviam ad tumultuantes concesserat, *Luth. Tom. III. Alt. f. 132.* Ad plebem sane concionem prope Basileam (Oecolampadii & Hugfeldi instinctu) habuisse inter tormenta confessus est, addita tamen excusatione, quod meliora suadentem non audivissent. *d. l. f. 131.* Inter discipulos ejus ibi primarius fuit *Balthasar Hubmeier*, vulgo *Fridbergensis* dictus, Ecclesiastes Waldshutensium concionator, aliique qui postea in Helvetiis plurimas turbas dederunt, quorum historia apud rerum illarum scriptores legenda est, & in compendio a *Sculteto* exhibetur *in anno 1525. p. 255.* Recruduit autem seditio sub initium anni 1525. & Lupfensium exemplum ante alios imitati sunt defectione, ipsis Calendis Januariis incepta, subditi Abbatis Campidonensis, de quorum motu, annis plusquam triginta ante excitato, supra aliquid diximus. Direptum fuit cœnobium & templum; captus ipse Abbas *Sebastianus Braitensteinius*, nobili genere natus, (neque enim alii in conventum illum recipiuntur) & ex arce, cui se incluserat, Campidonum ductus, adactusque ut oppido jura sua venderet. Proximi furebant Augustani Episcopi subditi in Alpensi quem vocant, Algoiæ tractu, tum in Brigantini lacus ora, & in Hegoia. Cum his tamen transactum est d. 22 April. 1525. Extat conventionis formula in Tomis Lutheri, & ab ipso per Saxoniam typis properanter vulgata est, cum speraret, Thuringos eodem exemplo placari posse. vide *Tom. III. Alt. fol. 106.* De ducibus expeditionis postmodum dicemus. Transactionem istam procurarunt Hugo Comes Montfortius, Wolfgangus Gremlichius a Jungingen, Eques, & Senatus Ravenspurgi, oppidi Imperialis in Suevia. Summa capitum, in quæ convenerunt, est, ut rustici formulam conjurationis inter se initam abolerent, juramenti vincula, quibus se mutuo colligaverant, solverent, novoque jurejurando caverent, se nunquam ad ejusmodi factiones redituros, præstituros etiam esse dominis suis, quæ ante seditionem præstiterint, donec aliud jure evicissent, restituturos denique loca omnia, quæ occupassent, & quæ ex præda superessent. Promissa vero rusticis fuit amnestia, & constitutum arbitrium sive compromissum delectorum, ex parte dominorum & subditorum, per quos moderatio onerum æquo modo fieret; additæ præterea clausulæ sanctionum satis severæ, contra eos, qui denuo motus excitarent, & his pactis contravenirent. Enumerantur ii, qui pagorum nomine transactioni huic adfuerunt. Ut vero *Lutherus* in *præfatiuncula*, quam præmisit, transactionem summe laudat, ita in *epilogo* vehementer improbat rusticorum tumultum, omnium vero maxime, quod Evangelium prætexant: *Sic*, ait, *nomen Dei turpissime dehonestant & blasphemant, quasi Deo perfidi, rebelles & proditores, imo manifesti latrones ac sicarii placerent.* Tandem exclamat: *Væ vobis, falsi prophetæ, qui miseram plebem in corporum & animarum jacturam præcipitatis!* Istis Transdanubianis tribui debent articuli illi duodecim, quorum autor etsi a Luthero taceatur, ab illis tamen nominatur *Christophorus Schaplerus*, Zuinglianæ doctrinæ apud Memmingenses ecclesiastes: notant id *Sleidanus* in margine *Lib. VI. p. m. 128.* & *Achilles Gassarus* in *Annal. August. hoc anno*: excusat autem eum autor historiæ belli rusticani *Petrus Gnodalius*, eo argumento, quod subactis postea a Svevici fœderis ducibus apud Memmingam cohortibus rusticorum, & supplicio in civitate ipsa de aliquibus sumto, Schaplerus a civibus, ejus innocentia motis, clam in patriam, Sancti Galli oppidum, dimissus fuerit. Articulos non satis accurate recenset Maimburgius. Nam *Articulo II.* decimas non solum, ut ipse refert, in pastorum & pauperum, sed & in publicos usus impendi volebant, ne opus esset tributis. Dein, ubi *Art. III.* obsequium magistratui offerunt, non dicunt se mandatis parituros esse, quæ ipsi judicarent honestati & rationi convenire, sed in genere, *in omnibus rebus licitis & Christianis* in allen ziemlichen und Christlichen Sachen. Quæ de servitute eodem articulo queruntur, ad eam pertinent, quæ in Suevia & in provinciis ad Rhenum in usu est; alia quidem longeque mitior, quam personalis illa, quæ gentium jure introducta, & Romanis legibus operose descripta est; diversa etiam ab illa, quæ adscriptitia dici posset, in Bohemia, Lusatia & quibusdam Germaniæ regionibus usitata, ubi coloni certis fundis addicti sunt, a quibus discedere illis non licet. Svevica autem illa servitus speciali & vetusto more locorum nititur (neque enim universalis est,) & in eo fere consistit, ut istiusmodi homines, quos *proprios* vocant (leibeigen) censum quendam annuum (gallinam ut plurimum) non semper principibus aut magistratibus, sed aliis quoque dominis, quos *corporis* vocant, (die Leib-Herren) solvant, & morientium jumenta aut vestimenta & suppellectilia ad dominos istos perveniant; tum, si domicilium mutare, aut in opificum collegia istiusmodi conditionis homines adsumi velint, ut jus migrationis & libertatis certa pecunia redimant. Aliud & gravius onus erat fundis inhærens, de quo *Articulo XI* expostulare videntur; id nempe, quo, mortuo colono, præter jumentum optimum (das theurste Haupt) etiam proprietas fundi ad dominum revertitur, ex ipsius arbitrio hæredibus concedenda aut adimenda: concessio autem illa non laudemio, quod in emphyteuticis fundis usitatum est, sed soluto fundi pene integro pretio fieri solebat; hoc vocant *casum mortis & corporis*, den Leibfall / oder den Todtfall / a prima scilicet concessione ortum, cum dynastæ &, qui eodem jure varie acquisito utebantur, prælati ecclesiastici fundos, titulo quodam quæsitos, ea conditione colonis tradidissent. Igitur neque hoc per se injustum, sed locationi simile erat, neque quidquam ad rem faciebat, quod pro avertendo hoc onere ex Evangelio allegabant. Ille porro *articulus*, per quem, ut Maimburgius refert, onerum magna parte levari voluerint, tam generaliter ab illis non profertur, sed specialius exprimitur. Postulant enim, ut servitia, sive angariæ, ad veterem modum reducantur; addunt, nach laut des Worts Gottes / *secundum verbum Dei*, quod scilicet æquitatem

(2) *Excursus Munzeri in Germaniam superiorem.*

(3) *Tumultus sub Abbate Campidonensi*

& Episcopo Augustano.

(4) *Transactio cum Brigantini lacus rusticis.*

(5) *Lutheri de ea sententia.*

(6) *De autore duodecim articulorum, & eorum contentu.*

A. 1525. tatem ex lege charitatis commendat; dein censuum modum ex conventione dominorum & colonorum statui cupiunt, eaque proportione, ne coloni egeant: mulctarum excessum tolli volunt, easque sine affectibus irrogari. Hæc fere sunt, quæ *Articulis XII* postulant, in quibus *primus* tantum ad Evangelii prædicationem pertinet, dicis causa, ut Lutherus indicabat, præmissus; quanquam etiam in colluvie illa hominum fuisse non sit dubitandum, qui serio religionis reformationem desideraverint; *ultimus* reservationem aut oblationem quandam continet: promittunt enim, si quid postulaverint, aut etiam obtinuerint, quod probari possit verbo Dei contrarium esse, ei se esse renunciaturos, si vero alia ex eodem verbo Dei demonstrentur, quibus frui debeant, id sibi integrum esse volunt. Concludunt verbis: *Pax Christi sit cum vobis omnibus, Amen.* Comminationem aut ostentationem virium, cujus meminit Maimburgius, non invenio in hoc scripto: modeste potius petere se dicunt, quæ desiderant. Responsum Lutheri prolixius referre debuisset noster, magis enim ad historiam Lutheranismi pertinet, quam operosa narratio belli rusticani. Laudandus tamen est, quod *Cochlæum* suum non penitus exscripsit. Hic enim immani maledicentia, & contra evidentiam veritatis, ex scriptis Lutheri elucentis, evincere vult, eum subdola & varia imo crudeli mente in hoc negotio esse versatum. Succinit ei, licet paucioribus verbis, *Surius* & alii, pari calumniandi libidine. Incitasse eum, ajunt, invectiva sua in principum vitia rusticos, dein, cum hos sterni & subigi audiret, principes ad sæviendum in victos adhortatum esse. Non autem tantum eodem tempore, ut Maimburgius loquitur, sed uno eodemque scripto principes hortatus est & rusticos, ediditque id mense Majo, antequam immania illa a rusticis Suevis patrata facinora rescivisset, certe priusquam tumultuantes in Thuringia oppressi essent. Igitur vix pervenisse Lutheri responsum ad superioris Germaniæ seditiosos ante cladem & dissipationem eorum potuit, incertumque est quis ejus fuerit effectus. Meretur tamen scriptum, ut paulo plura ex eo referantur. Habetur id *Tomo III. Alt. p. 114. & seqq.* In exordio mentionem facit (des andern Zeddels) alterius scripti rusticorum, in quo nominatim a se consilium peti ait. Id vero rusticorum scriptum *in Tomis* non habetur. Dein haud male de iis sperare se profitetur, quia ad Scripturam provocent, ideoque testatur, se pro sua peritia candide & sincere responsurum esse. Alloquitur deinde ante omnia principes, & illis, maxime vero ecclesiasticis, quos *cæcos & furentes* vocat, imputat, quod Evangelii doctrinam prohibeant, & in eam sæviant, in politico vero regimine exactionibus grassentur, per quas, cum oppressione pauperum, luxui & superbiæ satisfaciant; monuisse se sæpius, ut caveant implementum dicti Psalm. CVII, 40. *Effusa est contemtio super principes.* Exarsisse jam iram Dei, ingruentibus pseudo-prophetis, qui errores maximos disseminent, & rusticos ad cædem & vastationem Germaniæ inferendam concitent. His instrumentis Deum uti, ut eorum contumaciam frangat, qui verbo divino obnituntur, & minati sunt, se Lutheranam doctrinam, etiam cum interitu provinciarum, extincturos esse. Graviter deinde a se amolitur calumniam, quod tumultus iste suæ doctrinæ fructus esse dicatur, cum tamen quietem & obsequium

(7) *Cochlæi & aliorum calumniis occurritur.*

(8) *Lutheri scriptum ad rusticos & principes:*

superioribus debitum semper prædicaverit, & contra omnem seditionem vehementer disputaverit: impossibile ergo esse, ut hoc dogma a se proficiscatur: autores esse pseudo-prophetas illos sanguinarios, (die Mord-Propheten) qui jam toto triennio in plebe concitanda occupati fuerint, quibus nemo animosius quam ipse restiterit. Si sibi placuisset illorum sententia, se accedere tumultuantibus & ultioni incumbere potuisse; at id nec fecisse, nec esse facturum. Hortatur porro, ne spernant hunc tumultum, neque etiam nimis meticulosi sint, se enim non timere quod rustici superiores sint futuri. Attamen Dei & conscientiæ causa moderationi studendum esse, & antequam rem in casum mittant, furentibus paululum cedendum, & aliquid indulgendum. Scribit etiam, inter articulos duodecim quosdam justos & æquos esse; graviores se habere, quos postulet, quales in libro *ad Nobilitatem Germaniæ* exposuerit, ad totius Germaniæ statum spectantes. Spretos illos fuisse a principibus, ergo nunc non immerito hos audire. Singulatim inde de articulo primo statuit, Evangelii doctrinam omnino permittendam esse, licet etiam falsa (sub Evangelii prætextu) prædicentur, modo concionatores non concitent seditiones. Liberius ista dicta fuisse apparet, & a *Sleidano* omissa sunt; sed ex aliis viri libris explicari debent. Opponit enim illa tyrannidi, sive prohibitioni sacræ Scripturæ & concionum ex illa habendarum, cui periculum erroris prætexebatur. Ex cæteris postulatis probari illa posse putat, quibus exactiones quædam iniquiores corrigi petuntur, v. g. casus ille mortis, de quo dictum est. (der Leibfall/) Concludit admonitione, quod magistratus non vexandorum subditorum causa institutus sit, sed ad illorum commodum. *Quid juvat*, ait, *si tot florenos a rusticis exigatis, quot aristas aut grana ferunt agri, si vos nullum luxus & pompæ modum facitis?* Post hæc prolixiori oratione rusticos compellat: exprobrat illis ante omnia, quod se vocent agmen vel coetum Christianum sive Dei, Deum tamen lædant, arrepto gladio, cujus usus illis non competat, multo minus, ut in magistratus judicium exerceant, eosque jure suo spolient, longe majori injuria, quam ea sit qua se affici quiritentur. Omnium gentium legibus obsequium magistratui deberi monstrat, nec Christi disciplina solum id exigi; deteriores autem esse Christianos, qui principibus rebellent, quam Turcas & gentiles. Pessime igitur eos instrui a prophetis suis, & indubitatum illis, ni cessent, instare (non falsus vates) dicit exitium. Urget deinde quæ Christus a suis exigit *Matth. V.* ne vi resistant malo, eademque docentem allegat Paulum *Rom. XIII.* & *2. Cor. XII.* Addit Christianorum verorum tantum non esse numerum, ut tam ingentes coetus ex illis colligi possint, quales suos esse existiment. *Rara*, ait, *avis est in terris Christianus, utinam modo plerique honesti & probi gentiles essent, qui jura naturæ recte servarent.* His subjungit Christi dictum, Petrum coercentis, qui gladium sumserat; dein & suum exemplum verbis memorabilibus proponit: *Sævierunt contra me* (scribit) *Pontifex & Imperator; sed patientia mea effectum est, ut, quo magis sævierint, tanto latius propagata sit doctrina mea de Evangelio. Gladium nunquam strinxi, ultionem non exercui; defendi, quantum potui, potestatem magistratuum, etiam illorum, qui Evangelium & me persecuti sunt; substiti in hoc, & Deo omnia commisi,* sola

A. 1525.

(9) *Principes ad moderationem adhortatur;*

(10) *rusticis multa exprobrat;*

(11) *suum proponit exemplum.*

An. 1525. *sola ejus potentia & tutela nixus. Itaque invito Papa & omnibus adversariis, vivum me is servavit, (quod pro miraculo a multis & a me ipso agnoscitur) & Evangelio semper majora augmenta dedit. At vos nunc moleste intervenitis, & Evangelium vi promovere vultis, nec videtis, a vobis illud hoc modo vehementissime impediri.* Addit multa, quibus ostendat, quam frivole christianum nomen & causam prætexant: Christianos enim, qua tales, non pugnare gladiis, sed patiendo, sicut Christus dux ipsorum; arma Christianorum esse spiritualia, *2. Cor. X, 4.* Se itaque his conatibus eorum omni contentione, precibus etiam, resistere, nam sibi quoque exitium ab hac factione sanguinaria instare; sed Deum sibi adjutorem etiam contra hanc fore, sicut fuerit contra Pontificem: sponsionem facere se paratum esse, dicit, mille (si haberet) vitis, nihil eos christiano more aut jure efficere posse; si quid autem, ut sicarii & latrones, permittente Deo, perpetrent, id facturos maxima cum pernicie sua. *Articulos* deinde, quos apud principes, obtinendæ moderationis causa, aliquatenus commendaverat, aggressus, ut pertinaciam & præsumtionem factiosorum minueret, ostendit, quam nullo jure nitantur, negatque a bono & honesto viro conscriptos esse. (Derjenige/der eure Artickel gestellet hat/ist kein fromm und redlich Mann.) Abusum eum dicit dictis Scripturæ margini appositis; (quæ tamen in hoc, quod *Tomis* insertum est, scripto non apparent, in vehementiori autem alio, quod in quibusdam bibliothecis extat, reperiuntur, tali nempe, quale supra notavi) neque enim illis probari, quæ petunt. Subjungit, quæ supra retuli, quod Evangelii prædicandi libertatem extorquere violenter non liceat. Ad articulum *primum*, quo pastorum vocationem sibi arrogant, notat id fieri non posse, si jus patronatus ad magistratum spectet. Improbat etiam *secundum*, in quo de decimis suo arbitrio statuunt: hoc enim jus non ipsorum, sed dominorum esse. Adversus *tertium*, quo servitutem fidei christianæ contrariam esse contendunt, opponit exemplum Abrahami & Patriarcharum, qui servos habuerint, & dicta Pauli, servis obsequium injungentis; pessime itaque intendi per hunc articulum exæquationem omnium hominum, cum qua regna politica stare non possint. *Cæteros*, utpote ad Christianismum nequaquam pertinentes, Jurisconsultorum judicio permittit. *Epilogum* subnectit, tum ad principes, tum ad rusticos, & utrisque monstrat, in quibus peccent: principes nempe, prohibendo Evangelium, & gravando subditos; hos vero movendo rebelliones: metuere se, ne utrique cum animæ periculo ad arma procurrant: illi injusta defendendo; hi nullo jure gladium arripiendo: deplorat instantem Germaniæ vastitatem: consilium dat, ut delegentur ex nobilitate & civitatibus, quorum æquo arbitrio temperamenta potestatis & obsequii inveniantur: & preces suas offert pro avertendo malo, quanquam timendum esse dicit, ne Deus ejus progressum decreverit. Hæc pleraque & prolixe enarravit *Sleidanus dicto Lib. V.* sed ego præcipua capita, & stylum atque ordinem, secutus sum, quem libellus *Tomis* insertus exhibet. Neque enim, quod *Cochlæus* & alii, calumniæ speciosius inferendæ causa, confinxerunt, duobus libellis, sed, ut supra monui, uno, neque diverso, sed eodem tempore, mense nempe Majo, principes & rusticos admonuit, in tria capita sive rubricas distincto. Prima, & tituli loco, est *adhortatio ad pacem, ad articulos XII rusticorum in Suevia, in qua tum magistratus quam subditi officii sui fideliter admonentur.* Altera dicitur *refutatio XII articulorum rusticorum.* Tertia *commonefactio ad principes & rusticos simul.* Constat hoc non solum ex libello, ut in Tomis relatus est, sed & ex prima ejus editione, quæ in bibliothecis asservatur, forma, quam vocant, quarta. Sed non multo post, cum ad illum uberior notitia de rusticorum immanibus flagitiis, adversus principes, magistratus, & ecclesiasticos commissis, pervenisset, aliud scriptum publicavit, *contra latrones & sicarios rusticos*, wider die räubischen und mördischen Bauren. *Tom. III. Alt. f. 124. & seqq.* Breve id est, sed acre. In priori, ait, a condemnatione rusticorum abstinendum sibi fuisse, quia ad jus & judicium provocaverint; cum vero intelligat, eos modestiam illam mentitos esse, & nunc diabolico plane ausu grassari, Mülhusii potissimum, tria illis jam crimina exprobrat: *Primo*, quod juramentum, quo dominis suis obstricti erant, violarent; *dein*, quod in seditionem manifestam erupissent, monasteria & arces exspoliarent & destruerent, aliaque perpetrarent, quibus læsæ majestatis rei fierent, ideoque ab omnibus ut hostes publici & rabidi canes tractari deberent; *tertio*, quod Evangelio palliare velint infanda illa crimina, & alios (id enim faciebant) invitos in societatem suam vi & minis pertraherent, quam, cum contumelia Dei, christianam vocent. Affert porro contra prætensam bonorum communionem fundamenta Scripturæ, & magistratibus jus fasque esse, imo pro conscientia incumbere statuit, ut contra sceleratos illos, absque ulteriori oblatione tractatuum aut judicii, vi agant. Qui magistratibus adsistit, etsi cadat, martyris honorem adipisci; rusticos in flagranti delicto cæsos damnari pronunciat; mitius tamen agi suadet cum illis, quos ad factionem suam, uti dictum est, demagogi coegerint. Magnam hoc scripto invidiam sibi conciliaverat Lutherus, ideoque *apologiam* per modum *epistolæ ad Casparum Mullerum, Cancellarium Mansfeldensem*, non multo post edidit *d. Tom. III. f. 141.* Queritur in exordio satis acerbe, quod omnia sua dicta & facta superbis censoribus offendiculo sint; deinde eos, qui rusticorum crimina excusent, culpæ socios fieri contendit. Nullo autem modo, ait, se suadere potuisse, ut cum enormiter grassantibus benigne ageretur, non magis ac Paulum, qui *Rom. XIII. 2.* dicit, *qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Exaggerat summam rebellium sævitiam, eosque dum nullius misereri voluerint, nullam mereri dicit commiserationem; negat tamen, se statuisse, ut nemini eorum parceretur: suasisse enim disertis verbis, ut dedititiis & pœnitentibus gratia fieret. Monstrat deinde differentiam inter christianismum & regna mundi; in illo neque gladii neque armorum usum esse, at hæc carere tuitione potestatis suæ non posse, neque manifestis sceleribus veniam, sed pœnas deberi, iis præsertim maleficis, qui oblatam gratiam respuant. Audisse enim se, Bambergenses & Casimiri Marchionis Brandeburgici subditos in Franconia, etsi plura illis, quam postulassent, aut eadem, quæ alii obtenturi essent, promitterentur, quiescere tamen noluisse. De Thuringorum vero ferocia, & ut rogando & docendo deteriores facti fuerint, se ipsum (conciona-

(12) *autorem articulorum culpat.*

(13) *Cochl. cum asseclis iterum confutatur.*

(14) *Alter & acrior Lutheri adversus rusticos libellus.*

(15) *ejus apologia.*

A. 1525.

cionatus enim apud illos erat, ut paulo post referemus) testari posse; neque illos solum puniendos esse, existimat, qui cædes patraverint, sed & eos, qui vim publicam aliis modis exercuerint. Non sufficere ad excusationem, si dicant, se ab aliis territos ad fœdus accessisse; pati enim potius extrema, quam scelerum manifestorum participes fieri, debuisse. Ignorantiam prætendi non posse, satis multa dicta & scripta esse, quale sit subditorum officium; non negat tamen, magistratus peccasse qui impediverint, quominus ubique plebs meliora doceretur. Si suo consilio locus fuisset, centum facinorosorum supplicio ab initio sopiri tumultum potuisse, qui postea tot millium sanguine opprimi debuerit. Defendit etiam dicta, quibus omnes exhortatus fuerat, ut rebellibus resisterent, & sic etiam privatos quasi armaverit. Ait enim, licere id omnino contra illos, qui manifesta rebellione & violentia grassantur, & magistratus potestatem, quantum in se erat, pessumdederint. Illos tamen ex Nobilitate acriter reprehendit, qui cum subditis jam devictis crudeliter agans, quidam etiam turpiter & lascive, quod exemplo cujusdam, qui Münzeri uxorem de stupro interpellaverit, (*fol. 150.*) ostendit: eos etiam taxat, qui papatum & monasteria instaurare velint. Respondet denique cavillationi, quod scripserat, bene mereri qui seditiosis resistant. Ait enim, præmium utique bonis operibus in Scriptura promitti; at bonum opus esse, officio magistratus strenue uti. His & aliis rationibus, quæ scripserat, magna cum fiducia ab omni inculpatione purgat. Acriter inprimis objurgavit concionatores quosdam, de quibus Amsdorffius ad eum scripserat, qui, adulatum principibus Lutherum esse, dictitabant. Vide *Epistolarum Lib. II. p. 289. & 290.* ubi inter alia scribit: *Ego sic sentio, melius esse, omnes rusticos cædi, quam principes & magistratus, eo quod rustici sine autoritate Dei gladium arripiunt.* Sed hæc postea ad defensionem libelli sui posterioris scripta & dicta sunt. Ab initio vero, cooperante Alberto, Comite Mansfeldensi, Seeburgum (quod Comes tunc possidebat) properanter, & ipsa Paschali Dominica, *die 16 April.* (mirante id Melanchthone *Ep. 16. Lib. IV.*) post concionem profectus est, & metallicorum plerosque adhortatione sua in officio continuit. Deinde & in comitatu Stolbergico, item Northusæ, Erffurti, Vinariæ, Orlamundæ, Calæ & Jenæ concionatus est, omnemque operam ad componendos seditiosos impendit; progressurus etiam ulterius, nisi subito ob mortem & exequias Friderici Electoris revocatus fuisset. Id *Spalatinus* in *vita Friderici MS.* indicat; & in relatione de gestis anni 1525. in Tomis Germanicis memoratur, *Tom. III. fol. 303.* Reversus domum, mense Majo, *Exhortationem* illam trium capitum edidit, & mox *alteram*, de qua dixi, adversus rusticorum furorem, qui semper in majus excrescebat.

A. 1525.

(16) *Iter Lutheri ad Comitem Mansfeld. & conciones ad placandos rusticos habitæ.*

SECT. 4.

Verum frustra scribebantur isthæc omnia. Rustici enim, a prædicatoribus fanaticis, promissa Dei nomine victoria, incitati, posthabito prophetæ sui judicio, in expeditionem prodierunt; cumque ab initio nemo obsisteret, horribili vastatione in Suevia & agro Würtembergico, itemque in Franconia, ad Rhenum, & in Alsatia grassati sunt, castella & domos nobilium diripientes, comburentes, aut funditus diruentes; imo ipsos dominos, nullo dignitatis aut juris bellici respectu, crudeliter trucidarunt; tanta barbarie, ut capto Winsbergæ Ludovico, Comite Helfensteinio, non solum nobiles omnes, qui locum defenderant, internecione cæderent, sed & ipsum Comitem, per hastas actum, interimerent, licet conjux ejus, Maximiliani Cæsaris filia naturalis, cum filio impubere, in genua procidens, misericordiam illorum imploraret, & suis infantisque lacrymis & clamoribus pro vita mariti supplicaret. Movit hoc Lutherum, ut mutato stylo tertium libellum scriberet, quo principes ad vindictam adversus furias has effrenes animabat, quæ totam Germaniam, ni tanti mali cursus promte sisteretur, desolatum ibant. Sed non expectabatur classicum hoc adversus belluinos istos, cæco furore actos, sine disciplina & experientia, tum absque fortitudine, grassantes. Ab una enim parte exercitus fœderatorum in Suevia, Ducibus Georgio Truchsessio, Barone Walburgensi, & Guilielmo, Comite Fürstenbergio, multis conflictibus circa Ulmam, Augustam, Biberacum & Constantiam eos fregerunt, tum horrendam illorum stragem, qui Würtembergicum ducatum & Franconiam vastabant, ediderunt. Ex altera parte Comes Palatinus, & Archiepiscopus Trevirensis apud Wormatiam, parum resistentes prostraverunt: & Antonius, Lotharingiæ Dux, fratre Claudio Guisio, Campaniæ præfecto, comitatus, ad Tabernas Alsaticas usque occurrit, ut ab ingressu suæ ditionis & Campaniæ eos prohiberet. Is tribus præliis plusquam duo millia ex illis cecidit. Interea Münzerus cum Pfeiffero, alio enthusiasta, dux eorum, quos in Thuringia concionibus seditiosis concitaverat, factus, hortabatur plebem ad prælium cum principibus conserendum. Hi enim spreta agrestium multitudine, recta adversus illos agmen mille quingentorum equitum, paucorumque peditum ducebant, confisi, turbam istam vilem cum militaribus copiis, licet numero inferioribus, gradum conferre non ausuram. Erant hi Johannes *Dux Saxoniæ, qui fratri Friderico Electori, ante paucos dies sine liberis defuncto, successerat, tum* Georgius *Saxo, ejus patruelis,* Philippus *Hassiæ Landgravius, &* Henricus *Dux Brunsuicensis. Cum exercitui rusticorum, in loco quodam edito prope Francohusam, castra curribus suis circumdata habenti, appropinquassent, miseratio subiit principes infelicium istorum, quos male compositos ad sustinendam vim conspiciebant. Miserunt itaque, qui vitam & domum redeundi facultatem offerrent, dummodo arma ponerent, & præcipuos rebellionis autores traderent. Flecti his cœperant miseri, & terreri, ut servi conspectis*

(1) De facinoribus rusticorum in Suevia

ad VVeinsbergam.

(2) Eorum clades.

(3) Principum in Munzerum expeditio & victoria.

 His dominis fustes gerentibus, cum Munzerus, inspirationem simulans, Dei nomine certam victoriam promitteret, extraordinario de cœlo auxilio contra tyrannos concedendam, signumque veritatis daret, dicens se globos ex tormentis hostium emittendos manicis suis sine noxa excepturum. Sic miserandi & stolidi illi adeo obfirmati sunt, ut oblata ferociter rejicerent. Sed cum invalida curruum circumvallatio magnis tormentorum ictibus disjecta esset, & peditatus per ruinas, strictis gladiis, irrueret, defensionis loco nihil aliud agebant, quam, ut hymno de Spiritu Sancto cantato, promissum cœlitus auxilium expeterent. Videntes autem, quod primi ordines, ovium instar, non repugnantes caderentur, Francohusam versus fugere cœperunt; sed equitatus, completo prius cadaveribus campo, promiscue cum fugientibus in oppidum intravit, omnesque captivos fecit. Inter hos, qui duces erant, duæ enthusiastæ, Munzerus & Pfeifferus, cum reliquis antesignanis, carnificis manu peremti sunt; hoc tamen cum discrimine, ut justo Dei judicio Pfeifferus, monachus apostata, in peccato suo moreretur, Munzerus vero, divina misericordia efficaciter motus, ante mortem converteretur. Hic finis belli fuit, quo intra quatuor aut quinque menses centum & triginta miserorum rusticorum, eorundemque Lutheranorum, millia interierunt. Idem bellum causam seditionum in plurimis magnis urbibus, veluti Coloniæ, Moguntiæ, & Francofurti ad Mœnum dederat; ubi cives, armis adversus magistratus sumtis, libertatem prætendebant constituendi ministros ad prædicandum Evangelium, secundum doctrinam Lutheri. Itaque nunquam major tumultus, confusio & laniena, aut plus effusi sanguinis in Germania fuit, quam infelici hoc anno.

(4) Tumultus Francofurti & alibi.

§. IV.

Potuisset longa hac narratione abstinere noster, cum tot alia dicenda haberet, propius ad doctrinam & res Lutheri spectantia; sed magnam illi ad digressiones, præsertim ad bellicas expeditiones describendas, propensionem fuisse, hic & alibi apparet; quanquam accuratius multa exequi debuisset, postquam semel constituit, harum rerum historia lectores morari. Et magna quidem diversitas est eorum, nec satis a Maimburgio observata, quæ in Suevia aliisque Germaniæ superioris provinciis, & quæ in Thuringia gesta sunt. Fanaticis incentoribus in tumultu suo usos esse Suevos & finitimos, aut Lutherum pro propheta habuisse, neque tamen judicium ejus secutos esse, dicitur, sed non probatur. Sane ante Calendas Maji pervenire transactionis d. 22. April. in Suevia factæ notitia ad Lutherum non potuit, itaque primum illud & perbreve scriptum, quo transactionem commendavit, supra *§. III.* ex *Tom. I. fol. 106.* relatum, ante illum mensem ineuntem edere non potuit; paulo serius etiam, eodem licet mense, respondit ad articulos, cum interim Idibus Maji in Thuringia debellatum esset. In Suevia, mense Februario & Martio, tres rusticorum exercitus diversis locis confluxerant; eodem enim tempore Suevici fœderis copiæ cum Ulrico VVürtembergico occupatæ erant, qui Ducatum a fœderatis ereptum & Ferdinando Austriaco venditum, conductis quibusdam Helvetiorum copiis, vindicare conabatur. Sed, eo pulso, exercitus fœderatorum adversus rusticos, circa Danubium castra habentes eductus est, quos hucusque induciis morati erant. Præerat copiis Suevicis, ut supremus dux, (Oberster Feld-Hauptmann) *Georgius* ille *Truchsessius*, ex antiquissima & splendida Sueviæ familia, quæ hodie Comitum titulo floret; peditatum ducebat *Guilielmus*, Comes *Fürstenbergius*; equites *Frobenius Huttenus*, ex nobilitate Franconica, Marescallus aulæ Moguntinæ, Ulrici, qui scriptis inclaruit, agnatus: cæsi sunt rustici ad Elchingam & Leippam infra Ulmam, sub initium mensis Aprilis: circa Idus mensis dissipati sunt Algoici: transactum cum Brigantinis & Hegoviensibus, ut diximus, d. 22. April. Interea diversa parte in VVürtenbergici ducatus & Franconiæ finibus, alius rusticorum cœtus in festo Paschali VVeinspergam oppidum occupaverat, duce *Georgio Mezlero*, caupone ex Moguntina ditione: Præfectus Weinspergensis *Ludovicus Helfrichius*, Comes ab *Helffenstein*, cum septuaginta equitibus, ex nobilissimis Sueviæ familiis, inter quos quatuor aut quinque præfecti Würtenbergensium districtuum (Obervoigte) erant, oppidum tuebatur; sed incolis plus justo fidens, proditione horum, intromissis ex improviso rebellibus, oppressus, passusque fuit, cum cæteris, quæ hic narrat Maimburgius. Alia immania furciferorum istorum facta *Gnodalius*, *Crusius*, & plurimi tradiderunt: neque enim alii sæviores fuerunt; inter quos tamen Evangelii doctrina locum vix invenerat, certe in Würtenbergica ditione a Regimine Austriaco severissime prohibita. Irreparabile damnum ex incendiis monasteriorum ortum est, cum vetustissima diplomata & monumenta absumerentur. Scelera autem illa ingentia, ultio secuta fuit gravissima. Truchsessius enim, post compositos ultra Danubium motus, Würtenbergicum agrum ingressus, Weinspergam d. 14. Maji Dominica Cantate cepit & exussit: præcipuos ex captivis, cædis autores, suppliciis exquisitis affecit, inter quos etiam fuit, qui, dum Helfensteinius & equites hastis confoderentur, tibias inflaverat. Inde in Franconiam progressus, ad Konigshofam & Engelstadium magnas strages edidit, VVurceburgensem arcem obsidione liberavit, rebelles urbe ejecit; mox tamen in Sueviam regressus est, ubi ad Memmingam aliquot millia agrestium denuo tumultuabantur. Sed interventu *Georgii Fronspergii*, qui eo tempore ex Italia, post pugnam ad Ticinum, ad sedandos domi motus accurrerat, absque sanguine cum iis conventum est, prudenti utique & pio consilio; quod si alibi observatum fuisset, pœna in paucos, metu in omnes perlato, tot millium sanguine abstineri potuisset, qui sium summo reipublicæ damno fusus est. Interim in Franconia *Spalatinus in historia MS.* ultra 170 arces enumerat, funditus a rusticis vastatas, inter quas quinque Seckendorffianæ fuerunt; alii majorem numerum tradunt, destructa etiam sunt monasteria pleraque. *Tertium scriptum*, quod hic Maimburgius a Luthero, post audita quæ VVeinspergæ a seditiosis perpetrata erant, editum fuisse refert, id ipsum est, quod supra enarravi ex *Tom. III. f. 124.* De die, quo editum fuit, definire nil possum; haud diu

(1) Distinctior narratio gestorum in Suevia, & Weinsperga.

(2) Suevici exercitus expeditio in Franconiam.

(3) Notatur Maimburgius, de tertio scripto Lutheri dissentiens.

A. 1525.

diu post primum prodiisse oportet, & ante pugnam Francohusanam, aut notitiam ejus ad Lutherum perlatam circa Idus Maji. Sed missis, quæ in aliis provinciis acciderunt, & prolixe recenseri possent, ad ea, quæ in Thuringia evenerunt, & a Maimburgio describuntur, notanda & addenda quædam habemus. Thuringos fanaticis Munzeri concionibus infatuatos esse, certum est, neque iis solum plebs agrestis, sed & oppidana, admissis intra mœnia rusticis, passim movebatur. Tumultuatum itaque est Erfurti, Isennaci, Arnstadii, Salzæ, Sangerhusæ, Islebiæ, & alibi, maxime Mulhusæ. Hic enim Munzerus, ex fuga redux, a quibusdam ex plebe, qui ejus conciones Alstedii audiverant, (quorum dux erat pellio quidam) introductus, &, invito Senatu, Ecclesiastæ munus adeptus est. Ejus impulsu, rejecto veteri, novus ex turbulentis magistratus constitutus fuit; monasteria in prædam cesserunt; ipse Munzerus Senatum novum consiliis regebat, sive, ut Lutherus ad Amsdorfium d. 11. Apr. (*Lib. II. p. 280. b.*) scribit: *Rex & Imperator erat, non solum Doctor.* Communionis etiam bonorum introducendæ initium fecerat, ita ut egeni ex plebe ab opulentioribus auferrent, quæ vellent. Hoc per aliquot menses duravit, & fortassis citius opprimi periculum potuisset, nisi Friderici Electoris morbus moram injecisset, aut Munzerus nondum ad extrema progressus, minus formidandus visus fuisset.

(4) *Thuringica specialius referuntur.*

ADDITIO I.

Moram etiam injiciebat simultas inter principes Saxonicos; diversaque de tumultu hoc judicia. Verisimile est Georgium Ducem suspicatum esse, Electori molimina plebis non multum displicere, neque in Actis invenio, quod ejus auxilium ante diem 2. Maji requisiverit. Tunc vero (*Reg. N. fol 101. lit.* G. *n. 38. 39.*) significavit, se in Thuringiam proficisci, poposcitque, ut copias suas eodem mitteret. Respondit Elector lethaliter decumbens, triduo ante mortem, se ex Saxonia neminem mittere posse, cum neque ibi plebi satis fideret: monet itaque ut cum fratre Johanne ageret, apud quem die 7. Maji comparituri essent Vinariæ copiæ quædam militares ex aliis præfecturis, se vi morbi oppressum expectare, quæ Deus decrevisset. Ad Fratrem eodem tempore scripsit, suadens ut compositionem ante omnia tentaret, virisque bonis, populo gratis, ad placandos motus uteretur, qui ex odio cleri maximam causam haberent. Quæ pridie ante mortem scripserit, supra retuli. Vix quisquam de tumultu illo vehementius questus est, quam *Conradus* ille *Mutianus*, cujus *Lib. I. §. XLII. Addit. lit. f.* mentionem feci, Canonicus Gothanus, vir doctissimus, magnaque apud Electorem gratia. Extant ejus literæ in *Centuria MS.* ab Hekelio collecta, elegantissimæ & ad effectus concitandos insigni cum artificio scriptæ, die 27. Aprilis. Notabile est, & ab aliis, quod sciam, vix allegatum, fortassis autem ex suspicione & metu conjectatum, quod scribit, *plebem a civitatibus Imperii concitatam esse mercatorum studiis, ut & Judæorum: eo nempe fine, ut principes omnes in Germania opprimerentur, & regimen democraticum aut aristocraticum, ad Venetorum exemplum, introduceretur.* Negari sane non potest, aliquas urbes non spernendi nominis insaniæ rusticorum participes fuisse; sed illa tenuiorum ex plebe culpa fuit: Senatu ubique refragante; excepto Mülhusino, aut si alio etiam loco dejecti veteres senatores, & novi ex plebe constituti fuerunt.

(a) *Motus rusticus a Friderico leniter tractatus.*

(b) *Mutiani querela.*

Postquam vero Munzerus Suevos sub initium anni 1525. ad arma provolasse intellexisset, jam audacior factus, tormenta bellica in cœnobio Franciscanorum ex ære fundi curavit, plebemque ex agris in urbem affluentem collegit. Incitabat cunctantem *Pfeifferus* exmonachus Præmonstratensis, homo nefarius, qui se quoque divinis somniis admonitum esse ferens, cum turba seditiosorum, in vicinum Mulhusio Eichsfeldensem tractum, Moguntino Electori subditum, excurrit, nobilium prædia spoliavit, & quosdam ex ipsis captivos duxit. Hoc successu elatus Munzerus fossores metallicos in Mansfeldensi comitatu, (ex quibus auditores Alstedii habuerat) ut vires jungerent, literis stimulavit; ipse postea cum trecentis nebulonibus Mulhusio egressus, Francohusam, haud ignobile, ob salinas, Comitatus Schwarzburgici oppidum, progressus est: ibi enim castra habebant tumultuantes rustici, ex Mansfeldensi ditione ejecti. Terruerat disjeceratque hos Albertus Comes, apud pagum Osterhaußen / & sexaginta saltem equitibus comitatus ad ducentos ex iis interfecerat; factum id esse scribit Lutherus, Wittenbergam reversus, in literis ad D. Ruhelium *Tom. II. Alt. f. 903.* eo tempore, quo Fridericus Elector decessit, id est, 5. Maji. Pridie vero ejus diei 4. Maji jam ad eundem Ruhelium ex Seeburgensi castro scripserat, *d. Tom. II. f. 886.* a quo consultus fuisse videtur, Alberti Comitis nomine, an liceret seditiosos vi aggredi? Respondit autem, id omnino licere, & utendum gladio, a Deo dato, adversus eos esse, nec attendendum quod nunc dicant, se nemini nocituros esse, neque Munzerum sequi: cur enim arma sumant? cur in agmen coeant, dominos expellant, cædant, & quicquid lubet, vi extorqueant? se, ait, si centies sibi moriendum esset, (scire enim, sibi quoque mortem ab illis intentari) acta tamen & postulata istorum non esse probaturum. Sed temporis ratio ostendit, ante acceptum hoc Lutheri responsum ab Alberto stragem istam editam fuisse. Idem tamen de compositione cum exercitu eorum, qui apud Francohusam castra habebat, Principum nomine acturum se esse receperat, impetrato etiam d. 11 Maji ab illis salvo conductu, ut cum triginta equitibus postero die tutus ad illos venire posset. Vocant eum in responso suo *nobilem Comitem & Christianum rectorem,* einen Christlichen Vorsteher. Sed instabile illud & insanum vulgus, cum Comes ob aliquod impedimentum dilationem bidui peteret, & interim Munzerus in castra venisset, mutavit mentem, & literis contumeliosissimis a Munzero scriptis, Comitem, ut aliquem ex plebe, ad se citarunt, extrema ei, ni pareat, tanquam hosti Christiani nominis capitali, minati. Hæc ipsius Lutheri narrationi debemus *Tom. III. f. 135.* in qua pie admonet Principes, ne superbiant ob successum, sed pœnitentibus gratiam faciant. In literis autem ad Comitem Albertum, a Luthero relatis, hunc ipsum rustici fœdis proscindunt scommatibus, & inter alia doctrinam ejus, quam Comes sequebatur, *Martinianum & rusticum stercus* vocant. Unde apparet, quales Lutherani Munzerus cum suis fuerint, & quam vere id asserat Maimburgius. Scripserat istas literas Munzerus d. 12. Maji, paulo prius tamen eas, quæ Mulhusii (non adscripto die) datæ, *d. fol. 134.* leguntur, ad subditos Mansfeldenses. In his fingit, totam Germaniam, Galliam & Italiam in motu esse, Deum spectacula editurum, malos omnes perituros: Fuldæ (oppidum & sedes Abbatis est, principali dignatione & potentia celeberrimi) in hebdomade Paschali quatuor templa vastata esse: ad Sylvam nigram & in Hegoia trecenta millia rusticorum convenisse, & indies augeri numerum: se nihil metuere, quam, ne homines isti insipidi ad transactionem quandam subdolam se induci patiantur. Confidere itaque jubet, promittens, si tres tantum *Deo dediti*, (Gott-gelassene)

(5) *Consilium Lutheri, Alberto, Comiti Mansfeldensi, datum.*

(6) *Munzeri furor,*

& in Lutherum convitia.

(7) *Contenta ultimarum Munzeri literarum.*

An. 1525. gelassene) & non nisi nomen & gloriam Dei quærentes, conjuncti maneant, centum hostium millia superaturos esse. Addit, nunciatum sibi esse, dum ea scriberet, Salzæ, quæ insignis Thuringiæ urbs est, præfectum Ducis Georgii a populo in arce obsideri. Refert, Eichsfeldiacos lætari clade dominorum suorum ex nobilitate: Sind über ihre Junckern frölich worden. Quibus verbis & dicteriis omnes in universum, & maxime fossores, die Berggesellen / invitet, Latine haud facile exprimi potest. Furiata prorsus mente ista evomuit, subscribens: *Thomas Munzerus, cum gladio Gedeonis.* Neque mitiora sunt, quæ ad Ernestum, Comitem Mansfeldium, Alberti propinquum, sed æmulum, & pontificiis sacris vehementer adhærentem, eodem die, quo ad Albertum, ex castris Francohusanis scripsit. Appropinquabat interea Philippus Hassiæ Landgravius, qui adjutus ab Henrico Brunsuicensi Duce, illa ipsa hebdomade post Jubilate, sive post 7 Maji, Fuldam receperat, male mulctatis rusticis; die vero 14 Maji, Dom. Cantate, ad castra rusticorum Francohusana, curribus munita, (die Wagenburg) accessit. Eo etiam tempore Saxoniæ Duces advenerunt. Trepidare statim cœpere rustici, & inepta schedula ad copias Principum missa, *se Jesum Christum confiteri* dicebant, *neque se ibi convenisse, ut alicui nocerent, aut sanguinem funderent, sed ut justitiam divinam servarent; si eadem mente Principes essent, nihil se contra illos facturos esse.* Miserati vecordiam hominum Principes responderunt, se quidem adesse, ut in illos ob immania facinora animadverterent; si tamen deditionem facerent, & Munzerum cum complicibus vivos traderent, gratiam, ut pro rei statu fieri posset, illis facturos esse. Referunt inde autores orationem sat longam, qua Munzerus suo metuens capiti, turbam illam inconditam a deditione retraxit, acriter in Principum vitia invectus, & miraculosum a Deo auxilium pollicitus; iridis etiam signum, quod forte in aere apparebat, idemque in rusticorum vexillis depictum erat, in bonum omen interpretatus. Recensetur quoque Philippi Landgravii Hassiæ ad milites oratio. Exacerbati fuere Principes, &, quæ iis aderat, Nobilitas, cæde juvenis a Principibus missi, quam Munzerus, pronunciata ex rusticorum ore (ut postea fassus est) sententia, decreverat. Erat is *Maternus Gehosius* (von Gehofen) ex vicina nobilitate, unicus parentis senis filius. Strages ista rusticorum (nam prælium dici non potest) facta est die Lunæ post Cantate, id est, 15 Maji. Cæsorum numerum plerique ad 5000, alii ad 7000 extollunt. Munzerus in ultimis literis ad Mulhusinos d. 17 Maji datis *Tom. III. fol. 138.* 4000 fatetur: exercitus rusticorum ultra 8000 non fuerat. Mulhusium Principibus deditum fuit d. 25. Maji, festo Ascensionis. Pfeifferus cum aliquot sceleratorum manu fuga elapsus, circa Isenacum a Wolfgango Endio, strenuo equite, captus, & in castra ad Mulhusium ductus, ibique cum Munzero supplicio est affectus.

(8) *Strages ad Francohusam.*

(9) *Supplicia sontium.*

ADDITIO II.

(a) *Copiæ Saxonicæ in bello rustico.*

Ex relatione MS. (*Reg. O. fol. 32.*) percipitur, Electorem Johannem die 20 Maji, sex post pugnam ad Francohusam diebus, Vinaria cum octingentis equitibus cataphractis & 2400 peditibus egressum esse. Erant cum eo Johannes Fridericus filius, VVolfgangus princeps Anhaltinus: ex Comitibus duo Schwarzburgenses, quinque Gleichenses, unus Kirchbergius, unus Dynasta VVildenfelsius, Schenkius unus; Nobilium magnus numerus. Sequenti die Salzam pervenit. Die 23 Maji cum Georgio agnato ad Schlothemium, Hopfgartiorum castellum & pagum, uno a Mulhusio milliari, castra junxit. Is equites mille, & inter illos Comites Mansfeldenses & Dynastas Schonburgenses habebat, & duo peditum millia. Landgravius cum Henrico Brunsuicensi adduxerat 1300 equites & 3500 pedites. Aderant etiam Philippus & Otto, ex Ducibus Brunsuicensibus, cum equitibus trecentis. Die 24. Maji 1100 matronæ & virgines urbe egressæ, nudæ caput & pedes, Principibus supplices factæ sunt. Die 25 Maji senatus & 1200 cives, nudi itidem caput, & baculos albos manu gestantes, ad castra ante urbem posita venerunt, trina genu flexione veniam petentes, quam & impetrarunt. Conditiones erant, ut liquet ex instrumento, quod adhuc in Archivo (*Reg. N. fol. 481.* BB. *n. 3.*) asservatur, die 29 Maji dato, ut post deprecationem criminis, maxime in Principum territorio commissi, 40000 florenis spoliationem & incendium redimerent, pro 80000 omnes pagos Electori, Georgio Duci, & Landgravio oppignorarent, hosque protectores perpetuos reciperent, singulis 300 florenorum tributum annuum soluturi. Hi alternis vicibus urbem regerent, incipiente hoc anno Georgio. Remissa est maxima mulctæ pars, sed regimen urbis ad Smalcaldicum usque bellum continuatum fuit. Eodem die 29 Maji mœnia urbis destrui cœperunt. Ultimo mensis die Elector relicto Mülhusii Georgio, Landgravio vero in Hassiam, & Henrico Brunsuicensi in tractum Eichsfeldiacum digressis, Isenacum versus movit, ibique vicinis locis seditiosos armis exuit, mulctavit, & in deditionem accepit. Die 3 Junii Elector Mainungam, munitum ad Vierram oppidum, obsidere cœpit. Id rebelles tenebant, qui castris circumpositis 8000 ex vicina Franconia adductos in auxiliis habebant, septendecim tormentis majoribus instructi. Sed hæc cito ab Electoribus adempta rusticis sunt, cæsis ex illis ducentis, & reliquis in oppidum fugatis. Inde die 5 Junii, altera Pentecostes die, deditionem fecerunt, positisque armis & præstito juramento ad sua dimissi sunt; oppido mulcta indicta est. Die 9 Junii Hilperhusa capta fuit, Coburgensis ditionis oppidum. Sequenti die cum Elector Coburgum venisset, a delectis ex VVurzburgensis Episcopatus oppidis & præfecturis suppliciter rogatus fuit, ut illos in deditionem reciperet; sed omnes ad Episcopum suum ablegavit. Post octiduum in Thuringiam regressus tumultuantes circa Gotham & Isenacum agrestes in ordinem redegit, paucorum pœna, ut & in Franconia, contentus. Eadem moderatione circa Vinariam, & in tractu ad Salam, itemque in Voigtlandia usus, dictata pro modo delicti mulcta. Durius habiti sunt Thuringi, exacta enim ab iis fuerunt ad quadraginta florenorum millia. In Misnia mitius actum: Altenburgensis præfecturæ coloni viritim duos florenos solverunt; pecunia omnis ad alendos milites destinata fuit. Accolæ Albis, & reliqui Electoralis districtus subditi, die 15 Julii homagium Electori præstiterunt, nulla pœna affecti, quia cæteris modestiores fuerant. Unde constat, Lutheri, qui tunc ibi vivebat, doctrina non impulsos, sed coercitos fuisse homines. Ignovit etiam Elector Torgaviensibus, qui vivo Friderico, mense Martio, excitato tumultu nocturno, Franciscanorum monasterium aggressi erant. Irritata fuerat plebs concionibus *Gabrielis Didymi*, qui referebat, ex monachis quendam Suedericum Doctorem in convivio aliquo secum disputantem dixisse, incertum esse, an vera sint omnia, quæ Evangelistæ scripserint. Instigarant plebem opifices quidam, aulico ministerio addicti, magna quidem cum Friderici indignatione, qui eo die Torgaviæ præsens erat, legatosque Ferdinandi Regis audiebat. Ideo auctoribus tumultus capitale supplicium, intercedente licet tunc pro iis Johanne Duce fratre, intentabat; senatui vero injunxit, ut damna monasterio illata, ob neglectam plebis coercitionem, ex sua, non ex civitatis, pecunia resarcirent. Invenio tumultuantes in Thuringia, & alibi in ditione Electorali, obsequium erga Principem non detrectasse, sed de sævitia nobilium, & cleri avaritia malisque moribus questos esse; quidam tamen, Jenenses potissimum, decimas vino & cerevisiæ impositas aboleri postulabant. Neostadiani, aliique ad Orilam, duodecim quidem articulos in superiori Germania compositos

A. 1525.

(b) *Mulhusii deditio.*

(c) *Gesta Johannis Electoris in Franconia.*

(d) *Motus in Thuringia*

& *Misnia,*

(e) *item Torgavia,*

(f) *ad Salam & Orilam.*

A. 1525.

positos postulare cœperant, sed in querela adversus nobiles & clerum, maxime vero contra Abbatem Salfeldensem, perstiterunt; ad hunc enim jus parochiæ in multis illius tractus locis pertinebat; & cum in oppido non admodum antiquo (ut ex nomine apparet) nullus esset pastoratus, sed vicino pago (Neuenhofen) competeret, Abbas octo saltem *Altaristas*, quos vocabant, in oppidum mittere solebat, homines indoctos, & tantum missis celebrandis occupatos, adeoque tunc, cum hæ a populo spernerentur, plane otiosos. Provisum est in visitatione incommodis istis, sed oppidani ob multa insolenter acta florenis 2000 mulctati fuerunt. Hæc exempli loco affero: longum enim foret, & a scopo alienum, reliqua per totam regionem gesta enarrare.

Munzerus Stolbergæ, Comitum oppido, ad fines Hercyniæ sylvæ natus, primo Brunsuigæ, dein Zwiccaviæ docuerat, Alstedii uxorem duxerat. Quæ de hujus conversione Maimburgius narrat, eo pertinent, quod una specie Eucharistiam acceperit; id quod Surius laudat. Sed utriusque speciei distributio paucissimis locis recepta tunc erat. Non invidebimus illis, si minis aut spe vitæ hunc hominem in castra sua reduxerunt, qui nunquam sincere doctrinæ puriori assensit. De ultima hac ejus mutatione *D. Joh. Ruhelius*, tunc Mansfeldensis & Magdeburgicus Consiliarius, ad Lutherum, quem affinem suum nominat, in epistola d. 21. Maji data, (quam D. Caspar Sagittarius habet) ita scribit: *Munzerus in carcere suo, & in ipso Satanas, ut impiis tyrannis adularetur, non solum errores suos revocavit, & sacramento sub una specie usus fuit, sed & fidem Romanam professus & totus factus est Pontificius. Hoc etsi bonam speciem habeat, veneno non caret; ut ex eo judicabis, quod in omnibus errasse se agnovit, id est, quod vera etiam Evangelii dogmata recantaverit.* Cum ista scriberet Ruhelius, nondum supplicio affectus erat Munzerus; optat enim ei meliorem mentem. Post mortem vero ejus, aliis ad Lutherum literis d. 27. Maji datis de seria ejus pœnitentia dubitat, cum scribit: *Quanquam adversarii literas Munzeri ad Mulhusinos pro revocatoriis venditent, mihi tamen confirmatoriæ potius videntur; imputat enim solum rusticis, quod suam utilitatem nimium secuti, exitium sibi procuraverint. Quicquid dicant*, ait, *ego illum pro homine desperato habeo.* Optimum, quod infelix ille in ultimo vitæ articulo egit, fortasse fuit, quod Principes hortatus est, ut mitius agerent cum subditis, & libros Regum legerent. Ante supplicium tam consternatæ mentis fuit, ut Symbolum Apostolicum recitare non potuerit, itaque ei Henricus, Dux Brunsuicensis, verba præivit. Duos congios (ein halb Stübichen) uno haustu ebibisse dicitur, præ angustia vel siccitate. *Luth. in Ps. XXII. 16. Tom. V. fol. 481.* Grave est Melanchthonis judicium *Lib. IV. ep. 20. (edit. Londin. f. 631.) ad Joachimum Camerarium* postridie Pentecostes (5. Junii) perscriptum: *De Moncero sumptum supplicium in castris; qui in corona, cum precaretur sibi ignosci, flens dixit, fateri se, quod majora justo suscepisset. Et sese aliquoties multitudinem arma induentem voluisse ab incepto revocare, quod cum non posset obtinere, invitum se perrexisse, & vulgi voluntati obsecutum esse. Hæc videntur ne tibi πιθανά? mihi quidem misera conscientia & desperatio videtur.* Confirmat idem Lutherus in prælectionibus ad Esaiam Prophetam cap. XLIX. 3. *Tom. III. Lat. fol. 411. b.* ubi de necessitate certæ vocationis commentatur: *Munzerus cum præter vocationem tumultum rusticum concitasset, & captus in vincula conjectus esset, tandem dixit, se curiositate quadam deceptum esse, cum antea nihil nisi spiritum & vocationem jactasset.* Quæ tormentis interrogatus responderit, referuntur *Tom. III. Alt. fol. 137.* Lutherus tamen improbat, quod de doctrina & jactatis inspirationibus accuratius non fuerit examinatus. Multa in toto isto negotio ordinatius & melius geri & expediri fortassis potuissent; sed morbus ac mors Friderici Electoris multa turbavit, & nondum confirmata Johannis, qui ei successit, autoritate, reliquorum ardor quædam præcipitavit; Georgii inprimis Saxoniæ Ducis, qui & natura asperior erat, & rusticis infensior, ob opinionem, qua præventus erat, motus illos Luthero imputandos esse. Tractus etiam ille Thuringiæ trans Unstrum fluvium non in Electoris, sed in Georgii suprema erat ditione, & Comites Schwarzburgenses, Mansfeldenses, & Stolbergenses clientelæ jure ipsi obligati erant. Cum vero Ernesto Mansfeldensi ob eundem in religione pontificia zelum faveret, & huic Munzerus crudeliter minatus esset, captivum istum Comiti tradidit, in arce Heldrungensi ad supplicium usque servandum, ubi &, præsente Georgio Duce, quæstioni subjectus fuit. Eadem invidia factum est, eoque Lutheri querela, paulo ante memorata, sine dubio pertinet, quod Munzerus de doctrina sua non satis fuerit interrogatus; sic enim calumnia, quod eadem cum Luthero docuisset, tanto majori specie spargebatur, cujus obtentu ipse Lutherus subverti poterat. Discimus hoc ex hujus literis *Lib. II. p. 295. ad Amsdorfium*, cui scribit: Ducem Georgium, cum Electoribus, Brandenburgico & Moguntino, Dessaviæ conventum habere d. 16. Jun. Addit: *Rumor est, quod me sit Wittenberga petiturus, inflatus successu* (adversus rusticos) *credit, me similem esse Munzero in doctrina. Christus autem dabit gratiam.* Cæterum tragœdiæ hujus potissima pars in Georgii Ducis præfecturis & clientelis acta fuit. Salzæ, primaria ejus in Thuringia urbe, quadraginta cives supplicium capitale subierunt, Sangerhusæ duodecim. Nec in Misnia sine sanguine composita res est. Lipsiæ capite plexus fuit telonii præfectus, cum septem civibus, trecentis venia data. Vide *Fabric. Lib. VII.* In Electorali territorio speciatim sic dicto, (hodie circulus Electoralis, der Chur-Creyß) tranquilla omnia fuerunt. In reliquis Electoris provinciis periculum quidem haud leve fuit, sed non tantum ut in aliis. Confirmatur hoc ex Philippi Melanchthonis epistolis quibusdam. Ad Camerarium enim scribit ipso cladis ad Francohusam (quam adhuc ignorabat) die: *Principum nostrorum* (Electorem Johannem, & Filium, intelligit, qui jam adultus multa in principatu administrabat) διοίκησις (diœcesis) *sic satis est quieta. Et tamen, si successerit res Moncero, nisi Christus nos servarit, actum fuerit de nobis. Moncerus plusquam Scythicam crudelitatem præ se fert, & dici non potest, quam dira minetur omnibus, qui seditionem improbant.* Vide *Lib. IV. ep. 18.* Addamus notabilem de clade Munzeri relationem, ex *epistola 19.* post quinque dies scripta: *Accepimus ex amici cujusdam non levis literis, ad Francusium in Turingis legionem Monetarii fusam ac victam esse, magnum numerum rusticorum esse jugulatum. Ipse vivus captus est, cum tamen sub primam coitionem aufugisset, & se in quodam monasterio monialium abdidisset. Miserum hominem! In illis ipsis latibulis captus*

(10) de conversione Munzeri.

(11) alia de ejus morte,

Lutheri & Melanchthonis judicia.

(12) nimius rigor Georgii Ducis; Electoris moderatio.

(13) Lutheri litera;

(14) item Melanchthonis,

ejusque relatio insignis.

An. 1525.

A. 1525. *caput est, in qua maxime sæviit, & donatus Comiti Ernesto a Mansfeld, quem appellabat ipse Ridiculum sua lingua. Ego etsi graviter afficior cæde miseræ turbæ, quanquam cogantur principes latrocinium opprimere; tamen si est, ut spero, gaudeo captum esse ducem seditionis; non tam, quod spes est, fore res tranquilliores, quam, quod extat non leve documentum spiritus, quem jactabant. Bone Deus, quale regnum, quam suaviter sibi somniarunt? quibus vaticiniis ementitis perpulit ad induenda arma stultam multitudinem? quoties pollicitus, se in prima acie futurum, cœlestibus oraculis jussum, ut publicum civitatum statum mutaret. Hæc fefellerunt omnia. Itaque quantam maximam potest animus gratiam capere, habeo Christo, precorque, ut cætera etiam fortunet, & vitia Ecclesiæ mitius emendet.* Quæ de latibulo Munzeri tunc sparsa sunt, falsa erant; repertus enim est in privata domo Francohusana, ut constanter alii tradunt. Sed maxime huc pertinent, quæ *epistola Melanchthonis* 21. Idibus Julii data leguntur: *In nostris regionibus divino beneficio Alcedonia* (Halcyonia) *sunt. Mediocri severitate noster princeps usus est seditiosis multandis, ea res incussit vulgo terrorem, ut nihil usquam moveatur. Et plerisque locis sunt arma vulgo erepta. Ditio Electoris, ut vocant, non modo quieta & pacata fuit hactenus, sed ita etiam tranquilla, ut nulla motus ullius suspicio, nullus hic metus fuerit. Et in aliis fere omnibus urbibus in seditiosos est animadversum. Hic nulla carnificina, nullum supplicium auditum.* Caveat interim, ut supra monui, Lector, ne Maimburgio credat, *rusticos*, quorum *centum & triginta millia cæsa esse* dicit, *omnes Lutheranos fuisse*. Eorum sane plurimi in Saxonia Electorali erant, sed ii moderatius egerunt, &, ut dixi, mitius habiti sunt. Plus damni in Pontificiorum provinciis, maxime vero in Franconia acceptum est. Numerantur enim ad 300 arces & monasteria, a rusticis exusta & destructa. De tumultibus Francofurti, Moguntiæ & Coloniæ Agrippinæ excitatis *Cochlæus* multa habet. Is enim Francofurti ad B. Virginem Decanus tunc fuit, & cum Decano ad D. Bartholomæi, Friderico Martorfio, sub initium seditionis, urbe profugit, neque, sopito licet tumultu, in ea, ut scribit, manere diutius voluit, aliud beneficium ad S. Victorem Moguntiæ adeptus, & post Emseri mortem anno 1529. a Georgio Saxoniæ Duce in Misniam vocatus. Postulata plebis Francofurtensis de reformanda religione typis vulgata, aliis etiam exemplo fuerunt. Eorum compendium refert *Cochlæus fol. 126.* Petebant jus constituendi pastores, qui purum verbum Dei & Evangelium sine humanis additionibus docerent, senatui & civibus concedi; clericos oneribus publicis subjici; mendicationes monachorum prohiberi; licentiam exeundi e claustris utriusque sexus monachis indulgeri; exeuntibus nullos substitui; donationes ad pias causas in communem fiscum Ecclesiæ conferri; anniversaria, fraternitates, exequias mortuorum in templis tolli. Ista quidem & alia metus causa tunc obtenta, post oppressas rusticorum copias, mox abolita fuerunt. Francofurtensis tamen urbs libertatem religionis postea asseruit, eaque adhuc gaudet, manentibus in pristino statu duabus Ecclesiis collegiatis, quæ supra nominatæ sunt. Extant inter alios supra nominati *Petri Gnodalii de bello rustico libri quinque* latine anno 1569. editi, ex quibus luculenta & sincera motuum illorum descriptio peti potest. An. 1525.

(15) *Damna hujus belli.*

(16) *Tumultus Francofurtensis.*

ADDITIO III.

Pro more itaque suo cavillatur Maimburgius & alii, qui causam belli rustici doctrinæ evangelicæ adscribunt, quos quidem Lutherus in scriptis suis ipse solide refutavit. Neque tamen ille aut alii negarunt, prohibitionem doctrinæ evangelicæ, & sævitiam adversus concionatores, occasionem motibus dedisse, cum plebs jam tum ob onera tributorum & servitiorum exacerbata, speciosum prætextum ex denegata sibi doctrinæ evangelicæ prædicatione arripuisset. Id ex Tirolensium articulis percipitur (*Reg. N. fol. 486. n. 7.*) qui de impiis, & ineptis, suoque tantum emolumento intentis pastoribus vehementer questi, alios sibi dari petierunt, qui verbum Dei, quod *purum & absque mixtura in lucem prodiisse* dicunt, populo proponerent, & vitia omnium ordinum arguerent. Ajunt enim, insulsa hucusque in concionibus audita, & ita distractas fuisse mentes, ut quid sequerentur nescirent; constitutis igitur evangelicis concionatoribus seditionem facile componi posse. Idem Friderico Electori tunc lethaliter decumbenti, & qui ad id usque tempus, ut sæpe monui, conniventia quidem usus, autoritate tamen sua ministerium Evangelicum non constituerat, suadere ausus est *Georgius Spalatinus.* Extant enim ejus literæ (*Reg. O. fol. 134.* DDD.) absque die, sed quibus in tergo *Kalendæ Maji* a Secretario Electorali inscriptæ sunt. In his consolatur Principem adversus morbi vim, tristesque de rebellione rustica nuncios: optimum autem remedium esse affirmat, si Elector & Frater edito edicto Prælatos provinciarum suarum exhortarentur, ut cultum divinum secundum purum verbum Dei instituerent, & ceremonias ei adversantes abrogarent. Sperandam inde tumultus cessationem esse, nec defuturam a divina benignitate multiplicem Principum remunerationem: præsentis enim seditionis causam non aliam esse contendit, quam idololatrici & impii cultus continuationem, quam eo usque Principes dissimulaverant. Contraria itaque prorsus sententia jam illo tempore de causa motuum fuit. Episcopi & eorum patroni & fœderati culpam Luthero ejusque doctrinæ tribuebant; at qui cleri vitia & corruptelam doctrinæ non ignorabant, a denegata veritatis evangelicæ prædicatione causam mali accersebant: quod non tantum seditiosos quosdam allegasse audimus, sed & Fridericum Electorem confessum esse, &, qui ei a sacris tunc adhuc erat, Spalatinum aperte satis statuisse, ex scriptis quæ citavi liquidum est. Quæstio redit ad capitalem illam controversiam *de jure principum & populi circa sacra*, quæ Protestantibus cum Romani pontificatus assertoribus jam in alterum seculum intercedit. Si enim fas fuit principibus prætextu pontificiæ potestatis, subditos suos ad retinendam, quæ usu temporum invaluerat, religionem cogere, & ab ejus reformatione etiam suppliciis arcere; culpa secutæ cladis populo imputanda est, qui flagitare primo, dein acceptis armis extorquere mutationem ausus fuit. Si e contrario principes & magistratus indulgere populo, quæ in religione & cultu publico pro conscientia desiderabat, debuerunt, aut injusta fuit recusatio, aut nimius fuit rigor, qui in plebem, etsi modum excedentem, exercitus est. Neutro tamen casu doctrina reprehendi potest, quæ suis fundamentis nixa prædicari & fidem invenire debuit, quæcunque etiam oppositio illi facta fuerit. Qui aliud statuunt, totam Dei in propagatione veritatis Christianæ œconomiam injuste accusant; hæc enim Satanæ & hominum malitia, vel a magistratibus, vel a populo, contradictiones semper experta est.

(a) *Lutheri de causa motuum sententia.*

(b) *Tirolensium querela de pastoribus pontificiis.*

(c) *Remedium contra seditionem.*

(d) *Consilium Electori Friderico datum a Spalatino.*

(e) *Diversa de motuum turbulentorum ortu judicia.*

(f) *Controversia de jure principum & populi circa sacra.*

SECT. 5.

Eo tamen ipso anno Lutherus infami amore, cujus etiam amicos ejus pudebat, cœcus, tam audax & perfrictæ frontis fuit, ut in publica calamitate, cujus ipse, si non causa, saltem occasio erat, nuptias celebraret. Biennium erat, cum Lutheranus quidam Torgaviensis, homo audax & teme-

An. 1525. A. 1525.

& temerarius, inaudito eousque ausu, ex celebri quodam monasterio, ipso die Veneris passioni Dominicæ sacro, novem virgines devotas rapuisset, & Wittenbergam duxisset, ut ibi sub præsidio Lutheri tutæ essent. Is enim jam librum suum contra vota monastica & cœlibatum sacerdotum publicaverat. Maximo ea res scandalo fuit, magnaque adversus raptorem, qui Leonardus Koppe *vocabatur, commotio, ita ut acriter ad pœnam deposceretur. Sed Lutherus tuendam ejus causam edito lingua vulgari tractatu suscepit, & postquam illum ob actionem hanc, ut Deo acceptam, collaudasset, non est veritus dicere, se in partem gloriæ venire, quia hunc raptum suaserit, imo horrenda blasphemia similem ei esse statuit, quo Christus ipso passionis suæ die captivas animas ex tyrannide Satanæ eripuisset. Inter novem vero istas moniales, jam velo nudatas, & in licentia viventes, omnes tamen nobili genere natas, erat quadam, cui nomen* Catharinæ a Bore: *bujus pulchritudinem Lutherus, habitu monachi hucusque usus, observavit, ejusque amore vehementer captus est. Jam quidem contra statum virginitatis pro matrimonio scripserat & publice docuerat, non posse saltem, sed & debere, qui donum continentiæ non sentirent (quo se ipsum carere ingenue fatebatur) nuptias contrahere, quocunque voto ad castitatem se obstrinxissent. Fovebat autem in hac materia cogitationes, eumque in modum proferebat, quas ob pudorem & reverentiam, lectoribus debitam, merito reticeo. Nibilominus ad matrimonium ineundum animum, vivo Electore Friderico, sumere non est ausus. Hic enim ipse cælebs erat, & mutationes omnes, quæ scandalum inferebant, aversatus, nuptias non permisisset. Statim vero atque Princeps hic oculos clauserat, in plena libertate positus sibi esse Lutherus videbatur; quia novus Saxonicæ Dux, falsi hujus prophetæ sui idololatra, quæcunque vellet, ipsi permittebat. Itaque nihil turpi libidini suæ obstare amplius ratus, nec de sponsæ suæ pudicitia, quamvis omni cum licentia annos duos integros inter juvenes Academicos, ipsa certe non magis reformatos, Wittenbergæ vixisset, quidquam mali suspicatus, publice eam duxit, & nuptias omni hilaritatis genere celebravit; quamvis eodem tempore Saxonia ob mortem Electoris, & tota Germania ob funestum cum rusticis bellum, indeque enatas innumeras calamitates, lugeret. Tam rigide Reformator hic adversus omnem reverentiam, quæ retineri debuisset, animum obfirmaverat.* (*An. 1526.*) *Sed amplius ausus fuit. Exhortatus enim est, quo exemplo suo fœcunditatem, quam ex suo matrimonio sperabat, aliquatenus promoveret, clericos & monachos, ut id imitarentur. Neque frustra hactenus fuit; apostatis magno numero eum sequentibus, & uxores, ut ipse fecerat, ducentibus.*

Felicem raptorem, sicut & Christus raptor erat in mundo, quando per mortem suam, & quidem opportunissimo tempore, in Pascha, quo Christus suorum quoque captivam duxit captivitatem. Luth. ap. Cochl. *Lutherus exposit. in cap. VII. 1. ad Corinth. Lutherus in serm. de matrim. Tom. V.*

(1) De raptu monialium.

(2) De amore Lutheri erga Cath. Boriam.

(3) De nuptiis cum ea celebratis: earumque sequelis.

§. V.

(1) Calumniæ adversus nuptias Lutheri refelluntur.

Hoc ulcus reperire sibi visi sunt omnes Lutheromagistes, in quo ungues suos perpetuo exercerent. Fecerunt id primi ejus allatratores, *Emserus* potissimum & *Cochlæus*, aliique etiam obscuri & perditi nominis homunciones, quorum aliquos *libro primo* nominavi. Et Lutherus quidem neminem fere adversariorum responso dignatus est, non causæ desperatione, ut vane gloriatur *Cochlæus f. 119.* sed generoso contemtu, conscientiæ suæ quieti innitens, contentusque iis, quæ alia occasione ad suos scripsit, & infra referentur. Exceperunt veteres illos obtrectatores tota agmina recentiorum; neque hodie habent, quod vehementius criminentur, quicunque controversiarum serram nobiscum trahunt. Quantum autem in facto & jure, ut dici solet, errent & peccent, innumeri ex defensoribus Lutheri ostenderunt, ad quæ adversarii non nisi repetita convitia & cavillos regerere consueverunt, aut novis figmentis post tot annos indulgent, quorum magnum artificem *Varillasium* per anticipationem *Lib. I. in Addit. ad §. CLIII.* indicavimus. Notabimus tamen hic, quæ in narratione hac de Lutheri matrimonio Maimburgius maligne aut impertinenter scripserit. Concedamus ei, infelicem hunc annum fuisse, Saxoniæ quidem ob mortem Friderici Electoris, & Germaniæ ob motum rusticorum, de quo jam dictum est; quid vero hoc ad nuptias Lutheri? Est ne moris aut juris, ut moriente principe subditi a contrahendis matrimoniis abstineant, aut ut in bellis cessare hæc debeant? Non magis consistit, quod, Maimburgio judice, Lutherus, si non causa, saltem occasio belli fuit. Laudamus moderationem, quod a causa eum absolvit; si vero non nisi occasio fuit, sicut olim & semper Evangelium occasio fuit turbarum, nihil inde concludi potest: occasio enim causarum ordinem & vim non habet, sed ab iis distinguitur. Inani itaque rhetoricatione exaggerationes istæ fiunt. Exitus deinde virginum ex Nimptschensi claustro, & opera Koppenii in eo præstita, suo loco rectius fuisset relata, & nos de illa jam *dicto Libro I. §. CLIII.* itemque in *Additionibus* tractavimus. Blasphemiæ nondum convincitur Lutheri comparatio, qua ad Koppenium scribens *Tom. II. Alt. fol. 310.* usus est: stante nimirum præsupposito, quod tyrannica fuerit monialium inclusio; de quo alibi satis disceptatum est. Vide *Lib. I. d. l. & §. CLXXXIII.* Ex tyrannica vero conscientiæ & christianæ libertatis oppressione descensus facilis, imo, nisi corrigatur virium, necessarius est, in infernalem illam, cui Christus passione sua remedium attulit. Quæ de virginum, & inprimis Boriæ lascivia, ex veterum calumniatorum mendaciis hic recoquuntur, responso digna non sunt. Honestæ vitæ parisque famæ fuit Boria. Sententiam suam, quod adversus incontinentiam nullum nisi a legitimo matrimonio remedium sit, tam validis argumentis stabilivit Lutherus, ut ad hunc usque diem convelli non potuerint. Sed de hoc postea denuo dicendum erit. Gratis porro fingitur, Friderico Electore vivente Lutherum ausum non esse, ut matrimonium cum Boria consummaret; item, quod Saxoniæ Dux (*Electorem Johannem* intelligit) pro idolo quodam illum habuerit, ipsique, quæ vellet, permiserit. Friderici indifferentiam circa Lutheri acta alibi ostendimus, neque primus ex clero fuisset

An. 1525. isset Lutherus, qui in ditione Electorali uxorem duxerit, eoque erat animo, ut a principum consensu non suspenderet, quæ suo jure facere posse existimabat. Ideoque nec de consensu rogavit Electorem Johannem, tunc quidem in opprimendo rustico tumultu adhuc in Franconia occupatum. Post consummatum vero jam matrimonium, per Spalatinum obtinuit, ut ferina ad epulum donaretur; vide *Lib. II. Epistolar. 294. b.* Non magis verum est, omni hilaritatis genere nuptias celebratas fuisse. Superfluum esse agnosco, de hoc Lutheri facto, post tot librorum volumina, denuo commentari. Neque enim promiscue mores, sed doctrinam Lutheri sequimur & defendimus, neque hanc, nisi quatenus fundamento divino nititur. Nihil itaque doctrinæ veritati decederet, etsi Lutherus crimen commisisse in contrahendis nuptiis, aut saltem contra decus egisse, censeatur. Salomonis regis lapsum quis nescit? nemo tamen de divina autoritate eorum dubitat quæ ante lapsum, vel conversus, scripsit. Placuere Deo, & legitimæ fuerunt reformationes a Joa, Josia, Ezechia, itemque a Jehu regibus institutæ, etiamsi iidem in moribus varie lapsi sint. Si igitur pia & orthodoxa sunt, quæ Lutherus annis septem ante nuptias suas docuit, nec ille solus, sed innumeri alii; manserunt utique talia, etiam post nuptias: veritas enim immutabilis est. Si quis ex censoribus illis dicat, honorificentius fuisse, si cœlibatum servasset Lutherus, is in conscientiam alienam dominatur, postulat etiam, quæ de suis, quos pro infallibilibus venditat, sacrorum antistibus asserere, ut fas esset, non potest. Neque tamen tam debilis est causa Lutheri, ne in hoc quidem facto, ut calumniis succumbat. Et ipse quidem ejus fuit ingenuitatis, ut quomodo ad nuptias illas transierit, minime celaret. *Vigilia enim Pentecostes* (d. 3. Jun.) octiduo ante desponsationem, ad *D. Joh. Rubelium*, supra nominatum, scribens, *Tom. III. fol. 140.* hæc habet: *Si Elector* (Albertus Cardinalis) *forte dicet, cur ego ipse non ducam uxorem, qui omnes ad nubendum incito, respondebis, me super adhuc dubitasse an idoneus ad id sim. Attamen si meo matrimonio Elector confirmari posset, propediem paratus essem ad exemplum ei præbendum. Nam & alias cogito, antequam ex hac vita discedam, ut matrimonium contraham, quia id a Deo exigi puto, licet forte futura esset desponsatio Josephica.* Notari ex hac epistola, ad virum amicissimum scripta, possunt, quibus convitia adversariorum egregie repelluntur. Nulla hic bellui ni ardoris vestigia sunt, qualem impingere protervi criminatores ei solent. Idoneum se ad conjugium esse dubitavit, non quod lignum se aut lapidem esse censeret; (id enim literis *mense Novemb. anni præcedentis*, quas *Lib. I. §. CLXXXII.* allegavi, ipse negaverat) sed quod, ut alia ejus scripta ostendunt, magnas virtutes ad pium matrimonium oneraque ejus ferenda requiri judicabat, nec parum arduum & molestum erat, sermonibus hominum eo facto sese exponere. Qua ratione vero præcipi a Deo putet conjugium, alibi explicavit, & paulo post audiemus. De continentia autem in ipso conjugio, & de exemplo Josephi, quæ affert, sperat potius quam promittit, & eventus mox secutus probavit, id supra ipsius vires fuisse. Post paucos inde dies, nihil tale expectantibus amicis, improviso plane consilio & motu, cum *Catharina Boria* sponsalia celebravit. Extat ejus epistola *Sab-*

(2) *Literæ Lutheri ad Rubelium, de matrimonio suo.*

batho Pentecostes, id est, 10. Junii data ad *Michaelem Stifelium*, Ecclesiastem Eslingensem, in qua *Lib. II. p. 294.* scribit: *Tu pro me ora, ut genus vitæ novum benedicat mihi Deus & sanctificet. Nam vehementer irritantur sapientes inter nostros. Rem coguntur Dei fateri, sed personæ larva, tam meæ quam puellæ, illos dementat, & impia cogitare & dicere facit. Sed Dominus vivit, qui major est in nobis, quam ille, qui in mundo est, & plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Germanice versa invenitur *Tom. III. f. 141.* cum alia ad eundem, de qua postea. Dies desponsationis *Tom. III. f. 141.* indicatur *Dominica Trinitatis.* (11. Jun.) Melanchthon, ut infra allegabitur, *diem 13.* memorat, nisi sphalma sit typographi. Eadem hebdomade (*Jovis post Trinitat.*) 15. Jun. in epistola germanica ad D. Rubelium *d. Tom. III. f. 150.* postquam de furentibus in se, ob rusticorum tumultum, adversariis questus esset, hæc scribit: *Ecce, quia sic insaniunt, ita me paravi, ut ante mortem meam, in statu, quo creatus sum, a Deo inveniar, & quantum potero, nihil ex priori vita mea papistica retineam. Furant itaque tanto acrius, & hæc ultima & valedictoria erunt. Mens enim mihi præsagit, me a Deo ad gratiam suam evocatum iri. Itaque, postulante patre meo, conjugium inii, & ut linguas maledicorum & impedimenta vitarem, congressum nuptialem properanter institui: Decrevi autem die Martis* (27. Junii) *proxima, post Festum Johannis, modicum aliquod epulum dare, & deductionem in domum celebrare.* Addit, *se non ausum esse, ut illum invitaret, aut ad Comites Mansfeldenses de hoc instituto suo scriberet; sed gratum sibi fore* significat, *si Rubelius cum parentibus Lutheri ad epulum venturus esset; neque munuscula pro paupertate sua recusaturum.* Altero die ad Spalatinum *Lib. II. epistola supra jam allegata p. 294. b.* scripsit: *Os obstruxi insamantibus me cum Catharina Borana, mi Spalatine. Si processerit, ut epulum paretur, pro testimonio conjugii mei istius, te non modo adesse oportebit, verum etiam cooperari, si quid ferinæ necessarium fuerit. Tu interim nobis benedicito & bene precare. Sic me vilem & contemptum his nuptiis feci, ut angelos ridere & omnes dæmones flere sperem. Necdum mundus & sapientes agnoscunt opus Dei, pium & sacrum, & in me uno faciunt id impium & diabolicum; quo nomine magis placet, meo conjugio illorum judicium damnari & offendi, quotquot ignorantiam Dei habere pergunt.* Ad Wenceslaum vero Lincium die Martis post Viti 20. Jun. inter alia dicit: *Dominus me subito, aliaque cogitantem, conjecit mire in conjugium cum Catharina Borensi, moniali illa.* Biduo post ad Amsdorffium hæc leguntur (*Lib. II. p. 295.*) *Jam nuncius mihi quærebatur, qui has ad te ferret, mi Amsdorfi, & ecce tua mihi redduntur. Vera est itaque fama, me esse cum Catharina subito copulatum, antequam ora cogerer audire tumultuosa in me, sicut solet fieri. Spero enim me breve tempus adhuc victurum, & hoc novissimum obsequium parenti meo postulanti nolui denegare spe prolis, simul ut confirmem facto, quæ docui; tam multos invenio pusillanimes in tanta luce Evangelii. Sic Deus voluit & fecit; ego enim nec amo nec æstuo, sed diligo uxorem. Dabo itaque proxima feria tertia epulum in testimonium conjugii mei, ubi aderunt parentes. Te itaque adesse omnibus modis volui, quare, ut vocare constitui, ita nunc voco & rogo, ne desis, si ullo modo potes.* Extant & hæ literæ Germanice versæ *Tom. III.*

A. 1525.

(3) *item ad Stifelium;*

(4) *iterum ad Rubelium;*

(5) *ad Spalatinum,*

(6) *Lincium,*

(7) *Amsdorfium,*

A. 1525.

III. fol. 151. Adfert *Abrahamus Scultetus*, insignis ex Reformatis scriptor, alibi sæpe a nobis laudatus, *Anno 1525. p. 274.* ex narratione quadam Amsdorfii MS. hanc de occasione nuptiarum Lutheri relationem: *Ecce autem, dum Lutherus de Catharina a Bora, virgine Vestali, Doctori Glacio, Pastori Orlamundico, collocanda, deliberat, venit Catharina ad Nicolaum Amsdorffium, conqueriturque, se de consilio Lutheri D. Glacio contra voluntatem suam nuptiis locandam: scire se, Lutherum familiarissime uti Amsdorffio: itaque rogare, ad quævis alia consilia Lutherum vocet. Vellet Lutherus, vellet Amsdorffius, se paratam cum alterutro honestum inire matrimonium: cum D. Glacio nullo modo. Hoc ubi Lutherus intellexit, audissetque ex D. Hieronymi Schurfii ore: Si Monachus iste uxorem duceret, risuros mundum universum & diabolum ipsum, facturumque ipsum irritas actiones suas universas: ut ægre faceret mundo & diabolo, ut parenti etiam hoc suadenti gratificaretur, Catharinam sibi uxorem ducendam censuit.* Si cui hæc legenti parum decorum videatur, quod Boria se ad nuptias obtulerit, is cogitet, nobilem & egenam fuisse, & veritam, ne, si recusato, qui illi offerebatur, Glacio, superba haberetur, & Amsdorffii & Lutheri benevolentia excideret, quorum favore & liberalitate sustentabatur. Necessitate itaque ad ingenuam illam professionem adacta fuit; fortasse etiam rumoribus mota, de quibus Lutherus *epistola supra allegata* queritur, quibus tamen ipse aliquam occasionem dedisse videtur, optime enim cupiebat virgini, & *suam* vocare solebat *Catharinam.* Constat id ex *Epistola ad Rubelium* d. 5. Maji data. *Tom. II. fol. 887.* In hac, quantum sciam, primam consilii de nuptiis cum Boria claram mentionem facit. Cum enim Seeburgo, audito morbo Electoris, ab Alberto Comite discessurus esset, & a rustica factione mortem sibi intentari crederet, ad affinem illum, animi quodam impetu, hæc effudit: *Si domum venero, ad mortem me Deo juvante præparabo, & novos istos dominos & latrones expectabo.* Et post pauca: *Illis autem ut ægre faciam, si fieri potest, Catharinam meam uxorem ducam, antequam moriar, si pergere eos intellexero: neque enim os mihi obstruent, nec gaudium adiment.* **Wohlan/ komm ich heim/ so will ich mich mit Gottes hülffe zum tode schicken/ und meiner neuen Herren/ der Mörder und Räuber/ warten: Und kan ichs schicken/ ihnen zu trotz/ will ich meine Käthe noch zur ehe nehmen/ ehe dann ich sterbe/ wo ich höre/ daß sie fort fahren. Ich hoffe/ sie sollen mir doch nicht meinen mund und freude nehmen.** Ab illo tamen ardore recessit, &, ut dictum est, de elocanda alii Catharina sollicitus fuit. Unde in literis post mensem fere, *d. 3. Jun.* ad *eundem Rubelium* datis, (quas supra retuli) cum Albertum Cardinalem suo exemplo ad matrimonium animare vellet, longe lenius, & veluti jocans, loquitur; post paucos tamen dies ad priorem illum impetum rediit. Audiendus hic inprimis est *Philippus Melanchthon.* Hic enim *ad Joachimum Camerarium*, familiarissimum & charissimum sibi virum, tunc Norimbergæ in Gymnasio bonas literas docentem, Græcam exaravit epistolam, quæ *Lib. IV. Epistolarum Philippi* in editione Londinensi *n. XXIV.* in editione autem Lipsiensi *p. 33. 34. 35. reperitur*, & Latine versa a *Sculteto d. l. p. 275.* omisso tamen exordio, exhibetur, ejus enim compendium saltem refert. Integra vero talis est: *Quia futurum est, ut fama haud æqua de nuptiis Lutheri ad vos perveniat, visum mihi est, ad te vera, & quæ sentio, scribere. Tertia decima mensis Junii inexpectato Boriam duxit Lutherus, nulli amicorum factum suum aperiens. Sed vesperi ad cœnam vocavit solos Pomeranum, Lucam pictorem, Jurisconsultum Apellum, & consueta sponsalia celebravit.* (ἐποίησε τὰ εἰθισμένα προτέλεια.) Sequitur inde ex recensione Sculteti: *Possit fortasse aliquis mirari, illum hoc infelici tempore, bonis & honestis viris ubique graviter laborantibus, non modo non affici simul dolore, sed videri propemodum nihil penitus curare ea mala, quæ ante oculos versantur: cum interea etiam existimatio ipsius deminuatur, dum maxime opus est Germaniæ excelsitate animi & dignitate ipsius. Atque ego rem hanc sic gestam esse arbitror. Est vir iste nequaquam ex iis, qui homines oderunt & congressus fugiunt. Quotidiana autem vita illius usum non ignoras. Unde cogitare te cætera, quam me scribere, melius, ut opinor, fuerit. Itaque mollitum fuisse quodammodo generosum & magnum animum ipsius, non est mirandum: præsertim cum nequaquam culpandum aut reprehendendum sit. Nam, si quid vulgo fertur aliud indecentius, id mendacium & calumniam esse, perspicuum est. Ego etiam naturam arbitror ipsum coegisse, ut fieret maritus. Estque vita ista humilis illa quidem, sed sancta, ac si qua alia: & nuptiæ honoratæ in sacris Scripturis perhibentur. Quod autem in re intempestivum & inconsultum inest, (in quo maxime delicias obtrectandi & accusandi studium adversariorum faciet) videndum, ne nos conturbet. Isto enim sub negotio fortasse aliquid occulti, & quiddam divinius subest, de quo nos curiose quærere non decet, neque curare nugas deridentium, & convitia facientium quorundam, a quibus neque pietas ad Deum, neque ad homines virtus exercetur. Quoniam vero ipsum Lutherum quodammodo tristiorem esse cerno, & perturbatum ob vitæ mutationem, omni studio & benevolentia consolari eum conor. Neque ausim sane ego tanquam erratum seu lapsum istud factum condemnare, tametsi Deus multa veterum sanctorum nobis errata seu lapsus exhibuerit, quia vult, nos exquirentes verbum ipsius non adhibere in consilium dignitatem personamve hominis, sed verbum ipsius tantum. Rursum vero maxime is impius est, qui propter doctoris erratum seu lapsum condemnat ipsam doctrinam. Verum ego (quemadmodum dixi) non existimo, quicquam hac in parte commissum agendo, quod defendi nequeat, aut omnino accusari debeat. Præterea multa habeo, quæ argumento præclare sunt, Dei amante esse hunc pietate præditum: ut contumeliosi, & maledici in Lutherum, nihil aliud, quam opus efficiant sycophantarum & scurrarum, undique coacervantium ea, de quibus impudens lingua accusationis veluti viatico instrui possit. Erit etiam, meo quidem judicio, nec inutilis quidem casus iste ad demissionem quandam pertinens, cum alte sustolli & efferri semper sit periculosum, non solum sacerdotio fungentibus, sed cunctis mortalibus. Nam actionum felicitas occasionem dat pravitatis elati animi, non modo, quemadmodum Orator inquit, dementibus, sed interdum etiam sapientibus. Ad omnia, alia vita aliam quoque victus quotidiani rationem constituet, secundum proverbium. Ista ad te exposui verbosius, ne eventus inopinatus nimis te perturbaret, & tristitia afficeret.*

(8) *Relatio Amsdorfii.*

(9) *ex Lutheri literis ad Rubelium explicatur.*

(10) *Melanchthonis epistola ad Camerarium de nuptiis Lutheri.*

An. 1525. ret. *Scio enim tibi boni nominis Lutheri celebritatem curæ esse.* Hæc ille. Etsi vero facile conjicere liceat, & ex tot adversariorum scriptis satis constet, quam parum a plerisque eorum Melanchthonis relationi & judicio tribuatur; tanto tamen majoris ponderis & fidei id esse debet, quia minime adulatoria sunt, quæ ad intimæ familiaritatis amicum Philippus retulit. Ipse etiam, ad quem scribit, *Camerarius* testatur in libro *de vita Melanchthonis p. 102.* maximum dolorem ex Lutheri facto Philippum cepisse, non quod id damnaret, sed quod occasionem dari cerneret inimicis malevolis, acerbius insectandi & liberius maledicendi, ex temporis præsertim consideratione. Sane ob notissimam timiditatem suam Philippus absque dubio a Luthero ad consilium & solennia desponsationis non fuit adhibitus, & aliqua ejus offensa & censura in epistola deprehenditur, dum Lutherum a liberiori victu taxat. Habuit sane Lutherus nævos suos, eosque ipse candide profiteri solitus erat, naturæ quoque stimulum non inficiatus est: cum autem annos vitæ quadraginta duos absque conjugio & sine impudicitiæ labe transegisset, certe haud difficulter, si non omittere, differre tamen nubendi propositum potuisset. Credamus igitur ipsi potius, qui, ut supra notavimus, plane inexpectatum & improvisum aliquid in hoc facto suo sæpe testatus est, nec ullam pœnitentiam per annos viginti, quos cum uxore vixit, ostendit, sed dulcissimum & felix conjugium habuit. Id sæpe alias, tum post annum, nato filiolo, ad *Michaelem Stifelium* his verbis *d. 11. Augusti 1526.* scripsit. *Salutat te Ketha costa mea, & gratias agit, quod eam literis tuis tam suavibus dignatus es. Ipsa belle habet Dei dono, mihique morigera & in omnibus obsequens est, & commoda plus quam ausus fuissem sperare, (Deo gratia) ita ut paupertatem meam nollem cum Crœsi divitiis commutare.* Lib. II. Epistolarum Luth. p. 318. Erasmus, tum quidem Luthero, ob paratam refutationem diatribes suæ, valde iratus, factum ipsum simpliciter refert, ad Petrum Lupsetum *lib. XVIII. epist. XI. scribens: Lutherus duxit uxorem, puellam mire venustam, ex clara familia Borna,* (Boriæ) *sed, ut narrant, indotatam, quæ ante annos complures Vestalis esse desierat.* Hæc satis vera sunt, nisi quod venustas exaggeratur, & complures anni ad biennium reduci debent; sed errat in iis, quæ addit: *Quin & ipse Lutherus pallium & barbam philosophi posuit, fratrum hortatibus huc adactus.* Nam pallium sive cucullum monasticum jam ante, nec coactus a fratribus, sed cum nulli in cœnobio superessent, posuerat, ut *Lib. I. §. CLXXVIII.* notatum est; barbam vero non aluerat, ne in monastico quidem habitu, sed solum in custodia illa Wartburgensi. *Sculetetus p. 278.* Epistolam Erasmi ineditam ex aliorum adversæ partis relatu allegat, ad familiarem quendam Cardinalis Campegii, in qua & aculei & mendacia apparent. Scripsisse enim perhibetur: *Lutherus, quod felix faustumque sit, deposito philosophi pallio, duxit uxorem, ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natam annos viginti sex, sed indotatam, & quæ pridem desierat esse Vestalis. Atque ut scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum Hymenæum nova nupta peperit.* Imposuerunt Erasmo calumniatores, qui isthæc & alia mira petulantia spargebant. Sed ipse, si ista scripsit, correxit errorem: ita enim loquitur in epistola *ad Franciscum Sylvium*, anno sequenti, Id. Mart. data

(11) *Erasmi de his nuptiis literæ, & sarcasmi.*

(Lib. XVIII. ep. 22.) *De conjugio Lutheri certum est, de partu maturo sponsæ vanus erat rumor, nunc tamen gravida esse dicitur. Si vera est vulgi fabula, Antichristum nasciturum ex monacho & monacha, quemadmodum isti jactitant, quot Antichristorum millia jam olim habet mundus?* Quæ vero de partu monacharum ludit, confirmant Lutheri censuram de impuro cleri cœlibatu, qui castitatem vocabat abstinentiam a matrimonio. Jam Maimburgio prolixe responderi posset, qui non solum falsa, quæ notavimus, narrat, sed & calumniandi libidine tria Luthero objicit: (1) quod ad nuptias omnes homines, qui continentiam servare nequeant, obligari statuerit, etiamsi voto sese ad castitatem obstrinxissent; (2) quod eas foverit cogitationes, & eo modo expresserit, qui salvo pudore referri nequeat; (3) quod alios quoque clericos & monachos ad conjugia incitaverit. Sed quia *Lib. I. §. CV.* ex tractatu Lutheri *de votis monasticis*, rationes ejus, quare, non obstantibus votis, ad matrimonia admittendi essent clerici & monachi, enarratæ sunt, ad quas & ipse pro defensione sui conjugii provocavit, actum hic non ago. Majus scandalum matrimonia ista dedissent, si is fuisset monasticæ vitæ mos, qui erat, cum instituti cœpisset. Verum tam aperta tempore Lutheri erat impuritas istius vitæ, ut vulgari dicterio diffamaretur. Majori tamen verecundia, quam a Maimburgio prætexitur, tacere constitui, quæ autores (etiam ante schisma) de immani illa corruptione & fœditate questi sunt, aut quæ adhuc fieri & scribi experimur. Præterire tamen nolo, quæ ipse Lutherus, brevi post nuptias suas tempore, pro defensione sua & eorum, qui illum secuti sunt, una alteraque occasione, ad amicos & Principem scripsit. Pertinent huc *ad Stifelium* literæ, die Michaelis 1525. *Lib. II. Epistolarum p. 300.* & ex iis hæc verba: *Si meum conjugium est opus Dei, quid mirum, si in illo caro offendatur? offenditur etiam in carne ipsius divinitatis & creatoris, quam ipse pro salute mundi in pretium & cibum dedit: si non offenderetur mundus in nobis, ego offenderer in mundo, metuens, ne non esset divinum, quod gerimus. Nunc illo offenso & impatiente, in me ego ædificor, & consolor in ipso; ita fac & tu. Hac nocte tredecim moniales ex ditione Ducis Georgii afferri curavi, & rapui Tyranno furenti hoc spolium Christi.* Anno sequenti Johannes Fridericus, Electoris filius, Luthero theses misit, a Comite Hennebergico (Romanis sacris adhuc addicto) sibi exhibitas, in quibus servandi vota necessitas, allegatis ex sacra Scriptura dictis & exemplis probari posse, & eo ipso Lutheri factum culpari, videbatur. Respondet hic ad eas breviter, sed mascule, in epistola ad Principem 1526. *(die Vener. post Servatii* quæ, 9. Maji) *Tom. III. Alt. fol. 475.* Allegat ab initio tractatum suum de votis monasticis, in quo demonstratum esse ait, quod vota illa damnanda sint. Dein Mosaicos ritus ad Christianos pertinere negat. Monet etiam, votis Judæorum non animam & conscientiam, sed corpus obligatum fuisse, & quæ in potestate voventis erant; licuisse etiam alia præstatione votum redimere, anathemate excepto, ut apparet *Levit. XXVII. 28.* Vota igitur ita valere statuit, si nemo promittat, quod absque peccato non possit præstare; dein ut redemtio aut mutatio reservetur; denique ut ad tempus, non in perpetuum, fiat obligatio. Negat porro, in hominis potestate esse, ut castitatem aut alia, quæ monachi vovent, sua sponte,

(12) *Maimburgii objectionibus respondetur.*

(13) *Literæ Lutheri ad Stifelium;*

(14) *ad Electoris Filium; harumque contenta.*

&

A. 1525.

& ut Deo placere possint, præstet. Ex Novo testamento notum esse dictum Christi, de castrantibus se propter regnum cœlorum; sed tales non esse monachos, neque de eo gloriari posse: pretiosam esse voluntariam continentiam, sed nec imperari nec voto parari, sed esse donum Dei, ideo Christum dicere, *qui potest capere, capiat*. Statuit, extra monasteria decem castos inveniri, antequam unus inveniatur in monasteriis, *ratio*, ait, *est, quia extra monasteria labor est, & cura, & multiplex afflictio, quæ reprimit lasciviam & ad preces cogit. E contrario otiosi sunt monachi, & nocte dieque malis cogitationibus se cruciant, quas cilicio aliisque istiusmodi mediis suffocare nequeunt: iners, secura & mollis eorum vita est, quam ipsi pro austera venditant.* Quæ de viduis ex *1. Tim. V.* afferuntur, nihil ad cœlibatus votum facere dicit, quod vero de carnis mortificatione ex Apostolicis dictis afferebatur, id utique verum & servandum esse, agnoscit; sed ad id non opus esse cœlibatu aut monasteriis, neque Christum aut Apostolos quenquam ad illa vocasse; spiritu mortificari facta carnis debere, *Rom. VIII. 13.* non voto aut juramento; spiritu fieri, ut carni ejusque voluptatibus infensi simus, accedere laborem, persecutionem, molestiam, solicitudinem, cibi, potus & somni moderationem: ad hæc adigi conjuges cura domus & liberorum, ab otiosis monachis sperandum id non esse. Eodem anno, (dies non notatur) in quæstione quadam matrimoniali, libertatem connubii summa cum fiducia defendit. *Fundamentum nostrum est* (scribit) *& petra: Quæ Deus non prohibet, sed libera sinit, libera sunto, nec obediendum est iis, qui prohibent, quæ Deus vult libera esse. Omnes potius reniti debent, & contrarium verbo & opere facere. Gal. II. & V.* Addit: *Pontifices id agnoscere, cum prohibitiones suas favore vel pretio relaxant; Deum vero sapientiorem esse apparet, quam Papam: illius potius quam hujus legibus obsequendum est. Hic adversarii ut lapides & stipites resistunt, clausisque oculis & auribus, hæresin saltem, & pontificum prohibitiones inclamant, veluti furentes. Age igitur,* (pergit) *quia aures obturant, & divinam libertatem vi opprimere volunt, ut ægre ipsis fiat,* (ihnen zu troß) *audiant & videant nos agere, quæ illis summopere displicent, & maximo sunt scandalo. Meliora non merentur, quam, ut offendantur iis, per quæ emendari deberent: noluere benedictionem, & elongabitur ab iis. Ps. CIX. 17.* Subjungit: *Ego quoque monialem duxi: omittere id poteram, nec causam graviorem habui, quam, ut diabolo ejusque squamis, magnatibus & episcopis, ægre facerem, qui in furorem aguntur, quod clerici liberi esse velint. Vellem, majora a me scandala dari posse, si modo aliquid scirem quod Deo placeret, & ipsos offenderet. Sic enim vindictam in eos, & in furorem eorum contra Evangelium, exercerem. Irati sunt illi, ego id non curo; quo minus illi probant, quæ facio, tanto facio lubentius. Illi vi nituntur, ego jure; expectabo, visne an jus præponderaturum sit.* Hac igitur mentis securitate & certitudine, si in quolibet alio, in hoc profecto articulo, per totam vitam fuit. Ut adeo Maimburgius confitentem in plerisque capitibus accusationis istius reum habeat. Liberum enim jure divino conjugium esse statuit, imo necessarium cunctis, qui donum continentiæ singulari Dei dono non habent, idque donum nullis votis procurari, sed eo nomine præstita, pro conscientiæ securitate, solvenda esse. Hæc talia sunt, quæ nec oppositione legum pontificiarum, multo minus per scommata aut convitia refutari possunt; stante autem libertate conscientiæ, Lutherus ab omni crimine absolvitur. Imo & ipse aliique agnoverunt, divina providentia factum esse, ut hoc scandalo offenderentur veterum abusuum defensores, exemplo vero Lutheri infirmiores confirmarentur, qui hæsitabant, quam diu doctorem illum suum, quod aliis suaderet, ipsum vitare cernerent. Sapientia itaque humana hoc facto Lutheri confusa, & tota illa externa monasticæ sanctitatis species in fumum versa fuit, apud omnes, qui vim veritatis evangelicæ internam & spiritualem, ex ductu verbi divini, & justam libertatem a Deo concessam, solide intelligebant. Reliquum esset, ut de obscœnitate phrasium, quæ Luthero hic objicitur, videremus; sed de ea commodius agetur, post relata, quæ Maimburgius de epistola Lutheri ad Albertum Cardinalem subjungit.

A. 1525.

(15) *Epilogus de hac materia.*

SECT. 6.

De literis Lutheri ad Albertum Moguntinum, in quibus eum ad nuptias hortatur.

Successu tamen caruit temeritas ejus, qua maximum Germaniæ Prælatum, & magno zelo puritati fidei catholicæ intentum, corrumpere tentaverat. Erat is Albertus, *Cardinalis Brandenburgicus, Archiepiscopus Moguntinus & Magdeburgensis, idemque qui primis Hæresiarchæ hujus ausis restiterat.* * *Nihilominus haud veritus est, longa epistola illi suadere, ut non suum, (neque enim tam impudens fuit, ut hoc allegaret) sed magni Prussiæ Magistri, qui Archiepiscopi agnatus erat, exemplum sequi, uxoremque ducere, & duos Archiepiscopatus in Principatus seculares erigere vellet. Hoc unicum eo profuturum esse ait, ut omnes alii Episcopi ex pravo & infelici clericatus & cœlibatus, quo irretiti essent, ordine exemti, in sancto & beato matrimonii statu, cui Deus semper faveret, stabilirentur. Utique enim (sic literas inverecundas conclusit) Dei voluntas manifesta est, ut vir unusquisque suam habeat uxorem, secundum sanctum illud dictum:* Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutricem, quæ circa eum sit. *Ubi igitur Deus non facit miraculum, angelum ex homine faciens, non possum videre, quomodo vir queat absque ira indignationeque Dei solus ac sine muliere manere. Cardinalis vir sapiens magnæque experientiæ, exorbitantem hanc epistolam contemtu & silentio transmittere statuit, illaque hoc modo evanuit.*

* *Multos homines lucraretur, aliosque Episcopos subsequenter alliceret. Jam vero utique opus ac voluntas Dei est, ut vir habeat mulierem.* Gen. I. Non est bonum, *inquit Deus,* virum esse solum: faciamus ei adjutricem, quæ circa eum sit. *Ubi igitur Deus non facit miraculum, angelum ex homine faciens, non possum videre quomodo vir queat absque ira indignationeque Dei solus, ac sine muliere manere.* Luth. ep. ad Alb. Mog. ap. Cochlæum.

An. 1525.

§. VI.

(1) *De tempore literarum Lutheri, ad Moguntinum.*

Turbat Maimburgius ordinem temporis, a *Cochlæo* deceptus, qui has literas Lutheri ad Albertum in annum 1526. conjicit; sed proprium errorem errat noster, cum dicit, Lutherum non ausum esse sui conjugii exemplum Alberto proponere; qui enim potuisset, cum ad Albertum scriberet ante nuptias suas, nempe *die Veneris post Exaudi*, id est, 2. Junii, sequenti vero die, ut supra retuli, ad Ruhelium, *Tom. III. fol. 140.* Alberto, si opus sit, exemplo suo præiturum se esse offert, itaque nondum præiverat: neque tamen indignum se reputabat, cujus exemplum proponeret; arctiori enim voto, quam Albertus, obstrictus erat. Ista ad Ruhelium epistola, & prior ad eundem (*die Martis post Exaudi*, id est, 30. Maji data, *d. l. f. 138.*) lucem affert veritati, quam Cochlæus callide pervertit, & Maimburgius, vafritiem hujus non assecutus, tum literarum Lutheri ignarus, neglexit. Non erat is Albertus, a quo virtutis sinceræ constantisque animi exempla expectari possent, quantumcunque illum a zelo puræ fidei catholicæ, & a sapientia & magnitudine, prædicet Maimburgius, ut jam *Lib. I. §. VI. & Addit. ad §. VI. & XII.* moneri necessum fuit.

(2) *Alberti propensio ad nuptias.*

Illo igitur rustico tumultu Albertus, sive finxit, (ut simulandi dissimulandique artifex erat) sive serio tunc molitus est, conditionis mutationem, ut cladem, quæ Principibus, maxime Ecclesiasticis, a seditiosis imminere videbatur, præveniret, & exemplo patruelis sui, Alberti Borussiæ Principis, si non omnia, quæ possidebat, sacerdotia, certe Magdeburgicum, sibi acquirere &, uxore ducta, ad posteritatem suam transferre posset. Prodit hoc aliquatenus ipse, dum tegere aut excusare vult, *Cochlæus, in anno 1526. fol. 132.* ubi non tacet, Principes, Comites & Barones (Magdeburgici Archiepiscopatus clientes & ordines) rem uxoriam Alberto suggessisse. Conservavit is aliquod cum Luthero, ut exordium hujus ipsius epistolæ probat, commercium, imo & ipse (ut *d. Lib. I Addit. ad §. XII.* adduxi) humanissime ad eum scribere solebat. Itaque per Ruhelium Luthero ad cohortationem illam de ducenda uxore ansa data est.

(3) *Literæ ea de re Ruhelii, cum responso Lutheri.*

Probatur hoc ex *literis Ruhelii* d. 21. Maji ad Lutherum datis, quas *supra* allegavi, scribit enim: Ich wolte gern/daß ihr an meinen gnädigsten Herrn von Magdeburg als in diesen gefährlichen Zeiten/ ein Trost-Briefflein und Ermahnung zu Veränderung seines Standes (ihr verstehet mich wohl) zuschriebet/ doch/ daß ich eine Copey davon haben möchte/ ich will heute nach Magdeburg/ in den Sachen zu handeln. GOtt der Allmächtige gebe mir Gnade! bitte GOtt vom Himmel/ daß er hierinnen Gnade wolle verleihen zu solchem ernstlichen Werck und Vornehmen. Hoffe ihr verstehet mich wohl/ will sich nicht schreiben lassen. Bitte/ bitte/ bitte umb Gottes willen mir/ als einem Arbeiter/ Gnade und Stärcke zu verleihen. Sensus est: *Vellem, ut ad Dominum meum clementissimum Magdeburgensem epistolium quoddam consolatorium, calamitoso hoc tempore, scriberes, eumque ad mutationem status sui (probe me intelligis) adhortareris, & mihi literarum exemplum mitteres. Hodie Magdeburgum proficiscor, ut de hac re tractem. Deus omnipotens gratiam ad hoc propositum largiatur! Id ardenter oro. Spero, te hæc recte percipere; scripto explicare ea non possum.* Addit iterum enixas preces & vota. Evidens hinc est, quid Albertus agitaverit, conscio arcanorum Ruhelio, qui etiam Lutherum participem eorum fecit. Hic igitur sine ambage d. 30. Maji respondit, quæ *Tom. III. fol. 138.* leguntur: *Literas ad Episcopum dabo, & tibi exemplum mittam.* Dein altera epistola *fol. 140.* præstat quod promiserat. Ita enim scribit: *Mitto tibi exemplum epistolæ meæ ad Dominum meum clementissimum Cardinalem Hallensem,* (Halis enim residebat) *quæ si placuerit Electorali ejus Clementiæ, me volente poterit vel calamo vel typis vulgari, sed non prius, quam literæ meæ ipsi fuerint exhibitæ, & postquam tu ad illum veneris, & intellexeris illas ei placere.* Subjungit postea, quæ supra inserui, quod suo exemplo, si opus sit, præire velit Electori. Liquet hinc, quod dixi, non temerarie ista scripta esse, &, licet Luthero illusum fuerit a Cardinali, vel hic, cessante a seditione rustica periculo, mentem mutaverit; ab impudentiæ tamen culpa Lutherum prorsus absolvendum esse, quia aut jubente aut conscio ac permittente scripsit Alberto, & hic, dum literas publicari permisit, placuisse sibi eas satis testatus est, vel simulavit. Notat *Cochlæus*, nihil respondisse Albertum, & ideo se consilium pro eo respondendi cepisse, nisi tardius accepisset epistolam jam scriptam & elanguidam fama. Sed ex iis, quæ addit, & supra notavi, de procerum suggestione, satis apparet, absque pudore non potuisse responderi ab Alberto, & metuendum fuisse, ne Lutherus fraudem omnem detegeret. Duravit tamen Alberti simulatio benevolentiæ erga Lutherum, idque constat ex hujus literis post aliquot septimanas *d. 21. Julii mensis* ad Albertum datis, in quibus pro captivo quodam Islebiensi intercedit, eo stylo, qui optimæ fiduciæ notas habet, vide *Tom. III. f. 155.*

(4) *Argumentum epistolæ Lutheri ad Albertum, de conjugii necessitate.*

Quod vero argumenta attinet, quibus in epistola sua *Tom. III. f. 139.* Alberto matrimonium & conversionem Episcopatus (de uno enim loquitur, & quæ de duobus inserit Maimburgius, ex se finxit) in Principatum secularem suadet Lutherus, desumsit illa a periculo tumultus rustici, & ab odio universali, quo ecclesiastici principes laborabant, cujusque augmentum cum destructione principatus illius metui debebat; sublata enim ex animis hominum persuasione de sanctitate cleri, fore, ait, ut obedientia etiam rueret. (wann die Geisterey aus den Hertzen ist/ kommt sie auch aus den Augen.) Addit: Sic culpam, quod Halis multa impensa ecclesiasticam impietatem foverit, expiari posse, & subditorum amorem conciliari. Proponit deinde exemplum Alberti Borussi, qui desperatas ante decennium res suas in optimum & gloriosum statum hoc modo adduxerit. *Quid igitur non præstiturus esset Elector, in media Germania primarius procerum ecclesiasticorum, & quam laudabile exemplum aliis daturus esset Episcopis, quanta denique præmia a Deo expectare deberet, honorem ejus in recipienda doctrina evangelica promovendo?* Tandem vel solum argumentum ex conscientiæ obligatione sufficere statuit, quod nempe Albertus ad conjugium natus sit. Sed mala fide hoc proposuit Cochlæus, eumque cœco impetu secutus est noster. Neque enim tam crude & universaliter omni homini conjugium esse amplectendum statuit Lutherus, nisi Deus aliquem per miraculum ex homine angelum fecerit; sed paulo post, ordinariam & alibi sæpe assertam exceptionem (quam Cochlæus maligne prætervectus est) subjungit. Scribit enim: *Deus interrogabit in judicio, virum te creavi,*

A. 1525.

A. 1525.

creavi, qui non solus esse, sed uxorem habere deberet, ubi est uxor tua? Loquor de viro naturali. Cui enim Dominus donum continentiæ dedit, illum excipio. Sed extra illud nemo se eximere potest, ut absque uxore sit, & pro lubitu atque aliter vivat, quam, quomodo Deus eum condidit. Vis argumenti, quod toties tractavit, ut sæpe monuimus, hæc est: *Eos, qui continentiæ donum a Deo non habent, stimulos autem carnis, &, quæ ex iis sequuntur, uredines & pollutiones compescere & vitare non possunt, necessario ad conjugium compelli. Idque ex effato divino:* Non est bonum hominum esse solum, *irrefragabiliter deduci.* Neque tamen Lutherus, de Alberti utpote assensu ex iis, quæ ad se scripta erant, bene sperans, & ideo lenissime procedens, argumentum illud tunc fortius ursit, ut alias facere solebat, impuritatem nempe cœlibatus votivi & coacti exaggerando; licet mores Alberti satis noti id poscere viderentur. Tetigi aliquid *Lib. I. §. VI.* Sed post annos complures, desperata jam omni Alberti emendatione, vitium libidinis illi publice objecit, anno 1539. in acerrimo scripto *pro Johanne Schenitio*, cubiculario Alberti, quem is præcipitato, ut dicebatur, judicio, supplicio affecerat. Ait enim, *ipsum cum contemtu ac irrisione Dei & hominum, scorta, loculis, in quibus sanctorum corpora in processionibus gestari solebant, inclusa, additis pro more cereis & vexillis, arci suæ Mauritianæ Hallensi* (quam *lupanar* vocat) *inferri curasse; talia vero a viginti annis notoria & comperta esse* scribit. Vide *Tom. VII. Alt. f. 394.* Hæc explicant ea, quæ in *epistola* dixerat de *viro naturali*, & quod non liceat extra conjugium pro lubitu stimulis suis obsequi. Rogandi sunt lectores, ut ex hoc exemplo productarum *epistolarum MSS.* observent, quid ad lucem historiarum conferat plena actorum notitia. Ex literis enim Ruhelii Lutherus a temeritate & impudentia, quam illi ob epistolam, ad Cardinalem scriptam adversarii imputant, ut dixi manifeste absolvitur. Patet simul, non bene consuluisse historiæ rerum & famæ Lutheri, qui ejus literas promiscue evulgarunt, neglectis illis, ad quas respondit; ex quibus explicari, quæ scripsit, possunt, multisque calumniis & erroribus paratum est remedium.

(5) *notatur Alberti libido.*

(6) *De verborum obscœnitate, Luthero imputata.*

Respondendum hic est paucis ostentationi verecundiæ, per quam Autor (*§. 5.*) Lutheri obscœnitatem, qua necessitatem nubendi suadere solet, tragice insectatur. Allegat autem sermonem ejus de matrimonio *Tom. V.* quem lectum ei fuisse nemo credat. Quæcunque Lutherus cum parrhesia aliqua, de turpitudine, quæ ex cœlibatu, (humano saltem proposito, & per votorum vincula, instituto) oritur, sive in sermone illo, sive aliis locis questus est, verissima sunt; licet optandum foret, ut neque tunc vera fuissent, neque hodie essent. Mira est sanctimonia, qua scapham nolunt scapham appellari, nec verbis tradi, quæ factis innumeris exercentur, & notoria sunt, imo exemplo sacri codicis (posito intempestivo & noxio pudore) indicari & moneri debent, ut peccata caveantur, quæ non omnes agnoscunt. Neque tamen centesimam eorum partem expressit Lutherus, quæ *Casistæ*, quos vocant, de hac materia scribunt, & confessionarii interrogare & explicare solent. Omnia quæ dicit (quibuscunque formulis id exprimat aut doceat) eo tendunt: *illis, qui sentiunt, voto & professione cœlibatus impediri incentiva libidinum & profluvia seminis non posse, aliud remedium vitandi mortalis peccati non superesse, quam conjugium: naturæ vim inferri non posse, neque ita obstrui libidinis motus, ut non inveniant rimam, qua erumpant. Sic constitutum esse corpus humanum ab ipso creatore, neque datum esse homini absque singulari quadam Dei gratia, ut in potestate sua habeat integram & puram continentiam.* Tractavit Lutherus hoc argumentum, ut jam de aliorum annorum scriptis nihil dicam, nec, quæ *Lib. I. §. CXXXI.* monui, repetam, hoc ipso anno, data sub finem mensis Martii, (*die Lunæ post Lætare*) antequam ipse de nuptiis suis cogitasset, ad virum insignem *Doct. Wolfgangum Reissenbusch*, Ordinis S. Antonii Præceptorem, ut vocabant, *Lichtenbergæ*, epistola prolixa & satis eleganti, quæ Latina habetur *Lib. II. Epistolarum Lutheri* a Jo. Aurifabro collectarum *p. 274.* & Germanica *Tom. III. Alt. fol. 100.* Nescio, an hanc obscœnitatis accusent sanctuli illi cœlibatus encomiastæ, cujus plerique nullum experimentum habent. Adscribam, salvo omni, uti spero, pudore, verba quædam, etsi liberiora videantur, verissima tamen, & sancta sanctis. *Hoc*, ait, *plane persuasum habeo, nullo voto quenquam obstringi posse, ubi hæc duo non sunt excepta.* Primum, *ut illud, quod vovimus, in nostra manu, adeoque perficiendi facultate sit situm, hoc est, ut votum sit possibile factu, quis enim impossibilia vovere sustineat? quis exigat? Hinc omnia vota in sacris descripta literis ejusmodi esse quis non videat, ut quæ in humanis possessionibus jam ante a Deo data fuerunt, cujusmodi sunt boves, oves, ædes, agri, corpora &c. Porro caste & integre vivere tam non est in manu nostra, quam omnia reliqua Dei miracula, gratia & opera. Omnes itaque ad matrimonium, hoc est, ad legitime procreandos liberos, nati sumus, sicut ipsa corporis membra indicant. Et Scriptura Genesis secundo: Non est bonum, hominem esse solum; faciamus ei adjutorium coram eo. Nunc, qui se hominem esse agnoscit, & credit hominis appellatione se quoque comprehendi, ille purgatis auribus audiat, quam Deus omnium rerum conditor super omnem carnem pronunciet sententiam dicendo, nimirum se nolle quenquam vivere ἄγαμον, sed multiplicari. Ad quod quidem illi adjutorium creavit coram eo, cujus præsidio fretus μονόσπορος vivere necesse non habet. Et hoc est verbum, quo vis genitalis, & ferventis naturæ in mulierem inclinatio, in corpore masculo creatur & conservatur; quod nullis votis aut legibus potest eradicari aut opprimi, Dei enim verbum est & opus. Qui vero adeo ἄγαμος ἢ μονόσπορος manere statuit, ille nomen hominis a se deponat, planum faciens, se angelum esse aut spiritum; homini enim a Deo nullo modo conceditur. Quamobrem non male de sanctis virginibus cecinit Ecclesia, quod non humanam, sed angelicam vitam in terris agentes vixerint, per summam illam Dei gratiam sustentata, & quod in carne sine carne ætatem egerint. Corpus enim nostrum pene in universum muliebris caro est, nimirum, in qua conceptum, auctum, natum, lactatum, fotum & nutritum est. Ita ut supra vires nostras sit, ab hac sibi temperare posse, & hoc, cogente verbo Dei, ita volentis & facientis. Hinc videmus, homines alioqui mulieribus parum aptos procreando fœtui, naturali inclinatione nihilominus esse plenissimos, & quo minus instructi sunt εἰς τὸ παιδοποιεῖν, hoc magis sunt γυναικόφιλοι. Cujusmodi naturæ ingenium est, ut ubi minimum est, hic omnium fortissime expetamus. Quare ἄγαμος*

An. 1525.

(7) *Excerpta ex Lutheri literis ad D. Reissenbusch, de necessitate conjugii, & evitandis pollutionibus.*

An. 1525. *vivere volens, plane ἀδύνατα θηρεῖ καὶ ὅλως θεομαχεῖ, in hoc, quod verbo Dei, & creaturæ per verbum ejus creatæ, & deinceps conservandæ & exercendæ, perperam obnitendo repugnat. Et quod tantopere captant, tandem assequuntur. Fit enim, ut dum student vivere cœlibes & ἄγαμοι, scortatione & carnis intemperantia reddantur plenissimi, in qua tandem in totum suffocatis impie desperandum est. Propterea tale votum contra verbum & opus Dei susceptum, ut impossibile & impium, nullius momenti est. Deus quoque reprobat illud, non secus, ac si vovissem, Dei matrem me velle fieri, aut novum cælum condere velle.* Dein, postquam fiduciam meriti, quæ voto cœlibatus adhærere solet, reprehendisset, & moram abrumpere suasisset, *f. 276.* subjungit: *Miseranda res est, eo dementiæ ventum esse cum hominibus, pudendum facinus æstimantibus, si quis uxorem duxerit, aut si quis ob ductam uxorculam pudore suffunditur, cum nemo miretur homines edentes & bibentes. Et hæc necessitas, unde genus humanum emergendum est & enascendum, apud homines primum in dubium & admirationem venire debeat. Non video hic quicquam consultius, quam, clausis animi oculis, quantocyus ipsum opus aggredi, ad quod a Deo creatos nos esse videmus & sentimus, dum magnis flammis quotidie in carne nostra adurimur: & quod a nobis spretum, innumeris & detestandis peccatis gravique gehenna pœna animadversurus est. Ne, quæso, sanctiores esse velimus Abrahamo, Davide, Isaia, Petro, Paulo, & omnibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, tot Martyribus & Episcopis, omnes se homines a Deo creatos non negantibus, nec homines esse & dici pudentibus, sed qui ad eum modum vixerint, ne ἄγαμοι ἢ ἄπαιδες interirent. Quemcunque puduerit connubii, hunc quoque pudeat esse & dici hominem, aut se meliorem, quam a Deo creatus est, de integro faciat. Adæ filii sunt & manebunt homines. Hanc ob causam debent & coguntur iterum ex se relicto semine procreare homines. Deum immortalem! quotidianis experimentis observamus, quam ægre & multo labore vix in matrimonio vivatur connubiali castitate servata, & nos primum extra matrimonium, perinde ac si non essemus homines, nec carnem nec sanguinem habentes, cœlibes vivere conamur? Verum diabolus hujus mundi Deus, tantis contumeliis & probris propemodum infame fecit matrimonium, habito interim honore adulteris, meretricibus & scortatoribus. Ita, ut æquum mibi videatur, diabolo & mundo adversandi gratia, contracto matrimonio, uxorem habere domi, & suam contumeliam propter voluntatem Dei susceptam alacriter perferre.* Omnis, ut dixi, argumenti vis est, a sexus, quem Deus hominibus dedit, conditione & efficacia, quam professione verbali & votiva, aut lege humana, absque singulari & gratuito Dei dono, supprimere, aut, si id moliamur, majora vitia & incommoda evitare non possumus. Admisit consilium Doctor ille, & uxorem duxit, ut apparet ex tractatu prolixo, quem *Joh. Pomeranus* anno 1525. mense Augusto *de conjugio episcoporum & diaconorum* Latine conscripsit, & *Stephanus Rothius* Zuiccaviensis Germanice vertit. Is novo marito inscriptus est. Sed ad Lutheri epistolam ad Albertum redeo. Clausit eam non dicto illo, *Gen. II.* aut verbis, quæ Maimburgius ex Cochlæo exscripsit, sed his: *Rogo, ut Electoralis tua Clementia fidelem hanc & submissam admonitionem meam benigne accipiat, & uberius & melius expendat, quam ego scribere potui. Vehementer aliquid contribuere expeto, quo per Dei gratiam diabolo resisti, & motus plebis componi queat. Exhibeat se Cels. Tua creatori suo fidum instrumentum, ut tanto maturius & præclarius hoc opus procedat. Tempus observandum est, antequam transeat, & non redeat ejus commoditas. Adsit auxilio suo & gratia benignissima Jesus Christus Dominus noster, qui pax & felicitas nostra est. Amen.* Frustra quidem tunc fuit cum consilio & voto isthoc suo Lutherus; sed secuta sunt tempora, quibus ex eadem Serenissima gente Ecclesiastici Principes id non neglexerunt. Producta est in Altenburgensi editione Tomorum Lutheri, *D. Georgii Bucholzeri Præpositi Berolinensis* in concionem Lutheri de conjugio anno 1525. habitam (*Tom. II. Alt. f. 865.*) præfatio ad *Julium Ducem Brunsuicensem* anno 1560. scripta. In hac non solum *Alberti* Prussiæ Ducis, sed ejus Fratris *Guilielmi*, Archiepiscopi Rigensis, conjugium laudatur, & dicta atque facta egregia *Principum Brandenburgicorum* allegantur, in encomium casti matrimonii, & odium impuri cœlibatus. Alterum etiam consilii, quod Lutherus Alberto dederat, caput, ut Magdeburgensis Archiepiscopatus, qui olim ante Ottonis I. Imp. fundationem magnus & nobilis Ducatus fuerat, ad pristinam illam conditionem rediret, nostro tempore effectum habuit. Subjectus enim fuit Serenissimæ familiæ, ex qua Albertus prognatus erat, dominio, publicis pactis. Hæc admiranda divinæ providentiæ specimina consolari nos possunt adversus veteres & recentes calumniatores, qui conjugium exagitant, & illam cœlibatus gloriolam, quam ipsi, inanissimam esse, & pro virginitate falsissime jactari, suapte sciunt experientia, vanis extollunt encomiis. Laudamus virginitatem veram, puram, spontaneam, a Spiritus sancti singulari virtute productam, divino cultui & proximi commodis sincere dicatam; aspernamur ab hominibus inventam, vinculis, præter legem & exemplum primitivi christianismi, horrentem, jactatione meritorum & pompa scenica tumidam, intus & in cute plerumque putidam, imo nullam; neque reparari illam credimus repetitis expiationibus, quæ per confessiones & impositas a sacerdotibus aut suo arbitratu institutas afflictiones corporis fieri dicuntur, toties recurrente natura, quoties furcis illis expulsa est: unde concludi debet, Spiritum sanctum cum donis suis non adesse, nec statum illum vitæ & voti Deo placere. Experientia & conscientia cuique testis erit, & evidenti argumento; habitum virtutis hujus humanis artibus non parari, nec myriadibus hominum monasticorum & clericorum eam profitentium contingere, sed rarissimo dono cœlitus dari: eos vero, qui hoc potiuntur, omni honore dignos merito habemus. Regula igitur esto: in casto matrimonio servire Deo etiam ecclesiasticos viros posse: neque tamen in conjugio etiam negligendum est continuum adversus incitamenta libidinum studium, per preces & sobrietatem vitæ & devitationes occasionum exercendum, ut Lutherus non uno loco graviter monuit. Interim fœdius peccant, quos nec licitus matrimonii usus a vetitis retrahit voluptatibus; & exempla cadentium tanto cautiores efficere debent alios, ne eidem succumbant tentationi. Qui vero ex adversa parte permissa clericis matrimonia ob excessus eorum, qui ne sic quidem castitatem servant, sugillare solent, cœlibatus sui

(8) *Exempla sanctorum qui mariti fuerunt.*

(9) *Eventus harum literarum.*

(10) *Epistolæ Lutheri ad Albertum epilogus.*

(11) *Epicrisis de eventu consilii a Luthero tunc dati.*

(12) *Laus veræ virginitatis, & casti matrimonii.*

A. 1525.

A. 1525.

sui causam meliorem non faciunt. Hic nimirum, quatenus innumeræ pene hominum multitudini præcipitur, humanum inventum; matrimonium vero divina institutio est. In hoc confidi potest de divina ope; non æque in illo, qui parem nec legem nec promissionem habet.

§. VII.

Sterilem hujus anni 1525 historiam nobis facit Maimburgius, dum non saltem literas Lutheri ad Albertum Cardinalem, de quibus diximus, sed & eas, quas ad Angliæ Regem, & Georgium Saxoniæ Ducem scripsit, & alia quædam, in annum sequentem trajicit, dein multa minime prætereunda reticet. Indulgebimus ei quoad literas, ut de iis eo loco, quo ipse, agamus. Sed quæ neglexit, aut callide dissimulavit, ut temporis ordo poscit, memorabimus. Pertinet huc ante omnia consilium *Johannis, Ducis & Electoris Saxoniæ*, qui post mortem fratris Friderici, & delatum ad se successionis jure Electoratum & reliquarum, quas hucusque cum Fratre communes possederat, regionum imperium, nihil prius cura religionis habuit. Hanc Principi huic gloriam Deus reservaverat, qui, si Fratri in perspicacitate & prudentia politica, qua is *Sapientis* cognomen sibi quæsivit, posthabendus est; (sunt enim Dei dona diversi generis & gradus) non minorem tamen a nativa, ut Chytræus loquitur, mentis bonitate, & animi firmitate & constantia, laudem sibi paravit, adeoque cognomine *Boni* & *Constantis* merito honoratus fuit. Ex iis, quæ *Libro primo* tradita sunt, satis patet, *Fridericum* connivendo & tolerando potius, quam publica autoritate, religionis mutationem eatenus promovisse, quatenus prædicatio & scripta Lutheri, & populi assensus, cessante prohibitione, valebant. Nec carebat hoc ejus institutum ratione. Nam eousque multorum seculorum inscitia, & cleri astutia ac potentia, regibus & principibus persuasum fuerat, & renitentibus violento modo inculcatum: sacrorum curam ad sacerdotes, eorumque capita, id est, episcopos, & denique ad pontificem, ita pertinere, ut principibus & populis non nisi obsequii gloria relicta esset. Licet vero clerus non solum officium neglexisset, sed in eum statum rem sacram adduxisset, ut nihil minus, quam vera & genuina doctrinæ christianæ capita, populo proponerentur, sed ad ceremoniarum pompam & cleri fastum & utilitatem omnia essent conversa; Princeps tamen cautissimus moram ferre & temporum momenta speculari, quam statuere aliquid malebat, quod ancipitis eventus esset. In eo quidem erat (ut *ultimæ ejus literæ ad Fratrem* indicium faciunt, & *Spalatinus in vitæ ejus historia MS.* annotavit) ut officium suum, perspecto jam successu evangelicæ doctrinæ, apud subditos interponeret, abjecta spe reformationis a pontificibus & episcopis obtinendæ, quam ipse & magna pars Europæ optabat. Eo haud dubie animo non minus, quam consolationis suæ causa, dum decumberet, Lutherum, cui antea familiarem accessum nunquam dederat, vocari ad se jussit; sed is, ad sopiendum concionibus suis (ut dixi) rusticorum motum, in Thuringiam excurrerat, nec redire, nisi proxime ante Principis mortem, potuit. *Johannes* autem successor ultimis his Fratris consiliis insistens, & a filio *Johanne Friderico*, doctrina ac virtute præclare instructo, adjutus fortiter & aperte aggredi religionis reformationem statuit. Sed hæc cogitantem motus rusticus impedivit. Flagrante tamen illo Lutherus Johannem Fridericum, Electoris filium literis, quarum exemplum *Spalatinus in Hist. MS.* servavit, ad suscipiendam de conservanda Academia Wittenbergensi curam sollicitavit, his inter alia verbis: *Diu jam confusio duravit, abeunt quotidie quidam, ad munia ecclesiastica provecti, nec facile redintegrari numerus potest. Vicini nostri* (Misnenses intelligit) *gloriantur, quasi cum Friderico Academia interierit. Si igitur vultis, ut maneat, properandum est. Dolendum sane foret, si hæc schola interiret, ex qua Evangelium in totum orbem propagatum est. Desiderantur ubique & petuntur a nobis viri idonei, neque est, qui de iis educandis & instruendis solicitudinem gerat. Si igitur Celsitudo tua præstare aliquid cupit, humillime peto, ut id maturet, neque ardelionum in aula sermones curet, qui de literis contemtim loquuntur.* (**E. Fürstl. Gn. wollen nicht gehorchen / wenn etliche grosse Hoff-Schrantzen würden verächtlich von Schreibern reden.**) *Probe enim nosti, mundum non saltem vi & armis regi, sed & doctis viris opus esse, qui verbo Dei & concionibus populum contineant. Absque his non diu valeret potentia politica, & ipsum regnum Dei plane a nobis auferretur.* Responsum Johannis Friderici non invenio, sed Electoris rescriptum ad Lutherum *d. 1. Jun.* extat. *Reg. O. fol. 140.* **E. E. E.** in quo asseverat, *sibi non minori curæ esse Academiam, quam Friderico fratri, idque re ipsa ostensurum esse, finita expeditione bellica.* Confidere itaque jubet Lutherum, & interea professores ad diligentiam hortari, & ad Deum pro successu belli preces fundere. Illo igitur fere confecto *Id. Septembr.* denuo Electori scripsit, petiitque ut legatos mitteret, qui lectiones academicas & salaria professorum constituerent, formamque sacrorum rituum præscriberent. *Reg. O. fol. 126.* **B B B.** Jussus inde Spalatinus Lutheri de his mentem clarius explorare, *d. 2. Octobr.* ad Electorem retulit, *facillimum esse, ut salaria academica augeantur, cum numerus cleri in Ecclesia Collegiata omnium Sanctorum ab octoginta ad octodecim jam redactus esset, mortuis aut dilapsis reliquis.* Significat etiam, *Lutherum cum consilio Melanchthonis & Pomerani jam ordinare cœpisse ritus in templo Collegiato.* Tentaverat id Lutherus, nec Principis mandatum expectavit, ne emendationem difficultatibus & dilationibus aulicis moraretur. Neque male id accepit Elector, sed missis consiliariis *Johanne a Minckwiz* & *Johanne a Dolzig* acta Lutheri autoritate sua comprobavit, & in ampliorem formam redegit. Patet hoc ex literis Lutheri *ad Nicolaum Hausmannum* Pastorem Zuiccaviensem d. 9. Octob. & sub finem mensis ad *Johannem Langum*, aliosque Erfurtensium pastores, datis, in quibus significat; *constitutum esse ut sequenti die Dominica post Simonis & Judæ, id est, XX. post Trinit.* (d. 29. Octobr.) *primum experimentum missæ*, id est, Cœnæ Dominicæ, *lingua Germanica celebrandæ fieret*; idque factum est, ut multi tradiderunt, & annotatur *Tom. III. Alt. fol. 304.* Veruntamen Germanica formula Dominicis saltem diebus, laicorum causa, utebantur, ut diserte scribit Lutherus *d. epistola ad Langum*, quotidianus vero cultus Latine peragebatur, conjunctis lectionibus vernaculis. De formula ipsa sequenti anno agam, tunc enim typis fuit publicata, ut Lutherus, ista scribens, spem fecerat. Initium vero, quod obiter moneo, missas Germanice canendi *Hausmannus*

(1) *Johannis Electoris elogium.*

(2) *Friderici Fratris cunctatio, itemque ultima intentio.*

An. 1525. (3) *Lutheri adhortatio ad Principes.*

(4) *Visitatio & reformatio specialis Wittenbergensis.*

A. 1525. *nus* jam Zuiccaviæ fecerat, verno hujus anni tempore, non improbante Luthero, nisi quod cantum in Latina missa adhiberi solitum Germanicæ non judicabat convenire, ob diversum nempe linguæ numerum sive accentum, ideoque alium se meditari dicit, mittit interim ei præfationem Germanicam missæ, si vellet, præmittendam. Constat hoc ex *epistola Dom. Lætare ad Hausmannum* scripta *Lib. II. Epistolarum p. 278.* Sed ad Wittenbergensia redeundum est. Peracta, qualis tunc fieri poterat, lectionum Academiæ & rituum sacrorum ordinatione, Lutherus d. 31. Octobr. (*d. fasc.* B. B. B.) longam ad Electorem epistolam dedit. Præmittit importunitatis suæ excusationem, vel quod Electoris consiliis diffisus fuerit. *Illius peccati*, inquit, *egregius fructus fuit conservatio Academiæ ab instanti dissolutione, & jam Celsitudo tua in corde suo sentiet præclarum a se, & quod Deo placeat, opus, peractum esse, licet in mundo præmio & gloria careat. Exultabit conscientia tua & fides firmabitur, quod te, ut instrumento, utatur Deus & porro usurus sit.* Duo deinde graviter monet. *Primo*, ut pastorum in regione egestati prospiciat, ex ingratitudine plebis & abolitione veterum collationum emergenti; id fieri posse ex proventibus monasteriorum. *Secundo*, ut politicum etiam regimen emendet, multisque querelis remedium statuat. Respondit Elector d. 7. Novembr. & excusationem clementer accipit. Cum vero monitum ejus ita intellexisset, ac si salaria pastorum ex fisco Principis augeri desideraret, difficultatem ejus rei ostendit, & consilium expetit, quomodo succurri necessitati illi quam commodissime posset; emendationem etiam politicam promittit. Hoc igitur rescripto Principis accepto, Lutherus literas d. 30. Nov. exaravit, quæ *Tomo III. Alt. fol. 301.* insertæ sunt, & jam, relatis illis quæ in *Archivo* delitescunt, facilius intelliguntur. Suadet enim Principi, ut visitationem per totam provinciam instituat, & vel ex reditibus antiquis diligenter inquisitis, vel ex novis civitatum & communitatum collectis, sustentationes pastorum aliaque ordinet; & ista postea visitatoribus mandata fuerunt, & in loco referentur. Hoc eodem anno, cum in tumultu rustico monasteria deserta & evacuata essent, & populus cultum missaticum & sacerdotes indoctos, qui concionari non possent, aut impudice viverent, ferre amplius nollet, mandatis Principis ad exemplum eorum, quæ Wittenbergæ circa cultum publicum ordinata erant, prospectum fuit, ita tamen ut plenior reformatio per visitatores instituenda promitteretur. Obsecuti sunt, paucis exceptis, magistratus & pastores. Unum in Voigtlandia (pago Bobenneukirchen nomen est) parochum in Actis invenio, (*Reg. O. fol. 127.* C C C.) qui ad dioecesanum suum Episcopum Bambergensem provocavit, ita ut hic Electori contradicere coeperit; sed Princeps d. 2. Jul. respondit: se Christiana & pia intentione ordinasse, quæ verbo Dei & Evangelio convenirent, honoremque divinum & charitatem proximi promoverent: illis obsecundandum esse a parocho, aut loco cedendum.

(5) *Epistola Lutheri de salariis pastorum.*

(6) *Cœpta visitatio Ecclesiarum Saxon.*

§. VIII.

(1) *Lutheri prælectiones in Deuteronomium.*

Inter scripta Lutheri memorari debent *Annotationes in Deuteronomium, Tom. III. Jen. Lat. fol. 76. & seqq.* quas fratribus suis (Augustinianis) familiari colloquio a se propositas esse, in præfatione ad *Georgium a Polentz* Episcopum Sambiensem (*Lib. I. §. CLXXII.* citata) refert. Prodierunt autem hoc anno ineunte, ut colligitur ex epistolis Lutheri *Lib. II. p. 270. & 271.* & Germanice versæ extant *Tom. V. Alt. fol. 1031. & seqq.* Quanquam vero extemporaneæ fuerunt commentationes istæ, satis tamen ostendunt copiam & felicitatem ingenii, & exercitatum in interpretanda Scriptura sensum, ut lectori non displiciturum esse confidam, si quædam ex iis huc transscribam. Indulsit aliquantum in hac explicatione allegoriis, in gratiam auditorum, sed ut abusum caveret, gravissimam adhortationem præmisit sub finem *cap. I. fol. 83.* his verbis: *Quod alias monui sæpe, hic repeto, iterumque monebo, ut christianus lector primam operam navet quærendo sensui (ut vocant) literali, qui solus tota est fidei & theologiæ christianæ substantia, qui in tribulatione & tentatione solus subsistit, & portas inferni cum peccato & morte vincit, atque triumphat in laudem & gloriam Dei. Allegoria vero sæpius incerta est, & ad fulciendam fidem infidelis minime tuta, ut quæ sæpius pendeat ab humana conjectura & opinione, cui si quis innitatur, baculo Ægypti arundineo innitetur. Proinde cavendi sunt, aut libero judicio legendi, Hieronymus, Origenes, & similes Patres: imo tota illa Alexandrina schola, quam Philo Judæus, teste Eusebio & Hieronymo, laudat in hujusmodi allegoriæ studio olim floruisse. Nam horum exemplum nimis laudatum ac receptum, posteriores scriptores infeliciter imitati, quidvis, pro libidine sua, e Scriptura fecerunt & docuerunt, donec quidam verba Dei absurdissimis monstris aptaverunt, &, ut Hieronymus de suo quoque tempore conqueritur, repugnantem Scripturam per incongrua trahunt testimonia, cujus tamen facinoris & ipse reus fuit. Tales sunt, qui hodie de B. Virgine totam fere Scripturam exponunt, ubicunque invenerint vocabulum generis fœminini. Item, qui ex castello Marthæ ædificant monasteria, & ex fortibus Israël magistros nostros in Academiis, & similia innumerabilia portenta, donec repertus est, qui totam Metamorphosin Ovidii ad Christum aptaret, in quem Hieronymus digne stomachatur in epistola ad Paulinum, vocans eos circulatores. Proinde hic regula Pauli servanda est, ut allegoriæ secundo loco habeantur, & pro roboranda & ornanda locupletandaque fidei doctrina aptentur, seu, ut 1. Corinth. III. 12. dicit, non fundamentum sint, sed super fundamentum ædificentur, non sicut fœnum, lignum, stipula, sed sicut argentum, aurum, gemmæ. Quod tunc fit, si juxta præscriptum Rom. XII. 6. prophetia fuerit analoga fidei, scilicet ut certam præsumas alicubi positam in Scripturis sententiam, literali sensu tractatam, & huic tum demum tuam allegoriam idem sonantem applices; non ut allegoria probet aut fulciat sententiam, sed ut probetur & fulciatur a sententia, ceu ædificium non sustinet fundamentum, sed a fundamento sustinetur. Fol. 99.* inserit disputationem novam adversus Iconoclastas, qui hoc tempore, Carolostadii & aliorum ductu, imagines in templis, nulla magistratus autoritate, sed cœco cum impetu disjiciebant. Spiritum vero illum facile in cædes etiam hominum degenerare indicat, quod experientia, paulo post, quam hæc scripsisset, docuit. Cum vero ostendisset imagines, quæ non coluntur, tolerari debere, hæc addit *fol. 99. b. Quanquam & ego imagines non admodum amem, & vellem in templo non statui. Non quod solum hoc spectem, quia adorentur, quod rarius accidere puto; sed*

(2) *Admonitio de usu allegoriarum in sacris.*

(3) *Improbat Iconomachiam;*

An. 1525.

A. 1525. *sed quod fiducia operis in precio & specie earum ponitur, quasi illo opere aliquid obsequii Deo præstetur, cum interim perdatur sumtus, & totum, quod istis impenditur, in meliores usus pro fratrum necessitate impendendum. Alias levipictura imagines, privata in domo, non possum damnare. Sed hanc causam quia alii assignarunt, prophetæ furiosi sese in hoc nullam gloriam consecuturos vident, fingunt necessitatem legis adversus libertatem Spiritus, quod ferendum nullo modo est.* Ad dictum *Deut. XV, 4. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos*, taxat vota paupertatis monasticæ, & quærit, cur non etiam vota faciant ad ferendum vulnera, exilia, famem, mortes? Dein fraudem votivæ paupertatis his verbis insectatur *fol. 118. At nostri jactatores paupertatis, pro morbis & vulneribus, obesam cutem, saginatamque carnem gerunt, plus quam ganeones & meretrices; pro exiliis domos regum palatiis superbiores habent; pro fame, omnium penuaria devorant; pro siti, plena cellaria habent; pro morte, suavissimam & securissimam vitam agunt. Tum nobis cantant gloriam paupertatis ferendæ, quam Deus præcepit tollendam, ut simus, sicut in Actibus quoque Christiano populo scribitur exemplum, Neq quisquam egens erat inter illos. Non ergo paupertas & mendicitas in populo Dei esse debet, sed cura & solicitudo, ne sit ulla paupertas & mendicitas; ut scias, mendicantes ordines & omnes paupertatis externæ professores & jactatores, esse satanæ discipulos & ministros, recta adversus Dominum & Christum ejus furentes. Sicut non debet esse morbus, fames, sitis, exilium, mors, peccatum, diabolus, in populo Dei, sed cura & solicitudo, si quid tale inter eos acciderit, ut quam primum tollatur, & curetur ne sit inter eos. Non est (inquam) advocanda, eligenda, docenda paupertas, quæ satis per sese adest ubique, ut hic dicit, semper erunt pauperes inter vos, sicut & omnia alia mala. Verum id agendum perpetua cura, ut, quia semper accidunt, semper illis occurratur. Vides ergo, quid sit institutum vovendæ paupertatis, & totum regnum illud Papæ.* Cap. XVII. ubi de officio magistratuum, & coercendis affectibus in vindicando tractat, digressionem memorabilem de Patribus ecclesiæ facit. Postquam enim dixerat, Jurisconsultos publicis scriptis plerisque optima & æqua docere, sed consilia privata dantes vario respectu sibi dissimiles esse, & affectu præventos, sæpe a recto deflectere, hæc subjungit *f. 123. Idem est cernere in summis theologis, quales sunt Augustinus, Bernhardus, & his antiquiores Cyprianus, Tertullianus, & similes, qui, ubi in publico Scripturam tractant, candide & pure tractant, sed propositis quæstionibus, raro in via manent, quin aliquid Scripturæ adimant, & causæ ac personæ tribuant, & verba Dei vi torqueant. Vide in hoc eos, ubi contra Arrium, & ubi Hieronymus contra Jovianum; Augustinus contra Manichæos; Bernhardus contra liberum arbitrium scribunt, & videbis, me vera dicere. Adeo nullus sanctorum omnem carnem exuit, aut affectus ejus detrivit; Sic nihil reliquum est spei, quam, ut tam judex, quam doctor in timore Dei agant, sibi semper suspecti, ne forte legem Dei & verba ejus non recte tractent. Securitas enim in his locum non habet, ubi res Dei agitur, & nimis seria.* Ad ejusdem capitis dictum *v. 8.* ubi in casibus dubiis ad *judicium sacerdotum* ablegatur populus, adversus argumentum pro Pontificis Romani jurisdictione disputat, & rejecta aliquatenus Hieronymi versione & inde sumta applicatione, judicium sacerdotibus Leviticis non deferri docet in mysteriis fidei, sed in litibus de sanguine & plagis: ideoque sublato sacerdotio Levitico, legem illam minime ad Christianismum pertinere, nisi eam ad magistratus nostros, qui de talibus causis judicant, moraliter accommodemus. Ostendit etiam, restrictum fuisse judicium illud ad locum a Deo electum; qualis, sublata Synagoga, inter Christianos non est constitutus. *Loci sive tribunalis illius summi constitutio* (fol. 124.) *erat veteris & legalis populi propria. Ideo Papistæ debuerunt prius probare, Romam locum illum esse a Deo electum: quod quando facient? ubi est verbum? ubi signum? unus locus omnium est Christianorum communis, is est Spiritus & veritas. Sic definit ipse Christus, in spiritu & veritate (ait) adoratur & colitur Deus. Et in eo ipso loco dissolvi debent quæstiones fidei. In eo loco non plus est Papa, quam ancilla molendini: nec plus in eo loco sua definitio valet, quam rustici, qui est in agro. Omnium enim est fides, & spiritualis omnia dijudicat,* (1. Cor. II. 15.) *Quod si sint aliqui, aliquo loco, perfectiores Christiani, illis sane cedent imperfecti, non propter locum, sed propter perfectionem spiritus, sicut in Actis, Antiocheni quærebant Apostolorum & seniorum sententiam, non propter locum, quasi a Deo electum, (cum & multi seniores ibi male sentirent Act. XV. & Apostoli non ibi manebant ut perpetuo loco) sed propter perfectiorem Spiritum Apostolorum. Et, ut omnia ista nihil facerent, essetque hæc lex Mosis de fidei quæstionibus & de Roma intelligenda; (quod est impossibile) tamen uno verbo totum eorum conatum dispergit id, quod dicit hic:* & docuerint te juxta legem ejus; *scilicet, quod non de spiritu suo proprio illos præsumere & divinare etiam istos sacerdotes operum & legis voluerit; sed ad præscriptam a se legem omnia docere. Quanto magis sacerdotes fidei & evangelii, non proprio spiritu, sed certo verbo Dei debent omnia definire & docere? At hoc neque Papa neque Concilia unquam fecerunt, nec faciunt, sed de spiritus præsumpti plenitudine omnia decernunt. Decernunt autem ut plurimum, non nisi stolidissima, ut de ceremoniis, præbendis, dignitatibus & similibus nugis.* Hoc argumento Lutheri, si quid judico, vix aliud efficacius adversus potestatem pontificiam reperire possunt Protestantes. Aliter ab adversa parte respondendum ad hoc est, quam per centones ex Scripturis arreptos, & male applicatos, aut per convitia & condemnationes, multo minus per supplicia & exilia. Cap. XVIII. v. 15. ad illustre illud vaticinium: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies;* egregia multa commentatur *f. 127. & seq.* speciatim *ad v. 19. f. 128. b.* ubi dicitur: *qui verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego requiram, sive, ultor existam;* hæc habet: *Hinc vides, quam sint furiosi pontifices & principes hodie, qui hæreticos aut impios vi ad fidem cogunt, & cogi nolentes occidunt & exurunt. Usurpant certe judicium, quod soli sibi Deus arrogat, & cogunt, ubi nemo cogi potest, & exigunt, quod nec ipsi nec ullus homo præstare potest. Sed hoc faciendo, monstrant, quam nihil intelligant Christum, & verbum ejus, neque quid Mose hic doceat, vident. Nam, dum ex re Christiana faciunt quandam externam larvam, ut illos credere credant, qui timore pœnæ vel pudore consi-*

(4) *Simulatam paupertatem monasticam reprehendit.*

(5) *Modeste notat Patrum errores in explicatione scripturæ.*

(6) *Oppugnat dominatum Pontificium.*

(7) *Commendatur Lutheri argumentatio.*

(8) *Differit ille de religione per vim non inculcanda.*

A. 1525. *confitentur externe nomen Christi, & non advertunt, esse hanc rem solius Spiritus ab omnibus hominibus liberrimam, coguntur statim eam subjicere gladio & judicio, siquidem omnis externa lex & religio indiget necessario judicibus prophanis, sicut & in lege Mosis videmus. Sic factum est, ut ex verbo legem, ex fide opera, ex veritate speciem fecerint, ideo tandem & gladium adhibere coacti sunt.* Prolixius postmodum aggreditur fanaticos, quorum conatibus hoc tempore acrius, quam pontificiis irascebatur: & *p. 129.* ostendit, *ordinem salutis a Deo datæ hunc esse, ut incipiatur ab audiendo verbo divino: lex enim præcedit,* (ait) *ut humiliet, & ostendat peccatum; succedit doctrina Evangelii vivificans. Datur Spiritus sanctus non omnibus quidem, sed quibus Deus voluerit; sequitur justificatio absque opere nostro, & pax conscientiæ: tum itur ad externa, fit ore confessio ad salutem, prædicatur idem beneficium aliis: crux & tribulatio explorat & firmat fidem, vetus homo mortificatur, fructus bonorum operum proveniunt in charitate, benignitate, pace, bonitate. Hæc* (dicit) *est summa, & verus ordo Christianæ vitæ, quæ ex verbo pendet & incipit, & pertingit usque ad opera charitatis erga proximum.* Huic jam novorum Prophetarum methodum opponit. *Primo* (ait) *apprehendunt mortificationem; hanc partiuntur in multos gradus seu pondera, quæ diversis nominibus appellant, ut alius est in deterenda crassitie, alius in admiratione, alius in disciplina, alius in suspensione, alius in evacuatione creaturæ, & nulli justitiam concedunt, nisi donec per hos gradus profecerit usque ad perfectam mortificationem, tum replentur Spiritu sancto ut omnia possint, omnia norint, omnia velint. Non enim ex auditu verbi, quod gloriose contemnunt, sed ex mortificatione venit illis spiritus. Offenduntur enim, quod justos & pios vident adhuc reliquiis peccati occupari. Ideo vocant eos Hypocritas, & qui fidem simulent & furentur e syllabis Scripturæ, non hauriant ex spiritu, ipsi vero prorsus sine reliquiis peccati sunt, ideo veram fidem habent ex spiritu.* Indicat autem, *excæcari eos a Satana, ut a mortificatione incipiant, cum hæc verbum & fidem & spiritum sequi debeat, utque in spiritum desinant, qui omnia præcedere debet, ac plane novam quandam larvam operum sub nomine mortificationis advehant, interim verbo ipso contempto, ut nihil nisi externam speciem erigant, & novo modo, nostris viribus parari justitiam doceant, eam scilicet justitiam, quæ prorsus sine reliquiis peccati sit, quod impossibile est in hac vita. Rom. 7. Quanquam interim illi ipsi jactatores spiritus & purissimæ mortificationis & mundissimæ justitiæ, sint omnibus vitiis non pleni modo, sed usque ad furorem implacabilem obsessi. Neque enim majorem superbiam, elationem, temeritatem, arrogantiam, invidiam, odium, iram, impatientiam, avaritiam, pusillanimitatem, (si res parum succedat) audaciam, (si succedat) deinde infelicitatem, unquam videris facile. Sic sane mortificantur, sic deterunt crassities suas. His vere ponderibus onerantur a diabolo potius, quam honorantur a Deo.* Genuina profecto hæc est eorum descriptio, qui etiam nostro tempore novam œconomiam salutis tanto cum verborum strepitu procudunt, ut periculum sit, ne data occasione in reliquam etiam insaniam erumpant, quam tunc occasione belli rustici graviter depinxit Lutherus, majorem autem non multo post exercuerunt Anabaptistæ. Sic vero de ea *d. p. 129. b.*

(9) *Fanaticorum methodum describit, & destruit.*

ratiocinatur: *Deinde quia confusam hanc & indigestam larvam externæ mortificationis & justitiæ jactant, coacti sunt & gladium pro ea administranda & servanda instituere, sicut est mos omnium externarum legum. Atque, ut confusa & præpostera est eorum mortificatio & justitia, ita & nihil nisi confusum chaos gladii apud eos est. Non enim legitimo magistratui, sed promiscuo vulgo adversus legitimum magistratum, ad omnes impios* (*id est, qui non sapiunt eorum sapientiam*) *occidendos tradunt, ut horum secta, non tam de stultitia & insipientia, quam de manifesto furore & insania damnanda sit. Scilicet, Satan est, qui hoc modo sese ulciscitur in resurgente & reflorente verbo.* Subjungit egregiam admonitionem: *Maneamus in pura doctrina & sententia Christi, scientes summam nostræ religionis esse fidem in spiritu per verbum donatam. Deinde relinqui in carne peccatum purgandum, & non exigi mortificationem perfecte impletam, sed perfecte implendam. Ideo tolerandos in charitate esse, non damnandos, si qui sint infirmi in fide & moribus, Rom. 15. quæ est summa laus & prima lex inter Christianos jam justos, ut Paulus dicit, alter alterius onera portate, & sic implebitis legem Christi. Ut summa diligentia caveamus, ne justitiam tribuamus ulli operi, sed soli fidei relinquamus in corde, juxta illud Rom. 10. Corde creditur ad justitiam. Rursus, ne stertentem fidem alamus, quæ mortificationem negligat. Hoc est, sic mortificationem exerceamus, ut nec ipsa facta, justitiam aut spiritum acquiri putemus, ut isti prophetæ insaniunt, nec ipsa omissa, minus per verbum advehi spiritum & justitiam. Tenera siquidem & rara hæc est puritas scientiæ Christi, etiam in sanctis & spiritualibus viris, scilicet, adeo offendit operum species, & immortificatæ carnis malitia, ut optimi quique huc majore & priore impetu ferantur, quo mortificent carnem, & faciant opera, quam quo urgeant verbum & acquirant fidem & spiritum, quasi per opera & mortificationem veniret fides & Spiritus, cum contra, mortificatio & opera veniant & ex spiritu & ex fide: Spiritus autem & fides non nisi ex verbo vitæ veniant. Est enim & hæc carnis quædam crassa malitia, diligenter mortificanda, quæ opera & mortificationem tanti facit & suspicit, ut vim verbi, quæ potens est potentia Dei salvare credentes, non videat, & magnis viris frequenter imponat.* Hæc contra abusum mysticæ theologiæ notari merentur. De miraculis sive signis *versum 22. hujus XVIII. capitis* cum *versu 2. capitis XIII.* ita conciliat, ut dicat, *adversus doctrinam revelatam & receptam nulla signa locum habere, sed nova dogmata, si vera sint, signis confirmari debere, sicut Evangelium de Christo confirmatum fuit. Fidelem autem esse Deum, qui non permissurus sit, ut veris miraculis falsa dogmata confirmentur, nec ut præstigiis satanæ fidem amittant fideles.*

An. 1525.

(10) *Anabaptistarum furorem taxat.*

(11) *Monitum de stando ante omnia justificationi.*

(12) *Item de signis.*

§. IX.

De Carolostadii scriptis, postquam anno 1524. ex Saxonia abire jussus, Argentoratum & ad Helvetios concesserat, dicere cœpi *Lib. I. §. CLXXIV.* Quam petulanter vero in iis Lutherum insectatus sit, ex hujus querela in *epistola ad Spalatinum* d. 17. Decembr. 1524 data *lib. II. p. 247.* apparet; scribit enim, se ab eo in quinque, quos evomuerit, libris, *duplicem Papistam* & *affinem Antichristi* vocari, & tanto cum furore se & omnia sua proscindi, qui & amicis ejus displiceat. Et tunc quidem epistolam ad Argen-

(1) *Carolostadius Lutherum scriptis aggreditur.*

An. 1525.

Argentoratenses deproperavit, iisdem diebus, cum ad Spalatinum scriberet, editam, cujus jam *Lib. I. d. loco* mentionem feci. Eadem germanice versa *Tom. III. Alt. fol. 103. & seqq.* sub anno 1525. exhibetur, etsi ad præcedentis finem pertineat. Sed calamum statim in Carolostadium vertit, & librum quidem primum, ei oppositum, qui inscribitur *adversus cœlestes Prophetas*, ultimis anni præteriti, vel primis anni 1525. diebus elaboravit & edidit. Ad *Amsdorffium* enim, qui Magdeburgensis ecclesiastes tunc erat, d. 10. Jan. scribens, visum jam ei scriptum suum esse, arbitratur. Extat *Tom. III. Alt. a fol. 40. ad fol. 65.* præfertque notam temporis, mensis Januarii. Multa ex hoc recenseri non sine fructu possent. Omittam tamen, quæ ibidem de Carolostadii moribus & gestis *fol. 49. 50. & seqq.* referuntur, puta de superbia ejus, & ut, a fanaticis perversus, contemto Principe, & Academia, deseruerit honoratam, quam habebat, stationem, & expulso M. Conrado, Orlamundæ Pastore, a Wittenbergensi Academia (cujus patronatus ex fundatione competebat) constituto, munus illud proprio ausu invaserit. Igitur ad Lutherum ejusque doctrinam & mentem propius spectantia annotabimus. Monet ante omnia *fol. 41. distingvi debere dogmata, quæ conscientiam in spiritu coram Deo regendam informant, ab illis, quæ opera explicant. Majoris momenti illa esse, quæ fidem & conscientiam instituunt, quam altera. Vitia enim operum corrigi posse, ubi pura & firma stat doctrina fidei; sed, hac convulsa, & prælatis ei operibus externis, nihil profici, sed vanam tantum operibus gloriam quæri, neglecto honore Dei. Fecisse hoc turbatores illos, qui nihil egerint, quam, ut imagines frangerent, templa destruerent, Sacramentum corrigerent; novamque mortificationis viam proponerent, de fidei & de conscientiæ confirmandæ studio parum solliciti. Nihil tamen omnem illum circa externa tumultum ad fidem & charitatem facere.* Inde summa doctrinæ capita *de lege, de fide, de charitate & de moderato libertatis Christianæ usu* breviter subjungit. Postea *Iconomachiam* prolixe refutat, monstratque, ut imagines & statuæ Christi & sanctorum memoriæ causa tolerari possint, rejectis (si absque tumultu fiat) aut spretis, quæ idololatriæ manifesto inservirent; quarum aliquas nominat, interque eas celeberrimam *Grimmenthalensem*, in Hennebergico principatu, post aliquot annos sublatam, cum & illi Principes Augustanæ confessioni accederent, & monasterii illius reditus ad pias causas converterent. Respondet ad appendicem præcepti primi in decalogo, qua imagines prohibentur, & eam ad legem ceremonialem refert, sicut & Sabbathi determinationem, ita ut Ecclesiæ Christianæ liberum manserit, imaginibus, si absit cultus, uti, & pro Sabbatho Dominicam substituere, *fol. 46.* Decalogum itaque quatenus cum lege divina sive naturæ idem est, Christianos obligare; quoad cætera Judæos obligasse. Ita divini sive naturalis juris, non Mosaici tantum esse, ut aliqua pars temporis cultui divino & quieti hominum & jumentorum destinetur, observando tamen, quod *Christus sit Dominus Sabbathi. Matth. XII. 8.* Monet inde *fol. 50.* principes & magistratus, ut in prædicatores, qui non quiete docent, sed plebem alliciunt, & insciis magistratibus manu & vi adversus imagines & templa grassantur, animadvertant, eosque sine cunctatione regione ejiciant: cavendum enim esse a plebe, ne spiritu illo Carolostadii impleta, quod proverbio Germani dicere solent, post admorsa lora, integra devorent coria, **lernen an Riemen Leder fressen/** &, lectis Bibliis, omnia, quæ Israelitis mandata sunt, sibi quoque mandata esse credant: ab imaginibus enim ad homines etiam destruendos facilem esse transitum, cum utrumque Israelitis in Palæstina exequendum incubuerit. Altero libri hujus prioris capite de *Missa* agit, & cur nomen hoc a Carolostadio tantopere diffamatum, retentum tamen a se sit, pluribus ostendit; si vero vocabulum *Missæ* ex Hebraica lingua deducatur, & oblationem significet, nil aliud inde concludi, quam oblationem panis & vini ad Eucharistiam, veteri ritu fieri solitam. Negat tamen missam Wittenbergæ pro sacrificio adhuc haberi, aut hoc nomine appellari, licet aliquo sano sensu ita vocari posset. *Utinam* ait *fol. 59. Pontificii cessarent sacrificium ex missa re ipsa facere, de nomine faciles essemus.* Elevationem, in quam maxime invehebatur Carolostadius cum rusticis suis, qui dicebant, *elevare esse idem, quod sacrificare*, indifferentem ritum, non vero actum sacrificantis esse evincit, & ideo nec præcipi, nec prohiberi necessario debere. Quia autem instabant, Christum non elevasse, regulam ponit: *Christi facta & exempla eatenus nobis pro lege esse, si verbum simul adsit, ex quo ad imitationem obligemur*; non abutendum itaque esse vulgato illo: *Omnis Christi actio est nostra instructio*; perspiciendum enim esse, qualis sit instructio, neque omnem ad imitationem actionis trahi posse. Id modo in Sacramento fieri necesse esse, quod Christus jussit, ut fieret, & de quo dixit, *hoc facite*. Fatetur *fol. 61.* se meditatum esse, ut elevationis omissionem urgeret; sed nunc in odium fanaticorum, & ad asserendam libertatem Christianorum, aliquamdiu cunctaturum esse. Idem dicit de missa Germanice celebranda, se enim etsi id fieri cuperet & moliretur, dilaturum tamen ad tempus ex eadem esse ratione. *Secunda* pars adversus eosdem, quos vocat, prophetas edita esse notatur d. XII. Febr. & invenitur *a fol. 65. ad 98.* In exordio plenam fiduciam de causa ostendit. *Scio*, scribit, *Pontificios summe lætari de hoc dissidio, & ex eo interitum nobis ominari: glorientur, ut volent! sæpe dixi, si ex Deo est, quod cœpi, & in quod nihil impendi, nemo id opprimet; si non est ex Deo, servet id nescio quis, neque ego ipse aut solus servavero.* Florenum, quo Carolostadium Jenæ auctoraverat, ut contra se scriberet, dicit, se bene collocasse, jam enim errores illius in publicum esse productos, se vero certum esse de Dei auxilio, quod in omnibus afflictionibus satis duris hucusque expertus sit. Addit alia ejusdem constantiæ *fol. 66.* Egregie dein tractat de œconomia Dei; scribit enim *fol. 66.* Duplici modo Deus nobiscum agit: *Externe* & *interne*. *Externe* per prædicationem evangelii, & per Sacramenta, quatenus sunt signa corporalia; *interne* per Spiritum sanctum & fidem, ita tamen ut externa ordinarie præcedant, neque enim interna dat Deus, nisi per externa. Citat dicta *Luc. XVI. 29. Tit. III. 5. 6. 7. Rom. I. 6.* Perverti autem hunc ordinem a Carolostadio, qui a spiritu incipere velit, spernat vero & irrideat aquam in baptismo, panem & vinum in sacramento Cœnæ. *Jam si quæras*, (ait) *quomodo accipias spiritum, ablegat te in Utopiam*, (**ins Schlaur-Affen Land**) *cœlestem vocem expectari jubet ab otiosis, externa omnia rejicit, nova & horrida vocabula profectus excogitavit,*

(2) *Hic illi opponit librum de cœlestibus Prophetis.*

(3) *Tractat de fide & operibus.*

(4) *De imaginibus.*

(5) *De Decalogo & lege Moysis.*

An. 1525.

(6) *De Missa.*

(7) *De elevatione.*

(8) *De reformationis suæ successu.*

(9) *De inspiratione divina.*

An. 1525.

vit, Entgröbung/ Studierung/ Verwunderung/ Langeweil/ (vide quæ supra ex *Comment*. in *Deuteron*. allegavimus §. *VIII*. *n*. 9.) Quomodo vero opinionem Carolostadii, verba, *hoc est corpus meum*, in parenthesin includentis, & ad Christum accumbentem restringentis, refellat, enarrare supersedeo, ut & argumenta, quibus præsentiam corporis & sanguinis Christi, præsertim ex 1. *Cor*. *X*. 16. adstruat. De allegoriis multa disputat, & se quoque iis indulsisse fatetur, ante decennium, cum inciperet interpretari sacras Scripturas. *fol*. 84. Literalem sensum verborum institutionis explicat & defendit. *fol*. 85. & *seqq*. & tam ingenuus & sincerus est, ut *f*. 88. refutet, quæ Carolostadius Pontificiæ doctrinæ de Sacramento calumniose imputat. De spirituali manducatione ex *Joh*. *VI*. egregie commentatur *fol*. 90. totamque postea Sacramenti utilitatem explicat, & multa cum vehementia in adversarium, tanquam plane impium, invehitur; *Non dicimus*, (ait) *habitu aut verbo sacerdotis Christum e cœlo devocari*. *Non relinquit cœlum, etsi præsens sit in sacramento, sicut non reliquit, cum præsens esset in utero matris, nec, cum Stephanum aut Paulum alloqueretur, Act. VII. & IX. Mandatum nobis non est, ut scrutemur, quomodo panis sit corpus Christi, sufficit id dixisse Christum. Mille annis clament licet, & pugnent, verba tamen clarissima nobis eripere non poterunt.* Ostendit etiam *fol*. 97. differentiam inter propositionem: *Hoc est corpus meum* & illam, qua Matth. XVI. 18. Christus *petra* dicitur, quam Carolostadius pro æquivalenti habet. Tandem *lætari se dicit*, *fol*. 98. *quod libris Carolostadii, in quibus procudendis ille tres annos consumserit, intra tres hebdomadas responderit, & in sua sententia egregie se confirmaverit.*

(10) *De allegoriis.*

(11) *De spirituali manducatione.*

ADDITIO.

Quanquam mereri non videatur Carolostadius, ut de eo plura afferamus, non tamen omni utilitate carebunt, quæ ex *Actis* observata exhibemus. Inter abusus pontificiæ hierarchiæ numerari debet, ut alibi monuimus, quod parochiæ amplissimæ per mercenarios, quos *consentores*, id est, conductores nominabant, administrarentur: homines ut plurimum indoctos, qui reditus conradere & mercedem locatoribus solvere possent, qualicunque ipsi & plerumque sordido victu contenti, & impuris moribus. Animarum cura ad monachos fere redibat in confessionibus audiendis, & dictandis satisfactionibus exercitatos. Ex iis conducebant, qui stentorea voce fabulas nugasque populo proponerent, hos vocabant *Prædicatores*. (Die Prediger) Missæ spectaculum parochus diebus fere Dominicis, alii ex clero sæpius exhibebant, & sufficiebat parochianis, si una vice per totum annum parochum ordinarium, tempore Quadragesimæ, confessionis causa, accederent. Hoc fatum etiam incurrerat parochia *Orlamundana*, cujus reditus Academiæ VVittenbergensi attributi erant. Conductorem isto tempore habebat *Conradum* Glück (vel Glitsch) quem ob orthodoxiam Lutherus commendat *Tom. III. Alt. fol.* 53.) malæ administrationis reum, si credendum est literis die 19. Aprilis 1524. ad Electorem (*Reg. N. lit.* L. L. *n*. 183. *fol*. 367.) tum a senatu oppidi, tum ab ipso Carolostadio datis. Hic enim cum neque cum Luthero, post tumultum illum a se excitatum, vivere vellet, neque Canonicos collegas suos, qui missas adhuc celebrabant, ferre posset, cedente Conrado, Orlamundam, quod Archi-Diaconi titulo insignitus erat, se contulerat, magno cum applausu a plebe exceptus. Citavit eum Academia & Capitulum, ut secundum statuta adesset, & quæ illa exigebant, præsens, ut moris est, præstaret. Verum ille renitens, Orlamundanos incitavit, ut sibi jus constituendi pastorem arrogarent, prætextu divini juris & amoris erga veritatem. Id insolentibus literis ad Electorem & Capitulum mense Majo scriptis urgent, jus Academiæ ut Papisticum insectantes. Rejecit eos Elector die 26. Maji, illosque & Carolostadium parere Academiæ & Capitulo jussit. Hoc die 17. Augusti D. *Casparum Glatium* perpetuum Orlamundani Archidiaconatus vicarium denominat, simul tamen cum Carolostadio de debitis quibusdam transactum esse significat, ut nullus ei prætextus superesset, quo minus ad officium rediret. Restitabat is nihilominus Orlamundæ, & Lutherum die 11. Septembris acerrimis literis apud Electorem accusabat, ea quæ Jenæ secum egerat odiosissime recensens. Sequenti die oppidani literis ad Electorem imaginum dejectionem, quam suo ausu perpetraverant, ex decalogo defendunt, questi etiam de Luthero, quod concionari apud se noluerit, & pro fanaticis habeat, cum tamen ad informationem suscipiendam parati sint. His acceptis Fridericus die 18. Septembris, consiliariis mandat, ut Carolostadium excedere oppido & regione jubeant. Idem præcepit Johannes Dux die 2. Octobris, neque profecit Orlamundanorum intercessio, qui eum jam non ut pastorem, sed ut civem retinere cupiebant, simul tamen petentes ut quandoque concionari ei apud se liceret; a se enim plus æstimari divinam veritatem, quam totum orbem, imo plus quam mille mundos, si Deus eos crearet, stylo scilicet Carolostadii, oppidani scribebant. Exire simul jussus est Jena *D. Gerhardus VVesterburgius* vulgo *de Colonia*, ut socius Carolostadii. At hic non multo post pœnitentia ductus die 18. Februarii 1525. per Spalatinum deprecationem ad Lutherum adornat, literas hujus die 23. Decembris 1524. (mihi ignotas) allegans, quibus spem reconciliationis fecerat. Nec Lutherus, ut brevis erat iræ, cunctatus est apud ipsum Electorem pro eo intercedere. Extant ejus literæ, sub initium istius anni datæ, in quibus fatetur, se Carolostadio, si id amice peteret, colloquium promisisse, eo nempe animo, ut impedimenti culpam a se removeret, & sugillationibus occurreret; addit tamen: Hilfts/ so hilfts/ denn ich habe wenig Hoffnung zu ihm/ so stoltz als seine Schrifft lautet. *Prosit quantum poterit, exigua mihi de eo spes est, ex insolentia literarum ejus.* Petit itaque a Principe salvum conductum pro Carolostadio ad colloquium secum instituendum profecturo. (*Reg. N. fol.* 367. L. L. *n*. 183.) Suadebant idem consiliarii die 26. Februarii. Sed Elector die 28. respondit, se in talibus causis nunquam cuiquam commeatus literas dedisse, excepto Luthero, nec huic, nisi jussum ab Imperatore. Vult itaque, ut Lutherus missum faciat hominem, aut si in proposito persisteret, alicubi extra Electoratum cum illo colloqueretur. Memorabile est mandatum quo Princeps Spalatinum instruxit, & ad Lutherum misit, quod alibi Deo volente integrum produci potest. Decessit interim Fridericus, & mitiora de successore Johanne sperans Carolostadius, ipse & per uxorem, ob summam miseriam & Principem rogare & Lutherum solicitare non destitit, donec impetraret, ut redire in provinciam sibi liceret; purgationem tamen a suspicione rusticæ societatis confidenter offerebat, nullas pœnas detrectans, si ejus convinci posset. Lutherus vero die 12. Septembris Electorem enixe rogavit, ut illum, præstitis præstandis, vel Kembergæ, vel in aliquo pago ejus tractus, commorari sineret, ea conditione, ut nunquam concionaretur, neque quicquam scriberet. Addit, sibi & Melanchthoni consultius videri, ut in ditione Electoris hoc modo retineretur, quam ut alibi circumvagans errorem suum propagaret. Admissus itaque est autumno hujus anni, & publicam edidit dogmatis sui revocationem, ut notum est, literasque ad Electorem scripsit die 9. Novembris, formulam recantationis mittens, quam dicit a fidelissimis & celeberrimis Doctoribus VVittenbergensibus sibi præscriptam esse. Reperitur etiam (*Reg. N.* T. T. *n*. 199. *fol*. 404.) occasione Carolostadianæ &, quæ hoc eodem anno ventilata est Zuinglii & Oecolampadii scriptis, controversiæ, schedula, Melanchthonis manu scripta, in qua sententiam de præsentia corporis & sanguinis Christi hunc in modum explicat. *Confitentur omnes Christum in homine, qui sacramento recte utitur, operari, dixit enim: Veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Confitentur etiam qui docent, Christi corpus & sanguinem non adesse in cœna, adesse tamen Christum vere secundum divinitatem, iis, qui sacramento recte utuntur. Fundamento itaque caret, si Christus separetur, ut secundum divinitatem præsens sit, absit autem secundum humanitatem, inprimis quia dixit, se nobis dare corpus & sanguinem suum, nempe ad nos consolandos,*

(a) *Abusus circa parochias.*

(b) *De Carolostadii actis Orlamundanis.*

An. 1525.

(c) *Ejus receptio in Saxoniam.*

(d) *Melanchthonis de Sacra Cæna sententia MS.*

A. 1525.

laudos, & ut certo credamus, non solum cogitatione nobis eum adesse, sed vere & substantialiter. Paulus quoque dicit, cœnam esse communionem corporis & sanguinis Christi. Si igitur Christus corporaliter non adest, esset tantum communio spiritus, non vero corporis & sanguinis. Et hac sufficere puto ad informationem simplicem, neque enim recedendum est a verbis, nisi contradicant alii Scripturæ. Verba autem de cœna id non faciunt, etsi rationi non videantur congruere.

§. X.

(1) *Erasmi Diatribe contra Lutherum, & illius falsa quadam præsupposita, item Cochlæi.*

Hujus anni autumnum Lutherus *refutationi Erasmi diatribæ de libero arbitrio* impendit, ut constat ex literis ejus ad *Spalatinum* & *Hausmannum*, sub finem mensis Septembris datis, quæ leguntur *Epistolarum Lib. II. p. 199. b. & 300. b.* in quibus dicit: *Totus in Erasmo & libero arbitrio versor. Totus sum in Erasmo confutando.* Prodiit autem liber, quem *de servo arbitrio* inscripsit, mense Decembri 1525. ut notatur *Tom. III. Lat. Jen. fol. 238.* Sat multa de hoc scripto *Lib. I. §. CLXXXI.* & in *Addit.* retuli, Maimburgii prolepsin secutus; itaque de controversia ipsa nihil addo, sed vindicandus est liber iste Luthero, adversus Erasmi suspicionem (quam Cochlæus ut veram adoptavit) quod, non saltem impellentibus, sed & juvantibus aliis, Lutherus scripserit. Conjectura ex stylo nitidiori capta est. Lutherus enim, etsi pleraque ex tempore & animi quodam impetu scriberet, & verborum delectum parum curaret, quoties tamen majori diligentia uteretur, satis monstrabat, quid etiam in politiori valeret literatura. Hoc ejus ingenium viresque ignorans Erasmus, sinistre de labore ejus judicavit. Impulsores autem fuisse suspicatus est *Justum Jonam* & *Guilielmum Nesenum*, quem olim sibi amicissimum, & Pyladis comparatione honoratum, post mortem (lintre, quo animi causa vehebatur, in Albi fluvio anno 1524. *submersus erat*, Vide *Lib. I. §. CLXXXII.* & quæ ibi addidimus) diris laniavit conviciis. Nam in secundo adversus Lutherum scripto (quod ipse *Hyperaspisten*, Lutherus *Hyperaspidem*, Philippus plane *Aspidem* vocavit) Thrasonem & Gnathonem, & indignum vocat, cujus gratia vel epistolam Lutherus scriberet. Modeste hoc ei postea exprobravit Melanchthon, & Nesenum ad extremum usque spiritum Erasmi cultorem fuisse asserit. *ed. Lond. Ep. 66. Lib. III.* Philippum vero ipsum cum omnibus eruditis, qui Wittenbergæ essent, adjutorem fuisse Luthero, conjectabat Erasmus. Negavit id non solum Philippus in epistola modo allegata, sed & ad familiarissimum Camerarium *Lib. IV. ep. 28.* scribit: *Me plane immerentem magna invidia onerat*, (Erasmus) *cum mihi partem operis & quidem odiosiorem imputat.* Falsus etiam est Erasmus, cum Lutherum in ipsis nuptiis librum de servo arbitrio scripsisse *epistola ad Thomam Volseium* Cardinalem, (*Lib. XXI. ep. 33.*) & ad alios queritur, & spe sua falsum se esse dicit, quod putasset, Lutherum magis cicurem ab uxore redditum iri. *Adde ep. 22. Lib. XVIII.* Interim ingenua ejus confessio est, quod librum Lutheri in hac ipsa epistola dicat, *summa cura elaboratum*; & ad *Franciscum Cheregatum, Episcopum Inter-amnensem*, Adriani VI. legatione notum, *diu multoque studio elaboratum esse* scribit. Ad *Michaelem Episcopum Lingonensem* vero (*Lib. XVIII. 24.*) hæc habet: *Quicquid Ecclesia Wittenbergensis vel eruditione vel maledicentia potuit, id totum in eum librum collatum est.* Mirari vero licet, quæ de maledicentia & apud hunc & omnes, per literas, & in Hyperaspiste publice queritur, ipsique Luthero, anno sequenti, humanissimis literis eum demulcenti, implacabili animi æstu, exprobrat. (Vide *Lib. XXI. ep. 28.*) Fallitur sane aperte, cum Lutherum in neminem, quam in se, ne in Cochlæum quidem, acerbiorem fuisse contendit. At Cochlæum male habet, quod, cum adversus se tam asper esset, Erasmum tamen laudibus cumulet, idque putat subdole & invidiæ concitandæ causa ab eo factum; vide *Cochl. fol. 142.* Cum tamen Cochlæus cum Erasmo non magis comparari mereatur, quam Thersites aliquis cum Ulysse. Sed ad reliqua Lutheri scripta hujus anni progrediendum est, quæ tamen intra epistolarum aut brevium tractatuum modum substiterunt.

An. 1525.

(2) *Lutheri repetita nota in Psalmos pænitentiales.*

Revidit *Psalmos*, qui vocantur *pænitentiales*, quos anno 1517. Germanice ex vulgata & Hieronymi, tum Joh. Capnionis translatione, ut indicat versos, cum paraphrasi & annotationibus ediderat. Extant *Tom. I. Alt. fol. 25. & seqq.* In præfatiuncula novæ editionis, quæ inter scripta hujus anni 1525. primum locum tenet, *Tom. III. f. 1. & seqq.* agnoscit, *licet, nihil a se propositum tunc esse, inveniat, quod noceat, errasse tamen in interpretatione textus, id quod in primis conatibus* (im ersten Ausflug) *antiquis & sanctis patribus contigerit, & Augustinus fateatur, se quotidie in scribendo & docendo profecisse.* Contuli utramque editionem, & in annotationibus parum mutatam reperio, certe nihil, quod ad dogmatum substantiam pertineat. Versionem tamen textus, quam interea ex Hebræis fontibus adornare cœperat, veteris loco inseruit, & singulis Psalmis summaria præfixit. *Georgius Rorarius*, Diaconus Wittenbergensis, cui editionem scriptorum suorum commiserat Lutherus, ad præfationem ejus in *Tom. I. operum Latin. 1545. §. 3.* (ubi lectorem rogat Lutherus, ne prioribus scriptis suis, quæ multum ex Papismo retinebant, offenderetur,) *Tom. I. Alt. fol. 10.* ex hac ipsa paraphrasi locum *de purgatorio* annotavit, & caveri jubet. Nam ad *vers. 4. Psalm. VI.* de angoribus conscientiæ agens exemplum purgatorii allegat Lutherus, de quo dici ait, *unam horam passionum in illo graviorem esse, quam mille annorum corporales pœnas.* Veruntamen Lutherus dictum illud non mutavit; sive id eum fugit in revisione, sive, quod ex hypothesi, &, ut proverbium, absque assertione dogmatis de purgatorio, intelligi possit. Itaque iisdem verbis repetitur hoc *Tom. III. fol. 2. b.* in secunda editione, quibus legitur *Tom. I. fol. 26.* in priori.

(3) *Georgius Rorarius, primus fuit, qui Wittenbergæ ordinatus est.*

Obiter observandum, *Rorarium*, de quo dixi, primum fuisse, qui ritu a Luthero præscripto Wittenbergæ ordinatus est; id d. 14. Maji hoc anno factum notatur *Tom. III. Alt. fol. 303.* Quibus fundamentis jus ordinandi Ecclesiis Evangelicis asseruerit Lutherus, ex tractatu ejus, quem *Lib. I. §. LIV.* retuli, percipitur. Notandum porro, epistolam Lutheri *ad Bremenses*, quæ *Tom. III. Altenb. fol. 32. & seqq.* inserta est, cum historia *de supplicio Henrici Zutphaniensis* ad annum 1524. pertinere; ideoque a me *Lib. I. §. CLIX.* relatam esse.

(4) *Monitum de tempore librorum Lutheri:*

Monendi sunt hac occasione Lectores, ne temporis calculum ex solo scriptorum ordine, quo in Tomos relata sunt, computent. Nam non semper is accuratissime servatus est, & distinguenda sunt tempora versionum Germanicarum a Libris Latinis, qui prius prodierunt. Ita veræ temporis notæ aliquando ex collatis Latinis & Germanicis Tomis, itemque ex epistolis Lutheri, aliquando & aliorum documentorum consideratione

An. 1525. ne erui debent, neque tamen sic omnes Chronologiæ errores evitare etiam diligentissimis licet. Sane *Sculterus*, accuratus alias scriptor, lapsus hic est, dum tractatum Lutheri *de abominatione canonis missæ* ad annum hunc 1525 retulit, *p. 319.* quem tamen anno 1523 editum, & inter acta Anni 1524. relatum fuisse, ostendi *Lib. I. §. CLX.* Facilior est in mensibus & diebus lapsus ob molestam illam consuetudinem, qua dies a feriis numerabant, aliquando vero neque diem neque annum adscribebant; utroque certe caret epistola prolixa Lutheri *ad Antverpienses* de fanaticis, quæ Latine extat *Lib. II. Epistolar. p. 281. & seqq. & Tom. VII. Wittenb. Lat. fol. 503.* Germanice autem *Tom. III. Altenb. fol. 101.* utrobique tamen ad hunc annum refertur adstipulante *Abrah. Sculteto*, qui eam *p. 319.* commendat, tum ob historiam, tum ad retundendam, de qua queritur, calumniam, quod is Deum peccati autorem faciat, qui, Deo volente peccata fieri, agnoscat. Fanaticorum secta in Belgio gliscebat, antequam Lutherus Papatum oppugnare cœpisset, adeoque non Lutheranismi sed papatus proles erat. Subducebant autem se inquisitioni & pœnæ, quia externum cultum per improbam simulationem, eadem, aut quandoque majori cum sanctimoniæ affectatione, ac alii, præstabant. Quidam autem ex iis ad Atheismum sive Libertinismum fœde propendebant, & populo postea ad Evangelicam libertatem adspiranti, sub hujus specie, profanas opiniones suas audacius insinuare cœperant. Agnoscit hoc Lutherus, cum scribit *d. lib. II. epistolar. p. 283. Sub regno Papistico omnia erant tranquilla ab hujusmodi sectis & hæresibus, siquidem fortis & armatus, composita pace, custodiebat atrium suum. Porro, ubi jam fortior venit, & superatum imbecilliorem exegit atrio, (juxta doctrinam Evangelicam) furere cœpit & tumultuari, invitus emigrans.* Ex iis quidam Antverpiensis Wittenbergam hoc anno veniens, immania professus est dogmata, quæ Lutherus in epistola illa Antverpiensibus detexit, ita quidem, ut summam hominis inconstantiam, impudentiam & ambitionem non possit satis describere & detestari. Quod attinet locum, qui speciatim laudatur a Sculteto, Lutherus *d. lib. p. 284.* postquam fanatici opinionem recitasset, & sub ea id monstri latere innuisset, ut sceleribus excusatio quæreretur, quia mala etiam non sine voluntate divina fierent, hæc subjungit: *Nec dubium est, quin me falso apud vos delaturus sit, ac si dixissem: Deum velle habere peccata. Cujus criminationi sic responsum volo, mibi injuriam fieri, atque eundem, ut alias portentum, ex mendaciis & sycophantia consutum, & hic impudenter mentiri. Ita dico, Deum, datis in hoc præceptis, peccata inhibuisse, & hanc voluntatem satis liquere, & nobis cognitu necessariam esse, qui vero fiat, ut homines peccare permittat, ut peccatis perpetrandis consentiat, nos scire non voluit, alioqui palam fecisset, si Deus ejus consilii nos voluisset esse conscios. Atqui & ipse Paulus hæc scire noluit, scribens Rom. 9. O homo, tu quis es, qui ex adverso respondebis Deo? Quamobrem omnes vos volo, fratres, ut aversemini spiritum, hac sublimi quæstione, de occulta Dei voluntate vos molestantem & impugnantem, ut dicatis, putasne parum esse, quod Deus manifestæ voluntatis suæ, in præceptis expressæ nos voluerit esse conscios? Quid itaque tu nos infatuas, eo nos inducendo, quod scire nefas, adeoque interdictum est, nec possibile cognitu, & in quo tu, vesane, nobiscum ex æquo cæcutis & hallucinaris? Qui hæc fiant, Deo committendum putamus, sufficit nobis, Deum peccata detestari; qui vero peccatis consentiat, missum faciendum est. Servus heri sui arcana curiose non explorare, multo minus nosse debet, sed quid præcipiat herus, effectum reddere. Mulo minus fas est, miseram creaturam sui creatoris, Divinæ nimirum Majestatis, pervestigare mysteria.* Ex aliis epistolis ea tantum annotabimus, quæ historiæ lucem fœnerantur, aut sententias Lutheri in causis non levis momenti aperiunt. Consuluerat eum *Albertus*, quem supra jam nominavimus, *Comes Mansfeldensis*, Evangelicæ doctrinæ favens, quam ejus agnati impediebant. Quæstio erat *de communione sub una*, secundum veterem ritum in æde Collegiatæ Ecclesiæ, quæ in arce Mansfeldensi erat, retinenda; id volebant alii ex condominis, mutatum vero cupiebat Albertus. Lutherus respondet; quæstionem esse de æde, id est, de saxo & lignis; illius causa vim in re communi adhibere Albertum non debere, sed interposita de jure suo protestatione contentum esse posse, ut in arcis aliquo conclavi Evangelica uteretur doctrina; subditis autem communibus eandem libertatem petentibus, & ad vetera retinenda cogi nolentibus, assistere eum debere, quantum sine vi publica fieri possit, nequaquam autem illi licere, ut cæteris vi contra subditos agentibus sese associet; id potius curet, ut subditi ipsi salva conscientia sua, statuant quæ sequi velint, jure enim cogi in neutram partem posse; solatur interim Comitem, & indicat, fore, ut, antequam decem anni prætereant, omnia in melius mutentur. Fœdera, de quibus secundo loco Comes quæsierat, adversus superiores, qui Agnatis pontificiis assistebant (Archiepiscopum nempe Magdeburgensem, & Georgium Saxoniæ Ducem, quorum vasalli erant Comites) ut Albertus iniret, dissuadet, in genere tamen fœdus quoddam quærere non vetat, cujus fama fortassis moti, a vi temperaturi sibi sint adversarii. Extat epistola satis longa & libera, *Tom. III. Alt. fol. 99.* annumque 1525. adscriptum habet, sed die caret. Plura hac de re in Archivo Vinariensi (*Reg. N. fol. 58. n. 12.*) reperiuntur: Elector enim medium se inter Comites interposuit, illique Albertus prolixe aperuit, quibus rationibus ad reformationem moveretur. Ipse nævos vitæ allegans a communione abstinuit, sed uxori & aulicis consultum volebat. Vehementer ei obstabat *Hoyerus* agnatus, edicta Cæsaris & comitiorum jactans. His Albertus protestationem Comitum nomine in comitiis factam opposuit, & negavit, se in causa religionis & conscientiæ mandatis Cæsaris obstringi posse. Exhibetur etiam hoc anno *epistola* Lutheri *ad Livonos*, Sabbatho post Trinitatis (*17. Jun.*) data, *Tom. III. f. 152. & seqq.* in qua eos hortatur a cavendis dissidiis ob diversitatem ceremoniarum, quæ ad religionis fundamentum non pertinerent. Rogat tamen ut operam dent, quo (quantum fieri possit) in una regione conformitas rituum observetur, &, ut pastores cœtum doceant, ne ex differentia externa, aut etiam ex motibus, occasione Evangelicæ doctrinæ ortis, scandalum fiat: ex hæresibus vero, quæ jam apud illos etiam emergebant, argumententur, veram se habere Ecclesiam; quæ per hæreses exerceri debeat, ut Apostolus testatur, *1. Cor. XI. 19.* Ex epistola d. 11. Novembr. *ad Spalatinum*, nuptias tunc Altenburgi

(5) *Luth. epistola ad Antverpienses de fanatico quodam.*

(6) *Discursus de occulta Dei voluntate.*

(7) *Epistola Lutheri ad Albertum Mansfeldensem, de communione sub una.*

(8) *ad Livonos, de ritibus.*

(9) *Ad Spalatinum, de insolentia*

An. 1525. *nobilium, & lenitate Electoris Johannis.*

burgi celebrantem, percipitur, odium Nobilitatis incurrisse Lutherum, ob susceptas virgines ex monasteriis egressas, quas patres aut agnati ad sublevandas familias malebant inclusas manere. Testem allegat *Amsdorfium* idem querentem, non sine aliqua inculpatione Electoris, qui licet Evangelii admodum studiosus, suis tamen non esset formidabilis, utpote qui verbis facile leniri possit, vide *Lib. II. Epistolar. p. 306.* In alia 6. Decembris data *p. 305.* innuit, laxius sub hoc Electore, quam sub defuncto Friderico, imperium esse, multaque audere Nobiles, ut etiam itinera intuta fiant. Interrogatus, an Altenburgi missaticus cultus a Canonicis continuatus abrogari, mandato Principis, possit? respondet, posse; tum, quia auxilium alieni Principis (Georgii puto) imploraverint, tum, quod aliud sit, cultum superstitiosum prohibere, aliud subditos ad religionem cogere: illud recte fieri posse & debere a Principe; hoc merito evitari. *Principes*, ait p. 305. *nostri non cogunt ad fidem & Evangelium, sed cohibent externas abominationes.* Et paulo post: *Debent enim principes publica flagitia, ut perjuria, blasphemias nominis Dei manifestas, quales istæ sunt, cohibere, interim nihil cogentes, sive credant illi sive non, qui prohibentur, neque si clam maledicant sive non. Nos enim de publicis maledictis & blasphemiis dicimus, quibus Deum nostrum blasphemant. Hoc (inquam) si possumus, debemus cohibere; si non possumus, cogimur permittere. Hic nemo adhuc cogitur ad fidem & Evangelium, nemo cogitur ad cordis impiam opinionem, qualiter ipsi facerent, si possent, modo, quia facere non possunt, consentiunt iis, qui faciunt, & probant eos, ideo pari pœna digni. Rom. I.* Patet hinc, quam falso tribuatur Luthero aut Principibus, quod homines ad religionem vi perpulerint, licet verum sit, quod cultum, quem pro idololatrico habebant, & a quo jam totus populus abhorrebat, paucis illis, qui in monasteriis, aut collegiatis Ecclesiis supererant, sacerdotibus, amplius permittere noluerint: Sed id ad sequens tempus pertinet.

(10) *Lutheri de abrogatione Missæ moderata sententia.*

(11) *De casu quodam matrimoniali.*

Casus matrimonialis hoc anno Luthero propositus fuit. *Michael Cramerus*, in pago *Kuniz* non procul Jena, sed in Ducis Georgii ditione, pastor fuerat, & ob Lutheri doctrinam anno 1523. captus, ac Episcopo Numbergensi missus erat. In itinere vero nescio quomodo ex vinculis elapsus, iterumque, cum prope Altenburgum denuo caperetur, liberatus, VVittenbergam venerat, & Dommitschensium pastor factus erat. Is duas jam uxores, unam post alteram duxerat, ab utraque mox desertus: una Lipsiam aufugerat, & a monachis instructa nuptias illegitimas se habuisse causabatur; altera palam impudice vivebat. Cum vero ille cœlibatum tolerare non posset, & tertium conjugium moliretur, consilium a Luthero petiit. Is illi & Senatui oppidano d. 18. Junii respondit, Pauli doctrinæ locum esse *1. Cor. VII. 15.* Produxit has Lutheri literas post triennium, cum Luccaviensium in Altenburgensi districtu concionator esset, & apud Visitatores accusaretur, quasi tres vivas uxores haberet; sed statu causæ deprehenso absolutus fuit.

(12) *De Wicelio; item de reformatione Sonnewaldensi.*

Infelici cum successu hoc anno Lutherus *Georgium Wicelium*, literis ad Electorem d. 11. Novemb. datis ad pastoratum oppidi *Niemeccensis* commendavit, ut valde doctum & industrium. (*Reg. N. fol. 108. ℌ. n. 41.*) Denique ad hunc annum ejusque initia pertinet *epistola* Lutheri *ad Johannem a Minckwiz Sonnewaldæ Dynastam*, quæ in compilatione *Spalatini MS.* servata est. In hac, ut rogatus erat, ordinationis Ecclesiasticæ formulam illi præscribit, & quæ in testamento a patre ejus condito, desideret, & pro conscientia mutanda esse putet, aperit. In his sunt missæ & anniversaria, balnea animæ, & alia quædam. Suadet tamen, ut eo nomine sacerdotibus legata, quoad vixerint, conservet, multoque magis pauperibus, ita ut & lotionem pedum non improbet, in memoriam Christi servandam, omisso tamen nomine balnei animæ, (des Seelenbades) promittit etiam formulam missæ Germanicæ, quam tunc meditabatur, sub autumnum hujus anni Wittenbergæ introductam. Ex *sermonibus* præter illos, quos in funere Friderici Electoris habuit (de quibus in *Additionibus* dicemus) publicati, & in *Tomum III.* relati sunt aliqui, (1) Is quem habuit secundo Paschalis festi die, occasione Evangelii de discipulis Emauntem euntibus *Tom. III. Alt. fol. 290. & seq.* in quo tractat de infirmis in fide, quos ad sacram communionem accedere & admitti debere nobis demonstrat rationibus; agnoscit, fidem non esse sine aliqua trepidatione & metu, imo contra hunc pugnando eumque vincendo maxime occupari. *Hac est* (ait fol. 292.) *ejus natura, ut vim suam exserat, in metu, in morte, in peccatis & omnibus quæ hominem terrent & trepidum faciunt. Si talem te sentis, tempestivum maxime est, ut accedas, & fides tunc inveniet, qua agat.* Ad id confessionem privatam conducere ait, imo hunc finem esse & fructum Sacramenti, ut infirmis, quos conscientia angit, succurrat. Taxaverat ibidem fanaticos, qui homines ad nimiam confidentiam, sive audaciam & impudentiam, qua cum Deo agant, impellere velint; Spiritibus istis superbis & temerariis minime ait, obsequendum esse. (2.) *Tom. III. Alt. fol. 295. & seqq. & Tom. III. Lat. Jen. fol. 70.* extat concio, in qua docet, quomodo libris Mosaicis uti debeant Christiani, sive quomodo distinguenda sit Lex ab Evangelio; & rejicit fanaticorum dogma, qui Mosaicam legem, quatenus Judæos solum obligaverat, denuo in Ecclesiam reducere conabantur. *Hoc*, ait, *non permittemus, mallem tota vita concionibus abstinere, quam ut denuo Moysen introducerem.* Licet autem etiam decalogum rejicere videatur, ita tamen id explicat, ut ad vinculum quo Judæi tenebantur, respiciat, non quatenus decalogus ipsam naturæ legem continet; quæ enim Deus per Moysen in decalogo proposuit, eadem, ait, in corda hominum inscripsit. Usum itaque Mosaicæ doctrinæ triplicem hic docet. (1.) ut ex illis, quæ solos Judæos obligarunt, imitatio quædam legum positivarum, quæ utiles esse possent, accedente autoritate publica, fieri non prohibeatur. (2.) ut promissiones observentur de Messia & Ecclesia Novi Testamenti. (3.) ut exempla piorum ad imitationem, impiorum vero ad cavendum, notentur. Oppositus est hic sermo incentoribus rusticorum, qui ex libris Moysaicis rebellionem & ultionem in magistratus, tanquam licitam & a Deo imperatam asserere non verebantur. Ad hunc itaque scopum explicari & intelligi debent, quæ Lutherus tunc scripsit: nam alia occasione, & inprimis post erumpentem Antinomorum errorem, ita tractavit materiam de usu legit, ut cavillantibus os obstructum sit. Alius etiam sive

A. 1525.

(13) *Sermo Lutheri de infirmis in fide.*

(14) *De usu Legis Moysaica.*

A. 1525.

(15) *De pia præparatione ad Eucharistiam, hujusque fructu.*

sive sermo, sive potius tractatus de Eucharistia reperitur *Tom. III. Alt. fol. 155.* inscribitur enim Ordnung und Bericht *Ordinatio vel instructio pro iis, qui Sacramentum accipere volunt*, ex quibusdam vero formulis videri posset, pro concione illa dicta esse. Id autem agit, ut accedentibus ad Sacram communionem *necessitatem fidei* inculcet, *non tantum de præsentia corporis & sanguinis Jesu Christi, (hanc enim etiam impios, imo diabolos scire & affirmare posse) sed &, ut sciant & credant, qualem fructum ex Sacramento percepturi sint, ex verbis nempe institutionis*, quod pro vobis datur. *Huc usque (ait) admissos fuisse omnes, ut quilibet pro devotione sua accesserit, & id tolerari hoc anno adhuc posse; sed postea necesse fore, ut quilibet interrogetur, quo animo & qua spe accedat, & quam utilitatem sibi ex communione promittat. Duo itaque ab accedentibus requiri, primo, ut veritatem Sacramenti, secundo, ut fructum ejus credant, neque tamen fide imaginaria sed vera, pro qua mori velint, aut, si infirmam esse deprehendant, ut supplices Deo fiant, & ab eo confirmationem fidei petant. Optat vero, ut distinguere posset credentes a non credentibus. Concionandum quidem omnibus esse, non exclusis, de quorum fide dubitatur; sed aliam rationem esse in distributione Sacramenti, & nemini ejus usum permitti debere, de cujus fide non constet:* Loquitur autem de sufficienti articulorum fidei notitia. De fructu Sacramenti egregie disserit, & *primo* quidem rejecta, quæ ex missæ celebratione, ut opere & sacrificio, sperabatur, omnem utilitatem ex Christo in Sacramento per fidem accepto deducit, cum hoc enim omnia ejus beneficia omnesque ejus vires nobis conferri ad vincendum peccatum, & diabolum: *Secundo* conjunctionem Christianorum ad mutuæ charitatis exercitium commendat & extollit, quia unius panis participatione unum corpus fieri a Paulo docemur, *1. Cor. X. 17.* Editus etiam est hoc anno sermo, quem Lutherus habuit *in festo Johannis Baptistæ*, quo canticum Zachariæ egregie explicavit: omissus is erat *Tomo III. p. 295.* quia *in Postillis* invenitur, sed postea in *appendice Tomi VIII. fol. 949.* exhibetur. Multa in hoc monet adversus abusum doctrinæ evangelicæ, cum homines, de gratia & fide audientes, & quod opera nostra, ut imperfecta, non sint meritoria, in alterum extremum procurrunt, & studium bonorum operum omittunt: vide *d. fol. 949. Non ita*, ait, *frater*, Nein / nicht also Bruder / hieher! *verum est, Christum pro nobis mortuum esse & resurrexisse, & nos in regno gratiæ versari, & salvari in fide & verbo: neque tamen nos ideo segnes simus in domanda carne, & in exercenda charitate erga proximum; utrumque requiritur, suo quodque loco & ordine.* Explicat autem *fol. 956. & seqq.* charitatem, negatque bonorum operum exercitium consistere in vitæ monasticæ regulis, externisque illis præscriptis pontificiis, sed in puritate cordis, per fidem purgati. Agnoscit autem, & pluribus describit *fol. 958.* difficultatem, quæ ex confusione & mala applicatione piæ doctrinæ de fide & operibus oritur. Summa est: *Si de vitæ emendatione verba fiunt, tunc homines operibus suis inniti, & scalam in cœlum ex iis facere; ea autem fiducia & superba meriti persvasione, gravius peccare, quam ipsis vitiis: Deum enim fastum illum odisse & rejicere, cum pœnitentes & gratiam implorantes, gravissimos peccatores recipiat. Ex opposito: si vitæ sanctitas non urgeatur, dissolutionem & impietatem sequi. Medium itaque teneri debere: moribus piis & honestis diligenter studendum, sed iis non fidendum esse. Paucos tamen hanc viam mediam invenire; alios enim pessime vivere, alios operum sanctimonia mereri cœlum velle, & cum contumelia Dei ex se depromere, sibique arrogare, quæ meræ misericordiæ Dei accepta ferre deberent.* In eadem appendice *Tom. VIII. fol. 960.* legitur concio, *secunda feria Paschali* habita *ad dictum Gen. XXII. 18.* in qua de persona Christi, & de SS. Trinitate præclara docet. Porro *fol. 964.* ad Evangelium *Dom. XIX. Trinit.* & specialiter ad dictum *Matth. IX. 22.* iterum urget doctrinam de regno Christi, ejusque effectu in remissione peccatorum. Refutat fiduciam operum, & zelum illum circa externa, quem tunc indiscrete quidam exercebant, Carolostadii ductu & exemplo in confringendis imaginibus; In eodem sermone, *fol. 968.* occasione eorum, qui paralyticum ad Christum portaverant, de fide aliena agit, & infantibus propriam conferri in Baptismo tradit; rejecta *Pontificiorum* opinione, qui fidem Ecclesiæ iis prodesse statuunt, & *Bohemorum*, qui fidem adultis demum dari docebant. Hæc ejus sententia non occulte, (ut *Cochlæus anno 1527. fol. 171.* scribit,) sed aperte proposita, & ex principio, quod Sacramenta non nisi credentibus prosint, deducta, multis postea disputationibus ansam dedit, ut notum est. In concione octiduo post mortem Friderici Electoris d. 12. Maji habita (*Tom. II. fol. 897.*) *Psalmum XXVI.* egregie explicavit, multa contra hæreticos & falsos doctores graviter monens, nec aliud remedium, quam preces, adversus eos superesse dicens, si nullam emendationem admittant. Exemplo Davidis licitum esse notat, de innocentia & puritate gloriari, sed doctrinæ magis, quam morum; ambitionem doctorum matrem esse ait omnium hæresium & sectarum. Taxat concionatores, qui ingenium ostentare & populo placere velint; unde futurum esse putat, ut a veritate doctrinæ potius recedant, quam applausum populi perdant. Orandum illis Deum esse, dicit, ut ab amore proprio illos purget; *proba me, Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum*, dicto *Ps. XXVI. 2.* Ita fore, ut Dei gloriam, & proximi salutem, non suum quærant honorem, aut auram captent popularem. Salse etiam perstringit elatos Scholarium animos *d. l. fol. 899.* festive scribens: Es sind allhier viel Studenten / wenn sie irgends ein halb Jahr zu Wittenberg gewesen / so sind sie also voller Künste / daß sie sich lassen gelehrter düncken / denn ich sey. Wenn sie denn auffs Land zu andern Leuten kommen / so bricht ihre Kunst heraus als eine Wolckenbrust / und läßt sich eines Centners schwer bedüncken / aber wenn du es auff eine Wage legest / so würde sie nur eines Qvintleins schwer seyn. Sensus est; *Esse fortasse quosdam, qui sex mensibus Wittenbergæ literis operam dederint, & sibi jam doctiores, quam ipse sit, videantur. Hos, si ad alios veniant, eruditionem suam ut imbrem effundere & pondera doctrinæ jactare, cujus scrupulum vix habeant.* Præterimus alios sermones, qui hoc anno typis vulgati, & postmodum Postillarum volu-

(16) *De abusu doctrinæ de fide & operibus.*

An. 1525.

(17) *Denenda media via media.*

(18) *De persona & regno Christi.*

(19) *De fide infantum.*

(20) *De falsis doctoribus & contra insolentiam quorundam concionatorum.*

A. 1525. volumini inserti fuerunt, v. g. *ad Evang. Dom. VIII. & XXIV. Trin.* in quibus acriter in Pontificem invehitur.

ADDITIO.

Incidit hunc in annum 1525 ut §. *II.* & alibi innui, mors *Friderici* Electoris Saxoniæ. Obiit enim in arce sua *Lochaviensi*, ex obstructione vesicæ, *die 5. Maji*, qui erat Veneris post Dominicam Misericord. Dom. circa horum quintam post meridiem *ætatis anno LXIII.* Natus enim fuerat anno 1463 die Antonii. (17. Januarii) Ita profecto vixit, ut de eo majori merito, quam de celebrato a Tacito Agricola dici possit, *gesta ejus mansura esse in animis hominum, æternitate temporum, fama rerum.* Nota sunt nec spernenda, quæ de eo dudum edidit, Vir non vulgariter doctus *Johannes Rosinus.* Sed amplissimæ historiæ materiam suppeditat *Archivum Vinariense*, ex quo suppleri possent & deberent, quæ *Georgius Spalatinus* commentatus est, & manuscripta in scriniis illis asservantur. Illum laborem, cum extra scopum meum sit, labente etiam ætate & vigore, aliis relinquo. Spero tamen, haud abs re fore, nec ingratum lectoribus, ut aliqua ad pietatem & religionem potissimum pertinentia referam, quæ etiam cum Lutheri & Lutheranismi rebus connexa sunt. Tria Friderici *testamenta* extant: *Primum* composuit, cum anno 1493. peregrinationem Hierosolymitanam susciperet, in quo nihil satis dignum memoratu inveni. *Alterum* anno 1517 die Francisci (4. Octobris) veteris superstitionis magna habet monumenta. Jungit enim Sacro-Sanctæ Trinitati (cujus nomen præmittit) B. Virginem Deiparam S. Bartholomæum, Apostolum, quem suum vocat, (patronum enim delegerat) dein Angelum tutelarem & omnes Sanctos Dei: horum etiam intercessioni animam suam commendat. Corpus condi jubet ante altare supremum, in templo Omnium Sanctorum VVittenbergæ, sub candelabro quod imaginem S. Trinitatis habebat. Ordinat quotidie per totum a morte mensem missas quinquaginta, assignato pro singulis grosso censuali (einen Zinßgroschen.) Constituit pauperibus balnea, quæ vocabant, animæ, (Seelenbad) unum in qualibet ejus mensis hebdomade. Altare sanctæ Crucis, quod profecturus Hierosolymam Torgaviæ in parochiali templo B. Mariæ extruxerat, servari & dotari jubet, ut &, quæ ibidem & Vinariæ in sacellis aulicis constituerat, missatica sacrificia. Legat Ecclesiæ cathedrali Misnensi, & collegiatæ S. Georgii Altenburgensi ducentos florenos, ex quorum pensione anniversarium sacrum celebretur, distributis inter sacerdotes sex florenis pro præsentia, ut loquuntur, & inter pauperes quatuor: itemque quinquaginta monasteriis in ditione sua & Fratris (quæ enumerat) mille florenos, unicuique nempe viginti, ut sacra exequialia intra trigesimum pro se facerent. Certioris pietatis sunt quæ de eleemosynis disposuit; sed pro temporum illorum parsimonia & frugalitate. Nec laude caret, quod eodem testamento fratrem Johannem rogavit, ut sedulo inquireret, an per præfectos suos aliquid præter jus fasque subditis ablatum aut injunctum fuerit, ad fisci scilicet commoda augenda; quæ omnia sine mora corrigi & restitui cupit. Hanc curam quidem in multorum Regum & Principum Dispositionibus observare licet, qua saluti suæ prospicere voluerunt, rectius facturi, si aut nihil tale committerent aut facta vivi emendarent. *Tertiam* dispositionem eodem die quo decessit, inter summos licet corporis dolores, memoria tamen & judicio vigens, Johanni Veihelio, Secretario, dictavit, præsente Georgio Spalatino, idque hi ambo a se subscriptum Fratri & successori ejus Johanni miserunt. In hac nihil ex priori testamento repetiit, quam legatum quoddam Elisabethæ, sorori suæ, viduæ Luneburgensi relictum. Jam vero alio stylo de salute animæ statim ab initio loquitur. *Primo*, ait, *rogo Deum omnipotentem, per sanctum & unicum meritum Filii sui, ut mihi peccata & delicta mea remittere velit, neque enim dubito, me pretiosa morte Jesu Christi Domini & Salvatoris mei charissimi, liberatum esse: Itaque animam meam beate servandam, imperVestigabili, æterna & immensæ gratiæ, & misericordiæ ejus, & in manus omnipotentes ipsius commendo. Condono omnibus qui in me aliquid commiserunt, & vicissim per Deum omnes rogo, ut propter illum, & ex charitate Christiana mihi quoque ex animo offensas remittant, sicut omnes quotidie a Deo, patre misericordiæ, pro remissione peccatorum nostrorum petimus.* Funeris deinde curam Fratri committit, eidemque totam successionem & hæreditatem brevibus verbis integre defert, & debita sua liquida, pauca sane, quæ enumerat, solvi, de illiquidis cognosci & æquum præstari, quædam etiam, quæ rigidius exacta erant, restitui jubet; inter quæ erant quatuor florenorum millia, ab Erffurtensi senatu, mulctæ nomine, pro cive quodam, ex patricia Densftetiorum familia, qui monetam adulteraverat, sibi soluta, si nempe facta examinatione, constaret, innocenti, ut allegabatur, extorta fuisse. In hac dispositione, præter alia modica legata, ministris quibusdam adscripta, matri filiorum naturalium *Friderici*, & *Sebastiani*, ducentos florenos assignat, & Fratrem rogat, ut pueris illis pensionem annuam mille florenorum, ex præfecturarum, quas nominat, reditibus solvi curet, viginti millium sorte redimendam: iisdemque castellum in Jessen cum pago Gersdorf, & censibus aliquibus, quos suo acquisiverat ære, tribuat, quatuor equorum servitium feudale præstituris. Ista secreta haberi voluit, ut *Spalatinus* & *Vethelius* in literis ad Johannem Electorem die 9. Maji affirmant. At mihi tacenda esse non videntur, quia sagax adversariorum invidia, hoc in vita Friderici ulcusculum olfecit, ut *Lib. I. §. XLIX.* & in *Addit.* notavi. Satius igitur erit, rem, ut est, proponere. Lapsus est Princeps cætera incomparabilis, ut homines etiam summi & perfectissimi solent. Interim in hac ultima dispositione rarum modestiæ & verecundiæ exemplum dedit: neque enim amicæ nomen exprimit, & pueros vulgariter vocat Fritzen und Bastelln: dein matri exiguum legatum, & pro suis facultatibus modica filiis confert. Hæc de testamentis Friderici, in quibus non invenio, quod aliqui memorant, Melanchthoni mille florenos ab illo legatos fuisse. Quod morbum mortemque attinet, ex *Spalatini MSS.* discimus, valetudinem Friderici ab initio hujus anni vacillasse, ita ut vitæ eum serio tædere inciperet, inde quatuordecim ante obitum diebus inter suos dixit: *si Deo placeret, lubens ex mundo discederem, neque enim, caritas, veritas, fides, aut quidquam boni superest.* Aderat ei medicus insignis, *Henricus Stromerus*, a patria *Aurbachius* dictus: ab hoc de ingravescente Principis morbo monitus *Spalatinus* die 4. Maji eum accessit, quanquam difficilis esset aditus. Excepit hunc Princeps benigne, & considere jussum, dimissis, qui adstabant, post benevolam de Luthero mentionem, & quædam de bello, quod tunc oriebatur rustico, de animæ suæ cura consuluit, manumque ejus humanissime complexus, de arduis rebus ad horam usque octavam vespertinam disseruit, dein ut Spalatinus monuerat, ad Sacramenti usum se paravit & confessionem edidit. Advenerat enim, quo confessionario uti solebat, pastor Herzbergensis. Illum Mutschenæ, quod Misniæ, non procul a Grimma oppidum est, natum, & Colditii antea parochum fuisse Spalatinus memorat, nomen non prodit. Ex diario Herzbergensis ecclesiæ (Im Kirchen-Buche) relatum ad me est, *Andreæ VVagnero* nomen fuisse, anno 1522. Herzbergensium Superintendentem factum, & anno 1561. decessisse. Sed Superintendentium nomen & munus post visitationem anno 1528. frequentari cœpit, pastor itaque tunc fuit. Erratum etiam est in libro illo, quod Elector, cui a confessionibus fuit, *Johannes Fridericus* dicitur, & quod *Friderici* nomen imperitus aliquis delevit, ut *Johannes* designari videretur. Pastore igitur illo (quocunque nomine fuerit) administro Sacramentum sub utraque specie eaque cum devotione mane die 5 Maji sumsit Princeps, ut adstantes omnes in lacrymas solverentur. Plurima pie hoc die dixit; ex quibus aliqua §. *II.* annotavimus. Spalatinus præcedenti die consolationem conscripserat, eamque, antequam Sacramento uteretur Elector, Sebastiano filio principis naturali supra dicto, qui inter ephebos erat, tradiderat, quam in manibus ejus conspicatus Princeps sibi dari jussit, totamque perlegit, dein seposuit ut iterum legeret. Id non multo post facienti, & valde infirmo supervenit Spalatinus, & lectionem absolvit. Quo facto, testamentum, cujus contenta paulo ante relata sunt, condidit, & cum finiisset deficientibus viribus dixit: A. 1525.

(a) *Mors Friderici Sax. Electoris.*

(b) *Ejus Testamentum primum & secundum.*

(c) *Ultimum.*

(d) *De ejus nothis.*

(e) *Praeparatio ad mortem.*

An. 1525.

Ich kan nimmer. *Non possum plura.* Interroganti Spalatino an aliqua re gravatam mentem haberet? nulla, respondit, sed dolores corporis sentio. Hæc ejus ultima verba fuerunt: secuta est placidissima exspiratio, veluti dormientis, ut medicus exclamaret: *Fuit filius pacis, pacifice obiit.* Consolatio a Spalatino conscripta inserta legitur *Tom. II. Alt. fol. 887.* Brevis est & simplicis styli, clarissimis Scripturæ dictis, quibus credentibus in Christum salus æterna promittitur, referta. Ritus exequiarum ex consilio Lutheri & Melanchthonis VVittenbergæ celebratus est, omissis omnibus, quæ ad veterem superstitionem pertinebant. Descriptionem a *Vito VVarbeccio* Can. Alt. compositam Spalatinus conservavit. Pompa fuit modica, absente in expeditione bellica fratre Electore, ejusque principe filio. Corpus Lochavia VVittenbergam in templum Omnium Sanctorum delatum est, die 9. Maji. Cantata sunt latine Psal. CXVIII. *confitemini Domino*, & prosæ: *Si bona suscepimus*, item, *Media in vita.* Hæc quoque germanice, & Psalm. CXXX. *De profundis:* item Symbolum Apostolicum ex compositione Lutheri. Melanchthon latinam orationem stans e regione funeris recitavit. Concionem de suggestu Lutherus habuit ad dictum Pauli, *1. Thess. IV. a v. 13. ad 18.* quæ extat *Tom. II. Alt. fol. 889.* Sequenti die, cum noctu interea sepulchrum ante altare excavatum aptatumque esset, cantata eadem fere fuerunt, quæ die præcedenti: nondum enim tot hymni quibus nunc utimur elaborati erant. Secutus est alter Lutheri ad eadem verba Paulina sermo, *d. l. fol. 893.* Pauperum, qui stipem acceperunt, bis mille quingenti numerati sunt. Ex proceribus & nobilitate, præter *Franciscum Luneburgicum*, ex Sorore defuncti natum, qui studiorum causa VVittenbergæ agebat, præcipui adfuere, & funeri humeros supposuerunt *VVolfgangus Comes Barbyensis*, *Johannes a Planiz*, *Johannes a Minkwiz* equites aurati & consiliarii, *Christophorus* Groß/ aulæ præfectus, *Fridericus a Brand*, *Georgius ab Holdau*, *Matthæus Læser*, *Cuno Rabiel.* Inter eos qui funus comitabantur, eminebant *Johannes a Dolzig* Mareschallus; & *VVolfgangus Reissenbusch*, præceptor Lichtenbergensis. Conciones Lutheri breves quidem sunt, sed sanctam spirant simplicitatem, orthodoxiam & summam pietatem. De Friderico pauca, sed vera & modesta, memorat. Laudat pacificum ejus regimen & fidem in Christum, cujus documenta ex dictis ejus in morbo suo illustria dederit, neque ignotam esse, ait, cognitionem veri Evangelii, qua præditus fuerit, & propter quam tot mala in mundo ab aliquot annis passus sit. Deplorat infelicitatem temporum, & mala ominatur rebellibus rusticis, secuto mox eventu probata. Germaniæ etiam, ob ingratitudinem erga Evangelium, minatur, fore, dicens, nisi emendatio fiat, ut in spissiores tenebras, quam sub papatu, sit ruitura, & novissima pejora futura sint prioribus, *Luc. XI. 26.* Paulo post die 15. Maji literas consolatorias scripsit Lutherus tum ad Johannem Electorem fratrem, tum ad ejus filium Johannem Fridericum Ducem. Illæ leguntur *Tom. II. Alt. fol. 902.* quibus eum animat, ut dolorem ex morte Fratris, & periculum ex seditione rustica patienter ferat, sperare etiam Dei auxilium jubet, qui, licet jam insigne caput regionis Fridericum abstulerit, ipse tamen præsto sit illi futurus. Ineditæ sunt, sed in *collectaneis Spalatini* extant, quas stylo paulo erectiori ad Johannem Fridericum scripsit. In his defunctum cum Josia comparat, a Deo præsentibus futurisque malis subductum. Dein a pacis studio laudat. **Er hat sein lebtag ein friedsam/ stille/ ruhig Regiment geführet / daß er billig Friederich geheissen und seinen nahmen mit der that beweiset hat / und auch solcher friedsamen seelen wohl zu gönnen ist / daß sie nicht in solchem unfriede und auffruhr lebe/ und vielleicht uns mehr jammern würde/ so wir sehen solten / daß seine letzten tage in solchem rumor solten funden werden.** id est, *Totum ejus regimen pacificum, placidum & tranquillum fuit, ut merito Friderici nomen gesserit:* (Fridericus enim significat pacificum,) *probavit id ipso facto. Gratulemur animæ pacificæ, quod ex tumultu & turbis discessit. Nos ipsi dolore, credo, afficeremur, si illum ultima ætate sua in turbis versari videremus.* Utrique autem Principi lectionem *Psalmorum* commendat, *solatiis*, ut scribit, *in omni calamitate plenissimorum.* Monumenta sepulchralia, statuas, effigies, inscriptiones multi descripserunt: quæ licet ad præsentium temporum luxum formata non sint, in omnibus tamen, qui historiam tanti Principis aliquatenus cognitam habent, nec omni virtutis & pietatis sensu carent, venerationem excitant. Inter alia æneæ tabulæ inscripti sunt, ære perenniores, elegi *Melanchthonis.* His, etsi apud multos scriptores legantur, locum tamen hic negare nolui:

(f) *Sepultura.*

(g) *Conciones funebres.*

(h) *Epitaphium.*

Ante petet cursu Bojemica rura supino,
Unde in Saxonicos defluit Albis agros:
Inclyta quam possit meritorum fama tuorum
Occidere in populis, Dux Friderice, tuis.
Aurea viderunt hæ gentes secula, regni
Dum tibi Saxonici sceptra tenere datum est.
Pace frui placida campique urbesque solebant,
Horrenda extimuit classica nulla nurus.
Bella alii ferro, sed tu ratione gerebas,
Et sine vi victi sæpe dedere manus.
Ingenio claros meruisti sæpe triumphos,
Militeque haud ullo fixa tropæa tibi.
Et pacis studiis florere ac artibus urbes
Contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
Fovisti spretas hac tempestate Camœnas.
Unicus & studiis præmia digna dabas.
Namque tuo sumptu flavum schola condita ad Albim est,
Ut vitæ verum traderet illa modum.
Hic Evangelii primum doctrina renata,
Deterso cœpit pura nitere situ.
Induit hic veros vultus, iterumque colorem
Accepit tandem relligio ipsa suum.
Et cum Germani sumsissent arma tyranni
Contra Evangelium sanctaque jussa Dei;
Doctores tibi cura pios defendere soli,
Et Christi late spargere dogma fuit.
His tibi pro meritis grata præconia voce
Posteritas omnis, virque puerque, canent.
Nulla tuas unquam virtutes nesciet ætas,
Non jus in laudes mors habet atra tuas.

Quæ de *armis tyrannorum* dicit, ad machinationes quorundam pertinent, & ad persecutiones contra Evangelii doctores non sine sanguine jam tum exercitas. Ex oratione *Scheurlii* quam in *Additionibus ad Libri I. §. XLII.* allegavi, adjicere hic lubet, ut formam corporis Friderici descripserit: *Ornat eum*, ait, *& illustrat facies luculenta, cæsaries porrecta, barba nigra, os probum, frons veneranda, vultus amabilis, & forma denique plane egregia atque magnifica, plena dignitatis, plena ingenii, plena pudoris.* Agilitatem corporis in eo notavit Spalatinus; valde enim juvenis exercitiis equestribus cum egregio successu admotus est, ut vix parem haberet. Omnis etiam elegantiæ aulicæ tam peritus fuit, ut eo nomine summis & illustribus viris fœminisque charus & amabilis esset: imitator scilicet Maximiliani Cæsaris, de quo ipse prædicare solebat, *quod a nemine mortalium urbanitate & elegantia morum vinci posset.* Ab eodem bellicas artes didicit, multos annos in expeditionibus illum secutus.

(i) *Dotes corporis.*

§. XI.

Hoc anno occasione Carolostadiani erroris a Luthero acriter refutati, controversia de Sacramento inter *Huldricum Zuinglium*, Tigurinæ Ecclesiæ reformatorem, quique ei assentiebant, & inter *Lutherum* sociosque vehementer agitari cœpit. Publicaverat *Zuinglius* sententiam suam in *epistola ad Matthæum Alberum*, pastorem Reurlingensem, anno 1524. (vide *Scult. p. 234.*) sed oppugnaverat eam *epistola* Latine & Germanice edita *Joh. Bugenhagius* Pome-

(1) *Scripta Lutheri, Zwinglii, Pomerani, eristica.*

A. 1525. *Pomeranus.* At hoc anno 1525. mense Martio, Zuinglius edito libello *de vera & falsa religione*, quem Francisco I. Galliæ Regi dedicavit, opinionem suam publice tutari cœpit, argumento a natura corporis Christi desumto, quod, nec ut patibile, nec ut gloriosum, nec ut mysticum, (quod esse dicit Ecclesiam) præsens esse in Eucharistia possit: Vide *Scultet. in annalibus 1525. p. 245.* Mense Augusto eandem uberius explicavit, publicato tractatu, cui *Subsidii* titulum fecit. Vide *Hospin. p. II. p. 35.* Mense dein Octobri Bugenhagio respondit. Conjunxit se ei *Johannes Oecolampadius*, Basileæ docens, ita tamen, ut tropum quæreret in voce *corpus*, cum Zuinglius eum in vocula *est* invenisse se existimaret. Sed utramque explicationem ad unam redire Zuinglius contendit. Oecolampadius igitur id, quod sermonibus publicis jam aliquo tempore proposuerat, libello complexus est, *de genuina verborum Christi: hoc est corpus meum sententia*, eumque fratribus, per Sueviam Christum annunciantibus, inscripsit; inter quos erant, qui eum Heidelbergæ docentem audiverant, contra opinionem vero ejus acriter jam insurgebant. Convenere inde quatuordecim ex illis Concionatoribus Halæ Suevorum, & d. 12. Oct. tractatum, quem *Syngramma* vocant, conscripsere stylo, ut putatur, *Joh. Brentii.* Nihil cunctatus Oecolampadius, *Antisyngramma*, ante finem anni emisit. Lutherus syngramma Suevorum, a Bugenhagio Germanice versum, approbavit præfatione, qua Helvetios vehementer offendit; sed id sequenti anno factum est: mentem tamen suam contra Helveticam sententiam hoc quoque anno satis aperuit. Patet id ex responso ad Theologos Argentinenses, qui veluti medios se in hac quæstione gerebant, missoque ex suis *Georgio Chaselio*, Hebraicæ linguæ Professore, Lutherum ad quietem & fraternam cum Helvetiis concordiam hortabantur. Responsum Lutheri, *Dominica post omn. Sanctor.* (5. Novembr.) datum, extat *Lib. II. Epistolar. p. 302.* Summa est: *Se quidem pacem cupere, sed salva veritate: quæstionem de præsentia tractari omnino debere, nec ab illa, ut Argentoratenses suadebant, abstineri posse: tanti autem momenti eam esse statuit, ut alterutrius sententiæ propugnatores oporteat esse Satanæ ministros; consilio itaque medio locum non esse.* Ipse vero tropicam explicationem prorsus rejicit, suamque sententiam pro vera & certa defendit. Tangit etiam aliquid de opinione Zuinglii, in articulo de peccato originali, & adversus illius invectivas quædam opponit. Inter literas *Spalatini* ad Johannem a Dolzig Equitem scriptas, quas D. Caspar Sagittarius possidet, extant mense Majo datæ, in quibus plurimum dolet, quod Oecolampadius, quem inter doctissimos Germanorum refert, sententiæ Carolostadianæ accesserit, & præsentiam corporis & sanguinis Christi negaverit, Patrum etiam dicta allegans. Paulo post 13. Jun. scribit, in Belgio plurimos illi opinioni accedere, eorumque aliquos Lugduni Batavorum & Amstelodami supplicio affectos esse. Addit, proceribus & inquisitoribus Belgicis Lutheri sententiam magis probari. In eadem epistola *Henricum Palatinum*, Episcopum Ultrajectensem, laudat, quod Evangelium & pacem amet.

(2) *Syngramma Brentii & Antisyngramma Oecolampadii.*

(3) *Chaselii Argentoratensis iter ad Lutherum, & hujus responsum.*

(4) *Quædam ex Spalatini epistolis.*

§. XII.

Tantis malis hoc anno conflictata Ecclesia, inde fanaticorum insania, hinc dissidiis inter Theologos, nec a tribunalium Romanæ hierarchiæ rigore prorsus quieta fuit. Meminit Lutherus *Lib. II. ep. p. 293. Bernardi Carmelitæ*, Mechliniæ exusti. Alios alii annotarunt: Vide *Scultetum p. 316.* Lutherus ipse, ut ex literis, mense Januario ad Amsdorfium scriptis, *d. Lib. II. p. 270. b.* apparet, a veneno sibi metuit, quod *Judæus quidam* ex Polonia, Medicinæ Doctor, bis mille aureorum mercedem pactus, parare dicebatur. Captus is cum sociis, amicorum literis proditus, Wittenbergæ; sed, cum nihil fateretur, dimissus fuit, ne tormentis quidem interrogatus, intercedente Luthero, ut ad Spalatinum mense Februario scribit. *p. 271. b.* In Bohemia non solum *Gallus*, Calixtinorum primarius, qui hucusque Luthero favere videbatur, inimicus ei factus est, ut Hausmanno aperit d. 2. Febr. *d. l. p. 270.* Sed & *Carolus* Dux Monsterbergensis, regni gubernator, qui & ipse in Lutheri partes propendere visus erat, habitis mense Januario Pragæ comitiis, contrario decreto progressum doctrinæ ejus in Bohemia tunc sufflaminavit, iis potissimum, qui *fratres sive Picardi* vocabantur, infestus; sed haud diu is rigor duravit. *Scultet. p. 273.* Ad profectum seu incrementa Reformationis referri debet, quod hoc anno in Lusatia, urbes haud ignobiles, Gorlitium & Lauba, cum pagis vicinis, Misnensis Episcopi diœcesani jurisdictionem, consentientibus plebanis, abrogarunt, & baptismum Germanice & Cœnam sacram *sub utraque* administrare cœperunt, ductu *Francisci Abenobarbi*, Gorlitiensis Diaconi. Profuerunt etiam amicitiæ arctioris inter *Electorem Sax.* ejusque filium & *Philippum Hassiæ Landgravium* primitiæ, qui d. 20. Martii hujus anni conventum Creuzbergæ in Thuringia habuerunt, & ex eo bonum Evangelii fructum in literis ad Spalatinum ominatus est Lutherus, (29. Mart.) *Lib. II. p. 278. Joh. Fridericus* Electoris filius in epistola *ad Dolzigium* Marescallum d. 2. Apr. scripta (quæ inter repertas a D. Sagittario extat) lætus significat, Landgravium in conventu illo asseverasse, *quod corpus & opes, provinciam & omnia amissurus potius sit, quam ut a verbo Dei deficeret.* Literas etiam *ad Georgium* Sax. Ducem, socerum suum, dederat, concinnas & pias (wohlgeschickt und Christlich) quibus eum convertere, Deo juvante, nitebatur. Sed frustra id fecisse ex *literis Landgravii* d. 31. Mart. *ad Joh. Fridericum* scriptis intelligitur. (*Reg. N. lit. C. n. 17. fol. 68.*) Adjunxerat *Georgii literas*, sed illæ in fasciculo Actorum non reperiuntur, quia Landgravio, secretas illas haberi petenti, remissæ fuerant. Verum *Joh. Fridericus* ad *Landgravium* scribit, d. 4. Apr. *Terribilis mihi videtur Georgii epistola, ideo inter alia, quod in fine dicit, se rem Deo commissurum esse, post centum enim annos appariturum, quis justam causam habeat. Cogita quæso, qualis hæc fides sit, quæ experimentum requirit. Certe nihili est fides, quæ credere non vult, nisi experientia convincatur. Ex auditu est fides, ut Paulus docet, non ex experientia. Doleo boni Principis vicem, si enim experiri vult prius quid verum & justum sit, neque interim verbo Dei obsequatur, nimis diu rem differt, nec erit pœnitentiæ locus.* (Es wird zu lange geharret / und ist keines Wiederkehrens.) *Omnem itaque operam adhibeas, velim, ut a pontificiis propositis illum avertas, si per Dei gratiam fieri posset. Valde tamen metuo, ut quidquam perficiatur, &, ne illum Deus, ut Pharaonem, induraverit, neque verbum neque signa receptu-rum,*

A. 1525.

(1) *De persecutionibus quædam.*

(2) *Lutherus veneno petitus esse creditur.*

(3) *De Bohemia & Silesia quædam.*

(4) *Incrementa reformationis in Lusatia.*

(5) *Primitiæ reformationis in Hassia.*

(6) *Spes & remora in Misnia.*

A. 1525.

rum, sed ut tantum constantes verbi professores per eam explorentur. Hæc ille, quæ ob majestatem autoris, apertamque pietatem & secutum eventum, tanti sunt ponderis, ut ad animum revocari ab omnibus mereantur. Ex iisdem Principis & Landgravii literis percipitur, *Johannem*, Georgii filium, cum uxore, quæ Landgravii soror erat, evangelicæ doctrinæ addictos fuisse. Diserte id scribit Landgravius. Mein Schwager und Schwester sind so gut Evangelisch als ich. *Soror & maritus æque Evangelici sunt, ac ego.* Neque de hoc dubitat Saxo in responso, monet tamen Landgravium, ut eos ad constantiam exhortetur, cum non sint defuturæ tentationes. Neque vana fuit, quoad Johannem, Principis solicitudo; ille enim profiteri Evangelium ausus non est, neque id, quod sciam, ante mortem ejus uxor fecit, quanquam postea, ut dicemus, Protestantium partibus accessit. Hoc quoque anno *Philippus Comes Hanoviensis*, & diversa Germaniæ parte *Christophorus* & *Antonius Oldenburgici*, & *Conradus Tecklenburgensis* reformationis principia admiserunt. Inter urbes liberas idem fecerunt *Northusa* in Thuringia, ubi Prior Augustinianorum *Laurentius Sussius* docendi munus suscepit; & *Hagenoa* in Alsatia, *Capitonis*, civis sui opera Argentorato eo profecti. *Dantiscum*, sive *Gedanum*, celeberrimum Borussiæ, qua Polonis paret, emporium, *Joh. Bugenhagium* Pomeranum pastorem sibi optavit, haud renitente Luthero, ut ex literis ejus *Lib. II. p. 279.* ad Spalatinum 2. April. datis, cognoscitur, his verbis: *Venit ad Principem hic D. Johannes, pastor unus Dantiscensis populi, postulaturus favorem Principis, pro vocando illuc Pomerano nostro: rogo itaque ut illi assis, sicut poteris. Quamvis enim eum virum hic manere velim, tamen in re tanta & causa verbi cedendum arbitror. Quis scit, quid Deus velit ibi per ipsum operari; ne forte tam insignem vocationem Dei non intelligamus & impediamus. Audies mira ex ipso, quæ in Dantisco operatus est Christus. Ego si vocatus, non auderem reniti, sed irem statim.* Verum Pomeranus Wittenbergæ mansit. De ortu evangelicæ doctrinæ in primaria Silesiorum urbe *Uratislavia* actum est *Lib. I. §. CLI.* & in *Addit.* ubi & *Ambrosii Moibani* mentionem feci. Hic hoc anno pastor in templo S. Elisabethæ constitutus est, accepto ab ipso Episcopo, *Jacobo a Salza*, mandato, his verbis: *Ito & doceto Evangelium Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Moderatione sua hic Episcopus, ut & successor ejus, *Balthasar Promnizius*, multum profuerunt reformationi in amplissima Silesiorum regione. Moibanus hoc anno mense Majo, Hessus, (de quo dixi) Septembri mense uxores duxerunt. *Argentorati* Decanus Canonicorum *Sigismundus Comes Hohenloicus*, edito scripto Germanico, clerum suum ad lectionem Scripturarum adhortatus, & desiderium de reformatione testatus est, ut Scultetus refert. De actis hoc anno a Pontifice *Clemente VII.* quæ ad officium ejus, quod præ se ferebat, id est, ad res Ecclesiæ pertinent, parum dici potest. Siccis ille oculis aut lætus forte calamitatem Germaniæ, rusticorum tumultu & clade, illatam, intuebatur, nulla ad emendandum miserrimum Ecclesiæ statum animi applicatione. A concilii convocatione summe abhorrebat, interim per nuntios suos ubique, quod unum & facile poterat, Principes ad supplicia in eos, qui hæretici habebantur, stimulabat, & Helvetiorum internas fovebat discordias. Hæc tamen, ut solliciti pastoris officia, magnifice deprædicat *Pallavicinus, Lib. II. Hist. Concilii Trident. c. XII. 5.* Idem familiæ Mediceæ, ex qua se ortum ferebat, utilitatibus intentus, ita se inter Carolum Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem gerebat, ut neutri fidus esset. Conversa autem est hoc anno mirum in modum utriusque Principis fortuna. Gallus enim, qui viribus potior videbatur, & magnos in Italia progressus adversus Cæsarem fecerat, faventemque habebat Pontificem, mense Februario, die Matthiæ Apostolo sacra, insperata clade ad Papiam sive Ticinum oppressus & captus, atque in Hispaniam, ubi tunc Cæsar erat, missus fuit. Fama tanti casus in Germaniam perlata, Lutherus ad Spalatinum d. 13. Martii *Lib. II. p. 273. b.* scribens, admiranda Dei judicia agnoscit, neque tamen de Galli captivitate lætatur: *Victum esse*, ait, *ferri potuit; captum esse, certe monstrum est.* Et post alia: *Cepit ille sic antea Ducem Mediolanensem; nunc capitur ipse: Cæsar triumphat, ut & ipse cadat tandem. Item: Unum placet, frustratum esse Antichristi conatum, qui in rege Galliæ cœperat niti, ut ostendat Deus, se & hujus Tyranni animarum omnia consilia velle irrita facere, & ad finem sui perducere.* Mire laborat in Pontificis versutia, qua Concilium distulit, & tempori servire novit, excusanda, & prudentiæ pallio velanda, obnoxius Pallavicini calamus, *d. l. c. XIII. 2. 3.* negare tamen non potest, Gallis illum adhæsisse, ante cladem Francisci: sed mutata statim velificatione cum Cæsare novum fœdus pactus est: *Nonum ejus caput erat: Cum sacra magis, quam profana Pontifici cordi essent;* (ita quidem scribit Pallavicinus *d. l. §. 3.*) *ut Cæsar, & Rex Angliæ, ac Ferdinandus Archi-Dux, arma adversus turbatores catholicæ religionis, injuriososque Pontifici, omni potentiæ suæ conatu caperent, atque omnes illius injurias, ut proprias, vindicarent.* Hoc expeditissimum ad religionem Pontificis tuendam remedium erat. Dein, cum paulo post, deserto iterum Cæsare, Clemens cum Gallis & Anglis adversus eum fœdus (mense Augusto) pepigisset; pietatis ejusdem obtentu, primum caput fœderis adversus Turcarum impetus, & sectam Lutheranam profligandam, concepit. vide *Sleid. Lib. VI* Idem hoc anno, Angliæ regi indulserat, ut quadraginta monasteria destruerentur, & reditus duobus Collegiis a Volseio Card. fundatis tribuerentur. Hoc modo ipse viam Regi ostendit ad pinguiorum, imo omnium, postea monasteriorum secutam destructionem.

(7) *Progressus in Comitatibus & urbibus quibusdam.*

(8) *De Clemente VII. Pontifice quædam.*

(9) *Rex Galliæ capitur ad Ticinum.*

(10) *Lutheri eo de casu litera.*

(11) *Pontificis pactum cum Cæsare, contra Evangelicos.*

SECT. 7.

Verum ab Angliæ rege durius habitus est, cui literas valde submissas & adulatorias scripserat, falsa spe delusus, quæ sibi facta fuerat, ac si placare Principem istum, & in partes suas trahere posset. Obtulit etiam revocationem omnium, quæ antea contra Regem scripserat. Eodem tamen tempore conatus est, venenum hæresis suæ in Angliam derivare, artificio usus, quod exitu non caruisset, nisi casu quodam feliciter fuisset detectum. Johannes Cochlæus *Doctor &*

Luth. epist. ad Regem Angl. t. 2.

(1) De Literis Lutheri ad Regem Angliæ.

An. 1525. *& Ecclesiæ B. Virginis Francofurtensis Decanus, maximus, post Hieronymum Emserum, Lutheri adversarius, Coloniam profectus erat, ut opera Ruperti, quorum editionem plurimis locis corruptam, ad dogmatum suorum confirmationem, Lutherani moliebantur, excudi curaret. Ibi typographos quosdam inter pocula jactare comperit, mox futurum esse, ut, Angliæ Rege & Cardinali ejus Eboracensi invito, Lutheranismus in regno dilataretur. Id ad animum revocans, operam dedit, ut typographos illos ad se invitatos lauteque habitos, postquam vino incaluissent, ad explicandum omne secretum moveret. Rescivit itaque duos apostatas Anglos, homines industrios, Coloniæ versari, a Luthero inductos, ut Novum ejus Testamentum Anglice versum imprimi facerent, exemplorum tria millia parari, & jam ad literam K perventum esse. Cochlæus cum videret, publicato verbo Dei, ab hæreticis corrupto, totam Angliam perverti posse, quendam ex primoribus magistratus celeriter convenit, qui, post diligentem inquisitionem, rem veram esse deprehendit, & senatui denunciavit. Hic inhiberi operas fecit, exemplaria tamen, ut debebat, non abstulit. Igitur Angli isti duo, tempus nacti, exscripta jam omnia, navi imposita, Wormatiam subvexerunt, quæ tota jam Lutherana erat, ut ibi impressio perficeretur. Significavit hoc subito Cochlæus Regi Angliæ, & Cardinali Eboracensi, doctoque Episcopo Rochestriensi, Johanni Fischero, ut in omnibus portubus, sicut factum est, ediceretur, ne merx ista nocentissima, & lethale venenum invectura, in regnum importaretur. Inde Cutbertus Tunstallus, Episcopus Londinensis, exemplum libri nactus, diligenter legit, & examinavit, tum postea in eleganti & magno S. Pauli templo, pulchriori & frequentiori, quam unquam antea, auditorum numero repleto, admirandam concionem, ut erat eloquentissimus, habuit, inter alia affirmans, se plus quam bis mille novi hujus Testamenti loca a Luthero depravata deprehendisse. Cum Rex eodem tempore epistolam Lutheri abjecte blandam accepisset, antea vero in Responso ad librum de Sacramentis indignissime tractatum se meminisset, respondere ei durissime eoque modo statuit, ut illum summo pudore confudisset, nisi jam dudum frontem perfricuisset. Objecit itaque illi, quicquid a septem annis adversus Deum cunctasque potestates ecclesiasticas & civiles, contraque sacratissima omnia, perpetrasset, maxime vero incestas & sacrilegas nuptias;* crimen, *ait*, execrandum, quod si tu in Republica Romana commisisses, monacha illa tua viva defossa, tu fustibus ad mortem cæsus fores. *Nec meliorem successum habuere, quæ Lutherus apud Georgium, Saxoniæ, & Carolum Sabaudiæ Ducem, per literas tentaverat. Hic enim vanitatem ejus irridens, ne responso quidem illum dignatus est; ille vero cognita ex disputatione Lipsiensi Lutheranæ doctrinæ falsitate, decreverat, fidei Catholicæ constanter & perpetuo adhærere. Ad reprimendam igitur ejus audaciam, eodem fere modo, quo Angliæ Rex, illi respondit.* An. 1525.

(2) Biblia Anglicana a Cochlæo detecta, & in Anglia conquisita & refutata.

Virum disertissimum, Episcopum Londinensem, in maxima concione ad populum Londini, publice affirmasse, supra duo millia depravationum atque perversitatum se in opere illo deprehendisse. Cochlæus. Sleid. lib. 6.

(3) Lutheri literæ ad Georgium Saxoniæ, & Carolum Sabaudiæ ducem.

§. XIII.

(1) *Tempus epistolarum Lutheri.*

Epistolæ Lutheri *ad Angliæ Regem* & ad *Ducem Georgium*, ut jam monui, scriptæ fuerunt anno 1525. illa quidem latine *Cal. Sept.* qui dies notatur *Tom. II. Wittenberg. fol. 534.* sed *Lib. II. Epistolar. pag. 292.* omittitur, idemque versioni Germanicæ *Tom. III. Altenb. fol. 486.* recte, sed annus 1526 per errorem adscriptus est; hæc vero *Veneris post Thomæ*, id est, 22. Decemb. 1525. quæ Germanice, ut scripta fuit, extat *Tom. III. Alt. fol. 302.* Latine versa, *Tom. II. Lat. Wittenberg. fol. 531. b. & seqq.* Quid moverit Lutherum ad submissum illud scribendi genus, ipse non dissimulavit, ut postea dicam, cum Responsionem ejus, quam Maimburgius tacuit, recensebo. Ne vero aliquem fallat noster, qui revocationem omnium adversus Regem scriptorum a Luthero oblatam esse dicit, aut *Cochlæus*, qui margini *f. 135.* adscripsit: *Offert Regi palinodiam Lutherus;* ex Epistola ipsa quædam afferenda sunt. Certe, si quis Lutheri exordium improbet, cum scribit, *ab aliis Regi non faventibus, incitatum se fuisse, ut stultus & præceps librum suum contra illum ederet*, aliasque submissiones nimias esse contendat, cum illo nolim expostulare: humani enim aliquid contigisse hic sibi, ut postea videbimus, nec ipse inficiatur. At veritati & conscientiæ nihil plane in reliquo epistolæ contextu detraxit: nihil revocat aut corrigit, quam quibus Regem læserit, neque ullam in doctrina offert palinodiam; ita enim loquitur: *Majestas tua dignetur veniam donare, in quibuscunque Majestatem tuam læsi, sicut Christus oravit, & dimittere debita nos quoque invicem jussit. Deinde, si Majestati tuæ serenissimæ non videbitur contemnendum, ut alio publico libello palinodiam cantem, & nomen Majestatis tuæ rursus honorem, det mihi aliquam clementem significationem, tum in me mora non erit ulla, faciam id libentissime.* Addit, quæ veterator *Cochlæus* (ista licet cum toto literarum Lutheri exordio describens) maligne omisit: *Quamvis, cum sim homo nihili, ad Celsitudinem tuam comparatus, tamen non parum fructus Evangelio & gloriæ Dei hinc sperare licebit, si mihi ad Regem Angliæ scribendi de Evangelii causa fuerit copia facta. Interim Majestatem tuam, ut cœpit Dominus, augeat, ut pleno spiritu obediat & faveat Evangelio, nec sinat aures regias & animum occupari pestilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil nisi hæreticum Lutherum vociferari norunt. Tua vero Majestas apud sese cogitet, quidnam mali possim docere, qui aliud nihil doceam, quam fide Jesu Christi filii Dei, pro nobis passi & suscitati, salvos fieri oportere, sicut testantur Evangelia & Epistolæ Apostolorum. Hoc enim est caput & fundamentum doctrinæ meæ, super quod postea ædifico, & doceo charitatem erga proximum, obedientiam erga politicos magistratus, tum crucifixionem corporis peccati, ut itidem præscribit christiana*

(2) *An palinodiam Regi Angliæ obtulerit?*

(3) *Defensio doctrinæ suæ ad Regem.*

A. 1525. *na doctrina. Quid in his capitibus doctrinarum mali est? Expectetis tamen, audiatis & judicetis. Primum, cur damnor, neque auditus neque convictus? Porro, quod abusum & tyrannidem Pontificum reprehendam, interim censibus, pompæ, ventribus, immo regnis & principibus, omniumque opibus inhiantem, nonne idipsum & vulgus sentit & damnat, atque ipsimet coguntur confiteri? Cur non emendant sese, & recte docent, si odio & correptione liberi esse volunt? Videt sane Majestas tua Serenissima, quanti Principes in Germania, quæ Politiæ, deinde, quot viri sapientissimi mecum faciant, &, Deo gratia, non damnari cupiant. Quorum numero utinam Majestatem tuam adscribat, & ab istis animarum tyrannis separet.* Sequitur conclusio, quam etiam Cochlæus retulit: *Quid mirum vero, si Cæsar, & aliquot Principes, in me sæviunt, nonne, ut Psalmus 2. dicit, adversus Dominum & Christum suum fremunt gentes, meditantur populi, conspirant reges terræ, & conveniunt principes? ut mirandum potius sit, si aliquis principum ac regum Evangelio faveat. Huic miraculo in majestate tua, quam opto ex totis medullis aliquando gratulari, & ipse Dominus, quo præsente & volente hæc scribo, cooperetur verbis meis, ut Rex Angliæ brevi fiat perfectus discipulus Christi & Evangelii professor, tum Lutheri clementissimus Dominus. Amen. Responsum, si visum fuerit majestati tuæ, expecto clemens & benignum.* Respondit Rex, ut *Cochlæus d. l. f. 136.* scribit, extemplo; dies tamen literarum non memoratur, licet colligi possit, literas regias *sub finem anni 1525.* ad Lutherum pervenisse, idque ex epistola ad *Linccium p. 292. b.* Testatur enim in hac, *respondisse sibi Regem hostiliter, ut videatur gaudere vindictæ occasione.* Responsum ipsum magna ex parte refert *Cochlæus d. l.* neque acerbius aut hostilius esse potuit. Quo vero animo id tulerit Lutherus, & an *perfrictæ frontis* vituperium a Maimburgio impactum mereatur, judicare ex scripto ejus licebit, paulo post allegando. Unum hic noto, Regem parum constantem fuisse in benevolentia erga Cardinalem Volseium, quam in his literis suis magnifice jactat, eumque adversus Lutherum, qui illum *pestem regni, publicumque odium Dei & hominum* nominaverat, defendit. Notum est ingenium & fatum hominis, post annos quatuor secutum, ex plurimorum Scriptorum testimonio. *Erasmi*, Luthero, illo præsertim tempore, parum æqui, eadem tamen judicantis, *ad Joh. Vergaram Lib. XXVI. epist. 55.* scribentis, hoc est: *Cardinalis Eboracensis sic offendit animum regium, ut, spoliatus bonis & omni dignitate, teneatur, non in carcere, sed in quodam ipsius prædio, adhibitis triginta duntaxat seu famulis seu custodibus. Proferuntur in illum querelæ innumeræ, ut vix existiment effugere posse capitis supplicium. Hic est fortunæ ludus; ex ludimagistro subvectus est ad regnum. Nam plane regnabat verius, quam ipse Rex, metuebatur ab omnibus, amabatur a paucis, ne dicam, a nemine. Paucis ante diebus, quam caperetur, curaverat Richardum Pacæum conjiciendum in carcerem, ac minitabatur etiam meo Archiepiscopo Cantuariensi. Ante ruinam exaltantur spiritus, ait Salomon.* Nec mitius de eo judicat *Pallavicinus Lib. II. cap. XV. §. 2. & 3.* magistrum potius, quam ministrum Regis vocans. Porro, quæ Maimburgius (tot alia ad historiam, quam tractat, magis spectantia omittens) de Bibliorum versione Anglica infarsit, ex *Cochlæo* descripsit, qui hoc sibi ipse tropæum erexit, (*fol. 134.*) futile sane & stramineum. Nam haud multo post Regis auspiciis sacra Scriptura populari lingua populo proposita, effectum illum habuit, qui tunc frustra impediebatur; totumque regnum evangelica doctrina replevit. *Duo millia vero erratorum*, de quibus Episcopus Londinensis in versione illa priori declamasse dicitur, ejusdem ponderis fuisse, dubitari non debet, cujus erant, quæ Emserus exsculpsit, de quibus *Libro I. §. CXXVII.* & in *Addit.* dictum est. Quæ de corruptis ab hæreticis Ruperti libris tradit, nisi melioris viri, quam Cochlæi testimonio probentur, non est, ut vera credam.

(4) *Rex Luthero acerbe respondet.*

(5) *Notantur quædam de Volsejo.*

Item (6) de Bibliis Anglice versis, & (7) de versione Lutheri.

Quod Lutheri *literas ad Georgium* Ducem Saxoniæ attinet, exhibentur illæ, uti jam notatum est, *d. Tom. III. Alt. f. 302.* & Latine versæ extant *Tom. II. Witt. f. 31. b.* Fatetur in his, *ab initio se, quia eandem methodum Scriptura servat, severe & duriter cum Georgio egisse, orasse tamen Deum, ut mentem ejus sibi faventem reddere velit, multa etiam pie & placide scripsisse, ex quibus appareat, se omnium commoda quærere. Cum vero obstinatum adversus se odium Principis adhuc sentiat, constituisse una adhuc & forte ultima vice humiliter & comiter gratiam ejus implorare; in eo enim esse videri, ut & Dux & ipse brevi forsitan a Deo ad aliam evocentur vitam.* Sperat igitur fore, *ut agnoscat aliquando Dux, quæ severissime Lutherus scripserat, ex meliori animo profecta esse, quam, quæ adulatores in laudem ejus proferant.* Supplex inde petit, *ut a persecutione doctrinæ suæ desistat: se quidem sibi non metuere, qui præter miserrimum corpusculum nil habeat, quod eripi sibi possit, neque plus sibi timendum a Duce esse, quam a Diabolo, cui tamen hucusque Dei gratia restiterit, & ex afflictionibus summum perceperit emolumentum; se de doctrinæ suæ veritate certum esse.* Orat igitur, *ne offendatur Dux intuitu personæ suæ, quam vilem esse concedit, sed ut veritatem respiciat, quam Deus etiam per despectissimos, ut olim per asinam, patefacere possit. Sapientem esse Principem in cæteris, tanto magis se dolere, quod in lapidem hunc scandali, ipsum nempe Christum, certo cum exitio suo impingat.* Veniam inde petit *omnium per quæ dicto vel scripto offenderit, ex doctrina autem sua nihil se mutare posse; omnia tamen remittere & oblivisci velle, quæ a Principe passus sit, & condonationem a Deo precibus suis ei impetraturum. Gavisuros esse omnes angelos in cælo super Principe, si in hoc uno obsequatur, ut verbum Dei admittat. Non expedire illi, ut contra eum preces fiant, id se huc usque distulisse; sed si pertinaci illius odio cogeretur, non frustra,* ait, *sum oraturus, & experientia id docebit, quamvis nollem; nec eodem, quo Munzerus, successu Lutherus impugnabitur; preces meas fortiores æstimo ipso diabolo, hoc nisi ita esset, aliter mecum jam dudum actum foret; quanquam nemo magnum Dei in me servando miraculum animadvertere velit.* Hæc postrema, quæ fiduciam viri egregiam indicant, Cochlæus referre supersedit, licet alia, quæ calumniis suis arrodi posse videret, diligenter exscripsisset, Vide *fol. 127.* Quod ab initio fassus est Lutherus, se dure antehac ad Georgium scripsisse, speciatim pertinet ad *epistolam anno 1523.* ad

A. 1525.

(8) *Literæ Lutheri ad Georgium Ducem Saxoniæ, hoc anno.*

A. 1525.

(9) *Refertur etiam betus epistola.*

(10) *Georgii Responsum.*

(11) *Cochlaei errores & acerbitas.*

ad eum datam, de qua dixi *Lib. I. §. CLV.* Ea per errorem repetita est *Tom. VIII. Alt. in append. fol. 964.* adscripto *anno 1525.* quo fortasse recusa fuit. Sive igitur illam sive alias emolliturus nunc erat Lutherus: sed acceptis ejus literis, Georgius satis celeriter, nempe *die Innocentum* id est, 28. Decembr. an. 1525. (quanquam *Tom. III. f. 337.* annus *1526.* vulgari more a Festo natalitio numeretur) & ita respondit, ut iræ memorem fuisse, satis appareat. Summam autem responsionis acerbitatem Cochlæus fortitudini, pietati & constantiæ Principis tribuit, quam Emseri aut similium insaniæ rectius assignasset. Alieno etiam loco responsum id inserit, licet rerum Georgii satis gnarus esset, non multo post enim Emsero successit. Refert autem has literas non solum in *annum 1526.* (quod leve erratum esset) sed & falsissime subjungit, *Lutherum post hanc repulsam ex Georgii literis intellectam, ad blandas illas ad Albertum Cardinalem literas conversum esse*, quæ (ut supra retuli) ante septem menses & ante nuptias Lutheri scriptæ erant, hæ enim Luthero a Rege & Duce vehementissime objiciuntur. Omitto, quod de literis ad Georgium & hujus responso prius agat, quam de Angliæ Rege, cum tamen prius ad hunc, quam ad Georgium Lutherus scripserit, & ab eo responsum acceperit. Ex literis Georgii contumeliosissima quæque idem *Cochlæus* magna cum lætitia & approbatione retulit *d. fol. 127. & seq.* Exprobratur Georgii nomine (scommata enim inania alia prætereo) Luthero, quod Wittenbergæ asylum quoddam constituerit, in quod se monachi & monachæ, ex cœnobiis suæ ditionis fugientes, receperint; quod Hussi & Wiclefi errores defendat, spreta Concilii autoritate; quod aliis, factionis causa sibi sociatis, ad majores errores viam monstraverit; nominatur Carolostadius, & intelligitur etiam Münzerus, quanquam tunc non audeat Dux ei hujus & sociorum crimina tribuere, sed dicat, se credere, quod non omnia, quæ illi egerint, Luthero placeant, sed non multo post etiam hæc illi imputavit; fructus tamen Evangelii ejus pessimos esse jam tum dixit; cavillatur speciatim dictum de divortio fœminæ ob mariti impotentiam concedendo, (hæc calumnia alibi repellitur.) & de seditionibus post doctrinam Lutheri exortis questus, *vereri se ait, si adhuc unum tale Evangelium produxerit, nullum superfuturum esse rusticum*; denique ad revocationem & pœnitentiam eum hortatur, & tunc gratiam suam & intercessionem apud Cæsarem offert. Notari præ cæteris merentur, quæ de scriptis Lutheri, ad quæ is provocaverat, respondet, Cochlæo dissimulata. Ait enim: *Nolumus te celare, scripta tua priora cum ederentur, ex parte satis nobis placuisse.* Wir haben deiner Schrifften erstlich/ da sie ausgangen/ zum Theil guten Gefallen gehabt/ addit: *Nec illubenter audivimus disputationem Lipsiensem; speravimus enim emendationem abusuum inter Christianos.* Apparet hinc, Georgium ex disputatione Lipsiensi aliud didicisse, quam ei Maimburgius tribuit, nec ob illam Luthero multum succensuisse. De his literis Lutherus d. 4. Jan. An. 1526. ad Amsdorfium (*Lib. II. ep. p. 310.*) scribens, hæc habet: *Scripsi ad Ducem Georgium humiles literas & valde sinceras; at ille mihi respondit pro suo ingenio, insign'ter stultas & spirantes rusticam ferocitatem.* Item ad Lincum *p. 292. b.* dein ad Hausmannum d. 10. Jan. 1626. *p. 310. b. Spe quidem bona scripsi Duci Georgio; sed falsus sum, perdidi humilitatem meam, nec respondebo ei quidquam. Nihil moveor ejus mendacio & maledictis. Et cur hunc non ferrem, cum ferre cogar Absolonos meos?* (Carolostadium & Helvetios intelligit, de quibus plura addit.) Germanice extat hæc epistola *Tom. III. Alt. f. 337.* Anno tamen sequenti ad respondendum permoveri se passus est, ut in loco narrabimus.

(12) *Georgius quædam Lutheri probat.*

(13) *Lutheri de Georgii duritie epistola.*

A. 1525.

ADDITIO.

Occasionem rixarum, quas retulimus, dedit concertatio inter Electorem & Georgium Ducem propter *Schneebergenses*, qui in utriusque principis communi erant ditione. Concionabatur enim ibi quidam liberius, quam par esse videbatur, & plebs metallica ad seditionem inclinare dicebatur. Consensit Elector, post multam disceptationem, ut concionator dimitteretur, sed cum alium a Luthero commendatum ei sufficeret, acerbis in Lutherum conviciis Georgius indulsit, damnatum illum a Papa & Cæsare dictitans, multumque questus, quod egressi ex monasteriis, cum orbis Christiani, ut scribebat, scandalo VVittenbergam confugerent. Cum vero Elector die 7. Septembris Lutherum excusaret, & doctrinam ejus non aliter quam quatenus cum Scriptura concordaret, probari sibi diceret, nihilo mitior Georgius die 8. Octobris asperrimis literis libellum Lutheri, quo pœnam de rusticis rebellibus sumendam esse suaserat, nec non præfationem in palinodiam Carolostadii, quem pro atheo declarasset, & jam cum eo conciliationem moliretur, insectatus est: Lutherum plus meruisse ajebat, quam seditiosos ex rusticis qui capite plexi fuerant: peritque, ut Elector in illum, tanquam caput omnis mali & multiplicis delicti reum, animadverteret, neque ramos solum succideret, qui salva radice & stirpe semper repullularent. Eadem & duriora die 19. Octobris repetiit. Reperio (*Reg. H. fol. 3. ℭ. n. 10.*) Johannem Fridericum Ducem, parentis nomine, cum Landgravio per literas consultasse, quomodo Georgio respondendum esset. Is igitur die 3. Decembris ita sensit: Scribendum esse Georgio, nihil magis optasse, neque adhuc cupere Electorem, quam, ut ex utraque parte viri boni & verbi divini periti convenirent, & de controversiis in fide tractarent, approbaturi, quæ verbo Dei & Evangelii conformia essent, & contraria, ea maxime quæ ad turbas & seditiones facerent, rejecturi: testaretur etiam, se Lutheri doctrinam non admittere, nisi quatenus cum verbo Dei congrueret: Lutherum voce & scriptis per totum orbem divulgatis professum, se ad confirmanda ex verbo divino dogmata sua, aut si erroris convinceretur corrigenda, paratum esse, neminem tamen fuisse, qui cum eo in certamen descendere voluerit: longe alia fuisse Munzeri & Pfeifferi dogmata sacræ Scripturæ adversa, & toto cœlo a Lutheri sententia discrepantia, nec nisi ad omnium ordinum confusionem spectasse: hæc contemplantem Electorem, pro pietate & conscientia sua non posse contra Lutherum, antequam ex sacris literis de errore convinceretur, pœnas decernere, aut illum ex sua ditione ejicere. Hunc in modum (quanquam exemplum literarum non inveni) ad Georgium ab Electore & Landgravio conjunctim scriptum esse oportet; hujus enim ad utrumque responsum die 3. Februarii anni sequentis extat, (*Reg. H. fol. 21. ℭ. n. 19.*) durissimum sane; in quo contendit, omnino, eodemque modo, quo Munzerum, opprimendum esse Lutherum, quamvis ferociat, nec id metuere videatur. Sed istæ Georgii iræ & minæ frustra fuerunt, & cum aliis, quæ eodem fervore ab illa parte agebantur, Electorem & Landgravium moverunt, ut de defensione sua tanto impensius cogitarent.

(a) *Georgii Ducis de Luthero querela.*

(b) *Deliberatio, quomodo illi respondendum.*

(c) *A ferocia in Lutherum nihil remittit.*

SECT. 8.

Solatium harum adversitatum eodem tempore habuit, ex mutatione in Hassia facta, ubi in Philippo *Landgravio fortissimum & ferventissimum sectæ suæ patronum adeptus est.* Ces-

De Philippi, Hassi-

A. 1525. *na doctrina. Quid in his capitibus doctrinarum mali est? Expectetis tamen, audiatis & judicetis. Primum, cur damnor, neque auditus neque convictus? Porro, quod abusum & tyrannidem Pontificum reprehendam, interim censibus, pompæ, ventribus, immo regnis & principibus, omniumque opibus inhiantem, nonne idipsum & vulgus sentit & damnat, atque ipsimet coguntur confiteri? Cur non emendant sese, & recte docent, si odio & correptione liberi esse volunt? Videt sane Majestas tua Serenissima, quanti Principes in Germania, quæ Politiæ, deinde, quot viri sapientissimi mecum faciant, &, Deo gratia, non damnari cupiant. Quorum numero utinam Majestatem tuam adscribat, & ab istis animarum tyrannis separet.* Sequitur conclusio, quam etiam Cochlæus retulit: *Quid mirum vero, si Cæsar, & aliquot Principes, in me sæviunt, nonne, ut Psalmus 2. dicit, adversus Dominum & Christum suum fremunt gentes, meditantur populi, conspirant reges terræ, & conveniunt principes? ut mirandum potius sit, si aliquis principum ac regum Evangelio faveat. Huic miraculo in majestate tua, quam opto ex totis medullis aliquando gratulari, & ipse Dominus, quo præsente & volente hæc scribo, cooperetur verbis meis, ut Rex Angliæ brevi fiat perfectus discipulus Christi & Evangelii professor, tum Lutheri clementissimus Dominus. Amen. Responsum, si visum fuerit majestati tuæ, expecto clemens & benignum.* Respondit Rex, ut *Cochlæus d. l. f. 136.* scribit, extemplo; dies tamen literarum non memoratur, licet colligi possit, literas regias *sub finem anni 1525.* ad Lutherum pervenisse, idque ex epistola ad *Linccium p. 292. b.* Testatur enim in hac, *respondisse sibi Regem hostiliter, ut videatur gaudere vindictæ occasione.* Responsum ipsum magna ex parte refert *Cochlæus d. l.* neque acerbius aut hostilius esse potuit. Quo vero animo id tulerit Lutherus, & an *perfrictæ frontis* vituperium a Maimburgio impactum mereatur, judicare ex scripto ejus licebit, paulo post allegando. Unum hic noto, Regem parum constantem fuisse in benevolentia erga Cardinalem Volseium, quam in his literis suis magnifice jactat, eumque adversus Lutherum, qui illum *pestem regni, publicumque odium Dei & hominum* nominaverat, defendit. Notum est ingenium & fatum hominis, post annos quatuor secutum, ex plurimorum Scriptorum testimonio. *Erasmi*, Luthero, illo præsertim tempore, parum æqui, eadem tamen judicantis, *ad Joh. Vergaram Lib. XXVI. epist. 55.* scribentis, hoc est: *Cardinalis Eboracensis sic offendit animum regium, ut, spoliatus bonis & omni dignitate, teneatur, non in carcere, sed in quodam ipsius prædio, adhibitis triginta duntaxat seu famulis seu custodibus. Proferuntur in illum querelæ innumeræ, ut vix existiment effugere posse capitis supplicium. Hic est fortunæ ludus; ex ludimagistro subvectus est ad regnum. Nam plane regnabat verius, quam ipse Rex, metuebatur ab omnibus, amabatur a paucis, ne dicam, a nemine. Paucis ante diebus, quam caperetur, curaverat Richardum Pacæum conjiciendum in carcerem, ac minitabatur etiam meo Archiepiscopo Cantuariensi. Ante ruinam exaltantur spiritus, ait Salomon.* Nec mitius de eo judicat *Pallavicinus Lib. II. cap. XV. §. 2. & 3.* magistrum potius, quam ministrum Regis vocans. Porro, quæ Maimburgius (tot alia ad historiam, quam tractat, magis spectantia omittens) de Bibliorum versione Anglica infarsit, ex *Cochlæo* descripsit, qui hoc sibi ipse tropæum erexit, (*fol. 134.*) futile sane & stramineum. Nam haud multo post Regis auspiciis sacra Scriptura populari lingua populo proposita, effectum illum habuit, qui tunc frustra impediebatur; totumque regnum evangelica doctrina replevit. *Duo millia* vero *erratorum*, de quibus Episcopus Londinensis in versione illa priori declamasse dicitur, ejusdem ponderis fuisse, dubitari non debet, cujus erant, quæ Emserus exsculpsit, de quibus *Libro I. §. CXXVII.* & in *Addit.* dictum est. Quæ de corruptis ab hæreticis Ruperti libris tradit, nisi melioris viri, quam Cochlæi testimonio probentur, non est, ut vera credam.

(4) *Rex Luthero acerbe respondet.*

(5) *Notantur quædam de Volsejo.*

Item (6) *de Bibliis Anglice versis,*

& (7) *de versione Lutheri.*

Quod Lutheri *literas ad Georgium* Ducem Saxoniæ attinet, exhibentur illæ, uti jam notatum est, *d. Tom. III. Alt. f. 302.* & Latine versæ extant *Tom. II. Witt. f. 31. b.* Fatetur in his, *ab initio se, quia eandem methodum Scriptura servat, severe & duriter cum Georgio egisse, orasse tamen Deum, ut mentem ejus sibi faventem reddere velit, multa etiam pie & placide scripsisse, ex quibus appareat, se omnium commoda quærere. Cum vero obstinatum adversus se odium Principis adhuc sentiat, constituisse una adhuc & forte ultima vice humiliter & comiter gratiam ejus implorare; in eo enim esse videri, ut & Dux & ipse brevi forsitan a Deo ad aliam evocentur vitam.* Sperat igitur fore, *ut agnoscat aliquando Dux, quæ severissime Lutherus scripserat, ex meliori animo profecta esse, quam, quæ adulatores in laudem ejus proferant.* Supplex inde petit, *ut a persecutione doctrinæ suæ desistat: se quidem sibi non metuere, qui præter miserrimum corpusculum nil habeat, quod eripi sibi possit, neque plus sibi timendum a Duce esse, quam a Diabolo, cui tamen hucusque Dei gratia restiterit, & ex afflictionibus summum perceperit emolumentum; se de doctrinæ suæ veritate certum esse.* Orat igitur, *ne offendatur Dux intuitu personæ suæ, quam vilem esse concedit, sed ut veritatem respiciat, quam Deus etiam per despectissimos, ut olim per asinam, patefacere possit. Sapientem esse Principem in cæteris, tanto magis se dolere, quod in lapidem hunc scandali, ipsum nempe Christum, certo cum exitio suo impingat.* Veniam inde petit *omnium per quæ dicto vel scripto offenderit, ex doctrina autem sua nihil se mutare posse; omnia tamen remittere & oblivisci velle, quæ a Principe passus sit, & condonationem a Deo precibus suis ei impetraturum. Gavisuros esse omnes angelos in cœlo super Principe, si in hoc uno obsequatur, ut verbum Dei admittat. Non expedire illi, ut contra eum preces fiant, id se huc usque distulisse; sed si pertinaci illius odio cogeretur, non frustra,* ait, *sum oraturus, & experientia id docebit, quamvis nollem; nec eodem, quo Munzerus, successu Lutherus impugnabitur; preces meas fortiores æstimo ipso diabolo, hoc nisi ita esset, aliter mecum jam dudum actum foret; quanquam nemo magnum Dei in me servando miraculum animadvertere velit.* Hæc postrema, quæ fiduciam viri egregiam indicant, Cochlæus referre supersedit, licet alia, quæ calumniis suis arrodi posse videret, diligenter exscripsisset, Vide *fol. 127.* Quod ab initio fassus est Lutherus, se dure antehac ad Georgium scripsisse, speciatim pertinet ad *epistolam anno 1523.* ad

(8) *Literæ Lutheri ad Georgium Ducem Saxoniæ, hoc anno.*

A. 1525.

(9) Refertur etiam vetus epistola.

ad eum datam, de qua dixi *Lib. I. §. CLV.* Ea per errorem repetita est *Tom. VIII. Alt. in append. fol. 964.* adscripto *anno 1525.* quo fortasse recusa fuit. Sive igitur illam sive alias emolliturus nunc erat Lutherus: sed acceptis ejus literis, Georgius satis celeriter, nempe *die Innocentum* id est, 28. Decembr. an. 1525. (quanquam *Tom. III. f. 337.* annus *1526.* vulgari more a Festo natalitio numeretur) & ita respondit, ut iræ memorem fuisse, satis appareat. Summam autem responsionis acerbitatem Cochlæus fortitudini, pietati & constantiæ Principis tribuit, quam Emseri aut similium insaniæ rectius assignasset. Alieno etiam loco responsum id inserit, licet rerum Georgii satis gnarus esset, non multo post enim Emsero successit. Refert autem has literas non solum in *annum 1526.* (quod leve erratum esset) sed & falsissime subjungit, *Lutherum post hanc repulsam ex Georgii literis intellectam, ad blandas illas ad Albertum Cardinalem literas conversum esse*, quæ (ut supra retuli) ante septem menses & ante nuptias Lutheri scriptæ erant, hæ enim Luthero a Rege & Duce vehementissime objiciuntur. Omitto, quod de literis ad Georgium & hujus responso prius agat, quam de Angliæ Rege, cum tamen prius ad hunc, quam ad Georgium Lutherus scripserit, & ab eo responsum acceperit. Ex literis Georgii contumeliosissima quæque idem *Cochlæus* magna cum lætitia & approbatione retulit *d. fol. 127. & seq.* Exprobratur Georgii nomine (scommata enim inania alia prætereo) Luthero, quod Wittenbergæ asylum quoddam constituerit, in quod se monachi & monachæ, ex cœnobiis suæ ditionis fugientes, receperint; quod Hussi & Wiclefi errores defendat, spreta Concilii autoritate; quod aliis, factionis causa sibi sociatis, ad majores errores viam monstraverit; nominatur Carolostadius, & intelligitur etiam Münzerus, quanquam tunc non audeat Dux ei hujus & sociorum crimina tribuere, sed dicat, se credere, quod non omnia, quæ illi egerint, Luthero placeant, sed non multo post etiam hæc illi imputavit; fructus tamen Evangelii ejus pessimos esse jam tum dixit; cavillatur speciatim dictum de divortio fœminæ ob mariti impotentiam concedendo, (hæc calumnia alibi repellitur) & de seditionibus post doctrinam Lutheri exortis questus, *vereri se ait, si adhuc unum tale Evangelium produxerit, nullum superfuturum esse rusticum*; denique ad revocationem & pœnitentiam eum hortatur, & tunc gratiam suam & intercessionem apud Cæsarem offert. Notari præ cæteris merentur, quæ de scriptis Lutheri, ad quæ is provocaverat, respondet, Cochlæo dissimulata. Ait enim: *Nolumus te celare, scripta tua priora cum ederentur, ex parte satis nobis placuisse.* Wir haben deiner Schrifften erstlich/da sie ausgangen/zum Theil guten Gefallen gehabt/ addit: *Nec illubenter audivimus disputationem Lipsiensem; speravimus enim emendationem abusuum inter Christianos.* Apparet hinc, Georgium ex disputatione Lipsiensi aliud didicisse, quam ei Maimburgius tribuit, nec ob illam Luthero multum succensuisse. De his literis Lutherus d. 4. Jan. An. 1526. ad Amsdorfium (*Lib. II. ep. p. 310.*) scribens, hæc habet: *Scripsi ad Ducem Georgium humiles literas & valde sinceras; at ille mihi respondit pro suo ingenio, insigniter stultas & spirantes rusticam ferocitatem.* Item ad Lincum *p. 292. b.* dein ad Hausmannum d. 10. Jan. 1626. *p. 310. b. Spe quidem bona scripsi Duci Georgio; sed falsus sum, perdidi humilitatem meam, nec respondebo ei quidquam. Nihil moveor ejus mendacio & maledictis. Et cur hunc non ferrem, cum ferre cogar Absolonos meos?* (Carolostadium & Helvetios intelligit, de quibus plura addit.) Germanice extat hæc epistola *Tom. III. Alt. f. 337.* Anno tamen sequenti ad respondendum permoveri se passus est, ut in loco narrabimus.

(10) Georgii Responsum.

(11) Cochlæi errores & acerbitas.

(12) Georgius quædam Lutheri probat.

(13) Lutheri de Georgii duritie epistola.

A. 1525.

ADDITIO.

Occasionem rixarum, quas retulimus, dedit concertatio inter Electorem & Georgium Ducem propter *Schneebergenses*, qui in utriusque principis communi erant ditione. Concionabatur enim ibi quidam liberius, quam par esse videbatur, & plebs metallica ad seditionem inclinare dicebatur. Consensit Elector, post multam disceptationem, ut concionator dimitteretur, sed cum alium a Luthero commendatum ei sufficeret, acerbis in Lutherum conviciis Georgius indulsit, damnatum illum a Papa & Cæsare dictitans, multumque questus, quod egressi ex monasteriis, cum orbis Christiani, ut scribebat, scandalo VVittenbergam confugerent. Cum vero Elector die 7. Septembris Lutherum excusaret, & doctrinam ejus non aliter quam quatenus cum Scriptura concordaret, probari sibi diceret, nihilo mitior Georgius die 8. Octobris asperrimis literis libellum Lutheri, quo pœnam de rusticis rebellibus sumendam esse suaserat, nec non præfationem in palinodiam Carolostadii, quem pro atheo declarasset, & jam cum eo conciliationem moliretur, insectatus est: Lutherum plus meruisse ajebat, quam seditiosos ex rusticis qui capite plexi fuerant: petitque, ut Elector in illum, tanquam caput omnis mali & multiplicis delicti reum, animadverteret, neque ramos solum succideret, qui salva radice & stirpe semper repullularent. Eadem & duriora die 19. Octobris repetiit. Reperio (*Reg. H. fol. 3. C. n. 10.*) Johannem Fridericum Ducem, parentis nomine, cum Landgravio per literas consultasse, quomodo Georgio respondendum esset. Is igitur die 3. Decembris ita sensit: Scribendum esse Georgio, nihil magis optasse, neque adhuc cupere Electorem, quam, ut ex utraque parte viri boni & verbi divini periti convenirent, & de controversiis in fide tractarent, approbaturi, quæ verbo Dei & Evangelii conformia essent, & contraria, ea maxime quæ ad turbas & seditiones facerent, rejecturi: testaretur etiam, se Lutheri doctrinam non admittere, nisi quatenus cum verbo Dei congrueret: Lutherum voce & scriptis per totum orbem divulgatis professum, se ad confirmanda ex verbo divino dogmata sua, aut si erroris convinceretur corrigenda, paratum esse, neminem tamen fuisse, qui cum eo in certamen descendere voluerit: longe alia fuisse Munzeri & Pfeifferi dogmata sacræ Scripturæ adversa, & toto cœlo a Lutheri sententia discrepantia, nec nisi ad omnium ordinum confusionem spectasse: hæc contemplantem Electorem, pro pietate & conscientia sua non posse contra Lutherum, antequam ex sacris literis de errore convinceretur, pœnas decernere, aut illum ex sua ditione ejicere. Hunc in modum (quanquam exemplum literarum non inveni) ad Georgium ab Electore & Landgravio conjunctim scriptum esse oportet; hujus enim ad utrumque responsum die 3. Februarii anni sequentis extat, (*Reg. H. fol. 21. E. n. 19.*) durissimum sane; in quo contendit, omnino, eodemque modo, quo Munzerum, opprimendum esse Lutherum, quamvis ferociat, nec id metuere videatur. Sed istæ Georgii iræ & minæ frustra fuerunt, & cum aliis, quæ eodem fervore ab illa parte agebantur, Electorem & Landgravium moverunt, ut de defensione sua tanto impensius cogitarent.

(a) Georgii Ducis de Luthero querela.

(b) Deliberatio, quomodo illi respondendum.

(c) A ferocia in Lutherum nihil remittit.

SECT. 8.

Solatium harum adversitatum eodem tempore habuit, ex mutatione in Hassia facta, ubi in Philippo *Landgravio fortissimum & ferventissimum sectæ suæ patronum adeptus est.* Ces-

De Philippi, Hassiæ

A. 1526. An. 1526.

Cochlæus. Chytr. l. II.

sit hic, post bellum rusticum, persuasionibus Electoris Saxoniæ, amici sui magni, & Lutheranus factus est, frustra renitentibus, & Georgio Saxone socero suo, & Anna Mechelburgica, matre, raræ virtutis matrona, quæ in fide Catholica ad mortem usque perstitit. Dici non potest, quantas hæc Landgravii mutatio factioni Lutheranæ vires addiderit: illa enim Principis hujus audacissimi & violenti fervore & obstinatione erecta, insolentior longe, quam antea erat, evasit; quod in comitiis, quæ sub finem mensis Junii, absente in Hispania Imperatore, Spiræ habita sunt, satis apparuit.

Landgravii accessione ad Lutheranismum.

Cochlæus. Sleid. Lib. 6.

§. XIV.

De *Philippi Hassiæ Landgravii* propensione ad reformationem, & quibusdam ad eam præparamentis *Lib. I. §. CLXIX.* memoratum aliquid fuit. Auctum id ejus studium esse ex amicitia cum Electore Saxoniæ, occasione motuum rusticorum arctius contracta, supra monui. Hoc autem anno 1526. reformationis opus mascule aggressus est, maxime post comitia Spirensia. Versabat interea consilia, & in aula sua conciones evangelicas admittebat. Consuluerat etiam per literas Melanchthonem,[1] cujus aliquam notitiam fortuito congressu adeptus erat. Hujus responsum extat *Lib. III. epist. 16.* sine die & anno. Suadet in eo Principi, ne *ceremonias omnes simul aboleat, id enim contra charitatem & inutiliter fieri: servari itaque* vult *cantiones latinas, tempestive usurpandas, textus dominicales, festorum dierum discrimina, & id genus similia. Missam tamen, seu celebrationem cœnæ Dominicæ, non nisi unam, festis diebus, in singulis parochiis fieri cupit; privatas, quas in monasteriis vel coacti vel conducti, absque communione celebrant, prorsus aboleri; id sperat sine motu fieri posse: cantiones horarum canonicarum (non tamen de Sanctis) ferendas adhuc esse: rixas inter concionatores, non solum Pontificios & Evangelicos, sed & inter hos, sedulo* vult *caveri, esse enim quandoque de lana caprina: doceri publice* desiderat, *non fidem tantum, sed & timorem Dei & charitatem atque obedientiam erga magistratum.* Addit exhortationem, *ut ab armis, Evangelii causa capiendis, abstineat Princeps,* addens: *Certe dissipat Deus gentes, quæ bella volunt; id cœptum est anno superiore in tumultu rustico.* Et hoc copiosius sese scribere, dicit, *quia sciat esse, qui eum, & alios principes, ad subitas mutationes, vel ad vim parandam incitent.* Apparet satis anno 1526. hanc Epistolam datam esse, cum tumultum rusticum memorat, anno præterito dissipatum; de mense vero & die etsi mihi non constet, conjici tamen potest, ante autumnum scripsisse Melanchthonem, prius nempe, quam Landgravius, finitis comitiis Spirensibus, conventum pastorum & cleri in suis ditionibus d. 21. Octobr. Homburgi, quod Hassiæ oppidum est, habuisset,[2] & de reformatione solenniter decrevisset. Usus autem est Princeps insigni opera *Francisci Lamperti,*[3] Avenionensis Galli, qui Wittenbergam anno 1523. mense Januario venerat. Meretur Lutheri elogium adscribi, quod illi ultro in epistola ad Spalatinum *Lib. II. p. 121.* tribuit. *Adest Johannes ille Serranus, vero nomine Franciscus Lampertus, imaginibus quoque nobilis, inter Minoritas viginti annos versatus, & generali verbi* (forte legendum est: *Generalis*) *officio functus, ob persecutionem exul, & pauper factus. De integritate viri nulla est dubitatio: testes sunt apud nos, qui illum & in Francia & in Basilea audierunt, tum Basileensis suffraganeus ille Tripolitanus, cum Pellicano, dant illi pulchrum testimonium. Et quanquam nos abundemus Lectoribus optimis, tamen, si quid poterit, non abjiciemus: mihi per omnia placet vir, & satis spectatus mihi est, quantum homo spectari potest, ut dignus sit, quem in exilio paululum feramus & juvemus. Sed tu meam nosti facultatem, ut non sit opis meæ illum alere, qui ipse alienis vivo: videretur mihi Principi persuadendum, ut jam non perdat, sed in charitate Christo fœneret viginti aut triginta florenos, in eum collocandos, dom[illegible]la suis tribulibus, vel proprio stipendio sese sustentet de labore suo.* Extat & *præfatio* ejus in editam a Lamperto *Minoritarum regulam*, Lib. II. *Epistolar.* p. 128. b. De eodem, *mense Augusto*, ad eundem Spalatinum scribit, *Tigurum abiturum esse, ut Galliæ propior sit, & viaticum pro eo apud Fridericum Electorem procurandum* petit. Scripserat tamen *Lampertus* Wittenbergæ & Electori dedicaverat, teste *Chytræo Lib. XII. fol. 346. enarrationes in prophetas aliquos, in Canticum Salomonis & historiam Lucæ*; dein *Landgravio* (ita pergit Chytræus) *ut vir pietate, ingenio & doctrina præstans, qui & contradicentes convincere, & os illis obturare posset,* commendatus fuit. Is igitur themata composuit,[4] quibus veræ doctrinæ summa, & repugnantium illi errorum & abusuum pontificiorum castigationes comprehendebantur. Ea contra pontificios, ex omnibus cœnobiis & collegiis congregatos, defendit, præsente Principe, & per Cancellarium omnibus liberam disputandi potestatem faciente. *Adamus Crastius*, sive *Crato* Fuldensis, themata Germanice, iis, qui id vellent, interpretabatur. Inter adversarios præcipuus erat *Nicolaus* ille *Ferberus*, a patria *Herborn* dictus, cujus *dicto loco Lib. I.* mentionem feci, Guardianus Franciscanorum Marpurgensium, & quidam *Joh. Sperberus*: qui in disputatione confusi, (ex aliis enim nemo contradicebat) postmodum deserta Hassia, alio se receperunt. *Theses Lamperti* integras exhibet *Scultetus in An. 1526. p. 14. & seqq.* Constant *capitibus XXIII.* Ex iis saltem adscribam, quæ ad controversias Protestantium, ut ita dicam, intestinas, pertinere videntur. *Tit. VIII.* Missa in Sacrificium commutata rejicitur. Thesis ejus septima hæc est: *In Eucharistia visibiles substantiæ, ejus, qui invisibiliter adest, signa sunt.* Thes. octava: *In ea etiam Christum, Deum & hominem, non nostra autoritate, aut aliquot votum adjuratione, (ut de nobis quidam obloquuntur) sed suo decetto (quod est ipsissimum verbum suum) præsentem adoramus. Titulo X.* thes. I. *Statuæ sive imagines licite habentur, si nullus omnino cultus iisdem exhibetur,* th. 2. *ubi autem coluntur, exterminandæ s[unt]* th. 3. exemplum *ænei serpentis, ab Ezechia abla[ti]* legatur, & th. 4. statuitur. *Cultus imaginum ipsissima idololatria est.* In reliquis etiam omnibus doctrina Lutheri nervose & diserte proponitur. ita *Tit. XXII.* de fide & justitia &c. th. 1. *Fide, non historica sola, sed qua Deo credimus, & vere fidimus, justificamur, non ullis operibus, etiam legis Dei.* th. 3. *Fides nunquam est inefficax, sed facit, ut sponte Lex Dei servetur &c.* A disputatione illa, sic referente *Sculteto*, Landgravius e monasteriis & cœnobiis mona-

(1) Melanchthonis ad Landgravium de reformatione consilium.

(2) Conventus Homburgensis.

(3) Francisci Lamperti opera in reformatione Landgravio præstita.

(4) Theses ejus, & disputat[io] c[ontra] [adv]ersarios.

An. 1526.

(5) *Marpurgensis Academiæ fundatio.*

monachos & monachas exire jussit, reditus monasteriorum ad Academiam Marpurgensem, & ad quatuor Nosocomia transtulit, idola e templis ejecit, Ecclesiis singulis fidos pastores præfecit, *Adamo Cratoni* (docendis & regendis Ecclesiis, quam scholis, ut Chytræus notat, aptiori) doctrinæ & rituum inspectio tradita est. *Lampertus* annis gravis, in nova, quæ anno 1527. Marpurgi fundata fuit, Academia, Theologiam professus anno 1530. decessit. Cæteri Professores a *Chytræo* nominantur *d. fol. 346.* quorum notissimi sunt, *Erhardus Snepfius* de quo *Lib. I. Add. ad §. LXXXIX.* dictum est, & *Gerhardus Noviomagus*, Theologi: *Euricius Cordus*, & postea *Eobanus*; ille *Simeshusæ*, hic *Francobergæ* in Hassia natus, *Hermannus* item *Buschius*, nobilis Westphalus, Poetæ & Oratores.

An. 1526.

SECT. 9.

(1) Narratio de Comitiis Spirensibus.

Cum enim in cæteris Imperii conventibus, etiam illi Principes, qui Luthero adhærebant, quoad externa conformi cum reliquis modo egissent, nec quidquam legibus Ecclesiæ adversans publice ausi essent, Landgravius, qui Ducem Saxoniæ omnimodo regebat, una cum hoc liberum religionis suæ exercitium statim affectavit, ita, ut, dum reliqui Principes & Episcopi cultui divino in Ecclesia cathedrali assisterent, hi in vestibulo palatii sui publice conciones haberi, & missam ritu Lutherano cantari fecerint; accurrente turmatim populo, novitatis, quam semper amat, studio, & quod insanis contra Papam & Episcopos declamationibus improbe gauderet. Etiam id adfectatum fuit, ut diebus Veneris & Saturni jejunio dicatis, ad ludibrium Ecclesiæ Catholicæ, carnes in mensis principum palam præberentur. Domestici autem eorum, qui semper de puro verbo Dei sermones speciose serere solebant, acupictas in manicarum fimbriis quinque has literas majusculas: V.D.M.I.Æ. *ut ab aliis distinguerentur, gerebant, quæ significant:* Verbum Domini Manet In Æternum. *Spargebant quoque durantibus Comitiis, in vulgus parvos Lutheri libellos, lingua populari, qui odium veteris religionis spirabant, & ad novam illiciebant. Id multum nocuit, nec paucorum animos pervertit. Ferdinandus tamen Archidux, Cæsaris nomine comitiis præsidens, periculosis hisce novitatibus sese opponere minime audebat, motus noxios metuens, & ne conventus abrumperetur. Satius tamen fuisset, id fieri, quia contrarium plane decretum fuit, quam pro bono religionis & imperii propositum fuerat. Duo Archidux, Imperatoris nomine, postulabat: primum, ut antiqua religio, observato edicto Wormatiensi, retineretur; alterum, ut auxilia Ludovico Hungariæ Regi ferrentur, cujus ditiones Solimannus omnibus viribus invadebat. Quoad primum, tantum abfuit, ut obtineri posset, ut potius Dux Saxoniæ & Landgravius, junctis sibi liberarum Civitatum deputatis prævalidi, leges, omnibus ecclesiasticis statutis plane contrarias, flagitarent. Ne igitur jam tum ad bellum civile veniretur, decretum condi oportuit, quo, cedentibus paulo sibi invicem partibus, dicebatur, rogandum esse decenter Imperatorem, ut ad decidendas de religione controversias concilium generale, aut saltem Germanicæ nationis intra annum habendum procuraret; interea, dum id expectaretur, unusquisque in sua ditione ita sese gereret, ut rationem Deo & Imperatori reddere posset. Et hæc ipsa erat libertas conscientiæ, quam Lutherani in his comitiis obtinere studebant. Dum vero de auxiliis Hungaricis deliberabant, neque quidquam concludi poterat, quia Principes ob religionem divisi, non nisi de se invicem, & contra alios, per fœdera, firmandis tutandisque solliciti erant, deficientibus suppetiis, perire interim miserabiliter passi sunt Ludovicum Regem, fortissimum juvenem. Perdidit enim victoriam & vitam, d. 29. August. in campis Mohadicis, dum, cæso penitus exercitu suo, salutem fuga quæreret, & equo in paludes delatus, armorum pondere submergeretur. Hic effectus fuit infaustæ dissensionis inter Germaniæ Principes, ob hæresin Lutheri ortæ, quo tempore etiam alia inter Pontificem & Imperatorem, diversis tamen a religione respectibus, enata, in causa fuit, ut Lutherani, unitis utriusque potentiæ viribus minime pares alias futuri, de ipsa religione, ut ita dicam, triumpharent, cum in urbe Roma, ab impiis his capta & desolata, horrendo sacrilegio sanctissima mysteria profanarentur, ut jam narrabitur.*

(2) de clade Regis Hungariæ.

§. XV.

(1) *Notatur Maimburgius & Cochlæus, & accuratius tractatur historia Comitiorum Spirensium.*

Isthæc quidem omnia ex *Cochlæo* crude exscripta sunt, sola transitio ingenii est Maimburgiani. Divinæ autem potius gubernationi, quam unius Principis consiliis acceptum ferri debet, quicquid tunc pro evangelicæ doctrinæ libertate & pace publica obtentum fuit. Si vero de occasionibus dicendum sit, haud crediderim, propiorem inveniri, quam bellum internecinum, quod inter Hispanos & Gallos, non sine magna & multiplici Clementis VII. pontificis culpa, gerebatur. Eo enim distractus Cæsar, &, capto licet hoste suo, Francisco rege in magna hærens dubitatione, & lupum quasi auribus tenens, Germaniæ res curare non poterat. Eaque etiam longe verior acceptæ in Hungaria cladis a Turcis causa fuit, quam quæ, Cochlæo præeunte, a Maimburgio Lutheranismo imputatur. Sane, qui non nisi Cochlæum & Maimburgium, ejus exscriptorem, legit, in eam facile adduci potest opinionem, nihil plane Hungariæ causa in comitiis decretum fuisse. In quo quidem nequior est Cochlæus, qui ignorare id non potuit. Neque tamen Maimburgius culpa caret, qui isti sycophantæ soli credidit, &, quod ille

A. 1526. ille astute dissimulavit, ipse inconsiderate, ad gravandos principes Evangelio studentes, pronunciavit, *nihil conclusum esse in causa Hungarica.* Neque magis verum est, quod scribit, *duo* propositionis comitialis puncta fuisse; *primum* nempe de veteri religione tuenda, *alterum* de auxilio Regi Hungariæ ferendo. Aliud docuissent eum acta comitialia, si ea potius, quam Cochlæi nænias consulere, aut saltem Sleidanum, quem tamen allegat, inspicere voluisset, qui omnia fideliter exposuit. Res, ut, quæ huc pertinent, repetamus, ita se habet: Carolus Cæsar anno superiori 1525. in Hispania absens, *Ferdinando* fratri, Locum-tenenti suo in Germania, ut & *Wilhelmo* Bavaro, *Casimiro* Brandenburgico, *Philippo* Badensi, & *Erico* Brunsuicensi, principibus, mandaverat, ut comitia, die Michaelis, Augustæ Vindelicorum haberent; spe facta, se ipsum eo venturum esse, additisque excusationibus, quibus suspicionem neglectæ Germaniæ declinabat. Sed non magna diligentia in hoc ipso negotio adhibita fuit, quia literæ Cæsareæ d. 24. Maji datæ, non prius, quam d. 13. Augusti in Germaniam pervenerunt: itaque comitia mense demum *Novembri* Augustæ cœpta sunt. Sed non nisi unus ex Principibus ecclesiastici ordinis, *Tridentinus* nempe Episcopus, tum Electorum & paucorum Principum legati comparuerunt. Eorum consensu prorogata ad *Calendas Maji* proximas comitia fuerunt, Spiræ celebranda; de religione repetitum fuit decretum Norimbergense, & cautum, ut interea Principes status civilis, & ecclesiastici curam gererent, ut in ditionibus suis sanctum Evangelium & verbum Dei, secundum verum sensum & interpretationem receptorum ab universali Ecclesia christiana doctorum, absque tumultu & scandalo, ad gloriam Dei, & ad pacem & concordiam, prædicaretur, & concionatores de hoc admonerentur; Cæsar vero de promovenda Concilii convocatione requireretur. Quoad politica statutum nihil est, quam, ut Principes & Status vires pararent, & instructi essent, ad tumultus subditorum, si qui denuo orirentur, opprimendos; dein ut subditi, licet ob crimen rebellionis intestabiles & infames facti esse viderentur, ad judicum tamen & testium munera & officia, aliosque actus legitimos, iterum admitterentur, quia jam in gratiam a dominis suis essent recepti. Extat *Recessus* iste inter alios suo loco, & annum 1525. sed diem nullum adscriptum habet.

(2) *Cæsaris litera & mandata.*

(3) *Acta in comitiis Augustæ.*

ADDITIO I.

Comitiorum indictionem, jam ab initio hujus anni, motus rustici periculum postulare omnino videbatur, eamque, absente Cæsare, intendebant Ferdinandus frater, & Regimentum Eslingense; sed conveniendi tempus ereptum est, dum res ad arma erumperet. Prostratis inde magna ex parte rebellibus, diversa erant principum judicia & consilia. Qui Romanæ religioni tenaciter adhærebant, causam mali Luthero & doctrinæ ejus palam imputabant, &, radicem extirpandam esse, clamabant. Præcipui inter hos *Albertus* Moguntinus, *Joachimus* Brandenburgicus, Electores, *Henricus* Brunsuicensis, cum patruo *Erico* Dessaviæ convenerant, aperte satis animum denudantes. Auxit suspicionem Georgius, Landgravio genero, amicum congressum desideranti, haud placide respondens, & causatus, omnes in religione innovationes prius tollendas esse. Ex adverso Elector Saxo, & Landgravius culpam tumultus ad illos rejiciebant, qui evangelicæ doctrinæ prædicationem subditis denegassent. Erant, qui mediam viam & pacem quærere videbantur: *Ludovicus*, puta, Elector Palatinus, *Casimirus*, Marchio Brandenburgicus, & alii. Varii inde conventus hoc anno inter principes habiti sunt; Casimirus cum fratre Georgio Fridericum Palatinum, Electoris fratrem, Auerbachii in Nariscis convenit, & Landgravium Salfeldæ, Electorem itidem Coburgi. Salfeldæ statuerunt: Sie wollen sich in allem / das die ehre GOttes belanget / als Christliche Fürsten erzeigen / und so viel GOtt gnade verleihet / darzu fördern helffen / was dem göttlichen Wort und dem heiligen Evangelio gemäß / dadurch uns die wahre rechtfertigung GOttes aus dem Glauben / durch die Verheissung in Christum unsern Erlöser und Seeligmacher ausserhalb unserer wercke und ceremonien / Gott sey in ewigkeit danck und lob / nun wiederum offenbahr worden ist. Id est, *Se ut Christianos principes decet, per Dei gratiam omnia promoturos esse, quæ ad gloriam Dei pertinerent, ejusque verbo & sancto Evangelio conformia essent: per hoc enim nunc iterum manifestatam esse veram justificationem, ex gratia Dei per fidem in Jesum Christum, absque operibus & ceremoniis nostris: pro hoc beneficio æternas gratias Deo deberi agnoscunt.* Istæc omnia Georgio Duci per literas significata sunt, non fine insectatione conventus Dessaviensis. Civitates etiam Ulmæ convenerunt. Offenderat omnes durities *edicti Cæsarei* Toleti 24. Maji dati, quo Principes & Ordines ad comitia Augustæ Kal. Oct. habenda citabantur; aperte enim exstirpatio Lutheranæ hæresis & executio edicti VVormatiensis intentabatur; quamvis paulo mitioribus literis Elector Saxoniæ, ut ipse in comitiis compareret, invitaretur. Eundem *Regimentum Eslingense* vocabat, ut ipse adesset sicut constitutio Regimenti poscebat. Sed monitus est a Delegato suo *Philippo Feilitschio*, ut sibi caveret; iniquis enim delationibus apud Cæsarem & Ferdinandum gravatum esse, & speciatim improbari, quæ cum Mülhusinis, socio quidem Georgio Duce & Landgravio, egerat. Appropinquante comitiorum termino, quæ tamen ad 11. Novembris prorogata fuerant, Landgravius Cameræ suæ præfectum, *Rudolfum a VVaiblingen*, ad Electorem misit, testans, se quidem Lutheri dogmata eatenus saltem probare, quatenus cum verbo Dei convenirent, nimium tamen Cæsarei scripti rigorem esse, & id agi, ut bona & mala promiscue exscinderentur, & plebs ad novam seditionem impelleretur; sibi itaque inconsultum videri, ut ad comitia hoc modo indicta iretur, nisi remedium periculo per consilia moderatiora quæri posset. Non displicuere illa Electori, conventumque est, ut sui loco filius Joh. Fridericus d. 7. Novembris cum Landgravio, *Fridewaldæ* (arx est Hassiæ in Thuringiæ finibus) congrederetur. Deliberatum ibi est de societate cum bene affectis ineunda. Respiciebant Electores Trevirensem & Palatinum, Marchiones Brandenburgicos in Franconia, Duces Luneburgenses, Pomeranos, Meckelburgicos, Principes Anhaltinos & Hennebergicos, Comites plerosque, & Nobilitatem Imperii, cum Civitates, & inter has maxime Norimbergam, Argentoratum, Augustam, Ulmam, & Magdeburgum. His sibi adjunctis, Ferdinando expposituri erant, minime expedire, ut executio VVormatiensis edicti urgeretur; fore enim, ut denuo in pejorem tumultum populus rueret, consultandum potius esse de stabilienda doctrina. Eadem civitatum præcipuarum sententia erat, ut ex literis *Georgii Roreri*, Secretarii Norimbergensis, d. 8. Novembris datis, percipitur, qui etiam scribit, Ferdinandum ipsum nuper hoc agnovisse & consensisse, ut de pace in religione ageretur, & Principes ad comitia Theologos suos adducerent. Fovebat hæc consilia Elector Palatinus, Trevirensis etiam, sed tectius. Mandata inde uniformiter Saxonis & Hessi nomine concepta sunt, Legatis ad comitia danda, inter quos Johanni a Minkwiz plurimum tribuebat Landgravius. Jubebantur nimirum de rigore indictionis Cæsareæ conqueri, & indicare, motum nuperum rusticorum, quem principes cum vitæ suæ periculo oppressissent, istiusmodi intempestivæ severitati imputandum esse; veritatem divinam ex hominum mentibus vi eripi non posse; secutura esse graviora mala, & simul verbo divino contumeliam inferri: observandum esse recessum Norimbergensem, & causam, quæ ad salutem animarum pertineret, ita tractandam, ne ex malo præsenti gravius & deterius emergeret. Differenda etiam comitia esse monebant, & alio loco habenda, Sueviæ enim rusticis nondum fidi posse: Denique VVormatiensis edicti executionem prorsus improbabant. His igitur consiliis, quibus moderatiores omnes accedebant, effectum est,

An. 1526.

(a) *Consensus ob fœderis pro defensione religionis.*

(b) *Fœdus Electoris Saxoniæ & Landgravii cum quibusdam aliis.*

(c) *Legatorum ad Comitia instructio.*

A. 1526.

est, ut Recessus comitiorum Augustanorum, de quo §. *hoc XV.* egi, tam leniter conscriberetur, omissis omnibus asperioribus. Dies ejus in codice typis vulgato omissus, ad sequentis anni initium referendus est, nempe ad 9. Januarii 1526. Patet id ex *Archivo Vin.* (*Reg. H. fol. 2. Lit. B. & Reg. E. fol. 28.*) ex quibus omnia depromsi, quæ hic exhibeo. Quæ de motu novi tumultus rusticorum afferebantur, non prorsus vana erant. Extant enim Landgravii literæ ad Electorem d. 13. Decembris 1525. datæ, in quibus de concionatoribus quibusdam in Thuringia, sub Electoris ditione, queritur, qui cum ignominia & detrimento evangelicæ doctrinæ ad licentiam carnis, novosque motus plebem concitarent, suadetque, ut uno aut altero (eine hand oder zwey voll Fleisch) punito, clades provinciarum præcaveretur. Supererant scilicet Munzeriani spiritus reliquiæ, quas extinguere curæ fuit principibus. Patet hinc futilitas calumniæ de bello rustico principibus imputato, quanquam etiam postea renovata fuit. Tunc certe Ferdinandus, quæ a Principibus proponebantur placide admisit, & adversarii æmulique omnes de veritate dictorum satis convicti fuerunt. Instantibus comitiis, & animadversa, qua laborabat, invidia, Elector Saxonicus, causam religionis, & quæ huc usque ad eam reformandam & frater ejus Fridericus & ipse fecerat, in deliberationem haud immerito vocavit. Extat in actis comitiorum 1525. (*Reg. E. fol. 37.*) MS. Germanicum *Philippi Melanchthonis*, in quo duæ quæstiones examinantur. Primum ita concepit: *Num recte factum sit, quod doctrinam hanc prædicaverimus & receperimus & abusus omiserimus, antequam Episcopi & Prælati id permisissent; an hoc neglecto schismatis culpam contraxerimus? Cum enim* (ait) *doctrinam ipsam reprehendere non possint, opprimendi nos prætextum quærunt, quod, nefas fuisse, dicant, absque Episcoporum autoritate hac in re agere. Hoc probare volunt* (1) *quia Episcopi ordinariam habent potestatem, extra quam nemo in Ecclesia aliquid statuere debet.* (2) *Missa, vota monastica, & alia tot seculis in usu fuerunt; Ecclesia autem non potest errare, ergo non fuere abroganda.* (3) *Melior est obedientia, quam victima; debuisset igitur obsequium præstari.* (4) *Charitas exegisset, ut infirmitas toleraretur.* (5) *Belli periculum, quod ex inobedientia metuendum est, caveri debuisset.* Sed his non obstantibus, statuit, recte coram Deo & pro conscientia factam esse mutationem, his argumentis. (1) *Ministri verbi divini obligati sunt ad docendum caput fidei primarium, de fide in Christum, neque hoc omittere aut celare debent, nisi contra præceptum Christi Matth. X. 32. peccare velint:* Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est; *& servandum est dictum Davidis:* Credidi, propter quod locutus sum; *& hoc est sacrificium laudis. Atqui certum est, olim non recte propositam fuisse hanc doctrinam, & homines a Christo ad opera sua ablegatos fuisse, monachos vero & clerum excogitasse novos & falsos cultus, vota, missas, invocationes Sanctorum, quibus se & alios, pro quibus opera illa fierent, salvare voluerunt. Hos errores pro conscientia arguere debuerunt concionatores. Ezech. XXXIII. 8. Secundo præcepto decalogi idem manifeste urgetur, quo falsa doctrina prohibetur. Falsæ autem doctrinæ fuerunt* (quas recenset) *de merito operum & satisfactione nostra, de missæ fructu aliis applicando, de vita monastica baptismo æquiparanda, de sanctis invocandis, deque merito eorum, quod nobis sicut meritum Christi proficiat. Hæc vero,* ait, *sunt blasphemiæ manifestæ, quas notorie docuerunt. Accedunt abusus alii in vita cleri, &, quod Papa & Episcopi negligant officium suum, reges se super Cæsarem & Principes constituunt, abutuntur bonis Ecclesiæ ad tyrannidem, & in his omnibus nomen Christi prætexunt. Ista omnia sine violatione secundi præcepti approbari non possunt, itaque obligati fuere concionatores nostri, ut hos abusus redarguerent.* Ad argumenta opposita respondet: *Concessa licet* (1) *Episcoporum potestate, pastoribus tamen & concionatoribus non minus ex vocatione ordinaria incubuit, ut vera docerent, maxime, si Episcopi id non faciant. Admonuerunt autem prædicatores nostri scripto & voce Episcopos, sed frustra; imo persecutiones sibi attraxerunt. Non magis igitur expectare jussa Episcoporum debuerunt, ac Christus & Apostoli mandata Annæ & Caiphæ. Locus*

(d) *Novus motus rusticæ seditionis.*

(e) *Melanchthonis defensio reformationis.*

cus hic est dicto Apostolorum: Obediendum est magis Deo, quam hominibus. (2) *Negamus, Papam & clerum esse Ecclesiam; licet enim inter illos sint membra Ecclesiæ, quæ nempe erroribus non consentiunt, Ecclesia tamen constat ex iis, qui verbum Dei habent, & per id mundati sunt, Eph. V. 26. nullique alii sunt Ecclesia. Spiritus S. etiam cavere nos jussit, ne pro Ecclesia habeamus Papam & clerum; prædixit enim per Paulum* fore, ut Anti-Christus in templo Dei sedeat, *id est, in Ecclesia,* ejusque nomen assumat, *neque tamen est Ecclesia, licet eam subjectam sibi habeat. Non deficimus ergo ab Ecclesia, si AntiChristi errores arguimus; sentimus enim eadem, quæ senserunt, qui sub ejus tyrannide vixerunt, etsi in quibusdam capitibus tam liquidam notitiam, ut nos, non habuerint; nam etiam veri Christiani defectus habent, & orare debent:* Dimitte nobis debita nostra. *Multi sæpe errores Pontificum indicarunt, & tamen fuerunt sub illa, & manserunt Ecclesia, licet Papa & clerus in manifestis viverent erroribus & criminibus. Nec refert, quod nos circa externa quædam, v. g. jejunia & alia ejusmodi, diversum ab illis servamus, qui veri olim Christiani fuerunt; talia enim ad unitatem non sunt necessaria, imo si pro necessariis venditentur, verbo & opere contra nitendum est.* (3) *Inobedientiæ & motuum causam non dederunt concionatores nostri, sed Papa & Episcopi, qui nos persecuti sunt, & excommunicarunt, obsequiumque nostrum rejecerunt, nisi verbum Dei negaverimus. Dictum de obedientia huc non pertinet; exigitur enim obedientia Deo debita, & improbantur victimæ, quæ ex arbitrio humano fiebant, neglecto obsequio, quod voci divinæ debetur, hoc enim 1. Sam. XV. 22. expresse urgetur.* (4) *Charitas erga infirmos impertinenter allegatur: infirmi enim non sunt Papistæ, neque errores eorum cum fide consistunt, ut sit in infirmis, quos Paulus jubet instrui. Sed Papa & Episcopi adversarii facti sunt, imo persecutores & tyranni, nullam admittentes instructionem, ideoque illis omnino contradicendum est.* (5) *Belli culpa non est imputanda Evangelio, sed iis, qui bella adversus illud movent.* Latius hæc deducit ex dictis Christi, & exemplis Judaicæ & Christianæ Ecclesiæ; & caput doctrinæ de merito Christi, remotis operibus hominum, tanti ponderis esse monstrat, ut propter id persecutiones & turbas ferre debeamus. Repetit inde, quod asseruerat & probaverat, & ab objectionibus vindicaverat; nempe *omnino obligatos fuisse concionatores, ut veritatem docerent, & populum, ut illam audiret, & acciperet; dictum enim esse:* Hunc, (*Christum, non Papam aut Episcopos, imo ne Angelos quidem, aliud prædicantes*) audite. Alteram quæstionem ita format: *An Principes recte fecerint, quod non solum ipsi doctrinam acceperint, sed & abusuum abrogationem fieri permiserint, & in collegiis & monasteriis tolerare eos noluerint?* Respondet, *ex supra dictis demonstratum esse, recte fecisse Principes, quod ipsi doctrinæ assenserint. Sequitur itaque* (ait) *quod non minus recte permiserint, ut clerici abusus suos ipsi abrogarent. Quomodo enim Principibus licuisset, eos, qui reformarent, expellere, aut interficere, si doctrinam eorum pro legitima agnoverint. Imo etsi dubitaverint, orthodoxane essent, an non, quæ docebant; in dubio tamen non debuissent persequi concionatores, multo minus fas fuisset, reclamante conscientia, veritatem infestare; neque obligati fuerunt, ut Cæsaris & procerum edicta de persequenda hac doctrina exequerentur, non magis, ac Jonathan Davidem, aut Abdias Prophetas necare jussi. Ideoque Schismatici vocari non debent Principes, quia nihil fecerunt, quam id, ad quod præcepto Dei compulsi fuerunt, neque hostilem aut petulantem separationem commiserunt.* Hæc etsi magna cum simplicitate dicta esse videantur, tam solida tamen sunt, tamque perspicua & apposita, ut, si quid judico, omnibus æqua admittentibus satisfacere, & conscientiam nunc non minus, quam tunc tranquillare possint. Compendium sane hoc veluti est omnium argumentorum, quibus reformatio a schismatis culpa vindicatur. Qui igitur his lectis & expensis nihilominus condemnare eam vult, & in sola Pontificis autoritate, quæ Ecclesiæ titulum arripuit, acquiescere, aut vetustate & temporis præscriptione sese tueri, cum illo non est ut amplius disputetur. Ex hac etiam dissertatione paucis colligi potest, quod ex historia, quam tracto, latius deduco, quam moderate & caute processerint Electores Saxonici, primi & potissimi refor-

An. 1526.

(f) *Expenditur reformationis processus sub*

An 1526. *Friderico & Johanne Electoribus.*

reformationis patroni, *Fridericus* & *Johannes.* Primo de abusibus satis certi, & ex ipsius Pontificis Adriani confessione aliquatenus confirmati, Luthero & sociis permiserunt, ut sententiam suam publice proponerent. Secundo aliquot annis judicium & assensum suum suspenderunt. Tertio Lutherum ad publicam doctrinæ suæ professionem sistendum curarunt, Augustæ & VVormatiæ. Quarto cum probabilia viderentur, quæ doceret, neque refelli tanta cum evidentia possent, ut conscientiæ Principum satisfieret, noluerunt vi cum eo agere, neque rigidis illis præceptis Pontificum & Cæsaris indiscrete parere, quod animadverterent, illos in propria causa judicare, hunc indebitum illis obsequium præstare. Quinto, plurium ex clero & maximæ partis populi assensum in causa, quæ singulorum salutem attinet, expectarunt. Sexto reformationis initium in omittendis, qui arguebantur, ritibus, non ipsi fecerunt, sed Luthero aliisque permiserunt; ne vi egisse, & conscientiis hominum imperasse viderentur. Septimo denique cum consensum cleri & populi in provinciis suis deprehenderent, & in conscientia sua jam satis firmi & certi essent, ut etiam cum vitæ, dignitatis, & opum periculo (ut loquentem paulo ante percepimus Joh. Fridericum Ducem) ad tuendam illam moveri se sentirent; tum demum autoritatem suam ministerio Ecclesiæ & desideriis populi accommodarunt, & institutis visitationibus, externum ordinem debitamque disciplinam pro viribus publice instituerunt, de qua postea in Comitiis Augustanis respondere coram Cæsare totiusque Imperii consessu non sunt veriti. Eodem tempore Augustanorum Comitiorum, de quibus agimus, compositum est a quibusdam, quorum nomina non invenio (vocant se *amantes ecclesiastici & politici boni publici*, Liebhaber des geistlichen und zeitlichen gemeinen nutzens) consilium de bonis Ecclesiasticis, illis maxime quæ immediata vocantur, & non subsunt Principum superioritati. Proponunt autem in singulis Imperii circulis, quorum sex antiquiori more numerant, præsidem seu Capitaneum, einen Hauptmann, eligendum esse, a Cæsare confirmandum, cui duodecim consiliarii adjungendi sint ex Principibus, Comitibus, Nobilitate & Civitatibus, pari numero deligendi, & juramento ad fidem & industriam adstringendi, ad exemplum Consiliariorum Suevici fœderis. His committendum esse, ut omnes reditus ecclesiasticos colligant & recipiant; & ex iis quidem omnibus beneficiatis, speciatim Canonicis, quoad vixerint, tantum præbeant, quantum hucusque perceperint, decedentibus vero nullos alios surrogari sinant, sed reditus sequentem in modum impendant. (1) Salaria pastoribus & concionatoribus præbeant. (2) Episcopum unum spectatæ doctrinæ & pietatis virum in quolibet circulo constituant, nulli politico negotio implicandum, sed officio suo ecclesiastico solummodo intentum. (3) Academiam itidem in quolibet circulo erigant. (4) Duo aut tria virginum cœnobia cum libertate egrediendi & nubendi ordinent. (5) Quod superfuerit, ad milites alendos impendant, ex nobilitate & populo cujusque circuli legendos, qui Cæsari & Imperio perpetuo serviant; unde tantum ex Germania robur Cæsari accessurum esset, quale nullus a Christo nato habuerit. Illum etiam circuli Præsidem cum Assessoribus suis judicem omnium causarum inter Ordines circuli esse volunt, salva appellatione ad Cameram Imperialem. Hoc consilium in *Actis Eslingensis conventus* reperitur, *d. Reg. Q. fol. 32.* sed nullum deprehendi vestigium, quod id publice propositum fuerit. Difficultates maximas habuisse, satis patet.

(g) *Consilium quorundam de usu bonorum ecclesiasticorum.*

Anno igitur 1526. finitis, aut solutis potius, comitiis Augustanis, & perspecta in iis Ecclesiasticorum Principum elata, post cladem rusticorum, mente, famaque de eorum fœdere adversus evangelici dogmatis fautores inito, late sparsa, excitati, Elector Saxoniæ & Landgravius Hassiæ, ineunte hoc anno 1526. Norimbergensem Senatum rogarunt, ut legatos *Torgaviam* mitteret, quibuscum de conjunctione consiliorum, ante instantia Spirensia comitia, in causa religionis tractari posset. Licet autem Senatus legatos Gotham miserit, & ore atque scripto d. 15. Febr. apud utrumque Principem, (quod *Hortled. Tom. I. lib. VIII. c. 1.* exhibet,) non contemnendis rationibus sese excusasset, magnam cæteroquin constantiam in religione testatus, Principes tamen *die Mercurii post Cantate* (d. 4. Maji) fœdus defensivum, Ecclesiasticis oppositum, inter se pacti sunt, quod *Hortled. d. l. c. 2.* refert, idemque paulo post, d. 12. Junii Magdeburgi reiterarunt, accitis etiam, vel invitatis in societatem aliis. Nam in exordio tanquam compaciscentes nominantur Philippus, Otto, Ernestus & Franciscus, Duces Lüneburgici, Henricus Megapolitanus, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, Gebhardus & Albertus Comites Mansfeldenses, vid. *Hortled. d. l. c. 3.* Accessit hisce Urbs Magdeburgensis, accepto a Principibus diplomate. d. 14. Junii, & datis reversalibus, die sequenti *Hortled. d. l. c. 4.*

(4) *Fœdus Electoris Saxoniæ & Landgravii, cum quibusdam aliis.*

An. 1526.

ADDITIO II.

Nacti erant principes exemplum Cæsarei mandati, sive instructionis, Henrico Brunsuicensi d. 23. Martii hujus anni 1526. Hispali datæ. In hac jubetur *Hermanno* Coloniensi Electori, *Christophoro* Bremensi Archiepiscopo, *Friderico* Monasteriensi, *Francisco* Mindensi Episcopo, nec non *Joachimo* Electori Brandenburgico, *Erico* Brunsuicensi, *Georgio* Pomeraniæ, *Henrico* & *Alberto* Meckelburgensium & *Johanni* Juliaci Ducibus, aliisque Principibus, Comitibus & civitatibus in circulo Saxoniæ inferioris & VVestphalico, Lutheranæ doctrinæ non adhærentibus, literas Cæsareas, ad quosdam scriptas, ipse exhibere, omnibus salutem & favorem a Cæsare nuntiare, & deinde proponere, quomodo Cæsar cum dolore intelligat, quod damnata & hæretica Lutheri doctrina in Imperio quotidie incrementa sumat, unde cædes & effusiones sanguinis & vastationes provinciarum, impiæque blasphemiæ oriantur; gratissimum vero sibi esse testatur, quod Principes & Ordines illi in veteri fide ac religione persistant; se enim id, postpositis omnibus aliis, intendere, ut propediem ex Hispania discedat, & ante omnia Romam petat, inde vero per Italiam in Germaniam veniat, cum consilio Principum istorum, remedium in pessima illa causa Lutherana adhibiturus. Hortetur itaque eos, ut in veteri fide constantes sint, dein, si Lutherani, dolo vel vi, & per seditionem subditorum, alios ad suam impietatem cogere velint, ut junctis reliquorum, qui Lutherani non sint, viribus, fortiter resistant; se vero illis ope & auxilio non esse defuturum: Extat integrum mandati exemplum *Reg. H. fol. 6. lit. E.* adduntur benignissimæ gratiæ & præmiorum promissiones. Simile mandatum accepere *VVilhelmus* Comes Nassovicus & *Eberhardus Konigsteinius*; neque dubium est, *Bavariæ* ducibus idem demandatum esse, in superiore Germania curandum. His perceptis (iis certe, quæ ad Comites scripta & secreto communicata erant) Landgravius non destitit plurimis epistolis Electorem Saxonem hortari, ut de defensione serio cogitaret; fœdus enim sine omni dubitatione contra Christum & verbum ejus conclusum esse, se vero mori malle, quam hoc modo in exilium & mendicitatem ejici. Calumniæ sane manifestæ sunt, quibus Carolo Cæsari suggestum est, quasi Lutherani Principes alios ad suam religionem vi, & excitata rusticæ plebis seditione, coegissent. Has Henrico Brunsuicensi imputabant, cum postea rescivissent, quæ a Cæsare mandata haberet. Tunc vero in formulis fœderis tum Torgaviensis, tum Magdeburgensis, quorum hoc §. XV. mentionem feci, nemine nominatim incusato, generatim & vehementer questi sunt, quam inique & perverse secum agatur. Dignum esset *pactum* illud *Magdeburgense*, ut totum latine versum exhiberetur. Sed compendio utar. Laudant in exordio Deum, quod singulari providentia, gratia & ineffabili misericordia, verbum suum, unicum solatium, animæ cibum, summumque in orbe thesaurum sibi concesserit. Memorant inde, quot quantæque machinationes, præsertim ab Ecclesiasticis, & qui iis adhærent, huc usque agitatæ fuerint, qui verbum illud divinum opprimere & ex cordibus & conscientiis hominum eripere, si fieri posset, voluerint. Sperant etiam, Deum beneficium illud suum conservaturum esse. Paratos quoque se fuisse dicunt, ut in Comitiis Augustæ nupera hyeme indictis, de religione & concordia tra-

(a) *Cæsaris mandata, Henrico Brunsuicensi & aliis data, contra Lutheranos.*

(b) *Pactum Magdeburgense.*

cta-

ctarent, nisi dilata fuissent; nunc eadem intentione in Comitiis hoc anno, ad Kal. Maji Spiræ proxime præteritas, indictis acturos. Jam vero undique nuntiari, & probabilibus indiciis confirmari, item ex conventibus & tractatibus patescere, factiones & fœdera iniri, & pecuniam colligi, ut veteres abusus magna vi retineantur, verbi divini veritas denuo extinguatur, &, qui id profiteantur, & pro officio & conscientia obligati sint, ut id in ditionibus suis foveant, bello petantur & opprimantur, licet neminem offendant, aut ad violentas actiones provocent. Se igitur ejusdem officii erga Deum & conscientiæ suæ impulsu, adversus vim & bellum, quod intentetur, in neminis offensam, sed pro sua suorumque tutela mutuam defensionem pactos esse, ita ut omnes vires sint conjuncturi adversus eos, qui se ex causa illa religionis, alio licet sub prætextu, sed eodem fine, aggressuri sint. Hæc eodem fere stylo & sensu postea in *Smalcaldico* fœdere fuerunt repetita.

Sic unitis consiliis ad Comitia Spirensia profecti sunt Saxo & Hassus. Licet autem Comitia ad Cal. Maji indicta essent, die tamen 25. Junii demum agendi initium factum est. Aderant legati Imperatoris, in comitiis præsidentes, Ferdinandus Rex, Locum tenens, ejusque vicarius Philippus Badensis; Bernhardus Episcopus Tridentinus, Casimirus Marchio Brandenburgicus, & Ericus Brunsuicensis. Hi primum de religione, deinde de pace publica inter Ordines servanda, & de præcavendis tumultibus, aut per mutua auxilia refrænandis, deliberandum esse dicunt. In causa religionis, sopitis utcunque, quæ erumpebant, collisionibus, & evitato Cæsaris postulato, ut Wormatiense edictum executioni daretur, decreta est Legatio statuum ad Cæsarem, quæ ab eo peteret, ut in Germaniam rediret, & Concilii convocationem procurare vellet. Interea, & donec Concilium vel universale vel nationale haberetur, quilibet Princeps aut Status in causa, quæ ad decretum Wormatiense pertineret (ita negotium religionis autores styli callide circumloquebantur, vid. *Hortled. Tom. I. c. II. §. 3.*) erga subditos suos sese gereret, & ipsi actiones & vitam eum in modum instituerent, ut de iis Deo & Cæsari rationem reddere possent. Sic Civitatum desiderium, quod in comitiis exposuerant, de mendicatione monachorum abroganda & oneribus clero imponendis, etsi non expressis verbis admitteretur, illarum tamen arbitrio committebatur.

(5) *Decreta Spirensium comitiorum.*

ADDITIO III.

(a) *Acta comitialia.*

In Actis Archivi Vinar. (*Reg. E. fol. 29.*) reperitur, Cæsarem ab Ordinibus in Comitiis Augustanis d. 9. Jan. hujus anni requisitum fuisse, ut ipse in Germaniam veniret. Interim indictio Comitiorum Spirensium ad Kal. Maj. ejus quidem nomine, sed Eslingæ d. 1. Februarii composita, & a Ferdinando Rege ut Locumtenente subscripta fuit. Mandatum vero Cæsaris Hispali d. 25. Martii datum, satis rigide conceptum erat. Ferdinandum enim & reliquos Commissarios commonefaciebat, ut nihil, non tantum contra fidem Christianam, sed nec contra usitatas ceremonias decerneretur, dicebat etiam, se decretum comitiorum Norimbergæ, & conclusum ibi Lutheranæ doctrinæ examen abrogasse, & coronationis causa, tum, ut concilii convocationem obtineret, ad Pontificem esse profecturum; querelæ inde adjungebantur, quod indies plures errores, damnati licet, docerentur, & factiones ac seditiones fierent, & sancti contumelia afficerentur (die lieben Heiligen würden gelästert.) Affirmabatur, rusticum tumultum ex dissidio in religione ortum esse. Verum isthæc cum odiose a plerisque Ordinibus utriusque partis accepta essent, mitigata, & in exordio secuti decreti seu recessus omissa fuerunt. Civitatum imperialium responsum satis liberum erat; dicebant enim, seditionem rusticam præcaveri potuisse, si concilium habitum & gravaminibus ecclesiasticis consultum fuisset; ubi enim reformatio instituta fuerit, facile sopitam esse seditionem. Rigorem etiam in præsens, maxime vero Wormatiensis edicti executionem plane intempestivam esse. Negant, quicquam circa veram & sanctam fidem, quæ in Christo & verbo ejus æterno & immutabili fundatur, mutatum esse, nec ceremonias rejici, quæ illi non adversentur. Principes præcipua ex centum gravaminibus singulatim repetierunt, Evangelici vero pacis studio, delegari petierunt sex vel octo viros bonos, doctos & cordatos, qui de mediis ad concilium usque servandis consultarent, illamque formulam proposuerunt, quam Recessus postea exhibet, *ut quilibet eo modo sese gerat, de quo coram Deo & Cæsare rationem reddere posset.* Ita renitentibus licet Cæsareis Legatis deputati sunt ex scamno, quod vocant, Ecclesiastico Legati Austriaci, Episcopi Argentoratensis, Wurtzburgensis, Frisingensis. Ex politico Bavari, Hessus, Badensis & Bernardus comes Solmensis. Civitatum suffragia multum valuerunt. Proposuerant quidam, omnes libros esse comburendos, solumque Evangelium prædicandum; Sed rejectum hoc est, quia sic omnis doctrina & eruditio theologica interitura esset. Elector Saxoniæ consiliarios suos exhortatus est, ut in doctrina evangelica firmi & constantes persistant, & a corruptionibus sibi caveant, quas Episcopi quidam moliri dicebantur. Scripserant Ordines ex his comitiis ad Regem Galliæ Franciscum, liberum commeatum Legatis ad Cæsarem destinatis petentes, quem quidem impetrarunt; sed coarctatum ad tempus; responsum tamen simul ad Ordines Rex dedit d. 3. Octobris, in quo de Cæsaris ambitione & studio ad bella continuanda vehementer queritur, omnesque vires Christianorum jungendas contra Turcos suadet, neque opes solum suas, sed & seipsum ad id offert. Merentur verba quædam illius epistolæ adscribi, quæ si tunc serio ab illo scripta est, multum sane ab actis ejus postmodum secutis, & ab hodierno Gallicorum consiliorum tenore, discrepat: *Illud*, ait, *longe magis animum nostrum angebat, quod in tanta rerum nostrarum perturbatione nutantem jam Christianam religionem omni prorsus auxilio destitutam intuebamur. Ferrum, quod in immanissimos hostes stringendum erat, validissimæ vires, quæ in ipsos vertendæ forent, sapientissima consilia, quibus non pro nostrarum rerum tuitione tantum, sed ad ipsum penitus debellandum, utendum esset, in nosmet ipsos converti; sævire in nostrumet viscera; Christianum sanguinem effundi; scilicet, ut validiores in nos hostium ipsorum vires sentiamus; odiis simultatibusque pugnari, ut concordes inimicorum animi nostra eripiant; bello armisque terræ exiguum spatium multo sanguine quæri, ut is interim regna, insulas, provinciasque nostras occupet, quodque longe gravius existimabamus, pudetque dicere, quo magis Christiana religio periclitatur, quo propius periculo accedimus, eo magis gravioribus inter sese odiis animi concitantur.* Hæc profecto est vera & egregia nostrorum temporum descriptio, magnumque testimonium, ex ore & calamo Gallici Regis, liquido confitentis, cui imputari debeat Europæ calamitas: illis nempe, qui non tantum pacem & inducias inter Christianos rumpunt & dilatationes finium suorum, nullo licet jure, quærunt, vicinos barbarum in morem flammis & cæde funditus evertunt, sed & labantes jam Turcorum vires, & felicitate Christianorum prostratas, omni ope & consilio, quo possunt, sustinent & juvant, & hoc patrantes magni & gloriosi nomen sibi arrogant, honoresque pene divinos, erectis statuis & constitutis ceremoniis exhiberi patiuntur. In *historia MS.* notat *Spalatinus*, Evangelicos in his Comitiis summe exosos fuisse, sive ut ipse loquitur, *Christum Pharisæis vehementer fuisse invisum.* Queritur, quod nec Electori nec Landgravio indultum fuerit, ut in templis concionatores sui audirentur; in diversoriis autem conciones habitas esse, multis millibus hominum accurrentibus. Laudabilis & præclara fuit Landgravii cura de disciplina aulica in Comitiis illis exacte instituenda & servanda. Sententiam suam Joh. Friderico Duci exposuit d. 17. Junii, parenti Electori commendandam. (*Reg. H. fol. 3. lit. C.*) Suadet nempe, ut aulici a compotatione, scortatione & aliis vitiis, dem übertrincken/ huterey/ und andern lästerlichen Dingen/ prohibeantur, secus enim si fiat, Evangelio & verbo Dei ignominiam & decrementum, magno cum scandalo metuendum esse; serio ita-

(b) *Epistola Francisci I. Galliæ Regis.*

(c) *Disciplina aulicorum in comitiis.*

A. 1526.

itaque adversus inveteratos illos & impios abusus eingewurtzelte/gotteslästerlich mißbräuche/ nitendum esse; id quod magnum emolumentum & insignem honorem allaturum sit Principibus, neque aliter fieri posse, aut debere, si salutem animæ adipisci & ingentia mala ac damna evitare velint. Secutus est consilium Elector, & pias ac egregias leges comitatui suo præscripsit, quas in comitiis servaret.(vid. *Reg. E. fol. 29. 1526.*) Quid respondebunt Evangelicam veritatem professi, qui nihil minus curæ habent, quam ut pietatem & disciplinam morum consiliis suis foveant? Licet enim eam magnificis sæpe verbis per edicta subditis injungant; parum tamen proficitur, si factorum exemplo destituantur, quæ voce legum stabiliuntur, majoris utique culpæ rei fiunt meliora scientes, & aliis præcipientes, qui deteriora ipsi sequuntur.

Provisum postea fuit securitati publicæ, & promissa sunt mutua adversus seditiones, quæ denuo metuebantur, auxilia, additaque alia, quæ referre nihil attinet. Post hæc narratur, durantibus his Comitiis, legatos ab Hungariæ Rege venisse, suppetias adversus Turcas orantes, qui, expugnato Varadino Petrino, Budæ cum ingenti exercitu appropinquarent. Principes vero & Status æquum judicasse, ut Regno huic christiano festinatis auxiliis succurreretur, hoc nempe modo, ut dimidia pars peditatus, Cæsari ad expeditionem in Italiam anno 1523. comitiali decreto Norimbergæ destinati, id est, decem peditum millia in Hungariam mitterentur, utque id tanto expeditius fieret, pecunia, quæ ad conscribendas copias illas & ad sex menses alendas sufficeret, instante Festo Michaelis pro dimidia, pro altera vero parte die Martini contribueretur. Nominati etiam *Legati* fuere ad Hungariæ Regem, qui de auxilii illius usu tractarent; *Georgius* Comes Wertheimensis, *Philippus Feilitschius* Eques, Consiliarius Saxonicus, (duo Lutherani) & ex Civitatibus *Vitus Arenbergerus*. Hæc ex ipso decreto d. 27. Augusti publicato, & codici Recessuum inserto excerpta, evincunt, per calumniam imputari proceribus Imperii, multoque magis Lutheranis, qui a cæteris sese in hoc capite non separaverant, quod nihil decrevissent ad postulata Hungariæ Regis; dein falsum etiam esse, quod hoc secundum propositionis comitialis caput fuerit: nam licet generalia de Turcici belli metu in exordio recitarentur, non tamen nisi occasione adventantium legatorum ex Hungaria, hac de re actum & statutum est, communi consensu, & nullo ad controversiam de religione habito respectu, ut pro negorii illius causa fieri tunc potuit. Quod igitur tardius, vel minus, Regi isti, qui neque Germanus neque Imperio ullo vinculo junctus erat, quam speratum forte erat, auxilium decretum est, Luthero aut ejus fautoribus tribui nullo modo potest; multo minus, quod Rex iste male consultus, cum ingentibus Turcorum copiis congressus est, eodemque fere tempore, nempe d. 29. Augusti, periit. Sed quid opus est in calumniæ illius refutatione pluribus occupari, cum ipsum Carolum Cæsarem testem allegare possimus, qui in literis ad Electores Imperii *penult. Novembr. 1526. Granatæ* datis, his verbis culpam omnem in Galliæ Regem rejicit: *Quod igitur variis dilationibus tempus inane consumitur, quod Christianorum agri vastantur, quod urbes diripiuntur, quod incendia vagantur, quod cædes committuntur, quod hostium fines propagantur, eorumque vires indies accrescunt, debet certe hoc christiana respublica Regi Francisco, qui in meditullio Christianitatis constitutus, glorians ac jactans, se ab hoc Christianitatis incendio, imminentique periculo longe abesse, nihil non interturbat, nullum in pace vivere permittit, mittenda in Turcos arma in suum caput convertere conatur, nuncios ad juvandum rempublicam destinatos in regno suo detinet, atque inter suos triumphos Turcarum in Sororii nostri regnum irruptionem annumerat, sibique hoc satis esse credit, si a suis* Christianissimus *nuncupetur, Sororiique nostri sortem miserrimam prædicat, qui pro fide, pro religione, pro patria, ac pro Dei gloria,* Christo Deo Opt. Max. *vitam suam devovit, ad feliciorem que vocatus, optimi, strenui, atque magnanimi principis laudem apud posteros reliquit.* Vide *Goldast. Vol. II. Constit. Caroli V. fol. 48. & 106.* Addit piam contestationem: *se malle occisi Sororii, quam Francisci Galliæ regis, loco esse, cujus ob pacem Christiani orbis toties turbatam, sors non possit non esse misera.* Cochlæus, quem vera hæc causa non latuit, huc tamen trahit conciones & scripta Lutheri, de quibus jam *Lib. I.* egimus, quibus bella contra Turcos dissuadet, nisi ante omnia internæ paci, & pietati & religioni erga Deum recte prospiceretur. Nihil nimirum illa ejus admonitio (quanquam in se haud injusta) morata est Principes. Postquam enim clades Regis percrebuit, hoc eodem anno Cal. Decembr. *Eslingæ* convenerunt Deputati ad Regimentum, Imperii Proceres, Albertus Moguntinus, Richardus Trevir, tum quatuor reliquorum Electorum legati, interque eos Saxonici: sex Episcopi, Fridericus & Wilhelmus Palatini & Bavariæ Duces, tum quatuor aliorum ex secularibus deputati, & d. 21. Decembr. licet jam regressus ad sua esset Turcorum Imperator, statuerunt, ut, quæ in proximo Spirensi conventu decreta de suppetiis celeribus (eilende hülffe/) fuerunt, statim expedirentur, contractis etiam ad tres menses, si opus esset, corrogationibus, quæ ad sex constitutæ erant. Tum comitia alia, ubi de continuis auxiliis (beharrliche hülffe) ageretur, *Ratisbonæ*, die *Lunæ post Lætare*, Cal. April. anno sequenti haberentur, & Cæsar, omissa jam legatione nuper Spiræ decreta, per literas rogaretur, ut in Germaniam veniret. Quia vero Austria, Bavaria, Saxonia & Marchia Brandenburgica Turcorum irruptioni præ cæteris Germaniæ provinciis expositæ essent, cum Principibus illarum regionum, & nominatim Saxoniæ Electore (Lutherano licet) actum est, ut ad resistendum, prout res posceret, sese pararent, &, ingruente hoste, vicinos convocarent, iidemque de pecunia ad bellum decreta constituerent. Quæ secuta sunt, & ad rem faciunt, in tempore annotabuntur.

(6) *De auxiliis Hungariæ ferendis.*

(7) *Refutantur calumnia de deserta Hungaria.*

(8) *Vera causa cladis Hungaricæ.*

(9) *Comitia Eslingensia.*

ADDITIO IV.

In *Decreto Eslingensi*, de religione nihil reperitur; sed Acta ostendunt, non defuisse disceptationes. Moderatio enim Spiræ simulata, impetratis auxiliis contra Turcos illico cessavit apud Romanarum partium proceres. Regimentum Eslingæ ex viris fervidissimis ad opprimendam reformationem constabat, & si quis, ut constitutio illius collegii, in comitiis Norimberg. 1524. publicata, requirebat, delegaretur, quem Lutheranismi suspectum habebant, facile causas inveniebant, quibus eum repellerent, quod hoc tempore *Philippo a Feilitsch* equiti, a Saxoniæ Electore misso, accidisse, in Actis conventus Eslingensis, mense Decembri habiti, (*Reg. E. fol. 32.*) invenio. Scribit enim id ad Electorem extra ordinem eo deputatus Johannes a Minckwitz/ d. 18. Decembris. Inter politicos Principes vehementissimus erat *Georgius* Saxoniæ Dux, qui mandatum Legatis suis ad Eslingensem conventum dederat, ut ante omnia Lutheranæ hæresis extirpationem urgerent, nisi enim id fiat, nihil adversus Turcos cum successu suscipi posse dictitabat; olim præ-

(a) *Oppositiones adversus Evangelicos: speciatim Georgii Ducis.*

dica-

A. 1526.

dicatione crucis magnum numerum hominum ad bellum contra infideles excitari potuisse, quia plebs externum quendam amorem erga crucem Christi habuerit; neque enim homines tam facile Spiritu moveri posse, sicut exercitati in fide moveantur. Der gemeine Mann habe eine liebe zum Creutz Christi euserlich gehabt / nachdem die menschen nicht alsobald wie die bewährten im glauben / im Geist mögen beweget werden. Hoc vero jam per immodestam Evangelii prædicationem sublatum, & contra magistratum invectos esse concionatores, querebatur, ex recenti belli rustici exemplo. Inde adhuc in cordibus subditorum gliscere odium & aversionem. Dixit etiam, sanguinis effusiones semper secutas esse post excitatas hæreses. Ad talia incitari se passus est a sacerdotibus Princeps cætera laudatissimus. Nihil enim minus religioni Christianæ convenit, quam, ut ea ad politicas utilitates abutamur, aut per vim & cædes illam tueamur. Stulta quidem plebs olim incitari se passa erat, oblata peccatorum præteritorum venia, & futurorum, si non manifesta licentia, certe eadem in remissione facilitate, ut ad bella illa contra infideles accurreret, omniaque religionis Christianæ præcepta hoc modo se implevisse existimabat, absque Spiritu & fide. Sed cordatissimi quique, ex Romana etiam Ecclesia, agnoscunt quam malo consilio & funesto eventu id factum fuerit. Opus non est his fucis ad excitanda veræ pietatis officia, & debita obsequia, neque melior modus ea promovendi est, quam pura & simplex Evangelii prædicatio, quam ut immodestam culpat Georgius. Quod vero de concionibus adversus magistratum questus est, ad Lutheranismum minime pertinet; imo impediri potuisset, si Episcopi & Principes evangelicam veritatem populo, eam audire cupido, proponi fecissent, nec intempestiva prohibitione publicarum concionum, clancularii præconibus aditum ad plebem, veteris superstitionis & inscitiæ & nequitiæ pastorum suorum pertæsam, fecissent. Fraude itaque Satanæ factum est, & justo Dei judicio permissum fuit, ut qui simplicem doctrinam Christi rejiciebant, & veteribus abusibus præfracte inhærebant, ex fanaticis dogmatibus damna illa sentirent, quæ seditione rustica emerserunt, qualia in provinciis, ubi reformatio vel facta vel per conniventiam tolerata erat, aut non contigerunt, aut faciliori tumultuum compositione leviora fuerunt, uti supra narravimus. Sanguinarium vero Georgii consilium, quod Eslingensi conventui non obscure suggerebat, elisum est, ita, ut ad Comitia universalia ablegaretur; industria Legatorum Saxonicorum, Minckwizii maxime. Extat etiam notabile scriptum (*d. Reg. E. fol. 32.*) Philippo Marchioni Badensi, Regiminis præsidi, exhibitum, cujus autor quidem non refertur, in tergo autem notatum est, exhortationem illam apud Philippum tantum habuisse momenti, ut plurimæ civitates a vexatione, per Regimentum ex edicto Norimbergensi & VVormatiensi intentata, relevatæ fuerint. Demonstratur vero in illa dissertatione, Regimentum ad pacem servandam primario constitutum esse. Edicto vero Norimbergensi, quo VVormatiensis executio injungebatur, a plurimis contradictum, aliaque clausula de conventu Spiræ, ad examen doctrinæ instituendum, habendo, temperatum fuisse. Licet autem Cæsar male consultus, illam edicti clausulam abolere conatus sit, id tamen aut nulliter factum esse, aut si Regimentum ad executionem procedat, nihil certius esse, quam, ut, excitata plebe, pax denuo turbaretur; quapropter tutissimum esse, ut, quod Georgio Duci responderint, etiam iis respondeant, qui actiones adversus Civitates instituerent, eosque ad Comitia remittant.

(b) *Epicrisis in Georgii Sax. Ducis sententiam.*

(c) *Consilium Philippo Badensi datum.*

In narratione Maimburgii alia etiam sunt, in quibus neque industriæ & judicio, neque veritati & pietati litavit. Ait, *in cæteris conventibus* (scilicet ante Spirensem) *nihil actum esse a Principibus, qui Luthero adhærebant, quod legibus Ecclesiæ, quoad externa, adversaretur.* Quos Principes intelligat, nescio. In proximis enim Comitiis Norimbergæ anno 1524. habitis unus Fridericus Saxoniæ Elector aderat, qui pro fautore Lutheri habebatur; Landgravium enim Hassiæ hoc demum anno 1526 participus accessisse ipse scribit. Sed Fridericus, ut toties monui, in cultu publico nihil, ne in aula quidem sua, mutaverat, quid ergo mutaret in comitiis? Igitur Spirensia ista prima erant, in quibus post agnitam publice meliorem doctrinam Principes illi duo, *Johannes* Saxo, & *Philippus* Hessus, aderant, & missæ loco conciones & preces in hospitiis suis fieri curabant. Concionabantur autem apud Johannem Electorem *Georgius Spalatinus*, & *Johannes Agricola*, Islebius. Quod vero additur, *Ducem Saxoniæ*, id est, Electorem Johannem, *omnimodo obtemperasse Landgravio*, sive *ab hoc* (quasi de equo frenando sermo esset) *rectum fuisse*, id non satis convenit cum iis, quæ paulo ante eadem pagina scripserat Autor, nempe *Landgravium ab Electore ad Lutheranismum inductum fuisse*, quis igitur alterum rexit? Elector a multis jam annis imbutus erat Lutheri dogmatibus, ut & Filius ejus Joh. Fridericus, quem & tenerrime amabat, & in partem curarum lubens admittebat, ut sic alieno regimine facile carere posset. Abstinere etiam Maimburgius ab hac censura potuisset, si characteris, quem Landgravio tribuit, meminisset; mire enim violentum (id quoque per hyperbolen) pingit; at placidissimus erat Elector, nec fervore Philippi induci se ad vim parandam passus est. Levia sunt, quæ de carnibus, & jejunii diebus, publice præbitis, itidem Cochlæo præeunte, recitat. Cum enim Principes statuissent, discrimen illud ciborum, quo nihil minus, quam jejunium & sobrietatis exercitium quærebatur, omittere, cur id dissimularent, in urbe præsertim jam eandem libertatem probante, & ubi suo quisque arbitrio vivebat, ab omni vi tutus? *Cochlæus fol. 147.* id potissimum reprehendit, quod fercula in conspectu totius auditorii per atrium ad mensam principum & aulicorum portarentur. Ne vero existimentur insoliti aliquid hic admisisse Saxo & Hessus, notandus est mos aularum & tunc usitatus, nec hodie ubique abolitus, nempe, ut sacra proxime ante prandium fierent, sive missæ sive conciones essent. (quotidianas enim conciunculas & preces missis surrogaverant Principes) Testem hic *Surium* sisto, utique non Lutheranum. Is de Caroli V. Cæsaris vita & moribus, in historia anni 1558. inter plurima alia *p. m. 593.* hæc annotavit. *Ad sacrum audiendum circa meridiem post negotia publica se conferebat; a sacro recta ad mensam:* & post pauca: *Cum missa sacrificium ad medium perductum esset, mensa parabatur, cum ipse e sacro egrediebatur, cibi ex culina efferebantur;* Quæ igitur laudantur in his, culpantur in illis. Missas audientibus (his censoribus) omnia munda sunt; conciones, nihil. De libellis Lutheri, in Comitiis sparsis, dicam, cum de scriptis ejus hoc anno editis agam. Nihil enim nisi Cochlæi echo est noster; audacior vero, cum Ferdinandum Austriacum, fratrem Cæsaris, imbellis timoris arguit, cum Cochlæus paulo modestior id solum dicat: *Cum absque seditione & tumultu novitas prohiberi aut tolli non posset, Principes & ordines Imperii concluserunt suspensive, ut quisque in religionis causa ita se gereret, & in terris suis ageret, sicut confideret justificare ac respondere coram Deo & coram Cæsarea Majestate.* Sed longius profectus noster, pro libertate, quam sibi sumit, non Ordinum sed Ferdinandi illam culpam fuisse pronuntiat, utrosque tamen damnat, quod non abruperint potius Conventum, quam decreverint, quæ

(10) *Maimburgii judicia de Johanne Electore, & Landgravio refelluntur.*

(11) *Speciatim, de cibo eorum, & spretis jejuniis.*

(12) *Maimburgii iniquitas & truculentia in reprehensione decreti Spirensis.*

bono

An. 1526. bono religionis & Imperii contraria essent. Ne tamen dubitemus, quid id sit quod condemnet, paulo post clarius explicat, nempe libertas conscientiæ. Hæc enim semper contradictorie opponitur servituti, quam Romæ prætendebant, & quam *tyrannidem* vocabat Lutherus. Hæc ut conservaretur, judice Maimburgio, rumpenda fuerunt Comitia, & ad arma prosiliendum. Prodit hic apertissime inter affectata verborum temperamenta truculentiam, quæ utique illius spiritus effectus aut character non est, quo veri Christi sacerdotes animantur. Sed de ipso concluso comitiali, quod tantopere displicet homini, videamus, an verum sit, quod bono religionis & Imperii contrarium fuerit. Si per *religionem* intelligit Romanam hierarchiam, non errat; nam isti utique nocuit, cujus potestas & utilitas cum libertate conscientiarum consistere non potest: si vero de fide & religione christiana, qualis in se est, remoto typho mundani dominatus, quæratur, nihil peccarunt decreti autores, dum libertatem conscientiæ & cultus publici reliquerunt cunctis principibus supremo jure præditis. Imo minus fecerunt, quam fas erat: novis enim motibus ansam non præciderunt, dum DEI & Cæsaris approbationem, in causa merito distinguenda, copularunt. Ideoque multo labore, sanguine etiam opus fuit, antequam post annos triginta mira Dei providentia fines utriusque discernerentur, idemque placeret Cæsaribus, quod Deo; sive ut simplicius eloquar, cum secuta & confirmata anno 1555 pace religionis publica agnitum, & consentiente & jubente Cæsare constitutum est: *Principibus & populis, Christi fidem ex sacris literis profitentibus, nihil præcipi posse a Pontificibus; neque Imperatorem obligari, imo nec fas ei esse, ut sub Pontificum potestatem quenquam violentis redigeret mediis, sed obsequio illo contentum esse debere, quod salva libertate religionis, secundum leges Imperii exigi & præstari Imperatori potest & debet.* Igitur contra religionis bonum nihil decretum est. Anne contra bonum Imperii? ne id quidem. Imperium enim, id est, majestas Cæsarea, & jus principum & populi non violabatur reformatione religionis. Manebat pax & justitia, manebat obsequium, quod post Deum Imperatori debetur: manent, imo augentur vires, etsi non omnes Christianorum cœtus regi se cleri Romani legibus patiantur: opibus sane Reipublicæ prospiciebatur, cessantibus deferendæ Romam pecuniæ artibus & imminuto otiosi cleri numero. Legitima vero conscientiæ & religionis libertate potiti, Deo dabant quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris. Fecerunt id in Comitiis illis non minus duo illi Principes, quos noster accusat, quam cæteri; fecissent plura, secuto etiam tempore, si servati fuissent, qui tunc constitui cœperant limites, neque obtemperatum consiliis, qualia hic suppeditat Maimburgius, ut nempe potius omnia rumpantur, quam, ut decedat aliquid dominatui & commodis cleri, seculorum infelicitate invectis. Tandem, quod duos illos effectus attinet, quos in fine narrationis de comitiis, hæresi in Germania ortæ adscribit, de priori, qui in Hungariæ Regis clade quæritur, supra satis dictum est; de altero, qui is fuisse indicatur, quod Lutherani de religione ipsa triumphaverint, capta nempe & desolata Roma, & profanatis nescio quibus mysteriis, dicam, cum prius de aliis ad anni hujus 1526 historiam pertinentibus egero. Maimburgius enim mihi hic sequendus non est, qui pro historia de Lutheranismo lectoribus suis alia omnia propinat. Res sane, quas hic indicat, & mox *a p. 173. ad 225.* in Italia hoc anno gestas recenset, non magis ad Lutheranismum pertinent, ac alia quæcunque bella intra annos centum & octoginta in Europa gesta, inter quæ vix ullum reperiri puto, in quo non aliqui religioni Lutheranæ addicti aut duces aut milites fuerint. Maxime vero victoriam Cæsaris ad Ticinum, & captivitatem Regis Galliæ, Lutheranis tribuere debuisset. Nam idem, in quem tantopere Lutheranismi causa desævit, *Frundspergius*, plus contulit ad cladem illam Gallorum quam ad captam Romam. Ad Ticinum enim ipse legionum Germanicarum dux fortissimus pugnavit, sed expeditioni Romanæ non interfuit, ut postea audiemus. Verum autori nostro nulla occasio negligenda visa est, qua ferocienti Gallorum juventuti heroicas narraret fabulas. Iis similes sunt historiæ, quæ alieno loco & tempore recitantur anili garrulitate, aut ut legentes inani delectamento palpentur. Apparet jam hinc etiam clarius, quo apparatu & qua methodo historiam suam autor composuerit, & unde sit fœcunditas illa, qua singulis annis historicum aliquod volumen enixus fuit. Nam etsi in exordio operis (ut *Lib. I.* videre licet) de laboris magnitudine & documentorum copia magnifica jactet; videmus tamen eum non, nisi unum aut alterum autorem, & quidem vulgarissimum & maledicentissimum, secutum esse, ejusque dicta ad genium aulæ & nationis, cujus applausum captabat, aptasse: deinde aliena, quæ jucundiora videbantur, aliunde accersivisse, quæ si quis ei demat, siccum & exangue historiæ sceleton deprehendet. Eadem methodus aut techna recentioris scriptoris *Varillasii* fuit, cujus errores frequentiores, ne lectorem nimis hic distrahamus, alibi indicabimus. A. 1526.

(13) *Asseritur Principum jus circa sacra, adversus Dominatum Pontificium.*

(14) *Notatur inepta digressio Maimburgii ad res Italicas narrandas.*

§. XVI.

De progressu reformationis variæ hoc tempore spes aut conjecturæ erant. Quidam ex miti ingenio Johannis Electoris Saxoniæ suspicabantur, fore, ut negotium tantis difficultatibus implicitum per se concideret. Lutherus aut moræ ex ingenio suo impatiens, aut cunctationes & protelationes veritus, non desinebat Principem monere; sed ille itinere ad Comitia magnam anni partem consumsit. Obtentum tamen est, ut proceribus ex nobilitate, qui superiorem jurisdictionem habent, & vulgo *Schrifftsassii* vocantur, hoc anno injungeretur, (quod superiori præfectis mandatum erat,) *ut ordinationem missæ secundum formulam*, ut Elector loquitur, *a viris doctis & Scripturæ peritis conscriptam, pastoribus suis proponerent.* Indicat autem Elector illam ipsam, quam Lutherus composuerat & speciatim observari jubet, quæ in *præfatione* monentur, de libertate circa ceremonias, ut infra *§. XX.* pluribus dicetur. Addit, *pastores commonendos esse, ut verbum divinum & Evangelium secundum verum & christianum sensum prædicarent & interpretarentur: Si vero ad id non satis docti & periti essent, ut sibi librum Wittenbergæ impressum, qui* Postillarum *titulum haberet, compararent, & ex illo explicationes populo prælegerent, addita, ubi opus esset, declamatione.* Datum est hoc rescriptum *d. 24. Junii Torgaviæ*, in quo observari meretur cautela Principis, qui, ne religionem ab unius viri industria vel autoritate suspendere videre-

(1) *Status religionis in Saxonia.*

An. 1526. deretur, Lutherum, quanquam is formulam missæ & postillas conscripsisset, nominare supersedit. Non invenio ex nobilitate, qui huic mandato repugnaverit. Percipitur tamen ex literis *Lutheri d. 14. Aprilis* datis, refragari tunc cœpisse *Comitem Schwarzburgicum* Arnstadianum, & *Dynastam Geræ* Ruthenum, quapropter Lutherus sese excusavit, quod invitis & reluctantibus concionatores non misisset ut jussus erat, & Elector ipse, rescripto *d. 5. Augusti Spiræ* dato, moram indulsit. Successit tamen sequentibus annis istorum quoque locorum reformatio. Tolerati etiam sunt hoc anno Canonici Altenburgenses, qui missaticum cultum nondum plane intermiserant. Consultus eorum causa ab Electore Lutherus (literis *die Veneris post Dorotheæ* 9. Febr. datis) Prædicatorum oppidanorum zelum, Spalatini maxime, qui abrogationem missatici cultus postulabant, non improbavit; addidit tamen moderationem, *ut ante omnia, Electoris nomine rationes prohibendi Canonicis exponerentur, allegando conscientiæ vinculum, quo Princeps obstrictum se assereret, ne cultum, quem ipse & populus pro impio haberet, diutius publice ferret, nec etsi connivere vellet, id sine tumultus periculo facere posset, aut patrocinium Canonicis sacrificantibus præstare. Hac ratione Norimbergæ cœnobia clausa fuisse, scribit.* (vide id annotantem *Scultetum p. 86.*) *Tolerari autem posse putat, ut privatim, si conscientia obligari se adhuc credant, sacra suo peragerent more; tum, ut audirentur, si ex Scripturis cultum illum asserere vellent, conservandos interim etiam reditus illorum & honores esse.* Epistolam hanc *Tomo III. Alt. f. 339.* primum editam suppeditavit, ut in margine notatur, vir illustris & optimus, mihique dum viveret, amicissimus, *Joh. Theodoricus a* Schönberg, Cancellarius Altenburgensis. Post publicatum Spirense decretum, aucto animo, Lutherus ad Electorem epistolam *mense Novembr.* dedit, in qua denuo de agrestium renitentia quæritur, qui pastoribus salaria denegent, & ut visitatio, tum ad hæc constituenda, tum ad doctrinæ & rituum ordinationem promoveretur, iterum (ut anno superiori fecerat) serio monet. Publicata etiam hæc primum est ex *Archivo Altenburgensi.* Tom. III. f. 519.

(2) *Lutheri epistolæ quædam.*

§. XVII.

(1) *Acta in Franconia a Marggraviis.*

In Franconia *Casimirus* & *Georgius*, fratres, Marchiones Brandenburgici, Burggraviatum Norimbergensem, id est, *Bayruthensem* & *Onoldsbacensem* Principatum, communi jure possidebant. Ex his Georgius evangelicæ religioni magno studio addictus; sed tepidior frater Casimirus, & inter eos erat, quos Cæsar, se absente, Ferdinando Fratri ad Imperii res curandas adjunxerat. Cum itaque post oppressam rusticorum factionem Episcopi Franconiæ, fœderis Suevici potentia freti, severiora jam ad impediendam reformationem consilia caperent, Casimirus, aut illis gratificaturus, aut tempori & aulæ sese accommodans, absente Georgio, (qui in ducatu Silesiæ Jägerndorfensi a se adquisito habitabat) convocatis prælatis aliisque ordinibus provinciæ, & cum eorum & pastorum (ut refert) consilio, edictum *mense Octobr.* publicavit, in quo allegato Spirensi decreto, & quasi ei satisfacturus, verbum Dei a pastoribus doceri jubet, si possint; sin minus, Evangelium saltem & Epistolam Germanice prælegi, nec quidquam, nisi formulam confessionis publicæ addi, cantiones Germanicas, durante missa, (Latine celebranda) fieri, vigilias & anniversaria, si peterentur, institui, usum unius vel utriusque speciei indifferenter admitti, honorem Sacramento circumgestato exhiberi, confessionem sacerdotalem continuari, baptismum Latine administrari, cum explicatione tamen Germanica, si quis eam desideret, jejunia & festa antiquo more observari, pastores conjugio abstinere, monasteria restitui, aut quosdam ad nobilitatis sustentationem converti debere, libertate exeundi servata, aliaque ejus generis plurima, quæ in diplomate, integre ab *Hortledero* relato, *Tom. I. Lib. I. c. 3.* legi possunt, onera tamen publica simul clero indicta sunt. Hæc pleraque illis, quæ antea pro reformanda religione consensu utriusque Principis acta erant, plane adversabantur, ut & gravi admonitioni, qua *mense Majo* hujus anni Georgius in literis ad Casimirum usus fuerat; typis vulgata, & a *Sculteto*, hujus anni historiæ *p. 63. & seqq* inserta. Sed defuncto, anno sequenti in Hungaria, Casimiro, Georgii cura evangelica reformatio locum obtinuit, quam idem in Ducatu suo Silesiaco jam ab anno 1524. perfecerat. In Saganensi vero initia reformationis, hoc anno a quibusdam pastoribus evangelicis facta, Georgius Saxoniæ Dux, qui tunc Ducatum illum possidebat, oppressit. *Scultet. pag. 62.* In Frisia orientali disputationibus & colloquiis multum ad reformationem profectum est, convictis monachis, qui impudenti clamore veteres abusus tutari volebant, ut ex *Ubbone Emmio* per compendium enarrat *Scultetus. p. 77. & seqq.* De reformatione in Borussia, per anticipationem, *Lib. I. §. CLXXII.* egimus. Hoc anno 1526. edita ibi fuit *ordinatio Ecclesiastica*, ab Episcopis composita, & mense Decembri præcedentis anni in Comitiis provincialibus approbata. Contenta ejus scriptores rerum Borussicarum referunt, novissime *Hartknochius Hist. eccl. Lib. II. Cap. 1.* Cum vero in Comitiis, hoc anno Spiræ habitis, Magister ordinis Teutonici *Dietericus a Cleen*, scriptum, cui *Excusationis* nomen præfixerat, adversus mutationem ab Alberto, (nuper Magistro, nunc Duce) se & Livoniæ Magistro non consulto, in Borussia factam, exhibuisset; Alberti nomine protestatio prolixa, anno 1526. d. 29. Octobr. publicata fuit, quam *Hortlederus Tom. I. Lib. V. Cap. I.* integram exhibet. Multa in illa contra ordines religiosos, & contra bella, ab iis, homines ad Christianismum cogendi ergo, gesta, tum adversus impurum cœlibatum, vehementer & liberrime disputantur, & probrosa Equitum vita ita traducitur, ut *satius fuisse* dicatur, *si filii nobilium in cunis suffocati, quam cum præsentissimo animæ periculo in ordinem assumti fuissent.* Exponitur etiam, quomodo inter Reges Poloniæ & Magistros ac Equites ordinis bella orta, & quibus pactis composita, atque a quinque Magistris observata fuerint. Dein, ut ab iis Fridericus, Saxoniæ Dux, ad magisterium evectus, recesserit, ipse etiam Albertus illi succedens, jugum excutere tentaverit, sed cum jactura magnæ partis provinciæ, a Polonis occupatæ: se tamen non sine indignitate toto triennio in Germania circumiisse, & a Cæsare & Imperio auxilia frustra petiisse; desertum itaque ad novissimam illam cum Poloniæ Rege transactionem (*de qua dict. loc. Lib. I.*) adactum esse, ac regione excedere. Religionis reformationem, se in Germania absente, initium habuisse a concionibus peregrinorum doctorum: inde perspectæ jam aliquatenus veritatis tanto desiderio flagrasse Ordines

(2) *Casimiri ad Papatum inclinatio, renitente Georgio, fratre.*

(3) *in Saganensi Ducatu cœptam Reformationem Georgius Saxon. Dux destruit.*

(4) *Gesta in Frisia orientali.*

(5) *Ordinatio Ecclesiastica in Borussia.*

(6) *Alberti Apologia contra Ordinis Teutonici Magistrum.*

An. 1526. nes & populum, ut eorum postulatis consensum suum denegare non potuerit. Idem Albertus paulo ante cum Johanne, Electore Saxoniæ, mutuæ defensionis pactionem iniit, ut ex ejus diplomate d. 29. Septembr. Regiomonte in Borussia dato, constat. Vide *Hortled. Lib. VIII. cap. 66.*

(7) *Alberti pactum cum Electore.*

§. XVIII.

De impedimentis etiam & persecutionibus dicendum est. Etsi enim aliquo modo per comitiorum Spirensium decretum sopitus videretur rancor inter dissentientes circa sacra principes; multis tamen locis sævitum est, religionis causa, in subditos, ut Lutherus in scriptis hoc anno editis non semel & acerbe queritur. In præfatione commentarii in Prophetam Jonam, *Tom. III. Alt. f. 351.* scribit: *Fuerunt Principes & Episcopi, ingenti cum rabie, & omnibus modis Deum & Christum ejus ejicere, verbumque supprimere volunt: multum jam innocentis sanguinis profuderunt, & ad plus profundendum properant.* (Exempla ex autoribus colligit *Scultetus p. 87.*) Ex illis tamen persecutionibus non minus, ac ex schismatibus solatia capit Lutherus. *Hoc enim* (ait) *revera est Christianismi fatum, ut a dextris & sinistris infestetur. Fœdis itaque proscinditur calumniis, majorique quam unquam factum est, cum protervia. Scit enim diabolus, haud multum sibi temporis superesse, ad odium suum adversus Christum & verbum ejus exercendum.* Et in Commentario ad Prophetam Habacuc. *d. Tom. III. f. 428.* graviter loquitur: *Principes & Episcopi nostri, victoria adversus rusticos concessa, & permittente Deo, ut plurimos ex innocentibus Christianis crucient & enecent, egisse se putant, quæ Deo placent. Successu isto inflati non vident, causam Evangelii & eorum, quos persequuntur, Dei esse, & eorum violentia eodem modo pios tradi, quo Christus & omnes Sancti traditi persecutionibus fuerunt. Pergunt igitur & clamant, ubi nunc est Christus vester, cur non succurrit vobis? Ita vis & injuria pro victoria a Deo data celebratur, & justitiæ speciem induit. Hæc est vera crux Christianorum, cum non tantum toleratur injuria, sed & merito videtur tolerari, dum, ut Christus, reputamur cum iniquis. Marc. XV. 28.* Persecutoribus vero ob istam pertinaciam & indurationem pessimum ominatur exitium. Idem facit *fol. 438.* verbis valde emphaticis: *Nullibi fortius progreditur Evangelium Christi, quam, ubi minime toleratur. Veniente enim hora Dei, cadunt tyranni, verbum locum suum tenet. Respice Hierosolymarum & Romæ exempla. Ita nunc quoque, ubi Principes & Episcopi vehementissime resistunt Evangelio, eo veniet, & ibi procedet prosperrime. Propediem dicetur, ubi sunt, qui ferre ista nolebant? In sepulchris jacent, esca vermium. Stat verbum Domini, & in illorum ditionibus publice prædicatur.* Implementum tum alibi, tum in Saxonia, quæ Georgio Duci parebat, non longe post secutum esse, inter omnes constat. Spargi hoc ipso anno rumor cœpit de fœdere adversus Saxoniæ Electorem, & Philippum Hassiæ Landgravium, Moguntiæ inito. Lutherus sane (3. post Palm.) Spalatino scribens, jam se libellum adversus istam conjurationem sub prælo habere refert, & vehementer de Georgii Ducis odio erga se conqueritur. *Lib. II. Epistol. p. 213. b.* Suppressum autem fuit id ejus scriptum, & saltem fragmentum ejus a Spalatino servatum refertur *Tom. III. Alt. f. 520.* Interim fama ista movit utrumque Principem, jam, ut dixi, generali quodam fœdere conjunctos, ut in comitiis Spirensibus auxilia circumspicerent, & cum legatis urbium præcipuarum, Evangelio faventium, de confœderatione quadam adversus vim, quæ metuebatur, agerent, quod Smalcaldici fœderis, postea secuti, quoddam præparamentum fuit. Vide *Tom. III. Alt. fol. 657.* & *Sleidan. lib. VI.* Fervidior erat juventa & animi acrioris stimulis Landgravius, ut ægre contineretur moderatioribus Johannis Electoris consiliis, quominus ad arma prorumperet. Ab Electore autem consultus Lutherus mentem suam ad *Gregorium Pontanum,* Cancellarium *d. Tom. III. f. 521.* hunc in modum aperuit, ut diceret: *Electorem non habere superiorem, nisi Cæsarem, ei itaque fas esse, Principibus inimicis, vi agentibus vi resistere, & subditos suos tueri.* Atque sic fœdera illa defensiva, de quibus dictum est, adversus aggressiones Ecclesiasticorum inita, non improbat. *Quod si Principes illi ecclesiastici, aut eorum socii Cæsarea obtendant mandata; fidem non esse habendam, præsumendum potius, subreptum esse Cæsari in Hispania absenti & cæteroquin Electori, per literas suas, benevola & tuta omnia offerenti.* Inprimis oppugnat prætextum edicti Wormatiensis, anni 1520. *Notorium esse,* scribens, *quod non compositum fuerit consensu Principum, imo a primariis ex iis improbatum, ideoque a solis Ecclesiasticis procuratum, denique per decreta Norimbergensia & Spirensia abrogatum; executionem igitur ipsius nullo jure fieri posse, eamque molientibus juste resisti. Ad ultimum,* puta, si Cæsar autoritatem suam adversæ parti commodaret, *protestationem superesse; qua jus Principum conservari, adversariorum fraus detegi, & mora obtineri possit; Deum reliqua curaturum esse.* Omnibus vero modis a præventione dehortatur, & intra cancellos defensionis adversus aggressores, consistendum esse suadet, stante regula: *Qui gladium accipit, gladio peribit,* Math. XXVI. 52. *Quod si Landgravius obsequi nollet, sed ad vim prorumperet, satius esse, ut fœdus cum illo dissolvatur. Aliud esse, si Electori aut Landgravio vis inferatur, aut Civitati Magdeburgensi;* (quæ in protectionem, ut supra memoratum est, recepta fuit) *tunc enim jure resisti & adversus aggressores hostiliter agi posse.* Licet vero his literis dies non sit adscriptus, apparet tamen, post Comitia scriptas esse, quia decreti Spirensis mentionem faciunt. Alia consultatio subjuncta est, in qua suadetur Electori *ut Episcopis vicinis* (intelliguntur nempe Diœcesani, **so an seiner Churfl. Gnaden Land stoßen**) *scribat & testetur, se ob negligentiam, qua in officio suo hucusque circa negotium evangelicum versati essent, & ad præcavendos, qui ex diversitate doctrinæ oriri solent, tumultus, necessitate summa adigi, ut subditis de prædicatione verbi Dei, meliori, quo fieri possit, modo prospiciat. Ut autem ex abundanti appareat, nihil se desiderare, quam ut in ditione sua Evangelium ad salutem animarum placide & concorditer doceatur; rogatos & monitos velle Episcopos, ut ipsi in regionibus Electoris doctrinam evangelicam & pacificam ita promoverent, quemadmodum coram Deo & mundo officii sui ratione obligentur. Id si omittant, non posse Electorem in suis provinciis factiones & tumultus, aut contrariam Evangelio doctrinam diutius tolerare, neque peccati participem fieri, quod illi per negligentiam suam committerent.* Notabilis est scripti clausula *d. fol. 522. b.* **Solches / hielte ich / solte zu** meh-

(1) *de persecutionibus querela Lutheri.*

(2) *Fama de fœdere Pontificiorum contra Protestantes.*

(3) *Protestantes contrarium fœdus meditantur; non dissuadente Luthero, si in terminis defensionis persisteretur.*

(4) *Alia consultatio.*

An. 1526. mehrerm glimpff vor der welt / und zu mehrerm trost des Gewissens nicht unnütze seyn/damit man rühmen könne / es wären doch ja alle wege versucht/den Bischöffen/so viel es Gottes wort leidet/ zu willfahren. h. e. *Prodesse hæc crediderim ad majorem æquitatis demonstrationem apud homines, & ad solamen conscientiæ, ut gloriari liceat, nullam viam, quatenus per verbum Dei fas sit, tentatam non esse, ut Episcopis gratificemur.* Sequens consilium quod *d. fol* extat, & Luthero, Pomerano & Melanchthoni tribuitur, alieno loco relatum est; non enim ad annum 1526. sed 1528. & ad Pacciani tumultus tempora pertinet: de quo in illius anni historia dicendum est. Videntur autem neque Lutherus neque Principes ejus patroni, fœderum cognitionem tunc habuisse, quæ anno præterito inter Pontificem & Imperatorem, item ab eodem Pontifice cum Galliæ & Angliæ Regibus (ut §. *XII.* in fine retuli) pacta fuerunt, nec ejus, quod anno hoc 1526. Madriti, in liberatione Francisci Regis d. 25. Febr. initum erat; iis enim omnibus cautum fuit, ut Lutherana hæresis, quam vocabant, vi opprimeretur. Vide *Sleidan.* sub initium hujus anni, *Libr. VI.* & quos ille allegat autores. Ideoque non erat, ut de Cæsaris clementia aut moderatione bene sperari posset, nisi forte pactorum istorum formulæ, dicis & ostentationis causa, conceptæ esse existimarentur, ex more principum, qui causam Dei & religionis fere semper prætexunt, eam tamen obtentis utilitatibus, quas serio cupiunt, facile negligunt.

(5) *Annotatio de fœderibus contra Protestantes.*

ADDITIO.

(a) *Persecutiones duorum pastorum.*

Ernestus Dynasta Schonburgius ausus est hoc anno 1526. ex pago *Poniz*, qui hodie ad territorium Altenburgensis Ducatus refertur, tunc mixti cum Schonburgiis juris, vi militari *Georgium Drosdorffium* captivum abducere, cui deinde Glauchæ ad palum alligato, aures cum parte genæ abscissæ sunt, indictumque est perpetuum ex provincia Ducis Georgii exilium. Causa sævitiæ erat, quod cum æditiuus esset, conciones, loco pastoris ad eas inepti, haberet. Anno præterito Lubecensis Senatus *Johannem Osnabrugensem*, qui civibus cupientibus Evangelicam doctrinam prædicaverat, in vincula conjecit, frustra pro eo intercedente Electore Saxoniæ; Senatus enim Cæsarea mandata allegabat. Licet autem cives ad Lutherum denuo scripsissent, ut iteratam Electoris intercessionem procuraret, scripsit tamen hic ad Principem d. 2. Januarii hujus anni, sibi id consultum non videri, licet liberationem miseri vehementer desiderarent: esse enim in Senatu, qui rogando fierent deteriores. Der bauch würde ihnen groß / wenn man sie bitte. (*Reg. N. fol. 109. H. n. 42.*) Intercessit autem d. 26. Aprilis pro *D. Amando*, quem Georgius Pomeraniæ Dux carceri incluserat, prætexens, seditiose concionatum esse. Affirmat Lutherus innocentem esse virum, idque bonis testimoniis probari, nec sibi ignotum, & nuper VVittenbergæ exploratum fuisse.

§. XIX.

Superest ad pleniorem hujus anni historiam, ut de *scriptis Lutheri* agatur, dilatis quæ ad res Italicas pertinent, & ex hujus & sequentis anni gestis a Maimburgio conflata, paulo post exhibebuntur. Inducias quasdam hoc anno Lutherus cum Romanensibus habuit: nullum enim quod sciam adversus illos libellum edidit. Prodiere tamen cum ejus *præfatione & epilogo* Icones, ligneis tabellis utcunque insculptæ & excusæ, in quibus Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis & Clero, & fere sexaginta Monachorum & Equitum religiosorum ordinibus repræsentatur, subjunctis rhythmis, quales illo tempore (inculta adhuc poësi populari) fieri solebant, quibus origo, nomina & mores illorum describebantur, non sine sale. Neque Lutherus in prœloquio, brevi licet, tacet, quæ illis objici solebant, impuritatem & libidines, nundinationes missaticas, opum congeriem, fiduciam in externo & vario cultu, neglectum fidei & charitatis. In conclusione improbat monastica illa instituta omnia, ex dictis Pauli *Col. II. 16. ad fin. Per illa,* ait, *scopum nobis pessime sustulerunt, & vanas & inutiles fatigationes & cursitationes pepererunt* (wir haben müssen eitel vergebliche Fehl-läuffe thun) *multitudine cantionum, precum, jejuniorum, vigiliarum & laborum, quibus omnibus nullum alium proposuerunt finem, quam, ut gratia & vita per ea adquirerentur; Christum vero ex oculis nostris submoverunt, qui solus erat & est scopus, ad quem per verum fidem tendentes gratiam & vitam consequimur: opera illa ad carnis refrenationem, & ad promovendam charitatem erga proximum dirigenda fuissent; sed absque fide tantum inflant corda, ut Col. II. 18. Paulus testatur. Ita soli sancti sibi videbantur, cæteros omnes pro publicanis & peccatoribus habebant.* Hæc licet sæpe monita repeti nunc debere censet, quia misericordia divina, qua larva illa fucatæ sanctimoniæ sublata fuit, jam fere in oblivionem venerit, maxime vero, quia post nuper oppressum rusticorum tumultum altiores iterum Spiritus resumat clerus, & veteres abusus restabilire velit. *Scimus,* ait, *Deo insignem cultum a nobis præstari in abominationibus illis abolendis & in cinerem redigendis, absque ulla tamen violentia, solummodo verbis: Alacres igitur linguas, calamos & voces nostras ad id impendamus; & ego quidem sub initium novi anni hunc libellum, a piis viris missum, strenæ loco offero. Non est libellus famosus, sed publica censura publicæ impudentiæ & histrioniæ, quam Deus utique vult argui. Ideoque nomen meum adscribo, & ad respondendum legitime me offero, audeant modo me audire. Vide Tom. III. Alt. fol. 417.* Ex his simul tempus editi libelli colligitur, initium nempe anni 1526. quia & rusticæ cladis, ut non pridem factæ, & strenæ, meminit. Unde errasse oportet, qui Icones recuderunt, cum in frontispicio libelli liliata Farnesiorum insignia Pontifici appinxerunt: hæc enim ad *Paulum III* qui ex illa familia ad Pontificatum post annos octo evectus fuit, pertinent. At hoc anno 1526 qui libello *d. Tom. III. fol. 381. & seqq.* adscribitur, Papa erat *Clemens VII* Mediceis insignibus usus. An hic libellus inter eos fuerit, quos Maimburgius notat in Comitiis Spirensibus sparsos fuisse, & multum nocuisse, non ausim affirmare: Cochlæus enim (quem solito more secutus est noster) id non tacuisset. Hic vero unum saltem Lutheri libellum indicat, *fol. 148.* Sermonem nempe Teutonicum *de destructione Hierosolymorum.* Habitus autem is est *Dominica X. post Trinit.* aut hoc, aut præcedenti anno, quod verisimilius est. Nam, si hoc anno 1526. habitus fuisset, cum Dominica illa circa Idus Augusti celebretur, non nisi sub finem Comitiorum, exempla ejus Spiram potuissent pervenire, & verba Lutheri, cum dicit: *nuper intra Pascha & Pentecosten centum millia virorum ingenti strage periisse,* melius conveniunt anno 1525. Cochlæus, ut notatum est, Germanicum sermonem divulgatum esse scribit. Is habetur in Codice concionum Ecclesiasticarum; (Kirchen-Postill *edit. Luneburg. 1637. fol. 288.*) sed interpolatus & auctior; Latina versio, brevior tamen, neque cum verbis a Cochlæo rela-

(1) *Lutheri præfatio in Icones Pontificis & Cleri.*

(2) *Sermo de Hierosolymitano excidio.*

An. 1526. tis plane concordans, extat *Tom. VII. Lat. Wittenberg. fol. 269. & seqq.* Ad polemica autem scripta referri non debet, ut vel ex iis, quæ Cochlæus retulit, constare potest. Pia & pathetica est admonitio, ad agnoscendum tempus gratiæ, & seria comminatio futuræ cladis, universæ Germaniæ metuendæ; quæ si non omnino impleta fuit bello Smalcaldico, non ideo spernenda est Lutheri pietas, qui ex peccatis publicis & enormibus ingentem pœnam non potuit non conjectare aut divinare: neque vanitatis aut mendacii argui debet, si divina commiseratione malum illud mitigatum fuit. Alterius libelli, cujus Cochlæus *d. l.* meminit, autor non proditur, sed sub persona *Thesaurarii Ferdinandi Austriaci* latere voluit. Scriptionis autem hunc habuit scopum, ut, opes nimias cleri ad usus publicos impendi posse & debere, demonstraret. Id male habet Cochlæum, nec eo, quo propositum fuit, modo effectum est, quamvis, ut alibi monui, non Protestantes saltem, sed & qui Romanæ hierarchiæ se non subduxerunt, consilio illo in colligendo ex cleri opibus ære non raro uti sciverint, & adhuc, quoties res postulat, utantur. Cochlæus interim Glossam marginalem adjecit *fol. 149.* qua *illos maxime egere notat, qui maxima perpetrarint sacrilegia*; id est, qui in bonis ecclesiasticis mutationem fecerint. Verum illi censuræ, etiam a *Pallavicino* adoptatæ *Lib. I. §. CXL.* aliquatenus a me responsum est, & alibi respondebitur. Patere hinc putamus, non habuisse, nec Cochlæum, nec discipulum ejus Maimburgium, quod de libellis Lutheri hoc anno sparsis multum quæri deberent. Fuere, qui hoc anno scripta quædam Lutheri priora recudi curarunt, ut variationis eum reum facerent, quia nunc alia, quam primis cœptæ disputationis annis, in quibusdam capitibus docebat, fraudem etiam addiderant, ut hujus anni numerum libellis præfigerent; sed sprevit ipse futilem hominum nequitiam, ut ex literis *ad Amsdorfium* mense Decembri finiente scriptis constat, *Lib. II. pag. 321.*

(3) *Quadam de scripto Anonymi a Cochlæo allegato, & aliis.*

Cum Helvetiis etiam in quæstione de Sacramento Lutherus parum hoc anno habuit negotii. Scripsit tamen *die Jovis post Cal.* id est, d. 4. Jan. 1526. ad Reutlingæ (urbis in Suevia Imperialis) ecclesiam, ideo forte, quia Zuinglius (ut §. *XI.* retuli) cum Matthæo Albero, pastore illorum, commercium aliquod epistolicum habuerat. In epistola illa (*Tom. III. Alt. fol. 332.*) vehementer primum lamentatur *de violentia Principum adversus doctrinam evangelicam*, ut & *de plebis agrestis insolentia, qua sub specie promovenda doctrina non minus nocuerit, & immani labe reformationis consilia commaculaverit; sperare tamen dicit, hoc Satanæ astu, etsi adversus rusticos successerit, impediri non posse progressum bonæ causæ, & hujus honorem restitutum iri.* Deinde ad dissensionis intestinæ malum conversus, opiniones tres, quæ reali præsentiæ opponebantur, rejicit, & refutationem ampliorem promittit; interim cavere nova illa interpretamenta jubet, & verbis Christi clarissimis firmiter inhærere. In fine Alberum & collegas, ut fideles animarum pastores, illis commendat. De *syngrammate* Theologorum quorundam Sueviæ, quod Helveticæ opinioni oppositum fuit, ut & de *præfatione* Lutheri in ejus versionem diximus §. *XI.* Extat hæc *Tom. III. fol. 473.* absque die; apparet autem non solum ex ordine Tomi, sed ex epistola Lutheri *ad Joh. Agricolam* d. 18. Febr. 1526 data, (*Libr. II. Epistolar. pag. 311.*) illam hoc anno, mense eodem vel sequenti Wittenbergæ editam fuisse, cum ipso syngrammate, Germanice verso. In hac licet acriter reprehendat dissentientes, præsertim ob varias, & inter se, ut contendit, pugnantes interpretationes verborum Christi; ad argumenta tamen illorum nondum ex proposito respondet, sed id facturum se esse pollicetur quam primum licuerit, interim ea pro nihilo habet.

(4) *Lutheri epistola ad Reutlingenses, in quæstione Sacramentaria.*

An. 1526. Idem ad amicos hoc anno plus semel scripsit, dolens quod & in Silesia *Krautwaldus & Swenckfeldius* novo schismate contra præsentiam realem insurgerent. Vide *Lib. II. ep. p. 314. 315. b. 317. b. 319.* Nihil tamen hoc anno elaboravit, imo de quodam tædio, torpore & frigore suo, *ad Hausmannum* feria 2. post Simonis scribens, queritur, & hunc rogat, *ut pro se oret*, addit: *Hæc est ingratitudo nostra sive alia culpa, quanquam insignis ille contemtus verbi Dei etiam graviorem errorem mereatur mitti. Et verax nimis fui propheta talia præsagiens. d. l. p. 320.* Biduo ante, ipso die Simonis & Judæ ad *D. Froschium*, Augustæ Vindelicorum Evangelium docentem, scripserat: *Ardeo meam fidem adhuc semel profiteri, & illorum ludibria paucis verbis ostendere (nam ipsi non audiunt ultra.) Fecissemus dudum, nisi otium defuisset, & Sathan ipse me impediisset, dabo autem & Christo favente & vobis pro me orantibus, operam, ut prodeam.*

(5) *de Krautwaldo & Schwenckfeldio.*

Prius etiam *p. 319.* d. 13. Sept. *ad Hausmannum* scribens, *Provocatus sum* (ait) *ab Oecolampadio, paro scriptum, si otium esset &c. doleo ex corde Oecolampadium, tantum virum, captum frivolis & nihili argumentis; Deus misereatur ejus.* Refero hæc, non, ut infelicissimæ litis historiam contexam, aut momenta quæstionum tractem, quibus Ecclesiarum nostrarum sententiam propugnem: factum id est ab innumeris dudum & prolixe; sed ut appareat, qua mente Lutherus fuerit, quam invitus in arenam descenderit, & ut non oderit aut contemserit dissentientes, licet aliquando severius loquatur. Mirum sane est, virum acris ingenii, nec patientissimum injuriarum, post tot convitia, quibus doctrina de præsentia diffamabatur, (ut in *præfatione syngrammatis* vehementer queritur) tot menses tacere potuisse.

(6) *de Oecolampadio.*

Sermo tamen hoc anno ab eo habitus exhibetur *Tom. III. Alt. fol. 341. & seqq.* In hujus prima parte objectionibus tum grammaticis & Philosophicis respondet, & adductis variis præsentiæ modis, sententiæ suæ probabilitatem, populari quadam ratione, dein salutarem usum Sacramenti, & qua ratione confessio privata ante communionem retinenda sit, ostendit.

(7) *Sermo Lutheri de præsentia Christi in cœna.*

§. XX.

Venio ad ritus in Saxonia ordinatos. Edita est hoc anno ut §. *VII.* monui, descriptio celebrationis Eucharistiæ, quæ Wittenbergæ anno præcedente introducta erat. Præmittitur tractatus Lutheri *de formula Missæ* latine scriptus, anno 1523. editus & *Nicolao Hausmanno* dedicatus *Tom. II. Lat. f. 588. & seq.* de quo *lib. I. §. CXXXVI.* actum a me est: Germanice postea versus fuerat a *Paulo Sperato* anno 1524. quanquam sub finem tractatus & epistolæ ad Hausmannum, *Tom. III. Alt. f. 461.* per errorem adscriptus est annus 1525. Missus enim fuit ad Hausmannum die Barbaræ, id est, 4. Decembr. 1523. ut constat ex epistola Lutheri *Lib. II. p. 107.* Accessit autem anno 1525. nova ritus descriptio, quæ vocatur

(1) *Publicatur pars*

tur

An. 1526.

tertia Lutheri de formula Missæ.

tur *pars tertia*, & habetur *fol.467.* (*mendose repetito*) *& seqq.* Præfatur denuo Lutherus, & ut an. 1523. cœperat, iterum protestatur, *non id agi, ut lege certa & immutabili ritus Sacramenti præscribatur, sed libertati christianæ pro commodo & decore ecclesiarum locum esse debere. Quia tamen non omnibus datum sit, bonas formas præscribere, & quidam ex imperitia, quidam ex curiositate, minus decenter agant, uniformem nunc in urbibus saltem, aut locis vicinis, haud immerito commendari, salva tamen charitate & decenti libertate, remotaque meriti opinione. Procul itaque esse affectationem, ut omnes Wittenbergense exemplum sequerentur, aut ut illi, qui jam bene constitutos ritus habent, ad hoc exemplum eos mutent.* Deinde Latinam missam non putat penitus abolendam esse, sed tempore quodam & loco servari posse, ut & Wittenbergæ eo usque factum sit, & ut fieri possit, liberum maneat. *Nolle se latinam linguam ex cultu publico penitus exterminare: juventutis enim profectum a se præcipue spectari: imo, si Græca & Ebræa lingua tam nota esset quam Latina, & cantica illis linguis composita æque ac Latina essent, sibi gratum fore, si alternis vicibus missa Hebræa, Græca, Latina & Germanica lingua celebrari posset. Non placent, ait, qui uni linguæ dediti, cæteras omnes spernunt. Vellem, ut educare possem juvenes, qui etiam peregrinis in terris Christo servire, & cum incolis loqui possent, ne nobis accidat, quod Waldensibus in Bohemia, qui fidei suæ professionem ita constrinxerunt intra suæ linguæ carceres, ut cum nemine agere possint, qui illorum idioma non didicerit. Non id egit Spiritus sanctus in principio, non expectabat, ut ex toto orbe Hierosolymam venirent. Hoc exemplum malim sequi, & expedit sane juventutem in linguis instrui; quis scit, quem successum Deus sit aliquando concessurus? & ideo scholæ constitutæ sunt.* Notabile est hoc dictum, & animum viri ingentem, nihilque barbari, quod æmuli & hostes ei imputabant, sapit. Commonefacere etiam Principes posset, ut de propaganda religionis puritate apud exteros & promovendo linguarum studio tandem aliquando serio cogitarent. Non minus singulare est & consideratione dignum, quod paulo postquam Germanicam formulam, populi causa, omnino necessariam esse statuisset, subjungit; nempe *magno incommodo celebrationem missæ, seu sacræ Cœnæ in cœtu populi fieri, in quo plurimi nondum credant, nec Christiani sint*; (veri scilicet & fideles) *sed tantum spectandi causa adsient, ita ut quasi circumstantibus Turcis aut Ethnicis in campo quodam & sub dio sacra celebremus: Itaque* (pergit) *nondum ordinatus est cœtus, in quo secundum evangelium Christiani regantur, sed tantum publicum ad fidem incitamentum præstatur. Tertius nempe & verus evangelici cœtus modus esset, qui non publice sive promiscue, & admissa omnis generis plebe fieret, sed in quem coirent, qui serio Christiani essent, evangelium manu & ore profitentes; qui nomina sua in catalogum referrent, &, in domo quadam congregati, preces, lectionem, baptismum, & sacramenti usum, aliaque Christianorum exercitia instituerent. In hoc cœtu dignosci possent, emendari, corrigi, excludi, & excommunicari secundum regulam Christi Matth. XVIII. qui christiano more se non gererent. Hic collationes stipis spontaneæ fieri possent, pauperibus distribuendæ, exemplo Pauli II. Cor. IX. Hic non opus esset multis & longis cantionibus. Breviori formula baptismus & sacra Cœna peragi posset, omniaque ad verbum & preces ac charitatem dirigi. Hic brevis catechismus haberi deberet, de symbolo fidei, decalogo, & oratione dominica. Summa: si homines adessent, qui serio Christiani esse vellent, facile ordinatio & modus fieri & præscribi posset. Nolo tamen, nec possum, cœtum talem ordinare, neque enim habeo, qui sint idonei; si vero res ferat, & conscientia urgeat, ut id faciam, non deero officio & præstabo, quæ potero lubentissime. Interim tenendi sunt duo illi modi,* (Latinæ nempe & Germanicæ liturgiæ) *ut servetur cultus in populo, juventus exerceatur, & ut alii ad fidem invitentur, huic fini etiam conciones fiant, donec Christiani, quibus verbum cordi est, ipsi se præsentent: alias schismata & conventicula* (Rotteren) *fierent, si meo arbitratu tale quid instituerem.* Addit querelam de barbarie & ferocia populi, qui nisi magna necessitate domari & regi non posit. Respexit vir summus ad primitivæ Ecclesiæ fervorem & disciplinam, & modum aliquem pro vastitate ingenii & profunda pietate animo versatus est, qui, optabilis licet, ob corruptionem tamen per tot secula invectam sine periculo majoris incommodi obtineri non potuit. Sed hac de re tractare hic non licet. Progredior ad ea, quæ post præfationem illam Lutherus proposuit. Primum opus esse ait Catechismo, & quidem *rudi, populari, simplice*; (ein grober/ schlechter/ einfältiger) manet enim in hypothesi illa sua, & ad cœtum, non qualem optat & sperat, sed qualem tunc habuit, sese accommodat. Vult vero maxime doceri in catechismo illo *decalogum, Symbolum* Apostolicum, & *orationem dominicam*; huc enim fere redire omnia: addit modum in templis & domi ea inculcandi, non tantum, ut ediscantur, sed ut etiam explicentur, & per quæstiones intellectus discentium informetur. Colligi deinde suadet, quasi per ludum, ad juventutis instructionem, dicta Scripturæ, duobus veluti sacculis: in uno, quem *aureum* vocat, quæ ad fidem pertinent; in altero qui *argenteus* dici posit, quæ ad charitatem: singulos vult duos veluti loculos habere: Ad *fidem* enim requiri primo, ut agnoscamus peccata & corruptionem nostram; hinc, ut *aureos nummos*, recondenda dicta. *Rom. V. 17. Ps. LI. 7.* Dein, ut redemtionem & salutem in Christo quæramus *Rom. IV. Joh. I. 29.* Ad *charitatem* primo, ut omnibus serviamus & benefaciamus. Sic, ut argenteos nummos, custodiri posse, dictum *Gal. V. 13. per charitatem servite invicem.* Item *Matth. XXV. 40.* Secundo, ut afflictiones patienter feramus, *Matth. V. 10. Hebr. XII. 6.* subjungit: *Nemo nasutus hæc, ut puerilia, irrideat, Christus homines erudi**turus, homo factus est; Qui pueros erudire vult, repuerascere debet. Utinam hic ludus sedulo exerceretur, brevi colligeretur thesaurus hominum Christianorum, & ditescerent animæ in Scriptura & agnitione Dei, ipsique discerent ex loculis illis locos communes facere, totamque Scripturam in eos congerere. Nunc quotidie frequentant conciones, & exeunt sicut intrarunt, putant enim nihil aliud requiri, quam ut tempus illud auscultando transeat; nemo laborat ut aliquid discat & retineat. Sunt, qui tres aut quatuor annos conciones audierunt, neque tamen interrogati ad ullum caput fidei respondere possunt; hoc quotidie experior: satis relatum & scriptum est in libros, sed parum in corda.* Hæc illo tempore Lutherus. Conferantur ista cum nugis, quibus cathedræ

(1) *Consilium de Linguis in Ecclesia retinendis, & exercendis.*

(3) *Aliud consilium de cœtu piorum accuratius formando.*

An. 1526.

(4) *de Catechismo pro rudibus & pueris.*

(5) *commendatur ejus utilitas, & ab adversariorum calumniis vindicatur.*

An. 1526. dræ ecclesiasticæ ante Lutherum personabant, & consideretur neglectus, quo populus a cognitione credendorum & agendorum, quæ ad verum Christianorum officium pertinebant, repulsus, ad pompas & gesticulationes inanes, imo ad superstitiones manifestas prolapsus erat, & inde æquum fiat judicium, de consilio & instituto Lutheri. Sane si Episcopi oblata etiam hoc anno occasione utentes placide atque pie ad statum Ecclesiæ & salutem populi respicere voluissent, acceptare ista, aut alia eodem tendentia, summa cum sui laude potuissent; sed aliter visum esse Deo, eventus docuit. Patet interim, quo jure nitantur convitia, quibus excepti sunt pii conatus, & quam injustæ fuerint persecutiones, quæ in reformationis autores parabantur. Ex provinciis vero & civitatibus, quæ ista Lutheri rudimenta, a majoribus avide & summo cum gaudio excepta, perfectius non excoluerunt, sed fortassis neglexerunt, iique maxime, qui pastorum munere funguntur, excitari se his lectis, si rogare eos fas mihi est, patiantur, ut *catecheseos* utilitatem agnoscant, & deposito tædio & contemtu, nihil agere se posse sibi persuadeant, ad animarum salutem conducibilius, quam, si populi instruendi curam sedula catechisatione, placide etiam & circumspecte, exerceant, simulque vitæ suæ exemplo ostendant, quatenus progredi homini Christiano in pietatis cursu liceat.

(6) *Adhortatio ad nostrates de catechisatione.*

Quod ad ordinem cultus sive *Liturgiam* attinet, formula quam Lutherus *dicto loco* proponit, & Wittenbergæ observari refert, lectu est dignissima, quanquam pro diversitate regionum, & secundum publicatas Constitutiones ecclesiasticas multa hoc tempore aliter observentur. Notari merentur inter alia, quod diebus Dominicis aut festis, hora quinta matutina pro concione explicabatur *lectio*, quam vocant, *Epistolica*: ad eam conveniebant fere famuli & famulæ, qui reliquo tempore antemeridiano domi manebant; hora octava inter solennia missæ *Evangelii* interpretatio fiebat. Notat autem Lutherus, retentam esse veterem *Epistolarum & Evangeliorum* distributionem, quia non multum reprehendi in illa possit, & quod Wittenbergæ nunc studiis Theologicis operam dent, quos postmodum in locis concionari oporteat, ubi iste ordo *Evangeliorum & Epistolarum* adhuc observetur. *His itaque absque damno nostro* (ait) *prodesse possumus, neque tamen reprehendimus eos, qui integros Evangelistarum libros tractant. Sufficere illa plebi possunt; qui vero plura desiderant, reliquis diebus audire illis licet explicationes alias, nempe die Lunæ & Martis, decalogi, symboli Apostolici, orationis Dominicæ, baptismi, & Sacramenti eucharistici: die Mercurii Evangelistæ Matthæi integri: die Jovis & Veneris epistolarum Apostolicarum, & quod restat ex Novo Testamento: Sabbatho post meridiem, Johannis Evangelistæ: sed die Dominica, post meridiem, conciones habebantur ex Veteri Testamento.* Cantiones etiam indicantur, tum Latinæ, tum Germanicæ: ut & quotidiana puerorum, qui scholas oppidanas frequentabant, exercitia, in templis ante conciones, diebus non feriatis, habitas. Cantabant autem pueri Psalmos quosdam Latinos, qui olim in matutinis psallebantur, dein caput Biblicum Latinum duo aut tres, per vices sibi succedentes legebant: (ut retineretur usus Latinæ linguæ) idem caput alius legebat Germanice, in gratiam eorum, qui forte ex populo adessent: post concionem, pueri cum populo canticum Germanicum canebant, & postquam tacite orationem Dominicam recitassent, accepta benedictione sacerdotali, cum formula, *benedicamus Domino*, sacra finiebant. A meridie, *vesperarum*, quas vocant, tempore, eadem, nisi quod concio non haberetur, fiebant, & brevius. Missam, (ita vocat Eucharistiam sive sacram communionem) die Dominico vel festo celebrandam, describit *fol. 471.* Tolerari adhuc dicit vestes sacras, & lumina, ut & altaria, mutari tamen hæc successu temporis suadet, & ut sacerdos non aversus ad altare, populum semper respiciat. Id postea in plurimis locis institutum fuit, in non paucis autem vetus mos duravit. Porro cantus modum & precum, tum ordinem legendi Evangelium & Epistolam, aliaque describit. De concionibus ita sentit, ut magis tutum & utile esse judicet, si homiliæ seu explicationes (quas *Postillas* vocant) populo prælegantur, revocato more, cujus reliquias ex prælectione veterum homiliarum in matutinis superesse notat, idque ob periculum ab imperitia concionatorum, & ad cavendas hæreses. Ait enim: *Ubi non est intellectus spiritualis, nec Spiritus ipse loquitur per concionatores, (illis nihil præscribo, quos Spiritus absque Postillis & homiliis loqui docet) eo tandem res deveniet, ut quilibet, loco Evangelii & interpretationis ad fabulas & nugas relabatur* (sive, ut proverbio tunc usitato exprimit, **daß wiederum von blauen Enten gepredigt wird**) *Ex hac etiam causa* (pergit) *Evangelia & Epistolas, ut in Postillis reperiuntur, servavimus, quia pauci sunt concionatores donis Spiritus instructi, qui totum aliquem Evangelistam aut alium librum sacrum, solide & efficaciter interpretari possunt.* Hæc quidem eo tempore in mentem venerunt Luthero, cum admodum pauci essent ad ministerium ecclesiasticum, quale ille exigebat, idonei; eo tamen faciunt, ut appareat, quanta cura requiratur, ut recte instituantur, qui alios docere debent, & ut continua inspectione in officio contineantur. Certe experientia in omnibus cœtibus, diversarum licet religionum, docet, quid etiam hodie a concionatoribus peccetur & desiderari possit.

(7) *Ordo cultus publici in Ecclesia Wittenbergensi.*

An. 1526.

(8) *de sacra communione, speciatim Wittenberga.*

ADDITIO.

Tres potissimum rationes hujus consilii a Luthero allegantur. *Prima* ex necessitate temporis sumitur; deficiebant enim tunc, qui docte & utiliter concionari possent; *altera* ad morem veteris Ecclesiæ respiciebat, qui tamen usque adeo certus & universalis fortasse non fuit, ut pro lege & regula allegari possit: *tertia* ex periculo deducitur, ne iterum fabulæ & nugæ populo obtruderentur. Addi potuisset *quarta*, tutius esse ex charta recitare, ne quid non præmeditatum & persona atque munere loquentis indignum excideret. Hinc enim fit, ut doctissimi quique in Academiis malint de scripto, quam memoriter, verba facere, idemque a multis concionatoribus in Anglia observari solet. Interim Lutheri consilium in Ecclesiis nostris successu temporis rejectum fuit, aucto eorum numero, qui memoriter concionari potuerunt, & quod vulgo indocti aut pigri habentur, qui ex charta legunt. Habet sane commoda sua pronunciatio ex memoria, majoremque gratiam & gestuum libertatem; sed nec incommodis caret. Lingua sæpe mentem præcurrit, deficit (senioribus præsertim) memoria, facilior est affectuum, clamoris, gestuum excessus. Prævaluit tamen consuetudo, & plerique etiam cœtus, rudes licet & agrestes, aversantur recitatores, & querelas adversus eos movent, ut ex actis visitationum constat. Contrarium interim exemplum annotavit *M. Christoph. Heinr. Loberus*, Superintendens Orlamundanus, in edito anno 1689. indice historico pastorum suæ diœcesis, & refert, incolas pagi *Eydersdorff* ad Salam, non probasse con-

(a) *Lutheri sententia de homiliis prælegendis.*

An. 1526.

concionem pastoris sibi circa annum 1605. præsentati memoriter habitam, allegantes, defunctum Postillas Lutheri (quas ab ipso acceperat) prælegisse, & se certos fuisse, vera esse, quæ prælegerit; dubitare autem, pro simplicitate sua, de iis, quæ nunc successor ex memoria declamaret. Non deessent, quæ in utramque partem disputari possent; sed alterius loci sunt. Negari tamen nequit, in quibusdam Orientis regionibus, servata prælectione homiliarum veterum, multoque magis ipsius textus sacri, primarios fidei articulos propagatos, multosque errores, concionatorum licentia alibi invectos, evitatos fuisse.

Formula exhortationis ad communicantes continet *paraphrasin orationis Dominicæ*, quæ tamen paucis in locis hodie retinetur: mansit brevis illa, quæ tum secundam exhortationis partem constituit. Indifferens esse dicit, an ea pro suggestu (quod olim suetum fuisse putat) an apud aram legantur; suadet tamen, ut non multum varietur vel sua vel alia formula, ne simpliciores turbentur. Sequitur *Germanica verborum institutionis versio*, quæ antea nunquam nisi Latine pronunciabatur. Ea pronunciatio vocatur ab illo Germanice das Amt (*officium*,) & *consecratio*, veteri vocabulo, cujus originem & explicationem fateor me nescire die dürmung. Monet autem, sibi rectius videri, ut benedictionem sacri panis sequatur ejusdem distributio, tum calicis benedictio & distributio succedat: ita enim loqui S. Lucam & Paulum; sed neque hoc usu probatum est. Elevationem dicit se adhuc esse retenturum, significari enim commemorationem Christi & convenire cum cantico: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (*Esai. VI.*) quod carmine Germanico expressum exhibet. In *epilogo* profitetur, se nunc præcipue ad juventutis assuefactionem, & ad simpliciorum profectum respexisse, nam veteri ritui & abusui deditis aut omnia fastidientibus, nihil facile, quod diu placeat, proponi posse. In Festis *Natalis Domini*, *Paschali*, & *Pentecostes*, deficientibus cantionibus Germanicis, nondum mutari posse Latinas notat; primitias has esse & rudimenta quædam ceremoniarum, neque omnia, quæ requiruntur, parata esse; *Quadragesimæ* tempus cum festo *Palmarum* & hebdomade sacra manere vult, neque tamen cogi homines ad jejunia, ineptas quasdam ceremonias, das hungertuch / Palmen schliessen / bilder decken & alia ejusmodi scenica (quorum memoria apud nos plane intercidit) aboleri debere, sicut & quadruplicem passionum cantum, & octo horarum concionem, die Veneris ante Pascha; Communionem etiam non præcipi aut exigi præcise illo tempore, sed liberam esse debere; omnia ex emolumento cœtus æstimanda, & quæ fastidiantur, & ad fidem & charitatem non proficiant (id quod de ritibus, Pontificis lege huc usque injunctis, manifestum esse asserit) mutanda esse; omnium enim legum talium dignitatem, efficaciam & veritatem in usu salubri consistere, absque illo nihil valere. Patet hinc, quantum tunc unius viri cura præstitum sit, nec dubitari potest, quin, nisi restitisset invidia & sævitia eorum, ad quos veteri more talia pertinebant, communicatis consiliis, melior in multis forma stabiliri potuisset, sicut & multa, docente usu, & ex cœtuum commodo, secutis temporibus exculta & mutata fuerunt. Interim talia erant, quæ pro illius temporis conditione, & cum veteribus qui irrepserant, ritibus comparata, ad profectum plebis plurimum conferebant.

(9) *de precationibus & cantionibus; de jejuniis, & ceremoniis quibusdam ineptis.*

§. XXI.

An. 1526.

Pergo ad Exegetica. *Commentarium* composuit hoc anno *in Prophetam Jonam*, nescio, an pro concione prius tractatum; Latina versio, autore *Justo Jona*, habetur *Tomo IV. Lat. Wittenberg. fol. 404.* In præloquio, satis, ait, temporis consumtum esse, refutandis fanaticis: nunc vitatis, quantum fieri possit, quæ Satanas objecit, impedimentis, ad sacrarum literarum explicationem redeundum. Ab alia parte persecutiones ingruere; adversus has meliora solatia quæri non posse, quam ex Scripturis, nec parum ad rem facere exemplum servati in ventre balænæ Jonæ, & conversæ Ninivitarum civitatis. Addi possunt, quæ supra *§. XVII.* ex præloquio hoc excerpsi. Egregius est, magnaque cum utilitate legi potest commentarius iste, relatus *Tomo III. Alt. 351. ad 379.* Sed non possunt ex eo nisi paucissima, & speciminis saltem gratia, annotari. Ad *cap. I. v. 3. f. 155.* ubi disquirit, an peccaverit Jonas, injunctum sibi a Domino concionandi munus fugiens? sanctos Patres olim propensiores justo fuisse notat, in Prophetis & Apostolis ab omni culpa absolvendis, licet id absque violenta sensus Scripturarum contorsione facere non possent. Laudat quidem modestiam, sed præstare, lapsum Prophetæ hujus, ut & aliorum Sanctorum, agnoscere, quam clara Scripturæ loca duris interpretationibus dubia facere. *Ibid. fol. 157.* Jonæ exemplo, de Ninivitarum conversione forte dubitantis, & ideo concionari illis nolentis, ostendit, quam fallax aliquando sit præsumtio de Ecclesiæ cœtu externo, quasi in illo solo pii & pœnitentes inveniantur, quemadmodum olim difficilimum fuerit, Christianos alibi, quam sub Papa quærere. Ad *vers. 5.* ubi vectorum in navi quisque Deum suum invocasse dicitur, pulchre disserit de cognitione Dei naturali, qua in universum cognoscatur, quod Deus ens sit, a quo in omnibus necessitatibus terra marique auxilium peti possit, & a quo omnia bona veniant. Hoc lumen & hunc sensum in animis hominum opprimi & extingui non posse, etsi Epicurei, ut id facerent, enixi fuerint, conscientiam tamen repugnare. Ita negat, dari atheos theoreticos, ut loqui solemus. Duos tamen maximos in hac cognitione naturali defectus notat: unum, quod sola illa præditi fidem firmam & certam non habeant de bonitate Dei, sed in dubitatione versentur; alterum, quod in eligendo, quod colunt, numine fallantur, indeque fiat, ut cultum a vero Deo ad creaturas & idola vertant. Vide *f. 359.* Ad *cap. II. 2. fol. 366.* orationem Jonæ in ventre piscis non iis verbis expressam, quæ nunc leguntur, sed quoad sensum solum relatam esse existimat; nam in summa illa angustia de verborum ordine cogitari non potuisse. *Fol. 367.* de loco inferni nihil certi se scire profitetur, nam diabolos, etsi vinculis ad tartarum constrictos, *II Petr. II. 4.* dominari tamen, ut principes & potestates sub cœlo *Eph. VI. 12.* & a Christo vocari *principes mundi Joh. XIV. 30.* Post judicium vero extremum certum locum sive *ubi*, futurum esse, non dubitat; interim majores jamdum esse damnatorum pœnas, quam mente concipi possint. Commentarius in prophetam *Habacuc* non minoris æstimandus est & eruditionis & pietatis; Extat *d. Tom. III. fol. 418. ad 450.* Latine autem versus *Tom IV. Lat. Witt. fol. 622.* Monet ab initio *fol. 418.* a tempore Apostolorum non reperiri satis claram hujus Prophetæ explicationem, sed ob diffi-

(1) *Commentarius Lutheri in Jonam.*

(2) *Excerpta quædam, de culpa Jonæ.*

(3) *de cognitione Dei naturali.*

(4) *de oratione Jonæ, & alia quædam.*

(5) *Commentarius in Habacuc.*

An. 1526. difficultatem linguæ Hebraicæ, aut alias causas neglectum fere ab Interpretibus fuisse, interim orationem ejus *cap. III.* quotidie fere in precibus cleri recitari, sed absque intellectu. Notat etiam, de stylo & dispositione propheticorum scriptorum non esse judicandum ex legibus artis: prophetas enim turbato sæpe ordine, iisque verbis, quæ confusa, imo stolida videantur, uti; interim, cum a Spiritu Sancto inspirati loquantur, pro sapientissimis haberi debere, quæ dixerunt, & culpam nostram esse, qui ad ea non satis diligenter attendamus. Ad *Cap. I. 2. fol. 421.* ex querela Prophetæ de infelici precum & desideriorum suorum successu, solatium quærit sibi & aliis, qui vident, doctrinam suam tam parum ad emendationem proficere, imo homines per eam fieri deteriores. *Concionatores,* ait, *cum novi sunt & recentes ex fornace seu officina prodeunt,* (wann sie neu sind/ und erst aus der esse kommen) *omnia, quæ dicunt, magnum & celerrimum putant fructum & effectum habitura esse,* (es solle so bald hände und füsse haben/ wenn sie was sagen/ und flugs alles geschehen und geändert werden) *sed multum deest, & plurima prophetis, imo ipsi Christo, non successerunt.* Paulo post *fol. 422.* Prophetæ censuram in Regem & Magistratus absque rebellionis aut blasphemiæ crimine fieri potuisse notat; observat etiam plerasque pœnas publicas, Deo ita dirigente, in principes redundare, incolas vero regionum tenuiores fere servari, qui tandem non multum curent mutationes dominorum, & sic exerceri, quæ virgo Deipara canit; *Deposuit potentes.* Ad *v. 5. fol. 424.* cum inter causas destructionis Hierosolymitanæ a Propheta prædictæ vanam illam notasset persuasionem, qua Judæi de origine sua legibusque & sacris a Deo institutis, gloriantes, ab exitio tutos se esse autumabant, negligentes interim veram fidem & spiritum, gravissimam addit applicationem: *Hæc omnia* (scribens) *nobis quoque dicta sunt, qui nomen & speciem Christianorum gerimus, gloriamur de baptismo, aut de prærogativa præ gentibus & Judæis, & tamen absque fide & spiritu sumus, non minus atque illi. Ita fiet, ut nos eodem modo pereamus per illos, quos nunc contemnimus, & nobis deteriores æstimamus, quemadmodum Judæi per Chaldæos subversi sunt.* Ad *vers. 11. fol. 427.* superbiam mentis humanæ successu prospero elatæ describens, ex nupero bello rustico argumentum sumit. *Meretur* (ait) *id exemplum æterna memoria conservari. Cum enim rusticis succederent quæ intendebant, quantum bone Deus! superbia, insolentia & gloriationis omnisque licentiæ in iis conspiciebatur! Nihil audire nec respicere volebant, nullum modum nec mensuram ponere, obstinata cervice ad omnia pertendere, efferri super omnes. Quam dejecti tunc & trepidi erunt proceres & magistratus, qui antea ut leones ferociebant, non animus, non gloria supererat, omnes fuga & timore replebantur. Conversa nunc fortuna, vincentibus dominis prostratis colonis, mutatus utrinque animus est, nec modus servatur. Domini tam elati sunt, ut nesciant, quomodo ultioni suæ ad satietatem usque indulgere possint; subditi tam timidi, ut quid agant, plane nesciant.* Addit omen *p. 428.* de cessatura Episcoporum & persecutorum violentia, quos post cladem agrestium in Evangelii confessores mira sævire dicit insolentia. Eadem fere *fol. 438.* repetit, ut supra *§. XVII.* notavi. *Fol. 431. ad v. 14. & 15.* de lætantibus ob devictos Judæos Babyloniis, & quod Deus istam hostium gloriationem ferre videretur, hanc subjicit comparationem: *Deus,* ait, *est veluti magnus archimagirus, magnam habet culinam, saginat animalia magna, id est, reges & principes potentes; pabula illis opipara præbet, tribuit abundanter opes, gloriam, voluptates; sinit eos gaudere & exultare etiam super colla & corpora piorum, sive liberorum suorum, ut Herodiadis filia saltavit super capite S. Johannis Matth. XIV. 6. & sicut mundus gaudet, flentibus Apostolis.* Catastrophen alibi describit. Ad *cap. II. 4.* defendit versionem, *justus ex fide vivit,* licet in textu Hebræo dicatur *emuna,* quod interpretari volunt *veritatem,* sed præferendus est (ait) S. Paulus, qui vertit *fidem, Rom. I. 17.* & fides dici potest veritas, quæ veritatem Dei apprehendit, & cum illa unitur. An. 1526.

(6) *de fervore intempestivo concionatorum.*

(7) *de censura in magistratus;*

(8) *de vitanda præsumtione ex opinione externi cultus.*

(9) *item contra vanam elationem ob successum, exemplo rusticorum nuper tumultuantium.*

(10) *Annotatio ad dictum:* justus ex fide vivit.

§. XXII.

Vergente ad finem anno, postquam Ludovicus Hungariæ rex occubuisset, *expositionem quatuor Psalmorum,* nempe (secundum computum Hebraicum) *XXXVII. LXII. XCIV. & CIX.* conscripsit, & Mariæ Austriacæ, Regis viduæ, Caroli Imp. & Ferdinandi, qui in regnum Hungariæ successit, sorori inscripsit. Vide *Tom. III. fol. 487. ad 515.* In epistola dedicatoria *Cal. Nov.* data, lætum se antehac intellexisse scribit, Reginam Evangelio favere, annitentibus tamen impiis, ut loquitur, Episcopis, qui plurima, ut ait, in regno possident & valent, factum esse, ut suppliciis adversus innocentes & contra ipsam veritatem divinam res gereretur. Petiturum se tunc fuisse, ut alacri animo causam verbi divini in regno promoveret; nunc vero intellecta atroci Regis morte mutasse propositum, & solatia illi proponere se decrevisse, quæ ex sacris Scripturis omnium validissima & optima peti possint. Multa ex commentario in Psalmos istos notatu digna excerpi possent, sed prolixitas vitanda est. Mascule alicubi adversus Romanum pontificatum causam suam agit, *Joh. Hussum* etiam magno ornat elogio, ejusque innocentiam jam adversus omnem potentiam cleri publice ait celebrari *fol. 494.* De fragilitate humanæ potentiæ, & vana in eam fiducia ad *vers. 10. Ps. LXII.* egregie disserit; ubi enim vulgatus interpres vertit: *mendaces filii hominum in stateris;* ipse, ex fontibus Hebræi textus, hunc expressit sensum: sie wiegen weniger/ denn eitel/ vel ut postea in editione Psalterii Germanici emendavit, sie wiegen weniger denn nichts/ *minus nihilo pendent aut valent.* Hoc paradoxon non inscite ita explicat *fol. 499.* *Quomodo minus, quam nihil, pendent aut valent? quid minus esse potest nihilo? Respondeo, quod nihil est, neminem fallit, sed qui rei alicui confidit, quæ nihil est, duplex damnum patitur, primo enim nihil invenit, deinde eorum, quæ impendit, jacturam facit. Qui plane nihil habet, ex simplici illo nihilo nullum sentit damnum, quia nihil in illud impendit; sed qui hominibus fidit, & eos in nihilum redigi sentit, perdit etiam, quæ fiducia illa nihili egit aut speravit. Recte igitur dicitur, minus esse homines, quam nihil. O miserrimam omnium hominum gloriam, quod ipso nihilo minus valeant.* Psalmum CIX. *de Christo, Juda, proditoris sui scelus, deplorante,* cum interpretibus aliis intelligit; accommodat tamen ad afflictiones fidelium membrorum Christi. Quærit ab initio *fol.*

(1) *Explicatio quatuor Psalmorum, Mariæ Hungariæ reginæ dedicata.*

(2) *Excerpta ad Psal. LXII, 10.*

(3) *ad Psal. CIX. quædam.*

An. 1526. *507. cur Christus, qui vetat hostibus maledici, tam male precetur Judæis?* & respondet, *charitatem non maledicere, sed fidem. Illa* (ait) *circa homines, eorumque personas occupatur, hæc Deum & causam pro objecto habet. Pro Deo itaque & causa Dei fides zelum exercet, irascitur, execratur & maledicit. Itaque cum impii persequuntur Evangelium, nulli locus est gratulationi & benedictioni, alias nec heresi contradicendum, nec errores execrandi essent. Hæc maledicta fidei effectus sunt,* glaubens-fluche. *Nam fides pro verbo Dei tanto ardet zelo, ut totius mundi interitum potius quam verbi, optet; hoc enim amisso, nihil reliquum est, & Deus ipse amitteretur.* Circa finem, ubi de miseria, imbecillitate & contemtu Christi *v. 24. & 25.* agitur, notabiliter observat, *fol. 514.* idem fatum experiri pios Christi discipulos & pastores, ut vix panem, quo alantur, habeant, summamque patiantur inopiam & miseriam. *At falsi doctores, & qui mundum decipiunt, magnos possident principatus. Non alit Christum, neque qui Christi sunt, mundus, nullas illis opes, nullos honores, nec vitam destinat, aut suo promovet favore, sed penuriam, angustiam & miseriam, ignominiam, opprobrium, dolorem & mortem.* Et paulo post: *Nemo existimet, omnes principes & magnates veros futuros esse Christianos; sed pro certo habeat, quod plerique, & quidem maximi & altissimi persecuturi sint Christum ejusque verbum & pios sectatores:* Allegat Psalmum II, & hoc quasi munus aut negotium illorum esse dicit, ut Deum & Christum impugnent. Sed addit: *evenit etiam iis, quod merentur, ruuntque & devolvuntur præcipites de sedibus suis.* Sie stürtzen und bortzeln herunter / *unus post alium, ut eodem Psalmo & alibi docetur. De Maria Reginæ* propensione ad puriorem doctrinam præter hoc Lutheri testimonium alii etiam autores fidem faciunt; Erasmus inprimis: memorabilis enim hujus est, si qua alia in toto volumine, epistola ad *Johannem Henckelium*, ejus concionatorem, hoc ipso anno, vivo quidem adhuc Ludovico Rege, *Non. Mart.* scripta, quæ legitur in volumine Londini excuso *Lib. XVIII. ep. 25.* in Basileensi *fol. 583. 584.* In hac, postquam de doctrina Evangelii, cui favere, & de Luthero bene sentire Henckelium deprehenderat, miro artificio & gyro verborum & sententiarum utitur, ut mentem involvat, neque ei, cui scribit, displiceat. *Quam potens res & amabilis* (ait) *sit Evangelium, declarant hæc tempora, quibus conspicimus orbem ad auditum Evangelii nomen velut e lethargo expergisci, ac veternum excutere. Quid, si mundus videret in Evangelistis mores & animum evangelicum?* Ita, ne nimium tribuere Evangelii præconibus videatur, mores eorum sugillat. Narrat postea, *ut ab hominibus contemtis, & juxta mundum etiam infamibus excitatus fuerit mundus, ceremoniis & humanis præscriptis, veluti mandragoris, indormiens;* nec diffitetur, *cum summo applausu prædicatam fuisse majestatem & autoritatem incomparabilem Scripturæ divinæ; & recte inculcatum esse, fiduciam omnem in Deum transferendam, damnata virium humanarum fiducia, & optabile nomen Evangelicæ libertatis prælatum fuisse; pro bonæ etiam conscientiæ signo habitas esse querelas & censuras masculas in curiam Romanam, & monachorum jam intolerabilem tyrannidem & in theologos sophisticos & absque Christo doctos.* Addit de Luthero, & bono ex ejus nomine augurio, quæ *Lib. I. in Addit. ad §. L* retuli. Progreditur ulterius, & *auctum ejus favorem esse* agnoscit, *ineptia refutantium, & sævitia persequentium. Se* profitetur *inter applausores & exsibilatores medium mansisse, prævidisse enim tumultum; Lutherum ad modestiam ante annos quinque adhortatum esse*, putatque *eum suo hortatu quædam plausibilius scripsisse, in Psalmos* nimirum aliquot, in *orationem dominicam*, & *de quatuordecim spectris.* Vanus tamen fuit Erasmus, dum jactat, *Lutherum hæc suo monitu scripsisse*, oblitus, quod quædam prius ediderat, quam Erasmus ei scripsisset, & quod ipse in prima ad eum epistola, istorum aliqua laudasset. Nec sincere agit, quod non alios libros Lutheri exegeticos, inprimis *commentarium in Epist. ad Galatas*, omnium piorum per Europam plausu exceptum, laudat. Imputat eidem (quod nunquam non facit) convitiandi libidinem & scurrilitatem, & hinc incepisse se dicit de spiritu ejus dubitare: mox etiam hæc emollit, scribens: *Non desinam tamen optare latum aliquem exitum hujus tragœdiæ, undecunque natæ, quomodocunque progressæ; video enim fore, si victoria cederet quorundam affectibus* (id est, Romanæ curiæ propugnatoribus) *quod Lutheri ruina multas res optimas secum traheret in exitium: sicut jam frigere incipiunt linguæ, & bonæ literæ, intolerabili invidia ob Lutherum, depravatæ.* Jam etiam excessus Luthero impingit: *Scholasticam theologiam, quæ corrigi, non extingui debuisset, obsolescere, disciplinas liberales fere omnes emori.* Quod postremum manifesto falsum est, neque enim unquam lætius in Germania effloruerunt, quam post progressum reformationis, & pacem Ecclesiæ puriori partam; neque Scholasticæ theologiæ sobrius usus fuit extinctus. De licentia morum justius queritur, sed illa alias, quam a doctrina, causas habet. *Spem* deinde *se fovere* ait, *duro hoc remedio, & a sævo chirurgo curatum iri inveteratum Ecclesiæ morbum.* Id quomodo intellexerit, alibi notatum est. Interim neque de Luthero ipso spem despondet, licet *scurriliter in refutatione diatribes contra se debacchatum esse* (injuste tamen) lamentetur. Pro argumento autem spei suæ affert, quod *jam aliquot in locis novi oriantur Evangelistæ, qui placide, prudenter, & evangelico spiritu prædicent Evangelium, nec in dextram nec in lævam declinantes, quibus sic placeat evangelica veritas, ut displiceant tumultus, laxataque rerum compages; quique doctrinam suam vitæ integritate ac morum lenitate commendent, nec misceant evangelistæ personam cum persona scurræ.* Hunc igitur characterem *Henckelio* tandem tribuit, & Reginæ gratulatur, quod ejus ministerio uti possit. Hæc quanquam per digressionem & paulo longius inserta, non tamen prorsus aliena sunt ab hujus anni historia, quo & Lutherus & Erasmus ad Reginam aut ejus Theologum scripserunt, diverso licet affectu & spiritu. Nam Lutherus de media illa via, Erasmo tantopere laudata, dudum desperaverat, adeoque scapham scapham appellabat, quod Erasmo scurrile visum est; sed eventus demonstravit, nihil effecisse, neque Erasmum, neque alios ejusdem calliditatis aut teporis, qui aut dissimulatis in disciplina & doctrina intolerabilibus malis, aut servatis eorum causis & alimentis, religionis puritatem restitui posse sibi persuaserant. In somnium enim illum per mandragoras ceremoniarum & præscriptorum huma-

(4) Erasmi epistola ad Henckelium.

(5) Epicrisis de sententia Erasmi.

An. 1526.

manorum denuo inciderunt totæ regiones, ubi seria illa, quam *sævam* vocat Erasmus, medicina non fuit adhibita, vel ubi prorsus servatæ sunt compages illæ hierarchicæ, quarum solutionem ille tam vehementer metuit. *Henckelius*, ad quem ista scripta sunt, in *relatione Spalatini de comitiis Augustanis anni 1530.* a Theologis protestantibus, ut vir honestissimus & humanissimus, laudatur. *Tom. V. Alt. fol. 157.* Ibidem legitur, Mariam Reginam (aderat enim Augustæ) prohiberi tunc non potuisse, quo minus conciones apud eam haberentur, & Carolum Imp. fratrem, monitum ab illa esse, ne se a sacerdotibus decipi sineret, sicut deceptus fuisset maritus suus Ludovicus, & Ferdinandus frater. Eandem, teste illo concionatore ejus, Latine doctam, & Biblia Latina secum ferre, etiam in venatione, solitam fuisse, ita, ut dicta pro concione allegata evolveret & examinaret; sprevisse etiam *Medardum* Franciscanum, Ferdinandi concionatorem, magnum Stentorem. Eo tunc animo fuisse perhibetur. At anno sequenti Belgio gubernando ab Imperatore in locum amitæ suæ Margarethæ, Sabaudiæ ducis viduæ, præposita, Lutheranismi speciem & suspicionem utcunque vitavit, sive, ut *d. Tom. V. fol. 805* dicitur, ad Papismum rediit. Laudatur tamen ejus gubernatio ob insignem prudentiam & moderationem, a Meterano & aliis. Ideoque cum Carolus Philippo filio Belgicas provincias tradidisset, Mariam in Hispaniam accivit, ne Philippo acriora consilia agitanti obstaculo esset; ibi anno 1558. decessit. Memoria ejus in Ecclesiis nostris conservatur retenta cantione Germanica, ejus gratia a Luthero, ut putatur (vid. *Scult. p. 90.*) composita, illique chara. Nomen etiam *Mariæ* versiculorum trium primis Syllabis aut literis exprimitur. Initium habet: Mag ich Unglück nicht wiederstahn.

(6) *de Henkelio & Maria regina quadam.*

§. XXIII.

Tandem de *Sermonibus*, qui hoc anno a Luthero habiti, & in *Tomos* relati sunt (præter illum *de sacra Cœna*, cujus jam mentionem feci) aliquid dicendum est. Exhibetur primo, & ad hunc annum 1526. (populari calculo) refertur *concio in Festo natalitio* anni proxime finiti 1525. habita, ex Epistola sive lectione Esai. IX. a v. 2. ad 7. *Tom. III. Alt. fol. 304. & seqq.* quæ etiam in codice *Postill. Eccles.* suo loco reperitur. Quanta sit in expositione & salutari applicatione mysterii de nativitate Christi, in homilia ista, excellentia & ubertas spiritus, per excerpta non audeo demonstrare, sed ad lectionem ipsam invito omnes, qui specimen & argumentum capere velint, quantis donis donatus a Deo fuerit Lutherus. Admirabilis inprimis est interpretatio sex epithetorum, quæ puero Christo *d. c. IX. 6.* tribuuntur. Pauca saltem de primo cognomento *admirabilis*, afferre mihi liceat; quanquam verborum Germanicorum emphasin assequi non valeam, & sensum potius referam. *Gubernabit regnum suum Rex hic supra omnem rationem & judicium hominum. Procedet eo modo, quo cum ipso egit Pater cœlestis, testante Davide Ps. CXVIII. 22. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Nonne mirabile erat, quod Christus, antequam in æternam ingrederetur vitam, in mortem iret; cum ad gloriam Patris tenderet, summam pateretur ignominiam, cruci inter maleficos affixus; cum totius orbis nationes sibi subjicere vellet, a populo suo desertus & proditus ad mortem traderetur? Quid judicio hominum absurdius, quam ut homo moriens reviviscere non saltem, sed & autor vitæ & mortuorum resuscitator fieri deberet, mortis, cui succubuerat, victor? Quid mirabilius, quam, quod Rex hic populum, ex quo natus erat, destruit, & gentes ad regnum suum admittit? Quis Regum mundi hoc modo agens, non pro insano haberetur? At eadem ratione nobiscum agit. Quem pium vult facere, eum prius, ut peccatorem pene desperatum, sistit; quem sapientem reddere vult, stultum prius facit; infirmum, quem fortem; morti tradit, quem vult vivificare; ad infernum usque deprimit, quem exaltaturus est in cœlum; ad gloriam, beatitudinem & regnum ducit, per opprobria, per servitutem & vilitatem; ex ultimis primos facit, ex primis ultimos. Hic est Rex ille mirabilis & singularis, qui proximus est illi, a quo videtur esse remotissimus, & viceversa. Hoc non intelligunt, qui in verbis hærent, sed qui rem ipsam sentiunt.* Sequitur *d. Tom. III. fol. 320.* sermo ad Psalm. CXII. (Hebr.) *Beatus vir, qui timet Dominum.* Egregie hic demonstrat, *quam frustra felicitas quæratur in opibus, honoribus, voluptatibus, & in extendendo dominatu.* Ostendit *veram pietatis naturam & fructum, pœnitentiam nempe atque emendationem quotidianam, ex timore Dei in corde fidelium natam, tunc præmia ex tranquillitate potissimum conscientiæ, in justitia, quæ coram Deo valet, & in liberatione a persecutoribus.* Docet *honestum & licitum usum divitiarum*; considerat etiam *statum Ecclesiæ*, & *Satanæ insidias atque sævitiam* detegit, *in impediendo cursu Evangelii. Oppressa verbi prædicatione id, ait, diabolus agit, ut omnia ad hypocrisin & fucum composita, pulchre & quiete videantur consistere; fiunt preces & jejunia, ædificantur templa, fundantur missæ & anniversaria, sancta & devota apparent omnia. Exorta vero verbi divini luce & detectis præstigiis istis irritatus Satanas omnia movet, avaritia, invidia, contentionibus, hæresibus omnia implet, repugnat, spumat, stridet, ut dæmon ille Marc. IX. 18. Hæc nunc, renascente Evangelii doctrina, satis superque experimur &c. Ubi antehac centum florenorum millia impendi solebant monachorum & sacerdotum causa, jam ne unum quidem libenter impendi cernimus; Evangelium dare jubet, diabolus rapere.* Ad verba *v. 6. in memoria æterna erit justus:* post exempla Habelis, itemque Joh. Hussi (cujus nomen, vel in bulla Pontificia *Cœnæ Domini*, perpetuari debere, ait) pro se suaque etiam doctrina solatium capit, scribens: *cantabitur etiam, irato licet nobis Cæsare & Principibus, carmen illud: in æternum non commovebitur, in memoria æterna erit. Non oppriment eos, qui verbum prædicant; dicet Deus, sinat is istum, dum ego mansero, & verbum meum; non cadet ille, nisi ego cadam. Sæpe afflicta est Ecclesia Christi, & oppressio verbi tentata fuit, nunquam tamen id exequi hostes potuerunt.* Ad *v. 7. ab auditione mala non timebit: non curandum est*, scribit, *infame hæresis & seditionis crimen, quod piis impingitur. Utrumque Christo imputabatur; eo nomine damnatus in cruce, inter latrones pependit, & quod turpissimum erat, hoc cum titulo mori debuit. Idem veris quoque Christi discipulis & imitatoribus accidit. Pastores non sunt, qui esse debent, si non inquietentur & affligantur.* Es stehet nicht wohl umb einen Prediger/wenn er friede hat/ und von niemand angefochten wird. Hussi exemplum

(1) *Sermo Lutheri de Nativitate Christi.*

(2) *Explicatio vocis* admirabilis, *Esa. IX, 6.*

An. 1526.

(3) *Sermo ad Ps. CXII.*

(4) *Fiducia & prædictio de conservatione vitæ & famæ suæ.*

plum iterum bis terve urget *f.329 330 331.* & quanta ultio mortem ejus secuta sit, quantam ipse expetere non potuerit, nedum exercere. *Ab illo enim tempore* (ait) *magis magisque vilescere cœpit Papatus, & porro vilescet.*

§. XXIV.

(1) *de actis Concilii Apostolici Act. XV.*

Ex *sermone in cap. XV. Act. Apost.* qui *Tom. III. Alt. f.452. & seqq.* legitur, notari merentur, quæ Lutherus occasione Concilii, quod vocari solet, Apostolorum, monet. Observari autem jubet dissidiorum in religione occasiones perpetuas, quæ oriuntur ex pugna fidei & rationis. *Verbo enim Dei simpliciter adhærere, opus est* (ait) *Spiritus sancti, quo cum plerique careant, carni, sanguini & rationi obtemperantes, mirum non est, oriri dissensiones; idque primitivæ etiam Ecclesiæ accidit, de qua frustra nobis imaginamur, perfectissimam fuisse.* Apparere id dicit exemplo illo *dicto cap. XV.* cum tota multitudo capere non posset, quod fide, absque operibus, salventur homines, & in errorem se præcipitarit, nisi trium Apostolorum autoritas obstitisset. Contrariam tamen opinionem semper notat veluti repullulasse, & postea in Papatu plane invaluisse. Ita non posse ad decreta Conciliorum tuto respici, neque autoritati aut numero cedi, sed unumquemque certum veritatis doctrinæ esse debere, licet paucissimi eam probent. Sic trium Apostolorum sententiam tunc multitudini & autoritati prævaluisse. Optandum & accipiendum esse lubenter assensum multitudinis, sed ei non fidendum; non enim promissum esse Spiritus sancti auxilium numero, sive Conciliis, sed cordibus Christianorum, quæ ipse novit. Ita tunc discipulos Christi & Apostolorum, florem Christianorum, & Pharisæos, & in metropoli Hierosolyma, propendisse ad decernendam circumcisionis necessitatem adversus intentionem Spiritus sancti *d. cap. XV. vers. 7.* Solum autem tunc Petrum ab initio restitisse, adstipulantibus Paulo & Barnaba, quibus multitudo cesserit, non multo post tamen in errorem relapsa, labente & ipso Petro. *Gal. II.* Itaque Concilia nunquam tam certa & pura fuisse, ut non aliquid habuerint, quod emendandum esset. Eo trahit sententiam Jacobi, *d. cap. XV. v. 19. 20.* Petri quidem effatum certissimum & fundatissimum fuisse, ex Cornelii conversione miraculosa, & evidenti Spiritus sancti testimonio patere *v. 8. 9. 11.* Inde constare, ait, & æternæ veritatis esse, etsi opera facienda sint, & probanda, imo & injungenda, gratiam tamen solam salutis causam esse.

(2) *de Legibus Ecclesiæ, ex populi consensu pendentibus, & ad ejus ædificationem applicandis vel solvendis.*

Notat deinde, *præceptis*, ex sententia Jacobi, qui Judæis quodammodo gratificari voluerit, *quatenus positiva sunt*, (fornicatio enim jure divino illicita erat, quanquam universali gentium consuetudine probari videretur) *conscientias populi perpetuo obligatas non fuisse*; proinde cessante causa scandali, quam Jacobus respiciebat, per se evanuisse; ideo Paulum idolothyta *1. Cor. VIII. 4.* indulsisse, quod facere non potuisset, si perpetua & firma lege prohibita fuissent. Nihil igitur, quod verbo Dei expresso cautum non sit, Conciliorum decretis stabiliri posse, quod non dependeat a consensu populi: itaque statuta illa Hierosolymitana de idolothytis & suffocato ac sanguine, ipso usu, nullo decreto, id est, a populo mutata esse. Applicat hoc ad statuta Pontificum, distinguendo inter obligationem conscientiæ, & (ut loquitur) manus & actionis externæ. *Faciles* (ait) *essemus in obsequio externo statutis præstando; Monachi servare regulas suas possent, modo id facerent libere, & absque conscientiæ laqueo, nec opinione promerendæ salutis: Servaremus & alia concordiæ causa, dum absit ille conscientiarum laqueus, & omnia fierent ex charitate, gratia vero Dei pro unico salutis fundamento haberetur.* Hoc perpetuum esse debet, ex pronuntiatione Petri *d. l. v. 11. per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari.* Jacobi additamentum ad tempus, & charitatis causa, servandum erat, aut mutandum, prout res exigeret. *Altero sermone* ad *Cap. XVI.* idem pluribus tractat, exemplo Pauli Timotheum circumcidentis, in gratiam Judæorum, qui infirmi erant, fideles tamen & dociles; Titum vero circumcidere nolentis, quia non cum infirmis, sed cum contentiosis & pertinacibus res erat, *Gal. II.* Ad hanc regulam examinat legum Ecclesiasticarum naturam, iisque obedientiam præstari posse & debere statuit, si expediat ad concordiam, & infirmorum profectum; recusari autem, cum laquei ex iis & vincula conscientiis necti incipiant. *Omnes enim Christiani ideo* (ait) *vivimus, ut regnum Christi amplificemus, ex præcepto & regula charitatis; ideo accommodare nos, & eo descendere debemus, prout hominum, cum quibus agimus, utilitas exigit: sed cedendum non est iis, qui ipsam fidem & verbum Dei verbis aut opere impugnant.* Applicat id ad sui temporis statum, & concludit, cum iis, qui Pontificias leges & ritus nondum credunt sine peccato omitti posse, nec libertate conscientiæ recte uti sciunt, aut metu Episcoporum suorum cunctantur, moderate agendum esse, donec melius informentur. At illis, qui reformationem respuunt, & fidem ipsam impugnant, fortius resisti debere, & magis necessarium esse, ut his opponatur doctrinæ veritas, etiam cum rigore, quam, ut infirmorum causa detrimentum afferatur veritati. Ista profecto non sunt vulgaris doctrinæ aut experientiæ.

(3) *Sermo in festo Trinitatis, de regeneratione spirituali.*

Addam etiam quædam ex sermone, *Dominica Trinitatis* hujus anni habito, qui insertus est *Tomo III fol. 478. & seqq.* Egregia sunt, quæ de Nicodemo ejusque ruditate in mysterio regenerationis disserit, & quæ de hoc commentatur. Inprimis *ad v. 6. Joh. III. Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex Spiritu, Spiritus est:* ostendit, quæ stultissima videbantur Nicodemo, docto licet viro, etiamnunc sapientibus mundi omnibusque hæreticis, talia videri, neque tamen nisi per hanc stultitiam ad veram perveniri sapientiam & salutem. Ad carnem porro refert omnia, quæ non sunt ex spiritu, adeoque etiam omnem disciplinam statutariam & monasticam. *Si ex spiritu* (scribit) *esset regula Benedicti, Francisci aut Carthusianorum, nulli homines nunquam in illis Regulis sive ordinibus reperirentur. Qui enim ex Spiritu generantur, spirituales sunt, alii sunt homines, non sunt amplius caro, sive carnales. Itaque vehementer errant, qui professionem monasticam, spiritui & aquæ, sive baptismo, æquiparant. Si conditio aut status vitæ id præstaret, Judæi, & ex iis Nicodemus, salvari in statu illo utique potuissent, quia a Deo institutus erat; sed negat, id fieri posse, Christus, ideoque expresse pronunciat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Hoc uno considerato jactantia illa sanctitatis & perfectionis monasticæ prorsus concidit; ex sola enim regeneratione salus acquiritur. Laudabilis potest esse status aliquis, suaque habere commoda, sed ad salutem nihil facit,*

An. 1526. *bat soli spiritui debetur. Illa externa disciplina opera sunt, veluti vox sive sonus venti, de quo Christus dicit: Vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat. d. cap. III. v. 8. v. g. ex sono non potest judicari, de ortu aut termino venti: ita neque ex operibus externis certum judicium de spiritu ferri potest; fallunt enim hypocritæ, & pii etiam errant & cadunt; at ex doctrina vere & infallibiliter dignoscitur Spiritus. Vide fol. 482.* De adscensu Christi in cœlum ex *cap. III. v. 13.* & de exaltatione serpentis *v. 14.* præclara docet, sed non possunt omnia huc referri. Præterire tamen nolo, quæ de mysterio Trinitatis in fine concionis disserit. *Non expedit* (ait) *multa de hoc mysterio sermocinari, diabolus enim mundum infestat contentionibus scholasticis & novarum sectarum excitatione, ut Evangelium turbetur: ita profecto horret mihi animus, neque vel unam concionem habere vellem, nisi id illius causa, qui in cœlis est, fieri deberet, tam sæve grassatur diabolus. Non quiescet ille donec in hoc articulo* (de Trinitate) *idem fiat, quod in Sacramentis fieri videmus. Eripuimus illa ex faucibus Papatus, & in salutarem usum reduximus, jam surgunt hæreses, quæ pedibus illa calcant. Ita eveniet, ut in hoc articulo de Trinitate in Judaismum relabamur. Haud multum itaque de eo prædico ad populum, verbo simpliciter præstat inhærere, eique credi, sufficit, cum in symbolo dicitur: Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Credi autem non debet, nisi in Deum. Hoc tibi sat is validum sit argumentum, ut Christum pro Deo colas, quia in eum credis, quomodo vero tres sint, & differant persona in divinitate, & tamen unus sit Deus, ratione non comprehendes, alias non deberes solum credere. Misere stulti sunt, qui isthac ratione metiri volunt; dein, si id nequeant, negant, sicut Sacramentum. Quando diabolus aliquem eo perduxit, ut in articulis fidei nostræ quærat: estne hoc justum, rectum, decorum? cum eo actum est.* Addit Evæ exemplum, & Pauli dictum de quæstionibus *1. Tim. I. 4. 4. Insisti verbo jubet, clausis auribus & sensibus. Fiet alias, ut diabolus etiam hunc articulum contaminet, & quæstiones excitet, an non absurdum sit, tres personas esse unum Deum; clamabunt iterum contra nos, sicuti jam faciunt,* (id est, culpam hæresium imputabunt Evangelicæ doctrinæ) *cavete vobis, ut antea dixi, certissime enim eveniet, jam nondum tempus est.* Utinam falsus vates hic fuisset Lutherus! Quomodo enim non multo post articulus ille a curiosis ingeniis in dubium fuerit vocatus, & quam prope absint etiam hodie a Judaismo novarum sectarum & opinionum autores & sectatores, satis notum est. Neque minus verum est, quod prædixit, fore, ut omnes perversæ doctrinæ posthac orituræ, libertati prædicationis Evangelicæ, quam ipse adversus violentiam Hierarchici dominatus asseruit, tribuantur. Id scilicet patienter ferre debemus, quia veritas nihilominus ex promissione Dei in mediis corruptelis & zizaniis servabitur. Videmus e contrario, ubi hominum autoritas & manus alio, quam Deus præscripsit, modo sese immiscet, quanto id fiat cum veritatis damno & exitio. Tolerabiliores itaque sunt dissensiones & hæreses, quam tyrannis in conscientias, cujus individuus comes est sævitia in corpora.

(4) *De simplicitate fidei in articulo de Trinitate tenenda.*

§. XXV.

Relati in *Tomum III.* & in Acta anni 1526 inveniuntur *a fol. 523. ad 656. Sermones Lutheri in capita XVIII priora Exodi,* quos post absolutas *Conciones in Genesin,* (quæ ab aliis exceptæ anno sequenti demum prodierunt) anno 1524. (Dom. XIX. post Trinitat.) pomeridianis horis habere cœpit: Sequuntur, quos *in caput XIX & XX. Exodi* habuit, anno 1529 *Tom. IV. fol. 580.* Notavit autem *Job. Aurifaber*, Tomorum collector, *(Tom. III. fol. 636.)* explicata a Luthero etiam *reliqua libri capita* ad finem usque fuisse, easque homilias *Georgium Bucholzerum,* Præpositum Berolinensem, habuisse, sed furto amisisse. Videntur quidem hi sermones, si non toti, certe maxima ex parte, absque multa præmeditatione & ex tempore facti fuisse, stylo plane populari, genioque dicentis, & auditorum captui accommodato, unde & aliqua plus semel, & liberius atque impolitius dicta censeri possent. Interim etiam in his est ingens & admiranda copia, & pondus quoddam doctrinæ, sive ad instructionem in fidei mysteriis, sive ad mores emendandos, sive ad solatia adversus afflictiones, itemque ad errores quosdam crassiores, qui nocere illo tempore auditoribus poterant, refutandos aut cavendos. Via igitur, qua cœpi, non possum non progredi, & quædam ex notabilioribus indicare. De allegoriis, ut alibi brevius, ita hic iterum satis luculenter disserit *fol. 530. & seqq.* similia illis, quæ supra ad *§. VIII.* retulimus, nisi, quod hic etiam *Gregorium Papam,* quem *Magnum* vocant, ob nimium allegoriæ studium taxat. Studiosos vero his verbis admonet: *Cavete, ne retrogrediamini & plus dediscatis quam didiceritis. Id mihi evenit, cum discipulus essem, & idoneo magistro carerem, qui me moneret. Vos vero jam monemini; Attenti ergo estote, quærite in Scripturis verum thesaurum, nucleum, vim, efficaciam, succum: exempla nempe, fidei & charitatis. Ubi ea Deus proponit, non est, ut ex profundo effodiatis. Si præcipua illa tenueritis, ex textu aperte hausta, tum occultiora quædam producatis, & ornamenta & phaleras addatis, licet. Prait Paulus, cum ad Galatas scribens asseruisset justitiam ex fide, contra illam, quæ in operibus quærebatur, tum demum allegorias subjungit, sed tales, quæ cum fundamento fidei congruant, idque confirment. Alias nihil concludunt, nec pro fundamento haberi possunt; hoc solummodo & unice ex claro, expresso & aperto verbo Dei quærendum est, & docenda fides & charitas: in his consistit salus. Itaque nec Pauli allegoria, quod per duos Abrahami filios duo testamenta præfigurentur, mentem nostram convinceret, nisi prius ex verbo clariori duplex Testamentum probatum fuisset. Fol. 541* egregie docet *de vocatione ad ministerium, & simpliciter rejiciendos esse* contendit, *qui inspirationes allegant, illisque credi volunt; absque miraculis enim tales nullam mereri fidem. Deum vero immediata inspiratione vocatos & illuminatos, miraculorum virtute donare. Altera vocatio (ait) est mediata, ei idem tamen divina, nullisque opus habet miraculis:* Talem *fol. 542.* (quod adversus calumniatores veteres novosque notari debet) suam esse aperte fatetur. *Ego,* ait, *hic Wittenbergæ nunquam prædicassem, aut prædicarem, nisi a Deo per Electorem Saxoniæ vocante, cogerer.* Et paulo post: *Non licet absque vocatione accurrere, sicuti mihi non sumerem, ut Lipsiam irem, in arce concionarer, prætexens, spiritu me agi. Fol. 545.* legi merentur, quæ *de cognitione Dei naturali* disserit, quibus illustrari possunt, quæ supra ex

An. 1526.

(1) *Sermones in Genesin & Exodum.*

(2) *Monitum de usu allegoriarum.*

(3) *De vocatione ordinaria, contra jactatas inspirationes.*

Com-

An. 1526.

Comment. in Jon. §. *XXI.* annotata sunt. *Fol. 550. 552.* allegoriam de *rubo ardenti* olim ad virginitatem Deiparæ accommodatam fuisse indicat, haud male quidem, sed exiguo cum fructu audientium: & cæteroquin haud decuisse, quæ ad Christum proprie & maxime pertinent, Mariæ accommodare, & *plumis*, ut loquitur, *Christo evulsis, matrem ornare.* Ipse ex miraculo illo humanæ naturæ unionem cum divina, itemque carnem Christi a peccato, quod in se susceperat, incorruptam, egregie contemplatur, tum maxime orthodoxam phraseologiam, ex unione personali derivatam, contra veteres hæreticos & scholasticos quosdam solide demonstrat *fol. 553.* Paulo ante *fol. 551.* per calceos a Moyse exutos, non solum peccata & impuritatem, sed proprii meriti opinionem notari statuit. *Calceati*, ait, *Deum accedunt, qui invento ab hominibus cultu, & inde arrogata sibi sanctitate, sese munitos putant: talis & ego sutor, sub Pontifice, fui, & hoc vel illo opere peracto optime calceatum me esse, imo salvum fore, opinatus sum. Fol. 558.* ad *Cap. IV. vers. 16.* Hebræum textum inani cautela versum a vulgato interprete fuisse notat: *Tu eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Diserte enim dici: *Tu* (Moyses) *eris illi* (Aaroni) *in Deum*, sive *Deus.* Ita etiam vertit, du solt sein Gott seyn. Scribit autem; *Homo qui verbum Dei habet, dicitur Deus; qui audiunt & accipiunt, Aaronis loco sunt; os vero, ex quo id audiunt, Dei loco est. Hoc omnium, qui verbum Dei prædicant, non solius Moysis causa, scriptum est. Filii enim Dei sumus, & qui verbum Dei habent, & Deo credunt, illi spiritum & virtutem Dei habent, veritatem, sapientiam, mentem & omnia, quæ sunt Dei. Qui igitur ista omnia, quæ Dei sunt, habent, etiam nomen ejus habere oportet, tales enim, teste Petro, consortes facti sunt divinæ naturæ. 2. Pet. I. 3. Filii parentis nomen gerunt, & Christus dicit, qui vos audit, me audit. Matth. X. 14. Ita exaltat suos Deus, eosque ut se ipsum honorari vult, qui eos spernit, Deum spernit. Fol. 568.* ad *Cap. VII. 3.* ubi de induratione Pharaonis agendum erat, cœtui sese accommodans, præterire eam maluit materiam; *Hic*, ait, *est abyssus profunda* (hie ist ein tiefes Loch) *de qua plurima dici possent, sed id invitus facio, ob pessimam naturæ nostræ curiositatem, quæ nova audire gestit, aut de novis interpretationibus gloriatur. Qui huic vitio indulgent, præcipitantur a Deo, quia fastidiunt Manna, necessaria scilicet & ordinaria ex Scripturis; inde fit, ut Deo permittente, nil nisi quæstiones tractentur, ut in Academiis factum est, repleto orbe libris, ad conscientiarum turbationem. Redibit idem malum, ideoque, ut dixi, invitus, ista tracto, modum enim nullum servat curiositas Satanæ & carnis nostræ. Fol. 573.* thema, quod sæpissime inculcat, adversus leges & opera, quæ verbo Dei non nituntur, graviter tractat, & semper ac præcipue ad præcepta Dei sive verbum ejus respici jubet, non ad exempla & facta. *Diabolus*, ait, *semper opera docet, & introducit etiam bona, ut homines specie & fiducia operum a verbo Dei divertat. Non potest hoc nimis sæpe moneri. Videbitis me mortuo, hanc ejus versutiam, quam vos pastores etiam nunc non percipitis. Cavete itaque ne unquam verbum & opera separetis; nolo separata, quantacunque sint, opera a verbo; illa saltem volo, quæ juncta & connexa sunt cum verbo. Hoc nos obligat, & ad Deum ducit, certosque facit. Exempla sola non obligant, neque ad faciendum, neque ad fugiendum. Christus in mari ambulavit, cæcis visum restituit; idne nos imitabimur? non duxit uxorem, non aravit, opificium non exercuit, ergone ista nobis quoque non sunt facienda?* Addit liberiora alia, & concludit: *Non sequar, nisi, ubi verbum præit: canam ex Psalmo: Eloquia tua lucerna mea. Dominum decet loqui & docere, me oportet agere, id est, bona opera facere, ipse vero magister est, qui per me operatur.* Et paulo post: *Exhortor vos, ut purum servetis verbum Dei, ita, ut per illud vos ad Deum ducam. Scio, quid exigatur, coram Deo præstandum; sed id satis vobis prædicatur, & in manus quasi datur, quid facere nempe debeatis. Neque tamen faciendo, sed ideo estis filii Dei, quia estis Christi (scilicet per fidem. Gal. III. 26.) Diabolus tam infensus est verbo, ut omnibus modis aliam quærat viam.* (er versuchet auff allerley weise ein ander loch zu finden.) *Non autem solum utitur operibus carnis; quanquam & his utatur, puta fornicatione, furto, usuris, sed & operibus, quæ videntur esse Spiritus; ut speciem & fucum faciat, quasi per hæc opera ad Christum viam sternat. Sed noli credere, te per tua opera Christianum fieri: si persuasus fueris te per opera salvari aut damnari, & postea tibi ex Scripturis opera Christi proponi audias* (quæ *scilicet imitari non potuisti*) *quomodo tibi consules? Dupliciter itaque Christus nobis proponitur: primo, ut nos filios Dei facit; id fit per verbum absque ullo opere, sed ipse vult tuus esse, tu eris illius, salvabit te per mortem & sanguinem suum: hoc pseudo-Apostoli non prædicant, nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi Spiritu Sancto 1. Cor. XII. 3. Hic est thesaurus noster, diabolo odiosissimus &c. Secundo proponitur Christus, ut imitandus; si enim verbum ejus habeo, habeo etiam præceptum summum, quod est charitas, neque tamen hanc præstari a te cupit, nisi prius novum habeas spiritum, verbum ejus audiveris & ei credideris.* Scio equidem caput istud frequentissime tractatum a Luthero esse, locum tamen tam insignem præterire nolui; quanquam sensum potius, quam verba secutus sim. Novi etiam, subtilius hodie de salute ex operibus disputari, imo esse, qui fere nullam dicant superesse controversiam, nisi in verbis & formulis. Id optandum profecto foret. Manet tamen idem, quod Lutherus caveri jussit, & his ipsis concionibus suo more simpliciter & candide indicavit, vaframentum; operum nempe externorum servitus, quæ Cleri magis utilitati, quam Christianorum profectui præstatur, sub pietatis & meriti specie, eademque fere omnia hodie quæ olim incommoda eosdemque abusus gignit. *Gravantur*, ait *f. 533. Christiani operibus istis, sicut Israelitæ in Ægypto laterum coctione, neque tamen cuiquam, quam Papæ, Episcopis, Monachis & Clero profecerunt.* Diversa parte negari non potest, etsi pura illa & sana doctrina de fide & charitate, ut Lutherus tanto cum zelo fecit, indissolubili nexu proponatur, plurimos tamen id tantum arripere, quod de gratia Dei & merito Christi audiunt, sibique lætum & utile esse judicant; at, quæ de imitatione Christi, de charitate exercenda, de frenandis cupiditatibus, & de ferendis afflictionibus monentur, parum pensi habere. Id quod sæpenumero & graviter suo tempore questus est Lutherus, & nostro seculo, frigescente indies magis magisque pietate, experimur. Interim cum Luthero methodum Dei in Scripturis revelatam

An. 1526.

(4) *De rubo ardenti.*

(5) *Interpretatio dicti: Tu eris illi in Deum.*

(6) *De induratione Pharaonis.*

(7) *De operibus, secundum præcepta non exempla faciendis, de justificatione per fidem, & de imitatione Christi.*

(8) *Epicrisis quædam de doctrina fidei & operum.*

velatam tutissime sequuntur Ecclesiæ nostræ fideles doctores, plantant & rigant ex illius præscripto, incrementum a Deo, quieta cum conscientia, expectantes. At qui artibus humanis pietatem procurare volunt, neque suo satisfaciunt officio, & ipsa convincuntur experientia, nullibi majorem ignorantiam religionis ac perversitatem morum esse, quam ubi plurimis inventis & legibus inhæretur, maximusque est ceremoniarum apparatus, & disciplinæ & pompæ externa species. Mirabilem vero Dei œconomiam ad *Cap. IX. v. 16.* (ubi dicitur: *Ideo posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam*) pathetice describit Lutherus, ostenditque, quomodo Deus impios ad magnam potentiam & gloriam evehat, dein, ut Pharaonem per Moysen, ita superbos illos sæpe per viles & abjectos aggrediatur & destruat. Exemplum affert Romani Imperii, quod tempore Apostolorum ad summum pervenerat potestatis apicem, & per aliquot secula Christianismi destructionem sævissime moliebatur, quod tamen postea, per ignobiles illo tempore populos infirmatum fuit, ut non nisi umbra ejus aut nomen superfuerit. *Fol. 579.* de quæstione; *an & cur Deus mala vel permittat vel efficiat?* tutissimum esse docet, omni illa curiositate abstinere, neque Deum ad rationis humanæ modulum metiri, cum is plane omni lege, judicio & regulis hominum superior sit. Execratur igitur *quare* illud, quod ratio humana semper in sensu & ore habet, & opponit dictum Apostoli, *o homo, quis es, qui respondeas Deo?* Rom. IX. 20. *Tenendum esse,* ait, *axioma: Quicquid Deus fecit, bonum est, quia ipse facit; quod autem homo facit, id saltem bonum est, quod ex lege Dei facit. Non ideo bonus est Deus, quia bona facit, sed bona & sancta ideo sunt, quia ea Deus fecit. Ideoque &, quæ nos agimus, non ex actu nostro bona sunt, sed quia ex Spiritu Dei producuntur. Ratio nostra* (ita pergit fol. 380.) *præpostero modo, neglectis fundamentis, & progressu ab inferioribus ad altiora, a tecto & culmine ædificium inchoare vult; scrutari cupit, quare Deus hæc aut illa, hoc & non alio modo, fecerit & ordinaverit? Mallem,* ait, *de Divinitate semel tantum in anno concionari, quotidie vero docere de adventu Christi ad nos, ut homo factus sit, tum de fide & charitate. Hæc fastidimus, ut nota & vulgata, & disquirimus de prædestinatione hominum ad salutem, & qui fieri possit, ut Christus sit Deus & homo. Reprimi debemus cum Philippo, quem patrem sibi ostendi cupientem Christus Joh. XIV. 8. 9. se respicere jubet, dicens: qui videt me, videt Patrem. Fol. 601. & seq.* gravissime de vero Christianismo commentatur, qui non in cœtus externa societate, aut in vinculis legum & disciplinæ consistat. Comparat eos, qui nudum nomen Christianorum gerunt, cum inquilinis Judæorum, non circumcisis, qui ab esu agni Paschalis removebantur, licet sub eodem tecto versarentur. Insaniam rusticorum, eo ipso tempore tumultuantium, exagitat, quia omnia communia volebant esse, & illam hominum colluviem pro Ecclesia Christi venditabant. *Factione,* ait, *aut tituli præscriptione non fiunt Christiani. Haud melius consulit animabus Pontifex, instituit peregrinationes, invocationes Sanctorum, indulgentiarum nundinationem, & talibus legibus Christianos voluit facere. Nihil egit; ad fidem nemo sic cogi potest, nec Christianus est, qui sic vocatur, sed quem Deus facit Christianum; claude oculos, aperi os. Deus prædicari facit Evangelium totis cœtibus, sed cui aliam mentem & Spiritum suum dat, is fit Christianus. Jam omnes toto orbe Christianos facere volunt, vi & coactione. Domum tibi, ajunt, incendemus, frater si nolis fieri Christianus.* Eandem violentiam *fol. 604.* rusticæ exprobrat factioni, eamque statuit a diabolo excitatam fuisse, ad impediendum cursum Evangelii, & casum Papatus: alio enim modo, quam destructione monasteriorum & arcium, agendum esse, sola nempe & continua veritatis prædicatione, ab ea unice sperandum esse, ut Deus corda illuminet & humanæ, quam nobis fingimus, sanctitatis & justitiæ nebulas dispellat. *Fol. 607.* de discrimine Philosophiæ & Theologiæ monet, pulchra illius dicta & præcepta ad regnum seculare pertinere, & ad vitam civilem, nec sine utilitate disci & servari, at in regno Christi plane nihil effici sapientia illa humana: Pessime confusa illa fuisse sub Papatu. *Diabolus* (ait) *semper immiscere se vult, & sententiis atque consiliis philosophicis in Ecclesia dominari.* **Er will immer mit der vernunfft in der kirche die hand im sode haben/und mit heydnischen schönen sprüchen und anschlägen herrschen.** *Fol. 610.* vehementer improbat Ecclesiæ & sanctitatis signa, ab hominibus inventa, v. g. *statum monasticum;* & sola illa pro characteribus indubitatis tenenda esse monet, quæ Deus constituit, ut olim Pascha. *Opus sane est* (ait) *signo externo, sed non illo, quod nos excogitavimus, sed quod Deus erexit, de quo certi esse possumus, Dei id institutum esse: Frustra ergo illa quæsivimus in indulgentiis, missis, peregrinationibus, votis monasticis, jejuniis, precum formulis & eleemosynis. Deus enim dicit: Hic me invenies in prædicatione verbi, in baptismo & Sacra cœna.* Idem postea *fol. 624.* fanaticis opponit, a quibus aqua in baptismo, & panis & vinum in Sacramento eucharistico sperni solent, quæ tamen, ut externa signa, a Deo sapienter constituta sunt. *Scimus,* ait, *aqua, pane, vino, salvari nos non posse. At cur Deum docentem & promittentem contemnis, cum se dicit in baptismo præsentem esse, & a peccato nos purgare, & in sacramento sub pane & vino corpus & sanguinem Christi exhibere? Fol. 614.* inter virgam Moysis, qua mare percussit, & verbum Dei, allegoriam quærens, & fanaticorum jactatas inspirationes improbans, jungi debere monet verbum & Spiritum. *Deus dividere mare potuisset solo vento, at uti voluit virga Moysis: Cum enim is percussisset mare, secutus est ventus: ita cum prædicatur verbum Dei, & cum illius virga mens percutitur, mittit spiritum, sed non mittit absque verbo. Fol. 616.* occasione historiæ de angelo castra Israelitica regente & tuente (*Exod. XIV. 19. 20.*) pulchre disserit de custodia angelorum, quam piis præstant. *Fol. 619.* ad *Cap. XV. v. 2.* ex verbis Moysis: *exaltabo eum;* docet, summum cultum Dei laudibus nostris præstari, *nam* (ait) *etsi altiorem eum facere nequeamus, qui est altissimus, hunc tamen honorem sibi vult exhiberi, ut a nobis magnificetur, ejusque potentia, justitia, clementia & veritas deprædicetur. Stulte colitur structuris, statuis, ornamentis externis, aut cruciatu corporis. Fol. 621.* Ad *v. 3. Dominus vir pugnator:* fidendum esse fortitudini & omnipotentiæ Dei in persecutionibus, docet, & Ecclesiæ hostibus idem, quod Pharaoni, fatum denunciat. Comparat etiam parvum piorum gregem, quem invadunt persecutores, & aliquan-

(9) *De divina ultione in superbiam tyrannorum.*

(10) *De bonitate operum ex Deo æstimanda, & vitanda curiositate.*

(11) *De vero Christianismo non per vim introducendo.*

(12) *Detestatio tumultus rustici.*

(13) *Distinctio Philosophiæ a Theologia.*

(14) *Contra statum monasticum.*

(15) *Contra fanaticos.*

(16) *De efficacia verbi Dei.*

(17) *De custodia Angelica.*

(18) *De laudibus Dei.*

(19) De impiorum impatientia crucis, exemplo rusticorum probata.

liquando devorant, vermiculo, qui hamo annexus pisci præsentatur, & quo hic capitur & perit. *Fol. 628.* notabilis est admonitio de natura hominis, fide & spiritu non illuminati, qui afflictiones nequit patienter ferre, ideoque *necessaria*, ut ait, *consequentia non potest non in corde suo odisse Deum, etsi verbis id profiteri non audeat. Qui non approbat castigationes, is aversatur justitiam Dei, sibique Deum fingit aut optat, qui tantum sit misericors & beneficus, itaque intus in conscientia latet indignatio adversus Deum, imo murmuratio & blasphemia, & talis mallet, nec Deum esse, nec pœnam.* Eodem referri possunt, quæ *fol. 630. & seq.* occasione murmurationis *Exod. XVI.* descriptæ, & tumultus rustici, de hominum perverso judicio (allegatis etiam Philosophorum & Poetarum testimoniis) disserit, quod saltem ad ea, quæ molesta sunt, pauca sæpe & levia, respiciunt, & de iis acerbe queruntur, at longe plura bona & commoda a Deo concessa non æstimant. *Decuplo majora*, ait, *sunt in qualibet hominum conditione bona & dona Dei, quam damna aut defectus quos sentimus.* Applicat id ad rusticorum impatientiam, qui tantum onera censuum & alias præstationes considerabant, pacem vero & quietem, qua sub Magistratuum autoritate & cura fruebantur, non æstimabant, invidia adversus nobiliores & lautius viventes accensi. *Si Deus non offenderetur, optarem*, ait, *ex indignatione contra rebelles istos, ut uno saltem anno Principes essent, libellos supplices legere, & querelas audire, negotia expedire, literas scribere, & alia ejusmodi agere deberent; cito, puto, ista fastidituri essent, & dicturi; habeatis vobis deaurata calcaria, gladios argenteos, torques aureos, holosericapaludamenta, hastas & loricas, equos & phaleras, currus ornatos; ego, quod fui, manebo.* Idem fere repetit *fol. 640.* & addit: *Quem Deus vult cruciari, & quasi martyrem fieri, eum collocat alicubi, ad regendum populum: si id facere vult secundum conscientiam, & animæ suæ saluti prospicere, non opus est, ut ei diabolus pingatur in janua, aut hospes invitetur.* Man mag ihm den Teuffel nicht über die Thür mahlen/ und zu gevattern bitten/ *plebs illi negotium exhibebit, ut satis tractabilis futurus sit.* Der gemeine Pöbel wirds ihm wohl ausrichten/ daß er so gelencke werde/ daß man ihn möchte um einen Finger wickeln.

(20) De Sabbathi observatione ante Moysen.

Fol. 635. ad *v. 23. d. cap.* notari jubet, Sabbathum celebratum etiam ante promulgationem legis Mosaicæ fuisse, quia, ab initio, ut existimat, mundi, pii convenire illo die ad laudandum Deum consueverint, & inde venerationem ejus diei mansisse, & sanctificatum illum fuisse ad quietem hominum & jumentorum. Postea per Moysen publicatum e cœlo hoc præceptum, & omnem laborem atque profanationem interdictam fuisse. Hæc jungi debent iis, quæ supra *§. IX.* allata fuerunt.

(21) De diversitate donorum & unitate fidei.

Fol. 637. allegorias tractans ex distributione Mannæ per mensuras ejusdem quantitatis, licet qualitate differre, & lignea, fictilia, vitrea, stannea aut argentea vasa esse potuerint, argumentatur ad paritatem status Christianorum, quoad substantiam fidei & spem salutis, quæ una eademque omnibus vere credentibus, absque donorum respectu, contingit. Scribit autem: *Quoad nomen Christi, neminem alterius pudeat. Unus omnibus Christus est, firmis & infirmis, alius alio magis instructus est de fide; alius minus; Christus tamen idem, non melior est Petro, quam mihi, nec plus habet Petrus, quam ego. Nemo igitur alii se præferat, unus pro me & te Christus traditus est, ego non minoris ei constiti, quam Maria, Prophetæ & Sancti quicunque, &, dum in eum credo, idem habeo, quod alii. Confessores & Martyres splendidiorem mensuram habent, non tamen, quoad Christum, majorem, quia idem fidei bonum, id est, totum Christum habemus. Magnum* (addit) *hoc est solatium, contra nugatores* (die Lumpen-Prediger) *notandum, qui inter Sanctos tantum statuerunt discrimen, ut ex quibusdam idola fecerint. Loquor de vero Christiano, qui etsi omnibus cedit, & se submittit, coram Deo tamen similis est Petro, etiamsi donis minor, quia parem aut eandem mensuram habet, id est, qua totum recipit Christum.*

(22) De idololatria in Ecclesiam inducta; prædictio de ejus renovatione.

Denique adversus cultum in Ecclesiam introductum, & commissam in eo idololatriam, non possum non in compendium redacta adscribere, quæ *fol. 650. & seq.* disserit. Proponit exemplum Israelitarum, quos Jeroboamus, sub specie & nomine veri Dei, qui populum ex Ægypto eduxisset, *I. Reg. XII. 28.* ad cultum tamen idololatricum, id est, diabolicum induxit. *Fluit* (ita scribit) *omnis idololatria ex incredulitate, qua Deum non recte agnoscimus. Sic Monachi nostri inceperunt a secessu in eremum, vitarunt hominum consortia, distinxerunt cibos & vestes, & Deo istis ritibus servire voluerunt. Tam turpiter postea erravimus, ut crediderimus, per literas indulgentiarum salvari nos, & in papyro ad cœlum evehi posse; dein cereos idolis accendimus, & sic quoque salutem quæsivimus. O absurdum ludibrium, & cum Ægyptiorum stulta idololatria comparandum! Qui templum ædificabat, vel hoc aut illud opus effecerat, de gratia Dei confidebat. Sed quis, malum! te hoc docuit? Tibi scilicet id ita visum est, sed a Deo discere debuisti, quæ bona sunt; quis autem Deus placetur campanis, cereis, literis indulgentiarum,* butter- und ablaß-brieffen? *A diabolo igitur somnia illa sunt, in veri Dei contumeliam suggesta. Verus Deus alia est mente, quam, ut istiusmodi rebus placetur, misit de cœlo Filium suum, qui homo factus, & pro nobis mortuus est; tanti constitit illi salus nostra. Hic est verus Deus, alii, quibus nomen aut verbum Dei adspergis, sub Dei nomine diabolum exhibent. Idolum veri Dei nomen gerit, per se tamen nihil est, quam humanum inventum a dæmone suggestum.* Applicat id ad inventa & decreta Pontificum, qui, multa de Deo præ se ferentes, scopum verum, qui est Christus, in diplomatibus de Sanctis & de indulgentiis neglexerunt. *Si mundus* (ait) *aliquandiu duraturus est, videbitis, veram & puram cognitionem Christi interituram esse, licet mansurum sit nomen Christi. Sed sub eo orientur sectæ, quæ populum seducent ad ea, quæ in Scriptura non docentur. Erunt qui opera denuo commendabunt, & multo deteriora erunt omnia, quam nunc sunt. Deo nil placet, nisi opus Christi. Ut igitur nobis evenit sub Papatu, ita & eveniet, iterum obscurata & extincta clara Evangelii luce; adornabuntur iterum tonsura & funes Franciscanorum, & dicetur: Hæc placent Deo; erit tamen idololatria & opus diaboli.*

(23) Epicrisis quadam de excusatione illius corruptelæ.

Non ignoro, quæ his opponi soleant, a recentioribus maxime scriptoribus, qui emollire omnia, & cultum illum, quem vocant, scheticum ita interpretantur, ut ab idololatria excusari posse videatur, utque Christi meritis nihil detrahat, sed illis subordinetur, omnemque ex iis, ut ajunt, vim habeat. Neque id igno-

rasse

An. 1526.

rasse crediderim Lutherum; eoque pertinent absque dubio, quæ subinde addit, quod nomen Dei & Christi mansurum, & prætextui serviturum sit. Qui tamen secundarium illum cultum vel aliis persuadent, aut vi ingerunt, aut, si lenissime agant, indifferenter haberi volunt, habent certe, quod cogitent: Deest, quod tantopere urget Lutherus, mandatum Dei; adest manifestum abusus periculum, in quem plebs, plerumque ad externa respiciens, ruit. Evitari quidem omnis abusus non potest, etsi via a Deo præscripta incedamus, & venia dabitur iis, qui cavent, quantum possunt; sed excusationi non est locus, si aliam methodum, quæ abusibus causam dat, bona licet intentione sed nostro arbitratu, inveniamus. An sola autoritas, aut temporum præscriptio, conscientiæ securitatem præbeat, operæ pretium utique est, ut quisque secum expendat. Quæ *in fine* de iterata cultus illius, quem tantopere culpat, reductione, metuit, & quodammodo vaticinatur, multis sane locis eventus comprobavit; quo si lætantur, qui eum promoverunt, dolere tanto magis debent, & parem lapsum cavere, quos purgatæ a Luthero doctrinæ nondum pœnitet. Possem jam ad Acta anni sequentis 1527. progredi; nam, quæ per *epistolas* quasdam *Tomo III.* insertas, de *casibus quibusdam matrimonialibus & criminalibus*, & *de confirmationis*, quod vocant, *sacramento*, item ad *Pastorem Bornensem*, qui Emseri versionem refutare volebat, respondit, vitandæ prolixitatis causa, &, ut minutiora, prætereo.

ADDITIO.

(a) *Lutherus pro Melanchthone apud Electorem intercedit.*

Non multo quidem majoris momenti sunt, quæ ex quibusdam *literis Lutheri MSS.* afferam; quia tamen hucusque incognita fuerunt, haud ingrata lectoribus futura esse confido. Scripsit d. 9. Februarii (*Reg. O. fol. 140. EEE.*) Electori, *Melanchthonem* ex conscientiæ scrupulo recusare florenos ducentos, pro salario lectionis Theologicæ nuper ab Electore constitutos, dicere enim *se lectioni isti non satis diligenter, &, ut res postularet, vacare posse.* Suadet itaque Lutherus Principi, ut mentem suam erga Philippum ita declaret, ut is intelligat, non requiri assiduitatem lectionis, sed sufficere, *si vel una vice in hebdomade legerit*, pro tempore nempe & viribus. Addit: *Etsi Celsitudo tua ad unum alterumque annum salarium illud prorsus gratis ei dederit, optime tamen id fieret, quia jam duos annos absque salario, magno cum labore, nec minori fructu, sacram scripturam explicabit. Vellem utique lectionem Scripturæ promoveri, quia ejus intellectus jam ubique terrarum desideratur.* Obsecutus est Luthero Elector, talesque ad Melanchthonem literas dedit. Intercessit paulo post Lutherus d. 21. Februarii (*Reg. N. fol. 108. Hh. n. 41.*) pro monachis Franciscanis, qui in cœnobio VVittenbergensi reliqui erant, ut iis de sustentatione prospiceretur, ne cum magna Evangelii ignominia egerent. Culpam ab Electore amolitur, sed queritur, neminem esse in aula, qui miserorum illorum causam commendaret. Addit: *Quis scit, annon inter illos aliquis sit, qui in extremo die nostrum omnium judex sit futurus.* Es möchte vielleicht einer unter ihnen seyn / der am jüngsten gericht unser aller Richter möchte seyn. Respicit ad dictum Apostoli *1. Cor. VI, 2.* de sanctis qui mundum judicabunt, & ostendit, neminem esse tam vilem & pauperem inter pios, qui negligendus sit. Eodem anno d. 23. Novembris (*d. l. Reg. O.*) significat Electori, quod monachi quidam Rostochienses Testamentum Emseri dialecto Saxonica excudi curarent; desiderari autem a civibus Rostochiensibus & Lubecensibus, ut intercessione Electoris apud Henricum, Ducem Meckelburgensem, conatus ille impediretur, ne Evangelicæ doctrinæ noceret. *Ego quidem* (scribit) *Emseri Testamentum ferre possem, cum totum fere, exceptis paucis verbis, nequiter mihi suffuratus sit; sed annotationes & glossæ pessimæ sunt, & ita venenatæ, ut omne textus emolumentum corrumpant.* Annuit petitis Elector, & ad Meckelburgensem Ducem literas ea de re dedit, quæ extant.

An. 1526.

(b) *item pro Franciscanis VVittenbergensibus.*

(24) *de Zuinglianismo.*

Quæ vero in Helvetiis, habita Badenæ disputatione, gesta sunt, itemque scripta inter *Erasmum* & *Leonem Judæ*, Theologum Tigurinum, in quæstione Sacramentaria, a scriptoribus rerum Helveticarum & Zuinglianarum peti debent, & compendiose recensita reperiuntur a *Sculteto p. 40. seqq.* ubi & memorat, Zuinglii sententiam Augustæ *Michaelem Cellarium*, & Ulmæ *Conradum Sumium* docuisse. Sed digressio Maimburgiana, de qua supra *§. XV.* dicere cœpi, interstitium hic magnum facit. Nunc totam ejus de rebus inter Pontificem & Reges extra Germaniam anno hoc 1526. ad annum usque 1528. gestis narrationem apponam. Quoniam autem ista historia parum aut nihil cum re Lutherana commercii habet, sed animi causa proponitur, non inquiram in omnia; quanquam sint, quæ ad veritatem aut accuratiorem rerum gestarum ordinem ex probatis autoribus adducere liceret. Illa saltem per modum notarum paucis Maimburgiano textui subjungam, quæ propius ad scopum operis accedunt. Deinde historiam Lutheri & Lutheranismi secundum ordinem temporis reassumam.

(25) *Transitio ad digressionem Maimburgii de rebus Italicis.*

SECT. 10.

Cas. Glorier. histor. expugn. urb. Franc. Guicciard. lib. 17. Sacc. de Rom. Jovius Vita Pomp. Colomn. Card. Pallavic. l. 2. c. 14.

(1) Narratio de fœdere Pontificis cum Galliæ Rege.

Postquam Franciscus I. Galliæ Rex ex captivitate dimissus esset, fœdus inter ipsum & Pontificem Clementem VII, Resque publicas Venetorum, Florentinorum & Helvetiorum ictum fuit, ad liberandam a dominatione exterorum Italiam, & restituendum Ducem Sfortiam, quem Marchio Piscarius in arce Mediolanensi, post occupata præcipua ditionis loca, obsessum tenebat. Pontificem ad fœdus hoc impulit, & nimiæ potentiæ, & ultionis ab offenso Imperatore metus, contra quem jam duo fœdera inierat. Cum enim Rex Franciscus, Cæsareanos ab obsidione Massiliensi abactos, in Mediolanensem provinciam usque persecutus, statimque urbe potitus esset, Clemens, res Cæsaris prorsus subversas ratus, cum Rege, ad Hispanos regno etiam Neapolitano ejiciendos, societatem inierat: dein post prælium Ticinense, etsi cum Imperatore, tunc prævalente, conciliatus esset, conspirationi tamen & unioni, quæ adversus illum inter Venetos & Ducem Sfortiam secreto tractabatur, accessit, cui etiam Piscarius adhæsurum se esse simulaverat, sed rem Cæsari detexerat. Quemadmodum igitur non facile fidimus illis, quos offendimus, maxime, si certo sciant, se offensos esse, licet id dissimulent; ita Pontifex hac quoque vice aperte cum Rege ejusque confœderatis se conjunxit, ut Imperatorem ad quasdam res induceret, quas, satis sciebat, impetrari ab eo non posse. Disceptatum est ab initio literis & scriptis publicis, & cum nunquam alterutri partium, ortis inter Principes simultatibus & litibus, prætextus desint, quibus suas actiones defendant, & adversariorum improbent; magnæ exprobrationes a Clemente adversus Carolum, & a Carolo contra Clementem factæ sunt. Urgebat hac ipsa occasione Cæsar,

An. 1526. *sar, ut Papa protinus concilium convocaret, certus, id plures ob causas facturum eum non esse. Simul etiam a sacro Collegio postulavit, ut, recusante Papa, convocationem faceret, protestatus, ni id fieret, se ipsum, ut Imperatorem, facturum esse, quod Ecclesia, cujus salus hoc remedio opus haberet, proficuum esse judicaret.* An. 1526.

(2) Cæsar expostulat cum Papa de Concilio.

§. XXVI.

(1) *Plura de Cæsaris querela, apud Pontificem.*

Sincerior paulo in causis odii & bellorum inter Pontificem & Cæsarem afferendis est Maimburgius, quam *Pallavicinus*, qui *Lib. II. cap. 13.* quicquid potest, ad excusandum Pontificem congessit; At hunc Carolus Cæsar amplissima illa apologia *Granatæ* anno 1526. d. 17. Decembr. edita (in qua simul res Italicæ egregie enarrantur) tot argumentis, perfidiæ, impietatis & injuste effusi sanguinis accusat, ut, cui magis credi debeat, facile cuivis sit appariturum. Nihil sane minus, quam boni pastoris, &, qui Christum repræsentaret, officium præstitit Clemens, unde & divinitus prædictam & celerem ultionem Dei (quamvis aliud agente Cæsare) haud immerito expertus est. Sed ego ad illa nunc maxime respicio, quæ statum religionis in Germania propius tangunt, Maimburgio neglecta. In expostulationibus illis, quibus se Cæsar & Pontifex, fœderati antea, nunc inimici, mutuo lacerabant, arcana quædam, ut fieri solet, ad tertii innocentis commodum propalata fuerunt. Cæsar enim inter officia sua, quæ Pontifici, ut ingrato, exprobrat, etiam hoc refert, quod ex imperio regnisque ac dominiis suis Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Germaniæ, Galliæ (Gallobelgicas forte provincias intellexit) ac superioris Burgundiæ, plus, quam ex cæterorum omnium regnis & dominiis, lucri & commodi sedi Apostolicæ ac Romanæ curiæ accedat. *Non enim* (ait) *patiuntur Reges alii, ita passim & laute Ecclesiarum spolia & Annatas, ex suis regnis ad Romanam curiam deferri: qualia autem sint ea lucra, ex centum illis gravaminibus Nationis Germanicæ colligi poterit, quibus tamen ex ea devotione & observantia, qua semper vestra Sanctitati* (ita loquitur) *& Apostolicæ sedi affecti fuimus, nusquam aures præstare curavimus, nec his animum adjicere.* Idem in literis ad Cardinales d. 6. Octobr. his verbis jactat: *Importunas Germaniæ & universi Romani Imperii preces contra gravamina & oppressiones, quas a Sede Romana pati, cum in Wormatiensi conventu essemus, passim conquerebantur, obduratis auribus, pro innata nostra erga Apostolicam sedem observantia, obaudivimus. Subortæ sunt ea de causa variæ rerum difficultates, & incommoda, pullulat indies magis Lutheranorum insania. Gravamina ubique divulgantur. Omnes unanimes remedium implorant, petunt fieri generale Concilium, in quo & Lutherana impietati, & Romanæ curiæ (ut ajunt) oppressionibus obviam iri possit. In civitate Spirensi conciliabulum indicunt, ut in seditionibus ortis usque ad generalis concilii decisionem ordo aliquis statueretur. Vidimus Germanorum animos in Sedem Romanam graviter commotos, verentesque, ne hujusmodi conciliabulum Germaniam a Romani Pontificis obedientia diverteret, Spirensem congregationem gravissimis pœnis prohibemus; eis tamen pollicemur, quanto citius fieri possit, generalis Concilii indictionem fieri curaturos. De hac re ad Pontificem scribimus, ut Germaniam ab imminenti periculo per hujusmodi generalis Concilii indictionem liberare dignaretur, instamus: Ipse vero de Conciliabuli prohibitione gratiam habet, generalis tamen Concilii petitionem in tempus (ut ajebat) magis conveniens differendam censuit, ita, ut pro nostra erga sanctam istam sedem observantia, maluerimus Pontificis affectibus potius quam Germaniæ precibus annuere.* Vide *Goldasti Part. II. constit. Caroli V. f. 98. & 103.* Apparet quidem hinc, satis male Cæsarem de Lutheranismo judicare, gravamina tamen & Concilii flagitationem non Lutheranis, sed omnibus tribuit Germaniæ ordinibus, sicut Conciliabuli, quod vocat, celebrationem iisdem imputat. *Paulus Venetus Lib. I. Hist. Concil. Trid.* annotat, multorum judicio non satis considerate tantum arcanum a Cæsare divulgatum fuisse; inprimis, quod scripserat, *se demerendi Pontificis causa, aures occlusisse honestis Germaniæ precibus, & inde plerosque occasionem sumsisse existimandi, omnem cultum & observantiam illam Pontifici delatam, non nisi respectum politicum, velo religionis coopertum, fuisse.* Vapulat hoc nomine *Venetus a Pallavicino d. cap. XIII. §. 25.* quod Cæsaris verba interpolaverit, & ita induxerit, ac si desideria Germanorum *pro honestis & necessariis* habuisset. Et verum quidem est in literis illis, quales publicatæ leguntur, aperte non dici, Cæsarem *pro honestis, justis & necessariis* habere Germanorum preces: argumentatio tamen ejus plane enervaretur, nisi ita senserit. Nam, si justa, honesta, aut necessaria non petiissent Germani, exiguum meritum sibi arrogare aut Pontifici imputare Carolus potuisset, iniqua & turpia, quæ sine majori turpitudine fovere nullo modo potuisset, rejiciens. Cæterum, quod *Conciliabulum Spirense* vocat Cæsar, Comitia erant secundum decretum Norimbergæ anno 1524. publicatum, mense Novembri Spiræ celebranda, in quibus de religione, usque ad Concilium universale, constituendum esset. Ista comitia Cæsar, ut hic profitetur, impedivit, idque a Maimburgio & a me *Lib. I. Sect. 58. 59. & §. CLXVII.* relatum est; nunc id Pontifici pro beneficio imputat. Viderant nempe Pontifex & Cæsar, concilii nationalis vim habitura fuisse isthæc Comitia, cujus eventum non poterat non metuere curia Romana. Neque æquioribus oculis intuebantur alios Germanorum conventus, ad quos tamen omnes, qui Pontificiis actionibus gravabantur, non solum Lutherani, respiciebant. Igitur *Pompejus Columna*, Cardinalis a Pontifice hoc anno excommunicatus, ad Concilium Spirense appellationem interposuit, & Romæ publice affigi fecit. Hoc *Pallavicinus d. lib. II. Cap. XIV.* eo interpretatur, ut dicat, *Columnam id vel credidisse, vel hoc terriculamentum Pontifici objicere voluisse, quod Cæsar, mutato consilio, jam permissurus sit, ut Concilium Spiræ coiret.* Taxat etiam Cæsarem *d. cap. XIII. §. 25.* quod Cardinales monuerit, ut, cessante Pontifice, ipsi concilium convocarent; negat enim, hoc jus Cardinalium esse, quia illi autoritatem a Pontifice, non vero, ut hic, a Christo obtineant. Quo quidem asserto temperamentum Aristocraticum, quo multi ex illius partis Prælatis & Theologis, Galli præsertim, Monarchiæ Pontificiæ frena injiciunt, evertitur, & omnia ad unius hominis arbitrium recidunt, qui nisi de divina illa a Christo obtenta autoritate certus sit, nulla omnino præditus

(2) *Item apud Cardinales.*

(3) *Revelat arcana.*

(4) *Notatur Pallavicinus.*

An. 1526.

ditus est, cum nec ab ecclesiæ, quas vocant, columnis illam habere velit. Quod vero supra notavi, omnium fœderum illo tempore condimentum fuisse Lutheranismi extirpationem, id etiam ex scripto hoc Cæsaris (*d. l. fol. 99.*) apparet; pacis enim, ad quam Pontificem hortatur, eum potissimum proponit finem & fructum, *ut Lutheranorum aliorumque hæreticorum sectæ & errores comprimantur, corrigantur, & sedentur; &, si licuerit, ad Ecclesiæ gremium reducantur errantes.*

SECT. II.

(1) Exercitus Cæsaris, Duce Borbonio, Italiam petit. Cæsaris consilia & instituta.

Hæc non nisi verba & rixæ erant, sed mox ad facta perventum est. Exercitus fœderatorum, cui tunc Franciscus Maria Roboreus, Urbini Dux, præerat, dum copias Regis sub Marchionis Saluciani ductu expectabat, in Insubres progressus, Laudem Pompeji cepit, & ad obsidionem Mediolani se parabat. Ex altera parte Cæsar in Hispania adhuc subsistens, & inde omnia promte & dextre providens, quatuor potissimum facienda sibi esse duxit, per quæ tot hostium contra se uno impetu insurgentium consilia & vires enervaret & rumperet. Notum est, quemadmodum Dux Borbonius ex quadam offensa, deserto Regis ministerio, indignatione & desperatione ductus, ad Imperatorem transierit. Cæsar itaque, ut hanc occasionem in maximum emolumentum suum verteret, & duce hoc militari magni nominis, bene uteretur, jussit eum, facto per Genuam itinere, Mediolanum proficisci, & Piscarii, qui paulo ante obierat, loco, exercitui præesse, utque eum ad res strenue agendas propriæ utilitatis respectu animaret, hoc ipso tempore investituram egregii illius Ducatus, jam ante promissam, illi concessit. Eodem tempore Hugo Moncada, vir industrius pariter & audax, mandata accepit, ut cum Pontifice tractaret, eumque speciosis promissis a fœdere distraheret, aut alia via in fraudem induceret. Porro Carolus Lanoius, Prorex Neapolitanus, qui Franciscum captivum in Hispaniam transduxerat, subsidium sex aut septem Hispanorum millium, triginta navibus impositorum, in Regnum deportavit, magnamque distractionem, ab illa parte Pontificem invasurus, moliebatur. Tandem callidus hic Imperator per Ferdinandum Archiducem fratrem suum, permovit Georgium Fronsbergium Comitem, ut pro magna, quam inter Lutheranos potissimum sibi acquisiverat, autoritate, validum exercitum colligeret, & Borbonio auxilia laturus, quantocyus in Italiam duceret; Borbonio autem potestas facta erat, omnia, quæ conducere pro re nata arbitraretur, non expectatis ex Hispania mandatis, agendi. Quatuor ista egregie successerunt Carolo, qui hoc tempore in summo felicitatis suæ fastigio versabatur, sed Papæ funesta fuerunt, qui timiditate & inconstantia sua tantundem aut plus mali sibimet ipse inferebat, quam ab hostibus patiebatur. Dux Borbonius Genuæ cum septingentis aut octingentis peditibus exscensionem fecerat, nulla a triremibus Regiis, quæ Massiliæ male instructæ habebantur, ipsi obstante: Mediolanum vero opportune, eaque ipsa vespera ingressus est, cum die sequenti, fœderati suburbia aggrederentur. Sed fortissimus hic Princeps non solum duos illorum insultus ad portam Romanam strenue repulit, verum etiam post paucos dies arcem in illorum conspectu in potestatem redegit, Sfortia duce, qui ad extremum cibi defectum redactus erat, deditionem faciente. Moncada, qui artibus suis Pontificem a fœderatis nondum separare potuerat, cum Columniis se conjunxit, qui pro Imperatore arma sumserant, & Papam simulato pacis tractatu, prius fere rupto, quam concluso, deluserant securumque fecerant. Inde præter ejus opinionem cum quinque aut sex hominum millibus per portam Lateranensem d. 20. Septembr. nemine resistente, Romam ingressi sunt. Pontifex enim, ut sumtibus parceret, copias suas dimiserat, paucosque milites retinuerat, stipendiis etiam male solutis: neque populus eum amabat, ob animum ejus tenacem, magis Columnensibus favens, qui neminem, nisi Papam, persequebantur. Itaque pacati urbem transeuntes palatium Vaticanum occuparunt & diripuerunt. Clementi unicum consilium fuit, ut se in arcem S. Angeli reciperet. Sed ibi deficientibus, de quibus nihil provisum erat, cibariis, post biduum inducias a Moncada oblatas accipere coactus est, ea conditione, ut copias suas ex Mediolanensi ditione revocaret. Id inter causas capta & vastata postea Roma fuit, quia illa imminutione debilitatus fœderatorum exercitus, transitum copiarum Fronsbergii Comitis impedire tanto minus valuit. Ortus hic fuit ex illustri familia in ditione Tyrolensi, in qua sita est arx Fronsbergia, ad fines Archiepiscopatus Salisburgensis. Natus vero erat in Suevia, Mindelhemii, haud procul Memminga. Ingentibus corporis & animi viribus, Dux militum celeberrimus, qui jam bis Imperatoris stipendiis in Italia magna cum laude, præcipue ad Ticinum, meruerat, primariæ cuidam legioni præfectus, adeoque præ aliis omnibus strenue pugnando insignem gloriam adeptus. Idem vero maxime præceps & iracundus, & inter omnes illustres Germanos impotentissime novæ factioni Ecclesiæ Romanæ oppositæ addictus, ita, ut ipso Luthero, (ut ita dicam) magis Lutheranus esset. Iste enim Hæresiarcha bellum licet acre Pontifici indicens, non tamen nisi autoritatem ejus oppugnabat, & dignitatem capitis Ecclesiastici illi eripere satagebat, privatim personæ ejus minime infensus, imo non semel reverentiam quandam erga eum testatus. Quamvis etiam sæpe in eum invehatur, injurias tamen pro more suo, ut contra Papam, evomit, Antichristum plerum-

Guicciard. Succ. di Rom. lib. 2. pag. 8.

Cas. Glorier. & alii, supra citati. Jovius.

Guicciard. Mitis & religiosus Pontifex, verum idem in consiliis suis retinendis aliquantulum imbecillior. Card. Sadol. L. II. ep. I. Guicciard. lib. 17. d. 24. Jul. Cas. Glorier. Guicciard. Jovius.

(2) Columnii Romam invadunt, & palatium Papæ spoliant.

(3) Fronsbergius a Cæsare conducitur cum copiis adversus Pontificem.

An. 1526. *rumque vocans, & corruptorem Evangelii, ac tyrannum Christianorum, quæ errantis & perversi judicii potius, quam odii aut inimicitiæ argumenta sunt. Sed insanus hic Lutheranus, adeo a Roma & Papa abhorrebat, ut vitæ hujus immineret. Jactabat præterea vane belluinum hunc furorem, & quamprimum copias in Italiam ducendas conscripsisset, funem ex auri & serici filis contextum fieri curavit, quem palam, ut cingulum gerebat, omnibus, qui causam rei scire volebant, respondens, se Papam eo modo tractaturum, quo imperatores Ottomannici in fratres suos uterentur, ne sanguis tam illustris tantoque honore dignus effunderetur. Ob hoc ipsum odium propositioni Archiducis Ferdinandi, ut copias pro Imperatore, bellum Pontifici illaturo, colligeret, lubentissime locum dedit, suisque partim sumtibus, non tamen magnis, & brevi tempore, milites conduxit. Cum enim ubique propalasset, se eos, qui signa sua secuturi essent, ex spoliis Romæ ditaturum, præter veteranos, qui sub eo militaverant, Lutherani gregatim nomina dederunt, spe direptionis Romanæ, uno floreno in singula capita contenti. Ita factum, ut brevi validum exercitum, decem & octo circiter millium hominum, qui fere omnes Lutherani erant, comparaverit; eumque mense Octobri Italiam versus movere cœpit. Cavit autem studio, ne illum per Helvetios aut Rhætos duceret, qui, fœderi adversus Cæsarem innexi, parva manu transitum facile impedire potuissent. Dein in finibus Mediolanensibus exercitum Ducis Urbinatis, cui se Gallicæ copiæ sub Marchione Saluciano, tum Helvetii & Rhæti, junxerant, in occursu habuisset, quod diligenter ab eo evitatum est. Relictis igitur a dextra Helvetiis & Rhætis, ad sinistram flexit, Alpium transitum per patriam regionem, in qua copias circa Meraniam, & prope arcem Tyrolensem congregaverat, tentaturus. Intravit itaque vallem Brixiensem, alias Sabiam, & ad ripam Athesis descendens, perque agrum Tridentinum & Salosiam oppidum, ad dextram Benaci lacus oram situm, transiens, flumenque Mincium secutus, in ditionem Mantuanam ad Burgumfortem perrexit, ubi quatuor tormenta minora, ab Alphonso Estensi, duce Ferrariæ, Cæsaris fœderato, Pado flumine, submissa accepit. Auxilia hæc in se considerata magni quidem momenti non erant, sed funesto casu factum est, ut inde & hujus exercitus felicitas, & miseria Romæ dependeret. Cum enim fœderati, cum Lutheranis hisce in transitu consueto ad fines Mediolanenses manum conserendam esse, putassent, jam autem intelligerent, aliam eos viam tenere, & Padum in agro Mantuano transire velle, Dux Urbinas illorum vestigia pressurus, Johannem Mediceum, omnium tunc militarium Ducum in Italia promtissimum & intrepidissimum indeque celeberrimum, celeriter cum delectis ex equitatu in hostes præmisit, ut eos lacesseret, & in itinere impediret. Sed vir hic strenuus, cum illos Burgoforti exeuntes attigisset, maximoque, ut solebat, ardore in postremam Germanorum aciem irruisset, primo ex tormentis, de quibus diximus, globo emisso, conquassato osse coxendicis, in terram dejectus, & quarto postea die Mantuæ mortuus est. Casus hic Italos, quos ad ultionem animare debuisset, perterruit, & Urbinas accepto hoc nuntio illico ad Burgumfortem substitit, nec ulterius hostes persecutus est. Ita hi quinque aut sex milliaria longius, ad Ostrillam usque progressi, Padum d. 28. Novembr. nemine, qui resisteret, reperto, transierunt. Posthæc Lutherani isti ad dexteram versi, totoque mense Decembri, lento agmine, universam regionem, maxime vero templa exspoliarunt, nulloque occurrente hoste, & sex amnibus, quos usque ad agrum Placentinum invenerunt, transmissis, commodis ad utramque Trebiæ ripam hospitiis, potiti, Borbonium Ducem, expectarunt, qui circa finem mensis Januarii anni 1527 cum maxima Mediolanensium copiarum parte se iis conjunxit.* An. 1526.

[Margin: *Jobius in Elog. Guicciard. lib. 17.* — (4) Milites ejus Lutherani. — *Cas. Glorier.* — *Guicciard. l. 17.* — (5) Clades Johannis Medicei. — *24. Nov.* — (6) Germani Padum superant, & cum Borbonio junguntur. — *Glorier. hist. direpi. Rom.*]

§. XXVII.

Ad ista quædam pro *Carolo Cæsare*, quædam pro *Fronsbergio*, pauca etiam pro *Luthero* & Lutheranismo annotanda sunt. Carolus in *apologia*, quam allegavi, fraudis & malæ fidei notas, quas illi hic Maimburgius impudenter impingit, speciosissime a se amolitur, & in Pontificem retorquet. Præteriri autem non debuissent, quæ illo tempore contra Pontificem a Carolo decreta sunt, & a *Thuano*, cum epicrisi insigni, *Lib. I. histor.* referuntur. Scribit enim: *Cæsar, ut injuriam, sibi a Clemente illatam, ulcisceretur, nominis Pontificii autoritatem per omnem Hispaniam abolet, exemplo ab Hispanis ipsis posteritati relicto, posse ecclesiasticam disciplinam citra nominis Pontificii autoritatem conservari.* Hoc Cæsaris exemplum, & Thuani, viri tanti, & Romanis sacris addicti, de eo judicium, non solum Gallorum, qui Ecclesiam sive Concilia Pontifici præferunt, sed & Protestantium sententiam, quod capite illo externo plane carere possit Ecclesia, multum juvat. Si enim Pontificatus de substantia, ut loqui solemus, Ecclesiæ, imo de salutis necessitate esset, ne ad tempus quidem omitti aut recusari posset. De *Fronsbergio* multa relatu digna afferri possent, sed hic tantum Maimburgii errores notabimus. *Comitem* illum vocare non debuit, nunquam enim illam habuit aut affectavit dignitatem; imo & *Baronis* abstinuit, & *Domini*, sive *Equitis* titulo contentus fuit. Nepos tamen ejus, *Georgius*, inter Barones Sueviæ, ob Dynastiam *Mindelheim*, in Comitiis locum habuit, donec illo extincto Fuggeri Comites oppidum illud cum pagis suis acquisiverunt, eoque nomine anno 1594. in Comitiis per legatos comparuerunt; nunc Serenissimus Bavariæ Elector illud possidet. De Tyrolensi arce, a qua nomen habuit Georgius, hic non disquiro. *Fronsberg* aut *Frondsberg* vulgo scribi solet, sed in diplomatibus & lapidibus *Frundsberg* invenitur, *Frund* autem amicum notat, pro quo hodie *Freund* scribimus. *Georgius*, de quo agitur, parente *Ulrico*, Suevici fœderis Duce, & matre

[Margin: (1) *Cæsaris edicta in Hispania contra Pontificem.* — (2) *De Fronsbergii genere & gestis.*]

An. 1526. tre *Barbam*, ex illustri *Rechbergiorum* in Suevia familia anno 1472. natus, multisque bellis exercitus, non tamen solum, ut Dux quidam militum, ære conductus, sed ideo Cæsari obstrictus erat, quia jam Maximiliani I. tempore Consiliarius & Tyrolensis comitatus Capitaneus (Obrister Feld-Hauptmann) constitutus, & in ea dignitate a Carolo anno 1520. confirmatus fuerat. Ideoque non odio Pontificis, aut favore in Lutherum, sed officii ratione, nec lubens, sed ægre & plus una vice requisitus, denique filii *Caspari*, Tribuni Legionis Cæsareæ, & Mediolani a Gallis obsessi, precibus motus, expeditionem illam cum damno suo maximo, suscepit. Oppignoravit enim impensæ ad delectus habendos rogatus a Ferdinando Cæsaris fratre bona sua & uxoris, ut plusquam triginta florenorum millia conficeret, ad conscribendas 12000. peditum copias (non 18000, ut narrat noster) aliosque sumtus. Præterea cohortium præfecti, interque illos *Conradus Beumelbergius*, seu potius *Boyneburgius* ex Nobilitate Hassica, quem vulgo *parvum Hessum* vocabant, Legatus Fronsbergii, & abavus meus maternus, *Sebastianus Schertelius*, tribunorum primus, (der erste Hauptmann) pecuniam ad conscribenda vexilla sua erogarunt. Verum etiam non est, Lutheri favore singulis florenis singulos milites conduci se passos esse; nam id solitum eo tempore autoramentum erat, multisque duravit annis, ut ex *Schertelii*, quod penes me est, diario probare possum, nec alias ignotum est rerum Germanicarum peritis. Itaque Maimburgius illa omnia, & quod *præcipitantiam, iracundiam*, imo *belluinam mentem*, dein vanam *de fune ad necandum Pontificem gestato* jactantiam, Heroicæ virtutis Viro, quem inter decora Germaniæ gravissimi scriptores celebrant, adscribit, futilibus obnoxiorum aut rumusculos plebejos sequentium autorum relationibus debet. Judicavit sane Fronsbergius, Pontificem pessime de Cæsare & Imperio meritum, mortis pœna dignum esse. Sed funis circumgestatio insipidum est figmentum, ut autor vitæ Fronsbergii, *Adamus Reisnerus*, dudum annotavit. Tandem, etsi pars quædam exercitus, Lutheri doctrinæ vel addicta jam erat, vel favebat, probari tamen nequit, plerosque, multo minus omnes, Lutheranos fuisse; erant enim etiam inter præfectos veteris religionis tenaces, nec causam reperio, cur Fronsbergio tantus in religione zelus aut inter Lutheranos autoritas a Maimburgio tribuatur: neque apparet illum in Italia religionis nomine Hispanis aut Gallis, Cæsari sub Borbonio militantibus, odiosum fuisse. Certe in diplomatibus a *Borbonio* & *Sfortia* Mediolani ducibus & *Antonio de Leva*, Casparo Fronsbergio datis, quæ autor vitæ refert, egregia semper cum laude, & veneratione Georgius parens memoratur. Verissimum etiam est, etsi & Dux iste, & Germanus ille peditatus totus Lutheranus fuerit; bellum tamen illud & expugnationem Romæ, nec Luthero nec Lutheranismo imputari posse; ad auspicia enim sive summos Imperatores, & ad causam bellorum respici debet, id est, ad Carolum Cæsarem, qui Pontificem non religionis causa, sed ut fœdifragum & hostium socium persequebatur. Interim odio Lutherani nominis laborabat exercitus Germanicus, quemadmodum Hispanicus Maurorum sive Mahometanorum. His enim conviciis erga utrosque non abstinuit Clemens VII. Pontifex edita Bulla d.

(3) *Duces copiarum ejus.*

(4) *Refelluntur quædam, de Fronsbergio a Maimburgio narrata.*

4. Maji 1527. in qua Germanos *Hæreticos Lutheranos*, Hispanos vero *Marranos* vocat. An. 1526.

ADDITIO.

Liceat mihi, antequam longissimam Maimburgii digressionem inseram, aliquam de duobus illustribus Germanis, *Fronsbergio* & *Schertelio*, subjicere. Illum quod attinet, præter ea, quæ *hoc* §. retuli, & paulo post §. *XXVIII*, addam, observari meretur, quod magna pars victoriæ Imperatoris & Fœderatorum, anno 1522. *ad Bicocam*, prope Mediolanum, de Gallis & Helvetiis reportatæ, Fronsbergio debeatur, peditatus Germanici (der Landsknechte) ut tunc dicebantur, præfecto. Notiora sunt, quæ in prælio ad Ticinum anno 1525 præstitit, cum filium *Casparum* inter obsessos in urbe haberet. Animavit milites oratione, ut erectis manibus lætaque acclamatione significarent, *se ipsum pro parente habere, & vitæ periculum ejus causa libenter adituros*. Inde, ut semper solitus erat, ante pugnam in genua cum militibus procubuit, divinamque opem imploravit. Opposita illi erat in adversa Gallorum acie legio Germanorum, quæ Regi a multis annis militaverat, & vulgo *Nigra* cognominabatur. (der schwartze Hauffe) Hujus Dux *Johannes Langenmantelius* patritius Augustanus Fronsbergium contumeliose provocavit; sed ab hoc, ut Cæsari & patriæ rebellis, increpatus & spretus fuit, cæsusque a gregario Fronsbergii milite, cum tota pene legione interiit. Cum, profligatis Gallis, ad prædas Hispani & Itali nimis cito discurrerent, suos continuit Fronsbergius, quod ad plenam victoriam non leve attulit momentum. Pie tamen professus est, omnia Divinæ providentiæ & gratiæ tribuenda esse, humana vi & industria parum actum. *Casparus* filius, ex urbe erumpens, terga hostium invasit, eaque virtute meruit, ut viginti quinque annorum juvenis tribunatum legionis acciperet, & tutandæ urbi Mediolanensi præficeretur. Post pugnam magna cum celeritate in Germaniam rediit Fronsbergius, utilemque operam in sedandis Sueviæ rusticis, quorum antesignanos, viros militares, sub signis suis habuerat, navavit, ut §. *IV.* indicatum est: laudabili etiam moderatione Mindelheimenses suos absque vi in officio continuit. Anno sequenti, cum Alpes cum exercitu transiret, Botsani (Botzen) dormienti oblata species esse dicitur defuncti fratris Caspari, lætum expeditionis successum significantis: sed omen illud plus luctus, quam prosperitatis habuisse, eventus ostendit. Magna itaque cum alacritate progressus est, & cum de ingenti hostium apparatu multa dicerentur, usitato sibi proverbio respondit: *multi hostes, multa gloria*. (Viel Feinde / viel Ehre) In agro Mantuano summum periculum cum copiis suis incurrit, deceptus a Mantuæ Duce, qui Cæsari promissa non servabat. Eo die 24. Novembr. 1526. bis mille & quingentæ pulveris pyrii libræ a sclopetariis ejus in hostes jaculantibus, consumtæ esse perhibentur; sequenti, vulnerato majoris tormenti ictu Johanne Mediceo, hostium duce, & dissipato ejus morte exercitu, periculum discussum est, & aperta in Italiam ulteriorem via. Fronsbergiorum, patris & filii, gloriam his factis acquisitam, producto Caroli Borbonii diplomate, d. 10. Decembris illo anno dato, testatur *Reisnerus*. In hoc Casparus *magnificus & celeberrimus eques* vocatur, æque ac pater *semper colendus*, cui filius *virtute, moribus & scientia rei militaris simillimus* sit. Enumerantur porro præclara utriusque facta, illisque prædia Philippi Turnielli, & Ludovici Caciæ, ex Mediolanensi nobilitate, a Cæsare proscriptorum, donantur. Cæterum quam triste Georgii in illa expeditione fatum fuerit, §. *XXVIII.* narrabitur. Adeo vero falsum est, quod Maimburgius scribit, *quod is spe potiundæ Romæ expeditionem illam susceperit*, ut literis d. 29. Novembris 1526. & d. 13. Jan. 1527. ad Ferdinandum datis, jam tum luctuosum exitum ominatus, dimissionem petierit, de summa rei pecuniariæ difficultate & militum inopia acerbe questus, & quod ex donatis, de quibus paulo ante dictum est, prædiis, nulla ad se suosque utilitas rediret. Sæpe etiam alias dicere solebat, tot licet palmarum Dux: *Tria esse, propter quæ militia fugi deberet: primum, innocentium hominum oppressionem & exitium; secundum, protervos militum mores; tertium, ingratum Principum erga bene merentes animum*. Cantionem etiam ipse composuit a *Reisnero* relatam,

(a) *Digressio de gestis a Georgio Fronsbergio.*

(b) *Fronsbergii sententia de fugienda militia.*

An. 1526.

relatam, in qua de iniquo bonorum virorum fato lamentabatur: hanc sibi frequenter præcini, dum epularetur, jubebat, modis illis musicis, quibus epinicium Ticinensis victoriæ tunc compositum, cantari solebat. Ex his aliisque, quæ scriptor vitæ refert, bonisque probat documentis, heroicum pariter ac compositum civilemque viri animum deprehendimus, ut satis appareat, *beluinam ferociam* illi per calumniam & invidiam objici, idque ad *Antonii Varillasii* criminationes, Maimburgianis pejores, in *Actis Erudit. Lips. anni 1686. p. 512. seqq.* haud immerito notatum fuit. Addam hic epitaphium viri a Georgio nepote Mindelhemii positum, quod *Reisnerus* his verbis refert: *Georgio Frundsbergio, Imperatorum decretis exercitus Germanici Ducis, qui per Tyrolim defectionem colonorum compressit, per Liguriam & regionem Transpadanam Italiæ urbes, populos rebelles, perdomuit, ad paludes Venetas & turrim usque Mergeram victor accessit, ferro & igni urbem terruit, socias civitates oppugnatas, exercitumque ad loca iniqua delapsum, ex hoste confertissimo obsidione liberavit, vicies, plus minus, signis collatis pugnavit, fortitudine, felicitate, animo consilioque rebus inclinatis præsentissimo, se invictum præstitit; post ingentia opera perfuncto vita, avo optimo, Georgius nepos, monumentum more majorum pie & religiose posuit. Vixit annos LIIII, menses X, dies XXVII. Obiit diem anno Christiano MDXXVIII. mense Augusto XX.*

(c) *Epitaphium.*

De *Sebastiano Schertelio*, plura dicendi privatas causas habeo, quas in præloquio operis *Lib. I.* non tacui. Ejus neptis ex filio *Johanne Sebastiano*, *Agnes*, avia mihi paterna; proneptis, ex nepote *Johanne Sebastiano* juniore *Maria Anna Schertelia* mater mihi fuit, utraque tantæ pietatis, ut si illam cum *Loide*, hanc cum *Eunice*, Timothei avia & matre, a Paulo Apostolo commendatis, comparem, nihil nimium sim dicturus. Rogatos etiam lectores velim, ut quæ de abavo meo afferam, pietati potius, quam jactantiæ imputent, nec ingratum erit, aut sine fructu, viri multis magnisque meritis illustris vitam a multis sparsim tactam, & multum ad negotia religionis & publica pertinentem, plenius cognoscere. Maimburgius, quanquam in narratione expeditionis Fronsbergianæ hoc an. 1527. mentionem ejus facere potuisset, maluit eam ad res anni 1546. differre; unde & mihi ab initio constitutum fuit, tum demum, quæ ibi parum vere aut accurate scripta sunt, examinare & emendare. Sed cum me opinione diutius susceptus hujus Commentarii labor detinuerit, & vitæ mora brevis hominem, præsertim senem, spes vetet inchoare longas, satius esse duxi, ut hic in compendio referam, quæ ex ipsius *diario MSto* (quod ex hæreditate materna ad me pervenit) notatu haud indigna esse judicavi.

(d) *Alia digressio de Sebastiano Schertelio.*

Natalem viri alii scriptores observarunt: Diarium enim, nescio cujus culpa, certe non mea, prima sui parte truncatum, genus & educationem non exhibet. Constat natum fuisse *Schorndorffii*, haud obscuro VVürtenbergici Ducatus oppido d. 17. Januar. 1495. familia, ut ipse ad Senatum Augustanum, in literis mense Junio 1537 datis (quas in *Archivo Vinariensi* reperi) confidenter testatur, honesta, quæ ab annis plus quam trecentis viros in illa regione publicis muneribus claros produxerit. Itaque agnatos antequam ipse ad Nobilitatis ordinem eveheretur, habuit, & in commentario suo nominat, equestrium prædiorum possessores. Literis imbutum fuisse, non modo stylus ejus indicat, sed & publicum in Academia Tubingensi testimonium extare *Martinus Crusius in Suevia annalibus* autor est, quod an. 1515. Magister artium renunciatus fuerit. Uxorem paulo post duxit *Barbaram a Stende*, claro in Helvetiis genere. Id ante annum 1521. factum esse oportet; ab hoc enim initium habet fragmentum Diarii; neque tamen, cum liberorum natales eodem anno referre Schertelius incipiat, nuptiarum suarum meminit.

(e) *Ejus ortus, studia, nuptiæ.*

Illo anno Cæsari in Belgio contra Galliæ Regem militavit, sequenti, in legione Comitis Helffensteinii (quem postea rustici crudeliter trucidarunt) cohortis præfecturam accepit, & strenuam in Austria contra Turcas operam navare cœpit; tanta jam tum fama, ut anno 1523. in Comitiis Norimbergensibus a Joachimo I. Electore Brandenburgico, nomine Christierni Daniæ Regis, ad conscribendos in ora lacus Brigantini 6000 pedites conduceretur, quos etiam autumno ejus anni, accepta pecunia, celeriter collectos ad Mœnum usque fluvium supra Francofurtum adduxit; sed dimittere coactus fuit, quod Margaretha Austriaca, Belgii Gubernatrix, Christierni conatus omnes, oborta contra eum suspicione, tunc subvertisset. Anno 1524 suis sumtibus, & militia, quam vocant, voluntaria, in Ducatu Mediolanensi exercitui Cæsaris adfuit, & in præliis, conflictibus & obsidionibus in Italia & Gallia Norbonensi, fortitudinis plurima specimina edidit, *Ticini* inprimis sive *Papiæ*, cum illam urbem Franciscus Galliæ Rex a Novembri mense 1524. usque ad d. 24. Februar. 1525. arctissima obsidione premeret, & ter atque decies in munimenta impetum fecisset.

(f) *Schertelii bellica tyrocinia.*

Narrat ipse Schertelius, se in eruptione, qua novem signa cum duobus majoribus tormentis Gallis ademta sunt, sclopetarios duxisse. Cum vero illo ipso tempore, quo cum Gallis depugnatum est, Casparo Fronsbergio Duce, totum fere præsidium Papiense ex urbe in castra Gallica erumperet, tam fortiter sese gessit noster, ut a Prorege Neapolitano publice in area ante arcem Papiensem *Eques* crearetur; more antiquissimo & honestissimo, quem fortissimi quique hujusmodi bellicarum actionum ardore observabant, ut a Ducibus militiæ aut aliis illustribus & Equestri titulo jam ornatis & claris viris, in quorum conspectu res bene gesserant, eundem honorem peterent. Hoc itaque tunc impetrato, præmiisque honoratus, nec spernendis cum manubiis, domum, propter rusticorum turbas, æque ac Fronsbergius festinavit. Ibi cum vix quatuor diebus quievisset, vocatus a Suevici fœderis Ducibus, & *Præfectus vigilum* totius peditatus constitutus est, (quod officium hodie inter ea habetur, quæ *Generalia* vocant, sed tunc cohortium præfectis peritioribus & industriis ad tempus assignabatur). Interfuit itaque omnibus, quæ in Franconia adversus tumultuantes rusticos a *Georgio Truchsessio* gesta, & alibi relata sunt, & ipse quoque recenset. Eodam anno *Comiti Sulzensi* in tractu Cleggoiæ contra rebelles colonos, & qui his auxilio venerant, Helvetios fortiter adstitit, primumque in pugna hostem ipse obtruncavit; vulneratus tamen in crure ab Helvetio, quem militari malleo a se prostratum expirasse crediderat. Sed hæc omnia ipse tantum pro tyrociniis habuit, & cum a Senatu Norimbergensi præfectura militaris ei tunc offerretur, sese ob juventutem & nondum sufficientem rerum experientiam excusavit, licet triginta annos natus esset.

(g) *Honor equestris.*

Sequenti anno 1526 proceres Suevicos offendit, cum *Adamo a Thungen* Equiti Franco, amicitiæ & sodalitii causa (in einem Gesellen Ritt) sese adjunxisset, dum ille Rotenburgenses ad Tubarim, a quibus in bello rustico damnum passus erat, infest[...]ret. Receptum apud *Fronsbergium* invenit, cohorti in exercitu, quem is mense Decembri anno 1526 in Italiam ducebat, præfectus. Vehementer itaque errat *Maimburgius Lib. IV. p. 14.* Hispanorum aliorumque Scriptorum errores aut calumnias secutus, cum Schertelium in illis castris frumentarium suffarraneum aut lixam (*Vivandier* Marcketender) fuisse refert, qui dein locum inter prætorianos Cæsaris impetraverit. Ut enim relatum probatumque est, jam ultra quinque annos ordines duxerat, majoribusque muniis militiæ præfectus fuerat, & inter Fronsbergiani peditatus Duces primarios numerabatur, ita, ut capta Roma & castello Pontificio, cum tribus aliis Germanis & quatuor Hispanis cohortium præfectis, exercitus nomine, cum Pontifice & Cardinalibus de pace & stipendiis tractaret. Cum postea corrupto ex cadaverum fœtore aere, plus quam 5000 Germanorum in urbe interiissent, & reliqui in Umbriam educerentur, contra hos vero Narnia oppidum, magna vi se defenderet, Schertelius cum alio Præfecto, quem nominat, primus muros conscendit; ita oppidum cum arce in potestatem redactum & vehementer in incolas sævitum est. Romam inde sub autumnum cum cohortibus regressus spolia non contemnenda, quæ ex humo eruebantur, cum aliis nactus est: deinde Neapolin missus in eruptione adversus Gallos anno 1528. & in prælio cum copiis Ursinorum strenuum sese præstitit, sed morbis, & lue populari & castrensi, plus semel afflictus, de vita periclitatus est, extinctoque toto fere Cæsaris exercitu & intutis per Italiam viis, amici, qui in Italia negotiabatur, Francisci Im Hoff, Norimbergensis, ope & industria, habitu & nomine mercatoris assumto d. 8. Maji domum rediit, præda insigni ditatus. Majorem inde claritudinem adeptus

(h) *Expeditio Romana.*

An. 1526.

An. 1526.

est, ut de eo stipendiis conducendo Principes veluti certarent. Licet autem a pluribus pensiones annuas, ut tunc fieri solebat, ad operam in conscribendis, quando opus esset, militibus præstandam, acciperet, constantem tamen eam ad vitæ suæ tempus, Senatui Augustano anno 1530 addixit. Neque id factum commendatione Imperatoris, ut Maimburgius *d. l.* refert, aut magis verum est, quod in urbe inter ditissimos fuerit; nihil enim in illa acquisivit; sed equestri conditioni conservandæ intentus, ab Ulrico Burggravio, castellum & oppidum *Burtenbach* medio inter Augustam & Ulmam itinere, ad Mindelam amnem situm, soluto septendecim millium florenorum pretio anno 1532 comparavit, multisque accessionibus & ædificiis excoluit & locupletavit, ut post annos septuaginta, divisa inter tres nepotes ejus hæreditate, juniori, qui mihi avus maternus fuit, ducentorum florenorum millibus æstimatum addiceretur. Observandum obiter est, intra sesquiseculum & commercia & pretia possessionum in Germania in immensum pene excrevisse, si cum priorum temporum statu comparatio instituatur. Hoc veluti auctuarium fuit magni illius beneficii in expurganda religione: utinam recte ab omnibus agnitum & collocatum! Anno 1534 cum Ulricus Dux VVurtenbergicus Ducatum suum ope Landgravii Hassiæ armis vindicaret, Schertelio peditatus summa præfectura delata fuit, sed, renitente Senatu Augustano, illam recusavit, bis mille tamen pedites, totidem florenis conductos, Principibus submisit. Sequenti anno ab Hassiæ Landgravio, permissu Senatus, pensionem annuam accepit, ut ex domo, ut loquimur, von Hauß aus/ a consiliis bellicis esset. Anno 1536 cohortibus, ex Sueviæ civitatibus Cæsari Galliam Narbonensem invadenti militantibus, sub tribunatu Caspari Fronsbergii, præfuit, ut in anni illius historia dicemus. Anno 1537 cum Canonici cum Clero suo Augusta urbe excederent, ad præcavendum plebis tumultum & peragendam reformationem cultus publici, ducentos pedites, jussu Senatus, conscripsit, & quietem urbi præstitit. Eodem anno *Joh. Adamum a Stain* vicini prædii *Jetingæ* Dominum, qui jus venandi Schertelio controversum faciebat, & in famulos subditosque ejus vim & injuriam exercebat, sibique armata manu occurrerat, fortiter aggressus vulneravit, & more illius temporis, ad carceres, si citaretur, subeundos, jurejurando adstrinxit. Hæc res Schertelio magnam apud Nobilitatem invidiam concitavit, quam publicata *apologia* declinatum ivit. Composita lis est multo labore & sumtu, intervenientibus Legatis Ducis VVurtenbergici & Landgravii Hassiæ, Eslingæ d. 2. Jan. 1538. Ad hunc conventum Schertelius ducentorum equitum comitatum adduxit, interque eos XXXVIII cohortium præfectos, ex nobilitate & civitatibus Imperialibus. Anno 1540 ab Ordinibus Imperii decretorum auxiliorum in Hungariam (nempe decem millium peditum & duorum millium equitum) Dux denominatus est; sed artibus æmulorum & inprimis Gonradi a Beumelburg (Parvi Hessi) Ferdinandus Rex VVolffgangum Theodoricum a Knöringen ei antetulit. Neque tamen id impatienter tulit Schertelius, notatque pecuniam ad conscribendas copias illas interversam fuisse, (sey verschwantzt worden) & non nisi ter millenos pedites & trecentos equites in Hungariam venisse, ubi nulla re gesta, magna ex parte fame perierunt. Hoc anno a Cæsare jus vectigalis Burtenbachii exigendi impetravit. Anno 1542 Landgravio ad bellum Brunsuicense legionem XVI signorum sive octo millium peditum & bis mille equites adduxit, magnumque ad occupationem Ducatus illius momentum attulit. Menstruum ei stipendium, pro se & triginta quinque satellitibus & famulis, florenorum 787 a Principibus constitutum fuit, nec indonatus abiit. Illo tempore annuas pensiones accepisse se refert florenos aureos 740 ab Augustanis, 200 a Landgravio, & 100 ex fisco Fœderis Evangelici. Anno 1544 cum Cæsar nihil omitteret, quo Protestantium capita & duces in partes suas pelliceret, Schertelio legionis contra Gallos ducendæ tribunatum, deinde præfecturam octo millium peditum in Hungariam mittendorum obtulit. Cum vero utramque conditionem, sive ut se non satis dignas, sive quod malam belli Hungarici administrationem satis notam haberet, rejecisset, delatum denique amplissimum munus *Marescalli majoris, Capitanei justitiæ militaris, & contributionum atque lustrationum generalis* (Groß-Marschall/ General-Capitain/ Justitz und Muster-Herr/ auch Brandschatzmeister) accepit cum stipendio menstruo trecentorum florenorum, & quantum præterea sufficeret ad alendos septuaginta tres equos cum famulis, & duobus curribus militaribus, satellites (Trabanten) quindecim, interpretes tres, sacellanum, scribam, fabrum, & tubicines duos. Adscivit etiam sibi sumtu Cæsaris Legatum ex nobilitate Suevica, *Mauritium a Libenstein*; conscripta quoque & parere illi jussa est turma centum equitum cataphractorum (eine Rennfahne) ex illustri & nobili juventa. Duravit illa expeditio menses quinque cum dimidio, in qua nullum strenui & providi ducis officium omisit Schertelius, nec exiguam apud Cæsarem summumque exercitus Præfectum, *Ferdinandum Gonzagam*, Proregem Nepolitanum, aliosque variarum nationum tribunos, gratiam & laudem retulit; ut ex literis ejus, ad Landgravium ex castris ad Ligniacum datis, constat; in quibus tamen de Germanis quibusdam, quos *ebriosos & temulentos* vocat, querelas miscet. In hoc bello, quod pax inter Cæsarem & Gallos eodem anno secuta est, filius Schertelii, *Johannes Sebastianus*, proavus meus, prima stipendia meruit, in variis Germaniæ & Galliæ Academiis ad id usque tempus educatus, & postea in aulam Hassiacam, ut filiis Landgravii adesset, missus. Anno 1545 metu periculi, Evangelicis instantis, Schertelius, sumtu civitatis Augustanæ, pedites mille ducentos in oppido suo Burtenbachio duobus mensibus aluit, deinde additis octingentis aliis, ad bellum, ab Henrico Brunsuicensi renovatum, misit, in quo Henricus exercitum amisit, & a fœderatis captus est. Sub finem anni, cum omnia ad bellum intestinum spectarent, Francofurtum ad conventum Evangelicorum vocatus, in itinere *Fridericum* Palatinum Electorem, Heidelbergæ convenit, in proposito ad partes fœderatorum accedendi confirmavit, ejusque mentem Landgravio Cassellis aperuit, unde anno sequenti 1546. d. 29. Jan. Elector cum agnatis, *VVolfgango & Ottone Henrico* Palatinis, Francofurtum venit, & de ineundo fœdere cum Landgravio & Legatis Saxonicis pactus est. Eodem tempore, mense Aprili, Rex Galliæ Schertelio annuam mille librarum Gallicanarum pensionem ultro assignavit, permisit tamen, ut Evangelicos omnes & Dominos suos, quibus feudi nexu obstrictus erat, exciperet. Hoc quoque tempore d. 11. April. *Burtenbachii*, sacra, quæ eo usque secundum ritum Pontificium toleraverat, ex disciplina Evangelica, vocato concionatore, reformavit; quæ ad nostrum usque tempus sub trinepotum ejus patrocinio continuantur, licet totus ille tractus, qui *Marchionatus Burgoviensis* nomen habet, in diœcesi Episcopi Augustani, veterem cultum retineat. Orto mox bello, quod Smalcaldicum vocatur, Schertelius vexillis octoginta & quatuor, inter quæ duodecim ex Helvetiis, reliqua in Suevia, conscripta erant, præpositus est, Legatumque habuit *Marcellum Theodoritum a Schankeswitz*, Ulmensium stipendiarium, bellique initium magna cum celeritate & industria fecit, quod non tacet Maimburgius *Lib. IV. pag. 15.* in gestis tamen viri referendis plus una vice lapsus: Castellum enim *Ehrenbergam* (*Clausam* alias vocant) quod tuendis faucibus montium, sive Alpium Noricarum, per quas Tyrolensis comitatus aditur, impositum est, Schertelius ipse non cepit, (licet *Sleidanus, Thuanus*, aliique idem scribant) sed laudem facti in *commentario* Legato suo ingenue assignat, qui cum bis mille peditibus celeriter præmissus Præfectum arcis *Thunium* (quæ familia ad Comitum dignitatem evecta est) quanquam centum quinquaginta præsidiariis instructum, terruit, ut eodem die 12. Jul. deditionem faceret. Dein, quod Maimburgius refert, Schertelium metu copiarum Tyrolensium, quas Castellaltus, Tridenti præfectus, collegerat, occasionem invadendi Tyrolensis Comitatus perdidisse, ex relatione Schertelii refellitur; scribit enim, se interceptis literis, ex quibus apparatum hostilem & adventum copiarum ex Hispania intellexerat, propositum cepisse, & ad consiliarios fœderatorum bellicos, qui Ulmæ residebant, perscripsisse, ut in interiora & Tridentum usque progrederetur, &, ut ait, Cardinales & Episcopos ibi congregatos inviseret; favebant etiam ei coloni Tyrolenses, & imperata haud impigre

(i) *Stipendia ab Augustanis accipit.*

(k) *Acquirit arcem & oppidum Burtenbach, & varia meretur stipendia.*

(l) *Certamen & conciliatio cum Joh. Adamo a Stain.*

(m) *Impeditur ab expeditione Turcica per invidiam.*

(n) *Expeditio Brunsuicensis.*

(o) *Expeditio Gallica, auspiciis Cæsaris.*

(p) *Gesta proxime ante bellum Smalcaldicum.*

(q) *Gesta in bello Smalcaldico.*

pigre faciebant, benigne quoque ab illo habiti, ita ut a Consiliariis & Præfectis nequaquam excitari ad arma contra Schertelium sumenda possent. Verum optima spe plenum adventantes Italos & Hispanos opprimendi, aut a Germania arcendi, Consiliarii illi Ulmenses tardarunt, & maxima cum ejus indignatione regredi jusserunt. Hoc *Sleidanum* latuisse oportet, qui & ipse Castellalti adventu Schertelium restitisse scribit. Ne tamen nihil ageret, & Danubii transitum exercitui Saxonico & Hassiaco liberum faceret, Dillingam primo, Augustani Episcopi ad Danubium oppidum & arcem, junctis VVurtenbergicis copiis, quas Heideccus ducebat, ad deditionem adegit, dein festinato & occulto itinere, refecto prope Keysheimium, quem Cæsariani ruperant, ponte, & Danubium transiens, Donavverdam, portas claudentem, impetu cepit, nullum tamen damnum civibus inferri passus est, licet Monasterii, quod in urbe est, spolia militibus concesserit. Eadem celeritate regressus Rainam cepit, indeque ad Ingolstadium movens, Danubium vado superavit, quingentos Hispanos a Cæsare missos ad fossam usque urbis persecutus est; & hanc improviso incursu cepisset, nisi invidia, ut queritur, Ducum, qui interea cum exercitu advenerant, impeditus, & a proposito desistere jussus fuisset. Indicat hic non sine doloris significatione, ut inutili cunctatione occasionem rei optime gerendæ amiserint fœderis capita, maximam vero culpæ partem *Landgravio* (utut huic obstrictus deditusque esset) plerumque tribuit. Præcipua, quæ in *commentario* suo commemoravit, hæc sunt: Primum consilium Schertelii, quod Elector Saxo aliique probabant, fuit, ut recta Cæsarem, Landshuti castra habentem, adorirentur, & ad prælium cogerent; alterum, cum prius a Landgravio rejiceretur, erat, ut Monachium, Bavariæ Ducum sedem, obsidione cingerent, eoque facto Cæsarem ad auxilium obsessis ferendum permoverent, de victoria non dubitantes, cum longe majoribus copiis omnique apparatu melius, quam Cæsar, instructi tunc essent: sed neque hoc Landgravio placuit. Ventum itaque est ad ea, quæ prope Ingolstadium gesta sunt, a plurimis scriptoribus exposita. Ex Schertelii tamen diario nihil percipitur, quod fidem faceret iis, quæ Maimburgius, Ludovici Avilæ (vid. *Hortled. Lib. III. c. 81. fol. 599.*) nugas secutus, de colloquio Landgravii cum Schertelio refert, in quo hic fortitudinem & constantiam Cæsareanorum militum laudasse dicitur; contraria potius omnia sunt, quæ Schertelius tradit. Scribit enim, cum ipse in ala sinistra, dextræ Cæsaris agmini oppositus, cum octies mille peditibus staret, fortissimosque Duces *Georgium Ravensburgium*, *Bernhardum Thalheimium & Albertum Brunsuicensem*, Philippi Ducis filium, ante se aut ad latera haberet, & ex vallo castrorum Cæsaris, peditum quinque millia progrederentur, rogatum a se esse Landgravium, ægre tamen ab eo impetratum, ut tormenta in hostes exploderentur. Licet vero hi illico pedem referrent, & Schertelius totum exercitum Cæsaris conterritum & nutantem videret, sui autem agminis Duces porrecta manu strenuam operam promitterent, & signum pugnæ poscerent, Landgravium tamen moras nectere, plurimas difficultates objicere, & Schertelium acriter dehortari cœpisse, ne rem in casum daret. Cum vero is in sententia persisteret, ad Electorem Saxoniæ, qui dextrum agmen regebat, perductum se refert, ibique habita deliberatione conclusum esse, ut a committendo prælio abstineretur. Reluctabatur impense Schertelius, hostium consternationem, & quod jam Itali & Hispani ad fugam sese converterent, monstrans. Pro certo sane habet, Cæsarem toto vitæ suæ tempore in majori angustia non esse versatum, & actum de eo fuisse, si consilio suo obtemperassent Principes. Non ignoro diversa tradi a scriptoribus; sed hæc a viro rei militaris peritissimo & in ejus secretis annotationibus tradita, magnum apud me momentum habere fateor. Tantum vero odium apud Cæsarem & Ferdinandum, quibus nihil, quod in castris fœderatorum fiebat, occultum erat, conflatum sibi esse queritur, ut palam dixerint, *se longe facilius Saxoni & Hesso, quam Schertelio esse condonaturos.* Refert idem, tertio post die, iterata a Landgravio tormentorum ejaculatione, longe confirmatior animo fuisse Cæsareanos, ita, ut parum abfuerit, quin facta e castris

(r) *Ad Ingolstadium speciatim.*

suis eruptione, tormenta Landgravii cepissent. Animadverso hoc periculo se solum ab agmine suo, equo vectum, accurrisse, opem ejus alta voce inclamante Landgravio (hilff lieber Bastian / mein Geschütz ist verlohren) admovisse inde cohortes, & strenue pugnando hostes intra vallum redegisse. Suasit inde Principibus, ut exercitum ad Licum amnem ducerent, & Bavaria, in qua Guilhelmus Dux, haud integra fide, medium se inter partes gerebat, potirentur; sed non solum nihil obtinuit, verum in cœna inter pocula cum Landgravio in vehementem rixam incidit, qui ei nimium pugnandi ardorem exprobrabat, ipse vero Principi imputabat, quod bellum traheret, ne in suas provincias transferretur. Abire igitur ab exercitu, præviso jamdudum, qui secutus est, eventu, serio constituerat, retineri tamen se passus est, interventu Georgii Recrodi & Ludovici Comitis Oetingensis, ipsiusque Landgravii obtestatione, qui, quæ asperius dixerat, vino imputabat, & Schertelium enixe rogabat (Er solte es im alten Stalle stehen lassen) ut priscum affectum non exueret. Paulo post d. 29. Sept. hostilis odii funestum effectum sensit: summo enim mane, hora post mediam noctem altera, in tentorio suo cubantem, sicarius quidam, *Pantaleon Ebnerus* Lindaviensis, vestitu, qualem satellites Schertelii gerebant, indutus, & per omnes vigilum stationes ea fraude irrepens, inermem & nudum sarissa adortus, in crure & axilla haud leviter vulneravit, collum enim & pectus declinatione corporis, & fulcro lecti arrepto, utcunque tutabatur. Supervenit clamore excitus filius Schertelii, Joh. Sebastianus, jam cohortis Præfectus, & fugientem sicarium, militum ope cepit. Is habita de eo quæstione fassus est, *se a VVolfgango Kautzio, Brigantiæ Præfecto Austriaco, trium millium florenorum pretio conductum esse, ut Schertelium occideret.* Condemnatus est, ut in quatuor partes secaretur, quæ etiam ante portas castrorum ad Donavverdam patibulis appensæ fuerunt, precanti tamen homini gratia facta est, ut prius capite truncaretur. Eodem tempore Schertelius ex castris discessit, non tam, ut *Sleidanus* & post eum *Thuanus* memorant, quod vir ingentis animi lenta & inconstantia fœderatorum consilia ferre amplius nollet; quam vocatus ab Augustanis, qui obsidionem a Cæsare metuebant. Noctu itaque non nisi septuaginta equitibus & centum peditibus comitatus, per media Cæsaris Lauingam obsidentis castra perrupit, & in oppidum intromissus cives & præsidiarios, ut sese fortiter defenderent, hortatus est. Sed cum ille iter suum magna cum celeritate, ut Augustanis adesset, continuaret, Lauingenses oppidani animum abjecerunt; cumque cohortes quinque præsidiariorum, ex quibus tres, Augustanis stipendiis merentes, *Johannes a Stammheim* ex nobilitate VVurtenbergica, gener Schertelii, ducebat, urbe exiissent, hos vero Augustam tendentes Cæsareani persequerentur, opportune illis auxilio venit Schertelius, ita, ut hostes in se averterit, & genero cum suis elabendi & Augustam se recipiendi facultatem suggesserit: ipse vero parva manu numerosas hostium copias prudenti recessu elusit, & incolumis Augustam pervenit. Aliter hæc narrari scio ab aliis, sed hæc, quæ ex ipsius relatione attuli, indicant, consilio illum potius, quam manu, cum res ita posceret, usum tunc esse. Ex urbe omnibus rebus instructissima Schertelius vicina in hostico oppida vehementer infestavit, & exercitum Cæsaris commeatu interclusit, ita, ut is missis copiis *Burtenbachium* occupari & exuri juberet. Servatus tamen est locus a ducentis præsidiariis, sed & *Stainii* (de cujus inimicitia cum Schertelio dictum est) & aliorum ex vicina nobilitate deprecatione apud Cæsarem. Ad hoc vero non benevolentia erga Schertelium, sed metus, ne is damna sibi illata acerrime vindicaret, ipsos movebat: Scripserat enim Episcopo Augustano, se pro una domo, quæ in suo oppido exureretur, integrum vicum; & si *Burtenbachium* totam comburerent, totam Episcopi provinciam igne & ferro deleturum esse. Postquam inde fœderatorum exercitus ex Suevia discessisset, aliæque omnes illius tractus civitates, Ulma inprimis, Cæsari sese dedidissent, Augustani quoque gratiam ejus quæsiverunt, & solutis ipsi trecentis florenorum millibus, Ferdinando Regi centum & sexaginta, Episcopo suo nonaginta, & Guilielmo Bavariæ Duci viginti millibus, pacem redemerunt & præsidium a Cæsare acceperunt. Schertelium in pacto cum civitate Cæsar non compre-

(s) *Discessus ejus ex castris.*

(t) *Gesta Augustæ & abitus ex urbe.*

An. 1526.

comprehenderat, sed Dux Albanus & Granvellanus Senatui spem fecerant, fore, ut dummodo ad dies quindecim urbe excederet, & apud Helvetios receptum quæreret, confestim in gratiam reciperetur. Verum ille his minime fidens, negavit, se hoc modo urbem deserturum esse; milites enim & magnam civium partem sibi devinxerat, & consilium deditionis ditioribus fere, non æque plebi placebat. Tum vero Senatus ad preces & lacrymas descendit, rogans, ut imbelli multitudini parceret, fortunamque suam publicæ quieti posthaberet; pollicitus etiam est, se omne damnum resarciturum & pro prædio & oppido Burtenbacensi pretium, ex arbitrio boni viri, persoluturum illi esse. Obsecutus est Schertelius, & d. 29. Jan. 1547. summo mane porta secreta (dem Einlaß) cum triginta quinque equis emissus, non contemnendam pecuniæ summam, & quæ pretiosa habebat asportavit, diplomate a Senatu accepto, in quo fidem & industriam ejus laudabant, & de indemnitate ejus spondebant, dein sine mora Burtenbachii, quod emerant, possessionem apprehenderunt. Per medios inde hostes variis in locis sibi insidiantes, tutus Lindaviam & inde Constantiam Schertelius pervenit. Hic eum Legatus Galliæ Regis allocutus hortatusque est, ut Gallica stipendia omnibus aliis præferret. Rex ipse diploma misit, quo quatuor millium aureorum annua pensio & duodecim cohortium pedestrium præfectura illi deferebatur. Mortuo vero circa id tempus d. 31. Mart. Rege Francisco, Schertelius apud Henricum II. filium & successorem ejus, eadem licet & plura offerentem, sese excusavit, sperans fore, ut sine mora Cæsari conciliaretur. E diverso Landgravius bellum contra Cæsarem etiam post cladem Saxoniæ Electoris renovare cupiens, duodecim millium peditum Ducatum illi obtulit; neque is conditionem recusabat, dum plurima consilia intelligeret, quæ Landgravius cum aliis Principibus ad conservandam religionem Evangelicam & libertatem Germaniæ agitare dicebatur; magno tamen cum damno suo expertus est, multasque hac de re querelas *commentario* suo inseruit, vana illa & omnia irrita fuisse. Hac itaque spe non minus, quam impetrandæ gratiæ Cæsareæ dejectus, & Constantiensibus, aliorum exemplo nutantibus, non amplius fidens d. 24. Novembr. anno 1548. Basileam concessit, rebusque sic stantibus, prædioque suo, Augustanis a Cæsare adempto, & Italo cuidam *Bonaccursio* donato, conditionem a Gallis oblatam accipere coactus est, vocatusque a Rege Lutetiam profectus, & ab ipso, præsente Equitum Magistro, sive Connestabili d. 30. Mart. die Veneris passioni Christi dicata, unius & dimidiæ horæ spatio auditus fuit, accepitque d. 1. Apr. decretum regium, quo ipsi mille ducenti, filio vero & undecim aliis cohortium Præfectis, quos commendaverat, ducenti coronati singulis solvendi, Legato autem quadringenti quotannis constituebantur, præter stipendia consueta, in expeditione numeranda. Donatus etiam fuit iterum quingentis aureis, totidem enim antea Constantiæ acceperat. Paulo post alio diplomate jus civitatis sive indigenatus Gallici collatum illi est. Irritatus his Cæsar d. 3. Aug. publicato Augustæ edicto, illum proscripsit, & Helvetiorum proceres per ministros suos sollicitavit, ut illum vel sibi traderent, vel ex finibus suis expellerent: plerique tamen, contranitente inprimis Gallico Legato, jus hospitii & civitatis (domum enim Basileæ emerat) servandum illi esse judicarunt. Sed neque in exilio illo suo ab adversariorum odio tutus fuit. Anno enim 1551 mense Novemb. deprehensus est homo nefarius, quem *Polvillerius* (von Pollweil) Constantiensis præsidii Præfectus, (urbs enim illa in potestatem Austriacam venerat) in necem Schertelio inferendam conduxerat. Hic, cum Schertelius in diversorio publico (ut conversationis gratia quandoque facere solebat) cibum sumeret, mensæ cum aliis assidens poculum vitreum propinatum, sed veneno infectum, ei porrigere decreverat: dum vero id ageret, pœnitentia ductus, virique, ut ajebat, specie & humanitate motus, vitrum parieti, casum simulans, alliserat. Detectum postea fuit scelus, cum literas ejus indipes amisisset, & d. 11. Jan. 1552. a Basileensibus capitis damnatus ac supplicio ultimo affectus est.

(u) *Gallicam protectionem & stipendia accipit.*

(w) *Sicarius in eum immittitur.*

Sub finem anni præcedentis Mauritius Saxoniæ Elector Schertelio interprete apud Regem Galliæ usus est ad fœdus pro redimendis captivis Principibus, & restituenda Germaniæ libertate ineundum; eandem operam Rex etiam ab illo libenter desiderabat. Hac itaque de causa cum duobus filiis Gallicæ linguæ gnaris, in aula regia per aliquot menses versatus est: circa Idus Novembr. vero *Albertus* Marchio Brandenburgicus (nomen *Pauli Bibracensis* cohortium Præfecti sibi sumens, & Schertelii se asseclam simulans) Regem accessit, cum quo post septem hebdomadum moram, plurimasque in interioribus Regis cubiculis habitas deliberationes, de fœderis conditionibus conventum est, easque Rex præsente Schertelio d. 2. Febr. 1552. jurejurando confirmavit, & diplomati sigillum impressit, quod sapphiro insculptum, magnamque ejus antiquitatem prædicatam a Rege fuisse, notat Schertelius. Erumpente deinde, anno illo, bello, quod *Passaviense* vocant, Albertus Marchio operæ a Schertelio sibi præstitæ memor, & occupata jam a Mauritio Electore Augusta, armata manu Italum, Burtenbachii detentorem, ejecit, Schertelius vero locum Augustanis ex contractu supra relato denuo tradi curavit, sexaginta millium florenorum pretium stipulatus. Confidere posse videbatur, in pacificatione Passaviensi sibi quoque prospectum iri; sed nondum sopita erant inimicorum odia, ideoque ille cum aliis quinque illustribus & strenuis viris, ut instrumenta pactorum publica ostendunt, exclusus fuit, quanquam nihil omitteret, quo placare Cæsarem Regemque Ferdinandum posset. Coactus ergo est ad retinenda stipendia Gallica, adfuitque expeditioni Regis, illo anno Rhenum versus, deinde in Belgio, susceptæ. Dum autem in Hannonia in castris regiis cum legione sua versaretur, tertius sicarius ab eodem Polvillerio, & quodam cohortium Constantiensis præsidii Præfecto, submissus vitæ periculum illi struxit; sed & hic deprehensus & in quatuor partes sectus fuit. In hoc bello Schertelius Legatum legionis habuit filium suum primogenitum *Johannem Sebastianum*; alterum *Johannem Philippum* cohorti præfecerat, nec leviter in diario suo belli illius casus prolixe narrans, dolet, quod cum aliis fortibus viris, inter quos *Heideckum, Reiffenbergium, Gabrielem & Christophorum Arnoldos* nominat, ad arma patriæ inferenda, fortunæ iniquitate compulsus fuisset, solatium tamen ex necessitate ab æmulis illata & ab eventu capit, quod bello illo religio & libertas Germaniæ restituta fuerit. Veruntamen Cæsarem & Ferdinandum rigoris interim pœnituerat, ita, ut per *Davidem Baumgartnerum* patricium & Senatorem Augustanum gratiam Schertelio optimis conditionibus impertiendam offerrent. Cum igitur in illa expeditione in morbum incidisset, diuque decubuisset, relictis in castris filiis, veniam a Rege in Germaniam proficiscendi petiit. Transactum ibi est cum eo Cæsaris & Regis nomine, benigne & honestissime, ita, ut plenariam restitutionem honoris & bonorum impetraret, gratulante illi de hoc beneficio ipso Galliæ Rege, nihiloque secius gratiam & patrocinium suum in omnes casus clementissime offerente. Sinceram fuisse cum Augusta domo Austriaca reconciliationem, evidenti mox documento probatum est. Nam anno 1554. Ferdinandus Rex fœdere, quod *Landsbergense* vocant, cum Electoribus & Principibus plurimis inito, Schertelio tribunatum legionis cum pensione annua octingentorum florenorum, & trecentorum pro filiis ejus contulit, Augustani vero mille florenorum annuum stipendium ei constituerunt. Anno 1556. ab eodem Rege & Fœderatis *Legatus exercitus*, quem parabant, *generalis* amplissimis cum conditionibus designatus fuit. Promissum illi sexcentorum florenorum menstruum stipendium & quantum requirebatur ad alendos quatuor & viginti satellites, sex tubicines, sex cursores, sex currus. Hujus functionis causa ex reliquorum fœderatorum sententia domi hoc anno ob metum, nescio quorum motuum intestinorum, retentus est, licet eum Ferdinandus iisdem conditionibus in Hungariam invitaret. Anno 1557 idem Rex *summum Mareschalli officium* in exercitu adversus Turcos ducendo obtulit, sed ab hoc munere sese excusavit, cum pro filiis & necessariis familiaribusque suis, quibus semper fidelissime prospiciebat, conditiones satis commodas non inveniret; commendavit itaque *Adamum Trottium* ex nobilitate Marchica, illumque sibi suffectum a Ferdinando esse refert. Promisit etiam Regi id poscenti, quod consiliarii bellici officium præstiturus, & legionem peditum illi adducturus esset; sed tota illa

(x) *Fœdus inter Regem Galliæ*

An. 1526. *& Mauritium Elect. Sax. procurat.*

(y) *Gallis militat.*

Impetitur a sicario.

(z) *Conciliatur Cæsari.*

(aa) *Stipendia & honores a Cæsare accipit.*

An. 1527.

illa expeditio, cum sufficientia ad eam subsidia Rex ab Imperii ordinibus impetrare non posset, in fumum abiit. Prolixæ hujus digressionis veniam denuo peto a lectoribus: neque tamen Maimburgii exemplo me tuebor, cui aliena inserendi non eædem causæ fuerunt. Detur hoc pietati & reverentiæ meæ erga virum, ea, ut existimo, non indignum, ex quo maternum genus duco. Nec male mereri de republica literaria me putaverim, si diarium ejus ederem; sed, cum integrum ad me non pervenerit, pluresque adsint causæ quæ aliud suadeant, a publicatione ejus abstineo. Excerpta tamen hæc exhibeo, quorum haud pauca lucem aliquam historiæ, quam tracto, afferent, eandemque cum opere hoc meo fortunam & ætatem habebunt, cum fere perire intra breve tempus soleant, quæ seorsim & paucis pagellis eduntur. Decessit Schertelius gravis senio, sed vegeto satis corpore, & integro animo, an. 1577. die (quem *Bucholzerus in Indice* notavit) XIIX, sive ut alii tradunt, die 10. Novemb. cum vixisset annos LXXXII. menses X. Fortuna, ut ex relatis patet, varia usus est, illustri tamen, & quæ semper meliorem finem, quam initia habuit. Amantissimus erat patriæ, cordatusque & strenuus religionis, quam pro conscientia probaverat, professor; charus Principibus, quos candore & fide atque indefessa industria colebat, procul adulatione; intrepidus in rebus adversis; hostis acerrimus, sed placabilis; familiæ suæ provisor solertissimus, nec infelix; acquisivit enim opes bonis artibus, quantas vix alius sui temporis & ordinis. Nepotes ex filio primogenito (ex altero enim nulla proles superfuit) hæreditatem creverunt *sexcentorum millium florenorum* pretio, in prædiis & fundis aut reditibus annuis æstimatam, præter argenti, pretiosæque supellectilis haud contemnendum modum; Sorores novem illustribus & nobilissimis maritis elocarunt, assignatis in dotem & ornatum singularum *decem florenorum millibus*. Equestris hæreditariæ &, quam vocant, immediatæ Nobilitatis ornamenta Ferdinandi I. Cæsaris diplomate amplissimo anno 1562. adeptus est, neque ob novitatem spretus, quod matrimonia suorum ostendunt: Filiam enim, ut dictum est, *Stammheimio* ex antiqua Sueviæ nobilitate junxit; filio natu majori *Veronicam Gussiam de Gussenburg*, itidem ex splendidissima Equitum Suevorum stirpe; secundogenito *Ludovici* Baronis *Grabenectii*, Eglingæ Dynastæ, filiam *Rosinam* uxorem dedit. Gloriosum sibi duxit, quod nobilitatis decus primus acquisiverit, &, ut inter apophthegmata illius *Zincgrefius* refert, vane jactantibus avitum genus objicere solebat: *se parentem esse autoribus cujuscunque illustris familiæ, potiorem illis, qui majorum virtutem non imitarentur.*

(bb) *Elogium & domestica quædam.*

SECT. 12.

Hoc modo Princeps iste (Borbonius) Ducem se vidit exercitus quadraginta hominum millium, maximam partem veteranorum, Hispanorum, Italorum & Germanorum. Verum ii, cum stipendia non acciperent, saltem ex spoliis magnæ alicujus & opulentæ civitatis sibi satisfieri cupiebant, & inprimis Romæ. Lutherani certe flagranter desiderabant, ut eo ducerentur; hac enim spe nomina huic militiæ dederant, & pro maxima stipendii parte, factam sibi promissionem reputabant, fore, ut, direpta Roma, manibus ipsi suis, quæ debebantur, caperent. Fatendum est, audacem hanc Borbonii expeditionem rem esse plane stupendam, &, post celebrem illum Xenophontis cum decem millibus reditum, vix exemplum habentem. Erat ei magnus exercitus, ex tribus diversis nationibus conflatus, omnibus suæ inimicis, & qui, quoties collibuisset, ob stipendia non soluta tumultuandi jus se habere putabant, sæpeque usurpabant. Ipse æris inops, commeatu, annona, tormentis, eorumque apparatu, & fossoribus, &, quibus fidere poterat, ductoribus copiarum, carebat. Sequebatur confœderatorum agmen, suo majus. Media tamen hyeme tot terras transiit, sibi non cognitas, hostiles, tot amnibus & torrentibus interruptas, qui pluviis hyemalibus aucti, ex Appennino vel in Padum vel in mare Adriaticum se præcipitant. Ipse etiam mons Appenninus transcendendus erat, in Hetruriam tendenti, & inde Romam usque eædem difficultates superandæ, quas citra montem offenderat. Hoc tamen plusquam trium mensium spatio, invicto animo præstitit, eaque cum solertia, quæ non satis laudari potuisset, si in alia, quam cui infeliciter implicitus hærebat, occasione, adhibita fuisset. Relicto igitur agro Placentino, Trebiam d. 30. Januar. transmisit, totumque Februarium copiis in Parmensi & Rhegiensi ditione reficiendis dedit, hostilibus e longinquo subsequentibus, ita ut ne unum quidem hospitium ei adimerent. Postmodum Seciam fluvium transiit, & cum Ferrariæ duce collocutus est, qui suadebat, ut scopum suum sequens, Romam iret, nec alias urbes, quæ diu eum morari possent, aggrederetur. In Bononiensem itaque tractum perveniens, cum a civitate, misso tubicine, annonam exercitui, quem ad liberandum Neapolitanum regnum, a Papa & Venetis tunc terra marique infestatum, se ducere simulabat, postularet, nec quidquam, ut conjecerat, impetraret, populatus est pulcherrimam istam regionem, quæ inter fertilissimas & opulentissimas Italiæ refertur, copiasque ibi suo genio, usque ad finem Martii, vivere, permisit. Interea d. 17. Martii Comes Fronsbergius, apoplexia correptus, recollectis aliquantum viribus, Ferrariam illatus est, sed ibi mortem oppetiit. Spes inde fœderatis nata, fore, ut Germani capite, cujus autoritate & fide continebantur, orbati, sponte diffluerent, & domum redirent. Sed ea frustra fuit. Germani enim isti, duce licet suæ gentis, quo in necessitatibus, quæ metuendæ erant, niti possent, destituti, tanto nexu Borbonio adhæserunt, eumque omni, quam miles Imperatori debet, veneratione & affectu prosecuti sunt, ut plane in ejus potestate essent, nec unquam deinceps, ut antea sæpe fecerant, seditionem moverent. Ita in eodem statu exercitus in Bononiensi agro permansit, facileque apparebat, appropinquante vere ulterius progressurum esse. Vehementer hoc afflixit Clementem Pontificem: videbat enim Urbinatium Ducem, secreto Mediceis, a quibus aliquando ditione sua dejectus fuerat, infensum, summa cum lentitudine agere, auxilia militum & pecuniæ, ex Gallia promissa, spei suæ minime respondere, in stipendia copiarum ingentes sumtus erogari, qui ipsi, pro naturali sua, ac Mediceæ familiæ consueta ad parsimoniam propensione, intoleran-

(1) De consilio Borbonii, Romam capiendi.

Guicciard. lib. 18.

(2) Transitus exercitus per Hetruriam.

(3) Casus Fronsbergii; copiæ ejus Borbonio parent.

(4) Pontificis angustiæ & hæsitatio.

An. 1527. | An. 1527.

lerandi videbantur, & inter hæc optimas Ecclesiasticæ ditionis provincias consumi. Ex alia parte literis Caroli Quinti & a Francisco Quinonio, Franciscanorum Generali, ad eum missо, urgebatur, proposita bona Cæsaris intentione; frequenter etiam a Prorege Neapolitano sollicitabatur, pacis conditiones, quæ non iniquæ videbantur, offerente. Cum satis diu ambiguus hæsisset, in quam partem propenderet, pessimam sine dubio amplexus est, nec pacem nec bellum, sed octo mensium inducias eligens, de quibus cum Prorege ea conditione convenit, ut omnia invicem restituerentur, & Borbonius acceptis a Pontifice sexaginta aureorum millibus, copias suas ex Pontificia ditione abduceret. Hoc facto milites suos ex Neapolitano regno revocavit; reddiditque loca non contemnenda, quæ in eo occupaverant, & quod omnium maxime intempestivum fuit, nimio parcendi studio cœcus, nihilque metuendum amplius ratus, copias suas omnes illico dimisit, paucis ad corporis custodiam retentis, cum tamen certo non sciret, an Borbonius, qui a Lanoji Proregis imperio minime dependebat, has inducias probaturus esset, ut quidem Prorex promiserat. Igitur non leviter consternatus est, cum ab eo, per quem Borbonio signandas induciarum tabulas miserat, renunciaretur, neque ipsum, neque exercitum illis conditionibus stare velle, quodque is, quem Lanojus ad eundem finem, ut induciæ acceptarentur, ablegaverat, vitæ periculum apud milites incurrisset. Dux quidem, sive bona fide, sive ut falleret, Pontifici scripserat, idque summa cum veneratione, sibi nihil magis in votis esse quam pacem; sed longe pluribus se opus habere, ut exercitui satisfaceret, eumque postea ad regressum permovere posset. Interea, postquam a Duce Ferrariensi currus & annonam, & quæ ad rem tormentariam requiruntur, accepisset, in Romandiolam, sive Flaminiam, irrupit, eamque non minus, atque agrum Bononiensem, depopulatus d. 5. April. ad Forum Livii castra posuit. Inde cum nondum constaret, quam viam initurus esset, repente ad dextram conversus, Mendolam impetu cepit, unde in vallem Bagninam aditus est. Hanc & Arni vallem transgressus, maxima cum molestia Appenninum superavit, & in itinere Galeatam, Planetum, Fanum S. Sophiæ, & S. Petri de Balneis, itemque S. Stephani vastavit. Sic ex angustiis locorum emergens, planitiem Aretinam tenuit, & ad Montem Sarculum d. 22. April. pervenit. Hic convenit eum Prorex Neapolitanus, & extremo conatu ad accipiendas inducias permovere allaboravit, centum scutatorum millia, ultra summas jam oblatas, promittens. Sed Prorex ipse Clementis intentionem non satis capiebat; ille enim, sive, quod Duci Borbonio amplius non fideret, sive, quod eum putaret Florentiam aggressurum esse, quam confidebat strenue repugnaturam, sive, quod annona eum carere, & ab insequenti fœderatorum exercitu premi, indeque ad æquiores conditiones cogi posse crederet, pacis & induciarum mentionem omnem recusavit, novoque pacto cum fœderatis adversus Imperatorem sese obligavit. Ita bello, ut erat, palam manente, Duci honesta occasio data videbatur, sine violatæ pacis culpa, Romam aggrediendi. Igitur de Florentia, quam decem armatorum millia, præter incolas tuebantur, capienda desperans, priori suo proposito institit; Et illico ad Senensem urbem, quæ ab Imperatoris partibus stabat, conversus, acceptisque cibariis & pulvere pyrio d. 27. April. agmen ipse præcedens, iter ingressus est, sequente eum summa cum alacritate exercitu, cujus ardorem diligentiamque nec pluvia continua, nec aucti nivibus solutis torrentes morabantur, quin pedites ab equitibus in terga equorum recepti, vel horum jubas caudasque apprehendentes, simul transirent. Ita Viterbium venit, antequam Papa de itinere ejus aliquid rescivisset. Romam vero d. 5. Maji quarta hora vespertina accessit, cum fœderatorum exercitus, qui eum sequebatur, decem adhuc milliaria a Lacu Perusino abesset. Manifesto patuit, Deum, cum justitiæ suæ terribile exemplum edere, & populum aliquem ob peccata extrema desolatione punire vult, permittere solere, ut rectores semetipsos confundant, & male sibi prospiciant, ita, ut quidquid agunt ipsi, in ruinam suam æque vergat, atque omnis hostium conatus. Papa, qui cætera sapiens, industrius & in rebus maximis gerendis exercitatus, sed virtutes suas per avaritiam & extremam a sumtibus aversionem sæpissime inutiles reddebat, copias suas, antequam constaret, an Borbonius inducias cum Lanoio pactas accepturus esset, dimiserat, id quod politicæ prudentiæ palam adversabatur. Præterea, cum denuo ad fœdus contra Imperatorem accessisset, & ideo delectus strenue agere & duces veteranos revocare deberet, lentissime agere cœpit, tantum, ut sumtibus parceret. Fœderatos etiam suo magis, quam ipsorum damno falsa decepit asseveratione, quasi sex peditum millia Roma haberet, cum vix mille & quingenti, qui idonei essent, reperirentur. Ipse etiam semper credidit (creduntur autem facile, quæ affectuum intemperiei blandiuntur) Borbonium in Hetruria cum Florentinis bellaturum, se vero impensas muniendi Romam lucrifacturum esse. Nec prius ab opinione hac, omni licet fundamento destituta, dimotus est, quam Ducem ad portas videret. Elegerat etiam præsidii præfectum ex ducibus militaribus, illius temporis claris, Rentium Ceritanum, quem ipse, quamvis is ante biennium Massiliam mascule adversus Imperatorem defendisset, minime æstimabat. Hic etiam, quod stupendum est, biduo ante captam Romam Guidoni Comiti Rangonio, qui, jussu fœderatorum, plusquam sex arma-

(5) Pactum cum Prorege Neapolitano.

(6) Borbonius pactum recusat.

Guicciard. Sacc. di Roma.

(7) Papa novas pactiones negligit.

Guicciard. lib. 13. Sacc. di Roma.

(8) Borbonius Romam petit.

Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis. Esa. 19, 14.

Animo ejus, tanto rerum usu tantisque exactæ prudentiæ præsidiis instructo, ad elidendam virtutis aciem, avaritia fatalis inhæserat. Jovius Vit. Pomp. Columnæ. Guicciard. L. 18. Sacc. di Roma.

(9) Papa non satis sibi prospicit.

An. 1527. An. 1527.

armatorum millia urbi illaturus erat, respondit, se tantis auxiliis non egere, sed octingentos sclopetarios sufficere, cum tamen ultra tria militum millia non haberet, maximam partem ex Prælatorum aulicorum famulitio, & ex stabulorum & popinarum servulis, aliaque ejusmodi plebecula collecta ad ferri splendorem, sclopetorum sonum, & pulveris pyrii odorem arma abjecturos, ut expeditius fugerent. Cum vero festinato & inutili labore quadam suburbii loca debiliora pone Xenodochium S. Spiritus leviter munivisset, adeo certus sibi de repellendo hoste, & auxilio fœderati exercitus, quem intra biduum affore sperabat, videbatur, ut pontes rumpi nollet, quod tamen urbi, captis licet suburbiis S. Petri & trans Tiberim, saluti fuisset. Omnem vero fidem superat, quod Clemens, natura licet timidus, & qui, Prorege Neapolitano, quem tunc metuere non debuisset, agrum Romanum hostiliter aggrediente, urbe excedere volebat, jam promissis vanissimis Rentii, qui hostis interitum ante urbem promittebat, ita delusus fuit, ut nullo modo permoveri posset, ut exiret, & trans Tiberim securitati suæ consuleret. Nihilo magis aliis exitum permittebat, ne mercatoribus quidem & trapezitis, ut pecuniam & pretiosa exportarent, quasi ex compacto id ageret, ut Romam hostibus cum universis opibus, virosque omnes, qui magnum lytrum solvere possent, in manus traderet. Itaque dubitandum non est, quin tanta excœcatio divinæ indignationis effectus fuerit, qua, per crudelitatem Hispanorum, & Germanorum Lutheranorum impietatem, peccata Romanorum, valde tunc exorbitantia, in hoc mundo punirentur, quemadmodum Deus olim Israelitarum crimina per infideles ultus est, & Dæmonibus in venturo seculo ad impios puniendos utetur. Quoniam vero misericordia divina, justitiæ semper præcurrens, non facile sine admonitione relinquit peccatores, sed præsagio quodam evidenti cavere jubet a fulmine capitibus suis imminenti, & ictum pœnitendo declinare; placuit ei, ut instantem Romanam desolationem, quemadmodum Hierosolymitanam, signa præcederent. Insignia Clementis, palatii cujusdam portæ imposita, fulmine quassata sunt, reliquis intactis; Tiberis ripis egressus, tota hujus anni hyeme magnam urbis partem inundavit; Luna tota quasi sanguine tincta visa est; terra contremuit; canes domibus elapsi, noctibus integris circumcursitantes, terribiliter per plateas ejulabant. Super hæc omnia incognitus quidam, aliquot mensibus ante expugnationem, illi fere, qui Hierosolymæ excidium prædixerat, similis, Romanum etiam, non minus insolito & extraordinario modo, denunciavit. Erat homo infimæ sortis, quadraginta fere annos natus, crine ruber, facie prorsus macilenta, centonibus panni cinctus, cætera plane nudus; is plateas transiens lamentabili voce clamabat: pœnitentiam, pœnitentiam agite! *tempus appropinquare testatus, quo Roma ob peccata Ecclesiasticorum potissimum, contra quos horribili modo declamabat, destruenda esset: totisque viribus & lugubri ac terrifico sono exclamabat:* Malum tibi, Roma! Malum tibi, Clemens Papa! *Nec unquam ad tacendum adigi poterat, etsi carceri inclusus. Semper enim vehementius, quam antea, obtestatus est,* Romam mox perituram, quia pœnitentiam, Dei nomine a se monita, non egisset. *Posthæc pro fatuo habitus, & vaticinium ejus irrisum fuit, quod tamen eventus nimium quantum! brevi post approbavit, ultima scilicet calamitate Romæ secuta, cum capta & desolata fuit, ut jam narrabimus. Dum exercitus Borbonii, molestia itineris valde fatigatus, Romæ ad latus castelli S. Angeli & Vaticani assideret, Dux ille, misso tubicine, transitum per urbem in regnum Neapolitanum postulavit. Post repulsam, cujus jam antea certus erat, præcipuos ex tribunis & ductoribus militum convocavit, iisque composito ad constantiam vultu, paucis, sed efficacibus verbis exposuit: Ambigendum non esse, quid fieri debeat; pervenisse eos tandem post superata invicto animo maxima obstacula, quo tenderint. Itaque aut pereundum nunc esse illico, aut urbem uno impetu, quem facere destinabat, capiendam. Inclusum se esse cum exercitu inter Tiberim & mare, & copias fœderatorum mox irruituras, commeatum ad unicum saltem diem paratum esse, neque ejus copiam alibi vel progrediendo, vel recedendo dari. Nullam igitur spem aut salutem, nisi in victoria, esse. De cætero (læta fronte dicere pergebat) certa nobis est victoria in effœminatos & deliciis vitæ voluptuosæ & dissolutæ immersos, quibus nulla experientia, nullus animus, qui ex Romanis nihil nisi nomen habent, ignavia sua fœdatum. Stupent jam, &, perditos se, jam ipsi arbitrantur, ex improviso a nobis deprehensi. Eos munimenta hæc infirma & muri semiruti adversus milites vincere suetos minime defendent. Pretium victoriæ erunt spolia opulentissimæ in Italia civitatis. Hujus spes ipsam impossibilitatem superabit, si qua executioni rei tam ardenti affectu expetitæ sese opponeret. Majori incitamento opus non habebant duces isti; iidem de fortitudine militum respondere se velle profitebantur, & ad oppugnationem, quando juberet, jam tum paratos se esse asseverabant. Ast ille cibum capere, & ad primum sequentis diei crepusculum quiescere eos jussit, tum vero in acie consistere, & signum ad aggrediendum muros expectare. Sed in urbe horrenda erat confusio. Aliqui jussi a regionum præfectis, quos Capitaneos vocant, pro defensione ad arma concurrebant: alii imperatoriis partibus addicti eo fine armabantur, ut Imperialibus sese jungerent, hos enim urbe potiri, Gibellini isti optabant. Et Borbonius literas Cardinalis Pompeji Columnæ in eum*

(10) Fatum Romæ signis indicatur, & a Vate quodam prædicitur.

Glorier. hist. oppugn. urbis.

Guicciard. Sacc. di Roma.

(11) Borbonii oratio ad milites; paratur exercitus ad vim.

(12) Trepidatur in urbe; defensio tentatur.

An. 1527. sensum scriptas suis monstraverat. Iidem, quæ pretiosa habebant, in ædes Legatorum, Cardinalium & Prælatorum Imperialibus partibus addictorum, comportabant. Illi loca maxime secura & occulta quærebant. Erant non pauci, & quidem potentissimi, in civitate, qui milites ex statione seductos nummis large datis in domos suas pelliciebant, ut eas adversus aggressores post captam urbem tutarentur. Denique suæ quisque utilitati intentus erat, omissa publici cura, nec salutem suam ex conservatione urbis pendere credens. Interea Pontifex persuasioni suæ obstinate insistens, quod fœderatorum auxilia in tempore adfutura essent, in Vaticano persistebat, nec in urbem per pontes Tiberinos transgredi, aut quidquam jubere voluit, Rentio omnia curanda relinquens; & hic, semper jactabat, se hostes, donec auxilia adventarent, strenue repulsurum. Disposuit etiam, quidquid militiæ habuit, in muros & turres, multas etiam machinas ad jaculandum ignem & alias paravit, quæ in istiusmodi occasionibus, sive pro offensione, sive pro defensione, & ad retundendos, qui muros assiliunt, hostes, usui esse solent. Sed hæc omnia frustra præparabantur, cum primum & præcipuum, id est, fortis animus, ipsum non minus, ac milites deseruisset, quem tamen & Dux & exercitus aggressor, plus, quam unquam, alias visum est, ostendebant. Primo enim diluculo Borbonius, postquam infirmiora & humiliora murorum loca explorasset, & tribuni copias in aciem, ut jussi erant, eduxissent, in fronte agminis locum cepit. Nunquam sane major, quam in ultimo hoc vitæ suæ actu visus est, præstititque omnia industrii ducis & strenui militis officia, suaque præsentia sola totum exercitum animavit, & victoriæ, quanquam morte sua obtinendæ, certum præsagium dedit. Erat egregia, si quis alius, forma, in vigore & maturitate ætatis, anni nempe quinti & quadragesimi constitutus, statura pulchra, boni adspectus, facie aperta, ovali, & valde amabili; naso aquilino, oculis igne plenis, & qui partem ardoris militibus inspirarent; colore natura candido & delicato, sed quem molestiæ bellicæ, solisque radii & frigora aliaque tempestatis injuriæ, quibus sese continuo exponebat, non parum obfuscaverant; quanquam neque sic pulchritudinem illam virilem sive Martialem & aliquantum feram amisisset. Hæc ei occasio calamitatis fuerat, excitato fœminæ potentis amore, quæ postea contemtum oblatarum nuptiarum ulciscendi, vires nacta est. Denique tantum ei fuit ingenii, animi & industriæ, quantum ad exequendas res summas & difficiles opus habuit. Eo die equo magno & militari insidebat, galea plumis plurimis exornata caput texerat, & sagulo albo supra loricam, quæ adhuc hodie Romæ ostenditur, indutus erat, ut suis, quos exemplo ad pugnam accendere volebat, conspicuus esset. Duxit eos, nebula, quæ surgebat, coopertos, ad murorum pedes, & ordinavit, ut decreverat. Tormentis, quibus mœnia quateret, carens, scalas multas Senis, ubi cibaria acceperat, faciendas curavit, easque inter Hispanos, Germanos & Italos distribui fecit, ut tribus locis uno tempore impetum facerent. Primum locum Hispani tenuerunt, a porta Turriculæ, usque ad regionem Montis Vaticani, obelisco & Templo S. Spiritus oppositam; secundum, pars Germanorum paulo inferius, ad infima montis, versus meridiem: tertium ad Janiculum, versus portam S. Pancratii, Itali, cum reliqua Germanorum parte, ad inferiora & ultra portam Portus extensi, ut Romanos falsi aggressus imagine in plura loca distraherent, eorumque vires jam satis infirmas magis debilitarent. Qui scalas scandebant, a tergo sclopetariorum cohortes habebant, a quibus, qui ad defensionem murorum comparebant, impedirentur, ita, ut semper alii succederent iis, qui sclopeta exoneraverant, & hi oneratis denuo sclopetis, in primum redirent locum, atque hoc modo continua displosio fieret, & recentes in eorum stationem substituerentur, qui recedere cogerentur. His ita constitutis oppugnatio simul ab omnibus circa horam sextam incepta est, quo tempore tanta jam nebulæ caligo expansa erat, ut ultra duarum orgyiarum spatia nihil conspici posset. Hoc aggressoribus commodum fuit, defendentibus noxium; Romani enim fortuitas displosiones faciebant, ubi rumorem audiebant, absque collimatione. Ab initio tamen satis valide & feliciter restiterunt. Ex una enim parte tormenta ex arce S. Angeli cohortes Imperialium arcte constipatas & tardo gradu incedentes aliquando feriebant; ex alia, qui e turribus ejaculabantur, latera non parum incommodabant. Pauci vero veterani, quos Rentius Ceritanus tironibus intermixtos in muris locaverat, magnis hastarum longarum & sarissarum ictibus, jactisque ollis, ardente materia repletis, aut gravibus trabibus & saxis devolutis, subeuntes cum scalis hostes facile dejiciebant. Ita bis repulsi lentius agere & retrocedere incipiebant. Sed mox majori furore, & ad capiendam sine mora urbem, aut ad moriendum obstinati redierunt. Borbonius enim omnes aggressorum stationes circumiens, &, quæ vellet, jubens, ut frigescentem militum ardorem incenderet, iisque ad rem strenue gerendam animum augeret, nobili impatientia, muneris imperatorii oblitus, militem agere cœpit: equo certe descendit, secutique sunt plurimi ex nobilitate & cataphractorum turmis ejus exemplum, ac relictis equis, primorum ordinum peditibus se immiscuerunt. Sic iis, qui pedem referebant, obviam factus Dux, militi cuidam scalam eripuit, & ad murum versus portam Turriculæ pedem applicuit. Hanc dum sinistra teneret manu, & pedem primo scalæ gradui imposuisset, dextram vero cum gladio militibus suis ostenderet, &, quantum poterat, clamaret; Me, me sequimini, commilitones! magnum a globo sclopeti vulnus in femore dextro,

Cas. Glorier.

Charles Bernhard Carte Geneal. de la Maison de Bourbon.

Guicc. l. 18.

Guicciard. sacc. di Roma. Cas. Glorieri.

Cas. Glorieri.

An. 1527.

(1) Urbs oppugnatur.

(14) Descriptio Borbonii.

(15) Ordo oppugnationis.

(16) Scanduntur muri.

tro,

An. 1527. Glorieri.

An. 1527.

tro, ubi lorica deficit, accepit, eoque in fossam dejectus est. Præcipui ex nobilitate, qui prope eum erant, mortuum credentes, sagum ei injecerunt, ne milites casum hunc cognoscerent. Sed is auxit potius pugnantium ardorem, quam minuit. Qui enim Ducem hoc statu videbant, in tantum dolorem, desperatione & furore mixtum conjecti sunt, ut omnes summo impetu muros scanderent, & se invicem truderent, non alia mente, quam ut quantocius mortem Ducis, suam non timentes, cæde hostium expiarent. Qui vero eum non viderant, ipsum jam in murum ascendisse credebant, cumque tot nobiles & egregios viros periculo expositos, spectantibus omnibus, sequi, exemploque hoc illustri alios excitare. Itaque leonum instar muros assultantes, discrimen & gloriam memorabilis hujus actionis cum istis partiri nitebantur. Sic quidam scalas, ut illi, conscendebant, alii defensores, qui ad repellendos aggressores comparebant, continuis displosionibus infestabant. Erant, qui muros suffodiebant, aut qua parte id fieri cœperat, manibus pedibusque enitebantur, duplicato omnes animi impetu (qui e contrario in defensoribus minuebatur) sine intermissione tanta vi contendentes, ut duabus post primi impetus initium horis muris & vallo potirentur. Pauci primo Hispani per interstitium sive foramen, tormenti displodendi causa apertum, (quod fenestræ in domo muro adjacenti usum præbebat, ipsique pugionibus dilataverant) ascendentes, ausi sunt, gladios manu gerentes, in plateam desilire, & soli, antequam sequi eos socii possent, milites Rentii Ceritani, qui eo in loco erat, adoriri. Nihil turpius fuit, quam quod hac occasione Dux iste Pontificiarum copiarum fecit. Vix enim hostes conspexerat, cum non, ut debuit, & facile potuit, recta eos aggrederetur, & cæderet, sed animum judiciumque perdens, qui, antequam hostes vidisset, falso gloriatus erat, nihil metuendum esse, clamare cœpit: Hostis intra muros est, evadat, qui potest; eodemque momento ipse, & qui cum eo erant, decem tunc contra unum, per pontem Sixti in urbem fugerunt, indeque celeri cursu in arcem S. Angeli se receperunt. Qui vero mœnia adhuc defendebant, cum illum tanta cum confusione fugientem viderent, clamantesque hostes audirent; Hispania, Hispania, occide, occide! nulli parcas! fugientem & ipsi secuti sunt. Sic Imperiales, nemine resistente, ubique, partim per desertos muros, partim effractis portis, irruentes, fugitivos persecuti sunt, quorum in terribili hoc tumultu ad tria millia ciciderunt; se ipsos enim, dum quilibet primus pontes transire nititur, impediebant & constipabant. Dein feroces hi victores, cæsis excubiis Helveticis, quæ Palatium tueri volebant, superato etiam facili negotio debili præsidio, ad portam Septimianam, qua ex suburbio S. Petri in Trans-Tiberinum itur, quicquid cis Tiberim jacet, ipsumque inprimis Palatium Pontificis in potestatem redegerunt, & ut libuit, spoliarunt. Ex illo Papa in arcem S. Angeli confugerat, omnibus cum Cardinalibus, præter quinque aut sex, qui a Cæsaris partibus stabant, & in Palatiis suis sese tutos fore credebant. Quod attinet ad Borbonium, illum non statim in loco, quo vulneratus erat, expirasse, statuunt Historici duo, qui in urbe tunc præsentes fuerunt, majoremque fidem, quam absentes merentur, præsertim, quia Borbonio de cætero non favent, sed in convitia adversus eum erumpunt. Certum est, eum a militibus, a quibus vehementer amabatur, in urbem, veluti in triumpho, portatum esse, & quidem, ut aliqui tradunt, adhuc viventem, sed qui statim, postquam importatus fuisset, animam exhalaverit, quasi momentum illud ad aucupandam gloriam expectans, ne moreretur, antequam vicisset. Sic victor occubuit Carolus II. Dux Borbonius, Connestabilis Franciæ, ultimus ex primo augustæ illius familiæ ramo, qui tot heroes produxit. Princeps, fatentibus etiam illis, qui, post amissam ab eo in aula gratiam, secutamque ejus defectionem, pessima quæque de eo tradiderunt, pulcherrimis omnibus animi & corporis dotibus, cunctisque virtutibus civilibus, politicis, moralibus & militaribus instructus, quæ virum sui seculi maximum faciunt. Talem quoque futurum fuisse, bona fide asserendum est, si affectui illi resistere potuisset, cui homines magni & egregiis factis inclyti, ægerrime plerumque resistunt, nempe indignationi. Sed huic, ad exemplum antiquorum heroum, Coriolani & Themistoclis, succubuit. Posteaquam enim egregia plurima in præliis celeberrimis ad Glaream Adduæ, ad Ravennam, ad Marignanum, tum in recuperatione Genuæ & Mediolani, aliisque omnibus expeditionibus gloriosis, sub Regibus Ludovico XII. & Francisco I. a teneris annis gessisset, expositum se vidit odio & vindictæ fœminæ principis, quæ tunc omnia poterat, & ab hac, omnibus viribus in perniciem ejus connixa, in desperationem adactus est. Cum vero, durante adhuc oppugnatione percrebuisset, vulneratum esse, Romani incredibili gaudio exultaverant, ex morte ejus salutem urbis ominantes; sed dicendum potius est, extremæ illam calamitatis causam fuisse. Superstes enim victoriæ cum Pontifice suæ utilitatis causa tractasset, & absque dubio direptionem urbis impedivisset, quæ deplorando & crudelissimo, ultra quam credi potest, modo, secuta est. Dum enim Pontifex, qui securitati suæ prospicere debuisset, opera Legati Lusitani, de pace cum Philiberto, Principe Arausionensi, (hic Borbonio in munere, non tamen in industria & autoritate successerat,) tractans, tempus terebat, Hispani & Germani observarunt, desertum esse pontem Sixti, absque munimento & præsidio, & neminem de eo rumpendo cogitare. Consilium itaque ipsi, non multum ad ducem, quem sibi constituerant, respicientes, de invadenda per pontem urbe ceperunt. Id circa quintam horam vespertinam præstiterunt, pontem

(17) Borbonius vulneratur.

(18) Oppugnatio continuatur.

Guicciard. l. 8. Sacco di Rom. Paul. Jov.

Guicciard. Sacc. di Rom.

(19) Perrumpitur in suburbium.

(20) Fit cædes & sævitur promiscue.

(21) Pontifex in castellum Adriani fugit.

Quo ictu, dextro illi inguine transfixo, moribundum humi stravit Cæs. Glorieri hist. exp. urb. Irrupere Hispani per conjunctas muro ignobiles casas, ubi Borbonius amissa voce defecerat. Jovius. Dupleix. Glorieri hist. exp. urb. Jov. in Elog. Marillac. Charl. de Bourb. Charles Bernard. Cart. Geneal. de la Royale maison de Bourb. Belcar.

(22) Borbonius obit; elogium ejus.

Guicciard. l. 18. Sacc. di Roma. Jovius.

(23) Victores urbem ipsam occupant.

An. 1527. *tem justo ordine transgressi, subsequentibus statim Italis, prædæ non minus avidis. Cum vero nihil nisi horrendum hominum, per plateas, ingenti cum consternatione discursantium, & salutem quærentium, tumultum conspicerent, ad forum usque, quod Campus Floræ dicitur, perrexerunt; ab initio promiscua cæde sine commiseratione in quosvis obvios grassantes. Sed, postquam avaritia finem laniena fecit, captivos facere orsi sunt, a quibus post spoliatam urbem, quantum possent pecuniæ, pro redemtione extorquerent. Describi non possunt omnes funestæ hujus direptionis enormitates, quæ omni flagitiorum genere superarunt, quicquid Gothi & Vandali in Roma spoliata olim perpetrarunt. Nihil tutum fuit, quam paupertas & deformitas; reliqua omnia crudelissimo, qui unquam fuit, victori in prædam cessere. Omnes Magnatum domos, omnia Cardinalium, Prælatorum, Legatorum & illustrium Romanorum palatia, omnia etiam templa & monasteria utriusque sexus, violenter occupata, expilata & desolata fuerunt. Nihil evadere potuit lasciviam, avaritiam, & impietatem furiosorum militum, quos nec timor Dei, nec reverentia Ducum, his spretis, retinuit, quin, veluti tot Furiæ, ruptis vinculis, cœco impetu in omnes ruerent, qui in manus eorum incidissent: Nullo conditionis, dignitatis, ætatis, sexus, nationis discrimine: amici, inimici, sacra, profana pariter raptabantur, & violabantur, etiam in templis, & ad altaria, ad quæ castæ matronæ & virgines Deo consecratæ, tanquam ad asyla servandæ pudicitiæ causa, confugerant; frustra tamen nec alio effectu, quam, ut sacrilegorum istorum crimina magis abominabilia fierent. Maxime deplorandum & triste visu erat, quod omnes illi Lutherani in exercitu Imperiali, summa cum impietate odium adversus Pontificem & Ecclesiam Romanam conceptum, in templa, & inprimis in Palatium & Basilicam Vaticanam effundebant. Perscrutabantur etiam Pontificum sepulchra, ut mortuis quoque vim facerent. Corpora Sanctorum, ex cistis extracta, in humum projecerunt, capita S. Petri, Pauli, Andreæ, pedibus conculcantes, vasibus & vestibus sacris profane abusi sunt; his calones amiciebant, & ex Ædicula Pontificali equile fecerant, bullas Papales pro stramento equis subjicientes. Conclavis etiam ritus fingentes, & Cardinalium palliis induti in ædicula Vaticani, quam capellam sanctam vocant, considentes, Lutherum Pontificem proclamarunt. Ab insolenti isto ludibrio ad cruentos venenati adversus sanctam sedem furoris effectus progressi, tam indigne & barbare tractarunt Cardinales, Senensem, de Ara Cœli, & Ponzettum, quamvis Imperatoris partibus addictos, ut postremus paucos post dies mortem obierit. Tandem, cum rapta essent, quæcunque reperiri potuerant, ad viginti usque millionum pretium, Barbari hi, & præcipue Hispani & Itali, qui etiam, scriptorum suæ gentis testimonio, Germanos Lutheranos crudelitate & rapacitate superaverunt, in captivos furere cœperunt. Omnes, quibus opes erant aut dignitas, Prælati, Magistratus, Aulici, Episcopi, Abbates, Nobiles, Trapezitæ, Mercatores, mille horrendis modis a carnificibus istis torti fuerunt, pedibus suspensi, ustulati, manicis adstricti & forcipibus vellicati, lororum immanibus ictibus lacerati, mutilati, &, ut abscissis auriculis vescerentur, adacti, ut scilicet immensa pecunia, quæ solvi nequibat, se redimerent; ita plurimi, ut tot malis cito se subducerent, sibi ipsis mortem consciverunt, & e manibus furiarum illarum elapsi, a fenestris in plateas præcipites se dederunt, ubi corpora eorum insepulta, sanguine & vulneribus operta jacuerunt. Talis fuit Romæ desolatio, ab exercitu Caroli Quinti patrata, qui partim ex illis ipsis Lutheranis compositus erat, quos Germania expellere volebat, & quos in Italiam ad ultionem de Pontifice sumendam miserat. Hic copiis istis arcta obsidione in Castello S. Angeli clausus tenebatur, dum Carolus omnes lætitiæ significationes in universa Hispania inhibuit, & omnibus templis publicas pro liberatione, quem ipse captivum habebat, Papæ, preces indixit. Neque tamen prius, quam post septem menses, ex molestissima captivitate, nec, nisi durissimis conditionibus, liberatus fuit; posteaquam, justo Dei judicio, plus, quam duæ impii exercitus partes, peste periissent, qui autem supererant, adventantibus ad urbem Gallorum copiis, in regnum Neapolitanum se recipere cogerentur.*

An. 1527. (24) Descriptio insolentiæ & sævitiæ militaris.

Guicciard. Sacc. di Rom.

Cochlæus ad hunc annum.

(25) Crudelitas in captivos.

(26) Pontifex obsidetur, & tandem duris conditionibus liberatur.

§. XXVIII.

(1) *Consideratio Maimburgianæ narrationis.*

Purpureus, late qui splendeat, unus & alter assuitur pannus; ut est apud Horatium. Talia profecto sunt, quibus paginas has implevit noster. Judicio majore *Pallavicinus* paucis lineis ista complexus est, *d. c. XIV. § 8.* Neque enim quidquam, quod ad Lutheranismi historiam magnum aliquod momentum afferat, percipi ex his potest, nisi, quod ex militibus qui Lutherani fuerunt, non tam sævitia, rapina aut libidine; (his enim vitiis superatos esse ab Hispanis & Italis, ipse asseverat Maimburgius) sed scommatibus in Pontificem lascivierint, inter quos ut præcipui, nominantur, quidam *Guilielmus a Sancta Cella* (Santizell/ equestris familiæ in superiori Germania nomen est) & *Grunewald, ut Reisnerus in vita Fronsbergii,* & *Wolfius Tom. II. Mem. hoc anno,* itemque *Cochlæus* notarunt. Quod igitur, de facinoribus in templis commissis, Germanis tribuit Maimburgius, absque sufficienti testimonio facit; quanquam illa excusatius perpetrassent, quia templa ista pro vere sanctis non habebant. Eo nempe prolapsa jam tum fuit religio, ut non milites saltem, sed nec pagani reverentia ejus retinerentur, quo minus suis satisfacerent, cum possent, cupiditatibus; nec minus sæviunt in sacra etiam loca, qui eandem sectam profitentur, ut facile, nisi notorium esset, demonstrari veteribus novisque exemplis liceret.

An. 1527.

liceret. Historiam ipsam tot scriptoribus, *Guicciardino* maxime & *Jovio* memoratam, nolo examinare: pauca perstringam, ubi errat, aut nimium affectibus servit noster. Et primo quidem idoneis testibus probari vix credo posse, quod milites & speciatim Germani, (quos *Lutheranos* vocat) statim ab initio expeditionis spolia urbium, inprimis Romæ, flagitaverint. Desiderium istud ex necessitate & occasione natum est, cum ex Hispania pecunia non mitteretur, nec aliunde parari posset, qua extremæ militum inopiæ, & inde ortis seditionibus, occurreretur. Germani enim tribus mensibus non nisi singuli tres florenos a Fronsbergio patre & filio erogatos acceperant, ut *Reisnerus* annotavit. Testatur idem, si Pontifex centum ducatorum millia solvere voluisset, tranquillari exercitum, totamque, quæ secuta est, calamitatem averti potuisse; justam igitur avaritiæ suæ pœnam ipse sibi procuravit. De Fronsbergii casu male instructus est Maimburgius, res ita sese habet: Cum nihil impetrari posset a Pontifice, nec aliud servandi exercitus medium superesset, Romanæ urbis spolium seditiosis militibus per duces propositum fuit, non, quod certi de capienda urbe fuerint, sed quod nihil aliud tumultuantibus objici posset. Certi tamen esse poterant, alterutrum futurum esse, nempe, ut vel, admoto urbi exercitu, thesauros suos ad stipendia solvenda, aperiret Pontifex, vel, si neque id faceret, nec urbs capi posset, ut in regnum Neapolitanum exitus pateret. Sed milites rumoribus forte moti, ac si Duces pecuniam jam accepissent, stipendia prius, quam Romam versus progrederentur, immani cum insolentia postularunt; Hispani ante omnes. Tunc itaque ut nihil intentatum relinqueret Fronsbergius, in concionem vocatos Germanos suos, quibus poterat argumentis, adortus est, ut a pecuniæ intempestiva flagitatione desisterent, & Romam ducentes sequerentur, omnia ibi adepturi; obsides etiam, filium *Melchiorem*, ordinum ductorem, & uxoris suæ fratrem, *Antonium Comitem Lodronium*, offerens. Cum vero mitescere nollent, & hastas ducibus obverterent, indignatione & ægritudine animi oppressus Fronsbergius subito in deliquium incidit, ita ut in tympano, quod adstabat, desidere cogeretur, nullumque verbum proloqui amplius posset. Post quatriduum sermonis facultate recepta, legato *Beumelburgio* copias commendavit, & ipse d. 22. Febr. Ferrariam deductus est. Fallitur autem insigniter Maimburgius, cum mortuum eum ibi fuisse tradit; supervixit enim annum & menses quinque, nec nisi d. 20. Augusti anni sequentis 1528, neque Ferrariæ, sed Mindelhemii in arce sua (quo tandem, impetratis commeatus literis, deportari se fecerat) extremum diem obiit. Dum decumberet & paralysi variisque symptomatibus misere affligeretur, a Ferdinando Austriaco, Cæsaris nomine, per literas plus semel consultus, & ad res Cæsaris in Italia tutandas rogatus potius, quam admonitus fuit; sed ob vim morbi vix respondere potuit, nec querelis abstinuit, quod non solum valetudinem, sed rem familiarem, Cæsaris gratia consumsisset. De consiliis & actis Cæsareis post captum Pontificem varia sunt scriptorum judicia, quæ huc transscribi opus non est. Occasionem oblatam ei divinitus fuisse, qualis a multis seculis nemini Imperatorum & Regum contigit, reformandæ in melius Ecclesiæ, & restituendi Imperatorii fastigii ad pristinum decus, dubitari profecto vix potest. *Reisnerus* refert: senem Ducem Albanum Carolo tria proposuisse, *primum*, si Imperator verus & magnus esse vellet, ut Romam, sedem Imperii, retineret, & ex illa summum exerceret regimen; *secundum*, si clementiæ famam affectaret, ut Pontificem benigne dimitteret; *tertium*, si modicus esse vellet, ut Papæ consiliis obsequeretur, & iram in Germanos verteret. Quicquid sit, neutrum horum secutus est Carolus, & clementiæ pariter & generositatis laudem, simulatione illa luctus ob captam urbem, & excusatione militaris licentiæ, qua apud Pontificem usus est, perdidit, dum non solum cunctatione sua captivitatem Clementis & miseriam urbis diuturniorem & graviorem fecit, sed & a nova exactione non abstinuit, extorta Pontifici ad militum stipendia ingenti æris summa. Acute ista, ut solet, expendit *Pallavicinus Lib. II. cap. XIV. §. 9. & seqq.* Mira vero est & hujus & Maimburgii nostri pietas, dum ex morte Fronsbergii & Borbonii, ac strage exercitus, qui lue pestilenti fere totus periit, ultionem divinam agnoscunt; eandem vero ex iis, quæ Pontifex cum suis passus est, non æque ad animum revocant. Nam ut illos ex victoribus, quos funestum fatum oppressit, non excusavero; (siquidem crudelitas & rapacitas cæteraque flagitia, etiam adversus meritos & pœnæ adeo destinatos perpetrata, probanda non sunt, & raro manent inulta) diffitendum tamen non fuisset, Clementem illum cum suis justissima passum esse, nisi prædictiones illas & omina, quibus referendis Maimburgius occupatur, pro iræ & justitiæ divinæ signis haberi non debeant, aut mores Pontificis & plerorumque ex clero & populo suo non tales notorie fuissent, qui animadversiones istas mererentur. Rectius ille, quisquis fuit, Episcopus *Johannes Staphylaeus*, qui anno 1528 d. 15. Maji oratione ad auditores, quos vocant, Rotæ habita, culpam Romæ ita agnovit, ut *ipsam Babylonem esse, ejusque pœnam justissime sensisse*, pluribus ostenderit argumentis. Vide *Wolff. Tom. II. Memorab. in ann. 1528.* Neque tamen severa hac castigatione Romani, nec horum exemplo, aut, quam paulo ante bello rustico experti fuerant, cladis documento correcti Germani, ea ceperunt consilia, quæ ad restituendum aut servandum verum Christianismum, & placandum Deum pertinerent. Non absolverim ab omni culpa Lutheri fautores, cum eorum haud pauci puritatem doctrinæ, quam affectabant, impuris dehonestarint moribus; Cæsar vero a scopo divino, multum, si fas est dicere, aberrans, cum captivo suo Pontifice utcunque conciliatus, victimam Lutherum, & qui eum sequebantur, destinavit, quapropter pactorum inter utrumque d. 26. Nov. hoc anno 1527 initorum caput speciosissimum fuit (cætera enim nihil ad religionem faciebant) ut Concilium universale haberetur, non tamen, quod omnium piorum votis expetebatur, ad seriam doctrinæ & disciplinæ emendationem, sed *ad extirpandam Lutheri haresin.* Ita breviter & aperte summam rei refert *Pallavicinus d. Lib. II. cap. XIV. §. 14.* ingenuitatis tamen specimen daturus, conditionem ab aliis autoribus, ut scribit, omissam, ex tabulis fœderis annotavit, quæ fuit, *ut Concilium haberetur cum debitis modis, & loco debito, & cum eorum observatione, qua jura exposcunt, omnique, qua fieri possit, celeritate*; qua verbo-

(1) *Specialia quadam de intentione Germanorum.*

(3) *De Pontificis avaritia, qua urbem perdidit.*

(4) *Fronsbergii acta cum copiis suis, & superveniens morbus.*

(5) *Notatur error Maimburgii circa tempus mortis.*

(6) *Cæsaris consultatio de Pontifice & decretis.*

(7) *Expenditur fatum urbis.*

(8) *Cæsaris consilium, ejusque causa & sequela ad Lutheranismi oppressionem.*

An. 1527. verborum pompa quid profectum sit, sequentis temporis historia ostendet.

§. XXIX.

(1) *Comitia Ratubonensia exiguo cum effectu.*

Quæ in Germania in causa religionis hoc anno 1527 gesta sunt, frustra apud Maimburgium quæras: is enim in Italiam exspatiatus Germanicarum rerum oblitus videtur. Negari tamen non potest, pauca præstari in Germania potuisse, in extrema illa perturbatione, qua ob bella Italica tota Europa concutiebatur. Itaque Comitia *Ratisbonæ*, mense Martio, ut Eslingæ (*vid.* §. *XV.*) constitutum erat, habita, nullius fuerunt effectus. Apparet id ex Recessu d. 28. Maji 1527 publicato. Ex Principibus nullus, Legatorum pauci comparuerant; Ferdinandus Cæsaris frater in Bohemiæ Regem, post Ludovici casum, electus, hoc anno mense Febr. Pragæ coronatus fuit. In Hungaria æmulum habuit *Johannem Zepusiensem* (quem *Waywodam* vocabant) Turcico patrocinio sublevatum. Bello itaque Hungarico implicitus, rebus Germanicis adesse non poterat. *Philippus* etiam *Badensis*, Cæsaris locum post Ferdinandum tenere jussus, nescio quibus de causis, ex Comitiis digressus, *Wolfgangum Montfortium* Comitem subdelegatum reliquerat. Itaque de auxiliis adversus Turcos & Wayvvodam parum impetrarunt legati a Ferdinando missi. Deputati enim Ordinum defectum mandati obtendebant, aut ad ea, quæ Eslingæ conclusa erant, provocabant. Itaque omnia scripto, quia legatos in Hispaniam mittere, ob coarctatam a Rege Galliæ transeundi libertatem, intutum esse dicebant, ad Cæsarem referri, & hunc enixe rogari decreverunt, ut pacem cum Regibus iniret, Comitia alia indiceret, & ipse in Germaniam veniret. Sic deficiente fere suprema in Imperio potestate, arbitrio singulorum principum & magistratuum, tum alia, tum maxime religionis negotia tractabantur, nullo in commune consilio.

(2) *Lutherus tentationem patitur.*

Luthero, ut ab hoc incipiamus, gravis hic annus multis de causis fuit. Ex literis enim *feria secunda Nativ. Christi* (a quo festo, ut alias monui, vulgari calculo annum numerabant) id est, d. 26. Decembr. 1526. *ad Justum Jonam* scriptis apparet, eum de gravissima tentatione queri. *Non cessa*, ait, *pro me orare, ut Christus me non deserat, nec finat esse impiorum cruciatus, quos sentio, sed filiorum; ne deficiat fides mea in finem.* Dolet etiam de absentia Professorum & scholarium Academicorum, qui ob pestem, autumno præcedenti Wittenbergæ ortam, diffugerant; *lætatur enim* (scribit) *Satan, nos esse sic separatos.* Dein Cal. Januarii, *Michaelem Stifelium* Eslinga pulsum solatur, & hospitium suum ei offert, editionemque *commentarii in Zachariam* & *refutationem Sacramentariorum* moliri se dicit. Vide *Lib. II. Epistolar. pag. 321. b.*

(3) *Afflictio ejus ob rapinam bonorum ecclesiasticorum.*

Eodem die apud *Spalatinum* querelas suas effudit, de rapina bonorum ecclesiasticorum, quibus quidam ex Nobilitate inhiabant, in quos tunc & paulo post (vide *pag. 326. b.*) acriter invehitur. Refert etiam, se, cum literis parum profecisset, non solum apud Principem filium, ante fores cubiculi Electoralis stantem questum esse, sed & responsum ab Electore tulisse, cautum iri, ut recte fierent omnia. Vide *d. Lib. II. p. 322.* Iniquitatis tamen illius consideratione vehementer maceratum se esse scribit, ita, ut publico scripto dolorem suum testari minetur. Unde patet, quam mendaciter ei imputari soleat, quod *bonorum Ecclesiæ rapinam suaserit.* Sane ea res duram illi tunc sententiam expressit, qualem quidem dudum apud Philosophos & Poetas reperias, de infelici principum sorte, qua fiat, ut virtus cum regno vix videatur consistere posse. Ait enim; *Nequam esse oportet, qui Princeps esse debet, & Tyrannum decet regnare.* Bonitate nempe illa Johannis Electoris, qui fratris Friderici exemplum, quod Spalatinus urgebat, sequi non poterat, *ut ipse scilicet ductaret & imperaret*, varie abusi sunt quidam, donec, ut in loco dicemus, per totam regionem, de bonis Ecclesiasticis statutum fuit. Interim spem de visitatione maturanda fecerat Princeps, ut ex aliis literis d. 10. Jan. *ad Hausmannum* datis intelligitur. An. 1527.

(4) *De cœnobio Franciscan. VVittenb. Lutheri petitio.*

Extat etiam *Tom. III. Alt. fol. 761.* epistola Lutheri ad Electorem d. 16. Sept. scripta, in qua queritur, Franciscanorum cœnobium Wittenbergense (a monachis scilicet desertum) optima sui parte a cive quodam possideri, dono scilicet Electoris; rogat igitur ut Princeps alia compensatione civi, qui, eam accepturum se esse, obtulerit, data, totum cœnobium ad pauperum hospitium destinet, spe remunerationis, & Senatui oppidano curam & conservationem ejus commendet, ne aliquando in gryphorum ungues incidat.

(5) *Respondet Hesso Pastori Uratislav. de Anabaptistis.*

De Anabaptistarum motibus querentem *Joh. Hessum* Uratislaviensem solatur d. 27. Jan. eosdemque in Bavaria vehementer insanire refert. *p. 327. b* censet autem omnes esse seditiosos, & eodem spiritu, quo Munzerus, agi.

(6) *A Cochlæo & Emsero infestatur, ob responsum ad literas Angliæ Regis & Ducis Georgii.*

Mense Januario exeunte, Responsum ad maledicam illam Angliæ Regis epistolam, eamque etiam, quam a Georgio Saxoniæ duce acceperat, composuit, ut ad *Joh. Langum* Erfurtensem Ecclesiastem d. 4. Febr. scribit *p. 325.* ubi etiam suspicionem suam detegit, ac si Erasmus regiarum literarum autor esset. Cavillatur *Cochlæus*, in hujus anni 1527. historia Lutherum, quod responsurus nunquam fuisset, nisi Emserus literas illas Regias typis vulgasset. Certe ipse ut supra §. *XIII.* retuli, ad silentium se composuerat, non quidem conscientiæ morsu, aut causæ desperatione, sed, quod mallet utiliori labore in explicandis Scripturis, cui omne tempus libentissime destinabat, occupari, neque fieri facile poterat, ut tot adversariis & conviciatoribus unus responderet. Emseri præfatio, quam versæ a se Lutheri & Regis epistolæ d. 7. Jan. 1527. præmisit, petulantissimis conviciis scatet. Dedicavit eam Margarethæ Anhaltinæ, ex Monsterbergensium Ducum familia natæ, eique de constantia in veteri religione gratulatur, recepta licet in vicinis & tot aliis provinciis Lutheri doctrina, ideo scilicet, (ut calumniatur) *quia bona opera non requireret, sed cuique pro lubitu carnalibus voluptatibus indulgere liberum faceret.* Eadem mentiendi protervia addit, a fœminis missas celebrari, cerdones concionari; Luthero speciatim objicit desertum monachatum, & nuptias cum moniali, itemque quod Wormatia redux in arce satis nota delituerit, & captum se esse simulaverit, rusticos ad seditionem stimulaverit, principes postea ad eorum cædem animaverit: sugillat etiam libellum ejus, *Mariæ Hungariæ Reginæ* inscriptum; nescire se tamen dicit, quomodo hæc illum exceperit. Tam atrocibus injuriis ab homine profligati pudoris, & plusquam caninæ maledicentiæ, effusis nihil reposuit Lutherus, sed solummodo literas suas ad Regem

An. 1527.

gem & Georgium Ducem ante annum scriptas breviter defendit. Extat responsum *Tom. III. Alt. fol. 686. & seqq.* Latino versio *Tom. II. Wittenberg. Lat. fol. 534. b.* cui tamen per errorem *annus 1525.* subscriptus est. Contenta ejus praecipua haec sunt: Primo palinodiae imputationem vehementer repellit, & ab ea se alienissimum esse, multis verbis testatur. Deinde de vita & moribus suis superbire se posse negat coram DEO, miserum enim esse peccatorem, coram mundo tamen innocentem, certe meliorem adversariis, quos indignos putat, qui corrigiam calceamenti sibi solvant. Interim defectuum suorum conscientia, unicuique in moribus, sed nulli in doctrina cedere. Exponit postea, cur Regi Angliae tam submisse scripserit, persuasum enim se fuisse, illum Evangelio jam favere. *Christiernum* potissimum allegat, Daniae regem, qui sermone & literis Lutherum incitare, ut Henrico Regi scriberet, non cessaverit, & de bono effectu quasi spoponderit. Iis veluti inebriatum blanditiis eructasse submissas illas literas, quas sues laceraverint. *Erravi*, ait, *& doleo, quod adversus monitum Christi Matth. VII. margaritas porcis projeci.* De literis ad Georgium Ducem commemorat, *se a bonis & claris viris ex proceribus provinciae ejus* (grossen und feinen leuten / aus seinen Landsassen) *impulsum, & obrutam quasi conscientiam suam fuisse promissionum plaustris,* (fuder voll verheissungen) *fore, ut Evangelii causam juvaret, si isto modo scriberet. Impegisse igitur, ut alias, quoties amicis mollia suggerentibus cessisset.* Ita Augustae Cardinalem *Cajetanum* triumphum cecinisse, cum paulo submissius locutus fuisset. VVormatiae, quo magis sese demisisset, inprimis coram *Electore Brandeburgico*, tanto pejus causae suae consuluisse, stupidum se fuisse (ich bin ein schaaf und bleibe ein schaaf) quod in aulis Johannem Baptistam quaesivisset, inter eos, qui mollibus vestiuntur. Interim omnia quae scripserit, expendentem non invenire, de quo summopere & serio doleat fecisse, quod putaverit causae DEI profuturum esse: jam se contumelias adversariorum patienter ferre, DEUM enim electis omnia cooperari in bonum: se convitia illa pro cibo habere, moriturum forte esse, si cessent, imo gaudio sibi maximo esse hostium iras & rabiem. Addit multa, quibus summam fiduciam doctrinae suae coram tribunali DEI aliquando justificandae, & magnum hostium contemtum indicat, quos cum lendibus pediculorum comparat. In hoc etiam scripto memorat, *Justum Jonam* sibi autorem fuisse, ut Erasmum mitibus verbis tractaret; dixisse enim: *Domine Doctor, tu non credis, quam bonus & venerabilis senex sit Erasmus.* Idem antea *Nesenum* (cujus pia cum recordatione meminit) fecisse; siquidem, ex *apologia Erasmi adversus Stapulensem*, diversum collegisse, sed obsecutum esse humanis consiliis, *infelici, ut par est (ait) eventu. Nos enim omnes probe excepit Erasmus; Nesenum maxime, tam charum sibi olim.* Ab initio hujus scripti dixerat, frustra a Rege librum suum *de servo arbitrio* culpari, quem tamen Erasmus, longe plus licet scientiae ingeniique habens, intactum reliquerit, & relicturus sit. Argumenta libri sui intelligit, quae enervata ab Erasmo non fuerint. Quae in fine adversus *Suermeros*, quos vocat, dissentientes nempe in quaestione de praesentia, subjungit, lubens praetereo. Tanta vero suae causae fiducia se ipsum erigit, ut in epilogo libelli adversarios omnes longe infra se ponat, iisque provocet verbis, quorum emphasis in versione latina exprimi non potuit. Vide *fol. 690.* Summa est: Se verbum Dei ex sacra Scriptura in tantam perspicuitatem adduxisse, quantam intra mille annos non habuerit. Hortatur omnes adversarios, ut se missum faciant; non esse Lutherum, quem persequantur. Si decem orbes terrarum, alium super alium, congesserint, nihil tamen effecturos contra se esse, mansuram enim nihilominus doctrinam Lutheri. Corpus suum facile perimi posse, sed a doctrina sua ipsos consumtum iri; se laeto animo & quietissima cum conscientia victurum & moriturum. *Cochlaeum* ista mire punxerunt, calamum itaque strinxit, & libellos variis sarcasmis & cavillis plenos protrusit, ex quibus, frigida sane & se digna, historiae suae inseruit, *fol. 157.* quae refutationem, cum leguntur, secum ferunt. Inprimis vero frivola est sententia margini *fol. 155.* adscripta, ubi morum innocentiam allegantem Lutherum audacter contemnit his verbis: *Uxoratus monachus cum sua moniali vivit sine scandalo, si ei creditur.* Hoc scilicet caput & finis omnium est convitiorum, & his judicibus sine scandalo non vivitur in conjugio, coelibatus id privilegium est. De hoc scripto Lutherus, in literis ad Spalatinum *d. l. pag. 329.* Cal. Febr. ita loquitur: *Regi Anglorum (quem Erasmi larvam putant) brevi epistola respondeo, maxime ob titulum, quem Palinodiam fecerunt. Ista blasphemia, techna, nequitia diaboli & suorum, sicut cibus & sagina mihi. Hic enim est cibus, de quo gloriatur Christus Joan. 4. Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris, id est, moriar & blasphemer. Eodem & nos ali oportet. Incredibile est, quam Satan undique & per omnia furit; diem forte sentit extremum, sed Deo gratia, qui nos confortat, ut contemnamus.* Non multo post feria secunda post Invocavit (d. 11. Mart.) eidem Spalatino scribit *p. 330. Libellus meus in Regem Angliae, mirum est, quam multos etiam ex nostris offenderit, cum mihi valde necessarius videatur adversus tantam superbiam Satanae; sed Christus judicabit.*

(7) *Contenta responsionis Lutheri.*

(8) *Excusatio, cur Regi & Duci scripserit.*

(9) *Narrat quaedam de Comitiis VVormatiensibus.*

(10) *Item de Erasmo & Justo Jona.*

(11) *Fiduciam in epilogo ostendit.*

(12) *Cochlaei nota de conjugio Lutheri.*

(13) *Hujus epistola de scripto suo.*

§. XXX.

Sub initium etiam anni (vide *Lib. II. Epist. pag. 330. b.*) prodiit tractatus antea elaboratus, in quo *Assa* sive *Ascanio Crammio*, Equiti ex regione Brunsuicensi, (Asche von Cramm) respondet ad quaestionem, de qua, in introitu Electoris Johannis, Wittenbergae collocuti erant, *an & quatenus liceat Christianis militare?* Et licere quidem, demonstrat rationibus satis gravibus & notis; addit tamen caute-

(1) *Tractatus Lutheri, an liceat Christianis bellare?*

An. 1536. cautelas & restrictiones non paucas, quod nempe non liceat, nisi in causa justa aut probabili, non offendendi aut rapiendi, sed defendendi causa, nec ex ferocia aut ambitione; ostenditque, quo animo pii milites esse, & quas preces ad Deum fundere debeant, prorsus autem rejicit bella in superiores, etiam tyrannos; adeoque tyrannicidia, Ethnicis probata, nullo modo ferri posse statuit. Itaque nec bella in reges, etsi juramentis aut pactis adstrictos, imo nec in electitios, excusat; ac propterea non solum rusticorum tumultum, sed &, quæ Dani in *Christiernum* (licet male meritum hunc esse non videatur diffiteri) egerint, & præstita a Lubecensibus auxilia reprehendit; ex quo libertas viri apparet, candide & ex animi sententia ista scribentis. Agnoscit etiam ipse, se injustis & sævis principibus hoc modo securitatem facere, sed divini juris contemplatione aliter non posse. Regulam recte a Luthero positam esse, dubitari non debet, sed an omnes casus, & speciatim res Danicæ satis illi innotuerint & expensæ fuerint, non liquet. Hoc etiam anno, (mense, ut colligi potest, Februario aut Martio) sententiam suam de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia adversus Zuinglium & Oecolampadium, in notissimo illo tractatu, aperuit & defendit, cui titulus est: *Quod verba Christi, hoc est corpus meum, adhuc firma stent:* Scriptus autem est Germanice, & extat *Tom. III. Altenb. fol. 691. & seqq.*

(2) *Liber; quod verba Christi de institutione Sacramenti firma stent.*

Eum enarrare ex causis jam adductis supersedeo, sicut & certamina inter *Joh. Pomeranum & Martinum Bucerum*, ob *Commentarium* illius *in Psalmos*, Basileæ editum & interpolatum. Offenderat etiam Bucerus Lutherum, quod in editam ejus *Postillam*, quam vocant, ecclesiasticam, quædam infarsisset, quæ pro Helvetica sententia de cœna facerent, ideo in libello illo *de verbis institutionis*, vehementer de Bucero queritur, quod librum suum homiliarum, quem optimum ex omnibus, quos unquam scripserit, vocat, quique etiam Pontificiis placeat, corruperit. Ista exprobratio in editione Tomorum Wittenbergensi expuncta fuit, indignante & publica apologia culpam a se amoliente *Georgio Rorario*, ut *d. Tom. III. Altenb. fol. 740.* legi potest. Eandem vero querelam in epistola ad *Johannem Secerium* Basileensem Typographum prolixe post repetiit; Idib. (id est, 13.) Septembr. hujus anni, vide *Epistolar. Lib. II. pag. 348. b.* Non defuit tamen Bucero excusatio. Quam ingratum vero scriptum istud Lutheri dissentientibus fuerit, & ut illi argumentum ejus de omnipræsentia humanæ naturæ in Christo, ex unione personali deductum, miris modis improbaverint & exagitaverint, ex refutationibus, quas paulo post ediderunt, satis notum est, & per compendium ex *Hospiniani* relatione hujus anni 1527. *in Historia Sacramentaria* disci potest. Etsi vero inter illos nolim referri, quibus autor iste imputat, quod ex Luthero idolum & Deum faciant; ex historia tamen, quam tracto, accusationem illam credo haud difficulter elidi posse, qua insimulatus a quibusdam (Helvetiis potissimum) fuit, ac si, ambitionis stimulis incitatus, tam acriter sententiæ illi suæ institerit, ne scilicet laus sibi ab aliis prærepta esse videretur, aut alia quoque sua dogmata in contemtum venirent. Præterquam enim, quod toties contrarium de se professus est publicis scriptis, quibus ad conscientiam suam provocavit, notari utique meretur, quod hoc ipso anno, cum tractatum illum diu cunctatus & pene invitus edidit, fere semper insigni animi mœrore, multisque tentationibus afflictus, & plus una vice corporis etiam morbis in vitæ periculum adductus fuerit; quo quidem statu, affectationes & simulationes, etiam apud profanos & impios, cessare solent. Eo minus igitur viro tam sollicito de sua & aliorum salute tribui debet, quod conscientiæ & veritati inanis gloriolæ conservationem anteferre voluerit. Sane, cum hoc anno, d. 6. Julii, syncopa, post ingentem animi mœrorem, oppressus, mortem sibi instare crederet, coram *Johann. Pomerano*, parocho & confessionario suo, & *D. Justo Jona*, serio asseveravit, eosque testes fidei suæ rogavit, in qua vellet decedere: *Bene mihi conscius sum*, ait, *me sana docuisse ex verbo Dei, secundum ministerium meum, ad quod me Deus vel invitum traxit.* Speciatim vero controversiæ Sacramentariæ mentionem faciens, summe deplorabat mala, quæ diversa sentientes Ecclesiæ inferrent. Extat inter Lutheri epistolas *Lib. II. p. 334. & seqq.* relatio D. Pomerani, in qua *p. 336.* ista & plura legere licet. Idem aliis literis, eodem anno, cum a peste, quæ Wittenbergæ grassabatur, quotidie mortem expectare deberet, ad amicos scribens, magno cum zelo & candore professus est. Vide *Libr. II. Epistolar. p. 331. b. 332. 345.* lætatur tamen etiam de successu libri sui, eoque multos in fide confirmatos esse refert, *d. p. 345.* Memorabilis vero est epistola, supra jam citata, ad Typographum Basileensem *p. 348. b. & seqq.* In hac Buceri argumentum, quod miracula Christi sint visibilia, & quod ideo præsentia ejus invisibilis in Sacramento credi non debeat, dialectici erroris accusat, concludentis a quibusdam miraculis ad omnia, id est, a particulari ad universale. *Videlicet* (ait) *istis ludibriis firmandæ sunt conscientiæ nostræ, in rebus Dei, super verba clarissima Scripturæ.* Et paulo post: *Optime se tuentur similitudinibus, conjecturis, absurditatibus; nullus vero angustias conscientiarum nostrarum clamantes dignatur audire, ubi dicimus, clara apertaque sunt verba Christi. Monstrari cupimus locum, qui cogat, nostrum sensum in his verbis esse falsum; at hic nemo hiscit in tot libris eorum.* Addit alia, quæ prætereo, ista enim ideo tantum allego, ut ostendam, quare credam, Lutherum bona fide, & conscientiæ suæ impulsu, Helvetiis restitisse. Male quidem dictum ejus accepit Zuinglius, cum Lutherus scripsisset, quis eos jussisset, de Sacramento disputare, quasi non, nisi se conscio aut jubente, scribere sibi licuisset; sed vix alia Luthero mens fuit, quam ut putaret, neminem coactum per conscientiam fuisse, ut figuratam præsentiam statueret, sed tuto potuisse sensui literali simpliciter inhæreri, rejecto saltem, quod Lutherus jam fecerat, trans-

(3) *Rixa inter Pomeranum, Bucerum & Lutherum ob postillas hujus interpolatas.*

(4) *Defensio Lutheri adversus imputationem ambitionis in controversia sacramentaria.*

(5) *Epistola ejus pro præsentia reali.*

An. 1536.

An. 1527.

transsubstantiationis dogmate, aut potius ejus sequelis & abusibus, in cultum publicum a Pontificibus invectis.' Sub finem mensis Octobr. ad Melanchthonem scribens *d. l. p. 355. b.* Carolostadium, qui prope Wittenbergam adhuc morabatur, abitum meditari indicat, & nidum apud suos quaerere, id est, apud Zuinglianos. *Vadat*, ait, *ad locum suum, quando nullis officiis revocari potest. Ora pro me misero & abjecto verme, tristitiae spiritu bene vexato, pro bona voluntate Patris misericordiarum, cui sit gloria, etiam in mea miseria. Gloria mea est haec una, quod verbum Dei pure tradidi, nec adulteravi ullo studio gloriae aut opulentiae, spero, quod, qui incepit, miserebitur in finem: cum aliud non quaeram aut sitiam, quam propitium Deum, qualem sese obtrudit, & suscipi exigit, etiam a contemptoribus & hostibus suis.* Addit acrem in Zuinglium censuram. Epistola haec Germanice exhibetur *Tom. III. Alt. fol. 795.* sed, cum exordio, quod non extat in volumine epistolarum, neque notatur, ad Melanchthonem scriptam esse. Similia habet in epistola 4. Cal. Decembr. ad *Johannem Brentium* data, in qua de Carolostadio *p. 361.* ita loquitur: *Carolostadium in sinu hactenus alimus, officiose satis, spe bona, quod esset rediturus in viam; at miser homo de die in diem magis induratur, & tamen silere cogitur pusillanimitate; etiam suum τῦτο adhuc tuetur, quamvis reprobatum etiam a suis. Tanta est ira, si quis semel verbum Dei impugnaverit.* Zuinglius, etsi Luthero in editis adversus eum scriptis non parceret, magna tamen ei elogia non plane detraxit. Affert ista ex illius scriptis *Hospinianus.* v. g. ex *Exegesi.* ubi Lutherum alloquens scribit: *Videbamus, tibi non nihil jubaris deesse, etiamsi justi luminis nihil deesset.* item *p. 51.* ubi Zuinglius Lutherum *primarium Evangelii propugnatorem* vocat, *qui cum nemo esset qui se periculo objicere auderet: veluti David in Goliathum, ita is in Pontificem prodierit. Hic, hic* (ait) *tu unus, fidelis David, ad hoc unctus a Domino, induis arma, primum, cum juxta illorum ritum pergis cum eis disputare ac paradoxa nodosque Gordios objicere; mox tamen rejectis his impedimentis, e coelesti flumine lapides eligis ac libras. Tu unus fuisti Hercules &c.* Sed ista ex hujus anni historia, de Sacramentaria lite sufficiant.

(6) *De Carolostadii abitu ex Saxonia, & de sua ob illam litem tristitia.*

(7) *Zuinglii de Luthero censura.*

§. XXXI.

Quemadmodum hoc tempore & statu Germaniae, ut dixi, qui Evangelio favebant Principes aut Urbes, supremo jure gaudentes, satis libere, quae vellent, agere potuerunt; ita illi, qui Pontificiis sacris insistebant, in suis ditionibus non abstinebant a severa in sectatores Lutheri animadversione. Rigorosissimum edictum *Ferdinandi*, Hungariae & Bohemiae Regis d. 20. Augusti hoc anno Budae emissum est, quod in Tomos Lutheri cum marginalibus quibusdam relatum extat *Tom. III. f. 757.* In hoc Wormatiense decretum contra Lutherum pro fundamento praestituitur, dein leges adversus haereticos recensentur; haeresis autem non solum Lutheri, sed &, ut deterior, Carolostadii, Zuinglii, Oecolampadii & Anabaptistarum nominatim vetatur, & poenae capitis, aliaeque, pro modo delicti, statuuntur, etiam in violatores Ecclesiasticarum legum, & in haereticorum receptatores; mandatur etiam, ut per annos decem hoc edictum a parochis publice quater in anno praelegatur. Moderatius procedebatur, ubi provincialium potentia executionem difficilem faciebat. Eorum sane respectu in Magdeburgensi Archiepiscopatu mitius agebat Albertus. Itaque Magdeburgi, pro ea, qua tunc urbs illa potiebatur, libertate, strenue procedebat doctrina Evangelica, *Amsdorfio* Ecclesiaste aliisque liberrime praedicantibus. Prodigium nocte ante festum circumcisionis, id est, pridie Calend. Januar. ibi accidisse, constanter narrabatur. De quo haec sunt Lutheri verba ad *Linccium* Norimbergensem, *Lib. II. Epistolar. pag. 327. Scribit mihi Nicolaus Amsdorff, Magdeburgae, nocte circumcisionis, sub matutinis, in summo templo omnes candelas & lampadas subito extinctas esse, excepta una coram Sacramento. Sunt autem valde multae, praesertim, quae sub Officio accenduntur, deinde tot anguli capellarum abditi, ut impossibile sit vento (cui non patet istbuc accessus) extingui. Interpretantur quidam, portendi obitum Canonicorum; sic & antea factum ajunt, ut, morituro Episcopo Ernesto, major candela ceciderit extincta & fracta, aliamque jacens ambusserit. Deus viderit. Signa multa fiunt, non irrita futura.* Halis, quanquam in eam urbem ordinaria potestas esset Archiepiscopo, is tamen erat civium numerus & ob vicinam Saxoniam fiducia, ut concionatoribus Evangelicis plane carere nollent. Inter eos erat *M. Georgius Wincklerus*, Bischoffsvverda Misnicus, qui etiam sacram Coenam integram distribuere ausus erat. Hunc Albertus, tunc in Moguntino Archiepiscopatu residens Aschaffenburgum evocavit; & auditum quidem dimisit; at comite & equo suo, nescio quomodo, privatus, & equo morionis aulici impositus, in sylvis haud procul Aschaffenburgo occisus fuit. Id per insidias factum esse, immo & extinctio Evangelicae doctrinae praefigurari portento illo Magdeburgensi credebatur. Luthero sane suspecta, non tam Archiepiscopi, quam Canonicorum Moguntinorum, quorum magnam autoritatem esse scribit, consilia fuerunt, itaque edito *ad Hallenses* libello consolatorio, qui *Tom. III. Altenb. fol. 741. & seqq.* reperitur, in facinoris autores vehementer invectus est; optat, ut occisi sanguis, sicut Habelis, ex pulvere vociferans divinam provocet ultionem, aut potius, ut seminis divini loco sit, a Satana licet per sceleratas manus sparsi, quod centuplicem fructum ferat, & pro uno centum exurgant Evangelii concionatores, millies plus damni Satanae, quam a Georgio illo metuebat, illaturi. *Mundum*, ait, *cauponam esse Satanae, ejus insignia homicidium & mendacium: (Joh. VIII.) ejus opus esse tot tragicos casus, maxime vero bella inter reges.* (quae tempore illo gerebantur) *Qui igitur verbum Christi praedicant, a diabolo pro turbatoribus cauponae illius suae haberi & infestari;* ipsum vero Georgium, qui bona fide ad evocantem Archiepiscopum profectus mortem oppetiit, *beatum* praedicat. Quoniam vero

(1) *Edictum Ferdinandi Regis contra Lutheranos.*

(2) *Magdeburgensis reformatio, & prodigium quoddam.*

(3) *Georgii VVinckleri, Hallensium concionatoris, cades.*

(4) *Lutheri de ea litera ad Hallenses & Rubelium.*

An. 1527. vero is maximum sibi odium distributione cœnæ Dominicæ sub utraque, ut loquimur, specie, concitaverat, defendendum id ejus factum in hac epistola sibi sumit, non solum ex verbis Christi Sacramentum instituentis, ab Evangelistis relatis, & Pauli ea repetentis; (extra quæ alia nulla allegari ex Scripturis possunt) sed & ex locis plurimis Juris Canonici, quæ citari a se dicit, non quod approbet *centones illos*, ut ait, *Gratiani*, *absque judicio sufficienti collectos*, quos propterea aliqui scite *concordantiam discordantiarum vocent*, sed argumento ad hominem. Originem vero prohibitionis sacri calicis obscuram, & utut per aliquot secula observatam, nullius valoris esse, contendit. Lutheri hoc scriptum criminatur *Cochlæus* in anno hoc, & Canonicos a suspicione cædis, edita apologia, defendit, rumori alium opponens, quem sparsum esse ait, Georgium illum a Nobilibus quibusdam occisum fuisse, quod conjugium cum vetula aliqua opulenta ex illorum cognatione contraxisset. Ex epistola Lutheri ad *Ruhelium*, Archiepiscopi consiliarium, d. 26. August. data *Tom. III. fol. 777.* apparet, monitum fuisse Lutherum a Ruhelio, ut Hero parceret: idque se facturum promiserat, quantum possit, sine hypocriseos crimine. Semper enim Albertus moderationem aliquam simulabat, ut Lutheri impetum molliret. Vehementius afflictus fuit Lutherus supplicio *Leonhardi*, cognomento *Cæsaris*, qui in Bavaria ob Evangelicam doctrinam vivicomburium passus est, frustra intercedente pro eo apud Ernestum Bavarum, Episcopum Passaviensem, Johanne Electore Saxoniæ, cujus literæ, Lunæ post Cantate, id est, d. 17. Maji datæ, extant *Tom. III. Alt. fol. 792.* Historia viri typis tunc longe lateque vulgata fuit, & *Tom. III. fol. 780. & seqq.* inserta legitur. Natus erat in agro *Scherdingensi* in Bavaria, & in pago quodam vicarius Canonici cujusdam Passaviensis, cui parochia pro more collata erat, constitutus: Evangelium docere cœperat ad Lutheri ductum; sed Passavium vocatus, carcere & minis ad revocandum coactus, & sic ad parochiam illam remissus fuit; sed reclamante conscientia, post sex menses, relicto pago, Wittenbergam aliaque in loca, ubi Evangelica doctrina vigebat, digressus, post biennium, patris lethaliter decumbentis causa in patriam rediit, &, prodente pastore pagi, Passavium deductus, & carceri inclusus fuit. Inde, licet corpore æger, multoties coram Episcopo & Canonicis quibusdam doctrinæ suæ rationem reddere coactus est, nullo, ut in literis ad suos queritur, indulto ad meditandum tempore. Præcipua, quæ interrogatus respondit & asseruit, fuerunt: *fidem solam coram Deo justificare*; *opera signa fidei esse*, *sed a justificationis actu, ut terram a cœlo, separari*; *Missam non esse sacrificium*, *neque pro vivis neque pro mortuis*; *Sacramentum, antequam Evangelii doctrinam populus intelligat, more huc usque consueto*, *sed recte instructis, sub utraque specie distribuendum esse*; canoni *magno & parvo*, *quia ad sacrificium dirigatur*, *locum non esse*; *confessionem & deprecationem DEO quotidie*; *proximo, cum læsus fuerit*; *sacerdoti*

(5) *Historia Leonhardi Cæsaris in Bavaria ob religionem exusti.*

(6) *Ejus confessio de aliquibus fidei capitibus.*

majoris consolationis & consilii causa, *præstandam*; *satisfactionem pro peccatis aliam, quam per sanguinem Christi, non dari*; *contritionem, confessionem, jejunia, precum formulas, non esse satisfactiones*, *sed signa gratitudinis pro redemptione Christi*, *extremam unctionem*, *confirmationem per chrisma*, *ordinem sacerdotum, non esse sacramenta*, *deficiente mandato Dei*, *ita nec matrimonium*; *sed baptismum esse sacramentum & opus Dei*; *cœlibatum votis stabiliri non posse*; *de libertate Christiana & libero arbitrio, item de Sabbatho, jejuniis*, *invocatione sanctorum*, *purgatorio aliisque respondit ex sententia Lutheri*; *de transsubstantiatione disputare noluit*, *sufficere dicens*, *si verbis Christi insistamus*, *& verum ejus corpus verumque sanguinem in Sacramento exhiberi credamus.* Fassus est, præscriptas lectionum & precum formulas sive *breviarium* non amplius a se recitari. Libertatem aliquam ex carcere scribendi nactus, consilium cognatorum & amicorum petiit, interque eos inprimis *Michaelis Stifelii*, qui tunc Eslinga ejectus, Tolleti in Austria Georgeriæ, illustris matronæ, concionator erat. Extant captivi ad hunc literæ d. 16. Martii datæ *Tom. III. fol. 785.* latine vero *Lib. II. Epistolar. Luth. p. 329.* & meretur pii viri memoria, ut verba ejus adscribantur. *Congratulor mihi frater Michael in Christo charissime, quod Deus omnipotens & Pater misericordiarum me indignissimum servulum suum & maximum peccatorem ad confessionem nominis sui melliflui benedictissimique invitari dignatus sit*; *sit Deus benedictus, Amen. Ille confortet dirigatque cor meum*, *sensus & omnes conatus meos, in viam salutis, & secundum beneplacitum voluntatis sua linguam & cor meum, ut pronuncient laudem & gloriam ejus*, *ne per me infirmum & fragile vas suum vituperetur & blasphemetur purissimum ejus Evangelium*, *toties a me auditum. Utinam cum fructu ad honorem nominis sui*, *fiat hoc mihi*, *& impetretur a Deo Patre precibus tuis sinceris & devotis*, *& tuum Leonhardum tibi recommendatum habe*, *populumque admone*, *ut Deum suis devotis precibus pro me exoret. Scimus enim illud Evangelium*, *ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint*, *quicquid in nomine meo petierint*, *impetrabunt*, *& minime denegabitur eis.* Aliæ ejusdem leguntur *d. Tom. III. eod. fol. & seq.* in quibus de infirmitate quidem sua queritur, sed Dei auxilio constantem se fore confidit. Multæ pro eo intercessiones factæ esse perhibentur *d. l. fol. 786.* etiam a Casimiro, Marchione Brandenburgico, a Comite Schaumburgensi, Schwarzburgensi, Traunio, a Starenbergio aliisque ex Nobilitate. Admissi tamen sunt ejus cognati, ut, præsente Abbate quodam, & disputatore illo D. Eccio, Ingolstadio evocato, colloquerentur, & illum ad revocandum persuaderent. Sed id frustra fuit. Captivus enim multa questus, ut decem hebdomadibus carceri inclusus langueret, antequam audiretur, ut multiplicibus postea quæstionibus festinanter respondere, corpore & mente æger, adactus fuerit, summarium tamen articulorum (de quibus supra dictum est) ab Eccio prælectorum agno-

(7) *Literæ ad Stifelium.*

(8) *Intercessiones pro eo.*

A. 1527.

(9) *Disputatio Eccii & Leonhardi.*

agnovit, &, quæ sentiebat, Scripturæ dictis defendit. Eccius argumenta sua magna cum vehementia aggessit; cognatis petentibus, ut suis sumtibus captivo dilatio ad mensem indulgeretur, & patronus adjungeretur; Episcopus omnia recusavit, & adscitis magno assessorum ex prælatis & canonicis numero, & in his Eccio, adducto solenniter ad tribunal Leonhardo, prælegi acta, sed Latine, fecit; quanquam hic sæpe instaret, ut Germanica lingua ob adstantem multitudinem ageretur. Ipse tamen & summam articulorum Germanice repetiit, & responsa subjunxit magno spiritu & animo, interruptus tamen ab officiali, & ne concionaretur, admonitus. Episcopus denique ipse ex scheda sententiam *degradationis*, ut vocant, &, ut reus magistratui seculari traderetur, recitavit. Peracta illa suetis ritibus exauctoratione, addita etiam dicis causa & pro more intercessione, ut sanguini ejus parceretur, in carcerem Passaviensem reductus est. Post mensem (quem forte speratæ ejus revocationi post sententiam indulserunt) cum nihil revocare vellet, nisi quid Scripturæ contrarium dixisset, d. 13. Augusti *Scherdingam* ductus, & post triduum d. 16. Augusti nequicquam intercedentibus iterum cognatis, &, renitente licet captivo, gladii pœnam pro eo petentibus, mandato Guilielmi Bavariæ Ducis, vivus exustus est. Incredibili autem patientia, humanitate, precandi assiduitate & ardore supplicium illud sustinuit, eaque cum fiducia, ut, ecstatico similis, Christum ipsum veluti urgeret, ut secum pateretur. Cum circumstantem populi multitudinem videret, hanc messem esse dicit, quæ operariis egeret; omnibus & singulis, (iis speciatim, a quibus huc missus esset) publice professus est, se ignoscere, rogans populum, ut secum pro iis oraret, & pro se, ut constanti fide moreretur; deprecatus est etiam, si quem olim doctrina (in papatu scilicet) aut exemplo læsisset. Rogo impositus, & incenso jam igne clara voce proclamavit: *Tuus sum, Jesu! salva me!* & brevi animam emisit. Aliæ ejus literæ & Testamentum habentur *d. Tom. III. fol. 291. & seq.* ex quibus sincera fides & pietas, & honestus erga cognatos affectus elucet. Narrantur in iis etiam alii quorundam ob religionem in Bavaria punitorum casus. Lutherus epistolam consolatoriam ad *Leonhardum* dederat d. 13. Maji, quæ legitur *Tom. III. fol. 792.* Historiam, post mortem ejus cum aliis Leonhardi actis acceptam, cum epicrisi edidit *d. fol. & seq.* In hac ab initio gratias agit Deo per Jesum Christum, qui martyrio hoc servi sui Leonhardi ecclesiam consolatus sit; dein dicit: Ach Herr Gott / daß ich so würdig wäre gewesen / oder noch seyn möchte / solches bekäntnüsses und todes. *O Deus, utinam dignus essem aut fierem simili confessione & morte: quis sum? quid ago? o quam me pudet, dum istam narrationem de Leonhardo lego, quod dudum (plus decies mundi judicio talia meritus) non eadam passione dignus sum habitus! Fiat id, si tibi placet, Deus, fiat voluntas tua!* Dein a tyrannide & sævitia ulteriori dehortatur fautores Papæ, quem nunc *dimidia sui existimationis parte fere orbatum esse* dicit, *& prece publica carere.* Er fähret schier mit halbem karn / und hat das gemelne gebeth verlohrn. *Si pugnandi & occidendi studio ardeant, contra Turcos aut alios hostes ire jubet, quos cum honore aggredi liceat. Jam eos in miseros & infirmos & de doctrina optime meritos sævire. Addit, nihil effecturos esse omni illa crudelitate sua,* & ollis illos comparat, cum petra collisis. Christum illam petram & lapidem esse, *qui vos* (ait) *& cadet, & vos conteret. Matth. XXI.* Et in fine scribit: *Cum Wormatiæ essem coram Cæsare, Trevirensi Archiepiscopo consilium dabam, ut Deo causa, quæ animarum salutem attineret, committeretur. Si res ex hominibus esset, mox fore, ut evanesceret; si ex Deo, a nemine opprimi posset; Id consilium a Gamaliele Judæis datum est, nec pro meo haberi debet, confirmatur enim a Spiritu Sancto per S. Lucam Act. V. sed frustra fui:* (es wolt nicht klingen) *non bene sonabat, sed quomodo postea sonavit & adhuc sonat, interrogate totam Germaniam; cavete vobis Domini; vestra res agitur & acta huc usque est. Deus vobis ostendat, quid ipsi faciatis, & quid fieri per vos velit: Amen.* Ex epistola denique ad Stifelium d. 21. Octobr. scripta *Lib. II. p. 354. b. & seq.* sequentia notatu digna sunt. *O miserum me, qui Leonhardo tam sum impar, verbosus prædicator illi tam potenti verbi operatori. Quis me dignum faciet, ut non duplo, sed dimidio ejus spiritu Satanam vincam, & hac vita cedam? Benedictus Deus, qui inter tot monstra, saltem hoc unum gloriosum spectaculum sua gratia, nobis indignis ostendit, ne in totum nos deseruisse videatur. Ora pro me, frater Michael, Christus faxit, ut & Leonhardum imitemur; non solum* Rex, *sed* Cæsar *merito appellatur, quia vincit illum, cujus potestati nulla est æqualis super terram. Non solum* Sacerdos, *sed & summus* Pontifex *&* Papa *verus, qui suum corpus sic obtulit in sacrificium Deo gratum, vivum, sanctum. Immo &* Leonhard *recte dicitur, id est* Leonis robur, *certe Leo fuit robustus & impavidus, omnia sunt in eo fatalia nomina. Primus ipse sua familiæ cognomen consecravit & implevit.* De aliis, qui ob evangelicam doctrinam supplicio affecti sunt, auctores, qui istorum martyrum historias collegerunt, consuli possunt; ego eorum nunc potissimum memoriam conservo, de quibus Lutherus scripsit. Notandi etiam sunt persecutorum quorundam tragici obitus, inter quos sunt sanguinarii & incendiarii illi Monachi Lovanienses *Egmondanus & Hochstratanus* Coloniæ. *v. Scult. p. 111.*

(10) *Condemnatio ejus ad supplicium.*

(11) *Ejusdem patientia & preces.*

(12) *Lutheri epistola ad Leonhardum.*

(13) *Ad Stifelium.*

A. 1527.

§. XXXII.

Hoc anno Lutherus, ut jam innui, & paulo post pluribus memorabo, corpore & animo æger, pauca scripsit aut edidit, quia Wittenberga jam ab anno præcedenti & per hunc totum lue pestilenti infecta fuit. Itaque Academici ab Electore Jenam migrare jussi sunt, Lutherus vero cedere noluit, sed cum Pomerano pastore, & Diaconis, Wittenbergæ mansit *p. 346.* Consultus interim a *Joh. Hesso*, Uratislaviensium pastore, de quo *Lib. I.* dictum est, ad quæstionem, *an & quatenus tempore pestis fugere liceat, & quomodo se quisque gerere illo tempore debeat,* respondit, & quoniam eodem malo Wittenbergenses conflictabantur, typis consilium illud suum publicari fecit, idque extat *Tom. III. Altenb. fol. 761. & seqq.* in duas partes

(1) *Lutherus tempore pestis Wittenbergæ manet.*

(2) *Scribit, quod sit of-*

An. 1527. *ficium Christianum peste grassante.*

tes distributum. Summa est, fugam licitam esse iis, quos officii sive ecclesiastici sive politici aut œconomici cura non obligat, ut maneant; sed & sine peccato maneri posse, si id non fiat ex temeritate aut tentandi quasi Dei causa. Charitatis etiam lege requiri docet, ut, ubi nosodochia (uti quidem fieri deberet) non sint constituta, alter alteri adsit, nec sine ope languere & mori sinat, debita tamen cum præcautione. Illos etiam, qui morbo jam affecti sunt, graviter monet, ut remediis utantur, & quantum fieri possit, caveant, ne alios in periculum adducant. Altera parte Wittenbergenses speciatim instruit, & de Sacramenti decumbentibus porrigendi ratione quædam monet, illos acriter objurgans, qui, sani & valentes illud spernunt, dein ingruente morbo, & sensu jam fere destituti, cum periculo sacerdotis, id poscunt. Addit quædam de cœmeteriis, tum pestis, tum majoris reverentiæ causa, extra oppida constituendis. Quanquam vero non admodum sævierit morbus, & Lutherus sæpe scribat, famam malo graviorem esse, domum tamen suam a lue liberam non habuit, & magno animo omnia tulit, gravida licet uxore, & decumbentibus quibusdam domesticis; etiam uxori Diaconi peste morienti adstitit, *Lib. II. p. 346. & 356.* Præviderat periculum Elector, & d. 10. Augusti Lutherum monuerat, ut cum uxore & liberis, ut alii fecerant, Jenam sese conferret: sed manere maluit, & in afflictionibus durissimis solatium ex verbo Dei hausit. Notabilia inter alia sunt, quæ ad Amsdorffium scribit d. 1 Nov. *p. 345. Sunt foris pugnæ, satis asperæ, intus pavores. Christus nos visitat. Unum solatium est, quod Satanæ furenti opponimus, scilicet, verbum Dei nos habere, pro servandis animabus credentium, utcunque corpora devoret. Proinde nos fratribus commendes, & tibi ipsi, ut pro nobis oretis, ut feramus fortiter manum Domini, & Satanæ vim & dolum vincamus, sive per mortem sive per vitam, Amen.*

(3) *Electoris erga eum benignitas.*

Cum annonæ & lignorum inopia in oppido, cessantibus commerciis ex agro, laboraretur, ad Electorem scripsisse, & questum esse Lutherum, & responsum ei fuisse, traditur *(Sermonibus convivalibus cap. 14.)* licere & civibus & ipsi bonis Electoris, necessitate ingruente, frui: verba Electoris referuntur, **ihr sollet mit mir auch zugreiffen / lieber Herr** Doctor, *Concedo, ut mecum capiatis, quibus opus est.* Allegat id *Rosinus* in *Orat. de Johanne Electore.*

(4) *Lutheri lamentatio ad Menium & Jonam de corporis & animæ ægritudine.*

Sed majori afflictione obrutus fuit, tum ob insignem animi ægritudinem, tum ob corporis affectus; id quod ex pluribus constat literis, hoc anno scriptis. Mense Januario de hæmorrhoidum dolore queritur; *Lib. II. p. 324.* eodem mense, sanguinis coagulo pene oppressum se fuisse, scribit. *p. 3[illegible]. b.* agonem suum supra vires esse lamentatur in epistola ad *Justum Menium, pag. 342.* gravius vero ad *Jonam p. 343. b. Ego porto iram Dei, quia peccavi ei; Papa & Cæsar, Principes, Episcopi & totus mundus odit & petit me, nec est hoc satis, nisi fratres mei divexent me. Quin peccata mea, mors, satan, cum angelis suis, sine fine sæviunt. Et quid est, quod me servet & soletur, si etiam Christus me relinquat, propter quem illi me oderunt? Sed non relinquet in finem peccatorem miserrimum, arbitror enim, me esse novissimum omnium hominum. O utinam, & iterum utinam, Erasmus & Sacramentarii, unius horæ quarta, cordis mei experiri possent miseriam, quam securus ego pronunciarem, eos sincerissime converti & sanari. Nunc ipsi inimici mei firmi sunt & vivunt, denique addunt dolorem super dolorem, & quem Deus percussit, persequuntur. Sed hæc satis; ne sim querulus & impatiens virgæ Dei, qui percutit & sanat, occidit & vivificat. Benedictus in sua sancta, placente & perfecta voluntate. Fieri non potest, ut, quem mundus & Princeps ejus sic odit, quin Christo placeat, si de mundo essemus, mundus, quod suum esset, diligeret.*

An. 1527.

(5) *Item ad Amsdorffium,*

Dein ad Amsdorffium p. 344. *Sicut Domino placet, ita fit, mi Amsdorffi, ut ego, qui alios hactenus omnes consolari solebam, ipse consolationis omnis indigus sim. Unum hoc peto, tuque petes mecum, ut Christus meus faciat mecum, quod placuerit; tantum servet, ne ingratus & hostis ejus fiam, quem tanto studio & fervore hactenus prædicavi & colui, licet interim non sine peccatis multis & magnis eum offenderim. Satan petit, sibi dari denuo Hiob aliquem, & cribrare Petrum cum fratribus, Christus autem dignetur ei dicere, Animam ejus serva: Et mihi, salus tua ego sum, sicut adhuc spero, quod non insicetur peccatis meis in finem. Cupio respondere Sacramentariis, sed nisi fortior fiam animo nihil possum.*

(6) *Agricolam,*

Porro ad Agricolam p. 347. *Ipse Satan per se cum tota virtute sua in me furit, posuitque me Dominus illi, velut alterum Hiob in signum, & tentat me mira infirmitate spiritus, sed, per sanctorum preces, non derelinquor in manibus ejus, quamvis vulnera cordis, quæ excepi, difficile sanentur. Spes mea est, agonem hunc meum ad multos pertinere, quanquam nihil est malorum, quod peccata mea non meruerint, vita est vero, quod scio & glorior, me verbum Christi pure & sincere pro multorum salute docuisse; id quod Satanam urit, & vellet me una cum verbo submersum & perditum. Ita fit, ut a Tyrannis mundi nihil patiar quidem, dum alii occiduntur, exuruntur & pereunt pro Christo; verum eo plus a principe ipso mundi patior in spiritu. Per omnia benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui voluntatem suam sanctam, & o Deus! quam occulte bonam & placentem in me perficiat, Amen.*

(7) *Stifelium,*

Ad Stifelium p. 353. b. *Fere tres menses langui non tam corpore, quam animo, ita, ut nihil aut parum scripserim. Sic me Satan cribravit, tu ora pro me Dominum, ut sustentet me, sicut & facit. p. 354. b.* paulo melius se habere, refert. *Nondum restituit me Dominus pristinæ valetudini ex integro, quin adhuc permittit me, juxta consilium bonæ suæ voluntatis, angelo Satanæ, ut me cædat & tentet, neque tamen interim deest Dominus adjuvans & protegens. Accessit ante duos dies satis vehemens dolor gingivarum (ut apparet) qui principio valde me discruciabat; sed nunc remissius habeo, ne igitur cesses orare pro nobis Dominum.*

(8) *Melanchthonem, & Hausmannum.*

Quæ ad Melanchthonem d. 29. Octob. *p. 356.* scripserit, supra relata sunt. Ad Hausmannum *p. 357.* d. 6. Nov. *ter*, scribit, *se pestem in domo habuisse, & tempestate ac pusillanimitate spiritus a multis mensibus angi, Christo sic volente.* Mox ad eundem d. 17. Nov. *p. 358. Sic te rursum consoletur Christus noster, mi Nicolae, ut tu me*

conso-

An. 1527.

consolaris. Ego quidem peccator gratias ago Domino meo, qui hactenus Satanam non permisit voluntatem suam in me implere, quantumvis miris & magnis viribus & astutiis id quæsierit. Tu ora, ut in finem triumphet Christus in me, adversus impetum ejus. Ego sane suspicor, non gregarium aliquem, sed principem istum dæmoniorum in me insurrexisse, tanta est ejus potentia & sapientia, Scripturis in me armatissima, ut nisi alieno verbo hæream, mea scientia in Scripturis non sit satis; quæ dico, ut eo magis pro me ores, & si quando casus contingat, altitudinem Satanæ (ut dicunt) nosse possis. Ad Linccium vero *p. 350.* d. 22. Novembr. *Satan* (ait) *id agit & vult, ut nihil amplius scriberem, sed secum ad inferna descenderem; Christus conculcet eum.* Ad Eberhardum Brisgerum sub finem mensis, *p. 359. Pro me ores serio ad Dominum, quoniam infirmus sum, ne Christo destituar. Scio, opus mihi esse tentatione, ut humilier, & Deus in me glorificetur; sed ne succumbam. Vere credo, Satanam in me furere, nam multa in ipsum feci, & dixi, & scripsi; sed solamen est, si fortiter credo, ea ipsa placuisse Domino & Christo ejus. Ita & ego inter istos duos adversantes principes medius vector, & miserrime collidor. Verum adhuc spero, quod Christo meo placeam, etiamsi multa feci & facio, quæ Satanæ sunt. Ipse enim misericors est, & ignoscit, quæ autem in Satanam pecco, pro Christo facta, non me pœnitet, nec veniam ab ipso peto, cum sit homicida, & mendacii pater.* Ad Jo. Brentium eodem tempore *p. 361. b. Commenda nos passim, me & miserum peccatorem, Ecclesiæ tuæ, nam Satan solutus in me machinis suis mihi Christum eripere tentat privatim, postquam videt publice & professione verbi se nihil posse mihi eripere.* Ad Jonam d. 10. Dec. *Ego sum, qui sum, hactenus quasi mortuus, & ego vivo.* Ad Hausmannum iterum d. 14. Decembr. *p. 362. Ego quidem tentatione mea nondum sum liberatus, nec liberari cupio, si est gloria Dei mei, Salvatoris suavissimi, Amen. Tamen ne desinas pro me orare, & agonisare in isto agone sane acerrimo, cum Satana, principe potentissimo: offendi eum multis libris, hoc est, quod furit, sed furat in Christum, qui potius offendit eum, per me infirmissimum vasculum suum.* Ex iisdem ad amicos literis intelligitur, eum tornando & hortum colendo aliquo modo sese recreasse. Hæc fortasse cum tædio legentium adduxi, sed mihi non parum interesse visum fuit, nosse, quo animo in afflictionibus illis corporis & animi Lutherus fuerit. Os enim obstrui potest maledicis, quorum alii summam illi superbiam, alii desperationem tribuunt. Ex his vero apparet, peccatorum suorum, quæ Satanæ opera vocat, acrem memoriam nec levem pœnitentiam habuisse, sed & precibus & fide eluctatum egregie esse, semper autem conscientia doctrinæ suæ firmiter erectum fuisse. Ne vero ejus solius verbis credamus, non pigebit ex *Pomerani & Jonæ* testimonio quædam adducere, de iis, quæ Lutherus, cum periculosa syncope *d. 6. Jul.* corriperetur, locutus est. Narrat autem uterque, ut Lutherus, antequam a meridie illius diei obrueretur corporis affectu, mane præcedenti tentationem passus fuerit, morbo postea secuto, ut queri solebat, longe graviorem. Ea tamen superata, ad discutiendum animi mœrorem, cum quibusdam ex Nobilitate pransus erat, dein a prandio duabus horis cum Jona in horto suo confabulatus, cum domum rediisset, in syncopen illam sive deliquium incidit, paulo tamen respirans, preces ardentissimas effudit, a D. Jona annotatas, vid. *Tom. III. f. 775.* Superveniente vero Pomerano, præclara & notabilia protulit: quia tamen prolixiora sunt, adscribi non possunt. Leguntur *Tom. III. fol. 772.* Germanice; Latine autem *Lib. II. Epistolar. p. 335.* Summa tantum capita annotabo. Ad mortem se constantissime paravit, propter pios tamen etiam vivere non detrectans: testatus est Deum, se vere credidisse, & vera docuisse: deploravit, quod indignus fuerit, qui sanguinem pro doctrinæ suæ confirmatione funderet: acerbe questus est, ut supra per occasionem dictum fuit, de dissentientibus in quæstione sacramentaria: agnovit peccata sua largissimis cum lacrymis, maxime vero intemperantiam linguæ; cui, ad discutiendos animi mœrores, aliquando se indulsisse, ait: neque tamen pœnitere se dixit, quod acerbior aliquibus fuerit, nemini enim male affectum fuisse, aut ullum damnum dedisse, super quo iterum ad Dei testimonium provocavit. Uxorem legitimam se habere dixit, eamque & filiolum Deo commendavit patri pupillorum & judici viduarum, nihil se in facultatibus præter quosdam scyphos argenteos habere, professus est, sed fore dixit, ut Deus suos alat & protegat. Ipsius uxoris etiam virtus in afflictione illa emicuit, quæ altissimo dolore oppressa, spem tamen vultu simulans, maritum egregie consolata est. Tam vehemens vero fuit affectus hic, ut reliquo toto anno vires integras recuperare non potuerit, ut patet ex epistolis supra citatis. Considerari ista, quæ Lutherus in illo agone aut scripsit aut locutus est, præ aliis merentur, quanto minus simulata sunt, quæ in tali statu mentis & corporis profiteri homines solent. Et quoniam hoc ipso tempore acerbissimum illud *Erasmi* scriptum, ut alibi monui, secunda nempe *Hyperaspistæ* pars, prodiit, quo *Cochlæus* tantopere lætatur, & in quo vitium scurrilitatis Luthero magna cum specie objicitur, indeque vel maxime adversus doctrinam ejus argumentum formatur, quasi a Spiritu Sancto proficisci non potuerit, ab homine nempe prolata, qui lubricitati linguæ temperare nescíverit, disquirendum est, cujus ponderis sit isthæc objectio. Percipimus sane, Lutherum hunc defectum suum agnovisse, imo in allegatis *p. 359. b. ad Brisgerum* literis qui monasterii Augustiniani Wittenbergæ Prior fuerat, aperte scribit, *se fecisse multa & facere, quæ Satanæ sunt.* Hac vero ejus ingenuitate, (quam non sine causa retuli) non est, quod inimici ejus ad calumniam abutantur. Nam quis neget, peccata omnia quæ facimus, Satanæ opera esse? Nonne & Christus ipse Petrum, *Satanam* vocat *Matth. XVI. 23.* qui tamen leviter, ut videbatur, certe non mala intentione, erraverat, cum iter Hierosolymitanum dissuaderet? Sed ut hoc nihil facit ad infirmanda, quæ Petrus eodem fere momento Spiritus Sancti ductu de Christo confessus erat; ita doctrinæ veritati nihil officiunt mores Lutheri, & lapsus in verbis; id quod ipse in hac affli-

An. 1527.

(9) *Linccium.*

(10) *Et Brisgerum.*

(11) *Brentium.*

(12) *Iterum ad Hausmannum cui recreationes suas quasdam narrat.*

(13) *D. Pomerani & Jonæ de morbo & dictis Lutheri relatio.*

(14) *Consideratio de objecta Luthero scurrilitate.*

An. 1527. afflictione sua, & quoties de ea apud amicos quæstus est, magna cum fiducia asseruit, & inter *dogmata* & *mores* suos distinxit: illa enim divina nituntur certitudine, hi hominis sunt peccatoris. Aliis igitur argumentis doctrina ejus impugnari debet, & tandem aliquando disputationi illi de defectibus morum finis imponi. Si nobis omnium doctorum, etiam sanctissimorum interior vita, sive dicta & facta, tam nota essent, quam sunt Lutheri, facile foret, eorum etiam exemplo apologiam ejus amplificare. Ipse vero *Erasmus*, etsi in libello illo suo, & epistolis quibusdam mire exaggeret Lutheri confusionem in stylo, repetitiones, convitia & facetias, quas vocat inficetas; agnoscit tamen, habere eum verba quædam, veluti magica, quæ non ratione, sed vehementia quadam afficiant lectoris animum, vel imbecillem vel parum eruditum. Sed cavillatio ista est, nam doctissimi quique non magia, sed illa vi verborum Lutheri persuasi fuerunt, quæ *Hebr. IV. 12.* sermoni Dei tribuitur, quod sit *vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingat usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum.* Id quod experientia illius temporis clarissime demonstrari potest. E contrario nugæ scholasticæ, fabulæ de sanctis & imaginibus, aliaque ejusdem valoris, quibuscunque rhetoricæ præceptis aut verborum lenociniis ornatæ & incrustatæ, neminem movebant, nisi plebem plane rudem, aut laudabantur ab illis, ad quos honores & opes inde perveniebant. *Erasmus* ipse in literis d. 2. Sept. hoc anno 1527. & jam elaborata altera *hyperaspista* sui parte, ad *Georgium* Saxoniæ Ducem, in judicio de Luthero, vacillat & æstuat, inter alia his verbis: *Ego profecto nunquam satis demirari potui hominis spiritum & ingenium. Si malo perversoque Spiritu ducitur, quid unquam exortum est exitiabilius Ecclesiæ catholicæ? sin bono, in multis desidero fructus evangelici spiritus, ne dicam in omnibus; sin mixto, qui potest duorum spirituum tantus esse vigor in eodem pectore? Multa quidem irrepserunt in vitam Christianorum vitia, jam nonferenda, quædam sic abierunt in consuetudinem, ut pro virtutibus habeantur. Itaque piis hominibus multa displicent, quæ mutata vellent, si citra tumultum orbis fieri queat, cujus animi scio Cæsarem esse. Sed Luthero displicent omnia. Verum ista factio, etiamsi nemo scriptis oppugnet, etiamsi Pontifex & Cæsar conniveant, ultro dissipabitur; tanta est inter ipsos discordia, ne commemorem mores hujus populi, quem nobis gignit hoc Evangelium, minime evangelicos. Superest, ut Principum autoritate pollens sapientia, sic coerceat seditiosam Lutheranorum licentiam, ne altera ex parte surgat periculosius incendium; de malis monachis loquor, & nonnullis ejusdem farinæ theologis, qui quales apud vos sint, nescio; apud Hispanos, Ungaros, Polonos, Anglos, Brabantos, sed præcipue Gallos, ex conspiratione minam orsi sunt tragœdiam, adversus bonas literas, & me, per quem putant hac studia vel excitata vel adjuta.* Allegat hæc *Scultetus* hoc anno, sed sphalma est in margine, reperitur enim non *fol. 570. vet. edit.* ubi alia extat Erasmi epistola, anno 1524 scripta, sed *fol. 598.* Mixtura nempe humanæ debilitatis, quæ Erasmum offendit, & cujus minime in loquela & moribus immunis erat Lutherus, non impediit vim divini spiritus, quo veritatem evangelicam prædicabat. Itaque falsus aut malignus fuit in hæsitatione illa sua Erasmus; vane etiam vaticinatur, cum ibidem subjungit, *brevi dissipatum iri totam istam*, quam vocat, *Lutheri factionem ob exorta dissidia.* Aucta enim potius & firmata fuit, cum ipsius etiam Georgii fatali inte... u. Erasmi aculeos patienter satis tulit Lutherus, gavisus, quod D. Justus Jonas, Erasmum alias semper laudans, ingenium ejus tandem melius cognovisset. Scribit enim *Lib. II. Epistolar. p. 353. b. Gratulor tibi, optime Jona, de tua palinodia, qua nunc tandem Erasmum illum tuum suis pingis coloribus, viperam illum lethalibus aculeis refertam recte cognoscis, quem ante multis nominibus prædicabas. Gaudeo te ex unius Hyperaspista lectione tantum profecisse, & tuum de illo mutasse judicium* &c.

(15) *Erasmi de illa varia judicia.*

(16) *Querela de monachis.*

(17) *Lutheri de Erasmo sententia.*

§. XXXIII.

Refertur inter scripta Lutheri hujus anni *sermo*, doctus sane & pius, in dictum *Jeremiæ cap. XXIII. vers. 5. 6. 7. 8.* Vide *Tom. III. Alt. fol. 795. & seqq.* Videtur tamen hoc quidem anno editus, sed priori habitus esse; meminit enim belli rusticani, ut anno proximo gesti *fol. 806.* In hoc de persona, officio & beneficiis Christi, & de statu regni & Ecclesiæ ejus præclare commentatur, & speciatim ex *vers. 6.* divinitatem Christi adversus Judæos invicte demonstrat. Refert etiam, se cum doctissimis Judæorum ex illo disputasse, qui nihil objicere potuerint, quam quod Talmud suum verba (*& vocabunt eum Dominus Jehovah justus noster*) de Christo non interpretaretur. Occasione hac monet, tenenda esse talia dicta ad convincendos hæreticos, hos enim lubricos esse solere, & Scripturæ verbis vim afferre, ut suis sensibus ea aptent. *Cum timore itaque Domini audienda est* (ait) *Scriptura, & cum humilitate legenda, non vero ex nostra præsumtione importune tractanda* (nicht mit unsern gut-dünckel drein plumpen) *periculosius est, in præsumtionem talem incidere, quam in quodcunque aliud peccatum. Ludendum non est cum verbo Dei: si id non potes intelligere, honora illud* (zeuch den huth für ihm abe) *non patitur jocum, neque humanam interpretationem, seria sunt omnia, fol. 803.* Magna etiam solatia adversus ingruentes illo tempore persecutiones affert, inter alia his verbis: *In oculis mundi Christiani videntur superari, occiduntur enim & mactantur, ut oves, eminent impii, subsistunt secta & triumphant, sed quid fit? non diu durant, mutantur omnia, intereunt impii, hæreticorum dogmata in oblivionem veniunt. Tunc apparet, Christum suis opem tulisse, eosque dominos esse mortis, peccati & diaboli, licet nihil nunc esse videantur. Ita temporibus Arii factum est, vix tres toto orbe Christiano episcopi orthodoxi supererant, totus mundus Arianus erat, & ipse Cæsar; magna persecutio in Christianas exercebatur, multi pellebantur urbibus & pagis, ut majoris, quam illius persecutionis, exemplum vix extet; videbatur igitur omnino Christus succubuisse, Arius vicisse; actum erat cum Christianis. Imo vero Christus & fides mansit, ubi sunt hæretici illi?*

(1) *Sermo in Jer. XXIII.*

(2) *de tentatione Scriptura debita.*

(3) *Solatium contra persecutiones.*

An. 1527.

illi? *Arius & Cæsar interierunt, ut nomen eorum jam etiam in mundo fœteat, nec doctrina valet, in infernum præcipitati sunt, Christus vivit adhuc, & regnum ejus firmiter subsistit.* Vide *fol. 802.* Adscribere hæc volui adversus rancidas eorum calumnias, quos non pudet Lutherum criminari, ac si Arianismum defenderit. Aliæ etiam illustres sententiæ in hoc sermone inveniuntur. v. g. *fol. 798. Mundus e cœlo spectatus, nil nisi cæcitatem, malitiam, injustitiam & stultitiam repræsentat, stabulum est, plenum sceleratis nebulonibus,* ein stall voll böser buben/ *non melior denique, quam Noachi fuit tempore.* Item fol. 804. *Sæpe dixi, duo esse Christianæ vitæ sive Christianismi capita: primum, quod peccata remissa nobis sint, si credamus in Christum; secundum, ut non solum remissum sit peccatum, & data justitia, sed &, ut adsit sanctificatio, reliquias peccatorum expurgans, ut nocere nobis non possint. Sed, ut quotidie sanctiores & peccatis infensiores fiamus, ut mori desideremus, & ad beatitudinem & vitam æternam enitamur: hæc est sanctificatio nostra. Christus enim, qui est justitia nostra, non est otiosus, purgat & purificat nos, quamdiu hic vivimus, donec puri & sancti reddamur, sicut ipse sanctus est, id tamen omne ab illo procedit.* De libertate Christiana egregie docet *d. fol. 805. & seqq. Vere pii* (ait) *nulla opus habent lege, sponte bene faciunt. Si totus mundus pius esset, nec Cæsare, nec principe, nec consule, nec judice, nec carnifice &c. nec gladio aut hastis opus foret. Data igitur lex est injustis, impiis, sceleratis, contaminatis &c. 1. Tim. I. 9. sed Christiani pii & justi sunt; facit quilibet, quod debet, non opus habent magistratu; fratres sunt inter se, imo & Christi; mutuo serviunt, neminem lædunt nec offendunt.* Addit vero: *ubi sunt tales Christiani, qui libertate sua recte utantur? quid egerunt anno præterito rustici? ubi sunt, qui sponte benefaciant, qui aliis serviant, & ex bonis suis subveniant, dantes, sicut Deus ipse dedit? ubi sunt, qui crucem libenter ferant? o quam rara avis est talis christianus? pauci sciunt, quid sit libertas christiana, vulgus de corpore eam intelligit, non de animo & conscientia. &c. Ita de libertate differens, non id suadeo, ut nihil detur magistratui, aut illi non obediatur; christiana enim libertas ad corpus & externa trahi non debet. Cum igitur magistratui servis & obtemperas, charitatis opus præstas, sicuti, cum nudum vestis, aut esurientem cibas, hoc opere etsi justificari non possis coram Deo, demonstras tamen fidem tuam.* Ad hunc etiam annum pertinent præfationes quædam, nempe in editionem novam *Postillæ a Stephano Rothio*, Zuiccaviensi, procuratam, *Tom. III. fol. 756.* item in *Commentarium Joh. Brentii in Ecclesiasten*, cujus autorem a dono exegetico & elenchtico summopere laudat; indicat tamen se quoque *in Ecclesiasten* commentatum esse, & prælectiones suas libentius, quam alia sua scripta, edere voluisse, sed huc usque tempore & viribus destitutum fuisse; prodiit autem anno 1532, ut in tempore narrabitur. Præfatus etiam est in librum *Justi Menii*, tunc Erfurtensis Ecclesiastæ, *adversus Conradum Klingium*, Franciscanum. *Tom. III. fol. 809.* ubi tamen per errorem bis extat. In hac præfatione scribit: *Absit, ut mihi in concionatores alios potestatem, judicium aut regimen arrogem; Christo eos commendo, ille solus Concionatores suos in orbe Christiano regat. Testimonium tamen, ex officio charitatis, de doctrina dabo, ad emolumentum christianorum;* Gratulatur dein Erfurtensibus de Menio, & contentos vel hoc solo esse posse judicat, cum tamen pluribus instructi sint; gratos igitur esse jubet, ne provocent in se, quod Christus ingratis civitatibus denunciavit. Memorabilia sunt, quæ subjungit: *Aliquot annis in Academia vestra studiis operam dedi, sed juramento asserere possum, toto illo tempore ne unam quidem Christianam concionem ab ullo audivisse, qualibus nunc omnes anguli apud vos resonant. O quam felicem me tunc reputassem, si Evangelium aut psalmum saltem quendam explicari audivissem! sed vos jam totam Scripturam habetis. O quam profunde tunc defossa erat, quam vehementer eam sitiebamus, sed non erat, qui illam proponeret. Neque tamen labori, sumtui aut periculo parcebatur. Nunc satiati estis, utinam non ad nauseam.* Miratur quod Senatus non audeat, Norimbergensium exemplo, instituta disputatione inter concionatorem illum Klingium & socios cum Evangelicis, finem litis facere, & alterutri parti silentium imponere sive Evangelicæ sive Pontificiæ. *Nam, qui nos audire nolunt, ab iis,* ait, *facile discedere possumus, ex præscripto Christi Matth. X. 4.* Circumferebatur illo tempore *liber prædictionum* cujusdam *Jo. Liechtenbergii*, Astronomi superioris seculi, in quibus inter multa alia, magna cleri afflictio & Ecclesiæ mutatio prænunciata esse videbatur. Libro isti, Germanice cum figuris monstrosis hoc anno denuo publicato, Lutherus præfationem præfixit, quæ extat *Tom. III. fol. 777.* Putabant enim Pontificii, prædictionem illam impletam esse nupero bello rustico, in quo multum passi fuerant Clerici; sed Lutherus, etsi illis non invidere se dicat, quam sperabant, felicitatem, si modo doctrinam & vitam emendent, putat tamen, si id negligant, sperare nil posse, fore potius, ut quæ ipse iis ominetur, eventu magis probentur, quam Liechtenbergii prognostica. Cæterum in hac præfatione haud spernenda monet de vanitate astrologiæ, &, qui fiat, ut Deus mendacibus illis quædam veluti inspiret, quæ vera sint, & inter plurima falsa eventu comprobentur; itemque, ut Deus per angelos mirabilia, eoque modo, quem nos non capimus, agat: portenta deinde, quæ in cœlo sive aere fiunt, Principibus potissimum metuenda esse, dicit, ut signis illis excitari ad corrigenda vitia se sinant, cum recte monentes non ferant. *Nostra,* ait, *ætate multa vidimus ejusmodi signa, parelios, irides insuetas, & alia; secuti sunt regum Galliæ, Hungariæ, Daniæ casus, de quibus nemo cogitabat.* Eodem fine, & ad reprimendam gloriationem de impletis *Liechtenbergii* vaticiniis, *Andreas Osiander*, tunc Norimbergæ in templo Laurentiano concionator, figuras quasdam antiquas in cœnobio Carthusianorum & in curia repertas, in quibus Pontifices & Monachi miris modis repræsentantur, hoc anno edidit, additis explicationibus, per quas casum Romanæ hierarchiæ & reformationem indicari

An. 1527.

(4) *Aliæ illustres ex illo sermone sententiæ.*

(5) *De libertate Christiana.*

(6) *Præfationes quædam Lutheri.*

(7) *Relatio de statu religionis apud Erfurtenses ante reformationem.*

(8) *Judicium de Liechtenbergii vaticiniis.*

(9) *Osiandri de aliis ejusmodi præsagiis relatio.*

An. 1527. dicari existimavit. In illis conspicitur imago Pontificis, qui pedo suo, quod suprema parte crucem, inferiori librum habet, aquilam sese assultantem repellit. Id Osiander impletum esse interpretatur, cum Pontifices, ope Gallorum, Cæsaribus insultarent. Alia figura Pontifex crucem ruptam in mare projicit, sinu nummos gerit, ovem mutilatam natare in pelago finit. In alia pedibus insistit coronæ regiæ. Est alia, in qua ab armato viro infestatur; in alia in bestiam transformatur, quæ stellas cœlo detrahit. Prætereo plures, non minus insolitas. Illam vero, quæ Monachum exhibet, qui dextra falcem, sinistra rosam tenet, de Luthero intelligit. Est &, ubi monachus coronam triplicem Papalem manu gerit, & ovibus imponere videtur, deinde, ubi ab Angelo de cœlo aliam humili cum gestu accipit, & denique librum apertum manibus tenens sub umbraculo, quod Angeli extendunt, sedem capit. Hæc ad veros pastores, quos Deus Ecclesiæ daturus erat, applicantur. Idem Osiander ex *Hildegardis*, quæ seculo duodecimo vixit, vaticiniis quasdam paginas edidit; in quibus corruptio Ecclesiæ, ejusque reformatio a Laicis peragenda, prædici videtur. Sed hæc occasione præfationis in Liechtenbergii libellum dicta sunto.

§. XXXIV.

(1) *Epistolæ quædam Lutheri ad varios.*

Nihil jam ex scriptis Lutheri hujus anni, quod me moretur, reliquum est, quam *epistolæ* quædam (præter eas, quas jam indicavi Tomis insertæ: videlicet *Tom. III. Alt. fol. 756.* consolatoria ad uxorem Jo. Agricolæ, Ludimoderatoris & concionatoris tunc Islebiensis; quædam ad Electorem Saxoniæ *d. l. fol. 780.* in quarum una d. 10. Sept. scripta, Pastori Belgerano, quia parochialia bona, nescio a quo, possidebantur, aliquid, unde alatur, constitui petit, donec visitatio eo loco haberetur: altera d. 12. Octobr. data, Visitatorum Acta, ab Electore missa, sibi & Pomerano probari, dicit; sed de visitationis negotio anno sequenti pluribus agemus: tertia intercedit pro pastore quodam, qui in casu matrimoniali perperam aliquid decreverat, *fol. 808.* denique ad Spalatinum *fol. 806.* (quæ epistola Latine extat *Lib. II. Epistolar. p. 324. b. Jo. Hesso* inscripta) de temperando rigore differit, cum parentes in liberorum matrimonium consentire nolunt, itemque de sponsalibus, quæ vocant, de præsenti & de futuro. Sublegenda itaque sunt historica quædam, ad hunc annum pertinentia.

(2) *Historica: Nuptiæ Joh. Friderici Sax. Ducis.*

Inter illa memorari merentur nuptiæ *Joh. Friderici* Saxoniæ Ducis, qui Electoris Johannis filius primogenitus & hæres Electoratus fuit, cum *Sibylla* Johannis Cliviæ Ducis filia, Dominica Exaudi, d. 2. Junii, Torgaviæ celebratæ. Hæ eatenus ad historiam Evangelicæ reformationis sive Lutheranismi referri debent; quia hujus causa denegata Principi matrimonii consummatio fuit, cum *Catharina* Caroli V. Imper. sorore legitime pacti.

(3) *Melanchthonis scriptum de Visitatione.*

Melanchthon hoc anno ob conscriptam *visitatorum instructionem*, quæ formulam religionis & cultus continebat, calumnias passus est, de quibus infra plura afferam. Erant enim ex Pontificiis, qui gloriabantur, Lutherum nescio quot capita doctrinæ revocasse.

An. 1527. *a Luthero probatur.*

Sed Lutherus ista sprevit: scribit enim ad Electorem epistola supra citata d. 12. Octobr. & ad Spalatinum *Lib. II. Epist. p. 345. b.* d. 16. August. non esse curandos sermones istos: *Sine*, ait, *ut adversarii glorientur in mendaciis, sicuti solent, cum veritate consolari se nequeant.* Et iterum, d. 13. Septembr. *p. 351.* ad Spalatinum: *Videtis, Visitatoribus nostris non satis digne referri gratias ab iis, qui eos ita traducunt vobis. De industria quædam non correxi, ne videretur meum commentum. Si de his statutis glorientur adversarii, misera est eorum gloriatio, nec diu durabilis. Quin igitur sinimus eos falsa & spe & lætitia (sicut hactenus soliti sunt) sese solari, inflare, jactare, mihi satis placet ista ordinatio.*

(4) *Sugillatur a Joh. Agricola Isleb.*

Melanchthoni vero ab amicis etiam molestia ea occasione illata est. Disputavit adversus eum, quem sæpe nominavimus, & de quo plura posthac dicenda venient, *Jo. Agricola* Islebius, prætextu, quod Melanchthon contradicere Luthero visus esset; revera ad ostentandum ingenium, & novandi studio, quod post aliquot annos clarius patefecit. In *articulis visitationis*, hoc anno conscriptis, in quibus compendium doctrinæ exhibebatur, de pœnitentia sive conversione hominum ita disseruerat. (ut infra videbimus) Philippus, ut in docendo rudi populo a terroribus conscientiæ & timore Dei incipi debere statueret, cum ex Lutheri doctrina a fide in Deum videretur initium fieri debere. Neque tamen Islebius de hoc familiariter monuerat Philippum, ut amicum, sed, disseminato scripto, quod etiam ad adversarios Dresdam perlatum est, dissensum profiteri maluit. Elector, ut nascens dissidium mature opprimeret, Torgaviam mense Decembri evocavit non solum Melanchthonem & Islebium, sed & Lutherum, ibique lis sine difficultate composita est, insigni Lutheri moderatione.

(5) *Lutheri sententia de illa lite.*

Is tamen prius sententiam suam d. 29. Octob. ad Melanchthonem perscripserat *Lib. II. Epistolar. p. 355. b.* his verbis: *Scribis, te flagellari a quodam, quod pœnitentiam a timore Domini incipi docueris, in visitatione vestra. Scripsit similia fere Magister Eislebius, sed ego pugnam istam verborum non magni esse puto, præsertim apud vulgum. Nam timor pœnæ & timor Dei, quam differant, facilius dicitur syllabis & literis, quam re & effectu cognoscitur. Timeant pœnam & infernum omnes impii, Deus aderit suis, ut simul timeant Deum cum pœna. Neque fieri potest, ut sine timore pœnæ sit timor Dei in hac vita, sicut nec spiritus sine carne, etiamsi timor pœnæ sit inutilis, sine timore Dei. Dando igitur timorem Dei, credo id agi, quod agitur docendo libertatem spiritus, ut hanc alii in securitatem carnis, ita illum alii in desperationem seu timorem pœnæ rapiant. Quis vero illis resistet?*

(6) *Melanchthonis relatio ad Camerar. & Jonam.*

Extat Melanchthonis ad Camerarium querela de hac lite *Lib. IV. Epistolar. fol. 669. edit. Londin.* Octobri mense

An. 1527.

mense scripta, sed & alia ad Justum Jonam d. 20. December. quæ in voluminibus epistolarum ejus non reperitur, extat autem in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi*, ejusque contenta relatu digna sunt. Desiderat Melanchthon in Islebio humanitatem, quod cum reprehensurus quædam esset in scripto suo, spargi prius per totam Germaniam censuram voluerit, Lipsiæ etiam & in aula Georgii, antequam secum expostulasset; neque mutasset sententiam, lenissime licet ad eum scripserit. Refert inde acta in audientia Principis, præsente Luthero, Pomerano & aliis. Islebius Lutheri dogma allegavit, quod pœnitentia inciperet ab amore justitiæ, & dictum *Jonæ, cap. III. 5. Crediderunt & prædicaverunt jejunium &c.* & quod pœnitentiam prædicari jussefit Christus in suo, non Moysis nomine. Respondit Melanchthon; oportere terrores in animis existere ante justificationem, & in his terroribus non discerni facile posse amorem justitiæ, ac timorem pœnarum. Regessit Islebius a *fide minarum* inchoandam esse contritionem. Taxat Melanchthon hanc ἀκριβολογίαν, qua amicus in invidiam adducatur, sed respondet, *fidem minarum* nihil aliud esse, quam terrores. *Paulo post* (scribit) *Lutherus, sic altercantibus nobis, diremit controversiam, sibi placere, ut fidei nomen tribuatur fidei justificanti & consolanti nos in his terroribus; fidem generalem sub terroribus recte comprehendi.* Refert porro, ut in toto volumine (de Visitatione) nihil reprehenderit amplius Islebius, quam quod inter prandendum tacite litigasset, *non placere sibi, quod Decalogum doceri jussisset, quia liberati sumus a Lege, & præcepta Pauli potius docenda sint.* Sed Melanchthon respondit; *parænefes Pauli nihil esse, nisi Decalogum, & Christum ipsum Decalogum enarrasse & docuisse.* Hoc ita elidere voluit Islebius, *quia Christus Judæos docuisset*, id quod merito irridet Melanchthon. Addit, *etsi deprecationem ab Islebio haud injuria petere potuisset, id tamen non fecisse; sed ter illum rogasse, ut veterem benevolentiam retineret, & offensiunculæ hujus oblivisceretur; sed illum non plus, quam statuam, respondisse.* Quæ sequuntur, perversum & ambitiosum Islebii ingenium accusant, sed & scopum Melanchthonis in libello visitatorio præclare ostendunt. Scribit enim, *cum Lutherus omni genere afflictionum oppugnetur, & tot ortæ sint dissensiones, utique magis convenisse συγκρητίζειν; ideo se orationem* (in libello) *ad captum legentium attemperasse, & callidas atque veteratorias quæstiunculas evitasse, ut causæ multarum controversiarum præciderentur.* Respondet etiam illis, qui reprehendebant, quod non satis vehemens fuerit in insectanda doctrina Pontificia: Ait enim, *nihil profici ab hominibus indoctis* (quales quidem multi tunc inter Pastores erant) *si nihil aliud agant, quam ut furant pro concione & monachos lapident omni genere conviciorum.* De sopita tunc lite notanda etiam sunt Lutheri verba, ex epistola ad Jonam *Lib. II. p. 363. Famosa dissensio nostra Torgæ pene plus, quam nihil, fuit; hoc unum, quod tu ex Eislebio accepisti, proponebatur; moxque sedabatur, atque per omnia consensimus pulchre, denique excudetur propediem tota illa Visitatio. Maximum, quod fecimus, erat, quod sumtu Principem oneravimus; optimum autem, quod factum est, quod ea dissidii fama vel suspicio ibi sepulta est. Deo gratia & gloria! Proinde, quod nihil ad te scripsi de ista tragœdia, fecit, quod adeo nihil esset, & contemta haberetur.* Hoc anno mense Augusto Georgius Dux contumeliosum illud edictum contra Lutherum, in quo nec Electori parcitur, edidit, versioni Novi Testamenti Emseri præfixum; de quo dixi *Lib. I. addit. ad §. CXXVII.* Lutherus silentio illud tunc quidem transmisit, quia Emserus non multo post mense Novembri obierat, ut *d. l.* annotavi; ideo ad Jonam d. 10. December. *Lib. II. p. 363. b.* ita scribit: *Dicito quoque, cogitasse quidem me scribere Duci Georgio compassionis literas, quod indignissime ferrem, Principis sui nomine tam impudenter abusos eos, qui sub sua umbra vivunt. Nam, si suo Principi illi parcere noluissent, saltem communi Saxonici nominis honori & generi parsum oportuit. Neque enim delector, sed detestor, etiam hostis mei principis nomen tam turpiter & fœde conspurcari ignominia sempiterna istius præfationis. Sed Emsero extincto, tum ipso Principe Georgio ægrotante, muto consilium.*

(7) *Melanchthonis cum Agricola disputatio.*

(8) *Lutheri ad Jonam.*

(9) *Georgii Ducis edictum pro versione N. T. Emseri, & hujus mors.*

An. 1527.

ADDITIO I.

Cum *Joh. Fridericus*, Electoris Saxoniæ filius primogenitus, ad nuptias, (de quibus dictum est) profectus esset, in comitatu suo sacrorum causa habuit *Fridericum Myconium*, Pastorem Gothanum, *Lib. I.* a nobis laudatum. Hic in conclavi Principis sui, in arce Dusseldorffiana, quotidie concionabatur. Aderat in oppido *Johannes Corbachius*, Franciscanæ observantiæ, quam vocant, monachus, qui Colonia eo venerat. Is Dominica Septuages. (d. 17. Febr.) publice in templo de pulpito declamans, decem articulos proposuit, quos credendos esse statuebat, acerbe in novos prædicatores, qui absque vocatione, ut ajebat, accurrerent, invectus; in fine tamen sermonis promisit, *si quis erroris se arguere vellet, se auditurum, & ex Scriptura informationem suscepturum esse.* Hujus oblationis occasione, inter proceres Saxonicos *Anaricus* (Anarg) VVildenfelsæ & Schonkirchæ Dominus, ad Corbachium misit rogans, ut concionaturum eo die in arce Fridericum Myconium audire, illumque, si quid minus recte & contra Scripturam doceret, corrigere vellet, se vero colloquium inter eos procuraturum esse offerebat. Renuit Monachus, bis licet illo die Baronis, & sequenti etiam Myconii nomine sollicitatus: tandem tamen promisit altero die Martis (29. Febr.) in hospitio, quod Baroni in oppido assignatum erat, ad colloquium se venturum esse. Adfuere hora constituta ipse Saxoniæ Princeps, cum suis multisque Clivensis Ducis consiliariis & nobilibus, multi præterea literati & alii ex civibus & plebe. Initium loquendi Myconius fecit, utilitatem cognitionis verbi divini breviter commendans, & monachum rogans, ut indagandæ veritatis studium incumberet, auditores vero cohortatus est, ut diligenter attenderent, & si quid verbo divino minus conveniens diceretur, monere id non negligerent. Hic monachus statim excandescens inurbane & contemtim Myconium compellans (Hörstu Fritz) primum omnium improbare cœpit, quod coram viris militaribus de Scriptura tractare vellet, in doctorum præsentia disputandum esse dictitans, non coram imperitis ejusmodi hominibus, Coloniam deinde ut iret, eum provocavit. Regerenti inter alia Myconio, ex *Joh. XII. 48.* quod ex verbo Dei judicium ferendum sit, idque dictum ex versione Lutheri legenti, objecit Monachus, diabolum ejus versionis autorem esse, opposuit etiam dictum *Deut. XVII. 10.* ubi sacerdoti judicium de controversiis sacris defertur, sed replicavit ex *versu 2.* Myconius obligatum fuisse sacerdotem ad judicandum *secundum legem Dei.* Disseruit inde de decem illis Monachi articulis, quorum

(a) *De disputatione Friderici Myconii cum Joh. Corbachio, Monacho.*

(b) *Monachi importunitas.*

An. 1527.

rum præcipuis autoritas ecclesiæ & traditionis asserebatur, & Biblia Latina docto alicui ex auditoribus inspicienda tradidit, ut dicta, quæ Germanice allegaret, cum illis conferre, & si quid discrepans diceret, indicare posset. Tumultuari & convitiari ad omnia Monachus, ita ut nescio quot diabolis obsessum Myconium vociferaretur, verbera etiam minatus, si alibi copiam ejus haberet. Objiciebat ei conjugium, & quod non vocatus concionaretur. Cum vero is Principis autoritatem allegaret, quo vocante adesset & concionaretur, negavit Monachus ad Principum officium id pertinere, Episcoporum jus esse. Cum vero Myconio etiam imputaret, quod concionibus suis rusticorum tumultum nuperum excitasset, aut promovisset, VVildenfelsius interfatus, pro Myconio responsurum se esse testatus est, ne is seipsum laudare cum rubore cogeretur. Narravit ergo, quæ memoravi, ut Myconius suis concionibus & piis officiis auditores suos ab omni seditione continuerit, addens, Münzerum aliosque tumultuantium concionatores religioni, quam Myconius profiteretur, id est, divinæ & veræ, addictos non fuisse. De invocatione Sanctorum postea disputatum est; eam Monachus ex Scriptura probare volebat, sed volvens revolvensque librum, cum nihil, quod ad rem faceret, reperire posset, alio tempore se probationes allaturum esse dicebat. Confusus inde & post multas subsannationes & improperia, quibus Myconium exagitaverat, tandem, omissa cæterarum quæstionum discussione, interrogavit: quid crederet? Ey/ was ist denn dein Glaube? Tum surgens Myconius, in hanc sententiam locutus est: *Domini & amici mei; cum pro hæreticis undique diffamemur, rogo, ut fundamenta fidei & spei nostræ ex me audiatis. Profitemur peccatores nos esse omnes, animo & affectibus ad malum semper propensos, & Dei voluntati repugnantes. Lex peccata nostra arguit, & quantum ab imagine Dei, in præceptis ejus proposita, discrepemus, ostendit. Agnitionem peccati dolor & metus divini judicii sequitur. Hoc inevitabile est, nec ullum remedium, nulla etiam divini consilii, an ignoscere nobis velit, notitia habetur, nisi quam per Filium suum, in carnem missum, nobis aperuit. Hic autem Dominus noster Jesus Christus gratiam Patris sui prædicat, dicit se ad salvandos homines venisse, & medicinam afferre, & Scriptura testatur, quomodo peccata nostra Christus in se susceperit. Hoc credendum est, & inde unice expectari debet expiatio peccati. A Christo enim non solum tolluntur peccata & mala nostra, sed & ejus victoria, resurrectio, justificatio, sanctitas, liberatio, aliaque bona nobis donantur. Hæc omnia fide acceptamus, & nos per Christum liberatos, sanctos, justos, beatos, & filios Dei esse confidimus, ista omnia fide acquirimus, absque fide nihil eorum tenemus. Hanc fidem sequitur Spiritus Sanctus: is effundit in corda nostra charitatem, ut Deum tanquam patrem amemus, eique lubenter obtemperemus, jubet autem, ut nos invicem amemus, sicut ipse nos amavit. Inde fructus Spiritus ex spontaneo provenient corde, quos Paulus* Gal. V. *enumerat. Ubi arbor nondum bona est, fides non est sincera, spiritus & fides non est in corde; si enim adessent, utique operarentur, ut calor & lumen ignem sequitur. Hæc omnia efficit in nobis Evangelium & verbum Dei. Quod Sanctos attinet, duplicem utilitatem ab iis habemus, primo ut fides nostra illorum exemplo roboretur; sicut enim illorum fidem respexit Deus, illisque ignovit, & filios & hæredes suos fecit, ita & nobis faciet. Hoc fine proponitur a Paulo exemplum Abrahami,* Rom. IV. *& aliorum multorum,* Hebr. XI. *salutem vero solummodo per Christum unicum mediatorem adipiscimur. Hoc omnia confirmant miracula; quæ eo non tendunt, ficta sunt aut fallacia. Secundo etiam morum exemplum ex Sanctis capiendum est, ad normam tamen vitæ Christi, itaque Paulus* 1. Cor. IV. 16. *jubet, ut imitatores ejus simus, ut ipse Christi. Ex vita itaque Sanctorum patientiam in ferenda cruce Christi, obedientiam, charitatem, misericordiam, in quibus Christum imitati sunt Sancti, discimus, & ipsi nihil aliud a nobis desiderant, quam ut idem præstemus. Imputatur nobis hæresis ratione ciborum; sed percipite fundamentum nostrum: Christus omnes cibos nobis moderatos & sobrios facit,* (Christus macht uns alle Speise zu Fasten-Speise/) *dum* Luc. XXI. *vetat gravari corda nostra crapula & ebrietate; Paulus sobrietatem exigit; hoc itaque est Christianum jejunium, si moderato cibo & potu utamur, & semper sobrii simus: repletio omnis, qua cor gravatur, etsi piscibus aut vilioribus fiat cibus, Christi præcepto repugnat:* Quod intrat in os, non coinquinat hominem; esca non commendat nos Deo; regnum Dei non est esca & potus: *ex piscium & panis esu aut abstinentia non fiunt Christiani. Prohibitiones cibi Paulus* 1. Tim. IV. *tribuit falsis doctoribus. Eos itaque vitamus, neque scandalum infirmorum amplius metuimus, cum jam septem aut octo annis sufficienter informati sint omnes, quid liceat aut non liceat.* Hæc cum coram frequenti & splendido illo auditorio in domo, quæ foro adjacebat, aperta, locutus, magnaque cum attentione & silentio auditus esset, surrexit Monachus, & jam mutatus & mitis: *chare Friderice,* (lieber Fritz) inquit, *profecto libenter hæc audivi, nec ullo modo reprehendere possumus; placent & recta sunt omnia, & veritatis habent fundamentum; si hæc prædicas, veram Christianorum prædicas fidem.* Hæc intelligens VVildenfelsius, Monacho dixit: *Sed tu, bone vir, hic os tuum ipse verberas.* Respondit ille: *Cur ita, Domine? Ideo,* replicat Baro, *quia antea dicebas, hunc Fridericum esse hæreticum, & totam ejus doctrinam hæreticam esse & diabolicam, nunc autem fateris christianam & sinceram esse.* Hic Monachus *audivisse se de illo* dixit, *ac si non recte doceret, & matrem Domini ac Sanctos convitiaretur, alia vero nunc percepisse, inque latari & quocunque venerit asserturum, injuriam illi factam fuisse. Peto tamen* (ait) *ne mihi ignominiam inferatis, aut victum me esse jactetis, utque hunc actum non pro disputatione, sed tantum pro colloquio habeatis, judex enim nullus adfuit.* Myconius ad hæc: *Chare frater, tu modo veritatem, & quæ justa & recta sunt, semper doceas; Christus te ab ignominia omni custodiet, nos neminem convitiabimur. Bene!* ait Monachus. Conversus inde ad auditores Myconius testes eos advocavit, quomodo veritatem evangelicam agnoverit Franciscanus, & ex Pauli dicto *Gal. I.* anathema dixit, etiam angelo, qui aliter doceret. *Recte & hæc,* ait Monachus: porrectaque Myconio dextra, deinde & Principi & VVildenfelsio, discessit. Hæc certe relatu dignissima esse judicabunt, quotquot sequestratis affectibus veritatem ipsam simplicem & divinam amant. Mihi tanto jucundius fuit ista reperisse, quod ex illustri illo *VVildenfelsio,* cujus stirps mascula non multo post defecit, maternum genus per aviam suam *Comitissam Schlickiam* ducit uxor optima, quam ex *Endiorum,* nobilissima in Misnia familia, secundis nuptiis mihi junxi. Addit autor scripti, publicatione illius abstineri non potuisse, quia idem Monachus ad calumnias & convitia postea relapsus, fingere ausus fuerit, Myconium a se convictum fuisse.

(c) Myconii de fide Evangelica confessio.

(d) Monachus mitigatur & credit.

An. 1527.

ADDITIO II.

In litem inter Georgium Ducem & Lutherum tractus quoque est *Alexius* ille *Crosnerus,* de quo *Lib. I. §. CXXVII.* egimus. Extat *Joh. Hesbergii,* civis Dresdensis, relatio, Alexii manu descripta & signata, *(Reg. H. fol. 30. Q.)* ex qua percipitur, Alexium non prorsus in exilium, sed ita dimissum esse Dresda, ut aditus ei ad Georgium non esset præclusus. Objurgatum quidem ob conciones suas sæpe fuisse, sed plerumque a solo Principe in conclavi viridi: (im grünen Stüblein) Litem inter eos maximam de communione sub utraque fuisse. Offensos fuisse Crosneri concionibus proceres aulæ, qui principem callide depeculabantur. (er habe die grossen Hansen erzürnet/ daß er wider die Hoffmauserey geprediget.) Narratur, d. 6. Junii 1528. Lipsiæ cum Georgio duarum horarum colloquium habuisse, in quo excusaverit, quæ de esu carnium & diebus jejunii objecta sibi fuisse audiverat. Interea Consulem & scribam publicum Annæbergenses ad ipsum Altenburgum (ubi Canonicus erat) venisse refert, multa de tyrannide Georgii adversus Evangelicos questos,

(a) Ut Crosnerus Dresda causam dixerit, ex Spalatino.

An. 1527.

ftos, fed fubdola mente, ut aliquid ab eo expifcarentur Principi deferendum; mentionem etiam fœderis a Paccio denunciati iftos feciffe, afferentes, vere factum effe; Alexium vero id negaffe, allegantem, fe cum Georgio Uratislaviæ fuiffe, neque quidquam de fœdere illo refciviffe, illudque omnino a candore Principis abhorrere. Sed Annæbergenfes illi Alexium Drefdæ accufarunt, quafi Georgio fœdus illud diferte imputaffet. Cum igitur menfe Augufto infcius ftructi fibi periculi, Drefdam veniffet, & ex Georgii filiique Johannis vultu deprehendiffet fe invifum effe, petere cœpit, ut caufa offenfæ fibi indicaretur. Admiffus itaque eft, cum accufatoribus fuis, ad Epifcopum, qui aderat, Mifnenfem, & a Cancellario *Piftorio* & *Rudolfo Bunavio*, aulæ præfecto, qui nuper ab Henrico Duce ad Georgium transierat, interrogatus. Narrat inde, delatores quidem repetiiffe quæ dixerant, fed ita refutatos ab ipfo fuiffe, ut nihil inclementius contra ipfum decerni potuerit. Dixerunt tamen Confiliarii, Principem feverius quidem agere poffe, fed condonaturum Alexio effe, fi quid peccaffet. Vocatus deinde ad ipfum Georgium in conclave fuit, quod *Laterna* nomen habet, & poft horæ colloquium benigne dimiffus eft. Aufterior fuit Johannes filius, denunciari enim illi fecit, ut confpectum fuum evitaret. Singulare prorfus & varium Georgii ingenium in caufa religionis ex hoc quoque negotio elucet, tam varie cum homine agentis, quem concionatorem habuerat; Lutheranum effe fciebat, dimiferat, iterumque admiferat, reum fecerat & benigne abfolverat; quæ omnia titubantis & ab agnitione veritatis non multum alieni animi indicia effe videntur, infelicem tamen habuerunt exitum, cum eluctari ex præjudiciis fuis mifere obftinatus non poffet. Addo quædam, quanquam prius memorari debuiffent, fed nunc demum ex Spalatino obfervata, qui refert (*Arch. Vin. Reg. N. fol. 110. lit. H. n. 43.*) veniffe ad fe Alexium iftum fodalem fuum inter Canonicos Altenburgenfes, (vide *Epift. Luth. lib. I. ep. 165. p. 254.*) anno 1524. die 18. Julii, & retuliffe, accerfitum fe effe ab Epifcopo Mifenenfi, fibique propofitum, ut Drefdam fe a Georgio Duce vocari fineret ad prædicandum Evangelium; fe quidem excufationem tenuitatis oppofuiffe, perftitiffe tamen Epifcopum in fententia, & fe literis ad Ducem inftructum Drefdam miffiffe: eo autem veniffe in Fefto Vifitationis, (d. 2. Julii) & in facello aulico comparuiffe, dum Miffa folennis celebraretur. Obfervatum ibi a Duce, & ad illum vocatum fuiffe, ab eo etiam, poftquam Epifcopi literas exhibuiffet, poft prandium redire juffum. Reverfum, rogatum fuiffe a principe per Deum, ut Diaconus aulæ fieret, & faltem uno anno Evangelium prædicaret; queftum etiam, quod fibi imputaretur, quafi Evangelium ferre non poffet, deprehenfurum effe Alexium, fe id optime ferre, difplicere faltem modum indecentem; (die ungefchicklichkeit) fcire Ducem, quod aliquandiu VVittenbergæ apud D. Martinum fuerit, itemque Lipfiæ, adeoque gnarum effe, quid interfit inter nigrum & album, petere igitur ab eo, ut purum Evangelium prædicaret. Ad hæc Alexium dilationem ad diem usque Bartholomæi (24. Augufti) petiiffe, & tunc appropinquante tempore Spalatini confilium imploraffe. Hic ei tale fe dediffe fcribit poft triduum, (d. 22. Julii) ut fe ipfum exploraret, an Evangelium pure prædicandi animum haberet, & fuafiffe, Electoris quoque confilium adhiberet. Refpondiffe Alexium, fe hoc facturum, cæterum ea animi fiducia effe, ut Evangelium pure prædicaret, nullo Ducis aut aliorum metu. Venit itaque Alexius Drefdam, & munere fuo functus eft, donec, ut *d. l.* retuli, Drefda ejectus fuerit. Hæc & alia dum cogito, quæ Georgius Dux in caufa religionis egerit, admiranda Dei judicia non poffum non revereri. Dicam in continuatione operis, quod a nemine hucusque, quod fciam, proditum eft, quid proxime ante mortem de *conciliando religionis diffidio* Georgius tentaverit, quanquam id omne fruftra fuerit, fecutusque mox fit Ducis obitus, dum veteres errores quovis modo retinere fummo cum zelo laboraret, tanta licet luce Evangelii perfufus, ut etiam, quod ex Spalatini narratione intelligitur, homini, quem Lutheri doctrinam didiciffe noverat, concionandi munus committeret, & tribus annis eum toleraret. Fateor etiam, me, cum fummam Lutheri a Georgio Duce averfionem, & quæ vehementer & acerbe in eum dixit, fcripfitve, confiderarem, non femel dubitaffe, an non mitiori cum eo agendi modo emollire Principis illius animum, & lenitate ad veritatis plenam cognitionem perducere facilius potuerit. Sed dum fimul confidero, quod non defuerit Duci fufficiens melioris doctrinæ cognitio, Lutheri vehementiam & fecuta divina judicia eo interpretor, ut merito difplicuerit Luthero non folum fævitia Georgii, qua in fuos, qui Evangelicæ doctrinæ aures præbebant, graffabatur, de qua fæpiffime queritur, fed &, quod exiftimaverit Evangelii prædicationem in quibusdam capitibus recipi, fed nihilominus dogmata Romanæ Ecclefiæ extra Scripturam in Ecclefiam invecta, Miffam præcipue & Sanctorum cultum cum ritibus omnibus aut plerisque, itemque Cleri dominatum, retineri poffe; id quod *Erafmi* & ejus fectatorum confilium erat, *Vicelii* maxime, non minus Georgio æftimati, unde eos, qui Lutheri zelum in reformatione totali fequebantur, pro turbidis diffamabant, eo enim fine dubio pertinet dictum Georgii de immodeftia. (von der ungefchicklikeit) De *Alexio* ipfo, ne quid celem, fimulationem quandam conjicio. Si enim in concionibus fuis Drefdæ habitis craffiores abufus aperte oppugnaffet, vix futurum fuiffet, ut toto triennio toleraretur: fed cum poftea veritatem manifeftius prædicaret, exilii gloriam adeptus tandem eft. Ea de re præter illa, quæ dicto loco ex *Selneccero* adduxi, referri merentur, quæ *Daniel Schneiderus*, Ecclefiaftes Drefdenfis, quem concionantem ob infignem zelum & mafculam eloquentiam non femel cum voluptate & profectu audivi, tractatu *de Syllogifm. apodict. p. 84. & 86.* memoriæ mandavit: ***Cum Alexius Crofnerus tribus annis hic Drefdæ concionator aulæ fuiffet, & Evangelium pure docuiffet, in magnum incidit odium & invidiam, omnesque ejus conciones exagitatæ fuerunt & peffime explicatæ, ita ut fæpiffime earum caufa ad tribunal vocaretur, & refpondere cogeretur, tandem vero plane dimiffus eft. Abiturum cum fupellectile confpicatus Emferus, equo prætervectus, in hæc erupit verba: Diem hunc lætus adfpicio, quod hæretici concionibus finis impofitus eft, abi in malam rem,*** (ins Teuffels Nahmen) *ego hic maneo.* Refpondit Alexius: *imo in nomine Domini dicere debebas Emfere.* (In Gottes nahmen wäre auch ein Wort) *Ego prius quam tu in Mifnia fui, manfurus etiam, cum tu non eris. Quid fit? Eo vefpere cum cive aliquo Lipfienfi primario aliisque laute cœnatus Emferus, digreffis hofpitibus in fella confidens, poft horrenda verba & geftus fubita morte fublatus fuit.* Hæc Schneiderus. Infelix fuit Crofnerus, quod non folum Georgii gratia excidit, fed & apud Johannem Elect. nullam impetravit. Extant enim ejus literæ d. 17. April. 1531. ad *Johannem Riedefel*, Cubicularium Electoris fcriptæ, in quibus lamentatur, fe poftquam conjugem duxiffet, ex reditibus Canonicatus Altenburgenfis, qui fexaginta florenos annuos non excederet, mifere vivere. Inique fibi imputari, ac fi in aula Drefdenfi hypocrifi ufus effet; contrarium ex concionibus fuis conftare, ibi habitis, & nunc VVittenbergæ excufis; fe fatis diu in aula verfatum, fcire, quomodo tractandi fint aulici: mirari igitur, cur vacans apud Electorem concionatoris aulici munus fibi non concederetur, petit tandem, ut vel politicum aliquod fibi demandetur officium.

(b) *De vocatione Crofneri in aulam Georgii.*

(c) *Petit confilium a Spalatino, & vocationem accipit.*

(d) *Confiderantur acta Georgii.*

(e) *Schneideri de Crofnero relatio.*

(f) *Crofneri ad Spalatinum litera.*

An. 1528.

SECT. 13.

(1) De bello Turcico.

Interea Solimannus Turcorum Imperator ab una, & Lutherani ab altera parte, emolumentum ex funestis his inter potentissimos Christianorum Principes bellis capientes, magnos progressus fecerunt. Ille in Hungaria, post cladem & cædem Regis Ludovici, cui sororius Ferdinandus Archidux successerat; hi in Germania, ubi nupero Spirensi decreto, quo conscientiæ libertas permissa fuit, freti, magnam populi partem & urbes Imperii præcipuas sibi adjunxerunt. Itaque Carolus, & religioni & Austriæ metuens, cui Ottomannica sævitia jam imminebat, in mensem Aprilem anni hujus 1528. comitia Ratisponæ indixerat, ut media, ad uniendos in religione animos, & contra vim Turcicam, reperiret. Sed haberi non potuit hic conventus, quia Elector Saxoniæ & Landgravius Hassiæ in eo erant, ut bellum in Germania moverent, ab Ottone Packio, *Georgii Ducis Vicecancellario, insigni impostore, decepti. Illis Packius exemplum a Catholicis contra illos, ut prætendebatur, initi fœderis, sed a se ipso ficti & compositi, suique Heri sigillo muniti, ostenderat. Facile fuit sceleratum hominem fraudis convincere, postquam Saxo & Landgravius causas moti belli publico scripto exposuissent. Sic detecta impostura, cessavit tumultus.*

Sleid. l. 6. Cochl. ad hunc annum.

(2) De motu Protestantium ob fœdus a Paccio revelatum.

§. XXXV.

(1) *De rebus Turcicis pauca.*

Comparatio Turcorum & Lutheranorum hominis est, suo præjudicio indulgentis. Quæ *Johannes Zepusiensis* ab Hungarorum plurimis in Regem electus, & Ferdinando oppositus, de causis belli Hungarici, ad Principes Germaniæ, & ipsum Cæsarem, scripserit, *Sleidanus* retulit *Lib. VI.* ex quibus considerari merentur, quæ ad excusationem Germanorum Principum a culpa cladis, Ludovico Regi illatæ, faciunt, & partim supra notata fuerunt. De rebus hoc anno in causa religionis gestis aliquanto plus dicendum est, quam hic Maimburgius exhibuit. De fœdere, quod a Paccio confictum creditur, omnes illius temporis scriptores egerunt. Documenta plurima negotii *Hortlederus Vol. I. de bello Germanico Lib. II. cap. I. ad X.* ex editis Principum literis & edictis collegit, & utili industria conservavit. Ipsa formula fœderis *dicto lib. cap. I. fol. 776.* legitur, in qua *Ferdinandus* Rex Bohemiæ, *Albertus* Moguntinus, *Joachimus* Brandenburgicus, Electores, *Matthæus*, Salisburgensis Archiepiscopus, *Wigandus* Bambergensis, *Conradus* Würzburgensis, Episcopi, *Georgius* Dux Saxoniæ, *Guilielmus* & *Ludovicus* Bavariæ Duces, paciscentes, & quidem jurati, introducuntur. His *Fabricius Lib. VII. Orig. Sax. fol. 870.* Trevirensem & Palatinum Electorem, & dum tres Franconiæ Præsules recenset, etiam Aichstetensem Episcopum & Henricum Brunsuicensem annumerat, notatus ideo ab *Hortledero. d. fol. 776.* Sed Fabricius fortasse de fama potius, quam de instrumento loquitur; scribit enim, *ferebatur.* Et Paccius, si falsarius fuit, aliam formulam, cui plures adscriberet, confingere potuit, idque *Cochlæus* innuit in hujus anni historia. Locus formulæ fœderis adscriptus est *Vratislavia*, dies, *Lunæ post Jubilate*, id est, 12. Maji 1527. Capita pacti sunt, ut ante omnia Ferdinando suppetiæ ferrentur adversus *Johannem*, quem *Comitem de Rytschin* vocant, qui se pro Hungariæ Rege ferebat, dein junctis viribus, & accitis aliis in societatem, prævio quoque ex Hispania mandato Cæsaris, Electori Saxoniæ, nisi Lutherum & pristinum Ecclesiæ statum restitueret, regiones Saxonicæ, Misnicæ, Thuringicæ per Ferdinandum, tum per Episcopos Bambergensem & Wurzbergensem Franconicæ sive Coburgenses adimerentur, Georgius Saxo, Moravos, Silesios & Lusatos, qui in hæresin Lutheranam sese præcipitassent, adoriretur; victo Saxone Landgravius etiam in ordinem redigeretur, parcendum tamen ejus juventuti, & in Soceri gratiam, si resipisceret. Ne vero Georgio obstare videretur, *Confraternitatis* sive *unionis*, quo Electori agnato obligatus erat, *pactum*, responsio suppeditatur & formulæ inseritur, quod in illo ipso pacto Pontifex & Cæsar exciperentur. Notat hac occasione *Hortled. fol. 778.* in renovatione confraternitatis anno 1537. exceptionem Pontificis omissam esse, contradicente licet & protestante Georgio. Huic vero in hac ipsa rixa Pacciana a genero Landgravio objectum fuit, ejus opera factum esse, ut præter veterem pactorum formulam, prima vice exceptio Pontificis in postrema renovatione inserta fuerit. De dividendis etiam spoliis cautum erat, ita, ut Georgio quidem Electorales provinciæ cederent, quæ vero is in Silesia & Lusatia occuparet, Ferdinando restituerentur; urbs Magdeburgensis Archiepiscopo subderetur; cæteris pecunia satisfieret. Descriptus denique exhibetur modus pecuniæ & militum a singulis contribuendorum *fol. 779. & seq.* Subjungimus alia ex *Archivo Vin.* in quo de tumultu hoc *XXIII Volumina* sive fasciculi *Lit.* 𝔄. *usque* 𝔃. signati (*Reg. H. fol. 20. & sqq.*) asservantur. *Otto Paccius*, sive *a Pack*, nobili in Misnia gente natus, & *Doctoris Legum* titulo ornatus, unde vulgo *Doctor Otto* vocabatur, inter Consiliarios Georgii Ducis erat, & aliquando Cancellarii vicem præstitit, sive, ut seipsum nominat, Cantzley-Verweser. Homo erat versutus, & præterea prodigus, quo vitio ad alia inductus est. Is, nescio quibus artibus, genero Heri Landgravio se insinuaverat, & ad hunc sæpius a Socero mitti solebat. Aperuit igitur illi anno 1527. sub magna fidei & secreti protestatione fœdus illud, de quo dictum est, & exemplum exhibuit, spem faciens, se authenticum ei esse ostensurum. Profectus est non multo post Dresdam Landgravius. Ibi Paccius promissi memor, Landgravio aliud exemplum fœderis ex Cancellaria Ducis, ut dicebat, depromtum attulit, annulo Georgii Ducis in tergo signatum, discissum tamen, & chartæ alii inclusum, cui filum sericum circumligatum & sigillum Cancellariæ impressum erat. Asseverasse etiam dicitur Paccius, aliud fœderis instrumentum

(2) *Prolixior de fœdere relatio.*

(3) *Ejus formula.*

(4) *Paccius quis? ejusque factum.*

An. 1528.

tum extare, a contrahentibus manu & signaculis firmatum, in quo tamen Georgii Ducis sigillum contusum esset, unde conjici posset, illum a fœdere recessisse. Hoc autographon comparaturum se esse pollicebatur, si quatuor millia florenorum in eam rem impenderentur. Hanc pecuniæ summam a Landgravio accepit, ut hic postea Socero affirmavit. Tunc autem Landgravius, dissimulata rei notitia, Dresda discessit, & Electorem Saxoniæ Filiumque ejus Vinariæ convenit, iisque magnum, quod imminere videbatur, periculum exposuit, & fœderis exemplum sigillatum & subscriptum se in manibus habuisse, testatus est, aut ita relationem ejus Elector intellexit, eaque propter, cum Landgravius autographon se adepturum & exhibiturum esse promitteret, permoveri se passus est, ut d. 9. Martii *Reg. H. f. 22.* ℭ.) societaté cum Landgravio adversus fœderatos illos iniret. Tenor est: *Principes, cum gladium a Deo acceperint, quo provincias suas defenderent, obligatos se ad id nunc quidem tanto magis agnoscere, quia Deus subditis suis Evangelicæ prædicationis gratiam concesserit. Committere igitur nequaquam posse, ut hic thesaurus, pessimo adversariorum consilio, eriperetur, sed statuisse, illum cum periculo corporis, dignitatis, provinciarum, opum & omnium rerum,* (leib / ehre / würde / land und leute und alles was in der welt erdacht werden kan /) *tueri.* Convenerunt itaque de exercitu 6000. equitum & 20000. peditum, partim mercede conducendo, partim ex civibus & colonis deligendo. Consultarunt etiam de adsciscendis sociis. Regem Poloniæ, per Albertum Borussiæ Ducem, in Ferdinandum & Electorem Brandenburgicum concitare volebant, si illi arma in Saxonem & Hessum moverent. Sperabant auxilia a Ducibus Lüneburgicis, Pomeranis & Meckelburgensibus & a civitate Magdeburgensi. Georgium Brandenburgicum conciliare sibi volebant, ut Episcopos in Franconia cohiberet, aut saltem medius in hoc bello maneret. Idem ab Electoribus Trevirensi & Palatino sibi promittebant. Georgium Saxonem & Ericum Brunsuicensem ad quietem & cautionem præstandam adigere: Osnabrugensem Episcopum vel in partes trahere, vel per comites quosdam in Westphalia coërcere cogitabant. Landgravius confidebat, se cum Daniæ Rege societatem initurum, Suevicum vero fœdus dissoluturum esse, abstractis ab illo Civitatibus Imperii. Ad sumtum belli sexcenta florenorum millia destinabant, sive mutuo a Daniæ Rege & Urbibus opulentis sumerentur, sive oppignoratis oppidis & præfecturis, venditisque templorum donariis conquirerentur. Tanta molimina unius hominis malitia in totius Germaniæ perniciem excitabantur, nisi moderatioribus consiliis locus fuisset. Ante omnes Lutherus adjuncto sibi Melanchthone ad pacem, & temperandum Landgravii fervorem, non una epistola Electorem exhortatus est. Extat etiam ampla refutatio rationum a Luthero adductarum, ex ipsius Landgravii autographo ad *Acta Archivi* descripta. Discrepabant in eo, quod Landgravius præparamenta adversariorum pro aggressione habebat, & ad præveniendum ictum sufficere credebat, Lutherus vero, aut plenam fidem famæ de illa præparatione sparsæ non habendam, aut ipsum aggressionis actum expectandum esse, statuebat, malebatque, ut Elector, quæ d. 9. Martii cum Landgravio pactus erat, dissolveret, quam ejus præcipitantia ad bellum inferendum induci se pateretur. Cunctari itaque Elector cœpit, & alia conventione d. 23. Aprilis priorem mitigavit; Filium postea Cassellas ablegavit, qui ardorem Landgravii cohiberet, donec appareret, quomodo tractatus concordiæ cum Episcopis cœptus succederet. Cum vero nec Filio satis fideret, Wildenfelsium Baronem cum arctioribus mandatis ad Landgravium misit. Hic tamen difficillime eum retinere potuit, quo minus cum exercitu in fines Episcoporum irrumperet, ut ex relatione Wildenfelsii d. 18. Maji scripta intelligitur. Eodem tempore d. 17. Maji, Landgravius ad Georgium socerum scripsit, & quadam gratiarum actione præmissa, quod clausula fœderi, (Soceri, ut conjiciebat, cura) inserta, aliquanto mitius adversus se decretum esset; summopere tamen dolet, tum, quod a Socero pro hæretico haberetur, tum quod hic nondum a Deo illuminatus esset. Dein, quia ita urgeretur, ut aut verbum Dei abnegaret, & ad cultum diabolicum rediret (dem teuffels-dienst wieder anhangen) aut regione sua se exturbari pateretur; secum statuisse, ut otiosus desidere & tempus perdere (die Metten verschlaffen) minime vellet, aggressurum hos potius, qui talia molirentur. Georgium vero, cujus ipse Filiam, cujusque Filius Sororem suam in matrimonio haberet, & a quo semper amatus esset, cuique ipse contra seditiosos rusticos opem tulisset, cui denique etiam Elector & sanguine propinquus & optime affectus esset, obtestatur, ut a fœdere, cujus exemplum mittebat, discederet, quo facto promittit, nullum ei penitus incommodum metuendum esse, (man solte ihm nicht ein huhn kreyschen) imo se pro illo defendendo opes & vitam exponere paratum esse: petit responsum certum, addens, quemadmodum Georgius a suæ religionis sive fidei professione, sui causa, non sit discessurus, ita id neque a se expectet, neque enim alterum pro altero ad rationem reddendam obligari. Georgius mascule & celeriter respondit, Festo ascensionis d. 21. Maji, de religione nihil memorat, sed pactum illud nequissime confictum esse asserit, & autorem, a quo illud Gener acceperit, nominari postulat, nisi ipse pro inventore deterrimi commenti haberi velit: scripturum se dicit, non solum ad eos, qui socii esse dicerentur, sed & ad Electorem Saxoniæ, publicari etiam literas Landgravii & suas ipse Dux fecit, apologiæ loco. Vide *Hortled. d. l. fol. 780.* sed ante responsum Soceri acceptum & prius quam Elector in idem consensisset, Landgravius d. 22. Maji edictum edidit, in quo non solum de calumniis queritur, quibus onerari se scribit, quasi Francofurtensem urbem obsidere, & Rex Romanorum fieri, Galliæ Regi militare, tum rusticos denuo ad seditionem concitare, & Ulricum Würtembergensem restituere in provinciam suam vellet; sed & fœderis illius formulam palam subjungit, & intentatum sibi malum, quia expectare ictum (den Backenschlag) non teneatur, omnibus viribus præventurum esse profitetur: religionis

catenus

(5) *Landgravii iter ad Electorem, & fœderis cum eo pactio.*

(6) *Discrepantes Lutheri, Landgravii & Electoris sententiæ.*

An. 1528.

(7) *Landgravii Epistola ad Georgium socerum.*

(8) *Hujus responsum, quo negat fœdus.*

(9) *Landgravii edictum publicum, & apparatus belli.*

An. 1528. eatenus meminit, ut dicat, fœdus illud Episcoporum & monachorum artibus adversus vivum & gratiosum verbum Dei & ejus sectatores (wieder das lebendige gnadenreiche Wort Gottes / und desselbigen anhänger) procuratum esse, & se expeditione illa, Deo juvante, id agere, ut Dei laus & gloria promoveatur, verbum vero ejus non opprimatur, & sibi subditisque suis pax conservetur. Collectis interea copiis in finibus Hassiæ & Franconiæ, ad Vierram amnem, ubi Breitunga sita est, monasterium, quod *Dominorum* vocabatur, (Herren Breitungen prope Schmalcaldiam) ab altero in ripa opposita, quod *Dominarum* (Frauen Breitungen) dicebatur, distinctum, castra habuit. Prolixum esset, quæ vel per legatos vel per literas inter Principes acta sunt, pluribus enarrare; *Apologia Moguntini* exhibetur *fol. 782.* in qua de religione ita loquitur: *Nunquam aliud intendimus, quam, ut gloria Dei & amor proximi promoveatur, minime vero, ut verbum Dei opprimatur, eo potius omni studio & opera annitimur, ut illud plantetur, & incrementa habeat; ordinationem etiam & reformationem Christianam non impediemus, sed si de ea agendum erit, ipso facto ostendemus, optime nos animatos esse.* Brandenburgici Electoris literæ, ad Landgravium, item ad Electorem Saxoniæ d. 25. Maji datæ, extant *fol. 786. & seq.* Conradi (ex celebri & antiquissima familia Thungiorum, quæ subinde illustres pace & bello viros habuit, nati) Episcopi Würzburgensis, apologia d. 28. Maji publicata *fol. 787.* In hac Electoris legatorum *Johannis a Minckwiz & Conradi Gotzmanni* (illo ex nobili in Misnica, hoc in Franconia familia, sed extincta, unde *Gutzmannorum* in Hispania gentem quidam deducunt) tum *Guerneri a Waldenstein* (ex nobilitate Hassica) & *Georgii Nusspickeri*, Jurisconsulti, propositiones, & data ad illas Episcopi responsa referuntur. Salisburgensis Præsul, *Matthæus Langius*, brevibus ad Regimentum Imperii literis prorsus negavit, sibi quidquam de fœdere illo compertum esse, cum nec Uratislaviæ fuerit, nec legatos ibi habuerit *fol. 792.* Ad Ferdinandum Regem, qui Pragæ tunc erat, Elector miserat equites auratos, *Johannem Planitium* & *Christophorum Taubenheimium*, quibus benigne responsum est d. 28. Maji, negando fœdus, & petendo, ut ejus delator indicetur; offerebat etiam Rex Electori, si alia de causa sibi timeret (a se enim securum esse jubet) opem & consilium. *fol. 792.* Prolixius & paulo severius responsum publicum Regis, adversus Landgravii potissimum apparatum, d. 1. Junii prodiit *fol. 797.* In eo de religione hæc saltem dicit; inique sibi in commentitio illo fœdere imputari, ac si verum verbum Dei opprimere vellet. *Guilielmus & Ludovicus* Bavari, Regimento Cæsareo d. 28. Maji per literas, dein, publicato diplomate d. 3. Junii eodem modo innocentiam suam deduxerunt. Ad Regimentum scribunt; *se nihil magis curæ habere, quam concordiam in fide Christiana, pacemque & salutem Germaniæ.* Ad eos Landgravius d. 28. Maji ex castris suis ad Vierram paulo aliter, quam ad cæteros scripserat; intellexisse se, dicens, quod in fœdere quidem fuerint, sed ab eo mature recesserint; at neque hoc illi affirmarunt, sed omnia conficta esse in diplomate illo, contenderunt. Exitus rei hic fuit, ut interventu Trevirensis & Palatini Electoris, ab armis discessum sit; dependerunt tamen (ut *Sleidanus* & *Cochlæus* referunt) Moguntinus 40. Wurceburgensis totidem, Bambergensis 20. florenorum millia, inermes enim erant, & damnum ab exercitu finibus suis imminens ære redimere, quam armatos in se provocare, aut stativa concedere, malebant. Addit *Cochlæus*, subditis suis fidere non potuisse Episcopos, *quorum corda*, ut loquitur, *fermento Lutheri infecta erant.* Restat, ut quædam ex protocollo, quod vocant, Actorum cum Paccio (*Reg. H. fol. 32. T.*) recenseamus. Splendida fuit illa actio: Aderant Cassellis Legati Ferdinandi Regis, *Henricus Treusch a Buttlar*, ex nobili in Thuringiæ & Hassiæ finibus familia, quem vulgo *longum Hessum* cognominabant, & *D. Magirus* Tubingensis, ut & Trevirensis, Palatini & Brandenburgici Electorum *Legati: Georgii* vero nomine *Hoyerus Comes Mansfeldensis Ernestus*, Dynasta Schönburgius, *Christophorus a Taubenheim* & *D. Simon Pistoris*, Cancellarius. Hi omnes d. 20. Julii postularunt, ut Paccius, quem jam Landgravius in custodia habebat, extraderetur, ut falsi, habita quæstione, convinci posset. Idem postulaverant Suevici fœderis Principes, aut saltem, ut in custodiam Senatus Augustani aut Ulmensis, vel Trevirensis & Palatini Electorum traderetur. Neutris assensit Landgravius, veritus ne vi tormentorum Paccius quædam fingeret, quæ Landgravio nocerent. Post aliquam disceptationem ex custodia productus & præsentibus Legatis a Cancellario Hassiaco, *Joh. Feigio*, interrogatus est; annon Landgravio denunciasset fœdus tale, cujus formula prælegebatur, inter Regem & Principes initum esse; annon d. 18 Februarii Dresdæ exemplum, ut supra dictum fuit, annulo & sigillo Georgii impressum ostendisset; denique annon promisisset, se authenticum instrumentum procuraturum & exhibiturum esse? Hæc omnia palam affirmavit Paccius. Inde Landgravii nomine rogati sunt Legati, ut his intellectis, excusatum illum haberent, quod relationi hominis fidem adhibuisset. Surrexit tunc Cancellarius Georgii, D. Pistoris, & acerrime accusare Paccium cœpit, de multis, quæ falso & dolo malo scripsisset & egisset, ut pecuniam contra jus fasque ex reditibus Ducis corraderet, & discordias inter Principes seminaret. Ad ea, impetrata ad diem sequentem 21. Julii dilatione, varie & artificiose respondit, ut pleraque negaret, quædam aliter interpretaretur. De fœderis formula fatebatur, se quidem Uratislaviæ, ubi Principes quidam (qui fœderis autores dicebantur) convenerant, præsentem fuisse, sed consiliis non interfuisse. Lipsiæ, cum anno 1527. Henricus Brunsuicensis apud Georgium fuisset, & ipse in vestibulo Principis staret, jussum se ab hoc esse, ut Cancellarium D. Pistoris juberet documentum aliquod ipsi notum afferre: id cum facturus esset Cancellarius, dum iret interpellatum a quibusdam fuisse & ideo documentum, quod manu gerebat, sibi (Paccio) tradidisse, Principi exhibendum: post unam alteramque horam recepisse se illud a Principe, ut obsignatum Cancellario restitueret; sed

(10) *Apologiæ Principum, qui fœderis illius insimulabantur.*

An. 1528. (11) *Exitus rei per transactionem.*

(12) *Paccius examen & condemnatio.*

An. 1528. sed prius id perlectum a se esse, neque cuiquam aliquid de illo aperuisse, nisi Landgravio, ad quem a Georgio Cassellas missus, ab illo vero de fœdere, de quo jam aliquid ex fama percepisset, interrogatus fuerit, data prius de silentio fide. Non negavit, exemplum scripti a se Landgravio datum fuisse, sed gratis; fatebatur tamen, se promisisse ut authenticum procuraret. Deprehendisse postmodum, cum Dresdam rediisset, sigillum Georgii confractum & instrumentum ipsum discissum fuisse, multasque rationes adduxit, cur formula illa a se conficta non sit, nec fingi potuerit. Recensuit, ut ante annos quinque *Juterboci* inter Moguntinum, Brandenburgicum & Georgium Ducem de extirpanda hæresi Lutheri consultatum, eaque de causa ad Cæsarem scriptum sit, cum multa Friderici Electoris Saxoniæ insectatione; secutum esse conventum *Servestæ*, & de eadem materia actum, denique *Dessaviæ* conclusum esse, ut vi ageretur, consensu Cæsaris & Ferdinandi. Provocavit ad Acta illorum conventuum. Testatus est optima mente & ex fide juramenti revelatum a se esse secretum illud, & ad ipsius Georgii commodum. D. 22. Julii Cancellarius Georgii omnia animose refutavit, Paccius d. 24. Julii sua utcunque defendit. De documento, quod Dresdæ d. 18. Februarii Landgravio monstraverat, & in Cancellaria Georgii inveniri non poterat, retulit, se cum receptum a Landgravio in Cancellariam reportare voluisset, sigillum, quod involucro & filis sericis impressum fuerat, aptare non potuisse, ut, quemadmodum antea, clausum esset, ideoque veritum, ne, quid egisset, deprehenderetur, totum abolevisse: addebat, scriptum id fuisse manu cujusdam Bohemi, inter amanuenses Cancellariæ, illum sistendum & interrogandum esse, & inde manifestum futurum, ex quo autographo id descripsisset; si ab hoc convinceretur, quod ipse id confinxisset & scripsisset, nullam se pœnam deprecari. Verum D. Pistoris scribam illum Bohemum hominem nequam & aula dudum exactum esse, dicebat, inter alia autem vehementer urgebat Paccium, productis ejus ad se literis, in quibus ementito loco & tempore ex Hassia scripserat, Landgravium accusans, quod turbas moveret ex formula fœderis stolidissime & nequiter conficta. Hinc difficillime, neque aliter se expedire potuit Paccius, quam, ut diceret: se illis literis Cancellario fucum facere voluisse, ne in proposito suo adipiscendi autographum, qua de causa Dresdam iter paraverat, impediretur. Finis actionis fuit, ut Cancellarius Dresdensis satis patere diceret fraudem Paccii, pleniusque de ea convinci posse, si, ut meritus esset, per tormenta interrogaretur. Legati reliqui iterum petierunt, ut reus Heris suis traderetur, criminali judicio subjiciendus, nec Landgravii excusationes satis probabant, omnia denique ad Heros relaturos se esse recipiebant. Landgravius ad arbitrium Treviri & Palatini provocavit, & sic discessum est, retento in custodia Paccio & postea Hassia pulso: unde per aliquot annos hinc inde vagatus in Belgio denique persequente eum Georgio Duce, anno 1536. (*Cochlæus* 1537. ponit) securi percussus est. Multa ex negotii hujus narratione monita principes & consiliarii capere possunt, qua circumspectione & affectuum moderatione procedendum sit; illusum enim est sine dubio technis Paccianis juvenili Landgravii ardori.

An. 1528.

ADDITIO.

Elector Saxoniæ pii & prudentis principis officium in his turbis egregie præstitit. Licet enim a Landgravio præventus & ad consociationem *d. 9. Martii* inductus esset, intellectis tamen postea Theologorum & Cancellarii sui Pontani monitis, diffidere relationi Paccii cœpit. Motus quidem erat ad justum aliquem metum, quod ex Georgii Marchionis Brandenburgensis relatione intellexerat, Electorem Brandenburgicum in conventu Uratislaviensi documentum aliquod chartæ pergamenæ inscriptum & pluribus sigillis munitum gestare visum, & quod Casimirus, Georgii frater, morti vicinus, quædam de bello fautoribus reformationis imminenti effatus esset; nec ignorabantur conventus aliquibus locis & postremo Dessaviæ habiti. Accedebat, quod Georgius ex ditione sua reditus ad monasteria in Electoris & Landgravii territorio deferri prohibuisset: pastorem etiam quendam ex præfectura Trefurtensi, quæ illi cum Landgravio atque Moguntino communis est, Evangelii causa captivum abduci fecisset: Moguntinus denique ex Erfurtensi urbe & agro negotium Electori, obtentu jurisdictionis ecclesiasticæ, facessebat. Nihilominus ab inferendo bello alienissimus erat, & in literis ad Filium, qui Casellis erat, d. 13. Maji magna cum asseveratione testatus est, *se neque Deum offendere, neque jus violare ullo modo velle, licet copiarum suarum partem ad radices sylvæ Thuringicæ misisset.* Aliis literis professus est, *se Bambergensi Episcopo damnum inferre non posse, nisi resignato feudo, quod ab eo tenebat.* Notum enim est, omnes Electores seculares, & speciatim Saxonem ex Henrici II. Imperatoris instituto, Episcopatui illi obstrictos esse. Cum vero inter tractatus pacis Landgravius impensas belli urgeret, Elector d. 27. Maji Filio significavit, *se illa ex causa in armis persistere minime velle, nec ob fervorem Landgravii res suas in periculum missurum.* Scripserat etiam Georgius Dux, novam a rusticis seditionem metuendam esse, spargi enim in popinis per Thuringiam, adfuturum esse verum Dominum (der rechte Erbherr) qui verbum Dei & Evangelium serio defensurus esset, illumque a plebe expectari. Laudanda quoque est *Johannis Friderici* Ducis in illo ætatis flore prudentia, qui inter parentis cunctationem & Landgravii impetum ita sese gessit, ut neque ardori hujus nimium indulgeret, neque illum ab omni defensionis apparatu abduceret, quo facto Landgravius in desperationem & ad præcipitia consilia adactus fuisset. Extant multa a Jo. Friderico propria manu conscripta, quibus in omnes casus adversus vim hostium & ad conservandam Evangelii doctrinam prospiciebatur. Sed incredibilis erat fervor Landgravii, & literæ extant ejus indices. Imputabat Electoris moderationem Luthero & Cancellario Pontano; at hic egregiis literis d. 26. Maji sese excusavit, & Lutherus, quem a Pontano stimulari credebat Landgravius, eo non erat ingenio, ut aliorum sententiam facile sequeretur. Animos addebat Landgravio spes suppetiarum: *Friderici* enim Daniæ Regis autographon extat, quo auxilia promittit, neque id omissurum se dicit, licet sciat Electorem Christierni exulis (sorore sua geniti) causam penitus deserere non posse, contentum fore, si medium sese in hac gerat. *Albertus* Borussiæ Dux omnia a se & Poloniæ Rege pollicebatur. Inter civitates omnium constantissime respondebant *Ulmenses* d. 3. Junii, **sie wolten beym Wort Gottes sterben und genesen/** *cum verbo Dei victuros & morituros.* Etiam Ordines Archiepiscopatus *Magdeburgensis*, splendidi tunc inprimis & potentes, ex Comitum & Equitum genere, Stasfurti mense Majo congregati, missis ad se Legatis Electoris Saxonici responderunt: *Se Domino suo, Alberto Cardinali, non adfuturos, si religionis causa Saxonem adoriatur*, idque Albertus ipse postea d. 14. Junii ratihabuit. Nondum eo tempore dubitabatur de jure Ordinum provincialium, neque illis inconsul-

(a) *Johannis Electoris moderatio in tumultu Pacciano.*

(b) *item Jo. Friderici ejus filii.*

(c) *Auxilia in causa illa.*

An. 1528.

tis Principes Germaniæ ad fœdera & bella properabant. Sed ex iis, quibus Saxo maxime confidebat, *Johannes* Dux Cliviæ, ad auxilium quingentorum equitum ex pacto obstrictus, misso Ayolfo de VVyrnhorst, præfecto Orsoviensi, varia causatus est, propter quæ suppetias illas mittere non posset. Erant & alii, qui spe pacis languebant, aut causæ diffisi moras nectebant. Dictum est de transactione cum Episcopis Franconiæ; secuta est eorundem arbitrorum, Treviri & Palatini interventu, *Gellnhusæ* d. 14. Junii conventio cum Moguntino. Sed supererat lis a sociis Suevici fœderis mota, cum quibus Ferdinandus Rex causam communem fecerat. Ea tamen dica Landgravio præcipue intentabatur; inter Regem enim & Electorem legationes commeabant, multa cum pacifici animi contestatione. Suevi querebantur, Landgravium spretis monitis suis ad arma provolasse, & fœderatos suos Episcopos in Franconia ad iniqua pacta compulisse. Transactum vero est *VVormatiæ* d. 30. Decembr. abolitis fidejussionibus, quas delecti ex proceribus provinciæ præstiterant, additisque mutuæ amicitiæ stipulationibus. Sed soluta centum millium aureorum summa apud Landgravium mansit, & insignis fuit Ludovici Palatini Electoris bonitas, qui ad pacem, quæ periclitabatur, redimendam Suevico fœderi sese obligavit, ad quingentos equites auxilio mittendos, suoque sumtu per menses quinque alendos, si id a se poscerent. Electori Saxoniæ potestas data est, his pactis accedendi, ut & fecit. Secutæ sunt ad eum literæ Cæsaris d. 19. Novembris Toleti datæ, quæ finem quidem negotio huic attulerunt, neque tamen ea comitate scriptæ erant, qua alia occasione & tunc utebantur Imperatores & hodie uti solent. Refert Imperator, *se ex fratris Ferdinandi literis percepisse, quod Elector falsi fœderis commento decipi se passus, copias militares collegerit, & motum excitaverit;* (sich empört;) *valde id displicuisse Cæsari, sibi enim soli competere, ut fœdus illud, si quod fuisset, dissiparet; lubenter tamen intelligere pœnitudinem ejus, seque ea esse clementia Cæsarea & ingenita, ut errantes, si resipiscant, in gratiam recipere, quam punire malit.* Addit exhortationem, *ne se in posterum vanis figmentis excæcari pateretur,* monetque, *ut erga se & Ferdinandum fratrem ita sese gerat, ut pax & concordia conservaretur.* Minus meruisse videri poterat asperitatem harum literarum Elector, quia rem omnem prolixis ad Cæsarem literis dudum enarraverat, & gesta sua excusaverat, sed istas dissimulavit Cæsar, solamque Ferdinandi fratris relationem allegavit, quam satis odiosam fuisse oportet. Notabilis est assertio Cæsaris, ex veteri, ut videtur, jure Romano desumta, quod pro læsæ Majestatis crimine non obscure habet exercitus conscriptionem, ab Electore sui defendendi causa tunc factam. Ejusdem sententiæ fuit D. Pistoris Cancellarius Dresdensis, cum in actione supra enarrata Paccium ejusdem læsæ Majestatis criminis reum faceret, quod delatione sua effecisset, ut inscio Imperatore copiæ a Landgravio conscriptæ fuerint. Sed Germaniæ principes jus belli & fœderum salva majestate Imperatorum & imperii dudum exercuerunt. Quales ad Landgravium a Cæsare literæ scriptæ sint, in *Actis Vinariensibus* non reperio, valde tamen dubito, quod mitiores fuerint, graviter enim Cæsarem & Ferdinandum offenderat. Nam cum a Paccio primam de fœdere relationem audivisset, hunc ipsum ad Johannem VVaiwodam, qui se pro Hungariæ Rege gerebat, ablegaverat, pecuniam ad bellum contra Ferdinandum rogans. Fassus id est apud Georgium socerum, ea de re expostulantem, & excusavit, quod hac ratione adversus Ferdinandum, quem hostem suum esse putasset, usus fuerit, exceptum autem a se esse Cæsarem, factamque protestationem, quod cum Turcis, sub quorum patrocinio Johannes erat, nihil commune habere vellet. Indicabat etiam, Johannem anno præterito a se copias auxiliares petiisse, aut saltem ut delectum militarem in provincia sua ejus nomine haberi pateretur. Acres, occasione tumultus hujus, literæ inter Georgium socerum & Philippum generum commeabant: illi acerbitati prudentia Consiliariorum utriusque Principis, maxime Ernesti, Mansfeldensis, & Philippi, Solmensis Comitum, opera finis impositus est mense Septembri, conventumque, ut omissio literarum hac in re commercio, Landgravius Socerum accederet, & jucunde cum eo conversaretur, deinde, si quid tale inter eos emergeret, ut per Consiliarios tractaretur & expediretur. Subjungam quædam de literis *Lutheri* & *Melanchthonis* in causa ista Pacciana scriptis, quibus, ut supra dictum est, pacem omnibus modis suadebant. Extat Epistola ad Electorem (*Reg. H. fol. 29. D.*) absque die, hoc tamen anno 1528. Lutheri manu data, sed a Melanchthone quoque subscripta, in qua ei rationes in scheda consignatas mittunt. Summa earum est, ut pacem per gratiam Dei oblatam, bona conscientia recusari posse negent, suadeantque, ut Legati ad Regimentum Cæsareum & ad Ferdinandum mittantur, favoris conservandi & augendi causa, (den glimpff zu halten und zu mehren) deinde ut Landgravii impetus cohibeatur, ne causæ præjudicet, & suum quærat commodum, (daß er nicht vor dem haamen fische) denique, ne persistatur in postulanda impensarum restitutione; præstare ajunt, ut illæ negligantur in tanto rerum periculo, & reputentur pro damnis fortuitis, igne, tempestatibus, aut rusticorum nupero tumultu illatis. In scheda eadem & majori emphasi ab Electore & Filio idem petunt, cum audivissent mandatum ex Regimento emanasse, ut armis abstineretur, huic enim omnino parendum esse, cum a supremo veniat Magistratu, & non nisi honesta jubeat, (licet forte ad impetrationem adversariorum) & egregiam esse ad pacem tractandam occasionem. Addunt, se, ut Lutherus nuper Altenburgi coram Electore protestatus esset, cogi, ut ex provincia ejus cum maximo quidem dolore suo discedant, & a tanto patrono & parente separentur, ne infamiæ, quæ ex illegitimo bello in Principem redundatura sit, participes fiant: fore etiam fortassis, ut multi egregii viri exemplum suum sint secuturi. Iidem (*Reg. H. fol. 24. L.*) d. 18. Maji Johanni Friderico Principi scribunt, lætitiamque suam testantur, quod intellexerint, illum ad pacem tractandam profectum esse; incitant ad serium illius studium, allegatis Scripturæ dictis, & ajunt: Krieg gewinnet nicht viel/verleuret aber viel/ und waget alles; aber sanfftmuth verlieret nichts/ waget wenig/ und gewinnet alles. *Bellum nihil lucratur, perdit multa, periculo exponit omnia: Pacis studium nihil perdit, exponit pauca, lucratur omnia.* Eodem sensu eodemque die ad ipsum Electorem scribunt, adductis Scripturæ dictis, adduntque: Man darff den Teuffel nicht über die thüre mahlen/ noch zu gevattern bitten/ es wird dennoch unfriedes genug seyn/ und krieges sich allzuviel finden. *Satis erit discordiarum & bellorum, etiamsi non provocentur: Diabolus non est pingendus supra fores, nec hospes rogandus.* Melanchthon eodem die seorsim Electorem plurimis verbis rogat, ut sibi, animæque & conscientiæ suæ, tum liberis dulcissimis, provinciisque suis parcat. Ach wie ein jämmerliches ding wäre es/ mit bösen gewissen Seel und Leib/ Land und Leute in solche fahr führen/ und nicht allein die menschen/ sondern auch Gott zum feinde haben. *Quam miserum esset, mala conscientia animum & corpus, tum subditos, in tantum inducere periculum, & hostes facere non homines modo, sed & Deum.* Addit, se hæc ex magna animi solicitudine & ex metu scribere, ne Evangelio ignominia existat. Sequenti die Latinas ad Pontanum literas dedit, iterum hortatus ad pacem, & eadem fere, quæ ad Electorem argumenta adducit, inter alia hæc habens: *Ego ita judico, nullum bellum posse bona conscientia suscipi, cum Deus obtulerit occasiones pacis faciendæ.* Et paulo post: *Ego, ex quo a vobis Torga discessi, pene cura & dolore consumtus sum. Hoc vehementius rogo vos propter gloriam Christi, quia certe in hac re gloria Evangelii periclitatur, ut, quantum potestis, sanciendæ pacis vias quæratis.* Monet etiam, morari Electorem non debere fœdus cum Landgravio pactum, injustum enim esse, si illud servetur, & bellum suscipiatur. Lutheri literæ hoc die scriptæ ejusdem sunt tenoris. Pertinent sine dubio ad hunc annum,

(d) *Transactio amicabilis.*

(e) *Cæsar Electorem objurgat.*

(f) *Quædam de Landgravio.*

An. 1528.

(g) *Lutheri & Melanchthonis literæ de causa Pacciana.*

An. 1528.

num, quæ *Tom. III. Alt. fol. 522.* leguntur, licet inter acta anni 1526. relata sint. Scheda enim Lutheri, quæ de fœdere Moguntino *d. loc.* inscribitur, inter acta Pacciana *Reg. H. fol. 29. O.* ipsius manu conscripta, invenitur. Eodem volumine alia ejusdem consultatio absque die extat, in qua ex sacris literis argumentatur, ad bellum non esse progrediendum, nisi oblatis prius hosti pacis conditionibus. Dubitat, an belli sumtus peti possint, & de iis transigendum esse, interventu Principum, qui pacem tractabant, suadet. Exemplum Regis Ezechiæ allegat, qui pacis redimendæ causa thesaurum templi exhauserit. Hæc Lutheri & Melanchthonis consilia eximie laudat *Baro VVildenfelsius*, literis Cassellis d. 22. Maji ad Electorem datis, & e contrario Landgravii, ad quem legatus erat, fervorem, quantumque ab eo periculum metuendum sit, Electori indicat, & cavendum esse monet. Cæterum parum abfuit, quin, capto Vilfordiæ Paccio altercatio inter Principes recrudesceret. Georgius enim Dux d. 27. Jul. 1536. (*Reg. H. fol. 112. n. 54.*) Electori scripsit, captivum non solum apud judices denuo negasse, quod fœdus illud finxerit, sed & dixisse, *se Johanni a Dolzig, Electoris Mareschallo, Lipsiæ indicasse, credendum non esse exemplo fœderis, quod Landgravius cum Electore communicasset; & dedecus reportaturos esse omnes, qui figmento huic fidem haberent; sibi etiam ex ipsius Landgravii relatione constare, quod Dolzigius ista ad Electorem retulerit.* Hæc Paccii dicta magnam culpæ partem in Electorem & Landgravium derivassent, si vera fuissent. Sed Elector d. 1. Aug. Landgravium per literas rogavit, ut Georgium a refricando negotio dehortaretur, idemque ab ipso Georgio d. 2. Aug. petiit, ne hominis toties in fraude & mendacio deprehensi dictis moveretur, prorsusque negavit, se ullum hac de re commercium per literas aut alio modo passurum esse. Cum tamen multa vulgarentur de Paccii dictis ante mortem, & quod in testamento non parum gravasset Electorem Johannem & Landgravium, sub initium anni sequentis Elector (*Reg. II. fol. 146. n. 70.*) Guilhelmum Comitem Nuenarium rogavit, ut exemplum testamenti procuraret, & mitteret; quod tamen Comes præstare non potuit. In iisdem vero literis Elector sancte testatus est, neque se, neque parentem suum quidquam in negotio illo gessisse, de quo Paccius conqueri, & culpam a se amoliri potuerit, Landgravium quoque ipsum defendit, negavitque illum quicquam cum Paccio commune habuisse, postquam tumultus, illius commento excitatus, finem esset sortitus.

(13) *Lutherus non putat, plane confictum fuisse illud fœdus.*

Ultimus tragœdiæ actus in Lutherum recidit ex Georgii Ducis vehementi in eum odio, quem tamen incautius tunc irritasse videtur. Suadebat quidem pacem, nec ipse Paccianæ relationi plenam fidem adhibebat, neque tamen plane conficta esse existimavit, quæ de fœdere illo spargebantur. Constat hoc ex epistolis, ad amicos scriptis: Nam ad *Johannem Hessum*, Uratislaviensium Pastorem, *Lib. II. p. 379.* hæc habet: *Fœdera impiorum principum, & eorum excusationes, sed glacie frigidiores, audivisse te puto, quibus nemo, nisi illorum pars, credit; denique Ducis Georgii proceres plane fatentur fuisse fœdus hoc non omnino chimæram, sed literas & exemplum præ manibus haberi, quod nunc vellent falso Principum nomine & sigillo fictum videri.* Et post pauca: *Mihi, talia fingi posse ab hominibus, non videtur possibile: deinde certum est, eos animo parato tale aliquid adhuc hodie libenter facturos esse, cum hactenus edictis, manu, & omni dolo & vi illud demonstrarint, ut non possint excusari.* Item ad *Amsdorffium* 13. Junii *p. 381.* At omnium acerrime in epistola ad *Wenceslaum Linccium*, Norimbergensem Ecclesiasten, scripserat Dominica post Barnabæ (14. Junii) in qua Georgii Ducis excusationem *frigidissimam* vocat, & pro confessione fere interpretatur. Addit: *Negent, excusent, fingant, ego sciens scio, non esse fœdus istud merum nihil, aut chimæram;* vocat inde Ducem, græcis vocabulis, *stultorum stultissimum*, aliisque prosequitur convitiis, vide *Lib. II. Epistolar. p. 387.* Eundem etiam in literis d. 14. Julii *rusticum* vocat, & *summum suum adversarium.* Georgius Dux exemplum literarum, de quibus dixi, d. 14. Jun. ad Linccium scriptarum, quas ille parum prudenter, ut *Melanchthon ep. 70. Lib. IV.* notat, de pulpito, recitaverat, nactus, die Mercurii Sim. & Judæ, id est, 28. Octobr. Luthero absque ulla salutis aut humanitatis significatione literas aut schedam potius misit, in qua ab illo postulat, ut clare respondeat, an talem epistolam, cujus avtographon mittit, ad Linccium scripsisset. Sed Lutherus d. 31. Octobr. respondens, *se ut subditum aut captivum tractari non debere*, monet, &, *patientiam suam jam satis tentatam esse*, dicit, *præfatione illa Ducis in Novum Testamentum Emseri*; petit submisse (gantz demüthig!) *ut literas illas apud alios potius, quibus mandare aliquid majori jure, quam sibi, possit, quam apud se quærat:* addit, *dolere se ob magnas Principis afflictiones, & pro iis avertendis orare velle, si is id pateretur.* Cum Lutherus sic respondisset, Dux mense Novemb. Secretarium *Heidium* Norimbergam misit, qui epistolam a Linccio posceret. Hic tam incautus fuit, ut D. Scheurlio illas traderet. Is Heidio ostendit, & ægre ab eo recepit Linccius, & illas postea combussit. Percipiuntur hæc ex Linccii ipsius literis d. 23. Decemb. ad *Jo. Fridericum Ducem* datis, in quibus tamen simul judicat, Lutheri literas ex divino Spiritu scriptas, & pro pia & justa censura habenda, quæ contra Georgium dicta sint. Sed Georgius per literas ad Electorem de insolenti Lutheri responso questus est, & hic apud Electorem ita se excusavit d. 25. Novembr. ut responsum suum paucis & generalibus verbis defenderet. Exemplum illud literarum correctarum, sed consentiente Luthero, ad Georgium missum fuit d. 11. Decembr. & sopita esse rixa videbatur, cum denuo exasperata fuit perlato ad Georgium Lutheri libello *de communione sub utraque*, hoc anno contra edictum quoddam Episcopi Misnensis publicato, (de quo postea dicam) *Tom. III. fol. 895.* In eo consilii Moguntini (de quo ad annum 1526. aliquid innuimus) ut veri, mentionem, & ita quidem fecerat, ut *proditorium* vocaret, & *cujus pudere fœderatos debeat.* Offendit hoc Ducem tanto gravius, quia satis elisam calumniam esse existimabat. Aliam ergo prolixam apologiam sub anni finem d. 29. Decembr. emisit, cujus compendium *Cochlæus* exhibet. In hac (*Tom. III. fol. 457. & seqq.* & apud Hortled. *d. l. fol. 800.*) Luthero ejusque doctrinæ acerbisime insultat, dein pluribus rationibus falsitatem diplomatis a Paccio producti arguit. Quid Lutherus regesserit, ut & *Cochlæi* invectivas in anni sequentis historia *§. LIII.* indicabimus. Reperitur prolixa ejus ad Electorem epistola, d. 31. Decembris data, (*Reg. N. Lit. H. n. 42. fol. 109.*) in qua significat, *se Georgii libro ita responsurum esse, ut una cum illo apologia sua prodeat*, ut & factum est: nactus enim erat amici

(14) *Ejus ad Linccium epistola.*

(15) *Georgius Dux literam Luthero movet.*

(16) *Lutheri memorabilis epistola ad Electorem de Georgio.*

An. 1528.

An. 1528. mici opera folia ex typographia statim, atque excudebantur. Multa vero notatu digna Electori proponit, quibus illum adversus Georgii intemperiem (sein wüstes wildes fürnehmen) instruat & consoletur; *proditurum enim esse proximis nundinis furiosum & stolidum Georgii libellum*, (ein närrisches und wütiges büchlein) *quo Elector ipse haud immerito commoveri possit. Traduci enim Principem in illo, quod Lutherum, hominem nequam & desperatum*, (einen verzweifelten buben/ ita enim vocabatur a Georgio) *in sua toleret ditione. Effert inde se*, ait, *Georgius in cœlum usque, & Electorem putat in sacco constrictum a se teneri. Prævenire igitur se dicit* Lutherus, petitque, *ut Elector sui causa absque omni sit solicitudine, & magna cum fiducia divini auxilii sese erigat, Lutherum vero absque ulla hæsitatione judicio sistendum offerat*, (wolten meine person ja getrost und frisch zu recht bieten) *si furere pergeret Georgius. Ego enim*, ait, *ut fas est, jugulum meum offerre malo, quam, ut tua Celsitudo vel minimum periculum mei causa adeat.* (will meinen hals lieber/ wie auch billig und recht/ daran setzen/ als daß E. Churfl. Gn. meiner person halben eines haares breit fahr stehe.) *Christus in me, Diabolus utut petulantem se gerat, virum se præstabit in causa & sermone.* (Christus wird in mir/ dem unnützen Teuffel mannes genug seyn/ beyde zu recht und zu reden) Capita deinde solatii, cui inniti Elector possit, amplissime explicat. *Primo*, quod is pacem & quietem, Georgius vero nil, nisi turbas, damna & cædes quærat, ut Evangelii oppressi gloriam sibi pariat: *Secundo*, certum esse, quod doctrina Evangelica (unsere lehre) sit ipsa veritas Dei (die rechte warheit Gottes) quam illi malitiose & contra conscientiam impugnant; quæsitis fucis ac prætextibus, quasi seditio doceretur. *Nulla crimina nobis imputant, ferrent potius omnia in nobis, sed ferre non possunt, quod verbum Dei & Christum prædicamus. Patet hinc, quod non nisi dæmones in partibus habeant, sicut nos non habemus, nisi angelos. Tertio* (pergit) *confidere possumus omnium piorum preces copiosas & efficaces pro nobis esse, adversarii vero non orant, sed insolenter minantur, numeroque & viribus superbiunt; nos vero Celsitudini Tuæ, capiti nostro politico charissimo* (als unserm lieben weltlichen haupt) *precibus nostris & omnium piorum ita assistemus, ut insolentes illi tyranni, qui neque precibus neque auxilio & solatio Dei, sed sua saltem fidunt potentia, nihil eorum sint effecturi, quæ moliuntur. Neque enim nostra quærimus aut agimus, sed pro Christo pericula subimus. Illi suam quærunt gloriam & potentiam, quæ tamen turpiter peribit, nisi Christus nihil sit, quem persequuntur.* (Es sey denn/ daß JEsus Christus nichts sey/ den sie verfolgen/ so soll ihr trotz mit schanden ein ende nehmen) Jubet deinde Electorem, *ut periculis assuefiat; paratos enim omnes pios esse debere etiam ad mortem pro Christo subeundam. Confidas modo*, ait, *patimur mala a mundo absque culpa, at illi absque causa Deum impugnant. Scribo hæc ex sincero affectu, nolim enim Celsitudinem Tuam nimis angi; peccatores quidem sumus, sed in hac causa, contra quam illi furunt, bonam habemus conscientiam. Jus & fas penes nos stat; penes illos nil, nisi injuria & nefas est.* Magnus in his literis spiritus est, nec eventu falsus. In pace enim obiit Elector pie & placide; Georgius post annos decem inquietam & miseram vitam infeliciter finiit. Epistola etiam Lutheri *ad Linccium*, quæ *Lib. II. Epistolar. p. 390.* absque die exhibetur, ad finem hujus anni referri debet, in qua & *comperisse se* dicit, *Georgium meditari illam apologiam 8000 exemplis excudendam.* Fuerunt & præter Lutherum, qui non plane fundamento caruisse fœderis illius rumorem arbitrarentur; inter quos tamen *Sleidanum* perperam referri a maledico ejus antagonista *Gennepo*, Hortlederus notat *d. Tom. I. Lib. II. cap. 9. fol. 800. Spalatinus in hist. MS.* ad ann. 1528. miseretur Paccii, qui Uratislaviense fœdus ad Germaniæ & Christiani orbis salutem revelaverit, magno suo malo & cum capitis jactura, quam aliquot post annos in Belgio incurrit. Der arme mann hat das breßlauische bündniß teutscher nation und der gantzen Christenheit zu gute gemeldet/ zu seiner grossen Beschwerung/ darüber er endlich in Niederland um Leib und Leben kommen. Nunc, quæ hoc anno 1528. prorsus omisit Maimburgius, inserenda sunt. An. 1528.

(17) *Item ad Linccium.*

§. XXXVI.

Primum merito locum poscit narratio de *visitatione Ecclesiastica*, quam quidem anno præcedenti cœptam esse, constat, sed hoc non solum continuata, sed & publicato *visitationis decreto* confirmata, & maxima ex parte absoluta fuit. Mandatum sive instructio visitatorum pie & diligenter conscripta extat *in Archivo Vinariensi Reg. Jj. fol. 42. lit. A. n. 3.* Ejus præcipua contenta hæc sunt: Proponendum esse nobilitati, magistratibus oppidorum, pastoribus, diaconis, ludimagistris, & delectis ex incolis, quantum beneficium Deus hoc ultimo tempore regionibus hisce exhibuerit, data verbi sui luce, motisque animis hominum ad eam accipiendam, unde omnes obligati sint ad summas gratias, verbo & opere, divino numini agendas. Deplorandum tamen esse, quod haud pauci nondum locum dederint puræ Evangelii prædicationi & legitimo Sacramentorum usui, sed veteres abusus cum contemtu Dei & salutaris verbi ejus retineant: ex illis vero, qui hoc beneficium receperunt, multi parum gratos sese ostendant, nec pastoribus & prædicatoribus salaria, quæ merentur, lubenter præbeant, ut metuendum sit, ne Deus verbum suum ob ingratitudinem hanc auferat, & concionatores deficientibus alimentis subsistere non possint. Monentur itaque omnes, ut rem gravissimam ad animum revocent, & ad ea, quæ proponuntur, paratos & obsequentes se præstent. Jubentur inde visitatores, ut de doctrina & vita pastorum inquirant. Si reperiant, qui ex Papismi veteris, in quo vixerunt, ruditate, ad docendum verbum Dei & Sacramenta legitime administranda ita inepti sint, ut bona conscientia cœtuum cura committi illis non possit; ea tamen sint ætate & conditione, ut aliud genus vitæ, quo alantur, instituere nequeant, iis ex reditibus parochiarum de alimentis ad vitam prospiciant, aut cum honesta aliqua largitione illos dimittant, ne vacui & inopes expellantur; in horum locum pios & doctos substituant. Si quos deprehendant, qui prava

(1) *Mandatum de visitatione Ecclesiarum in Saxonia.*

An. 1528. prava doceant, illos exautorent & pro modo admissi puniant: loco etiam moveant recta quidem docentes, sed male viventes. Eos qui emendari possint, ferant, aut in alium locum transponant, correctionis & profectus causa. Admoneant omnes, qui in officio manent, ut verbum Dei ea simplicitate, quæ huc usque in provinciis hisce recepta fuit, porro doceant; qui noxias opiniones fovent, & publice proponere satagunt, illos excedere regione jubeant: licet enim neminem ad fidem cogere Princeps velit, tolerare tamen illos non posse, qui seditiones & motus excitent, & qui id præfracte faciant, custodiendos & pro merito coërcendos esse. Si qui ex plebe non recte de religione sentiant, instruendos esse; si vero emendari non possint, tempus illis præfigi debere, intra quod sua vendant & abeant, reservata in contra nitentes animadversione. Pastorum & docentium in templis & scholis numerum, ubi opus est, augeri vult. Diligenter indagandos & describendos esse præcipit omnes parochiarum, beneficiorum, & monasteriorum vacantium reditus, & salaria ex iis templorum & scholarum ministris constituenda. Excipit tamen beneficia, quorum conferendorum jus ad Principem pertinet, si reliquorum fructus, aut, quæ parochianis injungi possunt, collationes, ad stipendia non sufficiant. Æquum esse, ait, ut omnes loco tot exactionum, quas a sacerdotibus missaticis & monachis mendicantibus antehac passi sunt, aliquid ad ministerii sustentationem corrogent. Ubi id ob inopiam & paucitatem hominum fieri non possit, aut ex pinguioribus in vicinia parochiis contribui aliquid ad sublevationem tenuiorum nequeat, tum Principem ex beneficiis sibi reservatis subventurum esse. Considerare etiam monentur visitatores, an ex beneficiis, quorum collatio ad nobiles vel privatos spectat, pars quædam, tertia forte, seponi, & ad sublevandam patronorum, si quæ sit, egestatem, aut ad juvanda adolescentum studia literaria, vel ad elocandas patronorum filias impendi possit. His actis, publicare jubentur ordinationem & methodum, quam pastores & magistri scholarum sequi debeant. Adversus morosos sacrorum redituum debitores, promta imperatur executio, constitutis viris per oppida & pagos, qui id curent, ne pastores si ipsi exigant debita, cum parochianis collidantur. Adduntur aliæ utilissimæ provisiones de ædificiorum sacrorum conservatione; de hospitalibus & eleemosynis; de constituendis Superintendentibus, ex urbium primariarum pastoribus; de referendis ad hos causis matrimonialibus, ut adhibitis viris doctis eas decidant, vel ad Principem referant. Statuuntur multa de disciplina & animadversione contra malos mores & vitia popularia, ebrietatem, aleam, inertiam, & promiscuam mendicandi impudentiam, ita tamen, ut emendationi hominum studeatur, non vero lucrum ex mulctis quæratur. Monachis, qui alicubi, Vinariæ potissimum, supererant, propositum est, ut Evangelicam veritatem agnoscerent; assignata etiam iis sunt alimenta, ex vacantium beneficiorum reditibus, sublata mendicandi licentia. In virgines quoque, quæ adhuc in monasteriis erant, inquisitum est, quomodo viverent, & in evangelica doctrina proficerent, atque a rixis abstinerent. Omnes hujus visitationis sumtus in se recepit Princeps, ut ex Quæstorum rationibus (*dict. Reg. JJ. fol. 78. B. 1.*) constat, unde nequiter calumniatur *Cochlæus*, nescio quid de sumtibus illis muginatus. Merentur etiam nomina virorum memoriæ tradi, qui egregium visitationis laborem, a Principe injunctum, susceperunt. In Saxonia quidem, quæ proprie sic dicitur, Electorali, & præfecturis Misnensibus, quæ Electori parebant, puta, Torgaviensi, Eulenburgensi, Grimmensi, Colditiensi, Leisnicensi, aliisque constituti fuerunt *D. Martinus Lutherus*, substitutis illi, si impediretur, *D. Justo Jona*, & *Johanne Pomerano:* Ex ordine politico *Johannes Mezsch*, præfectus Wittenbergensis, *D. Benedictus Pauli*, *Bernhardus ab Hirschfeld*, *Johannes a Taubenheim*. In regione, quam vocabant, Australi, (in Osterland) quo referebatur Altenburgensis & Zuiccaviensis districtus, itemque in Voigtlandiæ præfecturis, Plaviensi & Voigtsbergensi, *Anaricus Baro VVildenfelsius*, *Sebastianus a Kotteriz*, *Daniel a Feilitsch*, *Eobaldus a Brandenstein*, *Henricus ab Einsidel*, *Dietericus a Starschedel*, præfecti aut consiliarii; ex Pastoribus vero *Georgius Spalatinus*, Altenburgensis, *Antonius Musa*, Jenensis, *VVolfgangus Fusius* Colditiensis. Thuringiæ, in qua initium factum est, visitatores fuerunt, *Johannes a Planiz*, Eques, *D. Hieronymus Schurfius*, *Erasmus ab Haugwiz*, *Philippus Melanchthon*, *Fridericus Myconius*, Gothanus & *Justus Menius*, Isenacensis Pastor. In Franconia, qua Saxonici juris est, *Johannes a Sternberg*, *Johannes Schott*, Equites, *Sylvester a Schaumburg*, *Nicolaus Kind*, Pastor Eisfeldensis, dein *Johannes Langer*, Coburgensis, & concionator ejusdem oppidi, *Balthasar Thuringus*. Asservantur in *Archivis* integra Actorum volumina, ex quibus cognoscuntur nomina & merita pastorum, descriptiones parochiarum & redituum, ut & jurium patronatus, tum decisiones controversiarum & casuum quorundam singularium.

(1) *Nomina visitatorum.*

An. 1528.

ADDITIO I.

(a) *Specialia de visitatione civitatis Altenburgensis.*

Altenburgi (*Reg. JJ. fol. 1. n. 1.*) Senatus querebatur, civitatem adhuc oneratam esse sacerdotibus & monachis utriusque sexus; inter eos Guardianum Franciscanum hominem esse maledicentissimum, qui in pagos excurrat, & illis adsit, qui veteri superstitioni inhæreant, & Episcopi Numburgensis mandata alleget. Evangelium quidem jam septem annis in urbe prædicatum esse, ita, ut vix decem ex incolis superfint, qui ceremoniis Papismi dediti sint; valde tamen refractarios & importunos paucos illos esse, & nescio quid minari, quod hoc anno contra reformationem expectandum fit: id ad fœdus a Paccio revelatum vel confictum pertinebat. Visitatores non, nisi verbis & admonitionibus, remedia incommodis illis adhibuerunt. Regularibus S. Augustini exprobrarunt, quod hostiam adhuc captivam sive inclusam tenerent, tonsurisque & stolis suis publice uterentur. Interrogantibus vero illis, an Princeps ista mutari juberet? responsum fuit, non jubere, nec quonquam vi cogere, exhortari autem omnes, & ipsi veritatem & puritatem agnoscerent, & sequerentur. Ita nihil violenter actum, sed hominum infirmitati tempus indultum fuit: unde factum est, ut plerique brevi post tempore reformationi se submitterent, contumaces autem sponte abirent. Ministerium Evangelicum jamdudum in urbe constitutum erat, idque salaria ex Ecclesiis collegiatis consensu Canonicorum accipiebat. Pastor erat *Georgius Spalatinus*; concionator *Eberhardus Brisgerus*,

An. 1528.

Prior quondam Augustinianorum VVittenbergensium; Diaconi, *Erhardus Steinbach*, & *Benedictus Bergmann*. Transactum fuit cum Commendatore Thuringiæ (dem Land-Commendur) Ordinis Teutonici, *Nicolao ab Utterod*, qui requirentibus Visitatoribus Altenburgum venerat, ut quadraginta florenos annuos ex Commendæ Altenburgensis reditibus ministerio præberet; idem Plaviensibus centum & sexaginta assignavit. Promtus etiam fuit *Abbas Posaviensis* sive *Bozensis* prope Cizam ad decimas quasdam, pastoribus in præfectura Altenburgensi tribuendas. Major disceptatio fuit cum *Benedicto Episcopio* (Bischoff) Præposito D. Georgii Altenburgensis, antequam aliquid ad ministerii in pagis sustentationem decerpi sibi pateretur. Centum fere parochiæ tunc in districtu Altenburgensi erant, antequam pactis postea inter Principes secutis pars quædam separaretur, Bornensi Ephoriæ adscripta. Inter illarum pastores non nisi quatuor inventi sunt a Visitatoribus, qui missas adhuc veteri ritu celebrarent. Viginti fere rudes & inepti, multiq; concubinarii & potatores deprehensi sunt. *Erhardus Matthiæ* Hainæ in æde parochiali Evangelico more docebat, in filiali, quam vocant, missificabat. Pauci tamen dimissi sunt, retentis, qui emendationem doctrinæ & morum promitterent, & concubinas abigerent, vel in matrimonium ducerent. Notandum est, sub Friderico Electore, & prioribus Johannis, qui Fratri successit, annis nemini ex Nobilitate imperatum fuisse, quales pastores vocaret. Licet itaque plurimi tales quærerent, qui VVittenbergæ Theologiæ operam dedissent, numerum tamen sufficientem præstare VVittenbergenses non poterant, & quædam parochiæ non vacabant, unde factum est, ut usque ad visitationis tempus vocationes istæ liberæ & indifferentes essent. Neque tamen ex Nobilitate hujus regionis repertus est, nisi *Gothofredus ab Ende*, Lohmæ & aliorum prædiorum Dominus, qui Papismo addictus esset, neque adhortationes Visitatorum admitteret. Liceat mihi oppiduli, in quo Deus senectuti meæ huc usque otium non inhonestum concessit, gratia & memoriæ causa, ex Actis annotare, quod nullus ex pastoribus Altenburgensis Ephoriæ elogium tunc retulerit, quale Visitatores pastori *Meuselwizensi* dederunt, *Antonio* nempe *Zimmermanno*, quem vocant *virum pium & doctum*, (einen frommen und gelehrten Mann.) Vocatus fuerat a *Günthero a Bunau*, tunc arcis & oppidi Domino, & Evangelii causa ex Georgii Ducis ditione pulsus erat, ex oppidulo *Teuchern*. Finita fuit Altenburgensis visitatio d. 22. Decembris, constitutis & ordinatis omnibus. Vetuerunt Visitatores, pro statu rerum, quem invenerant, communionem sub una. Pretium ablatorum rustico tumultu calicum & aliorum vasorum sacrorum solvi ex fiscis Ecclesiarum (denen Kästen) jusserunt. Quicquid redituum ex obitu Canonicorum & Vicariorum Altenburgensium vacabat, aut vacaturum erat, ad stipendia Nobilium, & civium filiis destinarunt. In monasterio virginum Remissensi, Schönburgicæ ditionis, reluctante licet Præposito, concionatorem Evangelicum constituerunt. In monasteriis Thuringiæ, Vinariensi & Heusdorfensi repertæ sunt virginum non paucæ, veteri superstitioni adhuc deditæ, licet jam aliquot annis concionatores Evangelicos audivissent. Toleratæ sunt omnes, & alimenta acceperunt. Gothæ in Collegio Canonicorum supererant, *Georgius a VVangenheim*, Præpositus, tum Scholasticus & Cantor, Canonici XII, Vicarii XXXII, Chorales VII. qui a missis abstinebant, & conciones evangelicas admittebant, illis nihil ablatum est. Isennaci eodem modo actum, ubi reperti sunt, Decanus, Scholasticus, Cantor, Canonici VII, Vicarii XXIII. Sed his, quod a missarum ritu destitissent, reditus, quos in Georgii Ducis ditione habebant, denegati sunt. Negotium exhibuit Visitatoribus *Michael, Abbas Burgelensis*, qui post tumultum rusticum, indultum sibi esse a Commissariis Electoralibus dicebat, ut sacra veteri more faceret. Jactabat, quod olim apud Fridericum Electorem gratia valuisset, ejusque hortatu ex monasterio S. Georgii Naumburgensi, Burgelam transiisset. Neque tamen adversus hunc severe egit Elector, sed visitatoribus d. 14. Decembris rescripsit, ut bonis monitis & exhortationibus hominem emendare anniterentur, ne Principem calumniis oneraret, ut antehac fecisse dicebatur.

(b) *Quædam de actu in Thuringia.*

Absolvi hoc anno visitatio in omnibus provinciis non potuit, sed quibusdam in locis ad annum sequentem dilata fuit. *Zuiccaviæ*, mense Februario 1529. repertus est *Paulus Lindnerus* sive *Lindemannus* concionator, Senatui vehementer invisus, ob sermones contumeliosos & nimis asperos, tum intempestivam ceremoniarum quarundam indifferentium improbationem. Vocaverant eum cives, dissimulante Magistratu. Quamvis Lutherus anno præterito multum laborasset, ut eum cum Senatu conciliaret, obtinere tamen id non potuit. Ideoque a Visitatoribus aliam conditionem sibi quærere jussus fuit, & impetratum est ab Electore, intercedente Luthero, ut in vicino oppidulo *Elsterberga* toleraretur, ut patet ex literis Lutheri d. 23. Aprilis 1529. ad Johannem Fridericum Ducem datis. (*Reg. JJ. fol. 49. A. 5.*) In his scribit, consultius esse, ut in territorio Electorali retineretur, quam nimio cum rigore exactus, alibi licentius ageret. *Misnenses* præfecturæ non nisi anno 1529. mense Majo & Junio visitatæ fuerunt. In *VVittenbergensi* tractu factum id mense Octobri 1528, præsente Luthero, ut ex literis ejus *Lib. II. Epist. p. 390. & sq.* constat. In *Thuringia Australi*, sive præfecturis ad Salam, Orilam & VVeidam initium anno 1527. fieri cœperat, sed absolutum fuit negotium anno demum 1529. Cum monasteriis illius tractus eodem modo, quo alibi, actum est. Tolerati sunt *Mildenfurti* prope VVeidam plus, quam triginta monachi, tres tantum aut quatuor malæ notæ homines abire jussi. Morigeræ satis repertæ sunt virgines sacræ in cœnobiis *Rhodensi* & *Lausnicensi*. In districtu *Jenensi* ex parochis LXXV, decem aut duodecim ob summam imperitiam, vel potius pertinaciam, dimissi sunt, tolerati ex mediocribus multi, quamvis non nisi ex postillis conciones prælegerent. Salfeldæ *Casparo Aquilæ*, concionatori, pastoris officium demandatum fuit, reducto ad Diaconi locum pastore indocto. Franciscani illius urbis frustra moniti sunt, ut ab erroribus suis desisterent, provocabant enim ad comitia Imperii, aliaque causabantur: neque tamen molestia illis exhibita est, sed Deo commendati sunt, ut Visitatores annotarunt. Man hat sie Gott befohlen. Usurarum pravitas in reditibus ecclesiasticis tanta in multis locis reperta est, ut decima fortis pars pensionis annuæ loco exigeretur: inde domus & agri deserebantur. Huic malo ita occursum est, ut reliqua pensionum cum quinta fortis parte debitoribus remitterentur, sors particulatim solvenda determinaretur. *Johannes Henricus*, Comes Schwarzburgensis, visitationem in præfectura *Rudelstadiana* & finitimis, quas Imperii jurisdictioni subesse dicebat, non admisit, pronum tamen se ad Evangelii doctrinam professus.

(c) *item Zuiccaviæ.*

(d) *in Thuringia Australi & alibi.*

Peracta maxima ex parte anno 1527. in Thuringia & regione Australi visitatione, ab Electore d. 3. Januarii 1528. ordinatio doctrinæ & rituum sive libellus visitatorius, a Melanchthone compositus, antequam typis publicaretur, denuo ad Lutherum missus est. (*Reg. JJ. fol. 49. A. 5.*) Scribit autem Princeps: *Notum esse Luthero, quomodo cum aliis viris doctis ad ulteriorem deliberationem de illo libello in aulam vocatus fuerit, utque receperit præfationem, qua rei series enarraretur, in eum conscribere, totumque relegere, &, ubi opus esset, corrigere & supplere* (Es ist die abrede gewesen / daß ihr eine vorrede machen woltet / die auff einer narration stehen solte / so woltet ihr alsdenn auch dieselbige gestellte unterrichtung noch einst mit fleiß übersehen / und / was ihr befinden würdet / daß nochmahls zu ändern / oder darzu und darvon zu thun seyn solte / auffs schicklichste machen. Poscit igitur, *ut hoc jam præstet,* quem-

(e) *Lutherus de libello visitatorio ab Electore consulitur.*

An. 1528. *quemadmodum per Dei gratiam sciat & possit*; (wie ihr von der gnade Gottes zu thun wisset) speciatim vero *examinaret, quæ de usu sacræ cœnæ conscripta essent, & an illa publicari, aut pastoribus solum indicari satius esset.* Idem quærit *de prohibitione graduum conjugii*, ne adversariis occasio daretur, incolis Electoratus, qui matrimonia, non observatis legibus Pontificiis, contraherent, aut eorum liberis, controversiam de successione bonorum extra provinciam movendi. *Videtur*, (ait Elector) *non multum interesse populi, ut leges istæ nunc publicentur, & sufficere forte posset, pastores a visitatoribus instrui, ut populum de libertate illa, & quæ commoda aut incommoda emergerent, si intra quintum gradum conjugia contraherent, informarent; item, an expediat matrimonia cum vidua fratris, aut sorore uxoris, jure Cæsareo prohibita, publicis edictis hoc tempore vetare*; alia denique a Spalatino consignata mittit, & ad ea Lutheri responsiones postulat. Obsecutus est ille, & inprimis in articulo de Sacra Cœna formulam misit, quæ libello visitatorio sive instructioni pastorum, de qua mox dicemus, *Tom. IV. fol. 397.* exacte inserta est a verbis: Denn nachdem das heilige Evangelium &c. usque ad verba, dieweil dieser Articul, mutatis paululum reliquis. Neque enim tam rigidus erat Lutherus, ut omnia sua verbotenus retineri flagitaret, immo in fine monitorum, quæ Electori misit, expresse scribit: *Hæc vel similia dicantur, & ex iis demantur vel addantur, quæ per Dei gratiam probabuntur.* Jam ipsius ordinationis & instructionis compendium referendum est, excusa enim fuit hoc anno 1528. sub titulo: Unterricht der Visitatoren an die Pfarrer im Churfürstenthum Sachsen / id est, *Informatio pastoribus in Electoratu Saxonico a Visitatoribus præscripta*, & extat *d. Tom. IV. Alt. fol. 389. & sqq.* Vocatur etiam *libellus visitatorius*, das visitation büchlein / ab ipso Luthero in renovata & emendata editione an. 1538. *Tom. VII. fol. 1.* Præloquium Lutheri stylo, ut dixi, conscriptum fuit. Allegat ante omnia visitationis exempla ex Novo Testamento, Petri nempe *Act. IX. 32.* Pauli & Barnabæ *Act. XV. 36.* Apostolorum, Petrum & Johannem mittentium *Act. VIII. 14.* immo & ipsius Christi circumeuntis. Dein ex Veteri Testamento Samuelis, Eliæ, & Helisæi. Postea Episcoporum, qui ipso nomine suo visitationis officium indicant, vetus institutum & morem laudat, quod pastores & populos sibi commissos olim visitaverint, neque tamen tacet, quomodo ab Episcopis fastu seculi insolescentibus, salutare & necessarium hoc visitationis officium neglectum, & vicariis, ab initio quidem Canonicis capitularibus, quos vocant, deinde, cum & hi otio torperent, officialibus demandatum fuerit. *At hi*, ait, *citationibus vexabant homines in causis nummariis, neminem autem visitabant. Tandem vero* (pergit) *eo delapsa est disciplina, ut etiam Dominus officialis* (der Juncker Official) *domi desideret, & nebulonem quendam per oppida & pagos visitantem mitteret, qui audita in popinis, aut a delatoribus suggesta officiali referebat; Is postea pro munere suo exactorio* (nach seinem schinder-ampt) *nummos corradebat ab innocentibus, quos honore & fama spoliabat, unde cædes & alia mala orta sunt. Reliquum etiam mansit nomen synodi* (die Send) *id est, ut loco synodorum, visitandi causa ab Episcopis habendarum per missionarios illos, nil nisi artes plebem pecunia emungendi exercerentur, tum excommunicationibus sæviretur, aut aliquando ordo antiphonarum & versuum in templis cantandorum renovaretur. Nemo* (ait) *curabat, quid doceretur aut crederetur, vel quomodo Christiane & secundum charitatem viveretur, aut pauperibus prospiceretur, solatia infirmis, censuræ profanis adhiberentur, neque alia ad officium pertinentia. Non nisi heluones erant, qui devorabant, quæ aderant, nec quidquam quod non damnosum esset, agebant, ita, ut sanctissimum illud Episcopi & visitatoris munus in ludibrium versum sit. Nullus ordo sive status hominum purus & illibatus mansit, tot sectæ, quot collegia & monasteria, ortæ sunt, oppressa interim Ecclesia, extincta fide, versa in rixas & bella charitate, Evangelio occultato, & ejus loco introductis humanis ordinationibus somniisque. Quid igitur mirum, si Satanas larvis suis omnia repleverit, cum nemo opponeret autoritatem aut industriam. Quid enim in primitiva etiam Ecclesia diligentissima Apostolorum cura profecerit, ex Pauli querelis ad Corinthios, Galatas, & Thessalonicenses constat. Quid igitur comedones, lurcones, ventres illi pigri, efficerent? Nunc restituta per divinam misericordiam Evangelii luce, & deprehensa fœda illa Christianæ Ecclesiæ confusione desideravimus quidem, ut verum illud Episcoporum & visitationis munus reduceretur, sed, cum nemo nostrum vocaretur, aut juberetur, tantum opus aggredi, submisse petiimus a Serenissimo Electore. JOHANNE Saxoniæ Duce, Principe regionis indubitate a Deo constituto, licet lege humana ad id non obligetur, ut ex charitate Christiana, & propter Deum, Evangelii & salutis subditorum curam susciperet, & graves quosdam viros ad hoc negotium delegaret. Petitis annuit Princeps, & Johannem a Planiz Equitem, Hieronymum Schurfium Juris consultum, Erasmum ab Haugwiz (hos nempe in Thuringia, alios in aliis districtibus) & M. Philippum Melanchthonem mandatis instruxit.* Optat, ut exemplum hoc omnes Germaniæ Principes cum fructu imitarentur. Addit postea: *Quia diabolus divina opera non potest inviolata relinquere, jam per inimicos nostros multa in instituto hoc nostro sugillare cœpit, ita ut quidam glorientur, pœnituisse nos doctrinæ nostræ & plurima retractasse. (utinam modo ipsi ita revocarent) Igitur decrevi, omnia, quæ visitatores egerunt & Serenissimo Electori in scriptis exhibuerunt, ab ipsis diligenter collecta & ad me missa, typis publicare, ut omnibus constet, nos nihil clanculum agere, sed in lucem latos prodire. Non edimus hæc, ut præcepta rigorosa, nec Pontificia decreta denuo cudimus, sed historica & acta referimus, & confessionem & symbolum fidei nostræ. Speramus tamen, omnes pios & modestos, pacisque studiosos pastores, quibus ex admonitione Pauli (Phil. II. 2.) unanimitas doctrinæ evangelicæ cordi est, agnituros curam Principis nostri, nostramque charitatem & bonam intentionem, neque eam superbe contemturos, sed potius ex genio charitatis sponte secuturos esse, donec meliora Spiritus Sanctus per illos aut nos ostenderit. Qui hic resistere* absque

(4) Lutheri responsum.

(5) Editio libelli.

(6) Præfatur et Lutherus.

(7) Queritur de visitationis neglectu.

(8) Rationem nunc institutæ exponit.

An. 1528.

An. 1528. *absque fundamento, & ex malitiosa obstinatione velint, eos sinemus seipsos, ut paleam a tritico, separare, neque tamen opem Principis implorare penitus negligemus. Quanquam enim illi regimen Ecclesiæ non est mandatum, curare tamen supremi magistratus merito debent, ne contentiones & schismata inter subditos oriantur, idque Constantini* (quod allegat) *exemplo, Episcopos Nicæam convocantis.* Votum addit *pro unanimitate, eique summa diligentia studendum esse*, ait, *neque tamen sic diabolum cessaturum esse, ab astu & malitia sua.* Hæc Lutherus in præfatione. Libellus ipse octodecim continet rubricas, sive capitum distinctiones, sed non admodum accurate conceptas. Earum summa omnino referenda est. *Cap. I.* quod *de doctrina* inscribitur, admonentur pastores & concionatores, ut *doctrinam de pœnitentia, sive de agnitione peccatorum, & ex ea oriente contritione & timore judicii divini, a doctrina de fide non separent, ne plebem ad securitatem deducant, ut ea remissionem peccatorum se obtinere credat, absque pœnitentia & contritione. Hic error*, ajunt, idque infra repetunt, *omnibus hucusque inveteratis deterior esset. Integre ergo doceri debet Evangelium, nihil addendum, ut a Pontificibus plus satis factum esse merito querimur; sed & nihil detrahendum. Exhortati itaque sumus pastores, ut plebem de peccatis manifestis arguant, & a falsa sanctimonia ad veram ducant pœnitentiam. Quamvis enim nihil prius, quam de fide docere velint, sed pœnitentiam ut sequelam fidei, proponere, ne adversarii nobis imputent ac si doctrinam nostram revocaverimus; considerare tamen debent, pœnitentiam & legem, ad fidem (quatenus notitia est credendorum) pertinere (credi enim debet, Deum esse, qui minatur, mandat & terret) & rudi plebi proponenda est in tractatu de fide, etiam pœnitentia, lex, timor &c. ut tanto distinctius intelligat, quid sit fides justificans Rom. III. 28. & quid sit lex & pœnitentia, & a quæstionibus inutilibus abstrahatur.* Cap. II. *de lege*, idem specialius tractant, & *explicari* jubent *decalogum, & exaggerari peccata in eo prohibita, eorumque pœnas. Si enim agnoscant homines peccata, etiam de iis pœnitere & remissionem eorum per fidem in meritum Christi sibi dari credere debent: hæc est divina fides, quæ justificat coram Deo, sed monendus est populus, illam non esse sine seria pœnitentia & contritione. Principium enim sapientiæ timor Domini. Ps. CXII. &, cor contritum respicit Deus. Ef. ult. Hoc sæpe*, ajunt, *inculcari debet, ne quis putet se fidem habere, a qua tamen procul abest, item, quod vera pœnitentia sit ex fide, sive in fide, & quod fides absque pœnitentia non sit vera sed picta. Fides enim solatium & gaudium afferre debet, at hoc sentiri non potest, nisi prius sentiatur contritio. Pauperibus enim prædicatur Evangelium. Duæ sunt partes fidei sive religionis Christianæ, pœnitentia nempe, sive contritio ob peccata, dein fiducia de remissione peccatorum, tertia est vitæ christianæ sive bonorum operum exercitium, quorum præcipua recensentur. Bona autem sunt, quæ a Deo præcepta & proximo utilia sunt.* Occasione secundi præcepti caput tertium constituunt, *de oratione* seu *precibus, quæ ad solum Deum, non ad Sanctos dirigendæ sunt, nec valent, nisi a pœnitentibus & credentibus fiant. Doceri autem volunt populum, quod præceptæ sint preces, ideoque minime intermittendæ.* Pergunt ad *tertium* præceptum *de celebratione festorum. Illam, etsi nobis non æque ac Judæis incumbat, præstari tamen debere dicunt, ut tempus constituatur audiendo verbo divino, & ad cœtum publicum.* Ex præcepto etiam *quarto* obedientiam, & *honorem parentibus, senioribus, & magistratibus debitum*, deducunt, &, occasione promissionis ei annexæ, *inutilibus quæstionibus, de meritis bonorum operum, rudes obrui nolunt, sed moneri, ut ea faciant, quia Deus præcepit & iis præmia constituit:* Proponunt etiam exempla ex scripturis, punitæ rebellionis & impietatis, idque caput (memores rustici tumultus) prolixe tractant, & obsequium, etiam erga Dominos duriores exigunt; Magistratus tamen commonefaciunt, ut potestate sua recte utantur. Lege Mosaica forensi negant Christianos obligari, & usum juris Cæsarei & provincialis, licet in quibusdam capitibus v. g. de suspendendis furibus rigidiorem, præferunt. Hæc & alia adversus maleferiatos urgere se dicunt, & adversus tributorum detrectatores, qui ante triennium, prætextu legum Moysaicarum, seditionem excitaverint, merito puniti & puniendi. *Quarto* de cruce sive tribulatione patienter toleranda breviter agunt. *Quinto* Baptismi utilitatem indicant, & infantibus Christianorum, quia in fœdere divino comprehenduntur, conferri eum debere, & Germanica, id est, populari lingua administrandum esse statuunt. De *chrismate* rixandum esse negant, verum chrisma autem esse unctionem Spiritus Sancti. *Sexto* tractant de Sacramento *Eucharistiæ*. An. 1528.

(9) *Libelli cap. 1. de doctrina, sive de pœnitentia & fide.*

(10) *Cap. 2. de lege & contritione.*

(11) *cap. 3. de oratione.*

(12) *de concionibus.*

(13) *de obsequio erga magistratus.*

(14) *cap. 4. de cruce.*

(15) *cap. 5. de baptismo.*

(16) *cap. 6. de sacra cœna.*

ADDITIO II.

In libello visitatorio Lutheri censuræ, ut diximus, denuo subjecto, nullus articulus majorem mutationem passus est, quam qui *de Sacramento cœnæ* conceptus erat. Ad articuli quidem principium §. Erstlich daß sie glauben rc. nihil monuit. Statuitur in illo, in pane verum esse corpus Christi, in vino verum ejus sanguinem; adducuntur verba institutionis ex Evangelistis & D. Paulo, & additur, nisi verum corpus, sed tantum verbum Dei, ut quidam explicent, intelligatur, tunc non fieri distributionem corporis Christi, sed tantum verbi & spiritus, citatur etiam locus Pauli *1. Cor. XI.* ubi judicium minatur indigne sumentibus corpus Domini. Evitata hic fuit Helvetiorum opinio, qui signum corporis adesse dicebant, (nam de verbo & spiritu Anabaptistæ loqui solebant) sed Melanchthonis stylum toleravit Lutherus, & sua tantum inseruit a verbis: Denn nachdem rc. usque ad verba: Doch weil dieser rc. ut ex autographo ejus probatur. In his asserit divinam utriusque speciei institutionem, eamque libere, pure, directe & palam, stracks/ frey/ rein und öffentlich/ docendam esse contendit, coram auditoribus omnibus, infirmis etiam & pertinacibus, reprehendi vero debere unius speciei distributionem, ut contrariam institutioni atque testamento Christi. Addit postea: *Quia nemo ad fidem cogendus, aut ab incredulitate præcepto & vi retrahendus est, neque Deo placere potest cultus coactus, & populus per universalem unius speciei usum tamdiu durissime constrictus fuit.* (hart gefangen gewesen) *Non potest facile, ob diversum hominum captum, definiri, quibus utraque species porrigi aut negari debeat, neque praxis doctrinæ, verissimæ licet & liberrimæ, præcise nunc imperari; cum multi sint, qui vehementer adhuc dubitent & hæreant.* Ideo ait: *Diei horas suas duodecim relinquemus,*

(a) *Lutheri monita & stylus de Sacramento in libello visitatorio.*

An. 1528.

mus, & Deo causam commendabimus. Hæc, ut dixi, Lutheri manu Germanice & paulo fusius scripta extant, & in editione libelli reperiuntur, reliqua quæ *dictum* §. doch weil dieser :c. *ad finem usque* sequuntur, illius non sunt, attamen ab eo probata. Continent autem (1) repetitionem doctrinæ de utraque specie, omnibus serio inculcandæ. (2) Concessionem unius ad tempus, pro iis, qui non ex pertinacia, sed ex conscientiæ imbecillitate utramque speciem recusarent; additur prolixa conniventiæ hujus excusatio ex dictis & exemplis Apostolicis. Excluduntur autem ab hac dispensatione contumaces & contradicentes, qui doceri se non cupiunt, & subjungitur ampla dissertatio de salutari Sacramenti usu. Ista vero omnia, quæ de tolerantia infirmorum tunc statuta sunt, in repetita post annos decem libelli hujus editione omissa esse §. *XXXVII.* indicavimus. De gradibus prohibitis in contrahendo matrimonio Lutherus ad scripta sua provocavit, & sententiam suam non dissimulavit, quod putaret casus quosdam lege Mosaica prohibitos dispensabiles esse, neque tamen consultum fore existimat, ut de his certi aliquid definiatur, satius enim esse, ut ad Principem recurratur, qui cum consilio peritorum decideret, cum causæ matrimoniales ex parte sint fori publici. Addidit hic iterum clausulam, ut ex iis, quæ consuleret, mutarentur, quæ visa fuerint. Itaque eo sic volente omissa sunt, quæ de lege Mosaica & exemplis Patriarcharum disputaverat, & articulus hic conceptus est, ut in libello extat, & a me relatus fuit. Præterita etiam fuere non pauca, quæ *de jure sponsaliorum, & de potestate parentum in nuptiis liberorum* conscripserat, dissentiebat enim in multis a Jureconsultis. Itaque Elector maluit casus istos ad cognitionem Judicum generaliter deferre. Scopus enim, ut Lutherus ipse in responso ad Electorem monuit, non erat, ut hoc libello disputatio de dogmatibus proponeretur, aut multa Scripturæ dicta allegarentur, sed ut pastoribus informatio daretur, & incitamentum, ut ipsi Scripturas scrutarentur: *Alias*, ait, *magnus liber edendus esset, & rixosis occasio disputationum præberetur.* Quapropter licet Spalatinus alia quædam proposuisset, de quibus Elector in rescripto d. 3. Januarii Lutherum consulebat, respondere tamen ad ea noluit, sed adscripto margini vocabulo (todt) id est, *mortuum*, prætereunda esse indicavit, ut & factum est: neque postea Lutherus in repetita post decennium editione ad illa respondit, neque monita sua hoc anno ad Electorem perscripta, &, ut diximus, omissa inseruit, licet id nemine prohibente facere potuisset.

(b) *Item de gradibus prohibitis in matrimonio.*

(c) *Alia ab eo in hoc negotio observata.*

(17) *Cap. 7. de pœnitentia.*

Septimo denuo disserunt *de pœnitentia & contritione*, quam necessaria illa sit, voluntque eam populo ita proponi, ne rudes subtilioribus phrasibus, v. g. *quod etiam in bonis nostris operibus peccemus*, aut aliis turbentur; illas enim hypocritis ad deprimendam superbiam utilius inculcari. Constituunt igitur conversionis duo capita, *agnitionem* peccatorum, cui connexa est contritio, & *fidem* de remissione peccatorum. *Octavo* confessionem Pontificiam nec præceptam divinitus, nec possibilem esse statuunt, populum tamen moneri volunt, ut confiteantur eos maxime casus, in quibus consilio egent. Repetunt, quæ de exploratione a Pastore præmittenda dixerant. *Nono* satisfactionem, non in operibus hominum, sed in solo Christi merito quæri debere, docent, ideo populum instruendum esse, ut de peccatis doleat, propter quæ Christus solus satisfacere potuerit, dein fide remissionem peccatorum apprehendat. *Decimo* de legibus Ecclesiæ modeste agi volunt, & præcipue quidem urgeri vera opera officii & charitatis, deinde etiam obsequium bonis legibus præstandum, ut omnia ordine fiant & decenter. *1. Cor. XIV. 40.* Festa, Dominicas inprimis, servari suadent, ad congregandum cœtum; rixas ob discrimen circa dies improbant, commendant etiam festa *Annunciationis, Purificationis, Visitationis B. Virginis*, item *Joh. Baptistæ, Michaelis, Apostolorum*, & *Mariæ Magdalenæ*. Ubi tamen abrogata sint, opus non esse, ut cum incommodo restabiliantur: Servari etiam volunt festa *Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis Christi, & Pentecosten:* Omittenda tamen, quæ vocant, *legenda* de sanctis, & cantica non pia. (unchristliche) *Usum festorum esse*, monent, *ut capita Evangelii publice per vices doceantur, neque enim simul omnia proponi posse. Hebdomadem ante Pascha destinandam esse concionibus de passione Christi, ex veteri consuetudine, etsi non necessaria.* Instruendum esse populum, *festa solum ad audiendum verbum divinum celebrari; si quis igitur labore manuum opus habeat, eum non esse prohibendum, nec conscientiam ob festa onerandam Col. II. 16. non magis quam jejuniorum causa, hæc enim præcipi, ut partem cultus, non posse, infirmos autem ea servantes, turbari non debere:* distinctionem observandam esse inter *leges Magistratus* & *Ecclesiæ*; illas, quia ad pacem & charitatem spectant, ab omnibus servari debere, si non sint contra jus divinum: itaque pareri non posse, si vetent doceri Evangelium. *Act. V. 29.* Missas pro animabus sive *vigilias*, omnesque venales, plane abolendas esse; nihil enim proficere ad peccatorum expiationem; quippe quæ soli Christo accepta sit ferenda, neque pro mortuis, sed pro vivis ad commemorationem passionis Christi Missas esse institutas. Quid circa *Canonem Missæ* agere debeant sacerdotes, ex aliis scriptis jam intellexisse, nec opus esse, ut ea de re multa ad plebem verba faciant. Latine, an Germanice habeantur, indifferens esse; sed ubi major pars populi Latina non intelligat, satius esse, ut Germanice celebrentur, ex rationibus Apostoli *1. Cor. XIV. 16. 17.* In festis primariis *hymnos* Latinos cani volunt, ne semper eadem cantentur, &, quia non omnibus datum est, Germanicas cantiones, ad profectum populi, componere. Etiamsi autem festa quædam *Sanctorum* retineantur, invocari tamen hos, ut pro nobis intercedant, non debere, solum enim Christum nostrum esse intercessorem. *1. Joh. II.* & *Rom. VIII.* Sanctorum honorem in eo consistere, ut eorum exemplis nos consolemur, eaque imitemur. *Undecimo* docent: *Conjugium* esse ordinationem Dei, caste & pie servandam, absque separatione, & circa gradus prohibitos cum discretione procedendum esse a pastoribus, consultis doctoribus, aut casu ad Principem ejusque consiliarios & præfectos relato: idque speciali edicto cautum fuit. *Duodecimo*, de *libero arbitrio* statuunt, posse hominem, suis viribus, externam servare probitatem, lege aut metu pœnæ constrictum, ideoque hanc ab omnibus exigi; fatentur tamen a diabolo illam quoque impediri, sed negant hominem ex suis viribus cor purificare & Dei dona excitare posse, v. g. veram contritionem, verum timorem, veram fidem, sinceram charitatem, castitatem, aliasque virtutes. Hanc Christianam probitatem a Deo petendam & efficiendam in nobis esse. *Decimo tertio*, de *libertate christiana* loquentes, abusus, quibus plebs in licentiam ruit, vitari

(18) *Cap. 8. de confessione.*

(19) *Cap. 9. de satisfactione.*

(20) *Cap. 10. de cultu publico.*

(21) *Speciatim de Missa.*

(22) *Cap. 11. de conjugio.*

(23) *Cap. 12. de libero arbitrio.*

(24) *Cap. 13. de libertate Christiana.*

An. 1528.

vitari jubent, & doceri, veram libertatem esse *in remissione peccatorum*, quam sequitur *regimen Spiritus sancti* ad *exercitium virtutum* & *fugam vitiorum*, in quæ incidunt mancipia diaboli. Hæc diligenter inculcanda esse, suadent, ut homines circumspecti fiant, & ad timorem & fidem incitentur. Deinde etiam, libertatem illam versari, dicunt, in *immunitate a lege Moysaica ceremoniali*, ut & *Ecclesiastica* seu *Pontificia*: ita, ut hæc servari non debeat, sub opinione meriti aut vinculo conscientiæ, aut si adversetur legi Dei; qualis est prohibitio matrimonii, quam doctrinam dæmoniorum vocant. *1. Tim. IV. 1.* servari tamen alias non impias volunt ob ordinem & decorem.

(25) *Cap. 14. de bello Turcico.*

Decimo quarto, rejiciunt clamores illorum, qui bellum contra Turcos vetant, sub prætextu, quod vindicta Christianis interdicta sit, obligari enim subditos præcepto magistratus, cui jus vindictæ & belli a Deo creditum est, ad arma capienda: Itaque pro fide pugnandum esse, non privato arbitratu, sed Magistratu jubente, maxime contra Turcos, quorum barbaries & tyrannis describitur.

(26) *Cap. 15. de elencho in concionibus.*

Decimo quinto, ordinem cultus publici, & explicandæ sacræ Scripturæ in concionibus quotidianis, ad eum modum proponunt, quem Lutherus præscripserat, & qui jam supra §. XX. relatus est; addunt tamen monitum, ut pastores a convitiis abstineant, neque de eorum defectibus concionentur, qui non sunt præsentes, veluti de Pontifice & Episcopis, nisi in quantum necesse est, ut populus doceatur, sibi ab iis cavere. *Nondum enim vicerunt*, ajunt, *Papam, qui id sibi imaginantur*: Item, ne diversi Missæ sive Eucharistiæ ritus quemquam offendant, cum nec in papatu servari uniformitas potuerit. Improbant clamores contra celebrationem festorum: ritum, quem mulieres post puerperium, sex hebdomadum quiete, servant, a natura non minus, quam Moysaica lege probari. Rejiciunt in universum omnem licentiam, sub specie libertatis Christianæ ingruentem, & populum ea abutentem porcis comparant, ad convivium Principis vocatis.

(27) *Cap. 16. de excommunicatione.*

Decimo sexto, de excommunicatione sive de *banno legitimo* & Christiano docent, peccatores notorios, adulteros, ebriosos, aliisque ejusmodi vitiis publice deditos, a sacra Eucharistia repelli debere, admonitionibus præviis: admittendos tamen esse etiam excommunicatos ad conciones audiendas: addunt quædam de campanis, quæ tempestatis tempore pulsari solebant, & servari morem posse existimant, cum explicatione, quod fiat ad excitandum populum ad preces, præsertim pro pace, quæ summum hujus vitæ bonum est, non vero, quod campanæ ex superstitiosa consecratione efficaciam aliquam habeant.

(28) *Cap. 17. de Superintendentibus.*

Decimo septimo, agitur *de officio Superattendentium*, ut Pastores suæ quisque Diœceseos observet, an recte & salubriter doceant, eosque, ubi opus est, exhortentur & corrigant, vel, si obsequium non præstetur, Præfectis Principum denuncient, hi vero ipsi Principi rem referant; dein, ut pastores novos qui præsentantur, examinent.

(29) *Cap. 18. de scholis.*

Decimo octavo, Scholarum ordinationem proponunt, præmissa admonitione de necessitate & utilitate Scholasticæ institutionis. Accommodata autem hæc ordinatio illis fuit temporibus, ad Latinæ solum linguæ & Germanicæ usum, exclusa Græca & Hebraica; distribuuntur pueri in tres classes, & singulis certæ lectiones, ex libris, quos nominant, præscribuntur.

An. 1528.

§. XXXVII.

Hæc sunt molimina & Acta reformationis publicæ in Electoratu Saxonico, autoritate Principis, cum consilio procerum, suscepta, de quibus operæ pretium est, quædam expendere & annotare.

(1) *Consideratio hujus negotii, & quid Lutherus & Melanchthon in eo præstiterit.*

Et primo quidem considerari meretur, ex anni præteriti & hujus historia, status *Lutheri*; qui tunc ægritudine animi, ob tentationes, summe afflictus, morbis debilitatus, Academia luis pestilentis metu dissipata, & Jenam translata, Principe bellicis aliisque consiliis & apparatibus occupato, Wittenbergæ veluti inclusus aut solitarius delitescebat. Igitur *Philippus Melanchthon*, proceribus quibusdam aulæ & provinciæ adjunctus, cum aliquibus pastoribus tractabat hoc negotium, & calamum conscribendæ *formulæ doctrinæ & rituum* applicabat. Patet hinc ante omnia, gravissimam hanc causam non a solius Lutheri (quod vulgus calumniatorum continuo crepat) vel industria, vel autoritate, vel importunitate, immo, ut supra ex Erasmo audivimus, magica quadam vi dependisse; sed solius veritatis efficacia, quæ aut omnium aut maximæ partis provincialium mentes convicerat, productam illam mutationem fuisse. Is certe erat Melanchthon, qui & timidior habebatur, & accommodare se ingeniis & temporibus noverat, & nunc, si voluisset, recedere a dogmatibus Lutheri, non uno nec levi modo, potuisset, nec deerant forte, qui eum, si id ageret, juvissent. Perstitit tamen, quoad substantiam dogmatum, in omnibus. *Secundo* negari non potest, Melanchthonem ea, ut ipse loquitur, ἐπιεικείᾳ sive moderatione usum esse, quam, salva conscientia, in dissidio illo publico, adhibere maximam potuit. Respexit itaque ad plerasque, quibus evangelica doctrina tunc proscindebatur, criminationes, iisque remedium libello hoc quæsivit. Abstinuit ab invectivis in corruptelas Ecclesiæ, multoque magis in Pontificem, ita, ut paucissimis verbis, nec, nisi, ubi summe opus erat, ejus mentionem faceret. De Luthero nihil jactavit, ne nomen quidem ejus memorans, licet scripta ejus semel aut bis alleganda essent. Cum autem nihil magis ab adversariis objici soleret, quam, quod Lutheri doctrina *de fide justificante*, vulgus, soluto disciplinæ freno, in licentiam vitiorum mitteretur, ab hoc capite instructionem hanc pastorum orsus est, omissis omnibus, in quibus cum Ecclesia Romana non erat controversia, & ipso articulo de justificatione non aliter proposito, quam ut ab abusu, qui ei imputabatur, vindicaretur.

(2) *Cautela ejus in doctrina de fide & operibus.*

Ideo hoc *primum* libelli caput *de doctrina* inscripsit, quia controversiam in doctrina maximam continebat. Id vero ita concepit, ut non tam Pontificios, sed, qui jam Evangelici vocabantur, pastores reformaret. Erant enim, qui non, nisi fidem & solatia de remissione peccatorum, proponentes, alteram doctrinæ partem de sanctificatione, sive de bonis operibus, fere negligerent, aut phrasibus Lutheri, quibus ille fastum adversariorum, sive Pharisaicam, de meritis operum (externorum maxime & ritualium) opinionem exagitabat, ad rudem populum intempestive uterentur

An. 1528. rentur, & pietatis studium imprudenter enervarent. Hoc vero incommodo doctrinæ Lutheranæ veritas infirmari non potuit, non magis, ac Paulinæ, cui idem contigit, cum gratiæ abundantiam prædicanti Apostolo, quæstionem proponerent, *permanebimusne in peccato, ut gratia abundet? Rom. VI. 1.* Inculcare itaque parum consideratis & indiscretis hoc exordio Philippus voluit, ut auditorum conditionem & profectum sedulo considerarent. Ideo, cum maxima plebis pars socordia vel fraude Sacerdotum, ante exortam Lutheri doctrinam, in ignorantia religionis detenta, & saltem ad rituum servilem observationem adacta esset, modum præscripsit, ut emendationem a prædicanda lege, & terrendis conscientiis inciperent. Qui enim tam rudes essent, quales quidem erant in plebe plerique, ut peccata etiam enormia nec agnoscerent nec omitterent, externis illis & usitatis huc usque expiationibus confessionum & satisfactionum ecclesiasticarum fidere soliti, illi nunc, prædicata remissione peccatorum, in securitatem profanam labebantur. Necessarium igitur erat, ut ante omnia pædagogia Legis ad Christum & ad fidem in eum ducerentur, talem quidem, quam emendatio vitæ individue comitari debet. Lutherus vero in scriptis suis cum doctis disputaverat, qui, legis & disciplinæ gnari, in partem peccabant oppositam, & neglecto unico salutis medio, quod in fide salvifica quærendum est, Pharisaismum in externa specie & disciplina introduxerant. Cum his autem nihil negotii erat Visitatoribus, sed, ut dixi, cum plebe, jam utcunque imbuta Evangelii dogmate, & cum pastoribus, ex quibus multi imperiti erant, &, unum vitium vitantes, in contrarium currebant. Idem in *altero* de *decalogo*, & *tertio* de *precibus* capite, intendebatur, ne, restituta prædicatione Evangelii, de gratuita remissione peccatorum per Christum, & sublatis præceptorum ecclesiasticorum durissimis vinculis, veræ virtutis & pietatis dissolutio sequeretur. Offendebant etiam adversarios formulæ illæ, quod *opera nihil mererentur*. Licet enim verissimæ & orthodoxæ essent, subtiliores tamen erant, quam, ut rudiores ex populo eas recte capere & applicare possent; ideo, ut *fol. 394.* legitur, rudibus illis (den groben leuten) studium potius bonorum operum per argumenta nota, & absque examinatione meritorum, injungi debere monebant, raro enim tales in eam veniunt opinionem, ut operibus suis multum mereri possint.

(3) *De obsequio erga magistratus.* Premebatur deinde doctrina Lutheri, magna illa motus rustici invidia, itaque operose in hoc libello *de subditorum obsequio erga magistratum* agitur, quod alio tempore & statu rerum superfluum fuisset. Vide *fol. 394. 396.*

(4) *Contra fanaticos.* Aliam criminationem sustinebat res Lutherana a fanaticorum quorundam furore & erroribus, qui Judaismum, legesque ejus forenses restitutum ibant. Alii immunitatem a tributis & decimis intendebant. Alii supplicia facinorosorum, inprimis furum, improbabant. His opponuntur multa *fol. 396.*

(5) *De S. cœna.* In articulo de *Eucharistia*, Melanchthon odium adversæ partis evitare voluit, dum realem præsentiam evidenter asseruit, & illis, qui adhuc de communione sub utraque dubitarent & usu calicis abstinere vellent, ad tempus gratificandum esse statuit, *fol 398.* ut supra pluribus dictum est.

An. 1528. (6) *De bello Turcico & Anabaptistis.* Gravissimam vero imputationem, ac si doctrina Lutherana subditi a bello contra Turcos prohiberentur, diligenter amovit, & necessitatem illius militiæ multis argumentis stabilivit *fol. 404. & seq.* tum etiam ab anabaptistarum secta, Magistratui, & baptismo infantum repugnante, manifestam fecit separationem. Tertio, sicut hæc omnia, aliaque, quæ accurati lectores ex consideratione *libelli visitatorii* percipient, Melanchthonis moderationem satis ostendunt; ita non minorem Lutherus in negotio hoc gravissimo exhibuit. Non latebat eum, sed præviderat & prædixerat, qualia judicia de isthac formula, & intra & extra Saxoniam, sint secutura, neque deerant, quæ in stylo Melanchthonis emendare posset; tulit tamen pleraque, & sua monita aliorum judicio submisit, ut diximus. Immo nec post annos decem anno nempe 1538. (Vide *Tom. VII. fol. 1. & seq.*) ætate licet & experientia major, maximæque apud Principem autoritatis, in iterata ejusdem libelli editione quidquam mutavit, sed solummodo ea omisit, quæ de tolerantia communionis sub una *fol. 398.* inveniuntur *a §.* dieweil aber gleichwohl *usque ad finem §.* die rohen aber rc. retenta saltem maxima ex parte §. wo aber halsstarrige / quo pertinaces reprehenduntur. Porro qua prudentia Lutherus motam, visitationis occasione, adversus doctrinam de pœnitentia a *Jo. Agricola* quæstionem tractaverit & composuerit, in historia anni præteriti *§. XXXIV.* recensui.

(7) *Lutheri moderatio in ferendo ingenio & stylo Melanchthonis, & improbando Agricolæ rigore.* Jam, qui Lutheri & Agricolæ in ista lite ingenium remoto affectu consideraverit, magnam inveniet diversitatem. Lutherus, quem plerique justo fervidiorem suarumque opinionum tenaciorem judicabant, cum videret, veritati ipsi nihil per temperamentum Melanchthonis decedere, nec per illud in praxi, populo, servata distinctione profectuum, noceri, nulla difficultate, nec suæ existimationis dispendium veritus, Melanchthonis stylum probavit. Agricola nodum in scirpo quærebat, intempestivo zelo, aut, ut Melanchthone plus sapere videretur. Idem tamen postea non solum perversa opinione, de abroganda prædicatione legis, turbas dedit, sed & contrario modo peccans, ingruente periculo, tempori servire & inter tepidos illos esse voluit, qui religionis *Interimisticæ* edictum procuderunt. Ideo omnia, post Deum, sita sunt in vero & constanti pietatis & religionis studio, & scopi contingendi constantia; hanc tenuit Lutherus, & si aliquando, quod ipse sæpe queritur, concitatiori mente & verbis scriptisve durior fuit, rediit tamen ad debitam moderationem, & quando opus erat, pro utilitate Ecclesiæ cedere noverat; dum Agricola aliique ejus ingenii homines nec moderationem adhiberent, ubi expediebat, nec constantiam servarent, ubi hæc pro veritate tuenda requirebatur. Philippus hac occasione non uno modo censuras & insultus hominum passus est. Luthero quidem, ut audivimus, ita satisfecit, ut, si quæ displicuere, non

An. 1528. non magni momenti, & omnino, uti erant, relinquenda esse judicaverit, publice etiam ejus operam laudaret. At quid Pontificii de eo senserint, ex epistola ejus ad intimum amicum, *Camerarium*, referendum est, *Lib. III. ep. 72. (p. 105. 106. edit. Lipsiensis)* scribit enim ad eum Id. Septembr. hoc anno: *Faber ex Bohemia ad me scripsit, hortaturque, ut deficiam a causa, habiturum me defectionis præmium, conditionem aliquam apud Ferdinandum regem. Et interpretatur me labascere, quia in libello inspectionis Ecclesiarum fuerim ἐπιεικέστερος* (æquior) *in quo tu vides nihil aliud me scripsisse, quam, quod passim tradidit Lutherus. Et tamen, quia sine asperitate verborum scripsi, judicant isti, scilicet homines acuti, me dissentire a Luthero.* Sed nec ab eorum aculeo intactus mansit, qui earundem partium erant. Huc pertinet ejusdem narratio de quodam, quem (tacito vero nomine) *Ibericum* vocat: *Audi generosam vocem Iberici nostri. Quidam magnus, cum eo in convivio, (nam ibi tantum θεολογεῖ) forte de libello inspectionis confabulabatur; ibi, cum esset mentio de confessione injecta, de qua quid scripserim, scis, & caput illud huic non valde probaretur, subjecit Ibericus, debere ipsos dare operam, ut eam libertatem, quam nunc sint consecuti, retineant, alioqui futurum, ut iterum a nobis redigerentur in servitutem: nos paulatim veteres traditiones renovare. Illa vox statim ad nos a ministris, ut fit, perlata est. Ita vides, quid de nobis sentiant, non solum inimici, sed hi, qui harum partium voluerunt videri.* Ex sequentium annorum historia luculentius apparebit, Melanchthonem abusus metuisse, in quos Principes eorumque ministri propendere videbantur, arrogantes sibi nimiam in negotio religionis potestatem, postquam Episcoporum dominatus prostratus esset. Quapropter, si penes Philippum stetisset, Episcoporum autoritatem, remotis abusibus, libenter constabilivisset, Luthero ipso non abnuente: quocirca & hic in præfatione hujus libelli visitatorii satis aperte Principum imperium circa sacra removet aut restringit, uti ex *fol. 391.* annotavi. Culpa igitur schismatis ad illos pertinet, qui ferro saltem & igne contradicentes opprimere, nullum vero reformandorum abusuum & temperandæ potestatis Episcopalis modum, quem profecto facilem & commodum hoc ipsum visitationis negotium offerebat, admittere voluerunt. Sed ea de re commodior agendi occasio alibi redibit.

(8) *Philippus censuras pat tur a Pontificiis. Episcoporum autoritatem conservare voluit.*

(9) *Cochlæi malignitas.* *Cochlæi* malignitas, in narratione de visitatione Saxonica *fol. 180.* extrema est, sed crassa, nec refutatione digna. Philippo *subdolam moderationem*, Luthero *mutationem dogmatum* affingit, *quam multi ex Catholicis*, ut ait, *editis libris ostenderint*, eadem nempe & modestia & veritate, qua ipse eodem tempore maledicentissimum libellum, cui *Lutheri septicipitis* titulum fecit, emiserat: sed meliora ab ipso expectari non potuerunt. Magis mirum est, *Erasmum* in ea opinione fuisse, ac si Lutherus palinodiam caneret, cum tamen ne unicus quidem articulus in thesi sua mutatus, in visitatione illa demonstrari posit, neque ad dogmata ipsa pertineat, quod alia methodo alioque stylo ad instruendos pastores plebanos, alia in refutandis adversariis Lutherus uteretur. Dubitandum tamen est, an satis accurate legerit Erasmus, quæ edita sunt, an temere potius pronunciaverit, dum ad summum Caroli Imp. Cancellarium *Gattinaram* VI. Cal. Augusti, *Lib. XX. ep. 63.* hoc anno scribit: *Indies mitescit febris Lutherana, adeo, ut ipse Lutherus de singulis propemodum scribat palinodiam, ac cæteris habeatur ob hoc ipsum hæreticus & delirus* Ep. 67. quos vero intelligat per *cæteros*, divinare nequeo, nisi ad Zuinglium aut Anabaptistas respiciat. Vane autem ominabatur Erasmus Lutheranæ, quam vocant, factionis interitum; neque erat, ut tantopere *Monachorum tyrannidem* metueret, oppresso, uti frustra credebat, Luthero, & in literis ad Cancellarium querebatur, *validius surrecturam.* Ait enim: *Vereor, ne quorundam monachorum stolida improbitas excitet nobis aliam tragœdiam:* Et ad Hermannum a Nova aquila sive *Nuenarium* Comitem hæc habet *d. lib. ep. 72. Si inclinat factio Lutherana, quod ut fiat, ipsi sedulo dant operam, exorietur intolerabilis pseudo-monachorum tyrannis.* Sed liber esse ab hac sollicitudine poterat, nam nec cecidit Lutheri doctrina, sed majora & firmiora incrementa habuit; & monachorum tyrannidem facile vitare Erasmus poterat, si eadem constantia, qua Lutherus, cognitam sibi veritatem favori & plausui principum & potentium clarorumque virorum, quos colebat, prætulisset. De ista ejus mente judicium facere vel maxime possunt, quæ hoc ipso anno scripsit ad Pontificem, Nonis April. *Lib. XX. ep. 82.* & ad Episcopum Augustanum VII. Cal. Septembr. aliosque.

(10) *Erasmi falsa opinio de recantatione Lutheri, & Lutheranismi dissolutione.*

§. XXXVIII.

(1) *Conciones Lutheri in Genesin, & laudabilis illarum simplicitas.*

Prodierunt hoc anno *conciones Lutheri in Genesin*, quanquam ante aliquot annos habitæ, ut ex *præfatione* in Conciones ad Exodum §. *XXIII.* annotatum est. Quia tamen *Tom. IV. Altenb.* libris anni 1528. *a fol. 1. ad 275.* accensitæ sunt, earum mentionem in hunc annum distuli. In *præfatiuncula fol. 1.* (cui annus 1527. præscriptus est) occasionem, hunc potissimum librum explicandi, sumsisse se scribit ab insania fanaticorum. *Munzeri enim spiritus* (ait) *ex Christianis Judæos facere, & populum ad Moysen ablegare volebat, falso jactans, & perverse interpretatus vetus Testamentum.* Addit, *exceptas esse homilias has a doctis quibusdam & in volumen collectas, se tamen illas probare, & pro suis agnoscere, licet paulo plenius & solidius edi potuissent, si tempus scribendi sibi superfuisset, ut ipse eas in scriptum redigeret. Interim*, ait, *satis ex iis appareat, quid sentiam, meliora qui volet, afferat.* Bene profecto meruerunt, qui conciones illas exceperunt; nam & stylum viri satis feliciter assecuti sunt, & egregias ejus meditationes conservarunt, quas salubriter imitari possunt, quibus major cura est, populum ad pietatem excitandi, quam suam eruditionem ostentandi. Usus enim est Lutherus insigni circumspectione, ut loca difficillima ab apparente contradictione, aut profanis cogitationibus, populari quadam interpretatione liberaret, curiosa tamen præteriret. Sæpe itaque monet, *sufficere illa,*

An. 1528. *illa, quæ pro explicatione affert, Laicis, ut rudem aliquem sensum capiant, nec nimis acutis turbentur.* Es ist für die leyen genug / daß man ein wenig rohe erkäntniß davon nehme / nicht alles so scharff ausecke. *Fol. 73. & 35.* reprehendit doctos in scholis, quod nihil nescire velint. *Demus*, ait, *gloriam Deo, si quid ignoramus, neque Academicos imitemur, quos pudet, si aliquid nescire, & non de omnibus disserere posse videantur.* Attamen, quæ ad fundamenta fidei & ad morum regulam pertinent, eloquentissime & solidissime proposuit, ut non nisi magna cum voluptate pariter atque utilitate legi possint. In refutatione adversariorum parcus fuit, contentus reformationis summa capita aliquando, sed & ista populari modo, attingere. Credenda ex locis, licet difficilioribus, docte tamen & solide, eruit; fatetur, *obscura esse dicta divina, inprimis vaticinia, sed certa; rem ipsam indicari, modum aut tempus sæpe reticeri, alio tempore & loco revelanda.* Quamvis vero prolixus sit hic concionum liber, extetque *Latinus* Lutheri *in Genesin commentarius*, multos post annos majori cura conscriptus; existimavi tamen ex his quoque extemporariis commentationibus, ad excitandum Lectorum studium, & divina viri dona adversus inimicorum & æmulorum improbas censuras commendanda, quædam ex illis producenda esse: neque enim tam historiæ ad oblectandos lectores studeo, quam, ut eosdem & me ipsum salutaribus monitis ex ore tanti viri, data occasione, instruam. In *præloquio longiori*, quod post breve illud *fol. 1.* subjungitur, summum illum articulum fidei Christianis magno studio commendat, *de creatione*, ut nempe vere confiteantur: *Credo in Deum patrem, omnipotentem Creatorem cœli & terræ. Pauci* (ait *fol. 2.*) *eo pervenerunt; ut perfecte credant, Deum esse, qui omnia creavit: qui hoc credit, omnibus rebus veluti mortuus est, bono & malo, vitæ & morti, cœlo & inferno, & sincere agnoscit, se plane nihil posse ex suis viribus.* Et *fol. 2. 3. Spiritu ista capienda sunt; qui capit, simul intelligit, se ne unicum quidem nervum movere, nec cogitare aliquid posse, absque operatione Dei, agnoscet vitam suam nullo modo in sua, sed simpliciter in manu Dei consistere. Si enim credo, quod Deus totum orbem ex nihilo creaverit, & omnia per verbum & mandatum ejus extent; fateri etiam cogor, me esse particulam orbis & creationis. Unde sequi necesse est, me ne manum quidem movere posse, meis viribus; sed Deum solum omnia in me agere & operari.* Deducit inde, quanta fiducia ex hoc articulo recte intellecto & applicato fidelibus & piis oriatur, quantusque terror & metus impiis, conscientia sua de potentia Dei convictis, sed filiali fiducia carentibus. De *mysterio Trinitatis* ex *Gen. I. v. 1. 2.* eruendo sobrie commentatur *fol. 5. 6. Conjugii* institutionem & naturalem necessitatem, ut alias facere consuevit, ex verbis Dei: *Crescite & multiplicamini Gen. I. 28.* urget quidem *fol. 13. & seq.* nec voto aut proposito hominum elidi posse docet, adeoque cœlibatum cleri, ut naturæ contrariantem, & servatu impossibilem, rejicit; addit tamen: *Nolo per hæc summæ virtuti virginitatis derogare. Deus enim potestatem sibi reservavit, ut supra naturam operetur. Ubi autem eam operationem non deprehendimus, naturam & institutum Dei sequamur.* Dein *p. 26. & 37.* pluribus ostendit, virginitatem veram non esse, nisi Christianorum virtutem, ex Spiritus sancti speciali dono profectam, quam eo modo, qui a clero jactatur & exercetur, assequi non liceat: leges vero illas, quæ monasticæ vitæ vincula continent, cum perizomatibus *Gen. III. 7.* comparat, quibus impuritas frustra tegatur. Ad vera matrimonii bona, imo & ad dona Dei in distinctione sexus pie cognoscenda, (*fol. 14. 15.*) fidem requirit, absque hac nil nisi voluptatem corporis quæri, cito perituram, & innumeris conjugii incommodis pensandam, quæ nemo, nisi pius & fidelis, æquo animo ferre possit. Ex præcepto Dei unico *Gen. II. 16.* naturam legis *fol. 20.* ostendit, quod hominem intus non faciat probum, sed de obedientia Deo præstanda illum admoneat. Quapropter inconsulte & stolide agere existimat, qui legum multitudine hominem jam corruptum regere & salvare velint, cum Adamus unum illud tam facile transgressus sit: *Magistratum*, ait, *vi externa malo resistere, conscientiam autem regere & frenare non posse.* Peccato Adami & Evæ, quo neglecto mandato Dei suum sequebantur placitum *fol. 25.* assimilat illud, quo in Ecclesia eligitur mandatum hominum, & negligitur præceptum Dei. Adversus *liberum arbitrium*, sive vim sese convertendi disputat *fol. 27.* ab Adami exemplo. *Hic*, ait, *eum gradum (etiam post lapsum) libertatis habuit, quo altiorem ex posteris utique nemo adipisci potuit; neque etiam dubium est, quin omni studio annixus fuerit, ut ex lapsu suo resurgere posset; sed nihil plane præstitit, immo omnia perverse egit: abscondidit sese, cum ad Deum prodire deberet, culpam in Deum rejecit, quam in se agnoscere & deprecari apud Deum debuisset. Vides*, ait, *quid præstet voluntas hominis absque Deo, præsertim in mortis periculo & agone; expostulat cum Deo, honorare eum non vult, & se ipsum occultat, & tartaro immergit.* De pœna mortis a Deo *Gen. III. 19.* peccato Adami imposita *fol. 33.* pulchre commentatur, & in illa, utcunque dura videatur, gratiam tamen Dei latere, præcedente nempe peccatorum & æternæ mortis remissione, ostendit. *Si enim*, ait, *mors corporis non sequeretur, nunquam interiret peccatum. Hanc igitur pœnam lubentes subire deberemus, idque faciunt vere pii & fideles, tanquam a miti patre dictatam, per quam ipsum malum, peccatum scilicet extinguitur. Sic ergo mors pro mera gratia reputanda est, & pro vita initio. Anima enim fideli omnes afflictiones, morbi, pericula, labores, ad bonum tandem finem proficiunt. Et spiritus pravarum carnis cupiditatum, in quibus frenandis tam diu frustra laboravit, pertæsus, ipse tandem optat, ut corpus morte intereat. Mors itaque inter medicamina est, se ipsam cum peccato perimit, & salutem spiritus promovet. Ita, cum ante lapsum minatus esset Deus: si comederis, morte morieris; jam solatium exhibet, & in effectu dicit: si ab omni miseria liber esse & æternum vivere vis, morere. Hæc itaque dicta Dei Evangelium ipsum, quanquam occulte, continent.* Ex *Gen. IV. 3. 4. 5.* concludit *fol. 39.* Sacrificia omniaque opera,

(1) *De necessitate credendæ creationis.*

(3) *De S. S. Trinitate.*

(4) *De conjugio & virginitate.*

(5) *De interna mentis bonitate.*

(6) *De libero arbitrio.*

(7) *De morte corporis & capiendo ex ea solatio.*

(8) *De sacrificio Abelis.*

An. 1528 pera, quantumvis bona, non placere Deo, nisi ei persona placeat. Caini enim sacrificia non minoris pretii, quam Abelis fuisse, cur autem hic placuerit, dubitari non posse, ob clarissimum Apostoli dictum *Hebr. XI. 4. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* Ex eadem historia fraternæ discordiæ, &, quod Cainus pio Abeli infensus fuerit, solatium capit *(fol. 41.)* adversus tumultus, qui Evangelii doctrinam semper excipiunt, & veræ doctrinæ argumentum præbent. Ad *cap. V.* quo *Patriarcharum nomina & generationes* recensentur, *fol. 49.* felicitatem illorum temporum considerat, cum absque lege & libris paterna autoritate homines regerentur, sub verbi divini Patriarchis revelati norma. *Non in doctrina*, ait, *& libris, sed in eo sita est felicitas reipublicæ, si Deus mittat & instruat homines: testantur omnes historiæ, quod Deus juvare aliquem populum volens, non libros edi fecerit, sed virum unum atque alterum excitaverit, qui melius, quam omnes libri aut leges consuluit & imperavit. Quam excellens itaque regiminis forma* (ein ausbund eines guten Regiments) *fuit, cum non unus, sed tot boni viri & patriarchæ, spiritu pleni, gubernaculum tenuerunt! O rarum & pretiosum bonum! Inveniuntur nunc quoque sapientes & docti, sed pauci, qui spiritum Dei habent. Opus eo tunc erat, ut fides conservaretur, nec verbum Dei intercideret.* Ad *cap. VIII. v. 7. 11. fol. 63.* cum corvo & columba comparat concionatores: cum illo quidem eos, qui ventri student, & quasi morticiniis inhiant, nil dicunt, quod solatium aut quietem conscientiæ afferat, sed hominum modo inventa & opera crepant; cum columba vero illos, qui cum Paulo in simplicitate cordis & sinceritate Dei, non in sapientia carnali, verbum prædicant. *2. Cor. I. 12.* Ad *cap. IX. 21. fol. 71.* agnoscit, Germanorum vitium esse ebrietatem, neque se ullo modo eam defendere, id potius agere, ut corrigatur. Turpe enim esse, neque Noachi exemplo excusandum. At illos, qui id Germanis objiciunt, fœdiori contaminari, quod nec nominari debeat. Ad *cap. XI. 4. fol. 80.* ubi dicitur, *Turris ædificatores celebrari voluisse nomen suum*, Christianorum perversum studium notat, quo extra Christum speciale nomen sibi comparare velint. Tractat iterum de paritate omnium fidelium, qui solo Christo (qui singulis integer exhibetur) gloriari debent, etsi donis differant. Itaque nihil effectum esse Ordinum novorum inventione, inter quos non nisi æmulatio continua esse soleat, *nunquam esse*, ait, *Dominicanum, qui Franciscanum valde laudet, & sic quemque sui ordinis nomen alteri præferre; inde veluti confusionem linguarum, id est, perpetuas simultates & rixas ortas fuisse.* Ad ejusdem capitis *versum 31.* occasione *exitus Abrahami ex Ur Chaldææ*, ubi idololatria exercita fuisse creditur, de illo vitio ita commentatur, ut dicat, *se non credere, Chaldæos tam crasse errasse, ut ignem ipsum pro vero Deo coluerint; sed sub igne & flamma Deum verum, creatorem cœli & terræ, adorare voluisse, & ad elementum illud atque signum homines ablegasse, dicendo, ubi hunc ignem lucere videbitis, ibi Deum esse credite, ibique eum colite. Idem egisse*, ait, *in Ecclesia, qui Christum sub imagine adorari jusserint: unum utrinque prætextum satis speciosum fuisse, neque illum alio modo, quam per spiritum Dei, detegi potuisse, quo impulsi Patriarchæ idololatras reprehenderint, dicentes, nolite hoc facere, neque enim testimonium aut mandatum Dei habetis, vestra hoc agitis temeritate, & Deum ad locum & opus vestrum alligatis* &c. Ad *cap. XII. fol. 84. & seqq.* fidem Abrahami summis ornat encomiis, neque opus esse, ut fabulæ de Sanctis proponantur, cum illustrissimum hoc exemplum Apostoli prædicent. Dein *fol. 89.* de objecto fidei agens, vulgarem doctrinam, quasi Deus in Veteri Testamento promissiones saltem temporales, in Novo vero æternas dederit, [i]n probat: neque enim Abrahami fidem pro exemplo laudari, nec ei ad salutem proficere potuisse, nisi æterna bona respexerit. Justitiam belli ejusdem Patriarchæ exemplo defendit ad *cap. XIV. fol. 96. & seqq.* Eodem capite *fol. 99.* de Melchisedeco notat, typum Christi observari in eo non potuisse, nisi Epistola ad Hebræos illum tam clare & egregie eruerit. *Apparet hinc*, ait, *quid sit, quando Deus verbum dictat.* Daraus kan man sehen / was es ist / wann Gott das Wort ins maul giebt / daß es dann findet und siehet / das kein mensch gesehen hätte. Monet, ad exemplum Apostoli, typum non in *pane & vino*, quod Melchisedecus Abrahamo obtulit, sed in *comparatione cum sacerdotio*, quæri debere: notat etiam, cum tot vocabula Hebræa sint, quibus sacrificandi & offerendi ritus exprimatur, nullum tamen eorum in hac historia inveniri, sed tantum dici *(Hozi)* id est, quod produxerit, veluti ex cella aut penu, panem & vinum. Quæ subjungit de sacerdotio & regno Christi, divini plane spiritus & ingentis sunt ponderis *fol. 100. 101. & seq.* De decimis ibidem *fol. 102.* monet, etsi formaliter, ut loquimur, præceptæ nobis non sint, laudabilem tamen earum præstationem, ob exemplum Abrahami antiquissimum & sanctissimum, merito habendam; hoc vero certum & indubitatum esse, quod sustentandi sint ministri Evangelii etiam in Novo Testamento, sed pro talibus non habet maximum cleri numerum, qui tamen dimidiam opum in orbe Christiano partem possideat. Incusat etiam ingratitudinem, qua jam tum veris Evangelii doctoribus parum aut nihil dabatur. Ad *cap. XVI. 12. fol. 112.* fastum sacerdotum comparat cum Ismaelitico. *Illi enim*, ait, *tam elati fuerunt, ut Imperatorem facilius fuerit in ordinem redigere, quam scabiosum monachum: qui talem tangebat, pupillam Dei tetigisse putabatur.* Man hätte ehe einen Käyser eingetrieben / als einen schäbichten Münch: Wann man der einen antastet / so hätte man Gott ein Auge angetastet. De Conciliis *d. fol. 112.* eadem fere sentit, quæ supra *§. XXIV.* retulimus. Quæ ad idem *cap. XVI. fol. 110.* de digamia Patriarcharum locutus erat, post aliquot annos disputationi occasionem dederunt: de qua in *Addit. ad §. LXIII.* aliquid dicendum erit. Ad *cap. XVII.* de Ecclesia, non ut externo dominatu regitur, sed quatenus vera & universalis est, eleganter loquitur, ad ductum Pauli *Gal. III. 26. Ecclesia Christiana vere* est

Marginalia (left): ejusque cadis. — (9) De regimine patriarchali. — (10) De concionatorum diversitate. — (11) De ebrietate Germanis familiari. — (12) De turri Babylonica & de dissidiis inter homines & sectas. — (13) De idololatria.

Marginalia (right): An. 1528. — (14) De fide Abrahami. — (15) De Melchisedeci sacrificio adversus Pontificias interpretationes. — (16) De decimis. — (17) De Ecclesia dignitate & potestate.

An. 1528.

est Sara, libra scilicet, nemini, quam hero suo, Christo, subjecta: hic maritus ejus legitimus est, qui jus in eam habet. Ipsa igitur possidet, quæ ille possidet, verbum, spiritum, baptismum, sacramentum: quod ipsa agit, id recte actum est, in cœlo & in terra: quod illa dicit, ipse confirmat: quod ipsa facit, Deus facit, quasi ipse baptizaret & absolveret. Tanta hæc Ecclesiæ potestas est, ut a nemine percipi satis aut prædicari possit: Deus illam in sinu ejus deposuit, &, tanquam heræ, claves tradidit, ut, quod ipsa gerit agitque, ratum & gratum sit: nihil reservavit, quam, ut sibi obsequens & morigera sit: omnia, quæ vult, agere potest, dummodo non extra limites vagetur & alii adhæreat, id est, ne plus concionetur aut conscientiis injungat, aut nova moliatur, sed secundum illa agat, quæ ipse agit, sic sponsa ejus est charissima. Hujus liberi nos sumus & hæredes, ex illa nascimur, habemus igitur omnia quæ Christus & sponsa habet. Evangelium est uterus, quo gestat & parit nos, ita filii Dei sumus, fratres secundum Isaac, de libera nati, promissionis filii, Gal. III. 23. 28. non sumus servi, sed ut Paulus confirmat, liberi ex libera Domina: (Kinder und Junckern von der freyen Frauen) *incedimus spiritu libero & spontaneo, omnia gratis facimus, non mercedis causa, ut servi. Ad hæreditatem nati sumus, non est opus, ut labore illam mereamur, in sinu matris sumus: non respicimus opera nostra: plus, quam exigi videtur (scilicet nostram imbecillitatem, aut vulgarem populi opinionem, respicientibus) præstamus, neque tamen meritum aliud habemus, quam, quod nati sumus: jure nascendi hæreditas nostra est, Deus est pater, ad illius curam pertinet, patrimonium & hæreditatem præparare, & liberos in possessionem mittere: hi nihil ad id præstant. Hæc,* addit, *in Scriptura & historia de Isaaco recondidit & occultavit Deus, sed ita, ut deprehendi possit, talia jam tum meditatum, & aliquando per Evangelium sive concionem de fide manifestaturum fuisse.* Ad *cap. XIX.* de erroribus & lapsibus Sanctorum ita *fol. 129.* commentatur: *Nisi Deus nobis indicasset, sanctos etiam aliquando desipuisse, non possemus regnum ejus intelligere, in quo nihil est, quam remissio peccatorum. Scripta itaque ista sunt, ut gloria & laus non in hominum operibus sed in Dei gratia quæratur. Loth & Abraham nonminus peccare potuerunt, ac ego, ego vero tam bonus esse possim, ac illi: Ita nec Sodomitas Abrahamus spernit, sed pro iis intercedit, velletque ut emendarentur. Hæc est natura regni Christi, semper excitare, restituere, emendare: cavenda tamen est securitas & temeritas, & continuo adrependum ad crucem. Neminem pudeat alterius. Qui me ex carne & sanguine creavit, illos quoque tales creavit: qui illos sanctificavit, me quoque sanctificare potest: par est in omnibus natura, par potest esse gratia. Hæc discamus ex patrum exemplis, non vero ita eos extollamus, ut stulti faciunt, quasi nullum in iis peccatum fuerit: ut nempe haberent, quorum meritis ignavi ipsi suos supplerent defectus; eo enim sanctorum cultus fere tendit.* Adde, quæ notavit ad *cap. XXVII. fol. 180.* ubi docet, in quo verus Sanctorum honor consistat. Ad *cap. XXII. fol. 142. 143.* de tentatione & fide Abrahami, filium suum sacrificaturi, admirabili pietate, eloquentia & acumine disserit, sed copiosiora sunt, quam ut referri hic possint. Inter alia modum ostendit, quomodo in tentationibus primæ & capitali promissioni Dei inniti conveniat, licet ea, quæ Deus postea, tentandi causa, dicere aut agere videatur, intelligere & conciliare non possimus. *Sic,* ait, *Abrahamus vicit tentationem, promisso primo & præcipuo inhærens, quod pater futurus esset multarum gentium: itaque per alterum illud mandatum de sacrificando Isaaco non dubitabat de fide promissionis prioris, sed Deo modum commisit, quo illam præstaret, cogitabat nempe, quod potens esset Deus etiam a mortuis resuscitare. Hebr. XI. 19.* Eadem repetit, & prolixe considerat *fol. 214.* Notat postea *d. fol. 143.* quam male imitati sint factum Abrahami idololatræ in vicinis regionibus, qui, Deo non mandante, liberos suos ipso facto immolabant; Abrahami scilicet exemplum renovaturi & superaturi. *Si tanti patriarchæ factum* (ait) *tam male cessit, quod tamen tam clare descriptum est; qualis abusus non sequi poterit ex cultu & ritibus, stultitia nostra, licet boni quandoque intentione inventis? tutissimum igitur est, divinitus præscriptis insistere.* Ad *cap. XXII. 18. fol. 144. & sqq.* aurea sunt; quæ ad verba, *& benedicentur omnes gentes*, proponit. *In paucis his verbis,* ait, *totum Evangelium & regnum Christi comprehenditur, ut nemo digne id explicare possit. Abrahamus utique intellexit, & Prophetæ, pauci vero ex Judæis, tunc temporis, hodie nullus. Si nihil, quam hoc dictum Scripturæ, haberemus, sufficere id nobis posset. Benedictio (ut quam brevissime sensum saltem referam) non est in verbis, ut Judæi putant, scilicet quod laudandum sit in gentibus nomen Abrahami, sed est realis: opponitur maledictioni: itaque extra hoc semen omnes homines cum omnibus scientiis & virtutibus suis maledicti sunt. Universalis erit benedictio, nempe ut omnibus offeratur, etsi non omnes eam sibi applicabunt, hoc enim non est promissum: culpa tamen est eorum, qui beneficium oblatum rejiciunt. Benedictio hæc prævenit nascituros ex Abrahamo, omnesque gentes, ergo est mere gratuita, nullumque præsupponit aut habet meritum; prior est lege, ne per hanc demum acquiri posse videatur. Hoc dictum destruit omnia hominum merita, solamque erigit gratiam Christi.* Postea vocabulum *semen de Christo* interpretandum esse, adversus blasphemias Judæorum defendit *p. 146.* provocans ad mirabilia illa, quæ Christus, quem ex Abrahamo genus ducere negari non potest, præstitit, a nemine alio unquam præstita aut præstanda. Evincit etiam, *nasci hoc semen ex virgine debuisse, sed concipi ex Spiritu sancto, ut simul verus Deus esset, qui benedictionem impertiri, & opus illud præstare posset, ad quod divina pariter & humana natura requirebatur.* Ad *cap. XXIII. fol. 152.* adversus enthusiastas & spiritualis perfectionis exaggeratores notat, *affectus humanos exui non posse nec debere, eo, quo illi prætendant, modo. Non frustra* (ait) *traditur, magnum Patriarcham Abrahamum deflevisse uxorem: Deus non eradicat naturam. Fides immota manet, licet charitas omnia ad ani-*

(18) De lapsibus Sanctorum.

(19) De fide

An. 1528. in tentationibus servanda.

(20) De cavendo cultu arbitrario.

(21) De benedicto semine Abrahami i. e. Christo.

(22) Censura in fanaticos.

An. 1528. *animum revocet: sed superat per fidem excessus affectuum: dolere potes ob aliorum etiam afflictionem, & tamen Deo fidere.* Idem *fol. 254.* & alibi monet. Ad *cap. XXIV. fol. 156.* observat, apparatum Abrahami in legatione dispensatoris sui superfluum videri posse: & inde concludit, *mores non inhonestos, & pro conditione opum & dignitatis, etiam a piis sine peccato teneri posse, & rigorem ista condemnantium indiscretum esse.* Ad *cap. XXV. fol. 163.* ex collisione Jacobi & Esavi, & responso divino Rebeccæ dato, mirabilem Dei œconomiam considerat. *Paradoxum,* ait, *& pene magicum videri possit verbum sive oraculum istud:* major serviet minori, *verissimum tamen est suo sensu. Minores, id est, pii, etsi a majoribus, id est, impiis premi & subigi videantur, vincunt tamen & eminent spiritualiter. Populus Dei vincit, cum vincitur; malorum numerus vincendo perit. Ecclesia primitiva ab Ethnicis & Judæis utique victa videbatur, quid enim miserius erat Apostolis eorumque discipulis? Sed jam persecutores illi, Judæi maxime, æterna laborant infamia, Apostolorum & martyrum gloria per totum orbem celebratur.* Addit: *Sic eveniet nostro tempore, si meremur:* (wann wirs werth sind) *clamabunt Pontifex, Episcopi & Tyranni, gloriabuntur immanem in modum, postquam nos Evangelium purum profitentes satis excarnificaverint, occiderint, combusserint; sed cum perdita esse omnia videbuntur, Deus manifestum faciet, quis vicerit, occumbent illi, nos æternum manebimus.* Ad *cap. XXVI. v. 1. fol. 170.* caritatem annonæ, sterilitatem & inopiam plerumque immitti observat, cum veræ religioni serio studetur; abundantiam vero sæpe contingere idololatris & malis. Adducit improbum Judæorum dictum *Jerem. XLIV. 17.* idque justo Dei judicio fieri, qui & persecutores veritatis, & eos puniat, qui agnita male utantur. Ad *cap. XXVII. fol. 179.* alludens ad differentiam vocis & manuum Jacobi, utilia affert *de discrimine legis & evangelii:* legem comparat cum manibus pilosis Esavi, quas Jacobus imitatus est; ita pios in externa disciplina nullam exemtionem sibi arrogare debere: stulte enim & proterve dici, quia opera nihil merentur, ergo omittenda esse, sed servandam esse vocem Jacobi, id est, fidem nihil sibi tribuentem, neque conscientiam legibus humanis subjicientem. Esavi vero vocem esse, quæ conscientiis imperet & opera jactet, quam Deus non exaudit. De *votis monasticis* prolixe & solide tractat ad *cap. XXVIII. 10. 11. 12. a. fol. 184. ad 188.* summa est, votum concipi licite posse, *primo,* si ad solum Deum respiciat; *secundo* si ultra vires nostras non extendatur; *tertio* si charitatem erga proximum & fidem non lædat. Ad *cap. XXIX. fol. 192.* aliud admirandum divinæ gubernationis exemplum observat, dum aliter affectus erat Deus erga uxores Jacobi, quam ipse. Jacobus enim deformi & inamoenæ Leæ præferebat Rahelem pulchram & amabilem: at Deus Leæ fœcunditatis donum eumque concessit honorem, ut ex ea Messias genus duceret. Nihil juvat pulchritudo sua Rahelem: *quod Christi est,* (ait) *abjectum prius & vile fieri debet.* Ad *cap. XXXI. fol. 206.* Leam macilentam, pallidam, tristem cum interno sive novo; Rahelem pulchram & pinguem, cum externo vel veteri homine comparat; notat tamen, cum de duplici homine loquitur Scriptura; neque duas personas, neque externum hominem solum, de corpore sive carne & sanguine, internum de anima, sed utrumque de toto homine intelligi. *Quatenus,* ait, *fidem habemus, novus homo sumus, quatenus non habemus, vetus, sentimus enim & fidem & incredulitatem in corde, & utraque per illud erumpit in totum hominem.* Ad *cap. XXXII.* ubi preces Jacobi explicat, notatu digna sunt, quæ scribit: *Deplorandum est, quod miseriam nostram ipsi non sentimus, aut satis expendimus. Si enim id faceremus, continua orandi esset occasio & necessitas; si vere sumus filii Dei, & videmus, quomodo nomen ejus, in quod baptizati sumus, tam fœde blasphemetur & profanetur. Sed ubi sunt Christiani, qui de hoc queruntur & clamant? Ita quotidie orandum esset, ut regnum ejus adveniat, videmus enim, quam infirmum id sit in nobis, & quomodo a Diabolo & carne turbetur, & sic in aliis, quæ nos movere deberent, sed satis apparet, nos ista non curare.* Ad *cap. XXXV.* ubi Jacob præcipit suis mutationem vestimentorum, *fol. 223.* de ritibus, qui ad ordinem & decorem faciunt, servandis utilia monet. Ad *d. cap. XXXV. fol. 227.* necessitatem sacræ doctrinæ de justitia fidei, & anima per fidem purganda & confirmanda, ut sæpe alias, urget, & tolerabiliores esse errores in moribus, quam in fide, ostendit. Hos enim per doctrinam corrigi posse, at ubi fundamentum doctrinæ deficiat, & homines ad externum cultum & opera solum adigantur, ibi nullum superesse ad veram emendationem medium. Respondet ita querelis eorum, qui dicebant, *non sufficere, si de fide doceantur homines,* ulterius tendendum esse: *At ego,* ait, *ulterius tendere & altiora prædicare non possum, quam, ut mortificetur vetus homo, & surgat novus, utinam id fieret! Interim perfecta est doctrina, neque pro deficiente eam habere licet, etsi imperfectio adhuc hæreat in moribus, ut & sanctis Veteris & Novi Testamenti accidit.* Idem inculcat *fol. 268.* Apparet autem, eum, cum de doctrina loquitur, caput ejus præcipuum, sive fundamentum pietatis ex fide vera & salvifica, intelligere, ut supra ex *Articulis visitationis* observatum fuit. Non possum præterire, quæ ad *caput XXXVIII.* ubi Judæ & filiorum ejus vitia recensentur, *fol. 234.* commentatus est: vehementer enim ab adversariis culpari solet, quod de conjugio & generatione indecenter locutus sit. Sic autem scribit: *Præfatione video nobis opus esse, quia tam delicati sumus, ut de genitura hominis loqui aut audire nolimus, facimus tamen interim dictu turpia. Caput hoc* (trigesimum octavum) *satis impudicum videtur.* Es ist ein eben grob Capitel. *Extat tamen hic in sacra Scriptura, & scriptum est a Spiritu sancto, cujus os & calamus utique tam purus est, ac noster: itaque melius excusare id non possum, quam, ut dicam, qui puriores aures & os purius habet, quam ille, prætereat istud, & non legat. At si Spiritum sanctum non puduit id scribere, nos quoque non pudeat audire & legere. Utinam pudorem & verecundiam haberemus, ubi opus est, & vitaremus impudica, ubi debemus; sed nos*

(23) *De moris honesti observatione.*

(24) *Quid sit major serviet minori.*

(25) *De calamitatibus publicis.*

(26) *De discrimine Legis & Evangelii.*

(27) *De votis monasticis.*

(28) *De diverso Dei & hominum affectu.*

(29) *Quid sit homo internus & externus.*

(30) *De profanatione cultus divini querela.*

(31) *De ritibus.*

(32) *De necessitate & præstantia doctrinæ de fide justificante.*

(33) *De stylo Scripturæ, cum de generatione hominis agit.*

An. 1528. *nos fucum solum & speciem sequimur, ubi de his loqui necesse erat, tacemus, sed tanto pejora facimus: loquimur, quæ tacere deberemus. At Spiritus sanctus novit, quæ creavit, & de creatione sua loquitur, ubi est. Consideratis & velatis omnibus, creati tamen sumus ad generandum & pariendum. Ad hæc dedit Deus membra, venas, humores, sanguinem & carnem: quicquid dicamus, mares tamen sumus & fœminæ, & natura movetur, secundum creationis suæ leges. De his loqui nolumus, ubi opus esset, præ castitate & pudore; at ubi non opus est, nec decet, libere & petulanter jocamur: hæc est sapientia hominum, quæ divinam ordinationem pervertit. Minime faveo libidini, sed honesto conjugio: de hoc igitur loqui & scribere debui, ut afflictis conscientiis succurrerem & fucatum Cleri pudorem destruerem.* Ad *cap. XLVIII. fol. 260.* ubi de quinta fructuum parte, Ægyptiis imposita, agit, sententiam suam, alibi propositam, luculenter exponit, de *decimis* loco omnium tributorum populo imponendis, forte & duplicandis, vel ad aliam æquam portionem determinandis, ut quilibet sciat, quid pendere debeat ad onera civilia & sacra, & uniforme sit illud onus, neque semper populo accrescat. *Computasse se dicit:* (Ich habe es überschlagen) *quod antehac dimidia redituum pars ad clerum pervenerit.* Paulo post *fol. 261.* ex immunitate sacerdotum in Ægypto concludi posse negat, quod Pontifices inde concludunt: nam neque Ægyptiacis neque Moysaicis legibus in Novo Testamento locum esse; at repetit, quod alibi dixit, hoc esse juris divini, a Christo etiam retenti & approbati, ut Ecclesiæ ministris sufficientia præbeantur alimenta. Valde denique de populi ingratitudine queritur, quæ myriades olim sacrificorum & monachorum aluerit, nunc paucos verbi ministros ægerrime & misere sustentet. Ad *cap. XLIX. fol. 267.* descriptionem regni Christi, in vaticinio Jacobi, mundo non posse non ridiculam videri, observat; at regni Christi spiritualem naturam, vim & efficaciam, in illo indicatam mirifice extollit. *Omnis pompa & gloria Regis hujus consistit* (ait) *in debili & contemto verbo, quod mundus spernit & pedibus conculcat. Nemo tamen salvari potest, qui verbo non credit, & illud non pluris æstimat, quam totius mundi potentiam. Ludibrio quidem illud est mundo, etiam iis, qui sancti videri volunt: Nihilominus Deus per verbum efficit, ut corda, quæ illud capiunt, a Spiritu sancto mota, ab omnibus aliis rebus avertantur, quas mundus maximi facit; omnem superstitionem & fiduciam operum nostrorum deserunt, & in sola gratia Dei acquiescunt. Sic mundana omnia destruuntur, & abripimur ab omnibus rebus, quæ non sunt Dei. Hoc nulla vis hominum efficere potest, nulla potestas tanta fuit, ut corda regere posset, & ducere, quo velit. Sic regit Christus per verbum & in verbo, regnumque ejus nil est aliud, quam ministerium verbi sive Evangelium Dei, quod hic Jacobus prædixit, & Paulus celebrat Rom. I. 1. Non utitur vi aut gladio, tantas tamen excitat turbas,* (richtet allein den rumor an) *ut separet patrem & filium, matrem & filiam. Matth. X. 35.* Passim etiam, cum narrationes, & aliquando satis prolixas hujus libri Geneseos de rebus valde humilibus, v. g. de matrimoniis, generationibus, peregrinationibus aliisque domesticis & vilibus negotiis Patriarcharum considerat, mirabilem intentionem & œconomiam Dei observari jubet, ut a profana censura abstineamus, quod tam abjecta & vilia operose describi, quæ vero longe nobiliora & excellentiora videri possent, taceri, aut obscure & breviter indicari, videmus; *sic enim,* ait, *sapientia & superbia humana a sancta illa simplicitate confunditur, quod Paulus egregie docuit. 1. Cor. I.* Vide *fol. 169. 193. &c.*

(34) *De decimis loco tributorum Magistratui dandis.*

(35) *De natura regni Christi spirituali.*

(36) *De simplicitate historiarum sacrarum.*

§. XXXIX.

Inter libros Lutheri exegeticos hujus anni 1528. *Tom. IV. a fol. 276. ad 368.* refertur etiam *Commentarius in Zachariam Prophetam,* quamvis jam anno 1527. editus, ut ex epistola ad Jonam 6. Jan. apparet, *Lib. II. Epistolar. p. 323. b.* Latine versus invenitur *Tom. V. Lat. VVitt. fol. 505.* In præfatione *d. Tom. IV. Alt. fol. 276.* scribit Lutherus, multos præstantissimos sacrarum literarum interpretes hoc tempore datos a Deo esse, sed & curiosos & allegoriarum fabros plus satis extare, qui atheis irridendi Scripturam haud minorem occasionem dare possint, quam olim quidam Porphyrio dederint. Speciatim reprehendit eos, qui in Apocalypsin commententur, maxime, qui talia rudi populo proponant, non multo majori cum fructu, quam ii, qui antea ex Aristotele concionati sint. Plebem enim, toto licet anno talia audientem, neque de lege, neque de fide, neque de oratione instrui, sed in ignorantia sua hærere. Non minus peccare fanaticos, qui mysteria abstrusa venditent, quorum se plus decem ad colloquium admisisse refert, sed eos, cum illis, spiritum, ut loquitur, spiritualissimum jactantibus, assentiri nollet, sed Christum crucifixum simpliciter proponeret, iratos a se discessisse. Hortatur inde doctores, ne spiritum extinguant, tum ut sapientia & utilia doceant *Col. IV. 6.* auditores vero, ne prophetas sive interpretes spernant. *1. Thess. V. 19. 20.* Se, ait, illos omnium optimos & utilissimos inter doctores habere, qui *Catechismum*, id est, decalogum, Symbolum fidei, & orationem recte docere sciant. *Raræ hæ, ait, sunt aves. Magna gloria quæri illo labore non potest, sed maximam habet utilitatem, imo necessarius est, quia Catechismus continet totam Scripturam, nec ullum est Evangelium, in quo non populus ex illo cum fructu instrui possit. Semper inculcanda capita illa sunt plebi, nec nimis frequenter repeti aut unquam satis disci possunt. Addit, se in Zachariam prophetam, non populi, sed eorum causa, commentatum esse, qui lectioni privatæ incumbant, &, ut allegoriarum magistris eorumque audaciæ occurreret, qui in Propheta hoc, multas visiones referente, facile ingenio suo abuti possent. At sibi curæ fuisse, ut fundamentale dogma de fide in omnibus prophetis semper & assidue quæreret & produceret, quod pauci faciant, aut necesse esse putent.* Cognosci hinc potest, & lectio libri ostendit, alia methodo Lutherum in hac exegesi, quam in *concionibus ad Genesin*, usum esse, singulos enim versiculos explicat, at sensum literalem pressius persequitur; ita

An. 1528.

(1) *Commentarius in Zachariam Prophetam.*

(2) *Notat allegoriarum sectatores,*

(3) *& fanaticos.*

(4) *Laudat Catechismi doctores.*

(5) *Scopum sui laboris ostendit.*

An. 1528.

ita tamen, ut sensu allegorico non plane abstineat. Cujusdam etiam modestiæ & ingenuitatis est, ut in locis quibusdam difficilibus ignorantiam suam fateatur. Vide *fol. 312 337.* & inprimis ad *cap. ultimum*, ubi ab initio explicationis suæ dicit: *Hic captivus sive victus teneor.* Hie gebe ich mich gefangen. Hæret sane in explicatione vaticinii *d. c. XIV. 7.* Licet enim opinionem de regno mille annorum non asserat, dubitat tamen, an Propheta de fine mundi, aut, ut quidam statuerunt, de Antichristo vaticinetur, & mavult prædictiones illas de Ecclesia Christiana interpretari, quatenus in fide & verbo vivat & operetur: meliora tamen docenti cessurum se esse, profitetur. Multa etiam ex hoc libro excerpi utiliter possent, sed cum prolixus fuerim in enarrandis, quæ *ad Genesin* concionatus est, brevior hic ero. *Fol. 283. & seq.* de ministerio angelorum, quod hominibus piis præstant, haud vulgaria commentatur: putat nempe, id inter alia in suggerendis consiliis & monitis consistere. Refert autem ministerium angelicum ad externam Dei gubernationem, interna ei soli reservata. Externa autem Dei regimina tria statuit *unum* nempe per angelos, *alterum* per ministros verbi, *tertium* per magistratum, parentes & heros: ostendit etiam, quomodo singulis sese opponat Satanas. *Capitis II. vers. 8.* ubi dicitur, *post gloriam misit me ad gentes*, docte & prolixe *fol. 294.* explicat de missione & officio Christi, magnumque solatium capit ex reliquis illius versiculi verbis: *qui vos tetigerit, pupillam oculi mei tangit.* Agnoscit tamen, si ad afflictiones, mortes, & martyria piorum respiciatur, sæpe dubitationem oboriri de promisso hoc divino, & fidem vacillare; ad eventum tamen respiciendum esse, qui semper ad piorum salutem dirigatur. Eodem modo ad *versum 9.* mysterium regni Christi explicat, qui non vi sed divino plane & incognito profanis modo homines convertit, & ex inimicis amicos facit. *Non habet* (ait) *alios amicos, quam, qui inimici fuerunt; si inimicos omnes tollere & extinguere vellet, (ut seculares faciunt aut cupiunt potestates) non habiturus esset Christianos, & triticum cum zizania extirparet: ubi esset Paulus, si perimi debuisset, cum hostis esset?* Ad *vers. 13. d. cap. Sileat omnis caro:* hæreticorum & fanaticorum loquacitatem *fol. 299.* taxat, qui instinctu Satanæ, ubi Christus docere incipit, ora solvunt, & decem contra unum veritatis præconem vociferantur: Wo Christus an einem ort redet / durch einen mund / da will der Teufel auch hin / und mit zehen mäulern waschen und plaudern. *Ad cap. V. fol. 313.* visionem de volumine volante explicat de traditionibus humanis, incerta origine, & volatu quasi fortuito, Ecclesiam corrumpentibus; neque quidquam certi & solidi habentibus: quomodo vero falsi doctores cum furibus & perjuris comparari possint *fol. 315.* luculenter ostendit. Ad *cap. VII vers. 5. numquid jejunium jejunastis mihi*, vanitatem fictitii & hypocritici cultus, cum, neglecta fide & charitate, externæ sanctimoniæ species quæritur, acriter reprehendit. *Odiosum illud genus* (ait) *monachorum & clericorum agit, quæ Deus non præcepit, jejunat, feriatur, in duro cubat, vigilat, silet, ciliciis induitur, tondetur, clauditur, conjugio abstinet. Interim consumunt regiones & urbes usuris & divitiis sitis, rodunt homines ad ossa usque, nullam charitatem & misericordiam exercent, devorant sudorem & sanguinem miserorum, qui, cum domi pane careant, saginare tamen illos opipare debent, labore suo quotidiano. Ista redimunt* (fol. 329.) *per missas, & septem tempora; hi S. Annæ candelam unam atque alteram accendunt; ille S. Barbaræ & Catharinæ vigiliis jejunat; Canonici, odio & invidia pleni, bona mundi hilariter deglutiunt, stolati die noctuque in choris ululant. Sic, quæ Deus exigit, pro nihilo habent, quæ ipsi statuerunt, illi placere debere existimant. Avaritia, superbia, ignavia, otium, impudicitia, immisericordia erga pauperes, pensantur, si iis credas, tonsura, stolis, missis &c.* Ad *cap. VIII. 5.* ubi inter beneficia Dei propheta promittit, copiam juventutis in plateis lætantem, *fol. 331.* notat, *non displicere Deo plebem etiam lætam & in pace exultantem, si id fiat absque impietate, immo,* ait, *magis placere Deo cantum, choreas & crepundia infantum, quam omnes Cleri ululatus & murmum in templis.* Ad *d. cap. v. 19.* ubi Deus pro jejuniis & luctu quatuor mensium lætitiam promittit, ridet ineptiam Pontificum, qui inde quatuor temporum jejunia excogitarint. *Cap. X. v. 6.* applicat ad varias divisiones ordinum & regularum, tum collisiones Pontificum, Imperatorum & Regum, & ad novas, quæ tunc oriebantur, sectas. Idem ad *Cap. XIV. 1.* ubi dicitur *& erit Dominus unus & nomen unum*, annotavit *fol. 366.* Paulo post *fol. 367.* metuit, ne orbis Christianus, & inprimis Germania, per novas sectas in perniciem præcipitetur, quod vaticinari propheta videtur, cum *d. cap. XIV. 14.* scribit: *Juda pugnabit adversus Jerusalem.*

(6) *Fatetur in quibusdam ignorantiam. e. g. de regno mille annorum.*

(7) *De ministerio Angelorum.*

(8) *De mysterio regni Christi.*

(9) *De loquacitate hæreticorum.*

(10) *De falsis doctoribus Ecclesiam corrumpentibus.*

(11) *De lætitia plebis licita.*

(12) *De jejuniis quatuor temporum.*

(13) *De divisionibus & sectis.*

§. XL.

Inter polemica Lutheri scripta primus locus dandus est iis, quæ Pontificiis opposuit. Edidit autem hoc anno scriptum vehemens & aculeatum, *Tom. III. f. 893.* forma Epistolæ, *adversus iteratum edictum Episcopi Misnensis pro communione sub una:* Præfatur, se constituisse, Pontificiis nihil respondere, sed ista solum ad solatium & confirmationem suorum composuisse, nominatim responsione indignum judicat *Fabrum, Cochlæum* & *Brandium*, Dominicanum Helvetium, cui sociorum Bernæ combustorum scelera objicit: *se vero,* ait, *nunc illum esse, quem impugnando omnes gloriam & lucra captent. Nullus asinus tam indoctus est, quin doctus videatur, si contra Lutherum scribat: nemo tam turpis & nequam, qui idem præstans, non probus & bonus habeatur; vilissimi fiunt honoratissimi. In Regum, Principum & Episcoporum aulis eminent opibus & honore, quibus, nisi Lutherum infestassent, vix siliquæ cum suibus vorandæ darentur. Deus quidam factus est Lutherus, qui ex mendicis dominos, ex asinis doctores, ex nebulonibus sanctos, ex luto margaritas, ex turpissimis honoratos facit. Multi putant, Adrianum mihi debuisse, quod Papa factus sit; forte & Fabro Cardinalitiam purpuram merebor.* Omnes itaque scriptores illos, ut mendaces, spernit,

(1) *Libellus adversus Episcopum Misnensem de communione sub una.*

An. 1528.

nit, & cum monstro illo comparat, quod hoc anno figura asini Romæ in Tiberi repertum fuisse ferebatur, quod cum epicrisi quadam Lutheri *Tom. III. fol. 914.* repræsentatur. Indicat postea, jocans, plurimos ex adversa parte factos esse Lutheranos, Canonicos enim recitationem breviarii, aliaque statuta, omittere; Papam etiam ab omnibus jam contemni; id compertum esse, cum nuper, capto ab Imperatore Papa, nemo a celebratione missæ aliisque sacris abstinuerit, quod tamen alio tempore sine dubio factum fuisset. Principes quoque illius partis eatenus Lutheranos esse, ut a monasteriis dona accipiant, eorum thesauros sibi custodiendos tradi jubeant, jura Pontificis invadant, clericis tributa imponant; interim sanctos esse, quia ritus externos servent, & ad communionem sub una homines cogant. Allegat exemplum *Alberti* Cardinalis, qui nescio quid de monasterio Hallensi, quod *novi operis* vocabatur, statuerat. Meminit etiam fœderis illius, de quo supra actum fuit, allegato hoc ipso scripto *fol. 995.* Deinde, ideo refutationem non mereri vel mille ejusmodi scriptores, ait, quia non nisi a se ante annos septem refutata recoquant, nec habeant, quod sibi opponant, quam potestatem Ecclesiæ suæ, quam ipse nihili faciat. Accedit postea ad confirmationem dogmatis, de *integra communione*, argumentis solitis quidem, sed nova & singulari cum emphasi adornatis, admixtoque multo sale. Acceptat confessionem adversæ partis, quod integra communio institutioni divinæ & usui veteris Ecclesiæ conveniat: urget concessionem a Pontifice Bohemis factam, quæ defendi non posit, nisi communio illa licita & legitima fuisset. Summe invehitur in prohibitionem calicis, contra divinam institutionem; & affectata in verbum Dei potestate usurpatam, cum tamen potestas verbi supra omnem Ecclesiæ potestatem eminere debeat. Remittit adversarios ad sermones suos nuper publicatos in *cap. XV. Act.* in quibus ad objectionem de concilio Apostolorum sufficienter responderit, de eadem tamen prolixe tractat *fol. 899.* Notabilia sunt, quæ *fol 898.* scribit, ordinationibus Ecclesiæ se, &, qui suam doctrinam sequantur, non resistere, nisi præcipere aliquid audeat contra verbum Dei. *Quoties*, ait, *obtulimus, & adhuc hodie offerimus, nos omnia accepturos & servaturos esse, quicquid injungere & præcipere velint Pontifex & clerus, modo nobis nihil docendum aut faciendum imperent, quod contrarium est verbo Dei. Hoc unicum liberum nobis esse volumus, ut a nobis doceri & servari possit. Cur enim*, (addit) *quæ illi faciunt & ferunt, tonsuras, jejunia & esum piscium, accedente* (ita ludit) *optimi vini lauto usu, stolas & casulas, nos non feramus? Satis validi nobis sunt humeri & stomachi, nec Spiritus sancti auxilio speciali opus est; naturalibus viribus id præstare valemus, præstabimus autem per Dei gratiam, quæ illi non præstant, vitabimus stupra, adulteria, avaritiam, exactiones, luxum & alia illorum vitia, eleemosynas dabimus, & proximo serviemus, quod illi minime faciunt.* De baptismi formula ab Apostolis mutata agit *fol. 991.* Ad Augustini vulgatum illud, quod Evangelio non credidisset, nisi ex testimonio Ecclesiæ *fol. 902.* præter alia id regerit, quod nihil aliud quam ministerium Ecclesiæ respexerit: idque patere ex sequentibus verbis, cum scribat: *Evangelio, catholicis prædicantibus, credidi.* Ad dictum *Johan. XVI. 22. adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo,* repetit, quæ alias respondit, ad prædicationem de cruce id pertinere, dein facetus est, dicens, *si Christus nihil habuit dicere, quam de tonsuris & stolis & statis jejuniorum diebus, ea utique facile portassent Apostoli, neque dicere, puto, voluit de dominatu, honore, potestate, voluptate, pace, opibus & aliis secularibus, quæ affectant.* Tractat postea *capite secundo* de adiaphoris, & fraudem adversariorum indicat, qui oblatione illa, quam supra recitaverat, abutentes, jam omnia præcipere, ut adiaphora, velint, interque ea etiam communionem sub una, & cœlibatum sacerdotum. Sed *hæc nullo jure imperari posse*, ait, *nec objici sibi debere, uti jam fecerint, quod in visitatione Saxonica decretum sit, tolerari debere infirmos, qui nondum certi sunt, an utraque specie in Sacramento frui liceat. Tolerare enim, & præcipere, non esse idem. Magistratus ergo, qui præcipiunt contra conscientiam, in culpa esse, si sequatur seditio populi, vel alia pœna tyrannidis.* Denuo autem paratum se esse ostendit, si a Magistratu præcipiuntur jejunia, aut alia, boni ordinis causa, (non vero, ut cultus meritorius, & conscientiam obligans) & obedire, &, ut omnes idem faciant, suadere: nolle autem quidquam eorum admittere, si opinione cultus & meriti exigantur. *Tertio* Tractatus capite speciatim oppugnat prohibitionem sacri calicis: rejicit prætextum de periculo effusionis, quia hæc a Sacerdotibus ipsis frequentissime committatur, ut & alii abusus, propter quos bonus & legitimus usus tolli non debeat, alias non solum omnes ceremonias, sed & ipsum baptismum abrogandum fore. *Episcopi* dein *Misnensis* mandatum variis argumentis oppugnat, maxime, quod communionem sub utraque, ut hæreticam, damnaverit; ergo Papa, ait, Bohemis hæresin concessit: Taxat acriter *concomitantiæ*, quam vocant, dogma, quod in edicto suo Episcopus prædicandum commendaverat. Optat, ut illius dispensatores culinæ & cellæ aulicæ secundum illam sententiam vel cibum absque potu, vel potum absque cibo illi præbeant; quot absurda ex interpretatione illa sequantur, acriter deducit *fol. 910.* Mandatum Christi, qui & edere & bibere jussit, omnibus istis argutiis præferendum esse, urget, omnibusque objectionibus elidendis sufficere. Refert tandem, *Fridericum* Saxoniæ Electorem, sapientissimum & modestissimum principem, cum ad finem usque vitæ de calicis usu dubitasset, tandem, consideratis verbis institutionis, veritati cessisse, &, cum audisset, verba Christi: *Hoc facite*, eo torqueri, ut sacerdotium, sive sacrificandi potestas per ea Apostolis collata sit, dixisse; *si ista interpretatio vera est*, laicis plane

Marginal notes:

(2) *Irridet adversarios, in quibusdam male se imitantes.*

(3) *Defendit communionem sub utraque.*

(4) *Offert obsequium Episcopis, salva conscientia & fide.*

(5) *Oppugnat traditiones.*

(6) *De adiaphoris.*

(7) *De prohibitione calicis.*

(8) *Rejicit concomitantiam.*

(9) *Monstrat, allegato Friderici Electoris dicto, verba, hoc facite, ad omnes pertinere.*

An. 1528.

plane adimi potest Sacramentum, verba enim illa (hoc facite) tam de pane, quam de calice dicta sunt, ideoque penes clerum stabit, ut non solum calicem, sed & panem sacrum nobis auferat. Subjungit: *Vellem ut omnes pontificii illa audiissent & tanto viro respondere debuissent, quid enim sine summo pudore regerere potuissent?* Pauli inde doctrinam ex *1. Cor. X. & XI.* urget, qua sole clarius fieri dicit, tam laicos, quam clericos, ut panis, ita & calicis participes esse debere. Et sane, si simplicissime de hac quæstione loqui liceat, si verba institutionis, ut ab Evangelistis tribus & a Paulo referuntur, non ad Sacramentum omnibus Christianis commune, sed ad sacrificium a sacerdotibus peragendum pertinent, demonstrari solide & sufficienter non potest, Sacramentum divinitus institutum esse. Claudit libellum insigni cum admonitione, hortaturque suos ad constantiam in agnita veritate, hoc etiam argumento: *Si nulla,* ait, *causa vobis est ex Pontificiorum cœtu discedendi, hæc unica sufficiat, quod videtis & auditis, quomodo illi innocentem sanguinem fundant, contra jus non solum divinum, sed & contra pontificium. Nullibi enim ignis aut mortis pœna in eos statuta est a Pontificibus, qui utraque specie utuntur. Immo legibus pontificum non licet ullum hæreticum supplicio afficere, nisi seditiosus sit. Jam vero ob Sacramenti usum integrum laicos, & propter conjugium sacerdotes comburunt, quibus tamen jure Pontificis non nisi degradatio indicta est. Sunt itaque viri sanguinum. Hoc unicum* (ait) *me, Deo volente, a Papatu in perpetuum abstrahet, & si adhuc sub eo essem, neque quidquam ex dogmatibus eorum reprehendere possem, ob hoc tamen sævitiæ crimen, ex illorum cœtu, tanquam ex latronum & diaboli spelunca, aufugerem. Jam vero etiam doctrina & disciplina eorum convicta est errorum & abusuum, odium universale etiam ante me illis incubuit, & summo reformationis desiderio omnes flagrabant. Nunc autem non solum omnem emendationem aversantur, sed & sæviendo in innocentes multo enormius peccant.*

(10) *Persecutiones ab adversariis pro summa schismatis causa habet.*

Cum secta Anabaptistarum magna circa hoc tempus incrementa haberet, nec suppliciis, quæ in regionibus Romanæ Ecclesiæ contra eos decernerentur, reprimi posset, ut ex epistola Lutheri ad *Jacobum Præpositum,* (Probst) Bremensium Ecclesiasten, *Lib. II. Epistolar. p. 366.* & ex historicis constat; Lutherus sub initium anni, tumultuarie quidem, (ut in literis *ad Spalatinum* d. 6. Febr. datis *p. 367.* fatetur) epistolam ad duos Pastores in provincia quadam, Principi Pontificio subjecta, edidit, quæ habetur *Tom. IV. Alt. f. 376. & seqq. ad 388.* Queritur ab initio, quod a *Balthasare Hubmaiero,* celebri illius sectæ antesignano, qui Viennæ in Austria combustus fuit, insimulatus fuerit, ac si ejusdem cum illo sententiæ esset, sua tamen se conscientia & famæ testimonio consolatur, & ad conciones suas provocat, anno proximo habitas, ideoque superfluum duxisse, ut libellum Balthasaris refutaret, præsertim, cum Saxonia Electoralis a secta illa Anabaptistarum, ut & Sacramentariorum, plane libera & immaculata sit. Improbat postea, quod in ditionibus Pontificiorum Principum suppliciis adversus miseros illos sæviatur, satis punitos esse errore suo; verbo Dei refutandos esse, non igne aut ferro tollendos, nisi tumultuentur. Non magis probat, quod rebaptizentur a Pontificiis, qui ex instituto Lutheri formula Germanica baptizati fuerant; cum tamen non rebaptizent infantes, qui in casu necessitatis a mulieribus baptizantur. Argumenta inde aggreditur, quibus Anabaptistæ errorem suum palliabant, quanquam ex auditu potius sese illa percepisse, quam satis certo novisse, testetur. Primum omnium objectionem eorum generalem rejicit, cum dicunt, *pædobaptismum ideo displicere, quia in Papatu fieri consuevit.* Minime enim omnia mala & impia esse, quæ in Pontificatu habuerit & crediderit Ecclesia. Synagogæ abusus a Christo reprobatos fuisse, retenta tamen orthodoxia: ideo præcepisse *Matth. XXIII. 3. quæcunque dixerint vobis, servate. Fatemur igitur,* ait, *sub Papatu multa, immo omnia Christiana & bona esse, quæ ad nos profecta sunt* (id est, *a nobis retenta,* ut postea explicat.) *Habuerunt enim in Papatu veram Scripturam, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, veram absolutionem a peccatis, veros ministros, verum catechismum,* id est, decalogum, *symbolum fidei* & *orationem Dominicam. Papa etiam scit, nos hæc habere.* Intelligere se hæc dicit de articulis, quos communes habent Pontificii & Lutherani, & quatenus in iis conveniunt; immo veram Ecclesiam sub Pontifice esse, non negat, quia ipsum pro Antichristo habet, hic vero in templo Dei, id est, in media Ecclesia sedere debeat. *2. Thess. II. 4. Non rejicimus,* (scribit *fol. 336.*) *ut fanatici solent, omnia, quæ sub Papa sunt, sic enim Christianum cœtum, sive templum Dei, rejiceremus, sed id solum improbamus & rejicimus, quod Papa, non contentus iis Christianæ Ecclesiæ bonis, quæ ab Apostolis accepit, ex se, instinctu diaboli, addidit & cumulavit, non ad ædificationem, sed ad destructionem Templi Dei, facitque, ut suæ leges & ordinationes præferantur ordinationi Christi. Conservavit tamen in hac ipsa desolatione Deus Christianos suos, sicut Lothum in Sodoma. 2. Petr. II. 6. 7. Blandiri me dicent Papæ, sed, si is hac blandimenta pati potest, obediens ero filius, & bonus Papista, & revocabo omnia, quibus eum offendi.* Præterire ista non potui, tum, quia veteres & recentes Lutheri calumniatores truncata hæc verba allegant, & ex iis cavillantur, quasi sua ipsius confessione Papatum in omnibus probasset; tum, quod solatium præbent adversus tristes cogitationes de statu Ecclesiæ, erroribus & dominatu oppressæ, & responsum suggerunt ad quæstionem vulgatissimam, ubi fuerit Ecclesia ante Lutherum? *Ita* (ait) *pugnandum est contra Pontificem, ne per ejus latus etiam veri Christiani vulnerentur, qui sub ejus tyrannide gemunt, & primariis fidei articulis adhærentes, assuta figmenta non æstimant. Importuni enim aggressores essent, & facerent, sicut quidam, qui fratri, cum quo per sylvam ibat, ab urso oppresso, opitulaturus, & ursum & fratrem uno ictu transfodit. Requiritur prudens & circumspectus spiritus, qui sub Papa intactum sinat templum Dei, & solum additamentis*

(11) *Epistola Lutheri contra Anabaptistas.*

(12) *Purgat se a consensu cum Hubmaiero.*

(13) *Negat, omnia rejici debere, quæ in Papatu inveniuntur.*

(14) *Monitum de quæstione, ubi fuerit Ecclesia sub Papatu.*

An. 1528.

An. 1528.

tis ejus resistat, per quæ templum Dei destruitur. Es gehöret ein fürsichtiger bescheidener geist darzu/ der unter dem Pabst lasse bleiben/ was Gottes Tempel ist/ und wehre seinem zusatz/ damit er den Tempel Gottes zerstöret. Alterum iterandi baptismi prætextum, *quod nemo ex sua scientia certus esse possit, an baptizatus sit*, ita refutat, ut dicat, certitudinem sufficientem ex aliorum testimonio haberi posse, quæ etiam coram Deo & in conscientia valeat v. g. ita credimus, nos parentum nostrorum liberos esse, Principem, qui nobis imperat, jure ad principatum pervenisse, &c. ut autem tali fidei, ut divinæ, inniti aliquis possit, tria requirit; *primo*, ut res, quæ creditur, justa sit & necessaria: sic, ait, necessarium est & certum, quod ex parentibus nasci debuerim; *secundo*, ut testes adsint, qui asseverent ea, quæ credenda sunt, ita adsunt, qui dicant, hos esse parentes meos; *tertio*, ut effectus & emolumentum appareat, ex quo statui possit, rem istam bonam & divinam esse, ita video ab iis, quos pro parentibus habeo, me educari & foveri. Idem ab exemplo Principis confirmat: *primo* enim scimus, quod oporteat esse principem & magistratum, Dei enim ordinatio est; *dein* adsunt tot testes, qui hunc principem esse dicant; *tertio* utilitas & effectus percipitur ex ejus regimine. Occurrit autem objectioni adversariorum, si hæc ad Papatum applicentur. *Nihil* (ait) *efficient, nam primum requisitum deficit, quia non est certum nec probatum, quod Papatus necessarius sit, sicuti necessaria est parentum & magistratus existentia & potestas; dein testimonium non est perfectum, contradicit enim tota orientalis Ecclesia, & aliqui semper etiam in occidentali contradixerunt; tertio, non facit opus Dei, negligit Evangelium, persequitur pios, suas obtrudit traditiones & leges. Sed ad pædobaptismum optime*, ait, *ista quadrant: constat primo, baptismum esse juris & præcepti divini, hoc non negant sectarii, quia eum reiterant, secundo testes adsunt, quantum satis est, qui affirmant, nos esse baptizatos; tertio fructus baptismi conspicuus est: admittimur enim ad auditum verbi, & usum Sacramenti.* Adducit in sequentibus alios effectus, qui spiritus divini operationem manifesto indicant. Si enim pædobaptismus vetitus aut illegitimus & profanus esset, unde essent per annos mille, quo universaliter invaluit, homines pii, Spiritus sancti egregiis donis, præsertim ad explicandas Scripturas instructi, quales hodie magno numero inveniuntur. Immo, contra promissionem Christi, dudum funditus periit Ecclesia, si baptismus nullus & invalidus fuit, nec per tot secula ulli fuissent Christiani; Antichristus etiam non esset, nisi mansisset templum Domini, in quo sederet. Tertiam objectionem ex ordine verborum Christi, *qui credit & baptizatur*, ita solvit, ut dicat, illa connexione tempus baptismi non determinari, neque enim baptismum ita inniti fidei, ut nisi manifesto de hac constet, exerceri non debeat; nam neque de adultis certissime constare posse, an credant: id enim ex sola professione fidei non demonstrari, sed Deo notum esse. Christum igitur salutem non promittere ei, qui dicat, se credere, sed qui revera credit. His ita stantibus & intellectis, ut sonant, neminem unquam satis tuto baptizari posse; si certa fides ejusque demonstratio præcedere debeat. Addit postea diuturnam Ecclesiæ consuetudinem, ab Apostolis ad nos profectam, ex qua liqueat, veteres non dubitasse de fide & salute parvulorum, etsi non potuerint intelligere, sicut nec nos intelligimus, quomodo Deus fidem in infantibus operetur. Eos igitur, qui hoc impugnant, probare debere contrarium, nempe infantes non credere. Addit alia, quibus ostendi solet ex dictis & exemplis Scripturæ, licitum & tutissimum esse pædobaptismum: licet enim difficillime comprehendatur, quomodo fides, quæ ad Sacramenti utilitatem requiritur, infantibus detur, contradicere tamen anabaptistas certo & tuto non posse, neque evidenter demonstrare, quod non detur, cum Deo omnia sint possibilia, & exemplum Johannis in utero Spiritu sancto repleti extet. Si vero non satis justus esset baptismus infantum, nihil tamen noceret, neque repetendus esset: qui enim non credit eo tempore, quo baptizatur, credere potest post decennium, & tamen non esset rebaptizandus, fides enim non est propter baptismum, sed baptismus fit propter fidem: si igitur hæc postea supervenit, baptismus vim suam habet. Ideo, si adultus, simulata fide, baptismum acciperet, post annum vero serio crederet, is rebaptizari utique non deberet: id pluribus rationibus confirmat. *In effectu autem* (ait) *anabaptistas solum opus illud suum baptismi iterati respicere, neque de fide vera & salvifica sollicitos esse, cum certi & securi esse nequeant, an vere credat is, quem rebaptizant*: ideoque, qui id faciunt aut patiuntur, pro *insensatis Galatis* habet, qui, circumcidi volentes, omnem fidem corrumpebant. *Quodsi doctrina & fructibus judicetur, penes nos*, ait, *fructum Spiritus sancti deprehendimus, cum neque in papatu, neque inter fanaticos sint, qui donum explicandi Scripturas habeant, quod nostri habent, 1. Cor. XII. At e contrario pessimos fructus inter Anabaptistas conspicimus. Sunt enim inter illos, qui conjuges & familiam deserunt, magistratum rejiciunt, tales denique, quos Paulus 1. Tim. V. 8. dicit fidem abnegasse, & infidelibus deteriores esse, quia suorum curam non gerunt.* Exprobrat illis etiam errorem Donatisticum, quod de validitate baptismi dubitent, quia incertum sit, an baptizans fidelis sit. Adfert in contrarium ex Scripturis exempla *Caiphæ* & *Bileami* & *Judæ*, qui, notorie impii, verbum tamen Dei prolocuti sunt, nec sine fructu; *Herodis* etiam & *Synagogæ*, qui Magis de loco nativitatis Messiæ quærentibus vera & divina responderunt; immo, inter Dei beneficia reputari debere, putat, quod etiam per malos aliquando verbum suum prædicari faciat, ne imperitum vulgus, cum solos sanctos id agere videt, veritatem ab hominum potius autoritate & moribus, quam a Deo dependere credat. Tutissimum fundamentum baptismi ponit in mandato Dei, secundum quod baptismus omnibus, etiam infantibus, administrari potest, sive constet, quod credant, sive non constet. Etsi enim non prosit ei, qui non credit, verus tamen est baptismus, & suo tempore operatur, sicut verum manet

(15) *Ostendit, unde certitudo Baptismi haberi possit.*

(16) *Pædobaptismum tuetur argumento vetustatis, & quod Ecclesia interiisset, nisi ille validus esset.*

An. 1528.

(17) *Fidem baptizandorum, imprimis parvulorum asserit.*

(18) *Effectus & fructus ex orthodoxa & Anabaptistarum sententia diversi.*

An. 1528. net Evangelium, etsi plurimis prædicetur, qui non credunt, vel non statim. Illum, qui baptizari vult, interrogari quidem debere, an credat, sicut Eunuchus *Act. VIII.* & admittendum, si dicat, se credere, non tam ob fidem, quam profitetur, de qua ipse solus non satis firmiter testari potest, quam ex mandato Dei; inde baptismum recte dari, nec repeti debere, sive ille tunc vere crediderit, sive non crediderit. Quemlibet igitur fidere baptismo in infantia accepto posse, licet defectum fidei sentiat, in hoc enim corrigendo tota vita laborari deberet. Pædobaptismum vero longe majori cum periculo omitti, cum ex Scriptura clare probari nequeat, prohibitum fuisse, & a suspicione abusus sive Papistici inventi satis liberetur antiquitate sua. Alios enim articulos in Papatu v. g. missam sive sacrificium, successu temporum invaluisse, & controversos, illisque contradictum fuisse. Increpat vehementer protervìam Anabaptistarum, qui baptismum vocabant *balneum caninum*, ein Hundesbad. Ejus petulantiæ jam anno 1526. etiam Carolostadium accusabat Lutherus, ut patet ex epistola ad Amsdorffium *Lib. II. p. 312. Heri Carolostadio (Segrenæ* tunc, trans Albim, haud procul Wittenberga, habitanti) *filium baptisavimus* &c. *Quis ita futurum cogitasset anno superiori, fore, ut hi qui baptismum balneum caninum vocabant, nunc peterent ab ipsis hostibus: sive id ex animo, sive non sincere petant, Deo sit servatum.* Cæterum Lutherus in libello hoc suo, hæreseos indicium esse statuit, quod non tam a probationibus, quam a criminationibus inceperint, inopes argumentorum; id quod seipsum expertum esse dicit, quoties cum iis disputaverit: absumtis enim convitiis, nihil proferre potuisse, quo errores suos defenderent, sed confusos & pudefactos adstitisse. Excusationem addit in fine, quod & occupatus hæc scribat, & nondum satis edoctus de omnibus, quæ pro se allegent Catabaptistæ. Queritur etiam de iis, qui adversus præsentiam corporis Christi in sacra Cœna disputantes, ut plurimum a convitiis exordiantur, & Capernaiticam barbariem orthodoxis objiciant. Edidit hoc eodem anno etiam *Melanchthon* in tractatu Latino judicium de Anabaptistis, quod extat in *collectione Pezeliana, Part. I. p. 51. & seqq.* pleraque autem cum Luthero consentientia tradit, & maxime urget, quod infantibus remissio peccatorum, & præcipue originalis, per baptismum conferatur, & impium sit, eos, denegato baptismo, remissionis beneficio privare, quod nemini contingat absque verbo & Sacramento. De fide infantum *p. 65.* hæc habet: *Sicut de circumcisione scriptum est: Ero Deus eorum, quod est, recipiam eos in gratiam, custodiam eos, & sanctificabo eos, gubernabo eos: ita & isti pueri, commendati Deo, recipiuntur in gratiam, sanctificantur & custodiuntur a Deo. Quanquam enim ratione nondum utantur, tamen agitat eos Deus, pro modo ipsorum. Nam neque in senibus ratio efficit justitiam Christianam, sed Deus incutit verum timorem, & ostendit peccatum his, quos ad pœnitentiam revocavit, eosque rursus per fidem erigit, ac justificat. Effecit Spiritus sanctus ut sentiret Joannes nondum natus præsentiam Christi. Ita sanctificari a Spiritu sancto, & alii infantes electi, sine rationis auxilio, possunt.* In fine oppugnat errorem adversariorum, de communione bonorum introducenda.

(19) *Blasphemias Anabaptistarum execratur, ut & Carolostadii.*

(20) *Melanchthonis adversus Anabaptistas tractatus, in quo fidem infantum asserit.*

§. XLI.

An. 1528. Tertium antagonistarum genus Lutherus eos habebat, qui de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia dubitabant, inprimis *Zuinglium & Oecolampadium.* Adversus istos hoc anno prolixam illam *confessionem* edidit, quæ *magna* dicitur, quia breviorem alio tempore conscripsit. Extat *Tomo III. Alt. a fol. 812. ad 891.* Tempus editionis colligitur ex literis ad Lincum d. 28. Mart. 1528. *Lib. II. Epistolar. p. 374. b.* his verbis: *Dedi Joanni Hoffmann exemplaria, inter vos dividenda, contra Sacramentarios. Dominus det, ut fructificent apud multos. Ego enim vaniloquos istos homines statui relinquere, & finem fecisse scribendi contra eos, quod videam tantam Logicæ ignorantiam in illis regnare, ut impossibile sit, etiamsi naturaliter errarent, eos posse doceri, aut ad metam confutationis adigi. Neque enim doceri aut disputari potest absque dialectica, saltem naturali, in qua Zuingel sic est rudis, ut asino queat comparari.* Magno cum acumine liber iste scriptus est, licet *Zuinglius* in responsione sua, quam Electori Saxoniæ, & Principi filio, dedicavit, eum valde extenuare & contemnere conetur. Interim ad lectorum judicium provocare possumus; ab excerpendis tamen contentis abstinemus, quia extra scopum propositum evagari non lubet, & luculentæ de tota disputatione narrationes ab utraque controvertentium parte editæ habentur. Summum Lutheri fundamentum, sive momentum, & ut ita dicam, artificium disputationis est, quod ipse veluti possessionem tenuit sensus literalis verborum: *Hoc est corpus meum:* & rationes apertas, graves & conscientiam convincentes ab adversariis exegit, per quas necessarium esset, tropicum sensum in illis verbis quærere. Eas si non producerent & probarent, non posse a culpa absolvi, quod præter necessitatem verba divina ad tropum torquerent & Ecclesiam turbarent. Ecclesia enim, simplicitati verborum insistens, unionem Sacramentalem elementorum panis & vini cum corpore & sanguine Domini credebat, quæ ipsas res cœlestes sive divinas, per elementa terrena denotatas, exhiberent, modo quidem humanæ rationi incomprehensibili, vero tamen ac non minus reali, quam realiter adsunt elementa externa. Quicquid enim contradicentes de natura corporis humani, ejusque localitate, ut loquuntur, objiciebant, & ad corpus Christi applicabant, & omnia absurda, quæ inde colligebant, oppositione omnipotentiæ divinæ, verbum suum tam liquidum & clarum implentis & præstantis, & unionis duarum naturarum in Christo virtute, elidebat, multisque comparationibus sententiam suam illustrabat. Agnoscit tamen, nullam similitudinem exacte ad mysterii hujus formam quadrare, ideoque cavillandam non esse, sed ita interpretandam, ut tanto facilius mens fidelium acquiescere possit in simplici illo verborum sensu, & difficultates, absque necessitate excitatas, superare. Memorabilis est epistola *Martini Buceri*, cujus

(1) *Liber Lutheri adversus Zuinglianos, qui Confessio magna dicitur.*

(2) *Ejus fundamenta in sensu literali.*

(3) *Bucerus*

An. 1528.

sententiam Lutheri probat & excusat.

cujus in quæstione sacramentaria scripta & acta notissima sunt, & a nobis in tempore non prorsus taceri debent. Hanc ex reformatorum partibus producit *Scultetus anno hoc 1528. p. 171.* his verbis ad Joh. Comandrum: *Statim ut Lutherus suam de sacra cœna Confessionem magnam edidit, intelligere cœpi, cum nequaquam Christi localem in pane inclusionem, aut ullam cum elementis talem conjunctionem statuere, quæ indigna sit Christo, sive vero homine, sive in cœlis regnante. Porro, si roges, cum non adeo nuper cum Luthero & Ecclesiis, quæ ipsum sequuntur, consenserim, & eam rationem de sacra Eucharistia disserendi, quam hic tibi præscripsi, amplecti cœperim, cur id non etiam statim profiteri voluerim, & testatum fecerim? Scito, mi frater, in eo me habuisse rationem Ecclesiarum, & universim, & peculiariter Helveticarum. Cupiebam enim, non novarum dissensionum offendiculis Ecclesias rursus concutere, sed pacem solidam cunctisque approbatam afferre. Tum in hanc consensionem optabam venire maxime Helveticas, cum quibus singularem consuetudinem Dominus nobis ab initio Evangelii restituti concessit. Tempore itaque opus fuit, dum fratribus atque symmistis cum consilium, tum sententiam, in restituenda hac concordia, approbaremus.* Pro suppositia non habet istam epistolam *Scultetus*, & Bucerum in eundem sensum anno 1545. scripsisse notat; fatetur tamen, se conciliare illa cum Buceri aliis dictis scriptisque, quibus Zuinglii sententiam defenderit, non posse. Sane, si vere, ut dubitari vix potest, istam epistolam scripsit, dolendum est, quod non ipse maturius & constantius, dein & alii puriori affectu, & seposito præjudicio, libellum illum Lutheri legerint & consideraverint; sperari enim potuisset, tot secutis postea rixis & turbis remedium facilius inveniri potuisse, sicut illo ipso libello Ecclesiæ Saxonicæ tunc a dubitationibus illis servatæ sunt. Ex libro ipso epilogum saltem partis secundæ *fol. 887.* addam, ut de zelo & bona fide Lutheri argumentum præbeat.

(4) Professio seria & candida Lutheri in epilogo partis secundæ.

Sciant, inquit, *adversarii; cum fateantur, interpretationem nostram sensui verborum simplici convenire, neque tamen acquiescere in hac velint, neque per eam convinci, nos nudis & jejunis eorum glossis, quas homines excogitarunt, nolle insistere, sed potius nudum & simplicem textum, quem Deus ipse pronunciavit, sequi. Etsi vero glossas suas scripturam & fidem vocent, nos tamen id non credimus, nisi probent. Eos enim nos esse existiment, qui non magis errare & falsa docere velint, quam ipsi demonstravimus id per Dei gratiam ipso facto, neque illi sibi solis hanc gloriam arrogare poterunt, Christus judex erit falsi & mendacii. Glorior in Deo, me hoc libello evicisse, non esse tropum in Eucharistia, sed intelligi debere verba, ut sonant, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, hoc certe scio. Si tropus admitti debet, ubique admittendus est, ubicunque de sacra Cœna agitur. At ipsi, ut vidimus, negant tropum esse in dicto Pauli. I. Cor. XI. 29. qui manducat & bibit indigne &c. 1. Cor. X. 16. Calix benedictionis &c. Ad hæc nihil responderi nobis potest, ergo nec in cæteris, ideoque nullus est tropus in sacra Cœna.* De synecdoche enim, quam admittere videbatur, & tunc & alio tempore sufficienter se explicavit, quod in quibusdam propositionibus evitari non possit, neque tamen tropum faciat: vide *Lib. II. Epistolar. pag. 382. b.* Libri hujus tres sunt partes, *prima* Zuinglio, *secunda* Oecolampadio opposita est, in *tertia* confessionem fidei edidit *fol. 888. & seqq.* in qua ad mortem usque, Deo juvante, persistere se velle sancte testatur, & jam in eventum contradicit omnibus, qui post mortem suam aliam sibi doctrinam affingerent. *Non sum ebrius* (ait) *aut inconsideratus, scio, quid loquar, & agnosco, hoc mihi in judicio extremo coram Domino nostro Jesu Christo imputari debere, nemo me nugari aut jocari credat, serio ago.* Mereretur tota illa Confessio, quam orthodoxam, omniumque verorum Christianorum esse confidenter affirmat, hic inseri, maxime ad confundendam impudentiam adversariorum, qui hoc ipso anno calumniati sunt, Lutherum sententiam suam, nescio in quot capitibus, mutasse & revocasse. Sed omissis, quæ controversia tunc caruerunt, de Deo trinuno, & de persona & officio Christi, aliisque quædam saltem adscribam, quæ ab adversariis impugnantur.

An. 1528.

(5) Differit de libero arbitrio.

De libero arbitrio, postquam de merito Christi egregie locutus esset, *fol. 888.* ita scribit: *Rejicio & condemno, ut merum errorem, omnem doctrinam, quæ liberum nostrum arbitrium extollit, & contra auxilium & gratiam Salvatoris nostri Jesu Christi pugnat, quia extra Christum mors & peccatum in nos dominatur, & diabolus (mundi non conversi) Deus & princeps est: nulla itaque potest esse facultas, vis & efficacia, ratio aut sapientia, per quam ad justitiam & vitam nos præparare, aut eam quærere possemus, sed cæci & captivi sub diabolo & peccato sumus, ut cogitemus, & faciamus quæ illis placent, Deo vero ejusque præceptis contraria sunt. Ita condemno veteres & novos Pelagianos, qui peccatum originale non pro peccato, sed pro defectu solum, habere volunt, quia autem mors in omnes homines dominatur, peccatum illud non defectum aliquem, sed satis magnum crimen, esse oportet. Paulus enim dicit: stipendium peccati mors Rom. VI. 23. & iterum: Stimulus mortis peccatum 1. Cor. XV. 56. & David Ps. LI. dicit: ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea,* id est, *ipse generatus sum ex semine iniquo, & mater mea concepit me in peccatis, id est, crevi in utero matris ex semine iniquo, ut Hebræus textus indicat.* Hæc ille: Ex quibus a morte infantum recens natorum, quibus peccatum actuale, ut adultis, tribui nequit, validissimum argumentum deducitur, peccatum originis revera peccatum esse. Ista autem qui reprehendit & damnat, ipsi Scripturæ, ex qua omnia totidem fere verbis probari possunt, contradicit.

(6) Cochlæi calumnia arguitur, Lutherum mala fide allegantis.

Taxanda hic est *Cochlæi* nequitia, qui in historia hujus anni, ut alibi, mira petulantia, nescio quot contradictiones & errores Luthero impingit: Hanc vero ejus confessionem de libero arbitrio non, nisi his mutilatis verbis, recitat, *ac si Lutherus scripserit: Rejicio, hic simul ac damno, velut meros errores, omnem doctrinam, quæ liberum arbitrium nostrum jactitat.* Si enim immediate connexa, quæ a me supra fideliter relata sunt, ut debebat, adjunxisset, viri boni præstitisset officium, at, cum sciens prudensque ea saltem referat, quæ interpretationem perversam

An. 1528. sam pati poterant, manifestum facit, quo spiritu actus sit. Hæc non ipsius, qui dudum judicium suum subiit, (anno enim 1552 Uratislaviæ decessit) sed illorum causa annoto, qui veteratori deterrimo tam secure credunt, nec Lutheri scripta ipsa evolvunt, aut ob ignorantiam linguæ Germanicæ legere non possunt. Quod enim a Luthero dissenserit Cochlæus, cum plurimis commune habet, qui non omnes ex obstinatione aut malitia, sed, quod præjudiciis, quibus innutriti erant, liberare mentem non possent, pristino errori inhærebant; at, quod verba Lutheri, non hoc solum, sed innumeris fere locis, captet, & in deteriorem sententiam sciens prudensque detorqueat, id nullo modo excusari potest. Hoc est illud vitium, propter quod hostis humani generis, tot criminum aliorum reus, *diabolus* tamen κατ' ἐξοχὴν appellatur, cujus se ministros & instrumenta faciunt, qui dicta ab adversariis scientes ideo mutilant aut torquent, ut reos errorum faciant, quos ipsis imputant; cum omni charitatis & humanitatis lege obligentur, ut excusent potius & extenuent errores, quam, ut aggravent. Cætera etiam ex hac confessione satis crude & aride proponit *Cochlæus*, ut tanto magis odiosa appareant. Monastica quidem vota, quatenus pro meritoriis venditantur, damnat & rejicit Lutherus, ita tamen, ut sanctos, qui in statu monastico vixerunt, excuset, quia, decepti licet ea opinione, tamen, ut electi Dei, per fidem in Jesum Christum salutem sint adepti. Addit etiam: *Pulchrum esset, si monasteria & collegia conservarentur, in quibus juvenes in verbo Dei & disciplina honesta instruerentur, ut ex iis episcopi, pastores & ministri Ecclesiæ, item ad rempublicam utiles viri, sumi possent; ut & fœminæ piæ & doctæ, quæ familias postea laudabiliter regerent.* Tres deinde ordines hominum, Deo probatos, commendat: *Ecclesiasticum*, in doctrina & sacramentis occupatum, *politicum* & *domesticum* tam conjugatorum, quam cœlibum. Ab his omnibus vera bona opera exerceri posse & debere contendit, id est, egenis succurri, esurientes cibari, inimicis condonari, preces pro omnibus fieri, mala patienter tolerari. *At, sancti licet sint hi status, sancta etiam opera, ad salutem tamen non sunt via sive media: Aliud est, sanctum esse, aliud salvari. Salvamur solummodo per Christum, sanctificamur per fidem & per divinum statum & ordinem, in quo vivimus. Etiam impii sancta quædam opera habent, sed in iis non salvantur. Deus autem opera bona exigit ad suum honorem, &, qui per Christum justi & salvi sunt, præstant ea, & ordinem divinum servant.* De Sacramentis ita loquitur, ut baptismum reiterari debere, neget, & Donatistas atque Anabaptistas penitus condemnet. De sacra Cœna vero scribit: *Confiteor, in Sacramento altaris ore sumi cum pane & vino corpus & sanguinem Christi, etsi sacerdos & percipientes non credant, sed sacramento abutantur: nititur enim id non fide hominum, sed verbo & ordinatione Dei.* De Ecclesia dicit, quod sit communio omnium Christianorum in toto orbe, eademque sponsa Christi, & corpus ejus mysticum, cujus caput est Christus, Episcopi vero & pastores neque domini neque capita sunt, sed ministri, & amici Christi, & inspectores, ut vocabulum *Episcopi* denotat, id est, curatores & custodes cœtuum. Ecclesia illa Christiana non solum est sub Romano aut Pontifice, sed in toto orbe dispersa, sub Papa, Turcis, Persis, Tartaris & ubique, collecta autem sub uno capite Christo, extra quem non est remissio peccatorum, nec usus Sacramentorum, neque salus. Papismus autem est Antichristianismus, & ad eum, alio tamen modo, etiam pertinet Mahometismus & omnes hæreses. *Indulgentias* pro dolo & figmento habet. *Orationes pro mortuis*, si simplici mente, & ita fiant, ut semel aut bis Deus rogetur, si juvari possit anima, ut eam juvet, tolerari posse putat, id quod de recens mortuo, cum nondum satis constat, an anima prorsus separata a corpore sit, & de circumstantium precibus intellexisse videtur; *vigilias* vero & *anniversaria*, nundinationes esse diaboli. *Purgatorium*, etsi non sit impossibile, credi tamen non debere, quia nihil de eo revelatum est in Scripturis, & confictæ sint animarum apparitiones. Ita nec *invocationem sanctorum*, ab aliis jam dum oppugnatam, ex Scripturis probari posse, neque credi debere: *unctionem* pro ritu libero haberi posse, ait, sed non esse sacramentum, ut nec *matrimonium* & *presbyterium*, quanquam per se sanctæ sint actiones; *pœnitentiam* esse baptismi exercitium, manere itaque solum baptismum & cœnam Domini in Sacramentorum ordine: *Missas* penitus abominatur, & inter maxima delicta sua reputat, quod monachus fuerit, & ultra annos quindecim, missas celebrando, Deum offenderit; consulit omnibus, ut claustris exeant, cum virginitas extra illa, & absque falsa meriti & gratiæ obtinendæ opinione, servari possit, & olim cum laude servata fuerit: *Imagines, campanas, ornamenta templorum, altaria, candelas*, & alia ejusmodi, pro indifferentibus habet, pro lubitu servandis aut omittendis: utiles tamen picturas ex Scriptura & bonis historiis esse putat, & iconoclastis non assentitur. Hæc occasione scripti, in causa sacramentaria editi, adduco, quibus evincitur, quod dixi, nihil eum aut negasse, aut mutasse ex iis, quæ jam ab aliquot annis publice scripto & voce docuerat.

(7) *De voto monastico & veris bonis operibus.*

(8) *De Sacramentis.*

(9) *De Ecclesia per totum Orbem sparsa.*

(10) *De variis in Papatu erroribus.*

§. XLII.

Progressus doctrinæ Evangelicæ etiam hoc anno, inter turbas & remoras varias, non exiguus fuit. *Hamburgenses & Brunsuicenses* opera D. *Johannis Bugenhagii* Pomerani, Wittenberga evocati, ministerium Ecclesiarum in urbibus suis constituerunt.

(1) *Progressus Evangelii Hamburgi.*

ADDITIO I.

Asservantur *Reg. O. fol. 102.* literæ Mss. Lutheri, Pomerani, Principum etiam & Civitatum, quæ lucem historiæ afferunt. Brunsuicenses Lutherum rogarunt, ut intercessione sua efficeret, ut Pomeranus ad biennium ipsis concederetur. Sed Lutherus d. 18. Septembris Electorem monuit, magno id cum damno fieri, ob auctam indies negotiorum molem, & instantem visitationem: longe majorem Wittenbergæ rationem habendam esse, quam Brunsuigæ, ubi jam multi essent viri idonei. (es liegt mehr an Wittenberg / als an drey Braunschweig.) Jussus itaque est Pomeranus Brunsuiga Hamburgum proficisci. Hic tamen longior ei mora indulta fuit, ex consilio Lutheri ad Pontanum d. 11. Novembris scribentis, nempe *ut maneret, quamdiu salus Ecclesiæ illius urbis præsentiam ejus requireret, festinaret tamen, quantum posset.* Extat Pome-

(a) *Pomeranus mittitur in Saxoniam inferiorem.*

An. 1528.

(b) *Ejus relatio ex Hamburgo.*

Pomerani ad Lutherum relatio Hamburgi d. 8. Octobris Latine scripta. Ex illa cognoscitur, deductum eum Luneburgensis Ducis cura Hamburgum fuisse, &, licet dubitandi de successu causæ non deessent, magnum tamen populi ad conciones ipsius audiendas ardorem invenisse, etiam diebus non festis. Laudat monachorum utriusque sexus ad Evangelium propensionem: Franciscanum conventum integrum jam accessisse, narrat, nec reluctari Dominicanos: Virgines, quas *cæruleas* (die blauen Schwestern) vocabant, omnes peplum monasticum posuisse & honeste vestitas ad conciones venire: conjugii libertate uti, qui & quæ velint, manere in cœlibatu cæteros: iis se leges ad pietatem, & adversus otium, præscripturum esse: Hamburgensium exemplum imitatas esse virgines Benedictinas in cœnobio Holsatiæ, duobus ab Hamburgo milliaribus; illarum antistitem multum laudat. Occupari se jam, scribit, monitu Senatus, in ordinanda schola, ad id longiori temporis spatio opus sibi esse. Senatus ipse Luthero Cal. Nov. scripsit dialecto Saxonica, enixe rogans, ut diutius apud se commorari liceret Pomerano; neque enim VVittenbergensi Academiæ totique Electoratui deesse insignes viros, magno numero, ut Pomerano ad aliquod tempus absque damno carere possit: hunc vero in sua civitate vicinisque regnis & provinciis egregia præstiturum esse, ad animarum salutem & ad pacem atque concordiam, cum summa Electoris laude. Et huic quidem desiderio eorum Lutherus sese accommodavit. Cum vero Pomeranum per totam hyemem, magnamque veris partem, Hamburgenses detinuissent, & id agere viderentur, ut eum perpetuo retinerent, impatientior Lutherus d. 12. Maji 1529. Electorem monuit, ut inde avocaretur, nocere enim ejus absentiam Academiæ, cum quotidie affluant juvenes magno numero, ex Saxonia maxime, qui lectione Pomerani opus habeant.

(c) *Revocatus VVittenbergam.*

(2) *Evangelii progressus in aliis Saxoniæ inferioris urbibus.*

Bremenses ex monasterio Augustiniano Gymnasium erexerunt, rectore *Joh. Oldendorpio*; reliqua occluserunt. *Lubecæ* cives ad audiendum Evangelium *Oldesloam* magno numero excurrerunt. *Goslariæ*, accito *Nicolao Amsdorfio*, Magdeburgi tunc docente, publica religionis reformatio instituta fuit, & primarius pastor factus *Joh. Amandus* ex Borussia, quondam Monachus. *Göttingensibus* de ordinatione Ecclesiastica Lutherus gratulatur mense Junio, & cum securius agere viderentur, suadet, ut felicem eventum a Deo precibus petant. *Non deerunt*, ait, *impedimenta, princeps mundi (credite mihi) etiam Göttingæ dominari, non mendicare, volet.* Wird auch zu Göttingen ein Fürst und gar ungern ein Bettler seyn wollen. *Vide Tom. IV. fol. 427. Diepholtensis* Comes in Westphalia Evangelii doctrinam in suas ditiones introduxit. Nec in superiori Germania incrementa defuerunt. In Franconia *Georgius Marchio*, post decessum fratris Casimiri, in dicto *Suabaci* conventu, Dominica post festum Corporis-Christi, id est, 14. Jun. cum Norimbergensibus de septendecim reformationis Articulis convenit, eosque Electori Saxoniæ & Philippo Hassiæ Landgravio misit. Secuta est illorum approbatio a Luthero & Theologis Wittenbergensibus, & ut ex scriptis quibusdam Brandenburgicorum & Norimbergensium Theologorum apparet, iidem esse creduntur, qui postea *Smalcaldiæ* denuo propositi & rati habiti fuerunt, ex quibus *Augustana confessio* composita fuit; de quo tamen certi nihil statui potest, donec ex archivis Suabacenses illi articuli producantur, quod huc usque factum esse non invenio. Liquet tamen, hos, qui Smalcaldici dicuntur, & cum Formula concordiæ editi sunt, a Luthero jussu Electoris proximo ante iter ad comitia Augustana anno 1530. adscitis collegis, consignatos & Torgaviæ exhibitos esse, ut infra refertur. Visitationem inde, in Marchionis & Norimbergensium ditionibus, secutam, vehementer oppugnavit *Episcopus Bambergensis*, sed nullo effectu. Responsum tamen ei a *Senatu Norimbergensi* fuit, juribus ejus reformatione illa nihil decessurum esse.

(3) *In Franconia sub Georgio Marchione.*

4) *Articuli Suabacenses.*

An. 1528.

ADDITIO II.

(a) *Ordines provinciæ Marchionatus reformationem petunt.*

Desideria Ordinum provinciæ, Georgio Marchioni magno cum pietatis affectu proposita, summatim refert *Rentschius* in *Additione I.* (b) ad §. *CXXXIX. Lib. I.* citatus. Petunt, ut inclytus & Dei amantissimus Princeps serio curet prædicationem verbi divini sive Evangelii ex Veteri & Novo Testamento, neque præterea quidquam aliud doceri in provincia permitteret. Annuit petitis Princeps, sed cum magna se invidia eo facto apud Ferdinandum Regem, cui alias charissimus erat, laborare, ex literis ad se scriptis perciperet, prolixam ad illum epistolam apologeticam hoc anno dedit, cujus exemplum (absque die) reperitur *Reg. H. fol. 5. D.* Præfatur in hac quædam de suis & majorum erga domum Austriacam meritis, Ferdinando non ignotis nec ingratis, studiumque suum imposterum quoque offert. Fatetur deinde, se cum Norimbergensibus, quibuscum suæ provinciæ quotidianum habeant commercium, de visitatione ecclesiarum instituenda, & corrigendis doctrinæ & morum defectibus, convenisse. Hoc fecisse ex mandato Dei, qui magistratibus curam subditorum injungit, non modo quoad corpus, sed etiam quoad animam; tum etiam ob insignes & notorios pastorum nævos, maxime in articulis de Baptismo & sacra Cœna. Optasse se quidem, ut ii, ad quos cura illa ante alios pertinet, id est, Episcopi, remedia malis illis quæsivissent, vel ea per Concilium generale, aut in comitiis, reperta fuissent; sed, cum omnia ista huc usque neglecta aut dilata viderit, diutius sibi cunctandum, aut ad hominum autoritatem respiciendum non fuisse, cum suo & subditorum salutis periculo. Secutum autem se esse unicam & certissimam normam, verbum nempe Dei, & ipsum Christum, qui est via, veritas & vita, tum decretum nuperum Spirense, (1526.) quod allegat. Neque tamen ardua esse, quæ egerit, neque congregatione multorum procerum ex Christiano orbe opus habuisse: declaratam esse ordinationem, a Casimiro fratre, post decretum illud Spirense, communi nomine publicatam, denique nihil statuisse, de quo non coram Deo & Cæsare omnibusque Imperii Ordinibus rationem reddere queat, & jam fœderi Suevico excusationem suam proposuisse. Dolet, quod Ferdinando suggestum a malevolis fuerit, ac si ex sua ditione in Ferdinandi provincias errores propagari possent. Præterquam enim, quod nulla inter utriusque territoria sit vicinitas, nullius se erroris conscium esse, neque quidquam ordinasse, quam quod puro & salvifico verbo Dei conforme sit; agnoscere se igitur, quod discipulus non sit supra magistrum, neque detrectare id, quod Christo accidit. Verba Germanica insignem habent emphasin: Hat der einige ewige Sohn GOttes/ Christus/ unser Heiland und Seligmacher/ nicht übrig seyn mögen oder wollen/ um seines Evangelischen predigens willen/ ein verführer/ und in andere wege gelästert zu werden; warum solte es uns und andern/ die seiner reinen und unbefleckten lehre und predigt anhangen/ anders gehen/ soll doch der Jünger nicht über den Meister/ und der Knecht nicht über seinen Herrn seyn. Ex actis *Archivi*, unde ista hausi, constat, inter Electorem Saxoniæ & Georgium Marchionem per literas & legatos, & denique in conventu Coburgi habito, deliberata esse omnia, quæ in negotio religionis decernenda & Cæsari referenda essent. Missus erat mense Februario Onolsbachium ab Electore *Eberhardus* von der Tann: Cum hoc, ut ex ejus relatione percipitur, Marchionis absentis nomine egit *Johannes a Seckendorff*, præsente *Johanne a Schwarzenberg* Barone, *Vito a Lentersheim* & *Georgio Voglero*,

(b) *Georgii Marchionis ad Ferdinandum Regem litera.*

(c) *Acta inter Electorem Saxoniæ & Marchionem.*

An. 1528.

Voglero, Præfecto Cancellariæ (Cantzley Verweser.) Concluserunt inter alia, ut Principes ad comitia, quæ hoc anno sperabantur, profecturi, conciones in aulis suis haberi facerent, & discrimen ciborum non servarent; Coburgi vero, cum Georgius ex Silesia, ad regendas provincias, post Casimiri fratris mortem, ad se unum delatas, advenisset, habito mense Octobri conventu, perstiterunt in sententia, ut verbum Dei inter suos pure prædicari permitterent, vitamque suam & subditorum ad ejus normam instituerent: Cæsari vero per legatos aut literas rationem actorum suorum reddere volebant, ut adversariorum consilia repellerent: quos id agere dicunt, ut corpori, opibus & provinciis suis damna inferrent. Lutheri doctrinam eatenus saltem, neque ultra probare se profitentur, quam quatenus in verbo Dei fundamentum haberet, hoc enim uno se niti, non vero Lutheri aut aliorum persona aut opinione, cum omnes homines errare possint: ex sola igitur Scriptura judicari se velle. Hæc communicaturos se esse receperunt cum Landgravio & aliis, & de concilio deliberaturos; speciatim vero Electori curæ fore, ut articuli conscriberentur, qui secundum Spiritum & verbum Dei christiani & pii essent, & irrefragabiliter probari possent (wie die nach GOttes Geist und Wort christlicher und gottseliger weise verstanden/ und unwidersprechlicher weise bewähret wären.) Hæc ostendunt, nondum conscriptos fuisse articulos, ex quibus Augustana confessio desumta fuit.

Læta Luthero ista fuerunt, ut apparet ex literis *ad Linckum* d. 14. Jul. *datis Lib. II. Epistolar. p. 381.* in quibus *Urbanum Regium* resipuisse dicit, deserta Zuinglii opinione, ad quam propendere cœperat, eumque Marchioni commendat. *Argentoratenses* Episcopus Hildesiensis, Cæsaris nomine, & Legati a Ferdinando Rege ex Regimento, quod Eslinga Spiram translatum erat, acriter, & additis minis, hortati sunt ad veterem cultum tenendum; sed prævaluit Ecclesiastarum & civium ardor, ut in loco dicetur. *Helvetica* præterimus, a *Sleidano*, *Sculteto* aliisque, & novissime ab *Hottingero* relata. In comitatu *Montisbelgardensi*, in *Burgundiæ* finibus, sed Germanici juris, sub *Würtenbergensi* Principe, Evangelium libere prædicari cœpit. Etiam in Italia, *Renata* Ludovici XII. Galliæ Regis filia, *Herculi* Ferrariæ Duci nupta, Evangelicæ doctrinæ aures præbuit, cui favebant in aula *M. Antonius Flaminius*, *Marcellus Palingenius*, & alii, vide *Scultet. hoc anno p. 148.* sed successus defuit. Ad impedimenta referri debet sectarum multiplicatio. Anabaptistæ enim, ut dixi, multis in locis grassabantur. De *Kautio* Wormatiensi videndus est Cochlæus. Extat etiam Lutheri epistola ad *Guilielmum Pravest*, Pastorem Chilonii in Holsatia d. 14. Martii, hoc anno scripta, *Lib. II. p. 371.* in qua de scandalis, sub prætextu Evangelii, per fanaticos excitatis, & de eorum insolentia queritur, quod nemo inter illos sit, qui Luthero non centuplo doctior esse velit, nec illum audiat. Improbat maxime ceremoniarum indifferentium violentam abrogationem, & Wittenbergæ paucas quasdam, etiam se invito, mutatas esse scribit; cavere jubet a *Melchiore Pellifice*, qui indignabundus Wittenberga abierit, cum somnia ejus non probarentur, qui nec valeret ad docendum, nec vocatus esset. Eundem esse conjicio, dum certiora comperiam, qui *Melchior Hoffmannus* dicitur, cum quo Bugenhagius postea in Holsatia disputavit, & cujus in alia epistola d. 25. Novembr. scripta, *pag. 395.* mentio fit. In Silesia

(5) *De Argentoratensibus & aliis quibusdam.*

(6) *Epistola Lutheri de Anabaptistis.*

(7) *De*

Schwenckfeldius confessionem suam edidit, suosque errores, ut potuit, propagavit & defendit, & *Fridericus* Lignicensis Dux, Zuinglii sententiam de sacra cœna, edita publica confessione approbasse, visus fuit, quæ Tiguri recusa est; dolente, ut ex tractatu ejus sive confessione supra allegata videri potest, Luthero. Sed istam sententiam Dux postea mutavit. Pontificiis persecutionibus vacuus non fuit hic annus. De Ferdinandi in Bohemia & Silesia rigore queritur Lutherus ad *Joh. Hessum* d. 14. Octobr. *Lib. II. Epistolar. pag. 389. b.* Exempla martyrum ex variis autoribus *Scultetus* collegit, *p. 173. & seqq.* Illustre dedit *Elisabetha*, Uxor Electoris Brandenburgici, Joachimi I. Soror Christierni, Daniæ Regis, de qua Lutherus d. 28. Martii ad Linckum (*Lib. II. p. 375.*) scribit: *Marchionissa aufugit a Berlin, auxilio fratris, Regis Daniæ, ad nostrum Principem, quod Marchio statuerat eam immurare (ut dicitur) propter Eucharistiam utriusque speciei. Ora pro nostro Principe*, der fromme Mann und hertzliche Mensch ist doch ja wohl geplaget: *Vir optimus, & benignissimi animi homo, valde molestatur.* Ex sorore Electoris Saxoniæ nata erat Elisabetha, & in exilio illo suo ab avunculo in arcem *Liechtenbergensem* recepta fuit, nec nisi anno 1546. in Marchiam rediit, frequentissime interea cum Luthero conversata, ita, ut aliquando ultra menses tres in domo ejus, studio verbi divini, commoraretur.

An. 1528. *Schwenckfeldio & de Zuinglianismo in Silesia.*

(8) *De persecutionibus; speciatim de Elisabetha Electrice Brandenb.*

ADDITIO III.

Spalatinus in historia MS. hæc habet: *Anno 1528. Martis post Lætare* (24. Martii) *ad Johannem Electorem Torgaviam venit uxor Electoris Brandenburgici, hospitium & auxilium petens, unica virgine & famulo comitata, & rustico carpento vecta. Postquam enim illa verbo Dei aures præbuisset, idque maritus Elector rescivisset, & hanc ob causam in custodiam dare eam decrevisset, fugam arripuit, a Christierno fratre, Daniæ Rege exule, cui tunc Elector Saxo avunculus hospitium Torgaviæ præbebat, in finibus Marchiæ excepta, & Torgaviam ducta, comite Johanne a Dolzig, qui cum D. Benedicto Pauli causam ejus apud Electorem orabat. Dicebatur aliquot diebus in cubiculo a marito detenta fuisse, quia Sacramentum eucharisticum sub utraque specie acceperat; elapsa autem est miro modo. Professa fuit apud Electorem Saxonem, nolle se illi molestiam esse, si periculum sui causa metueret, sed profecturam quo fata darent; sed Elector illam cum Fratre benigne excepit & sustentavit.* Hæc ille. Ex relatione amici intelligo, famam fuisse, cum fugeret Elisabetha, & in curru aliquid confractum esset, fasciam capiti detraxisse Serenissimam matronam, qua ruptura utcunque colligaretur. Prodita fuit a filia *Elisabetha*, quæ postea, mutata mente, cum *Erici Brunsuicensis Ducis* conjux esset, Evangelicam doctrinam magno cum affectu recepit, ut ex *literis Johannis Friderici* Electoris in loco allegandis, constat.

(a) *Spalatini narratio de Elisabetha Brandenburgica.*

(b) *Alia quædam.*

Magnus Joachimi Electoris eo tempore fervor adversus doctrinam Evangelicam erat, itaque hoc anno concionatores ex oppido *Jüterbocensi*, Magdeburgensis licet ditionis, instinctu sine dubio fratris sui Alberti, Archiepiscopi, dolo evocatos, cepit, & carceri inclusit, vide *Luth. Lib. II. Epistolar. p. 375. b.* inter quos erat *Thomas Schneidewinus*, qui tamen ab Archi-episcopo vocatus docebat. Tumultuatum est hoc anno in Marchia, cum *Nicolaus a Minckwiz*, Sonnevvaldæ in Lusatia possessor, alterius cujusdam nobilis, ex

(9) *Juterbocensis pastores Evangelici carceri includuntur.*

(10) *Tumultus in Marchia a Minckwitio excitatus.*

An. 1528.

ex *Birckholziorum* gente, causa, cum duobus aliis, ex *Sliebiorum* familia, Baruti in eadem regione Dominis, *Georgio a Blumenthal*, Episcopo Lebusiensi, bellum intulisset, & oppidum ejus *Fürstenwald*, subita irruptione occupatum, exspoliasset. Ea de re Lutherus, culpam Evangelicæ doctrinæ imputatum iri metuens, licet consilii & causæ plane ignarus, non parum dolere se scribit *ad Lincum* d. 14. Jul. *Lib. II. p. 385. b.* Adde, quæ *ad Amsdorfium* scripsit d. 20. Jul. *d. l. p. 384.* persuasus, magnas vires Minckwitio esse, & Marchionem pœnas sævitiæ suæ daturum. Optat autem d. 20. Octobr. ut Principes incendium illud extinguant, idque paulo post factum, & de lite transactum est, autoritate Ferdinandi Regis, quo nomine gratias Deo agit Lutherus, d. 8. Nov. in literis *ad Spalatinum.*

(11) Georgius Dux nobiles quosdam ob Evangelium persequitur, & Lutheri ea de re epistola.

Georgius Saxoniæ Dux non cessabat a pœnis eorum in sua provincia, quos Lutherum sequi deprehendebat. Inter eos erant Nobiles ex splendida *Einsideliorum* (licet nomen non tradatur) familia, prædiorum insignium Domini, quos mulctare volebat Georgius, aut saltem, gratiæ loco, ad vendenda, quæ in sua habebant provincia (quædam enim in Electorali sita erant) adigere. Iis, Lutherum & collegas consulentibus, responsum est pluribus epistolis aut consiliis, quorum quinque extant *Tom. IV. fol. 369. & seqq.* Summa est, ne quid faciant contra religionem & conscientiam, sed vim potius Tyranni sui (ut loquitur) patiantur, & ipsum sinant, quæ præceperat, exequi, expellendo Pastorem Evangelicum, ipsi vero causam in litem forensem deducant, temporis lucrandi causa. Valde detestatur Lutherus sævitiam Ducis, inter alia in literis d. 5. Jan. datis *fol. 370. b.* his verbis: *O Deus nunquamne cessabit furiosum illud caput? Jesu Christe converte eum, si converti potest; Si non, resiste ei cito: cur te tuosque & verbum tuum tam diu impediat & criminetur?* Sed decennium totum, antequam exauditæ hæ preces fuerunt, abiit. Nobiles illi literas ad Georgium parabant, quas Lutherus præscripserat, sed consilio amicorum mutaverant quædam, valde indignante Luthero; Expunxerant enim verba, quibus profitebantur, sese ita gesturos esse, ut Deo placeret, & saluti suæ conduceret. Vide *fol. 374.* & epistolam *ad Spalatinum* d. 23. Febr. *Lib. II. Epistol. p. 370.* in qua callida consilia ambiguarum formularum rejicit, notabili sententia: *Luditur quasi vafritia sensus ejus* (scripti), *dum aliud audit* (Dux,) *& aliud illi* (Nobiles) *intendunt, quod est contra christianam & simplicitatem & veritatem.*

(12) De Argula Staufia.

De *Argulæ Staufiæ*, cujus *Lib. I.* mentio facta est, afflictionibus innuit quædam Lutherus d. 11. Novembr. in literis ad Spalatinum *p. 394. b.*

(13) De Ursula Monsterbergia & sociarum evasione ex monasterio Freibergensi.

Evaserat ex monasterio Freibergensi *Ursula*, Monsterbergensis Ducis filia, Georgii Ducis consobrina, cum duabus virginibus, *Dorothea Tanbergia*, Freibergensi, & *Margaretha Volcmaria*, Lipsiensi. Lutherus id, ad Spalatinum d. 20. Octobr. scribens, refert, Electorem fatigari a Georgio, de reddendis virginibus. At Ursula literis ad Georgium, ejusque fratrem Henricum datis, & apologia d. 28. April. typis vulgata, rationem facti reddidit.

(14) Ejus libellus & præfatio Lutheri.

Extant, cum præfatione Lutheri *Tom. IV. fol. 415. & seqq.* Hic in præfatione illa, omissis, quæ alibi pro libertate exeundi ex monasteriis tractaverat, exempla celebrat illustrium personarum, quæ Evangelicam doctrinam cum periculo & damno rerum suarum acceperint. Nominat *Elisabetham*, Daniæ reginam, Cæsaris sororem, quam in exilio obiisse dicit, cum restitui forte potuerit, si Evangelium abnegasset. Dein, non sine miraculo contigisse, scribit, quod Ursula ista ex monasterio diligenter clauso & custodito (S. Mariæ Magdalenæ dicatum erat, & *Pœnitentium* nominabatur) evaserit. Ipsa vero virgo illustrissima, in literis ad Principes, conscientiæ impulsum allegat, & deprecatur, quod insciis illis exitum quæsiverit, sperare enim non potuisse, ut bona cum pace dimitteretur, sed carcerem duriorem sibi metuendum fuisse.

(15) Descriptio rigoris monastici.

In apologia autem rationes deserti claustri exponit; angores nempe conscientiæ, quod contra fœdus in baptismo cum Deo initum, novis voti monastici vinculis se obstrinxisset, & præter meritum Christi, per sua quoque salutem affectasset; votorum deinde impietatem & impossibilitatem adducit; refert, ut istas conscientiæ suæ angustias Principi & ministris ejus revelaverit, & spes sibi facta de remediis fuerit, concesso etiam concionatore, qui Evangelium pure docuisset; sed variis artibus & minis id actum esse, ut & ipsa a doctrina discederet & concionator amoveretur. Ut igitur conscientiæ suæ consuleret, & fidei publice profitendæ libertatem adipisceretur, non vero ex levitate animi, consilium evadendi cepisse. Queritur de libris ineptis & impiis, v. g. *Pomerio de Sanctis, Discipulo de tempore, Mariali, Bernhardino de Senis, Stellario, Wilhelmo Parisiensi, Roseto, Passionali* &c. ad quorum lectionem coacta fuerit, a Scripturæ vero sacræ studio repulsa. Ad communionem sacram vicies & quater in anno, sive præparata fuerit sive non, adactam fuisse. Discordiam etiam inter moniales (quarum septuaginta septem uno illo cœnobio inclusæ fuerint) indicat, Evangelii causa, extitisse, neque se adversantium odia & invidiam diutius ferre potuisse: accessisse corpusculi infirmitatem, qua factum sit, ut nocturna sacra, & quotidianas lectionum & canticorum repetitiones, cum plurimis jejuniis, tolerare non potuerit, nulla tamen veræ charitatis in egenos & miseros exercendæ facultate. Hæc a se, absque ullius suggestione, scripta, boni consuli petit.

(16) De Cæsare & Papa quaedam.

Quid inter Pontificem, Cæsarem, Regesque Galliæ & Angliæ actum hoc anno sit, ad religionem quidem ipsam, ejusque reformationem directe non pertinet, & a scriptoribus illarum rerum petendum est; Pontifex tamen, tunc quidem labascentibus Gallorum rebus in Italia, novis pactis Cæsaris & Ferdinandi Regis amicitiam quæsivit, in iis pro more quoque stipulatus, ut hi industriam omnem viresque impenderent, quibus hæreticos ad Ecclesiæ obedientiam redigerent; ipse spopondit, Ecclesiasticæ auctoritatis remedia adhibiturum se esse & curaturum, ut cæteri quoque Principes christiani opem suam conferrent. Vide *Pallavicin. Lib. II. cap. XVI. §. 6.* Odiosum interim Cæsari erat Spirensium comitiorum decretum, quo ad reformationis progressum Germani Principes & Status plurimi utebantur. Igitur nova comitia literis *Cal. Augusti Vallisoleti* in Hispania datis,

An. 1528. datis, mense Februario sequentis anni 1529. Spiræ habenda, indixit, de quibus in sequentis anni historia dicendum erit. In Belgio interim Cæsaris jussu vel nomine persecutiones Evangelicorum continuabantur, ut populus consolationem Israelis anxie expeteret, uti vir quidam doctus, *Gabriel Standlerus*, Amstelodamo ad Spalatinum hoc tempore scripsit, in *literis Mss.* apud D. Sagittarium. In iisdem narratur, monachos in Hispania postulasse, ut libri omnes Erasmi, quorum aliqui Hispanice versi a populo legebantur, & viam ad Lutheranismum sternere dicebantur, comburerentur, sed impetrari id non potuisse.

§. XLIII.

(1) *Epistola Lutheri de supplicio Pseudoprophetarum.*

Ex Lutheri scriptis aut actis memoranda adhuc visa sunt quædam, quæ ex epistolis potissimum ejus discuntur. Interrogatus a Linco de suppliciis falsorum doctorum, respondit d. 14. Julii *Lib. II. Epistolar. 381. b. Quod quæris, an liceat Magistratui occidere Pseudoprophetas? Ego ad judicium sanguinis tardus sum, etiam ubi meritum abundat. Tum in hac causa terret me exempli sequela, quam in Papistis & Antichristis & in Judæis videmus, ubi, cum statutum fuisset, Pseudoprophetas & Judæos occidi, successu temporis factum est, ut non nisi sancti propheta & innocentes occiderentur, autoritate ejus statuti, quo impii Magistratus freti, Pseudoprophetas & hæreticos fecerunt, quosquos voluerunt. Idem sequuturum esse timeo & apud nostros, si semel uno exemplo licitum probari poterit, seductores esse occidendos, cum adhuc apud Papistas videamus hujus statuti abusu innocentem sanguinem fundi pro nocente. Quare nullo modo possum admittere falsos doctores occidi, satis est eos relegari, qua pœna si posteri abuti volent, mitius tamen peccabunt, & sibi tantum nocebunt.* In simili fere casu consultus ab Electore de quodam *Johanne Mohr*, homine militari, qui Coburgi Zuinglii sententiam de cœna, inter pocula propalabat & defendebat, d. 9. Jan. respondit: *Cum nec vocatus iste sit, nec rogatus aut coactus, ut sententiam suam aperiat, ad silentium potius obligatur, quam ut alios simplices præsertim, in re, cujus ipse certus non est, instruere audeat. Quod si tacere & quiescere non possit, pastores adeat & ab iis informationem petat. Quia vero etiam criminatur nostros, quod ex creatura creatorem, & quod ex pane & corpore unam essentiam faciant, illa calumnia ferenda non est, sed silentium illi imperari debet.* Addit: *Dicimus quidem, panem & corpus simul adesse, sed non dicimus, creatura fit creator. Quanquam vero ita loqueremur, quod tamen non facimus, non omnino rejici deberet hæc phrasis, neque tam abominabilis est apud Christianos, qui dicere solent, Deus est homo & homo est Deus, nempe in Christo, licet homo sit creatura & Deus sit creator. Qui hanc loquendi formulam ferre non possunt, eo fortassis brevi venient, ut negent Deum esse hominem.* Accepto hoc Lutheri responso, miles iste exautoratus & dimissus fuit, cum corrigi & ad silentium adigi se non pateretur. *Casparo Aquilæ*, Salfeldensium pastori, qui consilium petebat ad consolandum quendam, qui cogitatione de occultis Dei operibus affligebatur d. 21. Octobr. *Lib. II. Epistolar. p. 392. b. & 393.* respondet, statuens, cogitationes illas ad *tentationem*, quam vocant, *blasphemiæ* pertinere. Dein pergit: *In illa multi perierunt, & ego ipse non semel ad mortem usque periclitatus sum. Et quid est, quod nos miserrimi homines, qui necdum radios promissionis divinæ per fidem comprehendere, aut scintillas præceptorum Dei per opera capere possumus, (quæ utraque verbis & miraculis ipse de cœlo confirmavit) tamen impuri & infirmi rapimur ad comprehendendam majestatem solaris lucis, immo incomprehensibilis lucis mirabilium Dei? An ignoramus, quod lucem habitat inaccessibilem, & tamen accedimus, immo præsumimus accedere? Ignoramus judicia ejus imperscrutabilia, & tamen perscrutari conamur? Et hæc facimus, antequam radiis promissionis & scintillis præceptorum perfusi & imbuti sumus, cum talpinis oculis irruentes in majestatem lucis istius, quæ nec verbis nec signis demonstrata, immo occultata & non significata est. Quid mirum, si obruat nos gloria, dum scrutamur majestatem? Quid mirum, si ordine lucis præpostero nos perversi summam lucem ante Luciferum appetimus? Oriatur primum Lucifer (ut Petrus ait 2. cap. 1.) in cordibus nostris, tum videre poterimus cubantem tandem in meridie. Docendum est quidem de voluntate Dei imperscrutabili, ut sciamus, talem esse; sed niti, ut comprehendas eam, hoc est præcipitium periculosissimum. Proinde ego me soleo coërcere isto Christi verbo, quod ad Petrum dixit,* Tu me sequere, quid ad te, si illum volo manere? *siquidem & Petrus de alieno opere Dei disputabat,* quid de Johanne esset futurum; *& illo ad Philippum, qui dixit,* ostende nobis patrem, & sufficit nobis; *quem cohibuit, dicens:* Non credis, quod Pater in me & ego in Patre? Qui videt me, videt & Patrem. *Nempe & Philippus majestatem & secreta Patris videre voluit, quasi esset promissionibus, præceptisque Deus longe supra Christum. Sic & sapiens dicit,* Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepta sunt, assidue cogita. *Et finge, quæso, nos scire jam ista judicia Dei occulta, quid fructus adferrent ultra præcepta & promissa Dei? Vide igitur, & dicito illi: si pacem volet habere cordis, ac vitare pericula blasphemiæ & desperationis, cogitationibus istiusmodi abstineat, cum sciat certo, incomprehensibiles esse, quid igitur fatigari se sinit a Satana iis, quæ sunt impossibilia? Tanquam, si quis solicitus sit, quomodo terra super aquas consistere possit, ne demergatur, aut tale quid? Primum vero exerceat fidem promissionis & opera præceptorum, quibus perfectis, videbit, an impossibilibus occupari debeat. Si ista non audierit, videat, ne sero pœniteat, cum aliud non sit remedium, quam ista negligere cogitata. Quanquam, Satana urgente, sint difficillima neglectu, necessaria enim facit illa scrutatu. Ideo non minus hic pugnandum est, cum contemtu, quam cum diffidentia, desperatione, hæresi, aut alia quavis tentatione. Maxima pars fallitur, quod non credunt, has cogitationes esse tentationes Satanæ, ideo nemo non fere eas contemnit, aut, ut contemnat, pugnat. Cum illæ ipsæ sint tela ista ignita nequissimarum nequitiarum spiritualium in cœlestibus. Nam per eas cecidit Satan de cœlo, dum voluit similis esse altissimo, omniaque nosse quæ Deus nosset, non contentus nosse,* quæ

(2) *Contra Zuinglianum quendam.*

(3) *De consolatione in tentatione, & non scrutando prædestinationis mysterio.*

An. 1528.

An. 1528. *quæ nosse oportuit. Fuga igitur hic pugnandum est, & sapiendum, non plus, quam oporteat, sed ad sobrietatem; quod qui non fecerit, opprimetur: nam Christus cogitari non potest, illis cogitationibus regnantibus. Sic Adamum prostravit, dum una arbore prohibita vexaret eum de sapientia ac voluntate Dei. Summa, hæc est princeps tentatio & proprie diabolica, ideo humana tentatione satis est tentari.* Hoc Lutheri responsum, sicut illud de suppliciis pseudo-prophetarum, dignum æstimavit *Scultetus*, quod *Decade II.* anno hoc 1528. *p. 279. & seq.* referret, posterioris tamen particulam solum ex suo instituto adscripsit; itaque integrum exhibendum esse putavi, ut intentio Lutheri recte cognoscatur: non enim vetat simpliciter, de voluntate Dei clare revelata, quomodo erga salutem hominum affectus sit, sed de imperscrutabili, disputare aut docere. Clarius id discimus ex epistola egregia d. 20. Jul. ad insignem quendam virum in Saxonia inferiori, qui iisdem de prædestinatione cogitationibus angebatur, hoc anno Germanice scripta, quæ habetur *Tom. IV. Alt. f. 428. & seqq.* In hac, præsupponendo, præscivisse & decrevisse Deum omnia, & sic etiam salutem aut damnationem hominum, sciendum tamen esse dicit, Deum ab æterno serio voluisse & decrevisse, ut omnes homines salvi essent, & æterno gaudio potirentur, allegat dictum *Ezech. XVIII. 23.* Si igitur vult, ut peccatores, sub quocunque cœli climate degant, convertantur a viis suis, & vivant, *non est indulgendum suggestis a Diabolo cogitationibus, ut separemus nos ab illa gratia Dei, quæ est secundum altitudinem cœli a terra, ab ortu in occidentem, Ps. CIII. v. 12. itaque omnes pœnitentes, & auxilium ejus rogantes obumbrat: dives enim est in omnes, qui invocant illum Rom. X. 12. Vera fide expellenda est trepidatio & desperatio, ex fide enim justitia est in omnes & super omnes, qui credunt. Rom. III. 22. Omnes enim peccaverunt v. 24. Nota hæc verba:* (ait) *in omnes & super omnes, & quod inter eos es, qui sub peccati vexillo militarunt.* Preces itaque ab afflicto exigit, &, ut pro certo habeat, dubitationes illas a diabolo suggeri. *Quid per anfractus incedis,* (pergit eum compellans) *cum viam habeas rectam & optimam, a Deo patre veluti digito ostensam, Hic est filius meus dilectus, hunc audite? Si igitur ita obstructæ tibi essent aures, & clausi oculi, ut ad cœlum respicere, & vocem Dei intelligere nullo modo posses, Christum in compitis clamantem audi, venite ad me omnes, Matth. XI. Omnes vocat, etiam pessimos, publicanos & meretrices, qui præcedent in regno cœlorum justos illos imaginarios sive Pharisæos Matth. XXIII. 31.* Quam accurate autem enucleet omnia dicti illius *Matth. XI. 28.* verba, legi cum maxima utilitate potest, *fol. 429.* Dein *fol. seq.* veritatem verbi divini clarissime de misericordia in omnes testantis apprehendendam urget, rejectis scrupulosis & curiosis quæstionibus & cogitationibus. Allegat Electionem Dei *Eph. I. 9.* traditam; *ab illa,* dicit, *non a lege & ratiocinatione incipiendum esse*, provocat ad Angelum, gaudium omni populo annuntiantem. *Luc. II, 10. Non est restringenda* (ait) *generalis Dei promissio, quæ gratiam bonis, malis, parvis, magnis, frigidis, calidis, aridis & viridibus offert; non est arctanda ad illos, qui talaribus stolis induti, soli pii & sancti esse volunt.* Denique, ne illa universalitas in abusum vertat, *fol. 931.* concludit; cum distinctione loquendum esse, & clare. *Si Evangelium* (ait) *& verbum Dei accipis, illi inhæres, ejus promissionem tibi applicas, & in hac fide ad finem usque perseveras, salvaberis; sin minus, in æternum damnaberis.* Patet hic, errare eos, qui ex aliis Lutheri dictis, alia occasione & intentione prolatis, diversam illi opinionem tribuunt, quam quæ in Ecclesiis nostris de gratia universali adhuc docetur. Paria fere sunt, quæ in epistola ad *Linccium* supra citata *p. 382. b.* & *p. 383.* inveniuntur. In eadem de phreneticis, morionibus & aliis, qui rationis usu privati sunt, ita sentit; a dæmonibus vexari, & errare medicos, qui in causa naturali omnia quærant. *d. l. p. 381. b. & 382.* In causis matrimonialibus respondit quædam adversus rigorem potestatis parentum, filiorum matrimonia impedientium, cum hos laxe habitos lascivire & incautas fœminas fallere permiserint *Tom. III. fol. 893.* Licitum conjugium consobrinorum esse existimat *fol. 913.* Dissuadet separationem a sponsa, quæ corruptionis insimulata sed non convicta fuerat *Tom. IV. fol. 457.* Proterve hoc anno a Lipsiensibus quibusdam ob matrimonium suum exagitatus, aculeate quidem, sed veluti jocans respondit, Cochlæum etiam sale perfricans. Vide *Tom. IV. fol. 431. & seqq.* Præmissus est apologus non illepidus, de certamine Leonis & Asini, contendentium de regno animalium. Nobilis autem ille, quem *fratrem* suum vocat, & cui scribit *Tom. IV. fol. 433.* uxoris frater erat, **Johannes a Bora.** Cæterum securus non solum fuit de sui matrimonii jure, sed & alios, qui eodem nomine calumnias patiebantur, confirmavit; inter eos *Spalatinum*, quem ob conjugium suum Canonici collegæ affligebant, & ipse non sine animi ægrimonia vivebat. Scribit itaque d. 29. Octobr. *Lib. II. p. 391. Quod matrimonium tuum pro scortatione reputatur, mi Spalatine, non modo non dolere, sed gaudere potius debes, scilicet, cum certo scias, hoc vitæ genus a Deo probari, ab angelis laudari, a sanctis omnibus honorari. Tum id signaculi accedere, quod cruce insignitur, nempe quod a dæmonibus & impiis hominibus etiam a falsis fratribus blasphematur, sicut solet contingere omni operi & verbo Dei. Tu igitur vide, ne voces istas sacrilegas impiorum in te jactas aliud æstimes, quam preciosas gemmas, quibus coram mundo quidem macularis, sed coram Deo glorificaris, cogitans, mundum non esse dignum, qui gloriam & honorem istius operis Dei videat, quam tu & vides & habes. Idem sentiendum, & magis quoque sentiendum est de ministerio tuo. Valeat mundus & princeps ejus, cum suis stultis, temerariis, cæcis, rabidis judiciis & calumniis. Scriptum est: tollatur impius, ne videat gloriam Dei; cœli vero narrant gloriam Dei. Haud dubium, quin mundus evomat ignominiam Dei. De periculo alimoniæ tuæ quod scribis, non intelligo. Neque enim credo, sacrificos Bethaven tibi negotium facere. Ast quicunque etiam sint, habes jam visitationis officium, deinde Principem faventissimum, qui non patietur tibi detrahi τὰ βιωτικά.* Pro conju-

Marginal notes:
(4) Notatur Scultetus.
(5) Alia Lutheri de tentationibus epistola.
(6) De gratia universali.
An. 1528.
(7) Opinio de phreneticis.
(8) De conjugio quadam.
(9) De suis aliorumque ex Clero nuptiis.
(10) Speciatim de Spalatino.

An. 1528. conjugio clericorum libellum in Lusatia ediderat *Lic. Joh. Klingenbeil*, cui præfationem præmisit Lutherus. *Tom. IV. fol. 454.* Hanc ita orditur: *Oportet me aliquando gloriari, quia id diu non feci: magno clamore jamdudum postulari cœpit Concilium ad reformationem Ecclesiæ, sed puto me concilium ad reformationem procurasse, ut aures pontificiis tinniant & ilia ira rumpantur. Valde equidem dubito, an convocato Concilio tanta effecturus fuisset Papa. Primo, Papistas ad inspiciendos libros compuli, Biblia maxime, & paganum Aristotelem cum Summistis & Sophistis eorumque sententiario exturbavi,* (vom platz getrieben) *ut neque in templorum nec scholarum cathedris, ita, ut antehac, regnent; vix hoc per Concilium fuisset obtentum. Secundo, pompam & nundinas indulgentiarum oppressi, quod nullum Concilium ausum fuisset. Tertio, processionibus & peregrinationibus ad dæmones illos campestres viam præclusi. Spero etiam, circa monasteria & canonicorum collegia modum futurum esse, aliaque magna obtinui puncta, ut merito sæviant in nos Papistæ: & gratiam ago Deo, quod iras eorum meritus sum. Ex nostra vero parte, Dei gratia, id præstitum est, ut pueri & puellæ quindecim annorum plus sciant ex doctrina christiana, quam antea Academici omnes. Verus catechismus in parvo nostro grege viget, decalogus, Symbolum, oratio Dominica: sciunt, quid sit baptismus, preces, crux, vita, mors, Sacramentum altaris, itemque quid conjugium, magistratus, jus parentum, uxorum, liberorum, famulorum. Summa, omnes status Reipublicæ, Deo juvante, ad bonam conscientiam & ordinem reduxi & constitui, ut quilibet sciat, quomodo vivere & Deo servire debeat, secuta non exigua utilitate, pace & virtute apud morigeros. Horum omnium nihil recte docuerunt Canonici, Monachi, Academici, pastores, ut notorium est, & libri eorum probant. Immo contrarium potius egerunt. Ex Christi præceptis Matth. V. consilia fecerunt, nil nisi hominum figmenta & opera ursferunt, fidem suppresserunt, Magistratui & conjugio detraxerunt, aliaque abominanda invexerunt, neque hodie norunt, quæ ad Christianos & utiles articulos illos pertinent.* Objicit illis postea asininam ruditatem, & quod hoc unum possint, ut Lutherum criminentur. *A me* (scribit) *in Scripturas compulsi ingentes excitant clamores & rumores, hic ululat aliquis de communione sub una; alius docet contra conjugium clericorum; hic latrat de missa; tinnit ille de bonis operibus; grunnit alius de votis monasticis; mugit quidam de cultu sanctorum. Cochlæus latrat, ut canis; gannit Brandius Bernæ, ut vulpes; conviciator ille Lipsiensis ululat, ut lupus; D. Wimpina grunnit, ut sus. Nullus ad tot libellos, quos edidi, accurate respondet. Objiciunt traditiones & leges, quas dudum scivi: fecerunt, ut plane securus, surdus & piger sim, ad omnes illorum voces, neque amplius curabo.* Prætereo, quæ ad defendendum conjugium subjungit, de quibus sæpius actum est. Visio aliqua cujusdam Eremitæ Helvetii, fratris *Nicolai*, Bruder Clausen / qui vivus in cœlum susceptus esse dicebatur, a *Carolo Bovillo* olim edita, hoc anno, cum præfatione & explicatione Lutheri *Tom. IV. fol. 411. & seqq.* prodiit. Repræsentatur autem in ea caput viri triplicem coronam gerentis, & sex cuspidibus decussatim transfixum, quæ omnia ad pontificatum applicavit Lutherus, sicut ante eum dicto anno 1508. *Nicolaus* quidam *Horius* non multo aliter id interpretatus erat. Vid. *l. c. fol. 413.* Ausus etiam fuit Lutherus hoc anno d. 5. Octobr. Electorem Brandenburgicum, infensissimum sibi, literis compellare, in causa cujusdam *Wolff. Hornungii* ex Marchia profugi, cui lis cum uxore intercedebat. Miscet in his literis Lutherus preces, & serias adhortationes, ut exuli ablata restituat Elector, & uxorem ad causam dicendam sistat, nisi conscientiam lædere, Deum offendere, & pati velit, ut ordo rei, & quid peccatum in ea sit, typis publicetur. Vid. *Tom. IV. fol. 453.* Recusus est hoc anno libellus quidam *de nequitia mendicantium & vagantium*, a quodam, qui se *Expertum in truffis* nominaverat, olim compositus. Hoc scriptum brevi præloquio commendavit Lutherus *l. c. fol. 452.* Principes & magistratus cohortans, ut modum inveniant, onere illo, non minus, ac monachorum mendicantium importunitate, populum levandi, quod fieri possit, si cuique loco injungatur, ut pauperes suos alat, peregrinis autem non, nisi causa cognita & datis testimoniis, succurreretur. Denuo libellum istum anno 1580. Lipsiæ edidit *D. Nic. Selneccerus*, cum eadem Lutheri præfatiuncula, adjectis suis de Lazaro & Divite concionibus. Hoc anno *Carolostadius*, qui post sopitum bellum rusticum, quorum factionem, ut alibi notavi, fovisse dicebatur, Lutheri intercessione in Saxoniam receptus erat, cum omnia, quæ haberet, consumsisset, & *cum Schwenckfeldio* & *Krautwaldio* in Silesia adversus Lutherum fraternam coleret familiaritatem, ut ex epistola *Tom. IV. fol. 446.* & a *Sculteto p. 159.* relata constat, inops plane & despectus clam discessit. Intelligitur autem ex literis Lutheri, mense Septembri, hoc anno, ad Cancellarium Electoris *Gregorium Pontanum*, datis *fol. 445. & seq.* quod ob subdolam illam Carolostadii machinationem, qua etiam apud Electorem contra Lutherum utebatur, consilium Lutheri fuerit, ne dimitteretur ex Saxonia: verendum enim esse, ne in deteriora prorumperet; alimenta potius illi assignanda esse, sed sub custodia, quali *Straussius* (Ilennacensis, de quo alibi dictum est) Vinariæ habitus esset. Adjungit huic epistolæ suæ exemplum ejus, quam *ad Carolostadium* dederat, in quæstione cum eo denuo agitata *de præsentia corporis Christi in Sacra Cœna.* Hæc *fol. 447. & seq.* Germanice legitur, satis prolixa, sed & magna cum moderatione composita, qualem vix in ullo Lutheri scripto polemico reperiri posse puto; adeo nihil omisit, ut hominem duri & præfracti animi leniret, & ab errore revocaret. Notandus hic est error in editione epistolarum Lutheri *Lib. II. p. 196. & seqq.* ubi ista epistola Latina, adscripto anno 1524. exhibetur, cum tamen non nisi hoc anno scripta sit, quod non solum ex literis Lutheri *ad Pontanum*, sed & inde apparet, quia in fine, se bis terve *Torgaviam ad Electorem vocatum esse*, scribit, quod utique sub Friderico anno 1524. non est factum, qui Lutherum nunquam ad se accersivit, nisi in ultimo morbo suo. Itaque erra-

(11) *Narrat, quæ per Dei gratiam reformaverit.*

(12) *Insultat detrectatoribus suis.*

(13) *Visio fratris Nicolai.*

An. 1528.

(14) *Literæ Lutheri ad Electorem Brandenburg.*

(15) *Præfatio in libellum de nequitia mendicantium.*

(16) *Carolostadii nova molitiones contra Lutherum.*

(17) *Lutheri epistola ad Pontanum.*

(18) *Item ad Carolostadium.*

An. 1529.

(19) *Carolostadii fuga.*

erratum quoque a me est in *editione priori Lib. I. p. 436.* cum istam Latinam epistolam, ordine libri deceptus, ad *annum 1524.* retuli. Cæterum Carolostadius, subodoratus, quod Lutherus de eo in Saxonia retinendo suaserat, consilium istud prævenit, & ad Helvetios confugit, ibique primum Tiguri, dein Basileæ in ministerium Ecclesiæ receptus, animis Helvetiorum adversus Lutherum concitandis instrumentum fuit. Vixit autem ad annum usque 1543.

An. 1529.

SECT 14.

An. 1529.

(1) Relatio de Comitiis Spirensibus.

Sed conventus, in anni sequentis mense Februario Spiræ habendus, prorogatus fuit, neque tamen ante diem XV Martii initium habuit. Ibi Johannes Thomas, Mirandæ Comes, Pontificis nomine milites & pecuniam, ad bellum contra Turcas obtulit, non obstante Romæ ruina & desolatione, promisitque omnem operam suam, qua duo maximi orbis Christiani Monarchæ conciliari possent, indeque ad celebrandum Concilium universal. quam celerrime perveniri. Illis in comitiis statim magna cum industria & fervore de negotio religionis tractari cœpit. Qui Cæsaris nomine præsidebant, Ferdinandus Rex, Fridericus Comes Palatinus, Guilielmus Bavariæ Dux, tum Tridentinus & Hildesiensis Episcopi, omnia, quæ poterant, fecerunt, ut Principes a civitatibus Imperialibus separarent, aut saltem Lutheranos cum deputatis urbium, quæ Zuinglii & aliorum Sacramentariorum dogma sequebantur, committerent. Ex alia parte Philippus Hassiæ Landgravius, magnum Catholicæ parti robur ex hac divisione accessurum prævidens, omni studio laborabat, ut illos uniret; quod tamen nunquam præstare potuit. Itaque cum Catholici Lutheranis solis, qui cum Zuinglianis nihil commercii habere volebant, validiores essent, post longas altercationes, per majorem suffragiorum numerum decretum tandem novum d. 15. April. conditum fuit, hunc in sensum: Nemini in illis locis, ubi edictum Wormatiense receptum fuisset, fas esse, religionem mutare; in illis vero, ubi nova religio exerceretur, retineri illam usque ad Concilium posse, si absque evidenti seditionis periculo antiqua restitui nequiret. Sed neque Missam aboleri, nec Catholicos a libero religionis exercitio impediri debere, neque cuiquam ex his licere Lutheranismum amplecti. Sacramentarios ex Imperio proscribendos: Anabaptistas morte puniendos: neque Prædicatores Evangelium alio sensu explicare debere, quam, qui ab Ecclesia esset probatus. Contra hoc decretum Spirense, quia damnum in priori, permissa libertate veterem religionem relinquendi & novam sequendi, illatum reparabat, sex Principes Lutherani protestati sunt, videlicet: Johannes, Elector Saxoniæ, Georgius, Marchio Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus, Duces Luneburgenses, Philippus, Hassiæ Landgravius, Wolffgangus, Princeps Anhaltinus. Junxerunt se his quatuordecim ex civitatibus Imperii, quarum prima erat Argentoratum, quæ Missam lege publica d. 20. Febr. abrogaverat. Protestatio biduo post comitiorum decretum interposita fuit, in pleno consessu, profitentibus, qui eam faciebant, obedire se decreto non posse, quod clarissimæ veritati Evangelicæ, ut ajebant, contrarium esset: appellabant etiam ad Concilium generale & nationale, ad Imperatorem, & ad quemcunque judicem non suspectum. Ob hanc solennem protestationem, famosum Protestantium *nomen ortum est, quod Lutherani hoc tempore, postea etiam alii novatores, maxime Calviniani, ex eadem origine prodeuntes, sibi accommodarunt; ut paulo honestiori titulo, quam quo alias inviti insigniri solebant, fruerentur.*

Sleid. lib. 6. Pallavic. lib. 2. B. Polan. lib. 1.

(2) De tentata inter Lutheranos & Zuinglianos concordia.

(3) De edicto Comitiali, & adversus id protestatione.

Sleid. Chytr. l. 12.

(4) Nomen Protestantium inde ortum.

§. XLIV.

(1) *De legatione Pontificia ad Comitia Spirensia.*

Acta Comitiorum Spirensium plenius enarrari merentur. *Joh. Thomas Picus Mirandulæ Comes,* Pontificis Legatus, Spiram venerat, sub initium mensis April. ut ex *Melanchthonis epistola ad Camerarium Lib. IV. 82.* cognoscitur. De eo *ep. 83.* hæc scribit: *De oratore Pontificio scripsi tibi antea, quid egerit: fuit omnino summissa & timida oratiuncula: adhortabatur ad apparandum bellum adversus Turcas.* περὶ σχισμάτων ἐκκλησίας φησὶ, (de schismatibus Ecclesiæ dixit:) *Quod ad fidem attinet, summo dolore afficitur Sanctissimus Dominus, quod audivit, veteres hæreses cum novis in Germania seri, & paulatim serpere. Neque durius quicquam dixit. Deinde hortatus est, ut qui hactenus perseveraverint in Ecclesia, sic loquebatur, manerent in sententia, &, si qui ab Ecclesia discessissent, ad eam redirent. Ad extremum excusabat, quare hactenus non coegerint synodum.* Spem de Concilio non magnam factam esse oportet, quanquam id innui a Maimburgio videatur; nam neque *Pallavicinus,* qui *Lib. II. c. IX. §. 1.* legationem istam narrat, de eo gloriatur, & in Recessu Imperii id tantum dicitur, *a Papa non recusari Concilium, Cæsarem vero promittere, id mature indicendum esse.* Urgent hoc Status Imperii utriusque partis. In ipso enim Recessu, *Cæsari absenti scripsisse se,* referunt, *& petiisse, ut ille, tanquam supremum caput, & advocatus Christianitatis,* (als der Oberste / Haupt und Voigt der Christenheit) *procuret Concilium liberum & generale, intra sesquiannum indicendum, & postea intra idem temporis spatium habendum, & quidem in Germania, & in quadam ex ejus urbibus antehac nominatis, Meti, Colonia, Moguntia, Argentorato, aut alia hujus nationis, quæ commoda esset. Si vero Concilium ob impedimenta Pontifici forte enata, aut ob alia, haberi non possit, tum Imperator intra idem tempus & in aliqua nominatarum urbium, omnes status Germanicæ nationis,* &

(2) *Ordinum literæ ad Cæsarem.*

An. 1529.

& aliarum, quas adesse expediat, convocet, & in eo conventu, tanquam caput, præsens sit, omniaque ad concordiam in fide & tollendum schisma dirigat. Notari etiam debuit, Johannem, Electorem Saxoniæ, præsentem fuisse, ut ipse in diplomate, infra allegando, profitetur, & ex literis *Melanchthonis*, qui in ejus comitatu erat *Lib. IV. 81.* cognoscitur, licet neque ejus neque aliorum, qui protestati erant, nomina aut legationes, quia contradixerant, in subscriptione memorentur, quo ipso fassi esse videntur cæteri, suffragiorum numero hoc negotium definiri non posse, alias enim etiam dissentientium nomina decretis subscribi moris est. Ex *Melanchthonis epistola 83. Lib. IV. Nonis* sive 7. Maji data, discitur; decretum (d. 23. April. datum) publicatum esse d. 6. Maji. In hac etiam culpam dissidii adversariis imputat, *Fabro* nempe & *Eccio*, eorumque *stultis & nefariis*, ut scribit, *consiliis*, neque suorum defectus quosdam celat *ep. 85.* Inter eos, qui, Cæsaris nomine, Comitiis, post Ferdinandum, præsidebant, erat *Balthasar Merkelius*, Cæsaris antea Vice-Cancellarius, Episcopus Melitensis, Constantiensis suffraganeus, & Cæsareus orator generalis, qui in exordio recessus primum post Ferdinandum locum habet, & postea ad Constantiensem & Hildesiensem episcopatum promotus est: unde & in propositione publicata *Hildesiensis postulatus* vocatur. Vide *Chytr. Sax. fol. 252.* Omissus a Maimburgio est *Ericus Dux Brunsuicensis*, qui absens licet, nomen tamen inter legatos retinuit. De *Philippi* Landgravii studio, dissentientes in quæstione de sacra Cœna conciliandi, nec non ad fœdera & bella socios quærendi, notatu haud indigna ex *Melanchthonis* epistolis colligi possunt, quarum quasdam *Pezelius* in *Vol. I. consilior.* retulit *p. 79. & seqq.* Neque tamen (quod refert Maimburgius) decretum fuit, ut Sacramentarii proscriberentur; sed ne doctrina & secta, quæ Sacramento corporis & sanguinis Christi contraria esset, ab Ordinibus Imperii reciperetur, aut prædicari concederetur. Cautum autem esse, indicat Melanchthon, ne ea de causa nominatim damnarentur nondum auditi, id quod ad motus excitandos viam aperuisset. Vide *Lib. IV ep. 85.* Ipsi etiam Principes in comitiis luculenter id exposuerunt, vid. *Sleid. Lib. VI. p. m. 172.* Argutus est *Pallavicinus*, cum *d. c. XVIII. §. 5.* scribit, *Zuinglianæ sectæ, quia popularis esset, Civitates plurimas, Lutheranæ vero, ut monarchico imperio convenientiori, Principes adhæsisse.* Ex civitatibus enim paucissimæ, neque illæ satis aperte, Zuinglium sequebantur: neque in Lutheri doctrina quidquam erat, quod in populari, vel Aristocratico regimine, non æque ac in Principatu teneri posset; quod Argentoratensium & Norimbergensium exemplum ostendit. Satis utriusque potestatis limites discreverat Lutherus, &, si quid sibi plus justo arrogarunt in religionis causa Principes, id certe Luthero invitissimo fecerunt. Nescio etiam, quam bene calculum ponat Maimburgius, cum scribit, *Catholicos Lutheranis solis validiores fuisse*, scilicet non æque futuros, si Zuingliani illis jungerentur. Nam & junctis utique validiores erant, nec inter Protestantes, nisi paucæ Civitates, Zuinglio non tam assentiebantur, quam mediam quandam tenebant sententiam, aut controversiam illam problematicam esse existimabant. Ceterum contra Anabaptistas severum Decretum, Cæsaris nomine, eodem, quo Recessus, die, & adscripto loco, Spiræ, publicatum fuit, in quo aliud ejusdem tenoris anni 1528. initio promulgatum allegatur; nulla tamen in hoc edicto dissidii in religione, aut aliarum sectarum, mentio fit, sed solius anabaptismi (prudenti utique moderatione) qui dicitur *error & secta nuperrime enata.* (der kürtzlich neu-auffgestandene Irrsal und Sect des Wiedertauffs.) Quod protestationem ipsam attinet, recte enumerat Maimburgius Principes, melius quam *Pallavicinus*, qui *Lib. II. cap. XVIII. §. 4.* Georgium Brandeburgicum Septemvirum vocat, paulo post tamen *Lib. III. cap. IV, 4.* ab Electore illum distinxit. Quatuordecim autem Civitates, quæ Protestantibus Principibus assenserunt, fuerunt, ut in instrumento appellationis enumerantur: *Argentoratum, Norimberga, Ulma, Constantia, Lindavia, Memminga, Campodunum, Nordlinga, Hailbrunna, Reutlinga, Isna, San Gallum, Weissenburgum* (Noricum) & *Windsheimium:* Inter has urbs *SanGallensis* fœderi Helvetico cum Abbate suo innexa fuit, & *Constantia* postea Austriacum subiit dominium. Erant autem primi quidem ordinis, ut loquitur *Sleidanus*, & *Paulus Venetus*, id est, liberæ; quædam tamen parvæ, tanto quidem laudabilioris animi & zeli, quod nullis viribus, sed sola causa niterentur. Causas protestationis concise nimis retulit Maimburgius, paulo quidem rectius, quam *Pallavicinus*, quo etiam modestior est, quod non, ut ille *d. c. XVIII. §. 4.* *Protestantium* nomen idem esse dixit, quod *perduellium in Pontificem aut Cæsarem.* Hoc enim crimen in neutrum commiserunt: non in *Pontificem*, cujus majestatem agnoscere non obligabantur; nec in *Cæsarem*, cui omne obsequium, extra causam æternæ salutis, offerebant, hanc vero, pro sua quemque conscientia, curare, liberum sibi esse existimabant. Cæterum ex Actis publicis constat, quibus rationibus protestationem suam stabiliverint Principes & Civitates, easque perspicue exposuit *Sleidanus Lib. VI. p. m. 171. & seq.* Exhibuerunt eam scripto consignatam d. 20. April. & ante discessum de legatione ad Cæsarem mittenda egerunt, cujus expediendæ causa diem constituerunt, qua Norimbergæ convenirent. Senatus enim inclutæ hujus Civitatis magna constantia religionis negotium curabat, & legatis suis ad Comitia, consilio Ecclesiastarum adhibito, amplissima mandata dederat, ex quibus cæteri non parum animati fuerunt. Domum reversus Saxoniæ Elector typis publicavit protestationis instrumentum, die Jovis post Exaudi, id est, 13. Maji, Landgravius d. 5. Maji, Vid *Hortleder. Tom. I. Lib. I. s. IV. & V.* & *Tom. III. Alt. fol. 799.* Uterque profitetur, se secundum decretum Spirense anni 1526. ita in religionis causa aliisque se gesturos esse, ut Deo & Cæsari rationem reddere queant.

(3) *Johannes Elector Saxoniæ præsens in Comitiis.*

(4) *Alia quædam ex Actis comitialibus.*

(5) *de Balth. Merkelio.*

(6) *De controversia Zuingliana.*

(7) *Pallavicinus notatur.*

(8) *Item Maimburgius.*

An. 1529.

(9) *Decretum in Anabaptistas.*

(10) *Protestantium acta, numerus & nomina.*

(11) *Refellitur convitium Pallavicini.*

(12) *Conventus Protestantium Norimbergæ indicitur & publicatur protestatio.*

ADDITIO.

Ex Actis *Archivi* sequentia annotamus. Diploma indictionis datum erat Spiræ d. 11. Novembris 1528. subscriptum Cæsaris nomine, a *Friderico Palatino*, Regimen-

(a) *De indictione Comitiorum, & mandatis Cæsaris.*

ti

An. 1529.

ti locum tenente. Insolitam habet clausulam, ut non expectarentur, qui intra decem dies, post constitutum terminum, non adessent. Vehementer autem severa & odiosa erant mandata Cæsaris, Commissariis suis data Pintiæ, sive Vallisoleti (*Valladolid*) d. 1. Augusti. Incipiunt a querela de dissidio in religione, cui imputatur, quod Turcis satis resisti nequiverit. Gallis tribuitur, quod contra Deum, contraque jus & fas, Cæsarem pacis cupidum & honesta omnia offerentem, hostiliter aggressi sint. De religione ita statuit Cæsar, se, ut caput Christiani orbis amplius ferre nolle mandatorum suorum (VVormatiense potissimum intelligit) contemtum, in quibus sub pœna proscriptionis, novationes circa sacra prohibuerit. Abolet inde & tollit penitus, subjunctis clausulis juridicis, ex plenitudine potestatis, decretum Spirense anno 1526. pro libertate religionis editum. Conscii hujus mandati Pontificiarum partium proceres, jam ante comitia, duriores se adversus Evangelicos exhibebant. Regimentum, ut *Planitius* d. 25. Decembris 1528. retulit, nullam occasionem omittebat, ad decernendos adversus Principes & civitates reformationi studentes, processus. Quidam etiam, qui causæ Evangelicæ favere visi erant, adversari nunc illi cœperant. Inter quos *Henricus* Meckelburgensis, filiusque *Magnus* Episcopus Suerinensis, Sundenses de mutata religione accusabant. Episcopi pecunias colligebant ad belli sumtus, quod adversus Evangelicos gerendum esse parum dissimulabant. De his queritur *Planitius*, & simul indignatur, quod eodem tempore Ultrajectinus Episcopus jus ditionis suæ Imperatori, retenta quater millium florenorum Brabanticorum annua pensione, resignaverit. *Hoc faciunt*, inquit, *qui non sunt Lutherani, & totos Episcopatus invadunt.* Ex ejusdem *Planitii* literis d. 22. Februarii hoc anno 1529. datis percipitur, *Georgium* Saxoniæ Ducem scriptum illud suum acerbissimum contra Lutherum Spiræ affigi curasse, magnamque zeli sui laudem apud quosdam reportasse, reprehendentibus aliis, quod se cum viro privato acriter responsuro committeret. Erga Georgium tamen consueta fiducia & humanitate *Johannes* Elector hoc ipso tempore usus est, ut ad comitia abiturus familiam & regionem suam illius curæ & tutelæ commendaret. Missus tunc fuit ab Electore ad fœderatos Suevos *Christophorus a Taubenheim*, qui suspicionem tolleret, qua per calumniam gravatus erat, ac si proscriptos quosdam Suevorum hostes, in sua ditione occultaret. Retulit ad Herum Taubenheimius d. 22. Februarii inter alia, exclusum fuisse ex consessu fœderatorum Consulem Memmingensem, quod civitas Missas abrogasset, & errorem Sacramentarium foveret. Cœptis jam comitiis, *Minquitius*, qui inter Consiliarios Electoris Saxonici erat, ad Johannem Fridericum Ducem scripsit; ab Electore Palatino, quem Evangelicæ doctrinæ addictum esse putabant, prohibitum esse suæ ditionis hominibus, ne ad conciones in hospitiis Electoris Saxoniæ & Landgravii accederent: *Hoc est*, ait, *blandiri sacerdotibus*, (das heisst den Pfaffen gehoffiret.) Idem affirmat per literas Albertus, Comes Mansfeldensis, simulque queritur, *a Palatino nullum jam agnosci Saxonem.* (Pfaltz kennet keinen Sachsen mehr.) Ex ejusdem literis intelligitur, jam tum de electione Ferdinandi in Regem Romanorum, inter Ecclesiasticos præsertim, actum esse. Non injucundum erit lectoribus, quædam de comitiorum istorum celeberrimorum historia ex autographis *Johannis* Electoris ad filium *Johannem Fridericum*, quem domi reliquerat, & hujus ad parentem literis familiariter scriptis (*Reg. E. fol. 342.*) percipere. Scribit Elector d. 12. Martii ex oppido *Oppenheim*, se postridie, ut & factum est, Spiram intraturum esse. Advenisse jam d. 5. Martii Ferdinandum cum trecentis equitibus armatis: totidem adductos esse a Bavaris: adesse Moguntinum & Coloniensem: expectari cæteros. D. 17. Martii significat, comitia cœpta esse ante biduum, d. 15. Martii, recitatis, post orationem a Friderico Palatino habitam, mandatis Cæsareis (de quibus dixi) tam severis, ut paria neque ipse Elector, nec quisquam alius audiverit. Molestissimum esse, quod decretum priorum comitiorum Spirensium anni 1526. abolitum fuerit. D. 21. Martii refert, multos ex Principibus ecclesiasticis adesse, verbo Dei vehementer adversantes, neque tamen deesse, qui ipsi faveant. Publicatum esse edictum, *ne quis conciones in hospitio suo adiret*, id vero non observari, & *hoc ipso die*, scribit, (erat Dominica Palmarum) *in utraque concione ante & post meridiem ad octo millia hominum comparuerunt.* Adversæ partis proceres alea tempus perdere, nec huc usque se ab ullo visitatum esse. Moguntinum & Trevirensem cum comitatu armato urbem introivisse; se vero paci confisum inermem advenisse (ich habe mich auff den Land-Frieden verlassen/ und habe keinen Harnisch geführet.) Landgravium tamen memorat, ducentos armatos equites d. 18. Martii adduxisse. *Johannes Fridericus* in literis d. 22. Martii ad Parentem datis, solicitudinem suam de negotiis publicis aperit, mittitque consultationem cum Consiliariis domi relictis, de remediis, ad avertenda, quæ omnibus verbum Dei confitentibus imminere videntur, pericula, adhibendis habitam, quam in bonam partem accipi petit. Eodem die liberius ad Minquitium scripsit, de Ferdinandi rigore questus, qui adversus conciones & esum carnium tam rigidus esset; sperat tamen Electorem parentem constantem futurum esse, neque auscultaturum eos, qui speciosis verbis aliud suaderent. Improbat, quod Planitius familiaria cum Ferdinando colloquia haberet, ejusque dicta ad Electorem referret, quibus constantia ejus tentaretur: moneri itaque vult Planitium, ut sese excusaret, petereque, ut per alios potius cum Electore ageret Ferdinandus. *Elector* filio d. 31. Martii gratias egit pro consultatione, quam miserat, & confidere eum jubet, se ita esse acturum, ut nulla culpa sibi imputari possit. Deinde d. 4. Aprilis significat, in deputatione Ordinum majori (im grossen Ausschuß) se & civitatibus nequicquam contradicentibus, numero suffragiorum conclusum esse, *ut edictum anni 1526. aboleretur*, jam vero se cum Georgio Marchione Brandenburgico, & Landgravio Hassiæ, itemque Legato Luneburgico, consultare, quomodo sententiæ isti occurri possit; niti quidem eam mandatis Cæsareis, sed hæc jam in aliis capitibus negligi. D. 13. Aprilis scribit, frequentari quidem adhuc apud se conciones Evangelicas a magno hominum numero, sed causam ipsam Evangelii vehementer periclitari in comitiis, & pertinacissimos esse Ecclesiasticos cum sociis suis. Se quidem cum consortibus, inter quos etiam Paderbornensis Episcopi Legatos refert, multisque Comitibus & potioribus ex civitatum ordine, multa opposuisse; sed ad protestationem progressuros esse, si monita sua non admittantur. Addit querelam de Legatis Georgii Ducis, *Joh. a Schönberg* & *Joh. a VVerthern*, qui, licet sessione publica, propter controversiam cum Bavaris, abstinuerint, mandatorum tamen suorum exemplum exhibuissent, in quibus parum boni inveniretur. (seyn nicht viel nütze gewesen) *Johannes Fridericus* in literis d. 26. Aprilis parenti gratulatur, & se summa cum lætitia intellexisse affirmat, quod Deus Electori aliisque Principibus & Ordinibus gratiam largitus sit, ut Deum ejusque verbum, exhibito scripto, coram omnibus confessi & contestati sint, *se in eo mansuros esse, nec passuros, ut ulla hominum machinatione ab ea sententia divellerentur*, optat etiam, ut Deus hunc illis animum constantem & perpetuum servet (habe mit besondern freuden vernommen/ daß der allmächtige GOTT E. Gnaden und andern Fürsten und Ständen die gnade verliehen/ daß E. Gden und dieselbigen durch die übergebene Schrift GOtt und sein göttlich Wort vor männiglich frey und ungescheuet bekant haben/ und daß sich E. Gden mit samt den andern habe vernehmen lassen / dabey zu bleiben / und sich durch Menschen-werck nicht davon abführen zu lassen. Der allmächtige GOtt wolle E. Gden mit samt den andern/ hinfürder in solcher beständigkeit gnädiglich erhalten/ und allewege bis in ewigkeit bleiben lassen.) Ex reliquis Electoris epistolis apparet, illum una cum Ducibus Luneburgensibus & Landgravio ex comitiis discessisse, & d. 26. Aprilis VVormatiam venisse, factoque per Hassiam itinere d. 8. Maji Isennacum in suam rediisse

An. 1529.

(b) *Acta Regimenti & alia Protestantibus adversa.*

(c) *Mutuæ inter Electorem Saxoniæ & Filium literæ.*

An. 1529.

(d) *Lutheri sententia adversus decretum Spirense ad Electorem scripta.*

isse ditionem. Sed redeundum est, unde digressus fui. Cum de decreto Spiræ publicando notitiam aut conjecturam haberet Elector, Lutherum consuluit: qui rationes, cur obtemperari non possit, sua manu consignavit. (*Reg. H. fol. 14. N.*) Exponi primo suadet, quanti & quot abusus in Clero reperti fuerint, Cæsari non ignoti, & VVormatiæ anno 1521. ab ordinibus aperte indicati, tum ab Adriano VI. Pontifice agniti. *Illi defectus*, ait, *cum ab iis, qui id facere debuissent & promiserant, non corrigerentur, cadere per se in Germaniæ provinciis cœperunt, cum contemtu Cleri. Causa etiam hujus deterior facta est importunitate scriptorum, qui futili excusatione defendere abusus conabantur: inde enim Clerus majora odia & ludibria incurrit. Illa vero abusuum ruina magna ex parte, antequam docere cœpissem, imminebat, totum enim orbem tædere corruptionis cœperat, & totius Germaniæ exitium metuendum erat, nisi Lutheri doctrina de fide in Christum, & de obedientia erga Magistratus, supervenisset. Nemo enim abusus ferre amplius volebat, & clerus cedere nolebat, ita, ut ad inordinatum impetum & periculosissimam mutationem, cum totius religionis interitu, & Christianismi in Atheismum conversione, perventum fuisset.* (Wo des Luthers lehre nicht drein kommen wäre/ damit die Leute unterrichtet von dem glauben Christi und vom gehorsam der Obrigkeit/ es wäre ein jämmerlich verderben in Teutschen landen entstanden/ denn man wolte die mißbräuche nicht länger leiden/ und stracks eine änderung haben/ so wolten die Geistlichen nicht weichen / oder nachlassen / daß da keines wehrens gewest wäre; es wäre eine unordige / stürmische / fährliche *mutation* oder änderung worden/ (wie sie der Müntzer auch anfieng) wo nicht eine beständige Lehre darzwischen kommen wäre / und ohne zweifel die gantze religion gefallen/ und lauter Epicurer worden aus den Christen) *Rebus sic stantibus*, ait, *cum ingruenti mutationi nemo resisteret, neque Clerici cederent, Elector noster abolitionem abusuum remorari non potuit; sed non minus ac ipse Clerus toleravit, cavit tamen, ne impia doctrina intruderetur. Hoc Princeps noster bona conscientia & certa veritate Cæsari indicare potest, ut constet, culpam mutationis & contemtus Clericorum nemini, quam ipsi Clero imputandam esse: Scivisse enim Clerum, quomodo questi essent de abusibus Ordines Imperii, & publice professi, sed ad eos diutius connivere nolle, nihilominus tamen violente & insulsis scriptis defendere abusus voluisse, tanto vehementiori cum irritatione populi. Hæc certissime vera sunt, & per universam Germaniam notissima. Cadere itaque in suis ditionibus permisit Elector, quæ cadebant, servabat vero interea, spe futuræ emendationis, quæ pro conscientia sua existimabat Christiana & pia esse. Cum vero hæc decreto Spirensi damnarentur, non potest illi obtemperari, reclamat enim* (1) *conscientia*, (2) *noxium exemplum aliis præbetur, & pars eorum culpa in Principem redundaret.* (3) *Jus non est Electori, ut subditos ad restabiliendos abusus vi cogat, quos illi pro sua conscientia & injussi abrogarunt.* (4) *Probaret nunc, quæ in gravaminibus Cæsari exhibitis cum aliis Ordinibus dudum improbaverat.* (5) *Recederet a prioribus Cæsaris & Ordinum decretis, quibus doctrina nostra damnata non est, sed ad Concilium remissa. Petere itaque potest & debet, ut causa in cognitionem veniat, & interim pax servetur. Reliquis decreti capitibus contra Anabaptistas & Sacramentarios parendum est, & huc usque adversus errores illos in provinciis suis cum omni severitate ab Electore actum fuit.* Ex hoc Lutheri scripto observatu dignissima sunt, quæ de instante abusuum abolitione, antequam ipse disputare cœpisset, confidenter asserit, & ad conscientiam totius Germaniæ provocat: unde judicari potest, invidiose jactari perfectam obedientiam sedi Romanæ & Clero ante cœptam a Luthero reformationem præstitam, neque spernendam esse ejus asseverationem, quod *orthodoxia sua confusiones prævenerit, qua ex plebis impatientia & Cleri inscitia & pertinacia metuendæ erant, cum eversione religionis, & atheismi introductione;* id quod ex tumultus rustici exemplo satis probatur, qui sævissime grassabantur, licet in Evangelica doctrina paucissimi instructi essent. Operæ etiam pretium est, appellationis contenta referre, quæ Spiræ composita & d. 25. Aprilis eorum Notariis, quos ex Principum & Civitatum cancellariis delegerant, in ædibus *Petri Muderstadt*, Diaconi ad D. Johannis recitata fuit. Appellabant autem Principes *pro se & subditis suis, omnibusque, qui nunc aut in futurum sancto Dei verbo adhæsuri sunt:* testantur, *mentem suam non aliam esse, quam, ut honorem Dei ejusque verbi sanctissimi & suam aliorumque salutem animæ quærant: neque quidquam se agere, aut intendere, quam, quod conscientiæ suæ, qua convicti sint, ipsique Deo debeant, absque injuria aut contemtu ullius.* Addunt, *naturalem inter homines conjunctionem esse, &, quia cuique liceat, pro alio, qui ad mortem condemnatur, etiam absque mandato, intervenire, multo magis id sibi fas esse, qui membra sint unius corporis spiritualis Jesu Christi, & filii unius patris cœlestis, adeoque fratres spirituales, ut pro se & proximo in tanta causa, quæ æternam salutem, aut condemnationem spectaret, curam gerant, & legitimo remedio sibi illisque prospiciant.* Inserunt inde, quæ contra conclusum per majora suffragia d. 12. April. publice recitaverant, verba pro omnibus faciente Landgravio, qui & Episcopi Paderbornensis & Georgii comitis VVertheimensis mandatum allegabat. Inter alia dicunt, *numero suffragiorum in hac causa locum non esse*, dissidii originem Dei judicio committunt, provocant ad decreta comitiorum Norimbergensium, in quibus responsum Pontificio Legato datum, & Concilium ab omnibus postulatum sit. *Sibi itaque ante concilium imperari non posse, ut a sententia sua, quam conscientiæ ductu sequantur, discedant. Hoc tamen decreto comitiorum nunc agi, & in eo perperam allegari, quod communi consensu statutum sit, ut ii, qui edicto VVormatiensi huc usque paruerint, id inposterum quoque faciant, & subditos suos ad id adstringant. In tale decretum nunquam se consensisse, neque cuiquam autores esse, ut VVormatiense decretum exequatur; multo minus ut missas a concionatoribus suis ex verbo Dei refutatas, in territoriis suis restituant, cum adversa pars legitimas missas, sive sacram communionem sub utraque, in suis ditionibus non ferat.* Monstrant, *qui motus metuendi sint ex concluso, de reditibus sacris in priorem statum restituendis: Prudenter in nupero decreto anni 1526. circa hoc caput provisum, idque in instructione Legatis in Hispaniam destinatis data, omnium Ordinum nomine laudatum esse, nulloque jure nunc aboleri, neque se convinci posse, quod decreto illo abusi sint; superesse alios modos abusibus circa reditus & bona Ecclesiæ providendi.* Referunt post hæc, *etsi post exceptionem d. 12. Aprilis factam, spes fuerit, Ferdinandum Regem & Legatos Cæsareos de temperamentis tractaturos esse, alio tamen decreto d. 19. Aprilis, prætextu majorum suffragiorum condito, paritionem denuo sibi injunctam, & ulteriorem audientiam denegatam fuisse. Hac igitur ratione se ad protestationem solennem d. 19. Aprilis traditam adactos fuisse. Cum vero ea non accepta, sed sibi domum remissa fuisset, aliud scriptum se illico exhibuisse*, quod totum instrumento huic inserunt. In hoc decreto anni 1526. insistunt, *quod ab omnibus approbatum, non, nisi communi consensu, minime vero per majora suffragia, abrogari possit.* Repetunt, quæ Norimbergæ acta erant, oblatis, communi omnium Principum secularium nomine, gravaminibus & postulato Concilio. Testantur, *se quidem aliis non præscribere, quæ in suis ditionibus constituturi sint, nolle se tamen ab iisdem adstringi, ut eorum placita sequantur. Optare, ut omnes ad veritatis agnitionem pervenirent:* Dicuntque, *ab ipsis adversariis agnosci doctrinam Evangelicam in multis capitibus orthodoxam esse: Gravari se igitur verbis decreti, quibus dicebatur, tolerandas nunc esse innovationes, quæ aboleri sine tumultu non possint: Sic enim se, ut novatores, inculpari, & abolitionem saltem ad temporis opportunitatem differri.* Negant etiam, *se consensisse, ut nemini liceat doctrinam suam imposterum amplecti, & quod VVormatiensi edicto a reliquis standum sit, cum tamen hoc per decretum anni 1526. abroga-*

An. 1529.

(e) *Contenta appellationis a decreto interpositæ.*

An. 1529.

rogatum aut suspensum esset. Negant, *se Missas duplices, Pontificias nempe & Evangelicas,* id est, *sacram communionem, & Missas solitarias, populis suis, absque motuum periculo, obtrudere posse, idque injuste a se postulari, cum adversarii in suis ditionibus celebrationem cœnæ Evangelicam admittere nolint.* Ostendunt difficultatem prædicandi, ut jubebantur, *Verbum Dei, secundum receptas interpretationes Doctorum Ecclesiæ: controversum enim esse, quæ sit Ecclesia: a suis vero concionatoribus Scripturam ex Scriptura explicari.* Queruntur *de denegata reditu um ecclesiasticorum præstatione ex provinciis, quæ edictum VVormatiense servant: ex illa enim retentione, & aliis adversæ partis violentis actionibus, non posse non motus existere, neque sibi negligendam esse suarum rerum juriumque defensionem.* Narrant præterea, *ut gravissimis obtestationibus hisce suis nihil tamen efficere potuerint, nisi, quod Ferdinandus cum Ordinibus illi adhærentibus d. 22. Aprilis iterum postulaverit, ut majoribus suffragiis cederent, addita aliqua pacis servandæ oblatione, negata vero protestationis suæ insertione in Recessum. Tentasse quidem Henricum Brunsuicensem, & Philippum Badensem, amicam compositionem, sed sine successu: alteram enim partem judicis locum sibi arrogasse, semperque suffragiorum numerum opposuisse. His vero* iterum iterumque negant, *se obligari, in causa, quæ singulos in individuo attinet.* Offerunt pacem amplissime, *dummodo in rebus fidei, & annexis, quæ ad Concilii decisionem differendæ sint, non turbarentur.* Ultimo narrant, *repetitum fuisse, Ferdinandi & cæterorum Ordinum nomine, d. 24. Aprilis, quod persistere in decreto suo, simul vero pacem colere & protestationem, rejectam licet, ad Acta referre velint,* poscere tamen, *ut ab illius publicatione abstinerent.* At hoc recusarunt Protestantes, & oblata denuo pacis observatione, ad abitum se compararunt, ac die sequenti, per Consiliarios suos, hanc appellationem, ut dictum est, coram Notariis & testibus, pro se suisque sociis & adhærentibus, præsentibus & futuris, interposuerunt, ab omni, quod jam passi erant, aut metuere poterant, gravamine. Appellant autem ad Imperatorem, & ad Concilium Christianum & liberum, vel Nationale, vel ad quemcunque competentem judicem. Idem fecerunt & testati sunt quatuordecim Civitatum deputati. Meretur hoc *appellationis instrumentum,* quod Actorum historiam & reformationis præcipua fundamenta exhibet, denuo ad notitiam hominum publicari, sicuti tunc, cum multis communicatum fuit, ut inter alia apparet ex literis Magdeburgensis Senatus ad Electorem d. 12. Augusti hoc anno datis, in quibus ei hoc nomine maximas agunt gratias.

An. 1529.

SECT. 15.

De bello Turcico & obsidione Viennæ.

Hunc finem habuit conventus Spirensis, nec quidquam de auxiliis Hungariæ & Germaniæ, contra Turcos ferendis, decretum est. Protestantes enim obtestabantur, se nihil omnino ad subsidia, necessaria licet, collaturos, antequam per totum Imperium liberum religionis, quam prætendebant, exercitium plene restabilitum foret, ut priori decreto Spirensi obtinuerant. Sic merito dici potest, Lutheranos in causa fuisse, quod Solymannus cum ducentorum millium exercitu in Hungariam, ut ibi VVaywodam Transsylvaniæ contra Ferdinandum stabiliret, irruens, nihil, quod resistere valeret, invenerit, omnia postea ad Danubium loca occupaverit, & Viennam d. 26. Septembr. obsederit, quæ, parum abfuit, quin, post furiosos impetus, vi caperetur. Sed urbs a Catholicis sub fortissimis ducibus, Philippo, Comite Palatino, Electoris nepote, Nicolao Comite Salmensi, & Guilielmo Roggendorffio, tam strenue defensa fuit, ut hostis, jactura sexaginta millium hominum facta, acriter resistentibus obsessis, fame etiam & nivibus infestatus, obsidionem solvere coactus fuerit; quod fecit d. 14. Octobr. & inde Constantinopolim rediit, ignominiose Germania pulsus, etsi nec Imperator, nec Imperium ad abigendum eum concurrisset.

§. XLV.

(1) *Notatur Maimburgus.*

Falsum est, nihil in Comitiis Spirensibus de auxiliis, contra Turcos ferendis, decretum esse. Difficiliores quidem se præbuerunt, quibus libertas religionis, anno 1526. ut putabant, acquisita, jam adimi videbatur. Valde enim importuni & vehementes erant adversæ factionis proceres, inprimis Ecclesiastici. Ita queritur Melanchthon, neque tamen solatio destituitur, *Epist. 81. Lib. IV.*

(2) *Melanchthonis de Cleri importunitate relatio.*

Hodie, (ait) *qui fuit postriduanus dies istius Dominicæ* (Palmarum) nempe, d. 21. Martii, *exposita sunt Cæsaris mandata πάνυ φοβερά.* (prorsus terribilia) *Decretum Spirensis conventus, qui ante biennium fuit, abrogatum est. πολλαὶ καὶ μεγάλαι ζημίαι* (multæ & magnæ pœnæ) *constituuntur in eos, qui non obtemperent novo edicto. Cætera sunt περὶ πολέμου τουρκικοῦ.* (de bello Turcico) *Habes summam eorum, quæ adhuc gesta sunt. Facile intelligere potes, quanto in periculo versemur. Nunquam fuit tanta frequentia ullis comitiis ἀρχιερέων* (Prælatorum), *quanta in his est. Et quidam vultu significant, quantum nos oderint, & quid machinentur. Sed Christus respiciet, & salvabit populum pauperem: plane enim sumus in hac urbe καθάρματα καὶ περίψηματα* (piacula & purgamenta). *Scis, multa me solitum in nostris desiderare, sed hoc loco non id agitur, ut nostra vitia corrigantur; illud agitur, ut optima causa opprimatur. Quod, ut spero, prohibebit Christus, & dissipabit consilia gentium, quæ bella volunt.* Cæterum Ferdinandus Rex tempus, quod his Comitiis terebat, utilius in Hungaria & cura belli Turcici impendere potuisset; sed Cæsari fratri gratificaturus, qui Pontificis amicitiam tum sedulo ambibat, & ab Ecclesiasticis persuasus, zelum intempestivum adversus Evangelicos ostentabat, majorem Evangelicorum opprimendorum quam Turcorum coercendorum curam habuit. Interim æmulus ejus *Johannes VVaywoda,* quem ex Hungaria fugaverat, Turcorum auxilia potentiora, quam sperabat, impetraverat: qui non contenti, Hungariam subegisse, etiam Germaniæ & ipsi Viennæ postea, uti notum est, arma intulerunt. Id cum, Comitiorum tempore, metui quidem posse, sed in incerto esse videretur, in auxiliis decernendis non saltem Protestantes, qui domi se minus tutos ab adversariis fore metuebant, suaque haud immerito externis & male de se merentibus præferebant, verum & cæteri tardiores fuerunt. Interim tamen ex *capite secundo Recessus* §. Zum andern/ so viel den Puncten ꝛc. apparet, decreta omnino fuisse *auxilia subitanea,*

(3) *Hungariæ calamitatis causa.*

An. 1529. (eilende Hülffe) quæ, ipsius Ferdinandi nomine, *egregia & magna* (stattliche und tapffere) vocantur. Pecuniæ conferendæ dies præstitutus est d. 24. Julii, & multa provisa sunt, quæ fieri deberent, si hostes provincias Germaniæ aggrederentur. De constanti tamen & majori belli contra Turcos apparatu (beharrlicher hülffe) deliberatum quidem est, & examinata denuo sunt consilia, *Eslingæ* ab Electoribus & duodecim Principibus ad Regimentum deputatis Cæsari oblata; sed cum eorum executio a pace universali dependeret, hæc vero nondum constituta esset, scribi placuit Cæsari, ut pacis illius curam ante omnia gereret. Vide §. Weiter haben wir ꝛc. Errat igitur, ut dixi, Maimburgius, cum *nihil decretum esse de auxiliis* scribit; & injustus est, quod culpam damni a Turcis dati solis Lutheranis imputat. Neque reperio, Protestantes commilitium omne adversus Turcas recusasse; omnia potius Cæsari & Ferdinando officia obtulerunt, &, ut Melanchthon refert, pacta pace, discesserunt. Fatalis tamen quidam languor ad bellum Turcicum etiam eos invaserat, qui Catholici vocabantur. Argumentum inter alia ex Abavi mei *Sebast. Schertelii* diario afferre possum. Is hoc anno ex Italia, ubi Cæsari militans cohortem duxerat, redux, Lutheranismo licet aperte addictus, a Georgio Truchsesio, qui Würtembergicum Ducatum, Cæsaris nomine, regebat, & a Guilielmo & Ludovico, Bavariæ Ducibus, qui omnes rigide Pontificis partibus adhærebant, præfecti titulo, conductus fuit. Audita autem Turcorum irruptione, Bavarorum auspiciis, sexcentos conscripsit pedites, summoque, ut scribit, desiderio flagrabat, virtutem, quam in bellis inter Christianos exercuerat, in Turcos vertendi, ut post annos quatuor magna cum gloria fecit. Neque tamen (ut queritur) copias illas in Austriam miserunt Bavari, sed tam diu cunctati sunt, donec Turci recessissent. De bello Hungarico & de obsidione Viennensi, non est, ut hic agam, quanquam Maimburgius etiam in hac invenerit, quo Lutheranismo invidiam excitaret. Ait enim, *Viennam a Catholicis defensam esse*, quasi compertum haberet, nullos in præsidio urbis, aut in exercitu Ferdinandi ad Linzium, cujus metu tandem Solimannus abactus est, fuisse, qui Lutheri dogma sequerentur. Cum enim Cæsar & Ferdinandus tales in bellis adversus Gallos & Pontificem minime fastidirent, ridicula superstitio fuisset, si contra Turcos iis non uterentur. Contrarium apparet ex allegato exemplo *Schertelii*, qui inter Romæ expugnatores non postremus fuerat: & aliud suppeditat *Achilles Gassarus* in *Annalibus Augustanis*; scribit enim, *duo peditum signa, cum equestri etiam auxilio, ductore Wolffgango Freibergio, Equite Suevo, subito & inter primos in Austriam hoc anno missa fuisse.* Notum autem est, quo zelo jam tum plerique Augustanorum Evangelicam doctrinam prosecuti sint.

(4) Quædam ex diario MS. Sebastiani Schertelii.

(5) Negatur, quod Vienna solum a Catholicis defensa sit.

SECT. 16.

Gloriosus iste successus præmium fortasse fuit, quo Deus Caroli Quinti generosam responsionem afficere voluit, quam d. 13. ejusdem mensis pridie ante solutam obsidionem illam famigeratissimam, ablegatis Principum Protestantium dedit, qui Placentiam ad eum venerant. Experientia edoctus viderat Imperator, quod pax, quam cum Pontifice & Rege Francisco, captivis suis, Madriti & in arce S. Angeli, intolerabilibus conditionibus fecerat, subsistere nunquam posset: opus tamen omnibus viribus suis habebat, ut & Turcis Austriæ minitantibus, & Lutheranis totam Germaniam turbantibus, sese opponeret. Igitur justitiæ sponte sua satisfaciens, pacta Romana & Madritensia, aliis, Barcinone & Cameraci, cum Papa, sub finem mensis Junii, & cum Rege d. 5. Augusti sancitis, correxit, admissis conditionibus, quæ æquiores videbantur. Postea Barcinone cum valida classe solvens, exscensum Genuæ fecit, inde in Insubres profectus est; Bononiam, ad congressum cum Pontifice habendum, petiturus, Placentiam initio Septembris mensis venerat. Hic admissi Principum deputati protestationem herorum suorum exhibuerunt, eorumque nomine rogarunt, ut omnis conditionis hominibus in toto Imperio doctrinam Lutheri amplecti liceret, usque ad decisiones, in Germania per concilium liberum faciendas. Ad hæc Carolus magna cum constantia respondit: se protestationem, contra decretum interpositam, vehementer improbare, sapienter enim id factum fuisse, ad sopiendos tumultus in Imperio, & scandalosam licentiam, quotidie novitates in religione introducendi, reprimendam. Se quidem non minus, ac Principes istos, Concilium desiderare, ut animi omnium in fide unirentur; sed opus convocatione Concilii non futurum, si edicta sua, Wormatiense inprimis, observata fuissent. De cætero, quoniam leges inviolabiles, & mores Imperii, exigerent, ut minor numerus conclusa in Comitiis per majora suffragia sequeretur, velle se, ut Dux Saxoniæ cum sociis, quemadmodum jam illis scripsisset, decreto obediret; secus si facerent, sibi non defore media, quibus ad id compellerentur; sperare se tamen, illos sponte parituros, hoc præsertim tempore, quo unio capitis Imperii cum omnibus membris tam necessaria esset, ut implacabili Christiani nominis hosti resisteretur. Se de his negotiis cum Pontifice acturum esse, &, constitutis Italiæ rebus, ad ordinandas Germanicas venturum, omnibus viribus suis instructum. Deputati, exemplo herorum ad protestationes promti, novam contra ea, quæ intellexerant, moliebantur, sed ab Imperatore e vestigio repressi sunt; minabatur enim, nisi in officio manerent, se illos severe punituros esse, & sine mora in Germaniam cum responso suo redire jubebat.

(1) Cæsaris acta cum Gallis & Papa.

Guicc. l. 19. Belleff. l. 6. c. 44. Sleid. l. 7.

(2) Cum Legatis Protestantium in Italiam missis.

§. XLVI.

An. 1529.

(1) Refellitur Maimburgii malignum judicium.

§. XLVI.

Vana de divinis judiciis conjectatio autori ignosci potest, sive, quod persuasioni suæ indulserit, sive, quod alia transitionis & connexionis formula, qua elegantiam affectatam ostenderet, ei non succurrerit. Si tantum beneficium Carolus rigore illo adversus legatos principum, qui fere intra verba constitit, meritus est, quid non sperare potuisset, cum post annos aliquot Principes illos debellasset? Nemo tamen nescit, ab illo tempore nihil ei, quod inter felicia magnopere reputare potuerit, aut cujus eum non pœnituerit, evenisse. Illa ipsa, quam sumtuoso in Italiam itinere, infra dignitatem suam se demittens, tum maxime duritie ista contra Protestantes sancire volebat, cum Pontifice conjunctio, hoc ad ingenium suum non multo post redeunte, parum prospera fuit. Quam vere autem noster hic scribat, Lutheranos tunc totam Germaniam turbasse, dubitare utique licet, statum Imperii publicum hoc anno considerantibus. Nullus enim armorum neque motus neque metus erat, & reformationis negotium absque tumultu peragebatur. Turbarum materiam illi quærebant, qui Evangelicam doctrinam violentis mediis impeditum ibant, cum & pacem & jus suum legitimum facile tueri iis licuisset, si justissimis desideriis civium locum dare, & a sævitia in illos abstinere voluissent. Nullus certe ex Protestantium proceribus diversa sentientibus leges obtrusit; contenti erant, si in suis ditionibus obtinerent, quæ conscientiæ suæ satisfacerent. Politica, quæ hic interserit Maimburgius, prætereo. De Legatione autem, cujus historiam affert, dicendum aliquid est: Maimburgius enim non optima fide illam enarrat, cum tamen a *Sleidano Lib. II.* amplissime & vere relatam viderit. Legati erant: *Johannes Ehingerus* Consul Memmingensis, *Michael Cadenus* (von Kaden) Syndicus Norimbergensis, & *Alexius Frauentraut*, Secretarius Georgii, Marchionis Brandeburgici. Delecti nempe conditionis non splendidissimæ viri, ut eo essent tutiores: neque aliud agendum illis erat, quam, ut Cæsari protestationem Spiræ factam & insinuarent, & excusarent. Itaque aliud nihil, quam, quod Spiræ postulaverant, a Cæsare petierunt, nempe, ut ex decreto anni 1526. de religione apud suos statuere sibi non interdiceretur, neque in hac causa numero suffragiorum sibi præjudicaretur, non vero, ut noster tradit, ut libere omnis conditionis hominibus in Imperio doctrinam Lutheri amplecti liceret. Offerebant etiam, Principum & Civitatum nomine, omnia obsequia, inprimis vero auxilia contra Turcos. Omnia etiam, quæ dixerant, & exemplum suorum mandatorum, aliaque, inter quæ etiam Adriani Pontificis confessio de necessitate reformationis, & centum gravamina in Comitiis Norimbergæ anno 1522. tradita, Latine & Germanice Cæsari obtulerunt. Sed ista, & alia, maxime vero injuriam, legatis, indicta captivitate, factam, omittere Maimburgio placuit. Legati d. 12. Sept. a Cæsare Placentiæ auditi sunt; responsum autem integrum mensem dilatum fuit, licet quotidianis sollicitationibus ministros Cæsareos fatigarent. Subscriptum enim est d. 12. Octobris manu Cæsaris, signatumque a *Waldkirchio*, id est, *Merkelio* & *Sueissio*: Et extat *Reg. H. fol. 10.* ℞. Sleidanus & cum eo Maimburgius d. 13. Octobris memorant, quo die Legatis exhibitum fuit. Benigne eos tractavit *Mercurius Gattinara* Cancellarius supremus Cæsaris, vir maximus, nec a religionis reformatione valde aversus, tunc inter Cardinales cooptatus. Ab *Henrico* vero, Comite Nassovio, cui cum Philippo Landgravio controversia de comitatu Cattimelibocensi intercedebat, asperis non semel verbis repressi sunt: nam etiam Norimbergensibus particulari quadam ex causa infensus erat. Cum responsum Cæsaris manu subscriptum, cujus contenta hic Maimburgius, sed melius Sleidanus exhibet, tandem per Secretarium ejus, Alexandrum Sueissium, accepissent, tum Ehingerus & Cadenus non protestationem, ut noster scribit, sed appellationem ad Cæsarem ipsum, Spiræ contra decretum compositam, Sueissio insinuarunt. Id vero ut testato & legitime fieret, paulo ante Alexius legatione sese abdicaverat, & jam tabellionis sive notarii officium, quod ab Italis expectare non poterant, collegis antea suis præstabat. Sueissius recusavit primo appellationem, tandem vero eam Cæsari attulit, sed a meridie reversus, legatis, sub capitis atque fortunarum pœna denunciavit, *Cæsarem illis ob appellationem illam iratum esse, & jubere, ne pedem e diversorio moveant, neve ad suos in Germaniam quidquam perscribant aut aliquem mittant.* Aberat tunc forte Cadenus, & a famulo certior factus, cum se præcepto illo obligari non crederet, rem omnem per literas Senatui Norimbergensi aperuit. Postera die Ehingerus & Cadenus coram Alexio notario, & testibus appellationem aliam a decreto illo Cæsareo interposuerunt, d. 25. Octobr. Sueissius, nomine Nassovii, potestatem illis fecit ex hospitio exeundi, jussit tamen, ut Cæsarem Bononiam sequerentur, sed in itinere, Parmæ d. 30. Octobr. per Granvellanum dimissi fuerunt Ehingerus & Alexius, manere jussus est Cadenus, quod libellum, quo capita doctrinæ Christianæ comprehendebantur, Landgravii cura conscriptum, Cæsari porrexisset, huic vero ab Episcopo Hispano falso & maligne relatum esset, disputari in illo contra officium Magistratuum, cum inter alia id tantum diceretur, *ministros Ecclesiæ non decere, ut gererent principatum mundi.* Hæc & alia ex legatorum relatione, quam *Hortlederus Vol. I. Lib. I. cap. VII.* inseruit, & ex *Sleidano d. Lib. VII.* peti possunt. In responso Cæsaris præter alia notari potest, quod dixerit: *Concilio non opus esse, si Wormatiense edictum executioni datum fuisset.* Id quidem verum est, si humana spectentur consilia, nam si Lutherus omnesque gravaminum autores illico vi repressi fuissent, omnia in perverso illo, quo erant, statu mansissent; dein, quod indistincte ad suffragiorum numerum respici debere contendit, non caret controversia, & excipi merito debent, quæ non Rempublicam ut corpus, sed cujusque salutem singulatim attinent, & quæ nemini alieno suffragio adimi possunt; id quod hodie post pacis publicæ leges, in religionis aliisque negotiis ejus momenti sancitas, in Germania indubitatum est.

(2) Legationis Protestantium ad Imperatorem amplior expositio.

An. 1529.

An. 1529.

ADDITIO.

(a) *Occasio legationis ad Caesareum.*

Occasionem ad legationem versutia aulica dedit Vice-Cancellarius ille *Merkelius*, de quo §. XLIV. dixi. Is Vinariae Electorem Saxoniae convenerat, & filio ejus Joh. Friderico Duci, assumta familiaritatis specie, aperuerat, *Henricum Brunsuicensem nuper in Hispaniam profectum, detulisse Principes, Saxonem, Hessum, & socios, ac si alios Imperii Ordines ad suae religionis consortium vi cogere niterentur;* unde verisimile erat, severa illa mandata Caesaris, ad ipsum Henricum & ad comites, quos dixi, emanasse. Negotium itaque datum est a Principe *Johanni a Minckwiz* circa finem mensis Martii, ut a Merkelio Spirae tunc versante, testimonium dictorum peteret. Verum ille tergiversatus est, dictitans, *Caesarem ex officio mandata illa dedisse, cum Henricum de statu Germaniae interrogasset, & quaedam, quae ad turbas spectare videbantur, intellexisset.* Isthaec interpretatio valde displicuit Principi, ut ex literis ejus (*Reg. H. fol. 6.* E.) ad Balthasarem ViceCancellarium apparet, ad quas quid ille responderit, non invenio. Interim illa calliditas, aliaque in comitiis Spirensibus emergentia machinationum indicia, Principes permoverunt, ut serio cogitarent, quibus modis calumniis Caesari insinuatis occurrerent, & de securitate sibi prospicerent.

(b) *Mandata Legatis data.*

Habito itaque post comitia conventu Norimbergae, instructionem mandatorum summe notabilem Latine & Germanice componi fecerunt, cui dies 27. Maji adscriptus est, eamque *Elector Saxo, Georgius Marchio Brandenburgicus, & Philippus Landgravius*, pro se atque *Ernesto & Francisco, Luneburgensium Ducibus, & VVolfgango Anhaltino*, cum *Senatus Norimbergensis* pro se & reliquis Civitatibus, quae protestatione Spirensi usae erant, signarunt. Praemittunt in hac instructione, amplissimam obsequii erga Caesarem contestationem, dein, relatis, quae Spirae nuper decreta essent, admonent Caesarem de Spirensium comitiorum decreto anni 1526. ejusque clausulam adscribunt, ex qua liquidum esse dicebant, obligari Caesarem ex mandato suo, Ferdinando fratri dato, hujusque cum Ordinibus Imperii inita in comitiis pactione. Queruntur de contraventionibus, maxime vero de im[pe]dita, quae in illis comitiis decreta fuerat, ad Caesarem legatione, quae Concilii indictionem & pacem interea tuendam commendare debebat. Ostendunt, modestis quidem verbis, sed candide, Caesari fas non fuisse, ut in nuperis comitiis aboleret, quae conventa & decreta in prioribus erant; sic enim omnia in manifesta mitti discrimina, quod utique Caesaris intentioni minime conveniret, sed suggestum esse oporteret ab iis, qui rerum pondus non perciperent, aut suas utilitates publicae praeferentes, conjunctionem animorum & virium in Imperio non respicerent. Se igitur, ut conscientiae suae & inprimis honori divino satisfacerent, corpusque Imperii solidum, indiscerptum & intaminatum servarent, repugnasse in nuperis comitiis illorum ausis, qui convellere ista rerum fundamenta voluerint, eoque fine abolitionem prioris decreti anni 1526. suaserint; neque tamen impedire potuisse, quo minus malis quorundam artibus, quae dicto anno constituta erant, abrogata fuerint majori suffragiorum numero, quod tamen non nisi communi omnium consensu legitime fieri potuerit, praesertim in re & causa, quae non humana esset, sed divina; nec singularum ditionum, sed totius Imperii negotium spectaret: *In hoc*, ajunt, *nullum cuique in suffragiorum numero perfugium esse, cum quisque de eo, quod sensit, causam dicere debeat coram justissimo judice & nulla machina flexibili, ubi humanae opes neque prement quenquam neque relevabunt.* Cum igitur modesta petitione nihil profecissent, protestationem publicam de more opposuisse, ut conscientia saltem in tuto esset, neque fides sua Deo & patriae communi deesset, aut subditi sui proderentur, de quorum vita & nece respondere debeant.

(c) *Referunt in illis initia reformationis & ortas dissensiones.*

Exponunt originem dissidiorum, ab initio delati Carolo imperii: *Cum enim*, ajunt, *plus liberiusque, quam hominum haberet memoria, de religione ejusque sinceritate, aut depravatione, sermones fieri coepissent, multis bonis viris, quorum aliqua in religione functiones essent, ad sacra & divinitus accepta Scripturae lectionem & doctrinam, studium eximium conferentibus, factum esse, ut non solum vulgus, sed etiam aliquot Imperii Principes & Civitates, ea, quae ex sacra Scriptura, prius sibi inaudita, cognovissent, quamvis abhorrentia a quibusdam usitatis ritibus, non inviti sequerentur, neque divinis convicti testimoniis, quid contradicerent, invenirent, cum suum cuique animum pietatis sensus moveret, contra alii perhiberent, non aberraturos, qui suorum majorum vestigiis institissent, neque committendum, ut a veteribus consuetudinibus qualibuscunque discederetur; Id aliis illis neutiquam verum visum esse existimantibus, neque in temporis spatio, neque hominum multitudine, erratus patrocinium repositum, & pro se cuique pie aut impie actae vitae Deo judici olim rationem reddendam esse. Ita maxime Germanicas gentes voluntatum diversitate dispulsas & ab se abalienatas esse.* Post haec referunt, nullum, neque a Ferdinando, Caesaris vicario, neque ab Ordinibus, remedium sedandis his motibus inveniri potuisse, quam Concilium Christianitatis; idque communi consensu probatum fuisse. Huic tam sano consilio praejudicium factum esse nupero edicto, quod tamen nec cum mandatis Caesareis publice praelectis satis conveniat; ex his enim intellectum fuisse, serio de Concilio eum cogitare, huic autem intentioni adversari executionem edictorum adversus reformationem; si enim illa fiat, nullo usui futurum esse Concilium.

(d) *Sua & subditorum conscientiae consulere volunt.*

Intolerabilem esse conscientiae suae laesionem, si admittere jubeantur, quae, sacrarum literarum doctrina informati, pro evidentibus peccatis & erroribus habeant: Se vero in atroces rerum humanarum necessitates, si aliter fieri nequeat, incidere malle, quam, deserta propositi constantia, divinae manus violentiam incurrere. Neque tamen minus promptos esse, vel ab infimo homine, nedum a sacri Romani Imperii Ordinibus, meliora doceri, ex infallibili nempe sacrarum literarum testimonio. Scire se quidem, quod id fieri non possit, nec obscurum esse, quam perniciosis abusibus religio hoc tempore sit contaminata, neque id diffiteri adversae partis praesules: idem deplorasse Legatum Adriani Pontificis, felicis memoriae, in conventu Norimbergensi: idemque ex centum fere abusuum designatione, Pontifici & Imperatori tradita liquere. His ita comparatis, nulla se detrectantium multitudine vel autoritate excusari potuisse, si emendationem neglexissent, nec executionem edictorum adversus eam rigidissime emissorum, in sua fuisse potestate. Subditos suos instructos quidem esse, ut sciant, Magistratui obsequium deberi, neque tamen ab iis ignorari, neutiquam pluris faciendas esse hominum jussiones, quam Dei. Licet igitur tam caeci fuissent Magistratus, ut aliquid contra conscientiam suam & subditorum salutem statuere auderent; obedientiam tamen a subditis sperari non posse, metui potius periculosissimos motus debere, quales superioribus annis extiterint. Innotuisse jam subditis, in rebus quae conscientiam & animae salutem attinent, nullam explicationem, quam ex verbo divino admitti posse: quapropter edictis, quae neque ad sacras literas, neque ad Synodi autoritatem respiciant, obtemperaturos illos non esse, neque suarum esse virium aut officii, ut eos ad impossibilia & noxia adigant.

(e) *Obsequium in reliquis offerunt.*

Sequitur amplissima & decentissima oblatio ad observandam majestatem Caesaris & amplitudinem Imperii promovendam, & quod, hac una religionis & conscientiae causa excepta, nihil non praestituri sint ad auxilia contra Turcam conferenda, itemque ad sustentationem tribunalis Cameralis, & ad conservationem legum publicarum. Additum fuit his mandatis exemplum Orationis a Legato Adriani Norimbergae habitae, & Latina versio protestationis Spirensis.

(f) *Sumtus legationis, & literae commendatitiae Legatis data.*

Ad sumtus hujus Legationis collata sunt a Principibus 1463. floreni, a Civitatibus 2424. secundum descriptionem matriculae, sive, quam vocant, expeditionis Romanae (den Römer-Zug) cujus tertia fere pars menstrua corrogata tunc est. Legatis attribuerunt equos sex, & praeter sumtus itineris, praemium quingentorum florenorum singulis, aut eorum, qui in legatione obirent, haeredibus destinarunt: ducenti floreni constitu-

An. 1529.

ftituti sunt Cancellariæ Imperatoris, si benigna obtineretur expeditio. Scripserunt ad Galliæ Regem, pro impetrando Legatis commeatu,& commendatitias dederunt ad Henricum Nassovium, itemque ad Marchionem Mercurium, (Cancellarium supremum Cæsaris) quem tamen Principis titulo minime honorant, sed vulgari compellatione (*Vos*) tractant. Denique ad Ulricum Ehingerum, Legati fratrem Cæsareum Consiliarium, quem tamen in aula non invenerunt. Extant Nassovii literæ d.30. Octobris ad Electorem & reliquos Principes, (excepto, cui infensus erat, Landgravio) datæ, quos *Dominos clementissimos* & *clementes* vocat; Titulum gerit *Comitis Nassovii*, & *Marchionis Zenetæ*. Culpam rigoris in Legatos exerciti, imprudentiæ eorum tribuit, quod se inscio, appellationis instrumentum tradidissent; jactat meritum suum, quod nihilominus Legatos, & inter eos Cadenum, privatim licet sibi invisum, & qui Cæsarem oblato libello (ut ait, nescio quo,) offendisset, liberaverit. Sueisslius eadem pluribus verbis in suis ad Principes literis professus est, & Nassovii (quem *Principem suum clementem* vocat) benevolam operam Legatis exhibitam ultro celebrat. Hunc Sueisslium non alio titulo,pro illius temporis stylo, Legati compellabant, quam *magnifici & honorati*, sive hochachtbar und erbar/ & appellationem insinuantes, multa nihilominus de obsequio Principum erga Cæsarem testati sunt, quod nempe nihil acturi essent, quam, de quo apud ejus Majestatem,& inprimis coram ipso Deo, respondere possent. Dissimulandum non est, parum felices fuisse, nec satis cautos Principes, in deligendis, quos ad Cæsarem miserant, Legatis. Primarium inter illos *Ehingerum* Cadenus luxuriæ, superbiæ & prodigalitatis insimulavit, & a quo ipse, cum ejus mores reprehenderet, proditus & desertus, ludibrium illud in aula Cæsaris incurrisset: *Alexius* odiosus erat, quod uxorem ex monasterio duxisset; *Cadenus*, ut dixi,Nassovio invisus erat, qui tunc magna apud Cæsarem gratia valebat. Tanti interest, qui qualesque pro negotiorum & personarum ratione mittantur. Interea Principes de eventu legationis solliciti, sæpe inter se vel per Legatos consultarunt, quid faciendum sibi esset, si Legati, quos mittebant, nihil æqui a Cæsare impetrarent. Colloquia habuerunt Numburgi & Salfeldiæ, & alibi, Elector,Landgravius & Georgius Marchio Brandenburgensis, aliique Principes aut eorum primarii Consiliarii. Operose deliberatum est mense Junio Rothaci (Rothach) Coburgensis Ducatus oppidulo. Missi erant eo ab Electore *Johannes a Minckwiz*, a Georgio Marchione *Casparus a Seckendorff*, a Landgravio *Sigismundus a Boyneburg*; aderant Argentoratensium, Norimbergensium & Ulmensium deputati. Consensum inter eos facile fuit de mutua defensione, quanquam ab offensione omnes abhorrerent. Excipiebant nominatim Cæsarem & Imperium, fœdus quoque Suevicum, nisi vis Evangelicam doctrinam profitentibus inferretur. Testabantur, se omnes & singulos ita animatos esse,ut mentem erga Deum devotam, quæ Christianos decet, haberent, superioribus fidele obsequium, subditis vero suis pacis & religionis custodiam præstarent. Resistere maxime volebant Episcopis, jurisdictionem suam per vim tuentibus, &, si qui illos adjuvarent, Principibus politicis. Auxiliorum numerum in præsens non nisi ad mille quingentorum equitum & trium millium peditum numerum constituebant, ita tamen, ut tres Principes & totidem Civitates, ab eo, qui vim pateretur, requisitæ ulteriorem deliberationem & definitionem de copiis & regimine militari facere deberent. Isthæc tamen omnia deliberata potius & disceptata, quam conclusa tunc fuerunt. Aberant enim Luneburgensium legati, & Lutherus Electori scrupulum injecerat. Extat *Reg. H. fol. 40. n. 24.* severa ejus admonitio manu sua, sed & Collegarum nomine,scripta, unde in Actis inscribitur *Consilium Theologorum* (der Gelehrten Bedencken.) *Primo*, ait, *fœderis scopus est, ut doctrina Evangelii apud nos conservetur: id quod fieri non potest, nisi constet, eos, qui fœderi accedunt, eadem nobiscum credere. Id vero nobis incertum est, & contrarium in multis invenietur. Metuendum etiam est, plerosque defecturos esse, si Cæsar vim intentet, Civitates maxime, quæ cives suos non satis habent in potestate:* Nominat quasdam, *quæ magno ardore Evangelium acceperint* (wolten es vor liebe fressen) *nunc tamen animum despondeant. Nec deesse in Civitatibus,qui Evangelium clam aversentur,& data occasione populum facile in contrarium impulsuri sint. Secundo cavendum esse* dicit *fervidum Landgravii ingenium, nuper in tumultu Pacciano detectum.* Reprehendit etiam *Argentoratenses,& Basileenses, quod templa Cathedralia, in quæ nullum jus habuissent, invaserint, noxio exemplo, & non sine tentatione Dei. Tertio* notat, *multos, qui fœdus offerunt, brachium carnis respicere, magisque suis viribus, quam Deo fidere. Quarto impium esse* existimat, *societatem in religione tuenda cum iis inire,qui in capitali articulo fidei* (talem putat esse illum de sacra cœna) *errent, nec corrigi se patiantur:* Urget *Israelitarum* exemplum, *ob unius Achanis crimen improspere pugnantium, & dictum Jac. II.10. offendentem in uno reum fieri omnium:* Adducit etiam *Arii* hæresin, *in uno saltem articulo errantis, neque tamen minus ab Ecclesia orthodoxa rejecti; & quod par pœna timenda sit, consentientibus malo & id facientibus, Rom. I. 32.* Objicientibus, quod non de religione, sed de defensione contra vim in negotio fœderis agatur, respondet: *Omnino de religione agi, nullam enim, nisi hujus causa, vim aut persecutionem metuendam esse.* Negat denique, *sufficere, quod de controversia hac disquisitio offeratur, sibi enim & suis de veritate certo constare, & dubiam ex altera parte conscientiam hoc modo detegi, cum qua fœdus pium & legitimum consistere nequeat.* Ex his concludit, *recusandam esse societatem, nisi plenus in religione consensus præcedat, & ita scribendum esse Cæsari(exclusis Zuinglianis,) ut demonstretur sanctitas & utilitas reformationis,sublatis jam tot abusibus, repressis etiam in Saxonia Münzero & Anabaptistis,itemque Sacramentariis & violentis templorum violatoribus, omnibusque heterodoxis*, inter quos etiam *Erasmum* nominat. In eundem fere sensum Lutherus solus d. 22. Maji (*d. Reg. n. 2.*) scribit, & fœderis necessitatem negat, *neque etiam Papistas ausuros esse, ut Evangelicos aggrediantur: his Deum hucusque insignem tutelam præstitisse, & porro præstiturum, si regnum Dei ante omnia quærant.* Generatim contra fœdera allegat *Esaiam Cap. VII. VIII. XXX.* De rationum harum momento hic non disquiro,& alibi dicendi occasio dabitur. Utut vero Electori & Georgio Marchioni Brandenburgico probarentur, Landgravio tamen non satisfecerunt. Is enim minime abhorrebat a fœdere cum iis, qui in articulo de cœna discrepabant. In literis quidem d. 17. Julii datis (*Reg. H. fol. 9. H.*) spem facit, *brevi compositum iri hanc litem, & indulgendum aliquid infirmitati, cum omnes facile cadamus, cadentes etiam resurgant;* sed apertius post biduum pro *Argentoratensibus* & *Ulmensibus* apud Electorem instat, *ne a fœdere excluderentur, etsi in articulo de cœna dissentiant, illum enim non tanti esse momenti, quanti sint illi, qui de fide & salute agunt.* (Es sey an dem so fürtrefflich nicht gelegen/ als an denen von dem Glauben und der Seligkeit.) *Theologos semper habere, de quibus disputent, nec erroribus carere.* Notat *Lutherum*, quod nuper Georgium Saxoniæ Ducem contumeliose tractaverit; idem fecisse *Islebium*, edito proverbiorum libello, in quo Ulricum VVurtenbergicum Ducem exagitaverit. Respondit Elector d.26. Jul.& sententiæ suæ insistens,monet illa, quæ Luthero & Islebio a Landgravio objecta sint, ad *facta* non ad *fidem* pertinere. Landgravius acrimoniam primarum literarum mitigaturus, d. 1. Aug. fatetur, *se Lutheri doctrinam pro Christiana, orthodoxa & utili habere*, (Er halte sie nicht anders/ denn Christlich/ erbaulich und richtig) *in qua & ipse constanter persistere vellet: cætera ejus scripta* (die neben-bücher) *in medio relinquere.* Significat etiam, *Islebium deprecatum esse injuriam Ulrico illatam*, & exemplum literarum ejus apponit valde submissarum, in quibus inter alia fatetur, *se contra charitatem fecisse.* Non multo post sparsa de Cæsaris adversus Evangelicos severis consiliis fama, (*Reg.H.fol.12.M.*) Landgravius literis sua manu ad Electorem d. 14. Sept. scriptis, *sine omni ambage respondet*

(g) *Henrici Nassovii responsum.*

(h) *De Alexandro Sueisslio quædam.*

(i) *Notantur quædam de Legatorum defectibus.*

(k) *Consultationes Principum, de ineundo fœdere, post reditum Legatorum.*

(l) *Lutherus & collegæ dehortantur Electorem a fœdere.*

(m) *Landgravii diversa opinio.*

(n) *Ejus & Electoris hac de re literæ.*

An. 1529.

sponderi sibi, petit, *an ille societatem armorum inire velit, nec ne: se ad illam paratum esse, a tot Principibus & Civitatibus de Cæsaris ira admonitum. Si vero Elector animum resistendi Cæsari, & in doctrina persistendi, mutaverit, id aperte sibi vult significari, neque scribis suis indulgeri, ut blandis verbis utantur:* (E. Lbd. wollen ihren Schreibern sagen/ daß sie die höflichen Antworten stehen lassen/ und mir eine richtige Antwort geben/ was E. Lbd. Gemüth darinnen sey.) *Si enim ab Electore deseratur, se quoque viam ad paciscendum invenire posse;* putat tamen, *hanc pusillanimitatem pœnæ loco Germanis a Deo immitti.* (Es ist eine plage von GOtt über uns verzagte Teutsche.) Addit, *si qui sint, qui Electori persuadeant, conservari illum posse, si Landgravium deserat, & perire sinat, illos aut infidos esse, aut negotii momentum non intelligere*, denique *nihil præsidii esse Electori* indicat, *in fœdere aut amicitia cum Ferdinando Rege.* Ad ista Elector d. 23. Septembris pie & mascule respondit, *dubitare Landgravium minime debere, quin ipse verbum Dei constanter professurus, & cum eo staturus casurusque sit, licet id cum periculo vitæ, dignitatis & opum fieret:* (daß ich durch verleihung GOttes gnade bey seinem Wort genesen und bleiben will / es koste leib/ ehr und guth/ oder was es wolle auff dieser erden.) *An vero Cæsari propter religionem vim inferenti resisti possit, quæstionem esse, si qua ulla, summi momenti, de qua accurate disquirendum sit. Instare jam hyemem, neque fieri posse, ut adversarii tam cito bellum inchoent, quocunque etiam odio adversus Evangelicos incensi sint: redituros interim esse Legatos ad Cæsarem missos & per hyemem vires comparari posse: mature itaque deliberandum & statuendum esse, an & quatenus resistere liceat Cæsari, & quo successu id tentari possit, ne dum pro verbo Dei pugnare velint, in idem verbum peccent, & divinam ultionem in se provocent. Se quidem præstiturum esse, quæ sibi suisque tum proximo, & ipsi Landgravio, ex officio ut fœdere debeat; in præsens autem moram petere, ut cum Georgio Marchione in causa hac communi colloqui posset.* Id non multo post factum est *Schleizæ* in Voigtlandia, & conventum de Legatis ad congressum Suabacensem Idibus Octobris habendum mittendis & instruendis. In his (*Reg. H. fol. 10.* ℜ.) uterque Principum profitentur, *se cum nemine societatem inituros esse, qui in articulis de sacra cœna & baptismo eadem secum non sentiat; cæterum pro Evangelio omnia in discrimen missuros: licitam enim esse defensionem, neque a summo magistratu vetari posse.* Decreverunt etiam de adsciscendis in fœdus Magdeburgensibus, aliisque inferioris Saxoniæ civitatibus; multa etiam, quæ in conventu Rotacensi, Norimbergensium potissimum suggestione tractata erant, Suabaci emendare volebant. Alia consultatio *Servestæ* d. 7. Augusti habita est, quo convenerant, aut Legatos miserant, Elector Saxoniæ, Ericus Brunsuicensis, Episcopus Osnabrugensis, Ernestus & Philippus Luneburgici, Henricus Meckelburgicus, VVolfgangus Anhaltinus, Gebhardus & Albertus Comites Mansfeldenses, & Senatus Magdeburgensis. (*Reg. H. fol. 10.* J.) Nihilominus, cum Suabacum ventum esset, superari difficultates dissidii in articulo de sacra Cœna non potuerunt, ut §. *XLVIII.* exposui, sed res ad alium conventum, tunc quidem ad Id. Decembr. *Smalcaldiæ* indictum, dilata fuit, anticipato tamen postea die ad 29. Novembris, post intellectum Legationis ad Cæsarem eventum. Quæ Smalcaldiæ acta sunt, *d.* §. *XLVIII.* retuli. Johannes Fridericus Electoris filius undecim folia sua manu de negotiatione ista conscripsit, quæ *Reg. H. fol. 10.* ℜ. asservantur. Molesta fuit Principibus, cum deputatis Civitatum, maxime in controversia de Cœna concertatio, multisque suspicionibus gravabantur Civitates, serio a Saxone & Georgio Marchione admonitæ. Landgravius ante congressum Smalcaldensem ad Electorem miserat *Sigmundum a Boyneburg*, qui de articulo illo controverso mollire eum satageret, obscurum esse dicens, de quo neque Saxoniæ neque Hassiæ incolæ unanimiter sentirent: Idem periculum a Cæsaris ira imminens exaggerabat; sed Elector omnia ad conventum rejiciebat. Paulo post Landgravius, cum percepisset, quæ Legatis in Italia acciderant, d. 11. Novembris Electori scripsit: *se pro singulari felicitate & divino munere reputare, quod Cæsar mentem suam denudasset; id enim longe melius esse, quam si, recondito intra pectus odio, benigna responsa dedisset:* (daß er einen halben gnädigen bescheid gegeben hätte;) confidere autem jubet Electorem, *quia desperandum de causa minime sit, modo consilia & vires fideliter jungantur.*

(o) *Electoris colloquium cum Georgio Marchione.*

(p) *Alii conventus, & præcipue Smalcaldicus.*

(q) *Aliæ controversiæ inter Electorem & Landgravium de quæstione de fide & justitia.*

An. 1529.

SECT. 17.

Sleid. lib. 6. Cochlæus ad hunc annum Flor. de Ræm. L. 2. c. 8. Pallavic. l. 3. c. 1. Luther. de Colloqu. Marp. Zuing. præf. lib. de ver. & falsa relig.

(r) Landgravius colloquium instituit Marpurgi inter Lutherum & Zuinglium.

Ibi Landgravius eodem tempore, prioribus consiliis suis semper insistens, Sacramentarios cum Lutheranis conciliare nitebatur. Hoc fine colloquium inter eos Marpurgi, *quod ditionis suæ oppidum erat, ineunte Octobri procuravit. Venit eo Lutherus, duobus charissimis & fidissimis discipulis comitatus, Philippo Melanchthone & Justo Jona, Wittenberga adductis: aderant ei etiam tres famosi Lutheranorum prædicatores, Osiander Norimbergensis, Brentius Hallensis, & Stephanus Agricola Augustanus. Ex altera parte Zuinglius, partis Sacramentariæ caput, cum Oecolampadio, Basileensium Ecclesiaste, eo se contulit, assumtis in itinere Argentorati, Martino Bucero & Hedione, qui tunc Sacramentariis, quam Lutheranis addictiores erant. Triduo inter Lutherum & Zvinglium disputatum fuit. Hic pacis & unionis inter utramque partem vehementer cupidus, in quibusdam articulis cedere, aut consensum simulare non est cunctatus, inter alios circa peccatum originale, quod eo usque cum Pelagianis negaverat. Sed, cum ad Eucharistiæ articulum perventum est, præcipuam colloquii materiam, nullum conveniendi medium inveniri potuit. Zvinglius enim, qui partis suæ, quem habebat, principatum deserere nolebat, in eo perstitit, nihil adesse in Cœna Domini, quam panem & vinum, figuras corporis & sanguinis ejus; e contrario Lutherus præcise corporis & sanguinis præsentiam asserebat, quamvis sub substantia panis & vini, & solummodo in usu & manducatione Sacramenti, extra quam præsentiam non agnoscebat. Inde est, quod Lutherani non adorent hostiam expositam, ut Catholici, qui confitentur, virtute verborum Christi,* hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, *panis & vini substantiam mutari in corpus & sanguinem filii Dei, ita, ut hostia consecrata sit ipse Christus, speciebus Sacramentalibus sive accidentibus panis & vini velatus, atque ita necessario, quam diu subsistit, adoranda. Cum vero Zuinglius, ne inferior abiret, impetrare a se non posset, ut Luthero, quoad quæstionem de præsentia reali, ne quidem sub substantia panis & vini, cederet; Lutherus vero, ut erat fero & imperioso ingenio, semper urgeret, ut ille sententiæ suæ se submitteret, ruptum est præfracte absque concordia colloquium; quamvis Zuinglius veterem magistrum omni*

An. 1529. *omni obsequio honorans, cum lacrymis obtestaretur, ne unionem Evangelicorum ob unicam quæstionem impediret, sed se ac socios in fratrum numerum reciperet. Nec Landgravius plus obtinere potuit, quam ut ab utraque parte omnes articuli signarentur, in quibus contra Papam & Ecclesiam Romanam consentiebant, & ut charitatis fraternæ mutua observantia, finisque rixarum promitteretur, donec Deus in quæstione de cœna Domini lucem dedisset. Sed male concordes manserunt. Zuinglius enim & Lutherus, victoriam hujus congressus sibi quisque attribuens, majori acerbitate, quam antea, scriptis certare cœperunt. Et ab illo tempore Lutherani Sacramentarios, quibus magis, quam ipsi Ecclesiæ Romanæ, infensi erant, nunquam in communionem recipere voluerunt; quamvis Calviniani, qui recta linea a Zuinglio descendunt, nihil, hujus exemplo, omiserint, ut Lutheranis jungerentur: maxime cum Gustavus Magnus, Suecorum Rex, idemque eximius Lutheranus, a quo validum patrocinium sibi promittebant, stupendos illos armorum successus in Germania haberet, quos nostro hoc ævo vidimus. Sic Landgravius excidit destinatis, cum Marpurgi duas factiones conjungere, unamque & formidabilem contra Ecclesiam Catholicam efficere anniteretur.*

An. 1529. (2) Conventio ibi inita, & quædam ejus sequelæ.

§. XLVII.

(1) *De consensus intentione, & diversis de illa sententiis aut conjecturis.*

De conventu hoc Marpurgensi ab omnium partium scriptoribus agitur: *Pontificiis*, qui, ut noster hic, conatum Landgravii inutilem irrident; *Zuinglio* cum suis, qui argumentandi acumine potiores sibi fuisse visi sunt. *Nostris*, qui Luthero constantiæ & firmitatis laudem asserunt. Consilium Landgravii, quatenus ad concordiam piam & Christianam tendebat, Lutherus ipse in literis, d. 23. Junii (*Hospinianus* legit *Julii, fol. 73. b. Part. II. Historiæ Sacrament.*) ad eum datis, (*Tom. IV. Altenb. fol. 560.*) summopere probat. Quod si Princeps, pro ardore illo suo militari, virium potius conjunctionem respexit, quibus vim, quam ab adversa parte metuebat, propelleret, aut vim passis opitularetur, (habebat enim in aula Ulricum Wurtenbergensem, ducatu suo pulsum, cujus causa post aliquot annos arma sumsit) ostendit & tunc & sæpe alias Deus, sibi soli vias cognitas & reservatas esse, per quas Ecclesiam suam tueatur. Lutherus, ut ex allegata epistola apparet, eo animo in Hassiam profectus est, ut Helvetiorum argumenta audiret, &, si posset, dilueret, eosque in suam sententiam pertraheret. Licet autem suæ certus esset, & Landgravio clare denunciaret, se nullo modo ab illa cessurum esse; (Ich weiß das wohl/ daß ich ihnen schlechter dinge nicht weichen werde.) *d. loc. fol. 560. b.* prævidebat tamen, neque illos esse cessuros, & metuere se indicabat, id ab iis agi, ut gloriam oblatæ concordiæ, ut & victoriæ in disceptando reportatæ, publice quærerent. (Reprehenditur tamen hæc ejus suspicio ab *Hottingero in Hist. Eccles.* & ostenditur, etiam Zuinglium cum suis invitum ad colloquium venisse, ab Argentoratensibus ægre persuasum) Lutherus certe invitus ivit, & nulla prope spe; Melanchthon etiam non parum de eventu timuit, idque literis *ad Landgravium* datis satis clare cognoscendum dedit, ut & iis, quas ad *Johannem Fridericum* Ducem, Electoris filium d. 14. Maji scripsit, quæ exhibentur in *historia Aug. Confess.* Germanica, anno 1584. Lipsiæ *adversus Ambrosium Wolfium* edita *fol. 94.* Notabile etiam est, quod Lutherus Landgravio, nescio quod bellum, & sanguinis profusionem suspicanti, nisi inter partes istas conveniretur, respondit: *Deo id committendum, se vero suosque innoxios esse; qui ad arma provolarent, pœnam non evitaturos:* confirmat id exemplo *Sickingii, Carlstadii* & *Munzeri. In horum etiam motibus* (ait) *nos sine culpa fuimus.* Ex quo simul patet, quam procul abfuerit a Sickingii turbulentia, cujus tamen invidia ab adversariis onerabatur. Refertur eodem loco *fol 561.* epistola alia Lutheri *ad Johannem Electorem Saxoniæ*, qui eum panno griseo & nigro donaverat d. 17. Augusti data, quæ quidem ad negotium hoc non pertinet, nisi quod donum illud itineris Hassiaci causa datum esse videatur, ut paulo cultior compareret. Meretur tamen magnus viri animus observari: ægre enim, licet pauperrimus esset, donaria illa accepit, & rogat Electorem, ne credat se inopem esse; se plus habere, immo dolere, quod plus a Principe jam acceperit, quam opus habeat: *Mihi*, ait, *ut Ecclesiastæ, non licet abundare copia, neque id desidero.* (Mir/ als einem Prediger/ gebühret nicht überfluß zu haben/ begehre es auch nicht.) Addit, se inter illos nolle esse, de quibus Christus dicit *Luc. VI. 24. væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, & scire se, quantæ expensæ Principi incumbant. Petit denique, ut a liberalitate erga se cesset, donec ipse eum imploret: ne ab illo præventus, deterreatur pro aliis, se pauperioribus, intercedere. Sed hæc per occasionem. Relationem de colloquio ipso, quæ Germanica extat *Tom. d. IV. fol. 561. & seqq.* Melanchthon ad Henricum Ducem Saxoniæ composuit, breviorem aliam Electori misit, quam exhibent autores *Histor. Aug. Conf. 1584. fol. 96.* Latine autem *Hospinianus Part. II. Hist. Sacr. fol. 80.* Prior illa refertur *a Sculteto* in hoc anno *p. 198. & seqq.* articuli vero concordiæ *p. 229. & seqq.* Aliam relationem ipse ex Actis, ut ait, manuscriptis congessit *p. 213.* paulo quidem placidius, quam Hospinianus, qui more suo non leviter Lutherum perstringit. Novissime *Hottingerus Tom. VIII. Hist. Eccl cap. VI. p. 442. & seqq.* quanquam Zuinglio victoriam confidenter tribuat, multa tamen de concordia in articulis capitalibus inter utramque partem sancita commentatur, & nullam controversiam nisi de particula, *corporaliter*, superfuisse, contendit. Lutheri de colloquio illo sententia, ut Zuinglium cum sociis amicitia quidem Christiana prosequendum, sed pro fratribus minime habuerit, & hæresin potius illis tribuat, satis nota est, & inter alia dilucide probatur, ex Lutheri epistola ad *Jacobum Pravest*, Ecclesiasten Bremensem, anno 1530. scripta, quam & nostrates in relatione illa anno 1584. *fol. 86.* & *Hospinianus fol. 82. b.* allegant,

(2) *Lutheri epistola ad Electorem de donata sibi veste.*

(3) *Relationes de colloquio variæ.*

An. 1529.

(4) *Articulus ultimus de S. cœna.*

gant. Adſcribendus eſt omnino ex articulis, quibus Theologi ante diſceſſum (qui ob morbum, qui Anglicus vocabatur, totamque fere Germaniam infeſtabat, præcipitatus fuit) ſubſcripſerunt, *decimus quartus* ſive *ultimus*, in quo ſolo tunc convenire non potuerunt, quique Latine ſic habet: *Credimus & ſentimus omnes, de Cœna Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod utraque ſpecie, juxta illius inſtitutionem utendum ſit: quod Miſſa non ſit opus, quo alter alteri, defuncto aut viventi, gratiam impetret: quod Sacramentum altaris ſit Sacramentum veri corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti: & quod ſpiritualis manducatio hujus corporis & ſanguinis unicuique Chriſtiano præcipue neceſſaria ſit. Similiter de uſu Sacramenti conſentimus, quod ſicut verbum a Deo traditum & ordinatum ſit, ut infirmas conſcientias ad fidem & dilectionem excitet, per Spiritum ſanctum. Etſi autem, an verum corpus & ſanguis* corporaliter *in pane & vino Cœnæ Domini præſens ſit, hoc tempore non concordavimus; tamen una pars alteri Chriſtianam dilectionem, quantum cujusque conſcientia feret, declarabit, & utraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos ſpiritu ſuo in vera ſententia confirmet. Amen.* In prioribus articulis conſenſerunt (1) de fide in Deum Trinunum, ſecundum Concilium Nicenum totiusque Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſum. (2) de incarnatione Filii Dei. (3) de ejus paſſione & merito, & futuro ad judicium adventu. (4) de peccato originis, quod absque auxilio Chriſti omnes homines damnet. (5) quod illud & omnia peccata remittantur per fidem in Jeſum Chriſtum pro nobis mortuum, & quod absque fide nullis operibus, ordinibus aut ſtatibus hominum, liberari a peccatis poſſimus. (6) fidem illam eſſe donum Dei, nullis operibus aut meritis præcedentibus aut propriis viribus conſequendam, ſed per Spiritum ſanctum producendam, in cordibus eorum, in quibus operari vult per auditum Evangelii de Chriſto. (7) illam fidem eſſe noſtram juſtitiam coram Deo, propter quam Deus nos juſtos & ſanctos reputat & æſtimat, absque omni opere & merito noſtro; & Filii ſui juſtitiæ, vitæ, omniumque bonorum nos participes facit: rejiciunt ſimul & damnant vota monaſtica, ut ad ſalutem non proficientia. (8) quod Spiritus ſanctus ordinarie absque præcedenti verbi ſive Evangelii concione donum illud fidei non det, ſed per vocale hoc verbum illam operetur & producat, quomodo, & in quo velit. (9) Baptiſmum eſſe Sacramentum ad fidem a Deo inſtitutum & præceptum, non nudum ſignum aut teſſeram profeſſionis Chriſtianæ, ſed & opus Dei, in quo fides noſtra requiritur, & per quam regeneramur. (10) Per hanc fidem, qua juſti & ſancti reputamur, operatione Spiritus ſancti effici in nobis bona opera, dilectionem proximi, invocationem Dei, & patientiam in cruce. (11) Confeſſionem aut petitionem conſilii apud paſtorem vel proximum non eſſe coactam, ſed liberam, valde tamen utilem, propter abſolutionem & conſolationem ex Evangelio, quæ vera eſt abſolutio. (12) quod magiſtratus & ordinationes civiles, item conjugalis ordo &c. legitimi ſint & Chriſtiani ordines, non prohibiti, ut quidam Papiſtæ aut Anabaptiſtæ docent. (13) Traditiones ſive ordinationes Eccleſiæ, quæ non pugnant contra manifeſtum verbum Dei, libere ſervari aut omitti; prout hominum, cum quibus converſamur, conditio exigit, & ut ſcandalum vitetur; prohibitionem vero conjugii eſſe doctrinam dæmoniorum. Hæc illa ſunt in quibus orthodoxum conſenſum declararunt, & a Papiſmo ſeſe ſepararunt; idque ſubſcriptione ſua teſtati ſunt, ex Saxonicis *Martinus Lutherus, Philippus Melanchthon, Juſtus Jonas*: tum *Andreas Oſiander* Norimberga: *Johannes Brentius* Hala Suevorum: *Stephanus Agricola* Auguſta Vindelicorum miſſi: ex Helvetiis *Johannes Oecolampadius* Baſileenſis, *Ulricus Zuinglius* Tigurinus, denique *Martinus Bucerus*, & *Caſpar Hedio*, Argentoratenſium Eccleſiaſtæ. Cautelæ Landgravii tribuendum ſine dubio eſt, quod ejus Theologi non ſubſcripſerunt, ne forte alterutri partium præjudicarent. Operæ pretium eſt, relationes ipſas legere, tum Melanchthonis, tum Reformatorum: longiores autem ſunt, quam ut adſcribi poſſint, & quæſtionem tractant, qua, absque ſcopi mei neglectu, abſtinere poſſum. Referenda tamen exiſtimo, quæ Lutherus, domum reverſus, pro concione, dum cap. VII. Deuteron. enarraret, dixit, inſerta *Tom. IV. Alt. fol. 757.* Ait autem: Iter Marpurgenſe ſatis proſpere ſucceſſiſſe, adverſarios comes & ſubmiſſos præter opinionem fuiſſe, & ita locutos, ut apparuerit, ſi non cœpta eſſet controverſia, metuendam eam nunc non fore, & *ſpes eſt*, ait, *eos poſthac tam ſuperbe contra nos non eſſ. ſcripturos.* In ſex aut ſeptem capitibus v. g. de pædobaptiſmo, de juſtificatione conſenſiſſe: addit *receſſiſſe eos a prioribus dogmatibus, & diſſentire de peccato originis.* (negat tamen diſſenſum Zuinglius, nec in articulis concordiæ exceptus is fuit) Controverſiam de Sacramento ita exponit: *Perſtant in opinione ſua: Deus illos illuminet: id quidem agunt, ut ſeſe excuſent & ornent,* (ſie flicken und ſchmücken ſich) *neque negare volunt verum corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe; quod ſecundum verba ita ſonat, ac ſi nobiſcum conſentirent. Fatentur, eos, qui accedunt ad communionem, vere frui corpore & ſanguine Chriſti,* ſed ſpiritualiter, *ita, ut Chriſtum habeant in corde, non admittunt autem fruitionem corporalem;* (leiblich zu genieſſen/ das wollen ſie nicht zulaſſen) *hoc ipſorum conſcientiæ commiſimus,* (das haben wir auff ihr gewiſſen geſchoben.) *Habemus enim pro nobis verbum Dei, & textum, quem illi non habent. Res igitur non eſt ſine bona ſpe. Non dico, fraternam inter nos eſſe unionem;* (quanquam illam, ut antea dixerat, petiisſent) *eſt tamen placida & amica concordia,* (eine gütige freundliche Eintracht) *ut a nobis amice poſcant, quæ illis deſunt, & nos viciſſim illis ſerviamus. Fiet autem fraterna, ſi Deum precabimini.* Profuit itaque hoc colloquium, & aliquod moderamen contentionum tunc attulit, pleraſque etiam Germaniæ provincias & Civitates in dogmate Lutherano confirmavit; Pontificiarum autem partium conſilium, quod in Spirenſibus comitiis hoc anno obſervatum fuit, deſtitutum eſt. Landgravium quidem ad partes Helvetiorum propendiſſe non poteſt negari; ſed a communi cauſa non receſſit, ut poſtea in Auguſtanis Comitiis apparuit. Hoſpinia-

(5) *Cæterorum ſumma capita referuntur.*

An. 1529.

(6) *Nomina ſubſcribentium.*

(7) *Concio Lutheri poſt reditum.*

(8) *De Landgravio quædam & Lamperto.*

An. 1529.

spinianus & alii, omnino perductum tunc ad Zuinglii sententiam fuisse, tradunt, idque postea fassum esse; Franciscum etiam Lampertum, quo, ut supra dixi, in reformatione provinciæ usus erat, Lutheri dogma deseruisse. Videnda tamen sunt, quæ in Anno 1537. de articulis Smalcaldicis afferemus.

(9) Considerationes de hoc conventu.

Verum etiam est, quod Maimburgius hic subjungit, concordiam inter utramque partem sæpe posthac tentatam, sanciri tamen non potuisse, & Lutheranos oblatam quodammodo a Reformatis fraternitatem recusasse. Verisimile quoque est, quod multi, & inter eos *Paulus Venetus*, observarunt, majorem progressum reformationis secuturum fuisse, si conveniri inter Protestantes potuisset. Agnoscenda tamen etiam hic est divinæ gubernationis sapientia, cui causæ suæ fuerunt, ut dissensionem hanc permitteret. Interim, sive capitalis est, quod plerique Lutheranorum partium Theologi statuunt, sive fundamentum fidei non labefactet ista controversia; habent piæ mentes, in quo acquiescant, neque moveri se patientur exprobratione dissidii hujus, toties ex parte Romana repetita. Tolerabilior certe hæc afflictio est illa, quam utraque pars experta esset, si in servitutem pristinam fuisset redacta.

(10) Notatur Maimburgius.

In stylo Maimburgii, de hoc colloquio agentis, quædam adhuc supersunt, quæ animadversionem merentur. Horribilis est formula, & nescio, an novissimis expositionibus & incrustationibus satis conveniens, cum dicit, *hostiam consecratam esse ipsum Christum, & necessario, quamdiu subsistit, adorandam.* In ipsa sane concilii Tridentini *Sess. XIII. cap. VIII. can. b.* non ita ausi sunt loqui, sed *Christum* in sacra Eucharistia adorari jubent; *non hostiam.* Porro non satis verum est, *præfracte ruptum esse colloquium*; aliud loquuntur acta, &c, quem adscripsi, *articulus XIV. Ferum* denique & *imperiosum ingenium* absque calumnia Luthero objici nequit, nisi probetur, illum, non conscientiæ & veritatis, sed suæ tantum opinionis & autoritatis intuitu, tantum, quæ ex concordia sperabatur, utilitatem rejecisse.

(11) Item Pallavicinus.

Aliud telum contra Lutherum torquet *Pallavicinus Lib. III. cap. 1.* ait enim, *illum invidiæ solum declinandæ causa, ne Principes & populos Zuingliano dogmate offenderet, dissensisse*, id est, humana calliditate, non ex divina veritate mysteria tradidisse. Nititur autem testimonio *Suavis* sive *Pauli Veneti*, literas Lutheri allegantis, in quibus aliquanto post tempore, talia scripserit: ipse vero margini adscripsit Epistolam Lutheri *d. 20. Jul. 1543.* datam ex *Tom. IV.* Et reperitur quidem *d. Tom. IV. Jen. Lat. fol. 597. b.* epistola Lutheri ad *Simonem Wolferinum*, Islebiensem Ecclesiasten, qui postea ob Zuinglianismum loco pulsus fuit, eo die & anno data; sed nil in ea, quod fidem imputationi huic faciat, legitur, & seria totiesque & ad mortem usque repetita Lutheri contestatio aliud evincit. Quæ vero de dissensu Zuinglii & Lutheri in quæstione de peccato originis *eodem capite §. 3.* adversus Venetum disputat *Pallavicinus*, majorem habent speciem, &c, quod Lutherus pro concione dixerat, supra relatum, quodammodo confirmant.

ADDITIO.

(a) Lutheri Lib. II.

Reperitur (*Reg. N. ℒℒ. n. 199. fol. 465.*) schedula, qua Lutherus de tractatu concordiæ mentem suam hoc modo aperit: Se quidem non abhorrere a colloquio cum Oecolampadio, neque id recusasse, petente Landgravio. Optare se, ut cum fructu fieri posit, negotium enim esse magni momenti, & opinionem dissentientium multis probari, illis maxime, qui docti & eruditi videri velint. Fieri id ex causis sibi satis notis, unum tamen esse, quod illi nesciant. *O,* inquit, *quam grave est, coram Deo stare, absque verbo ejus; curiositas & temeritas aliter agere non potest, quam illi agunt. Cum Zuinglio* (pergit) *tractari cum fructu non potest, neque ille veniet, & eo absente cæteri nobiscum agere nolent.*

sententia de tractatu concordiæ cum Zuinglianis.

Suadet deinde, ut ex Pontificiis viri quidam docti & modesti colloquio illi adsint, ne suspicio oriatur, conspirationem inter Lutheranos & Zuinglianos esse, & ut illi testes sint, si forte Zuingliani de victoria glorientur. Addit, nosse se quosdam, quos speret, ab errore discessuros esse, *Hedionem* nempe & *Blarerum*: cæteros deteriores futuros esse suspicatur, & incommoda ex hoc colloquio secutura, quemadmodum ex disputatione Lipsiensi. Non dissimulat solicitudinem suam de Landgravio, de quo veretur, quod pro ingenii sui curiositate probaturus sit, quæ ratiocinationi humanæ magis conveniant, præsertim, si eruditi accedant, qui ut jam cœperint, opinionem suam ex Scripturis palliare noverint: negat vero cum illis se consensurum esse, nec dubitare, quin Zuinglius cum sociis erret.

(b) Relatio D. Justi Jonæ de conventu Marpurgensi.

Cæterum de hujus conventus Marpurgensis actis notabilis extat epistola MSS. *D. Justi Jonæ* ad *Guilielmum Reiffenstein*, Consiliarium Stolbergicum d. 4. Oct. Marpurgi data, quæ integra inseri meretur: *Gratiam & pacem Dei in Christo Jesu. Isennachi proxime, charissime Guilielme, amice ac patrone vetus, recepi, me tibi scripturum per occasionem de rebus conventus illius quorundam in Germania, qui nunc, autore & auspice Hessorum Principe, in Marpurg institutus est. De hoc breviter sic habeto. Altera die post Michaelis pervenimus Marpurgum, ut uno verbo dicam, clementer, omni genere humanitatis, & plane βασιλικῶς excepti a Principe Hassiæ. Diversoria quidem primum nobis destinata erant satis commoda in urbe, sed ex certis causis mutavit Heros Hassicus sententiam, & nos omnes excepit in arce, hospitio & mensa regali. Is bonos habitus in his sylvis, non tantum literis & Musis, sed etiam Deo vero & Christo, cujus verbum prædicamus. Utinam ad gloriam Christi omnia dirigantur! Sexta feria post Michaelis* (1. Octobris) *privatim, sic rem ordinante Principe, collocuti sunt hi, qui utrinque sunt duces doctrinæ, Lutherus cum Oecolampadio, Philippus cum Zuinglio: sed tum non convenit inter eos. Die mox sequenti, Sabbato post Michaelis* (2. Octobris) *cœptum est colloquium, non quidem publicum, per omnia, sed tamen coram Principe, admissis aulicis Principis Hassiæ & Consiliariis prima notæ, & his, quos utrinque Antagonistæ secum adduxerant. Aderant ex altera parte Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Hedio, & cum his Jacob Sturm, Senator summus Argentinus, quem nosti, vir minime mediocris: item Ulricus Funck, Tigurinus Senator, Rudolphus Frey, Basileensis Senator. Ex altera parte Lutherus, Philippus, Eberhard a Than, præfectus Isennacensis, ego Jonas, Caspar Cruciger, & reliqui nostri. Coram Principe assidentibus aulicis omnibus, mensa posita consederunt quatuor illi, Lutherus, Philippus, Zuinglius, Oecolampadius. Cum ventum esset ad colloquium, & jam proposita utrinque argumenta, Oecolampadius ursit pene biduo toto hoc argumentum: Christum habere verum corpus, & esse in cælo: nullum autem verum corpus posse esse in pluribus locis. Secundo sic immoratus est sexto capiti Johannis de spirituali manducatione carnis, & bibitione sanguinis, ut rem eandem tantum aliis verbis dixerit. Lutherus non passus est ulla vi aut astu extorqueri verba Christi, in cœna simplicibus & claris verbis pronunciantis: Hoc est corpus meum: & verba Pauli: Hoc accepi a Domino. Hoc male habuit adversarios, ac per stomachum pene vocarunt petitionem principii. De hoc acerrimo certamine coram tibi dicam, aut e VVittenberga scribam, & aliquid etiam audies a præsente latore, tuorum liberorum pædagogo. Dominica post Michaelis* (3. Octobris) *reditum est ad Colloquium, sub*

An. 1529.

specie concordiæ; sed tamen disputatio protracta est pene usque ad vesperam. Tandem adversariis suum errorem mordicus tenentibus, & nobis etiam nihilo segnius partes veritatis defendentibus, discessum est. Et haud scio, an ulla unquam nunc futura sit de Sacramento inter nos concordia. Hodie (4. Octobris) die Lunæ Princeps per suos Consiliarios & eruditos adhuc quærit vias Syncretismi alicujus. Sed de re & negotio Sacramenti non sarcietur gratia aliqua, non coibit concordia. Vellem mihi tui copiam dari jam coram, ut audires, quid de ingeniis singulorum judicem. In Zuinglio agreste quoddam est & arrogantulum: in Oecolampadio mira bonitas naturæ & clementia: in Hedione non minor humanitas ac liberalitas ingenii: in Bucero calliditas vulpina, perverse imitata acumen & prudentiam. Docti sunt omnes; nihil dubium: præ quibus Papistæ non sunt adversarii habendi: sed Zuinglius iratis Musis & invita Minerva videtur versatus in literis. Sed de his omnibus coram. Princeps spectator unus omnium in hoc theatro attentissimus fuit, & dicitur palam proclamasse: Nunc malo simplicibus verbis Christi credere, quam acute cogitatis hominum. *Sed Dei res tota est in manu. Ex eruditis, qui non sunt incelebres, adfuerunt, Osiander ex Norimberga, Brentius ex Hala Suevorum, uterque doctissimus ac humanissimus. Deinde Hedio, Lonicerus, D. Stephanus, concionator e Francofurto. Confluxerunt plerique alii ex Rhenanis partibus, e Colonia, Argentina, Basilea, Helvetiis, sed non sunt admissi ad colloquium. Fiebat enim hoc in interiore hypocausto ad cubiculum Principis. Exceptis nobis, reliqui sunt exclusi. Bucerus etiam prolixo colloquio mecum privatim multa disseruit in maximis articulis, de Trinitate, de peccato originis &c. Concordavimus, tantum relicto articulo Eucharistiæ, in quo non concordatum est. Vale. Marpurgi Luna post Michaelis.*

An. 1529.

SECT. 18.

Sleid. lib. 7.

De Landgravio, quod frustra fœdus cum Protestantibus inire tentaverit.

Nec felicior Smalcaldiæ fuit (Landgravius), ubi Principes & deputati Protestantium mense Novembri convenerant, post acceptum a Cæsare ad protestationem suam responsum. Quoniam enim Civitates non satis in articulis religionis consentiebant, non potuit impetrare, ut fœdus, quod volebat, contra omnes sine exceptione iniretur, qui religionis exercitium turbaturi essent; Neque enim de eo conveniri potuit ante comitia, in quibus famigerata illa Confessio Augustana *exhibita fuit, de qua nunc exacte mihi tractandum est, repetita paulo altius narratione.*

§. XLVIII.

(1) *Verior de actis circa fœdus relatio.*

Ex *Sleidano* & actis *Archivorum* constat, conventum hunc Smalcaldensem sequelam fuisse prioris, qui *Suabaci*, Brandenburgicæ ditionis oppido, haud procul Norimberga, mense Octobri habitus fuit: immo & aliorum, de quibus in additione ad §. *XLVI. lit. o & seq.* actum est. Postquam enim literæ Cadeni ex Italia Norimbergam fuissent perlatæ, in quibus captivitas legatorum nunciabatur, & subito cum Electore Saxonico, Landgravio, & sociis communicatæ essent, Saxo paulo maturius, nempe ad diem 29. Novembr. Smalcaldiæ conventum instituit, eoque venit ipse cum filio *Joh. Friderico*, itemque *Ernesto* & *Francisco*, Luneburgicis fratribus, & *Landgravio*. Aderant Georgii Marchionis legati, & deputati civitatum, *Argentorati*, *Ulmæ*, *Norimbergæ*, *Hailbrunnæ*, *Reutlingæ*, *Constantiæ*, *Memmingæ*, *Campoduni* & *Lindaviæ*. Advenerant etiam, dimissi, ut diximus, a Cæsare *Ehingerus*, *Alexius* & *Cadenus*, & gesta referebant. Ibi iterum de religionis capitibus, de quibus concordari deberet, agi cœptum est; sed eodem, quo Suabaci, successu, Saxo enim cum Luneburgicis, & legati Brandeburgici, ut & Norimbergenses, de fœdere agere nolebant, antequam conventum esset de capitibus religionis; sed pleræque Civitates ante omnia de fœdere agere cupiebant; Landgravius medium se gerens conciliationi studebat: ita discessum est in eam sententiam, ut, qui doctrinam hanc omnem articulis XVII. comprehensam profiteri & recipere velint, ad sextam Januarii anni sequentis, Norimbergam venirent, exclusis, qui ab iis dissentirent. Id offendit quasdam e Civitatibus, & in causa fuit (ut anticipare hoc mihi liceat) quod paucæ ex Civitatibus ad diem illum Norimbergæ præfinitum deputatos mitterent, & a præsentibus nihil concludi posset, quam, ut adventus Cæsaris ex Italia expectaretur: fore enim prævidebant, ut is comitia indiceret: interim, quid consilii pro defensione capiendum esset, si vis fieret, singuli domi expenderent, & per literas Electori intra mensis spatium aperirent. Vide *Sleidan. Lib. VII.*

ADDITIO.

(a) *De articulis, qui Suabacenses dicuntur.*

Exemplum *articulorum septendecim*, quorum mentio fit, neque in actis hujus Smalcaldensis, neque qui secutus est, Norimbergensis conventus invenio: fortassis Suabaci compositi sunt, alios enim Lutherum anno 1530. conscripsisse §. *LV.* probavi. Si conjecturæ locus est, dixerim, (donec certiora eruantur) compositos tunc fuisse XVII. illos articulos, quos *Georgius Cælestinus Tom. I. Hist. Comit. August. fol. 94.* Melanchthoni tribuit & de quibus §. *LXII.* prolixe egi. Cæterum ante conventum d. 6. Januarii Norimbergæ indictum, Heilbrunnenses d. 5. Januarii ad Principes scripserant, se articulis illis omnino assentiri: questi tamen sunt de equitibus Teutonicis, & monachis Franciscanis, qui in urbe sua a celebrandis missis nondum abstinerent, neque a se cogi possent. Reutlingenses quoque consensum suum in articulos illos per literas d. 3. Januarii testati sunt. Norimbergenses in ipso conventu interrogati fuerunt, Principum nomine, quid statuerent de articulis; at illi vicissim Principum Legatos, quid sentirent, interrogarunt: & cum hos intelligerent articulis consentire, de suo quoque consensu læti & alacres testati sunt. Landgravii quidem Legati, (quia Herus eorum societatem cum dissentientibus avide desiderabat) directe ad articulos non responderunt; dixerunt tamen, se de assensu illius non dubitare: si enim dissentiret, missurum Legatos non fuisse, cum Smalcaldiæ satis clare conventum esset, ut nemo, qui dissentiret, Norimbergam ad conventum veniret. Prælegerunt etiam mandata Heri, in quibus dicebatur, non convenire illum cum Argentoratensibus & Ulmensibus; quo ipso manifestum esse dicebant, quod cum reliquis concordaret. Tractatum in hac congregatione fuit de alia & honoratiori Legatione, (prioris enim defectus agnoverant) per quam querela de injuria Legatis nuper illata fieret, & Cæsaris mens exploraretur. Elector, Principem aliquem mittendum esse, per Legatos suos monebat: Georgius Marchio per Christophorum a Seckendorff & Voglerum suadebat, Ferdinandum primo conveniendum esse: difficultas quoque erat circa linguam Gallicam, qua fere sola Cæsar utebatur, cujusque pauci periti erant. Disceptabant inter se Marchionis & Landgravii Legati satis acriter, *an Cæsari vim intentanti resisti fas esset?* Asserebant hoc Hassiaci, & Cæsarem, si adversus religionem vi ageret, pro hoste

(b) *Deliberatio de alia legatione ad Cæsarem mittenda.*

An. 1529.

hoste habendum esse contendebant; dissentiebant Brandenburgici, adstipulantibus Norimbergensibus. His quoque cæteri exprobrabant, quod missas adhuc in urbe tolerarent, indignante licet plebe & multa de pulpito monentibus concionatoribus. Per has aliasque rixas, & sparsa fama de Cæsaris in Germaniam itinere nihil definiri potuit. Frustra etiam iterum fuit Marchio, cum d. 11. Februarii Electorem sollicitaret, de literis ad Ferdinandum communi nomine scribendis, quarum exemplum mittebat, in quibus causa religionis egregie defendebatur: licet enim Electori non improbarentur, de assensu tamen Landgravii prorsus desperabat.

(2) *Consilium Lutheri, quod vi armata religio defendi non debeat.*

Notandum est, ante conventum Smalcaldensem postulasse Electorem, misso Cancellario Gregorio Pontano, a Luthero & duobus collegis, ut responderent, *an liceret fœdus pro religione tuenda inire?* Responsum Lutheri pro se & duobus Collegis, quos non nominat (erant autem *Pomeranus* & *Philippus*) d. 18. Nov. hoc anno datum, extat *Tom. IV. Alt. fol. 564.* & apud *Hortled. Tom. II. Lib. 1. cap. III.* Latina ejus versio apud *Wolff. Tom. II. Memorab. f. 335.* veteris & *348.* novæ editionis: sphalma tamen commissum est in nomine Electoris: ad *Johannem* enim, non ad *Fridericum*, qnia ante annos quatuor decesserat, scripsit Lutherus. Scribit autem Lutherus: *se & socios pro conscientia suadere fœdus non posse, & decies mori malle, quam in causa esse, ut propter Evangelium bellum excitaretur.* (möchten lieber zehenmahl todt seyn/ dann solch gewissen haben/ daß unser Evangelium solte eine ursach gewesen seyn/ einiges bluts oder schadens.) *Nos enim* (ait) *ii sumus, qui pati debent, ut oves occisionis. Ps. XLIV. & vindictam Deo committere Rom. XII.* Electorem etiam spernere debere pericula; *Deo facile esse, ut illa avertat: minas illas esse diaboli, quæ autoribus exitiosæ sint futuræ. Ps. VII.* Pergit: *Si Christiani esse volumus, meliorem nobis sortem, quam Christus, promittere non possumus, ejus crux portanda est. Fecit id Celsitudo tua ingenue, tum in seditione rustica, tum in aliis magnis afflictionibus, odiis & insidiis, ab amicis & inimicis; Deus tamen auxilium tulit, tibique magnum dedit animum, & plurima solatia corporis & mentis; omnes laqueos Satanæ mire detexit & dissolvit, nec imposterum minus bene aget Deus* (er wirds auch förder nicht böse machen) *si modo credimus & oramus. Experimur huc usque manifestum Dei auxilium, ex quo certi sumus, causam nostram Dei ipsius esse. Inveniet itaque supra prudentiam & potentiam nostram modos nos defendendi. Bono igitur animo esse* jubet, *puræsque manus a vi & sanguine continere.* Addit: *Si Cæsar (ut quidem facturum esse non puto) urgeat, ut ego aut alii coram ipso nos sistamus, faciemus id, juvante Deo, & Celsitudo Tua nullum nostri causa periculum incurret, quemadmodum idem antebac fratri tuo Friderico, beat. mem. significavi. Tu non debes meam, aut cujuscunque alterius fidem defendere, neque id potes, unusquisque suam ipse fidem defendat, suoque non alterius periculo, credat, aut non credat. Interim, donec Cæsar, supremus noster magistratus, nos petat* (so der Kayser an uns wil) *multum temporis præteribit,* (indeß verlaufft viel wasser) *& Deus viam inveniet, ut non procedant, quæ illi volunt.* Hoc modo Elector sive persuasus, sive in dubitationem actus, lubens forte, in conventu illo, Landgravii promtiora ad fœdus & bella consilia retardavit, proposita de articulis controversis materia; quod utique per regulas politicas intempestivum videri poterat. Eventu tamen comprobatum est, bono huic Principi quietum imperium & finem placidum a Deo destinatum, & securitati religionis & conscientiæ satis diu adhuc absque armis prospectum fuisse. Interim principium illud, quod Lutherus cum sociis pro certo & indubitato præsupponebat, *Principibus nempe adversus Cæsarem nullum jus fœderis & armorum esse,* regulæ illi generali innitebatur, quod absolute subditi essent Cæsari. Patet id ex plurimis Lutheri & aliorum scriptis, inprimis autem ex eo, quod *Joh. Brentius,* Halensium in Suevia Ecclesiastes celeberrimus, hoc anno d. 28. Novembr. ad Georgium Marchionem exaravit: In hoc tres ordines facit in Imperio. In *summo* collocat Cæsarem, in *imo* plebem, in *medio* Principes & Civitates, hos tamen, respectu Cæsaris, nihilo minus ad inferiorem refert, nec magis illis licere statuit gladio uti, adversus Cæsarem, quam nupero bello rusticis licuerit, adversus principes & magistratus. Quomodo vero hæc sententia postea recentata aut limitata fuerit, ex sequentium temporum historia cognoscetur.

(3) *Expenditur consilii illius & aliorum fundamentum.*

Cœperunt hoc ipso anno ex Politicis & Jureconsultis primarii quidam viri de asserto illo omnimodæ subjectionis dubitare. Exhibet inter alia *Hortlederus* consilium *Georgii Vogleri,* qui Marchionis Georgii Cancellarius erat, *Tom. I. Lib. I. Cap. VII. fol. 44. & seqq.* in quo Cæsaris acta adversus legatos ad se Placentiam missos vehementer improbat, & in jura gentium peccatum illo rigore esse statuit, aliaque in censuram vocat, quæ Cæsar adversus capitulationis suæ capita egisset. Tandem ita concludit: *Protestantes omnes & singuli Cæsarem pro vero & naturali Domino suo agnoscunt, cui omnibus viribus suis obsequi debeant. Si vero Cæsar decretum Spirense* (cujus justitiam autor pluribus argumentis impugnat) *tueri, & in Protestantium fidem, animas & conscientias dominari, eosque urgere velit, ut iis, quæ circa sacra præcipit, obtemperent, a veritate recedant, & contra conscientiam cum offensa Dei agant, hoc esset nimium,* (das wäre zu weit gelauffen) *& sic invaderetur immediata Dei potestas & jurisdictio, quam sibi soli reservavit, nullique mortalium quidquam ex illa concessit. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Nemo obligatur, ut in his Cæsari aut cuicunque pareat magistratui, sed locum habet dictum Scripturæ: obediendum magis est Deo, quam hominibus.* Etsi vero non addat, quid quantumve pro defensione sua liceret iis, quibus vis fieret; vix tamen credibile est, Theologis illum assensisse, qui vim patienter ferri debere contendebant.

An. 1529. | An. 1529.

SECT. 19.

(1) Consultatio Cæsaris de causa Lutheri.

Imperator tuendæ autoritati suæ intentissimus, bonoque non solum zelo, sed & politica prudentia in ditionibus suis Catholicam religionem conservaturus, acriter animo versabat, quod Protestantes, spreto Edicto Wormatiensi, Lutheranismum publice profiterentur, & Lutherum, a se ex Imperio proscriptum, palam defenderent. Itaque statim post pacem cum Pontifice & Gallis factam, negotium hoc in senatu, antequam ex Hispania in Italiam abiret, proposuit. Sententiam ejus omnes in universum approbabant, sed disceptabatur de mediis, quibus ad obtinendum finem perveniretur. Quidam existimabant, aperte progrediendum, & Protestantes armis cogendos esse, ut obsequerentur, & hæresi suæ renunciarent: neque enim resistere eos posse Imperatori, ubique victorioso, & qui cum vicinis omnibus pacem habebat, eoque tunc erat statu, ut obedientiam efficaciter exigere posset. Alii violentiam in materia religionis semper periculosam magis, quam efficacem, rati, autores illi erant, ut occasionem, quam ipsi Protestantes commode offerebant, arripiens, placide eos ad Ecclesiam reduceret, convocationem concilii, quod flagitabant, concedens, in quo de controversiis illorum supremo jure decideretur. Carolus Quintus, qui ingenio & industria valebat, & profundius sæpe, quam omnes Consiliarii sui, negotia perspiciebat, e re sua esse non putabat, ut tunc vel unam vel alteram, quæ proponebatur, viam iniret. Videbat ex una parte civile bellum sibi non profuturum, eo tempore, quo non suis tantum, sed totius Imperii viribus, adversus terribilem hostem Solimannum, qui rediturum se propediem majori, quam unquam, potentia minabatur, opus habebat. E diverso convocationem Concilii lenta & incerta remedia tanto malo allaturam metuebat, nec non honoris sui interesse existimabat, ut ipse sua autoritate tantum negotium perficeret, quod primum erat inter ea, quæ sub initium assumtæ coronæ Imperialis susceperat. Temperamentum itaque inter duas sententias adinvenit, quod nemini patefacere voluit, antequam cum Pontifice collocutus esset, cum quo alia negotia Bononiæ tractanda habebat. Hanc itaque urbem post dimissos, ut diximus, Protestantium deputatos, magnifico apparatu d. 5. Novembr. ingressus est. Ibi duo hi magni Principes, eo tempore sine dubio omnium intelligentissimi, & sapientissimi, sæpe inter se conferebant de pace Italiæ; de conventione Imperatoris cum Venetis & Duce Mediolani Sfortia; de bello, quod cum Florentinis gerebatur, ut Medicei in urbem restituerentur, qui ab illo tempore Hetruriæ Duces facti sunt; & de auxiliis ex Italia adversus Turcos parandis. Post hæc de mediis agebatur, ad reducendos Hæreticos Germanos, & ante omnia de Concilii convocatione, quam Protestantes urgebant. Negari nequit, unius alteriusque intentionem in hoc puncto valde diversam fuisse, licet consentire viderentur. Satis quidem apparebat, Papam, ex rationibus valde speciosis, difficulter ad congregandum Concilium progressurum: Ajebat enim, puncta doctrinæ, quæ Protestantes denuo examinari volebant, jam per Concilia decisa esse, quibus obtemperari deberet; quod vero abusus, qui in cultum & disciplinam irrepsisse prætendebantur, attineret, a se, ut a capite Ecclesiæ, reformationem petendam esse. Impossibile videri, ut hoc tempore Concilium convocaretur, & difficultates pene insuperabiles evitarentur. Quod si id maxime congregaretur, Protestantes tamen id non esse agnituros, nisi haberetur eo modo, quo illi volebant, legibus Ecclesiæ contrario. Tantillum huc usque rebellium manipulum esse, quos Imperator, Ecclesiæ protector, armis ad officium revocare deberet. Neque tamen suæ utilitatis causa hæc dicere, quasi Concilium metueret: scire enim membra, ex quibus constaret, Episcopos nempe, nihil contra autoritatem capitis sui facere posse, nisi se insultibus & violentiæ adversariorum exponere vellent, interitum eorum molientium. Hæ Pontificis rationes erant, Carolo Quinto, & viva voce, & per literas, sæpius explicatæ, quibus tamen addebat, paratum se nihilominus esse, ad convocandum Concilium, si id ex re & commodo Ecclesiæ fore judicaretur. Ex alia parte Protestantes, omnium, quæ agebantur, gnari, quanto longius a via Concilii discedere videbant Pontificem, tanto impensius id flagitabant, ut causam suam plausibiliorem facerent, utque tempus traherent, & donec Concilium haberetur, libero exercitio religionis fruerentur. Putabant enim, tarde illud coiturum, immo nullum plane cupiebant, ut experientia postmodum cognitum est. Imperatorem quod attinet, neque bellum illi cordi erat, quod Papa ipsi proposuerat, neque Concilium, quod Protestantes poscebant; sed conventum Statuum Imperii universalem desiderabat; quanta posset opera tentaturus, ut Lutheranos cum Catholicis conciliaret. Hoc si præter spem non succederet, tunc ad indictionem Concilii, si opus eo ad Protestantes reducendos esse videretur, veniendum, & illos interea adigendos esse judicabat, ne quid contra Ecclesiam Catholicam molirentur, sed ut decisiones Concilii expectarent. En totum hujus negotii secretum, de quo in congressu Bononiensi inter Papam & Imperatorem conventum est.

Deliber. Cæsar. ap. Georg. Cælest. Hist. Comit. August. t. 1.

(2) Acta inter illum & Pontificem Bononiæ.

Guicciard. l. 20. Sleidan. l. 7.

(3) Pontifex a Concilio abhorret, tandem vero in ejus convocationem consentit.

Epist. Clement. ad Carol. V. t. 2. Liter. ad Princip. Pallavic. l. 3. c. 2. & 5.

§. XLIX.

An. 1529. | An. 1529.

§. XLIX.

(1) *Observatur Maimburgii ingenuitas quædam, a Pallavicino dissentientis.*

Mirari licet, cur Maimburgius, quæ Carolus Imperator cum Pontifice *Bononiæ* egit, tam confidenter, & quidem ex autore, cujus nomen margini adscripit, Theologo Lutherano, *Georgio* nempe *Cœlestino* (vulgo Himmlisch) Plaviæ in Voigtlandia nato, & Præposito ac Ecclesiaste Berolinensi, referat. Neque enim nescivit, quam acriter *Pallavicinus* (quem paulo post itidem allegat) talia narrantem *Paulum Venetum* reprehendat; Cum enim hic *Lib. I.* ubi Acta Bononiensia commemorat indignum fuisse scribat, non Pontifice saltem Clemente, sed fratre *Julio Mediceo*, Melitensi Equite, (ita enim ante pontificatum vocabatur) quod Concilium recusaret, & violenta consilia suggereret, adeo in eum exardet Pallavicinus, ut librum ejus *atheismi seminarium & palæstram doctrinarum* vocet, *præ quibus Machiavelli effata pia videri possint.* Negat deinde omnia, quæ de colloquio illo Cæsaris & Pontificis, de habendo Concilio, traduntur, & literis postea a Clemente ad Carolum scriptis probari posse putat, Pontificem semper in Concilium absque mora habendum consensisse. Sed literæ hæ Augustam ad Imperatorem in comitia missæ sunt, ut Principibus ostensæ, Pontificis consilia commendarent; aliud secretis colloquiis agi potuit, & actum est. Cum igitur Maimburgius Jesuita, Pallavicino, ejusdem licet societatis, & Cardinali Lutheranum doctorem præferat, neque hujus & *Veneti* testimonium tam facile refellere, quam convitiis proscindere liceat; nobis quoque nemo vitio vertat, quod *Cœlestino* potius, viro gravi, & qui ex aulis archivisque Principum amplissimum historiæ piæ opus congessit, quam *Pallavicino* assentiamur.

(2) *Supplentur, quæ omisit, de Gattinaræ, Cancellarii Cæsarei, ipsiusque Cæsaris disceptatione cum Pontifice.*

Laudem igitur hic meretur Maimburgius, immo majorem, si plura & potiora ex Cœlestino attulisset, qualia quidem sunt, quæ Caroli Cancellarius *Gattinara* Pontifici proposuit, & quæ, cum hic sermonem ejus inclementer accepisset, ipse Cæsar, cum omnium admiratione, de religionis & Concilii negotio pontifici respondit. Cancellarius sane corruptionem Ecclesiæ mascule indicavit, & emendationem in doctrina & moribus summe necessariam esse demonstravit, concilium vero tale postulavit, ad quod omnium nationum viri pii & docti convocarentur, cum libera potestate de veritate disputandi, utque postea a Pontifice & idoneis atque incorruptis judicibus approbarentur, quæ cum Evangelii fide & invicta veritate congruant, errores vero perniciosi & abusus doctrinæ, cum luce verbi divini pugnantes, damnarentur. Carolus vero apertius vitia & vulnera Ecclesiæ tetigit: *Irrepserunt* (ait) *in Ecclesiam quædam invocationes contumeliosæ contra Deum, & turpitudo libidinum in conspectu est: nec tantum horum malorum emendatio synodum requirit, sed universæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod una voce omnes gentes in omnibus templis sonent: sic enim nunc de multis magnis rebus etiam in tuis castris dissoni sunt clamores.* Dum vero Pontifex Cancellario respondens dixisset, inter novas opiniones esse quasdam plane absurdas & impias, veluti Anabaptistarum & Enthusiastarum, quæ non examinandæ, sed protinus rejiciendæ & puniendæ sint; alias vero consistere in dogmatibus inextricabilibus, quæ satius sit non agitari, quia certamina de iis tolli non possint; quædam a dispensatione sua expectanda esse, puta laxationem votorum, concessionem conjugii, emendationem superstitionis in cibis, vestitu & similibus ineptiis: (refert eadem *Melanchthon Tom. V. Declamat. p. 87.* allegante *Sculteto p. 248.* & *Chytræus p. 11. & seqq. Hist. Aug. Confessionis*) regessit Cæsar: *indignum esse a Pontifice dici, quod quædam sint inextricabilia. Deus enim*, ait, *immensa bonitate se patefecit, & vult nos amplecti doctrinam, quam tradidit, quæ si esset ambigua, inanis sonus esset. Oblatam vero dispensationem rectius in Concilio fieri posse* monet, *omnibus eam probantibus & recipientibus: neque enim tyrannice, sed secundum leges & verbum Dei in talibus rebus procedendum esse, neque se consilium Pontificis secuturum, ut sine dijudicatione bona pariter & mala deleat.* Hæc si dixit Carolus, quæ utique non minus ac alia a Cœlestino relata legit nec improbavit Maimburgius, pii profecto & sapientissimi fortissimique principis officium præstitit, &, quæ paulo ante Cameraci, in pacificatione cum Gallo (vide *Sleid. Lib. VI. p. 174.*) de oppressione Lutheranismi conventa erant, correxit, aut æquum in modum interpretatus est.

(3) *Quædam ex Paulo Veneto, Palingenio, Cœlestino.*

Paulus Venetus ista quidem non refert, sed rationes Pontificis prolixe exponit, quibus Concilii convocationem declinat. In iis non desunt calumniosa & vana. Dicit enim, *Concilia opportuna esse ad opiniones populares introducendas; dein, si populo concedatur, ut majorem lucem in religione postulet, fore, ut etiam leges Imperii in quæstionem vocet. Principes bonis Ecclesiæ inhiare, & absolutum dominatum quærere, ut etiam Imperatoris majestati & imperio colla subducant: inde Austriacæ familiæ non minus, quam Pontificibus, damnum metuendum esse.* Taceo reliqua & vulgata, quæ pro sua potentia, a Christo, ut putat, stabilita, attulit. Eadem fere refert *Varillasius Lib. VII. p. 136. edit.* Belg. neque tamen Venetum, sed nescio quid sub nomine *materiæ Actorum Bononiæ (dans le secret des conferences de Boulogne)* in margine citavit, quæ si non in pectore, sed in scriniis habuit, silentium Pallavicini tanto faciunt suspectius. Facit huc etiam *Marcelli Palingenii* carmen, quod *Zodiacus vitæ* dicitur, in quo cruenta Pontificis consilia exagitat, inter alia his versibus a *Sculteto p. 249.* relatis:

Non disceptando, aut subtilibus argumentis
Vincere, sed ferro mavult sua jura tueri.
Concilium valeat: valeant commenta Lutheri:
Pontifices nunc bella juvant: sunt cætera nugæ.

Pauli tamen *Veneti* relatio discrepare ab iis, quæ *Cœlestinus* tradit, videtur; quod hic *Gattinaræ* Cancellarii propensionem ad emendationem Ecclesiæ laudet, ille obnoxium Pontifici fuisse scribit, tum ob Cardinalitiam purpuram, qua nuper ornatus erat, tum ob nova beneficia in consanguineos & clientes ejus collata. Adde quæ infra §. *LVI. n. ult.* dicta sunt. Cœlestini tradita confirmat Melanchthon *(Reg. E. 37. n. 1.)* qui ex *Hispanis intellexisse se* dicit, *Cæsarem a Gattinara serio admonitum fuisse, ut non attenta Pontificis renitentia, Concilium urgeret, & se Dominum esse cogitaret.*

In

An. 1529. In reliquis, quæ Maimburgius hic exhibet, animadvertenda quædam prætera sunt. Philosophatur de Carolo, nescio quam solide, quod politica prudentia in ditionibus suis Catholicam, quam vocat, religionem conservaverit, cum tamen nihil speciosius aliis Regibus Principibusque objici soleat, quam, quod eandem, quia Pontificis supremam potestatem & Cleri opes ac prærogativas stabilit, ex utilitate politica sustulerint, ut adeo contraria plane axiomata ex illa eliciantur.

(4) *Notatur Maimburgii de modo in Conciliis observando cavillus.* Protestantes ex persona Pontificis insimulat, quod Concilium tale desideraverint, eoque modo habendum, qui legibus Ecclesiæ contrarius esset. At nondum definitum est, eum modum legibus Ecclesiæ convenire, quem Pontifex præscribebat. Non magis subsistit Pontificis effatum: *Episcopos nihil contra autoritatem Pontificis in Concilio admissuros esse, nisi se insultibus & violentiæ adversariorum exponere vellent.* Nihil enim magis Episcoporum autoritatem depressit, aut odium & contemtum populi in illos excitavit, quam quod plerique a veteri jure suo dejici se paterentur, & Pontificiis jussis servile præstarent obsequium. Poterant autem ab omni insultu populi tuti esse, & legitima atque constanti autoritate potiri, si moderari illam, & ad exemplum antiquæ pietatis & charitatis reducere, atque officio suo recte fungi, idque a seculi fastu & luxu purgare voluissent. Denique probari nequit, quod ait, *Protestantes non, nisi dicis & prætextus causa, Concilium desiderasse;* quanquam Lutherus, aliique jam tum præviderent, difficilimum fore, ut eo modo haberetur Concilium, ex quo emendatio sperari posset. Sed nec soli Lutherani, verum & multi & sapientissimi ex adversa parte remedium illud postulabant, qui, etsi aut nondum probarent Lutheri dogmata, aut periculum, quod singulis, qui reformationem moliebantur, incumbebat, metuerent; videbant tamen Ecclesiæ defectus & vulnera, eorumque remedium a consensu plurium quærebant. Sane, si Pontificis sermonibus cum Cæsare habitis, quos supra retuli, fidere potuissent, propiori via multis defectibus & erroribus consulere licuisset. Ita enim sentire is videbatur, ac si multa sua sponte & ex officio Pontificio reformaturus & indulturus esset: sed non erat ea candoris & morum fama, ut fidem inveniret, aut salus Ecclesiæ ab illa manu sperari posset.

§. L.

(1) *Argentoratenses missam abolent.* Ad alia hoc anno gesta aut scripta, quæ Maimburgius omisit, pergo. Progressa est reformatio multis & celebribus locis. *Argentoratenses*, ut supra Maimburgius notaverat d. 20. Febr. missam decreto publico abrogarunt. Factum id, prævia Senatus cum tribubus deliberatione, & per majoris partis suffragia, addita tamen fuit, pro temporis illius conditione, clausula, *donec adversarii demonstrassent, esse cultum Deo gratum.* Hanc nuper captavit, edito tractatu Gallico, & prius per conciones proposito, *de reunione protestantium*, Jesuita Gallus *Johannes Dezius*, & tolli jam debere decretum illud contendit, quia probasse se existimat, quod tunc desideraverint. Sed neque ipsius sententia hæc controversia definiri potest: nihil enim dixit, quod non millies dictum & refutatum sit; nec jus civitatis circa religionem solo illo decreto nititur, sed pacis publicæ, An. 1529. postea secutæ, & hoc seculo, interventu Christianissimi Regis, denuo sancitæ legibus, & ipsius deditionis, qua urbs in Gallorum potestaten transiit, conditionibus. Eadem civitas, hoc anno, primum fœderis, pro defendenda adversus vim religione, cum Helvetiis, Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus initi specimen & exemplum dedit. Vid. *Sleidan. Lib. VII.* Verum & id, hoc ipso, quo hæc scribo, tempore, durantibus licet adhuc induciis, inter Imperium Germanicum & Galliæ regnum, ideoque nondum cesso illius in urbem jure, Gallicis auspiciis abolere, ut fertur, jussa est. Fatendum est, anno hoc 1529. Ecclesiæ Argentinensis pastores in doctrina de sacra Cœna nondum cum Saxonicis cæterisque, qui anno sequenti Augustæ Vindelicorum fidei professionem ediderunt, exacte consensisse, id tamen postea factum est.

ADDITIO.

Acta Regimenti adversus Argentoratenses, Missam abrogantes. Regimentum Cæsareum prævenire decretum Argentoratense omnibus modis nitebatur: misit itaque d. 21. Decembris anni præteriti ex collegio suo *Philippum Schillingium*, Equitem, & quendam ex JCtis, qui Senatum ab incepto serio dehortarentur. Respondit is d. 28. Decembris: se ad instantiam creberrimam civium, sæpe Episcopum rogasse, ut inter consiliarios suos & concionatores urbanos colloquium de missa institueret: venisse quidem tandem Delegatos, sed disputare noluisse, & tantum veteris ritus continuationem ursisse: huc usque nihil constituisse Senatum, cogitaturum tamen, & secundum decretum Spirensium comitiorum 1526. pro officio & conscientia decreturum. Regesserunt Legati: nullum Senatui decernendi jus esse, minime omnium circa sacra templi cathedralis, quod illis non subsit, sed Imperatorem protectorem habeat. Senatus ad ista octo dierum dilationem petiit, neque tamen elapso tempore ac ultra quicquam ad Regimentum perscripsit. Excitatus ab hoc fuit d. 16. Februarii: itaque post triduum d. 20. Februarii respondit: se cum majori (qui plebem repræsentat) Senatu jam decrevisse, ut missa suspenderetur, donec ex Scriptura probaretur, esse illam opus Deo gratum: (daß sie ein GOtt wohlgefällig Werck sey/) jam per statuta suæ Reipublicæ in sua potestate non esse, ut decreto huic contravenirent; de cætero Cæsari morem gesturos esse. Horum scriptorum exempla in Archivo Sax. asservantur.

(2) *De Helveticis rebus, & de Erasmo quædam.* De reformationis in Helveticis urbibus & regionibus incremento, cum Zuinglii potius quam Lutheri dogma secutæ sint, videri possunt illius nationis scriptores, & quæ compendiose retulit *Scultetus.* Non tamen ubique absque turbis negotium processit. Basileæ certe magnus civium tumultus fuit, in imaginibus potissimum abolendis, multi etiam ex Senatoribus loco moti. Extat apud *Sculteum p. 185.* memorabilis de motu illo Oecolampadii epistola d. 13. Febr. *ad Capitonem* data. Hac mutatione territus *Erasmus* Basileam deseruit, in qua librorum suorum edendorum causa diu hospitium habuerat: in eadem tamen, post annos aliquos, cum iterum typographiæ causa eo profectus esset, fatum suum invenit. *Sangalli*, eodem mense Februario, in summo templo (Münster) triginta tria altaria destructa sunt, & quadraginta plaustra impleta fuere statuis ex illo ablatis, quæ extra urbem combustæ sunt. *Schaplerus*, cujus supra memini, rusticorum articulorum autor, theses contra Pontificios hoc anno in illa urbe publicavit. Sed ad Germanici juris

loca

An. 1529.

(3) *Mindensis apertius Evangelium recipiunt.*

loca revertendum est. *Mindæ* ad Visurgim, sub Francisco Luneburgico, Episcopo, jam aliquot annos *Albertus Niseus* Evangelium placide in æde B. Mariæ docuerat; sed cives quidam hoc anno *Nicolaum Cragium* ex vicino comitatu Hoiensi adsciverunt: hujus fervore in omnibus templis veteres ritus aboliti sunt, & plebis metu Canonici urbe excesserunt, eamque judicio acri in Camera Imperiali prosecuti sunt, de ejus eventu in tempore dicendum erit. *Philippus* etiam, Hanoviæ Comes, doctrinam Evangelicam publice in ditiones suas introduxit. Sed nec oppositiones defuere, ut audivimus, ex actorum comitialium hujus anni enarratione, & Pontificis Cæsarisque consultationibus. Sævitum etiam est suppliciis, multis in locis, non in Anabaptistas solum, ex quibus *Ludovicus Hezerus*, vir doctus, sed pessimis opinionibus deditus, Constantiæ exustus fuit, sed & in Lutheranos, &, qui Zuinglii partes sequebantur. Duorum Theologiæ studiosorum, *Petri Flistedii* & *Adolfi Clarebachii* Coloniæ combustorum historiam memorat *Sleidanus Lib. VI. p. 175.* aliorum *Scultetus*, interque eos *Ludovici Berquini*, nobilis Galli, de quo *Lib. I. §. CLIX.* occasione epistolæ cujusdam Erasmianæ mentio facta est. *Wilhelmi Suollensis*, qui tubicen Christiani II. Daniæ regis fuerat, hominis licet indocti, non indoctam tamen confessionem, cum Mechliniæ hoc anno combureretur, edidit *Pomeranus*, in qua tamen quædam Anabaptistica, ni fallor, observari possunt. Rothwilæ, Suevorum urbe haud incelebri, trecenti octoginta quinque, omnis ætatis & sexus homines in exilium ejecti sunt, ut ex MS. Bullingeri refert *Scultetus p. 254.*

(4) *Supplicia in Anabaptistas & Lutheranos.*

§. LI.

(1) *Lutherus Catechismum minorem edit, ejusque necessitatem in præfatione demonstrat.*

Hoc anno Lutherus brevem illum, sive minorem *Catechismi* libellum composuit ediditque, qui per Germaniam, ubicunque Evangelii doctrina locum habuit, receptus est, & ad hunc usque diem in Lutheranis provinciis, pro pio compendio doctrinæ, populo proponitur, ad alias quoque nationes late propagatus. In præfatione plebis ignorantiam deplorat, & Episcopos acriter increpat, quod institutionem catecheticam neglexerint; orat pastores propter Deum, ut plebis misereantur, &, si meliorem non habeant, formula hac rudi & simplici in libello præscripta, & quidem, pro captu rudiorum, servatis iisdem verbis, utantur: aliam doctioribus proponi non vetat, sed suadet. Qui ex plebe informationem recusant, eos ab Eucharistia & fidejussione baptismali, omnique libertate Christiana arcendos & ad Papam & officiales, immo ad diabolum, ablegandos esse censet, ne cibo quidem aut potu nec hospitio dignos; neminem quidem ad fidem cogi debere, attamen plebem rudem notitia necessaria religionis imbuendam esse, sicut cives gnaros esse oporteat legum civitatis. Monet deinde, ut iis, qui verba catechismi didicerint, sensum & explicationem inculcent & ad majorem Catechismum progrediantur; porro ut ea potissimum ex morum disciplina proponantur, quæ auditorum conditioni maxime congruant: modos denique ostendit, per quos ad frequentem Sacramenti usum homines invitari possint, maxime, si summa hujus Sacramenti utilitas populo commendetur. Vid. *Tom. IV. Altenb. fol. 463.* At præfatio *ibid. fol. 465.* subjuncta, quæ *Johanni Aurifabro*, operum collectori, noviter exhibita esse dicitur, ex Lutheri ordinatione Missæ Germanicæ *Tom. III. fol. 469.* verbotenus descripta, & a me in anni 1526 historia *§. XX.* recensita fuit. Observari autem omnino debet, Lutherum enchiridion illud, quod vocat, non nisi speciminis loco, & pro statu & conditione illius temporis atque hominum, edidisse, unde & summæ studuit simplicitati, præsertim, ubi confessionis coram sacerdote formulas suppeditat; adeoque ulteriorem elaborationem minime interdixit, sed potius commendavit. Interim tanta est in libello hoc & orthodoxia & spiritus, ut in suo genere parem non habeat; id quod lectoribus ipsis, qui veritati non præfracte repugnant, explorandum & judicandum relinquimus. Excellit ante omnia explicatio Symboli Apostolici. Deinde, depellendis calumniis, ac si solam fidem, id est, nudam ejus professionem, exclusa vitæ sanctimonia, aut imaginationem de merito Christi nobis imputato, Ecclesiæ obtrusisset Lutherus, brevis & nervosissima interpretatio Orationis dominicæ sufficit: Ita enim ad verba, *Sanctificetur nomen tuum*, & ad quæstionem, *quomodo id fiat?* respondet: *ubi verbum Dei pure docetur, & nos quoque, ut filii Dei, secundum illud vivimus; qui vero aliter docet aut vivit quam verbum Dei docet, is profanat nomen Dei.* Et in petitione secunda, ad quæstionem, *quomodo veniat regnum Dei?* ita respondet: *Si Pater cælestis Spiritum suum sanctum nobis dat, ut verbo ejus sancto per gratiam ejus credamus, & divine vivamus* (Göttlich leben) *in hac & altera vita.* Quid pro instituto hoc melius sanctiusque dici possit, equidem fateor me nescire. Possem egregiorum virorum encomia magno numero adducere, quibus hunc libellum extollunt, sed id superfluum foret apud pios, & empæctis ludibrio esset. De iis, quæ sunt Spiritus Dei, nemo, nisi eodem præditus, recte judicaverit. Edidit etiam hoc anno Lutherus *explicationes* eorundem capitum catecheticorum, nempe Decalogi, Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Baptismi, & Sacramenti altaris, quæ habentur *Tom. IV. Altenb. fol. 476. & seqq. ad fol. 520.* Hæc vulgo dicuntur *Catechismus major*, (der grosse Catechismus) ad quem remittit pastores in *præfatione minoris*: unde patet, hunc prius editum esse. Receptus est æque, ac minor, in numerum librorum, quos Saxonicæ aliæque Ecclesiæ vocant *Symbolicos*, & cum *Formula Concordiæ* anno 1580. ediderunt. Bina autem ei præmissa sunt a Luthero præloquia. Brevius extat *fol. 472.* In hoc paucis monet, inter Christianos censeri eum non posse, qui nesciat capita doctrinæ Christianæ; sicut in opificum collegiis tolerandus non sit, qui opificii jura & consvetudines ignoret. Urget vero, non solum, ut juventus in iis publice erudiatur, sed, ut quisque paterfamilias, una minimum vice singulis septimanis, liberos & familiam interroget, quid didicerint, & ignorantes ad discendum compellat. *Memini*, ait, *senes etiam tam rudes inventos esse, & adhuc scio inveniri, qui nihil sciunt, ad Sacramentum tamen accedunt, ad quod admitti non debent, qui capita religionis ignorant.* In præfatione au-

A. 1529.

(2) *Libellum hunc non, nisi pro specimine, haberi vult.*

(3) *Laudatur inprimis explicatio Symboli Apostolici, & expositio Orationis Dominicæ.*

(4) *Editio Catechismi majoris.*

(5) *Præfatur de necessitate catechizationis, & contra defectus Pastorum & Patronorum.*

A. 1529. tem longiori, libello præmissa *d. f. 472. & seq.* multum queritur de desidia pastorum, qui scientiæ opinione inflati, aut ventri indulgentes, non doceant plebem, *digni utique*, ait, *ut subulci, aut canum custodes* (Hunde-Knechte) *essent, quam animarum curatores.* Exprobrat illis, quod jam liberati a molestissima *Breviarii* recitatione, unam tamen alteramve paginam singulis diebus mane, meridie & vesperi ex Catechismo, Novo Testamento, aut alio Scripturæ sacræ libro legere graventur, aut orationem Dominicam pro se & auditoribus suis recitare, ut aliquid saltem in honorem Evangelii, per quod a tot oneribus exemti sunt, præstarent, nec solum carnalem libertatem ex illo quærerent. Invehitur etiam in quosdam ex Nobilitate, quos *infacetos & sordidos* vocat, Rültze und Filtze / qui dicant, *jam non opus esse pastoribus, omnia ex libris disci posse*, & sic negligant pastores, eosque ad egestatem, ædificia vero sacra in ruinam deducant. *Ita pro more* (ait) *insanimus Germani*, wir tollen Teutschen. Hanc liberam censuram cavillis excipit *Cochlæus*, aliique ejus generis homines, qua tamen Lutherus, non sine exemplo piorum doctorum, imo & sacrorum scriptorum, utitur; nam & hi, quod a plurimis fit, omnibus tribuunt. Paulus certe Cretensibus vitium populare objiciens, non damnat pios illius Insulæ, quorum curam Episcopo Tito commendat. Neque calumniose explicari debent, quæ de pigritia pastorum monet; nam ad bonos, quibus nec eo tempore carebat, quam reformaverat, Ecclesia, ista non pertinent; Erant enim vere pii & diligentes, veluti *Pomeranus, Guttelius, Hausmannus, Myconius, Hessus, Regius, Brentius*, aliique, quos in literis librisque laudat; sed ignavi forte plures inveniebantur & rudes, qui in corrupta monasteriorum disciplina educati erant, quorum inscitiæ & negligentiæ Lutherus non immerito irascebatur. Hanc ejus ingenuitatem adversarii laudare & imitari, in suorum vitiis detegendis, debuissent.

(6) *Notatur Cochlæus.*

Addo jam, quæ de seipso profitetur in eadem præfatione Lutherus. *Ego quoque*, scribit, *Doctor sum & concionator, nec minus doctus forte, & expertior iis, qui ista temerarie & frivole spernunt: pueros tamen imitor catechumenos, & singulis diebus mane & quoties vacat, Decalogum, Orationem Dominicam, Symbolum, & Psalmos quosdam verbotenus recito, quotidie etiam lego quædam & meditor, neque tamen sum is, qui esse vellem, & deberem, & agnosco, me tyronem & discipulum catecheticum esse, & talis lubens manebo.* Præclara alia adversus præsumtionem scientiæ subjungit. *Etsi*, ait, *omnia perfectissime sciret aliquis, quod tamen in hac vita fieri nequit, quotidiana tamen lectio & meditatio multiplicem habet usum. Adest enim Spiritus sanctus illi lectioni, meditationi & recitationi, semperque novum lumen novamque devotionem suggerit, ut subinde melius & suavius sapiat*, (daß es immerdar besser und besser schmecket und eingehet) *id quod Christus promisit Matth. XVIII. 20.* Ostendit porro, quantum virium adversus diabolum, mundum & carnem afferat sedula verbi divini tractatio. *Qui id die & nocte faciunt*, (ita pergit) *beati prædicantur Ps. I. & Evangelium revera est virtus Dei, Rom. I. 16. diabolum enim prosternit, nos confortat, consolatur & juvat. Si diabolus est mille-artifex, ut dici solet, verbum Dei centies mille artifex est, & toties superat vim & fraudes diaboli; si hoc spernimus, qui Ecclesiastæ sumus, pane cibari non meremur, expelli debemus cum ignominia* (man soll uns mit Hunden aushetzen und mit Lungen auswerffen) Urget mandatum Dei de frequentissima legis lectione & meditatione *Deut. VI. 7.* (man soll es sitzend/stehend/liegend/auffstehend immer bedencken.) *Hoc non frustra poscit Deus*, ait, *sed quia scit, nos opus habere hoc præsidio. O nos stultos, qui in tantis periculis versantes illud negligimus! O temerarios & imaginarios sanctos, qui plus sapere volunt, cum tamen vere sancti nihil aliud didicerint, neque tamen integrum ediscere potuerint*, (alle Heiligen haben nichts bessers noch anders wissen zu lernen / und nicht können auslernen.) De decalogo in specie dicit. *Qui hunc recte & integre intelligit*, (wer sie wohl und gar kan /) *ille totam Scripturam nosse debet, ut in omnibus casibus consulere, juvare, solari, censere, judicare, in spiritualibus & temporalibus possit, omnisque doctrinæ & omnium ordinum, spirituum, legum, & quicquid in mundo est, judex esse. Quid est totum Psalterium, quam perpetua & mera exercitatio, & praxis primi præcepti? At pigri illi ventres, ne unum quidem Psalmum recte intelligunt, & tamen putant, se scire catechismum, illumque despiciunt, qui est compendium totius Scripturæ.*

(7) *Lutherus suo exemplo Catechismi usum & assiduum sacræ Scripturæ studium commendat.*

Etsi vero ex concionibus his, sive majori hoc Catechismo, plura dignissima sint, quæ excerpantur, prolixitas tamen vitanda est. In elencho parcus & moderatus fuit, erudiendæ juventuti in dogmaticis potissimum intentus; idque cum summa utilitate præstitit. Certe nucleus & succus divinæ veritatis & doctrinæ, pro captu simpliciorum, exhibetur, nullis Scholasticorum tricis involutus, non inflatus mysticorum tumoribus, non fabularum ineptiis dedecoratus, nulla denique heterodoxia infectus: dolendum modo, quod libellus aureus, & optimo consilio inter libros Symbolicos, ut dixi, receptus, a tam paucis hodie legatur. Subjungitur ei in *Tomo IV. Alt. fol. 520.* confessio fidei ex *Tomis Islebiensibus*, sed eadem est, quæ in tractatu, sive *Confessione magna* de S. Cœna, *Tom. III. fol. 888. & seqq.* legitur, cujus in recensione scriptorum anni 1528. mentionem feci.

(8) *Libelli elogium.*

§. LII.

Cum bellum Turcicum hoc anno non Hungariæ solum, sed & Germaniæ metuendum esset, jam sub finem præcedentis anni Lutherus libellum meditatus est, quo Germanos ad strenuam contra Turcos defensionem exhortaretur, & calumniæ simul occurreret, qua onerabatur, ac si contrarium doceret aut suaderet. Scribere tamen paulo serius cœpit, ut ex literis ipsius *ad Hausmannum Tom. IV. fol. 124.* in margine allegatis constat, licet dedicationem ad *Philippum Hassiæ Landgravium* jam d. 9. Octobr. anni 1528. composuisset. In hac queritur de concionatorum quorundam protervia, qui populum a bello Turcico dehortabantur, aut militia Christianis plane interdicebant, tum de plebe Germanica, quam acriter culpat, & eorum maxime barbarie, qui Turcarum adventum & regimen expetebant. Dolet deinde, quod sibi & Evangelicæ prædicationi, sicut seditio

(1) *Lutheri exhortatio ad bellum contra Turcos, & declaratio eorum, quæ olim scripserat.*

An. 1529.

A. 1529.

tio rusticorum, ita & Turcicum bellum imputetur. Exorditur libellum a *Bulla Leonis* in se publicata, in qua inter alias hæc thesis sua damnatur: *Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras.* Non negat, illam suam esse, pro temporis illius conditione conceptam, ait enim, statum & dignitatem magistratus tum oppressum & spretum fuisse, & se primum de eo legitime docuisse, magno cum Friderici Electoris oblectamento: Papam super omnes Principes tunc eminere voluisse; bellum in Turcos, suo auspicio, nec tamen bona fide, molitum esse, & vano ejus prætextu per indulgentiarum nundinationes Germaniam exhausisse: plebem de pœnitentia & emendatione, sine qua successum belli (offensivi præsertim) sperare non liceat, non cogitasse. Ideo se, cum dictum Christi, *Matth. V, 39.* quo vetat malo resistere, (ex quo perperam consilium fecerint monachi, cum revera præceptum sit) explicaret, istam thesin composuisse, melius & clarius locuturum, si bellum revera expectandum fuisset. Addit se probare non potuisse, quod bellum in Turcos ita tunc proponeretur, quasi Christianorum proprium esset, contra infideles armis pugnare: cum tamen plane aliud sit Christianorum, qua talium, officium, nec ad bella pertineat. Ab hominibus, non vero a Christianis, qua Christianis, multo minus a Pontifice & Clero bellandum esse; se itaque qualitates & respectus hominum & Christianorum, & regnum Christi a regno mundi distinxisse. Eventum deinde respici monet, qui nunquam nisi luctuosus Hungaris Germanisque fuerit: deficere enim verum scopum, bona consilia, & legitimum modum: inprimis nullam felicitatem sperari debere, si Episcopi & sacerdotes, neglecto munere suo, rem militarem curent. Se ex fide dignis intellexisse, *Franciscum* Galliæ Regem meruisse cladem Ticinensem, quod Pontificem sibi associasset, & hujus exercitus tesseræ loco vocabulum *Ecclesiæ* inclamasset. Allegat etiam *Julii II.* & *Clementis VII.* exempla, quam infausto eventu bellaverint. Exesse itaque ex commilitio Clerum debere, obligari tamen, ut ex bonis, quæ possidet, tributa ad bellum, & quidem largiora, quam alii, præstent. Post hæc ad rem accedens, Turcos injuste arma Christianis inferre statuit, quia non nisi prædas & cædes quærant, a nemine provocati aut offensi. Dein describit eos, qui bona cum spe Turcis resistere possint: duos esse ait, *Christianum* & *Carolum.* Postulat igitur primo a *Christiano*, sive illis, qui militiæ nomen daturi sint, ut sese serio ad Deum convertant, & ad id a pastoribus diligenter admoneantur. Preces privatas publicasque, & speciatim Litanias, commendat: rejicit processiones, missas, (extra communionem) & sanctorum invocationes. *Turcas*, ait, *esse diaboli servos, & veluti carnifices, neque laudem mereri, quod libertatem religionis in ditionibus suis concedant, cum publicum & solennem cultum omnibus modis impediant.* Recenset quosdam immanes eorum errores ex Alcorano, cujus versionem Germanicam promittit; maxime vero in tyrannidem eorum invehitur, quod religionem vi & armis propagent, & eatenus eos cum Pontificibus comparat, eadem ratione dominatum suum tuentibus. Secundo, *Caroli*, id est, Imperatoris auspicia & ductum requirit; ita tamen, ne ambitionis & gloriæ causa bellum gerat, non, quasi caput aut defensor Christianorum, (ita enim proprie dici non posse) neque gladio ad fidem tuendam uti debere. Bellum itaque, ut summus Princeps, gerat, sciatque officium illud a Deo sibi commissum esse. Idem omnes Principes expendere jubet, & in comitiis a contentionibus de προεδρία, & a luxu, quo opes consumunt, abstinere. *Hæc*, ait, *Legati Pontificis urgere in comitiis deberent; qui tamen, his neglectis, cum Luthero rixantur de jejuniis, & de conjugiis monachorum.* Multa deinde adversus eos adducit, & a concionatoribus reprehendi illos jubet, qui Turcorum regimen tolerabilius, quam Christianorum esse dictitabant: ea tamen occasione etiam Pontificum & Cleri crudelitatem & fœdas libidines insectatur, quarum odio plebs irritetur. Reges dein reprehendit, qui Cæsarem bellis destineant, & Principes, qui ei, cum debeant, non parent. Denique bellum contra Turcum summis viribus, ut adversus hostem longe potentissimum & minime contemnendum, instrui debere contendit, & modicas illas suppetias, quæ hucusque decretæ fuerint, nullius effectus esse, commonstrat, neque consultum putat, ut Ferdinandus Bohemiæ Rex, utut potens, sine Cæsaris auspiciis, Turcos aggrediatur. Cum vero eo tempore, quo ista scribebat, comitia Spiræ inchoarentur, satis acriter eos reprehendit, *qui sibi & Evangelio pericula* (ut ait) *intentabant, & turbas excitabant de rebus, non ad se, sed ad conscientiam & fidem pertinentibus, negligebant autem, aut lentissime tractabant, quæ sui erant officii, & ad depellenda atrocissima pericula, quæ imminebant, requiruntur; ausum se*, ait, *hæc scribere, licet supra captum; versari tamen sibi ante oculos historiam & Geographiam, quam alii forte non æque considerent.* Sub finem anni, cum Turci in Austriam irrupissent, magnamque ejus partem vastassent, Viennam tamen frustra obsedissent, & jam recessissent, *concionem* habuit & edidit *contra Turcos*, quam vocavit eine Heer-Predigt/ *excitatoriam ad bellum.* Extat *Tom. IV. fol. 565. & seqq.* Queritur in exordio, spreta esse, quæ scripserit, & secutam cladem, a se prævisam, persecutione Evangelicæ doctrinæ meritam esse; attamen, regressis nunc hostibus, ebrios Germanos, (die vollen Sauen) potare denuo & securos esse: sibi vero duo agenda præscribit, nempe ut conscientias instruat, & ut manus confortet. Commentatur inde ad prophetiam *Danielis cap. VII.* &, Turcicum regnum significatum in illa esse, statuit, per *cornu minus* inter decem majora apud Danielem præfiguratum, quia Romani Imperii vires in Asia, Græcia & Ægypto potissimum oppresserit, nec reliquas provincias infestare desinat, finem etiam ante adventum Domini ad judicium non sit habiturum. Turcorum blasphemias & injustitiam contra Christianos pluribus describit, & bona conscientia adversus illos arma sub auspiciis Regum & Principum sumi posse & debere, censet, esse enim hostes Christi, & temerarios aggressores; interim quos illi, Deo permittente, tyrannide sua deleant, aut qui in bello contra eos cadant, *martyres*

(1) *Christianos, qua tales, & Clerum maxime a bellicis actionibus excludit.*

(3) *Requirit conversionem ad Deum.*

An. 1529. (4) *Dein Cæsaris auspicia, & obsequium a Principibus.*

(5) *Notat defectus quosdam.*

(6) *Concionem habet excitatoriam.*

A. 1529.

tyres Christi esse, dummodo pœnitentes & pii sint, ut omnes esse deceat, qui militiæ huic nomen dant; id quod in libello antea publicato satis a se demonstratum sit. Deum tamen etiam paucorum causa, qui boni sunt, successum largiturum esse, sperat.

(7) Ostendit necessitatem militiæ populo incumbere.

Altero concionis capite Nobilitatem, quæ huc usque otio & luxu torpuerit, tum plebem, magna ex parte male feriatam, merito ad militiæ onera vocari existimat. Cum enim prosperis rebus insolenter usi sint, jam adversas quoque ferre debere. Exhortatur autem omnes, ut strenue pugnent, nec inultos se a barbaris necari aut abduci patiantur; suadet etiam, ut mortem vinculis præferant. Cum vero fama esset, multos ex captivis ad Mahometismum deficere, adversus illam impietatem argumenta adfert, & a speciosa, quam Turci simulant, sanctimonia, cavere sibi omnes jubet, simul & blasphemias turpitudinesque barbaræ gentis satis clare describit, solatia etiam præbet iis, qui in captivitatem ducti erant. Inter alia; mitiores Turcos esse, dicit, quia captos ad apostasiam non cogant, quod tamen a Pontifice fiat.

(8) Dehortatur a bello contra Evangelicos.

In fine obtestatur non solum captivos, ne se a Turcis cogi sinant, ut contra Christianos pugnent, sed & Cæsaris, Pontificis, aliorumque Principum subditos omnes, ne contra eos, qui Evangelicam doctrinam profitentur, duci se patiantur.

§. LIII.

(1) Sermones a Luthero, absente D. Pomerano, habiti.

Ex aliis Lutheri scriptis hoc anno in Tomis Germanicis exhibentur *sermones*, qui etiam in codicem *Postillarum ecclesiasticarum* relati sunt, de *peccato in Spiritum sanctum*, ad *Matth. XII. 31. 32. Tom. IV. f. 541. & seqq.* de *matre & fratribus Christi*, ad *Matth. XII. 46. 50. fol. 546. & seqq.* de *justitia propria*, quam homines sibi arrogant, ad *Deut. IX. v. 5. 6. fol. 550. & seqq.* Explicatio *capitis XIX & XXI. Exodi* de *promulgatione decalogi f. 580.* Conciones in *cap. XVIII. XIX.* & partem *XX. Evang. Johannis*, de *passione & resurrectione Jesu Christi, d. l. fol. 644. & seqq.* item in *capita septem priora* & in *caput XXXII. Deuteronom. fol. 707. & seq.* Concionatus enim hoc anno frequenter est, vice Doctoris *Pomerani*, qui ad ordinandas Ecclesias inferioris Saxoniæ, ut dixi, profectus erat. Similis sibi in his quoque concionibus fuit Lutherus, tum gravissima dogmata solide, facunde, & cum parænesibus efficacissimis, proponendo, tum adversarios arguendo. Illustria etiam ex his loca, maxime vero, quæ ad præceptum primum, quod omnis pietatis fundamentum est, plus una vice disseruit, adscribi mererentur, sed ad alia progrediendum est.

(2) Libellus de literis furtivis, contra Georgium Ducem.

A Polemicis hoc anno fere quievit, nisi eo referendum sit scriptum *de literis clandestinis & surreptis*, **von heimlichen gestohlnen brieffen.** *Tom. IV. fol. 628.* quo Georgio Saxoniæ Duci acerrime respondet ad publicatam contra se invectivam, ob literas *ad Linccium* scriptas (de quibus supra in Anno 1528 §. *XXXV.* actum est) & ob contumeliosam præfationem in Novum Testamentum Emseri, quæ hic *Tom. IV. fol. 639.* subjuncta legitur, a me vero *Lib. I. in addit. ad §. CXXVII.* allegata est. Præcipuum fundamentum in eo ponit Lutherus, quod epistola sua ad Linccium (cujus autographum interim intercepat) a Georgio legitime possideri, aut contra scribentem allegari non possit. Decuisse Principem, eos, qui clam subreptam illi exhibuerint, a se abigere, aut si ex curiositate (illaudabili quidem) legere eam voluisset, id in occulto facere, lectam dissimulare, nec scribentem eo nomine infestare. Inter furti itaque & spolii species referendam esse alienæ epistolæ usurpationem, neque quidquam ex illa contra scribentem legitime produci posse aut debere. Id exemplo & testimonio *Hieronymi*, & vulgari axiomate: *de occultis non judicat Ecclesia*, confirmat; pro occultis autem & pro cogitationibus, quæ judicium & censuram in mundo non patiuntur, habenda, quæ quis mala curiositate ab altero expiscatur. *Aut igitur*, inquit, *ficta illa epistola, aut vere a me scripta est; (quorum neutrum assero, sed ex Ducis confessione, quantum mihi expedit, accepto); si ficta, nihil probat; si vere scripta, apud Ducem esse, & ab eo allegari non potest, ego illam divino humanoque jure vindico.* Objicit præter alia, quæ prætereo, Duci hostilem in se animum, ex præfatione illa ad librum Emseri; nec mitius cum Consiliariis ejus agit, haud obscure Cancellarium (qui erat *D. Simon Pistoris*) designans. Hæretici notam sibi impactam repellit, & decretum Spirense, (anni scilicet 1526) unanimi consensu publicatum, opponit, quo abolitum aut suspensum sit edictum Wormatiense, invitis præcipuis Imperii Statibus conditum, patientius tamen & modestius se cum Duce huc usque egisse, putat, quam is iniquissimo erga se animo, maxime vero publicata illa præfatione ad N. T. Emseri meruerit. Ut tamen ei parcat, nolle se ad hanc respondere, quanquam se esse dicat, qui illi & omnibus ejus Sophistis sufficientissime respondere possit, auxilio Spiritus sancti *Luc. XXI. 15.* promisso. Eadem ratione sapientiorem se esse, quia verbo Dei nitatur. *Psal. CXIX. 99. 100.* stultos vero maximos esse omnes, qui Dei præcepta contemnant. De fœdere illo Pacciano scribit, se quidem publice Ducem pro excusato habere posse, immo omnes rogare, ut idem faciant; sibi tamen, cogitare & sentire, liberum esse, quod velit, & suspicionem suam anxia illa Georgii excusatione augeri potius, quam tolli. Plura se de eo cogitare posse, quia tanto odio se & Evangelicam doctrinam prosequatur.

(3) Excusat quadam acerbius dicta.

Verba deinde epistolæ suæ vehementissima emollire conatur. Scripserat enim: *Deus confundet* μωρότατον μωρὸν, quod verterunt, **Gott schände den allernärrichten Narren**; ac si scripsisset, *confundat*; se enim indicare voluisse, stulte facere Ducem, & fore ut a Deo confundatur & pudefiat, quod Lutherum & verbum, quod is docebat, oppugnet, & literas furtivas propalet, quarum autographum non habeat. Rogat Ducem, ut cum suis, secundum decretum Spirense, quiescat & modeste agat, sicut omnia quiete & modeste in Electoratu Saxoniæ agi, scribit, tum, ut sibi benignus sit, (**sein lieber gnädiger Herr**) ita se illi omnia condonaturum, & apud Deum pro eo intercessurum esse. Si id nolit, ad judicium provocat, & ad id delegari petit viros ab Electoribus, Moguntino, Saxonico, Brandenburgico, ipsoque Georgio, quot velint; illis aut Electoris sui & Cæsaris sententiæ se pariturum esse. Addit

An. 1529.

An. 1529.

dit in pertinacem minas ab ultione divina precibus imploranda, & *Psalmum septimum* cum *paraphrasi* subjungit. In hac coram Deo testatur, se, divino ductu, præter propositum & scientiam, **wider gedancken und wissen** / contra Papam excitatum esse, miseratione plebis, somniis & sectis, deplorandum in modum, distractæ: hanc, ut oves errantes, ad Deum magistrum, pastorem & Episcopum animarum, in unitate fidei & spiritus reducere voluisse. Non quæsivisse, ut a se penderent, nec, ut sibi honorem aut dignitatem pararet: se certum esse de veritate & puritate doctrinæ suæ, licet coram Deo peccator sit, vita tamen & moribus suis nemini obesse, omnibus potius benefacere, & pacem quærere. Prædicit itaque hostibus, ni resipiscant, eadem, quæ David suis denunciat, & fore confidit, ut imposterum quoque experiantur, quod huc usque questi sint, omnia sua consilia adversus Lutherum successu destitui. *Cochlæus* (ut ipse in hujus anni historia jactat) libellum opposuit, filiis Georgii Ducis dedicatum, in quo inter innumera convitia id maxime reprehendit, quod Lutherus adversus Imperatoris ipsius autoritatem neget, *Wormatiense edictum omnium consensu compositum esse*, in quo tamen Electorem Saxonicum autorem habuit. Insectatur etiam paraphrasin Psalmi, & Hebraicam literaturam ostentat. Acerbissime etiam tractatum illum Lutheri, & quæ de bello Turcico scripserat, in epistola ad Georgium Sax. Ducem d. 30. Jun. 1530. data traduxit *Erasmus*. Vide *Lib. XXV. ep. 29.* Cæterum Georgius vehementer scripto illo Lutheri commotus fuit, misitque d. 13. Januarii ad Electorem *Henricum Sleinitium* Marescallum & *Wolfgangum Schönbergium*, præfectum Misnæ, cum acerrimis adversus Lutherum mandatis. Exagitabant inter alia objectionem ejus de surrepta epistola, dictitantes, surripi illi non potuisse, quod in potestate non haberet. Narrarunt etiam, Georgium ipsum literas Lutheri *ad Lincum* ex Latina Germanicam fecisse, ita, ut Lutherus immerito in Cancellarium invehatur. Vocem *confundat*, in exemplo, quod Georgius verterit, extitisse, non vero *confundet*, & sensum parum differre. Respondit Elector Legatis, sibi quidem acta non placere, Georgium vero in edendo contra Lutherum diplomate nimis festinasse: tolerasse tamen Electorem, ut id in sua quoque ditione affixum fuerit. Scripsit inde d. 18. Januarii Luthero, & arguit, quod absque utilitate, & nimis acriter de fœdere Pacciano mentionem fecisset, vetuitque, ne posthac quidquam ederet, quod ad Electorem aut Ducem Georgium aliosque pertineret, nisi prius in aulam misisset; quæ vero de doctrina scripturus esset, ut olim a Friderico Electore jussus fuerat, Rectori & Theologis Academiæ revidenda exhiberet. Mandatum etiam fuit Præfecto & Senatui Wittenbergensi, ut typographos ad easdem leges adstringerent. Certatum deinde aliquibus literis est, ex eadem causa, inter Electorem & Georgium, cum ille veteri exceptioni insisteret, se non defendere acta & scripta Lutheri; Georgius vero diceret, id non sufficere, sed puniendum esse; negabat tamen, se illum pro hoste habere, si enim id faceret, iis se viribus & amicis instructum esse, ut Lutherus Wittenbergæ vix tutus sit futurus. Elector rixæ pertæsus d. 22. Februario Georgio scripsit, petiitque, ut literarium commercium hac in causa finiretur, ut & factum est.

(4) *Addit paraphrasin Psal. VII.*

(5) *Cochlæi & Erasmi acres hujus libelli censuræ.*

(6) *Georgii & Electoris literæ hac de re invicem scriptæ.*

A. 1529.

§. LIV.

Supersunt quædam ex epistolis aut præfationibus Lutheri, quæ in Actis hujus anni reperiuntur, breviter notanda. Præfatio in versionem Germanicam *Libri Sapientiæ*, hoc anno a Luthero edita, extat *Tom. IV. fol. 555.* In hac dicit, per valetudinem suam, & propter absentiam Melanchthonis, qui in Spirensibus comitiis Electori aderat, in Prophetarum translatione pergi non potuisse, se igitur per otium librum illum, ab amicis adjutum, vertisse. (**Er habe dieweil das höltzlein genommen/ und daran geschnitzt**) Inter apocryphos autem librum refert, & Philoni tribuit; non negat tamen, a multis olim inter Canonicos recensitum, & in Romana Ecclesia plurimi æstimatum fuisse, ita, ut plura ex eo, quam ex ullo alio in formulas cantuum ecclesiasticorum relata fuerint. Reprehendi enim in eo tyrannos, & consolationes contra persecutiones copiose adferri. Verterat eundem Tiguri *Leo Judæ*, sed Lutherus in epistola, d. 25. Maji hoc anno ad Linccium scripta, ejus laborem parum probat. Præfatus etiam est in libellum *Justi Menii de œconomia Christiana* (**von Christlicher haushaltung**) epistola ad *Johannem Metschium*, nobili in Voigtlandia & Misnia gente natum, & Capitaneum Wittenbergensem, qui cœlebs vivebat, *Tom. IV. fol. 557.* Urget autem in hac præfatione, necessitatem conjugii, ex præcepto divino, omnibus, qui continentiæ donum non habent, dato, quale de virginitate non extet. Multa etiam monet de educatione liberorum, &, quod parentes obligentur, ut liberos, qui ingenio valent, in scholis erudiri faciant, harumque summam commendat utilitatem, absque quibus futuri non sint, qui civili & ecclesiasticæ reipublicæ operam navent. Commentario *Melanchthonis in epistolam ad Colossenses*, secunda vice edito, & a Justo Jona latine verso, *prologuium* præmisit. *Tom. IV. fol. 702.* Magnum illum librum esse dicit utilitate, parvum mole: se vero Melanchthonis libros plus, quam suos, amare, & malle, ut illi, quam sui, edantur. *Ego* (ait) *ad hoc natus sum, ut cum sectariis & ipso diabolo continuo digladier, libri itaque mei impetuosi sunt & pugnaces. Ego stipites & truncos eradicare, spinasque & sentes exscindere, lacunas explere, cogor: importunus viarum sylvestrium strator & complanator.* (**Ich bin der grobe waldrichter / der bahn brechen und zurichten muß.**) *Sed Magister Philippus leniter & placide incedit, ædificat, plantat, serit, irrigat, amœne & jucunde, pro gratia, quam Deus illi dedit. O tempus beatissimum, væ ingratis, qui id non agnoscunt! quanti æstimatus fuisset talis liber, si ante annos viginti publicatus fuisset! Nunc hæc, ut manna ab Israelitis, fastidiuntur, & allium atque cepa Ægypti expetuntur. Erit tempus, cum, amisso verbo, frustra lamentabimur.* Aliam præfatiunculam scripsit in *Casparis Huberini* libellum, *de ira & gratia Dei*; aliam itidem in tractatum *Thomæ Venatorii*, Norimbergensis, *de consolatione morien-*

(1) *Præfatio in Libr. Sapientiæ.*

(2) *Item in libellum Menii de œconomia.*

(3) *In Melanchthonis comment. ad Coloss. cum magno autoris elogio.*

(4) *Alia quædam præfationes.*

(T) 3

An. 1530.

morientium. Vide *d. l. fol. 703.* De postremo hoc refert, cum, omisso nomine, antea publicatus esset, ab adversariis probatum fuisse: id quoque suis accidisse libris: statim autem, atque nomen suum, vel, ut autoris, vel, ut approbatoris, in libro quodam conspiciatur, pro hæretico diffamari. Scribit ibidem, se nihil mutasse in autoris stylo, ne illi naturalem suam vim & efficaciam (ihren natürlichen krafft und safft) adimat: id enim fieri, cum momi & scioli accedunt; (wenn Meister Klügling drüber kommt) id contigisse Novo suo Testamento, a calumniatore & corruptore Misnico (Emsero scil.) (dem Lästerer und Sudeler in Meissen) interpolato. Mandante Electore Saxonico d. 25. Maji consilium dat, *Tom. IV. fol. 559.* quid faciendum sit Abbati cuidam, illustri genere nato, cui a Cæsare injunctum erat, ut cucullum denuo indueret: Jubet autem illum, ut conscientiam & vires suas exploret, an satis firmus sit in fide, & ad ferendas persecutiones, quas graviores esse dicit illustris conditionis hominibus, idque *Ursulæ Monsterbergiæ* exemplo confirmat; delicatius enim educatos & habitos incommoda exilii & inopiæ ægre sustinere. Suadet, ut dilationem quærat, cum sperandum sit, fore, ut monasteria omnia, aut multa, aperiantur; aut potius, ut maneat, & ad veritatem & conscientiæ libertatem in monasterio procurandam, & abominationes tollendas, nitatur, id quod Illustrissimam *Abbatissam Gerenrodensem* (ad sylvam Hercyniam Anhaltinæ ditionis) pluresque Antistites utriusque sexus fecisse dicit. *Ego id probe facerem*, inquit, *si Abbas aut Prior essem, & plus proficerem intra monasterium, quam extra illud.* Addit, *si Abbas conjugii desiderio arderet, consulendum ei esse, ut, quia inter Pontificios haud probrosum sit, fœminas in clericorum consortio esse, ut aliquam sibi, cum occulta conjugii legitimi pactione, jungat, donec Deus tempora mutaverit, quod brevi facturum esse sperat, interim satius esse, ut ex reditibus monasterii vivat, quam discedens suis molestus sit.* Alia epistola, qua contra tentationes solatia & cautelas suggerit, subjuncto *Psalmo CXLII.* cum *explicatione* quadam, & dictis Scripturæ, exhibetur *Tom. IV. fol. 642. & seqq.* Denique ex epistolis duabus ad *Albertum* Comitem Mansfeldensem *d. l. fol. 705. & seqq.* percipi potest, ipsi æque ac alii cuidam Theologo offensam natam esse, quod Principis cujusdam causam improbaverint. Defendit autem dicta & scripta illa, quia Princeps iste a Cæsare & fœderis Suevici Principibus condemnatus sit: quamdiu autem non ostendatur, injuste damnatum esse, præsumendum esse pro justitia sententiæ, & absque seditionis crimine resisti Cæsari non posse. Vehementer hac occasione queritur de libello contumelioso, *a Passavantio* quodam in se & collegas suos edito. Principem illum *Ulricum Würtenbergicum* fuisse, quem Landgravius Hassiæ fovebat, vix potest dubitari. Proscriptus enim sententia Cæsaris, & fœderis Suevici armis ex Ducatu ejectus erat: sed de hoc infra dicendi locus erit. Unum atque alterum levioris momenti epistolium prætereo.

(5) *Consilium de Abbate quodam illustri, reformationem meditante.*

An. 1530.

(6) *Aliæ epistolæ, speciatim de Ulrico Würtenberg.*

ADDITIO.

Exemplum hoc anno ab Electore ex consilio Lutheri datum est primum, quod sciam, in mutanda dispositione testamentaria satis recenti, idque secundum principia reformationis. Decesserat ante annos octo *Henningus Godenus*, Præpositus VVittenbergensis, JCtus illo tempore illustris, cujus scripta extant & æstimantur. Is legaverat quædam ad missas aliaque ex veteri ritu, quæ huc usque præstita non fuerant. Hoc autem anno transactum est, autoritate Principis, cum hæredibus, ut reditus illi, neglecta veteri superstitione, ad stipendia quatuor juvenum, studio literarum operantium, impenderentur.

Mutatio testamenti ad pias causas, officio Principis decreta.

An. 1530. **SECT. 20.** An. 1530.

Sleid. l. 7. Georg. Cælest. t. 1.

Inde Carolus diplomata d. 21. Januar. in Germaniam expedivit, per quæ omnes Imperii ordines ad comitia Augustæ Vindelicorum d. 8. April. habenda convocabat, ibi se compariturum indicans, & curaturum, ut discordia inter partes ob religionem cessaret, & omnes adversus Turcos conjungerentur, permittens omnibus partibus, ut libere scripto exponerent, quæ causæ suæ defendendæ conducere putarent, omnibus etiam securitatem adeundi, commorandi, abeundi, redeundique indulgens. Dein, cum literas a Ferdinando Rege, fratre suo, & ab Electoribus accepisset, quibus monebatur, ut propter urgentia Imperii negotia quam celerrime in Germaniam veniret, abstitit a proposito Romam, ad assumendam coronam Imperialem, proficiscendi. Accepit itaque eam solenniter Bononiæ d. 24. Februar. natali suo, quem semper felicem habuit, &, postquam res Italiæ ordinasset, d. 22. Martii ad comitia Augustana profecturus, discessit, sæpius tamen in itinere moratus, ac non nisi mense Junio, Augustam pervenit. Interea Elector Saxoniæ, cæterique Protestantium Principes, non ignari, inter Papam, Imperatorem & Ferdinandum fratrem Barcinone conventum esse, ut omnibus viribus Lutheranismus Germania expelleretur, non dubitabant, idem Bononiæ decretum fuisse, & ideo, quid pro defensione sua agendum esset, consultationes instituerant, deliberantes, an expediret, imminens malum prævenire, & cum copiis, quas habebant, Imperatori per Tyrolensem ditionem incedenti, occurrere, & Alpium transitum impedire. Historicum sincerum oportet justitiæ & meritorum, ubicunque ea inveniat, rationem habere, nullo personarum respectu. Dico itaque non veritus, ne me posteritas, cum forte libros meos leget, Lutheranum aut Calvinianum, aut Jansenistam etiam fuisse suspicetur, quod Lutherus hac occasione se gesserit, ut dignum fuit viro bono, magisque quam ipse fuit moderato. Scripsit enim Duci, ut eum a flagitioso proposito diverteret, causam religionis non esse armis defendendam, sed bonis rationibus, patientia Christiana, & magna potissimum fiducia in Deum. Eodemque tempore brevem tractatum edidit, dictis Sacræ Scripturæ repletum,

(1) Cæsar Comitia Augustæ indicat.

(2) Coronatur Bononiæ.

Georg. Cælest. t. 1. f. 19.

Luth. epist. ad Elect. Sax. ap. Cælest. t. 1. fol. 20. ibid. fol. 21.

(3) Laudatur Lutherus quod bellum adversus Cæsarem dissuaserit.

A. 1530. *quibus adversus pericula & afflictiones hujus vitæ animi firmarentur. Redegit etiam in metrum Germanicum Psalmum XLVI.* Deus refugium nostrum & virtus, *modosque musicos addi fecit, ut in omnibus illorum Ecclesiis toto Comitiorum tempore cantari posset, sicut & factum est. Hac de causa Dux Saxoniæ, qui Lutherum pro oraculo sequebatur, ejusque exemplo Principes socii, fidere Imperatori constituerunt, & ad comitia proficisci. Sed prius, quam id fieret, Elector præcipuos Doctores suos cum Luthero congregavit, & hic jussu Principis professionem fidei septendecim articulis comprehensam conscripsit, qui celebris Confessionis Augustanæ veluti materia fuerunt.* An. 1530.

Confess. doctr. & fidei Christ. a Luth. ibid. f. 25.

(4) Articuli ex quibus Augustana confessio composita est.

§. LV.

(1) Stylus indictionis comitiorum placidus.

Cæsar, qui totos quatuor menses a Novembri 1529. ad Martium hujus anni 1530. Bononiæ in eodem palatio cum Pontifice commoratus fuerat, a fœdere, quod hic a Maimburgio indicatur, Barcinone anno præcedenti 1529. d. 29. Junii inito, utique non discesserat: nec latere id poterat Protestantes, cum partium oppositarum proceres, Ecclesiastici maxime, spem & gaudium inde conceptum non dissimularent. At ipse Cæsar non solum in primis indictionis literis, ante coronationem datis, ab omni comminatione abstinuit, & *causam religionis in charitate, lenitate & mansuetudine tractandam, quicquid ab alterutra parte perperam explicatum actumve foret, abolendum, & sicut omnes sub uno Christo militamus, ita unitatem Ecclesiæ & religionis constituendam esse,* significavit; (ita enim in literis suis locutus est, quod & in exordio Decreti comitialis, postea secuti, repetit,) sed & post coronationem repetita scriptione, qua comitia ad Calendas Maji prorogavit, humanioribus verbis idem insinuavit, sive callide, sive, quod sibi omnino cordi esset, & a ministro suo primario, Gattinara, in proposito confirmaretur, ut errores Ecclesiæ serio corrigerentur, & placide de omnibus religionis controversiis transigeretur. Unde nil nisi conjecturæ sunt, quæ Maimburgius de Protestantium consilio, Cæsarem armis aggrediendi, commentatur. Coronationis ritum quod attinet, descriptus ille est ab historicis, relatus etiam a *Cœlestino Tom. I. Hist. comit. Aug. fol. 16. & seqq.* Juramento, quo Cæsar Pontifici se obstrinxit, cautum est: *Imperatorem omnibus viribus, ingenio & facultatibus suis Pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem, nec ullam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum, sed potestatem, jurisdictionem & dominationem ipsius, quoad ejus fieri potest, conservaturum ac protecturum.* Hoc pretio aliisque submissionibus emebatur tum ceremonia illa, exiguo aut nullo Imperatorum, magno vero Pontificis commodo & decore. Nemo ex Germaniæ Principibus ad solennitatem illam vocatus fuit. Aderat in comitatu Cæsaris *Philippus Palatinus*, is, qui Viennam defenderat, modicarum virium Princeps, qui post duos Italos locum in panegyri sumsit. Præclara est, quam hic legimus, Maimburgii de veritate ab Historico sincere observanda protestatio; superflua tamen, aut ne quid dissimulem, affectata, & ineptiæ proxima. Nemo enim sanus, qui scripta ejus vel obiter legit, pro Lutherano, Calviniano aut Jansenista illum habiturus est; odium quippe suum in illos omnes nimis aperte, ubicunque potuit, exseruit. Itaque magis verisimile est; hunc palpum Luthero non ea, quam profitetur, mente, sed ideo applicari, ut Principum causam, qui post aliquot annos arma arripuerunt, tanto faceret suspectiorem: id quod in sequentibus examinandum erit. Cæterum Lutheri literas, quas Maimburgius ex *fol. 20. Cœlestini* citat, quia dies illis non est adscriptus, ad hunc annum incaute retulit, datæ enim fuerunt d. 18. Novembr. 1529. & supra a me recensitæ sunt; debuissent autem alteræ allegari, quas d. 6. Martii suo & Collegarum *Justi Jonæ, Pomerani & Melanchthonis*, nomine ad Electorem, denuo consilium poscentem, dedit, quæ habentur *Tom. V. Altenb. fol. 13. & seq.* & apud *Chytræum hist. Aug. Conf. p. 25. & seqq.* In his persistit in sententia: Cæsari, etsi is contra capitulationem suam vi agat, & libertatem Principibus promissam violet, vi & armis tamen resisti non debere, nisi prius unanimi consensu ab Imperio deponatur. Quapropter nihil superesse, quam ut vim inferenti cedant, eumque etiam in subditos suos, quos magis Cæsari, quam Principibus subjectos esse existimat, **Es sind aller Fürsten Unterthanen auch des Käisers Unterthanen/ ja mehr denn der Fürsten;** (qua de sententia alibi disquiri potest) agere sinant, quæ velit, dummodo ipsi Principes contra conscientiam subditos suos non cogant. Appellationem, qua usi sint, aut porro uterentur, inutilem esse: nam aut rejectum iri, aut, si maxime de illa cognoscatur, non defore judices, qui Cæsaris acta defendant, ab his autem iterum, & in infinitum, appellari non posse. Ostendit etiam summum incommodum, si liceret Cæsari repugnare, quod nempe finis belli non sit futurus, aut, prostrato Cæsare, non nisi anarchia successura sit, cum Imperatoriam dignitatem neutra pars alteri sit concessura. Ad quietem itaque & patientiam se componere satius esse; sic agentes sperare posse, Deum opem laturum, & media inventurum, ut verbum suum conservetur, sicut Christi & Apostolorum tempore & semper fecerit. Biduo post scriptam hanc epistolam, Elector, qui Torgaviæ erat, d. 14. Martii (*Luna post Reminiscere*) quatuor illis Theologis significavit, se literas Imperatoris, quibus ad diem 8. April. Augustæ in comitiis adesse juberetur, accepisse, earumque contenta prolixius enarrat, quæ supra breviter notata sunt: cum itaque hæc comitia pro concilio aut conventu nationali haberi posse videantur, opus omnino esse, ut de articulis controversis, tum in fide, tum in ritibus, certum aliquid constituatur, in quo, Dei ope, bonaque cum conscientia, vel subsisti, vel tractari & cedi possit. Mandat itaque, quoniam res moram non ferret, ut sententiam suam intra hanc & sequentem Dominicam Oculi (d. 21. Martii) conciperent, & ad se Torgaviam perferrent. Articuli autem intra hos dies a Luthero compositi, & Electori Torgaviæ exhibiti, quos *materiam Augustanæ confessionis* vocat Maimburgius, Germanice extant *Tomo V. Altenb.*

(2) Quædam de coronatione Cæsaris.

(3) Elogium Luthero a Maimburgio subdole datum.

(4) Alia Lutheri de bello epistola.

(5) Consultatio Electoris cum Luthero & Collegis, de capitibus religionis profitendis.

(6) Articuli XVII. ab iis exhibiti.

A. 1530.

Altenb. fol. 14. & seqq. & apud *Chytraum p. 45. & seqq.* Latine vero apud *Cœlestinum fol. 25. b. & seqq.* Agunt (1.) de DEO & SS. Trinitate, (2.) de incarnatione Christi, (3.) de passione Christi, (4.) de peccato originis, (5.) de justificatione, (6.) de natura fidei justificantis, (7.) de Evangelii prædicatione, (8.) de Sacramentis, (9.) de baptismo, (10.) de Sacramento Eucharistiæ, (11.) de confessione privata, (12.) de Ecclesia catholica, (13.) de extremo judicio, (14.) de magistratu, (15.) de prohibitione conjugii & esus carnium, (16.) de Missæ abrogatione, (17.) de ceremoniis. Censura horum a quatuor Theologis Brandenburgensibus, nempe *Conrado Wimpina, Joh. Mensingio, Wolfgango Rebdorfio* & *Ruperto Elgersma* postmodum Augustæ composita, & Electori Brandenburgico exhibita legitur, *Tom. V. cit. fol. 16. & seqq.* In exordio mirantur, quod plures articulos, quos antea ad mortem usque se crediturum professus fuerit (intelligunt confessionem supra *§. XLI.* ex *Tomo III. folio 888.* relatam) non repetiverit, præterea sexcentos, ut ajunt, (etliche viel hundert) hæreticos, aut seditiosos articulos in aliis ejus scriptis deprehendi, qui condonari ei non possint. Ad articulos vero *septendecim* respondentes, *tres* priores probant, in *quarto* nil solidi habent quod reprehendant, in *quinto* fide justificari nos ajunt, quæ per charitatem operatur; quod Lutherus non negat, sed ab actu justificationis charitatem separat: dicunt etiam, fidem cum peccatis enormibus consistere posse, id est, historicam, sive nudam notitiam religionis, de qua non quærebatur; de *sexto* & *septimo* logomachiæ indulgent, in *octavo* septem Sacramenta asserunt, in *nono* nugas agunt, in *decimo* transsubstantiationem & unam speciem defendunt, in *undecimo* confessionem sacramentalem exigunt, ut statuta est a Pontificibus, *duodecimo* Ecclesiam visibilem, id est, Romanam, ejusque potestatem, more recepto, confirmant, *decimum tertium* parum impugnant, *decimo quarto* Magistratus Ecclesiastici potestatem seculari æquiparant, *decimum quintum* ut Wicleficum, plane rejiciunt, sicut & *decimum sextum*, ultimum denique, sive *decimum septimum* de ceremoniis non improbant, sed a Luthero probationem poscunt, quæ ceremoniæ verbo Dei repugnent. De hoc autem disputandi genere in sequentibus commodius agetur. Male habebat hos censores, quod, etiam suo judicio, multa orthodoxa in articulis Lutheri deprehenderent: ajebant autem ideo illa admisceri, ut cum iis errores excusatius acciperentur; sed vera indignandi causa erat, quod calumniis suis adeo diffamassent Lutherum, ut a plurimis extra Germaniam potissimum, plane atheus haberetur, qui prorsus impia & nefanda aperte doceret, id, quod Augustæ satis compertum fuit, ut paulo post narrabitur. Istæ autem calumniæ, publicata ex his articulis ejus doctrina, magna ex parte evanescebant.

A. 1530.

(7) *A Pontificiis Theologis examinantur.*

SECT. 21.

Sleid. l. 7.

Georg. Cælest. t. 1. f. 31.

Elector Sax. & alii Principes ad Comitia Augustana proficiscuntur.

Hoc facto, comitante Luthero, in viam se dedit: sed veritus, ne Imperatorem præsentia hominis, quem is Edicto Wormatiensi nominatim proscripserat, irritaret, reliquit eum Coburgi, in munimento, quod habebat, præcipuo, in finibus Franconiæ & comitatus Hennebergici, pollicitus, nihil ipso inconsulto in comitiis actum iri. Postea Imperatorem citius, quam factum est, adventurum conjiciens, ipse omnium primus d. 2. Maji Augustam intravit, comitatus Johanne Friderico filio, Francisco, Luneburgensi Duce, Wolfgango, Principe Anhaltino, Alberto, comite Mansfeldensi, tota Nobilitate Saxonica, & centum sexaginta equitibus, qui bene armati, & purpureis chlamydibus auroque prætextis ornati erant. Cæteri quoque Principes ecclesiastici & seculares, prout citius aut tardius adventabant, reliquo mense Majo, & sub initium Junii, ingressi sunt, comitatu, qui unius cujusque conditionem & locum, quem in Imperio tenebat, deceret.

§. LVI.

(1) *Plura de itinere Electoris.*

(2) *Lutheri conciones.*

(3) *Lutherus Coburgi relinquitur.*

Johannes, Saxoniæ Elector, quanquam non deessent, qui contrarium suaderent, primo tamen Cæsaris jussu accepto, causæ suæ fiducia, iter ingressus est, Dominica Judica (d. 3. April.) Torgavia movens. In comitatu plures Comites Baronesque habebat, quam hic nominat Maimburgius, & septem Equites auratos; sed non totam Nobilitatem Saxoniæ, ut inepte loquitur noster, quæ numerosissima est; sed *septuaginta* tantum ex illa, qui cum famulis *centum & sexaginta* equitum numerum constituebant. Theologi, quos secum habebat, erant *Martinus Lutherus, Justus Jonas, Georgius Spalatinus, Philippus Melanchthon; Johannem* vero *Agricolam* Islebium, Albertus Comes Mansfeldensis secum duxerat. Lutherus in itinere, Vinariæ, in sacra, quam vocamus, hebdomade, aliquoties, deinde & in arce Græfenthalensi, in faucibus sylvæ Thuringicæ, die cœnæ Domini sive Viridium; in Festo vero Paschali Coburgi sæpius concionatus est. Hic in arce, supra oppidum, in edito monte sita, & pro loci natura, tunc quidem modice munita & custodita, subsistere jussus fuit, occulte nimirum, ex causis cum ipso ante iter communicatis: itaque nomen loci in literis suis ibi scriptis omisit, aut *eremum*, *regionem volucrum*, aut tale aliquid adscripsit.

ADDITIO I.

(a) *Deliberatio, & alia quædam ante iter Electoris Augustam susceptum.*

Primam comitiorum indictionem, d. 21. Januarii datam, Elector Torgaviæ d. 11. Martii, & post dies decem alteram, qua monebatur, ut ipse in termino prorogato ad Kalendas Maji adesset, accepit. Ad has d. 23. Martii respondit, seque venturum esse promisit. Discrepaverant tamen Consiliariorum sententiæ, & prælata fuit *Pontani*, quæ manu ejus consignata extat, qua omnibus modis iter suadet. Licet vero etiam Landgravius contrarium consuleret, aut, moram quandam interponendam esse, existimaret, accinxit tamen se Elector, literasque salvi conductus, ut moris erat, a Principibus & Civitatibus, per quorum ditiones transeundum erat, impetravit. Augustani in diplomate suo exceperant, *ne quem in comitatu haberet, qui contra pacem publicam deliquisset*. Hærebat, an *Lutherum* secum duceret, antequam specialem cautionem pro eo

adeptus

A. 1530.

adeptus esset, primamque difficultatem Norimbergenses, ut videtur, moverunt; respondere enim, de hoc capite interrogati, noluerunt; sed, misso quodam ex suis, dubitationem suam aperuerunt, quanquam in actis non invenerim, quid proposuerint. Coburgi itaque, ut dixi, & Elector ipse Theologis VVittenbergensibus scripserat, illum, donec plenam securitatem impetraret, relinquere constituit. Ante abitum mandavit, ut populus pro concione per totam provinciam ad preces pro successu comitiorum admoneretur. Jussit etiam, edicta contra Anabaptistas executioni dari, in religione & ritu vero, articulis visitationis, anni 1528. publicatis, stari.

(4) Elector Augustam venit, & conciones haberi facit.

Elector Coburgo d. 23. ejus mensis digressus, sequenti Dominica Quasimodogeniti Bambergam, post biduum Norimbergam venit, unaque die substitit. Cœlestinus, *Osiandrum* in templo Laurentiano, Melanchthon vero, *Agricolam* in æde B. Virginis, præsente Electore, concionatos esse, referunt. Donawerdæ concionem a *D. Jona* habitam, Dominica proxima Misericord. Dom. Cal. Maji, audivit, sequentique die Lunæ (2. Maji) Augustam ingressus est, mirantibus adversæ factionis hominibus, qui putaverant, fore, ut comitia subterfugeret. Itaque hæc ejus constantia per Germaniam & Italiam celebrari cœpit, a quibusdam etiam Cæsari metus injici, quasi vim pararet; de qua tamen optimus Princeps non cogitabat. In religionis quidem causa tam confidenter egit, ut rogantibus Augustanis, publice in templo Dominicanorum seu Prædicatorum ordinis, conciones a suis haberi curaret; & primam, quia ordo inter Theologos constitutus id poscebat, *Agricola* pronunciavit. Dein Dominica Jubilate sive 8. Maji ad D. Catharinam, in monasterio virginum, ab alio, jussu Electoris, idem factum.

(5) Landgravius idem facit.

Philippus, Hassiæ Landgravius, d. 12. Maji Augustam venit, centum viginti equitibus comitatus; ejus autoritate postero die *Erhardus Schnepffius*, quem adduxerat, in templo Cathedrali concionatus est; sequenti Dominica Cantate (d. 15. Maji) Landgravius *Michaelem Kelnerum*, sive *Cellarium*, Augustanum Ecclesiasten, sed Zuingliano dogmati deditum in eodem templo concionari jussit; sed postea invidiam veritus, conciones coram se habendas ad ædem S. Ulrici transtulit. In Festo Pentecostes *Urbanus Regius*, præsente Electore, ad S. Catharinam, *Snepffius*, coram Landgravio & Georgio Brandenburgico, ad D. Ulricum sermones habuerunt. Irritarunt autem Principes protestantes hac concionum in templis habendarum libertate adversam partem, & jam ipsi intelligebant, Cæsarem eam non esse toleraturum.

(6) Consultatio cum Theologis de continuandis concionibus.

Consultarunt itaque cum Theologis, an defendere illam possent: & primo quidem Melanchthon consuit, licite fieri conciones publicas, quod idem in aliis comitiis (Spiræ scilicet) jam esset factitatum; dein, quod non prædicentur controversa, sed saltem utilia ex doctrina Christiana, & ad emendandam vitam necessaria, quorum nihil condemnatum rejectumve esset; proficerent etiam ad calumnias adversariorum depellendas; addidit tamen, Cæsari prohibenti obsequendum, & publicas & privatas in hospitiis conciones, intermittendas esse, nec vi resisti posse. Repetita cum cæteris deliberatione, idem fere responsum fuit, sed prolixius, &, ut saltem in hospitiis suis conciones sibi interdici non facile paterentur, sed de jure suo protestarentur, obsequium tamen plane denegari, nemo suadere voluit. Tertia dein consultatio, cum jam de Cæsaris, qui Oenipontem interea venerat, mente, quod conciones inhibere vellet, certiores facti essent, secuta est, & in eam sententiam itum, ut continuarentur, donec Cæsar fores templorum claudere juberet, in hospitiis vero non omitterentur: suspenderunt autem judicium, si etiam hoc severius interdiceretur. Referuntur ista pluribus a *Cœlestino Tom. I. fol. 32. & seqq.* & in compilatione *Consiliorum Melanchthonis Pezeliana Part. I. p. 102. & seqq.*

(7) Lutheri ea de re epistola.

Elector, datis ad Lutherum literis, d. 11. Maji (*Tom. V. Altenb. fol. 21.*) transmissisque Theologorum sententiis, quid ipsi videretur, aperire jussit. Responsum d. 15. Maji extat d. *Tom. V. fol. 22.* & Latina ejus versio apud *Cœlestinum fol. 42. b.* item *Pezelium p. 109.* his verbis: *An Cæsareæ Majestati petitura, ut Celsitudo Vestra conciones intermitti sinat, obtemperandum sit? Idem respondeo, quod antea:* (de hoc nihil invenio) *Cæsarem esse nostrum Dominum, urbem Augustam & omnia ipsi subjecta esse, sicut C. V. in oppido Torga, ut in propria urbe, aliquid intermitti petenti aut mandanti, non resistendum est. Optarim equidem, cum debita subjectione, idoneis & aptis verbis & rationibus, Cæsar. Majest. voluntatem & propositum flecti humiliter posse, ne Cæsar. Majest. inauditas conciones prohiberet. Nec pura & clara Scriptura sacra prædicationem impedire deberet, cum nihil seditiosum aut fanaticum doceatur. Si hac deprecatione subjectissima nihil obtineri poterit, vim injustam nos ferre patienter oportet. Fecimus, quod nostri officii fuit, & excusati sumus.*

(8) Melanchthonis consilium de esu carnium.

Invenio, consultatum etiam fuisse, quid faciendum sit, si Cæsar carnium esum diebus vetitis prohiberet, & extat *Melanchthonis* responsum, parendum esse Cæsari, in re per se non illicita. Cum vero opponi sciret, quod in comitiis Spirensibus jejunia illa servata non fuissent; monere ausus est, id non sine scandalo factum esse, accedente aulicorum petulantia, præsertim in compotationibus: cum tamen illi, qui Evangelium profitentur, modestiam colere, aliosque ejus exemplo allicere debeant. Cognoscitur hinc, & ingenue fatendum est, multum nocere religioni, si comitata non sit exacta disciplinæ observatione. Neque tamen ex hujus defectu contra religionis puritatem argumentari debuerunt olim, nec hodie debent, reformationis osores. Invaluerat aulæ vitium a multis seculis, nec hodie cessat, ne apud eos quidem, qui rigorem jejuniorum præ se ferunt, eodem tamen tempore cibis delicatioribus & vino indulgent.

(9) Landgravius concordiam suadet cum Zuinglianis.

Hic quædam ex actis in otio illo, quod Principes, ante Cæsaris adventum, Augustæ, Lutherus autem Coburgi, habebant, referenda sunt. De Philippi Landgravii mente duplex me

An. 1530. tus erat, tum, ne fervore suo causam religionis in periculum mitteret, tum, ne Zuinglianis partibus accederet. Utrumque ex *Melanchthonis* literis ad *Lutherum* & *Camerarium* intelligi potest: vide *Lib. IV. epist. 94.* maxime vero *Lib. I. epist. 2.* in qua Lutherum monet, ut ad Principem scribat. Data est Melanchthonis epistola Domin. Voc. Jucund. id est, d. 22. Maji, sed Lutherus jam prævenerat, &, d. 20. Maji prolixas ad Landgravium literas composuerat, in quibus eum modeste quidem, sed & graviter a Zuingliano dogmate dehortatur. Extant *Tom. V. Altenb. fol. 22. 23.* In his argumento suo perpetuo de verbis institutionis Christi insistit, & inter alia queritur, quod Carolostadium receperint Helvetii, ejusque calumniis adversum se fidem habeant, tandem vero ad obtestationes & preces descendit, hunc in modum: Ach Herr Gott! Es ist nicht schertz noch schimpff rc. *O Deus! non est jocus aut lusus nova docere, non licet opiniones & incertas sententias in talibus causis proferre; claræ & efficacissima Scriptura dicta requiruntur, qualia huc usque non sunt producta. Certe ingens periculum magnosque metus doctrina mea causa sustinui, nollem frustra tantas molestias suscepisse, aut adhuc subire. Ideoque ex odio aut superbia minime contradico; recepissem dudum illorum dogma, (Deus mihi testis est) si fundamentum ejus demonstrare potuissent. In illo enim, quo nituntur, conscientia mea acquiescere non potest; spero etiam, Christum Dominum meum per me, vas licet miserum, tum paucanon effecisse, ut possint de me secum comparato contemtim judicare, ac si nihil præstitissem. Commendo Celsitudinem Tuam Deo nostro, videbit, ut confido, me bona & fideli mente agere. Deus, pater omnium animarum afflictarum, det nobis omnibus gratiam suam, & illuminet nos sua veritate.* Elector eodem tempore literis clementissimis Lutherum, quem capitis doloribus affligi audiverat, honoravit, ex quibus una antehac non edita *d. Tom. V. fol. 23.* legitur, in qua eum rogat, ut hospitio in arce contentus sit, & otium haud ægre ferat, nehmet alda vor lieb / last euch die weile nicht lang seyn. De valetudine ejus valde se & omnes sollicitos esse testatur, Deumque precatur, ut illum servet propter verbum suum: *Ipse te moneo,* scribit, *ut valetudinem cures:* mittit etiam medicamina D. Caspari, medici sui. Ad hæc prolixe respondit Lutherus, eodem, quo ad Landgravium scripserat, die *d. Tom. V. fol. 23. 24. Non erat necesse, ut Celsitudo Tua tam benigne mei recordaretur, nobis incumbit, ut ejus memores simus, & pro ea oremus, quod & revera & fideliter facimus. Tempus sine tædio transigo, & hebdomades mihi non nisi dies esse videntur: splendide & opipare habemur.* Wir leben als die Herren. Conditionem autem Electoris duram esse dicit, cum omnium Principum aliorumque iras & furores ferre debeat, idque solius puri & vivi verbi Dei causa, umb das reine / zarte / lebendige wort Gottes / alias enim illum pro innocenti, modesto, probo & fideli Principe haberi. Sed lætari eum jubet honore hoc a Deo concesso, ut ejus causa ignominia afficiatur. *Act. V. 41. 2. Thess. I. 11.* nam Dei iram in cæteros cognosci ex illorum indurato furore adversus Evangelium. A. 1530.

(10) *Lutheri de ea epistola.*

(11) *Electoris comes ad Lutherum litera, & hujus responsio.*

ADDITIO II.

Questus est de conditione sua paulo post ipse Princeps in literis ad *Nicolaum ab Ende*, tunc præfectum Vallis S. Georgii, manu sua datis d. 28. Julii, *neque enim solum repulsam investituræ tulisse se a Cæsare* dicit, *verum etiam alloquio ejus nondum frui potuisse:* (Hat uns noch kein Wort zugesprochen:) *unde constare,* ait, *quam graviter delatus sit apud Cæsarem, idque, suspicari, a proximis suis factum esse,* (Georgium Ducem, patruelem suum, innuit.) De sumtuum quoque excessu queritur, & *jam æs alienum se contraxisse* significat. Conturbaverat enim lenitate sua rationes fisci, unde Pontanus, horum ipsorum comitiorum occasione, ausus est Principi accuratiorem œconomiam commendare. Non ignota erat afflictio Electoris: nec deerant, qui eum consolarentur: inter quos memorari merentur Magdeburgenses, qui in literis, ad eum d. 29. Julii scriptis, ita loquuntur: E. Churfl. Gnaden sind itzo in mercklichen Anliegen der gantzen Christenheit / in fremden Landen groß bemühet / und ungezweifelt nicht in geringen widerstand / unter dem heer-panier des Herrn Christi / in schweren Kampf zu stehen. Bitten von GOtt täglich stärcke / gedult / gnade / und im theuren Wort Christi frölliche Siegfechtung / welche wir doch nach des HErrn willen mit grossem verlangen erwarten / nach dem unser zeitlicher trost vornemlich auff E. Churfl. Gnaden rubet. Sensus est: *Cum Elector pro causa totius Christianitatis in loco peregrino magnam sustineat molestiam, & sine dubio, menti in lucta sub vexillo Jesu Christi versetur, se Deum quotidie implorare, ut illi constantiam, patientiam, gratiam & in pretioso verbo Christi victoriam concedat: hoc se secundum voluntatem Dei sperare, cum maximum suum solatium ac spem in terris, in Electore habeant.*

(a) *Electoris querela de periculo suo, & de sumtibus.*

(b) *Consolatio ad eum Magdeburgensium.*

Addidit Lutherus egregium elogium de statu religionis in Electoratu, quod omnino huc transscribendum est, ut simul ac semel os obstruatur calumniatoribus, qui cum Cochlæo aliisque maleferiatis horrendam Ecclesiæ Saxonicæ faciem illo tempore affingunt. Latine versa (omisso tamen, quod retuli, exordio) extat hæc epistola apud *Cælestinum fol. 47. & seqq.* sed diem 22. Maji adscriptum habet, qui 20. in Tomis Lutheri *Germanicis* notatur. Ita autem scribit Lutherus: *Praterea multo clementius & uberius misericors Deus suum erga V. C. amorem declarat, quod verbum ipsius tanta cum efficacia & fructu in C. V. ditionibus propagatur. Profecto enim plures & præstantiores V. C. in sua ditione pastores & doctores habet, quam ulla alia regio totius orbis terrarum, qui adeo pure & fideliter docent, & auream pacem adeo studiose tuentur. Adolescit nunc tenera ætas puerorum & puellarum, in Catechesi & sacræ Scripturæ cognitione adeo bene instructa, ut singulari voluptate in meo corde afficiar, cum video, jam teneros puellos plus discere, credere & loqui posse de Deo & Christo, quam olim & adhuc omnia Collegia, Monasteria ac Scholæ in Papatu sciverunt, & adhuc sciunt. Est profecto hæc tenella ætas in V. C. ditione amœnissimus Paradisus, cui toto orbe terrarum nullus similis est. Et hunc Paradisum in C. V. [...] Deus plantat, ut evidentissime demonstret, se C. V. placatum & propitium esse.*

(12) *Celebrat Lutherus statum religionis in Saxonia.*

Quasi

A. 1530. *Quasi dicat : Charissime Princeps Johannes, commendo tibi pretiosissimum thesaurum meum, amœnissimum plantularum cœlestium Paradisum: tu pater earum esto : nam tuæ tutelæ & imperio eas subjici volo, & te hoc honore dignor, ut mei horti cœlestis præses & patronus sis. Hæc certissima sunt. Nam Dominus Deus, qui V. C. hujus ditionis parentem & salvatorem constituit, per V. C. ministerium & officium omnes subditos alit, ut omnes Celsitudinis Vestræ pane vescantur. Quod non aliud est, ac si Deus ipse V. C. quotidianus hospes & pupillus esset : cum Dei verbum, & Dei filii, qui verbum ipsius amant & amplectuntur, in C. V. ditione, tanquam quotidiani hospites & pupilli, habitent & sustententur. Econtra expendatur, quantum damni afferat aliorum furentium Principum obfirmata rabies teneræ ætati; quam ex Dei paradiso in impiam, fœtidam, & lacerum lacunam diaboli degenerare sinunt, perdunt omnia, & diabolos quotidie mensæ assidentes & hospites habent. Indigni enim sunt apud Deum hoc honore, ut ex universis suis bonis haustum gelidæ aquæ verbo divino tribuant : immo Dei justissimo judicio eo impietatis delabuntur, ut Christo in cruce pendenti, acetum, myrrham, & aloen propinent : tametsi multi interim sub ipsis passim degunt, qui C. V. paradisum, & terram sanctam magno desiderio amant, ac pro ea toto pectore Deum ardenter orant. Cum igitur Deus verbi sui copiosissimo fructu in V. C. regione dominetur, & Vestræ Celsitudinis officium, bona & facultates, ad usus Deo gratos, & ecclesiæ & reipublicæ salutares, conferantur, & vere quotidiana eleemosyna & sacrificia sint, in honorem nominis ac verbi divini jugiter oblata, & præterea, placido & benigno corde, non homicidiali & sanguinolento, quale in adversariis esse oportet, illa prædita sit, magnas certe C. V. causas habet, cur in Domino toto pectore lætetur, & his tantis testimoniis, divinæ erga ipsam benevolentiæ, se ipsum consoletur. Profecto enim excellens & summa gloria est, quod Deus C. V. ad summum hunc amorem elegit, consecravit, & dignam censuit, cujus anima & corpus, bona & facultates, ditiones, & populi, & omnia, quæ C. V. possidet, Domino Deo nostro ita sancte serviant, ut divinum ipsius verbum non modo ab omni persecutione liberum sit, verum etiam patrocinio & ministerio C. V. præcipue foveatur & conservetur. Et quanquam aliqui nostrum in odio & periculo sunt : tamen nihilominus sub C. V. defensione & tutela, verbi propagatio feliciter succedit. Postremo funduntur pro C. V. ardentissimæ precationes ab omnibus piis, præsertim in V. C. ditionibus : & scimus, preces nostras rectas, & bonam causam esse. Quare eas a Deo recipi, & certo exaudiri, nullo modo dubitemus. O ingentem efficaciam precum, quas tenella ætas innocentibus lingulis suis adeo ardenter ad Deum fundit, & C. V. tanquam Patrem suum, misericordi Deo adeo fideliter commendat. Econtra scimus, adversarios malam causam fovere, nec posse Deum invocare, sed astutas practicas comminisci, & sua sapientia, & viribus niti, ut coram videmus. Ita vere in arena ædificant. Hanc epistolam meam, ut C. V. clementer a me accipiat, reverenter oro. Deum testor, me vera loqui, & non adulari. Vereor enim, ne Satan C. V. cor mœrore & tristitia perturbet. Novi eum ex parte, ac scio, quibus artibus mihi non raro molestus esse soleat : tristis & austerus spiritus est, qui ægerrime corda tranquilla, & in Deo præcipue læta esse sinit, multo minus permittet C. V. bono & tranquillo animo esse, cum sciat, quantum non nobis tantum, sed toti mundo, ferme etiam dixerim, ipsi cælo in C. V. incolumitate commodi situm sit. Nam magna pars regni cœlorum, in C. V. Ducatu, ministerio verbi, de die in diem plantatur. Quod summo cum dolore diabolus videt : ideoque omnes nos C. V. in precibus, consolatione, vera dilectione, &, quibuscunque possumus modis, adesse debere intelligimus. Nam, cum V. C. bono & læto animo est, tum & nos vivimus; cum tristi & abjecto est animo, & nos ægrotamus. Verum Dominus & Salvator noster Jesus Christus, quem Pater omnium gratiarum nobis adeo opulenter patefecit & donavit, C. V. perpetuo conservet, corroboret, & adversus omnia virulenta, & ignita tela illius austeri, tristis & maligni spiritus defendat. Amen. Datum 22. Maji anno 1530.*

(13) *Addit preces & vota.*

Emphasin & elegantiam Germanici styli interpres assequi non potuit. Obiter hic notetur, quam futile sit eorum judicium, qui Luthero tam horridum & austerum tribuunt animum, ut nulla comitate aut elegantia, ne quidem cum superioribus agens, temperare eum potuerit. Aliud vel ex duabus his ad Electorem & Landgravium literis, una die datis, manifestum est, quanquam ex innumeris aliis exemplis idem satis appareat. Ad literas istas Lutheri Elector d. 1. Jun. rescribens, gratias egit, *Tom. V. Altenb. fol. 24.* Latinas vide apud Cœlestinum *fol. 54.* in his etiam Lutherum secreto docet, Cæsarem instructionem ad se misisse, in qua, propter edictum Wormatiense non servatum, & aliis de causis, graviter queratur, simul leniter petat, ut conciones paulisper, dum Cæsar adveniret, & in ea causa constitueret, intermitterentur; indicat etiam breviter, se Cæsaris postulatis assentiri non potuisse : Merentur ista, fusius a *Cœlestino* tradita, in compendio enarrari, omissa non solum a *Maimburgio* & *Pallavicino*, sed & pejori fide, a *Cochlæo*, quia ea non ignorabat, Augustam a Georgio Saxone adductus. Dictum supra fuit, ut Cæsar in indictionis literis satis liquido spem fecerit, fore, ut amice & placide de religionis causa in comitiis tractaretur : sed in itinere, tum a Pontificiis legatis & nuntiis, eum & fratrem Ferdinandum comitantibus, tum a Principibus, qui illi Oenipontem usque obviam profecti erant, languente graviter, & paulo post mortuo Cancellario Gattinara, mire distrahebatur. Principes illi erant, *Joachimus* Elector Brandenburgicus & *Georgius* Saxo, *Guilielmus* item Bavarus, Evangelicæ causæ omnium infensissimi. Hi Cæsarem, de Electoris Saxoniæ

(14) *Responsum Electoris.*

(15) *Cæsar, adversus Protestantes incitatus, Legatos mittit ad Electorem.*

An. 1530.

A. 1530. niæ maturo adventu & splendido comitatu nescio quid suspicantem, confirmasse dicuntur, ut mascule ageret, sex mille equitum præsidium ei offerentes. Lutherus tamen, qui ista nesciebat d. 1. Junii ad *Jacobum Præpositum*, Bremensem Ecclesiasten scripsit: Cæsarem a Principibus illis corrumpi se non esse passum; sed acta ostendunt, haud plane frustra eum incitatum fuisse. Bis enim Legatos misit ad Electorem, *Guilielmum Nassovium & Guilielmum Nuenarium*, Comites, qui cum eo multa expostularunt. Prima vice regressis adjunxit Elector *Johannem a Dolzig*, Equitem auratum, ex aulæ suæ proceribus, & tunc Marescallum.

ADDITIO III.

Legationes & scripta ante comitia Augustana.

Non hunc solum, sed, pro majori officii demonstratione, etiam *Sebastianum & Joachimum Pappenheimios*, Sub-Marescallos suos & Imperii, ut & *Johannem a Minckwiz*, Equitem, diversis vicibus ad Cæsarem ablegavit, qui adventum suum ad comitia significarent, & negotia sua commendarent, quædam etiam excusarent, inter quæ erat, hospitium sororis suæ filiæ, Electrici Brandenburgicæ, præbitum, quæ a marito, ut alibi notavi, profugerat. Dolzigius cum d. 4. Maji Oenipontem ad Cæsarem venisset, sequenti die benigne auditus est. Intellexit inter alia, immerito in suspicionem adductum esse Electorem, ac si cum Landgravio, de restituendo Ulrico VVürtenbergico Duce, conspirasset. In legatione comitum ad Electorem artificium aulæ deprehenditur. Elegerat eos Cæsar, quod gratos esse Electori sciret; uterque etiam Evangelio favebat, quod & postea publice professi sunt. Hi, quicquid duri Electori denunciabant, suo veluti nomine & injussi dicebant, revelarunt id tamen ex mandatorum exemplo, quod in Archivis extat. *Balthasar* Vice-Cancellarius, licet jam Episcopus Constantiensis & Hildesiensis postulatus esset, pro veteri tamen familiaritate & privato stylo Electori scripsit, *Dominum Clementissimum* vocans, eumque, *optime de Cæsare sperare* jussit, *meritisque confidere, cum ita se erga Cæsarem gesserit, ut ei omnino placeat.* Ita multi bonitate Electoris abutebantur, ut Johannes Fridericus, filius Electoris d. 15. Maji ad Dolzigium scripserit: *Multa imprudenter in aula parentis agi, & Deum vere esse parentum & liberorum tutorem.* (der Kinder und Väter Vormund.) Sperat tamen, *etsi humana consilia deficiant, eo tamen ipso ostensurum esse Deum, quod gloriam verbumque suum absque hominum ope defendere possit. Causa*, inquit, *Dei est, ipse faciet; hominum voluntate nihil efficietur: oremus Dominum, ut opus suum exequatur, ad nostram salutem, & ut ante omnia verbum suum nobis conservet.* Refert inde, *se Patri autorem fuisse, ut ipse ad Cæsarem proficisceretur, aut se mitteret, ut calumniis æmulorum occurri tanto validius posset; sed aliorum consilio impeditum utrumque fuisse.* Colligi hinc potest, ut Princeps iste pie judicavit, quicquid boni in his comitiis pro religione actum est, humanæ prudentiæ non esse adscribendum.

(16) Elector respondens oppugnat edictum VVormatiense.

Dein reversis & priora urgentibus comitiis a Cæsare missis, in scriptis respondit Elector, quæ leguntur apud *Chytræum p. 71. & seqq.* & Latine apud *Cælestinum fol. 50. & seqq.* Inter alia notandum ex illis est, Electorem validitatem edicti Wormatiensis non agnoscere, ita enim de eo loquitur: *Malevoli nostri non poterunt ostendere, quod sex Electores, & in his charissimus frater noster, Dux Fridericus, Vestræ Majestatis edictum illud cum aliis Principibus ac populis approbaverit; & Cæsarea Majestas clementer meminit, & meminerunt alii Electores, quæ fuerit voluntas, sententia & consilium Fratris nostri, cum de illo edicto faciendo deliberaretur, neque difficile esset ostendere, si opus esset.* Subjungit postea generalem regulam, quod in rebus religionem & conscientiam singulorum tangentibus, non possit ab aliis, sub prætextu majorum suffragiorum, decerni: item, quod Deo ante omnia parendum sit: dein quod Wormatiense edictum sine periculo Germaniæ non potuerit executioni mandari: & quod dissidii causa obstinationi adversariorum, manifestos & impios abusus tuentium, imputari debeat, Cæsar vero intellecturus sit, piam esse doctrinam in Protestantium ditionibus: denique se non putasse, de edicto Wormatiensi denuo actum iri, quia, in literis indictionis comitiorum, alia tractandi ratio oblata fuerit, a quarum fide discedi non debeat. Testatur postea, neque defunctum fratrem *Fridericum*, ullum fœdus iniisse, cujus fiducia doctrinam Evangelicam amplexi essent; fatetur tamen, cum vicinis, ob atroces minas, sæpe contra se auditas, de defensione mutua convenisse: poscit, ut adversarii instrumenta fœderum inter se initorum ederent, quo facto se quoque producturum esse, quæ cum aliis pactus esset. Ultimo capite conciones excusat: prædicari enim verbum Dei, quo carere non possit, orari pro Cæsare & magistratibus, erroribus de Sacramento in urbe Augusta sparsis oppositionem fieri, multorum cum profectu: Conciones tales in binis comitiis Spirensibus absque ullo tumultu habitas esse, nihil enim prædicari, nisi, quod sit catholicum; si prohiberentur, præjudicium doctrinæ inferri, de qua tamen ut ageretur, comitia publice indicta sint, & sic literis Cæsareis fidem adimi. Hæc, subjuncta officiosa contestatione, legatis exhibita sunt, ult. Maji. Interea mora Cæsaris Principibus, eum Augustæ magno sumtu expectantibus, gravis erat. Electorem Saxoniæ singulis septimanis centum florenos pro pane solum expendere, bis mille in alia, Lutherus in epistola illa *ad Jacobum* memorat, & fama erat, Cæsarem id agere, ut Principes sumtuum onere gravati discederent, totaque Comitiorum actio in ventos abiret. Id Lutherum quoque angebat, ut literæ *ad Melanchthonem* d. 2. Jun. datæ, ostendunt. *Cælest. fol. 60. b.* In his etiam queritur Lutherus de frequenti amicorum accessu, in quibus *Argulam Staufiam* nominat, &c, simulare se abitum ex arce velle, scribit, ut tanto lateret secretius. Dixi supra de solicitudine Lutheri & Melanchthonis, ob Landgravii propensionem ad conjunctionem cum Zuinglianis. Iste igitur ante adventum Cæsaris negotio huic intentus, consilium a Philippo Melanchthone & Johanne Brentio, quem Georgius Marchio adduxerat, petiit. Horum responsio extat *apud Cælest. tom. I. fol. 61. & seq.* in qua de allegorica explicatione sacræ Cœnæ, &c, quanto periculo ad alios articulos fidei extendi possit, tum de *Campani, Martini Cellarii & Carolostadii* heterodoxia multa questi, fraternitatem, per literas quasdam, a Landgravio communicatas, a Zuinglianis oblatam recusant. Quæstionem de Sacramento magni momenti esse, dicunt, nec contrariæ opinionis

An. 1530.

(17) Objecta fœdera & conciones excusat.

(18) Mora Cæsarei adventus molesta.

(19) Lutheri fastidia Coburgi.

(20) Acta inter Landgravium & Theologos Lutheranos in causa sacramentaria.

A. 1530. nis refutationem, ut illi volebant, ad Concilium esse differendam, non magis, ac Pontificiorum errorum, quos tamen, ut & Anabaptisticos, Zuingliani quoque, non expectato Concilio, persequantur: improbant etiam consilia de fœderibus, quæ, ut fama erat, nescio pro qua libertate, ad invadenda bona Ecclesiastica tractabantur. Hæc scripserunt vigilia Trinitatis, id est, d. 11. Jun. Sequenti die multa ad hæc regessit Landgravius, quæ legi possunt *d. l. fol. 63. & seqq.* Distinguit Zuinglianos ab Anabaptistis & tumultuantibus: sententiam de Sacramento fere in medio relinquit, &, ulterius auditurum se esse, dicit, quæ Philippus & Brentius statuerent, quæ non satis a se dici intelligi. Negat fœdus, de quo scripserant, a Zuinglianis cogitari, maxime autem suadet, ne hi condemnentur inauditi, aut occasio detur vi adversus eos agendi, id quod sciat Lutherum nunquam consuluisse, ut qui libertatem publice docendi & disputandi asseruerit. Ad hæc illi, altera epistola, de moderatione sua, &, ut multos inter Zuinglianos amicos habeant, neminique nocere velint, multa protestati, fraternitatem tamen denuo recusarunt, neque hac juvari illos posse dicunt, si Cæsar, quod metuebatur, vi persequi Zuinglianos decreverit. Improbant in genere omne consilium de religione armis protegenda: doctorum officium esse ajunt, ut eam suo periculo defendant: allegant Friderici Electoris exemplum, qui Lutherum adversus Cæsarem tueri noluerit. Famam de fœderibus & bellis, quæ Zuingliani molirentur, utique in urbe spargi, affirmant; monent, humanis præsidiis ne optimam quidem causam defendi posse, idque multis exemplis compertum esse. Rogant igitur Principem, ne quid præcipitanter agat. *Nos certos, ajunt, articulos habemus & plane ejusmodi, quos ad extremum supplicium usque defendere possemus; id quod nobis magno est solatio.* Referuntur ista omnia etiam ab *Hospiniano Part. II. Hist. Sacr. in an. 1530.*

ADDITIO IV.

(a) *Melanchthonis sententia de præsentia reali.*

Notabilis est schedula *Melanchthonis* manu scripta (*Reg. E. 37. n. 1.*) in qua Electori, sententiam suam de præsentia corporis Christi, occasione hujus cum Zuinglianis tractationis, breviter exponit his verbis: *Nestorius duas personas posuit in Christo, statuitque, posse naturam humanam in Christo sine divina esse. Ita, si nos poneremus, tantum Christi corpus in Sacramento, & divinitatem non poneremus esse, sequeretur, quod divideremus Christum exemplo Nestorii. Ideo respondemus, quod totus Christus sit in Sacramento, ne quis suspicetur, nos divellere naturas, aut duas personas ponere.* Jungantur his, quæ adversus Buceri epistolam ad Pontanum scripsit, relata a *Cœlestino Tom. II. fol. 299. & sqq.* inprimis verba, quæ habentur *fol. 300. Quanquam contra Bucerum dicimus, quod corpus Christi realiter adsit, tamen non dicit Lutherus, adesse localiter, scilicet in aliqua mole, circumscriptive; sed illo modo, quo Christi persona, seu totus Christus præsens est omnibus creaturis.* Apparet hinc, argumentum ad demonstrandam præsentiam in Sacramento jam tum desumtum fuisse ex unione personarum, sive ex omnipræsentia Christi, ut personæ, & errare illos, qui cum *Hospiniano d. l. fol. 93.* existimant, Luthero & Melanchthoni dogma hoc, quod ubiquitatis vocant, in mentem non venisse, immo rejectum ab illis esse. Interim verum est, hoc argumentum pro ratione generaliori dubitationibus Zuinglianis oppositum fuisse; propius enim sumebatur ex verbis institutionis Christi, quibus præsentia corporis & sanguinis ipsius satis clare indicatur.

(b) *Observatio de omnipræsentia Christi, ut hominis.*

An. 1530.

(21) *Præparatio ritus in excipiendo Cæsare.*

Interea Cæsar per literas ab Electoribus, Augustæ præsentibus, ad maturandum adventum suum, rogatus fuit, (vide *Cœlest. Tom. I. fol. 56. & 57.*) in quibus etiam, tanquam consiliarii Cæsaris in Imperio, (ut loquuntur) monent, quid in ingressu ejus observandum esset. Responsum Cæsaris habetur *fol. 58. b. & seqq.* in quo pleraque ex Electorum consilio admittit, multa tamen de legato Pontificio, cujus illi nullam mentionem fecerant, honorando inserit; speciatim vero, etsi Aureæ Bullæ, quam Electores allegaverant, dispositionem in hoc actu non agnoscat, sed in medio relinquat, consentiebat tamen, ut frater suus Ferdinandus, tanquam Rex Bohemiæ, ad dextrum latus suum incederet: Decesserat inter hæc Vigilia Pentecostes d. 4. Junii *Mercurinus Gattinara*, sæpe laudatus, Cardinalis, & supremus Caroli Imp. Cancellarius, vide *Cœlest. fol. 43. & 44. b.* Refert ibi epistolam Melanchthonis ad Lutherum (quæ inter Melanchthonianas a *Peucero* editas habetur *Lib. I. ep. 2.*) In hac, postquam scripsisset, *duas esse in consilio Cæsaris sententias*, addit: *in posteriore* (id est, ne vi agatur) dicitur esse *Mercurinus ὁ ἀρχιγραμματεύς, vir summus & moderatissimus, quem ajunt dicere: se in adversa valetudine, hac spe secutum Cæsarem esse, quod arbitraretur, fore, ut res Ecclesiastica rite constituerentur: nolle se violentis consiliis interesse. Nihil hic audivimus, quod magis videretur nobis dignum memoratu; & certe delector hac voce & sententia sapientissimi viri. Christus respiciat ac servet nos, & gubernet omnium consilia ad pacem & utilitatem publicam! Addidit Mercurinus hoc quoque: Wormatiæ apparuisse, quam nihil proficiant violenta consilia: fuit enim Wormatiæ in comitatu & consilio Cæsaris.* Hæc Melanchthon. Egregium vero est, quod *Spalatinus* de eodem viro ex aula Cæsarea ad se perscriptum esse notavit, apud *Cœlest. Tom. I. fol. 36. b. Ex aula Cæsareæ Majestatis huc perscriptum est, mihique Georgio Spalatino D. Cornelius,* (Scepperus scilicet) *utriusque juris Doctor, Mercurini Archicamerarii amicus intimus, & multis legationibus vir exercitatissimus, ipse retulit, Dominum Mercurinum, præsentibus & audientibus multis nobilissimis & clarissimis viris, dixisse & confirmasse, se nihil magis habere in votis, aut amplius a Deo petere, quam ut Dux Elector Saxoniæ, sociique conjuncti, constanter in Evangelii professione pergant, & persistant, ac concilium pium & liberum flagitent atque urgeant. Si enim vel minis deterreri & abduci a proposito, vel aliis verbis lenibus sese decipi sibique imponi patiantur, & non legitima Concilii cognitione causa decidatur, definiatur atque componatur, animum suum per totius vitæ curriculum, in quo acquiescere possit, non habiturum, sed semper vacillaturum, & de vera ac certa salutis adipiscendæ & vitæ æternæ possidendæ ratione atque via perpetuo dubitaturum esse.* De Cornelio illo, olim Christiani, Daniæ Regis, Vice-Cancellario, simul & de Gattinaræ morte, notanda sunt ejusdem Melanchthonis verba *Lib. I. ep. 4. Cornelius inquit, spem se habuisse pacis aliquam, vivo Mercurino; hoc extincto,*

(22) *Gattinaræ mors & elogium ex variis.*

A. 1530. *tincto, neminem esse in aula affirmat, qui autoritate valeat, qui pacis autor sit; sed ludit suo more, ac videtur singulari diligentia cavere, ne veniat in suspicionem nostra amicitia: ideo nihil nos adjuvat.* An. 1530.

SECT. 22.

Philipp. Melanchth. Epist. Luth. ap. Cœlest. t. I. f. 39.

Schlüsselburg. l. 2. Theol. Calvinist. Flor. de Ræm. l. 2. c. 9.

(1.) Melanchthon autor Augustanæ confessionis.

Dum expectatur Imperator, in Tyrolensi tractu moram trahens, Philippus Melanchthon, ad confessionem fidei, quæ in comitiis exhiberi deberet, in bonam formam redigendam delectus, satis temporis habuit, ut id faceret: nec ei industria defuit, septendecim articulis Lutheri utenti, qui negotium hoc partium suarum gravissimum libenter ei detulerat. Hic Philippus, *celeberrimum nomen inter Protestantes adeptus, natus fuit in exiguo Palatinatus inferioris oppido, haud procul Rheno. A natura vero, in nascendi sorte infima, tantum acceperat ingenium, tamque aptum ad scientias, ut, annos non nisi viginti natus, jam tum famam egregiam inter doctissimos Germaniæ viros acquisiverit, maxime in humaniori literatura & Philosophia Aristotelis. Itaque a Friderico Electore Saxoniæ anno 1518. in Universitatem Wittenbergensem accersitus, tam arcte Luthero adhæsit, ut mox, summum familiaritatis gradum apud eum obtinuerit. Sed dici potest, vix unquam amicitiæ tam insolitæ & extraordinariæ exemplum repertum esse, inter homines ingenio prorsus dissimiles, & quos ideo invincibili quadam antipathia collidendos esse, verisimile fuisset. Lutherus enim, ut nemo dubitat, audax erat, temerarius, imperiosus, ferus, elatus, iracundus, nullum modum aut decorem, neque in scriptis neque in sermonibus, servans, ubi semel incaluisset. Idem ad decidendum promptus, firmus, intrepidus, & sententiæ tenax, a qua se dimoveri minime patiebatur; cæterum hilaris & inter amicos jucundus & acceptus, jocis etiam indulgens. E contrario Philippus erat homo mitis, humilis, moderatus, obsequiosus, modesto plane & sedato animo, valde serius, pacis studiosus, concordiam anxie expetens, & semper ad cedendum, si per eum stetisset, paratus; idem vero timidus, hæsitans & dubitans de omnibus, atque in dogmatibus parum firmus, de quibus tam diversimode scripsit, ut Zuingliani, Calvinistæ, ipsique Ariani, suarum eum partium fuisse, prætendant. Sed hoc post mortem demum Lutheri accidit: huic enim judicium de se planissime deferebat, omneque obsequium & omnem cultum, qui a discipulo exhiberi magistro potest, præstabat. Lutherus vicissim tanti eum fecit, & tam tenere amavit, ut ab eo solo moneri, &, quando irritatus erat, & plus justo effervescere & excedere videbatur, mitigari se pateretur.*

§. LVII.

(1) *De vita Melanchthonis ex Camerario.*

De Philippi Melanchthonis ortu, studiis, actionibus, & fama, dixi *Lib. I. §. XXXIV.* & in *Addit.* Vitam ejus descripsit *Joachimus Camerarius*, vir summe eruditus, qui ei familiarissimus fuit, justo tractatu, lectuque dignissimo, quem Philippo Hassiæ Landgravio dedicavit, edito primum Lipsiæ anno 1566. ac sæpius postea recuso. Ad ea, quæ in digressione ista Maimburgius commentatur, non est, ut multa annotentur. Quod ei nascendi sortem plane infimam assignat, non magna facit ratione, neque enim ex vilissima plebe ortum habuit. Avus, *Nicolaus*, civis Heidelbergensis fuerat, cujus monumentum observavit Camerarius: pater, *Georgius*, Brettam se contulit, matrimonii occasione, quod cum *Barbara*, *Jo. Reuteri* Prætoris oppidani filia contraxerat. Erat insignis armorum faber, ideoque Imperatori & Principibus, interque hos Philippo Electori Palatino, oppidi Domino, & hujus amico conjunctissimo, Friderico Saxoniæ Electori notus & charus. Ab arte cognomen habuit Schlosser / quo non tam ferarii, quam machinularum, quibus ignis fistulis bellicis sive sclopetis explodendis applicatur, fabri significabantur. Satis notum est, Germanicum familiæ nomen fuisse Schwartzerd / sive *terra nigra*, unde Græcum *Melanchthonis* effectum est, Jo. Capnionis, qui affinitate quadam illi junctus erat, ingenio. Immensæ pene eruditionis suæ primos magistros habuit, domi quidem, cum ludo publico ob luem popularem uti non posset, doctum quendam virum, *Joh. Hungarum*, qui postea Phorcæ Ecclesiastes fuit, non parum a Camerario laudatus; dein, cum in Phorcensem Scholam tunc celebrem missus esset, *Georgium Simlerum*, Wimpinensem, ludi Rectorem, Jurisconsultum postea haud vulgarem. De *Schwarzerdiorum* sive *Melanchthonum* familia a Georgio, Philippi patre, & ab ipso Philippo propagata, multisque in ea doctis & honoratis viris non pauca congessit autor Chronici Alsatici, *Bernhardus Herzog*, in fine libri decimi, ubi de *Weissenburgo*, Alsatiæ oppido imperiali, tractat. Ex comparatione, quam Maimburgius de ingenio Philippi & Lutheri instituit, fateor, etsi omnia vera essent, (cum tamen hyperbole aut invidia non careant) tam insolens tamen censendum forte non est, quod tantopere miratur noster, quod inter utrumque coaluerit constiteritque amicitia. Longe enim facilius id fit inter eos, quorum alter alteri obsequitur, quam, si uterque fervido & duriori sit ingenio: concussi enim silices ignem excitant, at nihil vulgarius, quam amicitiam obsequiis parari; cavendum modo, ne hæc falsa simulatione inficiantur, aut in adulationis vilitatem degenerent. Et fuere quidem, qui ab hac culpa non immunem plane facerent Melanchthonem; sed considerantibus, quæ scripserit, post mortem Lutheri, & post translatam Wittenbergam in Principum Mauritii & Augusti potestatem, quibus Lutherus æque notus gratusque ac prioribus Dominis non fuit, serio & honestissime amicitiam cum

(2) *Examinatur Maimburgii comparatio inter Lutherum & Melanchthonem.*

A. 1530. cum Luthero Philippum coluisse, omnino judicandum est: Novit quidem in Luthero quæ sibi displicebant, sed, ut amicos probos verosque decet, non oderat. Nimium est, quod de timiditate viri, & hæsitatione in dogmatibus, persuadere lectoribus vult Maimburgius: id quod magistri ejus, *Cochlæus* & *Surius* quoque faciunt. Sane timidiorem fuisse, non ambigitur, nec pro omnibus opinionibus eodem pugnavit fervore; fundamenta tamen, cum opus erat, mascule tenuit, ut ex multis, quibus interfuit, de religione colloquiis adversus Pontificios, manifestum est. Unde nec Regum, nec Cardinalium, multoque minus aliorum, magnorum licet, virorum, blanditiis flecti potuit, ut a veritatis professione, cujus conscius certusque erat, recederet, aut cum illius præjudicio, conditiones, quæ aliquando amplissimæ offerebantur, acciperet. Ad agnoscendam Episcoporum, immo & Pontificis jurisdictionem externam, si interna religionis capita recte constituerentur, multum inclinavit, contraria mala ex abrogatione illius autoritatis veritus; sed neque in hoc tam dissentientem habuit Lutherum, quam cautum & diffidentem. Hic enim certus sibi esse videbatur, obtineri ab Episcopis, quæ Philippus sperabat, non posse, ideo frustra in eorum emendatione laborari credebat; idque eventu probatum fuit. Extat interim, præter alia (*Reg. E. 37. n. 1.*) Lutheri annotatio sua manu scripta, quam consilio cuidam Melanchthonis, in quo de potestate Episcoporum disputat, his verbis subjunxit: Ja/ wann der Pabst solches wolte (wie gedacht) eingehen/ so achte ich/ wir Lutherischen wolten seine Ehre und Obrigkeit besser helffen schützen und handhaben/ denn der Käiser selbst und alle Welt/ denn wir köntens thun ohne Schwerd/ mit Gottes Wort und krafft/ welches der Käiser mit der Faust/ ohne Gottes wort und Kraft/ nicht erhalten kan. h. e. *Si Papa id, de quo dictum est,* (puritatem nempe doctrinæ & Sacramentorum) *concedere vellet, existimo, a nobis Lutheranis honorem & potestatem ejus melius defendi & conservari posse, quam ab ipso Cæsare, totoque orbe. Faceremus enim id absque gladio, verbo & virtute Dei; cum Cæsar, manu solum utens, absque verbo & virtute divina nihil præstet.* Quid Calvinistæ, quos vocant, de Philippi assensu sibi promiserint, a multis ab utraque parte observatum disputatumque est, nec prorsus caret incertis ab utraque parte conjectationibus. Arianis, sive Socinianis, nihil a Philippi doctrina præsidii esse, satis constat; mirum tamen esset, hos a scriptis hominum male interpretandis abstinere, qui divinis non parcunt. An. 1530.

(3) *Sententia, cum Philippi Melanchthonis, tum Lutheri, de potestate Episcoporum servanda.*

SECT. 23.

Talis fuit Philippus Melanchthon, cui Augustanam confessionem scribere injunctum fuit, quamque is articulis viginti & uno absolvit. Inter eos orthodoxi sunt, qui agunt de essentia unius Dei, de Trinitate personarum, de incarnatione Verbi: reliqui ita sunt concepti, ut vel aliquam saltem partem eorum, quæ credunt, explicent, vel mitigent quæ maxime odiosa & fidei contraria, in illorum doctrina reperiuntur; quæ utique hæretica est, utcunque verbis attemperetur. Adjecit septem alios, ad corrigendos, qui prætenduntur, abusus Ecclesiæ Romanæ, habentque titulos, de communione sub utraque specie, de conjugio sacerdotum, de Missa, de Confessione, de discrimine ciborum, de votis monasticis, de potestate Ecclesiastica. Hæc confessio Protestantium, hoc modo a Philippo Melanchthone articulis viginti & octo exposita, statim ad Lutherum ab Electore transmissa est, ut significaret, an aliquid mutandum censeret. Respondit, sibi eam eximie placere, nec quidquam in ea corrigere aut mutare posse, neque convenire, ut a se aliquid emendetur. Addebat, se ita molliter & delicate incedere non posse. Ita fundamentum doctrinæ, quæ revera Lutherana est, approbans, significavit tamen, sibi non placere dissimulationes & ambages, quibus Melanchthon usus erat, propter quas ab hoc ipso tempore caput haberi cœpit eorum, quos socii ex ipsis Lutheranis molliores, aut mitiores appellabant.

Confess. August. ap. Cœlest. t. 2. Sleid. l. 7. Cochlæus: Ep. Joh. Sax. Duc. ad Luth. II. Maji ap. Cœlest. t. 1. f. 40. Luth. ep. ad Joh. Duc. Sax. Elect. Georg. Cœlest. t. 1.

De Augustana confessione a Philippo composita & a Luthero probata.

§. LVIII.

Invitat nos Maimburgius, ut de ipsa Augustana confessione ejusque articulis, ratione materiæ & formæ, tractaremus, sed, id alterius loci & laboris esse, facile apparet: quædam tamen infra occurrent, non prætereunda. Historici autem officium manifeste excedit noster, dum de hæresi confidenter pronunciat; sed hæc ejus audacia contemnenda est. Fuerunt inter ipsos Romanæ Ecclesiæ præsules, qui melius de articulis confessionis sentirent, inter quos æterna memoria dignus est *Christophorus*, Episcopus Augustanus, nobilissima a Stadio (von Stadion) gente natus. Quomodo autem, in consessu deputatorum suæ partis, omnes confessionis articulos ad hæresis nota absolverit, operæ pretium est ex *Georgio Cœlestino Tom. III. Hist. Comit. August. fol. 25. b. 26.* huc transscribere; quanquam acta sint d. 6. Aug. & ad historiam, paulo post persequendam, pertineant, hic tamen commodum locum inveniunt: *Sexto Augusti, actionis de componendis dissidiis Ecclesiasticis, & reconciliandis partium animis, factum est initium, & ad concordiæ rationes ineundas aliquot Principes, quorum nomina paulo post scripta reperientur, delecti fuerunt, inter quos statim in initio actionis acris quædam disceptatio, & multa contentio exarsit. His enim congregatis, Episcopus Augustanus Christophorus a Stadion, vir prudens & constans, loci illius Diœcesanus, surgens, & loquendi occasionem sumens, ad Principes & Episcopos oratione pia & seria diligenter id egit, summam darent operam, & attente circumspicerent, ne quid verbo divino contrarium, & ab æquo justoque discrepans, in causa religionis definirent atque statuerent. Nimis enim verum & manifestum omnibus esse, quod Lutherana sententia addicti, nullum Christianæ fidei articulum hactenus assertionibus & disputationibus suis oppugnare vel ever-*

(2) *Examinatur Maimburgii comparatio inter Lutherum & Melanchthonem.*

(1) *Christophori, Augustani Episcopi, judicium de Augustana Confessione.*

An 1530. *evertere conati essent. Quæ cum revera ita se haberent, omnes pios & pacis amantes viros decere, ut de mediis & viis ad pristinam Ecclesiæ tranquillitatem & concordiam recuperandam, confirmandam & conservandam profuturis & idoneis, diligentes & crebras cogitationes suscipiant. His auditis, Archi-Episcopus Salisburgensis, conversa ad Augustanum oratione, hisce eum verbis allocutus est: Subita mutatio, & insperata sanctitas unde tibi hæc? aliam enim mentem, & de religione sententiam, me ex te non ita pridem audivisse, recenti etiamnum memoria teneo. Cui Augustanus respondens, his sese defendit verbis: Non equidem me hactenus in vitæ meæ curriculo multa impia & reprehensione digna facta designasse, diffiteor; sed, abjuncta impietate, & rejectis malitiose vitæ illecebris, aliam vivendi rationem ingredi, præsens me tempus & occasio jubet. Ac, ne quid dissimulando prætercam, Episcope Salisburgensis, tua fortassis vitæ institutum meo non multo est religiosius & melius. Tanto vero tuum propositum meo & pejus, & abominabilius, quanto majori pertinacia & contentione peccata tua excusare, idololatricos abusus palliare, & impiam doctrinam defendere atque stabilire conaris, cujus impietatis ut me participem faciam, Deus prohibeat & avertat. His ejusmodi verborum strepitu inter se altercantibus, Joachimus Primus, Elector Brandenburgicus, adfuit, ac voce elevata in hunc sermonem erupit: quod Lutherani nullum Christianæ fidei articulum evertant, nequaquam cum veritate convenire. Augustanus igitur veritatem dictorum quo acrius ursit, tanto vehementius reclamavit Brandenburgicus. Quapropter fidei articulos, a Luthero oppugnatos & eversos, recenseri & indicari sibi Augustanus petiit, cujus petitioni Brandenburgicus annuens, Ecclesiam Catholicam & Sanctorum invocationem a Lutheranis negari, exterminari & rejici, affirmavit; sed Augustanus, invocationem sanctorum fidei articulis eximens, & Lutheranos non Ecclesiam Catholicam, sed abusus tantum in Ecclesia Romana hærentes taxare & oppugnare, affirmans, multos crassos & periculosos errores in reliquos esse, neminem inficias ire posse, dixit. Archi-Episcopus & Septemvir Moguntinus, Albertus, talium altercationum & rixarum, illi loco & tempori parum convenientium, pertæsus, ut finem contendendi facerent, petiit, de multorum abusuum emendatione & pace publica, per Imperium Romanum constituenda serio eos cohortatus.* Scio equidem, quid valeat unius testimonium, neque hoc utor ad defensionem articulorum, dudum sufficientissime factam; sed, ut unius Episcopi clarissimi & laudatissimi judicium, unius sacrificuli, inferioris longe gradus, præcipiti censuræ opponam. Quæ ille in fine hujus paragraphi *de mitioribus aut mollioribus Lutheranis*, quorum caput facit *Melanchthonem*, attexit, neque exactæ sunt veritatis, neque hujus loci.

(2) *Disceptatio ejus cum Archiepiscopo Salisburgensi, item Brandenburgico Electore.*

SECT. 24.

Cælestin. l. 1.

Ibid. fol. 68. & seq. Georg. Sabin. Carm. de ingress. Cæsar. August.

(1) Iter Cæsaris Augustanum.

(2) Ejus Exceptio solennis.

Inter hæc Imperator Tridento abiens Oenipontem venerat, cum fratre Ferdinando Rege, Reginisque Hungariæ & Bohemiæ, itemque cum Cardinalibus, Campegio, Legato Pontificis, Salisburgensi, Tridentino, Gattinara, & cum Friderico, Comite Palatino, Johanne Alberto, Marchione Brandenburgico, Legatisque Regum Galliæ, Angliæ & Lusitaniæ, & multis Hispaniæ proceribus, quos Grandes vocant. Cum dies quindecim ibi commoratus esset, & Principum, qui usque eo obviam ei processerant, officiosas salutationes admisisset, die 6. Junii inde profectus est, & Monachium transiens, die 15. Junii Augustam attigit, urbemque circa vesperam cum tanta magnificentia ingressus est, quanta antea in Imperio non erat visa. Neque unquam Comitia fuerunt, in quibus tot Electores, Principesque, ecclesiastici & seculares, præsentes uno tempore convenissent, quorum splendida satellitia, equites vestibus varii coloris distincti, nobiles pretioso ornatu induti, quibus cum singuli antea Augustam intraverant, juncti comitatui aulæ Imperatoriæ & Regis Ferdinandi, qui solus ex Austria, Bohemia & Hungaria plus, quam mille nobiles adduxerat, pulcherrimum spectaculum exhibebant. Sed omnium oculos ipse Imperator in se convertit, pulcherrimæ formæ Princeps, triginta annos natus, aspectu egregio, facie grata, quæ gravitatem comitate mixtam ostentabat, ita, ut non minus amabilis, quam verendus appareret. Incedebat sub uranisco, quem Senatores Augustani gestabant, Hispanica veste indutus, in honorem nationis suæ, quæ tunc ad summum gloriæ culmen, quod unquam habuit, & ad quod longo tempore vix regredi poterit, elata erat. Totus gemmis coruscabat, pulcherrimo equo Lusitanico admirabili albedine conspicuo insidens. Circumfundebantur ei juniores ex Principum ordine, Electorum, Ducum, Comitum, Marchionumque Imperii filii, qui stratorum vicem ei præstabant. Proxime ante eum vehebatur Elector Saxoniæ, inter Joachimum, Electorem Brandenburgicum & Valentinum, Baronem Erbachium, qui Ludovicum Electorem, Herum suum, repræsentabat, equitans, gladiumque Imperatorium evaginatum præferens. Præcedebant eum septendecim Principes, sequebatur qui loco Trevirensis Electoris aderat. Ad dextram Imperatoris Elector Moguntinus incessit, quem ducenti ex corporis Cæsarei custodibus sequebantur, sagis holosericis, sueti coloris, gilvi nempe & nigri, induti. Ad sinistram Archiepiscopus & Elector Coloniensis erat, cum satellitio centum stipatorum Imperatoris, qui totum corpus armis tecti sive cataphracti erant. Post Imperatorem illico sequebatur Rex Ferdinandus, & Legatus Pontificius, trecentis Regis satellitibus circumdati, sagis itidem holosericis, rubri & albi coloris, superbe ornatis.

A. 1530. An. 1530.

natis. Post hos tres Cardinales, mulis albis vecti, Regum Legati, Magnus ordinis Teutonici Magister, longusque Episcoporum, Archiepiscoporum & Procerum Germanorum, Hispanorum & Italorum ordo. Denique militia Augustana, trium quatuorve millium numero, splendide vestita & armata, tum duodecim tormenta bellica, quorum strepitus, reliquorum, quæ e munimentis urbis displodebantur, murmuri, & sono campanarum in omnibus templis, tympanorum etiam & tubarum, quæ in tot Principum comitatu audiebantur, commixtus, læto pariter & venerabili modo adventum Imperatoris annunciabat. Pompa, hymni in Ecclesia Cathedrali recitatione, & benedictione a Legato Pontificis data, finita fuit.

§. LIX.

Ista omnia Maimburgius Cœlestino debet, qui *Tom. I. fol. 79.* excusatione sibi opus esse existimavit, quod pompæ illius descriptionem, typis eo tempore editam, ad causam religionis proprie non spectantem, operi suo inseruisset: ex hujus tamen prolixiori narratione annotari quædam merentur. Cum Cæsar d. 15. Junii circa vesperam Augustanæ urbi appropinquasset, & ab Electorum & Principum filiis, qui præcurrerant, conspectus esset, rogatus ab iis fuit, ne equo descenderet: sed is, cum Rege fratre, statim desiliens, stantes Electores & Principes humanissime accepit. Allocutus est Cæsarem nomine omnium *Albertus*, Archiepiscopus & Cardinalis Moguntinus: respondit pro Cæsare *Fridericus Palatinus*, Electoris Ludovici absentis frater, qui cum *Johanne Alberto* Brandenburgico, Alberti, Borussiæ ducis, fratre, Canonico, & postea Coadjutore, & Archiepiscopo Magdeburgensi in Comitatu Cæsaris erat. Legatus Pontificis, *Laurentius Campegius*, & duo Cardinales *Salisburgensis* & *Tridentinus*, ex mulis suis non descenderunt; Legatus etiam majorem fastum exercendi occasionem arripuit religionis specie, cum, antequam Cæsar & Principes iterum in equos conscenderent, benedictionem illis in genua procumbentibus impertiretur. Sed Elector Saxoniæ & Principes, qui causam cum eo communem habebant, primum constantiæ specimen edidere, cum submissione illa abstinerent, & erecti starent. Cæsarem in equum conscendentem juniores Principes, Saxo & alii, adjuverunt: hoc Maimburgius vocat stratorum *officium præstare*. Mirum dictu, quod *Cælestinus* tradit, Legatum Pontificium prope urbem a Joachimo Electore Brandenburgico Latina oratiuncula, Episcoporum & Prælatorum nomine, exceptum fuisse, cum ex iis nullus tantillam elegantiam præstare posset aut auderet. Cæsari ipsi insolita res visa est, ut in verba eruperit, quibus eruditionem & facundiam Electoris laudaret, Prælatorum autem negligentiam accusaret, quod eorum discipuli esse viderentur, quos ipsi docere debuissent. In Templo de benedictione pronuncianda certamen fuit. Salisburgensem enim Cardinalem, qui ad id faciendum prodierat, Campegius Legatus castigatum abegit, & ipse id officium præstitit. Notandum denique, errari a Maimburgio in numero peditum, quibus Augustanus Senatus Cæsarem accepit: non enim tria aut quatuor, sed duo saltem millia memorat *Cælestinus*, nec plures *Gassarus in Annalibus MS.* Addit hic, ut aliquid insolitum, quod Cæsar, urbem ingressus, peditum duo signa a Senatu ad custodiam portarum conscripta, exauctorari jusserit, & mille alios ex suis præsidio imposuerit, quibus partem stipendii Senatus solvere adactus fuit. Catenis etiam noctu ad claudendas plateas uti vetitus est.

(1) *Alia quædam de solenni Cæsaris ingressu Augustano.*

(2) *Principes Protestantes benedictionem Legati Pontificii evitant.*

(3) *Brandenburgensis Electoris Latina ad Legatum Pontificium oratio.*

(4) *Præsidium urbi a Cæsare impositum.*

SECT. 25.

Inde Carolus Principes protestantes, dimissis cæteris, separatim monuit, velle se, ut postera die, Festo scilicet Dei, sive corporis Christi, processioni consuetæ, cum Sacramentum portaretur, interessent. Sed hi cum tale aliquid mandatum sibi iri suspicati essent, jam cum Theologis suis consultaverant; horum sententiam sequentes, protestati sunt, se id salva conscientia facere non posse. Inveniuntur in actis horum comitiorum prolixe, quæ Georgius, Marchio Brandenburgicus, suo & sociorum nomine, respondit, unde apparet, quod, ad excusandam denegationem obsequii in hac re, id solum dicant, quod salva conscientia non possint præstare, quæ jubebantur, quia tantum dimidia Sacramenti pars in pompa hac circumferretur, & quod cultus & honor externus, corpori Christi exhibitus, ex traditionibus humanis ortus sit, quas Evangelium condemnat. Unde, ut mihi videtur, concludi potest, quod illo tempore Lutherani præsentiam realem etiam extra manducationem crediderint: alias enim, ut postea fecerunt, dixissent, quod ideo cultum illum negarent, quia Christum solummodo in usu Sacramenti, præsentem in Eucharistia crederent, non vero, cum exponenda in altari, aut circumgestanda ea servaretur. Quicquid sit, nihil ab ingenio horum quinque aut sex Principum obtineri potuit. Processio tamen, quanquam, ob altercationem, ad decimam usque horam antemeridianam continuatam, post meridiem demum cœperit, spectaculum fuit omnium pulcherrimum. Archiepiscopus Moguntinus Sacramentum ferebat, sub magnifico uranisco, quem sex Principes, succedentes, cum in stationibus quiesceretur, alii aliis, gestabant. Præcedebant Clerici omnes, post hunc Magistri Palatii Imperatorii & Regii; sequebantur utriusque Principis feciales, tubicines & cantores, quos vocant, Cappellarum: postea Senatores Imperii, Consiliarii Imperatoris & Regis, officiales & nobiles, & tandem proxime ante uraniscum Principes. Sequebatur Cæsar, pallio Imperiali majori, purpurei coloris, & tela argentea suffulto, indutus, cereum manu gestans, nudus caput,

Georg. Cælest. t. I. fol. 81. & seq. Sleidan. l. 7. Cochl.

(1) Protestantes, Processioni corporis Christi adesse jussi, repugnant.

(2) Descriptio processionis.

A. 1530. *sine umbraculo, in summo licet solis ardore.* *Post eum incedebat Legatus Pontificius, dein Electores Ecclesiastici, Archiepiscopi, deputati Civitatum, Grandes Hispaniæ, proceres Itali & Belgæ; ab utraque parte prætoriani Cæsaris & Regis latera tegebant, ne populus catervatim sequens, processionem hanc magnificam & devotam turbaret. Aderant, curante Imperatore, faces sive cerei, magno numero ad usum omnium; silentium servabatur, & ordinem locumque suum quisque tenebat, nec nisi sonus musicus audiebatur. Hic triumphus erat JESU Christi, Augustæ in conspectu Lutheranorum celebratus, quibus causa non erat, ut de eo, quod fecerant, sibi gratularentur: Imperator enim valde ob id irritatus, in eo erat, ut Augusta illos excedere juberet, & difficulter a Principibus Catholicis inductus est, ut potestatem iis faceret, quemadmodum promiserat, proponendi fidei suæ capita; sed adacti etiam sunt duas res admittere, maxime sibi invisas.* An. 1530.

§. LX.

(1) *Acta de processione inter Cæsarem & Principes.*

Prævideraut utique Principes Protestantes, quo fine Cæsar pridie festi illius, a quo abhorrebant, & sero diei urbem ingrederetur, ideoque ante ejus adventum consultaverant, quid faciendum sibi esset. Sententiam Theologorum refert *Cælestinus Tom. I. fol. 67.* Cum igitur jam sero vespere, digressis reliquis omnibus, Elector Saxo, & socii, expectare in Palatio Episcopi, in quo Cæsar hospitabatur, juberentur, Cæsaris nomine, per Ferdinandum Regem, postulabatur, ut concionatoribus suis silentium imponerent, & die crastino processioni solenni interessent: utrumque sine ambage recusarunt. Ex *Georgii* Brandenburgici Marchionis, qui verba pro cæteris faciebat, oratione id maxime notandum, quod, post replicam Ferdinandi paulo severiorem, concitatior, inter alia, manum collo admovens, dixerit, *malle se, flexis coram Cæsare genibus, carnifici cervicem feriendam statim præbere, quam Deum & sacrosanctum ejus Evangelium abnegare, falsamque & erroneam doctrinam recipere & approbare.* Cæsaris adhæc vox observata est, placide & bis regerentis: Nicht kopff ab: nicht kopff ab / quasi diceret: *Non hoc agi, ut cuiquam vita eriperetur.* Impetrarunt tum quidem dilationem ad diem crastinum, sed, licet jam undecima noctis hora instaret, Cæsar tamen, missis consiliariis quibusdam, Electorem Saxonicum denuo interpellavit; sed is, quiete sibi opus esse dicens, responsum in diem alterum distulit. Eo igitur mane, d. 16. Junii, parentis haud optime valentis loco, *Jo. Fridericus* filius, & cæteri Cæsarem adeuntes, in eam sententiam locuti sunt, per Georgium Brandenburgicum, quæ breviter a *Chytræo p. 88.* Germanice, a *Cælestino* Latine *fol. 82. 83. 84.* fusius exhibentur. Recusarunt autem processioni adesse, inter alia, his maxime verbis: *quia eo spectat Cæsareæ Majestatis mandatum, ut hanc processionem tanquam cultum divinum, nostra præsentia approbemus & stabiliamus; nec nos tamen, ullo in loco scriptorum Propheticorum & Apostolicorum præceptum id esse & mandatum a Christo sciamus, ejusmodi postulatis bona conscientia assentiri nullo modo possumus. Deinde, cum omnibus sanis, eruditis, & dextre judicare volentibus, constet, nec ulla vel disputatione vel probatione egeat, Sacramenti veri corporis & sanguinis Christi integrum, & non mutilatum usum a Testamentario ipso, in sacris literis præscriptum & institutum esse: grave futurum nostris conscientiis existimamus, si, quæ circumfertur, alterutram partem tantum, corpus scilicet, Christi mandato non adversari, nec contrariam esse, nostris quasi suffragiis affirmemus.*

(2) *Libera vox Georgii Brandenburgici.*

(3) *Sermo Principum, quo a processione se excusarunt.*

Addunt plura & tandem aperte queruntur de eo, quod, (ut supra innui) *clandestinis machinationibus & sycophanticis consiliis effectum esset, ut Cæsar in ipsa vigilia festi per totum diem, solis æstu maximo, pulverisque molestia fatigari, ingressum in noctem protrahere, & tam sero cum Principibus de illa ceremonia & de concionibus rixari coactus fuerit, ut hi imparati & festinanter ad præstanda, quæ non possent, adigerentur.* Ad alterum caput, de concionibus, non minus animose responderunt, ut postea, ubi Maimburgii relata considerabimus, pluribus dicetur. Hic tamen inserenda esse visa sunt, quædam *Georgii* Marchionis dicta, aut alia de iis relatio: Cum enim finem pro sociis dicendi fecisset, conversus denuo ad Cæsarem locutus est, & postquam pro se magno cum affectu verba fecisset, suorum majorum & sua erga domum Austriacam in bellis Austriacis & Hungaricis merita breviter commemorans, submisse rogavit, *ne Cæsar instigari se ab aliis per ullas calumnias adversum se pateretur,* addens: *In hac causa enim ad Deum pertinente, immutabili mandato divino, decretis & postulatis ejusmodi adversari & repugnare cogor, quæcunque etiam sequantur & immineant pericula, cum scriptum sit:* Deo magis obedite, quam hominibus. *Idcirco propter confessionem doctrinæ, quam scio esse vocem filii Dei, & immotam atque æternam veritatem, non recuso ulla pericula, ne quidem capitis, quæ veram religionem amplectentibus denunciata & proposita esse audio.* Ad hæc Cæsar iteravit quidem priora postulata, sed cum nihil apud eos efficeret, non tam jubere, quam rogare videbatur, aut spem ostendere, comparituros illos in processione esse. Quoad conciones autem, poscebat, ut rationes suas scripto exhiberent: quod illi facturos se esse receperunt. Ita protracto tempore processio ante horam decimam antemeridianam initium non habuit, & eo ordine peracta est, quem *Cælestinus fol. 85. b.* descripsit. Videatur etiam *Tom. V. Alt. fol. 27.* ubi notatur, vix centum ex civibus Augustanis interfuisse. Frivola sunt, quæ Maimburgius hic argutatur, quod Protestantes præsentiam Christi in Sacramento, etiam extra ejus usum crediderint; nam aliud ex Lutheri scriptis & ex ipso Catechismo didicerant, idque satis indicabant, cum expresse ad usum sacræ Cœnæ a Christo præscriptum provocarent; dixit autem Dominus, *edite & bibite*, non vero, *recondite, circumgestate, & adorate*: sciebant etiam, quibus autoribus, quo tempore, quoque fine festum illud esset institutum. Alteram tamen etiam rationem, quod mutilatum Sacramentum circumgestaretur, & sapienter & caute attu-

(4) *Alia Georgii Brandenburgici dicta.*

(5) *Notatur Maimburgii cavillus & jactantia.*

An. 1530. attulerunt, satis enim certi erant, circumgestationem calicis non esse sperandam, interim hæc excusatio simplicior & quodammodo plausibilior videri poterat priori. Quid vero de triumpho dicam, quem Christo celebratum hic jactat miser? Sane, si vel minimum vestigium divinæ jussionis adesset, ut talis honor elementis sacramentalibus haberetur; aut verum esset, quod supra noster crude asseruit, quod panis ille, quem hostiam vocat, ipse sit Christus, nihil facilius præstari a Christianis posset, quam talis cultus. Crediderim etiam, si non Prælatos illos & Cardinales, (quorum plerorumque pietas valde obscura erat) saltem Carolum Cæsarem, qua erat mentis devotione & vitæ sanctimonia, sibi persuasisse, quod & nunc multi, præjudiciis obruti, sibi persuadent, Christo honorem illum theatricum exhiberi, quem pani sacrato deferunt; sed corruit tota ista persuasio clarissima & certissima servatoris nostri regula: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Triumphum alium ille non quærit, quam, qui regno suo conveniat; est autem id spirituale. *Non venit cum observatione, intra vos est*, ut ipse liquidissime docuit suos *Luc. XVII. 20. 21.* Externa igitur, quæ ad spiritualem regni Christi vim & fructum requiruntur, ipse diserte præscripsit, prædicationem nempe verbi, & sacramentorum dispensationem; quicquid, præter hæc, ut cultus pars necessaria præcipitur, suspectum est, immo accedentibus tot abusibus impium. Triumphavit igitur tunc Pontifex cum suis, non Christus; sed sic, ut verus triumphi honor coram Deo & sanctis ejus Principibus aliisque paucis numero, & potentia modicis, tribui debeat, qui tremenda illa Cæsaris Majestate, & tot, quæ circumstabant, periculorum metu terreri se non sunt passi, ut contra conscientiam suam aliquid facerent. Hos certe Catones, solitarios licet tunc & tristes, sed divinæ virtutis dotibus illustres, eorumque triumphum, præstat sequi aut laudare, quam amburbialem illam pompam, *aut ter Capitolia curru scandere Pompeji:* ut est apud Lucanum. A. 1530.

SECT. 26.

Ante Adventum Cæsaris Principes Protestantes non tantum publice, uti Spiræ fecerant, in hospitiis suis, sed & in templis paroeciarum, immo & Dominicanorum & Franciscanorum, conciones per Ecclesiastas suos haberi, fecerant. Carolus audaciam hanc indigne ferens, Oeniponte literas acres scripserat, serio monens, ut concionibus abstineretur, donec in comitiis de causa Protestantium decerneretur. Lutherus & Philippus Melanchthon, super hac re consulti, responderant, parendum esse, quia tantum de intermissione concionum ad tempus ageretur, neque hoc Legi divinæ adversaretur. Dici sane potest, duos hosce homines, utut hæreticos, omnibus, qui supremis potestatibus subsunt, bonam admonitionem dedisse, ut agnoscant, si quid illis mandetur, quod injustum esse existiment, judicium suum non esse regulam agendi, neque obligatione se eximi, qua Principibus suis adstringuntur, si id, quod jubetur, non est peccatum mortale. Convenit hoc cum eo, quod in simili occasione Gregorius Magnus observavit. Mauritius Imperator edicto caverat, ne milites, ante expletum stipendiorum tempus, aut ob debilitatem corporis aliasque causas dimissi, in monachorum ordinem reciperentur: Gregorius, cui edicti publicationem Cæsar injunxerat, etsi privatim existimaret, præjudicium fieri juribus Ecclesiæ, sibi tamen non putavit licere, ut obsequium Domino suo denegaret, quem rationibus, cur ista statueret, non carere credebat. Sanctus itaque hic Pontifex non dissensit, quæ jussus erat, exequi, sufficere ratus, quod submissa admodum epistola, maximaque cum veneratione exposuisset, quam ob rem edictum illud improbaret; clausit literas admirandis his verbis: Ego quidem jussioni subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmittere feci, &, quia lex ipsa omnipotenti DEO minime concordat, hæc per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciavi, utrobique ergo, quod debui, solvi, & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minime tacui. *En, ut loquitur Pontifex, & quidem sanctissimus & doctissimus; Prælatos suo exemplo docens, ne legibus supremorum Magistratuum, zelum pro juribus Ecclesiæ suæ prætexentes, repugnent, sed, ut zelus sit secundum scientiam, ut loquitur Apostolus, & fortitudine & humilitate nitatur: illa, ut audeant, quemadmodum debent, proferre, quæ ex conscientiæ dictamine non tacenda esse arbitrantur; hac, ut, eo præstito, obediant, nec ex sententia sua legem faciant. Magnum hoc exemplum movit in pari casu B. Hildebertum, Episcopum Cenomannorum, postea Turonensium, unum ex sanctissimis & doctissimis Prælatis, quos unquam Gallia habuit. Hujus epistolas, aliaque pulchra opera in Bibliotheca Patrum habemus. Eundem S. Bernhardus excellentem Pontificem, magnamque Ecclesiæ columnam vocat; ejusdem celeberrimi scriptores summo cum elogio meminerunt, & Deus ipse sanctitatem ejus miraculis, ad sepulchrum ejus factis, honorare voluit. Teneri me hac occasione sentio, ut honorem hujus viri memoriæ debitum restituam, moneamque, deceptos esse, qui epistolam quandam Yvonis Carnutensis secuti, scripserunt, Hildebertum, antequam Episcopus Cenomannorum fieret, ignominiose vixisse. Fefellit illos inscriptio Epistolæ, dum legerent* Hildeberto, *cum tamen in veteribus exemplaribus legatur* Aldeberto. *Debemus animadversionem hanc magni momenti, Jureto, in notis doctissimis ad Yvonem Carnutensem. Magnus hic vir* (Hildebertus) *a Papa Honorio II. ex Cenomannorum Episcopatu*

Georg. Cælest. t. 1. Cochlæus. Sleidan. l. 7.

Luther. ep. ad Elector. Sax. ap. Cælest. fol. 42. Causa, Philipp. Mel. ob quas &c. ibid. fol. 89.

Greg. l. 2. ep. 62. Indict. Nisi aut expleta militia, aut debilitate corporis repulsus.

Tom. 3. & 5. Paris. Tom. 12. ed. Colon. Bern. epist. 123. 124. Petr. Blesf. epist. 101. Orderic. l. 10. 12. Malmesbur. l. 3. Chron. Antissiod. Vinc. Bellovac. Antonin. Trithem. Bellarm. Cornef. hist. des Evêques de Mans. Epist. 277.

Juretus ad epist. 277.

(1) Refertur Lutheri & Melanchthon. judicium de intermittendis concionibus.

(2) Digreditur Maimburgius ad narrationem disceptationis inter Mauritium Imperatorem & Gregorium Papam.

(3) Item ad historiam de Hildeberto, Cenomannorum, dein Turonensium Episcopo, ejusque & Honorii Papæ actis, cum Rege Ludovico Crasso.

A. 1530. *patu ad Turonensem, postquam Gislebertus Romæ anno 1125. decesserat, translatus, in Ecclesia sua duos Canonicatus, quos vocant, post Archiepiscopi mortem, a Rege collatos invenerat. Rex erat Ludovicus Crassus, *) cujus vitam Sugerius Abbas, valde doctus, descripsit, magnaque Regi, & insignis pietatis & magnæ prudentiæ, & heroicæ virtutis, elogia dedit. Rex itaque jura sua, æquali cæteris virtutibus vigore, tueri solitus, novo Archiepiscopo per literas injunxit, ut in Ecclesiam reciperet, quibus jure Regalium beneficia tribuisset. Sanctus Prælatus, Ecclesiam suam Turonensem juri isti Regalium, quod inter præcipuas Regiæ dignitatis prærogativas habetur, non subjectam esse, credens, ipse in aulam profectus est, ut Regi rationes suas decenter exponeret. Rex jure agi voluit, auditusque est Archiepiscopus ab iis, qui de hac controversia judicare debuerunt. **) Examinatis omnibus, quæ ex utraque parte proponebantur, Archiepiscopus, cui judicium illud parum placebat, petiit, ut de causa ab Episcopis canonice cognosceretur. Rex vero satis sciens, agi de jure coronæ, paris fere cum ipsa Monarchia Gallica antiquitatis, præcise volebat, ut judicio eorum staretur, quibus, ut primo & supremo Regni tribunali, cognitio delata erat. Videns autem, nondum cedere Hildebertum, & hunc semper Episcopos judices flagitare, simpliciter eum prohibuit ab omni in beneficia illa eorumque fructus prætensione. †) Ulterius progressus, & repulsa Archiepiscopi, judices suos ordinarios in hac causa recusantis, irritatus, toto jure suo usus est, voluitque, ut reditus Archiepiscopatus Turonensis, quos, durante Regalium tempore, in potestate habebat, ærario suo inferrentur, quod antea non fecerat. Quid egit ad hæc Sanctus Archiepiscopus? Idem, quod Sanctus Gregorius, quem perfecte in hac collisione imitatus est. Substitit in demonstrationibus & precibus submissis, cumque nihil se proficere, & Regem iratum sibi ob hanc causam esse, cerneret, Episcopum quendam, quem Rex magnifaciebat, per literas convenit, & verbis admodum patheticis obtestatus est, ut Regis gratiam sibi conciliaret, verba epistolæ inter alia hæc sunt :* Nec tamen hæc loquor, tanquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, tanquam postulans Ecclesiasticæ rigorem disciplinæ : subvenire Ecclesiæ & mihi per vestrum deprecor interventum, & Regi ex charitate suggeri, ne sagittas suas in sene compleat sacerdote. *Ecce omnia, quæ sanctus hic Prælatus egit. Et sic Rex, quæ volebat, obtinuit, jureque suo plenissime usus est, nec Honorius, Papa sanctissimus magnusque hujus Archiepiscopi Patronus, quidquam habuit, quod reprehenderet; satis nempe, nec minus quam S. Gregorius, persuasus, cives in quæstionibus hisce, ubi ex utraque parte rationes apparent, voluntati & legi supremi Principis se submittere debere. Hoc adeo verum est, ut ne Lutherus quidem & Melanchthon contrarium statuere potuerint, sed perspicue declararint, obtemperandum esse Imperatori, quamvis male eum agere crederent, quod Ecclesiastas a doctrina sua prædicatione prohiberet. Principes protestantes nihilominus ad conciones tuendas obfirmati, prætexebant, se spirituali verbi divini nutrimento carere non posse; sed obedire eos oportuit, cum Imperator jure Principis responderet : ad se pertinere, ut de concionatoribus, qui purum Dei verbum prædicarent, decerneret. Statim etiam die Saturni post festum sacrosancti Sacramenti edictum publicavit, per quod omnibus concionandi potestate interdicebatur, exceptis, qui jussu Imperatoris in Ecclesia cathedrali concionaturi essent : fecitque id concionator ejus Templi ordinarius, admodum catholicus, cui præscriptum fuit, ut simpliciter Evangelium prædicaret, ita, ut Lutheranis parceretur, & hi concionantem cum ædificatione audire possent.*

Attendens, oportere conveniri Regem, ad eum profectus sum.

(4) Cæsar conciones Protestantium tollit, & alias substituit.

Cochlæus.

*) *Regis literas accepi, continentes, Regem præscriptas dedisse dignitates, atque mihi præcipere, quod personas, quibus eas ipse dederat, in sedibus earum dignitatum mittere non differrem.* Hildeb. ep. 6. apud Lucam Dacherium tomo 13. Spicilegii.

**) *Agendi cum eo diem suscepi, adfui statuto die & loco, in audientia eorum, qui convenerant, paratus respondere objectis, & Canonicum subire judicium. Dehinc, auditis utriusque partis causa, cum adhuc debitum expectarem judicium, Rex mihi prohibuit, ne quicquam de prædictarum dignitatum reditibus aut præsumerem aut ordinarem.*

†) *A Rege secutus nuncius, qui diceret, dixisse Regem, ne fructus possessionum Turonensis Ecclesiæ, quos Regis potestas attingit, ad præfatam deferrentur Ecclesiam, sed fisco addicti, regiis deinceps usibus deservirent; quod ita factum est.* Ibid.

§. LXI.

(1) Principes defendunt jus concionandi.

De postulato Cæsaris, ut conciones omitterentur, jam dictum aliquid est, cum temporis ratio id postularet; nunc reliqua, quæ huc rejecit Maimburgius, persequenda sunt. Principes, ut jussi & polliciti erant, altero die, scil. 17. Junii rationes, propter quas conciones continuandas esse existimabant, scripto consignatas, Cæsari exhibuerunt, quæ Germanice leguntur apud *Chytræum p. 88.* Latine in *Cœlestini Tom. I. fol. 86. & seqq.* Ajunt, sibi constare, quod concionatores sui Evangelium purum & sincerum, &, sicut vetusti Patres in Ecclesia Christiana probatissimi, fecerint, & ad normam decreti Norimbergensis, docerent: hanc prædicationem salva conscientia nec vetari, nec se illo animæ nutrimento carere, aut concionibus, quæ in templis urbanis haberentur, acquiescere posse, quia diversa doceantur, & toleranda tamen sint, donec cognoscatur, quæ alterutra pars recte aut secus statuat & agat; huic enim fini comitia

A. 1530. mitia indicta esse, cui prohibitio concionum præjudicare non debeat. Refellunt accusationem, ac si nova & scandalosa a suis docerentur, aut, si hujus culpæ (quod tamen negant) rei sint, certum tamen esse, ex altera parte horrendos abusus inveniri, toti Christiano orbi notos: cognitionem itaque præcedere debere. Addunt, post conciones preces fieri pro bono Comitiorum successu, quas intermitti impium foret, reprobari etiam a suis contrarias opiniones, quæ ab aliis in urbe adversus Sacramenta impie, ut scribunt, instillentur; allegant, quod jam in binis comitiis Spirensibus eadem libertate prædicandi, quamvis solum in domibus, usi sint. Cæsar a meridie cum reliquis Electoribus & Principibus deliberationem habuit. Ab his, cum commotior videretur (eo ipso enim die conciones continuatæ fuerant) rogatus est, & consensit, ut per delegatos cum Protestantibus ageretur. Id die sequenti Sabbato post Festum corporis Christi d. 18. Jun. in urbis curia factum. Aderant ex Romano-Catholicis, *Elector Moguntinus, Joachimus, Electoris Brandenburgici filius, Georgius Saxoniæ Dux, Ludovicus Bavarus, & Albertus Meckelburgicus.* Proponente Legato Electoris Palatini, *Ludovico Fleckſteinio*, & Cæsaris jussum, cui in urbe sua præscribi non posset, urgente, respondit *Georgius Brandenburgicus*, &, repetitis rationibus supra allegatis, denuo petiit, ut apud Cæsarem intercederent, quo libertas concionandi servaretur, ea enim negata, & adversæ parti concessa, intolerabile sibi præjudicium fieri. Ad hæc ex parte Romano-Catholicorum, medium propositum fuit, ut etiam concionatoribus Romano-Catholicorum Principum silentium indiceretur, inprimis *D. Joh. Fabro*, quo Ferdinandus Rex utebatur, & ut Cæsar quosdam constitueret, qui verbum Dei pure & sincere proponerent. Hoc, cum enixam Cæsaris voluntatem perciperent, ita acceptarunt Protestantes, ut dicerent, se quidem bona conscientia consentire in concionum intermissionem non posse, nolle tamen pertinaciter adversari Cæsari, sed ferre, si eum in modum utrique parti præciperet; rogare autem, ut tales constituat concionatores, quos sine læsione conscientiæ suæ audire possent. Addiderunt, si secus fieret, inevitabilem necessitatem sibi inferri, ut de remediis propulsandæ injuriæ cogitent. His relatis Cæsar eo vespere publice per præconem sive Heroldum proclamari per urbem fecit, ut utriusque partis concionatores desisterent, donec de religione decideretur, & Cæsarem constituturum esse præcones verbi divini, qui sine cujusquam contumelia docerent: Maimburgius hunc rei ordinem, quem, etsi *Cochlæus* dissimulavit, ipse tamen ex *Cælestino* percepit, prætermittere non debuisset, nec scribere: *Cæsarem jure principis mandasse, &, quæ volebat, executum esse.* Transactum enim quodammodo de negotio, & ex eo plus fere commodi, quam damni, Protestantibus allatum est, obstructo maledicentissimorum hominum, *Fabri, Mensingii, Cochlæi*, & aliorum ore, qui fœdis conviciis eos lacerabant. Qua vero mente *Lutheri & Philippi* (quos liberaliter *hæreticorum* titulo onerat) sententiam laudet, & quam apposite, cum tot dicenda haberet, ad historias evagetur, quæ nihil cum negotio, quod tractat, commune habent, nolo disquirere. Regii historici personam jam tum apparet sumsisse, Jesuitæ, quam tunc adhuc gerebat, parum quidem convenientem; putavit tamen placiturum esse aulæ, si controversiam de *Regaliis* sive reditibus Episcopatuum, quæ Regi cum Episcopo Apamiensi & Pontifice intercessit, hoc exemplo illustraret, & Regii fisci partes tueretur. Cæterum Lutheri de concionibus intermittendis sententiam d. 15. Maji ad Electorem perscriptam §. *LVI.* allegavi. *Philippus* haud difficulter assensum præbuit, ut & *Islebius*, vide *Cælest. fol. 89. b.* Lutheri ad hunc epistola ibidem refertur, *fol. 92. b.* in qua probat obsequium, & simul de eventu Comitiorum non vane auguratur. Elector Luthero d. 25. Jun. totam rei seriem prolixa epistola aperuit, *Tom. V. Alt. fol. 78.* quæ Latine legitur apud *Cælest. fol. 139. b.* In hac de concionatoribus a Cæsare constitutis refert, quod tantum nudum Evangelii & Epistolæ textum populo prælegant & proponant, paucula quædam, eaque puerilia & inepta, annectendo & concludendo: *Hac ratione*, ait, *Deo ejusque verbo silentium est impositum, licet illud non omni ex parte optimi Cæsaris animo & voluntati, sed potius adversariis nostris, Evangelicæ veritatis acerrimis hostibus, imputandum sit & adscribendum.* Spalatinus *in historia MS.* (ex qua pars quædam *Tomo V. fol. 151. 156. & seqq.* inserta est) scribit, concionatos esse inepte, nec christiane, absque fundamento verbi divini & consolatione: unchristlich / ungeschickt / auch ohne allen grund Göttlichen worts und trosts. Quapropter nemo credat Maimburgio, cum laudat Concionatorem Ecclesiæ cathedralis, de quo quia *Cochlæus* tacet, nihil compertum habuit, aut scire potuit; exaggeravit forte etiam, quæ de Concionatore in æde Franciscanorum refert, quem *Zuinglianum apostatam* vocat, *qui seditiosas conciones habuerit.* Veruntamen ex nostratibus, autor relationis *Tomo V. Alt. fol. 27.* insertæ, insolentiam prædicatorum urbanorum culpat, quod multi Sacramentarii inter illos fuerint, ab Islebio haud male refutati. Spalatinus in MS. *Michaelem Cellarium*, fervidissimum alias ex iis, timidiusculum factum esse, annotavit. *Gassarus* narrat, post publicatum Cæsaris mandatum, Ecclesiastas urbis partim alio vocatos fuisse, partim diffugisse, quendam vero *Michaelem Schneidium*, qui in æde S. Crucis concionatus fuerat, in Cæsaris vincula abreptum fuisse, sed brevi custodis opera clam liberatum evasisse.

(2) *Interponunt se quidam ex altera parte.*

(3) *Protestantes transigunt cum Cæsare & concionibus abstinent.*

(4) *Notatur Maimburgii relatio & digressio.*

(5) *Lutheri & Electoris de concionibus epistola.*

(6) *De concionatoribus in urbe historica quædam.*

§. LXII.

Inserit hic *Cælestinus Tom. I.* quædam ante propositionem d. 18. & 19. Junii acta. Memorat enim, ex relatione *Spalatini*, quæ *Tom. V. Alt. fol. 27.* habetur, quod d. 18. Junii *Alphonsus Valdesius* Hispanus, Imperatoris Secretarius, & *D. Cornelius Scepperus*, cum Melanchthone collocuti, significaverint, Hispanis persuasum esse, Lutheranos impie de SS. Trinitate, & de virgine Deipara sentire: id cum Melanchthon ex multis ejus gentis se ipsum audivisse, neque opinionem illam eximere iis potuisse testaretur, Alphonsum dixisse: se, paulo ante Cæsari, data occasione, Lutheranorum articulos exposuisse, ut cognoscere posset, non

(1) *Alphonsi Valdesii acta cum Melanchthone.*

A. 1530.

non adeo per eos Ecclesiam Catholicam oppugnari, quam vulgo putaretur, indeque sibi mandatum esse a Cæsare, ut a Melanchthone brevem aliquam summam articulorum in thesi & antithesi posceret, idque a Melanchthone præstitum esse. Subjungit inde Cœlestinus scriptum Melanchthonis, cui *Synopsis brevis & erudita, utriusque partis doctrinam continens, a D. Phil. Melanchthone conscripta, & Imperatori Carolo V exhibita:* titulus est, *fol. 94.* præfationem satis modestam habens, dein *Articulos XVII.* proponit *fol. 95. & seqq.* plane alios, quam, quos Lutherus composuerat. Licet vero etiam hi cum Lutheri doctrina satis conveniant, dubitare tamen licet, an Melanchthonem habeant autorem, & tam brevi tempore conscribi sine præscitu Principum, tradique potuerint. Longe enim apertius & liberius pontificia dogmata in iis taxantur, quam in ipsa Confessione, postea exhibita, factum est. Sane si Cæsar illud scriptum vidisset, dubitari vix posset, quin desiderium, quod ostentabat, videndi articulos Confessionis, antequam publice prælegerentur, perdidisset, aut ad hujus prælectionem moveri se non esset passus. Itaque in medio relinquo hanc narrationem, multoque minus credibile mihi videtur, quod *fol. 101. b.* refertur, Cæsarem articulos istos Campegio misisse, & hunc cum aliis de iis deliberasse, nec multos in iis scrupulos, præterquam in articulo de Missa, invenisse; sed ipse *Cœlestinus* dubitanter de illis loquitur, *p. 95. b.* Aliqua saltem, quia *Cœlestini* liber in paucorum amplius manibus est, ex illis adscribam.

(2) *Articuli, qui Valdesio exhibiti feruntur.*

Ad Articulum I. quo *remissio peccatorum absque ullis hominum meritis* asseritur, in antithesi ita loquitur autor *fol. 95: Adversaria pars non tantum fidei prorsus nullam facit mentionem, verum etiam eam oppugnans, docet: semper, utrum aliquis habeat remissionem peccatorum & in gratia sit, dubitandum esse. Deinde honorem, Christi merito debitum, operibus nostris veteratorie tribuit & adscribit, per ea peccatorum remissionem nos consequi & Deo reconciliari, impudenter affirmans. Quæ doctrina non tantum morti, passioni & merito Christi multum derogat & detrahit, verum etiam conscientias perpetuis & horribilibus dubitationum laqueis arcte constringit & implicat.* Ad Artic. II. de invocatione, in quo docetur, *Deum vera & firma fide invocandum esse,* subjungitur: *Adversarii vero asserunt, in invocatione dubitationis procellas non esse removendas; quam diffidentiam cum Ethnicis ac Judæis communem habent. Igitur cultus eorum, quantum ab Ethnicismo & Judaismo differant, non facile dici potest atque dignosci.* Ad Artic. III. de bonis operibus: *Adversarii sibi ipsis bona opera & peculiares cultus divinos, absque Dei mandato, sculpunt & fingunt, utpote monachatum, ciborum & vestium discrimen, cœlibatum, & alias id genus pueriles & ridiculas nugas innumerabiles, atque eo dementiæ & impudentiæ progrediuntur, ut hos cultus, humana autoritate sancitos & introductos, divino mandato institutis longe præferre non erubescant, opera supererogationis ea vocantes, & verbi ministerio, conjugio, politicis officiis ac œconomico vitæ generi anteponentes.* Art. IV. quomodo opera Deo placeant *fol. 96.* notat: *Adversarii asseverant, nullum peccatum in Sanctis reliquum esse in hac vita, adeo, ut etiam opera supererogationis, & iis, quæ lege Dei præcipiuntur, majora facere possint. Sed nihilominus tamen hominem semper, utrum sit in gratia, dubitare jubent, qui error periculosus, & ab Ethnica religione derivatus, radices tam firmas & validas egit, ut vix eradicari possit.*

(3) *Excerpta de fiducia salutis, & merito operum.*

An. 1530.

Art. V. de invocatione Sanctorum: *Adversarii, Sanctos invocandos esse, asserunt, hancque invocationem multis modis excusant & palliant: verum, si fontem quis consideraverit, ethnicam idololatriam esse, multos abusus in nomen Dei contumeliosos, secum trahentem, reperiet.* Art. VI. de usu Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi, præteritur assertio de præsentia, quæ tamen in *Confessionis Articulo X* satis liquido invenitur: dein circumgestatio hostiæ, cum aliis abusibus, *abominatio* esse dicitur, a Daniele prædicta. Art. VII. de pœnitentia, *turpissima & absurda mendacia* vocantur, quæ de satisfactione ecclesiastica docentur, totaque doctrina Romana de pœnitentia *falsa, ementita & adulterina* vocatur. Art. VIII. de potestate clavium, antithesis hunc in modum *fol. 98.* exhibetur: *Pontifex clavibus pro insigniis utitur, sed horribiliter eas profanat. Primum enim, potestatem Ecclesiæ propriam arroganter sibi tribuens, affirmare non erubescit, se præcipue constitutum esse, ut omnium Ecclesiarum, Parochorum, Episcoporum, & totius mundi, tam in politicis, quam spiritualibus causis, judex sit atque inspector, seque habere potestatem constituendi & confirmandi Episcopos, ac humanas traditiones in Ecclesiam introducendi, & excommunicatione ad politicam gubernationem utendi, ita, ut, quibus velit, Regibus potentiam & imperium abroget. Quæ omnia cum verbo Dei manifeste pugnant, eique omni ex parte sunt contraria.* Art. IX. de traditionibus humanis: invocatio Divorum comparatur cum Jovis & Martis cultu ethnico, aliaque ex ritibus pontificiis vehementissime reprehenduntur. In Art. X. de conjugio sacerdotum, hæc est *fol. 99.* antithesis: *Papa contra ordinem, a Deo ipso institutum, sacerdotibus matrimonium ademit, atque hac ratione horribilibus libidinibus magnam fenestram patefecit, & innumerabilia flagitia in mundum invexit. Ac licet veteres Canones sacerdotibus, uxores ducentibus, beneficia & stipendia tantum subtraherent: tamen hac pœna, antiquitus constituta, Pontifex non contentus, cum Tyrannis suis majorem in ipsos exercet sævitiam, trucidando & e medio tollendo omnes, quotquot illud vitæ genus sunt ingressi: quæ omnia peccata sunt horrenda, & Antichristi propria signa, de quo Propheta Daniel vaticinatus est, inquiens:* Mulieres contemnet; *quo dicto conjugii contemtus & horribiles libidines denotantur.* Art. XIV. peregrinationes ad imagines sacras, quibus vis divina attribuitur, *manifestam esse idololatriam & impietatem, nec ab Ethnicorum more in colenda Diana Ephesia diversam aut alienam asseritur.* Art. XV. de purgatorio, & Missis ad liberandas animas institutis dicitur, quod sint *falsa & impia.* Art. XVI. de magistratu politico hæc subjecta sunt *fol. 100. b. Papa, cum suo satellitio, ab hac lege solutus & liber, omnis*

(4) *De invocatione Sanctorum.*

(5) *De Sacramento.*

(6) *De pœnitentia.*

(7) *De clavibus.*

(8) *De traditionibus.*

(9) *De conjugio sacerdotum.*

(10) *De purgatorio.*

(11) *De Magistratu.*

An. 1530. *omnis generis vagis libidinibus vitam suam impune polluit. Item definiendi & decidendi potestatem sibi arrogans, Principibus & Regibus contradicendi facultatem adimit, nec voces decisivas eis permittit. Atque hos errores defendisse & propagasse, nequaquam illi sufficit, sed insuper eos, ex verbo Dei taxantes sedibus suis expellit, omnis generis calamitatibus afficit, & exquisitis etiam suppliciorum generibus ac morte mulctat: quo satis superque ostendit, & quodammodo demonstrat, se diabolo, mendaciorum patri & homicidæ, operam suam addixisse.* Denique, quæ ad Art. XVII. contra Missam disputantur, longe sunt acriora, quam quæ in *Art. III. Aug. Confess. de abusibus mutatis* inveniuntur. Mascula tamen ista sunt omnia, sed, ut dixi, tam acriter scripta, ut sine summo periculo suo Melanchthon ea exhibere non potuerit. Falsos igitur esse, qui ei hoc scriptum tribuant, certus pene sum. Melanchthon sane Lutherum id non celasset, neque etiam suam timiditatem melius purgare apud illum potuisset. Accedit, quod nec Camerario, cui nil non detegebat, quidquam de tanta re scripserit, immo ex *epistola 95. Lib. IV.* ad eum data, evidens fit, *Valdesium* etiam stylum Confessionis, quam ante exhibitionem viderat, πικρότερον sive *acerbiorem* judicasse: quid non dixisset, si istos legisset articulos? Ex hac epistola explicari debet illa, quam ad Lutherum scripsit *Lib. I. epist. 4.* in qua dicit: *Est alius quidam Hispanus Secretarius, qui benigne pollicetur, & jam cum Cæsare & Campegio de mea sententia contulit.* Hoc enim commode de articulis Confessionis, non vero illis intelligi potest, quos Cœlestinus adducit. Proxima ante cœptas Comitiorum sessiones die, id est, 19. Jun. (quæ erat Dominica) Cæsar Sacramento Eucharistico usus est, & circa vesperam duabus horis precibus vacasse perhibetur, præter eas, quibus singulis diebus mane horam integram impendere solitus erat. Publice etiam in omnibus templis pro successu negotiorum Deum invocari jussit, eleemosynas illo die & sequentibus omnibus distribuendas ordinavit, & vigilias per urbem ad reprimendos maleferiatos diligenter habendas instituit. Eodem die a prandio lites, quæ inter Principes de sedendi ordine versabantur, ad illorum Comitiorum tempus, salvo de cætero jure, composuit. A. 1530.

(11) *De Missa.*

(13) *Rationes, cur articuli hi non sint Melanchthonis.*

(14) *Cæsaris devotio, & acta alia.*

SECT. 27.

Hoc contra Protestantes obtento, aliud aggressus est Carolus, quo repulsa eorum plane condemnabatur, cum Processioni interesse detrectassent. Cum enim die Lunæ d. 20. Junii a Missa S. Spiritus, solenniter in Ecclesia Cathedrali cantanda, initium facere vellet Comitiorum, Electori Saxoniæ significari fecit, velle se omnino, ut munere magni Imperii Mareschalli fungeretur, gladium Imperatori in ceremonia hac publica præferendo. Doctores ejus hac de re consulti responderunt, facere id eum posse absque hæsitatione, exemplo Naamanis, cui Elisæus Propheta permisit, ut Regi Syriæ, Hero suo, manibus suis incumbere solito, dum templum Idoli adorandi causa intraret, officium id exhiberet. Obsecutus itaque Elector, & munere suo in Ecclesia functus est, comitatus a reliquis Principibus protestantibus, Missæ pariter cum eo adsistentibus, ut & orationi Legati Pontificii Latinæ, qui eos magno ardore & contentione adhortabatur, ut, in fide cum Catholicis conciliati, uno spiritu adversus Turcos pergerent. Satis apparet, hoc ipso eos primam suam actionem condemnasse. Potuissent enim eadem ratione, ad munus suum exequendum, processioni sacrosancti Sacramenti interesse, & Imperatorem obsequii causa comitari, qui ab illis nil nisi mere civilem & politicam obedientiam exigebat, ut ipse mentem suam explicaverat. Sed hæresis solido principio destituta, mutationi semper subjecta est, nec diu in eodem agendi modo subsistere potest.

Cœlest. t. 1. fol. 105. Sleid. l. 7. Cochlæus.

Cochlæus.

Aderant & Lutherani Principes, tum in Missa tum in concione.

De præstito ab Electore munere Mareschalli, tempore Missæ.

§. LXIII.

Cavillo autoris haud difficulter responderi potest. Præstitit autem id egregie *Autor apologiæ MSæ.* in oppugnatione libelli *Anonymi* Augustæ *de actis Comitiorum* publicati, de quo in *Additionibus ad §. LXXVIII.* dicemus. Elector non ad cultum Deo, sed ad ministerium Cæsari exhibendum vocabatur. Satisque testatus est dissensum suum publico facto, abstinendo nimirum ab adoratione hostiæ, quod diserte testatur relatio *Tom. V. Altenb. fol. 28.* Sleidanus neminem, præter *Georgium Brandenburgicum,* cum Electore Saxoniæ adfuisse scribit. In relatione *d. f. 28.* notatur, Protestantes etiam ad offerendum munuscula in altari, ut moris erat, accessisse, sed cum risu. Oratio, quam *Vincentius Pimpinellus,* Archiepiscopus Rossanensis, Nuncius Pontificius, qui cum Cæsare advenerat, habuit, a *Cœlestino* relata est *Tom. I. fol. 106. & seqq.* satis elegans, sed non sine aculeis. Nam recitatis, quæ Turci in Hungaria & Austria patraverant, ignaviam exprobrat, dicens: *Et vos, Germani, cum hæc sciatis, adhuc hæretis, adhuc dormitis, adhuc tanquam vecordes oscitatis?* Sed compensat hæc multis magnisque laudibus nationis, ejusque virium, virtutis, & olim præclare gestorum. De dissidio religionis pauca, sed acria sparsit; ita, ut *Turcis, fere pejores esse* diceret *Germanos, illos enim uni parere, inter hos esse, qui nemini pareant; illos consilio unanimi res suas recte agere, horum quosdam discordia omnia solo æquare; illos, antiquis vestigiis inniti, horum multos avis sapientiores esse velle; illos unam habere religionem, Germanos novas quotidie excogitare; nec solum infelicem plebeculam, sed optimos & prudentes Principes erroribus deceptos esse.* Hæc rhetorica videri possunt; sed durissimum erat, pariterque falsissimum, quod objiciebat: *quod vera & honestissima Christi dogmata tot optimorum Patrum consensu approbata, & a sanctissimo Spiritu confirmata, diabolica persuasione eliminaverint, & ad scurrilia & impudica deduxerint.* Hæc cum probare minime potuerit,

(1) *Notatur cavillatio Maimburgii.*

(2) *Oratio Pimpinelli, Nuncii Pontificii.*

A. 1530. rit, proterví calumniatoris notam non effugit. Notat *Cœlestinus fol. 105.* Alberto Moguntino, vehementiam oratoris hujus displicuisse, maxime, quod diceret: *si claviger Petrus Germanorum corda marmorea movere non valeat, ensiferum Paulum ea incidere debere.* Sed mitiora mihi verba ejus videntur: invocat enim Petrum *fol. 114.* ut corda Principum & hominum quorumcunque dura & marmorea aperiat; Paulum, ut incidat, separet, discutiat a pectoribus mortalium duritiem inauditam. Agit autem potissimum de ea, qua auxilia Hungaris denegabantur. Amplissima pro mittit, Pontificis nomine, bene etiam de aliis Regibus sperat, & speciatim de Francisco Galliarum Rege: *Non deerit,* ait, *Franciscus, Rex christianissimus, nisi tanto cognomine indignus, publico omnium judicio, censeri velit, cum non modo a Christianorum defensione, verum etiam ab infidelium hostium perditione, Christianissimus nuncupetur.* Sed quam frustra ea dixerit, eventus ostendit. An. 1530.

SECT. 28.

(1) Prima Comitiorum sessio; item secunda.

Finita Missa, Imperator, quem Ferdinandus Rex, Electores, Principes & Civitatum deputati sequebantur, primam sessionem comitialem in magno curiæ Augustanæ prætorio celebravit. Fridericus, Comes Palatinus, in consessu hoc, ex scripto satis longo recitavit, ob quas causas Cæsarea Majestas comitia hæc indixerit, & quæ negotia tractanda sint. Decretum fuit, ut a capite Religionis initium fieret, ex quo pax & quies Germaniæ vel maxime penderet. Itaque die Johanni Baptistæ sacro, quo secunda sessio habebatur, audita prius fuit oratio Legati Pontificii, qua Protestantes ad reditum in Ecclesiam Catholicam adhortabatur, & Legatorum Austriacorum, subsidia expedita adversus Turcos petentium. Dein Elector Saxoniæ ex sede sua surgens, comitantibus eum Georgio Marchione Brandenburgico, Francisco & Ernesto, Ducibus Luneburgensibus & Brunsuicensibus, Philippo, Hassiæ Landgravio, & Wolffgango, Principe Anhaltino, e regione throni Imperialis constitit: inde D. Georgius Pontanus, Electoris Cancellarius, sermone satis plausibili, Imperatorem, nomine Principum, submisse rogavit, ut Confessionem fidei publice coram omnibus Ordinibus Imperii prælegi permitteret, ut errore liberarentur, qui, male de religione eorum instructi, hæreticas & scandalosas opiniones, quas nunquam fovissent, illis attribuerint. Volebat primo Imperator, ut illa sibi in manus traderetur, per otium examinanda, utque postmodum de ea cum Electoribus, Principibus & Consiliariis suis deliberare posset. Tandem vero, ut omnem conquerendi causam præcideret, annuere petitis decrevit, & diem sequentem iis assignavit, quo in cœnaculo palatii sui, congregatis Ordinibus, audienda forent, quæ proferenda haberent.

Cœlest. t. 3. f. 1. seq. Sleid. l. 7. Cochl.

(2) Protestantes petunt & impetrant, ut confessio sua audiatur.

§. LXIV.

(1) De propositione Cæsarea quædam.

Propositio, quam Fridericus Palatinus, qui, ut dixi, aulæ Cæsareæ pars erat, Germanice prælegit, extat apud *Chytræum p. 99.* & Latine apud *Cœlestinum fol. 116. & seqq.* Narrantur exordii loco, gesta quædam Cæsaris ab anno 1521. neque negatur, ut supra Maimburgius fecerat, Ludovico Regi Hungariæ subsidia decreta fuisse, sed refertur, pecuniam, licet consensu Cæsaris, cui ad coronationis sumtus destinata erat, in bellum Turcicum impendendam, tarde submissam, & auxilia lente administrata fuisse. Recensentur dein Hungariæ, Rhodi & Austriæ clades & damna, ad obsidionem usque Viennæ, Cæsaris acta in Italia, & pax cum Galliæ Rege inita, tum iter hoc Cæsaris in Germaniam maturatum. Duo dein capita deliberationis proponuntur: primum, de bello adversus Turcos; alterum, de statu religionis componendo. Hoc caput, de quo hic præcipue agendum est, ita conceptum fuit, ut querela quidem de non servato Edicto Wormatiensi, quod communi concluso publicatum esse asseritur, præmittatur, & neglectui autoritatis Cæsareæ seditio rustica & Anabaptistarum secta imputetur, nulla tamen cujusquam, ne Lutheri quidem, mentione aut accusatione facta, sed tantum periculis & incommodis dissidiorum indicatis. Monet autem Cæsar humanissime, clementer & serio, (gantz freundlich / gnädigklich und mit höchstem fleiß begehrende) ut Principes & Status, quid quisque de dissidiis & abusibus inter Ecclesiasticos & Politicos dicendum habeat aut sentiat, (sein gut beduncken / opinion und meynung) aperiat. Hæc verba frigidiora sunt iis, quæ extant in literis, quibus Comitia indixerat, & in exordio Recessus repetuntur, supra allegata; ibi enim agendum esse promittebatur, de mutua & amica controversiarum tractatione, & unitatem religionis in charitate obtinendam, & ut explicaretur ac componeretur, quicquid ab utraque parte minus recte dictum aut factum esset. Datum scilicet fuit hoc relaxamentum consiliis pontificiis, quibus obsequentes, qui vetera retinebant, Principes, nihil ex sua parte queri, multo minus agnoscere abusus aut errata volebant, licet communes de iis querelas in Comitiis prioribus instituissent. Ad historiam actorum comitialium annotanda adhuc quædam sunt. Aderant in actu publicatæ propositionis Cæsar ipse; Ferdinandus ejus frater, Hungariæ & Bohemiæ Rex, cui cathedra aureis tapetibus strata e regione solii Imperatorii constituta erat; Electores quatuor; & Principes quadraginta duo, legatique absentium. Prælecta propositione responderunt Ordines, per *Joachimum* Electorem Brandenburgicum, gratias Cæsari egerunt, & scriptam sibi exhiberi petierunt propositionem, polliciti, ut moris, sese deliberaturos esse. A meridie dictata fuit scribis propositio. *Johannes* Saxoniæ Elector hoc die convocatos ad se socios cohortatus est ad intrepidam causæ Dei & religionis assertionem. Idem postera die 21. Junii cum

(2) Ejus differentia a literis indictionis.

(3) Responsum Ordinum.

(4) Electoris Saxoniæ consultatio cum suis de confessione.

An. 1530.

cum mane, remotis omnibus consiliariis & ministris, precibus ardentissimis a Deo successum negotii petiisset, quædam, ad firmandam in proposito suo mentem, calamo consignavit, quæ cum admiratione *Jo. Dolzigius* Eques, & *Phil. Melanchthon* legisse dicuntur. Dein, cum solus propositionem Cæsaream expendisset, ad consilium vocavit filium *Johannem Fridericum* & *Pontanum*, tum *Phil. Melanchthonem*, &, multa de religione locutus, ante omnia de illa agendum esse censuit. A meridie convocatis sociis per Pontanum, propositionem denuo prælegi fecit, hortatus, ut & ipsi diligenter, quid agendum esset, considerarent, & sibi postera die 22. Junii sententiam suam aperirent. Id factum, & ab omnibus dictum est, nihil prius, quam de causa religionis, agi debere. Cum diversæ partis Principes inter se consultantes idem decrevissent, Cæsar die 22. Jun. Saxoniæ Electori & conjunctis e Principibus indicari fecit, ut summam fidei suæ & quid de abusibus emendandis desiderarent, scripto comprehensum post biduum, (die nempe 24. Jun.) sibi exhibeant. Sequenti die 23. Jun. prælecta in consessu Electoris & sociorum, & ab omnibus approbata fuit summa illa fidei, quam tunc *Apologiam*, postea *Confessionem* vocabant, (ut a Melanchthone conscripta erat) & decretum est, ut publice recitandæ concessio ab Imperatore peteretur. Secuta est secunda sessio d. 24. Junii, quam Maimburgius notavit, in qua Legati *Campegii* oratio audita fuit. Illum advenientem in curiam Cæsar, qui prius venerat, cum omnibus Electoribus & Principibus, ad gradus curiæ excepit, in prætorium deduxit, & sedem, quæ Ferdinando Regi e regione Cæsaris parata erat, ei assignavit. Tradidit is ante omnia literas Pontificias ad Cæsarem & Status. Cæsar eas Archiepiscopo Moguntino dedit, & ab hujus Secretario prælectæ sunt. Inde orationem Latinam habuit Campegius, eloquentem & concinnam, quam *Cœlestinus fol. 124. & seqq.* inseruit. Exorsus est, post honoris præfationem a querela de religione, quam pravorum hominum ingeniis eo redactam esse dicit, ut nunquam pene a primis initiis magis laboraverit, neque unquam tam variis sectarum turbinibus navicula Petri fluctuaverit. Culpam primariam assignat defectui charitatis Christianæ: illiusque dissidii, quod nulla Pontificum industria & cura sopiri potuerit, effectus esse statuit omnia mala, in Germania per hos annos secuta. Commendat inde *Clementis*, a quo missus erat, studium, & ad tollendas hæreses, sarciendamque concordiam, omnes hortatur, eaque bona obtineri posse existimat, si ea, quæ Cæsar, cujus virtutes & animum magnifice laudabat, in religione jussurus sit, omnes sint observaturi. Denique Pontificis officia, suamque operam offert: sed de Concilio nullum profert verbum, tantum abest, ut abusus aut eorum emendationis necessitatem fateatur, licet haud pridem Adrianus utrumque publice fecisset. Prolixior fuit in exhortatione ad bellum contra Turcos gerendum, paulo tamen modestior & gravior *Pimpinello*, sed & ipse largus fuit promissis; omnium enim Regum & Principum, speciatim quoque Helvetiorum auxiliatrices sperare jubet vires. Responsum ei est, innuente Cæsare, ab *Archiepiscopo Moguntino* breviter (vid. *fol. 132. b.*) ita, ut diceret, orationem ejus gravem, piam, christianam, hisque temporibus apprime accommodatam & necessariam, attente quoque auditam, & Cæsarem atque Status officia sua præstituros esse, quæ Deo & Pontifici, omnibusque hominibus probare possent; de religione nihil tetigit. Post hæc legati Austriacorum Ordinum auditi sunt, quorum nomina *Cœlestinus*, ut & contenta orationis *a Sigismundo Dietrichsteinio* pronunciatæ, retulit *fol. 132. & seq.* His dimissis, surrexerunt Elector Saxoniæ, ejusque socii, & petierunt, quæ hic narrat Maimburgius; erravit autem cum Cœlestino, aut ejus typographo, quod Franciscum Luneburgicum, qui junior erat, Ernesto, fratri seniori, & provinciam regenti, præposuit. Orationis, quam sæpe dictus *Gregorius Pontanus* Ex-Cancellarius Electoris, (valetudinis enim causa & præcipue ob visus debilitatem assidua in aula ministeria reliquerat) vir magnæ eruditionis, pietatis & gravitatis habuit, contenta a *Cœlestino fol. 133. b.* relata, hæc sunt: *Cum certo sciant, ac re ipsa indies experiantur, multa de fidei suæ articulis ac ceremoniis, in Ecclesiis suis receptis ac usitatis, secus, quam res habeat, ad Cæsaream Majestatem, Electores & Principes delata esse, ac si non vereantur, nova dogmata, & in sacris literis parum fundata, hæreses, schismata, & alias id genus monstrosas & absurdas opiniones, in sacri Imperii Germanica natione excitare, in vulgus spargere & disseminare, subjectissime se petere ac mirum in modum rogare Cæsaream Majestatem, omnesque Electores & Principes, ut, quia hæc res non modo ad nominis sui autoritatem & famam, fortunas omnes, sanguinem & vitam, verum etiam ad animæ dispendium, aut salutem æternam, spectet pertineatque, sine molestia aliqua & tædio audiant & percipiant, quænam sit summa illius doctrinæ, quæ in Ducis Electoris Saxoniæ territorio & Diœcesi, aliorumque in religione conjunctorum sociorum regionibus, sonet ac populo proponatur.* Sed ægre a Cæsare, & non, nisi repetitis bis terve precibus, permissio prælectionis sequenti die faciendæ, impetrari potuit; ut verisimile sit, si scriptam Confessionem, ut Cæsar poscebat, ei tradidissent, nunquam obtenturos fuisse, ut prælegeretur. Regerebant inter alia, ut traditionem scripti evitarent, errores quosdam in scribendo admissos esse, qui corrigi prius deberent. Ferdinando, Cæsaris fratri, multa imputarunt Protestantes, quod ad duriora eum stimulaverit: viderant enim eum subinde aliquid illi in aurem insusurrare; sed idem Ferdinandus annis postea secutis mitiorem se erga eos ostendit, cum de causa melius instructus fuisset. Circumsistebant Cæsarem magno numero Cardinales & Prælati Ecclesiastici, ut *Justus Jonas* in literis ad Lutherum d. 25. Jun. datis commemorat, quas exhibet *Cœlestinus fol. 135. b. 136.*

Marginalia: (5) *Campegii Cardinalis oratio.* — A. 1530. — (6) *Responsum Comitiale.* — (7) *Austriacorum Ordinum petitio.* — (8) *Protestantes audiri confessionem petunt.* — (9) *Ægre impetrant.*

An. 1530.

SECT. 29.

An. 1530.

(1) Narratio de prælectione confessionis.

Sic die Saturni, qui erat 25. Junii, Elector Saxo, cum Duce Johanne Friderico, filio suo, & reliqui quinque Principes Protestantes, Legatique Norimbergenses & Reutlingenses, tertia post meridiem hora, coram Imperatore comparuerunt, secum habentes Confessionem Germanice & Latine scriptam, in qua articulis XXVIII continebantur, quæ circa fidem & disciplinam crederent, additis autoritatibus, quibus asserta sua confirmabant. Lecta itaque fuit tarda & alta voce, a quodam ex Consiliariis Electoris, cum incredibili Protestantium gaudio, qui hoc facto triumphum doctrinæ suæ egisse sibi persuadebant. Scripserunt etiam ad multos passim, inventam illam fuisse puro Dei verbo conformem, & obmutuisse ex Pontificiis, qui antea maxime eam diffamassent, nec ausuros contradicere. Sed mox apparuit, egregie falsos esse. Postquam enim a Doctoribus Catholicis examinata fuissent omnia dogmata hæretica, in Confessione hac contenta, & refutatio composita, jussu Cæsaris d. 3. Augusti, in pleno consessu prælecta, & rogatis sententiis, ab omnibus Catholicis, qui Protestantes numero longe superabant, approbata esset; conversus ad Ducem Saxoniæ & Principes socios Imperator, dixit: oportere eos, quæ lecta fuerant, approbare, sicut alii, & suffragiis comitialibus cedere. Illi vero exemplum scripti dari sibi petierunt; quod primum ægre admissum, tandem tamen ea conditione concessum fuit, ut privatim perlectum Imperatori redderent, neque cum aliis communicarent: Indultum hoc fuit ex ea ratione, quia in comitiis de utroque scripto perlecto jam pronunciatum erat, neque disceptari amplius posset, sed judicio conventus obtemperari deberet. Conditionem tamen adjectam satis ferociter rejecerunt, & Landgravius, non petita venia, Augusta discessit, valde irascente ob id Imperatore.

Cælest. l. 3. f. 43. & seq. Sleidan. l. 7. Cochl.

(2) De ejus examinatione & confutatione.

(3) Landgravii abitus.

§. LXV.

(1) *Plura de lectione confessionis.*

Ista, nec plene, nec satis sincere tradita, uberius & verius exponenda sunt. Die & hora, recte a Maimburgio annotatis, in conclavi Imperatoris, quod sacris destinatum, (in der Capellstube / ut notat *Autor MS.* in *Addit.* allegatus) & ducentorum fere hominum capax erat, (in curia enim, ne major audientium concursus fieret, impetrari lectio non potuit,) Electores, Principes & Ordines comparuerunt. Et stare quidem, dum legeretur, volebant Saxoniæ Elector & consortes; sed considere ab Imperatore moniti sunt: prodierunt autem in medium, *Pontanus*, Latinum exemplar manu gerens, & *Christianus Baierus*, Cancellarius, Germanicum tenens. Cæsar Latinum prælegi volebat; sed cum Elector dixisset, quia in Germania sumus, auf Teutschen boden / spero, Majestatem vestram permissuram esse, ut Germanice loquamur; facile assensit Cæsar. Legit itaque *Baierus*, tam clare, ut extra triclinium, & in area inferiori Episcopalis Palatii (die Pfaltz) exaudiri vox ejus posset, duasque fere horas legendo consumsit. Finita lectione, utrumque exemplum Pontanus *Alexandro Sueissio*, Secretario Imperatoris porrexit; sed Imperator ipse Latinum apprehendit. Ausus vero est, ut *Cœlestinus fol. 190.* refert, Pontanus hæc verba effari. *Divina cooperante gratia, at Deo suam causam agente, hæc confessio etiam contra inferorum portas prævalebit.* Sed verisimilius est, quod ista parrhesia alio tempore usus sit, circa finem nempe Comitiorum, ut infra dicetur. Cæsar cœtum benigne dimisit, &, *de negotio deliberaturum se esse*, per Fridericum Palatinum respondit. Reperiuntur quædam, ex gestibus & sermonibus audientium, partim inter legendum, partim postea observata, apud autores, & videri possunt *Spalatinus Tom. V. Alt. fol. 151. Cœlestinus Part. II. fol. 190.* item *f. 205.* ubi notabilem *Justi Jonæ* relationem exhibet, *Jo. Saubertus* in *mirabilibus Aug. Conf. Jo. Georg. Dorscheus* & *Jo. Schmidius* in Jubilæis Dissertationibus & Orationibus Argentorati 1630 *de Aug. Conf. miraculis & indole* habitis, & alii. Verum est, magnanimitatis & constantiæ egregium exemplum dedisse Electorem, cum quatuor solummodo Principibus, duabusque Civitatibus *Norimberga* & *Reutlinga*, quantilla Germaniæ parte! Nec immerito gloriari de insigni hoc actu poterant Protestantes, itemque Lutherus; neque tamen, ut Maimburgius putat, tam stupidi erant aut superbi, ut nullam metuerent contradictionem, ut hic cavillatur, sed confisi sunt, nihil solidi responderi posse; eo etiam Pontani dictum pertinet. Sed de his plura alibi dicentur, & jam supra Episcopi Augustani judicium relatum fuit, qui post lectionem dixisse fertur: *Quæ recitata sunt, vera sunt, pura sunt veritas, non possumus inficiari.* Ex ipsa Confessione ante omnia notandum est exordium; in hoc Imperatorem alloquuntur Elector & socii, & ex literis indictionis Comitiorum, jam sæpius citatis, repetunt Cæsaream intentionem de amica tractatione, & de correctione eorum, quæ ab utraque parte secus scripta aut acta sint: dein propositionem adducunt, per quam Cæsar postulaverat, ut singuli opiniones suas aperiant. Hæc, ut ex sua parte præstent, habita d. 23. Junii deliberatione statuisse se, dicunt, concionatorum suorum & suam confessionem doctrinæ, ex Scripturis sanctis & puro verbo Dei, huc usque traditæ, ad diem præstitutum offerre; dein, si idem ab aliis Principibus & Statibus factum fuerit, amice cum iis conferre, &, ut citra odiosam contentionem conveniri possit, quantum liceat, allaborare velle, nec per se staturum, quo minus compositio sequatur. Allegant inde spem, de Concilio in comitiis Spirensibus anno 1526. & posthac a Cæsare factam, & ab omnibus Imperii Ordinibus conceptam & acceptatam, & quomodo ad Christianum & liberum Concilium (in ultimis scilicet comitiis Spirensibus) provocaverint. Ab illa appellatione testantur se non recedere, sed salvam atque integram servare, si amice conveniri de hac causa non possit. De articulis ipsis, eorumque stylo & moderatione, cui Melanchthon summo & pene nimio incubuerat studio,

(2) *Pontani dictum.*

(3) *Scriptores historiæ de confessione.*

(4) *Observatur Protestantium magnanimitas.*

(5) *Excerpta ex exordio confessionis quædam.*

(6) *De stylo confessionis annotatio.*

A. 1530. studio, multa notari mererentur; sed nimis longe a scopo Historico abduceremur. Lutherus, etsi quædam omissa, quædam justo mollius prolata esse non nesciret, contentus tamen fuit, & pro magno Dei beneficio & occasione propalandæ & propagandæ doctrinæ Evangelicæ merito habuit Confessionis editionem, quæ in omnes pene linguas translata, & (quia typis, vetante Cæsare, publicari tunc non poterat) innumeris vicibus descripta, in Regum & Principum Europæ aulis sparsa fuit. Profitentur autem Principes in epilogo, se præcipuos articulos, qui controversiam habere videbantur, nunc recensuisse, vitata prolixitate, quanquam plures abusus allegare possent: recitasse itaque nunc, quæ necessario dicenda esse judicaverint. Observandum hoc est adversus sycophantas veteres novosque, qui religionem Evangelicam, veteratoria quadam cavillatione, ad nuda verba Confessionis restringere & coarctare ausi sunt, in qua tamen neque omnia dogmata explicare, neque omnes errores refutare Autores ejus voluerunt, ut paulo post §. *LXVII. n. 1.* pluribus demonstrabitur. Talis sane restrictio in mentem illis minime venit, & ex iis, quæ in his ipsis comitiis Augustanis acta sunt, maxime vero ex conventione solenni, quæ post annos viginti quinque (anno 1555) in illa ipsa urbe Augustana secuta est, clarissime elucet. Ibi enim non solum Confessio Augustana, sed & religio, fides, constitutio ministeriorum, rituum, ordinationum & ceremoniarum Ecclesiæ facta & futura, Protestantibus libera relinquitur, (ihnen gantz gelassen) & omnis Episcoporum potestas & jurisdictio generaliter suspenditur. Vide *Recess. de an. 1555.* §. damit auch obberührte.

(7) *Respondetur objectioni de variatione.*

Frivola etiam est, & tantum litis & vexæ causa excitata fuit a scriptoribus quibusdam Pontificiarum partium controversia de diversitate & variatione styli in editionibus hujus confessionis, tam Latinis, quam Germanicis. Etsi enim discrepantia quædam in illis appareat, nulla tamen demonstrari potest, quæ caput & substantiam controversiæ pervertat, quæ inter pontificios & Lutheranos versatur, (nam, quæ hic cum Reformatis circa mutationem anno 1540. factam intercedit disputatio, ad Romano-Catholicos non pertinet) omnis denique symbolicæ hujus Confessionis vis ac norma in sacrarum literarum testimoniis consistit, & ex his, quicquid de stylo & formulis dubitari posset, decidendum est. Hæc a Theologis nostratibus dudum & sæpe deducta fuerunt. Nuper vero resuscitatam ab *Anonymo Viennensi* vitilitigationem, & inde in Ecclesias Augustanæ Confessioni addictas denuo vibrata calumniarum & convitiorum tela, auspiciis Serenissimi & Potentissimi Electoris Saxoniæ, graviter retudit præclarus & celeberrimus Theologus Lipsiensis, *D. Valentinus Alberti*, edito justo tractatu Germanico, anno 1684. ex quo simul historia omnium, de quibus disceptatur, editionum A. C. luculenter cognoscitur. De Landgravii abitu, a Maimburgio hic notato, postea dicetur.

§. LXVI.

(1) *Confu-*

Longe sterilius breviusque hic agit noster de

Lib. II.

refutatione Confessionis, aliisque quæ tunc gesta sunt, quam causæ gravitas exigit, ideoque multo plura afferenda sunt. Adducti erant a variis Principibus in Comitia pugnacissimi ex adversariis Lutheri, quorum catalogum exhibet *Cælestinus Tom. IV. fol. 135.* Eminebant inter eos *Jo. Faber*, & *Jo. Eccius*, sæpe jam memorati, de quibus maxime questus est Melanchthon; dein *Augustinus Marius, Conradus Wimpina, Johannes Cochlæus, Conradus Collinus, Arnoldus de Vesalia, Johannes Mensingius*, & alii. Præcipui ex his a Legato & aliis Pontificis nunciis, Pimpinello & Petro Paulo Vergerio (de quo plura in sequentibus dicenda venient) instigati, id agebant, ut aut plane non audirentur Protestantes, aut eorum dogmata, jam a Pontifice Leone X damnata, simpliciter rejicerentur, vi denique in eos ageretur, aut, si Cæsari mitioribus consiliis intento (ut fieri oportuit) obsecundandum, & in quandam disputationem & tractationem veniendum esset, ut operam darent, ne ulla sequeretur conventio, aut si tandem Concilii convocatio impediri non possit, ut restitutio in integrum ante omnia decerneretur: id est, ut Protestantes veterem cultum in ditionibus suis iterum admitterent; quod, etsi sciebant facturos hos non esse, sub juris tamen specie exigi posse videbatur, & in renitentes vis tanto majori cum prætextu parari. Huc igitur illi, præmiis, ut ferebatur, amplissimis excitati, omnes actiones suas dirigebant, licet aliquando, ne Cæsaris & moderatiorum quorundam placidioribus consiliis nimis duriter obstreperent, concordiæ cujusdam spem ostenderent, & Melanchthonis inprimis ingenium, ad cedendum proclivius, suo scopo accommodare niterentur. Inter Principes, præter Ecclesiasticos quosdam, *Joachimus I.* Elector Brandenburgicus, & ante omnes *Georgius* Saxo vehementissimi erant, neque multo mitiores Bavari: *Henricus* tamen Brunsuicensis, quamvis postmodum odiis adversus Saxoniæ Electorem haud parum, & magno quidem malo suo, indulserit, ad pacem & concordiam tunc satis inclinabat, & pleraque, quæ ex Confessione capere poterat, v. g. communionem sub utraque, & conjugia sacerdotum, probabat, cætera pro rixis & tricis sacerdotalibus, (Pfaffenwerck) habebat. Nullam autem moram Cæsar interposuit, sed altero statim post prælectam Confessionem die *26. Jun.* Romano-Catholicos in consilium advocavit: in quo, etsi quidam duriora suaderent, decretum fuit, examinandam ante omnia Confessionem a Theologis, & ad eam respondendum esse. Itaque hi magno numero consederunt, & intra sex fere hebdomadum tempus Confutationem, quam vocant, conscripserunt; cujus exemplum autem Protestantes, licet instantissime petentes, obtinere non potuerunt. Edita tamen postea fuit Latine, ab *Andrea Fabricio*, Consiliario Bavarico, ut *Chytræus* refert, qui aliud exemplum Latinum a Norimbergensi quodam Senatore accepisse se scribit; Germanicum vero, ut d. 3. Augusti prælectum fuit, forma authentica adipisci non potuit: versionem itaque solum ejus, in editione *Historiæ* Germanicæ exhibuit, *p. 270. & seqq.* Ex ea hic nihil recensere volui, quia nec Confes-

An. 1530. *tantium consilia.*

(2) *Principum affectus.*

(3) *Historica quædam de confutatione.*

 sionis

An. 1530.

sionis compendium retuli, tum, quod utrumque scriptum omnino legere debeant, qui plenam rei notitiam desiderant; tum, quod præcipua quædam controversiæ momenta infra notanda venient, quando de tractatione inter delegatos, ad tentandam concordiam, agendum erit. Interim hanc Confutationem, & quas cum ea exhibuerunt adversus Lutherum invectivas, neque Cæsari satis placuisse, traditur, multosque judicasse, acrem nimis nec solidam istam fuisse. *Melanchthonis* epistola, in qua d. 6. Augusti de confutatione hac Luthero multa scribit, omnino huc inserenda est, ex *Lib. I. ep. 12. Tandem audivimus*, ait, *confutationem tertia Augusti, & sententiam Cæsaris, quæ satis aspera est. Nam priusquam legeretur confutatio, Cæsar inquit, se in ea sententia, quam ibi præscribi curasset, mansurum esse, & petere, ut idem faciant Principes nostri; quod si nolunt facere, se, cum sit defensor Ecclesiæ, nolle schisma in Germania tolerare. Hæc fuit orationis summa: quæ quanquam esset atrox, tamen, cum confutatio esset valde pueriliter scripta, mira gratulatio secuta est lectionem. Nullus Fabri liber exiit tam ineptus, quo non sit ineptior hæc confutatio. De utraque specie allegavit historiam de filiis Heli, manducaturis panem: hinc argumentatus est, solo pane decere Laicos contentos esse. De Missa mirabiliter frigida fuit defensio. Joachimus* (Camerarius) *rediens ab ea lectione, nam ego non interfui, mihi dixit, valde me errare, qui me usque adeo variis disputationibus cruciarem, de causis traditionum. Nihil tale* (illis) *in mentem venire posse. Nostri petiverunt exemplum confutationis, sed Cæsar respondit, se deliberaturum, utrum esset exhibiturus. Postridie* (d. 5. Augusti, ut ex *Spalatini MS.* percipitur) *accersit Principes: iterum hortatur, ut in sententiam eant, quæ scripta est in confutatione. De exemplo inquit, se ea lege exhibere, ne edatur, vel transscribatur. De hac re diu tenuit contentio:* (ad horam usque octavam vespertinam) *tandem dirimunt eam Moguntinus, & Frater* (Elector Brandenburgicus) *& Brunsuigius. Hi accedunt ad nostros Principes, & jubent omittere hoc certamen, se, ne Cæsar vehementius commoveatur, de transigendo toto negotio consilia habituros esse. Itaque confutationem illam nondum videre licuit, & expectamus hodie, quas conditiones Principes illi nobis proposituri sint. Habes nostra omnia. Viri boni & sapientes omnes visi sunt mihi erectiore animo esse, audita illa pueriliter scripta confutatione.* Addit quædam de Principibus Protestantium, quos pacem facilius impetrare putat posse, si Cæsarem ambirent, majorique uterentur diligentia.

(4) *Melanchthonis de ea relatio.*

ADDITIO I.

Idem consuluerunt triduo post prælectam confessionem, datis ad Principes d. 28. Junii literis, (quas *Spalatinus* in *Historia MS.* conservavit) *Justus Jonas*, *Johannes Rurerus*, *Erhardus Schnepfius*, & *Henricus Bock*. In his spem quidem aliquam ostendunt, *fieri posse, ut quidam ex adversariis meliorem opinionem de religione Protestantium concipiant; futuros tamen esse, qui capita Confessionis, magni licet momenti, non satis æstimaturi sint, alios parva magni facturos esse.* Prævidere se, *fore, ut de concordia tractetur*, ideoque utile esse arbitrantur, *ut Principes cum suis expendant, in quibus articulis aliquid remitti possit.* Deinde, *ut Cæsarem ipsum adeant, & mentem suam explicent, ne delatorum calumniis locus sit. Illo familiari colloquio Cæsarem informari & mereri posse, ut de causa mitius sentiat: & sperandum esse successum a Deo, qui corda Principum regere novit.* Hæc etsi non impertinenter dicta, effectum tamen non habuerunt, & Principibus causæ fuerunt, quibus a familiari illo accessu retinebantur.

Aliorum Theologorum consilium.

An. 1530.

Laudat præterea Melanchthon Landgravii moderationem; sed simulatione ejus deceptus esse videtur, eo enim ipso tempore abitum illum clandestinum moliebatur, quem memoravit Maimburgius, & de quo altero die ipse Melanchthon hæc ad Lutherum *ep. 13.* perscripsit: *Ecce postridie Landgravius abit, clam omnibus, reliquit tamen hic mandata. Cæsar statim accessit nostros, & petit ne discedant, præsertim postquam Principibus permiserit, ut de componendo negotio nobiscum agant. Visus est æquum postulare Cæsar. Quare nostri respondent, se, inconsulto Cæsare, nunquam abituros esse. Ego de Landgravii consilio nihil affirmare possum, sed videtur, commotus indignitate actionum, spem pacis abjecisse. Quanquam, ut dicam quod sentio, suspecta mihi in eo simulatio moderationis in talibus negotiis hic fuit.* Res a *Sleidano*, *Cælestino* & aliis narrata ita se habet. Landgravius ob uxoris valetudinem, ut dicebat, domum cogitans, per Fridericum Palatinum veniam abeundi a Cæsare petiverat. Cum vero responsum non obtineret, consilium clam abeundi sumsit, insidias veritus: ut autem occultius ageret, non solum dissimulavit propositum, & ad ludos equestres in honorem Cæsaris, Ferdinandum Fratrem de feudis Imperii investituri, instituendos, publice sese apparavit, sed & porta urbis secretiori, quæ per machinas quasdam, multa cum cautela, & noctu saltem, aperitur, (vocatur *intromissio*, der Einlaß) d. 6. Aug. elapsus est.

(5) *Landgravii abitus.*

ADDITIO II.

Literas reliquit ad Electorem d. 6. Augusti sua manu datas. (*Reg. H. fol. 14. N.*) In his pro causa abitus allegat *valetudinem uxoris, quæ jam bis præsentiam suam per literas sollicitasset: cætera Electorem ex Cancellario suo intellecturum esse: huic & reliquis Consiliariis a se mandatum esse, ut Electori assistant & vigilent.* Hortatur illum, *ut nullo modo a verbo Dei abstrahi aut terreri se patiatur, vanas enim esse adversæ partis minas*, (es ist nichts darhinter) *se vero pro Electore & verbo Dei corpore & viribus omnibus decertaturum esse.* (so soll sich E. Lbd. zu mir versehen / daß ich mein Leib und Gut / Land und Leute bey E. Lbd. und Gottes Wort lassen will.) Commendat denique *Ulrici* Ducis VVurtenbergensis negotium.

Literæ Landgravii de abitu suo.

Imperator re insperata commotus, præcipiti jussu non solum Senatui urbis interdixit, ne porta illa posthac quenquam emitterent, verum &, contra morem Comitiorum, milites suos ad excubias portarum collocari fecit. Dein sequenti die 7. Augusti (quæ erat Dominica) a meridie (non accessit, ut Melanchthon scribit, sed) ad se vocavit Saxonem & reliquos, & non dissimulata offensione, causam discessus Landgravii ex illis quæsivit, clementer tamen petiit, ut reliqui permanerent, multa de studio suo ad concordiam in religionis negotio sanciendam pollicitus, ita ut nullo alio tempore mitius & benignius, quam tunc

(6) *Cæsaris acta cum Protestantibus & concordiæ tractandæ occasio.*

A. 1530. | An. 1530.

tunc cum Protestantibus egerit. Ad hæc Principes Landgravii abitum excusant, uxoris morbo, & quod Legatos reliquerit: se vero mansuros esse profitentur; gravari tamen se dicunt, insolitis excubiarum dispositionibus. Sic monitus Cæsar, stationes militum ob cædem quandam, quæ inter Germanos & Hispanos acciderat, ordinatas fuisse dixit, & deinceps nihil ejusmodi, antequam cum Saxone, ut Imperii Ensifero sive Marescallo deliberasset, facturum se esse, pollicitus est, eodemque die stationes removit. Hæc Maimburgius, cum magnam Cæsaris iram referre voluerit, tacere non debuisset, quæ & moderationis ejusdem, & generosum Principum, & Electoris maxime, juris sui tuendi propositum indicant. Quæ de *ferociori Principum responso* hic scribit Maimburgius, ex verbis eorum non apparent, neque ipse Cæsar tam dure locutus est, ac noster refert. Petierunt Principes satis modeste, & adductis iterum literis Cæsaris, quibus ad Comitia vocati erant, amicæ tractationis modum, & necessariam ad eum scripti communicationem. Postrema, Cæsaris nomine, die illo 3. Augusti per Fridericum Palatinum prolata, significant quidem, nolle Cæsarem, ut ad acceptam confutationem responderent, & clementer petere, ut cum cæteris Electoribus & Principibus transigant, addidit tamen: *quemadmodum in conclusione Confutationis indicatum est.* Hoc eo intelligi poterat, ut aliqua reformationis spes esset. In epilogo enim ejus dicebatur, *neque a Cæsare neque a quoquam Principe aut Christiano vel minimos abusus probari, ab omnibus potius optari, ut Principes & Ordines Imperii communi consilio & decreto ad abrogationem abusuum progrederentur, ut quæ in utroque Ordine plus minusve justo fierent, abolerentur, aut optimo modo reformarentur, & ut status Cleri, & religio Christiana in multis frigefacta & relaxata, ad pristinum vigorem nitoremque restitueretur, eoque Cæsarem ipsum multas curas laboresque huc usque contulisse, ulterioremque operam promisisse.* Repeti etiam jusserat Cæsar interdictum, ne vel Confessionem vel alia scripta typis publicari aut evulgari sinerent. Antequam Protestantes ad ista aliquid regererent, surrexerunt Elector Moguntinus & Brandeburgensis, tum Henricus Brunsuicensis & alii, rogaruntque Cæsarem, ut sibi permitteret cum Protestantibus de concordiæ aliqua ratione agere: & sic, annuente Cæsare, tunc discessum est, diesque sexta Augusti ad amicam tractationem constitutus.

(r) Notatur Maimburgius.

SECT. 30.

De tractata concordia inter partes a die 7. ad 16. Augusti.

Sed Principes Catholici, sperantes reduci eos posse, si in congressu particulari cum iis ageretur, a Cæsare obtinuerunt, ut septendecim ex Electoribus, Principibus, & Episcopis, & ex deputatis civitatum, delecti, amice cum iis conferrent: quod d. 7. Augusti in Capitulo (ut vocant) sive senaculo templi cathedralis factum est. Ibi Joachimus I. Elector Brandenburgicus orationem ad sex Principes Protestantes animosam, & ad concitandos affectus efficacem, habuit, ut eos ad renunciandum Confessioni suæ permoveret, cujus refutationem solidam autoritate Scripturæ, Patrum & Conciliorum audivissent. Biduo post voce & scripto responderunt, se non sufficienti modo, quemadmodum in convocatione Comitiorum fuerit promissum, auditos esse; negatum fuisse exemplum Confutationis, neque eam se, renitente conscientia, probare posse; Concilium etiam, quod promissum fuerit, non indici. Ad hæc Joachimus Elector ex-„*tempore respondit: lectam fuisse in pleno consessu Confessionem eorum, continentem, ut „ipsi apud Imperatorem affirmaverint, omnia, quæ dicenda habuissent; & præterea collo-„quium hoc institutum, ut audirentur, quamdiu vellent; oblatum fuisse exemplum scri-„pti Doctorum Catholicorum, cum conditione, quam nemo non æquam judicaret; consci-„entia eos obligari, non, ut a religione Catholica secederent, sed ut erroribus & schismati, „in quod a Monacho Apostata inducti essent, renunciarent; quod vero ad Concilium atti-„net, satis illos scire, convocationem ejus semper per bella impeditam fuisse, & Lutherum „ipsum in Comitiis Wormatiensibus aperte dixisse, judicio Concilii pariturum se non esse, e-„undem etiam quotidie contra autoritatem illius scribere. Non placuit responsum hoc Protestantibus: nihilominus, ut ostenderent, paci se non adversari, suadente Melanchthone, qui nil nisi concordiam & finem controversiarum cupiebat, in aliud colloquium consenserunt, inter septenos utriusque delegatos habendum, qui Confessionem denuo examinarent. Ita ex utraque parte duo Principes, duo Jurisconsulti, & Theologi tres, delecti fuerunt, qui die 16. Augusti congressi sunt.*

Cælest. t. 3. f. 45. & seq. Sleid. l. 7. Cochlæus.

§. LXVII.

Hæc quoque satis jejune & imperfecte narrata suppleri debent, & repeti quædam ante hunc Principum congressum, mense Julio, acta, quæ ad intelligendum rerum momentum, & seriem omitti minime fas est, etsi ea Maimburgius neglexerit, quem in ordine narrationum hactenus secutus sum. Dum Pontificii Theologi in conscribenda Confutatione tempus terunt, eorum sine dubio suggestione, quibus moderatus Confessionis Protestantium stylus, & omissio quorundam articulorum a Luthero jam dudum reprehensorum, suspecta erat, Cæsar per *Fridericum* Palatinum, *Hoierum* Mansfeldensem, & *Helfensteinium* Comitem, ex Electore Saxoniæ & sociis quæri jubet d. 13. Julii, (ut est apud *Cælestinum*, sed diem 9. Jul. notat *Anonymus* in *Addit.* citatus; & dies a Cœlestino statutus is est, quo responsum a Protestantibus ad eam quæstionem datum fuit) *num acquiescere in articulis Confessionis velint, an plures proponere?* Hanc illi quæstionem, postquam cum civitatum Legatis deliberassent, insidiosam esse existi-

(s) Cæsar interrogari facit Protestantes, an plura proponenda habeant, ad Confessionem pertinentia.

An. 1530.

existimarunt, ex rationibus a *Cælestino Tom. II. fol. 217. b.* & *Chytræo fol. 195. & seq.* notatis. Responderunt itaque, licet plures abusus tam in doctrina, quam in disciplina Ecclesiastica nossent, qui etiam in concionibus & scriptis publice taxati essent, noluisse se tamen, cum in his Comitiis ex Cæsaris indictione, mutua charitate & mansuetudine de religione tractandum esset, omnes illos sigillatim enumerare, sed summam fere doctrinæ complexos esse, præcipue ad salutem animarum utilis, &, ut constaret, nullum apud se impium dogma prædicari; maluisse etiam illos errores notare, qui suæ suorumque conscientiæ oneri fuerint, quam, qui in moribus Ecclesiasticorum hæreant, de quibus illi rationem Deo reddendam habeant. Profiteri tamen se, per exhibitam Confessionem omnes incertas & impias doctrinas & abusus, qui pugnant cum articulis & rationibus articulorum exhibitorum, improbare, nec opus esse censere, ut plures proponant. Si vero ex altera parte, ut literæ Cæsaris exigunt, de sua fide aliquid professuri, & abusus forte illos sua sententia approbaturi sint, tunc se ex verbo Dei judicium suum de illis non esse celaturos. Germanicum, uti exhibitum fuit, responsum, a Principibus subscriptum, producit *Chytræus p. 199.* Hoc adversus novas sycophantias invincibile argumentum est, de quibus supra *§. LXV.* locutus sum, cum Protestantes mutatæ religionis accusantur, si scribant aut doceri faciant, quæ in Augustana confessione non leguntur.

(2) *Illorum responsum, adversus cavillationes notandum.*

ADDITIO I.

Monitum Theologorũ & Melanchthonis de reservanda extensione confessionis.

Responderunt tunc consulti a Principibus Theologi unanimiter, *non esse proponendos alios articulos, sed expectandum, donec ad exhibitam Confessionem altera pars responderit. Si id pari moderatione, qua Protestantes usi erant, non facerent,* (wann sie nicht mit gleichem glimpff antworteten) *tunc plura proferenda esse.* Extat etiam Melanchthonis autographon, quo monet, in proposito tractatu articulis, quos ex Confessione repetituri essent, clausulam addi debere: *non præjudicari aliis capitibus controversis, neque pro concessis habendos esse, qui per consequentiam ex illis, qui huc usque in quæstione fuissent, deduci possent, neque aliis, de quibus dubium superesset, & qui in Confessione non sint determinati, fraudem fieri.* Annotavit in margine hujus scripti *Hortlederus*, falsum hinc esse, quod Melanchthoni imputari soleat, quasi *nullum articulum controversum esse* putasset, *quam, qui in Confessione expresse esset comprehensus.*

(3) *Punctatio ex Cælestino, quæ Protestantibus tribuitur.*

Subjungitur dein a *Cælestino* deliberatio, sive, ut vocatur, *punctatio*, quæ præcedenti Principum scripto inclusa, & simul exhibita esse dicitur *Tom. II. a fol. 219. ad 224.* Quæ si revera exhibita est, admodum profecto acriter totam hierarchiam & doctrinam Romanam in censuram vocat, immo funditus destruit. Præmittitur enim exordium, in quo *Episcoporum regimen Antichristianum esse* asseritur, *immo diabolicum:* dein duodecim abusus potestatis Pontificiæ enumerantur. Eorum primus ita conceptus est: *Papa transformat gubernationem Ecclesiasticam in imperium mundanum, adfirmat, se habere dominium super regna mundi, &, uti ipsi loquuntur, utrumque gladium. Item canon citatur, quod habeat potestatem cœlestis & terreni imperii, idque eo esse indignius, quod affirmat, a Christo hanc mundanam potestatem Petro traditam esse, & falso detorquetur ad Pontificiam potestatem hoc dictum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Reprehenduntur apertissime in cæteris, *Constitutio Bonifacii VIII.* & *Glossa*, Christo regiam potestatem vindicans, ex impositione coronæ spineæ, *donatio Constantini, possessio regnorum & ditionum a Pontifice & prælatis invasa, bella cum Cæsaribus, vitia aulæ Romanæ, negligentia constituendi pastores idoneos*, & concluditur, *expedire rei Christianæ, ut regia dominatio Pontificibus adimatur, & opes, quibus ad profana potius, quam ecclesiastica negotia tractanda incitentur, ad mediocritatem redigantur.* Postea abusus in Sacramentis septem, quæ Pontificii statuunt, sigillatim recensentur. Sequitur caput adversus invocationes sanctorum, ita, ut cum ethnicis cultibus pleraque comparentur, inter alia *fol. 222. b.* his verbis: *Declarat etiam diabolus manifestis signis, se autorem esse peregrinationum multarum; ut multi norunt, ad sacella Viti, homines sanos alioqui, corripi furore diabolico, & saltare per triduum aut quatriduum. Constat, & in hac urbe Ratispona, multos accurrisse ad statuam, subito furore percitos, & jacuisse aliquamdiu ante simulacrum stupentes, atque ita, velut voto persoluto, ad se rediisse. Hæc similia sunt multorum ethnicorum exemplorum, ut de Orgiis, & de Corybantibus legitur.* Ex hoc paragrapho, ubi dicitur, *in hac urbe Ratispona*, satis, puto, apparet errasse *Cælestinum*, qui hoc scriptum *Augustæ* compositum & exhibitum esse tradit. Sequitur *fol. 224. ad 228.* dissertatio *de abusibus Ecclesiarum emendandis*, autore *Philippo Melanchthone*, egregia illa quidem, & utilissimis monitis de officio episcoporum referta, sed de qua non minus dubito, an hujus sit loci & temporis. Inter alia *fol. 226.* ita loquitur: *Non possumus sine magno dolore commemorare Ecclesiæ calamitates. Nos in Germania titulos habemus Episcoporum, Episcopos, qui officium suum faciant, non habemus. Cum enim quatuor sint præcipua Episcopi officia, docere & gubernare doctrinam, ordinare & explorare ordinandos, præesse judiciis Ecclesiasticis, & visitare Ecclesias: nostri Episcopi in Germania vix umbram & ceremoniam unius muneris retinent, videlicet ordinationem, sine exploratione. Interim tenent amplas ditiones, quas cum administrant Ducum officiis funguntur, non Episcoporum. Quas si volunt retinere, non enim impedimus, deliberetur de certis, qui vere regant ecclesias: &, ut supra dictum est, oportere in qualibet diœcesi esse certos delectos viros, qui præsint ordinationi & explorationi ordinandorum, item sint, seu iidem, seu alii, qui præsint judiciis ecclesiasticis & visitent Ecclesias.* Consilium deinde suggerit de decuria judicum Ecclesiasticorum, in singulis diœcesibus constituenda, quod fere eam indicat formam, quæ postea in constituendis Consistoriis apud Protestantes observata est. Dum igitur certiora indagavero aut docear, verisimilius puto, duas istas dissertationes alio tempore conscriptas, neque tunc ad adversariorum notitiam perlatas esse, qui eas non, nisi cum summa indignatione, accepturi fuissent, neque opus habuissent, ex Lutheri scriptis odiosa congerere, & cum Confutatione sua exhibere; quod tamen eos fecisse, constat ex *Cælestino Tom. II. fol. 228.* Temporis etiam

(4) *Excerpta ex ea, de dominatu Pontificis.*

(5) *Item contra invocationes sanctorum, aliosque abusus.*

An. 1530.

A. 1530.

etiam ratio exigeret, ut hic referrentur, quæ inter Cæsarem & Electorem Saxoniæ, investituram feudorum & alia petentem acta sunt, sed ea, ut & multa, quæ Lutherus hoc mense Julio & sequentibus, dum Elector Augustæ esset, scripsit, differemus, & prius, Maimburgii ordinem sequentes, de colloquiis quædam annotabimus. Orationis Electoris Brandenburgici d. 7. Augusti habitæ (quam, ut masculam & eloquentem, laudat Maimburgius) compendium tradunt scriptores nostrates. Melanchthon literis d. 8. Augusti ad Lutherum scripsit: *Marchio omnia ῥητορικῶς exaggeravit, ad deterrendos nostros ab hoc doctrinæ genere.* Cœlestinus *Tom. III. f. 26. a. b.* refert: *Die mensis Augusti septimo D. Joachimus, Marchio Brandeburgicus, Salisburgensis, Argentinensis, Herbipolensis, Bambergensis Episcopi, & D. Georgius Saxoniæ Dux, cum Electore Saxoniæ & reliquis Principibus Evangelicis rem pacificis rationibus transigere & componere tentarunt, perorante & conditiones proponente Joachimo Electore Brandenburgico; sed Dux Elector Saxoniæ, cum sociis in religione conjunctis, deliberandi spacium sibi dari petiit. Hæc prima, horis antemeridianis suscepta, actio non valde fuit amica. Nam quidam Pontificiæ factionis Princeps, inter alia, hanc atrocem, inhumanam & vehementem vocem protulisse dicitur:* Nisi Dux Elector Saxoniæ, novam, quam amplexus esset, Lutheri doctrinam devoveret & abjiceret, fore, ut Imperator ipsum armata manu superatum & victum omni dignitate, possessione ac vita quoque privaret, omnes subditos cum uxoribus & liberis in fidem suam adigendo & subigendo. *Hæc tam dura & vehemens vox tantum incussit Electori Saxoniæ metum, ut pene attonito similis obstupesceret, & domum reversus ad Theologos suos id minime dissimularet, fore affirmans, ut nisi agnitam purioris doctrinæ veritatem abnegaret & abjiceret, vi hostili peteretur & opprimeretur, atque adeo non solum se, sed & omnes subditos suos, in extremum periculum & discrimen adductum iri.* Licet vero turbatus tunc fuisse videatur Elector, gravis annis & debili corpore, mox tamen recollegit animum, nec dimoveri se a scopo suo passus est; ut ex sequentibus constat. Tradit quidem *Cœlestinus*, a meridie ejusdem diei respondisse Protestantes, se ante omnia administrationem sacræ Cœnæ sub utraque specie, dein sacerdotum conjugium, & Missarum, qualem ipsi instituerint, ritum ad Concilium usque desiderasse: de Ecclesiastica autem gubernatione, a qua penitus tollenda abhorrere se dixerunt, aliisque articulis & ceremoniis facile & amice transacturos esse; sed verisimilius est, quod hoc die non nisi dilationem petierint. Die enim 9. Augusti demum respondisse, & *Maimburgius* notavit, & a *Chytræo* responsum ipsum refertur *f. 22.* a Cœlestino omissum: nam quod is *fol. 33.* refert, illud est, quod d. 13. Augusti datum fuit, a *Chytræo p. 31. & seqq.* memoratum. Eorum autem, quæ d. 9. Augusti responderunt, summa hæc est: *Terribile esse, quod, Cæsaris nomine, nuper sibi intentari intellexissent: Comitia enim ad eum finem indicta esse a Cæsare, ut utriusque partis sententiæ audiri, &, quæ utrinque minus recte explicata aut acta essent, aboleri debeant: se itaque hanc sententiam duplici lingua Latina & Germanica consignasse, sacræ Scripturæ validis rationibus firmasse, & Cæsari tradidisse, & ut secundum indictionem comitialem porro procederetur, petiisse, paratosque se declarasse ad omnia, quæ cum verbo Dei, ejusque legitima explicatione, congruerent, accipienda:* Queruntur inde *de negato sibi Confutationis exemplo, in qua Patrum & Conciliorum testimonia adducta fuerint; sibi vero ab iis, quæ verbo Dei conformia pro conscientia sua crederent, discedere tam facile minime licere: dein de abusibus corrigendis, in concordia & charitate conferri debere, secundum literas Cæsareas.* Queruntur porro, quod nihil de *Concilio* jam statuatur, cujus tamen convocatio sæpius promissa, certum etiam tempus in Comitiis Spirensibus 1529. definitum ad eam fuerit: obtestantur itaque, ut, *omissis minis, alia amica conventionis media proponant;* se vero ad omnia, quæ salva pietate & conscientia admittere possent, offerunt. Hæc & lecta & scripto exhibita fuerunt, eorundem, qui Confessionem exhibuerant, nomine. Accessere præterea duabus Civitatibus *Norimbergensi* & *Reutlingensi*, quatuor aliæ, nempe *Campodunum, Winshemium, Hailbrunna & Weissenburgum* mediocrium omnes virium; tantoque majori laude, quia generosius est, iis, qui in periculo versantur, nove accedere, quam a veteribus amicis periclitantibus se non subtrahere: ideoque prius illud inauditum esse, existimavit aulicus ille apud Lucanum, qui dicebat:

Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

Sed vis agnitæ veritatis & fidei Christianæ talia frequenter efficit miracula. Responsum Principum, qui mediatores esse volebant, nomine, ab Electore Brandenburgico d. 11. August. pronunciatum, *Chytræus pag. 327.* retulit, apud *Cælestinum* tamen non invenitur. Ex illius principio apparet, gravamini Protestantium, quod non sufficienter auditi essent, opponi, quod Cæsar auditurum se esse obtulisset, si alterutra pars aliquid adhuc proponere voluisset, sed nihil amplius propositum fuisse. Hæc de illa oblatione, quam paulo ante memoravi, d. 13. Julii per Fridericum Palatinum & duos Comites facta, intelligenda esse apparet, & versutiam adversæ partis produnt. Neque enim Protestantes id querebantur, quod in prima sententiæ suæ propositione sive Confessione auditi non essent, sed, quod ad unicam illam coarctarentur, neque sibi copia fieret, ad Confutationem respondendi, & suam illam Confessionem defendendi. Nihil enim juvabat causam eorum, si decies permissum fuisset, Confessionem suam augere aut reiterare, si ad opposita respondendi nulla daretur facultas. Vidit hoc Elector Brandenburgicus cum suis, itaque alio argumento negatam confutationis communicationem tueri voluit, nempe quod legibus Cæsareis expresse prohibitum sit, sub corporis & vitæ pœna, ne de articulis fidei disputetur & scrutatio fieret. Hoc si verum esset, Cæsar non potuisset excusari, qui in literis tractationem de religione proposuisset, quæ sine disceptatione fieri non potest. Porro veritum esse Cæsarem, dicit Elector, ne, sicut edictum prius (id est, Wormatiense) contemsissent, exagitassent, derisissent, ita &

(6) Oratio Electoris Brandenb. & acta Mediatorum cum Protestantibus.

(7) Terretur Elector Saxo, & sese erigit.

(8) Responsum Protestantium d. 9. Aug.

(9) Accesserunt Protestantibus quatuor Civitates.

(10) Replica Mediatorum satis dura.

An. 1530. & Confutationem ignominiose tractarent. Sed hoc aut ab ipsorum Principum gravitate & prudentia metui non debebat, aut aliis modis caveri poterat. Offert inde communicationem confutationis ea, qua nuper, conditione, aut si hæc non placeret, fore, ut toties, quoties vellent prælegeretur. Conscientiæ quos allegabant scrupulos, affectatos esse, ait. Peccasse illos potius contra eam (hoc cum bona venia dictum vult, man solle es ihnen verzeihen) contendit, cum concionatoribus suis permisissent, contra verbum Dei & Ecclesiam Christianam, impias ordinationes introducere, plebem in errorem præcipitare, & omnia pervertere; exprobrat illis divisionem in tot sectas Iconomachorum, Sacramentariorum, Anabaptistarum & eorum, quos vocat Garten-Brüder/ fanaticos forte innuens, qui in hortis ad sacra convenirent. Concilii moram excusat ob bella præterita, nullumque ejus fructum fore putat, quia concionatores dictitarent, etiam Concilia errare posse, & errasse. Ita non habere, quæ illis proponat & suadeat, quam quæ nuper, nempe de redeundo ad consensum cum cæteris, suasisset. Si autem aliud quid proponere vellent, quod Cæsari cum aliqua specie referri posset (das bey Käiserl. Maj. ein Ansehen haben möchte) audituros se & collegas illud, & fideliter relaturos & promoturos, aut si tale non esset, cum suæ sententiæ significatione reddituros esse. Quid ad hæc replicaverint Protestantes, bona fide utique a Maimburgio narrari debuisset, sed is suarum partium propugnatoribus ultimum tribuit sermonem. *Cælestinus* hic *Tom. III. fol. 31. & seq.* consilium Theologorum Protestantium inserit, Principibus exhibitum, quo accepto, responsum, quod *fol. 33. & seqq.* legitur, reddidisse eos narrat. In consilio illo multa præfantur autores de necessaria tractatione & impetratione pacis, & quid Protestantibus metuendum sit, si res ad arma perveniret. Dein capita quædam proponunt, in quibus plane cedi non possit, nempe doctrinam, de fide, de bonis operibus, & de Christiana libertate, communionem sub utraque, abrogationem Missæ privatæ, & conjugium sacerdotum; his concessis de cæteris compositionem haud difficulter sperari posse existimant. Inprimis urgent libertatem Christianam adversus leges, quibus conscientiæ constringebantur. *Doctrina Christiana summa est* ajunt fol. 32. *ut vel ejusmodi libertatem in conscientia nostra sentiamus & retineamus, vel fidem & Christum abnegemus.* De Episcoporum munere ita loquuntur: *Episcopis etiam jurisdictio Cleri restitui posse videtur, ut & sacerdotes ordinent, & quoad ceremonias ecclesiasticas gubernent, sed eatenus tantum, quatenus nostram doctrinam non oppugnent ac persequantur, nec impia onera alicui imponant. Ea enim constitutio, qua Episcopi sacerdotibus traditi sunt inspectores & superattendentes, multas habuit easque justas causas, cum illi sacerdotes carere non possint. Ad hoc politici Principes gubernationi Ecclesiasticæ diu præesse & vacare non possunt, cum & viribus suis major illa sit, & ingentes requirat sumtus. E diverso vero Episcopis tot ac tanti reditus ordinati & attributi hanc ob causam sunt, ut ejusmodi sustineant personas, & talia officia gerant.* Addunt, *periculosum esse, veterem consuetudinem sine gravibus & magnis causis convellere & abrogare, &, licet Pontifex sit Antichristus, tamen sub eo, (sicut Israelitas sub Pharaone) vivi posse, dummodo sinceram de Deo doctrinam & verum Sacramentorum usum non oppugnet.* Inter hæc quædam bonis istis viris pacis studium expressit, quæ contradictionem implicare videntur, & Luthero, ut postea diceretur, parum probata sunt. Pontanus etiam, qua erat judicii soliditate, scrupulum vidit, & in margine illius scripti (*Reg. E. fol. 37. n. 1.*) annotavit, *fieri non posse, ut Pontificis potestas agnoscatur, cum is sibi eam jure divino arroget & pro Antichristo habeatur, a Paulo prædictus & nunc revelatus.* An. 1530.

(11) *Consilium Protestantium Theologorum, an & quatenus cedi possit.*

ADDITIO II.

Constantia & prudentia hujus viri multum præstitit adversus Melanchthonis & aliorum, qui aliquando ad conciliationes justo faciliores erant, timiditatem: uti ex aliis etiam ejus annotationibus margini responsorum Theologicorum adscriptis satis patet. Movebat Melanchthonem, quod ex colloquiis cum proceribus & Theologis adversæ partis certus esset, in articulo Missæ nunquam illos cessuros esse; nec suorum fidebat constantiæ, quod ob hoc unum caput extrema essent expectaturi. Putabat inde ferendum esse, si Cæsar mandaret, ut libera esset missarum, etiam in Saxonia, celebratio, quod paucos futuros esse crederet, qui ea libertate usuri forent. Suggerebat excusationes per argumenta, quæ dicuntur ad hominem. Dicebat, inter alia Electorem apud Cæsarem excipere posse: *neque fratrem suum Fridericum, neque se, reformationem suo mandato aut facto instituisse; sed quæ eo usque acta fuerint, populi a viris doctis instructi studio tribuenda esse, & Episcoporum cunctationi, qui idonea remedia non attulerint. Multum etiam contulisse importunos scriptores, qui acerbissimis scriptis Lutherum & reformationem impugnaverint. Quod vero Elector vi non egerit, nec reformationem impediverit, conscientia retentum esse, cum nihil, nisi* [illegible]*mos & consuetudo, hominumque leges opponerentur, quibus omnibus, quæ divini sunt juris & verbi, mutari aut retardari non possunt:* id quod ex innumeris Scripturæ dictis probari asserit, & allegat *2. Petr. I. 19. & Gal. I. 8.* Inter eos, qui ex diversa parte cum Melanchthone familiariter conversabantur, haud postremus erat *Hermannus, Comes Nuenarius*, Præpositus Coloniensis, Guilielmi, cujus aliquoties mentio facta est, ut videtur, patruus. Extat ejus schedula (*Reg. O. lit. JJ. fol. 86.*) d. 28. Junii ad Melanchthonem scripta, qua ad ejus epistolam respondet, studiumque & operam suam ad pacem & tranquillitatem promittit. Ait tamen: *non video de tribus articulis* (Missa nempe, communione sub utraque, & conjugio Clericorum) *aliter fieri posse, quam, ut usque ad alium locum aliudque consilium suspendantur; quanquam de utraque specie apud me non sit adeo magna difficultas, quin videatur res illa posse vel citra Concilium componi.* Eandem ad articulum hunc concedendum propensionem etiam Hispani quidam in colloquio cum Melanchthone præ se ferebant.

(a) *De Melanchthonis timiditate quadam.*

(b) *Comitis Nuenarii ad Melanchthonem schedula.*

Sed neque Principes simpliciter admiserunt Melanchthonis consilia, neque ea ullam vim habuerunt, rejectis conditionibus. Jam etiam responsum Principum, grave sane, & cui nihil ab adversariis regestum est, summatim referam. Recitatum autem fuit d. 13. Augusti, & simul scripto exhibitum. Vide *Celest. Tom. III. fol. 33. & seqq. Chytr. p. 331. & seqq.* Repetunt prolixe, quæ d. 11. Augusti ex ore Electoris Brandenburgici intellexerant, dicuntque, ea sibi inexpectata fuisse, sperasse potius, ab illis, ut arbitris, idonea & apta media

(12) *Responsum Protestantium, & querela de denegata Confutationis exhibitione.*

An. 1530. media propositum iri, quæ sine offensione Dei, & læsione conscientiæ, accipere potuissent. Urgent iterum literas indictionis Comitiorum, non in contumeliam Cæsaris, (quem earum memorem & observantem esse confidunt) sed ut ostendant, tractationis modum, qualem mediatores instituerint, cum illis non convenire, dum nil in mutua charitate ac mansuete ex utriusque partis opinionibus examinari sinant, sed id tantum agant, ut Protestantes a sua sententia, tanquam hæretica, depellantur, cum tamen hi nihil statuant, quam, quæ vera & catholica credant, neque ex prælecta Confutatione, quidquam ex scripturis sibi opponi perceperint, cui tamen Confessionis suæ articuli innitantur. Queruntur denuo de denegato sibi Confutationis exemplo: negant, se edictum Imperatoris ludibrio habuisse, nec a Jurisperitis indicari sibi leges illas Cæsareas potuisse, quæ contra disceptationes de religione opponantur; neque tamen se tam imperitos esse, ut nesciant, quid & quantum de articulis fidei disputare liceat: conditionem de non evulganda Confutatione merito rejecisse, quam præstare nequeant, posse enim ab aliis vulgari, & se postea illa suspicione gravari. Manifesto etiam iniquum esse, quod secum tam præcipitanter agatur, & Confutationis prælectio saltem oblata sit, cum Confessio sua aliquot septimanis in confutatorum manibus fuerit: fieri non posse, ut in re tam gravi, quæ ad animas & conscientias pertinet, integre & fundamentaliter respondeatur, si scriptum denegetur, ad quod respondendum sit. Ad ea vero, quæ de doctrina & moribus satis acerbe objecta & exprobrata fuerunt, mascule *fol. 35.* respondent: *Etsi fatemur nos homines & peccatores esse, tamen in rebus ad Dei gloriam & sanctam Christianam fidem pertinentibus, scientes, contra Dei verbum facere & conscientiam nostram onerare nolumus: meliorem habemus, quam ii, qui hanc doctrinam persecuti sunt, concionatores ejecerunt, & veritati locum dare noluerunt.* Nihil a suis concionatoribus doceri dicunt, quam, quod verbo Dei conveniat, indeque factum esse, ut & adversarii ipsi in multis capitibus doctrinæ huic se conformarint, & rectius, quam unquam antea, docuerint; sectas sibi imputari non posse, nec eas tanta incommoda in suis, quam in aliorum provinciis, ubi vi actum sit, dedisse. Etiam Apostolorum tempore, absque illorum culpa, sectas exortas esse, qui vero abusus sub Episcopis, neglectis, quæ haberi oportuerit, conciliis & visitationibus, invecti sint, non esse obscurum, & tamen solos Protestantes

(11) *Exprobrationes repellunt & retorquent.*

nunc accusari, non majori jure, quam Elias ab Achabo. Nuper, anno 1522. Hadrianum Pontificem publice proponi curasse: *omnium harum difficultatum & ærumnarum fontem esse aulam Romanam & Prælatos Ecclesiasticos*; justas itaque causas sibi fuisse, teterrima scandala & molestissima gravamina, quæ in Romana Ecclesia per multos annos extiterint, commemorandi, id tamen, se pacis & concordiæ causa, intermisisse. Asseverant postea, se nullum pastorem ferre in suis ditionibus, qui dissolutis sit moribus; turpitudinem vero & levitatem summam, itemque Simoniam, in clero Pontificio, notoriam esse. Offerunt tamen Episcopis ordinariam obedientiam, quatenus in verbo Dei fundata est. Concilium se postulasse, ut viam commodissimam & unicam tales controversias tractandi, eique se debitum honorem deferre. Quid alii de Conciliis scripserint, ab illis esse defendendum, se sperare, in œcumenico, libero & christiano Concilio, quale expetitum & promissum sit, ubi multi docti & graves viri de negotiis conferant, eaque accurate expendant, Deum sua benedictione affuturum, ut omnia recte exponantur, tractentur, & ad justam, unicam & christianam veritatem perducantur. In *fine*, cogitasse se, dicunt, annon idonea via & medium, literis Cæsareæ indictionis conforme, esset, si ab utraque parte, æquali & exiguo numero, viri periti, & pacis amantes deligantur, qui de articulis controversis placide inter se tractent. Hoc responso, digno sane pietate & gravitate Principum, moveri se ad colloquii instituendi viam non difficulter passi sunt Proceres diversæ partis, & Cæsar ipse, d. 14. Augusti, (*Dominica ante Assumtionem B. Virginis*) decrevit, ut ad illum modum deputatio & congressus fieret. Deputati autem sunt ex parte Romano-Catholica Principes, *Christophorus a Stadion*, Episcopus Augustanus, *Henricus* Brunsuicensis, &, eo postea a Cæsare ad Landgravium ablegato, *Georgius*, Dux Saxoniæ. Ex Jureconsultis Cancellarii, Coloniensis, *Bernardus Hagen*, & Badensis, *Hieronymus Vehus*: cui proponendi munus delatum est. Theologi, *Johannes Eccius*, *Conradus Wimpina* & *Jo. Cochlæus*. Ex parte vero Protestantium: Principes, *Jo. Fridericus*, Saxoniæ Dux, Electoris filius, & *Georgius*, Marchio Brandenburgicus. Jurisconsulti, *Gregorius Pontanus*, Ex-Cancell. Saxon. & *Sebast. Hellerus*, Brandenburgicus: Theologi, *Phil. Melanchthon*, *Eberhardus Schnepfius*, & *Johannes Brentius*. Inter hos *Pontanus*, ut ipse Cochlæus fatetur, vir egregie disertus, commune os & organum fuit. An. 1530.

(14) *Offerunt Episcopis & Concilio debita obsequia.*

(15) *Ansam dant tractatui amicabili.*

(16) *Deputati ad eum ex utraque parte.*

SECT. 31.

Ibi Melanchthon, absente Luthero, dux partis, benigna, ut sueverat, interpretatione, omnia quæ Catholicos in Confessione Augustana offendebant, ita explicavit, ut sequenti die jam in quindecim articulis, ex viginti & uno, quibus Confessio constabat, circa dogmata fidei conventum esset. Præter illos enim, in quibus Lutherani semper, quoad mysteria nostra, concordes nobiscum fuerunt, Articulo secundo affirmabatur, quod peccatum originis in baptismo remittatur, etsi concupiscentia, ejus effectus, nobis reliqua maneret; Articulo quarto, quinto & sexto, quod non sola fide, sed fide & gratia sanctificante justificemur; Articulo septimo & octavo, quod Ecclesia non solum justos, sed & peccatores contineat; & decimo septimo, quod habeamus liberum arbitrium, & quod nihil possimus ad salutem nostram sine gratia

(1) Narratio de tractatu, & in quibus capitibus convenerint vel dissenserint.

An. 1530. *& auxilio Dei supernaturali. Circa tres articulos ex parte tantum transactum est. Nam in duodecimo Protestantes quidem satisfactionem, ut partem pœnitentiæ, admittere volebant, ad ferendos fructus secundum Evangelium, sed non, ut necessariam ad remissionem pœnæ, peccatis nostris debitæ. In vigesimo necessitatem bonorum operum consitebantur, sed non eorum meritum. Quoad vigesimum primum agnoscebant Sanctos & Angelos pro nobis intercedere, eorumque festa & memoriam colere volebant, sed invocare illos recusabant. Reliqui tres articuli, nempe undecimus, decimus quartus & decimus quintus, de confessione sacramentali, de ordinibus & ceremoniis, ac consuetudinibus sacris dilati fuerunt, ad examen secundæ partis, quæ tractat de abusibus Ecclesiæ Romanæ. Verum in hac nunquam integre de ullo articulo conveniri potuit, quicunque etiam modi transigendi ab alterutra parte, usque ad decisionem Concilii, proponerentur: Protestantes enim semper persistebant, quod communio sub utraque specie, præcepti esset divini, quod sacerdotibus matrimonium permitti deberet; & quod Missa non esset sacrificium, nec privatim habenda; & quod confessio non nisi (ut ipsi solebant) generaliter & sine enumeratione particularium peccatorum fieri deberet; quod ceremoniæ, jejunia, & alia præcepta Ecclesiæ, in conscientia non obligarent; & quod vota monastica relaxanda essent. Tantum in septimo sive ultimo articulo, de Episcopis Melanchthon, ut adversarios sibi conciliaret, & pacem promoveret, multum remisit, omnem fere jurisdictionis vim & latitudinem illis in diœcesibus suis attribuens. Relatione, ut convenerat, in Comitiorum pleno consessu, de actis colloquii, facta, spes fuit, pacem fieri posse, cum jam eximii progressus facti essent, dummodo labori tam feliciter cœpto aliquantum insisteretur; sed, quia facilior transactio videbatur, si colloquium inter paucos potius, quam plures, inter quos facilius contradictio oritur, continuaretur, decretum est, ut delegatorum numerus ad tres reduceretur, nempe ad duos Canonici juris peritos, unumque Theologum. Ex his a parte Catholicorum erat Eccius, Melanchthonem Protestantes denomianverant.*

A. 1530.

(2) De abusibus discordant.

(3) Colloquium ad pauciores reducitur.

§. LXVIII.

(1) *Emendantur quædam Maimburgii ex Cælestino.*

Qui ista omnia plene & solide nosse velit, eum Acta ipsa legere oportet. Annotanda itaque hic potissimum sunt, quæ a Maimburgio non satis sincere, aut obscurius referuntur, & explicationem poscunt. Et primo quidem, etsi verum sit, Melanchthonem summa cura contendisse, ut omnia quam modestissime, &, ut ipse de se prædicare solet, cum ἐπιείκεια proponeret, verum tamen non est, quod scribit Maimburgius, in congressu primo d. 16. Augusti explicatione sua effecisse, ut de quindecim articulis die sequenti concordia secuta fuerit. Nam isti in ipsa Confessione ita propositi erant, ut Eccius, disputatorum primicerius, jam ante congressum a Principibus suarum partium rogatus, censura sua, quam *Cælestinus Tom. III. f. 36. & seq.* exhibet, illos approbaverit, & sex tantum discordantes sive difficulter concordabiles, & non acceptabiles per Ecclesiam, exceperit, nempe de *cultu sanctorum*, de *communione sub utraque specie*, de *conjugio sacerdotum*, de *votis monasticis*, de *sacrificio Missæ*, de *constitutionibus* humanis, unde dependebat Pontificis & Episcoporum potestas. Dissimulari tamen non potest, in iis, quæ in congressu septenorum deputatorum a die 16. ad 21. Augusti disputata & tractata sunt, circa articulos quosdam, qui inter concordantes referebantur, non satis accurate aut perspicue utriusque partis sententiam expressam fuisse, ita, ut nihilominus in aliquibus quædam remanerent, in quibus perfecte non consentiebatur. Ferebat Melanchthon cum suis calliditatem adversæ partis, quæ eum non latebat; sperabat autem, hac modestia impetrari aliquid in punctis controversis posse. Vicissim Eccius cum suis pro consensu accipiebat, quicquid eo trahi posset in aliquibus articulis, dummodo eos servarent, in quibus maximum suarum partium commodum versabatur, & hac qualicunque indulgentia obtineri id posse, sperabant. Questi tamen etiam sunt Protestantes, quod collocutores oppositæ partis non optima fide acta in congressu retulissent. Id videre licet ex annotatis Melanchthonis apud *Cælestinum fol. 47.* Ibidem utriusque partis dissimulatio apparet ex Artic. II. de peccato originis, in quo concordare Catholici in relatione die 22. Augusti Cæsari exhibita, dicunt Protestantes, & verum est, in annotatis suis de illo tacuisse Melanchthonem: interim controversum esse, constat ex Apologia, ab eodem paulo post conscripta (de qua in loco dicemus) maxime in quæstione, an concupiscentia, quæ sublato reatu peccati originalis remanet, sit peccatum. Id negant adversarii, Lutherus autem cum suis affirmat, unde perfectio operum, & merita, quæ iis tribui solent, quibusque cleri religiosi jactata sanctitas nititur, per se concidunt. Articulo IV. de fide, verba potius, quam sententia, concordant, omissa enim voce *sola*, Melanchthon minime concedebat, quod statuebant antagonistæ: id constat ex epistola ejus ad Lutherum, eo ipso die, 22. Augusti, data, quæ extat *Lib. I. Epist. Melanchth. ep. 16.* in qua scribit: *Cavillabatur Eccius nomen* sola, *cum dicimus*, sola fide justificari homines: *neque tamen rem damnabat, sed dicebat, imperitos offendi. Nam coegi eum fateri, recte tribui a nobis justitiam fidei. Voluit tamen nos ita scribere, quod justificemur per gratiam & fidem. Non repugnavi: sed ille stultus non intelligit vocabulum gratiæ.* Vide *Cælest. Hist. A.C. Tom. III. fol 49. b.* Et in correctione relationis *fol. 47. b.* ubi dicitur: *In quarto articulo, de fide justificante, narrant, concordatum esse, ut dicatur, quod fide justificemur, sed non sola fide, quia id nulla Scriptura habeat, sed potius contrarium. Nos vero non concessimus, quod Scriptum non habeat hoc, quod sola fide justificemur, aut quod contrarium habeat. Immo manifeste reclama-*

(2) *Eccii mala fides.*

(3) *Dissimulatio Melanchthonis.*

(4) *Exemplo est articulus de libero arbitrio.*

(5) *Item in Phrasi, sola fide.*

A. 1530. *clamavimus, allegatis locis Pauli Rom. 3. absque operibus. Et Ephes. II. donum Dei est, non ex operibus. Deinde post longam disputationem concesserunt adversarii, quod remissio peccatorum contingat, neque propter præcedentia, neque propter sequentia opera aut merita. Item dixerunt, eam per fidem contingere; & addiderunt, per gratiam gratum facientem, addiderunt & Sacramenta. Hoc concesso diximus, nos non excludere gratiam & Sacramenta per vocabulum* sola, *sed excludere opera. Quod si faterentur remissionem peccatorum contingere per fidem, non propter merita præcedentia aut sequentia, nos de verbo,* sola, *non rixaturos esse; & adjecta est additio ad nostrum articulum, quod fateamur remissionem peccatorum contingere per gratiam gratum facientem & fidem formaliter, per verbum & Sacramenta instrumentaliter.* Latebant etiam in reliquis disputationum semina.

(6) *De invocatione Sanctorum.*

In articulo XXI. *de invocatione Sanctorum* addere debuisset Maimburgius, utramque partem agnovisse, invocationem Sanctorum non esse mandatam in Scripturis, id quod Melanchthon urget, ad autographum Vehi, Cancellarii Badensis, provocans, & relationem Pontificiorum eatenus corrigit.

(7) *Oblata Protestantium de jurisdictione Episcoporum.*

De jurisdictione Episcoporum, in mediis concordiæ, Protestantium nomine d. 20. Aug. oblatis, præsupposita reformatione errorum & abusuum, quam urgebant, ita locuti sunt *fol. 54. b. & 55. Quantum in nobis fuit, autoritatem & jurisdictionem Episcoporum, hactenus fulcire & stabilire conati sumus, nullo modo approbantes aut excusantes veternum illum & extremam Episcoporum negligentiam, qui in habendis concionibus & administrandis Sacramentis, eam, quam debent, nequaquam adhibent diligentiam, nec provident, quo sacerdotia dignis conferantur, & ministri Ecclesiæ sint irreprehensibiles, excommunicatione sæpissime abutentes. Hos & alios id genus abusus nequaquam approbandos & excusandos ducimus. Opera etiam dabitur, ne Episcoporum autoritati ac honori aliquid detrahatur seu derogetur, sed, ut pastores ac concionatores nostri ordinariis sistantur & præsententur, efficiemus. Item, si sacerdos notabile quoddam facinus commiserit, ordinarius, officii ratione, pœnam ab ipso sumat, nec, quo minus petulantiam illius puniat & coerceat, ullo modo impediatur. Item Episcoporum jurisdictio, ad res spirituales spectans, nequaquam oppugnetur. Quod enim causæ nonnullæ, ad spiritualia judicia non pertinentes, quales sunt debitorum actiones, ad eadem tamen pertracta sint, id Imperii Ordines inter reliquos abusus consideraturos & amolituros, speramus. Ac, ut publica concordia conservetur & pax alatur, donec Concilium aliquod generale cogatur, in his quoque nihil immutetur aut innovetur. Item liberum & permissum erit Episcopis, uti excommuncatione in iis rebus & casibus, qui ad jurisdictionem spiritualem proprie spectant & pertinent, eamque juxta præscriptum & normam sacræ Scripturæ exercere atque exequi.*

(8) *De bonis & statu monasteriorum.*

De monasteriis eorumque bonis *fol. 46. b.* repetunt primo, quæ in Confessione dixerant; secundo *volunt, iis monachis & monialibus, qui adhuc apud eos in monasteriis degunt, ante definitionem Concilii, liberum esse, juxta conscientiam ipsorum, ad manendum intus, sive ad exeundum foras.* Tertio *volunt monasticas personas quietas in sua conversatione, vestitu & ceremoniis dimittere.* Quarto *volunt omnem vim, quantum possibile est, ab ejusmodi personis arcere, &, ne ullo modo vis eis ulla inferatur, prohibere.* Quinto *volunt, ut bona & census desolatorum monasteriorum permaneant in manibus secularis potestatis, ad sustentandum personas, parochias & scholas, usque ad futurum Concilium.* Quomodo vero acta hujus congressus post annos decem in conventu *Hagenoensi* veteratorie ab *Eccio* allegata sint, *§. III. LXXIX.* narrabitur.

(9) *Scita Jo. Friderici Ducis responsio de invocatione Sanctorum.*

Memorari hic debet scitum Jo. Friderici Saxoniæ Ducis, qui inter Principes Evangelicos consessui præsidebat, dictum, quod post alios observavit & retulit *Lutherus* in *commonitione ad Germanos* (de qua vid. *§. III. III. 1.*) *Tom. V. Alt. fol. 542.* In disputatione, ait, de invocatione Sanctorum Eccius allegavit dictum *Gen. XLVIII. 16. & invocetur nomen meum super pueros istos.* Cum vero post multa, quæ Melanchthon disseruerat, Brentius diceret, nihil reperiri in Scripturis de invocatione Sanctorum, prorupit, pro profunda scilicet eruditione sua Cochlæus, & *ideo*, dixit, *in Veteri Testamento nihil inveniri de invocatione Sanctorum, quia tunc sancti nondum in cælo, sed in limbo Patrum fuerint.* At Joh. Fridericus utrumque Eccium & Cochlæum probe obruit reti suo (hat die schlinge zugezogen) Eccio dicens: *Hic Domine Doctor habes responsum ad dictum, quod ex Genesi allegasti.* In coarctato ad tres colloquio deputati fuere præter Theologos, quos nominat Maimburgius, Jureconsulti, ex Catholicis *Hagenius* & *Vehus*, ex Protestantibus *Pontanus* & *Hellerus*. Vide *Cochl. hoc an. fol. 222. Cælest. fol. 58. b.* Colloqui cœperunt d. 24. Augusti de articulis nempe maxime controversis, communione sub utraque, Missa, conjugio sacerdotum, & de jurisdictione Episcoporum. Circa hanc tamen Melanchthoni injunctum est, ne plus concederet. *d. l. fol. 58. b.*

(10) *Arctior congressus inter trinos absque effectu.*

(11) *Protestantes Concilii & pacis petitionem reiterant.*

Cum vero per triumviros hos frustra laboraretur, & Catholicorum relatio iterum suspecta Protestantibus esset, delecti ex horum parte, jussu Principum, adversariis scriptum exhibuerunt, quod *Cælestinus* recenset, *fol. 59 b.* & *Chytræus p. 418.* In eo, relato ordine negotiorum, & quomodo sua ex parte omnia ad obtinendam concordiam, sed frustra, contulerint, a Cæsare & Ordinibus desiderant, ut, si oblata sua accipere nolint, Concilium tamen, secundum decretum Spirense, promoveant: paratos etiam Principes esse, ostendunt, ad tractatum de pace interim constituenda. Cætera persequar, cum ea, quæ hic Maimburgius interserit, examinavero,

An. 1530. A. 1530.

SECT. 32.

Lutheri epistola ad diversos ap. Cœlest. t. 3.

Cochlæus.

(1) De scriptis Lutheri, durantibus Comitiis.

Interea Lutherus, cui quotidie missis cursoribus significabantur, quæ in comitiis & colloquiis agebantur, continuis ad Ducem Saxoniæ, & ad Doctores partium suarum, literis monebat, querebaturque, quod nimium cederent, & quod decipi se sinerent: satis esse, quod in Confessione sua plus justo remisissent, neque in colloquiis novos præterea articulos indulgendos esse; impossibilem rem tentari, nec magis inter Lutherum & Papam, quam inter JEsum & Belialem concordiam obtineri posse. Scripsit etiam multos tractatus, lingua populari, adversus Imperatorem & Episcopos, ut populo & Nobilitati eos invisos faceret. Alios edidit, in quibus veritatem Catholicam, & consuetudines Ecclesiæ Romanæ oppugnabat, ac ludibrio exponebat. Vulgabantur scandalosa hæc scripta Augustæ in comitiis, & aliis in urbibus, idque aperte ad seditionem, & rumpendam, quæ coire incipiebat, inter Catholicos & Protestantes pacem pertinebat. Libere dicam, quæ sentio: esse nimirum, quæ in Caroli Quinti consiliis & actionibus circa hoc negotium desiderari possint. Reprehendendus is est, quod Lutherum audacter in comitiis Wormatiensibus, se præsente, loquentem, retineri non fecerit: sed excusari potest, quia liberi commeatus literas, utique non violandas, illi dederat. Verum nunc, cum Lutherus per edictum ex Imperio proscriptus, omnibusque imperatum esset, ne eum reciperent, is vero insolentibus scriptis, in conspectu Imperatoris, & contra eum se proderet, potuit sine dubio Electorem Saxoniæ, quem in potestate sua habebat, quique rebellem istum protegebat, adigere, ut eundem in manus suas traderet, ne contemtus tam manifestus autoritatis Cæsareæ impunitus esset. Evidens certe est, honoris sui causa, si pro religione nollet, facere illum hoc debuisse. Hoc neglecto, concordia, quam, sine Concilii opera, inire nitebatur, rupta fuit.

(2) Judicium Maimburgii, quid Cæsar facere debuisset.

§. LXIX.

(1) Notatur Maimburgii de actis Lutheri Coburgensibus relatio.

De Lutheri actis & scriptis, durantibus Comitiis, si seriem temporis observare voluisset noster, dudum, aut si, vitandæ interruptionis causa illa distulit, plenius & fidelius hic tandem agere debuisset. Quod autem scribit, Luthero quotidie significata per cursores fuisse, quæ in comitiis & colloquiis agebantur, repugnat illis ipsis, quas ad marginem generatim allegat, *epistolis* Lutheri. Ex his enim satis patet, rarius, quam volebat, & tardius ad eum scriptum fuisse, ita ut non leviter ea de causa Melanchthoni & collegis succensuerit. Sed & his non defuere excusationes, quippe negotia pleraque ita tractabantur, ut Lutheri sententia in tempore percipi non posset. Eccius enim cum sociis sex fere septimanas in Confutatione illa, misera licet & futili, consumserat, quo tempore incerta hærebant languebantque omnia: dein, cum ad colloquium ventum esset, ita coarctabatur tempus, ut Lutherus consuli vix posset, cum octo dierum spatium ad literas perferendas & responsum accipiendum requireretur, nondum inventa dispositorum tabellariorum seu cursorum celeritate. Queritur etiam Melanchthon de negligentia aulæ Electoralis in mittendis cursoribus. Interim verum est, non placuisse Luthero neque tractandi modum, neque cedendi in multis lenitatem, & nimis sollicitam & anxiam circumspectionem, quam inprimis in Melanchthone observavit & reprehendit. Hæc, ut sincerius & accuratius noscantur, operæ pretium est ex Lutheri ipsius literis, & iis, quæ ad illum scriptæ fuerunt, insigniora quædam afferre. Ab initio quidem, & ante adventum Cæsaris, Lutherus in arce Coburgensi, a comitialibus negotiis otium habens in scribenda invectiva adversus Ecclesiasticos (vide literas d. 12. Maji scriptas, quæ extant apud *Cœlest. Tom. I. fol. 41.*) maxime autem in Prophetarum versione itemque commentario in Psalmos, occupabatur, animi etiam causa Æsopi fabulas vertebat, id ex literis ad *Linccium* d. 8. Maji datis apparet, & ad Melanchthonem d. 22. April. *Tom. I. Cœlest. fol. 36. b 37. 39.* Aliquando etiam literis jocosis ad amicos scribendis sese delectabat. Eo pertinent, quas de monedularum garrulitate compositas exhibet & commendat *Cœlestinus d. l. fol. 33. b. & seqq.* Affligebatur autem capitis tinnitu, quo fiebat, accedente, ut scribit, ætate, ut vires ad scribendum debilitarentur, nec deerant Satanici insultus, ita ut d. 12. Maji (*allegata supra epistola*) scribat, coactum se fuisse, absentibus forte comitibus sive famulis, Vito Theodorico, postea Norimbergensium Ecclesiaste, & Cyriaco quodam, cubiculo excedere, & ad hominum conspectum redire. Multa de diaboli protervia, quam in arce illa expertus fuit, narrari solent: ostenditur etiam macula a vase atramentario, quod Lutherus foribus cubiculi a spectro pulsatis allisisse dicitur. Alibi graviter de valetudine querentem vide apud *Cœlestin. Tom. I. fol. 103. 137. b. Tom. II. 107. b. 198.* Tacenda non est precum, quam exercebat, assiduitas, ex literis *Viti Theodorici* ad Melanchthonem, quarum hæc verba exhibet *D. Sagittarius* in appendice *Tom. IX. Alt. fol. 1573. Non possum satis mirari singularem hominis, in his acerbissimis temporibus, constantiam, hilaritatem, fidem, spem. Assidue autem illa diligentiore verbi Dei tractatione alit. Nullus abit dies, quin ut minimum tres horas, easque studiis aptissimas, in orationem ponat. Semel mihi contigit, ut orantem eum audirem. Bone Deus! quantus Spiritus, quanta fides in ipsis verbis inest! Tanta reverentia aliquid petit, ut cum Deo; tanta spe & fide, ut cum patre & amico se loqui sentiat. Scio, ajebat, te patrem & Deum nostrum esse; certus igitur sum, quod filiorum tuorum persecutores sis perditurus. Quod si non facies, tuum periculum cum nostro est conjunctum. Tuum hoc negotium est totum. Nos ad id coacti accessimus.*

(2) Veriora de illis.

(3) Preces ardentissimæ.

An. 1530. *cessimus. Tu igitur defendes.* Integra hæc epistola, sed Germanice versa & d. 20. Julii data extat *Tom. V. Alt. p. 244.* Quæ d. 15. Maji ad ipsum Electorem scripserat, Apologiam, id est, Confessionem a Melanchthone conscriptam approbans, supra retuli. Accepit inde Melanchthonis literas d. 22. Maji (*Cœlestin. Tom. I. fol. 44.*) in quibus de labore suo in Confessione conscribenda hæc habet: *In Apologia* (i. e. confessione) *quotidie multa mutamus; locum de votis, quia erat exilior justo, exemi, supposita alia disputatione eadem de re paulo uberiore. Nunc de potestate clavium etiam disputo. Vellem, percurrisses Articulos fidei, in quibus, si nihil putaveris esse vitii, reliqua utcunque tractabimus. Subinde enim mutandi sunt, atque ad occasiones accommodandi.* Eodem die Lutherus ad Electorem consolatorias scripsit supra memoratas (*Cœlestinus d. l. fol. 47. 48.*) Cum deinde ex Joh. Islebii literis intellexisset, quod Cæsar conciones interdixisset, respondit (apud *Cœlestin. Tom. I. fol. 92. 93.*) non saltem, ut in loco notavi, *recte fecisse Electorem, quod Cæsari paruerit*, sed & de comitiorum eventu quædam indicavit atque prædixit. Inter alia his verbis: *Suspicor fore, ut finis Comitiorum idem fiat, scilicet, ut cogat Cæsar Principem abstinere a tota doctrina*, idque conjicit ex adversariorum odiis & furore, ut loquitur, sanguinem Abelis sitiente. Et porro: *Quod de Cæsaris clementia speratur, nihil est. Ego cogito, Pontifices Cæsarem impulisse, ut cognosceret causam, apologia nostra audita, denique statuant quæ velint, & tamen obtineant hanc obstinationem, quod vos satis audiverint, & ita calumniam pertinaciæ eo liberius & speciosius urgeant, ut qui auditi & moniti denique Cæsarem non audiverimus. Quid enim aliud Satan, & quid boni ex eo speremus? an ignoramus ejus cogitationes, ut omnia fucis, mendaciis, astutiis, dolose sic urget, ut speciosus ipse sit, & Christus fœdissimus? Certe non cum hominibus agitis Augustæ, sed cum ipsissimis portis inferni, iisque instructissimis & exercitatissimis, sed, quod solatur, iracundissimis: quia iracundia excæcati tandem evadere non possunt, quin impingant in sapientiam Dei.* Dies illi epistolæ adscriptus non est, sicut nec ad *Justum Jonam* hoc ipso tempore, circa d. 20. Junii, datæ *fol. 136. b.* in qua solatia promit his verbis: *Ego magnifice & mirifice exulto de dono illo amplissimo Dei, quod Princeps noster tam constanti & quieto animo est. Arbitror enim, preces nostras, pro isto pectore fusas, placere in illo regno gloria, coram Deo. Et mihi ipsi propheto, etiam in aliis vos exaudiri. Eadem mihi letitia aucta est, quod te quoque intelligo satis confidentem esse in Domino adversus istas furias Satanæ. Philippum sua exercet philosophia ac præterea nihil. Nam causa ipsa est in ejus manu, qui superbissime dicere audet: Nemo rapiet eam de manu mea. Nec vellem, nec consultum esset, in nostra manu esse.* Ich hab ihr viel in manu mea gehabt und alle verlohren / nicht eine behalten: *quas vero extra manus meas in illum rejicere potui hactenus, adhuc habeo salvas & integras, quia verum est: Deus nostrum refugium & virtus. Quis speravit in eum, & derelictus est? ait Sapiens,*

(4) *Varia Lutheri epistola.*

(5) *Non bene ominatur de successu Comitiorum.*

(6) *Solatia promit, & spem in Deum collocari jubet.*

& iterum: Quoniam non relinquis quærentes te, Domine. Pervenerunt postea ad eum epistolæ Melanchthonis, una quidem *fol. 137. b.* (quæ extat inter Melanchthonianas *Lib. I. n. 4.*) absque die, in qua facta de interdictis concionibus relatione, qua Cæsaris partem magis, quam Protestantium, læsam esse putat; sic pergit: *Nihil spei ostenditur ex aula Cæsariana. Nam Campegius tantum est autor, ut vi opprimamur. Neque quicquam in tota aula est mitius ipso Cæsare. Nam ipse mitigavit acerbissimas sententias Principum, ut mihi narravit Dux Henricus Brunsuicensis. Duo tantum sunt Principes, qui afficiuntur nostro periculo, Moguntinus & Brunsuicensis. Palatinus, Badensis Marchio non adsunt. Bavari mirabiliter insolentes sunt.* Altera die 25. Junii scripta, *d. l. fol. 138.* in qua queritur, quod non satis officiosi sint Elector & Filius erga Cæsarem. Erant enim illis diffidendi causæ, & filius Electoris, matrimonio Sororis a Cæsare exclusus, offensam non satis dissimulabat. Dein addit: *Cæsar satis benigne salutat Principem nostrum, ac velim vicissim nostros erga ipsum officiosiores esse.* Cum vero ex his magnam Melanchthonis afflictionem & sollicitudinem intellexisset, ult. Junii severius eum admonuit *fol. 138. b. & 139.* Illa epistola, etsi prolixa, tanto tamen spiritu scripta est, ut integra ab omnibus legi debeat, neque ipsum crediderim Maimburgium illam sine conscientiæ scrupulo legere potuisse. Est autem hæc: *Gratiam & pacem in Christo. Quid ad te potissimum scribam, mi Philippe, plane ignoro, ita reverberant me cogitationes de tuis pessimis vanisque curis, ut, qui sciam, surdo fabulam narrari. Hoc facit, quod tibi soli credis; mihi & aliis non credis, magno tuo malo. Ego verum fatebor. Fui in majoribus angustiis, quam tu unquam futurus sis. Spero, optoque nulli hominum, ne istis quidem, qui jam ita sævi sunt in nos, quantumvis sint scelerati & nefarii, ut mihi similes fiant. Et tamen in iis malis sæpe levatus sum verbo fratris, aliquando Pomerani, aliquando tuo, aliquando Jonæ, aliquando aliorum. Quare ergo & tu vicissim non etiam nos audis, qui certe nihil secundum carnem aut mundum, sed secundum Deum, absque dubio per Spiritum Sanctum loquimur. Simus nos viles, ne vilis fit, quæso, qui per nos loquitur.* Solls denn erlogen seyn / daß GOtt seinen Sohn für uns gegeben hat / so sey der Teufel an meiner statt ein mensch oder eine seiner Creatur. Ists aber wahr / was machen wir doch mit unserm leiden / fürchten / zagen / sorgen und trauren? *id est, Si falsum est, Deum pro nobis Filium suum dedisse, diabolus aut quivis alius meo sit loco; si autem id verum est, quid proficimus nostra cura, solicitudine, tristitia & trepidatione? Quasi nolit ille in rebus levioribus adesse, qui Filium dederit, aut quasi Satan sit potentior ipso. Ego in privatis luctis infirmior, tu autem fortior. Contra in publicis tu talis, qualis ego in privatis: si privatum dici debet, quod geritur inter me & Satanam. Nam tu vitam tuam contemnis, publica causa metuis. Ego vero de publica causa satis magno & otioso sum animo, qui sciam, certo ipsam esse justam & veram, denique ipsius Christi & Dei, quæ non sic pallet,*

A. 1530. (7) *Melanchthonis relatio de Pontificiorum minis & Protestantium infirmitate.*

(8) *Memorabilis Lutheri responsio.*

(9) *Summa fiducia in Christum & bonam causam.*

An. 1530. *rea peccati, sicut ego privatus sanctulus pallere & tremere cogor. Proinde pene securus spectator sum, & istos minaces & feroces Papistas non hujus facio. Si nos ruemus, ruet Christus una, scilicet ille regnator mundi. Et esto, ruat, malo ego cum Christo ruere, quam cum Cæsare stare. Neque vos soli hanc causam sustinetis, certe fideliter vobis gemitibus & precibus adsum. Utinam & carne liceret! nam & mea est causa, atque adeo plus mea, quam omnium vestrum: neque ulla temeritate aut cupiditate vel gloriæ vel lucri tentata, quod testatur mihi Spiritus ipse, & hactenus res satis declaravit, declarabitque latius usque in finem. Quare te per Christum oro, ne ita negligas promissa & solatia illa divina, ubi dicit: Jacta curam tuam super Dominum. Expecta Dominum: viriliter age, & confortetur cor tuum, & quorum plenus est liber Psalmorum & Evangeliorum. Confidite, ego vici mundum.* Es wird ja nicht falsch seyn / das weiß ich fürwar. *Hoc utique falsum non est, sed certissimum, quod Christus sit victor mundi. Quid ergo victum sic formidamus, quasi victorem?* Solt einer doch einen solchen Spruch von Rom und Jerusalem auf den Knien holen. *Tale dictum Roma aut Hierosolymis peti mereretur, etiamsi genibus eo rependum esset. Sed copia & assiduitate & familiaritate vilescunt nobis.* Das ist aber nicht gut. *Sed hoc non est bonum. Scio, imbecillitas est fidei. At oremus cum Apostolis: Auge nobis fidem, Domine. Salzburgensi Tyranno reddet etiam secundum sua opera Deus, qui te sic cruciavit. At merebatur a te aliud responsum, quale ego fortasse dedissem ei,* wolan/lasst sie machen/sie habens noch nicht ausgemacht. *Sine eos agere, nondum ad finem pervenerunt. Quærunt (metuo) audire vocem illam Julii Cæsaris: Hoc voluerunt. Sed frustra hæc scribo, quia tu secundum Philosophiam vestram has res ratione regere, hoc est, ut ille ait, cum ratione insanire pergis, & occidis te ipsum, nec vides, prorsus extra manum tuam & consilium causam positam, etiam extra curam tuam velle agi; & Christus prohibeat, ne in tuum consilium aut manum veniat. Tum vero pulchre & subito periērimus, sed (*es heisst*) altiora te ne quæsieris: &, scrutator Majestatis opprimetur a gloria: seu, ut Hebræus habet: Scrutans graviora, gravatur. Hoc ad te pertinet, Dominus Jesus servet te, ne deficiat fides tua, sed crescat & vincat, Amen. Ego pro te oro, oravi & orabo, nec dubito, quin sim exauditus. Sentio enim illud Amen in corde meo: si non fiet id quod volumus, fiet tamen, quod melius est. Nam nos regnum futurum expectamus, ubi omnia fefellerint in mundo.* Aliam consolatoriam, in qua Melanchthoni titulum tribuit *veri Christi Martyris*, sed absque die, refert *Cælestinus Tom. II. fol. 197.* cui præmisit duas Melanchthonis ad Lutherum mire submissas, (quæ etiam leguntur in *collectione* epistolarum Melanchthonis *Peuceriana Lib. I. n.6. & 7.*) in quibus placare eum, ob intermissum scribendi officium, omnibus modis conatur, & consilio se juvari petit, nihil acerbius sibi fore testatus, quam si ab eo destitueretur. Addit: *Non audeo hac de re queri apud Pontanum, ne quam ei sollicitudinem graviorem injiciam. Adhuc is status fuit nostrarum rerum, ut magnam partem temporis in lacrymis hic consumserimus. Quare noli putare, nos tanquam Ulyssis socios, voluptate aliqua captos, oblivisci tui. Et quidem sæpe scripsimus, quod vere affirmare possumus. Nostra Confessio est exhibita Imperatori, exemplum etiam tibi misimus, quod apud te retinebis, ne emanet in publicum: vetat enim Imperator edere. Scripsi tibi, ut mihi significes, si ita res tulerit, quantum cedere adversariis possimus. Res sunt antea deliberatæ, ut scis, sed semper aliter in acie se dant, quam antea sunt deliberatæ. De Missa privata, suspicor, maximum fore certamen: Sed nihil adhuc habeo certi. Faber, Eccius, immo etiam Principes aliquot, nihil nisi vim & bellum meditantur. Deus dissipet cogitationes populorum, qui bella volunt.* Dein d. 27. Junii hæc ad Lutherum scripsit: *fol. 198. Eccius summa vi contendit a Moguntino, ne res vocetur in quæstionem, quia jam damnata sit. Nostra pars sane infirma est. Major est numerus malorum. Sublevamur sententiis Moguntini, Augustani & Brunsuigii, neque hi valde pugnant. Bavari etsi dicebantur facti, audita Confessione, placabiliores; tamen a Georgio* (Saxoniæ Duce) *& Joachimo* (Electore Brandenburgico) *non dissentiunt. Hi sunt Duces, & quidem acerrimi, alterius partis. Imperator scripsit ad Erasmum, evocans illum ad conventum. Ego ne divinare quidem possum, quid nobis sit sperandum, in tantis odiis inimicorum.* Subjungit alia non minus meticulosa. Interim d. 28. Jun. iterum mascule eum cohortatus est Lutherus: (*fol. 198.*) dicit enim, *se curas ejus, quibus se consumi scribebat, vehementer odisse. Non est,* ait, *magnitudo causæ, sed magnitudo incredulitatis nostræ: major fuit, sub Johanne Husso, & multis aliis. Deinde ut sit magna, magnus est actor & autor ejus: neque enim nostra est. Cur igitur sic perpetuo sine respiratione te maceras. Si est causa falsa, revocemus; sin vera est, cur facimus illum in tantis promissis mendacem, qui jubet nos esse animo otioso & dormiente.* Et paulo post: *Philosophia tua vexat te, non Theologia, ea quæ & Joachimum tuum,* (Camerarium) *qui simili cura rodi videtur.* Addit inter alia: *Quid potest gravius nobis facere diabolus, quam, ut occidat?* De se vero: *Ego quidem, quod ad causam attinet (stuporne sit an spiritus, viderit Christus,) non valde turbatus sum, immo spe meliore, quam speraveram fore; Si nos digni non erimus, erunt alii. Denique si periculum augeatur, vix,* ait, *continebor, quin ad vos advolem, visurus gyrum istum dentium Satanæ formidabilem, ut Scriptura loquitur.* Post biduum prolixiores ad eundem exaravit *fol. 199.* & ad quæsitum, an & quantum cedendum sit adversariis, respondet; dicitque, quantum ad se, (nam de Principe aliam esse quæstionem) existimare, plus satis in Apologia (id est, Confessione exhibita) cessum esse: neque videre, quid amplius possit cedi, nisi viderit rationes ac Scripturas clariores, quam hactenus. Addit: *Ego dies & noctes in ista causa versor, cogitans, volvens, disputans, & totam Scripturam lustrans; & augescit mihi assidue ipsa plerophoria in ista doctrina nostra, & confirmor magis magisque,* A. 1530.

(10) *Melanchthonem reprehendit & erigit.*

(11) *Melanchthonis ad Lutherum epistola.*

(12) *Hujus alia ad illum.*

daß

A. 1530. daß ich mir / ob Gott will / nichts werde nehmen lassen / es gehe darüber wie es wolle. *Nihil mihi amplius, Deo juvante, auferri passurus sum, quocunque res ceciderit.* Et post alia summæ constantiæ indicia *fol. 199. b.* ait : *In literis tuis displicuit, quod scribis, vos meam autoritatem secutos. Nolo vobis autor esse aut dici in ista causa, etiamsi id commodam interpretationem admitteret; tamen vocabulum hoc nolo, si non est simul & æque vestra causa, nolo eam dici meam, & vobis impositam;* confidit precibus piorum sive Ecclesiæ, quam a partibus suis se habere, certus est. *Si nos,* scribit, *Ecclesia aut pars Ecclesiæ non sumus, ubi est Ecclesia? num Ducis Bavariæ, Ferdinandus, Papa, Turca & similes sunt Ecclesia? Si nos non habemus verbum Dei, qui sunt, qui habent? Si ergo Deus nobiscum, quis contra nos? Peccatores sumus & ingrati, sed non ideo ille mendax erit. Neque tamen possumus peccatores esse in ista sancta & divina causa, etiamsi in nostris viis mali sumus. Sed tu non audis ista. Ita Satan te affligit & ægrotare facit, medeatur tibi Christus, quod valde & assidue oro, Amen.* Ad *Spalatinum* sequenti die *ult. Junii* fatetur, *se ob silentium illius & collegarum* (ut supra notavi) *non leviter turbatum & commotum fuisse.* Subjungit præclara *fol. 200.* de fiducia in Deum, cui omnis gloria tribui debeat : (es muß nicht heissen) *Non debet dici: Sic ego Philippus. Ego illud vile est,* das Ego ist zu gering. Es heisset (*dici debet*) *Sic ego ero, qui ero,* (Jehovah) *quem non videmus.* Merentur etiam legi, quæ eodem die ad *Jo. Brentium* scripsit *fol. 201.* in quibus Melanchthonis pusillanimitatem arguit, tum explicationis suæ in Psalmum CXVIII. *Confitemini* mentionem fecit, Wittenbergæ excusæ, *fol. 201. b.* Consolatus est eodem die *Johannem Fridericum*, Electoris Filium, per epistolam, cujus versio Latina legitur *fol. 202. a. b.* Germanica autem, ut scripta fuit *Tom. V. Altenb. fol. 165.* In ea Cæsarem ob clementiam laudat; sed obsessum & occupatum esse ab aliis existimat, ideoque ad patientiam hortatur Principem. Paulo post d. 3. & 5. Julii iterum consolatus est *Philippum*, & in posteriori memorat, se laborare in conscribenda *exhortatione pro Scholis, senili,* ut ait, *verbositate.* Die 6. Julii ad *Nic. Hausmannum*, Pastorem Zuiccaviensem, & *Conr. Cordatum*, ejusdem urbis Ecclesiasten, scribens, Acta Augustana refert, magnamque laudem Imperatori tribuit, *fol. 206. b. 207.* Ex Melanchthonis literis d. 8. Julii intellexit Lutherus, quid in consilio Cæsaris actum sit, &, ut Moguntinus duriora statuentibus assentire noluerit, utque exclusi sint consiliarii, mitiora suadentes, inter quos Cancellarium Dresdensem (*D. Simonem Pistoris*) nominat. Queritur de rigore Georgii Ducis: hunc sub nomine *Rustici* intelligere videtur. (Vide *fol. 208. b.*) Die 10. Julii de Maria Hungarica, Cæsaris sorore, hæc scribit : *Mulier vere heroico spiritu, præcipua pietate & modestia, suadet nobis placare Fratrem, sed cogitur id timide & verecunde facere.* Iterum addit de *Rustico*, illum unum mirum in modum furere, & incitare Cæsarem, ne quid protestantibus permittat; idque sibi ab ipso Campegio indicatum esse, refert. Interim ad *Jonam* scribens miram spirat fiduciam *fol. 209. b. & 210.* clauditque epistolam his verbis : *Crede, nobiscum Christum esse, Regem Regum & Dominum Dominantium,* verlieret er den titel zu Augspurg / so soll er ihn im Himmel und Erden verlohren haben. Id est, *si hunc titulum Augustæ perdiderit, in cælo & terra illum perdet.* Ad hoc tempus pertinet Epistola Lutheri ad Electorem Saxoniæ, cujus partem priorem *Tom. I.* retulit *Cælestinus fol. 140. b. 141.* posteriorem autem *Tom. II. fol. 226. b. seq.* omisso die, qui in Germanico exemplo, quo scripta fuit, *Tom. V. Alt. fol. 220.* notatur, 9. Julii, idem, nempe, quo literas Electoris acceperat. Consolatur autem, ut solet, Electorem, & confessionis exhibitionem celebrat, his inter alia verbis, *dicto fol. 140. b. Adversarii præclare se rem gessisse existimant, quod conciones per interdictum Cæsareæ Majestatis intermitti curarunt: sed non vident miseri, per Confessionem scriptam Cæsari exhibitam, plus prædicatam & latius propagatam esse hanc doctrinam, quam fortasse decem concionatores facere potuissent. Egregiam vero sapientiam adversariorum, quod M. Islebius & cæteri concionatores tacere coguntur; prodit autem Elector Saxoniæ & cæteri Principes ac Domini, cum scripta Confessione, & concionantur liberrime coram Cæsarea Majestate & toto Imperio, in omnium conspectu, ut audire cogantur, nec contradicere quicquam possint.* Ich meine ja / (*Puto sane*) *hoc interdictum de intermittendis concionibus non multum obfuisse. Nolunt ministris suis concedere, ut concionatores audiant, & coguntur ipsi multo deteriora, (ut ipsi nominant) & Principibus concionantibus, audire & obmutescere. Christus profecto non tacet in Comitiis, ac etiamsi insaniant, tamen plus ex Confessione audiverunt, quam, si totum annum concionatores audivissent. Ita completur, quod Paulus dixit: Verbum Dei non esse alligatum. Si in suggestis prohibetur, tum in palatiis Regum illud audiri oportet. Si miseris concionatoribus illud prædicare non conceditur; tum magnos Principes & Dominos prædicare necesse est. Et in summa, si omnia tacent, lapides clamabunt, inquit Christus ipse.* Dein *fol. 216. b.* ad propositam quæstionem : an Elector Cæsari obsequi debeat, si postulet, judicium in causa Religionis sibi permitti? respondet : Demonstrandam esse Cæsari postulati hujus inconvenientiam ; citatos enim esse ad comitia Protestantes, ad amicam de negotio hoc collationem, si vero Cæsaris tantum sententiam audire debuissent, potuisse illam ex Hispania in scriptis mitti : obsequium tamen offerendum esse, censet, dummodo Cæsar nihil definiat, contra claram Scripturam, & verbum Dei, id enim omnino metuendum esse, ut sua autoritate solum uti velit, eamque pro verbo Christi venditare. Concludit *fol. 217. Celsitudo Vestra tranquillo & forti animo sit. Christus adest Vobis, & Vestram Celsitudinem rursus confitebitur coram Patre suo, sicut eum jam confitemini, coram generatione prava, sicut dicit : Qui me honorat, hunc & ego honorabo. Idem Dominus, qui incepit, perducet etiam ad finem. Ego pro Celsitudine Vestra oro diligenter & serio.* Paulo post d. 13. Julii ad *Spalatinum, Jonam & Philippum fol. 228. 229.* scribens, immensam denuo animi constantiam ostendit. Con-

(13) *Item illum ad alios.*

(14) *Adipsum Electorem.*

(15) *Alia ad Spalatinum & Melanchthonem.*

An. 1530.

Contemnendas minas esse, monet Spalatinum, & odia atque jactantiam adversæ partis. *Nos suscepimus officium illud,* (ait) *de quo dicitur: & eritis odio omnibus hominibus, propter me.* Et in fine: *De Duce Georgio libenter audio, sic eum gestire; reddet illi Deus amentiam, qua dignus est, addetque adhuc alias plagas.* Et *ad Jonam fol. 229.* se minus, scribit, metuere minas, quam dolos & fraudes, quæ Augustæ parantur; jubetque eos, ut fortiter stent, nihilque cedant; sic fore, ut aliud cogitent adversarii. Cum vero audire se dicat, urgere eos restitutionem, quæ ante omnia fieri deberet: *Urgeamus,* ait, *& nos, ut restituant Leonhardum Keyser* (cujus miserandum supplicium *Lib. I.* retulimus) *& multos alios iniquissime occisos; restituant tot animas impia doctrina perditas; restituant & facultates fallacibus indulgentiis & aliis fraudibus exhaustas; restituant gloriam Dei tot blasphemiis violatam; restituant puritatem Ecclesiasticam in personis & moribus tam fœde conspurcatam; & quis omnia numeret? tum agemus & nos de possessorio.* Hæc legit utique Maimburgius, & silentio transmisit. Nam ex folio verso allegat ex epistola Lutheri ad Melanchthonem verba illa, quibus negat *conciliationem fieri posse inter Christum & Belial;* ibidem autem diserte scripserat: *Ne pilum quidem pro mea persona cedam, aut patiar restitui, potius extrema omnia expectabo.* Dein consilium dat, quia sic ludant adversarii fallaces, ut & Protestantes luderent, & a minis eorum ad illud nihili & nunquam futurum Concilium appellarent, ut interim pacem habeant. *Nihil,* addit, *metuo de vi aut manu eorum violenta.* Acriter denique reprehendit Philippi timiditatem.

§. LXX.

(1) *Litera Lutheri ad Electorem Moguntinum, in quibus deprecatur persecutiones.*

Antequam sequentes ejus ad socios, qui Augustæ erant, literas excerpam, dicendum est de epistola, quam *ad Albertum,* Cardinalem Moguntinum d. 6. Julii exaravit, & typis excusam ejus Cancellario *D. Rubelio* affini suo d. 13. Julii misit, rogans, ut eam suo nomine, cum significatione singularis affectionis & reverentiæ suæ, offerret, simulque eum moneret, ut ab Italis sibi caveat. Orditur ab excusatione, quod epistolam typis imprimi curasset, dubitasse enim, an manu sua scripta ad eum perferri potuisset. De Confessione deinde, quæ Augustæ exhibita erat, loquens, facile se, dicit, conjicere posse, futurum, ut nec recipiatur ab adversariis neque refutetur, cum opiniones eorum lucem ferre non possint. Implorat autem Albertum, ut cum aliis Principibus, si plura sperare non liceret, eo allaboret, ut a persecutionibus contra confessioni illi addictos cessetur: neque enim id agi, ut adversarii nolentes erudiantur & doceantur, sed ne ad suos errores asserendos alios cogant. *Neminem enim* (ait) *ad fidem cogendum esse, nemo est, qui ignoret. Neque hujus rei potestatem vel Cæsar vel Pontifex habet, quin immo Deus ipse, qui supremus omnium est, nulli unquam credendi necessitatem imposuit.* Quod si nec hoc modo pax obtineri possit, hanc tamen apud Deum prærogativam & gratiam consecutos esse, confidit, Protestantes, quod doctrinæ suæ Confessionem publice recitare non sint veriti, omnesque pacis conditiones quærant & offerant; & quod nullius erroris convinci possint. Affert exemplum persecutionis Apostolorum, & quem exitum autores illius tandem habuerint. Optat, ut Albertus Gamalielis personam repræsentet, ejus enim consilium non frustra a S. Luca memorari. *Mirum est,* addit, *cum nostra doctrina vobis non officiat, sed pacem semper servet & inculcet, nec vestræ dignitati aut amplitudini quicquam deroget, aut bonorum sacrorum possessionem vobis eripiat, tamen eam relinqui nobis non posse.* Subjungit post alia quædam, ad Apostolorum exemplum, *Psalmum secundum* & *paraphrasin* ejus, non sine aculeis; in fine autem allegat, quod Pontifex in charta typis impressa jactet, *omnia Cæsaris autoritate in pristinum statum restitutum iri:* id tamen nunquam futurum esse, se certo certius dicit scire. Addit paria iis, quæ supra privatim scripserat, de restituendo sanguine innocenter fuso, animabus seductis, pecunia fraude extorta: *impudentissimum restitutionis postulatum esse,* ait, *quo Principes Germani pro truncis & simiis habeantur; sed Pontificem nihil aliud agere, quam, ut Germanos in mutuas cædes impellat.* Objicit ei Gallicam societatem in obsidione Papiensi demonstratam, & quod Cæsarem, ex Hispania evocatum, absentibus omnibus Germaniæ Principibus, coronaverit, eoque tandem provehitur, ut dicat: *Albertum & alios Principes, inter Papam & asseclas ejus viventes, non cum hominibus, sed cum ipso diabolo committi.* Germanica hæc epistola extat (uti scripta est) *Tom. V. Alt. fol. 198. & seqq.* Latina apud *Cœlestinum Tom. II. Hist. Comit. Aug. fol. 211. & seqq.*

(1) *Addit commentarium in Ps. II. & Pontificem vehementer insectatur.*

§. LXXI.

(1) *Admonitio Lutheri ad ordinem Ecclesiasticum; de hujus gestu contra Protestantes.*

Ex tractatibus sive libellis, quos in arce Coburgensi elaboravit, & quos Maimburgius vehementer improbat, referendus maxime est ille, quem inscripsit *Admonitionem ad Ecclesiastici ordinis congregatos in comitiis Augustanis* vermahnung an die gantze Geistligkeit / versamlet auff dem Reichstage zu Augspurg anno 1530. Missa fuit ante cœpta comitia ad Johannem Fridericum Ducem Augustam, & is quædam exempla libelli *Dolzigio* Oenipontem misit d. 11. Junii, ut ex literis, manu ejus scriptis, constat, mandavitque, ut in aula Cæsaris illa distribueret, viris causæ bene affectis. Habetur *Tom. V. Alt. fol. 201. & seqq.* Latine versa apud *Cælest. Tom. II. fol. 253. & seqq.* In exordio vocat eos, omissis aliis titulis, *charos Dominos,* liebe Herren/ & optat, ut occasione Comitiorum, beneficio Imperatoris convocatorum, bene utantur, ne frustra gratiam Dei acceperint *2. Cor. VI. 1.* nec populus ad desperationem adigatur. Excusat, quod consilium dare audeat: sæpe enim etiam stultum aliquid sani in medium consuluisse. Ipsos quoque jam annis decem omnibus consiliis, insidiis, artibus, cædibus, & suppliciis, nihil non egisse, ut scopum suum attingerent, frustra tamen illa omnia fuisse: sectas esse multiplicatas, Turcos irruisse, suæ vero causæ nihil nocuisse. *Stat ea,* inquit, *immota sive in Turcos sive in Diabolos inciderit, ut sciamus, quid nobis credendum, quomodo vivendum, quomodo docendum & faciendum, quomodo convalescendum & moriendum, ubi omnia*

(2) *Suæ causæ bonitatem extollit.*

An. 1530.

omnia exspectanda & invenienda, & ubi tandem manendum nobis sit. Electis Spiritus omnia cooperatur in bonum, Rom. VIII. accessisse signaculum sanguine martyrum ab illis interfectorum. Habere se suosque (licet perfecti & omnia consecuti non sint) Canonem, ut S. Paulus loquitur, & veram viam & verum principium, ut in doctrina nihil possit desiderari, qualiscunque tandem vita sit. Caveri jubet novam seditionem, qualem Münzerus excitaverit. Edicti Wormatiensis nullum ostendit effectum, & ab ipsis Imperii Ordinibus in comitiis Norimbergensibus suspensum fuisse. Clam etiam doctrinam suam ab adversa parte usurpari, ex eo probat, quia jam aliter concionentur, & veteres libros in pulvere & sub scamno relinquant. Gloriatur de iis, quæ ipse contra fanaticos præstiterit, & quod Wormatiæ, cum res jam jam ad seditionem spectaret, jus Magistratus asseruerit, & illam præcaverit: placuisse etiam Episcopis, quod indulgentiarum nundinatores sine omni vi & motu prostravisset, & jus Episcoporum adversus monachorum insolentiam, qui omnia regebant, asseruisset, & hæc neminem pro seditiosis habuisse. Ut autem status pristinus ante doctrinæ suæ ortum, & a quibus malis liberata jam sit Ecclesia in memoria conservetur, quosdam *errores & abusus* proponit, qui sua doctrina aboliti aut correcti sint. Narrat igitur, quæ reprehenderit circa indulgentias, circa confessionum particularium carnificinam, de satisfactione per opera, non quidem vere bona, sed commentitia, maxime vero circa Missam privatam sive angularem, quam magnum & horrendum peccatum esse deducit, & quæ pro defensione ejus allegant, acriter refellit. Cum vero nihil speciosius objici sibi sciret, quam novitatem, de hac ita eos compellat: *Hoc in loco, charissimi Domini, vobiscum mihi agendum est; qui nullas novitates invehendas, aut admittendas esse vociferamini. Agite igitur, mihi dicatis, num Missæ illæ, quæ quæstus causa celebrantur, novitatis vocabulo carere possint? Quod cum inficiari non possitis, cur illas introductas in Ecclesiam etiamnum defenditis? Quod si nullæ novitates admittendæ fuissent, mihi dicatis, quæso, quantum sit reliquum apud vos illorum rituum, qui in Canonibus & Patribus extant? Certe vel exiguo nucis putamine omnes comprehenderem, cum e diverso novitates vestra totum compleverint mundum. Ac, ut plus dicam; quid Ecclesiasticus vester status, priusquam Evangelium nostrum oriretur, aliud fuit, quam meræ novitates, instar magnæ catarractæ, resolutæ ac ruptæ, totum mundum inundantes, dum hic sanctam Annam, alius sanctum Christophorum, hic sanctum Georgium, sanctam Barbaram, sanctum Sebastianum, sanctam Catharinam, alius quatuordecim Numina* (die vierzehen nothhelffer) *sibi colenda & invocanda proponeret, ita ut nemo tot novis cultibus recensendis sufficiat. An nulla sunt hæ novitates? Ubi tunc erant Episcopi & vociferantes illi, quorum officium requirebat, hæc nequaquam tolerare? Ac, ut aliquanto longius progrediar, hic rosarum coronas, alius Mariæ diadema, hic Psalterium Mariæ, alius decem orationis Dominicæ lapillulos, hic sanctæ Brigittæ orationem, alius aliam, sine numero & fine, excogitabat & reperiebat, sed ubi tunc Episcopi & Doctores illi, qui ejusmodi novitates vel digitulo saltem demonstrassent & reprehendissent?* Addit alia de peregrinationibus, ex quibus nominat *Grimmenthal, Quercum, Pyrum, Ratisbonam*, loca ob Divæ Virginis imagines celebrata; aliasque præstigias & illusiones insectatur, quæ omnia pro novitatibus habenda esse, non dubitat, a nemine tamen ante se publice reprehensa. Vehementer deinde concionatorum ineptias persequitur, utque non voce solum templa, sed mundum etiam libris sermonum ineptissimis repleverint, in quibus nihil de Christo, nihil de fide legitur, &, qui optimi sint, nil nisi Sanctorum invocationem & cultum Virginis crepent. De se quoque fatetur: *Ego non minus, quam alii, quod Christi honori & officio debetur, Mariæ tribui, Christum iratum judicem, Mariam gratiæ thronum esse, judicans, ad quam omnem nostram spem directam nos habere oporteret, nisi plane animum despondere, & desperare vellemus. Annon hæc erat horrenda & absurda novitas? Ubi vero Episcopi, qui tales impostores & Christi convitiatores reprehenderent? Nam, quod Christi officio detrahebant, Mariæ adscribebant, & nos a Christo tanquam ab apparitore & lictore, fugere, & in alium fiduciam & spem nostram reponere jubebant, id quod soli Christo, tanquam verum cultum, debemus. Igitur præter idololatriam ab Impostoribus illis nihil didicimus.* Ad Academicos sive Scholasticos doctores progressus, *nil nisi paradoxa*, ait, *ab iis proposita, totamque artem eorum fuisse, ut Scripturam contemnerent. Atque hic*, ait, *me non mentiri certo scio, cum inter ipsos sim educatus, ac illa omnia hisce oculis viderim & auribus meis audiverim. Scotus hunc articulum*: Descendit ad inferos, *ex Scripturis probari nullo modo posse, scribere non erubescit. Occam, charus Magister meus, ex Scripturis planum fieri non posse, dicit, homini ad bona opera facienda Dei gratiam necessariam esse. Hæc cum illi, qui optimi sunt, affirment, reliqui quid dicere verebuntur? Sed his omnibus Thomas Aquinas, omnium Doctorum Doctor (modo Monachi prædicatores non mentiantur) præfertur, qui diserte pronunciat, vitam monasticam ingredi idem esse, quod baptizari. Hoc scilicet honore & hac veneratione sanguis, mors & passio Christi digna erant. Nec tamen his omnibus ulla inest novitas, sed Thomas ab ipso Pontifice & ab omnibus Episcopis approbatus est & canonizatus.* Ostendit inde, abusus illos omnino novos esse, nec tempus ignorari, quo orti fuerint, v. g. S. Annæ idolum, rosarum corona, Mariæ diadema, & orationes Dominicæ, lapilluli, tunica Christi in Treveris ostentata, horum nihil ante annos decem, viginti aut triginta fuisse. Laudat ingenuitatem Canonicorum Magdeburgicorum, qui dixerint, *Lutheri doctrinam crumenæ & culinæ officere.* Deum testatur, se ista non convitiandi causa scribere, sed quod serio emendationem status ecclesiastici cupiat, & extremum eorum interitum præcavere velit, quem metuere debeant, si scientes Deo resistere pergant. Addit multa magnæ severitatis, & plura minatur, nisi pacem colant. Pergit ad excessus excommunicationis, quæ non ad

(3) *Indicat, quid a se ad Ecclesiæ utilitatem gestum sit.*

(4) *Novitates adversarum objicit & enumerat.*

An. 1530.

(5) *Invehitur in concionatorum ineptias.*

(6) *Item cultum B. Mariæ cum contumelia Christi institutum.*

(7) *Scholasticorum errores taxat.*

(8) *Addit serias exhortationes.*

An. 1530.

(9) *Excommunicationis abusum indicat.*

(10) *Item bonorum Ecclesiæ.*

ad disciplinam, sed ad opprimendos Reges & Principes, & vindictam pro lubitu exercendam instituatur. De bonis ecclesiasticis ita sentit, se eorum rapinam minime probare, majorem tamen ab iis exerceri, qui Lutheranismo non sint addicti. Furibus autem illis externis pejores esse, quos vocat internos, id est, ipsos Clericos & Ecclesiasticos, qui possessis pessime & contra Canones abutantur: has trabes prius tollendas esse, antequam festucæ eximantur. Tolerabilius esse dicit, si Reges & Principes bona illa in meliores usus convertant, quam ut ea habeant, qui ululatu suo cœlum & terram implent, aut accipitres manibus gerunt, aut saltem tunicas longas aut rasuras habent. Veteres enim fundatores piis & modestis prospicere voluisse, qui Ecclesiæ salutem procurarent, literis operam navarent, aut muneribus in republica fungi potuissent. Graviter dolet, quod ad abusus illos corripiendos nullus Pontifex aut Episcopus animum intenderit. Post hæc articulos de pœnitentia, baptismo, eucharistia, fide & operibus, quia supra captum eorum sint, ideo nec in Conciliis facile tractati fuerint, præterire se velle, dicit, & faciliores, quos omnes Christiani intelligant, proponere. Tractat igitur de communione sub utraque. Rejicit hic, quam semper opponebant, autoritatem Ecclesiæ, & negat, illos magis, quam se cum sociis, Ecclesiam esse: nam se suosque etiam docere, concionari, sacramenta administrare, credere, orare, diligere, sperare & plusquam illos pati; at iis plurima objicit flagitia, quæ emendare debeant. Protestatur deinde, si quid in causa religionis concedant in his Comitiis, id pro beneficio aut gratia accipi non debere, sed jure niti, qui desiderentur, & adversus rabiem eorum locum habitura esse; vulgi tamen & ipsorum gratia aliquid admitti posse, ut quidam ex clero & populo convertantur, ad Dei honorem & Ecclesiæ salutem. De cœlibatu Cleri apertius & acerbius, quam unquam queritur, maxime tamen urget matrimonium Pastoribus permittendum, quia, illo negato, idonei viri, qui cœtibus præficiantur, reperiri non possint. Multus est in negligentia Episcoporum accusanda, quod plane nihil ad animarum salutem fecerint: nullam animam esse a multis seculis, quæ in extremo judicio vere dicere & testari posit, se ab Episcopo suo decalogum, vel orationem Dominicam, aut Symbolum Apostolicum, vel unum saltem Evangelium didicisse; vix ordinationes Sacerdotum, & tamen non nisi per suffraganeos, expediisse; Academiarum etiam curam debitam non gessisse, neque stipendiis scholares, ut oportuerit, juvasse. Objicit nescio quem conventum clandestinum Augustæ habitum, in quo de augenda potestate Episcoporum in Monachos & Academias actum sit, ita, ut tandem Papam ipsum in ordinem sint redacturi, suæ tantum utilitatis causa, Deum igitur Ecclesiam hucusque conservasse, absque omni Episcoporum opera: nam, si per hos stetisset, millies fuisse perituram. His & plurimis aliis enumeratis, ad pœnitentiam & emendationem eos serio cohortatur: si id facere nolint, & in persecutionibus, præsertim adversus

(11) *Ostendit, quæ ejus sit autoritas.*

(12) *Repetit adhortationes, & addit commi-*

Pastores uxoratos, persistant, vindictam divinam prædicit, & acerrimam publicamque flagitiorum ex cœlibatu productorum descriptionem minatur: rogat denique, si nihil spei ab iis reliquum sit, ut se e medio tollant: *Pestis* (ait) *vivus fui, mortuus mors vestra ero: Deus enim irritavit & incitavit me contra vos, ut Hoseam Prophetam, ut vobis sim ursus & leo in via Assur.* Postulat deinde, quoniam ipsi verbum Dei concionandi, & conscientias consolandi donum non habeant, ut se atque alios pios Pastores id facientes ferant; nullum tamen ab iis stipendium se postulare, Deum enim de alimentis prospecturum. Addit, se ipsum lubentissime, si per Christum liceret, conciones intermissurum esse. De dignitate & bonis ecclesiasticis ita loquitur: *Statum vestrum, ut & hactenus fecimus, nequaquam infestabimus, sed, ut publicæ pacis & tranquillitatis causa, Dominia & Principatus vobis permittantur, & ne quidquam bonorum eripiatur, pro concione populo injungemus; (id quod Hussi & Wiclefi sectatores non faciunt, nec ulli alii hæretici permittunt) ut meridiana luce vobis manifestius evadat, nos non hostes & inimicos, immo & patronos ac defensores vestros esse. Quod enim Domini & Principes estis, nihil nobis officit aut incommodat. Si, quæ status & officium vestrum requirit, negligentius feceritis, ejus rei non nos, sed vos aliquando rationem reddere cogemini. Modo pacem nobis concedite, & persecutiones vestras inhibete. Nihil enim aliud, quam liberum Evangelii cursum vel hactenus a vobis petivimus, vel in posterum petituri sumus.* De jurisdictione eorum hæc affert: *Si jurisdictionem Episcopalem vicissim recipere & instituere potestis, vobis in ea re, quatenus Evangelii cursum liberum permiseritis, nec consilio nec auxilio sum defuturus, ut aliquid retineatis, quod sit ex Episcopali officio. Atque ea ratione penes vos duo Episcopalia officia mansura essent, primum, quod nos prædicando Evangelium, officio vestro fungeremur, alterum, quod ejusmodi Evangelii propagationem jurisdictione vestra conservaretis: num statum, vitam, præeminentiam & dignitatem conscientiis vestris & Dei judicio permittimus, neque hactenus jurisdictionem illam vobis eripuimus, sed ipsi eam corruere passi fuistis.* Pollicetur omnia, si ita sese gerant, officia, sed & renitentibus asperrima intentat, non quidem, ut a se suisque violentiam metuere debeant, sed a Münzero quodam, quem Deus denuo iis immissurus sit. Catalogum vero capitum, quæ in vera & Christiana Ecclesia necessaria sunt, & a se suisque, ut scribit, tractantur, talem *f. 271. b.* exhibet. *Quid sit lex? quid Evangelium? quid peccatum? quid gratia? quid donum Spiritus? quid vera pœnitentia? quid vera confessio? quid remissio peccatorum? quid Christiana libertas? quid liberum arbitrium? quid dilectio? quid crux? quid spes? quid baptismus? quid Missa? quid Ecclesia? quid claves? quid Episcopi? quid Diaconi? quid ministerium? quid verus Catechismus? scilicet decem præcepta, oratio Dominica, symbolum Apostolicum, vera invocatio, Litania, lectio & interpretatio Scripturæ. Quid sint bona opera, institutio de conjugio, institutio liberorum, institutio servorum, institutio ancillarum, de colendo magistratu, schola pucro-*

A. 1530.

nationes, etiam post mortem suam.

(13) *Ostendit, quatenus Episcoporum jurisdictionem & dignitatem ferre velit.*

(14) *Enumerat capita religionis & cultus, quæ curare deberent Episcopi.*

An. 1530. *puerorum, visitatio ægrotorum, cura pauperum & hospitalium, morituros visitare.* His opponit ea, quæ in *Ecclesia hypocritica*, ut loquitur, recepta & usitata sunt: *Indulgentiæ innumerabiles: Missæ privatæ: excommunicatio, quæ plane in abusum abiit: purgatorium: spectra: peregrinationes innumerabiles: vigiliæ & Missæ pro defunctis: anniversaria: quatuor septimanæ: balneæ animarum: cultus Sanctorum, quorum nonnulli non fuerunt in rerum natura; festa Sanctorum innumerabilia: commune Mariæ idolum, cum innumerabilibus cultibus, festis, jejuniis, cantionibus & antiphonis: privilegia butyri: innumerabiles Sanctorum reliquiæ, imposturis plenæ: fraternitates innumerabiles: cœlibatus: templorum, altarium, imaginum consecrationes cum indulgentiis: baptismus campanarum coram ducentis compatribus ad unum laqueum: ciborum, dierum, vestium ex necessitate discrimina: horæ canonicæ, vi extortæ: processionis spectaculum, die Dominica: extrema unctio ad mortem, non ad sanitatem: conjugii, ordinis, confirmationis sacramenta: Acoluthos, Tonsuristas, Lectores, Subdiaconos consecrare in immunitatem, non ad officium: Brigittæ preces: & similia infinita horaria, plena scandalis & in Deum blasphema: rasuræ verticis, casiolæ, in albis, amicula lintea, pallia sacra, templa, sacella, altaria, pulla altaria, lychni, candelabra, tabulæ pictæ, crucifixiones, vexilla, thuribula, baptisteria, monstranda, ciboria, calices, cymbala, campanæ, aquæ lustrales, sales lustrales; quorum copiam nulla necessitas requirebat, & quæ omnia, cultus divini loco, contra fidem sunt introducta: aromata & omnia ciborum genera, tempore jejunii: dies cinerum: velum templi: imagines obvolutæ: jejunia omnibus indicta, præterquam sacrificuliis: Litania Sanctorum: Salve & Ave Maria: Confessionis carnificina: Pœnitentiæ: Satisfactiones: preces majores: asini palmarum: projicere palmas: devorare palmas: Palmarum cruces: ad confessionem cogere: ad Sacramenta cogere: exosculari & adorare crucem: ponere seu sepelire crucem: Semimissa in die Parasceves: Psalterium decantare ad sepulchrum: nocturni: non æramenta, sed crotala, seu crepitacula: concio passionalis octo horarum spatio: consecratio ignis: cerei paschales: crucem e monumento tollere in spectaculum: placentarum in die Paschatis consecratio: S. Marci processio: Dies rogationum: utrumque ad omnis generis libidines inserviens: adscensio triumphalis ad Nonam: Spiritus columbinus in die Pentecostes: processio Corporis Christi. Assumtio B. Virginis: dedicatio templi: festum Patroni: septimanæ communes: festum Burchardi: Quatuor tempora: festum omnium Sanctorum: dies omnium animarum: anser S. Martini: Adventus, potius in Maria, quam Christi, honorem celebratus: Missa RORATE: Conceptio B. Virginis: tres Missæ Christi: lusus apparuit: lusus S. Stephani: poculum Johannis: festum Luminis, & cereorum nundinatio: S. Agathæ Lychnus seu candela: S. Blasii Lychnus seu candela.* Inter istos tamen articulos quosdam non simpliciter rejiciendos esse agnoscit, optat, ut corrupti & collapsi quidam restituantur. Hæc, licet paulo prolixiora, cum utriusque Ecclesiæ faciem optime repræsentent, adscribenda duxi, Deum, qua possum animi devotione, rogans, ut tandem aliquando oculos eorum aperiat, qui etiam hodie non cessant in his crepundiis, ne quid durius dicam, sanctitatem religionis Christianæ constituere, & nos, qui redire ad illa nolumus, summo prosequuntur odio. Luthero tamen etiam in hoc assentimur, quod non omnia externa aversemur, sed retineamus, quæ salva religione possumus, & ad emendationem populi & decentem Ecclesiæ ordinem pertinent. Fortasse miserebitur propediem Deus tot gentium & populorum, qui sub larva ista religionis Romanæ catholicæ in summa veræ pietatis ignorantia versantur. Mirum sane non est, tot doctissimos & religiosos viros tædere tandem & pigere nugare, etiam in media Hispania & Italia, immo Romæ cœpisse, qui nunc novæ hæreseos infamia sub *Quietistarum* nomine, incertum quam juste, gravantur. Quod si non in omnibus modum tenuerunt, aut in errores contrarios lapsi sunt, (de quo nihil certi pronunciare ausim) culpa profecto maxime eorum est, qui cum possent & deberent, toties tamen moniti, remedium manifestis abusibus non quærunt. Sed redeundum est in viam. In Epilogo scripti illius Lutherus denuo ad pacem & æquas conditiones hortatur clerum, eumque ad Adriani Pontificis confessionem in comitiis Norimbergensibus de necessitate reformationis ablegat. *Scitis*, ait, *l. c. fol. 274. aut scire saltem debebatis, Christianam gubernationem & potestatem non evertendam, sed juvandam & corroborandam, ab ipso Deo institutam, (ut D. Paulus ait) neque tyrannidem aut servitutem esse debere. Quod si id recte fieret, vos facile, ut pristinam autoritatem apud populum obtineretis, juvare possemus. Si enim durabile quiddam efficere volueritis, ad minimum Lutheranorum precibus vos opus habituros esse, facile crediderim. Si vero, quod Deus prohibeat, vi egeritis, ac pertinaciter & obstinate perrexeritis; cum omnibus, qui mecum sentiunt, hoc scripto coram Deo & toto mundo testatum facio, nos vestræ perditionis & eversionis, quam fastu & superbia attrahitis, nequaquam autores esse. Sanguis super vos & capita vestra! Nos enim omni culpa caremus, & carere volumus, nec vestri sanguinis & perditionis rei sumus, qui delicta vestra toties decantavimus, vos, ut pœnitentiam ageretis, admonuimus, & conditiones omnes, quæ ad pacem recuperandam facere visæ sunt, obtulimus, nec quicquam aliud, quam purum Evangelium, unicum animæ nostræ solatium, quæsivimus, ita, ut bona conscientia dicere possimus, per nos nequaquam stetisse, quo minus concordia coalesceret. Sed Deus, pacis & consolationis autor, vos suo Sancto Spiritu in omnem veritatem ducat, per Jesum Christum, Dominum nostrum, cui pro omnibus suis innumerabilibus donis ac beneficiis sit laus & gloria sempiterna. Amen.* Ista Lutherum, qui latere debebat, publicasse & Augustam misisse, ubi tanta cum circumspectione causa religionis tractabatur, omnem pene fidem superaret, nisi id testarentur ipsi adversarii, non solum Maimburgius, sed &, quem is exscripsit, *Cochlæus*: hic enim Lutheri scripta ista, prope hospitium Electoris Saxoniæ publice vendita esse, memorat. Magis autem mirandum est, quod hæc Admonitio in consessu Principum Romano-Catholicorum ab ipso Episcopo Augustano lecta fuerit. Id constat ex lite- A. 1530.

(15) *E contrario recenset, quæ Episcopi & clerus inepte aut impie curent.*

(16) *Additur epicrisis & votum.*

(17) *Epilogus scripti patheticus, & protestatio memorabilis.*

(18) *Lutheri magnus animus in publicando hoc scripto, in consessu Episcoporum Augustæ publice lecto.*

A. 1530.

literis a Melanchthone ad Lutherum d. 30. Julii scriptis, apud *Cœlestin. Tom. II. fol. 252. b.* in quibus, cum alia quædam retulisset, subjungit: *Cætera narrabit Casparus Aquila, qui redit. Honorifice hic tractatus est, & ab amicis, & ab Episcopo Augustano, qui hodie in senatu Principum nihil dissimulans, legit tuam παράκλησιν. Constantissime propugnat nos; sed quantum proficiat, non video.* Extant eædem literæ, *Volumine primo Epistolarum Melanchthonis*, quod Peucerus collegit *ep. 11.* sed *diem 20. Julii* adscriptum habent. An per hos Lutheri libellos pax & concordia impedita & rupta fuerit, ut Maimburgius judicat, non ausim affirmare; putarim potius, aperta & candida hac errorum & defectuum expositione, Prælatos non solum pudefieri potuisse & debuisse, sed & moveri, ut oblatas conditiones acciperent. Licet enim cum Luthero, ut privato, nihil esset tractandum, videbant tamen ex isto ejus libello, quod omnia, quæ ab annis plus decem illis objecisset, jam denuo cum magno zelo objiceret, & nihilominus capita illa, pro quibus plus, quam pro doctrina, certabant, dignitatis nempe, jurisdictionis & opum, satis salva relinqueret. Confidere itaque oblatis Principum & Civitatum protestantium poterant, & frustra timebant aut suspicabantur, eos a Luthero ad duriora incitari. In eo saltem differebat modus agendi, quo Lutherus, & quo Melanchthon utebatur: ille sine omni fuco & velamento omnia adversæ partis vitia detegebat, &, postquam omnia exprobrasset, nihilominus obsequia & officia, salva religione & conscientia, offerebat, sed, veluti jure suo, emendationem Ecclesiæ poscebat & vindicabat; Melanchthon, temporum & personarum respectu, omnia submisse agebat, ita, ut ad preces descenderet, & pro gratia & beneficio recognosceret, quæ altera pars largitura esset. Sed plura de his paulo inferius dicenda occurrent.

(19) *Judicium de ejus effectu.*

§. LXXII.

(1) *Animadversio in censuram Maimburgii de Carolo Cæsare.*

Jam censura, qua Maimburgius Carolum Cæsarem ferit, expendenda est. Videtur ei hunc zelum accendisse lectio *Admonitionis* Lutheri, quam præcedente paragrapho exposui. Quod quidem minime mirum est, vivis enim coloribus tota Ecclesiæ Romanæ facies in ea depingitur, ut optandum sit, eam ab omnibus legi. Quanquam vero notoria, illo præsertim tempore, erant pene omnia, quæ Lutherus clero Romano objiciebat, pleraque etiam hodie evidenti nitantur experientia; accidit tamen justo Dei judicio, ut veritate illa non moveretur Scriptor hic noster, obfirmata cervice resistens, nullumque aliud scriptionis suæ propositum habens, quam, ut Lutherum & ejus doctrinam diffamaret, suisque placeret patronis. Quapropter graviores iras concepisse videtur, quam Episcopi & Prælati, quibus Admonitionem illam ab Episcopo Augustano prælectam esse diximus; &, quod hi Cæsari tunc non ausi sint suggerere, ipse post tot annos consultissimum putavit, imo justum & necessarium. Debuit nempe Cæsar, si huic credas judici, pro honore suo & religionis, Electorem Saxoniæ, quem in potestate sua habebat, cogere, ut Lutherum tam insolenter, ut ait, scribentem, judicio sisteret. Exprobrat itaque Imperatori socordiam, qua & tunc, & in Wormatiensibus comitiis, peccaverit, cum & ibi Lutherum retinere potuisset (ut non obscure innuit, cum non probat, sed excusat, quæ Wormatiæ acta sunt.) Sic, Maimburgio judice, honestum, justum & necessarium erat, sive honor Cæsareus & Religionis exigebat, ut Cæsar publicam fidem, Luthero Wormatiæ, Augustæ autem Electori Saxoniæ omnibusque Principibus datam, frangeret. Hic religionis, quam profitetur *Maimburgius*, canon est, hæc Constantiensis Concilii sanctimonia. His principiis innixos nihil opus est argumentis adoriri. Gratulandum est Ecclesiæ nostræ de his adversariis, characterem Antichristianæ sævitiæ, veluti fœnum in cornu, gerentibus. At ego & Cæsarem & Imperii proceres, etiam eos, qui Luthero infensissimi erant, merita veneratione prosequor, qui intra modum irascebantur, & nihil habebant ante fidem & honestatem. Erant tamen inter illos, quorum pectora Lutheri admonitio non reliquit intacta: neque enim omnes illo agebantur spiritu, quo Judæi proceres, cum Stephano haud mitiora objiciente, *dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus. Act. VII. 54.* Immo intra paucos annos semina Lutheranæ illius paræneseos egregie progerminarunt, nec pauci illorum, qui eam tunc audiverant, ex hostibus amici, ex persecutoribus patroni facti sunt, & Protestantium exiguum illo tempore numerum egregie auxerunt. Merentur utique, ut in antecessum hic nominentur & laudentur, *Hermannus* Archiepiscopus Coloniensis, *Fridericus* Comes Palatinus, paulo post Elector, quo tunc præcipuo ministro Cæsar utebatur, *Joachimus II.* filius Electoris, & postea ipse Elector Brandenburgicus, *Ericus*, Dux Brunsuicensis, Duces *Mecklenburgenses & Pomerani*, *Georgius Ernestus*, Wilhelmi Hennebergici Principis filius, ut alios, quorum legati solum aderant, tum magnum Comitum, Baronum, Equitum liberorum, & Civitatum numerum taceam. De ipso etiam Carolo Cæsare ejusque fratre Ferdinando constat, & sequentium annorum acta ostendunt, longe mitiorem animum erga Protestantes ab illo tempore gerere cœpisse, quam illis inditus instillatusque tunc erat, Pontificiorum emissariorum artibus. Non erat itaque socordiæ aut timoris, sed pietatis effectus, &, quod ante omnia agnosci debet, divinæ providentiæ opus, quod nihil tale decerneret Cæsar, quod hic sanguinario consilio, se suaque secta digno, suppeditat Maimburgius. Quod si etiam de facili & utili quæratur, quanquam id, si honestas desit, fieri non debeat, omnia prudenter considerantibus facile apparebit, neque his incitamentis moveri Cæsarem debuisse. Non is erat rerum & virium status, ut in Electorem Saxoniæ sævire, aut impune, aut cum utilitate, posset: ideoque nec Landgravium spernebat, quem placare potius, opera Henrici Brunsuicensis, consultum putavit. Instabat immane a Turcis bellum: infida erat pax cum Gallo: subdola Pontificis, reconciliati hostis, amicitia: exhausta clade colonorum Germania: Plebs desperationi adhuc proxima, & ad iteratas seditiones propensa, cujus nova quædam in Franconia semina tunc erumpebant. Intererat itaque Cæsaris, ut quietas in Germania res haberet: Lutheri autem supplicio, si id maxime procurare sine motu potuisset, extingui

An. 1530.

(2) *Laudatur Cæsaris & Principum moderatio, & horum ad Evangelium conversio.*

(3) *Rationes politicæ, cur Cæsar vim & arma non expediverit.*

An. 1530.

(4) *Observatur, quod Lutheri autoritatem nemo in Comitiis allegaverit.*

qui doctrina ejus jam non poterat, per tot terrarum spatia propagata, & innumeris doctoribus subnixa. Inter hos plerique jam non illo autore aut duce sese jactabant, sed suo spiritu & ingenio agebant. Apprime hoc notandum est, ex his ipsis Comitiorum actis. Nam in tota Confessio ne,& inter toto in collocutores tractatu nunquam ad Lutherum provocatum fuit. Immo, cum duriora aliquando ejus dicta objicerentur, defensio eorum suscepta non est, ut constat ex eo, quod supra de conciliorum autoritate dictum fuit. Aperte enim objectio illa Lutherum tangebat, qui adversus infallibilitatem conciliorum multa & acria scripserat. Principes tamen nihil ad ea respondent, quam, ut dicant, unicuique incumbere, ut pro sua respondeat sententia. Cochlæi etiam, quanquam ei credi simpliciter non debeat, testimonium hactenus sperni non potest. Narrat is, quomodo in colloquio septem Deputatorum circa quæstionem de satisfactione ecclesiastica, ex tractatu suo, cui *Septicipitis Lutheri* titulum fecerat, locum aliquem Lutheri annotaverit, quem Eccius ex scheda prælegisset. *Eo facto*, inquit, *septem Lutherani se invicem intuentes, paululum tacebant; Philippus proxime assidens, suffuso rubore vultu, dicebat: Scio, hæc scripsisse Lutherum. Cumque nihil adderet amplius, Dux Johannes Fridericus dicebat: quando scripsit hæc? forsitan ante decem annos?* Dicebant Catholici: *quid tum? satis est nobis, hanc ipsiusmet sententiam esse. Tunc ira commoti Brentius & Schnepfius dicebant: se non adesse, ut Lutheri scripta defenderent, sed ut suam assererent Confessionem.* Hæc Cochlæus. Neque plus exigebat Lutherus, ut supra ex epistola ejus ad Melanchthonem probatum est. Senatus etiam Norimbergensis, ut ex *commentariolo MSS.* didici, delegatis suis ad ista Comitia expresse mandaverat, ut Electori Saxoniæ & Georgio Marchioni Brandenburgico in negotio protestationis & confessionis fideliter assisterent, neque tamen se Lutheranos nominarent, neque cujuscunque hominis doctrinam, sed solummodo verbum Dei allegarent.

SECT. 33.

Rumpitur tractatus de conciliauda religione.

Sane Philippus Melanchthon, cum jam multa plerisque ex suis non placentia, concessisset, in suspicionem & odium apud Protestantes venit, vetitusque est, ne ultra cederet: atque ita colloquium circa finem Augusti mensis exitum habuit, nihilque conclusum est. Proponebatur quidem alius congressus, inter plures, quam tres, ex utraque parte, sed Principes Protestantes responderunt: frustra hoc fore, si ea fieret intentione, ut ipsi hac via ad fidem Ecclesiæ Romanæ reducerentur, paratos se tamen ad tractandum esse, de inveniendis conditionibus ad bonam pacem inter partes stabiliendam, donec Concilium liberum haberetur: ejus enim convocationem, secundum aliorum comitiorum decreta, semper postulabant.

§. LXXIII.

(1) *Melanchthon notatur ob rupturam tractatus, quod Episcopis nimium detulisset.*

Melanchthon de invidia illa, quam in agnoscenda Episcoporum jurisdictione incurrerat, ad amicos ipse haud leviter questus est: quanquam in quæstione ipsa, ut ex iis, quæ allegavimus, clarum est, Lutherum contradicentem non haberet, nisi, quod hic animose, & eo quandoque stylo, quem malim publicatum non esse, (*vid. Cœlest. fol. 24. a. b.*) aversabatur precarium, quo omnia referre videbatur Melanchthon; verborum tamen potius temperamento, quam, ut revera a nutu Episcoporum pendere vellet. Inter plurimas ejus epistolas unam saltem ad ipsum Lutherum scriptam d. 1. Septembr. (*Lib. 1. Epist. 20.* & apud *Cœlestin. Tom. III. fol. 63. b.*) afferam: *Ante triduum finitum est colloquium nostrum. Nolumus enim conditiones de altera Sacramenti parte, de Canone, de Missa privata accipere, item de Cœlibatu. Nunc res iterum ad Imperatorem relata est, ut, quid futurum sit, divinare non possim. Tandem oremus, ut mentem Imperatoris flectat ad pacem retinendam, qua nunc maxime opus est, non tantum nobis, sed universæ Germaniæ. Non credis, quanto in odio sim Noricis, & nescio, quibus aliis, propter restitutam Episcopis jurisdictionem: ita de suo regno, non de Evangelio dimicant socii nostri. Amicus quidam scripsit, me, si, quanta voluissem, maxima pecunia a Romano Pontifice conductus essem, non potuisse meliorem rationem suscipere restituendæ dominationis Pontificiæ, quam hanc esse judicent homines, quam instituimus. Ego nullum adhuc articulum deserui & abjeci, qui ad doctrinam pertineat; tantum stomachabantur de politicis rebus, quas non est nostrum eripere Episcopis. Brevi, ut spero, sciemus, quid decernet Imperator.* Eadem fere d. 30. Augusti scripserat, (vid. *fol. 63.*) ubi dicit, *Episcoporum dominatum maxime recusari a Civitatibus Imperii.*

(2) *Rosellii ad eum hac de re litera bina.*

Objectam etiam ei ex Italia a quodam *Lucio Paulo Rosellio* timiditatem fuisse, ex epistola Venetiis III. Cal. Augusti, sive 30. Julii data apud *Cœlest. Tom. II. fol. 274.* apparet. Percrebuerat enim fama, Melanchthonem supplicem factum esse Legato Pontificio Campegio, illique & Pontificis sapientiæ se & omnia sua subjecisse: *Hæc si vera essent*, scribit Italus ille, *pessime profecto cum Evangelio cumque his, qui tui Lutherique causa Evangelio adhæserunt, ageretur.* Hortatur deinde eum pluribus, ut fortiter agat, addens: *etsi mors tibi subeunda fuerit, ob Christi gloriam, eam ne expavescas, quæso, quandoquidem satius sit, mori cum laude, quam vitam cum ignominia ducere.* Altera ejusdem *Rosellii* epistola Cal. Augusti scripta apud *Cœlest. Tom. III. fol. 18.* reperitur, cui exemplum jungitur literarum, quas Orator Venetus domum miserat, a Melanchthone ad Campegium d. 6. Julii scriptarum, quæ quidem plus satis submissæ sunt, & controversias religionis ad verborum saltem rixas restringunt, quas Pontifex clementia sua facile sopire posset. Has quoque literas exhibet *Cœlestinus d. Tomo fol. 18. b.* In incerto tamen relinquitur, an tales scripserit, aut

(3) *Melanchthonis epistola ad Campegium timida.*

A. 1530.

(4) *Defenditur a Camerario.*

aut si fecerit, ut lapsum humanum excusare decet. Sed pro Melanchthone non perfunctorie pugnat *Joachimus Camerarius*, in *vita ejus*, &, quod supra monui, de præcipuo illo, quod multos, & potissimum Civitates Imperiales, offendebat, capite, Episcoporum nempe jurisdictione, cum consensu Lutheri egisse asseverat. Subdole tamen factum esse, notat, quod, colloquio in arctum redacto, Melanchthon, qui solus Theologus ex Protestantium parte adhiberi poterat, vel obtundi vel conciliari posse a Romano-Catholicis sperabatur. In conflictu tamen hoc nihil concessit, quod causæ noceret, nec satis vera sunt, quæ Maimburgius scribit, vetitum esse, ne ultra cederet: id enim non, nisi ad caput illud de Episcopali jurisdictione pertinuit, ut supra notatum est, in cæteris enim, nemo metuebat, Philippum cessurum esse. Multa ad sententiam Melanchthonis plenius cognoscendam referri possent ex iis, quæ ante colloquium interseptenos, mense Julio & Augusto, cum Luthero absente, aut cum Cochlæo, qui aderat, per literas & schedas egit. Quæ cum Luthero de traditionibus Ecclesiasticis disceptaverit, legenda sunt apud *Cælestinum Tom. II. fol. 288. & seqq.* Ex responso d. 21. Julii ad epistolam Melanchthonis d. 14. Julii (*fol. 288. b.*) scriptam dato, statuisse, patet, Lutherum, (*fol. 289. b.*) eandem personam non posse esse Episcopum & Principem, sed sub *personæ* vocabulo intelligit administrationem, non separatam, sed confusam, & nolle se, dicit, Episcopos turbare, si qui intra eos boni sint. Putat ergo e. g. *Conradum a Thungen*, qui tunc Wurceburgensis Præsul erat, simul Episcopum & Ducem Franconiæ esse posse, si diversimode officia illa exerceat, sicut *Pomeranus* sit simul parochus & œconomus. Negat autem, Episcopum, qua talem, obligare legibus Ecclesiam suam posse, nisi hæc expresse vel tacite consentiat, ut Principem vero, prorsus non posse, in sacris rebus, cum distincta sit ecclesiastica & politica potestas; sed eundem ut Principem imperare posse subditis, quæ non sunt de fide, v. g. jejunare, neque tunc resisti posse; caveri tamen fraudes Prælatorum jubet, si confusa utraque potestate dominari in subjectos velint. Roganti iterum & deprecanti, qui stomachum Luthero aliquatenus moverat, Melanchthoni d. 27. Julii, respondet 3. Augusti, & nihil a quoquam præcipi posse, scribit, quod pro cultu Dei habendum sit: hunc ex sola revelatione divina constituendum esse. Eodem die prolixius traditiones, ob defectum causæ efficientis, sive juris legis ferendæ, denuo improbat: fatetur, se dubitationem Melanchthonis divinare potius, quam percipere, & miratur, cur a se consilium petat, *cum sciam*, ait, *te omnia nostra optime scire.* Judicium Melanchthonis de Missa, mense Julio conscriptum, refert *Cælestinus Tom. II. fol. 278. seqq.* In hoc adeo non dubitat, Missam non esse sacrificium, neque cuiquam prodesse, qui propria fide gratiam sibi non applicet, ut dicat, *opinionem impiam & intolerabilem esse vulgarem illam, quasi per Missam, ut opus & sacrificium, placari posset Deus: neque arbitror*, ait, *multos esse, qui nunc ausint eam defendere, postquam patefacta est doctrina de justitia fidei; & si quis illam tueri velit, facillime redargui poterit: quare de hac opinione inter homines sanos non erit longa disputatio, præsertim, cum nulla habeat ex veteribus autoribus testimonia: tota ea nova & commentitia est, & ignota veteri Ecclesiæ, ante Gregorium. Fortasse sunt aliqui improbi & stolidi, qui sibi non patiuntur satisfieri: horum judicia non valde moror.* Examinat autem postea speciosiorem opinionem eorum, qui quidem Missam non defendunt, ut opus justificans facientem aut alios, sed ut gratiarum actionem, quæ nomen habere possit sacrificii, & simul conservet memoriam passionis Christi. Tale opus dicunt esse Missam. Monstrat autem eorum, qui sic sentiunt, calliditatem: *Nunc*, scribit, *adversarii astute dissimulant priorum temporum vitia, & quærunt prætextum ad opprimendum Lutherum, ut, hoc oppresso, paulatim illa restituantur in Ecclesia, quæ faciunt ad quæstum. Nam privatas Missas non aliam ob causam defendunt, hujus secundæ opinionis prætextu, nisi, ut jure videantur retinere Ecclesiasticos census, quos putant tantum ideo constitutos esse, ut conducerentur Missæ, ac non potius suppeditarentur discentibus, qui aliti beneficio Ecclesiæ, cum opus est, adhibeantur ad docendas ac gubernandas Ecclesias. Item, conservatis quocunque prætextu privatis Missis, paulatim opinio de merito Missæ, quæ est quæstuosissima, iterum subibit animos hominum.* Fatetur tamen, hanc opinionem esse celebriorem priore, & magnos autores habere, & sic fere veteres de Missa sensisse, sed qui nondum haberent privatas Missas. Si vero hanc opinionem sequi velint Episcopi, aboleri tamen debere plurimas Missas, funebres certe omnes, aliasque venales. Gratiarum enim actionem tantum agenti non aliis prodesse. Rejicit inde aperte ex adductis, quæ notæ sunt, rationibus, omnes Missas, quatenus sunt sacrificia, & ordini Sacerdotali soli vindicantur. Tertiam itaque opinionem esse, ait, Lutheri, quam & ipse judicet Scripturæ maxime consentaneam, nempe, ut nos non offeramus per Missam corpus Christi, sed, quod per eam aliquid offeratur nobis, videlicet Sacramentum, quo moveamur ad credendum, & consolemur conscientias; & hanc sententiam pluribus confirmat. Eodem tempore ad Georgium, Marchionem Brandenburgicum, consilium petentem, an privata Missa, (id quod Cæsar maxime urgebat) in ditionibus Protestantium restitui possit, gravissime contradicit, inter alia *fol. 281.* his verbis: *Missam vero privatam seu angularem rursus in Ecclesia instituentes, opus ejusmodi sanciremus, quod delendæ & obscurandæ fidei in Christum esset amplissimum, cultum nullo Scripturæ fundamento innixum, nec verbo Dei mandatum approbando. Populum enim ad Missam audiendam, falsis tantum Monachorum opinionibus, & nudis hominum placitis assuefactum esse, clarum est & manifestum. Hæc autem persuasio, Missam scilicet opus esse, per quod remissionem peccatorum & vitam æternam consequamur, Missa restituta, in illis certe confirmaretur, hacque ratione doctrina de vera fide, ejusque exercitiis, miris vicissim atque densis tenebris & crassis erroribus involveretur. Nullis igitur Celsitudo Tua rationibus & argumentis moveatur, ut Missam privatam rursus insti-*

(5) *Lutheri sententia de traditionibus & officio Episcoporum & Principum.*

(6) *Judicium Melanchthonis de Missa & opere operato.*

An. 1530.

(7) *Epistola ejus ad Georgium Brandenburg. contra Missas sacrificatorias.*

A. 1530.

instituat. Quod vero praetenditur, Missam abrogatam causam esse, quo minus populus templa diligenter & saepe frequentet, de eo quidem dubito: Missam enim ad eam rem parum allaturam momenti, facile crediderim. Ego vero, si quid judicare possum, statuo, conciones pias & exhortatorias plus effecturas. Nec concionatores ipsos omni culpa vacare, mihi facile persuaderi patior. Narrat inde, quomodo in Ecclesiis Saxonicis communio sacra, plane abolitis Missis privatis, post conciones, diebus Dominicis celebrari soleat. Inseritur *eodem fol. 281. b. & seqq.* Lutheri judicium, quo effugium rejicit, quod in eo quaerebatur, ac si Missa privata defendi possit, quia sacerdos sibi ipsi porrigit Sacramentum. Ostendit autem, hoc contra institutum divinum in fraudem & ad quaestum inventum esse. Acriter etiam *Spalatino* de eadem quaestione respondet d. 28. Julii, concludens: *Nullus pius ex animo potest privatam Missam probare, quocunque nomine celebretur.* Addamus & *Spalatini* judicium de eadem quaestione, quae tamen ita proponebatur, ut cum communione sub utraque & concionibus, etiam contra Missas habitis, privatae celebrationes permitterentur: id quod fortasse etiam hodie inter conciliationis modos proponi posset. Ita autem ille apud *Caelestin. Tom. II. fol. 285. b.* ad Collegas suos Augustae sententiam scripto exposuit: *Saepe mihi retulit DD. Lutherus, se multis, iisque gravibus tentationibus vexatum fuisse, priusquam tam sanctum & religiosum, lateque patentem, & omnibus hominum animis infixum cultum, in dubium vocare & scriptis oppugnare auderet. Igitur, re nisi diu multumque deliberata, & gravi judicio adhibito statuere nihil, nec Missam privatam abolere & repudiare voluit. Nos autem rejectae & abrogatae Missae angularis causas habemus gravissimas, & quoad hanc rem, coram Deo in omnem eventum sumus justissimi. Scimus enim, & nimis certo scimus, adversarios, quascunque sane praetendant causas, tamen nihil aliud, quam Missae ceremonia abuti, cogitare. Non enim adeo sunt religiosi, & erigendarum conscientiarum studiosi, ut pro tuendo Missae sacrificio, vetustum loquendi usum, & sacrificandi ritum praetexant; sed divitias & honores quaerentes, haec pro excusando suo errore allegant, se renovatos & justificatos esse clamantes. Cum igitur remotis tenebris lucem aspexerimus, ac rejectis mendaciis veritatem agnoverimus, nec nobis ignotum esse possit, quo omnia ipsorum consilia tendant & directa sint, illis assentiri nequaquam possumus. Haec enim distinctio coram Deo parum valitura videtur, ut Missarum privatarum celebrationem Principes liberam permittant, licet concionatores eas, ut supra dictum est, oppugnent. Cum igitur facile colligi possit & intelligi, adversariam partem nihil aliud quaerere & propositum habere, quam, ut hac ratione omnes corruptelas & abusus vicissim, sensim & pedetentim, in Ecclesiam invehant, nec alias ipsos habere dilati adhuc Concilii causas, diligenter oremus, bene provideamus ac circumspecte agamus, necesse est, ne astutissimis Satanae consiliis capiamur, aut ejusmodi abusibus assentiamur, qui in nominis divini contumeliam cedant, a quibus vix divina comiseratione & clementia liberati sumus.*

(8) Lutheri quaedam de Missa.

(9) Spalatini contra eam admonitio.

Prolixius in eandem sententiam scripsit *Justus Jonas*, ita ut Missas, licet jam non propitiatorium, sed commemoratorium sacrificium esse dicantur, nihilominus simpliciter rejiciat *d. l. fol. 286. 287.* Adde & disputationem adversus argumentum ex vocabulo *Liturgiae* usurpatum, *fol. 287. b. 288.* Cum his, quae ad apologiam Melanchthonis, cui Maimburgius praevaricationem quandam imputare videtur, dicta sunt, conferri possunt Lutheri epistolae ad *Lazarum Spenglerum*, Syndicum Norimbergensem, die Augustini, id est, 28. Augusti, item ad *Jonam*, scriptae, quae leguntur apud *Caelest. Tom. III. fol. 62. b. 63.* ex quibus apparet, eum neque timuisse, ut Melanchthon & collegae aliquid contra Evangelium concederent, neque agnoscere, quod cesserint. Si quis de privato inter Melanchthonem & Cochlaeum commercio, itemque, quod cum Campegio ejusque Secretario, dein cum Leodiensis Episcopi Cancellario habuit, instrui velit, is legere potest quae *Caelestinus d. Tom. III. fol. 19. & seqq. item fol. 66. & seqq.* retulit.

A. 1530. (10) Alia quaedam de eadem materia.

§. LXXIV.

Ex illis, quae Lutherus his mensibus scripsit, restant quaedam, quae praeteriri non debent. Laetatus est, cum tandem Confutationis publicationem intellexisset, ita enim d. 10. Augusti, Melanchthoni scripsit: *Laudo Deum, qui adversariorum confutationem sic ineptam paravit.* Pejora se metuisse, non dissimulans, & territum esse relatione spectri, quod sub monachorum figura nautam quendam in flumine Rheno prope Spiram occiderat. Id elegantissima elegia a *Georgio Sabino* descriptum est. Vide *Caelest. Tom. III. fol. 30.* Judicium Lutheri Augustam missum, in quo, quantum cedi possit adversariis, perspicue exponit, Latine legitur *ibidem fol. 37. b. & seqq.* Germanice *Tom. V. Alt. fol. 238. b. & seqq.* Scribit autem: *Si adversarii prorsus nihil nobis largiri aut cedere, sed pertinaciter tantum condemnare, (ut hactenus in singulis articulis fecerunt) perrexerint, neque unquam, num saepius a nobis oblatas conditiones recipere velint, declaraverint; tum sane non video, qua ratione tractatio aliqua cum ipsis suscipi & institui possit. Nos enim hac conditione ut singula ipsorum recta veraque maneant, nostra vero omnia (sicut hactenus sine ulla exceptione nimis saepe ab illis factum est) condemnentur, agere cum ipsis nihil possumus: Secundo, cum Caesarea Majestas nihilominus scire cupiat, quid concedere adversariis velimus, necesse est, ut in singulis Confessionis nostrae articulis distincte significemus, quae largiri adversariis, quae vero non possimus.* Postea de doctrinae articulis sic loquitur: *In his articulis, quantum adversariis largiri possimus, nostra nos docet conscientia: cum ne ipsi quidem erroris saltem levissimi nos convincere queant, id quod ex actis paulo post positis abunde satis liquebit. Nec, ut arbitror, apud alias quoque nationes manifesti & cum verbo divino pugnantis erroris convinci poterimus, siquidem, quae nos docemus & scribimus, in sacris literis fundata & ipsorum Patrum scriptis confirmata esse, omnes sani intelligunt. Insuper ea quoque modestia perscripta sunt omnia, ut nemo facile offendi queat. Quod si Caes. Maj. quorundam articulorum, utpote de sola fide, de satisfactio-*

(1) Scripta Lutheri, quid adversariis indulgeri possit, & quomodo.

A. 1530.

factionibus & meritis, fusiorem uberioremque explicationem flagitarit, ne quidem hac in parte officio nostro defuturi sumus. De voce illa *sola*, item de invocatione Sanctorum, hoc tempore d. 8. Septembris, prolixam epistolam scripsit, & Linccio Norimbergam misit, a quo d. 15. Septembr. cum praefatione edita est, *Coelest. Tom. III. fol. 69.* Germanice extat *Tom. V. Alt. fol. 268. & seqq.* (sed eam jam *Lib. I. in Addit. ad §. CXXVII.* allegavi) In illo vero, de quo hic ago, *Judicio*, ad reliquos articulos, qui de abusibus agunt, progrediens, negat, recedi posse ab integra distributione sacrae Coenae, nec doceri, quod una species sufficiat, & indifferenter sumi possit, multo minus petentibus eam porrigi. Excusationem praeteritorum, qualis in Articulis visitationis, supra relatis, facta erat, non revocat, sed pluribus confirmat. Ecclesiam servitute oppressam fuisse, indicat, neque tamen ideo rejiciendam esse, quod ab omni macula & ruga nondum purgata fuerit. Neque enim sine peccatis & erroribus esse posse, propterea vero gratia Dei non excidere nec condemnari: sanctam enim nihilominus esse, quatenus a Spiritu sancto regatur; sed erroribus patefactis renunciandum esse, alias ex veniali peccato mortale fieri. De conjugio Sacerdotum ita *f. 38. b.* scribit: *Conjugium nullo modo prohibere vel possumus vel debemus, siquidem a Deo institutum illud, ordinatum ac confirmatum fuit, ac doctrina hoc oppugnans, & vetare atque abolere studens, doctrina daemoniorum a divo Paulo 1. ad Tim. 4. vocatur.* Missas privatas denuo institui & celebrari posse, plane negat, rationibus breviter repetitis. Monasteriorum restitutioni, ut Missae denuo in illis celebrentur, & regulae pristinae serventur, contradicit; alendos tamen esse, qui in illis supersint, aut, mandante Caesare, recipiantur. De jurisdictione Episcopali *fol. 39. b.* sic scribit: *Supervacaneum videtur disputare vel agere aliquid de Jurisdictione. Cum enim nos ferre non possint, sed prorsus damnandos, rejiciendos & ex Ecclesia exterminandos esse existiment, quam eorum jurisdictionem in nos expectare debeamus, non videmus. Hoc dicimus & affirmamus: si nostram doctrinam in posterum ferre, nec amplius persequi & exterminare studuerint, eorum quoque jurisdictioni & dignitati, quam vocant, per nos quidem nihil detractum aut derogatum iri. Neque enim vel Episcopalem, vel aliam quamvis dignitatem affectamus, sed Christiani tantum esse cupimus, quorum conditio misera & despecta esse debet, ut Matth. 5. & Luc. 4. scribitur.* Item de causis matrimonialibus: *Has omnes ad Episcopos, officiales, Carnifices, vel quicunque eas recipere voluerint, relegamus, licet suspicari aliquo modo possimus, eos alterum sine altero nequaquam recepturos.* Denique de discrimine ciborum & festorum: *Ad has quaestiones quod attinet, ut ejusmodi traditiones praeceptis Dei praeferantur, aut conscientiae iis praegraventur, ferre nequaquam possumus, id quod & Paulus fieri vetat, & tamen suspicari quodammodo libet, ipsos hoc non aliter, quam cum laesione conscientiae, accepturos esse. Si vero nonnullis videtur ex re futurum, haec omnia judicio Caesareae Majestatis committere, ut ipsa, quid in ejusmodi rebus servari velit, absque conscientiae illaqueatione ordinet, id nobis etiam ut placeat, par est, cum palam sit & manifestum, nec ipsos adversarios nostros tempus quadragesimale ad praescriptum Canonum servare.*

(2) *De voce sola epistola prolixa.*

(3) *Excusat Ecclesiam, quod communionem sub una toleraverit.*

(4) *Ejus sententia de conjugio sacerdotum.*

(5) *Item de Missa & monasteriis.*

(6) *De jurisdictione Episcoporum.*

(7) *De causis matrimonialibus.*

(8) *De discrimine ciborum.*

A. 1530.

Propositae tunc ei fuerant *Mariae* & *Annae*, Hungariae & Bohemiae Reginarum quaestiones de vita monastica, & abrogatione Missae. Responsa ad eas leguntur apud *Coelestin. Tom. III. fol. 40. 41.* & Germanice, sed omissis nominibus Reginarum, *Tom. V. Alt. fol. 241. & seqq.* Sequuntur responsa ad quinque quaestiones de sacra communione, cuidam concionatori aulico data, *fol. 41. b.* Item, an Caesari judicium de controversiis religionis permitti debeat, *fol. 42.* Negat autem id fieri in capitibus nempe doctrinae: nam quoad ritus quosdam, dictum est, eum Caesaris decreta admittere voluisse. Inter haec, dum colloquium inter Septenos finitum esse, ex epistola Melanchthonis, d. 22. Augusti scripta, intellexisset, responsum dedit, cujus partem de articulo justificationis supra §. *LXVIII.* retuli. De satisfactione & poenitentia, & de meritis nihil transigi potuisse, ipse scripserat Melanchthon. Idem de communione refert, *Eccium* sensisse, prorsus indifferens esse, utraque vel una specie uti. De Missa, de votis monasticis, de conjugio non esse disputatum, sed conditiones propositas, quas Protestantes accipere nequiverint: petiit autem speciatim Melanchthon a Luthero, ut plane scriberet, quid de communionis indifferente usu concedendum esset. Ad haec d. 25. Augusti *fol. 50. b.* plane & satis mascule respondit Lutherus; & primo quidem de calliditate pariter & de saevitia adversariorum, Eccii inprimis, queritur: *nil*, ait, *prodesse, si is coactus fuerit* (ut Melanchthon scripserat) *ad justificationem per fidem admittendam, cum interim fidem ipsam acerrime persequatur.* De utraque specie nihil remittendum esse statuit, legem & institutionem Christi clarissimam non pati indifferentiam, quam illi jactent: Ecclesiam oppressam, quae communionem sub una toleravit, denuo excusat. De Episcopis iis agit verbis, quae *Lib. I.* recitavimus, ne plus concedatur, quam fas sit, sibique totum tractatum de concordia displicere profitetur. Sequenti die, quae erat 26. Aug. de conditionibus a Pontificiis & Protestantibus propositis (*fol. 51.*) ad ipsum Electorem, ut jussus erat, scripsit *Tom. V. Alt. fol. 219. & seqq.* quae Latine versa *Coelestinus* exhibet *Tom. III. fol. 52. 53.* Rejicit autem serio, & gravissimis verbis, indifferentem communionis sub una approbationem, itemque Missas privatas earumque restitutionem in ditionibus Protestantium: agnoscit tamen Principem, qua talem, neque prohibere neque admittere eas posse, cum distincta sit Ecclesia & Principum potestas; sed quia Missas illas ipsa prohibeat Scriptura, quaeri, an Princeps huic assentiri velit, & hoc penes illum stare, cogi a nemine posse. Canonem etiam Missae simpliciter rejicit, nec ullam illius interpretationem admittit: *centones*, ait, *continere male consutos, neque ita posse explicari, ut ad commemorationem saltem Christi pertineant, aperte potius sacrificium ex Missa facere velle.* De jejuniis, ritibus & ceremoniis, quae verbo Dei non adversantur, ut saepe professus erat, ita nunc quo-

(9) *Responsa ad quaestiones Reginarum,*

(10) *& ad alios.*

(11) *Speciatim ad Electorem de Missa.*

An. 1530. quoque arbitrium defert Cæsari & Principibus. Ex Melanchthonis autem literis, his diebus 25. & 26. Augusti scriptis (*fol.56.b.& 57.*) percipitur, Principes non satis forti fuisse animo; sed humanæ imbecillitatis quædam indicia dedisse, ob ingentes minas, quibus concutiebantur: quapropter minus mirum est, quod Philippo meticulositas quædam imputetur, cujus tamen suspicionem ille in his literis a se removet, & Dei tandem gratia effectum est, ut Principes constanti mente veritatem retinuerint. Notari etiam meretur, quod Lutherus Electori literas, quæ præ festinatione sigillo Principis obsignatæ non erant, remiserit, ut is defectus corrigeretur. Tunc enim Principes literas, quas sua manu non exarabant, subscribere non solebant, sed saltem sigillo firmare; hoc autem deficiente fidem non inveniebant.

§. LXXV.

(1) *Varia novi tractatus tentatio.*

Jam ad ea, ubi supra *§ LXVIII.* substitimus, redeundum est. Finitum fuit absque successu colloquium inter tres ab utraque parte deputatos, ultimo die Augusti, vide *Cœlest. Tom. III. p. 59. & 60.* ubi postremam Protestantium petitionem & oblationem exhibet, quæ Germanice extat *Tom. V. Alt. fol. 237.* & apud *Chytræum Hist. Aug. Conf p 418.* ad pacis externæ observationem tendens, quia spes de concilianda Religionum controversia interciderat. Eodem die, cum apud Electorem Saxonem *Erhardus de Marca*, Episcopus Leodiensis, *Henricus* Dux Brunsuicensis, & *Hojerus* Mansfeldensis comes, Cæsaris Consiliarius, cœnarent, de novo tractatu, adhibitis denuo pluribus, instituendo, sermones fuerunt, ut *Cœlest. fol. 62.* notat, parum commodi. Sed Protestantibus satius visum est, Lutheri interea literis confirmatis, a subdola illa concordiæ tractatione abstinere, & tantum pacis desiderio insistere. Omittit hic Maimburgius, quibus machinis præcipui Protestantium interea tentati fuerint, ut ab instituto desisterent.

(2) *Machinæ ad concutiendos Protestantium animos.*

Repetendum est paucis, Electori Saxoniæ investituram, quam vocant, Electoratus & provinciarum suarum petenti, in Comitiis his, d. 14. Julii, repulsam a Cæsare datam esse. Hujus enim nomine, per Fridericum Palatinum & Henricum Nassovium, dictum illi fuit: *Cæsarem neque investituram illam concessurum, neque pacta dotalia inter Johannem Fridericum, filium Electoris, cum Sibylla Clivensi, confirmaturum esse, nisi ad Ecclesiam Catholicam rediret.* Testantur hæc acta, ex quibus *Cœlestinus* Georgii Spalatini consilium *Tom. II. 243. b. & seqq.* produxit, eodem die conscriptum; dein responsum Electoris, Cæsari d. 21. Julii exhibitum, *fol. 245. & seqq.*

(3) *Electoris scriptum pro sui juris defensione.*

In hoc, quod feudi concessionem attinet, jam se una cum fratre defuncto investitum fuisse, scribit, &, post hujus mortem, renovationem legitimo tempore, missis in Hispaniam Legatis, petiisse, & a Cæsare bina indulta, tum nuper, per legatum suum *Dolzigium*, Oenipontem missum, responsum impetrasse, quo concessionem Augustæ facturum se esse Cæsar promiserit. Idem promissum urget ratione confirmationis pactorum dotalium: Cæsarem enim, postquam matrimonii *Johannis Friderici*, cum Sorore sua, jam Portugalliæ regina, pacti implementum non præstitisset, per *Haunartum* Secretarium, prolixum favorem ad aliud matrimonium, & insigne ac magnum quoddam beneficium, ultro obtulisse. Denique Electorem nundinarum jus oppido suo *Gothæ* tribuendum petiisse, allegatis idoneis rationibus, quibus, sine cujusquam injuria, locus dari possit.

(4) *Constantia in confessione religionis.*

Prolixe postea deducit negotium religionis, quo fine ad Comitia citatus sit: ut Confessionem fidei cum aliis exhibuerit: ut paratus sit, placida collatione aut in Comitiis hisce, aut in Concilio ostendere, se a veritate Dei & Ecclesia Catholica minime descivisse: si contrarii convinci possit, facturum se esse, quæ Deo & Cæsari satisfactura sint: Donec vero id fiat, se absque exitiali offensione conscientiæ, & sine nominis divini contumelia, a verbo Dei, quod est æterna veritas, deficere non posse, pluribus & egregiis argumentis affirmat: & de edicto Wormatiensi speciatim monet, quomodo Fridericus Elector frater suus Cæsari significaverit, se in illud non consentire, idque Norimbergæ & Spiræ mitigatum & relaxatum fuisse, communi Ordinum consensu: petit, si placida collatione componi causa hæc non possit, ut ad Concilium generale, liberum & christianum, differatur, quod toties promissum non possit honeste recusari.

(5) *Excusat se de fœderibus.*

Addit excusationem suspicionis de fœderibus; quam captaverat Aula Cæsarea ex verbis aliarum literarum Electoris, in quibus mentionem fecerat eorum, qui *secum conjuncti essent*, & provocat ad ea, quæ jam Oeniponte Cæsar ex Legatis, Comitibus *Nassovio* & *Nuenario* perceperit. Intelligere enim se sub nomine *conjunctorum* eos solum, qui Confessionem exhibitam subscripserint; pro aliis, qui diversa sentiant, respondere se non posse, nec velle. Negat fortiter, se cum Helvetiis fœdus habere, aut ab iis petiisse: objectionem hanc, jam proxima hyeme a Georgio Saxoniæ Duce, Ferdinandi Regis nomine, sibi propositam, a se dilutam esse. Addit omnis officii & obedientiæ oblationem. Ista, jam mense Julio acta, huc usque quieverant.

(6) *Iterata erga Protestantes minæ & blanditiæ.*

Jam vero Cæsar Electori per *Fridericum* Palatinum, *Henricum* Nassovium & *Georgium Truchsesium*, minas admovit, fore asseverantibus, ut Cæsar in repulsa persisteret, nisi in Religionis negotio Elector cederet. *Georgio* Brandenburgico minatus est, se illi tutelam filii Casimiri fratris ademturum esse. *Landgravium* tentari fecit, spe facta de Ulrici Wurtembergici restitutione, quam ipse vehementer desiderabat, & de lite gravissima, quæ ipsi cum Nassovio intercedebat, æquis modis componenda. Neminem quidem ista moverunt, & Elector Saxoniæ sic satis ad patientiam se componebat, tum pro placido, quo erat, ingenio, tum, quod eum a belli consiliis serio dehortarentur Theologi, ut ex Spalatini scripto, paulo antea relato, videre licet.

(7) *Theologi suadent patientiam.*

Melanchthon idem semper suadebat, ut æquis conditionibus transigeretur; queritur tamen in literis ad Lutherum d. 4. Sept. reliquos, ut loquitur, ἑλβετίζειν id est, Helvetiorum consiliis aures præbere, quos unice ad pacem turbandam putabat inclinare: addit, *nihil moderati respondere Norimbergenses, Hessos & Luneburgicos.* Vide *Cœlestin. Tom. III. fol. 65. b. 66. & Lib. I. Melanchth. Epist. 19.*

(8) *Alia propositio, item replica Cæsaris ad Protestantes.*

Paulo post, d. 7. Septembr. Cæsar Saxonem & socios ad se vocatos, adhibito *Ferdinando* fratre,

An. 1530. *Balthasare* Hildesiensi & Constantiensi Episcopo, Vice-Cancellario suo, item *Hispalensi*, *Granvellano*, & *Georgio Truchsessio*, graviter commonuit, ut a novitatibus discederent, & pauci sibi & reliquis omnibus assentirentur, addito promisso de Concilii convocatione, sed & mandato, ut interim eandem, quam Cæsar, religionem sequerentur; nec minis abstinuit, de coercitione, quamvis ab invito, necessario suscipienda. Responderunt post deliberationem: se sectam novam non instituisse, neque ab Ecclesia Christiana secessisse: petunt Concilium, juxta decretum Spirense anno præterito factum, haberi, recusant restitutionem abolitorum rituum. Acriter regessit Cæsar per Truchsessium testatus, se ipsorum Confessionem & acta omnia diligenter perlustrasse & reperire, quod permultum dissideant ab Ecclesia, mirari deputatorum lenitatem, quod tam multa concesserint, ipsorum vero duritiem, quod oblata recusaverint. Negat, illos ex decreto Spirensi Concilium petere posse, cum ab eo ipsi (nulliter licet) appellaverint; æquum esse, ut minor pars se majori accommodet, cogitent quantula sint ipsi portio, cum Pontifice, secum & aliis Principibus comparati; postulat denique, ut aut in aliam tractationem consentiant, & concordiam ineant, aut expectent, quæ antea minatus erat; spatium tamen respondendi in crastinum concedit. Melanchthon in epistola ad Lutherum d. 8. Sept. scripta (apud *Cœlestin. Tom. III. fol. 75.*) octo dies obtulisse Cæsarem ad novos tractatus memorat. Quid autem d. 9. Sept. per Pontanum Cancellarium Saxonicum responsum, Protestantium nomine, & scripto exhibitum sit, subscriptione Principum & sex Civitatum firmatum, breviter refert *Chytræus*, sed integrum legitur apud *Cœlestinum fol. 75. b. & seq.* Summa est, se sperare, Cæsarem, si omnia acta perlustraret, deprehensurum esse, nihil credere Protestantes aut statuere, quod ab Ecclesia Christiana dissideat, paratos tamen esse, si ex verbo Dei convincantur, errores deponere & publice deprecari, appellationem a Spirensi decreto ad liberum & generale concilium Christianum, se utique interposuisse, sed ab illa solum decreti parte, qua gravatos se esse senserint; cætera de Concilio convocando, & speciatim auxilia contra Turcos, non detrectasse; valere etiam priorum Comitiorum decreta, de Concilio habendo, anno 1524. 1525. 1526. debere, si maxime postremum 1529. in controversiam vocetur. Majoris partis suffragia in hac causa agnoscere se non posse, & ob id ipsum Spiræ appellasse: insistere itaque petitioni Concilii. Oblatam novam tractationem ideo declinare, quia nihil amplius concedere possint, & Cæsar tantum novas habiturus sit molestias, interea de pace usque ad Concilium diligenter cum cæteris Principibus consultaturos, & se ita gesturos esse, ut Deo & Cæsari in futuris Comitiis rationem possint reddere. De his deliberaturum se esse, Cæsar respondit, Saxonem autem, qui discedere ex Comitiis cupiebat, monuit, ut maneret. Dein Romano-Catholicis, quæ acta sint, & quæ sibi videantur, exponi fecit, (*Cœlest. fol. 77. 78.*) quæ eo tendunt, ut Protestantes adigantur, ad veterem religionem redire, & bona Ecclesiastica (quæ, ut temporalia considerari, & secundum charitatem disponi debere judicat) restituere, vel in sequestrum Cæsari tradere, ad Concilii usque decreta administranda, id si non faciant, de mediis agendum esse, per quæ illa obtineantur, & Ecclesiæ consulatur. Sic in præcipitium adducta causa, *Truchsessius* & Cancellarius Badensis *Vehus*, veluti privatim, septem novos concordiæ articulos proponunt, qui leguntur apud *Cœlest. Tom. III. fol. 78.* cum censura Lutheri, qua omnia rejicit *fol. 78. b. 79.* Ex hac notandum est, quod dicat, Concilium esse permittendum, tanquam medium humanum, vigilandum enim esse, ne hostis zizania seminet; &, quod vetari posse neget, ne doctrina Evangelica propagetur, aut subditis ob religionem exulantibus hospitium & domicilium non præstetur. Mitius tamen alii ad eas conditiones responderunt *d. l. fol. 79.* Concedunt monasteriorum, quæ adhuc stabant, conservationem, & ut reditus vacantium & abolitorum sequestro Cæsaris traderentur, salvis Principum & patronorum juribus, &, ut parochiis & scholis prospiciatur; item Missas, id est, sacram communionem (nam privatas penitus rejecerant) usitatis ceremoniis & cum omnibus substantialibus celebrari (ita Canonis recitationem elisum ibant:) Communionem sub utraque & conjugium sacerdotum, quæ offerebantur, ea cum conditione acceptant, ut, si hæc in Concilio improbentur, Cæsaris sententiæ Protestantes sint parituri: novis denique mutationibus renunciant. Sed operosior alia consultatio d. 17. Sept. habita est, quæ Melanchthonis ingenium sapit, & a *Cœlest. fol. 80. b. & 81.* producitur. Cum enim a mediatoribus illis propositum esset, ut articuli, de quibus conventum erat, aut de quibus in Concilio decisio expectari deberet, a delectis ex utraque parte subscriberentur, Theologi protestantes desiderabant, ut omnes, in quibus dissensus a Romana Ecclesia esset, speciatim exprimerentur; nisi enim id fieret, fore ut omissi pro concessis aut revocatis habeantur. De Episcopis, agnoscunt, quam periculosum sit, eorum jurisdictionem admittere, &, illis contra præceptum Apostolicum Ave dicere, cum tamen a Protestantibus dogmata illorum improbentur, & hi vicissim Protestantes pro zizaniis habeant, quæ tolerare saltem ad tempus velint. Ne tamen omnem unitatem abrumpere viderentur, ordinationem seu confirmationem pastorum ab iis acceptari posse putant, modo oblatos Evangelii præcones, absque gravamine & iniquis conditionibus, confirmare velint: cognitionem autem in matrimonialibus, & excommunicationem ob delicta notoria, per pastores expediendam, ut res mere politicas, salva conscientia illis concedi posse, & hæc deferentes, non ideo dogmata eorum probare, aut iis *ave* dicere. Maxime vero notabilis est Norimbergensium censura, quæ quidem non ad has *Truchsessii* & *Vehi*, sed ad priores conditiones in colloquiis propositas, conscripta est, vide *Chytr. p. 442. & Cœlest. Tom. III. f. 81. b. & seqq.* Dicunt autem aperte, delectos ex parte Protestantium plus æquo adversariis indulsisse: inter ea recensent, monasteriorum restitutionem, item assertionem, quod tres sint pœnitentiæ partes, unde futurum sit, ut confessio auricularis & satisfactio operis, sacerdotum arbitrio præstanda, denuo introducatur: improbant etiam, quod

(9) *Horum finale responsum inclementer acceptum.*

(10) *Novi concordiæ tractatus, & de iis consultationes.*

(11) *Norimbergensium gravis admonitio, contra iniquas conventionis formulas.*

A. 1530.

An. 1530. quod ante Eucharistiam confessio simpliciter exigatur, &, quod jejunia, aliaque ejusmodi, denuo suscipiantur, item, quod fassi fuerint, Angelos & beatos in cœlo pro nobis intercedere, id quod nullo Scripturæ testimonio probetur; maxime vero queruntur, quod Episcopis plus oblatum sit, quam unquam petere ausi fuissent: jurisdictione enim illa sua abusuros, certo certius esse, ita, ut aut ad tribunal suum citatos concionatores pios ordinaturi non sint, aut variis calumniis oppressuri. Itaque hunc unicum articulum cupide & pure accepisse Pontificiæ dominationis ministros, cum cæteros omnes ad Concilium rejecerint, adeoque pacem hanc summe detrimentosam fore: bellum quidem merito metuendum, sed ob ejus formidinem conscientiam non lædendam, verum Deo fidendum esse. Mirantur dein, cur Protestantium proceres hucusque tam constantes, nulla necessitate, nullisque periculis territi, tantum concesserint adversariis, & ambiguis illis, & multiplici detorsioni & cavillationi subjectis articulis, sibi illudi passi sint: exaggerant ignominiam, quam ex hac mollitie omnes sint reportaturi: petunt itaque ab Electore Saxoniæ & Georgio Marchione, ut articulos illos & acta integra D. Luthero mittant, ceu ad præcipuum Dei organum, & primum sincerioris doctrinæ præconem, ejusque sententiam requirant. Si enim absque ejus consensu aliquid statuatur, non cessaturum illum, neque alios Ecclesiæ ministros, a contradictione esse, inde quales turbæ sint orituræ, facile conjici posse. Concludunt, oblata illa omnino revocari debere, quia neminem obligent, nec alio fine proposita atque concessa sint, quam, si in omnibus articulis controversis conveniri posset. Addita est *Andreæ Osiandri*, Prædicatoris tunc Norimbergensis, ad omnes articulos controversos apologia *fol. 84. & seqq.* Interea etiam Lutherus, cum quo per aliquod tempus pauca communicata fuerant, Norimbergensium contradictione percepta, multisque querelis motus, serio hortatus est Melanchthonem & socios, ut a tractatu concordiæ desisterent, cum fraus adversariorum manifesta sit.

(12) *Lutherus dissuadet transactionem, non unus literis.*

Gavisus etiam est, cum d. 12. Septembr. filius Electoris, *Johannes Fridericus*, Augusta digressus, ex improviso Coburgum venisset, posteroque die Melanchthonem per literas consolatur, eumque & collegas expectare se, dicit, neque cum Principe, quamvis id concedente, domum abiturum esse. Alia multa memoratu digna, interque ea, aliquid de aureo annulo, a Principe sibi donato & in terram lapso, in epistola illa leguntur. Vid. *Cœlest. fol. 87. b.* Post dies quinque, id est, 20. Septembr. *Jonæ* in eundem prope sensum scribit, &, quantæ ad se querelæ de nimia facilitate in tractatibus Augustanis, ex parte Protestantium ostensa, deferantur, non celat, ita tamen, ut diffidere illis non videatur, cum nihil, ut ait, actum sit obligatorie & irrevocabiliter, sed articuli saltim concepti sint (unvorgreifflich und unbeschlüßlich) id est, absque obligatione. Negat, se in ejusmodi transactiones consensurum esse, etsi Angelus de cœlo veniat jubeatque. Addit multa adversus postulata de Missa ejusque Canone: *Demus* (ait) *solam privatam Missam, demus solum Canonem, utrumque horum satis erit ad negandam totam doctrinam nostram, & illorum statuendam; deinde, si jurisdictio pristina Episcopis detur, adhuc perfectius omnia concessa sunt.* Subjungit: *se hac scribere ob importunas aliorum obtestationes, & ut sibi sint in testimonium, non vero, quod credat, talia illos concessisse. Nostis enim,* inquit, *quod antea vobis significavi, ne plus cederetis, quam habetis.* Concludit tandem: *Deinceps & ego adversariis ne pilo quidem cedam, videns, quod nos ludificentur & illudant superbissimi & pessimi hominum, nostra infirmitate inflati ac securi. Et novi sane ingenium Eccii, non arte, sed natura sic factum, ut agentes secum, a statu causæ, & a proposito soleat abducere, donec illiciat aliquem in laqueum contra causam. Sed satis. Ego pene rumpor ira & indignatione. Oro autem, ut, abrupta actione, desinatis cum illis agere, & redeatis. Habent Confessionem, habent Evangelium, si volunt, admittant, si nolunt, vadant in locum suum,* wird ein krieg daraus / so werde er daraus / wir haben gnug gethan. *Bellum oriatur, aut non, perinde est, satis obtulimus. Dominus eos paravit ad victimam, ut redderet illis, secundum opera illorum. Liberabit vero nos populum suum, etiam de incendio Babylonis. Ignosce, quæso, mi Jona, quod in sinum tuum evomui hanc animi molestiam. Quod autem scribo tibi, omnibus scribo. Dominus Jesus reducat vos salvos ac incolumes fortesque, & postea etiam faciat lætos.* Eodem die ad Linccum, Norimbergensium Ecclesiasten, scribens, Melanchthonem excusat, ut potest.

(13) *Articuli a Protestantibus compositi, ex relatione Cœlestini, de variis religionis capitibus.*

Ante adventum literarum Lutheri, d. 21. Sept. alios articulos a Protestantibus, nescio an Cæsari, an Mediatoribus, oblatos esse, refert *Cœlestinus Tom. III. fol. 136.* in quibus breviter & aperte dogmata præcipua, numero XIV proponunt, quæ libera sibi usque ad Concilii decisionem stipulantur, non exclusis tamen aliis, quæ controversa essent. Merentur hic legi articuli, quia nervosi sunt, & constantiam non exiguam indicant: 1. *Nos sola fide, sine ullis nostris operibus aut meritis, seu præcedentibus seu consequentibus, coram Deo justos pronunciari, & esse tunc, eum, Christi meritum nobis applicantes, certo & indubitato credimus, Deum propter ipsum nobis esse propitium & nos exaudire.* 2. *Bona opera facienda esse, licet gratiam & justitiam coram Deo nequaquam mereantur: fide enim, non operibus, nos illa consequi.* 3. *Omnium peccatorum specialem enumerationem in confessione non esse necessariam.* 4. Dicunt porro, *quod per contritionem, in pœnitentibus summopere necessariam, peccata nequaquam remittantur, sed fidem accedere oporteat, quæ absolutioni credat, & propter Christi meritum peccata remitti statuat. Igitur fidem, perterritam conscientiam consolantem & erigentem, ac peccata propter Christi meritum remitti statuentem, cum contritione necessario conjungendam esse.* 5. *In pœnitentia æternas pœnas non remitti aut condonari, propter nostram satisfactionem aut compensationem.* 6. *Sacramentorum usum non justificare nos, ex opere operato.* 7. *Ad veram Ecclesiæ unitatem, non traditionum humanarum, sed articulorum fidei, & veri Sacramento-*

An. 1530.

mentorum usus, æqualitatem necessariam esse. 8. Cultus divinos, humana tantum autoritate, absque expresso verbo & mandato Dei, ad promerendam gratiam & consequendam remissionem peccatorum institutos, manifeste & ex diametro cum Evangelii doctrina pugnare, & meritum Christi elevando obscurare. 9. Vota monastica, & Monachorum vitam, cum opinione cultus divini institutam, plane cum Evangelio pugnare. 10. Traditiones humanas, quæ sine peccato servari possunt, & ad bonum ordinem in Ecclesia conducunt, propter dilectionem, ad vitanda scandala, retinendas esse. Sciendum tamen, ejusmodi opera nequaquam esse cultus divinos, & Episcopos injuste facere, talibus traditionibus conscientias onerantes; nec peccare eos, qui traditiones istas sine aliorum scandalo & offendiculo negligunt & omittunt. 11. Invocationem Sanctorum rem esse incertam, periculosam, & officium Christi obscurantem, quem Scriptura nobis proponit unicum mediatorem & propitiatorem. 12. Utramque Sacramenti speciem prohibentes, contra institutionem Christi & sacram Scripturam facere. 13. Conjugium vetantes mandato Dei adversari, unumquemque propter vitandas scortationes, uxorem propriam habere jubenti. 14. Missam non opus esse ejusmodi, quod aliis applicari, & gratiam ex opere operato mereri possit. Sed per venerandum corporis & sanguinis Christi sacramentum nobis gratiam offerri, quam fide, non ex opere operato accipimus. Addit tamen Cœlestinus *fol. 137.* epistolam Melanchthonis ad *Campegium* Cardinalem; quam si eo tempore scripsit, ne quid dissimulem, excusari vix potest, quin plus obtulerit, quam probare, non dicam Luthero, sed vix ulli suarum partium, potuisset; ita enim loquitur, ac si tantum de ritibus controversia esset, dein scribit: *Paucis rebus vel condonatis vel dissimulatis, posset constitui concordia, videlicet, si nostris utraque species cœnæ Domini permitteretur, si conjugia sacerdotum & monachorum tolerarentur. Hæc, si aperte concedi non videretur utile, tamen prætextu aliquo dissimulari possent, videlicet, quod res extraheretur, donec Synodus cogatur. De Missa etiam iniri ratio posset a bonis & doctis viris, ne quid dissidii pareret amplius. Nostris vicissim conveniet, reddere obedientiam, ac jurisdictionem Episcopis. Ita, etiamsi quadam levis dissimilitudo esset, in una atque altera re, tamen, quia iisdem Episcopis parerent Ecclesiæ, nulla videri discordia posset, præsertim, cum de dogmatibus Religionis, seu articulis fidei conveniret. Et Episcopi autoritate sua pleraque incommoda cum tempore sanare possent, cum jam iterum haberent obedientes Pastores; si tamen volent restitui disciplinam Ecclesiasticam, jam diu neglectam. Profecto hæc virtus & Deo grata erit, & digna magnis viris; hac mala ratione potius sanare, quam horribiles tumultus excitare, quos postea non sit facile iisdem, qui plurimum poterunt, compescere.* Si quid autem justo lenius molliusque egit Melanchthon, non parum tamen ipse id correxit, exhibita post biduum apologia, de qua paulo post agam, cum alia, quæ Maimburgius interserit, aut huc pertinent, consideravero.

(14) *Excerpta epistolæ Melanchthonis*

An. 1530. *ad Campegium.*

SECT. 34.

Erasm. ep. ad Card. Campeg. ap. Cœlest. t. 3. f. 29.

Erasmi consilium de tolerando Lutheranismo.

Erasmus etiam, licet in jurgia cum Luthero palam erupisset, ex suo tamen ingenio hac occasione agere non destitit, semper nempe inter utramque partem dubius hærens. Scripsit enim Friburgo ad Campegium, Cardinalem Legatum, epistolam satis longam, per quam persuadere ei annixus est, multis rationibus, præstare, Lutherum hoc rerum statu, & ob magnos, quos jam Lutheranismus a mari Balthico usque ad Helvetios progressus fecisset, ad tempus saltem quoddam, sicut Hussitarum in Bohemia reliquiæ, tolerari, ut scilicet sapienti hac & benigna moderatione majus malum evitaretur, ex bello, quod futurum provideret, si res ulterius urgeretur, metuendum. Sed neque Imperator, neque Principes Catholici ita tunc sentiebant.

Cœlest. t. 3. Sleid. L. 7. Cochl.

§. LXXVI.

(1) *Alia de Erasmo, ejus morbo, & pacis studio.*

De Erasmo ut hic ageretur, necesse quidem non fuit; sed cum Cœlestinus multas ejus epistolas historiæ suæ interseruerit, & Maimburgius digressiunculam hanc faciat, mihi quoque liceat paulo plura afferre. Ægrotabat eo tempore Erasmus ab apostemate satis periculose, ut ex multis ejus literis apparet. Ideo, & quod ab invidia sibi caveret, ad Comitia, licet ejus præsentia desideraretur, non venit. Patet id ex epistolis ad *Melanchthonem* & ad *Simonem Pistoris*, Georgii Ducis Cancellarium, datis. d. 7. Julii, prolatis a *Cœlestino Tom. II. fol. 207. b. 208.* item ex iis, quas d. 9. Julii ad alios scripsit, *ibid. b. & f. 209.* Nemo quidem dissimulationes viri laudaverit, sed a Maimburgio culpari non meruit, quod pacem suaserit, sive naturæ benignitate, sive conscientiæ scrupulis a sanguinariis consiliis abhorrens. Cæterum Erasmus jam anno 1519. Campegii favorem, tunc in Angliam Legati, per literas, nec frustra, ambierat: occasionem habuit, quod delatus apud Campegium esset, ob libellum quendam Lutheri, & nescio quem dialogum, sibi imputatum: constat id ex ejus *epistola I. Lib. XII.* Hæc tam grata fuit Cardinali, ut non solum amantissime responderet Erasmo, eumque omni suspicione liberaret, sed & adamantem mitteret, aureo annulo inclusum, & nuncio, qui Novum Testamentum, ab Erasmo editum, attulerat, decem aureos dederit, *d. Lib. XII. ep. 2.* ubi & elegantissima gratiarum actio legitur, *ep. 3.* Eundem Cardinalem Erasmus honoravit dedicatione Paraphrasis suæ in Epistolam Pauli ad Ephesios, *Lib. XXIX. ep. 74.* in qua tamen numerus 1519. errorem habet, si conferatur cum *ep. 35. Lib. XII.* debuit enim omnino scribi annus 1520. Sub hujus finem denuo apud Campegium de Lutheranismo accusatus, prolixam apologiam in epistola, die Nicolai sive 6. Decembr. Lovanii data, (*Lib. XIV. ep. 1.*) exaravit, quæ lectu dignissima est, ad Erasmi genium cognoscen-

(2) *Literæ ejus ad Campegium.*

A. 1530.

gnoscendum. Nam etsi omnibus modis a doctrinæ Lutheranæ contagio sese purget, multa tamen admiscet, quæ Ecclesiæ Romanæ defectus indicant, & emendationem ejus commendant. Verisimile autem est Erasmum Cardinalis illius propensionem quandam ad illam deprehendisse: nam & anno 1526. mense Februario, ad eum scribens, etsi graviter taxet eos, qui se *Evangelicos* dicebant, &, ob animum ad mala facinora paratum, *diabolicos* potius vocari debere, dicat, addit tamen: *Non dubito, quin tua prudentia sit optimis consiliis rem aggressura, quam arbitror melius successuram, si summam æquitatem præ te feras, ostendasque, te magis mederi velle huic malo, quam opprimere, nec sic velle revellere zizania, ut simul eradices & triticum, nec recusaturum mutare quædam, quæ sine jactura dignitatis Apostolicæ & pietatis Evangelicæ mutari possint.* Et paulo post: *Late patet Germania; rem divinam feceris, si hanc reddideris pacatam.* Vide *Lib XIX. ep. 102.* Illæ vero literæ, quas hic allegat Maimburgius ex *Cœlestini Tom. III. fol. 29. b. d.* 10. Augusti datæ, in Tomum Epistolarum Erasmi non sunt relatæ, & excerpta potius, (numeris quippe signata) quam integram epistolam redolent: Aliæ etiam, stylo & menti Erasmi convenientissimæ, exhibentur *Lib. XXVI. ep. 15.* & a *Cœlestino d. Tom. III. fol. 69.* absque die, sed hoc anno & ad Campegium in Comitiis versantem scriptæ. Argumenta quidem eadem prope adducit, sed non id, quod ab exemplo Hussitarum Maimburgius ex Cœlestino retulit, neque quod in excerptis illis *n. 14.* sumit a comparatione cum Arianis, Paganis, Donatistis, Manichæis, quæ monstra citra sanguinis effusionem ab Imperatoribus resecta esse dicuntur. In epistola tamen, quam *ex Lib. XXVI.* allego, scribit: *recens exemplum*, id est, insolitum *esse, hæreticos armis opprimere.* Multa queritur in eadem, de adversariorum suorum ex Romana Ecclesia, cujus tamen membrum se esse jactat, protervia. *Scripsi*, ait, *diatriben*, (adversus Lutherum) *exortus est Stunica* (Hispanus, acerrimus Erasmi insectator) *cum suis Conclusionibus: Scripsi Hyperaspisten, exortus est Bedda* (Parisiensis) *cum suis virulentis calumniis: scripsi contra Vulturium & Bucerum, exortus est Albertus Pius.* Hunc dicit *collegisse* ex omnibus libris *suis, quæ videantur dogmatibus improbatis affinia esse. Atqui* (pergit) *si placet reprehendere affinia, cum summa veritas sit affinis falsitati, polliceor, me collecturum Articulorum duo millia ex decretis Pontificum, atque probatissimorum Ecclesiæ doctorum monumentis, ut omittam scandalose & irreverenter dicta.* Hæc de Erasmi ad Campegium literis comperta habeo. Ejusdem alias refert *Cœlestinus*; Melanchthon enim ad eum scripserat (*Cœlest. Tom. III fol. 19. & Lib. I. Melanchth. Epist. 114.*) gratias agens, quod Imperatorem, (ut ferebatur) a violentis consiliis dehortaretur, rogatque, ut id porro faciat. De Eccio queritur, & *nunquam*, inquit, *se credidisse, tantam ferociam tantamque sævitiam in hominem cadere posse, quantam in eo & quibusdam gregalibus ejus deprehendat: ab his Principes, licet satis moderatas & clementes sententias dicant, tamen miris artibus abduci.* Respondet Erasmus *d. 2. Augu-*

(3) *Queritur de adversariis, maxime ex Pontificiis.*

(4) *Melanchthonis ad Erasmum litera & hujus responsum.*

sti, & negat, se ad Cæsarem scripsisse, sed tantum Campegio & Episcopo Augustano, aliisque amicis; se enim perpetuo & Theologorum sævitiam pro virili retudisse, & Principum animos a sæviendo terruisse. Sed malam sibi gratiam referri queritur, nominatim querens de *Gerardo Noviomago*, quem ebriosum vocat, & civilitatis gratia, in epistola ad eum edita, *Vulturium Neocomum* nominasse ait; deinde & ministris Argentoratensibus irascitur, ut seditiosi scripti adversus se autoribus, tantoque magis a componendo negotio abstinere se velle testatur. Ex die hujus epistolæ notari potest, literas Erasmi ad Augustanum Episcopum, *Christophorum a Stadion*, quas in epistola ad Melanchthonem indigitat, non esse eas, quas d. 11. Augusti dedit, a *Cœlestino fol. 28.* relatas (*habentur Lib. XXV. Erasmi ep. 37.*) In his quidem de Religione quædam commemorat, & tres conditiones ab Episcopo recensitas suo judicio, sine religionis jactura, concedi posse existimat, minime tamen credit, sectarum proceres illis fore contentos: queritur etiam de Theologis eorum, quos προμάχους vocat, quod sibi quoque minentur: *tantum abest* (ait) *ut pacem ambiant.* Extat autem alia epistola, quam innuere videtur, ad eundem Episcopum, comitiorum tempore d. 24. Junii scripta, *Lib. XXV. ep. 28.* neque tamen in illa de causa religionis aliud, quam votum aut spem profert his verbis: *Quotidie votis ardentissimis Deum comprecor, ut suo spiritu Cæsaris & Principum animis suggerere dignetur consilia reipublicæ Christianæ salutaria, perque Cæsaris summam potentiam, & potentia parem pietatem, fatalem hanc & humanis præsidiis insedabilem tempestatem in tranquillum vertere dignetur. Adest istic Cardinalis Campegius, sedis Apostolicæ Legatus, qui me semper singulari favore prosequutus est. Scripsit ad me ex Oeniponte, cujus literis ob morbum serius respondeo. Hoc Amplitudinem tuam non sine causa scire volui.* Extant aliæ ejusdem literæ, in quibus magno elogio Episcopum ob eruditionem mactat, præcipue in dedicatione libelli de ratione concionandi, in qua eum vocat *Præsulum hujus ævi decus*: vide *Lib. XXIX. ep. 42.* & in epistola ad *Antonium Dalbanum*, Abbatem S. Barbaræ prope Lugdunum (*Cœlest. fol. 61. b. Lib. XXV. Erasmi Epistolar. ep. 41.*) eundem nominat *virum, non solum natalium imaginibus illustrissimum, verum etiam eruditione exacta cæterisque Episcopo dignis virtutibus ornatissimum.* Confirmat etiam in aliis literis ad *D. Jo. Rinckium* suspicionem Lutheranismi, qua Episcopus hic gravatus fuit: scribit enim apud *Cœlest. Tom. II. fol. 209. b. & Lib. XXVI. Erasmi ep. 32. Quidam sperant, cum Lutheranis rem posse transigi, quod & hi petant moderata, & Pontifex etiam paratus sit, magna concedere. Nam habet Augusta Cardinalem Campegium hominem perhumanum, qui bis ad me scripsit. Episcopus Augustensis censet æquum, ut concordiæ causa quædam concedantur, quo nomine apud quosdam dicitur audire Lutheranus, quum nihil sit illo viro sanctius integriusque. Lutherani exhibuerunt fidei suæ summam. Huic negotio præest Melanchthon, qui suis ad me literis declarat, sese non omnino desperare.* In literis ad *Con-*

A. 1530.

(5) *Literæ Erasmi ad Episcopum Augustanum, quem & alibi collaudat.*

(6) *Item ad Rinckium.*

An. 1530.

(7) *Ad Episcopum VVirzburgensem.*

Conradum a Thungen, (Episcopum Würzburgensem, *Cœlest. Tom. III. fol. 29.* item *Lib. XXV. Erasmi ep. 36.*) in negotio religionis meminit *Augustini Marii*, a se Episcopo commendati, qui inter Confutationis elaboratores fuit. Extat autem commendatitia, qua Marius iste apud Episcopum adjutus est Festo Pentecostes 1529. data. *Lib. XXII. ep. 1.* In illa multa de Ecclesiæ miserrimo statu lamentatus, hæc notatu haud indigna subjicit: *Hactenus quid monachorum ad plebem clamoribus, quid Theologorum articulis, quid carceribus, libellis, bullis & incendiis profectum sit, nescio. Clamatum est affatim, & clamatur hodie, sed perpaucos video, qui clament ad Christum.* Omen inde melius, veluti ab avibus lætis, capit, ab Episcoporum quorundam pietate & sana doctrina, prudentique moderatione, interque eos auspicatissimos laudat *Alfonsum Fonsecam* Episcopum Toletanum in Hispania, *Johannem Roffensem* in Anglia, *Christophorum* Augustanum in Germania, hisque *Conradum* accenset. In literis ad *Andream Critium*, Episcopum tunc Plocensem, postea Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia, virum doctum, qui scriptis contra Lutherum libris & carminibus nomen quærebat, & Erasmum annulo donaverat, (*vide Lib. XXVI. Erasm. ep. 31.* & *Cœlestin. fol. 64.*) iniquus est in Evangelicos, quos putat bellum gestire, cum Cæsar pacem cupiat: meminit etiam picturæ in Cæsarem injuriosæ, sed a Senatu Augustano suppressæ. Interim Pontificis consilia & acta parum probat. *Exhibita sunt*, scribit, *hæreticorum dogmata, exhibita Catholicorum responsio: Cæsar, qui, uti sentio, rem omnem ex præscripto Pontificis gerit, non patitur quicquam moveri in his, quæ recepit Ecclesia; pollicetur tamen, se vitiorum correctionem adhibiturum utriusque status primoribus, & jam nunc admonentur Civitates, ut restituant, quod Episcopis & Sacerdotibus ademerunt. Erat omnino premenda quorundam levium effrenis petulantia, nec arbitror rem male cessuram, si, ut Cæsar pro sua religione exequitur, quicquid Pontifex jubet, ita Pontifex nihil jubeat, nisi quod est in rem Ecclesiæ Catholicæ. Crescit ubique Cardinalium numerus, hoc an gratulari Ecclesiæ debeam, nescio. Veteres non absque causa tanto studio Cardinalium turbam conati sunt excludere. Satis erat fastus in domo Dei, plus satis erat hominum devorantium abbatias, episcopas & dignitates, etiamsi hic tam numerosus non accessisset chorus. Olim Cardinalis officii nomen erat, nunc est regni. Sed hac ratione suas res, ut videtur, communit Pontifex, & Principes habent splendidos famulos, Ecclesiæ salariis.* Et paulo post: *Sunt apud Cæsarem theologi, quorum arbitrio magna ex parte res geritur, qui mihi non optime volunt. Gattinarii mors mihi præcipuum amicum ademit. Pontificium nomen hactenus satis magno flagravit odio, etiamsi nihil accederet. Nunc Florentia pertinaciter obsessa, & a Clemente, nisi vanus est rumor, parum clementer vexata, vix credas, quantum addat invidiæ. Si huc spectat, ut metuatur potius quam ametur, ut vi rem gerat, metuo, ne malus sit futurus diuturnitatis custos metus. Hujus invidiæ nonnulla portio recidit in Cæsarem, qui ipse quidem, si quid peccat, non peccat sævitia, sed obedientia.*

(8) *Aliæ in Poloniam scriptæ ad alios.*

Ab hoc extorsit Pontifex, ut liceret obsidere Florentiam, ab hoc impetravit, ut esset arcis Adriani dominus, nec dubitandum, quin in illo arctissimo convictu alia multa ab illo sit stipulatus. Sed spero rem habere rectius, quam vulgo jactat rumor. Idem judicium, quod Cæsar omnia ex præscripto Pontificis gesturus esse videatur, ad Cancellarium Poloniæ perscripsit, vid. *Cœlestin. fol. 65.* Erat is *Christophorus a Schidlowiz*, ut patet ex *lib. XXVI. Erasmi ep. 29.* Paulo post d. 6. Sept. ad *Guilielmum Quinonum* quendam, (*Cœlest. fol. 68. b.* & *Lib. XXV. Epistolar. Erasmi p. 30.*) animi sui dubitationes de eventu Comitiorum exponit. *In concilio* (scribit) *Cæsareo, dicas, Bona Deæ tractari mysteria, adeo vix quisquam novit, quid agatur. Si quid sectis concedet Cæsar, clamabunt, se victores, nec video, qui laturi sint illorum insolentiam. Sin vicerit altera pars, quis feret monachorum tyrannidem?* Et in epistola sequenti d. 9. Sept. apud *Cœl. fol. 79. b.* & *Lib. XXVI. Erasmi ep. 28.* ad Episcopum *Cardinalem Tridentinum* pacem optat Cæsaris pietate & Principum integritate obtinendam, & exempla Christianorum Imperatorum allegat, qui absque gravi hominum strage hæreticos & paganos motus composuerint. Plura ex Erasmi Epistolis, ad illustrandam historiam Comitiorum afferri possent, & inprimis legi merentur, quas ad *Abbatem Gallum* & *Rinckium* scripsit, supra allegatas.

An. 1530.

§. LXXVII.

(1) *Argentoratenses ad Confessionem Augustanam subscribendam, Bucero suadente, inclinant.*

Inserenda hic sunt quædam ad continuationem eorum, quæ supra §. *LVI.* de tentata, Landgravii opera, concordia in dissidio de sacra Cœna narrare cœpimus. Argentoratenses Theologi, *Capito, Hedio*, & *Bucerus*, Augustæ aderant, &, cum in cæteris omnibus articulis Confessionem Saxonicam approbarent, in articulo tamen de sacra Cœna dissentiebant, sed verbis potius, ut ajebant, quam reipsa. Sane, cum fama, de vi Evangelicis inferenda, magnoque Cæsaris in illos odio, sub finem Comitiorum magis magisque invalesceret, & Legati Saxonici, Albertus inprimis Mansfeldensis, a multis familiariter moniti, minas illas per literas Electori referrent, deputati *Argentoratenses*, Jacobus Sturmius & alii Mansfeldensem & reliquos Legatos Saxonicos rogarunt, ne ex societate excluderentur, litigium enim in articulo de Sacramento non nisi in verbis consistere. Monuerunt eos Saxonici, si ita sentirent, ut Augustanæ Confessioni subscriberent. Sed illi tunc defectu mandati sese excusabant, spe tamen facta, fore, ut superiores sui in subscriptionem consentirent, jamtum enim dixisse, quod nihil in illa desiderarent, & Bucerum nuper retulisse, se nunquam tam solidam & prolixam informationem de articulo illo habuisse, quam nuper a Luthero (quem Coburgi convenerat) accepisset. Interim tamen Confessioni d. 25. Jun. oblatæ non subscripserunt; sed aliam concinnaverant, cui *Constantienses, Memmingenses* & *Lindavienses* subscripserunt. Putabant enim, Lutherum & socios Pontificium dogma de transsubstantiatione non integre deposuisse, & plus justo tribuere elementis panis & vini: alii causabantur, verba Confessionis germanicæ, (unter der Gestalt Brot und Weins) *sub specie panis & vini*, trans-

(2) *Diversam exhibent, cum tribus aliis civitatibus.*

An. 1530.

(3) *Nota quaedam de illa Confessione.*

transsubstantiationem secum ferre. Multa satis ac odiosissime de lite hac scripta sunt: interim verum est, Saxonicos, & qui cum iis sentiebant, satis clare mentem suam in his ipsis Comitiis explicasse, quod neque transsubstantiationem crediderint, neque Missam pro sacrificio retinuerint. Vocula vero illa *species* in conventione *Marpurgensi anno 1529. Art. XV.* absque omni offensa ab utraque parte admissa fuerat, satis gnaris Helvetiis, quod Lutherus & socii non accidens illud scholasticum, sed elementa ipsa seu substantiam panis & vini sub *specie* intelligerent. Hoc Autores relationis de *Augustana Confessione & Apologia*, adversus *Christophori Hardesheimii*, sub nomine *Ambrosii Wolffii*, editam Neostadii in Palatinatu anno 1581. Historiam, anno Christi 1584. publicatae, nempe *Timotheus Kirchnerus, Nicolaus Selneccerus, & Martinus Chemnitius. fol. 125.* dudum monuerunt, quos consulere possunt, si qui Hospiniani, aut aliorum ex illa parte scriptorum, traditis turbantur; nam ab isto litigio hic exponendo, quantum possum, mihi temperabo. Ad historiam vero Comitiorum noscendam sciri debet, Bucerum nihil non egisse, ut inter Argentoratenses eorumque sequaces, & inter Saxonicos & socios, consensus fieret. Melanchthon, ut ut alias facilis, perstitit tamen in sententia, neque moveri potuit, ut colloquium cum illis iniret. Scriptis itaque certatum est mense Julio, *Pontano*, Cancellario Electorali, veluti interprete. Recensentur illa *a Caelestino Tom. II. fol. 294. & seqq.* & ab *Hospiniano* atque aliis. Bucerus ipse, cum Lutherus ad literas ejus non respondisset, consensu Electoris Saxoniae Coburgum profectus est, & responsum haud incommodum retulit. Interim, cum Zuinglius confessionem suam Augustam misisset, summumque odium sibi partibusque suis conciliasset, Melanchthon tanto magis a conciliatione abhorruit, ita, ut Bucero (*fol. 297. b.*) diserte scribat: *Mihi non videtur utile reipublicae aut tutum mea conscientia, nostros Principes onerare invidia vestri dogmatis, quod neque mihi neque aliis persuadere possim, contra Ecclesiae autoritatem. Si tamen mecum per literas colloqui volueritis, promitto, me illas ita asservaturum esse, ne quid inde periculi vobis possit oriri. Cinglius huc misit confessionem, in qua certe non vult videri discrepare a nostra sententia, & praeter rem tumultuatur in aliis quibusdam articulis, ut magis etiam irritet adversus nos omnes τὸν αὐτοκράτορα. Videtur in homine magis Helveticus quidam quam Christianus esse spiritus, qui impulerit eum, tam ferociter scriptam confessionem, minime in tempore, huc mittere. Magnopere vellem, posse controversiam περὶ δείπνου κυριακοῦ sedari, de qua si quid ad me scripseritis, libenter respondebo.* Sed Bucerus & Capito d. 28. Julii responderunt, *nihil sibi cum Zuinglio commune esse*, excusant tamen ejus scripta, & si quid durius dictum sit, Lutheri exemplo veluti compensant, quem putant carni aliquid tribuisse, cum nuperam ad Ecclesiasticos admonitionem scripsisset, *d. l. fol. 298.* dein censurae Melanchthonis satis acri, quae *fol. 299.* legitur, d. 4. Augusti respondent *fol. 302.* Cum igitur conjunctionem obtinere non possent, & Confessio Saxonica jam oblata esset, suam fidei confessionem conscribunt *Argentoratenses*, & Caesari, suo & trium, quas nominavi, Civitatum nomine, per *Hedionem* exhibent. Titulos capitum refert *Caelest. Tom. IV. fol. 94. b.* integrum vero articulum de Eucharistia *fol. 95.* de quo plura apud *Hospinianum* legi possunt. Illum autem ita conceperunt, ut Zuinglii sententiae diserte non adversaretur, quapropter & illum postea probavit, non dissimulans etiam, quae non prorsus ei placebant. Dicunt autem, sacram Synaxin accedentibus, verum corpus & verum sanguinem, vere comedendum ac bibendum tradi, in cibum animae & vitae aeternae; abducendum autem esse vulgus a sophisticis disputationibus, & ad diligentem considerationem de utilitate Sacramenti excitandum. Queruntur, quod per calumniam sibi imputetur, ac si nil nisi nudum panem & vinum in Coena exhiberi tradant. Quomodo Confessio ea a Caesare excepta sit, postea secundum ordinem temporis memorabitur.

(4) *Buceri conatus ad concordiam, & iter ad Lutherum.*

(5) *Melanchthonis ad Bucerum literae, in quibus ab Helvetiis aperte dissentit.*

An. 1530.

(6) *Iterum de confessione quatuor civitatum.*

SECT. 35.

(1.) Caesaris decretum contra Protestantes, ejusque contenta.

Verum Carolus, cum neque preces neque promissa, neque quae ad movendos illos serio, & se praesente, per mensem hunc Septembrem proposita fuissent, quicquam, ad reducendos eos ad officium, profecisse videret, communi aliorum Principum consensu decretum fecit, & die 22. ejus mensis, Duci Saxoniae & Protestantibus sociis, eorumque delegatis recitari jussit, hoc sensu: Imperatorem tempus illis usque ad 15. Aprilis concedere, intra quod profiterentur, num in omnibus fidei catholicae capitibus consentire vellent, cum Principibus aliisque membris Imperii, qui eorum Confessionem post diligens examen lectamque refutationem communiter rejecissent, & an renunciaturi essent articulis, in quibus adhuc discrepabant, sicut ab aliis in colloquio ea de causa habito, destitissent. Vetari autem, ne intra tempus hoc indultum quicquam innovarent, nec typis mandari permitterent, fidei Ecclesiae Catholicae & Romanae contrarium. Neque permitti illis, ut quenquam, quemadmodum huc usque fecerant, ad sectam suam pellicerent, neque catholicos, licet sibi subditos, a libero antiquae religionis exercitio in ditionibus suis arcerent, aut Sacerdotes & Monachos, in celebratione Missae & administrandis cum libera potestate Sacramentis, impedirent, denique ut cum caeteris Principibus communibus viribus Anabaptistas & Sacramentarios ex Imperio exterminarent. Caeterum, quia longissimo tempore liberum & universale Concilium non fuisset habitum, multi tamen abusus in statu Ecclesiastico & Politico reperirentur, qui necessario corrigendi essent, Imperatorem, qui cum Pontifice de negotio hoc jamjam tractasset, ex consilio Electorum,

An. 1530. *Principum & Ordinum Imperii decrevisse, apud Pontificem, Reges & alios Principes Christianos operam impendere, ut illud intra sex menses a fine Comitiorum horum Imperialium, loco commodo indiceretur, intra annum post convocationem habendum. Principes Protestantes vehementer hoc decreto, minime expectato, territi, die sequenti* Apologiam Confessionis *suæ, a Melanchthone compositam, Imperatori porrexerunt. Sed cum eam ne accipere quidem vellet, & significari faceret, si non contenti essent hoc decreto, in quo nihil mutaturus esset, vehementius aliud se illis publicaturum: ipsi, obfirmatum illum in proposito suo videntes, statuerunt, se decreto non esse parituros, multa tamen cum veneratione Imperatoris dixerunt, nolle se, cum in sententia illum persistere animadverterent, in hoc negotio molestiam ei amplius exhibere, sed providentiæ divinæ rem committere. Sic permissione impetrata in ditiones suas redierunt, relictis ex consiliariis suis, qui ad finem usque comitiorum Augustæ manerent. Durarunt ea sex adhuc septimanas, eoque tempore de aliis rebus, maxime de suppetiis, quæ adversus Turcos poscebantur, tractatum fuit: sed ad has nihil contribuere volebant Protestantes. At Electores, Principes & Legati Catholici cum Imperatore convenerunt, de defendenda religione catholica, & tuendis, si qui ad eam deserendam cogerentur. Tandem Imperator, cum videret Protestantes, ad recusandum, quod condiderat, decretum animum obstinasse, comitia finiens, secundum fecit d. 17. Novembr. quo jubet, solam religionem Catholicam in Imperio exerceri, & cuncta, quæ prolixe enumerat, in pristinum statum restitui, omnibus, cujuscunque conditionis hominibus, sub pœna amissionis vitæ & bonorum præcipiens, ne quidquam in doctrina, ritibus & ceremoniis Ecclesiæ innovarent, donec in Concilio aliter esset definitum.*

An. 1530.

(2) Protestantium apologia, non accepta; eorumque contradictio & abitus.

(3) Fœdus Imperatoris cum reliquis Ordinibus.

§. LXXVIII.

(1) Observationes quædam de decreto.

Decretum, cujus meminit Maimburgius, compositum est ex consilio Electorum, Moguntini & Brandenburgici, tum Salisburgensis, Argentinensis ac Spirensis Episcoporum, Georgii item Saxoniæ, Guilielmi Bavariæ, & Henrici Brunsuicensis Ducum (vide *Cœlest. fol. 136.*) & monito prius Electore Saxoniæ, quid d. 18. Sept. discedere volebat, ut saltem quatriduum expectaret. Prælectum est circa vesperam, jam accensis candelis, ut *Spalatinus* in *MS.* notat, in Cæsaris hospitio, præsentibus tamen omnibus Principibus & Ordinibus, Electori Saxoniæ & sociis. d. 22. Sept. Refert id *Cœlest. fol. 137. b.* & *Chytræus p. 462. & seqq.* & habetur *Tom. V. Altenburg. fol. 231.* sed alieno loco positum, collocari enim post responsum Protestantium (quod *fol. 237.* sequitur) debuisset. Est autem verbotenus idem, quod in *Recessu* postmodum d. 19. Novembr. publicato legitur, *ab initio* usque *ad* §. Weiter und nachdem ꝛc. Hic enim, quo restitutio monachorum præcipitur, & sequentes omnes, aut celati tunc sunt, aut nondum erant conscripti: unde colligi potest, si Protestantes dilationem illam, quæ offerebatur, ad d. 15. April. acceptassent, nihil tamen aliud expectandum illis fuisse, quam, quod d. 19. Novembr. post contradictionem illorum & discessum, decretum fuit. Ideoque prudentius recusarunt priores illos articulos, neque se inani spe mitiora obtinendi inescari passi sunt. Notandum porro, in exordio utriusque decreti recte enarrari literas Cæsaris, quibus comitia indixerat, iisdem nempe verbis de amica transactione circa controversiam de religione, quam sæpe urserant Protestantes, & non satis observatam esse querebantur. Denique observandum est, nominari in Decreto non solum Principes, qui Confessioni d. 25. Jun. exhibitæ subscripserant, sed & *Franciscum*, Ernesti fratrem, Ducem Luneburgicum, & loco duarum Civitatum, *sex* numerari, ita ut quatuor, quæ ut supra diximus accesserunt *Campodunum, Hailbrunna, Weissenburgum, & Windsheimium*, simul computentur. Post recitatum dicto d. 22. Sept. decreti tenorem, Protestantes (de quorum consternatione nihil a nostris memoratum reperi, neque enim meliora sperasse credibile est) ante omnia per Pontanum ad decreti clausulam, qua dicebatur, *Confessionem suam ex verbo Dei esse refutatam*, satis mascule regesserunt, *se id non agnoscere, certos potius esse, suam doctrinam sacris literis convenire, neque quicquam impium in ea contineri: id demonstraturos fuisse, si Confutationis exemplum impetrassent: interim ad ea, quæ, dum prælegeretur, observari & memoria teneri potuerant, responsum aliquod inter multas occupationes parasse, ex quo sperarent Cæsarem cogniturum esse, quam firma adversus Confutationem illam stet Confessio sua.* Hæc locutus Pontanus responsum illud sive apologiam Cæsari exhibuit, eamque Fridericus Palatinus, qui pro Cæsare verba faciebat, jam acceperat, & porrecturus erat; sed Cæsar, cui Ferdinandus in aurem aliquid insusurraverat, nutu significavit Palatino, ut illam redderet. Perrexit inde Pontanus, & quoad innovationes, & ne quid typis publicaretur, provocavit ad ea, quæ Spiræ anno 1529. in protestatione reservata erant, nempe, quod Evangelici interdici sibi nihil sint passuri, quod pro conscientia circa religionem intra ditiones suas constituendum esse existimarent: cum sectis Anabaptistarum & Sacramentariorum nihil illis commune esse, nullosque, qui eas profiterentur, in suis territoriis reperiri aut tolerari. Rogavit deinde exemplum Decreti recitati, & ut spatium in causa hac gravissima, quæ æternam salutem spectet, deliberandi, & ad socios referendi concederetur; ad diem autem præstitutum, post sex nempe menses, responsum datum iri promisit. Hæc ad vesperam usque, &, ut dixi, accensis jam luminibus, acta sunt. Jussit autem Cæsar, ut sequenti die hora octava matutina iterum adessent. Reversos igitur (excepto Electore Saxone, qui ad iter paratus jentaculum sumebat) Elector Brandenburgicus satis severe cohor-

(2) Responsum sive apologia Protestantium.

(3) Reliqua per Pontanum dicta.

(4) Alia Cæsaris nomine proposita.

A. 1530. cohortatus est, ut Decretum acciperent, inter alia dictitans, confutatam satis esse illorum Confessionem, neque Cæsari & cæteris Principibus errorem in religione tribui, neque majores utriusque partis pro hæreticis haberi posse: objecit etiam spolia adversus monachos commissa, & Cæsarem facturum esse, quæ officium suum exigeret, minatus est. Addidit veluti pro se, fore, ut omnes Principes & Ordines reliqui vires suas cum Cæsarea conjungant potentia, immo, ut vitam & sanguinem impendant, quo Cæsari obsequium præstetur, antequam is ex Germania discedat. His replicatum est per Pontanum, doctrinæ suæ Confessionem cum verbo Dei convenire, cui ne inferorum quidem portæ possent resistere: reiteravit deinde, quæ heri petita erant, & addidit: se nihil obstinate facturos, sed, quantum permissu verbi divini fieri possit, cessuros, &, quæ eorum sententia sit, ad diem illum constitutum liquido declaraturos esse. Mirari se dicunt postrema illa de Principum cum Cæsare conjunctione, quatenus sibi opponatur: hujus rei causam nullam se dedisse, neque se minus paratos esse, ad omnia pro Cæsare & Imperio impendenda. Spoliorum objectionem refellunt, & ratione desertorum monasteriorum, ut dudum promiserint, ita se gesturos esse spondent usque ad Concilium, ut appariturum sit, se nihil privati emolumenti causa facere. Cæsar, post multam deliberationem, laudata sua religione, easdem adhortationes & comminationes, & quod omnia Pontifici aliisque Regibus relaturus, eorumque consilio usurus sit, repetiit, addens, non deesse, quæ Protestantium excusationi, quod nihil turbulente egerint, reponi possent, speciatim autem culpam belli rustici concionatoribus eorum imputat, & de aliis actis queritur, quæ in Pontificis suique ipsius, & aliorum Ordinum contumeliam redundent: exprobrat etiam, quod decretum Wormatiense, approbatum licet, non sint executi. Tandem expresse jubet, ut monachos aliosque e clero, qui de ejectione quotidie apud se querantur, in integrum restituant. Hæc a *Sleidano* & aliis recte enarrata, nec parvi momenti, jejunæ & malignæ Maimburgii relatiunculæ, qua licuit, brevitate opponenda duxi. Jam ultimum Protestantium responsum, *Sleidani*, cui cæteri concordant, verbis e *Lib. VII.* adscribam: *Responderunt nempe, post interpositam cogitationem, quoniam decreti exemplum, deque re tota deliberandi spatium impetrari nequeat, non esse, quod amplius interpellent: ideoque se rem omnem Deo committere, in quo primam spem salutis positam habeant: quod praterea sit adjectum de seditione rusticana, prorsus nullam in eo culpam sibi posse attribui, & optima se conscientia niti: quid enim tunc temporis præstiterint, quam nulli suo vel periculo vel sumtui vel labori pepercerint, esse pervulgatum ac manifestum: qua fuerit etiam ejus origo seditionis, qua causa, demonstratum esse ante annos quatuor in conventu Spirensi: tunc quoque decretum fuisse legationem ad Cæsarem in Hispanias, ex qua res omnis ordine cognosci potuisset, nisi de mittendis legatis consilium fuisset immutatum: non recte igitur invidiam hujus facti in se detorqueri, ac injuriam sibi fieri: si quis etiam sit omnium, qui vel hac ipsa vel quavis alia de causa, jure secum atque legibus velit experiri, non se recusare judicium: itaque petere, ne graviorem ullam in se concipere velit offensionem, nec ad iracundiam aut odium sese patiatur accendi; sua enim omnia, non minus, quam reliquorum Ordinum, ad ipsius usum atque dignitatem esse destinata.* Supervenerat interea (ut ex *Spalatini MS.* percipitur) etiam Elector, Cæsari valedicturus, &, præsentibus omnibus, læto & alacri animo quasi tripudians, dixit: *se certo certius scire, doctrinam in Confessione sua expressam atque exhibitam, tanto Scripturæ consensu & testimonio fundatam & confirmatam esse, ut ne portæ quidem inferorum ei resistere & oppugnare illam valeant.* His actis Imperator, Electori Saxoniæ aliisque Principibus manum, ut moris est, porrexit, & abeundi potestatem fecit. Miserunt autem statim ad Saxonem Electores Moguntinus & Trevirensis suos, qui significarent, sibi, quæ Brandenburgicus minatus esset, non placere, & injussu suo dicta esse, neque id se apud Cæsarem dissimulasse. Idem apud Legatos, quos Elector reliquerat, alii Principes testati sunt, inprimis Legati Electoris Palatini, qui ex Friderico, Heri fratre, intellexisse se dicebant, quod Cæsar ipse dicta a Brandenburgico, *ut iniqua & nimia*, improbasset. (es wäre etwas unrecht und zuviel gewesen/) Brandenburgicus quoque acerbitatem sermonis leniturus, non ad Principes, sed ad Civitates, Norimbergensem inprimis, respexisse se dicebat, cui imputabat, quod bello rustico exitium Principibus & Nobilitati meditati essent. Irritatum se etiam esse a Cancellario Luneburgensi *Forstero*, qui jactasset, se plus, quam centum concionatores in alias regiones misisse: Pontanum denique vituperabat, quod Romano-Catholicos pro hæreticis habuisset. Hæc *Christophorus a Taubenheim* d. 29. Septembr. ad Electorem retulit, testatus tamen, Pontanum ista non dixisse, Brandenburgicas vero excusationes a Marescallo Georgii Marchionis, *Johanne a Seckendorff* secum communicatas esse scripsit. Cæterum Elector ante abitum illis, qui sese excusabant, comiter respondit, eodemque die circa vesperam urbe egressus in castello vicino pernoctavit, secutaque die concionem Evangelicam haberi fecit, dein d. 27. Septembr. Norimbergam venit. Ibi Senatui, consilium, quid hoc rerum statu agendum esset, roganti, respondit: *Se minime dubitare, quin Deus verbum suum sanctum ejusque confessores clementer conservaturus sit, in eo autem esse, ut Theologos consiliariosque suos consultare de omnibus sit jussurus: idem, suadere, ut Senatus aliaque Civitates Evangelio addictæ facerent: de loco inde & tempore conveniri posse, quo collatis in commune consiliis constitueretur, quod optimum factu judicaretur.* In hanc sententiam Senatus ad alias Civitates literas dedit. Elector iter suum prosecutus d. 8. Octobr. Altenburgum venit, d. 11. Octobr. Torgaviam rediit, ibique Dominica sequenti in æde palatii Lutherum concionantem audivit, ut *Spalatinus* notat. Gratulatus hic erat ei per epistolam d. 3. Octobr. quæ extat Tom. An. 1530.

(5) *Protestantium responsa.*

(6) *Iterata Cæsaris jussiones & minæ.*

(7) *Ultima Protestantium responsio.*

(8) *Electoris Sax. abitus. Principum quorundam apud eum excusationes.*

(9) *Acta ejus Norimbergæ & reditus Torgaviam.*

A. 1530.

(10) *Gratulatoria ad eum Lutheri litera.*

Tom. V. Altenb. fol. 528. & seq. Ejus verba latina, quæ *Cœlestinus Tom. IV. fol. 92.* exhibet, hæc sunt: *Celsitudinem tuam, ex inferno Augustano liberatam, salvam & incolumem ad suos rediisse, ex animo lætor. Licet enim hominum atque diaboli sævitia & rabies magna sit adversum nos: tamen bona spe tenemur, Dei gratiam jam inchoatam, in posterum fortiorem & majorem apud nos futuram esse. Non minus enim, quam nos, potentiæ Dei hostes nostri subjecti sunt, quo invito & nolente, eos nihil effecturos, nec nobis vel aliis tantillum nocituros, certo scio, nisi Deus potenti sua manu cooperetur. Rem totam Domino & Deo meo commendavi. Illum, qui dedit velle, daturum etiam ut perficiamus, non dubito. Certe hominis non est, ejusmodi doctrinam vel excogitare vel tradere. Cum igitur Dei opus sit, omniaque non in nostra manu aut arte, sed in Dei potentia posita esse videam, age experiar, quinam sint futuri illi, qui Deo bellum movere & vim inferre audeant. Qui volunt, non prohibeantur: scriptum enim est: Viri sanguinum dolosi non dimidiabunt dies suos. Inchoare quidem rem & nobis gravissima minari possunt, sed id quod volunt, nunquam pertexere & perficere valebunt. Christus suo sancto Spiritu Celsitudinem tuam soletur, Amen.*

ADDITIO.

(a) *Compendium Apologiæ MS. de actu in Comitiis Augustanis.*

In *Archivo Vin. Reg. E. fol. 3.* ingens volumen extat sub titulo: *Acta in causa religionis Augustæ Vindelicorum anno 1530.* Handlung der Religions-Sachen zu Augspurg. Quæ quidem rubrica alios fortassis & me ipsum, fateor, ab initio fefellit, ut non nisi compilationem actorum, in aliis voluminibus existentium, continere videretur, quia unius ejusdemque manu descriptum est; ideoque neque *Cœlestino* neque *Chytræo*, cum historias comitiorum conscriberent, notum fuisse credo, & miror ab *Hortledero* non allegari, qui tamen *Tom. I. Lib. I. cap. 9.* libellum integrum exhibet, sub titulo: *Relationis de iis, quæ ad commodum fidei Christianæ in comitiis 1530. acta sunt.* Bericht/ was dem Christlichen Glauben zu gute auf dem Reichs-Tage zu Augspurg anno 1530. gehandelt worden. Libellus enim hic germanice & aliis linguis ad invidiam Protestantium compositus, cum privilegio Cæsaris d. 9. Novembris typographo *Levino Panagatho* dato (in quo insolita viginti marcarum pœna violatoribus dictatur) excusus prodiit. Huic vero tractatui volumen illud a viro rerum peritissimo, & fortassis ab ipso Pontano, elaboratum opponitur, & editione est dignissimum, multisque aliis, quæ de his comitiis scripta extant, præferendum, ut adeo operæ pretium fore confidam, si compendium ejus retulero. Arguit ante omnia autor hujus apologiæ adversariorum iniquitatem, qui per subreptionem obtinuerint, ut relatio illa autoritate Cæsaris munita evulgaretur, qui tamen Protestantibus omnem publicationem actorum severe prohibuerit; mutilam etiam esse, & ad sugillandum Electorem Saxoniæ & socios maligne compositam, ita, ut autor, licet fateatur, se non omnibus actis præsentem fuisse, confidentissime tamen referat, quibus Protestantes gravet, mentiens adversus ipsum Spiritum sanctum, cujus causam Protestantes egerint. Præmittit inde quædam de fide & modestia, qua scripturus sit, & licet deploret, quod Cæsaris, cum in Italia esset, animum Pontifex ejusque asseclæ pro suorum commodorum & honorum conservatione ad veritatem opprimendam impellere voluerint, spem tamen ostendit, fore, ut Cæsar aliquando per Dei gratiam meliora edoceatur, & cum S. Paulo dicere possit *1. Tim. I. 13.* *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ad rem accedens, urget citationis Cæsareæ verba, quibus ad placidissimam de religione tractationem & veritatis indagationem Ordines Augustam vocaverat, ubi tamen nihil aliud actum fuerit, quam, ut veritatem profitentes inter se separarentur, & verbis factisque ad ejus abnegationem inducerentur, restitutis omnibus in pristinum & depravatum statum, quo antea fuerant, quasi non nisi ad hunc finem comitia indicta essent; quod quidem autor relationis anonymus in exordio palam asserit.

(b) *Querela de evulgata ab adversa parte Comitiorum historia.*

(c) *De mora Cæsaris & pompa festi corporis Christi.*

Idem jactat festinationem Cæsaris ad comitia, & electum prudenter introitus sui diem, profestum nempe Corporis Christi. Sed apologetes querelas de mora Cæsaris majori jure factas esse statuit. Cum enim Cæsar comitia ad d. 8. Aprilis indixisset, & comparitionem omnibus severe injunxisset, non solum aliis literis prorogationem ad Kal. Majas, addita tamen iterum seria ad comparendum commonitione, fecit, sed &, cum interea Elector prorogatum diem accurate observasset, & d. 2. Maji Augustam venisset, per septem fere hebdomades Œniponte & in Bavaria detineri se passus est, eoque induci, ut non nisi subversionem omnium in prioribus comitiis decretorum, & edicti VVormatiensis executionem, pejoraque alia moliretur, scilicet, ut ad pompas & scenas Cleri, in quibus cultum Dei constituunt, (ihren Pracht/Staat und Poppenwerck) constabiliendas, cuncta tenderent & agerentur.

(d) *De concionatoribus & Luthero.*

Defendit inde, quod Principes concionatores suos adduxerint, notatque a multis præsentiam Lutheri desideratam fuisse, sed Electori non satis tutum visum esse, ut ille adduceretur, quia in citatione Cæsarea, contra veterem morem, salvus conductus Principibus & Ordinibus expresse non fuerit insertus, neque ignotum esset, quam ægre Lutherus VVormatiæ, speciali licet commeatus securitate instructus, periculum evaserit.

(e) *Reprehenduntur adversarii.*

Culpat econtrario Pontificiæ partis proceres, Ecclesiasticos maxime, quod quidam duo aut plura scorta, inspectante Civitate, (die Kinder auf der gassen habens gemercket.) advexerint & avexerint: quodque alea aliisque ludicris rebus (dum Evangelici in summa angustia & laboribus versarentur) tempus consumserint, & vix unus aut alter fuerit, qui pro successu tanti negotii Deum orasset. Indicat quorundam hypocrisin, quod concionatores Evangelicos blande allocuti sint, ut eos corrumperent, & Principum secreta expiscarentur, ita ut concionatoribus ab Heris suis periculosa illa conversatione interdici debuerit. Summatim, ait, tantæ artes, totque machinæ (quæ, si opus sit, speciatim describi possent,) adhibitæ sunt, ut adversarii ipsi mirari non satis potuerint Evangelicos illis non succubuisse; Solius igitur (inquit) Dei sapientiæ & potentiæ tribuendum id est, & dicendum: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus; adjutorium nostrum in nomine Domini.* De duorum comitum, Nassovii & Nuenarii, legatione ad Electorem notat, quod manifesto contraria fuerit indictioni comitiali. De Campegio, Pontificis Legato, observat, quod Cæsari, hora nona vespertina demum urbem ingredienti, in templo aliquid in aurem insusurraverit, ex quo sine dubio secuta sit adhortatio nocturno tempore Electori facta, ut postridie circumgestationi hostiæ adesset, & conciones intermitteret. Sic tentabantur Protestantium animi, an satis firmi essent ad recusandum actum, quo doctrinæ suæ evidens creassent præjudicium: Principibus vero diversæ partis nihil mandatum, sed cuique liberum fuit, an interesse processioni velit, nec ne. Animadvertit etiam, quod autor relationis adversæ ipse observavit, ritum processionis ab aliquo tempore Augustæ neglectum fuisse; unde colligit, Cæsarem indictionis suæ memorem, rem in statu, quo erat, relinquere debuisse, nisi Campegio & Prælatis obsequi maluisset.

(f) *E concionatoribus*

De concionatoribus a Cæsare constitutis hæc habet: Proclamari fecisse Cæsarem per fecialem (einen persephanten) ad tempus saltem constitutos esse concionatores, durasse tamen id toto comitiorum tempore, & Principibus, qui in hospitiis suis conciones audiebant, statim prohibi-

An. 1530.

hibitione Cæsaris interdictum id fuisse. Quam inepta & frivola minimeque Christiana concionati fuerint, quos Cæsar constituerat, dici, ait, vix posse; excepta tamen esse calamo, & fore, ut typis publicentur. Iniquitatem etiam ostendit, quod, licet edictum Cæsaris de concionibus ad utramque partem pertineret, Pontificii tamen potiori jure gavisi sint, quod non alii ad concionandum admitterentur, quam, qui aperte suarum erant partium, & antea quoque in templo cathedrali & ad S. Ulrici munere illo functi essent; tum, quod conciones non multum curabant, Missis suis contenti, quibus totum Dei cultum absolvi credebant. Quod Principes Cæsari d. 20. Junii in solenni comitiorum inchoatione & in Missa adfuerint, ita defendit autor, ut dicat: mandatum fuisse Principibus, ut Cæsari pro officio suo adessent, (auf den Dienst warteten/) non vero, ut cultum DEO præstarent, sicut in processione: differre etiam ab illa Missam, quia in hac præter abusus (in recitando canone aliisque quibusdam) etiam bona & pia quædam, quoad substantiam rei, supersunt, nempe verbum Dei & institutio Christi in solenni & publica Missa commemorata: expectatam etiam esse concionem ex verbo Dei, quæ tamen talis secuta sit, a Nuncio Pimpinello, quæ præter oratoriam elegantiam, & eruditionem paganam nihil habuerit, quod ad cultum Deo præstandum pertineret, plenaque fuerit insectatione doctrinæ Evangelicæ & actionum consiliorumque Germanorum, tum scopo comitiorum plane contraria. Ab hoc scopo iterum aberratum esse dicit in prima deliberatione d. 22. Junii, cum Pontificii nullam suæ fidei professionem edere vellent, quæ tamen in literis indictionis exigi videbatur, & quod tantum ad edictum Wormatiense provocarent. Tam arctum vero tempus Protestantibus præfinitum fuisse, ut juberentur post biduum ipso festo Johannis Baptistæ d. 24 Junii confessionem suam edere, nec nisi unius saltem diei, quam petebant, prorogationem impetrare possent. Dein cum nihilominus parati essent, & post meridiem comparerent, Cæsar tempus, audiendo Campegium, & Legatos Austriacos, ad serum diei extraxit, ut occasionem haberet ab audienda confessione sese excusandi, & poscendi, ut scripta traderetur. Detexit secretum relatio anonymi scribentis: id a Cæsare factum, ne publica Confessionis prælectione approbationem invenirent Protestantes. Ab hac tamen vanitate excusat hos apologista, quia illo qualicunque applausu conscientiæ suæ non satisfecissent. Quicquid sit, ægerrime & non nisi, postquam bis propter Deum (um Gottes willen) petiissent, pergit ille, obtinuerunt, ut postera die recitatio admitteretur, quam factam esse notat hora quarta pomeridiana, postquam scilicet hora tertia, ut §. *LXV.* dictum est, convenissent, jussis exire, qui non essent Ordines Imperii, aut eorum Legati. Quod vero publicam recitationem tam enixe quæsiverint Evangelici, ratio redditur, quia magno præjudicio gravati erant, prohibitis concionibus & oratione Pimpinelli, adeoque metuendum esset, nisi fidem suam publice profiterentur, nullum fore modum calumniarum. Postquam vero prælecta fuisset Confessio, multi non vulgariter sapientes, uti refert, bene de illa judicarunt, & fuerunt, qui dicerent, *se magno pretio illa non fuisse carituros.* (wolten nicht viel dafür nehmen/ daß sie bey der verlesung nicht solten gewesen seyn.) Vehementer inde queritur autor de traducto in partes a Pontificio Legato & clericis Cæsare, quem æquum arbitrum esse oportebat. Theologos Pontificios pessimis moribus infames fuisse, dicit, & inter illos *Augustinum Marium*, pro fratre Campegii habitum. Cæsarem quidem plures doctiores melioresque proposuisse, sed a cæteris rejectos fuisse, veritis, ne mitiora & veriora sectarentur. Refert, mandatum Cæsaris d. 27. Junii publicatum esse, quo edi & vendi prohibebantur libri, quorum editio manu Cæsaris & Vicecancellarii atque Secretarii approbata non esset. Sed & hoc telum tantum Lutheranos feriisse narrat; manentibus Eccii, Fabri & aliorum libris, inter quos tam fœdi fuerunt, ut nefandi concubitus in illis describerentur. Elogium, quod anonymus Electori Brandenburgico tribuit, non parum elevat autor, facundiam quidem illius haud negans, sed pietatem & modestiam desiderans. In narratione de abitu Landgravii refert, Evangelicos sancte coram Cæsare affirmasse, quod nihil sibi de illo constiterit. Observatum etiam fuisse ex vultu & gestu Cæsaris, quod portæ urbis die illo Dominico (d. 7. Augusti) inscio ipso clausæ custoditæque fuerint. Laudat tamen ab eventu Landgravii discessum, qui casus & exitum rerum prudenter prospexerit. Orationem Brandenburgici d. 11. Augusti ex schedula recitatam, puerilem, ineptam, calumniosam & iniquam fuisse asserit, ita, ut reliqui, ad quos provocabat, annon ex eorum mandato loqueretur, contrarium silentio indicaverint. Non defuisse, ait, Protestantibus, quæ retorquerent, sed & rationes habuisse, cur tunc tacerent, ea vero modestia abusum esse Brandenburgicum, tantoque atrocius in eos debacchatum. Taxat anonymum, qui in relatione sua insinuare videtur, quasi a Catholicis amicabilis tractatus oblatio incepisset, cum Evangelicis id debeatur. Multa de tractatu inter septenos a die 16. ad 20. Augusti habito commemorat autor, ex quibus *Cælestini & Chytræi* historia suppleri potest. In articulo de Sacramento ita aliquando locutos esse fatetur Evangelicos, ut excusarent Christianos, qui, ne tota communione abstinerent, unam speciem coacti sumserint, illosque a se damnari negarent. Rejecerunt etiam, sic pergit autor, Nestorianismi imputationem, neque enim se inficiari, quod totus Christus secundum utramque naturam in alterutra specie Sacramenti præsens esset, sed urgere institutionem Christi, ex qua, absque distinctione Clericorum & Laicorum, utraque species porrigi & accipi deberet; & negabant, eos, qui una contenti essent, toto Sacramento a Christo instituto frui. Pontificii in eo persistebant, ut liberum esset, ad Concilium usque, sub una non minus, ac sub utraque communicare, etiam in ditionibus Evangelicorum; in hoc, nisi jam per modum pacti consentirent, concilium, dicebant, expectari non debere: admissa vero illa indifferentia, unitatem Ecclesiæ conservari, neque se Protestantes pro hæreticis aut schismaticis habituros esse, ut tunc haud obscure faciebant. Ex his, quæ postea etiam in colloquio inter trinos habito repetita fuerunt, Protestantes judicarunt, subdole agi ab adversariis, atque id quæri, ut Protestantes, restituto in ditionibus suis veteri abusu, in reformationis studio languescerent, & Concilium saltem ad disciplinæ non vero ad dogmatum emendationem haberetur, licet disciplinæ sincera correctio fieri non posset, nisi accedente inquinatæ doctrinæ, ex qua veluti radice reliqua vitia progerminant, purgatione; fieri etiam facile posse, ut durante hujus concordiæ fuco variis artibus Concilii convocatio plane eluderetur. De colloquio etiam, quod inter tres ab utraque parte delegatos a d. 24. ad ult. Augusti habitum fuit, accurata subjungitur relatio. Disputatum est de communione sub utraque, quam ita asseruerunt Evangelici, ut illam, quæ sub una fieret, probare nullo modo vellent. De Sacramento ægrotantibus exhibendo postularunt Romano-Catholici, ut illi vel in templum deportarentur, vel, Missa in domo super altari portatili celebrata, utraque species ægroto & adstantibus, qui jejuni essent, (die weder gefressen noch gesoffen hätten) porrigeretur. Missam, qua sacrificium, acriter impugnarunt Evangelici. De conjugio sacerdotum non minus acriter contenderunt, & objecta ab adversariis, quod Ecclesiæ ministri in Protestantium ditionibus, concesso licet matrimonio, libidinose tamen viverent, vel negarunt, vel ob hunc abusum conjugium a Deo institutum impediri non debere, monuerunt. Dicebant etiam, concessum fuisse Deum donum continentiæ sacerdotibus, si extra conjugium vivere eos voluisset. Queritur hic iterum autor, de adversæ partis calliditate, & quod in propositis transigendi conditionibus semper tamen id agerent, ut veteres errores retinerent. Comparat concordiam & societatem, quam offerebant, illi, quæ inter Germanum quendam & Henetum inita fuisse dicitur, de venatione simul instituenda & dividenda præda: cum enim uno die leporem & ululam cepissent,

Marginal notes:

(g) *Excusatio præsentiæ Principum in Missa.*

(h) *Oratio Pimpinelli.*

(i) *Iniquitas in poscenda confessione alioque mandatu.*

An. 1530.

(k) *De abitu Landgravii.*

(l) *Oratio Brandenburgici.*

(m) *De tractatu concordiæ inter septenos.*

(n) *De altero inter trinos.*

An. 1530.

fent, Henetus Germano ululam assignaverat, retento sibi lepore. Pari iniquitate, Evangelici dicebant, fecum agi, oblata tolerantia quadam communionis sub utraque, & conjugii sacerdotum, non alio fine, quam ut Pontificii os sublinerent Evangelicis, & zizaniorum in triticum sparsorum gustum minus ingratum facerent. Concilium vero, extincto interim reformationis zelo, variis praetextibus differrent, & tandem ad nihilum reducerent, manentibus ut erant, abusibus. Objiciebant itentidem adversarii regulam: spoliatos ante omnia esse restituendos; sed Evangelici locum huic esse negabant, ubi de restitutione errorum ageretur, cum periculo fidei & conscientiae. Allegabant etiam decreta Norimbergensia & Spirensia, ut Concilium haberetur, conditione illa de restituendis interim veteribus ritibus, aut unitatis simulacro repraesentando, nequaquam adjecta. Refutatur anonymi relatio, quod Protestantes multa in tractatione concordiae remisissent, quae antea statuissent, & postulassent: utut enim, pacis studio, aliqua & praesertim circa jurisdictionem Episcopalem, obtulissent, fundamenta tamen doctrinae immota servasse. Observat, eo saltem fine ab adversariis tam varie & diu agitata & protracta fuisse concordiae molimina, ut interea Protestantes sumtuum pertaesi cederent, aut nova quaedam tela ad illos oppugnandos fabricarentur, vel denique, ut aliquid obtinuisse adversarii viderentur, quo existimationi Cleri, per totum orbem, & maxime ex Adriani VI. confessione publica, labefactatae, consulerent, ante omnia vero Missarum proventus servaretur, gulaeque & pompae nihil decederet, nec culina Cleri frigeret, quod futurum erat, si sublato, ut urgebant Evangelici, Canone, sacrificii titulus Missis adimeretur. Certissimum tamen esse, statuit, ex divina ordinatione nihil in sacra Coena necessarium esse, praeter verba institutionis, Canonem vero ab hominibus additum, eorundem decreto mutari posse. Refert posthaec Principis cujusdam fortis & prudentis (Henricum Brunsuicensem innuit) dicta, in congressu quodam cum consiliariis Evangelicorum, ita nimirum disserentis: Sequidem in causa religionis ita informatum esse, ut nollet propter communionem sub utraque aut Missarum intermissionem, vel conjugium Clericorum, vi & armis contra Protestantes agere; sed probari non posse, quod illi monasteria ad se traherent, facerentque, ut monachi quotidie Caesarem pro restitutione fatigarent. Hanc rem mere secularem esse, & Caesari, restitutionem mandanti, sententiamque executuro, se & alios deesse non posse: suadere igitur, ut Caesari morem hactenus gererent, vel media afferrent, quibus illi satisfieret. Responderunt Protestantes: si de doctrinae libertate conveniri posset, non defuturos modos de bonis monasteriorum transigendi: desolata illa a se non esse, sed spontaneo monachorum abitu aut rusticorum tumultu. Neque tamen sibi videri, quod bonorum illorum proprietas ad monachos spectet; longe enim justius esse, ut ad veri cultus institutionem & conservationem impenderentur, postquam deprehensa & sublata jam esset superstitio, & haec salva conscientia restitui non possit: hactenus itaque rem hanc non esse secularem, sed ad cultum & religionem pertinere. De Caesaris iterata ad Protestantes exhortatione, d. 7. Septembris facta, refertur, praelectam illam fuisse ex scheda per *Fridericum* Palatinum, deinde a *Sueissio*, Secretario Caesaris; impetrari enim non potuisse, ut scripta exhiberetur. Post responsum a Protestantibus datum, Caesarem cum illis duarum horarum spatio collocutum esse, confidentibus interim in vestibulo Proceribus, qui se pro mediatoribus gerebant, invitatis licet a Caesare, ut accederent; dixisse enim eos, qui medias partes suscepissent, interesse non posse. Cum iisdem tamen communicata fuisse omnia dura illa & rigida, quae illo vespere (ut §. LXXV. retuli) circa horam octavam per Truchsessium, Caesaris nomine, Protestantibus dicta fuerunt. Redire jussos esse die sequenti, quem tamen Caesar ad alterum, id est, d. 9. Septembris prorogarit; tunc vero per Pontanum responsa fuisse, quae *d. l.* in compendio recensui. Addidisse Electoris Saxoniae nomine petitionem, ut discedendi venia daretur, subsistere enim in comitiis valetudinis causa diutius cum non posse, & jam mandat Caesaris d. 23. Augusti dato satisfecisse. Recusasse satis rigide Caesarem, iterante licet petitum ipso Electore & per Ferdinandum primo, dein ipsum palam interrogante: manere ne vellet, nec ne? assentienti tamen pollicitum esse maturationem responsi. Dum ista agerentur, iterum in vestibulo moratos fuisse mediatores, ne viderentur Caesari supeditasse, quae proponebat, cum tamen nihil sine illorum ageret consilio. Eo vespere famam per urbem fuisse sparsam: Protestantes Caesari aquam offerenti repulsam dedisse, aut pacis leges praescripsisse, neque tamen concordiae remoram alia ex causa extitisse, quam, quod Protestantes bona monasteriorum dimittere nollent. Secuta inde est, ut narratur, tractatio Henrici Brunsuicensis (cujus tamen nomen reticetur) cum Johanne Friderico Electoris filio, de qua dixi, & deliberatum fuit examinatumque, an verum sit, & ad bona Ecclesiastica applicari possit, quod dici solet, *in usus alios verti non posse, quod Deo semel dicatum est*. Responderunt Protestantes statui id pro certo non posse, & movebat eos ipsorum Romano-Catholicorum exemplum, qui totos Episcopatus plurimaque monasteria invaserant, aut ita exuerant bonis, ut praeter aedificia & templa nihil superesset. Ferdinando id potissimum imputabatur, & Episcopis quibusdam, qui pro lubitu de reditibus monasteriorum statuerent, iisque ad luxum abuterentur. Additur Electoris responsio d. 1. Septembris data, in qua affirmat, *parvi a se fieri monasteriorum bona, neque ead illa in causa Evangelii respicere; traditurum se esse ad biennium in sequestrum viris nobilibus & bonis, qui rationem de administratione Caesari redderent; postea vero ad pias causas applicaturum esse proventus, si Concilium non processerit*. Sequenti die Henricus, qui mediatoris partes gerebat, Pontanum ad se vocavit, & relatis, quae inter se & Jo. Fridericum die praecedenti acta erant, Caesaris mentem hanc esse, renunciavit, *ut Protestantes omnia in integrum restituerent; quo facto nullam illis poenam irrogaturus esset Caesar, aut illam ad Concilii decisionem dilaturus*. Intellectum hinc est, non quaeri de bonis & reditibus, sed de veteri superstitione per monachos restituenda & sic successu temporis, ipsa doctrina Evangelica abolenda, & agnoverunt Protestantes, non sine divino consilio factum esse, ut tumultus rustici tempore monachi animum abjecerint, absque quo vix unquam expelli potuissent. Commemorat etiam auctor singularia quaedam de colloquio, paulo ante d. 10. Septembris inter *Pontanum*, comite *Melanchthone*, & Cancellarium Badensem, *Vehum* habito, ab hoc enim in aedem Mauritianam vocati erant. Praemisit ibi Vehus quaedam de ingenio Caesaris, quod clemens quidem & benignum, verum etiam si irritaretur, vehemens & fervidum esset, & timeri nunc deberet, quia paucos Germanos in consilio haberet, ab Hispanis & Italis veluti obsessus, & jam offensus quod Protestantes auderent pacis veluti leges illi proponere. Laudavit inde Georg. Truchsesii egregiam ad pacem inclinationem, ad quam ille etiam Ferdinandum Regem, (cujus aulae praefectus erat) flectere sciret, & Saxonibus semper bene cupiisset. (sey allzeit ein guter Sachse gewesen.) Finis erat, ut Pontanus & Melanchthon (quorum moderationem extollebat) cum Electore agerent, ut Truchsessii interpositionem admitterent, addebatque, veluti speciminis causa, quaedam de Missa & canone temperamenta. Pontanus ista Hero referenda recipiebat, refutatis tamen statim, quae objecta erant, de obtrusis pacis conditionibus, Caesari, nihil enim ab illis immodeste postulatum, sed pacem omni cum submissione petitam fuisse. Consultum deinde sibi videri dixit, ut Protestantibus trimestre spatium concederetur, ut se suosque ad ea, quae salva fide & conscientia admittere possent, praeparandi tempus haberent: addidit querelas de vehementia aliorum, inprimis Georgii Saxonis, qui ea esset obstinatione, ut Electori leges & modum in suis ditionibus praescribere non desineret. Vehus, Caesarem inflammatum in hac causa esse regessit, Ferdinandum vero mitius sen-

Marginal notes:

(o) *Henrici Brunsuicensis propositio.*

(p) *Acta Protestantium cum Caesare.*

An. 1530.

(q) *Tractatio Henrici Brunsuicensis cum Jo. Friderico.*

(r) *Colloquium Pontani & Vehi.*

An. 1530.

sentire, & contradicere iis, qui Cæsarem instigarent. Relatione ad Electorem facta, deliberatum cum sociis decretumque fuit, a tractatu illo abstinendum esse, licet Pontano jam articuli concordiæ, quos alii recensent, oblati fuissent, judicabant enim, non nisi dolos strui, & moras quæri. Truchsessius d. 13. Septembris Georgio Brandenburgico alia media proposuit, quæ apud autores invenimus. Cum itaque nihil proficeretur, Elector Saxo d. 18. Septembris, quæ erat Dominica, summo mane abire decrevit. Sed Sabbatho præcedente, sero vespere, Henricus Brunsuicensis Electorem, jam cubitum iturum, convenit, eique præsente, qui accersitus fuerat, Pontano indicavit: Cæsarem abitu illo valde offendi, præsertim, quod filius Electoris paucos ante dies, non expectata venia, jam discessisset; se itaque moram suadere, idemque facere Episcopum Leodiensem, qui Electori optime cuperet, quod suam propinquam (Cliviæ Ducis filiam) Johannes Fridericus uxorem haberet. Respondit Elector: sibi longiorem commorationem valetudinis causa, intolerabilem esse, & Cæsarem responsum, quod expectare Electorem jusserat, per tot dies distulisse: itaque se omnia, quæ ad victum suum pertinerent, præmisisse, neque subsistere jam Augustæ posse: instante tamen Henrico, unum adhuc diem adjecit, ea conditione, ut Cæsar responsum diutius non protelaret. Sed incendio ea nocte in hospitio Cæsaris exorto, quiescendum fuit die Dominica, & Cæsar, missis circa vesperem ad Electorem Hojero Comite Mansfeldensi, & Truchsessio, institit, ut ad sequentem usque diem Lunæ Elector abitum differret. Cum vero hora octava matutina in aulam venisset, nihil aliud ei per Fridericum Palatinum, Cæsaris nomine, propositum fuit, quam, ut ad finem negotii expectaret, valde enim abitum ejus Cæsari displicere. Ad ea Elector causas discessus denuo exposuit, sumtuum incommodum, valetudinis periculum, pestem in provincia sua grassantem, aliasque turbas enatas, quibus componendis præsentia sua opus esset, ideo se Cæsarem de venia sæpius interpellasse, sibique spem ejus ante biduum factam esse: allegavit denique morem antiquum, ut Electoribus & Principibus causas habentibus, discedendi facultas non denegaretur, quapropter, eam sibi & Ernesto Luneburgico concedi, denuo postulavit. Verum Cæsar non destitit tridui moram adhuc poscere, addens, *si Elector citius discederet, omnem rei infectæ culpam in illum esse redundaturam.* Assensit itaque, post prolixam excusationis suæ repetitionem, testatusque est, se post triduum omnino abiturum. Nihil tamen triduo hoc cum Protestantibus actum, sed semper cum alterius partis proceribus a Cæsare consultatum est, nisi quod Truchsessius & Vehus novas conditiones Marchioni Georgio, temporis extrahendi causa, proponerent. Inserit hic quædam autor, de pravis quorundam conatibus, quibus Electorem a discessu impedirent, vel procurarent, ut vi cum eo ageretur; ab his tamen Cæsarem excusat, ut & Truchsessium, qui Evangelicæ doctrinæ clam favere putabatur, cumque animum aliquando inter pocula denudasse fertur, Principem quendam ex Protestantibus cohortatus, ut causam suam (quam etiam ipse pro bona haberet,) constanter tueretur. Idem tamen Truchsessius suggerebat, ut Protestantes, post publicatum decretum Cæsaris, quod mollius, quam ipsi metuebant, sperandum esse dicebat, octo mensium dilationem peterent. De Veho quoque non male sentit autor, cujus moderatione factum esse credit, quod in Badensi Marchionatu jam ab aliquot annis Evangelii prædicatio permissa fuerit. Accommodarunt tamen se & Truchsessius & Vehus aulæ consiliis, & d. 22. Septembris Principes Protestantes, cum in vestibulo Cæsaris starent, magni secreti & singularis fiduciæ specie seorsim ductos, monuerunt, ut Cæsari jam cum illis locuturo eum in modum responderent, quem ipsi in schedula consignaverant & exhibebant, ita enim futurum esse, ut Cæsar benigne cum illis ageret, & pacem servaret. Scheda, quam autor verbotenus refert, hæc continebat, ut Principes Cæsarem de proroganda dilatione, ultra tempus in decreto determinatum, solicitarent, pollicentes, si eam impetrarent, se interea decreto parituros esse. Exaggerat fraudem hanc & subornationem autor, optimæ licet voluntatis specie quasitam, & singulari Dei auxilio factum esse ait, quod pessimum illud consilium Elector cum sociis evitasset. Aderat Pontanus, qui eos sine dubio commonuit, ne decipi se paterentur, isque eodem vespere respondit, Protestantium nomine, quæ §. *LXXVIII.* retuli, simulque apologiam exhibuit, & recusatam recepit. Quæ sequenti die 23. Septembris acta fuerunt, satis nota & ibidem tradita sunt. Notavit tamen autor, Electorem & socios, licet constituto tempore in vestibulo Cæsareo comparuissent, integram tamen horam detentos fuisse, sive, quod Missam Cæsar audiret, vel alia de causa. Secuta fuit severa illa Electoris Brandenburgici invectiva & iterata apologiæ oblatio & rejectio, ultimaque Cæsaris responsio & replica, quæ *d. §. LXXVIII.* in compendio leguntur. Refert autor, Cæsarem, cum manum valedicenti Electori porrigeret, hæc verba (si modo in strepitu circumstantium recte intellecta sint) locutum esse: Ohm / Ohm / das hatte ich mich zu E. Lbd. nicht versehen / id est, *Non expectassem hæc abs te, cognate;* Electorem vero nihil respondisse. Ægre scilicet ferebat Cæsar, quod decreto suo submittere sese nollet. *Hic, ait, eventus fuit moræ, ad quam Elector, Friderici Palatini & Henrici Brunsuicensis persuasionibus, induci se passus erat, multis fastidiis cariturus, si ut constituerat, d. 18. Septembris discessisset.* Sequitur relatio de excusationibus, quibus diversæ partis Principes apud Electorem usi sunt, inprimis vero de iis, quæ *Johannes Rubelius*, a Moguntino ad Electorem missus, Heri nomine, significavit. Convenit enim eum hora secunda pomeridiana, qua Elector a Cæsare dimissus erat, & retulit, Moguntinum, intellectis, quæ frater suus, Elector Brandenburgicus, de præstandis contra Saxoniæ Electorem auxiliis, aliaque dura locutus esset, una cum Trevirensis & Palatini Electoris Legatis Cæsarem adiisse, & contestatos esse, se non adstipulari dictis illis, petere potius, ut Cæsar Saxonem aliosque excusatos haberet, maxime a culpa rebellionis rusticæ, ab illa enim plane immunes esse. Addidit Ruhelius prolixam de amicitia Moguntini erga Saxonem promissionem, parique verborum comitate ad Herum suum remissus est. Parato jam ad discessum Electore supervenit Nobilis ab Henrico Brunsuicensi missus: sed audiri non potuit, verum Pontano negotium datum est, ut ejus sermones perciperet, qui itidem ad excusationes pertinebant. Non tacet autor, quæ paulo post d. 29. Septembris Legati Saxonici, Augustæ relicti, & speciatim *Albertus Mansfeldensis* d. 1. Octobr. ad Electorem scripserunt, falsum nempe fuisse, quod Moguntinus de excusatione illa Electoris Saxoniæ apud Cæsarem a se interposita, per Ruhelium renunciari fecerat, aut quod fratris sui Electoris Brandenburgici acerbitatem improbasset. Ruhelius tamen Pontano postmodum Coburgi affirmavit, sibi illa ab Hero suo exacte mandata fuisse. Addit autor, si Elector Saxoniæ suspicari potuisset, Brandenburgicum absque Cæsaris mandato tam acerba proponere ausum esse, responsurum illi pro meritis fuisse: malum enim ejus erga se affectum non solum religionis causa, sed inde etiam cognoscebat, quod suis multa latrocinia in provinciis Saxonicis indulgeret, & ob receptam a Saxone uxorem, quæ ab illo profugerat, ei infensus esset. Quæ de rebellionis rusticæ consortio Protestantibus objecta fuerunt, hi scripto singulari, quod in *Archivo* extat, refutarunt. In hoc pro summa calumnia imputationem illam habent, qua Cæsar ad rigorem contra se pessimo consilio incitaretur; dicunt inter primos & præcipuos fuisse Principes Protestantes, qui seditioni armata manu occurrerint; deinde distinctionem gladii temporalis & spiritualis subjungunt, & hunc, qui est verbum Dei, ad Cæsarem pertinere negant, cui imperium in animas a Deo commissum non sit, quemadmodum nec ipsa fides, non magis ac vita & mors in hominum potestate consistat. Sicut ergo Cæsar in ipso Clero varios Ordines diversasque opiniones ferat, ita & dissensionem Protestantium ferre posse, qui nemini injuriam faciant, & pacem

(s) *Electoris consilium de abitu.*

(t) *Mora a Cæsare injecta.*

(u) *De Truchsessii consiliis, ejusque & aliorum callida & periculosa suggestione.*

A. 1530.

(x) *Electoris apud Cæsarem, ultima comparitio & abitus.*

(y) *Moguntini acta cum Electore.*

(z) *Excusatio de bello rustico.*

An. 1530.

pacem majori studio, quam Pontifex & Prælati, cupiant & foveant: notum esse Pauli dogma, quod verbum Dei non alligetur. Divinum itaque jus invadere, qui animadvertere in causa religionis vi & gladio velint, neque Cæsari plus potestatis esse in Protestantes, ratione doctrinæ, quam in Episcopos, quibus utique nihil præscribat: contentum esse debere, si corpore & opibus Cæsari serviant, salva & libera circa religionem conscientia. Pilatum, paganum licet, cum ex Christo intelligeret, quod spiritualem Regem se diceret, judicandi potestatem detrectasse, quanto magis id Christianum Principem deceat, cogitare debere Cæsarem. Paulo post d. 16. Octobris Elector Trevirensis Landgravio scripsit, se aliosque Principes, licet veterem doctrinam retenturi & Cæsari id mandanti obsecuturi essent, ad vim tamen contra dissentientes procedere nolle; hortatur igitur eum, ad sedata consilia & reverentiam Cæsaris. At de hujus fervore adversus Evangelicos (*Reg. H. fol. 15. lit. O.*) magna ubique fama erat, & Norimbergenses, tam concitatum illum esse, scripserunt, ut videretur in morbum casurus esse; conquiri etiam ab eo auxilia a Gallis & Anglis, ad subigendos Protestantes. Cum vero paulo mitiora nunciarentur, rogarunt Electorem, ut conventum d. 13. Novembris Norimbergæ indictum suspenderet; sed ipse non satis fidens paci, & perspecta Norimbergensium trepidatione, conventum Smalcaldiæ d. 28. Novembris determinavit. Notandum etiam est, missum esse d. 25. Octobris Landgravio ab Electore exemplum *Apologiæ*, quam Melanchthon Augustæ conscripserat, & VVittenbergenses reviderant. Ex hac, si Cassellis extat, dubitationes aliquæ de variato postmodum stylo explicari possent. Vicissim Landgravius d. 2. Novembris consilium quoddam suorum Theologorum mittit, petitque, ut Elector Lutheri, quem Landgravius semper pro constantissimo a se habitum esse dicit, sententiam de eo exploret. Sperat tamen ipse, fore, ut adversariorum ira leniretur (der Zorn stosse sich) ex metu belli Turcici. Hortatur Electorem, ne auxilia ad illud promittat, nisi pace prius in Imperio constituta. Multa etiam pollicetur, ex Jacobi Sturmii literis, de concordia cum Zuinglianis, & Lutherum moneri desiderat, ut animum ad eam applicet. Aliis literis d. 11. Novembris improbat consilium, quod quidam proposuerant, de mittenda ad Cæsarem legatione pro pace: *Nullum, ait, successum sperari inde posse, & tantum imbecillitatem & metum patefieri.*

(aa) *Alia quædam acta & scripta post Comitia.*

§. LXXIX.

(1) *De Apologia a Melanchthone conscripta quædam.*

De *Apologia* d. 22. Sept. Cæsari oblata pauca notamus. Exceperant quidam, ut ex supra dictis constat, dum Confutatio a Theologis Pontificiis prælegeretur, præcipua ejus contenta, quæ leguntur *Tom. V. fol. 221. & seqq.* Ad ista Melanchthon, quanquam legi Confutationem ipse non audivisset, communicatis, ut in Apologiæ præfatione profitetur, cum aliis Theologis consiliis, responsum composuit, idque, ut dictum est, Cæsari oblatum, sed recusatum fuit. Eo autem stylo, quo Apologia ista Augustæ scripta erat, edita non est, sed tali, qualem Melanchthon sequenti anno 1531. post revisionem formavit, ut idem in dicta præfatione refert, simulque indicat, Confutationem ipsam sibi postea visam esse, quam dicit adeo insidiose & calumniose compositam, ut fallere etiam cautos in quibusdam locis possit. *Cælestinus in fine Tomi III. fol. 139.* promittit, se primum illud exemplum in secunda editione operis sui producturum esse, sed non aliud, quam auctum, & anno 1531. editum *Tom. IV. fol. 1. & seqq.* (omissa Melanchthonis præfatione) exhibuit. Extat Apologia hæc eadem forma *Tom. IV. Lat. Jenensi fol. 205. b. & seqq.* item *Parte I. Operum Melanchthonis fol. 58. & seqq.* Germanica, ut a D. Justo Jona versa fuit, *Tom. V. Alt. fol 46.* Recepta etiam inter libros, quos symbolicos vocamus, in *Formula concordiæ* anno 1580 Augusti Electoris, & Principum consentientium nomine, publicata; additur tamen in præfatione, quod dextre & in genuino suo sensu intelligi debeat, de quo alibi dicendi erit occasio.

(2) *Nota ad Cælestinum.*

An. 1530.

ADDITIO.

(a) *Excerpta ex Apologia exordio.*

Quanquam *Apologia*, de qua agimus, toties recusa sit, & non minus, quam ipsa *Confessio* omnium Lutheranæ partis Theologorum manibus versetur, aut versari debeat, causas tamen habeo, ut quosdam ex illa veluti flosculos, ad excitandum lectorum studium, quo totam inspiciant, afferam. In exordio refert autor, quæ nota sunt, ut Confutationis ab adversariis compositæ communicatio obtineri non potuerit, & nihilominus gloriati illi sint, refutatam esse Confessionem e Scripturis sacris; fatetur dein, Apologiam quidem, communicato cum aliis consilio, conscriptam esse, sed se inter excudendum quædam adjecisse, & nomen suum nunc profiteri, ne quis queri possit, quod liber sine certo autore editus sit, retinuisse tamen suo more formam usitatæ doctrinæ, quantum facere potuerit, ut concordia aliquando coiret, quanquam fas sibi fuisset, homines ab adversariorum opinionibus longius abducere. Objicit illis, quod neque veritatem neque concordiam quærant, sed ut tantum sanguinem Evangelicorum exorbeant. Vidisse se, dein testatur, Confutationem, sed insidiose scriptam esse dicit. In articulo *de peccato originis* Lutherum his verbis excusat: *Hic flagellant adversarii Lutherum, quod scripserit, peccatum originis manere post baptismum: addunt, hunc articulum jure damnatum esse a Leone X. Sed Cæs. Maj. in hoc loco manifestam calumniam deprehendet. Sciunt enim adversarii, in quam sententiam Lutherus hoc dictum velit, quod peccatum originis reliquum sit post Baptismum; semper ita scripsit, quod Baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamsi materiale, ut isti vocant, peccati maneat, videlicet concupiscentia. Addit etiam de materiali, quod Spiritus sanctus datus per Baptismum, incipit mortificare concupiscentiam, & novos motus creat in homine. Ad eundem modum loquitur & Augustinus, qui ait, peccatum in baptismo remittitur, non, ut non sit, sed, ut non reputetur. Hic palam fatetur, esse, hoc est, manere peccatum, tametsi non imputetur. Et hæc sententia adeo placuit superioribus, ut recitata sit & in Decretis. Et contra Julianum inquit Augustinus, Lex ista, quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali. Remissa est, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles. Sic sentire & docere Lutherum sciunt adversarii, & cum rem improbare non possunt, verba tamen calumniantur, ut hoc artificio innocentem opprimant.* De Justificatione inter alia, postquam doctrinam Scholasticorum retulisset, sic loquitur: *Si hæc est justitia Christiana, quid interest inter Philosophiam & Christi doctrinam? Si meremur remissionem peccatorum his nostris actibus elicitis, quid præstat Christus? Si justificari possumus per rationem & opera rationis, quorsum opus est Christo aut regeneratione? Et ex his opinionibus jam eo prolapsa res est, ut multi irrideant nos, qui docemus, aliam justitiam præter philosophicam quærendam esse. Audivimus quosdam pro concione, ablegato Evangelio, Aristotelis ethica enarrare. Nec errabunt isti, si vera sunt, quæ defendunt adversarii. Nam Aristoteles de moribus civilibus adeo scripsit erudite, nihil ut de his requirendum sit amplius.* De particula *Sola* sive *sola fide*, multa tractat, inter alia hæc scribit: *Offendit quosdam particula,* sola, *cum & Paulus dicat: Arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus. Item Eph. II. Dei donum est, non ex vobis, neque ex operibus, ne quis glorietur. Item Rom. III. gratis justificati. Si displicet exclusiva,* sola, *tollant etiam ex Paulo illas exclusivas,* gratis, non ex operibus, donum est &c. *nam hæ quoque sunt exclusivæ; Excludimus autem*

(b) *Ex articulo de peccato originis.*

(c) *De Justificatione.*

(d) *De voce Sola.*

A. 1530.

autem opinionem meriti. Non excludimus verbum aut Sacramenta, ut calumniantur adversarii. Diximus enim supra, fidem ex verbo concipi. Ac multo maxime ornamus ministerium verbi. Dilectio etiam & opera sequi fidem debent. Quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti, dilectionis aut operum in justificatione excluditur. Dein postquam contra cavillum de fide formata disputasset, subjungit: Nos *quoque dicimus, quod dilectio fidem sequi debeat, sicut & Paulus ait: In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides per dilectionem efficax. Neque tamen ideo sentiendum est, quod fiducia hujus dilectionis, aut propter hanc dilectionem, accipiamus remissionem peccatorum & reconciliationem, sicut neque accipimus remissionem peccatorum propter alia opera sequentia. Sed sola fide, & quidem fide proprie dicta, accipitur remissio peccatorum, quia promissio non potest accipi, nisi fide. Est autem fides proprie dicta, quæ assentitur promissioni: de hac fide loquitur Scriptura, & quia accipit remissionem peccatorum & reconciliat nos Deo, prius hac fide justi reputamur propter Christum, quam diligimus, ac legem facimus, etsi necessario sequitur dilectio.* De dilectione & impletione legis ex multis hæc notamus. Quærit: *cur dilectio dicatur impletio legis, neque tamen justificet?* & cum copiose de natura fidei & dilectione disseruisset, & quod sola fide remissio peccatorum accipiatur; ideo etiam a fidelibus legem dilectione impleri posse negat: (1) quia prius accipiunt remissionem peccatorum, sive, ut loquitur, renovationem, quam diligunt; (2) quia dilectio, quæ sequitur, est exigua & immunda; (3) quia sola illa res justificat coram Deo, quæ reddit pacatas conscientias, id autem facit sola fides, quod itidem multis probat argumentis; (4) quia Christus manet mediator, etiam post primam gratiam; (5) quia lex semper accusat, etiam justificatos sive renovatos; (hoc autem vocabulo latiori significatione passim utitur) citat *Hieronymi* testimonium: *Tunc justi sumus, quando nos peccatores esse fatemur*, ergo conclusio est: *Sola fides justificat, id est, primum consequitur remissionem peccatorum & reconciliationem propter Christum, & sola fides regenerat. Nam sola fide Spiritus sanctus concipitur.* Deinde, quod illa *inchoata impletio legis non placeat per se coram Deo. Cum autem adhuc alibi, videlicet in promissione Christi, quærenda sit justificatio, cumque sola fides efficiat pacatam conscientiam, necesse est, quod sola fides justificet. Semper enim sentire debemus, quod non propter legem, sed propter Christum simus accepti. Non enim justificamur ex lege, sed ex promissione: & honos Christi non debet in legem transferri. Et cum initio justi reputemur propter Christum, cum in eum credimus, non est sentiendum, quod abjecto illo mediatore, postea justi simus nostra impletione legis, etsi necesse est, renatos bene operari. Et virtutes legis, quatenus obediunt legi, sunt justitiæ, & eatenus hæc obedientia legis justificat, justitia legis: sed hæc imperfecta justitia legis non est accepta, nisi propter fidem, nec potest conscientias reddere pacatas.* Addit refutationem objectionum, quæ ex quibusdam Scripturæ dictis, & inprimis *Jacob. II.* factæ erant. In Sacramento cœnæ apertissime asserit substantialem & corporalem præsentiam Christi, ex *Cyrilli* testimonio *in Joh. XV.* ubi statuit, nos non solum spiritualiter Christo jungi, ut palmites viti, sed & corporaliter communicatione carnis Christi. *Defendimus*, ait, *receptam in Ecclesia sententiam, quod in cœna Domini vere & substantialiter adsit corpus & sanguis Christi, & vere exhibeatur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino, & loquimur de præsentia vivi Christi, scimus enim, quod mors ei ultra non dominabitur.* Pœnitentiæ partes duas esse, ex confessione repetit, videlicet contritionem & fidem. *Si quis tamen* (ait) *volet addere tertiam, videlicet dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, bona opera, sequentia conversionem, non refragabimur. Absolutionem* a Scholasticis proprie dici notat *Sacramentum pœnitentiæ*, & hoc sensu eam Baptismo & sacræ Cœnæ accenset. In capite de confessione & satisfactione vehementer in adversarios insurgit, ita, ut exclamet: *Deus perdat istos impios sophistas, tam scelesle detorquentes verbum Dei ad sua somnia vanissima!* Gravissima deinde apostrophe ad Campegium convertitur, inter alia scribens: *Idque te, Campegi, pro tua sapientia prævidere decebat, ne quid in tantis rebus isti scriberent, quod aut hoc tempore, aut ad posteros videatur minuere posse Romanæ sedis existimationem. Si Romana sedes censet æquum esse, ut omnes gentes agnoscant eam pro magistra fidei, debet operam dare, ut docti & integri viri de religionibus cognoscant. Quid enim judicabit posteritas, si quando proferetur in lucem scriptum adversariorum, quid judicabit mundus de his calumniosis judiciis? Vides, Campegi, hæc esse postrema tempora, in quibus Christus prædixit plurimum periculi fore religioni. Vos igitur, qui tanquam in specula sedere, & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit singularem adhibere tum prudentiam, tum diligentiam. Multa sunt signa, quæ, nisi provideritis, minantur mutationem Romano statui. Et erras, si tantum vi & armis existimas Ecclesias retinendas esse.* Et quæ sequuntur, non minus lectu notatuque dignissima. Memorabilis etiam est comparatio inter ritus & disciplinam Pontificiæ & Evangelicæ Ecclesiæ. *Vere*, ait, *prædicare possumus, publicam formam Ecclesiarum apud nos honestiorem esse, quam apud adversarios. Et si quis recte expendere velit, verius servamus canones, quam adversarii. Apud adversarios Missas faciunt sacrificuli inviti, & mercede conducti, & plerumque tantum mercedis causa: canunt Psalmos, non ut discant, aut orent, sed cultus causa, quasi illud opus sit cultus, aut certe mercedis causa. Apud nos utuntur cœna Domini multi singulis Dominicis, sed prius instituti, explorati & absoluti; pueri canunt Psalmos, ut discant; canit & populus, ut vel discat vel oret. Apud adversarios nulla prorsus est κατήχησις puerorum, de qua quidem præcipiunt canones. Apud nos coguntur pastores & ministri Ecclesiarum publice instituere & audire pueritiam. Et hæc ceremonia optimos fructus parit. Apud adversarios in multis regionibus toto anno nulla habentur conciones, præterquam in Quadragesima. Atqui præcipuus cultus Dei est, docere Evangelium. Et cum concionantur adversarii, dicunt de traditionibus humanis, de cultu Sanctorum & similibus nugis, quas jure fastidit populus. Itaque deseruntur statim initio, postquam recitatus est Evangelii textus. Pauci quidam meliores nunc de bonis operibus dicere incipiunt. De justitia fidei, de fide in Christum, de consolatione conscientiarum nihil dicunt, imo hanc saluberrimam Evangelii partem lacerant conviciis. Econtra in nostris Ecclesiis omnes conciones in his locis consumuntur, de pœnitentia, de timore Dei, de fide in Christum, de justitia fidei, de consolatione conscientiarum per fidem, de exercitiis fidei, de oratione, qualis esse debeat, & quod certo statuendum sit, quod sit efficax, quod exaudiatur, de cruce, de dignitate magistratuum & omnium civilium ordinationum, de discrimine regni Christi, seu regni spiritualis & politicarum rerum, de conjugio, de educatione & institutione puerorum, de castitate, de omnibus officiis charitatis. Ex hoc statu Ecclesiarum judicari potest, nos disciplinam Ecclesiasticam, & pias ceremonias, & bonos mores Ecclesiasticos diligenter conservare.* Addit, quæ sit vera & non simulata mortificatio carnis, quam Evangelici docent. *In doctrina de libero arbitrio nihil differre*, ait, *Pontificios a Pelagianis.* De Sanctorum invocatione non largitur, quod pro nobis orent, deficiente Scripturæ testimonio; quod si maxime id concedatur, negat tamen inde sequi, quod invocandi sint, cum nullum reperiatur præceptum, aut exemplum in Scripturis, ideoque invocatio illa ante Gregorium, quem Magnum vocant, inaudita fuerit. Impugnat errores, quod singulis Sanctis certæ procurationes sint commissæ, v. g. Annæ divitiarum largitio, Sebastiano pestilentiæ remedium, Valentino morbi comitialis. Confundi & calumniose obregi ab adversariis abusus dicit, quasi in doctrina nulli, sed solum in disciplina sint. *Et tamen*, ait, *apud ipsos, si qui sunt saniores, fatentur, multas falsas persuasiones hærere in doctrinis Scholasticorum & Canonistarum, multos præterea abusus in tanta inscitia & negligentia pastorum*

irrepsisse

(e) De fide & dilectione.

(f) De impletione legis.

(g) De Sacramento Cœnæ.

(h) De pœnitentia.

An. 1530.

(i) Apostrophe ad Campegium.

(k) Comparatio inter Ecclesiam Pontificiam & Evangelicam.

(l) De libero arbitrio & invocatione Sanctorum.

An. 1530.

(m) *Lutherus non fuit primus, qui contra abusus scripsit.*

irrepsisse in Ecclesiam. Neque enim primus fuit Lutherus, qui de publicis abusibus quereretur. Multi docti & præstantes viri longe ante hæc tempora deploraverunt abusus Missæ, fiduciam observationum monasticarum, quæstuosos cultus Sanctorum, confusionem doctrinæ de pœnitentia, quam vel maxime oportebat perspicuam & explicatam extare in Ecclesia. Postquam indicasset, ut Lutherum ab initio multi amaverint, quod animos hominum ex labyrintho scholasticarum disturbationum eduxerit, vehementer queritur, quod adversarii correctionem abusuum negligant, & in eos sæviant, qui emendationem cupiunt. *Non dant operam,* scribit, *ut extet apud populum certa quædam summa dogmatum Ecclesiasticorum. Manifestos abusus nova & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesiis idoneos doctores. Hæc quo spectent, boni viri facile judicare possunt. Sed hac via neque suo regno, neque Ecclesiæ suæ consulunt. Nam interfectis bonis doctoribus, oppressa sana doctrina, postea existent fanatici spiritus, quos non poterunt reprimere adversarii, qui & Ecclesiam impiis dogmatibus perturbabunt, & totam Ecclesiasticam potentiam evertent, quam nos maxime cupimus conservare.* Implorat inde Imperatoris ad reformationem auxilium. Sequuntur gravissimæ disputationes de communione sub utraque, & pro conjugio Sacerdotum, dein contra Missas privatas, ante Gregorium ignotas, & quod pro sacrificio propitiationis haberi minime possint. Addit responsa ad vulgaria pro Missis argumenta. Laudat iterum purum Sacramenti in Ecclesiis Evangelicis usum. *Populus,* scribit, *utitur, sed prius institutus atque exploratus. Docentur enim homines de vero usu Sacramenti, quod ad hoc institutum sit, ut sit sigillum, & testimonium gratuitæ remissionis peccatorum. Ideoque debent pavidas conscientias admonere, ut vere statuant & credant, sibi gratis remitti peccata. Cum igitur & prædicationem Evangelii & legitimum usum Sacramentorum retineamus, manet apud nos juge sacrificium. Et si de externa specie dicendum est, frequentia in templis apud nos major est, quam apud adversarios. Tenentur enim auditoria utilibus & perspicuis concionibus. Verum adversariorum doctrinam nunquam neque populus, neque doctores intellexerunt. Et verus ornatus est Ecclesiarum, doctrina pia, utilis & perspicua, usus pius Sacramentorum, oratio ardens & similia. Candelæ, vasa aurea, & similes ornatus decent, sed non sunt proprius ornatus Ecclesiæ. Quod si adversarii in talibus rebus collocant cultus, non in prædicatione Evangelii, in fide, in certaminibus fidei, sunt in istis numerandi, quos Daniel scribit colere Deum suum auro & argento.* Denique *cultum Missarum* & reliquam politiam Papæ, nihil aliud esse dicit, quam κακοζηλίαν, seu *pravam æmulationem Leviticæ politiæ, male intellectæ.* Docte disserit de vocabulo *Missæ, Liturgiæ, Canonis* & *oblationis.* Rejicit purgatorii figmentum & prolixe oppugnat vota monastica, & jactatam monachorum perfectionem. Episcoporum defectus luculenter exponit; negat eos potestatem habere condendi leges, ad consequendam vitam æternam, quod adversarii asserere videbantur. Laudat Lutherum, quod non solum de remissione peccatorum & justificatione per fidem recte docuerit, sed & Magistratus autoritatem restabiliverit & defenderit, eaque ratione sibi multos conciliaverit, qui nunc odisse eum cœperint. Fatetur tamen, scandala multa etiam apud Evangelicos esse, sed longe majora imputat adversariis: *Quanquam,* ait, *non delectat nos comparatio, tamen quia adversarii hac criminatione prægravant nos, non sunt dissimulanda ipsorum vitia. Quantum mali est apud adversarios in sacrilega profanatione Missarum? Quantum turpitudinis habet cælibatus eorum? cultus Sanctorum plenus apud eos est manifesta idololatria. Nihilne scandali est in ambitione Pontificum, qui jam annis amplius quadringentis belligerant cum nostris Imperatoribus, plerunque in Italia, interdum etiam in ipsa Germania, ubi inter se filium & patrem, cognatos ac cives commiserunt? Quod si bellorum istorum causæ requirantur ex historiis, nihil invenietur dignum Pontificibus, dicemus enim moderatissime. Quantum est mali, quod in ordinandis sacerdotibus non deligunt idoneos? Quid in mercatu sacerdotiorum? Item in periculosis disputationibus nihilne est vitii? Sed hæc vitia utcunque condonari possent; si tamen conservassent puram doctrinam in Ecclesiis. Hæc vero quomodo contaminata sit impiis opinionibus & traditionibus, testantur Canonistarum scripta, testantur libri Theologorum, pleni disputationum profanarum, quæ partim sunt inutiles ad pietatem, partim etiam dissident ab Evangelio. Deinde in interpretatione Scripturæ ludunt, & comminiscuntur, quicquid libet.* In fine alia addit de superstitione monachorum, qui cadaveribus cucullum circumdant, & de sævitia in Evangelicos, pacis licet & concordiæ cupidissimos. Tandem offert ulteriorem aut meliorem declarationem. Observandum est, in Apologia hac Lutherum laudari & defendi, cujus in Confessione mentio facta non erat, ne ab ullius hominis autoritate fides pendere videretur: spes etiam tunc supererat de concordia in religione. Cum vero apologia Theologis adversæ partis opponeretur, qui Lutherum conviciis incesserant, haud immerito ejus defensio suscepta est a Theologis Evangelicis, & nominatim a Melanchthone, qui se autorem Apologiæ simul & discipulum Lutheri profitebatur.

(n) *Aliæ disputationes.*

(o) *Laus rituum Evangelicorum & reprehensio Missæ.*

(p) *Laus Lutheri.*

(q) *De scandalis in utraque Ecclesia.*

A. 1530.

§. LXXX.

(r) *Acta Legatorum Electoris post discessum ejus.*

Supersunt aliqua, quæ ad reliqua Comitiorum acta pertinent. Discedens Elector Saxo Legatos reliquerat, *Albertum Mansfeldensem Comitem, Johannem a Planiz, Christophorum a Taubenheim,* & *Johannem a Dolzig,* Equites. Hi cum cæterorum, Confessionis ejusdem sociorum, Legatis, ad pacem obtinendam omne impendebant studium, eamque impetraturos se esse, sperabant, ob necessitatem belli Turcici, ad quod Cæsar & Ferdinandus Rex auxilia exigebant. Neque hæc aversabantur Protestantes, sed ante omnia de pace & libertate Religionis ad Concilium usque securi esse volebant. Ex altera parte idem quidem pacis studium ostentabatur, prælecta etiam formula, (vide *Chytr. p. 488.*) quæ postea, paucis mutatis, decreto sive Recessui comitiali §. wie auch Churfürsten / Fürsten &c. inserta est: sed Saxonici cum sociis facile deprehenderunt, id non nisi factionem esse adversus se initam, ideoque licet illud interpretatione aliqua emollire, Cæsaris & Principum reliquorum nomine, niteretur Elector Brandenburgicus, perstiterunt tamen Protestantes in eo, ut claris liquidisque verbis pax & quies constitueretur, qua sibi religionem, quam veram & salvificam esse credebant, profiteri liceret: hoc impetrato nihil non Principes suos præstituros esse, pollicebantur, sive adversus Turcos, contra quos anno superiori plus, quam cæteri, sese contribuisse dicebant, sive ad alia Imperii commoda. Cum vero Cæsar, d. 11. Novembr. vocatis iis in palatium suum, non admitteret, quæ illi desiderabant, & speciatim denunciaret, se Fiscalis actiones contra eos institutas aut posthac instituendas inhibere nec posse nec velle; postero die 12. Novembr. in scriptis professi sunt Legati, quia liquidam & certam pacis servandæ promissionem, post tot preces & monita, impetrare non potuerint, se rem omnem Heris suis esse relaturos, interim, eorum nomine, Recessui illi (dem Abschied) contradicere, & a Moguntino Archiepiscopo, Imperii supremo Cancellario, petere, ne suos Principes in numero eorum, qui in Decretum consenserint, recenseret. Ad bellum etiam Turcicum nihil contribui posse a Dominis suis, monuerunt, nisi pax universalis & constans

A. 1530.

stans ad Concilium usque constituatur, quapropter eorum nomine nihil promittere, sed ipsis integrum relinquere debere, quid facere aut præstare velint: protestantur denique de Assessoribus Cameræ imperialis, quos non nisi ex veteri religione adhærentibus deligi Cæsar volebat: Principes enim suos non posse alios, quam suæ Confessioni addictos, denominare. His exhibitis, d. 13. Novembr. Hassiaci, d. 14. Novembr. autem Saxonici abierunt. Plura de his actis *Cælestinus*, *Chytræus* & *Sleidanus* referunt.

ADDITIO

(a) Ernesti Badensis novæ propositiones de concordia, a Luthero reprobatæ.

Obliviscendum non est, post discessum Electoris Saxonici *Ernestum* Marchionem Badensem novas de compositione religionis propositiones fecisse. De his consulti Lutherus & reliqui VVittenbergenses Theologi responderunt, quod neque ratione styli, neque rerum, acceptari possint. Urgebat ille inprimis, ne quid posthac in causa religionis typis excuderetur, hoc enim eo tendere dicebant, ut verbum Dei alligaretur. Recte quidem ab Electore concessum esse, ut nihil posthac prodiret, quod nova contineret dogmata, idque a Georgio Truchsessio, Cæsaris & Ferdinandi nomine ut sufficiens receptatum fuisse, nunc vero a Badensi indistincte postulari, ut plane nihil ederetur. Nec Concilii scopum ab illo recte proponi, quasi tantum de reformatione in capite & membris agendum sit, id est, exclusa doctrina. Secundum hæc Elector Legatis suis d. 15. Octobris rescripsit: ut erga eos, qui novos tractatus de religionis concordia offerrent, defectum mandati, ut jam fecerant, porro allegarent, contentique essent, si in recessu publicando Electoris & sociorum nomina (ut & factum est) omitterentur.

(b) De rescripto Electoralis, & querelis de Ferdinando.

In hoc rescripto de Ferdinando Rege non leviter queritur Elector, quod vitam & opes ad opprimendum potius æternum & invincibile verbum Dei, quam ad subditos suos contra Turcos protegendos impendat, immo bello Turcico causam dederit; se itaque auxilia illi rebus sic stantibus præstare nolle. Deinde, cum Ferdinandus Bullam Pontificiam impetraverit, ut bona Ecclesiastica suæ ditionis vendere posset; justum esse, ut idem aliis Imperii Principibus, Statibus & Ordinibus concedatur, & se quoque monasteria in suo territorio vendere, aut fortibus viris tradere posse, quorum ope bellum adversus Turcos geratur. Retulerunt tamen paulo post Legati, Ferdinandum aliud subsidium a Clero pactum Pontificiæ Bullæ renunciasse. Accepto Heri mandato Legati apud Badensem, &, qui ei se adjunxerat, Georgium VVürtenbergensem, easdem conditiones denuo offerentes, & Concilii indictionem intra sex menses pollicentes sese excusarũt; accessum inde, sub abitum, a Cæsare petentes non impetrarunt.

(c) Legatorum Saxonicorum dimissio ex comitiis.

Accepit tamen ab iis ultima eorum scripta Ferdinandus, vocatoque ad se Planitio dixit: *Cæsarem tam male affectum erga Electorem Saxoniæ non esse, ut ille sibi persuaderet.* Acriora alia mandata Elector ad Legatos d. 15. Novembris dederat, ut expresse a Cæsare declarationem peterent, quid expectare ab eo deberet; sed Legati, interea accepto d. 11. Novembris Cæsaris responso, Augusta discesserant.

(2) Dura responsio quatuor Civitatibus data.

Cum deputatis Civitatum immitius interea actum est: non enim solum Argentinensibus & sociis rigida & contumeliosa refutatio Confessionis, quam exhibuerant, prælecta fuit, a Fabro & Eccio concinnata, denegato etiam exemplo, & spatio deliberandi aut respondendi, additisque minis; sed & reliquis, qui Confessioni Saxonicæ quidem non subscripserant, consensum tamen in decretum suspendebant, duræ comminationes intentatæ fuerunt, & tandem d. 19. Novembr. ad solennem Decreti seu Recessus comitialis publicationem processum est, cujus compendium *Sleidanus* exhibet *Lib. VII.* & ex eo *Cælestinus Tom. IV. fol. 120.* integrum *Chytræus pag. 483.* qui & extat in *Voluminibus Recessuum*.

An. 1530.

(3) Decretum Comitiorum, ejusque contenta.

Asserta sunt, ut verbo dicam, in decreto illo omnia, cum summo rigore, ex Romanæ Ecclesiæ placito; condemnata & rejecta itidem omnia, quæ ab illis discrepantia Protestantes in Confessione sua professi erant, eorum dogmata & acta longe ordine invidiosissime recensentur, & cum Anabaptistarum aliorumque erroribus confunduntur. Injuncta fuit restitutio omnium, quæ in religione & disciplina mutata erant; conclusa Cæsaris cum aliis Ordinibus ad tuendum pristinum statum Ecclesiæ conjunctio virium & corporum, ad exequenda, quæ decreta erant. Jubebantur etiam Camera & Fiscus, officium in refractarios expedire. Addebatur tamen promissum de Concilio, cujus indictionem intra sex menses a Pontifice procuraturum se esse Cæsar recipiebat, ita ut postea intra anni spatium haberetur. De iis, quæ ad res politicas pertinent, dicere nil attinet. De auxiliis adversus Turcos multa magnifice statuta sunt, sed iis conditionibus, quæ effectum maxima ex parte impedirent.

(4) Contradictio Civitatum, & speciatim Augustana.

Inter Civitates, quæ ut supra monui, consensum in decretum suspendebant præter *Francofurtenses*, *Ulmenses* & *Hallenses* in Suevia etiam *Augustani* erant, licet præsidio Cæsareorum militum premerentur. Ausi tamen sunt, post deliberationem solennem, spretisque omnibus comminationibus, contradictioni suæ insistere, unde factum, ut licet alias moris sit, ut ea civitas, in qua comitia habentur, cæterarum omnium nomine sigillo suo decreta comitialia confirmet, ab eo tamen ritu abstinuerint Augustani, & loco eorum *Donawerdani* signaverint, quod *Gassarus* in *Annalibus MSS.* notavit & acta publica ostendunt. Aliud quoque exemplum ab iisdem editum nimiæ libertatis *Cælestinus* ex epistola quadam anonymi *fol. 92. b. & seqq.* refert.

(5) Acta quadam sub finem Comitiorum.

Hispani milites, qui Cæsari aderant d. 4. Octobr. qui Francisco sacer est, invito Senatu, templum Franciscanorum, in quo Cellarius ex Zuinglii sectatoribus concionabatur, occupaverant, & denuo consecrari fecerant; sacram supellectilem, denegante Senatu, ipse Cæsar commodaverat: cum vero milites finitis sacris subsellia, quibus mulieres insederant, petulanter fregissent, cives magno numero accurrerunt, &, sauciatis quibusdam Hispanis, ægre a Senatu coerciti sunt, ne reliquos cum Monachis occiderent. *Gassarus* tamen de hoc tumultu nihil memoravit. Carolus Imperator quinto post publicatum decretum die, 24. Novembris abiit, Coloniam Agrippinam petens, quo Electores convocaverat, ut postea dicetur.

SECT. 36.

Epilogus, quo Maimburgius librum secundum clausit.

Hic finis fuit celebrium comitiorum Augustanorum. Inde Imperator cum Ferdinando Rege fratre, multisque Principibus, Coloniam Agrippinam usque descendit. Eo Archiepiscopus Moguntinus, illius mandato, cæteros Electores sub finem hujus anni convocaverat,

An. 1530. *verat, ut Regem Romanorum eligerent. Sed Protestantes veriti, ne secundum postremum edictum Imperatoris, conventus iste ad se opprimendos spectarent, omnibus viribus sese opposuerunt, & arctiori inter se nexu conjungere se statuerunt, idque factum est in celebri illo fœdere Smalcaldico, cujus stabilimentum & exitum sequentibus libris a me ostendi oportet.* An. 1530.

§. LXXXI.

(1) *Acta Pontificis a Pallavicino defensa.*

Cum Maimburgius tam præceps cæteroquin ad promtum judicium, multoque magis ad digressiones, etiam intempestivas, narrationem suam de Comitiis Augustanis hic absque epicrisi abruperit, equidem nescio. Debuisset saltem de Pontificis ejusque Legati consiliis, quæ ex *Paulo Veneto*, ejusque censore *Pallavicino*, non ignota habuit, aliquid commemorare. Et de his quidem Autores ipsi legi merentur. *Venetus Lib. 1.* in anni hujus 1530 historia. *Pallavicinus Lib. III. cap. III. IV. V.* Hic arcanorum Pontificiorum conscius, magnum illud axioma apertissime hac occasione proponit, cum *cap. IV.* expendens, quid Protestantes ex una, & quid Romano-Catholici ex altera parte lucrari vel perdere in tractatibus concordiæ Augustæ habitis potuissent, §. *6.* in hæc erumpit verba : *Nostra fides* (de Romana loquitur) *unico articulo individuo universa innititur, qui est autoritas Ecclesiæ falli nesciæ : quapropter statim ac quamcunque partem desereremus, universa corrueret, cum in comperto sit, individuum vel integrum perstare, vel integrum deficere.* Sub infallibilitate autem Ecclesiæ nihil aliud eum intelligere, quam Pontificis autoritatem & potestatem, nisi aliunde constaret, ex hac ipsa ejus historia de actis Augustanis proderetur. Nam *cap. IV.* §. *3.* refert, Pontificem postulata Protestantium, quæ ad ipsum a Legato relata erant, die 6. Julii penitus rejecisse. Id scilicet idem erat, ac si ab Ecclesia rejecta fuissent. Decretum id quidem, ait, in Consessu Cardinalium fuisse, sed eo jure, successu seculorum, uti cœperunt Pontifices, ut neque horum suffragiis opus habeant. Dein adversus Constantiensis Concilii, Pontificem Ecclesiæ subjicientis, scita serio disputat *cap. V.* §. *8.* Ut igitur summum hoc regni sui columen in his quoque Comitiis teneret Pontifex, non solum cautio fuit Legato ejus Campegio, ne Confessionis Protestantium recitationi interesset, sed &, ne tractatibus, inter delegatos ex utraque parte, ulla ratione immisceretur, quia id sine Pontificiæ potestatis detrimento (ut judicabant) fieri non poterat : illius enim est, ut putant, imperare & decidere. Itaque omnia Cæsaris nomine, qui vicariam Pontifici operam præstabat, agebantur, satis manifesta quidem cum illusione Protestantium, si verum est, d. 6. Julii jam rescriptum fuisse Roma Campegio, ut nihil concederet. Sed ferri potuisset ludibrium, nisi accessisset certissimum periculum, in quamcunque partem sese verterent Protestantes. Conscientiæ enim jacturam faciebant, si a religionis articulis, quos credebant, discessissent ; si non discederent, Cæsaris & reliquorum Germaniæ procerum iras in se exasperabant. Hoc cupiebat Pontifex, cum suis, idque eum obtinuisse, decretum, quod scriptum est, ostendit. Hæc, quæ verissima sunt, perpendentes, facile judicabunt, recte & cordate sensisse Lutherum, quod tractatus illos nunquam probaverit, &, vel Principum vel Theologorum constantiæ diffisus, impedire

(2) *Lutherus recte de illis judicavit.*

aut disturbare, quam fovere, consultius duxerit. Videbat nimirum ante omnia, caput illud, cui omnia innitebantur, ut nempe, quicquid indulgeretur Protestantibus, a solius Pontificis arbitrio & gratia dependeret : eo enim ipse *Melanchthon* (ut literæ ejus ad Campegium, mire *Pallavicino cap. IV.* §. *5.* laudatæ, patefaciunt) omnia referebat. Hoc stante, aut inanis erat spes impetrandi, aut non multo firmior, impetratis constanter fruendi. Hoc itaque respectu, & parum felicia, & periculosissima fuerunt Comitia ista, non immerito a Luthero cum angustiis infernalibus, ut audivimus, comparata. Sed alio tamen nomine religioni Protestantium honorifica & salutaria judicari, magnaque providentiæ divinæ signa ex iis eorumque eventu agnosci debent. Quod enim illustrius dari potest constantiæ & libertatis Christianæ exemplum, quam Elector Saxo, cum sociis, edidit, coram Cæsare potentissimo, & tum sane florentissimo, ac ad Pontificis nutum, in rebus ad religionem spectantibus, parato, & tot proceribus, quibus decuplo majores vires erant subnixo ? Quis, nisi Deus, tutelam paucis & inermibus, summeque odio & invidia gravatis præstitit, inter medios hostes & æmulos ? Quis ipsum Lutherum in arce illa, a duodecim militibus custodita, conservavit, tam acerbis & vehementibus scriptis sese prodentem ? Quam rarum & inexpectatum erat, ut illa ipsa scripta ejus, quibus tot errorum ac defectuum incusabantur Ecclesiæ Prælati, in consessu illorum publice legerentur, nihil tamen adversi inde ad eum redundaret ? Si vero ipsam, quæ tractabatur, materiam respiciamus, quis non fatum veritatis agnoscat, eo, quo semper solet, modo triumphantis ? Professi eam sunt pauci & infirmi, & quandoque titubantes ; perstiterunt tamen adversus blanditias non minus, quam minas, evaseruntque callidissimorum hominum laqueos. Cumprimis considerari debet Elector Saxo, qui tot suis suæque familiæ meritis gloriosus, quicquid habebat gloriæ aut opum, in discrimen dedit : impetrare hic unus non potuit, quæ omnibus concedebantur, juris sui confirmationem aut investituram. Illa autem omnia toleravit, & ad graviora se paravit, nullius commodi causa. Nihil ad eum, quamvis id falso jactetur, ex bonis Ecclesiæ pervenerat : Episcopi Saxones ditiones suas antiquo possidebant jure : monasteriorum & canonicatuum reditus multi eodem adhuc manebant statu : desertorum proventus aut ministris Ecclesiæ & Scholarum assignabantur, aut sequestrati erant. Eadem, qua pericula a Pontificis partibus imminentia negligebat, magnanimitate, & eodem conscientiæ dictamine, societatem cum urbibus Germaniæ & Helvetiorum potentissimis, ob unum doctrinæ caput, evitabat, a sociorum licet validissimo, Hassiæ Landgravio, acceptam. *Hac est celebris illa*, quæ admirandum illum effectum habuti, ut Pallavicinus ipse *d. l. cap. III.* §. *11.* agnoscit, *Confessio Augustana, quæ instar Evangelii perstitit* Luthe-

(3) *Utilitas, quæ ex Comitiis ad Protestantes redundavit. Electoris Saxoniæ magnanimitas.*

(4) *Elogi-*

A. 1530.

num Augustanæ confessionis.

Lutheranis. Et cur non persisteret? cui plane nihil opponi potuit, nisi, quod semper divinæ veritati opponitur, humanæ sapientiæ & potestatis supercilium, & invectorum abusuum longævitas. Possem, nisi millies factum esset, per singula capita, in quibus condemnata est Confessio, demonstrare, nihil fuisse assertum a nostris, quod ab adversa parte verbi divini testimoniis labefactari potuerit. Nihil etiam rejectum erat a Protestantibus ex Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, nisi quod solis Pontificum decretis & temporis præscriptione nitebatur, quodque ignorari aut omitti potuit, absque ullo salutis dispendio. Quid enim Missæ sacrificium, quid ablatio calicis, quid cœlibatus sacerdotum, quid Sanctorum invocatio homini salvando confert, quod non det fides in Christum, quæ per charitatem operatur. Quid ad substantiam fidei & salutis faciunt monachorum greges aut opes? quid tanta superstitionum ac rituum farrago? quam supra ex Lutheri calculo enumeratam dedimus. Illa igitur omnia, quæ longo ordine in decreto Augustano, ut sancta commendantur, & servanda præcipiuntur, aut ut falsa Protestantibus exprobrantur, magni Principes utriusque ordinis cum multis myriadibus civium suorum non multo post, aliis plane oculis adspexerunt, eandemque Confessionem, quam Augustæ damnaverant, læti ac lubentes, ut sacris literis & primitivæ Ecclesiæ convenientem, acceptarunt. O utinam eadem Dei benignitate reliquis omnibus oculi aperti fuissent, aut adhuc aperirentur! Interim optimo Cæsari Carolo, & tot egregiis Proceribus, persuasum tunc erat, & in decreto jactatur, Confessionem argumentis in Evangelio & sacra Scriptura fundatis confutatam esse. Id quod publice, ut dictum est, inficiati sunt Protestantes, nec ipsi autores, reclamante conscientia, asserere potuerunt, nisi qualiscunque verborum cavillus & lusus, pro argumento adversus clarissima Scripturæ dicta & totam fidei analogiam puriorisque Ecclesiæ disciplinam, habendus sit. Unum itaque articulum tutius allegassent, cui supra *Pallavicinus* robur causæ suæ superstruxit, Pontificis nempe infallibilitatem, Principum armis tuendam. Colophonis loco addam verba quædam Lutheri, quibus anno proximo in explicatione *Psalmorum*, qui dicuntur *graduum*, providentiam Dei in his Comitiis, maxime in molliendo Cæsaris erga Evangelicos odio, exhibitam collaudavit *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 446. b.*

(5) Judicium de ea Lutheri.

Commoverat Pontifex Romanus Clemens maria omnia, quasi absorpturus esset uno spiritu omnes Ecclesias, Diabolus quoque extrema conatus est, & multa millia diabolorum misit Augustam, qui instigarent Principes ad nos opprimendos. Sic erant ibi inundationes, sed Dominus impias Pontificis & Satanæ cogitationes voluit esse irritas, & prohibuit, ne fierent. Ita manifesto miraculo, quod communem modum excedit, servati nos sumus, adversarii autem nostri, quod Psalmus septimus dicit, pepererunt vanitatem. Hæc est nostra experientia, quam proximo anno vidimus. Quod igitur post illas machinationes & practicas impiorum, nos rebus nostris in pace fruimur, quod adhuc hodie docemus Evangelium, & Diabolus cogitur tacere, ac mundus quiescere, hoc totum fit beneficio Domini, non nostra sapientia & virtute. Et paulo post fol. 447. *In Comitiis Augustanis Satanæ aucupes, Pontifex & Episcopi, tanquam in aucupio, Carolum generosum illud & pacis amantissimum pectus, tanquam noctuam, suo aucupio aptam, Augustam accersiverunt, non concordiæ studio, quam simulabant, sed ut nostri advolantes opprimerentur. Sicut etiam nostros dimiserunt, cum hac ultima responsione: se conjuncturos non solum vires & opes, sed sanguinem etiam, ad nostram doctrinam opprimendam. Ibi tandem patuerunt doli & crudelitas istorum aucupum Satanæ, quibus tamen clementia & bonitas Cæsaris occurrit, Deo sic rumpente laqueos & nos liberante.* Adde quæ habet *fol. 486.* Respondendum esset cavillo, & olim invento & nuper a *Dezio* Jesuita Argentorati renovato, quod autores Confessionis asseruerint, *nihil esse in sua doctrina, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus cognoscitur.* Sed id dudum ab aliis præstitum fuit, & nuper in excerptis tractatus Deziani, in *Actis Eruditorum Lips. 1687. mense Julio p. 390.* ostensum, per Scriptores, quorum mentio fit, non quoscunque, sed veteres & orthodoxos, intelligi. Neque aliter id intellexerunt Imperator & adversæ partis Principes, alias tam diro decreto Confessionem non rejecissent. Interim adhuc retinemus omnia Ecclesiæ Romanæ dogmata, nec pauca numero, quatenus Apostolica sunt, neque Protestantium, sed adversariorum culpa factum est, ut hanc benignam declarationem non acciperet Ecclesia Romana, nec purgatis erroribus in illum statum restitueretur, in quo, ut mater, agnosci potuisset. Dimissa est illa occasio e manibus, ut dixi, &, propugnatis non solum per decreta, sed & ferro & igne abusibus, eo redacti fuerunt Protestantes, ut posthac omnem conciliationis spem abjicerent, & pactis publicis separationis suæ titulum & securitatem quærerent.

A. 1530.

(6) Responsio ad nuperam cavillationem Joh. Dezii Jesuitæ Argent.

§. LXXXII.

(1) De consilio Pontificis, circa Concilii indictionem.

Pertinent ad anni, quem tractamus, historiam, quæ inter Imperatorem & Pontificem de Concilio acta sunt, circa quæ disceptant autores supra nominati, *Paulus Venetus* & *Sfortia Pallavicinus*. Ille nihil minus Pontifici, quam concilium, cordi fuisse; hic sincere eum id cupiisse, persuadere orbi satagit. Parum quidem refert, versutissimum Clementis genium nosse. Videndus tamen est *Pallavicinus Lib. III. cap. V.* Magnam illi litem non movebo, cum disquirit, qua mente a Protestantibus petitum sit concilium, temporisne lucrandi gratia, an quod revera crederent, id e re sua esse. Nec conjecturas de Catholicorum desideriis examino: multos tamen inter illos serio expetivisse Ecclesiæ emendationem, eamque in concilio sperasse, non dubito, quanquam nullis eum candorem tribuat Pallavicinus, sed vel ut subdolos, vel ut stupidos & desperatos describat. Ad Pontificis excusationes, obtendentis, concilium inutile esse, quia in illo ventilandæ hæreses jam condemnatæ erant, & ad metum turbarum, quem prætexebat, regeri quædam possent, nisi in speciem potius, quam serio ista jactata fuissent. Apertius mentem detexit, cum per nuncium *Hubertum Gambaram*, ad Cæsarem sub finem hujus anni missum, *(d. l. §. 5. & seqq.)* conditiones

(2) De conditionibus Concilii, inter Cæsarem & Papam disceptatis.

An. 1530.

tiones proponeret: Prima erat, ut Concilium tantum indiceretur & haberetur, ad contrahenda contra Turcos subsidia, ad Lutheranos ad frugem revocandos, ad hæreses extinguendas, ad pertinaces mulctandos. Hanc conditionem defendit Pallavicinus, dicens: Si Concilium generaliter indiceretur, verendum fuisse, ne hæretici ex reis actores callide fierent, urgentes morum emendationem legumque mutationem: agnoscit tamen hanc rationem, licet validam, languisse, quia Pontifex rem suam agere videretur. Cessit igitur insistenti Cæsari, ut generatim indiceretur, effugium videns, quod Cæsar adderet, licere Pontifici proponere, quæ vellet. Gloriatur inde, a Cæsare concessum esse Pontifici jus moderatoris Concilii; quod quam recte se habeat, ab aliis examinatum est. Secunda conditio erat, ut Cæsar ipse adesset Concilio; Tertia, ut in Italia haberetur. Has admisit Cæsar. Quarta fuit, ut nemini suffragii jus daretur, quam ex præscripto veterum Canonum. Rationem subjungit Pallavicinus, quia hæretici etiam pro Laicis jus suffragandi postulabant. Hanc quoque, si Pallavicino credas, Cæsar concessit, dum respondit: morem antiquum servandum esse. At in quinta iterum invenit Pallavicinus, quod probet aut taxet. Postulaverat Papa a Cæsare, ut Lutherani ipsi ad flagitandum pro reconciliatione sua Concilium & ad promittendum obsequium permoverentur; destitit autem, cum Cæsar regereret, impetrari hoc ab illorum pertinacia non posse, neque id multum referre, cum præcipua causa Concilii esset, ut contra ipsos haberetur. Placet igitur Pallavicino & facilitas Pontificis & judicium Cæsaris. Ex hoc vero Paulum Venetum (sicut jam in *apparatu cap. 7.* fecerat) falsi accusat, quod scopum Concilii proborumque omnium spem fuisse asserit, reconciliationem hæreticorum. Uutut autem aliud visum fuerit Cæsari, aut ejus ministris, nobis tamen nec Veneti opinio, nec ista Pallavicini ingenuitas ingrata esse debet, quæ Lutherum & multos excusat, qui nihil unquam boni ex concilii convocatione sperarunt: Interim Pontifex, dicis causa, & contra mentem suam, (ut *Venetus* judicat, a *Pallavicino* non satis hic refutatus,) Cæsari gratificaturus, Concilium habendum esse decrevit, & Cal. Decembr. hujus anni edito diplomate spem ejus indicendi in Italia fecit, quo hæresi Lutheranæ perpetuum remedium quæri, & reprimendis Turcorum conatibus modus inveniri possit. Hæc Pontificis de Concilio & negotiis comitiorum tractandis consilia & gesta, & quæ de iis Pallavicinus commentatur, ponderantibus, satis apparet, neque pia neque prudentia fuisse. Conveniebat utique pietati & officio Papæ, a Cæsare magnificis verbis apud Pallavicinum (*dicto cap. V. §. 10.*) deprædicato, ut reformationem abusuum notoriorum, quos antecessores ejus, & novissime Adrianus, longe quidem Clemente doctior & melior, publice agnoverant, non tam impudenter reticeret, ut æterna oblivione sepulti esse viderentur. Quid enim minus expectari potuisset in his comitiis, quam, quod Legati & oratores Pontificis, in declamationibus suis supra relatis, ne verbulum quidem proferrent, quod ingenuitatem Adriani redoleret?

(3) *Pontifex decernit Concilium.*

(4) *Durities ejus in agnoscendis abusibus, ejusque causa.*

Quomodo vero respondere poterant Deo tot Principes & Prælati, qui in prioribus comitiis cœlum & terram querelis de gravaminibus impleverant, de quibus jam vix mutire audebant? At ipse Pontifex tam ferreus erat, ut statim ab initio (sic enim ex decretis ejus d. 6. Julii secretum revelat Pallavicinus) omnem prorsus spem Protestantibus præciderit. Neque tamen durities illa fundamentum in divinæ veritatis assertione habebat, cui utique ad mortem usque inhærere, non pertinacia, sed constantia est; verum agebatur de rebus, ut mitissime dicam, ex mero placito Pontificum, & usu seculorum, invectis & pendentibus, in quibus vel unius animæ lucrandæ causa cedi & dispensari debere, nemo pius negaverit. Prævalebant itaque charitati & conscientiæ, fastus & avaritia, perpetua publicæ felicitatis, civilis & ecclesiasticæ, venena. Erant sane, qui meliora scientes, deteriora tamen sequebantur, ob eam solum causam, quod abjectos & viles esse credebant, qui reformationem poscebant. Eo *Salisburgensis* Episcopi dictum pertinet, a pluribus notatum, quod infra ex Luthero referemus. Retardabat tales mollis & splendida vita, inter quos dolendum est *Archiepiscopum Moguntinum* & *Episcopum Augustanum* fuisse, quorum tamen uterque magna veritatis luce respersus erat. Cum vero in *Julio Mediceo*, sive Clemente, pietatem frustra quæramus, cur non prudentiam ejus sperare licuisset, qui calliditate omnes mortales superare credebatur? Sed alia dos & virtus est prudentia justorum, quæ cum pietate conjungitur, & sola nomen locumque suum tuetur, alia humana, quæ honestis utilia astute præferre novit. Si autem acta Comitiorum accurate considerentur, in manu Pontificis & Cleri, quantum humana perspicacitate penetrari potest, positum fuisse apparebit, ut oblata a Protestantibus lenissima concordiæ media acciperent, & schisma tunc vel tollerent, vel, conciliatis Procerum & Theologorum primariorum animis, ad paucos & humiles reducerent. Vidit id pro solertia sua Legatus Campegius, quod clarissime ostendit *Pallavicinus*, cujus verba ex Latina versione *cap. V. §. 4.* transcribi merentur. *Compertum* (ait) *mihi est, Legatum semel in opinione fuisse adepta propemodum magis quam adipiscenda concordiæ: unde in epistola ad Aleandrum, Archiepiscopum Brundusinum, Nuncium in Spirensi conventu, d. 16. Octobr. 1531. scripta, ostendere studens, quantum noceat agendi asperitas cum Lutheranis, queritur, Augustæ, cum die postero ea esset stabilienda concordia, importune a Fabro editum fuisse librum, inscriptum:* Contradictiones Lutheri, *& ab Eccio* Syllabum hæreticorum, *ubi Melanchthon recensebatur: quibus rebus illius factionis furor, jam quasi extinctus, revixit.* Sed pro maximo divinæ providentiæ beneficio venerari debent purioris religionis professores, quod istiusmodi hominum impudentibus clamoribus & sycophantiis plus datum fuerit, quam moderatæ multorum sententiæ. Illos tamen publica præmia, sub finem Comitiorum, postulasse & obtinuisse, consensu traditur. Novit Deus, qua mente petitæ & indultæ fuerint conciliationes, & quam facile fuisset, restituta Episcopis potestate,

An. 1530.

(5) *Campegii ad pacem inclinatio, & aversio ab Eccio & Fabro.*

(6) *Episcopi de moderatione quorundam.*

An. 1530.

Principes & Theologos, elisis varia fraude conditionibus, in veterem lethargum reduci, aliosque blandimentis, alios minis & calumniis subverti. Sic, quod in exitium nascenti puriori Ecclesiæ destinabatur, saluberrimum antidotum fuit, quo Melanchthonis & aliorum, qui plus justo cedebant aut indulgebant, trepidatio corrigebatur. Hæc est ars vere divina, ex malis bona elicere. Sed nunc ad supplendam anni hujus historiam festinandum, ac de *scriptis Lutheri* & *progressu Reformationis* aliquid afferendum est: quæ enim hic Maimburgius de literis, quibus Elector Saxoniæ Coloniam evocatus est, assuit, ad narrationem de fœdere Smalcaldico transgressurus, in historia anni 1531. commodius tractabuntur.

§ LXXXIII.

(1) *Scripta Lutheri hoc anno.*

In excerpendis Lutheri scriptis, ut in *apparatu operis* promisi, post editam jam publice Confessionem Ecclesiarum, quibus ille facem doctrinæ prætulerat, parcior quidem ero, sicut & in *epistolarum* ejus recensione, licet earum non paucas manuscriptas nactus sim: editæ enim a Jo. Aurifabro & binis tomis anno 1556. & 1565. evulgatæ, in anno 1529. desinunt. Quæ tamen maxime insignia sunt, & ad illustrandam historiam, vel repellendas calumnias, faciunt, non possum plane præterire. Scripta autem ejus hoc anno 1530. exhibentur *Tom. V. operum Germ. Alt.* quorum aliqua, occasione historiæ comitialis, jam commemoravi. Supersunt plura, ex quibus sequentia potissimum annoto.

(2) *Compilatio dictorum Scripturæ, pro consolatione.*

Legitur (I.) *fol. 6. & seqq.* compilatio dictorum Scripturæ & rationum, quibus se Lutherus in summis angustiis erigere solebat, viginti duobus paragraphis constans: Ex illis §. 17. quoad sensum, talis est: *Majores nostri nobilissimum hunc thesaurum verbi Dei, purum nempe & legitimum ejus intellectum, non habuerunt, qualem nos per Dei gratiam largiter habemus, felicissimo tempore vivventes, quo verbum divinum in lucem suam restitutum est, quod beneficium nobis ex mera Dei gratia contigit. Idem Deus noster erit in posterum, & post nostra tempora, sicut ante nos fuit, & congregabit sibi plebeculam usque ad finem mundi, non moritur nobiscum aut interibit, ut nos pusillanimes & infirmi aliquando metuere videmur.*

(3) *Theses de Ecclesia,* & (4) *contra vota monastica.* (5) *Consolatoria ad parentem* (6) *item ad Brentium.*

(II.) *fol. 9. & seq.* theses quadraginta, de potestate & jure Ecclesiæ orthodoxæ & pressæ. (III.) *fol. 10.* syllabus argumentorum, adversus vota monastica. (IV.) *fol. 11.* epistola ad parentem *Johannem Lutherum*, qui paulo post decessit, consolatoria, d. 15. Febr. data; egregium veræ pietatis & filialis amoris specimen. (V.) versio epistolæ consolatoriæ, ad *Johannem Brentium fol. 165.* d. ult. Junii scriptæ, quam Latinam produxit *Cœlestinus Tom. II. fol. 201.* In hac, postquam exempla afflictissimæ Ecclesiæ Judaicæ, sub Heli Sacerdote & Saulo Rege, tum Germanicæ, post condemnatum Hussum, præmisisset, confidere jubet, & Brentium & Melanchthonem, se ipsum, ut ait, cruciantem, & se, dicit, post mortem, & scriptis relictis, & precibus in cœlo defensurum esse posteros, & persecutores ulturum; *scio enim*, inquit, *futurum esse, qui dicat, ubi est Habel frater tuus? Quid multis? Habeat divisum imperium cum Jove Cæsar: si nullum est futurum Dei regnum, deleamus primum præceptum cum universo Evangelio. Quid enim opus est, habere Deum pro hac tantum vita, quam illi habent optimam, qui nullum habent Deum? Is, qui me creavit, erit pater filii mei, & maritus uxoris, & consul in republica, & prædicator in parochia.*

(7) *Explicatio Psalmi CXVIII.*

Allegat in fine explicationem Psalmi 118. *Confitemini Domino*, &c. quæ hoc mense Wittenbergæ excudebatur. (VI.) Exhibetur hæc *fol. 168. & seqq.* dedicata *Friderico*, pio & Evangelico Abbati ad D. Ægidium Norimbergæ, die 1. Julii; extat Latine versa a Jo. Fredero *Tom. III. Lat. Witt. fol. 524. & seqq.* In hac plurima notatu dignissima lectores invenient. Vehementer culpat nobilium, quos Scharrhansen vocare solet, abjectum animum, tempore rusticæ seditionis, & fastum, quo tunc inflari eos dicit; bonis tamen laudem suam non detrahit, & pro autoritate magistratus adversus improbos subditos egregie pugnat. *Tanta vero*, scribit, *est latrociniorum & injuriarum licentia, tanta fraus, tantus ad bella pruritus, ut pax mihi videatur a tenui filo pendere, aut in aere librari.*

(8) *Querela de sævitia adversariorum.*

Pontificiæ Ecclesiæ statum in compendio exhibet *fol. 172. b.* quæ ejus verba Latine ita vertit Frederus *fol. 530. b. Hinc vides, & æstimare potes summam & egregiam istam prudentiam & sapientiam Papæ, ejusque Ranarum, qui Ecclesiam conantur primum sua prudentia, externis legibus & constitutiunculis ac traditionibus atque excommunicationibus, sine verbo Dei, sine orationibus & sine doctrina colligere, constituere & conservare, postea potentia mundana, & exurendo, tyrannidem exercendo, necando & prosequendo tueri & defendere. Nec opus habent quicquam Dei bonitate, auxilio & præsentia, sed nunc canunt hunc versum hoc modo: Gratias agite excommunicationibus nostris & gladiis, quoniam potentia eorum durat in æternum. Vera Ecclesia docet Dei verbum: neminem ad id cogit: qui credere ei non vult, eum missum facit, & se sejungit ab eo, velut Christus docet Matth. 10. & 18. & ut Paulus in Actis ubique facit, Deique judicio esse permissos eos finit, sed nostri carnifices & cruentissimi isti Tyranni verbum Dei non docent, sed suos proprios articulos condunt, & pro libidine agunt, quicquid volunt, & eos, qui credere articulis, & parere mandatis recusant, igni adjudicant.*

(9) *De fiducia in Deum.*

De natura & efficacia fidei & precum præclare scribit *fol. 174. & seqq:* & de fiducia in Deum suum & aliorum exempla valde memorabilia adducit *fol. 177. & seqq.* quæ ex versione Latina sic habent: *Cum viveret Elector Saxoniæ, Dux Fridericus, Princeps laudatissimus & incomparabilis, (cujus memoria nunquam apud nos intermori debet) ibi tam Ecclesiastici, quam politici Tyranni magnam & constantem spem habebant, fore, ut, ipso hac vita defuncto, hac doctrina cum ipso expiraret. Sic enim dictabant: Si duo tantum oculi clausi fuerint, tum Lutheri hæresis quoque concidet & jacebit. Nihil certius per totam vitam suam unquam ipsis fuit, quam hoc ipsorum vaticinium. Jam in manibus habebant victoriam, jam digitis contrectabant, ut fidicen; ejus, quod futurum vaticinabantur, certi esse sibi videbantur, putabant enim doctrinam nostram Duce Friderico niti & nostram consolationem ac spem omnem*

An. 1530.

omnem in hominibus, & auxilio Principum esse situm. Ejus rei conjecturam ex se ipsis faciebant. Quippe, ut ipsi de Deo desperantes, atque ab eo deficientes, omnem spem & fiduciam in Principes & aliorum potentium opem & præsidium ponebant, sic & nos facere putabant. Nihil enim aliud solatii, subsidii aut auxilii noverunt, quam humanum. Nunquam ego audivi quenquam istorum, qui tales significationes dederit, quod ipsius spes & fiducia in Deum esset collocata & fixa, sed omnes eorum clamores, ferocia, gloriationes, jactantiæ, spes ac fiducia fuerunt Cæsar, & Principes aliique Potentes. Et tanta est eorum impudentia, ut in publicis etiam scriptis de eo glorientur, quo ipso præclaram scilicet, in Deum suæ fiduciæ confessionem edunt. Et *fol. 536.b. Cum ego indulgentias cœpissem taxare, omnisque mundus, oculis diductis atque stupentibus, miraretur, judicaretque nimis audax & callidum esse id facinus, nec ad finem posse unquam perduci, aut quicquam successus habiturum, nec posse bene cedere, ibi Prior & Subprior meus (clamoribus istis contra me horribilibus, & variis hominum vocibus ac judiciis moti & conturbati) valde sibi ac mihi metuentes, tremuli accedebant, me etiam atque etiam rogantes atque obtestantes, ne ordini nostro notam & labem ac maculam aliquam fœdam inurerem. Nam alios ordines jam præ gaudio exultare & tripudiare, maxime vero Monachos ordinis Prædicatorum gaudere, ac se jam socios nancisci probrorum, & ignominiæ, ac sperare futurum, ut & Augustiniani comburerentur,* Dominicanorum supplicia innuunt, quæ Bernæ paucos ante annos passi erant,) *& ignominiæ nota æterna insignirentur. Cum talia mihi proponerent, respondi: Reverendi Patres, si in nomine Domini cœptum non est, statim concidet; si vero in nomine Dei cœptum, is faciet, & causam hanc aget. Hoc meo responso passi sunt sibi satis fieri, ut tacuerint. Sic negotium hoc, tum in nomine Domini cœptum, etiamnum procedit, & usque ad finem, Deo volente & fortunante, successum majorem est habiturum, Amen. Audivi, incidisse controversiæ aliquid inter Principem quendam Saxoniæ, Fridericum Ducem, & laudatum illum Episcopum Magdeburgensem, Fridericum Comitem a Beichlingen, non longe ante hæc tempora: cui cum Princeps Saxoniæ bellum indixisset ut hostis apertus, misissetque quendam in aulam Episcopi, exploratum, quomodo Episcopus se armaret, & ad bellum pararet; reversus explorator ad Principem suum vultu læto, significavit: Episcopum nihil omnino de bello cogitare, nec ad bellum sese instruere, ideoque Principem jubet esse securum, & otioso animo, certam enim esse victoriam. Id audiens Princeps interrogat, quidnam de bello Episcopus dixerit, num aliquam ejus mentionem fecerit? respondit explorator, nihil aliud eum dixisse, quam, quod vellet fungi suo munere, Ecclesias & monasteria visitare, & subditorum suorum causas audire, miseris & oppressis succurrere, Deoque committere totius belli molem, Deum enim interea bellum gesturum pro ipso. Id cum Princeps audiisset, in hæc verba erupit: Si Episcopus his verbis usus est, bellum inferat ei diabolus, non ego. Ac statim consilium de bello movendo mutavit, statuens, parum feliciter se cum Deo belligeraturum esse.* Præterire non possum oppositionem, quam *fol. 181.* inter utramque facit Ecclesiam, tum, ut persecutores commonefiant de peccato suo, tum, ut solatia capiant, qui persecutionem patiuntur. *fol. 540. Sed, inquis, jactas tu quidem nomen Dei, verum altera quoque pars videri vult, quod nomen Dei & ejus gloriam quærat, & quod Deum colat, ut paulo ante dictum est. Hic enim disputatur & controvertitur: utra pars rectius sentiat, & vere nomen Dei invocet, vereque de eo glorietur. Nisi enim hic certi aliquid statueris, nisi probaveris, te de nomine Dei recte gloriari & vere id invocare, inanes gloriando fundis voces, ac stulta tua est jactantia. Respondeo, unusquisque hic consultet & introspiciat conscientiam suam; ea Deum non fallet. Deinde ne homines decipiantur, fructus observa & contemplare, tum cognosces, qualis sit arbor, bona sit, nec ne. Nos nullam consolationem humanam aut ex hominibus habemus, nec eam habere possumus. Non possumus niti fiducia humani auxilii & humanis viribus; sumus enim pauci admodum, sumus tenues, sumus imbecilles, sumus omnis generis periculis expositi, proinde non possumus non metuere, angi, pavere & solliciti esse. Ubicunque versamur, cogimur summa cum humilitate supplices esse Deo & hominibus, nec quenquam ipsorum propter doctrinam tollimus e medio, nec cuiquam auferimus sua per vim, non cogimus quenquam violentia, ut credat idem quod nos, non tyrannidem aliquam contra quenquam hoc nomine exercemus, non infestamus propter doctrinam quenquam, Magistratum non abrogamus, nec in ejus officium invadimus, sed jubemus docemusque, ut seditiones, bella, dissidia, tumultus ac lites rixasque impediat, ut autores earum puniat, nec unquam induximus in animum nostrum, cuiquam inferre injuriam. Sed impedimus hæc omnia, & cavemus ea diligenter, ubicunque & quibuscunque modis possumus. Docemus & servamus pacem summo studio. Nobis infertur vis, tyrannide premimur, e medio tollimur, sanguis noster effunditur, facultates & fortunæ nostræ nobis eripiuntur, omnis generis persecutionibus expositi, tractamur indignis & crudelissimis modis. Hæc sane signa sunt veri spiritus, congruentia cum hoc Psalmo & tota Scriptura. Sed adversarii nostri spem ac fiduciam suam collocant in homines, nituntur que potentia & auxilio Cæsarum ac Principum, sunt securissimi, nihil sibi timent, extra omne sunt periculum, nec nos nec quenquam metuunt alium, nec Deum invocant, nec Deum timent, tantum abest, ut coram hominibus se humilient. Nihil ipsis est insolentius, fastuosius, securius, ferocius, procacius & contumacius. Vi ac tyrannide cogunt homines, ut credant, quæ ipsi volunt: Trucidant, vexant, discruciant, torquent, persequuntur, & exuunt nos fortunis nostris, exterminant & in exilium pellunt, & omnis generis injuriis nos afficiunt, dies noctesque meditantur, nihil non moliuntur & machinantur, alia atque alia subinde consilia ineunt atque captant, quo nos affligant, & ægre nobis faciant, injuriamque aliam super aliam cumulent, ac tandem opprimant, perdant & funditus deleant. Nec possunt nec volunt quiescere, aut paci studere, id quod tam clare patet, ut negari non possit: Hæc*

&

(10) Narratio de certamine cum fratribus suis Augustinianis.

(11) Historia de Friderici Electoris Sax. dissidio cum Archiepiscopo Magdeburgensi.

An. 1530. *(12) De sua & Ecclesiæ intentione ad pacem & quietem.*

(13) Adversariorum contrarium studium.

An. 1530.

& similia certe non possunt esse signa boni spiritus. An non his factis & consiliis machinationibusque suis, pugnant contra totam Scripturam? Nunquam enim probari potest, quod Christianis liceat occidere aut etiam judicio aut consilio, aut auxilio adesse, ut quisquam occidatur. De tentationibus diabolicis, & solamine adversus eas, præclare docet *fol. 185. & seqq.* De necessitate pietatis & sanctimoniæ adversus eos, quos etiam hodie non pudet contrarium doctrinæ Lutheri imputare, notentur *fol. 190.* hæc verba ex Latina versione *fol. 548. Spero jam cuivis satis constare, quod is, qui Christianum se profitetur, & esse gloriatur, etiam sanctum & justum se esse profiteri gloriarique debeat. Quippe, nisi Christianus sit sanctus & justus, Christianus esse non potest, quia Ecclesia est sancta, & tota Scriptura in Christum credentes vocat sanctos & justos, quemadmodum & hic versus; sic in Daniele cap. 7. & alibi sæpe vocantur. Et hæc appellatio aut nomenclatura non proficiscitur ex arrogantia aliqua, non est superbiæ vox, sed necessaria confessio & fidei nostræ articulus.* Opponit hypocriticam in Papatu sanctimoniam, & fictam monachorum humilitatem. Merito commendavit hunc commentarium in Psalmum, quem quotidie recitabat & laudabat Lutherus, ut optimum & pulcherrimum, *D. Cruciger* in præfatione, quæ Germanice extat *Tom. V. fol. 196.* & Latine *Tom. VII. Wittenb. fol. 524.* neque mirum est, si Comitiorum tempore Augustam delatus multos veneratione tanti in exegesi sacra spiritus, adversarios autem maxima invidia implevit. Non multo minoris æstimari debet (VII.) expositio Psalmi CXVII. *Laudate Dominum omnes gentes*, eodem Comitiorum tempore, secunda tamen vice, & auctior edita, at *Johanni a Sternberg* Equiti, cum multo ejus elogio, & degeneris Nobilitatis vituperio, die Sabbathi post Bartholomæi 27. Aug. 1530. inscripta *Tom. V. Alt. fol. 250. & seqq.* In illa *fol. 254.* de gentibus & populis regno Christi subjiciendis notat, hæreticum dici non posse eum, qui non sit sub Papa. Si enim articulus fidei necessarius esset, omnes gentes sub Papa esse oportere, Deum enim non posse mentiri. Sed nec Petro omnium maximo, cum quo Christus locutus est, & cui claves tradidit, id contigisse, quapropter a nullo homine sperari debere; comparat cum ea persuasione Judæorum stultitiam, qui totum mundum suæ legi subjicere vellent, si possent. Disputat etiam adversus affectatam monachorum sanctitatem & optat, illos ad pristinum institutum reduci posse, cum instruendæ juventuti inservirent. De gratia & veritate Dei, quæ in hoc Psalmo extollitur, adversus dogmata de viribus hominum & meritis operum disserit, & hunc articulum de gratia Dei sive de gratuita justificatione hominum, ut fundamentalem & infinitæ utilitatis, sedulo tractandum esse monet, quia nemo unquam eum satis penetrare possit, ejusque tyrones etiam doctissimi quique tota vita mansuri sint. Id sui ipsius exemplo confirmat, verbis summe emphaticis, quæ vide *fol. 266.* (VIII.) Explicatio Psalmi LXXXII. *Deus stetit in synagoga Deorum*, *Tom. V. Alt. fol. 278. & seqq.* ad officium pii & Christiani magistratus cognoscendū & arguendos, qui in eo committuntur, errores, summa cum parrhesia & facundia, sed & pie atque solide elaborata est. In præloquio indicat, quam contemtim olim a monachis, de pulpito declamantibus, tractati sint Principes & Magistratus: hos, postquam Evangelii doctrina dignitatem suam asseri vidissent, in contrariam partem peccare, & jam præconibus verbi divini jus elenchi fere adimere. Hunc igitur Psalmum utrisque sedulo considerandum sistit; Clero quidem & populo, ut honorifice de Principibus sentiant, iisque obsequia debita præstent; Principibus vero, ut sui officii memores sint, & recta docentes reverenter & placide audiant. Hæc ita persequitur, ut optandum sit, libellum hunc in utrorumque manibus versari. Præclara inprimis monet *fol. 281.* de legitimo & salubri usu elenchi erga Magistratus. *Non est seditiosum*, ait, *si Pastores pro divino, quod gerunt, officio, etiam Magistratum publice, sincere & libere corrigant, immo est singularis & magnus cultus Dei, & rara virtus. Seditiosum potius foret, si vitia Magistratuum non arguerentur, sic enim populus Pastoribus irasceretur, & Tyranni in vitiis suis confirmarentur, tacentes vero prædicatores partem culpæ in se traherent, & ultionem Dei accelerarent. Noxii sunt concionatores, qui Principes culpant, ut titillent plebem, quod Münzerus, Carolostadius & fanatici alii fecerunt; nec minus peccant, qui Dominis blandientes, in solam plebem invehuntur*: quod Pontificios facere dicit. Virtutes deinde Principum egregie describit, maxime curam de prædicando publice & quiete verbo Dei, & impediendis falsis doctrinis. *Hic maximus Reipublicæ thesaurus est*, inquit, *in tali regione habitat Deus, tanquam in suo templo. Multi Reges & Principes magnifica templa exstruxerunt. Comparari tamen non potest Rex, etsi ex auro solido aut gemmis integra templa ædificaret, cum pio & orthodoxo Pastore, quem Princeps vocat & tuetur. Hic multa animarum millia ad hujus & æternæ vitæ felicitatem promovet, homines per verbum ad Deum ducit, & bonos atque industrios viros ex iis efficit, qui Deum colant & mundo utiles sint; Templum autem talem hominem non format, immo nihil per se præstat quam ornatum. Sed ubi est Princeps talis? ubi oculi, qui hanc virtutem in eo spectant? Parum splendent ista, & vilis res habetur, pium quendam Pastorem alere & tueri; sed ex marmore Basilicas exstruere, aurea donaria in templis suspendere, saxo & ligno sumtuose ædificare, ista scilicet splendent, & magnæ sunt Principum virtutes.* Secundo laudat Principem, viduas, orphanos & tenuiores a vi & injuria defendentem: præfert hoc constructioni Xenodochiorum, quibus pauci frui possunt, cum Princeps, jus omnibus administrans & pauperes protegens, ex tota provincia hospitale faciat. Tertio pacis curam & pœnas maleficorum commendat: salse exagitat ignavos monachorum greges, qui tamen credant se cœlum fulcire, ut Atlas. Sanctissimorum Eremitarum, Hilarionis aut Hieronymi, merita nihil esse, contendit, si cum boni Magistratus actionibus conferantur: *Mallem* (ait) *prius scriba aut quæstor bonorum Principum, qui in hoc Psalmo Dii dicuntur, esse, quam Hilarion aut Hieronymus. Si calamus meus non æque splenderet, ut*

An. 1530.

(14) *Urget pietatis & sanctimoniæ necessitatem.*

(15) *Elogium commentarii Lutheri in Psalmum CXVIII.*

(16) *Alius in Psalmum CXVII.*

(17) *Docet, quis sit hæreticus.*

(18) *Disputat de monachis & de fide justificante.*

(19) *Explicatio Psalmi LXXXII. de Principum & magistratuum dignitate.*

(20) *De publica eorum correctione.*

(21) *Laudat Principum curam pro religione, & piorum pastorum vocatione.*

(22) *item pro viduis & miserabilibus.*

(23) *Pacis custodiam*

An. 1530.

(24) *Pœnam hæreticorum, certo modo, suadet.*

ut illorum barba & rugæ, particeps interim essem vel unius ex tribus illis virtutibus. Tractat postea quæstionem de officio Principum adversus hæreticos, & primo sine dubio puniendos eos esse statuit, qui simul sunt seditiosi; dein corrigendos, aut saltem ad silentium adigendos, qui unum ex articulis a Christianis omnibus receptis, quos pueri in symbolo discunt, publice negent & impugnent, v. g. Christum non esse Deum, sed solum hominem aut Prophetam. Neque tamen id agi vult, ut homines ad fidem cogantur, sed ut blasphemiæ & maledicentiæ publicæ coerceantur. *Servandum enim* (inquit) *est jus civitatis Christianæ, sicut civilis, & si quis nolit credere & profiteri, quæ alii credunt, recondat id suo periculo in pectore, & linguam frenet, aut si id non potest, civitate exeat.* Deinde speciatim disquirit, an Lutherana, quam vocant, & Papistica doctrina, in uno loco simul doceri possit? mavult autem Lutheranos tacere, & secundum præscriptum Christi *Matth. X.* loco cedere, quam renitentibus concionari. Existimat, Magistratum examinare debere, quæ pars verbo Dei conformia doceat, illique soli jus concionandi tribuere, ne turbæ fiant, si contraria in eadem urbe aut parochia publice doceantur. Hæc sententia non repugnat Magistratibus, qui, statuta civili concordia, utrique parti jus concionandi concedunt, ut in Germania multis in locis non longe post factum est. Improbat clamores & rixas de rebus in Scriptura non definitis, nec per miracula confirmatis, quales sunt, quæ ad ritus pertinent, quibusque pax & charitas præferri debet. Minime vult indulgeri clandestinis doctoribus, in familias irrepentibus, putatque tumultum rusticum præcaveri potuisse, si Munzero & Carolostadio clancularia illa subreptio interdicta fuisset. Extendit hoc, ut neque orthodoxis concionatoribus licere velit, non vocatis, publice aut clam concionari; omnes quidem Christianos Sacerdotes esse, sed non omnes jus concionandi habere. Sua scripta, quanquam pleraque haud lubenter edita, ex delato sibi Doctoris munere & titulo defendit, ad conciones vero vocatum se esse dicit. Illis denique, qui hoc modo Evangelii propagationem impediri putant, cum adversæ partis magistratus Lutheranos, ut hæreticos, a concionando prohibeat, respondet: id periculo prohibentium fieri, & de sævitia illa Deo responsuros esse (IX.) Revocatio seu palinodia de purgatorio, *Tom. V. Alt. fol. 291.* Inscriptio autem hæc est ironica, calumniatores enim imputabant illi contradictiones & mutationes in doctrina, & insolescere videbantur, quod diu per alia negotia nihil adversus eos edidisset. Oppugnat autem in hoc tractatu vehementissime totum dogma de purgatorio, de quo pauca a se scripta esse fatetur; singulatim respondet ad omnia dicta Scripturæ, quibus purgatorium adstrui consuevit (1) ad locum *II. Maccab. XII. 43.* licet librum illum pro canonico non habeat, negat tamen, ex sacrificio Judæ pro mortuis, purgatorium demonstrari posse. (2) ad *Psalmum LXVI.* (Hebræis *LXV.*) *transivimus per ignem & aquam*, notat, ipsos Pontificios fateri Veteris Testamenti tempore nullum fuisse purgatorium. (3) ad *Apoc. XIV. 13. Beati mortui &c.* (4) ad *I. Cor. III. 15. quasi per ignem &c.* provocat de his ad tractatum *Pomerani*, quem *verum Wittenbergensium multorumque aliorum Episcopum* vocat, & sufficientissime responsum ab eo esse ad locum istum dicit. Addit haud pauca de explicatione Scripturæ abusiva, cui aliquando etiam optimi Ecclesiæ Patres indulserint, quod exemplo Augustini, Gregorii, Hieronymi & Ambrosii confirmat; Gregorii autem Romani opinioni de purgatorio modeste regerit, nihil, quod Scripturæ autoritate careat, recipiendum esse, & Patres ipsos, secundum dictum Augustini, in decretum *cap. noli* relatum, ad Scripturæ normam judicari debere. Insectatur tandem abusus Psalmorum & textuum biblicorum, quos in vigiliis recitant, & pecuniæ studium, quo tota purgatorii machina tendat: *Mammon*, ait, *est Deus Deorum, in mundo potentissimus, hic eos docuit ad purgatorium effingendum tota Scriptura abuti, si meus esset Deus ille, intra mensis spatium & purgatorium & totum Papatum aboliturum me esse, confido; sed deest mihi hæc divinitas; si hanc haberem, doctrina mea non esset hæresis, sed pura veritas, nunc paupertas mea hæresis est.* (X) Sermo de juventute ad scholas mittenda *Tom. V. Alt. fol. 302. & seqq.* dedicatus est *Lazaro Spenglero* Syndico Norimbergensi, & insigne elogium, in epistola ad illum, tribuitur inclytæ urbis Magistratui, ob scholam, vocatis magno sumtu excellentissimis viris, ita constitutam, ut nulli postponi, immo fere omnibus præferri debeat. Alloquitur inde Pastores, & de vulgi inscitia & ingratitudine, post restitutam Evangelii doctrinam, & prostratum Monachismum, studia literarum aversantis, acerbe queritur. In illa insania pergentibus denunciat, fore, ut mox denuo asinos, quales habuerint, *Locatos* & *Bacchantes*, recipere cogantur, qui magno sumtu nihil doceant, & iterum in bona Laicorum & in pudicitiam uxorum & filiarum grassaturi sint. Hortatur itaque omnes, ut populum ab hoc errore revocent, & tractatum suum anno 1524. editum, qui legitur *Tom. II. fol. 804.* de quo in loco dixi, allegat. In libello hoc ipso utilitatem & necessitatem Scholasticæ institutionis, ut & damna, quæ ex neglectu ejus oriuntur, prolixe deducit, multa hic non tantum de pastoribus Ecclesiæ, sed & de Jurisconsultis, aliisque ad civilis reipublicæ munera adhibendis, quædam etiam de Medicis & Philosophis commentatur, lectu dignissima. At severus est adversus equestris ordinis viros, qui literarum studia negligunt aut oderunt. Magistratum vero cohortatur, ut parentes vel invitos adigant, quo liberos suos informandos in scholas mittant, & qui ingeniis valent, ad altiora studia destinent. (XI.) Adhortatio ad usum Sacramenti Eucharistici *Tom. V. fol. 318. & sqq.* In exordio querelas habet de contemtu Sacramentorum. *Recte, ait, receptum toto orbe Christiano esse Pædobaptismum, verendum enim, si nunc, ut olim, non nisi adulti baptizarentur, plurimi plane baptismum essent neglecturi, idque interdi* judicat *a Satana, Anabaptistarum sectam excitante.* Ad Eucharistiã cogi quidem neminem posse, & Pontificum legibus non nisi hypocritas fieri, interim Pastores non ab omni liberat culpa, quod auditores non majori studio per admonitiones ad

(25) *An ferri possit uno loco utriusque religionis exercitium.*

(26) *Improbat clanculario concionatores.*

(27) *Refutat purgatorium, & ejus fulcra subruit.*

An. 1530.

(28) *Sermo de juventute ad scholas mittenda.*

(29) *De usu Sacramenti Eucharistiæ salutari.*

An. 1530.

ad salutarem hunc actum permoveant. Serio igitur officii sui commonefacit, neque desperandum esse dicit, etsi unum saltem Zachæum aut latronem in cruce convertant. Proponit dein causas, quæ homines ad frequentem Sacramentorum usum invitare debeant, & ex hoc libello suo, a simplicioribus parochis, qui meliora ex se promere nequeant, prælegi aliquid, non sine fructu, posse existimat. Prolixe tractat de commemoratione, cujus causa Sacramentum institutum est, & quid ea sit, egregie docet, nec ab elencho errorum abstinet, tum illorum, qui præsentiam corporis Christi in Sacramento negant, tum Pontificiorum, qui sacrificium pro commemoratione substituerunt: concedit tamen nomen sacrificii tribui posse debitæ commemorationi beneficii a Christo in passione sua præstiti, cujus recordatio cum laude & gratiarum actione in sacra Cœna celebretur. Cum vero modestiores quidam aut occultiores ex Pontificiis, hoc ipso tempore, fucum facere, & Missam veterem retinere, aut denuo introducere niterentur, dictitantes, se sacrificium mysteriale & memoriale intelligere, adversus illam palliationem haud pauca adducit, & nihilominus contra institutionem Christi peccari ab iis ostendit, quia ex sacramento, etsi propitiationem jam illi non adscriberent, opus tamen faciant meritorium & sacerdotale, atque ita duplex Sacramentum comminiscantur, unum, quod sit sacrificium, & a solis sacerdotibus præstetur; alterum, quod sit communicatorium, Laicis distribuendum, cum tamen non nisi unum Christus instituerit. Explicat postea mentem suam distinctius, & *fol. 318.* conditiones proponit, quibus admissis, concedit Missam *sacrificium* nominari posse, nempe (1.) ut intelligatur sacrificium laudis, ein Danckopffer/ non operis; ut sacerdos non dicatur sacrificare in altari, sed sacrificium illud laudis & gratiarum actionis commune sit, & ipsi sacerdoti, qui administrat & sumit sacramentum, & illis, quibus id distribuit. (2.) ne sacramentum posthac vendant, aut pro aliis, vivis aut mortuis, offerant, sed ut sacerdos, ut alius quis ex populo Christiano, sacrificium istud sua saltem præstet actione, ita, ut per hanc suo & fidelium communicantium & adstantium nomine, Deo gratias agat, pro beneficio salutis, omnibus in passione Christi exhibito. Addit tamen (3.) his stantibus sequi, quod, cessante illa, quæ hucusque jactabatur, propitiatione pro aliis, simul concidere & annihilari debeant omnes fundationes, Missarum propitiatoriarum causa factæ. Hoc facile judicat, explosum ab illis iri, sed sic etiam manifestum fieri, meram sycophantiam esse, quæ de sacrificii commemoratione nunc rhetoricentur. Altera hujus tractatus pars tota est practica, in qua saluberrimus fructus Sacramenti eximie demonstratur, ut sit recordatio mortis & meriti Christi, corroboratio fidei, excitatio charitatis & bonorum operum & precum, & sic sacrificium laudis & sacrificium orationis. Suggerit etiam solatia adversus sensum indignitatis nostræ, & suo exemplo docet, quanto cum damno fiat, si quis eam ob causam procrastinationi locum det, denique ut exploratione & consideratione miseriæ & periculi, a peccatis, mundo, morte, & diabolo instantis,

(30) *Monstrat, quatenus sacrificium dici possit.*

appetitus Sacramenti moveri possit ac debeat. (XII) Expositio *Psalmi CXI. Confitebor tibi Domine, Tom. V. Alt. fol. 334. & seqq.* Dedicavit hanc *Casparo a Kæckeritz*, ex Nobilitate Misnica, quem ob pietatem magnopere laudat, & exemplum ejus aliis ex illo ordine, de quorum moribus, & ingrato erga Evangelium animo, multum queritur, proponit. Data est hæc dedicatio *die Lunæ post Catharinæ*, id est, d. 28. Nov. Inde simul patet, tres, quos recensui tractatus, de *Scholis*, de *Magistratu*, & de *sacra Cœna*, quorum, ut recens editorum, mentionem in exordio epistolæ facit, paulo ante prodiisse, ita ut Coburgo Wittenbergam regressus, continua scriptione de præcipuis materiis occupatus fuerit, quæ in Comitiis ventilatæ fuerant, nempe ut adversariorum sophismata refelleret, &, quæ Augustæ dissimulata erant, in apricum produceret, & repurgatis a se Ecclesiis utiles instructiones proponeret. Prædicit autem in eadem præfatione immanes clades Germaniæ certissime instantes, tum ob adversariorum insolentiam, tum ob Evangelicorum ingratitudinem. Illam tanto graviorem esse scribit, quia in Comitiis satis constiterit, & ab adversariis ipsis deprehensum fuerit, doctrinam Evangelicorum non esse adversus fidem & sacram Scripturam, Pontificiam vero in Scriptura non fundari. Psalmum ipsum ita tractat Lutherus, ut sensum ejus literalem & proprium ad gratiarum actionem referat, in festo Paschalis Judæis factam. Applicat autem eundem & ejus 22. versiculos, qui a totidem literis alphabeti Hebraici incipiunt, ad laudes & gratias agendas in Missa sive celebratione sacræ Eucharistiæ, magnoque id facit spiritu, tum ad excitandas suorum mentes ad beneficia Dei recte æstimanda, tum ad refellendos abusus. (XIII) Libellus de clavibus *Tom. V. Alt. fol. 350. & seqq.* totus est elenchticus, quo jus potestatis Pontificiæ a fundamentis subruitur. Indicat autem abusus maximos juris, quod clavium vocant, & Ecclesiæ ac politiæ proceres, qui id tamdiu toleraverant, veluti e veterno excitat. Examinat autem (1) Christi dictum *Matth. XVI. & XVIII. Quodcunque ligaveris* &c. & ex illo jus legislationis ecclesiasticæ non, nisi per frivolam & ineptam cavillationem, deduci ostendit. Quantum vero damnum rei Christianæ per tot leges & vincula conscientiarum intulerint Pontifices, prolixe recenset, ad Bullas, libros & acta eorum provocans: manifestum enim ex iis esse ait, quod ex hoc dicto non vim & efficaciam sanguinis Christi & gratiæ divinæ in remissione peccatorum, aut legitime exercenda peccatorum censura, sed tantum Papæ potentiam stabiliverint & magnifecerint, utque eam super omnes Christianos immo & Imperatores, Reges & Principes orbis, tandem quoque super mortuos in purgatorio, & angelos in cœlo, tanta impudentia extulerint, ut ex Papa Deum, aut mixtum, ut loquuntur, Deum & hominem fecerint. Speciatim taxat, quod, etsi duas claves æqualis mensuræ in insignibus suis pingi faciat Pontifex, non tamen nisi ligante, id est, leges ferente, nunquam autem solvente, nisi acerba satisfactione pecuniaria prævia, utatur. *Una illa itaque*, ait, *repleat scutum suum, altera minutissima forma appingatur.* Er solte allein den Binde-

A. 1530.

(31) *Expositio Ps. CXI.*

(32) *Libellus de clavibus.*

A. 1530. Binde-schlüssel lassen das feld füllen / und das Löse-schlüßlein kaum ein mohn-körnlein seyn. (2.) Occasione dogmatis de clave, quod Theologi Pontificii tractant, totam indulgentiarum Pontificiarum vim atque efficaciam impugnat, & dispensationes de communione sub utraque, & de conjugio sacerdotum, quorum Campegius in comitiis spem fecerat, salsis sarcasmis exagitat, nihil iis sibi opus esse dicens, & Germanorum stuporem ridens, qui se, ut mulos, ab Italis tractari patiantur.

(33) *Refutat indulgentias.*

(3) Aliud dogma Canonistarum, de *clave potestatis & scientiæ*, in censuram vocat. Clave *potestatis*, ait, (ut *Nicolaus III.* scripsit) jura simul cœlestis & terrestris Imperii jactant Papæ, dominantur fulminibus suis in Reges & Principes; clave *scientiæ* interpretantur & solvunt omnia jura, decreta, doctrinas & quæstiones: utramque vero, licet notis ex jure canonico dictis asserere soleant, illis promiscue Lutherus abjudicat, & clavem scientiæ, quæ *Luc. XI. 52.* nominatur, & officium doctorum indicat, impertinenter huc trahi monet, nil morans autoritates veterum quorundam.

(34) *Disquirit de clave scientiæ.*

(4) Post rejectas illas claves, *legislatorias, errantes, potestatis & scientiæ*, jam ordinarium clavium usum in ligandis & solvendis peccatis considerat, & his quoque Pontifices & clerum pessime uti contendit: tum, quod censuras in manifesta crimina prope nullas exerceant; tum, quod remissiones & indulgentias ad peccata commentitia, ubi contra leges Ecclesiæ aliquid commissum aut omissum est, applicent. Addit alia contra persecutiones doctrinæ Evangelicæ, & adversus dictum, quod Gregorio tribuitur: *Sententia nostra etiam injusta metuenda sunt.* Deinde verum & rectum usum clavium a Christo præceptum, & Ecclesiæ concessum, egregie proponit & commendat, subinde tamen admixtos Pontificiorum errores refutans.

(35) *Verum usum clavium demonstrat.*

(XIV) Annotationes seu paraphrases in Psalmos viginti quinque priores, quas *Vitus Theodoricus* ex Lutheri ore in arce Coburgensi hoc anno excepit, exhibentur *Tom. V. Alt. fol 412. ad 495.* item in 29. 42. 45. 51. 56. 81. 118. 133. 137. 147. 148. posterioribus annis ab eodem exceptæ *d. Tom. V. fol. 497. ad 514.* quibus subjunguntur, quas Lutherus ipse alio tempore sua manu conscripsit in Psalmos 23. 24. & 25. *a fol. 514. ad 524.* Prioribus illis paraphrasibus extemporaneis famulum discipulumque suum Vitum docuit, & seipsum in mœrore illo consolatus est: neque aliud fere, indefessi vir laboris, recreationis genus habuit, quam, ut studia & meditationes suas aliquando variaret.

(36) *Annotationes in Psalmos priores XXV. a Vito Theodorico exceptæ.*

Reperiuntur autem in notis illis, præter exegetica & dogmatica, aliqua ad historiam temporis illius pertinentia, & ad hostium & adversariorum sævitiam & insidias, quæ & ipsi & Saxoniæ Electori metuendæ erant, quas cum Davidicis persecutionibus comparat. Nominat haud semel Georgium Saxoniæ Ducem, dein Fabrum, Eccium, Cochlæum, vide *fol. 453. ad Ps. XV, 4. fol. 459. ad Psalm. XVII, 6.* ubi dicit: Hertzog Hanß von Sachsen ist gar verlassen / iedermann hofft / daß wir darob zu scheitern gehen / darum hilff / lieber HErr. *Dux Saxoniæ, Johannes* (Elector) *plane desertus est; omnes inde nostram sperant ruinam: juva itaque nos, Domine. Fol. 465. 466.* observat summam, quam adversarii in Cæsaris potentia ponebant, & palam jactabant, fiduciam. *Fol. 467. ad Ps. XVIII. 32. Mammon,* ait, *est Deus Papæ; Georgius Saxo, Episcoporum; Cæsar illorum omnium.* Et *fol. 492. ad Ps. XX. 3. Usingius* (Erfurtensis) dicit: *Nos Cæsarem totum pro nobis habemus, & longe plures sumus Lutheranis.* Sed & magno animo minas illas spernit, & de Dei auxilio certus est. *Fol. 462. ad Ps. XVIII. 3. Irruunt in nos Papa, Episcopi & fanatici, sed adversus illos consistemus in Christo, qui est petra; huic innitimur, in hoc efferimur. Fol. 474. ad Ps. XX. 3. Deo liberrime causam committo; non nitor Landgravio, non Principe meo,* (Electore) *sed neque adversarios metuo. Fol. 474. Ps. XXI. 13.* Georgio Duci omnia infeliciter successura denunciat, quia a Deo se averterit. *Fol. 497. ad Ps. XXV. 19. Dux Georgius* (ait) *me infestat, sed illi dicere possum: justam causam habeo; non sedet ille in tribunali, sed Deus. Deus mihi dicere potest: tu es nequam, sed Georgius totusque mundus id non potest dicere.*

(37) *Historica quadam, speciatim de Duce Georgio & Cajetano.*

An. 1530

Refert etiam quædam sui temporis exempla: *hostes,* ait, *ob unicum quoddam caput, quod improbant, decem millia rejiciunt, quæ improbari non possunt; & vicissim decem millia dissimulant, si unum placeat. Unde Cardinalis Cajetanus Augustæ mihi dixit: revoca unicum articulum de meritis Sanctorum, & fatere, illum esse thesaurum indulgentiarum, hoc facto cætera tibi omnia permittentur. Ita* (pergit) *nunc unum maxime objectant, quod cœlibatum sacerdotum sustulimus, & virginum claustra reseravimus, ob hoc funditus cupiunt nos destruere.* Ex annotationibus posterioribus, a Vito editis, multa præclare dicta excerpi possent. Queritur *fol. 508.* ad *Psalmum LXXXI. 6.* de securitate hominum sui temporis, qui tam facile præteritorum malorum obliviscuntur. *Non jam,* ait, *recordamur miseria, quam sub Papatu toleravimus in conscientia, corpore & opibus. Fol. 512. ad Psalm. CXLVII. 14. Ita vivimus, ac si non fuisset pestis, nec sudor Anglicus, neque Turcæ Viennam obsedissent, multo magis negligimus spiritualia, & vivimus, ac si non fuissent nobis inculcata Pontifex, indulgentia, purgatorium, confessio, satisfactio.* Meminit etiam *ad Psal. XXIII. 3. fol. 515.* hominum (quales nunc quoque habemus,) qui doctissimi & optimi inter Christianos haberi volunt, sed naturæ & voluntati suæ frænum laxant idque vocant *ingenuum & liberum cultum Dei,* eine freye dienstschafft Gottes; *agere se dicunt, qua ratio probat; irrident obsequium, quod religioni præstatur; securi sunt, quia nihil mali, ut ajunt, faciunt, sed vivunt ex dictamine rationis. Fol. 521. ad Psalm. XXVI. 6.* de studiis hominum, qui in cultu Dei ceremonias & ritus sectantur, & in his viam salutis quærunt, alios superciliose despiciunt, seipsos vero mire inflant, multa queritur, cum interim negligant viam a Deo monstratam, puritatem cordis & mortificationem veteris hominis, quas solas exigit præceptum Christi.

(38) *Taxat ingratitudinem, securitatem, libertinismum.*

Quæ præter ista ex anni hujus 1530. scriptis *Tom. V.* inserta sunt, *epistola* aut *præfationes*, paucissimis indicabo. Præfatus est in versionem Ezechielis & Danielis *fol. 1. 2.* in excerpta ex jure Pontificio, quæ sacris literis conformia sunt, *fol. 393.* Meminit ibi Archiepiscopi

(39) *Epistola & præfationes quadam hujus argumenti.*

A. 1530.

pi cujusdam, qui Cypriani libros ut hæreticos cremari voluerit, quod audiisset Ecclesiam universalem in illis statui, Romano Pontifici non subjectam. *Fol. eod.* præfatur in tractatum quendam *de religione Turcarum*, *a Justo Jona* versum, cujus occasione acriter in corruptelas Romanæ Ecclesiæ invehitur. *Fol. 396.* in libellum *Justi Menii*, contra Anabaptistas, quorum capitales errores nervose recenset: inter alia, quod bona opera, quia nihil mereantur apud Deum, plane spernant, nulliusque pretii esse dictitent. (wolten sie um einen groschen geben.) *At se*, ait, *quæ per Dei gratiam præstiterit, docuerit, scripserit, pluris, quam totius mundi opes æstimare.* Præfatio in quasdam fabulas Æsopi extat *fol. 403.* Ex epistolis insignioribus præter eas, quas in historia Comitiorum retulimus, memorari meretur ea, quæ *fol. 275.* habetur ad *Johann. Brentium*, e Latino versa, in qua commentarium ejus in Prophetam Amos magnopere laudat, & simul libere indicat, quæ in Origenis & Hieronymi scriptis desiderat. Dein *fol. 372.* responsum ad quæstiones matrimoniales, a quibus tamen decidendis totum se abhorrere dicit, mavultque illas ad alia tribunalia deferri. Alia porro *fol. 398.* ad *Henricum Genisium*, de baptismo Judæi cujusdam ex Latino versa. Denique *fol. 400. & seqq.* ad *Electorem Brandenburgicum*, sibi licet infensissimum, & ad Episcopos, *Brandenburgensem, Havelburgensem & Lebusensem*, itemque ad *Ordines Marchiæ*, pro Wolffgango Hornungo, ob litem cum uxore male multato. In his & Principem & Episcopos, observatis quidem honorum titulis, magna cum libertate admonet, ut, quod æquum & justum est, decernant & promoveant. Quæ *fol. 407.* de electione Ferdinandi in Regem Romanorum, mense Decembri ad Electorem Saxoniæ scripsit, cum aliis, quæ ad illam causam spectant, *fol. 409. & seqq.* in anni sequentis historia memorabo.

§. LXXXIV.

(1) Incrementa reformationis Lubecæ, & in civitatibus aliis Inferioris Saxoniæ.

Periculosissimo licet hoc tempore, ob adventantis, & paulo post præsentis Cæsaris metum, & ea, quæ in Comitiis agebantur, non defuerunt tamen, qui reformationi religionis studerent. Anno enim hoc ineunte Senatus *Lubecensis*, qui civibus Evangelicæ doctrinæ studio flagrantibus huc usque restiterat, pulsos antea Evangelii præcones, *Andream Guilielmi & Johannem Walhof* revocavit, & ad D. Mariæ & D. Petri concionatores constituit. Renitebantur acriter Canonici Lubecenses, Henrici Brunsuicensis promissis inflati, qui se Collegii a Majoribus suis fundati defensorem gerebat. Adacti tamen sunt, cum oblatam ab Evangelicis disputationem recusarent, ut in omnibus templis conciones Evangelicas, easque solas, admitterent. Accersitus deinde Wittenberga, *Johannes Bugenhagius*, ministerium ordinavit, & scholam egregiam instituit, cujus primus Rector *Hermannus Buscoducensis*, Conrector autem *Erasmus Sarcerius* fuit. Secuta quidem sunt severa Cæsaris edicta, sed nullo effectu. Vide *Chytr. Lib. 13.* qui & ea refert, quæ in aliis urbibus, invitis licet Principibus aut Dominis, acta sunt, nempe *Göttingæ, Lüneburgi, Rostochii, Lemgoviæ*, item in *Livonia*, quo *Johannes Brismannus* ex Borussia missus fuit, & *Bremæ*. Quid superioris Germaniæ urbes præstiterint, ex historia Comitiorum supra relata satis colligitur.

(2) Item in Germania superiori, Ulmæ inprimis.

Sectabantur quidem aliquæ Zuinglii dogma, & Ecclesiastas habebant ei faventes, paulo post tamen Augustanæ confessioni & Saxonicis Ecclesiis junctæ sunt. *Ulmensium* singularis constantia fuit: Senatus enim a Cæsare licet serio monitus, ut decretum Augustanum reciperet & exequeretur, habita tamen cum civibus deliberatione, in reformatione religionis perstitit, eamque ob causam d. 28. Octob. publicas preces ad signum campanæ hora undecima antemeridiana singulis diebus faciendas, indixit, ut patet ex concione seculari anno 1617. a *D. Conrado Dieterico* habita. Argentinenses eximiam beneficentiam Lotharingiæ Ducis subditis, religionis causa exulantibus exhibuisse, ex *MS. Bullingeri* Chronico *Scultetus* laudat *p. 330.* In Anglia hoc anno versio Bibliorum, *Guilielmi Tyndalli* opera, Antverpiæ procurata, &, decepto *Cutberto Tonstallo*, Episcopo Londinensi, in regnum invecta, magnum Papisticis dogmatibus damnum intulit, ut & edictum a Rege, licet veteris doctrinæ retinente, adversus Pontificis jurisdictionem publicatum. Sed ista ex scriptoribus Anglis petenda sunt.

Finis Libri Secundi.



HISTORIÆ

HISTORIÆ
De
LUTHERANISMO
LUDOVICI MAIMBURGII
e Soc. Jeſu
LIBER TERTIUS.
SECT. 1.

De fœdere Smalcaldico, & electione Ferdinandi in Regem Romanorum.

d. l. 7.



Malcaldia, parvum oppidum Comitatus Hennebergenſis, Landgravii Haſſiæ ditioni ſubjectum, clarum nomen adeptum eſt a conventibus, ſæpe ibi a Principibus Proteſtantibus, ad negotia ſectæ ſuæ communia tractanda, habitis. In hoc igitur d. 22. Decembr. 1530. *convenerunt, rogante Electore Saxoniæ, qui eo ivit, cum Coloniam proficiſci deberet. Sed miſit huc filium Johannem Fridericum cum mandatis, ut electioni Regis Romanorum, quam ibi moliebantur, fortiter ſeſe ſuo nomine opponeret. Proteſtabatur enim, manifeſte id attentari contra Auream Bullam, qua cavetur, ut, ad libertatem ſuffragiorum conſervandam, electio fiat poſt mortem Imperatoris: itaque non licere ei vivo ſucceſſorem dare. Cæteri Principes, ob eandem cauſam Electori juncti, ad Imperatorem & Electores ſcripſerunt, rogantes, ut a conſilio tam pernicioſi adverſus libertatem Germanicam exempli prorſus abſtinerent; ſed conatus iſti plane inutiles fuerunt. Satis enim ſciebant Electores, Auream Bullam, dum de electione Imperatoris diſponit, non excluſiſſe poteſtatem denominandi ſucceſſorem, & quod Maximilianus, Caroli V. avus, hoc modo ſeptem ante mortem patris Friderici III. annis electus fuerit. Facile igitur iis perſuaſit Imperator, quod ob itinera, ſibi in Belgium, Hiſpaniam, & Italiam incumbentia, moraſque ibi faciendas, omnino opus ſit capite aliquo in Imperio, neque eſſe, qui eo munere rectius fungi poſſit, quam frater ſuus Ferdinandus, Bohemiæ & Hungariæ Rex. Ita hic electus fuit in Regem Romanorum d. 5. Januarii, & Aquisgrani d. 11. ejuſdem menſis coronatus, neglectis omnium Proteſtantium Principum proteſtationibus. Illi vero arctius, quam unquam, conjuncti, fœdus ſuum pro mutua defenſione adverſus omnes, qui ſe in religionis ſuæ exercitio turbare vellent, ſanciverunt. Eodem etiam tempore ad id invitaverant, miſſis Legatis, Civitates Lutheranas, maximaque earum pars, una poſt aliam, illi acceſſit.*

1531.

COMMENTARII
HISTORICI ET APOLOGETICI
De
LUTHERANISMO
VITI LUDOVICI a SECKENDORF
LIBER III.

§. I.

(a) Smal- … lia quale …



Malcaldia inter mediocria potius, quam parva oppida, recenſeri poteſt, & ante conventum celebris erat ob ferrarias, quibus etiam nunc claret. Munitum tamen non eſt, niſi muris, neque in finibus Hercyniæ ſylvæ ſitum, ut *Pallavicinus* non magis perite *Lib. IV. c. 1. in fin.* tradidit: Hercynia enim (der Hartz) quatridui itinere inde abeſt, nec hodie ſylvæ Thuringicæ nomen illi ſine confuſione tribui poteſt. Illo tempore Landgravius *Haſſiæ*, & Princeps *Hennebergicus*,

A. 1531. suâ quisque jura, in eo habebat; sed, extincta hujus familia, post annos quinquaginta totum in Hassiacam potestatem venit, sub qua & hodie est. Hoc igitur in oppido convenere: *Johannes* Elector Saxoniæ; *Ernestus* Dux Brunsuicensis; *Philippus* Hassiæ Landgravius; *Wolffgangus* Princeps Anhaltinus; *Gebhardus* & *Albertus*, Comites Mansfeldenses; ex quibus Albertus *Philippi*, Brunsuicensis Ducis, legatione fungebatur. Legatos miserant Civitates *Argentoratum*, *Norimberga*, *Constantia*, *Ulma*, *Magdeburgum*, *Brema*, *Reutlinga*, *Hailbrunna*, *Memminga*, *Lindavia*, *Campodunum*, *Isna*, *Bibracum*, *Windshemium* & *Weissenburgum Noricum*. Recessus sive formula Conventionis *Sabbatho post Innocentium*, id est, d. 31. Decembr. 1630. data exhibetur ab *Hortledero Tom. I. Lib. VIII. cap. 7.* Aberat *Georgius* Marchio Brandenburgicus, Cæsarem Coloniam comitatus, nec illius Legati, sicut nec *Norimbergenses*, *Windsheimenses* & *Weissenburgenses*, instructi erant, ut certi aliquid de mutuis auxiliis concludere valerent; unde & reliquarum Civitatum legati, exceptis *Magdeburgensibus* & *Bremensibus*, ad suos relaturos se esse receperunt. Interim spe consensus etiam ab his impetrandi, conventum est in hæc capita: Cæsarem requirendum esse, ut Fisci Imperialis procuratori (qui Protestantes jam vexare cœperat) mandaret, ut ab actionibus in causis ad reformationem Religionis pertinentibus desisteret: si vero vel a Fisco, vel a fœdere Suevico, aut a quocunque alio, sub prætextu Religionis, iniqui aliquid mandaretur, aut exigeretur, ut reliqui omnes consilia & auxilia conferrent. Dein, ut fœderis hujus socii viros eximios & doctos ex Theologis & Jureconsultis deputarent, qui uniformem rituum ecclesiasticorum ordinem conscriberent, quo diffamatio cessaret, ac si singulæ regiones & parochiæ pro lubitu pastorum, sæpe indoctorum, religionem constituerent. Eandem ob causam deputati illi de disciplina in corrigendis & puniendis vitiis & delictis publicis introducenda, itemque de Anabaptistis pro diverso erroris modo coercendis, statuere debebant. Conclusum porro fuit, ut non solum exceptiones adversus procuratorem Fisci, sed & appellatio a decreto Augustano componeretur, & Apologia ederetur, quæ totum Religionis negotium & fœderatorum acta proponeret & defenderet, utque ejus exempla Latine, Germanice & Gallice divulgarentur, maxime vero Regibus Galliæ & Angliæ, aliisque Principibus (qui tunc *Cameraci* per Legatos convenerant) insinuarentur. De Concilio Cæsar interpellari debebat, & interim doctis viris mandari, ut ex historiis & actis investigarent, quæ ad Conciliorum indictionem, modumque tractandi pertinerent; tum etiam deliberarent, quid agendum esset, si Pontifex pro capite Concilii sese gerere, & cum suæ factionis Episcopis decernere vellet. Animabant præterea omnes suæ partis Theologos & Doctores ad defendendam ex Scripturis fidei suæ professionem. Additum fuit in fine, ut secreto haberetur, quod non omnes Civitates in hæc pacta consensissent, sed ut potius spargeretur, unanimiter transactum esse. De justitia horum pactorum alibi disserendi occasio erit.

(2) *Principes, qui ibi convenerunt.*

(3) *Contenta fœderis Smalcaldici.*

ADDITIO.

A. 1531. Conventus hujus historia proprie ad finem anni 1530 pertinet. Cum enim sex menses indulgerentur Protestantibus, ad paritionem edicto Augustano præstandam, diem primo quidem 18 Novembris, deinde, cum aliquæ dilationis causæ emergerent, d. 22. Decembris indixerunt. Tractaverant jam Augustæ inter se quæstionem, *an & quatenus Cæsari, si vim inferret, resistere liceret?* Et Johannes quidem Elector, cum Augusta digressus, Norimbergam transiret, dixisse D. VVenceslao Lincio concionatori ferebatur: (idque Norimbergenses in suo de hac quæstione consilio *Reg. H. fol. 40. n. 2.* affirmant.) *Si a vicino quodam vel alio sub prætextu religionis infestaretur, repugnaturum se esse, quantis posset viribus; si vero Cæsar vim inferret, obligari se, ut cederet: ille enim*, ait, *Dominus meus est, neque ego honestius cadere & mori possum, quam pro verbo Dei.* (Lieber Doctor, greifft mich meiner nachbarn einer oder iemand anders unter dem schein des Evangelii und von desselben wegen an / gegen denselben will ich mich wehren / als starck ich bin; kommt aber der Käyser / mich anzugreiffen / das ist mein Herr / dem muß ich weichen / und wie kan mir ein ehrlicher verderben oder sterben begegnen / denn von des Wortes GOttes wegen?) Erant, qui resisti posse existimarent, si Cæsar ipse non esset præsens: abiturus enim esse dicebatur. Omnium maxime renitebantur *Norimbergenses*. Sed nec deerant, qui juste repugnari posse ideo statuebant, quod in causa religionis & conscientiæ Cæsaris jurisdictionem non agnoscerent. Eo maxime tunc propendebant *Argentoratenses*, quorum Legati aderant *Jacobus Sturmius* & *Jacobus Meyerus*. Promtissimi *Bremenses*, qui misso Syndico *D. Johanne von der Wick* / (is multa pro religione fecit & passus est) literis d. 13. Decembris datis, paucis quidem verbis, sed mascule professi sunt, *se pro viribus & facultatibus, cum aliis causæ consortibus, omnimodo adfuturos esse.* (Dat wy uns darinnen nach unser macht unde vermogenheyde / glyck andern Medeverwanten / inn aller bypflichtinge willick unde gehorsamlick finden laten wollen.) In omni illa deliberatione prætervíderunt, vel non satis clare expresserunt, quod summum imperium in partes dividi possit, salva, ut ita dicam, summitate, & quælibet partes defendi suo jure possint: id quod de Principibus & Ordinibus Germaniæ, summam licet Imperatoris potestatem agnoscentibus, affirmari poterat. Vide *Grot. Lib. I. de Jure belli & pacis c. 3. §. 17. & comment. Bœcleri* ad illum locum; ubi statuit, quod is, qui habet unum jus majestatis, contra non habentem (etiam Principem, qui hic non spectatur ut Princeps) naturaliter id tueri posse intelligatur. Altera difficultatis causa erat in admittendis ad societatem qui Zuinglii opinionem sequebantur. Aversabatur eos vehementer *Georgius* Marchio Brandenburgensis, cum *Norimbergensibus*, nec multo levius Elector *Saxo* a Luthero monitus. Hic enim scripserat: *Bucerum, cum quo Coburgi collocutus erat, nondum significasse, ut promiserat, quid de concordia statuerent dissentientes: Addebat, credi quidem quodammodo posse Legatis Argentoratensium, qui asseverarent, apud se eadem de Sacramento, quæ in Saxonia, doceri; sed concordiam in externo verborum sono quærendam non esse.* De electione Ferdinandi non solum libertati Imperii metuebatur, violata, ut putabant, Aurea Bulla, sed & religioni, cui illum infensissimum esse, ex actis Augustæ conjiciebant. Pontificis etiam in illo negotio interventionem aversabantur, qua electionem illam approbasse, & Auream Bullam eatenus abrogasse dicebatur, nullo, ut statuebant, jure. His dubitationibus factum est, ut licet in pactorum quandam formulam, famæ causa, & ne animum dejecisse viderentur, consentirent, solidam tamen confœderationem inire tunc non potuerint. Id in vero incumbebant omnes, ut plures sibi socios adjungerent. Landgravius in se recepit, ut cum Daniæ Rege & cum Hamburgensibus, tum per hos cum aliis Hanseaticis urbibus ageret, licet quædam Principibus subjectæ suo modo essent, horum enim jura excipiebantur. Argentoratenses cum Tiguri-

(a) *Deliberationes ante conventum: de jure fœderum: cum epicrisi ex Grotio ac Bœclero.*

(b) *Difficultas de Zuinglianis.*

(c) *Plures quærunt socios.*

A. 1531.

Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus tractaturi erant, modo illi Augustanam confessionem agnoscerent. Ulmenses cum Augustanis; Bremenses cum Mindensibus; Minkwitii fratres Caspar & Johannes, cum Uratislaviensibus & sex primariis Lusatiæ civitatibus; (den Sechs-Städten) alii cum aliis. Supererat de viribus magna consultatio, & extat *Pontani* insignis ad Electorem relatio, (*Reg. H. fol. 46. n. 4.*) peritiam viri minime vulgarem aut scholasticam exhibens, & in qua inter alia modum ostendit, cum Ordinibus provinciæ Electoralis, deinde etiam cum vicinis in Georgii ditione, agendi. Dissuadebat tamen ante omnia, ne Elector Landgravio consentiret; qui nolebat aggressionem expectare, sed copias extra provinciam educere, ut belli sumtus aliqua ex parte lucraretur. Apologia ad Reges, forma epistolæ elaborata, cujus Maimburgius *Sect. 24.* mentionem facit, Melanchthonis stylo conscripta, d. 16. Februarii data fuit. Ejus contenta sufficienter recenset *Sleidanus Lib. VIII. in pr.* Exemplum extat *Reg. H. fol. 51. n. 6.* subscriptum a *Christiano Bajero*, Cancellario Electoris, testante id cum archetypo literarum ad Reges missarum concordare, nisi, quod quædam in exordio ad Regem Angliæ mutata essent, quæ indicantur. Galliæ Regi titulum dederant; *Inclyto, potentissimo & Christianissimo Principi, Francisco Francorum Regi, consanguineo ac Domino nostro charissimo atque clementissimo:* Anglo vero, *Inclyto, illustrissimo & potentissimo Principi, Henricho, Regi Angliæ & Franciæ, ac Domino Hiberniæ, cognato & Domino nostro charissimo & clementissimo.* Subscripserant *Johannes, Dux Saxoniæ, S. R. I. Archimareschallus & Princeps Elector; Georgius, Marchio Brandenburgensis; Ernestus, Dux Luneburgensis; Philippus, Hessorum Landgravius; Senatus Rerumpublicarum Argentinensis, Norimbergensis, Ulmensis & Magdeburgensis;* Addiderant: *nostro & aliorum Principum, Comitum & Civitatum in hac parte adhærentium nomine.* Maimburgio causæ fuerunt, ut nihil ex his literis referret, dignissimis tamen, quæ omnibus innotescant. Continent sinceram relationem omnium actorum in causa religionis, ab origine usque ad nuperum edictum Augustanum. Depelluntur egregie omnes calumniæ de cupiditate invadendi bona Ecclesiæ, & subvertendi jura magistratuum: neque aliud petitur a Regibus, quam, ut Concilium liberum & christianum procurent, neque se ab inimicis adversus Evangelicos irritari patiantur. De responsis §. *V.* dicetur. Antequam has literas ad Reges dedissent Fœderati, de statu religionis in Gallia edocti fuerunt, ex relatione cujusdam, qui se *Petritium Fraccianum* (ficto, ut ipse fatetur, nomine) vocabat, ad Senatum Argentoratensem, sive Consilium civitatis militare Tredecimvirorum (die Verordnete zum Krieg/ genannt die Dreyzehener.) Hæc communicata cum Electore d. 2. Januarii 1531 per Landgravium, extat *Reg. H. fol. 15. lit. O.* & memorabilia non pauca continet. Atrocissimis calumniis autor onerari scribit Evangelicos in Gallia, & quidem ab insignibus in Germania viris, ut verendum sit, ne Rex tandem, accedente Prælatorum Gallicorum instigatione, moveatur, ut Cæsari auxilia adversum illos mittat. Fuisse apud Regem mense Augusto 1530. Legatum Cæsaris ex Nobilitate Burgundica, (*Noircarmium* vocat,) qui palam dixerit: nihil aliud agere religionis prætextu Germanos, quam ut bona ecclesiastica possideant; ea jam omnia inter se divisisse, &, ad impediendam repetitionem, ædificia sacra destruxisse; publice inter eos de pulpitis doceri communionem bonorum, &, quod nemini jus sit alteri imperare, tollendos potius esse omnes Principes: his terrefactum Regem eadem a suis timere. Præterea relatum esse, matrimoniorum fidem omnem rumpi, prætenso Spiritus sancti impulsu; ad hæc invidiosissime exponi controversias de Sacramento, cum magno infirmorum in Gallia scandalo; sectarum immensum numerum referri, & inde concludi, nihil omnino sani inter Evangelicos esse; exasperari Regem a Regina, Cæsaris sorore, ex zelo quidem indiscreto, quia nullam religionis notitiam haberet. Suadet, ut ista per sororem Mariam, Belgii Gubernatricem, leniatur optatque, ut Cæsar ad bellum contra Gallos moveatur; optima tamen auxilia a Deo expectanda esse agnoscit: Legationem ad Regem refutandis calumniis utilissimam futuram esse judicat. Et profecto vix satis mirari licet proterviam mentiendi, post editam Augustæ Confessionem, si ista a Legato Cæsareo Regi significata sunt. A Legatis igitur autor demonstrari vult, obsequium a subditis Evangelicis longe exactius post reformationem, quam antea, præstari; minui lites forenses aliasque discordias; exerceri charitatem & eleemosynas; & hanc esse, quam suadeant, bonorum communionem, ut alter alteri pro facultatibus suis ad levandam inopiam succurrat, absque ulla dominii & proprietatis confusione; bona Ecclesiæ non rapi aut profanari, sed ad meliorem usum transferri. Quæ vero de adulteriorum licentia sive uxorum permutatione sparsa sint, falsissima & absurdissima commenta esse; nec veriora, quæ de sectarum multitudine jactarent. Fuisse ab initio disquisitiones, studio indagandæ veritatis enatas, quæ jam cessaverint, aut non ejus sint momenti, ut unitatem fidei lædant. De Sacramento, quod nimia superstitione Gallos venerari non tacet, caute loquendum esse monet, & agnoscendum, quod magna illi insint mysteria, neque aliud agi, quam ut Missarum abusus tollatur, & ceremoniæ ad formam Apostolicæ Ecclesiæ reducerentur. Inter Legatos Zuinglium, Oecolampadium, Carolostadium, Lutherum mitti dissuadet, reliquorum neminem invisum futurum esse, arbitratur; præstare tamen ut mittantur, qui Gallicæ linguæ periti sint, aut unum saltem, qui verba pro cæteris faciat. Commendat quendam *Simonem Tornacensem*, Farelli familiarem, & Argentoratensibus non ignotum. Suggerit, quæ loqui debeat, ad defensionem causæ Evangelicæ, & invidiam adversariis concitandam. Describit Regis ingenium; laudat humanitatem, sed & ambitionem notat, & quod flexilis sit, & facile sibi persuaderi patiatur, regiam potestatem se amissurum esse, nisi Lutheranismum inter suos opprimat. Dissimulari tamen id vult a Legatis, & Regem excusari, quod ignorantia rerum rigorem adversus veritatis professores exercuerit, rogandum etiam, ut cognita jam causa a sævitia illa cesset. Nominat inde quosdam Evangelicæ doctrinæ addictos, sed occulte, quorum notitia plane celanda sit. Narrat, sororem Regis, Reginam Navarræam jam velut in custodia teneri, nec ullum in aula esse, qui veritatem commendare audeat. Magnum tamen aulæ magistrum, quamvis non Christianum, id est, Evangelicum, moderate de Protestantibus sentire, Regique dicere solere, non obesse doctrinam Evangelii rationibus ejus. Cavere jubet, ne in literis Legatorum fiduciariis mentio fiat religionis, sed ut tantum admissio petatur; difficile alias futurum esse, ut publice audiantur, si statim appareat, de religione eos locuturos esse. Ad Angliæ etiam Regem Legatos expediendos esse putat; illum enim jam male affectum esse Cæsari ob divortium, quod cum Regina, illius matertera, moliretur. Narrat causam illam a Rege Doctoribus Sorbonicis propositam fuisse, numero centum, ex his LIV pro divortio respondisse, inter quos minimum duodecim fuerint Nicodemi, id est, in occulto Lutherani; XLVI divortium improbasse. Multus est in suadenda Protestantium concordia & conjunctione, neque peccare eos putat, si de defensione cogitent, & irritatos adversum se Reges placare studeant. Conqueritur de Admiralii sævitia in Evangelicos, & orandum esse Deum monet, ut illius potentiam opprimat. Monet, ut cauti sint in literis ad Gallos scribendis: Farellum enim in carcere detineri, ob interceptam Argentoratensis concionatoris ad eum epistolam. Profuit hæc relatio Protestantibus in literis ad Regem concipiendis, quanquam de Legatione mittenda tunc nihil statuerint.

(d) *Pontani prudens consilium.*

(e) *Epistolæ ad Reges Galliæ & Angliæ.*

(f) *Relatio de statu religionis in Gallia.*

A. 1531.

(g) *Consilium de mittenda legatione in Galliam.*

(h) *Alia ex eadem relatione.*

§. II.

Negotium electionis Ferdinandi Austriaci in Regem Romanum ad Lutheranismi historiam proprie non pertinere, vel inde patet, quod non solus

(i) *Electio Ferdinandi ad religionis negotium*

A. 1531.

non pertinuit. Notatur Maimburgius.

solus *Johannes* Elector Saxoniæ cum fœderatis suis electioni illi contradixit, cujus literarum, ea de causa d. 24. Decembr. 1530. ad Cæsarem scriptarum, tenorem *Sleidanus Lib. VII.* exhibet; sed quod etiam inter Romano-Catholicos fuerunt, qui electionem improbabant, *Bavariæ* Duces maxime, ut ipse in sequentibus fatetur Maimburgius, a Lutheranismo licet alienissimi.

ADDITIO.

De Bavaricis circa electionem consiliis secretiora.

Ex Legatorum Saxonicorum, qui Augustæ relicti erant, relationibus constat, *Bavariæ* Duces post discessum Electoris, præ se tulisse mitiorem de causa Evangelica sententiam, & speciatim testatos esse, sibi minime placere, quæ Elector Brandenburgicus in ultimo illo sermone suo rigida & dura prolocutus esset. Præmissa hac insinuatione, Legatis, & speciatim *Taubenhemio*, (qui id d. 25. Octobris refert) aperuerunt, instare electionem Ferdinandi in Regem Romanorum, & rogarunt hunc, ut Electori in memoriam revocaret, quæ Bavari cum ipso in comitiis hisce collocuti essent; confidere itaque, illum officio suo esse functurum, nec commissurum, ut contra Auream Bullam aliquid geratur, quia id sine magno Imperii damno fieri non posset. Ferdinandum etiam non una ratione culpabant, acta ejus cum Bohemis & Hungaris insectantes, immo Johannis VVeywodæ causam manifeste probantes, planeque nihil boni, si ad Imperium perveniret, ab illo expectare se dicebant. A Ludovico Duce paulo post (ut d. 11. Novembris scribit) edoctus est, decretum nunc esse in aula Cæsaris, ut Saxo ad electionem vocaretur, licet hucusque dubitatum ea de re fuisset, & jam fama vulgaretur, Pontificiam excommunicationem in illum cudi, ut tanto justius excludi posse videretur. Denique Bavari *a partibus Saxonicis, in negotio electionis, se omnibus viribus staturos esse*, magnifice profitebantur. Testati idem erant, misso ad Electorem Legato VVeissenfeldero, callido viro, qui de religione ita loquebatur, ut Principes suos a violentis consiliis abstinere quidem diceret, securitatem tamen, & quod plane quieturi essent, si res ad arma veniret, diserte non promitteret. Itaque non satis fidebat Elector amicitiæ Bavarorum, quod satis cognoscitur ex instructione Filio ad conventum Smalcaldicum data. Suspicabatur etiam, nescio quo fundamento, Guilielmum Bavarum ipsum ad Romani Regis fastigium adspirare, si depelli Ferdinandus posset. Intelligitur hoc ex literis ad *VVildenfelsium* anno sequenti d. 21. Aprilis datis, qui tunc ad Landgravium Legatus erat; cavere enim jubetur, ne in omnia Landgravii consilia consentiret, ut nimis addicti Bavaris, & restitutionem VVürtenbergici Ducis, litemque cum Nassoviis, præcipue respicientis. Se vero, ait, tantum intentum esse ad tuendam causam religionis, & impediendum Ferdinandi imperium, & ad hunc finem cum Landgravio de decem millibus peditum conscribendis conventurum esse.

Aversabatur eandem electionem clanculum *Henricus* Brunsuicensis, quod ei postea an. 1540. ab Electore Saxoniæ publice objectum fuit. Vid. *Hortled. Tom. I. Lib. IV. cap. IX. n. 178.* Quapropter frustra insultat Protestantibus, & audacter nimis, immo contra Gallica, quæ tunc asserebantur, principia, de causa pronunciat Maimburgius; mollius locuturus, si rationes contra electionem allegatas, & secutam postea anno 1534. *Cadani* in Bohemia, & *Spiræ* 1544. transactionem inter Ferdinandum Regem & Electorem Saxoniæ, tum, quæ pacis publicæ anno 1648. in *Westphalia* initæ tabulis cauta sunt, considerasset. Taceri hic non debet, Electorem Saxoniæ in causa hac, licet mere politica videri posset, pro conscientiæ tamen securitate consilium Lutheri per Cancellarium Pontanum exquisivisse. Extat responsum Lutheri d.

(2) Lutheri de electione consilium.

12. December. 1530. datum, *Tom. V. Alt. fol. 407.* Suadet, ut Elector ab electione Ferdinandi non abstineret, nec jus eligendi, sive statum suum, quem Cæsar, denegata Augustæ investitura, in dubium vocasse videbatur, infirmaret, sed actu potius exerceret: fore enim, etsi id omitteret, ut Cæsar forte jus illud Georgio agnato Electoris concederet: certe Ferdinandus nihilominus eligeretur, cui parendum esset, etsi Evangelicæ doctrinæ adversaretur: nam & Cæsarem idem facere, cui tamen obsequium denegari nequeat: Deo igitur fidendum esse, qui effecturus sit, ne Ferdinandus magis noceat, quam huc usque Carolus nocuisset. Cohortatur itaque Principem ad eandem animi constantiam, quam Augustæ tanta cum gloria demonstrasset, & cavere jubet, ne ob incertum futurorum eventum in præsens periculum descenderet: omnino enim turbas, immo bellum, ex recusatione electionis metuendum esse. Addit quædam de violentis Helvetiorum consiliis, & de Landgravii (quem tamen non nominat) cum illis conjunctione, in quam Electorem implicari posse suspicabatur, non satis tuta conscientia, ob dissensum in quæstione sacramentaria. Subjungit votum: Ach HErr Gott/ ich bin solcher weltsachen zu kindisch/ ich will bitten/ und bitte/ daß Gott E. Churfl. Gn. gnädiglich behüte und führe/ wie es bißhero geschehen/ oder soll ie etwas werden/ das ich nicht gerne sehe/ daß er doch mit Gnaden uns nicht verlasse/ und ein gnädiges mittel und ende gebe. Id est: *O Deus! pueriliter sapio in rebus his politicis; orabo potius, & oro, ut Electorem, sicut hucusque factum est, in posterum quoque tuearis & gubernes, aut si quid adversi contingat, quod nolim, ne nobis gratiam tuam subtrahas, sed media & finem clementer suppedites & promoveas.* Et hujus quidem voti compotem factum esse, secuta ostendunt acta & tempora. Ex his manifestum est, quod dixi, a Lutheranismo non dependere, quod tunc contra electionem actum est, cum ipse Lutherus contradictionem expresse improbaret; Melanchthon etiam, prolatis ex historia Romana & Germanica exemplis, jus eligendi socium imperii confirmaret. Vid. *d. Tom. V. fol. 408.* Rationes autem, quibus electionem, non attento Lutheri consilio, Elector Johannes impugnavit, ex scriptis ad Cæsarem & Electores a *Sleidano* relatis, & ex iis, quæ *Johannes Fridericus*, Electoris filius, per *Johannem Minckwizium* Equitem, Electoribus proposuit, & postea in exhibito d. 29. Decemb. instrumento Protestationis complexus est, legi possunt in relatione actorum Coloniensium, *Tomo V. Alt. f. 409.* inserta. Iisdem fere diebus Smalcaldiæ inter Fœderatos, ut dixi, conventum est; nec Johannes Fridericus, eodem die 29. Decemb. Colonia digressus, Smalcaldiam nisi post diem 31. Decemb. quo fœderis formula subscripta fuit, redire potuit: ut iterum vanus sit Maimburgius, cum putat, ex eventu Coloniensi commotos esse Principes Smalcaldiæ congregatos, ut in arctius fœdus consentirent; jam enim illud inierant, facile prævidentes, sua contradictione electionem impediri non posse: interim exceptionem sibi parabant, si Ferdinandus, absente Cæsare, ut Rex Romanorum, iniqui aliquid imperare illis vellet.

(3) Rationes contra electionem.

(4) Legatio ad Cæsarem.

SECT. 2.

SECT. 2.

Sleid. l. 8.

Interea Principes, quibus Comites Mansfeldenses se junxerant, in secundo conventu, sub finem Martii Smalcaldiæ habito, conveniunt de modo contribuendi milites & pecuniam, si ad bellum apertum cum Imperatore veniendum esset. Permissum enim hoc sibi esse credebant, postquam Theologos suos, & inprimis Lutherum, consuluissent, sine cujus assensu nihil fiebat. Hic tamen ab initio perplexus aliquantum circa hunc casum conscientiæ fuit, de quo antea multo aliter, quam nunc, statuerat. Scripserat enim in tractatu quodam brevi, quales lingua populari edere solebat, Magistratibus resistendum non esse, multo minus arma adversus Principem sumere licere, sub quocunque prætextu id fiat. Ut autem dubitatione sua liberaretur, lepido invento per advocatos ei suggesserunt, reperiri in Jure leges, per quas in quibusdam casibus permissum sit, defensione contra quemcunque uti: talem autem jam casum instare, cum agatur de re omnium maxima, nempe de conservanda vera religione. Lutherus itaque sine probro confiteri se posse ratus, se non esse Jurisconsultum, neque tales leges nosse; respondit, se hucusque ob ignorantiam legum civilium, non aliter, quam fecerit, docere potuisse, semper tamen concionatum, quod Evangelium non aboleret leges civiles & politicas, ideoque jam non dubitare, quin armis resisti possit omnibus, qui doctrinæ Evangelicæ (ita enim hæresin suam vocabant) admissionem impedire vellent. Vulgavit inde multos libellos valde seditiosos, quibus Germanos exhortabatur, ut hac occasione arma etiam adversus Imperatorem ipsum, pro defensione Evangelii, sumerent, damnatum vero omnes iri obtestabatur, qui Imperatori adversus doctrinæ Evangelicæ professores bellaturo adsisterent. Ita intum est fœdus Smalcaldicum, *eoque facto Principes prolixam Apologiam (*Manifestum *vocant) ad Reges Galliæ & Angliæ miserunt, in qua doctrinam suam & consilia defendebant, & auxilia orabant, non dubitantes, quin duo illi Reges, Carolo V. non amici, validam in hoc bello opem sibi laturi essent.*

(1) Alter conventus Smalcaldiensis.

(2) Lutheri de fœdere sententia.

Sleidanus ibid. Cochl.

(3) Libelli Lutheri seditiosi.

(4) Scripta fœderatorum ad Reges.

§. III.

Ordo rerum, quem hic non servat Maimburgius, poscit, ut de libellis quibusdam Lutheri prius agamus. Is, intellecto decreto Comitiorum, & ut Cæsar & Pontificiæ partis Principes sese conjunxissent, sub finem anni 1530. *commonitionem* illam scripsit, cujus mentionem parum bona fide hic facit Maimburgius. Titulum habet: Warnung D. Martin Luthers an seine lieben Teutschen. *Commonitio ad Germanos suos dilectos. Tom. V. Alt. fol. 529. seqq.* Eam latine versam exhibet *Cœlestinus Tom. IV. fol. 100. & seqq.* Queritur ab initio, de duritie adversariorum, Ecclesiasticorum maxime, qui Augustæ nullis admonitionibus, flagitationibus, promissionibus, submissione aut tolerantia, flecti potuerint. Habet igitur eos pro incorrigibilibus, pro quibus, utpote ad mortem peccantibus, vetante Apostolo Johanne, orari amplius non possit. Magnam inde fiduciam ostendit, fore, ut minæ illorum omnes vanæ & frustraneæ sint futuræ. Metuendam illis esse, ait, seditionem plebis, licet hanc non probet, & publicis scriptis acriter reprehenderit. Ab illius & a belli, quod instare timet, culpa Lutheranos puros esse, qui summæ humilitatis & patientiæ exemplum, quale in historiis non reperiatur, in Comitiis ediderint. Hos igitur conservationem a Deo sperare posse, qualem in nupera seditione experti sint, & ipse quoque deprehenderit, sæpe ex vitæ periculo ereptus. Si tamen moriendum sibi sit, sensurum esse Papam, quis sit Lutherus, & se mortuum mortem illi futuram esse, qui vivus pestis fuerit. Multos ex Episcopis & sacerdotibus ac monachis in exitium simul tractum iri, certe in æternum; cum ipse & pii in cœlum ituri sint, bona conscientia freti, & hæresis labe minime infecti. Fateri cogi adversarios, ringentes licet & invitos, nullum Confessionis articulum sacræ Scripturæ & fidei, sed solum ceremoniis & decretis Pontificum, adversari. Illos ergo homicidii & tyrannidis reos esse, qui tot innocentum (inter quos nominatim refert *Leonhardum Keyser*) sanguinem profundant. Bellum autem si nunc moliantur, nullo jure id facturos, sed læsam trepidamque habituros conscientiam, nec meliorem successum, quam, qui olim Germanis, contra Bohemos, ex decreto Pontificio bellantibus, contigerat: Deum excitaturum esse Maccabæum quendam, sicut Bohemis excitaverit. Incepto autem bello ab adversariis, & defensionem parantibus aliis, nihil se scripturum, nec dehortando nec admonendo, sed fatum commune subiturum esse, examinatione justitiæ ad Jureconsultos rejecta. Nolle se tamen condemnare illos, qui se adversus rapinas & cædes defendant; aliud enim esse invasionem moliri, quod fecerit Münzerus, aliud defensionem. Manifestum autem esse, quod aggressio, quæ a Pontificiis expectanda sit, scelere non careat, & reclamante conscientia paretur. Allegat dictum Episcopi cujusdam (Salisburgensi Cardinali *Matthæo Langio* id tribuitur) qui se toleraturum fore dictitaverat, ut doctrina Wittenbergensium ubique prædicaretur, modo non ex illo obscuro angulo mundi, aut a monacho originem haberet: item *Campegii*, qui ab exemplo metuere se dicebat, fore enim, ut, si Germanis aliquid concederetur, idem cætera quoque regna postulatura sint. Addit & *tertii* alicujus effatum, cui non placebat, quod Doctores Pontificii faterentur, religionem Protestantium ex Scriptura refutari non posse. Acerrime reprehendit denegatam causæ sufficientem cognitionem, & Confutationis, licet suo judicio vanissimæ, & Fabri atque Eccii ineptis nugis refertæ, editionem: illosque cum vespertilionibus lucifugis comparat, qui summa & perpetua cum

(1) Lutheri commonitio ad Germanos, de bello, quod metuebatur.

(2) Dicta quorundam Episcoporum allegat.

(3) Invehitur in Sophistas, & nominatim Eccium, ejusque acta in Comitiis.

A. 1531.

cum Germanicæ nationis ignominia latebras quæsiverint. E contrario, læto vultu & cum approbatione auditam esse Confessionem Evangelicam, cum Confutatio mœsto silentio & defixis in terram oculis exciperetur. Inexpectatum vero illis accidisse refert, quod ausus fuerit Elector Saxo ad Comitia, & quidem primus omnium, venire. De Eccio subjungit: (apud *Cælest. Tom. IV. Hist. Comit. August. fol. 105. b.*) *Etenim impudens iste sycophanta & sophista improbus Eccius, non ultimus inter Consiliarios ipsorum, aperte, audientibus nostris, dicere veritus non fuit: Si Cæsar ita, ut Bononiæ in consilio conclusum fuerat, egisset, & statim post adventum suum in Germaniam arma movisset in Lutheranos, ac passim eos, ut sua quemque sors obtulisset, jugulasset, tum vero recte actum fuisse; at, ubi Imperator Electorem Saxoniæ per Cancellarium causam agentem audierit, perturbata esse omnia illa optime excogitata consilia.* At truculenta illa molimina summe improbat, questus, quod non actum sit cum Principibus secundum tenorem literarum Cæsaris: irridet jactantiam, quod dicerent, *Confutationem in sacris literis esse fundatam:* si enim id verum erat, cur eam non exhibuissent, aut non alia conditione communicandam obtulissent, quam ne evulgaretur? Haud mitius de tractatibus seu colloquiis, concordiæ causa in Comitiis habitis, judicat, neque enim aliud, quam calumniæ prætextum quæsitum esse, ut haberent, quod Evangelicis imputarent, quasi ex sacris literis refutati essent, & oblatas conditiones respuissent, pertinaciter in hæresi sua persistentes. Speciatim explodit, quod de communione sub utraque concedenda pacisci voluerint, si scilicet agnosceretur, etiam illam legitimam esse, quæ sub una fieret: *Antehac*, (scribit apud *Cælest. fol. 107.*) *ut hæreticos ferro igneque omnes illos persecuti sunt, qui utraque specie in sacrosancta Cœna usi sunt; jam vero hoc idem, ut justum, sanctum & catholicum, approbaturos se esse, ostendunt, si vicissim cum illis colludamus, & ipsorum probemus ritum. Hoc vero, si, quod res est, dici debet, quid est aliud, quam ex eodem ore calidum & frigidum efflare? Laudant, culpant, affirmant, negant, prout commodum ipsis est; & tamen actiones suas subdolas esse, & se Ecebolos ac sycophantas dici nolunt. Nam si nostri istud approbassent, tum certe gloriosas passim in compitis & triviis voces audisses: Attendite, quæsumus, omnes, & animum advortite: Lutherani doctrinam suam revocant! etenim antea docuerunt, impiam esse Cœnæ administrationem, quæ sub una specie fit; nunc contrarium asserunt, & se ipsos propria confessione damnant. Hoc igitur monstri aluerunt, & hac ratione cuniculos in nostras egerunt Ecclesias, ut suos stabilirent abusus, & universum doctrinæ nostræ corpus suspectum facerent. Adhæc nostri doctores, ita agendo, ipsorum dogma in Ecclesiis nostris teneris sparsissent & instillassent, cum interim isti ex suis Ecclesiis nostram doctrinam plane exclusissent, & nequaquam reciproca fuisset obligatio. Ita nostro auxilio illi sese in nostras insinuassent Ecclesias; nos ex illorum Ecclesiis pulsi fuissemus.* Post hæc, quia *Germaniæ Prophetam* se dici sciebat, officium illud, ut haberent quod exagitent, assumit, exponens, quid Germanis instante bello (quanquam meliora a Cæsare speret) faciendum sit: nempe, si Cæsar jubeat arma in Principes, qui Confessionem exhibuerunt, expedire, neminem existimat obedire debere, quia injusta præciperet. Neque tamen illa a Cæsare metuere se dicit, cujus insignem modestiam & clementiam in Comitiis & Hispania ostensam summopere laudat, quia edicta nova postulantibus morem non gesserit, & dixisse feratur: *vix sibi persuaderi, adeo malam & impiam esse doctrinam, cui tam multi celebres & præstantes viri adhæreant.* Putat etiam, Cæsarem solenniorem, quam in conclavi suo, recitationem Confessionis permissurum fuisse, si per eum solum stetisset. Effectam interim vel illa prælectione esse rem maximam, omnibusque sumtibus & laboribus dignam, quod lecta Confessione invidia & mendacium succubuerint, & palam constiterit, nihil doceri a Luthero sacris literis contrarium, ut antea proterve calumniati fuerint. Refert dictum Cæsaris: *Si sacerdotes officium fecissent, nihil opus fuisse Luthero magistro;* sic enim agnovisse, Lutherum esse flagellum sacerdotum, & hos ob delicta & errores meritas pœnas pati. Salisburgensem etiam Episcopum Melanchthoni dixisse narrat: *Cur nos Sacerdotes reformare vultis, & multa in nobis desideratis, qui nunquam boni fuimus?* Hos autem esse, qui arma poscant, & ad ea capessenda Cæsarem provocent, ut ipsi otio & voluptatibus suis frui possent. Reprehendit Ferdinandum, quod Caroli Cæsaris manum repressérit, quam ad Apologiam confessionis accipiendam extenderat: e diverso Cæsarem laudat, quod Brandenburgici Electoris dura in fine Comitiorum dicta lenierit; adeoque omnia, quæ Cæsari adversus Protestantes suggeruntur, juventæ ejus & Clementis Papæ consiliis imputat. His præmissis, causas recenset, cur obtemperari Cæsari, bellum molienti, non debeat, iterum protestatus, se ad pacem & concordiam tendere, & neminem ad arma incitare. *Primam* rationem sumit a veritate Evangelica, Augustæ satis probata, quam Cæsar utique oppugnatum iret, si arma contra Protestantes arriperet: *secundam*, quod omnium abusuum Pontificiorum sese reos faciant, qui Cæsari adversus veritatem illam militarent. Hic multa libere & aperte exponit de Pontificis & Cardinalium fœdis voluptatibus, summa rapacitate, sævitia, veneficiis, perfidia & proditionibus: dein dogmata perstringit de indulgentiis, de purgatorio, de Missarum cauponatione, de superstitione dedicationum & consecrationum, de mutilatione Eucharistiæ, de fictis apparitionibus animarum Missas poscentium, & de idololatrica Sanctorum invocatione: inserit narratiunculam de *Cochlæi, Brentii & Melanchthonis* disputatione de Purgatorio, quam vide apud *Cælest. Tom. IV. fol. 115. b.* Addit quædam de carnificina conscientiarum, quæ per confessiones exercetur, neglecta penitus consolatione, de qua in tanta librorum mole nihil, ait, inveniri, sed tantum supputationes peccatorum & satisfactionum: subjungit abusum jurisdictionis Ecclesiasticæ & censurarum, & culpat vanissimam reliquiarum venerationem, &, quæ earum occasione frequentatur, indulgentiarum

(4) *Improbat concordiæ tractatum de communione sub una.*

(5) *Vetat arma su-*

A. 1531.

mi contra Evangelicos.

(6) *Laudat Cæsaris comitatem, dicta quædam ejus & aliorum affert.*

(7) *Rationes proponit, cur justum non sit bellum contra Protestantes.*

A. 1531.

rum nundinationem, anni inprimis Jubilæi. *Tertiam* causam allegat, quod militiæ illi nomen dantes, bona per Reformationem jam procurata subversum eant. Hic summam capitum fidei ignorantiam, quæ antea invaluerat, & egregiam eorundem, quæ jam vigebat, notitiam describit, maxime urgens articulum de justificatione per solam fidem, quam omnium persecutionum objectum fuisse, & tamen adversus inferorum portas prævalituram esse, contendit. Iterat in fine dehortationem a vi & armis, & de propensione sua ad pacem & quietem protestatur. Ex hoc libello multa in historiam anni hujus 1531. congessit *Cochlæus*, nil tamen iis præter convitia reposuit. *Maimburgius* ex hoc & aliis perperam collegit, Lutherum Germanos excitasse, ut arma contra Imperatorem sumerent. Objecerat idem ei jam tum anonymus quidam *Dresdensis*, ut Cochlæus refert, Laicus, qui tamen simul negavit, Cæsari aut Principibus, religioni veteri addictis, in mentem venisse, ut ad arma progrederentur. Adversus hunc Lutherus alterum libellum edidit hoc anno, sub titulo: Wieder den Meuchler zu Dreßden. *Contra sicarium vel sycophantam Dresdensem*, qui extat *Tom. V. Alt. fol. 559. & sqq.*

(8) *Cochlæi in libellum Lutheri a. n. madversiones, ut & anonymi Dresdensis.*

Sed antequam de hoc dicam, afferendum aliquid est de alio Lutheri tractatu, quo edictum Augustanum refutavit. Auff das vermeynte Käiserl. Edict / ergangen nach dem Reichstage zu Augspurg. *Monita ad edictum, post comitia Augustana publicatum* anno 1531. *Tom. V. Alt. fol. 545. & seqq.* Protestationem præmittit, se minime Cæsarem optimum & bonos Principes (den frommen Käiser und die frommen Herren) sed tantum malos & nequam, sive Principes sint, sive Episcopi, maxime vero Clementem Papam & Campegium Cardinalem, impugnare: deinde jactatum Spiritus sancti dictamen, & Ecclesiæ autoritatem, & vanam gloriam de refutata ex sacris literis Protestantium Confessione, tum præcipua edicti capita adoritur. Illud ante omnia, quo communio sub una adstruebatur; urget præceptum clarissimum Christi: *hoc facite*; negat Ecclesiæ fas esse, ut illud vel quodcunque aliud mutet aut tollat; si id audeat, jam non amplius Christi sponsam, sed scortum Satanæ esse. Ad perpetuam autem illam replicationem, quod Ecclesia errare non possit, & quod sancta sit, respondet: sanctam manere Ecclesiam, etsi aliquando in errorem cadat, nam & totam Ecclesiam orare quotidie debere: *Remitte nobis debita nostra*; nec potioris conditionis esse omnes, quam singulos, qui sancti sunt, etsi non carent peccatis. Dein errorem hunc de sublata altera Sacramenti specie, non Ecclesiæ, sed tyrannidi Cleri attribuit, & quidem Romani saltem; neque enim universalem hunc errorem fuisse, sed cæteras Ecclesias institutum Christi retinuisse. Exagitat vehementer oblatam utriusque speciei distributionem; si agnoscatur, etiam unius legitimam esse. Queritur, quod nullam distinctionem in Edicto fecerint inter confessionis autores, & illos, qui realem præsentiam in Sacramento negant; denique quod *innovationem* vocent, quod ex antiquissimo Christi instituto postulatum sit, nec videant, sua instituta nova esse.

(9) *Lutheri libellus ad edictum Augustanum.*

(10) *Urget communionem sub utraque.*

Pergit *secundo* (*fol. 552.*) ad præceptum de Missarum solitariarum celebratione restituenda, quasi scilicet Evangelium doceat & exigat canonem Missæ, omnesque ceremonias, & vendi illas jubeat pro paucis nummis (um sechs pfennige) animabus in purgatorio, nautis in mari, mercatori in via, ægrotis in domo; nulla fidei aut solatii facta mentione. *Nos*, ait, *verba Christi habemus*, (quæ recitat,) *his insistimus, in his vivemus, Dei gratia, & moriemur. Hæc sunt Missæ legitimæ* (id est, sacræ Cœnæ) *non emtionis & venditionis fundamentum. Hæc non poscunt, ut Deo sacrificium offeramus, nec, ut Sanctis honorem per Sacramentum exhibeamus, nec, ut animas ex purgatorio redimamus, ut alius alii per Missam opituletur. Utilitas & fructus a Christo unice indicatur:* Pro vobis datum in remissionem peccatorum. *Nil juvant adversus hæc mille Pontificum clamores de sacrificio Missæ, nil totius Ecclesiæ contraria observatio, stat enim & manet institutum Christi. Scire velim*, ait, *cur ex hoc uno Sacramento, & non ex Baptismo & reliquis, sacrificium fecerint?* Rejicit inde, quæ de *confirmatione* & *extrema unctione* in Edicto præcipiuntur, ut commentitia & fundamento Scripturæ carentia. Reprehendit *tertio*, quod errorem de libero arbitrio indistincte, & non exprimentes qualem intelligant, pro blasphemo condemnent; cum nec ipsi certi aliquid de eo statuant, sed plurimum inter se de hac quæstione rixentur. Suam vero & suorum sententiam, quod liberum arbitrium in rebus divinis, & animæ salutem spectantibus, mortuum & nihili sit, (de rebus enim humanis nullam notat esse quæstionem, & agnoscit dominium & arbitrium in illas homini datum esse,) diserte doceri in sacris literis. *Quarto* justificationem ex sola fide nobis applicandam defendit, & insertam Edicti verbis calumniam, *quod bona opera a Protestantibus rejiciantur*, refutat, verbis quidem satis asperis, ita tamen confidit suæ sententiæ, ut dicat: *Hunc articulum* (sola fides absque ullo opere coram Deo justificat) *non subvertent Imperatores, non Romanus, non Turcicus, non Tartaricus: non subvertent eum Papa, omnes Cardinales, Episcopi, sacerdotes, monachi, monachæ: non Reges, Principes, Dynastæ: non totus mundus cum omnibus diabolis: & ignem infernalem præmium contradictionis suæ accipient. Ita ego Doctor Lutherus, inspirante Spiritu sancto, statuo, & hoc est verum Evangelium.* Addit probationem simplicissimam ex symbolo Apostolico: *Credo in Jesum Christum, crucifixum, mortuum*; ita pergens: *Si igitur nullus alius mortuus est pro peccato, si nemo alius peccata tollit, excludendi sunt ex concursu, in remissione peccatorum & justificatione, omnes homines, cum omnibus operibus suis, nec Christus liberator a peccatis aliter, quam fide, apprehendi potest, & operibus id fieri nequit; si autem fides, antequam sequantur opera, Christum apprehendit, verum esse oportet, solam fidem redemtionem sibi applicare, id quod est justificari. Post fidem autem, ut fructus, sequuntur bona opera. Hæc est doctrina nostra, ita docet Spiritus sanctus & tota Ecclesia Christiana. In hoc per Dei gratiam persistimus, Amen.* Ad ea, quæ in Edicto sequuntur, de præbendis, de conjugio sacerdotum,

A. 1531.

(11) *Improbat Missas solitarias & sacrificium.*

(12) *Refutat liberum arbitrium.*

(13) *Defendit justificationem per fidem.*

A. 1531.

(14) *Narrat oblata Augustæ, & recusata.*

tum, de pœnitentiis & satisfactione, de censura ecclesiastica, de concubinis, de examine ordinandorum &c. hæc habet: *Nostri Augustæ obtulerunt, & ego in Admonitione mea obtuli, libenter agnituros nos esse jurisdictionem illorum ecclesiasticam, si Evangelium liberum relinquant, & abusus reforment. Scimus enim, illos enormes esse, & tamen isti obligantur, ut prædicent Evangelium, immo in eo vivant, & pro eo moriantur. His præstitis, de prabendis & constituendis pastoribus tractari, & omnibus rebus remedium quæri potuisset. Sed non solum hæc recusarunt, verum vi jurisdictionis illius suæ Evangelium opprimere, & pios Christianos ejus causa trucidare, & in exilium ejicere volunt.* Vehementer inde adversus prohibitum Clero conjugium invehitur, & turpes sacerdotum & Prælatorum mores rigorose in censuram vocat. Post alia, ad illam clausulam Edicti, qua Evangelium doceri mandatur *secundum interpretationem receptorum ab universali Ecclesia doctorum*, interrogat, quosnam per hos intelligant? quinam sint doctores recepti ab omnibus? an *Eccius, Faber, Cochlæus?* an *Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Hilarius?* At hos a Græcis non esse receptos, neque consultum fore Pontifici, si ex eorum sententia conciones instituantur. Dicit igitur, servaturum se esse cum suis articulum illum, & docere velle, sicut doctores, quatenus hi secundum analogiam fidei docuerunt; qui vero id non fecerint, eos se non esse secuturum, qualescunque illi fuerint. Addit quædam adversus rigorem, quo festa, jejunia, & ejusmodi alia, sub pœna gravissima servari mandantur. Denique ad annexum præceptum de restituendis monasteriis, *Alberto* Cardinali Moguntino dicam scribit, qui Halis Saxonicis duo monasteria spoliaverit, duo templa parochialia destruxerit, & pro lubitu cum Clero veluti histrioniam exerceat. *Quid faciunt*, ait, *Ferdinandus Rex, Duces Bavariæ, Dux Georgius, & alii, qui Clerum tributis immensis gravant? Quid ipse Pontifex cum Cardinalibus, qui Romæ multa monasteria, in quorum aliquibus centum quinquaginta monachi vivere olim solebant, ita evacuarunt, ut solum duo vagabundi, vel unus saltem nebulo, sex ducatorum annua pensione, in iis reperiantur, qui missas venales habent, reliqui reditus a Cardinalibus percipiuntur. Sciunt,* (ait,) *quod Principes Pontificii, qui Cleri defensores esse volunt, quadruplo plus ex bonis Ecclesiæ lucrifaciant, quam Lutherani; & tamen tam impudenter adversus hos clamant. Ego quidem sæpe suasi, ut bona ecclesiastica ad pastorum, & scholarum, & pauperum studiosorum sustentationes, item ad impensas visitationis, aliasque erogationes parochiarum & templorum, tum ad virginum egentium & ad orphanorum educationem, &, si quæ supersunt, ad utilitatem publicam, & ad alimenta pauperum, destinarentur; sed tam male & inique parta sunt pleraque illa bona, ut indigna videantur, quæ ad justum & laudabilem usum perveniant. Neque ego multum curabo, si apud nostrates non omnia debito circa ea fiant modo, dum Pontifex & Clerus bona illa, non sua, ad bellorum sumtus, ad luxuriam & turpitudines absumunt, & nihil, quod ad officium pertinet, præstant.* Adscribit dictum *Mich. I. 7. De mercedibus meretricis congregata sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur.* Sperat tamen, apud suos ex bonis illis tantum recte collocatum iri, quantum conveniat aut mereatur bene impendi. **Ich hoffe/ es soll bey denen unsern noch wohl zu rechte kommen/ so viel sein werth ist/ daß es zu rechte komme.**

(15) *Rejicit cœlibatum Cleri, & glossam de interpretatione Scripturæ ex doctoribus.*

(16) *Expostulat de abusu bonorum Ecclesiæ ex utraque parte.*

(17) *De suis meliora sperat.*

In epilogo acerrime queritur de injustitia Edicti; recitat alia quædam ex Romanis institutis, quæ in illo omissa fuerint, v. g. *de confraternitatibus, indulgentiis, peregrinationibus*, & summo illo *de potestate Pontificis* articulo, ad præscriptum c. *pastoralis*, item *de aqua consecratione*, ad abigendum diabolum: hæc enim non minus quam reliqua a Lutheranis rejecta, & mirum esse, quod per Edictum cum reliquis non restabiliantur. Neque tamen cogitandum esse, illos ista, quorum eos pudeat, mutaturos aut omissuros esse, comprehendi omnia in dictamine illo Spiritus sancti & autoritate Ecclesiæ: interim summe deplorandum, quod cum tot dogmata Lutherana condemnarent, tamen ne unum quidem ex suis, quæ tamen ipsi pro erroneis agnoscant, correxerint, immo potius, dum innovationes omnes interdicunt, confirmaverint. *At dicent,* (ait) *Lutherum nunc condemnari oportuisse, nec ab hoc obscuro homine Reformationem expectari aut ferri posse: illo condemnato dispiciendum esse, quid reformandum sit. Ita scilicet* (regerit) *sibi gloriam Reformationis stultissime arrogant: debuissent veritatem a quolibet etiam vilissimo ostensam acceptare, si Dei gloriam respicerent: Dei vocatio ad magna opera requiritur, extra eam aliquid tentantibus dici potest ex 1. Maccab. V. 62. Ipsi non erant ex semine virorum, per quos salus facta est in Israel. Ego vero*, scribit, *cum Doctoris munus, invitus licet & coactus, acciperem, ad Scripturam sacram docendam juramento obligatus sum: in hoc impeditus a Pontificatu fui. Quid evenerit, secutumque sit, manifestum est, & pejora illis metuenda sunt: ego vero prohiberi me non sinam, super aspidem & basiliscum ambulabo &c.* Adhortatur tamen omnes, ne huic Edicto pareant, licet id sub optimi Cæsaris nomine promulgatum sit: id mirum non esse, cum Clerus ultra sexcentos annos omnia dogmata & mores, & quicquid ad dignitatem & potestatem suam pertinere putaverit, sub nomine ipsius Dei & sanctæ Ecclesiæ venditaverint. Jam subjungenda sunt quædam ex libello supra memorato, *adversus anonymum Dresdensem*, qui apologiam utriusque scripti, quod enarravimus, continet, & adulto jam vere, proxime ante nundinas Lipsienses, prodiit. Respondet ante omnia ad objectionem, qua culpabatur, ac si Cæsari obediri vetuisset; scribit enim, *neminem ante se excellentius de obsequio magistratibus præstando docuisse.* Fatetur quidem, *se statuisse, neminem ad obsequium, Cæsari aut alii magistratui præstandum, obligari, si jubeatur arma capere adversus veram religionem & justitiam; sed hujus sententiæ se non pœnitere, neque si in hac erraverit, S. Mauritium cum decies mille martyres sanctitatis laude dignos fore, qui, cum milites essent, mortem oppetere, quam Imperatori injusta exigenti parere maluerint.* Negaverat anonymus, Cæsarem, aut Principes ei conjunctos, ad

(18) *Epilogus adversus osores Reformationis a se captæ.*

(19) *Libellus Lutheri contra anonymum Dresdensem.*

(20) *Suspiciones belli*

A. 1531. *a Principibus adversæ partis metuendi aperiuntur.*

adversus Lutheranos bellum moliri, & Lutherum id suspicantem mendacii arguerat: *Ad hæc*, ait, *se de Carolo Cæsare optime sperare, quippe qui longe benignior atque clementior fuerit, quam sanguinarii, quos vocat, tyranni, ex clero, Augustæ nuper optaverint: summe enim indignatos esse, quod Cæsar ad suggestiones suas sævire in Protestantes noluerit, ideoque eos violenta moliri* non dubitat. *An Lutherani Principes*, quod adversarius regesserat, *arma parent, se*, scribit, *nescire, nec sua referre, libenter tamen intelligere, quod in hanc suspicionem apud adversam partem venerint: fatum enim Caini, post effusum jam sanguinem innocentem, illos mereri, qui cæso fratre semper timidus trepidusque fuerit.* Addit, *si verum esset, quod Principes Lutherani ad bellum sese instruerent, se tamen illos pro seditiosis ac rebellibus habiturum non esse, quia ad defensionem adversus injustos aggressores progredi haud esset illicitum. Quod autem vim meditetur Pontifex cum suis, probatum esse* putat *ex actis Bononiæ inter Papam & Cæsarem, & exemplis sævitiæ, quæ jam in privatos ediderint; qualia si adversus Principes patrare velint, utique bello opus esse, neque enim carnificis Lipsiensis aut Moguntini gladium Electorem Saxonem aut Landgravium metuere posse: ad hos opprimendos exercitum requiri.* Allegat, quæ Augustæ *Eccius*, Cardinalis *Salisburgensis* & alii aperte dixerint, gladio & vi agendum esse adversus Lutheranos. Idem consilium tribuit *Electori Brandenburgico* & *Georgio Duci Saxoniæ*, qui equitum quinque millia Cæsari obtulisse dicebantur: idem Clero, immensam vim pecuniæ promittenti. *Quanta fuit* (inquit) *ab annis duobus jactantia de adventu Cæsaris, quantas inde minas intulerunt, quoties cantarunt: Salvator venit, Salvator venit! Nonne sponsiones fecerunt, ante festum Michaelis actum fore de omnibus Lutheranis?* Addit plura, quæ Augustæ dicta & gesta sint, ex quibus summa truculentia adversus Lutheranos appareat. Inter alia *Fabri* sententiam, palam propositam, memorat: *Concilium quidem requiri ad corrigendos manifestos in Ecclesia abusus, sed prius opprimendos esse a Cæsare Lutheranos, ne unius miselli monachi causa reformatio suscepta esse videatur.* E contrario Lutheranos nil nisi pacem submissis & modestissimis verbis petiisse. Subjungit quædam, quibus denuo contendit, motum illum (a Paccio revelatum) non prorsus fictum fuisse. De edicto deinde Augustano vehementer queritur, quo dignitatis, opum & vitæ jactura omnibus indicetur, qui a veteri doctrina recederent: hoc satis clarum violentiæ indicium, nec de cætero obscurum esse, Electori Saxoniæ dura ista omnia intentari: hoc profecto non esse pacificum & benignum, ut jactet Anonymus, neque intra verba stari, jam enim in urbe Hallensi, ab Alberto Cardinali, vi agi, & Magdeburgensibus idem imminere, ita neminem tutum esse, & vulgo pro edicti Cæsarei executoribus haberi *Brandenburgicum, Georgium Saxonem & Henricum Brunsuicensem:* nihilominus ab Anonymo pacifica consilia deprædicari, cum manifesto Lutheranorum ludibrio. Verum esse, Lutheranos, qua Christiani sunt, omnia pati debere; sed adversariis non magis licere, ut ad vim erumpant. Satis modestum esse Electorem Saxoniæ, quod Hallensibus ob religionem afflictis non opituletur, cum tamen Augustæ Pontificii fœdus inierint, quo omnibus suæ religionis sociis tutelam promiserint. Repetit iterum, *seditiosos non esse, qui adversus injustam vim resistant.* Cum vero in hoc scripto acerrimis verbis & vituperiis utatur, excusationem in fine annectit, & *consumtam jam esse* fatetur *patientiam suam, ob immania adversariorum odia & molimina, neque mitiora a se expectari* vult, & *sua fulmina & tonitrua, dum vixerit, aut illi intereant,* minatur: addit, *fieri non posse, quin quotidie pro honore, regno & voluntate Dei orans, simul hostes & persecutores imprecatione feriat,* nec dubitat, se exaudiri. Totum denique libelli sui scopum adversus Anonymum paucis ostendit, nempe, quod, viso illo rigorosissimo edicto Augustano, deterrere voluerit Pontificios a violentia, neque tamen suis ad defensionem stimulos addere; sed id egisse, ut utramque partem ad moderationem & pacem moveret. Hæc itaque ad diluendam calumniam, ac si Lutherus Germanos ad bellum contra Cæsarem incitaverit, ex ipsius scriptis recenseri debuerunt, spreta petulantia, qua illi *Cochlæus* in historia hujus anni insultavit.

(21) De edicti Augustani severitate queritur.

(22) Excusat vehementiam scripti, & scopum ejus ostendit.

ADDITIO.

Præter ea, quæ Luthero *Cochlæus* & *Anonymus* hoc anno opposuit, asservantur *Reg. N. Lit. C. n. 19. fol. 72.* Georgii Ducis literæ, ad Electorem sua manu scriptæ, in quibus, præmissa blanda ejus collaudatione, & *virum probum* esse dicens Electorem, *qui lubenter ageret, quæ recta & bona sunt*, (einen frommen Mann/der gern recht thun wolte) vehementer queritur, de duobus illis Lutheri libellis, *Commonitione* nempe ad Germanos, & *Notis ad edictum Augustanum*, itemque de *duabus schedis* famosis & maledicis (zweyen Schandbriefen) ad Abbatissam & Præpositum monasterii Riesaviensis, ipse tamen dubitans, an has a se scriptas agniturus sit Lutherus. Pontanus VVittenbergæ habitans jussu Electoris cum Luthero hac de re egit, & hic prolixam responsionem ad Electorem misit, (*d. Reg. N. lit. E. fol. 73. n. 20.*) quæ Tomis magis, quam ulla alia ejus epistola, inseri meruisset; neque enim unquam, ut mihi videtur, majori animo & judicio imputatam sibi styli vehementiam excusavit. Occurrerat objectioni nimiæ acrimoniæ in ipso tractatu Commonitionis *Tom. V. fol. 541. s.* Ob hie iemand wird sagen/ & in versione Latina apud *Cœlest. Tom. IV. fol. 114. b.* Sed in his ad Electorem literis uberius & circumspectius materiam de acerbitate styli tractavit. Removet primo, quod ab adversariis & in literis Georgii exprobrabatur, ac si ad seditionem excitasset Germanos; provocat ad ipsum libellum, in quo nihil tale scripserit, sed tantum conscientias instruxerit, & abusum Cæsarei nominis, dolose obtensi, detexerit, decenter etiam laudato Cæsare. Satis tamen patere dicit, quam minime Christiano & honesto more cum Electore & consortibus in Edicto comitiali actum sit, ideoque etiam magna ex causa protestatos illos esse, & contradixisse publice. At nihil hoc, neque tot preces eorum, pro pace profuisse, sed crudele & sanguinarium Edictum protrusum esse, quo gladius in Electorem & socios manifeste stringatur, totaque Germania ad arma commoveatur. Electorem cum suis jam ultra sex menses tacuisse, & nimiam forte ostendisse patientiam, adversam vero partem insolentiorem & petulantiorem factam esse. *Licet vero*, pergit, *Celsitudo Tua & cæteri taceant, istaque omnia tolerare velint, mihi tamen diutius tacendum aut quiescendum non fuit, causa enim ab initio & omnium maxime me tangit.*

(a) Georgii Ducis querela de libellis Lutheri.

(b) Hujus excusatio.

(c) Verba epistolæ notabilis.

A. 1531.

Si igitur apertam illam doctrinæ meæ condemnationem silentio transmisero, deserere utique eam, aut negare videbor; sed priusquam id faciam, omnes dæmones totumque mundum, nedum Consiliarios Cæsaris ad iram in me provocabo. Dicunt, duo illa scripta acerba & vehementia esse: (seyn scharff und geschwinde:) *id sane verum est, neque lenia & hebeti scribere volui*, (sollen nicht stumpff und gelinde seyn/) *doleo, quod non sint acriora. Qui acerbitatem alterius partis observabunt, non accusabunt me singularis acrimoniæ & vehementiæ. Estne lene & benignum Edictum illud, quo Celsitudo tua cum sociis, denegata causæ cognitione, tam sæve percellitur, & gladius furorque in corpus & vitam tuam intentatur, unde facile Germania innocenti sanguine inundari, tot viduæ & orphani fieri, totumque Imperium destrui posset? Mea scilicet pro acerbis habentur, quis autem adversariorum acerbitatem respicit? Quando unquam Cæsar proterva & acerrima scripta prohibuit, quæ in provinciis suis hæreditariis intra & extra Germaniam continuo publicantur? Quando Ferdinandus Rex Fabri, quando Bavariæ Duces Eccii & aliorum scripta amarissima, mendacissima & criminationibus refertissima, pro justo acrioribus habuerunt? Quando Georgius Dux reprehendit Emseri, Cochlæi & multorum aliorum in sua ditione libellos, eadem asperitate & turpitudine scriptos, in quibus etiam egregius & pius Princeps Fridericus Elector, & tua Celsitudo sugillatur & exagitatur? Ipse Georgius & sæpe adversus me scripsit, eoque modo, cujus nebulones illos Emserum & Cochlæum pudere deberet: id ego illi nondum condonavi. Perspicis hinc, id velle istos, ut si ex sua parte centies milleni scribant, omniaque folia & herbæ in linguas converterentur, quibus ego acerbissime, fœdissime & falsissime proscinderer, id tamen omne justum & legitimum illis visum iri. Si vero ego unus & miser contra tot monstra & furias, una saltem vice clamavero, tunc ego solus & nemo alius acriter scripsisse dicar. Illis scilicet omnia permissa sunt; nihil nobis: loqui illis tantum licet; nobis silendum est. Non desipiunt certe, & satis callide res suas tractant, si ista obtinent.* Petit inde & precatur, *ne Elector falsis delationibus adversum se irritetur, sed cogitet, cogi se ad scribendum, & duro nodo durum deberi cuneum, se vero hebetiorem & molliorem justo esse putat, paratum tamen, ut ad accusationes illorum respondeat, & injuria convictus pœnam subeat.* (so will ich mein recht leiden.) *Nolim tamen*, addit, *illis autor esse, ut actionem instituant, neque enim ebrius aut somnolentus scripsi.* Duas illas schedas falso sibi tribui dicit, & se nescire, ubi sit illud monasterium, aut quæ Abbatissa. Dolet, publicari in Ducatu Georgii turpissimos libellos contra se, inter alios a quodam *Hasenbergio*, qui a nemine prohibeatur, sed Lipsiæ, tanquam re bene gesta, exultet, & cum aliis ejusdem farinæ præmia habeat. *Summa*, scribit, *quicquid nos loquimur aut agimus, improbatur, licet mortuos resuscitaremus; quod autem illi agunt, fas & justum habetur, licet integris provinciis sanguini innocenti immergant. Hi homines laneo digito tangendi sunt*, (man soll sie mit Baumwollen angreiffen) *blandiendum illis est, ut benignis, probis & pulchris.* (man soll ihnen hofieren und sprechen; Gnad Juncker / ihr seyd fromm und schön) Has literas a Luthero Germanice nativo & inimitabili vigore scriptas Pontanus d. 18. Aprilis Electori transmisit, rogans simul, ut Elector eas, licet acriores, in bonam partem accipiat: *scit enim*, ait, *Celsitudo Tua, quam bona & sincera mente & intentione sit Lutherus: vir est vere fidus: optarim modo, ut omnes audivissent pulchras gravesque conciones, quas per hos dies habuit.* (schöne und gewaltige Predigten.) Elector, acceptis literis illis, Georgio respondit, *sibi duos Lutheri libellos ignotos fuisse, & huic incumbere, ut de illis respondeat*; (lasse sie auff seine verantwortung ankommen) *non ignorare Georgium, quæ adversus ipsum Electorem & socios dura & aspera edantur, & quomodo pessime diffamentur: egisse se tamen cum Luthero, ut modum teneat, divino ac humano jure a pœna immunem.* (er solle masse halten / die mit GOtt und fug niemand straffen möge.) His tunc utcunque acquiescere visus est Georgius, & Electori d. 24. Aprilis scribens, ejus arbitrio totum negotium commisit. (stelle es ihm heim.)

(d) *Pontani de ea judicium; finis rixa.*

A. 1531.

§. IV.

Ex jam dictis facile conjicitur, quale Lutheri de fœdere Smalcaldico consilium fuerit, cujus *Sleidanus Lib. VIII.* meminit, & de quo hic agit Maimburgius, nescio quod lepidum commentum nobis propinans, quo Lutherus ad mutandam sententiam inductus fuerit. Verum est, & ex alibi dictis apparet, Lutherum non solum existimasse, *Christianos, qua tales, ab armis & bellis abstinere debere, neque fas esse, religionem vi & manu defendere*, sed & in ea fuisse sententia, ac si *Principes Imperii eodem modo subditi essent Imperatori, quo singulis sui subditi sint provinciales*, quibus utique omnis armorum usus adversus superiores interdictus est. Inde statuit, *Principes pati debere, quæ Cæsar ob professionem fidei contra illos decerneret, atque ita vitam & opes deserere.* Vidit tamen postea ex decretis Augustanis, injustam vim a parte adversa sub Cæsaris nomine intentari, neque hunc intra terminos muneris sui constitisse, dum in fœdus quoddam cum Principibus contra Protestantes descenderet, ita, ut hoc modo, non ut Imperator, sed ut caput factionis oppositæ, considerari posset. Certi sane juris (quod sequentia tempora manifestum fecerunt) non erat, per suffragia majora de religione legitime constitui posse, quod inviti, & conscientia renitente, tum ad cognitionem Concilii provocantes, sequi cogerentur. Quandoquidem autem jurisdictio & executio claris legibus niti debet, ad quas Cæsarea potestas Capitulationis, quam vocant, nexu constringitur; dein Principum & ordinum Germaniæ jura multum ex Majestate participant, aut ei analoga habent, quorum exacta notitia Theologis non erat; recte illi atque ordine fecerunt, interque eos vel maxime Lutherus, quod regulam generalem, de obedientia Magistratui præstanda, non omni privaverint exceptione, sed judicium ea de re ipsis Principibus permiserint. Luthero sane, ut ex libellis ejus vidimus, immotum fixumque jam erat, *resisti posse vi injustæ, ipsique Cæsari, potestatis suæ limites excedenti*: quinam vero essent illi limites, definire ipse non est ausus; Principum ea erat exploratio & determinatio, quæ ex illorum dictis & scriptis intelligi potest, maxime ex ipsius fœderis Smalcaldici tabulis, quarum primas supra retuli. Secundæ exhibentur ab *Hortledero Tom. I. Lib. VIII. cap. 8.* habentque diem adscriptum *Lunæ post Invocavit*, qui hoc anno incidit in 29. Febr. Paciscentes ex Principibus iidem, qui in priori conventione d. 31. Decembr. memorantur, nisi quod omissus est *Georgius Brandenburgicus*, & quod nomina *Ottonis* & *Francisci*, Luneburgicorum, Ernesti fratrum, adduntur. Civitates enumerantur: *Argentoratum, Ulma, Constantia, Reutlinga, Memminga, Lindavia, Biberacum, Isna, Lubeca, Magdeburgum* & *Brema*. Exciderunt itaque tunc *Norimberga, Heilbrunna, Campodunum, Windshemium* & *Weissenburgum*, quamvis quoad recusandum Fisci sive Cameræ judicium consentirent, quod etiam fecit *Georgius* Marchio. De *Regis Daniæ*, Ducum *Meckelburgen-*

(1) *Lutheri sententia, an liceat religionem contra vim defendere.*

(2) *Contentis secundorum pactorum Smalcaldensium.*

A. 1531.

burgensium & *Pomeraniæ*, itemque *Lubecensis* civitatis excusatione, *Sleidanus* videri potest *dicto loco*. In exordio pactionis, quod etiam in ejus renovatione anno 1536. retentum fuit, dicitur, ea nunc esse tempora, ut omnino videatur vis hostilis illis metuenda esse, qui purum, clarum & immaculatum verbum Dei in ditionibus & civitatibus suis prædicari faciunt. Cum vero officium Principum & Magistratuum requirat, ut caveant, ne sibi subditisque suis verbum illud Dei & veritas agnita per vim eripiatur, igitur se non ad ullius offensam, sed ad meram defensionem, naturali, humano & divino jure licitam fœdus iniisse, constantis & fidelis amicitiæ & conjunctionis, adversus communes hostes, si quis ex Fœderatis propter verbum Dei & doctrinam Evangelii, vel causas ex hac dependentes, (de quibus judicio Fœderatorum stari deberet,) infestaretur; polliceutur itaque quisque alteri, cui vis inferretur, auxilium, ex Christiana dilectione, fide & conscientia, sincere, iisque viribus præstandum, quas quisque adhibiturus esset, maximasque posset impendere, si ipse vim pateretur. Modus itaque pecuniæ & militum, uti quidem Maimburgius refert, in hac fœderis formula non exprimitur, sed id post sex annos demum factum est. Addiderunt, *nulli fas esse debere, ut reliquis ignaris aut invitis, pacem aut inducias cum hostibus ineat*. Succedit obtestatio, quod *hoc fœdus nec Cæsari, nec Imperio, nec alii cuicunque opponatur, sed tantummodo ad conservandam veritatem Christianam & pacem publicam contra vim injustam, per modum defensionis, tendat. Recipiendos in societatem esse*, statuitur, *qui id cuperent, & Evangelii doctrinam amplexi essent*. Tempus ad *annos sex* determinatur, aut, si interea res ad arma venerit, *ad finem usque belli*, reservata etiam prorogatione. Ita justitiam pactionis tunc quidem generaliter ex naturalis defensionis jure asserunt: sed post annos fere decem Elector Saxoniæ, *Johannes Fridericus*, & *Philippus* Hassiæ Landgravius, qui fœderis summi duces erant, publico scripto ab *Henrico* Duce Brunsuicensi, inter alia ob hoc ipsum fœdus Smalcaldicum, diffamati, editis apologiis, ille d. 20. Maji, hic d. 12. Aprilis 1540. primam occasionem ad fœdus istud a fœdere Cæsaris, cum Pontificiæ partis proceribus in Augustanis comitiis anno 1530. inito, & in decreto comitiali propalato, datam sibi esse scripserunt. Vide *Hortled. Tom. I. Lib. IV. c. 7. n. 107. & sqq.* & *cap. 9. n. 140. & sqq.* Verum igitur & tunc fuit, quod dici solet: *ex uno inconvenienti plura oriri*. Si enim Cæsar in Comitiis illis a Pontificis & Prælatorum sanguinolentis consiliis integrum se servasset, neque ad decretum illud præceps, quo causam Evangelii, nulla legitima cognitione prævia, nec jurisdicendi facultate satis præditus, penitus jugulabat, multo minus ad constituendam apertam factionem induci se passus esset, nulla fuisset causa Smalcaldici fœderis. Sed aliud in fatis fuit, & ea erant Germanorum peccata, ut justam Dei ultionem provocarent, bellis postea secutis exercitam. Eam tamen ita temperavit divina benignitas, ut ex illis ipsis, qui Cæsari ad Smalcaldici fœderis vires destruendas adjutores fuerant, Heroëm excitaret *Mauritium*, Saxoniæ Electorem, qui Evangelicæ doctrinæ securitatem pararet, & nodos quæstionum de suffragiis majoribus, & de jure cognoscendi in causa religionis, quæ tunc diversis fœderibus & factionibus ansam dederant, felicissime & pro commodo religionis Evangelicæ solveret. Cæterum, quæ de moderatione potestatis Cæsareæ adversus Principes Germanicos dixi, in *Johannis Friderici* Electoris *apologia* (quam allegavi) occasione aliarum criminationum, haud vulgariter tractantur. Objecerat enim Brunsuicensis Electori, quod fidem Imperio debitam violasset, Ferdinandi Austriaci in Regem Romanorum electioni resistendo, & Cameræ Imperialis jurisdictionem recusando. Multa igitur de Principum jure & libertate disserit Elector, & obsequium Imperatori præstandum legitimum, non despoticum & absolutum esse contendit, explicandum nempe, ne religioni, legibus publicis & capitulationi Cæsareæ adversetur. Quæ de literis, nomine Fœderatorum ad Reges Galliæ & Angliæ scriptis, breviter indicat Maimburgius, uberius apud *Sleidanum initio Libri VIII.* legi merentur, ea maxime, quæ ad objectum sibi bonorum sacrorum appetitum regerunt, his verbis: *Illud etiam spargi ab adversariis apud exteros, quasi doctrinæ genus hoc receperint, non quidem ulla pietate, sed ut per eam occasionem invaderent in bona sacra: sed hanc calumniam & anteactis conventibus esse refutatam, & fore, ut in totius orbis concilio magis confutetur: homines etiam prudentes atque judicio præditos, comparatione facta periculorum atque commodorum, facile videre, non minus absurdam & ineptam hanc esse, quam acerbam & odiosam criminationem. An enim ulla suis in finibus tanta queant esse facultates Ecclesiarum, ut existimationem, famam, dignitatem, conjuges, liberos, denique fortunas omnes, atque vitam ipsam, in præsentissimum periculum idcirco devocare velint? An ulla commoda sibi tam arridere & chara esse possint: ut non & Cæsaris & ipsorum, laudatissimorum videlicet Regum, benevolentiam atque gratiam his omnibus longe præponant? Suos nimirum majores atque parentes, cum ex iis bonis nihil attingerent, & domi cum dignitate vixisse, & sumtus etiam publicos tolerasse: nec id modo, sed Ecclesias etiam partim instituisse novas, collatis eo magnis vectigalibus, partim locupletasse veteres ac magis exornasse. Sua quidem ditionis Ecclesiarum opes esse mediocres, ac, licet necessaria sint ministris, qui populo præsunt erudiendo, quorum sane proventus annui admodum sint accisi, non se tamen recusare, quo minus in pios usus, arbitratu Concilii, conferantur; modo Concilium illud tale sit, in quo præjudiciis & affectui non sit locus.* Quæ hic offeruntur de restituendis ex Concilii deciso reditibus sacris, lucem accipiunt ex paulo ante citata *apologia* Electoris adversus Henricum Brunsuicensem, qui idem convitium, de quo in literis ad Reges *Johannes* Elector queritur, filio ejus Johanni Friderico impegerat, quod scilicet tantum temporalis emolumenti rerum & bonorum Ecclesiasticorum causa, religionis mutationem molitus esset. Pathetica profecto asseveraA. 1531.

(3) *Promittitur mutua defensio adversus aggressores.*

(4) *Justitia fœderis ex contrario Pontificiorum fœdere.*

(5) *Excusatio Fœderatorum ad Reges de rapina bonorum Ecclesiasticorum.*

(6) *Alia ex Joh. Friderici Elect. apologia contra Henricum Brunsuicensem.*

A. 1531.

veratio est, qua *d. l. §. 126.* optimus Princeps utitur: *Falso nobis hæc imputari, testamur Deum creatorem, & sinceram veramque conscientiam nostram, & cum Davide dicere possumus ex Psalmo VII. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, id est, si aliud in imo pectoris mei fundo quæro in hac causa, quam sanctum tuum, o Deus, Evangelium, tuumque honorem & gloriam, & ut nomen tuum in toto orbe sanctificetur, & regnum tuum amplificetur, omnes vero erroneæ & falsæ Pontificis & aliorum doctrinæ aboleantur, & Ecclesia tua Christiana & sancta ad veram concordiam perducatur; persequatur inimicus meus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam (vanam utique, si Henricus vera diceret,) in pulverem deducat.* Et postea *§. 129.* exponit, ut manifestatio veritatis divinæ sive Evangelii, tempore Patrui sui Friderici in Electoratu Saxonico initium habuerit. *At tanta*, ait, *hujus erat sapientia & prudentia, ut gloriam, cujus vanitatem objicit Brunsuicensis, quæ tanto cum odio, tantoque periculo vitæ, honoris & provinciarum, quod impia Leonis X. Bulla, & edictum Wormatiense secum ferebant, conjuncta erat, facillime sprevisset, nisi unicum & terribile effatum Christi formidasset: Qui me negaverit coram hominibus &c.* Addit alia de magna Friderici autoritate & gratia, qua apud omnes polluerit, & quam in discrimen religionis causa miserit. Dein, ut neque ille neque successor ejus Johannes, parens Johannis Friderici, ullum auxilium humanum ad causam illam tuendam sperare potuerit. *Neque tunc*, ait, *tempus erat, quo jussu & autoritate impios abusus abrogare licuisset, aut ex verbi divini professione gloriam in mundo acquirere. Nondum tam infamis erat Pontificatus, neque ulla tunc mutatio circa bona Ecclesiæ facta est, de qua nunc tantos clamores excitant, & tamen Leo Papa cum Episcopis suis veritatem per impiam Bullam suam condemnavit, & Cæsarem ad edictum Wormatiense induxit. Judicet itaque Deus & cujuslibet conscientia, an Patruus, Parensque noster, & qui iis adstiterant Principes, proceres & civitates, non veram Dei, sed suam eamque vanam gloriam sectati sint, dum corpus & honorem & tot egregias provincias, urbes & opes, in manifestum præcipitarunt periculum, nisi Deus id avertisset.* Refert postea quæ ad Comitiorum anno 1530. historiam pertinent & supra indicata fuerunt, ut Henricus Johannem Fridericum paulo ante discessum ex Comitiis in horto quodam convenerit, & quoniam status controversiæ fere unice circa bona Ecclesiastica, ut dictitabat, versaretur, suadere voluerit, ut illa Cæsari in sequestrum darentur. *Ne igitur*, ait, *ego & Parens meus videremur magnum momentum in bonis illis collocare, Parens meus per me, dein scripto, obtulit Cæsari bonorum sequestrum, ita tamen, ut per indigenas administrarentur, neque profani illi monachi & monachæ, aut alii, ab Evangelii doctrina dissentientes Clerici, introducerentur, neque superstitiosæ ceremoniæ, quæ abrogatæ erant, restituerentur, sed Concilii universalis, liberi & christiani decisum expectaretur.* Quanquam etiam plus oblatum hoc modo fuisset, quam expediret, dum sequestratis reditibus Ecclesiasticis alimenta & salaria ministrorum Ecclesiæ ex tributis subditorum moleste conquiri & piæ erogationes interim cessare debuissent, nihil tamen in illa causa amplius actum esse, & sic satis apparuisse, negotii cardinem non versari in bonis illis, sed in dogmatibus & ritibus: quorum restitutionem pars adversa ante omnia procurare volebat, Elector autem pro conscientia ferre non poterat. Sed redeo unde digressus sum: Exhibet quidem formulam illam fœderis, cui dies 29. Februarii adscriptus est, *Hortlederus* d. l. eamque diu desideratam, *Goldasti* & *Ludovici Camerarii* opera adeptum se esse memorat: verum ego in Archivo Vin. *(Reg. H. fol. 46. n. 1.)* eandem inveni, chartæ pergamenæ inscriptam, sed cui subscriptiones desunt, & ex literis *Joh. Friderici* Ducis ad patrem Electorem d. 8. Aprilis datis intelligitur, omissam esse subscriptionem, cum Deputati civitatum obtenderent, se sigilla publica non attulisse. Concepta autem erat formula illa, ex actis prioris conventus mense Decembri habiti, & conventum, ut in aula Saxonica descripta, nunc in hac congregatione subscriberetur ab iis, qui in religione consentirent. Cum igitur adessent, qui Zuinglianæ sententiæ favere adhuc viderentur, satius visum est, subscriptionem iterum differre. Ne tamen plane irriti discederent, subscriptum fuit d. 4. Aprilis, quod *d. Reg.* extat, decretum, *ut adversus Fiscalis Spirensis actiones communi consilio, & constitutis procuratoribus, exciperetur: de ceremoniarum unitate omnes ulterius cogitarent; manifesta tamen flagitia in suis ditionibus punirent, & disciplinam servarent; tum denuo d. 4. Junii Francofurti convenirent.* Argentoratenses, quod *Sleidanus* recte observavit *(Reg. H. fol. 50. n. 5.)* Helvetiorum, qui Zuinglium sequebantur, responsum in hoc conventu Smalcaldiensi retulerunt, quod articulos Augustanæ confessionis non improbarent, sed præter verbum Dei libere profitendum (das freye Göttliche wort) formulæ nulli se obligaturi essent. Annotatum in actis reperio, incuria Basileensium factum esse, ut Tigurini cum sociis illo modo responderint. Scripserant enim primo ad eos solum de fœdere, & hoc sine conditione offerebant, assentientibus vero, quod ab initio facere debuissent, significaverant, recipi eos in societatem non posse, nisi in articulis illis dissidium tolleretur. Hac præpostera admonitione turbatos illos fuisse judicatum est, aut ab Argentoratensibus allegatum, ut aliud tempus cum iis agendi impetrarent; magno enim desiderio una cum Landgravio tenebantur, illos fœderi adjungendi.

A. 1531.

(7) *Quædam adhuc de conventu Smalcald. & de Helvetica confessione.*

ADDITIO.

Advenerat Johannes Fridericus, Electoris filius, d. 29. Martii. Præparata erant negotia ad hunc conventum, ut intra paucos dies expediri possent. Producta sunt plurima JCtorum & Theologorum responsa, quorum aliqua edidit *Hortled. Tom. II. Libr. II. cap. V. ad XII.* sed supersunt alia, non minoris momenti. *(Reg. H. fol. 40. n. 2.)* neque operæ pretium perderet, qui etiam ista ederet. Tractarunt autem non solum illam quæstionem: *an fas sit, Cæsari, religionis causa vim intentanti, resistere?* sed & alias. Habetur inter hæc eximia *Martini Buceri* dissertatio, *de legitimo bonorum ecclesiæ usu*, quæ, ut Johannes Fridericus Dux sua manu annotavit, in conventu Brunsuicen-

(a) *Consilia JCtorum & Theologorum, de jure defensionis in conventu expensa.*

A. 1531.

fuicensi anno 1540. denuo considerata fuit. Contra Pontificem plurima argumenta allata sunt, ut ostenderetur, illum jure divino Cæsari, ut supremo Principi suo, subjectum esse, & per errorem hunc illi juramento obstringi. Contra Episcopos quoque allegatum est, quod seculari potestate, sive jure gladii, uti non debeant. Citata sunt scripta *Marsilii Ficini, Occami, Cyni* & *Rosellii* contra potestatem Pontificum: Repræsentatæ etiam fuerunt ex ipso Jure Canonico multæ depravationes sacrarum literarum, pro asserendo suo dominatu, a Pontificibus factæ, sed & ex eodem Jure demonstratum est, resisti posse Pontifici, si peccet in Deum. E diverso negatum quoque fuit Cæsari imperium in causa religionis, quia id in fidem & conscientias Christianorum extendi non possit. Extat & aliud in eodem *Archivi* volumine scriptum admodum acre, contra mores & gesta tyrannica Pontificum, quod tamen serius & circa annum 1546. compositum esse videtur. Inter alia asseritur jus Principum, ut, cessantibus Episcopis, in Cleri defectus inquirant & animadvertant, & reprehenditur Georgius Saxoniæ Dux, quod, deprehensis fœdis in cœnobio virginum Seuselizensi criminibus, causam ad Episcopum Misnensem rejecerit. Disputatum fuit, an civitatibus jus competat reformandi cultum in Ecclesiis cathedralibus intra urbes, quod Augustani sibi arrogabant; Magdeburgenses enim & Bremenses contenti erant, Canonicos excommunicasse, ut idololatras & flagitiosos. Multæ in hoc conventu querelæ auditæ sunt de rigore in Protestantes exercito. Ulmensibus aliisque severe mandaverat Cæsar, ut edicto Augustano in causa religionis obtemperarent, & subsidia ad bellum Turcicum mitterent. Reutlingensibus Tribunal Rotwilense molestum erat, & quod pastor eorum Aulberus uxorem duxisset. Gebhardo Mansfeldensi Georgius Saxoniæ Dux minabatur, ob mutatam religionem in præfectura Morungensi, quæ Georgii feudum erat. Sed neque his neque aliis ejusmodi factis ad arma sese irritari sinebant, qui aderant, solus Landgravius ad ea properare videbatur. Veritus fervorem ejus Johannes Elector, profecto jam Smalcaldiam Filio d. 30. Martii scripsit, ut impetum ejus retardaret. Misit exemplum literarum Pontificis ad Regem Poloniæ d. 30. Decembris anni præteriti datarum, in quibus Regi aperiebat, se, quoniam Carolus Augustæ nihil effecisset, ad concilium indicendum paratum esse, ut Italiæ perpetuum adversus hæresin Lutheranorum auxilium quæreret, & vires adversus Turcos. Ex his colligebat Elector, metui non debere bellum ante concilium. Alia quoque gravis momenti mandata Filio ad conventum istum dederat, plurimaque documenta ad instruendam causam adjunxerat, v. g. scripta Buceri, Argentoratensium & Lutheri in causa Sacramentaria: Relationem item Cancellarii Hassiaci, quem Landgravius in Daniam miserat. Intellexerat ibi, *Christiernum* Regem exulem, cum anno præterito Oeniponte apud Cæsarem fuisset, ad religionem Romanam rediisse, & a Cæsare suppetias ea conditione stipulatum esse, ut Papismum in regno suo restitueret. Suadebat inde Landgravius, ut Elector, posthabita carnali cum Christierno conjunctione, (ex sorore enim Electoris genitus erat) cum Friderico Rege, Evangelium profitente, societatem iniret, præsertim, quod causam suam judicio Imperii & Fœderatorum submitteret. Refertur in iisdem mandatis, ut *Johannes VVaywoda* fœdus per Nicolaum Minkwizium Protestantibus obtulerit, ad quod tamen minime inclinabat Elector, quanquam Ferdinando auxilia contra Johannem mittere nollet. Secretum tamen hoc esse volebat, ne ad Turcos emanaret, & Legationem de pace in Hungaria constituenda meditabatur.

(b) *Querelæ de Pontifice, Clero, aliisque persecutoribus.*

(c) *Acta quadam inter Electorem Sax. & Landgravium.*

SECT. 3.

Tribus jam aut quatuor annis Pontificem urserat Rex Angliæ, ut matrimonium suum cum Regina Catharina Arragonia, matertera Imperatoris, dissolveret, neque tamen quicquam a Clemente obtinere potuerat: causa enim examinata deprehenderat, dissolutionem fieri non posse, validissime quippe contractum erat. Protestantes igitur credebant, Regem, Papæ & Imperatori, qui injustæ petitioni omnibus viribus sese opponebat, pariter succensentem, facile in fœdus secum esse descensurum; sed fefellit eos opinio. Rex enim, quia nondum ad divortium, neque ab uxore, neque ab Ecclesia Romana, ut postea fecit, progressus fuerat, sed obtenturum se tandem petita sperabat, intra responsum come substitit, scribens, se credere, illos bono animo reformationem abusuum quorundam, qui in Ecclesiam irrepserint, desiderare, facturumque esse omnia, quæ a se expectare possent, ut nempe concilium, quod cupiebant, sine mora convocaretur. Plus fecit Franciscus Rex. Nam haud bene erga Imperatorem, ob causas, quæ ad materiam mihi propositam non pertinent, animatus, nolebat quidem paci Cameracensi contravenire, & fidei Catholicæ maximo zelo flagrabat, misit tamen ad Principes Guilielmum Bellajum, qui mandata sua secutus, tria satis memorabilia, ab historicis tamen illius temporis haud sufficienter tradita, peregit. Nam primo exhortatus eos est, ut ad antiquam religionem redirent, liberum concilium se procuraturum promittens, cujus decisionibus stare deberent: Secundo de conditionibus tractavit, quibus obtentis, Rex subsidium illis præstiturus esset, ad tuenda jura Imperii, quæ violata per electionem Regis Romanorum esse dicebant: Tertio monuit, ut fœdus illorum simpliciter intra terminos defensionis subsisteret, ad libertatem nempe vindicandam, si ejus causa invaderentur. Sic, cum Catholici executionem edicti Wormatiensis & Augustani urgerent, ex altera vero parte Protestantes, valido fœdere Smalcaldiæ inter se pacto, oppositionem molirentur, inevitabilis belli civilis videbatur in Germania miseria, cum subita, quæ in corporibus politicis non minus quam humanis accidere solet, revolutione, inter utrosque pax illico coaluit, ex causis, quas enarraturus sum.

(1) De Regis Angliæ causa matrimoniali, & actis cum Protestantibus.

(2) Item Galliæ Regis.

Mart. du Bellay l. 4.

§. V.

De divortio aliisque actis Regis Angliæ, quantum ad scopum conducet, alibi dicetur. Hic agendum erat de responsis Regum ad epistolas Fœderatorum, ut fecit *Sleidanus lib. VIII. p. 213. & seqq.* Maimburgius jejune id præstitit, nec bona fide. Responsio Angliæ Regis, 3. Maji *Greenvici* data, avthentica extat *Reg. H. fol. 51.* B. Inscribitur *Illustrissimo & Excellentissimo Principi, Johanni, Duci Saxoniæ, Romani Imperii Archimarescallo, Principi Electori, amico & consanguineo nostro charissi-*

(1) *Responsum Angliæ Regis ad Protestantes.*

A. 1531.

charissimo; Illustrissimo Principi Georgio, Marchioni Brandenburgico; Illustrissimo Principi Ernesto, Duci Brunsuicensi & Lüneburgensi; Illustrissimo Principi Philippo, Hassorum Landgravio; Nobilibus & clarissimis viris Senatibus Rerumpublicarum Argentinensis, Norimbergensis, Ulmensis & Magdeburgensis, amicis charissimis. In epistola titulum *Excellentiæ* dat Principibus, laudatque illos & socias civitates, *quod manifestum fecerint, hoc unum a se quæri & spectari, ut religio orthodoxa intacta & illibata maneat, bonumque pacis publicæ servetur, abusus vero Ecclesiæ corrigantur, quæ collapsa sunt reponantur, & omnia pristinæ sinceritati restituantur, quæcunque vel malitia deturbaverit, aut negligentia a suis gradibus dejecerit.* Fatetur, *se indigna multa de illis audivisse, quibus tamen fidem non habuerit;* gratias pro literis ad se scriptis ingentes agit, & sibi gratulatur, *quod communem de reformanda religione affectum habeant, talem scilicet, quo curetur, quod morbidum est, non protinus abscindatur, aut, novitatis oblectatione & illecebra, pro malis pessima substituantur.* Caveri, suadet, illos, *quorum libros ex Germania in Angliam delatos esse* dicit, *qui illicitæ rerum mutationi studeant, & obedientiam Magistratibus præstandam ad utilitatem saltem restringant, talem nempe, qualem tonsoribus & vestiariis præbemus, quos patimur, dum nos comunt & vestiunt.* Optat, *ut Deus Principum animis id studium instillet, quo Concilium generale procurent.* Substitit autem in hoc voto, neque officium suum aut studia, ut Maimburgius refert, ad id obtulit, ut sine mora convocaretur. Responsio Gallica, *Parisiis* d. 21. Aprilis data, cum sigillo regio non flavæ, quæ hodie ibi in usu est, sed rubræ ceræ impresso, eodem Archivi loco asservatur. Differt inscriptio ab Anglica, quod Elector non singulatim, sed simul cæteri Principes communi *Illustrissimorum* & *consanguineorum* titulo compellantur; Civitatum delegatis nullum honoris vocabulum tribuitur, *amici* tamen *charissimi* nominantur. Dies literarum a Fœderatis d. 16. Februarii datarum, Romani styli affectatione, allegatur *13. Kal. Martii.* Probat Rex ante omnia *desiderium Concilii omnium Christianorum,* & illam sententiam *manifestam* asserit *necessitatem & utilitatem habere, eamque se ipsum semper & aperte professum esse;* gratulatur itaque & gaudet de pari affectu, & Spiritus sancti auxilium pro successu implorat. Expetit etiam, ut locus Concilio assignetur, ab omni prorsus periculo & suspicione alienus, *in quo cuique liberum sit, suam sententiam in Ecclesia Christi dicere, utque omnes nil nisi conscientiam recti afferant.* Sequitur amica de calumniis responsio, quas *apud se locum habuisse* negat, *adversus viros, quibuscum vetus necessitudo sibi intercedat, eaque amicitia & fides a majoribus semper servata, ut, ingruente licet inter Cæsares & Galliæ Reges bello, Gallia tamen semper amœnissimum civium & Principum Germanorum domicilium fuerit.* Eodem die Saxoniæ Electori separatim respondet ad literas, in quibus acta filii *Johannis Friderici* adversus electionem Ferdinandi excusaverat; laudat honestatem Electoris, *quod conscientia rectæ voluntatis non contentus probare se etiam cupiat iis, quorum judicium apud mortales in pretio est, & de innocentia ejus plane persuasum se esse* asseverat. In causa religionis ad literas provocat, ipsi & sociis scriptas, de quibus dictum est. Maimburgio causa fuit, ut hæc responsa sicco transiret pede, sive memor fuerit exordii sui, quo Ecclesiæ felicitatem nullius reformationis egentem prædicavit, cui regiæ hæ literæ palam contradicunt, in quibus manifesta Concilii necessitas & utilitas asseritur, quæ non potest non vitia & defectus præsupponere; sive intempestivam esse ratus est allegationem pristinæ inter Gallos & Germanos necessitudinis, cujus vincula dudum debilitare cœperunt Galli, & nuper penitus ruperunt. Forte etiam *Pallavicini* censura impeditus est, quo minus has literas referret. Is enim *Lib. III. cap. VI. §. 1.* utrique Regi irascitur, *quod neuter pensi habuerit, hæresin Principum, ad quos scribebant, accusare, &, quod subditos Cæsaris contumaces & rebelles in clientelam suam pertrahere intenderint.* Majorem animadversionem mereri videtur noster, quod non solum relatu digna præteriit, sed & falsa infarsit, vane gloriatus, se ex *Martino Bellajo* afferre aliis historicis neglecta.

(2) *Responsum Gallicum.*

(3) *Speciatim ad Electorem Saxoniæ.*

(4) *Notatur Maimburgius & Pallavicinus.*

A. 1531.

ADDITIO I.

Consului editionem Gallicam *Parisiis anni 1572. in fol.* & *Francofurtensem* Latinam *Hugonis Surai anni 1574.* in neutra tamen tria illa capita, quæ Maimburgius a Guilielmo Bellajo Principibus proposita esse, cum insectatione negligentiæ, ab aliis scriptoribus commissæ, jactat, invenire potui. Scriptor etiam historiæ illius, frater Guilielmi, *Martinus* ea potius tractat, quæ hoc anno cum Bavariæ Ducibus & Landgravio in causa VVurtenbergica, quam quæ cum Electore in religionis negotio acta sunt, neque ad me pervenerunt quæ Bellajus cum Saxonicis egerit. Fateor etiam, ignotum mihi esse locum *Cebenge* in Saxonia, & *Estningnan* in Bavaria, ubi Martinus fratrem suum cum Principibus tractasse refert. Memorat quidem Martinus, dimissum esse Guilielmum a Rege Idibus Martii, *Honflorii* in Neustria (*fol. 115. edit. Lat. & fol. 97. b. Gall.*) & post mensem ad Principes venisse; (quos sine dubio Bavaros intelligit) de religione tamen nihil ex mandatis affert, quam quod dispicere jussus fuerit, quanam ratione dissidia religionis in Germania tolli, & pericula ex illis metuenda præcaveri possent. Ostendi itaque mihi velim, ubi & quando *Guilielmus Bellajus* adhortatus fuerit Principes, ut ad antiquam religionem redirent, aut ubi reliqua, maxime de vitando bello offensivo, illis inculcaverit. Id prorsus superfluum fuisset, quia Fœderati in omnibus conventibus, & tractatibus, nihil magis anxie curabant, cavebantque, quam ut intra defensionis terminos sese continerent; alia vero Gallorum consilia fuisse, ex annorum sequentium actis constat. Hoc anno a Galliæ Rege Doctor quidam Academiæ Parisiensis, *Gervasius VVain*, natione Germanus, (Memmingæ, ni fallor, natus) ad Electorem venit, literis regiis, d. 25. Maji datis, (*Reg. H. fol. 51. n. 7.*) instructus, qui animum Principis exploraret. Is Legatus de religione moderate loquebatur, eamque non armis aut vi, sed in concilio tractandam esse dicebat.

(a) *Notatur relatio Maimburgii de legatione Bellaji.*

(b) *Alius Legatus Gallicus, Gervasius VVain.*

Reperio *d. l. Reg. n. 6.* literas Fœderatorum ad Regem in Galliam detulisse virum honestum, *Matthæum Reinboldum*, civem Belzigiensem, Gallicæ linguæ peritum, & responsum Regis reportasse. Extat hujus relatio, in qua inter alia memorat: interrogatum se fuisse a quodam Prælato in aula, *num verum esset, quod uxores Lutheranorum copiam sui facerent viris alienis, qui dicerent,*

(5) *Relatio Nuncii in Galliam missi.*

A. 1531.

dicerent, se Spiritus sancti impulsu concubitum appetere? aliaque multa non minus absurda sibi objecta esse, ad quæ vere & ingenue responderit. Cæterum Regem ipsum vidit, & benigne ab illo respectus, atque sub abitum honorario quinquaginta aureorum donatus est. Jam de conventu Francofurtensi, d. 4. Junii indicto, aliisque hoc anno gestis, quæ omnia Maimburgius transiliit, quædam annotabimus. Misit eo Elector *Johannem a Minckwiz* & *a Dolzig*, ante omnia mandans, ne cum Helvetiis paciscerentur, nisi prius confessi essent, in Sacramento altaris verum corpus & sanguinem Christi adesse (daß im Sacrament des Altars der wahre Fronleichnam und Blut Jesu Christi sey.) Hoc itaque obstaculo etiam tunc impedita fuit illa societas, quod divinæ providentiæ Melanchthon & alii tribuerunt, qui verebantur, si fœdus illud coalesceret, fore, ut, fiducia virium humanarum, præcipitanter & insolenter in reformanda religione procederetur, nec parum a Landgravii vehementia metuebant. Constat sane ex Actis *Reg. H. fol. 54. n. 9.* toto pene mense Aprili & Majo, summa diligentia, per literas ad Electorem scriptas, aliisque modis id egisse Landgravium, ut Electorem cæterosque ad fœdus Helveticum perduceret. Hoc etsi obtinere non potuerit, hoc ipso tamen anno mense Novembri negotium Argentoratensibus dedit, ut tria peditum millia suo nomine conscriberent, ad auxilium Basileensibus ferendum, dolebatque, quod post cladem Zuinglii Tigurinis non esset succursum. Discessum fuit Francofurto d. 11. Junii, in hanc sententiam: ut Spiræ uno eodemque modo, omnium Protestantium nomine, actionibus procuratoris fiscalis responderetur. Collati sunt ad salaria procuratorum & patronorum causæ floreni 435 Literæ & legationes ad Reges, non Galliæ solum & Angliæ, sed & alios decretæ fuerunt. Circa ceremonias uniformiter constituendas, ut Smalcaldiæ statutum fuerat, mutarunt consilium, sive difficultate rei deterriti, sive, ut allegant, veriti, *ne novus veluti Papatus introduceretur, facta tali constitutione, &, cum scandalo infirmorum, mutarentur ritus, hinc inde in provinciis & urbibus diversimode præteritis annis, stabiliti.* Consideratum etiam fuit edictum, contra Anabaptistas, capitali pœnæ subjiciendos, anno 1529. in comitiis Spirensibus publicatum. Deprehenderunt autem, a Protestantibus contradictum esse rigori isti, nec indistincte locum illi dari debere, sed tunc demum, si præter errores dogmaticos externa committerent crimina: itaque adversus illos & fanaticos, qui somnia & inspirationes jactabant, (die Träumer und Geisterer) pro re nata & pro modo delicti animadvertendum esse. In hoc conventu *Barnimus*, Dux Pomeraniæ, mortuo jam fratre Georgio, liberius ad reformationem progressus, societatem obtulit. Apparet etiam ex Landgravii literis d. 20. Maji, spem fuisse, ut idem facerent *Duces Geldriæ & Cliviæ*, qui de Cæsaris injuriis adversum se querebantur; sed id frustra fuit. *Georgius* Marchio Brandenburgicus, ut literæ ipsius & consiliariorum ostendunt, testatus fuerat; etsi Smalcaldico fœderi non accederet, servaturum tamen esse unionem, quam vocant, hæreditariam (die Erbeinung) inter suam & Saxonicam Hassiacamque familiam, quam pro mutua defensione sufficere credebat. Multa autem de Suevico fœdere questus, quod causam Episcoporum in Franconia susciperet, sibique eo nomine diem Nordlingæ d. 6. Julii dixisset, rogare cœpit, ut consiliis Electoris, missisque ab eo Legatis ad Suevos, juvaretur, *se enim verbo Dei firmiter adhæsurum esse* asseverabat, *quocunque id fieret cum periculo.* (er wolle beym Wort Gottes bleiben/es gehe darüber/wie es wolle.) Offensum se quidem quodammodo, in responsis suis ostendit Elector, quod Georgius Smalcaldica pacta recusasset, annuit tamen petitis, & ad tractatum Nordlingensem (de quo *Sleidanus Lib. VIII. p. 216.* legi potest) adfuturum se ei, per Legatos pollicitus est. Dum Francofurti adhuc essent Legati sociorum, scripserunt illis Saxo & Hessus, *Moguntinum & Palatinum Electores intercessionem, ad pacem a Cæsare obtinendam, offerre.* Placuit id cæteris fœderis sociis, ita tamen, ut ante omnia processus Camerales quiescerent. Impetratum id fuit a Cæsare, diesque negotio tractando dictus 30. Augusti, sed d. 22. Augusti Legati a Cæsare *Guilielmus Nassovius* & *Nuenarius Comites*, ad Saxonem venerunt, quorum propositionem, ut & responsum Electoris, *Sleidanus* refert *d. Lib. VIII. p. 217.* Purgavit se ab imputatione Zuinglianæ doctrinæ, & Confessioni Augustæ exhibitæ sese inhærere testatus est; cur vero ad comitia, Spiræ mense Septembri tunc indicta, venire, ut Cæsaris nomine postulabatur, non possit, causas allegavit, valetudinem suam, & quod molestias, Augustæ toleratas, iterum subire nollet: querebatur etiam de denegata sibi investitura, & aliis, ex quibus iras in se Cæsaris colligebat.

(6) *Acta fœderatorum Francofurti.*

(7) *Aliorum quorundam Principum acta cum fœderatis, & imprimis Georgii Brandenburgici.*

(8) *Meditatio de pace & legatio Cæsaris ad Electorem Sax.*

ADDITIO II.

(a) *Causæ, occasiones & præparamenta mediationis.*

Pœnituerat Cæsarem rigoris, quem, stimulatus a Legato Pontificio aliisque fervidioribus ex Germaniæ Principibus, in comitiis Augustanis contra Protestantes ostenderat. Laborabat invidia apud Belgas suos, quod intempestivo illo zelo tot Principes a se alienasset, & Hungariam interim Turcorum crudelitati exposuisset. Cognoscitur hoc inter alia ex literis *Gabrielis Standleri*, viri non imperiti, qui ex Belgio ad Dolzigium & Spalatinum scribere solebat. (*inter MSS. D. Casp. Sagittarii.*) Inter Germanos de pace præ aliis solliciti Electores Moguntinus & Palatinus Legatos ad Cæsarem in Belgium miserant, *Ludovicum Comitem Stolbergensem* & *VVolffgangum ab Affenstein*, qui necessitatem paciscendi proponerent, & potestatem tractandi cum Protestantibus peterent. Cunctatus ab initio est Cæsar, cui ex Consiliariis Germanicis tantum aderant Episcopus Leodiensis & Constantiensis, (*Merckelius*) tum *Henricus* Nassovius. Hic, cessantibus cæteris, podagra licet vexatus, Cæsarem tamen adiit, & Legatis Electorum accessum d. 13. Martii, & ut proposita approbarentur, potestasque fieret de pace cum Protestantibus agendi, obtinuit. Nondum tamen consensit, quod illi petebant, ut, durantibus tractatibus, processus Camerales sisterentur. Iniquum se præbebat Secretarius *Sueisius*, improbante ejus vehementiam ipso Constantiensi. Percipiuntur ista & alia ex relatione Legatorum, quam Palatinus cum Landgravio communicavit. (*Reg. H. fol. 50. n. 5.*) Misit inde Moguntinus ad Electorem Saxon. *D. Christophorum Turcum* Cancellarium Hallensem, & *VVolfgangum a Bach* præfectum Querfurtensem d. 26. Maji, Palatinus vero paulo ante d. 17. Maji *VVilhelmum ab Habern*, Marescallum suum ad Landgravium. Hic, semper licet suspicacior, scripsit tamen d. 20. Maji Electori, tracta-

A. 1531.

(b) *Lutheri de ea sententia.*

tractatus non esse recusandos, sed non omissis ad defensionem præparamentis. (man soll in bereitschafft sitzen.) Rogatus Electoris nomine a Pontano Lutherus consilium suum in schedula aperuit (inscribitur: *prima consultatio D. Martini*) his verbis: Mein lieber Herr Cantzler / ich halte / daß die fürgeschlagene Handlung des Cardinals von Maynz nicht sey abzuschlagen / so ist auch aus den vorigen Händeln leichtlich zu rathen / was man nachgeben könne oder nicht / und wo man dahin könte arbeiten / daß Friede gemacht / und unsers theils Sachen auffgeschoben würden / wäre es wohl anzunehmen / nach dem Sprichwort: Nachtfrist / Jahrfrist / kommt Tag / kommt Rath. Sensus est: *Non esse recusandum tractatum, a Moguntino propositum, & facile æstimari posse ex actis prioribus* (Augustæ scilicet) *quatenus cedi possit; utile futurum esse, si pax impetrari, aut induciæ fieri possint: multum positum esse in parvi quandoque temporis mora, & ex unius diei dilatione sæpe annuam nasci.* (Id proverbio confirmat.) Eodem tempore Landgravius Legatis fœderatorum Francofurti congregatis proposita Palatini Legati, literis significavit, & inclinationem ad tractatus ostendit, sed ita, ut justitium processuum fiscalium ante omnia fieret. Id rescripto Cæsareo d. 8. Julii constitutum fuit, quod d. 23. Julii a Moguntino cum Saxone communicatum fuit. Secutæ sunt Saxonis & Landgravii ad Mediatores illos pacis literæ d. 5. Octobris, quarum mentionem *Sleidanus* facit *p. m. 219.* Ansam dederat Moguntinus, cum iter per sylvam Thuringicam haberet. Nam & Cancellario suo *Turco* mandaverat, ut cum præfecto vallis S. Georgii, *Nicolao Endio*, colloqueretur, & hunc ipsum in proximum vicum *Tambach* accersivit, multaque de conditionibus pacis disseruit. Summa erat, ut res Lutherana in statu, quo tunc erat, ad Concilium usque maneret, nihil tamen novi in scriptis aut concionibus proponeretur, & maxime ab omnibus convitiis in Papam, Cæsarem & utriusque Ordinis proceres abstineretur, ut & a protectione alienorum subditorum, utque communio sub una non minus ac sub utraque in provinciis Protestantium locum haberet. Repetita hæc d. 11. Decembris fuerunt in alio Turci & Endii congressu. Significaverat interim Saxoniæ Electori Landgravius, inter Cæsarem & Regem Galliæ consilia adversus Protestantes agitari, & necesse esse, ut de comparitione in comitiis, quæ Cæsar tunc Spiræ in ver proximum indixerat, (Ratisbonam postea translata) deliberaretur. Convenerunt itaque *Northusæ* utriusque Principis Consiliarii & concluserunt: Heros ad comitia proficisci non debere: continuandam esse impugnationem electionis Ferdinandi, ita tamen, quia plerique fœderatorum huic causæ non accederent, ut Cæsari offerretur arbitrium Galliæ, Angliæ & Poloniæ Regum: auxilia contra Turcos ferri non posse, nisi constituta interna pace; tentandam quoque esse transactionem cum Johanne VVeywoda, qui eam obtulerat. Ad hæc consortium & auxilium a Bavariæ Ducibus sperabatur, qui id mense Septembri tam in negotio electionis, quam in causa Hungarica, utrique Principi prolixe in literis promiserant.

(c) *Acta Cancellarii Moguntini cum Saxonicis.*

(d) *Conventus Legatorum Electoris Saxoniæ & Landgravii Northusæ.*

Sub finem mensis, ut constitutum erat, Legati Moguntini & Palatini, ut intercessorum, Smalcaldiæ cum fœderatorum Legatis congressi sunt. Ejus etiam conventus acta enarrat *Sleidanus d. l. p. 218.* ex quibus apparet, Mediatores illos non solum de induciis, sed & de compositione controversiarum in religione agere voluisse, neque tamen conclusum quidquam, sed relata omnia ad Saxonem & Hassum fuisse; discessum nihilominus est d. 2. Sept. satis amice, & spes facta alius conventus ab intercessoribus indicendi, & quidem Spiræ, licet comitia, ibi indicta, Cæsar in mensem Januarium anni sequentis, Ratisbonæ habenda, prorogasset. Referuntur inde literæ *a Sleidano*, sub initium Octobris, a Saxone & Hasso ad Moguntinum & Palatinum, suo & sociorum nomine, datæ, in quibus illorum intercessione a Cæsare procurari petunt indictionem Concilii, & pacem omnibus Evangelium profitentibus, aut in posterum recepturis, indulgendam ad Concilii usque legitimi decretum. Offerunt se ad tractandum de pacis formula, & quod admissuri sint demonstrationes ex Scriptura adversus Confessionis suæ articulos; adducturi etiam Spiram Lutherum, si de securitate, & hujus, & sua sociorumque idonee caveatur, tum libera concionandi facultas & indifferens ciborum usus sibi concedatur. Sub finem anni d. 19. Decembris, conventum Francofurti habuerunt Protestantes, qui non ita fidebant tractatibus pacis, quin de securitate sua, in contrarium eventum, cogitarent. Convenerunt in feriis Natalitiis de proportione tributorum ad sumtus belli. Horum dimidiam partem Principes, alteram Civitates in se receperunt. Duces fœderis elegerunt *Johannem Fridericum* Electoris filium, & *Philippum* Hassiæ Landgravium. Illi jus duplicis suffragii assignarunt, quo inter paria vota decerneret. Legati Electoris, Principisque Anhaltini & Mansfeldensium Comitum, aderant *Planitius* & *Dolzigius*; Ernesti Luneburgici nomine, Cancellarius *Forsterus*; Landgravii, *Sigismundus Boineburgius* & *Georgius* Nußpicker Vicecancellarius. Deputatos miserant ex superiori Germania *Argentoratenses*, *Constantienses*, *Ulmenses*, *Eslingenses*, *Reutlingenses*, *Memmingenses* & *Lindavienses*: ex inferiori, *Lubeccenses*, *Goslarienses*, *Magdeburgenses*, *Bremenses*, *Brunsuicenses*, *Gottingenses*, *Einbeccenses*. Hæc fere sunt, quæ ex hujus anni gestis de religione & fœderibus illius causa tractatis referri potuerunt. In Saxonia Elector Saxo & Georgius Dux *Grimmæ* convenerunt, & de controversiis quibusdam inter se egerunt, magna provinciarum utriusque cum lætitia, cujus publica signa pulsu campanarum & accensis ignibus edita sunt. Constat id tum aliunde, tum ex epistola Lutheri ad Electorem d. 29. Julii data. Ab hoc enim per Cancellarium Pontanum admonitus erat, ut ab asperitate styli contra Georgium Ducem sibi temperaret; respondit itaque: Licet multa adversus Ducem haberet, neque pro lubitu aut curiose acerbos libros scriberet, ut tamen pax & concordia, nuper Grimmæ, inter Electorem & Ducem sancita, non turbaretur, se omnia remissurum & condonaturum Georgio esse, dummodo & is sibi novas non crearet molestias, utque sibi liberum foret, aliis adversariis respondere.

(9) *Literæ Electoris*

A. 1531.

& Landgravii ad Mediatores.

(10) *Acta conventus Francofurtensis mense Decembri.*

(11) *Elector & Georgius Dux reconciliantur: Lutherus de styli moderatione monetur.*

§. VI.

Lutheri scripta, occasione Comitiorum sub initium hujus anni edita & publicata, supra retulimus: a scribendo autem hoc anno fere quievit; occupabatur enim concionibus habendis, cum pastor urbis *Johannes Bugenhagius* Lubecam profectus esset, ad ordinandum ibi ministerium Evangelicum. Sermones itaque ejus loco Lutherus habuit, tum diebus Dominicis ante meridiem, tum diebus Mercurii & Sabbathi, in capita quædam Matthæi & Johannis Evangelistæ. Exceperunt illas *Vitus Theodoricus* famulus tunc Lutheri, & *Georgius Rorarius* Diaconus Wittenbergensis, item *Antonius Lauterbachius* & *Philippus Fabri-*

(1) *Conciones a Luthero (absente Pomerano) Wittenbergæ habitæ.*

cius

A. 1531. *cius*, ut Johannes Aurifaber annotavit, *Tom. V. Alt. fol. 614.* Continuatus autem est hic labor in annum usque 1532. ad reditum nempe Bugenhagii. Exhibentur itaque inter anni hujus acta *Tom. V. Alt. fol. 615. it. fol. 804.* conciones *cap. VI. VII. VIII. Johannis*, plene egregiis explicationibus, adhortationibus & refutationibus, ex quibus tamen, ne ultra modum liber excrescat, nihil hic recensere possumus. Ex aliis concionibus refertur ea, quam *de passione* seu *cruce ferenda*, tempore Quadragesimæ habuit, *fol. 569. b.* item *Johan. XX, 11.-18. de historia apparitionis Christi Mariæ Magdalenæ facta*, habita pro more, die Mercurii post Pascha *fol. 574. De Angelis in Festo Michaelis fol. 592. Sermo nuptialis*, in quo plurima de pietate & concordia in conjugio servanda, monuit, *fol. 598.* item *de spe salutis* Kembergæ habitus in dictum *Tit. II, 13.* Præfationes etiam quædam hoc anno ab eo editæ sunt, nempe duæ *in conciones totidem*, *Alexii Crosneri*, Evangelicæ veritatis præconis (de quo *Lib. I. §. CXXVII. in Addit. & in Ind. l. sub voce Crosnerus* aliquid dictum est) Dresdæ habitas; in posteriori *fol. 582.* meminit pluribus cujusdam *Doctoris Crusii* Hallensis, qui ob agnitam, sed rejectam veritatem Evangelicam, in desperationem inciderat, & tragica morte occubuerat. Subjungitur alia in librum *Jo. Brentii de matrimonio*, item in explicationem *Ps. LI.* ab *Ægidio Fabro* Suerinensium ecclesiaste editam. Ex epistolis Lutheri relatas invenimus aliquas in *d. Tom. V.* ex quibus præcipuas enarrabo: Respondet d. 17. Martii judici & communitati *in Frauenstein*, sub ditione Georgii Ducis Saxoniæ, qui communionem sub utraque clanculum celebraverant, suadetque ne factum negarent, si ad confessionem adigerentur, & Dei causa paterentur, quæ metuebant *d. Tom. V. fol. 569.* Similia fere ad *Fribergenses* scripsit d. 27. Junii vid. *fol. 589.* Rogatus a quodam *Norimbergensi*, an liceat fœdus contra vim a Cæsare intentatam inire? rescribit: Christianum, qua talem, vim repellere non posse; quid vero illi, ut civi sive membro politico, liceat, a Jureconsultis definiendum esse. Magnas hoc anno iras conceperat Lutherus adversus Senatum *Zuiccaviensem*, consulem inprimis *Hermannum Muhlpfort* & Syndicum *Stephanum Rothium*, ob remotum quendam Ecclesiasten, substitutumque alium, invito pastore *Hausmanno*. Extat epistola acerrima, ea occasione ad pastorem a Luthero scripta, ex Latina Germanice versa, d. 17. April. *d. Tom. V. fol. 585.* Eodem pertinent, quæ habentur *fol. 590. & 591.* item anno sequenti datæ *fol. 960. b. & fol. 1029. b.* Plura de illa lite ex epistolis manuscriptis, quarum exempla penes me sunt, cognosci possunt: Exitus is fuit, ut re ad Electorem delata; accitis mense Julio Torgaviam Consule Zuiccaviensi aliisque, tum *Luthero, Jona & Melanchthone*, dimissio pastorum *Hausmanni & Conradi Cordati* tandem, sed ægre consentiente Luthero, toleraretur, caveretur tamen, ne quæ civitas aut patronus ex nobilitate, incognita a Principe causa, in posterum id auderet. Pastoribus maledicentiam in publicis concionibus exercitam objiciebat Senatus, Lutheri etiam imperiositatem satis acriter taxabat, in decisionibus præsertim matrimonialibus, quas tamen ille invitum se suscepisse dicebat, cum a Principibus negligerentur. Tales tunc turbæ ob nondum constitutam pacem & politiam in causis Ecclesiasticis satis frequentes erant, nec negari potest, plus justo in illo negotio excanduisse Lutherum, idque ipse post aliquot annos fassus est. Decessit hoc anno mater Lutheri *Margaretha*, ad quam d. 20. Maji epistolam consolatoriam scripsit, quæ extat *Tom. Alt. V. fol. 587.* lectu sane dignissima. Memorabilis etiam est, quam ad Principem quendam exaravit, qui afflictione spirituali premebatur, *fol. 591. & seq.* A. 1531.

(2) Præfationes in libellos quosdam aliorum.

(3) Epistolæ quædam Lutheri.

(4) Altercatio ejus cum Zuiccaviensibus.

(5) Mors matris Lutheri.

§. VII.

Tractatum fuit hoc anno de concordia concilianda inter Lutherum ejusque partium Theologos, & inter Helvetios aliosque, quibus Zuinglii sententia de cœna Domini probabatur, annitente potissimum Hassiæ Landgravio, & opera *Martini Buceri*, ut apparet ex epistola Lutheri ad Johannem Saxoniæ Electorem d. 16. Febr. *Tom. V. Altenb. fol. 568.* item collegarum ejus, *ibid.* Magna enim invidia laborabat Zuinglii doctrina, & inter conditiones impetrandarum a Cæsare induciarum erat, ut Saxo & socii ab Helvetiis, tum quoad caput illud fidei, tum societatem armorum discederent. Lutherus, ut jam monui, idem suadebat. In controversia tamen de cœna Domini id potissimum a Bucero, qui conciliatoris partes sumserat, postulabat, ut præsentia Christi in signis corporalibus agnosceretur; volebat interim tunc quæstionem, *an impii etiam corpus Domini sumerent*, suspendi; suam vero sententiam & alibi, & in epistola ad Electorem, paulo ante citata, aperte profitetur, nec absurdum esse putat, corpus Christi, præsens in signis, ore impiorum tangi, cum passus sit Dominus, a Diabolo se non tangi modo, sed & in montem & templum raptari, & quod idem verbum Dei audiant impii, (licet ad damnationem suam) quod audiunt pii ad salutem. Territi autem multi sunt, metu instantis a Cæsare executionis secundum edictum comitiale, ut Augustanæ confessioni, relicta Zuingliana aut simili, accederent. Fecerunt id Argentinenses & reliquæ tres civitates, quæ anno præterito separatam fidei Confessionem in comitiis ediderant, indignantibus haud parum Helvetiorum Theologis, vide *Abr. Sculteti Annales* hujus anni *p. 342. seqq.* Afflictio autem haud modica Helvetiis eodem anno accidit, orto inter Tigurinos & Lucernenses & utrorumque socios, bello, in quo *Zuinglius* ipse die 11. Octobr. cum, ut pastor, ex veteri more, copias civitatis ad pugnam egressas comitaretur, nec ipse armorum expers esset, occubuit, annos natus quadraginta & quatuor. Decessit etiam *Johannes Oecolampadius* Basileæ Cal. Decembris ætatis anno quadragesimo nono. Utriusque mors variis sermonibus causam dedit, & Lutherus de eorum fatis haud benigne judicavit.

(1) Tractatus de concordia cum Helvetiis.

(2) Argentinenses & alii Saxonicis accedunt in articulo de S. Cœna.

(3) Mors Zuinglii & Oecolampadii.

§. VIII.

Incrementa haud spernenda, in summo licet

(1) Lubec-

A. 1531. *censis & Ulmensis ulterior reformatio.*

cet periculo, quod a decreti Augustani rigore imminebat reformatio habuit. *Lubecenses*, ut anno superiori cœperant, studium suum continuarunt, nec edictis Cæsareis, nec secessione Senatorum quorundam ex urbe deterriti. De Bugenhagio eo evocato supra dictum est *Lib. II. §. LXXXIV.* Vide *Chytr. Lib. XIII.* Intercessit Fridericus Daniæ Rex d. 5. Martii Electorem rogans, ut Bugenhagium Lubecensibus ad unum adhuc annum concederet: idem fecit Philippus Landgravius d. 14. Junii. Incidit etiam in hunc annum plenior *Ulmensis* Ecclesiæ reformatio, ad quam tamen adhibiti fuere Zuinglianarum partium viri, aut ab iis non multum alieni, *Jo. Oecolampadius* Basilea, *Martinus Bucerus* Argentorato, & *Ambrosius Blaurerus* Constantia acciti, additi fuerunt *Zimbertus* Memmingensium, & *Bartholomæus* Biberacensium Ecclesiastæ. Ab his conscripta sunt octodecim fidei capita, quæ refert *Scultetus l. c. p. 363.* inter quæ sextum est: *Cœnam Domini celebrari in memoriam & annunciationem mortis Christi, & in pastum animæ ad vitam æternam; Transsubstantiationis impium esse commentum.* Citati autem sunt ad disputandum de his articulis pastores & monachi, tum ex urbe, tum ex agro Ulmensi, d. 5. 6. & 7. Junii. Quanquam vero centum & triginta comparerent, non tamen nisi duo, nempe D. *Georgius Oswaldus*, Geislingensium pastor, ac Prior Dominicanorum in urbe *Collinus* contradicere ausi sunt; fecerunt tamen id admodum jejune, referente *D. Conrado Dieterico* in concione Jubilæa (*Lib. I. §. CXXXIX. in Addit.* allegata) Itaque Senatus relationem actorum typis publicari & ad centum & septem Principes, proceres & civitates Imperii mitti curavit. Quamvis autem videri possit, ad Lutheranismi historiam hanc reformationem Ulmensem non pertinere, utpote a diversæ sectæ viris factam, notari tamen debet, a controversiæ sacramentariæ accurata explicatione illos fere abstinuisse, ut ex articulis conjici potest. Vocatus etiam Heidelberga fuit, & eodem mense Ulmam venit *Martinus Frechtus*, Licentiatus, eique commissum, ut Pastores & Clericos, qui reformationem acceptaverant, sed valde rudes in scientia theologica erant, habitis publice lectionibus Latinis, melius informaret. Hic anno 1533. mortuo *Conrado Samio* Pastori subrogatus fuit, & anno 1536. concordiæ inter Lutherum & Bucerum aliosque in dogmate de Sacramento initæ accessit, eamque ita servavit, ut Saxonicæ Ecclesiæ doctrinam in isto articulo exacte teneret, Zuinglianorum insectationes sperneret, & profiteretur, se eadem cum Luthero, etiam antequam Wittenbergam cum Bucero venisset, statuisse, & librum ejus, qui *Confessio major* dicitur, in solidum approbare. Hæc ex scripta anno 1554. *Frechti confessione*, & postea ty-

(2) Martinus Frechtus, Pastor Ulmensis, Saxonicis assentitur.

pis edita, *Dietericus d. l. p. 21.* demonstrat. *Augustæ Vindelicorum*, finitis priori anno comitiis, & liberata, post abitum Cæsaris, metu civitate, redierunt, qui aufugerant, concionatores, *Johannes* Frosch / sive *Rana*, *Stephanus Agricola* & *Urbanus Regius*, sed & *Michael Cellarius*, Zuingliani dogmatis assertor fervidus. Hujus partes etiam tuebantur *Wolffgangus Musculus* Dusa Lotharingus, *D. Sebastianus Meierus*, & *Theobaldus Niger*, Argentorato evocati & *Bonifacius Wolfhardus* sive *Lycosthenes*, Francus. Cum his reliqui acriter disceptabant. At transeuntibus Augustam, post Ulmensem reformationem, *Oecolampadio & Bucero*, habitoque colloquio Zuinglianis applausum fuit, & *Regius*, *Agricola* & *Rana* denuo urbe excesserunt. Sacra igitur cœna non jam singulis septimanis, aut super altaribus lapideis, nec adhibitis calicibus antiquis, sed vix de mense in mensem, ac super mensis ligneis, poculisque vulgaribus celebrata fuit; & infantes, non evoluti, ex veteri more, fasciis, verum sparsis in faciem guttis, baptizabantur, omisso etiam, quem vocant, exorcismo. Memorat hæc *Achilles Gassarus in annalibus Augustanis MSS.* & ex vita Musculi, (quæ apud *Melchiorem Adami* reperitur) *Scultetus.* Verno hujus anni tempore *Henricus* Saxoniæ Dux, de cujus ad Evangelium inclinatione *Lib. I. §. CX.* dictum est, Electorem convenerat. Hic igitur literis d. 4. Maji scriptis Lutherum summo mane adesse jussit, ut Henricum, id expetentem, alloqueretur, deinde concionem haberet, sperandum enim esse, Deum aliquid hac occasione operaturum. (Wer weiß / was Gott der Allmächtige in solchem fall wircken möchte) Nec defuit successus, ut in loco memorabitur. Persecutionum in Germania stante edicto Augustano, non parvus metus erat, isque studium confœderationum excitavit. Procedebant rigida judicii Cameralis adversus Evangelicos mandata, ex formula edicti: e. g. contra *Ernestum* Luneburgicum ad implorationem Abbatis in Marienrode prope Hildesheim: & adversus *Magdeburgenses*, quibus litem intentabant Archiepiscopus & Canonici. Electoris Saxonici consilium & auxilium omnes invocabant. (*Reg. H. fol. 56. n. 10.*) Referri huc potest vis publica, qua hoc anno religionis Romanæ zelo grassati sunt *Paulus* Fuchs / *tum Sigfridus & Christophorus Truchsesii* Equites Franci; adorti enim sunt Legatos Norimbergenses & Ulmenses, qui Smalcaldia, ubi cum Moguntino & Palatino de pace tractabatur, redeuntes, ab illis male multati sunt haud procul Bamberga, quosdam etiam ex comitatu ab aggressoribus confossos amiserunt. In Belgio, Gallia & Anglia non pauca sævitiæ exempla in Evangelicos edita fuerunt, quorum aliqua *Scultetus* annotavit.

A. 1531. *(3) Status reformationis Augustæ Vindelicorum.*

(4) Henricus Saxoniæ Dux, Lutheri concionem audit.

(5) Variæ persecutiones Evangelicorum.

SECT.

A. 1532. A. 1532.

SECT. 4.

Sleidan. l. 8. Pallavicin. l. 3. c. 9.

(1) Cur Cæsar ad pacem cum Protestantibus inclinaverit.

Imperator, cum nec suppetias contra Turcas pro desiderio lubituque suo, neque generalem electionis Ferdinandi Regis fratris sui approbationem impetrasset, comitia Spiram indixerat, ut ibi duo ista capita, quæ animum suum vehementer afficiebant, ad exitum perduceret. Ibi Protestantibus comparere nolebant, sed primum Suinfurthi ad Mœnum, dein Norimbergæ convenerunt, consentiente tamen Imperatore. Mutaverat enim hic institutum, cum undique nunciaretur, Solymannum majori, quam antea, exercitu in Hungariam irruere, & altera vice successibus suis ad Viennam usque instare velle, ut ignominiam ante triennium ibi acceptam elueret. Protestantes vero aperte Imperatori significaverant, se non tantum ad auxilia Imperii nihil esse collaturos, nisi pacem & liberum religionis suæ exercitium obtinerent, verum cum Solymanno potius vires juncturos, ut ab eo libertatem istam, quam Christianis in Imperio suo indulgebat, impetrarent. Reges etiam Galliæ & Angliæ auxilia militum & pecuniæ, quæ tanquam in causa omnium Christianorum communi eos rogaverat, blanda excusatione renuerant. Immo Bavariæ Duces, licet cognati Imperatoris & fœderati, electioni Ferdinandi Regis adversantes, (quia ipsi ad Imperium, quod non una vice in familia sua habuerunt, adspirabant) Principibus male contentis accesserant. Ita vires non deprehendebat, quas ita dividere posset, ut & haberet, quas Principibus fœderatis opponeret, & quibus Solymanno, tota vi Imperii sui Germaniæ imminenti par esset; sed in ea necessitaee constitutum se esse judicabat, ut aut omnia perdere, aut Germaniam adversus Turcas unire deberet. Bona itaque ratione Deo & hominibus approbaturum se esse confidebat, ut Protestantibus pacem, quam petebant, concederet, quam & dandam esse decrevit. Eodem igitur tempore Albertum Episcopum Moguntinum, & Ludovicum Electorem Palatinum Norimbergam ad tractandam istam pacem misit, neglectis omnibus Pontificii Nuncii oppositionibus. Huic Carolus V cum indignatione dixerat: evitari potuisse odiosam hanc necessitatem, si Pontifex post comitia Augustana, ut rogatus erat, concilium indixisset. Perstante itaque in sententia Imperatore, accedente etiam comitiorum consensu, conclusa fuit Norimbergæ a duobus Electoribus pax d. 23. Julii bis conditionibus: Ut edictum Wormatiense & Augustanum quoad Lutheranos in suspenso teneretur, & hi tolerarentur, nec ob causam religionis inquietarentur, sed libero ejus exercitio fruerentur, donec in concilio definitum esset. Illud vero intra sex menses, curante Imperatore, convocari, & anno postea sequenti celebrari debere; quod si id a Pontifice non obtineretur, Imperatorem comitia generalia indicturum, in quibus de hac re exactissime tractaretur, & decernerentur, quæ bono Imperii maxime conducere viderentur. Talis fuit pax Norimbergensis, quæ Lutheranis Protestantibus libertatem conscientiæ ad tempus, sive (ut dici solet,) per modum provisionis, peperit, & Germaniam in unum coegit, ut Catholici cum Protestantibus ad juvandum contra Turcas Imperium mutua cum æmulatione concurrerent, Imperator vero se exercitus potentissimi, qualis nunquam in Germania visus erat, caput videret.

Lit. Aleand. ad Sangam, apud Pallav. loc. cit. Sleid. lib. 8.

(2) Contenta pacificationis Norimbergensis; & quomodo Norimbergæ inita fuerit.

§. IX.

(1) *Quædam ante conventum, & de itinere Cæsaris.*

De indictis Spiram comitiis, & ab ipso Imperatore prorogatis, jam diximus; plus tamen, quam verum est, scribit noster, non tantum, cum Protestantibus minas de societate cum Turcis maligne affingit, sed & cum negat, eos in comitiis voluisse comparere: non enim simpliciter id recusabant, sed caveri sibi petebant de tuto accessu & recessu, ut & libertate religionis & conscientiæ uti possent, quæ Augustæ vim quandam passa erat. Quod vero tradit, Protestantes Suinfurti convenisse, non est intelligendum, quasi illi soli, & suorum saltem negotiorum causa, conventum illum habuissent; factum enim id est, non permittente modo, sed cupiente Cæsare, qui Calend. Febr. ex Belgio Ratisbonam (ubi comitia d. 6. Januarii indicta erant,) proficiscens, Moguntiæ ab Electore illo & Palatino denuo de pace interpellatus, negotium his dedit, ut cum Saxone & sociis agerent; In itinere tamen, mense Martio, satis aversum a causa Evangelica animum aperuit, cum Dunckelspulæ transiens a Norimbergensibus rogaretur, ut apud illos hospitium sumeret: acriter enim illis innovationem in religione objecit, & quod edictum Augustanum non servassent. Ista tamen inclementia ministris potius imputari debet. Æquioris enim animi mox specimen dedit, cum vicario Electoris Saxoniæ *Pappenhemio* Marescallo jus præferendi gladii in introitu Ratisbonensi adjudicaret, repulso stabuli sui præfecto, qui id munus affectabat.

ADDITIO I.

(a) *Colloquium de pace inter Cancellarios Moguntini & Saxonis.*

Ad præparationem, de qua §. *V.* dicere cœpimus, pertinent etiam reliqua colloquia sub finem anni præteriti d. 27. Decembris inter *Nicolaum ab Ende* Ex-Marescallum, quem Elector *secretum & fidum consiliarium suum vocat* (seinen geheimen und vertrauten Rath) & D. *Christophorum Turcum*, Cancellarium Moguntini Hallensem; tum inter hunc & *D. Pontanum* d. 3. & 8. Februarii hujus anni Bitterfeldæ habita. Disceptatum inter hos est de nomine *Lutheranorum*, quo usus erat Turcus, in conditionibus pacis designandis. Testabatur enim Elector per Pontanum, se nullius hominis sectam profiteri. (er hienge keinem Menschen an.) De illis etiam, quos *Zuinglianos* vocabat Turcus, & a pace excludebat, monitus fuit, multos jam, qui Zuinglii opinionem de Sacramento secuti esse visi fuissent, cum Saxonicis consentire, & fieri posse, ut inposterum quoque alii idem facerent, fidem enim Dei donum esse. Cum de Concilio ageretur, *christianum & liberum* poscebat Elector. Urgente vero, Heri sui nomine, Turco,

A. 1532.

Turco, ut a novis articulis contra Pontificios docendis abstineretur, responsum est: *opus non esse novis, defendi tamen debere, qui hucusque ventilati fuerint, modeste tamen & absque convitiis.* Negabat etiam Elector Saxo, se in sua ditione tolerare velle Clericos Missificantes, aut cives sub una specie communicantes. Respondit Turcus vocabulum *Lutheranorum* absque mala intentione sibi excidisse; spem faciebat, Cæsarem iis, qui Zvinglianismum deseruerint, easdem conditiones concessurum esse, quas Saxo cum sociis obtineret, ut autem alii illis accederent, non permissurum. De negotio electionis multa fuit altercatio, querebatur enim Elector, cum summo contemtu suo electionem factam esse. Hæc in priori colloquio. In altero retulit Turcus *Fridericum Palatinum* ab Electore fratre missum pacificationis causa Bruxellas ad Cæsarem fuisse, statimque, licet vesperi advenisset, auditum, expallescente Cæsare & properanter interrogante, quid afferret. Altera die præter morem hora matutina admissum, præsente Maria, sorore Cæsaris, & Consiliariis. Actum ibi esse de pace sermone Gallico, & consensisse in tractatus Cæsarem, sed desiderasse, ut in comitiis fieret, idque tunc proponebat Turcus. Sed Pontanus monuit, nihil cum successu agi posse in comitiis, propter adversantium pertinaciam, & exemplum Augustanum metui, itaque Norimbergam proposuit. Cum de articulis quibusdam religionis differerent, Pontanus graviter institit, ut usus sacræ Cœnæ sub utraque etiam in ditionibus Pontificiorum permitteretur, miserandum esse dicens, quod, tantum in Pontificum gratiam, tot hominum conscientiæ vis fieret: frustra de pace inter Principes agi, nisi etiam Principibus cum subditis suis conveniret, & his æqua indulgerentur. Putabat etiam Zvinglii dogma extingui posse, si usus sacræ cœnæ permitteretur & tam illud, quam Baptismi sacramentum, lingua Germanica (ut nunc in Saxonia fieret) celebraretur. De electione Ferdinandi iterum actum fuit, & subridens dixit Turcus, controversiam illam a Saxone & sociis non alio fine motam esse, quam ut pacem in causa religionis tanto facilius obtinerent. Negavit id Pontanus, dixitque, causæ suæ minime diffidere Evangelicos, cum jam omnes Christiani agnoscerent, quid verum falsumve esset. Horum colloquiorum is fructus fuit, ut conventus *Swinfurtensis* indiceretur. Habebant tamen alia, quæ ibi agerent Protestantes. Perfecerunt nempe, quæ Francofurti cœpta erant, pacta de auxiliis, (*Reg. H. fol. 62. n. 15.*) conscriptaque est formula d. 7. Maji, addita & alia separata conventio, (ein Nebenabschied) qua conditione in fœdus recipiendi essent alii, inter quos erant Erfurtenses. Requirebatur ante omnia, ut recipiendi Augustanæ confessioni adstipularentur, & a Zvingliano dogmate puri essent. Hoc maxime aversabantur, post *Saxones*, *Georgius* Marchio & *Norimbergenses*, cum aliis quibusdam civitatibus, quarum illi mandata habebant. *Argentoratenses* satisfecerant quoad hoc caput cæteris, sed de *Helvetiis* spem omnem præcidebant, de duritie illorum querentes. *Landgravius* varia causatus, inter alia, quod a Cronebergio & Fuchsio ex nobilitate Franconica sibi metueret, sese excusavit, pertinax in oppugnanda electione Ferdinandi, & Bavaricis consiliis fretus, quæ occultiora licet, eo tamen tendebant, ut Cæsari & Ferdinando negotia & impedimenta a Gallis aliisque objicerentur, ut tandem ipsi a proposito evehendi ad Imperium Ferdinandi desisterent. Separabant se ab hac causa Civitates fere omnes, exceptis *Argentoratensibus* & *Lubeccensibus*, qui Ferdinando nondum gratulati erant. Dissensiones istæ & cunctatio Landgravii Johannem Fridericum ad pacis conditiones accipiendas magis magisque flexerunt, rescriptumque illi fuit a Parente d. 30. Junii ex consilio Theologorum, ut exitum rei quæreret, neque rigide & scrupulose ageret. (soll nicht alles zu genau und schnureden suchen) Eodem tempore d. 29. Junii (*Reg. H. fol. 65. n. 17.*) Lutherus ad eum scripsit, monens, ut cavillationes eorum, qui pacem serio non cuperent, & argutas ratiocinationes (spitzige püncklein) morari se a pace concludenda non pateretur: Deo salutanti, gratias agendas esse; (weil GOtt grüsset / ist es zeit / daß man ihm dancke) Occasionem in fronte capillatam esse, secundum proverbium; male eam neglectam fuisse a Pontificiis in comitiis Augustanis: id exemplum caveri vult. Sed non opus erat Jo. Friderico hoc stimulo. Extant ejus literæ manu sua Swinfurti conceptæ ad *Guilielmum* Comitem Nuenarium, quo familiarissime utebatur. (*Reg. H. fol. 17. n. 18.*) In illis sancte asseverat, se nihil omissurum esse, quod, salva religione & libertate Germaniæ, conferre possit ad obtinendam pacem, rogatque Comitem, ut ad comitia veniret, & operam daret, ut Cæsar, cui apprime gratus erat, æquas conditiones admitteret. In negotio etiam electionis nihil iniquum postulari dicebat, & paratum se esse, coram judice non obnoxio, vitia electionis demonstrare, & sententiæ sese subjicere. Paulo post conclusam Norimbergæ pacificationem d. 30. Julii ad eundem scripsit, significans, ab articulis quidem omnibus, qui inter utramque partem Swinfurti & Norimbergæ de concordia tractati essent, abstrahendum fuisse, neque per Deum & conscientiam licuisse conditiones propositas inire, convenisse tamen de pace ad Concilium usque servanda, postquam Cæsar per Mediatores propensionem suam declarasset: multas quidem difficultates a sociis objectas fuisse, se tamen ad honorem Dei, & ut Cæsari obsequium suum probaret, maxime vero ob ingens periculum belli Turcici, eas superasse, & omnes suarum partium ad consensum adduxisse, exceptis Hassiacis, qui dilationem ad aliquod tempus pacti sint, quanquam id sibi & aliis molestum fuerit. Sperare se, pacem hanc durabilem futuram esse; negotium electionis & investituram Parentis, aliaque ejus desideria in suspenso mansisse. Addit, se paratum fuisse in tanto Turcici belli discrimine, ut Cæsari, unico Domino suo, cum insigni equitum peditumque numero adesset; sed quando nec Cæsar nec Fridericus Palatinus, Dux exercitus, suam operam desideraverit, superesse, ut quiescat & reliquis successum a Deo precetur. Ex his secreto & ad amicum scriptis optimus Principis hujus erga Cæsarem & patriam affectus evidenter cognoscitur. Non abs re erit præcipuos Electorum, Principum & Civitatum Legatos, qui huic negotiationi interfuerunt, memoriæ eorum conservandæ causa nominare. Moguntini Cardinalis nomine adfuerunt *Johannes Mærlin* Marescallus, *D. Christophorus Turcus* Cancellarius, *Johannes Pfaff* Prætor Moguntinus: Palatinus Elector miserat *Ludovicum Fleckensteinium* aulæ Magistrum, *Wilhelmum ab Habern* Marescallum, & *Philippum ab Helmstadt*: Johanni Friderico aderat *Gregorius Pontanus*: Georgii Marchionis Legati erant Marescallus *Seckendorffius* & *D. Sebastianus Hellerus* Cancellarius: Luneburgicorum *Johannes Forsterus* Cancellarius: Landgravii *Johannes Feigius* Cancellarius: Wolfgangi Anhaltini & Mansfeldensium Comitum, *Johannes Rubelius* Doctor. Inter Civitatum deputatos præcipui erant *Jacobus Sturmius* Argentinensis, *Bernhardus Baumgartnerus* Norimbergensis, *D. Leonhardus Merz* Magdeburgensis. Annotari etiam meretur ex literis Johannis Friderici, d. 1. Aprilis ad Parentem datis, Senatum Swinfurtensem consensisse, ut concionator Principis Spalatinus in templo parochiali homilias haberet, sed restitisse sacerdotes, concessum autem fuisse sacellum (eine Capell) & in eo Dominica Paschali egregie concionatum esse Spalatinum, tanto cum affluxu populi, ut feria sequenti extra sacellum sub dio verba fecerit, rogatus nempe, ut accessus pluribus pateret. Extant in *epistolis MSS.* apud *D. Casp. Sagittarium* literæ *Erasmi Hanckii*, scribæ publici Swinfurtensis, d. 29. Novembris hoc anno datæ. In his significat Spalatino, concionum ejus memoriam apud cives vigere, effici tamen apud Pastorem non potuisse, ut Sacramentum sub utraque distribueret, indeque factum esse, ut ex magno peste morientium numero plurimi absque sacra communione decesserint. Cantari a plebe in templo, invito licet parocho, hymnos Germanicos, illumque maxime, qui ex *Psalmo XLVI.* compositus erat: Eine feste Burg etc. A pueris etiam noctu in plateis idem fieri connivente Senatu. Verum hæc

(b) *Aliud inter eosdem.*

(c) *Acta quædam secretiora in conventu Swinfurtensi.*

(d) *Scripta Electoris Sax. ad Filium, ut & Lutheri.*

A. 1532.

(e) *Jo. Friderici Ducis litera ad Nuenarium.*

(f) *Nomina Legatorum ad conventum.*

(g) *Initia Evangelicæ doctrinæ Swinfurti.*

A. 1532.

urbs post annos demum aliquos ad plenam reformationem pervenit, impedita diu ab Episcopo dioecesano VVürzburgensi, cujus ditione circumdata est.

(2) *Acta conventus Suinfurtensis.*

Ita inclinatis ad pacem animis, literis ultro citroque missis, de conventu illo Suinfurti sub initium Aprilis habendo, inter Electores illos, ut intercessores, & foederatos Smalcaldicos consensum fuit, & tractatus Suinfurti coeptus est, praesentibus, Patris Electoris (jam tum periculose decumbentis) nomine, *Johanne Friderico*, Saxoniae Duce, *Francisco* Lüneburgico & *Wolfgango* Anhaltino, reliquorum autem Legatis: accesserunt etiam Civitatibus foederatis *Northusani* in Thuringia, & *Hallenses* Suevi. Propositiones Electorum retulit *Sleidanus Lib. VIII. p. 222.* Gravissimum & praejudiciale impedimentum pacificationi afferebat Ferdinandi electio in Regem Romanorum, quam vehementer adhuc oppugnabat Saxo cum sociis, rationes magni momenti allegans, & modum postulans, qui in tali electione servandus esset, de quo omnino legi merentur, quae ex actis repraesentat *Sleidanus d. l. p. 223. & seqq.* ubi memorat, Bavariae Duces non solum cum Saxone & Hesso, sed etiam cum Rege Galliae, pro tuenda libertate Imperii, foedus iniisse, & Regem aureorum centena millia apud Bavaros deposuisse, ut in promtu essent, si res ita ferret. Sed ista electionis causa alio tempore amica transactione composita, & interim a contradictione cessatum fuit. Lutherus de pacificatione hac consultus, multis argumentis eam suasit, inprimis autem enixe & propter Deum rogavit, ut electionem Ferdinandi non amplius impugnarent; satisfecisse Electorem officio suo, dum defectus in ea contra Auream Bullam admissos, indicasset; minime vero licere, ut ob hanc controversiam pacis conventionem moretur. Constat hoc ex literis Lutheri, Lunae post Esto mihi d. 12 Febr. ad Johannem Fridericum, filium Electoris, datis *Tom. V. fol. 959.* item ad ipsum Electorem, absque die *fol. 971.* adde *fol. 1022.* ubi mascule sententiam suam propugnat. Circa religionem praeter alia id potissimum difficultatem habebat, quod intercessores urgebant, ut foederati causam a Zuinglianis & Anabaptistis separarent, futurum sic sperantes, ut multae ex Civitatibus foedere exciderent; sed elisa ex parte fuit haec machina, cum, uti dictum est, Argentinenses & alii Saxonicis in controverso illo capite satisfecissent: Foederati autem promittebant, se nec Zuinglianis nec Anabaptistis patrocinaturos esse, nisi ab erroribus discederent, *d. Tom. V. fol. 1022. a.* Haec & reliqua, de quibus acriter disceptabatur, ad Caesarem, comitia Ratisbonae celebrantem, referebantur, quo volente conventus alius Norimbergam ad d. 13. Junii indictus, ibique d. 23. Julii pax inita fuit, quam ratam habuit Caesar d. 2. Augusti, & per edictum solenne d. 3. Augusti publicavit. Ex eo haec potissimum verba adscribenda duxi: *Nos, ut supremum caput Imperii, praedictis nostris amicis, cognatis & Electoribus, Moguntino & Palatino, consensimus, ut publicam & stabilem pacem inter nos & omnes Status Imperii Germanicae nationis, Ecclesiasticos & seculares faciant, usque ad generale, christianum & liberum concilium, quemadmodum de eo in comitiis Norimbergensibus decretum est, aut, si hoc non procedat, donec universi Status Imperii iterum conscribantur, sicut ea de re paulo post peculiari articulo cavetur. Ita videlicet, ut intra tempus hoc Synodi, vel quo Status Imperii, ut jam dictum est, iterum conveniant, & aliter deliberent, nemo, propter religionis aut ullam aliam causam, alteri bellum inferat, indicat, ipsumque spoliet, capiat, invadat aut obsideat, neque ad haec facienda per se vel per alium cuiquam inserviat, arces, urbes, oppida, castella, pagos, villas vel praedia insidiis occupet, vel contra voluntatem alterius violenter eripiat, dolove malo, incendiis vel alia ratione alteri damnum det, neque ullis istiusmodi machinatoribus, consilio, auxilio vel alio modo opem ferat, neque eos sciens & intelligens hospitio excipiat, victum, potum, aut receptum praebeat aut toleret, sed unusquisque alterum vera amicitia & christiano amore complectatur.* Leguntur ista Germanice *Tom. V. Alt. fol. 1026.* Adde *Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. 10. 11. 12.* Ad hanc pacificationem Landgravius Hassiae legatos miserat, sed non ita instructos, ut consensu suo pacta firmare possent, relaturos itaque se solum ad Principem esse, promiserunt, ut patet ex actis *d. l.* apud *Hortled. cap. 10. n. 10.* Cunctationis causa inter alias erat restitutio *Ulrici* Ducis Würtenbergici, quam moliebatur, nec multo post effectam dedit, ut ex *Chron. Hassiaco Dillichii* refert *Hortled. d. n. 10.*

(3) *Difficultates circa electionem Ferdinandi.*

(4) *Item circa Zuinglianos.*

(5) *Pacificatio Norimbergensis, & edictum Ratisbonense.*

A. 1532.

ADDITIO II.

(a) *Notata Joh. Friderici Ducis ad formulam pacis.*

Formula pacis, Norimbergae d. 4. Julii a Mediatoribus concepta, in *Archivo* extat, manu Joh. Friderici interpolata. Ad verba: *ut dissidentes licet in religione, vera tamen & christiana charitate sese complecterentur,* (quae etiam in edicto Caesaris retenta sunt) annotavit in margine: **so weit es das äuserliche / als Leib und Gut / berühren thut** / *quantum attinet ad externa, corpus & facultates.* Sed hoc glossema locum non habuit. Sub finem adjecit; ut Caesar promitteret, se mandaturum esse judicio Camerali & Rotwilensi, ut & foederi Suevico, sive hujus tribunali, ut a causis religionis & fidei cognoscendis abstineret: Id receperunt in se Mediatores Caesari commendandum. Neque tamen satis cautus fuit Johannes Fridericus, verba enim illa captata sunt, & interpretationibus enervata, ut in loco dicetur. Festinabat Princeps, sive quod parens Elector infirma esset valetudine, sive quod sociis, & inprimis Landgravio, parum fideret. Non enim levis simultas cum hoc inter hos tractatus oborta est, sive ex ingeniorum diversitate, sive ex dissensu Theologorum, qui vehementer dissidebant de quaestione: *an pax cum Caesare concludenda esset inter eos, qui tunc Evangelicam doctrinam receperant, exclusis, qui in futurum eandem essent recepturi.* Quid Lutherus & collegae senserint, ex illorum responsis *Reg. H. fol. 65. n. 17.* percipitur, quorum pleraque *Tom. V. Alt. fol. 1020. & seqq.* inserta sunt. Extat tamen aliud, quod, antequam tractatus inciperent, compositum esse videtur, subscriptumque est a *Luthero, Jona, Pomerano, Crucigero & Melanchthone.* In hoc consulunt, ut aliis quoque extra provincias Foederatorum, religionis causa, assisteretur, & ut judicium Camerae non agnosceretur, sed aliud constitueretur, in quo viri ab utraque parte delecti, sententias pronunciarent, pro conscientia sua, & secundum verbum Dei, non vero secundum opiniones scholasticas & constitutiones Pontificum; videntur tamen quatuor concilia Oecumenica admittere, & confessionem Augustanam simul pro regula habere velle. Posteaquam vero nulla spes esset, ut aliis quoque in formula pacis prospiceretur, qui in posterum Evangelicis accessuri essent, cedendum esse putarunt, ut summatim retuli. At consulti a Landgravio suae ditionis Theologi, *Erhardus Snepfi-*

(b) *Disceptatio ejus cum Landgravio, & inter Theologos.*

(c) *Hassiacorum sententia.*

A. 1532.

Snepfius, Georgius Mollerus, Johannes Campis, Adamus Fuldensis, Conradus Ottiger, Johannes Lehningus, Johannes Francius, Antonius Corvinus, d. 21. Maji in contrarium prolixe disputarunt, &, salva charitate christiana, excludi posse negarunt, qui unquam posthac ad eandem Confessionem accessuri sint. Hoc multis & gravibus verbis probatum eunt, & Josiæ Regis exemplum adducunt, qui etiam extra suam ditionem ad celebrationem Paschatos multos reduxerit. Nuper demum urbes quasdam Hanseaticas reformationem instituisse, quæ exclusæ fuissent, si talis pactio ante aliquot annos intervenisset. Licet autem opponatur, unumquemque suo periculo veritatem profiteri debere, nihilominus dicunt, fraternam opem ejusdem fidei consortibus & membris mystici corporis denegari non debere. Pacem utilem & necessariam judicant, sed talem, qua non læditur conscientia & lex charitatis. Neque tamen bellum suadent, & aliud responsum suum Rotenburgi datum allegant, quod in Actis non reperio. De concilio sentiunt non sufficere, quod liberum & christianum promittatur, sed stipulandum esse, ut in illo ex puro verbo Dei decidatur. Hassiacis assentiebant Luneburgici, inprimis *D. Urbanus Regius*, cujus eloquens & pathetica epistola ad Landgravium, Germanice d. 19. Junii Luneburgi data, extat. In hac confidere jubet Principem & socios in Deum; pacem propositam pro subdola & fallaci habet, bello pejorem: quod si maxime corpus & opes securitatem in illa inveniant, in periculo tamen versari majorem thesaurum veritatis Evangelicæ, quam aliis pax ista sit præclusura. Christianos veteres mortem potius elegisse, quam ut libertati recipiendi alios in cœtus suos renunciassent. Inter alia hæc Latine subjungit: *Aut igitur pacem habebimus cum Papistis, & periclitabitur fides nostra, nostra justitia & vita, & moriemur in delictis: aut pacem cum Christo habebimus, & mundo inimici erimus, & vivemus per fidem. Utrumque simul servare non licet. Quid igitur dicam? Sæviat Diabolus, bella gerat mundus, grassetur Antichristus, faveat tantum Christus, & vivemus.* Ad talia reponebat Lutherus, charitatem deberi proximo pro viribus, si absque peccato exhiberi possit. Principum autem officium in hoc casu aliud non esse, quam ut autoritate, quatenus possent, & precibus atque intercessionibus apud Cæsarem agerent pro aliarum regionum incolis; ut vero arma pro his sumant, fas non esse: sufficere, si jus suum illis relinquant, nec expresse paciscantur ea conditione de sua pace, ut illi a doctrina Evangelica arceantur. Reservandum esse, ut poscentibus concionatores Evangelicos mittere liceret, ad ultimum vero, ut emigrare possent, & sua vendere, quibus Magistratus libertatem doctrinæ denegaret. Allegabat regulam, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; atqui Evangelicos non ferre, ut alii sibi præscribant leges in suis ditionibus. Bellum se salva conscientia, probare non posse, & damnare pravos eorum affectus, qui sub Evangelii prætextu ad arma tendant. De formula, qua concilium stipulandum sit, persistit in eo, ut dicat, sufficere, si liberum & christianum promittatur, plus enim non effici adjecta clausula: *ut ex puro verbo Dei decideretur*; dicturos enim esse suffragatores nationum in concilio, se utique ex puro verbo Dei decidere. Negat porro contendendum esse armis, aut pacem repudiandam propter bona Ecclesiastica, esse enim temporalia, paci nullatenus præferenda. Denique etiam repetit, quæ de electione Ferdinandi monuerat, & in ea causa omnino cedendum esse statuit, etsi prætextum quendam ex Aurea Bulla habeat: hic enim vere dici posse, summum jus summam esse injuriam. Quamvis autem Georgius Brandenburgicus & Norimbergenses ad pacem vehementer inclinarent, inventus tamen nemo est ex Legatis, qui Luthero in omnibus assentiretur. Impugnabat ejus argumenta ante alios Cancellarius Hassiacus *Johannes Feigius a Lichtenau*, & conditionem oppidorum Moguntinæ ditionis (quæ in meditullio Hassiæ sita sunt) Amelburgi, Frideslarii aliorumque deplorabat, quorum incolæ nunc in vicina Hassiæ loca ad audiendum Evangelium venirent, pace vero, quæ proponebatur, inita, libertate ista privarentur. Ipse quoque Princeps *Johannes Fridericus* Johanni patri, consilium Lutheri, ut prudenter, pie & juste scriptum, commendanti & mittenti (*Reg. H. fol. 70. n. 19.*) d. 9. Julii aperte respondit, id ab omnibus Legatis improbari. Pontanus eodem die Electori scribens, addit: Lutherum aliter sensurum esse, si omnia causæ momenta cognosceret. Existimabant autem, Lutheri mentem hanc esse, ut pacis formulæ expresse, si id posceret Cæsar, nec aliter conveniri posset, insereretur, nullis aliis provinciis aut civitatibus præter illas, quæ hoc tempore doctrinam Evangelicam profitebantur, libertatem & facultatem concedi debere illam confitendi & introducendi. Nescio tamen, an hoc ex verbis Lutheri recte collegerint, qui id potius sentire videbatur, ut fœderati sibi quidem nominatim prospicerent, de reliquis vero tacerent, & futura Deo committerent. Prolixa & acris disceptatio de hac quæstione inter Electorem, Filiumque, & Philippum Hassiæ Landgravium, durante tractatuum tempore, & finitis licet illis, orta & continuata fuit. Initium Landgravius fecerat d. 16. Maji, cum Electore per literas expostulans, his inter alia verbis: *Si fides nostra in verbo Dei fundata & orthodoxa est, ut minime dubitamus, cur aliis ad eam accessum & locum non damus?* Respondens d. 26. Maji Elector, consilia Theologorum suorum Landgravio mittit, scribitque se refutare illa non posse, neque Deum esse tentandum: intercessurum se quidem & deprecaturum esse apud Cæsarem pro omnium libertate, si tamen nihil obtineat, satis esse, ut non consentiat in prohibitionem: bellum autem aliorum causa suscipi jure non posse, neque cum spe successus: obligari se sociis ad auxilium, sed præsentibus non futuris, cæteris tamen jus suum integrum servari: pacem, salva conscientia, repudiari a se non posse, minime omnium illorum causa, qui tantum in negotio electionis (non vero in religione) assistere velint. (Bavaros innuit, quibus Landgravius plurimum deferebat.) Nihilo mitior, accepto hoc responso, d. 31. Maji regessit Landgravius: Se sibi reservaturum esse facultatem aliis assistendi, etiam cum corporis & fortunarum periculo. (es bleibe leib und gut/ wo es wolle) Ad idem obligari Saxonem contendit, neque fas esse, ut pacem temporalem æternæ præferat, immo impie & inique acturum, si se separaret, quin & de sarciendis damnis, Landgravio metuendis, teneri. Sibi dudum occasionem fuisse, ut cum Henrico Brunsuicensi pacisceretur, id tamen Electoris gratia se omisisse. Queritur de consiliariis Electoris, qui sibi imputent pruritum ad bella. Pertæsus rixarum Elector, ad Filium causam remisit. Hic itaque, inita jam pace, d. 27. Julii literas ad Landgravium dedit, & parentis sententiam defendit. Non deesse, scribit, quæ Theologis Hassiacis responderi potuissent, si in conventu adfuissent. Negat, fœdere Smalcaldico parentem obligari, ut futuros socios paci includat; actum quidem esse, ut alii reciperentur, sed qui recepti non sint, eos jus nullum habere ad protectionem a fœderatis præsentibus postulandam. Pupugerunt hæc Landgravium; respondit itaque d. 1. Augusti, se non esse instructum doctoribus, tam subtilium verborum architectis, sed & hos errare posse, neque se majoribus suffragiis in hac causa cedere: se quidem Lutherum pro viro bono habere, & libros ejus semper æstimasse; at responsum illius in hac causa sibi nequaquam probari, (halte gantz nichts darvon) cum Scriptura enim sacra non convenire: minorem Melanchthonis rationem apud se esse, cujus trepidatio Augustæ satis apparuerit. Falso scilicet ab aliquibus Luthero suggestum esse, quod sanguinem sitiat, (der Landgraff wolle im blut waten biß an die sporn.) qui hæc [illegible]erint, tractari debere, ut Georgium Ducem a Luthero. Opponit huic Theologos, *Regium & Luneburgenses, Mansfeldenses, Magdeburgenses, Constantienses, Argentoratenses*, immo pios omnes. (alle fromme Christen) Addit: *Actum jam est*, (inita nempe pace) *& eventus docebit, quam prudenter consultum sit.* Allegat formulam fœderis Smalcaldici, qua expresse cautum erat, ut liberum esset, alios in societatem recipere. Hanc sibi libertatem servare volebat, quan-

(d) *Iis assentitur Regius.*

(e) *Luthero aliud placet.*

(f) *Dissentiunt ab eo omnes, speciatim Cancellarius Hassiacus, & ipse Joh. Fridericus.*

(g) *Epicrisis quædam.*

(h) *Rixa inter Electorem, Filiumque, & Landgravium.*

(i) *Querela Landgravii de Luthero.*

A. 1532.

A. 1532.

(k) Et de pacis conditionibus.

quanquam nondum statuerit aut dixerit, quos recipere vellet. Male igitur hoc jure sese abdicasse Electorem, a quo tamen ipse ad primum fœdus Magdeburgense invitatus fuerit, teste Pontano. Nunc postpositam esse charitatem proximi paci temporali, quæ tamen infida & lacera sit; (löcherichte) suspecta quoque, quia ipse Cæsar cuperet eam celari. Quærit, an ex timiditate, an privatæ utilitatis causa (um ein nebenhändelein) inita sit? (Suspicatus enim aliquid erat, cum percepisset secretum colloquium Johanni Friderico cum quibusdam fuisse; cujus tamen argumentum ipsi postea expositum fuit.) Festinasse Saxonem, ait, omnemque dilationem, a Landgravio & Civitatibus instanter petitam, recusasse, indeque odium in se recidisse, contra honestæ societatis legem. (sey nicht redlich.) Hortatur eum, ut fortius agat, inprimis in causa electionis, nisi summum dedecus & damnum incurrere velit. Joh. Fridericus mortuo interea Parente, d. 24. Augusti breviter replicat, literas Landgravii inconsiderate & præcipitanter scriptas esse (unbesonnen und übereilet) neque se ad eas respondere velle; (wolle sich nicht einlassen;) nominat ex suis octo Consiliarios nobilesque viros, ex quibus Landgravius deligat, qui de hac rixa decidant, totidemque ab illo ad eundem finem sibi indicari petit. Pacem non esse factam sine consensu sociorum, & fortasse a Landgravio ipso jam ratihabitam; (trium enim hebdomatum spatium Cæsar ei indulserat) neque quidquam in ea inveniri, quod conscientiam lædat; neque præjudicatum esse juri & autonomiæ aliorum. Landgravius ad ista, d. 30. Augusti, de morte Johannis dolorem suum testatur, optans, ut Johannes Fridericus filius eandem aliquando laudem ab omnibus reportaret, quam parens ejus haberet, quem amici & inimici, immo totus orbis dilexerit (daß E. Lbd. durch Gottes gnade von allen menschen/ wenn Sie sterben werden/ solch lob davon bringen / wie der fromme Churfürst davon bracht / denn warlich freund und feinde / und alle welt haben ihn geliebet.) Fatetur inde incogitantiam & præcipitationem suarum literarum, irritatum se tamen esse dicit acerbis Electoris literis, & quod fama esset favere illum Nassoviis, cum quibus Landgravius gravissimam litem de comitatu Cattimelibocensi habebat. Opus esse non putat arbitris in hac causa, deligit tamen ex nominatis ab Electore *Albertum* Comitem *Mansfeldensem*, *Anaricum* Dynastam VVildenfelsium, & *Fridericum Thunavium*, & his addi poscit *Johannem a Minckwiz*, quem Elector non designaverat. Pacem Norimbergensem iterum improbat, non quidem religionis aut conscientiæ causa, sed quod veluti triduana sit, & in arbitrium adversæ partis collata; elogium illi tribui non posse ne a triplici quidem Doctore (ein dreyfacher Doctor könne ihn nicht ausstreichen.) Ad hæc Elector d. 11. Septembris persistit in constituendis arbitris, & ex Hassiacis proceribus sibi denominatis eligit *Ludovicum Boineburgium* Cassellarum, & *Adolphum Rau*, Marpurgi Locum tenentem (Stadthalter) *Hermannum Malsburgium* Marescallum & *Fridericum Trottum*; pro *Minckwitio* vero, quem Landgravius desiderabat, quia hoc carere Elector non possit, alium eligi petit. Pacem factam Cæsaris potissimum respectu, cui ut capiti reverentia & fiducia debeatur, defendit. Landgravius d. 23. Septembris de dissidio hoc, a Deo pœnæ loco immisso, questus, acceptat tandem arbitros, & pro Minkwitio, *VVolfgangum a VVeissenbach*, locum vero tractatuum, *Mulhusinam* civitatem nominat. A vituperio pacis temperare sibi non potest, vocatque inconsideratam & turpem (unbedachtsam schimpf- und spöttlich) indicat tamen se eam, licet se non consentiente factam, ratihabuisse, mittitque exemplum literarum ad Ludovicum Palatinum Electorem, a se d. 13. Augusti ea de causa scriptarum, & ut ille ratihabitionem acceptaverit, &, una cum Moguntino ad Cæsarem missurum se esse, receperit. Præterea, quæ Joh. Fridericus d. 30. Septembris & Landgravius d. 14. Octobris scripserunt. Ventum tandem est d. 15. Decembris ad consessum arbitrorum Mülhusinum. Inter eos ob valetudinem non comparuerunt ex parte Saxonica *VVildenfelsius & Thunavius*, sed eorum loco adfuerunt *Nicolaus Endius & Johannes a Dolzig*. Hassiaci, qui nominati erant, omnes aderant. Hi, collatis in commune consiliis, adhortationem ad Principes scripto complexi sunt, ut fideliter conjuncti manerent, ne suo dissidio adversariis animum adderent: neuter sociorum suffragia captaret, sed omnia libere proponi, & secundum majora & potiora suffragia concludi sinerent, Legatosque suos ad hunc modum, non vero, ut prius ad Heros referrent, instruerent. Post hæc d. 21. Decembris conventionem sive Recessum (eine abrede) inter Principes procurarunt, qua definitur, scripta, de rixa hac, abolenda, eo, qui arbitris placeat, modo: pacem inter Principes colendam, omniaque pacta servanda & oborientibus dissidiis, Consiliarios utrinque mittendos esse, qui amice transigant, omisso inter Principes literarum & sermonum de ejusmodi rebus commercio. Pro Electore in hoc conventu verba fecerunt *Johannes a Minkwiz & Eobaldus a Brandenstein*; pro Landgravio *Sigismundus Boineburgius & VVernerus a VValdenstein*.

(l) Joh. Fridericus, parenti succedens, ejus acta defendit, & ad arbitros provocat.

(m) Electio arbitrorum.

(n) Horum acta & procurata conciliatio.

Hæc licet minuta & odiosa, adeoque reticenda, videri possint, ex Actis tamen *Archivi*, in quo exempla literarum conservata sunt, non sine fructu recenseri posse existimavi, quia documentum haud pœnitendum prudentiæ & moderationis Principibus & ministris præbere possunt. Lis erat, non inter inimicos, sed inter conjunctissimos Principes, uni eidemque causæ cum magno periculo suo addictos, & inter Theologos eandem fidem professos; stante etiam in utraque parte proposito, non ultra agendi aut cedendi, quam conscientia, secundum pietatis & honestatis leges, permitteret. Certabant interim non, ut dici solet, de lana caprina, sed de gravissima quæstione: *an pax, a Cæsare oblata, accipi aut recusari debuerit, & auxilium denegari ejusdem reipublicæ Ordinibus & civibus ad religionis libertatem & reformationem adspirantibus?* Si ex eventu judicare licet, potior erat Landgravii sententia; quod enim ille metuebat, paulo post cognitum est, non bona fide actum esse ab altera parte, idque Elector ipse sat cito agnovit, ut memorabitur. Nec diu duravit restrictio de non juvandis aliis, sed consensu Electoris plurimi post pacem illam in societatem recepti sunt, qui eandem religionem profiteri & reformationem moliri cœperant. Cæterum si ex statu istius anni, & ex hypothesi Theologorum rationes examinentur, vix dubitem Lutheri & collegarum sententiam reliquis præferre. Præsupposuit Lutherus, ut regulam, ex hypothesi, quam ex principiis generalibus formaverat, *jus non esse Principibus Germaniæ, ut religionem suam & subditorum vi armata contra Cæsarem propugnarent*; multo igitur minus licere id credebant aliorum causa. Hoc axioma Hassiaci aliique ante omnia in examen vocare, &, si possent, rationibus restringere debuissent, ut postea a Jurisconsultis factum est. At illi tantum ex vinculo & nexu charitatis argumentabantur, Lutherus vero non abs re opponebat, charitatem exerceri non posse cum læsione officii, quod itidem ex charitatis lege deberetur. Hoc autem fieri dicebat, si Principes non solum suffragiis & intercessione, verum vi & armis adversus Cæsarem agerent, ut non sibi solum, sed & aliis religionis libertatem concederet. Disquirendum itaque erat de jure Cæsaris & Principum: quæ scilicet & quanta esset illius majestas, inprimis circa religionem imperandam aut vetandam, & Pontificibus, ad decreta sua exequenda, manu regia assistendi: deinde, qua summi imperii parte Principes & Ordines instructi essent, ut deprehensis abusibus doctrinæ, & morum vitiis in Clero, pro sua conscientia, sibi & civibus suis, salva de cætero Cæsaris potestate, consulere possent, ut quidem communi consensu in comitiis Spirensibus anno 1526. decretum erat, nec injuria dubitabatur, an Cæsari decretum istud abolere fas fuerit. His quæstionibus non satis tunc expensis aut decisis, frustra ex generalioribus argumentis disputatum esse apparet. Sequentium temporum acta secutæque publicæ conventiones & sanctiones majorem lucem & decisionis robur afferunt.

(o) Epicrisis de illa lite.

(p) Item de sententia Lutheri.

At continuationem historiæ notandum est, Electorem, pendente etiam illa cum Landgravio collisione, diffi-

(q) Elector Saxoniæ diffidit paci.

A. 1532.

diffidere pacificationi Norimbergensi cœpisse. Cum enim post abitum Turcici exercitus ex Austria, Cæsar in Italiam profectus esset, & metus externi hostis minueretur, languere conservandæ pacis studium videbatur, cunctabatur etiam Cæsar in expediendo mandato de suspendendis actionibus fiscalibus in causis religionis. Prævidentes id fœderati in ipsis pacis tractatibus Norimbergæ, alium conventum *Brunsuigæ* indixerant, qui mense Novembri hujus anni habitus fuit, eo potissimum fine, ut inferioris Saxoniæ civitates, non exiguæ tunc potentiæ, arctius ad fœderis leges adstringerentur, & ad certum contribuendi modum perducerentur. Missi itaque sunt Brunsuigam ab Electore Saxone Cancellarius, *Christianus Baierus*, & Præfectus VVittenbergensis *Johannes Metsch*, in quorum mandato clare dicitur, non ita fidi posse paci, ut de securitatis mediis deliberandum & statuendum interea non esset. Spe tamen duraturæ pacis mitigati plerique sententiam differebant; nec nisi ingruente postea periculo, certi aliquid de tributorum modo statutum fuit.

(5) Conventus Brunsuigæ habitus.

(6) Cautelæ in stylo edicti.

Pace cum fœderatis d. 23. conciliata, Cæsar post paucos dies etiam cum Ordinibus Imperii, qui Ratisbonæ congregati erant, convenit, & d. 27. Julii decretum publicavit, qui in codice *Recessuum* legitur. Omissi autem sunt, in consueta recensione Ordinum, omnes, qui Suinfurti & Norimbergæ cum Electore Moguntino & Palatino Cæsaris nomine pacti erant, & in subscriptione, Civitatum nomine a Ratisbonensi senatu facta, diserte dicitur, subscribi nomine Civitatum, quæ decretum hoc receperint, quarum XXXVI. nominantur, quia reliquæ fœderi Smalcaldico accesserant. Callide id factum, & Pontificis ac Cleri consiliis, de quibus mox dicam, datum esse, haud obscure colligi potuit, & paucis post annis cavillationes eruperunt dictitantium: Cæsari jus non fuisse, ita pacisci. Alius itaque sensus his pactis affingebatur, ac si per inducias istas prohibiti etiam Principes fuissent in reformatione progredi, aut subditis non liceret eam amplecti. Tractatur de hac interpretatione in scriptis *Henrici* Brunsuicensis & *Philippi* Hassiæ Landgravii, anno 1540. editis, vide *Hortled. Tom. I. Lib. IV. cap. VII. n. 62. & seqq.* Ex actis *Tom. V. Alt. fol. 1020. & sqq.* item ex literis & responsis Lutheri *fol. 971. 1021. 1025.* cui Jonas & Bugenhagius assentiebantur, multa de his & aliis controversiis, in tractatibus istis Suinfurti & Norimbergæ ventilatis, cognosci possunt. Sed longe plura suppeditant Acta Archivi *Reg. H. fol. 63. n. 16.* Mediatores in prima propositione d. 2. Aprilis Suinfurti exhibita (*Tom. V. fol. 1016. Art. 1. & 4.*) postulaverant, ut Saxo & socii nihil innovarent, nec amplius ulteriusque prædicari aut publicari ore, typis, scriptis aut alio modo in causis fidei permitterent, quam quæ Confessio & Assensio (hoc vocabulum illorum causa additum fuit, qui post Comitia 1530. Confessioni assenserant, & fœderi Smalcaldico accesserant) Augustæ in Comitiis tradita continet. (inhålt) Ad hæc responsum est verbis *Tom. V. Alt. fol. 1018.* Germanice relatis, §. So hat gemeldter / & §. Nun ist das bekåntnůß ꝛc. quorum sensus hic est: Innovationes, quarum *Art. 1.* mentio facta erat, intelligi a se de doctrina & articulis, qui huc usque secundum Confessionem a suis tractati & prædicati fuerint, non vero de ceremoniis & ritibus; horum enim mutationem, ad normam tamen Confessionis, liberam sibi esse debere. Ad *Articulum* vero 4. monent, Augustana confessione non nisi summam quandam, absque præjudicio, expositam fuisse (eine ungefåhrliche summa) omnium articulorum, eo usque ex sua parte in docendo propositorum & publicatorum, sed non fuisse renunciatum aliis articulis, quos Theologi Evangelicorum ex sacra Scriptura contra abusus docuerint & publicaverint, de quibus etiam Cæsari exhibitis schedulis post traditam Confessionem indicium factum sit. Petunt itaque declarationem, ut nova dissidia præcaveantur. Repetierunt ad hæc Mediatores *fol. 1019.* priora verba sua, sed pro phrasi, *quæ Confessio & Assensio continet*, (quia ad literalem textum restringi potuissent,) hanc substituunt: So viel ihre bekåntnůß und assension vermag / derselben gemåß und nicht weiter / *quantum Confessio & Assensio complectitur, quodque illi congruit, & non ulterius.* Sic extensio ad sensum & consequentiam concedebatur. In responso Fœderatorum, quod in Archivis extat, & in Tomis non invenitur, alia formula proponitur: (Was und so viel die zu Augspurg gethane Confeßio sambt der Apologie vermag/ und deren gemåß/ anhångig und nicht zuwieder ist) *quod & quantum Augustana confessio ejusque Apologia complectitur, illi congruit, ab ea dependet, & illi non adversatur, quemadmodum in fine Confessionis in adjecta conditione reservatum est.* (wie sie im Ende der Confeßion bedinget haben) Regesserunt Mediatores d. 11. April. & vocabulum *Apologiæ*, ut noviter propositum, recusant, eique substitui cupiunt *Assertionis*: sed Evangelici d. 17. Aprilis formulæ suæ insistunt, dicentes: nominatum fuisse *Apologiam* scriptum illud, quod Cæsari post Confessionem exhibitum sit, *neque se pati posse, ut doctrina sua & verbum Dei coangustetur, imminuatur, & concionatores adstringantur, ut nihil aliud prædicent, quam ad literam Augustanæ confessionis, neque libere & plenissime adversus omnes errores doctrinæ, abusus, peccata & crimina docere possint.* Daß ihre lehre und Gottes wort eingezogen / geringert / und die Prediger darauff verknůpfft wůrden / nichts anders als nach dem Buchstaben der Confeßion zu lehren / und daß sie nicht frey und vollståndig wider alle unrechte lehre / mißbråuche / sůnde und laster schreiben důrfften. Mediatores d. 22. Apr. institerunt, ut vocabulo *Apologiæ* aliqua declaratio adderetur. Sequenti tamen die Pontanus Mediatoribus indicavit, omitti illud verbum non posse, *Apologiam* esse correlatum *Confessionis*, nolle tamen Principes & socios, ut alii articuli docerentur, quam qui huc usque tractari cœpti sint. (die bisher erreget worden.) Tandem post alias disceptationes ultimam Mediatoribus formulam d. 7. Maji proposuerunt, quæ *Tom. V. Alt. fol. 1023.* legitur, nempe quod Principes Saxo, Georgius Brandenburgicus, fratres Luneburgici, Philippus Landgravius, Wolffgangus Anhaltinus Comites Mansfeldenses & XXIV. Civitates, ibi recensitæ, (pro *Resim* tamen legi debet *Isna*) præter Confessionem, Assensionem & Apologiam Augustæ exhibitam, & quod illis secundum legitimum, christianum & æquum sensum congruat, ulteriorem & aliam innovationem non sint

(7) Orta disputatio de Augustanæ confessionis sensu & extensione.

(8) Item de voce, Apologia.

A. 1532.

An. 1532. sint facturi, neque ceremonias instituturi, quæ Confessioni & Apologiæ illi adversarentur aut non convenirent: (Sollen über solche Confession, assension und apologien/ auch was denselben nach rechten christlichen und billigen Verstande gemäß/ keine weitere noch andere neuerung/auch keine ceremonien/ so derselben Confeßion oder Apologie zuwider / oder ungemäß / fürnehmen) Hæc, quæ ab Evangelicis, nondum elapso post traditam Confessionem biennio, in illustri illa tractatione dicta & scripta sunt, intentionem eorum dilucide explicant, & ea mirifice confirmant, quæ adversus veteres novasque sycophantias de restringenda doctrina ad literam Augustanæ confessionis supra *Lib. II. §. LXV. & LXVII.* annotata fuerunt.

(9) *Alia lis de protectione subditorum alienorum, & jure emigrandi.*

Multum etiam actum fuit de libertate religionis, aliorum Principum subditis concedenda, aut protectione illis adversus dominos præstanda. Sed Lutherus in allegatis epistolis & consiliis omnibus modis dissuasit, ne eam ob causam pacis negotium interrumperetur, sufficere enim Principibus, si sibi suisque prospiciant, & reliquis nihil adimant, suo jure & periculo tentaturis, quid impetrare possint, itaque in modo citata ultima declaratione hoc caput ita conceptum est: *Nemini fas fore, ut alicujus subditos in causa fidei ad se trahat, aut contra Dominorum voluntatem illos protegat. Si vero subditi, qui nullo speciali nexu adstricti, sed liberi sint,* (einen freyen zug haben / id est, servitute personali aut adscriptitia non obligati) *religionis causa ex provinciis Dominorum suorum discedere velint, illis emigrationem præstitis consuetis tributis,* (die nachsteuer) *concedendam esse, eosque recipi licere:* protestantur tamen fœderati, *se neminis fidei aut religioni hoc pacto præjudicare velle.*

(10) *Aliæ Protestantium reservationes.*

De bonis ecclesiasticis & de jurisdictione Episcoporum tractatum est, ut status & possessio præsens maneret ad Concilium usque; reditus vero Ecclesiastici ex omnibus provinciis ultro citroque in Ecclesias collegiatas, (Stiffter) prælaturas & monasteria præstarentur, quorsum antiquo jure præstari deberent, salvis juribus territorii aut pactis. Reservarunt sibi etiam Principes fœderati, si iter facerent, liberum sacrorum usum pro se & Comitatu suo, item usum sacræ Cœnæ sub utraque, ut & militibus in castris, in quibus tamen Evangelium absque alia additione, prædicari deberet. Inter assessores Cameræ, aut ad circularia negotia recipiendos esse postulant Augustanæ confessioni addictos, denique lites omnes in *Camera, judicio Rotvilensi* & *Westphalico,* item coram *fœdere Suevico* motas aut latas sententias suspendendas esse, vide *fol. 1023. & seqq.*

(11) *Lutheri de bonis Ecclesiæ responsum cum epicrisi.*

De bonis ecclesiasticis consultus, tractatuum, ut videtur, tempore, Lutherus *Tom. V. fol. 1027.* respondit: Quoniam in regionibus Electoris Saxoniæ monasteria deserta sint, neque salva religione & conscientia, superstitiosus ille cultus restitui possit, ad curam Principis pertinere, ne bona monasteriorum dissipentur; negat autem, quod quidam putabant, ejusdem Ordinis monachis alibi versantibus tribui monasteriorum reditus debere. Fundata enim esse, ait, harum provinciarum causa, & fundatorum intentionem ultimam & principalem fuisse, ut ad Dei cultum impenderentur: errorem ab illis in modo cultus commissum corrigi posse & debere. Porro ad quæstionem, an nihil ex bonis illis, postquam ministerio Ecclesiarum & scholarum ex iis provisum esset, in Principis & Nobilitatis commoda vertere liceret, existimat, ob magnos sumtus, quos Principes in religionis negotio erogent, aliquid compensationis loco illis assignari posse, neque id ratione aut exemplis carere, neque injustum esse, ut Nobilitati etiam aliquatenus ex illis prospiciatur, cum & olim eum finem fundatores sibi proposuerint. Sciendum autem est, bona illa vacantia ab Electore Johanne, ex consilio Ordinum provinciæ, sequestrata, & curæ delectorum ex Ordinibus commissa tunc fuisse. Erant autem ex illis & ex Consiliariis Electoris, qui paulo severius de reditibus illis sentiebant, inter quos non sine aliquo aculeo Lutherus nominat Cancellarium *D. Christianum*, id est, *Bajerum*. Eadem autem, quæ in priori illa consultatione, respondet, assentiente *D. Justo Jona*, qui etiam de reliquorum Theologorum assensu testatur. Speciatim vero meminit salarii sui & Melanchthonis, & impensarum, quas Elector in conciones & in librorum editiones erogaverit, quibus utique iniquum esset fiscum Principis onerari, vide *Tom. V. fol. 1029.* Quin abuti aliqui hac moderatione potuerint, dubitari equidem non debet, & ipso facto abusos esse constat. Interim sententiæ ipsius æquitas haud difficulter defendi potest, stantibus principiis, quibus nititur Lutherus, ut ante omnia prospiciatur Ecclesiarum & scholarum ministris, & ut pro erroneo & superstitioso cultu melior & purior introducatur; unde sequitur, id, quod ex reditibus superest, ad alias utilitates publicas destinari posse. Sed hæc obiter.

(12) *Cæsar quæstiones illas indecisas relinquit, tempori serviens.*

Nihil autem ex quæstionibus illis, tanta cum contentione disceptatis, decisum aut transactum fuit, sed Cæsar, ut auxilia ad bellum Turcicum impetraret, omissis omnibus controversiis, pacem, Edicto 3. Augusti publicato, utcunque constituit, nulla tamen ejus in *Recessu* Comitiorum mentione facta, nisi eo trahi possit §. geist- und weltliche beschwerungen ꝛc. de quo in *Additionibus* dixi. Edictum vero illud *provisionale* vocat Maimburgius, quod negari non potest, si ad terminum respiciatur, qui paci præfinitus fuit, Concilium nempe, aut alius Imperii conventus, qui in potestate Cæsaris stabat. Prodidit secretum etiam *Pallavicinus Lib. III. cap. IX. §. 9.* dum Pontifici a Cæsare pro solatio insinuatum esse notat, fore, ut si angustiæ temporis cessarent, Protestantes ad servanda priora edicta, quippe non extincta, sed saltem sopita, adigerentur. Sic perpetuo autoritas Romanæ hierarchiæ conservari creditur, nullis pactionum vinculis constringenda. Cæterum de concilio aut comitiis generalibus loco ejus celebrandis eadem in *Recessu Ratisbonensi* decernuntur, quæ Norimbergæ conclusa erant.

(13) *Quid Ratisbonæ decretum fuerit de Concilio.*

Narrat ab initio Cæsar, quantum mali ex schismate religionis ortum sit, utque metui debeat, ne omnis disciplina, obedientia & aliæ virtutes ecclesiasticæ & politicæ plane interciderent. His scilicet opinionibus impletæ Cæsaris aliorumque Principum mentes erant, artificio Cleri, cujus magna pars turpitudine morum & crassa ignorantia, fatente id Adriano Pontifice, omnium odia in se conci-

A. 1532.

concitaverat; nunc vero dissimulatis, quæ ex reformatione oriebantur, doctrinæ & morum melioribus exemplis, saltem excessus quosdam fanaticorum & maleferiatorum insectabatur, & imperitis ostentabat, ad injiciendum vanum metum, ac si mutatione abusuum in religione omnis disciplina & politia subverteretur, cum tamen non solum aperta professione Lutheri & aliorum contrarium assereretur, sed & ipse eventus omnes illas suspiciones & calumnias destrueret. Pergit inde Cæsar, & recenset, quemadmodum in comitiis Norimbergæ, Spiræ & Augustæ habitis nihil excogitari ad schisma tollendum utilius potuerit, quam Concilium universale & christianum, utique ipse ab Ordinibus requisitus Pontificem de convocatione ejus interpellaverit. Refert, ut Pontifex Episcopum Dertonensem ad se legaverit, cum quo Campegius Cardinalis & Episcopus Vasonensis Leodii se convenerint, nunciantes, quid ratione temporis & loci Pontifex consideraverit. Misisse inde Cæsarem Legatos ad Galliæ Regem, qui necessitatem concilii habendi agnoverit, nihilominus rem, quoad formam, & maxime quoad locum concilii habendi, in suspenso reliquerit. Has itaque difficultates in comitiis, Spiræ indictis, Ordinibus imperii aperire voluisse, &, quia prorogata fuerint, nunc aperire. Quandoquidem vero Ordines jam iterum urgeant Concilium, omnino se allaboraturum esse, ut Pontifex ad indictionem progrediatur. Quod si impetrare nequeat, ut concilium in Germania habeatur, pro potestate Cæsarea præstiturum, quæ sui sint officii, & in Imperio conventum habiturum esse, in quo pro gravitate rei remedium quæri possit, ad obtinendam in natione Germanica unionem & concordiam, & ad firmandam regulam & consensum fidei sanctæ, & ad solatium erga Deum & matrem Ecclesiam, ad pacem item & quietem publicam. Videmus hinc Cæsarem suæ Majestatis suique officii haud immemorem fuisse, magnumque ejus argumentum præsentibus & consentientibus tot Principibus, inter quos fere triginta Ecclesiastici aderant, aut Legatos miserant, dedisse, dum Pontifici tempus & locum Concilii præscribit, eoque cessante alium modum, comitia nempe generalia, determinat, per quem Ecclesiæ consulere etiam absque Pontifice volebat. Quæ vero tunc inter Cæsarem & Pontificem, Regesque alios, consilia & animorum dispositiones fuerint, paulo clarius, quam ex Maimburgio, ex aliis disci potest autoribus, lectuque inprimis digna sunt, quæ *Paulus Venetus Lib. I.* & hunc ex instituto suo refutans *Pallavicinus Lib. III. cap. VI. VII. IX. X.* commentatur.

(14) *Clementis VII. intentio, ratione Concilii, aliaque acta & diplomata.*

Clemens scilicet Pontifex antiquum obtinebat, malefida in Cæsarem amicitia & iniquo in Germanos animo, quamvis meliora, missis nunciis suis, & inter hos Aleandro, (cui singulare Concilii desiderium, etiam cum periculo suo, tribuit *Pallavicinus cap. VII. §. 1.*) simularet; nihil autem ei gravius erat, quam concilii convocatio, ad quam urgebatur, neque quicquam cupiebat ardentius, quam ut Bullæ Leonis & edictis Wormatiæ & Augustæ editis, insisteretur, & vi opprimerentur Protestantes. Huc omnia ejus tendebant consilia. Ut tamen ignominiam impediti concilii leniret, prætexebat Galliæ Regis consensum necessarium esse, quem certus erat impetrari non posse. Cum Rege enim novo nexu, ob matrimonium Henrici filii Regis, & Catharinæ Mediceæ, cognatæ suæ, aliasque ob causas sese conjunxerat. Impedire tamen omnibus suis & Legatorum artibus non potuit, quin pax Norimbergensis coiret, licet per Aleandrum ita tunc fascinasset Ferdinandi Regis animum, ut secreta Caroli fratris Pontifici aperiret, & Rex iste, *Pallavicino* teste, cum lacrymis Pontificiæ dignitatis studium, & profundendi pro ea sanguinis cupiditatem testaretur. Hæc & alia ipsius *Pallavicini* relationi accepta ferimus, cui etiam insignis secreti revelatio debetur, quod Pontifex in causa electionis Ferdinandi, duo diversa diplomata Carolo Cæsari miserit, quorum altero Electori Saxoniæ jus suffragii, ut hæretico, abrogabat, altero permittebat: quorum tamen neutro Cæsar usus est. vide *cap. IX. §. 2.*

A. 1532.

(15) *Notatur Pallavicini sententia de hierarchia necessitate, & de opinionum controversia capitalium.*

Quantas vero iras conceperit & spiret *Pallavicinus* contra *Paulum Venetum*, Pontificiæ dominationis incommoda repræsentantem, & pro Ecclesiæ universalis concordia, absque hierarchia illa externa, violentisque eam tuendi modis, argumentantem ex *cap. X.* cognoscitur. Summum autem sententiæ suæ stabilimentum in externi regiminis necessitate ponit: in hac formam Ecclesiæ constituit, & hanc absque illa inanem vocem, meramque congeriem rerum fortuitam esse, causatur. Accedere itaque debere contendit sacri cujusdam Magistratus autoritatem, (cum profano Principi deferri eam nefas sit) qui varios Christianorum principatus in eadem religione contineat. Absque hoc vinculo Ecclesiam subsistere non posse confidenter jactat, sed nullis argumentis, quam quæ ab humanarum societatum natura sumuntur, Christi vero regno, quod non est de hoc mundo, nulla legitima ratione accommodari possunt, ad illam vero potentiam & majestatem, quam Romana affectat, sine dubio necessaria est. Itaque sincere & absque præjudicio has *Pallavicini* rhetoricationes, cum iis, quæ *Venetus* occasione pacis Norimbergensis, annotavit, comparantes, haud difficulter deprehendent, uter eorum ad Christi & Apostolorum axiomata de natura & forma Ecclesiæ convenientius philosophetur. Notari etiam meretur syllabus articulorum, quos capitales esse existimat Pallavicinus, & ob quos Protestantes Ecclesia prorsus exturbat, nempe de libero arbitrio, de numero & vi Sacramentorum, de votorum efficacia, de bonorum operum necessitate, de Ecclesiæ autoritate in præscribendis legibus sanciendisve dogmatibus, de Christi præsentia in Eucharistia, etiam extra ejus usum, ac denique de veritate sive canone librorum sacrorum. Hæc talia esse putat, quæ nisi ad præscriptum Romanum credantur, frustra desudaverint tot concilia in damnandis hæreticis, & frustra Deus fidei mysteria sacris libris nos edocuerit. Quam misere vero ista asserantur, & quam parum, immo nihil faciant ad defendenda Pontificum sæva adversus dissentientes consilia, & quæ paci Ecclesiæ universali objiciant obstacula, non est, ut prolixius hoc loco deducatur. Sed hæc per occasionem monuisse satis fuerit.

ADDI-

A. 1532.

'ADDITIO III.

(a) *Altercatio Cæsaris cum Ordinibus in Comitiis Ratisbonensibus de Concilio.*

Acrem disputationem de concilio, inter Ordines Romano-Catholicos & Cæsarem ostendunt Acta Comitiorum. (*Reg. E. fol. 44.*) Significaverat illis Cæsar *d. 17. Junii* se recordari, quod Augustæ Legato Campegio gravamina contra Sedem Romanam exhibuerint, illumque promisisse, relationem ad Pontificem se esse facturum, quærendum igitur jam esse, quæ sit Pontificis sententia. Sed Ordines, nihil æqui Romæ sperantes, Cæsarem convenerunt, rogaruntque, ut Pontificem ad concilium intra sex menses indicendum permoveret, aut ut ipse, cessante illo, ad indictionem procederet, quod olim Cæsares levioribus ex causis factitaverint, aut denique, ut conventum nationalem, ad pacis & concordiæ Christianæ stabilimentum, haberet. Cum ad hæc Cæsar *d. 5. Julii* regessisset, decere omnino Ordines Germaniæ, ut ex sua natione Legatos Romam mitterent, desideria sua Pontifici exposituros; (id enim suggerebat Legatus) replicatum fuit: Populum huc usque spe Concilii ægre ab apostasia (ut loquuntur) retentum esse, si vero solatio hoc privetur, neque de indictione Concilii & securuti remedii confidere possit, periculum defectionis evitari non posse, neque expectanda esse valida contra Turcos auxilia. Ista Cæsar inclementius accepit, indignatus, quod semper sibi ab Ordinibus promissio de convocando Concilio objiceretur, illi enim curæ ita a se satisfactum esse, ut coram Deo & mundo culpa careat. Dolet de difficultate circa auxilia adversus Turcos, & repetit postulatum de Legatione Romam mittenda, rejicitque Ordinum excusationem, quod minori numero adessent, quam ut decernere de Legatis possent, cum tamen ausi sint, de nationali concilio decernere, quod longe majoris sit momenti. Exceperunt ad hæc non sine acrimonia Ordines: se ita sese erga Cæsarem hucusque gessisse, ut de gratia ejus bene speraverint. Peregrinis Consiliariis ejus (Welschen Rathen/Belgis puta vel Hispanis) imputant, quod scripta sua non recte intelligant, aut studio inter Cæsarem & se dissidiorum spargant semina: Concilium a Legato, *Mirandula*, Spiræ promissum esse, neque se causam scire, cur id non indicetur: Legatos se Romam sine dedecore ipsius Cæsaris mittere non posse. Aderant Electoris Saxonici Legati *Planitius* & *Taubenheimius*, qui, licet consessu abstinerent, omnia tamen ad Herum aut filium Jo. Fridericum referebant. Multa illi questi sunt de Ferdinandi Regis odio in religionem, dixisse enim eum, quietem obtineri non posse, nisi cum excidio sectæ Lutheranæ, idque se procuraturum esse, etiam cum omnium rerum suarum jactura, & licet mendicandum sibi foret. (und solte er betteln gehen) Hassiaci Legati, qui itidem Ratisbonæ versabantur, penetrasse se dicebant, Cæsarem clam copias conscribere, quibus Protestantes ad obsequium, edicto Augustano præstandum, adigeret. Sed Cæsar id pro calumnia habuit, scribens ad Moguntinum, se non clam sed palam agere velle, si vim pararet. Vehementer etiam, sed in cassum, contra Evangelicos in comitiis his laborabat Georgius Saxo, quem tunc Cæsar ordine aurei velleris honoravit. Auditi sunt Legati Electorales satis benigne a Cæsare d. 3. Junii, & accepta fuit eorum excusatio contra sparsam de Hero suo famam, ac si delectus haberet, & bellum moliretur. Ille rumor ex incauto Marescalli Hassiaci *Malsburgii* cum Palatino *Habernio* sermone originem habuit, & extat Jo. Friderici Ducis querela sua manu scripta (*Reg. H. fol. 65. n. 17.*) quod Mediatores ea de re, tanquam a se intellecta, ad Cæsarem scripsissent. Verum, ut dictum est, Cæsar placatum se esse ostendit, & Legatos Saxonicos Lundensis Archiepiscopus, qui tunc Cæsaris negotia curabat, bene sperare jussit de affectu Cæsaris in Electorem, non æque in Landgravium. Paulo post *d. 6. Junii* Cæsar in processione sacra (octava corporis Christi) pedes, quibus æger erat, ita læserat, ut Missæ finem expectare non potuerit, ideo in thermas discessit, sive ut tempus daret negotiationi pacis cum Protestantibus.

(b) *Protestantium querela de Ferdinando Rege & ipso Cæsare, item Georgio Saxone.*

(c) *Acta quædam Cæsaris cum Protestantibus & Catholicis.*

A. 1532.

De gravaminibus a Catholicis adversus sedem Romanam Augustæ exhibitis, quorum Cæsar d. 17. Junii, ut retuli, mentionem fecit, parum credo ad Protestantium notitiam pervenisse, neque in actis Archivi quidquam reperio. Ex iisdem tamen percipitur, transactionem quandam inter Ecclesiasticos & Politicos Principes Pontificiarum partium de gravaminibus Augustæ initam esse, cujus confirmatio a Cæsare petita, neque tamen facta fuerit, contradicente potissimum Electore Palatino, ob jurisdictionem Episcoporum & similes causas. Rogatus igitur Cæsar in his comitiis *d. 10. Junii*, impertiri tamen confirmationem noluit, obortis denuo difficultatibus, tum ab ipsis paciscentibus, tum ab Evangelicis, qui negotium illud ad se pertinere negabant, & publice protestabantur. Intelligitur hoc ex horum comitiorum Recessu §. geistliche und weltliche beschwerung etc. ubi Cæsaris nomine narratur, actum esse Augustæ de constitutione ad componenda gravamina ecclesiastica & politica publicanda; sed fieri id ob protestationem Electorum & Principum, & propter alia negotia gravissima non potuisse; cum vero id in hisce comitiis facere vellet, iterum protestationes publice interpositas esse, se tamen cum Protestantibus Electoribus, Principibus & Ordinibus sine mora acturum, ut transactio sequatur & publicetur. Hæc de sola protestatione Evangelicorum intelligi non possunt, cum unus tantum Elector inter eos esset, & de concordia cum illis jam tum Swinfurti & Norimbergæ tractatum & conventum utcunque fuisset. Protestati quoque erant Evangelicorum Legati contra ea, quæ de visitatione Camerali in Recessu statuebantur; dependebant enim ex Recessu Augustano, & compertum erat, aliquot assessores & procuratores ex sola religionis causa exauctoratos fuisse, sub prætextu tamen generali, quasi non essent ad munera sua idonei. Elector Brandenburgicus in comitiis his tam fervidus erat, ut diceret, se fidem & opes amittere malle, quam in pacem cum Evangelicis consentire: (wolle lieber Land und Leuthe verlieren / sterben und verderben) idem urgebat, ut Confutatio Augustanæ confessionis (cujus communicationem Protestantes frustra petierant) publicaretur; sed repugnarunt ipsi Catholici, interque eos Henricus Brunsuicensis, dicens, satis jam esse molestiarum. (es sey schon unlusts genug) Mirari se hanc ejus moderationem, scripsit Johannes Fridericus ad Legatorum relationem d. 20. Junii; de Augustano tamen Episcopo, qui eadem monuerat, scribit, se de illo, ut Prælato sapienti, nil nisi æqua sperasse. Varie in illo certamine gesserunt se *Bavari*, aut eorum potius Legatus, *Leonhardus ab Eck*: aliquando enim vehementer contra reformationem invectus est; aliquando contestatus, Heros suos, etsi in veteri doctrina persisterent, bellum tamen religionis causa aversari, &, conscientiæ suæ libertatem cuique permittendam esse, censere (man solle einem jeden glauben lassen / wie er es gegen GOtt zu verantworten getraue.) Hæc ipsi Georgio Duci dicta ab illo esse, Legati d. 1. Aprilis retulerunt. Bavarorum moderatio eo tendebat, ut Saxonis & sociorum ope Ferdinandi evectionem ad Imperium impedirent, cui tantopere infensi erant, ut nec Legatum Cæsaris in Germania eum esse, æquo ferrent animo. Neque Cæsaris ipsius cum VVilhelmo Bavariæ Duce colloquium profecerat, in quo tamen dixerat, Bavarica contradictione Ferdinando auferri dignitatem regiam non posse, & se Fratri patrocinium esse præstiturum; exemplum etiam præcipuarum civitatum ex Lutheranis opposuerat, quæ jam Ferdinando de accepto axiomate gratulatæ erant. Caute tamen agebant Bavari, dissimulantes apertam contradictionem: interea non tam Saxonem, qui pacem ex hac causa non recusabat, quam Landgravium stimulabant, ut fortiter in oppugnanda electione persisteret. Maximus tamen hortator erat *Gallia Rex*, qui scriptis ad Bavaros literis transactionem cum Cæsare & Ferdinando omnibus modis dissuadebat. Dicebat, Cæsarem propediem in Italiam & Hispaniam abiturum esse, & in rebus Germanicis trepidare; restituturum etiam fore, si constanter agerent, Ducatum VVurtenbergicum, idque Legatum ejus in aula Britannica,

(d) *Quædam de Electore Brandenburgico & Henrico Brunsuicensi.*

(e) *De Bavaricis consiliis & actis.*

A. 1532.

nica, tanquam jam factum, jactasse. Constat hoc ex literis Eccii supra dicti ad Landgravium d. 10. Martii datis, & cum Saxone communicatis. Ad eundem ipsi Bavariæ Duces scripserant, adesse ex Gallia *Gabrielem* quendam *Marcellinum*, qui splendidioris Legationis propediem securturæ spem faceret; suadebant ergo, ne pacis negotium præcipitaretur. Sic effectum est, ut Jo. Fridericus Swinfurti duriorem se exhiberet, & Mediatoribus quindecim dierum spatium præfiniret, intra quod a Cæsare obtinerent, ut negotium electionis Ferdinandeæ a tractatu pacis religiosæ separaretur, & de hac transigeretur, manente licet de electione controversia. Missus inde fuit Electoris Saxonici nomine in Bavariam *Johannes a Minkwiz*, d. 18. Junii, ut cum Gallicis Legatis ageret, & pactis cum Bavariæ Ducibus accederet. Mandata ejus duplicem habent restrictionem: cavere *primo* jubetur, ne ullo modo ad inferendum bellum consentiret, quo tendere videbatur Landgravius; *secundo*, ut negotium electionis amice tractaretur, & ad eum finem Bavariæ Duces Norimbergam venirent, renitente licet Landgravio. Ex literis Jo. Friderici ad Parentem apparet, tractatum fuisse *Schyræ* in Bavaria (zu Scheyren) actumque esse, ut non solum Reges Galliæ, Angliæ & Daniæ, sed etiam Johannes, quem isti pro Hungariæ Rege habebant, in societatem contra Ferdinandum adsciscceretur. De concilio etiam tractatum fuit, operam suam promittentibus Gallis, monentibus tamen, ne quid contra priora quatuor Oecumenica concilia prætenderetur. Præcipuum comitiorum horum negotium erat, ut Ordines Imperii auxilia adversus Turcos præstarent, ideoque licet in propositione Cæsarea primum omnium de causa religionis agendum esse diceretur, in Recessu tamen præpositum est caput de auxiliis illis. Parati ad illa erant Protestantes, si modo pacem internam impetrarent. Lente vero omnia procedebant: non illorum aut Cæsaris culpa, sed propter oppositionem Pontificii Legati & Episcoporum, qui pacem cum Evangelicis ægerrime admittebant, indignante etiam & consilia eorum minime probante Cæsare, ut Evangelici judicabant. Remotus tunc fuit ex cancellaria Cæsaris *Alexander Sueissius*, de quo Legati Saxonici scribunt, quod plus quam viginti aureorum millia corraserit, more, ut ajunt, illorum hominum; (wie solche Gesellen pflegen) surrogatus autem ei fuit *D. Matthias Heldus*, quem describunt a parva statura; & quod, Brandenburgici Electoris denominatione, Cameralis judicii assessor fuerit. Episcopus Tridentinus, Saxonicis semper æquus, & gratia apud Cæsarem valens, multum ad pacis consilia contulit, dictitans, tractari illam debere exemplo Maximiliani Cæsaris, per homines mediocris conditionis. Idem Cæsari confirmavit, Electorem Saxoniæ, quicquid adversarii ejus dicerent, pacem non esse rupturum, defensurum tamen se esse, si vis ei inferretur, idque vitio verti illi non debere. Ejusdem consilium erat, ut unus ex Henrici, Saxoniæ Ducis filiis, in aulam Ferdinandi mitteretur, cum filiis ejus educandus, id fortasse Georgius Dux suggesserat, remedia quærens adversus Lutheranismum, cujus jam tum Henricus suspectus erat.

(f) *Tractatus cum Legato Gallico.*

(g) *Acta de Concilio, & alia quædam in aula Cæsaris.*

(h) *Consilia Tridentini Episcopi.*

Cum postea *d. 10. Julii* formula Recessus comitialis cum Ordinibus communicaretur, solennis protestatio interposita fuit, non solum Saxonis & Hess: & octodecim civitatum nomine, sed & ratione gravaminum Ecclesiasticorum, & ut pax in Imperio, antequam auxilia adversus Turcos mitterentur, constitueretur, a quibusdam Catholicis, puta ab Electore Palatino, ab Episcopo VVurzburgensi, & a Duce Juliacensi. Secuta tamen est publicatio *d. 27. Julii*, & sequenti die iterum repetita Evangelicorum protestatio. Cum vero postulasset denuo Cæsar, ut auxilia in Hungariam mitterentur, & Ferdinandus pro Rege Romanorum ab omnibus agnosceretur, Legati, ad Heros suos relationem se facturos esse, dicebant. Spe tamen pacis, quæ paulo ante Norimbergæ pacta fuerat, calculus initus est auxiliorum adversus Turcos mittendorum, & computata sunt mense Junio, secundum censum duplicem matriculæ, ut vocant, peditum 36282 equitum 7143. omissis nempe, quorum collatio dubia erat. Disputatum fuit de exemtione provinciarum Austriacarum, quam Cæsar anno 1530. d. 7. Decembris diplomate confirmaverat, allegans, quod VVormatiæ sub initium Imperii sui non satis instructus de domus suæ immunitatibus fuisset. Aderant Legati a Johanne VVeywoda, sive Rege Hungariæ, *Hieronymus a Lasko* & *Nicolaus a Minkwiz*, Solymanni etiam, Turcorum Imperatoris, literis instructi, quibus profitebatur, se eosdem amicos & inimicos habituros esse, quos Johannes haberet. Nihilominus in auxilia pro Ferdinando consenserunt Evangelici. Landgravius quidem eidem Nicolao Minkwizio & aliis ex Nobilitate negotium dederat, ut aliquem equitum numerum conscriberent, & Johanni in Hungariam adducerent, rogavitque Electorem d. 6. Julii (*Reg. H. fol. 75. n. 24.*) ut transitum illis præberet, prætexens, melius esse, ut suppetiis hisce juvaretur Johannes, quam destitutus ab aliis, ad Turcicam societatem compelleretur; sed Elector transitum denegavit.

A. 1532.

(i) *Protestatio adversus Recessum Comitiorum.*

(k) *Auxilia contra Turcos.*

(l) *Landgravius Johanni VVaywoda favet.*

SECT. 5.

(1) Belli Hungarici inter Carolum & Solymannum irritus conatus.

Jov. histor. l. 30. Isthuanf. hist. Hung. l. 11.

Asserit enim quidam ex iis, qui præsentes tunc fuerunt, constitisse exercitum nonaginta peditum, triginta equitum millibus; omnes autem bene delectos, in numerum relatos, & justis armis instructos fuisse, præter sponte militantes, & qui in Principum & magnatum comitatu erant, ita ut pugnantium numerus fere ad ducenta millia adscenderet. Hæ sane copiæ non ad conservandum tantummodo, quod ex Imperio occidentali restabat, sed & ad recuperandum Orientale suffecissent, si cum Solymanno ad aciem ventum foret. Sed ferus iste Ottomannides sui ipsius oblitus ea occasione esse videtur, nec quicquam magnitudine nominis sui dignum gessit. Sive enim cum Caroli V. majori, quam unquam, exercitu tunc instructi fortuna, quæ hucusque semper prosperrima fuerat, suam committere nollet, sive Ibrahimus Bassa, qui omnia tunc apud eum poterat, & Christianis tecte favebat, aliud consilium ei suppeditasset, per quod a cœptis contra illos averteretur, sive propinquam hyemem metueret, certum est, quod sine honore sub finem mensis Octobris Constantinopolin redierit, nec plus egerit, quam quod per itinera inutilia partem aliquam Hungariæ, latrocinii potius more, quam ut victor, vastaverit, nec in conspectum saltem hostium venerit, a quibus prope Viennam, egregie ad prælium firmato animo, expectabatur, si eo, ut minatus fuerat, ducere exercitum voluisset. Imperator, cum sola præsentia sua non saltem immanis hostis irruptionem in Germaniam impediisset, sed & Hungaria eum exegisset, pro magna victoria id reputans, consultum tamen non putavit, ut eum persequeretur.

§. X.

A. 1532.

(1) Excerpta ex diario Sebast. Schertelii de bello Hungarico.

§. X.

Quanquam ex ordine temporis alia hujus anni gesta interseri hic debuissent, quæ Maimburgius præteriit, differam tamen eorum mentionem post narrationem de bello, hoc anno cum Turcis gesto quam hic exhibet Maimburgius. Hanc vero supplebo ex diario *Schertelii*. Ex eo multa disci possunt, quæ alibi frustra quæruntur, & simul fidem faciunt, quem successum Deus per virum, Lutherani dogmatis apertum & cordatum assertorem, ejusdemque religionis milites quamplurimos præstiterit. Adscribam autem bona, ut spero, cum lectoris gratia, integra ejus verba, fideliter ex Germanico versa: *Hoc anno Turcorum Imperator per Hungariam Guintiam usque venit. Huic Cæsarea & Regia Majestas cum toto Imperio sese opposuit, ut acie cum eo congrederentur. Circa festum S. Jacobi diem, 25. Julii, egressus sum Augusta Vindelicorum cum copiis Augustanis, Campodunensibus & Donawerdanis bene instructis, quingentis nempe peditibus, & quinquaginta equitibus; eram enim illorum tribunus militaris.* (ihr Hauptmann.) *Ad Graveneccum in Austria infra Cremsium, Wolffgangus Comes Montfortius, Suevici circuli summus Præfectus, Legatum me suum constituit, & Suevis præfecit.* (machet mich zu seinen Leutenant.) *Ad Chor-Neuburg,* (oppidum ad Danubium, prope Viennam) *cum copiæ omnium Imperii circulorum convenissent, Fridericus Comes Palatinus, Imperii Dux summus,* (des Heil. Reichs Obrister) *Legatum suum super universum Imperii peditatum me creavit, assignato ducentorum florenorum menstruo stipendio. Exercitus consistebat ex peditum LXV millibus, nempe XX millibus ex Imperio sive Circulis, VI millibus ex Bohemia, X millibus Ferdinandi Regis, X millibus Caroli Cæsaris, VIII millibus Hispanis, & XI millibus Italis. Equitum erant undecim millia, nempe IV millia ex Imperio, II millia ex Bohemia, III millia Ferdinandi, II millia Cæsaris.* Discrepat vehementer exercitus numerus ab eo, quem Maimburgius aliique referunt: nescio vero, annon præferenda sit relatio viri, qui tanto munere in illo functus est, incertæ, quam alii secuti sunt, exaggerationi. Hungarorum vero levem equitatum crediderim eum non connumerasse. Pergit: *Mense Septembri Turcorum Imperator recessit, & agmen prædatorium XX millium levis armaturæ equitum per sylvam Viennensem Anasum versus misit, qui omnia ferro & igne popularentur. Hi multa Christianorum millia utriusque sexus trucidarunt, aut captiva duxerunt. D. 14. Septembr. Ludovicus Lodronius Comes, Regis* (Ferdinandi) *Præfectus, cum omnibus ejus copiis, & cum illo Joachimus Marchio Brandenburgicus junior,* (Filius Electoris,) *cum quingentis gravis armaturæ equitibus ad sylvam Viennensem processerunt, ut agmen illud prædonum Turcicorum indagarent, & cum eo pugnarent. D. 15. Septembris Wolffgangus Comes Montfortius, item Johannes Catianus cum mille & sexcentis cataphractis, & Paulus Wackius* (Wacky-Paul/ Hungarus) *cum octingentis levis armaturæ equitibus Turcorum copias persecuti sunt. D. 16. Septembris Fridericus Palatinus cum equitatu Imperii, & mille leviter armatis equitibus Bohemis, ego vero cum XXVI. signis peditum ex Imperio, Leversdorfium venimus, in sylvam, mille præterea equites ex superiori Germania. D. 17. & 18. Sept. exploratum fuit iter hostium, & hoc die Brandisius* (der Brandiser) *prope sylvam in eos incidit, sed 400. Hispanos a Turcis cæsos perdidit, cæteri ejus milites diffugerunt. D. 19. Sept. relictis XVI signis apud tormenta, cum reliquis decem hostes persecutus sum, ope exploratorum per sylvam penetrans, Botensteinium usque, ubi viginti Turcorum millia deprehendi. Hos cum quingentis sclopetariis aggredi cœpi, dein auxilio Dei scelestos illos magna præda onustos, multosque miseros Christianos secum ducentes, per integrum milliare ex sylva profligavi, ita ut in agmen usque nostrum & tormenta, quæ Fridericus Dux,* (Palatinus) *habebat, propellerentur. Ibi a fronte & tergo a fortibus militibus nostris, omnibusque tormentis magnis & parvis, & (sine jactatione dictum sit) ingenti labore meo, ita pugnatum est, ut cum exiguo damno nostro Turci omnes cæderentur. Ablatum illis fuit signum præcipuum,* (das haupt-bannier) *& quicquid habebant, &, Deo sit gratia, multi Christiani liberati sunt. Sub me equus ducentorum florenorum pretio emtus succubuit. Magna fuit, Deo sit laus, gloria mea, scriptis etiam celebrata. His gestis Cæsar & Rex Viennam venerunt, multis cum Principibus Hispanis & Italis. Vocati sumus ex diversorio ad insigne Lupi. Fridericus Dux ejusque Præfecti, in palatio Viennensi,* (in der Burg) *primum quidem Principes equestri dignitate ornati sunt, dein ego sæpe vocatus, ante alios Comites & Barones Eques fui creatus. Imperator torquem trecentorum coronatorum pretio mihi promisit, sed datus non fuit. Ultimo Septembris abeundi nobis veniam dedit Cæsar, Principibusque Imperii, Dominis nostris, gratias agi fecit. Ego in hoc bello, præter honorem, non nisi quadringentos florenos lucratus sum. Dux Fridericus, Herus meus, gladium auro ornatum, centum florenorum pretio, mihi donavit; Senatus Augustanus poculum deauratum ducentorum florenorum; Campodunenses quoddam duodecim florenorum. Deo omnipotenti sit laus & gloria in æternum.* Hæc Schertelius. Depicta est *Burtenbachii*, in æde sacra, in adversa tabulæ, qua altare exornatum est, parte, clades illa Turcorum. *Achilles Gassarus* in *annalibus Augustanis MSS.* pugnæ locum nominat *campum lapidosum* das Steinfeld/ *Swarzaba* dictum, & *gloriose*, ait, *vicisse Schertelium Friderici Comitis Palatini Locumtenentem supremum, magnumque sibi ea victoria nomen, & aurati cinguli militare decus, & Reip. Augustanæ multam gratiam promeruisse.* Effigiei Schertelii, Augustæ superiori seculo æri incisæ, hoc epigramma subjunctum est:

Guintia magnanimum, Turca quando obstitit hosti,
Schertelium, & monstrant bella secuta Virum.

(2) Enumeratio copiarum.

(3) Expeditio adversus agmen Turcorum prædatorium.

(4) Invaditur hoc & deletur.

(5) Præmia post victoriam.

(6) Monumenta quædam.

A. 1532. **SECT. 6.** A. 1532.

Cæsar urget Concilii convocationem. Ann. 1533.

Dimissa itaque majori copiarum parte in Italiam descendit, ut inde in Hispaniam transiret, postquam cum Pontifice, (qui ob id secunda vice Bononiam venerat,) collocutus esset. Ibi Carolus bona fide pacem Norimbergensem observans, valde ursit Pontificem, ut concilium intra sex menses indiceret. Hoc enim jam cupiebat Imperator, cum videret, nihil eorum, quæ tentaverat, successisse, neque aliam viam ad reducendos Protestantes superesse. Ostenderunt tamen isti hac occasione, non alia mente se id tam vehementer in omnibus comitiis postulasse, quam quod sibi persuasissent, neque Papam, neque Imperatorem in id consensuros esse. Sed falsos se deprehenderunt.

§. XI.

(1) Causa non obtentæ plenæ contra Turcos victoriæ.

Postquam Solymmannus armorum Cæsareanorum metu, irritis quæ ad Guintiam tentaverat, parte etiam exercitus sui in sylvis cæsa, ad sua inglorius rediisset, multa totius Hungariæ recuperandæ spes erat. Sed taxant hic Cæsarem scriptores Hungari, & cum iis *Pallavicinus Lib. III. cap. XI. §. 1.* quod in Hispaniam ad uxorem, prolis generandæ cupidus, Ferdinando fratre deserto, festinasset. Magna autem culpæ pars Pontifici tribuenda est. Hujus enim copiæ, cum reliquias belli in Pannonia persequi debuissent, seditione facta, Italiam repetierunt, hostiliter in ditione Austriaca incendiis grassatæ, sic vindicare se dictitantes, quæ Germani in Italia (sub Borbonio scilicet & Fronspergio) patrassent. Magna fuit *Hippolyti Medicei* Cardinalis, juvenis insolentissimi, (quem Pontifex, patruum ejus sese ferens, suprema cum potestate Legatum fecerat) protervia, nec minor *Petri Mariæ Rossi* copiarum Ducis, ita ut Cæsar, haud leviter commotus utrumque in itinere in custodiam dari jusserit, nulla quidem utilitate: nam Cardinalem statim, addita etiam excusatione; Rossum paulo post liberum dimisit, & copiæ nihilominus dilapsæ erant: Pontificis vero animus ita fuit exulceratus, ut lacrymis dolorem testaretur. Memorat hæc & plura *Guicciardinus* non solum, sed & ex parte *Pallavicinus Lib. III. cap. XI. §. 2.* Gallorum vero & Angliæ Regum artibus, & sua in Cæsarem invidia, pristinæque injuriæ memoria ita dispositus affectusque erat Pontifex, ut inter eum & Cæsarem amicitiæ sinceræ vincula necti nunquam potuerint. Ut tamen summus dissimulandi artifex erat, colloquium petenti Cæsari non recusavit, caute vero ei Bononiam usque obviam progressus est, ne Cæsar copiis Hispanorum comitatus & per Pontificias ditiones Neapolin tendens, potentiam suam ostentaret aut stabiliret, cui minuendæ omnem operam impendebat Pontifex. De cæteris simultatum caussis, & iis, quæ ad æmulationem inter Cæsarem & Reges pertinent, ne longius a proposito abeam, nihil addo, neque illæ congressu Bononiensi, sub finem anni hujus & initium sequentis habito, sublatæ sunt, licet externæ benevolentiæ signa non minora, quam in præcedenti, uterque dedissent. De concilio Cæsar serio sollicitus erat, sive eo ad sananda Ecclesiæ vulnera opus esse crederet, sive politico saltem respectu Germanis satisfacturus esset, quorum constanti fide & junctis viribus adversus Regum & Pontificis machinationes carere se non posse credebat. Licet vero Maimburgius hic iterum Protestantibus tribuat, quod concilium non alio intuitu flagitaverint, quam quod existimaverint obtineri illud non posse; conjecturis tamen potius quam argumentis utitur. Quanquam verissimum sit, aliud plane illos concilium desiderasse, quam quale Pontifex offerebat: id quod ex sequentibus, cum de Pontificis & Cæsaris conventione, missisque initio sequentis anni in Germaniam Legationibus, dicendum erit, satis patebit. Nunc reliqua anni hujus 1532 quæ a Maimburgio neglecta sunt, recensebimus.

(2) Pontificis congressus cum Cæsare Bononiæ.

§. XII.

(1) Morbus & mors Johannis Electoris Saxoniæ.

Memorari debet excessus *Johannis* Electoris Saxoniæ, qui jamdudum corpore debilis, sub initium hujus anni graviter ægrotare cœpit, ita ut in altero pede pollex ei resecandus fuerit, melius tamen habere postea cœpit, ita ut ei Lutherus de periculo separato, de quo ipse Elector scripserat, (*vide Tom. VIII. Alt. fol. 980.*) Die viridium (d. 28. Martii) gratularetur. Æstate vero jam adulta Coburgo ex Franconica sua ditione, ad venationem in Saxoniam profectus est, & Sweinitii, haud procul Wittenberga, improviso malo oppressus, pie tamen & placide *die Veneris* d. 16. Augusti decessit, anno ætatis LXIII cœpti. *Sleidanus*, qui mortuum eum *ad Idus Augusti* esse scribit, multos in errorem induxit, qui 13. Augusti tradiderunt. Extant autem literæ Johannis Friderici, filii & successoris, d. 21. Augusti (*Mercurii post Assumt. Mariæ*) ad Principes cognatos aliosque datæ, in quibus diserte *dies Veneris* proxime præteritus, ut dies obitus, allegatur. Ex vitæ ejus historia huc non transscribemus ab aliis dudum memorata, pleraque etiam quæ ad reformationem religionis pertinent, jam tradidimus, ubi ordo temporis & rerum id exigebat. Fuit Princeps optimus & mitissimus, ita ut Lutherus diceret, *jus a bonitate cum hoc probitatem, cum Friderico fratre ejus sapientiam extinctam esse*; addidit: *miraculum hominis futurum fuisse, si duo isti Principes unam constituissent personam*, vide *Tom. V. Alt. fol. 1030.* Lutherum impense amavit & benignissime tractavit. Cum hic anno 1531. in Smalcaldiensi conventu periculosissime ægrotaret, invisit eum Elector, & inter alia ita consolatus est: *Si te Deus hinc evocabit, ne quæso, de uxore tua liberisque sis sollicitus, tua uxor meæ fidei ita erit commendata, ac si a mea esset, liberos vero tuos ita tutabor, ac si a me essent progeniti.* Vocati ad decumbentem Electorem sunt Lutherus & Philippus, sed vis morbi tam repentina & atrox erat, (spasmum Medici vocabant, quem apoplexia secuta est,) ut Principem jam animam agentem invenirent. Doluit vehementer Lutherus, quod neque filii, neque ullus ex consanguineis adessent. *Deus illi*, ait, *evenire fecit, quod pueris, qui absque cura nascuntur, vivunt & exspirant; cum resurrecturus est in die novissimo, putabit se ex saltu Lochaviensi, ubi venabatur, venire.* (wie unsere Kinder ohne sorge

(2) Laus, jus a bonitate, speciatim erga Lutherum.

(3) Mors repentina.

A. 1532. sorge gebohren werden / ohne sorge leben / und ohne sorge sterben; alsso wird unsern lieben Fürsten/ Hertzog Johannsen zu sinne seyn/als kahme er aus der Lochischen Heyde von der Jagd/ wird nicht wissen/wie ihme geschehen sey.) Tanta erat pietate, ut singulis sæpe diebus, quod mirum dictu est, sex horis prælegi sibi sacras literas per pueros nobiles curaret, ut *Lutherus in Colloquiis mensalibus* memoravit, *fol.439*. Conciones fere ad verbum in pugillares excipiebat, quas vidisse se testatur *Fabricius*. Cum rusticorum rebellio ei innotesceret, dixisse fertur: *Si Deus vult, ut Princeps maneam, ut huc usque fui, fiat voluntas ejus; si aliud ei videatur, possum & ego alius esse, possum paucioribus equis uti.* Exequiæ ei celebratæ sunt Wittenbergæ, ubi sepultus est. Extant duæ Lutheri conciones in funere ejus habitæ: utraque *Tom.V. fol.972. & seqq.* in dictum Pauli *I. Thess.IV. 13.14.* In priori ita loquitur: *Gratias agimus Deo, qui Principem nostrum charissimum mortis & resurrectionis Christi sensu & beneficio complexus est, non ignoratis, quam mortem in comitiis Augustanis adierit. Non laudabo illum ob magnas licet virtutes, agnosco, eum quoque peccatorem fuisse, sicut nos omnes, & remissione peccatorum opus habuisse, ideoque illum prorsus ab omni macula purum non prædico. Fuit tamen vir optimus & humanissimus absque omni dolo, in quo nullam unquam potui notare superbiam, iram aut invidiam, qui omnibus facillime condonare poterat, immo nimis mitis fuit, & lenis. Si aliquando in regimine suo erravit, quid mirum? Principes sunt homines & singuli decem circa se diabolos, ubi privati unum, habent.* Repetit postea, quæ de comitiis dixerat: *Mortuus (inquit) ibi in Christo est, & pro se & pro nobis: omnia illa pessima juscula & venena devorare coactus fuit a diabolo propinata.* Hat alle böse suppen und gifft müssen ausfressen / die ihm der teuffel eingeschencket hat. *Confessus est coram toto orbe mortem & resurrectionem Christi, eamque constanter tenuit, cum periculo provinciarum suarum, immo corporis & vitæ.* Ad conciones illas Lutheri, Cochlæus, *postillas*, quas vocat, contumeliosissimas scripsit, quarum flosculos quosdam ipse Lutherus *d. Tom. fol.239.* allegat. Captat inter alia, quod Lutherus dixerat, Electorem Augustæ *pro se & aliis mortuum esse*, quo nemo non intelligit angustias significari, in quas ob exhibitam suam & sociorum Confessionem incidit; sed id ad omnia alia a sycophanta detorquetur. Cavillatur etiam, quod Lutherus *de morte & passione Christi* memorat, quam Elector in comitiis confessus sit, quasi Cæsar & alii Principes eam non agnoverint, Lutherus tamen de applicatione loquitur, qualem ipse per fiduciam in merita Christi docuit. Sed hæc digna sunt Cochlæo ad maledicendum conducto. Reperti sunt majori vituperio excipiendi, qui insulso figmento optimi Principis memoriæ illuserunt. *Joachimus* enim *Marescallus Pappenhemius* d. 1. Septembris Vienna Austriæ Electori Jo. Friderico scripsit, a cubiculariis regiis in ipso vestibulo Cæsaris dictum sibi esse, quod defunctus Elector filium successorem in ipso mortis articulo ad se vocatum commonefecerit, ut ad veterem religionem rediret, dein præsente filio aliisque revocasse Lutheri dogmata, omniaque Sacramenta, etiam unctionis, prævia confessione, ex veteri ritu suscepisse. Addiderunt, credi ista a Cæsare. Extat *Pappenhemii* autographum, (*Reg.II.fol.74.n.23.*) Nondum tamen invenire potui, quid illi Elector ad impudentissimum mendacium rescripserit. Neque hic substitit mentiendi libido; sed post annos bene multos literæ confictæ fuerunt, quas Elector Saxo ad Bavariæ Duces d. 24. Augusti scripserit. In his non solum nugæ illæ aulicorum Viennensium, sed & hæc referuntur; defunctum Electorem Johannem edictum publicasse, in quo omnes innovationes in religione sustulerit, & Lutherum ejusque sectatores tolerari amplius vetuerit, testamento denique solenni Johanni Friderico, unico filio suo, injunxerit, ut, antequam homagium a subditis pro more acciperet, voluntatem hanc paternam omnimodo exequeretur. Fingitur porro Johannes Fridericus ad Duces Bavariæ scripsisse, se serio decrevisse ista omnia efficere, sectam, in quam cum parente incautus inciderit, radicitus extirpare, Ecclesiæ Romanæ sese subjicere, & posthac veram religionem in provinciis suis servare & tueri; rogans Bavaros, ut sibi, juveni quippe, consilio & ope adsint. Primi epistolæ hujus divulgatores fuisse dicuntur *Johannes Naso*, Suffraganeus Brixinensis, scurra petulantissimus, in centuriis Evangelicarum, quas ironice vocat, *veritatum*, ante annos plus centum editis, & *Andreas Fabricius* in dedicatione *Harmoniæ*, quam vocat, *Augustanæ Confessionis* anno 1587. Bavariæ Ducibus inscriptæ. Secuti sunt anonymi & personati, *Scioppius* aut *Kellerus*, sub nomine *Ungersdorfii* & plurimi alii. Inter primos (quos sciam) qui ex nostratibus responderunt, referendus est *D. Georgius Zamannus*, qui futile commentum gravibus argumentis anno 1612. destruxit, leviter tamen erravit in die mortis Johannis Electoris, Sleidanum secutus, eam enim falsarius recte ad *diem XVI. Augusti* retulerat. Oppressæ vel obliteratæ videbantur nugæ, cum eas anno 1653. in comitiis Ratisbonensibus *Jodocus Keddius* Jesuita, impudenter renovavit. Irritati protervia hominis Principes Saxonici, Johannis Friderici pronepotes, expostularunt per Legatos suos cum Bavaricis, quia Keddius epistolam *Monachii* reperiri jactaverat, neque tamen certum aliquod responsum retulerunt, causantibus Bavaris, in privatorum manibus epistolam olim fuisse, neque nunc constare, ubi esset. Refutatus est Keddius jussu Principum a *D. Johanne Musæo*, Professore Jenensi celeberrimo. Post aliquot annos denuo certatum est, edito Viennæ scripto, a quodam *Johanne Theophilo Klibnizio*. Respondit illi *D. Valentinus Alberti*, clarissimus Lipsiensium Theologus. Neque tamen puduit Jesuitam quendam, qui nomen suum literis *G. W.* vel solo *W.* indicavit, eandem crambem binis libellis recoquere, cui totidem reposuit *D. Hieronymus Brucknerus* Consiliarius Saxo Gothanus, vir non vulgaris doctrinæ, industriæ & judicii, qui cum adolescens esset, aliquo tempore hospitio meo, ut amici paterni, usus fuit. Non dubito, cordatos omnes, qui scripta, maxime

A. 1532.

(4) *Studium sacræ Scripturæ.*

(5) *Modestia summa.*

(6) *Conciones funebres a Luthero habita.*

(7) *Cochlæi in has calumnia.*

(8) *Rumor falsus de Johannis mutatione in religione.*

(9) *Literæ supposititiæ de eadem.*

(10) *Refutatio earum ex plurimis argumentis.*

A. 1532.

me annis 1678. 1679. 1681. edita, legere & conferre inter se velint, & quæ magni nominis Theologus *D. Abrahamus Calovius*, Wittenbergæ anno 1683. latine ex illis per compendium retulit, manifesto deprehensuros esse insipidum figmentum, licet dicatur documentum in Archivo Bavarico extare. De antiquo fortasse exemplo dudum conficto loquuntur, aut fuisse aliquem oportet, qui sigillo Saxonico abusus, aut scripturam Principis imitatus esset: fecisset vero id tam insulse, ut fraudem nulla specie obtegere potuerit. Ostenderunt enim Saxonici aperta falsitatis argumenta. Dialectus & scriptura literarum minime est Misnica, sed palam Bavarica aut Austriaca. Johannes Fridericus unicus Johannis filius dicitur, qui tamen fratrem habebat *Johannem Ernestum*, cum quo multis annis indivisas (extra Electoratum) habuit ditiones, eique deinde Coburgensem in Franconia Ducatum assignavit, ubi anno 1553 decessit. Inepte etiam Johannes Fridericus *juvenem* se profitetur, qui jam trigesimum ætatis annum agebat, duorum filiorum parens, & gravissimis negotiis exercitatus, quibus a parente mature adhibitus fuerat. Male etiam concinnatum est figmentum, cum *d. 24. Augusti* epistolæ adscribitur, qui incidit in diem Sabbathi; dicitur tamen, Electorem proxima die Veneris decessisse, quæ erat *d. 23. Aug.* Obiit autem d. 16. ut ipse autor fabulæ refert. Errat etiam in hora mortis, quam *nonam* antemeridianam numerat; extat autem in archivo Vinariensi formula epistolæ a *Johanne Friderico* d. 21. Aug. ad omnes Reges, Principes & Magistratus, cognatione vel fœdere sibi junctos, (inter quos tamen Bavari non recensentur) emissæ, in qua & diem recte numerat, & horam obitus *decimam* significat: ut adeo nihil absurdius fuerit, quam intra triduum non solum reipsa, sed & tempore diversissima ab uno eodemque scribi. Manifestam denique fraudem facit mentio edicti a Johanne ante mortem publicati, cujus nec vola, nec vestigium extat, neque, ut alia omnia taceam, Cochlæum latuisset, qui non alio argumento fortius insultare Saxonicis, & inprimis laudatam tantopere a Luthero constantiam defuncti Electoris refutare potuisset, quam allegatione talis edicti, quod plus quam mille locis affigi debuisset, quorum quædam Cochlæo satis propinqua erant. Is enim tunc Dresdæ vivebat, & satis gnarus eorum, quæ in vicinia fiebant, in *historia* sua *de Luthero* diserte magnoque cum stomacho *fol. 241.* scripsit: *Electorem finaliter in confessione Lutherana perseverasse:* quo sane testimonio commentum Bavaricum funditus evertitur. Porro nihil falsius est, quam quod sub finem vitæ communione sub una & unctione usus fuisse dicitur, quæ utique Lutherum præsentem non fefellissent, neque laudes, quas illi in parentatione tribuit, provocassent, si, ut in epistola dicitur, publicatum fuisset. Testamentum vero Johannes non illo, quo occubuit, tempore, nec proxime ante mortem, quæ illi improvisa fere supervenit, sed biennio ante, videlicet *anno 1529. Mercurii post Bartholomæi* (d. 25. Augusti) condidit, quod servatur, & monstrari potest, cum omnium, qui de constantia ejus dubitant, confusione. In hoc verbis egregiis magnamque pietatem spirantibus liberos omnes, & nominatim filium primogenitum Johannem Fridericum, adhortatur, ut, quemadmodum jam laudabiliter cœpisset, ad parentis, patruique exemplum, spretis omnibus periculis, in religione constans perseveraret: quod & ita præstitit, ut illustrius exemplum magnanimitatis dari non possit, & mox occasionem demonstrandæ ejus habuit, cum paucos post menses Legati Pontificis & Cæsaris eum Vinariæ convenissent. Tunc commodum fuisset literas illas ad Bavaros, qui eas utique magno cum gaudio, pro suo in Romanis sacris retinendis zelo, Pontifici & Cæsari misissent, producendi, & Electorem de paterno præcepto, suoque promisso speciose interpellandi, cum, ut infra audiemus, nihil omitterent, quo eum aut demulceri aut moveri posse crederent. Superflua, fateor, videri posset vanissimarum nugarum relatio & confutatio, nisi nullus finis earum iterandarum esset. Non inviti ergo, ut spero, lectores, exteri præsertim, quibus fortasse non æque innotuerunt, quæ Germanica lingua hac de re scripta extant, hæc percipient, & simul de ingenio hominum, cum quibus luctamur, judicabunt.

(n) *De testamento Johannis Electoris, & alia quædam.*

A. 1532.

ADDITIO.

Addere lubet de morte & exequiis Johannis narrationem *Spalatini*, ex historia MS. *Reg. O. fol. 22.* quæ sic habet: *Lunæ post Laurentii, cum filiabus duabus & Electrice Brandenburgica, sororis filia venatum profectus est ex Torgavia Schweinitium, ibi biduo venationi indulsit, captisque multis feris satis hilaris fuit. Die Jovis* (Assumt. Mar. d. 15. Augusti) *Lochaviam continuandæ venationis causa proficisci constituerat; sed mane post horam quartam capitis dolorem gravissimum sensit, & de eo ad horam usque octavam vehementer questus est: inde cum aliquoties dixisset,* adjuva me, Deus mi, mein GOtt / hilff / *loquelæ usum perdidit, & sic 28 horas jacuit absque ullo membrorum motu, nihil etiam neque audivit neque cognovit. Die Veneris advenere VVittenberga D. Lutherus, Philip. Melanchthon & D. August. Schurff* (medicus) *circa horam decimam. Eo tempore Elector utramque manum elevare cœpit, sed viribus destitutus mox demisit, & sic exanimatus est. Dominica secuta curru venatorio VVittenbergam vectum est corpus, & cum fœtere jam cœpisset, sepulchro juxta fratrem Electorem Fridericum illatum fuit. Concionem habuit D. Lutherus, effuse lacrymans: Philip. Melanchthon latine peroravit; addita fuit cantio sacra, & sic omnis solennitas finita est.* Adscribemus etiam epicedium, *Melanchthonis* opus, quod VVittenbergæ laminæ æreæ inscriptum legitur:

(a) *Ex Spalatino quædam de Johanne.*

(b) *Epicedium ejus.*

Tu quoque, Saxoniæ, Johannes, inclyte Princeps,
Non virtute minor cognite fratre tuo:
Eximia Christum pietate fideque colebas;
Vita piæ mentis testis eratque tuæ.
Vindelicis coram tua Cæsare nuper in oris
Asseruit Christi lingua professa fidem.
Notior ut fieret divini gloria verbi,
Temporibus fulsit quæ rediviva tuis.
Utque Evangelii studium deponere velles,
Flectere non ullæ te potuere minæ.
Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
Attulit & passim multa pericla tibi.
Sed te difficili protexit tempore Christus,
Et gratam pacem pro pietate dedit.
At tua sæpe tamen moderatio profuit ingens,
Impia ne quisquam sumeret arma manu.
Hac longe superas aliorum laude triumphos,
Hæc virtus magno Principe digna fuit.
Ergo tuum a nullo nomen delebitur ævo,
Nec meriti laus est interitura tui.
Hic tua, dum Christus meliori corpora sorte
Restituet justus, molliter ossa cubent.

Spiritus

A. 1532.

Spiritus at vivat, cœlique fruatur honore,
Interea Christi conditus in gremio.

(c) *Lutheri judicium de Johanne Electore & filio, & conjectura de futura provinciæ calamitate.*

Bavarus in *collectan. Tom. I. p. 620.* post mortem Johannis Electoris dixisse Lutherum refert: *Apud DEUM quidem Reges & Principes, qua tales, majoris haud esse, quam apud pueros chartas lusorias, & non minus, quam rusticos mori, mortem tamen eorum notabilem esse.* De moribus *Johannis Friderici* liberius quædam addidit, quæ prætereo. Desideravit in illo, quod quibusdam nimium tribueret, & nihilominus suo fideret ingenio. Questus est de procerum & populi insolentia, quod Evangelium jam rectius sese intelligere existiment, quam ipse, immo Paulus Apostolus, & plus quam omnes pastores sapere sibi viderentur. Inde & ex aliis causis cladem illis imminere conjicit, quæ etiam post annos non multos secuta est.

§. XIII.

(1) *Lutheri conciones in cap. V. VI. & VII. Matth. quædam ex iis de cultu commentitio.*

Ex Lutheri scriptis hoc anno in Tomos relatis primum locum tenent *conciones in cap. V. VI. & VII. Matthæi.* vide *Tom. V. Alt. fol. 807. & seqq.* quanquam anno 1530. haberi cœptæ sint. In præfatione acriter reprehendit doctores Romanæ Ecclesiæ, & speciatim Canonistas, qui saluberrima præcepta Christi *Matth. V.* omnibus fidelibus proposita in duodecim consilia converterint, iis saltem observatu necessaria, qui ad perfectiorem vitam adspirarent, & thesaurum meritorum acquisitum irent, unde aliis possent succurrere, id est, clero & monachis. Parisienses speciatim taxat, quod dixerint, difficiliora esse, quam ut a Christianis præstari possent. Arguit etiam fanaticorum errorem, qui ista Christi præcepta præter ejus mentem extendentes, proprietatem bonorum improbant, magistratumque, judicia & defensionem sui damnant, uxores & liberos deserunt, & alia indecentia asserunt & agunt. Putat autem, quamdiu mundus erit & diabolus, non defore, qui, Christi doctrinam, *dicto cap. V.* propositam, sint corrupturi, sive vera bona opera impediendo, sive falsa fingendo. *Talibus*, inquit, *opus est diabolo ministris, & sic ab initio mundi per monachos orbem turbavit: licet enim eo titulo non uterentur, semper tamen fuerunt, qui cultum alium, quam a Deo præceptum, commenti sunt, ut Baalitæ & Camarim apud Judæos, Galli & Vestales apud Romanos.* De ministerio concionandi, a Christo instituto, ingenua libertate ita docet *fol. 810. Non instituit Christus Ecclesiæ ministerium, ut per illud honores, amici, opes, parentur, & emolumenta quærantur, sed ut veritatem aperte & publice doceat, malum reprehendat & monstret ea, quæ ad animæ utilitatem & salutem requiruntur. Non ideo habemus verbum Dei, ut discatur, quid sit officium famuli aut ancillæ, & quomodo victus acquiri possit, nec ut consules oppida regant, aut agricolæ rus colant; summa, non dat aut procurat bona temporalia ad usum præsentis vitæ, quæ dudum docuit ratio, sed docet, quomodo ad vitam futuram pervenire, præsenti autem ita uti possumus, ut victus, quamdiu hic duramus, non deficiat, sed simul constet, ubi manere & vivere debeamus, cum ista cessant. Si autem concionari incipimus de vita futura, ad quam niti, & pro qua præsentem (quam pro æterna vulgus æstimat aut optat,) contemnere debeamus, tunc excitantur rixæ & dissidia. Is igitur concionator, cui venter & hujus vitæ commoditas placet, ista non inculcat, stat quidem ad pulpitum & verba facit, sed non proponit veritatem, non aperit os, sed obmutescit, si odium metuendum est.* Beisset den fuchs nicht. Alia egregia addit ad verba: *Vos estis sal terræ. fol. 830. seqq.*

(2) *De Pastorum officio & scopo.*

(3) *De paupertate Evangelica.*

Ad dictum Christi: *Beati pauperes* &c. universalem mundi errorem, Judæorum, Turcorum, Romanorum etiam reprehendit, qui putent, eam esse veram religionem & doctrinam, quam felicitas publica, victoria, potentia, opumque affluentia comitetur: & ista quidem non negat ad felicitatem regnorum requiri, nec a Christo improbari, sed spiritualis paupertatis veram ostendit naturam, ex vera fide ortam, & sic reliqua capitis hujus dogmata pie & solide explicat, & ubi opus est, contraria refutat.

(4) *De perfectione Christiana.*

In fine ad verba; *Estote perfecti*; ita commentatur *fol. 862. Christus hic non de Episcopis, monachis aut monialibus loquitur, sed de omnibus Christianis agit, qui filii Dei fieri & vocari volunt. Perfecti autem sunt & dicuntur, non quod peccato careant, ut quidam somniant, sed quod doctrinam sinceram & perfectam habeant, & vitam secundum illam instituant & gerant, v. g. ut etiam hostes diligant, & alia, quæ hic a Christo præcipiuntur, præstent. Talem perfectionem non docebant Judæi, sed sufficere dictabant, si amicos diligeremus, Christus autem perfectam non mutilatam charitatem exigit, quæ non amicis saltem, sed & inimicis exhibeatur. Qui doctrinam habet & servat, perfectus est. Licet enim caro & sanguis non exacte obtemperent, sed obstacula ponant, non tollitur tamen perfectio, dum modo serio ad eam nitamur, & in ea quotidie versemur & progrediamur, ita ut spiritus dominetur in carnem, illamque frenet & coërceat, ut erumpere, & contra hanc doctrinam invalescere non possit. Hæc est vera perfectio Christiana, non certo hominum ordini, sed omnibus Christianis competens.*

(5) *De eleemosynis, precibus, offensionum remissione.*

Ad *cap. VII.* præclara sunt, quæ de eleemosynis sive omnibus beneficiis & erogationibus ad honorem Dei & commodum proximi, absque respectu gratiæ & famæ præstandis, monet, *fol. 864.* De precibus tam publicis quam privatis agit *fol. 868. & seqq.* itemque de precum, clero usitatarum, abusu, *fol. 868. & 869.* ubi regulam tradit: *Breviter orandum est, sed frequenter & ardenter, Deus enim respicit, non quamdiu ores, sed qua mente.* Addit *fol. 870.* succinctam orationis Dominicæ explicationem. Speciatim ad *v. 14. fol. 871. & seq.* ostendit, per remissionem seu condonationem offensarum, quam proximo nostro facimus, confirmari nos externo testimonio, quod nobis etiam peccata a Deo remissa sint, allegans dictum *II. Petr. I. 10. Duplex*, ait, *est remissio, interna, quam per fidem in Christum nobis acquirimus; externa, quam proximo facimus, & per eam internam nostram confirmamus: hujus enim illa certum signum est. Si enim proximo non condono, convincor, quod etiam mihi a Deo non condonatum sit. Ita distinguimus opera a fide, & justitiam internam ab externa: adesse prius oportet internam, tanquam stirpem & radicem, ex qua bona opera, ut fructus, crescant. Externa autem testimonium sive certificationem, ut S. Petrus d. l. loquitur, internæ præstare debet & demonstrare, quod illa vere adsit. Qui internam non habet justitiam,* exter-

A. 1532.

externam non recte præstat. Ubi vero non adest externa certificatio & testificatio, non possum de interna certus esse, fallo potius me ipsum & alios. Si vero deprehendo, me proximo lubenter veniam dare, concludere inde & dicere possum: Hoc opus ego ex me non facio, aliumque me esse per Dei gratiam sentio. Ad *v. 16. fol. 874. & seqq.* solide tractat de jejuniis, eorumque abusu in Ecclesia Romana, ut primo quatuordecim dierum jejunia introduxerint, postea menstrua, tandem quadraginta dierum, item diebus Veneris & Sabbathi, & quatuor temporibus, præter alia, quæ singulari sanctimoniæ specie invaluerunt. Negat, se unquam verum & pium jejunium observari in Ecclesia Romana vidisse. Lautius plerosque in monasteriis, maxime vero Episcopos & Prælatos, in diebus jejunii vivere, piscium, aromatum, vini exquisiti & bellariorum apparatu, summe autem improbat opinionem de merito apud Deum, per jejunia affectato. Ipse vero duo jejuniorum genera legitima & laudanda proponit *unum*, quod sola lege magistratus introduci pot t, ad ordinem & utilitatem Reipublicæ & ad parsimoniam, non autem ad cultum Dei; *alterum* quod ecclesiastico ritu servaretur, ante festa per dies quosdam, ita ut cœna intermitteretur, non opinione meriti erga Deum, sed ad exercendum & commonefaciendum populum; neque improbat, si idem singulis diebus Veneris fieret. Notat interim, neque hæc esse vera jejunia a Christo præcepta, sed illa consistere in continua moderatione, sobrietate & abstinentia, non solum a cibo, potu, somno & aliis, sed & a gaudiis & delectamentis, quæ corpus afficiunt. His enim omnibus carendum esse, ut caro dometur, quod Scriptura vocat, *affligere animam.* Hoc, ait, fecerunt patres veteres, qui toto die cibo caruerunt, & in continuo veluti luctu versati sunt. Isto modo negat ullos monachos vivere, ne Carthusianos quidem, sed corpori nihilominus plus satis dare, & hypocrisi studere. Desperat autem, veram illam temperantiam & jejunandi rationem obtineri posse, quæ non naturæ, sed incentivo libidinum detrahat, neque adstricta sit tempori, sed semper servari debeat, quantum expediat. Incumbere tamen omnibus Christianis sobrietatem, ita ut, si servare nobiliorem illam abstinentiam non possint, excessum tamen omnem evitent, aut si per infirmitatem aliquando labantur, errorem statim agnoscant & corrigant. Tales inter suos auditores sectatoresque esse confidenter asseverat *fol. 877. 878.* licet ab adversa parte, cum veterem illum externæ disciplinæ fucum non amplius viderent, pessime traducantur.

(6) *De jejuniis veris & utilibus.*

Ad *v. 19.* ubi thesaurorum cumulationem interdicit Dominus, etsi adversus avaritiam & rapacitatem cleri præcipue & ministrorum Ecclesiæ serio invehatur, prohiberi tamen negat *fol. 880.* debitam curam, a Magistratibus & patribus familias suscipiendam, ut parata sint, quibus opus est, ad varios usus. Nam & Christum crumenam Judæ commissam habuisse, neque caruisse necessariis ad vitam suam suorumque sumtibus. Dici vero paucis non possunt, sed integra legi debent, si de eorum præstantia judicandum sit, quæ ad *v. 33. Quærite primum Regnum Dei &c.* commentatus est. Describit admirabili facundia regnum illud Dei *fol. 894.* & quomodo id quærendum sit, simpliciter & breviter tradit *fol. 895. Unica*, ait, *via est credere in Christum, & Evangelium, per quod fides proponitur, recte exercere & urgere, prædicando, legendo, audiendo, canendo, meditando, & semper in corde proficiendo, ea vi & efficacia, ut fructus producantur, majoraque indies incrementa sequantur, tum, ut alii etiam ad eandem pietatem adducantur. Hoc per Dei gratiam ita præstimus, ut multi jam sint, tam pastores, quam auditores, veri & diligentes Christiani, ita animati & parati, ut omnia, quæ habent, in discrimen dare & perdere malint, quam verbo Dei carere.* Notandum hoc est adversus improbas censuras adversariorum & malevolorum, inter quos & *Erasmum* haud immerito referre possumus, qui, per reformationem nihil boni apud populum effectum esse, clamitabant: suorum interim defectuum obliti, quos alibi & hic, Lutherus objicere illis solet; pergit enim: *Ita non agunt clerici & monachi: jactant quidem, se ministros & sponsam Christi esse; sed Evangelium negligunt, non cognoscentes Christum ejusque regnum, qui enim hoc noverunt, non ex suo sapiunt cerebro, sed verbum Dei audiunt, & fundamentum & lapidem angularem Christum tenent, id est, verbum de regno: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Hoc verbum non ex nostro cerebro natum, sed de cœlo delapsum, & ore Dei prolatum est, ut certi simus nec a via aberremus. Ubi verbum hoc viget in docentibus & audientibus, ubi verbum & sacramenta diligenter tractantur, ubi secundum verbum vivitur, ubi opera præstatur, ut populo innotescat, & juventus in eo erudiatur, ibi serio & recte quæritur regnum Dei.* Generaliter vero monet, quantum noceat cura ventris & opum Evangelio, idque multis exequitur, inprimis Ecclesiæ ministros dehortans *d. fol. 894.* ubi dicit: *Nullum inter vitia externa est, quod magis officit regno Dei, quam avaritia. Quamprimum Ecclesiæ pastor ditescere vult, illico officium suum corrumpit, cor ejus curis rei quærendæ constringitur, velut laqueo diaboli, ut Paulus loquitur, I. Tim. VI. 9. non potest docere & corrigere, ut deberet, statim enim metuit, ne favorem hominum perdat, & lucris destituatur. Ita obmutescit & alios secum decipit, etsi non falsa doctrina, cura tamen ventris, ex quo idolum facit.* Idem observat in populo, qui ventri deditus, nullum periculum aut incommodum Evangelii causa suscipere vult, sed ante omnia suis prospicit commodis & utilitatibus: *Corradunt*, ait, *quæ possunt, pastoribus nihil præbent, auferunt potius, quæ habent. Sic voluntas diaboli perficitur, nec docere quisquam vult, nec audire, & sic interit doctrina in cordibus hominum, & fructus ejus in vita & moribus.*

(7) *De avaritia & quærendo regno Dei, cum epicrisi.*

A. 1532.

Ad *cap. VII.* temerariam de aliis judicandi licentiam egregie confutat, inter alia unumquemque ita alloquens: *fol. 901.* Hannß/ nimm dich selber bey der Nasen/ und greiff in deinen eigenen busen/ wenn du wilt einen schalck suchen. *Tecum habita, & sinum tuum excute, si nequam hominem quæris; reperies in te ipso maximum, ut aliorum facile oblivisci &*

(8) *Adversus temeraria de aliis judicia Lutherus urget explorationem cujusque propriam.*

A. 1532.

cum iis compensare possis. In nemine enim plura vitia, quam in te deprehendes: ratio est, in alio videre potes, quæ uno aut altero anno peccavit, at tu vitam tuam totam notam habes, & grandia vitia, (die groben knoten /) *quæ alii nesciunt, ita ut te tui ipsius pudere necesse sit.* Hoc remedium est adversus fœdum vitium philautiæ. Applicat ista *fol. 902.* ad Pontificios; *Illi,* ait, *festucas nostras acriter insectantur: maximum fere est, quod dicunt, quosdam ex nostris bona Ecclesiastica possidere, nos non jejunare, & alia, quæ non plane nihili sunt,* (& ipse multa, in potentibus & nobilibus potissimum, reprehendit *fol. 904.*) *sed non vident illi tigna in oculis suis, quomodo nempe Evangelium persequantur, innocentes trucident, & ut ipsi maximi sint Ecclesiæ raptores. Nos equidem non sumus absque vitio, sicut nullus Christianus ab omni labe purus esse potest. Paulus de se queritur Rom. VII. Tota Christiana Ecclesia quotidie orat: Remitte nobis debita nostra.* Jubet deinde adversarios, ut sua prius purgent crimina, antequam alia persequantur. Ad *v. 6. fol. 905.* de sancto canibus non dando, acriter taxat excessum sub initium Reformationis erumpentem, quo Patroni & Magistratus pastores Ecclesiæ duro servitio premere cœperant, cum ipsi antea sub jugo cleri misere oppressi essent, & novam tyrannidem illis minatur, in meritam illius insolentiæ ultionem. Postquam *fol. 908.* de precibus earumque efficacia utilia multa monuisset, exemplum exauditionis de se ipso & piis aliis adducit, his verbis: *Expertus sum & multi mecum, illo maxime tempore, cum diabolus exitium nobis minaretur in comitiis Augustanis, & omnia in præcipitio starent, cum omnes metuerent, cum intentatæ essent sicæ & instructæ machinæ.* es waren schon die messer gezucket / und die büchsen geladen. *Tum Deus precibus nostris moveri se passus est, & ita nobis affuit, ut minaces & clamosi illi egregie delusi sint, dedit nobis bonam pacem & prosperam annum, qualem a longo tempore non habuimus, & ultra quam sperare potuimus.* Tacenda non est ingenua ejus confessio de damno, per schismata inter Evangelicos, reformationi dato. Ad *v. 15. fol. 915.* Prædici monet a Christo non tantum persecutionem ab hostibus externis, sed & ab internis, qui veniunt in vestimentis ovium, sed intus sunt lupi rapaces. *Hoc,* ait, *satis experti sumus. Quanta copia erat ab initio eorum, qui nobiscum sentiebant & Evangelium asserebant adversus Pontificem. Videbamur totum mundum nobis conjuncturi esse. Cum vero res nostra in optimo statu versari putaretur, ex nostratibus surrexerunt, qui majora damna nobis intulerunt, quam omnes Reges, Principes & Cæsares facere potuissent. Clamabant igitur adversarii, jam manifestum esse, qualis sit doctrina nostra, & quam procul ab illa absit Spiritus sanctus, cum nos ipsos invicem persequamur & criminemur. Hæc tamen scandala toleranda sunt, quanquam sint gravissima & luctuosissima. Solatur autem nos Christus & verbis & exemplo suo. Illi quoque erat Judas suus. Admonuit nos de hoc malo, cum dixit: Attendite vobis. Nominat eos falsos quidem, Prophetas tamen, officiis nempe publicis fungentes, eadem, quæ nos, Scriptura, licet male applicata, utentes, & sub ovis pelle lupum occultantes.* Id quod pluribus deducit, & quomodo discerni vera doctrina a falsa debeat, & larva a substantia rerum, operose ostendit. Notabilia quædam de falsis miraculis & vaticiniis, inter quæ & *Lichtenbergeri* visiones refert, legi possunt *fol. 925.* ubi etiam de *Ernesto Saxone*, Archiepiscopo Magdeburgensi, aliquid narrat, ut fana quædam campestria, quæ superstitioni serviebant, infelici cum successu destruxerit. Sub finem de gratia & merito egregie disputat, & admittit vocem *meriti*, si pro præmio gratioso, sive mercede gratuita, quam Deus pietati & patientiæ promisit, intelligatur. Omnia itaque illa dicta ad consolationem piorum pertinere dicit, qui jam ex mera gratia Dei, per meritum Christi, fide apprehensum, justificati sunt, & ex promissis illis divinis solatium in hac vita & augmentum gloriæ in futura accipiunt, *fol. 934. & seqq.*

(9) *De exauditione precum.*

(10) *De schismatum inter Evangelicos damno.*

(11) *De Lichtenbergero, & Ernesto Magdeburgensi.*

(12) *De voce meriti.*

§. XIV.

Cum Lutherus anno 1531. a *Johanne Læsero*, Pretschii, ad Albim castelli eximii, domino, Marescallo hæreditario, sive præside nobilitatis Saxonicæ, (der Chur Sachsen Erb-Marschalln) invitatus esset & venationi interfuisset, in itinere in *Ps. CXLVII.* (Heb.) *Lauda Jerusalem* &c. meditatus est, ejusque explicationem postea literis consignavit, & *Læsero* dedicavit, mense Dec. 1531. Hæc anno 1532. ineunte typis edita invenitur *Tom. V. fol. 935. & sqq.* & egregiam continet enumerationem & considerationem beneficiorum Dei, maxime naturalium, & ad sustentationem vitæ humanæ pacemque publicam pertinentium. Sequitur sermo in dictum Pauli *Gal. III. 23. &c. Tom. V. fol. 947. & sqq.* de discrimine Legis & Evangelii, quod eo usque ignotum in Ecclesia fuisse tradit, ita, ut ex fide Christiana non nisi moralis sive Turcica facta fuerit, externæ operum disciplinæ innixa. Vituperat etiam errorem, quo Münzerum abreptum fuisse dicit, cum præcepta Dei Veteris Testamenti singularia, e. g. quæ Josuæ, Davidi, data erant, sibi & Christianis omnibus data esse contenderet, & inde Principes & Magistratus, veluti impios, gladio persequeretur. Agnoscit autem, difficile esse, ut discrimen Legis & Evangelii recte percipiatur, difficilius autem, ut in praxi observetur. Hieronymi & Patrum quorundam explicationes non probat, qui putarunt, per *legem* a Paulo intelligi circumcisionem & alios ritus Moysaicos; in Evangelio vero *novam legem* quærebant, de precibus, jejuniis, cœlibatu & monachatu. At aliam plane mentem Paulo fuisse, ex verbis ejus ad Galatas ostendit. *Alius sermo* de regno Christi in dictum *Mich. V, 1.* habetur *d. Tom. V. fol. 952. & sqq.* Dein explicatio benedictionis Moysaicæ *Num. VI. 22.* & sqq. *fol. 956. & sqq.* De concionibus funebribus Electori Johanni habitis *a fol. 972. ad fol. 983.* supra dictum est. Sermones de armatura spirituali in *cap. VI. Eph. v. 10. & sqq.* extant *fol. 985. ad 1004.* In his notabilia quædam tradit ad *v. 12.* de nequitia Satanæ in pervertendo verbo Dei, ad introducendas hæreses, *fol. 991. & sqq.* cavere autem jubet, ne vel in uno articulo cedamus; *Si enim unum,* ait, *obti-*

(1) *Lutheri explicatio Psalmi CXLVII.*

(2) *Sermo ad Gal. III. 23.*

(3) *Item in Mich. V. 1.*

(4) *In Eph. VI. 10.*

A. 1532.

obtineat diabolus, cæteros omnes destruere tentabit, sicut catena, uno soluto nexu, dissolvitur. Nullus a diabolo articulus tutus est, si obtinuit, ut ratiocinationi nostræ locus detur, inde enim Scripturam artificiose detorquere & venena dulcia propinare novit. Exemplum allegat sui temporis, & metuendum esse, haud vane ominatur, ne propediem divinitas Christi & resurrectio mortuorum in dubium vocetur. Tractat etiam *fol. 993.* de periculo, quod ex prætextu concordiæ & charitatis oritur, cum quidam putant, cedi in quibusdam articulis posse, ut non necessariis & substantialibus. Pacem quidem externam cum dissentientibus coli vult, sed nihil illis in detrimentum veritatis indulgeri. Ad *v. 14.* de *lorica justitiæ* commentans, egregie inculcat necessitatem inculpatæ vitæ, *fol. 1001.* ita, ut hic locus merito inter eos recenseri debeat, quo calumniæ adversus Lutherum ejusque doctrinam de justificatione per solam fidem validissime destrui possunt. Urget etiam hic dictum *II. Petr. I. 10.* de certificatione vocationis: *Cum in externis* (ait) *divine vivo coram mundo* (dadurch/ daß ich äuserlich Göttlich lebe für der welt.) *& contra quoscunque gloriari possum, certus fio fidei meæ, sicut arboris bonæ per bonos fructus, & sic fides crescit & roboratur. Hoc non contingit iis, qui in peccatis & pravis moribus publice versantur, sic enim pulsatur & infirmatur fides, immo impeditur animus, ne fiduciam & consolationem capere queat, Deum sibi propitium & peccata remissa esse, in quibus adhuc hæret, neque ab iis desistit. Ideo adhortatur nos Johannes Ep. I. cap. IV. 17. ad perfectam charitatem, ut fiduciam habeamus in die judicii. Quasi dicat: perfecta & sincera est charitas, quæ coram judicio Dei contra diabolum & mundum animose gloriari potest, se omnibus bene fecisse, & ita se gessisse, ut testimonium ab omnibus habere, nemo vero de se conqueri possit.*

(5) *De necessitate bonorum operum, & fide per ea confirmanda.*

(6) *Sermo de adventu Christi expectando.*

Sermo de glorioso Domini nostri Jesu Christi adventu *Dominic. II. Advent. in Luc. cap. XXI. 25. & sqq.* legitur *fol. 1007. ad 1014.* Pathetice describit *fol. 1009.* miseriam temporis sui, propter quam desiderandus sit adventus Domini, verbis, quæ utique nostro tempori, proh dolor! exacte conveniunt: *Respice,* ait, *si Christianus es, non tam externa illa signa & prodigia, sed tuam & totius Christianitatis calamitatem. O Deus, nisi dies illa expectanda esset, mallem nunquam natus esse. Vide, quomodo res nunc se habeat & quomodo tractetur in mundo Evangelium, & qui id profitentur: vide, quas patiamur persecutiones, quos insultus diaboli, quos contemtus, quæ convitia, quas calumnias & ironias, quam ingratitudinem, quæ odia, venena, fraudes hominum. Dein inter nos ipsos, quot falsos, subdolos & mendaces homines non patimur! quantum toleramus proterviæ, nequitiæ, rapinarum! ubi est disciplina, honestas, reverentia? quid proficiunt pœnæ & correctiones? nonne pejores & insolentiores semper fiunt homines, quanto plus illis prædicatur & exprobratur? Certe ab Evangelio charissimo & pretiosissimo, nil hactenus nisi contemtum, ignominiam & odia diabolica reportavimus. Hæc profecto cor Christianorum penetrant & macerant. Cur igitur non die & nocte ad Dominum clamemus, ut tandem aliquando omnia subvertat, & ut finem impiissimo seculo & calamitatibus faciat. Miserrimi sane essemus, si liberationem sperare non possemus.* Narrat postea adversariorum insolentiam & confidentiam, quam publice ostentaverint adveniente ad Comitia Augustana Cæsare, (de qua alibi jam dictum est) & addit: *Noluit Deus pati, ut honor suus auferretur, Salvator, quem speraverant, defecit.* aus dem Heiland ist ein Feiland worden. *Egregie impegerunt, nec in optimo Cæsare eum invenerunt virum, quem quærebant & optabant. Ita, Deo sit laus, adversus illos hucusque conservati sumus, & speramus, aliquandiu adhuc nos conservatum iri.* Eandem temporum miseriam aliis verbis mire emphaticis depingit *fol. 1012.* Dein Christianorum esse dicit, adventum Domini serio expetere & precari. *Si non desideras,* ait, *hunc diem, non potes uti oratione Dominica, nec recitare fidei symbolum. Quomodo credere te dicis resurrectionem mortuorum & vitam æternam, si neutrum cupias?* Addit, *nec decalogum intelligi ab iis, qui desiderio illo non teneantur, cum peccata in eo prohibita non cessent, sed diaboli instinctu & mundi malitia semper continuentur.* Spem autem omnem abjicit de emendatione mundi. Es wird doch nichts anders draus / und ist nicht zu hoffen / daß es mit der welt besser werde. *Nunc maxime, cum ad finem inclinat, & tumbæ propinquat. Est enim proles & fructus diaboli, in quo omnia desperata & perdita sunt, quæcunque ad juvandum illum impenduntur.* Pergit: *Si nostra conditio adhuc tolerabilis est, respiciamus dispersos in mundo fratres nostros, quorum persecutiones, supplicia, mortes, cum summo dolore audimus: cogitemus sanguinem piorum ab initio mundi profusum, qui nondum est vindicatus, & diem ultionis magno cum desiderio expectat; & nos summo cum ardore orare jubet:* Adveniat regnum tuum, *& hoc maximo cum gaudio expectare. Aliis,* porro scribit *astrologi prædicant bella, sanguinem, mortes, & pessima omnia: nobis nil nisi gaudia ex signis adventus Domini portenduntur. Timeant & trepident, qui nihil cupiunt, quam hujus vitæ prosperitatem. Lætemur & erecto animo simus, qui novi homines sumus in Christo, & sicut ille est dominus cœli & terræ, ita nos dominemur in signa illa & in cuncta, quæ nos terrere volunt. Nocere enim nobis non possunt, etsi corpus vitamque nostram tollant. Non enim hic est vita nec thesaurus noster; alium præstolamur, cum liberabitur corpus nostrum, &, quæ nunc abscondita est per fidem in Christo. Col. III. 3. vita nostra coram toto orbe apparebit cum ipso, in gloria immortali & æterna.* Commentarius in Deuteronomium habetur *Tom. V. fol. 1031. ad fol. 1134.* Versus est ex Latino *Tom. III. Jen. Lat. fol. 76. & seqq.* quem supra *Lib. II. §. VIII.* retuli, ideo hic nihil insero: epilogus tamen adscribi meretur ex *fol. 165. d. Tom. III. Lat.* Commendatur *ultimo* Moyses a magnitudine, quod post eum nullus surrexerit similis ei, in tantis signis in Ægypto, & in deserto, per eum factis, maxime vero, quod eum Dominus *facie nosset*, hoc est, qui sic familiariter cum Deo versaretur & loqueretur. Hoc dicitur non pro tempore, sed perpetuo, quamdiu Moysis ministerium duravit. Omnes enim posteriores Moy-

A. 1532.

(7) *Commentarius in Deuteronomium, cujus epilogus refertur.*

A. 1532.

Moysen docebant, ut sub eo & ex eo docti, tanquam minores. Verum simul stat, quod *cap. XVIII.* dictum est; quod *post Moysen alius erat suscitandus, similis Moysi,* scilicet Christus, cui magnus ille Moyses cederet, ut longe majori in dignitate & virtute, ut ibi vidimus. Significat & hoc ipsum, quod nihil majus doceri & tradi potest, quantum ad leges pertinet, quam lex Moysis. *Omnia enim sunt summa in eo, nisi quod magna Lex majori cessura erat Evangelio.* Enarratio in *Psalmum II.* ex prælectionibus Lutheri academicis collecta est anno 1532. edita vero anno 1546. *Tom. IV. Jen. Latin. fol. 750. & seqq.* Germanice versa & *Magdeburgi* excusa 1550. Extat *Tom. V. Altenb. fol. 1134. ad 1181.* Commendat hunc Psalmum Lutherus, quod primæ ex eo preces Novi Testamenti *Act. IV. 25.* conceptæ fuerint, & æternum regnum Christi per illum egregie probetur, & consolationes adversus scandala mundi præbeantur. Fatetur autem, sub initium annotationum *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 751. b.* non minus ingenue & liberaliter, quam in concione in *Matth. VII. 15.* paulo ante allegata, doctrinæ Evangelicæ & reformationis impedimenta his verbis: *Nostro tempore successus Evangelii primo magnus erat; sperabant enim omnes idem, quod Apostoli, priusquam per Spiritum sanctum de hoc regno docerentur, futurum, ut libertatem politicam & tranquillitatem disciplinæ doctrina hæc afferret. Sed ubi cœptum est tumultuari a Münzero primum, qui ferebatur seditioso spiritu, deinde a Carlstadio, Cinglio, & aliis fanaticis doctoribus Ecclesiæ perturbarentur, ac jam idea propria hujus regni cerneretur, nempe in ipsa Ecclesia turbæ, & in Republica seditiones, denique in sanctis summa infirmitas, & cum, secundum Poetam, una hæc esset salus, nullam in tot ac tantis periculis undique ingruentibus sperare salutem, ibi demum plurimi animis fracti resilierunt, & etiam odisse Evangelium cœperunt. Hujus mali quæ causa fuit alia, quam quod conditiones regni Christi non nossent? Id enim ejusmodi est, ut undique impetatur a Satana & mundo. Hoc qui non norunt, in periculis cedent, & Evangelium, tanquam seditiosam doctrinam, damnabunt.* Ex his interpretationem accipiunt, quæ aliquando magnificentius de doctrinæ suæ dilatatione, ad suorum solatium, scripserat. Licet enim per se haud exigua esset, & pro singulari & admiranda gratia Dei recognosci merito debeat, apparet tamen, minime eum latuisse, quibus obstaculis internis & externis negotium illud subjectum fuerit. Longe majori vero odio suam doctrinam exponi dicit, quam *Hussi,* qui nec Missæ sacrificium, nec merita, nec alios cultus, sed saltem primatum Pontificis, venditionem indulgentiarum, purgatorium, & moralia quædam in dubium vocaverit. Interim non adversus se, sed adversus Deum furere statuit adversarios, & perpetuum mundi morem & genium insectatur, qui, licet omnes errores tolerare potuerit, Evangelium tamen semper persecutus sit, quia ab hoc stultitia omnisque pompa & species mundi detegitur & infamatur. Applicat vero adversus hostium insaniam solatium ex *Psalmo,* & experientiam allegat, quod jam annos fere triginta (congruit hic calculus cum tempore editionis anno 1546. respectu ad annum 1517. habito) frustra grassati sint. Improbat etiam Zuinglii & Carlstadii innovationes, persuasus, si illis abstinuissent, ut, salva fide & conscientia, potuisse eos existimabat, feliciorem longe reformationis progressum futurum fuisse. Dein divinitatem Christi egregie asserit ex *Psalmi* verbis *v. 7. & 12.* Nec minus insignia sunt, quæ ad *v. 11.* annotavit, de mixtura lætitiæ & timoris, sive spei & metus fidelium. Inter Academicos Lutheri labores hujus anni referenda etiam est *Explicatio Ecclesiastæ Salomonis,* quæ Latine legitur *Tom. III. Lat. Jen. fol. 239. b. & sqq.* anno vero sequenti germanice versa est a *D. Justo Jona* & dedicata *Philippo* Hassiæ Landgravio. *Tom. V. Alt. f. 1181. ad 1280.* Non dissimulat obscuritatem & difficultatem libri, ob stylum regium & sublimiorem, qui in cæteris non reperiatur scriptoribus, & Hebraicæ linguæ imperfectam, quam habemus, scientiam. Interim operam dedit, ut commodum sensum ex omnibus eliceret. Multis etiam ex humaniori literatura illustramentis utitur, nec paucas adducit historiolas tam veteres quam novas. *Friderici* Electoris sæpe meminit, & aliqua ejus dicta & facta memorabilia annotat v. g. *fol. 248. b.* quod multa ædificaverit, unoque perfecto statim aliud quæsiverit. *fol. 255.* quod dixerit: *quo diutius rego, eo minus regere scio.* Item: *ubi inveniam tandem, cui possim confidere? fol. 279. b.* dolet, quod nimis cito obliti sint homines optimi illius Principis, non cogitantes, quæ bona per illum assecuti, & a quibus malis liberati sint. *fol. 285. b.* sapientem ejus cunctationem & patientiam laudat, quod tumultuantes Erfurtenses silentio compescuerit & ultus sit. *fol. 288. b.* quod rem familiarem ita administraverit, ut videretur esse sordidus; numerabat enim singulis in manum, coquis, cellariis, &c. sed hospitibus, quibus erat dandum, largissime offendebat omnia, quod non potuisset, nisi illud parsimonia curasset, atque ita effecit, ut haberet ordinatissimam domum & familiam. De se *fol. 257. b.* narrat: *Cum essem ego novus prædicator, serio agebam, ut omnes redderem bonos, sed dicebatur mihi, & vere:* **Er hat zu einen gelben schnabel darzu / daß er alte schälcke solte fromm machen.** id est, *junior est, quam ut senes corrigat.* De *Staupitio fol. 262. b.* eadem fere affert. *Cum vellet (ait) ac cuperet omnibus officiis optimos præficere, non tamen potuit, dicebat ergo:* **man muß mit denen pferden pflügen / die man hat /** *qui non habet equos, arat bobus, ut est proverbium.* De fato doctrinæ suæ iterum, quæ alibi, indicat *fol. 281. Præsentibus,* inquit, *mundus non potest stare, futuris semper discruciatur. Sic Germania semper nova quærit. Ad initium Evangelii omnes accurrebant, ubi vero pervasit Evangelium, fastidivimus, obliti tantorum beneficiorum. Nunc concurritur ad Sacramentarios, ubi vero illi inveteraverint, statim, illis fastiditis, alia cupient.* De Germania in universum parum benignum fert judicium *fol. 287. b. Hodie Principes, qui habentur sapientissimi, omnia in suum commodum regunt & agunt, ac sua quærunt, reliqui nihil noverunt, quam equitare caballo, scortari, compotare, omnia committentes consiliariis, sua quærentibus, nihil consulentibus, estque tota Germania quasi vasta, in qua nihil est civilium morum,*

(8) *Enarratio Psalmi II. ibi de impedimentis reformationis.*

(9) *Hussi & suam doctrinam & fata comparat.*

A. 1532.

(10) *Explicatio Ecclesiastæ Salomonis.*

(11) *Historica quædam de Friderico Electore.*

(12) *De seipso & doctrina sua quædam.*

A. 1532.

rum, nulla cura educandæ juventutis, collapsæ leges, disciplina & bonæ artes, nulla fori ratio.

§. XV.

(1) *Epistola Lutheri: Consolatoria in tentatione: it. de Zuinglii dogmate non ferendo, ad Albertum Borussiæ Ducem.*

Ex *epistolis* Lutheri quasdam jam tetigi. Ex reliquis hujus anni, quæ *Tomis* insertæ sunt, præcipuas indicabo. Consolatur d. ult. Aprilis sororem D. Hieronymi Welleri, contra tentationem de æterna Dei prædestinatione, & se eadem ad æternam usque mortem gravibus argumentis exercitatum fuisse scribit *Tom. V. Alt. fol. 962.* Prolixis literis, quas typis publicari ex re esse putavit, ad *Albertum* Brandenburgicum Borussiæ Ducem, adversus *Zuinglianam* sententiam disputat *d. Tom. V. fol. 963. & seq.* Tractat de interpretatione *capitis VI. Johannis*, & negat, ad sacramentalem unionem pertinere, quæ Christus ibi de carnis suæ manducatione locutus est: iis enim non nisi spiritualem indicari; non damnat tamen Patres, qui illa ad sacramentalem traxerint, quia iidem præsentiam realem non negaverint, neque illis Christi verbis ad negandam præsentiam abusi sint. Profitetur vero, se a disputatione hac plane cessaturum esse, nunquam enim obtineri posse, ut dissentientes acquiescant. Suadet itaque Alberto, ut eos missos faciat. Meminit cladis, qua Zuinglius & alii occubuerunt; sibi quidem luctuosam illam esse dicit, sed pro martyribus haberi occisos non posse, interim salutem illis non invidere, bene potius sperare, cum Deus homines etiam in mortis articulo convertere possit; interim, pro divino judicio cladem illam habendam esse, non dubitat, optatque, ut per eam admoniti Helvetii, aliique ab errore discederent. Articulum enim de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, claris, puris, & indubitatis Scripturæ dictis tradi, & per totum mundum in universa Ecclesia Christiana, ad hunc usque diem creditum esse, tum omnium Patrum Græcorum & Latinorum scriptis, & quotidiano usu & exercitio firmari. Hoc testimonium unanime, quod ultra millequingentos annos in Ecclesia viguerit, sufficere posse fidelibus, & nefas esse, doctrinam illam in dubium vocare. Si novus esset articulus, nec ab initio, nec apud omnes Ecclesias totius orbis Christiani uniformiter observatus, non tam terribile & periculosum fore, si de illo dubitetur; at ab eo, qui, stante illo consensu, ambigat, totam Ecclesiam pro hæretica haberi, & ipsum Christum sperni cum Apostolis. Articulum esse fidei: *Credo sanctam Ecclesiam Christianam*, cui affuturum se esse promisit Christus usque ad consummationem seculi, *Matth. XXVIII.* & quam Paulus *I. Tim. III. 15.* vocat *columnam & firmamentum veritatis.* Non sum nescius, quomodo his dictis de Ecclesiæ autoritate uti soleant adversum nos Ecclesiæ Romanæ doctores, & quid ab aliis opponi consueverit, præterire tamen hoc argumentum Lutheri nolui. Id autem non est separandum a primario, quod præmisit, nempe, quod idem articulus claris & disertis verbis Scripturæ asseratur. Hæc enim si adsunt, accedens consensus & praxis Ecclesiæ non solum sperni non potest, sed & efficit, ut via monstretur ad alia Scripturæ loca, quæ objici posse videntur, ita potius explicanda, ut servetur illorum sensus & intellectus, cui Ecclesiæ confessio antiqua atque universalis adstipulatur. Talis enim a Luthero præsupponitur, quapropter eandem vim non habet observantia particularis, recentior & interrupta. Nam de tali minus scrupuli esse posse, non diffitetur, in fine literarum scribens: (Es ist nicht zu schertzen.) *Non est ludendum in articulis fidei, ab initio, & per totum, qua patet, orbem Christianum, concorditer servatis; ut fieri possit in Pontificiis aut Cæsareis legibus & humanis traditionibus Patrum & Conciliorum.* Eodem modo alibi pro Pædobaptismo argumentatus est.

(2) *De Ecclesiæ testimonio in articulo de Eucharistia, cum epicrisi.*

(3) *Tigurinorum ad Ducem de hac epistola querela.*

Male habuit hæc epistola Tigurinos, &, ruptam a Luthero Marpurgensem concordiam esse, dictitabant, literasque & ipsi ad Principem scripsere, pro suis deprecantes. Refert eas ex parte *Hospinianus* in hoc anno, & ex eo *Scultetus.* Ajunt, Lutherum eximium Dei servum esse, cujus opera Deus multos & eximios fructus in universo terrarum orbe protulerit: hominem tamen esse, nec omne, quod scribit, ex spiritu Dei esse, errare eum posse, sicut Petrus etiam post acceptum Spiritum sanctum erravit, item David ac Moyses. Optant, ut Lutherus ipsos pro fratribus agnoscat, nec omnem charitatem & pacis spem erga illos abjiciat.

(4) *Narratio de morbo Lutheri, & quæ tunc de Zuinglii casu dixerit.*

Occasione mortis Zuinglianæ, cujus in epistola ad Borussiæ Ducem mentio fit, inserere lubet historiam de morbo Lutheri, *ex volumine MS.* mecum communicatam. *Mense Januario anno 1532. præsentiebat aliquid & veluti divinabat Lutherus de futura sua ægritudine, fore, dicens, ut sub Martio gravi morbo conflictaretur, sed non tamdiu abfuit malum. Nam d. 22. vehemens morbus eum invasit, ut per totum diem decumberet, mane circa horam quartam ingens tinnitus aurium eum exercuerat, quam mira cordis debilitas secuta est. Statim igitur vocari jussit Philippum Melanchthonem & Magistrum Rorarium, ut haberet, cum quibus loqueretur, & quos confabulantes audiret. Ibi cum forte diceremus, si ita moreretur, ingens scandalum apud Papistas secuturum, confirmato animo inquit: At ego nunc non morior, id certo scio. Deus enim non confirmabit Papisticam abominationem per meam mortem, hoc tempore, post Zuinglium & Oecolampadium extinctum. Deus non dabit eis hanc gloriandi occasionem. Satan quidem, si posset, libenter me interficeret, singulis horis urget mea vestigia,* er gehet mir alle augenblicke auff dem fusse nach. *sed non fiet, quod ipse vult, sed quod Dominus vult. Ibi Philippus: Ejus rei habemus certum testimonium. Christus enim dicit, omnes capilli capitis vestri sunt numerati. Aderat quoque medicus, is dicebat post visam urinam, haud longe eum abesse ab apoplexia, & ægre eum evasurum. Hoc audiens Doctor, ait: ego non possum cogitare, quod morbus meus sit naturalis, sed suspectus est mihi Satan, ideo facilius contemno.* Nolo equidem Lutheri judicium de morte virorum illorum, quorum magnas dotes in reformandis erroribus non ignoro, & ipse agnovit Lutherus, odiose interpretari, neque crediderim ipsum immitius de illis sensisse, quam in præallegata fecit epistola, aliisque locis, cum extra contentionis ardorem de iis locutus est. Interim haud plane de nihilo fuit, quod de adversariorum gloriatione conjectavit, quæ utique speciosa fuisset, si intra paucos menses præcipui reformationis autores omnes occubuissent. Alis literis

(5) *Epistola ad-*

A. 1532.

Versus Anabaptistas, quod vocatione carent.

literis ad *Eberhardum Thannium*(von der Thann) virum nobilissimæ in Franconia prosapiæ, magnæque apud Electorem autoritatis, *Wartburgi*, sive Isennaci præfectum, adversus Anabaptistas, clanculum irrepentes & concionantes (wider die schleicher und winckelprediger) consilium suum explicat *Tom. V. Alt. fol. 966. & seqq.* Opponi iis jubet ante omnia defectum vocationis: *Quis enim eos*, ait, *vocavit, ut ad agricolas in campis, ad carbonarios, aliosque solitarie in sylvis laborantes, adrepant, & sua illis instillent dogmata, & a pastoribus suis homines avocent? cur non rogant pastores ordinarios, ut alloqui populum sibi liceat? si id negetur, satisfecerunt conscientiæ suæ. Ostendant literas vocationis humanæ, aut signa divinæ per miracula.* De hoc jure & probatione vocationis instrui vult populum, & moneri, ut clandestinos illos prædicatores Magistratui indicet: huic etiam incumbere, ut in eos inquirat, & quo jure doceant, examinet: dein, quia nullum allegare poterunt, silentium illis imponat. *Vocavit*, sic pergit, *Dominus servos suos, quibus talenta concredebat, Luc. XIX. 13. vocavit operarios in vineam, Matth. XX. queritur de iis, qui currebant non missi, Jer. XXIII. 21. Difficile satis est, ut legitime vocati veram proponant doctrinam, quid sperandum est de non vocatis? Nolim pro totius mundi opibus Doctoratus mei vocatione carere. Desperandum mihi esset sub onere gravissimo, quod mihi incumbit. Jam vero Deus mihi & totus orbis testis est, me publice per Dei gratiam præstitisse, quæ munus doctoris & concionatoris requirunt.* Respondet ad objectum locum Pauli *I. Cor. XIV. 30.* & agi ibi docet de Prophetis, quales se esse non probant tenebriones illi: ostendit, Paulum tractare de concionibus in cœtu, nec cuique ex plebe jus concionandi dare, sed ad veterem morem respicere, cum unus aut plures textum quendam recitarent, alius post alium explicationem adderet, ut apparet ex *Act. XIII. 15.* illi scilicet, qui ad id vocati & invitati erant, & his opponi dicit ab ipso Paulo cœtum sive Ecclesiam, quæ auscultat, *d. c. XIV. 12.* & idiotas sive Laicos, qui dicant *Amen v. 16.* vel dijudicent *v. 29.* Ex veteri illo more cum plures publice (servato tamen ordine, ut Paulus jubet,) loquerentur, & alius alii succederet, superesse notat *antiphonas* & *responsoria* in choris templorum, explicationem autem omissam esse, quam tamen dicto loco commendat Apostolus. Addit, se nunc non suadere, ut mos ille vetus restituatur, rudiorem & curiosiorem esse populum, quam ut talis modus sine confusione reduci possit, sufficere itaque, ut unus una vice concionetur, neque Paulum modum illum, ut necessarium, præscribere, sed id generatim indicare, ut omnia fiant ordine & absque confusione. *Tunc temporis*, ait, *mos ille facile teneri poterat, usu diuturno introductus in populo morato, ad Levitici sacerdotii regulas; nunc in plebe nostra fera & petulanti difficillime locum haberet.* Alia brevi epistola Comites *Schlickios*, vallis Joachimicæ dominos d. 9. Octobr. hoc anno commonefacit, ut ad exemplum *Stephani Schlickii*, cujus pietatem laudat, provideant, ne numeroso illi cœtui subditorum suorum in valle Joachimica (egregia enim argentifodina ibi exercebatur) falsa doctrina per clandestinos prophetas obtrudatur, *Tom. V. fol. 985.* Consolatoriæ epistolæ aliquot præter eas, quas supra tetigi, variis in casibus hoc anno scriptæ legi possunt *d. Tom. V. fol. 961. b. 983. 984. 1005. 1006. 1029. 1030.* Memorabilis est, brevis licet, quam ad exules Lipsienses d. 4. Oct. scripsit *fol. 984. a.* Octoginta enim cives cum uxoribus & liberis hoc anno, Georgii Ducis jussu, in exilium ejectos esse, scribunt *Schneiderus & Heidenreichius in Chronicis Lipsiensibus*: *Cochlæus* septuaginta numerat, & rem ad annum sequentem refert, ut in loco dicetur. Miserant Luthero exemplum libelli supplicis ad Principem, & is placere sibi stylum scribit, quia non præjudicaverint veritati, & blande satis scripserint, jubet eos *insanum caput leniter alloqui:* Gebt dem tollen kopffe nur gute wort / *si non juvat, non nocet, & apud Deum vos excusat, qui diabolum cum suis propediem aggredietur. Confidite! Dulcia non meminit qui non gustavit amara.*

(b) *Responsio ad 1. Cor. XIV. 30. de concione a pluribus habenda.*

(7) *Aliæ epistolæ varii argumenti, item consolatoriæ ad exules Lipsienses.*

A. 1532.

(8) *Præfatio in conciones Brentii, & in Athanasii Libr. de Trinit. ad Pomeranum.*

Ex præfationibus, hoc anno a Luthero compositis, una tantum reperitur *Tom. V. fol. 1014.* in conciones *Joh. Brentii* de bello Turcico; id valde periculosum fore metuit Lutherus, quia hominum securitas & impietas maxima sit, nec concionatorum adhortationes ullum effectum habere videantur. *Excusati sunt*, ait, *verbi ministri & sanguis uniuscujusque sit super caput suum.* Alia præfatio ejus hoc anno prodiit in quædam *Athanasii* opuscula a *Joh. Pomerano* edita, elegantis styli, ex qua sequentia adscribi merentur, in quibus inter alia Erasmum, dissimulato tamen nomine, impietatis suspectum facit: *Vehementer mihi placet, vir optime, consilium tuum, (quod satis tarde rescivi) de edendis libris aliquot divi Athanasii, puta, de Trinitate, inter quos mira voluptate me affecit Dialogus seu disputatio, quam coram Probo Judice, sub magno Constantino, inter ipsum Athanasium & Arium habitam fuisse, constat. Recreavit enim me jucunda memoria, quum recordarer, quanto fidei ardore & fervore dialogum illum adolescens legissem, primo anno monachatus mei, cum Erfurdiæ pædagogus meus monasticus, vir sane optimus, & absque dubio sub damnato cucullo verus Christianus, mihi eum sua manu scriptum dedisset legendum. Sed hæc privata voluptas & utilitas fuerit. Altera vero multo potior est, quod spiritum Christi video, in te & per te hoc sollicitum agere, ut iste articulus de Trinitate purus & integer in Ecclesia Dei servetur & defendatur. Pro quo servando ille sanctissimus vir Athanasius non dubitavit in se derivare, quicquid erat furiarum in inferno, mundo & toto imperio diaboli. Fidele ergo & salutare tuum, optime Pomerane, consilium est, hoc nostro perditissimo seculo, in quo, cum fere omnes articuli fidei a ministris Satanæ impetantur, tum præcipue ille de Trinitate a quibusdam scepticis & Epicureis valde confidenter incipit rideri. Quos juvant magnifice non Itali tantum illi Grammatici & Rhetores, (uti sibi videntur) verum etiam quædam Italo-Germanæ viperæ & aspides, seu sicut tu soles appellare, viperaspides, quæ semina sparsim in suis scriptis & colloquiis serunt, satis (ut Paulus ait) serpentes & ad impietatem proficientes. De quo incredibile est,*

A. 1532.

est, quam suaviter inter suos rideant & gaudeant. Sed istis dæmonibus, sive Epicureis, sive Scepticis, sive Lucianis, sive Pyrrhoniis, sive quibuscunque monstris, Italisque Germanisque, opponimus illum virum, qui dixit ad nostrum illum servum Jesum Christum: Filius meus es tu. Et iterum: Sede a dextris meis; expectaturi, quosnam sint triumphos reportaturi isti gigantes in ista magnifica Theomachia. Non est novum istud gigantum bellum neque unum Enceladum aut Typhoea, aut semel, aut uno tantum seculo, Deus prostravit. Bavarus Tom. I. collectan. p. 267. refert; Lutherum, cum hoc anno pestilens liber contra dogma de SS. Trinitate prodiisset, dixisse: *Non putant isti, aliis quoque tentationem de hoc articulo subortam esse, sed nihil valet* (es hält den stich nicht) *opponere meam cogitationem verbo Dei & Spiritui sancto.* Non est itaque, ut de acumine suo glorientur profani hujus articuli oppugnatores; nihil enim ex ratiocinatione humana facilius est, quam quod illi proferunt, nisi clarissimis Scripturæ dictis in contrarium urgeremur.

§. XVI.

(1) Reformationis incrementum in Anhaltino Principatu.

Ad reformationis incrementa hoc anno pertinet plenior introductio & constitutio Evangelicæ doctrinæ, in regione Anhaltina, quam ex Archivis refert *Scultetus* hoc anno *Annal. Evangel. Dec. II. p. 371. seqq. Wolffgangus* quidem Princeps, qui dimidiam ditionis partem habebat, cum sororis suæ marito, *Johanne*, Electore Saxoniæ aliisque confessionem Augustanam subscripserat & exhibuerat, & jam anno 1522. Lutherum Servestam acciverat, ubi & concionatus fuit & anno 1528. monasterium Neoburgense (München Neuburg) reformavit; Sed qui simul dominabantur regionibus istis patrueles ejus, *Johannes* & *Joachimus*, hortatu *Georgii* fratris sui, Præpositi Magdeburgensis, viri pientissimi & purioris religionis studiosissimi, hoc anno Dessaviæ pastorem constituerunt *Nicolaum Hausmannum* a Zuiccaviensibus dimissum. Producit *Scultetus p. 373.* literas Lutheri, ad Principes Johannem & Joachimum d. 14. Sept. datas, in quibus Hausmannum commendat, vocatque einen frommen mann/ & paulo post, ein treu Hertz / und sittigen mann / der Gottes wort fein stille und züchtig lehret und lieb hat. *Virum probum, modestum, placidi animi, qui verbum Dei tranquille & decenter doceat & amet.* Melanchthonis etiam duas ad *Joachimum* Principem epistolas *p. 374. seq.* affert, alteram *d. 14. Sept.* datam, alteram absque die, quarum neutra in *tomis Peucerianis* invenitur. In *priori* religionis curam & Hausmannum commendat, *qui*, ut ait, *sine ulla privata cupiditate, & sine studio rixandi in eo genere doctrinæ versatur, quo vere illustrantur Christi beneficia, & in bonis mentibus vera pietas alitur.* In *altera* Principem, a quo responsum Latinum acceperat, collaudat, & de ejus studio pietatis & religionis, ab Hausmanno sibi relato, illi & Fratribus gratulatur. Extat & alia Lutheri *ad Spalatinum* epistola *MS. in Bibliotheca Jenensi*, sed anno 1534. d. 28. Mart. data, in qua Principes Anhaltinos laudat, quod frustra repugnante Hallensi Episcopo (id est, Alberto Cardinale) & aliis magnis Principibus, Evangelium susceperint & forٍ

(2) Lutheri literæ de Hausmanno, item Melanchthonis.

titer confiteantur. Quæ *Bremæ* hoc anno gesta sunt, luculenter tradidit *Chytræus Lib. XIII.* Evicerunt cives, invito licet Senatu, ut jam etiam in Cathedrali Ecclesia (nam in cæteris id ante annos decem fieri cœperat) Evangelium doceretur. Introductus itaque Superintendens urbis *Jacobus Præpositus* primam concionem Dominica Palmarum (d. 24. Martii) habuit, & sic Missaticus cultus prorsus ab illo tempore cessavit; tumultuantes tamen cives, & alia adversus Senatum molientes, eodem anno repressi sunt, & quies urbi, toto jam triennio seditiosis motibus agitatæ, reddita est. In Westphalia *Osnabrugenses* ab Episcopo suo *Francisco Comite Waldeccio*, impetrarunt, ut Augustanæ confessionis prædicatoribus uterentur, & Lubeca *Hermannum Bonnum* vocarunt. Sed Anabaptistarum secta turbas in provincia illa haud parvas dare cœpit, quæ postea in bella & clades eruperunt. Plura apud *Scultetum* legere licet. Ex Lutheri epistola ad *Annam Limburgiam*, Abbatissam Hervordiensem d. 22. April. data (*Tom. V. Alt. fol. 1280.*) percipitur, *Hervordiæ* quoque ob religionem dissidia fuisse, & Abbatissam Evangelicæ doctrinæ favisse. Suadet autem Lutherus, ut absque tumultu ageretur.

A. 1532. *(3) Bremæ & Osnabrugæ gesta, item Herfordiæ.*

Ad profectum Reformationis referri debet propensio *Joachimi*, Marchionis Brandenburgensis junioris, qui (patre in Papismi professione persistente) Luthero favere cœpit, & hoc anno quendam ex suis ad eum misit, cum quo de sacra communione actum esse, apparet ex ejus literis, die *Martis post Georgii* ad Principem scriptis, (nisi erratum est in dato, ipse enim dies Georgii *23. April.* hoc anno in diem Martis incidit.) Eidem, in Hungariam ad bellum contra Turcos copias circuli Saxonici ducenti, magno cum affectu gratulatus est, & preces suas offert his verbis: Unser Pater noster soll folgen und mitziehen / darzu / ob Gott will / dort im felde E. Fürstl. Gn. warten und sich finden lassen. *Precatio nostra te sequetur & comitabitur, immo Deo volente, illic in campo & acie aderit.* Ab adversis non plane quievit res Evangelica. *Paderbornenses* ob religionem male multati sunt ab Episcopo. *Badensis* etiam Marchio *Philippus*, qui huc usque non alienus a Reformatione esse videbatur, & prædicatores toleraverat, hoc anno, Cæsaris Augustam adventantis metu, illos ejecit. Vid. *Scultetus*, qui Helvetia quoque & Gallica annotavit. Posset ad persecutionis exempla etiam trahi proscriptio *Alberti* Borussiæ Ducis, quam Camera Imperialis decrevit, & titulus *Magni Magistri Borussiæ* isti ademptus, *Walthero* autem *Cronebergio*, Teutonicorum equitum per Germaniam magistro, collatus, Vid. *Sleidan. Lib. VIII. p. 220.* sed non saltem irrita proscriptio illa fuit, verum etiam Albertum potius in zelo religionis confirmavit. Quæ *§. præced.* occasione epistolæ Lutheri, de persecutione Lipsiensium tetigi, & hoc anno initium habuerunt, in sequentis historia prolixius memorabuntur.

(4) Literæ Lutheri ad filium Electoris Brandenburgici.

(5) Adversa quædam ad impediendam reformationem.

ADDITIO.

Referri huc possunt Acta hoc anno *Henrici* Angliæ Regis cum Protestantibus, quæ etsi non optimæ essent fidei, religionis tamen causæ non fuerunt inhonorifica. Venit

(a) Cranmeri Angliæ Legati acta

An. 1533. *cum Joh. Friderico Saxoniæ Duce & ministris ejus.*

nit d. 14. Julii Norimbergam ad Johannem Fridericum Ducem celeberrimus ille *Crammerus*, postea Archiepiscopus Cantuariensis, (cujus vitam inter *Theologorum vitas* recensuit *Melch. Adamus.*) tunc in literis Regiis d. 24. Januarii 1531. (stylo Anglicano, sed nostro 1532.) datis *D. Thomas Craymer, Consiliarius Regis, & ad Cæsarem Orator*, vocatus. Discesserat clam ex comitiis Ratisbonensibus, & Ducem occulte in Hospitali, ut vulgo vocatur, condicto loco, accessit, literasque regias ad *Electorem* itemque ad *Philippum* Luneburgensem & *VVolfgangum* Anhaltinum exhibuit, quas Dux curandas recepit. Ad generalem amicitiæ contestationem & literæ, & Crammeri primo hoc congressu dicta, pertinebant. Rediit sequenti die, & præsentibus Pontano & Spalatino (cujus relationi hæc debemus) multa & varia quæsivit, de pace nempe cum Cæsare, de statu religionis, de auxiliis contra Turcos, de bonis Ecclesiæ, quæ invasisse dicebantur Principes. Magnifica prædicabat de Rege suo, quanta nempe Cæsari auxilia contra Turcos obtulisset, ut & Galliæ Rex, si communibus auspiciis bellum gereretur, & compositio cum Johanne VVaywoda fieret. Interrogavit etiam, ubi esset *Gulielmus Pagetus*, a Rege suo ad Electorem missus? Responsum illi est ad reliqua quæsita, quod tempori & rebus conveniebat, de Pageto vero nihil dicebatur compertum esse, nisi quod anno superiori apud Electorem fuisset. Sic dimissus, acceptisque d. 15. Julii Johannis Friderici ad Regem literis, abiit, sed post quatriduum, d. 20. Julii, uno tantum famulo comitatus rediit, & Spalatinum (quia Pontanus sese excusaverat) solum convenit, eique, quod nuper oblitum se esse fingebat, detexit, *paratum esse non solum Herum suum, sed & Galliæ Regem, ut in causa religionis Electori & sociis assisterent*, scire etiam voluit, *quo statu nunc esset negotium electionis Ferdinandi.* Quid responsum illi sit, non invenio, sed facile conjici potest, intempestive agitata illa tunc ab Anglo fuisse, quia iisdem diebus pax cum Cæsare inita fuit, quam Reges oblationibus illis turbatam cupiebant. Non multo post, d. 4. Augusti, ad Johannem Fridericum, qui interea Norimberga discesserat, Coburgum venit *Pagetus*, vel, ut in literis Regis, d. 30. Junii datis, scribitur, & *familiaris Regis* vocatur, *Pacetus*, sed ad Parentem ablegatus est. Apud hunc queri cœpit, quod Elector & Landgravius consilia cum Rege suo de religione & electione Ferdinandea non communicassent, cum tamen ex misso in Angliam anno præterito *Nicolao Mynst*, Consiliario Landgravii, intellexissent, paratos ad auxilia esse Angliæ & Galliæ Reges; hos enim indissolubili amicitiæ vinculo & nodo quodam Herculeo conjunctos esse. Haud pauca de religione etiam proposuit, sed quæ, Bayeri Cancellarii calamo, festinanter & distortis literarum characteribus excepta, intelligi nequeunt. Responsum Electoris breve fuit, dicebat enim ex Langæi Gallici Legati relatione, & ex iis, quæ

(b) *Pageti alterius Legati Angl. acta cum Electore de fœdere.*

Norimbergæ inter filium Principis & Crammerum acta sint, constare posse, quo statu nunc res sint, & ut pax cum Cæsare fuerit conclusa. Dum Legationes illæ Anglicanæ & Gallicæ hinc inde commearent, Jo. Fridericus sua manu consignavit, quæ agenda cum illis essent. Asservantur *Reg. H. fol. 71. n. 20.* Summa est: tractandum esse cum Legatis Regum de concilii indictione, ut id non tantum a Pontifice, sed a Cæsare quoque, consentientibus Regibus & proceribus Evangelicis, in Germania indiceretur: ferri enim non posse, ut a solo Pontifice indiceretur, isque judicis & partis personam simul sustineret: conveniendum etiam esse prius inter Reges & Evangelicos de articulis fidei, & se quidem sociosque ab Augustana confessione non esse discessuros. Quod si Cæsar pacem (nuper scilicet initam) ante Concilium rumperet, aut a fatigandis Evangelicis per lites Camerales non desisteret, & decreta per vim exequi vellet, tunc junct[illegible] [au]xiliis resistendum illi esse. Poscebat ab utroque R[illegible] centum aureorum millia, apud Parentem & La[illegible] vium deponenda, cautionem scilicet de iis ex f[illegible] [f]æderis erogandis præstituros. A fœderatis o[illegible] renda esse utrique Regi, non tamen uno tempore, sed alterutri, octo peditum millia, cum idoneis ductoribus ad fines regnorum, sumtu Fœderatorum, mittenda: his vero a Regibus stipendia solvenda esse ad tres minimum menses. Delectus quoque equitum peditumque Regibus concedendos in ditionibus Fœderatorum, neque quenquam ab his excipiendum, nisi Cæsarem & Imperium. Ex his satis liquet, Electorem & socios præsupposuisse, quod Reges de religione secum consensuri, eamque in regnis suis admissuri, in Germania etiam protecturi essent. Sed falsi sunt in illa spe, & hic scopus, quem Saxo alios respiciebat, obtentus non est, detortus potius a Bavaris, immo, ut dissimulari non potest, a Landgravio quoque ad causas particulares, ut ex historia constat. Lucem hinc accipiunt literæ Jo. Friderici ad *Guilielmum Comitem Nuenarium*, quo familiarissime utebatur, Swinfurti datæ, quas ad *§. IX.* allegavi. Meminit enim in iis *Hassiaci Doctoris* cujusdam in Angliam missi, quem tamen *stolidum* vocat, quod Regi Angliæ, callide interroganti, affirmasset: *Nuenarium*, qui tunc a Cliviensi Duce ad Regem legatus erat, *Cæsari fidum esse*; unde factum est, ut parum apud Regem in legatione sua efficeret. Sancte vero & per Deum in literis his testatur Jo. Fridericus, se nihil cum Legatis Regum acturum esse, quam quod careat reprehensione, & Cæsari probari possit. Hoc etiam satis ostendit expressa illa Cæsaris exceptio, quam ex autographo Ducis allegavi; eaque in causa fuit: ut de societate illa cum Regibus nihil concludi potuerit. Hi enim intendebant, ut Cæsari a Protestantibus bellum inferretur, Protestantes autem ad defensionem & pacis conservationem respiciebant, si prius de religione cum Regibus convenire potuissent.

A. 1533.

(c) *Literæ Electoris de illa causa ad Comitem Nuenarium.*

SECT. 7.

Ex Cod. Vatic. ap. Pallav. l. 3. c. 12. & 13.

(1) Consilia & legationes Papæ & Cæsaris de concilio.

Pontifex enim, qui, eo rerum statu, sine honoris dispendio, negare Concilium se non posse animadvertebat, libere assensum præbuit; ita tamen, ne frustra laboraretur, & ideo cum Principibus Protestantibus de conditionibus concilii celebrandi prius conveniretur; nempe, ut id liberum & universale esset, eo nempe, qui in Ecclesia circa concilia œcumenica semper observatus fuisset, modo; ut locus commodus, puta Bononia, Placentia aut Mantua eligeretur; ut Principes vel ipsi, vel per Legatos, comparerent, aut nihilominus procederetur, si non comparerent; ut omnibus ejus decisionibus quilibet obedire teneretur, ne inutilis esset convocatio; denegato vero obsequio Imperator & reliqui Principes ad Papam & Ecclesiam protegendam obligati essent. Sic de admissis his conditionibus edoctum Pontificem, & prævia conventione cum Regibus aliisque supremis Principibus, post sex menses concilium indicturum esse, anno sequenti post indictionem habendum. Has conditiones Hugo Rangonus, Episcopus Rhegiensis, a Pontifice, & Lambertus Briardus, Præses Concilii Belgici, ab Imperatore missi, ad Johannem Fridericum Electorem Saxoniæ, qui Patri, anno præcedente defuncto, successerat, detulerunt. Princeps hic comiter eos excepit, sumptoque tempore ad deliberandum cum Fœderatis, qui d. 24. Junii Smalcaldiæ congressi sunt, sub finem mensis Julii scripto respondit, hoc potissimum, post præmissam de tyrannide Pontificia querelam, sensu: Principes concilium his conditionibus, quæ libertatem penitus subverterent, non admissuros esse. Velle vero, ut id in

(2) Protestantium responsio.

A. 1533. *Germania celebraretur, in quo Papa non solum non præsideret, sed ne Judex quidem esset, quia partis locum teneret, & quod obligati ad Concilium recipiendum non essent, nisi quatenus id verbo Dei conforme deprehenderetur. Hoc idem erat uno verbo, ac si dicerent: se judices Concilii fore, Scripturam suo sensu interpretantes.* A. 1533.

§. XVII.

(1) *De literis Papæ & Cæsaris aliqua.*

Acta legationis, cujus tumultuaria quadam narratione totam anni 1533. historiam absolvere voluit Maimburgius, ex *Sleidano* plenius petere licet, ut & ex *Pallavicino*, quem forte solum noster consuluit. Ante discessum ex conventu Bononiensi Pontifex diploma d. 10. Jan. 1533. ad Ferdinandum Regem & Principes Germanos expedivit, cujus tenorem refert *Pallavicinus Lib. III. cap. XII. §. 5.* Cæsar in eandem sententiam, & quidem, ut *Pallavicinus* notat, eodem die, aut, ut exemplum ab *Hortledero Tom. I. Lib. I. cap. XIII.* relatum ostendit, biduo ante, nempe d. 8. Jan. ad sex Electores, & ad sex Imperii circulos scripsit. Jactat Pontifex molestiam itineris, & quomodo pacis & concilii studio ad colloquium Bononiam profectus esset, necessarium tamen esse ducit, ut ante Concilii convocationem omnium Principum christianorum consensum impetraret. Hanc clausulam, quæ rem in longum mittebat, & voces quasdam Ordinibus ingratas omissas esse, notat *Pallavicinus*, monente Cæsare, in diplomatibus Pontificis ad Principes. In exemplo tamen, quod refert *Hortled. d. lib. c. XIV.* fere eadem leguntur. Cæsar in suis diplomatibus mire extollit Pontificis propensionem ad Concilium, eoque nomine a *Pallavicino d. l. §. 6.* laudatur: scribit etiam, tam diligenter, per Legatos & literas cum aliis Regibus & Principibus agere Pontificem, ut speretur, illorum consensum ante discessum Cæsaris ex Italia secuturum esse; addit benignam ad pacem interea colendam adhortationem. Nescio, cur *Pallavicinus d. l.* scribat, Pontificem saltem ad Ordines Catholicos in Germania scripsisse, & cur *Hortlederus* saltem exemplum, ad Suevicum circulum datum, Germanice versum *d. l. c. 14.* operi suo inseruerit, cum tamen in *Archivo* Vinar. *(Reg. H. fol. 77. n. 25.)* authenticum Pontificis Breve extet, inscriptum: *Venerabilibus fratribus Episcopis, ac dilectis filiis, nobilibus viris, Electoribus & aliis Principibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Civitatibus & Statibus Saxonici circuli, simul ac unicuique separatim.* Nullam hæreseos mentionem facit, sed gratificari se dicit inclytæ nationi Germanicæ, ut Synodum indiceret, quam illa dudum, pro tollendis in sancta religione dissensionibus, optaverit & flagitaverit. Hoc Pontificis diploma insinuatum fuit Electori Saxonico, & ab eo cum protestatione quadam acceptum. Constat id ex literis ejus *ad Landgravium* d. 28. Januarii. Rogatus deinde a Cardinale Moguntino, qui se primarium in Saxonia Prælatum (Archiepiscopatus Magdeburgici ratione) dicebat, autographum illi misit, idque d. 14. Februarii recepit. Divisi autem jam tum erant circuli Saxonici, nec ad superiorem, sed ad inferiorem pertinet Archiepiscopatus Magdeburgensis. Quod legationem attinet, nemo eam fidelius enarravit, quam *Sleidanus Lib. VIII. p. 229. sqq.* Deprehendent id omnes, qui conferre ejus relationem cum propositione Legatorum, & responsis Electoris & fœderatorum velint, quæ in Archivis servantur, & ex parte *Tom. VI. Alt. fol. 123. & seqq.* ut & ab *Hortledero d. Lib. I. cap. XV. & XVI.* edita sunt. Præfatus est in illa Lutherus multa cum modestia: ait fuisse quidem, qui de Pontificis assensu dubitarent, & reprehendit acta concilii Constantiensis, laudat tamen Cæsarem optimum, (den frommen Käiser) qui consensum a Pontifice impetraverit, certis quidem cum conditionibus, neque Pontificis ulla cum insectatione meminit. Interim omnes Christianos adhortatur ad preces ad Deum faciendas, ut successum largiatur Cæsaris & Principum intentioni ad cogendum Concilium, quo capita religionis primaria recte constituantur & abusus tandem aliquando corrigantur. Obsecutus ita est Electori, preces tales publice imperanti, ut paulo post percipiemus. Advenerunt autem *Ugo Rangonus*, Comes, Episcopus Regiensis & Princeps ac Nuncius Apostolicus, & *Lambertus a Briaerde*, Orator Cæsareus & suæ Majestatis supremi Consilii præsidens (hos titulos ipsi in subscriptione sua exprimunt) Vinariam d. 2. Junii, non tamen eo, ut *Pallavicinus Lib. III. cap. XIII. §. 4.* memorat, sed sequenti, qui erat Martis, in festo Pentecostes, auditi sunt. Rangonus literas fiduciarias, a Pontifice d. 20. Februarii Bononiæ datas, habebat, forma patenti, sex Electoribus nominatim, omnibus & singulis inscriptas: Briardus Cæsaris diploma Germanicum ad omnes Imperii Ordines d. 21. Februarii datum. Vocatur in hoc *honorabilis & doctus* (der ehrsame und gelehrte) *Consiliarius & supremi Senatus Mechliniensis Præses.*

Lutheri in ea præfatio.

(3) *Legati Vinariam veniunt.*

(2) *Sleidani relatio ex Actis legationis defenditur.*

ADDITIO.

(a) *Literæ Pontificis ad sex Electores.*

Ex *Archivo* Vinariensi (*Reg. H. f. 80. n. 27.*) exhibebimus exemplum credentialium, quas vocant, Pontificis, sex Electoribus, ut diximus, inscriptas, nempe *Alberto* Moguntino, *Hermanno* Coloniensi, *Johanni* Trevirensi, *Ludovico* Palatino, *Johanni Friderico* Saxoni, & *Joachimo* Brandenburgico.

Dilecte fili noster, & venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi indici expectantes responsum a Christianis Principibus, quibus mentem & voluntatem nostram, de indicendo universali concilio, iteratis literis significavimus, quemadmodum proxime ad vos scripsimus, interea etiam hujusmodi actione supersedere debuissemus: tamen, cum & crebra instantia Serenissimi Cæsaris, & vestro inprimis officio ac desiderio istam inclytam nationem tranquillam & pacatam, pristinæque pietati restitutam videndi urgeamur, præcurrendum nobis & maturandum in hac re arbitrati sumus, quo interim, dum responsum a dictis Principibus præstolamur, non otiosum hoc temporis spatium nobis effluat, sed in hujus rei præparatione utiliter consumatur, utque, sicut Deum omnipotentem, ita & vos & dictam nationem testes habeamus, nos neque in voluntate neque in diligentia, neque in labore nostro huic rei unquam defuisse. Ut igitur, concedente Domino, ad tam salutarem ac piam universalis Concilii indictionem celerius devenire possimus, decrevimus hanc ob causam, venerabilem fratrem, Ugonem, Episcopum, Rhegiensem, Prælatum domesticum assistentem ac Secretarium nostrum, exhibitorem præsentium, virum nobilitate, ingenio, probitate & doctrina insignem, nostrum & hujus sanctæ sedis Nuncium & Oratorem, istuc mittere, ut cum Serenissimo Rege Romanorum ac vobiscum

cæteris

A. 1533.

cæterisque Germaniæ Principibus & Circulis, ipsum Concilium maxime cupientibus & flagitantibus, de hujus rei tota ratione, ac quo pacto, ubi, & quando, ineundum agendumque sit, pertractet, ut inter hæc, habito ipsorum Principum Christianorum responso, & intellecta eorum voluntate, omnibusque prius consideratis, quæ in simili casu considerari consueverunt, mox rem ipsam cum divini auxilio Numinis aggrediamur. Itaque, cum idem Episcopus Nuncius super his omnibus copiose & particulariter vobis nostro nomine explicaturus sit; tantum vos hortamur, ut dictum Episcopum Nuncium solito, quo cæteros nostros, amore & honore suscipere, & excipi ab aliis curare, ejusque verbis haud aliam fidem nunc & deinceps habere velitis, quam si nos ipsi vobiscum præsentes colloqueremur. Quod a vobis erit nobis gratissimum. Datum in civitate nostra Bononiæ, sub annulo piscatoris, d. 20. Februarii, 1533. Pontificatus nostri anno decimo.

V. Blosius.

(b) *Articuli a Rangono & Briardo Electori traditi.*

Addimus articulos, a Nuncio & Oratore Electori traditos, quos Spalatinus, quem Elector hujus negotii causa Altenburgo celeriter acciverat, sua manu descripsit: *Inprimis universale hoc Concilium, quod indicendum & celebrandum proponitur, liberum sit, & juxta morem Ecclesiæ consuetum, atque multis ante seculis ab initio usque universalium Conciliorum ad hæc tempora observatum, celebretur. Quod ii, qui concilio interesse debebunt, ejus decretis stare & inviolabiliter parere profiteantur & promittant. Quod ii, qui justa causa impediti & interesse non poterunt, suos legitimos procuratores cum sufficientibus mandatis mittant. Quod interim in iis, de quibus in materia fidei apud Germanos est controversia, nihil ab eis prorsus aut innovetur aut attentetur, sed res usque ad decisionem Concilii pacate remaneat. Quod de loco nunc omnes consentiant, in quo Concilium celebrari debeat, alioquin omnis apparatus & labor irritus esset. Et quoniam necesse est, ut locus, ad hoc deligendus, omnibus, ad Concilium conventuris, quoad fieri potest, maxime aptus sit & ad manum; idcirco existimat sanctissimus Dominus Noster, nec absque ratione, unam ex his tribus civitatibus, id est, Mantuam, Bononiam, Placentiam, omnibus aliis esse præferendam, quarum unaquæque cum tuta, capax, fertilis & salubris sit, vicinitate situs, Germaniæ magis, quam cæteris omnibus Transalpinis nationibus est accommoda. Itaque, quod si forsan (quod non est credendum) aliqui Principes, Potentatus & membra Christianitatis velint tam pio & necessario negotio sine rationabili causa deesse, & hanc Concilii indictionem & celebrationem contumaciter recusare, nihilominus sanctissimus Dominus Noster ad prædicti Concilii indictionem & celebrationem procedet, una cum saniori parte consentiente. Postremo (quod maxime rationabile & æquum est) si qui hoc tam sanctum Concilii opus quoquo pacto impedire, ejusve sacrosanctis decretis non stare, nec parere, aut hac de causa a sanctissimo Domino Nostro deficere, vel in illum sinistri aliquid adstruere præsumerent, ut contra eos & eorum quemlibet reliqui, melius sentientes, & cum illius Sanctitate pro sacro Concilio stantes & concordes illius Sanctitati & sedi Apostolicæ assistant, & totis viribus fideliter faveant & auxilientur. Sæpe dictum autem Concilium sanctissimus Dominus noster postquam de supradictis articulis a Serenissimo Romanorum Rege, Principibusque Germaniæ, ac aliis Christianis Regibus responsum, & (quod sperat) ad vota acceperit, se intra sex menses indictum, moxque intra annum se illius celebrandi initium facturum, profitetur, ita ut &, quæ Concilio necessaria sint, in Civitatem illi deputatam comportari, &, quos interesse oportebit, ii commodissime se ad profectionem parare, illucque ex remotissimis etiam regionibus convenire possint.*

(c) *Responsum Electoris.*

Denique responsum Electoris producimus, *d. 3. Jun.* (non *d. 2.* quem Pallavicinus habet) datum: *Quod concernit Acta Bononiæ inter Romanum Pontificem & sacratissimam Cæsaream Majestatem, de indicenda, congreganda, habendaque Synodo & Concilio universali, tantæ esse Duci Johanni Friderico Saxoniæ, sacri Romani Imperii Electori, voluptati, tanto gaudio, ut nihil neque optatius neque jucundius contingere potuerit. Nam & ipsum quoque in hoc esse, ut ducat, summam & inevitabilem totius christiani orbis & Ecclesiæ necessitatem id postulare. Quod si Deus omnipotens dederit gratiam, ut divinum, ut generale, ut liberum, ut christianum Concilium cogatur atque congregetur, (cujus rei Cæs. Majestas pro singulari sua atque incomparabili clementia, spem hactenus Germanicæ Nationi multiplicem proposuerit,) præsertim, si rite, si pie fiant & gerantur omnia in Concilio, & ejusmodi sit, in quo verbum Dei judicet, sicut Christus ipse dicit, Joh. XII. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die; non dubitare Principem Electorem Saxoniæ, Deum, ut Patrem, misericordiarum, ut Deum omnis gratiæ & solatii, id gratiæ, id successus daturum Synodo, ut in ea, rebus omnibus feliciter compositis, omnia & schismata & gravamina ad veram unitatem, simul & pacem atque tranquillitatem commutatione & metamorphosi felicissima vertantur. Hoc quoque ipsum Principem Electorem Saxoniæ oraturum, & curaturum atque mandaturum, in Ecclesiis suæ ditionis pie & sedulo orandum. Haud dubie præstiturum Deum Patrem illum optimum cælestem, toties pollicitum, in filii sui Jesu Christi nomine petentibus nihil negaturum, nihil non daturum. In hanc rem, quicquid etiam ipse Elector Saxoniæ per se poterit efficere, vel apud conjunctos Sacri Romani Imperii Principes, Comites & reliquos Status Germanicæ Nationis studio, autoritate, consilio, fortunis adjuvare, summa cum animi hilaritate simul & alacritate, ita facturum, ut in ipso Electore Saxoniæ hac in parte nihil temere possit desiderari. Esse etiam Electorem Saxoniæ ex animo propensum, statim ad relationem Romani Pontificis & Cæsareæ Majestatis Oratorum respondere finaliter. Cæterum ipsis haud obscurum esse, ut Principes & Comites, ita & Civitates & Status sacri Romani Imperii Germanicæ Nationis nonnulli, sese propter doctrinam & verbum Domini in æternum manens, quod Illustrissimus Princeps Johannes Elector Saxoniæ, beatæ memoriæ, pater ipsius amantissimus, anno ab hinc tertio coram sacratissima Cæsarea Majestate sub Comitiis Imperialibus Augustæ una cum suis publice confessus est, & ipsi Patri, & Filio, nunc Electori Saxoniæ, conjunxerint; cum quibus etiam Filius, jam Elector Saxoniæ, hac in re nunc sentiat. Sine horum conjunctorum, & Principum, & Statuum consensu & deliberatione Principi Electori Saxoniæ non convenire, ut finale, quod vocant, det responsum; immo etiamsi daret, (ut vel ipsi quoque Oratores facile conjectura possent assequi) causæ minime profuturum, nisi ab ipsis conjunctis responsum concors, & unanimi consensu eorum communicatum, universim detur. Verum hoc Electorem Saxoniæ Oratoribus nolle celatum & suppressum: cum superiore hyeme ex literis tum Pontificiis, tum Cæsareis e Bononia scriptis, spes esset facta Statibus Germanicæ Nationis de futuro Generali Concilio, & mittendos esse nonnullos; convenisse inter ipsum Electorem Saxoniæ & Conjunctos, ut Conventum, uti ob alia, ita ob hanc quoque causam, statim post D. Johannis Baptistæ natalem proxime futurum sint habituri, inter alia etiam, quid in hac causa ad Romani Pontificis & sacratissimæ Cæsareæ Majestatis literas respondeant, tractaturi. Itaque Electorem Saxoniæ amanter & petere & rogare, ut quicquid id esset moræ, æqui bonique consulerent. Siquidem ipsum, id temporis, relationem Oratorum suis Conjunctis fideliter notificaturum, daturumque operam, ut tum concors & Christianum dent responsum universi, vel missis, qui hæc coram referant, vel datis literis quæ id doceant. Quapropter Electorem Saxoniæ hoc petere, ut Domini Oratores ipsum certiorem faciant, ubinam illis ipsis diebus ad S. Johannis Baptistæ natalem ipsos possint assequi atque invenire; aut saltem, ut ipsi Oratores feria quarta, feria quinta, vel feria sexta post diem S. Johannis Baptistæ, hoc Smalcaldiam Electori Saxoniæ & D. Philippo Landgravio Hassiæ, ubi tum sint futuri, Deo volente, sive scribant, sive nuncient. Nam Electori Saxoniæ hanc esse mentem, hanc voluntatem, Deo autore, Deo adjutore, sic agendi, sic gerendi omnia, ut non solum præsentes, sed etiam posteri re ipsa sint intellecturi, sicut hactenus habuit, ita*

A. 1533.

A. 1533.

etiam posthac per reliquum ætatis habiturum, nihil potius, nihil antiquius, primum, puro, salutari & beatifico Dei verbo & vera religione: deinde pace, quiete & tranquillitate, non solum Germanicæ Nationis, sed etiam totius Sacri Romani Imperii & Ecclesiæ atque totius orbis Christiani; demum etiam cumprimis obedientia, officio & reverentia erga Magistratum & Superiorem suum a Deo ordinatum, Sacratissimi Romani Cæsaris Imperatoriam Majestatem, ut Dominum suum clementissimum. Postremo Romani Pontificis & Cæsareæ Majestatis Oratores rogaverunt, ut simul atque Princeps Illustrissimus, Elector Saxoniæ, collocutus cum suis conjunctis & Principibus & Statibus responsum concluserit, communi eorum omnium consensu dandum, ut sive Nuncio & Legatione in hoc missa, sive alioquin fieret, nihilo tamen secius descriptum ipsis Oratoribus mitteretur. Cui petitioni Oratorum Princeps Elector Saxoniæ etiam locum dedit & annuit. Actum Vinariæ, Feria quarta Pentecostes (3. Jun.) Anno Domini M. D. XXXIII. Sleidanus inter adventum Legatorum & datum iis responsum dies aliquot interponit; sed acta ostendunt, sequenti post propositionem die responsum datum fuisse. Oratoris etiam Cæsarei nomen reticet *Sleidanus*, quod nos supplevimus.

(d) *De itinere & receptione Legatorum quædam.*

Ex *Actis* authenticis de itinere & receptione legatorum, & de stylo literarum haud injucundum erit quædam percipere. Legati prius Dresdam ad Georgium Ducem venerant, qui etiam pro eorum exceptione ad agnatum Electorem scripsit, & come responsum tulit; ipsi vero literis ad eum d. 24. Maji datis, diploma securitatis petunt, idque se expectaturos esse *Rochlitii* (in ditione Georgii) dicunt. Respondit Elector benignissime, titulos *Reverendi, Generosi & Nobilium* illis tribuens, mittitque, quod desiderabant, diploma. In hoc *Rangonum* vocat *Reverendum in Domino* (den Ehrwürdigen in GOtt / qui Episcoporum titulus consuetus erat) & Oratori Cæsareo præponit: mandat Præfecto Altenburgensi, ut adjuncto sibi Consiliario Electoris, *D. Philippo Rosineccero* Tridentino, (qui linguarum peregrinarum peritus erat, & Altenburgi degebat) Legatos in confinio exciperet, in arcem Altenburgensem deduceret, & honeste haberet. Inde Vinariam pari cum humanitate deducti sunt. Excepit eos oratione latina *Magnus*, Henrici Meckelburgici Ducis filius adolescens, qui apud Electorem educabatur, ut *Chytræus* notavit *lib. XIII. f. m. 398.* Expeditis, quæ in mandatis habuerant, Halas ad *Albertum* Cardinalem sunt profecti. Ex illa urbe d. 8. Junii ad Electorem scribunt, laudataque ejus perspecta nuper benignitate, novas securitatis literas poscunt, quibus muniti VVittenbergam aliaque Electoralis territorii loca, in itinere, ad Electorem Brandenburgicum instituto, transire possint. Annuit Elector humanissimis literis Lochaviæ d. 9. Junii datis, & quamvis prius, quod acceperant, diploma sufficere diceret, novum tamen mittit, omnemque favorem ad negotia eorum promovenda, ut Vinariæ fecerat, denuo pollicetur. Jussit etiam Præfectum VVittenbergensem, ut idoneo cum comitatu Legatos in finibus exciperet, & Bitterfeldæ atque VVittenbergæ in arce honestum hospitium illis præbeat. (gute ausrichtung thun) Per eundem monet Rectorem & Senatum VVittenbergensem, ut serio provideant, ne Legatis aut eorum comitibus ulla fiat molestia. Devincti hac urbanitate Legati d. 15. Junii sequentem ad Electorem epistolam VVittenberga scribunt:

(e) *Eorum literæ ad Electorem Saxoniæ.*

Excellentissime ac Illustrissime Princeps.

Sicut Celsitudinis Vestræ beneficentia in nobis omni officiorum genere ornandis nescit exarescere, immo vero indies magis efflorescens, ad eum officiorum cumulum, qui nulla cujusque opera augeri posse videbatur, semper aliquid convehere studet; ita nos, qui ob priora illa, quæ Vinariæ a Celsitudine Vestra nobis collata sunt, lubentissime illi multum debebamus; nunc ob posteriora hæc eidem plurima debere non recusamus. Atque utinam quantum officii ex quadam animi nostri ingenuitate accipere potuimus, tantundem referre gratiæ nobis per nostram tenuitatem liceret. Sed quando, Illustrissime Princeps, ea fuit Celsitudinis Vestræ in nos humanitas, ut nullis rebus, & hoc præsertim tempore, illam remunerari possimus; gratias quas possumus maximas agimus, studiumque nostrum, operam, diligentiam, cum illa Celsitudini Vestræ usui esse poterunt, illi pollicemur. Bene valeat Celsitudo Vestra. Ex VVittenberga, decimo quinto Junii M. D. XXXIII. Subscriptum est utriusque manu.

A. 1533.

(f) *Lutheri de Legatis literæ.*

Inseri hic meretur brevis Lutheri ad *Hausmannum* epistola *MS.* ex *Bibliotheca Jenensi* altero post Legatorum discessum die, 16. Junii data: *Non vacabat nunc, mi D. Nicolae, prolixius scribere, ob præsentiam nostri Principis illustrissimi, coram quo concionandum est quotidie, & simul tractandum de responso dando Apostolicis nunciis & Cæsareis, per quos Papa detulit nobis articulos quosdam de Concilio celebrando, scilicet ut agatur in eare secundum suum placitum & more priorum Conciliorum, hoc est, in quo damnemur & comburamur, sed verbis lubricis & tali Pontifice dignis. Reddemus autem ei verba & nobis & ipso digna.* es sind doch buben in der haut / und bleibens auch. *Sunt hic honorificentissime tractati, non propter Papam, sed Cæsarem, cujus nomen omni reverentia cultum, Papæ autem nomen nullo honore affectum. Non sunt mihi & Philippo aut ullo nostrum locuti. Quid enim latronis & homicidæ nostri minister audiret & loqueretur?*

Posthæc, cum ex conventu Smalcaldico Elector suum & sociorum responsum Briardo, ut constitutum erat, transmisisset, hic non minus officiose respondit, ut ex epistola, quam subjicimus, patet.

(g) *Epistola Briardi ad Electorem.*

Accepi jamjam, Illustrissime Princeps, responsum Vestræ Excellentiæ, subsignatum etiam per alios nonnullos Principes, circa negotium, quod Reverendissimus Dominus Episcopus Rhegiensis & Nuncius Apostolicus, & ego nomine Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis Vestræ Celsitudini, cum VVimariæ essemus, communiter exposuimus; quod quam fuerit mihi gratum, non possem satis explicare. Verebar enim, ne diversitas itinerum fefellisset & tabellionem & me, ex quo non parvum incommodum accidisset. Ille enim, omissis omnibus molestiis, difficulter potuisset illud ad me deferre; ego vero hæsitassem, quonam modo suæ Majestati satisfecissem. Verum hæc omnia discrimina nunc Deo annuente depulsa sunt. Curabo igitur, Princeps Illustrissime, hoc responsum, quanto citius fieri poterit, ad suam Majestatem transmitti. Exemplar vero illius mittetur prædicto Nuncio, ut & ipse certiorem de eo reddere possit S. D. N. (id est, *sanctissimum Dominum nostrum.*) *Bene valeat Illustrissima Vestra Excellentia, quam Deus Optimus Maximus diu nobis servet incolumem. Raptim ex Flonem d. 22. Julii 1533.*

Illustrissima Vestræ Excell. H. S. id est, *humilis servitor.*

Subscriptum manu *Briardi.*

(h) *Consilia Lutheri, Vici, Osiandri & Regii de illa legatione.*

Certatum esse apparet urbanitate inter Legatos & Electorem; nec laude privanda est hujus prudentia, qui spe concordiæ, vel ut Pontificis comitatem, qua edicta in fautores Lutheri publicata dissimulabat, compensaret, insignia humanitatis officia non intermisit. Contulit ad hanc moderationem aliquid Lutherus ipse, ut ex allegatis & *Tomo VI.* insertis ejus scriptis constat. Extat etiam *dict. Reg. H. f. 80. n. 27.* Melanchthonis autographon ad conventum Smalcaldicum missum, in quo lenitatem suadet, ita tamen, ut & fraudem indicet, quæ in verbis Pontificiæ propositionis latere videbatur. Asservata est in eodem *Archivi* fasciculo consultatio *D. Joh. de Vico*, (von der Wick) Syndici Bremensis, in qua multis rationibus demonstrat, Pontifici & Clero Romano judicium & decisionem in Concilio deferri non debere, sed arbitriis committendam esse. *Andreas Osiander*, tunc Norimbergensium Ecclesiastes, solvendos esse statuit Prælatos juramento, quo Pontifici obstringi solent, & tollendum præjudicium recentiorum conciliorum, modumque deliberationis & suffragiorum v. g. Concilii Constantiensis, in quo cœco impetu scholasticis opinionibus indultum esset, & numero suffragiorum, ut & per delegatos decreta condita fuerint, secuto cæterorum im-

A. 1533.

improvido assensu per formulam, *placet.* Liberam disquisitionem instituendam esse contendit, quæ sit conciliorum autoritas, & firmiter asserendum, illam non nisi a Scriptura sacra dependere. De securitate quoque Legatorum & Theologorum, quos Protestantes ad Concilium missuri essent, non parum sollicitus est, timens, ne Pontifex, jure supremæ potestatis, quod sibi vindicat, omnem fidem rumpat, obsidibus itaque cavendum esse existimat. Reperitur etiam eodem loco *Urbani Regii* consilium, in quo non solum, quod alii observaverant, periculum ex ambiguitate Pontificiæ propositionis ostendit, sed etiam indicat, Protestantibus Concilio nihil opus esse, qui capitales articulos religionis jam teneant, & Augustæ professi sint, qui nulla refutatione convelli possint; ideoque aliam utilitatem a Concilio ipsis expectandam non esse, quam ut occasionem habeant, veritatem denuo profitendi, & si fieri possit, cedendo circa ceremonias, quantum salva fide fieri possit, concordiam promovendi, & charitatem exercendi. Percurrit inde reliquos a Legatis propositos articulos, eosque omnes eo tendere satis libere indicat, ut utilitas & autoritas Sedis Romanæ, pro antiquo more suo, secularis potestatis viribus subnixa, conservetur, nec majorem de emendatione ejus spem habet, quam Propheta *Jer. XIII.* de Æthiope cutem mutaturo ostendit.

(4) *Defenditur responsum Electoris, Legatis datum, a cavillis adversariorum.*

Litigat *Pallavicinus d. c. XIII.* §. 4. cum *Paulo Veneto*; levi quidem de causa, quod Rangonum irridere videatur, quia Electorem, post audita quæ proposuerat, deliberationis spatium petentem, inepta urbanitate collaudaverit, & ex responso postea accepto bonam spem conceperit. Sed operosior est in suggillanda responsione, quæ Smalcaldiæ die ultimo Junii (non *Julii*, ut ipse & ex eo Maimburgius scribit) data fuit. Eandem insectantur veteres calumniarum architecti *Cochlæus* & *Surius*, & cum his concinit hic Maimburgius, qui responsum illud eo dicit pertinuisse, ut Protestantes se pro Concilii judicibus ferrent, & Scripturam suo sensu interpretari vellent. *Surius* etiam tam impudens est, ut sine ulla ratione *Sleidanum* hic mendacii accuset, indignans, quod historiæ suæ voluptate hæreticis dogmatibus lectores incautos imbuat. Neque tamen ullum verbum *Sleidanus* refert, quod non cum responso Fœderatorum exacte congruat, neque historici officium præstitisset, celans & prætermittens, quæ publice acta sunt. Vellent scilicet isti, ut aut plane omitterentur, aut non nisi jejune aut maligne (ut ab ipsis fieri solet) referrentur, quæcunque pro se attulerunt nostrates: ignobili profecto conatu, & iniquo disputandi genere, quod causæ debilitatem prodit, quæ lucem fugit, & adversæ partis argumenta non audet ingenue producere. Suam vero epicrisin Maimburgius ex *Cochlæi* lacunis hausit: is enim in relatione responsi Smalcaldiæ dati, de Spiritu sancto per Concilium & Pontificem oracula pronunciante, suo more philosophatur, & Scripturam, ut mutam literam, respondendi facultate spoliat. Liceat mihi flosculos, historiæ ejus insertos, huc transferre, non quod id mereantur, sed quod a recentioribus similes quotidie obtrudi soleant. Scribit autem

(5) *Cochlæi paralogismus de judicio in controversiis fidei & Scriptura refellitur.*

f.258. ostensurus scilicet, quod judicium a Scriptura non possit peti: *Quando clamant Lutherani sensum suum, circa verba:* hoc est corpus meum, *esse verum; contra vero clamant alii hæretici, ut Zuingliani, suum esse veriorem, Catholici vero reclamant utrisque; quis hic quæso eloquatur sententiam? Nemo profecto justius, quam summus Pontifex aut generale Concilium.* Addit, quæ jam dixi, de muta Scripturæ litera, & citat *Deut. XVII. 9. Malach. II. 7. Matth. XVIII. 17.* de judicio Sacerdotum & Ecclesiæ. Quam vero tunc fœderati postulaverint, aut nostrates hodie prætendant, ut nemo loquatur aut pronunciet. Quis enim unquam tam insulsus fuit, ut alio modo, quam per discursum, vel in scriptis, de religione disquiri posse existimaverit? De hoc nemo dubitare poterat, sicut nec de eo, quod in controversiis audiendi sint Doctores Ecclesiæ. Quæstio erat de norma judicii & censuræ, sive: num ad certos & fundamentales fidei articulos probandos allegari debeant clara & liquida, ubi extant, verba Scripturæ, & valida argumenta ex iis deducta; an vero Patrum, quos vocant, aut Scholasticorum singulares opiniones, & his innitentia Pontificiorum & Conciliorum decreta? Volebat autem Lutherus, & quicunque cum eo sentiebant, ut ex Scriptura absque cavillatione & detortis interpretationibus, integre & ex genuina sede, ubi tractatur materia, prolata dicta & argumenta cuicunque autoritati & numero Pontificum, Conciliorum & Doctorum prævalerent: v. g. (ut in adducto a *Cochlæo* exemplo subsistamus) de præsentia reali corporis Christi disceptantibus sufficere poterant clara trium Evangelistarum & D. Pauli, de institutione sacræ Eucharistiæ ex proposito scribentium, verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; & sic secundum Lutheri sententiam judicari ab omnibus non præoccupatis debet, quod per illa asseratur & credenda sit vera & substantialis præsentia. Sed neque plus neque minus ex illis elici & Ecclesiæ obtrudi fas est: non annihilationem illam panis & vini sive transsubstantiationem in cerebro Scholasticorum natam; neque figuratam illam repræsentationem aut significationem, ad quam Zuinglius aliique nulla necessitate confugiebant. Ineptius est *Cochlæi* alterum exemplum, cum dicit: *Si Apostoli Actor. XV. decidentes, circumcisionem gentilibus injungi non posse, tam pervicaces & rebelles* (agnoscimus modestiam hominis) *adversarios habuissent, quales sint Lutherani; tunc futurum fuisse, ut ab Apostolis postulassent dictum Scripturæ, quæ decernat, ne circumcidantur gentes.* En improbitatem aut stultitiam hominis, in re gravissima ludentis! Quis enim, nisi insanus, in quæstione illa probationem negativæ poposcisset? Disceptabatur, an circumcisio Græcis aliisve gentilibus ad Christum convertendis necessaria esset? Id affirmabant aliqui ex Judæis ad Christum conversis, & Pharisaismi præjudicio occupatis. Hi igitur probare debuissent ex Scripturis, præceptum esse, ut non solum Judæi, sed omnes gentes etiam Novi Testamenti tempore circumciderentur. Hoc cum producere nequaquam possent, etsi contrarium non fuisset demonstratum, causa tamen utique cadebant: ceciderunt autem tanto manifestius, quia ex aliis Scripturæ locis evidens erat, legem illam ad Israelitas & ad Veteris Testamenti tempus restrictam esse; nemini vero in mentem venire poterat, ut dictum Scripturæ exigeret, quo vetaretur gentilium circumcisio. Nugas igitur agit *Cochlæus* in adducto exemplo isto suo; easdemque strenue agunt omnes, qui haud meliori

(6) *Exemplum de præsentia reali.*

(7) *Item de circumcisione.*

A. 1533.

(8) *Notantur Maimburgius & Pallavicinus, de autoritate Papæ, Concilii & Patrum disputantes, & Protestantium postulata & desideria defenduntur.*

fide, aut argumentandi ratione nobiscum hodie disputant.

Iniquum quoque est Maimburgii judicium & impertinens, cum ex Protestantium responso argumentatur, *voluisse eos suo solum sensu Scripturam interpretari.* Mentem suam secuto tempore, editis publice causis, propter quas concilium Tridentinum recusarint, ulterius declararunt. Sed nunc illud modo responsum, quod Legatis dederunt, & quæ Lutherus tunc de concilio privatim monuit, (*Tom. VI. Alt. fol. 130. & seqq.* relata) considerabimus. Urgebant, tale se Concilium statim ab initio motæ controversiæ postulasse, neque aliud in comitiorum Norimbergensium decretis intelligi, quam in quo secundum Scripturam divinam, non autem ex decretis Pontificum & opinionibus scholasticorum decideretur. Igitur subtilior Cochlæo *Pallavicinus* non negat *d. cap. XIII. §. 7.* præferri debere Scripturæ sacræ definitiones Pontificum placitis & scholæ opinionibus, immo Pontificem talem esse desinere, si contra Scripturas doceret, & scholasticos id facientes nomen suum amittere; concedit etiam in locis Scripturæ apertis nulla Concilii cognitione opus esse. At injuriam eandem Protestantibus infert, quam Cochlæus & Maimburgius, cum dicit: Protestantes ex sua libidine suas interpretationes adstruere voluisse; dein principium petit, cum eos ideo condemnat, quod in locis Scripturæ non apertis, suas interpretationes anteferre voluerint declarationibus interpretis legitimi a Deo constituti, id est, Pontificis, & Doctoribus, qui ex peculiari lumine in Scripturas commentantes, tandem Ecclesiæ consensum constituant sive enuncient. Priori imputationi satisfactum est per ea, quæ Cochlæo responderi possunt: neque enim verum est, quod ex libidine sua, aut mero arbitrio obscura loca Scripturæ interpretari voluerint Protestantes; libera modo suffragia & bonas interpretationis leges præsupponebant, de quibus si mens adversariorum non læva fuisset, conveniri potuisset. At reliqua non nisi merita sunt postulata. Negabant enim jam tum Protestantes, & hodie pernegant, Pontificem esse judicem a Deo constitutum, Patres & Doctores peculiari lumine ita explicasse Scripturas, ut eorum opiniones pro consensu Ecclesiæ haberi debeant; immo ne Ecclesiæ quidem consensum infallibilem admittunt, ad capita fidei definienda, nisi fundamentum in Scriptura apertum & solidum habere deprehendantur. Quapropter, ut absque circuitu dicatur, quod res est, & quod jam illo tempore judicarunt Protestantes, neque hodie aliter judicant, nulli sunt articuli creditu necessarii, nisi qui ex disertis Scripturæ sacræ verbis, aut legitima consequentia stabiliuntur: & talia fidei capita non tam definienda sunt in Conciliis, quam confitenda. Quando igitur in confessione errarunt Pontifices, & numerosi Episcoporum consessus, (quod factum esse, vel ex historia Arianismi & Monotheletarum constat) id inde factum est, quod clara Scripturæ verba, & solida argumenta opinionibus suis aut Principum autoritati posthabuerint. Hæc de præcipuo illius controversiæ cardine, de norma nempe conciliorum, occasione censuræ Maimburgianæ per modum digressionis afferre libuit. Principum sententia ex ipso responso satis cognoscitur, ut mox pluribus dicemus.

A. 1533.

§. XVIII.

(1) *Contenta responsi Smalcaldiæ dati.*

Ad articulos pontificiæ propositionis (post exordium, in quo desiderium Concilii liberi & in Germania habendi testantur, & de præjudicio ex *Bulla* Leonis causæ suæ illato queruntur) generatim, aut potius ad primum saltem & secundum, ut & *Pallavicinus* observavit, tanquam præjudiciales respondent. *Primus erat, ut concilium sit liberum, celebreturque more ab Ecclesia usurpato inde usque ab initio universalium conciliorum, ita Pallavicinus d. c. XIII. §. 1.* Negarunt autem, ex articulo illo se certi aliquid percipere de forma concilii, an nimirum Scriptura normæ loco futura sit, an Pontificis potestas, & introductæ per vim traditiones; verba itaque illa *de more usitato*, captiosa esse. Alium enim olim conciliorum habendorum morem fuisse, alium postea invaluisse. Suspicari se autem, Pontificem recentiori insistere, ut sua autoritate & potestate omnia agere possit, eo enim tendere *alterum* ejus postulatum: ut *omnes obstringantur ad servanda, quæ in concilio determinabuntur.* Rogare se itaque Cæsarem, ut, pro officio suo, cum Papam hic sua commoda sectari cernat, talem Concilio modum ponat, ut secundum verbum Dei decernatur, neque Papa simul pars & judex sit; id expectare omnes nationes, neque enim a multis seculis majoris momenti controversias agitatas, neque graviores abusus deprehensos fuisse, quam nunc contra Evangelium & contra gratiam Dei & gloriam Christi conspiciantur. Hos si tueri velit Papa, & judicium secundum normam verbi Dei declinare, longe majores turbas orituras esse. Incumbere enim omnibus, ut, cessante Papa, ipsi reformationem instituant, se vero a vera & sincera Evangelii doctrina desistere non posse, etsi a Pontifice & ejus factione condemnentur. Eo casu Deo & toti Ecclesiæ Christianæ rem se committere, & quæ Deus destinaverit, expectare, spe fretos, Evangelium verum & sincerum nihilominus ex promissione divina conservatum iri. Addunt tamen hic (quod ne *Pallavicinus* quidem retulit) etsi Concilium eo, quo vult Pontifex, modo habeatur (quamvis meliora a Cæsaris providentia sperent) se tamen, si salvo conductu sufficienti muniantur, & deprehendant, se ad gloriam Dei & verbi ejus aliquid conferre posse, Concilium nihilominus esse adituros, aut Legatos missuros, qui desideria sua proponant; neque tamen obligari se Concilio illo, ad intentionem Pontificis instituto, velle, & adversus omnes novationes protestari. Quemadmodum enim legitimum & liberum concilium, in quo conscientiis consulatur, & gloria Christi extollatur, & pax atque concordia Christiana constituatur, non sint recusaturi, ita vehementer aversaturos se tale, in quo Pontifex immodicam potentiam suam, impiam opinionem, & cultus non Christianos, viribus Cæsareis atque aliorum potentatuum sit stabiliturus, & absque sufficienti causæ cognitione judicaturus. Concludunt precibus ad Cæsarem, ut liberum concilium in Germania procuret, in quo per mediatores pios & non suspectos, secundum verbum Dei decerneretur,

(2) *Ejus conclusio & curialia.*

A. 1533.

neretur, ad finem supra dictum, non vero ad sævitiam, contra pios Evangelicæ doctrinæ confessores, quæ ab aliquot annis a quibusdam exercita fuerit, confirmandam. Sicut autem initio hujus responsi titulum & allocutionem conceperant, ad *Magnificum & Reverendum*, & ita Oratorem Cæsaris Legato Pontificis præposuerant, ita in fine & ubicunque aliquid petunt, ad solum Imperatorem verba dirigunt; subscripserunt etiam, omissa Pontificis mentione: *Cæsareæ Majestatis subjecti & obedientes Principes, Johannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, Ernestus Dux Brunsuicensis, Philippus Hassiæ Landgravius, cum aliis Principibus, Comitibus & Civitatibus, qui in responso hoc nobis adstiterunt.*

(3) De jure Pont. ... in Conciliis.

Hæc licet pleraque, multa etiam prolixius, a *Sleidano*, ut dixi, eadem fide relata sint; repetenda tamen quoad sensum hic omnino esse judicavi, ob summum quod in hac causa vertitur, momentum. Laborat *Pallavicinus*, quantum potest, ut postulata Pontificis de Concilio ex veteri more habendo defendat, & injustitiæ convincat Protestantes, quod Pontifici jus præsidendi denegaverint, ab omni tempore, & in vetustioribus non minus quam in recentioribus conciliis, ut putat, exercitum. De recentioribus nemo contradicit; at de antiquis non usquequaque clara res est, & sunt hoc tempore in Gallia earundem partium Theologi, qui dubitant aut contrarium asserunt, & quidem de concilio *Nicæno*, omnium illorum, quæ Oecumenica vocantur, primo, in quo præsedisse statuunt *Hosium Cordubensem*, non, ut fingunt alii, vice Romani Pontificis, sed suo merito, & Imperatoris ac Synodi consensu. Videatur *Du Pin Tom. II. Bibliothecæ Ecclesiasticæ* anno 1687. Gallice editæ. Sed sint ista, ut sunt; de Protestantibus nobis sermo est, quid tunc de ista quæstione senserint. Verba autem eorum recte considerantes vix, puto, deprehendent, quod simpliciter Pontifici jus præsidendi abstulerint: immo deferre potius videntur, dummodo de norma judicii, & de libertate suffragiorum, ante omnia securi esse possent. Sciebant quidem doctiores, neque negari id absque cavillatione potest, alium convocandi & indicendi concilii morem fuisse, cum Imperatores Christiani plerisque regnis, quæ nunc Christianismum profitentur, imperarent, alium vero per necessitatem invaluisse, avulsis illis regnis, & in arctum redacta Imperatorum potestate, aucto vero Pontificum axiomate: unde factum, ut, nisi Pontificum opera, concilia indici nunc facile non possent, Regibus obsequium Imperatori non deferentibus. Non impugnabant itaque, quantum ex illorum scriptis tunc editis colligi potest, qualecunque officium Pontificum, sed præjudicium, quo teneri eum cernebant; metuentes, ne potestatem suam universalem & monarchicam, suorumque decretorum autoritatem, ante omnia in Concilio stabilitum iret. Licet enim id apertis verbis non postularet, immo in articulis ne nominetur quidem Pontifex, quod adversus Protestantes *Pallavicinus* (frustra quidem) urget; ita tamen compositus erat articulus postulatorum Pontificis primus, ut ad omnia ejus postulata trahi posset: quapropter explicationem ejus operose in responso exigunt, simul tamen interpretationem, quæ sibi nocebat, rejiciunt, & eo ipso indicant, se alteram non esse recusaturos, nempe, si Pontifex intra terminos præsidis se contineret, & de suis quoque defectibus libere & ex verbo Dei judicari pateretur, ad quod obligari eum credebant ex disciplina christiana & ecclesiastica, neque hoc officere dignitati primi loci, quem, cæteris paribus, inter orbis christiani episcopos illi non invidebant. Lutherus ipse in consultatione, quæ *fol. 130. b. Tom. VI.* legitur, non aliter sensisse deprehenditur. Scribit enim: *Si articulus primus Pontificis* (de more habendi concilii) *clarus esset, & constaret, concilium eum habiturum secundum verbum Dei, quantum ad me, nullum dubium esset, quin statuerem comparere, & obedire, & decreta exequi nos debere.* Patet hinc, quod Pontifici non denegaverit absolute jus convocandi, proponendi, concludendi, quod legitimo conciliorum præsidi competit; sed postea satis mascule subjungit, articulum illum veteratorie conceptum esse, ut partim angelicus, partim diabolicus sit, probandus nempe & acceptandus, si pertineat ad morem veterem, præsertim Apostolorum, *Act. XV.* qui concludebant ex verbis & operibus Dei; respuendus vero, si innuat morem recentiorem, qui servatus fuerit Constantiæ, Basileæ, Pisis, & tandem Romæ in Laterano. Si enim hoc velit Pontifex, tunc non opus esse Concilio, sed tantum prælectione decretorum, in proximis istis comitiis conditorum, & Bullæ, anno 1520. contra se publicatæ. Latius & acrius eadem in secunda consultatione deducit *fol. 131.* Præsupposita autem Concilii libertate & methodo secundum verbum Dei, omnes articulos postulatos (quorum *sedecim*, nescio quare, numerat) accipiendos esse, ut criminatio vitetur, ac si Lutherani omnem recusent cognitionem. Caveri hoc etiam petunt cum Luthero *Justus Jonas, Pomeranus*, & *Melanchthon fol. 132.* ubi simul dissuadent, quam aliqui faciendam esse putabant, convocationem concilii oppositi, sive contrarii: eam enim ob interna Protestantium dissidia, & temporis ratione, nequaquam expedire judicant. *Cochlæus*, (quod Pallavicinus dissimulavit) responsum Principum ideo etiam reprehendit, quod Imperatorem Pontifici, ut supra notavi, præposuissent. Sed hominem hunc stomachantem ad Fridericum I. Imperatorem deducendum esse putat *Hortlederus in not. ad exord. Tom. I. Lib. I. cap. XVI.* cujus responsum ad Adrianum IV, primum locum adversus Imperatorem sibi asserentem, Principes Protestantes allegarunt in recusatione Concilii Tridentini, anno 1564. publicata, apud *Hortled. Tom. I. Lib. I. c. XLVII. n. 181.*

(4) Protestantium intentio explicatur.

(5) Lutheri eadem de re sententia, & collegarum ejus.

(6) Notatur Cochlæi bilis, ratione prærogativæ Imperatoris præ Papa.

ADDITIO.

(a) Querelæ Protestantium de judicio Camerali.

Ad acta conventus Smalcaldici etiam pertinent nova Protestantium gravamina *de Judicio Cameræ Imperialis.* Repeti debet ex Actis anni 1532. (*Reg. H. fol. 74. n. 23.*) promissam a Cæsare fuisse inhibitionem processuum Cameralium in causis religionis & fidei, sic enim cautum erat in formula pacis Norimbergensis. Diligenter inde pro se & sociis solicitavit Cæsarem Elector, literis d. 13. Octobris datis, & designationem istiusmodi processuum, in tractatu Norimbergensi per mediatores Cæsari exhibitam, allegabat. Cum vero

An. 1533.

ro Cæsar eo tempore in Italiam profectus esset, Legatos ad eum expedivit, *Johannem a Planiz* & *Joachimum a Pappenheim* (qui tamen in itinere, ut alibi dictum est, decessit.) Rescripserat quidem Cæsar ante abitum d. 6. Novembris Judici & Assessoribus Cameræ, ut secundum pacis supra dictæ formulam processus suspenderent; sed hi explicationem verborum desiderabant, quæ causæ *religionis & fidei* haberi deberent. Edidit postea Cæsar d. 26. Januarii 1533 Bononiæ aliud ad Camerales mandatum, sed iisdem verbis. Restabat igitur eadem quæstio, an suspendi deberet cognitio in causis, quas vocabant, possessionis, cum Prælati & monachi ejici se quererentur ex bonis suis, aut turbari in exercitio regularum suarum? Desiderabant hoc Protestantes, allegatis multis, de quibus infra dicendi locus erit, rationibus. Renuebant Camerales; & Visitatores, hoc tempore in Cameram missi, Augustanum edictum observandum esse decrevisse, dicebantur. Itum est a Protestantibus ad Mediatores Moguntinum & Palatinum, qui illis adversari non videbantur, & negabant, suis ad visitationem delegatis mandatam fuisse Augustani Recessus inculcationem. Deprehensum etiam est, hos iisdem verbis usos esse, quæ in formula pacis legebantur, & variæ interpretationi subjecta erant. Acerbe interim querebantur de rigore mandatorum Cameralium plurimi, cumprimis *Argentoratenses*, *Constantienses*, *Memmingenses*, qui Syndicum quendam suum *Ludovicum Vogelmannum* ex urbe profugum, & postea reversum, ob seditiosa consilia supplicio affecerant, & *Heilbrunnenses*. Actum itaque est in conventu Smalcaldico, mense Julio, ut conjunctim nomine omnium apud Cæsarem & Mediatores, tum in Camera, causa ista tractaretur: missique sunt Spiram, nomine fœderatorum omnium, *D. Sindringerus*, Saxonicus, & *Johannes Sahlwachter*, Hassiacus Consiliarius, itemque *Jacobus Meyer* Argentoratensis, & *Italus Eberhardi* Ulmensis Senator, nullo effectu. Profuit tamen ista vexatio ad robur fœderis Smalcaldici, majusque studium in tuenda religione, quod huc usque pacis impetratæ fiducia fere elanguerat. In conventu illo querimoniæ auditæ fuerunt quadringentorum utriusque sexus & diversæ ætatis hominum, qui religionis causa ante annos quatuor *Rotwila* urbe ejecti fuerant & miserrime vagabantur: Dein *Lubeccensium*, quibus Cæsar iratus erat ob auxilia Friderico Regi Daniæ contra Christiernum præstita, aliaque ejusmodi. Edidit *de recusatione Judicii Cameralis* isto tempore a Protestantibus facta *Joh. Strauchius* doctissimus Jureconsultus peculiarem Dissertationem, inter eas, quibus controversias illustres superiori seculo scriptis publicis agitatas, anno 1656 exposuit.

(b) *Legatio ab iis Spiram missa.*

(c) *Rotwilensium & Lubeccensium querimoniæ.*

§. XIX.

(1) *De Clementis VII callidis & infidis machinationibus.*

Nihil non affert *Pallavicinus*, ut, Clementis Pontificis animum sincerum ad convocandum concilium fuisse, persuadeat, sed repugnant alii fere omnes ejus temporis scriptores, ingenium ejus satis penetrantes, & *Sleidanus in fine Lib. VIII.* memorat, secretiora mandata a Clemente, *Petro Paulo Vergerio*, quem Legatum apud Ferdinandum Regem habebat, (quia *Rangonus* senior & valetudinarius, nec forte æque intimæ admissionis erat,) data, ut omnibus modis concilii congregationem impediret. Eadem versutia cum Cæsare egit: cum enim is mense Martio hujus anni ex Italia in Hispaniam abiisset, Clemens sub autumnum Massiliam profectus est, neptem suam, Catharinam Mediceam, filio Galliæ regis desponsatam, adducens. Unicus nempe Pontificis scopus erat, nuptias illas perficiendi, ut nuper in *vita Francisci Regis* asseruit *Varillasius Lib. VII.* nec minus delusit Massiliæ Regem, quam Cæsarem Bononiæ. Nemo autem credat *Pallavicino*, cum *Lib. III. cap. XIV. §. 3.* scribit, *nihil aliud in eo colloquio curæ fuisse Pontifici, nisi Ecclesiæ emolumenta, quæ simul etiam ad Cæsaris emolumenta spectabant, cujusmodi erat, ut per Francisci Regis officia Protestantes mitigaret.* Mitigationem illam explicat *Paulus Venetus*, frustra a Pallavicino reprehensus; consentit enim cum eo, præter alios, quem allegavi, *Varillasius*, historicus regius novissimus, non solum *loco citato*, sed & in *Historia hæresium Lib. VIII.* Nihil magis scilicet cupiebat Clemens, quam Concilii moras, aut suppressionem, & ut Carolo Cæsari negotia exhiberentur, quibus ab illa cogitatione, multoque magis a rerum Italicarum cura avocari posset. Quapropter haud invitus intellexit in congressu Massiliensi Pontifex, quod Rex Philippo, Hassiæ Landgravio, eo tempore ad se in Galliam profecto, soluta magna pecuniæ summa succurrisset, ut Ulricum Ducem Wurtenbergicum in provinciam suam, pulsis Austriacis, restitueret. Præterea cum Rege egit, ut Protestantes a Concilii flagitatione diverteret, & suo nomine alia conciliandi dissidii media polliceretur. Addit *Venetus*, a Landgravio quidem impetrari non potuisse, ut a Concilii postulatione decederet, spem tamen eum fecisse, contentos fore se & Fœderatos, etsi non in Germania, sed saltem extra Italiam, aut in finibus ejus haberetur. Iisdem consiliis debetur abolitio fœderis Suevici. Ex literis quidem Landgravii d. 16. Mart. (*Reg. H. fol. 83. n. 30.*) ad Electorem datis, apparet, conventum, renovandi fœderis causa *Nordlingam* d. 23. Mart. indictum fuisse, sed se cum Electoribus ad Rhenum in quadam societate esse (habe ein verständniß mit ihnen) & Civitates superioris Germaniæ a fœderis Suevici continuatione abhorrere; se itaque eo allaboraturum, ut dissolveretur. Probante consilium Electore, dilatus est conventus Nordlingensis, & mense Novembri hujus anni 1533. *Augustæ* habitus. Magnum in eo præsidium habere videbantur Romanarum partium Principes, & speciatim Austriaci, ad tuendam Wurtenbergensis Ducatus possessionem: sed cum idem fœdus consiliis Gallicis obstaret, neque Wurtenbergicæ regionis occupatio, salvo fœdere illo, tam facilis executionis fuisset, misso a Rege *Guilielmo Bellajo Langæo*, effectum est, ut, nitentibus licet pro fœderis continuatione Legatis Cæsareis, *Wolffgango Comite Montfortio & Marquardo a Stain* Canonico & Præposito Augustano; tractatu etiam de causa Wurtenbergica & lite inter Landgravium & Nassovium instituto, dum quilibet sua commoda & temporis opportunitates respiciebat; conveniri non potuerit. Ferdinandus postea Anno 1534. literis ad Marchionem *Georgium* aliosque datis, nihil omisit, ut ad fœdus renovandum eos moveret, &, ut ex Georgii epistola ad Electorem patet, consenserant in prorogationem & *Georgius* ille (excipiens tamen pacta Norimbergensia & Cadanensia) & *Salisburgensis*, *Bambergensis*, *Aichstetensis*, *Augustanus* Præsules, *Bavari* fratres, & *Otto Henricus Palatinus*. Landgravium quoque benignis literis solicitaverat Ferdinandus d. 18. Novemb. verum hic d. 13. Decemb. Electori scripsit, consultum esse, ut Augustani in fœdus Smalcaldicum reciperentur, alias eos, & Civitates Sueviæ alias in reno-

A. 1533.

(2) *Favet Landgravii consilio.*

(3) *Hujus acta in dissolutione fœderis Suevici.*

An. 1533.

renovationem Suevicæ confœderationis consensuras esse: idem solicitabant Ulmenses, misso ad Electorem Secretario. Cunctabatur nihilominus Elector, parum tunc benevolus Augustanis, tandem vero ea conditione Smalcaldici fœderis societatem illis obtulit, si a Zuinglianismo recederent; ut & factum est, quemadmodum in loco dicetur. Ita Augustanis præeuntibus, cæteræ quoque civitates Suevicum fœdus aversatæ sunt, & id postmodum plane fuit dissolutum. Id hic per anticipationem referimus, simulque notamus, fœdus istud Suevicum dudum suspectum fuisse sapientissimo Principi Friderico Saxoniæ Electori, ut ex literis ejus paulo ante mortem ad Fratrem scriptis, & *Lib. II. §. II.* allegatis colligitur. Unde & in fœdere Smalcaldico adversus vim, quæ ab eo, sub specie exequendi decreta Cæsarea aut Cameræ, metuebatur, provisum aliquid fuisse *supra §. I.* notavimus. Odiosum erat, præter alia Suevorum gesta, maxime oppressi *Ulrici* Wurtenbergici exemplum. Cum igitur Landgravius solus ex Principibus Protestantibus inter fœderis Suevici socios esset, sibique necessario ab eo discedendum judicasset, nec Bavariæ Ducibus bene cum Ferdinando Austriaco (qui veluti caput fœderis erat) conveniret, & civitates præcipuæ, Augusta, Norimberga, Ulma, aliæque confessioni Augustanæ addictæ a societate Episcoporum & Prælatorum, qui maximam fœderatorum partem constituebant, parum boni sperare possent, & continuis Cameræ processibus & decretis a Clero impetratis vexarentur, quorum executionem Suevi fœderati haud illubenter suscipiebant; denique accedentibus Gallicis consiliis & largitionibus, haud difficulter recessum est a fœdere. Labitur imperitia rerum Germanicarum *Pallavicinus Lib. III. cap. XVI. §. 6.* putans, fœdus hoc Suevici circuli solum fuisse ex lege Friderici Imperatoris ad decennium initum. Neque enim ex lege, sed pacto coierant, nec Suevici solum circuli, quem vocant, ordines, sed alii quoque ex Rhenano tractu & Franconia fœderis socii erant, nempe *Moguntinus* Elector, Episcopi *Bambergensis* & *Wurzburgensis*, Landgravius *Hassiæ* & civitas *Norimbergensis.* Nec minus errat cum scribit: *civitates in fœdus accitas esse, Imperio non omnino subjectas,* neque enim aliæ quam XXVII. Imperiales Sueviæ urbes & Norimberga associatæ fuere, ut ex ultima formula anno 1522. ad annos undecim facta clarissime liquet. Vide *Hortl. d. Tom. I. Lib. III. c. IV. n. 1.* & de fœdere Suevico plura lege apud *Mart. Crusium in Annal. Suevic. lib. IX. Gerard. de Roo lib. X. Hist. Austr.* & a *Goldasto* collectos *Rerum Suevicarum* scriptores anno 1605. editos. Totam vero *Guilielmi Bellaji* expeditionem, hoc anno 1533. susceptam, & quibus argumentis Wurtenbergicam causam defenderit, a fratre ejus *Martino* prolixe relatam legere licet *Lib. IV. Rer Gall.* Adde quæ ex *Varillasio* supra *Lib. I. §. XXXIX.* in *Addit.* annotavimus.

(4) *Notantur Pallavicini errores.*

§. XX.

(1) *Erasmi tractatus de concordia in religione.*

Interea dum Concilii spes jam multos teneret, *Erasmus* enarrationem *Psalmi LXXXIII.* (Hebr. LXXXIV.) *Quam dilecta tabernacula tua Domine,* edidit; &, ut semper ad pacem Ecclesiæ suo ingenio propensus erat, ita hoc tempore, cum pacto illo Norimbergensi aliqua inter dissidentes de religione in Germania quies constituta, & spes concilii tam propinqua esset, liberius, quam antehac ausus erat, cogitationes suas explicavit, qua nempe ratione concordia in religione constitui posset. Ex iis compendium quoddam hic exhibere haud inconveniens esse duxi, non quod promiscue approbem Erasmi consilia, sed ut appareat, quæ ejus sententia fuerit, & quam frustra nuper aliquis ex Gallia autor, Romanæ Ecclesiæ placita omnia ex Erasmo stabilire conatus fuerit. Neque dubitandum est, multos earum partium viros, pietate & doctrina illustres, qui conciliationem controversiarum optabant, & aliquando proponebant, Erasmi ductum secutos esse. Accedit, quod volumina ejus in privatorum manibus raro inveniantur, nec quæ in Bibliothecis asservantur, multorum usui pateant. Extat autem illa enarratio *Tomo V. Oper. Erasmi,* Basileæ anno 1540. edito *fol. 394. & seqq.* Postquam igitur multa in Psalmum, quem tractat, pie & erudite commentatus esset, nec pauca libere sparsisset in vitia Cleri non minus quam laicorum, circa finem *a fol. 419. ad fol. 424.* propositum exequitur. Taxat ex parte Pontificia eos, qui impotenter vociferarentur: *Hæresis, hæresis; ad ignem, ad ignem;* & qui in pejorem partem ambigue dicta interpretarentur, & pie dicta per calumniam depravarent; ex altera vero parte illos, qui plausibili Evangelii titulo molirentur, quæ ex diametro pugnant cum Evangelio; utrosque, quod nimium tendant funiculum contentionis, ut utraque pars rupto fune in tergum cadat. Dein præcipuum mali fontem indicat, impios mores hominum, neutros enim culpa carere existimat, & pravo protoplastorum, exemplo frustra alios eam in alios rejicere. Itaque ante omnia suadet, ut *quisque sit, quod esse debet. Sint Pontifices* (ait) *Pontifices, Christi vicarii, sincero corde gregis dominici curam agentes: sint Principes, Principes, divinæ justitiæ ministri, tanquam Deo reddituri rationem: quem ob hoc magis oportet ab illis timeri, quo liberiores sunt a timore hominum: Magistratus rempublicam bona fide administrent: monachi perfectionem, quam titulo profitentur, moribus præstent: sacerdotes noctes & dies meditentur in lege Domini, quo possint esse sal populi: qui laici sunt, sint quod dicuntur, non præeant, sed reverenter obtemperent sacerdotibus, fideliter pareant Principum legibus, in suo quisque officio probet suam conscientiam summo illi καρδιογνώςῃ.* In genere postea exigit συγκατάβασιν, accommodationem mutuam, & ut ponatur ambitio & pertinax vincendi studium. Principium autem statuit, quod penitus infixum omnibus esse oporteat, *non desciscere temere ab iis, quæ autoritate majorum tradita sunt, quæque longo seculorum usu consensuque confirmata, nec quicquam omnino novandum esse, nisi aut cogat necessitas, aut insignis invitet utilitas.* Hoc quidem, si de ritibus & opinionibus, quæ manifeste non sunt in Scripturis decisæ, quæstio est, etiam Lutherus multoties inculcabat, ut multis exemplis maxime ex actis contra Carolostadium & fanaticos, comprobatur. Jam ex iis, quæ de controversiarum præcipuis capitibus *Erasmus* commentatur, sequentia integre adscri-

(2) *Generalia quædam de officio omnium statuum.*

An. 1533.

An. 1533.

(3) *Speciatim de libero arbitrio, fide & operibus.*

scribi merentur. *De libero arbitrio* (ita loquitur) *spinosa verius est, quam frugifera disputatio: & si quid de hoc quærendum est, in theologicis diatribis sobrie discutiatur. Interim inter nos illud convenire satis est, hominem ex suis viribus nihil posse, & si quid ulla in re potest, totum ejus deberi gratiæ, cujus munere sumus, quicquid sumus, ut in omnibus agnoscamus imbecillitatem nostram, & glorificemus Domini misericordiam. Conveniat inter nos, fidei plurimum esse tribuendum, modo fateamur & hoc, peculiare Spiritus sancti esse donum, idque multo latius patere, quam vulgus hominum credit, nec omnibus adesse, qui dicunt:* Credo, Christum pro me passum esse. *Concedamus fide justificari, hoc est, purificari corda credentium, modo fateamur, ad consequendam salutem necessaria charitatis opera. Neque enim vera fides potest esse otiosa, quum sit fons & seminarium omnium bonorum operum. Quin potius distinguamus justitiam repurgantem mentis nostræ domicilium, quam recte dixeris innocentiam, & justitiam ornantem & locupletantem eam bonis operibus. Deus proprie nulli debitor est, nisi forsitan ex gratuito promisso: quanquam & hoc ipsum, ut præstemus promissi conditionem, illius est munificentiæ. Non tamen rejiciendum est* mercedis *aut* meriti *vocabulum, quod Deus, qua in nobis aut per nos operatur, pro sua bonitate acceptat ac pensat. De verbis nulla sit digladiatio, modo de re conveniat. Nec interim ingerantur auribus imperitæ multitudinis illa παράδοξα:* Nihil refert, qualia sint opera nostra; tantum habeto fidem, & servaberis: *Et,* homo quicquid agit, nihil aliud agit quam peccat. *Quæ ut in aliquo sensu vera sint, tamen ab imperitis alio rapiuntur, quam expedit. Quemadmodum & illæ voces:* Christus pro nostris peccatis dependit. *An ille pro nobis mortuus est, ut nos vivamus in peccatis? an potius, ut semel illius sanguine loti abstineamus ab omnibus inquinamentis? Mortuus est & resurrexit, ut ipsum imitantes moriamur peccatis, & in vitæ novitatem resurgamus. Pro nobis crucem gestavit; sed idem clamat:* Qui non tollit crucem suam quotidie, non est me dignus. *Cæterum, qui Dominum suis sceleribus quotidie, quod in ipsis est, crucifigunt, iis mors illius adeo nihil profutura est, ut cessura sit in gravem supplicii accessionem.* Ex his pleraque iisdem prope verbis Lutheri exprimere possemus, licet *Erasmus* stylum ita temperaverit, ne in scopulos formularum sectæ, cujus partes palam deserere non audebat, manifesto nimis allideretur. Nam de libero arbitrio, sepositis omnibus, quas *spinosas* vocat, disputationibus, summa doctrinæ, quam Lutherus asseruit, utique est eadem, quam Erasmus hic proponit: Quicquid homo potest (in spiritualibus nempe) totum debetur ejus gratiæ, cujus munere sumus, quicquid sumus, id est, Dei, & ut in omnibus, atque ita etiam in optimis actionibus agnoscamus imbecillitatem nostram, & glorificemus Domini misericordiam. Quid igitur piæ isti professioni contrarium docuit Lutherus? Ubi manet meriti gloria, de quo tantas turbas *Eccius* & *Faber* totusque sycophantarum consessus excitabant? Quid sibi vult futilis illa Eccii cavillatiuncula, *totum opus bonum a Deo esse, sed non totaliter?* De fide vero centies mentem suam explicavit Lutherus, se non aliam intelligere per *solam, qua homo justificatur,* sive *justitiam Christi sibi applicat,* quam qualem hic describit Erasmus, & uno plane verbo expressit Paulus, *Gal. V. 6. quæ per charitatem operatur;* (quamvis charitas, quæ est effectus fidei, ad actum justificationis formaliter non concurrat.) Non igitur fingit aut probat otiosam, aut quæ non sit, ut Erasmus loquitur, *seminarium bonorum operum;* interim ad vacuam illam simulque sordidam & cauponariam meritorum (monasticorum maxime) jactationem deprimendam, accuratius & sincerius loqui voluit Lutherus, & operum concursum ex justificationis actu excludere. Negavit itaque ad consequendam salutem (ut hic loquitur Erasmus) sive ad justificationem necessaria esse bona opera; at non negavit necessaria esse homini salvando, sive alio respectu ad viam salutis pertinere. Nec *meriti* & *mercedis* vocabulum temere rejecit, admissurus nempe, si pro gratuita remuneratione, qualem hic diserte Erasmus describit, accipiatur. Abusum itaque rejicit, qui & superstitionum & impietatis publicæ causa fuit, dum populus aliorum meritis (fictis aut inanibus) & ritibus externis, quos hypocritæ eadem, qua pii, facilitate observant, & fere solos pro bonis operibus venditant, innitens, operum vere bonorum studium neglexit. Superflua etiam cautio Erasmi est adversus formulas, quas in censuram vocat, *quod homo nihil aliud agat, quam peccet;* si enim *aliquo sensu,* ut fatetur, vera est, illo etiam sensu proponi potest, immo debet, nempe ad destruendam proprii meriti opinionem. Neque enim aliud vult phrasis illa, quam ipsius Erasmi, cum dicit: *in omnibus agnoscendam esse imbecillitatem nostram;* ratio enim alia reddi non potest, quam quia labimur, deficimus, peccamus in omnibus. Cur igitur fatendum id non erat? Neque tamen omittebantur, quæ ad talis effati interpretationem noxiam vitandam pertinebant. Stulta vero illa jactatio, qua aliquos usos esse scribit, dicentes: *nihil refert, qualia sint opera nostra, tantum habeto fidem & servaberis,* Lutheri non est, sed per calumniam consuitur, omissis, quæ orthodoxum sensum satis explanant. Misere porro se torquet Vir doctissimus in palliandis & excusandis aliis, quæ Lutherus impugnaverat. *Pii* (ait) *cujusdam affectus est, credere, preces ac bona opera viventium prodesse defunctis, præsertim, si hæc illi, dum viverent, facienda curarunt. Tantum admoneantur, qui funebres pompas ac Missas gloriæ causa instituunt, perdere mercedem suam, ac certius esse lucrum, si, quod morientes legant, vivi ac sani in pios usus erogent. At quibus hoc nondum persuasum est, ne obstrepant aliorum simplicitati, sed ipsi tanto benignius sublevent pauperum inopiam, tantoque ferventius incumbant bonis operibus, quo minus credunt defunctos vivorum benefactis juvari.* Si animus autori fuisset, qui esse debebat, ingenue profiteri potuisset, merum abusum esse, quem ille sub simplicitatis & pii affectus nomine obvelat. Quæ a Lutheranis exigit, alterum quidem satis præstabant, quod ignoscerent errantibus, neque vel hujus vel graviorum etiam errorum

(4) *Collatio sententiæ ejus cum doctrina Lutheri.*

An. 1533.

(5) *Erasmi de precatione aut sacrificio pro mortuis intricata sententia.*

An. 1533.

errorum causa hostili erga eos animo essent, sua libertate satis contenti; alterum, ut tanto magis bonis operibus incumberent, haud improbabant aut recusabant, sed homines erant, & quam hic ab illis Erasmus poscit benignitatem, vicissim ab aliis merito expectabant, nempe ut labentibus sibi quoque ignosceretur: interim lapsus suos auxissent, si morum imbecillitati etiam errorem dogmaticum addidissent. De *invocatione sanctorum* ita loquitur: *Religiosi item affectus est credere, sanctos ac sanctas, quos Deus adhuc mortali corpore gravatos tanti fecit, ut ad illorum preces dæmones expulerit, mortuos ad vitam revocarit, nunc quoque non nihil apud eum posse. At quibus diversa sedet opinio, pura mente sinceraque fide invocent Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ne obturbent odiose iis, qui citra superstitionem implorant divorum suffragia. Superstitio, quam fateor in invocatione divorum esse plurimam, coarguenda est prius, ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiamsi sit conjunctus cum aliquo errore. Ut nostra vota non sentiant divi, sentit tamen Christus, qui & amat simplices animos: si minus per sanctos, certe pro sanctis dabit nobis, quæ petimus.* Religiosum affectum eo sensu credo dixisse, quem vir, ut ita dicam, Latinissimus non ignorabat, satis enim indicat, superstitiosam esse invocationem, quam excusat. Quid enim aliud est, quam excusatio, cum dicit; sanctos *non nihil* apud Deum posse, & affectum illum cum *aliquo errore* conjunctum esse, & *interdum* tolerari debere? Quanto rectius scapham scapham nominasset. Et quid impediebat Pontifices, ne id facerent, & fermento hoc Ecclesiam purgarent, nisi respectus gloriæ utilitatisque suæ? Et cur hodie, tanta luce non solum a Luthero & Erasmo, sed & ab optimis doctissimisque ex suis, affulgente, easdem superstitiones in gentes remotissimas, quas tanto cum periculo & labore adeunt, statim, aut pene prius, quam veram & capitalem Evangelii doctrinam invehunt? Quam parum vero pie Erasmus *Christum* sperat *pro sanctis daturum, quæ per sanctos petuntur?* Si enim per Sanctos non nisi cum aliqua idololatriæ imitatione petitur, non magis speranda est a Christo propitia exauditio, quam a Deo, ut preces idolis factas sibi attribuat. Videamus jam, quæ de *imaginibus* statuat. *Qui sævierunt in divorum imagines, non prorsus abs re concitati sunt ad eum zelum, licet immodicum, mea quidem sententia. Nam horribile crimen est idololatria, hoc est, simulacrorum cultus: qui tametsi jam olim sublatus est e moribus hominum, tamen periculum est, ne technis dæmonum eodem revolvantur incauti. Sed cum statuaria & pictura olim inter liberales artes habita sit tacita poesis, plus interdum repræsentans affectibus hominum, quam homo, quamvis facundus, verbis possit exprimere; & Plato, agnoscens poesin plurimum habere momenti ad Rempublicam bene secusve instituendam, non omnes poetas submoverit ex illa, quam fingit, civitate, sed Homerum tantum, aut Homeri similem, qui Diis ac Deorum filiis attribuit adulteria, puerorum amores, furta, mendacia, impotentes iras, dissidia, aliaque vitia, quæ nemo bonus reipublicæ gubernator ferret in suis civibus, aut frugi paterfamilias in sua uxore, liberis aut famulis: corrigendum erat, quod per imagines irrepserat superstitionis, utilitas erat servanda. Utinam omnes omnium ædium parietes haberent vitam Jesu Christi decenter expressam! In templis autem, quemadmodum in Africano concilio decretum fuit, ne quid recitaretur præter Scripturas canonicas! ita conveniret, nullam esse picturam, nisi cujus argumentum in Scripturis canonicis contineretur. In peristyliis, porticibus, & ambulacris possent & alia pingi ex humanis historiis desumta, modo facerent ad bonos mores; stultas vero aut obscœnas aut seditiosas tabulas oportuit non solum e templis, verum etiam ex omnibus civitatibus sublatas esse. Et quemadmodum blasphemiæ genus est, sacras literas ad ineptos ac profanos detorquere jocos, ita gravi pœna digni sunt, qui cum pingunt sacrarum scripturarum argumenta, de suo capite miscent ridicula quædam, ac sanctis indigna. Si libet ineptire, a Philostrato potius petant argumenta. Quanquam sunt & in Ethnicorum annalibus multa argumenta, quæ idiotarum oculis utiliter exponi possent.* Quis vero ad hæc (quæ pleraque cum Lutheri sententia conveniunt) non aliam ab Erasmo expectet, quam, quæ sequitur, epicrisin? *Ergo quibus persuasum est, divorum imaginibus, quoniam non sentiunt, nihil habendum honoris, fruantur suo sensu; ne tamen obstrepant iis, qui citra superstitionem sic venerantur imagines, eorum amore, quos repræsentant, quemadmodum nova nupta sponsi absentis amore exosculatur annulum aut strophium ab illo relictum aut missum.* Nonne a Protestantibus responderi potuisset: Fruimur merito sensu nostro, qui imaginibus non alium honorem exhibemus, quam ut eas, quæ ad modum ab Erasmo probatum conformatæ sunt, toleremus, aut, ut commodum est, locemus; &, licet improbemus abusum aliorum, non tamen ita illis obstrepimus, quemadmodum obstrepunt, qui gladios, ignes, exilia nobis minantur, & cum possunt, inferunt, qui *simplicitatis* illius, aut, ut dicere debuisset, *superstitionis* participes esse nolumus. Quæ denique de *affectu Deo placituro* conjectat, qui in cultu imaginum *non a superstitione, sed ab abundantia quadam amoris* proficiscatur, & quæ de amantium ineptiis inserit, talia sunt, propter quæ tanti viri non possum non misereri. Ejusdem frigiditatis sunt, quæ *de reliquiarum cultu* subjungit. At mire falsus est, cum scribit: *In his Paulus, opinor, concederet, ut in suo quisque sensu acquiescat.* Cave, credas, ullum unquam Apostolum concessurum fuisse, quæ sub simplicis religiosique affectus specie superstitionis manifestæ rea sunt. Neque rigor Judaicæ disciplinæ, ab Apostolis, quantum salva fide licebat, retentæ, quæ ab omnibus imaginibus abhorrebat, ullam ejus indulgentiæ occasionem tunc ferebat. Recentius est malum iconolatricum, quam ut natales ejus ignorentur. Longum foret, quæ *de confessione* in medium consulit, adscribere. Summa est: *Ab illis, quibus nondum*, ut ait, *persuasum est, confessionem sacramentalem horum temporum a Christo esse institutam, servari eam posse, ut salutarem, & multis utilitatibus commodabilem, ac mul-*

(6) De invocatione sanctorum quid statuat.

(7) Item de imaginibus.

(8) Epicrisis ad ea.

(9) De confessione.

An. 1533.

An. 1533. *torum seculorum usu comprobatam.* Sed addit restrictiones, ut non confiteantur homines, nisi lethalia (quæ enumerat) crimina, nempe enormia. *Absit*, inquit, *repetendi confessionem superstitio, absit anxietas numerandi commissa & circumstantias, &c.* Et paulo post: *Illud omnium caput est, sic instituere vitam, ut non incidamus in ullum crimen lethale: id qui potest, liber est ab onere confitendi.* Hæc & alia non præcipit, sed suadet, & eos qui confessionem renuunt, in suo sensu ad definitionem Concilii usque, relinqui debere putat. De *Missa* ita statuit, corrigenda esse, quæ irrepserint, superstitionum & sordium; retinenda, quæ pia sint & veneranda; eaque enumerat, quæ Lutherus fere omnia retinuit, *psalmodiam, introitum, doxologiam, precationes, recitationes Evangelii & Epistolæ, & symboli Apostolici, orationem Dominicam, communionem, pacis impertitionem, benedictionem.* Concedit postea *imminutionem & remotionem sordidæ turbæ sacerdotum conducititiorum*, & ut omittantur *prosæ*, quas vocat, *indoctæ, Romæ ignotæ*, item *precationes Missæ subjungi solitæ pro pace* aut *contra pestilentiam*, aut *pro felici proventu frugum:* neque enim tale quid Romanam Ecclesiam agnoscere. *In sacello Pontificis non nisi unum esse altare & unicum sacrum: in multis etiam Ecclesiis Romanam imitantibus non licere privatim sacrificare, duntaxat id temporis, cum summum peragitur sacrum.* Omitti etiam posse citra pietatis jacturam, dicit, *organi & modulatæ musicæ usum.* Fatetur, *ad superstitionem vergere tot peculiaria Missarum argumenta, de spinea corona, de tribus clavis, de præputio Christi, pro navigantibus, peregrinantibus, sterilibus, gravidis, parturientibus, febricitantibus.* His & aliis correctis *non exigendam esse Missam, ut rem pestilentem.* Explicat, quomodo *sacrificium* dici possit & *hostia*, quia per mortem filii Patrem obtestamur pro vivis & mortuis, & quia Deum laudamus. Fatetur, *communionem*, ex instituto Christi, *in Missa requiri, sed quo minus id fiat, non stare per sacerdotes, sed per populum.* Hæc etiam hodie, sed frustra, dicunt aliqui, manifestos abusus pulchre incrustantes; quis enim sacerdotem ad missificandum cogit, si non habeat, qui communionem celebrent. Nil nempe, quam invecta opinio de sacrificio propitiatorio, ex opere operato, & inde resultans Cleri sacrificatorii utilitas. Quærit & aliud effugium, quod communio celebrari videatur etiam in Missa solitaria; *esse enim* ait *communionem sacræ doctrinæ, piæ exhortationis, precationis, laudis & gratiarum actionis.* Sed hoc nihil ad rem facit, communio enim hæc est perpetua & generalis in omni cœtu piorum absque omni Missa. Desideratur itaque institutio Christi, ratione sacrificii solitarii. Adorationem ita defendit, quia *Christus totus est in Eucharistia:* agnoscit tamen, eum cibi & potus, non adorationis causa, adesse, nec, ut ostentetur, aut in publicis pompis circumferatur: hæc enim nequaquam veteris exempli, & plus satis indultum esse affectui populi. Nec præteriri debet, quod scribit: *Nullus est tam stolidus, ut humanam Christi naturam adoret pro divina, aut ut panem & vinum adoret pro Christo. Quoniam autem nemo certus est, an sacerdos vere consecraverit, præter ipsum unum, nullus ibi adorat Christum, nisi sub tacita conditione, & tamen id, quod in Christo proprie adoratur, nusquam non adest.* Addit quædam, quibus evincat, *ut in omni sacramento, ita etiam in hoc, cum veneratione & nudo capite adstandum esse.* Id vero non solum, sed & genuflexionem Lutherani plurimi præstant. Cæterum Christum in spiritu & veritate, ut Deum & hominem, adorant, sicut par & præceptum est, non vero elementa sacramentalia, de quibus nihil tale præcepit, aut exemplum dedit. Reprehendit postea *Sacramentariorum varias*, ut ipse appellat, *formas* seu opiniones adversus præsentiam realem, & hanc, cum nihil magis certum in contrarium afferri possit, omnino tenendam esse, contendit, ut traditionem Ecclesiæ Catholicæ, quæ statuit, verum corpus & sanguinem Christi adesse, & quidem vivum. *Quod si credimus*, ait, *divinam naturam in sepulchro non fuisse separatam ab exanimi corpore Domini; quanto credibilius est, eam non esse separatam a vivo corpore in Sacramento? Itaque, si in hoc concordes essemus, cætera, quæ disquiruntur, quomodo sit ibi corpus & sanguis Domini, sub panis substantia, an sub speciebus panis & vini, & quid accidat sumto corpori, & si quæ sunt his similia, poterunt in synodo definiri.* Notandum tamen, omnia, quæ ad synodum differt, ejus ipsi generis esse censeri, quæ, salva fide, affirmari aut negari, servari aut omitti, possint. Inde de *festorum* multitudine queritur, & nullum retineri debere suadet, quam cujus argumentum extet in sacris literis. Sic festa *Conceptionis* & *Nativitatis* B. Virginis, immo & *Præsentationis in templo* eliminat. Delectum *ciborum* non nisi ad sanitatem corporis & animi ab Ecclesia inductum esse tradit: excludit itaque meriti opinionem & jejunandi necessitatem, & nullum ob jejunia ab alio vult judicari. *Idem* (ait) *sentio de cæteris Episcoporum constitutionibus: quæ si piæ sunt, si utiles, si æquæ, ob hoc ipsum servandæ sunt, quod tales sunt, & si displicet legis vocabulum, amplectamur eas, ut salubria consilia.* Tandem adversus Anabaptistas pugnat, qui baptismum infantium improbant, & communionem bonorum reducunt. Epilogum addit memorabilem, mixtis non sine artificio suasionibus & minis. *Quid nobis felicius, si positis dissidiis, concordes versemur in domo Domini? Agit hoc summo studio Carolus Cæsar: agit idem Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Rex Ferdinandus, Princeps singulari pietate præditus. Nec Christianissimus Gallorum Rex in hoc negotio suo nomini non est responsurus. Nec Anglorum Rex obliviscetur, se non ita pridem defensoris Fidei Catholicæ speciosum meruisse titulum. Qui Clementis Pontificis ingenium propius norunt, pollicentur, illum ad æquissimas conditiones descensurum, modo sarciatur Ecclesiæ pax. Nec defutura est eruditorum Cardinalium æquitas. Res auspice Christo feliciter cessura est, si cæteri quoque Principes ac Civitates huc intendant animum. Jam nimium diu rixis indultum est: vel delassati quæramus concordiam. Si Domini lenitas nos provocat ad licentiam, quæ ad pœnitentiam debebat invitare, verendum est, ne furor fiat læsa sæpius patien-*

(10) *De missa ejusque ritibus, & communione in Missa.*

(11) *De adoratione Christi in cœna, & censura in Sacramentarios.*

(12) *De festis, jejuniis & baptismo infantum.*

(13) *Epilogus memorabilis, promissa & minas continens.*

An. 1533.

patientia, & quod de Judæis scripsit Paulus: perveniat in nos ira Dei in finem. *Ne Regum quidem mansuetudine abuti consultum est. Non ignorant illi vires suas, sed pro sua clementia, mollioribus, si fieri posit, remediis huic malo mederi malunt, quam cauteriis aut sectionibus. Fortasse nos credimus, dormitare Cæsarem: at is plane vigilat in hoc negotio: lentior est, sicut oportet Principem, summa potentia præditum, non esse præcipitem in rebus gerendis; sed tamen ille tandem perficiet, quicquid animo destinavit semel. Regis Ferdinandi bonitas & animus plane philosophicus, qualem in Principe requirit Plato, non meretur contemptum, sed abundantiorem reverentiam, ac religiosiorem obedientiam. Nunquam habuere felicem exitum ausus Cyclopici & inconsulta temeritas. Sed, ut verissime dixit vates ille acutissimus:* Vis consili expers mole ruit sua. Vim temperatam Dii quoque provehunt in majus. *Ergo si moderatis consiliis, affectibusque sedatis, incubuerimus ad sarciendam Ecclesiæ concordiam, fiet, quod vaticinatur Esaias:* & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: *jamque simul omnes uno ore gratulantes nobis invicem dicemus:* quam amabilia tabernacula tua; Domine virtutum!

(14) Argentinensium mite judicium de libello Erasmi.

Hæc concordiæ meditamenta *Argentoratensibus* Theologis aliquatenus placuisse, inde colligitur, quod libellum Erasmi in linguam Germanicam translatum & typis editum per Germaniam sparserint. Moleste id tulit *Wolfgangus Musculus*, antea Argentoratensis, tunc Augustanus Ecclesiastes, sed cum Zuinglianis sentiens, apud quos tandem Bernæ ministerio functus decessit. Epistolam ejus *ad Bucerum* exhibet *Scultetus Annal. eccl. Dec. II. in anno 1533. p. 413.* In ea, omnem cum Pontificiis concordiæ spem abjiciendam esse, contendit. Quamvis autem Erasmus in tractandis, quæ exposui, capitibus de Pontificis & Ecclesiæ autoritate diserte non egerit, (sicut & alia quædam odiosa v. g. *de cælibatu cleri*, & *de purgatorio* prætervectus est,) Ecclesiæ tamen unitatem ad salutem necessariam esse duxit. De illa ejus thesi, hæc *ad Bucerum* scribens, monet Musculus: *Video Erasmum totum in hoc esse, ut ostendat, extra Ecclesiæ Christi unitatem salvari neminem: quæ unitas Ecclesiæ si ita accipienda, ut referatur ad externam Ecclesiam, quid, quæso, faciemus parti nostræ, in qua tot fideles jam annos aliquot ab hoc seculo migrarunt? An forte perierunt, quia cum externa illa Romana Ecclesia unanimes non fuerunt? Placeret hoc Eccio. Tibi vero non placere certo scio. Non negamus, extra corpus Christi, seu Ecclesiam Christi, non esse salutem. Cum vero istud credamus, non respicimus ad externam aliquam Ecclesiam, certo loco collectam, sed ad eam, quæ in electis est, cujus caput Christus est. Quemadmodum enim fide membra Christi constituimur, ita & fidelium per spiritum Dei coordinatione copulatur, & regitur Ecclesia illa Christi unita, sanctificata & mundata, extra quam non est salus. Non, quod illa salutem det, sed quod caput habeat Christum, qui salvator est corporis sui unus, ex quo vita & salus in membra diffluit, quo privatum esse capite, omnis salutis est expertem esse.*

(15) Acris censura Wolffgangi Musculi in eundem.

(16) Dissertatio de eodem libello Antonii Corvini, & Lutheri in hanc præfatio.

Edidit autem paulo post (anticipare enim hoc ex anni sequentis actis mihi ob causæ connexionem liceat.) *Antonius Corvinus*, Theologus Hassiacus, postea Brunsuicensis, dissertationem, *quatenus expediat editam recens Erasmi de sancienda Ecclesiæ concordia opinionem sequi tantisper, dum apparetur synodus?* Ex libro Corvini, quem nondum vidi, nihil afferre possum, sed *præfationem Lutheri MS.* nactus, non possum lectoribus præcipua ejus contenta invidere. Laudat Corvini librum ob elegantiam & modestiam. Fatetur, non esse ingenii sui & moris, in re tali tam placide & leniter agere, tanta præsertim in collisione, quæ inter se & Theologos Erasmicos versetur, vincere tamen velle seipsum, & posita vehementia scribere. Credere quidem, Erasmum forte & discipulos ejus bono animo consulere velle rebus, ne in nervum erumpant, sed rationem concordiæ, quam proponant, sequi non licere, salva conscientia. *Alia est enim* (scribit) *concordia fidei, alia charitatis. Secundum charitatem nihil est ex parte nostra unquam omissum, quod non sit plenissima voluntate oblatum, pro pace & concordia vel servanda vel resarcienda. Omnia facere, pati, servare, paratissimi semper fuimus, quæcunque salva fide præcipi, injungi & inferri possent ab adversariis. Id quidem & opere ipso & fructibus, perpetuo tenore ostendimus. Nunquam enim eorum sanguinem sitivimus, multo minus fudimus. Nihil eis nocuimus aut rapuimus. Quin pro eis contra seditiosos & fanaticos spiritus strenue semper stetimus, fecimus & laboravimus, atque (ut pii & boni, immo & multi inter ipsos fatentur) plus effecimus, quam ipsi, pro ipsorum statu conservando, unde & majore & acerbiore odio nos ipsos oneravimus. Nam spiritus isti seditiosi & furiosi multo clementius Papistas oderunt, quam Lutheranos: cum interim non cessent Papistæ nostrum sanguinem fundere & haurire, deinde ferro, igne, aqua & omni furoris genere nos persequi, nullam ob causam, nisi quod contra conscientiam non possumus humanas ipsorum traditiones Deo & verbo ejus æquare, vel potius super Deum & cultum ejus exaltare. Deus igitur hic judicabit, an ex parte ipsorum vel nostra stet, quo minus inter nos servetur concordia. Nam gloria nostra hæc est, testimonium latissimum securæ conscientiæ, quod concordiam, quantum ad charitatem attinet, summis studiis quæsivimus, oravimus, efflagitavimus, etiam fuso valde multo nostrorum, sanguine, & toleratis infinitis crudelitatibus & odiis adversariorum. Verum concordiam fidei seu doctrinæ frustra quærit Erasmus, eo consilio, ut mutuum cedamus & condonemus: non tantum, quod adversarii prorsus nihil cedunt, nec cedere volunt, quia potius rigidius & obstinatius nunc omnia defendunt, quam unquam antea, etiam talia ausi nunc exigere, quæ ante Lutherum ipsimet damnaverant, & reprobaverant; verum etiam, quod & nos non possumus ea probare, quæ manifeste cum scripturis divinis pugnant, & quæ prorsus nullum (ut dicitur) medium admittunt. Nam doctrina fidei non luctatur cum carne & sanguine, sicut charitas, quæ cum hominibus & eorum vitiis exercetur, tolerandis, corrigendis, emendandis, quæ mutari possunt, & ipsa spem habet perseverantem usque ad mortem*

An. 1533.

(17) Concordiam suadet, sed charitatis, non fidei: sive doctrinæ cum errantibus.

An. 1533. *tem convertendi peccatoris; sed luctatur cum spiritibus nequitiæ & desperatis, quorum malitia est obstinata in æternum, sine ulla spe convertendi aut mutandi animi: ideo inter fidem seu doctrinam Christi & dæmonum voluntates nulla pax, nulla concordia, nulla amicitia tentari debet. Ipse est homicida & pater mendacii, & tam non potest non odisse fidei doctrinam, quam mendacem & nocendi voluntatem non mutare. Quæ enim est conventio Christi & Belial? Quæ societas lucis & tenebrarum? At Papistæ (inquies) doctrinam Christi æque jactant, & dæmonum errores nolunt docere videri. Jactant sane, sed ex fructibus arbor cognoscitur. Ac ne hic disputem prolixe, id satis constat, nihil eos curare, quid certo & solide doceant pro firmandis conscientiis. Una est eorum vociferatio: Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia. Et Ecclesiam vocant homines etiam impios, qui supra & contra Scripturam sentire & statuere possint, idque autoritate divina. Hanc eorum vocem & Erasmus confirmat, qui ubique Ecclesiam sequi sese promittit, & interim omnia dubia & incerta docet. Sed si Ecclesiam hoc vocare debemus, quod illi Ecclesiam esse vociferantur; deinde credere, quod illa Ecclesia eorum facit & dicit; quid opus est divina Scriptura? cur reprehenduntur vitia? cur periclitamur confessione veritatis? quando brevissimo compendio & otiose dormientes possimus salvi fieri, tantum sic dicendo: Credo, Papistas esse Ecclesiam, & credo veritatem esse, quicquid Papistæ statuunt. Sed quid facies piis & bonis animabus? Quæ Scripturæ autoritate captæ, ut verbo veritatis divinæ, non possunt credere, quod manifeste contra scripturam docetur? Istisne dicemus, audiendus est Papa, ut pax constet & concordia, aut incertæ sunt relinquendæ, suspensæ interim sententiæ, donec aliud Papa decreverit cum suis? At sint alii tam securi, & suæ salutis tam negligentes, qui volent. Certe animus Deum timens, & serio metuens mortem æternam, & cupiens æternam vitam, non potest incertis & dubiis doctrinis quietari. Unde & in meo Servo arbitrio in Erasmi Theologia reprehendi istam scepticorum sententiam. Necesse est enim in Ecclesia, certum dogma, certum verbum Dei haberi, cui certo & secure possimus credere, & in eadem certitudine fidei & vivere & mori. Quam certitudinem quia & Erasmus parum curat, & Papistæ non docent, (nec enim possunt, cum eam non intelligant prorsus) sed oderunt & persequuntur; coire nulla concordia in fide & doctrina potest, quia Ecclesia hac certa fidei anchora carere non potest, & extra seu supra verbum Dei nulla fides subsistere potest. Ideo, quicquid Papistæ vel Erasmus hic vel docent vel consulunt, frustra & inutiliter consulunt. Conscientiæ istis remediis & consiliis humanis juvari non possunt neque volunt, sed vocem sponsi sui cupiunt audire, & vocem pastoris & magistri sui unici. Ad vocem aliorum dicunt; hoc, quia de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Non loquor jam de controversiis in Scripturis agitatis, sed de his, quæ extra scripturas & contra Scripturas ab adversariis defenduntur & exiguntur per vim & omne genus furoris. Talia non sunt hæretica, (hæreses enim ex Scripturis fingunt spiritus impii) sed prorsus profana, & certissime diabolica. Quare tutius Erasmus a Theologia abstineret, & pro suo ingenio in aliis rebus eloquentiam suam exerceret. Theologia requirit animum, serio & simpliciter verbum Dei quærentem & amantem, sicut legitur: Et in simplicitate cordis quærite illum. Invenitur enim ab iis, qui non tentant eum. Et Paulus Rom. XII. præcipit, ut doctrina Christianorum sit analoga fidei. Et I. Petr. IV. Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Item II. Petr. I. Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia. Et satis magna miseria experti sumus sub Papatu, quam variis ventis doctrina agitati simus, dum extra Scripturas proprios humana voluntate articulos finximus, donec etiam cucullos monachorum adoraverimus, qua idololatria omnium gentium portenta plane vicimus. Nam qui clamant, multos credi ab Ecclesia articulos, qui in Scripturis non habeantur, suis aguntur furiis, aliam sibi fingentes Ecclesiam, scilicet Satanæ synagogam, & nomine sanctæ Ecclesiæ, virginis & sponsæ Christi, impudentissimis mendaciis scortum & lenam diaboli ornantes & venditantes. Sed de hac re, si Dominus otium & vires concesserit, cum de Ecclesia scripsero, latius disputabo. Interim durante regno diaboli, non est quod pacem & concordiam speremus in doctrina. Una tantum via est, scilicet, patientia in charitate Christi, ut illos sinamus furere, & nos quieto spiritu eorum odia, & malitiam sustineamus. Nam nos oportet esse vere Christophoros, & de ordine S. crucis. Christus convertet electos suos, & liberabit tandem nos omnes, cujus est victoria, virtus & gloria cum Patre & Spiritu sancto in æternum, Amen.* Hæc tam solida & pia sunt, ut etiam illorum conscientiam excitare possint, qui ferventissimo in Protestantium doctrinam odio accensi sunt. At nostratibus eo proficient, ut videant, post excultam licet per tot annos a Lutheri tempore Theologiam & Philosophiam, inventasque ab utraque parte novas & accuratiores disputandi methodos & artes, nihil tamen afferri facile posse, ad simplicis veritatis assertionem, & defendendam reformationis necessitatem magnopere pertinens, quod Lutherus non viderit & scripserit. Sufficere vel hæc una præfatiuncula ejus posset ad formandum de omnibus conciliationum & concordiæ moliminibus judicium. Verissimum enim est, quod vir summus hic inculcat, dogmata, quæ ad salutem necessaria sunt, ex Scripturis sacris certa esse debere, ita quidem, ut hæreticus sensus, Scripturæ per errorem illatus, ex ipsa Scriptura confutari possit & debeat, quotiescunque pii doctores, positis præjudiciis, & invocato Dei auxilio, dicta conferunt & examinant; quæ vero extra Scripturam statuuntur, non nisi per injustam vim, sub Ecclesiasticæ autoritatis prætextu, pro credendis obtrudi. Unde sequitur *in fidei articulis capitalibus & necessariis nullum esse cedendi medium, sed rigidam veritatem ex sacris literis eruendam esse. Si vero id fieri non possit, eo ipso apparere, quæstionem non esse capitalem. In cæteris omnibus temperamento & conventionibus locum esse, immo charitatis lege exigi, ut pacis causa nihil* non

(18) Urget, contra autoritatem Ecclesiæ, fundamenta fidei ex Scripturis.

An. 1533. *(19) Erasmi theologiam rejicit.*

(20) Elogium præfationis.

An. 1533.

non cedatur, quod, salva divina veritate, cedi possit: denique, etsi non possit conveniri, charitatem tamen merito colendam esse. Hoc sanctissimum est, quod omnium conscientiæ satisfacit, unde & in toto hoc opere primarium scopum mihi præfixi, ut hanc viam, si fieri possit, omnibus commendarem.

§. XXI.

(1) Lutherus, pro Lipsiensibus exulibus scribens, irritat Georgium Ducem.

Erupit hoc anno inter novum Electorem *Johannem Fridericum* & *Georgium* Ducem contentionis satis acerbæ materia, ex scriptis Lutheri *pro Lipsiensibus*, qui doctrinæ Evangelicæ causa in pagum *Holzhausen* Electoralis ditionis excurrebant, & quos ideo persequebatur Dux Georgius. Initium ut §. *XVI.* innui, fieri cœperat anno superiori, & jamtum Lutherus consolatorias literas Lipsiam miserat, quas §. *XV.* retuli. Sed alias hoc anno, d. 11. April. passioni Christi sacra, dedit *Tom. VI. Alt. fol. 2. & 3.* quas Latine versas exhibet & criminatur *Cochlæus* in historia anni hujus, *fol. 243.* Nominavit in illis Lutherus Georgium Ducem *Apostolum diaboli*, & alia satis acerba inseruerat. Epistolæ multoties descriptæ, & per civitatem sparsæ exemplum Senatus apud aurifabrum quendam, qui Norimberga Lipsiam venerat, deprehendit, & Principi misit.

(2) Illo querente Elector a Luthero rationem poscit.

Hic, literis ad Electorem datis, de injuria sibi illata ita questus est, ut etiam violata pacta, cum Parente ejus anno 1527. inita, esse innueret. In iis enim cautum erat, *ut Lutherus vetaretur, in provinciis Georgii quicquam agere, quod ad tumultum spectaret.* Auxerat offensam Lutherus, quod Consuli Lipsiensi, per literas interroganti, an epistolam illam pro sua agnosceret? parum amice respondisset. *Vid. d. Tom. VI. fol. 3.* Elector inde Lutherum severe, ut Cochlæus ipse observat *d. l. fol. 247.* commonuit, scribens: *sibi minime placere, nec tolerare velle, si is scriberet ageretque, quæ, ut Georgius querebatur, populum ad seditionem concitarent*, poscit itaque, *ut facti rationem reddat.*

(3) Hic apologiam edit.

Ad id non segnis fuit Lutherus, sed prolixe & acriter respondit, ut videre licet ex Apologia, **verantwortung der auffgelegten auffruhr/** *d. Tom. VI. a fol. 4. ad 9.* Negat, se Principis personam aut dignitatem violasse, multo minus subditos ejus ad seditionem concitasse, magnaque cum fiducia postulat, ut hæc contra se legitime probentur. Ex ipsis enim literis, (quas, etsi non cogatur, agnoscere tamen pro suis velit) apparere, se consuluisse Lipsiensibus, ut rapinam & vim non vi repellerent, sed paterentur. Imperatum autem erat, ut symbola, in modum nummi (referente Cochlæo) procusa, sacerdotibus tempore Paschalis festi ab omnibus exhiberentur, ad probandum, quod veteri more communicassent, qui id non facerent, urbe excederent. Quod vero Georgium vocaverit *Apostolum diaboli*, id ad dignitatis ejus politicæ imminutionem non pertinere, scire enim, quod Princeps imperii laudabilis & honestus sit coram mundo; verum coram Deo non majoris a se æstimari, quam Pilatum, Herodem aut Judam. Ita nec Pontifici & Episcopis honorem externum a se auferri, si eos vocet *Synagogam diaboli*, quia falsa & superstitiosa palam defendant, & veritatem agnitam persequantur. Usum autem ista phrasi de Principe esse, ut Lipsiensibus ostenderet, quæ ille adversus Evangelium decerneret, non ut Principem, sed ut larvam diaboli agere, ideoque impune ei non obtemperari, & bona conscientia expectari & tolerari quæ imminerent, quod fieri non licuisset, sed parendum fuisset, si justa imperasset. Alia epistolæ verba, cum dixisset: *Oportere diabolo crucem in faciem impingere*, ad Principem plane non posse trahi, neque corporale aliquid per ea intelligi, quia diabolus spiritus est, & spirituali armatura repellendus.

(4) Impugnat formulam juramenti, Lipsiensibus præscriptam.

Reprehendit postea formulam juramenti, quam Georgius a subditis exigere dicebatur, a Lutheranismo ad Romanam Ecclesiam redeuntibus. Extat ea *d. Tom. VI. fol. 3.* cum subjuncta Lutheri censura acerrima. Ait enim, a diabolo obsessum esse oportere Georgium, qui ista ad conscientias hominum subigendas adinvenerit, quod nullus fecerit tyrannus, non Pharao, nec ipse Papa, contentus dissentientes excommunicasse. In *apologia* autem, de qua hic agimus, *fol. 6.* ex jurisjurandi illius formula argumentum capi posse putat Lutherus, si rigorose explicetur, bellum parari adversus Protestantes & Electorem Saxoniæ, quia jurare deberent subditi, se Lutheranam doctrinam condemnare & persequi velle. Id tamen se negat Georgio imputare, immo meliora de illo sperare. Addit multa de obsequio magistratui a subditis præstando, idque a se in libris antehac editis majori studio demonstratum fuisse gloriatur, quam ulli unquam Ecclesiæ doctores, ne Ambrosius quidem & Augustinus fecerint: pro summa itaque contumelia habet, quod seditiosus sibi animus imputetur.

(5) Allegat, quæ de magistratu honorifice scripserit.

Adducit veteris persuasionis exempla, quam viles habiti sint a Clero Principes & Magistratus, & narrat, visum a se esse Magdeburgi *Principem Anhaltinum*, Adolfi Episcopi Mersburgensis fratrem, habitu Franciscano mendicantem, & saccum repletum supra vires corporis per vicos gestantem, ita ut hoc modo, & per jejunia extenuato corpore, paulo post decesserit. In fine pium Cæsaris institutum rigori Georgii longe præfert, qui per Concilium sopire velit schisma, neque ullam vim Protestantibus intulerit, Edictum etiam illud sævum, Augustæ conditum, ab effectu suspenderit.

(6) Solatur Lipsienses, & eorum celebrat constantiam.

Edidit etiam *consolationem* prolixam *ad Lipsienses fol. 9. seqq.* In hac *fol. 11* vehementer improbat legem illam de signis seu symbolis, ad probandam communionem exhibendis, & de juramentis præstandis, & negat ista jubendi Principi jus esse, nec dubitat hæc, ut tyrannica, improbare, propter quæ indurationem & tandem æternam damnationem Princeps passurus sit. Solatia Lipsiensibus proponit a conscientiæ testimonio, quod non Lutheri, sed Christi doctrinam profiteantur, quæ etiam Augustæ publice pro tali agnita fuerit. Licere sibi vult, ut Theologo Doctori non contemnendo, censuras in Georgium proponere ob sævitiam & contumeliam, præsertim cum is non vereatur, Principes, se meliores & majores, & jam tertium Electorem Saxoniæ, conviciis ob religionem proscindere; quæ vero sibi ab illo illata sint, ex *præfatione* ejus *in Nov. Test. Emseri* manifestum esse, ad quam tamen responsum huc usque distulerit. Agnoscendum inde esse, monet, divinum

An. 1533.

num judicium; quod omni ſævitia ſua efficere tamen non potuerit Georgius, ut Lipſienſes illi, quorum octoginta patresfamilias eſſe audiat, & cum familiis octingentorum hominum numerum conſtituere, edictis ſuis paruerint, ſed exilium potius elegerint. Narratum ſibi eſſe dicit, quam miſere ſteterint examinatores exulum illorum in curia Lipſienſi, nec rationem ullam pro communione mutilata allegare potuerint, quam quod tantundem ſub una ſpecie, quam duabus ſumatur, quaſi hoc ad rem pertineret, & non potius claro Chriſti inſtituto & exemplo inhærendum eſſet. Addit alia contra paſtorem Dresdenſem.

ADDITIO I.

(a) Relatio Petri Gengenbachii de exilio ſibi indicto.

Relatum hoc ſine dubio eſt Luthero a Lipſienſibus ipſis, qui examen illud ſubierunt. Extat *MS. Petri Gengenbachii* Norimbergenſis, qui Lipſiæ mercaturam exercebat, & domum acquiſiverat. Hic & alia memoriæ cauſa, & quomodo Lipſia ejectus fuerit, in Diario conſignavit, quod poſteri ejus, honeſti viri, adhuc aſſervant. Apparet quidem, virum indoctum fuiſſe, reſpondit tamen ad quæſita eum in modum, ut in ſua ſententia confirmatus potius, quam ab adverſæ aſſertoribus ullo modo turbatus fuerit. Prolixa eſt narratio, ſed nonniſi quæ ad hiſtoriam aut ad confirmanda Lutheri dicta præ cæteris faciunt, afferemus. Citatus fuit Petrus ille in curiam hoc anno d. 28. Martii, &, interrogante Conſule *VVidemanno*, confeſſus eſt, ſe exequiis Doctoris cujusdam, quem *Spechtium* nominat, (Lutheraniſmi ſine dubio ſuſpecti) interfuiſſe, quod neſciret id prohibitum fuiſſe: Communionem ſub utraque nondum quidem a ſe aditam eſſe dixit, ſed ſibi propoſuiſſe, ut id inpoſterum faceret, aut plane abſtineret: adduxitque rationes ex literis ſacris ſatis notas. Poſt paucos dies, cum febri laboraret, miſſis ad eum duobus Senatoribus, juſſus eſt, quæ in urbe haberet, vendere, & ante nundinas Paſchales (quæ hoc anno d. 5. Maji incipiebant,) in exilium proficiſci. Licet vero domum jam publice venalem expoſuiſſet, conjunxit ſe tamen cum aliis, qui literis ſupplicibus apud Principem, itemque Erneſtum Dynaſtam Schonburgium, Præfectum provinciæ, & Senatum Lipſienſem, gratiam & veniam manendi quæſiverunt. Verum d. 21. Maji recitatum fuit reſcriptum Georgii, quo d. 30. Maji egredi urbe compellebantur. Promiſit obſequium Petrus, & jam domum a ſe venditioni expoſitam eſſe indicabat. Negavit tamen Conſul hoc deſiderari a Principe, ſed toleraturum eſſe, ut ſua retinerent, & erraſſe Senatores, qui venditionem ei injunxerint. Cum vero conceſſionem illam retinendi ſua ſcripto edere nollet Conſul, in propoſito manſurum ſe eſſe dixit Petrus, neque exiturum ſolum, ſed & domum venditurum. Interea ex ſupplicibus exulum literis capta fuit clauſula in aula Principis, qua illi ſeſe ad inſtructionem offerebant, ſi ex verbo Dei de errore convinci poſſent.

(b) Item de examine coram Epiſcopo Merſburgenſi aliisque.

Venerunt itaque Lipſiam d. 29. Maji *Vincentius a Schleniz*, Epiſcopus Merſburgenſis, Lipſienſium Diœceſanus, cum *Sigismundo a Lindenau* Decano, & alio Canonico, quem *D. Groſſium* vocat Petrus: Miſſus ab Epiſcopo ad Petrum Subparochus ad D. Thomæ poſtulavit, ut poſtero die in arce coram Epiſcopo compareret. Erat idem dies, quo ex urbe abeundum Petro erat, & jam currum conduxerat, quo uxorem & liberos Eulenburgum, oppidum Electorale, aveheret: Pollicitus tamen eſt comparitionem, ut & alii fecerant, quanquam non pauci jam abiiſſent. Admiſſus ad Epiſcopum & Canonicos, aſſidentes illis invenit *Petrum de Hallis* (quem vocat, alias *Sylvii* nomen gerebat, acerbiſſimus Lutheri hoſtis) Paſtorem Dresdenſem, *D. Johannem Cochlæum*, *D. Ambroſium Rau*, Præpoſitum D. Thomæ, *D. Georgium a Breitenbach*, & alium Jureconſultum quendam. Verba fecit Paſtor Dresdenſis, laudata Principis benignitate, qui hunc conſeſſum ſupplicum cauſa inſtituerit, & interrogavit Petrum, an in articulo de communione ſalutarem informationem admittere paratus eſſet? Reſpondit: ſerius eam nunc offerri, cum jam ſuos ex urbe dimiſiſſet, & ipſe ſecuturus eſſet; deinde non quamcunque informationem, ſed ex ſolo verbo Dei petitam a ſe atque aliis eſſe monuit, & ex eo ſe jam ſatis certum eſſe de ſua ſententia, neque videre, quo fructu ipſe laicus & ex plebe cum tantis viris diſputaret, cum Auguſtæ in comitiis inter ipſos Imperii Ordines ſat multum diſceptatum, neque tamen quidquam concluſum ſit. Hæc dicentem bis terve Cochlæus excandeſcens abire juſſit. Breitenbachius addidit: Decretum eſſe Auguſtæ, ut Principes de religione ſervanda in provinciis ſuis ſtatuerent, & exprobravit Petro, quod non obediret. Verum is allegavit dicta ſacra: *Obediendum DEO magis eſt, quam hominibus;* &, *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei.* Huic, ſive Principi daturum ſe eſſe corpus & opes, nec ſupereſſe niſi animam, quam Deo debeat. Cochlæus denuo repetiit ſuum *exi;* Petrus tamen petiit, ut prius ſententiam ſuam de ſacra Cœna audirent, ne videretur Zuinglianis aut fanaticis erroribus adhærere. Tacentibus & tolerantibus, ſatis prolixe & pie confeſſionem de Sacramento & reali Chriſti præſentia edidit, & argutationes Cochlæi non inepte eliſit. Oppoſuit is præcepta Eccleſiæ: ſed his quoad bonam ordinationem, pariturum ſe eſſe dixit Petrus, non vero in articulo fidei, in Scriptura jam definito. Breitenbachius Scripturæ autoritatem a teſtimonio Eccleſiæ pendere dicebat: negabat id Petrus, & divinam atque æternam autoritatem Scripturæ aſſeruit; conceſſit, libros ſacros cuſtoditos a Clero fuiſſe, cum eſſe debuerint qui illos aſſervarent; addidit tamen non ſine aculeo: ſi Pontifices ſciviſſent, quæ nunc ex Scriptura objicerentur, abolituros forte illam fuiſſe. Gloriatus etiam eſt de Confeſſione Auguſtæ ſolenniter edita, ſuggillans illos, qui ſuam edere, toties moniti, noluiſſent. Regeſſit Cochlæus: per ſe & Eccium id non ſtetiſſe, & jam cum typographo de excudenda illa, (*Confutationem* intelligit in conſeſſu comitiorum recitatam) egiſſe, ſed impeditos fuiſſe inopinato Cæſaris abitu. Notat Petrus, dum iſta fierent, Epiſcopum ne unum quidem verbum prolocutum eſſe, tantum, cum Petrus ſententiam ſuam de Sacramento recitaret, manus & oculos ad cœlum levaſſe, additque epicriſin non inſulſam: *Magnates aut non multa loquuntur, aut pauca ſciunt.*

An. 1533.

(7) Georgii ſævitiam taxat Lutherus, eique pœnam prædicit.

Demonſtrat præterea in *Apologia* illa ſua Lutherus gravem reatum, qui ſævitia illa Antichriſtiana a Pontificibus per ſex ſecula exercita, & profundendo ſanguinem juſtorum, contrahatur, & quam parum ab illo abſit Georgius, licet nondum, quod Lutherus ſciat, ad ſanguinis usque profuſionem ſævierit; fuiſſe tamen illum judicat inter eos, qui Carolum Cæſarem inſidioſe ex Hiſpania Auguſtam vocaverint, ut vi & armis in Proteſtantes ageret: quanquam Cæſaris pietati debeatur, quod ſanioribus obſecutus ſit conſiliis. Seipſum etiam conſolatur, quod non ſua ſponte ex Papatu diſceſſerit, ſed quamvis meretrici illi Babylonicæ obſequium humillime obtulerit, eo tamen ſpreto, excommunicatus & ejectus fuerit. Differentiam dein utriusque partis oſtendit, ut Pontificii ſemper minentur & ſæviant, Evangelici autem non niſi pacem quærant & ſubmiſſe petant, nec ulli vim intentent, immo Georgium ipſum, ſi qua ei calamitas incideret, non majus aut certius, quam apud Lutheranos, auxilium inventurum. Judicat tamen ita agi a Georgio, etiam inter ſuæ partis homines, ut nec hi æquo animo mores ejus ferre poſſint. Jacturam bonorum, quam exules paſſuri ſint, bono animo ferre eos & ſperare jubet meliora, fore enim, ut Deus brevi

An. 1533. brevi omnia immutaturus sit. Notabilia sunt, quæ scribit, & eventu post annos sex probata: *Expectemus parvo tempore, quæ Deus præstiturus est: non furent isti in perpetuum. Tantæ res intra annos duodecim a comitiis Wormatiensibus actæ sunt, quantas nemo cogitare aut prævidere potuit. Quot jam ex hominibus illis sanguinem sitientibus,* (Blut-hunde und Mörder) *qui nos devoraturi erant, terribili Dei judicio interierunt? Quis scit, quæ Deus intra decennium ab Augustanis comitiis gesturus sit, aut quid eveniet iis, qui crudelia fovent consilia, nec exemplo eorum moventur, qui desperatum finem jam invenerunt?* Nominat *Crusium* Hallensem & quendam Lipsiensium *Ecclesiasten.* Tandem ait: *Non durabit æternum furor Georgii, citius cessabit, quam putatis.* Addit monitum, ne credant illis, qui spargant, suasisse Lutherum & alios Wittenbergenses, *parendum esse Magistratui, præcipienti communionem sub una.* Id factum a se suisque pernegat, neque enim hunc articulum adversus clara Evangelistarum & Pauli verba pro indifferenti haberi, neque Augustæ publice defensum privata suggestione remitti posse. Fatetur, se quibusdam peregre venientibus, & interrogantibus de isthoc articulo, ita respondisse, ut quæreret, an scirent & certo crederent, cum verbo Dei & veritate communionem sub utraque convenire, dimidiatam autem illegitimam esse. Si hæsissent, visum sibi non esse, ut eos ad communionem sub utraque adigeret, sed consilium dedisse, ut certitudinem sibi prius compararent; dubitantes enim & ambigentes, salva conscientia, admitti non posse. Calumniam Lipsiæ ex Breitenbachio audisse se referebat Pontanus d. 7. Jun. *Reg. N. Lit. H. n. 40. fol. 103.* quod Joachimus Electoris Brandenburg. filius, consilio Wittenbergensium, Parentis jussu ad communionem sub una rediisset. Inde occasionem nactus est Lutherus, ut ista scriberet. Occurrit etiam alii objectioni, ac si de articulo illo Lutherus ipse suique incerti essent & titubarent, quia Marpurgi cum Zuinglianis transegerint. Nam, etsi mutuam charitatem sibi invicem promiserint, id est, ne Pontificiorum more armis invicem grassarentur; exceptum tamen esse disertis verbis articulum de Sacramento. Provocat non saltem ad scripta sua, sed & ad Confessionem & Apologiam Augustæ editam; eum vero, qui tam stultus sit, ut ex istis intelligere nolit aut non possit, quid credatur, missum faciendum esse, neque talibus omnibus a se responderi posse. Ich müste warlich viel papier und schreiber haben / wenn ich einem ieglichen Narren besonders antworten solte. Ein Narre kan wohl mehr plaudern / denn zehen Weise berichten mögen. *Multa mihi charta (ait) multisque opus esset amanuensibus, si omnibus & singulis stultis respondere debeam. Unus stultus plus garrire potest, quam decem sapientes doceant.* Adversus hæc *Cochlæus* magno zelo, ut gloriatur, accensus, apologiam pro Georgio edidit in Lutherum, & scripta ejus, quæ recensuit, acerbissimam. Ejus compendium ipse in *Miscellaneis* suis Ingolstadii anno 1545. excusis *Lib. I. tractatus p. 56.* fecit, idemque in *Historia de actis & scriptis Lutheri* iterum referre gestiit, *p. 247. & sqq.* Speciem quandam

(8) Amovet calumniam, ac si communionem sub una probet.

(9) Aut cum Zuinglianis colludat.

(10) Negat se omnibus stultis respondere posse.

(11) Cochlæus Lutheri apologiam impugnat.

habe, (convitia enim & mendacia exscribere nihil attinet) quod Senatus Lipsiensis testimonio probari posse scribit, juramenti formulam, quam Lutherus impugnabat, a Georgio non fuisse propositam, putat itaque, ingeniose a nebulonibus vicinis confictam esse. Accusat etiam Lutherum, quod verba ejus formulæ corruperit, neque enim jurantes in ea obligari *ad doctrinam Lutheranam persequendam*, quæ verba Lutherus insectabatur, ut dixi. Sane in eo exemplo, quod *d. Tom. Luth. VI fol. 3.* refertur, nihil reperitur de persecutione, sed dicitur, jurare debere, se *damnaturos & contemturos Lutherum cum doctrina sua,* verdammen und verachten / additur tamen, ketzerisch und irrig zu halten / pro *hæretica & erronea* habituros, ex quo Lutherus, nisi aliud formulæ exemplum habuit, persecutionem colligere potuit, a qua adversarii non solebant abstinere, sed eam sibi incumbere existimabant, contra eos, quos pro hæreticis habebant. Cæterum *Cochlæus* ubi *fol. 250.* narrat, a Georgio septuaginta civibus Lipsiensibus, qui noluerint sub una specie communicare, tempus a Paschate ad Pentecosten præfinitum esse, ut aut parerent, aut, venditis bonis suis, urbe emigrarent; addit: supplicem libellum eos exhibuisse, callide compositum (intelligit illum, cujus in anno 1532. §. XV. memini) in quo inter alia, *doceri se velle de articulo illo*, dixissent. Rogatu itaque Principis ab Episcopo Mersburgensi, (ut Ordinario loci) fidelissime informatos esse, sed nullo effectu, neque enim plures, quam duos revocari potuisse, cæteros gloriam tolerati exilii affectasse. Ex iis vero, quæ subjungit, conjici potest, non vane irrisisse Lutherum examinatores illos, scribit enim *Cochlæus* urgentibus verbum Dei Lutheranis responsum fuisse, *verbum Dei clarum haberi quo audire jubemur Ecclesiam; nullum autem expressum dari, quo præcipiatur, ut Laicis utraque species detur:* Quasi vero Ecclesia audiri debeat adversus verbum Dei, aut præceptum clarissimum de utraque specie non contineant verba Christi, a tribus Evangelistis relata, & a Paulo Apostolo repetita, totique Corinthiorum cœtui proposita; ut ita cavillationi ineptissimæ, quasi Christus ad solos Apostolos communionem illam utriusque speciei restrinxisset, omnis fucus detergeatur. Similis fere est argutia hæc illi, quam supra §. XVII. ex hoc ipso *Cochlæi* libro *fol. 258.* retuli. Libellum istum suum ausus est Cochlæus, ut ipse refert, Electori Saxoniæ mittere, & judicium contra Lutherum postulare, in quo eum hæreseos convinceret, sed nullum ab Electore responsum tulit, & Cancellarius haud dissimulavit, quid in illo displiceret. Nactus autem librum erat Lutherus, ut ex *Cochlæo d. l. fol. 253.* percipitur, industria *Benedicti Pauli* JCti Wittenbergensis, qui tum forte Dresdæ fuerat, & folia plurima ex typographia adeptus Luthero detulerat: Ideo statim refutationem orsus est ea diligentia, ut hæc cum Cochlæi scripto in iisdem compareret nundinis Lipsiensibus autumnalibus. Quia vero Cochlæus, aut potius (ut ipse excusat) typographus, more consueto, insignia Ducis Georgii libro præposuerat, Lutherus librum suum inscripsit: *Responsum breve ad proximum librum*

(12) Ejus inanis argutia pro communione sub una.

(13) Lutherus Cochlæi libro celeriter respondet.

An. 1533.

An. 1533. *Ducis Georgii.* Kleine antwort auf Hertzog Georgens nechstes Buch. Habetur *Tom. VI. Alt. fol. 19. ad 32.* Præfatur, se, cum intelligat inter Electorem & Principes *diem Simonis & Judæ* proximum (28. Octobr.) constitutum esse ad tractandum de concordia, calamum, quem contra Ducem acuisset, sepositurum; jam vero præliminariter ad accusationem, a Legatis Georgii ad Electorem Altenburgi propositam, & Cochlæo, (quem pro more D. Rotzlöffel vocat) non quidem ad omnia convitia, pari vehementia responsurum, sed oppositurum esse, quæ legentibus utilitatem afferre possint. Criminati autem fuerant Lutherum legati Ducis, ut *mendacem*, quod juramenti illius Lipsiensis formulam ipse finxisset, dein ut *perjurum* & *apostatam*, quod a monachatu descivisset. Ad primum paucis respondet, & ipsius Cochlæi testimonio se tuetur, qui formulam juramenti aliunde impetratam libro suo inseruerit, neque tamen detrectare videtur indicium, quomodo illa ad se pervenerit, sed jam illud differt. Monachum se fuisse non negat, & quidem pium & talem, qui, si quis unquam alius, regulæ suæ stricta observantia cœlum potuisset sperare; perjurii autem accusari non posse non solum a Georgio, cui juramento non fuerat obstrictus, sed etiam quia monachi non jurant, sed vovent. Cur vero a voto illo recesserit, sive apostasiam, ut Georgii Legati loquebantur, commiserit, rationes affert, magna cum libertate & vehementia, de qua acerbe queritur Cochlæus. Reprehendit ante omnia, quod monachatus blaspheme æquiparetur meritis Christi & baptismo, immo quod hoc potior habeatur, cum tamen totus ex humanis inventis conflatus sit, neglecto verbo Dei, quod nemo unquam satis legere & docere possit. *Ego* (inquit *fol. 23.*) *magno studio, precibus & vigiliis per annos viginti lectioni sacræ incubui, annos duodecim Scripturas docui, legendo & scribendo, incredibili labore, & inter quotidianas afflictiones & persecutiones, neque tamen nisi tyro sum, in rudimentis hærens.* Monstrat, absurdum & impium esse, quod monachi meritis suis etiam aliis succurrere velint, cum tamen contrario dogmate dicere soleant, & Laicis sæpissime ingerant ex *Eccles. IX. nescit homo, an odio an amore dignus sit.* Bernhardum moriturum agnovisse se nihil meritum esse, & sic quoque apostasiam a monachatu fecisse, ex historia ejus refert. Paria addit ex Augustino & Gregorio Romano. Votum itaque monasticum ita exponit, ac si quis Deo dicat: *Hucusque mihi persuasi, me ob baptismum & verbum filii tui tibi placere, ex tua nempe gratia & opere. Sed ista nunc missa faciam, & novo baptismo monachali utar, meisque operibus purus & innocens fiam. Nescio tamen* (Eccles. 9.) *an amore an odio tuo dignus futurus sim.* Persequitur inde alios errores, puta, quod dicant, requiri quidem gratiam Dei ad implendam legem, sed gratiam illam impetrari meritis eorum, *qui faciant, quantum in se est;* id quod etiam *Gersonem* & *Joh. Niderum*, pios cæteroquin doctores, docuisse indicat, cum tamen sit dogma Judæum, Turcicum & Pelagianum. Dein, quod opera supererogationis jactent, vanissimo prætextu, quod non solum præceptis, sed & consiliis Evangelicis satisfaciant. Postea vota obedientiæ, castitatis & paupertatis perstringit, & quam nihil boni contineant, ostendit: Justo Dei judicio, quanquam injusto facto rusticorum, destructa esse ait monasteria, & optandum, ut nec vestigia eorum superessent. Ad librum inde *Cochlæi* accedens, hominis futilitatem, Wormatiæ ab omnibus cognitam & derisam, describit. Georgium culpat, quod insignia sua libro isti præfigi sinat, ex quo non nisi dedecus ad eum redundet. Calumnias in eo sparsas contra Electorem Johannem pie defunctum, & nullius manifesti criminis reum, detestatur: insimulabatur enim hic a Georgio, ac si centum aureorum millia Episcopis extorsisset; (Packiani fœderis occasione,) & certo se scire ait Lutherus, ne teruncium quidem ex illa pecunia ad Electorem pervenisse, & hunc ab Episcopis ipsis laudatum fuisse, nec peccasse, quod ad defensionem se paraverit, tam probabilibus argumentis invitatus. Addit denuo quædam quibus fœdus illud probabile fiat, præsertim ex *Dessaviensi* pacto, a Georgio cum Brandenburgico Electore & aliis inito, in quo dictum fuerit, ad rusticorum tumultum componendum necesse esse, ut Lutherus & Lutherani extirparentur; idem missis ad comitia *Eslingensia* Legatis proposuisse, obtendentem, quod Turcis aliter resisti non possit. Ista & alia ulterius se deducturum esse pollicetur. Respondit etiam ad hæc suo more *Cochlæus*, ut ex ipsius relatione *d. fol. 253. & sq.* apparet, ubi simul memorat, conventionem inter Principes secutam, in qua cautum fuit, ut Cochlæo & Luthero omnibusque aliis interdiceretur, ne contentionibus suis de religione intermiscerent nomina causasque Principum suorum aut civitatum.

(14) *Refellit calumnias Legatorum Georgii, qui se apostatam vocaverant.*

(15) *Rejicit jactata monachorum merita.*

(16) *Cochlæum irridet, & Johannem Electorem defendit.*

(17) *Packianum fœdus objicit Georgio.*

(18) *Replicat Cochlæus.*

(19) *Principes huic & Luthero silentium indicunt.*

ADDITIO II.

Luculentius ex Archivo (*Reg. C. fol. 74. n. 21.*) apparet, quando cum fervore pro Luthero & contra eum certatum sit, inter *Johannem Fridericum* Electorem & *Georgium* Ducem. Fervidior ille erat juventa, hic senio stomachabundus & supercilio elatus. *Georgius* d. 23. Aprilis de consolatione Lutheri, d. 11. Aprilis ad Lipsienses scripta, questus erat, & conventionem quandam, Altenburgi vivo Johanne Electore factam, de sistenda nempe Lutheri vehementia, allegaverat; sed opponebat *Elector* d. 26. Aprilis, quæ Dresdæ, sub nomine *pastoris Coloniensis*, contra parentem defunctum edita fuerant, ut & acta in comitiis Augustanis & Ratisbonensibus, monens, ut Georgius jam senex & sepulchro proximus de propitiando potius Deo cogitaret, quam acrius semper claræ & apertæ veritati Evangelicæ reluctaretur: se sane, addebat, Deum precari cum suis, ut illum ad agnitionem verbi sui perducere & ex Saulo Paulum facere vellet. His irritatus *Georgius* d. 8. Maji duriter replicans, deponere jubet Electorem de se solicitudinem (soll sich um ihn unbekümmert lassen/) negatque preces ejus, qui ab Ecclesia Christiana sese separaverit, in pretio apud se esse: miratur, quod nunc demum acta in comitiis sibi objiciat, cum nihil monuerit, quando Dresdæ nuper præsens fuisset. Repetiit priora *Elector* d. 12. Maji, id maxime refutans, quod Georgius Luthero imputabat, ac si Lipsienses urbe pulsos ad seditionem excitasset; hoc re ipsa falsitatis convinci, quod illi relictis omnibus in exilium abierint. Nihilo magis vera esse, quæ de turbis, ex Lutheri doctrina provenientibus, objectaverat, contrarium a toto mundo agnosci dicens, &, quicunque saperent fateri, orthodoxam esse Augustanam confessionem & apologiam, antichristiana vero & impia,

(a) *Acerrima inter Electorem & Georgium Saxoniæ Ducem contentio per literas.*

An. 1533.

impit, quae contra eam docerentur. Provocat ad judicium Dei & conscientiam Georgii, annon Augustae & Ratisbonae contra communia familiae pacta adversum se machinatus sit, & se id apud arbitros probaturum esse recipit. Jubet eum trabem ex suis oculis prius amovere, quam sibi festucam evellat. Exprobrat ei belli & sanguinis studium; condonaturum tamen se esse offert illi omnia, dummodo peccata agnoscat & corrigat. Quod vero Dresdae haec ei non objecerit, comiter factum esse, ne domi suae molestiam ei exhiberet. Asperrima est *Georgii* retorsio d. 18. Maji, qua inter alia monachorum expulsionem, & quod reditibus sacris in luxum abutatur, Electori exprobrat. Haec convitia Elector ad animum revocat, ad quae nec ipse nec Lutherus tacere possit. Professum se esse ait cum parente suo publice, ab aliquot jam annis, religionem Evangelicam, nec passurum adversus hanc criminationes, denique seditionis culpam Luthero impactam in Georgium rejicit.

(b) Expostulatio Legatorum Georgii cum Electore.

Cum finis rixarum per literas non esset, *Georgius Henricum a Schleiniz, Doct. Georgium a Breitenbach & Johannem Pflug* ad Electorem misit, qui d. 10. Augusti (ut *Spalatinus in hist. MS.* refert,) publice coram tota aula cum Electore expostularent, & Lutherum mendacii arguerent, quod scripsisset, Lipsiensibus juramenti formulam adversus religionem Evangelicam imperatam fuisse. Iis mascule responsum fuit ab *Electore* per *Pontanum*, cum magno Lutheri elogio, quod verbum Dei purum praedicaverit, idque conservaturus in provinciis suis sit Elector.

(c) Transactio Grimmae secuta.

Post haec res ad arbitros delata est, qui *Grimmae* d. 13. Novembris pronunciarunt, abolendas esse rixas, & ab iis abstinendum. Theologis scribendi modestiam injungendam, praeterea extra causam religionis, pacem & concordiam inter Principes servari debere. Extat in collectan. *Bavari Tom. II. p. 395.*

(d) Quadam de Electoris Brandenburgici judicio in causa Georgii Ducis & Lutheri.

Justi Jonae ad *Guilielmum Reiffensteinium* epistola MS. d. 18. Septembris, in qua narrat: *famam esse, quod Elector Brandenburgicus in sinu gaudeat, quod Georgius suaviter exceptus sit a Luthero*, impar quippe in hac arena congressus Achilli, & *quod sibi ob prudentiam gratuletur, quod* genus irritabile vatum *non irritaverit magis.*

§. XXII.

(1) Lutheri liber de Missa angulari.

Composuit versus finem hujus anni Lutherus librum *de Missa solitaria sive angulari, & de consecratione sacerdotum.* Von der Winckelmesse und Pfaffenweihe. *Tom. VI. Alt. fol. 85. ad 112.* Latine versum a Justo Jona, & *Tomo VII. Lat. Wittenb.* insertum. Dixi de illo haud pauca *Lib. I. in Addit. I. ad §. CII.* Plura vero in dissertatione antea Jenae *a D. Caspare Sagittario* adversus *Cordemoyum* Gallum edita. Nunc ex Lutheri libro quaedam referri merentur, praeteritis tamen plerisque, quae adversus abusum Sacramenti Eucharistici, ejusque nundinationem acerrime disputat, quia ex aliis ejus libris, quos allegavi, ista satis patent.

(2) Dehortatur Lutherus a Missis, ob ignotam linguam & sacerdotum nequitiam, cujus exempla refert.

Ab audiendis autem Missis dehortans Christianos, inter alia hoc utitur argumento, quod nesciant nec intelligant, quid sacerdos agat. Narrat, se ipsum Romae audisse, qui referrent, esse, qui inter celebrandum, loco verborum Christi, murmurarent, *panis es, & panis manebis: vinum es, & vinum manebis*; a multis etiam, ait, absque devotione ulla missalia verba deproperari, & iterum Romanorum exemplum allegat, qui se attentius & tardius missificantem festinare jusserint. Münzerum quoque narrat, pro concione *Allsteti* jactasse, se *Halis*, cum in monasterio virginum matutinas missas perageret, saepe ex indignatione verba consecrationis omisisse, & ipsum *inconsecratos Deos* (ungeweihete Herr-Gotte) supra ducentos devorasse. Subjungit aliam dubitationem, quod non constet de fide, (historica saltem) neque de intentione sacerdotis, &, quam nullius momenti sint, quae pro palliandis illis defectibus allegari soleant. Disputat inde de intentione Ecclesiae, ad quam confugiunt, qui de intentione sacerdotis ambigunt, & inventum illud pro antichristiano habet. Nullam autem aliam intentionem Ecclesiae esse posse dicit, quam quae in sacris literis fundatur; dum Ecclesia credit, quae in Scripturis credenda proponuntur.

(3) Explicat, quomodo conservata fuerit Ecclesia, in corruptelis sub Pontificatu, quarum summam recenset.

Cum vero objici posse videat, si tollatur excusatio de intentione Ecclesiae, & asseratur, quod sacerdotes Missatici frustra consecrent, sequi, quod a multis seculis Ecclesia Christiana & sancta non superfuerit; distinctione inter Ecclesiam, & ejus corruptelas seu abominationes, sese expedit. Mansisse enim statuit Ecclesiam, dum manserit *Baptismus, recitatio sancti Evangelii de pulpitis* in lingua populari, *publica confessio & absolutio, Sacramentum Eucharistiae*, licet mutilatum, *& vocatio ministrorum* ad concionandum, ligandum & absolvendum, tandem etiam *oratio Dominica, & symbolum fidei*, lingua etiam populari recitatum. His servatis servatam esse Ecclesiam & aliquos sanctos, ista enim omnia (excepta mutilatione Sacramenti, vi introducta) per se esse ex instituto Christi, & per ea Spiritum sanctum in cordibus suorum operari potuisse. Difficillima quidem tempora illa fuisse, sicut Eliae, multaque opus fuisse potentia & providentia Dei, ut fidem in suis servaret, multa etiam patientia, ut errores piorum quoque, toleraret, quos aliquando non nisi morientes agnoverint, ut *Bernardus, Gregorius, Bonaventura*, eamque difficultatem praedictam fuisse a Christo *Matth. XXIV. 23.* interim electos non periisse, & Christi merito & gratia omnia illorum peccata, omnesque errores sublatos fuisse. *Corruptelas* deinde vocat ipsos sacerdotes & Episcopos, idque per plurimos articulos deducit, puta, quod ex Sacramento sacrificium fecerint, calicis usum pro lubitu sustulerint, aliquibus tamen v. g. Bohemis restituerint, Baptismi veras vires populum celaverint, satisfactionem Christi contumeliose ad peccatum originis restrinxerint, humanam seu sacerdotalem pro actualibus substituentes. Tolerabilius alios, sed tamen errasse, qui *fidei formatae* justificationem tribuerint, abusi dicto Pauli *Gal. V. 6.* ubi tamen Apostolus non de actu justificationis, quem per totam epistolam fidei soli clarissime adscripserit, sed de tota vita Christiana agit, quae in fide & charitate consistat, neque etiam dicat, quod charitas operetur, sed quod fides operetur per charitatem, quam scilicet producit.

(4) Impugnat chrisma; excusat veterum lapsum; oblata Augustae Episcopis nunquam reiteratum iri existimat.

Impugnat postea *Chrismatis* ceremonias, & vocabulum *sacerdotis* perperam usurpatum, cum excusatione tamen veterum, qui bona mente talia introduxerint, & baptismum ordini sacro praefert. Ostendit concionum depravationem, aliaque clericorum vitia, inprimis, quam impie Pontifici potestatem illam immensam super fidem ipsam adstruxerint, & curam animarum neglexerint: singularem vero Dei providentiam agnoscit, quod ministerium concionandi non plane interierit, & vocationes ad docendum per Patronos saltem conservatae sint, licet alia unctione & consecratione sua egerint Episcopi.

An. 1533. Interserit his (*fol. 104.*) quædam de oblatione Augustæ facta, ubi Episcopis (veluti olim Antiochis aut Demetriis Pontificum Hierosolymitanorum confirmationes) pacis causa delatas esse dicit ordinationes ministrorum. *Verum* (ait,) *cum obsequium nostrum spreverint* (weil solche demuth ihnen verschmähet ist) *& nobis simpliciter schisma suum aliasque abominationes obtrudere, nos etiam persequi & interficere perstiterint, non reiterabitur officiosa illa oblatio.* (es soll ihnen hinfort nicht mehr so gut werden) *Habeant ista sibi; nos videbimus, unde pastores & prædicatores accipiamus ex Baptismo & verbo Dei, absque illorum chrismate.* Irridet indignationes eorum & objectiones de Episcopali charactere. *Episcopi & Presbyteri*, inquit, *unus ordo est, quod Hieronymus non ignoravit, nec Episcopi illius temporis majores cœtus habebant, quam nunc sunt Torgaviæ, Lipsiæ, Grimmæ, Wittenbergæ, quibus Hipponense oppidum non fuit melius, cujus tamen Episcopus, Augustinus, major fuit in Ecclesia, quam ullus Papa aut Cardinalis, multosque Episcopos & pastores consecravit.* Vim & efficaciam ministerii non ex opere operato, sed ex instituto Christi dependere ait, unde nec efficaciam perdant, etsi a malis conferantur. Addit fabulam de Diabolo, qui aliquando concionatus esse sub forma pastoris dicebatur, de qua, quia malitiose in calumniam Lutheri vertitur, in *Dissertatione* contra *Cordemoyum* aliquid monitum est. Concludit inde, distinguenda fuisse etiam in sacerdote missatico, quæ per errorem & abusum facit ab iis, quæ rite & ex officio præstat. (Das Ambt von der Person / das Heiligthum vom Greuel) *Si itaque concionatus est Evangelium, dic*, ait: *hoc sanctum est & Christi; si contraria affert, dicas: hoc inquinamentum est a Diabolo. Si baptizat servans substantialia, dic: verus est baptismus; si absolvit in nomine Christi, dic: vere absolutus sum, quicquid ille intelligat. Si Missam celebrat, & Sacramentum distribuit secundum ordinationem Christi, vere credas adesse corpus & sanguinem Domini. Si aliter agit, non opus est, ut adesse credas, nec dimidium saltem dedit sacramentum. Excusata tamen est Ecclesia, ab Antichristo decepta, retinuit enim nihilominus fidem de institutione Sacramenti:* idque vel ex veteri cantione Germanica, in communione & processionibus usitata, (quæ etiam nunc in nostris Ecclesiis frequenter auditur) Gott sey gelobet und gebenedeyet ꝛc. patere. *In illa enim*, dicit, *expresse dicitur cibari nos carne & sanguine Christi ab ipso Christo. Talibus hymnis publice veluti questi sunt Laici de injustitia Pontificum*, haben zeter und mordio über den Antichrist und winckelpfaffen geschrien. *Et Christus suis ignovit, quod privari se altera specie Sacramenti passi sunt, quid si toto caruissent? ut accidit captivis inter Turcos, & Israelitis, qui per vim cultu publico destituebantur in Babylone.* Describit *fol. 109. & seq.* ritum Sacramenti, suo tempore ordinatum, quem etiam in Ecclesiis Saxonicis adhuc servamus, & subjungit: *Gloria & laus sit Deo, quod ad tempus hoc vixerim, quo oculis video Missam vere Christianam, & purum ac legitimum Sacramenti sanctissimi usum: video hunc magno cum cordis mei gaudio, post abominabilem abusum, quem ipse, proh dolor! sub corruptelis Pontificiis tot annis adjuvi. Terreor sane, cum cogito, quanta devotione ego & alii illo tempore Missas solitarias peregerimus, sed fecimus id ex ignorantia, ideoque condonavit hoc nobis mitis Salvator noster Jesus Christus, quia id nunquam posthac fecimus.* De Antichristianismo vero, qui in medio Ecclesiæ Christi dominatur, hæc habet: *Papatum non agnoscimus pro Ecclesia, neque pro parte ejus, sed pro corruptione & desolatione, sive pro Antichristo, qui Ecclesiam, verbum & ordinem Dei impugnat, & se supra illos extollit ut Deus Deorum, secundum vaticinia Danielis & Pauli. Quia vero nos & Ecclesia sancta corporaliter* (localiter) *non possumus dividi ab Antichristiana illa corruptione sive Antichristo, quia ad finem usque seculi non extra, sed intra Ecclesiam, ut Christus docet, in loco sancto sedebit; separemur tamen spiritualiter & recto sensu, vitemus corruptiones ejus, ut in vera fide puri consistamus & inquinamentum ejus abjiciamus.* Initium itaque nunc se denuo, dicit, fecisse, destruendo per hunc libellum chrisma & unctionem sacerdotum Antichristianam, & Ecclesiæ veram ministrorum ordinationem, ad morem antiquum, quem majores Episcopi minoribus eripuerint, vindicasse. Desperata nimirum jam conciliatione, quæ Augustæ tentata fuerat, cui annexa erat continuatio aut restitutio Episcopalis ordinationis, necessum erat, ut ministri Ecclesiæ in regionibus & civitatibus Augustanæ confessioni addictis ordinarentur, non ad Missas sacrificatorias, sed ad prædicationem verbi & Sacramentorum dispensationem. Ne igitur dubitaretur de jure & effectu hujus ordinationis, ita consuluit conscientiis suorum Lutherus, ut ostenderet sacrificii Missatici, & instituti ob id sacerdotii, nullitatem. Dein, quia Episcopi non nisi sacerdotes missificantes ordinabant, & sic ministri Ecclesiarum Protestantium ordinationem ab illis petere non poterant, jus vocandi ipsis asserebat Ecclesiis, eoque modo separationem a Papatu stabiliebat, quia hic conciliari cum Ecclesia Protestantium nequibat, (idque Augustæ frustra tentatum erat) vi autem cum non posset tolli, ferendus erat, relictis nempe in Germania etiam Episcopis, cum Principibus & civitatibus illi adhærentibus. Hic scopus ex illis, quæ paulo ante allegavimus, Lutheri verbis intelligi potest. De jure vero vocandi & ordinandi ministros, sequentia notanda sunt, cum *fol. 111.* scribit: *Hæc est veluti petra & solidissimum fundamentum nostrum: ubi Evangelium recte & pure docetur, ibi necessario est Ecclesia Christiana; qui enim de hoc dubitat, is etiam de Evangelio & verbo Dei dubitat. Ubi autem est Ecclesia Christiana, quæ illa & maxima habet, nempe Verbum Dei, Christum, Spiritum, fidem, orationem, baptismum, sacram cœnam, claves, ministerium; illa habet etiam secundaria, jus nempe vocandi ad ministerium viros, qui doceant verbum Dei & Sacramenta dispenset. Quid enim fieret de verbis Christi Matth. XVIII, 19. 20.* Ubi *duo aut tres &c. quod juris habent duo aut tres, id multo magis habent integri cœtus. Quam simpliciter loquitur de ordinatione Paulus II. Timoth. II. 2.* Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt &

(5) *Episcoporum & Presbyterorum ordinem pro eodem habet.*

(6) *Errores sacerdotum ab iis quæ rite faciunt, distinguit, & plebem, ab illis deceptam, excusat.*

(7) *Laudat ritum Sacramenti in Saxonia.*

(8) *Ostendit, quis sit Antichristus.*

(9) *Scopus hujus libelli, ut ordinatio pastorum in Ecclesia Protestantium defenderetur.*

(10) *Ordinatio ex jure divino omnibus cœtibus Christianis competens asseritur.*

An. 1533.

& alios docere. *Nullum hic chrisma nec butyrum, sed solum mandatum est, ad docendum Verbum Dei: cui hoc mandatur, cum Paulus habet pro pastore, Episcopo & Pontifice, omnia enim sita sunt in verbi divini prædicatione. Hoc est officium, quod Christus pro suo proprio & supremo habuit: per verbum enim fiunt Sacramenta, & constituitur forma Sacramenti, quod non negant Pontificii. Christus certe oblitus est chrismatis, cum Apostolis diceret Matth. XXVIII.* Euntes docete omnes gentes, & docete eos servare omnia &c. *ergo etiam, ut prædicent verbum Dei, & Sacramenta administrent &c.* Apparet hinc, quod supra notavi, vero & infallibili fundamento innixum esse Lutherum, & frustra tantis clamoribus a Protestantibus posci, ut jus vocandi & ordinandi ministros Ecclesiæ Romæ petant. Sequitur enim id, ut annexum necessarium doctrinæ Evangelicæ, ita, ut, ubicunque hæc innotescit & agnoscitur, ibi statim facultas, immo obligatio nascatur ministeria constituendi, neque necesse est, ut hæc per manus Episcoporum propagetur; minime omnium, cum officium illud suum ipsi denegant, & eo ad stabiliendos errores, & iniquam potestatem, abutuntur. Satis ergo oblatum fuit Episcopis in comitiis Augustanis, dum ordinationem eorum admissuros se esse profitebantur Protestantes, si modo eo ad substantialia illa ministerii capita recte uti vellent, ad docendum scilicet verbum Dei & administranda Sacramenta, ex forma divinitus præscripta, omissis, quæ per seculorum barbariem invecta, & Protestantium conscientiæ intolerabilia erant. Cum vero nihil ab iis obtinere possent, ipsi se officio illo privarunt Episcopi, & recurrendum fuit Ecclesiis ad jus suum originarium, quod a Luthero, ut retuli, ex dictis Christi & Apostolorum deductum est, ad conscientiarum tranquillitatem: nam publico & politico jure jam tuti erant, cum pacificatione Norimbergensi reformationis suæ continuationem, ad concilii usque definitionem, obtinuissent.

§. XXIII.

(1) *Literæ Lutheri ad Francofurtenses, pro defendendo literali sensu verborum Christi in sacra cœna.*

Circa controversiam de Sacramento Lutherus non plane quietum hunc annum habuit. Dixi supra §. *XV.* de ejus epistola ad *Albertum* Borussiæ Ducem. Aliam vero non minus severam hoc anno dedit, & typis publicavit, ad *Senatum & populum Francofurtensem ad Mœnum*, quæ legitur *Tom. VI. fol. 112. ad 118.* Audisse enim se, scribit, ab illis, qui ex illorum nundinis (vernalibus nempe) rediissent, esse apud eos concionatores doctrinæ Zuinglianæ addictos, sed qui subdole jactent, *se eadem cum Luthero docere*, iis autem, qui sententiam eorum penetrare vellent, respondeant, *non opus esse populo, ut sciat, quomodo præsens sit corpus & sanguis Christi, sufficere talem præsentiam corporis Christi credi, qualem Christus intellexisset.* Hoc implicitum fidei genus vehementer improbat, aliaque ejus affert exempla Arianorum & Pontificiorum, & vulgarem narratiunculam addit de fide *carbonarii*, in ponte Pragensi a Doctore quodam interrogati, *quid crederet?* hunc enim respondisse, *se credere, quod Ecclesia credat*; iterum interrogatum, *quid Ecclesia crederet?* replicasse: *id, quod ego credo.* Ut autem bilinguium, quos vocat, concionatorum simulatio detegeretur, *interroga*, ait, *talem, quid id sit, quod tibi porrigit, & quod tu accipis. Si cum Zuinglio sentit, & candidus est, dicet utique, panem & vinum se dare, & te accipere; te vero corpus & sanguinem Christi in mente habere & credere debere. Sic apparebit, non esse Lutheranum. Si vero dicat, sufficere tibi, si credas, id corpus dari, quod Christus intellexit, illum scias tibi illudere, nec minus Zuinglianum esse.* Suum autem dogma Lutherus ex confessione sua peti vult, tum maxime ex Augustana confessione. Nec minus apertum esse, quod Christus intellexerit, nempe ex verbis ejus clarissimis: de quibus iterum ad scripta sua novissima provocat, questus simul, quod quidam sermonem suum, ante exortam de Sacramento quæstionem habitum, maligne allegaverint, & recudi fecerint. In eadem epistola defendit Catechismum suum, in quo confessionis formulam popularem, speciminis cujusdam gratia, præscripserit: eam vero irrideri intellexerat totamque confessionem rejici, ut Papisticum fermentum. Ait igitur, se rejecisse & adhuc rejicere confessionem illam, in qua enumeratio omnium peccatorum stricte exigitur, neque alio fine, quam ut obediatur sacerdotibus, & ad illorum præscriptum satisfactiones præstentur, omissa consolatione & instructione salutari. Retineri autem suadet illam, in qua præcipua peccata, conscientiam gravantia, indicantur, & post explorationem, quid de fide & Sacramento intelligat is, qui confitetur, a presbytero absolutio sequatur, & postea communio. Hanc confessionem putat summæ utilitatis esse, ad populi simplicioris & juventutis instructionem, licet non sit necessaria doctis, & ad disciplinam Christianam viventibus, e. g. D. Pomerano aut Philippo Melanchthoni. *Se vero*, dicit, *millies toto orbe*, (tausend und aber tausend welt) *si suum esset, carere malle, quam talem confessionem ex Ecclesia ejicere.* Rationes addit a commoda populi instructione, & a fructu consolationis, quæ ex absolutione percipitur, idque suo exemplo confirmat. Notari hinc potest, valde adversari Lutheri intentioni illos ex nostratibus, qui examen & colloquium, sive in confessionis actu, sive ante eum, cum simplicioribus non instituunt, quod tamen ut fieret, Lutherus tantopere ursit & commendavit. Neglecto enim illo, omnia ad formulas confitendi & absolvendi (usu frequenti vilescentes & frigidas) rediguntur. In fine, cum sugillari audiret, quod in præscripta formula confessionis titulum *Reverendi* pastoribus dari judicasset, (würdiger lieber Herr) Aristarchos illos Münzerianæ inculcat insaniæ, quæ nullos hominum titulos gradusque ferre velit, & Francofurtenses ab illa dehortatur, ne in calamitatem Mülhusinorum, quos itidem, sed frustra, a se monitos esse scribit, incidant. Hæc forte ea occasione monenda esse duxit, quia tunc Anabaptistæ multis in locis plebem ad paritatem anarchicam, novamque regiminis formam incitabant, ut ex Monasteriensi historia istius temporis constat. Lutherus autem non solum titulum *Reverendi*, sed & *Sancti* pastoribus dari optat, quo vete-

(2) *Item pro utilitate confessionis & catecheseos.*

(3) *Nec non pro titulo Reverendi Pastoribus dando.*

An. 1533.

An. 1533. veteres Ecclesiæ doctores, Hieronymus, Augustinus & alii usi fuerunt, & quo non persona, sed officium honoratur: *Utinam*, ait, *non alius error in Papatu fuisset, quam quod Papæ* sanctissimi *titulum tribuant, ego profecto illum* ter sanctissimum *vocarem.*

Hospinianus Part. II. in anni hujus 1533. *historia* hanc epistolam in censuram vocat, ad quam non opus est hic responderi. Refert tamen, hoc ipso anno *Martinum Bucerum* mense Majo cum Bartholomæo Fontio, Veneto, Argentorato Tigurum profectum esse, ibique se a suspicione, ac si ab illorum sententia defecerit, purgasse, & confirmasse, se ad extremum usque vitæ halitum in ea perseveraturum esse: Lutherum vero simul excusasse, quod verbis magis, quam re dissentiat, nec ullam præsentiam asserat, quæ fidei capitibus adversetur: rogasse etiam, ne adversus Lutherum ob epistolam illam ad Francofurtenses acerbius aliquid tentarent vel scriberent, idque ab iis obtinuisse, licet libro *de Missa privata*, in quo de Oecolampadii morte haud bene judicaverat Lutherus, denuo irritati essent ministri Ecclesiæ in urbe, & jam convocatis ex agro & consultis Superintendentibus & Decanis, apologiam doctrinæ suæ latine & germanice composuissent: nam & hujus editionem, licet ad finem fere perductæ, & jam Senatui exhibendæ, Bucero intercedente, & spem concordiæ certam ostendente, omiserunt. Bucerus enim jam ab aliquot annis per Germaniæ superioris urbes concordiam in lite Sacramentaria sedulo procurabat, & non solum aliis, sed & Luthero persuadere conabatur, dissensum non nisi in verbis & formulis esse, id quod Lutherus minime admittebat, interim vix ulli, quam Bucero, placidius respondebat. Patet id inter alia ex epistola memorabili ad *Bucerum* & *Bonifacium Wolfhartum*, sive *Lycosthenem*, Ecclesiasten Augustanum d. 29. Febr. 1532. data, quæ in *collectaneis Bavari Tom. I. p. 859.* & alibi *MS.* extat. Eam his verbis Latinis exorditur: *Ego sum homo candidus, nihilominus possum, quam simulare & dissimulare, sed quicquid dico in hac summa Eucharistiæ causa, ex corde dico. Quæso vos, amatissimi,* (ita pergit germanice) *ne de hoc dubitetis, idemque vestratibus significetis, quod sine omni simulatione & dolo agam.* Testatur porro, se quidem eos patientissime ferre, (kan für meine person gantz wohl gedult mit euch haben) videre enim ipsos longius progressos esse, & tam profunde hærere, ut difficile illis sit gradum tam cito referre, sed magnum etiam in hisce regionibus numerum esse, ut ipsi Smalcaldiæ, (in conventu anno 1531.) viderint, quos manu aut veluti freno ducere nequeat, (ich kan sie nicht alle in der faust führen/) neque omnibus persuadere, ut Bucero & aliis credant; conjicere tamen, quam difficile etiam illis esset, ut nunc contraria & diversa profiteantur ab iis, quæ antea docuerint, aut publice agnoscant se, Deo permittente, lapsos esse, hoc tamen exigere quosdam (inter quos nominat Amsdorfium & Osiandrum) qui illorum palliationes (euer umher-mänteln) diutius ferre nolint, neque contentos esse, si dicant: non recte intellecta esse, quæ dicta & scripta sunt; revocationem potius urgere, qua Deo satisfiat & conscientiæ; neque se ab his dissentire posse, moram tamen dimidii vel integri anni facile laturum. Meminit literarum, quas ad Consulem Basileensem, virum laudatum, & quem magnifaciat, scripserit, & quidem humanissime, auffs freundlichste/ gütigste und lieblichste. Tractat veluti per locum communem, quam necessarium sit, ut populus simpliciter, fideliter & aperte erudiatur de iis, quæ credere debeat. Improbat *Blaureri* explicationem, quem docuisse audierat, panem & vinum esse objectum sensuum, corpus & sanguinem Christi vero esse objectum fidei. De *Carolostadio*, qui apud Helvetios tunc erat, scribit, illum neque dialecticum nec rhetoricum esse, & licet aliquid sciat, docendi tamen donum non habere. *Ipse*, ait, *me in Doctorem promovit, neque illi infensus sum, sed stolidæ ejus sententiæ adstipulari nequeo. Vos nihil per eum efficietis: finite illum Basileæ lectionibus academicis incumbere & disputare, sic non nocebit populo, & inveniet, qui illi respondeant. Populus docendus non est sublimibus & contortis verbis, quæ capere nequit: Pueri, fœminæ plebejæ, senes, qui templa frequentant, ardua illa & abstrusa verba non percipiunt, neque ex iis proficiunt, & licet dicant, se egregia audivisse* (hätten köstliche dinge gehöret/) *nescire tamen, si interrogentur, qualia fuerint. Dicenda illis est scapha, scapha; & ficus, ficus.* Exemplum Christi allegat, & ad imitandam ejus simplicitatem hortatur illos, cum magnis cœtibus præsint, de quibus Deo respondere teneantur. Promittit tamen, se illis, qui comiter scripserant, omni cum comitate responsurum esse. Laudat porro felicitatem temporum, quo bonæ artes egregie doceantur, unde spes sit, viros educari posse ad Ecclesiæ ædificationem. Ad idem studium eos excitat, & exemplum *Magdeburgensis* urbis laudat: in ea florem & coronam omnium scholarum esse refert, in qua sexcenti pueri præclare informentur, commendatque *Georgii Majoris* præstitam operam. Hic Norimbergæ natus & Wittenbergæ studiis operatus, (ut in *vita* ejus *p. 469.* refert *Melchior Adamus*) Caspari Crucigero, Wittenbergam revocato, in regimine Scholæ Magdeburgensis, Lutheri commendatione, anno 1529. suffectus erat, & apud primores Senatus effecerat, ut Schola ex incommodo Augustinianorum monasterio in Franciscanorum (contra licet frementium) transferretur, quod futurum esse, vaticinatus fuisse dicitur *Johannes Hiltenius*, monachus Isennacensis, sicut & prædixerat, *fore, ut ex Vinariensi granarium, ex Wittenbergensi armamentarium fieret*, ut & factum est.

(4) *Bucerus apud Tigurinos purgetur, non cum Luthero de hac epistola, vel libro de Missa, rixarentur.*

(5) *Lutheri ad Bucerum & Lycosthenem epistola, de concordia in quæstione Sacramentaria.*

(6) *Laus Scholæ Magdeburgensis & Georgii Majoris.*

Magna etiam cum moderatione hoc eodem anno Lutherus scripsit de *Waldensibus* sive *Picardis* in *Bohemia*, qui *Fratres* dicebantur: ita ut præfationem in confessionem illorum ederet, quam illi tunc publicaverant. *Tom. VI. fol. 121.* Narrat, se antehac optasse, ut exacte sciret, quid illi crederent, quos tam vehementer, ut hæreticos, odissent Pontificii; cum tamen optimis viverent moribus, majorisque disciplinæ specie quam Clerus Pontificius. Licet vero libros quosdam eorum postmodum legisset, satis tamen capere eorum sententiam non potuisse, quia insolitis verbis

(7) *Moderate sentit & scribit de doctrina Waldensium, seu Picardorum, in Bohemia, sed absque approbatione errorum.*

&

An. 1533. & phraſibus circa Sacramenta & alios fidei articulos uterentur. Quoniam vero de verbis non ſit contendendum, ſi de re conveniri poſſit, ad colloquium cum illis deſcendiſſe, & poſt multos ſermones deprehendiſſe, illos in articulo de Sacramento, ut a Pontificiorum transſubſtantiatione & opere operato diſcederent, aliter quidem loqui, in eo tamen conſentire, quod verum corpus, verusque ſanguis Chriſti accipiatur. Hoc percepto mitius de illis judicaſſe. Obſervaſſe etiam, quod de Trinitate, de Chriſto, de vita æterna & omnibus fidei articulis orthodoxe docerent, & ſic decreviſſe, *ſe eos pro hæreticis non eſſe habiturum.* Velle quidem, ut conſenſus inter omnes circa fidem, non in corde ſaltem, ſed & in verbis eſſet, ideoque libellum illorum edidiſſe, ut lectores judicarent, quatenus diſcrepent aut conſentiant; Deum autem precari, ut ſectarum numerus minueretur, aut quædam ex iis in ſenſu & ſpiritu eodem concordari poſſint, uno poſtea ore & ſermone Chriſtum laudaturæ. Addit, ſe iſtorum fratrum phraſes approbare non poſſe, neque tamen præcipitanter cum iis agere, aut cogere illos velle, ut ſuas recipiant, dummodo in re conſentiant, donec Deus majora det incrementa. Laudat interim methodum doctrinæ ab ipſis conceptam, qualem Pontifex cum ſuis nunquam potuerit invenire. Suam tamen & Eccleſiæ ſuæ ſententiam (absque jactantia, ad gloriam veritatis divinæ, ut teſtatur) Bohemicæ præfert, quia articulus de gratia & remiſſione peccatorum clarius & certius conſtitutus ſit, fide ac operibus accurate & liquide diſtinctis, aſſignata cujusque propria natura & officio, & ſic etiam in aliis. Confuſis enim illis, ſemper aliquid ex operibus cum fide perperam miſceri: indicat his ab hac confuſione non prorſus puros fuiſſe Bohemos. Commendat autem in libello eorum, quod Pontificios errores evitaverint, indulgentias, purgatorium, vigilias, peregrinationes, cultum ſanctorum, cucullos, tonſuras & alia inventa monaſtica. Reprehendit Lutherum *Hoſpinianus d. l.* quod mitior his fuerit, quam Helvetiis. Sed haud arduum eſt, differentiæ cauſas reddere. Hi enim, licet docti, poſt multas diſputationes acriter in ſua perſiſtebant ſententia. Bohemi rudes, neque tamen indociles, ſpem præbebant conſenſus aliquando integri cum Saxonicis Eccleſiis ineundi, quamvis poſtea Zuinglianæ ſententiæ, etiam in Bohemiam propagatæ, magna ex parte, ut fertur, acceſſerint, quam dogmatibus ſuis convenientiorem eſſe deprehenderunt. Exhibet idem *Hoſpinianus* compendium ſcripti *Auguſtani miniſterii,* in quo erant, qui Zuinglio aſſentiebant, vel cum Bucero mediam quærebant viam. Sed relatione conſulto abſtineo, cum pleraque ex actis poſteriorum annorum cognoſci poſſint evidentius.

(ſ) Ratio, cur mitius hos, quam Zuinglianos, tractaverit.

ADDITIO.

(a) Lutheri expoſtulatio cum Miniſterio Auguſtano.

Acris cum *Eccleſiæ Auguſtanæ miniſtris* Luthero anno 1533. concertatio fuit. Scripſerat d. 8. Auguſti ad Senatum (*Reg. H. fol. 97. n. 41.*) queſtus de *concionatoribus*, quod jactent; *ſe de Sacramento eadem, quæ VVittenbergenſes, docere,* & quod verba ſua ita torqueant & emolliant, ut utraque opinio ex iis intelligi poſſit, aperte vero & diſerte, quid ſentiant, non profiteantur: *Sic,* ait, *homines fuco verborum decip[i], & ſuum nomen prætexi ab iis, qui Zuingliano dogmati addicti ſint; ut ex Catechiſmo ab iis edito conſtet, & ſic nil niſi panem & vinum porrigant:* petit igitur, *ut eos coërceant, ne ſibi neceſſitas injungatur publice illos confutandi.* Hi literis, a Senatu ſecum communicatis, prolixe & acriter reſponderunt decem Eccleſiaſtæ: *Sebaſtianus Meyer, Michael VVeinmayer, Bonifacius VVolfhart, Michaël Cellarius, VVolfgangus Muſculus, Johannes Held, VVolfgangus Haug, Johannes Ehinger, Leonhardus Kegelius, Jacobus Dachſer.* Teſtantur ab initio, ſe eadem de Sacramento ſentire, quæ Lutherus & omnes fideles, ea nempe, quæ ex verbo Dei planiſſima & clara ſint: deinde dicunt, cum animadvertiſſent, inter Lutherum & alios Diſputationem de Sacramento ortam eſſe, quæ non ſit niſi logomachia, quia utrique fateantur, præſens eſſe fidelibus corpus & ſanguinem Domini, admonitos a ſe eſſe auditores, ut ab illa diſputatione abſtinerent, quæ charitati, in Sacramento maxime requiſitæ, prorſus ſit contraria: confirmatos etiam ſe eſſe, lecto libro Lutheri *de fratribus Bohemis,* ejusque benigno de his judicio: neque tamen pro concione pluries, quam bis aut ter, ab uno ex ſuis mentionem Lutheri factam eſſe: putantque illum ſibi ipſi contradicere, dum *torqueri & leniri verba* dicat, & tamen Zuingliani dogmatis catecheſin eorum accuſet: ſe verba Chriſti clare proponere, perſpicere tamen non poſſe, quomodo ab auditoribus accipiantur: hos ſe pro Chriſtianis & fidelibus, non vero pro Lutheranis aut Zuinglianis, habere, neque illis panem modo & vinum exhibere, ſed docere, panem & vinum ſecundum verba Chriſti, eſſe corpus & ſanguinem Domini, in myſterio tamen, aut, ut Lutherus loquitur, *ſacramentaliter:* voculas *in, cum,* & *ſub* ſibi non probari: cum vero ita doceant, ſe Chriſtum ejusque verba & autoritatem ſequi, non vero Lutherum aut Zuinglium: homines hos eſſe, donis quidem ſuis inſtructos, ſed quæ ex verbo Dei judicari debeant: refugi a ſe ſectarum nomina & falli Lutherum quod dicat, ipſius nomen a ſe aſſumi, & gloriam in eo quæri, errare etiam, ſi putet, ſe ei inimicos eſſe: nullum tamen, dicunt, ſe magiſtrum, quam Chriſtum, agnoſcere, & rectius facturum fuiſſe Lutherum, ſi ad ipſos prius, quam ad Senatum ſcripſerit. Repetunt in fine ſententiam ſuam, eamque ita proponunt, ut ſtatuant, non nudum ſaltem ſignum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti fidelibus in cibum & potum animæ exhiberi. Hoc ſcriptum Senatus, brevi epiſtola, d. 16. Octobris, *Luthero* tranſmiſit, & ab eo reſponſum tulit d. 29. Octobris: opus non fuiſſe, ut dogma concionatorum ſibi indicaretur, cum id ſatis notum habeat: excuſatum ſe eſſe dicit, facientem, quod potuerit, & ad publicam, quam editurus ſit, confeſſionem provocat, in qua etiam aculeis ſit reſponſurus. Quæ ſecuta ſunt, in tempore memorabimus. Apparet ex hoc literario certamine, *Catechiſmum,* cujus *Gaſſarus* in *annalibus MSS.* anno 1534. meminit, quemque Heidelbergæ anno 1568. recuſum eſſe dicit, jam hoc anno 1533. prodiiſſe.

An. 1533.

(b) Hujus ad Senatum reſponſum, & querela de Luthero.

(c) Senatus & Lutheri ea de re literæ.

§. XXIV.

De reliquis Lutheri ſcriptis hoc anno in *Tomum Alt. VI.* relatis quædam ſubjicienda ſunt. Ad exegetica, nihil invenio, quod referri poſſit, niſi ſummaria Pſalmorum *Tom. VI. a fol. 133. ad fol. 160.* hoc anno typis publicata, licet anno 1531. compoſita, ut ex præfatione patet. In hac rationes reddit, adductis exemplis, plus duodecim, cur aliquando ſenſum potius, quam verba, audacia quadam uſus, expreſſerit, aliquando autem verbis ſtricte inhæſerit. Queritur de iniqua laboris ſui cenſura, non negat tamen ſe labi in interpretatione potuiſſe, ab errore enim nullum hominem, ſed ſolum Deum ſive Spiritum ſanctum immunem eſſe, nec minores, ſed, ut putat, majores, pluresque in Hieronymi & aliorum verſione reperiri: veniam itaque ſperat, præſertim ob nimiam linguæ Hebraicæ difficultatem: provocat naſutos, ut unius vocabuli *Chen*, quod plerumque vertitur *gratia*, verſionem exactam & certam,

(t) Summaria Pſalmorum, eorumque præfatio, de difficultate vertendi Hebraica.

An. 1533. certam, quæ per totam Scripturam valeat, afferant vocabulo germanico: (gut teutsch) qui id præstiterit, ei quinquaginta florenos promittit. *O quam longe, ait, facilius est, aliorum interpretationes reprehendere, quam meliores dare. Nulli labori peperci, omnem adhibui diligentiam, meliora edat, qui potest, nescio tamen si nostro labore prorsus uti nolit, an non ita sit translaturus Psalterium, ut neque Hebraicum, neque Germanicum mansurum sit.* Sermones egregii, hoc anno habiti, exhibentur: Primus nempe ad dictum Paulinum *I.Tim.I.5.6.7. Tom. VI. a fol. 32. ad fol. 44.* in quo *Dessaviæ*, coram *Principe Anhaltino*, summam doctrinæ Christianæ incomparabili cum facundia & soliditate exposuit. Præclare demonstrat, tum necessitatem bonorum operum, ad justificationis testimonium, & conscientiæ solatium, tum fidei, qua Christi meritum apprehendentes coram tribunali divino consistere possumus. Sufficeret & hæc concio ad thesin ejus stabiliendam, & refutandam antithesin & calumniam. Cum vero idem tot scriptis præstiterit, nihil ex ea hic adscribemus, invitamus autem ad lectionem ejus omnes, certi, neminem sine profectu eam suscepturum esse. Cur autem hoc caput tam frequenter tractet, rationem addit, ob inveteratam doctrinam de meritis operum, & quod nihil aliud, qui tunc vivebant, ex pulpitis inculcari audiverint, quam: *serva mandata*; nemo autem fuerit, qui ostenderit, quomodo servari possint, ut conscientiæ & Deo satisfiat, obstante difficultate, quæ invincibilis esse videtur, considerata ab una parte imperfectione hominis manifesta, ab altera necessitate impletionis. Optime autem constare & doceri omnia, si lex & evangelium, fides & opera, distinctim considerentur, & Pauli doctrinæ obtemperetur, qui satis demonstravit, quid sit *cor purum, conscientia bona & fides infucata*, sive quomodo ex purificato corde per verbum Dei & fidem in Jesum Christum, opera nostra omnia proficisci debeant, & sic defectus eorum fide & remissione peccatorum, qua sola niti possumus, corrigantur & tollantur. Difficile etiam esse, fatetur, his ita propositis assentiri, quia homini per corruptionem insitum est, ut se suaque opera æstimet, solique gratiæ & misericordiæ omnia haut libenter tribuat. Sui ipsius exemplum allegat, scribens: *Viginti pene annis ista concionatus sum & scripsi, sentio tamen semper vetus illud & tenax lutum, ut mallem ita cum Deo agere, ut aliquid afferrem, qua gratia ejus sanctitati meæ in compensationem daretur, & non possum capere, ut me totum nudæ & simplici gratiæ resignem, & hoc tamen fieri prorsus necesse est.* Sequuntur Sermones in *I. Joh. IV. v. 16. ad 21. Deus charitas est. d. Tom. VI. a fol. 45. ad fol. 65.* In his quoque sibi similis est, immo seipsum superat. Præmittit quædam de odio Diaboli, & excitatis ab eo contra pios persecutionibus, dein statim exigit, ut doctrinam Johannis de Deo & ejus charitate & beneficiis non solum sciamus, sed & vita & moribus fidem nostram comprobemus. *Deo*, inquit, *& hominibus esse & videri cupis verus Christianus, qui non in ore gerat Christum, nec in charta & libro scriptum, sed in corde fundatum habeat: id age, ut ipso facto & vita tua id probes, ut charitas tua aliis serviat: ama proximum & juva illum: si hoc fieri a te dicant testenturque homines, tunc credere id potes. Ita tamen affecti sunt veri Christiani, ut non multum de se ipsis loquantur & jactent; agnoscunt potius semper, multum interesse inter voluntatem & facta, ad exemplum Pauli Phil. III. 12.* Ita postea explicat verba Apostoli de charitate Dei, & quæ sequuntur, ut nihil possit dici magis pium, & ad movendas pariter & consolandas mentes efficacius. Provocamus iterum ad lectionem. Verba tamen ejus *fol. 62.* non possum præterire, ubi, quod alibi etiam fecerat, denuo lamentatur de hominum perversitate, qui vel falso jactant fidem, vel absque fide sancti esse volunt. Si de fide & gratia commonefiant, omittunt opera; si opera urgeas, fidem negligunt; medium tenere nolunt, immo veri Christiani non carent scrupulis. *Fateor ipse*, ait, *& mecum alii, non adesse eam diligentiam atque studium, quod nunc majus & ardentius habere deberem, quam sub Papatu. Non est idem ardor zelusque sub Evangelio, qualis Sacerdotum & monachorum tempore conspiciebatur, cum tot fundationes, tot ædificia fierent, nec quisquam tam pauper erat, quin aliquid contribueret; nunc ægre tota quædam urbs concionatorem alit, rapiunt furanturque omnes, nec monentes ferunt. Unde est turpissimum hoc vitium? ex doctrina, vociferantur Stentores nostri, quia docetur, bonis operibus confidi non posse. Audi vero, diabolus est, qui hoc piæ & salutari doctrinæ imputat, quod ipsius & malorum hominum culpa fit, doctrina illa abutentium. Culpa etiam est Adami nostri veteris, qui semper in errorem proclivis est, is negligens fit operum, tanquam non necessariorum, donec tandem fidem ipsam segnitia illa perdat.* Urget inde præcepta Apostoli, cujus dicta explicat. Succedunt denique *Conciones*, Torgaviæ in æde arcis coram Electore Saxoniæ habitæ, in festo Paschatis, ut indicat epigraphe *fol. 80.* quibus symboli fidei Apostolicæ articulus secundus de Jesu Christo explicatur. *Tom. VI. a fol. 65. ad fol. 85.* De his quoque eadem, quæ de prioribus, aut si vellem, plura possem dicere; sed malo id a legentibus deprehendi, quam ex me intelligi. Ab initio monet & graviter queritur, quod arduum sit, & rationi humanæ pene impossibile, ut ex animo dicat: *Credo in Jesum Christum &c.* quanquam hoc populariter dicatur, tam sub Papa, quam in Ecclesiis Protestantium. *Si nostræ rationi & sapientiæ examinandum hunc articulum*, ait, *committimus, plane illa stultescit, & tandem pro fabula eum habet. Ideo in Italia nihil fere de hoc articulo creditur, eamque sapientiam, proh dolor! etiam nostrates jam imitari didicerunt. Prædicatio itaque hæc ad veros Christianos & serio credentes pertinet, mundo nihil prodest; & tamen prædicari debet, utut pauci sint filii Dei, qui credant, quos veluti gemmas elegit Deus, & in annulum suum transtulit, cæteri, (mundus, plebs, nobiles) diaboli sunt, & ut silices in acervis jacent, ex quibus diabolus pavimentum facit, per quod in infernum cursitat.* Germanica majorem habent gratiam & emphasin: Die Welt/ Bauer/ Bürger/

(2) *Sermo de summa fidei Christianæ, ad I. Tim. I. 5. 6. 7.*

(3) *Sermones in I. Joh. IV. 16. de charitate.*

(4) *Querela de abusu doctrinæ, de fide & charitate.*

(5) *Conciones in Symbolum Apostolorum.*

(6) *Censura atheismi & impietatis.*

An. 1533. ger/ Adel/ sind doch des Teuffels/ ohne/ daß Gott ihrer wenig/ als köstliche Edelgesteine und Türckis/ heraus lieset/ die er in seinen Fingerreiff fasset/ der andere Hauffe bleibet wohl kieselsteine/ wie sie sind/ damit der Teuffel ein Pflaster machet/ und darauff zur Hölle rennet. De descensu Christi ad inferos (ut alia omittam) paucis disserit *fol. 80. & seqq.* & satis quidem populariter, nec improbat veterem picturam, qua Christus repræsentabatur cum vexillo portas inferni & diabolum invadens, neminem enim facile tam rudem esse putat, qui id crasso & corporali modo intelligat, neque tamen curiosis quæstionibus indulgere vult, quomodo & quo respectu Christus, cujus corpus in sepulchro conditum jacebat, in infernum descenderit; sed sufficere ait, si ex articulo hoc credamus, Christum destruxisse potestatem diaboli & inferni, ut prævalere jam contra nos non possit, ut *Matth. XVI.* promiserat. Inter ea, quæ de resurrectione Christi commentatur, notabile est, quod dicit, *fol. 83.* maximam ejus utilitatem, & *corporali* resurrectioni, quæ olim sequetur, præferendam esse *spiritualem*, qua jam tum fruimur. *Plus dimidio factum est, quod in baptismo per fidem spiritualiter resurreximus, optima nempe nostri parte, maximum est, quod caput nostrum ex sepulchro in cœlos jam præcessit, & anima nostra spirituali modo jam suam adepta est sortem in cœlo, confidens in cœlestibus cum Jesu. Eph. II. 6. restant itaque solum putamina, siliquæ aut testæ* (hülsen/ schalen/ und scherben) *quæ caput illud in tempore sequentur, corpus enim nostrum terrestris domus animæ est. II. Cor. I. I. ex limo & argilla facta, vestis detrita, pellis scabiosa. Dum igitur anima per fidem jam in nova & cœlesti vita versatur, neque mori neque sepeliri potest, nihil restat expectandum, quam ut miserum illud tabernaculum & pellis vetusta renovetur, ne perire amplius possit, optima enim pars nostra jam supra est, neque reliqua carere vult.* Præfationes hoc anno præter illam in librum Bohemorum, de qua dictum est, referuntur *Tom. VI. fol. 119. & sqq.* videlicet in libellum *Ægidii Fabri*, Ecclesiastæ Suerinensis, in quo confictum sanguinem Christi, qui in templo Cathedrali singulis diebus Veneris ostendi solebat, descripsit. Attulerat supposititium illud sanguinis, id est, cinnabaris, frustum, jaspidi inclusum, *Henricus* Comes Suerinensis, anno 1222. ab itinere ex Palæstina redux, donatum sibi a Legato quodam Pontificio, *vid. Chytr. Lib. XIII. fol. 379.* Sequitur alia in librum *Balthasaris Raidæ*, pastoris Hirsfeldensis, quo *Georgii Wicelii* scriptum famosum, quod sub nomine *Agricolæ Phagi* ediderat, refutavit. De Wicelio per anticipationem dixi *Lib. I. §. CXXXIII. in Addit.* Natus is anno 1503. *Vachæ*, oppido ad Vierram, tribus ab Isennaco milliaribus, Hassiacæ ditionis, & Lutheri doctrinam per annos decem professus erat, docuerat etiam *Niemeccæ*, quod oppidum est Electoratus Saxonici haud procul Wittenberga. Recessit autem circa annum 1531. a Lutheri partibus ad Romanas, vana quadam (ut *Conringio* videtur in præfatione *Viæ regiæ Wicelii* anno 1650, & 1659. *Helmstadii* editæ præmissa) opinione ductus, & bonorum operum studium a nostris frigidius justo urgeri, & sine schismate religionem atque Ecclesiæ οἰκονομίαν ad auream illam priscam faciem reduci posse. Venerat etiam anno 1532. in suspicionem doctrinæ Antitrinitariæ, quam tum non solum *Michael Servetus* Hispanus vulgaverat, sed & quidam *Johannes Campanus*, ex Juliacensi regione, qui Wittenbergæ Theologiæ studio operam dederat, defendebat: Campanus autem hospitio Wicelii Niemeccæ aliquandiu usus erat. Factum inde, & quod, Erasmi fere ductu, de religionis reformatione judicare inciperet Wicelius, ut Wittenbergæ in custodiam, Electoris jussu, daretur; dimissus tamen fuit, postquam jurasset, se ex Saxonia emigraturum esse. Cœpit dein *Fuldæ* & *Moguntiæ* & postea *Islebiæ*, cujus partem *Hoyerus Comes Mansfeldensis*, veteri religioni tenacissime adhærens, tenebat, cum ibi receptum invenisset, odiosissimis diffamationibus Lutheranorum non saltem dogmata, sed & mores (ex quibus quicquid imperfectum & culpandum erat, ut testis & delator, petulanter traducebat) impugnare, magno cum plausu Pontificiorum, ex quibus *Cochlæus* vix satis laudare novit hominem, in historia *anno 1532. fol. 235. & 1534. fol. 265.* Aliis tamen minus placebat, teste *Fabricio Lib. VII. Orig. Saxon. fol. 874. Audiebat pessime*, scribit, *in Misnia apud commilitones suos, Amnicolam, Bilichium, Sylvium, Alfeldium, Schazgeyerum; quod secum uxorem & liberos & familiam circumduceret, & ipsorum claustra religiosa scriptis diffamaret.* Idem autor scribit, *libros Wicelii, tanquam prudentioris & modestioris Romam ad Pontificem missos fuisse; sed in illo theatro delicatissimo non stetisse hominem, quod summum histrionem carperet, & hypocritarum purpuram deformaret. Causæ itaque Pontificiæ magis obesse quam prodesse credebatur. Ipse autem comparata gratia, & magnis reditibus, tandem tacere didicit.* Hunc igitur tunc refutaverat *Hirsfeldensis Pastor*, cum præloquio *Lutheri*, quod adversus aulam Moguntinam, aliasque satis mordax est. Non minus vehementer præfatus est in tractatum *Casparis Aquilæ*, Pastoris Salfeldensis, de eleemosynis, ut patet *d. Tom. VI. fol. 122.* ubi non solum in hostes Evangelii externos, sed & internos, qui bonorum ecclesiasticorum spoliis inhiabant, acerrime invehitur. Epistolarum, præter eas, quarum mentionem feci, paucæ referuntur: prima est admodum pia, & consolationis plena, ad eos, quos *Ossitio* seu *Oschatio* (oppidum est Misniæ inter Lipsiam & Dresdam,) Georgius Dux Evangelii causa, ejecerat, data 22. Januarii 1533. *Tom. VI. fol. 1.* Eodem mense d. 26. commendavit Senatui *Rotenburgensi ad Tubarum* civitatis Imperialis *Georgium Snellium*, civem eorum, sum vero inquilinum & commensalem, quem a pietate & doctrina laudat. Sed licet non deessent, qui reformationem in civitate meditarentur, non tamen nisi post annos plus decem propositum obtinuerunt, ut in tempore dicetur. *Bremensi* Senatui d. 8. Septemb. hoc anno Lutherus scripsit, *d. Tom. VI. fol. 2.* Miserant enim ex Ecclesiæ ministris quendam, qui ordinationem Ecclesiasticam, Senatus jussu conscriptam, censuræ ejus submitteret. Probat illam Lutherus, & ad quæstionem; *an fures pœna mortis afficiendi sint*, ita respondet; ut leges politicas servandas esse dicat, in iis enim se nihil mutare; suadere tamen, ut

Marginalia (left column):
(7) *De descensu Christi ad inferos.*
(8) *De resurrectione ejus, & nostra spirituali.*
(9) *Præfatio Lutheri in libellum Ægidii Fabri, de sanguine Christi fictitio Suerini.*
(10) *Item in librum Balth. Raidæ contra Wicelium: & de hoc quædam.*

Marginalia (right column):
An. 1533.
(11) *In librum Casp. Aquilæ, de eleemosynis.*
(12) *Epistolæ ad Oschatienses, Rotenburgenses & Bremenses.*

An. 1533.

ut ob furta modica tam severæ non decernerentur pœnæ: monet etiam, ut concionatores, quos habebant, viros bonos & orthodoxos, conservarent, & ut a sectariis sibi caverent. Ex literis *D. Justi Jonæ* ad *Spalatinum (Reg. O. fol. 181. b. b. b. b.)* intelligitur, Luthero d. 24. Octobris hora decima nocturna ad duodecimam usque, multis adstantibus, in quatuor cœli partibus & regionibus volitare visa esse multa millia facularum ignearum, vere flammei & ignei coloris, & Lutherum dixisse, se nihil in vita simile vidisse, alio die, eodem fere tempore, strepitus in aere concursantium quasi exercituum auditos fuisse. Ad hæc notat *Jonas*, Lutherum, contemtorem diaboli & tentationes expertum, omnia pro diaboli præstigiis habuisse, falsis terroribus, cum veris non posset, homines exterrefacientis.

(13) De phænomeno in aere Lutheri judicium.

§. XXV.

(1) Lutheri epistola ad Georgium Anhaltinum, & Cochlei ad eundem, cum responsio Principis.

Incrementa Evangelicæ doctrinæ hoc anno dabat pax Norimbergensis, anno superiori parta, ut jam liberius multis in locis prædicaretur. De rebus Anhaltinis dictum est *§. XVI.* Ad eas pertinet epistola Lutheri gratulatoria *ad Georgium Principem Anhaltinum*, jam sæpe laudatum, *Præpositum* tunc *Magdeburgensem & Mersburgensem* d. 28. Martii data; producit eam *Scultetus, in Annal. Evang. Dec. II.* hoc an. *p. 400.* In hac singulari elogio Principem illum virum mactat, aut potius *gratiam Christi*, ut scribit, *in eo mirabiliter erumpentem & fulgentem*, cum *ille unus in toto Imperio, in eo præsertim gradu & statu positus*, sit, *qui amaret sincere, & promoveret fideliter verbum Christi.* Exhibet etiam prolixas literas *Cochlæi* ad eundem Principem, sub finem anni, *die Joh. Evangelistæ* sive 27. Dec. scriptas, in quibus allegat librum suum contra Lutherum, fratri Principis seniori dedicatum, & cavere jubet a *Forchheimio*, præceptore quondam Anhaltini, (*Georgius Heldus* vocabatur, a patria *Forchheimius*, idem præceptor fuit Lipsiæ Joachimi Camerarii & Casparis Crucigeri) & a prædicatione *Hausmanni*, maxime vero a laudibus, quibus Wittenbergenses eum extollerent; (epistolam Lutheri haud obscure innuens) si vero dubitationes haberet, earum solutionem a *Mensingio, Veho, & Ochsenfurto* Lipsiensi, quos ille *vitæ & virtutis spectatos viros* vocat, (cum Sophistæ essent, aut Erasmi imitatione fluctuarent) peti posse putat. Responsum Principis subjunxit *Scultetus, l. c. p. 406* breve quidem & ita conceptum, ut dicat, *se a sincera in Christum fide Catholicaque Ecclesia nolle deficere.* Eo ipso, cum & tunc faveret Lutheri doctrinæ, & eam postea omni studio, etiam concionando, promoveret, satis demonstrabat, illam ipsam a se pro Christiana & Catholica haberi. Ad progressum etiam Evangelii refertur a *Sculteto p. 395.* edictum *Johannis Ducis Clivensis*, qui socer Electoris Saxoniæ erat, quo pastoribus regionum suarum amplissimarum præcipit, ut verbum Dei, missis commentis hominum, docerent, retentis ritibus antiquitatis.

(2) Edictum Ducis Clivensis.

ADDITIO I.

(a) Edictum Ducis Clivensis de reformatione religionis.

Extat Edictum lingua Germanica, sed dialecto semibelgica, typis excusum, & sigillo Ducis firmatum, datumque d. 8. Aprilis 1533. Allegat Dux in exordio alia mandata & statuta sua, & cum illa non essent servata, visitationem per Consiliarios suos in Ecclesiis collegiatis, monasteriis, scholis & hospitalibus institutam. Refert etiam, ut jusserit Canonicos quosdam ad Academias mitti; Doctores in cœnobia acciri, ad instruendos monachos; & Bibliothecas bonis libris repleri; utque verbum Dei in monasteriis, diebus Dominicis & festis, diligenter prædicaretur. Repetit illa, & sequentes leges, ad concilium usque vel alia jussa sua valituras, proponit. (1) Arceri vult a concionibus, qui vocati ad eas legitime non essent: tales autem esse, qui revelationes jactarent, miraculis tamen non possent confirmare. Vetat Pastores ob defectus morum a plebe recusari, jubet tamen illos a superioribus suis corrigi. Sacramenta omnia & munera Ecclesiastica gratis administrari præcipit, & ut Pastoribus aliunde de alimentis prospiciatur, ab iis tamen accipi permittit, quæ sponte offeruntur. Monachos a concionibus removet, nisi prius apud Consiliarios aut Præfectos Principis doctrinam & mores probassent, & licentiam a Pastoribus impetrassent. Vetat etiam, ne in domos, non invitati, penetrarent, aut testamenta procurarent, aut absque suo præscitu ab uno in aliud monasterium transferrentur. Stationarios, quos vocabant, indulgentiarum præcones, prorsus abrogat, quia plebem, ut loquitur, a Deo abstrahant, & fiducia in externa impleant. (2) Concionum normam præscribit, ut fierent ex Evangelio & verbo Dei Veteris & Novi Testamenti, ad veram cognitionem Christi, ad augmentum charitatis, ad observantiam mandatorum Dei, ad obsequium, pacem, concordiam, emendationem vitæ, & præcavendas seditiones. Prohibet convitia adversus doctrinam, sive vetus sive nova vocetur, quod prioribus edictis vetitum jam esse affirmat. De interpretatione sacræ Scripturæ ita instruit Pastores, ut ante omnia sciant & doceant, Evangelium, sive verbum Dei, unicam salutis doctrinam esse, ex qua conciones ad populum fieri & norma vitæ peti debeat: invocandum esse Deum, pro aperiendo vero scripturæ intellectu: loca obscuriora, non ex arbitratu, sed consideratis præcedentibus & consequentibus, ex aliis claris & liquidis interpretanda esse: præferenda & urgenda semper esse, quæ sunt maxime necessaria, faciantque ad gloriam Dei, charitatem erga proximum, & ad salutem: minus necessaria suo loco tractanda esse: neminem offendendum indiscretis concionibus & censuris: singulis hominum ordinibus proponi debere ex Scripturis, quæ ad eos pertinent, servatis loci, temporis aliisque circumstantiis: abstinendum a fabulis & exemplis in Scriptura non fundatis, neque ad emendationem proficientibus: quæ tropice dicuntur, ad literam non esse explicanda: omittenda, quæ concionatores explicare nequeant, vel ex Hieronymo, Augustino, Chrysostomo & aliis bonis allegoriarum interpretibus exponenda: argumentis ex ratione humana desumtis confirmanda non esse, quæ Scriptura supra rationem docet, & fide tenenda sunt: vitia Cleri non coram plebe, sed loco convenienti taxanda esse: odia & simultates in concionibus exseri non debere: peccata in genere arguenda esse, vitata personarum descriptione: peccantes privatim moneri debere, aut Magistratibus indicari: incantationes, adjurationes, superstitiones omnes severe prohibet: populum moneri jubet, ne ad spirituum apparitiones (die Poltergeister) neque ad revelationes secretas attendant, utque potius historiæ Evangelicæ v. g. de divite malo & pio Lazaro, proponantur. (3) De Lege doceri præcipit, datam eam esse ad pædagogiam & disciplinam, ut agnoscatur voluntas Dei, peccatum nostrum, & quod transgressores legis, etiam minimæ, æternæ damnationis rei fiant: demonstrandam etiam esse atrocitatem peccatorum, exemplo mortis Christi, quam pro alienis peccatis passus est. (4) Opus redemtionis per Jesum Christum egregie vult proponi, & de fide doceri, quod non consistat in levi opinione, sed in certitudine de omnibus, quæ in Scriptura continentur, & in vera fiducia de gratia Dei nobis promissa & per Christum parta: utque fideles & metuant comminationes Dei, & beneficia sperent: quodque nemo promissionum particeps fiat, qui non etiam pro viribus servet, quæ Deus præcipit, aut saltem agnoscat infirmitatem & defectus, & gra-

An. 1533.

(b) De electione pastorum.

(c) De norma concionum.

(d) De doctrina Legis.

(e) De justificatione.

An. 1533.

gratiam imploret, studeatque emendationi: deinde quod vera fides non sit absque charitate erga Deum & proximum, & quod libertas Christiana ad licentiam carnis non sit trahenda, sed sponte & ex amore præstanda, quæ lex ex necessitate exigit. (5) Instrui jubet populum de vera precum ratione, & sensu orationis Dominicæ, docerique eum, ut Deum colat in sanctis, & sanctos in Deo. (6 De Baptismo ejusque fructu eadem fere affert, quæ Lutherus in Catechismo de hoc articulo docuit. (7) De Sacramento sive Missa hæc habet: Docendum esse populum, quod in Sacramento Altaris vere sit corpus & sanguis Christi: quod Christus in Sacramento promiserit gratiam & remissionem peccatorum: quod in eo exhibeatur remedium adversus omnes defectus internos, gravamina conscientiæ & tentationes Satanæ, & quod gratia, justitia & vita Christi nobiscum communicetur: Item, quod significetur communio Christianorum, & ideo requiratur fraterna conciliatio. Ista omnia considerari debere non solum a communicantibus, sed & ab aliis præsentibus. Vetat in posterum Missas, ut huc usque cum scandalo factum esse dicit, accepta pecunia, celebrari, servari tamen vult fundationes laudabiles. In confessione, quæ ante communionem exigitur, neminem interrogandum esse de rebus, quæ scandalum pariant, sed informandos esse confitentes, ut peccata agnoscant, vitam emendent, & sacramentum vera fide accipiant: peccata, quoties committunt, etiam confiteantur, de iis pœniteant & causas eorum vitent: doceri præterea vult homines, quod salutare & utile sit, ut quisque peccata Pastori suo, aut ejus vicario confiteatur, hoc enim nisi fiat, solatia & instructiones atque absolutiones dari non posse: confitendum esse sponte ex charitate Christi, & obedientia, utque peccata tanto diligentius vitentur, non vero, ut prolixe & cum omnibus circumstantiis delicta recenseantur. Monentur Pastores, ut cum confitentibus, prout pœniteant aut pervicaces sint, discrete agant, eosque doceant, diabolo resistendum esse probitate vitæ, fidem precibus augendam, succurrendum necessitati proximi eleemosynis, corrigendam avaritiam, domandam carnem jejuniis, vigiliis, & laboribus, remittenda delicta proximo, ut & nostra minuantur & remittantur. Ex his articulis quemlibet Pastorem examinare suos debere, aut semel ad minimum in anno, quia ex concionibus omnia non percipiantur, & admonendos, ut neminem, nisi bene instructum, ad Sacramentum admittant: cohortentur etiam homines ad restituenda ablata, suis tamen dominis, aut pauperibus, si non constet de dominis, neque enim sufficere ut talia monasteriis & Ecclesiis tradantur. (8 Erudiri vult conjuges, parentes, liberos, famulos, itemque magistratus & subditos, quemque de officio suo, & ut benedictio conjugum sive copulatio Germanice explicetur. (9) Repetit præcepta antehac publicata de non mutandis ceremoniis & ritibus antiquis, & operose præscribit, quomodo populus ex ceremoniis illis ad internam mentis pietatem duci debeat & ab hypocrisi & superstitione arceri. Speciatim laborat, ut populus intelligat utilitatem quam ex consecratione aquæ & salis percipiat, itemque ex pulsu campanarum. Similia adduntur de vestibus sacerdotum, & de imaginibus, quæ non adorationis, sed memoriæ causa, extent, & ut per eas homines ad adorandum Deum excitentur. Itaque miracula attribuenda illis non esse, sed ita colendos sanctos, ex doctrina Augustini, ut charitatem & mores eorum imitetur populus & eandem gratiam a Deo petat. Vetat inde processiones campestres in hebdomade, quam vocant, crucis, earumque loco conciones & Missas commendat. De signo crucis monet, nihil effici opere externo, sed id agendum esse, ut per id Christi ejusque meritorum recordemur. Significationem etiam cereorum explicat. Vetat, anniversaria aliaque, mortuorum causa, a populo, ut debita, exigi. (10) Jejunia ex veteri more retineri jubet, sed doceri populum, ideo id fieri, ut illa temperantia aptiores sint homines ad cultum Dei, & ut caro subjiciatur spiritui. Potestatem facit pastoribus indulgendi senibus, ægrotis, aliisque, ex legitima causa, cibos vetitos. Præscribit observationem festorum, ita tamen, ut abrogata maneant, quæ prioribus edictis suis abrogasset, & ut populo fas sit, cum tempestatis ratio id exigat, etiam festis diebus, post concionem & Missam in agro laborandi. Prohibet tandem disputationes & rixas de rebus fidei & religionis, inter pocula præsertim & in popinis. Hæc, semi-Lutherana sunt, aut Erasmum redolent, nec eum habuerunt effectum, quem habere potuissent, si reformatio candide, & omissis incrustationibus, ad exemplum Saxoniæ & aliarum provinciarum, instituta fuisset. Sane etiam hoc exemplo probatur, parum effici particulari dogmatum & abusuum emendatione, si Romanæ hierarchiæ potentia vires suas retineat, & fulcra ejus primaria, cultus missaticus, aliaque, quæ Cleri honores & opes promovent, subsistant. Quapropter amplissimæ istæ provinciæ ex illo Ducis sui conatu exiguum fructum ceperunt. Callide etiam versati sunt edicti autores, nomine Principis solummodo utentes, cui ex principiis Romanis, nullum aut exiguum, circa sacra, jus erat. Quavis itaque occasione jure diœcesano aboleri poterat, quicquid ille statuisset, idque eventu comprobatum est, nisi quod in oppidis majoribus Senatus & civium autoritas & consensus prævaluit. Antequam enim ista Ducis constitutio promulgaretur, quædam Comitatus Marcani civitates Evangelicam doctrinam jam receperant. Inter eas cum *Lippienses*, (in quos Cliviæ Duci & Comiti Lippiensi commune erat imperium) audacius egissent, commeatu illis a Principibus interdictum est, & hoc modo adacti sunt, ut eorum gratiam implorarent, & judicium delectorum ex Ordinibus provinciæ subirent, quibus præsidebat *Dietericus* Baro *Bronchorstius*. Horum judicio d. 26. Aprilis 1532. condemnati sunt ad mulctam, pro arbitrio Dominorum solvendam, & ut in causa religionis decretis Ducis ad Concilium usque parerent, omissis innovationibus. Cum postea anno 1533. prolixa illa, quam retuli, constitutio prodiisset, obsequium denuo detrectarunt & *Lippienses* & *Susatenses*. Illi simpliciter petebant, ut Evangelici concionatores sibi concederentur, hi, cum tales jam haberent, sententiam eorum de constitutione illa poposcerunt. Responderunt ante omnia ad caput illud, quo vetabatur alios pastores habere, quam qui ab Episcopis vocati & ordinati essent. Dicebant enim, ab illis mitti homines plane rudes & indoctos, qui oves Christi pascere nullo possent modo: populum itaque ex summa necessitate alios vocasse, qui secundum regulas Apostolicas *I. Timoth. III.* præessent cœtibus. In reliquis articulis rejiciebant Missas cum canone, ablationem calicis, enumerationem peccatorum in confessione, ineptias consecrationum aquæ & salis, atque alia ejusmodi. Missa hæc sunt in aulam Saxonicam, & extat scriptum *Georgii Spalatini* & *Friderici Myconii*, ad quos Susatenses, ut non ignotos, (comitati enim erant non semel Electorem, ad socerum Clivensem profectum) dubitationes suas perscripserant. In eo gratias Deo agunt, pro iis, quæ in ordinatione Ducis de fide & merito Christi pie docebantur, sed & ipsi dubitant, an in Juliacensi ditione viri essent, qui doctrinam istam recte tractare possent, nisi VVittenbergæ instructi essent: cæterum omnia rejiciunt, quæ pro excusandis & palliandis abusibus inventa & præcepta erant, exceptis jejuniis, quæ infirmorum causa toleranda esse non dissuadent, adduntque, Christianis omnes dies & festos & jejunos esse debere, tam devote scilicet & sobrie transigendos, ut quilibet opus Dei in se promoveat, & veterem hominem subigat. *Melanchthonis* idem fuit judicium: scripsit enim, nihil sincere agi illa ordinatione, sed tantum colores quæri superstitionibus, ut Pontifex & Clerus in omnibus maneat, qui fuerit: Aliter longe procedendum esse, si seria susciperetur reformatio, delectis nempe ex proceribus provinciæ, qui communionem sub utraque introducerent, Monachis

(f) *De precibus & Baptismo.*

(g) *De Missa & confessione.*

(h) *De instructione plebis.*

(i) *De servandis ritibus, & cultu imaginum.*

(k) *De jejuniis & festis.*

(l) *Lippienses ob religionem mulctantur.*

(m) *Susatenses petunt libertatem Evangelicæ doctrinæ.*

(n) *Myconii & Spalatini ad Susatenses literæ.*

(o) *Item Melanchthonis.*

An. 1533.

exeundi ex cœnobiis, & sacerdotibus conjugii potestatem facerent, & ad Missas privatas neminem cogerent, concionatores vero dicebat ex monasteriis, qui idonei essent, sumendos, aut VVittenberga accersendos esse: hæc nisi admitteret Dux, frustra reformationem sperari, & persecutiones easdem, quæ aliis locis, & maxime in vicino Belgio, secuturas esse. Obtulerat Elector Socero jamdudum concionatores ex sua provincia, ad convertendos Anabaptistas & Sacramentarios, quos Dux in provinciis suis reperiri querebatur; sed Dux ordinatione illa sua satis prospici Ecclesiis credebat. Cum vero post illius publicationem nihilominus renitentur civitates, & ante alios Susatenses, tentata est per Legatos compositio, miseratque Elector *Vitum a Pappenheim*, Præfectum Leuchtenburgensem: Dux Cliviæ *VVilhelmum Comitem Nassovium*, sed nihil profectum est. Invitatus inde Elector a Socero, occasione belli Monasteriensis, ad colloquium, rogatusque fuit, ut in reditu Susatum proficisceretur, & indagaret, quæ ibi religio doceretur: Anabaptismi enim adhuc suspecti erant. Diligenter id præstitit Elector, & d. 19. Octobris 1534. literis ad Socerum datis, Susatenses ab omni calumnia absolvit, & eos Augustanæ confessioni prorsus addictos esse confirmavit, petiitque, ne in illa turbarentur. Tacuit ad ista Dux, & interim d. 26. Februarii 1535. Susatenses ab Electore formulas rituum Saxonicorum impetrarunt; iterum tamen moniti, ut ab Anabaptistarum & Sacramentariorum erroribus sibi caverent. Postea d. 18. Augusti, profligato jam bello Monasteriensi, & animos resumente Clero, Dux Electori ita scripsit, ut exprobrare ei, quæ cum Susatensibus egisset, videretur, & palam assereret, se illis nihil concessurum esse, nisi quod in ordinatione sua contineretur. Male id habuit Electorem, & simultas, inter illum & Socerum orta, aliquandiu duravit: scripsit tamen Duci d. 1. Maji 1536. nisi æquiorem se Susatensibus præberet, fore, ut illi, ad exemplum aliarum urbium Hanseaticarum, in fœdus Smalcaldicum reciperentur. Hæc ex *Archivi* Actis, quanquam ad alios annos pertineant, didici, & huc transtuli, neque plura invenio, quam quod d. 8. Augusti Dux respondit, se de re ista cogitaturum esse. Eventus tamen docuit, & Susatenses, & alios plurimos in amplissimis illis provinciis cis & ultra Rhenum, ad liberam Evangelicæ doctrinæ professionem pervenisse, Clero vero Romano sua sacra & bona mansisse, quo in statu etiam hodie, mutatis licet Dominis, versantur.

(p) *Electoris pro Susatensibus intercessio.*

In Anglia multi Evangelicam doctrinam profitebantur, Lutheri dogmata sequentes, quidam tamen Zuinglianam opinionem de Sacramento præferebant, inter quos fuit *Johannes Frichtus* sive *Frith*, cætera juvenis doctissimus, qui plures in sententiam traxit, neque tamen oppositam vehementer damnabat, sed de quæstione illa silentium suadebat. Vid. *D. Gilbertus Burnetus* supra laudatus in *Historia reform. Angl.* Hoc autem anno is supplicium religionis causa passus est. Ex Scotia vero profugit, & Wittenbergam venit *Alexander Alesius*, postea, ut dicetur, Professor Lipsiensis factus, editque tunc querelam ad *Jacobum Quintum* Regem contra Episcopos, quam refutavit ex suo instituto *Cochlæus*, ut ipse refert, *hoc anno fol. 259.* Burnetus memorat, cum eo venisse alium ex Scotia, *Johannem Fife*, & Professoris munus itidem postea adeptum esse, sed de eo nihil reperio, nisi quod Francofurti ad Viadrum Scotus quidam, *Johannes Fidelis* Theologiæ Doctor & Professor fuit, & anno 1551. Rectoratum Academiæ gessit; ut in *Actis Lipsiensibus Eruditorum a. 1684. p. 386.* notatum est. Sed dubitari vix debet, *Fidelem* illum eundem fuisse, qui *Fife*, sive *Fief* dicebatur, cum ea vox *feudum* significet, ad quod alludit nomen *Fidelis*.

(3) *Lutherani & Zuingliani in Anglia: item supplicium Frichti.*

(4) *Alesius ex Scotia profugit, item Jo. Fife.*

An. 1533.

ADDITIO II.

Radii Evangelicæ doctrinæ jam dudum in *Italiam* penetraverant, & fuerant hoc tempore in meditullio Pontificii dominatus, *Bononiæ* nempe, insignes viri, qui *Johanni Planitio* Elect. Sax. Legato, in aula Cæsaris tunc agenti, desideria sua oretenus & per literas proposuerunt. Hæ merentur, ut hic insertæ legantur, quas Dresda accepi; versionem tamen earum Germanicam in *Archivo* Vinariensi (*Reg. H. fol. 75. n. 25.*) inveni, ut de fide earum dubitari non possit. Scribunt autem: *Etsi non nihil primo verebamur, ne forte videremur impudentiores, si humiles nos idiotæque magnum te magni Principis Legatum, & magnis de rebus cum ipso Cæsare agentem, aliquo pacto interpellassemus: Tua nos tamen, excellens vir, nobis cognita humanitas, & Germaniæ omnis, tuæque præsertim Saxoniæ, in sanctum Evangelium amor, toto jam Christianorum orbe multis perspectus argumentis, fecit, ut nullo prorsus timore, quin immo audacter decreverimus, & ad te literas dare, & coram postea te domi convenire, tecum iis de rebus familiarius locuturi, quæ ad tuæ Legationis causam non parum nobis videntur pertinere. Siquidem non modo apud nos, qui Christi, Evangeliique gloriam maxime illustrare cupimus, verum etiam apud alios, qui hanc ipsam misere obrutam abolitamque vellent, id pro compertissimo habetur: ideo a Principe tuo vere Christianissimo, maximoque Evangelii defensore, missum esse ad Carolum Cæsarem clementissimum, ut is, quippe Catholicus & Romanorum Imperator, Catholicæ fidei sanctæque matris Ecclesiæ miseritus, Romanum Pontificem accendat ad Concilium, quod quidem pro omnium Ecclesiarum instauratione summis votis precibusque a piis omnibus multis jam annis expectatur. Quod si ita est, ut ita esse confidimus, maximam vobis omnibus gratiam habemus, & tibi, qui in Babylonicas has terras venire sustinueris, & Germaniæ omni, quæ hoc concilium pro suo jure postulat, & tuo præcipue Evangelico Saxonum Principi, qui animis tam ardentibus Evangelii & omnium fidelium defensionem suscepit, ut non contentus, Saxoniæ suæ Germaniæque universæ Christianam gratiam & libertatem redivixisse, parum sibi fecisse videatur, nisi & Britanniæ, & Galliæ, & Hispaniæ, & Italiæ, & aliarum denique gentium Ecclesias in eandem gratiam & libertatem restituat. Nos etenim illud probe scimus, parvi vestra Germanorum referre, id cogatur Concilium nec ne, quippe qui vosmet jam dudum, uti fortes fidosque decet Christianos, ab Antichristi tyrannide, excusso jugo, in liberum sanctumque Jesu Christi regnum asserueritis, quique passim, quæcunque velitis, legatis, scribatis, & palam etiam prædicetis, omnium Prophetarum spiritus simul & audientes, & dijudicantes, juxta Apostolicum præceptum. Scimus & illud, vos ne tantulum quidem commoveri, quod intolerabili alioqui hæreseos crimine insimulemini, quin vos id ipsum lætitiæ æternæque gloriæ materiam existimare, quod digni habiti sitis, qui primi pro nomine Jesu contumelias, carceres, ignes denique & gladios subiretis. Itaque perspicuum est, vos, dum tam sollicite synodo huic cogendæ advigilatis, haud vestra Germanorum commoda spectare, sed, regulam sequentes Apostolicam, aliorum populorum commodis salutique consulere. Quare omnes Christianorum provinciæ se plurimum vobis debere profitentur, nostraque hæc præcipue Italia, quæ quanto propius subest aulæ tyrannicæ, vel, ut verius loquar, cum ipsum intra se & contineat & foveat tyrannum, tanto magis vestrum divinum agnoscit liberationis beneficium. Nos itaque, tametsi te ad id negotii satis & incitatum esse & inflammatum videmus, ut nihil opus sit te tui officii admonere; tamen, ut equo, quod ajunt, currenti calcar adsit, te oramus, obsecramus & per Christianam fidem obtestamur, ut apud piissimum Cæsarem nihil non tentes, nullum non moveas lapidem, quo utilissimum necessariumque hoc Concilium tandem exoretur; quod quidem facile fiet, quum facillimus & benignissimus Imperator noverit, in nobilissimis etiam Italiæ urbibus, atque in ipsa adeo Roma, a pluribus piis, doctis, & honestissimo, si quid id ad rem facit, loco natis, concilium peti, postulari, expectari,*

(a) *Literæ Italorum ad Legatum Saxonicum.*

(b) *Postulant Concilii promotionem.*

trum-

An. 1533.

erumpentibusque interdum summis vocibus clamari, quorum bonam partem huc advolaturos certo scimus, ubi te hac de causa Legatum venisse cognoverint. Et quemnam, quæso, majorem sibi triumphum parare queat Carolus Imperator invictissimus, quam si per ipsum fiat ut expugnata prostrataque & abolita impietate, Christi imperium, lex & Ecclesia triumphet? Aut quæ major felicitas Cæsari felicissimo contingere unquam queat, quam hanc tantam instauratæ Ecclesiæ felicitatem Christianis omnibus exhibere? Neque vero credimus, humanissimum Pontificem id usque adeo recusaturum. Homo est & ipse, potest, sapientis more, sua consilia melioribus sarcire, potest vitia, quæ non ipsius, sed prædecessorum & temporum culpa in Christi Ecclesiam irrepserunt, nunc penitus facile, feliciterque abolere: qua quidem re, quid illi commodius posset contingere, ad consequendam & apud homines, & apud divos, & apud Christum ipsum, vitam gloriamque sempiternam? Denique vel illud, speramus, non invitus dederit, quod & æquissimum est, quod & Apostoli sanctique Patres statuerunt, ut omnibus videlicet liceat omnium confessiones inspicere, siquidem justus non ad acta aliena, sed sua ipsius fide est victurus, alioqui fides profecto fides non esset. Neque enim persuasio, quæ in corde divinitus non nascitur, persuasio est, sed violenta potius & coacta impulsio, quæ quidem, quam sit ad salutem inutilis, vel lippis & infantibus, vulgato proverbio, est apertissimum. Quod si tamen adhuc sæviat Satanæ malignitas, ut id statim impetrare sit admodum difficile, illud certe interea libentissime donabit, ut scilicet nec inter monachos nec laicos Bibliorum opus emere, hæreticum habeatur, nec, aut Christum aut Paulum interdum citasse, Lutheranum. Nam id sæpe proh dolor! proh loci sancti detestanda abominatio! accidit, & quodnam Antichristi regnum est, si hoc nunc non est? cum Christiana lex, & gratia, & doctrina, & veritas, & pax, & libertas tam aperte oppugnantur, conculcantur, modisque omnibus eliminantur. Sed ne hæc tecum, qui satis nimisque omnia nosti, longius deploremus; te illud unum per Dominum obsecramus, ut manibus pedibusque omnia obnixe efficias, ne aut tu frustra huc profectus videare, aut nos nostrosque vana spe animos lactasse. Magis vero libet meliora ominari: omnino enim futurum confidimus, ut aliquid, adjutore Deo, boni statuatur. Quare tu rem perge magno animo efficere. Nos, si quid opus erit nostra opera, tibi nusquam profecto deerimus, & fortunarum & capitis periculum pro Christo, si res postulet, adituri. Interea id, quod solum licet, per-quam facimus libenter, teque & negotium tuum, nostrum immo Christianorum & Ecclesiarum omnium, puris illi precibus commendamus, qui se nobiscum una ad consummationem usque seculi futurum pollicitus est. Vale in Domino, Domine & frater noster optatissime, vereque felix & Apostolice Legate. Bononiæ Nonis Januariis, Anno partus salutiferi M. D. XXXIII.

(5) *Liber novus Anabaptistarum.*

Monasterii in Westphalia admissi plebis studio Anabaptistæ, Evangelii doctrinam corruperunt, edito libro, quem *Restitutionis* titulo inscripserunt, in quo horrenda & pestilentissima sua dogmata palam asserebant: inter alia, quod Magistratus omnis delendus esset, Christo soli regnum deferendum, quod sibi, cum jure gladii, traditum esse mentiebantur, ad abolendos impios magistratus: probabant etiam polygamiam, ut legi naturæ convenientem: negabant, Christum ex B. Virgine carnem assumsisse. Hæc & alia eorum impia & blasphema commenta, a Luthero vehementer improbata, in invidiam tamen ejus ab adversariis allegabantur, ita ut inter remoras & damna Reformationis merito referendus sit furor ille Anabaptistarum. De *Georgii* Ducis sævitia querentem hoc anno audivimus Lutherum. Addi merentur, quæ *Fabricius Lib. VII. Originum Saxonicarum*, in hujus anni historia *p. 874. & seq.* refert: *Georgius Dux in suo proposito vehementer perstabat, & diversum a se suisque Theologis sentientes in suis provinciis cives non paucos mulctabat aut carcere aut exilio; qui vel cibis illicitis vel vitiis vescerentur, vel aliena templa frequentabant, vel sacramentum Christi secundum institutum Pontificis non sumerent. Sacerdotes, quos deprehendebat, Stolpam aut Mersburgum præsulibus mittebat excruciandos: quorum aliqui addicti perpetuis vinculis sunt, aliqui penuria & fœtore carcerum perierunt: defuncti ibidem per lictores aut carnificem vehiculo in loca profana tracti, & in morticiniis sepulti sunt. Cives ipsi in oppidis & urbibus simili modo sepulturæ honore & loco solito caruerunt: inter quos Lipsiæ fuit honestus & doctus vir Augustinus Picus Jurisconsultus. Condebantur autem aut extra mœnia & terminos cœmeteriorum, aut in ea loca deportabantur, in quibus nocentes gladio puniri solent. Nonnullis, qui exulatum ex urbibus deducebantur, manu, ut fieri solet, tortoris aut lorarii, pannus non consutus, sed media parte scissus, unde caput exererent, de humeris suspendebatur, ludibrii causa, quod Dresdæ fieri ipsi vidimus. Lutherus ad exules Lipsienses, Oschatios, Mittweidenses & alios literas dedit, quibus illos ad quietem & patientiam adhortabatur, testatus, Ducis furorem minime fore diuturnum aut impunem. Excidit eodem tempore Ducis gratia vir clarus, Nicolaus (Antonium* scribere debuit) *Schonbergius: cujus arcem uno ab oppido Misena milliario sitam, occupat, & quamvis patruus* (errat iterum, & *fratrem* nominare debuisset,) *Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, pro eo literis deprecaretur, tamen placari Dux non potuit. De Schonbergii fortuna varia in sequentibus dicemus. Caspar etiam ex eadem familia, qui Reinsbergæ habitat, Fribergam concessit, quia Lutheri doctrinæ addictior habebatur.* Hæc ille. Ex quibus spiritus, qui tunc furebat, cum eo, qui nostro tempore easdem excitat tragœdias, comparari potest.

(6) *Relatio Fabricii de persecutionibus Evangelicorum in Misnia.*

An. 1533.

Ab eodem autore *Fabricio* ex hujus anni historia memorabile exemplum proditur effectus doctrinæ Evangelicæ in *Ernesto Dynasta Schönburgio*, qui eousque veteris ritus tenacissimus, & alioqui vir magnæ erat severitatis, quam, in bello rustico, copias Georgii ducens, satis ostenderat. Is enim cum graviter decumberet, ad Georgium scripsit, ut sibi liceret, ipsius potestate, testamento Christi, ea ratione atque modo, ut ipse mandasset, id est, integro, sive sub utraque, uti; quod cum Duci displiceret, ab Electore per literas petiit, ut virum pium & eruditum ad se mitteret, cujus voce institueretur, & de cujus manibus Sacramentum corporis & sanguinis Domini, ex Christi jussu & traditione Apostolica, sumeret. Missus itaque ad illum fuit *Christophorus Eringius*, patria Lipsiensis, qui tunc Zuiccaviensis Ecclesiæ minister erat, & paulo post Ernestus voti compos Glauchæ decessit. Ex literis Electoris Saxoniæ d. 6. Octobris, quas supra *§. XIX.* allegavi, intelligitur, dissidium fuisse inter *Georgium* Ducem & nurum ejus *Elisabetham*, Landgravii sororem, quod hæc communione sub una uti nollet. De hoc Elector Saxo, illo tempore cum Moguntino familiariter de pace & composi-

(7) *Ernesti Dynastæ Schonburgii conversio.*

(8) *Item Elisabethæ, sororis Landgravii, ad Evangelium inclinatio.*

An. 1533. Positione agens, collocutus erat, ejusque sententiam ad Landgravium retulit, quæ erat, ut Elisabetha simularet, se non religionis, sed inimicitiarum quarundam causa Sacramentum differre: & ex literis Landgravii, d. 14. Novembris scriptis, apparet, de eadem causa inter illum & Moguntinum actum esse. Vacillabat nempe hic, & varias pacificationes atque conciliationes, quoties cum Protestantibus ageret, proponebat; Elector vero & Landgravius moram quærebant, maxime ob valetudinem & senium Georgii, quem non diu victurum esse putabant: duravit tamen ad sex usque annos.

ADDITIO III.

(a) *Repetita visitatio Eccles. Saxon. ad instantiam Ordinum provinciæ.*

Continuanda est historia *Visitationum ecclesiasticarum*, de quibus in anno 1523. *Lib. II. §. XXXVI. fol. 100. seqq.* dicere cœpimus. Cum enim illo tempore perfectæ non essent, & pax Norimbergæ anno præterito inita majorem fiduciam ad religionem firmandam præberet, (*Reg. J. J. fol. 88. B. 5.*) Ordines provinciarum Saxonicarum *Vinariæ* congregati apud Electorem instituerunt, ut Visitatio repeteretur, facta ante omnia inquisitione de iis, quæ priori visitatione decreta, nec tum effecta fuissent, & animadversione in eos, qui refragari essent. Monuerunt etiam alia, v. g. ut ablata omnia Ecclesiis restituerentur, ædificiorum cura gereretur, duo executores in singulis regionibus, sive circulis, constituerentur, qui cum Superintendentibus exequerentur, quæ statuta & utilia essent, etiam non implorati a pastoribus. Deinde, ut ex sequestratis bonorum ecclesiasticorum reditibus salaria pastorum, ex arbitrio visitatorum & delectorum ex Ordinibus augerentur: utque his jus esset pastores indoctos aut in moribus reprobos exauctorandi. Concionandi quoque licentiam & excessus in elencho & nominatione aut designatione personarum, & convitiorum intemperie, arguebant. (die benennung und bedeutung der personen/ und das unfruchtbare schelten und schmähen.) Visitatores electi sunt, suffragiis Ordinum, in Saxonia sive tractu Electorali *D. Justus Jonas* & *Johannes Pomeranus*, ille Præpositus, hic Professor & Pastor VVittenbergensis; Ex nobilitate *Sebastianus a Kotteriz*, *Bernhardus ab Hirschfeld*; ex Oppidanis *Chilianus Goldstein*: In Thuringia *Justus Menius* Isenacensium, *Fridericus Myconius* Gothæ Pastores, *Georgius a VVangenheim*, *Georgius a Denstet*, *Johannes Cotta*, Consul Isenacensis: In Misnia & Voigtlandia *Anaricus Dynasta VVildenfelsius*, cui ob morbum substitutus est *Christophorus a Planiz*, præfectus Voigtlandiæ, *Erasmus Spiegel in Grunau*, *Josephus Levinus Metsch in Myla*, *Georgius Spalatinus* Superintendens Altenburgensis, *Johannes Reimannus* Pastor VVeydensis, *Michael Alberus* Consul Altenburgensis: In Franconia *Johannes Schottus* Eques, & *Sylvester a Rosenau*, *Johannes VVolckenhayn*, & *Johannes Prusch*, ille Pastor, hic concionator Coburgi, *Paulus Bader*, quæstor. Executores constituti sunt omnes ex equestri ordine: in districtu Electorali *Johannes Metsch* Prætor provinciæ (der Landvogt) & *Christophorus Grossius*: In Thuringia *Eberhardus* von der Thann/ Præfectus VVartenburgensis, *Eobaldus Brandensteinius* VVeidensis, & *Georgius a Denstedt*: In Misnia & Voigtlandia *Erasmus Spigel* & *Guntherus a Bunau* Elsterbergensis: In Franconia *Schottus* & *Rosenavius* supra dicti. Instructio visitatorum, data d. 19. Decembris 1532. sequenti anno expedita est, ex iisdem articulis visitatoriis, qui anno 1528. compositi erant. Expurgati fuerunt multi defectus, qui priorem illam curam effugerant, & decreta ordinataque plurima, insigni cum profectu religionis & disciplinæ, quorum tamen quædam, ut fieri solet, neglecta postea non fine damno fuerunt. Mandata est (*Reg. J. J. fol. 96. B. 8.*) *Catechismi majoris* diebus Dominicis, *minoris* in hebdomade, tractatio: mulctæ dictæ sunt in otiosos, in blasphemos, inque eos qui obscœnos aliosque improbos libros legerent, aut cantiones tales cantarent, vel de religione scurriliter loquerentur, aut concionatoribus publice contradicerent; (privatim enim eos monere licebat,) iis quoque, qui reditus ecclesiasticos stato tempore non solverent, aut debitores pro officio ad solvendum non adigerent. Abrogata sunt spolia, quæ vocabant, defunctorum, & prohibita collatio beneficiorum, quæ vocant, sine cura: horum enim proventus fiscis sacris (assignata patronis tertia parte) inferendi erant, multum quidem renitente Nobilitate. Ut vero toleratæ huc usque clandestinæ ut plurimum, in monasteriis & Ecclesiis collegiatis Missarum celebrationes, aliæque veteris superstitionis reliquiæ penitus tollerentur, mandatum fuit ab Electore d. 4. Aprilis, ut in suspenso manerent ad visitatorum usque adventum. Hi vero Missas sacrificatorias, quas paucissimi adhuc celebrabant aut frequentabant, prorsus sustulerunt, tolerarunt tamen horas, quas vocant, canonicas, sed abbreviatas & correctas. Cumque deprehendissent Canonicos omnes Vicariosque plurimos matrimonia inisse; eos qui concubinas alebant, ad ducendas vel dimittendas eas adegerunt. In monasteriis utriusque sexus, in Misnia præsertim & Voigtlandia, non pauci supererant: v. g. *Buchæ* prope Leisnicum octo monachi reperti sunt, quibus potestas facta est exeundi, aut si manere vellent, injunctum, ut Evangelicam doctrinam pure sectarentur, utque id facerent, benigna alimentorum & vestimentorum provisione invitati sunt. In cœnobio Virginum *Nimpschensi* vel *Nimmitschensi*, ex quo *Catharina Boria* cum aliis ante annos decem egressa erat, quindecim supererant nobili pleræque genere, sed Evangelio addictæ: prospectum est his & aliis satis commode, sed noviatiarum receptio, ut & monachorum, inhibita fuit. Maxima ubique difficultas, ut ex literis *Justi Jonæ* ad *Spalatinum* percipitur, circa salaria Pastorum deprehensa est, quia plebs, a priscis licet Cleri exactionibus liberata, persuaderi tamen non poterat, ut pastoribus de suo multum contribueret. Erant etiam inter Nobiles, qui parum pie obtenta libertate utebantur, a quibus extorqueri debuit, quod ex bonis parochiarum invaserant. Consilium *Justi Jonæ* erat, ut quinquaginta, aut minimum quadraginta floreni annui pastoribus, qui reditus ampliores non haberent, ex certis proventibus assignarentur. Ista summa, pro magna illius temporis annonæ & aliarum rerum promercalium vilitate, sufficiens credebatur, hodie parum æstimanda. Sic decreta & instituta visitatio hoc anno in ditiones procerum quorundam extensa fuit, qui anno 1528. immunes ab ea esse volebant. Datus erat anno 1528. virginibus cœnobii *Remusensis* in ditione Schonburgica concionator Evangelicus, sed exiguo cum successu. Verum (*Reg. J. J. fol. 3. n. 6.*) hoc anno visitatores eodem modo, quo in aliis Saxonici territorii locis, cum virginibus egerunt. Correxerunt Psalmodias, abrogatis Missis solitariis, & Germanicas cum communione sub utraque introduxerunt; lectionem Evangelistarum ante meridiem; epistolarum post meridiem; mutationem vestis monasticæ, aliaque statuerunt ad præscriptum libelli visitatorii; maxime vero, ut virgines pudice & modeste viverent, decenti labore occuparentur, & quæ vellent exeundi & nubendi potestatem haberent, constituerunt. Successit hoc anno reformatio magnæ partis Dynastiæ *Ruthenicæ* in Voigtlandia, quam jure a majoribus ad se delato tenebat *Henricus* Senior, ex Illustrissima Advocatorum Voigtlandiæ familia, quæ nostro tempore *Comitum*, quibus a multis seculis pares fuerunt, titulum assumsit, natus. Subditus non erat Electori, sed Imperatoris jurisdictioni, & feudi nomine regno Bohemiæ obstrictus, cum vero undiquaque territorio Saxonico circumdatam haberet ditionem, & a vasallis civibusque suis ad Evangelicam doctrinam dudum propendentibus urgeretur, horum desideriis & Electoris monitis, quibus anno 1528. restiterat, nunc cessit, & Visitatores admisit, adjuncto iis præfecto suo *Henrico a VVolfersdorff*. Incredibile est, quam indocti & turpes pastores in districtu hoc inventi fuerint, magna sane cum Episcoporum, officium suum plane negligentium, ignominia. Concubinæ fere ab omnibus alebantur, &

(b) *Nomina visitatorum.*

(c) *Eorum decreta.*

(d) *Speciatim de Missis & monasteriis.*

(e) *Reformatio Ruthenicæ ditionis in Voigtlandia.*

& erat in pago *Baren*, qui ex duabus sororibus sex liberos genuerat. Huic tamen ex commiseratione, licet a munere removeretur, ad quatuor annos de alimentis provisum est. Fassus est parochus in *Seubtendorff*, se intra annos viginti & sex Biblia sacra non habuisse. Multi duplici ritu utebantur Missarum & communionis sub utraque, aut alias tam rudes & ignorantes vel pravis moribus erant, ut ferri non potuerint. Retenti tamen sunt, quotquot sine summo scandalo poterant. *Schlaizæ* ministerium ab Ordine Teutonico dependebat, ex quo vicarii ineptissimi ad curam animarum constituebantur. Horum quidem præcipui, cum apud visitatores comparerent, Evangelicam doctrinam amplexuros se esse statim profitebantur, neque tamen ad ministerium idonei erant. In monasterio *S. Crucis* prope *Salburgum* undecim virgines erant, pleræque ex Nobilitate, sed moribus non admodum probatis: actum cum iis est eodem modo, quo in monasteriis Saxonicis. Nobiles in illo districtu læti, & cum gratiarum actione, visitatorum operam agnoverunt; quidam tamen in ditione Gerana priscis inhærebant institutis, multumque obstrepebant visitatoribus. Et erat *Agaviæ* ex familia *Ezdorffiorum*, qui ideo a communione sub una abstinere nolebat, quia unus tantum Deus esset. Superata est tamen adhortatione & constantia visitatorum reluctatio omnium, absque ulla violentia. Superintendens Geræ constitutus est *Georgius Voytus*, qui concionator fuerat, translato ob ruditatem ad inferiorem locum pastore. *Henricum* ipsum Dynastam, veteribus sacris tenaciter inhærentem, permovere Saxonici non potuerunt, ut Sacerdotem, quo in arce sua utebatur, dimitteret. Cæterum, quæ alibi urserant Ordines provinciarum Electoralium de augmentis salariorum, hoc anno & sequenti (ad eum enim multa, quæ retuli, pertinent) in *Thuringia* tandem aliquatenus ad effectum perducta sunt, deputatis in eum finem mille & ducentis florenis annuis ex reditibus monasteriorum; sed crevit summa annis sequentibus, decedentibus monachis & virginibus, quibus alimenta ad vitam præbenda erant. Hoc eodem anno in *Schwarzburgica* ditione, ut ex actis mecum communicatis didici, ad visitationem processum fuit. Johannes quidem Elector *Gunthero Comiti Schwarzburgico* dudum præceperat, ut Evangelicam doctrinam in suas reciperet ditiones, quarum quædam in clientela Electoris erant; sed imperandi hoc genus, ut novum & insolitum, aversatus Comes moras nectebat, connivens interim suis, ut ad vicina loca Saxonica excurrerent. Transegit etiam anno 1527. hortante Electore, & interventu Comitum Hennebergici & Mansfeldensis, cum filio *Henrico*, cui præfecturam Rudolstadiensem attribuit, facta potestate habendi concionatorem Evangelicum. Ipse *Guntherus* in veteri religione anno 1531. decessit, Filius autem Reformationi hoc anno 1533. operam dedit. Incredibile dictu est, quanta turpitudo, cum summa ignorantia conjuncta, in pastoribus septuaginta fere parochiarum Schwarzburgicarum inventa fuerit, ut ex annotatione sive protocollo, quod *Arnstadii* extat, satis superque colligitur. Concubinas plerique sine omni pudore habebant, quasdam ab aliis maritis abductas: vitam etiam gerebant, cauponibus potius, quam sacerdotibus convenientem. Quidam pro suo arbitrio Missam Germanicam, sive communionem sub utraque & Baptismi formulam, lingua patria, introduxerant. Ineptissimi omnium erant, qui ex monasterio *Cellæ Paulinæ* satis celebri tunc & opulento, ad curandas parochias mittebantur. Plerique tamen tolerati sunt, emendationem offerentes. Hæc ad *superiorem* saltem Comitatus Schwarzburgici partem pertinent; neque compertum mihi est, quid in inferiori, id est, *Francohusano* & *Sondershusano* districtu gestum sit: nisi quod diutius ibi servatos fuisse veteres ritus conjici inde potest, quia Georgio Saxoniæ Duci, aut Archiepiscopo Moguntino, pleraque ejus tractus loca jure feudi obstricta sunt. Redeo ad Saxonica, & paucis, præter jam dicta, noto, mandatum fuisse inter alia visitatoribus, ut in *Sacramentarios* & *Anabaptistas* inquirerent. Retulerunt igitur, quibus res Thuringicæ commissæ erant, d. 27. Junii, se in præfecturis infra Isenacum ad amnem Vierram, in quas communis Electori & Landgravio jurisdictio erat, non spernendum Anabaptistarum numerum deprehendisse. Invenerant autem ibi sectæ suæ licentiam ex conniventia Hassiaca (*Reg. N. fol. 493. n. 1.*) Jam enim anno præcedente 1532. Landgravius Electori, pœnas adversus Anabaptistas urgenti, responderat: se edicto Spirensi anno 1529. quo capitalis pœna adversus illos decreta erat, obtemperare non posse, nisi forte seditionem adversus Magistratus excitarent. Cur enim non eodem rigore adversus Judæos aut Pontificios procederetur? se quidem nemini præscribere, quid in sua quisque faceret ditione, attamen ad mortis pœnam, ubi ipse potestatem haberet, non progressurum, sed pro modo insaniæ animadversurum esse. Itaque nuper quendam *Melchiorem Rinckium*, qui errores suos scripto & voce late disseminaverat, & ex præfectura, cum Saxone communi, effugerat, perpetuæ custodiæ mancipasse. Augeri videbatur hoc periculum anno 1533. cum in pagos *Erfurtenses* nova sectæ semina invecta essent, captique, qui dicerent, quingentos Prophetas emissos esse, qui populum converterent: Monasteriensium enim insolentia & impunitas multos movebat. Inde Georgius Dux quosdam *Mulhusii* in vincula conjici fecerat, lege in eos acturus; sed restitit Landgravius, cui illo tempore cum Electore & Georgio, commune in urbem imperium erat, certatumque est, hoc anno & sequenti, acribus inter Principes literis: de quibus, aliisque quæ secuta sunt, alibi dicendi locus erit.

(f) *Acta in Thuringia, & reformatio in Comitatu Schwarzburgico.*

(g) *De Anabaptistis quaedam.*

ADDITIO IV.

Publicavit hoc anno 1533. *Georgius, Marchio Brandenburgicus* ordinationem Ecclesiasticam in Principatu suo, & pupilli Alberti (Casimiro fratre geniti) Franconico, sive in Burggraviatu Norimbergensi, diplomate ad præfectos provinciæ omnes & singulos præmisso, quod datum est *Jagerndorffii* in Silesia *die Lunæ post Antonii*, id est, 20. Jan. Significat, se cum Senatu Norimbergensi de hac ordinatione convenisse, ita, ut in urbe & ditione Norica etiam servanda sit, quemadmodum & titulus indicat. **In meiner Gnädigen Herren von Brandenburg/ und eines Erbaren Raths der Stadt Nürnberg Obrigkeiten und Gebieten.** Commendat ante omnia pastoribus informationem plebis & juventutis, ex Catechismo, quem vocat *verbum Dei*: intelligit autem Catechismum minorem Lutheri, ex verbo Dei collectum, licet nomen autoris dissimulet; omnia enim ejus capita locis convenientibus huic constitutioni inserta sunt; mandatumque præterea est in diplomate, ut in omnibus templis exemplum Catechismi bene compactum (**auffs beste eingebunden**) asservetur. Recusa est ordinatio illa anno 1591. *Curiæ Variscorum*, habetque partes duas: *prior* continet capita duodecim; *altera* ipsum Catechismum & conciones catecheticas. In *præfatione* breviter monetur, disciplinam & ordinem in Ecclesia & cultu publico necessarium & utilem esse, non quidem ad promerendam gratiam Dei, aut luenda peccata, sed ad decentem externi ritus constitutionem, & ut populus eo magis ad audiendum verbum Dei & pium Sacramentorum usum excitetur. Parte *priori Cap. 1.* agitur de officio Episcoporum, quod pastores, concionatores & ministri Ecclesiæ gerunt, recte exercendo: nempe, ut *primo* ex verbo Dei (vitatis hominum traditionibus) populum doceant; *secundo*, ut eum ad mores doctrinæ conformes, & ad constantiam in fide & pietate, non solum in concionibus, sed omni loco & tempore, prout expedit & occasio fert, exhortentur; *tertio*, ut errantes ex sacra Scriptura convincant, idque faciant, tum Scripturam cum Scriptura conferendo, ut fecit Christus *Matth. VI. 6. 7.* tum ejus sensum recte penetrando, & ex eo argumentando, quod sequenti exemplo illustrat: **Wenn die Schwärmer sprechen: Christus sitzet zur Rechten Gottes/ darum kan er nicht im Abendmahl gegenwärtig seyn. So ist deñ unsere antwort: Ja/ eben darum/ daß er zur Rechten Gottes sitzet/ glauben wir nur desto fester/daß er im Abendmahl sey/ denn die rechte**

(a) *Ordinatio Ecclesiastica Georgii Marchion. Brandenburg. & Senatus Norimberg.*

(b) *Partes ejus duæ.*

(c) *Part. I. cap. 1. de officio Pastorum.*

An. 1533.

rechte Hand Gottes ist überall und an allen orthen/ und wir leben und weben darinnen/ und werden durch dieselbige erhalten/ wie David im 63. Psalm spricht: Deine rechte Hand erhält mich. So nun Christus zur Rechten Gottes sitzet/ so kan er seyn/ wo er will/ denn wo nicht/ so säße er auch nicht zur Rechten Gottes. Hoc est: *Si fanatici dicunt: Christus sedet ad dextram patris, ideo præsens in cœna esse nequit; nostra responsio hæc est: Immo, quia sedet ad dextram Dei, tanto firmius credimus, præsentem illum esse in cœna. Dextra enim Dei est ubique & in omnibus locis, in ea enim vivimus & movemur. Unde David Ps. LXIII. 9. dicit: me suscepit dextra tua. Si ergo Christus sedet ad dextram Dei, esse utique potest, ubi vult, alias nondum sederet ad dextram Dei.* Hæc verba integre repetiit in sua ordinatione Elector Brandenburgicus *Joachimus II.* quam infra in tempore & loco producemus; & notari merentur, ut appareat, doctrinam de omnipræsentia Christi Dei & hominis, sedentis ad dextram Dei, jam tum pro fundamento præsentiæ realis in sacra Cœna assumtam, & publicis confessionibus assertam fuisse. Pergit Georgius, & prolixe omnibus Ecclesiæ ministris diligens sacræ Scripturæ studium commendat; hoc enim non solum illorum speciale officium esse, sed & omnium Christianorum, ut totam vitam in tractatione verbi Dei consumant. *Si enim,* ait, *cœlum petimus, renasci debemus ex aqua & spiritu: regeneratio autem hæc non fit, nisi ex semine incorruptibili per verbum Dei vivi & permanentis in æternum. I. Petr. I. 23. Renati vero opus habemus cibo & alimento spirituali, & hoc ipsum est verbum Dei, idem docente Petro, qui nos, quasi modo genitos infantes, lac rationale & sine dolo concupiscere jubet, ut in eo crescamus ad salutem. I. Petr. II. 2. Verbo quoque Dei defendere nos adversus Satanam debemus, est enim gladius Spiritus.* Graviter itaque adhortatur Ecclesiæ ministros, ne sua culpa committant, ut auditores non regenerentur, aut regeniti, defectu piæ doctrinæ & consolationis, langueant & consumantur, aut falsis dogmatibus corrumpantur. *Cap. II.* differentia Veteris & Novi Testamenti breviter indicatur. *Cap III.* de pœnitentia prædicare jubentur pastores, exemplo Johannis & Christi, ita, ut doceatur agnitio peccatorum ex Lege, & contritio ob iram Dei contra peccata; spes vero gratiæ per Christum simul ostendatur. *Cap. IV.* natura & usus legis explicatur, opinio, quod externa obedientia sufficiat & per eam legi satisfiat, rejicitur, interna legis perfectio asseritur, quam viribus nostris, sive liberi arbitrii præstare non possimus. Ex dicto Pauli *Rom. VII. 15.* probatur, pravam concupiscentiam in homine aliquid activum, adeoque peccatum esse, internum licet, facinus autem externum non nisi gratia Dei impediri. Ex *Rom. IV. 15.* traditur, quomodo *lex iram operetur,* & ex *Gal. III. 24.* quomodo lex *pædagogus noster sit in Christo.* Decalogus proponi jubetur, non, ut a Moyse promulgatus, ita enim sub jugum totius legis Moysaicæ redigeremur, sed, ut lex naturæ, ad quam Christus & Apostolus nos ablegavit. *Cap. V.* tractatur de doctrina Evangelii, & (1) quidem de satisfactione Christi, ejusque obedientia, passione & intercessione. (2) de applicatione beneficiorum ejus, nempe remissione peccatorum & donatione justitiæ Christi per fidem. Monentur autem pastores, ut a sophistis, qui nunc etiam ex Scripturis, argumentorum vi compulsi, de justificatione per fidem concionentur, sibi caveant, hos enim Scripturam minime intelligere, sed putare, opera nostra, quæ ex fide sequuntur, esse justitiam; qua justificemur, & cavillari, fidem solam non sufficere, sed simul charitatem requiri, nolle itaque eos intelligere, quod Christus sit justitia nostra, & quod justitia nostra propria a Paulo *Phil. III. 8.* pro stercore reputetur. *Scimus quidem,* ait, *veram fidem in Christum nunquam esse sine charitate & bonis operibus, sed opera illa bona non sunt justitia, quæ coram Deo valet, sed justitia Christi requiritur, quam nobis donat.* (3) de inhabitatione Christi, immo S.S. Trinitatis *Joh. XIV. 23.* additis aliis Scripturæ dictis. (4) de regeneratione (5) de vita nova, & de infusa charitate, item de externo & interno homine. *Cap. VI.* agitur de cruce & tribulatione, ejus origine, usu, differentia, necessitate & præstantia. *Cap. VII.* de precibus, & causis ad eas moventibus, de promissa exauditione, & quod orandum sit ex præcepto Dei, & assuefaciendi juniores, ut precibus & meditationibus studeant; abusus etiam indicantur, interque hos invocatio Sanctorum. *Cap. VIII.* de libero arbitrio docetur, locum illi esse in operibus externis & in justitia carnis, sive legis, sed negatur, vires habere ad purgandum cor & excitanda dona divina, contritionem, fidem, charitatem aliasque veras virtutes. *Cap. IX.* de libertate christiana monetur, quod non consistat in licentia & solutione disciplinæ, sed in gratuita remissione peccatorum per Christum, & liberatione a peccatis, & in dono Spiritus sancti: indicatur etiam, quomodo cum libertate conveniat observatio statutorum Ecclesiæ. *Cap. X.* de traditionibus humanis disputatur, & asserto jure legum civilium & potestate magistratus, abusus traditionum in eo versari ostenditur, si statutis Ecclesiæ attribuatur meritum apud Deum. *Cap XI.* in Baptismo tenenda præcipiuntur, quæ necessaria & utilia sunt, rejectis inutilibus & scandalosis, puta consecratione aquæ, & adhibitione olei, salis, sputi. Suadetur maturatio baptismi, & delectus circa sponsores: additur consideratio de utilitate baptismi: probatur baptizatio, per fœminas & laicos, in casu necessitatis: rejicitur opinio, quod infantes fidelium sint in potestate diaboli: & sic etiam aboletur consecratio seu benedictio puerperarum. Subjecta est formula baptismi eadem, quæ a Luthero secunda cura in Saxonia præscripta fuit, ut in loco dictum est. *Cap. XII.* de sacra Cœna agitur. In ea retinetur ritus substantialis, in recitatione verborum institutionis, piisque lectionibus & precibus: rejiciuntur, opinio sacrificii, invocatio Sanctorum, & formulæ precum, ex Scripturis non desumtæ: refellitur nominatim Canon Missæ, & novitatis arguitur, ex nominibus Sanctorum recentiorum: improbantur etiam explicationes variæ de sensu figurato, & quod indigni, sive non credentes, non accipiant corpus Christi, sed solum fideles: sic enim verbi divini veritatem a fide vel infidelitate hominum suspendi. Statuitur itaque, infideles (ut Judam) verum corpus Domini accipere, sed non spirituali fruitione. Qui communionem sub utraque recusant, sive præfracte sive ex infirmitate, plane abstinere jubentur a sacra Cœna, donec discant divinam institutionem humanis legibus præferre. De præparatione ad Sacramentum & qui admitti aut repelli debeant, utilia monentur: requiritur comparitio & exploratio apud pastorem, deinde absolutio, & indicatur, non restitui pontificium illum confessionis rigorem, sed exigi piam agnitionem peccatorum, & petitionem absolutionis, cujus formula duplex additur, tum talis, qua solum annunciatur a ministro remissio Dei per meritum Christi, tum alia, cui inserta sunt verba directa: *Ego te, ut minister Ecclesiæ, absolvo.* In fine adduntur formulæ precum Ecclesiasticarum, quas *collectas* vocant, pleræque ex stylo Lutheri, tum ritus sacræ Cœnæ & consecrationis nuptialis. Pars *altera* capita Catechismi *sex* complectitur: ejus *primum* est Decalogus, cui adduntur conciunculæ sive parænæses novem (juncto scilicet præcepto nono & decimo) verbotenus prælegendæ & interrogationes ad pueros de intellectu præceptorum, ad quas responsiones ex Lutheri catechesi subjunguntur, & sic etiam in reliquis capitibus nulla interpolatione, nisi quod in explicatione præceptorum secundæ tabulæ, v. g. in præcepto quarto, post verba: *debemus Deum timere & diligere, ut parentes & heros non contemnamus,* inseritur: *propter illum,* id est, ut respectu & amore Dei id faciamus; & in paraphrasi præcepti sexti, ubi Lutherus scribit: ut *caste & pudice vivamus,* additur: *in cogitationibus, verbis & factis.* In explicatione præcepti noni & decimi, accurate ostenditur peccatum concupiscentiæ etiam in infantibus deprehendi, licet id naturali ratione assequi non possimus, sed ex præceptis his discamus, docente Paulo *Rom. VII. 7.* Ad *secundum* caput catechismi, id est, symbolum Apostolicum tres conciones

(d) *de prædicatione Legis & Evangelii.*

(e) *de precibus, libero arbitrio, libertate christiana & traditionibus.*

(f) *de baptismo.*

(g) *de Cœna Domini, confessione & absolutione.*

(h) *Pars altera de catechismo & concionet catechetica.*

An. 1534.

nes exhibentur; ad *tertium*, de oratione Dominica septem; ad *quartum*, de Baptismo, una; ad *quintum*, de sacra Cœna, una. In hac de præsentia reali diserte dicitur: inveniri quidem nunc homines, qui confiteri eam nolint, sed facere id sine causa (muthwillig) ex ductu cœcæ rationis, neque Christianos esse, aut primum articulum Symboli de omnipotentia Dei didicisse. Ad caput *sextum* de jure clavium, sive absolutionis, itidem etiam una tantum extat concio. Has conciones, & pleraque ex parte prima, repetiit *Joachimus II.* Elector Brandenburgicus, in reformatione provinciarum suarum, de qua infra §. *LXXV.* agemus.

SECT. 8.

An. 1534.

(1) Clemens VII. decernit Concilium.

Pallav. L. 3. c. 16.

Clemens, accepto responso, quanquam satis intelligeret, & sæpe Carolo Quinto prædixisset, Protestantes utcunque acres ad flagitandum concilium videri vellent, id tamen nunquam iis, quas Ecclesia necessario exigeret, conditionibus admissuros esse; rem nihilominus in celebri consistorio denuo deliberandam proposuit. In hoc unanimiter assertum fuit, efficacius adversus hæreses aliaque mala, Ecclesiam affligentia, remedium non esse, quam concilium universale, tamdiu jam desideratum. Quia vero indici id non posset, nisi pax inter Principes Christianos constaret, ea vero tunc turbari incipiebat, dictum fuit, id primum agendum esse, ut Pontifex ad conciliandam illam inter Principes officium suum interponeret. Hoc ille serio aggressurum se esse constituit.

(2) Mors Clementis, ejusque elogium & censura.

Guicciard. l. 12. Sadol. l. 11. Jov. l. 32. Pallav. l. cit.

Sed mors inter hæc d. 25. Septembr. ei interveniens, cum quinquagesimum sextum ætatis, undecimum Pontificatus annum ageret, optimi consilii eventum sufflaminavit. Fuit revera hic Princeps multæ sapientiæ, virtutis & gravitatis, in moribus & conversatione, sed de quo dici potuit, eum, licet omnes istas dotes habentem, ad parendum tamen, quam ad imperandum, aptiorem fuisse. Apparuit id, cum sub Leone X. agnato suo, rebus agendis præfectus, & Principis benefici, liberalis, humani & magnanimi mandatis obsequens, feliciter & cum admiratione omnia expediret. Sed rerum arbiter factus, præstare idem toto Pontificatu suo non potuit: qui fatalis Romæ fuit, dum ipse ingenio suo agens, affectusque duos, quibus nunquam, ut aliis, quos in potestate habebat, moderari poterat, avaritiam & metum secutus, toti aulæ odiosum se & Principibus suspectum reddidit, qui parum ei fidebant: tam parum vero populo Romano acceptus extitit, ut celare gaudium, ex ejus morte conceptum, minime posset, sed aperte potius id significaret.

(3) Electio Pauli III. & acta quædam.

Act. Consist. ap. Pallav. l. 3. c. 17.

Aucta est lætitia, cum paucos post dies Alexander Farnesius, Sacri collegii Decanus, annos natus sexaginta septem, d. 13. Octobr. altero post ingressum conclavis die, magno cum orbis applausu, eveheretur, qui Pauli Tertii nomen sumsit. Hic, quemadmodum semper concilii convocationem suaserat, non cunctatus est, accepto Pontificatu, omni studio & ardore, magnoque cum fausti exitus desiderio, negotio illi incumbere, quantum sane ex effectu conjici potest. Hoc enim unicum in primo Consistorio, d. 13. Novembris habito, proposuit, &, quo hæreticis prætextus rebellionis suæ, ex corruptione Ecclesiæ & curiæ Romanæ, ut ajebant, sumtus, auferretur, valde exhortatus est Cardinales ad exactam reformationem. Mandatum etiam quibusdam dedit, omnemque autoritatem suam concessit, ut omnes, quos in rem Ecclesiasticam & civilem irrepsisse deprehenderent, abusus corrigerent.

§. XXVI.

(1) *Clementis literæ in Germaniam displicentes Georgio Sax. Duc.*

Cum Maimburgius ad anni hujus 1534. historiam nihil, præter pauca ista, afferat, paucis etiam absolvi possunt, quæ ad ejus narrata annotanda veniunt. De deliberatione in Consistorio, de Concilio promovendo, a Clemente habita, cum *Paulo Veneto* digladiatur *Sfortia Pallavicinus, Lib. III. c. XVI.* Fugit autem hunc (nisi causas reticendi habuit) non solum ad Ferdinandum Regem, ut *d. l. §. 3.* refert, a Clemente d. 20. Martii scripta esse, quibus iter suum Massiliense commendaret, & bonum de Concilio propositum testaretur, sed & eodem die & in eundem sensum ad Principes & Ordines Circuli Saxonici. Extant enim literæ Pontificiæ *Reg. H. fol. 94. n. 37.* Compellat in titulo Electorem in singulari, cum tamen duo essent in hoc circulo, excludens forte Saxonicum: *Concilii scopum* indicat (nulla hæreseos mentione) *unitatem fidei Catholicæ, præcipue in inclyta natione Germanica*, quam *Romani Imperii sedem esse* dicit, *& Christianitatis universæ maximum robur.* Displicuerunt hæ literæ Georgio Duci, ut constat ex illius epistola *ad Vergerium* d. 14. Junii data. (*Reg. H. fol. 97. n. 42.* ubi Germanica versio extat) Optat enim, ut nunquam Pontificias literas illas vidisset: fore enim, ut sapientiores scandalum ex illis capiant: monetque Vergerium, ut Pontificem adhortetur ad auscultanda saniora consilia, & rejicienda prava. Vehementer queritur de contemtu & persecutione, in quam Lutherus Romanam ecclesiam adducat. Non negat, dissidere Germanos, sed tanto magis requiri concilium: obligari ad hoc Pontificem, si pastor bonus esse velit, & ut animam suam ponat pro ovibus: ad Gallum & Anglum respici non debere, esse enim hostes Imperii. Si patrimonio Ecclesiæ decem aureorum millia auferantur, bellum incipi a Pontificibus; nunc tot animarum causa nihil fieri, interim Luthero aliisque sectis robur accedere. Hoc fuit Catholicissimi, ut ita dicam, in Germania Principis de Clemente judicium, valde nempe dubitantis de seria illius, pro Ecclesiæ salute & concilio, solicitudine. Ipse *Pallavicinus cap. XVII. §. 2.* haud obscure agnoscit, invitum & ex necessitate

An. 1534. potius, quam ex suo ingenio aut arbitratu, postulantibus aut suadentibus concilium assensisse Clementem. Utut enim callidus erat, nondum tamen omnes artes præviderat, quibus postmodum effectum est, ut concilium non noceret Romani Pontificis Majestati & opibus. De vita & moribus Clementis VII ingenuus satis est Maimburgius, & licet perfidiam & crudelitatem inter vitia ejus non nominet, avaritiam tamen & timiditatem, ex quibus illæ veluti genus ducunt, indicat. Pallavicini censura mitior est. Sed nihil ad rem facit, in mores Clementis aut aliorum Pontificum calamum stringere. Ignoscendum potius defectibus eorum esset, modo officio suo, quod præ se ferebant, in pascendo fideliter grege Christiano, satisfecissent. In ultimis Clementis actis magnanimitatis laudem ei vindicat *Pallavicinus*, quam in antecedentibus non invenit, nulla enim virtus ab ejus ingenio magis abludebat. Ait autem, commendasse eum electionem *Alexandri Farnesii*, licet eum bis competitorem in Pontificatu habuisset; poterat id absque incommodo facere, cum de vita desperaret. Hunc vero quod attinet, quamvis ei immania crimina a multis, nec sine magna veri specie, tribuantur, malim tamen pro tali habere, qualem, post correctos juventutis lapsus, nobis depingit *Pallavicinus d. Lib III. c. XVII.* nisi plurima, quæ gessit, magis favere *Pauli Veneti* judicio, & sequiori, quæ sparsa erat, famæ viderentur. Mirabilis est *Pallavicini* solertia, qui ex vitiis Pontificum divinitatem muneris eorum colligit, Aristotelis autoritate allegata *d. cap. XVII. §. 5.* Magis vero æstimanda est ingenua ejus confessio, quod Farnesius lapsus sit sub Alexandro VI. aut Julio II. Pontificibus, nempe in licentia eorum temporum, *quorum*, ut scribit, *memoria non sine horrore & vituperio repeti possit.* Illa autem tempora proxime præcesserant Lutheri reformationem, nec a Leone X. in melius mutata fuerunt, quorum tamen felicitatem, ecclesiasticam maxime, Maimburgius sub initium operis commendat. Sed & hæc obiter. Inter causas, quæ ad concilium maturandum moverunt Cardinalium Senatum, *Paulus Venetus* refert terrorem, Pontificiis partibus illatum ab expeditione Philippi Hassiæ Landgravii, pro Ulrico cognato suo in Ducatum Würtenbergicum restituendo, dudum destinata (ut §. *X. & XV.* indicavi,) sed hoc anno feliciter peracta, cujus oblivisci non debuisset Maimburgius, cum nec a Pallavicino neglecta ejus mentio fuerit. Verum est, religionis causa motam illam non fuisse, unde nec Saxoniæ Elector, nec alii Protestantes vires suas Landgravio junxerunt; *Lutherus* vero & *Melanchthon* Vinariam, ubi Electorem convenerat Landgravius, vocati, bellum illud vehementer (& ut Lutherus locutus esse perhibetur *in serm. conviv. c. 45. fol. 427.* optimis argumentis) dissuaserunt, rogantes, ne Evangelii doctrinam hac expeditione subvertere, aut maculam ei impingere, aut pacem publicam turbare vellet. Offenderunt autem Landgravium, id quod rubore vultus & verbis testabatur. Alio etiam tempore Lutherus judicavit, temerarium ausum fuisse, quem nemo sapiens executus fuisset, eventu tamen probatum, & cum cœptus esset, prudenter expeditum. Sane in editis hoc anno declarationibus Ulricus cum Philippo injustam expulsionem suam a Suevico fœdere, & venditionem Ferdinando Austriaco factam; Philippus vero generis propinquitatem, quod Wurtenbergica matre natus esset; nihil vero de religione allegarunt. Vide *Hortled. Tom. I. Lib. VI c. IX.* Neque in responsione Ferdinandi, *Pragæ* d. 29. April. neque in replica Principum, *ex castris* d. 5. Maji publicata (*d. l. c X.*) quidquam refertur, quod ad religionem pertineat.

(2) De Clementis vita & aliis quædam.

(3) Item de Paulo III.

(4) Terror Romæ ob expeditionem Landgravii.

(5) Lutheri & Melanchthonis de ea judicium.

Aperiendum hic est ex Archivo Vinariensi (*Reg. H. fol. 83. n. 30.*) insigne prudentiæ & pietatis, justæque moderationis documentum, ab Electore Johanne Friderico in causa hac Wurtenbergica datum. Venerat ad eum Legatus a Cardinali Moguntino Cancellarius *D. Christoph. Turcus*, Dresdam inde profecturus ad Georgium Ducem d. 15. Martii: ut initium tractatuum, qui postea Annæbergæ & Cadani cum Ferdinando Rege habiti sunt, præpararet. Caput negotii erat de ratihabenda a Saxone electione Ferdinandi, & justificando simul Moguntino cum reliquis Electoribus, quos in præcipitanda illa electione contra rempublicam fecisse putabat Saxo. Postquam multa in utramque partem dicta essent, (quæ omnia Elector sua manu consignavit, & a me, quia longius a scopo recedunt, prætereuntur) subjecit Elector: necesse esse, ut etiam de causa Wurtenbergica transigeretur, & se negotium electionis tanti, quanti illam, non facere, fore enim, ut Deus de electione medium ostensurus sit, quod gloriæ ejus & saluti publicæ conveniret; (der allmächtige GOtt werde ie nach seinem Göttlichen willen der Wahlsache ihren Ausgang zu seinem lob und gemeinem nutz wohl schicken;) sed ex causa Wurtembergica magnas molestias, motus & sanguinis effusionem metui debere. Sua quidem parum referre, restituaturne Ulricus Dux, nec ne, pacem vero Germaniæ obtineri non posse, neque cum Landgravio conveniri, nisi restituto Ulrico. Licet vero Legatus obtenderet, sperari nihil posse, cum nuper Augustæ frustra de hoc negotio tractatum esset, regessit Elector, actum tunc fuisse, interventu Gallorum, de restituendo filio Ulrici in quasdam præfecturas, nunc agi de parente ipso plenarie restituendo. Parentem quidem suum, & se ipsum, electioni Ferdinandi non contradixisse propter causam Würtenbergicam, sed, quod crederent ad honorem Dei & veterem Germaniæ libertatem tuendam, renitendum electioni illi esse; desiderasse tamen, ut & illa lis Wurtenbergica, & quam Landgravius cum Nassoviis haberet, sopiretur. Neque deesse argumenta juridica (wenn man juristisch davon reden wolte/) quibus ostendi possit, connexionem quandam inter causam electionis & Würtenbergicam versari. Inter puncta capitulationis Imperialis esse, ne quis Principum aut Ordinum, sine cognitione causæ, possessione sua privetur. Hæc bona fide & secreto egit Elector, Landgravium vero ab armis semper dehortabatur, sed retineri illius impetus non potuit,

(6) Electoris Sax. prudens circa eandem consilium.

An. 1534. tuit, successumque habuit, de quo dicemus. Elector nihilominus in conventu fœderatorum, circa finem mensis Maji Norimbergæ habito, per Legatos suos testatus est, se quidem Landgravio felicitatem expeditionis Würtenbergicæ non invidere, perstiturum tamen in via regia, quæ coram Deo, in conscientia, & inter homines tutissima sit. Licet igitur, flagrante aut fere peracto jam bello Würtenbergico, & renitentibus quoque Bavaris, pacificatio cum Ferdinando difficilior esset, & Landgravius ægerrime ferret, quod Elector cum Mediatoribus Moguntino & Georgio Saxone jam aliquot conventus v. g. Delitschii & Pegaviæ habuisset; continuavit tamen Elector pacis illius negotium. Dissentiebat etiam a Landgravio in quæstione de recipiendis pluribus in fœdus Smalcaldicum sociis. Patet id ex instructione d. 11. Maji Legatis suis ad conventum Norimbergensem data. Dubitabat non solum de jure, an liceat novos socios adsciscere, post pacem Norimbergensem, sed & de utilitate, quæ inde sperari posset; difficillimum esse judicans, ut fida & vera conjunctio inter tot Principes urbesque, diversos fines respicientes stabiliri posset, qua afflictis omnibus prospiceretur. Retardabant eum etiam *Norimbergenses*, qui dicebant, se Theologorum & Jurisconsultorum suorum contradictionibus ab ineundo fœdere impediri. Cunctabatur *Georgius* Marchio Brandenburgicus, & formulam fœderis descriptam poscebat, quæ tamen, salvis pactis, dari illi non poterat.

(7) Ejusdem dubitatio de adsciscendis novis sociis.

Actum in hoc conventu speciatim est de causa *Alberti Brandenburgici*, Borussiæ Ducis, qui in societatem recipi enixe petebat, questus, quod, suspensa licet ad biennium sententia proscriptionis, Spiræ adversum se anno 1533. publicata, nihilominus novis fatigaretur processibus. Assistebat ei Rex Poloniæ, ut nepoti ex sorore & subdito (ita enim eum vocat Rex in literis hoc anno d. 12. Martii ad Electorem datis.) Auxilium etiam rogabat frater Alberti, *Guilielmus*, electus a Canonicis Evangelicis *Archiepiscopus Rigensis*, cui itidem in Camera Spirensi judicium intentabatur; sed dilata fuit in utriusque causa sententia Fœderatorum, nondum convenientibus de quæstione præjudiciali Saxone & Hesso. Angliæ etiam Rex in hoc conventu frustra institit, ut divortii sui patrocinium susciperetur: excusarunt enim sese omnes, significantes tamen, se societatem ejus non aspernari, si ad propagationem verbi divini dirigi posset.

(8) Acta Protestantium in conventu Norimbergensi.

Sed ad Würtenbergica revertimur. Profuit animositas Landgravii & Ulrici Ducis Protestantibus. Cum enim Ulricus, & qui omnia administrabat, Landgravius, cum exercitu quindecim mille peditum & quater mille equitum (hic numerus apud *Hortled. d. l. c. XII.* traditur, varie ab aliis relatus) Würtenbergensem Ducatum ingressi, oppositum ad Nicri ripam prope Lauffam Ferdinandi exercitum, paulo quidem debiliorem, cui Philippus Palatinus præerat, d. 13. Maji profligassent, & intra paucos dies provinciam occupassent, Palatino etiam in arce Aspergensi ad deditionem redacto, Albertus Cardinalis Moguntinus & Georgius Saxoniæ Dux, cœptum jam ante de conciliando Ferdinando Rege cum Electore Saxone consilium majori cum fervore prosecuti sunt, & simul de Ulrici causa transegerunt, ut constat ex celebribus pactis, *Annebergæ* primum in Misnia tractatis, dein *Cadaviæ* sive *Cadani* (Caden) in Bohemia, quo Elector ipse profectus erat, *Lunæ post Joh. Baptist.* id est, d. 29. Jun. perfectis.

(9) Ducatus VVurtenbergicus eripitur Ferdinando, & cum eo Cadani transigitur.

Eorum exemplum integrum exhibet *Hortled. d. l. c. XIII.* contenta probe refert *Sleidanus Lib. IX. p. m. 243.* Agnoscere volebat Elector Saxo cum sociis Ferdinandum pro Rege Romanorum, certum modum sanciendum & a Cæsare confirmandum stipulatus, qui observandus in posterum foret, si ejusmodi electio facienda esset: At simul pacificationis Norimbergensis stricta observatio, & adversus Camerales Processus, (quibus hucusque adversus illam pacificationem Protestantes fatigabantur) inhibitio, tum investitura, in comitiis Augustanis, religionis causa, Electoris Patri denegata, ut & pactorum dotalium inter illum & Ducis Clivensis filiam confirmatio promissa a Ferdinando fuit. Accessit mutua pollicitatio, quod nemo contra alterum, religionis causa, vi acturus sit, sub pœna jacturæ omnium opum & dignitatum, etiam Electoralis. Ulrici quoque Würtenbergensis Ducis restitutio approbata fuit, neque ei ratione religionis quicquam præscriptum est, (Augustanam enim Confessionem sectabatur) quam, ut Abbatias in regione, quæ singularia haberent regalia, & ad Ducatum non pertinerent, nec in religione, nec in redituum & bonorum possessione turbaret. Ita amplissimus ille Ducatus Augustanam confessionem publice amplexus est, ut in sequentis anni historia memorabitur.

(10) Contenta transactionis.

ADDITIO I.

Non defuerunt, qui Ferdinando suggererent, ut libertatem reformandæ religionis, pactis Cadanensibus Duci concessam, impediret. Duas ad id machinas adhibuerunt. Dicebant, promissum saltem esse, ut status pristinus in Ducatu VVurtenbergico servaretur, ubi tolerata erat quædam Evangelii professio: addebant, Electorem Saxoniæ in pactis contentum hac conditione fuisse. Inductus per hæc Ferdinandus literas in illum sensum ad Moguntinum dederat, (*Reg. H. fol. 90. n. 35.*) & jam expostulare cum Electore cœperant Ulricus Dux & Landgravius, facilitatem ei exprobrantes. Subtilius erat, quod dicerent, ab Ulrico id agi, ut Zuinglianum dogma provinciæ suæ inveheret.

(a) Ulricus apud Ferdinandum accusatur de dogmate Zuingliano.

Scripsit itaque Rex (*Reg. H. fol. 88. n. 31.*) ad Electorem, d. 15. Augusti, in genere saltem, ut sectæ Zuinglianæ neque in sua ditione locum daret, neque in aliis illam promoveret. Respondit Elector d. 20. Augusti, parenti suo sibique curæ fuisse, ne Zuinglii secta in suas irreperet ditiones, neque nunc reperiri, in oppidis præsertim, qui illi sint addicti; (in pagis enim Carolostadianæ reliquiæ quædam supererant:) quid alibi fieret, compertum sibi quidem non esse, suspicari tamen Fœderatos, sub Zuingliano nomine etiam Augustanam confessionem oppugnari, ideoque nolle consilia adversus Zuinglianos jungere, neque se ipsum consensurum esse, ut vi contra illos ageretur, qua ad Papismum reducerentur: optimum remedium a Concilio expectandum esse: promoveri id autoritate Cæsaris debere, & tergiversationi Pontificis occurri: Reformatione Christiana errores corrigendos esse, non vero violentis modis: offert in fine officium suum ad tractandum cum iis, qui Zuinglianismi suspecti essent. Has literas *Melanchthon* composuit

(b) Rex scribit Electori, & hic respondet.

An. 1534.

posuit, multa cum circumspectione & industria. Addiderat, magnas esse inter eos, qui Zuingliani dicebantur, opinionum differentias, ut innueret, non æque errare omnes, & multos Augustanæ confessioni adstipulari. Sed ista in literarum expeditione omissa sunt. Quod vero ad primam objectionem, de sensu pactorum Cadanensium, attinet, Ulrico & Landgravio, deinde Mediatoribus, & denique Ferdinando mascule respondit Elector, asseverans, clare & liquide permissam esse Ulrico facultatem reformandi, neque se unquam in pacta consensurum fuisse, nisi firmiter constituto hoc capite. Non negavit tamen, duas conditiones adjectas fuisse, unam nempe de cavendo Zuinglianismo; alteram de non turbandis monasteriis, quæ Ulrici jurisdictioni non subessent. Addidit, quoniam Zuinglii & Anabaptistarum errores ante restitutionem Ducatus multis in locis invaluissent, neque a Clero satis refutari potuissent, futurum esse, si interpretatio, de statu priori servando, locum haberet, ut utraque illa dogmata in provincia continuari deberent. His motus Ferdinandus, literis d. 12. Decembris ad Electorem datis, bonam fidem agnovit, & duabus illis conditionibus contentus fuit, idemque Legatis, qui illo tempore ab Electore Viennam missi erant, confirmavit. Addam, licet ad sequentis anni gesta pertineat, quomodo Ulricus in reformatione Cleri & Monachorum processerit, idque ex literis ejus ad Landgravium d. 18. Octobris 1536. scriptis. In his prolixe refert, retinuisse se pastores sive parochos, qui ad Evangelium docendum idonei & parati fuerint, senibus quibusdam alimenta assignasse, reliquos, qui provincialibus tantum oneri essent, dimisisse; In monasteriis concionatores Evangelicos constituisse: Missas privatas sustulisse: monachis, qui, recepta Evangelica doctrina, manere in provincia voluerint, quadraginta ad minimum florenos annuos, aut summam quandam pecuniæ, quam alimentorum loco pacti sint, tribuisse: qui neutram ex his conditionibus accipere voluissent, illis omnibus alimenta in cœnobio Maulbrunnensi obtulisse; dato illis concionatore Evangelico, sed plerosque regione sua excedere maluisse: Abbatibus quadringentos aut quingentos florenos annuos assignasse, relicta illis redituum administratione, sed addito quæstore (Gegenschreiber) ne quid interverteretur. Hunc in modum transactum cum illis fuisse exceptis duobus, Maulbrunnensi nempe & S. Georgii in sylva nigra; duos alios Lorchensem & Murhardensem dissimulatos a se quibusdam ex causis fuisse. In monasteriis virginum Missas & cantus Latinos abrogasse: ad hospitalia plusquam octoginta florenorum millia contulisse, & plura præstiturum esse: pensiones ex parochiis, Episcopo Constantiensi reservatas, (*consolationes* vocabant) vetuisse. Sic adversus pactionem Cadanensem nihil a se actum esse dicebat, quia omnia illa monasteria in suo territorio sita, & protectioni suæ subdita essent. Hæc Ferdinandus Rex ad se relata, ut ex literis ejus apparet, non improbavit.

(c) *Acquiescit Rex.*

(d) *Quædam de reformatione monasteriorum VVurtenbergicorum.*

(11) *De Gallicis & Pontificis actis quædam.*

De Gallicis consiliis & pecuniis, Ulrico & Philippo præstitis, multa habent autores, & novissime *Varillasius Lib. VIII. de hæresibus*, ingratitudinis accusat Principes Germanos, quod in pactis cum Ferdinando nullam Regis Galliæ rationem habuerint, neque tamen indicat, quid Rex ab iis desideraverit, aut pactus cum illis fuerit: maligne solutam esse, quam Rex promiserat, pecuniam, *Sleidanus* memorat *d. l. p. 244.* & mox a Würtenbergico restitutam; pars tamen ei a rege remissa fuit. Relatis autem Romam, quæ in Germania acta erant, iratus Pontifex acriter cum Ferdinando per Legatum expostulavit, sed accepta ejus excusatione, quod temporibus cedendum esse diceret, ipse quoque, si non ad mitiora, (a quibus natura alienus erat) ad callidiora tamen consilia conversus est, & Concilii viam, ut diximus, tanto majori cum studio iniit. Quæ de reformatione hic inseruit *Maimburgius*, a Paulo III. in primo consessu d. 13. Novembris Cardinalibus demandata, ea non nisi vana & simulata fuisse, effectus comprobavit. Id satis detexit *Paulus Venetus*, frustra eo nomine a *Pallavicino* exagitatus. Fatetur & hic ipse *d. c. XVII. §. 3.* alio decreto, anno sequenti d. 9. Julii, provisum fuisse, ne diploma, quo abusus quidam in tribunalibus Pontificiis, a Cardinalibus aliisque ad id deputatis corrigebantur, publicaretur, ne palam agnosci videretur, *deformationes inesse* in iis, quos reformandos curabat, & sic *hæreticorum obtrectationes apud vulgus* confirmarentur. Addebatur plausibilis ratio, omnia jam recte a majoribus constituta esse, & ipso facto præstari debere, omissis novis legibus & decretis. Incidit in hoc tempus obsidio urbis *Monasteriensis*, in qua Anabaptistæ insano prorsus modo grassabantur. Ad eam Landgravius copiarum suarum partem se missurum esse, pactis Cadanensibus promiserat, ut & Elector Saxoniæ, qui causam suam a Sacramentariis, quos vocabant, & Anabaptistis manifesto separaverat.

An. 1534.

(12) *Obsidio Monasteriensis.*

ADDITIO II.

Optima fide executus est pacta Elector, licet ab Electore Coloniensi & Ducibus Luneburgicis (*Reg. R. n. 4. & 7.*) moneretur, non sincere agere partem adversam: per latus enim Monasteriensium Evangelicos omnes peti, idque agi, ut & ille Episcopatus, & Archiepiscopatus Bremensis, in Austriacam redigeretur potestatem exemplo Ultrajectensis. Nihilominus Elector ad conventum, *Confluentiæ* Kal. Novembr. indictum, Legatos misit *Christophorum a Taubenheim* & *Johannem a Dolzig*, ut cum Electoribus & Principibus ad Rhenum & in VVestphalia consilia adversus Monasterienses jungerent, licet ipse ex constitutione Imperii nondum ad id obligatus esset. Placuit hæc ejus promtitudo Cæsari, ut Legati referunt. Profectus etiam erat ad quosdam ipse Elector, tum in VVestphaliam ad socerum Clivensem, tum Brunsuigam ad Luneburgicos, & civitatum Hanseaticarum Legatos, id agens, ut petulantiæ Monasteriensium resisteretur, dato tamen ad resipiscendum spatio: vi enim & ferro firmari potius, quam sopiri dicebat errores. Miserat Landgravius ad eos concionatores quosdam suos, qui de statu urbis jam d. 14. Novembris in oppido Vesaliæ superioris (Oberwesel) ubi conventum Electores Rhenani cum Landgravio habebant, relationem fecerant. Scriptum quoque fuit, finito d. 13. Decembris conventu Confluentino, ad Monasterienses, ut quieta consilia admitterent, & causam arbitrio Principum, qui Confluentiæ congregati fuerant, permitterent; Verum & hoc frustra fuit; responderunt enim d. 10. Januarii anno 1535. se verbo Dei & veritati adhæsuros esse nec arbitros agnoscere. Subscripserunt literas: *Deputati* (Verordneten) *ex gratia & virtute Dei*, (aus der gnade und krafft Gottes) *& communitatis Christianæ congregationis Monasteriensis*: apposuerunt sigillum civitatis, omissa Regis mentione. Habitus paulo post est alius conventus mense Aprili 1535. *VVormatiæ*, ubi aderant iidem, qui Confluentiæ, & ex Franconia quoque Legati, interque eos præcipue Marescalhus Bambergensis, *Casparus a Seckendorff.* Ferdinandus miserat *Joh. Frider. a Landeck* & *D. Claudium Cantiunculam.* Habuit & hic Legatos suos Saxoniæ Elector, & ad stipendium, ter mille peditum, quibus Monasterienses e longinquo cingi deberent, quotam suam contribuit. Promissa ibi sunt mutua auxilia adversus rusticorum seditiones, & vetita denuo Anabaptistarum receptio. Cau-

(a) *Electoris ad coercendos Monasterienses acta.*

(b) *Specia tim in conventu VVormatiensi.*

An. 1534.

Cautum vero etiam, ut Episcopatus Monasteriensis, reducta ad obsequium urbe, in Imperii potestate conservaretur, idque Episcopus cum Canonicis suis scripto promitteret. Hoc opponebatur consiliis Burgundicis. Inveniuntur in his actis literæ *Caroli, Geldriæ Ducis*, qui etiam *Juliacensis* titulum sibi tribuit, ut & *Comitis Zutphaniensis, Domini Groningæ, Omlandiæ, Coverdæ & Duentæ:* Scriptæ sunt ad Electores Coloniensem & Saxonem, & Ducem Clivensem d. 14. Novembris; ab iis enim solicitatus erat ad auxilium contra Monasterienses, sed respondit, res suas non permittere, ut assistere posset, cum non tutus esset a Cæsare, finitis, quæ pactæ fuerant, induciis annuis.

(c) *De Evangelicorum actu, ad avertenda gravamina ex Camera Spirensi.*

Mentionem fecimus querelarum de processibus Cameralibus; de his paulo plura dicenda sunt. Nihil omiserunt Evangelici, ut ab his, placidis modis, liberari possent. Intercidebat enim pacis Norimbergensis emolumentum ex illa interpretatione, cui Camera insistebat. Periclitabantur singuli, & denique omnes, qui ad instantiam Cleri ad restituenda, quæ abrogaverant, sacra, aut ad suæ religionis usus destinaverant, bona, condemnabantur. Sequebatur in non parentes, ut *Alberto* Borusso acciderat, fulmen proscriptionis. Nec deerant, qui armis exequi sententias illas cuperent; at, qui iis repugnabant, pro rebellibus habebantur. Missus erat sub initium anni Spiram, fœderatorum nomine, *D. Philippus Rosenecius* Consiliarius Electoris Saxoniæ. Hic d. 30. Januarii (*Reg. H. fol. 87. n. 33.*) instrumentum recusationis publicæ in consessu judiciali, adhibitis Notariis, insinuavit. Aderat judex Cameræ *Adamus Comes a Beichlingen*, ex vetusta in Thuringia familia, sed superiori seculo extincta; vasallus erat Ducis Georgii, ut & Electoris. Assidebant ei tunc viginti assessores, inter quos illustri genere nati erant *Fridericus Schenck, Baro Tautenburgicus,* (itidem ex Georgii Ducis provincia) *VVilhelmus VVernerus, Zimbriæ Dominus*, Baro Suevus: Ex equestri ordine, *Sebastianus ab Hirnheim*, Suevus, *Andreas a Conriz*, Misnicus; reliqui Jurisconsulti erant.

(d) *Instrumentum protestationis interpositæ.*

Contenta instrumenti recusationis erant, notorium esse, Protestantes pium & orthodoxum verbi divini sensum & ductum secutos, in graves de religione controversias cum Pontifice, & ei adhærentibus incidisse, & harum definitionem ad concilium universale liberum & Christianum delatam esse. Injuste itaque agere Cameræ judices, quod ex unius tantum partis, Pontificiæ scilicet principiis, sententias ferrent. Distinctionem, quam invenerint, inter causas fidei & possessionis, dudum refutatam esse. Excipiebatur in specie contra *Beichlingensem*, quod non solum Pontificius esset, sed & duos filios Canonicos haberet, & contra Evangelium asperrime loqueretur: reliquos etiam Assessores omnes Pontificiæ religioni addictos Clero favere, Evangelicis vero infensos esse: abjudicasse nuper fœminæ cuidam dotalitium, ex illa tantum causa, quod monialis fuisset: in formula juramenti, ab Assessoribus aliisque Cameralibus præstandi, superstitiosa verba retinuisse, quibus Sancti sive cœlites Deo adjunguntur: sententiam in causa VVurtenbergica denegasse. Addita fuit denominatio judicum, quorum arbitrium de hac recusatione admissuros se esse dicebant Protestantes: Erant illi *Henricus Meckelburgicus, Rupertus Palatinus, Georgius VVürtenbergensis*, civitates *Augusta* & *VVormatia*.

(e) *Alia Evangelicorum hac in causa acta.*

Quæ de refutatione distinctionis allegata sunt, reperiuntur in scripto prolixo, jam anno 1533. 1. Julii Cameræ exhibito. Contendebant in hoc, verba pacis Norimbergensis, de causis fidei & religionis, necessario intelligenda esse de consequentibus & annexis: de meris enim fidei quæstionibus nullam esse Cameræ jurisdictionem, nisi hæreticæ pravitatis inquisitores esse vellent. Exhibitam esse Cæsari in ipso tractatu pacis designationem causarum in Camera pendentium, indeque apertissimum esse, quales intellexerint. Non quæri, an bona sacra plane auferri & interverti possint, sed quomodo eorum fructus ex principiis religionis sint impendendi & distribuendi. Adstipulari his videbantur Moguntinus & Palatinus, & in eundem fere sensum d. 29. Januarii scripserant ad Cameram, nec non ad ipsum Cæsarem. Nihilominus Camera omnia ista, publicato d. 2. Martii decreto, rejecit. Consultum postea his gravaminibus esse videbatur pace Cadanensi; sed paulo post apparuit, denuo delusos esse Protestantes. Miserunt itaque mense Decembri ad Ferdinandum Regem Saxo & Hessus *Eberhardum Thannium* præfectum VVartenburgensem, *Johannem Feigium* Cancellarium Hassiacum & *Rudolphum Schenck a Schweinsburg*. Eos benigne audivit Ferdinandus, & pacis Norimbergensis atque Cadanensis dispositiones non negavit, neque tamen Cameræ interpretationem ita improbavit, ut posthac tuti ab illis processibus esse possent Protestantes. (*Reg. H. fol. 88. n. 34.*) Itaque annis sequentibus eadem certamina continuata sunt, ut in loco dicemus.

An. 1534.

§. XXVII.

(1) *Lutherus denuo cum Erasmo colliditur.*

Ex scriptis Lutheri parum referri potest, quod hoc anno editum sit. In novam cum Erasmo incidit rixam, de qua *Sleidanus* aliquid memorat *Lib. IX.* & *Scultetus Annal. Evangelic. Dec. II. p. 464.* Atheismum imputabat Erasmo Lutherus, & ex scriptis ejus quædam eo trahebat: Erasmus id ægerrime tulit, & acriter vindicavit. Cum ad personas magis, quam ad religionis confessionem, litigia illa pertineant, nolo in recensendis iis tempus consumere. *Melanchthon* in literis *ad Camerarium* V. Id. (11.) Martii datis, in utroque observat & dolet γεροντικὰ πάθη, *seniles affectus. Lib. IV. ep. 155.*

(2) *Edit epistolam de præsentia reali.*

Non nesciebat Lutherus, quam vehementer irritasset Pontificios, edito libello, quem anno præterito retuli, *de Missa & consecratione sacerdotum*. Cum vero intelligeret, esse, qui ex illo libro sibi imputarent, ac si sententiam de Sacramento mutasset, epistolam prolixam, ad amicum inscriptam, edidit, quæ *Tom. VI. Alt. fol. 161. ad 166.* inserta est. Profitetur ab initio, se Pontificiis, libro illi suo irascentibus, respondere nolle: *qui sordescit*, ait, *sordescat adhuc, non possum præcavere, ne illi ex scriptis meis scandalum capiant; ex veritate enim simplici & aperta, quam propono, diabolicam hæresin sibi figurarunt, quam mihi imputant: mittamus ergo illos, exemplo Christi, ut cæcos & cæcorum ductores, & furere sinamus.* Illis vero, qui mutatam a se sententiam circa præsentiam realem suspicabantur, satisfacturus, indicat: si Papistis hostibus suis capitalibus ægerrime facere vellet, nihil expeditius fore, quam ut opinioni Zuinglianæ accederet, sic enim tanto validius omnem illorum de Sacramento gloriationem & pompam destructurum esse; cum tamen e contrario præsentiam realem melioribus argumentis confirmaverit, quam illi, quippe in Scriptura sacra parum edocti, producere potuerint. At se in confessione, quam ediderit, ad mortem usque perseveraturum esse, per Dei gratiam, eamque denuo repetit his fere verbis: *Ubicunque Missa secundum institutionem Christi celebratur*, (id est, sacra Cœna distribuitur, ut ex sequentibus liquido constat) *sive apud Lutheranos sive Pontificios, sive in Græcia, sive in India, etiam sub una specie, (quod quidem per abusum & male fit,) accipitur tamen a communicantibus sub panis elemento, sive una specie, verum corpus Christi, quod in cruce pependit, sub vino verus sanguis Christi, qui in cruce effusus est, neque illud corpus aut sanguis spirituale aliquid est, aut fictum, sed verum & naturale corpus,* (vid. *fol. 162. a. & b.*) *ex virgine natum, & ex Spiritu sancto conceptum: idem etiam, quod ad dextram Dei sedet in majestate,*

An. 1534. *in persona Christi Jesu, qui est verus Deus cum Patre, a quo ab æterno genitus est. Accipitur autem hoc corpus & hic sanguis non solum a sanctis & dignis, sed & a peccatoribus & indignis, vere & corporaliter, licet invisibiliter, manu, ore, calice, patina, corporali, quod vocant, & quocunque instrumento in Missa porrigatur.* Scribit porro, *se non saltem sui solatii causa, quod sæpissime inde perceperit, sed propter verba clarissima textus Evangelici ista credere & statuere, adversus omnes sectas & hæreses veteres & novas. Sicut enim tam verum est nomen Dei, per quod pejerat homo nequam, quam verum est, quod invocat S. Paulus aut Esaias; ita idem corpus est, quo mali & boni fruuntur, ideo nec a Pontificibus, abutentibus licet & mutilantibus, impediri potest, quo minus sit verum corpus, quod sub una, aut corpus & sanguis, quæ sub utraque specie sumuntur.* Posthæc, etsi ab initio aliud intendisse videatur, adversus Missas gravissime pugnat. Ne quis autem ambiguitate vocabulorum *Missæ* & *Sacramenti* decipiatur, dicit, se per *Missam* non intelligere, quod Pontificii, id nempe, quod solus Sacerdos in altari agit & facit, sed sumtionem & acceptionem Sacramenti, quod *Synaxis* Græce, *Communio* Latine, & Germanice Berichten/ vocatur. Nam hodie quoque dici solet de ægrotantibus, quibus Sacramentum porrigitur: Sie werden berichtet/ id est, communicant, sive accipiunt Sacramentum. *Se igitur*, ait, *illam rejicere Missam, quæ solius Sacerdotis opus est, non illam, quæ est Sacramentum communionis; & quoniam ista confundi soleant, execrari se Missam sensu Pontificio, utque id omnes pii faciant, hortari & optare. Amo enim*, addit, *intimo corde Sacramentum & cœnam Domini, & præ gaudio lacrymas fundo, cum corpus suum mihi oraliter manducandum, & sanguinem ore corporali bibendum largitur, verbis benignissimis & suavissimis:* pro vobis datum & effusum. Fatetur inde, *se, qui ultra annos quindecim sacrificus* (ein hefftiger Meßknecht) *fuerit, tam confusam habuisse Missæ & Sacramenti notitiam, ut ignoraverit differentiam, neque nunc satis sciat, an tunc in Missa solitaria Sacramentum acceperit, cum unum idemque esse putaret Missam sive sacrificium & Sacramentum, quæ tamen sint diversa. Missa enim est, cum Sacramentum Deo offerri dicitur, ut hostia, pro peccatis, per Sacerdotem, & sic est opus hominis; Sacramentum vero esse scio, cum accipitur corpus & sanguis Christi a communicantibus. Hæc duo diaboli astu confusa sunt, ut vinum a cauponibus cum aqua aut ab æruscatoribus argentum cum scoria, nec nisi igne verbi divini ista separari possunt. Si igitur*, (pergit,) *de Sacramento loquor, intelligo corpus & sanguinem Christi verum & naturale in pane & vino, nullo ad personam dantis aut accipientis habito respectu. Si de Missa loquor, intelligo abominabilem illum Sacramenti abusum, cum sacrificium corporis & sanguinis Christi aliis ad satisfactionem pro peccatis venditur, cum tamen Christi institutio clarissime exigat, ut Sacramentum sit & detur, non ad satisfactionem, ut sacrificium, sed ad remissionem peccatorum in sanguine ejus.* Sacrificos itaque respondere jubet, an institutionem Christi servent, cum aliis ad satisfactionem dant & vendunt Missam suam, id est, suum opus. *Ego id*, ait, *non defendam, sed impugno, & illorum provoco sapientiam & artem, quam scio exilem esse, ut asserta sua probent. Ego quoque sum Doctor in illorum Theologia, sed non possum cum fundamento defendere sacrificium. Liceret mihi etiam dicere: Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres, quo clamore illi omnia putant obtineri, sed pro Ecclesia non possum habere cœtum malignantium, Christi nomen falso affectantium, & malitiam actionis malis fructibus prodentium, longe minus Ecclesiam supra Christum extollere volo, ejus enim ipse caput est, & inde dignoscitur vera Ecclesia, si illi obedit, aut, si erravit (ut facere potest) veniam rogat; minime vero, quæ abusum manifestum defendit.* Addit multa de hoc charactere, deinde subjungit: *Cogitandum tibi propono, si Missa non majus emolumentum afferret bonorum, opum & potentiæ profanæ, quam Evangelium & verbum Dei, quot putas hodie missificatores inventum iri? Credo ab annis sexcentis proximis (ne plures computem) neque Papam, neque Cardinales, neque Episcopos, neque alios Missifices visos deprehensosque, sed omnes potius Evangelicos & Lutheranos factos fuisse, ut nostro tempore miraremur, quid significent nomina Papæ, Cardinalium, Episcoporum & sacerdotum missificantium. At quia Missa honores, pecuniam & potentiam peperit, tantas nundinatione sua opes lucrata est, ut mundum in potestatem redegerit, immo cœlum, & majestatem atque verbum Dei infra se posuerit. Si mihi*, ait, *opes adessent, quibus Papam & clerum ejus tam divites & splendidos facere possim, sicut huc usque fuerunt, eosque in illa felicitate conservare, illos omnes magis Lutheranos facturum me esse existimo, quam ego sum.* Provocat ad conscientiam adversariorum, qua *pavidos esse, eoque minus metuendos sibi dicit.* Addit veluti jocans, *quantum ipse, utut mendicus, reformatione sua profecerit, quantum non credit quinque conciliis effici potuisse, cum præsertim in iis res levis momenti tractari consueverint; at Evangelio, quod ipse prædicavit, indulgentias, peregrinationes, bullas, omnesque pecuniæ acquirendæ artes prostratas esse, & jam Missam & cœlibatum Cleri (lapides Papatus angulares, sive duas columnas domus Philisteæ) a se apprehendi & concuti, oculos enim sibi, ut Simsoni, effossos, odio civilis & ecclesiasticæ potestatis, cincinnos etiam Nazaræos, in Baptismo acquisitos, a Delila monastica detonsos esse.* Nolui hanc epistolam, cum tot alia Lutheri scripta referam, silentio præterire, quanquam in ea quædam durius & liberius dicta esse non inficier. Notari inprimis meretur explicatio vocis *Missæ*, quæ duplicem sensum admittit. Interim certissimum est, & aliunde & ex hac epistola, quod in Augustana confessione, pro sacra Eucharistia posita & intellecta sit, quicquid *Cochlæus* & alii cavillentur. At in hac epistola satis clare profitetur Lutherus, se Missam, quæ non communionem sed *sacrificium* notat, plane rejicere. Paradoxon vero illud, quod communicantes sub una specie, coacti nempe per vim sacerdotum, nihilominus verum corpus Christi, sacramentaliter nempe, acceperint, hoc argumento nititur, quod noluerit asserere Ecclesiam tot seculis Sacramento

(3) *Missas acriter impugnat.*

An. 1534.

An. 1534. mento caruisse, id quod sequi putabat, si statueret, sacerdotes non solum, cum Missam solitariam celebrarent, sed & cum aliis unam speciem distribuerent, non nisi nudum panem porrexisse.

§. XXVIII.

(1) *Melanchthon mittitur in Hassiam, ad tractandum de concordia, in quaestione de Eucharistia.*

Continuatus hoc anno, Philippi Landgravii & Argentoratensis ministerii cura, de concilianda controversia circa Sacramentum labor, & sub finem anni, mense nempe Decembri, *Melanchthon* in Hassiam missus est, ut cum *Bucero* colloqueretur; qui eodem tempore superioris Germaniæ Ecclesiastas, ut & Tigurinos Constantiam evocaverat, de concordiæ rationibus acturus. Tigurini, cum venire non possent, sententiam suam literis expresserunt, quam octo ex Suevia primarios pastores comprobasse, producta eorum epistola, scribit *Hospinianus* in historia anni sequentis 1535 *fol. 136.* optabant autem, ut etiam Luthero & Melanchthoni placeret. Hunc Lutherus abeuntem de sua sententia scripto instruxerat, d 7. Decembris.

(2) *Lutheri instructio Melanchthoni data.*

Id Latinum extat, nescio an ab ipso Luthero conscriptum, aut ab alio versum, in collectaneis *Valentini Bavari MSS. Tom. II. p. 557.* his verbis: *Nostra sententia sic est; quod in pane vel cum pane realiter manducetur corpus Christi, ita ut omnes motus ac actiones, quæ tribuuntur pani, tribuantur etiam corpori Christi: quod vere frangatur, edatur, conteratur dentibus corpus Christi. Primo nullo modo concedamus, dici de nobis, quod neutri neutros ante intellexerint. Nam isto pharmaco non afferetur remedium tanto vulneri, cum nec ipsi credamus utrinque, verum hoc esse, & alii putabunt, a nobis hoc fingi, & ita magis suspectam reddemus causam, vel potius omnino dubiam faciemus, cum sit communis omnium, & in tantis animorum turbis & scrupulis non expedit hoc novum addere offendiculum. Secundo, cum hactenus dissenserimus, quod illi signum, nos corpus Christi asseruerimus, plane contrarii in Sacramento; nihil minus videtur utile, quam ut mediam & novam sententiam constituamus, qua & illi concedant, corpus Christi adesse vere, & nos concedamus, panem solum manducari. Ut enim conscientiam taceam, considerandum est certe, quantam hic fenestram aperiamus, in re omnibus communi cogitandi, & orientur hic quæstionum & opinionum fontes, ut tutius multo sit, illos simpliciter manere in suo signo, quia nec ipsi suam, nec nos nostram partem, multo minus utrique totum orbem pertrahemus in eam sententiam, sed potius irritabimus ad varias cogitationes, ideo vellem potius, ut sopitum maneret dissidium in duabus istis sententiis, quam ut occasio daretur infinitis quæstionibus, ad Epicureismum profuturis. Cum stent hic pro nostra sententia primum textus ipse apertissimus Evangelii, qui non sine causa movet homines non solum pios, sed & alios; deinde patrum dicta quamplurima, quæ non tam facile possint solvi, nec tuta conscientia aliter, quam sonant, intelligi, cum bona Grammatica textui fortiter consentiat. Tertio, quia periculosum tamen est, statuere, Ecclesiam tot annis per totum orbem caruisse vero sensu Sacramenti, cum fateamur omnes, nos esse autores veræ religionis & mansisse verbum Christi & Sacramenta, licet obruta multis abominationibus. Dicta S. Augustini de signo, quæ contraria nostræ sententiæ videntur, non sunt firma satis contra ista jam dicta tria; maxime, cum ex scriptis Augustini clare possit ostendi & convinci, eum loqui de signo præsentis corporis, ut illud contra Adamantium:* Non dubitavit Dominus appellare corpus suum, cum daret signum corporis sui; *vel de signo corporis mystici, in quo valde multus est, præcipue in Johanne; ubi copiose docet, manducare carnem Christi, esse in corpore mystico, seu, ut ipse dicit, in societate, unitate, charitate Ecclesiæ esse, (istis enim verbis utitur) Omnium fortissimum argumentum est Augustini, quod dicit:* Non hoc corpus, quod videris, manducaturi estis, & tamen conscientia memor est apertorum verborum Christi, hoc est corpus meum. *Hoc dictum Augustini facile sic exponitur, quod de visibili corpore loquatur Augustinus, sicut sonant verba,* quod videtur, *ita nihil pugnat Augustinus cum claris verbis Christi. Et Augustinus infirmior est, quam ut hoc uno dicto, tam incerto, nos moveat in contrarium sensum. Ego enim Augustinum aliter non intelligo, sicut & ipse Patres ante se forte intellexit, quam quod contra Judæos & gentes docendum fuit, apud Christianos non comedi corpus Christi visibiliter & more corporali. Hac ratione fidem Sacramenti defenderunt. Rursus contra hypocritas Cur stimorum docendum fuit, quod Sacramentum non esset salutare accipientibus, nisi spiritualiter manducarent, & hac ratione charitatem in Sacramento exegerunt, ut ex Augustino clare accipi potest, qui absque dubio ex prioribus Patribus & sui seculi usu ista accepit. Istis salvis nihil est, quod a me peti non possit, nam & ego hoc dissidium redemtum vellem, testis est mihi Christus meus redemtor, non uno corpore & sanguine meo. Sed quid faciam? Ipsi forte conscientia bona rapti sunt in alteram sententiam. Feramus igitur eos, si sinceri sunt, liberabit eos Christus Dominus. Ego contra captus sum bo[n]a mea conscientia, nisi ipse mihi sum ignotus in hac sententia; ferant & me, si non possunt mihi accedere.* Germanicum insertum est *Tom. VI. Alt. fol. 335. & seqq.* sed cum aliqua transpositione. Verba enim exordii Latina: *Nostra sententia*-usque-*corpus Christi*, rejecta sunt ad finem versionis Germanicæ, & aliud brevius exordium Germanicum substitutum est hoc sensu: *Sententia mea, an concordia inter nos & Zuinglianos iniri possit, hæc est.*

(3) *Aliud Lutheri ea in causa scriptum.*

Extat etiam aliud Lutheri scriptum brevissimum eodem anno absque die, *Tom. VI. Alt. fol. 336. b.* relatum, hoc sensu: *Statuimus, Christum non solum præsentem esse virtualiter & effective, nec præsentem solum pani esse secundum divinitatem, sed quod corpus & sanguis Christi substantialiter adsint cum pane & vino in Sacramento, etiam* (ut in fine addit) *ab indignis recepto.* (unde patet præsentiam ad receptionis actum restringi) *Dissentiunt a nobis, quia putant, præsentiam non dari nisi localem, secundum dimensiones; unde fieri non posse, ut corpus eodem tempore multis in locis sit. Nos vero statuimus Christum etsi non localiter, secundum dimensiones longitudinis & latitudinis, aliis tamen modis, & variis in locis simul esse posse, & ita credimus substantialiter præsentem esse posse diversis locis, & cum corporibus* (sive elementis) *ubi & cum quibus futurum se esse obligavit, atque sic cum*

An. 1534.

cum pane & vino in Sacramento. Itaque non est verum, quod corpus Christi non nisi localiter & secundum dimensiones longitudinis & latitudinis adesse possit. Hæc Lutherus. Quæ omnia, & fortasse plura, Melanchthon Bucero retulit, suam vero sententiam (vide epistolam *Melanchthonis ad Camerar.* ab *Hospiniano* & *Sculteto p. 459.* relatam *Lib. IV.* Epistolarum Melanchthonis *Londini* editarum *ep. 169.*) tunc non expressit, sicut & Buceri solum audivit, non approbavit; dicit tamen *se non dissimulaturum quid sentiat, postquam suorum responsa audiverit:* adde ejusdem epistolam ad Bucerum *Lib. III. ep. 73.* Non possum hic bona fide reticere, quod scriptum *Lutheri ad Bucerum* a Reverendissimo Episcopo Salisburiense *Gilberto Burneto* in laudatissimo opere alibi citato *Historiæ Reformat. Anglicanæ Part. II. Collect. Lib. I. num. XXXIV. p. 98.* adductum, (quod ex *MSS. Collegii corporis Christi* Cantuariæ nactus est, cujusque mentio fit in *Actis erud. Lips. an 1687. p. 63.*) nihil aliud sit quam pars quædam *Instructionis* d. 7. Decemb. compositæ, quam paulo ante retulimus. Sed non saltem mutila, verum etiam interpolata est: cujus quidem facti culpa Burnetum facile absolvere possumus, qui aliorum de *MSC.* relationem videtur esse secutus. Sensus enim Lutheri, contra clara ejus verba, supra fideliter & integre allegata, ita refertur, ac si mediam sententiam probaret, & per eam litem sopire velit; cum plane ab illa compositione abhorreat. Error & æquivocatio est in voce *nihilominus*, qua in scripto a Burneto producto concedi aliquid videtur. Sed Lutherus scripsit *nihilominus*, & Germanice in keine wege / innuens nullo modo fieri posse ut media sententia ineatur; tolerare tamen tunc voluisse videtur ad tempus utramque. Itaque pro *MS. Lutheri* id non potest haberi quod dicto loco asservari dicitur, cum nihil sit nisi fragmentum, & quidem sensu inverso, & omissis pro præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna argumentis relatum, ex illa, quam exhibui, *Instructione.*

(4) *Admonitio de scripto Lutheri a D. Burneto producto.*

Johanni Brentio eodem tempore *Lib. III. ep. 114.* epistolam scripsit *Melanchthon*, ab iis, quos dixi, diversæ partis Theologis allegatam, in qua a Brentio quidem eatenus dissentit, quatenus ille, Lutherum sequens, concordiam plane dissuadebat; fatetur tamen, *se veram præsentiam Christi in Cœna affirmare, nec autorem novi dogmatis esse velle:* dicit etiam, *dissentientes nunc ipsos se inflectere ad Lutherum.* Alia epistola, eodem anno ad eundem scripta (*ep. 115. d. lib.*) memorat, *Lutherum non plane damnare* Buceri formulam, *nondum tamen voluisse pronunciare.* Sed de his in annis sequentibus plura dicemus.

(5) *Melanchthonis literæ ad Brentium.*

Hic tamen notandum est, Bucerum non offensum esse verbis Lutheri, supra relatis, quibus statuit, *corpori Christi idem accidere, quod pani:* intellexit enim id ex vi unionis sacramentalis absque consecutionibus crassis & per calumniam elicitis; id quod ex ipsius Buceri scriptis retulit *Hospinianus fol. 135. & 136.* inter alia his verbis: *Cum dicitur a Luthero, corpus Christi in cœna Domini corporaliter & ore accipi, non tamen propterea corpus Christi ventris esca sit; sed quia hoc totum pani cum corpore Christi sacramentaliter unito accidit.*

(6) *Bucerus bene interpretatur verba Lutheri.*

§. XXIX.

An. 1534.

Ex scriptis Lutheri in hunc annum referuntur *prælectiones in Esaiam Prophetam, Tom. III. Lat. Jen. fol. 295. ad 460.* quæ a studioso quodam anno 1532. festinanter exceptæ, & postea cum aliquo augmento, ut Typographus in præloquio notat, editæ fuere. In exordio inter alia monet Lutherus *fol. 296. non extare Prophetæ hujus interpretationem Latinam, quæ Hebraicam sententiam clare & perspicue reddat, commodissime itaque Lectorem facturum esse* putat, si *Germanicam suam versionem consulat, in ea enim se ita sudasse, ut existimet, laborem suum candidis viris probari posse.* Fatetur tamen ingenue, (*in not. ad cap. 1.*) *certam & perfectam Grammaticam scientiam, quæ ad explicationem Prophetæ requiritur, se non habere, eam etiam desiderari in magnis Ecclesiæ doctoribus, nominatim in Augustino, qui ob Grammaticæ ignorantiam sæpe aberret, eundem tamen, quia historiam (ut secundum ad interpretationem requisitum) diligenter sit secutus, in analogia fidei mansisse.* Diversum judicat de *Hieronymo*, qui *Hebrææ linguæ satis gnarus, neglecta historia, sæpe extra regulam fidei provehebatur.* Per *Grammaticam* autem non *vocum* saltem cognitionem, sed *figurarum & phrasium, quæ linguæ sunt peculiares*, intelligit, qualem satis elaboratam extare negat. Modestia hæc Lutheri laudari debet: interim eam habuit linguæ illius notitiam & tantum in interpretando acumen, tum perpetuum ad analogiam fidei respectum, ut haud immerito de versione sua gloriari possit; id quod ex collatione ejus & aliarum cum textu Hebraico periti lectores deprehendent.

(1) *Lutheri Prælectiones in Esaiam. Præloquium de difficultate literaturæ Hebraicæ.*

Tenuit in his annotationibus scopum suum, probavit justificationem per fidem, monstravit verum bonorum operum usum; errores breviter arguit, tum Pontificiorum tum fanaticorum, &, quos cum his consentire aliquatenus putabat, Sacramentariorum: ad pietatem egregie suos hortatur, solatia etiam proponit, impiis vero & ingratis pœnas minatur & prædicit: eaque omnia cum nativa quadam simplicitate & perspicuitate, ut lectorem sine magno fructu non dimittat.

(2) *Contentis in genere.*

Inserit etiam quædam singulari observatione digna, ex quibus aliqua pro instituto meo adscribam. *Fol. 309. b. ad cap. V. 26. Hæreticos,* dicit, *a Deo ob peccata sua juste puniri, ut cæcutiant, & nulla pœna emendari possint.* Id *Judæorum & Anabaptistarum exemplo* probat, *qui ita persuasi & obstinati sint in errore suo, ut mortem patienter pro eo tolerent:* concludit inde, *non esse occidendos, sed potius concludendos in aliquem locum, & cohibendos, tanquam furiosos, & orandum pro eis, alias, quo magis puniantur, eo magis gloriaturos.*

(3) *Speciatim de pœnis hæreticorum.*

Fol. 314. b. ad v. 12. Confœderationes politicas parum laudat, & testimonio *Friderici* Sax. Electoris utitur, scribens: *Fridericus Dux Saxoniæ, nullis seculis satis laudatus Princeps, felicis memoriæ, dicebat: Hoc incommodi confœderationes habent, quod sæpius excitant partes ad movenda bella, fiducia confœderatorum, quæ alioqui non moverent soli extra fœdera positi. Deinde plerumque ita accidit, ut cum auxiliorum spe aliquid inceperint, tandem a confœderatis, cum periculum imminet, deserantur. Hæc moverunt sapientissimum Ducem, ut a fœderibus*

(4) *Dissuadet confœderationes Principum, exemplo Friderici Sapientis.*

An. 1534. ribus abstineret. Adversus præjudicium antiquitatis ita loquitur *fol. 354. ad Cap. XIX. v. 11. Hoc fuit primum argumentum impiorum in mundo contra pios, & erit quoque ultimum: Tu solus vis tam veterem Ecclesiam damnare? num solus sapis? aut majores nostros nil vidisse putas? Nam his duobus, opinione sapientiæ & gloria antiquitatis, animi impiorum inflantur: Sic diatribe Erasmi nihil aliud est, quam quod hic scribitur: Ego filius antiquorum.* Fol. 355. ad Cap. XXVIII. 22. 23. de abbreviatione Ecclesiæ, sive paucitate salvandorum a Propheta prædicta, & a Paulo *Rom. IX, 28.* explicata, loquens, dicit: *non potuisse a doctoribus Ecclesiæ argumentum illud solvi, quasi nempe Deus, rejecto populo Judaico, promissum suum de amplianda & conservanda Ecclesia, non servasset, nisi Apostoli solvissent.* Addit postea: *Docet nos etiam hodierna Ecclesiæ facies, ut cogamur credere, hanc consequentiam, quantumvis frigidam commrationne, tamen validam & verum esse. Nam & nos hodie a Papistis hoc argumento impetimur. Quia enim sedent in officio, & habent administrationem Sacramentorum, ideo volunt esse Ecclesia. Hoc est fortissimum ipsorum argumentum contra nos, in quo caro plane submergitur. Putatisne, inquiunt, vos paucos esse Ecclesiam, cum nos tam multi, magni & potentes sedeamus in officio? Nos ergo simpliciter respondemus, sicut Paulus Judæis: sive multi sive magni sitis, si non creditis in Christum, & non fiditis justitiæ Christi, nihil curamus: non enim ideo estis Ecclesia, quia in officio Ecclesiæ estis: scriptum est enim, quod abominatio potest stare in loco sancto, & quod Antichristus sedebit in templo Dei. Ecclesia igitur probatur a fide in Christum, & non vel ab officio, vel multitudine. Hæc proba est Lydius lapis & certissima regula.* Cui paria fere habet *fol. 398. Quod Apostoli discedunt a Synagoga, habet speciem apostasiæ & seditionis: sentiunt enim se esse populum Dei & Synagogam non esse populum Dei. Hic necesse est sæpe tentari animum. Quid si erres? Quid si tu sis abjectus, & illi servati? Neque enim verisimile est, Deum tantam multitudinem abjicere, & duos vel tres piscatores pluris facere, quam totum populum.* Et *fol. 415. b. Si Papa maneret in suo regno, & dimitteret saltem conscientias liberas, cogeremur manere sub ejus imperio, quia Evangelium non est seditiosum, nec liberat ab externis oneribus. Sed quia id non vult facere, amittit etiam hoc, quod justo titulo tenet, quia scriptum est: magis Deo, quam hominibus.* Fol. 357. ad *Cap. XXIX. 8.* consolationem affert adversus persecutiones. *Romani, cum hausissent infinitam martyrum multitudinem, putabant se evertisse regnum Christi. Hæc opinio quid aliud fuit, quam vanissimum somnium, cum videamus, in hæc usque tempora & Christum & Christianos mansisse, Romanum autem Imperium interiisse? Hæc applicanda etiam sunt ad Papam, & ad omnes alias tentationes. Omnes dentes Satanæ, omnis furor & omnia studia Papistarum, quibus moliuntur nos opprimere, sunt coram Deo somnium, quibus non solum nihil proficiunt, sed etiam pulchre luduntur. Secundum speciem videntur vastare & destruere, sed est tantum vana opinio & deceptoria visio, qua sibi ista potius videntur facere, quam faciunt. Sic putant, se Ecclesiam devoraturos esse; sed hoc, quod ipsi faciunt, non est devorare, sed somniare devorationem. Id quod aliquando experientur, cum evigilabunt, sive in hora mortis, sive in tempore visitationis, sive in extremo die. Sic post decem annos videbitis, quod illi Principes & Episcopi, qui nunc ita fuerunt contra verbum Dei, in nihilum redacti sint, Evangelium & confessores Evangelii manserint incolumes. Sic Munzerus, cum veheretur in illa cogitatione, se Papam & Lutheranos simul oppressurum, ut solus regnaret, ut sola sua doctrina celebraretur, putabatur coram mundo id effecturus. Verum eventus ostendit, eum omnia ista in somno egisse, non vigilantem sed dormientem. Sic Sacramentarii & Anabaptistæ habent visiones, & dormientes somniant, verum verbum, verum regnum Christi non vident, putant autem Papam una cum Luthero ruiturum, suam autem doctrinam mansuram, quam magno applausu Germania, Gallia, Italia, & in summa totus orbis amplectatur. Hoc est somnium, in quo videntur sibi comedere & bibere. Quid autem accidit, cum evigilaverint? Sacramenta manebunt integra & salva, sicut huc usque a tempore Apostolorum manserunt, ipsi autem peribunt.* Fol. 384. *ad Cap. XXXIX. exord.* maximam omnium calamitatum, quibus pii affliguntur, esse docet conscientiam, & sensum peccatorum, quibus tentantur aut inquinantur. *Si igitur*, scribit, *nullæ aliæ essent calamitates, quæ vitam hanc nobis invisam facerent, certe peccata, & inprimis facilis hic in præsumtionem lapsus odium hujus vitæ afferre nobis debebant. Singulæ ætates sua sentiunt incommoda. Juvenes libido vexat, quæ vix uxore ducta extinguitur. In virili ætate opes quæruntur, & cumulantur, & crescit avaritia. Si quis bene & honeste vixit, recte administravit officium suum, fuit bonus Magistratus, parochus bonus &c. philautia oritur, quæ propria ad senes, ultra avaritiam, pertinet. Sic vita nostra non solum peccat, sed est ipsum peccatum. Ad hæc accedunt tot alia mala. Puerilis ætas omnium injuriis obnoxia est: juvenilis omnibus periculis: virilis omnibus morbis & vitiis; & tamen tot malis non potest dura hominum cervix domari & frangi: quantumvis oppressi calamitatibus & peccatis superbimus, præsumimus, Deum & judicium Dei contemnimus, ruimus in varia & gravia peccata. Desperandum igitur est, nos sine peccatis in hac carne vivere posse, & simplici confessione dicendum: o Domine Jesu, quoties & quam graviter peccavi, tu vides, ego non possum omnia videre, ignosce. &c.* Fol. 401. b. *ad c. XLIV. 9.* confirmari jubet animos, & excitari cogitatione, ex quantis erroribus sint liberati, & ut Deo pro tanto beneficio gratias agant. Sic enim ait: *Nos quoque confirmamur in nostra doctrina, cum subit animum illa Papisticæ religionis impietas & stultitia. Quare malle illi nobis consulunt, qui nolunt monstra Papatus pro concionibus exagitari. Hoc enim agit Satan, ut, sublatis illis abominationibus e medio, nos per speciem religionis ad Papatum reducat. Prodest igitur, monstra monastica, satisfactiones, missationes, purgatorium, invocationem sanctorum, apparitiones dæmonum & alia portenta, semper ob* An. 1534.

(5) Præjudicium de antiquitate rejicit.

(6) De angustia veræ Ecclesiæ, & patientia ejus sub Pontificatu.

(7) Consolatio adversus persecutiones.

(8) Adversus fanaticos.

(9) Tentatio & afflictio a sensu peccati.

(10) Admonitio ad agnoscendum beneficium reformationis.

An. 1534.

oculos esse, ut animus odio occupatus non redeat ad priorem impietatem. *Fol. 402. b.* dum irrisiones idololatrarum, quibus Propheta *d. cap. XLIV. 15.* utitur, considerat, *stulta nobis*, ait, *& ridicula hæc videntur, sed quid aliud facit S. Hieronymus, dum ὑπερδουλίᾳ ligneam crucem adorari jubet? Quid aliud facit Franciscanus, qui putat se damnatum, si non cingatur fune, si non radatur capite, si non vestis eum tegat sordida? Facere igitur justitiam ex cingulo, rasura, veste, an non extrema stultitia est? Adorare ea, an non extrema est impietas? At negant se adorare, immo revera adorant, cum credunt, Deum nugas illas respicere, & placere Deo. Hoc autem est proprie contra primum præceptum: Non habebis Deos alienos. Credere enim, quod hujusmodi operibus placetur Deus, est fingere & formare idolum, & id colere; verus enim Deus is est, de quo scriptum est: Oculi tui respiciunt fidem.* *Fol. 408. b. ad Cap. XLVII.* ad verba: *Sapientia tua & scientia tua decepit te;* ita commentatur: *Est insignis locus, quod Respublicæ non evertuntur, nisi a sapientissimis, qui optime consulere se credunt. Ejus rei multa passim in historiis exempla sunt. Notus est Demosthenes, notus Cicero, Cæsar, Pompejus. Sic religio evertitur per sanctissimos, sicut nos docent exempla monachorum & totius Papatus. Ratio hujus rei est, quod utrique, & qui sapientia, & qui sanctitate ad homines clarent, sine timore Dei sunt, & in præsumtionem ruunt. Hoc cum fit, actum est. Monentur autem hæc ideo a Prophetis, non ut leges & bonos mores, in quibus sapientia & justitia humana posita est, contemnamus, sed ut humiliemur & non inflemur donis Dei. Deus enim nihil minus ferre potest, quam præsumtionem. Ideo etiam Synagogam, populum suum, sanctam civitatem Hierusalem & templum, cum omni cultu a se instituto, funditus delevit.* *Fol. 412. b. ad cap. XLIX. 8.* cum a nausea, sive fastidio verbi divini, omnes dehortatus esset, hæc subjungit: *Ego sane ante hoc seculum omnibus mundi opibus, unum aliquem Psalmum bene intellectum prætulissem. Sed erat cœlum tum æneum & terra clausa. Nunc autem, postquam catarractæ cœli effusæ sunt, incipimus id fastidire. Qui semel novum Testamentum perlegit, admiratur se, & nihil restare putat, quod non teneat. Fiet igitur, ut auferatur ab ingratis verbum, & detur alii genti, quam fortasse ignoramus.* *Fol. 415. eod. cap. v. 23.* ad verba: *Et erunt Reges nutritii tui*, hæc habet: *Significat, etiam reges convertendos esse. Sic Carolus Magnus, Theodosius & alii magni Principes, verbum amplexi sunt, & Ecclesiam liberalibus eleemosynis sustentarunt, conservarunt pacem, defenderunt Christianos a vi & injuria. Sic hodie Elector noster Saxoniæ imperium suum confert ad usum Ecclesiæ, dum fovet doctores verbi. Acceperunt hunc locum de bonis donatis Ecclesiæ. Sed ego vix unquam judico, bona Ecclesiæ propter Evangelium donata esse, sed fraude potius & furtis Pontificum Imperatoribus erepta sunt.* *Fol. 424. ad cap. LIII. 5.* *Vulneratus est propter iniquitates nostras &c.* simplici quidem, sed valido argumento suam de justificatione sententiam propugnat. *Nos*, scribit, *hodie Papatum uno hoc articulo evertimus apud nos. Si enim Christus propter peccata nostra est vulneratus, ergo Papa est Antichristus, qui vult, ut satisfactionibus peccata expiemus, ergo monachorum opera damnata sunt & impia, ergo nulla sunt merita remissionis peccatorum & gratiæ &c. Mirum autem est, insignem hunc locum adeo non observatum esse, cum tamen in Ecclesia sit tam sæpe decantatus. Gravissime enim contra meritoria opera pugnat.* Neque tamen bonorum operum doctrinam negligit. Itaque *fol. 437. b. ad cap. LVIII.* breviter, sed sufficienter ad verba: *& anteibit faciem tuam justitia tua*, monet: *Bona opera conscientiam tuam confirmabunt. Habebis conscientiæ testimonium, quod neminem læseris. Sic bona opera, ut Petrus ait, certos faciunt de vocatione, & liberant a conscientia malorum operum inter homines. Neque enim hic versamur in loco de justificatione.* De invocatione Sanctorum *ad cap. LXIV. 15.* (secundum Vulgat.) *Abraham nescit nos, fol. 450.* docet: *Hic disputant Scholastici, an Sancti miserias nostras videant. Scriptura autem dicit, quod dormiant. Scimus igitur nos, & sentire debemus, quod sint nobis mortui. Quomodo autem Deo vivant, nihil ad nos, neque enim illa per verbum nobis sunt revelata. Et satis est, nosse, quod sint nobis mortui. Non ergo a nobis sunt invocandi. Unicum refugium est, non ad sanctos, præsertim mortuos, sed ad Deum, qui est Pater ab æterno; Illi, ut maxime patres fuerunt, tamen jam cessarunt patres esse.* Vertit Germanice ex his prælectionibus *Spalatinus*, quæ Lutherus commentatus est ad capita XXXVII & XXXVIII. eaque leguntur *Tom. VI. Alt. a fol. 342. ad fol. 356.* Versa etiam sunt annotata ad *Cap. LIII. d. Tom. VI. fol. 357. ad 373.*

(11) *Contra fastidium prædicationis Verbi.*

(12) *Monitum de officio Regum erga Ecclesiam.*

(13) *De justificatione gratuita, & bonorum operum necessitate.*

(14) *De invocatione Sanctorum.*

Sequitur *d. Tomo III. Lat. a fol. 461. ad fol. 468.* prælectio in Psalmum XLV. Hebr. (vulgat. XLIV.) *Eructavit cor meum &c.* Hæc quoque anno 1532. facta est, & ut ex præloquio patet *f. 461. b.* per id tempus, cum valetudine minus firma uteretur Lutherus, ut totum Psalterium vel alium librum integrum interpretari non auderet. Monet ibidem & reprehendit, quod fastidiant auditores oratorem Spiritum sanctum, qui rem unam eandemque variis modis eloqui & figurare possit & soleat: commendat studium linguæ Hebraicæ, id enim esse partem quandam religionis & cultus Dei, & veluti Missam aut sacrificium, quia illa lingua (in Veteri Testamento) doceat, quicquid usquam divini est, & in qua audiatur Deus loqui, & sancti invocantes & maximas res gere[illegible] Pauca ex prælectione ista, licet magna c[illegible]-tabiliter dictorum excerpi possit, afferam. *Fol. 470. ad v. 5.* mirabilia Dei in reformatione considerat, & *quod jam Münzerus & alii perierint, priusquam fere incepissent.* Addit: *Idem Principibus & Episcopis nostris accidet, qui asinorum carmen canunt, quod alte incipit & profunde desinit. Neque enim prius cessant, quam hæc dextra nostri Dei mirabilia ostendat, & ea faciat, quæ nunc nemo animo concipere potest. Sicut si retro respicias, videbis Deum plus fecisse, quam quisquam sperare potuit. Ego quidem ante duodecim annos non potui sperare, fieri posse, ut uno in angulo Missæ privatæ caderent, ut vota monastica contemnerentur, ut conjugia Sacerdotum publice fierent, quæ tamen nunc fiunt. Quanquam enim apud Papistas nondum fiunt, tamen difficulter sua retinent & defendunt;*

(15) *Commentarius in Ps. XLV.*

(16) *De interitu persecutorum.*

An. 1534.

An. 1534. *dunt.* Ad ea referri possunt, quæ habet ad *v. 9. fol. 480. Sic nunc de nobis cogitant, nobis sublatis Germaniam pacatam fore, & eo ipso, quo præcavere exitium suum volunt, diversum accidet, ut ipsi pereant. Nos enim hodie sumus conservatores regnorum, rerumpublicarum, legum, & quicquid est boni creatum a Deo, hoc totum retinemus & sustinemus nos, qui docemus verbum Dei. Nemo est, qui sic ornavit conjugium & magistratum, sicut nos. Hoc vident & inviti coguntur fateri, & tamen vocant nos perturbatores.* Quæ subjungit de eversione Papatus, per verbum secutura, ex aliis ejus dictis explicanda sunt, ut alibi notavimus. Intelligit enim non totum, sed partem, quatenus Deus reformationis progressum determinavit. *Ad v. 8. dilexisti justitiam &c.* cum collaudasset justitiam regni Christi, diversam regnorum mundi rationem *fol. 477.* ostendit: *Da mihi Regem aliquem, qui diligat justitiam: omnes enim coguntur vel ambitione, vel alia quadam vanitate ad administrationem justitiæ, quin persequuntur plerunque justos, & impios amplectuntur & fovent, ut aulæ Principum vere possint dici sedes & thronus diaboli, ubi tot sunt diaboli, quot fere aulici. Hoc igitur non est amare justitiam, sed tenere eam necessitate potius, quam voluntate, & sunt rarissimi, qui propter ipsam justitiam velint esse Reges. Omnes autem diligunt impietatem & oderunt justitiam. Sed in Christi regno ibi est diligere justitiam per totum. Fol. 483. ad v. 10.* speciem Ecclesiæ in externis quæri vetat. *Tam misera est*, ait, *in oculis hominum, quam honorata est in oculis Dei. Nam si speciem spectes, nullus est hæreticus, qui non eam vincat sapientia, nullus tam infirmus diabolus, qui eam non superet viribus, nullum tam exiguum peccatum, quod non eam turbet, & ad tristitiam compellat. Sic terretur morte & aliis malis, ut videatur secundum speciem diaboli esse sponsa, quæ nihil cum Christo commune habeat, sed ab eo sit deserta. Est igitur adsuescendum, ut paremus nobis habitum, & levemus corda sursum, nec judicemus secundum id, quod sentimus: hoc enim si facimus, perimus: quia sentimus adhuc in nobis multum peccatorum ac terrorum in carne & sagittarum diaboli. Ego sæpe irascor, sæpe sum negligens in docendo & orando, hæc cum video, perturbor.* De vera gloriatione piorum insignia plane sunt, quæ commentatur *fol. 484.* Inter alia superbire jubet Christianos in Christo, ut dicant ad Satanam: *Quid mihi facere potes, cum omnibus peccatis, cum morte & omnibus malis? Apud sapientes mundi es aliquid, apud Turcam, Papam, Principes es magnus dominus. Sed mihi collatus es unum nihil, mihi, inquam, non in quantum sum persona, sed quantum sum baptizatus & credo in Christum. Et sic superbimus & gloriamur etiam in tribulatione, sicut Paulus dicit, & irridemus Satanam & mundum, ac dicimus: quid ad me, etiamsi Diabolus & Turca furant? quid ad me, etiamsi peccatum mordeat? scio enim, quod Dominus meus Jesus Christus non contristat, sed diabolus contristat sub specie Christi. Christus autem nihil est, nisi vita, gaudium, gratia & pax, &c.* Ad *v. 11.* repetit, quod sæpe monet, de superanda tentatione ab autoritate synagogæ sive Ecclesiæ, cum nos conscientia videtur interrogare: *putasne, illorum omnia esse damnata, & te solum plus videre & sapere censes, quam tot summos viros, qui in Ecclesia fuere? Hoc argumentum est quasi ingens mons & immensum mare, quod nobis superandum & trajiciendum est.* Addit alia contra carnalem illam, quam vocat, religionem, quæ in externis consistit, & de monastica sua vita scribit *fol. 487. ad v. 11. obliviscere populum tuum &c. Ego quidem cum essem Monachus, valde defatigabar per quindecim fere annos, quotidie sacrificando, macerando me jejuniis, vigiliis, orationibus & longe aliis gravissimis operibus: quia serio cogitabam de justitia per mea opera adipiscenda, nec putabam possibile esse, ut unquam obliviscerer ejus vitæ. At nunc, Dei gratia, oblitus sum. Memini quidem adhuc ejus carnificinæ, sed non sic, ut existimem, redeundum ad illum carcerem; quanquam carnaliter loquendo non erat carcer, sed delicatum vitæ genus, remotum ab omnibus illis molestiis, quas vel politia vel œconomia infinitas habet. Carcer tamen fuit bonis hominibus, qui non tantum de ventre cogitabant, sed cupiebant salvari.* Notanda denique est adhortatio ad studiosos Theologiæ, a quibus poscit, ut textuales sint, & fidei capita ex Scripturis certa sibi & immota discant. *Ergo vos*, scribit, *fol. 491. b. qui incumbitis sacris literis, ante omnia constituite, quid credatis in religione Christiana, ut habeatis articulos fidei munitos bonis textibus Scripturæ sanctæ & bene meditatos. Deinde, quando tecum volunt disputare vel Satan, vel ejus instrumenta, hæretici, tunc objice illis eos textus, & desere illos, dicens: Cavillationes & speculationes tuas audire nolo. Hoc enim dicit Spiritus sanctus, qui me monuit, ut audirem & inclinarem aurem, fore enim doctrinam novam & magnam, in qua multi offendantur: quod omnis justitia sit deserenda, & tantum in Christo uno ejusque justitia sit nitendum & consitendum. Deinde quod hic Christus sit natura Deus & adorandus. Securus igitur sum, me non errare, & solutum est argumentum, quod ex primo præcepto objicitur, & ex Prophetis de uno De. Si opponant, ergo facis plures Deos; respondeo: Non facio alium aut plures Deos, sed dico, eundem esse Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Est unitas substantialis & una essentia, quanquam tres sint personæ. Nec volo habere plures Deos, quia plures Dii pugnant inter se, nec possunt esse, sed hic est unitas. Quomodo autem differant personæ, si non intelligo, sufficit mihi Scriptura sancta, quæ dicit ac nominat Patrem, Filium & Spiritum sanctum, Matth. ult. Si possem assequi ista ratione & sensibus, quid opus esset fide? Quid opus esset Scriptura divinitus per Spiritum sanctum revelata? Quod si nihil, nisi quod ratione comprehendere possum, credere volo, amittam brevi Baptismum, Sacramentum altaris, verbum, gratiam, peccatum originis & omnia: nam horum nihil ratio intelligit.* Versionem prælectionis hujus *D. Georgius Major* anno 1537. composuit, quæ extat *Tom. VI. Altenb. fol. 373. ad 432.*

(17) De natura regni Christi.

(18) Gloriatio piorum adversus Satanam.

(19) Sola-tium contra autoritatem Synagogæ.

(20) Descriptio monachatus sui.

(21) De Scripturæ S. diligenti lectione, ejusque utilitate.

An. 1534.

(1) *Commentarius Lutheri in Ps. CI. de officio Principum & Magnatum in aulis.*

§. XXX.

Exhibetur *Tom. V. Alt. a fol. 181. ad fol. 215.* explicatio Germanica *Psalmi CI.* (vulg. *C.*) *Misericordiam & judicium cantabo. &c.* Quem miratur Lutherus a Clero & Monachis cum aliis per tot secula cantatum esse, putatque intellectum eum ab illis non fuisse; alias enim non tam contentim de Principibus & Magistratibus judicaturos fuisse. Eundem, ait, ad refutandos fanaticos allegari posse, quia Magistratum, quem illi condemnant, commendat, maxime autem præcepta de regimine œconomico & politico in illo proponi. Refertus est hic commentarius innumeris pene monitis saluberrimis, illustratus etiam aliquibus historiis sacris & profanis, sententiis veterum, & comparationibus quibusdam non protritis, ita ut non saltem utilissima, sed & jucundissima esse possit ejus lectio, Principibus maxime, quibus magna cum libertate, sed profecto non nisi pie & solide, proponitur, quod sit eorum officium, quantum ve noceant malo exemplo, & quantum intersit, ut bonis & fidis ministris utantur. Insolentiam etiam aulicorum, qui gratia Principis abutuntur, egregie & mascule depingit. Taxat præterea perversum mundi statum, cum Papa & Episcopi, neglecto officio ecclesiastico, regio more vivunt & imperant, Reges contra & Principes sacerdotum munia affectant aut invadunt. His corruptionibus accenset & salse exagitat curiositatem, quam vocat Faulwitz / hominum nempe eorum, qui omnia reprehendunt, ipsi licet otiosi & inertes. Non minus notabilia sunt, quæ de primoribus aularum, qui magnis donis ornati sunt, sed pietate carent, velut Davidis tempore erat Ahitophel, commentatur, & quam difficile sit Principi, & miraculo pene simile, si tales ex ministerio suo ejicere audeat. De abusu libertatis Evangelicæ vehementer questus etiam illos ex magnatibus culpat, quos omnia vincula legum & obsequii rumpere dicit, ita ut & Pontificis potestatem verbis quidem extollant, factis autem negent. *Audeat modo, ait, Pontifex Principes & Episcopos cæsaris suis ferire, ut olim solitus erat, ægrius illi facient, quam Lutherus, & septies fient Lutherani; interim Evangelicis solummodo jugum illud obtrudunt.* De Epicureismo sive Atheismo valde queritur, testem citans insignem ex nobilitate Brunsuicensi virum, alibi laudatum *Ascanium Crammium.* (vid. *fol. 200.*) Monet postea (*parte II. comment. fol. 203.*) politicam sapientiam a Deo etiam Gentilibus egregie & magna copia concessam esse, & ex eorum Philosophis & scriptoribus disci debere. Laudat jus Cæsareum, irridet Pontificium. Vitia aularum, & quantum in illis adulatores & calumniatores noceant, scite explicat. Nobilitatis etiam defectus non tacet, superbiam, luxum & inertiam. Germanorum ebriositatem execratur. Fori tabem, sive tribunalium corruptelas in censuram vocat, & judices atque omnes forensis officii homines Luthero quodam, id est, acri reformatore, opus habere, contendit. Turpitudinem mendaciorum graviter reprehendit, Germanis tamen præ aliis nationibus veritatis studium tribuit; neque tamen negat, id indies minui & frigescere. Tandem Davidis, cujus virtutes, in hoc Psalmo expositas, magnopere collaudavit, vitia & errores etiam tangit, sed propterea gloriam optimi & incomparabilis Regis ei non vult adimere, cum Deus tantis eum elogiis in sacris literis honoraverit, & ex semine ejus Filium suum secundum carnem nasci voluerit. Regulam vitæ & pleraque ejus gesta probat, nævos & defectus a Deo dicit ei condonatos esse, cum pœniteret & deprecaretur. Epilogus paradoxon continet, scribit enim: *Spero me bene scripsisse, ita nempe, ut paucis sit placiturum. Hoc mihi signum esto, an bene recteque scripserim & egerim. Si enim omnibus placet, sine dubio nihil boni præstiti.* Hæc de scriptis exegeticis & parænetici.

(2) *Alia quædam ejus contenta.*

An. 1534.

(3) *Conciones Lutheri a D. Crucigero editæ in Ps. LXV.*

Quod conciones attinet, earum quædam egregiæ, & præclaræ, & coram illustribus auditoribus habitæ, in *Tomis* leguntur, quarum plerasque excepit & edidit *D. Caspar Cruciger*, qui inter alias dotes ingenii mira velocitate scribendi præditus erat, quam in eo *Granvellanus* miratus est in colloquio Wormatiensi, anno 1540. Explicavit autem Lutherus *Dessaviæ* coram Principibus Anhaltinis *Psalmum LXV.* (Vulg. *LXIV.*) *Te decet hymnus.* Eximia & divini Spiritus plenissima sunt, quæ ad versus Psalmi priores de precibus & de laudibus Dei, de votis Deo solvendis, de remissione peccatorum, de magno & incomparabili beneficio Dei verbum suum nobis largientis, & coli se a nobis permittentis, concionatus est: præclare etiam de felicitate politica annique amœnitate & felicitate commentatur, æstivi temporis, quo Dessaviæ erat, occasione. Magnum vero sublimis Theologiæ, tam theoreticæ quam practicæ, specimen præbent conciones in *cap. XVII. Johannis*, quæ extant *Tom. VI. a fol. 219. ad fol. 358.* In his divinitatem Christi adversus impietatem Arianam, &, quos non vane prævidet prædicitque, ejus renovatores, ita propugnat, aliaque, quæ quidem in divinis illis precibus Christi nulla hominum sapientia satis mirari, nec lingua digne prædicare potest, tam sancte & utiliter tractat docetque, ut summis antiquæ Ecclesiæ doctoribus vel ob has homilias accenseri, ne dicam præferri possit, omnes vero æmulos & calumniatores suos longissime infra se rejiciat. Id spero agnituros & deprehensuros esse, qui has cum illorum scriptis conferre velint. Statum controversiæ principalis, qualis jam tum (ut sæpe notavi, frequenter tamen repeti non nocet) formatus est, & hodie viget, de traditionibus & legibus Ecclesiasticis, operose tractat ex *v. 3. Hæc est vita æterna* &c. ac tandem in compendio proponit, *fol. 229.* *Cognosci hinc potest*, scribens, *execrabilis impudentia Pontificiorum, qui jactant, Christum non omnia docuisse aut perfecisse, sed multa docenda, mandanda, ordinanda, facienda reliquisse; quod directe contradicit Christi dicto. Ipsi enim ita statuunt: Non solum ad Christum, ut a Patre missum, respicere debes, sed etiam ad nos, quibus nempe plus datum & commissum est ad docendum & præcipiendum, quam ipse præcepit. Ita, cum Christus dicit: vitam æternam consistere in sui cognitione*, (d. v. 3.) *illi dicunt, id non sufficere, plura requiri, audienda esse concilia, patrum doctrinam, mores & exempla. Hic vero tempus est, ut omnes pii & Christiani resistant & dicant: audiemus quidem, Domini,*

(4) *Item in Joh. XVII.*

(5) *Contra traditiones, & pro sufficientia Scripturæ.*

An. 1534. *ni, quæ dicitis & jubetis, sed non pluris faciemus, quam negotia aliqua domestica:* (exempla quædam per contemtum allegat.) *sinemus ipsa in suo valore, sed ut idem efficiant, ac verba Christi & audita & observata, & salvos nos faciant, hoc est, quod negamus. Non dicit Christus: hæc est vita æterna, si vivitis hoc vel illo modo, aut statuitis & facitis hoc vel istud; sed ut cognoscatis Christum a Patre missum. Non vult respici ad Moysen, Johannem Baptistam aut alios, licet & illi a Deo missi sint, magnisque mandatis instructi; sed nullus eorum missus est, ut sui cognitione afferat vitam æternam, sed solus hoc fecit Christus. Ecce hæc est lis nostra cum Pontificiis, quod hanc cognitionem nobis auferre, aut saltem puram & nudam non velint relinquere. Si hoc non fecissent, nunquam unico verbo eos aggressus essem. Permittemus enim libenter, ut concludant, statuant aut imperent, dicemus etiam, bene factum esse, & præstabimus haud inviti; unum modo liberum & intactum relinquant, nec exigant, ut illa pro necessariis ad salutem æternam habeamus: hoc enim esset derogare gloriæ Christi, verbumque ejus spernere & pedibus conculcare.* Ad *v. 6.* ubi inter salvandos illi soli referuntur, *quos Pater Christo dedit de mundo*, occurrit tentationi de incertitudine electionis, & *fol. 233.* scribit: *Si quis scire vult, an electus sit & Deo placeat, os & verba Christi observet in his & similibus dictis. Non potest quidem certo demonstrari, quis futurus posthac sit, aut constanter mansurus inter eos, quos Christo dedit Pater; hoc tamen certissime verum est, illos Christo a Patre datos esse, qui ad hoc vocati sunt & venerunt, ut hanc revelationem in verbo Christi audiant, quatenus id serio acceptant, id est, plane existimant & credunt, verum esse. Hos etiam custodiet & servabit secundum ea, quæ promisit Joh. VI. 39 Joh. X. 28. Joh. XVII. 12.* Aurea prorsus sunt, & incomparabilem afferunt consolationem, quæ prolixe subjungit *fol. 234. ad 235.* Ubi concludit: *Sine alios angi,* (de electione sua) *qui non habent Evangelium, nec Christum volunt audire. Tu credas, fortius non esse in toto orbe solatium, quam quod hic ipse Christus exhibet, ostenditque, te Dei esse, & a Deo, ut filium charissimum, amari, quia placet tibi verbum ejus, & cor tuum erga ipsum suave est. Si enim Christus tibi suavis est, & te solatur, ipse Deus Pater te solatur, non habes Deum iratum, sed propitium & clementem, quia te Christo donavit. In his persiste, & noli tibi alia de illo imaginari, quam qualem se per verbum Christi revelavit. Ideo enim id fecit, ut opus tibi non sit aliud indagare, & de iis angi, quæ de te decrevit; sed ut in verbo ejus omnem illius voluntatem & quicquid ad salutem tuam requiritur, videre & scire possis.* Satis ista ostendunt, credo, quo spiritu de fide & electione scripserit Lutherus, & quo fundamento nitatur orthodoxia nostra & spes salutis, ex verbo Dei fide apprehenso, & quam secure rejicere possimus, quæ alii nobis obtrudunt. Quod hodie quoque a Pontificiis objici solet, Christi dictum, *qui vos audit, me audit*, & quod Paulus quoque & alii Apostoli homines fuerint, quibus fidem adhiberi voluerit Christus, unde idem statuendum esse putant, de successoribus Apostolorum, solide examinat & decidit Lutherus ad *v. 18. Sicut tu me misisti in mundum, ita ego misi eos in mundum.* Christum enim misit Pater ad prædicandum verbum, non suum, sed Patris. *Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis v. 8.* Itaque Apostoli nihil prædicarunt, quam quæ a Christo acceperant, & iis ideo æque credi poterat, ac ipsi Christo, cum verba Christi proponerent: *Futilis igitur cavillus est* ait, *fol. 351. cum dicunt: Paulus homo fuit, Papa etiam est homo: sanctus fuit Paulus, sanctus etiam, immo sanctissimus Papa, ergo æque audiri debet. Unde autem hæc probabunt? Audiatur sane, si loquitur, Paulus, non ut Tarsensis, sed ut servus Jesu Christi est locutus, & ut Petrus I IV. 11. jubet: Si quis loquitur, ut sermones Dei. Fac itaque, ut Papa & Episcopi doceant & concionentur, agantque ut Apostoli, tunc eos suscipiemus, & manibus geremus, ut angelos Dei, & ipsum Christum, ut Galatæ Paulum susceperunt Gal. IV, 14. Sed quo minus id faciant*, ait, *obstat metus, ne idem sibi accidat, quod Christo & omnibus, qui verbum Dei fideliter prædicant, ut non sint Domini mundani, nec bona mundi possideant, sed a mundo spernantur, & malam reportent gratiam, ignominiam & afflictionem.* Notandum, numerum foliorum *Tom. VI. Alt. a fol. 240.* mendosum, & pro 241. perperam positum esse *341.* & ita in sequentibus usque ad *fol. 286.* Ad v. 20. *Oro pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, dicit: *Totum hoc dictum aureis literis nobis scribendum esset, ad quos pertinet. In hoc enim est omnis fiducia, solatium, & tanti pretii thesaurus, cui similis in tota Scriptura pro gentibus posteriorum seculorum ad Christum conversis non potest inveniri.* Urget autem, hoc dictum Christi, quod verbo suo per Apostolos prædicato credituri sint, *fol. 352.* contra Anabaptistas & fanaticos, qui externam verbi prædicationem rejicientes, internam solum requirunt inspirationem, cum tamen hæc duo conjunxerit Christus, verbum suum prædicandum & fidem. Cum vero regerant: *Si per verbum generetur fides, cur non omnes credant?* respondet: *Christum non promittere, ut omnes credant, sed sufficere ad demonstrandam verbi prædicati utilitatem, quod aliqui credant, hoc autem fieri certum esse.* Affert simile: *Ager non fert fructum absque semine, sed non omne semen germinat: culpa non est in semine, sed in agro. Sicut ergo non procedit argumentum: ager non fert fructum absque semine, ergo omnis ager, in quem semen cadit, fructum fert: ita nec hoc procedit: Si ex verbo prædicato nascitur fides, ergo apud omnes nascitur, quibus prædicatur.* Ad *v. 23. Ut sint consummati in unum:* (vollkommen) *perfecti* reddidit Lutherus, & notat ex *Col. II. 19.* consummationem seu perfectionem dici respectu Christi, quod in ipso omnia habeant fideles, neque aliud præter illum quærere debeant, *qui enim Christum habet, thesaurum perfectum omnis boni habet, quod optare potest: habet vitam æternam, justitiam, sapientiam & omnia bona divina, nihil illi deest, modo teneat illa firmiter. Sed thesaurus ille geritur in vasis fictilibus II. Corinth. IV. 2. Ideo quotidie allaborandum est orando, prædicando, monendo, patiendo, ne diabolus vi aut astu no-* An. 1534.

(6) *Consilium adversus tentationem de electione.*

(7) *De autoritate ministrorum Ecclesiæ.*

(8) *De efficacia verbi divini, etiam post Apostolos prædicati.*

(9) *Quid sit perfectio Christiana.*

bis illum eripiat, sed ut semper fortius, firmius, certiusque eum custodiamus, cum jactura etiam corporis, vitæ & omnium rerum. Hæc & alia, a quibus excerpendis ægerrime abstineo, tam egregia sunt, ut omnes, quibus pietas cordi est, ad concionum istarum lectionem invitari posse sperem. Latine versæ a *Vincentio Obsopæo, Tom. V. Lat. Witt. a fol. 184. b. ad fol. 213.* reperiuntur, in quarum præfatiuncula Lutherus memorat, a *Caspare Crucigero*, se volente & rogante, editas esse, cum *ipse alioqui*, ut ait, *ineptior, tempore & otio careret.*

(10) *De concionibus annotatio.*

Idem non possum non suadere de homiliis in *Cap. XV. prioris ad Corinth.* quæ habitæ sunt *Torgaviæ* in sacello aulico, præsente ut plurimum Electore, ut in præfatiuncula ad eas notat *D. Cruciger*, qui & has conciones excepit & edidit *Tom. VI. Alt. fol. 360.* (debebat *260.* numerari) *& sqq.* Extat Latina *Obsopæi* versio *Tom. V. Lat. Witteb. a fol. 130. ad fol. 184.* cum præloquio Lutheri d. 7. Junii 1536. scripto, in quo probat *Vincentii* studium, quod *zelo ardeat, ut ista in aliis etiam nationibus & linguis cognoscantur, & mendacii convincantur criminatores, vulpina astutia apud eos loquentes, qui res & linguam Germanicam non intelligunt.* Quanquam vero Vincentius laudabilem præstiterit operam, & ego, qui excerpta ex Germanico (antequam Latinum Tomum inspexissem) verti, annixus fuerim, ut sensum viri exprimerem; fatendum tamen est, majorem esse Germanicæ dictionis emphasin, & singularem prorsus genium, quam ut ulla interpretatio eum assequatur. Dolet Lutherus in exordio concionum, in *cap. XV.* verbis patheticis, quod jam Apostolorum tempore, & in cœtibus ab ipsis plantatis, non auditores modo, sed & doctores, & quidem ex discipulis Apostolorum, extiterint, qui resurrectionem & vitam æternam negarent: mirum itaque non esse, quod in hac mundi fæce, in populo rudi, & inter nobiles quoque & proceres, plurimi sint increduli, immo dubitat, an plures, quam tres inter Prælatos Ecclesiæ, in Italia maxime, reperiantur, qui hunc articulum serio credant. Metuit vero & prædicit, surrecturos esse, qui publice illam impietatem doceant, quam tamen Paulus ita refutaverit, & fidem resurrectionis adstruxerit, ut adversus portas inferorum prævalitura sit, apud omnes, qui verbo Dei assentiant, neque cœcæ & stultæ rationis scrupulis locum dent. Ex dogmaticis, quanquam præclaris & autore suo dignis, nihil adscribam, sed pauca quædam ad historiam quodammodo pertinentia. Ad *v. 8.* Ubi Paulus de munere suo adversus obtrectatores gloriatur, idem sibi fatum vaticinatur, *fol. 374. (274.)* futuros nempe esse, qui nunc digni vix videntur, ut calceos sibi solverent, vehementer tamen se sint reprehensuri & contemturi, tanquam, qui nihil præstitisset. Ad exemplum etiam *Pauli*, qui *persecutorem se fuisse* fatetur, ipse quoque *fol. 375.* non negat, *se sub Papatu hominem perditum & damnatum fuisse, qui tempus in monasterio pessime consumserit, in Deum Filiumque ejus quotidianis Missis & idololatriis contumeliosus; sed Deum misertum sui esse, & ex gratia per Spiritum suum vocasse, ut Christum prædicaret, majora etiam dona quam aliis dedisse, ita ut cum Paulo gloriari possit, quod Deus per se in lucem restituerit Evangelium, & illos, qui nunc prædicant, nihil ante se novisse.*

(11) *Quædam ex sermonibus in 1. Cor. XV.*

Quæ ex epistolis relatæ inveniuntur, hoc anno datæ, pleræque sunt consolatoriæ in variis afflictionibus. Ægrotabat, & mœrore quodam animi angebatur *Joachimus Princeps Anhaltinus*; ad eum d. 9. Junii literas scripsit, &, ut virgam illam Dei patienter ferat, satis libere commonuit, rediturum etiam se esse propediem promittit, comite Pomerano: paulo ante enim Dessaviæ fuerat. *Tom. VI. Alt. fol. 180.* Ad eundem sine dubio datæ sunt quatuor aliæ d. 23. Maji, 23. 27. 28. Junii. Commendat ei lætam conversationem cum Pastore (*Hausmanno* nempe) & musicam recreationem, jocos etiam, (ein Zötlein.) *Ejus exhilarationis veniam*, ait, *Deum daturum esse, cui non displiceat, si melancholiam fugemus, & beneficiis ejus corporalibus & spiritualibus lætemur, fol. 217. & sqq.* Simile fere consilium alicui anonymo suggerit, ut suggestas a Diabolo melancholicas cogitationes spernat, & musica se delectet, & honesta conversatione, d. 4. Octobr. *fol. 359.* Solatur nobilem quendam, qui gratia Principis exciderat d. 14. Martii *fol. 180.* & meminit *Electricis Brandenburgicæ*, quæ tum Wittenbergæ erat, de qua alibi dixi. Habebat etiam, quod mirari licet, in aula Georgii Ducis, sibi infensissimi, amicum Musicum, Organistam: ad hunc quoque ægrotantem consolatorias dedit d. 10. Maji *fol. 216.* Notæ sunt & sæpe allegantur, quas ad *D. Johannem Rubelium*, Mansfeldensem Cancellarium, affinem suum, ex morbo decumbentem scripsit, d. 29. Junii *fol. 359.* in quibus allegato dicto *Rom. XIV, 8. Sive vivimus sive morimur, Domini sumus*, alludit ad vocabulum *Domini* dicens: *Domini sumus in genitivo, quia ipsius domus, immo membra sumus; Domini in nominativo, quia regnamus super omnia per fidem, quæ est victoria nostra* &c. Aliæ hujus argumenti legi possunt *fol. 334. 337.* Prolixa vero ad ægrotantem quendam & pene desperantem de gratia Dei, consolatio, a *Vito Theodorico* ex ore Lutheri excepta, lectu dignissima, refertur *fol. 338. ad 341.* Ex hac notari meretur, interrogatum fuisse decumbentem a Luthero, *quia esset Christianus, non vero Turca aut Judæus, num Christum negare vellet?* dixisse, *non quidem libenter negaturum esse, modo ille se non desereret.* Respondisse Lutherum: *Hæc est magna gratia, pro qua Deo gratias agere debes potius, quam de morbo tuo queri. Os tuum fatetur Christum, cor credit in Christum, quod tuus sit Redemtor, hæc testimonia sunt, te esse Christianum, & ad regnum Christi pertinere.* Subjuncta est oratio in agone mortis *d. fol. 341.* Dehortatoria a vindicta, quam quidam injuriam passus meditabatur, mense Decembri scripta, extat *fol. 334. b.* Consilium sive responsum Lutheri ad Electorem quærentem; *an liceat civitatem alteri Principi subjectam, religionis causa, ob quam affligebatur, protegere?* habetur *fol. 216.* Respondet, *id non licere, fœdera tamen cum civitatibus liberis non improbat:* rationem autem negandi hanc affert, *quod illa defensio turbet jura Principatuum, qui suis limitibus sint circumscripti, in quos alii jus nullum competit, neque divinum neque humanum.*

(12) *Epistolæ Lutheri ad Joachimum Principem Anhaltinum, & alios.*

AD-

An. 1534.

ADDITIO.

(a) *Lutheri de exitu virginum ex monasteriis responsum.*

Referre lubet contenta epistolæ Lutheri *MS.* ex *Bibliotheca Jenensi* ad *Spalatinum* Superintendentem Altenburg. quem *verum Misniæ Episcopum* vocat. Is interrogaverat Lutherum, an consultum esset, ut virgines ex monasterio *Nimmitschensi* (in quo *Catharina Boria* antea vixerat) egrederentur, id quod post visitationem & reformationem concessum illis erat. Respondet Lutherus: *se valde multas Nonnas*, ut loquitur, *magno cum sumtu sustentasse, sed expertum esse, quod multa pati cogantur ab agnatis & affinibus, ita ut eas postea mutationis pœniteat.* Suadet igitur, ut, *quæ provecta sint ætate, sive vetulæ, maneant, neque juniores exeant, nisi vel de nuptiis, vel de certis alimentis a Principe impetrandis, confidere possint.* Ad alterum Spalatini quæsitum de tribunali, in quo de criminibus pastorum cognosci debeat, ita sentit: *si delictum sit publicum & capitale, homicidium, seditio, incendium, adulterium, vel similia, magistratibus tradendos esse reos; reliqua a visitatoribus,* (quibus postea Consistoria successerunt) *corrigenda, vel depositione ab officio, vel alio modo.* Addit, *si indifferenter foro seculari subjiciantur pastores, fore, ut intra triennium parochiæ vacuæ fierent; nam rustici,* ait, *cives, nobiles naturaliter oderunt pastores, quia ab his ex verbo Dei corripiuntur, & offensos se esse putant.*

(b) *Item de coercitione pastorum.*

§. XXXI.

(1) *Incrementum reformationis in variis locis.*

Ad historiam hujus anni pertinent, quæ Reformationem vel juverunt vel impugnarunt. Et in Germaniæ quidem regionibus & urbibus plerisque, quæ Lutheri doctrinam amplexæ erant, satis quietæ res erant, nec Reformatio incrementis carebat, sive occasione expeditionis Hassiacæ in Ducatum Würtenbergicum, sive transactionis Cadanensis, qua pacificatio anno 1532. Norimbergæ inita confirmabatur. *Philippus* enim Brunsuicensis, Calenbergensis, qui dicitur, Ducatus Dominus, hoc anno reformationem publice executus est, accito ex Magdeburgensi urbe *Nicolao Amsdorffio*, & constituto Ecclesiarum Ephoro *D. Gotscalco Grappio*, viro, ut *Chytræus Lib. XIV. fol. 409.* refert, docto, facundo, & in collegiis Romæ, aliisque per Italiam & Germaniam versato, tunc vero in aula Philippi concionante, cum antea *Eimbeccæ* docuisset. *Hannoverani etiam*, invito licet Principe suo *Erico*, publicam religionis reformationem instituerunt, vocato Herfordia ex Westphalis *Rudolfo Mylio*, cui collegam dederunt *Georgium Scarabæum*, qui jam aliquot annis Evangelium fideliter ibi prædicaverat. Conciliati deinde cum Erico Duce, *Urbanum Regium* ex Ernesti Luneburgici Ducis urbe & aula Cellensi acciverunt, cujus consilio rem Ecclesiasticam apud se constituerunt. Neque tamen cessatum est ex altera parte ab objiciendis obstaculis. Facem & tubam præferre solitus *Henricus Brunsuicensis*, copias quasdam militum collegerat. Huic facto autoritatem suam accommodavit Cæsar d. 24. Julii ad quosdam ejusdem, ut putabat, factionis proceres ex Comitum potissimum ordine scribens: *Henricum, sese approbante, delectus habere, eosque summe necessarios esse, ad sedandos motus, qui instarent.* (Landgravii acta denotare videbatur) Poscit itaque *ut Henrico notabili aliqua pecuniæ summa succurrant.* (**solten ihm ein ansehnlich stück geld leihen**) Dubito, an hæc multum profecerint, cum post pacta Cadanensia spes pacis confirmaretur. In Ducatu *Meckelburgensi Henricus* Dux, Evangelicæ doctrinæ intentus, ab *Alberto* fratre, quem Ferdinandus Rex animabat, molestias passus est. *Anhaltini* etiam Principes a duobus Electoribus, Brandenburgico, & fratre ejus, Moguntino, variis modis, frustra tamen urgebantur, ut a reformatione abstinerent. Vid. *Scultetus hoc anno p. 451. & sqq. Bremenses* a vicinis infestabantur, capto illorum Syndico, *D.* **von der Wyck** / qui fœderatis omnibus a consiliis erat; *vir*, ut Ernestus Luneburgicus scribit, *qui plurimum ad promovendum Evang lium contulisset.* Inciderat in manus Episcopi Monasteriensis, Bremensium hostis. Trepidabant iidem, quod fama erat, Electorem, cum agnato Georgio reconciliatum, religionis protectionem neglecturum esse; sed confidere eos jussit datis literis valde benignis Elector. E diverso *Pomeraniæ* Duces *Barnimus*, & fratris ejus filius, *Philippus*, comitiis Treptoviæ habitis, reformationem publice decreverant, quam & ad Augustanæ confessionis normam perfecerunt, *Joh. Bugenhagii opera* usi, *Chytr. Lib. XIV. fol. 414.* Extat *D. Danielis Crameri de reformatione Pomeraniæ* historia. Nocebat Lutheranis, quod Zuingliani & Anabaptistici dogmatis suspicione alicubi gravabantur: ita ut etiam Elector Saxoniæ hoc anno a Ferdinando Rege moneretur, ne in ditionibus suis sectas istas ferret: unde & mandata adversus eos in Saxonia publicata sunt.

An. 1534.

(2) *Ex Augusta Vindel. discedit Clerus.*

Augustæ Vindelicorum Senatus anno proxime præterito, pro defensione mutua, fœdus cum Norimbergensibus & Ulmensibus inierat. Dein auctis expeditione Hassiæ Landgravii in Ducatum Würtenbergicum, animis, mense Martio habita solenni deliberatione, decretum est a Senatu, ut una & concors religionis professio in civitate servaretur. Oblatum etiam fuit collegio Canonicorum colloquium ab Ecclesiæ ministris, conscriptis thesibus, quas hi defensuri erant, sed, recusata plus semel disputatione, aliud Senatusconsultum d. 22. Julii secutum fuit, quo totus cultus Missaticus in omnibus urbis templis & sacellis (excepta Ecclesia Cathedrali) vetabatur, donec sacræ Scripturæ testimonio comprobaretur. Tunc ergo Canonici & sacerdotes, relicta urbe, *Dillingam*, Episcopi oppidum & arcem, petierunt, eoque sacra & thesauros suos transtulerunt. Inde Senatus in omnibus templis concionatores Evangelicos constituit, & Monialium fana occlusit. Monachi denique Dominicani, qui adhuc supererant, cum mendicando victum in urbe non invenirent, vacuum reliquerunt monasterium. Hæc in *historia MS.* fusius refert *Gassarus*.

(3) *Electoris Sax. ea de re judicium.*

Sed Elector Saxo, cum Luthero, acta illa Augustanorum parum probabat, quod Zuinglianæ doctrinæ nomine odiosi essent: inde sub finem anni, cum in eo essent, ut aut ad Suevicum fœdus resarciendum concurrerent, aut in Smalcaldicum reciperentur, (vid. quæ supra *§. XIX.* dicta sunt) urgente hoc Landgravio, præparatio facta est ad purgandam urbem a dogmate Zuingliano: patetque ex literis Landgravii ad Electorem d. 29. Decembr. 1534. (anno 1535. more tum recepto adscribitur *Reg. H. fol. 90. 36.*) *Melanchthonem* cum *Bucero* Cassellis congressum deprehendisse, Augustanos eandem cum Saxone & Landgravio fidem profiteri, unde & anno sequenti plenaria cum Saxonica doctrina

confor-

An. 1534.

(4) *Hamburgensia quaedam.*

conformitas secuta est, ut referemus. *Hamburgenses*, cum anno superiori sententia Cameræ Imperialis condemnati essent, ut Canonicis Ecclesiæ collegiatæ restituerent, quæ illi in litem deduxerant, & executio sub pœna 500 marcarum auri decreta esset, frustra tentata cum illis transactione, Smalcaldici fœderis protectionem imploraverunt, eamque certo modo anno sequenti impetrarunt. Miserunt etiam Londinum, rogante *Henrico* Angliæ Rege, legatos, & inter eos *Joh. Æpinum*, Ecclesiasten primarium, qui de religionis causa sententiam dicerent, ut ex *MS.* didici, & *in vita Æpini* apud *Adamum* memoratur.

(5) *Danica, ex Conrado Aslaco, ab anno 1522. ad 1534. excerpta.*

Quæ in *Dania* religionis causa gesta sunt hoc tempore, post mortem Friderici Regis, qui, repugnantibus licet Episcopis & Clero, plerisque locis liberum Evangelicæ doctrinæ exercitium, cui & ipse addictus erat, permiserat, *Chytræus* d *Lib. XIV* retulit, sed accuratius enarravit *Conradus Aslacus in historia reformationis in Dania & Norwegia* Latine primum, dein Danice anno 1622. edita, ex qua, cum librum ipsum non habeam, beneficio Viri maxime venerandi & de Ecclesia Christi meritissimi *D. Christiani Kortholt*, Theologi primarii in Academia Holsatica Chiloniensi, communicata mecum adscribo, in quibus historia paulo altius repetitur. *Fridericus Holsatiæ Dux anno 1522. in locum Christierni (qui tamen & ipse sive serio, sive ut Episcopis ægre faceret, Martinum quendam Wittenberga accitum, in æde Nicolai Hafniæ concionari fecerat) ad Daniæ Regnum electus, jam anno 1525. quendam Georgium Johannis Wiburgi in Seelandia collocavit, qui libere puram religionem docebat: secuti eum sunt alii, inter quos præcipue numerantur Johannes* Tauſſon / *& Christianus Schroch. His cum Episcopi & Clerus acriter resisterent, Rex habitis Othoniæ in Fionia anno 1527. comitiis, gravissima oratione eos compellavit, cujus summa erat: Se a Deo Regem constitutum esse, ut Ecclesiæ esset nutritius, adeoque monere se eos, ut omni studio puram & incorruptam Evangelii doctrinam prædicari curarent. Satis eos videre, quid superstitio Pontificia in Germania effecerit, etiam in regnis suis communem omnium esse querelam, quod loco puræ religionis, nihil nisi fabulæ, traditiones & nugæ meræ proponerentur, eoque jam esse perventum, ut vulgus ipsum harum nugarum pœniteret. Sacramento se quidem fidem dedisse conservandæ religionis Romano-Catholicæ in suis regnis, non tamen id ita intelligendum, quasi fabulis & commentis eorum patrocinari deberet: ipsos intelligere, quanti errores in Ecclesiam irrepsissent, quos nemo sanus defendere posset aut deberet, neque se neque illos obstrictos esse Ecclesiæ Romanæ placitis, præter quæ in verbo divino essent fundata. Quoniam proinde religio Lutherana tam altas jam egisset radices, ut sine summa calamitate & ruina regni everti non posset, voluntatem sane suam esse, ut utrique religioni, tam Lutheranæ quam Pontificiæ, liberum daretur exercitium, donec publicum haberetur concilium. His dictis omnes Episcopi Regi se objiciebant: nihilominus a Rege & regni Senatoribus concludebatur:*

1. *Liberum cuique esse debere, utri religioni, sive Lutheranæ sive Pontificiæ, adhærere vellet.*
2. *Ob religionem in conscientia neminem turbandum esse.*
3. *Regem sua autoritate tutari debere Lutheranos, adversus omnem vim atque tyrannidem hostium.*
4. *Monachis & monialibus, aliisque sacri ordinis liberum fore, claustra sua deserere, & quoquo vellent, se conferre, immo pro lubitu conjugium inire.*

An. 1534.

Ex quo mandato regio factum est, ut multi monachi & moniales cellas suas desererent, & Evangelii doctrina indies magna caperet incrementa, Pontificiorum fabulæ magis magisque sopirentur. In iisdem comitiis decretum quoque est, ne quisquam Episcoporum pallium Roma peteret, sed ab ipso Rege. Anno tamen 1528. M. Johannes Tausson ex monasterio S. Johannis, quod Wiburgi est, ejiciebatur, quod Monachos ibidem puram religionem docuisset. Sed cives ejus oppidi ejectum ambabus manibus recipiebant, & adversus tyrannidem Episcoporum tutabantur, immo Magistratus & cives ejus loci libertatem ei dabant concionandi in templo suo. Contra quos Episcopi furebant, omnibusque viribus sese objiciebant. Sed ne ista discordia in intestinum bellum erumperet, ipse Rex autoritatem suam interposuit, serioque mandavit, ut utraque pars a vi abstineret. Interea vero, dum Rex causam cognosceret, Taussoni non solum libertas concionandi relicta est, sed etiam mandatum, ut in erudiendo populo pergeret. Anno 1529. Malmogiæ in Scania Papistica religio etiam abolita est, inque omnibus templis pro Missis Pontificiis pura religio doceri cœpit. Quod ut confirmaretur, prolixas literas ad Regem suum Fridericum dabant, quibus causas mutationis exponebant. His literis acceptis non solum placuit Regi eorum propositum, sed etiam, ut eo felicius negotium succederet, decrevit, ut Clericorum reditus impenderentur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ pauperum, & ad Gymnasium aliquod Theologicum instituendum. Quibus concessis Gymnasium ejusmodi ibi constituerunt, eique quatuor Professores præfecerunt, nempe D. Olaum Chrysostomum, D. Nicolaum, D. Andream, qui monachus antea fuerat, & Lectorem Franciscum, Carmelitam. Hi quatuor viri tam in Gymnasio, quam in Ecclesia puram prædicabant doctrinam, adeo, ut id loci religio Lutherana magna caperet incrementa, Papismus vero corrueret. Eodem anno Rex publico edicto mandabat, ut in omnibus Regnis ac Provinciis suis pura doctrina de Jesu Christo ejusque merito prædicaretur: eumque in finem Hafniam misit Mag. Joh. Tausson, eique facultatem dedit concionandi in æde D. Nicolai, quæ ibidem est. Cantiones itaque & ceremoniæ Papisticæ ibidem abrogabantur, iisque Psalmi Davidici Lutheri, aliorumque, lingua vernacula compositi, substituebantur. Primum itaque Psalmorum Danicorum exemplum prodiit Malmogiæ in Scania anno 1528. Novum vero Testamentum Danice versum jam anno 1524. Antwerpiæ prodierat. Cum vero Episcopi, Prælati, cæterique religioni Pontificiæ addicti Evangelicos apud Regem criminarentur, dies comitiorum constitutus est, nempe anno 1530. die Nativ. Mar. ad quæ tam Episcopi, quam M. Johannes Tausson

An. 1534.

Tauſſon aliique miniſtri Evangelici vocabantur. Pontificii ſumma cura ſe ad hæc præparabant, utque negotium eo felicius ſuccederet, & religionem Lutheranam ipſi everterent, Coloniæ viros aliquot eruditos in ſubſidium evocarunt, qui dicebantur Magiſtri noſtri, ut diſputando illi Lutheranos vincerent. Sed hi XLIII. articulis doctrinam Chriſtianam & Evangelicam complexi, confeſſionem ſuam Regi, Regnique Senatoribus offerebant. Quibus Pontificii XXVII. articulos opponebant, qui a Lutheranis paucis refutabantur. Concludebatur itaque a Rege & Regni Senatoribus, ut miniſtri Evangelici in inſtituto ſuo pergerent, donec publico concilio determinaretur, quænam religio alteri ſit præferenda. Anno 1531. Rex in fœdus ab Evangelicis Principibus receptus eſt. Eodem anno cives Hafnienſes facto impetu, imagines ex æde D. Virginis exturbabant. Proximo anno variis locis & urbibus Monachi clauſtra ſua deſerebant, eorumque templa Lutheranis reddebantur. Sequente anno, nempe 1533. Lutherani graviſſimam jacturam in morte Regis optimi faciebant. Mortuo Rege Epiſcopi & Prælati omnes nervos intendebant, ut religio Lutherana, quæ ſub optimo Rege maxima cœperat incrementa, nunc vero ejus orba patrocinio, opprimeretur, adeoque in comitiis eodem anno Hafniæ habitis concludebatur:

1. *Ut electio novi Regis in proximum annum differretur.*
2. *Templa monaſteria in ſtatu quo, permanerent.*
3. *Ne Princeps Chriſtianus, Filius Friderici natu maximus, Patri in regno ſuccederet, quod Lutheraniſmi ſuſpectus eſſet, ſed Princeps Johannes, tum demum annos natus octo, eligeretur, utque is in religione Catholica educaretur: (quod tamen conſilium plurimis Regni Senatoribus admodum diſplicebat.)*
4. *Quia Epiſcopi miniſtros Evangelii & inprimis M. Johan. Tauſſon graviſſime criminarentur, ut hic in jus vocaretur, cauſamque diceret. Quod etiam factum, cumque graviſſima crimina illi objecta eſſent, nec amplius eſſet, qui innocentem tueretur, decernebatur, ne in poſterum publico Eccleſiæ fungeretur officio, ſed ſpatio unius menſis Seelandia excederet.*

Quibus cognitis cives Hafnienſes curiam, in qua conventus habebatur, infeſtis armis obſidebant, ut miniſtrum ſuum, tanquam inſontem prædam, ex faucibus prædonum eriperent. Cumque parum abeſſet, quin fores effregiſſent, Senatores, cognito periculo, quosdam ad tumultuantes mittebant, qui promitterent, Tauſſonem liberum fore, ſi a vi abſtinerent. Nec tamen potuit ſedari tumultus, donec ipſe M. Tauſſon eos ad pacem hortaretur. Reſtituebatur itaque ille in priſtinum munus, ſed tamen variis aliis in locis religio Lutherana a Pontificiis premebatur. Donec anno 1534. d. 4. Julii Chriſtianus III. in Regem eligeretur. Quæ ſecuta ſunt, in loco memorabuntur.

(6) *In Anglia Pontificis poteſtas*

Res etiam *Anglicæ* ad Lutheraniſmi hiſtoriam aliquo modo pertinent. Hoc enim anno *Henricus VIII.* Angliæ Rex in cauſa matrimonii a Clemente VII. varie dilatus & deluſus, omnem Pontifici Romano in regno ſuo poteſtatem lege publica abrogavit.

An. 1534. *omnis abrogatur.*

Licet autem dogmata quædam Romana præcipua, & inprimis Miſſam, retineret, & in eos, qui Lutheraniſmum aperte profiterentur, haud leviter ſæviret, ad reformationem tamen, poſtea in Regno ſecutam, viam ſtravit, immo plurimis occaſionem dedit, ut veritatem Evangelicam permiſſa Scripturæ ſacræ lectione, & abrogatis aliquot abuſibus, perciperent & foverent. Alibi etiam monuimus, controverſiam de ſacra Cœna, quæ inter Germanos & Helvetios agitabatur, inter Anglos ab initio vel neglectam vel ita tractatam fuiſſe, ut utraque opinio fere indifferens haberetur. Altera etiam de prædeſtinatione nondum in rixas exarſerat, & rigidum illud de reprobatione dogma, quod Calvino aliisque tribuitur, a reformata Anglorum Eccleſia univerſaliter receptum non eſt, & hodie quoque a magna ejus parte rejicitur. Regis autem ſeparatio a Romano Pontifice, Proteſtantibus in Germania aliqua peperit commoda, certe invidiam eorum minuit, & conſilia Paparum in contemtum adduxit, qui, cum Germaniæ, de corruptelis Eccleſiæ querenti, nullo modo gratificari vellent, non ſolum hujus magnam partem omnibus artibus ſuis recuperare non potuerunt, ſed & floridiſſimum, & ſibi præ aliis obſequens & ſubjectum Angliæ regnum amiſerunt. Hæc obſervantem Paulum Venetum *Pallavicinus* acriter objurgat, &, pro ſuo inſtituto, acta Clementis defendit, ita quidem, ut perſuadere lectoribus velit, Angliæ ſtatum ſub Pontificibus feliciſſimum præ illo fuiſſe, qui per reformationem introductus eſt. *Lib. III. cap. XIV. & XV.* Cæterum hiſtoriam reformationis Anglicanæ, a variis ex utraque parte ſcriptoribus, non ſine multa contradictione, tractatam, noſtro hoc tempore egregio & locupletiſſimo opere, lingua quidem Anglicana, perfecit, (quod tamen Gallice & Latine verſum eſt) *D. Gilbertus Burnetus.* In Gallia *Varillaſius* nuper *Librum IX.* hiſtoriæ ſuæ *de hæreſibus* narratione rerum Anglicarum occupavit, a Burneto & aliis, non uno ex capite, imperitiæ & calumniæ poſtulatus: Quid autem ille pro ſe adduxerit, & a Burneto replicatum, ex editis ultro citroque tractatibus, aut eorum compendiis, quæ in Actis & relationibus Eruditorum, tum *Lipſiæ* tum in *Belgio*, exhibentur, facili negotio percipi poteſt.

(7) *De hiſtoria Anglicana D. Burneti, & Varillaſii.*

De perſecutionibus, in Gallia hoc anno, magna cum ſævitia, adverſus Lutheranos, aut Helveticum dogma ſequentes, exercitis, multa ab hiſtoricis referuntur. *Vid. Scultet. p. 442. & Sleidan. Lib. IX. p. 246. & ſqq.* Ab eodem narratur inſignis Franciſcanorum monachorum impoſtura & tragœdia, *Aureliani* excitata, ut purgatorii figmento fidem facerent, quæ fraus, licet deprehenſa, autoribus tamen (ne eorum pœna rei Lutheranæ prodeſſet,) impune fuit. Vix alibi *Sleidanus* acrius inſectatur fraudes & errores Monachorum, quam in relatione de geſtis hoc anno in Gallia; nec habuerunt *Maimburgius* & *Varillaſius*, quod ei opponerent.

(8) *Gallica quædam.*

An. 1534.

(a) *Tractatus Lipsiensis de concordia religionis.*

ADDITIO.

Tacendum non est meditamentum concordiæ in religione, quod hoc anno *Lipsiæ* susceptum fuit, cujus notitiam debemus *Archivo* Vinariensi *Reg. H. fol. 88. n. 34.* *Cardinalis Moguntinus* & *Georgius Saxo* pacis inter *Ferdinandum* Regem & *Johannem Fridericum* Saxoniæ Electorem fundamenta hoc anno jacientes, perspecta Electoris inclinatione, spem etiam de conciliandis controversiis religionis conceperunt. Missi itaque sunt Lipsiam a Moguntino *D. Vehus*, Suffraganeus Halberstadiensis, item Præpositus Novi operis Hallensis, Ordinis Dominicani, & *D. Christophorus Turcus* Cancellarius. A Georgio Duce (tectius licet agente) *Julius Pflugius*, Decanus tunc Misnensis, & *Georgius Carlevitius*. Ab Electore vero *Pontanus* & *Melanchthon*. Convenerunt d. 29. Aprilis in monasterio Dominicanorum, sive Paulino, &, post consuetas blandasque optimæ intentionis significationes, illo & sequenti die de controversiis præcipuis, & quidem secundum ordinem Augustanæ Confessionis disceptarunt; Actum fuit, omissis tribus prioribus articulis, de quarto, id est, *de fide & meritis*. Extat consignatio sive protocollum a *Melanchthone* Germanice compositum, ejusque manu, (quanquam ab alio descriptum sit) correctum & inscriptum. *Declaravi*, scribit Melanchthon, *nostram doctrinam, & quid intelligamus per verba, sola fide; nempe, quod persona solum propter Christum Deo certissime placeat: deinde is, qui credit, opera justitiæ coram Deo habere debet, ut bonam teneat conscientiam, etiamsi persona ejus ex alia causa Deo placeat.* Addit, hæc quidem non impugnasse *Vehum*, neque tamen stylum Melanchthonis admisisse; corruptum scilicet opinione sua, (er steckt in seiner phantasey) quod gratia & justitia non sit ex DEI propensione & favore, sed ex renovatione. Varias itaque *Vehus* formulas contexuit, ex quibus tandem, rejectis cæteris *Pontanus* & *Melanchthon*, quantum in se erat, hanc, ut tolerabilem pro tempore, & dum ad reliqua progressus fieret, acceperunt; (haben für uns dißmal diese form für leidlich bleiben lassen) licet non deessent, quæ desiderarentur. Notandum tamen quod *Vehus* latine scripserit, sed, ut ipse Melanchthon refert, delata sunt, quæ scripserat, ad Lutherum VVittenbergam, ad Electorem vero Germanica eorum versio missa fuit, quæ sola in Archivo superest; transtuli tamen Germanica fideliter. Hæc itaque fuit *Vehi* formula: *Justitia acquiritur sine præcedenti merito contritionis, fidei, charitatis aut spei, vel aliorum operum, sed datur nobis ex sola gratia Dei: Deus enim nos justificans operatur primo in nobis fidem, qua in Deum, nos justificantem, credimus, verboque ejus & promissioni gratiæ firmiter adhæremus. Per hanc fidem autem operatur in nobis Deus charitatem, qua justitiam amamus & injusta odimus. Operatur etiam spem, per quam confidimus ejus misericordiæ, ex qua sola conscientiæ territæ solatium accipiunt. Recte itaque docent hoc sensu, qui dicunt, quod sola fides justificet, nempe, ut a justificatione excludant meritum charitatis & aliorum operum, & ajunt, sola gratia & misericordia nos justificari. Facienda autem sunt bona opera a Deo præcepta, non quod justitia non gratis propter Christum impetretur; sed propterea, quod Deus bona opera præcepit, & quod justitia & fides esse non potest absque bonis operibus. Necesse etiam est, ut pravas concupiscentias carnis nostræ per bona opera mortificemus, ut renovatio spiritus crescat.* Progressi inde sunt ad articulum de Missa, quia, ut Melanchthon indicat, de aliis omnibus frustra actum fuisset, nisi de illa conveniret. Queritur autem quod duriora postulata a Veho fuerint, quam Augustæ proposita erant. Post multas rixas *Vehus* hanc formulam exhibuit: *Missa est Sacrificium laudis, precum, confessionis, fidei, gratiarum actionis, & commemorationis mortis Christi, instituta ad hoc a Christo, non, ut celebrata Missa, pro peccatis mundi nova fieret satisfactio, quasi aliquid deesset sacrificio crucis, quod per Missam esset supplendum: sacrificium enim illud in cruce sufficit pro multis orbibus; sed, ut sacrificium illud semel pro satisfactione peractum, perpetuo honoretur per sacramentum, & æternum illud sacrificium in memoria maneat, & cor nostrum aliquid habeat, per quod recordetur gratiæ divinæ, per illam recordationem fidem suam augeat, & charitas inflammetur & spe erigatur, tum Christo Domino gratias pro misericordia & beneficio ejus agat. Præterea est cœna plena solatii, omnibus esurientibus & sitientibus a Christo præparata, per quam esurientem animam satient, & invictum robur contra infirmitatem suam adipiscantur. Habet etiam hæc cœna benignas promissiones a Christo, per quas conscientias afflictas consolari possumus. Abrogari non debent Missæ privatæ, cavendum modo est, ne illicite vendantur.* Cum ista non placerent, alia substituta est, neque tamen dicitur, a quo; verisimiliter tamen ab ipso *Melanchthone*, hoc sensu: *Missa non solum valet, ut sacramentum, ad consolandas conscientias, verum etiam, ut sacrificium: hoc tamen non ita, ut sit opus, per quod sacerdos aut alii remissionem peccatorum mereantur, sed quia est communis gratiarum actio Ecclesiæ, & opus ordinatum ad conservandam memoriam Christi, quemadmodum ceremoniæ veteris Testamenti, quæ & signa erant futuræ redemtionis, & actiones institutæ ad gratiarum actionem, & memoriam felicis electionis populi illius.* Ex hac formula *Vehus* cum suis verba illa: *non ita, ut sit opus, per quod aliquis remissionem peccatorum mereatur*, delevit, & hæc intrusit (hinein geschmieret) *non quod sit opus, quod per se, absque fide offerentium, aut eorum, pro quibus offertur, aliis ad salutem proficiat, sed quod per illud Patrem propter mortem Christi solicitamus, ut gratiam in cruce partam illis, qui offerunt, & pro quibus offertur, communicet, & nos memoriam mortis Christi renovemus.* Hanc formam, ait *Melanchthon*, rejecimus, quia per illam reservabant, Missam aliis mereri remissionem peccatorum. Addit, omnia a Veho eo fuisse directa, ut Missæ privatæ restituerentur, ideoque se & Pontanum progredi ulterius noluisse, licet Carlevitius, ut id fieret, valde urgeret. Sed omnia Electori referenda esse statuerunt, qui dijudicaturus sit, an prorsus cessari debeat a tali tractatu, aut alius dies ad ejus continuationem indici. Grave est *Pontani* judicium, in relatione ad Electorem de his actis, Lipsiæ d. 3. Maji scripta: Es ist endlich nichts drauß worden/ denn es sind allein handlungen von worten/ und der leute meinung ist nicht anders/ denn wie zuvorhin gewesen/ auch nicht vermercket worden/ daß sie in solchen klaren sachen zu entweichen gemeynt/ denn allein/ daß sie gern eine richtung haben wolten/ mit solchen worten/ damit sie ihre ungegründete sachen nicht weniger/ denn vorhin/ könten erhalten/ und daß sie sich nichts begeben. hoc est: *Nihil actum est; sunt enim tantum tractationes verborum, neque aliam sententiam homines illi fovent, quam antea, nec percipi potuit, quod etiam in clarissimis cessuri sint. Formulam saltem transactionis quærunt, per quam sua, fundamento licet carentia, conservare, ut antea, possent, & ut nihil amitterent.* Simplex esse videtur hæc epicrisis, sed multis, ornatioribus licet, verbis phrasibusque vix quidquam verius de omnibus, quæ ad conciliandam Protestantium cum Pontificiis sententiam susceptæ sunt, aut suscipientur, tractationibus dici poterit; idque deprehendent, qui acta colloquiorum, librosque irenicos & expositorios legerint. Summa omnis disputationis sive ad caput de autoritate Ecclesiæ (de qua quidem Germani illo tempore non multum soliciti esse visi sunt) sive ad sacrificium Missaticum reducitur & alliditur: in his enim magna illa dignitas & utilitas Cleri versatur, quarum neutra se abdicare, nisi Deus aliam illi mentem indat, neque ea contentus esse, quam pusillo & pauperi gregi suo Christus permittit, typho seculi & opum affluentia vacuam, unquam volet.

(b) *Formula de justificatione a Vehu proposita.*

(c) *Ejusdem alia de Missa.*

(d) *Melanchthonis diversa, & Vehi ad hanc notæ.*

(e) *Pontani de vano illo tentamine concordiæ Gemepicrisis.*

Inter adversitates in causa religionis referenda sunt hoc anno, quæ sub finem ejus inter *Electorem* Saxoniæ & filium Georgii, *Johannem* Ducem ortæ fuerunt, collisiones. (*Reg. N. fol. 75. lit. L. n. 22.*) Questus est Johannes d. 15. Decembris in literis apud Electorem de Luthero, quod in festo omnium Sanctorum concionatus

(f) *Querela Georgii Ducis de concione quadam Lutheri.*

An. 1535.

tus, populum in genua procumbentem jusserit Deum orare, ut Cardinalem Moguntinum & Ducem Georgium, quos *canes sanguinarios* (Bluthunde) vocasset, in orcum præcipitaret. De Electore vero Brandenburgico concessisse porro narrat, ut pro hoc adhuc preces fierent. Audivisse ista filiam Electoris Brandenburgici. (*Elisabetham* Erico Brunsuicensi nuptam) Respondit Elector d. 20. Decembris, se hæc invitum percipere, (es sey ihm leyd) memoremque esse decisi Grimmensis (de sistenda nempe illa verborum acerbitate) & id servaturum, in præsens vero inquisiturum, quid actum sit. Ad uxorem Johannis, *Elisabetham* Hassiacam, idem questam, scribit eodem sensu, addens tamen, manifesto inter se & Georgium de religione dissidio, & crescente indies contra Evangelicos persecutione, difficile sibi videri, ut de verbis & formulis concionum disceptetur, in quibus fortasse utraque pars excederet. (möchten zu beyden theilen schwerlich rein seyn.) Rectius ista dissimulari, & externam pacem coli, quæ periclitatura sit, si ista omnia urgeantur: & vereri se, ne Lutherus pro defendendis, quæ dixerit, multa sit allegaturus, quibus odia augeantur. Georgium non magni facturum esse preces Lutheri, quem dicat abscissum ab Ecclesia Romana membrum esse, neque sua vicissim referre, si Cochlæus, Electoris mortem precibus impetraturum se esse, jactaret. (wenn er ihn zu tode beten wolte.) Postero die Lutherus, cui exempla literarum missa fuerant, respondit: dolere se, quod hæc res ad Electorem, nullo operæ pretio, neque ex testimoniis aut documentis, sed ex meris rumoribus relata sit; id vero Georgii ingenium esse, ut plurima sibi arroget. (müsse immer fünff zipffel am sacke haben.) Rogat, ne jubeatur sese defendere: invitum se refricare, quæ ante conventionem Grimmensem dura & adversa passus sit, ita tamen animatos esse multos, non solum in Georgii provincia, sed & eximios ex ipsius Electoris proceribus, ejusque stipendiis viventes, qui ferre possint, ut in Misnia contumeliosissimi libri contra ipsum etiam Electorem procuderentur, ipse vero & sui taceant. Addit, nolle se magistros ferre, neque Johannem Ducem neque Parentem ejus, nec Moguntinum, responsurum etiam esse illis, & sententiam passurum: in eo etiam jamjam esse, ut contra Moguntinum publice scribat. Addit schedulam, in qua monet, ne nimium offerat Georgio Elector, esse enim, ut vere dixerit Fridericus Elector, *virum inurbanum, qui nulli responso acquiescat.* Juxta hæc Pontano significat, se literas ad Electorem tales scripsisse, quarum exemplum dari possit; libenter se quidem Georgium ipsum aggressurum fuisse, occasione hac insigni ex Filii literis data, quas diligenter asservari petit, in præsens tamen quieturum esse. De re ipsa scribit, certum se esse, quod contra Moguntinum in concione publice sit precatus, & fore, ut concio typis vulgetur proximis nundinis: profecto tamen nescire, an Georgii quoque mentionem fecerit, memoriam enim hujus, post transactionem Grimmensem, fere deposuisse: Sed in prandio apud Electricem Brandenburgicam, præsente ejus Filia, dixisse, se contra Moguntinum esse oraturum, itidem tamen ignorare, an idem de Georgio dixerit; neque se pœnitere, si dixisset, idem enim nunc dicere, & contra illum posthac oraturum esse, periculo capitis sui. (laßt doch sehen/ ob ichs vertheidige mit meinem halse.) Multa dicit in literis conficta esse, nec decere Georgium, ut persequatur & urgeat quæ negari possint, & egeant probatione. Rescripsit Elector d. 13. Decembris, fuisse apud se Legatos Moguntini & Georgii, sed ex alia causa, neque de hac quidquam proposuisse: *Carlevitium* (unum ex Legatis) privatim ejus meminisse, sed ita, ut diceret, iratum ab initio Georgium, postea mitigatum fuisse remonstrationibus: (habe sichs lassen aus dem sinne reden) Rogasse vero eundem Carlevitium, ut modus his rebus poneretur. Compellat inde Elector Lutherum perbenigne, monetque, quoniam ipse nescire se dicat, an Georgii mentionem pro concione fecerit, ut etiam illam in posterum omittat, pacis causa, & ne Electori actio secundum formulam pacti Grimmensis excitaretur; neque tamen se illi interdicere aut præscribere, quæ pro conscientia, & ad sui defensionem, adversus Theologos Georgii dicenda habeat. Rogat denique, ut hæc omnia non aliter, quam benigna mente, a se scribi existimet. Ex his literis (quas editas esse non reperio) de genio Lutheri & Principum quædam percipiuntur, notatu non indigna. Renovato paulo post, ex aliis causis, inter Principes certamine, Georgius ipse rixandi occasionem ex Lutheri illa concione vel dicto repetiit, ut ex literis ejus d. 31. Januarii 1535. ad Electorem datis constat.

(g) *Electoris responsum.*

(h) *Lutheri apologia.*

(i) *Elector Lutherum monet de moderamine styli.*

An. 1535.

SECT. 9.

An. 1535.

Utque Ecclesiæ idoneos viros daret, (Paulus III) *qui in tam ardua causa utiliter ei servire possent, purpuræ bonore dignatus est eos, quorum merita toto orbe cognita erant, & magni æstimabantur. Inter hos præter sapientes, virtute & doctrina claros, Cardinales, Simonetam, Contarenum, Jacobatium, Caracciolum, Sadoletum, Montium & Caraffam, (qui duo postea Pontifices fuerunt,) illustris ille Martyr Johannes Fischerus fuit, Roffensis in Anglia Episcopus, & Johannes Bellajus, Episcopus Parisiensis, tum Nicolaus Schombergius, Archiepiscopus Capuanus. Hic singularis vir meriti, ex nobilissima Comitum Schombergiorum familia in Misnia ad Salam fluvium inter Naumburgum & Weissenfelsam, ortus erat, quæ, præter Theodoricum fratrem ejus, in prælio Ticinensi, dum pro Rege Francisco fortiter pugnat, cæsum, duos illustres Galliæ Marescallos Schombergios dedit Patrem & filium, utrumque insignem Catholicum, qui victorius duabus celeberrimis sub Rege defuncto immortalem gloriam sibi pepererunt: ille in prælio ad castellum Arii; hic in liberanda Leucata, ubi vallum castrorum perrupit, totumque hostium exercitum inter sua munimenta cecidit. Nicolaus vero iste Schombergius ex Procuratore Generali Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus Capuanus a Leone X. constitutus, tam præclaras res gessit, tantumque honorem ex variis Legationibus per omnia fere Europæ regna sub duobus Pontificibus Mediceis acquisivit, ut post mortem Clementis VII parum abfuerit, quin eum Cardinales statim post ingressum Conclavis, Pontificem renunciassent, etsi nondum in Collegium sacrum adscitus esset. Ideo Paulus III. purpuræ decus tam egregie merito tribuere non est cunctatus. Existimabat præterea, plus illum ad reducendos suæ nationis Principes, qui decipi se a Luthero passi essent, præstiturum, cum ex antiqua & honorata familia in Germania genus duceret, & Lutherum ipse inter primos condemnasset, cum in consistorio Leonis X jussu adesset, dum sententia in hæreticum illum pronuncianda erat. Sed mors paulo post acceptam dignitatem superveniens, tempus*

Ciacon. in Paul. III.

ibid. Aubery hist. des Card. p. 3. Jovius in Ferd. d' Aval. l. 6. Font. de Melide. Theat. Dominic. Aubery hist. des Cardin. Ciacon.

Olmad. Vita Card. Cajet.

(1) Paulus III. Cardinales creat, inter eos Schombergium Germanum.

(2) De quo Maimburgii narrata.

An. 1535.

(3) De Vergerio a Pontifice in Germaniam missio.

exequendi illa intercepit, quæ a sapienti ejus consilio & ductu sperabantur. Pontifex interim flagranti studio, ut apparebat, decretam a se Concilii convocationem maturabat, quam & Imperator urgebat. Hunc in finem omnes Principes, etiam Protestantes, per Legatos ad consensum, & ut de tempore & loco commodissimo, quo celebrari posset, conveniretur, sollicitabat. Fatendum tamen est, non bene expendisse eum modum cum Protestantibus agendi, & infeliciter ad eos Legatum elegisse Petrum Paulum Vergerium. *Erat hic celebris famæ Jurisconsultus Justinopoli ortus, quam nunc caput Istriæ vocant, in ejusdem nominis provincia sita. Clemens VII. ingenium ejus magnifaciens, nuncium ad Ferdinandum Regem in Germaniam miserat: ibi prima hæresis semina, ut videtur, concepit, quam, Episcopus Justinopolitanus factus, post aliquot annos, aperte professus est, & cum fratre Johanne Baptista, Polæ, in eadem Provincia, Episcopo in Rhætos aufugit. Id maximum Christiano orbi universo offendiculum fuit. Sed mirandum non est, sapientissimos etiam in deligendis, quos negotiis suis gravissimis præficiunt, aliquando falli; cum homines externa saltem videant, solus vero Deus infinita perspicacitate sua intima cordis penetret.*

§. XXXII.

(1) Taxatur Pauli III. affectus, nepotes suos ad Cardinalitiam dignitatem evehentis.

Gloriationi de creatione Cardinalium magnam inussit maculam *Paulus Venetus*, qui memorat, Pontificem, post primam illam mense Majo factam, mense Decembri ad eandem dignitatem etiam evexisse *Alexandrum Farnesium*, ex Petro Aloisio, filio notho, Parmæ duce, (homine turpissimo) & *Guidonem Ascanium Sfortiam*, ex notha itidem filia, Constantia, nepotes, illum quatuordecim, hunc sedecim annos natum: respondisse etiam teneram eorum ætatem objectantibus, *se decrepita sua ætate, quod illorum annis desit, facile suppleturum.* Quam impertinenter ad hæc respondeat Pallavicinus, jam §. *XXVI.* tetigi. Possem non tam ex nostratium, quam ex oppositæ partis scriptis multa adducere, ad ostendendam abusus illius fœditatem, sed non opus est trita & notoria toties repetere.

(2) De Nicolai Schonbergii genere & ortu certiora, adversus Maimburgii & Pallavicini relationes.

Digressionis Maimburgianæ de *Nicolao Schombergio* rationem non satis capio, sequar tamen vagantem, in gentis Schonbergicæ, ex qua Nicolaus ortus est, his in regionibus celeberrimæ, nec una affinitate mihi junctæ, honorem, & ad emendanda, quæ *Maimburgius* & *Pallavicinus Lib. III. cap. XVII. §. 4.* minus recte tradiderunt. *Nicolaus* ille in Misniæ montana regione natus fuit d. 8. Octobris 1472. ex linea *Reinsbergensi*, in arce *Schönberg*, quæ *rubra* cognominatur, inter Misniam & Fribergam sita, patre *Dieterico*, Equite aurato & in aula Friderici II. ejusque filii Ernesti, Saxoniæ Electorum, Marescallo. Matrem habuit ex *Maltitiorum*, itidem nobilissima gente. Antiquissimam autem Misniæ familiam esse *Schonbergiorum*, arx illa & monumenta historica testantur. Pallavicinus, qui Nicolaum natione *Suevum* vocat, deceptus est inscriptione parietis in æde Romana B. Mariæ, quæ a Minerva cognominatur, eademque est epitaphii, quod ibidem conspicitur, literatura, qua ex *Suevis Misnensibus* oriundus fuisse scribitur. Suevos quidem totam olim Germaniam pervagatos esse constat, sed si unquam Misniæ montana loca tenuerunt, tam vetus illa & obsoleta est possessio, ut eorum nomen Misnensibus sine archaismi vitio tribui vix possit. Rectius Galli, qui *Casparum Schonbergium*, de quo postea dicam, ex *Hermunduris Misnensibus* ortum fuisse, in epitaphiis scripserunt. Porro nec Maimburgius, nec is, quem allegat, autor Nicolai genus ex comitibus castri *Schonburg* ad Salam derivantes, quicquam certi afferre possunt. Castellum enim illud prope Naumburgum (dudum quidem maxima ex parte dirutum) antiqua est Episcopatus præfectura, & quædam veluti urbis Naumburgensis specula. At *Schonberga*, patrium Nicolai castellum, tridui itinere Naumburgo distat. Veruntamen ex antiquis Episcopatus Naumburgensis chartis apparet, *Schonbergios* quosdam circa Salam amnem fundos & prædia possedisse; & quendam ex iis *Castellanum de Schonenburch* dici, quod tamen vel officii vel feudi, quod Gastaldiæ aut custodiæ vocant, (ein Burglehn) nomen esse potuit. *Comites* inepte appellat Maimburgius Schonbergios, cum ultra equestrem ordinem adscendere huc usque noluerint, contenti illa conditione, quam amplissimis dignitatibus in Ecclesia & Republica ornarunt.

(3) Nicolai agnati & fratres. Mater an Lutheri affinis fuerit?

Nicolaus ipse duos patruos magnos, avi fratres, *Casparum* & *Theodoricum*, Episcopos Misnenses, agnatum vero *Johannem* Naumburgensem. Fratres habuit *Johannem* & *Theodoricum*, Alberto Brandenburgico, Borussiæ Duci, a consiliis, ex quibus posterior ad Galliæ Regem Legatus, in prælio Ticinensi cæsus est, quem *strenue pro Gallia Rege pugnasse*, noster, nescio quam recte, tradit. *Antonium* etiam, de quo supra §. *XXV.* dixi; cujus invidia magis gravari potuisset, ac affinitate Lutheri, quam Pallavicinus ex *Petro Soriano Veneto* refert, qui *Catharinam Boriam* Lutheri uxorem *Nicolai consobrinam fuisse* memoravit. Id post diligentem investigationem eruere non potui, & si qua fuit affinitas, remotiorem fuisse oportet. *Boriæ* enim mater ex *Haugwitiorum*; *Nicolai*, ut diximus, ex *Maltitiorum* gente fuit.

(4) De gestis & scriptis Nicolai quædam.

Cæterum ex scriptoribus Italis *Cracconio*, *Guicciardino*, *Ughello* aliisque, ex Germanis etiam ac Gallis, multa de *Nicolao* allegari possent memoratu haud indigna: inter alia, quod bis, antequam Cardinalis fieret, Pontificatu dignus habitus fuerit, post mortem nempe non solum Clementis, (quod Maimburgius, tacente Pallavicino, notavit) sed & Adriani. Vir fuit patriæ suæ amantissimus, sed & veteris ritus tenax, & Reformationi obluctans, ut in historia anno 1537. ex *Paulo Veneto* notabitur. Quidam ex nostratibus, ut *Curæus*, Silesiorum Historiographus, & *Reusnerus* autor historiæ de Frundspergio, calliditatem ei tribuunt. Cæterum doctissimus fuit, eaque linguæ latinæ peritia, ut *Sabellicus* eum veteribus Scriptoribus annumerandum esse censeat. *Pierius* in dedicatione

An. 1535. ne *Lib. XLIII. Hieroglyphicorum*, magno eum ob eruditionem mactat elogio. Quot, quamque gravibus legationibus apud Imperatorem omnesque pene Reges Christianos functus sit, historiæ produnt. Ordinem Dominicanum Florentiæ anno 1495. assumsit, *Hieronymo Savonarola* magistro usus. Bononiæ Doctoris in jure Canonum gradum obtinuit. Antequam vero Capuæ Antistes a Leone X. (non a *Clemente*, quod per errorem tradit Pallavicinus) crearetur, Generalis sui ordinis factus est, & *Nicolaus de Alemannia* vocabatur. Extant orationes ejus satis facundæ & piæ, *de pugna Christi cum Diabolo*, coram Julio II. anno 1505. habitæ, quas consobrinus & familiaris ejus *Johannes a Schleiniz* Episcopus Misnensis, anno 1512. Lipsiæ excudi fecerat, nuper autem Vir clarissimus, *Adamus Rechenbergius* Professor Lipsiensis, denuo edidit. Epistola ejusdem longa, Italica, *de carcere & morte Thomæ Mori*, hoc ipso anno d. 12. Augusti 1535. ad *Marinum Caracciolum* data, habetur in compilatione *literarum Principum*. Hæc de *Nicolao* & *Schonbergiis* hic sufficiant, quæ maximam partem debeo *descriptioni de Schonbergiorum gente*, quæ in familiæ scriniis asservatur, ab alio concinnari cœpta, sed emendata & perfecta a *Johanne Theodorico a Schonberg* quem alibi laudavi, Cancellario Ducatus Altenburgensis. Ejus autem copiam mihi fecit Vir ejusdem stirpis laudatissimus mihique amicissimus, *Abrahamus a Schonberg*, supremus rei metallicæ in Electoratu Saxoniæ, & Freibergæ Præfectus. De *Vergerio* alibi dicendi erit occasio.

ADDITIO.

(a) *De Caspari a Schœnberg aliis & familia in Gallia.*

Quod illos attinet, quorum hic mentionem facit Maimburgius, & quos in Gallia Marescallos & Catholicos fuisse dicit, certum est, ex eadem, qua *Nicolaus*, familia, sed collaterali ortos fuisse; ex illa nempe stirpe, quæ olim *Saxenburgum* & *Franckenbergam*, arces & oppida postea Electoribus Saxoniæ vendita, in Misnia montana possederunt, in qua quidem alii ejusdem gentis egregia adhuc tenent prædia: Ex illis *Caspar Schönbergius*, VVolfgangi filius, studiorum causa in Galliam profectus, in belli civilis turbas & obsidionem urbis Andegavensis a regio exercitu anno 1562. implicitus fuit, & juvenili ardore motus, juventuti Academicæ ad defendendam urbem ducem se præbuit. Ibi cum strenue pugnaret, capta urbe, victoribus placuit; & in eorum castra transgressus, non exiguam apud Regem gratiam invenit, magnisque negotiis ad finem usque vitæ sub tribus Regibus, Carolo IX. Henrico III. & IV. occupatus, & ad summas dignitates evectus fuit, ita ut militiæ peregrinæ tandem Campi Marescallus præficeretur, & provinciam Lemovicum regendam acciperet. Emit ab Henrico Guisio Comitatum *Nantueil*, & ex nobilissima uxore *Johanna Castanaa Rupipotia* liberos suscepit, ex quibus *Henricus* familiam propagavit, & virtutem patris (anno 1599. mortui) æmulatus, meruit, ut Franciæ Marescallus crearetur, & Lemovicum itidem, ut & Engolismensi provinciæ, denique etiam ærario regio præficeretur. Huic (anno 1632. defuncto) ex *Francisca Marchionissa Espinaa* natus fuit anno 1601. *Carolus*, cui uxor Ducatum *Alluinensem* in dotem attulit. Hic quoque Franciæ Marescallus & Septimaniæ Gubernator fuit. Cum vero anno 1656. nulla neque ex primo, neque ex secundo matrimonio suscepta prole, decessisset, stirps illa Schonbergiorum a Casparo in Galliam translata finem habuit. Casparo frater erat *VVolfgangus*, equitum, ut vocant, Colonellus, Gallicis stipendiis merens. Hunc Christianus I. Saxoniæ Elector, cum bona Regis venia ex Gallia evocatum, aulæ suæ Marescallum præfecit anno 1586. ut ex literis Regis & Electoris constat. Extant etiam regiæ epistolæ ad *Christianum II.* Electorem & *Bernhardum Polnitium*, ejus Cancellarium an. 1609. & 1610. scriptæ, quibus petitur, ut Henrico Schonbergio, Caspari filio, de quo dixi, nobilitatis suæ testimonia mitterentur, ut in *ordinem equitum S. Spiritus* cooptari posset, ut & factum est. Licet vero Caspar ille *Comitis* titulum in Gallia gereret, in Germaniam tamen scribens illo uti non consuevit, neque Elector Saxo, illi scribens, alio, quam equestris ordinis titulo, eum compellabat, nisi quod *strenuum* (Gestreng) vocaret, cum intra provinciam nobiles non nisi *fortium* titulum (Vest) accipiant. Hæc, occasione a Maimburgio data, de *Schönbergiis Misnensibus*, qui larem in Gallia fixerunt, per digressionem dicta sunto.

(b) *De aliis Schönbergiorum familiis.*

Qui vero sub eodem nomine fortibus factis & militaribus atque illustribus dignitatibus in regno isto inclaruerunt, (ex quibus, religionis causa, cum filiis, paucos ante annos ejectus *Fridericus* fortissimus belli dux, dum hæc scribo, in Hibernia sub Guilielmo Auriaco, Magnæ Britanniæ Rege gloriosissimo, fortiter pugnans occubuit) ex alia non minus illustri & nobili gente prodierunt, ea nempe, quæ ad Rhenum haud procul a Vesalia superiori, (Trevirensis ditionis oppido) castellum haud incelebre *Schœnbergam* possident: sive inde originem habeant, sive ex Helvetiis sedem eo transtulerint. Memorant enim scriptores Helvetici, castellum *Schœnberg*, in ora lacus Brigantini orientali, sive in Turgovia, quam familia olim tenuit, ex qua illustres etiam in Ecclesiasticis muneribus viri extiterunt. Unde etiam scriptores quidam Saxonici Schonbergios Misnenses ex illa deducere voluerunt provincia, renitentibus historiæ familiaris, quam allegavi, autoribus. Antiquior enim est Schonbergiorum in Misnia memoria, quam ut a tempore expulsæ a plebe Helvetica nobilitatis adventus ejus in has regiones computari possit: differunt etiam insignia. Rhenani stellam liliatam in scuto gerunt, quam vulgo Clivensem vocant, Misnenses leonem, alia Helvetici. Allata tamen haud ita pridem est ad Misnenses relatio *Johannis Bartholomæi a Schönberg*, equitum tribuni sive Colonelli, qui asserit vetus Schönbergiorum superioris Germaniæ insigne etiam leonem fuisse, stellam vero postea assumtam esse. Differt vero color leonis: fulvum enim illi, Misnenses rubrum & viridem semipartitum habent.

(c) *De Schönburgiorum gente.*

Notandum denique est, diversos ab his omnibus esse *Dynastas Schonburgios*, qui in insignibus fasciam habent rubram in scuto albo, & inter Comites imperii referuntur, multarum ditionum in Misna ad Muldam fluvium Domini, Glauchæ puta, VValdenburgi, Lichtensteinii, Hartensteinii, Penicæ, VVechselburgi & aliarum, quarum quædam Bohemica, quædam Saxonica feuda sunt.

SECT. 10.

Sleid. l. 9. Vide Pallav. L. 3. c. 18.

(1) Mandatum Pontificis de Concilio Vergerio datum.

Pontifex igitur, cum crederet, a nemine de rebus Germaniæ melius se doceri posse, quam ab eo, qui in ea Nuncii munus Sanctæ Sedis nomine gesserat, ejus Vergerii solius consilium secutus est. Volebat nempe, Germanis persuaderi, Romam concilium sincere cupere, quod nemo eo usque crediderat, ut illud simpliciter proponeretur, neque de conditionibus mentio fieret, ob quas Protestantes primum id recusassent. Dici potest, Papam, non ea forma,

An. 1535. *qua ordinarie Romæ fieri solet, egisse, sed contrariam viam ingressum esse, quam Prædecessor ejus tenuerat. Clemens enim VII. asseruerat, eo, quo res erant, statu sibi non videri concilio opus esse. Quod si omnino desideraretur, convocaturum quidem se id esse (quemadmodum & paulo ante mortem decretum ediderat) sed justissimis conditionibus, quibus Ecclesia nullo modo abstinere potest. Contra Paulus III. testabatur, velle se concilium, & ut ostenderet, se id bona fide velle, mandatum Vergerio Nuncio dedit, ut id absque omni conditione Protestantibus offerret, Mantuam tamen, ut urbem commodam & ad imperium pertinentem, proponeret. Hoc iis ansam præbuit injustissimas conditiones postulandi, quæ nunquam admitti poterant, Papam vero decuisset, illis tam justas & praxi Ecclesiasticæ conformes proponere, ut eas sine manifestæ injustitiæ invidia recusare nequivissent. Nuncius acceptis mandatis in Germaniam profectus est, ut cum Principibus Catholicis & Protestantibus de Concilio Mantuæ celebrando tractaret.* An. 1535.

§. XXXIII.

(1) *De Pauli III. cautela, in Legati instructione, ex Pallavicino, qualis etiam hodie usurpari solet.*

Censoris potius, quam historici munus etiam hic exercet noster: ex *Pallavicino* autem, quem allegat, *Lib. III. c. XVIII.* acta Pontificis & Vergerii liquidius cognoscuntur. Sed is non tam crude consilia Pauli III. damnare ausus est, necessitate temporum excusans, quod de conditionibus Concilii tacere, quam eas indicando obices ponere maluerit. *Sleidanus* fraudem aperuit, scribit enim ideo id factum, ut perspecta Protestantium sententia, tales postea conditiones proponeret, quibus intellectis, sciret, minime venturos esse. Non plus ergo zeli aut pietatis religionem & disciplinam juvandi, aut sincerior voluntas concilium eo fine habendi in Paulo fuit, quam in Clemente. Hoc saltem pro vafritie sua agebat Paulus, ut bonæ intentionis ostentatione Protestantes irretiret, deinde in tempore opportuno opprimeret. Non erat igitur, ut Maimburgius de bona fide Pontificis, quam nemini persuadebit, hic ratiocinaretur. Simulata & infida erant omnia, ut eventus ostendit. Ex eodem facile conjici potest, quæ sint justissimæ & praxi Ecclesiæ conformes conditiones concilii, quas proponi debuisse a Paulo contendit. Unam producit *Pallavicinus*, quam dissimulandam esse monuerat Vergerius, nempe, ut priorum conciliorum definitionibus insisteretur. Hæc sola ejus erat naturæ, ut Protestantes plus quam stupidos esse oportuisset, si eam sine discrimine admisissent. Nihil sane notius erat, quam quod plerique errores, quos illi abolitos cupiebant, plurimorum conciliorum, posterioribus seculis habitorum, decretis vel expresse stabiliti essent, vel ex iis haud difficulter defendi possent. Et hoc ipsum præjudicium amoveri cupiebant Protestantes, nec alia ratione liberum & Christianum concilium postulabant, in quo, si non sublatis protinus, suspensis tamen, quæ per seculorum infelicitatem invecta erant, de veritate, non ex illis, sed ex sacra Scriptura, disquireretur. Neque tamen antiquiora concilia respuebant, in quibus de capitibus fidei ad eandem normam pronunciatum erat; nemine tunc invento, qui aliam Decisionum regulam præscriberet, aut sub antiquitatis & traditionis nomine commenta Scholarum, aut privatas quorundam Doctorum opiniones, intelligeret, quemadmodum postea factum est. Dum igitur Vergerii callida suggestione Pontifex de conditionibus concilii nihil moneret, induci posse sperabantur Protestantes, ut crederent, formam ejus talem futuram esse, quæ prioribus Ecclesiæ seculis & suæ reformationi conveniret; Pontifex vero nihil minus in animo habebat. Videmus interim, haud novam esse artem, quam paucis abhinc annis adhibebant, qui conciliationem Protestantium cum fide Romana venditantes spem faciebant, fore, ut concilii Tridentini decreta non allegarentur, si ad tractandam concordiam accederetur. Id ipsum enim est, quod Vergerius, referente *Pallavicino Cap. XVIII.* §. 8. a Paulo tunc obtinuit, nempe, ut nihil diceretur de priorum conciliorum definitionibus. Alteram etiam dissimulationis Pontificiæ causam ex Vergerii literis, §. 2. productis, cognoscimus, nempe, ut conventum Germaniæ, in quo de religione tractaretur, oblato concilio œcumenico, impediret. Talem enim conventum, ut §. 3. clarius indicatur, summe, nec immerito, metuebat Paulus, cui conscientia sua dictabat, non posse errores & abusus veteres defendi, si unquam libere & absque præjudiciorum vinculis in examen vocarentur. Etsi vero integerrimum & sanctum Pontificis propositum de concilio œcumenico habendo Vergerius in literis etiam arcanis, §. 2. a *Pallavicino* relatis, laudaverit, nondum tamen fidem rei adstruxit. Aut enim Vergerius ipse deceptus fuit magnificis Pontificis promissis, aut, quod verisimilius est, fraudis conscius, in literis tamen suis eodem fuco uti debuit, quo ipse Pontifex totam Legationis suæ machinam ornaverat: Quid enim ad eam uno ictu disjiciendam validius fuisset, quam si dixisset, Papam quidem œcumenicum concilium cupere & indicturum esse, sed tale, in quo proximorum conciliorum decreta ante omnia pro legitimis & in perpetuum valituris præsupponantur, & qui iis contradixerint, pro hæreticis manifestis habeantur. Verissimum tamen est, sub aliis verborum involucris non nisi hoc quæsitum esse a Paulo, neque actum a Vergerio cujuscunque intentionis eo tempore fuerit, aut quocunque verborum lenocinio pessimum curiæ Romanæ propositum commendare voluerit.

(1) *Aliæ artes Pontificiæ, ad irretiendos Concilii specie Protestantes.*

SECT. 11.

(1) Vergerii cum Lu-

In hoc itinere cum Wittenbergam venisset, & a Præfecto oppidi magno cum honore exceptus esset, colloquium cum Luthero habuit, de quo diversi admodum sermones fuerunt. Seck. Ps. Lat. l. 1.

An. 1535. runt. Nam frater Paulus, in historia sua Concilii Tridentini, Nuncio huic prolixam disputationem tribuit, qua Luthero persuadere voluerit, magni eum ob egregias dotes Romæ fieri, & Cardinali Cajetano & Leoni X. vitio verti, quod eum nimis duriter tractassent. Itaque ad obsequium erga Ecclesiam humanis respectibus reducere eum voluisse, utilitatis nempe suæ intuitu, propositaque spe magnæ dignitatis, usque ad Cardinalis, immo ad Pontificatus fastigium, allegatis exemplis Cardinalis Bessarionis & Pii secundi. Postea Lutherum introducit longiori sermone, & mirabili cum constantia, generosisque omnino sententiis, quas maximus quisque proferre posset, respondentem. E contrario Pallavicinus, ut scriptorem illum falsi convinceret, Vergerii Nuncii literas producit, in quibus asseverat, se non nisi inter prandium, cum Wittenberga discedere vellet, Lutherum & Pomeranum vidisse, a Præfecto conversationis causa adductos. Talisse se, ut Lutherus de rebus indifferentibus loqueretur, locutum vero tunc esse vilissime & impolitissime, nec nisi per monosyllaba respondisse: se itaque nihil in eo homine magnum invenisse, quam impudentiam & malitiam. Mibi nibil satis certi de hac re affirmari videtur potuisse, quia de omnibus egregie dictis, quæ Frater Paulus retulit, nihil quicquam in ejus temporis scriptoribus, ne in Sleidano quidem, reperitur; hic enim uno verbo refert, a Vergerio Lutherum Wittenbergæ visum esse. Ex alia parte, si Nuncius principia hæresis, quam postmodum professus est, jam in mente habuit, vix aliter, quam fecit, de Luthero, & habito cum eo colloquio, Romam referre potuit. Nihil certius dici posse puto, quam quod Frater Paulus, cum damno veritatis, loqui duos istos homines, quos amicos habere satis apparet, pro suo fecerit lubitu. Certum & hoc est, quod Nuncius & Electorem Saxoniæ & Landgravium Hassiæ viderit, qui scripto exhiberi petierunt, quæ de concilio proposuerat, & responsuros se esse promiserunt, posteaquam cum fœderatis Smalcaldiæ collocuti forent.

[Margin: An. 1535. ... thero colloquium.]

[Margin: Pallav. loc. cit.]

[Margin: (2) Diversa de eo Pallavicini & Veneti relatio.]

§. XXXIV.

[Margin: (1) Narratio de eodem colloquio ex Tom. VI. Alt.]

De colloquio *Vergerii* cum *Luthero* referenda sunt, quæ *Tom. VI. Alt. fol. 492.* narrantur. Cum Nuncius Pontificius Vergerius vespere d. 6. Novembris cum equis viginti uno & mulo uno Wittenbergam advenisset, & a Præfecto, non oppidi, sed Provinciæ (dem Landvoigte) honestissime in arcem esset deductus, Dominica sequenti (d. 7. Novembris) Lutherus tonsorem summo mane accersi jussit; huic id miranti jocabundus dixit: *se ad sanctissimi Patris Nuncium vocatum esse, nec incultum accedere velle; ita fore, ut pro juniori haberetur, & longioris vitæ metu adversarios terreret.* Vestem inde, quam habebat optimam, induit, & aureum quoddam donarium (a Principe puto datum) collo apposuit; hoc quoque mirante tonsore, & offendiculum inde oriturum esse monente, ea de causa id se facere Lutherus professus est; *Nobis enim, ait, multa dederunt scandala, cum serpentibus & vulpibus ita est agendum.* Conscenso inde una cum D. Pomerano curru, qui ex arce missus erat, ridens dixit: *En Papa Germanus & Cardinalis Pomeranus! opus hoc Dei est.* In arce, cum, præsentem se esse, nunciari fecisset Vergerio, statim admissus & exceptus est; ipse etiam Legatum, sed non iis honorum titulis, qui olim tribui solebant, excepit. *De concilio* inter alia sermo erat. Dicebat autem Lutherus, *id serio non promitti, sed ludere saltem Pontificem; neque in eo, si haberetur, actum iri, nisi de inutilibus & futilibus rebus, de tonsuris & stolis, nihil vero de fide & justificatione, & de uniendis Christianis in concordia spiritus & fidei: id enim ex re illorum non esse.* Addit, *se & suos in Spiritu sancto de fide certos esse, nec egere concilio, sed alios simpliciores & miseros, quos illi tyrannide oppresserint, qui ipsi nesciant, quid credant. Agite tamen,* ait, *& convocate concilium, venturus sum, Deo volente, licet fieret ut comburar.* Interrogante Legato, *quo loco vellet, ut concilium haberetur?* respondit: *ubicunque vultis, Mantuæ, Patavii, Florentiæ, aut alibi. An & Bononiæ?* quærebat Nuncius. Ad id Lutherus interrogavit, *cujus esset Bononia?* & cum intelligeret, *Pontificis esse,* regessit: *itane, bone Deus! etiam hanc urbem rapuit Papa? Veniam etiam eo,* inquit. Cum vero Nuncius (urbane scilicet) *Papam Wittenbergam venturum esse* diceret, replicavit Lutherus: *agedum veniat, fiet id nobis lubentibus. Sed vultisne,* ait Nuncius, *ut cum exercitu veniat, an inermis? ut lubet,* dixit Lutherus, *utrumque expectabimus.* Quæsivit postea Legatus: *an sacerdotes in Saxonia consecrarentur? utique,* ait Lutherus, *consecrantur, quia Papa nobis non vult sacerdotes consecrare vel ordinare: en, hic sedet Episcopus,* (Pomeranum monstrans,) *quem nos consecravimus.* Hæc & alia (scribit autor relationis,) multa collocuti sunt, quæ non omnia mihi innotuerunt. Summa: Lutherus omnia Nuncio aperuit, quæ in corde habebat, & necessaria erant, absque omni metu, magna cum severitate; & cum Nuncius equum scandens ad Lutherum diceret: *Vide, ut sis instructus ad concilium,* respondit hic: *Veniam, Domine, cum isto collo meo.* (mendose *d. l.* legitur *feram* pro *veniam.*) Jam *Pauli Veneti* relatio, quam *in Lib. I. Hist. Conc. Trid.* extantem, ut mendacem, post Pallavicinum, exagitat noster, consideranda est. Omitto tamen, quæ scribit a Vergerio Luthero proposita fuisse, cum compendium eorum Maimburgius retulerit; sed responsum Lutheri a Veneto relatum, cum liber in paucorum sit manibus, integrum exhibeo. *Lutherus ad proposita, more ingenii sui, oratione vehementi & concitata respondit, sua non referre admodum, quo apud Curiam Romanam sit loco, cujus nec odium extimescat, nec requirat benevolentiam. Se quidem in ministerio verbi divini nullis parcere laboribus, servum licet inutilem: nec videre se, quanto plus sit affinitatis*

[Margin: (2) De eodem ex Paulo Veneto.]

An. 1535.

inter Christi & Pontificatus famulitium, quam inter tenebras & lucem. Nihil sibi per omnem vitam accidisse fructuosius, quam Leonis servitudinem & Cajetani acerbitatem, quas non ipsis, sed providentiæ divinæ adscribat. Illis enim temporibus, cum nondum omnis fidei Christianæ veritas ipsi affulsisset, sed in materia indulgentiarum solum aliquot abusus detexisset, facile sibimet silentium imperari potuisse, dummodo adversarii iisdem se legibus subjecissent. Scriptis vero Magistri S. Palatii, Cajetani contumeliis, & Leonis severitate provocatum, diligenti studio in rem omnem incubuisse, & complures errores & abusus Pontificatus multo minus tolerabiles deprehendisse, quos conscientia illæsa homines celare aut dissimulare non posset. Nuncium quidem ingenue professum, se in Theologia non multum versatum, atque id ex ipsius argumentis facile apparere, cum injuria doctrinam ipsius novitatis insimulet, nisi credat Christum, Apostolos, sanctosque Patres ad eam formulam olim vitam suam instituisse, qua hoc seculo a Papa, Cardinalibus & Episcopis vivitur. Neque ulli contra eandem doctrinam argumenta petenda esse, a seditionibus Germaniæ, nisi ei, qui in scripturis parum frequens sit, quique nesciat, id peculiare esse Dei verbo & Evangelio, ut ubicunque terrarum prædicatur, turbas ac tumultus concitet, quibus pater etiam a filio separatur. Hanc esse vim verbi divini, si quis dicto ejus audiens est, donare ei vitam; si quis recalcitrat, majorem afferre damnationem. Romanensium vero hunc esse errorem vulgatissimum, quod Christi Ecclesiam, perinde ac si status esset secularis, rationum humanarum sanctionibus stabilire nitantur. Nimirum istius generis sapientiam, divo Paulo autore; stultitiam reputari apud Deum; sicut ex contrario, politicas, quibus Romana Ecclesia gubernatur, considerationes pro levibus ducat. Divinis vero promissis fidere, & rerum Ecclesiæ gubernationem divinæ Majestati concedere, illam esse humanam vecordiam, (ex opinione scilicet impiorum) *quæ a Deo pro sola veraque sapientia ducitur. Ut concilium bene vortat, bonoque Ecclesiæ cedat, non in unius Martini potestate positum; sed magis in Pontificis, si illud liberum permittat: ut solus Dei Spiritus ibi regat & præsideat, sepositisque hominum respectibus, usurpationibus & artibus, ad sacræ Scripturæ amussim certam controversiæ dijudicentur. Id si fiat, se sinceritatem & charitatem Christianam, quantum poterit maximam, eo allaturum: non ad Pontificem aliumve mortalem sibi devinciendum; sed ad Christi gloriam, Ecclesiæque pacem ac libertatem constituendam. Tantum autem Christiani orbis bonum frustra sperari, nisi Deo prius, abjecta hypocrisi, seria pœnitentia peccatis nostris propitiato. Hominum insuper, quantumvis eruditorum, coitionem debile esse tanto operi inædificando fundamentum: cum nullus sit error tam insulsus, tamque abhorrens a ratione, quem, Dei iracundia non expiata, humani generis hostis literatis illis, prudentiæ & literarum opinione confisis, non persuadeat; ubi Deo visum, sapientiam prudentum confundere. Se vero Roma nihil posse recipere* (aut ibi observare) *quod cum Evangelii ministerio aliqua consensione respondeat. Neque hilum moveri Æneæ Sylvii & Bessarionis exemplis: quippe quem splendores illi tenebricosi non percellant, quique, si se suaque velit magnificare, illud vere regerere possit, quod ab Erasmo facete aliquando dictum: Lutherum inopem & abjectum multos locupletasse & promovisse. Compertum esse Nuncio, ut non longe abeat, etiam creationem Roffensis Episcopi in Cardinalem, mense Majo proxime superiori, magna parte, Schombergii vero in totum sibi deberi: illius vero casum tam præcipitem divinæ imputandum providentiæ. Nihil igitur impetrare potuit Vergerius, Luthero de solita animi firmitudine nihil laxante, doctrinam quoque suam tam constanter & arcte tenente, ac si oculis eam cerneret corporeis, palamque dictitante, Nuncium & Pontificem ipsum, illius fidem facilius amplexaturos, quam ille eam deserturus esset.* Roffensis historia, cujus mentio hic fit, nota est: is vel ob scripta contra Lutherum in Cardinalium numerum allectus est, sive ea spe, ut e carcere, cui eum Angliæ Rex incluserat, liberaretur, sive (quod *Pallavicinus* contra Venetum statuit) ut honoris hoc præmio vitæ jactura, quam ob Pontificiæ dignitatis assertionem subiit, pensaretur. De Schombergio antea actum est. Hunc Lutherus, (referente *Veneto*) purpura ornatum esse dixerat, quod multa adversus se & reformationem molitus esset. Jam ex collatione *Wittenbergensis* relationis, imperfectæ licet & rudis, & ejus, quam ex *Veneto* attuli, plura, apparet, locutum esse Vergerium cum Luthero, quam ex literis illius, a *Pallavicino* adductis, percipitur, neque tantum fortuitum inter cœnandum colloquium fuisse, sed meditatum & secretum, certe masculum, animoque Lutheri dignum. Quod si verum est, quod Pallavicinus refert, *Vergerium cum tanto contemtu, summaque contumelia, de Luthero Romam scripsisse*, credibilius est, & ab ipso Maimburgio olfactum, quod ad aulæ Romanæ genium relationem suam accommodaverit, quam ut ficta sint, quæ Venetus tam accurate annotavit, & quæ in summa non discrepant a narratione Wittenbergensi, & succum quendam ac nervum eorum continent, quæ Lutherus alias locutus est & scripsit. Suspectum maxime est, Vergerii judicium a *Pallavicino* relatum, quod Lutherum tam rudem & tam indoctum omnis boni moris depinxerit, ut libros ejus nomine editos, qui non nihil latinitatis & eloquentiæ redolent, illi plane abjudicet. Notum quidem est, quis tunc Latini sermonis in familiaribus colloquiis & in lectionibus academicis usus & stylus fuerit, (quo etiam hodie plerique monachi utuntur) & Lutherus haud semel vitium vulgaris dictionis, inde contractum, ipse fatetur; neque tamen Vergerio id insolitum aut vile videri potuisset, qui melius loquentes inter Theologos & monachos nullibi facile invenisset. Urbanitatem autem & morum culturam, in monasterio licet neglectam, mirum foret, ni per septendecim annorum conversationem cum summi ordinis viris sibi comparasset. Sed de istis suum cuique judicium relinquimus. Alia sunt, quæ Evangelii præconem faciunt, alia quæ aulicarum elegantiarum aut technarum ministrum: & Johannem distinguebat Christus ab iis, *qui mollibus vestiuntur, & in domibus Regum sunt.* Quod iter & gesta Vergerii attinet,

(3) *Considerantur Pallavicini relatio & judicium.*

(4) *Vergerii Palla-*

An. 1535. *Acta apud Georgium Brandenburgicum, & de hoc quaedam.*

Pallavicinus Georgii Brandenburgici comitatem laudat, *d. c. XVIII. §. 4.* qui, primarius licet Lutheranorum fautor, non solum Legato omnem exhibuerit honorem, sed & in responso Pontificem *Clementissimum Dominum* appellaverit, aliasque obsequii formulas adjecerit, Principibus haereticis insuetas. Quid eum ad istam moverit demissionem, fateor me non perspicere. In religionis tamen zelo, quo fervebat, nihil remisisse optimum Principem, inde judicaverim, quod hoc ipso anno praeter ordinationem Ecclesiae, anno 1533. publicatam, de qua alibi diximus, constitutionem *de legibus & ritibus matrimonialibus* ediderit, (ut refert in panegyrico ejus, anno 1684. edito, *D. Caspar Lilius* Superint. Baruth. General.) quas nisi serio & constanter Lutheranus fuisset, ad jurisdictionem suam trahere non potuisset. Inveni *Georgii* Marchionis literas (*Reg. H. fol. 99. n. 42.*) d. 6. Augusti ad Electorem datas, quibus significat, Vergerium (*Reverendum* vocat den Ehrwürdigen) apud se fuisse & sollicitasse consensum suum ad concilium Mantuae habendum, multa etiam & insperata locutum esse: (habe seltsamen unterricht und anzeigung gethan) inter alia de D. Eccio, quae mirabilia sibi visa sint & aliquando esset narraturus. Si quid igitur exhibitum est Vergerio, de quo is in relationibus suis Romae gloriari potuit, acceptum id forte ferendum est non Marchionis amori aut venerationi erga Pontificem, sed solertiae Vergerii, qui familiaritate simulata aut vera Marchionis benevolentiam captavit. Quae vero cum Electore Saxoniae egerit, antequam hic conventum Smalcaldiae haberet, compendiose refert *Sleidanus Lib. IX. p. 293.* ex actis autem, quorum versio Germanica *Tom. VI. Alt. fol. 491. 496. 504.* & partim apud *Hortled. Tom. I. Lib. I. c. XIX.* extat, accuratius cognoscuntur, & quaedam ex iis annotanda veniunt. Elector Saxoniae, cum jam rescivisset, quid Vergerius aliis de Concilio proposuisset, Lutherum consuluit, *an aliud responsum illi dandum esset, quam quod ante biennium Clementis VII. Legato Rangonio datum fuerat?* Respondit Lutherus breviter d. 20. Augusti, (*Veneris post Assumt. Mar. Tom. VI. Alt. fol. 491.*) *sufficienter, recte & Christiane responsum tunc esse.* De loco concilii (*Mantuam* enim speciatim urgebat Vergerius) fatetur, *sibi prorsus indifferens videri, ubicunque is designetur:* Addit: *se non credere, quod illi serio agant, ut liberum & Christianum habeant concilium: Thomam se hactenus esse, & digito latus tangere velle, antequam credat.* Inserit quaedam de ira eorum in se, utq; ad caedem & vivicomburium se dudum destinaverint. Profectus inde Elector ad Ferdinandum Regem in Austriam erat, magna post transactionem Cadanensem fiducia, ut feudorum suorum investituram acciperet, & de Camerae Imperialis processibus adversus Protestantes quereretur. Cum igitur Vergerius Halas Saxonicas interea venisset, d. 4. Novembris ad Electorem scripsit, & salvi conductus literas petiit, ut per ditiones ejus in Marchiam, ad Electorem Brandenburgicum, proficiscens, & Wittenbergam transiturus, tutum iter haberet. (*Tom. VI. fol. 492.*) Sed Elector, antequam iter Viennam ingrederetur, Praetori Saxonico mandaverat, ut non solum liberrimum commeatum Vergerio praestaret, sed & lautum exhiberet hospitium, simul etiam illum moneret, ne Electorem sequeretur, quia cito ex Austria rediturus, & Pragae vix uno die commoraturus esset. Vergerius tamen in proposito perstitit, ut ex literis ejus, Germanice *d. Tom. VI. fol. 492.* d. 6. Nov. Wittenbergae datis constat. In iis enim gratias agit Electori, pro honorifica receptione, quam Wittenbergae invenerat, petitque, ut, quoniam Dresdam ad Georgium Ducem eundum sibi esset, tempus & locus sibi significaretur, ubi redeuntem ex Austria Electorem accedere posset. Inde igitur factum est, ut Vergerius illum d. 30. Nov. Pragae adierit, & mandata sua illi exposuerit, quorum tenor *Tom. VI. Alt. fol. 493.* refertur. Versa autem sunt ex protocollo Latino *Spalatini*, quod extat *Reg. H. fol. 99. n. 42.*

(4) Lutheri literae ad Electorem de responso Vergerio dando.

(6) Literae Vergerii ad Electorem.

(7) Mandatorum expositio.

Notandum est ante omnia, promisisse eum amplissime, & magna cum sinceritatis contestatione, concilium liberum, pium, universale, purum; de modo agendi nihil determinandum esse dicebat, quia ope Spiritus sancti in ipso concilio de eo tractari & conveniri possit, neque ullas se leges aut conditiones, quales Clemens VII. proposuerit, urgere: legisse etiam & probare articulos responsi ab Electore & sociis tunc dati; (vid. supr. *§. XVIII.*) monet tamen Electorem, ut promte sese postulato suo (quoad locum scilicet) accommodet, neque invidiam subeat, ac si unus rem tantae utilitatis impediverit. Ostenderet igitur animum Christo devotum; quod si non faceret, nihilominus futurum esse concilium, Christo ipso Duce & auspice, gravi cum recusantis culpa. Electoris responsum breve *d. l. fol. 494.* extat, in quo se paratissimum esse testatur, ad concilii liberi, universalis & Christiani promotionem, in quo secundum verbum Dei ageretur; quae vero sua sit sententia, Viennae, unde venerat, Caesareae Majestati (per literas scilicet) aperuisse: (de loco tamen opponit, decretum esse in comitiis, ut in Germania haberetur) ab eo, sibi non licere, ut absque Principum & Ordinum Imperii consensu discederet, securitatem etiam adeundi & redeundi praestandam esse. Excepit Vergerius, postulatum in comitiis, sed non conclusum esse, ut concilium in Germania haberetur, & Caesari nunc *Mantuam* placere, nec caeteros Reges & Principes consentire voluisse, ut in Germania concilium convocaretur: neque enim in hanc Papam absque magno exercitu venire posse, quod tamen Germani aegre essent accepturi: cautione pro securitate non opus esse, cum Mantua sit juris Caesarei, sicut & adjacentes Tirolis & Mediolani ditiones: si tamen forma securitatis sibi indicetur, operam pollicetur ad eam impetrandam. Elector, quo minus Vergerium denuo audiret, negotia obtendit, & per suos respondit, quae prius; securitatem tamen per fidejussores & obsides poposcit, allegans, non esse ignota, quae in conciliis prioribus quibusdam evenissent. Haec explicari clarius, simulque, se ad breve alloquium admitti, petiit Vergerius, uno tantum *Francisco Burcardo* Consiliario & Vice-Cancellario Electoris praesente; esse enim, quae secreto exponere debeat, insciis etiam iis, quos secum haberet. Annuente igitur Electore, primum retulit,

(8) Acta inter Electorem & Vergerium.

(9) Secretius inter illos colloquium.

An. 1535. lit, Galliæ Regem jam Mantuam probasse, & sic majorem Concilii libertatem sperandam esse, cum multos Prælatos ex eo regno esset adducturus, idem placere omnibus Germaniæ Principibus. Deinde narravit, se Wittenbergæ fuisse, &, quod iterum gratus commemorabat, honestissime habitum, cum D. Martino Luthero, ad cœnam (ita legitur *fol. 445.*) vocato, varia locutum esse, illum autem dixisse: *Concilium esse necessarium, & a se quoque expeti, non sui suorumque causa, quia nullo egerent concilio, cum purum verbum Dei, & sanam ac salutarem doctrinam, & secundum hanc bene constitutas Ecclesias haberent; sed propter exteros, ut doctrina sua etiam ad illos perveniret.* Se vero Luthero hæc jactanti respondisse: (cum tacere ad hæc minime licuisset) *Quid tu, Luthere, nunc ais? vide, ne nimium tibi tribuas, homo enim es, & errare potes: tune sapientior & sanctior esse vis, quam tot Concilia & sancti Patres, totque doctissimi viri per totum mundum dispersi, qui non minus fideliter nomen & verbum Christi profitentur?* Serio post hæc Electorem hortatus est, *ut ista diligenter expenderet, nec uni viro, quantæcunque doctrinæ, (de qua judicare sibi nefas esset) innitatur, errare enim eum posse & decipi.* Reliqua ad comem obsequii oblationem pertinebant. Ad hæc Electoris nomine responsum est, *quod Concilium attinet, se credere, Cæsarem & Regem Ferdinandum, sine magna causa, a decretis Imperii non esse recessuros: placere Electori, quod Vergerius Wittenbergæ bene tractatus & cum Luthero collocutus fuerit, neque de hujus bona & sincera intentione circa concilium dubitare, immo illi se assentire, quod concilium non tam Protestantium, quam exterorum causa, expetendum sit, ut & his ignota huc usque, sancta & gratiosa Evangelii doctrina hoc modo innotesceret, & propagaretur: suam enim doctrinam haud magna egere emendatione & justificatione, aut sententia concilii, cum non consistat in hominum opinionibus & sapientia (in qua errare & labi facile esset) sed in firma, valida & solida petra, verbo nempe Dei, quod in æternum mansurum sit, & quod inferorum portæ non sint destructura.* Addita fuit benevolentiæ significatio erga Oratorem. Multa ex his annotari possent, ad ostendendam causæ, quam Elector tuebatur, bonitatem, & ad refellendas Scriptorum adversæ partis sugillationes. Certe Vergerius ansam habuisset aliter de Luthero in familiari illo cum Electore congressu, loquendi, si tam abjecte de eo judicasset, ut Romam scripsisse perhibetur a Pallavicino. Quod si apud Electorem subdole aut timide egit, non magnum pondus accipient susurri, quos in contrarium Romam detulit. Eximia vero pietas, magnanimitas & comitas *Jo. Friderici* Electoris, ex tota hac negotiatione, cum summa ejus laude, elucet, quæ utique mentem Vergerii movere potuit, ut divino ductui, quo post aliquot annos ad Protestantium partes tractus est, tanto facilius obsequeretur. De exercitu, quo Pontificem comitatum esse debere putabat, si in Germaniam venire deberet, ex vero aulæ Romanæ genio locutus est, intempestiva licet libertate. An. 1535.

(10) *Epicrisis de actis Vergerii.*

SECT. 12.

(1) Conventus Smalcaldicus, & qui in eo fuerint.

Ibi Smalcaldiæ *mense Decembri congregati sunt. Adfuerunt, (quia post pacem Norimbergensem multi alii Principes, multæque civitates fœderi accesserant) in hoc conventu Principes quindecim, præter Legatos triginta civitatum, quæ confessionem Augustanam receperant. Idem paulo ante fecerant duo Brunsuicensium Duces, item Pomerani, & filii Joachimi I. Electoris Brandenburgici, qui eximius fuerat Catholicus.*

§. XXXV.

(1) *Certior de Fœderatis narratio.*

Conventus Smalcaldicus indictus erat ad d. 6. Decembris, aliis de causis ut postea dicam. In numero Principum & Civitatum non satis accuratus est Maimburgius: neque enim omnes, ut putat, qui Augustanæ confessioni addicti erant, fœderi accesserant, minime omnium, quos nominat, Brandenburgici. In tabulis fœderis, in quas tunc quidem conventum est, sed quæ anno demum sequenti mense Septembri extensæ atq; conscriptæ fuerunt, præter eos, qui anno 1531. nominantur, relati de novo inveniuntur ex Principibus, *Ulricus* Wurtenbergicus, *Barnimus & Philippus* Pomerani, *Johannes, Georgius* & *Joachimus* Anhaltini, ex civitatibus *Augusta, Francofurtum, Eslinga, Brunsuiga, Goslaria, Hannovera, Gottinga, Eimbecca, Hamburgum* & *Minda*, ex quibus tamen *Eslingenses, Brunsuicenses, Goslarienses, Gottingenses, & Eimbeccenses*, intra annum 1531. & hanc renovationem, fœderi jam accesserant, & ex his quædam Principes suos habebant, iisque non invitis, ob privilegia quædam, quibus utebantur, & opes, quas habebant, ad fœdus admissæ sunt. Itaque plures, quam quatuordecim ex Principum ordine, (inter quos tamen duo tresve ex una erant familia) duo Comites, & viginti duæ Civitates computari non possunt, quæ fœdus illud continuarunt. Accessit tamen postea *Guilielmus Comes Nassovius*, familiæ celsissimæ propagator, *Henrici*, qui in aula Cæsaris multum valebat, frater, quanquam cum Landgravio gravi lite de Comitatu Cattimelibocensi implicitus. Vide *Sleid. l. IX. in fin.* His Elector proposuit, quæ Vergerius sibi discedenti Pragæ d. 1. Decembris exhibuerat, quæ inserta leguntur *Tom. VI. Alt. fol. 504.* compendiose autem referuntur a *Sleidano d. Lib. IX. p. 254.* In exordio superfluum esse dixerat, articulos legationis suæ, ut Elector petierat, scripto exhibere, nullos enim se habere, sed breviter & simpliciter Pontificis nomine concilium universale Mantuæ indicendum proposuisse: laudat Papam, (quam vere, res loquitur) a fide, candore, sapientia, modestia & constantia. Jactat posthæc ejusdem potestatem, quam ei semper & tantam competere dicit in habendis conciliis, ut jubendi & præcipiendi jus habeat, nec opus ei sit misso oratore sententiam suam aperire; fecisse autem id ex singulari benevolentia erga nationem Germanicam. Inter causas vero, quæ con-

(2) *Vergerii propositio scripta Smalcaldiam missa.*

An. 1535.

concilii indictionem in Germania impediant, furorem Sacramentariorum & Anabaptistarum allegat, cui viri boni ex aliis regionibus, qui ad eos corrigendos accessuri sint, objici non debeant. Exceptionem, qua ante biennium Elector cum sociis usus erat, conquerens, quod in Clementis VII. propositione de concilio id actum fuerit, ut quibusdam vinculis obligarentur Principes, nunc cessare dicit, quia jam nullæ conditiones exigerentur, sed concilium pure & simpliciter offerretur, absque ullis articulis, hoc itaque recusari non posse. Frustra esse, qui sperarent, Papam non solum a judicio & decreto, sed & a convocatione concilii excludi, aut ad conditiones compelli posse, adversus jus suum & sedis Romanæ stabilitum, nec minus vanam esse spem & postulationem, ut Cæsar contra Pontificis voluntatem aut absque ipso concilium nationis Germanicæ sit habiturus. Electorem inde invitat, ut Mantuam ante concilium proficisci velit; id enim desiderare Pontificem paterno affectu, & proficuum futurum ad concilii successum. Minatur tamen, si Elector concilium recusaret, Pontificem nihilominus ad ejus convocationem progressurum esse, fretum Christi auxilio cujus causam gerat, & consensu ac subsidio eorum, de quorum constantia certus sit. Ad cautionem petitam pro securitate repetit rationes, cur ea opus non sit, putat tamen Cæsarem & Pontificem eam (consuetam scilicet) non esse recusaturos. Relationem de responso fœderatorum differt Maimburgius, interjecta prius longa narratione & disceptatione de Legatione Gallica & Anglicana. Sed satius est, ut responsum illud huc referamus & reliqua loco convenienti tractemus.

(3) *Responsum a Fœderatis Vergerio transmissum, in quo dolent de sævitia in suos, urgent locum Concilii in Germania, Pontificem judicem ferre nolunt, alios poscunt, & rationes allegant.*

Responderunt autem nominatim *Johannes Fridericus* Elector Saxo, *Franciscus* Dux Luneburgensis & *Philippus* Hassiæ Landgravius suo & fœderatorum omnium nomine d. 21. Decembris (vid. *Tom. VI. Alt. fol. 506. & Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. XX.*) Excusant, quod brevius responsuri sint, cum non omnes, qui aderant, de negotio hoc ob temporis angustiam instrui potuerint, quamvis in ejus propositione sint, de quibus suo & totius Ecclesiæ Christianæ nomine merito conqueri, & prolixius tractare licuisset. Concilio Christiano & libero, quale ante biennium in responso ad Cæsarem & Pontificem descripserint, utique opus esse, pios enim omnes dolere ob sævitiam in multis regionibus adversus veram doctrinam exercitam, & defensos impios abusus. Illam vero crudelitatem plane non decere eos, qui Ecclesiam regere velint, & hanc isto modo destructuri sint in æternum, nisi remedium quæratur per concilium: hoc itaque se expetere, & in illo comparituros esse. De loco se non dubitare, quin Cæsar secundum decreta comitiorum id acturus sit, ut in Germania aliquis deligatur: negant intutam esse Germaniam, sed vel maxime in hac concilium habendum esse, ut tuto & libere absque metu violentiæ deliberari possit: nullum periculum esse, cum omnes Ordines Imperatori fideliter pareant, & civitates optime constitutæ sint. Quod Orator solitam securitatis formulam a Pontifice polliceatur, se, recordatione eorum, quæ in prioribus conciliis acta sunt, non satis intelligere: liberum concilium se desiderare, & ad tale appellasse: ipsum quidem dicere, non esse nunc agendum de forma & ordine concilii, indicare tamen, illud omne penitus Pontificiæ potestatis esse. *Ita*, ajunt, *non offertur concilium liberum. Ante biennium id promittebatur, sed additis quibusdam conditionibus; jam præcipuum caput de libertate, id est, de forma tractandi & audiendi partim periculose tacetur, partim ad Pontificem rejicitur. Orator asserit, solius Pontificis esse, concilia promovere & celebrare. Cum autem Pontifex aperte causam nostram condemnaverit, patet, illum nostrum adversarium esse, ubi autem adversarius pars est, non potest esse judex. Quæsitum ergo & promissum fuit liberum concilium, in quo nempe communi electione, Imperatoris, Regum, Principum & Procerum, ex omnibus ordinibus viri idonei, non obnoxii, deligantur ad audiendum & decidendum secundum verbum Dei. Concilia enim non sunt tribunalia Pontificis solum, sed & aliorum ordinum & hominum in Ecclesia, ut ex veteris Ecclesiæ exemplis constat, in quibus Principes aliique viri Christiani ad audiendum admissi sunt. Frivolum ergo & tyrannicum est, Papam supra omnem Ecclesiæ potestatem evehere. In conciliis enim etiam Cæsaris, Regum, Principum, aliorum piorum & honestorum ex Christianis hominum potestas valere debet, & deligendi sunt ex illis viri idonei ad audiendum & judicandum, in illis maxime causis, (ut jura Pontificia etiam exigunt) in quibus Pontificis vitia & errores arguantur, falsus nempe cultus & doctrina. Talia negotia communia toti Ecclesiæ Christianæ sunt, & obligantur Reges & Principes, ut legitimum judicium procurent, multi enim olim Episcopi per Ecclesias suas, & quidam Papæ per Cæsarem & Ecclesiam condemnati fuerunt. Manifestum vero est, de magnis capitibus nunc controverti, de falsitate cultus & doctrinæ, quam Pontifex non docet saltem, sed crudelibus præceptis tuetur, sævitque contra eos, qui abusus illos non probant. Unde evidens est, Pontificem esse partem & nostrum adversarium, & sic causam ad Imperatoris, Regum, Principum & Procerum curam pertinere.* Repetunt inde postulationem liberi concilii, quale describunt, eoque recusato, protestantur de innocentia sua, si majoribus turbis & distractionibus Ecclesia affligeretur; se vero non defuturos affirmant, ad promovendam utilitatem publicam, pacem & concordiam. Concludunt, se non posse a doctrina recedere, quæ ad gloriam Dei spectat, per dictum Christi, Matth. X 32. *qui confitetur me coram hominibus &c.* In cæteris moderationem se & lenitatem ostensuros pollicentur, ut appareat se concordiam vehementer cupere.

ADDITIO.

(a) *Præcipua conventus Smalcaldici causa.*

Causæ conventus Smalcaldici præcipuæ, (Maimburgio intactæ) erant novæ suspiciones, quibus spes pacis infirmabatur. Sub initium quidem hujus anni, cum Legati Gallici rumores dissemninarent, fore, ut Cæsar civitates Germaniæ superioris armis adoriretur, nihil omiserat Cæsar, ut diffidentiam illam Protestantibus eximeret.

(b) *Cæsaris & Fratris scripta & legationes de spe pacis.*

Scripsit itaque (*Reg. H. fol 90. n. 36.*) d. 1. Januarii 1535. ad plerasque civitates, &, refutata illa fama, confidere eas de pace jussit: misit etiam Legatum ad Electorem, qui eadem testaretur, literasque ipsas

An. 1535.

ipsas Electori committeret transmittendas ad civitates, ut & factum est. Ferdinandus quoque Rex misso ad urbes plurimas Consiliario *D. Johanne Vayto*, paria pollicitus est. Elector vero & ipse optima quæque sperabat, & eandem fiduciam literis suis ad urbes profitebatur. Responderunt illæ ipsi Cæsari, pleræque tamen literas suas Electori curandas miserunt, in eum sensum, ut vel negarent, contrarios rumores ad se pervenisse, vel secretos illos a se esse dicerent; gratias egerunt singulæ, & Cæsari obsequium suum obtulerunt, quædam tamen addiderunt: *nihil sibi magis curæ esse quam sanctam fidem, gloriam Dei & salutem animarum; his salvis nihil non pro Cæsare præstituras.* *Georgius* quoque *Marchio Brandenburgicus*, acceptis in eundem sensum literis Cæsareis, Electori Saxoniæ d. 9. Aprilis gaudium suum testatus est, quod ex illa Cæsaris benignitatem senserat; Scribit inter alia: Wie sonsten in weltlichen sachen ein gemein sprichwort ist / daß die zeit rosen bringe / also müssen und sollen wir mit hoffnung und gedult seiner Göttlichen Gnade / als in deren hand des Königs hertz stehet / erwarten und der zeit statt geben. id est, *ut in proverbio dici solet: in tempore rosas produci; ita nos in spe & patientia Dei gratiam, in cujus manu positum est cor Regis, expectemus.*

( ) *Literæ & responsa Principum.*

Eodem fere tempore ad Electorem Legati a *Maria*, Cæsaris sorore, Belgii gubernatrice, venerant, *Guilielmus Nassovius* & *Guilielmus Nuenarius* Comites, Consiliarii Cæsaris Burgundici, cum literis Mariæ, humanissime d. 28. Januarii scriptis, testatique sunt, Cæsarem minime in eo esse, ut Evangelicis arma inferret, offerebant potius ejus & Mariæ nomine fœdus cum Electore speciale. Modeste respondit Elector, imparem se esse dicens, qui fœdus cum Imperatore ineat; protectionem tamen ejus in causa religionis ad concilium usque accepturum, & vicissim Cæsari pro viribus adfuturum esse. Questus inde est de processibus Cameralibus, &c, quod Cæsar pacta Cadanensia intra terminum præstitutum non ratihaberet. Legati spem omnium faciebant, quæ Elector desiderabat. Sed non diu duravit illa pacis & amicitiæ fiducia.

(d) *Legati ex Belgio, fœdus Electori offerentes.*

Ex ipsius fatre *Georgii* Brandenburgici, Cæsari licet ante alios addicti, literis ad Electorem, & hujus ad illum responsis, mense Majo & Junio, novæ suspiciones percipiuntur. Erat Georgio frater, *Fridericus* Canonicus & Præpositus Würzburgensis, qui, nescio quo prætextu, aut cujus sumtu, equites quosdam stipendio conduxerat. Id male habebat Georgium, & d. 1. Junii Electori scribens, *mundum*, ait, *plenum esse doli, variationis & perfidiæ; Cæsarem in mundo vivere, multorumque instigat oni patere, providentia itaque & cautione non esse abstinendum.* Antea etiam fama percrebuerat de delectibus in Episcopatu Halberstadiensi. Itaque Elector Sax. d. 10. Aprilis Prætori Saxoniæ *Metschio* mandavit, ut Wittenbergæ custodiæ diligenter incumberet, *sciret enim eum, quantum in ea positum sit, & quos ibi homines Elector per Dei gratiam habeat, quanti quæ faciat,* (ihr wisset / was uns daran / und zuforderst an den Leuten / die wir durch GOttes Gnade drinnen haben / gelegen.) A[l]ium metum conceperant Augustani, aliique superioris Germaniæ civitatum Magistratus, quod Ferdinandus & Bavari, ut & Episcopi, fœderis Suevici renovationem adhuc molirentur, cum exclusione civitatum. Miserunt itaque mense Julio Legatos ad Electorem, qui non solum continuationem fœderis Smalcaldici, sed & extensionem ad recipiendos alios peterent. Idem urgebat Landgravius per literas & missis d. 28. Augusti *Georgio Nuspiccero* Vicecancellario, & *Alexandro Thannio*, Præfecto Vache[n]si legatis. Dicebant hi, post captam urbem *Monasteriensem*, non ibi solum, sed & *Lippiæ* & *Susati* Evangelicam doctrinam opprimi, & *urbibus Hanseaticis* pericula instare: Francofurtenses quoque consilium & societatem rogabant, vexati a Canonicis S. Bartholomæi actione Camerali. Cunctabatur tamen Elector, dubitans, an ex formula pacis Norimbergensis fas esset, novos socios recipere. Cum igitur iter ad Ferdinandum sibi proposuisset, conventum, qui Svvinfurti indictus erat, ad d. 6. Decembris Smalcaldiæ habendum, prorogavit; Landgravio tamen respondit, se in quæstione, an licita sit novorum sociorum receptio, majoris partis suffragiis staturum, ab agnita veritate autem nullo modo aut pacto recessurum, sed (licet cum capitis & fortunarum periculo) constantem futurum esse. Animaverant eum Pomeraniæ Duces, inclinationem ad fœdus, post institutam hoc anno in provinciis suis reformationem, significantes: itaque etiam Georgium Brandeburgicum d. 18. Augusti adhortatus est, ut & ipse proximo conventui in societatem veniret. Accessit postea nova hæsitatio, cum Elector apud Ferdinandum, quem Viennæ convenerat, non omnia, quæ desideraverat, impetrasset. Ratificatio Cæsaris pactorum Cadanensium differebatur; nec Cameralium processuum jura abolitio obtineri poterat, quanquam Ferdinandus dixisset, neminem fore, qui sententias Cameræ exequeretur. Inter Consiliarios Regis *Johannes Hoffmannus* Baro, Saxoni & Landgravio singulariter favere videbatur, & quicquid uterque a Ferdinando obtinuit, illi ferebatur acceptum: nec ille desinebat plura promittere; sed securitati suæ prospecturi Principes in conventu Smalcaldiensi serio ad defensionem sese parare cœperunt.

(e) *Novæ periculi suspiciones.*

Ventilata est ante omnia quæstio de adsciscendis novis sociis, & ut ex relatione d. 11. Decembris a *Wolfgango Anhaltino* aliisque Consiliariis Electoris constat, affirmative decisa conclusumque: ad recipiendos esse in fœdus omnes, qui id jam petiissent, aut in posterum petituri essent, *quotquot scilicet Deum ejusque Evangelium pure, libere & palam confiterentur, pacem amarent, & ut viros honestos probosque decet, viverent:* neque obstare pacta Norimbergensia, & utilitatem fœderis manifestam esse, per quod multæ violentæ machinationes adversariorum hucusque repressæ fuerint. Conventum itaque est d. 24. Decembris, subscribentibus pacta Saxone & Hesso, Principum; Civitatum vero nomine, Argentoratensibus, Ulmensibus, Magdeburgicis & Bremensibus. Exercitus numerus ad equitum duo millia, & decem millia peditum ad sex menses alendorum descriptus fuit. Auxilia fœderatis promissa sunt, qui executiones sententiarum Cameralium paterentur: adversus judicium illud publicum scriptum evulgandum esse, decretum est. Concepta erat specialis pactorum inter Electorem & Landgravium formula de constanti consiliorum & virium conjunctione; sed subscripta non est a Landgravio, offenso ob receptionem *Guilielmi Nassovii* in fœdus. Significarunt huic conventui Francofurtenses, quod cum Canonicis transegissent, illisque facra sua & reditus restituissent, salva de cætero religione Evangelica, & servatis reliquis templis; petierunt nihilominus, ut in fœdus reciperentur, quod & impetrarunt, sicut & alii, quos nominavi, quanquam cum aliquibus adhuc agendum esset de summa contributionis. Vid. *Reg. H. fol. 92. 94. n. 38. 40.*

(f) *Decretum conventus de adsciscendis novis sociis, aliisque negotiis.*

§. XXXVI.

Irruunt in hanc responsionem veteres novique Romanæ hierarchiæ defensores. *Cochlæus* quidem, nescio qua de causa, postquam ad annum usque 1534. petulanti stylo & græca fide historiam suam, Misnæ, (ut notat) pertexuisset, reliqua breviter Ratisbonæ anno 1546. deproperavit, neque in anno 1535. quicquam de actis Vergerii memorat. *Surius*, illo non melior, (*pag. 321.* edit. Colon. 1566.) responsum istud, quod perperam d. 26. Decembris datum refert, sarcasmis prosequitur. Contenta ejus succincte, sed sincere a *Paulo Veneto*, prolixius a *Sleidano* relata, magna vi ingenii & eloquentiæ aggreditur *Pallavicinus. Lib. III. cap. XVIII.* Adducit exemplum Constantiensis concilii, quod maxime objiciebant fœderati: in eo enim dicit Pontificiam potestatem omnium minime valuisse, abdicatis omnibus, qui eam usurpaverant, & Hussum vacante Pontificatu damnatum esse. In Italia nihil

(1) *Notantur quædam contra Scriptores adversæ partis, responsum Protestantium sugillantes; inprimis Pallavicinum.*

An. 1535.

An. 1535.

hil metuendum fuisse Protestantibus contendit, ob magnam in illa Caroli Cæsaris autoritatem & potentiam, ipsorumque Germanorum Principum venerationem. Fateor, de loco tam scrupulose disputari, vix operæ pretium fuisse, quamvis eventus ostenderit, quid ex ejus commoditate profecerit res Pontificia. Sed erant alii ad libertatem tuendam modi. Captiosa de cæteris disputatio est, principium enim petit, sive id, quod est in quæstione. Recte agnoscit *§. 13.* fraudulentiæ accusatam fuisse a Protestantibus Pontificis Pauli III. propositionem, a Vergerio factam, & sic justificatam Clementis VII. qui de forma concilii apertas conditiones indicasset. Certe cum omni illa sua moderatione, magnæque simplicitatis simulatione captor ille captus est Vergerius, & licet Pauli III. candorem & lenitatem tantopere præ Clementis calliditate & rigore extolleret, rudes tamen illos Italicæ versutiæ & urbanitatis Germanos, Smalcaldiæ congregatos, adeo non decepit, ut eos potius ad simplicius & durius responsum, quam Legatus Clementis acceperat, ut supra *§. XVIII.* annotavi, provitaverit. Videri volebat libertatis fidem facere, quia nullas conditiones postularet, sed, dum incautius nec tempestive de jure Pontificis gloriaretur, compedes & vincula simul ostendit, quibus constringendi erant Protestantes ad concilium ituri, nulla de modo agendi prævia conventione. De jure convocandi concilia satis pro instituto meo *d. l.* dictum est, neque tam de illo, quam de modo agendi solliciti erant fœderati, & ideo, posita omni dissimulatione, id quod maxime metuebant, aperte enunciarunt, & a periculo manifesto præmunire se voluerunt, ne eundem judicem & partem haberent.

(1) Eliditur hujus exceptio, quod Papa in propria causa judex esse possit.

Nihil agit omni solertia sua, si quid judico, *Pallavicinus*, cum *d. l.* regulam a Protestantibus allegatam ad privatos restringit, & hos solum prohiberi putat, ne judicis & partis munus simul invadant, supremam autem potestatem jus habere in causa propria judicium ferendi. Nondum enim evictum est, Pontifici tribui debere supremam judicis potestatem. Vidit id pro ingenio suo *Pallavicinus*, ideo ad tritum illud confugit, dictitans, oportere talem potestatem in Ecclesia esse, sive uni, id est, Pontifici, sive conciliis, sive cœtui toti deferatur, quæ supremo jure & infallibiliter de fide definiat, & satius esse uni, quam pluribus obsequi. Talem vero potestatem ad regendam Ecclesiam traditam esse a Deo hominibus, vel uni, vel pluribus; id ipsum est, quod per duo fere secula, poscentibus tot regnis & provinciis, quæ secessionem a Romana hierarchia fecerunt, demonstrari non potuit. *Demonstrari* dico: nam topicæ rhetoricationes non desunt. Illam vero Dei promissionem & gratiam merito agnoverunt, & prædicant nostrates, quod verbum suum Ecclesiæ conservaverit, in qua sufficienter & ad captum omnium, qui debita attentione & implorato Spiritus sancti auxilio de fide disquirunt, declaravit, quæ sint capita fidei ad salutem necessaria; cætera in libertate & arbitrio cœtuum reliquit, ordine & decenter instituenda.

(3) Beneficium Dei in conservanda Veritate & Ecclesia.

Enatis itaque circa hæc controversiis & hæresibus, nunquam ita penitus oppressa fuit veritas, ut, labentibus licet proceribus Ecclesiæ & Reipublicæ, ab iis tamen non sit retenta, in quibus Deus gregem suum pro tempore conservare, aut renasci occultatam veritatem voluit. Id nobilissimo exemplo in causa Arii & Athanasii comprobatur, & olim in Ecclesia Israelitica plus semel contigit. Extendit beneficium illud divina clementia, ut, quæ in arctum redacta aliquando videbatur Ecclesia Christi, subinde tamen ex angustiis erumperet, & iterum conspiceretur, ut civitas in monte, & lucerna super candelabrum, quam nunquam extinguere aut subvertere potuere nec hypocritæ nec persecutores. Confirmat hoc ipsum historia reformationis Lutheranæ, quam tracto, ex tenuissimis principiis ortæ, & brevi latissime propagatæ. Quapropter vetus illa *de judice externo & supremo* cantilena, qua sola tandem omnis defensio Ecclesiastici dominatus nititur, utut magna specie proponatur, tamen, ut humanum inventum, & ad politicæ sapientiæ modulos, autoritatisque & opum aucupia aptatum, cum magna fidei & conscientiæ securitate rejici & sperni potest & debet.

An. 1535.

(4) Rejicitur præscriptio antiquitatis.

Nihilo tutius insistitur præscriptioni seculorum sive possessioni, quam, ut ubique illarum partium disputatores, ita & hic *§. 14.* allegat *Pallavicinus*. Sed quod ille vocat *paucorum ingeniorum audax inventum*, antiqua & immota est veritas, & ideo mille & plurium annorum continuatis erroribus præferri debet: tanto illis major, quantum æternitas prævalet totius mundi ætati. Circa modum tractandi in conciliis, eo casu, quem Protestantes figurabant, ubi nimirum de Pontificis & præcipuorum ex Clero erroribus & defectibus cognosci, & de eorum remediis statui deberet, etsi insolita postulare viderentur, eoque nomine a Maimburgio infra *Sect. 13. in fin.* satis proterve vituperentur; non tamen sine solido fundamento sunt, quæ sentiunt & flagitant.

(5) Disquiritur de potestate Pontificis.

Observari in genere potest adversus sophisma Pallavicini, quo supremæ potestati judicium in causa propria vindicat, quod, dato licet, neque tamen eo, quo illi volunt, modo, concesso Romano Pontifici jure supremo hierarchico; potestas tamen illa legitima, & non solū sacris literis, sed & canonibus Ecclesiæ circumscripta esse debeat. Id fœderati in responso suo innuunt, ubi juris Pontificii sive Canonici mentionem faciunt, ex Romanæ vero Ecclesiæ doctoribus cordatissimi quique, aulæ Romanæ non mancipati, omnes vero hodie in Gallia (lege jam etiam Regia jussi) defendunt, id quod Maimburgius præ aliis, in libello de *potestate Pontificia*, magna cum asseveratione docuit, ut alibi diximus. Iidem etiam infallibilitatem Pontifici aperte adimunt; quanquam eandem haud meliori jure conciliis tribuant. Quemadmodum igitur Reges etiam absolutissimi, Christiani certe omnes, in fisci sui causa, non imperio & nutu utuntur, sed peritis legum decidendas committunt controversias: ita multo magis Pontifex (qui, si Apostolorum successor esse vult, potestatem non habet ad destruendum, sed ad ædificandum) bonorum virorum judicium, ex utriusque reipublicæ ordine & orbis Christiani nationibus delectorum, admittere debet, ut maxime Imperatorum, quamtamen prædecessores ejus agnoverunt aut senserunt, majestatem in dubium vocaret. Et hoc potissimum intenderunt Protestantes, neque id

An. 1535. tam absurde aut nove, ut censores illi venditant. Nam & exempla vetera & recentia adducere potuerunt, & ipsa natura Christianæ religionis, & charitatis regula ad corrigendos abusus tale remedium exigit. An. 1535.

SECT. 13.

(1) Legatio Galliæ ad fœderatos.

Fœdus ibi a Protestantibus pro sua defensione initum, in annos decem prorogatum est, auditique fuerunt Legati Regis Galliæ & Angliæ, quorum uterque fœderi accedere volebat, ex causis tamen & utilitatibus valde diversis. Cum pax inter Regem Franciscum & Imperatorem turbari inciperet, & jam res manifesto ad bellum paulo post erumpens spectaret, opera data fuit, ut Rex maxime odiosus Protestantibus redderetur: vulgabatur enim undique comburi ejus jussu eorum socios seu fratres Lutetiæ, & concilii convocationem impediri. Hac de causa Gulielmum Langæum Bellajum Smalcaldiam ablegavit, ubi d. 19. Decembris in consessu Protestantium elegantissimam orationem habuit, Regis nomine dicens: Eos, qui in Gallia punirentur, non esse homines, quos illi pro suis reputare possent, sed hæreticos, scelestes, seditiosos, quietisque publicæ turbatores, omnia, quæ in religione sacratissima & sanctissima essent, pervertentes; Regem concilium omnino cupere, sed, dum de tempore & loco celebrationis conveniretur, sperare, si vel illi ex Theologis suis quosdam in Galliam missuri essent, qui cum Doctoribus Sorbonicis colloquerentur sive permissuri, ut ex istis aliqui cum illorum Theologis acturi venirent, finem controversiarum de religione inveniri posse, veritatem aperte proponendo; Regem denique pro communi defensione adversus omnes, qui pacem Christiani orbis turbare vellent, societatem illis offerre. Principes, qui satis perspiciebant, non alio tendere Regem, quam ut illos suis partibus contra Imperatorem involveret, nihil aliud ad hæc responderunt, nisi quod gratias agerent devotissimas pro oblatis conditionibus tam benignis, & quod ipsi etiam vicissim sua officia contra inimicos ejus, excepto Imperatore, offerrent. Insignis hic Sleidani impostura detegenda a me est. Hic enim, sectæ suæ honorem habiturus, cum in modum hac occasione loqui facit Gulielmum Bellajum, ut, qui Scriptoris hujus malitiam ignorant, Franciscum I. Lutheranum fuisse, credere possent: Ait enim, Legatum hunc, antequam responsum a Principibus Protestantibus accepisset, colloquium cum Philippo Melanchthone, Jacobo Sturmio, & aliis quibusdam Doctoribus Lutheranis desiderasse, de primariis fidei eorum articulis, de primatu puta Pontificis, de cœna Domini, de Missa, de invocatione sanctorum, de cultu imaginum, de libero arbitrio, de purgatorio, de justificatione, de votis monasticis, & de cœlibatu sacerdotum, dixisseque ad eos postmodum, Regem, auditis de quæstionibus istis omnibus Theologorum Parisiensium opinionibus, qui parum ipsi satisfecissent, in plerisque non esse alienum a libro Philippi, in quo (discipulus ille Lutheri) locos communes theologicos tractavit. Quomodo vero Bellajus rem tam falsam & ab omni veritatis specie remotissimam Protestantibus dicere potuit? Is, qui sub initium hujus anni Regem in celebri illa & augusta processione secutus fuerat, cum Rex, comitante Regina, Delfino, Ducibus Aureliano & Engolismensi, omnibus Principibus, & tota aula, nudo capite & cereum manu gerens, post Johannem Bellajum, Episcopum Parisiensem, Sanctum Sacramentum prægestantem incederet, a templo S. Germani Antissiodorensis, usque ad Basilicam B. Virginis, ad reparandam injuriam, ad hæreticis Luthero-Zuinglianis Majestati divinæ & regiæ intentatam, cum noctu Lutetiæ & in ipsis Regiæ valvis blasphemias suas contra sacratissima religionis Catholicæ mysteria affixissent, pro qua Rex tanto, & quem hac occasione satis ostendit, zelo flagrabat. Asseveravit enim sanctissime, nec sine lacrymis, coram tanta procerum ceremoniæ splendidissimæ assistentium multitudine, se tantopere ab hæresi ista abhorrere, ut liberos suos divinæ Majestati, (quam illa læderet) sacrificaturus esset, si sciret, eos ista peste infectos esse. Addo & hoc: Quomodo Legatus hic eo modo, quo vult Sleidanus, loqui potuit, cum reversus a processione Rex, lento igne vivos exuri fecit sex homines Lutheranismi convictos, ut Sleidanus loquitur, dum severam hanc, sed justissimam executionem narrat? Nihil itaque falsius est, quam id, quod Legatum Regium loqui facit putatitius hic Titus Livius Lutheranorum: ita enim nominare solent hunc historicum, eleganter quidem, ut fateor, scribentem, sed qui circa hoc negotium operam dare debuisset, ut paulo callidius mentiretur. Apparet hinc, Carolum V, cum in secessu suo aliquando tempus fallere voluisset, historiam istam tunc recens editam legendo, non sine ratione dicere solitum fuisse: porrigatur mihi mendax meus; quo dicto, illico Sleidanus afferebatur. Constat enim, illum, quando de Lutheranis suis agit, veritati non multum deferre, quamvis extra hunc respectum id facere soleat. Verum tamen est, & fortasse horribili illi calumniæ, qua honorem Regis istius denigrare voluerunt, ansam dedit, quod importunis Margarethæ, Reginæ Navarræ, sororis suæ, aliarumque fœminarum in aula, quæ

(2) Maimburgii censura adversus Sleidanum.

(3) Adventus Melanchthonis in

Sleidan. l. 9.

Sleid. lib. 9.

Sleid. lib. 7.

Vid. Flor. de Ræm. l. 7. c. 5.

Cum autem ob Lutheranismum, ut ipsi vocant, in aliquem vindicatur &c. Sleid. l. 9. Surius in Comm.

An. 1535.

Sid. Hor. de Rem. l. 7. c. 5.

novæ religionis favore præventa erant, precibus victus, Philippum Melanchthonem, de quo continue, tanquam de homine sancto, & de mysteriis nostris optime & admirando modo loquente, cum obtundebant, audire in animum adduxerit, eique scripserit, licere sibi in aulam suam omni cum securitate venire. Sed Cardinalis Turnonius tam efficaciter ei demonstravit, quantam sibi ipsi apud Deum & homines injuriam faceret, si hominem hæreticum, quem a Luthero educatum eique familiarissimum esse constabat, auscultaturus esset, ut permissionem illam statim revocaverit, nec eum posthac unquam videre voluerit. Documentum hoc esto Regibus, inprimis Christianissimis, qui, ut primogeniti Ecclesiæ filii, veri ejus doctrinæ protectores sunt, ut nunquam neque epistolas neque libellos supplices, nec libros civium suorum accipiant, qui id agunt, ut ab aliis separati partes in Ecclesia & Republica per nova dogmata constituant: Deindiscant, si quis extraneus, vel leviter novitatis hujus suspectus, per artes factionis illorum regnum intraverit, cum Rege quocunque prætextu tractaturus, quod Deo nihil gratius, & ad derivanda in se cœlestia beneficia utilius facere possint, quam si tales, non auditos statim, unde venerint, abire jubeant. Hic igitur fuit Legationis hujus successus. At Legati Regis Angliæ non eodem prorsus modo, ut Regis Christianissimi, locuti sunt. Jam enim plus quam annus erat, cum Rex eorum ab Ecclesia Romana deplorando schismate secessionem fecerat, cujus historiam hic recensere nolo, quippe quæ nullo modo ad Lutheranismum pertinet: hunc enim Princeps iste, utut schismaticus, in ditionibus tamen suis tolerare nullo voluit modo: Dixerunt itaque in summa rei loquente Eduardo Foxio, Episcopo Herfordiensi, Legationis Principe: Regem suum perfecte cum iis in eo consentire, ut jugum Pontificiæ dominationis, quemadmodum constituerant, excuteretur, & ne concilium agnosceretur, in quo homines Pontifici obnoxii prævalerent, & autoritatem, quæ tribui illi solet, confirmarent; ita se sperare, in eadem fidei professione illos secum esse conventuros, non admixtis novarum sectarum erroribus. Animadverso igitur, quod cum Luthero nullam societatem cuperet, satis dextre responsum fuit, gaudendum esse, quod veritatem agnoverit & tueri statuerit, & significaturos se esse, quæ ad propositionem Nuncii Pontificii de concilio, Mantuæ convocando responsuri forent. Responsio vero hæc, quam Principes Nuncio d. 21. Decembris scriptam tradiderunt, vehementior & durior fuit illa, quam Clementi Papæ dederant. Postquam enim in scripto hoc dixissent, se neque concilium alibi, quam intra Germaniam, admissuros esse, nec laturos, ut Papa, adversarius suus, judicis in concilio partes sumeret, & ob id rationes, valde contumeliosas Pontifici, allegassent, concilium se desiderare ajebant hominum, quos Imperator, Reges, aliique Principes tam ex Laicis quam ex Ecclesiasticis delecturi essent, hos de controversia judicaturos, & ex solo Dei verbo definituros, qui ex articulis litigiosis credi deberent. Ita satis patuit, minime falsum fuisse Clementem VII. Papam, cum diceret aliis remediis, quam concilio, ad reducendos Protestantes opus esse, qui simularent, se id velle, quod tamen omnium minime velint, quia conditiones exigerent, quas sciebant Ecclesiam nec posse nec debere admittere.

An. 1535. Galliam desideratur.

(4) Impeditur a Turnonio Card.

(5) Legatio Anglica.

(6) Responsum Vergerio datum.

§. XXXVII.

(1) *Fœderis Smalcaldici renovatio ad annos sex.*

(2) *Formulæ speciales de suffragiis, sumtibus, Ducibus & Consiliariis belli.*

Fœderis prorogatio hoc quidem anno 1535. exeunte, in conventu facta est, *Sleidano* teste, sed tabulæ diem adscriptum habent *Michaelis*, sive 29. Septembris sequentis anni 1536. Durabat enim fœderis, anno 1531. pacti, obligatio ad *Dominicam* usque *Invocavit*, sive 18. Februarii anni 1537. & spatium temporis datum est ratihabitioni Fœderatorum. Formulam exhibet *Hortlederus*, generalem primo, ejusdem cum illa, quæ anno 1531. composita fuit, tenoris. *Tom. I. Lib. VIII. c. 9.* dein specialem *c. 10.* in qua de modo deliberandi, concludendi, & belli, si eo opus sit, administrandi accurate conventum est. *Cap. 11.* modeste dicitur, omnium Fœderatorum suffragia audienda esse, quia Deus sæpe ultimo inspirat, quæ primum celaverat. Gott giebt dem letzten offtmals ein / was er dem ersten verbirgt. Addunt annitendum esse, ut communi omnium consensu statuantur, quæ in deliberationem veniunt; si vero id obtineri non possit, majoris partis decreto stari debere. Prudenter autem numerum suffragiorum ad facultates Fœderatorum accommodarunt, ita ut *Elector Saxoniæ* cum fratre duo haberet: *Luneburgenses Duces* cum *Anhaltinis Principibus* & *Comitibus Mansfeldensibus* unum: *Landgravius Hassiæ* duo: *Würtenbergicus* unum: *Pomeraniæ Duces* unum; *Civitatibus* sex suffragia data sunt: tria *superioris Germaniæ* urbibus: tria *Saxonicis* & *Hanseaticis*. Cautum etiam, ut, qui in uno suffragio conjuncti erant, inter se de eo convenirent. Summa collationis ad duorum mensium stipendia, quibus 2000. equitum, 10000. peditum alerentur, liquido tunc constituta est, florenorum Misnensium (quorum unus octava parte minus valet, quam Imperialis, quem vocant, thalerus) centies septuagesies & ter millium. Excepti tamen sunt *Pomeraniæ Duces* & civitates *Lubeca* & *Minda*, quarum portio Fœderatorum arbitrio posthac definiri debebat. Si majoribus viribus opus foret, ulterior contributio a fœderatis decernenda erat. Duces fœderis electi sunt Elector *Saxo* & *Hassiæ Landgravius*, alternis vicibus per semestria præfuturi; ubi autem conjungerentur, Saxoni in Saxonicis & inferioris Germaniæ provinciis, Landgravio in superioribus parendum erat. Tredecim consiliarios bellicos constituere placuit, iisdem, quæ supra relata sunt, suffragiis. In consilio autem bellico, Dux suasen-

An. 1535. sententia, etsi minores partes sequeretur, decidere poterat. Cætera satis caute provisa referre supersedeo: inter quæ erat, ut milites, quantum fieri posset, extra Fœderatorum ditiones conscriberentur; sic suis parcebant civibus aut illos ad casus graviores reservabant.

§. XXXVIII.

(1) *De Regis Galliæ scripto ad Principes, Cal. Febr.*

Non debuisset Maimburgius, cum ad narranda acta Regis *Francisci I.* cum Protestantibus in conventu Smalcaldico progrederetur, oblivisci eorum, quæ idem Rex jam sub initium anni Cal. Febr. ad Principes & Ordines Germaniæ publice scripserat. Ejus enim exemplum, nisi ex scriniis Regiis aut bibliothecis notum habuerit, vel in *Freberi*, autoris sibi non ignoti, compilatione reperire, aut ex *Sleidano*, summam illius exhibente, intelligere potuisset. Germanice versum, uti tunc non minus ac Latinum (quod *Freberus Tom. III. fol. 295.* exhibet,) typis vulgatum est, producit *Hortled. Tom. I. Lib. I. c. 18.* Eadem autem propemodum in illo a Rege proponuntur, quæ sub finem anni Langæus Smalcaldiæ peroravit; ut satis appareat, etiam scriptum illud magis ad devinciendos sibi Protestantium Principum animos, quorum aliquos in expeditione Würtenbergica juvanda sibi conciliaverat, quam aliorum, compositum fuisse: quanquam inscriptum fuit omnibus. Operose enim jam tum excusavit supplicia, quibus in Lutheranos mense Januario, Regis jussu, inter publicam illam processionis pompam sævitum erat. Id non tacuit *Sleidanus Lib. IX. p. m. 250.* quem etiam Maimburgius allegat, rectius facturus, si reconditiora quædam pro sua, quam extollit, ad scrinia admissione, exposuisset. Interim fucus, qui Germanis oblatus fuit, deprehenditur. Hanc enim in illo scripto regio relationem de suppliciis legimus apud *Freber. Tom. III. fol. 287. & seq.*

(2) *Excusatio suppliciorum in Lutheranos decretorum, cum epicrisi.*

Jam de vestratium cæde aut captivitate, (quod isti alterum caput conflandæ mihi invidiæ constituunt) res omnis quomodo gesta, unde collecti rumores, & ab ipsis calumniæ ansa quæsita sit & arrepta, intelligite. Superiori autumno, post Legati mei a vobis reditum, quum is ab iisdem vestris concionatoribus quosdam velut isagogicos libellos, de sedandis iis controversiis, attulisset, & cur non spe imbuerer optima, initio nihil esset; ecce nobis dissensionum & mendacii parens, veritatis & quietis hostis, quosdam excitavit furiosos magis quam amentes, qui omnium expetendarum rerum subversionem haud dubie molirentur ac tentarent; quorum ego paradoxa malo iisdem sepeliri tenebris, unde subito emerserant, quam apud vos, amplissimi ordines, hoc est, in orbis terrarum luce memorari. Tantum hoc dico, si qui unquam inter vos eorum similes, aut longo etiam intervallo ab iis separati, extiterunt, abominati (ut debuistis) illos atque execrati estis omnes. Quæ nimirum contagiosa pestis, atque ad deterrimam spectans seditionem, ne latius in Gallia serperet, omni solicitudine, opera, industria restiti. In conscios omnes, quicunque fuere deprehensi, uti more majorum ac legibus animadverteretur, effeci, nulli hominum generi parcens aut nationi. Addit honorificam Germanorum excusationem, quod nullus ex illa natione inter reos deprehensus fuerit, & quod illi, qui ex ea in Gallia vivunt, filiorum loco a Rege habeantur. Sed nemo non videt, conficta & affectata esse, quæ de seditione miseris imputabantur, qui spectaculi causa in compitis, dum Rex panegyrin illam, tantopere a Maimburgio laudatam, celebraret, abominando exemplo comburebantur. Et *Sleidani* relatio a Maimburgio allegata id luculenter commonstrat, non nisi religionis causa, & ad exacerbandum pariter terrendumque populum, firmandumque in veteri superstitione, instinctu cleri sanguinem sitientis, crudelia illa exempla edita fuisse. Quæ ad Turcicæ legationis, quæ Lutetiæ tunc erat, excusationem, ut & ad speciosam auxilii contra Turcos, quos, religionis & Germanorum causa, hostes nominat, oblationem, prolixe proponuntur, & quomodo cupiditas Monarchiæ, id est, dominatus universalis Imperatori objiciatur, intacta hic relinquo. Taceri autem non debet, in hoc ipso scripto Regem profiteri quidem, se convocationem concilii optare; sed Clementis VII. tempore maxime improbasse, quod illud non nisi in Italia, ob bella cum Cæsare minime tuta, indicere Clemens voluisset. Laudat inde *Paulum III.* nuper electum, & ab eo meliora quæque sperari jubet, suamque operam ad procurandum concilium offert, rogat etiam, ut Theologos, Doctoresque suos commonefaciant ad moderationem & concordiam in religione, immo se ex relatione Legati sui, qui anno præterito in Germania fuerat, (idem nempe *Langæus*) & viso Principum scripto, de dissidio circa sacra componendo, bonam spem concepisse, negotium hoc salutarem eventum habiturum esse. Aliis mox literis d. 25. Febr. datis (itidem a *Frebero* relatis, *d. l. fol. 299.*) repetit excusationem de impedito concilio, & simul *Rudolphum Pium*, Episcopum Faventinum, a Pontifice ad se missum esse nunciat, quem se retenturum esse dicit, donec vel scripto, vel missa Legatione a Principibus intellexerit, quæ sentiunt, & se cum illis deliberaturum & consensurum esse significat. Hæc cum etiam Pontificiis in Germaniæ partibus scriberet, quis dubitare possit, eum plura, ut Protestantes alliceret, per *Langæum* in conventu Smalcaldico aperuisse? Et ea quidem, quæ publica ad Fœderatos oratione *Langæus* exposuit, non audet inficiari Maimburgius; quanquam omnia deproperet, ut scopulos prætervehatur. Sed quanta est hominis nequitia & impudentia, qua ad convitia contra *Sleidanum* erumpit propter illa, quæ de actis inter Langæum & fœderatorum Principum consiliarios & Theologos optima fide *Lib. IX.* retulit. Vidit Jesuita, alterutrum ex dictis Langæi sequi, sive quod *Franciscus* Rex Ecclesiæ Romanæ intolerabiles errores & abusus serio agnoverit, & ad Lutheranismum propenderit; sive quod contra conscientiam, summaque cum impietate & æterno ludibrio suæ religionis, Principibus & Ordinibus illis blanditus fuerit, quos pro immanibus hæreticis habebat, & suos eandem fidem professos crudelissimis suppliciis perimebat; neque tamen alium simulationis nefandæ finem quæsiverit, quam ut fœderatos illos ab obsequio & officio, quod Cæsari & patriæ debebant, abstractos in suas partes pelliceret. Quid igitur faceret noster? Alexandrum imitatus, nodum hunc plus quam Gor-

An. 1535.

(3) *De Turcica societate, & de Concilio.*

(4) *Sleidanus defenditur, Langæi sententiam de religione referens.*

An. 1535. Gordium, quem solvere non potuit, dissecat: Sleidanum mentitum esse dicit, & semper mendacem esse, idque autoritate *Caroli* Cæsaris confirmare conatur. De hac alibi diximus. Scimus præterea, Sleidanum hominem fuisse, qui labi poterat. In hac autem relatione mentitum esse, nemo, nisi gnaviter impudens, dixerit. Scripsit, stipendio eorundem Principum publico conductus: usus est eorum archivis & scriniis; constat id de Hassiaco & Argentoratensi. Quod vero ex illis hauserit, non ex cerebro suo finxerit, aut, quod artificium sibi ipsi tribuit Maimburgius, *ex se depromserit*, quæ de actis inter Langæum & ministros Protestantium recensuit, invicto argumento probatum do, ex *Archivo Saxo-Vinariensi*. In hoc (*Reg. H. fol. 99. n. 42.*) inter acta conventus illius Smalcaldici asservatur relatio de colloquio illo d. 20. Decembris summo mane cum Langæo habito, cui Spalatinus interfuit. Producam integram in additionibus, ut conferri cum iis possit, quæ *Sleidanus* ex illis, quæ dixi, documentis excerpsit. Potestne etiam *Spalatino* mendacium impingi, non Theologo saltem, & plusquam ducentarum parochiarum tunc Superintendenti; sed & jurato Electoris ministro & Historico, qui, ob singularem fidem & linguarum notitiam, gravissimis negotiis adhibebatur? Isne tam prostitutæ fuerit impudentiæ, ut Principi suo pro dictis a Legato Regio, nugas & fabulas obtruderet? Quæ tanta ei mentiendi libido aut utilitas fuisset? immo quæ *Sleidano*, qui, ut recens Scriptor *Varillasius* tradidit, *Langæa* familiæ cliens fuit, non saltem, cum in Gallia studiorum causa versaretur, sed &, quod illorum intercessione regiam pensionem accepit? Deprehendit ipse Maimburgius facilius alii mendacia objici, quam probari aut ad argumenta pro veritate allata responderi: itaque ad conjecturas receptum habet; sed futiles profecto & vanissimas. Quid enim ad rem facit, quod Rex splendidæ illi pompæ in circumferenda hostia consecrata adstiterit; quod publice & cum lacrymis asseveraverit, se ab hæresi abhorrere, & liberos suos, si ea infecti essent, immolaturum esse; quod denique supplicia illa jusserit? Vana hæc sunt, & nihil probant. Neque enim primus esset Franciscus Rex, qui aliud corde presserit, aliud ore effatus sit, vel qui sententiam mutaverit, & pro hæresi habuerit, quæ pura erant veritas, aut Cleri importunitati & populi furori cesserit. Affulsit itaque Galliæ Regi, (si mitissime judicamus, & tam illum, quam ejus Oratorem, a turpissima sycophantia absolvimus) ex vicina Germania lucis Evangelicæ sat magnus clarusque radius, sed illusum illi fuit a *Turnonio* Cardinale, aliisque ejusdem mentis hominibus, pompam Cleri & affluentiam secularem veritati & simplicitati Christianæ præferentibus.

ADDITIO I.

Relatio Spalatini MSC. *Reg. H. fol. 99. n. 42.*

Quid Regis Gallorum Orator Guilielmus Bellajus Langæi Dominus *cum* D. Pontano Cancellario Elect. Sax. *& reliquis, feria secunda post Domin. IV. Advent.* (*id est, d. 20. Decembr.*) *anno 1535. Smalcaldiæ sub diluculum egerit.*

(1) *Undetim articu-*

Primum, de primatu Romani Pontificis sive Papæ sentire Regem Gallorum nobiscum, jure tantum humano, non divino eum habere, Regem vero Anglorum ne humano quidem illum ipsi tribuere. Hactenus enim hoc Romanum Pontificem conatum perpetuo, ut poneret & ejiceret, quos vellet, Reges regnis: sicut etiam nunc contra Regem Anglorum moliatur, quamlibet deprecante Rege Gallorum, deprecantibus etiam & dissuadentibus Cardinalibus ipsis: quamvis neque Romanum Pontificem, neque suos omnes metuentem.

An. 1535. *li a Langæo propositi, de sententia Regis, in causa religionis.*

Secundo, sententiam nostram de Sacramento Eucharistiæ Regi placere, ipsius autem Theologis non item, ut qui transsubstantiationem velint modis omnibus servatam. Regem igitur quærere certa, ut habeat quod sequatur, esse enim solum qui in regno suo imperet.

Tertio, de Missis (additur in margine: *In hunc articulum Orator Regis etiam traxit orationem, invocationem, & intercessionem Sanctorum*) magnam esse altercationem. Hic igitur Regem sic sentire: condonandum esse a nostris aliquid, immo nostris suam Missam esse permittendam, deinde modum adhibendum: neque plures quotidie in parochialibus templis, quam tres, habendas; unam, eamque primam horis antelucanis, pro operariis & ministeriis; reliquas vero duas pro aliis. Regem etiam esse in eo, ut putet, orationes & legendas multas, ut ineptas & impias, abrogandas, aut saltem emendandas: multa enim esse in his absurda, multa ridicula, ut de Carolo Magno. Ordinanda igitur & redigenda in priorem formam. Regem enim dixisse: se habere orarium, ante multos annos scriptum, in quibus de intercessione Sanctorum nulla prorsus fit mentio: sic audivisse, Bessarionem aliquando dixisse, *sibi multo plus facere negotii novos, quam veteres divos.* Regem igitur de invocatione & oratione nobiscum sentire. Et tamen arbitrari, posse sic in oratione Sanctorum mentionem fieri, ut, si memoria fiat Petri, Pauli &c. naufragantium, oremus & credamus, nos quoque periculo & discrimine liberandos: pro memoria, non pro intercessione.

Quarto, Regem quoque probare nostram de imaginibus Divorum sententiam, ita ut plebs doceatur, non adorandas esse, sed ut pro memoria habere possint.

Quinto, de meritis Sanctorum Theologos Gallicos sententiam suam mordicus retinere: dicere enim, sic mereri, ut pro nobis exaudiantur, tantum hoc annitendum, ut Rex veritatem intelligat.

Sexto, Regi etiam nostram de libero arbitrio sententiam placere. Nam, quamvis primo Theologis displicuisset, inspectis tamen *Locis* Philippi *communibus*, & eos quoque in hanc nostram iniisse sententiam.

Septimo, de purgatorio sententiam suam Theologos pertinacissime tueri, ut ex quo pendeant Missæ, indulgentiæ, legata ad pias causas, nundinationes missarum, & breviter omnia. Videre enim eos, alioqui sibi tolli omnes occasiones acquirendi opes, honores & omnia. Eos igitur, quanquam datis & acceptis aliquot mensibus, Regi responsum nullum dedisse, quamvis pollicitos, ex Scripturis se purgatorium probaturos. Tandem, urgente Rege, dixisse, hosti non conferenda arma. Ad hæc si quicquam scripto responderent, nostros ea confutaturos. Itaque Oratori commodum videri, ut aliquis nostrûm de purgatorio scribat Regi offerendum.

Octavo, de bonis operibus Theologos vehementer tenere suam sententiam, nempe bona opera esse necessaria; Oratorem vero respondisse: nos quoque dicere necessaria, non tamen ita, ut per ea vel justificemur vel salvemur. Subjecit hic Orator: fidei & hæreticæ pravitatis Inquisitorem melius sentire, quam Theologos; fateri enim, se ex lectione *Locorum communium* hoc assecutum, ut Augustinum & Ambrosium melius quam antea intelligat. De fide quoque Inquisitorem fidei recte sentire: credere igitur, hac in parte concordiam fieri posse.

Nono, de votis monasticis, dixit, sperare Regem, hoc se impetraturum a Pontifice Romano, ut pueri initientur docendi; sed ne ante annum trigesimum vel quadragesimum ad vota monastica cogantur; sed ut liberum sit ipsis deserere, si necessitas tulerit, monasteria, & uxores ducere. Id enim Regi videri esse ex re non solum Ecclesiæ, sed etiam politiæ, ut sint viri idonei, qui mini-

An. 1535.

ministeriis & functionibus admoveantur. Probare igitur Regem, non monasteria destrui, sed ne ad vota adigantur: nam paulatim esse ad concordiam veniendum: si ut etiam cauda equina non statim & commode tota evelli possit. Erga monasteria sic instituenda, ut sedes postea sint studiorum, ut sint illic eruditi, qui juventutem doceant, & qui ab ipsis discant. Cæterum utile & necessarium esse, ut modus adhibeatur. Sperare autem Regem, hoc se a Pontifice Romano impetraturum, ut etiam Romanus Pontifex ita sentiat.

Decimo dixit Orator, a Theologis Gallicis conjugium sacerdotale non probari; sed Regi hoc medium placere, ut nostris conjugibus sacerdotibus conjugium eorum relinquatur, reliqui autem & futuri in cœlibatu maneant: qui autem duxerint uxores, ut abstineant ministerio sacro & pastorali cura. Quod enim nostri de Abbatis Paphnutii sententia producant, hoc non pertinere, Theologorum judicio: eos enim affirmare, hoc dicere concilium de his, qui ante sacerdotium duxerint uxores, nullos enim unquam inventos, qui duxerint conjuges in sacerdotio.

Undecimo, de utraque specie, ait Orator, hoc Regem apud Clementem Romanum Pontificem diligenter egisse, & spem ipsi esse, fore, ut hoc a Romano Pontifice impetret, ut sanciat & statuat, utrumque cuique, secundum conscientiæ suæ modum, esse liberum, sive alteram tantum, sive utramque speciem accipiendi. Porro Regem quoque affirmare, se ex vatibus senibus & grandævis audivisse, ante annos centum & viginti Gallos etiam Laicos utraque specie Eucharistiæ usos, sed per fistulam, & in sacello seu privato, non in æde publica; sic et am hodieque Reges Gallorum communicare sub utraque specie. Regem itaque Gallorum, aliquid objicientem Theologis, coactum audire, i. fis Regibus hoc licere, sed non etiam Laicis. De Regibus enim & ad Reges dictum esse: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium.*

(b) *Alia ab illo proposita.*

Præterea, expeditis prioribus articulis, adjecit etiam Orator sequentes, nobis jam abituris.

Clementem Pontificem Romanum dedisse provinciam Cardinali Hispano S. Crucis emendandi orarium, sic & de hymnis, id quoque præstitisse, ut pro impiis & ineptis hymnis posuerit Psalmos. Verum Cardinalem Hispanum eo nomine damnatum a Gallicis Theologis. Adeo enim summum sibi vendicare magistratum Sorbonicos Theologos, ut non tantum nos pro hæreticis, ut vocant, sed etiam Cardinales, Papam quoque ipsum, condemnare non dubitent.

Dixit etiam Orator Gallicus, locum de justificatione, ut a nostris tractetur, probare Regem.

Porro, cum hæc res ampla sit & sancta, Regem hoc conari, ut fiat concordia Ecclesiæ. Itaque Oratorem aliquando egisse hoc nomine cum *Ducibus Bavariæ*, verum eos multo morosiores Sorbonicis etiam Theologis invenisse; quamvis nuper si fracti sint *Bonaccursius* meliorem responsionem daturos polliceatur: meliora etiam promittere *Pflugium* de suo Principe Duce *Georgio*, & de *Archiepiscopo Moguntino*.

Præterea gratissimum Regi futurum, si duo vel tres ex nostris eruditis in Galliam mitterentur ad ipsum, coram eo his de rebus collocuturi. Regem enim adhibiturum colloquio eruditorum, & Sorbonicos morosissimos, & qui nobiscum sentiant, ad eruendam veritatem Evangelicam.

Cæterum de loco, pro habendo concilio, Regem sic sentire, non consentiendum a nostris Principibus & ordinibus, nisi consultis ipsis Regibus Gallorum & Anglorum. Idem vicissim ipsos quoque Reges facturos.

Adhæc non esse consultum, etiamsi omnino opus sit concilio, ut nunc habeatur: si enim nunc fiat, futurum, ut melior & sanior pars a majore vincatur & opprimatur.

Olim quoque a Pontifice Romano Regem Gallorum & Regem Navarræ regnis privatos, quod sensissent, non solum a Romano Pontifice, sed etiam ab Imperatore & regibus, concilium esse indicendum. Hodieque tantum hoc nomine occupari a Cæsare regnum Navarræ, quod eo sic privatum, Rex Ferdinandus Hispaniarum Regem Navarræ eo regno excussisset.

In summa, Regem optime animatum esse ad hanc causam, atque placere sibi locum concilii securum & tutum, ubi tuto cuivis liceret sententiam dicere.

An. 1535.

Adhæc Regem arbitrari, valde profuturum, si Principes & Ordines literis orent ex hoc conventu Regem Gallorum pro exulibus nomine religionis, ut eos restituat, ne quid fraudi sit, quod quisque senserit, dixerit, egerit. *Hucusque Spalatinus.*

(c) *Repetitur defensio Sleidani ex literis Regis & Langæi.*

Apparet autem ex ductu scribentis & incuria styli, scripta illa esse in ipso consessu ex ore *Langæi*; nec dubitationem, sed potius confirmationem eorum afferunt, quæ *Sleidanus* aliis verbis, & ex aliorum annotatione recensuit, ne quis Maimburgio similis cavilletur, transcripsisse ea Sleidanum ex Spalatini schedis. Dixi enim alibi & literæ Principum, quarum exempla *Hortlederus* operi suo præfixit, evincunt, *Sleidano non patuisse Archiva Saxonica*: quæ si patuissent, & ista ex Spalatino didicisset, (quanquam id plane incredibile est, cum domi haberet, unde sua depromeret) æque absolvendus esset a mendacio: neque enim ficta a se narrasset, sed quæ ab alio se ipso digniori autore accepisset. Afferam etiam quædam ex literis regiis authenticis, quæ eodem *Archivi* loculo asservantur, ut constet, quanta cum comitate candidique animi significatione Franciscus Rex fœderatos Principes & Ordines tractaverit, quantamque fidem Legato suo haberi voluerit. Scribit nempe Divione d. 20 Novembris ad confœderatos in universum: *Mittimus isthuc ad vos Guilielmum Bellajum Langæi Dominum, Consiliarium, Cubicularium que nostrum intimum, rationes una vobiscum inituram de sarcienda & constituenda Ecclesiastica Reipublicæ concordia. Visum est nobis, & hoc in mandatis esse adjiciendum, ut, quæ vetus inter nos, vestram dico & Gallicam gentem, intercedit amicitia, quantum ego eam cupio esse sacrosanctam & stabilem, qui sit noster erga vos animus, quæ voluntas, quam amica scilicet, quam benevola, quam constans, eodem vestro in conventu verbis nostris declararet, atque eandem etiam veterem amicitiam vobiscum una peculiariter fœderatis (quibus illi conditionibus exposuimus) confirmaret denuo, atque in tabulas (si res ita poscere videatur) referret. Cui vos Legato & Oratori nostro tantundem fidei habeatis, velim, quantum nobis ipsis, si rem vobiscum tractaremus, haberetis.* Plus etiam præstitit in epistola, d. 19. Novembris ad Electorem Saxoniæ privatim data, ex qua hæc verba notatu dignissima sunt, & dicta Langæi non possunt non confirmare: *Quo animo & quo affectu antea suscepimus amplexatique sumus pacificationem Ecclesiæ Christianæ, in eodem etiamnum persistentes, atque ejus pacificationis persequendæ gratia, isthuc nunc mittimus Guilielmum Bellajum Langæi Dominum, Consiliarium Cubiculariumque nostrum intimum, cui nostram omnem super ea re cogitationem, sensum & statum aperuimus, maximopere etiam atque etiam Excellentiam Vestram rogantes atque obtestantes, ut pro virili vestra una nobiscum incumbatis in tam pium sanctumque opus, sicque habeatis, nulla vos alia in re de nobis mereri posse melius, quam in eo studio, quod vos in eam rem præstiteritis. Reliqua ex eodem Langæo, cui vos etiam in aliis rebus, quas ille singulariter Excellentiæ Vestræ nostris verbis expositurus est, tantundem fidei habeatis, quantum nobis præsentibus haberetis.*

Miserat ad conventum literas regias *Langæus* (sive, ut ipse epistolam d. 2. Decembris ex ædibus *VValleji* in finibus *Lotharingiæ* datam subscripsit, *Langius*,) in quibus rogat, ut comitia illa sua ad aliquot dies protrahant, donec ipse cum *VVallejo* illo, quem *virum clarissimum* vocat, advenerit. Id cum factum esset, d. 17 Decembris Electori, deinde d. 19. Decembris *Dom. IV. Advent.* in consessu Fœderatorum mandata sua exposuit, & fœderis formam tradidit: qua Rex Ordinibus auxilia sua promittebat, illorum vero stipulabatur adversus omnes, quibus aut fidelitatis aut assecurationis vinculo, aut ex fœdere antiquiori, non essent obligati. (Sic putabat fidei eorum erga Cæsarem prospici, quem tamen illi nominatim excipere volebant) Addebatur, ne in concilium, a Papa indicendum,

An. 1535.

dicendum, nisi communibus suffragiis consentiretur. Apud Electorem speciatim institit, ut foederis pacta cum Rege Angliæ promoveret; significavit etiam, articulos quosdam ad Regem suum missos esse de religione, quos non satis intelligeret, petiitque, ut viri docti deputarentur, qui secum de iis conferrent. Hi erant *Melanchthonis articuli*, quos ille suo arbitrio, ins[illegible], & ut satis constat, improbante Electore, in Galliam miserat; & hinc occasio colloquii d. 20. Decembris secuti, a *Spalatino* relati, nata fuit, indeque simul patet, fortuitos inter Langæum & Protestantes sermones non fuisse, sed autoritate publica habitos.

(5) De Melanchthonis vocatione in Galliam.

Quod ad literas Regis *ad Melanchthonem* attinet, notandum est, longe prius actum esse de itinere Melanchthonis, quam cum eo postea per Langæum Smalcaldiæ de religione conferretur. Dein indigna est exceptio, quam hic venditat Maimburgius, Regem nempe tam sapientem foeminarum suasionibus succubuisse; aut, si verum id est, longe felicior fuisset, si foeminæ potius uni veraci, quam Clericorum turbæ fallaci credidisset. Literæ Regis ad Melanchthonem scriptæ, datæ erant d. 28. Junii. Attulit autem eas Melanchthoni, missus ea de causa a Rege, *Barnabas Voræus Fossa* mense Augusto, qui jam prius, ut *Camerarius in vita Melanchthonis p. 149.* narrat, Philippum Regis nomine invitaverat, etiam obsides, securitatis causa, offerens.

(6) Melanchthonis literæ, & spes metusve de itinere.

Exhibentur *Regis* literæ, cum responso *Melanchthonis* V. Cal. Sept. sive d. 28. Aug. scripto, *Lib. I.* edit. Londin. *ep. 29. & 30.* item in *Consiliis* a *Pezelio* compilatis *Part. I. p. 218.* Laudat *Rex* Philippum a singulari studio ad sedandas altercationes in doctrina Christiana, a *Langæo* sibi relato; deinde, ut ad se proficiscatur, benignissime & publica fide invitat, omnium, ut ait, gratissimum futurum, sive privato sive publico nomine veniret. *Philippus* Regi decentes laudes tribuit, gratiasque agit, neque iter abnuit, sed moras indicat, quarum causas missus a Rege *Voræus* expositurus sit. Quo vero impulsu consilioque Rex animum ad vocandum Philippum induxerit, quove mutaverit, Galli, quibus regia scrinia patent, optime noverint, si profiteri vellent, Maimburgius enim præter conjecturas nihil affert. Constat autem ex literis *Melanchthonis* 10. Cal. Junii *ad Camerarium* datis *Lib. IV. ep. 172.* aliquo ante literas a Rege scriptas tempore agitatum de vocando eo in Galliam fuisse, adeoque Regem ex impetu præcipiti non scripsisse. Idem *Camerarius in vita Philippi p. 147.* refert, vulgata per Germaniam fama de sævitia in Lutheranos, *Melanchthonem* ad *Johannem Bellajum*, Episcopum Parisiensem, Cardinalem, virum eruditum, pium & moderatum, qui cum aliis crudelitatem illam non probabat, literas dedisse: quæ habentur *Lib. III. 43.* & apud *Pezel. 219.* omisso die, sed adscripto hoc anno. In his emendationem & rectitudinem doctrinæ commendat; & licet fanaticos & seditiosos puniri non improbet, crudelitatem tamen in opprimendo veritatis studio & laceranda Ecclesia deprecatur, suum vero studium ad molliendas controversias prædicat, & tandem profitetur, suam sententiam semper cum bonorum & doctorum virorũ & cum *Bellaji* conjunctam fore. Ad eundem & alios diligenter scripsisse, Camerario significat d. 22. Junii *Lib. IV. ep. 172.* De *Melanchthonis* modestia, sive ut ipse vocat, ἐπιεικείᾳ plura notari possent, sed repetere nolo, quæ alibi dixi. *Langæi* judicium facile hactenus probo, quod, solius fere Missæ causa, nullus reformationi locus esset, neque Clerus, ea omissa, potentiam suam in tuto esse crediderit. Percepta itaque Regis voluntate, ad iter, quantum in se erat, paratus, & non nisi invitus ab eo impeditus fuit Philippus, ut testatur *Camerarius*. Sed ante acceptas Regis literas non parum hæsitavit, quod ostendunt, quæ ad *Johannem Sturmium*, Sleidæ natum, Historici civem, qui tunc Parisiis versabatur, & postea Scholæ Argentoratensi præfuit, nec cum *Jacobo*, Viro equestri & civitatis prætore, confundi debet, scripsit, & a *Pezelio p. 221.* producta sunt. Data autem fuit epistola illa mense Aprili, cum Voræus prima vice Melanchthonem convenisset, & huic perferenda tradita est. Vide *p. 224.* *Una cura, (ait) me non tantum exercet, sed plane excruciat, dubito enim an aliquid proficere possim.* Subjungit inde querelam de vanitate opinionum & judiciorum; dein vereri se dicit, (nec injuria) ne leviores quidam articuli donentur, graviores obruantur & deleantur, & sic Ecclesiæ nullum paretur commodum, concilio vero præjudicium fiat: impetrari forte sua intercessione posse, ne supplicium decernatur in eos, qui cucullum exuunt, *sed quid fiet*, ait, *de iis qui non probant abusus manifestos in liturgia aut cultu Divorum? in hos, si porro sæviatur, futurum, ut suffragator & approbator suppliciorum ipse habeatur. Phalangas monachorum cogita*, scribit, *& scis, quam sint ὑπερήφανοι, & quibus artificiis teneant fascinatos nobilium animos.* Concludit, consilia alia esse inutilia, alia periculosa, præter concilium; iter tamen tandem non recusat, si amici suadeant, & Princeps veniam eundi concedat.

(7) Lutherus suadet iter.

Suaserant autem id non solum Galli, sed & Lutherus, postquam Voræus advenisset: quod ipse prædicat *Melanchthon ad Camerarium* d. 2. Sept. scribens. *Lib. IV. ep. 178.* Extant *Lutheri* ad Electorem literæ d. 17. Aug. datæ, *Tom. VI. fol. 491.* in quibus repetitis & enixissimis precibus contendit, ut Philippus ad tres menses dimittatur, jam enim spe ejus adventus cessare supplicia in Gallia, fore autem, ut, nisi veniat, recrudescat sævitia, & Rex novis suspicionibus adversus Principes Protestantes impleatur.

(8) Recusat veniam Elector, & quare?

Philippi etiam epistola ad Electorem (omisso die) scripta, qua multis rationibus & oblationibus commeatum ad duos vel tres menses petit, exhibetur *Tomo VI. in append. fol. 1428.* Sed nihil ab Electore impetrari potuit, quod invidiæ æmulorum tribuere *Melanchthon* videtur, cum *Lib. IV. ep. 177.* ad *Camerarium* hæc scribit; *Genus illud hominum nosti, quorum, ut videtur, odium erupit aliqua ex parte jam in Gallico negotio. Equidem libenter vito congressus Gallicos, nec aliter promisi, nisi permittente Principe; sed Princeps commeatum negat, & ita respondet, ut vereri cogar, animum illius sermonibus malevolorum a me redditum alieniorem; etsi sane de optimo Principe, ut mihi perspectus est, nunc etiam melius spero, sed nosti illud: γλῶσσα, ποῖ πορεύῃ; Omisi igitur Gallicum iter, ne de meo officio ullo modo queri possent.* De causis recusationis operose tractat *Camerarius* in *vita Philippi*,

An. 1535.

ministeriis & functionibus admoveantur. Probare igitur Regem, non monasteria destrui, sed ne ad vota adigantur: nam paulatim esse ad concordiam veniendum: si ut etiam cauda equina non statim & commode tota evelli possit Erga monasteria sic instituenda, ut sedes postea sint studiorum, ut sint illic eruditi, qui juventutem doceant, & qui ab ipsis discant. Caeterum utile & necessarium esse, ut modus adhibeatur. Sperare autem Regem, hoc se a Pontifice Romano impetraturum, ut etiam Romanus Pontifex si sentiat.

Decimo dixit Orator, a Theologis Gallicis conjugium sacerdotale non probari; sed Regi hoc medium placere, ut nostris conjugibus sacerdotibus conjugium eorum relinquatur, reliqui autem & futuri in coelibatu maneant: qui autem duxerint uxores, ut abstineant ministerio sacro & pastorali cura. Quod enim nostri de Abbatis Paphnutii sententia producant, hoc non pertinere, Theologorum judicio: eos enim affirmare, hoc dicere concilium de his, qui ante sacerdotium duxerint uxores, nullos enim unquam inventos, qui duxerint conjuges in sacerdotio.

Undecimo, de utraque specie, ait Orator, hoc Regem apud Clementem Romanum Pontificem diligenter egisse, & spem ipsi esse, fore, ut hoc a Romano Pontifice impetret, ut sanciat & statuat, utrumque cuique, secundum conscientiae suae modum, esse liberum, sive alteram tantum, sive utramque speciem accipiendi. Porro Regem quoque affirmare, se ex vade senibus & grandaevis audivisse, ante annos centum & viginti Gallos etiam Laicos utraque specie Eucharistiae usos, sed per fistulam, & in sacello seu privato, non in aede publica; sic etiam hodieque Reges Gallorum communicare sub utraque specie. Regem itaque Gallorum, aliquid objicientem Theologis, coactum audiisse, ipsis Regibus hoc licere, sed non etiam Laicis. De Regibus enim & ad Reges dictum esse: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium.*

(b) *Alia ab illo proposita.*

Praeterea, expeditis prioribus articulis, adjecit etiam Orator sequentes, nobis jam abituris.

Clementem Pontificem Romanum dedisse provinciam Cardinali Hispano S. Crucis emendandi orarium, sic & de hymnis, id quoque praestitisse, ut pro impiis & ineptis hymnis posuerit Psalmos. Verum Cardinalem Hispanum eo nomine damnatum a Gallicis Theologis. Adeo enim summum sibi vendicare magistratum Sorbonicos Theologos, ut non quum nos pro haereticis, ut vocant, sed etiam Cardinales, Papam quoque ipsum, condemnare non dubitent.

Dixit etiam Orator Gallicus, locum de justificatione, ut a nostris tractetur, probare Regem.

Porro, quum haec res ampla sit & sancta, Regem hoc conari, ut fiat concordia Ecclesiae. Itaque Oratorem aliquando egisse hoc nomine cum *Ducibus Bavariae*, verum eos multo morosiores Sorbonicis etiam Theologis invenisse; quamvis nuper si fractus ut *Bonaccursius* meliorem responsionem daturos polliceatur: meliora etiam promittere *Pflugium* de suo Principe Duce *Georgio*, & de *Archiepiscopo Moguntino*.

Praeterea gratissimum Regi futurum, si duo vel tres ex nostris eruditis in Galliam mitterentur ad ipsum, coram eo his de rebus collocuturi. Regem enim adhibiturum colloquio eruditorum, & Sorbonicos morosissimos, & qui nobiscum sentiant, ad eruendam veritatem Evangelicam.

Caeterum de loco, pro habendo concilio, Regem sic sentire, non consentiendum a nostris Principibus & ordinibus, nisi consultis ipsis Regibus Gallorum & Anglorum. Idem vicissim ipsos quoque Reges facturos.

Adhaec non esse consultum, etiamsi omnino opus sit concilio, ut nunc habeatur: si enim nunc fiat, futurum, ut melior & sanior pars a majore vincatur & opprimatur.

Olim quoque a Pontifice Romano Regem Gallorum & Regem Navarrae regnis privatos, quod sensissent, non solum a Romano Pontifice, sed etiam ab Imperatore & regibus, concilium esse indicendum. Hodieque tantum hoc nomine occupari a Caesare regnum Navarrae, quod eo jam sic privatum, Rex Ferdinandus Hispaniarum, Regem Navarrae eo regno excussisset.

An. 1535.

In summa, Regem optime animatum esse ad hanc causam, atque placere sibi locum concilii securum & tutum, ubi tuto cuivis liceret sententiam dicere.

Adhaec Regem arbitrari, valde profuturum, si Principes & Ordines literis orent ex hoc conventu Regem Gallorum pro exulibus nomine religionis, ut eos restituat, ne quid fraudi sit, quod quisque senserit, dixerit, egerit. *Hucusque Spalatinus.*

Apparet autem ex ductu scribentis & incuria styli, scripta illa esse in ipso consessu ex ore *Langaei*; nec dubitationem, sed potius confirmationem eorum afferunt, quae *Sleidanus* aliis verbis, & ex aliorum annotatione recensuit, ne quis Maimburgio similis cavilletur, transcripsisse ea Sleidanum ex Spalatini schedis. Dixi enim alibi & literae Principum, quarum exempla *Hortlederus* operi suo praefixit, evincunt, *Sleidano non patuisse Archiva Saxonica*: quae si patuissent, & ista ex Spalatino didicisset, (quanquam id plane incredibile est, cum domi haberet, unde sua depromeret) aeque absolvendus esset a menda. io: neque enim ficta a se narrasset, sed quae ab alio se ipso digniori autore accepisset.

(c) *Repetitur defensio Sleidani ex literis Regis & Langaei.*

Afferam etiam quaedam ex literis regiis authenticis, quae eodem *Archivi* loculo asservantur, ut constet, quanta cum comitate candidique animi significatione Franciscus Rex foederatos Principes & Ordines tractaverit, quantamque fidem Legato suo haberi voluerit. Scribit nempe Divione d. 20 Novembris ad confoederatos in universum: *Mittimus isthuc ad vos Guilielmum Bellajum Langaei Dominum, Consiliarium, Cubiculariumque nostrum intimum, rationes una vobiscum inituros de sarcienda & constituenda Ecclesiastica Reipublicae concordia. Visum est nobis, & hoc in mandatis esse adjiciendum, ut, quae vetus inter nos, vestram dico & Gallicam gentem, intercedit amicitia, quantum ego eam cupio esse sacrosanctam & stabilem, qui sit noster erga vos animus, quae voluntas, quam amica scilicet, quam benevola, quam constans, eodem vestro in conventu verbis nostris declararet, atque tandem etiam veterem amicitiam vobiscum una peculiariter foederatis (quibus illi conditionibus exposuimus) confirmaret denuo, atque in tabulas (si res ita poscere videatur) referret. Cui vos Legato & Oratori nostro tantundem fidei habeatis, velim, quantum nobis ipsis, si rem vobiscum tractaremus, haberetis.* Plus etiam praestitit in e. istola, d. 19. Novembris ad Electorem Saxoniae privatim data, ex qua haec verba notatu dignissima sunt, & dicta Langaei non possunt non confirmare: *Quo animo & quo affectu antea suscepimus amplexatique sumus pacificationem Ecclesiae Christianae, in eodem etiamnum persistentes, atque ejus pacificationis persequendae gratia, isto nunc mittimus Guilielmum Bellajum Langaei Dominum, Consiliarium Cubiculariumque nostrum intimum, cui nostram omnem super ea re cogitationem, sensum & statum aperuimus, maximopere etiam atque etiam Excellentiam Vestram rogantes atque obtestantes, ut pro virili vestra una nobiscum incumbatis in tam pium sanctumque opus, sicque habeatis, nulla vos alia in re de nobis mereri posse melius, quam in eo studio, quod vos in eam rem praestiteritis. Reliqua ex eodem Langaeo, cui vos etiam in aliis rebus, quas ille singulariter Excellentiae Vestrae nostris verbis expositurus est, tantundem fidei habeatis, quantum nobis praesentibus haberetis.*

Miserat ad conventum literas regias *Langaeus* (sive, ut ipse epistolam d. 2. Decembris ex aedibus *VValleji* in finibus *Lotharingiae* datam subscripsit, *Langius*,) in quibus rogat, ut comitia illa sua ad aliquot dies protrahant, donec ipse cum *VVallejo* illo, quem *virum clarissimum* vocat, adveniret. Id cum factum esset, d. 17 Decembris Electori, deinde d. 19. Decembris *Dom. IV. Advent.* in consessu Foederatorum mandata sua exposuit, & foederis formam tradidit: qua Rex Ordinibus auxilia sua promittebat, illorum vero stipulabatur adversus omnes, quibus aut fidelitatis aut assecurationis vinculo, aut ex foedere antiquiori, non essent obligati. (Sic putabat fidei eorum erga Caesarem prospici, quem tamen illi nominatim excipere volebant.) Addebatur, ne in concilium, a Papa indicendum,

An. 1535.

dicendum, nisi communibus suffragiis consentiretur. Apud Electorem speciatim institit, ut fœderis pacta cum Rege Angliæ promoveret; significavit etiam, articulos quosdam ad Regem suum missos esse de religione, quos non satis intelligeret, petiitque, ut viri docti deputarentur, qui secum de iis conferrent. Hi erant *Melanchthonis articuli*, quos ille suo arbitrio, inscio, & ut satis constat, improbante Electore, in Galliam miserat; & hinc occasio colloquii d. 20. Decembris secuti, a *Spalatino* relati, nata fuit, indeque simul patet, fortuitos inter Langæum & Protestantes sermones non fuisse, sed autoritate publica habitos.

(5) De Melanchthonis vocatione in Galliam.

Quod ad literas Regis *ad Melanchthonem* attinet, notandum est, longe prius actum esse de itinere Melanchthonis, quam cum eo postea per Langæum Smalcaldiæ de religione conferretur. Dein indigna est exceptio, quam hic venditat Maimburgius, Regem nempe tam sapientem fœminarum suasionibus succubuisse; aut, si verum id est, longe felicior fuisset, si fœminæ potius uni veraci, quam Clericorum turbæ fallaci credidisset. Literæ Regis ad Melanchthonem scriptæ, datæ erant d. 28. Junii. Attulit autem eas Melanchthoni, missus ea de causa a Rege, *Barnabas Voræus Fossa* mense Augusto, qui jam prius, ut *Camerarius in vita Melanchthonis p. 149.* narrat, Philippum Regis nomine invitaverat, etiam obsides, securitatis causa, offerens. Exhibentur *Regis* literæ, cum responso *Melanchthonis* V. Cal. Sept. sive d. 28. Aug. scripto, *Lib. I.* edit. Londin. *ep. 29. & 30.* item in *Consiliis* a *Pezelio* compilatis *Part. I. p. 218.* Laudat *Rex* Philippum a singulari studio ad sedandas altercationes in doctrina Christiana, a *Langæo* sibi relato; deinde, ut ad se proficiscatur, benignissime & publica fide invitat, omnium, ut ait, gratissimum futurum, sive privato sive publico nomine veniret. *Philippus* Regi decentes laudes tribuit, gratiasque agit, neque iter abnuit, sed moras indicat, quarum causas missus a Rege *Voræus* expositurus sit. Quo vero impulsu consilioque Rex animum ad vocandum Philippum induxerit, quove mutaverit, Galli, quibus regia scrinia patent, optime noverint, si profiteri vellent, Maimburgius enim præter conjecturas nihil affert. Constat autem ex literis *Melanchthonis* 10. Cal. Junii *ad Camerarium* datis *Lib. IV. ep. 172.* aliquo ante literas a Rege scriptas tempore agitatum de vocando eo in Galliam fuisse, adeoque Regem ex impetu præcipiti non scripsisse. Idem *Camerarius in vita Philippi p. 147.* refert, vulgata per Germaniam fama de sævitia in Lutheranos, *Melanchthonem* ad *Johannem Bellajum*, Episcopum Parisiensem, Cardinalem, virum eruditum, pium & moderatum, qui cum aliis crudelitatem illam non probabat, literas dedisse: quæ habentur *Lib. III. 43.* & apud *Pezel. 219.* omisso die, sed adscripto hoc anno. In his emendationem & rectitudinem doctrinæ commendat; & licet fanaticos & seditiosos puniri non improbet, crudelitatem tamen in opprimendo veritatis studio & laceranda Ecclesia deprecatur, suum vero studium ad molliendas controversias prædicat, & tandem profitetur, suam sententiam semper cum bonorum & doctorum virorũ & cum *Bellaji* conjunctam fore. Ad eundem & alios diligenter scripsisse, Camerario significat d. 22. Junii *Lib. IV. ep. 172.* De *Melanchthonis* modestia, sive ut ipse vocat, ἐπιεικείᾳ plura notari possent, sed repetere nolo, quæ alibi dixi. *Langæi* judicium facile hactenus probo, quod, solius fere Missæ causa, nullus reformationi locus esset, neque Clerus, ea omissa, potentiam suam in tuto esse crediderit. Percepta itaque Regis voluntate, ad iter, quantum in se erat, paratus, & non nisi invitus ab eo impeditus fuit Philippus, ut testatur *Camerarius*. Sed ante acceptas Regis literas non parum hæsitavit, quod ostendunt, quæ ad *Johannem Sturmium*, Sleidæ natum, Historici civem, qui tunc Parisiis versabatur, & postea Scholæ Argentoratensi præfuit, nec cum *Jacobo*, Viro equestri & civitatis prætore, confundi debet, scripsit, & a *Pezelio p. 221.* producta sunt. Data autem fuit epistola illa mense Aprili, cum Voræus prima vice Melanchthonem convenisset, & huic perferenda tradita est. Vide *p. 224. Una cura*, (ait) *me non tantum exercet, sed plane excruciat, dubito enim an aliquid proficere possim.* Subjungit inde querelam de vanitate opinionum & judiciorum; dein vereri se dicit, (nec injuria) ne leviores quidam articuli donentur, graviores obruantur & deleantur, & sic Ecclesiæ nullum paretur commodum, concilio vero præjudicium fiat: impetrari forte sua intercessione posse, ne supplicium decernatur in eos, qui cucullum exuunt, *sed quid fiet*, ait, *de iis qui non probant abusus manifestos in liturgia aut cultu Divorum? in hos, si porro sæviatur, futurum, ut suffragator & approbator suppliciorum ipse habeatur. Phalangas monachorum cogita*, scribit, *& scis, quam sint ὑπερήφανοι, & quibus artificiis teneant fascinatos nobilium animos.* Concludit, consilia alia esse inutilia, alia periculosa, præter concilium; iter tamen tandem non recusat, si amici suadeant, & Princeps veniam eundi concedat.

(6) Melanchthonis literæ, & spes metusve de itinere.

(7) Lutherus suadet iter.

Suaserant autem id non solum Galli, sed & Lutherus, postquam Voræus advenisset: quod ipse prædicat *Melanchthon ad Camerarium* d. 2. Sept. scribens. *Lib. IV. ep. 178.* Extant *Lutheri* ad Electorem literæ d. 17. Aug. datæ, *Tom. VI. fol. 491.* in quibus repetitis & enixissimis precibus contendit, ut Philippus ad tres menses dimittatur, jam enim spe ejus adventus cessare supplicia in Gallia, fore autem, ut, nisi veniat, recrudescat sævitia, & Rex novis suspicionibus adversus Principes Protestantes impleatur. Philippi etiam epistola ad Electorem (omisso die) scripta, qua multis rationibus & oblationibus commeatum ad duos vel tres menses petit, exhibetur *Tomo VI. in append. fol. 1428.*

(8) Recusat veniam Elector, & quare?

Sed nihil ab Electore impetrari potuit, quod invidiæ æmulorum tribuere *Melanchthon* videtur, cum *Lib. IV. ep. 177.* ad *Camerarium* hæc scribit; *Genus illud hominum nosti, quorum, ut videtur, odium erupit aliqua ex parte jam in Gallico negotio. Equidem libenter vito congressus Gallicos, nec aliter promisi, nisi permittente Principe; sed Princeps commeatum negat, & ita respondet, ut vereri cogar, animum illius sermonibus malevolorum a me redditum alieniorem; etsi sane de optimo Principe, ut mihi perspectus est, nunc etiam melius spero, sed nosti illud: γλῶσσα, ποῖ πορεύῃ; Omisi igitur Gallicum iter, ne de meo officio ullo modo queri possint.* De causis recusationis operose tractat *Camerarius in vita Philippi,*

An. 1535. *pi, p. 150. sqq.* exque ad duo redeunt capita. Unum, quod Cæsaris offensa metuebatur, si Philippus eo tempore in Galliam mitteretur, cum omnia ad bellum inter illum & Regem spectarent, quod & paulo post erupit. Alterum, quod nulla utilitas ex itinere illo sperari posse videbatur, sive quod cordi non esset Gallis vera Ecclesiæ emendatio, sed saltem aditus quæreretur, ad procurandam sibi fœderatorum Principum societatem, quam postea Langæus in conventu Smalcaldico præcipue ursit, eaque frustratus, nihil amplius de religione movit; sive etiam, quod Philippo non satis fiderent quidam, timentes, ne is potius ad Gallorum partes perduceretur, quam ille eos ad suos allice-ret. Certe ultimis illis *ad Bellajum* verbis, supra adductis, non parum illi detulerat. Extat etiam consilium ejus in Galliam missum, cujus in literis ad *Camerarium* d. 5. Octobris datis, meminit, & tunc edere noluit, *ne nova*, ut ait, *disputationes oriantur.* Sed relatum est in *Volumen I. Consiliorum à Pezelio* editorum *p. 224.* Ex illo apparet, quousque tunc ex suo unius arbitratu progressus sit *Melanchthon*, & quid in Gallia propositurus fuerit. Tractat autem plerosque articulos controversos. *Pontificis & Episcoporum potestatem* a nemine prudente improbari posse tradit, nempe, ut vocatos ad ministeria ecclesiastica explorent & ordinent, judicia ecclesiastica exerceant, & inspiciant doctrinam sacerdotum. Tales potestates, nisi essent, creari oportere dicit, & prodesse Pontificis Romanæ Monarchiam, ut consensus retineatur in multis nationibus; sed hoc ita, si sanam doctrinam tradi curet: Potentiam vero immoderatam in transferendis regnis, a Regibus facile coërceri per se posse existimat, neque id ad Evangelium & Ecclesiam pertinere. *Traditiones* admittit, sed absque opinione justitiæ & necessitatis. *Confessionem* retinet, sed in qua enumeratio peccatorum sine peccato omitti possit. De *justificatione* fere convenire nunc ait inter partes, aut concordiam obtineri posse. De *Missa* maxime hæret, & inexplicabilem nodum illum esse agnoscit, medium tandem affert, ut Pontifex constitueret, ut nemo cogeretur ad Missas privatas, & permitteret integrum sacræ Cœnæ usum. *Sanctorum cultum*, cum nihil in eo præceptum nec in veteri Ecclesia observatum fuerit, in universum aboleri posse non dubitat; admittit tamen ferias, in quibus Sanctorum historiæ & exempla proponantur, sed sine invocatione, ita ut nec formulam illam probet, qua veteres usos esse concedit, Deum rogantes, *ut adjuvarentur precibus Sanctorum:* tandem summe detestatur supplicia illis irrogata, qui a cultu Sanctorum abhorrent. *Monasteria*, ad educandam juventutem in studiis, conservari suadet, cum libertate tamen egressus. *Conjugia sacerdotum* prohiberi non vult, sed medium proponit, ut Episcopi non nisi cœlibes eligantur. Epilogus hic est: *Hæc scripsi, non quod de unius sententia* (observetur hæc confessio, quod ista, non nisi privato nomine suoque scribat arbitratu) *aliquid constituendum putem; (nemo enim in Ecclesia hanc tyrannidem sibi sumere debet) sed quia rogatus sum, bono studio respondi, & significavi, me hoc scriptum, velut deliberationem quandam, mittere, & optare, ut plures docti de tantis rebus communiter deliberent. Non igitur pro decretis spargi in populum debebunt; & quidem professus sum, me concessurum judiciis aliorum rectius sentientium.* Hujus consilii tenorem Langæus absque omni dubio notum habuit, & cum eo non parum concordant, quæ postea Smalcaldiæ cum Theologis locutus est, & quæ a Maimburgio sine causa pro falsis haberi diximus. Confirmatur hoc epistola *Melanchthonis* (*Lib. II. 401.*) ad *Conrad. Heresbachium* (a *Pezelio* etiam relata *p. 237.*) in qua fatetur, se ad Langæum consilium longiusculum misisse, & describendum multis dedisse, edere tamen noluisse, quod in tanta perversitate judiciorũ metueret, ne magis irritarentur nonnulli. Regem vero Galliæ non obscure significasse, placere sibi consilium. Queritur inde, articulos ex illo in Gallia excerptos non esse integros, sed mutilatos. Tales forte sunt, quos recenset *Richerius* Sorbonista *Lib. IV. Hist. Concil. gen. Part. II. p. m. 158.* nam nec capita concordant, nec in exordio reperitur allegatio Augustini, *retractationes* scribentis, quam in responso ad illos articulos Regi exhibito taxant Theologi Parisienses, dictitantes, non decere, retractationem illam privatam, & in sententiis singularibus factam, ad sententias Ecclesiæ trahi, conciliorum autoritate firmatas. Refert ibidem *Richerius*, ut colloquia cum hæreticis ex *I. Tim. VI.* dissuaserint Theologi, & Regem rogaverint, ut ex Germanis quæreret & responsum peteret, (1) an cunctos libros Bibliorum pro Sacrosanctis & Catholicis habeant? (2) an credant, Ecclesiam errare non posse, & semper caput visibile externum & ministeriale habuisse, successores scilicet Petri Apostoli? (3) an Ecclesiæ & conciliorum scita & constitutiones Pontificum amplecti velint? (4) an bonas Ecclesiæ consuetudines, ut certissima fomenta & adminicula pietatis, a majoribus receptas, approbent? (5) an pro intelligentia & explicatione Scripturæ Doctores veteres, Græcos & Latinos admittere velint, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Basilium, Chrysostomum, omnesque alios? Hi consultores profecto caput & arcem controversiæ sine ambage petierunt, & si hæc absque distinctione Melanchthon cum sociis affirmasset, finita lis fuisset. Notat tamen *Richerius*, Regem rescripto ad Theologos d. 25. Augusti testatum esse, suasiones illas sibi gratissimas fuisse. Sed Germanis alia occinebantur a Langæo & aliis. Cæterum consilium *Turnonii*, quod epicrisi sua temere confirmat noster, dignum est homine, inveteratis erroribus immorituro. Hæreticos vitandos esse post aliquot admonitiones, Apostoli quidem præceptum est, sed hæreseos nondum convictus erat Philippus, neque pro hæretico in Gallia habebatur, sed pro viro, cui sola emendatio Ecclesiæ curæ esset, quique maximas ad eam promovendam dotes haberet. Fassus est quidem publice, in *defensione contra Flacium*, post annos quatuordecim, & triennio post mortem Lutheri, 1549. Cal. Octobris edita (*Lib. I. ep. 107.*) Theologiam suam, in locos communes relatam, esse epitomen doctrinæ Lutheri; *omnia scripta*, ait, *semper Ecclesiæ nostræ & ipsius Lutheri*

(9) *Melanchthon consilium de concordia in Galliam mittit.*

(10) *Epistola ejus de consilio illo.*

(11) *Sorbonæ consilium Regi datum.*

(12) *Epicrisis de consilio Turnonii & Maimburgii.*

An. 1535.

ri judicio permisi, de multis quæstionibus etiam diserte sciscitatus sum Lutherum, quid sentiret, & multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. Addit vero: *In ejus doctrina professione, quam dixi, scio perpetuum esse consensum Ecclesiæ Catholicæ Domini nostri Jesu Christi; & nunc Deum invoco, ut juvante ipso hanc confessionem ad æternæ Ecclesiæ consuetudinem afferam.* Itaque operæ pretium utique erat, si de orthodoxia Melanchthonis non satis certi erant Galli, ut, quod Apostolus alibi inculcat, omnia explorarent, & quæ bona erant, tenerent, in tanta maxime, quam omnes boni agnoscebant, Ecclesiæ corruptione. Nec levis autor erat *Melanchthon*, cui vix ullus illius seculi Theologus æquiparari potuit, tum in explicanda dilucide & eleganter dogmatum veritate, tum moderatione, qua valebat, cum dissentientibus agendi. Sed cum *Turnonio* ad suum scopum haud impigre tendunt, qui aures Principum obstruunt, aut, si hoc obtinere non datur, id agunt, ut calumniis, quibus possunt, semina veritatis, ubi germinant, in herba, ut dicitur, suffocent: quod Francisco Regi accidisse dolendum est, tum ipsius causa, tum ob summas, quæ in regno florentissimo postea emerserunt, ob negatam Evangelii publicam professionem, calamitates.

ADDITIO II.

(a) *Bellaji Card. epistola ad Melanchthonem d. 27. Jun.*

Duas *Bellajorum* epistolas ad *Melanchthonem* conservavit *Valent. Bavarus, Tom. I. p. 258. 599.* Prior *Cardinalis Bellaji* data est ad *fanum Quintini* in Veromanduis d. 27. Jun. In hac, ex relatione *Barnabæ Vorai Fossæ*, laudat Melanchthonis in rempublicam Christianam animum, in iis præsertim rebus, quæ ad communem omnium salutem pertinent, quod nostrorum (ut loquitur, id est, Gallorum) hominum nemini non fuit apprime gratum. *Nihil est, quod tam vehementer cupiam, quam ut illa dissidia, per quæ jam diu labefactari Christi Ecclesia cœpit, aliquando recte componantur. In hanc pacificationem, mi Melanchthon, per Deum, quantum potes, incumbe, habebis consentientes omnes bonos, in his summæ autoritatis hominem hunc, Franciscum Regem, cum titulis ac nomine, tum vero, quod ego longe pluris facio, reipsa Christianissimum, quo si semel vestra consilia mature contuleritis, quod fore brevi video, nihil est, quod de vestro congressu non sperem.* Significat postea, se Romam properare, optatque, ut & ibi utilem operam præstare possit. Subscripsit: *Tuus ex animo, Cardinalis Bellajus.*

(b) *item Guilielmi Langæi d. 16. Jul.*

Altera *Guilielmi Langæi* est, ex *Coccejo* oppido data d. 16. Jul. in qua multis argumentis Melanchthonem urget ad iter Gallicum, & dubitationibus ejus respondet: *Exposui*, ait, *hæc amicis meis, quorum communis causa agitur, literas etiam tuas atque Buceri dedi, ut legerent. Video enim hoc periculum etiam ad me spectare, nec quicquam velim accidere, quod te indignum esset, & quod Evangelii causam & Christi gloriam perturbaret. Itaque priores etiam literas, quas accepisti, Langæus* (Cardinalis scilicet) *vidit, antequam mitterentur, ut ne quid scriberem, quod non probaretur, & alienum esset a Regis voluntate.* Interserit quædam de *Langæi* dictis, & de controversia circa locum Concilii; de Rege vero diserte scribit: *Intelliges, eum neque a te, neque a dogmatis vestris maximopere esse alienum, nam eadem mihi Langæus tum constanter affirmabat, sed jam apud Regem est.* Indicat præterea, secretam fore cum Melanchthone consultationem, ut Rex suo regno consuleret, & minori cum periculo statum Ecclesiasticum corrigeret. De suppliciis excusationem affert, quod non exerceantur in pios, sed adversus eos, quos Melanchthon ipse censeret coërcendos esse. Ut vero ille ad Regem veniret, omnes, *quanquam*, ut ait, *non multi sint, quorum fides explorata sit*, secum sentire, & hoc rerum statu pro necessario habere. Monet, ne Rex exacerbetur, qui jam literas sua manu signatas Melanchthoni mittat, & Legatum, cum quo tuto ire possit. Pergit: *Ego ita existimo, si hæc occasio ante annos decem oblata esset, libenter arripuissetis. Multum est enim, ultro vocare, favere, adjuvare, quantum licet nondum cognita causa, nam si cognovit, minus est periculi. Quare obfuturum est plurimum, si Rex credat, aut sibi fidem non haberi, aut vos doctrinæ vestræ parum fidere. Nam in eam partem interpretaturi sunt adversarii; quanquam in eam sim sententia, ut existimem, prope necessarium esse religioni & Galliæ, ut regiæ expectationi satisfacias. Non enim [illegible] quod metuas iniquorum hominum potentiam, qui [illegible]ro Christi gloria quicquam sibi detrahi inviti patientur. Rex ingenio est per se acuto & prudenti, & natura [illegible]lis, & libenter admittit rationes, & hi ipsi, ut ex Langæo audivi, tuos articulos, quos misisti, prope magno consensu approbarunt, & pauca quædam attexuerunt. Credo, si adesses, si præsens Regi per interpretem loquereris, & rationes vestras exponeres, mirabiliter eum inflammares: Multum valet bona de aliquo existimatio, antequam causa optima cognoscatur, & magis ad Christum intelligatur pertinere. Neque enim sic debes cogitare, dissimulanda quædam esse in hoc principio, quædam concedenda. Imo Rex tuam fortitudinem in rebus gravibus magis laudaturus est, quam declinationem.* Reliqua ex *Voræo*, jam in Germaniam revertente, intellecturum illum esse scribit, & epistolam his verbis claudit: *Itaque te adhortor, atque per Christum obtestor, occasionem rei gerendæ, inter mortales omnium pulcherrimæ ne deseras.* Hæc, puto, Sleidani dicta confirmant, & Maimburgii & similium cavillos destruunt.

ADDITIO III.

(a) *Veræ denegatæ Melanchthoni in Galliam eundi veniæ causæ, ex Electoris autographo.*

Pro Melanchthonis & aliorum conjecturis, quas supra retuli, veras denegatæ Melanchthoni in Galliam eundi veniæ causas afferam, quas Elector ipse sua manu consignavit, (in *Archivo d. l.* asservatas) & Pontano transmisit, ad rescriptum, quod Melanchthoni ex iis componendum destinabatur. Insperatum sibi esse dicit Princeps, quod Melanchthon responso suo nuper dato, quemadmodum Consiliariis promisisset, non acquiesceret, neque gravissimas causas, tunc propositas, expenderet. Quod enim nunc diceret, se ad iter in Galliam sese jam obtulisse, id minime probari Electori, absque cujus venia polliceri talia non debuisset. Minime eum ignorare, quis sit rerum status inter Cæsarem & Gallum, & quid considerandum sit Electori. Satis quidem hunc ostendisse, quam paratus sit ad promovendum etiam apud alias nationes Evangelium, sed dubium esse, & ex scriptis Gallorum contrarium potius conjici posse, quis successus sit sperandus; certum interim periculum turbandæ pacis in Germania adiri, si Gallorum consiliis locus esset. Se jam in procinctu itineris ad Ferdinandum Regem esse, ut pacem cum illo stabiliret, sed facile judicari posse, qua ille mente excepturus Electorem sit, si audiret, Melanchthonem, primarium ex Theologis Saxonicis ad hostem Ferdinandi, & inprimis Cæsaris, capitalem profectum esse.

(b) *Querela de articulis Melanchthonis in Galliam missis.*

Cogitandum etiam, quid judicaturi sint Cæsar omnesque Ordines, si intelligant apud exteros affirmari, (in articulis nempe Melanchthonis) controversias religionis mutua indulgentia tolerari posse, ita ut neutra pars alteram condemnare debeat. Hoc in tractatibus inter Protestantes eorumque adversarios assertum non fuisse; licet obsequium erga Cæsarem, amicitia cum Ordinibus alterius partis, & pacis publicæ studium id suadere videretur. Itaque Augustæ conveniri non potuisse, quod facile futurum fuisset, si v. g. *communionem sub utraque & sub una* indifferenter admisissent; sed propter hunc unum articulum ruptam fuisse concordiam. Scire jam omnes, quomodo traducti fuerint articuli Melanchthonis, cum summa Protestantium ignominia, quasi per eos revocata fuissent, quæ hactenus statuissent. Si igitur Galli hypocritice & simulate agerent, plus damni & dedecoris, quam emolumenti, Evangelicis expectandum esse. His aliisque rationibus moveri se scribit

Ele-

An. 1535.

Elector, quo minus in iter Melanchthonis Gallicum consentiret. Si vero is existimaret, se salva conscientia & fide erga Principem ingredi illud posse, faceret id suo arbitratu & periculo. Cum in hunc sensum rescriptum compositum, & ad Electorem subscriptionis causa, missum esset, is inter alia duo ad marginem monita sua adjecit manu. Primum erat, mirandum esse, quod Melanchthon Gallis fidere velit, in causa hac Evangelica, cum illi fidem antehac, ut ex publicis constet monumentis, nunquam fere servaverint: Alterum, multas pias mentes ex indulgentia illa Melanchthonis (sive, ut ipse vocabat, *ἐπιείκεια*) scandalum accepturas esse, suspicantes recessum esse a Confessione Augustana & Apologia, cum summo dedecore & damno rei Evangelicae. Addidit Elector schedulam sua manu ad Pontanum scribens: *Valde metuo, ne Philippus, cum Regem pro sua sapientia & industria persuadere volet, multa sit remissurus, quae D. Martinus & alii Theologi non concedent; unde inter illos (quod mihi ex D. Martini dictis quibusdam jam videor intelligere) dissidia oritura sunt, cum gravi plurimorum scandalo & Evangelii detrimento. Praeterea praesumi non potest, serio agere Gallos, sed potius, deprehensa Philippi facilitate, exploraturos eum penitus, deinde ut inconstantem diffamaturos esse. Qui in Gallia causae favere videntur, Erasmiani potius sunt, quam Evangelici. Memini, quae negotia id genus hominum anno praeterito, cum in Juliacensi Ducatu essem, mihi exhibuerit; idem Philippo cum magno corporis, animae, & conscientiae periculo continget: Sollicitabitur etiam ad defensionem illiciti conjugii Anglicani. Ex his aliisque causis operam, ut potes, dabis, ut Philippum ab itinere isto avertas. Ego apud me certo statui, me Philippo potius prorsus cariturum esse, quam ut bona cum pace mea & venia illum proficisci in Galliam sinam.* Haec Elector, pro judicii & animi sui magnitudine, sapienter, ut puto, & pie, pro negotii statu decrevit; quae relatu dignissima esse existimavi, non veritus cavillos, quos de inconstantia & variatione Philippi aliorumque afferre solent, post veteres, novissimi quique scriptores, interque hos *Bossuetus Episcopus Meldensis*. Confirmatur potius ex his soliditas in Principe illo, aliisque Evangelicae doctrinae sinceris confessoribus, qui ab autoritate unius alteriusve Doctoris, utcunque eximii, dependere noluerunt. Expeditum est rescriptum ad Melanchthonem d. 30. Aug. Interim biduo ante, nempe d. 28. Aug. Elector Regi ipsi scripsit significans, se a Melanchthone rogatum esse, ut illi veniam eundi ad Regem concederet, testaturque se Regi amice & officiose gratificari, paratissimum esse, in negotiis potissimum religionis, ad laudem, honorem & gloriam Dei, & ad insignem propagationem uberrimumque & amplissimum fructum Evangelii pertinentibus. Excusat autem se ob asperitatem ac difficultatem temporum, multasque sollicitudines, magna pericula, gravesque sermones, qui excitari ex hac re possint: deinde, quod, dissipata ob morbum pestilentem & in alium locum translata schola Wittenbergensi, dimittere in praesens Melanchthonem non possit: pollicetur tamen, si ullo modo illius opera carere posset, & sublatae essent praesentes rerum difficultates, & ipse Regiis literis de remittendo Philippo certior reddatur, profectionis in Galliam ipsi veniam daturum: subjungit officiosas oblationes, ad plantandum & propagandum verbum salutiferum Evangelii Christi, & ad Regis, regni & Ecclesiarum Galliae, temporarium & aeternum commodum. Haec mense Augusto acta in Galliam utique perlata sunt, & ad Langaei notitiam pervenerunt, qui tamen nihilominus mense Decembri missionem Melanchthonis aut aliorum Theologorum in Galliam sollicitavit: unde satis patet, serio desideratum id a Rege, nec subitas & transitorias saltem cogitationes fuisse, quales Maimburgius innuere videtur.

(c) *Suspicio de ejus facilitate & periculo.*

(d) *Electoris ad Regem Galliae litera.*

§. XXXIX.

(1) *De Angliae Regis actis*

Jam de actis *Angliae Regis* ejusque Legatorum cum Protestantibus Principibus & Theologis aliquid memorandum est: nam, neque in his recensendis sincerus est Maimburgius, & a Sleidani fideli relatione sine causa discedit. Nescio, quo judicio scribat, res Anglicanas nullo modo ad Lutheranam historiam pertinere, quasi scilicet eo non pertineret abjuratio Pontificiae dominationis, multorumque abusuum correctio, quam Legatus diserte jactabat, & Maimburgius maligne praetervectus est, Vide *Sleidan. Lib. IX. p. 264.* ut & oblatio Regis de concordia in religionis professione ineunda, mittendisque ea de causa, ut petebat, ex Germania in Angliam Theologis, id quod expresse notat *Pallavicinus Lib. III. cap. XVIII. §. 15.* Tantum abest, illum simpliciter postulasse, ut Germani a novis opinionibus discederent. Eventus autem ostendit, quid profecerint Regis illius, suis quidem erroribus, non solum in moribus, sed & in dogmatibus inhaerentis, circa religionem acta; ut nempe, etiam illo regnante, magna hominum multitudo, & inter Proceres Regni politicos & Ecclesiasticos non pauci, veritatem Evangelicam agnoscerent, & mox post mortem ejus omnes, paucis exceptis, publice reciperent. Non magis verum est, Protestantes animadvertisse, Regem non cupere societatem cum Luthero, nisi forte solum de illius persona id senserint. Aliter locutus esset noster, si inspexisset *Pallavicinum d. l. §. 15.* ubi narrat: Regem quidem neque se discordem in dogmatibus fateri, neque in regno suo turbas ciere, aut librum suum contra Lutherum damnare voluisse; pollicitum tamen fuisse, se confessionem Augustanam defensurum esse, accepto *Defensoris* titulo, dummodo de communi sententia nonnulli ex articulis emendarentur, eaque de causa, & ad foedus procurandum, legati, ut dixi, mitterentur. Vera autem causa, cur ejus oblata non statim acciperent Smalcaldici, haec erat, quod invidiam a societate Anglicana & Gallica metuerent apud Caesarem, cui uterque Rex adversabatur: deinde quod scirent Regi religionem praetextus saltem loco esse, & nil serio ab eo desiderari, quam ut in perdita illa causa matrimonii applaudentes haberet. Sed haec ex Actis Archivi prolixe & fideliter exponam, quanquam quaedam ad sequentis anni historiam pertineant.

An. 1535.

Maimburgii dicta examinantur.

ADDITIO.

Venerat VVittenbergam, (*Reg. H fol. 99 n. 42.*) verno hujus anni 1535. tempore, Doctor ex Britannia ab Henrico Rege missus: is se *Antonium*, & ut quaedam MSS. ostendunt, cognomento *Amarium* nominare voluit. In Regiis literis *Barnes* vocatur, & *Antonii* nomen ipse subscripsit, quanquam *Roberti* ab aliis ei tribuatur. Ab initio nihil aliud, quam de divortio Henrici, cum Theologis egit, nulla de religionis controversiis mentione. Id satis clare testatur *Melanchthon* epistola *ad Camerarium* d. 11 Martii data (*Lib. IV. ep. 170.*) qui & biduo post prolixis ad Regem literis eundem Antonium commendat, (*Lib. I. ep. 26.*) simul etiam ad reformationem religionis, & cessationem a suppliciis in dissentientes, Regem egregie hortatur. Ex Lutheri & aliorum literis invenio, Antonium illum ab Electore jam tum admissum fuisse: in Actis tamen non apparet, quid cum eo tractaverit. Non multo post, adulta jam aestate, literis Regiis VVindsorae d. 8. Julii datis, instructus Electorem Johannem Fridericum adiit. Rex eum vocat *Doctorem Barnes, Capellanum suum, & S. Theologiae Professorem*, eique plenam & indubiam fidem haberi petit. Cum Wittenbergam venisset, ubi tunc lues pestilens grassari coeperat, & maxima pars Professorum Academicorum cum juventute scholastica Jenam in Thuringiam translata erat, literas Luthe-

(a) *Antonius, sive Robertus Barnes, VVittenbergam venit.*

(b) *Itemque ad Electorem, commendatus a Luthero.*

An. 1535.

Lutheri manu scriptas, & simul a D. Jona, Crucigero & Melanchthone subscriptas impetravit, quibus eum, ut jam antea Principi notum, commendant, & significant, solicitari ab illo Melanchthonem, ut in Angliam ad Regem proficisceretur, qui egregiam cautionem, immo & obsides offerebat; meminit hujus vocationis *Melanchthon* ad *Camerarium ep. 79. Lib. IV.* Bonam spem ex itinere illo Lutherus conceperat, scribit enim: Wer weiß/was Gott würcken will/seine Weisheit ist höher / denn unsere / und sein wille ist besser denn unserer. *Quis scit, quid Deus efficere velit, sapientia ejus major est nostra; & voluntas melior.* Philippo etiam consultum cupit, ne nimio mœrore affligeretur, *tristis alioqui*, ut scribit, *puto, ob repulsam, quod Paulo ante Elector ab itinere in Galliam illum prohibuerat.* Insinuaverat se Melanchthon Angliæ Regi, misso illi per Secretarium ejus *Alexandrum Alesium* libro, ut ex epistola ad Regem (*Lib. III. ep. 4.*) mense Augusto data apparet: Notat enim *Spalatinus*, non solum clementer responsum, sed & ducentorum aureorum munus ei missum esse, & librum fuisse, commentarium in Epistolam ad Romanos. Exemplum literarum regiarum conservavit *Valentinus Bavarus* in compilatione sua *Vol. I. p. 252.* quæ integre adscribi merentur. *Henricus, Dei gratia Angliæ & Franciæ Rex, fidei defensor, & Dominus Hiberniæ, ac supremum Ecclesiæ Anglicanæ in terris sub Christo caput Philippo Melanchthoni sanctæ Theologiæ Professori eximio, amico nostro plurimum dilecto.*

(c) *Literæ Regis Angliæ ad Melanchthonem.*

Quod Christianæ religionis, ipsiusque veritatis propugnandæ studiosissimum te percepimus, sic eo nomine sincerissimo istius tui animi instituto jam pridem afficimur, ut nihil æque in votis habeamus, ac aliquam sese offerre occasionem, sanctissimos istos tui pectoris conatus quacunque nostra opera juvandi & promovendi. Ad hujus vero nostræ in te dilectionis non vulgaris animum quam maxima nuper accessit ex literis abs te per Alexandrum Alesium ad nos datis, quæ, etsi tui candoris & amicissimi erga nos studii indices essent satis locupletes, id tamen non obscuro egregii destinati muneris testimonio pulcherrimo testari voluisti. Munus certe ex sui ipsius excellentia dignum, quod boni omnes complectantur, &, quod nostro nomini dicatum est, nobis omnium quam maxime charum & acceptum. Ob igitur istam bene erga nos affectæ voluntatis significationem ingentes, & quantas possumus ex animo gratias tibi habemus, persuasumque esse volumus, nos rectissime istis tuis, & cum Deo conjunctis studiis nullo unquam tempore aut loco defuturos esse. Cætera ex fidelissimi ac intimi Consiliarii primariique Secretarii nostri Thomæ Cronvelli literis uberius cognosces, quibus rogamus, ut cunctam fidem habere velis, & bene ac diu valeas. Ex Regia nostra Vintoniensi d. 1. Octobris 1535. Responsum *Melanchthonis* extat *Lib. I. ep. 27.* 1. Decembris datum. Hæc indicio utique sunt, non plane nihil ad historiam Lutheranismi pertinere res Anglicas. Sed ad *Barnesium* redeo. Auditus is fuit ab Electore Jenæ eod. die & extat *Reg. H. fol. 71. n. 20.* (inter Acta anni 1532. per errorem relata) Electoris responsio ei data d. 18. Decembris. In hac petit ut Legatos, quos venturos esse significaverat, Electoris nomine rogaret, ut Wittenbergæ expectarent, donec ex conventu Fœderatorum, ad quem proficiscebatur, rediisset. Eo etiam differt, quæ Regi respondenda erant, *Melanchthonem in Angliam mitti* petenti. De oblata vero societate acturum se esse in eodem conventu pollicitus est, & effecturum se esse indicat, *ut Serenissimus Rex intelligat, non defuisse nobis,* (ita scribit,) *studium ac voluntatem gratificandi Regiæ Serenitati, & propagandæ piæ ac salutaris doctrinæ, ad gloriam Dei & salutem Ecclesiæ Christi. Nunquam enim abjiciemus rectam & puram doctrinam Evangelii & Ecclesiæ utilem, quam & Illustrissimus pater noster & nos cum reliquis conjunctis coram invictissimo Cæsare, Domino nostro clementissimo, & cæteris Imperii Romani Principibus ac Statibus, in conventu Augustano confessi sumus. Nec dubitamus, quin eodem animo sint & cæteri confœderati nostri. Ac rogamus Deum, ut propter gloriam Christi, & salutem nostram & Ecclesiæ, hunc animum nostrum confirmet.* Literas deinde ad Regem dedit d. 28. Septembris. In iis post alia, quibus *Barnesii* diligentiam, & Regium in se affectum laudat, hæc leguntur: *Magna accessio facta est ad hunc amorem erga R. S. V. postquam nunc intelleximus R. S. V. magno studio teneri doctrinæ religionis emendandæ. Nam hæc cura profecto summis Regibus præcipue digna est. Nec cultum alium Deo gratiorem præstare hi possunt, qui Respublicas gubernant, quam ut dent operam, ut Christi gloria latissime propagetur. Sicut Spiritus sanctus nominatim in Psalmo Reges hortatur, ut hunc cultum Deo præstent, cum inquit: In conveniendo populos in unum & Reges, ut serviant Domino. Nec vero dissimulari potest, multa irrepsisse in Ecclesiam vitia ante multa secula, propter negligentiam & cupiditates Romanorum Pontificum, quæ emendatione opus habent. Itaque si R. D. V. adjuvabit studium repurgandæ doctrinæ, & corrigendorum abusuum Ecclesiasticorum, primum Deo gratissimum sacrificium faciet, deinde præclare de universa Ecclesia & omni posteritate merebitur. Nos quidem per Dei gratiam hanc doctrinam, quam confitemur, & judicamus piam ac necessariam esse Ecclesiæ Christi, nunquam abjiciemus.* Idem Barnesius *Georgium* Saxoniæ Ducem antea convenerat, & de libro *Cochlæi*, adversus Regem edito, expostulaverat, petens, ut is sibi ad disputationem instituendam sisteretur, ut ex *Pontani* literis ad Electorem, Wittenberga hoc mense Septembri datis, intelligitur.

(d) *Electoru responsa Barnesio & Regi Angliæ data.*

Mense Decembri solennior Legatio, ut *Antonius* indicaverat, Vinariam venit, *Eduardus Foxus*, Episcopus Herfordiensis, & *Nicolaus Heyth*, Archidiaconus, quibus sese *Barnesius* junxit. De his memorabile est *Melanchthonis* ad *Camerarium* scribentis *Lib. IV. 183.* judicium: *Unus* (ait) *Nicolaus Hethus Archidiaconus humanitate & literis excellit inter hospites nostros. Cæteri ἄγευστοι ἡμετέρας φιλοσοφίας καὶ γλυκύτητος, nostræ philosophiæ & dulcedinis incapaces, ideo conversationem eorum fugio, quantum possum.* Legati illi Electori mandata regia, de concordia in religione, & pangendo mutuæ defensionis adversus Pontificem fœdere, exposuerunt, quorum compendium *Sleidanus* exhibet. Eadem prolixius in conventu Fœderatorum Smalcaldico sub finem mensis enarrarunt, & responsa tulerunt, quæ apud *Sleidanum* leguntur, & in Actis *Archivi* Latine & Germanice manu *Melanchthonis*, *Spalatini*, & *Burcardi*, Vice-Cancellarii Electoralis, consignata extant. Magnus Legatis honor habitus est, & articulos d. 25. Decembris compositos, superiori loco tres illi ante Principes subscripserunt, ut ex autographo apparet, in quo neglecta orthographia Archidiaconus, *Nicolaus* scripsit, pro *Nicolaus*. Inferiori loco subscripserunt Elector & Landgravius. Hæc forma hodie vix locum inveniret, multo minus subscriptio *Foxi*, qua in epistola ad Electorem d. 2. Maji 1536. usus est; E. Churfl. Gnaden guter freund. *Electoralis Celsitudinis Vestræ bonus amicus.*

(e) *Legati Anglici ad Electorem & ad Smalcaldicum conventum veniunt.*

Regressi ex conventu illo Wittenbergam, magno cum Electoris sumtu, nec sine multorum fastidio, ultra tertium mensem ibi substiterunt. Omnes ibi Augustanæ Confessionis articulos in examen vocarunt, & Lutheri atque Collegarum sententiæ per omnia accedere visi sunt. *Foxus*, referente *Pontano*, Excancellario Electorali, Wittenbergæ habitante, quem sæpe domi conveniebat, audacter asseverabat, Regem sententias VVittenbergensium prorsus probaturum esse, neque se tam libere illi assensurum fuisse, nisi de Regis animo certus esset; vehementer tamen instabat, ut Legatio in Angliam mitteretur cum Theologorum, tum aliorum ex primaria nobilitate, ex qua Foxus *Georgium Anhaltinum* ante omnes desiderabat, Præpositum tunc Magdeburgensem, dubitante tamen Pontano, an iturus esset, gravi adhuc jugo ab Archiepiscopo suo *Alberto Brandenburgico* Cardinali pressus. Extat elaborata a VVittenbergensibus, acceptata etiam & domum reportata a Legatis Anglicis repetitio & exegesis quædam Augustanæ confessionis. In hac articulus de sacra Cœna ita conceptus est: *Constanter credimus & docemus, quod in Sacramento corporis & sanguinis Domi-*

(f) *Eorum acta cum Theologis VVittenberg speciatim in articulo de S. Cœna.*

An. 1535.

(g) *Formula adversus Pontificem ab iis concepta.*

Domini, vere, substantialiter & realiter adsint corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & vini, & quod sub iisdem speciebus vere & corporaliter exhibeantur & distribuantur omnibus illis qui Sacramentum accipiunt. In fœderis autem formula a Legatis proposita de Pontifice ita statuitur: *Nec Serenissimus Rex, nec Illustrissimi Principes aut Status, unquam in posterum agnoscent, tuebuntur aut defendent, quod primatus sive Monarchia ulla Romani Pontificis hodie obtineat, aut unquam obtinuerit de jure divino. Sed nec in illam sententiam unquam consentient, quod utile sit, aut etiam expediat Reipublicæ Christianæ, ut Romanus Episcopus cæteris omnibus Episcopis præsit, aut ullam omnino jurisdictionem in dictorum Regis & Principum regnis, dominiis aut ditionibus, quovis modo exerceat in futurum.* Asseruerat *Foxus* in oratione ad fœderatos, factam jam esse m iorum abusuum Pontificiorum a Rege abrogationem, & abolitas esse *venias*, sive, ut loquebatur, *nænias* (indulgentias innuens,) & confidenter statuebat pacem nullam coalescere posse stante regno Pontificis, quod *tyrannidem Babylonicam* vocabat: Verissimum illum ajebat esse Anti-Christum, qui tantum honores & lucra sectaretur, & discordiarum semina inter Principes aleret.

(h) *Capita fidei inter Anglos & VVittenbergenses tractata & conventa.*

Præter illam Augustanæ confessionis repetitionem, vexatissimos articulos singularibus dissertationibus elaboraverant cum Legatis Theologi Wittenbergenses stylo, ut apparet, *Melanchthonis*, qui, cessante contagionis periculo, Jena redierat. Operibus ejus duæ insertæ leguntur, una nempe *Part. II. fol. 168. de conjugio Sacerdotum*, quam compilatores minus recte inscripserunt, quasi a Melanchthone ad Angliæ Regem missa esset: id enim non privato ejus, sed communi & publico nomine factum est. Altera *de Missa*, extat *d. P. II fol. 190.* cujus verba circa finem indicium faciunt, qua occasione scripta fuerit, ajunt enim: *Valde mirati sumus Anglicum decretum, cum nulla emendatio abusuum Missæ proponatur.* Ostenderant nempe Legati decretum *Henrici VIII.* adversus abusus quosdam publicatum, & in quo leviores tantum tangebantur, omissis præcipuis & capitalibus: quapropter mascule id rejecerant Wittenbergenses, quod obelisci *Melanchthonis* marginibus additi evidenter testantur; adscripsit enim alicubi οὐδὲν ὑγιές, *nihil sani.* Operosissima est diatribe de votis monasticis, quæ cum cæteris in *Archivo* asservatur, & lectu dignissima est, sed huc usque quod sciam, non edita.

Quicunque vero tunc mente Legati in religionis negotio fuerint, eventus tamen ostendit, Regem causam matrimonii sui præcipue respexisse & in ea non solum Theologorum Wittenbergensium approbationem, sed & societatem Saxonis & confœderatorum, quæsivisse, ut Cæsari, injuriam repudiatæ materteræ vindicaturo, eorum ope resistere tanto fortius posset. Licet igitur *Foxus* per literas ad eum retulisset, quæ Wittenbergæ acta essent, mandata tamen accepit, quibus negotium religionis prorogabatur. Extant Regis literæ ad Electorem d. 8 Februarii 1535. (ut in Anglia a festo Paschali numerari solebat, sed nostro calculo 1536) *Greenwici* datæ, magna cum humanitate & multa gratiarum actione pro amica Legatorū tractatione, in quibus tamen rem ad *Foxi* ulteriorem negotiationem remittebat.

(i) *Sententia VVittenbergensium de divortio Angliæ Regis.*

Sententiam Wittenbergensium in causa divortii summatim exposuit *Sleidanus*, eamque in egregio *historiæ suæ de reformatione Ecclesiæ Anglicanæ* opere refert *D. Gilbertus Burnetus*, nunc Episcopus Sarisberiensis *P. I. Lib II. in documentis n. 35.* his verbis: *Ex hac collatione, in qua audivimus argumenta de controversia divortii Serenissimi & Illustrissimi Regis Angliæ, Franciæ &c. proposita & diligenter agitata a Reverendo D. D. Edwardo Herford. Episcopo, D. Nicolao, Archidiacono & D D. Barnes, intelleximus, Serenissimum Regem maximis & gravissimis causis adductum, superatum & conclusum esse, ut in hoc negotio matrimonii sui faceret, quod fecit. Nam hoc manifestum est, & negare nemo potest, quod Lex tradita Levit. XVIII 20. prohibet ducere fratris uxorem &c. sed divina, naturalis & moralis lex est intelligenda tam de vivi quam de mortui fratris uxore, & quod contra hanc legem nulla contraria lex fieri aut constitui possit, sicut & tota Ecclesia semper hanc legem retinuit, & judicavit hujusmodi nuptias incestas esse, sicut testantur Synodorum decreta, & sanctissimorum Patrum clarissimæ sententiæ, & has nuptias prohibent & vocant incestas etiam jura civilia. Proinde & nos sentimus, hanc legem, de non ducenda uxore fratris in omnibus Ecclesiis servandam esse, veluti divinam, naturalem & moralem legem: nec in nostris Ecclesiis vellemus dispensare aut permittere, præsertim ante factum, ut ejusmodi nuptiæ contraherentur: & hanc doctrinam possumus & volumus, Deo volente, facile defendere. Cæterum, quantum ad divortium pertinet, nondum sumus plane persuasi, ut sententiam nostram ferre possimus; an post contractum matrimonium in hoc casu Serenissimi Regis debuerit fieri divortium. Rogamus igitur Serenissimum Regem, ut æquo animo ferat, differri sententiam nostram in hac re, donec erimus certiores.* Annus & dies responso huic non est additus, & *Burnetus* illud inter acta anni 1530 (forte per occasionem) retulit; *Lib. II. fol. 94.* sed exemplum ejus Germanicum, Wittenberga ad Electorem transmissum & *D. Casp. Crucigeri* manu descriptum in *Actis Archivi Vinariensis* Anni 1536 reperitur, eique sequentia verba addita sunt, quæ Legati, ut videtur, ex proposito omiserunt, ut Regi spem quandam de assensu Wittenbergensium imposterum impetrando, relinquerent: *Etsi, ajunt, consentiamus cum Dominis Legatis, servandam esse legem de uxore fratris non ducenda; mansit tamen inter nos controversum, quod Legati statuunt, dispensationi locum non esse, nos vero putamus, esse illi locum. Neque enim strictius obligare nos lex potest, quam Judæos. Si autem Lex dispensationem admisit, vinculum matrimonii utique fortius est, quam lex illa altera de uxore fratris.* Hæc clarius intelligi possunt ex Lutheri & Melanchthonis scriptis:

(k) *Lutheri de eo ad Barnesium litera.*

Extat enim *Lutheri* prolixa epistola ad *Barnesium* scripta, (absque die quidem & anno) quæ incipit: *En habe tibi tandem, mi Antoni &c.* in qua vehementer oppugnat dissolutionem matrimonii cum vidua fratris consummati, & parci vult tum uxoris, tum prolis ex nuptiis illis procreatæ, famæ & juri. Primarium ejus argumentum est, quod alibi quoque urgere solet, quod lex Moysaica non obliget Christianos, nisi quatenus continet jus divinum sive naturale. Matrimonium vero cum uxore fratris cum jure naturæ sive divino primævo non pugnasse, sed Lege demum Moysis prohibitum esse, pro certo habet. *Relinquitur ergo, ait, quod Rex, si peccavit ducendo uxorem fratris sui mortui peccavit in Legem humanā seu civilem;* id est ut paulo post loquitur, *in legem Dei inferiorem & posteriorem) si vero ductam repudiaverit, peccaret in legem divinam sive superiorem, quæ matrimonium consummatum solvi prohibet.* Ostendit etiam jus dispensa di ex ipsa lege Moysaica, cum hæc non solum concedit, sed & jubet fratris viduam ducere, quæ ex marito prolem non suscepit, quod indultum aut præceptum non foret, si tale conjugium juri divino adversaretur.

(l) *Melanchthonis sententia.*

Idem prolixe & eodem argumento aliisque defendit *Melanchthon*, cujus hac de re dissertatio, in *consiliis a Pezelio* editis refertur *P. I. p. 128* Notatur tamen jam anno 1531 d. 23. Augusti scripta esse: quod in medio relinquo, malimque ad annum 1535. aut 1536. referre. Quicquid fit, certum est, Melanchthonem cum Luthero statuisse, *legem de non ducenda fratris uxore dispensabilem esse, licet legem ipsam aboleri noluerint*, id quod iisdem verbis ad *Camerarium* (quem nihil celare solebat,) hoc anno 1536. d. 5. Febr scripsit. Vid. *Pezel, d l. p. 137. & Lib. IV. ep Mel. 183.* Movebat omnes commiseratio *Mariæ*, Henrici filiæ, quam Lutherus dicta epistola *reginulam* vocat, & Pontanus docta & cordata ad Electorem relatione, d. 15. Aprilis scripta, multus in eo est, ut, quoniam interea d. 8. Januarii *Catharina Regina* decesserat, & status quæstionis, quoad secundas Regis nuptias, mutatus erat, Regi persuaderetur, ut filiæ natalibus consuleret, eam decenter elocaret, & successionem in regno, si filium ex secundis nuptiis suis non relinqueret, ei conservaret.

(m) *Angli secretum de Cæsare produnt*

Legati, cum nihil omitterent, quo Saxonem & socios ad fœdus cum Hero suo sine exceptione Cæsaris inducere possent, secretum Electori revelarunt narrantes, Legatum Henrici *Wiatum* ex aula Hispa-

An. 1535.

Electori, usque tamen hunt ad fœdus permovent.

Hispanica retulisse, Cæsarem vehementer infensum esse Saxoni & Hesso, eosque hostes & rebelles suos vocasse, cum ad *Wiati* expostulationem (quod *Polum* Cardinalem ab Henrico proscriptum admisisset, & benigne tractasset,) excanduisset. Perstitit tamen Elector tum Vinariæ, tum Smalcaldiæ & in conventu Francofurtensi, mense Majo 536. habito, in sententia de excipiendo Cæsare, (maxime, si religionis libertatem non eriperet) & quod prius de articulis religionis exacte cum Rege conveniendum esset. Hanc autem conditionem Landgravius in deliberatione, Northusæ hac de causa instituta, mitigandam esse contendebat & fœdus iniri volebat, quamvis Anglus in quibusdam capitibus fidei dissentiret, modo contra Pontificem & pro libertate Concilii ac decisione controversiarum ex sacra Scriptura consilia & vires jungeret. Neque tamen a suo principio dimoveri se passus est Elector, Pontani consilium secutus, qui negabat, illæsa conscientia, pro religione conjunctionem fieri posse cum iis, qui in capitali aliquo articulo errarent, neque Electorem sociorum suffragiis in tali quæstione vinci posse, quia singulorum conscientiæ consulendum esset, nec quisquam, numero diversa opinantium, coram Deo tutus esse possit. Cum itaque nihil aliud ab Electore impetrare possent Legati, circa Idus Apriles Wittenberga Francofurtum profecti sunt, & Elector, sive Episcopi candori diffisus, (lubricæ enim fidei & linguæ esse ferebatur,) sive revera negotiis, quæ prætendebat, obrutus, admissionem, quam discessuri postulabant, denegavit: comi quidem cum excusatione, sed quam Episcopus ita accepit, ut repulsæ dolorem non celaret. Patet id ex epistola ejus, magno cum artificio d. 8 April. scripta, in qua tamen magnis *excellentis humanitatis*, *summæ in amicitia sinceritatis, & eximiæ diligentiæ in omni generosi & vere magni pectoris officio*, laudibus illum cumulat. Optandum esset, ut in regio Archivo Londinensi inquirerentur relationes Episcopi, (modo ausus fuerit sincere exponere) quid cum Collegis ad Regem de actis cum Electore & Theologis Wittenberg. scripserit. Ipse tunc cum Sociis ex conventu Francofurtensi, acceptis d. 5. Jun. ad Regem ab Electore & Landgravio, pro se & reliquorum sociorum nomine, literis, abiit.

(n) Legatorum discessus.

(o) Consilia de legatione in Angliam mittenda; cujus tamen loco literæ solum scriptæ sunt.

Elector quidem per Legatos suos cum sociis agebat, ut splendida legatio in Angliam mitteretur, ut Legati Regii petierant. Denominaverat *Georgium*, Principem Anhaltinum, tum illustris generis causa, tum, quod *vir* esset *doctus*, *& Dei Verbique ejus amans & studiosus, & Prælatus Ecclesiæ*; Melanchthonem etiam mittendum offerebat; falsus tamen, Academiam Wittenbergensem difficulter carere illo posse, & plurimos, ejus causa, in illam confluere; additurus erat *Franciscum Burchardum*, Vicecancellarium suum, qui Melanchthoni charissimus erat. Landgravius missurus erat *Comitem Solmensem* & *Jacobum Sturmium*, tum ex Theologis *Bucerum*, *Snepfium* aut *Brentium*. De mandatis etiam deliberatum erat, quæ in summa eo tendebant, ut Rex Augustanam confessionem, salva emendatione ex verbo Dei, in regno suo reciperet, eamque in Concilio defenderet; deinde ut protectionem Protestantium cum titulo *Defensoris* susciperet; si vero de capitibus religionis cum Legatis Principum concordia iniri non posset, nec Rex articulos, de quibus Wittenbergæ Legati ejus cum Theologis convenerant, approbaret, tractare tamen jubebantur de mutuis auxiliis, quorum modus proponebatur, nempe, ut Rex vel ducenta aureorum millia subministraret, vel quingentos equites suo sumtu, itemque decem naves bellicas mitteret; Protestantes vicissim insignem copiarum numerum offerebant. In causa matrimoniali secundum sententiam Wittenbergensium assistere ei volebant, sed ita, ut, postquam jam defuncta erat *Catharina* Arragonia, filiæ, *Mariæ*, ex illa natæ, honeste prospiceretur. Verum plerique Principum & civitatum Legati a tractatu cum Rege Angliæ abhorrebant, multi defectu mandati sese excusabant; itaque nihil definiri potuit, & postea Elector Landgravio d 12. Julii solicitudinem suam aperuit, suadens, ut vel mora necteretur, vel aliquis in Angliam explorator mitteretur, vel *Æpino*, Hamburgensium Superintendenti, qui magnam cum *Thoma Cromwello*, Regis primario in rebus Ecclesiasticis ministro, familiaritatem habebat, negotium daretur, ut, quæ in Anglia fierent, sciscitaretur; literæ enim ab *Antonio Barnesio* (*Reg. H fol. 109. n. 48.*) ad *Melanchthonem* allatæ erant, in quibus mutationem rerum significabat, & iter in Angliam dissuadebat: erant etiam, qui *Herfordiensem* mendacii accusarent. Convenerunt tandem Principes, ut literæ ad Regem scriberentur, easque *Melanchthon* composuit, & datæ sunt Kal. Sept. Petunt hisce, ut Rex mentem suam de articulis, de quibus inter Legatos ejus & Theologos Wittenbergenses conventum fuerat, aperiret, ut & de Concilio, de cujus indictione fama jam percrebuerat. Verum hæ literæ tarde ad Regem pervenerunt, ut in sequentibus dicemus.

An. 1535.

§. XL.

(1) Fœderatorum responsum Legato Gallico datum.

Oblitus est Maimburgius, affectata & inutili adversus Sleidanum vitilitigatione forte abreptus, ut responsum fœderatorum referret, quod Gallico Legato datum est. Retulit autem id, eadem, qua cætera, fide *Sleidanus d. l. p. 260.* Accipiunt videlicet excusationem de suppliciis adversus eos decretis, qui seditiones moverent, testati, se tales nec in suis ferre ditionibus: rogarunt autem Regem, ne sine discrimine procederet, nec immitior esset, adversus eos, qui puram doctrinam secundum Augustanæ confessionis normam profiterentur. Falsas & impias doctrinas in Ecclesiam invectas esse, & pessime per sævitiam defendi queruntur, fictisque criminibus pios onerari, & Regum animos exacui. Commonefaciunt eum officii regii, ut Ecclesiam ab erroribus purget, & injustam crudelitatem reprimat. Deinde ad ea, quæ Legatus de veteri Regis cum Germanis Principibus necessitudine magnifice prædicaverat, honeste respondent. De Concilio monent, ne soli Pontifici arbitrium deferatur, qui aliud non agat, quam ut veram doctrinam opprimat, sed ut habeatur in loco tuto, & dirigatur autoritate Cæsaris & Regum. Acceptant denique gratæ mentis testificatione, quod Rex obtulisset, se nulli opem laturum esse, qui eos oppugnatum iret. Sed cum minime consentirent, ut adversus Cæsarem aliquid ageret, verum hujus & Imperii causam diserte exciperent, omni reliqua verborum civilitate non satisfecerunt Legato, cujus negotiatio ad divellendos a Cæsare Principes unice spectabat. Itaque fidem, ut decebat, Cæsari debitam publice & egregio documento probarunt, quod maligne reticuit Maimburgius. Non deerant tamen fœderatis impatientiæ causæ, vexabantur enim adversus pacta Norimbergensia, & Cæsaris edictum, actionibus Cameræ Spirensis, neque multum apud Ferdinandum Regem Elector Saxo profecerat, propositis querelis & mediis, neque promissa tandem a Rege impetrata effectus sequebatur, continuantibus obstinate Cameræ judicibus in processibus, contra Protestantes circa bona ecclesiastica decernendis, ita ut is perpetuus fomes belli intestini maneret, Vide *Sleid. d. l. p. 258. & seq.* Quæ Maimburgius de responso, *Vergerio*, Pontificis Oratori, a fœderatis dato, hic demum loco non satis commodo assuit, supra § *XXXV.* expedita sunt. Jam cum reliqua omnia hujus anni in causa religionis gesta silentio transmiserit noster, ad præcipua ex illis supplenda progrediendum est.

(2) Fides in Cæsarem, & molestia a Camerali judicio.

§ XLI.

(1) Lutherus calumnia re-

Dicendum aliquid venit de *Anabaptistis Monasteriensibus*, eorumque regno fanatico & insano, quod hoc anno finem, qualem merebat, accepit. Con-

An. 1535. *spondet, quod Anabaptistæ ex sua prodierint schola.*

Constat sane, Anabaptistarum errores a Luthero serio improbatos & refutatos esse; ea tamen erat adversariorum malignitas, ut jamdudum omnem invidiam, ex maleferiatorum illorum facinoribus ortam, ei impingerent. Duobus autem hoc anno scriptis & horum calumnias, & furorem Anabaptisticum repressit, & justa prosecutus est censura. Ediderat *Urbanus Regius*, Luneburgici Ducatus Superintendens, tractatum contra Anabaptistas. In hunc præfatus Lutherus *Tom. VI. Alt. fol. 473. seq.* queritur primo de infelicitate illa sua, quod omnibus displiceat, & quod ab Anabaptistis, duos falsos Prophetas, nempe *Pontificem & se*, sicut duos bonos, Davidem nempe & *Johannem Leidensem* statuentibus, deteriores partes sibi alligneritur, pejorem enim Papa esse dicebant. *Ita*, ait, *acu scilicet rem tangere putant, inter Pontificios, qui me pro omnium fanaticorum primario habent, & inter fanaticos, qui me duplicem Papistam faciunt, sed neutri scopum feriunt, aberrabunt enim perpetuo omnes, & irridebit vanos jaculatores, qui habitat in cœlis Ps. II.* Laudat inde Regii scriptum adversus fanaticos, quo melius a Papistis sperandum esse negat; illos enim nihil magis quotidie strepere & sonare, nullumque fere majorem clamorem illorum nunc audiri, quam: *ecce quam pulchra ex Lutheranismo eveniunt! Sed ista argutia quid* (pergit) *efficient? Nonne Cacodæmones ex Angelis prodierunt, quos bonos Deus creaverat? Nonne ex Adamo & Eva, bonis itidem ante lapsum, peccatores? Nonne ex discipulis Christi Judas? & Johannes dicit, I. Epist. II. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Manifestum sane est, hæreticos non prodire ex Ethnicis, sed ex Christianis, & Ecclesia Romana sancta esse vult, et si Lutheranos, qui ex illa exierunt, damnet. Cur Lutheranis non idem jus est, & cur non boni aut innoxii haberi possunt, et si ex illis exierint Anabaptistæ?* Allegat etiam culpam, quæ sacræ Scripturæ imputari solet, quod hæreticis ansam daret, unde *Emserus* pro sapientia sua de versionis utilitate dubitaverit. Miratur denique, cur corpus quisque suum non damnet, ex quo, lautissime licet habeatur, nil nisi fœda exeant, aut ei adhæreant. Consolatur se suosque dicto Christi *Matth. X. 25. Si patremfamilias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos ejus? Grassentur, ait, ut lupi, donec iis os transversum faucibus impactum hæreat,* Friß lieber Wolff/friß/ daß dir bald ein bein qver im halse bleibet. Hæc Pontificiorum conviciis objecit.

(2) *Anabaptistis & Papistis alia objecit.*

Anabaptistas altera dissertatiuncula, quam *Sleidanus* fere totam latinam vertit, *Lib. X p. 278.* aggreditur: sed non sine aculeis in Monachos, quos *subtiliori artificio, quam rabiosi illi fanatici, regna mundi invasisse*, ait. At illum valde importunum protervumque dæmonem esse, qui Monasterienses agitat, indeque haud diu duraturam fore insaniam ejus, sicut nec Munzeri duraverit, quem Mahometicum dominatum introducturum fuisse non dubitat, si successu non fuisset destitutus. Optimum itaque remedium esse, quod Episcopi, omissa sævitia, procurare debeant, verbi divini puram prædicationem. Salse etiam irrisit *eodem in scripto* hos, ut & in *præfatione commentarii in Epistolam ad Galatas*, (de quo paulo post agam) quod statuerent, neminem, neque Christianum, neque magistratum, neque adeo conjugem, legitimum fuisse, nisi rebaptizatum, cum eo modo se ipsos omnes pro spuriis & illegitime natis declararent; neque enim aliis parentibus geniti erant, quam qui in infantia baptizati fuissent.

An. 1535. (3) *Quædam de motibus Monasteriensibus, cum epicrisi.*

Quod historiam *motus Monasteriensis* attinet, cum ad Lutheranismum proprie non spectet, nolo eam hic recitare, a multis olim tractatam, & succincte pariter atque eleganter a *Sleidano* relatam *d. Lib. X.* Negari autem non potest, occasionem a libertate doctrinæ Evangelicæ datam esse Anabaptistis in urbem illam irrependi. *Bernardus* enim *Rothmannus*, qui primus in æde Mauritiana ante urbem concionatus fuerat, & duo Ecclesiastæ, quos Landgravius Hassiæ, rogatu ejus & delectorum ex civibus, Marpurgo Monasterium miserat, errores Pontificios XXXI capitibus consignatos Senatui anno 1532. exhibuerant: quos cum vocati in curiam Pontificii sacerdotes agnoscerent, nec defendi a se posse faterentur, decreto publico a docendi munere remoti sunt. Secuta inde est Cleri ex urbe fuga, & Episcopi *Francisci, Comitis Waldecci*, infelix conatus eam commeatu prohibendi: eruptione enim civium facta, plerique ex Canonicis & Clero capti fuerunt. De religionis dein purioris libertate & exercitio, Landgravii interventu, transactum est, anno 1533. & hucusque non nisi Evangelica doctrina in sex templis urbanis prædicata fuit, relicto in Cathedrali veteri cultu. Inde clanculum irrepere cœperunt Anabaptistæ, & quidam *Hermannus Stapreda*, collega Rothmanno datus publice impugnavit pædobaptismum, nec multo post *Rothmannus* ipse, posita simulatione, eundem professus est errorem, & ejecti fuerunt recta docentes: *Rothmannus* enim oblatam ab iis disceptationem recusavit, & plebem ex agris furore illo infectam in urbem advocaverat. Inde anno 1534. factiosorum vi Senatus novus constitutus, & denique sartor ille, *Johannes Leidensis*, Rex electus est, cujus immania facinora & pœnas, pro meritis illi & aliis post captam urbem irrogatas, apud *Sleidanum* aliosque legere licet. Reperiuntur adhuc turpissimi Regis aurei cum epigraphe, item literæ salvi conductus, Legatis Hassiacis, aliisque qui eas petebant, datæ, in quibus titulum sibi tribuit *Regis in novo templo Dei, & ministri justitiæ.* Johannes von Gottes Gnaden / in krafft des Königlichen Reichs im neuen Tempel Gottes / ein Diener der Gerechtigkeit. Item *verus minister justitiæ urbis Monasteriensis.* In sigillo pictus est orbis, cui tres pugiones infixi sunt, pro capulo crucem habentes. In nummis ex una parte dictum legitur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ex altera: *Una fides, unum baptisma.* Quibus sectam hanc ex Lutheranismo deducere, ejusque facinora huic imputare libuit, considerare debuissent, magis illam cum regno Pontificio comparari potuisse. Lutherus enim nulla vi grassatus est, nec cuiquam autor fuit, ut grassaretur. Non coronas ille aureas regiamque pompam, non nummos, non milites, ad doctrinam suam tuendam advocavit, ferro non exterminavit dissentientes; at ista omnia cum quorundam Pontificum institutis Rex ille Anabaptisticus communia habuit. Et cum

Reges

An. 1535.

Reges præterea, poteſtatesque omnes oppreſſum, ſi licuiſſet, iret, id non a Luthero, ſed ab illis diſcere potuit, qui Reges non cenſura modo Eccleſiaſtica, ſed conductis exercitibus ſolio ſuo deturbarunt, & in ordinem redactos pedibus conculcarunt, quod hiſtoriæ certaminum inter Pontifices & Imperatores ſatis docent.

ADDITIO.

(a) *Anabaptiſtæ in Electoratu Saxonico.*

Secta Anabaptiſtica & fanatica non ita extincta erat, etiam poſt *Munzeri* cladem, & fugam *Caroloſtadii*, ut nullæ ejus reliquiæ aliquibus in locis ſupereſſent: maxime in tractu ad Salam, ubi plebs importunis *Caroloſtadii* concionibus infatuata erat. Renovata igitur ſunt plus una vice mandata Electoris, præſertim cum Monaſterienſium furor magis magisque erumperet: Capti ſunt hoc anno 1535. a quæſtore Leuchtenburgenſi in pago *Eutersdorff minori*, ad Salam amnem, molitor cum uxore & filia, & quatuordecim peregrini alii, qui ex variis locis, ſpiritus, ut dicebant, inſtinctu, ibi convenerant. Faſſi ſunt, ſe adultos rebaptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, ſed non niſi tribus aquæ guttis caput baptizandorum conſpergere: Scripturam jactabant, cordibus uis a Spiritu ſancto inſcriptam eſſe: paratos ſe ad tolerandam crucem & mortem, exemplo Chriſti, & paria cum illo merituros: Fratrum & ſororum nomine ſe invicem compellabant, parentes quoque & liberi. Hæc ſimplici res jactabant, quos plerosque *D. Caſpar Cruciger* & *Philippus Melanchthon*, qui, re icta ob peſtem Wittenberga, Jenæ tunc erant, & *Antonius Muſa*, paſtor oppidi, diligenti informatione ab errore revocarunt. Alii gravius & pertinacius inſaniebant: inprimis *Henricus Craut*, ſartor, ex pago Eſpenfeld prope Francohuſam, *Juſtus Miller* Schonavienſis, & *Johannes Peisker*, Eutersdorffienſis. Horum errores ſæpe & diligenter indagatos, ſua manu conſignavit *Melanchthon* (*Reg. N fol. 403. QQ. n. 1.*)

(b) *Errorum eorum recenſio & refutatio.*

Negabant in infantibus peccatum eſſe, aut eos baptiſmo opus habere, rejiciebant itaque in totum pædobaptiſmum; infirmitatem innatam, id eſt, pravam concupiſcentiam, vel culpam originis non eſſe peccatum, ſed tale demum fieri, ſi conſenſus in adultis accedat: infantes igitur omnes, etiam Turcorum, Judæorum & Gentilium, ſalvari abſque baptiſmo, bona enim eſſe omnia a Deo creata: Chriſtianos non poſſe magiſtratu fungi, nec gladio uti: opus non eſſe inter Chriſtianos magiſtratibus, ſed miniſtros verbi ſufficere: juramenta illicita eſſe: condemnabant proprietatem poſſeſſionum, & communionem bonorum, ad morem Apoſtolicum, urgebant: conjugium inter fidelem & infidelem, id eſt, inter Anabaptiſtas cum ſectæ illi non addictis, improbabant, & pro fornicatione habebant, unde plurimas conjugum exercebant ſeparationes. Nihil profectum fuit horum dogmatum refutatione, quam Melanchthon & ore & ſcripto diligentiſſime faciebat: dicebant enim mire corrupti homines, ſe ſolos Scripturam, ſpiritu dictante, intelligere, conviciaetiam & minas magna ſpargebant cum ferocia.

(c) *Supplicium in quosdam.*

Itaque poſt aliquot menſes tres illi Jenæ d. 27. Januarii 1536. publice decapitati ſunt, ex ſententia Juriſconſultorum Wittenbergenſium. In hac rationes allegantur, quod iſti, contra verbum Dei, edictum Cæſaris (anno 1529. promulgatum) & præcepta Electoris publica, ſectæ Anabaptiſticæ adhæſerint: ſartor ille alios rebaptizaverit, & dux factionis fuerit: tum etiam in exercitu rebellium Francohuſæ profligato militaverit: omnes vero contra prohibitionem Principis cœtum in pago Eutersdorff fecerint, omnemque admonitionem huc usque ſpreverint, & in errore perſeveraverint. Aſſeruerunt etiam eum ad mortem usque, magna cum pervicacia.

(d) *De quodam Johanne Schleyero.*

Multa refert *Melanchthon* de alio quodam *Johanne Schleyer* ex pago *Riet-Northuſano*, præfecturæ tunc Vinarienſis, qui non tam Anabaptiſmi quam aliorum errorum reus, concionator tamen anno 1525. in ruſticorum rebellium cœtu fuerat. Offenſus erat malis moribus parochi ſui & aliorum; inde, ex Donatiſtarum opinione, validitatem miniſterii ad ſanctitatem miniſtrorum reſtringebat. Æſtimabantur hic & alii ob morum modeſtiam; abſtinebant enim compotationibus & alea, & improbabant uſuras; dicebant etiam, ſe purioris vitæ cauſa multis inviſos eſſe. Illum hominem ab errore convertit Melanchthon, ſed diuturno carcere fatigatum. Erat autem is plane illiteratus; interrogatus vero a Melanchthone, *quomodo multa Evangelicæ doctrinæ conſentientia didiciſſet & concionatus eſſet?* reſpondit: *ſe dudum a parentibus ſuis inſtructum fuiſſe de ſalute hominum ex fide in Chriſtum adipiſcenda, & ſpernendis indulgentiis aliisque traditionibus Pontificiis.* Oportet autem illum hæc ante cœptam a Luthero reformationem audiviſſe, cum anno 1525. virili jam dum ætate eſſet, & conciones haberet: Unde, quod alibi monitum fuit, probari poteſt, ſemper in Eccleſia, etiam inter plebejos, fuiſſe, qui meliora fidei fundamenta haberent, quam vulgo docerentur.

(e) *Melanchthonis ſcriptum de errore Anabaptiſtarum.*

Aſſervatur egregia *Melanchthonis* confutatio Germanica, populariter ſcripta, qua captivos illos ad agnoſcendos errores reducere allaboravit; quæ etiam, ut videtur, evulgata illo tempore eſt, ut pariter errantibus proficeret, aut alios ab errore præmuniret. Additur illi in fine monitum, ne quis ſcandalum capiat, qui viderit Anabaptiſtas tam audaces eſſe in ſuppliciis tolerandis. Tribuit enim id obdurationi diabolicæ, argumento ſatis valido, quod ad mortem usque repugnent & reclament verbo Dei; id utique non eſſe ex Spiritu ſancto.

(f) *Aliorum fanaticorum hiſtoria.*

Subjungam alia in iisdem actis annotata, quanquam ad alios annos pertineant, ut ſemel abſolvam hanc materiam. Anno 1530. tempore comitiorum Auguſtanorum viſus eſt in illo tractu quidam nomine *Auguſtinus*, qui ſibi Regis titulum tribuebat, & diadema cum ſceptro præferri faciebat, Imperatori & Principibus exitium minatus, quod ope Judæorum illis illaturus eſſet. Anno 1531. *Georgius Groſs*, dictus *Pferſfelder* ex nobili familia in Franconia natus, magna cum inſolentia, Anabaptiſticos errores defendit. Extant ejus literæ ad *Johannem a Seckendorff*, præfectum Brandenburgicum in Bayersdorff, impudentiſſimæ & nefariæ. In his inter alia ſtatuit, rebaptizatos peccare amplius non poſſe, aut ſi peccent, regreſſum ad ſalutem non habere. Lutheri doctrinam improbabat, quia homines pravos mores non corrigerent.

(g) *Landgravius ab Electore in puniendis Anabaptiſtis diſſidet.*

Dixi alibi, diſſenſiſſe ab Electore Landgravium, in pœnis adverſus Anabaptiſtas decernendis. Furentibus tamen Monaſterienſibus, ad minuendam lenitatis illius invidiam (*d. Reg. N QQ. n. 5.*) edicti cujusdam formulam Electori miſit, in qua illis, qui Magiſtratus officia improbarent & ſeditiones conſcitarent, ultimum ſupplicium, aliis alia irrogavit. Duraſſe invenio illam diſceptationem ad annos usque 1544. & 1545. Neque ſopiri potuit habito anno 1544. inter *Juſtum Menium*, Superintendentem Iſenacenſem, & *Paſtorem Hirsfeldenſem* (cujus nomen non traditur) colloquio. Perſiſtebat in ſententia Landgravius, bona conſcientia nemini mortis pœnam inferri poſſe ob errorem in fide, quia hæc in nullius poteſtate, ſed purum Dei donum ſit: metuere ſe etiam exemplum hujus rigoris dicebat, in Evangelicos nempe redundaturi.

(h) *Obſervatur Electoris moderatio.*

Notari meretur prudentia Electoris Saxoniæ, qui jam anno 1536 Wittenbergenſes Jureconſultos, qui tribus Anabaptiſtis ſupra nominatis capitis pœnam decreverant, acriter reprehendit, cum paulo poſt idem ſtatuerent in *Petrum Peſtelium*, ſartorem Zuiccavienſem, ob Zuinglianiſmum: Reſcripſit enim nullo jure eos hoc feciſſe, & ipſum edictum Cæſaris anno 1529. eo non pertinere.

(i) *De quibusdam fanaticis in Thuringia, & eorum pœnis.*

Multi interim Anabaptiſtæ illo, quem indicavi, anno 1544. & ſequenti in locis ad Vierram, ubi communis cum Landgravio juriſdictio erat, reperti ſunt, baptizati a *Georgio* quodam ruſtico, prope Hirsfeldam nato, qui poſtmodum Bambergæ ſupplicium paſſus, & a ſuis pro martyre habitus eſt. Sed nec alii Thuringiæ tractus purgati ab hac labe prorſus erant, & extat inſignis relatio *Friderici Myconii*, Superint. Gothani, de quodam ex pago *Tungeda*, quem ille multo cum labore & ſtudio tandem convertit. Tardiſſime enim ad ſupplicia procedebatur, & non niſi in caſu vel rebellionis vel obſtinatæ contumaciæ in propagandis erroribus. Ita contra tres illos ſupra nominatos exerci-

An. 1535.

exercitium est capitale illud judicium: neque tamen invenio quod Theologorum consilium in illa causa adhibitum fuerit. Considerandum nempe est, homines illos non solum theoretice, ut dici solet, errasse, sed & in rempublicam peccasse, dum palam jura Magistratus impugnarent, & contra toties edita & repetita Cæsaris & Principis edicta coetus habuissent, ideoque tempore magnum periculum ab exemplo Monasteriensium, qui vi & armis grassati erant, metuendum esset, nisi severitatis cujusdam exemplo repressa fuisset hujusmodi hominum licentia. Ideoque etiam Landgravius publicato, ut dixi, Edicto, rigore usus est, contra Magistratuum contemtores, Elector vero clementer ignovit omnibus, qui ab errore reduci se patiebantur; eandemque gratiam reliquis fecisset, nisi semet pervicacia & contumacia sibi ipsis exitium accelerassent. Notandum etiam est, exilium, quod inter alias pœnas arbitrarias esse solet, & a Landgravio in edictis suis intentabatur, in mandato Cæsareo 1529. prohibitum esse, bona utique ratione, ne pulsi ex una provincia fanatici errores suos in alias transferrent, ubi forte conniventia Magistratuum ad exercendam insaniam suam robur acciperent. id illo ipso tempore factum est, ut ex confessione captivorum, de quibus dictum fuit, constat: Retulit enim unus & alter, se in *Moravia* fuisse, ubi duodecim fratrum, quos vocabant, millia circa oppidum S. Nicolai (Niclausburg) congregata fuerint.

§. XLII.

(1) Lutheri commentarius alter in epistolam ad Galatas, & Menii in ejus versionem præfatio.

Inter scripta Lutheri eminet *commentarius* repetitus *in epistolam ad Galatas*, quem ex ore legentis exceperant studiosi, maxime *Georgius Rorarius*, Diaconus Wittenbergensis, ipse autem revidit & cum præloquio edidit Lutherus, miratus, quod in eam magnitudinem excrevisset. (habet enim folia fere ducenta integra.) Relatus est in *Tomum IV. Lat. Jen.* cum debuisset in *III.* referri, id quod editores *fol. 1. in margine* excusarunt. Germanice versus fuit a *Justo Menio*, celeberrimo Theologo Thuringo, qui in dedicatione ad Johannem Fridericum Saxoniæ Electorem *Tom. VI. Alt. fol. 509. & seqq.* magna cum parrhesia Lutherum & totum reformationis negotium laudat & defendit, cujus fundamentum primario de justitia fidei articulo epistolæ ad Galatas innititur, quem Lutherus in commentario hoc, incomparabili modo, asseruit. Apparere hinc, ait *Menius*, non ex levitate aut opum honorumque cupidine alioque respectu temporali, sed propter gloriam Dei, amorem veritatis, & salutem animarum adactos fuisse Lutherum, & qui eum secuti sunt, ut Scholasticorum & Sophistarum dogmata de justificatione operum, illisque superstructo cultu, aggrederentur. *Si quis tamen*, ait, *vel tam stupidus est, vel invidus, ut nos putet ab initio, illis, quas dixi, caussis temporalibus incitatos, in litem hanc descendisse; nemo tamen tam omni ratione & sensu nos destitutos esse putabit, ut obstinate in errore perstiterimus, postquam tot annorum experientia, & per totum pene terrarum orbem, deprehendimus, quam procul simus ab omni commodo & emolumento opum & honorum, ut potius incredibilibus calamitatibus exerciti, vitæ, corporis, honoris, uxorum, liberorum, bonorumque omnium jacturam adierimus, aut quotidie adeundam metuamus, & pro deterrimis hæreticis & diaboli mancipiis ubique gentium exagitemur & damnemur. Hic rigor profecto curiositatem & levitatem, si quæ in nobis fuisset, corrigere tandem potuisset.* Lutherus quoque in *præfatione* sua Satanæ adversus veritatem insultus sævissimos, novosque inprimis Anabaptistarum furores, qui hoc anno ad summum insolentiæ & nequitiæ gradum pervenerant, pathetice describit. Commendavi *Lib. I. §. LXXXII.* ex merito (ut pro conscientia mea profiteor) *priorem* in hanc epistolam *commentarium*, anno 1520 Latine editum, & anno 1525 germanice versum, nec tacui, quantos ille effectus ad reformationem doctrinæ attulerit. At quid de hoc dicam? qui, accedente tot annorum studio, tantarumque rerum experientia, non potuit non primum illum superare.

(2) Encomium ejus, & aliqua ex præloquio.

Verbositatem itaque excusat in præloquio Lutherus, ut dicat: *in corde meo iste unus regnat articulus, fides Christi, ex quo, per quem & in quem omnes meæ diu noctuque fluunt & refluunt theologicæ cogitationes.* Extenuat tamen se suosque labores, addens: *Nec tamen me comprehendisse experior, de tantæ altitudinis, latitudinis, profunditatis, sapientia, nisi infirmas quasdam & pauperes primitias & veluti fragmenta, unde & pudet, in tantum Apostolum & Organum electum Dei meas tam egenas & frigidas commentationes edi.* Compendium doctrinæ suæ in hoc commentario ipse nobis exhibet Vir Dei, in argumento, quod post præfationem sequitur. *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 4. b. ad 7.* Quanquam vero insignia ornamenta ex hoc quoque libro Lutheri, operi huic meo afferre, & sanctitatem certitudinemque doctrinæ ejus ad oculum demonstrare denuo luculentissime possem, video tamen plus justo excrescere librum, ideo parce & veluti per indicis modum aliqua annotabo, ea maxime de causa, ut calumniæ Cochlæi, & aliorum tunc sparsæ os obstruatur, quasi sententiam suam Lutherus mutasset; eandem enim fortius & disertius propugnavit.

(3) De forte vocatione ministrorum & sua.

Fol. 9. distinctione vocationis, quæ Apostolis & quæ ministris Ecclesiæ post eos contigit, præmissa, utramque tamen statuit divinam esse, scribens: *Sumus igitur & nos divina autoritate vocati, non quidem immediate a Christo, ut Apostoli, sed per hominem.*

(4) De ingenio Germanorum.

Fol. 18. b. Germanos, ut quidam statuunt, ex Galatis oriundos esse, inde verisimile sibi esse dicit, quod & in nobis desideretur gravitas & constantia, cum sub initio valde caleamus, sed ubi primorum affectuum calor deflagravit, mox remissiores fiamus. Id confirmat ex historia reformationis, ad quam initio cupidissime concursum fuerit, *at nunc*, ait, *quando magno cum incremento verbi non infeliciter purgata est doctrina veritatis, plerique ex discipulis fiunt contemtores & inimici, qui non solum verbi studium abjiciunt, & ministros ejus negligunt, sed etiam omnes bonas literas & liberales artes oderunt fiuntque plane porci & ventres, digni certe, qui* ἀνοήτοις *Galatis conferantur.* Quid diceret vir optimus, si nostros videret mores?

(5) De autoritate Scripturæ supra Papam & Ecclesiam.

Fol. 22. anathema dicit iis, qui Papam supra Scripturam collocant, irridet, qui id probare volunt, quia, aut ajunt, Ecclesia (id est, Papa) approbat Evangelia sive libros Evangelicos, nec plures pauciores ve, quam quatuor admittit. *Qui approbat* ait, *non ideo est supra eum, quem probat. Johannes approbabat Christum; nec supra illum erat. Fol. 24. b. & 25.* speciosissimæ objectioni de autoritate & consensu Ecclesiæ, item de difficultate, quomodo inter omnes, qui verbum Dei docere se gloriantur, dignosci possint, qui pure doceant; nil aliud opponi posse statuit, quam divinam Scri-

An. 1535.

pturæ autoritatem & certitudinem, quæ conscientiæ satisfacit, quando nempe docet, omnia in negotio salutis Deo tribuere, nihil hominibus. *Memini, ait, initio meæ causæ, D. Staupitium, tunc summum virum, & Vicarium ordinis Augustini ad me dicere: Hoc mihi placet, quod hæc doctrina, quam prædicas, gloriam & omnia soli Deo tribuit, hominibus nihil. Deo autem (id quod luce clarius est,) nimium gloriæ & bonitatis attribui non potest. Et vox vehementer tunc me consolabatur & confirmabat.* *Fol. 32. b.* cum contra *fidem formatam* sive admixtionem charitatis ad opus justificationis, quod & alibi facit, (vid. *fol. 42. b. 43. 44 45 50. 54. b.*) disseruisset, illum unicum articulum de justificatione per solam fidem, & ei innitentem libertatem conscientiæ, tuetur, & postea addit: *Sic nos offerimus Papistis, quæ offerenda sunt, & plura quam debemus, solum excipimus libertatem conscientiæ, quam habemus in Christo Jesu. Nolumus enim cogi, aut conscientias nostras alligari ad ullum opus, ut hoc vel aliud facientes, justi, omittentes vero, damnati simus. Libenter una cum eis utemur iisdem cibis, servabimus item ferias & jejunia ipsorum, modo nos ista omnia voluntate libera servare permittant, & istas minaces voces, quibus hactenus conterruerunt & subjecerunt sibi totum orbem, omittant: Mandamus, aggravamus, reaggravamus, excommunicamus. &c. Sed ut hanc nobis libertatem permittant, non possumus obtinere, sicut nec tum Paulus potuit. Ideo idem facimus, quod ipse. Nam cum illam libertatem obtinere non posset, nec Pseudoapostolis vel ad horam saltem cedere voluit. Sicut igitur adversarii hoc salvum nobis relinquere nolunt, quod sola fides in Christum justificet; ita nec volumus, nec etiam possumus in hoc cedere ipsis, quod fides formata charitate justificet. Hic volumus & debemus esse rebelles & pertinaces, alioqui amitteremus veritatem Evangelii, amitteremus nostram libertatem, quam non in Cæsare, Regibus, Principibus, non in Papa, mundo, carne, sanguine, ratione &c. sed in Christo Jesu habemus. Amitteremus fidem in Christum, quæ, ut supra dixi, nihil aliud apprehendit, quam Christum, gemmam. Hanc fidem, qua renati, justificati, & Christo inserti sumus, si nobis salvam reliquerint adversarii, offerimus nos omnia facturos, modo cum ea fide non pugnent. Quia vero hoc ab iis impetrare non possumus, vicissim ne tantillum quidem eis cedere volumus. De re enim seria & magna hic agitur, nempe de morte filii Dei, qui voluntate & jussu Patris caro factus, crucifixus & mortuus est pro peccatis totius mundi. Si fides hic cedit, illa mors, illa resurrectio &c. filii Dei inanis est. Item, fabula est, Christum esse Salvatorem mundi. Denique Deus ipse mendax invenitur, quia quod promisit, non servavit. Pia igitur & sancta est hæc in re nostra pertinacia. Hoc enim quærimus per eam, ut conservemus libertatem nostram, quam in Christo Jesu habemus, utque veritatem Evangelii retineamus, qua amissa, amisimus Deum, Christum, omnes promissiones, fidem, justitiam & vitam æternam.* *Fol. 38.* Augustino adstipulatur contra Hieronymum, qui *Gal. II. 11.* verba, *in faciem*, ita interpretatus est, ut speciem sive simulationem Pauli significarent. *Fol. 43.* erroneas *de merito congrui & condigni* opiniones Scholasticorum inde ortas esse arbitratur, quod pro peccatis mortalibus non habuerint ignorantiam, contemtum Dei in corde, ingratitudinem, murmurationem contra Deum, aversari voluntatem Dei, carnem nihil posse cogitare, loqui & facere, nisi contra Deum pro Diabolo: *hæc enim omnia & similia illi fomitem* (dicit) *non peccatum vocant.* *Fol. 46. b.* *Missam*, quæ habetur pro sacrificio, vivis & mortuis profuturo, pro humana habet abominatione. *Fol. 47.* urget statum causæ, & fide justificari nos tradit, sine charitate, & ante eam; concedit tamen, docendum esse bona opera & charitatem, sed suo tempore & loco. Quærit autem, *per quid justificemur?* & respondet: *Sola, dicimus, fide in Christum nos pronunciari justos, non operibus legis aut charitate. Non, quod opera & charitatem rejiciamus, ut adversarii nos accusant, sed ex statu præsentis causæ non sinemus nos dimoveri, id quod Satan quærit. Cum igitur jam versemur in loco communi de justificatione, rejicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam admittit disputationem de bonis operibus. Abscindimus igitur in hoc proposito simpliciter omnes leges, & omnia opera legis. At lex bona, justa & sancta est. Bene, sed cum versamur in disputatione de justificatione, non est locus jam dicendi de lege; sed quæstio est, quid Christus sit? quid beneficii nobis attulerit? Christus autem non est lex, non est opus meum aut Legis, non est charitas mea aut legis, non est castitas, obedientia aut paupertas mea, sed Dominus vitæ & mortis, mediator & Salvator peccatorum, redemtor eorum, qui sunt sub lege. In illo sumus per fidem, & ille in nobis. Job. VI. Oportet hunc sponsum esse solum in conclavi cum sponsa, amotis omnibus ministris & tota familia; postea vero cum aperit ostium & egreditur, accurrant servi & ancillæ, ministrent, afferant cibum & potum. Ibi tum incipiant opera & charitas.* *Fol. 52.* Rejicit & abominatur formulam absolutionis, in Romana Ecclesia usitatam, cum dicunt: *Meritum passionis Jesu Christi, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, meritum Ordinis, gravamen religionis, humilitas confessionis, contritio cordis, bona opera, quæ fecisti & facies pro amore Domini nostri Jesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum meriti & gratiæ, & in præmium vitæ æternæ, Amen.* In hac etsi præmittatur meritum Jesu Christi, otiosum tamen ibi esse & adjungi notat, quæ cum Paulo reputanda sint σκύβαλα. *Fol. 52. b.* phrasin Pauli *Gal. II. 19. Legi mortuus sum, ut Deo vivam*, inauditam & plane hæreticam videri posse dicit, ex sensu & praxi adversariorum: eam vero de lege, non ceremoniali, sed morali, valido argumento explicat, ita, ut quicunque vera fide credit & justificari vult, legi mori debeat, ita ut hæc abrogata ei sit, & tamen certo modo maneat; cessat nempe maledictio & condemnatio ejus, non vero observatio, quæ ex libertate a Christo nobis acquisita nihilominus sequitur. *Fol. 56. b.* non minus insolentem, solique Paulo & Johanni usurpatam locutionem esse notat, cum Paulus dicit *Cap. II. 20. Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus.* Urget *ibidem* & *fol. 58. 59.* causam justificationis ex verbis: *qui dilexit me & tradidit semetipsum*

(6) Sententia quædam Staupitii.

(7) De fide justificante, contra scholasticorum doctrinam, sola vera conceditur adversariis.

(8) Nota adversus Hieronymi locum quendam.

(9) De bonis operibus, fidem & justificationem sequentibus.

(10) Contra formulam absolutionis sacerdotalis.

(11) Quid sit, Legi mortuum esse, & Christum in nobis vivere.

(12) Item de justificatione.

An. 1535. *(justifi)catione gratuita.*

psum pro me; & impugnat opinionem de viribus hominis, & de puris sive integris naturalibus. E contrario, *fol. 59.* fundamento justitiæ fidei salvo, omnibus sectis resisti posse statuit, & cum Paulus *d. l. v. 21.* profitetur, *se non abjicere gratiam Dei*: id facere dicit eos, qui opera ad justificationem admittunt, unde vehementer ad versiculum illum & ad sequentes in doctrinam oppositam invehitur *fol. 60. 65.* Occasionem inde capit, (*fol. 68. 69.*) egregie explicandi historiam conversionis Cornelii Centurionis, & commendandi librum Actorum Apostolorum, plenum exemplis gratuitæ justificationis.

(13) Contra fanaticos tumultuantes.

Fol. 73. non minus severus est in fanaticos, quorum insania, per importunos abrogationes ceremoniarum, destructionem imaginum, & impugnationem Sacramentorum, stabilitum esse dicit Papatum, qui destrui potuisset, si in articulo justificationis, junctis viribus docendo perstitissent, hoc facto futurum fuisse, ut abusus per se conciderent; *neglecto hoc* (ait *d. fol. 73. b.*) *nos fere oppresserunt, & Papistas in suis abominationibus confirmarunt.* Quæ vero postea ad *Cap. III. 6.* de fide Abrahami, quæ reputata est ei in justitiam, item de maledictione legis sublata commentatur, etsi cum summa utilitate hic legi possent, prolixiora tamen sunt, quam ut adscribantur. Non potui tamen, quæ ad *v. 10.* tradit, præterire.

(14) Quid sit Legem facere.

Cum enim docuisset, impleri legem ad rigorem, nempe justitiæ divinæ, non posse, jam demonstrat, quid facere debeant, qui fidem habent. *Facere* (scribit *fol. 83. b.*) *est primum credere, & sic per fidem præstare legem: oportet nos primum accipere Spiritum sanctum, quo illuminati & renovati incipimus facere legem, hoc est, diligere Deum & proximum. Spiritus sanctus autem non per legem accipitur, (Nam qui sub lege sunt, ait Paulus, sub maledicto sunt,) sed per auditum fidei, hoc est, per promissionem. Oportet nos simpliciter cum Abraham, & fide ipsius in promissionem, benedici. Ideo primum omnium audienda est promissio, quæ Christum proponit, eumque credentibus offert, quo fide apprehenso, donatur Spiritus sanctus propter ipsum. Ibi tum diligitur Deus & proximus, bona opera fiunt, fertur crux. Hoc vere est legem facere, alioqui lex perpetuo manet infecta. Quare si proprie ac diserte definias, quid sit facere legem, nihil aliud est, quam credere in Jesum Christum, & accepto per fidem in Christum Spiritu sancto operari ea, quæ sunt in lege. Neque aliter lex a nobis servari potest: quia Scriptura dicit: extra promissionem non esse benedictionem, etiam in lege. Igitur impossibile est, fieri legem absque promissione. Oportet adesse benedictionem, quæ est prædicatio de Christo, qui Abrahæ promissus est, quod per ipsum mundus benedicendus sit, alioqui nunquam faciemus legem. Itaque neminem in toto mundo dabis, cui hic titulus,* factor legis, *extra promissionem Evangelii conveniat. Ideo,* Factor legis, *est terminus fictus, quem nemo intelligit, nisi sit extra & supra legem, in benedictione & fide Abrahæ. Ita ut verus* factor legis *is sit, qui accepto Spiritu sancto per fidem Christi incipit diligere Deum, & bene facere proximo.* Explicat ea uberius, & ad objectiones respondet *fol. 85.* Scripturæ etiam stylum ostendit, quæ de fide aliquando nuda, simplici & abstracta, quæ justificat, aliquando de composita sive concreta & formata agit, quæ omnia bona opera in se habet, & est veluti divinitas operum, ut ignis in ferro candenti.

An. 1535.

(15) Quæ sit operum bonitas seu divinitas, & fidei veluti incarnatio.

Fol. 88. addit ibi simile, & liquidius explicat *fol. 89. b. Fides perpetuo justificat & vivificat, & tamen non manet sola, id est otiosa. Non, quod non sola in suo gradu & officio maneat, quia perpetuo sola justificat; sed incarnatur & fit homo, hoc est, non est & manet otiosa & sine charitate. Sic Christus, secundum divinitatem, est substantia, vel natura divina & æterna sine principio, humanitas vero est natura in tempore creata. Hæ duæ naturæ in Christo sunt inconfusæ & impermixtæ, & utriusque proprium est distincte intelligendum. Humanitatis est, incepisse in tempore, divinitatis est, esse æternum sine principio. Et tamen conveniunt hæc duo, & incorporatur divinitas sine principio in humanitatem cum principio. Ut ergo distinguere cogor inter humanitatem & divinitatem, & dicere:* Humanitas non est divinitas; *& tamen* homo est Deus; *ita hic distinguo:* fides non est lex, *& tamen* fides operatur. *Conveniunt igitur fides & opera in composito, & tamen utrumque habet & servat suam naturam & officium proprium.* Negat autem *fol. 88.* intelligi debere in dicto Habacuc *Gal. II. 11.* allegato, fidem compositam seu formatam. Quomodo Hieronymi interpretationem taxet, *vid. fol. 90. Fol. 92. b.* ex articulo redemtionis & justificationis argumentatur ad articulum de divinitate Christi, & qui hanc, ut Arius & fanatici, in dubium vocant, eos etiam justificationem tollere ostendit. *Fol. 96. ad Gal. III. 15.* erudite & solide tractat, quomodo argumentari liceat ab humanis (modo divina lege & ordinatione nitantur) ad divina. Ad *v. 19.* Quod Paulo objectum est, *Quid igitur lex?* etiam suo tempore objectum esse dicit, *fol. 100.* quia vulgus, cum ex Evangelio audit, justitiam ex mera gratia Dei & sola fide, sine lege & operibus, contingere, eodem modo colligit, quo tum Judæi, *Si lex non justificat, nihil ergo operemur*, hocque egregie præstat. *Fol. 101. & seqq.* item *fol. 106. & sqq.* insignis exhibetur tractatio de vero legis usu.

(16) Contra abusum Evangelii, & de vero usu legis.

Notabile est, quod *fol. 112.* per epilogi modum subjungit: *Locus de lege diligenter est considerandus, quid & quomodo sit de lege sentiendum, ne eam aut omnino rejiciamus, more fanaticorum spirituum, qui anno 1525. moventes seditionem rusticorum, dicebant: Libertatem Evangelicam absolvere homines ab omnibus legibus; aut, ne vim justificandi eidem tribuamus. Utrique enim in legem peccant: in dextra, qui per legem justificari, in sinistra, qui prorsus a lege liberi esse volunt. Ingrediendum est igitur regia via, ut neque legem plane rejiciamus, neque plus ei tribuamus, quam oportet.* Egregie etiam & nervose *fol. 117. b.* de Pauli phrasibus, quibus legem extenuare solet, locutus, monet: *Hæ extenuationes legis referendæ sunt ad certamen conscientiæ, non ad civilem vitam & secura corda.* Et *fol. 118. b. in agone conscientia nihil cogitare & nosse debet, nisi unicum Christum, & lex longissime e conspectu abjicienda est. Extra hæc certamina & locum justificationis, reverenter cum Paulo de lege loqui debemus, eam summis laudibus vehere, & appellare sanctam, justam, bonam, spiritualem, divinam. Fol. 119.* solide demonstrat, Christum venisse ad implen-

An. 1535.

implendam & abrogandam legem, non vero ad novam condendam. *Fol. 122. a. b.* certitudinem nostram de salute confirmari docet signis internis & externis; nempe, si intus confidamus, nos esse in gratia per fidem in Christum, extra vero libenter audiamus verbum Dei, laudemus Deum & opera vocationis nostræ faciamus pro virili; non delectemur peccatis, non irrumpamus in alienam messem, adjuvemus fratrem egentem, consolemur tristes, &c. Notat tamen *fol. 123.* cum certitudine hac conjunctam esse piorum infirmitatem & dubitationes, contra quas tamen semper pugnent. De gemitu sive clamore cordis, *Abba Pater*, præclara sunt, quæ docet *fol. 123. b. & seq.* indignatur vero *fol. 125.* quod unicum dictum Salomonis *Eccles. IX. 1.* male intellectum (vide *fol. 126. b.* veram ejus interpretationem) plus valuerit apud monachos, quam tot promissiones & consolationes Scripturæ totius, & quod abusi sint Scripturis ad suam ipsorum perniciem. Pro asserenda autem certitudine *fol. 125. b.* argumentatur a testimonio Spiritus sancti, quod infallibile est, ad quod solum respici debet, cum adversarii respiciant ad opera & merita, & sic non possint non dubitare. Est ergo hæc certitudo Theologica & opus fidei, in sensu sive praxi autem magis minusque deprehenditur, prout fides suum habet robur aut imbecillitatem; ut adeo frivola plane sint, quæ tanto cum fervore adversus hanc Lutheri orthodoxiam tum ipsius tempore, tum postea objici consueverunt.

(17) *De certitudine salutis.*

(18) *Contra merita operum.*

Fol. 128. b. vehementer impugnat opinionem de meritis operum, sive justitia, quæ extra solam fidem quæritur, eamque omnis heterodoxiæ originem esse statuit, quæ Christianismum cum Judaismo & Mahometismo confundat, in quibus eadem religionis regula præsupponitur, justitia nimirum ex operibus quæsita. *Fol. 130. b.* futurum esse ait, ut Ecclesiæ a se & aliis doctoribus orthodoxis plantatæ, a sectariis iterum subvertantur: neque mirum id habendum esse, cum Apostoli idem suo tempore experti fuerint, ut patet exemplo Galatarum a Pseudoapostolis corruptorum. Illa tamen meritorum opinione stare ait *fol. 132.* totum Papæ dominatum, triplicemque ejus coronam, sive imperium, quod sibi in cœlum, terram, & inferos arrogat, adeoque vere *doctor* sit *infirmorum & egenorum elementorum Gal. IV. 9.* dies observans & menses & tempora *d. l. v. 10.* quod *Victoris Papæ* exemplo confirmat, Orientis Ecclesias ob Paschalis festi diversam celebrationem excommunicantis. *Fol. 137.* agnoscit fatum suum, quod invisissimum nomen suum sit in mundo, *qui me laudat*, ait, *gravius peccare creditur, quam ullus idololatra, blasphemus, perjurus, scortator, adulter, homicida, fur.* *Fol. 139. & sqq.* ad *Gal. IV. 21. & sq.* de usu allegoriarum multa notatu digna docet, sed eadem fere, quæ ex alibi ab illo tractatis excerpsimus. *Fol. 144. b.* probat abrogationem legis, non ceremonialis tantum, sed & moralis, quoad effectum condemnationis, licet terrores ejus etiam piorum & fidelium conscientiam adhuc exerceant. *Fol. 148 b.* ostendit, veterem cœlibatum, & vitam monasticam contemplativam, longe speciosiorem fuisse olim, quam postea, cum jam colluvies & sentina omnium vitiorum clerum infecisset: interim non tam respici ad vitia illa morum, quam ad doctrinam, & hypocrisin, ita ut, etsi prisca illa sanctimonia Eremitarum & Patrum restabiliri possit, nihilominus tamen, si justitiam operum defendant, rejici deberet, & pro ancillæ filiis, non liberis, haberi. *Gal. IV. 31.* Sperat tamen, *Bernardum*, qui sub finem vitæ omnia opera sua damnaverit, similique modo *Gregorium* Papam, aliosque salvatos esse.

(19) *De fato suo, & alia quædam.*

(20) *De monachatu & de diffidentia eorum, qui in operibus salutem quærunt.*

An. 1535.

Fol. 152. b. historiæ causa referri merentur, quæ scribit: *Hoc, quod dico, ex Pauli verbis, ego experientia ipsa in monasterio in me ipso & aliis didici. Vidi multos, qui summo studio & optima conscientia nihil non faciebant pro pacificanda conscientia, gestabant cilicia, jejunabant, orabant, affligebant & defatigabant variis exercitiis corpora, quibus si etiam ferrea fuissent, tamen ad extremum destruxissent ea, & tamen, quo plus laborabant, hoc pavidiores reddebantur. Et præsertim, imminente hora mortis, adeo erant trepidantes, ut plures viderim homicidas, pœna capitis damnatos, confidentius mori, quam ipsos, qui tamen sanctissime vixerant.* *Fol. 155. a. b. & fol. 156.* operose tractat de discrimine fidei & spei. Porro sententiam Pauli illustrem *Gal. V. 6. de fide, quæ per charitatem operatur*, minime obstare monstrat suæ doctrinæ de gratuita per solam fidem justificatione; quanquam ex illo dicto *formatam*, quam vocant, fidem deducant adversarii, & eatenus fidei justificationem tribuant, quatenus operatur per charitatem. *Monstra*, ait, *fol. 157. hæc sunt, per homines ignavos conficta, qui inde etiam concluserunt, fidem infusam stare posse cum peccato mortali:* quod de historica concedit, de salvifica minime. *Hunc locum*, ait, *per coloratum vitrum legunt, & textum deformant ad sua somnia. Non enim dicit Paulus: fides, quæ per charitatem justificat, nec dicit, fides, quæ per charitatem gratum facit. Talem textum ipsi fingunt, & huic loco per vim intrudunt. Multo minus dicit, charitas gratum facit. Non sic dicit Paulus, sed sic dicit: Fides, quæ per charitatem operatur. Opera fieri dicit ex fide per charitatem: non justificari hominem per charitatem. At quis est tam rudis Grammaticus, qui non ex vocabulorum virtute intelligat, aliud esse justificari, aliud operari? Clara enim & aperta sunt verba Pauli: Fides per charitatem operatur. Quare manifestum furtum est, quod illi, vero & germano sensu Pauli sublato, pro operari intelligunt justificari, & per opera justitiam, cum etiam in morali Philosophia fateri cogantur, opera non esse justitiam, sed a justitia fieri opera. Porro Paulus hic non facit fidem informem, & rude velut chaos, cujus nihil sit, neque esse neque agere. Sed operationem ipsam tribuit fidei, & non charitati. Non fingens rudem quandam & informem qualitatem, sed asserens operosam & efficacem quidditatem, ac velut substantiam, seu formam, ut vocant, substantialem. Non enim dicit, charitas est efficax: sed, fides est efficax. Non charitas operatur, sed fides operatur. Charitatem vero facit fidei instrumentum, per quod operetur. Jam quis nescit, quod instrumentum habet vim, motum & actionem, non a se ipso, sed a fabro, operatore seu agente? Quis enim diceret securis dat vim & motum secandi fabro? navis dat vim & motum navi-*

(21) *De efficacia fidei, ut charitatem operetur.*

An. 1535. *navigandi nautæ? vel, ut Esaiæ exemplum adducam, Quis dicet: serra trahit fabrum & baculus levat manum? Non dissimile est, quod isti dicunt, charitatem esse formam fidei, seu tribuere vim & motum fidei, seu justificare, cum Paulus nec opera charitati concedat, quomodo concederet justificationem? Certum igitur est, injuria magna non solum Pauli, sed ipsius quoque fidei & charitatis, hunc locum pro charitate contra fidem esse depravatum.* Summe notanda sunt, quæ *fol. 159.* de diverso respectu Christi, quatenus donum, & quatenus exemplum est, observari jubet, utque priori modo pœnitentibus & afflictis, altero lætis proponi debeat. Gratulatur *fol. 163.* doctrinæ suæ & Ecclesiæ Evangelicæ, quod ob nullam aliam caussam, quam ob veritatem dogmatis, non vero ob crimina, persecutiones sustineat: stultas & impias opiniones facile ferri notat, solam vero doctrinam pietatis odio esse. Si quis vero est, qui dubitat, an doctrinam de bonis operibus Lutherus inculcaverit, is legat, quæ *Gal. V. 13. & sqq. a fol. 163. ad 167. b.* commentatus est, ubi tandem concludit: *Difficile & periculosum est, docere; nos fide justificari sine bonis operibus, & tamen simul exigere opera. Hic, nisi sint fideles & prudentes ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, qui recte secant verbum veritatis, statim fides & opera confunduntur. Uterque locus & fidei & operum diligenter urgeri & doceri debet, sic tamen, ut uterque intra suos limites maneat. Alioqui, si opera sola docentur, ut in Papatu accidit, fides amittitur: Si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria.* Postea 169. & sq. cum Apostolo ex *v. 16.* ubi Galatas *ambulare* jubet *spiritu*, doctrinam de justificatione ex fide repetit, & imperfectionem charitatis nostræ ostendit, & concupiscentiæ vires, & *Staupitii* exemplum, memoratu haud indignum refert *fol. 171. Memini, Staupitium dicere solitum, ego plus quam millies Deo vovi, me fore probiorem, sed nunquam præstiti, quod vovi. Posthac non vovebo tale quiddam, quia experientia nunc didici, me hoc non posse præstare. Nisi igitur Deus placatus & propitius mihi propter Christum sit, & optatam ac felicem horulam concesserit, cum mihi migrandum erit ex hac misera vita, non potero consistere cum verbis & benefactis meis. Hæc non solum vera, sed etiam pia & sancta desperatio erat, quam necesse est fateri ore & corde, quotquot salvi fieri volunt.* De sanctitate disserit *fol. 175.* & cum monachus esset, sæpe se optasse refert, ut videre posset conversationem alicujus sancti hominis: somniasse se autem sanctum in eremis, abstemium, radicibus victitantem. At nunc statuit, eum esse sanctum, qui habet sanctitatem passivam, fide apprehendat Christum cum sua passione, morte, resurrectione, Spiritus sancti missione, & sic certo statuat, Christum esse suam sapientiam, justificationem, sanctitatem & redemtionem. Deinde ita pergit: (*fol. 174.*) *Si unus quisque ex præscripto verbo Dei faciat officium in vocatione sua, carni non obsequatur, sed spiritu reprimat desideria & concupiscentias ejus. Quod omnes æque non sunt firmi, sed multæ adhuc imbecillitates offensionesq; cernantur in plerumque, hoc nihil impedit eorum sanctitatem, modo non ex destinata malitia, sed ex imbecillitate peccent. Nam, ut jam aliquoties dixi, pii sentiunt concupiscentiam carnis, sed repugnant, ne eam perficiant. Item, si etiam ex improviso labuntur in peccatum, tamen veniam consequuntur, si fide in Christum iterum eriguntur, qui non vult, ut abigamus, sed ut quæramus perditam ovem. Absit igitur, ut infirmos in fide aut moribus, si videro eos amare & revereri verbum, cœna dominica uti, statim judicem profanos esse. Hos enim Deus assumsit, & reputat eos justos per remissionem peccatorum. Huic stant & cadunt. Lætus igitur gratias ago Deo, quod supra modum abunde mihi donaverit; quod olim, ut monachus, petii, non ut viderem unum sanctum, sed multos, immo infinitos fere sanctos, non quales Sophistæ, sed Christus ipse & Apostoli pingunt ac describunt, quorum & ego, gratia Dei, unus sum.* Addit *fol. seq.* haud parum de iis, qui sancti habentur, ex Patribus Hieronymum, Gregorium, Bernardum & alios nominans, quos non tantum in moribus, sed & in dogmatibus, magnos errores habuisse ostendit, bene tamen de eorum salute sperat, quia in fine maxime vitæ, sola Dei gratia & merito Christi nixi fuerint. *Fol. 176.* annotat, frequentissima fuisse veneficia ante exortam Evangelii prædicationem, nunc ista non audiri. Hanc tamen gloriam, fraude diaboli, secutis postmodum temporibus imminutam esse, etiam in quibusdam provinciis Evangelicorum non potest negari. *Ibid. b.* de discordia monachorum & multiplici dissensione in Papatu multa queritur. *Fol. 177.* adversus libidinis ardores non tam jejunia, (quibus crassi quidem impetus superentur) quam seriam meditationem verbi, & invocationem Christi proponit. *Fol. 186.* graviter queritur de ingratitudine hominum, in denegandis aut parcissime suppeditandis, quæ ad alendos Ecclesiæ ministros pertinent, cum liberaliter olim, ad superstitiones fovendas, contribuissent. *Fol. 192.* connectit *vers. 15. & 16.* & veram & unicam esse regulam tradit, quam Paulus ibi commendat & extollit, nempe *novam creaturam.* Rejicit itaque & execratur regulas monachorum, quibus Christi beneficium & gloria obscuratur: & figmentum esse judicat, quæ de stigmatibus Francisci jactantur, vel factum minime laudandum, si ipse illa sibi impressisset. Controversiæ Sacramentariæ aliquibus locis in hoc commentario meminit, vid. *fol. 137. 159. & 181.* &, ob conscientiæ scrupulum, nullam concordiam in articulo illo controverso admitti a se posse testatur: initium autem litis Zuinglio & sociis imputat.

(22) *De duplici respectu Christi.*

(23) *De necessitate docendi bona opera.*

(24) *Staupitii dictum.*

(25) *De sanctitate, & ejus defectibus.*

(26) *De beneficiis, & alia quædam de monachis.*

Hæc si cui prolixiora videantur, aut fastidium pariant, eum rogatum velim, ut consideret, quam necessarium & utile sit, ut scripta Lutheri subinde in memoriam revocentur, ex quibus, ut puto, clarissime elucet donum Spiritus sancti, quod habuit, ad eruendam docendamque veritatem Evangelicam. Non sane nego, reperiri hodie commentarios in sacras literas, in quibus exquisita eruditio, eloquentia & industria conspiciatur, sed an unquam fuerit, qui extemporaneo sermone (tali enim in lectionibus suis utebatur) majori cum empha-

(27) *Epicrisis de dono Lutheri interpretanda Scriptura.*

An. 1535.

emphasi & fructu interpretatus sit Scripturas, fateor, me vehementer dubitare. Interim neque omnes phrases opinionesque ejus, ut divinitus inspiratas, defendere ausim, cum ipse in præloquio, omnis perfectionis gloriam longe a se amoveat. De analogia fidei, & heroica verborum & argumentorum energia, loquor, assensumque ab iis spero, qui operam, quam ego lectioni impendi, imitari voluerint.

§. XLIII.

(1) Sermones Lutheri contra Anabaptistas, & laudes Baptismi, cujus fructus urget.

Pauca quædam supersunt, de reliquis Lutheri scriptis, hoc anno editis, dicenda. Cum Anabaptistarum furor ad summum pervenisset, & res in bellum illud Monasteriense erumperet, præter alia quæ adversus errores illos scripsit, aut præfationibus suis, ut diximus, tractavit, etiam conciones ad eos refellendos habuit, easque postea typis publicari permisit, quæ in tres partes divisæ, extant *Tomo VI. Alt. fol. 435. ad 460.* Latine autem versæ *Tom. VII Witt. fol. 344. & sqq.* Explicavit historiam baptismi Christi *Matth. III. 13. sqq.* Refutavit non solum Anabaptistas, sed etiam Pontificios, ob abusus aut vilipendium hujus Sacramenti, & quod Monachatum ei prætulerint. Taxat inde Epicureos, summamque baptismi sanctimoniam & utilitatem extollit, & profluentia ex eo solatia egregie commendat. De se narrat *fol. 453.* quindecim annis monachum fuisse, diligenter omnes libros legisse, fecisse etiam, quæ potuerit, neque tamen unquam ex baptismi sui recordatione solatium cepisse, sed semper cogitasse, *o quando vere pius fiam, & satis multa agam, per quæ Deo placeam?* His cogitationibus in monachatum immersum semetipsum macerasse jejuniis, algore & asperitate vitæ, neque tamen plus effecisse, quam ut baptismum fere amiserit, & efficaciam ejus negaverit: *hunc esse*, ait, *fructum doctrinæ de operibus.* Quamvis vero puritatem Ecclesiæ restitutam laudet, quæ baptismum recte jam administrat, vehementer tamen arguit omnes, qui ex baptismo nullam emendationem vitæ instituunt & sentiunt, immo illo saltem pro operimento turpitudinum & peccatorum utuntur, quasi beneficium illud ad licentiam peccandi, & veniam promiscue impetrandam, datum esset. *Contrarium*, ait *fol. 459. verissimum est: ideo enim baptizati sumus, & remissionem peccati impetravimus, ut pii simus & in bonis operibus proficiamus, ut qui inobediens, iracundus, invidus, perfidus, impudicus fuit, is ab iis vitiis abstineat, diligenter oret, & virtutibus oppositis studeat. Hoc qui non facit, is sibi persuadere non debet, ac si in gratia Christi staret, aut peccata sua excusare posset. Esset aliquid, si ita foret emendatus, ut intra annum aut biennium vix semel in vitia, quibus antea contaminatus erat, laberetur, ex infirmitate nempe & præcipitantia. Sic veniam*, ait, *sperare & erigi denuo potest; si vero in veteri luto hæret, & pergit in peccatis, quibus assueverat, indicium est, illum baptismum magno cum damno suo accepisse.* Hæc pluribus egregie persequitur.

(2) Sermones de centurione, & contra fastidium verbi.

Sequuntur *d. Tom. VI. fol. 460. ad fol. 467. sermones duo ad Evangelium Dom. III. post Epiph. Matth. VIII. de* fide centurionis. Severa *fol. 463.* admonitione utitur, inter alia adversus vitium acediæ, quo Judæos olim laborasse notat, nunc vero laborare eos dicit, qui Evangelii doctrinam tam clare & operose propositam fastidire incipiant. *Alii*, ait, *qui ea carent, flagrantissime eam cupiunt, & fragmentis & micis, quas nos projicimus, avidissime inhiant. Ecce sæpe hoc monui, & nos concionatores miseri & mendici homines, Deo teste, excusati erimus, nemo enim imputare nobis potest, quasi non monuerimus. Prædicavimus itaque, scripsimus, invitavimus, pinximus & omnibus modis inculcavimus; qui potest capere, capiat, qui rejicit, rejiciat. Pro eo, qui verbum recipit, respondebo, qui non recipit, pro se respondeat. Pro me nemo responderit, neque mei causa faciat aliquid aut omittat.*

An. 1535.

(3) Epistolæ de Sacramento & matrimoniis.

Epistolæ Lutheri, in *Tomo VI. Alt.* relatæ, varii sunt argumenti. In quibusdam quæstiones de religione & conscientia tractantur. Sic *fol. 434.* dissuadet roganti, cum non sit Ecclesiæ minister, ne suis domi sacramentum Eucharistiæ distribuat, (id enim tunc a quibusdam tentatum esse apparet) rectius enim facturum, si ab eo, quod integrum sumere non liceret, se suosque abstineret, obstante enim impedimento, absque sacramento salvari posse per verbum. Alii quærenti, an processionibus aliisque ceremoniis veteri ritu interesse, cum ab iis, meliora edoctus, abhorreret, salva conscientia possit, respondit, non posse, *fol. 435.* similis responsio alii data legitur *fol. 480.* *Leonhardo Beyero*, Pastori Zuiccaviensi, consulenti, an matrimonium permitti possit cum sorore uxoris, firmatum jam copula? ipse cum *Justo Jona* & *Philippo Melanchthone* responsum dat, non debere permitti, *fol. 467.* vetat fœminam Fribergensem sacramentum cœnæ domi sumere, *fol. 468.*

(4) De oratione aliisque materiis.

Cuidam, qui de distractionibus cogitationum inter orandum questus erat, sui ipsius exemplo solatia præbet, & modum præscribit evagationibus illis occurrendi: addit egregiam explicationem orationis Dominicæ, Decalogi, & Symboli Apostolici, populari tamen stylo & breviter elaboratam, *fol. 469. & sqq.* Consultus in casu desertionis, publicam fieri vult citationem partis deserentis, & ut desertæ postea potestas fiat contrahendi aliud matrimonium, si non compareret pars citata. Subscripsere huic sententiæ *Caspar Cruciger, Georgius Major, Philippus Melanchthon. fol. 490.* idem cum Melanchthone respondet, in pari casu.

(5) Præfationes in libros Spengleri & Corvini.

Præfationes editæ reperiuntur, præter illas, quas supra occasione Anabaptistarum *§. XLI.* indicavi, in librum *Lazari Spengleri*, Syndici Norimbergensis, de *legendis Sanctorum fol. 468.* & in *Postillas* sive Evangeliorum explicationes *Antonii Corvini fol. 508.* Inter epistolas consolatorias notanda est, quam d. 27. Junii amico alicui scripsit, pro iis, qui Ducis Georgii rigore ex oppido Misniæ montanæ, Mittvveida Evangelii causa ejecti erant, ubi vereri se dicit, ne, si ad ipsos scriberet, causa eorum, sicut Lipsiensium, pejor fieret, magnum tamen contemtum minarum Georgii ostendit, *fol. 487.*

(6) Dura ad Moguntinum Epistola.

Ad invectivas referri debet acerrima illa expostulatio cum *Alberto* Cardinali Moguntino & Archiepiscopo Magdeburgensi, qui ex domesticis suis *Johannem Schanitium*, festinato judicio damnatum, suspendi jusserat, & nescio quid Luthero, qui id factum improbare dicebatur, comminatus fuerat. Dicitur hæc Lutheri ultima ad Albertum epistola d. 31. Julii data *fol. 488.* quanquam alia sequenti anno *fol.*

An. 1535. 9. inserta legitur, nisi illa concepta quidem a Luthero, sed expedita non fuerit. Extat alia ad Pastorem Susatensem in Westphalia, *Briccium Thonvverdam*, in qua respondet ad editos a Pontificiis articulos quosdam, in quibus media concordiae a Luthero & Collegis Wittenbergensibus proposita venditabantur, cum iis fere convenientia, quae Melanchthon in Gallicam scripserat, sed maligne alicubi depravata, *fol. 496. & seqq.* Fatetur autem Lutherus, in comitiis Augustanis multa Pontifici oblata esse, etiam a se ipso in commonitione sua, ea spe, ut Evangelii doctrinam liberam sineret Pontifex. *Si id*, ait, *fecisset, aut adhuc fecerit, ut debet, per me erit, quicquid velit; sed vereor, ut hanc conditionem accipiat.* *Subodoratur enim, si id faceret, Papam se mansurum non esse.* Addit, *videri quosdam id agere, ut discordiae semina inter se & collegas spargerent, propositis nempe illis concordiae articulis, sed sperat, hoc quoque moliminis genus frustra fore: caeterum, quicquid futurum sit, se nunquam cum Pontifice concordiam initurum esse, nisi is se ad Evangelium convertat*; id nempe, quod Lutherus docebat, non quod Papa venditabat: *secus si fecerit, bono animo eventum se expectaturum esse, certum, quod Christus, quae coeperit, tuiturus & perfecturus sit.*

(7) *Monita de concordia cum Pontificiis.*

Publicatae etiam hoc anno sunt theses Lutheri contra concilium Constantiense, quod ipse per lusum vocat *Obstantiense*, quia decreta erat calicis sacri ablatio, addita clausula: *non obstante consuetudine priorum seculorum, aliisque rationibus.* Theses hae acerrimae sunt, centum nonaginta quinque, & extant *fol. 481. & sqq.* Sciens alia minutiora praetereo, v. g. de spectro quodam Stasfurtensi *fol. 500.* & quae de indictione Concilii sub persona Spiritus sancti composuit *fol. 499.* De aliis quibusdam alibi dicendi erit occasio.

(8) *Theses contra Concilium Constantiense.*

ADDITIO.

(a) *Festiva Lutheri epistola de peste Wittenbergensi.*

Ex *MSStis Lutheri ad Electorem epistolis* non paucis (quae *Reg. N. lit. H n. 42.* asservantur,) festiva est, quam occasione pestis Wittenbergae, tunc grassari incipientis, d. 9. Julii scripsit. Monitus enim Electoris nomine a *Pontano*, ut in locum tutiorem abiret, ipsi Principi significat, se prius non esse discessurum, quam Praetor Saxoniae *Metschius* abeat, quem, ut meticulosum & curiosum morbi indagatorem, facete describit. Refert etiam, ab aliquot diebus neminem obiisse & inde conjicit aërem nondum esse infectum, itaque se, ut juventuti Scholasticae animum adderet, instantibus jam feriis canicularibus, oppidum perambulasse & deprehendisse, quod rumor ille de peste multis non esset ingratus, ut occasionem abeundi haberent; alios enim morbos frequentiores esse. *Ulcera*, ait, *quidam habent in crumena; colicam in libris; scabiem in calamo; paralysin in charta; quibusdam atramentum mucosum est; alii angina uterina laborant & desiderio in patriam flagrant; & quis omnia enumeret?* (Etliche kriegen schwären auf dem schiebsack / etliche die colica in den büchern / etliche den grind an den federn / etliche die gicht am papier; vielen ist die dinte schimlicht worden / so haben auch sonst etliche die mutterbräune gefressen / davon sie das hertzwehe und sehnsucht zum Vaterlande gewonnen) Addit joco epicri-sin non jocosam, scribens: *Nisi Principes & parentes his aegritudinibus, inopia nempe juvenum, succurrant, fore, ut strages universalis sequatur, ita ut nec concionatores & pastores, nec ludimagistri haberi possint, & tandem nil nisi porci & canes sint superfuturi, id quod Pontificii magno studio intenderent.* Optat ergo Electori ulteriorem a Deo gratiam, omnibusque Christianis Principibus & Magistratibus, ut illis morbis valida adhiberent remedia. Magis seria sunt, quae hoc anno, aliisque, praecedentibus & subsequentibus, ad *Christophorum Joergerum*, illustrem in Austria virum ejusque viduam *Dorotheam* scripsit. Literas illas conservavit *Martinus Mosederus*, Evangelicus Joergerianae familiae concionator, edito Ratisbonae anno 1561. libello, quem *Confessionem fidei* (Bekäntniß des Glaubens) inscripsit. Joergero jam anno 1525. d. 31. Maj. Lutherus commendaverat *Michaelem Stifelium* (*Lib. I.* a nobis memoratum) ut hominem pium, doctum, modestum & industrium; (einen frommen / gelehrten / sittigen und fleißigen Menschen) illum vero *Joergerus* anno 1527. dimittere coactus fuit. Mortuo deinde marito, religionis studium continuavit uxor, ita, ut ex facultatibus suis pauperibus Academiae Wittenbergensis scholaribus liberaliter succurreret. Constat id ex Lutheri ad eam literis, in quibus significat, se quingentos florenos ab illa missos inter pauperes Academicos distribuisse, quanquam non putasset, tot egenos Wittenbergae esse, qui, ut studiis sacrae Scripturae incumbere possent, per totum annum pane & aqua sese sustentarent, frigusque haud exiguum tolerarent. Laudat matronae munificentiam tanto impensius, (*d. 4. Mart. 1534.*) quia in Saxonia refrigescere incipiat charitas, ita ut pastores esuriant, & populus avaritiae & rapinis studeat. Paulo post d. 8 April. laetitiam pauperum scholarium refert, qui ex variis regionibus religionis causa ejecti, misere huc usque vixerint, jam vero accepta stipe Joergeriana libros aut vestem coemerint. *Apud vos*, scribit, *fames & sitis est verbi divini, nostros ejus jam taedet, quod quidem Deum sine dubio offendet; sed mundus est mundus.* Eodem anno d. 12. Sept. consilium roganti Joergeriae respondet: si obtinere nequeat, ut subditis pastor Evangelicus praeficiatur, contentam esse posse, si talem domi habeat, nec cogi, ut, vim intentante Principe, periculum subditorum causa subeat, *nec referre*, ait, *si habere non possit consecratum ab Episcopis, sive unctum & tonsum, Missis scilicet, non Evangelio praedicando, destinatum; sufficere, si vocatus sit, eoque ipso consecratum esse, ut vocantibus concionetur: Haec est consecratio Dei & verum chrisma.* (wer geruffen ist / der ist geweihet / und soll predigen dem / der ihn beruffen / das ist unsers HErrn GOttes Weihe / und rechter Chrisam.) Loquitur nempe de casu necessitatis, & cum ordinationem sive consecrationem Episcopi recusant. Continuatum est cum matrona commercium hoc literarium usque ad annum 1544. Extat enim Lutheri epistola d 13. Jun. hujus anni data, qua significat, nepotes ejus Wittenbergam advenisse, &, se curante, a Georgio Majore in hospitium receptos esse. In his literis rogat illam, *ut sibi beati obitus horam precibus impetret, adesse enim tempus discessus & quietis suae.* (Bittet für mich um ein seliges stündlein / denn die Zeit soll ja nunmehr da seyn meiner heimfahrt und ruhe.)

An. 1535. (b) *Quaedam epistolae Lutheri, a Martino Mosedero editae.*

§. XLIV.

Reformatio, sub superioris anni finem in Ducatu Würtenbergico coepta, hoc anno progressum habuit. *Ulricus* Dux, diu ante, cum in aula Hassiaca viveret, Evangelicae doctrinae amore & Lutheri aestimatione imbui coeperat, *Hartmuthi Cronebergii* conversatione excitatus. Postea

(1) *Ulrici Würtenbergici Ducis studium Evangelicae doctrinae & favor erga Lutherum.*

An. 1535.

Postea Ulricus, in comitatu Landgravii anno 1529. Marpurgum profectus, Lutherum vidit, & inde amare, admirari &, ut Heroem, æstimare cœpit. Restitutus anno 1534. uti narratum est, in Ducatum suum, nihil prius habuit, quam religionis curam. Usus autem est administris *Erhardo Snepfio*, Marpurgensi tunc Professore, a Landgravio, & *Ambrosio Blaurero*, a Constantiensibus, *Johanne Brentio*, ab Hallensibus, *Matthæo Albero*, a Reutlingensibus, & postremo *Valentino Vannio*, qui Stutgardiæ postea Ecclesiastes fuit, a Georgio Marchione Brandenburgico missis. Ad Tubingensis Academiæ emendationem anno sequenti *Melanchthonem* adscivit, qui comite *Jacobo Milichio*, Medico & Philologo clarissimo, eo profectus, utilem navavit operam. Vide *Camerar. in vit. Melanch. p. 158.* De *Snepfio Lib. I. §. CXXXIX. in Addit.* dixi. *Blaurerus*, Constantiæ ad lacum Brigantinum nobili loco natus, anno 1492. monachismum professus erat in cœnobio Sueviæ Albersbacensi, sed Lutheri scriptis instructus, monasterio relicto, Constantiam rediit: ibi repetenti se Abbati edito scripto respondit anno 1523. indeque in patria, ringentibus licet Canonicis, Evangelium docuit: Zuinglio tamen aliisque Helvetiorum Doctoribus reformatis assentire visus est, quibus etiam in disputatione Bernensi anno 1528. adstitit. Cum vero *Snepfius* Lutheri sententiam de cœna Domini teneret, Ulrici Ducis interpositione dissidium inter eos compositum fuit, data a *Blaurero* syngrapha, (quam *Scultetus p. 421.* refert) in qua professus fuit, *se verba institutionis Christi ita intelligere, ut eorum virtute* (vermöge dieser worte) *corpus & sanguis Domini vere, id est, substantialiter & essentialiter, non autem quantitative & localiter, in cœna accipiatur & detur.* Porro ex historia vitæ *Johannis Schwebelii* (de quo dixi *Lib. I. §. LXXXII. & Addit. I. b.*) notat Scultetus, *Bucerum* Argentorato, ad componendos *Snepfium* & *Blaurerum*, accitum fuisse: adducit etiam epistolam *Buceri ad Schwebelium*, in qua Blaurerum minime scribit recantasse, (id enim rumoribus sparsum fuerat,) ejusque confessionem ita explicat, ut, quoniam localem & quantitativam perceptionem exclusisset, (quod quidem Lutherus apertissime & semper fecit, neque ulla ea de re controversia fuit) & docuisset, quod substantia sive essentia non nisi mente, non vero sensibus percipiatur, etiam corporis Christi perceptionem non nisi mente fieri statuerit; quæ quo tendant, facile cognoscitur. Paria fere ad Musculum scripsit Bucerus, & Snepfio crassa quædam imputat, ex relatione Blaureri, (vide *Scultet. p. 423.*) Hic etiam scripto publico postea se defendit. Interea, utcunque composita illa lite, junctis consiliis operisque reformatio peracta fuit, & Tubingæ (ut notat *Mart. Crusius P. III. Annal. Suevic. Lib. XI. c. 10.*) Missa in die Purificationis Mariæ abrogata; sed prima ibi concio d. 2. Septembr. a *Blaurero* habita est. Dimissus tamen postea fuit bona cum pace, & reliqua *Snepfius* perfecit. Ordinatus ab hoc *Erhardus Wernerus*, Weiblingæ, non ignoto haud procul Stutgardia oppido, (unde quidam *Gibellinorum* nomen deducunt) cum primam concionem haberet, & cœtus hymnum illum de justificatione per fidem, Es ist das heyl uns kommen her 2c. cantaret, exspuerunt sacerdotes & Diaconi veteres, temploque indignabundi exierunt. Monasteria Ducatus sedecim erant, quorum Antistites seu Abbates ad comitia provinciæ vocari solebant. Circa illa media quadam via Ulricus (nam conservationem antiqui status in monasteriis promittere in pacto cum Ferdinando Rege, adactus erat, vid. *supra §. XXVI. fol. 75. 76.*) processit: abrogavit sacra Pontificia in monasteriis, & ministros Evangelicos constituit; monachis, & qui manere, & qui abire, & aliud vitæ genus in Ducatu instituere vellent, alimenta præbuit; manentibus præscripsit, ut sacras literas legerent, psalmos canerent, missam & confessionem illam coactam omitterent, pro cucullis alia veste honesta uterentur; monialibus etiam imperata sunt, quæ illis conveniebant; sed nemo amplius in monasteria receptus fuit. Abbates plerique loco cedere, quam his conditionibus acquiescere maluerunt. *Zuifaltensis* Ducem in jus vocavit, & causam suam coram Ferdinando Rege strenue egit, ut *Bruschius* refert in illius monasterii descriptione; *Crusius* vero transactionem intervenisse, & Duci pecuniam ab Abbate datam fuisse memorat. Quia vero Ducatus amplus erat, & haberet oppida majora, quæ vocant Amts-städte, quadraginta octo; minutiora, (muris tamen cincta) quatuordecim; pagos quadringentos; magna fuit prædicatorum penuria, & assumti ab initio parum digni calumniis occasionem præbuerunt. Plebs in universum sub veteri superstitione ita tractata erat, ut plane rudis omnium religionis capitum esset, adeoque informationem ægre susciperet, & multi ad ritus illos externos, quibus sacra pristina constabant, ut ad consueta, respicere cœperunt. Nec deerant Episcoporum quinque, *Constantiensis*, *Augustani*, *Spirensis*, *Wormatiensis* & *Wurzburgensis*, (quorum diœcesibus, veteri instituto, provincia per partes & pro situ suberat,) indignationes & molimina adversus reformationem. Pervicit tamen constantia Ulrici, & postea emendatius omnia constituta fuere sub *Christophoro*, Ulrici filio, qui, quod neglectum erat, Scholas in monasteriis constituit, & ex reditibus eorum Ecclesiis, Academiæ & Scholis egregie prospexit. In *Montisbelgardensi* Comitatu seu Principatu hoc eodem anno 1535. *Petrus Tossanus* Metensis, Ecclesias regebat, vid. *Scult. d. l. p. 425.* qui tamen omnia in anno 1534. enarravit. In annum vero hunc 1535. retulit Reformationem Wurtenbergicæ ditionis in *Alsatia*, quam *Georgius* Ulrici frater tenebat, cujus filius extinctæ in nepote Ulrici familiæ successit, & hodiernam Ducum stirpem propagavit. Is igitur *Georgius* reformationem religionis orsus est, sed ad Helveticæ (ut *Scultetus*

(2) *Institutæ reformationem, adjutus a Snepfio & Blaurero aliisque.*

(3) *De Blaureri dissensione in quæstione de cœna, Ulrici & Buceri opera sopita.*

(4) *Monasteriorum mutatio, & nova regula.*

(5) *Reformatio absolvitur in Ducatu VVurtenbergensi, & in Comitatu Montbelgardensi, & parte Alsatiæ.*

An. 1535. *tetus p. 479. ex Hospiniani Part. II. Hist. Sacr. fol. 141.* refert) confessionis normam.

(6) *Augustani concionatores quærunt cum Saxonicis in doctrina de cæna.*

Augustæ Vindelicorum insignis mutatio hoc anno secuta est, inita de articulo sacræ Cœnæ inter ministerium urbis & Saxonicos Theologos, Lutherum inprimis, concordia. Dixi supra *§. XXXVI.* ut mense Decembri 1534. Melanchthon, a Landgravio Marpurgum vocatus, cum Bucero, & aliis, quos adduxerat, egerit, & quomodo Lutherus sententiam suam scripto exposuerit. Illum conventum magno studio procuravit Landgravius, ut Würtenbergicos & Augustanos a Zuinglianismi suspicione liberaret, & utrosque ad fœdus Smalcaldicum adduceret, quia Elector Saxonicus receptionem, nisi sublato hoc obstaculo, plane recusabat. Usus etiam est opera *Jacobi Sturmii* Prætoris Argentoratensis, & hic *Buceri* industriam adhibebat, ut ex ejus literis, postea ad Landgravium d. 11. Maji datis, cognoscitur. Redux ex Hassia Melanchthon retulit, quomodo Bucerus & alii mentem suam explicassent. Ad id jussus ab Electore Lutherus sententiam suam exposuit, quæ *Tom. VI. Alt. fol. 434.* ex parte legitur, integra autem in Archivo *Reg. II. fol. 97. n. 41.* servatur. Dicit (1) quod, quantum in se, concordiam non recusaret, cum ex Melanchthonis relatione perciperet, concionatores illos Suevos promisisse, se docturos esse secundum formulã Augustanæ confessionis & Apologiæ. (2) Quoniam clare confiteantur, verum & substantiale corpus Christi in cœna distribui, accipi & manducari, non posse se verba illorum reprehendere, si ita sentiant, ut loquuntur. (3) Quia late sparsa & agitata esset ista controversia, nec tam facile credituri sint omnes, quod illi, qui huc usque dissenserint, posito omni odio & studio contradicendi, tam celeriter consentiant, mora aliqua opus esse, tum, ne illi festinatione labantur, tum, ut Saxonici fiduciam de illorum sinceritate concipiant, neque inter se ipsos dissidia excitent. Causam esse universalem, non suam, nec cujusquam in particulari, ideo tempori indulgendum esse & amicis colloquiis, per quæ liquidum fiat, qui pure & orthodoxe sentiant, aut aliquid subdolum & reconditum in pectore alant, quod in deterius dissidium posset erumpere. Post hæc, quæ *d. l.* typis excusa extant, in autographo hæc adduntur; *interea nostrates mitigabunt suspicionem & simultatem,* (den argwohn und grollen) *& tandem deponent; aqua turbida ab utraque parte liquida fiet; concordia erit constans, consentientque omnes ex solido fundamento & sponte. Ad hoc requiruntur ulteriora colloquia & cognitiones.* Hoc consilium Lutheri eventu probatum est, ut judicari potest ex iis, quæ anno sequenti Wittenbergæ acta sunt, constanter & sincere ad concordiam reductis amplissimis superioris Germaniæ Civitatibus. Verum tunc festinantes ad fœderis consortium Augustani *Bucerum* Argentorato exciverunt, ut ex *Sturmii* literis, supra memoratis, & ex *Gassari historia MSta* intelligitur, concionatores quoque suos permoverunt, ut ex iis *Caspar Huberinus,* una cum *D. Gereone Sailero,* Medico, literis Senatus & Ministerii instructus, mense Julio ad Lutherum Wittenbergam proficisceretur, & consensum cum eo profiteretur, peteretque ut *D. Urbanum Regium,* qui anno 1530. Ecclesiastes Augustæ fuerat, &, publicato a Cæsare edicto, urbe cesserat, opera & intercessione sua induceret, quo Augustam, ad regendos cæteros concionatores, rediret. Quanto gaudio Lutherus hæc perceperit, ex epistola ejus, d. 20. Jul. ad Senatum Augustanum data, cognoscitur, quæ extat *Tom. VI. fol. 488.* Scribit: lætissima sibi fuisse, quæ Legati nunciassent; laudat Deum, ob spem concordiæ, & precatur, ut eam perficiat; offert ad id promtissime omnem suam & suorum operam, se enim videre, quod serio agant, omnemque suspicionem in mente sua delevisse, ita, ut intima cordis sui Legatis aperuerit. Indicat deinde, *Regium* a Lüneburgensi Duce, cui operam suam, Augusta pulsus, addixerat, veniam impetrare non posse, pollicetur autem, se alium virum idoneum inventurum & missurum esse, id quod mense Augusto præstitit, ut *Gassarus,* & ex eo *Crusius* notat, *d. cap. X.* misso scilicet *Johanne Forstero.* Is anno 1495. Augustæ natus, *Capitonis & Mosellani* discipulus fuerat, postea Wittenbergæ Theologicis studiis instructus, & Luthero familiaris, cui & in versione Biblica utilem operam præstiterat. Sed majoris lætitiæ & tenerioris affectus testimonium exhibent literæ Lutheri ad Ministerium Augustanum, eodem die 20. Jul. scriptæ, quas ex *d. l. Archivi* integras adducere non pœnitet. Inscriptæ sunt: *Venerabilibus in Domino viris, & charissimis fratribus, ministris Ecclesiæ Augustanæ sinceris & fidelibus,* & ita habent: *Gratiam & pacem in Christo. Quanto gaudio vestras, charissimi fratres, acceperim literas, malo ex viva epistola, quæ est vester D. Gereon & Caspar Huber, vos cognoscere, quam ex elementis istis grammaticis & mortuis. Nam nihil mihi lætius contigit ipso toto cursu nostri Evangelii, quam, post triste hoc dissidium, tandem sinceram sperare, immo videre inter nos concordiam. Ita enim ipse D. Gereon narrat, ita vestræ sonant literæ, ut mihi vulnus meum, scilicet suspicio, penitus sanatum sit, etiam ne cicatrice quidem superstite. Quare per Christum vos oro, qui hoc opus in vobis cœpit, pergite & perseverate in hoc fructu Spiritus, & nos amplectimini ulnis & visceribus puræ charitatis, sicut vos amplectimur & suscipimus gremio sinceræ fidei & concordiæ, ac vobis persuadete in Christo firmiter, nihil posse a vobis imponi nobis, quod, pro ista concordia firmanda, non simus etiam hilariter facturi, etiam passuri, si opus sit, omnia. Nam firmata ista concordia gaudens, & lacrymans suaviter, cantabo: Nunc dimittes, Domine, servum tuum in pace. Nam post me relinquam Ecclesiis pacem, hoc est, gloriam Dei, pœnam Diaboli, & ultionem omnium hostium & inimicorum. Christus gubernet vos, & perficiat in ista sententia, ut gaudium plenum mihi fiat, & post tot cruces & infernos felicem saltem horam exspirandi habeam. Amen! Orate pro me, sicut & ego pro vobis.* Hoc anno etiam, ut *Gassarus* in *MS.* notat, schola ad D. Annæ in urbe constituta fuit, & classem secundam regendam accepit *Arsacius* ille *Seehoferus*, cujus *Libr. I.* sæpius mentionem feci.

(7) *Lutheri consilium.*

(8) *Legati ex ministerio Augustano.*

(9) *Lutheri responsum ad Senatum.*

(10) *Literæ ad ministerium.*

cidit

An. 1536.

(11) *Mors Joachimi I. Elect. Brandenburg.*

Incidit in d. 11. Jul. hujus anni mors *Joachimi I.* Electoris Brandenburgici, quem acriter repugnasse reformationi religionis, satis notum, & supra aliquoties dictum est. Quæ vero inde mutatio secuta sit, in loco memorabitur.

ADDITIO.

(a) *Epistola Landgravii ad Joachimum II. Elect. Brandenburg.*

Memorabilis est &, quæ tota edatur, dignissima *Landgravii* epistola d. 18. Julii sua manu ad filium & successorem defuncti, *Joachimum II.* scripta. (*Reg. H. fol. 92. n. 38.*) Præmissis quibusdam, quæ ad consolationem de obitu Parentis pertinebant, Electorem summa fide & diligentia rogat, (will treulich und fleißig gebethen haben.) *ne se a vocatione Dei, & maxime a cognitione rerum divinarum, dimoveri patiatur; sive id amici, sive sodales, aut quicquid in mundo valeat, tentare velint.* (weder freunde/gesellen/oder was die welt machen mag.) *Scis*, ait, *moriendum nobis omnibus esse, incertum, quo tempore; Scis dictum Christi: quid prodest homini &c. Matth. XVI. 26. Vereri se* deinde dicit, *futuros esse quosdam, aut quendam (quem ipse noverit) qui omnia sit moliturus, ut eum a veritate Evangelica abducat; confidere autem se*, dicit, *constantiæ ejus adversus minas & blanditias, &, quod pluris æstimaturus sit Dei gloriam, quam quicquid offerat mundus. Si aliter ageret, triste id sibi & molestum fore, qui illum apud omnes summis laudibus evexerit. Non esse quod metuat: tot tantosque enim Evangelii causam jam tueri, ut adversus vim injustam subsistere possint, illosque omnes vires suas & corpora ad juvandum eum collaturos & periclitaturos esse. Satius etiam esse, si ita Deo videatur, ut pro veritate patiatur, quam erroribus deditus dominetur, cum æternæ damnationis periculo,* (sey besser/so es Gottes wille wäre/um der wahrheit willen zu leiden/denn um der unwahrheit willen zu herrschen/und darnach ewiglich verdammt zu seyn) *Audivisse se* dicit, *juramento illum obstrictum fuisse,* (id ferebatur Parentis, Patruique Moguntini, & Georgii Saxonis zelo & cura factum esse) *ne causæ Lutheranæ unquam adhæreret. Hoc vero*, ait, *nihil refert: neque enim nos reliqui omnes personas aut nomina sectamur, a quibus pendeamus.* (denn wir alle an den personen und namen nicht hangen noch hafften.) *Non jurasti utique, te non esse passurum, ut Evangelium pure doceatur, neque quisquam hoc a te poscet. Si quis vero tibi objiciat, te promissis non stare; respondebis, te non adhærere Luthero, sed velle, ut Evangelium prædicetur, nec te jurasse, ut non credas aut obsequaris Evangelio. Si vero jurasti, te mansurum esse in Ecclesia Romana, servare id, absque æternæ salutis dispendio, non potes: scis enim, & mihi fassus es, doceri in illa, quæ sunt contra verbum Dei.* Inter alias, quas repetit, graves admonitiones adducit etiam argumentum de peccato in Spiritum sanctum, quod commissurus esset, si agnitæ veritati contradiceret. Allegat dictum *Matth. XXIII. 13.* de iis, qui prohibent alios intrare in regnum cœlorum, nec ipsi intrant; item *Matth. X. 33 qui me abnegaverit coram hominibus* &c. Juber eum famæ suæ consulere; omnibus enim innotuisse, quod Evangelii doctrinam amaverit. Proponit præmia, animæ salutem, plurimosque in regimine suo successus, diuturnitatem vitæ, gloriam & felicitatem, rogatque ne spem de se conceptam destituat. (E. Lden. lassen sie nicht zu einer leeren schelle werden.) Tandem petit, ut ista omnia boni consulat, utpote fidissima mente scripta, & ex officio pietatis, quo omnes obstringantur ad confortandos alios in negotio tam arduo, ad gloriam Dei pertinenti. Exemplum harum literarum a Landgravio Electori Saxoniæ missum extat: qui eas valde laudavit, nondum tamen satis fidere conversioni Brandenburgicæ voluit.

SECT. 14.

An. 1536. Sleid. l. 10. Rober. Pont. l. 3. Sur. in Comm. Jov. l. 34.

Cæsar ex Africa redux urget Concilium; assentit Pontifex.

Neque tamen Pontifex mense Junio destitit, concilium in anni proximi mensem Julium Mantuam indicere. Id enim Imperator postulabat, ab expeditione Africana plenus gloria regressus, postquam Guletam & Tunetum expugnasset, & ante isthanc urbem magnam, famosi illius Barbarossæ, Regis Algeriani, classem superasset, liberatis viginti Christianorum captivorum millibus. Vehementer itaque negotium hoc ursit, ejusque magna tenebatur solicitudine, toti orbi demonstraturus, serio concilium se cupere. Ita Pontifex convocationem differre amplius non poterat, sed quoquo versum, etiam ad Protestantes, nuncios suos misit.

§. XLV.

(1) *Literæ Cæsaris expostulatoriæ ad Protestantes.*

Pauca hic Maimburgius, ex duorum annorum gestis coagmentata, producit. Expeditio Cæsaris Africana ad annum 1535. pertinet, cujus prolixior narratio, invidia fortassis erga Cæsarem omissa potius est, quam ut digressiones vitaret, levi alias occasione ab eo arripi solitas. Sed carere hic historiæ illius relatione possumus. Rectius autem cum *Sleidano Lib. IX. p. 253.* literarum Cæsaris mentionem fecisset, quas ex Africa redux, & sive victoria elatior, sive, ut Pontifici (quem, bellum in Gallos parans, conciliare sibi cupiebat) gratificaretur, d. 30. Novembris 1535. ad Principes Protestantes dederat, satis severas. Expostulavit enim de bonis Ecclesiasticis, quæ, ut ajebat, invasissent, & de Clero, quem spoliassent, tum, quod mandatis, ex Camera ad querelas spoliatorum promulgatis, pacem Norimbergensem nullo jure opponerent, a procuratoribus suis persuasi, qui sua emolumenta in his litibus quærerent. Jubet igitur, ut Cameralibus præceptis pareant. (Vide *Reg. H. fol. 102. n. 145.*) Hæc, quo pertinerent, illi haud difficulter perspiciebant. Conventu itaque *Francofurtum* d. 24. April. anno 1536. indicto & d. 10. Maji finito, quo Smalcaldiæ, mense Decembri præterito, tractaverant, perfecerunt, & accessione Principum & civitatum, ut supra §. XXXV. dictum fuit, partes suas roborarunt, legationem etiam decreverunt, (*Sleidan. lib. X. p. 281.*) quæ ad literas Cæsaris responderet, & sua exponeret postulata, sed Legatorum expeditio absque effectu fuit. Cum enim Cæsar interea bellum Gallicum incepisset, rigorem, quacunque de causa Protestantibus ostentatum, aliis literis, d. 7. Julii hoc anno 1536. *Saviliani* in Subalpinis, datis, (quas illi postmodum sæpissime allegarunt) emollitum ivit, (*Sleid. d. l. p. 291.*) In his eos de pace, & quod religionis causa non nisi amice tractanda, neque cuiquam vis metuenda sit, confidere jubet. Profecti nihilominus interim erant Legati, *Joachimus Dynasta Pappenheimius*, Saxoniæ Electoris Vasallus & Consiliarius, (qui d. 26. Octobr. Mediolani decessit.) *Ludovicus Baumbachius* Eques Hassus, & D. *Claudius Pius Peutingerus*, Augustanus. Cæsarem jam ex Gallia Narbonensi, quam infausto successu invaserat, reducem, in Italia adierunt, questi de iniquis

(2) *Aliæ mitiores.*

(3) *Legatio Protestantium ad Cæsarem.*

An. 1536.

quis Cameræ contra ſe proceſſibus, & excuſationem afferentes, adverſus imputationes, ac ſi cum Galliæ & Angliæ Regibus fœdus haberent, Cæſari adverſum; tum, quod poſt pacem Norimbergenſem aliquos in ſocietatem ſuam ob communem religionis cauſam recepiſſent. *Sleid. Lib. XI. p. 296.*

(4) *Cæſaris ad illos reſponſio.*

Sed Cæſar in Hiſpaniam reditum parans, & multis belli aliisque curis diſtractus, Legatos benigne auditos dimiſit, ad poſtulata tamen nihil reſpondit, quam quod Legatum ad eos miſſurus eſſet. Amandavit itaque literis ad Electorem aliosque Genuæ d. 31. Octobr. datis, inſtructum Procancellarium ſuum D. *Matthiam Heldum*, cum quo quæ in conventu Smalcaldico, anno 1537. menſe Februario habito, acta ſint, ex Maimburgio paulo poſt percipiemus, noſtraque addemus monita.

(5) *Decernitur Concilii convocatio.*

Præterita etiam hic ſunt, neſcio qua cauſa, a Maimburgio, *acta inter Pontificem & Cæſarem de Concilio.* Vergerius enim, Nuncius Pontificius, Romam reverſus, renunciaverat, (uti quidem *Paulus Venetus* refert, ſed *Pallavicinus Lib. III. cap. XIX.* diſſimulat,) Proteſtantes, Cæſaris promiſſionibus fretos, concilium poſtulare, loco opportuno intra Imperii fines; de Luthero vero & ſociis nihil ſpei reliquum eſſe, niſi continuo armis opprimantur, idque ſuadere *Georgium* Saxoniæ Ducem, dictitabat. vid. *Sleid. Lib. X. p. 286.* Idem Vergerius, cui Epiſcopatus *Capitis Iſtriæ*, (oppidi id nomen eſt) præmii loco promiſſus, pauloque poſt collatus fuit, ad Cæſarem Neapolim proficiſci, & eadem renunciare juſſus eſt. Moverunt non tam ea, quam belli Gallis inferendi cupiditas Cæſarem, ut ipſe Romam proficiſceretur. Ibi cum Pontifice ſecreta colloquia d. 7. April. per ſeptem horas habuit. Stimulabat Pontifex Cæſarem, ut, omiſſo bello cum Galliæ Rege, cum quo tranſigi poſſe putabat, Proteſtantes aggrederetur. Id *Pallavicinus* negare non poteſt, reprehendit tamen *Venetum*, quod eam Pontifici mentem (mitiorem nempe, quam merebatur) tribuat, ac ſi non tam Lutheranorum cladem deſideraſſet, quam, ut Cæſarem a Ducatus Mediolanenſis (qui belli cum Gallo præcipua cauſa erat,) poſſeſſione averteret. Quapropter difficile creditu eſt, bona mente & ſerio concilium a Pontifice decretum & convocatum fuiſſe, licet id *Pallavicinus d. l.* omni, qua valet, argutia aſſerat. Propoſitum itaque fuit, Cæſare vehementius inſtante, concilii negotium Cardinalibus, & convocatio conſenſu omnium decreta. Locus *Mantua* electus eſt, diſſuadente Vergerio, qui prius Germanorum conſenſum impetrari debere contendebat: admiſſum tamen ejus monitum fuit, ut in diplomate indictionis omitterentur verba, *ſecundum formam præcedentium conciliorum*, ut ſcilicet ſpe quadam liberi concilii ineſcarentur Proteſtantes. De Cæſaris & Papæ intentionibus ſecretis, & ut ſe invicem aſtute deluſerint, haud improbabilia affert Venetus, ſed ea mira cum induſtria elevanda ſumit *Pallavicinus d. c. XIX.* Arcana mentium Deus noverit: certum tamen eſt, Pontificem tunc ſerio cupiiſſe, ut bello opprimerentur Proteſtantes.

(6) *Epicriſis quædam.*

An idem de Cæſare affirmari poſſit, dubium eſt, quia acta quædam ejus meliorem oſtendunt mentem.

An. 1536.

Interim promovebat, ut poterat, concilium, &, licet ſedulo inſtaret, ut ſe præſente diploma indictionis expediretur, excuſationem tamen Pontificis accepit, qui moram ad conſcribendum neceſſariam poſcebat.

(7) *Diploma indictionis & cautio de electione Pontificis.*

Dato itaque ſeptem Cardinalibus & duobus Epiſcopis, *Aleandro & Vergerio*, negotio, compoſitum eſt diploma, & approbatum, editumque adſcripto die 2. Junii. Germanice verſum legitur *Tom. VI. Alt. fol. 1054.* & apud *Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. XXII.* Compendium ejus exhibet *Sleidanus d. Lib. X. p. 289.* Dies inchoandi concilii *Mantuæ* (quæ urbs valde in diplomate laudatur) 23. Maji anni futuri 1537. indicitur, ſcopus magnifice prædicatur, excidium (ut *Pallavicinus* loquitur) hæreſium, pax reipublicæ Chriſtianæ, & libertas nationum oppreſſarum ab infidelibus, & horum quoque ad Chriſtianiſmum converſio; vana omnia & in ventum ſcripta. Ut vero potentiæ Pontificiæ, ad normam regiminis per ſecula quædam introducti, proſpiceretur, cautum eſt alia ſanctione, ut, ſi durante concilio, ſedes Romana vacaret, electio novi Pontificis non penes concilium, ſed Cardinalium collegium eſſet.

ADDITIO.

(a) *Theologi Wittenbergenſes conſuluntur de concilio.*

Cum fama diplomatis, deinde exemplum Germanicum, a *Georgio Marchione Brandenburgico* d. 3. Julii miſſum, ad Electorem Saxoniæ perveniſſet, mandavit ille d. 24. Julii (*Reg. H. fol. 123 n. 52*) ut Theologi & Juriſconſulti Wittenbergenſes ſententias conferrent, quid faciendum eſſet, ſi Cardinalis quidam (ut ferebatur) ſive alius Legatus a Pontifice veniret, invitaturus Principem ad concilium: ſcire enim illos, quid toti provinciæ, liberisque & poſteris expectandum eſſet, ſi concilium impium & minime chriſtianum (ein unchriſtlich und gottloſes Concilium) haberetur. Secutum poſtea eſt d. 11. Decembris aliud Electoris mandatum ad Lutherum & reliquos Theologos, ut articulos fidei denuo expenderent, & ante diem 25. Januarii, ob inſtantem conventum Smalcaldicum, ſententiam ſuam liquido aperirent, in quibus capitibus ad ſummam rei pertinentibus perſiſtendum eſſet. Quid reſponderint, in hiſtoria anni ſequentis commodius narrabitur. Notare hic lubet ex *Reg. H. fol. 97. n. 42.* indictionis Pontificiæ ad comitia exempla ad duos Archiepiſcopos Rigenſes, Lutheranum alterum, alterum Pontificium, qui de ſede diſceptabant, & per hos ad Epiſcopum Pomezanenſem in Boruſſia, aliosque miſſa fuiſſe. Munus autem Pomezanenſis Epiſcopi gerebat *Paulus Speratus*, de quo *Lib. I. §. CVI. & CLXXXIII.* mentio facta eſt, apertus Lutheraniſmi profeſſor. Neque id Romæ ignotum eſſe poterat, ſed ſecretum aperuit *Pallavicinus Lib. IV. cap. I. §. 4* monens, citari ſolere Romæ omnes, qui in poſſeſſione eſſent, omiſſo tamen nomine perſonæ: ideoque etiam Hungariæ Epiſcopi citati tunc ſunt, licet ob cauſam Johannis Wayvvodæ excommunicationi ſubjecti eſſent.

(b) *Pauli Sperati, Epiſcopi Pomezani, reſponſio ad diploma Pontificium.*

Accepit igitur *Paulus* ille literas cum inſcriptione: *Venerabili fratri, Epiſcopo Pomezanenſi*, & indictionis diploma, &, ut videtur, morem curiæ ignorans, ſerio ſe vocari exiſtimabat. Reſponſum itaque paucis poſt acceptas literas diebus d. 15. Februarii exaravit, parum conſiderans vir bonus, quis ipſe, & quis eſſet Pontifex. Igitur illum *Beatiſſimum Patrem* vocat, & magnam animi lætitiam profitetur ex concilii indictione, gratulatur inſuper Pontifici: ſed quæ ſubjungit, placere Romæ minime poterant; ſcribit enim, „*ſe dudum in ſummis votis habuiſſe, ut rebus Eccleſiæ tam miſere & tantum non extreme laborantibus per concilium aliquod, puritate ſcripturarum de impuriſſimis erroribus triumphante, ſuccurreretur.* Addit: *Non dubito autem, quin eadem B. P. V. non tam œcumenicum, quam etiam plane liberum*

(c) *Monitum de libertate & norma Concilii.*

An. 1536.

rum futurum hoc concilium indixerit, captato prius optimo optimorum consilio, in quo cuivis pio ad exactissimam limam Canonicæ & Apostolicæ Scripturæ tuto loqui liceat. Siquidem Scriptura SS. illa amussis est, cui quævis, quantumvis numerosæ Synodi, præjudicata autoritas, honorem & palmam cedere merito debet. At proh dolor historiæ quædam testantur, alicubi (sit gratia dicto) plus quam humanum aliquid esse passos in Conciliis olim congregatos patres, ad quorundam piorum hominum, secundum Scripturas libere veritatem loquentium, exitiale damnum, ne durius quid dicam. Quæ si nunc præter expectationem universi Orbis catastropha Concilii nos maneret, multo præstaret, nunquam indictum aut publicatum esse, tantum abest, ut celebratum velimus: sed meliora sperabimus. Post alia enixe petit liberi commeatus & securitatis indubitatæ literas; quibus acceptis, & impetrata a Duce Borussiæ venia, venturum se esse affirmat, jubetque in fine *beatissimam Pontificis paternitatem* Christo & Ecclesiæ ejus rectissime valere. Data est epistola in *insula Mariana, sede Pomezanensi*, die, quem dixi. Sed frustra gavisus est speravitque Episcopus; impletumque fuit, quod in iisdem literis ominatur, nempe, *quod sublata libertate, concilium, cum ineluctabili universi Orbis Christiani incommodo, in conciliabulum sit degeneraturum.*

§. XLVI.

(1) *Principum Protestantium fides erga Cæsarem.*

Narratione de Cæsaris expeditione adversus Gallos nolui quidem hic lectores diu morari, cum ad religionis negotiū non videatur spectare: notari tamen meretur Protestantium Principum fidelitas, qui nullis Regum Galliæ & Angliæ illecebris moveri se passi sunt, ut illis adversus Cæsarem opitularentur: quod si fecissent, magnæ sibi potentiæ & securitatis firmamenta circundare tunc potuissent. Statuerunt etiam in conventu, de quo dixi, Francofurtensi, ut in fœdere, quod cum Angliæ Rege per Legatos tractandum erat, & in omnibus aliis, Imperator & Imperium diserte exciperentur. (vid. *Sleid. d. Lib. X. p. 288.*) Quanquam enim suspiciones non deerant, & inprimis Georgius Saxoniæ Dux Electori agnato valde gravis esset, ita ut hic publice de eo in conventu Smalcaldensi conquestus sit; (vid. *Sleid. d. Lib. X. p. 289.*) maluerunt tamen Cæsaris asseverationi acquiescere. Accessit Ferdinandi Regis contestatio, in literis ad Protestantes d. 11. August. hoc anno, quas *Hortlederus* exhibet, *Tom. I. Lib. I. cap. XXIII.* prudenter publicata.

(2) *Literæ ad eos Ferdinandi Regis, & promissa Cæsaris nomine pax.*

Narrat in iis quædam a Cæsare in subalpinis gesta, & ut d. 25. Julii festo Jacobi, superatis magna cum molestia alpibus, fines Gallicos attigerit, dein d. 3. Augusti ad Forum Julii (vulgo *Frejus*) castra habuerit, Aquas Sextias petiturus: refert etiam, quæ Nassovius cum exercitu Cæsareo in Belgio adversus Gallos gesserit. Cæsaris deinde intentionem commendat, & nil aliud eum quærere affirmat, quam ut, post profligatum bellum, a Gallis temerarie & sine legitima causa motum, pacem stabiliat, ad perpetuam & salutarem quietem tum Christiani orbis, tum Germanicæ nationis, sibi dilectissimæ. Subjungit querelam de calumniis Gallorum, qui orationem Cæsaris ad Pontificem Romæ d. 17. April. contra Regem habitam, (de qua post multos videri potest *Pallavicinus d. cap. XIX.* & *Hortled. d. Lib. I. cap. XXI.*) mala fide, Germanice versam sparsissent, inter alia vero finxerint, ac si Cæsar contra pacem Norimbergensem Protestantes bello aggressurus esset. Ut autem veritas rei manifesta fieret, ipse Ferdinandus orationem typis editam transmisit, rogans, ut his fidem haberent, & de Cæsaris voluntate securi essent, qua & ad pacem conservandam, & ad concilium pro concordia in religione habendum, (quod jam indictum esset,) summo studio tenderet.

(3) *Gallorum contraria molimina.*

Contraria disseminaverant Galli: missus enim denuo a Rege, quem supra nominavimus, *Langæus*, ut ipse *Lib. VI. commentariorum suorum* refert, cum tutum per Germaniam iter non haberet, scriptum ad Principes edidit, in quo Regis sui affectum erga illos mire deprædicat, & justitiam causæ Regiæ speciose proponit, Protestantibus vero a Cæsare pericula ostentat. Plura quidem de Langæi illa negotiatione, & mirabili a periculis liberatione, leguntur apud *Varillasium* in *historia Francisci I. Lib. VIII.* sed quæ in *Langæi* libris non reperiuntur. Gloriatur tamen *Langæus*, sua industria Germanos alieniores a Cæsare redditos esse, ita ut Ferdinandus Rex loco tredecim millium, quos conscribere, & in Campaniam Galliæ provinciam immittere constituerat, vix duo aut tria militum millia colligere potuerit.

(4) *Lutherani Cæsari militant, speciatim Schertelius.*

Nolo de his disceptare, certum tamen est, plurimos Protestantium Cæsari in expeditione illa hoc anno 1536. militasse. *Gassarus* in *annal. MSS. Sebastianum Schertelium* aliosque nominat. Spero autem lectoribus haud ingratum fore, si ipsius *Schertelii* relationem ex allegato alibi ejus *Diario MS.* afferam, nativa quadam & militari ingenuitate forte placituram. *Hoc*, ait, *anno 1536. circa festum Pentecostes, cum Casparo Dynasta Frundsbergio* (Georgii illius Ducis celeberrimi filio) *cohortem, cui præfectus eram, ducens, Caroli Cæsaris castra secutus sum: mihi præter præfecti stipendium pensio menstrua centum florenorum, & pro quinque equitibus sexaginta florenis numerati fuerunt. Cepimus Fossanum* (in Pedemontana sive subalpina regione) *ubi sex millium Gallorum præsidium erat. Postea cum exercitu Cæsaris, qui ad centum militum millia æstimabatur, Provinciam* (Narbonensem) *invasimus: duobus mensibus hæsimus circa Massiliam & Aquas Sextias. Dimidia fere exercitus pars fame periit, ita ut ex Germanis peditibus duodecim millia amiserimus, cum magna equorum & armorum copia. Miserabilis fuit propter famem expeditio: Hostes nunquam in conspectu habuimus.* De eadem infelicitate testatur *Joachimus Pappenhemius* in literis ad Electorem d. 30. Septembris ex itinere, quod ei ut dixi lethale fuit, scriptis, causasque ejus aperit, non solum annonæ & stipendiorum angustiam; sed & consilii inopiam, quod nempe, exclusis tribunis senioribus, Cæsar aliis imperitioribus obtemperasset & alendi exercitus curam duobus Episcopis, Italo uni, alteri Sardo, nullius pretii hominibus, commisisset, & incredibilem lixarum numerum tolerasset. Interim apparet, non defuisse Lutheranos in castris Cæsareis.

(5) *Literæ Protestantium ad Cæsarem.*

Testati præterea sunt partis hujus Principes literis ad Cæsarem d. 9. Sept. magnam voluptatem, quam ex literis ejus ex castris Savilianis d. 7. Julii datis, perceperint, non dissimulantes tamen, alios rumores ad se perlatos esse, & quas a Cameræ judicio patiebantur molestias: indicant etiam, se rescivisse, a Pontifice concilium in annum sequentem Mantuæ indictum; ex diplomate autem percipere non posse,

An. 1536. se, qui modus concilii futurus sit, repetunt itaque desiderium de concilio libero & pio, in Germania habendo, juxta decreta comitiorum & pacta Norimbergensia, & quæ ipsi Pontificis Nuncio ante annos tres responderint.

ADDITIO I.

(a) *Georgius Saxoniæ Dux persequitur nobiles, religionis causa.*

Post compositam utcunque inter Electorem & Georgium agnatum Grimmensi conventione rixam, nova & vehementissima collisio, ex zelo Georgii pro veteri religione aliquot annis agitata, hoc demum 1536. composita est, cujus historiam paulo altius ex *Reg. N. fol. 82 & sqq. n. 25. ad 36. & Reg. E. fol. 87. & sqq. n. 29. ad 33.* repetemus. Erant in Thuringia sub *Georgii* imperio *Ernestus*, *Fridericus* & *Christophorus ab Hopfgarten in Mülverstadt*, splendidi & opulenti equites, qui, parentis Evangelicæ religioni ad mortem usque addicti exemplo, communione sub utraque usi erant. His jam anno 1532. Georgius exilium & bonorum venditionem indixerat. Dilationem multis supplicationibus, aut præfectorum conniventia, ad annum usque 1535. obtinuerant. Cum vero severius ageretur, Electorem, sub cujus ditione alia prædia pagosque possidebant, implorarunt. Idem alii fecerunt, inter quos nominari in Actis reperio, *Georgium Spiegel*, *Wolfgangum* & *Andream a Limbach*, *Volradum a Wazdorff*, & maxime *Antonium a Schönberg*, cui pretium ex venditis jam, religionis causa, bonis, mandato Georgii denegabatur.

(b) *Elector repressaltis utitur.*

Cum nihil proficeret Electoris intercessio, & pacta Grimmensia, quæ allegabat, in alium sensum a Georgio traherentur, Elector, ut æqua impetraret, *Georgium ab Harras in Osmanstedt*, *Georgium Vitzthum in Eckstedt*, & *Johannem a Reinsberg*, Pontificiis sacris inhærentes, ex sua provincia, venditis bonis, itidem exire jussit. Missi Lipsiam ab utroque Principe mense Majo Consiliarii æquas conditiones proposuerant, sed exacerbatæ Principum mentes erant, partim concionibus & scriptis Lutheri, quibus Georgius offensum se esse ferebat, partim, quod exules Lipsienses ab Electore reciperentur, & benigne tractarentur.

(c) *Certant inter se literis.*

Acriter inde literis certatum est, & Elector d. 30. Maji Georgio exprobravit animi acerbitatem, & inveteratum morem asperi styli, tum rancorem in Lutherum ex falsis delationibus conceptum; Laudavit etiam in iisdem literis Lutherum, ut virum veracem, honestum & Christianum, qui verbum Dei pure & orthodoxe doceret; negabat etiam, probari posse a Georgio illi imputata, & Cochlæum ob maledicentiam non parum vituperabat. His non mitiora reposuit Georgius, Electori defectionem a sacris Romanis, Luthero mendacia & alia objiciens. Auctis itaque odiis sublatoque inter Principes amico & honorifico literarum commercio, nihil supererat, quam judicium, secundum pacta, ex delegatis utriusque provinciæ Ordinibus constituendum.

(d) *Constituuntur arbitri.*

Factum id est multorum mensium labore, nec exiguo sumtu, deputatis Lipsiam primo duodenis, deinde adjunctis insuper denis. Hi omnem adhibuerunt industriam, ut litem transactione potius, quam pronunciatione sententiæ, sopirent.

(e) *Horum inter se rixa.*

Protelabant hanc interlocuto; tandem transactionis formulam conceperant, utrique Principi non ingratam, cum inter ipsos deputatos dissensio exorta est, quæ spem amicæ compositionis disturbavit. Georgius enim attestationem quandam a delegatis impetraverat, contradicentibus quinque ex iis, quos Elector deputaverat. Magna fuit Electoris hac in causa solicitudo & commotio, ita, ut plus quam triginta folia, ejus manu in hac causa scripta, apud acta reperiantur.

(f) *Electoris cum Georgio expostulatio.*

Maximum semper irarum fomentum erat religio: veterem extollebat Georgius, sed repurgatam præferebat Elector, & simul pro gloria habebat, quod ab agnato pro hæretico haberetur, scripsit tamen: quicquid ille pro superstitione antiqua allegaret, nil nisi folia & schemata esse, quæ adversus judicium & iram Dei, vermemque & ignem conscientiæ, nihil sint profectura. (Es seyn nur Qvasten / die vor GOttes gericht und zorn nicht decken / noch den nagenden wurm wehren / noch das hertz-feuer leschen mögen.) Ita concitatos animos placare non poterant [?]ceres ex illustribus & nobilissimis familiis, & spectatissimis municipalium delecti. Meretur tamen dignitas & adhibita ab iis opera, ut memoria illorum conservetur.

(g) *Nomina arbitrorum.*

Ex parte Electoris arbitri sex deputati erant, *Albertus Comes Mansfeldensis*, *Johannes a Planiz*, cui anno 1531. mortuo substitutus fuit *Casparus a Teutleben*, Doctor, (frater *Valentini* Episcopi Hildesiensis) *Johannes a Dolzig*, *Casparus a Minkwiz*, *Christianus Bayerus*, Cancellarius, (cui eo tempore extincto successit *D. Melchior Klingius*) & *D. Benedictus Pauli.* Decem adjuncti fuerunt: *Ernestus Comes Gleichensis*, *Ludovicus Botneburgius*, *Nicolaus ab Ende*, *Johannes Metsch*, *Eobaldus a Brandenstein*, *Vitus a Pappenheim*, *Henricus a Konneriz*, *Fridericus Brandius*, omnes Consiliariorum & Præfectorum munere conspicui; accesserunt duo Consules *Altenburgensis* & *Salfeldensis.* Ex parte Georgii judices erant *Christophorus a Taubenheim*, Præfectus Thuringiæ, *Andreas Pflug*, *Wolfgangus a Schonberg*, *Georgius a Carlewiz*, Consiliarii itidem & Præfecti, *D. Georgius Breitenbachius* & *Ludovicus Fachsius*, JCti Lipsienses; Decem vero adjuncti, *Hoyerus Comes Mansfeldensis*, *Güntherus*, *Schwarzburgensis* Sondershusanus, *Fridericus a Wizleben*, *Wolfgangus ab Ende*, *Henricus a Bünau*, *Ernestus a Miltiz*, *Otto a Dieskau*, *Henricus a Schleiniz*, Consules *Salzensis* & *Dresdensis.* Procuratores erant Electoris, *Wolffgangus a Weissenbach*, *D. Gregorius Pontanus* & *D. Blicardus Sindringer*: Georgii Ducis, *D. Simon Pistoris*, Cancellarius, *Christophorus ab Ebeleben*, *Melchior ab Ossa.*

(h) *Landgravius transactionem procurat.*

Gloria compositionis Philippo Landgravio Hassiæ destinata fuit: hujus enim opera d. 5. Junii conventum est inter Electorem, qui *Naumburgi*, & Georgium qui *Weissenfelsæ* (duobus inde milliaribus dissitæ) subsistebat, commeante inter utrumque Landgravio. Testatus est Elector, se ad gloriam Salvatoris nostri, & ut Landgravio & provincialibus gratificaretur, depositurum esse offensas. (Er wolle Christo unserm Seligmacher zu Lobe und Ehren / dem Land-Graffen zu frl. gefallen / und den Unterthanen zu gnädiger willfahrung / allen gefaßten unwillen fallen lassen.) Eodem modo sese explicavit Georgius. Aderant utrique undeni denuo delecti ex proceribus, inter quos ex Electoris parte nominatos invenio (de cæteris non liquet,) *Henricum Comitem Schwarzburgensem*, *Anarcum Dynastam Wildenfelsium*, *Eberhardum Thannium*, *Christophorum Taubenhemium*, *Johannem*, *Nicolaum* & *Georgium a Minkwiz*, *Johannem a Pack*, *Johannem a Ponikau.* De casu principali transactum est, ut nobiles bona sua retinerent, & in loco domicilii, secundum Principum leges, quoad religionem, viverent, aut, si diversam profiterentur, exercitium ejus extra provinciam quærerent.

ADDITIO II.

(a) *Literæ ad Electorem, de agitatis in concilio Cæsari, in causa religionis.*

Habetur *Reg. H. fol. 124. n. 43. Guilielmi Comitis Nuenarii* epistola ad Electorem, ex castris ad Peronam d. 6. Septembris scripta, qua, ex relatu Henrici Nassovii, significat, Cæsarem Romæ adversus Protestantes tam longe non esse progressum, (sey nicht so weit gangen) quantum vulgo spargeretur, & suspectæ esse fidei, quæ de ejus dictis lingua Gallica, Italica & Germanica vulgarentur. Se celaturum non esse Electorem, si quid rescisceret de Cæsaris adversus illum & socios ira, &, salva honestate, revelare posset. Addit: fervidiores ex adversa parte Cæsari succensere, quod non vehementius contra Protestantes apud Pontificem institisset, sed rem ad concilium distulisset: laudari etiam dicebat apud Cæsarem æquam Electoris mentem & pacis cupidam. Verum non exemptæ sunt Electori suspiciones de instantibus periculis, quas paulo ante, in literis mox referendis *Baroni Hoffmanno* sincere detexerat.

(b) *Propensio Electoris ad obsequendum Cæsari, ex literis ad Hofmannum.*

Nihilominus si per Electorem stetisset, & is paci internæ fidere potuisset, egregia auxilia adversus Gallos Cæsari tulisset. Declaravit hanc mentem suam non una vice. Scripsit (*Reg. H. fol. 103. num. 46.*) *Hoffmanno* manu sua, se suadere, ut octo peditum millia, quæ in Holsatia & Dania absque certis stipendiis vagabantur, Cæsaris nomine conducerentur & in Belgi-

An. 1536.

Belgium ducerentur ad reprimendos Gallos. Neque dubitandum esse, *si omnes boni, fortes & fideles Cæsari assisterent, quin Galli tum in suo regno, tum in Italia, magno infortunio mactari possint* (sie solten das hertz leyd haben) *& bello finis imponi*. In iisdem literis cavere sibi Cæsarem & Ferdinandum jubet a Bavaris, quos suspicatur Regis Romani dignitatem affectare, & sub specie expeditionis adversus Ulricum Wurtenbergicum Gallis suppetias parare. Proliziores ad eundem d. 3. Septembris literas exaravit, dignissimas, quæ aliquando integræ producantur; adeo plenæ sunt prudentiæ, & optimi in Cæsarem & patriam affectus. Præter illa, quæ de implemento pactorum Viennensium, & retardata Cæsaris ratificatione, maligneque servata pace Norimbergensi, graviter exponit, aperte testatur, si isthæc cunctatio abfuisset, se cum omnibus viribus copiisque suis Cæsari adversus Gallos adfuturum fuisse, neque se causas penetrare potuisse, propter quas neglectus a Cæsare fuerit, nisi jam ex indictione concilii, & iis, quæ Romæ acta esse dicerentur, perciperet, unde nascatur Cæsaris illa aversio. Nihilominus paulo post d. 7. Octobris (*Reg. H. fol. 112. n. 54.*) Landgravio, fœdus cum Gallis suadenti, contradixit, fidem opponens, qua Cæsari & Imperio obstricti essent. Cum vero Landgravius metuere se scripsisset, ne inter Cæsarem & Gallum pax & societas, ad oppressionem Protestantium, iniretur; respondit: sive pax illa fiat aut non fiat, sibi tamen de Cæsare & Rege videri, quod neuter acturus esset, quæ alterius potentiam amplificarent. (es würde keiner den andern helffen groß und mächtig machen.)

SECT. 15.

Cochlæus Surius. *Cytr. l. 14.*

Hi vero, ut potentiam suam augerent, extrema Wittenbergæ tentabant, ut Sacramentarii cum Luthero conciliarentur. Sed Patriarcha hic Protestantium, sententiæ suæ, in articulo de præsentia reali Jesu Christi in Eucharistia, semper insistebat; &, cum Zuingliani hunc minime probarent, abrupta est tractatio. Neque erat præter Martinum Bucerum, prædicatorem Argentinensem, qui cum Lutheranis simpliciter consentire vellet. Admisit autem hic præsentiam Jesu Christi in S. Sacramento, dum panis & vinum consecrantur & communicantibus distribuuntur, sed non, quando extra usum Sacramenti servantur. Fassus est præterea, non solum præsentem esse & accipi a bene dispositis, sed & ab improbis, qui judicium sibi, ut Paulus loquitur, manducant. Ita Lutherus abjurare eum errores Zuinglii adegit, & in discipulorum numerum recepit, lætus viri hujus societate, qui magni momenti urbem, Argentoratum nempe, in partes ejus transtulit, cum multis concionatoribus, inter alios Musculo & Capitone, quorum hic inter hæreticos illos maxime doctus & industrius habebatur.

Narratio Maimburgii de concordia Wittenbergensium in articulo de Eucharistia.

§. XLVII.

(1) Notantur quædam adversus tradita Maimburgii.

Wittenberg.

Tractatio concordiæ in lite Sacramentaria, non hoc anno, neque occasione actorum Cæsaris, sed diu ante agitata, immo a Philippo Hassiæ Landgravio, ex causis satis notis, nunquam fuerat intermissa. Quam primum itaque bellum Würtenbergicum finitum erat, ad consilia illa henotica, novo cum studio zeloque regressus, jam, ut diximus, sub finem anni 1534. *Bucerum* & *Melanchthonem* Cassellas advocaverat. Dictum etiam fuit, qua industria *Bucerus* in eundem incubuerit laborem, & ut anno præterito inter *Snepfium* & *Blaurerum*, itemque inter Augustanum ministerium & Lutherum, conciliatoris partes susceperit. Gratiam tamen facile faciemus Maimburgio connexionis parum aptæ, cum solenne ei sit, illam ex suo magis instituto, aut styli & phrasium occasione, quam rerum serie quærere. Parum etiam constant, quæ de tractatione abrupta, nescio qua, hic refert, alii enim quam Wittenbergensi (quæ utique non est abrupta) Lutherus non interfuit, neque alia ab anno 1529. post conventum Marpurgensem, illo præsente, habita est. In hac vero non solus *Bucerus*, sed plures alii cum Luthero consenserunt. Nec verum est, Bucerum ad abjurandum Zuinglii errorem adactum esse. Non is fuit tractationis rigor & abjurandi mos, qui a Maimburgio ex sui temporis historia impertinenter ad Lutheri acta transfertur: neque magis apta est Musculi & Capitonis conjunctio, cum ille Augustæ, hic Argentorati doceret. Quod vero Capitonem cæteris præfert, omnes dein hæreticos vocat, paris est vel imperitiæ vel levitatis. Cæterum, qui historiam concordiæ Wittenbergensis nosse velit, eam non ex *Surio* & *Cochlæo*, quos Maimburgius allegat, sed aliunde petere debet. Ex Reformatis rē ab ovo enarravit *Hospinianus P. II. fol. 134. b. ad 154.* sed non sine bile in Lutherum. Ex parte Lutherana videnda sunt, quæ ex *Tomo II. Islebiensi, Tomo VI. Alt. fol. 1045. & seqq.* exhibentur. Ex illis quædam Latine vertit *Hospinianus d. l. fol. 145.* Ex omnibus vero, ut mihi quidem videtur, relationibus fidelissima & elegantissima est, quam *Fridericus Myconius*, Superintendens Gothanus, vir pius & cordatus, qui toti actioni interfuit, multumque ad ejus successum præstitit, ad *Vitum Theodoricum*, Norimbergensem pastorem, perscripsit, Dominica Trinitatis, id est, d. 11. Junii 1536. Edidit illam *D. Nicolaus Selneccerus* anno 1581. cum præfatione memorabili ad *Petrum Ulmerum*, Abbatem Bergensem. Germanice versa extat *Tom. VI. Alt. fol. 1050. & seqq.* & in historia Augustanæ confessionis, quam idem *D. Selneccerus*, cum *D. Timotheo Kirchnero* & *Martino Chemnitio* anno 1583. composuit, & apologiæ adversus personatum *Wolfium* sive *Hardesbemium* subjunxit. *Fol. 221.* epistolicam hanc relationem in dubium vocare ausus erat *Wolfius*, sed profecto sine causa, cum pietas & candor Myconii nullam admittat falsi suspicionem, nec ipsius *Buceri* relatio ab *Hospiniano* adducta, a Myconiana valde diversa sit: scripsit etiam recens a tractatu reversus, & amico intimo. Brevior alia ejusdem Myconii relatio legitur in historia illa, quam allegavi *fol. 219.* Summa utriusque hæc est: Conventui Theologorum locus prius *Isenaci* indictus fuit, dein ob valetudinem Lutheri, *Grimmæ* Misniæ oppido, ad Muldam amnem. *Capito* & *Bucerus* Argentoratensium, & *Wolfhardus* seu *Lycosthenes*, Augustanorum Ecclesiastæ, in itinere ad Myconium Gothæ venerant, d. 17. Maji. Hos sequenti die *Myconius* brevi scripto de sententia Lutherana, quæ durior ipsis erat visa, ita edocuit, ut

(2) Indicantur scriptores de actu concordiæ.

(3) Iter Theologorum, & acta in eo.

An. 1536. ut agnoscerent, illam Scripturæ sacræ & purioris Ecclesiæ patribus conformem esse. Supervenere inde etiam reliqui, *Martinus Frechtus* Ulmensium, *Jacobus Otterus* Eslingensium, *Wolf. Musculus* Augustanorum, *Gervasius Scholasticus* sive Schuler/Memmingensium, *Joh. Bernardi* Francofurtensium, *Martinus Garmannus* Furfeldensium, (*Surfeld* mendose legitur *d. Tom. VI. Alt. fol. 1049.*) *Matthæus Alberus* & *Johannes Schradinus* Reutlingensium, Ecclesiastæ, quos omnes *Myconius* Gothanus & *Justus Menius*, Isennacensium Superintendens, Wittenbergam comitati sunt, & in itinere ita persuaserunt, ut sententiæ suæ plane accederent, & non *Grimmam* (quo Lutherus venturus non erat) sed recta *Wittenbergam* proficiscerentur, quo Dom. Voc. Jucund. i. e. d. 21. Maji venerunt. Melanchthon, qui Grimmam jam profectus erat, Wittenbergam eodem tempore rediit, parum sperans de concordia, ob literas *Zuinglii* & *Oecolampadii*, intempestive tunc publicatas, quæ in Saxoniæ Electorem & Lutherum acerba quædam continebant; auditis autem, quæ *Menius* & *Myconius* in itinere egissent, animum resumsit. Iidem Lutherum adierunt, & cum eo cœnati, ad mediam usque noctem collocuti sunt, referentes vix credenti, & adversa verito, quantum in itinere profecissent. Salutarunt eum postridie d. 22. Maji *Capito* & *Bucerus*, post meridiem vero in ædibus Lutheri omnes comparuerunt. Bucerus nomine cæterorum, qui cum eo venerant, de concordiæ studio, quod tribus quatuorve annis tractasset, præfatus est. Lutherus de scriptis Zuinglii & Oecolampadii queri cœpit, unde exiguam concordiæ spem apparere dicebat, nisi alia sentirent, alia, auditorum suorum metu, publice docerent, & satius fore putabat, rem, quo loco esset, relinquere; sincere enim agendum esse, & ut in conspectu Dei, & absque ullo fuco. *Bucerus* multa, nec sine confusione (turbatus enim Lutheri oratione fuerat,) de candore suo, itemque de scriptis, quæ adversus Monasterienses & Scotum quendam edidisset, testatus est, & quod se invito edita essent scripta Zuinglii & Oecolampadii, typographorum avaritia. Lutherus, ex ardore suo nihil remittens, postulabat revocationem eorum, quæ de figurato verborum Christi in cœnæ institutione intellectu docuissent, & ut eadem, quæ ipse, profiterentur. Execratus est phrases & interpretamenta ad figuram tendentia, quanquam personas ita loquentium judicio divino committeret: retulit inde, ut Coburgi *Bucerus* professus sit, panem esse verum, naturale & substantiale corpus Christi, idem nunc in quibusdam illarum partium libris scribi, sed ita si a credentibus sumatur; verum si sic sentiant, fore, ut præsentiam Christi non faciant dependere ex potentia instituentis, sed ex fide aut incredulitate sumentium: poposcit itaque, ut cogitarent, & sequenti die renunciarent, quid sentirent; neque enim ea valetudine tunc erat Lutherus, ut progredi in actione posset, sicut notatur *Tom. VI. Alt. fol. 1046.* & sequens dies quieti ejus datus est. Die itaque 24. Maji (Ex *Lud. Rabi* relatione diem 23. ponit *Hospinianus fol. 145. b.* mox tamen ex ipsius *Buceri* scriptis d. 24. substituit *fol. 147.*) post meridiem, cum iterum convenissent, *Bucerus* confessus est, se aliter quædam intellexisse, neque satis probata docuisse, revocaturum se illa esse ore & scripto, quovis modo. Dein suo & Helvetiorum, quorum mandata haberet, & Blaureri Constantiensis pastoris, nomine profitebatur, panem verum esse corpus Christi, & vinum vere esse sanguinem Christi, & vere offerri per ministerium Christi, nisi institutio & verba ejus corrumperentur; vere etiam sumi corpus Christi naturale illud & substantiale, & sic etiam sanguinem, non tantum corde, sed etiam ore sumentium, a dignis ad salutem, ab indignis ad judicium: quod vero dixisset de impiis, intelligi velle de Turcis, Judæis, vel si mus aut vermis corroderet hostias a Papistis inclusas: negare itaque crassam, localem & naturalem manducationem voluisse. Post hæc & alia Lutherus etiam cæteros singulatim interrogavit, qui omnes ad unum, se eadem cum Bucero sentire aperte professi sunt, & toto anno sic docuisse, alicubi etiam Magistratus edictum contra eos prodiisse, qui veram præsentiam Christi cum pane & vino negarent. Rogarunt inde obnixe, ut, omni suspicione contraria liberati, pro iis haberentur, qui confessioni Augustæ exhibitæ adstipularentur, & ejusdem cum reliquis Ecclesiæ membra essent. His intellectis Lutherus cum suis, id est, *Justo Jona*, *Johanne Pomerano*, *Casparo Crucigero*, *Hieronymo Wellero*, *Philippo Melanchthone*, *Justo Menio*, & *Friderico Myconio* in cubiculum digressus, horum sententiam rogavit, & cum hi uno ore *Buceri* & sociorum responsa & oblata probavissent, ad Bucerum & socios regressus, & denuo considens, omnia, non sine ingenti spiritus alacritate, quæ etiam ex oculis & toto vultu, ut *Myconius* scribit, resplenduit, recensere cœpit, & sic facta & sancita est inter illos concordia, & dextræ datæ sunt. *Proruperunt*, scribit Myconius, *lacrymæ Capitoni & Bucero, & utrinque cancellatis manibus & gestibus piis Deo gratias egimus.* Jussi autem sunt sententiam priorem aliorum cordibus eximere, & hanc, quam professi nunc essent, docere, aut, si rudi populo durum videretur, si diceretur, *impios corpus Domini sumere*, verbis Pauli uti, qui *indignos* nominat. Die 25. Maji, qui Ascensioni Domini sacer erat, auditæ sunt conciones *Welleri*, *Myconii*, *Menii*, & circa vesperam *Lutheri*, ad verba S. Marci; *Euntes in mundum &c.* De qua concione *Myconius* scribit: *se sæpe Lutherum antea concionantem audivisse, sed nunc*, ait, *ex ipso cælo non loqui, sed tonare, nomine Christi, videbatur.* Eodem die *Melanchthoni* negotium datum est, ut formulam concordiæ conscriberet, quod factum feria sexta, d. 26. Maji. (ita sane Ephemerides poscunt, licet 25. in editione *Selnecceri* numeretur.) Secuta die Dominica 28. Maji *Capito* & *Bucerus*, pro consensu suo testando, ad communionem sacram accesserunt. *Alberus* mane, *Bucerus* a meridie, *Lutherus* vesperi conciones habuerunt. Formula sequenti die 29. Maji subscripta *d. Tom. VI. fol. 1048.* Germanice, & quoad articulum de cœna, ab *Hospiniano* Latine *fol. 147. b. & seqq.* exhibetur; authenticam allegant autores *historiæ Aug. Conf. Wolfio opposita f. 229.* non negant tamen, clausulam additam esse de relatione ad alios Ecclesiæ ministros, & ad Magistratus, pro universali consensu

(4) *Colloquium Theologorum apud Lutherum.*

(5) *Repetitio colloquii: Buceri confessio a cæteris probata.*

(6) *A Luthero cum gaudio excepta.*

(7) *Secutæ conciones, & concordiæ formula.*

An. 1536. su obtinendo, facienda. Effectus negotii hujus varius fuit. Civitates omnes, quorum pastores aderant & subscripsere, in doctrina Lutheri perstiterunt: licet quidam ex Theologis illis veterem sententiam, *Musculus* inprimis, postea retinuerint. Eandem etiam Helvetii rigide servarunt, licet, audita *Buceri* relatione, satis placidæ & humanæ inter eos & Lutherum epistolæ anno hoc & sequenti commeaverint, & *Bucerus* nihil non moverit, ut conciliationem & consensum plenissimum vel impetratum esse, vel impetrari posse ostenderet. Mansit itaque cum Helvetiis dissidium, & fuerunt postea in Germania, qui cum iis sentirent, ut notum est.

(8) Effectus ejus, & continuatum dissidii cum Helvetiis.

Ulteriorem de hac Wittenbergensi concordia ejusque sequelis narrationem, instituti mei memor, non addam: ostendi, nec doctos latet, unde peti possit. De baptismo paulo minus disputatum tunc, conventumque est: ideo ex relatione *d. Tom. VI. fol. 1047.* sciendum, *Bucerum* cum suis, Luthero poscente, professum esse, baptismum infantum adversus Anabaptistas defendi, nec Sacramentum hoc pro nudo signo, sed pro lavacro regenerationis, quod cum aqua exhibetur, ex opere & ministerio Ecclesiæ, haberi debere; dubitatum autem fuisse ab iis de fide infantum, quia regula Scripturæ est, fidem esse ex auditu, & sic cum Augustino alisque negatum, fidem in infantibus esse. Si vero fides latius pro omni inspiratione Dei sumatur, etiam infantibus eam tribui posse: se enim firmiter credere, infantibus in baptismo veram regenerationem & adoptionem conferri, & Spiritum sanctum in iis operari, pro illorum modo & captu, exemplo Johannis, in utero matris Spiritu sancto repleti. Agnoscere igitur opus Domini in actione ministri, quanquam illis non potuisset assentiri, qui dicerent, ab infantibus, dum baptizantur, intelligi verba Evangelii, & credere eos actum Baptismi, & sic salvari. Ad hæc respondisse dicitur Lutherus: Hoc postremum se non statuere, addiditque similitudinem a dormientibus, qui pro credentibus habentur, etsi actu nec cogitent nec credant. *Esse itaque in Baptismo initium fidei & operationis divinæ in infantibus suo modo, quem ignoramus, & illum vocari a se fidem.* Hæc notari merentur adversus importunam censuram, qua sententiam Lutheri de fide infantum haud pauci, ut absurdam, impetunt. Apparet etiam ex eadem relatione, qua occasione & fine eam defenderit, nempe, ut noxiæ opinioni de salute absque fide, ex nudo opere & actu ministri adipiscenda, occurreret, & medium applicationis, fidei analogum, in baptismo demonstraret. Idem in Sacramento *Eucharistia*, ad ostendendum sacrificii missatici abusum, statuerat, quod absque fide (etsi verum corpus verusque sanguis Christi, ex instituto divino, etiam non credentibus substantialiter conferatur) nemini tamen salutare esse possit, deficiente spirituali illa, quæ dicitur, manducatione per fidem. *De confessione & absolutione* concesserunt *Bucerus* & socii, utiliter eam in Ecclesia retineri posse, & ab initio etiam apud suos usitatam, postea vero ob interpretationes sequiores omissam fuisse, curare autem se velle, quomodo non solum juventus (id quod diligenter fieri referebat,) sed & adulti denuo informari & præparari possint. His cum acquiesceret *Lutherus*, in formulam, a *Melanchthone* conscriptam, omnes consenserunt. *Lutherus* discedenti *Capitoni* & *Bucero* literas humanissimas ad Senatum Argentoratensem dedit, d. 19. Maji, (*Tom. VI. fol. 1054.*) in quibus illi potissimum acceptum fert, quod, per Dei gratiam, tam salutare negotium successum habuerit, addito voto, petensque, ut, si, quod actum erat, illis & omnibus Ecclesiæ illorum ministris placeret, significare id vellent, se quoque idem facturum. Testatur denique se ad veram, solidam & constantem concordiam omni studio esse allaboraturum; experiendo enim didicisse, quid damni discordia inferat. Haud illepidum neque inutile fuerit, ex *MS Ratzbergii* narratiunculam de *Bucero* & *Luthero* adscribere. Eo die, quo Bucerus concionatus erat Wittenbergæ, in templo parochiali, ad cœnam vocatus erat a Luthero; ubi hic inter alios sermones concionem ab illo habitam collaudavit, addens tamen, *se meliorem concionatorem esse*. Id, licet insolenter dictum videri potuisset, comiter Bucerus accepit, & omnium testimonio laudem illam Luthero deberi ultro concedebat. Sed Lutherus jam serio loquens: *Ne putes*, inquit, *me inepte gloriari, conscius mihi sum tenuitatis meæ, neque tam ingeniosam & eruditam concionem, qualem hodie ex te audivimus, habere noverim: sed hunc morem servo, ut, conscensa cathedra, considerem, quos auditores habeam, & quia plerique eorum ex plebe sunt, rudes & simplices* (*Henetos & Vandalos* vocabat, Wenden / quæ natio olim illum tractum incoluerat,) *propono & prædico, quæ capere illos posse existimo. Tu vero alte nimis assurgis, & summum petis aerem, Spiritu, Spiritu;* (Gaischt / Gaischt / pronunciabat dialecto Buceri Suevica vel Alsatica) *ita fit, ut conciones tuæ eruditis conveniant, sed ab indigenis nostris percipi non possint. Cum his igitur ago, ut fidelis mater, quæ vagienti infanti ubera quam potest commodissime, in os ingerit, & lacte illum potat, meliori cum illius refectione & alimonia, quam si pretiosissimos Jacchari, rosarum aut alios syrupos ex officinis medicinalibus illi infunderet.*

(9) Quid de Baptismo & fide in usu Sacramentorum tractatum fuerit; & de confessione.

(10) Subscriptio formulæ, & discessus amicus: literæ Lutheri ad Argentoratenses.

(11) Narratio de concione Buceri, & judicio de ea Lutheri.

An. 1536.

ADDITIO.

Ex Actis Archivi *Reg. H. fol. 97. n. 42.* intelligitur, sollicitatum Landgravium diligentissime a *Argentoratensibus & Augustanis*, de perficiendo concordiæ negotio fuisse. Itaque ad Electorem d. 15. Januarii scribens, de voluntate ejus certior fieri cupit, & quo tempore & loco conventum Theologorum habere velit; eum enim omnino necessarium esse existimat. Dissuadet autem, multos convocari, ne ab hominibus captiosis & pervicacibus negotium intervertatur. De loco nihil excipere, ait, Argentoratenses & socios, venturosque esse, quocunque jubeantur, in Hassiam aut Saxoniam; solummodo Coburgum Franconiæ aversari, quod intutum per Episcoporum ditiones iter sibi futurum esse crederent. Elector, placere sibi conventum, respondit, & *Isenacum* ei primum destinavit. Postea, cum Zuinglii & Oecolampadii scripta recusa essent, iisque & aliis de causis non Lutherus solum, sed & Elector de successu dubitarent, perstitit hic quidem in proposito, ut conventus haberetur, sed ut Lutherum longioris viæ incommodis levaret, *Grimmam* pro Isenaco nominavit. Mandatum inde d. 14. Maji Pontano dedit, ut Lutherum exhortaretur, ne se in articulo de sacra Cœna a Confessione Augustana & Apologia ullo modo, ne minimo quidem, abduci fineret, sed

(a) Landgravii cum Electore acta de tractatu concordiæ.

(b) Electoris zelus, itemque liberalitas.

An. 1536.

sed constanter in illa sententia permaneret, confidens, etsi exigua spes concordiæ appareret, Deum tamen ad suam gloriam omnia esse directurum. Jussit etiam Amsdorffium Magdeburgo acciri, & significavit, se curasse, ut advenientes Theologi ubique liberali hospitio exciperentur. Sic promotum est, ut narravi, negotium, illoque finito, formula sive de suggestu in templo, sive ex cathedra Academica publicata fuit, quæ d. l. Reg. n. 41. Latine & Germanice extat, cum inscriptione: *Audiamus D. Bucerum explicantem suam & aliorum, qui una adfuerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Jesu Christi, hoc modo.* Et sequitur: *Confitentur, juxta Irenæi verba, constare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cælesti. Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino vere & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem. Et quanquam negant, fieri transsubstantiationem, nec sentiunt, fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti; tamen concedunt, sacramentali unione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt, porrecto pane simul adesse, & vere exhiberi corpus Christi; nam extra usum, cum asservatur in pyxide, aut ostenditur in processionibus, ut fit a Papistis, sentiunt, non adesse corpus Christi. Deinde hanc institutionem Sacramenti, sentiunt, valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate ministri aut sumentis. Quare, sicut Paulus ait, etiam indignos manducare, ita sentiunt, porrigi vere corpus & sanguinem Domini etiam indignis, & indignos sumere, ubi servantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad judicium, ut Paulus ait, quia abutuntur Sacramento, cum sine pœnitentia & sine fide eo utuntur. Ideo enim propositum est, ut testetur, illis applicari beneficia Christi, & fieri eos membra Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam & erigunt se fide in Christum. Cum autem pauci convenerimus, & opus sit, utrinque hanc rem ad alios concionatores & superiores referre, nondum licet nobis de concordia pacisci, priusquam ad alios retulerimus. Cum autem profiteantur, se juxta confessionem & apologiam Principum Evangelium profitentium, in omnibus articulis, sentire & docere velle, maxime cupimus sarciri & constitui concordiam, & spes est nobis, si reliqui utrinque ita consenserint, solidam futuram esse concordiam.* Subscripserunt ista non solum, qui formulæ Germanicæ *Tom. VI. Alt. f. 1049.* relatæ subnotati sunt, sed & *Urbanus Regius* Superintendens Luneburgensis, *Georgius Spalatinus* Pastor Altenburgensis, *Dionysius Melander* Minister Ecclesiæ Cassellensis, &, ut additur, *alii multi.*

(c) *Formula consentientis, ex suggestu prælecta.*

Cæterum, quæ apud *Hospinianum P. II. fol. 148. b. & 597.* legitur, narratio propositionis sive relationis *Buceri* ad Collegas suos Argentoratenses, etiam in *Archivo d. l.* sed Germanica reperitur, & aliquibus locis a versione Latina discrepat, magisque aperta & ab ambiguitate liberior est, v. g. cum apud Hospinianum legitur; *corpus & sanguis Christi nulla ratione seculi præsentis exhibetur: res cælestis est, cælesti ratione exhibetur,* in Germanico dicitur: *ex causa seculari & ex causa cælesti,* aus irdischen und aus himmlischen ursachen / ita ut non respiciatur ad modum, sed ad causam exhibendi. Item, ubi dicitur: *Vulgus sibi imaginari præsentiam circumscriptitiam,* in Germanico est, begreifflich / *deprehensibilem.* Explicatius etiam negatur sacramentalis conjunctio Christi cum symbolis extra usum Sacramenti, & majori cum emphasi asseritur præsentia ex verbis Christi: *quod pro vobis traditur,* hoc modo: So muß der Leib des HErrn wahrhafftiglich gegeben und empfangen werden / i. e. *necesse est, ut vere porrigatur & accipiatur corpus Domini.* Ubi de sumtione indignorum sermo est, & in Latino dicitur: *quod simul rem Sacramenti percipiant,* Germanicus sensus est; *substantiam & veritatem Sacramenti.* De epistola *Buceri* ad *Foxum* Herfordiensem Episcopum, ab *Hospiniano* relata, quæ Germanice versa in *Archivo* extat, moneri quædam possent, sed non sunt hujus loci. Invehitur Hospinianus in eos, qui Bucero retractationem tribuunt; fecit autem id apertissime ex Helvetiis *Conradus Pellicanus* in epistola ad nescio quem *Marcum,* quæ d. l. *Archivi Vin.* reperitur.

(d) *Annotatio ad relationem Buceri ab Hospiniano productam.*

§. XLVIII.

Pergo ad scripta Lutheri hoc anno, & quidem ad exegetica. *Enarrationem* primo edidit *Prophetæ Joelis,* vide *Tom. III. Lat. Jen. fol. 497. ad 513.* Notandum autem est, commentarium Germanicum in hunc Prophetam, qui *Tom. VI. Alt. fol. 919.* insertus est, non esse versionem explicationis hoc anno 1536. editæ, sed commentarii, qui anno 1546. compositus, & sequenti, id est, post mortem Lutheri, editus fuit *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 781.* Hic copiosior; at prior illa, de qua mihi nunc sermo est, enarratio brevior est, & singulis versiculis applicata, ex qua multa notatu digna afferri possent; sed pauca excerpam. De tempore, quo prophetavit Joel, nihil definit, negatque, ex ordine, quo Prophetæ in sacro codice locati reperiuntur, de tempore argumentum sumi posse. Ad *cap. II. 13.* ubi Deus in Latina versione valde incongrue dicitur *præstabilis super malitia,* ait, sibi non constare, quid verba Latina velint, in Hebræo autem hunc sensum esse: & *facile pœnitet mali,* unde & ipse ita vertit: und reuet ihn bald der straffe. (Nam versiculo sequenti eadem vox נחם occurrit, quam Latinus interpres reddidit *ignoscet.*) Ad eundem versiculum, ubi legitur, *quis scit, si convertatur (Deus) & ignoscat?* phrasin notat Hebraicam, quæ non significet dubitationem, sed affirmationem cum voto, quasi dicat, *convertet se, ut speramus,* Er wird sich / ob Gott will / noch wenden. Neque tamen in versione sua a litera recedere voluit. Ad *v. 28.* (ubi Propheta celeberrimum illud vaticinium de effusione Spiritus sancti a D. Petro *Act. II.* tanto cum fructu propositum, promit,) de transitione & connexione Prophetarum observat, solere eos, quando scopum primarium semper intuentur, nempe Christum, sæpe omittere intermedia, quæ ad implementum prædictionum aliarum pertinent, & ad promissiones de Christo per saltum quasi transire: itaque vocabulum, sive notam temporis *posthac,* non esse connectendam cum illis, quæ proxime præcedentibus verbis prædixerat. Ex ipso vero vaticinio inter alia notat *fol. 507. b.* gratiam Spiritus sancti sine distinctione tribuum & ordinum, qualis in populo Israelitico observata fuerat, promiscue omnibus fidelibus, summis & infimis, promitti, ordinariam nempe & ad cujusque salutem sufficientem, ut jam omnes sacerdotes futuri sint, qui orent, verbum exerceant pro se & fratribus, ac sacrificent sua corpora per crucem, quod est sacrificium laudis; addit tamen, non tolli officium certarum personarum, sive ministerium Ecclesiæ. Utitur etiam hoc Joelis dicto adversus fanaticos, inspirationem jactantes. His credi, ait, non debere, Spiritum enim dari cuique ad suam utilitatem, sive profectum salutarem *1. Cor. XII. 7.* idque sine miraculosa & publica testificatione; talem autem requiri, si Deus novum aliquod verbum publicaturus esset, uti fecit tempore promulgati Evangelii in festo Pentecostes. Quando igitur fanatici nil tale habeant & demonstrent, fidem eos non mereri de novis, quæ jactent. *Fol. 508. b. ad v. 32. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit,* non solum notat, idem dici, quod Paulus urget, justificari hominem absque operibus legis, per fidem, *invocare enim,*

An. 1536.

(1) *Enarratio Lutheri in Prophetam Joel.*

(2) *Excerpta ad Cap. II. 13.*

(3) *De dono Spiritus S. ordinario & extraordinario.*

An. 1536.

(4) *De prædestinatione & perseverantia.*

nim, ait, *est credere*; sed & egregiam admonitionem addit, quomodo illis verbis uti possimus, adversus periculosas cogitationes de prædestinatione, quas animus hominis sibi sine verbo Dei, immo contra verbum fingit. *Primum enim*, inquit, *in genere omnibus verbum & misericordia Dei offertur in hac & similibus sententiis. Deinde mandatum habent ministri, etiam singulis remittendi peccata. Hac ordinatione Dei debebamus esse contenti, & credere, quia Deus nobis mittit verbum suum, nos esse eos qui sunt prædestinati. Deinde etiam secundum hanc promissionem invocare debebamus, & certi esse de salute, quam tam clare promittit. Summa summarum, in sola misericordia Dei invocata & desiderata consistit salus nostra.*

(5) *Expositio prophetiæ Amos.*

Sequitur enarratio in *Prophetam Amos d. Tom. III. Lat. Jen. a. fol. 513. ad fol. 538.* Hujus versio a *Paulo Crælio* anno 1555. composita legitur *Tom. VI. Alt. fol. 1000. & sqq.* Edidit autem commentarium hunc eo potissimum fine, ut in præfatione & exordio monet, ut, quoniam eadem vitia, quæ Propheta in populo Israelitico taxavit, maxime autem *magnificus* (ut loquitur) *contemtus Evangelii & sacræ doctrinæ*, renovantur, eædem quoque pœnarum denunciationes fiant. Cum vero Amos *Cap. I. 1.* ex infimo hominum ordine se fuisse, ipse profiteatur, paradoxam Dei sapientiam respici jubet, quæ etiam tunc temporis contemtibilis videbatur, contra potentissimum regnum Papæ, a quo (ut ait) tot stant Reges & Principes, doctissimi quique, totus denique orbis. Ad *v. 2.* per *tria & quatuor* i. e. *septem* crimina, nil aliud intelligi existimat, quam multitudinem peccatorum, sive summam & extremam impietatem, literæ itaque convenire non putat *Hieronymi* interpretationem, qui per tria peccata hic argui existimat cogitationes, consensum, opus, quartum vero intelligit impœnitentiam. *Ad cap. III. 15.* observat, a Prophetis semper describi opulentiam Pseudoprophetarum & sacerdotum impiorum. *Hos necesse est*, ait, *omnibus rebus abundare, veris interim Prophetis nullus habetur honos, hi algent & esuriunt, illis nihil deest.* Ad *v. 11.* taxat rapacitatem tam Politicorum quam Ecclesiasticorum & inprimis Pontificum, quos *fol. 526. b.* vere esse dicit *pauperum devoratores*. Qui hoc pro convitio habent, ab ipsa experientia doceri se patiantur, cum, ut omnes testantur, in nulla provincia Italiæ major paupertas & mendicitas deprehendatur, quam in iis, quæ Pontificibus subjectæ sunt, qui tamen pro muneris, quod sibi arrogant, sanctimonia cæteris omnibus exemplum clementiæ & justitiæ exhibere deberent, & possent, cum prætextus non eosdem habeant, quibus exactionum suarum rigorem Politici Principes (quanquam nullo, quod Deo & conscientiæ probetur, fundamento) tueri solent. Præerat, quo ista scribo, tempore Pontifex *Innocentius XI.* castigatis adeo moribus, ut hac laude antecessores suos plerosque superaret, maxime vero, quod novo exemplo, quale a multis annis præstitum non est, & a successore mox spretum ab evehenda ditandaque familia sua sibi usque temperavit. Interim negari immanis illa oppressio subditorum non potest, quam, etsi a se non inventam, corrigere tamen aut noluit, aut, si mitius judicandum est, non potuit. Hæc nulla cavillandi aut insectandi libidine, sed pro defendenda veritate a Luthero tradita, & quia talia aliorum quoque causa moneri utile est, obiter tango. *Pallavicinus Lib. IV. cap. V. §. 9.* comparatione excessuum, in redituum dissipatione, & quæ inde sequuntur, a Politicis commissorum, Pontificum vitia benigne nimis excusat, addita generali allegatione humanæ fragilitatis, ex labe Adami omnibus adhærentis. Hanc enim si quis ullus Christianorum corrigere & frenare debet, id certe debent etiam, qui Christi volunt esse vicarii, & infallibilitatem a Spiritu sancto sibi in dogmatibus concessam jactant. Ab eodem enim Spiritu non denegaretur sanctimoniæ donum, quæ cum vitiis tam manifestis & frequentissimis consistere non potest. Sed idem omnibus dictum velim, qui Ecclesiis docendis regendisque præsunt, earumque typi esse jubentur. Ad *cap. VI. 5.* ubi Propheta culpat eos, *qui canebant, sicut David*, ideo nempe, quia non, ut David, ad laudandum Deum & excitandum spiritum, sed ad luxum utebantur musica, & ut voluptate aures detinerent, *fol. 529. b.* hæc subjungit: *Sicut ante hoc tempus in templis apud nos quoque sunt soliti, cum non solum nullam versum Scripturæ recte intelligerent vel curarent, sed etiam impia carmina de B. Virgine & reliquis sanctis canerent, ac tantum musica utebantur ad homines in templis ista voluptate sine ulla ratione detinendos. Hoc autem tempore, postquam revelatum est verbum Dei & intelligitur, nihil prohibet; id omni genere honoris ornare & exercere, sive sint organa musica, sive symphoniæ, sicut Davidem quoque fecisse videmus.* Et mox ad *v. 6.* ubi arguuntur, *quos nihil angit contritio Joseph*, in Principes, Ecclesiasticos potissimum, acrem (utinam non a multis meritam) stringit censuram, scribens: *Sicut Propheta hanc impietatem hic damnat, quod non anguštiantur super confractione Joseph, hoc est super pauperibus & afflictis in regno Israël, non judicant justum judicium, sed opprimunt & affligunt pauperes in porta, ut supra dixit: Ita per omnia nostri hodie Principes eadem impietate laborant, non est finis omnimodi luxus eorum, omnibus abundare volunt, interim pauperes algent, esuriunt, mera ubique fraus est, non audiunt suos subditos, immo intolerabilibus tributis premunt & exhauriunt quicquid usquam habent, id quod multis verbis non indiget, quando res per se ipsa loquatur. Essent autem hæc omnia adhuc ferenda, si modo non ita misere Ecclesias dissipari finerent, dum neque ipsi docent, nec qui doceant, alunt. Nam reditus, quos habent collegia Sacerdotum, quibus præsunt fundi, arces, oppida, in hunc usum juvandæ Ecclesiæ a piis hominibus primum eis donata sunt. Sed dabunt rationem isti, qui habet titulum in Psalmo, quod percutiat in furore suo reges. Ps. CX. 5.* Ad *VII. 10. 11.* exemplo Amosi, quem Sacerdos summus accusabat, quod adversus Regem rebellasset, *fol. 532. b.* observat, *non esse mirum, si sibi suisque eadem objiciantur. Cur enim essemus in meliori conditione, quam fuit Dominus noster Jesus Christus, & omnes sancti Prophetæ fuerunt?* Cum *ad VIII. 11.* summam illam miseriam, quæ ex fame sive subtractione verbi Dei a Propheta indicatur, expendisset, *fol.*

(6) *Excerpta ad capitis I. versiculos duos priores.*

(7) *De rapacitate Ecclesiasticorum, speciatim Pontificum.*

(8) *Epicrisis ad Pallavicinum quoddam.*

(9) *De usu musices in sacris monitum.*

(10) *Contra malos Principum, inprimis Ecclesiasticorum, mores.*

(11) *Item contra criminationem & abusum libertatis Evangelicæ.*

An. 1536.

fol. 535. addit: *Orandum nobis est & vigilandum, ne eadem fames nobis quoque mittatur, quia obruti nunc sumus multimoda verbi Dei copia, per gratiam Dei, ne illo rursus sublato, mittantur tenebræ palpabiles, & teterrimi errores, ut etsi audire Verbum velimus, non sit qui prædicet.* Dein allegat dictum Jeremiæ *Thren. IV. 5. qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*, eaq; applicat ad doctrinas, quæ cum dispendio rerum & animæ sub Papatu invaluerant: & tandem graviter queritur *fol. 535. Nos autem ingrati sumus, & Principes, præcipue autem Episcopi, quibus Ecclesiæ providenda cura incumbit, sacra studia nihil curant. Cum enim deberent doctorum hominum studia excitare & alere, & egregios in ea re sumtus facere, ut verbum & recta studia copiose docerentur, qui jam antea Satanæ ministris immensam pecuniæ vim dederunt, etiam qui optimi sunt, suas sequuntur voluptates, & Ecclesias negligunt, & crudeliter in bonos Doctores sæviunt, & Ecclesias vastant. Quod si perrexerimus tales esse, idem judicium super nos veniet, quod hic comminatur Propheta; id quod fere jam per impios & fanaticos Doctores incipit.*

(12) Adversus vitia Academiarum & monasteriorum.

Et paulo post de Academiis & monasteriis haud mitius docet, scribens; *Quid aliud hactenus fuerunt Universitates nostræ per orbem, quam vorągines optimorum ingeniorum, & corruptela juventutis? Non eo solum, quod magna licentia vitiorum esset, id minimum est, sed quod nulla liberalis doctrina extaret; quod pietatis studium molestiis, inutilibus & periculosis sophismatibus esset obrutum, quibus bona ingenia impedita ad nullam frugem pervenerunt. Idem fructus quoque ex monasteriis redit. Sic necesse est in medio meridie palpare, sicut cæcum in tenebris, ubi verbum Dei non habemus, quo regamur & illuminemur.* Optandum foret, ut hæc quoque, aut similia, non multis modis, & in plurimis omnium partium Scholis, deprehenderentur.

(13) De duplici œconomia utilitate in ecclesia & politia.

Elegans & utilis est interpretatio, quam (laudata licet etiam ea, quam *Hieronymus* habet) ad *cap. IX. 6.* attulit, ubi ad verba: *Dominus ædificat in cœlo adscensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit*, sic commentatur *fol. 536 b. Dominus parat in cœlo palatium suum, hoc est, regnat in Ecclesia per Evangelium & liberam gratiam latissime & liberrime. Terra autem est quasi fasciculus aut angustulum quoddam, in quo ceu in fasciculo colligatos habet malos & improbos homines, quos per rigorem legis potenter regit & coercet, ut sic complectatur duo summa beneficia divina, Primum & maximum conservationem Ecclesiæ per verbum, deinde conservationem Politiæ per leges & pœnas. In utroque maxime illustratur potentia divina.*

(14) Explicatio prophetiæ Obadiæ.

Denique etiam prophetiam *Obadiæ* vel *Abdiæ* brevi illustravit enarratione *d. Tom. III. Lat. a fol. 538. ad fol. 542.* Hæc quoque Germanice a *Stephano Agricola*, Curiensi in Variscis Ecclesiaste, versa, exhibetur *Tom. VI. Alt. fol. 1036. & seqq.* Unicum tantum locum ex hac apponam.

(15) Monitum de periculo fœderum, & vaticinium quoddam de interitu

Ubi ad *v. 7.* de frustrata spe Idumæorum, quam in fœderatis habebant, egerat, hæc ex veteri sui temporis historia annotavit *fol. 540. Idem per omnia accidit Constantinopolitanis, cum socium sibi adjungunt Turcam, tum crudelem Dominum experti sunt. Sic sæpe nostris temporibus cum Imperatore & Papa evenit, ut, dum Imperator confideret, Papam a se stare, icto scilicet fœdere, cum ad rem ventum esset, Papa, mutato consilio adversatus sit Cæsari &c. Idem & Judæi experti sunt, dum Romanorum amicitiam ambirent, putantes, se victores evasuros contra omnes gentes. Quos auxiliarios cupierant, statim dominos sunt experti. Et hoc est, quod elegantissime dicunt homines Latini: Quærendos esse amicos pares, & cavendum a potentioribus.*

An. 1536. *Turcica potentia.*

Notabile est, quod *fol. 540. b.* ad *v. 16.* de pœna tyrannorum, qui sanguinem sanctorum biberunt, a Propheta intentata, veluti vaticinatur. *Hodie potens est Turca, sed, si non statim interiturus est mundus, inveniet fortiorem aliquem, qui, judicio Dei excitatus, Turcam subjiciet.* Hujus dicti complementum *Augustissimo Imperatori nostro* LEOPOLDO, eamque, post felicissimos successus alios, gloriam precamur, ut Ecclesiæ emendationi, & tuendæ veritati Evangelicæ, summam, quam a Deo concessam habet, sapientiam, omnesque vires utiliter impendat.

Incepit etiam hoc anno Lutherus prælectionem in *Genesin*, sed cum eam paulo ante mortem suam perfecerit, de ea in tempore dicemus.

§. XLIX.

(1) Conciones Lutheri quædam.

Ex concionibus Lutheri, hoc anno habitis, non nisi duæ referuntur. (1) *Tom. VI. Alt. fol. 891.* explicatio Psalmi XXIII. *Dominus regit me &c.* quam domi post cœnam habuit, excepit autem *Georgius Rorarius*, Diaconus Wittenbergicus. Præclare locutus est de præstantia & utilitate verbi divini, & de clementia & philanthropia pastoris nostri Jesu Christi; quam in Papatu obscuratam fuisse queritur, cum Christum, ut severum judicem, & Moyse non mitiorem, depingerent. Extulit etiam mirifice felicitatem ovium Christi, & quam misera sit, si cum illa comparetur, omnis pompa & potentia seculi. (2) Concio nuptialis, Missæ loco habita, post festum Paschale, *fol. 911. seqq.* ad dicta Pauli *Eph. V. 22. & seqq.* qua tamen præcipue tractatur mystica desponsatio Christi & animæ fidelis. Præterea *Tom. III. Lat. Jen. fol. 543 seqq.* breves quædam dissertationes sive conciunculæ, itidem extemporaneæ, in Evangelia Festorum & Dominicarum XXII. exhibentur, quas Lutherus in mensa, non ut publicarentur, sed amici cujusdam gratia proposuit, locos quosdam communes, aut emphasin verborum quorundam indicans, ut haberet amicus exempla, ut scribit Lutherus, tractandi & sese exercendi. Refert autem in præfatione harum, quas vocat, cogitationum, illas sibi inscio subductas esse, ita ut Smalcaldia, post gravem morbum, redux, partem earum sub prælo invenerit. Rogat itaque *pios illos*, ut loquitur, *fures suos*, ne tam faciles sint ad edendum ea, quæ subtraxerint, vel a se communicata acceperint. *Quando enim*, ait, *sustinere cogor personam talem ac tantam, præsertim tali tempore, necesse est, me dies & noctes æstuare & abundare cogitationibus mirabilibus, quas memoriæ imbecillitas (infinita enim sunt) cogit in chartam duobus aut tribus verbis signare, veluti rude chaos, aliquando, si opus esset, formandum. Has autem, furto aliquo, aut dono ablatas, edere, certe ingrati & inhumani ingenii*

An. 1536. *nii esset.* Agnoscit, *esse in eis, quæ humana sapiant, immo & carnem, non impia quidem & mala, stulta tamen præ nimia sapientia.* Comparat hanc hominum curiositatem cum ineptia morionum aulicorum, qui Principibus heris suis consilia aliquando suggerere audent, nec diffitetur, *multa, quæ scripserit, refrigerato calore inventionis, sibi displicere, &, si omnia sua in publicum proderentur, fore, ut fabula mundi fiat.* Nolui ingenuam candidissimi viri confessionem, quam ipse publicavit, dissimulare. Facit sane adversus calumnias veteres novasque, qua illi arrogantia tribuitur, quasi omnia sua pro divinitus inspiratis & irreprehensibilibus venditasset. Constat etiam hinc, non optime meritos de illo esse, qui qualiacunque ejus, familiariter præsertim scripta aut dicta, ediderint. Deprecatus est sane id in præfatione hac disertis verbis. *Iterum oro,* ait, *ut sine me nihil meum edat ullus amicus, aut ipse subeat onus & periculum operis, testimonio aperto: hoc & charitas & justitia requirit. Dei enim gratia ego per me ipsum, etiam optimis scriptis, potius & possum me onerare periculis, invidia, oneribus, plus quam satis, ut nullo mihi in hac re opus sit adjutore. Christus Jesus toleret nos, & liberet nos tandem etiam a nobis ipsis quoque. Amen.* Sed pergimus ad alia, epistolas nempe & responsiones quasdam Tomis insertas, omissis tamen, quæ minutiora visa sunt. *Tom. VI. Alt. fol. 907. Fribergenses* quosdam cavere jubet fanaticum quendam, qui domi clandestinas conciones & communiones constituebat, & a cœtu publico homines abstrahebat, & culpaverat eos, qui ad usum Sacramenti sub utraque Friberga ad oppidum *Leisnicam* excurrerent, in ditionem Electoralem. Ista omnia refutat Lutherus *d. l.*

(2) *Epistola de cavendo fanatico Fribergensi.*

Fol. 909. præfatio ejus legitur in *D. Ambrosii Moibani*, Uratislaviensis Pastoris, *explicationem Psalmi XXIX.* in qua de mirandis Dei operibus egerat. Fatetur hic Lutherus infantiam suam, & quod, jam licet senior, perpetuus tyro sit in meditatione operum Dei; acriter vero detonat in contemtores eorum, neque parcit illis, qui, vel leviter inspecta Scriptura, omnia statim se putant percepisse, quæ Spiritus sanctus sciat. Desperatam deinde seculi improbitatem considerans, in has erumpit querelas: *Deus contemnitur & ignoratur, ingratitudo nimia est. Veni mors, & tolle malos omnes. Christus in suum regnum nos ducat! Nihil boni superest in mundo. Diabolus Abbas est in orbe, & fratres habet similes. Curavimus Babylonem, & non sanatur.*

(3) *Præfatio in librum Moibani.*

Fol. 910. consilium sive responsum ad pastorem quendam exhibetur, de non confundendis functionibus Magistratus & ministerii Ecclesiastici, & urgetur decretum visitationis & Electorale decisum, ut nullus Diaconus aut Scholæ magister absque consensu pastorum a Magistratu constituatur. Adducuntur alia, quæ postmodum legibus publicis in meliorem statum sunt deducta. Ex *MSS.* mecum communicatis constat, ad Pastorem Zuiccaviensem scriptam esse illam epistolam, & extat in eundem sensum *MS. alia* ad Senatum data Mercur. post Mauritii (d. 27. Sept.) hoc anno.

(4) *De vocatione Diaconorum scriptum ad Zuiccavienses.*

Fol. 917. producuntur literæ ad Cancellarium Electoris *Pontanum* d. 10. Decembris datæ, ex quibus apparet, questos esse Principes Brandenburgicos de epistola Lutheri contra agnatum *Albertum* Cardinalem Moguntinum, qua putabant toti Serenissimæ familiæ maculam inuri. Reperiuntur illæ *Reg. N. fol. 76. n. 23.* subscriptæ d. 24. Octobris a *Joachimo* Electore, *Georgio* & duobus *Albertis*: dicunt tamen, *se Luthero in doctrina non præscribere,* (setzen ihm keine maaß) *& pro concordia publicas preces ordinasse.* Tuetur autem factum aut institutum suum Lutherus exemplo Prophetarum, Reges increpantium, & quod censuras tales mereatur Cardinalis, quæ si spernantur, divinam non evitaturus sit ultionem. Cancellario quoque, si paria tentet, haud mitiora expectanda esse, innuit. O lieber Gevatter / komt ihr selbst mit allen Juristen nicht gegen mich also: Addit exempla literarum ad Moguntinum *fol. 918. & 199.* quas tamen, ut jam *§. XLIII. 3.* innui, expeditas & missas esse dubito. Quievisse tunc potius Lutherum existimo.

(5) *Literæ ad Pontanum, pro excusatione acrioris ad Albertum Mogunt. epistola.*

Fol. 1041. Lutherus, Pomeranus & Melanchthon docte & pie respondent, cur libellum pastoris cujusdam in Thuringia (*Thomæ* nempe *Neageorgi*, de quo alibi plura dicentur) non probaverint; & ab ejus publicatione autorem dehortati sint, quia in eo de prædestinatione periculose locutus fuerat, ac statuerat, ab electis non amitti Spiritum sanctum, etsi in manifesta crimina incidant. Asseverant autem, se semper unanimiter in omnibus Ecclesiis contrarium docuisse, nempe: Si quis sanctus & fidelis sciens & ex proposito contra præcepta Dei peccet, illum non amplius esse sanctum, sed veram fidem & Spiritum sanctum abjecisse. Si vero convertatur, Deum servare juratam gratiæ promissionem: *vivo ego & nolo mortem peccatoris. &c.* & recipere conversum denuo in gratiam, & in corde ejus fidem veram per Evangelium & Spiritum sanctum accendere. Addunt: mandatum nobis non esse, ut inquiramus, an electi simus, sed scire ac tenere nos debere, qui finaliter perseverat in pœnitentia & fide, illum esse electum & salvari juxta effatum Christi, *Matth. X. 22. Hæc doctrina, ajunt, clara est, neque securos facit lapsos, sed compellit eos ad timendam iram Dei: certissimum enim est, Deum omnibus peccatis offendi, sive electi sive non electi in ea labantur. Ratio humana fingit voluntatem Dei iniquam, tanquam tyrannus esset, qui quorundam acta probet, sive bona sive mala; alios odisset, quicquid etiam fecerint. Hæc voluntas Deo tribui non debet, æterna enim veritatis dictum est Ps. V. 5. Non Deus volens iniquitatem. Suscipit quidem sanctos, qui peccata adhuc in se habent, sed non sine magno solutionis pretio, sacrificio nempe Christi: propter hunc recipimur in gratiam, si credimus, & quamdiu credimus.* Refutat objectionem ex *Ps. LI.* quasi David retinuisset Spiritum sanctum in peccato illo suo adulterii & homicidii. Plura in hunc sensum egregio in hoc scripto adducuntur, ex quibus patet, quid Lutherus in hac quæstione senserit, & quam interpretationem accipiant, quæ alibi durius ab eo dicta esse videntur. Ex eodem confirmatur insigniter, quod sæpe monui, nec frequenter satis repeti & inculcari potest: Requiri, ex doctrina Lutheri, (extra quæstionem de justificatione) ut cum fide conjungatur puritas conscientiæ, sive abstinentia a peccatis proæreticis. *Fol. 1042.*

(6) *Responsum ad quæstionem; an amittatur fides per peccata mortalia?*

(7) *Doctrina Lutheri de necessitate sanctitatis in vita, adversus calumnias Ve-*

An. 1536.

Theses novas-teres notanda.

1042. a. Impossibile est, ait, *ut hæc duo simul consistant, fides, quæ Deo confidit, & malum propositum, sive mala, ut dici solet, conscientia. Fides & invocatio Dei sunt res tenerrimæ, & vel minimo conscientiæ vulnere læduntur aut subvertuntur. Ideo Paulus ista conjungit I. Tim. I. 5. charitas de corde puro, & conscientia bona, & fides non ficta. Et v. 19. Habentes mysterium fidei in bona conscientia.* Hæc dicta, & alia, quæ postea allegat (*I. Joh. III. 7. 8. qui facit peccatum, ex Diabolo est, Eph. V. 5. 6. Rom. VIII. 13. Ezech. XXXIII. 12. Apoc. XI. 15.*) evincunt, ubi non est bona conscientia, ibi non esse fidem & sanctimoniam, ubi vero est fides & bona conscientia, ibi esse Spiritum sanctum; neque tamen confidi dignitati propriæ & conscientiæ, sed Christo, & concludi debere, nos esse in gratia propter Christum ex promissione scilicet ejus, & sic recte eum posse invocari, *I. Joh. III. 21. 22.* Licet autem in Sanctis reliquiæ sint innatæ illius pravæ inclinationis, neque cor plene aut perfecte Deum timeat aut ei confidat; licet etiam non levia sint ista damna, sed peccata potius gravia; distingui tamen, ut monet, debet hæc infirmitas a consensu & proposito peccandi, quod conscientiam inquinat. Iniquissimos esse oportet, hæc & alia a nobis fideliter allegata legentes, qui nolint a veteri calumnia aut falsa persuasione aliquando serio recedere, qua Lutherum docuisse, fingitur, fidem cum peccatis proæreticis consistere.

(8) Theses Lutheri de Concilio, a Cochlæo notata.

Fol. 1043. & sq. theses XXX. Lutheri leguntur de officio & potestate conciliorum, versæ ex Latinis *Tom. I. Witt. fol. 398. b.* quarum summa est, potestatem statuendi articulos fidei, quæ Apostolis cum speciali Spiritus sancti adjumento promissa & concessa fuit, ad successores illorum non esse propagatam, sed hos omnes & in omnibus obligari ad docendum ea, quæ in Scripturis habentur, indeque fieri, ut errare possint tam singuli, quam congregati in conciliis, tam Episcopi & regentes, quam auditores & regendi. Si igitur non errent in conciliis, id per accidens fieri, sæpe vel unius sancti, vel totius Ecclesiæ merito. (Paphnutii exemplum in concilio Nicæno allegat, & voce *meriti*, suo sensu utitur, quasi dicat, gratia aut respectu) neque certos esse in concilio de Spiritus sancti præsentia & directione, nisi quatenus doctrinam Apostolicam & analogiam fidei sequantur. Repræsentari Ecclesiam a concilio, concedit, sed sæpe ita, ut speciem ejus non rem habeat, & per accidens tantum vere Christiana sit, non ex convocatione & consessu, sed quia verbum Dei sequitur. Ad hoc igitur examinari & æstimari eorum decreta debere. Refutasse se hæc, gloriatur *Cochlæus in historia anni 1537.* si modo historiæ titulum merentur vanæ scriptorum suorum prædicationes, & invectivæ in adversarios.

(9) Lutherus rejicit a se matrimonialium causarum cognitionem, queritur de JCtis.

Fol. 1060. ab *Alberto Comite Mansfeldensi*, de casu matrimoniali consultus, non sine indignatione respondet: se ejusmodi quæstionibus, cum fere semper Jurisconsulti (Wittenbergenses nempe, aut aulici) aliter, quam Theologi, pronunciaverint, ita esse vexatum & defatigatum, ut causas matrimoniales plane a se abjecerit, & in malam rem ire jusserit, nondum etiam ipsum a Jurisconsultis impetrare potuisse, ut matrimonium & liberos suos pro legitimis declararent, adeo Paparum constitutionibus illos adhuc adhærere. Principum itaque esse, ut leges ferant; Theologos nihil posse. Hæc, omissis verbis vehementioribus, ideo referenda & notanda esse duxi, ut ex iis aliisque Lutheri in eundem sensum dictis appareat, ejus judicio causas matrimoniales necessario ad forum Ecclesiasticum non pertinere, sed in Principum & Magistratuum potestate esse, & ab his, adhibitis in consilium Theologis & Jureconsultis, ad ductum verbi divini & veteris puriorisque Ecclesiæ consuetudinis, utilitatemque Reipublicæ in his causis leges & tribunalia constitui debere: sicut & postea factum est: quanquam ab initio, ut ex hac Lutheri expostulatione discimus, non sine confusione negotia talia tractata fuissent. Indicium confusionis & trepidationis, illo tempore, insigne esse potest, quod Jureconsulti & judices reformationi nondum ita confiderent, ut matrimonia Clericorum, aut testamenta pro legitimis haberent. Ideo sub initium hujus anni Lutherus, testamentum condens, ad Electorem recurrit, & hic illud d. 16. Jan. (*Reg. O. fol. 86. JJ.*) jure Principis confirmavit, ejusque executionem promisit.

An. 1536.

(10) Epicri-sis.

§. L.

(1) Historia de ancilla a Dæmone obsessa.

Memorabilem epistolam Lutheri, immo & historiam conservavit autor *Chronici Marchici* anno 1598. Germanice editi, *Andreas Angelus fol. 326.* Occasionem scribendi Luthero dedit ancilla quædam, *Lebusii* prope Francofurtum ad Viadrum nata, *Gertrudis Fischeria*, a Dæmone mire vexata, ut, illo suggerente, numismatibus, quoties vellet, manum replere posset, dein illa manducaret & devoraret, idque toto mense faceret; postea enim aciculas deglutivit. Promiserat ei Satan, se tantam pecuniæ copiam illi daturum esse, ut, quod in proverbio dicitur, comedere illam posset. So viel geld/daß sie es fressen möchte. Sexcenties id se vidisse cum plurimis sive universis, ut scribit, aliis, testatur *D. Jodocus Willichius*, Professor Francofurtensis, in commentariolo in Prophetam Jonam anno 1549. scripto, quo tempore *Gertrudin* illam adhuc Francofurti vivere & famulari asseverat. Accitus est a superstitionis veteris tenacibus sacerdos Romanensis, ut exorcismis liberaret miseram, sed frustra fuit: post multas deinde deliberationes relatum est ad Lutherum negotium, qui sententiam suam hac, quam subjungo, epistola, *Eberto*, quem *venerabilem concionatorem apud Francofurtum cis Viadrum* vocat, aperuit:

(2) Epistola ejus, rei occasione a Luthero ad Andream Ebertum scripta, cum aliquibus observationibus.

Multa videntur incredibilia, quæ tu scribis, mi Andrea, &, antequam tu scriberes, cum hic narrarentur, ipse quoque putabam, me audire jocum quendam aut fabulam. Sed si ita res habet, uti tu scribis, arbitror ostentum esse, quo Deus permittat, Satanam ostendere figuram & imaginem quorundam Principum, qui rapiant & vorent undecunque opes, & tamen nihil proficiant. Cum ergo jocularis sit iste Spiritus, & ocio suo securitatem nostram videat, nobis primo serio pro puella est orandum, quæ propter nos cogitur ista pati. Deinde ipse Spiritus vicissim est contemnendus & ridendus, nec ullis exorcismis aut seriis tentandus, quia omnia ista ridet superbia Diabolica. Sed perseveremus in oratione pro puella, & contemtu in diabolum, & tandem, favente Christo, cessabit. Etiam bonum esset,

An. 1536. *esset, si vitia sua, quæ hoc ostento indicantur, emendarent Principes, in quibus ille nequam Spiritus significat, sese potenter & secure dominari. Rogo te, quandoquidem res ista digna est evulgari, omnia velis certissime explorare, ne subsit aliquid doli: & inprimis, an moneta seu nummi isti, sint veri nummi, & usum fori sustineant. Nam ego tot fucis, dolis, technis, mendaciis, artibus &c. hactenus sum exagitatus, ut cogar difficilis esse ad credendum omnia & omnibus, nisi quæ ego scio me facere & dicere. Tanta est Diaboli vis, mundi malitia, & hominum confidentia hodie. Quare vide & prospice tibi, ne quoque fallare, & ego per te fallar. Experto crede Ruperto, ut est proverbium. Vale in Domino, & ora pro me. Wittenbergæ d. 6. Augusti 1536.* *Ebertus*, ad quem scribit, *Grunbergæ* in Silesia natus fuit, & connivente tunc, nondum publice suscepta reformatione, Marchione Electore, Evangelicam doctrinam *Francofurti* profitebatur, & ancillam illam in cœtum suum adduci fecerat. Numismata, quorum certitudinem explorari volebat Lutherus, minutioris monetæ erant, *grossi & nummuli*, groschen und pfennige. Consilium autem Lutheri successum habuit, licet aliquandiu reniteretur Satanas, & *Ebertum*, cum Christi nomen invocaret, fœdis proscinderet conviciis. Ex epistola Lutheri prudentia & pietas, zelus etiam elucet. Secutus vero consilii successus veritatem doctrinæ & Ecclesiæ, cujus precibus Dæmon victus est, abunde, uti spero, æquis judicibus demonstravit.

(3) *Diploma Pontificis de emendanda Urbe & curia.*

In aliis hujus anni gestis pauca invenio quæ ad religionem spectent. Pontificis enim diploma d. 23. Septembris ad reformationem urbis & curiæ Romanæ, Cardinalibus quinque & tribus Episcopis datum, cujus versio Germanica *Tom. VI. fol. 1057.* exhibetur, merus fucus fuit, & nullius effectus; Vid. *Paul. Ven. Lib. I. Sleid. Lib. X p. 293* nisi quod animum prodidit in Lutheranos condemnandos obstinatum, & ab illis observatum, ut postea dicetur.

(4) *Legatio Vorstii in Germaniam ejusque instructio & scopus.*

Idem Pontifex nuncium ad *Ferdinandum* Regem in Germaniam misit *Petrum Vorstium* Belgam, Episcopum Aquensem Rotæ Romanæ assessorem, (quem a Canonici juris peritia, experientia & modestia laudat *Pallavicinus Lib. III. Cap. 17. n. 3.*) ut Episcoporum ad concilium missionem maturaret, & pro re nata cum Smalcaldicis ageret, & quidem ex consilio *Georgii* Saxoniæ Ducis, quem, ut religionis Pontificiæ studiosissimum, laudat, & a duobus præstantissimis viris veluti gemino flabello inflammatum & incitatum fuisse, dicit *Pallavicinus. Lib. IV. cap. I. §. 6.* Intelligit autem & nominat *Johannem Pflugium* (quem *Julium* debebat, nec *Herbipolensem*, sed *Numburgensem* Episcopum appellare) & *Johannem Cochlæum*, qui cum Pflugio quidem componi vix meretur, sophista quippe deterrimus. *Georgius* itaque, his adjutoribus, suppeditare posse sperabatur, qua ratione Protestantes ad scopum Pontificis adducerentur, a *Moguntino* vero instrui debebat, quomodo nutantem in religione Romana Electorem *Brandenburgicum* confirmaret. Sed acta *Vorstii* in annum sequentem incidunt. Quam vere autem is Romam retulerit, aut *Pallavicinus* scripserit, *Georgium Brandenburgicum & Senatum Norimbergensem ad partes Pontificias propendisse,* *Lib. III.* fateor, me dubitare. Nam constantes Principis & Reipublicæ actiones circa religionem, etsi inter fœderatos Smalcaldicos tunc non erant, contrarium evincunt.

An. 1536.

(5) *Tractatio Smalcaldicorum cum Anglia Rege de fœdere.*

Quæ inter Angliæ Regem, & Saxoniæ Electorem, & Landgravium de religione, & ineunda circa eam concordia, itemque de fœdere & societate, hoc anno acta sunt, apud *Sleidanum Lib. X. p. 287.* & *sq.* legi possunt. Referre hic ea piget, quia frustra tunc fuerunt omnia, postquam Rex *Annam Bolenam*, cujus amore captus, &, ut legitimum cum ea matrimonium haberet, ista omnia agitabat, ex adulterii suspicione supplicio affecisset.

(6) *Hermanni Archiepiscopi Coloniensis prima de reformatione molimina, Groppero administro.*

Archiepiscopus Coloniensis *Hermannus*, *Comes de Wida* jam olim de emendatione Ecclesiæ cogitaverat, hoc vero anno Episcopos suffraganeos convocavit, & formulam edidit, *Johannis Gropperi*, Jur. Can. Doctoris, stylo, & in eum modum compositam, ut dogmata Pontificia, a Protestantibus impugnata, novis interpretationibus & veluti coloribus vestirentur, eo fere modo, quem nostro tempore multoties renovatum vidimus, & prætextui illis fuisse, qui vel ipsi ad mutandam religionem ansam quærunt, vel alios cogendi consilium capiunt. Fatum etiam idem liber iste habuit, quod alii ejusdem inventi, nempe, ut neutris satisfaceret. *Hermannus* postea ulterius progressus est, ut in loco dicetur. Invenio (*Reg. H. fol. 124. n. 53.*) illum hoc autumno *Torgaviæ* apud Electorem fuisse, venatione cervorum oblectatum; (in der hirschbrunst) Berolino venerat, ubi Brandenburgicum Electorem inviserat. Verisimile est, in hoc itinere confirmatum illum fuisse in proposito reformandæ religionis.

(7) *Mors Erasmi & quædam de eo.*

Hoc anno finem vitæ habuit, ob infinitam pene eruditionem celeberrimus, *Erasmus Roterodamus*, septuagenario major; natus enim erat, ut Buchholzerus, collatis diversa sententium calculis, computat d. 28. Octobris 1465. obiit 1536. d. 11. Julii *Basileæ*, quo se, ad edendum tractatum *de arte concionandi*, contulerat, ut per anticipationem *Lib. I. §. LXXXVII.* notavimus, inde in Belgium, ad Mariam Hungariæ Reginam, profecturus. De ejus circa religionem mente alibi diximus. Non invidemus illi gloriam, quam is, quem allegavi, *Buchholzerus*, hoc inter alia versiculo ei assertum ivit:

Illius scriptis primum via strata Luthero
Creditur, & lampas, docte Philippe, tibi.

Sed ultra linguarum, Græcæ potissimum, exquisitiora studia, quibus ad intellectum Sacrarum literarum magna præbuit adminicula, istam laudem nolim extendi. Quid Lutherus de Theologia ejus longe prius, quam cum eo collidi publice cœpisset, senserit, alibi annotavi. Pietatis haud exigua documenta ex testamento ejus, tum aliis gestis dictisque circa finem vitæ colligi possunt. *Beatus Rhenanus* mortis ejus descriptionem quandam præfationi Origenis, ab ipso recogniti, inseruit, quæ *epistolarum* operi *Londini anno 1642.* edito præfixa est. *Conradum Pellicanum*, Tigurinum tunc Ecclesiastem, cum quo (ut *Lib. I. Addit. II. ad §. LXXXII.* reuli) acriter disputaverat, comiter ab eo, dum decumberet, exceptum fuisse, rogante, ut offensas sibi condonaret, nec quicquam hostile posthac a se expectaret, *Bullingeri* etiam honorifi-

An. 1536. ficam mentionem fecisse, *Hospinianus* annotavit. Hæc non sunt viri, qui dissentientes a Romana Ecclesia, & diversa publice docentes, pro damnatis haberet.

ADDITIO I.

(a) *Ordinatio sive Synodus Coloniensis anno 1536.*

Cum veteri editione Reformationis Coloniensis a *Groppero* compositæ & a *Cassandro* postea vehementer laudatæ, potiri non potuerim, perlustravi eam, quæ in *Tomis Conciliorum* in Gallia anno 1672. a *Philippo Labbeo* & *Gabriele Cossartio* ex Soc. Jesu editis *Tom. XIV. fol. 484. & sqq.* reperitur. Ex illa, præteritis aliis, quæ maximam partem ad disciplinam & ritus pertinent, sequentia speciminis causa, excerpenda esse duxi, quod vasta illa compilationum volumina paucissimi possideant. Distributa autem sunt Synodi illius Coloniensis decreta, in *partes*, quæ vocantur, sive *sectiones XIV.* In his *Part. VI. cap. XXIII.* concionatores inter alia monentur:

(b) *Monitum de Legendis Sanctorum.*

Sanctorum historiis ne nimis diu immorentur, quin potior pars (uti jam diximus) Evangelio detur & epistolæ explicandis. Quod si fabulosa videbitur historia, ne attingant quidem; si verisimilis, leviter, eaque decerpant, quæ imitanda videantur. Miracula quoque ne impudentius jactentur, nisi quæ Scripturis prodita, aut a non levibus scriptoribus summa cum historiæ fide tradita fuerint. De sacra Cœna *Part. VII. c. XIV.* hæc leguntur:

(c) *De sacra Cœna.*

Docendus est itaque populus Christianus, certissima fide credere, quod in hoc Sacramento sit verum corpus & verus sanguis Christi Jesu. Neque enim Veritas mentitur, quæ apud Matthæum, Marcum & Lucam, hoc Sacramentum instituens & porrigens, simplicissime dixit: Accipite & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Sic docet Paulus Apostolus: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Unde consequitur, in Eucharistia totum esse Christum, quanquam ibi sit sub ratione cibi & potus. Qui enim tradidit corpus & sanguinem, haud dubie tradidit vivum. Quare, si credimus, in sepulchro divinam naturam non fuisse separatam ab exanimi corpore, quanto magis credemus eam a vivo corpore non esse separatam in Sacramento. De communione sub una *d. l. c. XV.*

(d) *De communione sub una.*

Ubi sunt, quibus contra Ecclesiæ consuetudinem, persuasum est, oportere laicos participare corpus & sanguinem Domini sub utraque specie: ibi docebit parochus hos, qui gravatam habent conscientiam, corpus & sanguinem Domini in altera tantum specie perfecte consistere; adeo, ut laicus, qui sub specie panis communicat, non tantum corpus, sed & sanguinem Domini non minus recipiat, quam qui capit sub utraque specie panis & vini. Ecclesiam quoque laicis unam tantum speciem dare, quod pro reverentia ipsius Sacramenti & salute fidelium, Ecclesia (cui dispensatio Sacramentorum Dei commissa est) sic viderit expedire. Nam, cum nullatenus ambigendum sit sub specie panis non tantum carnem, nec sub specie vini sanguinem tantum, sed sub qualibet specie totum Christum contineri; cur se laicus judicio Ecclesiæ, quam Dominus audiri voluit, non submittet? quæ non temere, sed multis rationibus permota, decrevit, salubrius esse, ut non tantum populus, sed & sacerdotes non sacrificantes, Christum sub una tantum specie, quam sub duabus perciperent. Quid enim panis vinique species aliud sunt post consecrationem, quam species sacramentales & accidentia sine subjecto? ut non habeat laicus, cur queratur, sibi alteram subtrahi speciem, ubi totum, quod sub utraque specie continetur, integre accipit. De Missa *d. l. c. XXV.*

(e) *De Missa.*

Docendus populus generatim, quid agatur in Missa, & quibus partibus constet. Constat siquidem psalmodia, quem vocamus introitum, invocatione & gloriosa celebratione sanctissimæ Trinitatis, quæ in canticis: Kyrie eleison, & gloria in excelsis Deo, peraguntur; precatione seu collecta; recitatione verborum propheticorum seu Apostolicorum, quam vocamus epistolam: sacris canticis, quæ vocamus gradualia; & alleluja, & quæ sequuntur; lectione evangelica; symboli recitatione seu professione fidei catholicæ; cantico, quod non sine mysterio offertorium appellatum est; gratiarum actione, quæ dicta est præfatio; religiosa commemoratione mortis, consecratione corporis & sanguinis Dominici; quæ fit in canone. Rursus in precationibus, inter quas est precatio Dominica: Sequitur osculum pacis, symbolum Christianæ charitatis, mox communio. Rursus sacrum canticum, quod commune appellatur, & precatio. Postremo loco, sacerdos totum populum, velut in suam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque commendat, ut perseveret in affectu pietatis, mutuæque charitatis, quorum cum admonebitur populus, incipiet nedum credere, sed & sentire, quod in Missa nihil non sit pium ac venerandum. Item *cap. XXVII.*

An. 1536.

(f) *De eodem, ut sacrificio.*

Docendus est populus, quale sit Missæ sacrificium, nempe repræsentativum. Semel quidem Christus mortuus est, justus pro injustis: semel in manifestatione sui corporis, in distensione suorum membrorum omnium. Verus Deus & verus homo semel tantum in cruce pependit, offerens patri semetipsum hostiam vivam & passibilem, immortalem, vivorum & mortuorum redemtionis efficacem. Et scimus, quia Christus resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur, & tamen quotidie immolatur in sacramento; non, quod toties Christus occidatur, sed quod illud unicum sacrificium mysticis ritibus quotidie renovetur, quotidianaque recordatione mortis Domini, qua liberati sumus, in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, hoc ipsum repræsentetur, quod olim factum est; facitque oblatio ista Sacramentalis moneri nos, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce; elicientes subinde nobis ex illo fonte inexhausto gratiam salutarem, immolamusque hostiam pro vivis & defunctis, dum pro illis patrem per filii mortem deprecamur. De confessione *cap. XXXVI.*

(g) *De confessione.*

Qui nimis anxii sunt in repetenda confessione vel iteranda apud alium sacerdotem, vel etiam in enumerandis circumstantiis, quales sunt quidam, qui, quantumvis confitendo, conscientiam tamen vix tranquillare possunt, docendi erunt, Deum, (cui omnia patent) sinceritatem tamen cordis a nobis requirere, nec tam severum esse exactorem, qui conscientiam ob unam vel alteram delicti circumstantiam, inter confitendum non dedita opera neglectam, perpetuo turbatam esse velit. Nam quis omnes erratus suos enumeraverit? quemadmodum David ait: delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Item *cap. XXXVII. In occultis delictis, ex reservatione casuum, compertum habemus, nonnihil mali interdum accidere, vel quod peccator in promtu non habens sacerdotem, qui illum absolvat, vel differt confiteri, vel contemnit, vel quod, qui minores ætate sunt, vel mulieres difficile adducantur, ut ex suis parochiis, non sine levi suspicione, ad nos, seu Commissarios nostros proficiscantur. Quare, ut consulamus & verecundiæ & famæ, visum nobis est, hanc potestatem nostram absolvendi a peccatis & casibus, nostræ absolutioni reservatis, (occultis tamen) omnibus parochis, per diœcesim nostram constitutis, rite vocatis delegare, modo tamen vicariorum nostrorum in pontificalibus consilium adhibeant & requirant; nostris tamen suffraganeis potestatem facientes, aliter in diœcesibus suis, uti consultius videbitur, super hac re ordinandi.* Denique hæc adjicitur clausula sub finem *Part. XIV.*

(h) *Clausula finalis.*

Cetera, quæ præsentis Concilii decretis comprehensa non sunt, (sunt autem pleraque, non minorem, quam ea, quæ correximus, castigationem postulantia) ea secundum sacrorum canonum censuram, partim in visitatione, partim futuris synodis episcopalibus, Deo dante, emendare diligenter annitemur.

(i) *Annotatio quædam.*

Qui hæc cum expositionibus hodiernis veteribusque, *Erasmi* & *Cassandri* consultationibus conferent, deprehensuri, credo, sunt, quæ notavimus de studio palliandi & excusandi abusus, & simul publicam confessionem Cleri magnæ illius diœceseos observabunt, qua reformationis necessitas, quam hodie præfracte negant, agnoscitur, ejusquidem viri testimonio, *Gropperi* nempe, cujus laudes infra a Maimburgio magnifice decantari audiemus. *Hermannum* jam tum meliora inten-

An. 1536.

intendisse, ex epistola MS. *Joh. Lumpii*, Doct. Colon. quæ inter *Heckelianas* extat, & d. 6. Oct. hoc anno data est, apparet. Scribit enim: *Archiepiscopus nondum audet, quæ sentit, prodere, ob monachorum & Theologorum superstitiosa supercilia, quibus adhuc insipidum est, quod ex eorum non prodit culina, speratur tamen finis.* Addit: *Minoritanum, qui Præsuli a confessione & sacra concione est, cucullum ferre adhuc, sed aliud sentire: in templo majori concionari aliquem puram Evangelii doctrinam, advolantibus ex vicinis oppidulis, etiam ex Hassiaca ditione procul dissita, tot millibus, ut eos vix capiat templum.*

ADDITIO II.

(a) *Compendium historiæ de reformatione Pomeraniæ, a D. Dan. Cramero edita.*

Cum hoc anno 1536. in fœdus Evangelicorum recepti sint *Barnimus* & *Philippus* Pomeraniæ Duces, idque veluti complementum fuerit reformationis, ab aliquot annis in egregia & amplissima illa provincia privatis studiis, nec sine multa interturbatione, cœptæ; operæ pretium fuerit, ut ex historia Ecclesiastica Pomeraniæ a celebri Theologo *D. Daniele Cramero*, Superintendente Stetinensi, justo opere elaborata, & anno 1628. edita, præcipua rerum momenta, qua fieri potest, brevitate referantur. Repetere autem nolumus, quæ *Libro I. §. CX. CLXVIII.* & *CLXXXIII.* & *Libro hoc III. §. XXXI.* præsertim, cum de *Joh. Bugenhagii* Pomerani vita & actis ageremus, tradita sunt; quæ tamen conferenda cum his, quæ jam narraturi sumus, & ex his explicanda erunt.

(b) *Status religionis in Pomerania ante Lutherum.*

Status religionis in Pomerania, proxime ante cœptam a Luthero reformationem, non modo melior non erat quam in aliis regionibus, sed pejor fortassis, quia conversio gentis tarde, anno nempe 1124. secuta est, autore *Ottone*, ex familia *Andechsensium* Comitum in Bavaria nato, *Episcopo Bambergensi*. Hic a Poloniæ & Pomeraniæ Principibus rogatus, cum monachus quidam *Bernhardus*, natione Hispanus, sed in Polonia tunc versatus, Christianismum Pomeranis prædicans, ob humilitatem & egestatem spretus, & non sine vitæ periculo ejectus fuisset, neque ex Polonia ullus ex Clero idem discrimen subire amplius auderet, magno cum apparatu negotium aggressus est, &, ut *Cramerus Lib. I. cap. 14.* ex *chartis Bambergensibus* refert, *infinitis bonis & divitiis, centum quinquaginta curribus impositis, oneratus, & instructus*, Principem Pomeraniæ VVartislaum (quem tamen alii jam *Mersburgi*, in Saxonia baptizatum fuisse memorant,) omnesque nobiles & plebejos, viros fœminasque, non solum doctrina, & nescio quorum miraculorum ostentatione, sed etiam muneribus ad Christianismum permovit. Attulit autem dogmata & ritus ex disciplina seculi illius jam corruptissimi, & tot errores & abusus admiscuit, ut pura & necessaria Christianæ fidei fundamenta distingui & agnosci difficillime potuerint.

(c) *De cultu Ottonis Episc. Bamberg. in Pomerania.*

Id multis testimoniis probat *Cramerus*, inter alia *Lib. III. cap. 3.* referens, ut Ottonem ipsum tanquam intercessorem apud Deum, postea magno cultu prosecuti sint Pomerani, consecratis ei tribus festis annuis, hymno etiam composito, cujus initium est:

Otto prudens & fidelis,
dispensator qui in cælis
mortis & periculi;
ubi fruens cælibatu,
nos absolvens a reatu
mortis & periculi, &c.

Reliqua exscribere piget. Hinc facile colligi potest, quid ab illo initio, per quatuor, quæ secuta sunt, secula indies corruptiora, populus profecerit sub Clero indocto, pravisque moribus inquinato, nulla ex sacris literis informatione publica & ordinaria, totoque cultu ad Missas & spectacula externosque ritus deducto.

(d) *Abusus excommunicationis exemplum.*

Omissis aliis a *Cramero* notatis, exemplum de excommunicatione observandum est, qua proterve abutebantur sacerdotes, ita etiam, ut, si furto subtractum esset aliquid, vile licet & exigui pretii, imploratus tamen pastor loci ignotum illum furem horrendis formulis Satanæ traderet, omnibusque cruciatibus & infortuniis, quæ hominibus in hac vita contingere possunt, & æternis post mortem pœnis exponeret, idque in nomine SS. Trinitatis multisque cum ceremoniis, extincta candela, & lapillis contra quatuor mundi regiones projectis. Allegavit hanc formulam, dialecto Saxonica a *Cramero* relatam, venerandus Theologus Chiloniensis, *D. Christ. Kortholtus* alibi a nobis laudatus, in *schediasmate Germanico* nuper edito, quo morem illum, in Ecclesiis quibusdam Holsaticis & Danicis ex veteri superstitione retentum, gravibus argumentis improbat.

(e) *Indulgentiarum nundinatio.*

Indulgentiarum quoque nundinatio, quæ cæteras Germaniæ regiones afflixit, in Pomerania etiam usurpata est, tum alias, tum eodem anno 1517. quo a Luthero impugnata fuit; quanquam tunc exiguo cum successu, quia emissarii pecuniam, quam corradere cœperant, magna ex parte furto, in oppido *Freywald*, amiserant. Vid. *Cramer. lib. III. cap. 9.* ubi diplomata *Alberti* Cardinalis Moguntini, &, quem ei Pontifex collegam dederat, *Guardiani Minoritarum*, & formulas absolutionis a Tezelio expeditæ producit.

(f) *De Martino, Episcopo Caminensi, ejusque Synodo anno 1500. habita; cum epicrisi quadam.*

Episcopatum *Caminensem*, cui magna Pomeraniæ pars suberat, illo tempore regebat *Martinus Carithius*. Hic *Doctoris* titulo insignitus, & *Præpositus* tunc *Colbergensis*, *Bugislaum X.* Pomeraniæ Ducem anno 1496. in Palæstinam religionis causa profectum secutus, notitiam quandam cum viris doctis in Italia & Germania, qui illo tempore bonarum literarum studia renovabant, contraxerat, & quædam majori cum diligentia & judicio observaverat, quæ ad emendationem Ecclesiæ pertinere credebat. Cum igitur anno 1499. favore Ducis ad Episcopatum pervenisset, sequenti anno synodum *Stetini* habuit, multaque decreta condidit, partim ad cultum publicum, qualis tunc erat, partim ad corrigendos Cleri mores, quos turpissimos fuisse non dissimulat, pertinentia. Adscribi merentur, quæ etiam *Cramerus* operi suo inseruit, verba, quibus abusui invocationis sanctorum remedium quærere voluit; *Prohibet jus Canonicum, ut, quod legentibus Scriptura, indoctis præstet pictura; ideo sanctorum imagines jamdudum statuit Ecclesia summe venerandas. Et ne circa eas dem idololatria committatur; statuimus, esse benedicendum,* (forte, *bene distinguendum,*) *& consecratas solum dulia, & non latria, venerari. Nam, ut sacra sanctio testatur, imagines non esse adorandas, sed per eas disci debere, quid sit adorandum. Avisamus igitur omnes prædicatores, ut sint cauti. Nam intelleximus quosdam dicere, omnes cruces esse adorandas, ex quo canit sancta mater Ecclesia: O crux adoranda; quod nos intelligimus de cruce sola, in qua Salvator operatus est nostram salutem, qua fuit tincta ejus pretioso sanguine; hac enim latria Deo & sacratissimo ejus corpori, quod in hostia continetur, debet exhiberi.* Vidit scilicet in modica illa luce vulnus illud Ecclesiæ, sed subtilitate scholastica necquidquam curavit. Quis enim *duliæ* & *latriæ* terminos ad populi captum constitueret? Quis ex jure Canonico invocationem Sanctorum & cultum imaginum, qui maximam partem sacrarum ceremoniarum faciebat, stabiliret & Ecclesiæ obtruderet? Denique si illa tantum crux adoranda est, in qua Christus pependit, & quam sanguine suo cruentavit, ex qua nihil restat, nisi quod fabulis venditatur, cur non idem de Sanctis statuitur, quorum neque corpora neque reliquiæ satis certæ extant, neque si extarent, cultus legitimum objectum esse possent? Quæ de hostiæ adoratione decrevit Episcopus, nulla nisi humana autoritate nituntur. Observavit tamen aliquid de nimia & frequentiori hostiæ veneratione, edixitque in eadem synodo, *ne plus quam semel in anno populo ostenderetur, ne,* ut ait, *assiduitas contemtum pariat Salvatoris.* Reliqua synodalis decreti contenta ex *Cramero* peti possunt.

(g) *De Johannis Knipstroh, ad Evangelicam doctrinam conversione.*

Excitaverat Pomeranos ad literarum studia condita illo tempore anno 1506. *Francofurti ad Viadrum* Academia, quæ veterem *Griphiswaldensem* celebritate, ut fieri solet, superabat. Notum est, ut *Tezelius*, adjutore *Conrado VVimpina*, Theologo Francofurtano theses Lutheri, anno 1517. publicatas, refutaverit. Erat tunc Francofurti *Johannes Knipstroh*, monachus Franciscanus, florens ætate & ingenio, cujus excolendi causa ex monasterio quodam in Silesia in Academi-

An. 1536.

am missus erat. Hic dum *Lutheri* & *Tezelii* theses inter se conferret, potiorem habuit illius sententiam, idque liberius inter sodales profitebatur, quam ferre poterant Lutheri adversarii. Abire igitur in monasterium Franciscanorum, quod *Piritiæ* in Pomerania erat, jussus est, ut disputandi occasione privaretur. Verum ibi lectioni Biblicæ incumbens, & scripta subinde a Luthero publicata nactus, magis magisque veritatem deprehendit, eamque monachis illius cœnobii omnibus persuasit, & in concionibus populo proposuit. Lepidum vero illius commentum refert *Cramerus*. Cum enim cives, quæ de salute per fidem acquirenda concionabatur *Johannes*, eo traherent, ut non solum ritus superfluos & inutiles aversarentur, sed & stipem monachis, ut parum merentibus, denegarent, hi vero esurire inciperent, Johannes populum affatus, finxit, monachos fame coactos in eo esse, ut pinguissimum ex conventu mactarent, sibi autem ante alios periculum instare, quia concionibus suis ansam dedisset, ut monachi jam nullas eleemosynas, ex quibus solis vivebant, acciperent. Hac arte intermortuam pene oppidanorum liberalitatem resuscitavit. Dictum est *Libro I.* ut *Bugenhagius* in alia Pomeraniæ parte, *Treptoviæ* nimirum, Evangelium docere cœperit; *Cramerus* vero notat, incertum esse, hicne an Franciscanus ille Piritiensis initium fecerit. Incrementa tamen aliis etiam locis doctrina talia habere cœpit, quæ *Erasmum Manteufelium*, qui *Martino* anno 1521. defuncto in Episcopatu Caminensi successerat, irritarunt, ut persequendos esse novos concionatores statueret. Secuta itaque est illorum fuga, & *Bugenhagius* quidem, ut nemo ignorat, VVittenbergam delatus, paulo post Pastoris munus ibi accepit. Abbas Belbucensis *Johannes Bolduanus*, (ut *Cramerus* eum vocat, *Adamus*, quem *Libro I.* secutus sum, *Boldewinum* nominavit) Bugenhagii patronus, itidem in Saxoniam profugit, & pastor oppidi *Belzig*, haud procul VVittenberga factus est. *Cnophius*, cujus *Lib. I.* mentionem fecimus (a *Cramero* Germanico cognomine Knopfe vocatur) *Rigam* in Livonia, ubi fratrem Canonicum habebat, petiit; alii alios quæsiverunt receptus, etiam in Pomerania, extra diœcesin Caminensem. Accidit eodem fere tempore, ut *Bogislaus* Dux, comite Episcopo Caminensi *Erasmo*, cum ex Germania superiori, ubi negotiorum causa aliquandiu commoratus erat, per VVittenbergam iter habens, Lutherum Dom. Cantate anno 1523. concionantem audiret. Subrisisse dicitur, & Episcopum respexisse, cum Lutherus quædam de luxu & inertia Episcoporum dissereret; deinde & accitum ad se Lutherum comiter compellavit, dicens inter alia: *se optare, ut aliquando confessionem apud illum edere posset:* Lutherus annuisse fertur, & addidisse: *se vereri, ne Bogislaus, qui magnus Princeps esset*, (solus enim totam possidebat Pomeraniam) *magnus etiam esset peccator;* id quod Princeps ingenue & cum dejeratione quadam asseveravit. Absente in Germania Duce & Episcopo, Stetinenses Evangelicæ doctrinæ desiderio moti concionatorem a Luthero mitti sibi petierunt, acceperuntque *M. Paulum a Rhoda* sive *Rhodium*, Quedlinburgensem, qui paulo ante in oppido *Jüterbock* Ecclesiastes fuerat. Illum in templo D. Jacobi concionari fecit Senatus. Cum vero jus vocandi pastorem illius ædis, ex veteri fundatione, ad Abbatem monasterii Benedictini Bambergensis (der Münchsberg) spectaret, & ab illo Prior & Subprior Stetinum (duodecim licet dierum itinere dissitum) mitti solerent, qui sacra in templo facerent, repugnare hi primum Rhodio cœperunt: mox tamen cum Senatu ita transegerunt, ut ipsi quidem suos ritus exercerent, Rhodius autem certis horis suas haberet conciones, & Sacramentum sub utraque distribueret. Bogislaus domum reversus indignari primum cœpit; delinitus tamen, ut putatur, a filio secundogenito *Barnimo*, qui ab anno 1518. ad 1521. VVittenbergæ literis operam dederat, concionantem audivit Rhodium, & eatenus probavit, ut diceret, *se nihil, quod hæreticum esset, ex illius sermone percepisse.* Ita conniventia Principis toleratus fuit Rhodius. Eodem anno 1523. lis vetus inter Senatum Stetinensem & Canonicos collegiatarum Ecclesiarum B. Mariæ & S. Ottonis recruduit, tributorum causa. Extant ea de re literæ Lutheri ad Senatum, qui consilium ejus rogaverat *Tom. VIII. Alt. fol. 590.* sed absque die. Hunc vero ex autographo indicat *Cramerus Lib. III. cap. 16. undecimum* nempe *Januarii*, sive *Dom. post Epiphan. 1523.* De successu tamen negotii nihil invenit, quod referret. Sequenti autumno d. 30. Sept. decessit Bogislaus, relictis duobus filiis. Juniorem jam nominavimus, natu major *Georgius* in aula Georgii Saxoniæ Ducis educatus fuerat, cura *Erasmi Manteufelii*, quem ephorum habebat; *Georgius* enim Saxo & *Bogislaus* Pomeranus sororii erant, ex filiabus *Casimiri* Poloniæ Regis, quas uxores duxerant. Odium itaque contra Evangelicos Dresdæ instillatum erat *Georgio* Pomeraniæ Duci, idque statim a morte parentis, adstipulante Episcopo, exseruit, initio a monachis *Belbucensibus* facto, quos, ut Lutheranismi suspectos, omnes cœnobio ejecit, idque per quæstorem administravit. Episcopus *Petrum VVernizerum*, alias *Suavenium*, nobili genere natum, cum *Stolpæ* epistolam ad Romanos explicaret, in vincula conjecit, ut & *Johannem Curieke*, sive *Kyrichium*, cujus & aliorum *Lib. I.* mentionem fecimus. *Piritiam* etiam deseruit *Johannes* ille *Knipstroh*, & aliquandiu Stetini & Stargardiæ concionatus, cum nec ibi tutus esset, *Sundam* (Stralsund) se recepit, ubi jam, ut alibi dictum est, Evangelica doctrina locum invenerat, indulgente Senatu, privilegiis suis nixo, nec Ducibus Pomeranis simpliciter obsequente; plebs tamen Sundensis tumultuose in confringendis statuis egerat, parumque abfuit, quin iis congestis & accensis Dominicanum quendam petulantius concionatum combussissent. Scholæ Sundensi *Johannes Æpinus* tunc præerat, celebris paulo post Hamburgensium Pastor. *Suavenius* carcere liberatus in Daniam venit, magno religionis bono. *Hermannus Bonnus* VVestphalus Lubecam petiit. Et isti quidem, dum in Pomerania versarentur, aliique Gryphiswaldæ Evangelicam doctrinam clam proponebant, eamque inde exacti in alias transtulerunt regiones. Hæc tunc Pomeranorum Evangelii puriorem doctrinam desiderantium fortuna fuit, nec nisi *Stetini* & *Sundæ* impune profiteri eam licebat. *Rhodio* tamen acris cum adversario quodam concertatio fuit, quem etiam scripto publico anno 1527. refutavit, ex quo multa non spernenda affert *Cramerus Lib. III. cap. 21.* querens, quod exempla illius & aliorum a Rhodio editorum libellorum diligenter conservata non fuerint. Casus inde quosdam narrat, quibus impudentes Evangelicæ veritatis calumniatores divino judicio graviter puniti fuerint, non in *Pomerania* saltem, sed & in vicina *Marchia*. Memorabile est (quod non dubito idoneis autoribus ad illum pervenisse) quod *Coloniæ ad Suevum* monachus quidam Dominicanus in festo S. Stephani d. 26. Dec. 1525. præsente Principe & aula concionatus tanta cum impudentia fuerit, ut diceret: *mentitum esse Paulum Apostolum, quod Gal. IV. 4. scripserit: Christum factum esse ex muliere, cum virginem dicere debuisset:* confestim autem, postquam illa effutiisset, in ipsa cathedra mortuus conciderit.

Monachi interim plerique ex monasteriis Pomeraniæ diffugerant, ita ut amplissimum *Carthusianorum* prope *Stetinum* vacuum pene esset. Illi jamdudum, ut *Cramerus* memorat, monastica disciplina neglecta, insano Alchymiæ studio tempus & opes consumserant, bis licet, nempe anno 1499. & 1504. prohibiti. Anno vero 1525. Capitulum ordinis, quod vocant, generale desertores publico edicto, quod *Cramerus* retulit, citavit, sacra etiam pro illorum reversione fieri (frustra quidem) curavit. Singulari veteris superstitionis zelo *Abbas Eldenoviensis*, cum paucissimos ex Clero superesse in Pomerania videret, qui novis Doctoribus resistere possent, juvenes quosdam ex *Belgio* accivit, spe facta, ut in Academia *Gryphiswaldensi* alerentur; sed, civibus aversissimum a monachis animum gerentibus, retinere eos in cœnobio suo coactus est, illorumque plurimi Evangelica doctrina imbuti postea fuerunt, & quidam ex iis *Antonius Remmeldingus*,

(h) *Persecutio & fuga Evangelicorum concionatorum ex Pomerania.*

(i) *Bogislai Pomeraniæ Ducis colloquium cum Luthero.*

(k) *Stetinensibus Pastor VVittenberga mittitur Paulus Rhodius.*

(l) *Persecutio nova Evangelicorum sub Georgio Pomer. Duce, & aliquadam.*

(m) *Deterrens gica mors quorundam hostium religionis.*

(n) *Deserta monasteria, rum, & novorum monachorum ex Belgio vocatio.*

An. 1536.

gus, in Geldria natus, pessimam monachorum Eldenovensium vitam edito libello prodidit, cujus contenta quædam *Cramerus cap. 25.* recenset, lectu non indigna. Laboravit etiam res Evangelica illis annis iisdem, quibus aliæ provinciæ, malis, licentia nempe & ingratitudine plebis, quæ concionatoribus tenuissima, & unde vix vitam tolerare possent, salaria præbebat, furore etiam Anabaptistarum, itemque rixa sacramentaria. Mitiora tempora successerunt morte *Georgii* Pomeraniæ Ducis, qui anno 1531. d. 9. Maj. morbo, quem peripneumoniam vocant, oppressus est, relicto unico filio *Philippo*, quem ex *Amalia*, Philippi Electoris Palatini filia, susceperat. Hic apud avunculum *Ludovicum* Electorem Palatinum Heidelbergæ educabatur, inde vero a *Barnimo* patruo revocatus est, quindecim annorum adolescens. Cum hoc provincias, quas huc usque cum *Georgio* communes habuerat, divisit *Barnimus* anno 1532. Ipse quidem Evangelicæ doctrinæ, sed occultius, quam ut *Georgio* fratri sese opponere auderet, dudum faverat; *Philippus* autem ex *Ludovici* avunculi moderatione didicerat a violentia contra Evangelicos abstinere. Respirare itaque cœperunt Pomerani Evangelicæ doctrinæ addicti, & Gryphiswaldenses ausi sunt, accito Sunda *Johanne Knipstroh*, cultum in oppido palam reformare, & Canonicis ad D. Nicolai veteris ritus exercitium prohibere. Exemplum alia quoque oppida imitata sunt. Haud parum profuit insignis adhortatio, quam *D. Urbanus Regius*, Ducatus Luneburgici Cellensis Superintendens, rogatu *Pauli Rhodii* ad Duces & civitates Pomeraniæ scripsit, cujus contenta præcipua *Cramerus cap. 29.* exhibet. Maximum vero momentum attulit *Justus Debitius*, ex primaria Pomeraniæ nobilitate, Philippi Ducis Consiliarius, Evangelicæ veritati addictus, qui, renitente licet Cancellario *Nicolao Brunone*, veteri superstitioni dedito, libros Lutheri, Pomerani, aliorumque, inprimis Augustanam confessionem, *Philippo* Duci suggessit, eumque ad amplectendam doctrinam Evangelicam permovit. Secuta inde sunt Comitia provincialia mense Decembri 1534. in quibus decreta est reformatio ad exemplum Ecclesiarum Saxonicarum: accitusque *Joh. Bugenhagius*, qui brevem ordinationem conscripsit, cujus compendium refert *Cramerus cap. 33.* Anno sequenti 1535. instituta est visitatio generalis, administro *Bugenhagio*: reformata sunt monasteria, & inspectio Ecclesiarum Pomeraniæ in duas partes divisæ (quia *Episcopus Caminensis* delatum in totam Pomeraniam Episcopi munus, veteri superstitione impeditus, recusaverat) distributa est hoc modo; ut *Johanni Knipstroh* Sundensi VVolgastensis portio, quæ *Philippi* Ducis erat; *Paulo a Rhoda* Stetinensis, quæ ad *Barnimum* pertinebat, subesset. Huic tamen ordinationi & visitationi civitas *Sundensis* submittere se noluit, suumque Pastorem *Joh. Knipstroh* Gryphiswalda revocatum ad conventum Hamburgi hoc anno 1535. habitum misit, in quo aderant *Hermannus Bonnus* Lubeccensium, *Joh. Amsterdamus* Bremensium, *Joh. Æpinus* Humburgensium, *Henricus Techenius* Rostochiensium & *Henricus Radebrochius*, Luneburgensium Pastores & Superintendentes, cum quibus *Johannes Sundensis* consilia junxit, & conventio in capita quædam de doctrina & ritibus facta est, cujus summam *Cramerus* exhibuit. Hæc fere sunt memoratu digniora, quæ ex traditis a *Cramero* excerpenda esse duximus.

(o) *Melior religionis status, post mortem Georgii Ducis, sub Philippo ejus filio.*

(p) *Decernitur publica reformatio in Comitiis provincialibus, & sequitur visitatio.*

(q) *Sex civitatum Hanseaticarum de religione consensio.*

Duo adhuc addere lubet, omissis cæteris. De nuptiis *Philippi* Ducis d. 6. April. 1537. cum *Maria Johannis Friderici Saxoniæ Electoris* sorore Torgaviæ celebratis singulare aliquid annotavit *cap. 35.* Scribit enim, Luthero, cum ceremoniam copulationis perageret, unum ex annulis sponsalibus ex manu cecidisse, tunc vero commotum dixisse: *Heus Satanas! nihil efficies:* ad sponsos vero conversum: *Crescite, & semen vestrum non deficiat!* *Cramerus* ista referens, optat, ut votum illud impleretur; sed aliter visum est Deo. Nam progenies virilis *Philippi*, in nepotibus ex filio, quorum tamen sex erant, extincta est, nec *Barnimus* filium superstitem habuit. Verum hæc diu postea acciderunt. Alterum, quod notari meretur, est epistola Lutheri manu ad *Barnimum* Pomeraniæ Ducem anno 1537. d. 6. Aprilis scripta, & a *Bugenhagio* subscripta, quam integram *Cramerus cap. 36.* exhibet, in qua apud Ducem excusant, quod *Paulo Rhodio*, ut Dux desiderabat, dissuadere non possent, ne oblatum sibi a *Luneburgensi* civitate *Superintendentis* munus acciperet, tum quod *Stetini* in egestate vixisset, tum quod desideriis ejus legitimis, in constituendo bono Ecclesiæ illius ordine non satisfieret. Has causas sufficere existimant, ut conditionem suam mutaret, negantque convenire Principi, ut eum impediret. Observat *Cramerus*, epistolam hanc in casibus similibus utilitatem aliquam habere. Refert tamen, actum esse cum *Rhodio*, ut *Stetini* manserit, exiguo licet cum emolumento suo.

(r) *Narratio de nuptiis Philippi.*

(s) *De literis Lutheri & Bugenhagii, in causa Pauli Rhodii.*

An. 1536.

Ex historia anni 1536. quam tractamus, pauca addenda supersunt, quæ nobis acta *Archivi Vinariensis* suppeditant. Postquam provinciali decreto & visitatione secuta reformationem stabilivissent *Barnimus* & *Philippus* Duces, *Justum Debitium*, de quo dictum est, Præfectum VVolgasten'em, & *Bartholomæum Suavenium*, Cancellarium, cum mandatis d. 10. Aug. datis ad Electorem miserunt, significantes, *se, vocante Deo omnipotenti, ad unionem fidei Christianæ verumque agnitionem verbi divini pervenisse, & , ut hoc in provinciis suis prædicaretur, nec alii ritus, quam qui cum verbo Dei convenirent, observarentur, edixisse:* Petierunt inde, *ut in fœdus Smalcaldicum reciperentur*, multa questi de mandatis Cameræ Spirensis, per quæ d. 8. Maj. 1535. dictata 50. marcarum auri mulcta, jubebantur, decreta illa Comitiorum provincialium d. 11. Decemb. 1534. facta, abolere, & religionem atque ceremonias, bonorumque Ecclesiasticorum administrationem in antiquum statum restituere. Notabile est, quod ratio decidendi in mandato Camerali neque ex edicto VVormatiensi neque Augustano, sed ex pacto Norimbergensi & decreto Comitiorum Ratisbonensium anno 1532. allegatur; his enim obicem positum esse, dictitabant Pontificii, omnibus, qui post id tempus reformationem moliri vellent. Respondit Elector d. 24. Aug. Legatis Pomeranis, &, magna cum lætitiæ significatione & gratulatione, optime sperare Principes jubebat de divino in agnoscenda veritate auxilio, monebatque, ne animum propter afflictiones dejicerent, illas enim veritatem profitentibus expectandas & tolerandas esse. De societate, quam appetebant, licet dudum a se & Parente suo desideratam fuisse sciret, nihil tamen promittere volebat absque sociorum consensu; suadet interim, ut appellationi suæ cæterorumque ex Protestantibus ad Concilium interpositæ adhærerent. Hæc anno 1535. gesta sunt. Cum vero sub finem anni Smalcaldiæ decrevissent fœderati, ut novi socii admitterentur, Elector d. 5. Jan. 1536. Legatos in Pomeraniam misit *VVolfgangum, Principem Anhaltinum*, & *Johannem a Pack*, Præfectum Grimmensem. Hi Duces Pomeranos in fœdus receperunt iisdem, quibus alii sese obligaverant, conditionibus; de numero tamen suffragiorum & de summa contributionis menstruæ dilata fuit determinatio ad instantem tunc temporis conventum Francofurtensem.

(t) *Legatio Pomer. Ducum ad Electorem.*

(u) *Responsum Electoris, & legatio ad Duces, eorumque in fœdus receptio.*

ADDITIO III.

Ad conventum, de quo dixi, Francofurtensem legati fuerunt ab Electore Saxoniæ (*Reg. H. fol. 106. n. 47.*) *Conradus Gozmann*, Eques, *Johannes a Dolzig*, & *Justus ab Hayn*. Conventum hic est de modo tributorum, dilata tamen suffragiorum determinatio, donec ad relationes Legatorum a Principibus & Civitatibus responderetur, quod postea factum, & in tabulas fœderis relatum est. Acriter in hoc conventu *Georgium* agnatum accusavit Elector, duritiem ejus innatam & senectæ amaritudine auctam, & quicquid ille adversus vasallos communes, & in retinendis reditibus ad monasteria in Electoris ditione sita, egisset, quasque contumelias per Cochlæum sparsisset, deducens. Ex his illas potissimum ad animum revocabat, quibus sibi defectio a Cæsare objiciebatur, quod nempe edicta ejus sprevisset, iisque conscientiæ suæ dictamina opponebat.

(a) *Acta quædam conventus Francofurtensis.*

An. 1536.

bat. Quod vero Pontifici non obtemperaret, id ultro agnoſcebat, & recte factum eſſe exiſtimabat. Quæ Georgius Luthero imputabat, aut probari poſſe negabat, aut acerbiora ab adverſariis Lutheri quotidie protrudi ajebat. Fœderati cauſam Electoris in genere probabant, & de auxiliis adverſus agnatum, ſi opus eſſet, ſpem faciebant, nihil tamen certi conſtituentes, cunctante Landgravio, qui compoſitionem inter ſocerum Georgium & Electorem meditabatur, quæ etiam ſecuta paulo poſt eſt. Excuſavit ſe in conventu hoc *Rupertus Palatinus*, tutor Bipontinus, quod fœderi, licet id anno ſuperiori deſideraviſſet, accedere non poſſet. *Ulricus VVürtenbergicus* de *Ulmenſibus*, ob controverſias de finibus aliiſque de cauſis, querebatur, ut & de *Mansfeldenſibus*, quod *Johannem Agricolam* foverent, a quo in libello quodam *de proverbiis* publice laceſſitus erat, ideoque ad conventum non acceſſit. At contra eum querelas ad Electorem Saxoniæ d. 1. Februarii detulerant *Bavari*, quod milites conſcriberet, & bellum contra illos pararet. Verum *Ulricus* reſpondit: *falſiſſima & maligne conficta eſſe omnia.* (es ſey / mit züchten / alles erdichtet / erſtuncken und erlogen) Hic ſtylus ei, ut Landgravius ipſe teſtabatur, familiaris erat, ut diceret ſcriberetque, quæ cogitabat. *Lubecenſis* civitas, quæ multum opibus, quas tunc habebat, ad rem Evangelicam conferre poterat, factionibus diſtracta erat. Plebs maxima ex parte Evangelicæ doctrinæ addicta erat, ſed regebatur a viris turbulentis, ut *Pomeranus* hoc ipſo tempore Lubecæ verſatus ſcriberet, *Chriſtum ibi per invidiam prædicari.* Primores Senatus, nec contemnenda pars civium, veteribus inhærebant ſacris: hos fovebat Camera Spirenſis, nec Legati Saxonici, *Bernhardus a Mila*, ſtrenuus militiæ Dux, Conſiliarius & Præfectus Saxoniæ Electoralis (Landvoigt in Sachſen) & *Juſtus ab Hayn*, cum Deputatis a Senatu *Hamburgenſi* & *Bremenſi*, impetrare potuerunt, ut legibus fœderis urbs pareret, & ſubſidia menſtrua præberet. Camera Imperialis, cui tunc *Johannes* Comes Palatinus præſidebat, rigorem ſuum adverſus Evangelicos continuabat, Electori & Landgravio d. 17. Februarii ſignificans, ſe facere velle, quæ officium requireret, poſtea etiam menſe Majo literas eorum non reſeratas remiſit, & menſe Novembri *Georgium Pomerum*, Quæſtorem ſuum (den Pfennigmeiſter) religionis cauſa exauctoravit. *Francofurtenſibus* hoc anno *Valentinus a Teutleben* (de quo *Lib. I.* §. *LXIX.* & in *Addit.* dictum eſt, qui etiam paulo poſt ad Hildeſienſem Epiſcopatum evectus fuit) moleſtias creavit, erat enim Vicarius Archiepiſcopi Moguntini, & diplomate d. 2. Junii publicato *Petrum Latomum* (Steinmetzen) Decanum ad D. Bartholomæi, qui uxorem duxerat, cenſuris perſequebatur, urgebatque Senatum, ut illum ſibi ſiſteret, aut urbe ejiceret. (*Reg. H. fol. 110. n. 49.*) Landgravius, a Senatu requiſitus, cauſam Electori Saxoniæ commendavit, d. 19. Julii, miratus, ut ſcribit, inſolentiam hominis, in cauſa ex verbo Dei clariſſima, indeque ſuſpicans, majora moliri Clerum. Elector d. 19. Auguſti reſpondit, Senatum appellatione ad concilium uti debere: de *Teutlebio* judicat, quod inflatus ſit opinione ſcientiæ & experientiæ in rebus forenſibus, acerrimus etiam religionis Evangelicæ hoſtis, quo tamen multos ex nobilitate ita offenderit, ut mortem ei ſint minati. Ex eodem *Archivi* loco percipitur, Electori etiam a Monachis ſuæ ditionis *Grünhainenſibus* inſultatum eſſe, qui ex monaſterio, quod Abbatis, Evangelicam doctrinam amplexi gratia, in ſtatu ſuo reliquerat Elector, elapſi in Bohemiam confugerant, ibique reditus monaſterii intercipiebant. Novæ diſcordiæ occaſionem inter Electorem & Landgravium hoc anno præbuit, quod ille *Guilielmum Naſſovium* ſtipendio militari conduxiſſet, Landgravius vero contra pacta fraternitatis factum id eſſe interpretaretur, ob litem, quam cum Naſſoviis habebat. Cum vero hæc diſſidia communi cauſæ nocitura eſſe apparerent, laboratum eſt a fœderatis in conventu Francofurtenſi, & ab *Erneſto Lüneburgico*, ut componerentur, licet jam ab utroque Principe ad arbitros, ex conventione Anno 1532. inita, provocatum eſſet: finita lis eſt, cum *Guilielmus* ipſe oblatam ab Electore conditionem, declinandæ invidiæ cauſa, recuſavit. (*Reg. H. fol. 124. n. 53.*) Vertit hoc anno *D. Juſtus Jonas* Germanice *locos Melanchthonis Theologicos* (*Reg. N. fol. 104. LL. n. 199.*) Hanc verſionem Elector per *Pontanum* d. 9. Octobris Luthero revidendam tranſmiſit, obſervaſſe tamen ſe dicens, *articulos de juſtificatione & de Sacramento ſatis quidem bene tractatos eſſe, ſed nimis breviter.*

(b) Ducis VVürtenbergenſis querelæ. *(c) Acta cum Lubecenſibus.* *(d) Rigor judicii Cameralis.* *(e) Lis Vicarii Moguntini cum Francofurtenſibus.* *(f) De monachis in Grünhayn.* *(g) De lite Landgravii cum Naſſoviis.* *(h) Verſio loc. comm. Melanchthonis.*

Memorari etiam debet dotatio Academiæ VVittenbergenſis hoc anno a *Joh. Friderico* Electore d. 5. Maj. ordinata, quamvis ſequentibus annis largior ſecuta ſit. Allegatur in præfatione diplomatis *Reg. O. fol. 115. RR.* *Friderici* Elect. prima fundatio, & *Maximiliani I.* Cæſaris confirmatio; de Pontificia tacetur. Celebrat inde Elector ſucceſſum huc usque a Deo datum, nominatim per doctrinam Lutheri & Melanchthonis. De his ita loquitur: Der barmhertzige GOtt hat unter andern löblichen gedeyen und wohlfahrten / ſein Göttliches / heiliges / heilwerthes wort durch die lahr des Ehrwürdigen und hochgelahrten / unſers lieben andächtigen Ern Martin Luthers / der heil. Geſchrifft Doctorn / in dieſen letzten zeiten der welt / mit rechtem warhafftigen Chriſtlichen verſtand / allen menſchen zu troſt und heil (dafür wir ihm in ewigkeit lob und danck ſagen) reichlich und gnädiglich erſcheinen laſſen / und nebenſt andern künſten / inſonderheit auch die ſprachen / Lateiniſch / Griechiſch und Hebräiſch / durch ſonderliche fürtreffliche geſchicklichkeit und fleiß des hochgelahrten Ern Philippi Melanchthons zu förderung des rechten und Chriſtlichen verſtands der heiligen Geſchrifft. Id eſt, *Deus, inter alia eximia beneficia, verbum ſuum divinum, ſanctum & ſalutare, per doctrinam reverendi & doctiſſimi viri D. Martini Lutheri, in his ultimis temporibus, verum & chriſtianum intellectum ejus, ad omnium hominum ſolatium & ſalutem, dando, manifeſtavit, pro quo beneficio æternas Deo gratias & laudes debemus; tum, præter alias artes, ſpeciatim linguas, Latinam, Græcam & Hebraicam, ſingulari & excellenti induſtria doctiſſimi viri Philippi Melanchthonis ad verum & Chriſtianum intellectum ſacrarum literarum promovit.* Poſt hæc mentionem facit teſtamenti paterni, quo ſibi & fratri injuncta ſit Academiæ cura, & jus nominandi Profeſſores Academiæ concedit, ita tamen, ut ſibi poteſtatem reſervet, peregrinos viros, qui excellerent, abſque nominatione collegii Academici, vocandi, eorumque ſalaria, vel ex fiſco Academico, vel ex ſuo ærario conſtituendi. Omnes reditus Eccleſiæ collegiatæ omnium Sanctorum Academiæ tradit, exceptis tantum veteribus erogationibus in pauperes, & centum florenis annuis ad augmentum Bibliothecæ. Inventus tunc eſt, ex inſpectione rationum, annuus Academiæ reditus *flor. 2861. gr. 11.* in hac ſumma computatis 450. modiis frumenti pretio ſingulis trium groſſorum conſtituto, quod nunc, cum viliſſima eſt annona, ad triplum auctum eſt. Additamenta *1900. flor.* hac dotatione acceſſerunt. In diplomate illo *Lutherus* ab omni lectionum aliarumque functionum Academicarum onere eximitur, & ad *200. fl.* annuum ſalarium, quo eo usque fruebatur, *centeni* ad vitam ejus additi ſunt; eodem beneficio *Melanchthon* affectus eſt: quod hodie modicum haberetur.

(i) Dotatio Academiæ VVittenbergenſis & elogia atque beneficia Lutero & Melanchthoni collata.

Hoc eodem anno Elector reſcripto d. 24. Mart. dato (*Reg. N. Lit. H. n. 41. fol. 109.*) *Guilielmi Nuenarii* Comitis, quem *Conſiliarium ſuum* vocat, & ab amore verbi divini ſingulariter laudat, concionatorem Luthero commendavit, qui ideo venerit, ut in familiaritatem Lutheri admitteretur: vult igitur, ut illum benevole excipiat, & compenſationem impenſæ promittit, quam in eum facturus eſſet. (wolle vergleichung davor thun) Eodem tempore alium ex Ducatu Juliacenſi, inter cujus proceres Nuenarius erat, ad Lutherum miſit, *Tilemannum Heusdanum*, jubens, ut eum ad exercitium concionandi, & ad dialectum provincialem (die Landſprache) addiſcendam, conſilio & ope promoveat.

(k) Elector duos Juliacenſes commendat Luthero.

SECT.

SECT. 16.

Seid. l. 11. Cochlæus.

(1) Narratio de actis fœderatorum cum Nuncio Pontificis & recusatione Concilii.

Posthæc Principes Protestantes, & civitatum Lutheranarum deputati, more suo Smalcaldiæ convenerunt, & Lutherum Wittenberga evocarunt. Venit is, comitante Melanchthone, Pomerano, Bucero, Osiandro aliisque plurimis discipulis suis insignioribus, ut Bullam convocationis concilii, a nuncio Vorsio Principibus illis, nomine Pontificis, exhibitam, examinarent. Sed quoniam eorum factio, adjunctis Regibus Sueciæ & Daniæ, Duce Wurtenbergico, aliisque multis Imperii Principibus, potentissima facta erat, superbiores & contumaciores magis quam unquam visi sunt. Quicquid igitur Nuncius Papæ & Vice-Cancellarius Imperii Herorum suorum nomine, illis dicerent, ut scilicet, quemadmodum alii Principes cum applausu fecerant, ipsi quoque, eorum exemplo, Bullam Pontificiam reciperent, ferociter tamen semper responderunt, autore Luthero, se nunquam consensuros, ut concilium hoc extra Germaniam haberetur, neque ut Pontifex judicis loco compareret, aut illud convocaret, id enim ad Imperatorem & Reges pertinere, quod in concilio libero & legitimo, quale cupiebant, ostensuros se esse prætendebant. Nuncius ipse, qui Bullam hanc ad conventum potius mittere, quam ipse comparens majestatem Pontificiam, a se repræsentatam, prostituere debuisset, tanto cum contemtu tractatus fuit, ut, cum quodam die a Philippo Hassiæ Landgravio audiri cuperet, responsum ab hoc Principe tulerit, sibi non vacare, ut cum eo colloqueretur; Hic tamen eodem die Lutherum invisit, ob levem corporis intemperiem decumbentem. Tandem per universam Europam apologiam vulgarunt, rationes complectentem, quare in concilio Mantuæ a Papa indicto comparere nollent, præcipue vero Franciscum Regem adierunt, de quo, bellum tunc cum Imperatore habente, non dubitabant, quin in patrocinium suum ipsos esset recepturus. Certe promissum id ab eo illis fuit, ut hoc fœdere vires adversus hostem augeret; quod vero ad concilium spectat, semper se intra terminos, Regem Christianissimum decentes, continuit. Scripsit enim iis, se una cum illis existimare, concilium liberum & legitimum esse debere; sed addidit, (ut eos quasi commonefaceret, quid esset legitimum concilium) requiri, ut in eo de negotiis religionis tractaretur more antiquo; quo ipso omnes falsæ istæ rationes destructæ fuerunt, propter quas Protestantes concilium recusabant. Cæterum Matthias Heldus Vice-Cancellarius, cum cerneret, parum respici ad ea, quæ Imperatoris nomine iis repræsentabat, utili opera effecit, ut Principes Catholici Norimbergæ congregati, Protestantibus, qui religionem Catholicam in ditionibus suis abolere, & subditos ad Lutheranismum adigere volebant, sese opponerent, & paciscerentur, vires se conjuncturos esse adversus omnes, qui Catholicos & exercitium veræ Religionis turbare vellent: Hujus fœderis capita renunciabantur Imperator & Rex Ferdinandus. Pontifex, relatione de exiguo rerum successu a Nuncio gestorum accepta, præter difficultatem a Protestantibus circa locum concilii motam, comperit, Fridericum etiam Mantuæ Ducem non alia conditione urbem suam concessuram esse, quam si validum præsidium sumtibus sacræ Sedis ibi haberetur, quod tamen libertati concilii prorsus contrarium erat. Præterea vix fieri posse perspiciebat, ut, durante inter Imperatorem & Regem bello, concilium coiret. Mutato itaque consilio duo sibi facienda putavit, ut malis his remedium afferret. Primo concilium Vicentiæ indixit, quam urbem Germanis gratam fore credebat, quod Venetis utique non diffiderent, qui magnum libertatis publicæ zelum ostendebant.

(2) Acta eorundem cum Rege Galliæ.

Epist. Francisci Gall. Reg. apud Freh. l. 3. Rer. Germ. Seid. l. 12. Chytr. l. 14.

(3) Fœdus Rom. Catholicorum contra Protestantes.

§. LI.

(1) Negligentia aut mala fides Maimburgii.

Paucis istis absolvere totam anni 1537. historiam voluit noster; non tam, credo, brevitatis causa, quam, ne de dictis factisque Protestantium valde memorabilibus afferret, quæ ex re sua non essent; sufficere ratus, si generali convitio superbiæ & contumaciæ illos denigraret. Verum, ut eum forte turbavit conscientia, si *Sleidanum*, quem allegat, legit, acta conventus Smalcaldici summa cum fide & industria enarrantem, neque invenit, quomodo, quæ Evangelici Pontificis & Cæsaris Legato responderunt, improbaret aut refelleret; ita rogandi sunt lectores, qui veritati historicæ student, ut *Sleidanum* evolvant, & narrata ejus diligenter considerent. Spero sane, deprehensuros esse, quotquot æquo sunt animo, nihil insolenter & per contumaciam, sed optima conscientia, constanter quidem, sed prudenter & magnis ex rationibus acta esse. *Sleidanum* non exscribam: cum tamen ille eandem, quam ego, notitiam *Archivi* Saxonici non habuerit, quædam etiam pro suo instituto brevius tractaverit, non male fortassis de publico merebor, si in lucem protraham quæ ex scriniis Principum didici. In Additione *ad §. XLIV.* innui, & nunc exponendum est paulo prolixius, ut, vulgata fama de indictione concilii, & adventu Legati Pontificii, de primariis causæ capitibus consulti fuerint a Principibus & Ordinibus Evangelicis Theologi & Jureconsulti. Deliberabatur ante omnia, admittendusne & audiendus esset Nuncius Pontificis, & quomodo tractandus. Ad hoc quæsitum mense Julio 1536. propositum, responsum extat *(Reg. H. fol. 124. n. 56.) Lutheri, Pomerani, Crucigeri* & *Melanchthonis*, a Jureconsultis quoque *Hieronymo Schurfio* & *Melchiore Klingio* subscriptum. In hoc statuunt, admitti Nuncium Pontificis, literasque

(2) Consultatio cum Theologis de admittendo Legato Pontificis.

An. 1537. quæ accipi debere, quia Pontifex, illas expediendo, pro hæreticis non habeat Principes: etsi etiam videri possit, Principes, ut partes, citari, nihilominus comparendum esse, cum protestatione & salva exceptione. Allegant *cap. Ad Apostolicæ de sent. & re jud. in 6to.* ubi Pontifex *Fridericum II.* Imperatorem in judicium vocans, factum defendit, licet ipse pars esse videatur. Addunt *L. si quis ex aliena ff. de Jud.* Deo loco, processu & potestate Concilii non pauca adducunt, sed de iis postea agemus. Elector, visis istis, sua manu *(Reg. H. fol. 123. n. 52.)* contrariam exposuit sententiam, & adventanti Nuncio obviam mittendos esse statuit, qui illum recedere jubeant. Objicit Pontifici, quod non sit caput Ecclesiæ, sed acerrimus Evangelicorum hostis, neque aliud agat Concilii indictione, quam ut dominatum suum Antichristianum statuminet, & Evangelicos in exitium præcipitet. Exceptiones illas publico scripto exponendas esse judicabat. Cum vero Cæsaris offensam adversus se prævideret, tanto quidem vehementiorem, quia Ferdinando Regi Viennæ spem fecerat, de comparendo in Concilio, & approbando etiam loco, qui jam tum Mantuæ designabatur, varia adduxit, quibus placari Cæsar posset; denique ingenue & pie professus est, se periculum subire, immo etiam quæ promissa morem gerenti fuerat, pacti dotalis cum socero Clivensi confirmatione carere malle, quam conscientiæ non satisfacere. Quid ad hæc regesserint *Wittenbergenses*, deprehendere nondum potui, quanquam plurima illorum responsa extent, sed pleraque absque die & anno, neque huc quadrent. Ex *Pontani* tamen literis d. 3. Septembris intelligo, illum ab opinione Electoris non multum discrepasse. Suspectum ei erat, quod Pontifex literas ad Principes scripsisset, neque id, ut Wittenbergenses conjiciebant, bona mente, quasi ab hæresi excusatos haberet, sed subdole factum esse arbitrabatur, ut illos a Theologis separaret, quod & Augustæ in Comitiis tentatum esse notarat. (Aliam rationem & cautelam ex *Pallavic. Lib. IV. c. I. §. 4. d. l. Addit. ad §. XLIV.* notavi) Vereri etiam se scribit, si Principes comparerent & inter suffragatores reciperentur, nihil certius futurum esse, quam ut illico majori suffragiorum numero superati condemnarentur; alium itaque modum ineundum esse, qui conscientiæ satisfaceret, & causæ utilis esset, de quo multa prudenter monuit, quæ suo loco & tempore observata sunt. Sic elapso anno 1536. & mitigata quacunque ratione Electoris renitentia, adventavit Pontificis nuncius *Vorstius*, supra *§. L. n. 4.* memoratus. (qui perperam a Maimburgio *Vorsius* dicitur) Is cum *Vinariam* d. 30. Januarii intrasset, literas Electori, qui in Misnia erat, scripsit, *(Reg. H. fol. 122. & sqq. n. 55.)* in quibus illum vocat *Illustrissimum & Excellentissimum Principem, Dominum gratiosum, & servitoris* vocabulum subscribit. Significat, se *Vienna* venire, ubi Concilium intimaverit, idemque apud Electorem facturum esse. Respondit hic ex *Eisenberga* (quæ non nisi quatuor milliaribus Vinaria distat) d. 3. Febr. & rogat Nuncium, quem *Reverendi sibique dilecti & amici* titulo compellat, ut Smalcaldiam proficisceretur, se enim occupatum nunc esse, & iter instare, ita ut vix unum diem Vinariæ subsistere possit; causam etiam ad fœderatos & socios pertinere, neque a se solo tractari posse, facturum se in conventu, quæ salva fide & gloria Dei, præstare liceat. Ita *Vorstius* Halas ad Card. Moguntinum, ut ex Lutheri epistola quadam MS. ad *Jonam* d. 9. Febr. data percipitur, & inde *Erfurtum* profectus d. 21. Febr. ad Electorem, qui jam Smalcaldiæ erat, scripsit: se ob valetudinem huc usque impeditum esse; nunc vero ad iter paratum; petere igitur, ut sibi cum comitatu sedecim equorum adventanti salvus conductus mittatur, & hospitium præbeatur. Utrumque facile, & benigno cum responso d. 22. Februarii dato, impetravit. Admissus auditusque fuit d. 25. Februarii, *(Domin. Reminisc.)* & quædam de fiducia Pontificis erga Electorem, & de utilitate ex conciliatione schismatis speranda, præfatus, literas Pontificis binas, alteras nempe, ut Electori, alteras, ut Circuli Saxonici primario Principi (ut *Pallavicinus* refert) obtulit, quas acceptas Elector in mensa deposuit, & petito ad responsum spatio ad Consiliarios digressus, renunciari per hos illi fecit, in curiam ad socios eundum sibi esse, deliberaturo an acceptanda essent, quæ obtulisset, diplomata: petiit etiam, ut illa reciperet, præsertim, quia ad socios pertinerent. Offensus his *Vorstius*, literas se ejusdem tenoris ad reliquos Principes habere, dixit, quæ scriptæ sint, non ab homine vili, sed a Pontifice, qui absque controversia secundum jura scripta sacrasque literas & Evangelium totius mundi caput esset, & majus ex duobus luminaribus. Recipere ergo noluit literas, & obligatum se esse ajebat, ut mandata perficeret. Cum instarent Consiliarii, ut literas tamdiu retineret, donec Elector cum sociis deliberasset, negavit, id se facturum esse; accepisse enim illas Electorem, & locum esse regulæ: *qui tacet, consentire videtur.* Exploserunt hoc Consiliarii, ut sophisma & insidiosum inventum, Germanis incognitum; Ita ille ab iis indignabundus, & literas in mensa relinquens, discessit. Post dies quinque, habita interea deliberatione *d. 2. Martii*, deputati ad eum sunt ex consessu, qui eadem illi significarent, quæ Oratori Cæsareo, comparitionem ad concilium Cæsaris nomine postulanti dixerant, literasque Pontificias illi restituerunt: verba fecit *Franciscus Burcardus*, Vicecancellarius Electoris. Eadem fere ex *Vorstii* relationibus narrat *Pallavicinus Lib. IV. c. I. & II.* ex quo etiam percipimus, *Vorstium* suasu Moguntini Smalcaldiam profectum esse, licet eventum facile posset prospicere. Magna viri sapientia ex dictis actisque ejus vix deprehenditur. Allegavit in alloquio Electoris dictum Pauli *I. Cor. I. 12.* de schismate Corinthiorum, cum alius diceret, *se esse Pauli*, alius *Apollo*, alius *Cephæ*, cum cogitare debuisset, parum id facere ad scopum ejus, cujus nomine loquebatur, qui Cephæ sive Petri successorem se ferre solet. Sed magis causæ suæ nocuit, cum alienissimo loco & tempore Pontificium imperium & lumen extolleret: Scholasticam denique aut rabulariam disciplinam redolebat Brocardicum illud de tacito consensu. Incidit in viros, qui ex magna Germaniæ parte aderant, eruditionis, ut illa erant tempora, singularis & generosæ liberæque mentis, ne quid dicam de ipsis Principibus, qui & generis nobilitate, & judi-

(3) *Electoris sententia.*

(4) *Item Pontani.*

(5) *Vorstii, Nuncii Pontificii ad Electorem litera, iter, adventus.*

(6) *Expeditio ejus in conventu Smalcaldico.*

A. 1537. dicii acumine, & animi magnitudine eminebant, ut mirari liceat *Pallavicini* os impudens & maledicum, qui *d. cap. I. in fin.* Smalcaldiam, ob conventum illum, *sedem belluarum* vocavit. Meruissent hoc nomen qui aderant, si vulpeculæ illi aut simiæ Roma missæ fidem habuissent.

§. LII.

(1) *Deliberatio de comparitione in Concilio.*

Alterum deliberationis caput ante conventum Smalcaldicum erat: an Evangelici comparere in Concilio, aut illud recusare possent & deberent? Cœpta erat consultatio, ut alibi notavi, anno superiori, & ex literis Electoris d. 16. Novembris ad Landgravium datis intelligitur, nondum expedivisse se tunc Wittenbergenses (*Reg. H. fol. 112. n. 54.*) Invenio etiam, bis illo anno collocutos esse de concilio Electores, Saxonem & Brandenburgicum, mense nempe Septembri & Octobri: nihil tamen consignatum reperitur; qui Actorum defectus frequens est, quotiescunque ipsi Principes inter se agunt, ita ut longe major rerum notitia ex Consiliariorum & Legatorum scriptis & relationibus haberi posset. Cæterum ex iis, quæ de Concilio multarum Provinciarum & Civitatum Theologi responderunt, & *d. Reg. H. fol. 124. n. 56.* extant, apparet, sententiis non parum esse variatum. Machinas Pontificias in Concilio indicendo omnes facile penetrarunt; restabat tamen difficillima quæstio, an prorsus recusanda esset comparitio, aut eo saltem fine offerenda, ut protestatio interponeretur, & defectus Concilii indicarentur.

(2) *Lutheri & Wittenbergensium tum Hassiacorum,*

Huc inclinabant Wittenbergenses, *Lutherus* nempe, *Jonas*, *Pomeranus*, *Amsdorfius*, *Cruciger*, *Melanchthon*. Illud consilium his verbis subscripsit *Lutherus*: se adfuturum esse precibus & manu, id est, calamo. Hassiaci, *Johannes Fontius*, *Dionysius Melander*, *Johannes Eisermannus*, *D. Johannes Draconites*, *D. Adamus Fulda*, *Gerhardus Noviomagus*, *Johannes Rosenleber*, Pastor Marpurgensis, *Johannes Lonicerus*, *Tilemannus Schnabel*, *D. Antonius Corvinus*, *Johannes Kymæus*, *Daniel Græserus*, indictionem Concilii a Cæsare fieri debuisse contendebant, & jus indicendi Pontifici plane abjudicabant. Adscripsit margini Melanchthon: *quid si nolint comparere, qui non sunt sub Cæsaris jurisdictione?* Tetigit acu, ut dici solet, veram causam; qua factum est, ut indictionem Conciliorum Pontifices sibi arrogaverint, postquam tot regna & provinciæ Cæsarum jurisdictioni sese subtraxerunt, Episcopis tamen Pontifici Romano adhærentibus, dum plerique regnorum invasores pagani essent.

(3) *Item Luneburgensium & aliorum responsum de comparitione in Concilio.*

Reliqua, quæ extant consilia, sunt Ecclesiastarum Ducatus *Luneburgici* & *Pomerani*, itemque *Anhaltinæ & Mansfeldensis* ditionis, & civitatum *Brunsuicensis*, *Northusanæ*, *Mindensis*, denique etiam, quanquam in fœdus non consensisset, *Norimbergensis*. Luculentum est, quod Latine & erudite elaborarunt *Hamburgenses*, subscriptum a *Johanne Æpino* D. & Superint. *Stephano Kempe*, Baccal. Theol. pastore ad D. Cathar. *M. Joh. Frizen*, Past. ad D. Jacobi, *M. Joachimo Franco*, ad D. Nicolai, *M. Johanne Garze*, ad D. Petri. Statuunt: parendum esse Concilio in ceremoniis adiaphoris, & in restitutione bonorum Ecclesiæ, si prius de horum legitimo usu decisum fuerit; si vero falsa dogmata probaret, obediendum non esse. *Norimbergenses* aperte professi sunt, Papam esse Antichristum, & donec ab hac accusatione se purgaverit, vitandum esse.

(4) *Item de jure defensionis adversus Cæsarem.*

Plerique quæstionem connexam tractarunt: an fas esset, vim, ad obtrudenda concilii decreta, intentantibus resistere, speciatim, si Cæsar eam inferret? Affirmarunt fere omnes Wittenbergenses, qui in responso supra relato, quod Lutherus subscripsit, ita loquuntur: *Quia Evangelium est doctrina de spirituali & æterno regno Christi in cordibus hominum, idemque non tollit legitima regna politica, sed confirmat potius; ideo etiam admittit omnem defensionem, quæ jure naturali & humano nititur, & Principes obligati sunt, ut cultum Christianum publicum, contra vim injustam, non minus, atque alia quæ justa & utilia sunt, immo magis & fortius tueantur; unde in sacris literis Reges, qui id præstiterunt, laudantur. Defensio autem illa etiam adversus Cæsarem locum habet, si manifeste injuriam inferat, & judex esse velit in causa ad se non pertinenti, aut pendente appellatione, & in illis capitibus, in quibus appellatum est, quæ Principes examinabunt. Concilio, etsi legitima forma procedat, obtemperandum tamen non est, si impia v. g. idololatriam approbet, aut conjugia sacerdotum dirimat.*

(5) *Lutheri consilium.*

Aliud Lutheri responsum *Tom. VI. Alt. fol. 1074. & sqq.* insertum est, masculum sane & acre, sed rationibus solidis fundatum datumque, prius quam *Vorstius* advenisset, Smalcaldiæ tamen, ut rubrica *d. l.* indicat. Exorditur ab imminenti extremo periculo; (Ich sehe wohl/ und besorge/ es werde zum garaus kommen) suadet tamen, ut metus minuatur; neque dubitat, quin Papa cum suis a Concilio abhorreat, licet indictionis diplomata expedita sint, & missi Legati, ut culpam nempe in Lutheranos transferat; malle enim, ut his imputetur, quam Gallis aut Turcis, cum quibus tamen hoc tempore bellum sit, adeoque summe intempestiva haberi debeat Concilii indictio. Ut vero Lutheranos deterreat, larvam diabolicam (einen scheußlichen Teuffelskopff) ostendisse & indictionis diploma tale efformasse, in quo nihil de rebus Ecclesiæ aut cognitione causæ, aliisque negotiis, sed tantum exstirpatio hæreseos proponatur. Quod autem Lutheranam intelligat, percipi ex Bulla de reformatione ad Cardinales edita. *Igitur*, ait, *condemnati jam sumus; rejecta est appellatio, cognitio, responsio, exceptio, tractatio; nec damnarunt nos solum præjudicio pessimi mortalium, sed & decretum exequi volunt, in non auditos, immo ne libris quidem nostris inspectis aut lectis, vetiti enim sunt. Judicant itaque de nobis ex meris calumniis & mendaciis, & Vergerius fassus apud me est Wittenbergæ, se longe alia de nobis audivisse, quam deprehenderit: Et D. Gervasius, ex Gallia missus, itidem confessus nobis est, Regi suo persuasum fuisse, apud Lutheranos non esse matrimonia, Magistratus, Ecclesiam, & nihil. Unde vero ista ad Papam, Cæsarem & Reges perveniant & nuncientur, facile patet.* Speciatim in *Moguntinum* invehitur, a quo libellos famosos adversus Lutherum editos in exteras provincias disseminari tradit, cum Evangelicorum scripta aditum non inveniant. Necesse itaque esse dicit, ut Evangelici ipsi in Concilio audiantur, simul & de defectibus Romanæ Ecclesiæ cognoscatur, de spoliatione

A. 1537.

liatione nempe & distractione Ecclesiarum & monasteriorum, quam Pontifex cum Cardinalibus suis quotidie exerceat, & de pluralitate beneficiorum. Pungit iterum Moguntinum ejusque Canonicos. His abusibus corrigendis (etsi nihil cum Luthero agendum esset) Concilio opus esse contendit, de quibus tamen in Bulla indictionis altum sit silentium. Concludit inde, recusari non posse ab Evangelicis Concilium, nisi omnem illam invidiam impeditæ reformationis in se derivare velint, & tyrannidem Pontificiam confirmare, quæ huc usque vehementer exercita fuerit. Dissuadet ergo omnimodam recusationem, nec multum metuendum esse putat a concilio, quod infrequens & paupertinum (ein lausiches) futurum sit, ad quod pauci Reges Principesque venturi aut suos missuri sint. In contemtum etiam excommunicationem venisse dicit, postquam vibrata in se vana fuerit: vulgatum esse passim, quod errare possint concilia: se igitur judice, expavescendum non esse hoc terriculamentum, (dieser hanffputze) sinendum potius, ut omnes suas ineptias producant. (man solle sie ihre Narren und schellen folgends heraus schütten lassen) Legato itaque repulsam simpliciter dandam non esse, retinendam tamen excipiendi libertatem. Consultum etiam esse statuit, ut mora quædam interponatur, & ut expectentur, quæ porro effutire velint, utque nihil reticeant aut mussitent. (kein pflöcklein vor die zunge stecken) Hoc itaque & alia consilia secuti Proceres Evangelici, ita responderunt, ut non tantum exceptiones sat multas Concilii indictioni opponerent, verum etiam a Cæsare remedia petere & expectare viderentur. Typis vulgata extant *Tom. VI. Alt. fol. 1077. & seqq.* item apud *Hortleder. Tom. I. Lib. I. cap. XXV. & seqq.* quæ cum Oratore Cæsaris *Heldo* acta sunt, sed non integra, verum illa potissimum, quæ ad concilium pertinent, omnium tamen contenta fideliter & accurate *Sleidanus* exposuit *Lib. XI. p. m. 302. & seqq.* Opposuerunt Evangelici (ut summa tantum capita enumeremus) (1) quod de reformatione, cujus necessitatem in publicis Imperii Comitiis *Adrianus VI.* agnoverit, nulla fiat in diplomate Pontificio mentio. (2) Quod Pontifex Evangelicos jam præjudicio condemnaverit, hæresin illis tribuendo. (3) Quod idem cum suis ubique in Evangelicos suppliciis aut proscriptionibus sæviat. (4) Quod Cæsari fucum faciat, simulans, ac si omnes defectus correcturus esset; contrarium tamen in ipsa Bulla indicet. (5) Quod de tot criminibus a Protestantibus accusatus nihilominus judicis personam sumat; se vero paratos esse, dicunt, illum Clerumque ejus de iis convincere, ideoque eosdem judices & reos nequaquam ferre posse. (6) Locum incommodum & intutum esse, demonstrant. Regerebat ad hæc Legatus Imp. *Matthias Heldus*: Cæsarem & Pontificem optima esse intentione; Protestantes plus tot aliis Regibus, provinciis & civitatibus sapere non debere; locum esse commodissimum; omnem securitatem præstitum iri a Cæsare; de processu & modo agendi in ipso Concilio tractari posse. Verum illi, priora repetentes, liberum & Christianum Concilium flagitabant, non dubitantes, quin multi hinc inde in regnis & provinciis invenirentur pii & cordati viri, qui impetrata libertate & securitate ab immoderata Pontificis potentia, multa collaturi sint ad doctrinæ & disciplinæ emendationem: poscunt itaque locum in Germania, & rationibus & exemplis petita confirmant. De Cæsare æqua omnia præsumere se, dicunt, scire tamen, quomodo imminuta sit a longo tempore Cæsarum in Pontifices autoritas: adducunt Constantiensis Concilii exemplum. Plura postea d. 5. Martii, edita publica recusatione, deduxerunt, quorum compendium fidele & accuratum *Sleidanus p. m. 315. ad 320.* exhibuit.

(6) Exceptiones Protestantium apud Heldum Oratorem Cæsareum.

(7) Heldi replica.

A. 1537.

ADDITIO I.

Memorari meretur *Alberti* Borussiæ Ducis responsum, quod habito cum suis consilio Electori misit, & extat *Reg. H. fol. 143. n. 68.* cum inscriptione Latina: *Prælatorum & præcipuorum concionatorum Ducatus Prussiæ consilium de potestate Cæsaris in causa religionis. Anno MDXXXVII.* item: *De Potestate Cæsaris in causa pietatis, & an illi injustam vim inferenti, salva conscientia, resisti possit aut debeat, consilium.* Dicunt, se post diligentem deliberationem, unanimiter conclusisse, licitam esse defensionem adversus vim, instinctu Papæ, contra verbum divinum intentatam, etiam adversus Cæsarem. Licet enim scriptum sit: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris,* & quod Christiani pati potius, quam vindicare injurias debeant, & ex subditorum rebellione adversus Magistratum maxima sequantur mala; urgent tamen ex eodem loco *Matth. XXII.* ista verba: *date Deo, quæ sunt Dei,* & distinguunt officium Christianorum qua talium, & qua civium aut Principum, & inter mere subditos, & certis legibus & conditionibus parentes. Illos, ajunt, imperata quidem contra conscientiam facere non debere, resistendi tamen potestatem non habere, sed patiendum illis esse sævitiam magistratuum: Verum, cum Principes Imperii, id quod ex Jureconsultis & veteri, quem allegant, scriptore *Lupoldo de Babenberg* examinandum esse dicunt, non sint subditi, nisi suo modo salvaque, quam habent in suas provincias, potestate, Cæsar vero in illorum subditos jurisdictionem non habeat, nisi mediatam, & in casibus reservatis v. g. appellationis & denegatæ justitiæ, adeoque valde limitatam; consequens esse statuunt & prolixe deducunt, fas esse Principibus, immo officium eorum requirere, ut subditos suos tueantur contra vim injustam & imperium, extra casus solitos intentatum. Licet vero Cæsar cum consensu Principum & ex majoris partis suffragiis statuere & decernere possit & soleat, in causis tamen jura singulorum attinentibus facere id non posse, & cuique remedia provocandi, & quando, interposita provocatione, vi agatur, pro viribus resistendi, libertatem servari debere.

(a) Responsum Borussorum de jure defensionis, adversus vim in causa religionis.

ADDITIO II.

Pallavicinus Lib. IV. cap. II. §. 2. ex *Vorstii* arcanis literis refert, *fuisse nonnullos ex fœderatis, qui Pontificiis propositionibus flecterentur; sed partem cœtus potiorem seditiosis Saxonis & Hessi consiliis adhæsisse: hos etiam solos responsum subscripsisse plenos dominatus ambitione.* Sed injustum esse hoc judicium facile demonstrari posset, indicando ex tot Principum & civitatum, tum etiam Theologorum scriptis, in quantis angustiis omnes fuerint, qui Evangelium tunc profitebantur, ut de dominatu cogitare plane intempestivum fuisset. Quod vero subscriptionem *Saxo* & *Hessus* tantum fecerant, ex stylo fœderis fiebat. Interim quod *Reg. H. fol. 124. n. 56.* extat, *protocollum* deliberationis, partim ante adventum *Vorstii*, partim eo præsente habitæ, satis ostendit, neminem inter fœderatos fuisse, qui, ut *Pallavicinus* narrat, ad obsequium Pontifici præstandum flecteretur. Discrepabant saltem de modo agendi: Quidam Legationem ad Cæsarem & Ferdinandum Regem, literas

(a) Pallavicini de Protestantium dissensu relatio examinatur & emendatur.

A. 1537.

terasque in Galliam, Angliam, aliaque regna proponebant, ad ostendendum, quid desideraretur in convocatione Pontificis. Multi censebant, adversæ etiam partis Principes in Germania solicitandos esse, ut memores gravaminum, quæ olim Norimbergæ exhibuissent, de diplomate Pontificio quererentur, quod nulla illorum mentio fieret, itemque, ut locum Concilii in Germania poscerent. De comparitione variæ erant sententiæ: *Saxo* malebat, ut citari se, ut partes, sinerent, missisque procuratoribus exceptiones suas proponerent; idem *VVürtenbergicus* Dux sentiebat; alii confessionem denuo edi & defendi debere, contendebant; *Landgravius*, recusandum esse publice Concilium existimabat, plerisque assentientibus, idque per procuratores indicandum, & ad arbitros provocandum; immo oppositum Concilium inter Evangelicos indicendum esse, exemplo Bohemorum & Græcorum. Idem quoad anti-concilium *Augustanis* videbatur & locum proponebant *Constantiæ*, *Basileæ* aut *Argentorati*. De securitate eorum, qui mitterentur, varia erat opinio. Plerique obsides postulandos esse putabant. *Mindenses* Pii II. dictum allegabant, mercatorum esse, non Principum aut Pontificum, fidem promissorum servare. *Georgius* Marchio Brandenburgensis, & *Norimbergenses* Cæsari, salvum conductum præstanti, fidi posse credebant; Theologorum tamen suorum sententiam esse dicebant, ut Pontifex cum Cardinalibus & Episcopis simpliciter recusaretur, & deligerentur, qui jurarent, se ex solis Scripturis sacris decisuros esse. Ne unus quidem ex Principibus & Comitibus, neque ulla civitas reperta est, quæ in comparitionem ad Concilium, quale indictum erat, consentiret, nisi prius de modo agendi & de securitate mittendorum satis esset provisum. Secutum igitur est conclusum, sine ullius contradictione, ad dandum responsum, quale Heldo & *Vorstio* datum est, & de edendo & publicando recusationis libello d. 5. Martii postea subscripto, de quo dictum est. Editus fuit Latine & Germanice, & ut videtur, in Gallicam etiam & Italicam linguam postea translatus. Germanicum exhibet *Hortlederus Tom. I Lib. I. cap. 29.* Quanquam vero apud *Sleidanum* egregia ejus repetiatur recensio, summam tamen, ne lectorem alio ablegem, paucis exponam. In exordio multis sese excusant ab imputatione, ac si nullam cognitionem ferre possent, aut alias nationes contemnerent, aut lucem fugerent. Id saltem cavere se dicunt, ne Pontifex, sub specie concilii, veritatem tyrannide opprimat. Quod judicium aliorum non defugiant, inde, ajunt, manifestum esse, quod delectis ex nationibus viris piis cognitionem sint delaturi, neque enim se dubitare, quin superfint, qui puritatem doctrinæ sint deprehensuri. A Christo non tribunali Synagogæ, sed Ecclesiæ, judicium delatum esse; Sed hanc non solum consistere in Pontifice & Episcopis, verum etiam in aliis membris Ecclesiæ, omnibus nempe Regibus, Principibus & Ordinibus; itaque solum Papam, etsi pars sive adversarius non esset, cum Episcopis suis non esse judicem: multo vero nunc minus, quia accusetur, non tantum de moribus, sed & de falsa doctrina; & corruptione cultus, in effectu de hæresi & idololatria; quo casu etiam Canones requirere, ut Ecclesia, non Papa judicet. Urgent, quod jam præjudicio condemnati sint, non solum *Bullis Leonis*, sed & hac *Pauli III.* qua Concilium indixerat: in hac enim nihil de cognoscenda causa aut modo procedendi, sed de extirpanda hæresi agi, &, ne quis dubitet, quam intelligat, *Lutheranam, ut pestiferam*, in alia ejus Bulla de reformatione, Cardinalibus data, nominari. Insani itaque, ajunt, essemus, si Bullam ejus accipientes, ipsi fateremur nos hæreticos esse, id enim vult sophismate hoc Pontifex, aut deterrere nos ipse cupit a comparitione. Pergunt deinde, & quoniam de modo agendi nihil memoret, satis liquere putant, quod jam non cogniturus, sed sententiam pronunciaturus sit, non quidem secundum Scripturam, sed ex decretis Pontificum, consuetudinibus, traditionibus & recentioribus quibusdam Conciliis. Ecclesia tamen Catholica & Christiana, ajunt, solum verbum Dei recipit, multo minus damnat doctrinam Evangelii, aut persequitur & trucidat eam confitentes; facit hoc cœtus

(b) *Libellus de recusatione concilii, ejusque contenta.*

Cainiticus, qui sanguinem sitit. Adducunt postea exempla piorum Episcoporum, qui suspecta concilia vitaverint; *Maximi* & *Cyrilli* Hierosolymitani & *Paulini* Trevirensis: allegant *Hilarium, qui Hosium* Cordubensem taxaverit, quod ad *Sirmiense* concilium profectus sit. Denique quoad locum insistunt, ut in Germania eligatur, rogantque Reges & Principes, ut universale, liberum & Christianum Concilium procurent, & de processu prius ordinando, & norma ex verbo Dei constituenda, provideant, quo falsa doctrina & corruptela cultus abrogetur, & Christiana concordia constanter stabiliatur, per viros idoneos & non obnoxios; (tüchtige unpartheyische leute) hoc facto, comparituros se & rationem de doctrina sua reddituros, eumque in modum sese gesturos esse, promittunt, ut nihil aliud, quam gloriam Dei & Ecclesiæ salutem & pacem a se quæri appareat. Hunc libellum, typis excusum, insinuandum receperunt Elector & Landgravius, additis literis a se, suo & sociorum nomine subscriptis; Elector nempe scripsit, & exempla misit Regibus *Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Hungariæ*; Electori *Moguntino* & *Brandenburgico*, Ordinibus *Bohemiæ*; Landgravius Regibus *Portugalliæ, Daniæ, Sueciæ*; Electoribus, *Trevirensi, Coloniensi, Palatino*; Reipublicæ, *Venetæ* & *Helvetiorum*. Literas *Melanchthon* composuerat, dataeque sunt VII. Kal. Aprilis. (d. 25. Martii.) In his postquam indicassent, *Oratorem Cæsaris a se petiisse, ut ad Synodum, Mantuæ d. 23. Maji a Paulo III. indictam, vel ipsi venirent, vel procuratores suos mitterent, & quod diu ex animo Synodum optaverint, in qua emendatio abusuum, errorum & vitiorum in Ecclesia hærentium & partim negligentia, partim cupiditatibus Pontificum & Prælatorum invectorum susciperetur; non obscure tamen ex Bulla Pontificis intelligi*, dicunt, *illum cum suis conjunctis nequaquam passurum esse, ut in Synodo de restituenda vera doctrina & corrigendis abusibus atque erroribus agatur. Immo, quemadmodum ab ipso & antecessoribus ejus doctrina, quam Protestantes confessi sunt, sine ulla cognitione aut examinatione generalis, liberæ & Christianæ Synodi, temere & cum contumelia Evangelii, damnata sit; ita Paulum ostendere, se illa præjudicia prætextu Synodi confirmaturum esse: conari etiam, receptione Bullæ, omnes Reges & potentatus sibi obligare, ut illis præjudiciis assentiantur, & omissa cognitione, ad exstirpandam piam, catholicam & evangelicam doctrinam, armisque delendam, ei se conjungant. Se sane, si in hanc indictionem consensissent, videri posse præjudicia confirmasse, & doctrinam Ecclesiarum suarum suo testimonio condemnasse. Quapropter, & quoniam non dubitent, Pontificem per suos accusaturum esse Protestantes apud Reges, & invidia oneraturos, quasi communi utilitati deesse velint, necessarium duxisse, ut causas, propter quas iniquam & insidiosam indictionem recusaverint, publice exponerent, & se a calumniis & suspicionibus purgarent.* Rogant inde, propter gloriam Christi, *ut Reges vel Principes excusationem suam legant & periculum, in quo multi Germaniæ populi versentur, & quod causa hæc ad communem Ecclesiæ salutem pertineat, expendant*, idque cum oblatione officiorum suorum & summa observantia enixe commendant. Inter documenta insinuationis, aut responsa, notabilis est epistola *Alberti* Moguntini d. 17. Junii data. In hac, pro blanditia & astutia sua, ita scribit: **Wollen E. Lbden freundl. meynung nicht bergen / daß / wo wir dabey seyn werden / da von der Reformation und guter ordnung der Christlichen kirche ichtwas soll geredet / vorgenommen oder gehandelt werden / wollen wir uns / als viel Gott der allmächtige seine gnade verleihet / dermassen halten und erzeigen / wie wir solches gegen Gott / unsre obrigkeit und allermänniglich mit gutem gewissen getrauen zu verantworten.** Promittit nempe, *se, cum ventum foret ad tractandum de reformatione & bona ordinatione Ecclesiæ, per Dei gratiam ita gesturum esse, ut rationem Deo, superioribus, & in universum omnibus, illæsa conscientia, reddere possit.*

(c) *Ejus insinuatio.*

(d) *Responsum Moguntini.*

Sincerius respondit *Gustavus*, Sueciæ Rex, d. 11. Octobris ex insula prope Calmariam his inter alia verbis: **E. Lbden mögen uns in wahrheit glauben / daß wir**

(e) *Item Sueciæ Regis.*

A. 1537.

wir derselbigen / insonderheit / daß Sie der gantzen Christenheit zum besten / über der lehre unsers Heilandes Christi so heftig / treulich und fleissig halten / besondere freude und grossen gefallen tragen / und daß wir auch nicht weniger / als E. Lbden selbst geneigt / solcher Evangelischen lehre / so fern uns Gott der allmächtige gnade verleihet / anhängig zu seyn und bleiben. Davon uns auch (ob Gott will) weder Pabst noch niemand abführen noch bewegen soll / und im fall / ob er sich mit seinen beypflichtern etwas derentgegen furzunehmen unterstehen würde / so wollen wir solches neben E. Lbden mit leib und gut unsers höchsten vermögens treulich helffen abwenden / und uns anders nicht / denn was einem Christlichen könig geziemet und eignet / aller gebühr zu erzeigen wissen. Id est, *Pro certo habeatis, nobis summæ lætitiæ & voluptati esse, quod tam constanter, fideliter & solicite doctrinam Salvatoris nostri Jesu Christi, ad totius orbis Christiani commodum, foveatis. Neque nos minus, quam D. V. Evangelicæ illi doctrinæ per gratiam Dei deditі sumus & manebimus. Ab illa (Deo juvante) neque Pontifex, nec alius quisquam nos abducet, & si Papa cum complicibus suis aliquid contra eam machinaturus est, id nos corporis & opum summis viribus, vobis juncti, amoliri conabimur, neque nos aliter geremus, quam Christianum Regem decet.*

Quæ paulo prolixius de fundamentis Evangelicorum, ad recusandam comparitionem in Concilio, recensui, fidem, spero, facient, officio historici minime satisfecisse *Maimburgium*, qui res tantas non solum sicco pede transierit, sed & superbiæ & contumaciæ Evangelicos accusaverit. Habuit tamen, quos imitatus est, *Casparem Gennepum*, insulsissimum Sleidani antagonistam, quem *Hortled. d. Lib. c. 25.* taxat, ut & *Surium*, qui pro more, dum de conventu hoc Smalcaldico agit, in scommata erumpit, & verba Protestantium, quibus dicunt: *Ecclesiam non consistere ex solo Pontifice & Episcopis, sed ad eam quoque pertinere Reges, Principes & Ordines*; ita cavillatur, ut etiam *cerdones, lictores, carnifices, garrulas anus, ambubajarum collegia, pharmacopolas, coquos denique & subulcos ad pronunciandum de dogmatibus advocaverint:* Exclamat inde: *O vastissimam dogmatistarum* Evangelicorum *cæcitatem!* Cœcus profecto ipse, & canina latrans rabie. *Cochlæus* nil habuit quod opponeret, quam encomium Bullæ Pontificiæ; hanc enim mire laudat, quod extirpationem hæresis, & correctionem morum in populo (*Clerus scilicet illa opus non habebat*) & pacem inter Christianos, atque recuperationem terræ sanctæ pro scopo venditaret. Paulo plus acuminis est in censuris *Pallavicini d. Lib. IV. c. II.* Magnifice refert *Heldi* in Protestantes declamationes, & quæ de Pontificis & Cæsaris sinceris intentionibus jactaverat. Deinde irridet Protestantes, qui locum Concilii inter alia hactenus etiam reprehenderint, quod Pastores & Theologos suos tamdiu & longe abesse ex Germania posse negarent: hoc enim, putat, ab omnibus provinciis opponi potuisse, quarum nulla suis libenter careat Pastoribus. Sed oppido fallitur: pauci enim erant, & vix tot, quot necessarii singulis locis essent, Pastores Protestantium; tantus vero Cleri Romani numerus, ut decima pars ex illo suffecisset animarum curæ, si ad hanc idonei aut intenti fuissent. Poterant itaque, ex suo more, quemadmodum in aulis regum, ita & totos annos in conciliis desidere. Sugillat postea, quod suspectos facerent Episcopos, quia juramento obstricti essent Pontifici: eodem enim vinculo Imperatorem & Reges in suis inaugurationibus obligari, & obligatos fuisse Theologos Protestantium, qui Presbyteri aut Monachi fuerant, & tamen quicquid vellent, jam docerent & statuerent. Sed hæc quoque parum ad rem faciunt. Episcopi quidem, de quorum candore dubitabant Protestantes, vinculum illud ita interpretabantur, ut ad potestatem Pontificis, ex qua suam pendere credebant, omnia conferrent, exigua reformationis cura; Reges tamen juramentum suum facilius explicare poterant, ut magis ad veritatem & puritatem Ecclesiæ, quam ad Pontificis fastigium conservandum, pertineret, a quo sibi nullum commodum, sed pericula potius & molestias promittere poterant. Qui vero olim Presbyteri aut Monachi, Pontifici obstrictos se esse, crediderant, & jam Evangelium profitebantur, satis clare cognoverant, nullo modo se a profitenda veritate nexu illo veteri prohibitos esse. Minime igitur ex illa exceptione sequitur, quo *Pallavicinus* concludit, remotis Episcopis & Proceribus, *vilem tantum plebeculam* (ita paulo modestius, quam *Surius* loquitur) ad suffragia in Concilio perventuram esse. Interim nondum, ut impium & illicitum, demonstratum est, ut populus ad Concilia admittatur. Aliud apparet ex historia Apostolica *Act. XV. 12. & XXI. 18. 22.* de multitudine cum Presbyteris, in consultatione de gravissimis quæstionibus sacris, concurrente. Fatendum tamen est, id actum per tot secula vel inscitia vel fraude Cleri fuisse, ut paucissimi ex populo judicium, vel de simplicissimis fidei capitibus, ferre potuerint; neque tam impense stulti erant Protestantium Principes & Magistratus, ut plebis illam imperitiam scientes & publice de ea non semel questi, ex cerdonibus tamen deligere vellent, qui in Concilio sententias dicerent. Recte vero & ordine, quemadmodum in ipsa reformatione fecerant, consultaturi cum provincialibus civibusque suis, qui ad deliberationes rerum adhiberi solent, etiam in causis Religionis & Concilii fuissent. Levis denique argutia est, cum Protestantibus, Pontifici sævitiam in Evangelicos, tanquam hæreticos, objicientibus, Reges & Principes monstrat, eandem exercentes, quos tamen illi ad Concilium omnino adhiberi volebant. Diversitatis enim ratio obscura non est, considerantibus, quod Principes non nisi ex decretis & sententiis Pontificum sæviebant, & executorum tantummodo loco essent. Sperari itaque poterat, constituto libero & legitimo Concilio, & examinata causa, futurum esse, ut Reges Principesque cœcum illud obsequium in posterum non sint continuaturi. Addere lubet relationem *Melanchthonis* ad *Camerarium* d. 1. Martii Smalcaldiæ datam, quæ *Lib. IV. ep. 196.* continetur: ex qua summam quandam consiliorum & actorum de Concilio intelligere licet. Postquam enim dixisset, conventum indictum esse, ut Principes de Synodo deliberarent, Theologi de doctrina colloquerentur, de priori capite hæc narrat: *Principes deliberarunt: an Synodus præcise recusanda sit, an vero promittendum, nos missuros esse nostram legationem, sed non concessuros judicium Pontificiæ parti, verum petituros, ut Regum & Monarcharum autoritate delecti homines idonei cognoscerent has controversias. Hæc fuit magna & difficilis deliberatio. Nostra* (id est, Theologorum, VVittenbergensium) *sententia semper fuit, ne simpliciter recusaretur Synodus, quia, etiamsi Papa non liceat esse judicem, habet tamen jus indicendæ Synodi, deinde judicium a Synodo constitui debet; sed homines acutiores disputabant, has meas rationes argutas quidem esse & veras, sed inutiles. Eam esse tyrannidem Pontificis, ut postquam consensissemus, nos venturos esse in Synodum, interpretaturi essent, nos etiam Pontifici tribuere judicandi autoritatem. Vidi, aliquid esse periculi in mea sententia, etiamsi erat honestior; sed vicit altera sententia, re diu acerrimeque disputata, ut hæc fatalia mihi videantur.* Addit alia, ex quibus consueta ejus ad agnoscendam hierarchiam Episcopalem propensio cognoscitur, & metus (qui tamen vanus fuit) horribilem barbariem & vastitatem omnium artium & officiorum civilium in Germania orituram, nisi potestas illa sacerdotalis constituatur. Recte tamen judicavit de æterna discordia, quæ ex recusatione Concilii timenda esset: illamque ejus conjecturam eventus huc usque comprobavit, ita tamen, ut pœnitere Evangelicos constantiæ suæ propterea non debeat, cum nihil boni & sani, neque quoad processum, neque quoad momenta rerum, per comparitionem suam in Concilio, quale parabatur, sperare potuissent.

(f) *Refelluntur adversæ partis scriptorum calumniæ.*

An. 1537.

(g) *Relatio Melanchthonis de sententia Protestantium circa Concilium, cum epicrisi.*

§. LIII.

A. 1537.

(1) *Acta alia cum Heldo, de auxiliis contra Turcos.*

(2) *De processu Cameræ & bonis Ecclesiasticis.*

§. LIII.

Reliqua *Heldi* cum Protestantibus in hoc conventu acta luculenter enarravit *Sleidanus.* Persuadere illis volebat, ut auxilia contra Turcos, aut, si hi hoc anno quiescerent, contra Gallos mitterent, nec recusabant ea fœderati, modo pax interna constitueretur, & actiones Camerales suspenderentur, sibique liberum esset, eandem secum religionem profitentes in societatem recipere. Sed utrumque acriter rejiciebat *Heldus,* multisque rationibus & Cameralia judicia defendebat & fœderis augmentationem improbabat, Norimbergensibus pactis, ut ajebat, adversantem. Offendit his omnes, neque apud Electorem fidem invenit, licet eum Cæsaris nomine separatim conveniret, multumque favorem sperare juberet. Exprobrarunt itaque ei in publico consessu insolentiam, quod spolii crimen illis objecisset, quia reditus Ecclesiasticos ad sustentandos suæ religionis ministros aliosque usus destinassent, nec veterem cultum Clero permitterent; nondum enim probatum esse dixerat, quod superstitiosus & impius esset, & satius fuisse, ut novos ritus suo sumtu, & absque damno veterum possessorum, introducerent. Ad hæc itaque illi, neque ab ipso Cæsare neque ab aliis tam contumeliose objecta ista sibi esse, dicebant, & suo jure atque pro conscientia fecisse, quod Monachis & sacrificis & cultum superstitiosum interdixissent, & usum bonorum Ecclesiæ ademissent, cum manifestos errores pertinaciter defenderent, & veritatem præfracte aspernarentur. Bona illa magna ex parte, ad Clerum liberalitate majorum suorum pervenisse, ea intentione, ut cultus divinus promoveretur: jam postquam veritas doctrinæ illuxerit, deprehensum esse, aberrari a scopo, & sibi incumbere, ut jure Magistratus errores abolerent, & reditus sacros ad meliorem usum converterent: Se tam imprudentes fatuosque non esse, ut tantillorum bonorum causa vitam fortunasque suas in discrimen darent: quicquid egerint, pro conscientia & religione egisse, & rationem Deo melius reddituros esse, quam qui titulum Ecclesiæ sibi sumant, & bona injuste possideant aut profundant. Nec juvari hos præscriptionis sive diuturnæ possessionis obtentu, illum enim in rebus conscientiæ & religionis minime valere, &, detecta veritate, titulos illos evanescere. Quæ de rapina & vi objecerat *Heldus* in adversarios retorquent, qui subditos Evangelicam doctrinam amplexos non bonis saltem, sed & vita crudeliter spolient, deinde propter opes, honores, delitias, mollemque & impiam vitam studium veritatis omittant; si enim hanc sectarentur, & emendationem admitterent, sine difficultate concordiam constitui posse. Poscenti Legato, ut novorum sociorum nomina ederent, responderunt: se illa jam Cæsari in Italia per Legatos suos indicasse, interque eos *Ulricum Wurtenbergicum* pacto Cadanensi niti: Neque tamen celarunt, esse, qui eandem quidem religionem secum profiteantur, sed ad fœdus non accesserint, *Georgium* nempe *Brandenburgicum* & civitatem *Norimbergensem, Weissenburgensem,* & alias quasdam. De Cameralium judicum injustitia vehementissime questi sunt, neque dissimularunt, se auxilio omnibus futuros esse, quibus ex illorum sententiis & decretis vis intentaretur. De negotio electionis Ferdinandi non magis satisfecit *Heldus* Electori, cum diploma aliquod Cæsaris offerret, quo testaretur, electionem sine præjudicio in tempora sequentia futuram esse, & acturum esse Cæsarem cum Electoribus de Aurea Bulla interpretanda. Plura afferri possent ex protocollo actorum cum Heldo *d. Reg. H. fol. 115. n. 55.* Plurimum questus est Elector de omissa huc usque ratihabitione pactorum *Viennensium,* & denegata confirmatione conventionis cum socero suo Clivensi, quæ tamen vetustis *Friderici III.* & *Maximiliani I.* concessionibus niteretur, & ipse *Carolus* Cæsar ducenta aureorum millia Electori obtulisset, ob impeditas ejus cum sorore Cæsaris nuptias. Sed ista non videbantur remedio carere, dummodo de pace securitatem aliquam *Heldus* fecisset, nec illam cavillatione transactionis Norimbergensis enervasset; nullamque moderationem & æquitatem admittere visus esset; quod non tam Cæsari, quam ingenio Heldi aut adversariorum ex Clero, ad quos ille respicere ferebatur, Protestantes imputabant, meliora speciatim de *Ferdinando* sperantes. Miserat ad eum Elector autumno anni præteriti *Johannem a Dolzig,* cum quo Rex familiariter haud semel locutus, aliquando (ut hic d. 31. Octobris 1536. *Reg. H. fol. 103. n. 46.* refert) aperte dixerat: *Utinam Electorem Augustæ cognovissem, sicut posthac eum novi & mentem fidemque ejus observavi.* Adventante postea ex Hispania *Heldo,* animadvertit *Dolzigius,* & Electori d. 12. Januarii 1537. scripsit, afferri ab eo mandata, ex quibus parum boni sperandum esset, & *Ferdinandum* jam dicere, se expectaturum esse, & permissurum quæ Heldus ageret, recens a Cæsare veniens & consiliorum ejus gnarus. *Dolzigius* inde Vienna digressus, Smalcaldiam ad Herum venerat, & inde, hoc mandante, Baroni *Hoffmanno,* Ferdinandi ministro referebat, quæ Smalcaldiæ inter Heldum & fœderatos agebantur, ut Ferdinandus non ex solius *Heldi* narratione ordinem rei perciperet. Memorabilis est epistola, (*Reg. H. fol. 123. n. 52.*) quam post finitum conventum Torgaviæ, d. 1. Aprilis, ad Hoffmannum dedit *Dolzigius,* ipsius Electoris manu passim interpolatam. *Conciliari,* scribit, *nequeunt acta Heldi cum pactis & literis Cæsareis & Regiis, si hac honesto & legitimo modo intelligantur. Speraverunt huc usque Protestantes, fore, ut pacta illa extenderentur & firmarentur, jam vident, Heldi interpretamentis illa enervari: sequetur ergo dissolutio pacis, ab Evangelicis licet recte servatæ, peritque omnis consolatio. Consensit Cæsar Norimbergæ, ut lites tunc Spiræ agitatæ quiescerent; cur ergo non cessant, quæ ex eodem capite postea exortæ sunt? Nihil proficiunt rhetonicationes: notiora sunt jura & libertates Imperii in Germania, & liberius de iis tractatur, quam in Hispania: Germanos etiam necessitas urget, ut, juxta obsequium Cæsari debitum, jura etiam sua tueantur: Disputationes itaque illæ acres, & exceptionum atque interpretationum subtilitates & tricæ omitti debuissent: sic quoque evitatæ fuissent Protestantium prolixæ & duriusculæ responsiones. Non frustra desiderabam, cum Vienna*

(3) *Electoris Saxoniæ querela, & legatio ad Ferdinandum Regem.*

(4) *Scripta ad Hoffmannum, ejus Consiliarium.*

A. 1537.

discederem, ut Heldo adjungerentur viri, qui Principum mentes moresque penitius cognoscerent & simplicius candidiusque cum iis agerent. Addidit, quæ inter alia Elector sua manu præscripsit, jam in eo illum esse, ut, sublatis omnibus quæ *Cadani* & *Viennæ* ad certum tempus modumque composita erant, causa electionis ad statum controversum rediret, non nisi a judice dirimenda, id quod sine distractione benevolentiæ inter Principes, & gravissimo negotiorum publicorum detrimento, fieri non posset. *Nosti*, ait, *suam quemque habere factionem, & nostratium capita, si semel obriguerint, haud facile flecti. Placidus est & ad concordiam pronus Elector* (schiedlich und friedlich) *sed conceptæ tenacius indignationi* (wenn er in unmuth kommet) *insistere solet.* Hæc ille. Quæ documento esse possunt, quantum noceat intempestivus zelus & sapientiæ ostentatio; nisi fortassis jussus est *Heldus* a Cæsare, vel instigatus ab aliis, ut ita ageret, & quæ facile tunc componi ad aliquod saltem tempus potuissent, difficultatibus implicaret, & turbas excitaret, cujus tamen consilii postea ipsum pœnituit Cæsarem.

§. LIV.

(1) *Conventus Smalcaldici acta & decreta.*

Ista sane *Heldi* vehementia, & immitis tractandi modus, (die ungnädige Handlung/ ut fœderati loquuntur) arctius eo tempore omnium animos conjunxit. Elector cunctationem in recipiendis novis sociis deposuit. Admissi sunt ad fœdus, & in protectionem recepti plurimi, interque alios *Henricus* Dux Saxoniæ, frater Georgii. Promissa auxilia iis, qui, ex causa religionis, sententiis Cameræ Spirensis vexabantur, & executiones metuebant. Adversus ipsum *Ferdinandum* Regem repressalia decreta sunt, ob reditus Ecclesiasticos, quos civitatibus in Suevia ex sua ditione denegabat. Constituta fuerunt, si res ad bellum perveniret, ex contributione fœderatorum in singulos menses centena florenorum millia; interim vero ad sumtus publicos dena millia. Ad quosdam tamen, qui certam summam nondum promiserant, deputati sunt, qui de ea cum illis convenirent. Suffragiorum numerus ad tredecim reductus est, pro modo virium & facultatum, concurrentibus ad unum debilioribus. Provisum est de militia, ejusque regimine, aliisque ad defensionem requisitis. Quia vero Orator Cæsaris pacis fundamenta & spem sustulerat, negata non solum sunt, quæ poscebat, auxilia adversus Turcos aut Gallos, sed & conventum, ne quis ex fœderatis, particulariter requisitus, suppetias mitteret, & qui id fecisset, eas revocaret. Inter se tamen constituerunt, si repentina vis a Turcis ingrueret, ut illi pro viribus sese opponerent. Expeditæ etiam fuerunt rationes sumtuum, eo usque a Ducibus fœderis erogatorum. Inter eos erant impensæ in legationem ad Cæsarem in Italiam 3800. floreni. Adversus processus Camerales novæ contradictiones & protestationes ordinatæ fuerunt, & constituta præmia procuratoribus Spirensibus, qui multas molestias Protestantium causa subierant. Data est potestas Electori & Landgravio, ad conducendos plures copiarum Præfectos. Hæc ad externam religionis defensionem pertinebant; de ipsa denuo conclusum est, ut Augustanæ confessioni ejusque apologiæ, ut & articulis tunc Smalcaldiæ subscriptis (de quibus mox plura dicentur) constanter insisteretur, Concilium vero, ut supra relatum est, recusaretur, denique ne quid negligeretur, quod adversus instantia pericula ab adversariorum iris & minis præsidio esset. Statutum est, ut Regum exterorum amicitia decentibus modis conservaretur. Ut vero, quid cum Galliæ Rege actum sit, verius & clarius, quam Maimburgius tradidit, cognoscatur, sciendum est, Galliæ Regem, percepta *Langæi* de actis in conventu Smalcaldico anno 1535. (vide § *XXIX.*) relatione, literas ad fœderatos scripsisse, quibus offensam quidem aliquam indicabat, sed & novam firmandæ amicitiæ ansam præbebat. Extant *Reg. H. fol. 92. n. 38.* datæ Parisiis d. 25. Januarii 1536. stylo (ut expresse additur) Gallico, id est, anno 1537. a Kal. Januariis numerato. Scribit Rex, se, licet ex responso, Oratori suo anno superiori dato, perceperit, non eam rationem eorum, quæ proposuerit, qualem sperasset, habitam fuisse, teneri tamen tanta cupiditate videndæ unionis in Christiana republica, & inter Galliam & Germaniam, ut illum sui contemtum oblivioni mandare velit, &, si tuto posset, paratus esset Oratores denuo mittere: cum vero id non liceat, & ex quibusdam intelligat, longe aliter eos nunc sentire, petit, ut in conventu, quem indictum ab iis audivisset, Legationem ad se decernerent, cum qua tractare de rebus in commune utilibus possit; pollicetur talem ac tam amicum in illos animum, ut pœnitere eos legationis non possit. His acceptis fœderati Legatos quidem non miserunt, sed literis d. 5. Martii Smalcaldiæ a *Melanchthone* conceptis (*Reg. H. fol. 115. n. 55.*) purgarunt se ab imputatione contemtus, & paratos se esse profitentur, veterem inter utramque gentem necessitudinem tueri. Excusant, quod Legatos mittere in præsens non possint, quia Deputati ad conventum mandata ad decernendam Legationem non haberent. Testantur inde de studio suo ad concordiam & salutem Ecclesiæ, magnumque momentum esse, dicunt, in deliberatione de Synodo: *Si enim*, ajunt, *non habebitur libera Synodus, sed Pontifex, nobis damnatis, stabiliet abusus non leves, magis inflammabitur discordia.* Allegant ipsam Bullam, in qua sententiam suam contra Protestantes jam proposuerit Pontifex, unde satis appareat, non futuram liberam Synodum. Rogant Regem, ut curam tantæ rei suscipiat, quo libera Synodus, & loco commodo in Germania habeatur. Recensent rationes, Cæsareo Oratori & Pontificio Nuncio expositas, quibusque de causis Synodum, qualis indicta erat, recusaverint, scriptumque, quod publicaverant, addunt. Responsum Regis datum est Faræ X. Kal. Junii (d. 23. Maji *Reg. H. f. 142. n. 66.*) In hoc post multa, quæ pro significanda sua benevolentia & celebranda veteri inter Gallos & Germanos necessitudine, non quidem literarum monumentis, sed in pectoribus fundata, & quomodo illa adversus immodicum Imperium affectantes (Hispanos pungit) firmissimum sit propugnaculum, magnifice deprædicat, & ad accusationes adversum se ab Oratore Cæsaris in conventu delatas regerit, de Concilio sic scribit: *Hoc esse suffragium meum, breviter, obsecro vos, accipite: Eum me semper sensum*

A. 1537.

(2) *Literæ Regis Galliæ ad fœderatos.*

(3) *Horum responsum.*

(4) *Replica Regis.*

An. 1537. *sum in hac re habuisse, ut, quemadmodum temporibus nostris perutile, vel verius necessarium arbitrarer, publicum Christianorum conventum loco haberi libero, minimeque ad alterius partis injuriam opportuno, cumque rite ac divini illius Spiritus, more majorum, instinctu & nomine agitari, in quo ageretur, de publica utilitate & Ecclesiæ totius conciliatione & consensu; ita, si quid horum deesset, nullo modo coitionem hujusmodi probarem. Et ut, quod res est, dicam, & antehac quidem, & nunc maxime in ea sum opinione, ut non aliter recte atque ordine Concilium haberi posse mihi persuadeam, & ita persuadeam, ut contrariæ sententiæ autoribus aures nunquam sim in posterum patefacturus.* Addit quædam de *Regis Scotiæ*, generi sui, pari affectu. Hæc an sensum illum habeant, quem *Maimburgius* in duobus vocabulis (*more majorum*) invenisse se existimavit, æqui lectoris judicio permittendum est. Mallem tanti Regis tam enixam de conciliatione Ecclesiæ & publica utilitate testificationem pro candida & sincera interpretari, quam sycophantiam, a Maimburgio illi tributam, agnoscere. Consentit tamen non disparis ingenii scriptor *Surius*, in anni hujus historia (*p. m. 351.*) ubi scribit: *Rex liberaliter respondit, licet ex animo Lutheri dogmata detestaretur, sed, mutuis se auxiliis ut communirent, res ipsa poscebat.* Protestantes, cum verba Regis in optimum sensum interpretari, &, quod de more majorum innuerat, ad puriora potius & antiquiora Ecclesiæ & conciliorum tempora, in quibus Spiritus Sancti, ex verbo divino decisiones suggerentis, præsentia non obscura erat, quam ad sequiora applicare possent, mentemque suam adversus abusus Pontificios, in recentioribus etiam Conciliis satis deprehensos, Regi sufficienter exposuissent, honorifice literas illas, in quibus dicta fœderatorum non improbabantur, acceperunt, bonique consuluerunt, non minus tamen suis principiis insistentes.

(5) Notantur Maimburgius & Surius.

§. LV.

Inter præcipua conventus hujus acta referri debet Confessio fidei, autoritate Principum, & subscriptione Theologorum, ex plurimis Germaniæ provinciis, repetita & stabilita. Dictum est supra §. *LI.* mandatum fuisse Theologis Wittenbergensibus, sparsa de Concilii indictione fama, ut denuo expenderent & conscriberent dogmata, in quibus persistendum esset in Concilio, sive, ut ipse Lutherus in præfatione articulorum, quos composuit, (*Tom. VI. Alt. fol. 1227.*) loquitur, *in quibus cedi possit, vel firmiter perseverari debeat* (was und wie fern wir den Papisten weichen/ und auf welchen wir gedächten/endlich zu beharren und zu bleiben.) Exegit hoc Princeps, non quod de veritate Confessionis Augustanæ dubitaret, aut a constantia sua, quam toties professus erat, recederet; sed quod utile esse existimabat, ut omnia denuo post tantas adversariorum contradictiones, in examen vocarentur, tantoque clarius & accuratius proponi, & in Concilio, quod instare credebatur, exhiberi possent. Accedebat, quod a tempore editæ in Comitiis Augustanis confessionis, longe major numerus Principum & civitatum, eandem doctrinam recepissent, de quorum assensu, in conventu Smalcaldiæ indicto, publicum testimonium haud immerito desiderabatur. Proficiebat id etiam ad depellendas calumnias & suspiciones, quæ subinde ab adversariis renovabantur, quod Evangelici etiam fanaticis & Zuinglianis dogmatibus in provinciis & civitatibus suis locum darent. Lutherus igitur, ut jussus erat, laborem illum suscepit, & in literis ad Electorem d. 3. Januarii 1537. (*Reg. H. fol. 115. n. 55.*) significavit, se *Nicolaum Amsdorffium, Johannem Agricolam* & *Georgium Spalatinum* advocasse (cum *Menius* & *Myconius* nimis longe abessent) & articulos a se compositos illis exhibuisse, pluresque, quam soleret dies, ob infirmam valetudinem cum iis egisse; mittere jam igitur subscriptos a se & illis articulos per *Spalatinum*, & suo illorumque nomine rogare, *ut Elector calumnias & sermones hominum rejiciat, qui fortasse dicerent, Principes cum regionibus subditisque suis in periculum induci pertinacia sacerdotum.* (wir Pfaffen/wie sie uns nennen / wolten euch Fürsten und Herren mit Land und Leuten in gefahr setzen / mit unserm halsstarrigen fürnehmen) *Sed tantum*, ait, *abest, nos id cupere, ut potius soli omne periculum in nos simus suscepturi* (wolten wirs gar viel lieber allein auff unsern halß nehmen) Electorem itaque secum statuere debere, *quatenus & in quantum articulos hos sit accepturus; neminem enim*, scribit, *alium, sed nos solos illis obstringimus, & eos, qui iisdem sponte se obligabunt.* Notari hæc merentur non unam ob rationem. Sed non minus memorabile est responsum ad Lutherum, ab ipso Electore conceptum d. 7. Januarii (*Reg. H. fol. 124. n. 56.*) Gratias in hoc agit Deo, quod Luthero vires concesserit, ut articulos tam pie, pure & perspicue (so Christlich / rein und lauter) composuerit, & consensum reliquis collegis suis largitus fuerit. Gratissimam sibi esse testatur operam, quam ad utilitatem totius Reipublicæ Christianæ impenderit, quodque mentem nullatenus mutaverit, sed quæ huc usque ore & calamo docuerit, constanter teneat. Illa autem ita fundata esse in Christo, ut nec portæ inferorum adversus illa sint prævaliture, adeo nec Pontifex, nec Concilium illi adhærens. Orat Deum, ut sibi & omnibus gratia sua adsit, quo nec hominum metu nec sua opinione concussi, constanti & sincera fide in doctrina illa perseverent. Illos vero, qui Lutherum & alios Evangelium prædicantes, ut autores periculi & turbarum, traducant, tales esse scribit, qui Deum ejusque verbum parvi faciant, quorumque nihil intersit, an sub Papa aut Turca versentur, modo Mammona suum, luxuriosamque & otiosam vitam retineant, & opes suas subinde augeant. Se vero confidere, divina esse, quæ Lutherus ex verbo Dei doceat, quæ etiam omnes publice coram mundo confiteri debeant, nisi terribile effatum Christi incurrere velint: *qui me negaverit coram hominibus* &c. Addit præterea se bis lectis articulis, licet laicus sit, convictum tamen esse, quod veri sint, & cum Augustana Confessione congruant, igitur non opus esse, ut cum quoquam ulterius de iis deliberet, sed confessurum illos esse, ubicunque opus sit, coram Concilio & toto orbe, optarque a Deo, ut se, cum fratre, liberis & subditis, in hac confessione absque ulla vacil-

(1) Elector mandat Luthero, ut articulos confessionis componat.

(2) Lutheri paritio, & ad Electorem epistola.

(3) Electoris ad illum responsio.

A. 1537.

vacillatione conservet. Periculi eventum Deo committit, absque cujus voluntate ne pilum quidem amittere possit; toleraturum esse omnia, quæ de se suisque pro divino suo arbitrio sit decreturus: *Deus*, inquit, *nos Principes esse voluit: conservabit in eo statu, si ipsi videbitur; sin minus, vana est nostra sollicitudo: fiat, quod Domino placuerit.* Germanica magni Principis verba sua manu, nullo suggerente, scripta, majorem habent emphasin, & dignissima sunt quæ adscribantur: was die wagniß und fahr belanget / so unsern Land und Leuthen / auch personen derhalben begegnen möchte / die wollen wir Gott heimstellen / nachdem er sagt / daß unsere haar auff unserm haupt alle gezehlet seyn / und wir keines ohne seinem Göttlichen willen verliehren mögen / der wird es auch der fahr halben mit unserm Bruder / uns und unsern Kindern / auch Land und Leuthen / nach seinem Göttlichen willen wohl verordnen und machen / dem wir es zu seinem willen wollen heimstellen / denn er hat uns zu einen Fürsten erwehlet / ists sein wille / so wird er uns auch wohl dabey erhalten / ists aber sein wille nicht / so hilfft kein sorgen der gefahr / denn er wird es / wie es ihm gefällig / wohl machen / dem wir es / und in euer und anderer Christen gebeth wollen befohlen haben. Denique subjungit: de Pontifice nullam sibi solicitudinem esse, neque se hæsitare, quo minus illi vehementissime resistat, adeoque non assentire *Melanchthoni*, qui putet, bona intentione & pacis causa tolerandum esse illius dominatum: *Si enim*, ait, *ille Episcopis, Pastoribus & concionatoribus nostris imperet, in pericula & molestias nos ipsos præcipitaremus: Pontifex enim cum successoribus suis nunquam quiescet, sed id semper aget, ut nos posterosque nostros funditus extirpet. Quia igitur Deus nos ab illius imperio & ex captivitate Babylonica eruit & liberavit, nostra sapientia tentaremus Deum, & ille sub idem jugum redire nos passurus esset* (so wir aus guter meinung und um friedens willen / wie Mag. Philippus vorgiebt / ihn (den Pabst) einen Herrn bleiben lassen / der über uns und unsere Bischoffe / Pfarrer und Prediger zu gebieten / setzten wir uns selber in die fahr und beschwerung / weil er doch nicht ruhen würde / und seine nachkommen / uns und unser allerseits nachkommen gäntzlich zu vertilgen und auszurotten / welches wir doch / weil uns Gott davon befreyet und erlöset / gar nicht bedürffen / solte auch wohl mit unserer klugheit / (da wir einmahl von seiner Babyl. Gefängnüß durch Gott frey seyn worden / und uns wieder in solche gefährligkeit begäben / also Gott versuchten) von Gott über uns verhenget werden / das sonsten ohne allen zweifel wohl bleiben wird.) De iis, quæ de *Melanchthone* innuit, in *Addit.* agam. *Spalatinus* quoque alios quospiam articulos concinnaverat & Luthero tradiderat, sed hic sufficere suos ratus est, & Electorem rogavit, ut eos Smalcaldiam secum ferret, & Theologis ad subscriptionem proponeret: *Erfurtenses* etiam concionatores, *Langum* aliosque, ad eundem finem *Vinariam* vocaret. Et sic factum est, extantque indicato *Archivi* loco articuli illi, *Spalatini* manu descripti, & ab ipso Luthero, Theologisque & concionatoribus triginta quinque (ex quibus alii qui mandata collegarum aliorumque habebant) subscripti: Contenta (de forma enim, aliisque observationibus, itidem in *Additionibus* tractabimus) qua fieri potuit brevitate, hic exhibemus, secuti & authenticum illud exemplar, & quæ typis excusa extant, in *Formula Concordiæ*, cum aliis libris, quos vocamus Symbolicos, anno 1580. publicata, eorumque versione Latina anno 1602 auspiciis Electoralibus edita, & *d. Tom. VI. Alt. fol. 1227. & seqq.*

(4) *Articuli, qui postea dicti* A. 1537. *sunt Smalcaldici, a Spalatino descripti.*

ADDITIO.

Producenda hic est relatio *Melanchthonis* de actis conventus hujus Smalcaldici *ad Camerarium*, ex editione *Londinensi Lib. IV. ep. 196. & 197.* & compilatione *Pezelii Part. I. p. 269.* Cum enim ista in tot Doctorum virorum manibus sit, & a recentioribus antagonistis, *Bossueto* inprimis, Episcopo Meldensi, multa ex epistolis illis conquiri & objici soleant, satius est & studio veritatis historicæ convenientius, ut non dissimuletur. Refert autem *Melanchthon*, convocatos esse Smalcaldiam Theologos, *ut de doctrina non futilis, sed accurata fieret collatio, & tollerentur dissidia, & consentiens doctrina in Ecclesiis Protestantium extaret:* Deinde, *ut deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi & retinendi atque communi tranquillitati & omnibus rebus humanis anteponendi sint, & qui concedendi Pontifici & τῷ ἐκκλησιαστικῷ πολιτεύματι*, (regimini Ecclesiastico) *propter pacem, & ad communem Ecclesiæ concordiam restituendam, si res ad aliquam moderationem deduceretur.* Nondum abjecerat spem Melanchthon, vel ex suo ingenio, vel ex blandimentis aliorum conceptam, obtineri posse concordiam, non cum Zuinglianis solum, sed & cum Pontificiis. Non ignorabat id Elector, eoque pertinent, quæ in epistola ad Lutherum d. 7. Januarii, quam retuli, non sine aculeo tetigerat. Adduxit tamen *Melanchthonem* Smalcaldiam, confisus, præsente Luthero nihil timendum esse ab ejus indulgentia. Itaque prolixior de articulis a Luthero compositis tractatio inter Theologos fieri potuisset; sed cum Lutherus calculi morbo, paucis post adventum diebus, (ut ex *epistola MS.* ad *D. Jonam* d. 9. Februarii scripta percipitur) tentaretur, & mox gravissime decumberet, collatio illa, qualem Melanchthon intendebat, facta non est. Quam moleste id tulerit, ex literis, quas allegavi, constat. Scribit enim, *non solum indoctos & vehementiores nullam prorsus mentionem fieri voluisse de rebus Pontifici concedendis; sed & petitum esse, ne de doctrina accurate conferretur, metu, ne certamen aliquod augeret discordias, & fœderis distractionem afferret.* Idem alia eodem, quo priorem supra allegatam scripserat, die (Kal. Mart.) *ad Camerarium* data epistola significat, iterum querens *de indoctis & rigidis, & de timiditate quorundam, qui accuratam disputationem prohibuissent, ne discordiæ inflammarentur.* Igitur παρέργως *sive obiter saltem de doctrina collatum esse* scribit, *nec se ipsum voluisse, acrius certamen excitari, absente Luthero.* Certe moderatio laudanda hactenus est, multoque magis Procerum prudentia, quibus sufficere visum fuit, ut Theologi Augustanam confessionem & apologiam, tum Lutheri articulos denuo relegerent, & de assensu suo testarentur, tum maxime de Pontificis Romani & Episcoporum potestate sententiam dicerent. Admirari in hoc licet singularem Electoris industriam, qui, gnarus licet mollioris, quam *Melanchthon* fovebat, sententiæ, curavit tamen, ut ille dissertationem de Papa & Episcopis conscriberet. Fecit igitur id per otium, decumbente Luthero. *Jussi sumus*, (inquit *d. ep. 196.*) *ne plane nihil ageremus, & κωφὰ πρόσωπα essemus, componere aliquid de Petri seu Pontificis Romani primatu, & de potestate & jurisdictione Episcoporum. Hæc scripsi mediocriter, & exhibui.* Illo ergo labore suo mirifice confirmavit omnium animos, & suspicionem de se diluit, cum non minori zelo, quam Luthe-

(a) *Relatio alia Melanchthonis de conventu Smalcaldico.*

(b) *Electoris erga eum diffidentia.*

(c) *Melanchthonis querela.*

(d) *Jussus ab Electore, sententiam de Pontifice conscribit.*

A. 1537.

Lutherus, Pontificium dominatum & Episcoporum excessus impugnaret, simulque (quod Principes maxime cupiebant) ostenderet, quam exigua aut nulla in Concilio, quod Papa cum suis habiturus erat, spes esset. Jam, quod ad subscriptiones Theologorum attinet, cognoscuntur illæ ex allegatis editionibus, & authenticæ extant *d. l.* Archivi. Referam tamen scribentium nomina, sed alio quam in editis exemplaribus reperiuntur, ordine: sequar enim provincias & urbes, ex quibus Theologi & concionatores venerant. Ex *Saxonia* subscripserunt articulis, quos Lutherus conscripserat, ante omnes *ipse*, deinde *Jonas*, *Pomeranus*, *Cruciger*, *Spalatinus*, *Melanchthon*, *Didymus*, *Myconius*: ex *Brandenburgensi* Marchionatu Franconico, *Stephanus Agricola* & *Simon Schneeweiß*: ex *Luneburgensi* Ducatu *Regius*, & hic quidem pro se & fratribus ejusdem Ducatus, & *Hannoveranis*: ex *Pomerania Rhodius*: ex *VVurtenbergico* Ducatu *Snepffius* & *Ottingerus*: ex *Hassia Draconites*, *Adamus Fuldensis*, *Corvinus*, *Melander*: ex Principatu *Anhaltino Figenbozius*, *Schlabinhauffen*, *Heltus*: ex Comitatu *Mansfeldensi Johannes Agricola*, *Mich. Cœlius*, *VVend. Faber*: ex civitate *Norimbergensi Osiander* & *Vitus Dietericus*: *Francofurtensi Petrus Geltnerus*: *Magdeburgensi Amsdorffius*: (qui tamen, utpote *Præpositus VVittenbergensis*, inter Saxonicos subscripsit) ex *Hala Suevica*, *Brentius*, dato tamen, cum abiturus esset, mandato (quod authenticum in *Archivo* extat) *D. Pomerano*: ex *Hamburgo Johannes Æpinus*: (cujus nomen *Tom. VI. Alt. fol. 1241.* errore Typographi omissum est & post *VVend. Fabri* subscriptionem inseri debet) ex *Brema Joh. Amsterdamus*: ex *Minda Gerardus Oeniken*: ex *Susato Briccius Northanus*. *D. Joh. Langus* suo & *Erfurtensium*, quorum octo nominat, collegarum loco subscripsit, quanquam si Lutheri consilio locus fuit, *Vinariæ* id factum esse debuit, & vix est, ut ausi tunc fuerint Erfurtenses ad conventum illum accedere. Libello vero de Papatu non subscripserunt *Lutherus*, qui d. 26. Februarii morbi causa Smalcaldia avectus est, neque *Jonas*, *Cruciger*, *Joh. Agricola*, *Didymus*, *Adamus Fuldensis*, *Langus*; sed subscripserunt, quorum nomina sub articulis non inveniuntur: *Bucerus* & *Fagius* Argentoratenses, *VVolfhardus* Augustanus, *Fontanus* Hassiæ inferioris Superintendens, & *Ambrosius Blaurerus* Constantiensis. Nolim tamen suspicari, ex dissensu variatum esse in subscriptione, sed casu id accidisse, quod quidam citius abierint, id quod de *Brentio* constat, qui d. 23. Februarii discedens Pomerano, ut dicere cœpi, mandatum reliquit, ut suo nomine tam articulos Lutheri, quam libellum de Papatu subscriberet. Subjuncta est illius epistola omnibus articulorum editionibus, in qua asserit, se omnia, nempe Augustanam confessionem, apologiam, concordiam VVittenbergensem & speciatim articulos Lutheri, (quem *præceptorem observandissimum* vocat,) lingua Germanica conscriptos, legisse, & iterum atque iterum relegisse, atque ita sentire & docere. Idem a cæteris factitatum esse, dubitari nequit, & *Melanchthonis* querela, quod obiter actum sit, eo pertinet, quod disputatio prolixa habita non fuit, quia id nolebant proceres, verum, ut ipse *d. ep. 196.* memorat, hoc saltem jusserant, *ut percurrerentur articuli, & audiretur, ecquis in aliquo dissentiret, aut aliquid improbaret.* Rationes ipse Melanchthon magna ex parte attulit: unam, ne distracti per disputationes animi fœderis distractionem excitarent; alteram, ne inter Theologos dissidia moverentur; tertiam, quod, Luthero absente, de articulis ejus consultari, inconveniens fuisset; quarta, quam Melanchthon tacet, sed ex Electoris consiliis cognoscimus, eodem pertinet, ne is per absentiam Lutheri meticulositate sua causæ noceret. De *Bucero* & *Blaurero* notanda sunt, quæ Melanchthon *d. ep.* commemorat. *Bucerus* (ait) *plane & clare affirmans præsentiam Christi* (in sacra cœna) *satisfecit nostris omnibus, etiam iis, qui sunt duriores, Blaurerus generalia sic satis, adesse Christum; postea quædam addidit ambigua. Osiander urgebat eum paulo acrius; sed quia nolebamus excitare certamen vehementius, interpellavi disputantem. Ita discessum est, ut inter cæteros omnes consensus constitutus sit, hic vero non repugnare videretur:* Epistola sequenti *197.* iterum scribit: *Blaurerus moderatam dixit sententiam* περὶ τῶν μυστηρίων, *nec tamen satis explicatam. Nolui certamen acrius excitari, præsertim absente Luthero.* Id eum habuit fructum, ut illo tempore, multisque postea annis, nulla fuerit inter provinciarum & urbium illarum Ecclesias & Doctores de articulo sacræ cœnæ dissensio.

(e) *Subscriptio articulorum Smalcaldicorum.*

(f) *De Bucero & Blaurero quædam.*

A. 1537.

Ex his, quæ retuli, & post diligentem Actorum Archivi considerationem, deprehendisse mihi videor, articulos a Luthero compositos placuisse quidem summopere, ut dixi, Electori Saxoniæ, & subscriptos esse a Theologis, quorum nomina extant; sed autoritate Procerum in conventu illo nondum publice receptos fuisse. Neque enim in Recessu mentionem illorum faciunt, in quo tamen non solum Augustanam confessionem & apologiam, sed etiam scriptum novum *de Papatu*, approbant & quasi confirmant; & *Melanchthon* in literis sæpe dictis nullam articulorum illorum aut subscriptionis mentionem facit; ipse denique Lutherus, cum anno sequenti articulos publicaret, & a suis (von den unsern) approbatos, & ut in Concilio offerrentur, conclusum esse, scriberet, causam tamen publicationis non ad Principes refert, sed illam potissimum indicat, ut constantiam suæ confessionis denuo testaretur. Quomodo vero & quando autoritate communi recepti fuerint, & de Lutheri editione alibi quædam notabimus. Dicendum hic aliquid est de clausula, quam Melanchthon suæ subscriptioni in articulis Lutheri adjecit, quæ ita habet: *Ego Philippus Melanchthon supra positos articulos approbo, ut pios & Christianos. De Pontifice autem statuo, si Evangelium admitteret, posse ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti.* Extat autographum *d. l. Archivi*, sed de die, quo subscriptiones & horum articulorum & eorum, quos Melanchthon de Papatu composuit, factæ sunt, nihil certi referre possum, adeoque nec asseverare, quod ad Lutheri notitiam Melanchthonis illa restrictio pervenerit. Dixerim potius Melanchthonem, si Lutherus non tam periculose decubuisset, & subscriptioni præsens adfuisset, ausurum non fuisse, ut illam adscriberet; Deinde cum Lutherus anno sequenti articulos ederet, nec catalogum tamen subscribentium adjiceret, conjicio, illum non inspexisse exemplum articulorum, a Spalatino, & a Theologis subscriptum, neque enim subscriptionis facit mentionem, licet consensum & acceptationem non taceat. Decubuerat enim Lutherus multis diebus & d. 26. Februarii avectus erat, comitante illum Spalatino, qui ex itinere Electori scribens refert, eodem die *Blaurerum* articulos a Melanchthone compositos subscripsisse, quod mane ante discessum factum esse oportuit, & simul indicare videtur, reliquos Theologos prius quam illum subscripsisse. Cæterum satis patet, Melanchthonis annotationem opponi Lutheri judicio in *articulo quarto*, ubi, (ut retuli) Pontificem ne humano quidem jure cum emolumento Ecclesiæ pro capite haberi posse, sed Episcopis omnibus par jus competere statuit. Isti vero Melanchthonis opinioni nullus Theologorum, qui aderant, accessit. *Johannes* quidem *Æpinus*, Superintendens Hamburgensis, eo primum inclinaverat, & hæc verba subscriptioni nominis sui adjecerat: *De superioritate Pontificis Dn. Philippi sententiæ in fine additæ assentitur, cum omnibus Hamburgensibus concionatoribus*; verum & nomen suum & additionem istam cancellavit, & denuo nomen suum subscripsit, ut in editione articulorum legitur; unde apparet, non ipsum saltem a glossa illa Melanchthonis recessisse, verum neminem præterea fuisse, cui illa placeret. Id tamen, consideratis, quæ antea & post conventus illius tempora, cum de concordia tractatum est, acta sunt, ita malim intelligere, quod tempestivum tunc visum non fuerit, talia diserte exprimere; quam quod nulla plane prærogativa inter Episcopos Pontifici, salvis iis, quæ de religionis & cultus puritate prius constituenda erant, humano jure ut pacto concedi posse existimaverint. Neque aliud

(g) *Observatio de autoritate articulorum Smalcald.*

(h) *De Melanchthonis reservatione circa potestatem Pontificis.*

A. 1537.

(i) Deliberatio, quatenus cedi possit Pontifici.

sensisse videturis, qui censuram ad subscriptionem Melanchthonis *Tom. VI. Alt. fol. 1241.* addidit, de qua alibi agendum erit. Notandum praeterea est, actum fuisse inter quosdam Theologos de quaestione illa, an & quatenus cedere Pontifici, si is doctrinam Evangelii & institutionem Christi (in sacra Coena) liberam concedat, licitum sit? Annexa enim est & quaestio illa, & responsio, Spalatini manu in eodem Volumine, quo articuli continentur, scripta hunc in sensum: *De sacra Coena (1.) si Papa integrum ejus usum aliquibus Ecclesiis concedere, aliis negare velit, & sic nihilominus interdictum sancti calicis servare, non possumus cum eo transigere. (2.) Si indifferenter unicuique pro conscientia sua utramque vel unam speciem permittere velit, non possemus id probare, neque docere. (3.) Si tamen in genere libertatem permitteret, dissimulare liceret, eosque in exteris regionibus excusatos habere, ubi Evangelicae doctrinae praedicatio nondum facta est, & donec illa fiat. De ordinatione*, occasione articuli X. a Luthero compositi, *rogandos esse*, dicunt, *Principes & Proceres, quoniam sperari vox possit, quod Episcopi Evangelium sint recepturi, ut de modo & formula ordinandi deliberent & decernant, omnibus enim Christianis notum esse, absque vocatione neminem publice docere posse*; quaerunt denique: *si Papa Evangelii doctrinam ferre, & a persecutione desistere velit, an in adiaphoris v. g. circa ferias & jejunia eadem cum Pontificiis observari possint?* Sed haec licet *Spalatini* manu scripta sint, & in rubrica mentio fiat quorundam subscriptorum; (hernach beschriebene) nulla tamen neque designatio, neque subscriptio invenitur, & evitata est deliberatio illa de cedendo & transigendo, ut ex *Melanchthonis epistola 196.* satis liquet. Fortassis etiam isti articuli iidem sunt, quos *Spalatinus* ante conventum proposuerat, Lutherus vero jam tum rejecerat. Memini supra literarum *Spalatini* d. 26. Februarii ad Electorem datarum. In iis vero non solum scripsit, quae de *Blareri* subscriptione retuli, sed & quod idem Blarerus ex *Suevia* literas acceperit, in quibus significetur, Confessioni Augustanae adhaerere *Ducatum Bipontinum*, *VVilhelmum Comitem Fürstenbergicum* cum ditione; Equestrem in *Craichgoia* ordinem, cum plus quam quadraginta parochiis; praeterea Ecclesias in Urbibus Imperialibus *Giengae, VVormatiae, VVeissenburgi* ad Rhenum, *Gengenbachii*; *Basileae*, item *S. Galli*, *Mulhusii* in Alsatia Concordiam VVittenbergensem acceptatam esse; haerere vero in quibusdam *Bernates*, *Tigurinos* & *Schafhusianos*: *Georgium Comitem VVürtenbergensem* cum parochiis suis etiam Augustanam confessionem profiteri, ab illo vero nihil mandatum esse *Blarero*. Observanda haec sunt, ne quis putet, Evangelii doctrinam nullibi tunc receptam fuisse, quam in locis, ex quibus Theologi Smalcaldiam venerant: vigebat enim jam illa non solum in illis regionibus & urbibus, quae in articulis aut literis hisce *Spalatini* nominantur, & in urbibus foederatis v. g. *Ulma, Reutlinga*, aliisque, quae licet Theologos non misissent, tamen scriptis ad conventum literis de assensu suo testatae erant; sed & *Lubecae* & in *Holsatia* multisque *Marchiae*, *Lusatiae*; deinde in *inferioris Saxoniae* civitatibus aut Comitatibus, itemque *Freibergae* in Misnia, de qua speciatim paulo post dicendum est.

(k) Spalatini literae de sociis confessionis.

§. LVI.

(1) Articulorum Pars I. de Deo & S. S. Trinitate.

(2) Pars II. art. 1. de justificatione.

Distributi sunt articuli in partes tres. *Prima* brevissima est, & absolvitur quatuor capitibus, *de Deo ejusque essentia & personis*, de quibus allegantur symbola Ecclesiae, & notatur, nullam esse de his controversiam. Pars *secunda* itidem quatuor numerat articulos. *Primus* & capitalis (hie ist der erste und Haupt-Articul) non habet inscriptionem, tractat autem de merito Christi, sive de justificatione, ex dictis *Rom. IV. 25. Joh. I. 30. Esa. LIII. 4. Rom. III. 24. 26. 28.* Concludit, necesse esse, ut credatur, Christum pro nobis mortuum esse & satisfecisse, & quia haec nullo opere, lege aut merito acquiri & apprehendi possint, manifestum esse, quod sola fide justificemur, & in hoc puncto omnia consistere, quae contra adversarios docentur. Articulus *secundus* agit de Missa, quae dicitur esse *maxima & horrenda abominatio & idololatria*, magna licet sub specie exercita. Rationes adducuntur, quod sit inventum humanum; quod ex institutione Christi Sacramento longe rectius & salubrius utamur; quod ex Missa innumeri abusus & nundinationes provenerint; & denique quod nullum emolumentum ex opere Sacerdotis sperari possit, quia nemo alteri salutem mereri aut conferre potest, sed haec a Christo solo per fidem accipiatur. Rejicitur exceptio, qua tunc Missificantes quidam utebantur, dicentes, se ipsos sibi in Missa Sacramentum exhibere: fieri enim id dicitur contra institutum Christi, & tales sibi solis vendicare, quae communioni Ecclesiae destinata sint. *Hic articulus de Missa*, ait Lutherus, *totum erit concilii objectum; in hoc, etsi omnes reliquos permittant, nullatenus cedent.* Allegat *Card. Campegii* dictum in Comitiis Augustanis, quod *discerpi mallet, quam consentire in Missae abolitionem. Ego vero*, subjungit Lutherus, *in cinerem potius redigar, quam ut servum missaticum* (einen Meß-Knecht) *sive bonum sive malum, cum opere suo Christo aequiparem: itaque in aeternum dissidebimus, & cum Missa stat caditque Papatus; trucidabunt potius nos omnes, quam ut a Missa abstineant.* Persequitur inde, quae ex Missa, ut caudam ex dracone, pendere dicit, purgatorium, & quae pro defunctis fiunt, vel idololatrica, vel, defectu mandati divini, non necessaria. Ex illis, quae ex Augustino aliisque allegantur, exemplis aut dictis negat articulos fidei constitui posse. Taxat reliqua superstitiosa, ficta, inutilia: fabulas de apparitione animarum, peregrinationes ad loca, quae putantur sacra, fraternitates, communicationes operum a monachis venditatas, cultus reliquiarum, mercatum indulgentiarum, quae & alia omnia hoc solido fundamento improbat, quia meritum Christi non nostris operibus, meritis, aut nummis, sed per fidem ex gratia apprehenditur & obtinetur, nec ex concessione & potestate Pontificis, sed per praedicationem verbi divini offertur & proponitur. Annectitur disputatio de rejicienda invocatione sanctorum. *Licet enim Angeli*, (ait) *fortassis etiam Sancti, pro nobis in coelo orent, non tamen inde sequitur, illos aut hos invocandos aut colendos esse, cum nec praeceptum, nec exemplum in Scripturis extet, & cultus, qui Deo non praestatur, fit idololatricus.* Occurrit instantiae (quam recentiores quidam multi faciunt) quod Christiani in terris pro se mutuo orent, & ut id faciant, rogari possint: *Quis enim*, ait, *ideo illos, quocunque modo, adorat, invocat aut feriis, Missis & aliis ceremoniis colit?* Aversatur itaque & improbat, quicquid est Missa, & ex ea oritur aut pendet. Was Messe ist/ was daraus kommet/ was daran hanget. Articulus *tertius* de collegiis Canonicorum & de monasteriis ita conceptus est, ut appareat, non improbari illa, si ad educandos alendosque pios homines, & ut ex his idonei ad munera Ecclesiastica & politica sumi possint, constituantur; absque hoc satius esse dicit, ut deserantur aut destruantur, quam ut ad cultum fictitium & superstitiosum retinea-

A. 1537.

(3) De Missa.

(4) De collegiis Canonicorum & monasteriis.

A. 1537. (5) De Papatu.

tineantur. Articulo *quarto* Papatus penitus rejicitur, non tantum, ut ferri non debeat, tanquam ex jure divino, sed neque ex humano, & admissa licet autoritate Concilii supra Papam, ut Constantiæ factum est. Ait enim, obedientiam, quæ ex arbitrio hominum dependeat, nec jure divino nitatur, non esse stabilem, sed contemtui expositam. Rationem quoque sufficientem dari non posse, cur urbi Romanæ alligari debeat Pontificatus, nec eligendus potius sit tanto muneri idoneus, quocunque is sedeat loco: itaque non nisi confusiones & distractiones ex monarchico illo regimine expectandas esse. Rectius gubernari Ecclesiam per Episcopos paris potestatis, sed concordes in fide, sub uno capite Christo. Allegat *Hieronymum*, qui Ecclesiam Alexandrinam communi Presbyterorum cura administratam fuisse memorat. Hæc pertinent ad commendationem regiminis Aristocratici. Quæ subjungit, & in tria membra dispescit, *de actis Pontificum*, compendium sunt librorum, quos adversus Pontificatum edidit. Concedit (1.) bona quædam ab illis statuta & decreta esse, sed desumta ex jure civili & Cæsareo, adeoque magnam partem pagano. (2.) Ceremonias enumerat inutiles, ludicras, superfluas. (3.) Mendacia doctrinæ arguit de missis, purgatorio, vita monastica, merito operum, cultibus fictitiis; & hoc proprium ait esse regni Antichristiani, ut mendaciis addat sævitiam in eos, qui erroribus & abusibus renituntur. Quatuor articulos, nempe de *justificatione*, de *Missa*, de *monachatu* & *Papatu*, mordicus defensum iri in Conciliis, certos esse jubet omnes; (non falsus vates) indicat etiam, Antichristum non nisi Spiritu & adventu Christi destrui posse. Monstrat, quo cum periculo in Concilio comparendum sit, in quo non præsideat Cæsar placidam audientiam & disquisitionem, qualis in Comitiorum Augustanorum indictione offerebatur, promittens; sed Papa, qui audire contradicentes nolit, sed simpliciter damnare, & metu mortis ad idololatriam continuandam adigere cupiat; Parte *tertia* XV. articuli proponuntur (1) de peccato, (2) de lege, (3) de pœnitentia, (4) de Evangelio, (5) de Baptismo, (6) de Sacramento altaris, (7) de clavibus, (8) de confessione, (9) de excommunicatione, (10) de ordinatione, (11) de conjugio Sacerdotum, (12) de Ecclesia, (13) de justificatione & bonis operibus, (14) de votis monasticis, (15) de traditionibus humanis in Ecclesia. Hos exponere hic non possumus; notamus tamen quædam singulari, ut videtur, observatione non indigna. In partis hujus tertiæ inscriptione dicitur: *De his articulis cum doctis & prudentibus viris agere poterimus, vel etiam inter nos ipsos; Papam enim cum suis*, ait, *illos non magnopere curare, apud quos nihil sit conscientia, sed omnia sint pecunia, gloria, honores, potentia.* Existimavit nempe, capitales, qui schisma faciunt, articulos esse, quos parte secunda proposuerat, de Missa præsertim & primatu Pontificis, deinde innuere videtur esse in reliquis articulis, quæ salva dogmatum substantia, quoad formulas enunciandi & proponendi, considerationem admittant. Quod attinet ad articulos ipsos, rejicit, Lutherus in doctrina de peccato dogmata scholastica, quibus

(6) Pars III. in quindecim articulos distributa.

(7) Observatio specialis de viribus hominum in pœnitentia.

vires humanæ extolluntur, quæ ethnica vocat, & ad meritum, quod vulgo *congrui* dicitur, pertinent; item quæ concupiscentiam pro peccato habere nolunt; tum tres illas, quas statuunt, pœnitentiæ partes, *contritionem*, *confessionem* & *satisfactionem*, & quod hæc per indulgentias remittatur (Jubilæas præsertim,) & opinionem de operibus supererogationis. Stante vero dogmate suo, quod prava concupiscentia vere sit peccatum, quotidianam & perpetuam ad mortem usque pœnitentiam a Christianis exigit. Sequitur refutatio fanaticorum, quos belli rustici tempore audivisse se dicit, jactantes, peccari non posse a justificatis & Spiritu sancto illuminatis, nec, si peccent, fidem amitti. *Si*, ait, *tales in posterum etiam orirentur, sciendum & docendum est; quod si sancti, qui originale peccatum adhuc habere se sentiunt, & quotidie de eo pœnitent, & cum eo luctantur, ruant praterea in manifesta peccata, ut David in adulterium, homicidium, blasphemiam, eos excutere fidem & Spiritum sanctum, & abesse tunc ab iis fidem & Spiritum sanctum. Spiritus enim sanctus non finit peccatum dominari, invalescere & victoriam obtinere, ac consummari, sed reprimit & coercet, ne facere possit, quod vult. Si vero facit quod vult, certe Spiritus sanctus & fides amittuntur, nec simul adsunt.* Notanda hæc sunt adversus veteres novosque calumniatores, qui, ex nescio quibus Lutheri dictis, maligne excerptis, contrariam plane sententiam illi affingunt. De Sacramento altaris sive sacra Cœna ita loquitur: *Sentimus panem & vinum in cœna esse verum corpus & sanguinem Christi, & non tantum dari & sumi a piis, sed & ab impiis Christianis.* Hic quoque reperisse se putant controversiarum tractatores, quod exagitent; illi maxime, qui transsubstantiationem in hac propositione, *panis est corpus*, asseri dicunt, quod commentum in hoc ipso articulo diserte rejecit, allegans Paulum *I. Cor. XI. 28.* neque aliud, quam quod ante hac professus est, docet, multo minus tropum agnoscit in Sacramentali hac prædicatione: cum enim duæ res diversissimæ conjunguntur, complexio sive synecdoche verbalis evitari non potest. Ex titulo *de confessione*, junctis, quæ articulo III. de *falsa pœnitentia* prolixe docuerat, statui a Luthero apparet, quod sufficiat confessio generalis, qua quis agnoscit, se totum & in omnibus peccasse, nec disputat, quantum aut quale sit peccatum. Talem confessionem negat esse falsam, mutilam, aut mancam, neque partialem & jejunam, (nicht stücklich noch bettelisch) qualis tamen non possit non esse, quæ peccata omnia particulariter & cum circumstantiis enumerandas & describendas suscipit. Eodem articulo contra Enthusiasmum statuit: *Deum nemini Spiritum aut gratiam suam largiri, nisi per verbum, & cum verbo externo & pracedenti.* Rejicit etiam inspirationem Spiritus sancti in pectus Pontificis. De ordinatione sic loquitur: *Si Episcopi suo officio recte fungerentur, & curam Ecclesiæ & Evangelii gererent, posset illis nomine charitatis & tranquillitatis, non ex necessitate, permitti, ut nos & nostros concionatores ordinarent & confirmarent; hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvæ*

(8) De Sacra Cœna.

(9) De confessione.

(10) De Enthusiasmo.

(11) De ordinatione.

A. 1537.

væ, præstigiæ, deliramenta, spectra & pompæ ethnicæ. Quia vero nec sunt nec esse volunt veri Episcopi, sed politici dynastæ & Principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam administrant, nec ullum opus & officium Ecclesiæ præstant, sed eos, qui vocati, munus illud subeunt, persequuntur & condemnant; profecto, ipsorum culpa Ecclesia non deserenda, nec ministris spolianda est. Ostendit hisce, quod alias sæpe: stetisse penes Episcopos, ut autoritatem suam in ditionibus Protestantium retinerent, si munus suum secundum verbum Dei & veteris Ecclesiæ piam disciplinam gerere vellent; de quo cum desperaret Lutherus, Ecclesiis jus suum asserit in verbis sequentibus, ut sibi ipsi ministros constituant. Articulo ultimo rejicit opinionem de traditionibus & constitutionibus Ecclesiasticis, quarum observatione remissio peccatorum & animæ salus acquiri posse jactabatur, multoque magis alios, quos ridiculos vocat, Papatus articulos, v. g. de baptizationibus & consecrationibus multarum rerum. Hæc de articulis Lutheri sufficiant.

(12) *De traditionibus.*

Libelli *de potestate & primatu Papæ*, qui per Theologos, Smalcaldiæ congregatos, conscriptus esse, in exemplaribus excusis, dicitur, autorem se profitetur *Melanchthon*, ut in *Addit.* prolixius dixi, eumque inter ejus *Consilia* anno 1600. edita retulit *Pezelius P. I. p. 272. & seqq.* Distributus est in duo capita. In *primo* examinatur assertio Pontificis Romani, qua se jure divino supra omnes Episcopos & Pastores esse dicit, jure duplicis gladii, & sic etiam potestatem conferendi & transferendi regna sibi arrogat, & hæc credi vult necessitate salutis. Quamvis autem affirmanti ista Pontifici & ejus Clero probatio incumbat, negativa tamen ultro probanda in hoc scripto sumitur adductis Scripturæ locis *Luc. XXII. 25.* de prohibito discipulis Christi dominatu. *Joh. XX. 22.* de indistincta Apostolorum missione. *Gal. II. 7. 8.* de Paulo a Petro non ordinato. *I. Cor. III. 6. 7. 8.* de exæquatione ministrorum Ecclesiæ, & quod hæc sit supra ministros. Adducuntur historica ex Concilio Nicæno & testimoniis Cypriani, Hieronymi & Gregorii, itemque ex more veteri eligendi & confirmandi Pontifices. Respondetur ad dicta, quæ pro Pontifice urgeri solent: *tu es Petrus; dabo tibi claves; pasce oves meas*, in quibus Petrus dicitur personam Ecclesiæ sustinere: ad hanc enim v. g. jus clavium pertinet, *Matth. XVIII. 19.* & certum esse debet, petram, de qua Christus loquitur, *Matth. XVI. 18.* non esse autoritatem Petri, sed ministerium professionis de Christo a Petro factæ, & quod *pascere oves*, sit docere verbum, seu regere verbo, quod Petro cum aliis Apostolis commune fuit. Superioritas temporalis plane abjudicatur Pontifici, & impia, falsaque dicitur constitutio Bonifacii VIII. aliæque ejusdem tenoris. Monetur præterea; etsi Pontifex jure divino primatum haberet, obediri tamen illi non debere, si præcipiat & defendat impios cultus, idololatriam & doctrinam, cum Evangelio pugnantem. Hoc autem ab illo fieri, multis probatur rationibus, & ex illis concluditur, Papam cum suis a Christianis, ut Antichristum sive regnum Antichristi, & ut Pseudoprophetas, fugi debere. Agnoscit, grave esse dissidere a consensu tot gentium, & dici Schismaticos, autoritate tamen divina mandari hoc dicit omnibus, ut non sint socii & propugnatores impietatis & injustitiæ; satis ergo excusatas esse conscientias Protestantium, si considerentur articuli, propter quos a Papatu recesserint. Indicat, quæ docent de Missa, & de dubitatione, an remissa nobis sint peccata. Enumeratio peccatorum, & pro iis satisfactio, indulgentiæ, aliaque, mera dicuntur esse mendacia, quæstus causa excogitata. Invocatio Sanctorum horrenda dicitur idololatria. Flagitia ex cœlibatu orta cum doctrina de votis & perfectione vitæ monasticæ, eandem subeunt censuram, & his omnibus duo ingentia peccata accedere dicuntur, nempe sævitia in dissentientes, & oppressio judicii Ecclesiæ, evecta supra eam & Concilia Pontificum tyrannide. Remedium adhibendum his esse statuitur a Regibus & Principibus; monstratur etiam Conciliorum, quæ Papa convocat, inutilitas, quia nihil decerni contra arbitrium suum patiatur, nec libertatem sententiæ Prælatis relinquat, quos horrendis juramentis sibi obstrictos habet. Qui vero cum Papa consentiunt, & ejus dogmata cultusque defendunt, pollui dicuntur idololatria & blasphemis opinionibus, ac rei fieri sanguinis piorum, quos Papa persequitur, lædere gloriam Dei & impedire salutem Ecclesiæ. Parte *altera*, de *potestate & jurisdictione Episcoporum*, præsupponitur, Ecclesiæ Antistitibus competere munus docendi verbum Dei, administrandi Sacramenta, & quandam veluti jurisdictionem in excommunicatione peccatorum, & pœnitentium receptione. Hæc omnibus Ecclesiæ ministris communia esse affirmantur, sive Episcopi, sive Pastores aut Presbyteri vocentur. Citantur dicta Hieronymi, itemque Apostolica *Tit. I. 5.* & alia. Idem censetur de jure ordinationis, quod singulis cœtibus Christianis vindicatur, ex dicto *Matth. XXVIII.* & quod Christiani sint *regale sacerdotium*, indeque jus habeant constituendi ministros. Rejiciuntur, quæ ex Dionysio (quem ut supposititium notat) de Hierarchia adduci solent. Jus excommunicandi omnibus Pastoribus tribuitur, & raptum illis esse dicitur ab Episcopis. Horum & officialium excessus recensentur, tum in causis matrimonialibus, quarum cognitionem non habeant, nisi jure humano, tum in aliis injustis legibus & statutis. Accusantur in genere Episcopi, quod defendant impiam doctrinam & cultum, nec ordinent pios Doctores, quod juvent sævitiam Papæ, spolient potestate sua Pastores, & abutantur opibus, quæ non sint nisi eleemosynæ, ad alendos Ecclesiæ ministros, promovenda studia & juvandos pauperes, illis concessæ, in quibus omnibus fraudari ab illis dicitur Ecclesia. Hæc, puto, causæ sunt schismatis satis clare & mascule propositæ, quas frustra contemnunt & elevant, post veteres, hodierni Protestantium insectatores; fortassis & ex nostratibus quidam non satis considerant, nec articulos libellumque hunc debita cum attentione legunt, in quos tamen, cum ministeriis præficiuntur, plerisque locis jurant. Memorari merentur verba, quibus in Recessu sive decreto hujus conventus usi sunt Proceres, cum scripti hujus men-

(13) *Libelli Smalcaldiæ compositi pars prima, de Pontifice.*

An. 1537.

(14) *Pars altera, de Episcopis.*

(15) *Approbatio libelli.*

An. 1537. mentionem faciunt: Demnach wir unsere trefliche Gelehrten der heiligen biblischen schrifft allhier zusammen gesetzt/ die sich von allen articuln unserer Confeßion christlich unterredt/ so seynd sie durch gnädige verleihung Gottes einhälliglich miteinander übereinkommen in allen puncten und articuln/ inmassen unsere confession und apologia, die wir auff dem Reichstage zu Augspurg haben übergeben/ inne hält/ allein daß sie einen articul/ belangend des Pabsts zu Rom primat, etwas weiter und besser gestellt/ wie derselbe inhält. id est, *Postquam Theologos nostros primarios & sacræ Scripturæ peritos hic congregavimus, illi de omnibus articulis confessionis & apologiæ, quam Augustæ exhibuimus, christianum habuerunt colloquium & per Dei gratiam unanimiter in omnibus inter se consenserunt; articulum vero de primatu Pontificis Romani latius & melius conceperunt, ut scriptum ostendit.* His quidem confirmant acta & scripta in hoc conventu a Theologis, sed ita, ut fundamentum omnium in sacris literis ponant, eandemque normam quam Augustæ secuti erant, teneant; hunc vero *de Papa & Episcopis* articulum nominatim approbent; quia Augustæ, cum spes conciliationis esset, ad illum modum propositus non fuerat. Unde etiam factum est, ut Theologi articulos a Luthero compositos sola nominum subscriptione, libellum vero *de Papa & Episcopis*, præmissa relatione, subscripserint, in qua profitentur, *se ex mandato Principum, Ordinum & Civitatum relegisse articulos confessionis Augustanæ, & consensisse omnes, qui conventui huic interfuerint, se secundum articulos Augustanæ Confessionis & Apologiæ sentire & docere in suis Ecclesiis. approbare etiam articulum de primatu Papæ ejusque & Episcoporum potestate, in hoc conventu exhibitum.* Vide Tom. VI. Alt. fol. 1249. & alias *articulorum Smalcaldicorum* editiones.

(16) *Petitio Theologorum de bonis Ecclesiasticis.*

In hoc ipso conventu nomine omnium, qui aderant, Theologorum (*prædicantes* se vocant) exhibitus fuit Principibus & Ordinibus libellus supplex *de bonis & reditibus Ecclesiasticis*, qui insertus est *Tomo VI. Alt. fol. 1216.* Confidere se dicunt de bona intentione Procerum ad gloriam Dei promovendam; agnoscunt etiam, in quibusdam regionibus & civitatibus satis prospectum esse de alimentis Pastorum ex reditibus Canonicatuum & monasteriorum, itemque scholis & hospitalibus; esse tamen etiam loca, ubi magnus sit defectus, licet bona illa in Magistratuum aut privatorum manus devenerint. Queruntur de plebe, quæ parum contribuat, & dicunt, quod omnino verum sit maneatque, ad munificentiam, sive eleemosynas Principum recurri debere ab Ecclesia, sicut tempore Josaphati & Ezechiæ. Bona tamen illa, monent, dudum ad religionis conservationem destinata fuisse, quanquam multi accesserint abusus, neque se penitus improbare, quod Principes etiam quædam ex illis percipiant, dummodo prius provideatur sustentationi ministerii, id quod omnino ad officium magistratus pertinere contendunt, & hoc tempore valde necessarium esse, cum non appareat, unde, semel distractis his bonis, alia possint comparari. Petunt ergo propter Deum, *ut caveatur distractio, quæ & Ecclesiæ & Principibus ingens damnum sit allatura, & ut prospiciatur Ecclesiæ & scholis.* Ex hoc clarissimum testimonium sumi potest, quam falso imputari soleat Luthero & sociis, quasi Principes ad spolia bonorum Ecclesiæ invitaverint: neque Principes tale quid ex doctrina Pastorum colligere aut allegare potuerunt. Contrarium potius, accepta illa supplicatione, solenniter in *Recessu* illo testati sunt, cujus hæc sunt verba: Nachdem auch die erbarn und geistlichen/ unsere christlichen Lehrer/ Prediger und Seelsorger an uns suppliciret/ gerathen und begehret haben/ dieweil sich eine zeit her zugetragen hat/ und noch täglich zuträgt/ daß etwan die vermeinten Geistlichen/ so den päbstlichen lehren und ceremonien angehangen/ sich mit unsern glauben/ religion und ceremonien nicht vergleichen/ noch dienen wollen/ derowegen Closter-Stifft- und andere Kirchen-Güther in unsere hände kommen wären/ oder zukünfftig kommen würden/ daß wir darvon etwas zur Ehre Gottes/ und gemeinem christlichen nutz/ nach unserm christlichen bedencken/ verordnen wollen. Demnach so haben wir uns einmüthiglich entschlossen/ daß wir von solchen Kirchen-Güthern unsere Pfarr-Kirchen/ in unsern Obrigkeiten und Gerichts-Zwängen gelegen/ mit gelehrten/ gottsfürchtigen/ erbarn Pfarrern und Predigern/ Seelsorgern und Kirchendienern versehen/ und die dermassen/ nach gelegenheit eines jeden standes und gebiethes/ versorgen sollen/ daß sie sich mit ihren Weibern und Hauß-Gesinde ziemlich und ehrlich erhalten mögen: darzu auch Superintendenten die auff gemeldte Pfarrer und Kirchendiener auffsehen haben/ daß sie in guter lehre/ leben/ wandel und ordnung leben. Und damit unsern christlichen Kirchen in künfftigen zeiten an Pfarrern und Kirchendienern desto minder abgehen möge/ so wollen wir auch Schulen/ nach gelegenheit eines jeden Orths/ Obrigkeit und Standes/ ordnen/ und die geordneten unterhalten/ darinnen die Jugend in Zucht/ Ehr und Kunst möge auferzogen werden/ darzu etliche beneficia und gefälle/ zu verlegung etlicher armen Studenten/ und sonderlich in der heiligen Geschrifft zu studiren/ verordnen und fundiren; darzu Spitäle vor arme Leuthe/ Mannes- und Frauens-Personen auffrichten und nach nothdurfft versehen/ damit in dem unser christlich gemüth offenbar werde/ darinnen nach eines jeden vermöglichkeit allen fleiß anwenden/ und das alles an orthen und enden/ da solches mangel hätte/ und noch nicht geschehen wäre/ zum besten auffrichten/ verschaffen und verfügen/ wie solches christlichen Obrigkeiten wohl anstehet und gebühret. id est, *Posteaquam etiam honorabiles & spirituales, Doctores, concionatores & curati nostri Pastores Christiani, libello supplici nobis consuluerunt & petierunt, quoniam huc usque factum est, & quotidie fit, ut qui se Ecclesiasticos Prælatos & Clericos esse dicunt, Pontificiis dogmatibus & ceremoniis adhæreant, & nobiscum in fide, religione & ceremoniis consentire & ministerium præstare nolint, unde monasteria & Ecclesiæ Collegiatæ aliæque in nostram venerunt potestatem, aut in posterum venturæ sunt, ut aliquid ex illarum reditibus ad honorem Dei & rei Christiana*

A. 1537. (17) *Decretum ad eam Principum, cum epicrisi.*

A. 1537. *stianæ emolumentum, pro pio & Christiano arbitrio, assignare velimus; ideo unanimiter convenimus, quod parochiis in nostra ditione & jurisdictione doctos, honestos & pios pastores, concionatores & ministros præficere, illisque ex bonis Ecclesiasticis pro cujusque loci & districtus ratione & conditione ita prospicere velimus, ut cum uxoribus & familia sufficienter & honeste sustentari possint. Constituemus etiam Superintendentes Pastorum & ministrorum, quorum cura in doctrina, moribus & disciplina regantur. Ut vero etiam, in futurum Ecclesiis nostris Christiani Pastores & ministri non desint, scholas constituemus, pro cujusque ditionis & loci conditione, aut constitutas conservabimus, in quibus juventus ad bonos mores & ad artes honeste educetur. Ordinabimus quoque stipendia pauperioribus, qui studiis, maxime sacræ Scripturæ operam dant. Erigemus & dotabimus Hospitalia ad recipiendos pauperes utriusque sexus; ita ut pro cujusque facultatibus in omnibus locis, ubi id nondum factum est, optime provideatur & constituatur, quicquid Christianorum Principum & magistratuum officium exigit.* Hæc fuit tunc, neque unquam mutata est, sententia & Theologorum & Procerum Evangelicorum, sæpe etiam ad deliberationem in secutis conventibus denuo vocata, & a nemine contradicta; licet aliquid ex reditibus illis ad usus publicos, maxime, qui ad tuendam ab adversariorum vi aut insidiis religionem & pacem requirebantur, impendi posse & debere quibusdam visum sit, prout facultates provinciarum & urbium poscebant. Qui igitur modum transgressi sunt, non habuerunt, quod religioni & doctrinæ imputarent, neque negare potuerunt, quod de officio suo satis moniti essent.

§. LVII.

(1) Receptio Henrici Ducis Saxoniæ in fœdus Smalcaldicum.

Inter acta conventus hujus Smalcaldici referenda est proposita ab Electore Saxoniæ receptio in fœdus, aut protectio potius, *Henrico* Saxoniæ Duci, Georgii fratri, procurata. Cum enim is, ut alibi jam dicere cœpimus, & in *additionibus* quædam eo pertinentia annotabimus, Evangelicæ doctrinæ sese addixisset, vocato etiam Wittenberga concionatore aulico, *D. Jacobo Schenckio*, reformationem in sua ditione hoc anno instituere aggressus est. Ut vero a Georgii fratris oppositione tutior esset, conjugis & familiarium quorundam opera Electorem solicitavit, ut in fœdus reciperetur. Dubitabant Proceres, an Henricus in præfecturis suis (quarum non nisi duas habebat) jus supremi imperii haberet. Id cum asseveraret Elector, & nihil, quam *regimen metallicum* in fodinis Freibergensis tractus Georgio reservatum, ostenderet, decreta fuit d. 27. Februarii a plerisque, qui aderant, receptio; tam benigne quidem, ut nullam a Principe modicarum facultatum contributionem stipularentur, sed contenti essent ejus promissione, quod contribuere vellet, si ad majores opes perveniret: monebant tamen, ut *Mauritium* filium ex aula Georgii evocatum ad Electorem vel Landgravium mitteret, puriori doctrinæ assuefaciendum. Recipiebant etiam, si illi a Georgio annua tredecim millium florenorum pensio, ex pactis fraternis debita, religionis causa, denegaretur, fore, ut illam amica interventione procurarent aut ipsi interea illi suppeditarent. Subscripserunt huic decreto (*Reg. H. fol. 115. n. 55.*) *Elector* & *Landgravius*, tum *Ulricus* Würtenbergicus & *Philippus* Pomeranus; ex civitatibus vero Deputati, *Argentoratensis, Augustanus, Ulmensis* & *Magdeburgensis*. Exhibita vicissim est (*d. Reg. H. fol. 133. n. 60.*) syngrapha *Henrici* d. 9. Januarii data: miserat enim Elector ante conventum ad Henricum d. 7. Januarii *D. Melchiorem a Creuzen*, Præfectum Colditiensem, qui de negotio hoc cum illo transigeret. Finito vero conventu, & posteaquam a reliquis fœderatis, quorum Legati mandatum ad hanc rem non habebant, ratificatio per literas ad Electorem secuta esset, aliam cautionem d. 7. Junii Henricus a se & filio Mauritio subscriptam, misit, quam *Hortlederus Tom. I. Lib. VIII. cap. 10.* refert, licet prior illa, quæ aboleri, (ut ex instructione Legati Electoralis, *Justi ab Hayn*, d. 30. Junii data, apparet) debuisset, itidem in *Archivo* asservetur. Ita animatus *Henricus* reformationem suscepit, cujus summa capita a *Schenckio* supra memorato composita hæc sunt: (*Reg. JJ. fol. 124. C. 6.*) *Doceatur pure, absque humanarum traditionum admixtione ex præscripto Christi Luc. XXIV. 46. 47. pœnitentia & remissio peccatorum. Quoad primam, proponatur Decalogus & instructio de bonis operibus, de tolerantia crucis sive afflictionum, de obedientia Magistratibus præstanda, de exequendo pro cujusque vocatione officio & de assiduitate precum. Quoad remissionem peccatorum, agatur de Evangelio, & fide, atque consolatione ex verbo Dei, in omnibus afflictionibus ipsaque morte. Pro norma doctrinæ & rituum habeatur visitationis ordinatio in Electoratu* (de qua *Lib. II. §. XXXVI.* actum est) *& Augustana confessio anno 1530. in comitiis exhibita. Admoneantur Pastores, ut legant Biblia Germanica Lutheri, ejusdemque Postillas & cum aliis libris piis & orthodoxis, utrumque Catechismum, minorem vero ex his juventuti sedulo inculcent, utque populum in concionibus hortentur, ad studium verbi divini & pietatem morum, usum Sacramenti, obsequium erga Superiores, & ad bona opera, quibus gloria Dei & salus proximi promoveatur; schola etiam cum cura constituantur & conserventur.*

(2) Reformatio ab Henrico in ditione sua Freibergensi suscepta ejusque norma.

(3) Georgii Ducis contradictio.

Hæc cum *Georgius* rescivisset, & Legati Electoris Saxonici circa festum Pentecostes *Freibergam* venturi essent, negotium hoc adjuturi, triduo ante, d. 17. Maji literas ad Henricum dedit, eique in memoriam revocavit, quæ suo & illius nomine Cæsari promisisset, *quod* nempe *in veteri religione ad Concilium usque perseveraturi essent: Jam vero vereri se* dicebat, *ne ex consilio Electoris ageret, quæ promissioni isti non convenirent, & ipso essent indigna & indecentia.* Rogat itaque, *quoniam Concilium jam instaret, ut omnem innovationem intermitteret; si aliter faceret, se Cæsarem celare id non posse, dicebat.*

(4) Henrici responsum.

Respondit *Henricus* d. 18. Maji, *se, ex Scriptura sacra edoctum, ritus quosdam illi contrarios in ditione sua abrogaturum, & secundum verbum Dei ordinaturum esse, idque ex conscientiæ impulsu, quo excusatum se esse apud Cæsarem & omnes confideret; moram ad Concilium usque sibi non probari, quia conjuncta sit cum periculo animarum: Petit, ut hac Georgius æquo ferat animo*, neque tamen illi præscribit, quid ad Cæsarem referre vellet.

(5) Georgii replica.

Ad hæc

An. 1537.

hæc *Georgius* jam concitatior d. 23. Maji prolixe regerit, *sibi mirum videri, quod ex sententia illorum, qui incredulitatem pro unico peccato habeant, sanctum officium Missæ improbet & abominetur, & de personis & bonis Ecclesiasticis statuere audeat, in qua tamen nullam habeat potestatem; si conscientia urgeatur, satis esse, si ipse sibi prospiceret, aliis vero nihil imperaret.* *Si enim*, ait, *mihi vel ex verbo Dei, vel Pontificis & Cæsaris concessione potestas esset in sacra, dudum abrogassem, quæ pro abusibus habere potuerim; sed cum non reperiam, id mihi ex verbo Dei incumbere, & Papa atque Cæsar me jusserint Ecclesiæ obtemperare, nihil innovandum sumo usque ad Concilium, sum enim membrum Ecclesiæ, & Imperatori subditus; nemini tamen præcipio, quid in corde suo credere velit.* Addit, *se dolere, quod frater, ea jam senecta, ab obedientia illa recedat, se inconsulto; se quidem rem Deo commendare, facere tamen id fratrem suo periculo, &*, ut putat, *damno, spreto meliori consilio.* Monet iterum, *ut desistat, & Clero nihil auferat ex iis, quæ ex majorum liberalitate & populi corrogationibus acquisiverit, ne, dum Evangelium in cellis & horreis quærat, inveniat, quæ satius fuisset evitari.* Claudit cum voto, *ut Deus illum illuminet quo sequatur, quod bonum & salutare sit.*

(6) Henrici replica.

Post triduum d. 26. Maji *Henricus* quoque clarius & prolixius respondet: Præmittit contestationem de obsequio & officio, Cæsari & fratri semper exhibito, & in posterum exhibendo, in omnibus, quæ conscientiam non lædant. *Hac vero, & clarissimo præscripto sacrarum literarum, se constringi* dicit, *ut differre aut omittere, quæ destinasset, non posset. Neque se primum aut solum Principem Imperii esse, qui Evangelicam doctrinam, Georgio tam vehementer invisam, acceperit, & obsequium, Deo debitum, omni alii obligationi præposuerit, salva tamen in reliquis fide, quam Cæsari debeat. Profiteri se eandem doctrinam, quam Principes quidam in Comitiis Augustanis publice sint confessi, & ex verbo Dei clarissime probaverint, minime ex illo refutatam; in hac se per Dei gratiam constanter perseveraturum esse. Cum igitur huic adversetur status, ita dictus, Ecclesiasticus* (der vermeinte geistliche stand) *in doctrina & cultu, & duæ contrariæ doctrinæ in uno loco sine turbatione pacis vigere non possint, se absque ulla mora, ratione tamen moderatissima* (mit den schleunigsten und stillesten wegen und mitteln) *reformationem suscepturum esse, nemini tamen sua ablaturum, aut quenquam coacturum esse, ut contra conscientiam aliquid credat; id modo curaturum, ut cultus Christianus, Deo placiturus, constituatur, abolitis contrariis. Qui ex Clero hoc non probent, sed contemnant, illis liberum esse, in alia loca se conferre, ubi id impune facere possint. Bona Ecclesiæ a majoribus fundata destinaturum se esse ad usum pium & Christianum. Mandasse etiam, idque Georgii exemplo, ut donaria & alia monasteriorum mobilia consignentur & custodiantur, cum constet, quædam jam dissipata aut subducta esse.* Addit, *si ipse diutius in abusibus Cleri reformandis cessaret, periculum esse, ut populus in eum insurgeret, cum illius & suo quoque damno, neque sibi vires esse, ut post vulneratam causam postmodum remedia afferret: Paratum se denique* ostendit, *ut de actionibus suis coram libero & Christiano concilio, quale in multis comitiis promissum sit, respondeat:* Gratias agit fratri, *quod rem hanc suo permittat arbitratui*, petitque, *ne illius causa sibi succenseat, aut, si vis sibi metuenda sit, auxilium suum deneget;* sperat tamen *hoc se etiam ab aliis amicis & necessariis impetraturum esse, si opus fuerit.* Tandem, *cum nihil sibi magis cordi sit, quam ut vitam ad senectutem jam productam in concordia fraterna finiat, & satis constet, quid uterque de religione sentiat, petit, ut Georgius finem scribendi in hac causa faciat, & in ea se agere sinat, quemadmodum ipse illi nihil in sua præscribat ditione.* Claudit literas eodem, quo *Georgius*, voto. Hic finis fuit contentionis, per aliquot dies, mutuis literis familiariter scriptis (Hand-Brieffe) inter fratres agitatæ, & *Henricus* propositum suum executus est; ægerrime licet id ferente *Georgio*, cui tamen neque jus neque occasio erat, ut vi aperta in Henricum fratrem ageret.

A. 1537.

(7) Annotatio ad literas Georgii.

Observare licet in literis *Georgii* frigidum cavillum, cum doctrinæ Lutheri imputat thesin, *quod incredulitas unicum sit peccatum, propter quod homines damnentur.* Hoc enim hodie adversarii in nos utuntur, quasi statueremus cum fide sive credulitate omnia flagitia consistere posse: id quod Lutherus cum suis toties negavit, & in articulis hoc anno conscriptis, (de quibus dictum est) publice contradixit. Illa enim phrasi hoc tantum indicabat, quod incredulitas, sive carentia fidei salvificæ, sit fundamentum aut caput omnium peccatorum, & formalis damnationis causa: peccata enim omnia pœnitentia & fide in Christum remitti, at non pœnitentibus nec credentibus damnationem inevitabilem esse, sive, ut Christus ipse pronunciavit; *qui non crediderit, damnabitur*, Marc. XVI. 16. Alterum *Georgii* erratum est in præjudicio, quo præventus erat, *sibi in causa religionis & conscientiæ jussis Pontificum & Cæsarum parendum esse*, neque reformationis curam ad se pertinere: At *Henricus*, quanquam ingenio & judicii acumine Georgio longe inferior, rectiora tamen suggerentibus morem gessit, & meliorem amplexus est sententiam. Ita in angusta illa ditione sua talentum a Domino concreditum laudabiliter tractavit, unde post biennium impletum in eo est quod *Matth. XXV. 21.* dicitur: *Super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam:* Reformandam enim tunc accepit delatam ad se Fratris provinciam, sua decuplo majorem, & paulo post in gloriam Domini intravit, ut in loco memorabimus.

ADDITIO.

(a) Jacobi Schenckii conditio, & acta in aula Freibergensi.

Rogatus Elector anno 1536. (*Reg. N. lit. J. fol. 97. n. 37.*) (a) miserat *Henrico* Duci VVittenberga *M. Jacobum Schenckium*, qui, ut ex literis *Henrici* d. 22. Julii percipitur, satis gratus & inde ad capessendum Doctoris titulum animatus fuit. Paulo post tamen aulæ moribus non satis accommodatus, & sermone incautior, offensas incurrit, & abitum molitus est, ut ex literis Ducissæ d. 16. Novembris ad Electorem scriptis apparet, in quibus nihilominus a doctrina & morum honestate laudatur, & adversus detractiones defenditur, addita petitione ut Electoris adhortatione *Freibergæ* diutius retineretur. Eadem paucos post dies significat Electori, *Georgium* Ducem d. 19. Novembris Freibergæ

A. 1537.

bergæ fuisse, nihil tamen de religione locutum esse; Consiliarium vero illius *Georgium Carlevitium* sub amicitiæ specie Schenckio autorem fuisse, ut, quoniam sacris nondum esset initiatus, ordinationem ab Episcopo Misnensi peteret. Memorat in iisdem literis, Schenckium, in sacello aulico concionantem, auditores bis mille quingentos habere, quos locus non caperet. Sacra interim in urbe veteri more fiebant. Moveri cœperat Schenckius Carlovitii blandimentis, quibus etiam minæ accesserant, fore, ut Georgius Dux *Friderico*, filio fatuo, qui unicus post mortem *Johannis* supererat, uxorem daret, & *Henricum*, propagata ex illo prole, a successione excluderet; vel Freibergenses lignatione ex ditione sua, qua carere non poterant, negata, coerceret. Verum Elector, a conjuge Ducis consultus, ex sententia Theologorum VVittenbergensium, d. 2. Decembris respondit, ordinationem ab Episcopo, salva conscientia, peti non posse, aliumque, qui ejus loco in aula concionaretur, & jam olim ordinatus esset, *Casparum* nempe *Zürnerum*, concionatorem Schneebergensem, missurum se esse pollicetur. Interea Schenckius literarium commercium cum Carlovitio a d. 9. usque ad 19. Decembris habuit, asseverante hoc, Episcopum nihil aliud a Schenckio in ordinatione exacturum, quam ut juraret, se secundum Evangelium docturum esse. Cum vero novem mensium tempus ad ceremonias ordinationis requiri diceret, & Episcopus ægrotaret, irrita fuit qualiscunque illa Carlovitii machinatio, qua progressum reformationis Freibergensis impeditum ibat, & *Henricus*, de cujus frigiditate in hoc negotio multum apud Electorem querebatur Schenckius, ita confirmatus est, ut d. 5. Januarii anni 1537. Electori scriberet: se jam Georgium fratrem non timere, neque obsequi illi hac in causa velle. Cancellarius etiam Henrici, qui Decanus collegiatæ Ecclesiæ Freibergensis erat, concesserat Schenckio, ut in templo Collegiato (vulgo der Dom) Kal. Januariis publice concionem haberet. Inde animosior Electori d. 15. Januarii scripsit, non solum in concionibus habendis continuaturum se esse, sed &, licet non consecratum, sacram Cœnam administraturum. Rationes, quæ *Melanchthonis* manu conscriptæ extant, Hero suo proposuit, *primo*, quod ad Baptismum & prædicandum Evangelium, etiam secundum Canones, Laici adhiberi possint, id quod exemplo Origenis ex *Eusebio Lib. VI. hist. Eccles.* probat. *Secundo*, quod vocatio ministrorum a populo, vel ejus nomine & tacito assensu, a Principe facta sufficiat, ordinatio vero ab Episcopo accedat, si is Evangelicæ veritati addictus sit; sin minus, rejiciendum eum esse, ut anathemati Paulino subjectum, quia aliud Evangelium prædicaret. Invenio, *Pontanum*, consulto prius Luthero, d. 1. Maji Electori suggessisse, ut Henricum Ducem exhortaretur quidem, ut spreto omni periculo, abusus abrogaret & verum cultum exemplo Electorum Saxoniæ in suam introduceret ditionem, nec se a Cancellario suo retardari pateretur, ut rem ad Concilium usque differret; modum tamen agendi, quo Lutherus *Friderici* Electoris tempore usus erat, observaret, ut Senatus Freibergensis a Capitulo (ad quod jus parochiæ pertinebat) reformationem peteret, illique petito Henricus ut Princeps urbis, in quam nullum Georgio imperium erat, non refragaretur. Sive igitur hoc sive alio modo, negotium sane processit, instituta visitatione, de qua dixi. Mandata hæc fuit, (*Reg. J. J. fol. 124. C. 6.*) ab Henrico Duce *Georgio Spalatino*, quem Elector rogatus miserat, *D. Jacobo Schenckio*, *Antonio a Schönberg*, qui a Georgio Duce male habitus, Henrico a consiliis erat, & *Andrea Altbeccio*, Consule Freibergense: Non deerant difficultates, tum a Capitulo, & Clero, tum ab ipsius Ducis ingenio, qui jam ultra limites progredi & durior in Canonicos, monachos, monachasque esse videbatur. Evicit tamen *Spalatinus*, ne bona Ecclesiastica distraherentur, & una tantum domus a Canonicis deserta *Schönbergio* data est, multaque alia utiliter constituta sunt, abrogato etiam lupanari, quod Freibergæ erat, more ante reformationem, ad imitationem Romanæ turpitudinis, in aliquibus urbibus Germaniæ recepto. Exorta erat acris inter *Henricum* & quosdam ex primaria illius tractus nobilitate, *Schönbergios*, *Miltitios*, *Pflugios*, contentio, quod Henricus virgines, nobilium sorores & cognatas, renitentes etiam, ex monasterio dimittere, iisque ea, quæ intulerant, restituere quidem, sed alimentorum nomine nihil præbere volebat. Repugnabant illi vehementer, & fundationes urgebant, non sine minis: has quoque spargebat Henricus, ut ex literis mutuis, mense Julio & Augusto datis, constat. Finis fuit, ut, ex consilio Electoris, Henricus quidem nobilibus illis, quos fœderatos, sive Bundesgenossen vocat, diserte indicaret, nullius apud se momenti esse vota, quæ illi allegabant, monastica, & se ita statuturum esse diceret, ut Deo & Cæsari rationem posset reddere; simul tamen virginibus, ut in Electoratu factum erat, de alimentis prospiceret. Finita visitatione *Schenckius*, ut scandalum, quod consecratus non esset, illo tempore & loco evitaretur, ex aula Henrici in Electoralem vocatus est, missique sunt dudum ordinati *Zürnerus* ille, aliique, qui communionem sub utraque introduxerunt. Dixi, institutam fuisse hanc in præfecturis *Henrici* reformationem ad formulam visitationis anno 1528. & sqq. in Electoratu peractæ; *Schenckius* tamen d. 8. Junii enixe ab Electore petiit, ut formula illa (cujus exemplaria paucissima supererant) recuderetur, omissa clausula, qua communio sub una infirmioribus, qui novum ritum aversabantur, concedebatur: mori se malle, scribens, quam ut eam suo facto approbaret. Hæc novæ editionis, de qua in loco dicturus sum, occasio fuit. Protervus est *Surius*, qui de actis Henrici in hac reformatione scribit, *illum & visitatores ejus non solum a sacris literis, sed etiam ab Augustana confessione illiusque apologia discrepasse.* De sacris literis quidem communis illi cum aliis est calumnia, qui, postquam errores & abusus ex traditionibus & statutis Ecclesiæ suæ defendi posse desperarent, cavillos ex centonibus Scripturæ invenerant, quibus apertam veritatem ex clarissimis ejus dictis oppugnarent, aut commenta sua tutarentur; sed reliqua impudenter finxit. Nam, ut ex actis authenticis allegavi, *Henricus*, & quos ad negotium illud deputavit, Augustanam confessionem & formulam visitationis Electoralis pro norma habuerunt, nihil prorsus mutantes, quam quod tolerantiam illam, ante annos decem circa communionem sub una usurpatam, jam tollendam esse existimarent.

(b) *Conciones publice habet in Ecclesia collegiata.*

(c) *Consilium Pontani de modo reformationis.*

(d) *Acta visitationis Freibergensis.*

(e) *Contentio de virginum monasticarum alimentis.*

(f) *Schenckius Freiberga abit.*

(g) *Annotatio quædam de communione sub una, & refutatio Surii.*

§. LVIII.

Ad historiam conventus Smalcaldici & acta hujus anni, *Maimburgius*, ut vidimus, refert etiam fœdus, quod sanctum & catholicum vocant, ab *Heldo* procuratum; Sed de eo, quia anno sequenti subscriptum fuit, in loco agemus. Smalcaldiam invitatus, ut desideraverat, fuit *Fridericus Dux Lignitiensis* in Silesia: Misit is Legatum *Philippum a Pupschiz*, qui se, quod non comparuisset, ob senectam excusaret, & consensum in religione testaretur, simulque Electorem interrogaret, an licitam esse putaret defensionem adversus Cæsarem aut Regem, si vim religionis causa intentarent? Allegabat enim quoddam *Lutheri* responsum, quo contrarium sensisse videbatur. Respondit Duci Elector post conventum, d. 31. Martii (*Reg. H. fol. 143. n. 68.*) non dissimulans, Lutherum, dum festinaret, nec in causa satis informatus esset, *Johanni* Electori de jure defensionis dubitationem movisse, sed Jurisconsultos sententiam hunc in modum pronunciasse: Jure quidem Canonico, Pontificum artibus, imperium cum Papatu ita connexum, & Imperatores juramento ad præstandam sedi Romanæ protectionem sive *Advocatiam*, quam vocabant, & ad exequenda Pontificum & Conciliorum, quæ illi cum suis habituri essent, decreta

(1) *Legatio Ducis Lignitiensis ad conventum Smalcald. & responsum de jure defensionis datum.*

A. 1537.

decreta obligatos fuisse; sed illo ipso jure excipi casum, quo Pontifex hæreseos, apostasiæ & idololatriæ reus esset. Cum igitur de his criminibus a Principibus & Doctoribus Evangelicis Pontifex nunc accusetur, neque ipse in hac lite judex esse possit, consequens esse, ut pro injuria & vi habendum sit, si Pontifex nihilominus judicandi potestatem sibi sumeret, & Cæsar decreta ejus regia manu exequi vellet. Adversari hoc divino & humano juri, immo etiam Pontificio; ideoque Principes & Magistratus, qui jus armorum habent, licite violentiæ illi resistere posse, maxime in hac causa, quæ fidem & cultum Dei spectaret. Addit, Theologos quoque, perspecto hoc Jurisconsultorum responso, in eandem sententiam ivisse, cujus exemplum Duci mittit, hortans, ut fœderi Smalcaldico accederet. Verum is, misso iterum mense Julio Legato illo, in excusatione sua perstitit, jam non priori scrupulo, sed illo potissimum impeditus, quod inter Imperii Principes locum non teneret, sed in Silesia sub regni Bohemici clientela ditiones haberet, contrariæ religionis Proceribus & populis circumdatas; constantiam tamen in doctrina Evangelica, quam in sua provincia introduxerat, amplissime promisit. Cœpta quoque est in hoc conventu tractatio cum *Johanne Marchione Brandenburgico*, Electoris fratre, de receptione in fœdus, concludi tamen non potuit, quia de modo contribuendorum sumtuum disceptabatur; de eo vero post aliquot congressus cum Electore & legationes, conventum fuit, ut ex literis Marchionis d. 7. Julii ad Electorem datis constat. Laborabant magnopere, ut illum a societate ista abstraherent, non solum frater, sed maxime *Georgius* Saxoniæ Dux & *Henricus* Brunsuicensis, socer Marchionis. Opponebant ei pactum parentis *Joachimi* I. Electoris, Halis cum *Moguntino, Georgio Saxone* & *Brunsuicensi*, de servanda veteri religione initum, & transactionem cum Fratre, qua cautum erat, ut fœdus nullum iniret, nisi in quo frater exciperetur; sed *Johannes* negabat, se Halensi pacto obligari, alteri vero satisfacturum se esse dicebat, excipiendo fratrem. Habebat etiam *Georgius*, Marchio Brandenburgicus Onoldsbacensis, Legatos in hoc conventu, qui quoad capita religionis assentiebantur, sed fœderis formulæ subscribere nolebant, causantes, Herum pactis cum Cæsare & Ferdinando Rege constrictum esse, unitum etiam Saxoni & Landgravio veteri & hæreditaria inter familias conventione (die Erbeinung) quam sufficere existimaret ad præstanda, si opus esset, mutua auxilia.

(2) *Acta fœderatorum cum Johanne Marchione Brandenburg.*

(3) *Item cum Georgio Marchione.*

Conventus Smalcaldici sequelæ fuerunt aliæ, ut fieri solet. Convenerunt enim mense Aprili *Brunsuigæ* Legati Principum, qui de tributis cum civitatibus inferioris Saxoniæ pepigerunt, & de *Henrico* Saxoniæ Duce in fœdus recipiendo decreverunt. Deinde *Coburgi*, accersiti ab Electore consiliarii fœderatorum bellici, d. 22. Augusti, de re militari & de stipendiis menstruis cuique pro dignitate & munere præstandis acturi convenerunt. Conductos esse a Ducibus fœderis, Electore & Landgravio, hoc anno, invenio, in variis Germaniæ provinciis peditum præfectos plusquam triginta, equitum quatuordecim. (*Reg. H. fol. 148. n. 72.*) Illi ex civitatum incolis plebeji potissimum generis erant, fidemque suam sine exceptione obligabant: hi vero, equitum magistri, ex illustribus aut equestribus familiis nati, Principes excipiebant, quibus feudali jure obstricti erant. Tanta vero tunc erat juventutis, quæ militiam sectabatur, in Germania copia, ut singuli præfecti peditum (Hauptmänner) brevissimo tempore & parvo ære quingentos pluresque; equestrium vero turmarum magistri (Rittmeister) ducentos aut trecentos equites instructos & armatos adducere possent, ita ut vel unius mensis spacio ingens exercitus ex peregrinis facillime conscriberetur. In hodie multa fit cum difficultate, sive quod imminutus est variis ex causis, nec sine Magistratuum culpa, onera plebis indies multiplicantium, hominum numerus; sive quod, nondum constitutis satis, firmiter pacis publicæ in Germania legibus, frequentiora essent & breviora simul minusque periculosa bella, & sic plures illi vitæ generi sese, data subinde occasione, addicerent.

(4) *Conventus Protestantium Brunsuigæ & Coburgi.*

(5) *Apparatus fœderatorum militaris.*

Ad consilia illa parandæ defensionis impellebantur fœderati continuis rumoribus de Cæsaris decreta in se expeditione, & quod, interventu Pontificis, inter illum & Galliæ Regem de pace & jungendis adversus hæreticos, quos vocabant, viribus ageretur. Præcipuus suasor & instigator habebatur *Henricus* Brunsuicensis, quem Cæsar hoc anno *Christophoro* fratri, Archiepiscopo Bremensi, inter quem & Senatum urbis magnæ simultates erant, *conservatorem* dederat. Spargebatur etiam fama de nuptiis inter filiam *Henrici* & filium *Georgii* Sax. Ducis *Fridericum* conciliandis, & ut *Henricus*, post mortem *Georgii*, provinciæ ejus (inepto ad eam regendam *Friderico*) præponeretur. Intutum sane per Brunsuicensis ditiones iter erat Evangelicis, nec sine periculo commeabant inter fœderatos Legati & Nuncii, ut ex relationibus Electori missis (*Reg. H. fol. 144. n. 69.*) constat. Diligenter itaque illi de adsciscendis sociis augendisque viribus soliciti erant. Frustratus tamen fuit Elector, cum per *Guilielmum Nassovium*, Clivensis, Soceri sui, filium unicum, in aulam suam traducere cuperet, ut in religione puriori, ad quam propendebat, firmaretur: Nec plus profecit, cum per *Dolzigium* ministros Soceri moneret, ut ad Evangelicæ doctrinæ publicam professionem Herum moverent. (*Reg. H. fol. 154. n. 75.*) Circa finem anni ex literis *Johannis* Electoris & *Archiepiscopi Trevirensis*, qui ante alios sui Ordinis Proceres, æquum in Protestantes animum præ se ferebat, itemque *Maria*, sororis Cæsaris, quæ Belgium gubernabat, mitiorum consiliorum spes aliqua affulsit. (*Reg. H. fol. 137. n. 64.*)

(6) *Rumores de apparatu Cæsaris contra Protestantes & Henrici Ducis Brunsuic. machinationes.*

(7) *Evangelicorum cura de augendo fœdere.*

Referenda est etiam, si non inter prospera, certe non inter mala, prorogatio Concilii, cujus paucis verbis mentionem facit *Maimburgius*, pluribus vero *Pallavicinus Lib. IV. cap. III. IV. V.* Prætextus vel causa erat postulatum *Friderici Gonzagæ*, Ducis Mantuani, qui sumtus a Pontifice ad alendum præsidium militare 150 peditum & 100 equitum flagitabat, & jurisdictionem in advenas, etiam Ecclesiasticos, sibi arrogabat. Edito itaque diplomate d. 20. Maji Pontifex Concilium ad Kal. Novembres distulit, suspensa loci denominatione. Litigat *Pallavicinus* hic cum *Paulo Veneto* Pontifici falso, ut putat, imputante, quod exemtionem

(8) *Prorogatio Concilii.*

A. 1537.

Cleri a jurisdictione politica ita extenderet, ut etiam concubinas sacerdotum, non nisi ad forum Ecclesiæ trahi vellet. *d. cap. III. §. 6.* Fatetur postea *cap. IV.* Pontificem non tam sponte, quam ne Germani Nationale Concilium, quod summe oderat, & periculi plenum esse existimabat, convocarent, in Concilii indictione perstitisse; desperasse etiam, ut Protestantes ad id adducerentur, & ad confirmandos solum Catholicos respexisse, idque per Nuncios Cæsari & Ferdinando significasse. Debemus etiam *Pallavicino* relationem de expostulatione *Ferdinandi* cum *Nuncio* Papæ, quod tam tardus esset in Concilii promotione, & apud Germanos omnem fidem amitteret, Gallis etiam, Turcorum licet sociis & Protestantium protectoribus, nimium indulgeret. Memorat etiam *Pallavicinus*, urbem *Tridentinam* jam tum a *Ferdinando* propositam fuisse. Sed Pontifex propensionem in Gallos utcunque excusavit, &, pactis interea inter illos & Cæsarem induciis, edito altero d. 8. Octobris edicto, Concilium ad Kal. Maji anno proximo habendum *Vicentiæ* in Veneta ditione indixit.

(9) *Alia ex Pallavicino.*

ADDITIO I.

(a) *De literis Ferdinandi Rom. Regis ad Lutherum.*

Cum de *Ferdinandi* Regis actis mentio incidat, præterire non possum Rescriptum ejus, quod hoc anno 1537. d. 1. Febr. *ad Lutherum* edidisse fertur. Retulerunt id Latinum & Germanicum graves autores; primus, quod sciam, *D. Polycarpus Lyserus*, concionator aulæ Electoralis Saxonicæ primarius, in *strena ad Gretserum* Jesuitam anno 1607. edita, *p. 43.* & ex hoc *Goldastus Constit. Imp. Tom. III. p. 561.* Horum fide idem allegavit *D. Joh. Gerhardus in Confess. Cathol. Lib. I. fol. 43.* edit. in fol. *D. Matthias Hoë*, itidem concionator aulæ Electoralis primarius, in *Luthero Thaumaturgo*, & ex recentioribus, ut multos alios prætercam, *D. Joh. Christfr. Sagittarius*, Superint. General. Altenburgensis, in editione *Tomi Luth. IX. fol. 1588. D. Abraham Calovius* & *D. Val. Alberti*, magni nominis Theologi, ille, in *historia Syncretistica*, hic, in *tractatu contra Klibnitium.* Inscripta est epistola Ferdinandi, titulo Cancellariæ consueto & decenti, *Honorabili, docto, devoto*, (dem Ehrsamen und Gelehrten/ Andächtigen) *D. Martino Luthero, sacrarum literarum Doctori VVittenbergæ.* Narrat in exordio, se, cum juvenis ex Hispania in Germaniam venisset, a Lutheri scriptis & dogmatibus, ut ab hæreticis, & quæ Romanæ Ecclesiæ statutis adversarentur, ita a concionatoribus & confessionariis suis edoctum abhorruisse; a biennio tamen quosdam Lutheri libros, maxime interpretationes Psalmorum, ubi de regimine Regum & Principum tractaverit, legisse. Factum postea, ut confessionarius suus Franciscanus, quem ex Hispania adduxerit, paulo ante mortem fassus sibi sit, se Regem decepisse, veramque salutis viam nunquam commonstrasse; eoque nomine per Deum veniam rogasse, & enixe petiisse, ut in posterum cum regnis & provinciis suis Evangelium, quod Lutherus fideliter & diligenter docuisset, sine mora reciperet, & Cæsarem, ut idem faceret, permoveret; hæc si speraret posset, læta mente moriturum esse. Pergit Rex, & intellexisse se scribit ex *Joh. Offlingio*, Cancellario Bohemico, & *Andrea Ungnadio* Barone, qui Lutherum Torgaviæ concionantem audiverint, & cum eo collocuti sint, quomodo de bonis operibus pie & distincte docuisset, & interrogatus bonam doctrinæ suæ rationem reddidisset. Accedere, quod Papa & Clerus, a Luthero vehementer reprehensi, trepidi & imparati essent. His de causis Regem animum suum a Luthero antea aversum mutasse & mitigasse, ita ut doctrinam ejus, si sacræ Scripturæ constanter adhæreret, & nihil seditiosum, aut quod Christo contrarium sit, admisceret, libenter ferre velit, missurus etiam sit splendidam ad Cæsarem legationem virorum Evangelio faventium, qui illi dicta illius Franciscani aperiant, eumque ad consensum invitent. Quod si impetrari id non possit, Comitia indicturum, & cum Imperii Ordinibus, ex consilio Lutheri aliorumque doctorum, de religionis & fidei concordia transactionem unanimem promoturum esse. De fide hujus Rescripti illi, quos ex nostratibus allegavi, doctores quidam non dubitant, & authenticum *Dresdæ* extare crediderunt. Cum dubitatione quadam id citavit *Gerhardus*, & significatum mihi est, tempore *Joh. Georgii I.* Electoris diligenter inquisitum in scriniis Dresdensibus, sed repertum non fuisse. Acta quoque *Ferdinandi* publica hoc ipso anno cum animo & proposito, quod in literis illis profitetur, parum concordant. Privatim aliquando mitius locutum esse constat, ut ex iis, quæ ex hujus anni actis §. LIII. retuli, percipitur. Fortassis inter suos liberius locutus est, aut fuit, qui tale consilium scriptumque illi suggereret, sed obtinere, quæ desiderabat, non posset. Mutabiles sunt Regum animi, magis sæpe, quam privatorum, quod vel exemplo *Francisci*, Galliæ Regis supra relato demonstrari potest. Maxima dubitandi causa inde oritur, quod Lutherus nullam hujus benevolentiæ mentionem facit, nec Electori quicquam de ea significavit, cui tamen vix lætius nuncium afferre potuisset. Sed de his cuique liberum esto judicium; mihi tutius visum est, rem non usque quaque certam in medio relinquere.

(b) *earum contentum.*

(c) *Annotatio de fide harum literarum.*

ADDITIO II.

Ordinatio Ecclesiastica in Hassia, ejusque contenta.

Hoc anno *Philippus Hassiæ Landgravius*, constitutionem Ecclesiasticam in provincia sua publicavit, quæ inscribitur: *Ordinatio*, (Ordnung) *quomodo in posterum visitatores, pastores, diaconi, omnesque ministri Ecclesiarum constitui & conservari, vel si eorum quidam non idonei & negligentes sint, removeri debeant.* Distribuit totam regionem in districtus sive diœceses sex, & iis visitatores, id est, Superintendentes præfecit: *M. Adamum* (cognomento *Cratonem* sive *Fuldensem*) Marpurgi; *Johannem Fontium* Cassellis; *D. Tilemannum Schnabelium* Alsfeldæ; *M. Georgium Mollerum* Rotenburgi; *Bernhardum VVeigershemium* Darmstadii; & *M. Gerhardum Eugenium* San-Goarii. Eligi in posterum jubet Superintendentes a pastoribus diœcesium, per duos vicinos Superintendentes congregatis, ita ut vel ex illa, vel (si idonei desint) ex alia diœcesi tres viri denominentur & sistantur, ex quibus duo illi Superintendentes unum deligant, & Principi confirmandum mittant; nisi illi alius ex denominatis gravi de causa præferendus videatur. Præscribuntur utiles regulæ, secundum quas visitari diœceses singulis biennils debeant: sumtus moderati ex reditibus monasteriorum assignantur: encænia prorsus abolentur. Pastorum vocatio & confirmatio, salvis tamen juribus patronatus, Synodo sex Superintendentium committitur, in casibus vero repentinis diœcesano. Eodem modo remotio synodis defertur, suspensio autem in delictis notoriis itidem diœcesano. Criminum publicorum pœna ad magistratus remittitur, reliqua emendatio per gradus, secreta primum diœcesano, deinde adhibitis piis testibus, & tandem synodo demandatur. Constituuntur Superintendentibus adjutores. (Untersetzte id est, adjuncti) Singuli pastores semel in anno coram Superintendente comparere, & de rebus Ecclesiæ rationem reddere jubentur. De salariis æqua & salutaria providentur: inter alia, ut in casu insignis sterilitatis, (si coloni imperatum frumenti modum præstare non possint,) fruges in agris inspiciantur, & æqua partitio fiat. Synodus quotannis Cassellis aut Marpurgi, prout Princeps in alterutro loco aulam habuerit, celebranda indicitur, ita ut Superintendentes singuli, unum aut duos ex diœcesi sua pastores, a reliquis denominatos, adducant. Adduntur alia de officiis ecclesiasticis, & scholasticis, ut & de pauperum cura, & de stipendiis. Speciatim mandat Princeps, ut filiis pastorum ante alios succurratur, ut fideles ministri cœtuum præstitæ operæ remunerationem etiam in liberis suis percipiant. (daß ein ieder getreuer Diener der Gemeinde Gottes seiner Dienste und Arbeit auch in seinen Kindern geniesse.) Ista & alia illo tempore constituta egregium temperamentum indicant, quo & Principibus sua majestas, & Ecclesiæ ministris decens libertas & dignitas, conservabatur.

§. LIX.

A. 1537.

§. LIX.

(1) *Consilium Cardinalium & Prælatorum, de reformatione curiæ Pontificiæ.*

Inter omissa a Maimburgio ex hujus anni gestis, est etiam reformationis meditamentum a *Paulo III.* Pontifice, præter id, quod anno 1535. sine effectu tentaverat, quatuor Cardinalibus & quinque Præsulibus demandatum. Cardinales erant *Caspar Contarenus*, *Johannes Petrus Caraffa*, (postea Pontifex *Paulus IV.*) *Jacobus Sadoletus*, & *Reginaldus Polus* : Prælati *Fridericus Fregosus Archiepiscopus Salernitanus*, *Hieronymus Aleander Brundusinus*, *Joh. Matth. Gibertus Episcopus Veronensis*, *Georgius Cortesius Abbas Venetus*; & *Thomas Badia Magister Palatii.* Horum consultatio in Germaniam delata, cum animadversionibus *Joh. Sturmii* Latine Argentorati, Germanice Wittenbergæ, cum epicrisi Lutheri, excusa postea fuit. Contenta egregie exposuit *Sleidanus*, principio *Libri XII.* Extat & integra dudum, & nuper in historia *de Conciliis Edmundi Richerii Lib. IV. P. II.* publicata, qui tamen queritur, quod a *Surio Carthusiano*, aliisque silentio transmissa fuerit. Lutherus in sua censura *Tom. VI. Alt. fol. 1253.* adulationem autoribus, Pontifici vero eam imputat intentionem, quod concilium vel prævenire, vel abbreviare hac delegatione voluerit. Præfixit primæ editioni picturam, quæ Pontificem in sublimi solio sedentem repræsentat, quem Cardinales quidam circumsistunt, caudis vulpinis, longuriis alligatis, omnia perpurgantes. Compendium consilii *Pallavicinus d. L. IV. cap. V. §. 3. ad 12.* exhibet, solita cum *Pauli Veneti* exagitatione. Autorum summam prædicat diligentiam in penetrandis Ecclesiæ vulneribus, libereque & candide detegendis, tum incomparabile religionis & sapientiæ studium. Gloriatur, *quod ab illis accusata non sit dogmatum falsitas, sacræ Scripturæ depravatio, Legum iniquitas, calliditas politica, fucus sanctimoniæ & vitiorum impunitas, quæ omnia oblatraverint*, ut loquitur, *Lutherani.* Mentem certe horum, vitia Romanæ hierarchiæ taxantium, nemo facile melius assecutus est aut tersius expressit : sed audiendi & de calumnia convincendi erant, aut obsequendum iis fuisset, correctione vitiorum. Delegatos quidem haud difficulter excusaverim, quod ulcera illa non tetigerint : neque enim mandatum id illis fuerat, & reservandum erat, quod in Concilio ageretur. Ad vitia igitur regiminis tam Pontificii quam Episcopalis, & ad eorum remedia pertinent, quæ Censores illi multa cum honoris præfatione, suique extenuatione corrigenda esse arbitrati sunt. Illa hic prolixe recensere nihil attinet, cum pleraque a reformatione, quam Protestantes desiderabant, valde sint remota, nullumque aut exiguum habuerint effectum. Monuerunt & improbarunt quædam, quæ *Pallavicinus* excusat, v. g. collationem plurium beneficiorum in unum ; fieri enim id dicit ob proventus tenuitatem, aut in gratiam sublimiorum, qui veluti columnæ sint Ecclesiæ. Id maxime conducibile esse, statuit, in provinciis hæresi infectis, in Germania puta, nempe ut uni Principi, religionis studioso, plura concedantur. Expedit id scilicet, ut sint, qui exercitus adversus hæreticos alere possint. Arduum esse, dicit, ut Cardinales (quod consultores suaserant,) a Principum clientelis abstraherentur ; exigit nempe id ratio status Pontificii. Gratuitæ, quam Catones illi urgebant, dispensationum expeditionis recusationem, erogationibus adversus Turcos & hæreticos tuetur, quas frequenter & ardenter flagitare dicit Reges & Principes a Pontificibus. Sollicitabat enim tunc *Ferdinandus* Papam, ut nummos ad bellum Turcicum suppeditaret, & *Fridericus* Palatinus, qui Daniam *Christiano*, Regi Lutherano, eripere volebat ; Sueci etiam quidam exules, *Gustavum* Regem solio deturbaturi. Subjungit *Pallavicinus* generalem deprecationem rigidæ censuræ, & considerare jubet aliorum Principum in male administrandis & impendendis reditibus excessus, & quod *imperium Pontificium hominibus destinatum sit, Adami labe infectis d. l. §. 9.* & paulo ante *§. 6.* dixerat: *Angelicam solertiam ab Angelis peti debere in cœlo regendo, non ab hominibus in terris administrandis.* Vera hæc quidem sunt, & eo faciunt, ut agnoscantur nævi, etiam in sanctissimis mortalium : Sed defectus tam graves a vicario Christi, ab Ecclesiæ capite & judice infallibili, a Spiritu sancto in summis fidei caussis illuminato, mirum est, non abesse. Quæri etiam posset, si imperium illud, & regium vitæ genus, sine flagitiis dominationis (ut asserere videtur Cardinalis) geri non potest, quis jusserit Pontifices, ut illud invaderent, absque quo Ecclesia Christiana multis seculis steterat, majori doctrinæ puritate & vitæ innocentia. Deploranda sane hæc est Ecclesiastici status conditio, nec sine dolore legi potest hæc sacerdotis, Jesuitæ & Cardinalis confessio, ex qua apparet, dona, quæ vocamus, sanctificantia non adesse iis, quibus tamen ministrantia summi gradus & divinæ prope perfectionis attributa esse dicuntur. Iniquum denique est, in Luthero aliisque summo cum rigore exigi a patronis Hierarchiæ, quæ in suis non inveniunt, nec asserere audent. Sunt inter Romanorum dogmatum propugnatores, quibus hæc atque alia *Pallavicini* commenta, ad excusandas Pontificum artes, minime probantur. Reprehendunt ea ii, quos vulgo *Jansenistas* vocant, inter quos referendus videtur, qui se *Richardum Abbatem* nominat, autor operosæ refutationis *D. Petri Jurii*, quam in *Actis Erud. Lips. mens. Nov. 1690.* enarratam reperimus. Scribit enim *Lib. II. c. 14. Horrori esse veris Ecclesiæ Rom. filiis Pallavicini regulas, omnibusque Episcopis & Theologis zelum pro Ecclesia habentibus.* Verum ad paucos hos respiciendum non est, exosos præsertim & damnatos Romæ. Sed in viam redeo. Pontifex Præsulum scriptum Consistorio Cardinalium examinandum commisit. Variatum est in hoc sententiis, testibus *Paulo Veneto* & *Pallavicino* ; discors tamen hic a Paulo, ut solet, *Nicolai Schönbergii*, Cardinalis Capuani, de quo supra dictum fuit, consilium, quod Pontifex secutus est, probat, ut nulla fieret reformatio, ne Lutheranis jactantiæ occasio præberetur, quasi Pontificem eo adegissent. Contrarium sentit *Richerius* Sorbonista *Lib. IV. Hist. Conc. P. II. p. 157.* neque de hac solum cunctatione *Pauli III.* sed & de *Synodo Tridentina* queritur, quod *non nisi putativam & fictitiam reformationem instituerit.* Sed *Pallavicinus* prædicat laudatque, (quam vere, alii viderint) quod ipso facto plurima, quæ Delegati illi reprehende-

(2) *Irridetur a Luthero.*

(3) *Commendatur a Pallavicino.*

(4) *Quædam reformationis illius contenta, cum epicrisi.*

(5) *Pontificis de reformatione illa sententia, ejusque varia consideratio.*

An. 1537. henderint, correcta & emendata fuerint; cætera, ut dixi, excusat, aut silentio transmittit. Inter ea sunt, quæ de disputationibus & concionibus monuerunt his verbis: *Abusus magnus & perniciosus est in Gymnasiis publicis, præsertim in Italia, in quibus multi Philosophiæ Professores impietatem docent. Immo in templis fiunt disputationes impiissimæ: & si quæ sunt piæ, tractantur in eis res divinæ coram populo valde irreverenter. Ideo putaremus indicendum Episcopis, ubi sunt publica Gymnasia, ut per eos admonerentur lectores, qui legunt, ne docerent adolescentes impietatem, sed ostenderent infirmitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinentibus ad Deum, ad mundi novitatem vel æternitatem, & similiter; eosdem ad pietatem dirigerent. Similia, ne permitterent fieri publicas disputationes de hujusmodi quæstionibus, neque etiam de rebus Theologicis, quæ certe multum existimationis perdunt apud vulgus; sed privatim de his rebus fiant disputationes, publice de aliis quæstionibus physicis. Idemque injungendum esset omnibus aliis Episcopis, maxime insignium civitatum, in quibus hujus generis disputationes fieri solent.* Addunt quandam censuram *colloquiorum Erasmi*, quorum defensionem *Sleidanus d. l. XII. p. 330.* suscepit.

(6) *Locus ex reformatione, de concionibus.*

ADDITIO.

(a) *Alia quædam ex reformatione Romana.*

Quanquam, ut dixi, parum ad fidem & religionem faciant, quæ Cardinales ad reformationem deputati Pontifici suggesserunt; alia tamen quædam ex illis excerpemus. Adulantur supra modum, cum in exordio scribunt, Spiritum Dei per *Paulum III.* Ecclesiam Christi labantem, immo fere collapsam in præceps, restaurare decrevisse. Fatentur tamen eo ipso, quam hodie *Maimburgius* aliique negare consueverunt, ruinam Ecclesiæ; & ne quis hoc de Lutheri hæresi intelligat, mandatum sibi a Pontifice datum allegant, in quo scripserat, *gravissimis morbis Ecclesiam jamdudum laborare*, præsertim vero *Romanam curiam.* Originem mali Cardinales & Prælati adulatoribus tribuunt, qui aditum veritati ad aures Pontificum obstruxerint, eosque opinione impleverint, ac si omnium beneficiorum domini essent, & illa absque simoniæ crimine vendere possent; hinc *blasphemari* dicunt *nomen Christi inter gentes.* Acriter reprobant dispensandi adversus leges & canones facilitatem, & quod lucri caussa id fiat, quod tamen minime ad potestatem clavium pertineat, de qua dictum sit: *gratis accepistis, gratis date.* Queruntur, quod presbyteri *imperitissimi & vilissimo genere orti, malisque moribus ornati*, ordinentur, adolescentes plerique, quodque in collatione beneficiorum personis prospiciatur, non gregi: pensionibus gravari Prælatos injuste, easque male collocari, cum, si quid supersit, non nisi ad eleemosynas impendi debeat. Redarguunt absentiam Episcoporum a sua sede & diœcesi, & cumulationem munerum sacrorum maxime in Cardinales, cum neglectu officii & magno scandalo. Improbant etiam exemtiones monachorum, quibus Episcoporum autoritati derogetur, & quod cura sacrarum virginum monachis committatur. In Gymnasiis publicis, per Italiam præsertim, impietatem sive atheismum a multis Professoribus, Philosophia abutentibus, doceri dolent; item, quod religiosis habitum, sive vestes Ordinis deponi concedatur, & votis soluti ad matrimonia admittantur, alienissimo quidem, ut monent, tempore, cum Lutherani libertatem illam urgeant. Indulgentiarum modum statui petunt, ut non nisi semel in anno & in insignibus civitatibus concedantur. Inter defectus urbis Romæ hos potissimum accusant, quod Sacerdotes sordide vestiti Missas celebrent, meretrices matronarum habitu incedant, aut mulis vehantur, easque familiares Cardinalium de media nocte comitentur. His aliisque non majoris momenti indicatis, conscientiæ & juramento, quo obstricti ad hoc negotium erant, satisfecisse sese dicunt. Versionem hujus *consilii* Germanicam non solum cum præfatione, de qua dixi, sed & cum notis ad marginem satis aculeatis Lutherus edidit, quæ in Bibliothecis extat; in Tomos tamen, nescio qua caussa, relata non est. In summa dicit, *a Cardinalibus festucas aliquantulum tangi, trabes crassissimas sileri & confirmari: excolari muscas, camelos deglutiri*; quo quidem dicto totum illud reformationis phantasma & ludibrium breviter & aptissime expressit. Ubi Cardinales colloquia Erasmi, (ut supra relatum est) taxarunt, Lutherus adscripsit: *Itane hic culpam sustinet? utinam viveret! responderet utique vobis turpissimis pro merito, & ostenderet, quam pie vos & omnes verbis & factis reformaretis.* (Ja / der muß gethan haben / wolte GOtt / er solte leben / und euch schändliche Buben bezahlen und anzeigen / wie gottselig ihr mit worten und wercken euch und alle gebessert habt) Nescio, num Lutherus, ista scribens, melius de Erasmo mortuo quam vivo senserit, an id innuerit, quod reformatores illi impune in Erasmum, si viverent, censuram non exercuissent.

An. 1537. (b) *Item glossis Lutheri adeam publicatis.*

§. LX.

(1) *De Lutheri rebus quædam adversus Maimburgium.*

De actis Lutheri pauca sunt, neque tamen satis vera, quæ *Maimburgius* hoc anno memorat. Falsum est, quod, illo autore, locum Concilii extra Germaniam recusatum fuisse scribit, cum nihil minus, quam locum in dubium vocaret Lutherus: Falsum etiam, & non nisi ad invidiam Landgravii excogitatum, quod Lutherus levi morbo laboraverit: contrarium vel ex suis autoribus scire potuit. Vid. *Surius hoc anno.* Leve certe non est, octo diebus obstructo urinæ meatu cruciari. Tam grave id fuit, ut de vita sua ipse desperaverit, & omnes ad commiserationem magnumque mœrorem moverit. Itaque non Landgravius solum, sed Principes proceresque omnes ægrotantem inviserunt. Auctum fuit malum imperitia medici Hassiaci, ut ex *Melanchthonis* epistolis percipitur. Cum igitur in tanta versaretur angustia, nullamque humani auxilii spem videret, enixe petiit, ut aveheretur. Impositus itaque currui Electoris d. 26. Februarii, per juga montium, Smalcaldia *Tambachium*, populosum ad radices sylvæ Thuringicæ vicum, delatus est, & ex ipso vecturæ motu levamen morbi ea nocte habuit, unde historiæ Jacobi Patriarchæ *Gen. XXXII. 30.* recordatus, locum illum in literis ad Melanchthonem *Phanuel* vocavit. vid. *Tom. IX. Alt. fol. 1574.* Altera die uxori scripsit, narrans, se vix tribus diebus Smalcaldiæ valuisse, & a prima Dominica (d. 18. Februarii, qua concionatus erat) ad alteram usque nullam lotii guttam emittere potuisse, quiete & somno penitus caruisse, cibumque & potum omnem rejecisse. *In summa*, ait, *mortuus eram, teque cum parvulis nostris Deo & bono Hero nostro commendavi: spem vos videndi amiseram, multum quidem vestri misertus: sepulchro me destinaveram; Sed tam instantes ad Deum preces factæ & tot lacrymæ profusæ sunt, ut præterita nocte vesica aperta fuerit, ita ut nunc renatus mihi videar.* Addiderat ei Elector comites *D. Pomeranum*, itemque *Spalatinum* & Medicum alium *Georgium Sturzium.* Hi Tambachio successum itineris ad Electorem perscribentes,

(2) *Lutheri de morbo suo literæ.*

(3) *Item e lectoris.*

A. 1537. tes, maximum gaudium in conventu excitarunt. Testatus id est Princeps (*Reg. H. fol. 115. n. 55.*) d. 27. Februarii rescribens, *se lætissima mente levamen morbi intellexisse, & curasse, ut de suggestu publice gratiæ agerentur Deo, precesque continuarentur pro integra viri valetudine, ad gloriam Dei & Ecclesiæ Christianæ solatium.* Mandat, *ut ei, quia Wittenbergam properabat, diligentissime assisterent, nihilque, quod fieri & haberi ad ejus commoditatem posset, deesse illi paterentur.* Repetiit idem aliis literis, & *Erfurtum* vitari jussit, male tunc fidens *Moguntinis.* Sed *Gothæ* illa ipsa hebdomade (diem notatum non invenio) recrudiut malum, ita ut Lutherus ad mortem sese pararet, & *Pomerano* ultimas preces committeret, quarum contenta Germanice & Latine a non paucis referuntur. Extant autem Pomerani manu d. 9. Aprili subscripta *Reg. H. fol. 101. n. 44. Scire se*, dixit, *recte fecisse, eoque nomine Deum laudavit, quod Papatum aggressus esset, inimicum Deo, Christo & Evangelio:* salutari jussit *Melanchthonem*, quem *suum* vocat, *Jonam* & *Crucigerum*, & veniam rogari, si illos offendisset: Uxori solatio esse debere, dixit, quod annis duodecim lætum felixque matrimonium habuissent; illius officia, quæ non ut uxor modo, sed ut famula præstiterit, laudavit, & remunerationem a Deo precatus est: commendavit illam cum prole amicis, ut iis adessent, prout licuerit: salutem Diaconis Wittenbergensibus nunciari, itemque civibus voluit, benevolentiam eorum in se agnoscens: Principi & Landgravio significari petiit, ut non paterentur se turbari clamoribus adversariorum de bonis Ecclesiasticis, neque enim vetitum esse, aliquid ex illis percipere, cum ad curam religionis tot sumtus impenderent: notavit etiam abusum adversariorum circa bona illa satis acriter. *Porro*, ait, *jube Principes meis verbis, ut faciant in Deo confidenter pro causa Evangelii, quicquid Spiritus sanctus suggesserit: non præscribo illis modum: Deus misericors confortet eos, ut maneant in ista sana doctrina, & gratias agant, quod sunt liberati ab Antichristo. Ego serio commisi eos precibus Domino, & spero, quod Deus eos conservabit, ne cedant rursus impietati Papisticæ, utcunque sint in quibusdam peccatores, nec in omnibus puri.* Adjunxit quædam de adversariorum impietate, blasphemiis, odiis, & crudelitate, de quibus scripturum se fuisse dixit, si diutius vixerit, nec defore, qui id vehementius facturi sint, se etiam mortuo. *Committo*, inquit, *animam meam manibus Patris & Domini mei Jesu Christi, quem prædicavi & in terris confessus sum, Amen.* Factum tamen est, sic volente Deo, & diligentia medici, ut periculum superaret, & sic satis convalesceret. Consignata non invenio, quæ Smalcaldiæ in ejusdem morbi summo periculo, cum Principibus præsertim, locutus sit, nisi quod *Reg. N. Lit. H. fol. 103. n. 40.* scriptum sive protocollum extat, ex quo intelligitur, ipsum Electori indicasse, *fore, ut post mortem suam discordia in Academia Wittenbergensi orietur, & doctrinæ suæ mutatio fieret.* Id Principi solicitudinem incussit, ut non multo post, cum jam firmius convaluisset Lutherus, d. 5. Maji Wittenbergam profectus *Luthero* & *Pomerano*, mœrorem ex dicto illo Lutheri collectum, verba faciente *Pontano*, exponeret, *audivisse se* dicens, *quod Melanchthon & Cruciger aliis phrasibus in articulis de justificatione & bonis operibus, quam Lutherus, uterentur*, questus maxime, *quod Melanchthon in editione Augustanæ confessionis verba quædam mutasset, quod sine suo aliorumque consortium consensu fieri non debuisset.* In Jurisconsultorum etiam opinionibus de conjugio Clericorum, & legitimis liberorum, quos generarent, natalibus aliquid desideravit. *Hæc*, ait, *& alia, me & te, Luthere, viventibus aguntur, quid fiet post mortem nostram? Habeo enim filium primogenitum, infantem, fratrem adolescentem, & idoneorum virorum magna est inopia.* Cohortatus inde est Lutherum, ut ista non negligeret, & testatus est, licet sciret, celebritatem Academiæ *Melanchthonis* eruditioni & famæ tribui solere, se tamen illo carere malle, quam pati, ut veritati derogetur, licet Academia deserta fieret: minus se peccaturum esse, quam *Georgium* Ducem, qui propter studium veteris erroris Lipsiensem academiam in solitudinem redegisset. Optarim, ut reperire potuissem, quæ Lutherus responderit. Ista interim optima fide enarro, ut cavillis calumniisque responderi tanto fortius possit, quibus id agitur, ut ex *Melanchthonis* aliorumque privatis sententiis & actionibus de religione pronuncietur. Evanescit simul ex tanti Principis judicio & effato, quicquid de mutatione Augustanæ confessionis & olim objectum est, & hodie subinde objicitur; nulla enim publico consilio facta est. Apparet etiam, non falsum vatem fuisse Lutherum, cum secutas discordias prædixit, quibus ansam *Melanchthonis* indulgentiam dedisse, negari haud facile potest. Abusi ea sunt variis ex causis alii, & Lutheri rectitudo atque constantia profuit Ecclesiæ, dum vixit. Heroicus quoque animus Electoris ex iis, quæ retuli, elucet, summaque laude dignus est, quod veritatem & orthodoxiam omni applausui, & vanis fucatæ concordiæ meditamentis præferendam esse censuit. A. 1537.

(4) *Recidiva, & quædam ejus occasione dicta.*

(5) *De actis Electoris cum Luthero secretis aliqua.*

ADDITIO.

Lutheri Smalcaldia abeuntis vox excepta est, ab adversariis vehementer exagitata. Respexisse enim urbem fertur, in qua celeberrimus conventus erat, & dixisse: *Impleat vos Deus odio Papæ.* Vid. *Tom. IX. Alt. fol. 1574.* Præsupponebat, Papam cum suis in doctrina errare, in moribus corruptissimum esse, & in Evangelicos vi & astu grassari. Testatus autem multoties est, si ista corrigi possent, se præ omnibus aliis summo honore Pontifices prosecuturum esse. Idem notandum est ad ea, quæ retulimus de dictis ejus in agone suo Gothano ad *Pomeranum.* Papistas intelligebat, vocabatque illos, qui in aula Pontificia versati varias pecuniæ conquirendæ & adipiscendi honores & pinguia sacerdotia artes exercebant, aut Pontificibus supremam in Concilia & Reges potestatem adstruebant, in quos etiam hodie calamum stringunt, Galli præsertim, qui de cætero doctrinam Protestantium non probant. Adjungemus hic etiam epigrammata, in itinere hoc a Luthero composita, ex quibus de moribus & ingenio ejus judicari potest. Cum Wittenberga cum collegis suis Smalcaldiam iturus, *Altenburgum* venisset, & hospitio a *Spalatino* exciperetur, hos versus composuisse dicitur, *d. Tom. IX. fol. 1574.*

(a) *Lutherus odium Pontificis suis commendat.*

(b) *Carmina hospitalia ad Spalatinum.*

Ut tua sunt Christo gratissima facta, Georgi,
Sis sit grata cohors hæc peregrina tibi,

An. 1537.

Tendimus ad celebrem pro nostro Chalcida cœtu,
Magna Dei cogit causa per istud iter.
Tu quoque nostrarum pars magna, vir optime, rerum,
Nobiscum venies, duxque comesque viæ.

per *Chalcidem* intelligit *Smalcaldiam* ferrifodinis nobilem. Reversus inde, eodemque hospitio fruens, hos fecit:

Christus in infirmo venit hic, Spalatine, Luthero,
Et tua pro requie tecta benigna petit.
Quicquid huic facias factum sibi judicat ipse:
Qui nos membra sui corporis esse docet.

§. LXI.

(1) *Conciones Lutheri Smalcaldiæ habitæ, de tentatione Christi.*

Progredior ad ea, quæ ex Lutheri scriptis dictisque hoc anno edita & commemoranda sunt. Ex concionibus ejus, in conventu Smalcaldico publicis, duæ referuntur *Tom. VI. Alt. fol. 1062.* ex Evangelio *Dom. Invocavit* d. 18. Februarii habitæ. Ex his inter alia notanda est distinctio tentationum Satanæ, triplici figura aut colore apparentis. *Ab initio*, ait, *nigrum se exhibuit, deinde album, denique ut ipsum Deum. Niger erat, cum primis Ecclesiæ seculis primam illam tentationem de fame & desperatione, quam Christo proposuit, Ecclesiæ etiam objecit, quam vexabat omnium rerum angustia sævisque persecutionibus. Hanc superavit Ecclesia exemplo Christi per verbum Dei, ita ut hæreses illorum temporum immanes & fœdissimæ parum ei nocerent. Albus & angelica specie apparuit, cum cessante persecutione, & pace sub Imperatoribus Christianis parta, in pinnaculum templi Ecclesiam evexit, excitatis sublimibus & subtilioribus hæreticis, Ario puta, aliisque, qui exemplo suo ex Scripturis argutarentur. Hanc quoque tentationem superavit Ecclesia, ad ductum Christi, scripturam integram, recto sensu & loco allegatam & intellectam, contra cavillos & depravationes, opponens. Tertium Diaboli insultum* (concione altera) *ad tempus Antichristianismi aperti* refert, *ubi jam Diabolus Dei loco sese præsentavit & adorari voluit.* Vid. *fol. 1067. & sqq.* ubi præcipuos abusus a Pontificibus introductos graviter exponit, majusque ultima hac tentatione damnum, quam prioribus duabus, acceptum esse existimat. *Oblata* enim *Prælatis Ecclesiæ potentia & opulentia effectum fuisse* ait, *ut secularis ille fastus & luxus Dei loco coleretur. Hoc regnum Antichristi*, ut alibi, ita & hic diserte dicit, *universaliter & penitus non nisi per adventum Christi destrui posse, (fol. 1069.) ex parte tamen subversum iri, non vi vel autoritate Imperatoris & Principum, sed restituta Evangelicæ doctrinæ puritate. Ita fieri, ut parvus grex, ministerio vilium & contemtorum hominum Satanam, qui se pro Deo gerat, exemplo Christi abigat.* Tertia concio in ædibus Quæstoris, cum valetudinis causa in templo verba facere non posset, habita est. (*d. Tom. VI. fol. 1117.*) Explicavit in hac, breviter quidem, sed egregie & practice Symbolum Apostolicum, & sermonem notabili voto finiit; (*fol. 1121.*) dixit enim, post recensita primaria fidei capita; *Deus nobis Spiritum suum sanctum largiatur, ut ista credere possimus, & perfecti moriamur Christiani.* Indicaverat autem, quos pro *perfectis* habeat, eos nempe, *qui credant, Deum esse creatorem & patrem suum, Christum redemptorem, Spiritum sanctificatorem, qui in corde confirmet, quod aures ex verbo Dei perceperunt; deinde etiam sancte & pie vivant, spontanea fidei alacritate, nec virga opus habeant.* Succedant *d. Tom. VI. a fol. 1122. ad 1226.* homiliæ in *caput primum Johannis* Evangelistæ, quas hoc anno Wittenbergæ, loco *D. Pomerani* Pastoris, qui in *Daniam* profectus erat, diebus Sabbati habuit, calamo *Georgii Rorarii* & *Georgii Solini* exceptæ. Cœpit autem d. 7. Julii a *capitis primi* explicatione, cum nescire se diceret, nec explorare potuerit, ubi *Pomeranus*, eundem Evangelistam explicans substitisset. Queritur de negligentia in audiendo verbo Dei, neque tamen dubitat, quin Deus, concionatores vocans, vocaverit etiam, qui audiant, & ex auditu proficiant. Quanta vero in his concionibus sit pietas, eruditio, orthodoxia in articulis arduis & subtilissimis, de naturis & persona Christi, & in iis populo explicandis facilitas & simplicitas, id vellem, ut ii, quibus Lutheri incomparabilia dona ignota aut non satis æstimata sunt, lectionis experimento discerent. Indicabo pauca, eaque maxime, quæ quis non facile in his homiliis quærat, omissis, quæ in compendio referri non possunt & adversus Arianos, Judæos & Turcos de gravissimis articulis disputata sunt. *Fol. 1139.* postquam de ministerio Johannis Baptistæ, & de Legis ceremonialis abolitione disseruisset, de Decalogo sic loquitur: *Cessat etiam hic, in quo tamen præcepta de vita sanctitate erga Deum & homines traduntur, ita nempe, ut damnare nos, qui in Christum credimus, jam non possit, liberatos a maledicto legis; manet tamen Decalogus & ad Christianos pertinet quoad obedientiam illi præstandam. Justitia enim, quam Lex exigit, a fidelibus impletur, gratia & ope Spiritus sancti quem accipiunt. Inde omnes Prophetarum itemque Christi & Apostolorum in Novo Testamento exhortationes ad pietatem, egregiæ & pulcherrimæ sunt explicationes Decalogi. Fol. 1143.* ad *vers. 7.* ubi Johannes dicitur *in testimonium venisse*, jactatam a fanaticis inspirationem absque verbo, veluti fulmine hoc prosternit, offensa efficacia externæ prædicationis: *Ex fanaticorum enim sententia, opus*, ait, *non fuisset testimonio Johannis Christum ostendentis, sed de eo Spiritus in singulis absque verbo testari debuisset.* Ex eodem *versu*, ubi Johannis testimonium de lumine allegatur, annotat: *Johannem, etsi in victu & vestitu singularem, ut hominum oculos & attentionem, ostentata vitæ suæ rigida continentia, in se converteret, discipulos tamen suos ad idem exemplum non instruxisse, aut sectam monachorum instituisse, sed tantum homines ad fidem in Christum adduxisse.* Ostendit inde, quantum *Francisci* & *Dominici* instituta a methodo Johannis distent, licet magno applausu excepta & a Pontificibus confirmata fuerint. *Bene*, scribit, *mereri de Ecclesia potuisse Franciscum, si ita esset locutus: Videtis, ut ego sponte in summa vivam paupertate, cilicio induar & fune cingar. Hoc non est, ut imitemini, neque salutem ex eo invenietis. Ego ita ago vestri causa, ut liber a negotiis & curis concionari expeditius vobis possim, non quidem de mea regula & ordine, sed de Christo Salvatore mundi, qui peccata vestra tulit &c.*

(2) *De Symbolo Apostolico.*

(3) *In cap. I. Johannis Evang.*

(4) *Monita de Decalogo.*

(5) *Contra fanaticos.*

(6) *De Francisco & Dominico.*

Sed

Sed ille, ait, *ut & Dominicus, regulas suas, tanquam viam ad salutem, proposuerunt, magno cum errore, cæcitate & superstitione.* Sperat tamen, *religiosos illos viros, circa finem vitæ, ad Christum, ut verum lumen, respexisse, & propter illum ex divina misericordia remissionem peccatorum impetrasse.* Refert huc *Bernhardi* morientis exemplum, alibi quoque a se memoratum. *Fol. 1146.* fanaticorum objectioni respondet, qui Wittenbergensibus exprobrabant defectum inspirationis & ex eo fieri dicebant, quod ex illorum doctrina fides, charitas, patientia, contemtus opum & constantia in persecutionibus non sequeretur. Agnoscit hos aliosque defectus, sed negat ex illis ad pravitatem doctrinæ argumentandum esse. Solatur se suosque, quod semper etiam Apostolorum tempore pauci fuerint veri discipuli Evangelii. Hypocrisin inde fanaticis objicit, jactantibus, cœtus suos totos sanctos esse. *Deus me*, ait, *ab illo cœtu custodiat, in quo nil nisi sancti esse dicuntur; ego in hoc manere volo, in quo sunt infirmi, modicæ fidei, & ægri animo; sed qui peccata sua miseriamque inde ortam agnoscunt, auxilium & gratiam gementes & queruli implorant, creduntque remissionem peccatorum, & ob Evangelicam veritatem persecutionem patiuntur.* *Fol. 1148.* ad verba: *Johannes non erat lumen*; acerrima est censura in Pontifices, qui pro vero Scripturæ lumine fatua obtruserunt. Postea *fol. 1151.* culpari se dicens, quod nullam Sanctorum aut exiguam rationem habeat, ingentia *Johannis dona* egregie deprædicat, laudatque omnes, qui illius exemplo officia sacra probe administrant, & homines ad Christum ablegant. *Fol. 1161.* egregia sunt, quæ ad *v. 11.* commentatus est de summa fidei efficacia, & incomparabili illorum gloria, qui per fidem filii fiunt Dei, licet in mundo blasphemi, hæretici, rebelles, immo Satanæ filii habeantur. Concludit *fol. 1163.* verbis, quorum emphasis alia lingua exprimi vix potest: Das ist unser trost/ daß/ wer da gläubet an Christum/ der ist in die gewähre gesetzt/ daß er sey ein Erbe Gottes/ nicht ein knecht oder magd/ sondern ein Sohn/ der ein erbe aller güther sey. Diese herrschafft solten wir an der welt ende auff den knien/ ja mit blossen füssen/ holen. Id est, *Hoc est solatium nostrum, quod, qui credit in Christum, in possessionem certissimam* (guarandam) *missus est, in qua hæres est Dei, non servus aut ancilla, sed hæres omnium bonorum: Hanc dignitatem ab extremis finibus terræ, provoluti in genua, aut nudis pedibus, petere & afferre deberemus.* *Fol. 1169.* ad verba *vers. 14. Verbum caro factum est*, insigni elogio mactat veteres Ecclesiæ Patres & Bernhardum, qui summo cum gaudio dictum illud explicare consueverunt. Inserta hic est alia concio, ex iisdem verbis anno 1542. in festo Natalitio habita *fol. 1179. ad 1185.* Deinde *fol. 1196.* postquam ad *vers. 17.* multa de discrimine legis & Evangelii præclare docuisset, fatetur, omnes, & semetipsum, per annos totos triginta, discrimen illud ignorasse, & de Christi erga se benignitate parum sperasse, salutem potius per merita sanctorum apud Deum quæsivisse: *Inde*, ait, *invocatio Sanctorum orta est, & intercessio eorum incredibili studio quæsita. Ita pinxerunt Bernhardum, qui Mariam adorat, quæ illi ubera monstrat, qua filius suxerat.* O (exclamat,) *quot oscula statuis & iconibus Mariæ dedimus!* *Fol. 1197.* De cognitione Dei naturali, a Paulo *Rom. I.* tradita, & quomodo a revelata & salvifica, itemque a Pharisaica & legali differat, præclare commentatur. *Fol. 1198. sq.* salse exagitat monachorum persuasionem, cum putant Deo placere habitum & disciplinam quam invenerunt. *Quamprimum*, ait, *monachus aliquis ad veram Dei cognitionem pervenit, & ex Evangelio discit, justitiam ex meritis Christi acquirendam esse, statim apud se dicet: quid mihi jam prodest cilicium, cucullus, & quicquid pro sancto habui? sperneque illa omnia, ut lutum.* *Fol. 1202.* emphasin verborum: *ecce agnus Dei*, expendit, quibus Johannes Christum agno Paschali, quem tanti faciebant Judæi, opponebat. Ex iisdem doctrinam de fide & justificatione, & de universalitate gratiæ, egregie confirmat: Amasse se, fatetur *fol. 1206.* picturam Johannis, Agnum humeris ferentis & digito monstrantis, quanquam veram ejus applicationem non intellexerit, neque eam intelligere Romana Ecclesia velit. Notabilia sunt, quæ de differentia inter Baptismum Johannis & Christi *fol. 1209.* & de peccato post Baptismum remanente *fol. 1210.* docuit. Ultima in caput hoc Evangelistæ Johannis concio habita fuit d. 8. Decembris *d. l. fol. 1215.* Observari hic jubet, quod Christus viles & pauperes ad Apostolatum vocaverit, & in oppidis vicisque ignobilibus concionatus sit; unde appareat, quam parvi faciat pompam mundi, & quam parum conveniant cum rationibus Christi, quæ non Judæi solum & Turci, sed & Pontificii de autoritate, opibus & felicitate Ecclesiæ jactent. Neque tamen spernere vult nobiles, doctos, potentes, divites, sed nihil hæc ad salutem aut felicitatem Ecclesiæ facere ostendit; jungit alia de veris Israelitis *fol. 1218.*

In dogmaticis & polemicis non multum hoc anno laborare potuit Lutherus, morbo & negotiis impeditus. Componendi erant articuli, de quibus *§. LVI.* actum est, & non unum de Conciliis responsum. Lusit tamen quædam in fastum adversariorum, & technas in convocando Concilio, itemque in fabulas de *donatione Constantini*, & de *Johanne Chrysostomo*, hanc quidem oppido absurdam & ridiculam. Vide *fol. 1089. & sqq.* & *fol. 1107.* ubi acerrima epicrisis adversus Pontificis potestatem universalem subnectitur. Præfationes Lutheri hoc anno compositæ, (præter eam, quam *Cardinalium consultationi* a se editæ præfixit, de qua supra ad *§. LIX.* dictum est.) extant *in postillas Antonii Corvini fol. 1073.* in tractatum *Joh. Kymei* de Concilio Gangrensi *fol. 1098.* in epistolas quasdam *Joh. Hussi fol. 1099.* ubi ex *Staupitii* & *Andreæ Prolis*, Augustiniani, relatu historiam narrat de *D. Joh. Zachariæ*, qui Hussum fraude circumvenit, & ideo Rosa donatus fuit. Fatetur, se in cœnobio Erfurtensi aliquando in libros *Hussi* incidisse & scripta viri miratum esse, sed opinione de hæresi illius præventum a lectione mox abstinuisse. Admonet Prælatos, in Concilio tunc indicto comparituros, ut ab exemplo Constantiensis Synodi sibi caverent. *Quis putasset*, ait, *futurum esse, ut decretis Constantiensibus contradicatur? Prædictum tamen id fuit, & nunc a me impletur.*

(3) In cap. I. Johann. Evang.

(4) Monita Decalo.

(5) De consolatione ex fide.

(6) Contra fanaticos.

(7) Ad dictum: Verbum caro factum est.

(8) De circumcisione & dominico.

(9) De invocatione Sanctorum, & a-

(10) Præfationes quædam Lutheri.

lia quædam.

A. 1537.

tur. *Fol. 1109.* præloquium legitur in tractatum *D. Ambrosii Moibani* ad dictum *Matth. XXVIII. 19.* Queritur in hoc de atheismo passim grassante, & adventum Christi ad judicium propinquum esse ominatur aut optat.

(11) *Epistolæ Lutheri.*

Epistolæ Tomis insertæ sunt *fol. 1073.* ad uxorem suam de morbo, in quem Smalcaldiæ inciderat, data est d. 27. Febr. *Fol. 1099.* consolatur quendam ægrotum. *Fol. 1109.* Pastorem *Grimmensem* monet, fingi & pingi non posse Pastores, quales desiderentur, neque tenuissimo salario & mendicis parochiis præfici posse Lutheros & Philippos. Fastidiebantur enim, eorum comparatione, mediocres, quales illo tempore plurimi erant, nondum dilatata satis doctrina in alias Academias scholasque. Ibidem *Prælatum* sive Præceptorem *Lichtenbergensem* admonet, ut monachis ex cœnobio digressis plus conferat ad alimenta. *Fol. 1114.* Judæo cuidam, intercessionem ad Electorem roganti, respondet, se quidem Judæis ob dignitatem gentis, ex qua Christus natus sit, optime cupere & optare, ut a Christianis benignius haberentur, ad promovendam illorum conversionem; execratur tamen illorum pertinaciam & blasphemias, & quod propter scandalum crucis jam ultra quindecim secula impediri se sinant, perpetuo criminantes, quod Christiani hominem crucifixum adorent, putentque, sanctum esse non posse, qui supplicium passus sit, cum tamen Judæi sanctissimos quosque ex Prophetis persecuti sint & occiderint. Considerare eum jubet, tam stultas non futuras fuisse tot gentes, aut humiles vilesque, ut aliquem ex natione Judæa, semper contemta, tanti facerent, & divino honore colerent, nisi irrefragabili testimonio convictæ fuissent, illum esse Salvatorem & Messiam, neque alium expectari posse.

(12) *Speciatim de concordia cum Bucero, ad Isnenses & Helvetios.*

Memorabiles præ cæteris sunt epistolæ de concordia Wittenbergæ cum *Bucero* & sociis inita, quarum prima est, quam dedit ad *Senatum Isnensem fol. 1115.* pertinet enim ad finem anni 1536. licet, illius temporis more, adscriptus illi sit annus 1537. numeratus nempe a feriis Natalitiis. In hac certos securosque eos esse jubet, se a sua sententia de sacra Cœna minime recessisse, neque Zuinglii opinionem probasse; (quod aliqui sparserant) sperat tamen, quosdam sincere secum consensisse, & fore, ut alii idem faciant. Altera data est d. 1. Decembr. ad magistratus civitatum Helveticarum, nempe ad *Tigurinos, Bernates, Basileenses, Sangallenses, Schafhusanos,* & *Bielenses d. Tom. VI. fol. 1111.* Excusat moram responsi incommodis valetudinis & senii, multitudine etiam occupationum; lætatur de serio illorum ad concordiam studio, ejusque successum optat; agnoscit tamen tantum vulnus tam cito & sine cicatrice coire vix posse; monet, ut contra concordiam clamantibus aures occludant, sibi vero credant, testem Deum de candore suo invocanti. Ad articulos de quibus Helvetii mentionem fecerant, respondet, quoad primum, se consentire de verbo Dei externo, quod solum non sufficiat, sed interna Spiritus sancti operatio accedere debeat; alias rationem reddi non posse, cur non omnes crederent, qui verbum audiunt. Ad Bucerum & Capitonem provocat, qui clarius explicare possint, quæ ex utraque parte scripta sint, neque enim omnes una phrasi semper uti. In articulo de Baptismo nullam observat differentiam, requirit etiam ad illum, cum aqua & verbo, internam Spiritus sancti operationem. *De Sacramento nunquam*, ait, *docuimus, neque nunc docemus, Christum de cœlo & a dextra Dei descendere, iterumque adscendere visibiliter aut invisibiliter: Constanter enim tenemus verba Symboli; adscendit ad cœlum, sedet ad dextram Patris. Omnipotentiæ Dei committimus, quomodo corpus & sanguis ejus in cœna nobis dentur, si Sacramentum secundum ejus institutionem sumitur.* Et post pauca: *Si nos mutuo non recte intelligimus, optimum est, ut amice inter nos agamus* (daß wir gegen einander friedlich seyn) *beneque speremus, dum turbida considant; rancorem omnem dimittamus, ut Spiritui sancto locus sit;* Id se fecisse asseverat, *divinam tamen opem* requirit, *ut adversus insidias Satanæ stabilis servetur concordia.* De *excommunicatione, nescire se*, dicit, *quid controversum sit, illamque fortassis melius apud eos constitutam esse, neque superfuturam de hoc capite litem, si perfecta fiat concordia, in articulo nempe de Sacramento.* Subjungit denuo excusationem propter occupationes nimias & quotidianas, & voto claudit epistolam, *ut Deus corda in charitate Christiana & consiliorum unione colliquefacere,* (zusammen schmeltzen) *scoriasque & rubiginem humanæ & diabolicæ malitiæ consumere & purgare velit.* Responsum *Helvetiorum* d. 4. Maji anni sequentis datum extat *d. l. fol. 1112.* non minori quidem comitate, sed ita conceptum, ut confessionem suam Basileensem, & declarationem Luthero a se missam, allegent, dicantque, se non nuda signa in sacra Cœna statuere, sed quod corpus & sanguis Domini accipiatur, mente nempe fideli. His paucis respondit Lutherus d. 27. Junii, repetens, *vere accipi corpus & sanguinem Domini*, iterumque ad *Bucerum* & *Capitonem* provocat, quibus sententia sua nota sit, suadetque, *ut cum plebe placide agatur,* sperans *fore, ut si qui restent scrupuli, sensim tollantur.* Hæc placide tunc tractata, quomodo postea in novas contentiones exarserint, alibi memorabitur.

A. 1537.

ADDITIO.

(1) *Scripta Senatus Augustani contra Clerum, qui urbe cesserat.*

Spicilegii loco ex Actis hujus anni referenda est demigratio Cleri ex urbe *Augustana*, eaque occasione publicata acria inter Episcopum & Senatum urbis scripta apologetica, de quibus pauca quædam retulit *Sleidanus* initio *Lib. XI.* Inseruit scripta illa, ut tunc typis excusa fuerunt, operi suo *Hortlederus Tom. I. Lib. V. c. 3. & 4.* quæ *Goldasto* accepta fert, nescio qua ratione, cum tamen in *Archivo Vinariensi Reg. H. fol. 134. n. 61.* extent, Libellus Senatus datus est d. 17. Januarii. Præcipua ejus argumenta sunt, quod reformatio Ecclesiæ dudum, ut summe necessaria, in Comitiis Imperii decreta, eamque ob causam Concilium promissum, sed præter spem dilatum; jam vero tali modo indictum fuerit, ut successus sperari ex illo non possit. Statuunt deinde, curam religionis ad Magistratus omnino pertinere, neque sibi pro conscientia diutius negligendam fuisse. Constituisse quidem ab aliquot annis doctos probosque concionatores, postquam verbum Dei diu obscuratum in lucem fuisset productum; sed huic proposito suo restitisse Clerum civitatis, veteribus superstitionibus, missis maxime & imaginum cultui, spretis Senatus admonitionibus, pertinaciter inhærentem; eundem Reipublicæ inimicum esse, & variis machinationibus & delationibus apud Cæsarem &

Regem

A. 1537.

Regem malignam mentem ostendere. Jam vero, cum Senatus Missas interdixisset, & juramentum fidelitatis (Magistratibus etiam a Clero, ut putant, debitum) exegisset, urbe excessisse & sacram supellectilem, quæ pretii alicujus fuerit, asportasse. Imputant iisdem, quod, ob falsum cultum & corruptelam morum, immunitate, beneficio Imperatorum concessa, indignos se reddiderint, obsequium recusaverint, adeoque ob hostilem in urbem affectum (qualem etiam majores eorum, cum maximo urbis damno, plus una vice exseruissent) tolerari diutius non potuerint. Profitentur, se confessioni, a *Johanne* Electore Saxoniæ & sociis anno 1530. exhibitæ, omnino assentire, & causam suam, ubicunque opus sit, ex Scriptura sacra, partim etiam ex Patrum dictis & jure Cæsareo defensuros esse, rogantque Imperatorem & Principes, ne se calumniis adversariorum irritari patiantur. Idem missis ad Cæsarem & Regem, itemque ad Bavariæ Duces Legatis petierunt. Huic scripto publice responderunt *Christophorus a Stadio* Episcopus, *Marquardus a Stain* Præpositus, *Philippus a Rechberg* Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Cathedralis d. 20. Februarii. In eo questi de acerbitate scripti, ut ajunt, famosi, a Senatu publicati, pro se allegant Recessum Comitiorum anno 1530. promissionem item Senatus in literis ad Cæsarem illo tempore factam, quod neminem in sacris turbare velint; Norimbergenses quoque, ut vocant, inducias. Prolixe inde & Missarum sacra & cultum imaginum (absque adoratione tamen) tot seculorum observantia defendunt, & assertum jus Magistratus erga se impugnant, quia Episcopus cum Clero suo non Senatui, sed Pontifici & Cæsari obsequium debeat. Retorquent satis argute in Senatum, quæ de officio Magistratuum, præstandoque illis obsequio, prolixe declamaverant; Senatum enim non esse supremum Magistratum, sed Cæsari subjectum, cujus decretis supra allegatis parere debuisset. Referunt inde, quo rigore Senatus adversum se processerit, ut intra octo dies urbe egredi jusserit, qui imperata facere nollent; se vero, ajunt, meliorem partem elegisse, lætoque & constanti animo Ecclesiam, quam vocant, matricem (die Mutter-Kirche) pulchrasque habitationes suas deseruisse. Objiciunt Augustanis levitatem in mutanda religione, & illorum concionatoribus linguam maledicam, aliaque imputant, describunt etiam impetum, quem in imagines fecerint; quod vero Augustanam confessionem nunc jactent, ideo facere, ut sibi præsidium (einen panzer) quærant; vix tamen credunt, confessionem illam & doctrinam *D. Mart. Lutheri* (sic eum vocant) iis satis probari, &, si sincere loqui vellent, *Carolostadii* potius & *Zuinglii* dogmatibus assensum præbituros esse. Respondent etiam ad alias objectiones, de luxu inprimis & avaritia, & quod de veteribus inter Episcopos & urbem dissidiis illatisque damnis adduxerant; quæ jure facta esse dicunt, ad repellendam vim & injuriam Episcopis a senatu illatam. Producunt etiam titulos, quibus demonstrare volunt, urbem olim in Episcoporum dominio fuisse: commendant causam suam, & restitutionem in possessiones & jura, Cæsari & Ordinibus, Protestantibus etiam, quos *amicos & Dominos* honorifice nominant: Non displicuit his modestia, ut inter alia ex literis Electoris ad *Georgium Brandenburgicum* d. 19. Maji datis percipitur, in quibus Episcopum, cujus æquitatem & benignum de religione judicium Georgius significaverat, itidem ob pacis & concordiæ studium laudat, addens, si ex ejus sententia in Comitiis Augustanis actum fuisset, meliori loco causam religionis staturam esse.

(b) Responsum Episcopi & Capituli.

(a) Scriptum Senatus Augustani contra Clerum, qui urbe excesserat.

(c) Electoris Saxoniæ de illa causa judicium, & ex Gassaro quædam.

Ex *Annalibus MSS. Gassari*, plura de iis, quæ hoc anno *Augustæ* acta sunt, percipiuntur. Memorat inter alia, *Bucerum* denuo Argentina vocatum, & ejus consilio ordinationem cultus (*Agenda*) compositam & publicatam fuisse. Constitutum inter cætera, ut in templo Mauritiano ter in hebdomade libri quidam sacræ Scripturæ Veteris & Novi Testamenti Latina paraphrasi explicarentur: dolet tamen, quod vulgus id postea improbaverit, & iste labor, in pulverem scholasticum rejectus, eviluerit. Erecta etiam est hoc anno, teste *Gassaro*, Bibliotheca publica satis celebris, opera *Xysti Betulei*, & Senatus Electorem Saxoniæ rogavit, ut *Melanchthonem* ad aliquod tempus Augustam mitteret; sed recusavit id Elector, d. 18. Aprilis scribens, se Melanchthone carere non posse, tum, quod de Concilio agendum esset, tum, quod ejus causa maxima pars scholarium VVittenbergam conflueret.

Memorari etiam ex gestis hujus anni meretur inclytæ urbis *Norimbergensis* transactio de *præposituris* suis, cum *VVigando (a Redwiz*, ex vetusta equitum Franconiæ familia orto) *Episcopo Bambergensi*, inita, qua factum est, ut in quietam juris patronatus possessionem Senatus venerit, & Cleri, qui a Præpositis dependebat, sive ministerii Evangelici, ordinationem rectius curare potuerit. Haud invitis, ut spero, lectoribus, ex relatione fide digna, nec vulgari, altius quædam repetam. Confirmabitur inde, quod alibi monui, quam male sub Hierarchia Romana curæ animarum & cultui divino prospectum fuerit. In Germania quidem tanto majori cum detrimento, quanto ampliores erant dioeceses, & inde fieret, ut multæ populosissimæ urbes, aut Episcopum non haberent, aut hi, liberioris & splendidæ vitæ causa, sedem in arcibus & oppidis, potestati suæ, quam vocabant, temporali subjectis, quæsivissent. Accidit id *Norimbergæ*, dioecesi *Bambergensi* attributæ, ita ut neque præsentia Episcopi, neque munere ejus, etsi adfuisset, pro illorum temporum more, ad animarum salutem frui posset. Itaque magnæ illæ Norimbergensium Basilicæ *S. Sebaldi* & *S. Laurentio* dedicatæ ante *Sixti IV.* Pontificis tempora, non nisi plebanos habuerunt, ab Episcopis ordinarie, aut in mensibus, qui Papales dicuntur, Romæ constitutos: id quod fieri solebat, accepta pecunia, & annua pensione, ministris Pontificiis assignata, nulla de officio pastorali cura: id enim per mercenarios & conductores plerumque exercebatur. Verum *Sixtus* anno 1477. Senatui jus nominandi pastores in mensibus Papalibus concessit; ipsis vero *plebanis*, ut & *Rectori capellæ B. Virginis Prætorii Regii* (des Königs Saal) & *parocho Hospitalis* seu *Ptochotrophii* jurisdictionem pontificiam in casibus reservatis attribuit, magna cum Episcopi Bambergensis offensa. Sed hujus contradictionem post multas lites suppressit Pontifex, & nominatos ad præposituram S. Laurentii a Senatu *Georgium Pfinzingium*, &, hoc Romæ mortuo, *Laurentium Tucherum* (patritii utrumque generis) confirmavit, rejecto, quem Episcopus præsentaverat, *Melchiore Truchsesio*, ex nobilitate Franconica. Tucherus tamen adactus fuit, ut *Francisco Piccolomineo*, Card. Senensi, (qui postea anno 1503. ad paucos dies Pontificatum, sub nomine *Pii III.* possedit) centum florenos annuos dependeret, quia antecessor, ut dixi, Romæ obierat, quo casu jus successores sufficiendi arrogare sibi solent Pontifices. Sic dominatu Pontificio pressus Episcopus, interventu *Ottonis*, Comitis Hennebergici, cum Senatu pactus est, illique jus nominandi Præpositos in mensibus ordinariis resignavit, & confirmationis ceremoniam *Abbati Ægidiano* (exemplum Pontificis secutus) commisit. Sed orta denuo controversia, transactio ista anno 1513. renovata & perfecta fuit, qua non exiguæ pensiones annuæ pro jurium illorum cessione Episcopo constitutæ sunt, confirmante, quæ acta erant, anno 1514. *Leone X.* Postquam vero, ut *Lib. I. §. CLXXIII.* & in *addit.* retuli, Præpositi Norimbergenses cum Clero suo Evangelicam doctrinam recepissent, recrudescere lis cum Episcopis coepit, cessavitque pensio, Senatu hinc in solvenda, inde Episcopo in accipienda cunctantibus, & hoc integrum jus suum, ut ab hæreticis, repetente. Cum vero pacificationes & induciæ quædam in causa religionis, ut diximus, annis præcedentibus supervenissent, nec vi adversus urbem potentem Episcopus agere posset, hoc anno 1537. cum Senatu ad annos quinque pactionem iniit, illique jus patronatus atque jurisdictionem Episcopalem resignavit. Senatus pensionum reliqua exsolvit, &, cum ducentos florenos annuos pendere, ex veteri transactione, obligaretur, jam quinquaginta adjecit. Sopitæ quoque sunt aliæ

(d) Relatio de Præposituris Norimberg. ante reformationem.

(e) Lis & transactio cum Episcopo Bambergensi post reformationem.

A. 1538.

aliæ controversiæ inde dependentes. Licet vero hæc conventio ad annos tantum quinque, ut dictum est, restringeretur, prorogata tamen fuit, mutua consensione & præstatione, & secutis postea in Germania de religionis exercitio & libertate legibus & constitutionibus pragmaticis, perpetuum robur acquisivit.

A. 1538.

SECT. 17.

(1) Pontificis iter Nicæam, & acta cum Cæsare & Galliæ Rege.

Dein, non obstante gravi senio suo, ipse Nicæam in Narbonensem provinciam profectus est, ubi congressum inter duos Monarchas obtinuerat. Ibi utrumque separatim convenit, ut eos ad pacem, & ut, ea facta, ipsi ad concilium convenirent, permoveret. Pacis loco, quam perficere nequivit, inducias minimum ad annos decem faciendas obtinuit; sed, ne concilio adessent, negotia magni momenti, ob quæ alio vorsum vocarentur, excusationis causa allegarunt. Bonus itaque hic Pontifex, cum dolore videns, neminem fere in concilio comparere, quanquam plus una vice id prorogasset, coactus tandem fuit, ut illud in tempus commodius differret.

Jo. l. 7. O. nuph. in Paul. III.

(2) Cæsaris ad pacem cum Protestantibus inclinatio.

Nam cum interea oppositæ duæ illæ confœderationes, Smalcaldiæ & Norimbergæ factæ, manifeste ad bellum tenderent, & ab utraque parte præparationes ad id fierent, Protestantes vero, etsi cum Imperatore & Catholicis de concilio, sæpissime licet ad controversias terminandas a se ipsis postulato, convenire nollent, subinde tamen profiterentur, sibi nihil magis, quam pacem in votis esse, colloquium etiam in eum finem cum Catholicis, si Imperator consentirent, desiderarent; scripsit is Toleto d. 19. Novembris, & permisit iis, ut Francofurti convenirent, quod & factum est d. 12. Februarii anni sequentis.

§. LXII.

Tenuissimam & macilentam etiam hujus anni historiam nobis sistit Maimburgius; sed reddemus ei corpus, suppleris, quæ memoratu digna esse videbuntur. Itineris, quod *Paulus* Pontifex ad littora Galliæ suscepit, causam ultimam supra *Sect. 16.* aperuit noster, ruinam nempe Lutheranismi: hanc enim promovere debebat pax inter *Cæsarem* & *Gallum*. *Pallavicinus Lib. IV. cap. VI. §. 1.* rem clarius exponit. Duo necessaria, statuit, fuisse ad obtinendum finem Pontifici propositum. *Primum* nempe erat, *ut populos* (ita scribit) *simplicitate deceptos, reformatione curiæ Romanæ alliceret.* Simplicitati Germanorum tribuit Italus, si ejus acumen recte percipio, quod querelis de abusibus curiæ Romanæ decipi se passi sint. Rectius forte diceremus, deceptos illos per multa secula fuisse, quod tantas injurias & rapinas ab Italis toleraverint, quos, falso persuasi, pro Petri successoribus & vicariis Christi habebant; certe, si tales fuissent, alia officia ab iis expectare potuissent. Abusus vero viderunt longe ante Lutherum, absque ulla fraude aut deceptione; Imperatores, Reges, Principesque, & multi eruditione & pietate conspicui viri, palam questi de innumeris Pontificum vitiis. Nec impostores fuerunt *Maximilianus I.* Imperator, & *Ludovicus XII.* Galliæ Rex, qui, convocato *Pisis* Concilio, furori *Julii II.* sese opponebant; fraude potius elisum fuit, mirisque technis optimorum Principum consilium. Quæ vero populorum deceptio allegari potest, cum Lutherus indulgentiarum sycophantiam detegere cœpit, applaudentibus cordatioribus omnibus, iis quoque, qui reliquis Lutheri dogmatibus non assentiebant? Si vero id dicere vult *Pallavicinus*, obtentui solum sumtos esse defectus & excessus Pontificum a Luthero, ut odio Sedis Romanæ impletos populos, ad hæresin tanto facilius induceret; ne hoc quidem prudentibus persuaserit, cum nullam utilitatem ostendere possit, quam fraude hac Lutherus quæsiverit. Nihil enim prorsus lucratus est, immo ne petiit quidem, majores honores opesque amplissimas adepturus, si cedere, & ingenii sui dotes, quod alii faciebant, ad demerendos Pontifices applicare voluisset. Dum vero rigidam veritatem sequeretur, nil nisi odium sibi peperit, commoda, si quæ fuerunt, ad alios transmisit; populum tamen stultis persuasionibus & superstitionibus, tum infinitis, quæ a ruditate, avaritia & turpitudine Cleri patiebantur, vexationibus & oneribus liberavit. Videamus tamen, quale remedium deceptioni, quam *Pallavicinus* arguit, a Pontifice oppositum fuerit. *Integritas morum* id fuit, si autori credimus. Sed, quo minus tam faciles simus, ipse in causa est, qui capite præcedenti negare non potuit, *nihil actum fuisse tanto Cardinalium pro reformatione labore, & partum illorum in ipso ortu oppressum fuisse, ita, ut nec vagitus ejus, si penes Pontificem stetisset, auditus fuerit.* Neque enim vel diplomate edito consolari populum voluit, neque dignum illum habuit, cujus gratia fucum, quem cœperat, prosequeretur. Neminem itaque reformatione illa allicere potuit, immo ne voluit quidem, sed proterve non Germanis solum, sed toti Orbi Christiano illusit, Cardinalibus etiam suis, quos frustraneo & nugatorio labore occupavit. *Alterum*, quod curabat, teste *Pallavicino*, *terror* erat, *ad coercendos proceres, ambitione tumultuantes.* Recte hoc & ordine factum est ex disciplina Pontificum, fraudi vim succenturiantium. *Proceres* hic vocat, quos paulo ante *d. Lib. IV. cap. I. §. ult. belluarum* titulo deturpaverat. Erant autem illi jam non solus Elector Saxoniæ paucique Principes cum duabus civitatibus, qui in comitiis Augustanis supplices steterant, confessionem suam edentes, & nullam, quæ conscientiæ tolerabilis fuisset, conciliationis viam recusantes; sed longe plures ex Principum & Comitum ordine, & flos civitatum Germaniæ, ut non dicam de Regum, eadem probantium, autoritate. *Tumultum* illis & *ambitionem* imputat, nulla quidem veri specie. Quid ille *tumultum* vocet, nescio: apparatum enim ad defensionem, adversus minas insolenter satis intentatas, hoc titulo diffamari, valde iniquum esset. Nihil vero stultius fuisset *ambitione*, quam illis impingit, in causa,

(1) Notatur Pallavicini relatio de scopo Pontificis, & judicium.

(2) Pontificis fucus in reformatione Cardinalibus demandata.

(3) Ejusdem violenta molimina contra Proceres.

A. 1538.

sa, quam tanto cum honoris, opum, immo vitæ periculo tractabant; nihil aliud perpetuis Legationibus & scriptis efflagitantes, quam ut secundum conscientiam suam & ad præscriptum verbi divini, quod illis liquidissimum esse videbatur, sibi & subditis suis, idem cupientibus, Deum colere liceret. Sed hæc multoties demonstrata sunt. Interim gratiam debent *Pallavicino* Protestantes, quod paucis illis, quæ retuli, verbis, summam consiliorum Romanorum expresserit, quæ eo tendunt, ut populo fucus fiat, Principes vi coerceantur. Prætereo, quæ adversus *Paulum Venetum*, aliosque illius temporis scriptores, disputat, ut Pontificem a privatæ utilitatis, itinere illo Gallico quæsitæ, studio excuset. Silentium arcanarum, (quas visas sibi esse jactat) chartarum non absolvet vaferrimum senem, suæque familiæ evehendæ deditissimum, a suspicione, quod illa ætate iter molestissimum sine omni peculiaris commodi respectu non inierit. Negare certe non videtur *Pallavicinus*, quanquam mussitet *§. 5.* quod *Sleidanus* cum aliis prodidit, actum tunc fuisse de nuptiis nepotis Pontificii cum filia Cæsaris notha. Cæterum, quæ de pactis inter *Cæsarem* & *Franciscum* a Pontifice procuratis *Pallavicinus* tradidit, & paucis tangit *Maimburgius*, luculentius ex aliis Scriptoribus, nostratibus etiam, cognoscendum est. Non latuit Protestantes, fabam in se cusam tunc fuisse. Dicam tamen in loco, quæ *Franciscus* Rex promisisse dicitur de exhortandis Evangelicis (quos *transfugarum a fide* convitio hic incessit *Pallavicinus*) ad reconciliationem, & de nunciandis illis pactione sua cum Cæsare, longe aliter ab Rege expedita & præstita fuisse, quam Cæsaris intentioni videretur convenire. Præcipuum vero conventionis caput, *ut hæreticos, junctis cum Cæsare viribus, vi subigeret*, apud Protestantes prorsus negavit. Quæ autem fuerit vera Concilii protrahendi causa, & an *bonus ille senex*, ut *Maimburgius* loquitur, *dolens prorogationem fecerit*, nolo hic disceptare, & speciem habent, quæ *Pallavicinus d. l. §. 9.* ad excusandam Concilii dilationem commentatus est. Interim Deus, quicquid in congressu illo Pontificis & Regum in perniciem religionis tractatum conclusumque est, pro sua sapientia & bonitate effectu propemodum omni destituit.

(4) *De consiliis Gallicis.*

§. LXIII.

(1) *Fœdus Catholicum Norimbergense.*

Jam de fœdere *Norimbergensi*, quod *sanctum* vocant, agendum est. Maimburgius de eo in anno superiori, loco alieno, (*Sect. 16.*) aliquid retulit, sed imperfecte & ambigue. Scribit, *Catholicos per Heldum Norimbergæ congregatos fuisse*; quod vel de omnibus vel de majori parte intelligi potest. Sed vel ex *Sleidano*, quem allegat, discere debuisset, ex Ecclesiasticis Principibus unum concurrisse *Matthæum Langium*, Archiepiscopum Salisburgensem; nam *Moguntinus* cautela usus est, ut non nisi ratione Magdeburgensis & Halberstadiensis diœcesis nomen daret, excepto nimirum Archiepiscopatu & Electoratu Moguntino. Ex politicis adfuerunt *Bavari* fratres, *Georgius Saxo* & *Henricus Brunsuicensis*, adscito nominetenus *Erico* patruo, decrepito sene, quo ut & *Georgio*, paulo post decedente, *Henricus* cum *Bavaris* solus restabat. Hunc *Henricum*, tubam & facem factionis, & *Georgium* Saxonem, autoritate & opibus conspicuum, Heldus ante omnes ambiit, comperto illius irrequieto ingenio, hujus odio inveterato adversus agnatum Electorem. Paucorum itaque hæc conspiratio fuit, prætextu Cæsarei & Regii nominis, *Heldi* zelo conflata. Scopum etiam fœderis ambigua phrasi significat Maimburgius, ut innuere videatur, Protestantes religionem suam in ditiones Pontificiorum vi introducere, & subditos illorum ad eam cogere voluisse. Quod non nisi per manifestam calumniam objici illis potuit. Tantum enim aberat, ut alienos cives & subditos ad religionem cogerent, ut ne suis quidem vim inferrent, immo plerique Principes, & civitates propemodum omnes, in zelo reformationis præventi a civibus fuerint. Sed missis Maimburgii commentis, pleniorem rei cognitionem, fide Actorum, proponemus. Protestantium, ut ex plurimis Electoris & Landgravii literis constat, ea fuit opinio, *Heldum* ex proposito pacem Germaniæ, cavillatione pacificationis Norimbergensis in conventu Smalcaldico turbare voluisse, & discursationibus suis in aulas Principum Romano - Catholicorum consilia Protestantium ita descripsisse, ac si ad bellum offensivum penitus animati paratique essent. Egit sub initium hujus anni cum quibusdam *Norimbergæ*, cum pluribus vero circa Kal. Martii *Spiræ*, adjuncto sibi præfecto aulæ Episcopi Tridentini, & Cæsaris Legatum se ferens. Operam quidem dedit, ut omnia secreto fierent, sed quidam ex scribis inter pocula arcanum prodidit, præsentibus quibusdam, qui audita ad Senatum Augustanum retulerunt; & hic de illis Electorem & Landgravium sub finem mensis Aprilis edocuit. Dubitatum fuit, neque adhuc nisi iis, quibus Cæsaris & Ferdinandi Archiva inspicere licet, constare potest, an *Heldus* mandatis Cæsaris instructus, an suo arbitratu, aut a Clero instigatus, negotia ista molitus fuerit. Prius ipsi Protestantes, fiducia erga Cæsarem, difficulter credebant, & in illa persuasione a ministris Cæsareis confirmabantur. Nam paulo post *Heldus*, evecto ad summum negotiorum in aula Cæsaris arbitrium *Nicolao Perenotto Granvellano*, gratia Imperatoris excidit, & *Johannes Navius* Archigrammateus Lucemburgensis (*Greffier*) cliens Granvellani & administer, a Maria, sorore Cæsaris, Belgii gubernatrice, ad Landgravium autumno hujus anni missus, culpam omnem in *Heldum* rejecit, expresse dicens, *Cæsarem acta Heldi minime probare*. Constat hoc ex literis Landgravii ad Electorem d. 8. Septembris *Reg. H. fol. 207. n. 94.* Cum vero hic delationem illam rescivisset d. 23. Novembris, literis ad Landgravium datis, vehementer de *Navio* questus est, *hominem levem & sublestæ fidei esse dicens*, (ein lüfftiger Mann / und wenig beständiger reden:) *se vero nihil, quam quæ mandata sibi fuerint, egisse* asseverat, *pacis præterea studiosissimum esse, ut & reformationis abusuum, quam necessariam esse* agnoscit. (es müsse doch dahin kommen.) His vero literis Landgravius satis severe respondit d. 8. Decembris, misitque illi scriptum *Navii*, querelis de *Heldo* refertum. Exprobrat itaque huic Princeps, quod Smal-

A. 1538.

(2) *Heldi acta in illo conciliando.*

(3) *Granvellani & Navii judicium de Heldo.*

(4) *Landgravii ad Heldum litera.*

A. 1538.

Smalcaldiæ interpretationibus suis spem pacis Fœderatis ademerit, deinde hos alterius partis Proceribus odiosos fecerit, & eos nulla necessitate ad fœdus defensivum, cum nulla offensio iis metuenda esset, induxerit. Hæc omnia absque mandato Cæsaris (quia hujus intentionem *Navius* longe aliam significaverat) ab illo acta esse contendit, aut editionem mandatorum poscit, si ab hac imputatione liberari vellet. *Ego*, scribit Landgravius, *pro cognitione & fide, quam ex Dei gratia habeo, certus sum, te contra verbum divinum egisse, idque, si opus sit, ex sacris literis & Patrum commentariis demonstrabo. Debuisses potius mandata talia, si tibi injungerentur, utpote in Deum peccantia & paci adversa, recusare.* Optat ei in fine *veram cognitionem Christi & salvificæ religionis.* Hæc anticipato temporum ordine hic refero, ex secretioribus *Archivi* chartis *Reg. H. fol. 211. n. 95.* judicium lectoribus relinquens, an *Heldum* excusatum habere velint: quanquam fortasse non desint suspicandi causæ, de *Granvellani* & *Navii* sinceritate non admodum pura. Idem *Heldus* invisus erat Protestantibus, quod rigidissimos Cameræ Spirensis processus adversus eos apud Judices promovere diceretur. Intimus ei amicus erat *D. Conradus Brunus*, Cameræ Assessor, vir doctus & industrius, sed ob pessimos mores infamis, idemque dialogi odiosissimi contra Protestantes editi autor. Hic cum *Heldo* fervidioribus ex Clero operam suam addixisse ferebatur, & præmia accepisse, *Heldus* quidem *Præposituram Neuhusianam* in Episcopatu Wormatiensi, *Brunus* vero *Canonicatum* in Cathedrali Ecclesia. Objiciuntur hæc in scripto Protestantium acerrimo, *Reg. H. fol. 312. n. 126.* quod *additionales* vocant *Recusationis*, adversus judicium Camerale composito, in quo simul omnes Assessores, numero tunc viginti & duo, & inter hos Suevi duodecim, iis depinguntur coloribus, quos referre merito supersedeo. Illos autem omnes a nutu *Heldi* pendere credebant Evangelici. De hoc vero speciatim ex secreta quadam relatione *d. l.* narratur: Cum *Carolus* Cæsar, sive sperni se a Germanis putans, sive, ut Galli ei imputabant, Germaniam in servitutem redacturus, in eo esset, ut pactis cum Galliæ Rege induciis, Hispanorum copias in Belgium & inde in Germaniam duceret, monitum ab *Heldo* fuisse, ne id faceret, futurum enim, ut Principes Germaniæ utriusque partis, externi militis adventu in suspicionem adducti, junctis inter se consiliis, Cæsari sese opponerent, & res in summum periculum adduceretur, satius longe esse, ut Germanos religione & factionibus divisos suis discordiis relinqueret, & bellis intestinis implicaret, quibus attriti in Cæsaris potestatem absque sanguine multoque sumtu redigi possent. Ex his sive de Heldi, sive de Cæsaris consiliis in fœderis Norimbergensis tractatione, conjectura fieri potest. Quicquid sit, subodoratos esse aliquid oportet Principes Germaniæ, etiam Ecclesiasticos. De *Moguntini* cautela jam dixi, qui, non nisi provinciarum, quæ Saxoniæ vicinæ erant, respectu, ad fœdus accessit: male enim illi cum Electore Saxoniæ ob litem de *Burggraviatu Magdeburgensi* conveniebat. Abstinuerunt etiam a fœdere Electores *Trevirensis* & *Coloniensis*, itemque *Palatinus* omnesque ad unum Episcopi, licet in congressu Spirensi aliqui, & inter eos *Bambergensis* & *Wurzburgensis*, Heldi declamationes audivissent.

(5) *De Heldi, Bruni & aliorum in Camera molitionibus.*

(6) *Heldi consilium Cæsari datum.*

(7) *De Catholicis, qui a fœdere abstinuerunt.*

An. 1538.

Fœderis formulam *Norimbergæ* d. 10. Junii hoc anno signatam, & duobus instrumentis comprehensam, exhibet *Hortlederus Tom. I. Lib. VIII. c. 14. & 15.* Præscribitur illis *Cæsaris* nomen pariter & *Ferdinandi* Regis, sed exiguo cum pondere, quia mandatum Cæsaris & Electorum consensus aberat, quorum ne unus quidem in tabulis fœderis memorabatur, excepto *Moguntino*, qui tamen, ut dixi, aliam induit; & expresse in fœderis instrumento significavit personam. Recensentur ab initio dissidia in religione, & ut illa componi huc usque, instante licet bello Turcico, non potuerint. Subjungitur querela, quod, pactis licet induciis Norimbergensibus & Ratisbonensibus, Protestantes fœdus Smalcaldicum iniverint, quod tamen, ut recte notat *Hortlederus*, ante inducias illas factum erat: agi quædam dicebant, ex quibus motus metuendi essent. Ad servandas itaque inducias illas, & Recessus Comitiorum tuendos, fœdus sese pepigisse dicunt, ad annos undecim pro se & iis, qui accessuri in posterum essent, itemque pro subditis & clientibus, ut religionem & ritum in suis provinciis, statumque in his bonorum Ecclesiasticorum, usque ad futurum Concilium, retinerent. Pollicentur inde, se neminem ex Protestantibus præsentibus aut futuris, aut eorum subditis, contra pacta Norimbergensia, armis esse aggressuros, sed intra terminos defensionis sese contenturos esse: pro hostibus autem habituros, qui se in religione veteri turbaturi, vi adversum se acturi, aut subditos suos in se concitaturi essent: vires etiam contra eosdem Protestantes juncturos, si alio prætextu aliquos ex se armis essent aggressuri: consultaturos etiam quid agendum esset, ad vindicandas injurias libellis famosis contra se sparsas. Addunt, de conciliatione ante omnia in omnibus controversiis agendum esse. Excipiunt antiquiora fœdera, & ab hoc excludunt regna & ditiones Cæsaris extra Germaniam, ipsum etiam Belgium. Recipiunt in se curam de Concilio, aut, si id obtineri nequeat, de alio conventu, ad componendum dissidium & corrigendos abusus & confusiones in sacris (mißbräuche und unordnungen.) Dividunt fœderatorum regiones, ad exemplum Smalcaldicum, (quod etiam in aliis capitibus imitati sunt) in *superiorem* & *inferiorem*: Ad illam referunt ditiones *Cæsaris* & *Ferdinandi*, *Salisburgensem* & *Bavaricam*, & qui ex illo tractu post hæc fœderi accessuri sint; ad hanc diœceses, *Magdeburgensem* & *Halberstadensem*, & ditiones *Georgii* Saxonis & *Brunsuicensium*. Alteris tabulis, eodem die datis, Duces fœderis denominantur *Ludovicus Bavariæ* Dux in superiori, *Henricus Brunsuicensis* in inferiori sive Saxonica regione, quorum cuique mille floreni pro annuo stipendio assignantur. Addunt multa de Consiliariis bellicis, cognitione causarum, propter quas bellum suscipiendum sit, itemque de administratione belli. Sumtuum quartam partem Cæsar & Frater in se recipiunt, tres, ex proportione census Imperii, reliqui promittunt: suffragiorum quarta etiam pars Cæsari & Fratri tribuitur. Conve-

(8) *Contenta fœderis.*

A. 1538.

venerunt inde de præsenti pecunia ad casus repentinos conferenda, ita ut *Cæsar* cum *Fratre* florenorum quinquaginta millia, *Salisburgensis* XXV millia, *Bavari* L millia; dein in Saxonico circulo *Magdeburgensis* & *Halberstadensis* ditio XXV millia, *Georgius Saxo* XVI millia & totidem *Brunsuicenses Ericus* & *Henricus* præstarent. Salaria annua (wartgeld) sexaginta Præfectis cohortium equestrium & pedestrium constituunt, menstrua, cum ad bellum res pervenerit, soluturi. Addiderunt in fine clausulam, ut etiam sibi invicem adessent adversus subditos, innovationem in religione petentes. Flagitabant enim tunc Evangelicæ religionis permissionem multi in *Suevia* & plerique in *Austriacis* ditionibus. Fama de hoc fœdere, secretissime licet tractato, non solum ad *Augustanos*, ut supra notavi, emanaverat, sed & eodem mense Aprili Landgravius aliquid de actis Heldi apud Socerum *Georgium* penetraverat, ita ut ægre retineretur ab inferendo bello, licet ei *Georgius Carlevitius* Georgii Soceri Consiliarius eximere omnem suspicionem vellet: sed ad quietem permotus est ab Electore *Saxone* & Duce *Wurtenbergico*. Irritatus erat indicio scelerati cujusdam homuncionis, qui se ab *Henrico* Brunsuicensi conductum esse fassus erat, ut Landgravium in venatione glande trajiceret, inque ea confessione perseverans supplicium passus est. *Henricus* etiam effutiverat aliquid apud patruum *Ericum*, qui se ambiguum inter partes gerebat, uxore jam ad Evangelicam religionem inclinante, ut ex literis Landgravii supra allegatis d. 8. Sept. percipitur. Non multo post exemplum tabularum fœderis ab amico occulto Elector accepit, & d. 18. Decembris Landgravio misit, eodemque fere tempore *Bavari* in literis ad Electorem & Landgravium fassi id sunt, & d. 4. Febr. anni sequentis descriptum miserunt, excusantes & ultro imputantes, quod ad utilitatem Smalcaldicorum tenderet, decreta pace & quiete, & relicto illis in suis provinciis & urbibus arbitrio circa sacra, dummodo alteri parti vim non inferrent. Actum etiam fuit de conventu cum *Bavaris* habendo, & dies *Suinfurti* d. 2. Martii sequentis anni dictus fuit: spes enim erat divelli ab illa societate *Bavaros* posse, quia non constabat de Cæsaris voluntate aut ratihabitione, *Heldus* enim illam huc usque, excurrens licet ad Cæsarem, frustra sollicitaverat, &, ut dictum est, favorem in aula amiserat.

(q) *Quomodo ad fœderatos fama ejus emanaverit.*

ADDITIO.

(a) *Renovatio fœderis Norimbergensis.*

Notare hic lubet, licet ad sequentis temporis gesta pertineat, aliam formulam anno 1541. d. 29. Julii ex *Norimbergensi* conflatam & auctam, extare *Reg. H. fol. 391. n. 148.* In hac primus inter omnes & ante Cæsarem nominatur *Paulus III.* Pontifex; una tamen cum Cæsare & reliquis promittit iisdem verbis fœderis Norimbergensis, pacem cum Protestantibus servandam, & repetit omnes reliquas conditiones, de vitanda offensione, aliasque. Recipit in se quartam sumtuum partem, ita ut, cum Cæsar & Ferdinandus itidem quartam præstarent, fœderati reliqui omnes dimidiam saltem inter se distributam conferre tenerentur. Exciderant renovationis hujus tempore ex illis, qui Norimbergæ subscripserant *Georgius* Saxo & *Ericus* Brunsuicensis, quibus mortuis ditiones utriusque Evangelicam doctrinam amplexæ erant: neque novi accesserant socii, nisi Prælati quidam & nobiles *Sueviæ*, quorum indefinita fit mentio, omissa enumeratione. Includitur tamen, quod anno 1538. exceptum erat, *Belgium*, & nominatim *Brabantia, Hollandia, Seelandia, Flandria, Hannonia* & *Lucemburgum*, absque augmento sumtuum Cæsaris, ita ut Pontificis corrogatio huc relata & computata videatur. Cum nihil in Actis *Archivi* neque alibi invenerim, ex quo constare possit, quomodo hæc fœderis tractatio suscepta & peracta fuerit, *Pallavicino*, donec meliora edoceamur, credendum est, qui *Lib. IV. c. XIV. §. XIV.* narrat, Legatum Pontificium, Cardinalem *Contarenum*, cum aliis consiliis suis in comitiis Ratisbonensibus nihil efficeret, ad fœdus catholicum corroborandum animum advertisse, eique se promtum exhibuisse Pontificem, non modo ad insumendam pecuniam, quam deposuerat, (de qua alibi dicitur) sed etiam ad ampliora subsidia, *dummodo ea omnia conferrentur ad bellum, non ad mercaturam*, ut loquitur, *religionis. Fuisse enim*, scribit, *qui coëmi quosdam ex Protestantibus ad reditum in Ecclesiam Romanam posse & debere existimabant.* (quam vere, hic non disquiro.) Addit, postquam hæc mandata ad *Contarenum* perscripta essent, *Carolum* Cæsarem in suspicionem, quam prius etiam Pontifex habuerit, incidisse, quasi fœdere illo, sub obtentu religionis, implicatio in bella civilia quæreretur: & sic rem effectu caruisse. Hæc si vera sunt, apparere videtur, Cæsarem nunquam fœdus Norimbergense serio approbasse, sicuti nec ullum extat, quod sciam, ratificationis solennis vestigium: quo magis mirari licet, aliud a plerisque Pontificiorum jactatum, & a Protestantibus creditum fuisse, neque tamen conciliari cum *Pallavicini* relatione potest, quod ipse Cæsar, ut in loco memoravi, quibusdam ex partibus Pontificiorum serio mandaverit, ut ad fœdus Norimbergense accederent, nisi forte dicendum est, Cæsari aliquando inter tot atque tanta alia negotia subreptum a ministris fuisse, qui intimas ejus intentiones aut ignorabant, aut illis sua præferebant consilia.

(b) *Pallavicini de ea relatio.*

§. LXIV.

(r) *Occasio conventus Francofurtensis ex metu oppositi fœderis, & rigore Cameralis judicii.*

Quæ de occasione pacificationis, in conventu *Francofurtensi* anno sequenti tentatæ, in hujus anni historia affert Maimburgius, non satis congruunt cum Actis, quæ consului. Verum est, suspiciones inter partes auctas fuisse, cum fœderis *Norimbergensis* secretum emanasset. Neque movebantur Protestantes blandis, quas, ut dixi, *Bavariæ* Duces præ se ferebant, fœderis interpretationibus. Cum enim veteres Recessus Comitiorum, Wormatiensium nempe & Augustanorum, in eodem fœdere, ut publicæ leges, allegarentur & cognitio de causis belli, & vindicandis libellis famosis reservaretur, Protestantes judicabant, professionem illam pacis sinceram non esse, neque hanc diutius duraturam, quam donec occasiones & vires ad opprimendos Protestantes adversariis adessent. Speciosos prætextus quotidie suppeditare poterant sententiæ Camerales, quæ in plerosque Protestantium Principes & civitates, etiam adversus ipsum Saxoniæ Electorem, vel latæ erant, vel ferri poterant, stante judicii Cameralis principio, quod Clericis, qui a Protestantibus, Principibus licet aut magistratibus suis, in cultu veteri aut in redituum perceptione impediebantur, non obstante pacificatione Norimbergica, mandatis de restituendo succurrendum esset. Aderat instigator *Heldus*, literis Cæsaris ad Cameram instructus, & adeo exacerbati in Protestantes esse dicebantur judices Camerales, ut ad nomen eorum exspuerent, & quicquid illi petebant, rejicerent aut differrent, adversariis autem eorum officium suum promtissime exhiberent. Ad exequendas igitur Cameræ sententias optimo jure, & ex ordine legum Imperii, vires suas impendere, & copias educere

A. 1538.

ducere videri poterant Fœderati Norimbergenses, quoties id commodum esset, & jussus Cameræ aut Cæsaris accederet. Protestantes vero omnes illos Cameræ processus Norimbergensibus pactis suspensos esse contendebant, & inde pro vi publica habebant, si ad executionem sententiarum Cameralium arma caperentur, ideoque sociis, qui ista metuebant, in plerisque conventibus auxilia promiserant. Factum id est hoc anno *Brunsuigæ*, quo mense Aprili convenerant *Elector Saxo*, *Landgravius*, *Duces Lüneburgici*, *Albertus Comes Mansfeldensis*, & reliquorum fœderatorum Legati, de rebus suis consultaturi, postquam ex *Heldi* declamationibus, Smalcaldiæ factis, & ejus per Germaniam negotiatione, nihil tuti expectandum esse videbant. Multum in hac congregatione actum fuit de recusanda jurisdictione Camerali, variantibus fœderatorum sententiis, inter quos erant, qui dubitabant, num omnes lites, quæ tunc agitabantur, ad religionem pertinerent; affirmabant tamen id plerique, immo, & in causis politicis declinandum esse forum Cameræ, dictitabant, comperto judicum in omnes Protestantes odio. Concludi itaque in universum tunc nihil potuit, sed res ad ulteriorem deliberationem dilata fuit, injunctumque fœderatis, ut sententiam suam scripto explicatam Electori & Landgravio intra certum tempus mitterent, ut & factum est, & responsa plurima asservantur *Reg. H. fol. 176. n. 83.* unde sumsit Hortlederus, quæ *Tom. I. Lib. VII. cap. 9. ad 16.* inseruit. Approbata tamen est in hoc conventu querela & exceptio civitatis *Mindensis*, quam Clerus in Camera de spolio accusaverat, d. 11. Aprilis conscripta, & Spiram missa. Sed eam *Johannes Comes Palatinus* Cameræ judex literis d. 22. Maji, quas *Hortlederus d. lib. VII. c. 8.* exhibet, ad Electorem & Landgravium remisit, breviter & serio indicans nullas excusationes admitti in judicio posse, quibus autoritas & officium suum impediretur. Receptus est in hoc conventu in societatem *Christianus III.* Rex Daniæ, & extat authenticum fœderis cum illo initi documentum *d. Reg. H. fol. 177. n. 84.* exemplum vero apud *Hortled. Vol. I. Lib. VIII. cap. 13.* Perfecta etiam tunc fuit conventio cum *Johanne Marchione Brandenburgico* Custrinensi, Electoris fratre, & promissum patrocinium *Elisabethæ* Hassiacæ, viduæ *Johannis* Saxoniæ Ducis Georgio nati, quæ *Rochlitiensem* præfecturam & alia quædam in Misnia dotalitii jure tenebat, &, centum florenos menstruos ad sumtus belli promiserat. Receptus quoque fuit *Conradus Comes Teckelnburgicus*, & Metropolis Livoniæ, *Riga*. Actum etiam cum *Alberto Borussiæ Duce*, sed aliis conditionibus, quia proscriptione Imperiali gravatus erat. De bonis Ecclesiasticis omnes agnoverunt, ita statuendum esse, ut calumniis occurreretur, quasi illa potius respicerentur, quam Ecclesiæ emendatio, & ut conscientiæ Principum & magistratuum consuleretur, ordinata pia & decenti illorum administratione. De auxiliis adversus Turcos, quorum irruptio metuebatur, ferendis, faciles quidem se esse profitebantur fœderati, verum ita, si pax interna stabiliretur. Ista & plura in fine conventus d. 16. Aprilis decreta & signata sunt *dict. Reg. H. fol. 176. n. 83.* Maxime vero memorabilis est decreti illius pars, qua religionis puritati ad posteros propagandæ prospectum fuit. Id caput *Francisci Burckardi*, Vicecancellarii Saxonici, stylo & manu latine versum *d. l.* reperitur, totumque hic inseri meretur: *Cum causa religionis variis artibus oppugnetur, variæque rationes & practicæ, ad hanc in ducatibus & ditionibus nostris evertendam & delendam, quærantur, & inprimis mutatis personis in magistratu multa mutari soleant: Decretum & statutum est a nobis, Electore Saxoniæ & reliquis Principibus & Comitibus, in hoc conventu præsentibus, quod nos, tempore vitæ & regiminis nostri, omni studio eam cogitationem & curam suscipere velimus, ut nostri hæredes & eorum tutores, si forte pupillos liberos post mortem relicturi simus, sinceram Evangelii doctrinam retineant, eamque libere & accurate, perinde ut, Dei beneficio, nunc temporis ipsi facimus, publice doceri, conservari & defendi curent, quodque velimus nostros hæredes & fratres adultos & itidem præfectos, vasallos, civitates ac subditos obligare & adstringere, ut post mortem nostram ipsi quoque in hac sacra doctrina Evangelii, & semel recepta & agnita veritate, perseverent, eamque pro sua virili fideliter promoveant, nec ullo modo huic adversentur.* Quod decretum *absentium Principum & civitatum Legati receperunt, ad suos Principes & superiores magistratus diligenter referendum, ut ea ratio primo quoque tempore pro conservatione doctrinæ Evangelicæ ineatur, præsertim in urbibus, in quibus quotannis magistratus mutantur; quæ personarum mutatio, quemadmodum dictum est, plura interdum secum trahit, ut in iis ad vitanda varia incommoda ubique locorum talis ordinatio & provisio fiat, ut posthac nemo in Senatum eligatur, nisi qui sinceræ Evangelii doctrinæ faveat ac deditus sit, eoque modo Dei gloria ornetur, nec ex mutatione magistratuum etiam mutatio in vera & sincera religione oriatur.* Ex hoc decreto sine dubio originem habet mos adhuc alicubi in Germania, & in Saxonia maxime vigens, ut ministri Principum juramento obstringantur, quod in religione Evangelica constanter perseverare, aut, si forte quacunque ex causa ab illa discedere, & ad cœtus dissentientes transire velint, id Heris indicare debeant & expectare, quid de iis pro re nata, sint statuturi.

(2) Conventus Brunsuicensis.

(3) Receptio Daniæ Regis & Johannis March. Brandenburg. aliorumque.

(4) Decretum de bonis Ecclesiasticis.

(5) De propaganda religione.

ADDITIO.

Cum *Christiano III.* Rege Daniæ pactum jam initum erat in conventu Smalcaldico anno 1536. ut diploma d. 5. Septembris datum & ab *Hortledero Tom. I. Lib. VIII. cap. 11.* relatum ostendit. Sed differt ab eo, quod hoc anno *Brunsuigæ* compositum fuit, non uno modo. In *prius* illud non consenserant civitates, quia simul spectabat ad causam electionis Ferdinandeæ, a qua illæ abstinebant. Constitutum erat ad annos sex; auxiliorum mutuo promissorum numerus erat equitum ducentorum, peditum mille. *Brunsuigæ* autem cum omnibus fœderatis Principibus & civitatibus conventum est ad annos novem, auctusque numerus auxiliorum ad tria millia peditum: Scopus fœderis, omissa causa electionis, constituitur defensio religionis per se, & in rebus ab ea dependentibus & orientibus. (unser christlicher glaube / das wort Gottes / unsere heilige religion / und was daran hänget / und daraus kommen mag.) Occasio renovandi & ampliandi fœderis refertur, quod appareat, multos ex proceribus Papatui adhuc addictis (so noch des päbstlichen glaubens sind) adversus religionem Evangelicam, male affectos

(a) Differentia fœderum cum Dania Rege anno 1536. & 1538. initorum.

(b) Contenta hujus.

A. 1538.

fectos esse & media viasque quærere, ut illam in ditionibus fœderatorum extinguant, & suas opiniones restituant: itemque, quod *Paulus III.* Pontifex Concilium *Mantuæ* primum, deinde *Vicentiæ* indixerit, & ad Kal. Maji jam prorogaverit, unde multiplex adversitas, & illegitima atque impia declaratio contra verbum Dei & Christianam religionem, tum violenta consilia, metui debeant. In hoc pacto cum *Daniæ* Rege, præter illos, qui anno 1536. tabulas signaverant, ex novis sociis nominantur Dux *VVürtenbergicus* & *Pomerani*, item Principes *Anhaltini*, & *Philippus Nassovius Saræpontanus*, & *Henricus Schwarzburgicus* Comites, tum viginti quinque civitates. Errore tamen typographi apud *Hortlederum* perperam *Lubeca* pro *Eimbecca* legitur.

(c) *Annotatio de jure viduarum illustrium.*

De *Elisabetha Hassiaca* in fœdus recepta, notandum est, nondum illo tempore Principes Germaniæ tam laxe interpretatos esse, nec eodem rigore, quo hodie, exercuisse jus supremi in ditionibus suis imperii, unde fiebat, ut viduis illustribus dotalitia cum omni jure permitterent. Patet id hoc exemplo, & *Reg. O. fol. 175. Lit.* EEEE. asseritur. Cum igitur oppidum *Mitweida* ad *Elisabethæ* dotalitium pertineret, ausum id est, licet in Ducatu *Georgii* situm esset, Evangelicam doctrinam primum omnium inter Misnenses profiteri, & Elector Saxoniæ patrocinium promisit *Mitweidensibus*, licet pactis cum *Georgio* cautum esset, ne quis alterius subditos in causa religionis protegeret. Subditi igitur non habebantur, qui dotalitio jure alienati erant; interim jus illud temporale erat, morte viduarum finiendum.

§. LXV.

(1) *Oblatio pacificationis a Ferdinando Rege, ipsoque Cæsare.*

Falsus est aut fallit Maimburgius, cum occasionem tractatuum pacis a Protestantibus suppeditatam esse innuit. Licet enim quietis essent cupidissimi, proponere tamen consilia, quæ ad eam tenderent, absente inprimis Cæsare, & cognitis Heldi machinationibus, intempestivum esse existimabant; metuebant etiam fore, ut adversarii, illi inprimis, qui fœdus *Norimbergense* inierant, oblationem pacis pro timiditate interpretarentur, tantoque fierent insolentiores. Interim fama de instante invasione Turcica *Ferdinandum* Regem ad mitiora consilia movere cœperat. Cum vero ob litem de electione sua nondum compositam, ad Electorem Saxoniæ scribere non soleret, Landgravium literis d. 23. Aprilis datis (*Reg. H. fol. 175. n. 82.*) adortus est, &, indicato summo periculo, suppetias rogavit. Supervenerunt Cæseris literæ d. 20. Martii datæ, ejusdem sensus. Agnoscebat sane non minus, ac reliqui, periculum Elector Saxoniæ, ideoque d. 6. Ap. ad *Johannem Baronem Ungnadium*, Austriacum, & Evangelicæ doctrinæ addictissimum, scribens, *miserandum esse*, dicit, *Papisticæ sectæ causa pacem orbis Christiani impediri, & Turcis occasiones tanto magis nocendi suggeri.* Idem tamen Elector improbavit institutum *Ferdinandi*, quod neglecta, quam dudum facere aut procurare potuisset, comitiorum indictione, singulos Principes per literas aut Legatos prensaret; ut ex literis ejus, cum ad alios fœderatos, tum d. 25. Maji ad Landgravium datis, apparet, in quibus monet, adversari illam requisitionem particularem moribus Imperii, & libertati Principum Germanorum, nec aliud agi, quam ut hi, exemplo Hispanorum, in servitutem sensim redigantur; evitari etiam stabilimentum pacis, quam sciant in comitiis ante omnia postulatum iri; metuendum denique esse, ne copiæ Evangelicorum auxilio missæ ante alias, aut cum omnibus, neglecta

(2) *Postulatio auxilii contra Turcos, & Electoris de iis sententia.*

A. 1538.

inprimis de exercitu satis valido, & de bello sapienter & fortiter gerendo, sufficienti cura & provisione, deleantur. Consultus fuit de auxiliis, quæ *Ferdinandus* petebat, mittendis Lutherus, ejusque responsum d. 29. Maji Electori datum extat *d. l. Reg. n. 82.* pium sane & grave. Exorditur de ira divina ob peccata publica, & speciatim ob *Ferdinandi* actiones, quas vehementer improbat, & infelicem inde eventum ominatur. Reprehendit etiam, quod ab Electore ipso non æque, ut ab aliis, auxilia roget. His non obstantibus, Ferdinandum considerandum non esse, monet, ex sua persona aut sævitia in Evangelicos, sed respectu populi Christiani (das arme Häufflein) qui simul cum eo periclitetur. Suadet itaque Electori, ut auxilia, si requiratur, non deneget, conscientiæ enim læsionem timendam esse dicit, si clades sequatur ab hoste, cui vires opponi potuissent. Objectioni vero sive suspicioni, quod, victis Turcis, Pontificii exercitum in Evangelicos ducturi sint, ita respondet, ut vel metuendum id esse non videatur, sicut nec annis præteritis, abacto licet a Vienna Solymanno, factum fuerit, vel quod, ob metum incerti mali, bona in præsens debita, salva justitia & pietate, omittere non liceat. Dubitandum quidem non esse, quin adversarii pessima cogitent, sed in Dei manibus rem versari, non vero in illorum arbitrio. *Id huc usque*, scribit, *experti sumus, neque enim nostris substitimus viribus, exiguæ etiam hæ fuerunt eruntque, Deus tamen nihilominus nos servavit.* Ulterius progressus, recte facturum esse, dicit, Electorem, si etiam non requisitus, non solum socios fœderis, qui auxilia mittere parati essent, non impediret, sed & ipse ultro in hac necessitate, quæ legem non habet, mitteret, salvo tamen semper cum sociis fœdere: metuit enim ne divisio inter hos quæratur, & de successu præterea sollicitus est, timens, ne Evangelicorum copiæ cum reliquis pessum eant, nisi harum respectu Deus parcat, ut olim Achabo propter præsentiam Josaphati. Subjungit excusationem, quod hæc theologica simplicitate, & multa ignorans, scripserit, aperuisse tamen candide sententiam suam & consulere, quæ ipse, si causa sua esset, nec plura sciret, facturus foret (solches sind meine Theologische gedancken / der ich in solchen sachen kein rathmann seyn kan / weil ich gelegenheit der Leuthe und sachen nicht kenne / sondern auff Gottes gnade ins dunckele hinein fahre / und rathe / wie ich thun wolte / wo michs (nicht weiter berichtet) angienge) Hæc profecto non sunt consulta animi efferi & sanguinarii, qualem Luthero iniqui tribuunt antagonistæ. Sed in aulis cautiora præferebantur consilia, donec machinas propius admoveret *Ferdinandus*. Convenit igitur literis & per Legatos Electorem *Brandenburgicum*, sibi & Cæsari addictissimum, licet Evangelicæ doctrinæ jam satis aperte faventem. Hic ergo d. 3. Junii literas ad Electorem Saxoniæ dedit, (*Reg. H. fol. 221. n. 91.*) misitque Legatum *Eustachium a Schlieben*, Præfectum Zossensem, cujus mandatorum summam exposuit *Sleidanus Lib. XII. p. 334.* Ostensa scilicet gravitate periculi, auxilia adversus Turcos decernenda, omnibus modis suadebat; agnoscebat tamen, ab Evangelicis mitti ea non posse, nisi de

(3) *Lutheri consilium.*

(4) *Legatio Electoris Brandenburg. ad Saxonem.*

pace

A. 1538. pace interna securi redderentur; operam itaque suam ad illam obtinendam offert, & conditiones, quibus concludi possit, aperiri sibi petit. Responsum Electoris & Landgravii post communicata inter se consilia, d. 12. Junii datum, itidem refert *Sleidanus d. l. p. 335.* ex quo pacis, quam desiderabant, conditiones intelligi possunt. Quoniam tamen res ad fœderatos omnes pertinebat, horum conventum ad diem 24. Julii *Isennaci* indicturos se esse, significant, & proposita ab Electore cum sociis communicaturos. Ad illum conventum Elector Brandenburgicus Legatos misit *Adamum Trottum* Marescallum, & *Schliebenium* supra dictum, qui veluti mediatorum partes repræsentabant, & honorifice habiti sunt. *Johannes* vero Marchio, frater Electoris, locum inter fœderatos in hoc conventu prima vice tenuit, misso Cancellario suo *D. Conrado Metsch.* Recessus sive decretum *Isennacense* d. 8. Augusti signatum, extat *d. Reg. H. f. 176. n. 83.* Conventum est de conditionibus, quibus pax ineunda esset, de quibus hic taceo, quia in historia anni sequentis, & habiti tunc conventus Francofurtensis, agendum de illis est. Confecta sunt quædam in hoc congressu, quæ *Brunsviga* cœpta erant, aliqua tamen etiam denuo dilata, inter quæ erat negotium de bonis Ecclesiasticis, itemque receptio civitatum *Halensis* & *Hailbrunnensis* in Suevia, quæ tamen non multo post secuta est. Eodem fere tempore d. 23. Aug. *Ludovicus* Elector Palatinus, datis ad Landgravium literis, officia sua ad pacis tractationem, ex composito cum Brandenburgico, obtulit, & studia Electorum Ecclesiasticorum ad eandem commendavit. Quæ vero *Isennaci* de propensione Protestantium ad pacem, & hac obtenta, ad auxilium contra Turcos ferendum, ex Legatis suis intellexerat Elector Brandenburgicus, non cunctanter ad Ferdinandum Regem per *Jacobum Schillingium* Satmundæ præfectum retulit. Communicatione inde a Rege cum Cæsare facta, literæ hujus mense Novembri ex Hispania missæ supervenerunt, quibus Electorum mediationem offerentium studium, & indictum *Francofurti* in annum sequentem conventum approbabat & Legatum ad illum nominabat Johannem, cui a patria, celebri Clivensis Ducatus urbe, *Vesalio* cognomen fuit, titulotenus Archiepiscopum Lundensem & Episcopum Rotschildensem in Dania, quas ei dignitates *Christiernus* Rex, cui a consiliis fuerat, procuraverat, exilio utriusque amissas: Adeptus autem postea erat Cæsaris gratia Episcopatum Constantiensem. Adjunctum in legationis diplomate habebat Heldum. Alias Cæsaris literas a Maimburgio indicatas, quibus conveniendi facultatem Protestantibus dederit, ignotas mihi esse fateor, & Principes Germani suo jure ac arbitrio, etiam absque Cæsaris venia, non raro convenire solebant, idque hoc ipso anno Protestantes bis fecerant. Accuratius, ut pleraque, observavit hoc *Pallavicinus Lib. IV. cap. VIII. §. 10.* qui *Lundensem* post adventum suum in Germaniam cognovisse scribit, quod Protestantes conventum Francofurti *propter suspiciones ex fœdere Catholico ortas* indixissent. Interim verum est, in ipso Francofurtensis pacificationis exordio, Mediatores hunc honorem Cæsari exhibuisse, ut illius permissu conventum indictum esse innuant, quod tamen de concessa sibi transigendi facultate explicant. Miserunt etiam ad conferenda de pace consilia, Electores reliqui omnes Legatos Gelnhusam; suspectus tamen cæteris erat *Moguntinus*, quod jam fœderi Norimbergensi certo modo nomen dedisset, cum Saxone vero aperta tunc exerceret odia, propter litem de Burggraviatu Magdeburgico. Offendit illo tempore Protestantes mirum in modum publicata d. 8. Octobris *Spiræ* sententia proscriptionis contra civitatem *Mindensem*, eamque edito mense Novembri acri libello recusationis publice oppugnarunt. Displicere etiam sibi rigorem Cameralium testatus est non solum Elector Brandenburgicus, verum etiam, ut ille ad Electorem Saxoniæ d. 25. Decemb. & 23. Januar. anni sequentis scripsit, ipse Rex *Ferdinandus*, qui etiam queri dicebatur, quod Cameræ judices adversus privilegia Domus Austriacæ multa decernerent.

(5) *Acta conventus Isennacensis, ejusque sequelæ quædam.*

(6) *Literæ Cæsaris de legatione Archiep. Lundensis.*

(7) *Conventus Gelnhusanus, & acta quædam Cameralia.*

ADDITIO.

Accepi ex Archivo Brandenburgico exemplum literarum ad *Joachimum* Electorem, *Toleti* d. 22. Novembris anno 1538. datarum, quæ tamen non nisi d. 24. Febr. hoc anno *Francofurti* a *Lundensi* exhibitæ fuerunt. In his Cæsar, ex Ferdinandi fratris relatione percepisse se, scribit, quomodo Protestantes ab illo ad tractandum de pace moveri se passi sint, inprimis Elector Saxoniæ & Landgravius, quos cum solito honorum titulo nominat. Testatur inde, gratum sibi esse officium mediationis, quod una cum *Palatino* obtulerit, & eximiam voluntatem suam de concordia in religione ineunda significat. Desiderat, quod conditiones sibi non fuissent perscriptæ, quas Protestantes proposuerint (ex Lundensis tamen dictis in conventu Francofurtensi apparet, illas non latuisse Cæsarem, & fortasse serius de iis edoctus est) nihilominus ait, se mandata dedisse *Lundensi* & *Heldo*, scripsisse quoque *Ferdinando*, ut diem constitueret, atque Delegatos suos adjungeret, rogatque Electorem, ut una cum *Palatino* vel ipse accederet, vel Legatos destinaret, omnemque operam porro impenderet ad pacem & concordiam ineundam, jungendasque vires adversus Turcos. Subjungit excusationem, quod mandata sua non simul illi & *Palatino* dedisset; factum id esse dicens gravibus ex causis, ad ipsorum quoque commodum, nulla vero erga illos diffidentia.

(a) *Literæ Cæsaris ad Electorem Brandenburg.*

Porro de intentione Pontificis nec non Cæsaris & Ferdinandi Regis, ad pacificationem cum Protestantibus ineundam, notabilis est narratio *Pallavicini Lib. IV. cap. VIII.* Fatetur non *Clementem* solum *VII.* sed & *Paulum III.* a Concilii convocatione abhorruisse, gravissimis ex causis, licet eas Cæsari probare non potuerint, tandem vero flagitationibus ejus cessisse. Cum vero nunc Concilium instaret, perspexisse demum Cæsarem, non secuturam ex illo esse reconciliationem, quos vocant, hæreticorum, sed potius eorundem proscriptionem, unde gravissimi motus metuendi essent. Itaque in concordiam omnes ivisse, & Cæsarem cum Pontifice in congressu *Villæ Francæ* ea de re egisse & convenisse, ut Legatus in Germaniam mitteretur *Hieronymus Aleander* Cardinalis, ob solertiam antehac demonstratam Cæsari acceptus. Indicat etiam modum a Pontifice repertum, quo scilicet prætextu Legatus mitteretur, ne Protestantes insolescerent, si solummodo ad concordiam cum iis tractandam veniret. Itaque præter hoc mandatum duo alia accepit, quorum unum, dicis causa, ad conciliationem cum *Bohemis* spectabat, nulla successus spe; alterum pertinebat ad res *Hungaricas*, ut pax inter *Ferdinandum* & *Johannem*, de regno certantes, confirmaretur, & Episcopi ab interdicto, cui huc usque subjecti erant, liberati, Lutheranismum possent extingue-

(b) *Narratio Pallavicini quædam.*

A. 1538.

tinguere. Præterea, quæ de *Ferdinandi* averſione ab *Aleandro* commemorat, quaſi is Germanis ob fervorem, in comitiis VVormatienſibus & concinnando edicto oſtenſum, exoſus eſſet, ipſe vero de mitiori Proteſtantium de ſe judicio bene ſperaret, & ſe a *Melanchthone* in Comitiis Auguſtanis deſideratum fuiſſe diceret. Pergit *Pallavicinus*, & Proteſtantes, *Eſynachi ad Rhenum* (ſic imperitia locorum *Iſenacum* vocat, Thuringiæ notiſſimum oppidum, plus quatridui itinere a Rheno remotum) habito conventu a *Ferdinando* petiiſſe, ſcribit, ut *Palatino* & *Brandenburgico* Electoribus poteſtatem tranſigendi ſecum faceret; quanquam verius ſit, non poſtulatum hoc ab iis, ſed, cum offerretur, acceptum fuiſſe. Facile tamen credimus aſſerenti, neque Catholicos, quos vocat, neque Pontificem, fiſos eſſe Electoribus iſtis, cum, ut ait, *Palatinum* repulſa, fratri ejus, adjunctionem in Epiſcopatu *Eichſtadienſi* petenti, data offendiſſet, *Brandenburgicus* vero in religione nutaret. Refert tamen *§. 5.* a Pontifice admiſſum utrumque, hunc vero etiam ultro collaudatum fuiſſe, tanquam imitantem Patris in religione ſtudium, & hac diſſimulatione præcavere Papam voluiſſe, ne patefacta ſuſpicione tales redderentur, quales futuros eſſe catholici metuebant. Exponit deinde arcana Cæſaris ad *Ferdinandum* mandata d. 22. Septembris in Hiſpania data, quæ tres gradus negotii, cum conſenſu tamen Cæſaris adhibendos, continuerint: primus erat, ut Lutheranos omnino ad ritum Catholicum revocaret; alter, ut vel in perpetuum vel ad tempus concederet, quæ, ſalva fide & fine offenſione reliquorum Chriſtianorum, indulgeri poſſent; tertius, ut inducias, quam commodiſſime liceret, faceret. Hæc ſi cum iis, quæ jam narravimus & in loco ex Actis conventus *Francofurtenſis* afferemus, conferantur; ſatis apparet, quid ſperare ex tractatu illo potuiſſent Proteſtantes, ſi conſiliorum Cæſaris & Pontificis notitiam habuiſſent. Sed inſigne hic documentum obſervari poteſt, quam facile labantur etiam cautiſſimi, in judicio de adverſæ partis affectu & intentione. Proteſtantes quidem nec labori nec ſumtibus ad eam penetrandam parcebant, ex omnibus tamen (poſt acta Smalcaldiæ cum *Heldo*) habitis illorum deliberationibus conſtat, illos pro certo præſuppoſuiſſe, non Pontificem ſolum (de quo conjectura illos non fallebat) ſed & Cæſarem, cum cæteris antiqui ritus Principibus, ad bellum Evangelicis inferendum, illosque exſtirpandos penitus animatos paratosque eſſe. Aliam tamen plane mentem tribui illis videmus a *Pallavicino*, dignam ſane pietate Cæſaris & reliquorum Magnatum, qui Pontificis ad propoſitum, de condemnandis & proſcribendis per Concilii decreta Proteſtantibus, ita ſeſe accommodare nolebant, ut ad bellum civile prorumperent, & communem patriam in exitium darent. Judicare hinc etiam licet, aliam antehac ſpem de Concilio concepiſſe Cæſarem & Principes, nempe de tollendis abuſibus, & conciliandis hoc modo Proteſtantibus, nunc vero eam abjeciſſe, cum id ſolum agi a Pontifice perſpicerent, ut vetera omnia retineret & ſtabiliret, ne ſcilicet quidquam ex potentia & opibus ſuis & Cleri amitteret. Ex ſecundo quidem mandati Cæſarei ad fratrem gradu ſupra indicato apparet, exiſtimaſſe Cæſarem, concedenda eſſe Proteſtantibus, quæcunque poſſent ſalva ſcilicet fide, & ſine ſcandalo; neque dubitandum eſt, omnia Proteſtantium deſideria abſque detrimento, immo cum maximo profectu fidei, & ſine offenſione aliarum gentium, eadem quippe reformationis cupiditate flagrantium, locum invenire potuiſſe; ſed perſuaderi id non potuit Pontifici & aulæ ejus primoribus, neque iis ex Epiſcopis, qui ſecularis faſtus & luxus retinendi ſtudio dediti erant; Cæſar vero & Principes, ſi bene conſulti fuiſſent, Concilii modum invenire potuiſſent, quo Pontificis intentioni, de nulla admittenda correctione, obviam itum eſſet; aut ſi nihil æqui ab eo impetrari potuiſſet, nulla neceſſitate obſtricti erant, ut, quos ille condemnaſſet, tanquam proſcriptos & hoſtes, perſequerentur. Eſto, quod in fide erraverint, (licet id probari non poteſt) & communio ſacrorum cum illis ſub uno illo Hierarchiæ nexu contineri non potuerit; neque divinum neque gentium jus exigebat, ut civilis ſocietas propter diſſidia in religione rumperetur, cum præſertim talia non eſſent, quæ cum majeſtate Imperii Cæſarei, & reipublicæ adminiſtrandæ & conſervandæ legibus, non conſiſterent. Contrarium ab ipſis oppoſitæ partis proceribus, etiam poſt ingentem Proteſtantium in bello, quod vocatur Smalcaldico, cladem, agnitum eſt, pacificatione *Paſſavienſi* publico comitiorum decreto anno 1555. approbata, & introducta inde univerſali Principum & Ordinum, in conſtituenda ſecundum cujusque conſcientiam religione, libertate. Quanto rectius & ab initio reformationis & tunc temporis ſentiebant Proteſtantes, qui ſuo jure contenti, & ſuæ civiumque, id volentium, religioni proſpicientes nulli alii vim inferebant, ſed cuique ſuum de fide arbitrium permittebant. Commentum itaque turbidorum hominum erat, qui contrarium tunc ſpargebant, & hac ſycophantia ad fœdus illud *Norimbergicum* quosdam inducebant, quos immerito *§. 10.* laudat *Pallavicinus* & nimis magnifice de fœdere illo ſentit, cum arca Noetica id comparans, quaſi illi conſervatio religionis deberetur. Nec Tridentini, quod refert, Epiſcopi elogium meruit *Heldus*, de quo dixiſſe is fertur, *vere Heldum eſſe*, id eſt, Heroem; id enim voce Germanica ſignificatur. Ille tamen cum aliis ſui ſimilibus, ſive per calumniam, ſive præcipiti & iniquo judicio, Proteſtantibus imputabat, quaſi ipſi non contenti ſui juris & libertatis uſu, reliquos Imperii Ordines vi & armis ad ſocietatem ſuæ religionis cogere intenderent, quod tamen ex ſecretiſſimis illorum, quæ extant, ſcriptis & conſultationibus minime perſpicitur & contrarium ex iis, quæ in progreſſu operis narrabuntur, confirmabitur.

(c) Epicriſis item.

§. LXVI.

(1) *Legatio in Galliam decernitur a Proteſtantibus & mandatis inſtruitur.*

Ex Actis *Archivi Reg. H. fol. 163. n. 77.* intelligitur, *Petrum Suavenium*, a Rege *Daniæ* in Galliam miſſum ex ore *Guilielmi Comitis Fürſtenbergii*, ad Herum ſuum retuliſſe, Galliæ Regem, licet cum Cæſare tractatus de induciis habere paratus eſſet, nihilominus etiam ad fœdus cum Proteſtantibus ineundum inclinare. Occaſionem igitur, ſuadente *Daniæ* Rege, ſumſerunt, ut habito Serveſtæ inter Electorem Saxoniæ & Landgravium aliosque fœderatos conventu, d. 5. Febr. 1538. Legatos in Galliam mittendos decernerent, cum mandato, ut apud Regem excuſarent, quod fœderis tractatus per Legatos ejus, Langæum inprimis, oblatos proſecuti hucusque non eſſent, retentos enim fuiſſe obſequio erga Cæſarem. Cum vero hucusque omni ſtudio ſuo nihil apud Cæſarem profeciſſent, & jam denuo nunciaretur, agitari fœdus inter illum & Regem, (quod jam ante annos ſeptem in Comitiis Auguſtanis ad terrorem Evangelicis incutiendum oſtentabatur,) deſiderari a Proteſtantibus, ut Rex aperiret, quæ ab illo ſperanda aut metuenda eſſent: falſo ſibi imputari, quod Cæſari ſeſe opponerent, prætextum a religione ſumi, cujus tamen confeſſionem Auguſtæ ediderint, nec impetrare potuerint, ut refutatio illius, juſſu licet Cæſaris compoſita, ſibi exhiberetur. Ab illo tempore Regem Legatos apud ſe non una vice habuiſſe, Anglicam vero Legationem tribus menſibus Wittenbergæ verſatam eſſe: unde ignotum non ſit, quam religionem profiteantur, neque unquam ſe convinci poſſe, quod ab unione Eccleſiæ Chriſtianæ ſeſe ſeparaverint. Non latere Regem, quibus ex cauſis Concilium, a Pontifice in Italia indictum, recuſaverint. Ex his tamen omnibus immerito ſe accuſari, quod Majeſtatem Cæſaris lædant, neque Electori Saxoniæ vitio vertendum, quod

A. 1538. quod electioni *Ferdinandi* contradixerit, id enim pro libertate Germaniæ fecisse, quam vita chariorem habeat. Interim æquum judicium in hac causa non refugere; Cæsarem vero non pauca contra electionis suæ leges (*Capitulationem* vocant) molitum esse, in detrimentum libertatis Imperii. Crimen non esse, quod Protestantes fœdus pro defensione inierint, idem prius ab adversariis factum esse; Cæsarem Principibus, salva libertate sua, sibi obstrictis mutuam fidem debere. Petunt igitur a Rege, ne se a Cæsare adversum se moveri patiatur, neque in Concilium in Italia habendum consentiat: interesse Regis, ne Protestantes opprimantur, nec in potestatem Cæsaris absolutam veniant, qui dimidiam fere Germaniæ partem constituant: salutem Galliæ a conservatione libertatis Germanicæ dependere, hanc vero conservari, si Rex a societate cum Cæsare adversus Protestantes abstineat, & contraria ejus consilia revelet: sic facile in fœdus defensivum consensuros esse. Protestantes & speciatim Electorem atque Landgravium curaturos esse, ut ea de re tractaretur. Ex relatione Legatorum, (qui tunc erant *Jodocus* sive *Justus ab Hayn*, & *Basilius Monnerus* (*Selenus*, duriuscula ad cognomen allusione in Gallia vocari voluit) Saxonis, *Alexander Thannius* & *Ludovicus a Baumbach*, Landgravii consiliarii,) d. 30. Mart. in conventu Evangelicorum *Brunsuigæ* exhibita, percipitur, respondisse Regem, se ad conventum *Niceæ* inter Pontificem & Cæsarem venturum non esse: Cæsarem quidem ab Rege postulasse, ut ab omni societate & amicitia cum Principibus Germaniæ discederet, deinde, ut ad eos domandos vires jungeret, denique ut in Concilium, Pontificis & Cæsaris studio indicendum, consentiret & decreta ejus exequeretur: horum tamen nihil a Rege admissum esse, neque illum fœdus cum Cæsare ea conditione initurum, neque permissurum, ut Concilium in Italia, in detrimentum amicorum, haberetur, id enim iniquum esse, Regemque paratum, ut ad fœdus cum Principibus Germanis ineundum, statim Delegatos ad conventum Brunsuicensem mitteret. Cum vero hoc deprecarentur Protestantium Legati, tum ob loci incommoditatem, tum quod fœderati omnes ibi non essent conventuri, Rex pollicitus est, se intra dies quindecim Legatos suos *Nancejum* in Lotharingiam deputaturum, expectaturos ibi, quo loco eum Principum Legatis convenire & deliberare possent. Sic celerrime expedivit Legatos literis *Molini* d. 14. Febr. Latine datis, in quibus diserte fatetur, *importunum se habuisse hortatorem* (id est, Cæsarem) *adversus Protestantes, sibi tamen nunquam persuaderi aliquid posse, quod libertati Germanicæ noxium esset futurum.* Audita hac relatione, decreta est *Brunsuigæ* d. 15. Apr. nomine *Christiani* Daniæ Regis, *Joh. Friderici* Electoris Saxoniæ, *Ernesti* & *Francisci* Ducum Lüneburgensium & *Philippi* Hassiæ Landgravii, solennis ad Regem legatio. Mandata & literas ad Regem, itemque ad *Momorancium*, Equitum Magistrum, sive Connestabilem (cui titulum dant *viri clarissimi*) *Melanchthon* Latine conscripsit. Legati erant *Escheldus Bild*, Eques, & *Petrus Suavenius*, Dani; *Jodocus ab Hayn* & *Basilius Monnerus*, Saxones; *Ludovicus Baumbachius*, Hassus. Significarunt paulo ante Principes d. 5. April. Legatis Gallicis Nanceji expectantibus, suos d. 20. Maji in oppido *Gemunda* Lotharingicæ ditionis, non procul a *Biponto* sito, adfuturos esse. Interea Rex Delegatum ad Principes expediverat *Fossanum*, qui tamen ob impedimenta quædam, quæ obtendebat, eos non adiit, sed literas scripsit, quibus rumores excusabat, qui de fœdere Cæsaris & Regis contra Protestantes sparsi erant, nec multo post Rex ipse, antequam Legati Principum ad eum venissent, literis d. 1. Jun. ad Principes *Villanovæ* datis asseverat, *nihil Niceæ pactum esse, quod Protestantibus perniciem afferret.* Hanc contestationem, in responso d. 13. Jul. tanto gratiorem sibi esse, affirmarunt Elector & Landgravius, quanto latius diffusa fuerit fama de fœdere adversum se inito, cujus multa damna repræsentant, si conclusum foret; inprimis quod Turcorum impetus retundi non possit, nisi pax in Germania Protestantibus concedatur: de cætero ad Legatos suos, qui interim Regem conventuri essent, provocant. Extat horum relatio viginti foliis constans, quorum hæc est summa: Cum *Gemundam* venissent, literas a *Bertrando* Præside Parlamenti Tolosani acceperunt, quibus in civitatem Lingonum (*Langres*) invitabantur. Eo cum venissent, ostensæ illis sunt, & pro singularis fiduciæ testimonio exhibitæ (quæ etiam hodie in *Archivo* reperiuntur) literæ *Margarethæ Navarræ*, sororis Francisci, & *Momorancii*, quibus Bertrando significatur, lætari Regem de adventu Legatorum, eosque cupide expectare. Inde igitur *Avenionem*, in remotis Galliæ finibus, ire jussi sunt, ibique Regem expectare. Cum non compareret, *Caballionem*, illius tractus oppidum, Regem quærentes, petierunt, inde vero, licet a Bertrando Avenionem redire monerentur, literis Guilielmi Fürstenbergii, qui apud Regem erat, acceptis, *Massiliam* iverunt. Ibi ex *D. Johanne Metensi* a Fürstenbergio misso intellexerunt, quæ Niceæ acta erant, & Rex misso *Fossano*, & literis ad Principes datis, aperuisset. Postquam dies novem Massiliæ otiosi sedissent, die ult. Jun. Rex adfuit. Sequenti allocuti prius sunt *Momorancium*, deinde ad Regem introducti, præsentibus *Momorancio* & *Bertrando*, mandata exponere cœperunt. Interrupit eos Rex, intellecta salutatione Principum, & statim professus est, se omnia præstitisse, quæ Principibus scripserit, eosque in pactis induciarum comprehendisse, solita etiam sibi formula asseveravit, (*en foy de Gentil homme, fide nobilis viri*) se in Concilium non esse consensurum, licet Papa & Cæsar vehementer id postulaverint, &, præstito consensu, possessio Ducatus Mediolanensis obtineri illico potuisset. Addidit: licet jam res quietas haberet, & Ducatum illum adepturus esset, nihilominus ad fœdus cum Principibus propendere, petiitque, conditiones ejus a Legatis indicari. Adhæc Legati consuetas gratiarum actiones reposuerunt, sed rogarunt Regem, ut ipse potius conditiones proponeret. Perstitit tamen ille in sententia, & inspectis prius Legatorum mandatis, *Momorancio* & *Bertrando* mandavit, ut cum illis tractarent. Cœpto cum his colloquio, haud difficilis visa est conventio de fœdere pro mutua defensione, & ut Concilium, non nisi utriusque partis consensu, admitteretur; secus si fieret, & decreta illius per vim obtruderentur, auxilia Rex pollicebatur, stipulatus, ne Rex Daniæ & socii

(2) Legatorum relatio.

(3) Repetita & solennior Legatio.

(4) Itinera & acta illorum cum ministris & ipso Rege.

A. 1538. socii Principes, hostes suos juvarent & ut delectus militares in ditionibus suis Regi permitterent. Exceperunt hic Legati Principum diserte Cæsarem, in causis ad Imperium & libertatem Germaniæ spectantibus. Post hæc ad ultimum tractatuum caput ventum est, quod *Langæus* antehac Regis nomine proposuerat, nempe, ut Rex notabilem summam pecuniæ in civitate quadam Germaniæ deponeret, Principibus solvendam, ut milites ad defensionem conscribere possent. Hic vero Momorancius repugnare cœpit, causatus hoc inæquale esse, idemque a Principibus præstandum. Eodem die Rex Massilia abiit, eumque ad oppidum *Tarasconem* secuti sunt Legati, ibi enim expectaturus illos & tractatum perfecturus esse dicebatur, Furstenbergio id pro certo affirmante. Sed altero die ex improviso Rex ad colloquium cum Cæsare in oppido *Septimaniæ*, quod ab *aquis mortuis* nomen habet, (*Aique morte*) profectus est, cum prius per *Bayardum* Secretarium Legatos rogasset, ut moram aliquam patienter ferrent, & omnia supra dicta, quæ obtulerat, repetiisset, de ultimo vero articulo, in quo nondum conventum erat, *Lugduni* agendum esse *Bayardus* dicebat. Supervenerunt mox literæ *Furstenbergii*, qui ex *Momorancii* ad se epistola Legatos omnem suspicionem deponere jubebat, ac si Rex cum Cæsare aliquid in damnum Protestantium acturus esset, alia enim in congressu illo agenda esse, & præcipuum fore, ut hilariter convivarentur. (gut geschirr *bonne chere* machen) Cum Legati viginti prope dies *Lugduni* commorati essent, Rex quidem d. 30. Jul. eo venit, sed confestim, sequenti die, summo mane abiit, relicto *Bertrando*, qui illos, postquam antemeridiano tempore promissum ad Regem aditum sibi significari, frustra expectassent, post meridiem convenit, neque solum de pecuniæ depositione difficultatem movit, sed & de Concilio: Ajebat enim, hoc esse causam ecclesiasticam, de qua palam pacisci Rex non posset, quanquam apud se decrevisset, in Concilium illud non consentire, nisi bonum esset & liberum; quod si tamen totus orbis assentiretur, fas non fore Regi, ut solus obniteretur. Eadem Regi Angliæ responsa esse. Addidit, Cæsarem in nupero congressu Regi pollicitum esse, quod nihil contra Principes per vim acturus, & Regis in lite cum illis arbitrium admissurus sit. Promittere itaque dixit, Regem, se non consensurum in Concilium, nisi bonum & liberum, licet in pactis fœderis hac de re nulla fieri possit mentio. Regerebant Legati, quæ Rex ipse mense Febr. *Molini*, iis, qui tunc eum convenerant, Legatis, de Concilio pollicitus esset, & quod *Langæus* depositionem pecuniæ Principibus ultro obtulerit, eaque, consideratis temporum & personarum conditionibus, minime iniqua esset; sed *Bertrandus* prioribus institit, ignorare se, dicens, quæ Rex Molini dixisset, aut olim per Langæum obtulisset. Jussi inde sunt Legati Regem Molinum usque sequi, neque tamen ibi illum invenerunt, sed in castello quodam, tribus a Molino leucis, *Chevannes* dicto, ubi venationi operam dabat. Ibi demum Legati, post multam & inanem cum Momorancio concertationem, dimissi fuerunt a Rege, mandante, ut Heros suos, quos *amicos*, *cognatos* & *fœderatos* vocabat, suo nomine salutarent, eosque de constantia pristinæ amicitiæ confidere juberent. Affirmavit idem denuo, se in pacto induciarum cum Cæsare Principes comprehendisse, neque illos, si ope sua egerent, deserturum esse. Sub discessum Legati intercesserunt pro iis, qui religionis causa *Gratianopoli* in vinculis tenebantur. Respondit Rex, se facturum, quicquid posset. Literæ Regis Gallice scriptæ sunt d. 11. Aug. in castello paulo ante nominato, ad Electorem & cæteros Principes, unde conjicio, separata epistola Daniæ Regi responsum fuisse. Tenor literarum magnifica habet verba de inviolabili amicitiæ & fœderis antiqui (imaginarii scilicet, quod *Langæus* & Rex aliis literis, pectoribus inscriptum esse, dictitabant) conservatione, & iteratam asseverationem, quod in induciis cum Cæsare Principes, ut amici & fœderati, comprehensi essent: Quod vero cum Legatis nihil conclusisset, ita excusabat, quod aliquæ difficultates obortæ essent, de quibus Legati necessarium esse putaverint ad Heros referre. Hæc paulo prolixius recensenda fuerunt, cum insigne versutiæ Gallorum specimen præbeant, qua Legatos deluserunt, eosque data opera detinuerunt, ut ex illorum præsentia Cæsari suspicio incuteretur, & Regis cum illo negotiationi pondus inde accederet. Novum nempe non est, ut fides & constantia amicitiæ a rerum & temporum statu aut mutatione dependeat, & iniquitates manifestæ speciosis vocabulis incrustentur. Momorancius sane, cum Legati oblata a *Langæo* urgerent, respondere non est veritus, alia nunc tempora esse. Conferentes ista, quæ narravi, cum traditis *Pallavicini* & *Maimburgii* de induciis Niceensibus, facile deprehendent, qua fide & sinceritate cum Protestantibus actum sit. Secutum tamen non multo post tempus fuit, quo Regem istorum omnium pœnitere cœpit, ut in loco memorabitur. Extat inter acta hujus legationis prolixa dissertatio, a *Melanchthone* conscripta, de periculo libertati Germanicæ a consiliis *Hispanorum* & *Burgundorum* imminenti, cum querela de multis Cæsaris adversus eam attentatis, & adscriptus est dies 28. Jul. *Lugduni*; neque tamen invenio, Regi aut ministris ejus aliquid ex scripto illo propositum fuisse, neque id rerum status admittere potuisse videtur. *Fürstenbergii* credulitate aperte abusi sunt Galli in hoc negotio, nec multo post *Lotharingiæ* Dux, qui per eum Electori Saxoniæ studium fœderis cum Protestantibus ineundi insinuavit. Scopus erat, ut Geldriæ Ducatum illorum ope obtineret, pactum quoddam cum ultimo Duce Carolo allegans; verum Elector non solum affinitatem cum Duce *Juliacensi*, sed & hoc opponebat, quod cum nemine fœdus tale inire posset, qui eandem secum religionem non profiteretur: hoc si faceret *Lotharingus*, amicitiam, societatem & operam, ad amicam de causa Geldricæ transactionem procurandam, offerebat.

(5) *Dimissio a Rege cum epicrisi.*

De actis Evangelicorum cum Rege *Angliæ* dictum fuit §. XXXIX. in rebus anni 1535. & continuata fuit historia illa in *Addit. dict.* §. ad annum usque 1536. relatæque sunt literæ d. 1. Sept. d. a. ad Regem scriptæ. Ad eas, quia tardius perlatæ erant, Rex, non nisi ineunte anno 1537 (quem tamen stylo

(6) *Literæ Angliæ Regis ad Protestantes.*

A. 1538. lo Anglicano 1536. numeravit) d. 2. Jan. *Reg. H. fol. 99. n. 42.* reſpondit, magna quidem cum comitate & elogio Principum. Laudat eos impenſe, quod adverſus ſynodum a Pontifice magna cum fraude, in omnium perniciem, agitata, ſententiam ſincere, prudenter & erudite aperuiſſent, quam talem eſſe dicit, ut Chriſtiano cuique viro, & in vera ſummi Dei præcepta ac dogmata bene affecto pectori, ſummopere probari debeat; futurum inde ſperat, ut, quoniam in hac cauſa pulcherrime cum Rege conveniant, collatis poſthac in unum conſiliis, Deo juvante, optatus aliquando fructus univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ proveniat, & veritas ipſa, ſinceraque Chriſti doctrina, quæ diu latere non poſſit, in omnium ſalutem illuſtretur. Poſt alia prolixe deducta in eo ſe eſſe indicat, ut nuncios ſuos ad illos deſtinet, antequam Legationem ſolennem, cujus ſpem fecerant, expedirent. Sequenti anno in Conventu Brunſuicenſi iterum miſſus a Rege adfuit *Chriſtophorus Mount* ſive *Montius*, literis d. 25. Februarii ad Electorem datis inſtructus. In his iterum magnifice laudat Electorem ob ſanctiſſimi pectoris inſtitutum, quod in vera doctrina Chriſti promovenda tanta alacritate hactenus perſtiterit, & nihil prætermiſſurus eſſe videatur, quod ad ſinceram religionem illuſtrandam & firmandam cumulum poſſit adjicere. Nuncio mandatum eſſe ſcribit, ut deliberet cum Principibus de jungendis conſiliis adverſus Pontificis tyrannidem & ambitionem, tum illuſiones omnium Chriſtianorum Principum, & malitiam in negligendis, quæ afflictis conſcientiis conducant, remediis; dein ut Legatio a Proteſtantibus promiſſa promoveretur. Miſſi itaque fuerunt Legati *Franciſcus Burcardus*, Vice-Cancellarius Electoris Saxoniæ, *Georgius a Boyneburg*, ex nobilitate Haſſiaca, idemque Jurium Doctor, & *Fridericus Myconius*, Superintendens Gothanus. Quam ſubdole vero cum his actum ſit, & quo ſtatu religio tunc in *Anglia* fuerit, referri hic ſuperfluum eſſet, & ex ſcriptoribus rerum Anglicarum luculentius percipitur, maxime ex nupero *D. Burneti* inſigni opere. Conſuli itaque poteſt ab iis, qui exotica non intelligunt, verſio Latina Genevæ anno 1686. excuſa *fol. 142. & ſeq.* Scriptum vero ampliſſimum, quo Legati Proteſtantium articulos a Rege & Epiſcopis improbatos, nempe de communione ſub utraque, abolenda Miſſa ſacrificatoria, & permittendo Clericis conjugio d 5. Aug 1538. propugnaverunt, & acris reſponſio, Regis nomine Legatis exhibita, addita tamen benignæ dimiſſionis ſignificatione & promiſſo de ulteriori deliberatione, producta ſunt a *Burneto* in *Addendis* ad *Part. I. n. 7. & 8. fol. 252. & ſqq.* Explicat illuſtris autor artes & machinas, quibus Rex a veritate Evangelica plene agnoſcenda & profitenda impeditus eſt; ſed & juſtum Dei judicium obſervari debet adverſus immania Regis vitia. Sumtus illius legationis magnus tunc viſus eſt Proteſtantium proceribus, *(Reg. H. fol. 214. n. 96.)* aſcenderat enim ad 1158. florenos aureos, quorum unus valorem nummi Imperialis ſive Joachimici uno tantum groſſo tunc ſuperabat. Hodie aucto in immenſum luxu, &, adulterata turpiter moneta, creſcente omnium rerum pretio, quadruplum aut plus impendendum eſſet; ſplendide tamen vixerant Legati & liberalem menſam (eine freye tafel) exhibuerant.

(7) *Legatus ejus Montius.*

(8) *Proteſtantium in Angliam Legati, eorumque acta.*

(9) *Sumtus legationis.*

ADDITIO I.

A. 1538. Extat in *Archivo Vinarienſi* volumen de legatione hoc anno in Angliam miſſa, *Reg. N. fol. 165. n. 78.* in quo leguntur ampliſſima Electoris Saxoniæ mandata, Legatis d. 11. Mart. data, & articuli religionis Angliæ Regi poſtea exhibiti; quibus inter alia additum erat exemplum decreti de conſervatione & propagatione religionis Evangelicæ, a fœderatis in conventu *Brunſuicenſi* editi (de quo ſupra *§. LXIV. 5.* diximus) deinde prolixa de actis *Londini* cum Rege ejusque conſiliariis relatio, manu *Burcardi* ſcripta. Mira in illa narratur Regis humanitas, ut Legatos, præſentibus aulæ proceribus, honorifice admiſerit, amplexu ſuo dignatus ſit, benigne audiverit, placidiſſime reſponderit, ſæpe etiam, *Melanchthonis* præſentiam deſiderari a ſe, teſtatus ſit. Neque tamen tacuit *Burcardus*, quod Rex haud diſſimulaverit, eſſe in articulis Proteſtantium, quæ non probaret, & in quibus illi cedere deberent, amicorum ſaltem reſpectu, id eſt, *Gallorum*, de quibus ſpes concipiebatur, fore, ut religionem Evangelicam reciperent. Magnum ſtudium promovendæ cauſæ, quam Legati tractabant, profitebantur *Cromwellus* & *Crammerus*, idque hic literis ad Electorem d. 26. Sept. datis luculenter ſignificavit, eumque egregie collaudatum hortatus eſt, ut veritatem, quemadmodum cœpiſſet, ad finem usque vitæ aſſerere pergeret; licet vero non deeſſent, qui Legatis indicarent, fidendum non eſſe Regis blanditiis, & quod in contrarium animus ejus ab Epiſcopis veteri ſuperſtitioni addictis flecteretur, & ex reſponſo regio, quod ſupra memoratum eſt, diſſenſus ejus a religione Proteſtantium ſatis appareret; Rex tamen non ſolum ſatis comiter Legatos dimiſit, ſed & in literis, ad Electorem Saxoniæ ſcriptis, duriora omnia artificioſe emollivit, nec exiguam ſpem in futurum oſtendit, maxime, quod *Melanchthonis* præſentiam his ipſis literis denuo flagitaret. Harum exemplum ex autographo deſcriptum exhibemus: *Henricus VIII. Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ, fidei defenſor, ac Dominus Hiberniæ, & in terris Eccleſiæ Anglicanæ immediate ſub Chriſto ſupremum caput, Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Principi Dn. Joh. Friderico Duci Sax. S. R. I. Archimareſcallo ac Principi Electori, Landg. Thuring. March. Miſn. & Burggr. Magdeb. Conſanguineo & amico noſtro cariſſimo ſalutem. Ad aliquot menſes hic apud nos egerunt præſtantiſſimi viri Dn. Franciſcus Burgratus,* (id eſt, *Burcardus) Vicecancellarius, Dn. Georgius a Boyneburg LL. Doctor ac Dn. Fridericus Myconius Veſtræ Excellentiæ ac Illuſtriſſimi Domini Landgravii Haſſiæ, amici noſtri integerrimi, Oratores, qui tam præclara ſanæ eruditionis, prudentiæ ac probitatis non vulgaris ſummique in Chriſtianam pietatem ſtudii argumenta præſtiterunt, ut eorum conſuetudo, quemadmodum nobis extitit omnium quam maxime chara & accepta, ita ex hac, bene juvante Deo, certam jam ſpem concepimus, fructus, ſucceſſusque recte initis conſiliis, cœptisque actionibus, quandoque reſponſuros eſſe. Negotium hoc, de quo hactenus egimus, ut omnium graviſſimum eſt, & Chriſtiano pectore quam maxime dignum, quod veram Chriſti gloriam, ejusque religionis diſciplinam & tranquillitatem complectatur; ita maturatis ſententiis purisque conſiliis illud tractari expedit, ſicque in omnem partem diſpicere, ut, præter ſummi Dei laudem, & publicum bonum, communemque Chriſtianorum ſalutem, univerſo orbi manifeſte conſtet, aliud nihil nos eſſe ſecutos. In eam igitur cum præfatis Dnn. Oratoribus conſiliorum & ſententiarum formam devenimus, & ſicuti ex illorum ſermone Veſtra Excellentia uberius diſtinctiusque cognoſcet, ad eum modum, quæ hactenus inter nos acta tractataque fuere, cum Deo omnia aptavimus, ut ſolidiſſimis fundamentis certiſſimisque rationibus innitatur, & veram Chriſti gloriam certo cum fructu illuſtrare queat, & quam latiſſime propagare. Mutuas vero has actiones noſtras, ubi Veſtra Excellentia ex ſuis Oratoribus penitius cognoverit, ipſi, pro ſua ſingulari prudentia, & innato quodam conatus quosque optimos promovendi ſtudio, quam maxime probatum iri, non ambigimus, & pro his, quæ feliciter agi cœpta ſunt, felicius abſolvendis concludendisque, expectamus, ut Dn. Philippum Melan-*

chtho-

(a) *Relatio ex Actis Archivi de legatione in Angliam.*

(b) *Literæ Regis Angliæ ad Elect. Sax.*

A. 1538.

chthonem, in cujus excellenti eruditione sanoque judicio a bonis omnibus multa spes reposita est, doctosque alios & probos viros primo quoque tempore ad nos mittat; omnemque tunc operam dabimus, ut Vestra Excellentia perspiciat, in iis, quæ ad veram ullo modo pietatem spectent, & ex Christiani Principis officio esse videbuntur, & quæ mutuam nostram benevolentiam augere possint & conservare, tot hinc inde labores haud frustra hactenus esse susceptos. Cætera ex iisdem Dnn. Oratoribus, dignissimis quidem, quorum fidei atque prudentiæ maxima quæque committantur, effusius cognoscet Eadem Excellentia Vestra, quæ feliciter valeat, Ex Regia nostra prope Londinum, Kal. Octob. 1538.

Vester consanguineus & bonus amicus,

Henry.

Petrus Vunnes.

(c) *De Anabaptista quodam, in Hassia deprehenso.*

Cæterum antequam Legati rediissent, Elector Saxo & Landgravius occasionem nacti sunt, & benevolentiæ Regis captandæ, & purgandi se a calumnia, quasi in suis ditionibus locum etiam darent fanaticis sive Anabaptistis. Captus fuit tunc a Landgravio quidam *Petrus Taschius*, cujus literæ interceptæ erant, & ex his cognoscebatur commercium quoddam inter Anabaptistas Germanos & Anglos. Hi enim librum *de incarnatione Christi* ediderant, quem *Petrus* ille valde probabat, sperabatque magnum sectæ suæ in Anglia progressum; ipse etiam iter in regnum illud parabat, nisi a Spiritu Dei, ut loquebatur, prohibitus fuisset. Scripserunt igitur (*Reg. H. fol. 207. n. 94.*) Principes ad Regem prolixam & elegantem epistolam d. 1. Sept. stylo *Melanchthonis*. Ex hac sequentia, quæ ad historiam de Anabaptistis non parum faciunt, referenda esse duximus.

(d) *Literæ Principum de eo ad Regem Angliæ.*

Cum hoc tempore deprehendissemus literas apud quendam Anabaptistam captum, in quibus fit Angliæ mentio, & significatur, propagari ibi tacite Anabaptistarum errores; duximus primo quoque tempore Reg. dign. Vestram periculum illud significandum esse, misso exemplo literarum illarum. Etsi autem non dubitamus, quin R. D. V. norit, quod genus hominum sint Anabaptistæ, quid profiteantur, & quod prorsus a nobis dissentiant; tamen ut discerni ab aliis, & melius caveri possint, quædam commemoranda sunt. In Germania, in iis locis, ubi non docetur pura Evangelii doctrina, ac præcipue in Belgio, quia populus audivit, reprehendi abusus veteres, & ab eis jam abhorret, nec tamen audit melius doctrinæ genus, multi errores ibi pullulant. Nam ubi desunt boni Doctores, alii alias opiniones sibi fingunt. Error enim, ut dici solet, res fœcunda est. Ex his fontibus ortum est delirium Anabaptistarum, ac inde effusum fuit in vicinam Frisiam & VVestphaliam. In cæteris regionibus Germaniæ, ubi pure traditur Evangelii doctrina, Dei beneficio, homines, quia solida doctrina adversus tales errores præmuniti sunt, sua sponte fugiunt hanc pestem. Quare nostræ Ecclesiæ Dei beneficio tranquilliores sunt Belgicis. Sed tamen per universam Germaniam tacite vagantur erronei quidam & impostores ac fanatici homines, qui præcipue profitentur Anabaptismum, & hanc notam habent suæ sectæ, quod, damnato infantum baptismo, rursus baptizantur. Hoc symbolum est hujus factionis. Sed ad hunc errorem adjungunt alia multa deliramenta. Et quia nihil est efficacius ad fallendos animos hominum, quam species magnæ humilitatis & patientiæ, docent facultates in commune conferendas esse, & ut omnem vindictam improbent, negant Christiano licere gerere magistratus, exercere judicia, dare jusjurandum, denique tollunt reipsa politicam ordinationem, quam Deus & instituit & approbat. Hos errores de rebus civilibus initio serunt, qui facile capiunt homines alioqui superstitiosos. Postea addunt infinitam opinionum confusionem, nam alius aliud comminiscitur de divinitate, de naturis Christi, prorsus ut Manichæi, jactitant illuminationes, spreto verbo Dei, tollunt vitium originis, & quid sit peccatum, non recte docent, & suis Enthusiastis concedunt manifesta scelera. Nam de justificatione habent falsas & absurdas opiniones. Conjugii sanctitatem turpissime polluunt, in vulgus concessa polygamia & divortiis sine ulla lege. Hæc barbarica confusio superstitionum, & opinionum erumpit tandem in seditiones, ubi creverit numerus, uti accidit in Frisia & in oppido Monasteriensi. Sed nullam nunc rempublicam, nullam civitatem tenent; tantum fanatici quidam homines passim vagantur, qui diversis locis clam spargunt hoc virus, quos deprehensos nos quidem curamus primum ab eruditis rectius doceri, ut sanentur; sed si pertinaciter defendunt vel damnationem baptismi nostri, vel alias impietates, vel damnationem rerum politicarum, quæ reipsa est seditiosa, afficiuntur pœnis. Sub finem addunt: *Hæc bono studio scripsimus copiosius, quia in his rebus multiplex est periculum. Speramus autem, etiam ex his literis intellecturam esse R. D. V. nos non delectari falsis aut monstrosis opinionibus, sed eo a nobis reprehendi abusus Papisticos, ut verum & catholicam doctrinam Ecclesiæ Christi & defendamus & illustremus. Hujus sanctissimi consilii duces atque autores esse, propter gloriam Christi & salutem Ecclesiæ, omnes bonos Principes optamus, ac præcipue R. D. V.*

A. 1538.

(10) *Henrici Brunsuic. acta quadam.*

Afflictis, ex parum fausto Legationis in Angliam successu, Protestantium Principibus non defuerunt aliæ adversitates & curæ. *Henricus* enim Brunsuicensis jam ab initio anni molestiam Electori Saxoniæ exhibuerat, denegata illi itineris securitate per provinciam suam, cum ad conventum Brunsuicensem proficisceretur, unde factum est, ut per ambages iret, & Lutherum, qui adesse in conventu cupiebat, domi remanere jusserit. Henricus e diverso subinde Electoris territorium transibat ac *Moguntinum* & *Erfurtenses*, Evangelicos licet, sed aliis ex causis Electori tunc parum faventes, ad societatem fœderis *Norimbergensis* stimulabat, ut & *Mulhusinos*, qui post bellum rusticum, ut dictum est, Saxonibus & Hessis inviti parebant. *Brunsuicensis* consilia pleraque *Georgius* Saxoniæ Dux promovebat, etiam in Saxonia inferiori laborando, ut quosdam ad fœdus suum adducerent, Lubecenses maxime. Multa de machinationibus hisce reperiuntur *Reg. H. fol. 153. n. 73. & fol. 207. n. 94.* Ausus est Henricus etiam in ditione *Erici*, patrui sui, Evangelii progressum, quem præcipuæ urbes curabant, impedire, dura minatus *Northemensibus*, qui concionatorem Evangelicum advocaverant, *dict. Reg. fol. 214. n. 96.* De Pontificis iris etiam ex *Italia* ad *Melanchthonem* literæ venerunt, quarum mentionem facit Elector ad Landgravium scribens d. 4. Novembris.

(11) *Consultationes de defensione & pace.*

Igitur, indicto licet ad pacificationis tractatus conventu *Francofurtensi*, multa fuit inter Principes & cum Theologis consultatio, an & quatenus licitum esset, defensionem parare, vel etiam instantem ab adversariis vim prævenire. De Theologorum responsis commodius in actis anni sequentis agemus. Quæ illi hoc anno dederunt, non satis clara & liquida visa sunt *Landgravio*, ut ex literis ejus d. 25. Septembris ad Electorem scriptis constat. In his mentem suam hunc in modum aperit, ut dicat: *Requiritur ante omnia, ut coram Deo & in conscientia nostra certi simus, adversarios vim & bella contra nos parare, nos vero defensionem non ex ambitione aut utilitate, sed solummodo ad gloriam Dei & nostri nostrorumque incolumitatem moliri. Probationes etiam adesse debent, quibus convinci de machinationibus suis adversarii possint, & publicum de illis scriptum edi. Restat deinde de viribus, & inprimis de nervo belli, pecunia, consultatio. Tanta enim est Pontificis, Cæsaris, Galliæ & aliorum Regum potentia, ut abs-*

A. 1538.

que miraculo divino servari vix possimus, tantum abest, ut de illis superandis sperare liceat. Sufficeret nobis bellum eo usque gerere, ut honestæ pacis conditiones obtineremus, & loca quædam occuparemus, per quæ, veluti pignora, securitati nostræ in futurum prospici posset. Ad pacem itaque respiciendum esse agnoscit, & belli incommoda graviter describit, digna sane decenti tantum Principem pietate & prudentia, licet alias justo haberetur fervidior. Aliis literis d. 12. Novembris, ad perpetuam exprobrationem de restituendis ante omnia bonis Ecclesiasticis, respondet, *urgendos esse adversarios, ut ipsi prius Ecclesiæ ablata restituant* dogmatum scilicet integritatem; *legibus enim cautum esse, ut antiquiora spolia omnium primo restituantur.*

(12) *Electoris Brandenburgensis inclinatio ad doctrinam Evangelicam.*

Solatium in his periculis & motibus afferrebat *Joachimi II. Electoris Brandenburgici* ad Evangelicam doctrinam magis magisque erumpens propensio, & fama erat, illum, *Melanchthonis* consilio, ad publicandam ordinationem Ecclesiæ in suis ditionibus, uti; sed Melanchthon *d. Reg. n. 96.* interrogatus ab Electore Saxoniæ fatetur quidem se cum Marchione Electore collocutum esse, & vidisse librum a monacho illius (von seinem Münche / quem non nominat) compositum, sed multa in illo heterodoxa reperisse, quorum aliqua Elector ipse, annotationibus in margine, correxerit, maxime vero exorbitasse monachum in articulo de justificatione (sey weit aus dem wege gangen) se autem, ait, consuluisse, ut Elector librum supprimeret, & Ordinibus provinciæ suæ oretenus proponeret, *se prædicationem doctrinæ Evangelicæ & legitimum Sacramentorum usum publice admissurum esse.* Plura, negat, secum acta esse, & Electorem adhuc hærere indicat circa Missas solitarias, & difficulter ad earum abolitionem procedere; se vero illum rogasse, ut saltem permitteret in concionibus earum vitium ostendi; deinde, ut Clericis conjugium non interdiceret. Nam & circa hæc cunctabatur. Extat etiam *Melanchthonis* ad *Justum Jonam* epistola apud *Bavarum Tom. II. p. 592.* in qua de actis in Marchia hæc leguntur: *Piam doctrinam populus mirifice sitit, & expetit bona pars nobilitatis, & probat Princeps, qui quidem non inerudite judicat, & spem facit populo suo, emendaturum Ecclesiam. Repugnant autem sacrificuli, quorum magnam habet multitudinem, nec usquam vidi stolidiores aut pejores, ut fere liceat videre barbaros, hoc est, homines indoctos, stolidos, arrogantes, spurcos, pertinacia incredibili præditos, tumentes mira quadam persuasione sapientiæ & doctrinæ. Hi obsistunt vi & artificiis, quibus nunc solet oppugnari veritas. Vocatus est Princeps Marchio ad Regem Ferdinandum. Hunc congressum arbitrantur ei indictum esse, dehortandi Marchionis gratia ab hoc instituto.* Sed de successu hujus reformationis in *Marchia*, in anni sequentis historia plura dicemus.

(13) *Elisabetha, ejus sororis, uxoris Erici Brunsuicensis, ad eandem conversio.*

Hoc anno soror Electoris Brandenburgici *Elisabetha*, conjux *Erici*, Brunsuicensium Ducis Hanoverani, serio ad Evangelicam doctrinam animum applicuit. Literas ejus d. 6. Octobris ad Landgravium Mündæ ad Vierram datas hic Electori Saxoniæ misit, in quibus hortanti ad constantiam Landgravio respondet, & confidere eum jubet, se per Dei gratiam nullo tempore agnitam jam veritatem negaturam, sed in illa ad mortem usque perseveraturam esse; petit inde, ut *Antonium Corvinum*, vicini oppidi Hassiaci *Wizenhusæ* Pastorem non solum ad instruendam se in doctrina, & administrandum Sacramentum, in præsens ad se mitteret, sed & posthac, si opus esset, ad provinciæ reformationem veniam ei daret: (ut & post biennium factum est.) Paratam se esse dicit ad persecutiones a Juda (*Henricum* Brunsuicensem innuebat) sustinendas, sperat tamen de auxilio Dei & fideli Landgravii consilio & adjumento. Significat adfuisse paulo ante fratrem suum *Johannem* Marchionem, eoque poscente *Corvinum* publice in templo oppidi concionatum esse; expectare se etiam fratrem Electorem, & de hujus ad religionem Evangelicam accessu optime sperare; addit, a *Melanchthone* ordinationem Ecclesiæ in Marchia conscribi; id quod, ut dictum est, hic negavit. Acceptis his literis lætitiam quidem suam testatus est Elector Saxoniæ, verum etiam diffidentiam erga *Elisabetham* ostendit, recordatus, ut scribit, quod illa matri suæ magnam molestiam quondam creasset, conversionem ejus clandestinam ad Evangelicam doctrinam parenti prodens; unde in summum periculum (ut *Libr. II. §. XLII.* memoravimus,) conjecta fuit mater: eandem Lutherum apud Georgium Saxoniæ Ducem detulisse: (qua de re egimus §. *XXXI. in Add.*) Veretur etiam, ne, vivente adhuc *Erico*, marito suo, nimis festinet, & ad bonorum Ecclesiasticorum mutationem intempestive progrediatur, unde novæ turbæ metuendæ essent. Suadet igitur, ut Landgravius eam quidem in genere hortetur & confirmet, sed de receptione in fœdus (quam desiderare videbatur) nihil certi promittat. Sed hæc Electoris sollicitudo non improbanda quidem, superflua tamen fuit, *Elisabetha* in proposito suo constanter permanente, secutaque post biennium, mortuo Erico, plenaria Ducatus reformatione.

(14) *Digressio de cælibatu sacerdotum.*

Supersunt quædam ex anni hujus historia, notatu non indigna. *Pallavicinus* loco supra ad *§. LXV.* citato memorat, *Aleandrum*, cum Legatus ad Ferdinandum a Pontifice mitteretur, in aditu Germaniæ (provincias credo Austriacas potissimum innui) ad mille quingenta sacerdotia, quæ vocant *curata*, invenisse, quæ, penuria catholicorum sacerdotum, vacarent. Culpam, ex suis principiis, vertigini Principum imputat, qui populos, ut ventus frondes, agitaverit; de Ferdinandi tamen indulgentia etiam queritur, qui Lutheranos noluerit prorsus a se alienare, illisque munia magistratus commiserit, quorum conniventia hæresis invaluerit. Sed verior penuriæ causa erat propagata longe lateque doctrina Evangelii, aut accensum ejus in populis, etiam Principibus catholicis subjectis, desiderium. Fassus est alibi autor, minorem, quem vocat, Clerum, quem scilicet honorum & opum respectus parum movebat, reformationi facile cessisse. Pudebat plerosque impurissimi, in quo vixerant, cœlibatus: suæ conscientiæ testimonio convincebantur, & multorum seculorum experientia compertum erat, continentiam singulare Dei donum esse, quod lege Ecclesiastica neque acquiri neque sanciri posset, in tanto inprimis hominum numero, qui sacros ordines suscipiebant, non tam zelo

cultus

A. 1538.

cultus divini, quam desiderio victus & fortunæ. Superati itaque maturæ stimulis in fœda prolabebantur crimina, neque quidquam frequentius erat, quam, ut pastores abuterentur uxoribus parochianorum, aut, qui tolerabilius peccare vellent, concubinas palam alerent. Cum vero Lutherus & tot alii, ejus sententiam secuti, docerent, prohibitionem conjugii non esse juris divini sed humanum inventum, nec aliud remedium vitandæ turpitudinis superesse, quam legitimum matrimonium, hoc vero Episcopi, &, qui illis obtemperabant, Principes permittere Clero nollent, factum est, ut neque cœtus ferre vagas pastorum libidines aut vitam concubinariam vellent, & ipsi pastores a jugo legum Pontificiarum sese immunes esse agnoscerent. Idem monachi faciebant, quorum non minor licentia vulgo deprehendebatur, eorum præsertim, qui victus emendicandi causa discurrebant, aut pastorum, quorum plerique indocti & ad munera sua ineptissimi erant, officia in oppidis & pagis subibant. Has itaque ob causas, quod honestiores ex Clero conscientiæ suæ consulerent, populus vero turpes illos matrimoniorum subsessores & concubinarios contemneret & odisset, difficile erat, ut Pastores invenirentur, aut reciperentur, qui uxores non haberent. Non frustra igitur jam in comitiis Augustanis anno 1530. postulatum fuit a Protestantibus, a nonnullis etiam ex altera parte, ut prohibitio conjugii tolleretur, qui & prædicebant, futuram esse, quam *Aleander* deprehendit, pastorum penuriam.

(15) *Reformatio quædam a Georgio Saxoniæ Duce tentata.*

Idem hoc anno *Georgius* Saxoniæ Dux, comitiis Lipsiæ habitis teste *Spalatino in historia MS.* apud Episcopos *Misnensem* & *Mersburgensem*, aliosque provinciæ suæ Prælatos, non dissimulavit, sed publice fassus est, defectum Cleri in doctrina & personis, ita ut multis locis pastores deesse & monasteria monachis carere quereretur, consiliumque peteret, quomodo suppleri defectus possent, & quid de vacantibus monasteriis statuendum esset. Responderunt Præsules: vera esse, quæ proponebat, & culpam Clero imputabant, qui carnem mortificare nollet, & ad conjugia properaret. Rogarunt inde Principem, ut in antiquo Ecclesiæ instituto persisteret, nec ullum Lutheranismo (der Lutherey) locum daret; dictitabant etiam, multos, qui ex ejus regione abiissent, & uxores alibi duxissent, tædio harum jam captos esse, & reditum moliri, si reciperentur. Et vera fortassis ex parte erant, quæ narrabant: quidam enim nefario ausu, ex tanto indoctorum & pessime moratorum Clericorum numero, licentiam potius carnis, quam pia meditabantur conjugia, ut ipse Lutherus non semel questus est. Sed non movissent Georgium istæ Prælatorum allegationes & exaggerationes, immo si Consiliariis ejus credendum est, maluisset, & Clero conjugiorum libertatem, & populo integrum Sacramenti usum, a Pontifice & Episcopis stipulari & pacisci. Alio itaque modo utcunque satisfecerunt tunc Principi Præsules, oblatis ex reditibus suis quindecim in singulos annos florenorum millibus, quæ ad alendos & instruendos in Academia *Lipsiensi* Theologiæ studiosos, ad sacros Ordines adspirantes, itemque ad constituendos doctos in oppidis concionatores, quorum salariis centum florenos annuos addendos esse censebant, impenderentur. Permiserunt etiam illius arbitrio monasteriorum vacantium reditus, ad pares usus destinandos. Hoc ipso fatebantur defectus, quos Lutherus jam a multis annis arguerat, & hactenus recte consulebant; modo etiam de doctrinæ emendatione solliciti fuissent, nec inveteratis erroribus pertinaciter inhærere maluissent. Evicerunt in contrarium, ut Princeps sæva denuo edicta proponeret adversus subditos suos, qui communionem sub una refugerent, aut audiendi Evangelii causa in vicina loca Electoratus excurrerent. Sed jam finis persecutioni isti instabat, secuta anno sequenti *Georgii* morte, ut in loco narrabitur.

(16) *Reformationis in Meckelburgensi Ducatu initia quædam.*

Laudari debet purioris doctrinæ zelus *Magni*, *Episcopi Suerinensis*: Filius is erat *Henrici* Ducis Meckelburgensis, multum a pietate, eruditione & sapientia laudatus. Parens, ut alibi notavimus, Evangelio favebat, ejusque doctrinam subditis jamdudum concesserat, filium etiam in aula Electorali Saxonica aliquot annis versari permiserat. *Chytr. Lib. XIII. XV. XVII.* Hoc autem anno mense Novembri, cum Comitia Ducatus Meckelburgici in oppido *Parchimensi* haberentur, postulare cœpit *Magnus* Episcopus, Evangelii propagandi cupidissimus, ut per totam regionem, quam pater *Henricus* fraterque ejus *Albertus* communi regebant jure, Missæ & alii abusus veteres, etiam apud Canonicos & monachos, abrogarentur: sed renitente *Alberto* procrastinatum fuit negotium, interposita tamen ab Episcopo protestatione. Retulit hæc literis magna pietate & sua manu scriptis ad Electorem d. 24. Decemb. *(Reg. N. lit. DD. n. 229.)* Respondit ei Elector d. 12. Jan. anni sequentis, & ex consilio Theologorum autor illi fuit, ut in locis Episcopatus sui, ubi jurisdictionem simul haberet, reformationem ipse procuraret, & pastores refractarios dimitteret; in reliqua vero diœcesi excommunicatione uteretur, aut si hæc non auderet, Episcopatu potius sese abdicaret, quam negligendo officium peccaret. Veruntamen plena reformatio totius Ducatus non nisi anno 1552. post obitum Episcopi patrisque & patrui ejus, a *Johanne Alberto*, Alberti filio, peracta est, cum integrum regimen ad eum esset devolutum.

(17) *Nordlingensis urbis cœpta reformatio.*

Ad incrementa doctrinæ Evangelicæ etiam referenda est reformatio egregiæ urbis Imperialis *Nordlingæ* in Suevia, quæ dudum quidem cœpta, hoc vero anno ad majorem perfectionem adducta est. Historiam ejus debeo Pastori & Superintendenti Nordlingensi, venerando & doctissimo viro *Joh. Dan. Hackio*, ex documentis authenticis compositam. Repetendum, digressionis cujusdam modo, hic esse duxi, quod sæpius de Hierarchiæ ecclesiasticæ defectibus monui. *Nordlinga* enim non eo tantum nomine, quo Norimberga, ut paulo ante dixi, totque aliæ urbes infelix erat, quod Episcopum præsentem non haberet, & licet habuisset, ab ejus officiis (ut tunc erant tempora) emolumentum percipere non potuisset; verum etiam, quod jus pastorem urbis eligendi non haberet, id enim ad Abbatem monasterii *Hailbrunnensis*, Cisterciensis instituti, pertinebat, quod inter *Norimbergam* & *Onolsbaccum*,

A. 1538.

cum, bidui a *Nordlinga* itinere, situm est. Miseram illam Ecclesiarum œconomiam ab aliquot seculis ambitio & calliditas Cleri & populorum inscitia induxerat. Cum enim Episcoporum & Presbyterorum munus civitatum sive cœtuum causa, ex intentione divina & praxi Apostolica, institutum esset, & rei ipsius natura exigeret, ut ad electionem aut saltem ad expressum & spontaneum consensum cœtus respiceretur, eo tamen ventum est, postquam Episcopi, omissa verbi divini prædicatione & populi instructione, Principum personam sumsissent, & Clerus luxu & fastu laicos superaret, ut alia omnia in delectu pastorum, quam salus plebis, curarentur, &, ministerio Evangelico in sacerdotium mimumque missaticum degenerante, nihil minus, quam requisita ab Apostolis descripta, observarentur. Itaque, cum opinio invaluisset, Deum non melius, quam sacrificiorum frequentia coli posse, aut facilius placari, factum est, ut ditiores, & spe illa de Deo merendi & peccata expiandi, & honoris stimulo, utque jus, quod vocabant, patronatus acquirerent, incitati, certatim ad instituendos alendosque sacerdotes, itemque monachos, qui cantu perpetuo & austeritate vitæ Deo singulariter placere putabantur, sumtus conferrent. Horum sacrificiis, precibus & suffragiis atque superabundantibus, quæ jactabantur, meritis cœlum sibi suisque parabant: his quoque jura illa patronatus, sive constituendi in oppidis & pagis pastores, rectissime committi posse videbantur, quod in monasteriis paulo doctiores & moribus correctiores fieri crederentur. Compertum tamen postea est, per illos melius non prospici Ecclesiis, unde cum non nisi mercenarii, & imperiti ac dissolutæ disciplinæ homines mitti ad munera illa solerent, laboratum est a multis civitatibus, ut jus eligendi pastores quavis conditione a patronis illis redimerent; id quod supra *Norimbergensium* exemplo confirmavimus, qui diu ante reformationem Lutheri, solertia illa usi fuerant. Tardius, nec tamen intempestive consuluerunt sibi *Nordlingenses*. Effulgente enim Evangelicæ doctrinæ luce, ejusque primitiis jam circa annum 1520. in urbe emergentibus, Senatus anno sequenti 1521. d. 4. Decembr. scribam publicum ad *Abbatem Hailbrunnensem* hoc cum mandato ablegavit, ut, quoniam evidens esset Ecclesiæ Christianæ dissidium, & quod negligentia falsisque & contradictoriis religiosorum concionibus populus in crassos errores inductus fuerit, ab Abbate peteret, ut hic aliique abusus reformarentur, & cœtus in amore fidei Christianæ melius instrueretur & confirmaretur, id quod commodius fieri non posset, quam si eruditus, pius & expertus sacræ Scripturæ Doctor in Ecclesia parochiali cum convenienti salario constitueretur, qui populo diebus festis veram fidei Christianæ & Evangelicæ doctrinæ viam commonstraret, sumtus vero ex decimis Abbati in agro Nordlingensi debitis caperentur (Weil sie die augenscheinlichen mißhelligkeiten der heiligen Christlichen Kirchen vielfältig vermercket / und daß etwan durch der Ordensleuthe unfleissig / ungegründet / wiederwärtig und eigenwillig predigen und lehren das gemeine Volck zu hoher irrung geführet werde / er deswegen bey dem Abt anmahnung thun solte / damit solche und andere mehr der geistlichen mißbräuche zu besserer ordnung gebracht / und also die gemeinde in der liebe des heiligen christlichen glaubens mehrers gestärcket und angewiesen würde / welches füglicher nicht geschehen könte / denn daß man in der Pfarr-Kirchen daselbst einen gelehrten / frommen und erfahrnen Doctorem der heiligen Schrifft um ziemliche Unterhaltung bestellete / der dem gemeinen Volck zu allen feyertäglichen und heiligen zeiten den rechten wahren weg des christlichen glaubens und evangelischer Lehre berichtete / und daß also zu einer solchen ansehnlichen prædicatur von dem Abt der Pfarr-Kirchen-Zehenden / dem Allmächtigen zu lob und ehre / bewilliget würde. Licet vero autor relationis responsum Abbatis non repererit, narrat tamen, anno 1522. accitum fuisse a Senatu ad munus concionatoris, quod pastorali proximum erat, *Theobaldum Gerlacherum*, a patria, Palatinatus Rhenani oppido, *Billicanum* dictum, eumque anno sequenti concionari cœpisse. Ejus autem initio die S. Felicitatis (11. Jan.) ab Abbate Senatui jus patronatus, sive vocandi Pastorem, & quatuordecim Altaristas, quos vocant, sive sacrificatores, præbendatos (Meßpfründner) cum omnibus reditibus, resignatum fuisse. Cum deinde anno 1524. delegati ad comitia Norimbergensia, Consul Nordlingensis *Antonius Wertherus*, & scriba civitatis *Georgius Meyerus*, reversi, statum sacrorum, quem *Norimbergæ* invenerant, magno cum elogio retulissent, *Billicano* mandatum fuit a Senatu, ut doctrinæ reformationem in templo parochiali S. Georgii publice proponeret & institueret, quod is tanta cum Spiritus sancti ope & efficaci eloquentia effectui dedit, ut tota civitas unanimi consensu doctrinam Evangelicam reciperet, neque ullus sese opponeret, aut urbe excederet, ita ut ab illo tempore ad hunc usque diem, præter quæstores Abbatum quorundam, qui prædia & census in urbe habent, nemo Pontificiis sacris addictus inter cives repertus aut receptus fuerit. Anno 1525. *Petrus Steurerus*, *Prior*, & conventus *Carmelitarum* in urbe, exhibito Senatui libello supplici, petierunt, ut, postquam ex vera Scriptura verboque omnipotentis Dei solide percepissent, quod status, in quo huc usque versati sint, & quem olim susceperint, Deo minime placeat, sed in animarum suarum aliorumque damnum vergere possit, Senatus concionatori *Theobaldo* & œconomis rerum sacrarum committerent, ut curam rei susciperent, caverentque, ne contra verbum Dei posthac ageretur. (Nachdem sie durch erkäntniß der wahren schrifft und erklärung derselben / als des worts des Allmächtigen / gründlich vernehmen / daß ihr hergebrachtes werck / immassen es an sie kommen / Gotte gar nicht annehmlich / sondern zu verletzung ihrer und anderer seelen kommen möchte / dem Prediger Theobaldo Billicano, sambt ihren Pflegern / anzubefehlen / in solch ihre wercke einsehen zu haben / damit dieselbe hinführo nicht / wie bißher geschehen / Gottes wort zuwieder vollzogen würden.) Producto deinde Provincialis sui *G. Teufelii* documento de assensu, Bambergæ fer. 2. post Exaudi (d. 29. Maji) dato, omnia monasterii bona & redi-

(18) *Billicanus in urbem vocatur.*

(19) *Carmelitæ sponte Evangelicam doctrinam arripiunt.*

A. 1538.

reditus Senatui tradiderunt, alimenta ad vitam stipulati, & ad deponenda vestimenta monastica, aliaque cum populo Christiano communia assumenda, itemque ad officia Ecclesiastica in urbe & ruri pro facultate præstanda, sese obtulerunt. Pastoratus munus interea Lunæ post convers. Paul. (d. 30. Jan.) *Joh. Ubelio* a Senatu collatum fuit, continuatis tamen quotidie in templo parochiali Missis privatis, permissaque pastoribus in urbe & agro libertate, ut Sacramentum vel sub una vel sub utraque, ut quisque desideraret, administrarent, sacra quoque funebria, rogantibus iis, qui moniti ex verbo divino abstinere ab iis nollent, celebrarent. Hujus conniventiæ invidiam *Billicanus* sustinuit, cui etiam Zuingliani dogmatis contagium imputatum est, ut ex scriptis *Erasmi Alberi* & *Huberti Thomæ Leodii* allegat *Hackius*; responsum tamen etiam *Billicani*, ex apologia ad *Johannem Stoplerum*, Cancellarium Brunsuicensem, & epistolis ad *Urbanum Regium*, affert. Anno 1529. *Nordlingenses* in comitiis *Spirensibus* protestationi cæterorum Evangelicorum adhæserunt, & licet Augustanæ confessioni anno 1530. non subscripsissent, exemplum tamen ejus domum retulerunt. Anno 1534. Anabaptistas, qui irrepserant, urbe expulerunt, novoque Provinciali Carmelitarum, *Andreæ Stossio*, qui acta antecessoris revocabat, restiterunt. Vacantia morte sacerdotum beneficia studiosis Theologiæ Evangelicæ attribuerunt, suadente & laudante *Billicano*, qui etiam scholæ urbanæ institutionem optimis argumentis commendabat. Ad fœdus Smalcaldicum, sæpe licet invitati, accedere noluerunt, eorumque excusationem anno 1536. Landgravius benigne admisit. *Billicano*, & alii ex Diaconis, conjugii permissionem petentibus, ita respondit Senatus, ut illorum conscientiæ deferrent, quid coram Deo & Magistratu politico & Ecclesiastico probare posse existimarent, professi tamen se, si uxores ducerent, a munere ipsorum Ecclesiastico remoturos eos non esse; sic cavebant, ne causam suam facerent, sed ad Concilii decisionem integram utcunque servarent. Eodem anno *Billicanus* valetudinem causatus, dimissionem, salarii tamen continuationem ad biennium pactus, obtinuit, & postea *Heidelbergam* profectus est. Suffecit illi Senatus *Casparem Kantzium*, monachum olim, & huc usque scholæ Germanicæ magistrum, qui cum Diaconis suis statim accuratiorem circa Missas & ferias reformationem a Senatu flagitavit. Eodem tempore Franciscanorum in urbe Guardianus, *Hieronymus Jægerus*, cum duobus, qui supererant, sociis, exhibito Provincialis sui *D. Barthol. Hermanni* consensu, monasterium suum Senatui donatione inter vivos tradidit, sibi sociisque quinquaginta singulis florenorum annuorum pensionem & habitationem stipulans, ut diploma d. 8. Maji hac de re conscriptum ostendit. Permissum quoque fuit civibus, ut monumenta suorum in templo Franciscanorum & Carmelitarum extantia in cœmeteria transferrent. Eodem anno 1536. d. 8. Aug. lupanar, quod eo usque publicum in urbe toleratum fuerat, interdictum, & leno (der Freywirth) excedere jussus est. Fuit hæc Ecclesiæ Romanæ etiam per Germaniam ante reformationem turpitudo, ex cœlibatus tanto Clericorum numero indicti necessitate, nec non ex prava persuasione frivole excusata, quod peccata illa repetita licet & continuata, confessionibus & satisfactionibus sacerdotalibus facile expiarentur. Cum vero inveterata mala tam subito extirpari non possint, factum est, ut impudicitia per urbem invalesceret, quam tamen Senatus cura, & ministrorum Ecclesiæ officiis repressit. Hæc præcipua inveni, quæ ex gestis ante annum 1538. cujus historiam hic tracto, excerpenda, & præmittenda hic visa sunt. At hoc ipso anno concionatoris supra dicti & symmystarum sollicitatione effectum est, ut Senatus Missas sacrificatorias, ceu illicitas & abominabiles, publice in urbe abrogaret, & ordinationem rituum a ministerio conscriptam ad Concilium usque universale, vel aliam, quam sibi reservabat, dispositionem confirmaret. Contenta constitutionis erant, ut verbum Dei clarum & purum, absque alienæ doctrinæ admixtione, quemadmodum huc usque factum esset, prædicaretur; cantus psalmorum & hymnorum Latinorum ante concionem, *matutinarum* loco, retineretur, celebratio etiam sacræ cœnæ cantu Latino, (ein gesungen Amt) communio vero sub utraque fieret; Missæ, ut dixi, omnes cessarent, earumque loco quotidie, post decantatos hymnos, conciones haberentur. Hæc in urbe constituebantur, dilata pagorum reformatione, propter obstacula, quæ ab Episcopo Augustano & vicinis imminebant. Edictum fuit, qui dies feriati habendi essent, ita tamen, ut quilibet pro conscientia sua observare aut omittere eos posset. Novus *Carmelitarum Provincialis* supradicti impetus etiam hoc anno tentatus, sed a Senatu repulsus est.

(10) *Missæ tolerantur.*

(11) *Kantzius succedit Billicano.*

(12) *Reformatio perficitur an. 1538. notantur & alia quædam.*

A. 1538.

Quæ ad annos sequentes pertinent, etsi ultra metam mihi propositam excurrant, breviter tamen, ut memoria eorum conservetur, attexam. Anno 1539. Zuinglianismi semina quædam in urbe oppressa sunt: Kantzio auctum est salarium, ut bis in hebdomade juventuti (quia per conciones sufficienter instrui non posse observabatur) catechismum proponeret; constituta etiam sunt præmiola, ad excitandam puerorum diligentiam. Permissum fuit, ut ad officium Diaconorum adhiberentur etiam non consecrati ab Episcopis. Anno 1540. injunctum fuit ministris Ecclesiæ & monachis, quos Senatus adhuc alebat, ut ad jus civitatis legesque politiæ, ut alii cives, sese obstringerent. Anno 1541. legatis ad comitia Ratisbonensia missis mandatum est a Senatu, ut religionem huc usque introductam una cum cæteris Principibus & civitatibus Augustanæ confessioni addictis palam profiterentur, a fœdere tamen Smalcaldico abstinerent. Anno 1542. Kantzius concionator Catechismum illi, quem Lutherus conscripserat, majori & minori, prorsus conformem edidit, & speciatim doctrinam de præsentia corporis & sanguinis Christi reali in sacra cœna defendit, & objectiones refutavit. Anno 1543. revisa & correcta fuit ad Norimbergensium exemplum ordinatio Ecclesiæ, ejusque observatio jam etiam parochis pagorum imperata. Eodem anno commendatus a *Phil. Melanchthone* & *D. Melchiore Fendio* Nordlingensi, qui artem medicam Witten-

A. 1538.

bergæ docebat, *Wolffgangus Voglerus* Gothanus, ſcholæ urbanæ Rector datus eſt, adjunctis ei duobus collegis, quos ſecum adduxerat. Paſtore *Ubelio* ſucceſſorem petente, & *Kantzio* ob valetudinem munus illud recuſante, *Caſpar Lonerus* Numburgo (ubi in templo cathedrali concionatus erat) evocatus, & Superintendentis titulo primus ornatus eſt. Hic anno 1544. multos defectus in ordinatione Eccleſiæ indicavit, & emendationem impetravit, non tamen absque rixis & contradictionibus, quæ cum ſopiri aliter non poſſent, Diaconi duo, deinde & tertius, a Senatu dimiſſi ſunt, accitique ex Saxonia & aliunde alii. Inter hos, anno 1545. *Wolfg. Ampferus* primus a miniſterio Eccleſiaſtico *Nordlingæ* ordinatus fuit, ſcholæ huc usque collaborator. *Lonerus* catechiſmum in forma dialogi, & libellum cantionum, ad exemplum Wittenbergenſium, edidit, eodemque tempore obiit. Hoc & ſequenti anno in magnum periculum conjecta eſt *Nordlinga*, belli Smalcaldici occaſione, & diſcedentibus ex Suevia fœderatis, præſidium Hiſpanorum urbi impoſitum ſacra Pontificia in templum parochiale reduxit; cives tamen Evangelica in æde Carmelitana, ſatis tuto exercebant, & avocato poſtea præſidio, jus priſtinum tenuerunt, eaque prudentia Senatus fuit, ut a calamitatibus, quæ ex publicato anno 1548. edicto *Interimiſtico* aliis locis enatæ ſunt, urbs fere intacta manſerit, & paucos poſt annos, pacificatione Paſſavienſi, & conſtitutione de libertate religionis pragmatica, integram ſecuritatem cum Evangelicis omnibus impetraverit.

(23) *Speciatim de conniventia circa Miſſas.*

Hæc quæ de reformatione *Nordlingenſi* commemoro, quantum ad tepida *Billicani* conſilia & conniventiam Senatus, in tolerandis per tot annos, accepta jam Evangelicæ doctrinæ puritate, abuſibus quibusdam pertinent, multis minime probabuntur, neque a me defendi per omnia poſſunt. Interim ab exemplo hoc, quod alibi obſervavi, diſci poteſt, non omnes abuſus defectusque una vice & ſubito in Eccleſia corrigi ſolere aut poſſe, magnaque Dei longanimitate graves ſæpe errores tolerari. Lutherus ſane ipſe poſt aliquot demum annos a cœpta reformatione miſſatici cultus vitium plene perſpexit. In viſitatione quoque priori Saxonica anno 1528. ut diximus, communio ſub una aliquandiu indulta eſt inveterato ritui ex ſimplicitate inhærentibus, ſed diutius cunctati ſunt *Nordlingenſes*, quanquam maxima pars populi a culpa illa excuſanda eſſe videtur, & hæc clericis potius tribuenda. Audivimus enim illos fere ſolos, & absque cœtus præſentia, Miſſarum illam celebrationem continuaſſe.

ADDITIO II.

Bopſinga, Imperialis in Suevia oppidi, reformatio.

Bopſinga, parvum quidem Sueviæ oppidum, Imperiali tamen immunitate cum majoribus gaudens, nec procul diſſita a Nordlinga, paris cum hac, quoad jus patronatus, conditionis fuit: Paſtorem enim aut Vicarium ex monaſterio *Kirchheimenſi* accipiebat. Sed, cum anno 1524. *VVolfgangus Vogelius*, qui poſtea *Eltersdorffi*, haud procul Norimberga Eccleſiaſtes fuit, Evangelicas conciones habere cœpiſſet, tanto ardore purioris doctrinæ accenſi ſunt cives, ut a Senatu conſtantiſſime ſimiles concionatores peterent. Verum publicatis edictis comitialibus ita territa fuit plebs, ut interrogante Senatu, an parere edictis, aut retinere concionatores vellent, non niſi quinque reperti ſint, qui poſterius affirmare auderent. Graſſabatur tunc in Sueviæ illa parte (ut in *MS.* quodam notatur) *Reichlerus* quidam, hæreticæ pravitatis, ut vocabatur, inquiſitor, qui deprehenſos Lutheranos, inprimis concionatores, a proximis arboribus ſuſpendi curabat. Sic anno 1526. *Jacobus Jedlerus*, Bopfingenſium concionator, fugatus eſt, & redierunt veterum ſuperſtitionum præcones, inter quos quidam tam inſulſus fuit, ut cultum Sanctorum pro concione hoc argumento tueretur, quia inter vicinos moris eſſet, ut porcum mactantes ſibi invicem farcimina mitterent (ſchickten einander würſte) quidni ergo Sanctos honorarent, eorumque interceſſionem & mediationem quærerent? Hæc teſtatus eſt *Vogelius* ſupra nominatus in epiſtola ad Bopfingenſes, quæ typis extare dicitur. Ego hæc per occaſionem, & ex miſſa ad me relatione Paſtoris Bopfingenſis *Danielis Hackii*, cujus filio, Superintendenti Nordlingenſi, hiſtoriam de illius urbis reformatione debere me dixi, paucis affero. Cæterum *Bopfingenſium* ſtatus quoad religionem, ob virium infirmitatem, turbidus fuit, & fere ab *Oetingenſium* Comitum, qui *Kirchheimenſis* monaſterii patroni erant, fortuna dependebat. Itaque non niſi reſtitutis tranſactione Paſſavienſi anno 1552. *Ludovico* patre & filio, *Comitibus Oetingenſibus*, qui religionis cauſa exulaverant, quietum Evangelicæ doctrinæ exercitium adepti ſunt, juvantibus hac conditione Comitibus, ut negarent, ſe ſalaria, quæ ex cœnobio Kirchheimenſi Paſtori Bopfingenſi debebantur, præbituros eſſe, niſi Evangelicam doctrinam urbs conſtanter teneret. Interea variatum ſæpe fuit, & aliquando pii & orthodoxi, aliquando Pontificii *Bopfingæ* concionabantur; nec parum afflicti ſunt cives edicto Auguſtano Interimiſtico, obtruſo illis quodam *Caſtolo Mosburgero*, tantæ turpitudinis & impudentiæ homine, ut anno 1551. d. 3. Jul. diario Eccleſiæ ſua manu inſcripſerit, natam ſibi & eo die baptizatam eſſe *ex coquina ſua* (ita concubinam ſuam vocabat) filiam Urſulam.

A. 1538.

§. LXVII.

(1) *Lutheri commentarius in Canticum Canticorum.*

Ad ſcripta Lutheri recenſenda progrediendum nunc eſt, & Latina quod attinet, refertur quidem ad annum hunc 1538. *Tom. IV. Lat. Jenenſ.* nova editio *Commentarii in Epiſt. ad Galatas*, itemque *Auguſtana Confeſſio*, ejusque *Apologia*. Sed editores in margine annotarunt, factum id eſſe aliis ex cauſis, fatenturque, *Commentarium in Epiſt. ad Galatas* pertinere ad annum 1535. *Auguſtanæ Confeſſionis* editionem vero ad annum 1531. & *Apologiam* opus eſſe *Melanchthonis*, itidem anno 1531. publicatum. Sequitur inde *Commentarius in Canticum Canticorum, fol. 270. & ſqq.* Fatetur autem Lutherus, ſe novam viam in hujus explicatione iniiſſe; diſcedit enim non ſolum a profana interpretatione, quaſi Salomon ſuos cum filia Pharaonis amores deſcripſerit, ſed & ab illa, qua conjunctio Dei cum Synagoga, aut Chriſti cum anima fideli repræſentari in hoc cantico putatur, ſuamque ſententiam hanc eſſe dicit: quod ſit encomium politiæ Judaicæ tunc florentiſſimæ, & theſauro verbi divini præ aliis omnibus gentibus ornatæ; itaque plurima dicta de efficacia verbi, & inde in Eccleſiam redundantibus beneficiis exponit. Alibi tamen paſſim dicta Cantici de Chriſto & Eccleſia, vel anima fideli, myſtice applicat, ita ut in hoc Commentario ad ſcopum & contextum libri univerſalem reſpicere videatur.

(2) *Item in cap. I. & ſqq. usque ad XVIII. Matthæi.*

Succedunt *fol. 293. & ſqq. annotationes in Matthæi* Evangeliſtæ priora *octodecim* capita, a *primo* usque ad *decimi octavi* verſum *ſeptimum*: omiſſa tamen eſt explicatio capitis *ſeptimi*, quæ alio loco exſtat. De his eadem fere monet Lutherus.

A. 1538. therus, quæ supra §. XLIX. *fol. 134. 135.* in ann. 1537. ex præfatione in conciunculas retulimus. Has enim notas jamdudum amiculo cuidam, Matthæum profitenti, inter cœnandum in chartulam dictasse se dicit, nihil minus veritus, quam ut istæ cogitationes ad editionem reservarentur: satis enim esse librorum, & se suorum interitum haud invitum esse laturum: per vim enim in publicum tractum ab adversariis, nihil aliud spectasse, quam ut pro officio suo studiosos duceret ad ipsos fontes, sacras scilicet literas, & hoc non infeliciter se perfunctum per Dei gratiam esse sibi videri. Excusat opus hoc ut fortuitum & imperfectum, & se inutilem nunc ad plura edenda in Bibliis sacris agnoscit, cum hæc sub modio Papatus extracta, & super candelabrum posita, in fontibus & versionibus extent. Queritur, *quod plus sit fere librorum quam lectorum, docentium quam discentium, ut periculum sit, ne, cum nullus sit libros faciendi finis, ut Salomon queritur, brevi tempore multitudo non optimorum obrutura sit paucitatem optimorum, & ipsa Biblia obscurata denuo redigantur sub modium. Ita accidisse*, ait, *post Apostolos, qui Biblia ediderunt, cum posteritas, auctis in immensum libris, eo rem reduxerit, ut pro Bibliis Doctores, Patres, Concilia, postremo decreta, sophistas & infinitas hominum feces docere & discere cogeret Ecclesiam. Ideo se cupere* dicit, *ut libri sui non durent ultra hoc seculum, cui serviant, Deum enim aliis seculis suos daturum operarios, sicut semper fecit.* Monet, *ut quisque ita scribat, legat, doceat, discat, ne, relictis Bibliis, denuo nobis acerventur Patres, Doctores, Concilia, decreta, articuli, decretales, & colluvies humanarum traditionum & opinionum. Faciant nos*, ait, *non aliena, sed propria pericula cautos.* Quam salutaris & necessaria fuerit hæc admonitio, deprehendent, qui nostrorum temporum conditionem considerabunt. Modestia vero illa, qua suorum librorum finem Lutherus ominatur, in abusum trahenda non est, ad delectum tamen in scriptis ejus tenendum facit, ut alia aliis frequentius legamus; ea nempe, quæ nostra etiam ætate egregiam habent utilitatem, non modo in dogmatibus, quæ, dum sacræ Scripturæ innituntur, perpetuæ sunt veritatis, sed & in paræneſibus exquisitis, quæ studium pietatis promovent. Cæterum in extemporaneis his ad Matthæum annotationibus reperiuntur, quæ & textum egregie explicant, & salubria de fide & sanctimonia continent, ex quibus pro instituto nostro sequentia referimus. Ad cap. IX. 13. *fol. 307.* adversus licentiam carnalem hæc habet: *Insigniter hoc notandum est, contra perversos & abutentes gratia Dei, seu, ut Judas dicit, transferentes gratiam Dei in luxuriam. Nam Christiana libertate hodie plurimi abutuntur, dicentes, gratia, gratia, ergo non est opus bona facere, aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi, quæ volunt, & ex remissione peccatorum licentiam peccatorum, ut hodie multi nimis. Sed Christus hic dicit, sese vocare quidem peccatores; sed non ad licentiam peccandi, neque ad libidinem faciendi, quæ velis, sed pœnitentiam, scilicet ad mortificationem peccatorum, sicut Rom. VI. Paulus docet: Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illis? Quid est enim pœnitentia, nisi mortificare peccata? Quare peccatores vocari ad pœnitentiam, est, remissis peccatis, vocari ad studium perpetuum peccata cognoscendi, odiendi, mortificandi, sepeliendi, Rom. VI. non ad peccatum liberum dimittendi, ut faciat, quæ libeat.* *Fol. 310. b.* de vocatione ad ministerium docet, duas esse vocationis species. *Prima vocatio est a Deo immediate, qualis est Apostolorum & Prophetarum. Secunda mediate per homines in sublimitate vel autoritate constitutos, sicut Apostoli suos successores vocarunt, sicut adhuc vocantur etiam a potestatibus carnalibus & magistratibus seu communitatibus. Alterutrum oportet habere eum, qui docere debet in Ecclesia. Hic nunc quæritur: an se ipsum offerre ad vocationem sit licitum? Respondetur, si fiat carnali sensu, id est, ambitione vel avaritia, prorsus non valet, (licet si sic intret, & postea convertatur in alium virum, prosit ei in ea manere.) Nam avaritia & ambitio etiam Apostoli Judæ vitiabant summam & divinam vocationem, sicut & omnium sacerdotum, Caiphæ, & similium. Si fiat studio serviendi Deo, vel in statu salutis vivendi, sic est bonum opus, teste Paulo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sic & in Deuteronomio Moses præcipit, recipi eum Levitam, qui ex aliqua regione veniat ad locum Domus Dei, ad serviendum Domino. Præter hæc potest necessitas incidere, ut si sint baptizandi, docendi, consolandi, exhortandi fratres in medio hostium positi. Hic debet quilibet seipsum intrudere, tanquam necessitate fraterna charitatis vocatus, & omnia facere, quæ necessaria sunt pro salute animarum.* *Fol. 311.* de scopo prædicationis Evangelicæ scribit: *Hoc mandatum ad Apostolos*, ut doceant appropinquare regnum cœlorum, *summe est observandum, ne ex Ecclesia faciant Politian, ut Papa, nec hypocrisin, ut Monachi, sed maneant in statu causæ, id est, doceant, quæ sunt regni cœlorum, seu vitæ æternæ. Appropinquavit enim regnum cœlorum, id est, nunc adest regnum cœlorum olim promissum.* Adversus objectionem vulgatissimam, quod ex Evangelii doctrina turbæ ortæ sint, *fol. 317. b.* monet: *Confortat nos Christus adversus istas vociferationes & insanos clamores insipientium hominum, qui jactant: pax turbatur, mundus movetur, homines confunduntur animo & mente, religio ruit, cultus Dei destruitur, obedientia legitima solvitur, &, ut dicunt;* **Was ist guts aus dem Evangelio kommen? vorhin war es alles besser.** *Certe gravissima sunt ista calumnia, & clamores valde molesti. Sed jubet nos Christus eas cum fiducia contemnere & redire, & dicere, tu quereris, quod per Evangelium nostrum mundus tumultuatur. Respondetur, Deo gratias. Hæc volui fieri, & o miserum me, si non fierent talia, si enim in pace susciperetur, tunc non esset Evangelium verum, quia Christus dicit, se mittere gladium in terram, dum Evangelium mittit.* De abnegatione sui *fol. 319.* inquit: *Hic locus latissime patet contra omnes justitiarios, qui suis meritis putant se esse aliquid, ut monachi & multi hæretici. Nam hic, nullo excepto, de omnibus dicit: nullos esse dignos sese, nisi qui se abnegent, & nihil in conspectu ejus sint, & in hoc solo gloriari possint, non quod multa magna fecerint, sed quod digni fuerint propter ipsum pati, crucifigi, mori. Hic certe nihil relinquitur gloriæ, nisi hæc una gloria de ignominia, id est, quod nihil*

(3) *Admonitio de scriptis suis.*

(4) *Reprehensio licentiæ carnalis.*

(5) *Scopus vocationis ad Ministerium, & doctrina Evangelica.*

(6) *De turbis ex prædicatione Evangelii nascentibus, malisque moribus & de abnegatione sui.*

A. 1538. *nihil gloriari possimus in nostris virtutibus, sed tantum in cruce, id est, in nostri destructione & annihilatione propter ipsum suscepta. Sint opera, sint merita, sint gloriæ, sed hæc esto sola & solida gloria, propter Christum perire, perdi, contemni, conculcari, rideri, sibilari, & simpliciter nihil fieri, sicut ipse pro nobis factus est nihil, & exemplum præbuit nobis.* Fol. 322. b. ad verba Cap. XI. 17. *cecinimus, & non saltastis. Sic & hodie*, scribit, *nobis faciunt Papistæ perfectissimo exemplo, qui, cum doctrinam non possunt damnare, vitam nostram lacerant. In principio accusabant nos hypocritas Diaboli, cum cœlibes & severe viveremus; nunc, cum communiter vivimus, blaterant nos esse carnales. Sed si nihil doceremus, tunc essent contenti, sive essemus eremitæ cum S. Antonio, sive lenones cum Episcopis & Canonicis. Nunc quia docemus, nec si Antonii essemus, tolerare possent, nec si Abraham & Jacob essemus, indemnatos dimitterent.* Addit liberiora alia verbis Germanicis.

(7) *De suavi jugo Christi.* *Fol. 326. b.* de jugo Christi suavi, rejecta interpretatione sophistica, qua *præcepta Christi ideo suavia esse* dicuntur, *quia externas ceremonias abrogarunt; graviora vero lege, quia verba & cor hominis corrigunt*, docendum esse, ait, *quam sit virtus Christi mirabilis in sanctis suis, quod per fidem in cordibus hominum mutet mortem in risum, pœnam in gaudium, infernum in cœlum. Quia, qui credunt in eum, rident & contemnunt omnia ista mala, quæ mundus & caro horribiliter fugiunt & detestantur. Hoc vocat Christus jugum suave & onus leve, id est, cum gaudio ferre crucem.* Addit dicta *Rom. V. 3. Matth. V. 12.* de gaudio in tribulationibus, & paulo post: *Hæc vero magna est potentia, facere ex jugo importabili non solum portabile, sed etiam jucundum & leve, non mutato ipso onere, sed mutata persona ferente. Ipsa enim induitur virtute nova, quæ potest omnia in eo (ut ait Paulus) qui eam confortat. Nam si jubear cœlum portare & terram, certe horribiliter terrerer, sed si aliquis adderet vires sufficientes ad ferendum facillime, ac si pilam jacerem, jam non solum possem ferre, sed etiam luderem & delectarer ferendo. Et hæc est virtus Christi, qui ideo diserte dicit, Meum onus, quasi diceret meum onus differt ab aliis oneribus, meum onus non premit, sed sublevat, ac potius portat, quam portatur, Mosis onus premit, non juvat, ac potius obruit, quam liberat.*

(8) *De purgatorio.* *Quæ folio 333. b. & seq.* adversus purgatorium disputat, legi inprimis velim a recentioribus in Gallia controversiarum tractatoribus, qui Luthero contrariam sententiam affingunt. Non enim lapsum solum dicit esse *Gregorium Pontificem*, ex dicto *Matth. XII. 32.* purgatorium eruentem, sed & diserte statuit: *purgatorium esse unam de maximis abominationibus & operationibus Satanæ, quæ conterruit* (ait) *totum mundum, & devoravit omnes opes, & statuit Papam Regem Regum atque supra Deum & verbum ejus; quia plus timuimus Papam cum suo purgatorio, quam Deum cum suo inferno, & plus confisi sumus absolutione Papæ a purgatorio, quam absolutione Dei ab inferno.* Monstrat ibidem, ut opinio de purgatorio blaspheme repugnet dicto Christi: *Quodcunque solveris super terram* &c. item orationi Dominicæ, *dimitte nobis* &c. & Decalogo: *Ego Dominus faciens misericordiam*, itemque Symbolo, in quo credimus *remissionem peccatorum*. Adde *fol. 368.* ubi dicit: *jactare Papistas, purgatorium a se asseri, idque verum esse* ait, *si per purgatorium intelligant liberationem ab inferno per fidem in Christum.*

(9) *De thesauro cordis malo & bono.* *Fol. 335.* de thesauro cordis malo & bono ad *Matth. XII. 35.* egregie disserit. De malo ait: *Cor malum est fons veneni, & scaturigo quadam virulenta, ex quo nihil boni provedit nec verbo nec facto, etiamsi in speciem appareant optima. Deinde non solum ipsum nihil bonum profert, sed etiam bona ab aliis dicta & facta inficit, & intoxicat, id est, damnat & calumniatur.* Es ist der bunte Molch *(ut dicunt Germani)* da alle gifftige würme gifft bey holen / *qui Latine dicitur stellio. Quis autem credit, quis concipere potest, tam horribili sententia in cœlis apud Deum damnatum esse cor humanum? scilicet ut sit thesaurus malorum, fons venenorum, caput & origo omnis iniquitatis.* Es solte einem wohl grauen für seinem eigenen Hertzen / wer ein Mensch heist / *quando audit in medio corporis sui talem pestem, tale virus, talem thecam malorum & veneni repositam esse, quod nihil boni dicit & facit, deinde nihil boni ab aliis dictum & factum sinit esse bonum, sed ex ipso bono sibi venenum, ex Deo Diabolum, ex vita mortem, ex justitia peccatum facit.* De bono dicit: *Cor bonum tam est abundans bonitatis, & plane fons, scaturigo, thesaurus bonitatis, ut non solum bona dicat & faciat, non solum bona esse laudet, quæ alii ex Deo dicunt & faciunt, sed etiam, quæ ex Diabolo & ex ipsis venenatis cordibus mala dicuntur & fiunt, possit sibi vertere in bonum, & inde accipere incrementum bonitatis. Exempli gratia, videt aliquem homicidam aut simili peccato obnoxium, hic ad misericordiam flectitur, compatitur, orat pro eo, gemit & dolet de miseria hominis, simul monet, arguit & emendat, quantum potest. Secundo sese humilians cogitat, ille heri, ego hodie, memor scilicet fragilitatis humanæ. Tertio orat Deum, ut custodiatur a simili casu, & laudat eum, pro sua custodia. Vide quanta bona facit istud cor ex uno malo alieno.*

(10) *Consolatio adversus malam disciplinam.* *Fol. 336. & sq.* respondet iis, qui prædicationem verbi sive reformationem arguunt, quod non sequatur fructus ingens aut universalis, & ex parabola *Matth. XIII. 3. & seqq.* argumentatur, vix quartam partem hominum ex Evangelio converti. *Notandum est* (ait *fol. 337.*) *pro piis, ut consolationem habeant, si non omnes verbum nostrum audiant, ne frangamur, aut desperemus, aut deseramus verbum, quod multi, immo plurimi contemnunt ipsum; saltem propter electos doceamus & spectemus reliquias salvandas; abeant aliæ tres partes ad diabolum. Si Principes non credunt omnes, tamen unus atque alter: si rustici non omnes boni, satis est, duos aut tres bonos esse: si cadunt docti & sancti plurimi, sufficit, quod paucos retineamus.* Adde, quæ de tritico & zizaniis disserit *fol. 338. 339.*

(11) *De tritico & zizaniis & fermento in Ecclesia.* De dicto Christi: *Sinite crescere usque ad messem* &c. observanda sunt quæ docet *fol. 339. b. & seq.* scilicet, ut non intelligatur de tali tolerantia, quæ approbationem & consensum habere videatur, aut de omittendo elencho, sed de patientia, & ut a vi abstineatur, si leniori remedio corrigi non possint. Ad simili-

A. 1538.

similitudinem de grano sinapis commentans *fol. 340. b.* taxat judicium mundi, qui Evangelii prædicationem spernit, quando fit ab hominibus pauperibus, indoctis, fragilibus, peccatoribus, & objectionem illam removet, nunquid tu solus & nihili homo tam grandia tentas? quo pertinere dicit, qui clamant *Ecclesia, Patres, Concilia, consuetudo, multitudo, magnitudo hominum sapientum. Atqui*, ait, *in toto mundo unus est Christus, in tota Roma unus Petrus, in tota Græcia unus Paulus, in tota civitate unus Pastor, omnes contemti, ex isto tamen uno grano crescit Ecclesia tanta, ut veniant etiam postea magni homines, Principes, sapientes, & quiescant in ea per fidem. Fol. 341.* parabola de fermento tractans, scribit: *Sicut impossibile est, fermentum, semel pasta mixtum, a pasta separari, quia immutavit pasta naturam; ita impossibile est rapi Christianos a Christo, quia est in eis Christus fermentum, ita incorporatus, ut unum sit corpus, una massa*, ein Kuche/ ein Brodt ꝛc. *Frustra igitur Diabolus Ecclesiam extra mundum fugat & persequitur, hoc est, Christum a fidelibus, fermentum a pasta separat. Nam quam hominibus impossibile est, mixtum fermentum separare a pasta, tam impossibile est Diabolo Christum ab Ecclesia sua separare.* Der teig ist gesäuret/ der Teuffel wird die säure nicht sondern vom teige/ er koche oder brate sie/ oder röste und börne sie dazu/ so ist der sauerteig Christus darinnen/ und soll darinnen bleiben bis an den jüngsten Tag/ daß alles durchsäuret werde *& nihil de pasta infermentatum maneat.* Jungenda his sunt, quæ commentatur ad similitudinem de thesauro abscondito *fol. 342. b.* ubi ait, *Stat illud argumentum a principio mundi: Ecclesia non est Ecclesia, & non Ecclesia est Ecclesia.* Et post pauca: *Continet ista parabola gravissimam consolationem, quod nihil nos moveat, si impii jactent se esse Ecclesiam, & non possint intelligere. Est pauperculus quidam grex, qui intelligit, & præripit illis rem Ecclesiæ, & sinit illos nomen habere Ecclesiæ cum ignorantia rei. Interim illi eunt & possident mundi gloriam & opes, sub nomine Ecclesiæ; isti vero perdunt & prodigunt omnia sua, sub nomine hæreticorum & seditiosorum.* So wils seyn und gehen/ nicht anders/ *(ita fieri debet & ire, & non aliter,) ut maneat thesaurus absconditus illis, & nos in periculo perdendi omnia teneamus eum.*

(12) De profectu in Christianismo.

Fol. 343. de margarita quæsita a mercatore, hæc scribit: *Bernardus dicit: stare in via Dei, est retrogredi. Quare, qui cœpit esse Christianus, hoc restat, ut cogitet, se nondum esse Christianum, sed quærere, ut fiat Christianus, ut cum Paulo possit gloriari: non sum, sed cupio esse; & quotquot perfecti sumus, in hac regula maneamus, Christianus enim non est in facto, sed in fieri. Dicitur enim ad eum: petite, quærite, pulsate; Non dicitur: habetis, invenistis, intrastis, sed petite, quærite &c. Igitur qui Christianus est, non est Christianus, hoc est, qui se putat factum Christianum, cum sit tantum fiendus Christianus, ille nihil est. Tendimus enim in cœlum, nondum sumus in cœlo. Et sicut nunquam veniet in cœlum, qui se putat jam esse in cœlo; ita jam est in cœlo, qui tendit in cœlum, quia Deus reputat eum, quasi jam sit in cœlo. Summa, proficiendum est, non standum & secure stertendum, homo noster vetus debet de die in diem (ut Paulus) renovari. Væ illi, qui jam totus renovatus est, id est, qui putat, sese esse renovatum, ille absque dubio nondum cœpit renovari, nec unquam gustavit, quid sit esse Christianum. Nam qui cœpit, ille non putat se esse Christianum, sed valde cupit, se fieri Christianum.*

A. 1538.

(13) De usu ceremoniarum.

Fol. 352. b. postquam ex dicto Christi *Matth. XV. 11.* ostendisset legis Moysaicæ de discrimine ciborum abrogationem, notari jubet, fidem ante omnia requiri, & si hanc admisissent Judæi, futurum fuisse, ut ceremonias retinuerint, nec eradicatæ illæ fuerint a Christo. *Tota summa*, ait, *est, non ex operibus & ceremoniis esse justitiam coram Deo, sed ex fide. Stante fide stare poterunt omnes ceremoniæ, immo & traditiones piæ; sed fide non admissa, neque ceremoniæ, etiam divinitus traditæ, multo minus traditiones, quantumvis in speciem piæ, stare poterunt, sed utraque & omnes simul sunt eradicandæ, tanquam plantatio a Patre non plantata.* Hoc axiomate nituntur consilia Lutheri, cum in reformatione plurimas, & quæ prorsus inutiles videri poterant, ceremonias toleravit & retineri jussit, dummodo caput doctrinæ de fide recte constitueretur, id quod apertissime testatus est in reformatione Marchiæ Electoralis Brandenburgicæ, non multo post, quam ista scripsisset, secuta, de qua in loco dicemus.

(14) Contra primatum Pontificis.

Fol. 358. b. & sqq. ad Caput Matthæi XVI, 13. & sq. omnia fere argumenta pro Pontificum Romanorum majestate diluit, sed prolixius, quam ut referri hic dicta ejus possint; summam tantum referemus: Cum Christus Petro dicit: *caro & sanguis tibi non revelavit, sed Pater meus, qui in cœlis est*, quærit Lutherus *fol. 359. b.* quis Pontificum hanc revelationem habeat? cum omnes quærant carnem & sanguinem, regna nempe mundi, idque faciant omnibus artibus & dolis; quod si veri successores Petri essent, fidem in confessione filii Dei vivi haberent, nec pios persequerentur. Verba, *super hanc petram &c. fol. 360.* ita intelligit, ac si Christus dicat: *Ecclesia mea est, quæ hanc revelationem habet, quam tu Petre nunc confiteris, quod ego scilicet sim filius Dei vivi; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Loquitur*, ait, *fol. 360. Christus de victoria contra portas inferni, furias Diaboli, & de Ecclesiæ salute & credentium beatitudine; at Papa hæc interpretatur de sua potestate & tyrannide, de obedientia suarum legum, de rebus temporalibus, & ut optime, de ceremoniis cum hac vita perituris.* Sequitur itaque *Augustini* sententiam, qui per petram Christum intelligit, & cum unius loci non sit nisi una, propria, certa & vera sententia, hanc omnibus præfert. Petram Papalem esse dicit superabundantiam, quam fingunt, operum, ex qua confecerint thesaurum Ecclesiæ. De clavibus, quarum jus Petro, ut personæ publicæ, & Apostolos omnes in responso illo suo repræsentanti, collatum esse docet, vid. *fol. 360. b. & sq.* Postea *fol. 363.* Petrum Synagogæ personam repræsentasse ait, cum passionem Christi dissuaderet, *Matth. XVI. 22.* eandemque culpam tribuit Pontificibus, quod cum Petro, qui tunc regnum Christi externum spe complectebatur, nil aliud quærant in Papatu, quam illud ipsum *regnum*, ut loquitur, *mundanissimum, superbissimum, & tyrannicissimum*, & hoc prædictum esse putat a

Christo,

A. 1538.

Christo, sub persona Petri, iis, qui se pro successoribus ejus injuste venditant, verbis illis: *Tu non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* *Fol. 364.* de abnegatione sui, a Christo præcepta, tractans, præclare demonstrat, quod id non fiat in vita monastica, in qua non abnegatur id, quod sumus, quod possumus, quod facimus; sed larvæ saltem externæ assumuntur, aut mutantur abneganturque vestitus, victus, locus, cum ritibus & moribus. **Hoc est**, ait, *Deo putamina offerre, & nucleum vorare.*

(15) *De fide & operibus.* *Fol. 366. & sq.* insigniter tractat de operibus, quatenus bona sunt & necessaria, &, licet meritum eorum rejiciat, & opera vere bona non nisi a persona bona, id est, justificata, fieri posse statuat, concludit tamen notabilibus verbis *fol. 367.* scribens: *Sunt duo diversa fides & opera, & tamen sunt unum in omnibus præceptis, quia omnia præcepta utrumque requirunt. Sic fit fallacia in omnibus argumentis, quæ ab opere contra fidem fiunt, quia apprehendunt totum, & arguunt contra partem.*

(16) *De statu animarum post mortem.* *Fol. 368.* de statu & conditione animarum, qua dormire dicuntur in Christo, Scripturam, dicit, nihil certi & distincti revelasse (scilicet ut fidei articulum) & temerarium esse, asserere aliquid sine verbo Dei, licet videatur bona consequentia trahi. *Fol. 374.* graviter queritur de scandalo, etiam per oculos & manus dato, id est, ab Ecclesiæ pastoribus & a magistratibus.

(17) *Enarratio Ps. LI.* His commentariis in Matthæum subjungitur prolixa *enarratio Psalmi: Miserere mei, Deus &c.* qui in edit. vulg. est *L.* in Hebræis vero fontibus *LI.* Facta autem illa est anno 1532. sed hoc demum anno, ut *fol. 374. b.* notatur, *a Vito Theodorico* edita. Præcessit eam *lectio in Psalmum II.* ut Lutherus ipse in præfatione *fol. 375.* memorat, quæ inter opera anni 1546. *fol. 750.* extat. Sequemur tamen ordinem Tomorum, licet incommodum. In præloquio satis amplo de peccato multa commentatus, inter alia *fol. 377.* scribit:

(18) *Definitio peccati.* *Scholastici peccatum definiunt, quod sit dictum, factum aut cogitatum contra Legem Dei; secundum hunc Psalmum tamen*, dicit, *definiendum potius esse, ut sit totum hoc, quod natum est ex patre & matre, antequam etiam homo per ætatem aliquid possit dicere, facere aut cogitare, ex hac enim radice nihil boni coram Deo enasci potest.* At ne hoc de substantia hominis in se accipiatur, (in quem errorem incautus incidit *Flacius*,) addit: *Tota natura primum per peccatum corrupta & æternæ morti subjecta est.* Rejicit itaque opinionem Scholasticorum, qui dicunt *naturalia esse integra, & hominem posse facere legem quoad substantiam actus.*

(19) *De observatione legis justificatis necessaria.* Quod vero ad ipsam enarrationem Psalmi attinet, non possumus non ejus lectionem summopere omnibus commendare, cum in ea vix quidquam, quod ad fidem excitandam & promovendam pietatem facere possit, omissum sit. Urgetur hic non solum fiducia in gratiam Dei per Christum nobis parta, sed & quæ ejus individua comes est, sanctificatio & pœnitentia & emendatio continua, qua neglecta, ut alibi, ita etiam hic fatetur, & experientia probari dicit, homines, audito Evangelio fieri pejores. Notabile inprimis est, quod de observatione legis scribit *fol. 382.* Postquam enim docuisset, *nos omnes esse peccatores, & quicquid sumus & vivimus, totum esse meræ gratiæ, non justitiæ & meriti*, subjungit: *Quid igitur? inquies; Annon Decalogus præstari debet? Si autem præstatur, annon ea justitia est? Respondeo, volumus Decalogum præstare & servare, sed cum larga, hoc est, Evangelica dispensatione, seu distinctione. Quia accepimus tantum primitias Spiritus, & gemitus Spiritus in corde manent, item caro nostra cum suis libidinibus & concupiscentiis, hoc est, tota arbor cum fructibus etiam manet. Hæc causa est, cur Decalogus nunquam possit plene præstari; alioqui si Decalogus posset præstari integer, quid opus esset justitia illa, quam David per verbum Miserere petit, hoc est, quid opus esset imputatione? Nunc, cum etiam in Sanctis remaneant peccati reliquiæ, nondum plane mortificatæ, utrumque fit, ut per Spiritum inhabitantem peccato resistamus, & obediamus Decalogo, & tamen per carnem & satanam in peccatum impulsi, speremus remissionem peccatorum.* Patet hinc quo sensu observationem & impletionem legis divinæ urgeat & possibilem esse doceat Lutherus. Commendat autem perpetuam reliquiarum peccati, ut loquitur, extenuationem & ablutionem, *amplius lava me &c. Et fol. 386. statuit* justificationis *duas* esse partes scribens: *Prior est gratia per Christum revelata, quod per Christum habeamus placatum Deum, ut peccatum amplius non possit nos accusare, sed conscientia, fiducia misericordiæ Dei, sit reducta in securitatem. Posterior est donatio Spiritus sancti cum donis suis, qui illuminat contra inquinamenta Spiritus & carnis, ut defendamur ab opinionibus diabolicis, quibus orbem terrarum seducit, ut vera cognitio Dei in diem crescat. Item alia dona, castitas, obedientia, patientia, ut corpus nostrum & concupiscentiæ frangantur, ne eis obediamus. Qui hoc donum non habent, aut eo sic non utuntur, sed aut in carnis sordes aut spiritus labuntur, ut sine discrimine omnia dogmata probent, apud hos dominatur caro, nec norunt tales, quid sit hoc Spiritus sancti balneum, quod David hic petit.* Ne quis illustri hoc dicto abutatur, aut mutationem sententiæ de justificatione per solam fidem Luthero imputet, sciendum est, hic eum de statu hominis justificati in universum agere, & sub vocabulo *justificationis* utramque justitiam, imputatam & donatam, id est, antecedens & consequens, intelligere, ideo *D. Georgius Major* in translatione hujus commentarii Germanica *Tom. VI. Alt. fol. 1286.* vertit: das sind die zwey stücke der christlichen gerechtigkeit/ i.e. *hæ sunt duæ partes justitiæ Christianæ*, quæ scilicet & *justificationem* proprie sic dictam & *sanctificationem* complectitur.

(20) *De peccato originis.* *Fol. 387. b. & 388.* dictum Davidis: *peccatum meum coram me est semper &c.* contra *Sadoletum* (cujus quidem magnam laudat eloquentiam) disputans, accipit non de peccato actuali, sed de tota corruptione naturæ, & verba: *tibi soli peccavi;* sensu præsentis temporis accipienda esse monet, & ex persona omnium sanctorum prolata, non vero ad peccatum illud Davidis singulare restringenda. Quæ contra *Scotum* de dilectione Dei, & de sublato per baptismum peccato originis, adversus alios Scholasticos haud vulgariter disputat, vide sis *fol. 391. & 393.* Item de sanctitate & sapientia, non qualem mundus & hypocritæ affectant, sed de vera & abscondita *fol. 394. & seq.* De justificatione per

A. 1538. (11) De gratuita justificatione.

per Christum vera fide apprehensum *fol. 398. 400.* ubi refert, se a præceptore suo, apud quem de tentationis gravitate questus erat, erectum fuisse, cum diceret *Deus jussit nos sperare.* Hoc uno, ait, verbo *jussit*, confirmabar, ut scirem, absolutioni credendum esse. Fatetur tamen *fol. 401. b.* justificationis doctrinam, quoad praxin, nunquam satis perdisci posse. Contra Scholasticos, qui gratiam primam sufficere dicunt, & nescio quas purgationes cordis commenti sunt, argumentatur, *fol. 402. b. & 403.* & continuam ac perpetuam gratiæ operationem requirit. De fructibus pœnitentiæ vid. *fol. 405. & seq.* ubi *fol. 406. b.* sic concludit: *Sed inquies: annon ad regenerationem pertinet etiam nova vita? Ita. Sed sicut fructus non sunt, nisi prius sit arbor; ita non possunt esse bona opera, nisi prius persona sit justa & bona. Igitur vita æterna seu gratia non venit ex merito operum, sed quia jam justi sunt, & hæredes vitæ æternæ per Christum, cujus meritum fide accipiunt, isti bona faciunt, non eo fine, ut vitam æternam consequantur, quam jam jure habent alieno merito, scilicet Christi, sed ut grati sint, & obedientes divinæ voci, ut gloria Dei, pariter doctrina & vita sancta promoveatur.* Memorabile est quod *fol. 407.* habet, *se cum monachus esset, & Missis suis totique vitæ generi ita fideret, ut totus in fiducia justitiarum suarum vivere videretur, dentibus eum laceraturum fuisse, qui ea docuisset, quæ ipse nunc doceret, liberatus ex blasphemiis illis, & constitutus fidelis præco verbi & justitiæ Dei.* De justificatione per solam fidem iterum graviter argumentantem legas *fol. 409.* & de sacrificiis, quæ Christiani Deo exhibent, *fol. 412. 413.* Ultimum inter scripta Latina Lutheri est, quod in Tomo exhibetur, *fol. 413. b. & seq.* præfatio in editam tunc *epistolam Hieronymi ad Evagrium* de potestate Papæ, ex qua constare dicit primatum tunc in Ecclesia nondum cognitum fuisse: acriter inde fastum & luxum Pontificum persequitur.

(12) De fructibus pœnitentiæ.

(13) Præfatio in epistolam Hieronymi de potestate Pontificia.

§. LXVIII.

(1) Lutheri conciones in cap. II. Johannis.

Inter scripta Lutheri Germanica *Tomo VI. Alt. fol. 1340. & sqq.* inserta est *explicatio capitis II. Evangelistæ Johannis*, concionibus quibusdam proposita, quæ secutæ sunt illas, quas anno 1537. *ad Cap. I. Johannis* retulimus: Prima tamen pars capitis II. quæ historiam nuptiarum in Cana exhibet, omissa est, utpote *Dominica II. post Epiphan.* tractata, & in *Postill. Eccl.* relata. Incipit igitur Lutherus *a v. 12.* & agit de commoratione Christi in urbe Capernaum, ubi veluti concionator aut pastor fuerit. Ad *v. 13.* tractat de ascensu ejus ad Hierosolymam, & reformatione templi; eaque occasione abusus Simoniacos in Papatu taxat; docet etiam actum illum Christi, cum manu & flagello usus est, ad Veteris Testamenti jus pertinere, quod conservare, ut Dominus legis & cultus publici, tantisper voluerit, donec ipse eum abrogaturus esset; in Novo vero Testamento locum tali rigori esse negat. Acrem censuram subjungit in Principes & Magistratus *fol. 1346. & seq.* qui imperio & vi præscribant cultum publicum, & in ministros verbi tyrannidem exerceant. Ad *v. 17.* ex Apostolorum exemplo, qui dicti Davidici recordabantur, utilitatem lectionis Biblicæ, plebejis etiam inter Judæos usitatæ, ostendit, docetque, quid sit zelus laudabilis, & quomodo is pro amore haberi debeat. Ex eo quod dicitur: *zelus comedit me*, edaces illas curas & afflictiones animi, quas sentiunt, qui aliis præpositi sunt, graphice describit. Ad *v. 18.* agit de incredulitate & protervia Judæorum, signa a Christo petentium, ostenditque, apud refractarios & induratos nihil effici, quocunque modo cum iis agatur, ne signis quidem & miraculis, ita, ut *fol. 1354.* scribat, se sæpe dixisse, quod non desideraverit donum miraculorum, sed gaudeat, quod stricte & simpliciter verbo Dei institerit; licet enim miracula fecisset, nihilominus futurum fuisse, ut eodem convitio proscinderetur, quod Christo impactum fuit, quasi diaboli operatione signa ederet. Ich habe offt gesagt/ daß ich nicht begehre/ daß Gott mir solte die gnade verliehen haben miracul zu thun/ sondern freue mich/ daß ich stracks bey dem wort Gottes bleiben mag/ und damit umgehen/ denn sonst würde man bald sagen; der Teuffel thuts durch ihn. Addit admonitionem de adversariis, quos pariter, ut Judæos, incorrigibiles esse, neque de zelo reformationis melius judicare dicit, quam illi de templi expurgatione a Christo suscepta judicaverint. Immo, ut Judæi dictum Christi (*solvite templum hoc v. 19.*) impleverint, crucifigendo eum, ita & illos, sicut jam cœperint, perpetuo sæcituros esse in doctrinam Evangelicam; fore tamen, ut, sicut Christus templum corporis sui excitaverit, ita & veritas Evangelica cum sinceris suis confessoribus semper sit restituenda, & conservanda. De loco, ubi Christus, post destructum templum Hierosolymitanum quærendus sit, statuit *fol. 1357.* adesse illum, ubicunque sint, qui ex animo dicant; *Domine Jesu Christe, qui verus es Deus & homo, & pro nobis mortuus es, & sedes ad dextram Dei, in tuo nomine rogamus Patrem, ut nobis sit propitius*; vel qui orationem Dominicam in nomine Jesu Christi devote recitent. Rejicit inde, ex effato Christi *Joh. IV. 23.* omnia loca, quæ superstitiose in Papatu commendantur, ad quæ peregrinandum sit. Prolixus est ad *v. 23. & 24.* ubi dicitur, Christum ne illis quidem fidere voluisse, qui in eum credebant, ut demonstret, omnes homines, ideoque etiam Patres, quos vocant, & illustres Ecclesiæ Doctores erroribus non morum tantummodo, sed & doctrinæ subjectos esse, & ideo omnia eorum dicta & facta ad normam & lydium lapidem Scripturæ sacræ examinari debere: quod cum omiserit Ecclesia in Pontificum scitis, secutam esse corruptionem illam immanem, quæ reformationem tandem provocaverit. Dieweil man vor zeiten den Pabst zu dieser Schleifmühle nicht geführet / so hat er gut machen gehabt/ und die Kirche mit irrthum / gleich als mit einer Sündfluth überschwemmet / und es dahin gebracht/ daß man alle reden und lehren / ja was auch den Menschen und Pfaffen des nachts geträumet / als heilig und köstlich angenommen und gegläubet hat. Daher sind denn gewachsen alle die schädlichen und greulichen Irrthum/ darüber wir uns mit dem Pabst also zukatzbalget / zubissen und zuhadert haben/ als das Klosterle-

(2) De purgatione templi a Christo peracta.

A. 1538.

(3) De miraculis.

(4) De loco, ubi quærendus sit Christus.

(5) De regula, ad quam scripta Patrum examinanda sunt.

A. 1538.

sterleben/ Ablaß/ Walfarthen/ Anruffung der verstorbenen Heiligen/ Messen/ Vigilien/ und Seelmessen/ für die/ so im Fegfeuer sind/ item/ Rosenkräntze/ und ander Narrenwerck mehr. Concedit, sanctos fuisse plurimos Doctorum & monachorum, neque de salute eorum dubitat, confidens, eos ante obitum errata agnovisse, solique Christi merito & gratiæ innixos decessisse, exemplo Bernhardi, quod hic iterum allegat *fol. 1367*. Arduum quidem & difficillimum esse, dicit, errores illis tribuere, qui pro columnis Ecclesiæ habeantur, & se viginti fere annis (*fol. 1362.*) colluctatum secum esse, antequam autoritati Ecclesiæ & Patrum opponere sese auderet. Urget etiam necessitatem & utilitatem admonitionis hujus in singulis Christianorum, ut nempe sibi ipsi nemo fidat, sed perpetuum examen sui ipsius instituat. Indicat quosdam Patrum defectus, inter quos etiam refert factum *Ambrosii*, Theodosium Imperatorem excommunicantis *fol. 1366.* & somnia *Gregorii fol. 1369.*

(6) *Conciones ad cap. XIV. XV. XVI. Joh. & harum elogium.*

Ad hunc annum etiam referuntur *Tom. VII. fol. 46. & sqq. ad fol. 233.* conciones *ad Capita XIV. XV. & XVI.* Evangelistæ *Johannis*: nam quæ ex *Cap. XVII.* concionatus est, in anno 1534. Tomorum ordinem secuti, *§. XXX.* retulimus. Quod vero ibi monui, hic repeto, admiranda esse dona Spiritus, quæ in concionibus hisce eminent; unde dignissimæ sunt, quæ diurna nocturnaque versentur manu. Pudere sane debet omnes, qui Lutheranismi nomen non aversantur, si notitia harum carent, & tot aliis libris pervolvendis occupantur. Excitari deberent suavissima admonitione Lutheri, & elogio summo, quod sermonibus Christi ab Evangelista relatis tribuit in præfatione *d. fol. 46.* *Hic inveniuntur*, ait, *omnium jucundissimæ & dulcissimæ consolationes Servatoris nostri fidelissimi Jesu Christi, & ultima ejus ante discessum ab Apostolis eloquia, qualia nemo mortalium ad amicissimos suos edere potest; ita ut amore illorum ardens sui ipsius & instantis extremæ angustiæ & passionis, (quarum contemplatione ipse fatetur animam suam ad mortem usque afflictam fuisse) obliviscatur, totusque in consolandis discipulis occupetur. Hic largissime effudit summa & solidissima solatia, quæ Christiana habet Ecclesia, & quæ homo in omnibus angustiis desiderare potest. Hic & maxima cum emphasi tractati, conjuncti & conformati reperiuntur, magis quam in nullo alio Scripturæ loco, sublimes Christianæ doctrinæ articuli de tribus personis S. S. Triados, de utraque natura in Christo, & individua ejus persona, de justitia fidei, de vero solatio conscientiarum.* Addit alia, & pietatem priscorum laudat, quod hæc capita maxima ex parte in Evangelia inter festa Paschatos & Pentecostes digesserint. Compilatores Tomorum Lutheri *Tom. VII. fol. 234.* referunt, Lutherum has in Johannem explicationes omnibus aliis scriptis suis prætulisse, & sæpe, cum templum frequentaret, secum tulisse. Hoc ejus judicium tanto magis attendendum est, quanto minus scripta sua ipse æstimare solebat. Utinam vero, propositis aliquibus speciminibus, incendere lectorum desideria possem, ut ipsi experimentum eorum, quæ de concionum harum summa sanctimonia & efficacia dicere cœpi, facerent. Sed tanta est sacræ eruditionis & eloquentiæ in his ubertas, ut non solum difficillimum sit eligere, & præferre alia aliis, sed & prolixitas vix evitari possit. Opus itaque fuit, ut ipse mihi veluti frenum injicerem & paucis excerpendis contentus essem.

A. 1538.

(7) *Cur Christus dicatur via.*

Ad dictum Cap. XIV. 6. *Ego sum via &c. fol. 61.* refellit eos, qui Christum putant eatenus viam esse, quatenus præcepta & exempla det bene vivendi; *sic*, ait, *saltem index esset viæ, non via, neque plus præstaret, quam Moyses aut Johannes Baptista. Illorum leges & monita satis noverant discipuli, sed plus præstat Christus, id nempe, quod solet, qui ad transeundum flumen aut sinum maris, cum viæ pedestris nullius esset usus, navigium exhibet, aut ipse per vada portat viatorem. Hic enim cessant omnes viæ, etiam illæ, in quibus per bona opera & virtutes progressus fit, & omnino fieri debet; ambulandum enim est in vita emendata, in obedientia & charitate erga proximum. Rectæ hæ & divinæ sunt viæ, in quibus continuo in hac vita pergendum est; sed ad cœlum ipsum non ducunt, hanc solus Christus, pro te passus & mortuus, præstat, eique soli gloria hæc debetur. Constitutus ergo in agone, & pontem vel navim veluti quærens, quo ad cœlum transeas, noli respicere ad opera, quantumcunque sancta, sed illa omnia orationi Dominicæ include: dimitte nobis debita nostra, & hunc apprehende, qui dicit: ego sum via; quasi dicat, quid moraris, cogitasque alias vias, absint omnes: me tene firma fide & fiducia, ego pons ero, per quem transeas, ut uno momento ex hac mortis & inferni angustia in vitam meliorem transferaris &c.* Monstrat inde *fol. 62.* ut hæc via incipiat in baptismo, & continuetur tota vita in fide, donec ad ultimum scopum perveniat, & exemplo transitus Israelitarum per mare rubrum dicta illustrat *fol. 64.*

(8) *De duabus naturis in Christo.*

De divinitate Christi egregie multis locis in explicationibus hisce argumentatur: vide, sis, ante alia, quæ habet ad verba *v. 15. ut glorificetur Pater in filio. fol. 84. 86.* ubi non solum veritatem dogmatum invicte demonstrat, sed & *fol. 87.* utilitatem hujus summi articuli ostendit, ut fides nostra immotum in Christo, ut vero Deo, fundamentum inveniat, hoc enim si non fiat, omnis spes & fiducia hominum vacillaret. De humana vero in Christo natura ejusque attributis, & communicatione idiomatum præclara docet *fol. 90. 91.* & ad praxin accommodat *fol. 93.* cum hac epicrisi: quod ex dogmate hoc nemo proficiat, quacunque eruditione tumens, sed qui tentationes a peccato, morte & diabolo sustinuerint, inter quos se, minimum licet, numerat, utpote qui adversus satanicos insultus hunc articulum de persona & natura Christi defenderit.

(9) *De Spiritus sancti necessaria præsentia in credentibus.*

Fol. 102. ad *v. 17.* ubi dicitur: *Spiritus apud vos manebit & in vobis erit*, requirit, ut singuli Christiani certi sint, Spiritum sanctum in se esse, absque illo enim neque audire verbum Dei cum fructu, neque credere, neque ullam bonam cogitationem aut consolationem habere possent; fatetur tamen, se, cum monachus esset, & omnia exquisite faceret, quæ disciplina monastica exigebat, ausum tamen non fuisse, ut putaret, se Spiritum sanctum habere, credidisse saltem, in aliis illum esse. *Atqui*, ait, *si neque ego neque tu dicere possumus, in me est, tandem in nullo invenietur: quinam autem essent Christiani,*

nisi

A. 1538.

nisi qui vere dicere possent, & factis atque vita ostenderent, se, quod agunt aut dicunt, ex Spiritu Dei agere & dicere? quid absque hoc prodesset doctrina de Ecclesia Christi & de Spiritu sancto? Idem egregiis verbis & argumentis urget ad v. 20. *Ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* *Fol. 110.* necessitatem operum charitatis, ut sæpissime, ita & hic ad *v. 21.* expresse requirit, inter alia his verbis: *Hoc est, quod semper docuimus, & adhuc docemus: ubi fides est, ibi etiam opera charitatis sequi debere. Hæc sunt vera opera, v. g. Apostolorum & concionatorum, qui sine timore recte docent; cœtus, qui audit verbum Dei, eique corpore & opibus assistit; nugatoria enim monachorum & sacerdotum opera* (**hümpelwercke**) *stolas & tonsuras, vestes, cibos, orandi & cantandi formulas & ritus non requirit Christus, neque procedunt ex charitate, & a nebulonibus quoque fieri possunt, qui eorum causa neque periclitantur, neque quicquam patiuntur. Sed propter Christum omnia in discrimen dare, omnia facere, omnia pati, erga omnes officiosum esse, hoc probat, vere adesse Christum per fidem, & vere atque sincere eum amari. Absque hoc nemo ista faceret, ut diserte dicit v. 24. qui non diligit me, sermones meos non servat. Impossibile enim id est, ut qui non intus & in corde delectetur Christo, faciat, quæ ille mandavit, aut illum prædicare aperte audeat, omniaque sua jactet, & omnia patiatur.* Subjungit, quæ a Christo sperare debeant & obtineant, qui eum amant: & licet tentationum vehementiam *fol. 111.* ita describat, ut manifestum sit, eum ex sua loqui experientia, non minus tamen extollit consolationem & liberationem, quam Christus præstat. *Fol. 113.* quæstionem a Juda Thaddæo *v. 22.* propositam, *qui fiat, ut Christus se manifestet Apostolis, & non mundo?* eandem esse, ait, quæ suo tempore frequentissima & universalis sit, totique mundo, doctis & indoctis, sanctis & profanis, scandalum præbeat. *Quid est nova hac Evangelii concio? cur viles saltem, mendici, apostatæ ac vagabundi ei adhærent? videtne magnos Reges, Principes ac Episcopos, qui eam sequantur? Verum est,* ait, *non est de nihilo hæc querela; nos quoque tales optaremus, possent etiam cum summa laude id facere; instructi sunt gloria, potentia & opibus, quid præstare non possent? At Deus eos non æstimat, qui mendicos & piscatores ad Apostolatum vocavit, rejecit Hannam & Caipham, totumque sacerdotium in cathedra sedens &c.* Responsum itaque Christi *v. 23.* ad quæstionem Judæ quadrat, (ait) ac si dicat: *Non est, ut de mundo quæras; de Cæsare, Regibus summisque sacerdotibus; de doctis aut indoctis; de me & de eo quærendum est, qui me diligit, quicunque is fuerit &c.* Solatium & præmium ex verbis Christi, *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* verbis summe emphaticis exponit, quæ vide *fol. 115. 116.* Descriptionem eorum, qui Christum non amant, nec sermones ejus servant (*v. 25.*) vid. *fol. 117.* Ad verba Christi *v. 28. Pater major me est*, quibus hæretici abutuntur, divinitatem Christi oppugnantes, *fol. 128. 129.* non rejicit quidem Hilarii & Augustini explicationes, quorum ille majorem dici putat Patrem, quia est prima persona divinitatis; hic, quia Christus, ut homo, minor est Patre: sed ipse sensum, ut semper, ex materia subjecta eruendum esse contendit, & Christum loqui censet de statu exinanitionis suæ jamjam finiendo, & instante exaltatione ad dextram Dei; gaudii enim causam indicare voluit Apostolis, eosque dehortari, ne ob abitum suum contristarentur, quia ad Patrem vaderet, fore enim, ut illi mox par futurus esset, licet hoc statu suo minor illo, immo miserrimus omnium sit. Ad *Cap. XV. v. 2.* de parabola vinitoris & vitis tractans, multa lectu dignissima commentatur, de persecutionibus piorum, & de persecutorum fatis *fol. 131. & sqq.* Ad verba *v. 3. Vos mundi estis propter sermonem meum &c.* ostendit *fol. 139.* Christum præsumtioni occurrere, ne discipuli mundos se & purgatos esse crederent suis viribus, sed omnem munditiem & puritatem operationi Domini per verbum tribuerent. Intelligi autem, dicit, verbum Evangelii integrum, quod fidem in nobis producit virtute Spiritus sancti, ut per Christum cum Deo conciliati, puri & accepti fiamus, quoad personas nostras, & sic actiones nostræ pro puris & bonis reputentur, etsi defectibus non careant. *Fructus itaque,* ait, *veniunt ex illa purgatione & attributa nobis per Christum munditie, non vero ipsi sunt munditia & puritas.* Monet e contrario *fol. 140.* pura & munda non esse opera eorum, qui non sunt in Christo, licet non videantur differre ab operibus fidelium. Etsi vero certum sit, infirmitates piorum puritati & saluti illorum nocere non posse, *expurgandas tamen esse* monet, *per continuam cum iis luctam, & sordes ejiciendas,* **man muß denselbigen wiederstehen mit stetem kampff des glaubens, und das geschmeiß ausfegen.** *Qui hoc non facit, non minus ac ille, qui neglecta fide in Christum, suis fidit operibus, frustra gloriatur,* (ita pergit) *se esse palmitem in Christo, est enim falsus & inutilis a vite separandus, & in æternum ignem conjiciendus.* Ad *v. 5. sine me nihil potestis facere, fol. 147.* deplorat quindecim annorum monachatum suum, quo cum summa contentione, nec sine periculo valetudinis & vitæ, nihil omiserit, ut mereri aliquid posset, cum tamen sine Christo veraque fide frustra laboraverit. *Fol. 157.* iterum egregie docet, quomodo ex fide necessario sequatur charitas. *Fol. 159.* vehementer queritur, quod liberati a tanta servitute operum inutilium in papatu, præceptum illud unicum Christi, de dilectione mutua, non servemus. Prædicit rigidissimas pœnas ob hanc ingratitudinem. *Putasne,* ait, *Deum filium suum omnemque gratiam nobis dedisse, & dicere; Vivite pro lubitu; aut pati eum existimas, ut omnem exerceamus nequitiam. Quis hoc Deo persuadeat? ad minimum, characterem illum & signum habere debemus, charitatem nempe, qua testemur, beneficium ab illo ad nos pervenisse.* Repetit ejusmodi querelas *fol. 164.* Occurrit vulgatæ objectioni *fol. 162. Dicunt,* ait, *nonne fides justificat & salvat absque operibus? Verum hoc est, sed ubi subsistit illa fides & quomodo probatur? Neque enim res est putrida, inutilis, stupida, mortua,* **faul, unnütz, taub oder erstorben;** *arborem esse oportet vivam & fertilem. Hæc est differentia fidei sinceræ & falsæ sive fucatæ. Ubi*

(10) *De necessitate bonorum operum.*

(11) *Evangelium prædicatur pauperibus.*

(12) *Cur Christus se dicat minorem Patre.*

(13) *De purgatione sive munditia Christianorum.*

(14) *De dilectione fidem necessario sequenti.*

A. 1538.

vera est fides, ostendit se ipsam in vita: falsa nomen gerit, verba habet & jactat, sed nihil sequitur. Fol. 166. exprobrat populo ingratitudinem, *quod jam ferre non possint Christum vere concionantem; cum antea tulerint & honoraverint, largisque muneribus locupletaverint tot sacerdotes & monachos turpissimos, uxorum & filiarum constupratores, quos puduerit de Christo per totum annum, excepto tempore Quadragesimæ, verbum in concionibus proloqui, Aristotelem crepantes & legendas Sanctorum. Fol. 169.* postquam de odio mundi contra pios, & Pontificiorum in Evangelicos, multa dixisset, ita loquitur: *Quod Papæ displicet aut nocet, quod indulgentiarum mercatum amiserit, & purgatorius ignis extinctus sit, id non mea culpa factum est. Cur mendacia illa præter & contra verbum Dei, & tamen sub hujus prætextu, effabricavit? Ego sane non ex me depromsi aut excogitavi, quæ docui; hæsi non minus profunde, quam alii, in doctrina illa falsa, antequam Christus me per verbum & Spiritum suum illuminavit. Nihil fecimus, quam quod Evangelium ejus, ut mandavit, prædicavimus. Si damnum passi sunt hac ex causa, & corruerunt, quæ extruxerant, culpa illorum esto. Cur non prædicant verbum Dei, ut deberent, absque suis inventis? Cum Christo disceptent, si irati sunt. Fol. 170. 171.* idem tractans, non veretur scribere, *odium Papæ excitatum esse per concionem de Christo, quod mortuus sit pro hominibus, & quod per illum solum salus acquirenda sit.* Scio hoc jam tum pro gravi calumnia habitum fuisse ab adversariis, idemque hodie fieri, ab iis, qui neminem inter Christianos dubitasse dicunt de passione & merito Christi. At Lutherus dicta sua ex eo adstruit, quod suis additamentis, lucri causa adinventis, articulum illum capitalem obscuraverint, corruperint & fere oppresserint, venditantes indulgentias, purgatorium, vitam monasticam, missas propitiatorias, ita ut hæc putamina sequens populus nucleum omitteret. vid. *d. fol. 170.* Ad v. 24. *peccatum, non haberent,* notat *fol. 172. & sq.* intelligenda illa esse, non quod omni alio peccato caruerint Judæi; sed quod prioribus novum adjecerint, spernendo oblatam per Christum gratiam. *Hoc peccatum,* inquit, *cætera omnia velunti consummavit, & ne remitterentur, impedivit, remissa enim fuissent, si gratiam Christi acceptassent.* Applicat hæc adversariis, multa magnaque vitia sua novo hoc cumulantibus, quod Evangelii concionem repudient & persequantur. Adde *fol. 174.* Ad Cap. XVI. v. 1. *fol. 180. & seq.* prolixe tractat de argumento, quo Pontifex & Clerus speciosissime urgent Evangelicos, quod ecclesiam deseruerint, & excommunicationem meruerint. *Negari enim* (ait, *fol. 181.*) *non potest, in papatu esse verbum Dei & ministerium apostolicum. Ab illis nos accepimus Scripturas, Baptismum, Sacramenta, aliunde illa non habemus. Oportet igitur, ut apud eos sit fides, Ecclesia Christiana, Christus & Spiritus sanctus. Quid ergo ago? cur discipulus magistris contradico? Infestant utique hæ cogitationes mentem, ut cogitem, an non peccaverim, & rectius fecerim, si nullum unquam verbum pro concione essem prolocutus: ecclesiam in Symbolo confitemur, & reperio illam etiam in papatu. Cur ergo resisto ecclesiæ, dum papatum condemno, nonne summam excommunicationem incurro, & a Deo omnibusque Sanctis condemnor?* Constat hinc, ut & ex aliis similibus locis, Lutherum non inconsulto impetu, sed consideratis omnibus ad reformationem progressum esse, satisque vidisse, qua specie sibi objici possit schismatis crimen. Responsi autem, quod hoc loco prolixe ex textus, quem tractat, explicatione eruit, hæc est summa: Aliud esse *dici* ecclesiam sive Israelem, aliud revera *esse Rom. IX. 7.* Conceditur, mansisse etiam sub Pontificibus Ecclesiam Christianam; sed **maxima** (ait) *Pontificii cœtus pars non fuit Ecclesia, nec pro Apostolis Christi habendi sunt Papæ, Cardinales, & Episcopi; nec, qui illos sequuntur, sunt populus Dei. Manserunt autem in cœtu illo corrupto veri Christiani & electi, licet in errorem, ad tempus, sed non finaliter, inducti. Matth. XXIV. 24.* Quod vero ecclesiam, cujus nomen usurpant, non constituant Prælati illi, probatum it, *quia,* ut scribit *fol. 182. non noverunt Patrem, neque me d. Cap. XVI. 3.* Licet enim dicant *se novisse,* instat tamen ulterius, & quærit ex iis, *cur non ex solo merito Christi salutem quærendam esse* [...]*uerint? cur satisfactionem pro peccatis per opera exigant? cur jam aperte concionentur, pro peccatis post baptismum commissis Christum non satisfecisse, sed tantum pro culpa originali? cur homines ad monasteria, ad peregrinationes, ad austeritatem vitæ, ad intercessiones Mariæ & Sanctorum ablegent, & ex Christo non nisi severum judicem faciant, & ut talem pingant, qui a Matre & Johanne Apostolo exorandus sit, ut peccatoribus ignoscat?* Hæc additamenta, quæ omnia lucri causa, & ad suum commodum & honorem, invenerint, si abjiciant, tunc se eos pro charissimis fratribus & membris ecclesiæ Christi habiturum esse, promittit. Quod autem vera ecclesia sub papatu manserit, inde colligit, *quia non defuerint, qui vel in ultimo vitæ articulo soli Christo adhæserint.* Ex his constare ait, *in vera & catholica ecclesia, quocunque locorum versentur, convenire illos omnes, qui eadem credunt, unamque fidem habent in Jesum Christum.* Ab his metuendum non esse excommunicationem, sed de hac minas intentari fidelibus ab iis, qui se pro ecclesia gerunt, tot tamen erroribus infecti. *Corrigant hos* (ait *fol. 184.*) *& tunc autoritatem & censuram eorum libenter subibimus, magni eos faciemus, &, ut dici solet, manibus gestabimus.* Acerrime postea invehitur (ad v. 2.) *fol. 185.* in sævitiam, quam igne & ferro adversus veros Christianos sub titulo & autoritate ecclesiæ, & imploratis Principum viribus, exercent. Provocat *fol. 186.* ad suam & Evangelicorum professionem, quod potestatem, honorem & opes adversariorum invadere nolint, quod omnia illorum intacta sint relicturi, & unum hoc petant, ut doctrinæ & fidei libertatem integram esse sinant, neque exigant credenda & docenda, quæ salva conscientia admitti non possint. *Habeant sibi* (addit *fol. 187.*) *personati illi Episcopi honores & opes, & vivant in otio, permittant modo, ut nos agamus, quæ agenda sunt.* Tractat deinde uberrime de vera & plenaria cognitione Christi, quæ fundamentum est fidei & salutis. Hac stante cadere, ait *fol. 190.* & evanescere omnia, quæ in papatu pro cultu divino & pro bonis operibus & meritis venditantur. Ex v. 9. *fol. 196. & sqq.* egregie

(15) *De injusto Papæ in Evangelicos odio.*

(16) *De corruptela doctrinæ.*

(17) *Causæ separationis a Papatu, & quomodo præcaveri potuerit.*

A. 1538. egregie demonstrat, quod alibi sæpe docuit proprie loquendo elenchum Spiritus sancti, & damnationem incurrere eos, qui non credunt in Christum. Omnia enim peccata credentibus remittuntur; sed qui non credunt, medium salutis sibi ipsis præcidunt. Abusum vero hujus doctrinæ & calumniam, qua jam tunc petebatur, *fol. 198.* funditus destruit, scribens: *Hoc non ita intelligi velim, ut dicas, si sola incredulitas damnat, ergo peccandi licentiam habemus. Respondeo enim: fides impetrat remissionem peccatorum, & Christus venit, ut peccata auferat, ideo impossibile est, ut Christianus sit, qui manifeste & absque pœnitentia peccet, & concupiscentiis suis obsequatur. Ubi peccata continuantur, ibi non est pœnitentia: ubi non est pœnitentia, ibi non est remissio peccatorum, non fides, quæ remissionem accipit: qui fidem remissioni peccatorum adhibet, is resistit peccato, non sequitur cupiditates suas, sed repugnat iis, donec eas prorsus subegerit & expulerit. Quod etsi perfecte in hac vita fieri nequeat, sed & in sanctissimis peccata quædam* (infirmitatis nempe) *restent; teguntur tamen illa per remissionem Christi, nec damnationem afferunt, dummodo in fide Christi persistant. Rom. VIII. 1. Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, & Gal. V. 24. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* *Fol. 205.* abusum dicti Christi *v. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere*, validissime refutat. *Fol. 207.* articulum de divinitate & attributo Spiritus sancti præclare explicat & confirmat. *Fol. 209.* tractat de dono prophetiæ, quatenus interpretationem Scripturæ significat. *Fol. 214.* de spirituali amissione vel occultatione Christi, ex qua summa & ineffabilis animæ tristitia oritur, non vulgaria commentatur. De precationum natura & utilitate agit *fol. 216. & sqq.* Ad verba Christi *v. 32. non sum solus, quia Pater mecum est*, notat, *Johannem Hussum* iis pro solatio usum esse, ejusque sanctitatem, licet ad doctrinæ Evangelicæ puritatem eam, quæ Lutheri tempore prædicata fuit, non pervenerit, celebrat & commendat. Tandem ad *v. ult.* de pace, quam in Christo habemus, & de victoria Christi adversus mundum, egregie loquitur *fol. 232.* In epilogo scribit: *Vidimus per Dei gratiam multos in agone suo Spiritus sancti auxilium & vires in corde suo sensisse, cum his verbis de victoria Christi confirmarentur; his erecti omnia tolerarunt & sic discesserunt. Deus nobis eandem det mentem, ut verborum horum, licet ea nunc non satis intelligamus, in agone mortis recordemur. Deus & Salvator noster in cor etiam meum illa locutus est, ut in eo habeam virum, qui vicit mundum, mortem & Diabolum, sive ego robustus sive infirmus sim.*

(18) *Cur incredulitas sola damnare dicatur, & alia quædam.*

(19) *De fiducia in Christum.*

Inter reliqua Lutheri scripta extat iterata editio *libelli visitatorii*, anno 1528. primum publicati, de quo in illius temporis historia *Lib. II. §. XXXVI. XXXVII.* & in *addit.* prolixe actum est. Novæ editioni occasionem dedit reformatio *Freibergensis*, ab *Henrico* Duce suscepta, quam narravimus *§. LVII.* Diximus etiam, nihil mutatum fuisse in hac editione a Luthero, nisi quod ea omiserit, quæ anno 1528. de tolerando quodammodo communionis sub una usu, inserta erant. Rationem reddit in *præfatiuncula* novæ editioni hoc anno præmissa *Tom. VII. Alt. fol. 1.* Cessare enim dicit respectum infirmorum, quo tunc opus fuerit, cum nunc verbum Dei in Electoratu Saxonico vicinisque locis clare luceat & efficaciter operetur. *Contemnimus*, ait, *quæ de hac mutatione satanas cum suis convitia sparget & mendacia: Deo & ecclesiæ ejus servimus, & hoc præstantes contenti sumus, gratiasque illi agimus, quod nos ad hoc ministerium vocavit & idoneos reddidit.* Hæc adversus novos variationum compilatores notanda sunt.

(20) *Secunda editio libelli visitatorii in Saxonia.*

Non possum enim hic præterire errores & perversum judicium *Bossueti*, Meldensis in Gallia Episcopi, in libro Gallico, quem inscripsit *Historiam de variatione Ecclesiarum Protestantium Tom. I. Lib. V. §. 9.* Peccat in historiam & ordinem rerum, cum, pro ea, quam præ se fert, librorum Lutheri notitia, primam libelli visitatorii editionem anno 1528. factam & *Tom. IV.* relatam omittit, & in hanc, quæ post decennium, id est, hoc anno 1538. secuta est, irruit: licet vel ex prima præfationis linea intelligere potuisset, novam & repetitam hanc editionem esse. Prorumpit inde ex falsissimo præsupposito in præcipitem censuram Protestantium, & speciatim Saxonum, *quod intra annos sedecim, a cœpta Lutheri reformatione, de visitatione Ecclesiarum, aliis scilicet* (ut ait) *negotiis occupati ne cogitaverint quidem.* Pro certo itaque habuit, illam hoc demum anno susceptam esse, quæ tamen ante annos decem peracta fuerat, ut constat, & *d. §. XXXVI. & sq.* a nobis relatum, *Cochlæo* etiam memoratum est. Sed condonandus est historicus hic lapsus viro peregrino, qui Lutheri scripta alienis forte oculis perlustravit. Improba vero est verborum Lutheri, in *præfatione* priori editioni præmissa, & in nova repetita, cavillatio. Scripserat Lutherus, se & socios post restitutam Evangelii lucem desiderasse, ut officium Episcopale sive visitatorium (alludit enim ad vocem Episcopi) restitutum illico fuisset, sed neque se, neque alios vocationem aut mandatum ad id habuisse, nolle autem S. Petrum, ut negotium in Ecclesia geratur, de quo non constet, divinum esse (respicit ad locum *1. Petr. IV. 11.*) Hæc Lutheri verba neque accurate vertit Episcopus, neque mentem assequi voluit. Concludit enim ex illis, Lutherum agnovisse, missione & vocatione sive autoritate legitima opus esse. Addit inde contumelias, & notari jubet, Evangelistas novos jactasse missionem extraordinariam cœlitus acceptam, ad concitandam scilicet adversus Episcopos suos plebem; sed ad veram functionem Episcopalem, visitationem nempe & emendationem, neminem eorum vocatum fuisse, & hanc missionis suæ imperfectionem ipsos deprehendisse: remedium itaque a Principe, regionis Domino, petiisse, qui etsi jus (ut Lutherus fatetur) ad eam rem non haberet, ex charitate tamen visitatores denominavit. Multis modis hic præoccupatus opinione sua errat & labitur,

(21) *Animadversio in Bossuetum.*

A. 1538. bitur, ne quid durius dicam, Episcopus. Falso imputat Luthero jactantiam immediatæ vocationis; nec magis verum est, quod plebem adversus Episcopos concitaverit: licet enim illorum errores & vitia detexerit, autoritatem tamen & officium eorum, si defectus emendarent, non sustulit. Deinde vocationem ad docendum Evangelium & administranda Sacramenta, quæ substantiam ministerii Ecclesiastici constituit, & divini juris est, licet applicatio illius ad personas hominum opera fiat, cum illa confundit, quæ facultatem dat, autoritate & potestate publica alios etiam cœtus visitandi & ordinandi. Contradictionem etiam ex Lutheri verbis colligit, cum negare videtur, fas fuisse Principi, ut visitatores constitueret, licet id ex charitate fecerit. Verum facile occurritur his rhetoricationibus, si duplex illa vocatio distinguatur. Priorem ad docendum voce & ore Evangelium non uno titulo habebat Lutherus & alii, ut cœtibus ecclesiasticis & scholasticis, quibus præpositi erant, consulere possent, aliis etiam librorum editione prospicere; sed ad Episcopatum, sive visitationem aliorum locorum adspirare, defectu tituli & potestatis, non poterant. Introductum erat multorum seculorum consuetudine, ut Episcopi in locis & diœcesibus suis Imperatorum, aliorumque Principum & superiorum arbitrio constitutis, munus suum exercerent, nominati & electi vel a Capitulis, quæ vocant, vel ab ipsis Regibus jus cœtuum ad se trahentibus. Hunc morem intactum eatenus reliquerant Lutherus & alii evangelicæ doctrinæ vindices, & contenti erant Episcopis quocunque jure constitutis, modo præcipuum & essentiale officii sui caput in promovenda doctrinæ veritate & purgandis erroribus exhiberent. Idem faciebant Principes Germaniæ & civitates, nec aliud postulabat populus, licet importunius actum esset, arreptis anno 1525. armis, cum spes emendationis per Concilium in comitiis Imperii anno 1524. facta eludi videretur. Mansit inde post sopitum plebis tumultum confusio, cum Episcopi desideriis Lutheri & sociorum & tot provinciarum, non verbo saltem & rigidis edictis, sed & ubi poterant, sævis animadversionibus & suppliciis resisterent. Illis itaque, reclamante conscientia, neque Evangelii præcones, neque cives obtemperabant. Principes a multis seculis imperitia sua & arte Cleri ita instructi erant, ut curam sacrorum, externam licet, alienam a se esse putarent. Id Germani, modicarum regionum Domini, magis, quam Reges late imperantes, ob debilitatem virium & autoritatis, faciebant, aut tolerabant, quia Episcopi jamdudum magnis provinciis Imperatorum & Principum liberalitate suaque industria potiti, non pares saltem erant politicis magistratibus, sed dignitate & opibus potiores, ita ut primum locum & majorem suffragiorum partem in republica etiam tenerent. Paulo quidem submissiores in Saxonia erant Episcopi, & ditionum, quas possidebant, nomine, si non imperium superius, certe protectionem Ducum, agnoscebant; sed in munere Ecclesiastico, agebant jure proprio. Licet autem pleraque per vicarios non bonæ notæ, & quales Lutherus in eadem, quam *Bossuetus* allegat, præfatione describit, administrarent, luxuque & otio torperent, nec ignota essent illa vitia Principibus; cunctabantur hi tamen, & emendationem a Pontificibus & Conciliis, nullo plerumque effectu, postulabant aut expectabant. Ipse *Fridericus* Saxoniæ Elector, meliora licet ex Lutheri scriptis edoctus, nihil tamen detrahere ausus est Episcopis, nec alio modo illis sese opposuit, quam, ut vi agere contra Evangelii præcones illis non indulgeret: permisit etiam, ut narravimus, *Misnensi & Mersburgensi*, ut visitationes in sua ditione instituerent, &, si possent, novos Doctores argumentis convincerent, & volentem populum ad pristina instituta reducerent. Etsi vero id minime, ut narravimus, successisset, *Fridericus* tamen ad mortem usque fortiora reformationis media non quæsivit, sed pastorum & civium in oppidis arbitrio reliquit, num Episcopis parere, an reformationi locum dare vellent. Secutus itaque est tumultus rusticus in eos potissimum, qui reformationem recusabant, eventu, ut historia docet, vario. Succubuit multis in provinciis reformationis molimen, & mansit Episcopis mos vetus. Alibi desiderio populi cesserunt Episcopi, præsertim, ubi defectu jurisdictionis temporalis vim exequendi non haberent, contenti fere, si in suis templis usum sacrorum antiquo more retinerent, & reditibus fruerentur: negligebant cæteros, quos cogere non poterant. Interim, ut diximus, magna erat omnium rerum ecclesiasticarum conturbatio, cum nec vetera corrigerentur, nec nova debita cum circumspectione & autoritate stabilirentur. Hoc erat, quod Lutherum aliosque affligebat, & desiderium, de quo in *præfatione* allegata mentionem facit, excitabat. Urgebat quidem statim, ut retulimus, post mortem Friderici successorem *Johannem* Electorem; sed, exorto bello rustico, paci prius providendum erat. Sic transiit annus 1525. & pars sequentis. Magnum tamen momentum attulit decretum Comitiorum Spirensium, anno 1526. promulgatum, quo, novi tumultus præcavendi causa, jam non Episcopis, sed Principibus & Ordinibus Imperii, cura religionis, ad Concilium usque, pro conscientia sua constituendæ, commissa fuit. Huic, etsi postea a Cæsare male consulto improbaretur, institit tamen Johannes Elector & anno 1527. visitationem inchoavit, & sequenti peregit. Id vero, ut Lutherus non male judicavit, non fecit jure magistratus politici (aus weltlicher Obrigkeit) quale scilicet a multis seculis obliteratum erat, sed ex charitate christiana, ut loquitur, & ex iis, quæ diximus, intelligi potest. Exemplo enim carebat, ut Principes visitatores Ecclesiarum ordinarent; ad Episcopos hoc pertinere credebatur. Jam vero, cum illi & populus, hujusque doctores, in contraria scinderentur studia, & illi pro hæresi haberent, quæ populus desiderabat, hic Episcopis impietatem & tyrannidem imputaret, nullum supererat, nisi a Principum autoritate, remedium, idque decreto illo Spirensi indicatum erat, ita tamen, ut Principum cognitioni & conscientiæ relinqueretur, Episcopisne an populo morem gerere vellent, modo alterutrum facerent, & turbas præcaverent. Charitatem igitur christianam vocat Lutherus, quam Elector exercuit, spreta Episcoporum renitentia & pertinacia, evangelicæ doctrinæ usum populo indul-

(22) *De vocatione Lutheri, & de jure Episcopali monitum in genere.*

(23) *De [illegible] in Saxonia, post [illegible] rusticum, speciatim.*

(24) *Item, de Johannis Electoris [illegible] instituta circa visitationem, & Lutheri [illegible] ibus.*

A. 1538.

indulgens & legibus firmans. Hæc igitur est vocatio, & hoc mandatum, quod dudum se expectasse dicit Lutherus, cum spes ab episcopis nulla superesset. Illam vero vocationem, qua evangelium docebat, plurimos ante annos obtinuerat, ut sæpissime in libris ante visitationem anno 1528. editis testatus est. Nemo certe non videt, absque permissu Principis fieri non potuisse, ut Lutherus Wittenberga egrederetur, & centena alia oppida adiret, pastores constitueret, & ritus ordinaret; nec ostendi potest, quo jure id fecisset. Apostolorum exemplum allegare non poterat: assignatus illis erat orbis terrarum peragrandus; ab illis & post illos singulis cœtibus constituti sunt pastores & episcopi, quorum nullus (si prima respiciatur institutio) alios aliorum locorum pastores sub se habebat: tota illa diœcesium constitutio & sequioris temporis & humani juris est. Frustra igitur insultat Luthero Gallus: & rectissime ille fecit, quod a discursitatione per provincias abstineret, & principum atque magistratuum jussum & populorum assensum præstolaretur, cum præsertim non solum de prædicando verbo divino & administratione sacramentorum; (quæ plurimis locis jam ultro vigebant) sed de externis rituum & disciplinæ formis, & de sustentatione ministrorum in templis & scholis, agendum & definiendum esset. Hæc quanquam in actis visitationis recensendis *d. Lib. II. §. XXXVI.* tractari potuissent, hic tamen locum non plane incommodum invenerunt, occasionem suggerente *Bossueto*, qui, per errorem quidem, ista ad annum 1538. retulit.

(25) *Præfatio Lutheri in editionem articulorum Smalcaldicorum.*

Edidit hoc anno Lutherus, quos præcedenti composuerat, *articulos, in Concilio Mantuæ* tunc indicto *offerendos*, quos vocamus *Smalcaldicos*. De illis pro instituto *§. LV. & seq.* quantum satis est, actum esse a nobis existimamus. Hic quædam ex præfatione, præter ea, quæ *dd. ll.* retulimus, observare lubet. Extat illa in omnibus articulorum editionibus, & sic etiam *Tom. VI. Alt. fol. 1227.* Latine itidem versa in editione *Form. Concordiæ*, aliorumque, qui adjungi ei solent, librorum, quos dicimus, Symbolicorum. Graviter in illa queritur de adversariis, & inprimis de falsis fratribus, qui, se vivo, & quotidie verbis & calamo docente, dicta sua invertant, & in contrarium sensum, aut ad errores suos incrustandos torqueant; *quid futurum est*, ait, *post obitum meum?* Hæc fortassis ad *Islebii* acta pertinent, de quibus anno sequenti agemus. Solatium ex successu capit, quod Deus huc usque opus reformationis promoverit, & cœtum Evangelicum semper auxerit. Narrat, doctorem ex Gallia missum (*Gervasium* intelligit, de quo alibi dictum est) cum Wittenbergæ esset, palam asseverasse, Regem suum certissime persuasum esse in Saxonia non esse Ecclesiam, magistratum, conjugia, sed omnia belluarum more geri. *Quid respondebunt*, scribit, *mendaciorum fabri Christo judici, cum nos stantes & salvos videbunt?* Repetit, quod ab initio dixerat, articulos istos, ut in Concilio exhiberentur, compositos a se fuisse, addiditque, *serio a se expeti Concilium legitimum & Christianum, in quo multis causis & personis auxilium & remedium afferri possit, licet nostræ*, ut loquitur, *Ecclesia opus illo non habeant, verbo Dei & recto Sacramentorum usu omniumque ordinum & conditionum & operum legitimorum cognitione & disciplina satis illuminata & instructa; sed in Episcopatibus ingenti cum animi dolore deprehendi*, ait, *plurimarum parochiarum solitudinem, nulla Episcoporum cura, quomodo vivant aut moriantur homines Christi sanguine redemti.* Indicat etiam politici status vitia, quæ una cum ecclesiasticis aggredi & corrigere satius esset, quam ineptias & nugas (**finder und narrenwerck**) tractare, de stolis, tonsuris, vittis & infulis. Orat inde in *epilogo* Christum, ut ipse Concilium habeat, & adventu suo Ecclesiam liberet, de Papa enim & suis desperandum esse. (**Es ist mit dem Pabst und den seinen verlohren**)

(26) *Annotatio de mutatione verbali articulorum a Luthero facta.*

Porro de editione articulorum notandum est, primam, quæ Wittenbergæ hoc anno 1538. forma, quæ dicitur, quarta, typis excusa prodiit, non solum carere subjuncto in cæteris editionibus indice subscribentium, sed & plus quam sexaginta locis ab exemplo manu Spalatini descripto & a Theologis subscripto, quod §. *LVI.* enarravimus, discrepare. Indicatur id in posterioribus editionibus, & *d. Tom. Alt. fol. 1250.* Post diligentem tamen collationem nihil, quod ad substantiam dogmatum pertinet, deprehendi potuit; commodiora saltem verba substituere voluit Lutherus, cum editionem pararet: idque suo arbitratu, & jure facere poterat, neque enim publicam confessionem, (approbatam licet Theologorum subscriptione) sed suam publicabat, ut diserte in præfatione professus est. Absit igitur cavillatio ex annotatione, quam *fol. 1250.* de mutatione exemplorum aliquis faceret. Si quis vero hodie quærat, quodnam exemplum præferendum sit, meum sane calculum illi adjecero, quod Lutherus posteriori cura hoc anno 1538. deinde jussu Electoris iterum anno 1543. edidit, & postea multorum Electorum, Procerum & civitatum autoritate, anno 1580. editæ Formulæ Concordiæ adjunctum est. Observari etiam debet, dissertationem *de potestate Pontificis*, de qua *d. §. LVI.* egimus, in editione a Luthero hoc anno procurata, subjunctam non esse, neque ullam fieri illius ab eo mentionem. Denique *animadversio in Melanchthonem*, quæ *Tom. VI. Alt. fol. 1241.* legitur, incipiens: *O quantum mutatus ab illo &c.* ex editione articulorum anno 1554. cum præfatione *Job. Stolzii* concionatoris aulæ Vinariensis desumta est, simultatem redolens, quæ illo tempore inter Electorales & Ducales Theologos versabatur. Neque tamen reperitur in editionibus Wittenbergensibus, neque in exemplo, quod Formulæ Concordiæ subjunctum fuit; ut adeo consensu postea secuto extincta & obliterata qualiscunque censura illa esse videatur.

(27) *Censura Lutheri in carmen Lemnii, & querela de eo.*

Quod attinet Lutheri programma adversus carmen famosum M. Simonis Lemnii *Tomo VI. fol. 1252.* insertum, negari non potest, durissimis & asperrimis verbis, ea maxime in parte, qua *Albertum* Moguntinum & Magdeburgensem Archiepiscopum adoritur, conceptum esse. Multas quidem odii & indignationis adversus illum causas habuit, ob ea præsertim, quæ in vicina urbe Halensi contra Evangelicos patrabantur: ideo jam sæpius illi publicam censuram minatus erat. Conjici-

A. 1538.

jicientes id *Elector Brandenburgicus*, itemque Marchiones ejusdem familiæ, *Georgius*, & duo *Alberti, unus Borussiæ*, alter *Byruti* Princeps, literis ad Electorem anno 1536. d. 24. Octobr. datis petierant, ut Lutherum ab insectatione Moguntini, agnati sui, impediret, professi, se doctrinam ejus non impugnare, concordiam potius in religione meditari, & pro illa consequenda publicas preces indixisse. Monitus igitur Lutherus huc usque quieverat. Sed irritatus *Lemnii* carminibus, quæ, permittente *Melanchthone*, tunc Academiæ Rectore, typis excusa erant, & absente Pastore *Johanne Bugenhagio*, programma istud præcipiti ira compositum affixit. Questi sunt de illo Brandenburgici Principes omnes, modestius tamen *Georgius*, literis d. 22. Junii datis, collaudato ob insignia in Ecclesiam merita Luthero, & significans, illi se ob valetudinem minus commodam, qua affectus tunc erat, parcere, ne ipse ad eum scriberet. Landgravius d. 8. Julii vehementer improbavit Lutheri excandescentiam; omnes tamen nihil aliud petebant, quam ut Luthero moderatio injungeretur. Elector apud Brandenburgicos sese excusavit, quod se inscio Lutherus scripsisset; Landgravio vero liberius respondit, non solum merita Lutheri deprædicans, sed & Moguntini acerbitatem, Electori non uno modo exhibitam referens, & quod carminis autorem Halis foveret, qui tamen a contumeliis in ipsum Electorem non abstinuerit. Erat tunc Wittenbergæ Poetarum quædam factio, *Georgii* puta *Sabini*, (qui gener erat Melanchthonis) *Simonis Lemnii*, de quo agimus, & *Johannis Stigelii*, qui tunc celebrari incipiebat. De illorum licentia in moribus & scriptis dicteriisque questum esse, invenio, post annos aliquot *Pontanum (Reg. O. fol. 125. AAA.)* Scripsit enim Electori d. 10. Mart. 1542. & rogavit, ne *Stigelio* lectionem Terentii, quam ambibat, committeret; *populus enim ille poeticus*, ait, *pietate caret, & disciplinam aversatur, Terentius autem adolescentibus, post Catechismum, ad corrigendos mores utilissime proponitur, & ad id opus est Magistro pio & honesto.* Sed hæc obiter, quæ de genio illius seculi in re literaria specimen aliquod exhibere possunt, piosque Poetas non tangunt. Fastidii a *Lemnio* excitati pars ad *Melanchthonem* recidit, exprobrata ei ab Electore negligentia. Hanc literis d. 10. Jul. datis ita is purgavit, ut diceret, *se nihil ex proposito deliquisse; malam sibi gratiam a Lemnio, in quem tamen multa beneficia contulerit, relatam fuisse, & ab illo in carminibus bis contumeliose se tractatum. Libellum Lemnii a typographo sibi oblatum esse, postquam jam prælo exiisset: deprehensis vero in illo convitiis in privatos, statim autori se indixisse, ut domi se contineret, inque eo fuisse, ut illum relegaret; cum vero postero die continuata libelli lectione, etiam invenisset, quæ Electori & Landgravio contumeliosa essent, capturam autoris decrevisse, hunc vero fuga sibi consuluisse; jam vero, postquam citatus non comparuerit, in perpetuum cum infamia relegatum esse.* Agnoscit denique & deprecatur culpam, quod negotiis Academicis occupatissimus, libellum non statim perlegerit, neque injurias Principi in eo illatas confestim deprehenderit. Petit etiam, ut sibi non imputetur, quod gener *Sabinus* commisisse diceretur, typographum nempe hortando, ut libellum excuderet, &, approbatum a Melanchthone fuisse, mentiendo. Addit, jam satis magnas sibi a genero molestias exhibitas esse. Extat *Reg. O. lit. JJ. fol. 86.* epistola *Thomæ Venatorii*, Ecclesiastæ Norimbergensis, ad Spalatinum d. 26. Octobr. hoc anno data, ex qua intelligitur, *Lemnium* tres epigrammatum libros scripsisse, plenos maleloquentia & furore plus quam satanico, in quibus totam Academiam Wittenbergensem, Lutherum præcipue, spiculis suis ferire non sit veritus; addit etiam carmina in Lemnium non inelegantia, & hunc cum Mulcibero in Lemnum ex Olympo dejiciendum esse jocatur. Credo tamen, Lutherum non tam convitiis in se sparsis, quam illis, quæ in Electorem vibraverat, & fœdis in Moguntinum adulationibus, exacerbatum fuisse. Verum, ut ex literis Electoris occasione hujus causæ scriptis apparet, nihil ille ex veneratione & benevolentia erga Lutherum remisit, & licet humani aliquid in excandescentia illa sua passum esse animadverteret, in meliorem tamen partem omnia est interpretatus. Nævos hos compensari debere statuit ingentibus viri donis & meritis, neque indignos judicavit Moguntinum & alios Evangelicæ doctrinæ hostes censura & contemptu, quo Lutherus illos, nihil ab eorum potentia metuens, prosequebatur.

(28) *Melanchthonis in hoc negotio acta, & alia quadam.*

Concio Lutheri egregia hoc anno prodiit, in dictum *Gal. I. 4. Christus dedit semetipsum &c.* Exhibetur *Tom. VII. Alt. fol. 22. & seqq.* in qua invictis argumentis justificationem hominis peccatoris soli merito Christi fide apprehenso vindicat, & simul necessitatem ostendit, ut singuli certa fiducia credant, Christum pro se quoque datum esse, & hoc uno artificio, ut loquitur, diabolum, peccatum & mortem vinci posse; absque illo vero desperationem & damnationem non evitari. Graviter etiam peccatorum magnitudinem exaggerat, & socordiam hominum illa extenuantium aut continuantium vituperat.

(29) *Concio Lutheri in dictum Gal. I. 4.*

Publicavit versionem Germanicam Symbolorum, quæ vocamus Apostolicum, Athanasianum, Ambrosii & Augustini, itemque Nicænum cum præfatiuncula, sed epilogo bene longo *Tom. VI. fol. 1255. sqq.* Causam versionis & editionis inter alias allegat, ut denuo ostendat, se cum vera Ecclesia Christiana penitus consentire, quanquam recesserit ab illa, quæ veritatibus symbolicis figmenta & errores admiscuerit, Israelitarum exemplo, qui, retento quidem veri Dei cultu, idolis tamen etiam serviebant, & corruptionem illam arguentes Prophetas persequebantur. Excusat versionem quorundam vocabulorum, quæ nova & duriuscula videri possent, v. g. *increatus, immensus* ungeschaffen / unmäßlich / non nescius, vocabulum, ungeschaffen / in superiori Germania significare aliquid *inconditum*; sibi jam meliora non succurrisse: abstinuisse tamen a rudi vocabulo, eingefleischet / & *incarnatum* vertisse leibhafftig worden. Commendat emphaticis verbis necessitatem & utilitatem articuli de Christo, qui fundamentum totius est religionis, & insultus hæreti-

(30) *Editio symbolorum fidei, cum præfatione & epilogo.*

A. 1538. hæreticorum veterum de persona & naturis Christi errantium persequitur. Sed nec pontificiis parcit, meritum ejus extenuantibus, dum quidam docent, illum tantum pro peccato originis satisfecisse, pro illis vero, quæ post Baptismum committuntur, hominum operibus (inventis nempe, quæ enumerat, a clero) satisfaciendum esse, ita ut Christo tantum inchoatio salutis, hominibus vero, quasi fortissimi heroes essent, perfectio tribuatur. Ad jactatam jam tum concordiam & pacem ecclesiæ, ante cœptam reformationem, exemplum paganismi opponit, in quo omnium idolorum, diversissimus licet, cultus toleratus, solus vero Christianismus rejectus fuerit, damnatis summo cum furore ad mortem omnibus eum profitentibus. Non multum aliter in papatu agi, scribit, in quo innumeræ & inter se dissidentes & æmulæ societates locum habuerint, soli vero Evangelii doctrinæ exitium indicatur. In genere ex *Bernhardi* explicatione dicti Esa. XXXVIII. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima &c.* suspectam & periculosam esse dicit Ecclesiæ conditionem, cum nullis turbatur hæresibus aut persecutionibus. *Qui talem*, ait, *desiderant Ecclesiam, veram nunquam habebunt; mutanda est illis oratio Dominica, nec precandum amplius: Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua; sed dicendum, advenisse jam perfectum regnum, & factam esse Domini voluntatem.* Adjungit præclara de tribus personis essentiæ divinæ, & quomodo obscurior quidem, vera tamen ejus articuli notitia in veteri quoque Testamento fuerit.

(31) Præfatio Lutheri in historiam Mediolanensem.

Ex *præfationibus*, quas hoc anno in aliorum libros scripsit, paucæ in Tomos relatæ sunt. In illa, quæ versioni historiæ Mediolanensis a Galeatio Capella compositæ præmissa legitur *Tom. VI. f. 1250.* de necessitate & utilitate historiæ graviter disserit, invectus in eos, qui adulatione aut dissimulatione veritatem corrumpunt; in magno autem pretio veros historicos habet, utpote doctores omnium optimos & utilissimos, quibus nunquam satis magna gratia rependi possit: monet Principes, ut nullis sumtibus parcant, quibus efficiant, ut summi quique & maxime idonei viri historicorum munus suscipiant, exemplo apud Judæos olim observato.

(32) In acta Hadriani.

Ad libellum, *Tom. VII. fol. 1254.* quo acta *Adriani VI.* Papæ in Comitiis Norimbergensibus publicata sunt, præfatus, insectatur acriter Pontificum artes, quibus errores & nævos suos incrustare & palliare, frustra quidem, velint. Ridet *Leonis X.* postulata de decimis, in Comitiis Augustanis anno 1518. & inventum de *monte*, quem vocant, *pietatis.* Addit querelas, quod Germani nec oculis videant, nec manibus deprehendant, ebrii scilicet, quam turpiter decipiantur, & quanta in facultatibus, immo corpore & anima a Pontificibus & Clero damna patiantur.

(33) In libellum Justi Menii.

In præloquio ad tractatum *Justi Menii* (*Tom. VII. fol. 32.*) *de officio Christianorum circa doctrinas bonas malasve*, perpetuum morem Dei considerat, quo hæreses permittit, illisque unicum remedium ex verbo divino petendum esse demonstrat.

(34) Epistola adversus

Inter *epistolas* gravissima est, quæ *Tom. VII. Alt. fol. 23.* refertur ad amicum scripta *adversus Sabbatharios.* Intellexerat enim esse, qui se a Judæis, æternitatem legis suæ jactantibus, a fide Christi ad circumcisionem & Judaismum duci sinerent. Egregie autem vanam illam Judæorum jactantiam & expectationem Messiæ destruit; exceptioni etiam occurrit, cum dicunt, adventum Messiæ propter peccata sua differri. Negat, ostendi ab illis posse peccata, quibus nunc moram illam provocent, nec promissiones Dei, tam claras, & certis temporum aliisque notis insignitas, unquam ob peccata hominum retardatas fuisse. Ostendit porro, ut omni gratia prophetiæ & miraculorum per tot a nato Christo secula caruerint, cum tamen ea in summis & diuturnis calamitatibus suis, ante adventum illum, nunquam plane destituti, sed in spe Messiæ semper divinis illis mediis sustentati fuerint. Argumentum palmarium proponit, quod destructo regno & solio Davidis terreno & externo, (per Romanos nempe) necessario incipere debuerit promissum posteris Davidis regnum spirituale sive Messiæ; alias promissio de æterno hoc regno fallax fuisset. Hoc argumento si Judæi non moveantur, Christianos tamen in fidei certitudine confirmari, monet. Erudite deinde & fortiter refutat, quæ Judæi de æterna sive ad mundi usque finem duratura lege Moysis crepare solent, monstrans ex genio linguæ Hebraicæ, longam quidem, sed non æternam & immutabilem durationem promissam esse, sed talem, quæ finiri debuerit adventu Messiæ: revera etiam cessasse, destructo templo Hierosolymitano & cultu Judæis præscripto; neque sufficere, quod aliquos ritus retinuerint, legem enim indivisibilem esse, & totam servari debere. De circumcisione speciatim monet, illam non esse legem Moysis, sed longe ante illius tempora Abrahamo a Deo datam, & ad posteros ejus restrictam; unde Deus a piis in aliis nationibus illam nunquam exegerit. Probat id exemplo Ninivitarum, Jobi, Nebucadnezaris, Darii, Cyri, quos ad Dei cultum conversos esse existimat. Concludit hinc, vanissime jactari a Judæis, quod ad Judaismum & circumcisionem gentes ante finem mundi adducendæ sint. Dictum Christi *Matth. V. 17. & Luc. XVI. 17.* explicat de perpetuitate legis divinæ moralis, in decalogo repetitæ, qua omnes homines obligentur. Notat tamen, esse in decalogo, quæ specialiter populum Judaicum respiciunt, & aliis gentibus applicanda non sint. Huc refert mentionem exitus ex Ægypto, in verbis præcepto primo additis, quam cessaturam esse, Deus ipse per *Hieremiam* Prophetam *Cap. XXIII. 7. 8.* prædixerit. Eodem pertinere dicit denominationem diei septimæ sive Sabbathi, in præcepto tertio, cujus mutationem indicatam esse monstrat *Esa. LXVI. 23. erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho, & veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dixit Dominus*; patere enim, id secundum literam impleri non posse, a gentibus tanto terrarum spatio ab Hierosolymis dissitis, nec perpetua novilunia & Sabbatha celebrari; alium itaque cultum in spiritu & veritate præstandum significari. In quarto præcepto peculiariter ad Judæos respici dicit promissione longævitatis in terra a Domino data, id est, palæstina. In decimo vestigia esse permissionis divortio-

A. 1538. Sabbatharios.

A. 1539.

vortiorum Judæis facta. In fine dissertationis desperare omnino videtur de totali Judæorum conversione. Hanc epistolam in manibus crevisse sibi dicit, excusatque festinationem & scriptionem extemporaneam. Interim tanta est in illa & argumentorum vis & sermonis flumen, ut inter insignia & luculenta testimonia donorum Lutheri referri mereatur. Ex aliis ejus literis hoc anno scriptis una tantum in Tomos relata est, qua Æthiopem quendam ad Christum conversum commendat *Tom. VII. fol. 22.* Ex *MSS.* asservatur in *Archivo Vin. Reg. O. fol. 127.* CCC. epistola d. 29. Aug. ad Senatum Augustanum data. Dimiserat hic *Johannem Forsterum*, Ecclesiæ ministrum, a Luthero commendatum. Recruduerat inter illum & *Michaelem Cellarium* rixa de quæstione Sacramentaria, quæ concordia Wittenbergensi anno 1536. & speciatim Augustæ penitus sopita videbatur: Forsterus nihilominus Cellarium Zuinglianismi suspectum habebat, ejusque mentem propositis quæstionibus penetrare tentaverat, inter quas erat, *an indigni vere ac substantialiter sumant corpus & sanguinem Domini?* quam omnes, qui præsentiam non nisi fide assequendam statuunt, negare compelluntur. Cellarius non solum silentio eam evitaverat, sed & Forsterum apud Magistratum detulerat. Imputabatur ei præterea fervor animi nimius, studium contradicendi, verborum asperitas, denique etiam vinositas. His causis Senatus literis ad Lutherum d. 19. Aug. datis dimissionem ejus excusat. Sed acriter respondit Lutherus, & licet Forsterum non multum defendat, Cellarium tamen vacuum ab errore & violatæ concordiæ culpa Wittenbergensis non habet, Senatumque ipsum, qui illi adstipulari videbatur, reprehendit, rem vero cum *Capitone* & *Bucero* communicaturum se esse pollicetur. Landgravius d. 25. Septembris Electori scribens & Senatum commendat, urbemque *inter omnes*, ut scribit, *fœderatas excellentissimam*, (die trefflichste Stadt) & Cellarium excusat.

(5) *Ad Senatum Augustanum.*

A. 1539.

An. 1539.

SECT. 18.

Ibi igitur, postquam ultra mensem inter se odiose rixati essent, conclusum demum fuit, Protestantibus, quibus libertas conscientiæ pacificatione Norimbergensi, non nisi respectu futuri Concilii, ab Imperatore acceptati, ab ipsis vero recusati, indulta fuerat, quindecim adhuc mensium inducias concedi, intra quos delecti ab utraque parte Theologi convenirent, qui de capitibus controversis amice tractarent, præsentibus deputatis, viris sapientibus, id acturis, ut inter partes bona concordia constitueretur, eorumque arbitrio standum esse. Durante toto hoc tempore neutris fas fore, novos fœderatos in societatem recipere, Ecclesiasticis vero usum bonorum, quæ adhuc in ditionibus Protestantium possiderent, quiete concedi debere, excludi tamen ex hoc tractatu Anabaptistas & Sacramentarios. Imperator pacta hæc ratihabere illico detrectavit. Pontifex enim vehementer, nec sine ratione, de iis querebatur, cum per ea judicium de capitibus religionis, absque se & Concilio, quod convocaverat, affectaretur. Inde Protestantes, insidias veriti, de novo omnes, qui id volebant, in fœdus assumserunt. Lutherus vero, qui omni conatu celebrationem Concilii impediebat, novos ubique libellos adversus autoritatem a Jesu Christo sanctis illis congregationibus, quæ corpus Ecclesiæ a Spiritu sancto animatum repræsentant, concessam disseminabat.

(1) Induciæ Francofurtenses a Cæsare non rati habitæ.

(2) Acta quædam Protestantium, & scripta Lutheri.

Sleid. L. 12. Suri. Comment. Chytr. L. 13.

§. LXIX.

Capita fœderatorum Evangelicorum *Saxo* & *Landgravius* mense Decembri anni præteriti Legatos ad omnes socios miserant, ut illos ad negotia in conventu, qui Francofurti indictus erat, præpararent. Saxonici, *Nicolaus a Minckwiz* & *Justus ab Hayn* ad littora usque Oceani & maris Balthici profecti *(Reg. H. fol. 235. n. 104.)* retulerunt paratos esse omnes ad pacem quidem ante omnia tentandam, verum, si opus foret, etiam ad defensionem. Novum paulo post incitamentum habuerunt, postquam d. 30. Decemb. d. a. 1538. Landgravius *Henrici Brunsuicensis* Secretarium *Stephanum Schmidium* (Fabrum) ad Moguntinum & Heldum missum prope Cassellas intercepisset, cum se *Brandenburgici Electoris* ministrum esse simularet. Apud hunc inventæ sunt literæ, ex quibus, accedente captivi ad interrogata responsione *Henrici* consilia adversus Evangelicos detegebantur. Summam earum exponit *Sleidanus Lib. XII. p. 339.* Referemus quædam de iis in *Addit.* Elector Brandenburgicus & mendacio hominis & Henrici molimine intellecto dolorem suum non modo apud Saxonem & Landgravium, sed & apud *Ferdinandum* Regem testatus est, *(Reg. H. fol. 218. n. 97.)* veritus, ne pacis negotium turbaretur; *Francofurtum* tamen iter primus omnium suscepit. Venit eodem d. 12. Februar. Elector Saxo, & antequam oratores Cæsaris & Regis adessent, cum sociis aut eorum Legatis consultare cœpit. Exploraverat ante iter sententiam Lutheri aliorumque Theologorum, de quorum responsis §. LXXVII. agemus. Summam ipse Elector *(Reg. H. fol. 40. n. 20.)* prolixo ad Consiliarios suos Rescripto sua manu concepto, in hunc sensum expressit, *quod licita esset defensio adversus fœderatos Norimbergenses, Evangelicæ doctrinæ extirpationem, & veterum superstitionum renovationem vi & armis molientes, ita quidem, ut præveniri etiam aggressio eorum posset, si constaret, accinctos ad eam esse.* Addiderant tamen, *expendendas esse vires, nec Deum tentandum.* Multa in scripto illo magno cum judicio disseruit, & consilium Landgravio a *Jacobo Sturmio*, Prætore Argentoratensi, datum examinavit, num sufficeret apparatus militaris conductis pluribus pensione annua & modica (Wartgeld) cohortium præfectis, an ad conscribendos & sub signa redigendos milites statim progrediendum esset. Postremum Landgravius, non communicato quidem cum Electore consilio, cupere, & literis ad Georgium socerum & Electo-

(1) *Legati Saxonis & Landgravii ad socios.*

(2) *Captura Secretarii Brunsuicensis.*

(3) *Conventus Francofurti inchoatus.*

(4) *Electoris Saxonici rescriptum de defensione.*

A. 1539.

lectorem Moguntinum præpropere indicasse ferebatur: Elector vero malebat, ut absque præjudicio de quæstione hac in conventu deliberaretur. Spem pacis non abjecerat; licet enim multa de Cæsaris armatura spargerentur, & quod ab Hispanis & Burgundis ad subjugandam Germaniam stimularetur; erant tamen, qui dicerent, melius animatum esse Cæsarem, nec Heldi consilia & fœdus Norimbergense approbare. Excepta etiam vox erat *Henrici Nassovii*, intimæ apud Cæsarem admissionis, paulo ante mortui, qui dixisse ferebatur, *Heldum pro præmio procurati fœderis funem meruisse, & Cæsarem supplicio hominis, mandata sua egressi, palam testari debere, quam alienus sit ab injustitia illa & tyrannide.* Mittendum esse Elector existimabat in aulam Cæsaris *Dolzigium*, qui opera *Nuenarii* Comitis, (Electori valde addicti) secreta investigaret, & Protestantium pacifica consilia & promtitudinem ad subsidia adversus Turcos demonstraret, refutatis adversariorum calumniis. Hæc atque alia gravis momenti Elector diligenter consideraverat, eaque in conventu Fœderatorum exposuit. Significaverat d. 5. Jan. Landgravio (*Reg. H. fol. 277. n. 115.*) *Sebastianus Schertelius* Augusta, tres celebres diversarum partium Duces delectus in *Suevia* & *Austriacis* ditionibus habere: *Bremenses* etiam scripserant, non spernendum militum numerum in finibus suis colligi, auspiciis, ut credebatur, Archiepiscopi sui, *Christophori Brunsuicensis*, ejusque fratris *Henrici*. Et his quidem circa *Bremam* motibus postea remedium quæsitum est, de quo *Sleidanus p. 342. d. l.* agit, sed ad impediendos in *Suevia* delectus, & reprimendos adversariorum spiritus, decretum fuit in conventu Francofurtensi d. 18. Febr. ut *Conradus Gotsmannus*, Eques, Præfectus Saxonicus Regiomontanus in Franconia, & *Alexander Thannius* Darmstadini tractus Præses, in Sueviam missi, itidem delectus instituerent. Turbavit id *Bavariæ* Duces, & expostulationes per literas inter illos & Saxonem atque Landgravium peperit, illo tamen exitu, ut militum conscriptio ab utraque parte postmodum cessaret. Conventum est etiam haud difficulter inter Protestantes in plerisque, de quibus deliberabant, negotiis. Concordiam consiliorum suadebat adversariorum indies apertius erumpens odium, ante alios *Heldi*, qui cum *Johanne Alberto Brandenburgensi*, vicario (Stadthalter) Moguntini, celeriter ad Cæsarem profectus, id agere deprehensus erat, ex literis interceptis, aliisque ex ipsa aula Cæsaris relationibus, ut falsis delationibus, quasi Protestantes de inferendo bello cogitarent, Cæsarem permoveret, quo se caput Norimbergensis fœderis profiteretur, & ultro arma arriperet. Itaque & ad repellendum impetum, & ad præveniendum parati erant Evangelici, ut religionem & libertatem ab imminenti servitio vindicarent. Hæc illorum consultatio pari veluti passu cum tractatione pacis procedebat, de qua nunc ex Actis *Archivi* paulo plura & accuratiora afferam, ad cognoscendum illorum temporum statum, & qua quisque prudentia & arte causam suam egerit. Cœpta est actio Electorum, qui medias partes susceperant, *Palatini* & *Brandenburgici* d. 24. Febr. Verba illorum nomine fecit *Wolfgangus ab Affenstein*, Eques, Consiliarius Palatinus concinna exhortatione ad pacem (*dict. Reg. n. 104.*) cui tunc breviter sumto ad deliberandum spatio, sed luculenter responsum est a Protestantibus d. 1. Martii. Præmiserunt enixam studii sui contestationem, ut absque omnis privati commodi & lucelli respectu (cujus cupiditatem sibi ab invidis iniquissime imputari querebantur) solummodo gloria Dei, salus & incrementum Ecclesiæ Christianæ, & honesta omnium ordinum reformatio obtineretur, polliciti, sive Concilium universale, christianum, liberum & nemini obnoxium, sive nationale, sive etiam conventus comitialis aut colloquium denique inter paucos admitteretur, se media pia & Christiana propalituros esse & acceptaturos, per quæ ad scopum illum perveniri, pax & concordia stabiliri, & tyrannidi Turcicæ valide resisti possit. Petebant inde pacem non ad tempus certosque terminos restrictam, sed perpetuam. Vehementer dolebant de maligna interpretatione pacis Norimbergensis & Ratisbonensis, quæ ex Heldi cavillis & Cameralis judicii decretis tantum ad personas restringeretur, præteritis, quæ a religione necessario dependerent, illique annexa essent. Profitebantur tamen, se quæstionem, quæ causæ connexæ cum religione essent, apud arbitros ex utraque parte delectos & Præsidem (einen Obmann) ventilaturos & cognitioni submissuros esse: de bonis Ecclesiasticis in suis ditionibus pro conscientia disponere, aliis nihil præscribere velle, neque prohibere, quo minus reditus ex suis provinciis & locis in collegia aut monasteria alibi sita præstarentur, si idem ex aliis in sua fieret. Quod vero Heldus Smalcaldiæ contenderit, pacem a Cæsare anno 1532. indultam non nisi tunc paciscentes respicere, ad alios vero, qui postea accesserint, extendi non debere, id minime admitti a se posse, & conscientiæ suæ repugnare dicunt. Nominatim pro sociis recipere volunt aut habent *Regem Daniæ, Duces Lignicensem & Borussum*, tum *Rigam* & *Revaliam*, Livoniæ emporia. Impugnant controversias Evangelicis motas & negatas successiones & hæreditates genitis ex matrimonio intra gradus solo Pontificum jure prohibitos, ut & a Clericis contracto, poscentes, ut de his ex principiis Evangelicis statuatur. Hæc & alia a Mediatoribus ad Oratores Cæsaris & Regis relata, ab his d. 4. Martii simpliciter rejecta sunt, opponentibus, quod nihil in mandatis haberent de aliis conditionibus, quam quas Elector Brandenburgicus ad Regem, & hic ad Cæsarem perscripsisset. Objiciunt Evangelicorum opinionibus & desideriis consensum orbis christiani, tum decretum Comitiorum Augustanorum, quod præter paucos Protestantes Ordines imperii omnes acceptaverint. Ne tamen omnis spes compositionis tolleretur, colloquium proponunt intra trium aut quatuor mensium spatium habendum, in quo a viris bonis concordia in religione tentaretur, pace interim ad annum prorogata, & manente nihilominus pacto Norimbergensi de induciis, licet in colloquio conveniri non possit. Sententias Camerales a Protestantibus oppugnatas defendunt: neque enim demonstratum ab illis esse ajebant, quod ordines monachorum & Missæ sint

(5) *Apparatus militaris.*

(6) *Cœpta interpositio a Mediatoribus.*

(7) *Evangelicorum responsum.*

(8) *Oratorum Cæsaris sententia.*

A. 1539.

sint idololatriæ, nihilominus abrogata ista in eorum ditionibus esse, & restitutionem merito postulari. Offerunt tamen suspensionem decretorum Cameralium ad finem usque colloquii & tractatus amicabilis, ea cum conditione, ut interim a novorum sociorum & præcipue Regis Daniæ receptione abstinerent. Acrius reprehendebant, quod cognitionem de causis cum religione connexis, arbitris & electo alicui judici supremo deferre velint, quasi is non esset Cæsar, & illa potestas ad alium, sine Majestatis detrimento, transferri posset. Generatim monebant, fœderibus & ejusmodi mediis religionem procurari non debere, sed mansuetudine & vitæ tranquillitate bonisque exemplis. Sapienter hoc dicebant, sed non ex disciplina Romana nec suo exemplo. Mediatores mitiora suadebant, nec improbabant novorum fœderatorum admissionem, modo *Sacramentarii* & *Anabaptistæ* excluderentur. Sed Oratores d. 9. Martii persiterunt in sententia, celeresque simul suppetias adversus Turcos poscebant, conditiones etiam pacis denuo offerebant, dummodo ultra Augustanam confessionem nihil novi doceretur aut fieret, & sociorum numerus non augeretur; nominatim, præter Danum, rejiciebant etiam *Ducem Lignicienfem*, Bohemiæ quippe regno subditum. Desperantes inde de perpetua pace Mediatores d. 12. Martii inducias quatuor vel quinque annorum, cum suspensione processuum Cameralium, colloquium vero intra tres menses *Norimbergæ* a trinis ex utraque parte Theologis totidemque Laicis habendum proponunt, præstitis interim suppetiis contra Turcos, & proviso, ne bona Ecclesiastica ad alios quam pios usus transferrentur, aut plura occuparentur; quæstiones vero de jure matrimoniorum & natalium differebant. Memorabilis ad ista responsio est Evangelicorum; Testabantur enim, se pacem non stipulari religionis suæ retinendæ causa, huic enim se omnimodo & simpliciter adhæsuros esse, sive pax fiat, sive non fiat. Mirari se dicebant, quod Oratores inter alia dixissent, non esse in potestate Cæsaris, ut pacem concederet; se enim Cæsarem pro supremo datore & conservatore pacis habere, neque illum teneri, si sibi, ut supremo Principi & Magistratui in republica obtemperetur, ut in causa religionis gladium arripiat, & vi externa agat: sacra enim armis spiritualibus ex verbo Dei tractanda esse. Perpetuam iterum pacem petunt, cum induciarum exigua sit utilitas & finitæ acriores motus secum ferre soleant, accepturos tamen se illas esse, si ad decennium concederentur. De sociis futuris, & de causis religioni annexis, Cameræque sententiis claram & liquidam conventionem desiderant, ad evitandas novas cavillationes & lites. Quod innovationes attinet, prohiberi se posse negant ab explicanda & in melius formanda doctrina, contentos tamen esse Augustana confessione ejusque apologia, salva ceremoniarum & rituum ordinatione. Colloquium propositum acceptant, modo deligantur viri, qui Deum & pacem Ecclesiæ respiciant: Ab iis tamen nihil decidi volunt, sed ad deliberationem omnium & unanimem conventionem deferri. Romano Pontifici nullas in eo partes permittunt, cum nihil aliud intendat, quam

(9) *Evangelicorum replica.*

ut potentiam suam absque ulla moderatione retineat. Exemplum recens allegant a Cardinalium & Prælatorum consultatione de reformatione, quæ licet valde tenuis fuerit, displicuerit tamen Pontifici. Auxilia adversus Turcos offerunt majora aut minora, pro modo pacis, quam impetraturi essent. Missarum & monachatus restitutionem in suis provinciis & civitatibus prorsus recusant, contrarios enim cultus in una provincia aut urbe ferri non posse. Quoad bona Ecclesiastica majori reformatione opus esse dicunt in provinciis adversæ partis, ibi enim decem florenos percipi, ubi Protestantes vix unum sumant. Nihil a se temere actum esse asserunt, sed vel cum consensu Cleri, vel optimis rationibus, ad commodum Ecclesiæ & pauperum sublevationem; quæ ipsi sibi attribuerint, exiguam esse maximorum sumtuum, quos ad tuendam doctrinam Evangelicam impenderint, refusionem; plurimis vero locis tantum non percipi, quantum ad alendos Pastores requiratur: hoc denique caput ad tractatus amicabiles de religione differendum esse, ajebant. Postularunt, ut in numerum judicum Cameralium Evangelici viri admitterentur, se enim certos esse, quod Apostolicam doctrinam habeant, licet vitæ nævis non careant, horumque emendationi incumbant & profectum sperent. A receptione Regis Daniæ desistere nolunt; ajunt, illum natum esse Principem Imperii, nec quenquam offendisse, paratum etiam jure experiri. (könne Recht leiden) Rejiciunt vocabulum *Sacramentariorum*, quos excludere ex suo fœdere deberent: tales enim inter se non esse, & recte convenire de capitibus fidei; Passuros tamen, ut mentio fieret *Anabaptistarum*, & aliarum sectarum impiarum (unchristlicher) quæ non doceant secundum Augustanam confessionem. Papæ interventum & autoritatem denuo rejiciunt, donec ad gravamina contra eum proposita satisfecerit, se autem, si ad colloquium veniatur, nihil non admissuros esse, pro ineunda concordia, quod salva fide & conscientia locum habere possit. Oratores inde d. 3. Aprilis formulam conventionis de induciis exhibent. In illa Protestantes maxime contradixerunt restrictioni pacificationis Norimbergensis anno 1532. ad illos, qui tunc pepigerant: cautum enim tunc generaliter fuisse, ne cuiquam religionis causa vis fieret, ipsumque Cæsarem scripsisse, omnia de religione dissidia ad amicabiles tractatus ableganda esse: se non posse auxilia denegare, si vis fiat illis, qui eandem secum religionem profiterentur, neque passuros, ut hæc coangustetur & circumsepiatur; (können sie nicht einziehen noch verzäunen lassen) si hoc locum haberet, nihil opus esse colloquio; militum vero delectum omitti posse, si idem fiat ab altera parte, ne paci finis imponatur indictis Comitiis. Sic adducto in præceps negotio, Mediatores suaserunt, ut Evangelici formulam ab Oratoribus propositam admitterent, cum protestatione de non omittenda novorum sociorum receptione; & inclinabant huc *Landgravius*, itemque *Johannis* Brandenburgici & *Pomeraniæ* Ducum Legati, cum Deputatis *Argentoratensium, Francofurtensium, Magdeburgensium, Brunsuicensium* & *Mindensium*; sed habita solenni deliberatione & numeratis suffragiis apparuit,

(10) *Mediatorum consilium.*

A. 1539.

ab

A. 1539. ab octo istis Electorem Saxoniæ cum tredecim reliquis dissentire. Rejectus est itaque modus ille; oblatum tamen, ut octodecim mensium induciæ essent, quibus durantibus novi socii non reciperentur, si idem ab adversa parte observaretur. Mediatoribus sex menses placebant, Oratores tandem d. 14. April. quindecim proposuerunt.

(11) Ultima Evangelicorum declaratio. Ultima Protestantium declaratio d. 16. Apr. exhibita est, in qua dicunt, se quidem videre, quod callide & periculose agatur; (sehen die gefährde wohl) ut tamen culpam pertinaciæ a se amoverent, promittunt, se nemini religionis causa vim illaturos, ab apparatu etiam bellico, si idem faciant adversarii, cessaturos esse, licet in Saxonia inferiori decem militum millia suspectæ factionis sub signis essent, quorum dimissionem ab Oratore Cæsaris impetrare huc usque non potuerint: servaturos quoque esse pacem Norimbergensem & Ratisbonensem, & colloquium de religione probare, absque interventu tamen Pontificis: suppetias etiam adversus Turcos laturos. Hæc nisi locum inveniant, edituros esse scriptum, quo se a suspicione motuum purgarent, & quod per se non steterit, quo minus pax & concordia iniretur, nunc vero sibi post duorum mensium laborem & sumtus discedendum esse, intellexisse enim, quod copiæ illæ in Ducatum Luneburgicum, in fœdere suo comprehensum, irruerint.

Hæc ex Actis, quæ in *Archivis* latent, producta placitura esse speramus lectoribus, qui profundiora rerum agendarum consilia, & prudentiæ atque solertiæ exempla potius, quam delectationem ex varietate mirabilium eventuum quærunt. Notari inter alia meretur, & ex Actis constat, quod Orator Cæsaris, *Lundensis* cum Legatis Ferdinandi, *Melchiore a Lamberg* & *D. Jacobo Francofurtero* colloquium de religione ultro proposuerit. (12) Colloquium de religione a Lundensi propositum. Urget id adversus cavillos Pontificiorum, qui sub nomine *Waremundi Luitholdi* acta Protestantium in conventu *Hagenoviensi* anno 1540. egregie defendit, *apud Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. 35. fol. 157.* sed hoc ipsum *Lundensi* Romæ invidiam conflavit, ut postea dicam. Secuta est tandem qualiscunque conventio d. 19. April. de qua pauca parumque sincera Maimburgius attulit; summam fideliter exhibuit *Sleidanus d. Lib. XII. p. 341. & seq.* vid. quoque *Pallavicinus Lib. IV. cap. VIII. n. 12.* Integram produxit *Hortled. d. l. cap. 32.*

(13) Formula conventionis Francofurtensis. Conscripta est nomine duorum Electorum sese interponentium, subscripta tamen non solum ab illis, sed & ab Oratoribus & Legatis Cæsaris Regisque supra dictis: Protestantium vero omnium nomine ab Electore Saxone & Landgravio, atque a Senatu Francofurtensi. Promittitur in illa induciarum observatio ad menses quindecim, a Kal. Maji computandos, intra quos nemo Augustanæ Confessioni addictos vi & armis aggredi, aut noxia adversus illos machinari debeat (beschwerliche Practiken fürnehmen) durare nihilominus debeat pax Norimbergensis ad comitia postea secutura: suspenduntur omnes processus Cameræ pendentes, & intra hoc tempus denuo decreti pro irritis declarantur: asseritur Protestantibus jus standi in judicio, & auxilium legum, remota, quam aliqui illis opponebant, hæresis exceptione. Evangelici vicissim pacem intra hoc tempus pollicentur, & novorum sociorum adjunctione sese abdicant, ita tamen, ut idem faciant fœderati Norimbergenses: consentiunt, ut Clero Romano ex ditionibus suis posthac permittantur, quæ adhuc possident & percipiunt. Consensisse dicitur Orator Cæsaris (dissimulato, quod id proposuisset) in colloquium de ineunda concordia in religione, Kal. Aug. Norimbergæ indicendum, in quo vocati a Cæsare utriusque partis Principes & civitates comparerent, vel Legatos mitterent, viros bonos, integros, prudentes, pios, pacis & honestatis amantes (fromme/ richtige/ verständige/ Gottesfürchtige/ fried- und ehr-liebende leute) non vero capitosos, rixosos & pertinaces: (eigensinnische/ zänckische/ hartnäckiche) Ex his deligendos esse Theologos & Laicos consensu partium, majori & minori numero congregandos (grossen und kleinen ausschuß) qui de controversiis in fide primo inter pauciores, deinde inter plures, pie & placide colloquantur, & Christianam atque laudabilem concordiam quærant, Acta vero reliquis referant. (14) Speciatim de colloquio. Hic Mediatores Cæsaris arbitrio deferebant, an Pontifici conventum illum eo fine significare vellet, ut Legatum ad illum mitteret: sed Evangelici contra hanc clausulam protestationem inseruerunt, quod Pontificem pro capite Ecclesiæ non agnoscerent, neque Legati ejus præsentiam desiderarent aut admitterent; Cæsaris autem & Regis Oratores admissuros se esse affirmabant, qui inter partes concordiam promoverent. Additum est, ut quæ in conventu seu colloquio isto ab Ordinibus utriusque partis unanimi consensu approbarentur, nihilominus ad absentes quoque Ordines referrentur, &, si his quoque placerent, tunc ab Oratore Cæsaris vi mandati, vel, petentibus id partibus, ab ipso Cæsare in Comitiis vel alio modo confirmarentur. Consentitur utrinque in dimissionem copiarum militarium, & excluduntur a pace Anabaptistæ & Sectæ impiæ (unchristliche Secten und Rotten) quæ non docerent convenientia Augustanæ Confessioni; nec sub Romana essent Ecclesia. Indicitur conventus *Wormatiam* ad Dominicam Exaudi proximam, sive d. 18. Maji sex Electoribus aliisque primariis Principibus & Statibus Imperii, omnibusque Evangelicis, ut de auxiliis adversus Turcos celeriter ferendis deliberent, &, quæ major pars concluserit, exequantur.

(15) Reservatio Legatorum. Hæc a Mediatoribus proposita Orator Cæsaris ita approbavit, ut duo exciperet: unum, ut pacem Norimbergensem non nisi ad eos pertinere existimaret, qui eam anno 1532. stipulati essent; alterum, ut Cæsari libertatem reservaret, num abstinere ab augmento fœderis nuperi Norimbergensis vellet, nec ne. Cum itaque Evangelici pacta Norimbergensia ad omnes præsentes & futuros spectare contenderent, & nisi adversæ partis fœderati a novorum sociorum assumtione abstinerent, sibi quoque augmentum integrum esse vellent, conventum est, ut intra sex menses ratificatio Cæsaris expectaretur, hoc tempore vero indistincte omnia quæ tunc pacta erant, servarentur: si vero Cæsar intra id tempus ratificationem non mitteret, stari nihilominus debere pactis induciarum Norimbergensium, secundum eorum literam. In fine protestatus est Elector Saxo, Regis Romanorum titulum suo consensu Ferdinando in his tractatibus & pactis datum non esse.

A. 1539.

(16) *Notata ad Maimburgium.*

Hæc quæ huc usque fideliter recensita sunt, si cum Maimburgii dictis conferantur, facile ostendent, quam mutile & parum accurate aut vere ille de Actis hujus conventus scripserit. Errat primo, cum tractatuum tempus ad mensem unum restringere videtur, cum tamen duos duraverit. Quæ de Concilio admiscet, ad hunc conventum non pertinent, in quo de Concilio nihil actum, sed ejus loco colloquium propositum fuit. Neque tamen verum est, quod conclusum fuerit, ut Deputatorum ad colloquium actis & conventis omnia starent: deferebatur enim, ut diximus, approbatio ultima Ordinibus Imperii. Falsum quoque est, cautum fuisse, ut intra quindecim menses non liceret novos fœderatos recipere, restrictum enim id fuit, sic volente Lundensi, ad ratificationem Cæsaris, intra sex menses secuturam, qua cessante, capite illo nemo obligabatur. Denique mentio Sacramentariorum in formula conventionis facta non est. Cæterum eodem die 19. April. qui pactis induciarum adscriptus est, sua quoque, de quibus inter se convenerant, signarunt fœderati Evangelici.

ADDITIO I.

(a) *Literæ apud Secretarium Brunsuicensem repertæ.*

Repertæ sunt apud captivum Secretarium literæ *Henrici* Brunsuicensis ad Cardinalem Moguntinum d. 26. Decembr. datæ, quibus fidem habere Secretario rogabatur. In his sibi & sociis Deum, adversariis Diabolum, adesse optat. In literis ad *Heldum* eodem die datis, de sua cum jubet amicitia, Cæsarem vero de perpetua fidelitate confidere, neque se dubitare dicit, quin Cæsar omnia recte sit executurus. Mandata vero ab Hero in pugillaribus suis conscripta secum ferebat Secretarius, eaque describere & explicare adactus fuit. Dicebatur in illis, dimidium operis pro confecto habendum esse, quia Landgravius tam inquietus sit, ut somno careat, & continua fatigetur venatione, futurumque esse, ut in furorem incidat: (er werde toll werden.) Parari autem ab illo bellum, & Moguntino invasionem metuendam esse, ideoque ab illo Capitulum Moguntinum permovendum esse, ut in fœdus Norimbergense consentiat, ab Electoribus enim Rhenanis nihil esse sperandum, expertumque esse Moguntinum, quid passus sit in expeditione Sickingiana: cum Suevis jam tractari de societate, & in eo rem esse, ut secutura sit conventio: congregandos esse consiliarios bellicos, & statuendum, quid faciendum aut omittendum sit. Heldo dicendum erat, non dubitare Henricum, quin constans in proposito mansurus sit Cæsar, optat ejus adventum in Germaniam, tunc enim Proceres, qui nunc cunctentur, partibus ejus accessuros esse: sibi & Bavaris constare, quod arma paret Landgravius: petit itaque, ut Heldus in Camera Spirensi procuret mandatum, quo Landgravius jubeatur ab apparatu desistere; si pareat, tempus interea se & socios habituros ad colligendas vires & copias; si non pareat, proscribendum esse, sibique & Bavaro committendum, ut illi resistat, injungendum etiam aliis Electoribus & Principibus, ut vires jungant. Hæc satis evidenter ostendebant, nihil aliud quam belli occasionem contra Landgravium & socios quæri; sed *Henricus* ista excusabat, dicens, se publicæ famæ testimonio & aliis argumentis certum fuisse, quod Landgravius bellicum faceret apparatum; sibi itaque, ut uni ex Ducibus fœderis, incubuisse, ut socios de periculo edoceret, & ad defensionem hortaretur. Sed præter hæc in varias rixas & criminationes, Landgravius & Elector Saxo ex una, & Brunsuicensis ex altera parte exarserunt, ut ex publicatis utrinque scriptis constat, quæ maxima ex parte *Hortlederus Tom. I. Lib. IV.* recensuit. Convitiandi initium cum Sleidano *Henrico* tribuit, & acerbitate styli censet eum superiorem fuisse, calamo Cancellarii sui *Joh. Stapleri* Heidelbergensis usum. Primum tamen scriptum d. 23. Jan. a Landgravio emissum fuit ad multos Principes, quibus capturam Secretarii excusabat. Huic cum d. 9. Febr. respondisset Henricus, Elector Saxoniæ & Landgravius Francofurti ex conventu replicarunt, scripto, quod *Hortled. d. l. cap. 2. num. 32.* & sqq. refert, die tamen non annotato. Duplica *Henrici* prodiit d. 31. Mart. *d. l. cap. 3.* Huic ab Electore & Landgravio responsum est, d. 14. Septembr. *cap. 5.* Refutatio *Henrici* secuta fuit d. 24. Novembr. *cap. 6.* Reliqua ad sequentem annum pertinent. Multa sane ab utraque parte magna cum verborum asperitate scripta sunt, & renovata est omnium veterum offensarum memoria: disputatum etiam de rebus ad causam non pertinentibus e. g. de nobilitate generis. Cæterum, ex lectione istorum scriptorum multa cognoscuntur de priscis Germaniæ legibus & consuetudinibus, puta de jure legationum, de salvo conductu literis aut addito comitatu dari solito, (vom leibgeleit.) de jure interrogandi armatos & suspectos, (vom Reuterrecht) Immiscentur quædam de libertate & privilegiis urbium, nominatim *Brunsuigæ* & *Erfurti*, in quarum illam Henricus, in hanc Elector Saxoniæ jura quædam maxima sibi tribuebant; item de *Huxaria* ad Visurgim, Abbatis Corbejensis oppido, in quod protectionem sibi arrogabat Landgravius, jurisdictionem criminalem Henricus. Sed ista longius a proposito nostro abeunt. De religionis dissidio ita locuti sunt, ut Henricus Saxoni & Landgravio defectionem ab Ecclesia Romana & obsequio Cæsari debito confidenter objiceret; ii vero id pro summa reputarent contumelia, negarentque, se in causa religionis & conscientiæ Pontifici aut Cæsari obedientiam debere. Ex utraque parte fœdera etiam in censuram vocabantur: Smalcaldicum Henricus pro conspiratione ad vim publicam, cuicunque liberet, inferendam traducebat, falso prætextu religionis, nec mitius de Norimbergensi judicabant Saxo & Landgravius, quamvis Henricus id maximopere laudaret, tanquam non nisi pro pace conservanda & tutela religionis veteris, quam solam veram esse jactabat, initum.

(b) *Literaria de iis inter Principes certamina.*

A. 1539.

(c) *Alia inter eos disputationes.*

ADDITIO II.

Monita Theologorum de fœdere, & ejus conditionibus.

Confirmati sunt Principes Evangelici in sententia de jure adsciscendi novos socios a Theologis, quos in conventum adduxerant, *Melanchthone, Myconio, Melandro, Bucero*, & Pastore Francofurtensi *Geltnero*. Horum consilium extat *Reg. H. fol. 235. n. 104. in libro rubro fol. 183.* Scribunt, se, ut jussi fuerint, considerasse propositam Cæsaris nomine formulam pacis; & hanc quidem summopere a Deo precibus flagitare, neque periculum ex imminenti bello sibi ignotum esse, bona tamen conscientia restrictiones, quas in formula observabant, probare non posse. Postulari, ut abstineatur a mittendis concionatoribus in alienas provincias aut urbes; verum id adversari verbo divino, quod alligari non debeat, item charitati Christianæ & scopo Dei, qui vult omnes homines ad veritatis cognitionem perducere, itaque petentibus concionatores omnino gratificandum esse. Alteram vero restrictionem, ut nemo amplius in fœdus recipiatur, aut contra vim religionis causa illatam adjuvetur, divino & naturali juri repugnare. Ad opem afflictis ferendam, obligatos esse Principes, pro viribus nempe, quas examinare debeant: hoc concesso, fœdera quoque licita esse, & cum jure auxiliandi connexa; sophisma etiam manifestum esse in vocabulo itzund pro *nunc*, quo indicetur, illos tantum pacem habituros esse, qui jam in fœdere sint, excludi accessuros. Speciatim monent *Melanchthon, Myconius* & *Bucerus*, malignam interpretationem pacis Norimbergensis anno 1532. initæ fieri, quasi illa non complectatur eos, qui post illud tempus Evangelicam doctrinam receperunt. Id vero summe iniquum esse, & certissimam belli occasionem præbere.

ADDITIO III.

(a) *Decreta inter Evangelicos Francofurti.*

Decretum fuit, in conventu Evangelicorum, Francofurti habito, ut delectus in *Suevia* haberentur ad impedien-

A. 1539.

diendos, qui suspecti erant; deinde, ut ad dissipandos, qui in agro *Bremensi* conglobati erant, milites, *Bernhardus a Mila*, Prætor Saxoniæ, strenuus belli Dux, multumque gratia & autoritate apud viros militares valens, mitteretur. Is sua industria & distributis paulo plus quam quatuor florenorum millibus in Præfectos cohortium, rem confectam dedit, ita ut copiæ istæ ad stipendia fœderatorum traduci potuissent, nisi hi pacifica consilia prætulissent, spe securæ a Cæsare ratificationis; sufficere itaque visum est, ut dissolverentur. Conclusum etiam inter alia fuit, ut captus Cassellis scriba Henrici Brunsuicensis, itemque *Conradus ab Hatstein*, qui a fœderatis ad adversarios transfugium parare dicebatur, ex vinculis dimitterentur. Provisum est multis ex fœderatis, qui de injuriis vicinorum querebantur. Conventum etiam de mandatis, quibus instructi ad conventum VVormatiensem proxime instantem, conformia pro re Evangelica suffragia ederent. Initus denique est numerus Theologorum & Politicorum, qui ad colloquium Norimbergæ habendum mittendi essent. Horum nomina referri merentur, ut appareat, quibus viris causa Evangelica tunc nixa fuerit. Denominati sunt ex Saxonicis *Melanchthon*, *Myconius*, *Spalatinus*, *Jonas*: ex Pomerania, *Saulus Stetinensis* & *Nicolaus Stolpensis*: ex Hassia, *Adamus Fuldensis*, *Melander*, *Corvinus*: ex Luneburgensi Ducatu, *Urbanus Regius*: ex VVürtenbergensi, *Camerarius*, *D. Paulus* & *Schnepfius*: ex civitate Argentoratensi, *Bucerus*, *Hedio*, *Capito*: ex Augustana, *Musculus*, *Bonifacius VVolfart*: ex Ulmensi, *Frechtus*: ex Francofurtensi, *Cellarius*, *Geltnerus*: ex Constantiensi, *Blaurerus* & *Johannes Zuiccius*: ex Norimbergensi, *Osiander*, *Lincus*: ex Hala Suevica, *Brentius*: ex Marchionatu Onoldsbacensi, *Andreas Althamerus*: ex Hamburgo, *Æpinus*: ex Lubeca, *Herm. Bonnus*: ex Magdeburgo, *Amsdorffius*: ex Brema, *Johannes Amsterdamus*: ex urbe San-Gallensi, *Vadianus*: ex Basilea, *Bonifacius Amerbachius*, *Simon Grynæus* & *Joh. Calvinus*, quos Argentoratenses requisiverant. Inter hos, constat, fuisse, qui in articulo de Sacramento cœnæ non eadem cum Saxonicis aliisque sentirent; sed valuit tunc concordiæ studium & consensus in aliis omnibus fidei capitibus. Politici colloquio adfuturi designabantur ex Saxonicis, *D. Pontanus* & *Benedictus Pauli*: ex Pomerania, *Balthasar a VVolde*, Cancellarius: ex Hassia, *Feigius*, Cancellarius & *Johannes Ferrarius*: ex Luneburgensi Ducatu, *Forsterus* Cancellarius: ex VVürtenbergensi, *Balthasar a Gültlingen*: ex civitate Argentoratensi, Prætor *Jacobus Sturmius*: ex Magdeburgensi Syndicus *D. Levinus ab Emden*. Ad protocollum, quod vocant, electi sunt *Michael Habnius*, *Georgius Rorarius* & supra dictus *Musculus*. Hunc indicem exhibuerunt Evangelici Mediatoribus; sed ex adversa parte indicem denominandorum non obtinuerunt, sive quod non adessent Proceres, qui delectum illum facerent, sive quod jam tum ab illa parte dubitabatur, an colloquium securum esset. Actum etiam fuit in consessu fœderatorum de causa *Geldrica*, & ut pro *Duce Juliacensi* intercessio fieret apud Cæsarem, quo Ducatus a *Carolo* Duce, qui nuper decesserat, testamento relictus, illi conservaretur. *Pallavicinus Lib. IV. cap. VIII. n. 12.* secreto articulo cautum fuisse refert in pactis cum *Lundensi*, ne Cæsar vi contra Juliacensem ageret, nec intra quindecim menses jure experiretur. Excerpsi ex iisdem Actis conventus Francofurtensis (*dict. Reg. H. fol. 235. & seq. n. 104.*) indicem fœderatorum Evangelicorum, & quantum quisque in menses singulos, si ad arma veniendum esset, contribuere teneretur, duplicata aut aucta, si opus foret, summa. Divisi erant, ut alibi notatum est, in duos, quos vocabant, circulos sive tractus, Saxonicum nempe, & Germaniæ superioris; illi Elector Saxo, huic Landgravius præpositus erat, ita tamen distributis regionibus & civitatibus, non prorsus observato situ, ut haud impares utriusque vires essent, sequentem nimirum in modum:

(b) *Nomina Theologorum ad colloquium deputatorum.*

(c) *Quedam de causa Geldrica.*

(d) *Index tributorum, quæ a fœderatis collata sunt.*

In circulo Saxonico.

Elector Saxo contribuebat	fl. 2800.
Johannes March. *Brandeb.*	400.
Duces *Luneburg.* Principes *Anhaltini*, Comites *Mansfeldenses*, *Nassovii* Saræpont. conjunctim	1300
Elisabetha, vidua Johannis Sax. Ducis	100.
Pomeraniæ Duces	1800.
Guilielmus Nassovius Dillenburg.	400.
Civitas *Magdeburgum*	700.
Brema	634.
Brunsuiga	700.
Goßlaria	373.
Hamburgum	700.
Eimbecca	140.
Hannovera	220.
Gottinga	194.
Minda	80.
Summa circuli Saxonici	10441.

In superiori Germania.

Landgravius *Hassiæ*	2800.
Dux *VVürtenbergensis*	1820.
Comes *Teckelnburgensis.*	80.
Civitas *Argentoratum*	1000.
Augusta	1000.
Ulma	1000.
Francofurtum	600.
Constantia	260.
Memminga	290.
Bibracum	220.
Lindavia	180.
Reutlinga	180.
Eslinga.	250.
Campidunum	140.
Isna	120.
Hala	240.
Haylbrunna	200.
Summa superioris circuli	10380.

Præterea *Rex Daniæ* ad pecuniæ vel militum contributionem, ex pacto anno præterito Brunsuigæ inito, ut relatum fuit, obligatus erat. Tantillis viribus totius pene Europæ potentiæ sese opponere, bonæ causæ fiducia, ausi sunt.

§. LXX.

(1) *Responsum Cæsaris ad relationem de conventu Francofurtensi.*

Quæ post conventum Francofurtensem secuta sunt, non magis exacte refert Maimburgius. Ex Actis sane probari nequit, quod Cæsar ratihabitionem pactorum statim recusaverit. Extant enim ejus literæ (*Reg. H. fol. 243. n. 106.*) d. 5. Jul. *Madriti* ad *Palatinum* & *Brandenburgicum* datæ, in quibus pro navata Francofurti opera gratias agit, sed dilationem petit ad indictionem conventus sive colloquii Norimbergæ habendi: allegat luctum suum ex obitu *Isabellæ* conjugis, & multa, quibus obrutus esset, negotia: promittit, missurum se denuo esse Lundensem, sententiam suam significaturum, petitque, ut id Protestantibus scribant. Idem ex *Ferdinandi* literis die ult. Julii datis intelligitur. Stetit etiam eatenus promissis Cæsar, ut proximo autumno *Lundensem* in Germaniam dimitteret, literis ad Electorem d. 14. Octobr. datis, quibus fidem illi faciebat, instructum. Sed hic satius putavit, cum nil nisi verba adferret, ut ab itinere ad Electorem abstineret. Scripsit itaque d. 8. Decembr. Vienna, nondum decrevisse Cæsarem de negotiatione Francofurtensi, & ipsum in Belgium venturum esse, ut omnia ad bonum finem dirigeret, velle interim, ut pacem servarent Protestantes, sicut ipse servaturus esset. Addit, nihil metuendum esse a delectibus, quos in Belgio celebris militiæ Dux, *Franciscus Hemstedius*, vulgo *a Donnys* dictus, haberet; destinari enim eos ad compescendam *Gandavensium* sedi-

A. 1539.

(2) *Lundensis ad Electorem literæ, & hujus responsum.*

tionem. Observanda hic est obiter modestia *Lundensis*, qualem etiam in aliis animadvertimus, quod pristinæ conditionis & clientelæ memor, licet jam ad Episcopatum & Principis titulum evectus, Electori tamen scribens a stylo privati non discesserit, vocat enim illum *Dominum clementem*, (Gnäd. Herrn & E. Churfl. Gnaden) abstinens a formula; *Vestra Dilectio*, neque hac Elector in responso ad illum usus est. Dissimulavit in hoc fastidium ex dilata a Cæsare ratihabitione, & expectaturum se eam esse scribit. Dilationis, immo recusationis ipso facto secutæ, causa a Pontifice erat, ut Maimburgius paucis indicat; sed operæ pretium est, ut ex secretioribus documentis hac de re agentem audiamus *Pallavicinum dict. cap. VIII. §. 12. & seqq.* Vix tamen satis certum est, quod affert, de omnium Catholicorum averso ab habendo colloquio animo. Erant enim inter illos, ut mox ipsius Cæsaris testimonio comprobabitur, qui reformationem serio desiderabant, multumque, si penes se stetisset, ex priscis abusibus abolere parati erant. Nec magis probari potest, quod *d. l. §. 12.* Evangelicis imputatur, cunctatio nempe ad ferenda contra Turcos auxilia in conventu Wormatiensi, ut postea ex Actis demonstrabo. Pontifex vero offensus erat, suæque existimationis vulnus senserat, quod illius directionem in colloquio aperte recusassent Evangelici, idque formulæ pactorum insertum esset. Stimulavit eum, ut *Pallavicinus §. 13.* memorat, notissimus ex Actis Wormatiensium Comitiorum *Aleander*, jam Cardinalis & tertia vice in Germaniam Legatus. Hic magna cum excandescentia in tractatus Francofurtenses eorumque autorem *Lundensem* invectus ignominiam Sedi Apostolicæ illatam & periculum a Catholicis in Germania instans exaggerabat: Hos enim vel hæresin in pectore fovere, vel quietem Germaniæ anteferre conscientiæ dicebat; *Lundensem*, ut muneribus Protestantium corruptum, & status sui mutationem meditantem, incusabat: sacerdotio enim, licet Clericus & Episcopus esset, & multis annis Romæ vixisset, initiatus non erat: ab illo deceptum esse Cæsarem ajebat, nimia de potentia Protestantium jactante. Neque hic stetit *Aleandri* bilis; insimulavit enim etiam (*d. l. §. 14.*) *Mariam* Cæsaris sororem, Belgio præpositam, quod Lutheranismo faveret, & Electorem *Trevirensem* a fœdere Norimbergico dehortata esset, Gallicam etiam Legationem retardasset, cum qua de viribus cum Cæsare adversus Protestantes jungendis agi debuisset. Revocavit hæc omnia ad animum Pontifex, nec Lundensi, licet acta sua excusanti, sincere reconciliatus est, licet id simularet; nam, ut *§. 15.* refertur, *Contareno* etiam, ad Comitia Ratisbonensia postea Legato, succensuit, quod Lundensis exculpationi fidem habuisset. Interim statim, post acceptam ab *Aleandro* ex aula Ferdinandi relationem, *Johannem Riccium*, a patria *Montepolitianum*, ejusdemque loci postea Episcopum & Cardinalem, ad Cæsarem in Hispaniam mense Augusto expedivit, qui illum ab approbatione pactionis Francofurtensis dehortaretur, *Lundensis* perfidiam accusaret, & *Mariam* sororem suspectam Cæsari redderet. Cum tamen necessitas poscere videretur, ut Germanis aliquid indulgeretur, autor fuit Pontifex Cæsari, ut, ad evitandum colloquium Norimbergense, Comitia indiceret, & operam simul daret, ut fœdus Catholicum, accitis pluribus ex Principibus, corroboraretur, suam quoque opem large ad id obtinendum spondens. Placuisse hæc Cæsari, asseverat *Pallavicinus cap. IX. §. 1.* licet calliditate & dissimulatione Principibus familiari *Lundensem* ad se profectum benigne excepisset, ejusque acta vel ideo laudasset, quod impetum Protestantium in tractatu Francofurtensi, spe induciarum veluti aggere opposito, retinuisset, & ad minimum sex mensium spatio manus illis ligasset. Verum plus, quam res exigebat, *Lundensis* relationi tribuisse dici potest Cæsar; certissime enim constat, illos tunc minime de bello inferendo cogitasse, neque quidquam intendisse, quam ut ipsi ab insultu Brunsuicensis & similium tuti essent. Subjungit *Pallavicinus* querelas Cæsaris & excusationes apud Pontificem, quod Concilii loco ad colloquia & tractatus particulares animum advertisset, veritus nempe, ne Concilium in conventum nationalem degeneraret, importuna Germanorum flagitatione, & Catholicorum cum Protestantibus coalitione, a qua in Comitiis Ratisbonensibus 1532. res parum abfuerit. Proposuit itaque iterum conventus alicujus indictionem, cui tamen adessent Legati Pontificis & Galliæ Regis, concordiam in religione promoturi; & hæc fuit conventus *Hagenoviensis* occasio. Laudavit etiam Cæsar oblationem Pontificis de procurando fœderis Catholici incremento, effecitque, ut ille quinquaginta aureorum millia ad illum finem conferret, centum millia a se pollicitus. *d. l. cap. IX. §. 2.* Interea, & antequam ista cum Cæsare in Hispania a Pontificio nuncio agitata resciret Ferdinandus, *Aleandri* tamen instigationibus cessit, & non solum a colloquio promovendo abstinuit, sed & *Wormatiensem* conventum, d. 18. Maji indictum, quod Protestantes attinet, ad Kal. Jun. prorogavit, ut cum oppositæ factionis Principibus separatim, & antequam Evangelicorum Legati advenissent, consultatio haberi posset. Successum tamen exiguum ars ista habuit: Legati enim Ferdinandi *Wolfgangus Comes Montfortius* & *Henricus Treuschius a Buttlar* minus obsequentes invenerunt ad suppetias contra Turcos ferendas Catholicos, quam Evangelicos, quod ipsi apud Legatos Saxonicos *Eberhardum a Thann* & *Justum ab Hayn* non dissimularunt. Hi ita instructi erant, ut majori suffragiorum parti, sicut Francofurti conventum erat, sese accommodarent, faciles etiam essent in eligendo copiarum auxiliarium Duce, modo is neque *Ludovicus Bavarus*, neque *Henricus Brunsuicensis*, qui se pro capitibus fœderis Norimbergensis gerebant, esset. Itaque etiam protestationem adversus iniquam interpretationem pactorum Francofurtensium ad finem usque conventus distulerunt, cum spes nulla de ferendis auxiliis superesset. Immerito igitur culpam Protestantibus imputavit *Pallavicinus*, & ut supra notatum est, nec Maimburgii censura locum habet, quod Protestantes in fœdus suum, quotquot id

(3) *Pontifex Lundensi succenset.*

(4) *Impedit Cæsarem a ratificatione conventionis.*

(5) *Alia suggerit consilia.*

(6) *Acta Ferdinandi cum Protestantibus Wormatia.*

A. 1539. id cupiiſſent, aſſumſerint, ſi innuere vult, illos contra pacta feciſſe. Sed de hoc, ut & de ſcriptis Lutheri, poſtea agemus.

ADDITIO.

(a) *Relatio de Odorici Raynaldi Tomo XXI. Annal. Eccl. Romæ edito.*

Quæ huc usque elaboravimus, tradita jam erant Typographis, cum nacti ſumus *Odorici Raynaldi*, Presbyteri oratorii in congregatione Vallicellana, (qui Annales Baronianos, a ſeculo XIII. continuandos jamdudum ſuſcepit) *Tomi XXI. Partem primam* anno 1686. (in folio) Romæ editam, quæ acta annorum 1534. usque ad annum 1549. perſequitur. Præmiſſa eſt admonitio, qua lectoribus ſignificatur; ab autore, morte prævento, duo operis ſui poſtrema volumina ad umbilicum perducta non fuiſſe, nec ſacerdotem ejusdem congregationis, qui recenſenda ea ſuſceperit, præſtitiſſe, quod requirebatur, ita ut liber jam typis conſignatus, *innumeris errorum fœditatibus* ſcateret, adeoque conſultum viſum fuerit perpetuis tenebrarum carceribus eum damnare, ſicut & per decennium delituerit, prævaluiſſe tamen ſententiam, ut propter rerum, in eo contentarum, ubertatem ederetur, ab innumeris grammaticis & hiſtoricis mendis diligentiſſime repurgatus. Sed non diſſimulant editores frequentia menda nihilominus ſuperfuiſſe, quæ in paginis excuſis inemendata relinquere coacti ſint, præcipuorum tamen indicem in fine libri ſubjungere voluerint: (quanquam plura absque emendatione relicta eſſe diligentes lectores animadverterent.) Hanc profeſſionem ſatis ingenuam eſſe apparet, quamvis ab Urbe, unde in Orbem terrarum regimen eccleſiaſticum exercetur, vel prætenditur, & a tanto Cleri numero, atque in re tam ardua, hiſtoriæ nempe Eccleſiaſticæ veritate poſteris tradenda, majus ſtudium expectari debuiſſet. Verum tolerari utcunque poſſent errores grammatici, ſive autoris, ſive reviſoris & typographorum, quorum exacta diligentia ubique locorum deſideratur, dummodo autor muneris & officii ſui memor, veritatis & modeſtiæ majorem habuiſſet rationem. At is, quam in præcedentibus voluminibus maledicentiam & depravatam affectibus mentem in Evangelicos oſtendere cœpit, in hoc quoque tanta cum acerbitate exſeruit, ut major eſſe non poſſit. Cum vero opus hoc ut præclariſſimum in præfatione laudetur, & trium Theologorum elogiis anno 1685. & 1686. (quæ præfationi ſubjuncta ſunt) inprimis a *Carolo Valeſio*, lectore in Romana ſapientia ordinario, *tale eſſe* dicatur, *quod plurima ad confutandas hæreſes & aſſerendam fidem orthodoxam, perpoliendos Chriſtianorum mores & pietatem promovendam conferat*; accedat etiam *Magiſtri Palatii*, ejusque *vices gerentis* ſolennis approbatio; certum inde documentum capi poteſt, decipi, qui mitigatum Romanum in Evangelicos odium, aut majorem nunc quam olim concordiæ ſpem eſſe credunt. Attamen præter intentionem ſuam rei Evangelicæ commodum promoverunt libri autor & editores, non ſolum cum internecinum illud odium tam crude & aperte denuo detegunt, ſed & quod non ſatis circumſpecte in opere hoc propalant, quorum notitia Evangelici hucusque caruerunt; ex quibus multa diſcunt, quæ veterum machinationum artificia produnt, & ad novas, illis ſimillimas, introſpiciendas vitandasque lucem præbent. Confirmantur etiam Evangelici in veritate conſtanter profitenda, cum tot calumniis & mendaciis eam impeti vident. Eſt autem opus hoc maxima ſui parte nil niſi repertorium ſive Regeſtum reſcriptorum & mandatorum Pontificiorum aut relationum Romam a Nunciis aut clientibus miſſarum, quæ pleraque ex collationibus *Bullarum* & *Brevium*, quæ typis excuſa ſunt, exſcribi fecit autor, quædam tamen ex ſcriniis *Vaticanis, Barberinianis*, aliisque, quæ nominat, ut MSS. & inedita venditat. De ſuo itaque parum addidit, niſi quod, quæ Italice ſcripta erant, Latine vertit, & connexiones, maximam vero operam in protervis contra Proteſtantes ſeu Evangelicos conviciis conſumſit, eaque vel verbotenus ex mendaciſſimis maledicentiſſimisque *Cochlæi*, *Surii*, *Raemundi* & *Sanderi* libris, quædam etiam ex ſe depromſit. Ut vero novi hujus adverſarii errores & maligni affectus aliquatenus oſtendantur, nec incautos lectores turbent, inſtituto meo conveniens eſſe duxi, ut præcipua, quibus peſſimum in nos animum prodit aut aliorum criminationes recoquit, referam, &, ubi opus eſt, refellam. Faciam autem initium ab actis hujus anni 1539. (de præcedentibus neſcio quid promittere poſſim inter tot, quæ me circumſtant, impedimenta) ſed præteriturus ſum quæ aliunde jam cognita ſunt.

A. 1539.

(b) *Mandata Pontificis Riccio ad Cæſarem data.*

De *Riccii* legatione ad Carolum Cæſarem dictum eſt hoc §. *LXX. n. 4.* Mandata a Paulo III. illi data, quorum ſummam *Pallavicinus* retulit, & nos ex eo expoſuimus, integra produxit *Raynaldus, n. 9. ad 14.* furioſi in Evangelicos odii pleniſſima. Decretum Francofurtenſe *nefarium* vocatur, quod Germanos ab obſequio Apoſtolicæ Sedis divelleret, & omnino reſcindendum eſſet a Cæſare, niſi ipſe, qui primogenitus Eccleſiæ filius eſſet, deficere ab ea vellet. Siſti & ſperni Cameræ judicium: Cæſari in occupatione Geldriæ moram injici: Ferdinando Regi, fratri ejus a Saxoniæ Electore Viennæ illuſum eſſe: impediri augmentum fœderis Catholici, quo debilitari Lutheranorum vires poſſint; adeo, ut a magno aliquo Germaniæ Principe ſcriptum ſit Pontifici his verbis: *nihil unquam nebuloſius eſſe actum quam quod actum ſit per Lundenſem & Regios Commiſſarios in decreto Francofurtenſi.* Subjunguntur atroces contra Lundenſem querelæ, & quæ Pallavicinus generalius indicat, ſpeciatim referuntur. Sacramentum quo Pontifici obſtrictus erat, violatum ab illo eſſe dicitur acceptorum beneficiorum immemore: donatum eum eſſe ab Auguſtanis bis mille quingentis aureis, a Rege Daniæ Lutherano ex vectigalibus Lundenſis Archiepiſcopatus promiſſam illi eſſe quatuor millium aureorum annuam penſionem; in Hungaria perfide eum ſe geſſiſſe, nefaria meditatum eſſe, callere fraudibus & dolis, in Hiſpaniam non vocatum iviſſe, ut Cæſarem mendaciis falleret; ejus culpa duodecim millia peditum in auxilium Lutheranorum arma ſumſiſſe, impeditum Henricum Brunſuicenſem (autor ſumma imperitia aut incuria *VVürtembergenſem* vocat) ab exercitu contra Lutheranos colligendo. Ad hæc paucis notamus, non ſolum Lundenſem iſthæc omnia, ut indicavimus, ut meras calumnias riſu & contemtu digna habuiſſe, ſed & ex actis Francofurtenſis conventus, multisque aliis, quæ in *Archivo* Saxonico cuſtodiuntur, ſcriptis authenticis manifeſtæ falſitatis convinci. Nam de corruptione Lundenſis aut ulla ejus erga Proteſtantes gratificatione nec vola nec veſtigium extat, & de delectu 12000. militum ab illo procurato falſa ſunt omnia: revelatur tamen ſecretum de Henrico Brunſuicenſi, cujus acta Cæſar ignorare ſe ſimulabat. Quæ ſequuntur in mandatis pontificiis ſumme calumnioſa ſunt in Lutheranos Principes, *ab his* dicit *omne rectorum jugum excuti, & cum Cæſare improbiſſimo animo agi.* Omnes diætas ſive conventus cum illis habitos, nominatim *Spirenſem* 1526. *Norimbergenſem* 1532. *Cadanenſem* 1534. noxios fuiſſe Cæſari & Pontifici, & poſtremo id actum eſſe, ut VVürtenbergicus Ducatus Cæſari adimeretur, in execranda etiam, ut loquitur, diæta Francofurtenſi jus Cæſareum in plurimis capitibus læſum eſſe (id quod nullo argumento probari poteſt) Suadet itaque Pontifex, ut Cæſar ipſe ad Comitia veniret, aut procuratores mitteret, qui errores tales non patrarent, dein ut fœdus Catholicorum augeret. Eo fine Nuncium a Pontifice ad Catholicos quosdam Germaniæ Principes mitti & ſtipendiarium aurum ſponderi, conſulit etiam Cæſari, ut Hiſpanicas & Italicas copias ſpecie belli Turcici in Germaniam mittat: ſpem oſtendit, fore, ut Angliæ Rex converteretur. Poloniæ Regem moneri vult a Cæſare, ut hæreſin in regnum irrepentem opprimat. Querelas inde maximas adverſus Mariam, Sororem Cæſaris, Belgii Gubernatricem effundit, quarum ſummam hoc §. *n. 3.* retulimus. Reſponſum Cæſaris §. 15. ita exponit autor, ut agnoverit Francofurtenſe decretum contra ſuam dignitatem & Apoſtolicæ ſedis autoritatem eſſe, animadvertendum tamen, ne Proteſtantes denegata confirmatione ad fœdus cum Angliæ Rege, aliaque deſperata conſilia,

(c) *Animadverſio quædam ad ea.*

(d) *Alia quædam ex iisdem mandatis.*

A. 1539.

lia, adducantur. Indicat, decretum Ratisbonense de convocando Concilio, vel generali, vel, si cessetur, nationali se invito factum, atque ab eo tempore magnam Germaniæ partem ad Lutheranismum prolapsam esse; quod si non compositis dissidiis in religione Comitia habeantur, fore ut decreta Sedi Apostolicæ existialia sequantur: hujus potissimum conservandæ causa Cæsarem & Ferdinandum Comitiis non interesse, licet suam autoritatem præsentia sua confirmare posset. Aperit consilia de colloquio religionis conciliandæ causa instituendo, rogatque ut pecunia ad fœdus catholicum suppeditaretur, ut alibi satis dictum est.

A. 1539.

SECT. 19.

(1) Mors Georgii Saxoniæ Ducis, ejusque sequelæ.

Maximam vero & ferociam & potentiam Protestantibus addidit mors Georgii Ducis Saxoniæ, magni fidei Catholicæ protectoris, quæ in hunc ipsum annum incidit. Is, quia filius ejus Fridericus absque liberis paulo ante decesserat, successorem habuit fratrem suum Henricum *Ducem, duosque hujus filios,* Mauritium *&* Augustum, *tres scilicet Lutheranos. Quamvis autem Georgius Dux testamento suo caverat, ditiones suas ad Imperatorem & fratrem ejus Regem Ferdinandum devolvendas esse, si isti religionis mutationem molirentur; non cessarunt tamen illi Lutheranismum in omnibus oppidis & locis, quæ in Misnia, Saxonia & Thuringia possidebant, introducere. Accesserant enim fœderi Smalcaldico, & valide protectum iri se totis partium viribus confidebant, quas jam nemo post pacta Francofurtensia aggredi audebat. Ita Lutherus a Duce Henrico Lipsiam evocatus, una die, unaque concione, Festo Pentecostes habita, statum religionis immutavit, & urbem istam ex Catholica, qualis semper fuerat, totam Lutheranam fecit; unde apparet, quam infirmum fidei suæ fundamentum miseræ illæ gentes habeant, semper nempe ad mutanda sacra & amplectendam eam religionem paratæ, non quæ Deo, sed quæ Principibus suis placet.*

Cochlæus. Chytr. L. 17.

(2) Reformatio in Misnia a successore Henrico suscepta.

§. LXXI.

(1) Georgii Ducis conatus ad excludendum a successione Henricum fratrem.

Catastrophe *Misniæ*, quam tot hominum, Evangelicam doctrinam appetentium, millia diu desideraverant, & Lutherus ominatus erat, hoc anno secuta est, morte *Georgii* Saxoniæ Ducis. Amiserat is ante biennium mense Jan. 1537. filium primogenitum *Johannem*, cui *Elisabetha* Hassiaca matrimonio, sed sterili, juncta fuerat. Supererat alter, *Fridericus*, ob mentis imbecillitatem ad regimen Ducatus plane ineptus, nec ad conjugium habilis, ita ut consulti ab Henrico Duce, Georgii fratre, Jurisconsulti responderent, neque provinciæ gubernaculis admoveri eum, neque uxorem ducere, immo nec liberos, si qui nascerentur, pro legitimis haberi posse. Regimen igitur Ducatus, licet *Fridericus* Parenti superstes fuisset, ex testamento avito ad *Henricum* devolvebatur. *Georgius* interim, non tam sua sponte, quam a ministris incitatus, varia animo agitabat, quomodo vel filium, utut stupidum & amentem, successorem in regimine habere, vel veterem religionem in ditione sua servare, vel denique honesta quadam specie transigere cum fratre *Henrico* posset. Cum vero, ut alibi relatum est, non ita deditus esset vetustis superstitionibus, aut defectuum Ecclesiæ ignarus, quin reformationem, modo non ad Lutheri, cui implacabiliter offensus erat, præscriptum fieret, admissurus esset, de regimine quidem ad filium transferendo, in comitiis Ordinum, anno præterito Lipsiæ habitis, providerat, resumsit tamen de concilianda religionis controversia consilium, quale fere anno 1534. adscito in partem illius curæ Moguntino, tentaverat, de quo *in Addit. ad §. XXXI.* egimus. Dissimulatione vero usus, & aliud veluti agens, per *Georgium Carlevitium*, inter Consiliarios suos primarium, (Ober-Rath / quo titulo ullum in aulis Saxonicis ornatum antea aut postea fuisse non invenio) cum *Pontano* Electoris Excancellario proximo autumno anni 1538. *Mulbergæ* (ubi de finium controversiis tractaturi convenerant) congressum occasionem suppeditari fecit, ad colloquium de conciliatione religionis Lipsiæ in nundinis mense Januario habendum, ut & factum est.

(2) It. ad conciliandam controversiam de religione.

(3) Colloquium inter Pontanum & Carlevitium Mulbergæ.

ADDITIO I.

(a) Carlevitii propositio de modo reformationis.

Pontanus secreti illius colloquii contenta literis mandavit, quæ *Reg. H. fol. 223. n. 101.* item *Reg. N. Lit. H. n. 40.* extant, ex quibus sequentia excerpsi. Dixit *Carlevitius*, se experientia didicisse, sperandum non esse, ut cum Episcopis & Clero de reformatione transigi possit, sed opus esse, ut illa a Principibus laicis (durch laynische häubter) ad emendationem Ecclesiæ susciperetur. Hoc ita fieri posse, si ante omnia Principes Germaniæ conjunctim una die & hora Episcopis & Prælatis proponerent: necesse esse, ut reformationem admitterent; nam licet Laici ab omni parte non carerent defectibus, plurimos tamen in Clero reperiri. Ut vero statim norma (ein Richtscheit) adesset, secundum quam finaliter omnia dirigi possent, profitendum esse a Laicis, se admissuros esse quæ in Apostolica Ecclesia & tempore quatuor Oecumenicorum conciliorum priorum, item ab octo, novem vel decem seculis observata fuissent, abolitis, quæ post illa tempora introducta essent. Sic occurri posse tot disputationibus de sensu Scripturæ, totumque orbem Christianum normam illam cum gaudio suscepturum esse; Clerum vero, si illi sese opponeret, summam ignominiam & majora quam huc usque damna esse incursurum, nec quenquam futurum, qui illum defenderet. Constituta hac norma, concilium sincerum & minime suspectum urgendum esse, quod in Germania habeatur, simulque deligendos viros pios, probos & doctos, duodecim forte, aut plures paucioresve, qui conferrent & describerent, quæ sententia de omnibus articulis controversis illo tempore in Ecclesia viguisset. Hos deprehensuros esse, quid statuendum sit de communione sub utraque, de conjugio sacerdotum, & de abusibus Missæ: neque enim dubitari posse, quin tempore quatuor conciliorum errores & abusus indagati & abrogati fuerint. Addidit, ab Episcopis & Clero jactari quidem Ecclesiam, sed non esse apud illos priorem & Apostolicam, hanc enim ab ipsis per avaritiam & luxum constupratam esse. (sie hätten dieselbe durch ihren geitz und pracht zur huren gemacht.) Multa deinde cum asseveratione retulit, Cæsarem serio de reformatione Christiana cogitare, & se cum ipso ea de re egisse; impediri autem a Principibus, maxime Germanis, & ab ipso Papa, quo carere non possit, tum ab Episcopis, qui politicos Principes numero vincant.

(b) Ejusdem querelæ de vitiis Cleri.

Monstra-

A. 1539.

Monstravit quædam reformationis valde quidem lenis capita, quæ tamen a Clero rejecta essent, alia itidem, quæ Norimbergæ nuper (in tractatione nempe fœderis) proposita, nec magis accepta fuissent: simul atque enim observassent, luxum suum minuendum esse, nihil plane de iis consiliis audire, videre aut colloqui amplius voluisse, dictitantes, Laicos non minores defectus habere, & ab illis reformandis initium fieri debere. (ihr wollt uns Pfaffen reformiren/ ihr Layen habt wol so grosse tadel und mängel bey euch/ als wir haben mögen/ darum müst ihr gedencken/ daß ihr euch erstlich selbst reformirt.) Cum igitur plures ex Ecclesiasticis quam Politicis adfuissent, se atque alios nihil effecisse. Querebatur etiam de *Ludovico* Bavariæ Duce, ejusque Consiliario *VVeissenfeldero*, qui a negotio illo fere abstinuissent, dicentes: Cæsari id curæ fore, aut si id non fieret, Duci satis esse virium, ut Clerum in sua ditione reformaret; se vero (pergit *Carlovitius*) judicare, quod Cæsar desideraret, ut a Principibus ad reformationem vehementius urgeretur; (daß mit starcker hand auf die reformation gedrungen würde) observasse etiam, Clericos multum potius ex doctrina, ceremoniis & ritibus remissuros & cessuros esse, quam ut luxus sui reformationem paterentur. Dixisse sane *vultune communionem sub utraque, esum carnium, conjugia sacerdotum &c.? hæc facile dabimus:* se vero respondisse, hæc a Laicis etiam absque illis sumi posse; Clericos vero reformari debere, quod gladium temporalem & spiritualem simul gerere & luxum inutilem & minime ecclesiasticum (den unnützen und ungeistlichen pracht) continuare vellent. Dixit porro, se hæc absque mandato Heri sui *Georgii* proferre, scire tamen, ejusdem illum mentis esse, quanquam neminem consentientem haberet, nisi *Henricum* Brunsuicensem. Jam non immerito suspicari Principem, nisi propediem medium inveniretur adversus Clerum, fore, ut Pontifex Cæsarem, Regesque Galliæ, Lusitaniæ, Scotiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ permoveret, ut Legatos suos in Germaniam mitterent, & præsentibus his a Cæsare in Comitiis proponeretur, quid de præcipuis capitibus religionis statuissent, indeque Germanis necessitas obsequii obtruderetur, quo ipso omnis de reformatione spes decollaret. Hanc etiam causam habuisse, licet alias prætenderent, Electores Ecclesiasticos ad Rhenum, ut ad fœdus Norimbergense non accederent, quia fœdus illud reformationem præsupponeret. Cum igitur manifestum esset, quid intenderet Clerus, & quomodo reformationem contra Cæsaris & Ferdinandi Regis propositum impediret, remedium illud adversus superbiam Pontificis & Cleri apprehendendum esse, cum applausu & consensu totius Orbis, & sic omnem excusationem Clero auferendam (man würde bey aller welt ruhm und zufall erhalten/ und die Pfaffen folgends alles glimpfs entblösen) Laicos vero hoc modo in unam Ecclesiam veram & Catholicam coituros. Secuturam inde esse declarationem dogmatum, secundum normam supra dictam, quæ typis publicanda esset, ut omnes viderent, culpam solummodo ad Clerum recidere. Præterea narravit *Carlovitius*, se Ecclesiasticis Principibus Norimbergæ dixisse, sibi videri, illos non nisi paganos esse (sie wären lauter Heiden) qui de Ecclesia gloriarentur, veram & legitimam tamen rejicerent, Laicos e contrario ad primam & Apostolicam Ecclesiam, non vero ad corruptam hanc, pertinere & ad illam in baptismo renatos esse (wären in der ersten Apostolischen Kirchen / und nicht in dieser verführischen gebohren.) Dixit etiam, Georgium ad fœdus non fuisse accessurum, nisi reformatio illius veluti fundamentum esset, idque apud Heldium Vice-Cancellarium Imperatoris testatum esse; motum etiam dicto Moguntini, qui professus fuerit, se malle Lutheri reformationem, quam illam accipere, quæ a Georgio proponeretur. De Cæsare repetiit, quod hæc omnia accuratissime expendisset, & summam necessitatem reformationis agnosceret, sed fatebatur, solum nihil ausurum, nec Pontifice carere posse. Suspectam sibi esse, ajebat, Ecclesiasticorum dissimulationem: (daß sie also laureten) Heldium statim ex conventu Norim-

(c) Metus de intentione Pontificis & Cæsaris.

(d) De Actis Norimbergensibus & Georgii ducis desiderio.

bergensi ad Cæsarem profectum esse, neque aliud per literas respondisse, quam Cæsarem ipsum in Germaniam venturum, &, quid vellet, propositurum esse. Salisburgensem Archiepiscopum ferocem & protervum fuisse Norimbergæ (hatte sich scheußlich gesperret) & recusasse fœdus, quia ad reformationem spectare illud vidisset, tandem ægre placatum esse addito vocabulo *Christiana*, id est, ut Christiana fieret reformatio. Moguntinum mirabilis esse ingenii, (sey ein seltsamer Kompe) fœdus iniisse ratione Archiepiscopatus Magdeburgensis & Episcopatus Halberstadiensis, non vero ut Archiepiscopum & Electorem Moguntinum, ideo se D. Turco & Canonicis Magdeburgensibus ad conventum delegatis dixisse, subdole illos & ambigue agere (wolten eine Zwickmühle machen) & incendium vicinum saltem cavere. In summa dixit, nullam probitatem, neque constantiam in Præsulibus esse. (es seyn nichts gutes noch beständiges in den Pfaffen) Commendavit denuo normam illam suam, cujus etiam hoc esset commodum, ut neutra pars ad revocationem eorum quæ huc usque fecisset & probasset, adigeretur; per normam enim illam stare aut cadere ab utraque parte, quicquid teneri aut rejici deberet. Ex lege charitatis, sine qua fides non subsisteret, hoc exigi, & hoc modo Clerum in ordinem redigi; frustra fore, si saltem *Ecclesiam, Ecclesiam* inclamaret, & pro Ecclesia venditaret, quicquid quotidie excogitaret: Absit, ait, ut hoc valeat; se vero pro Christiano neminem habere, qui normam quatuor Conciliorum & Ecclesiæ Apostolicæ recusaret. Addidit tamen, videri sibi, a Scriptura concordiæ causa aliquantulum recedendum esse (daß man der schrifft um der einigkeit willen wol ein wenig möchte entweichen) *Hac verba obelisco, Electoris, ut verisimile est, manu, notata sunt.* Post ista postulavit, ut colloquium hac de re institueretur cum Electoris & Landgravii Consiliariis, & quidem *Lipsiæ* sub initium instantium nundinarum, venturum esse se, & non nisi *D. Fachsium* adsciturum, semoto *Vicelio.* Fortiter agendum esse monuit, ut Clerus reformaretur, reniti enim illum omnibus modis, nec sumtibus aut largitionibus parcere, ut Pontificis & Cæsaris patrocinio frueretur; graves futuros esse utriusque partis Principibus Laicis, & restitutionem omnium postulaturos: fieri inde posse, ut populus denuo insurgeret, & sacerdotes ad unum omnes deleret. Majus hoc periculum esse omnibus prioribus, neque vitari posse fœdere Norimbergensi; hoc enim reformationi inniti, eamque ab ipso Heldio postulatam esse. Parum curari a Clero articulos doctrinæ controversos, sed metui reformationem. Ad objectionem Cleri, quod prius Laici reformandi essent, respondisse se dixit *Carlovitius*, horum reformationem comprehendi in reformatione Cleri, Laicos censura Ecclesiastica reformandos esse, hanc vero expediri Christiano & legitimo more non posse, si Clerici iisdem vitiis fornicationis, adulterii, usurariæ pravitatis, aliisque contaminati essent. Si igitur censuram ad exemplum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ exercere vellent, scilicet tantum ad emendationem, non vero pecuniæ & mulctæ causa, necesse est, ut trabem prius ex suis ejicerent oculis, & suam admitterent reformationem, qua facta, facile corrigi populum censura Ecclesiæ; neque enim quidquam esse minus tolerabile, quam si quis ex cœtu Christiano ejiceretur. Fassus tamen est, tantam esse cleri malitiam, ut nullam fere ab illis emendationem sperare liceat. Georgium Herum suum valde timere, nisi hoc modo procederetur, fore, ut Cæsar cum consensu Regum aliquid decerneret, & Cleri reformatio plane intercideret, id si fieret, sæpe dixisse, mori se malle quam vivum ista cernere. (Herzog Georg hätte mehr denn einmal gesagt / daß er alsdenn viel lieber begraben/ denn am leben seyn wolte.) Addidit tamen *Carlovitius*, Georgium in reformatione illa justo esse duriorem. *Pontanus* ad ista omnia parum respondit, nisi quod ad propositum congressum Lipsiensem spem fecit; quædam vero monuit, quæ, nisi remedium quæreretur, turbas propediem excitatura essent, processus

(e) *Pontani breve responsum.*

A. 1539.

nempe Camerales & nuperam proscriptionem Mindensium; defendit quoque extensionem fœderis Smalcaldici, & quod Protestantes non putarent prohibitam esse pace Norimbergensi aliorum sociorum receptionem: questus quoque est de *Henrici* Brunsuicensis fervore. Ultima colloquii pars fuit de *Erfurtensibus*, quærente *Pontano*; an illi in fœdus Norimbergense recepti essent? Ad hæc, (nam cætera omittimus) respondit *Carlevitius*: Erfurtensibus, se quidem dissuadente, cum compertum esset inter Electorem & illos aliqua esse dissidia, propositum fuisse a Moguntino, per D. Turcum & a se, nomine Ducis Georgii, item ab Henrico Brunsuicensi, ut ad fœdus accederent; responsum vero illos dedisse, se certis pactis domui Saxonicæ & Moguntino Archiepiscopatui obligatos esse, & sine consensu plebis nihil definire posse, dilationem itaque petiisse, neque huc usque, quid sentirent, aperuisse. De se testatus est Carlevitius, quod jam Norimbergæ mentem suam declarasset, de non adsciscendis in fœdus civitatibus, neque aliis ex Clero, qui ad dissidia & rixas semper proni essent.

(f) *Colloquium Lipsiense.*

Secutum inde est *colloquium Lipsiense*, de quo *d. l. Reg. N. lit. Hh. n. 40.* relatio *Pontani* ad Electorem asservatur d. 3. Januarii 1539. data. Consultus fuit primum Lutherus, qui respondit, nihil ex hoc proposito sperandum esse, ut ex *Pontani* literis d. 4. Decembris 1538. ad Electorem scriptis percipitur, probavit tamen, ut *Melanchthon* ad colloquium illud adhiberetur. Venit itaque hic cum *Pontano* d. 1. Jan. Lipsiam, ibique Cancellarium Hassiacum *Johannem Feigium* itemque *Martinum Bucerum* invenerunt, ob eandem caussam a Landgravio illuc missos. Colloquium cœptum est d. 2. Januarii in Paulino, sive apud Dominicanos, &, rogante Pontano, *Carlevitius*, quæ Mülbergæ dixerat, repetiit, normam illam ex Apostolica Ecclesia, secundum observantiam, quæ ante octo vel novem secula fuerit, commendans. Hanc si Protestantes cum Georgio & sociis acciperent, ab ipso quoque Cæsare nihil objici, & ad concilium secure provocari posse contendebat. Reprehendebat, quod Protestantes Apostolicæ Ecclesiæ autoritatem rejicerent, in qua tamen omnes regeniti essent. Addebat: illam (ut Mülbergæ dixerat) defloratam a sede Romana, neque hujus ullam rationem habendam esse. (Es läge ihnen nichts an der Römischen Kirchen / dieselbe ginge auch sie nicht an) Aderat Carlevitio *D. Fachsius.*

(g) *Pontani prolixior ad proposita responsio.*

Respondit igitur illis *Pontanus*, pleraque a Carlevitio nunc enarrata, cum iis convenire, quæ Mülbergæ dixisset, monstravit tamen, quæ discrepabant, & negabat, a Protestantibus rejici Ecclesiam Apostolicam, aliud constare ex confessione Augustana, & recitari in Ecclesiis symbolum Apostolicum, Nicænum & Athanasianum, in quibus credi dicitur *Ecclesia Apostolica.* Quod vero normam ab octavo vel nono seculo sumendam esse dicat, id approbari sine utriusque partis ignominia & magnæ ignorantiæ dedecore non posse; Doctores enim illius temporis varia & sibi contradicentia scripsisse, neque sperari posse, ut Pontifex concilium in Germania concederet, aut Cæsar Pontifici contraniteretur. Difficilius etiam esse, ut Papa consentiret in viros quosdam, qui, ut propositum erat, capita religionis conscriberent. Inter hæc, cum moræ & dilationes evitari non possent, donec de norma illa conveniretur, mansurum esse persecutionum & turbarum periculum.

(h) *Buceri & Melanchthonis dicta.*

Disseruerunt inde *Melanchthon* & *Bucerus*, quid de Patribus eorumque scriptis sentiendum esset, & quam varia & contradictoria de his ipsis, qui jam in disputatione versantur, articulis, tradiderint. Etsi enim Patres ante Gregorium nullam privatarum Missarum mentionem fecerint, hunc tamen illas, nescio quibus somniis motum, introduxisse, & sacrificia pro vivis & mortuis nominasse, quod apud nullum ex antiquioribus reperiatur; aliquos quidem ex illis in Missa commemorationem mortuorum fecisse, neque tamen ex Missa sacrificium efformasse. Narrarunt etiam originem monachatus, & ut Patres de conjugio sacerdotum contraria sensissent.

(i) *Carlevitii & Electoralium disceptationes.*

Ad hæc *Carlevitius* regessit, se, ut laicum & qui in his rebus non satis edoctus esset, propositionem fecisse, sibique persuasisse, admissa illa norma reformationem cum applausu orbis obtineri posse, quod nunquam futurum esset eo modo, quem Protestantes adhibuissent. Fassus inde est, se ignorasse, quod quidam abusus tam antiqui essent, & quod Patres inter se non consentirent, sperasse potius, sensum Scripturæ, quem Evangelici vehementer & semper urgerent, ex Patribus hauriri posse. Petiit denique, ut, quæ proposuisset, boni consulerent. Inter varios sermones dictum est ab Electoralibus, desperandum esse de reformatione Cleri, qui abstrahi ab avaritia & luxuria non posset, nisi sacerdotibus conjugium concederetur, & Missa, qua totum orbem dementassent, auferretur. Respondit *Carlevitius*, Georgium non esse difficilem circa conjugium Cleri, si Papa consentiret; sed in Missa firmiter persistere, ita tamen, ut abusus recentiores reformarentur. Institerunt Electorales & Hassiaci, ut formula fœderis Norimbergensis secundum promissionem *Carlevitii* exhiberetur, sed is varia caussatus est, per quæ sibi id non liceret, fore tamen, dixit, ut typis publicaretur; affirmavit etiam cum *Fachsio*, insertam esse fœderi clausulam, ut Clerus reformationem admitteret; de qua tamen valde dubitarunt Electorales. Et verum est, non tam liquide de hoc capite provisum esse in pactis illis, ut Carlevitius jactabat, quod ex verbis eorum in loco allegatis, apparet. Urserunt etiam, ut capita reformationis a Georgio concepta, de quibus Mülbergæ *Carlevitius* locutus erat, ederentur, sed itidem tergiversatus est ille, & tandem exhibuit, quæ *Vicelius* composuerat deprehensumque est, hujus instinctu totam hanc machinam instructam fuisse, qui putabat, invento illo de norma Apostolicæ Ecclesiæ, Evangelicos ab instituto suo dejici posse, & spe de reformatione Cleri inescari.

(k) *Acta cum Vicelio.*

Porro impetrari a se passi sunt Legati Electoris & Landgravii, ut *Vicelius*, qui Lipsiæ erat, & multa de hoc conventu evulgaverat, in consessu audiretur. Factum id est d. 4. Januarii & considere in scamno e regione mensæ jussus, interrogare cœpit *Melanchthonem* & *Bucerum*, quomodo sese vocarent, & quales esse velint? Respondit *Bucerus*, se esse exigua membra Christi ejusque sanctæ Ecclesiæ, nequaquam vero hæreticos aut sectarios, probandum id esse ab iis, qui se suspectos hujus criminis haberent. Disputatum deinde fuit, ut Pontanus refert, prolixe, sed eo cum eventu, ut *Vicelius* vacillaret & ad æquivocationes confugeret, id quod ipsos Georgii Legatos, *Fachsium* maxime, observasse & confessos esse, asseverat Pontanus. Finito de sacris colloquio, post aliquot dies d. 7. Januarii varia cum *Carlevitio* de statu publico sive de bello & pace, itemque de Moguntini & Brunsuicensis consiliis locutus est Pontanus, ex quibus colligi potuit, quid sperandum metuendumve a fœderatis Norimbergensibus esset, ita tamen, judicante Pontano, ut nihil magni momenti ab adversæ partis moliminibus hoc tempore timeri deberet.

(l) *Epistola Georgii de illa materia.*

Si quis ista, quia solius *Pontani* fide nituntur, in dubium vocet & non attenta viri illius summe celebrata integritate suspicetur falsa & commentitia (quod quidem extremæ nequitiæ & absque ulla utilitate fuisset) ad Principem tantæ autoritatis & sagacitatis relata a ministro jurato fuisse, illum, uti spero, convincent literæ *Georgii* Ducis *Reg. H. fol. 123. n. 52.* ad Landgravium generum jamdudum d. 9. Octobris 1536. datæ. Cum enim de concilii indictione fama percrebuisset, & Pontifex locum in Italia destinaret, deliberatum fuit inter Protestantes, utrum quidam adversæ partis Principes eatenus in partes trahi possent, ut una cum Protestantibus Concilium in Germania haberi flagitarent. Periculum fieri placuit in *Georgio*, nuper cum Electore reconciliato. Notum enim erat studium ejus, ut concilium haberetur, & reformatio Cleri fieret. Sollicitavit itaque Landgravius *Georgium*, & responsum tulit, se quidem nondum accepisse indictionem concilii, neque de loco contendere, immo *Mantuam*, quia Cæsari placeret, sibi quoque probari, satiusque esse, ut vel Neapoli, quam nusquam, haberetur. Sed de successu parum sperare; & inter alia hæc scribit: (Daß eine Christliche Reformation

des

A. 1539.

des geist- und weltlichen standes noth sey / sind wir mit E. Lbden gantz einig; wir besorgen aber / der zwiespalt zwischen / wie mans nennt / den Evangelischen und Päpstlichen / mache / daß nichts guts geschehen möge / das neue hat uns allen so viel zu schaffen gemacht / daß wir zu dem alten und nöthigsten nicht kommen mögen / wir seyn denn zuvor wieder in einen schaffstall / und der zwiespalt verglichen. Der hausschalck lässt keinen fremden handel zu rath kommen / wir besorgen auch / daß weder Evangelische noch Päpstliche das stillen / sondern wird allein durch Gottes gnade / darzu wir uns noch von allen theilen wenig schicken / geändert und beygelegt werden müssen / wenn zuvor durch die gnade Gottes geschiehet / daß wir einig sind. Alsdenn ist es zeit / daß wir das gefäß auswendig auch rein machen / sonst ist der besserung unsers erachtens kein hoffen / gern wolten wir darzu mit leib und gut und allem unsern vermögen dienen) sensus est: *Agnoscere Principem necessitatem reformationis in statu Ecclesiastico & Politico; sed vereri, ne propter discordiam inter ita dictos Evangelicos & Pontificios nihil boni efficiatur. Nova,* ait, *tot molestias nobis exhibuerunt, ut ad vetera & magis necessaria pervenire non liceat, nisi prius in unum ovile redierimus & conciliati simus. Hostis domesticus externa consilia non admittit; neque Evangelici neque Pontificii componere hæc poterunt aut in melius mutare; Dei gratia opus est, cui quidem ex neutra parte nos satis accommodamus. Si vero, Deo juvante, concordes fieremus, tunc etiam oportune de mundatione extrinseca agi posset; alias nulla mihi spes emendationis superesse videtur, quamvis hanc summo nixu, & cum corporis & opum discrimine promovere cupiam.* Hæc ille; unde constat quæ *Carlovitius Mulbergæ* & *Lipsiæ* proposuit, omnino ex Heri sui mente & sententia hausisse, nisi quod modum invenisse se credidit, quo & interna circa dogmata concordia, & externa reformatio simul procederet, inventa norma, secundum quam dogmata ordinarentur, dein junctis Principum consiliis & viribus. Prudenter utique, si in norma non errasset. Cum vero talem ostenderet, quæ longe operosiori indagatione & explicatione opus habebat, quam quæ a Protestantibus ex Scriptura sacra ejusque legitima interpretatione proponebatur, impossibile fuit, ut Georgii Ducis consilium succederet. Omnem denique dubitationem tollit tractatus *Buceri* de hoc colloquio anno 1545. typis publicatus, de quo, Deo volente, in illius anni actis dicemus, deinde alia *Carlovitii* epistola (*Reg. H. fol. 298. n. 121.*) ad Electorem sub finem hujus anni d. 29. Decembr. data, occasionem præbente Landgravio, qui ad concordiæ tractatus illo tempore vehementer inclinabat, & Electori, quod is huc usque ignoraverat, revelavit, *Carlovitium* in colloquio Lipsiæ mense Jan. habito post discessum Saxonicorum aliud consilium ineundæ concordiæ Hassiacis proposuisse.

(m) *Item Carlovitii.*

Jubente igitur Electore *Carlovitius*, quæ tunc obtulerat, denuo aperit; præmittit tamen quædam de formula reformationis ab Episcopo *Misnensi* ad *Henricum* missa, (de qua egimus) suadetque, ut non expectata Cæsaris convocatione Principes utriusque partis de illa tractarent; Cæsarem enim adhibiturum esse Legatos Pontificis, ab his vero omnia concordiæ media impediri, neque illorum interesse, quid credant statuantque Germani, nisi dominatum Romanum agnoscant. Putat igitur Electorem Saxoniæ consultare hac de re cum Brandenburgico posse, suumque ad id officium offert, scripturus scilicet, si ita videretur, Brandenburgico.

(n) *Ejusdem nova mediorum propositio.*

Addit se ex Lutheri nupera *ordinatione visitationis* (intelligit sine dubio novam libelli visitatorii editionem Anno 1538.) vidisse, articulos de fide, charitate, pœnitentia & operibus ita conceptos esse, ut Pontificii eos non sint valde oppugnaturi, neque magna sit differentia in capitibus fidei; de ceremoniis vero contendendum non esse, nec illarum causa concordiam negligendam. Media compositionis quæ Lipsiæ proposuerat & nunc repetit, hæc sunt: Papam quocunque nomine, sive Episcopi sive alio, ferendum esse, ea tantum cum potestate, ut in reliquos Episcopos & Presbyteros inspectionem habeat, ne quid turbent aut mutent in fide & ceremoniis, de quibus ad exemplum & morem Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ conveniendum nunc fuerit, utque pacem inter Principes Christianos diligenter procuret, nullum bellum gerat, neque excitet, Episcopos neque juramento obstringat, neque confirmet, multo minus pensionibus gravet, oriente tamen hæresi quadam Prælatos & Principes in Concilium vocet. Restricta hoc modo ejus potestate, nihil nocere, quod amplam habeat ditionem secularem in Italia, illa enim contentum esse debere, neque plus a quoquam accepturum. Episcopos & collegia Canonicorum conservari debere, ita tamen, ut, quemadmodum impie & non ex disciplina Christiana nec honeste vixerint, (unchristlich/ungöttlich/unerbarlich) ita nunc pie, christiane & honeste vivant, utque juramenta, quibus illi Papæ & Capitulo, hæc vero Episcopis obligari consueverint, ut iniqua, abrogentur, & reformatio secundum disciplinam veteris Ecclesiæ fiat, servata tamen electione. Vitam monasticam ad veterem disciplinam restituendam esse, sublatis regulis & legibus, quibus se adstrinxerint, & salutem consequi voluerint: adigendos esse, ut juventutem doceant, cæteris bono exemplo præeant, semper tamen libertatem deserendi Ordinem habeant: cultum autem publicum ad modum, de quo convenietur, observent. Ex reditibus monasteriorum plus tribuendum non esse monachis, quam quanto opus habeant ad alimenta, reliqua ad educandos pueros a duodecimo ad decimum octavum ætatis annum impendenda esse, ex quibus postea viri idonei ad omnia munera sumi possent: deputari etiam aliquid debere ad puellarum educationem & elocationem: comparci posse ad tales sumtus haud pauca abrogatis Missis privatis & inutilibus Clericis in Ecclesiis cathedralibus: neque Canonicos recipiendos posthac esse, qui non idonei sint ad munera publica & doctrinam. Sic absque ullo bello & dissidio munus Episcopale in ordine debito & Christiano retineri, Principum vero jus & gladium ad tuendam Evangelicam doctrinam & disciplinam dirigi posse. De Missa, agnoscit, maximam fore discrepantiam; putat tamen, tolerandam esse Missam, tam Lutheranam quam Pontificiam, Germanicam æque atque Latinam; emendandum tamen esse Canonem in Missa Pontificia, & curandum, ut semper adsint communicantes, cessantibus Missis solitariis. Suggerit modos quosdam, quibus fieri possit, ut non desint, qui communicent; doceri vult populum, Missam non esse opus, quo animæ redimantur, aut salus acquiratur, sed saltem commemorationem passionis Christi & sacrificium laudis pro toto cœtu, quo Christo pro passione sua gratiæ agantur, & ejus misericordia imploretur ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum; sic, ait, Sacramentum spiritualiter & corporaliter accipi posse. Addit, quando communicantes præter spem non adsint, Missam nihilominus celebrandam esse, ne intermittatur gratiarum actio & commemoratio passionis Christi, (allein daß man nicht tirme / ita tamen ne fiat consecratio,) Invocationem Sanctorum facile ait corrigi posse, nempe ut Deus in sanctis suis honoretur, gratias agendo pro gratia illis concessa, & orando, ut eandem nobis impertiat, invocandos tamen non esse, ut pro nobis intercedant, si enim aliquid valeant apud Deum, intercessuros esse, nobis etiam non rogantibus, longius autem abesse, quam ut colloqui cum iis possimus. Ferias Sanctorum plerasque abrogandas, ex quibus invocationis superstitio maximam partem orta sit. Conjugia sacerdotum libera relinquenda esse monet, improbat tamen, quod nimia nunc conjugatis assignentur stipendia, & uxores superbiant, & alia subjungit, non minus invidiosa, ita ut ad antiquum morem redeundum esse dicat, quo sacerdotes ex labore manuum suarum victitaverint, id quod nunc facilius fieri posse existimat, cum ab uxoribus melius adjuventur, quam a concubinis. Petit denique, ut hæc a se Laico in medium prolata boni consulantur. Sed neque consilium neque autor placuit Electori, ut ex literis ejus ad Landgravium postea scriptis constat. Interim ex his demonstrata esse existimo, quæ dixi de *Georgii* Ducis

A. 1539.

paulo ante mortem suam, sententia, ex Erasmi, ut videtur, consiliis olim hausta. Apparet etiam quid de Pontifice & plerisque Germaniæ Episcopis cordatissimi quique, etiam inter eos, qui Luthero nondum assentiebantur, judicaverint; si vero quis *Carlovitium* ut semi-Lutheranum, suspectum habeat, is, quod ad Episcopos attinet, consulere potest *Pallavicinum*, Cardinalis *Contareni* censuram *Lib. IV. cap. XIV. §. 13.* allegantem, quam alibi referemus.

(4) De nuptiis & morte Friderici, filii Georgii.

Cum consilium de concilianda religione *Georgio* non succederet, de conjuge *Friderico* filio jungenda serio cogitatum est. Sane si *Carlevitio* ad Landgravium, cui non ingratus erat, scribenti credendum est, non tam Principi id curæ fuit, quam aulicis, qui suam respiciebant utilitatem. Illi igitur quotidie fatuum ejus animum ad amorem erga fœminas, cujus eo usque nulla dederat indicia, impellentes, effecerunt tandem, ut a parente uxorem postularet, & illo assentiente atque electionem ipsi filio deferente, *Agnetem* Ernesti Comitis Mansfeldensis filiam desponderi sibi peteret. Nuptiæ itaque d. 27. Januarii multa cum lætitia Bacchanaliorum tempore, celebratæ sunt; constitutum etiam (ut Lipsiæ decretum erat) regimen viginti quatuor virorum ex Ordinibus provinciæ. Delegerunt nempe Prælatos duos, Comites totidem, ex nobilitate sedecim, doctores duos, & duos alios ex civitatibus, quorum consilio respublica gerenda esset. Frustra tamen fuerunt illa omnia; vix enim elapso mense d. 26. Febr. obiit *Fridericus* immodico (ut Elector *Johannes Fridericus* in fragmento historico manu sua scripto annotavit,) Veneris usu, medicaminibus violentis procurato. Nec multo post spes, qua *Georgium* aliquandiu lactaverant, quod vidua filii gravida esset, evanuit. Aliam itaque machinam instruxerunt, qui *Henricum* Ducem successione fraterna defraudare, vel ad iniquas conditiones adigere volebant. Horum suasu *Georgius* testamenti formulam conscripserat, in qua Fratrem ad conservandam veterem religionem, & ut fœderi Norimbergensi accederet, constringebat.

(5) Legatio Georgii ad Henricum.

Cum vero illam in exequiis *Friderici* filii præsentibus provinciæ Proceribus ostendisset, tutius hi esse existimarunt, autoresque Principi fuerunt, ut Consiliarios ad *Henricum* mitteret, per quos consensus ejus in testamentum istud impetrari posset. Convenerunt eum in oppido *Mitweyda*; sed repulsam tulerunt, persistente in Evangelicæ religionis professione *Henrico*, & successionem suo jure, quod fraterna dispositione infringi non posset, sibi vindicante. *Sleidanus*, aliique multi dixisse scribunt *Henricum*: legatione illa repræsentari sibi videri Satanam, mundi regna Christo pollicentem: Autor vero *historiæ MSS.* de *Henrico*, cui a secretis fuit, innuit, id ab *Henrico* suis, non *Georgii* consiliariis dictum fuisse. Idem autor refert, reversos Dresdam Legatos, confestim Freybergam scripsisse, ut aliquis ex *Henrici* ministris Dresdam mitteretur, qui novas conditiones, mitiores scilicet, quam *Mitweidæ* propositæ erant, perciperet, & seipsum d. 17. April. Dresdam ablegatum esse, in itinere vero prope urbem nuncium obvium habuisse, equo vectum, qui significaverit, *Georgium* illo mane mortuum esse.

(6) Mors Georgii.

Decubuerat ultra mensem, animi mœrore confectus, gravis etiam ætate, quam ad annum LXVIII. produxerat. Natus enim erat anno 1471. Oppressit autem eum vis morbi, teterrimi, passio quæ vocatur iliaca, ut neque cum redeuntibus ab *Henrico* Legatis consultare, neque testamentum signare posset, licet summo diluculo Cancellarius id obtulisset, jam enim linguæ usum perdiderat. Paulo ante acclamaverat illi Pastor Dresdensis, ut Jacobum Apostolum, patronum suum, quem semper coluisset, imploraret; sed repulerunt eum adstantes ex nobilitate aulica *Johannes a Lindenau* & *Fridericus ab Oelsnitz*, hortati Ducem, ut Christum invocaret. Ad hunc igitur conversus dixisse fertur: *Tu igitur me adjuva, Salvator Jesu Christe, & miserere mei per acerbam passionem mortemque tuam.* Hunc finem habuit *Georgius* d. 17. Aprilis Princeps multis virtutibus inclytus, sed ob spretam, ex animi obstinatione, fortassis etiam ex æmulatione in agnatos, tres Electores Saxoniæ, lucem quæ illi affulserat, Evangelicam, infelicissimus.

ADDITIO II.

Quanquam ex historia *Georgii*, cujus mortem retuli, parentationis veluti loco, multa præclara & memoratu digna afferri possent, scopi tamen mei memor pauca quædam, quæ ad res ecclesiasticas, quas tracto, propius accedunt, annotabo.

(a) de Georgii ducis canonicatu.

Georgius, puer admodum, sacris destinatus & in metropolitana Moguntina canonicatum adeptus est, literisque imbutus, ut Latina intelligeret, & aliquatenus loqueretur. Post mortem *Alberti* Saxoniæ Ducis, patruelis sui, Archiepiscopi Moguntini anno 1484. *Provisor districtus Eichsfeldiaci*, qui Moguntinæ ditionis est, constitutus fuit; adultus vero institutum mutavit, & anno 1496. *Barbaram*, Casimiri Poloniæ Regis filiam, uxorem duxit. Ita Clericorum mores ipse experiendo didicit, eo quidem cum effectu, ut, quemadmodum audivimus, nemo acrius reformationem Cleri animo volveret & urgeret. De nuptiis ejus adscribere lubet relationem Licentiati cujusdam Lipsiensis *Balthasaris*, qui se *Collegii D. Bernardi Provisorem* vocat, & monachus Cisterciensis fuit. Extat ejus *expositio Canonis Missæ* typis excusa, anno quidem non annotato, sed, ut apparet, paulo ante cœptam a Luthero disputationem contra indulgentias.

(b) Relatio Balthasaris monachi de nuptiis Georgii.

Describit itaque & laudat solennitatem illarum nuptiarum his verbis: *Unum occurrit isto tempore, videlicet die Martis 22. mensis Novembris, anni salutis nostræ 1496. cum Illustrissima Domina Barbara, de nobilissima Hungariæ, Poloniæ & Bohemiæ Regum domo ac familia orta, ac dictorum regnorum invictissimorum Regum modernorum soror, solennitatem nuptiarum cum Illustri & gloriosissimo Principe & Domino, Domino Georgio Duce Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ & Marchione Misniæ, hujus incliti oppidi Lipsen Domino, & ejus celeberrimi studii fundatore dignissimo, viro revera timorato, justo, integro & pudicissimo, in eodem oppido celebraret, & sub summa Missa, quæ tunc in Ecclesia S. Thomæ Apostoli, per Reverendissimum in Christo patrem, Illustrem Principem & Dominum, Dominum Ernestum S. Magdeburg. Ecclesiæ Archiepiscopum, Germaniæ primatem, Ecclesiæ Halberstatt: Administratorem, ac Ducem Saxoniæ, verum ac religiosum cultus divini & reliquiarum sanctarum, ac pacis amatorem, adstantibus sibi Reverendis in Christo patribus & Dominis, Domino Tilone, Merseburg. dicti oppidi diœcesano, & memoratæ Universitatis Cancellario dignissimo, ac Domino Johanne Numburgens. Ecclesiarum Episcopo, & pluribus Abbatibus, solenniter & ornatissime in suis pontificalibus, celebrabatur, per illustres & potentissimos Principes & Dominos, Dominum Fridericum, S. R. I. Archimarscallum, Principem Electorem, & Dominum Fridericum, Duces Saxoniæ,* (hic postea Magister fuit Ordinis Teutonici Borussiæ) *fratres patrueles ad summum altare, ut moris est sponsas ducere, duceretur. Et dum ipsa, sic per medium ejusdem Ecclesiæ, & præsentibus ac in ambobus lateribus & omnibus partibus in magna & copiosa multitudine pluribus*

Prin-

A. 1539.

Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, militibus, nobilibus, ac harum terrarum Prælatis & proceribus, existentibus, & multis Ducissis ac mulieribus & virginibus generosis in vestibus suis ornatissimis nuptialibus eam sequentibus ac associantibus ducta, videret corpus dominicum a quodam Presbytero, tunc in quodam angulo ejusdem Ecclesiæ Missam legente, elevari, ipsa vestibus pretiosissimis auro & margaritis optimis contextis induta, mox & statim flexis genibus ad terram procidit, pectus suum devotissime pertutiendo, & ita illud, quod jus & ratio fieri mandat, humiliter ac attentissime exequendo, nec surrexit, nisi post factam sub utraque specie corporis Dominici elevationem. Et nisi fuisset & esset humilis ac devotissima, in præsentia tot Principum & hominum, & maxime tempore solennitatis nuptiarum, id haud fecisset; cum etiam personæ multo inferiores ac ejus respectu vilissimæ illud eo tempore minime fecissent. Et quamvis ita fieri fuerit justum, dignum & omnino debitum, cum quis se coram suo creatore, Domino & redemtore, nimium humiliare non possit, cum scriptum sit: humiliamini igitur sub potenti manu Dei, I. Petr. cap. ult. tamen cum hoc sit rarum, immo rarissimum, præsertim in tam nobili muliere, tantam ejus humilitatem ac virtutem ad perpetuam rei memoriam his inserere decrevi. Hæc erat Ecclesiæ illius temporis disciplina, quam in simplicioribus divina benignitas toleravit, licet ea a cœcis doctoribus, aut alia omnia, quam Dei gloriam & verum atque spiritualem cultum quærentibus, ortum haberet. Talis sane fuit *Balthasar* ille, ex cujus libello, quia sub *Georgio* Duce, summo Missatici cultus admiratore, vixit & scripsit, alia quædam referre haud abs re esse existimavi. Audacter tradit, modum celebrationis Missarum & consecrationis a Petro Apostolo in primitivam ecclesiam introductum esse, illumque ultra verba consecrationis orationem dominicam adjunxisse. Quærit, *cur non omnes Apostoli* (omittitur enim *Matthias*, & Paulus post Petrum inseritur) *nec alii Sancti, quam Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Chrysogonus, Johannes & Paulus, Cosmus & Damianus in Canone nominentur?* (præter eos nempe, qui postea in commemoratione recensentur, Stephanum, Matthiam, Barnabam, Ignatium, Alexandrum, Petrum, Felicitatem, Perpetuam, Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam & Anastasiam.) Respondet: *Canon iste ex inspiratione divina est compositus, ideo isti ex divina revelatione sunt inserti, & non alii: unde legitur, quod aliqui sancti patres hic voluerunt aliquos interserere & aliquos removere, in crastino vero nomina illorum, qui removebantur, aureis literis invenerunt inscripta.* Ad verba consecrationis; *qui pridie, quam pateretur, elevatis oculis in cœlum* (quæ in textu Evangelico non habentur) itidem notat: *ex revelatione divina addita esse*, ut & verba *ex hoc* (manducate omnes) ab Apostolis, & subjungit; *pronomen hoc ostendit, integrum corpus, & illa præpositio ex innuit, sub forma* (sive specie) *dividi. Nam sola forma per partes dividitur, & totum corpus manducatur.* Pergit: *Certissime credendum est, quando ista verba* (hoc est enim corpus meum) *proferuntur, & prolata sunt cum intentione conficiendi* (monet enim hanc vel actualem vel habitualem necessariam esse, alias nihil confici) *a sacerdote super materiam debitam, quod panis in corpus Christi convertitur, ex pacto & promisso divino, quod utique magnum & eximium est miraculum, quod tantam vim verbis Deus tribuit & sacerdoti conficienti.* Item, *fit crux ad convertendum panem in corpus Christi, licet Christus non fecerit crucem. In elevatione sacerdos morose retrahit corpus Christi, ad designandum, quod Christus desursum super altare in manus sacerdotis advenit, quamvis tamen dextram patris non relinquat.* Verba, quæ pronunciantur post *calix*, nempe *æterni & novi Testamenti, mysterium fidei*, secundum *Albertum* negat esse de substantia sanguinis, sed affirmat secundum *Thomam*. Narrat visionem monachi Cisterciensis, ex monasterio VValzensi, qui suum & Christi corpus unitum in pronunciatione verborum, *hic est calix*, senserit, idque per simile ferri igniti expresserit. *In die parasceves*, (scribit) *unum singulare agitur, hic memoratu dignum. Nam tunc in officio* (Missæ) *hostia consecrata in vinum non consecratum mittitur; hoc fit ideo, quia ista die Christus totus immersus erat in aquis tribulationis & figmentum fuit Jonæ: Vel quia die parasceves totaliter in suo sanguine est madefactus.* Ad verba; *nos tui servi*, annotat; *id est sacerdotes, quod ad literam; sic loquitur de ministris Ecclesiæ, successoribus Apostolorum, ut sunt sacerdotes, inter quos & Episcopos in primitiva Ecclesia non erat differentia.* Hoc postremum non insipienter scripsit monachus, quod hodie inter suos dicere ei non liceret. Interim mire fallitur, quod sacrificandi potestatem in illis vocabulis, *nos tui servi*, quærit, cum tamen aliter interpretari cogatur, quæ connexa sunt; dicitur enim: *nos tui servi & plebs offerimus:* ait igitur; *quod sacerdotes agunt ministerio, populus agit voto.* Ad verba: *jube hac perferri*, scribit: *id est corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia militans.* Quod post verba, *per Jesum Christum, Dominum nostrum*, omittatur *Amen*, rationem reddit, quia responderi credatur per Angelum. Ad verba: *ite, Missa est*, addit: *Angeli ad Apostolos dicebant, quid statis? Datur itaque licentia abeundi, vel hostia salutaris missa est pro vobis Deo Patri; vel vestra devotio missa est æthereis sedibus.* His delitiis pascebatur tunc populus Christianus ex obscuris monachorum antris. Recordor hac occasione tractatus *D. Joh. de Breitenbach*, Ordinarii tunc Lipsiensis, nempe *repetitionis c. 1. de stat. monach.* in qua Episcopis jurisdictionem in monachos suæ diœcesis asserit; Ibi mira utitur philologia, scribens: *Monachus dicitur a monos, id est, unus, & achos, id est, tristis: quod sedeat tristis, & officio suo vacet, & suo monasterio sit contentus.* Hoc Balthasar ille observans rectius fecisset, quam quod horribili illa Canonis expositione sacrosancti mysterii dignitatem profanavit. Discamus, comparata temporum conditione, collatisque iis, quæ nunc Lipsiæ ex sacrarum literarum fontibus hauriuntur, doctrinis, grata erga Deum mente felicitatem nostram agnoscere.

(c) *Quædam ex Balthasaris libello de Missa.*

Superest, ut ex *Raynaldo* afferamus, quæ *Cochlæus* ex Misnia profugus ad Cardinalem Contarenum de morte Georgii scripserit. Produxit ejus epistolam ex *MSS. Vaticanis* anno hoc 1539. *n. 18.* absque die, his verbis: *Dolorem nobis auget ferme in immensum horrenda de toxico suspicio, per quam populus Dresdensis vehementer furebat in Medicum, quando inopinata morte præripiebatur filius; suppressus autem patris autoritate aliquantisper popularis fremitus, nunc ex patris ipsius obitu vehementer recrudescit, atque invalescit suspicio, suspicantibus pluribus, ambos Principes nostros veneno periisse, moventur autem ad suspicandum ex accelerato utriusque obitu.* (Nonnullis de pietate ejus interjectis addit:) *Pastor Dresdensis, celebrata coram eo Missa, communionem sacram, & extremam unctionem ei impertiit, cum dixisset Orationem Dominicam, salutationem Angelicam & symbolum Apostolorum, atque crebro gratias Deo agens, dixisset: Benedictus Dominus Deus in omnibus operibus suis, expiravit XX. Aprilis MD XXXIX.* Hic primo fundamento caret, quæ de suspicione toxici susurrat Cochlæus, illudque crimen Protestantibus tacite impingit. Filium quidem Georgii *Fridericum* mortem sibi immodico Veneris usu & medicaminibus stimulantibus accelerasse, & alii conjecerunt, & *Joh. Fridericus* Elector in fragmento *historiæ MS.* annotavit. De Georgio vero LXVIII. annorum sene nihil tale cogitatum aut proditum est, dignumque hoc *Cochlæo* commentum fuit. Errat porro in die mortis, qui non est d. XX. sed XVII. Aprilis, quapropter nec in reliquis minus compertis fidem meretur. Præterea non minus calumniosa sunt, quæ III. Kal. Jul. d. 29. Jun. ad eundem Cardinalem (referente *d. l. Raynaldo*) scripsit, postquam magnum Lutheranismi progressum per totum Aquilonis tractum exaggerasset, *quod ad Lutherum & Pomeranum quotidie ex Misnia accurrant sartores & sutores depauperati, qui sacerdotes fieri cupiant.*

(d) *Cochlæi de morte Georgii & statu Misniæ relatio.*

Henricus eodem, quo frater decesserat, die, sero vespere, *Dresdam* venit, & prælatis facibus cum summo

(7) *Henrici successio.*

A. 1539. summo populi applausu exceptus est, conterritis & lugentibus sacerdotibus & monachis. Primores aulæ, ut autor *relationis MSS.* memorat, antea jurare soliti, se in exilium potius, relictis omnibus, profecturos, quam a veteri religione discessuros esse, jam præ se ferebant insigne de mutato Domino gaudium, tantaque erant in excipiendo *Henrico* promtitudine, ut famuli, quos secum adduxerat, descendentem ex curru juvare aut præsto ei esse non possent. Curationem funeris Consiliariis & familiaribus defuncti, *Carlevitio* inprimis improvide quidem (ut Elector postea monuit) permisit, & ipse id comitatus est *Misnam* deductum, ubi in sacello, quod sibi *Georgius* paraverat, (quia locus in veteri Principum crypta non supererat) conditum fuit. Cum vero sacra more recepto fierent, *Henricus* templo egressus est, & in arce concionem ab aulæ suæ Theologo, *Paulo Lindemanno*, habitam audivit. Elector Saxoniæ non multo post adfuit, & ampliorem exequiarum celebrationem, ad quam provinciæ nobilitas, quæ ad minimum sexcentis equis instructa comparuisset, invitanda erat, dissuasit, veritus, ne Henrici ingenium a negotiis difficilioribus abhorrens & senio debilitatum importunis postulationibus percellerent, aut pejora contra reformationem religionis molirentur. Constat id ex fragmento historiæ ipsius Electoris manu conscripto *Reg. O. fol. 63. Lit. BB.* & ex literis ad Landgravium d. 5. Maji datis *Reg. H. fol. 275. n. 116.* De testamento *Georgii* idem, quod Maimburgius & plerique alii, *Sleidanus* tradidit *Lib. XII. p. 343.* nempe quod hæredem scripserit *Henricum* fratrem, duosque ejus filios, *Mauritium* & *Augustum*, ea lege, ne formam religionis mutarent: nisi pareant, Cæsari & Ferdinando provinciæ regimen attribuens, donec agnati conditionem implevissent. Idem fere *Carlevitius* d. 28. April. Landgravio scripserat, excusans aut defendens *Georgii* judicium eo tendens, ut *Henricum* ad observationem fœderis Norimbergensis adigeret, quod *Carlevitio* aliisque ex proceribus utile videbatur. Eorundem consilio uxori Landgravii filiæ suæ viginti florenorum millia legaverat Georgius, & totidem Electoris Brandenburgici ex altera filia ante patrem defuncta liberis. Istorum itaque benevolentiam captabant, qui Georgio a consiliis erant, multasque conditiones *Henrico* proponebant. Verum Elector, ut ex literis illius d. 12. Maji ad Landgravium datis percipitur, ostensum ab Henrico testamentum Georgii nullarum virium esse censuit, cum manu ejus (mit seinem handzeichen) firmatum non esset, & pactis familiæ Saxonicæ atque Hassiacæ (der Erbverbrüderung) adversaretur, quibus prohibita est legandi facultas ultra certum modum. Observavit etiam Elector, Georgium non disposuisse de provincia ad Austriacos transferenda, sed tantum de pecunia, cujus tamen summa minor opinione reperta fuit, & magna ex parte a fœderatis Norimbergensibus deposita apud Georgium fuisse dicebatur. Inspectis tabulis illis qualibuscunque Elector Henrico autor fuit, ut eas minime agnosceret: quæ res Electori magnam conflavit invidiam, etiam apud Landgravium & Brandenburgicum Electorem, tum apud Ordines provinciæ. Sed ista ab instituto nostro paulo remotiora præterimus. Reformationi, quam Elector omnibus modis Henrico commendabat, solita obstacula objiciebantur, minæ nempe & blanditiæ atque subdolæ artes: Minæ a Ferdinando Rege admovebantur, sed intra verba & literas substiterunt.

(8) *Exequiæ Georgii.*

(9) *Consilium Electoris Henrico datum.*

ADDITIO III.

Ferdinandus Rex (*Reg. N. fol. 132. SS. n. 7.*) d. 16. Maji Praga ad *Henricum* scripsit, se audire, (licet credere nondum velit,) moliri eum nova in Principatu a Georgio relicto, circa veterem Christianam religionem & ritus Ecclesiæ; id adversari pacificationi Norimbergensi in Ratisbonensibus Comitiis confirmatæ, & nuperis actis Francofurtensibus, & querelas orituras esse ab Episcopis Misnensi & Mersburgensi, aliisque sacris collegiis. Addit, Misnensem Episcopum esse Imperii Principem, itaque ab omni innovatione Ducem desistere debere. Exemplum responsi, quod in *Archivo Vinariensi* absque die extat, exceptiones continet adversus interpretationem pacificationum, quas Rex allegaverat; illas enim ex informatione Electoris Saxoniæ, qui ad Mediatorum, *Moguntini* & *Palatini* conscientiam provocaverat, ita intelligi debere scribit, ut Principibus liberum manserit, in suis ditionibus statum religionis secundum verbum Dei & conscientiam ordinare, se itaque qui verbum Dei & Evangelium per Dei gratiam agnoverit & Augustanam Confessionem assumserit, tota vita constanter profitendam, religionem ita ordinaturum esse, ut confidat, se de ea re Deo, & Concilio Christiano & libero, Cæsareæque & Regiæ Majestati respondere posse. Quod & quale vero jus in Episcopatus Misnensem & Mersburgensem, ut & Numburgensem, Principes Saxonici habeant, notorium esse. Licet vero Episcopi ab Imperio privilegia aut investituras accipiant, idque etiam Abbates quidam faciant, Principes tamen non concedere, ut immediate propterea Imperio subsint & locum inter ordines ejus obtineant, neque ipsos aut prædecessores eorum id affectasse; quoties etiam in album contribuentium Imperio relati fuerint, revocatos, & collectas eorum in Principatus rationes illatas fuisse, neque ab hoc ave'li posse. Non acquievit his Ferdinandus, sed missis *Sebastiano a VVeitmühle*, Commethaviæ Dynasta, Feudorum Germanicorum, a Bohemia dependentium, Capitaneo supremo, (teutschen Lehen-Hauptmann) & *Christophoro Mendorfio*, Consiliario, oretenus repeti jussit, quæ ex pactis Norimbergensibus & Francofurtensibus in literis suis allegaverat, rejecta Henrici atque Electoris interpretatione. Præterea urget fœdus a Georgio cum Imperatore, Rege, aliisque Principibus & Ordinibus Imperii initum, in quo non per se solum, sed & pro hæredibus & provinciis sese ad annos undecim obligaverit, ad veteris scilicet religionis conservationem, tum etiam testamentum fecerit, in quo Henricum hæredem ex asse instituerit, sed inter alia hac conditione, ut in illo fœdere persisteret: ad hoc igitur Henricum ejusque Ordines provinciales obligari, aut neglecto hujus conditionis implemento, spretisque pactis supra allegatis, magna sibi incommoda paraturos esse. Addit, jus provincialibus omnibus, ex istis dispositionibus acquisitum, illosque fœderis participes esse, Episcopos maxime. His itaque auxilium denegari a Rege non posse; neque sperari a fœderatis Protestantibus auxilium debere, obstantibus pactis publicis. Ista omnia prolixe exaggerarunt, additis exhortationibus, satis tamen temperatis. Ad hæc Henricus d. 27. Jun. *VVeitmühlio* (*Mendorfii* enim nulla fit mentio) responsi loco scriptum exhibuit, in quo iis, quæ de sensu pacificationum nuper a se regesta erant, breviter & simpliciter insistit, testatus se ab illa sententia discedere non posse. Fœdere, quod Georgius frater inierit, se non obligari; nihil sibi de testamento fratris, ex quo illi succedere debeat, notum esse, jus suum ex pactis fraternis aliisque fundamentis nasci; petit itaque, ut sibi in ditione sua modus non præscri-

(a) *Ferdinandi ad Henricum epistola.*

(b) *Henrici responsum.*

(c) *Legati Ferdinandi ad Henricum.*

(d) *Alia cum his Henrici.*

A. 1539.

(e) *Electoris consilium.*

præscriberetur, si quod inde incommodum sibi intentaretur, de eo ad amicos esse relaturum. Probavit hæc Elector, literisque Pirna ad *Johannem a Pack* d. 8. Julii datis, Henrico exponi jubet, ad animum se revocasse, quodRex testamenti fraterni mentionem fecerit, itemque quod provincialibus fœderis consortium afferat; addit, se quidem non suspicari, quod Rex vim paret, neque facultates ejus id nunc ferre, nec Henrico defuturos eo casu fœderatos esse; consultum autem sibi videri, ut Henricus Episcopo Misnensi & veteribus Consiliariis, *Rudolfo Bunavio, Carlevitio*, Cancellario, *Commerstadio, VVolfgango Schönbergio*, aliisque ad se vocatis repræsentet, quam molestum sibi sit, quod Rex de testamento Georgii secum expostulaverit, quod tamen hic non perfecerit, a Deo ante subscriptionem ex vita evocatus: mirari igitur, & scire velle, a quo talia adRegem relata sint, id enim contra officium & fidem factum esse, (hoc maxime imputabat *Carlevitio*, qui literas ad Ferdinandum dederat) nec minus improbabat, quod Rex ad auxilia provincialibus suis ferenda promtum se in nupera legatione declaraverit, ex fœdere scilicet, quod tamen ad subditos non pertineat; responderent igitur, an Regis auxilium imploraverint: ex illa responsione Ducem intellecturum esse, quid porro sibi statuendum foret. Quid secutum sit, non invenio, effectus tamen ostendit, a Ferdinando nihil metuendum fuisse.

(10) *Johannis Episcopi Misnens. propositio ad Henricum de reformatione.*

Ad blandimenta & calliditates conversus est Episcopus Misnensis, *Johannes*, ex nobilissima *Maltitiorum* familia, (qui *Johanni Schleinizio* anno 1538. defuncto successerat) *Julii Pflugii* Decani industria usus, de quibus hic paulo prolixius agendum est. Ab initio quidem & statim post mortem Georgii, antequam Elector ex Francofurtensi conventu advolans, Henricum confirmasset, jure quasi suo literis d. 22. April. datis ab illo postulavit, ne quid in religione innovaret, pollicitus, seipsum de pia reformatione cogitaturum. *(Reg. Y.fol.143.D.2.)* Sed postea *(Reg.N.fol.536.SS. n.8.)* d. 9. Jun. *Pflugium* Decanum supra dictum, cum *Bennone ab Heyniz & Henrico a Bünau* Canonicis Misnensibus, ad *Henricum* misit, eique libellum CXCV. foliorum exhibuit, cui titulum fecit: *Doctrina Christiana generalis de articulis cuilibet fideli scitu necessariis.* (Eine gemeine christliche lahr in articuln/ die einem ieden Christen zu wissen von nöthen/) Præmissa est allocutio ad Principem modesta, in qua repetitis breviter, quæ nuper petiisset, ut nempe Dux Episcopatum & Clerum suum ad exemplum majorum suorum tueretur, exponit, quomodo promissi memor & pro officio suo ad salutem populi, ob dissidia in religione periclitantis, doctrinæ Christianæ & orthodoxæ compendium conscribi fecerit, quæ per totam diœcesin suam servaretur; eam igitur, ut Princeps desideraverit, nunc exhibere, ex verbo Dei desumtam, adeoque divinam. Fore autem sperat, ut per hanc erroribus & atheismo obviam eatur; fatetur tamen se articulos quosdam disputabiles, quorum notitia Laici carere possint, præteriisse. Quanquam vero multi utiles libelli de Sacramentis extent, in eo tamen se esse, ut & de his aliquem, itemque instructionem utilem edat, ex qua de ceremoniarum intellectu populus erudiatur. Non dissimulat, paucos esse ad ministeria Ecclesiæ idoneos, & scholarum instaurationem requiri, quæ in hac provincia decrementum passæ sint; egisse se nuper tempore quadragesimæ cum antistitibus monasteriorum, ut de eo, quod ex reditibus suis superfit, sumtus suppeditent, Magistrum etiam *Rivium*, quo Princeps ad erudiendum filium secundogenitum, *Augustum*, utebatur, elegantem methodum institutionis scholasticæ suo mandato composuisse. Cogitare porro de lectoribus, qui sacram Scripturam explicarent, & quoniam ex monasteriis optimi concionatores huc usque desumti sint, maximique nunc æstimentur, (Hæc callide; ut etiam de Luthero & sociis quibusdam, monasterio egressis, intelligi possent,) tanto magis opus esse, ut illa conserventur, & monachi ad studia excitentur. De Synodis etiam & visitationibus diligenter a se instituendis spem facit, confidens, conscientiæ satisfacturum se & emendationem promoturum, immo futurum etiam, ut vicini & exteri assensum potius his institutis suis præbeant, quam odio & ira adversum se accendantur. De Cæsaris voluntate non dubitat, quin eo tendat, ut concordia in religione per totum Imperium constituatur, & virium conjunctio adversus Turcos fiat. Implorat inde protectionem Principis, & querelas addit, quod Dresdæ divini officii & Sacramenti (*Missam* intelligit) celebrationem prohibuerit, restitui eam petit, & ita sese in administratione ecclesiastica gesturum esse pollicetur, (tenuitatem licet suam agnoscens) ut & Deo & Principi satisfiat. Liber ipse continet explicationem Symboli Apostolici *a fol. 1. ad 78.* & inde Decalogi usque ad finem. Secutus autem est autor & stylum & magna ex parte sententiam Lutheri & sociorum, ubicunque nempe id sine aperto Romanorum dogmatum detrimento facere potuit, & ab acrimonia refutationum & censurarum abstinuit, ita ut vel *Pflugii* vel *Vicelii* opera satis in libro hoc conspiciatur, isque merito ob insignem in multis articulis observatam veritatem commendari possit; certe ad id tempus nihil simile ab Episcopis editum esse ostendi poterit.

A. 1539.

(11) *Contenta ejus quædam.*

Henricus tempore ad legendum librum opus esse respondit, dimissisque Legatis, confestim epistolam Episcopi & volumen libri Electori Vinariam transmisit, ubi adhuc in *Archivo* Principum, cum notis quibusdam Lutheri, Melanchthonis & Pontani Cancellarii, manu margini adscriptis, reperitur. Acceptum Elector Theologis Wittenbergensibus & Melanchthoni misit d. 22. Junii, mandans, ut, quod sibi de illo videretur, & quale responsum ab *Henrico* Episcopo dandum esse putarent, propediem aperirent, non celantes fraudem & fucum, quem forte in scripto hoc deprehensuri essent. Illi haud segniter mandato obsecuti d. 1. Jul. Electori literas scribunt, quæ undecim folia complent. Testantur, se omni cum diligentia legisse Misnensium sacerdotum commentum; (der Meißnischen Pfaffen Gedicht) reperisse, ab initio id in multis articulis speciose & pulchre incedere (es prange schön) suisque (Wittenbergensium) plumis ornatum, (mit unsern federn geschmückt) nihilominus plenum veneno esse, & verbum Dei ad obtegendas criminationes & persecutiones confirmandas adhiberi. Notant inprimis, hoc scripto verbis durissimis damnari doctrinam, quam Princeps Henricus cum tot aliis sequatur, quæ tamen in nullo Concilio damnata sit, & ex qua ipsi libro huic suo ornamenta quæsierint; hoc fuco Principis senio confecti mentem & conscientiam turbare & provinciæ

(12) *Henrici responsio dilatoria.*

(13) *Lutheri & Collegarum de illo judicium.*

A. 1539.

ciæ Proceres ab eo distrahere velle. Utut vero speciose jactetur concordia, disciplina, autoritas Principis & Ecclesiæ, respondendum tamen esse censent Misnensibus ab Henrico, quod scriptum illud pro eo non habeat, quod ad emendationem profuturum sit; immo gravari se haud parum, quod religionem, quam huc usque inter minas & pericula professus sit, in eo condemnent. Tres dein rationes adducunt, ob quas liber rejici debeat: (1) quod paucos articulos, eosque callide incrustatos, contineat, præcipua autem, de quibus controvertitur, sicco pede transeat, nempe *Missas solitarias, communionem sub utraque, & conjugia Cleri*; subdole enim agere, si hos tecte intelligant, cum dicunt: consuetudines Ecclesiæ servandas esse, neque minus culpandos, si putent, hos tales esse, quos Laici ignorare possint. (2) Injuste & contumeliose accusari Protestantes, quod ab Ecclesia desciverint, nec salvari possint, nisi ad eam redeant, item quod iram Dei incurrant, dum contra charitatem & concordiam Christianam peccent; hæc quidem insidiose occultasse & incrustasse, (wie bundwerck) sed non tam obtusos esse Wittenbergenses, quin sophismata intelligant. Allegant autem ad gravaminis hujus probationem verba libri *fol. 55.* ubi dicitur: *Si qui in factionem coëunt & singularia sectantur, quod Ecclesiæ communi illiusque consuetudinibus & ritibus non congruit, seque solos pro vera Ecclesia venditant, ab his cavendum est, schismata enim faciunt, & contra Ecclesiam peccant, quæ est columna veritatis 1. Tim. III. deficiunt a vera fide, & se ipsos seducunt, qui enim deserit sponsam Christi, Ecclesiam, ille etiam Christum deserit.* *Melanchthon* margini adscripserat; *At unitas Ecclesiæ non est in traditionum humanarum unitate.* Dein citant *fol. 151.* ubi dicitur: *Qui schismata in Ecclesia Dei adversus magistratum Ecclesiasticum faciunt, iram Dei incurrunt, violant enim manifeste charitatem proximi & concordiam Christianam ab Apostolo 1. Cor. I. requisitam.* Regerunt ad hæc Wittenbergenses, se quidem multos ritus mutasse, neque tamen ideo schismaticos aut hæreticos habendos, aut membra veræ Ecclesiæ Christianæ esse desiisse; schismaticorum, hæreticorum & persecutorum nomen illis merito tribui, a quibus ipsi condemnentur. Agnoscunt, in Ecclesia Pontificia dispersos esse pios Christianos, qui radium quendam Evangelii nunc prædicati habeant (einen glantz vom Evangelio) neque in persecutiones consentiant, at persecutores non esse Ecclesiam, sed anathemate a Paulo notatos *Gal. I.* ideo concordiam seu unitatem Ecclesiæ non consistere in communione errorum cum illis, qui Ecclesiæ nomen & gubernacula gerunt, sed errores corrigendos esse. Inter errores autem habent Missas solitarias, sublatum calicem, vitam monasticam, invocationem Sanctorum, ignorationem fidei, heterodoxiam de pœnitentia, satisfactionem, indulgentias, falsum cultum Dei, per opera Dei verbo non præscripta, & Evangelio ab initio veræ Ecclesiæ divulgato incognita. Hæc omnia ex præcepto Apostoli *1. Cor. X.* (*fugite idololatriam*) evitari debere. Ipsos adversarios & libri autores non latere, ajunt, hos errores, itaque ab iis sileri, aut ex Wittenbergensium doctrina fuco illini, id quod pluribus prosequuntur, adduntque, si schismatici sint, qui nova introducunt, tales utique esse Pontifices, qui multa primi innovarint contra veterem doctrinam. Neque enim ab initio privatas Missas fuisse, Sacramentum integrum exhibitum esse, sacerdotibus conjugia permissa fuisse, sanctos non esse invocatos, aliaque plura, quæ antiquis execrabilia futura fuissent, inter quæ etiam referunt monarchiam Pontificis Cæsaream. Opponunt non pauca adversus legislationem Ecclesiasticam, conscientias irretientem, & ejus, licet caute in quibusdam dissimulata, vestigia ex libro ostendunt. (3) Errores in articulo de justificatione indicant. Fatentur quidem, autores libri de fide pulchre locutos esse, quædam tamen subdole & obscure posuisse; indefinite dicere, fide in Christum impetrari remissionem peccatorum, sed ab exclusiva abstinere, ut locus sit operibus una cum fide justificationi subtiliter admiscendis, hoc enim, regnante *Georgio* Duce, aperte Misnenses docuisse, expressius etiam de renovatione, ejusque merito loqui debuisse, multos enim inter Pontificios fateri, hominem sola fide renovari prima justificatione, secundam autem succedere ex propria hominis virtute. Taxant similitudinem *fol. 132.* adductam de colono, qui operas hero debitas bene præstat, & mercedem, quam pro iis exigere nequeat, præmii tamen nomine ab eo accipere possit: monstrant enim differentiam, quod operas illas perfecte præstare possit colonus, at homines opera nulla præstent, quæ perfecta sint, ideoque quæ pro illis a Deo accipiunt, mercedis nomen habere non posse. His aliisque deductis, constare sibi, ajunt, quod Episcopus in ditione sua edixerit, omnia in statu, quo sub Georgio Duce fuerint, conservanda, & refragantes puniendos esse; Silesios etiam suæ diœcesi subjectos apud Ferdinandum Regem accusasse, quod sacerdotes uxoratos haberent; & inde petunt, *ut Elector Henrico autor sit, ut librum rejiciat, Episcopum vero hortetur, ut a condemnatione abstineat, & ad meliorem ac sinceriorem emendationem animum inducat, quæ vero Dux Dresdæ adversus Missam ordinaverit, tuenda esse.* Subscripserunt *Lutherus, Jonas, Melanchthon.*

(14) *Defectus ejus allegant.*

(15) *Contumeliosam esse dicunt.*

(16) *Errores notant.*

ADDITIO IV.

Responso illi de proposita ab Episcopo Misnensi reformatione alias paginas adjecerunt *Lutherus, Jonas & Pomeranus*, in quibus fœdera pro defensione religionis inita defendunt. Hæc enim Episcopus in explicatione primi præcepti tecte reprehenderat, idololatriæ subtilioris accusans eos, qui fiduciam in fœderibus ponant: cum tacita scilicet Henrici sugillatione, quod Smalcaldicis accessisset. Et fiduciam quidem Lutherus cum Collegis rejicit, ipsum tamen jus fœderum ex sacris literis probat, & applicatione ad Principes facta, defensionem adversus pares (wider alle gleiche Stände und Neben-Fürsten) justam, immo a DEO præceptam, ex *Rom. XIII.* & *Jes. I.* pronunciat. Eandem non improbat adversus Imperatorem & Reges, si vi manifesta agant, & pro confirmatione errorum & blasphemiæ arma capiant, tum Ecclesiæ ministros piosque cœtus occidere & legitima conjugia dissolvere velint. His eodem jure, quo latronibus, qui in via publica homines aggrediuntur, resisti posse statuit: per Evangelium enim non tolli jus divinum & naturale; allegat dictum Pauli: *Lex est injustis posita*, unde etiam sub Evangelio contra vim retineri debeat. Addidit quædam sua manu, quibus Episcopum cum suis irridet; suadet deinde (1) ut Henricus Missas privatas

(a) *Lutheri & Collegarum sententia de jure defensionis.*

(b) *Lutheri de agendis ab Henrico consilium.*

A. 1539.

tas in monasteriis interdicat, toleret autem monachos eorumque cantus, (ihr loren) donec ipsi abeant aut extinguantur. (2) Ut idem fiat *Misnæ* & *Stolpæ* in collegiis Canonicorum. (3) Ut etiam in ditione Episcopi temporali *Henricus* autoritate supremæ jurisdictionis visitationem instituat. Idem prolixius in pagina quadam, *Reg. N. fol. 532. S S. n. 7. Tomo VII. Alt. fol. 381.* inserta, tractavit.

(17) *Alia Episcopi ad Henricum literæ.* Interea *Episcopus* iteratas ad Henricum literas d. 27. Jun. dedit, in quibus a libro, per Legatos suos oblato, exorsus, quem placiturum Duci esse sperat, vehementer queritur de abolitione Missæ, quæ tamen sit commemoratio mortis Christi, & quod absque suo consensu visitationem Dux instituerit, quæ pertineat ad officium Episcopi. Post hæc (de libri approbatione, ut videtur, dubitans) proponit, ut decem viri, ex nobilitate & Theologis a se & Duce delecti, de religionis causa & concordiæ mediis deliberent. Ad ea *Henricus* d. 1. Jul. respondens, priores suas literas (quas non reperi) itidem allegat; Pastores a se removeri negat nisi eos, qui a Missa solitaria & communione sub una abstinere & Sacramentum ex instituto Christi administrare nolint. Delectum decemvirorum recusat, admissurum se tamen Episcopi delegatos ad visitationem d. 8. Julii instituendam indicat, laudatque, quod reformationem polliceatur, sed non celat, *se secundum formulam Aug. conf. ordinaturum esse sacra.* His jam irritatior *Episcopus* d. 4. Jul. Missas iterum defendit, & in Augustana confessione (cavillo jam tum invento) Missam probari dicit; negat deinde, prohibitam esse communionem sub una in sacra Scriptura: dein Augustanam confessionem diserte improbat, non acceptam in comitiis, sed rejectam esse, dicens, allegato Recessu August. Rejicit etiam introductam Baptismi formulam Germanicam. Hic tunc, ut judico, contentionis finis fuit; spes certe nulla conciliationis cum Episcopo superfuit. Nec plus profectum est apud Episcopum Mersburgensem *Sigismundum a Lindenau*, cujus diœcesi Lipsia aliaque loca suberant: Requisitus enim, ut suos ad visitationem institutam mitteret, d. 4. Julii respondit, sibi id ex fide & juramento, proprioque judicio non licere (bey seinem eyd und pflichten auch verstand zuwider) rogans de cætero, ut Dux sibi & Episcopatui suo benigne favere velit (solte sein und seines Stiffts gnädiger Herr seyn.)

(18) *Henrici responsum.*

(19) *Literæ Henrici ad Episcopum Mersburg. & hujus responsum.*

§. LXXII.

(1) *Historia reformationis Misnicæ.* Jam de processu reformationis machinis illis frustra impugnatæ agendum est, quæ hoc anno in tota *Henrici* provincia per Misniam & Thuringiam (in Saxonia enim, cujus mentionem facit Maimburgius, proprie sic dicta, nihil possedit Georgius, neque Henrico reliquit) celerrime peracta est. Dissimulare tamen hic non possum, potitum me non esse copia documentorum ex *Archivo Dresdensi*, quorum communicatio ex rescripto Electorali d. 25. Junii 1684. cujus exemplum Operi huic præmisi, sperari poterat. Oborta sunt publica & privata impedimenta, & ego vix labori suffeci, ad perlustranda tot *Vinariensis Archivi* volumina. Ex his tamen, quia *Henricus* pleraque consilio Electoris, & ope Theologorum ab eo missorum, expedivit, multa memoratu digna fideliter exhibeo, donec vel a me, si Deo placuerit, vel ab alio, cui plus vitæ & virium super-

A. 1539.

(2) *Notatur Maimburgii iniqua censura.*

perest, ex actis uberioribus plura eruantur. Rejicienda ante omnia est futilis & calumniosa Maimburgii nota, quam *Sect. 19.* incolis provinciarum a Georgio ad Henricum devolutarum, immo reliquis etiam Germanis inurere voluit, cum scribit, miseras illas gentes infirmum fidei fundamentum habuisse, & ad religionem paratas fuisse, non quæ Deo, sed quæ Principibus placeret. Miseriæ quidem sive imperfectioni humanæ Misnenses & Thuringos non minus, quam alios, subjectos esse, non ambigitur; valde tamen inique & imperite judicat Gallus, si illis aut stuporem aut servilem indolem præ aliis tribuere voluit. Multorum enim seculorum experientia docet, has gentes ingenii dotibus & honestæ libertatis, quanta sub legitimo principatu subsistere potest, studio multis aut pares aut superiores, paucis inferiores esse. Quod vero fidei fundamentum attinet, explicandum foret, quale intellexerit Maimburgius. Si illud, quod & tunc urgebant, & hodie doctiori licet & politiori seculo magno hiatu, minori tamen cum applausu prædicant hierarchiæ Romanæ propugnatores, autoritatem scilicet Ecclesiæ, qualem illi depingunt, non ausim asserere, sapientiores aliis regionum istarum incolas illo tempore fuisse: immo si Episcopatus & Canonicorum atque monachorum utriusque sexus sodalitia, magno numero & sumtu fundata & dotata, spectentur, vix alii faciliores fuerunt ad obsequendum cum magno facultatum suarum dispendio persuasionibus sacerdotum: pari nempe cum reliquis laborabant ignorantia veræ pietatis & religionis, & vicaria Cleri opera optime coli Deum, & peccatorum vel præteritorum veniam, vel futurorum licentiam, acquiri posse opinabantur. Si vero fundamentum fidei (ut ego quidem cum tota Ecclesia puriori persuasus sum) in cognitione veritatis quærendum est, quam sacræ literæ piis & sedulis lectoribus & auditoribus, aut fidelia ex illis compendia, ore aut scripto proposita, etiam simplicioribus afferunt, affirmari potest etiam Georgii Ducis subditos fundamenti illius, si non exactam, talem tamen notitiam habuisse, qua ad majorem profectum, concessa jam libertate, facile aspirarunt & pervenerunt. Nullus enim rigor Georgii impedire penitus potuit, quo minus homines ad vicina Electoratus loca ad audiendam doctrinam Evangelicam excurrerent, aut ex frequentissimis cum ejusdem gentis hominibus commerciis gustum quendam ejus perciperent; neque a legendis clam libris Lutheri abstinebant. Multi etiam ex nobilitate & insignibus urbium incolis cum vitæ & fortunarum periculo, ut in loco dictum est, publicam professionem ediderant. Questum præterea audivimus, in anni præteriti historia, Georgium de desertis monasteriis & vacantibus parochiis in sua ditione, & Carlevitius Pontano affirmavit, plus quam trecentos in provincia cœtus sacerdotibus carere. Atqui vivo Georgio, si placendi solum studium subditis fuisset, adhærere utique priscis superstitionibus potuissent, cum vero eas nitente licet in contrarium Principe, aspernarentur, immo nec essent, qui eas populo amplius proponere vellent, multoque pauciores eas retinere; satis demonstratum esse puto, gentes illas, quarum miseretur Maimburgius, non ad placitum Principis, sed ex sui judicii libertate

(3) *Præparatio & inclinatio subditorum Georgii ad reformationem.*

A. 1539. libertate religionem elegisse. Id cum facerent, sævis licet imperiis repressi, quid mirum, si uno quasi impetu & concursu oblatam a novo Principe libertatem audiendi Evangelii & utendi ex simplici instituto Christi Sacramentis, læti & lubentes arriperent. Certe si aliis nationibus, quæ etiamnum in summa religionis ignorantia versantur, infinita adscititii cultus varietate & mole obrutæ & præterea suppliciorum & exiliorum metu ab omni proficiendi in veritatis cognitione spe & conatu remotæ, eadem contingeret gratia, ut de capitibus fidei salvificæ tantum audirent & intelligerent, quantum Georgii subditi jam ultra viginti annos ex vicinorum commercio perceperant, essentque Reges & Principes, qui *Henrici* exemplo discendi meliora potestatem facerent, quis futurum esse dubitaret, quin eadem celeritate & promtitudine veritas cum plerorumque applausu acciperetur, & tota illa fictitii cultus scena & pompa evanesceret, illis forte saltem ei inhærentibus, quibus affectata illa religiositas honores & opes parit, aut artes honestæ desunt, ex quibus commode vivant? Sed ad *Henrici* acta nunc progredior. Opus illi erat, ut dixi, consilio & autoritate Electoris, ut in proposito firmaretur & Procerum provinciæ quorundam oppositiones superaret, qui emendandæ religionis necessitatem, etsi forte agnoscerent, evitabant tamen ob ingentia, quibus Electorem & alios subjacere videbant, pericula ab ira Cæsaris, Pontificis & tot potentissimorum Principum. Elector, ut ipse in *MS.* allegato pluribus commentatur, in simultatem quandam non tam cum Henrico, quam cum conjuge ejus, quæ multum in negotiis publicis poterat, inciderat, de qua hic dicendi locus non est. Nihilominus pro summo, quo flagrabat, veræ religionis promovendæ zelo, cum domum Francofurto rediens mortem Georgii intellexisset, Giessa Hessorum, ubi Landgravium convenerat, Legatis in conventu relictis mandavit, ut reliquos etiam ad aliquot dies retinerent, quo consultari de auxilio Henrico ferendo posset. Licet vero omnes domum festinarent, polliciti tamen sunt officia ad illum finem: ipse vero ad Henricum juvandum advolavit, paratus, si, quod spargebatur, vis illi a fœderatis Norimbergensibus immineret, omnibus viribus ei adsistere. Eodem animo erat *Landgravius*, diserte scribens d. 24. April. Electori, se potius de sua provincia & omnibus facultatibus periclitaturum esse, quam permissurum, ut Georgii ditio Henrico & filiis eriperetur. *(Reg. H. fol. 275. n. 116.)* Communicato itaque cum illo consilio Elector *Bernhardo a Mila* celerrimis nunciis significavit, ut copias, quas in inferiori Saxonia paratas ad stipendia habebat, retineret. Differri etiam dimissionem peditum in Suevia conscriptorum, licet in conventu decretam, voluit; sed cum fama de bello ex Bohemia, vel ab Henrico Brunsuicensi, metuendo mox evanesceret, ab omni illo apparatu cessatum fuit, & copiæ dimissæ sunt. Cum deinde ad Henricum venisset, Elector occupatum quidem aliorum consiliis & maxime *Antonii Schonbergii*, neque illius aut conjugis erga se animum, ut olim, invenit; sed isthæc omnia pia mente dissimulavit, & id unice egit, ut Papatus in provincia a Georgio relicta aboleretur, & Henricus regimen suum, non impeditus a provinciæ Proceribus, instituere posset. Hortatus itaque est Henricum, ut nihil moraretur prætensum illud Georgii testamentum, utpote invalidum, conscientiæ & juri naturali atque scripto, ut & Saxonicæ familiæ pactis & consuetudinibus contrarium; offerebat illi omnes facultates suas, & quod odium Cæsaris & Ferdinandi, offensasque Ordinum provinciæ in se susceptururus esset. Hæc omnia Elector gravissimis verbis in *MS.* illo uberius explicat, & de summa fide & sinceritate sua erga agnatum enixe testatur. Effecit etiam, de quo maxime in literis d. 12. Maji ad Landgravium datis lætatur, ut se præsente Dom. Cantate d. 4. Maji in *monte S. Annæ* (seu *Annaberga*) populosa & ex argenti fodinis opulenta tunc urbe Evangelicæ conciones haberentur, mane quidem a concionatore Henrici *Lindemanno*, a meridie vero a *Myconio*, quem adduxerat, refertque incredibilem hominum multitudinem adfuisse. Paulo post in festo Pentecostes *Lipsiam* ad Henricum profectus, Lutherum secum duxit, id quod in historia MS. his verbis ex Germanico stylo versis ipse Elector narrat: *Convenerunt Lipsiæ Elector & Henricus, & in festo Pentecostes d. 25. Maji abusus Pontificii in omnibus templis cessarunt, prædicato in omnibus (Deo sit laus) verbo Dei & administrato secundum ejus præscriptum Sacramento, celebrataque Missa Christiana. D. Mart. Lutherus ab Electore adductus aliquas valde pias conciones in arce & in æde parochiali habuit, quod utique pro magna Dei gratia æstimandum est. Sic impletum fuit vaticinium Lutheri, multos ante annos pronunciatum, dicentis: Video Georgium Ducem non desinere verbum Dei ejusque prædicationem & pauperes Lutheranos persequi, immo indies vehementiorem fieri, sed durabit mihi vita, ut illius totam stirpem a Deo extinctam videam, & ego Lipsiæ verbum Dei prædicabo.* Addit Elector: *sicut & factum est.* Item: *Henricus Dux & Elector Lipsia Grimmam profecti, Lutherum eadem rheda secum vehebant.* Hoc, considerato priori Lipsiæ statu, prodigiosum erat. Primam concionem Lutherus habuit in sacello arcis profesto Pentecostes, quæ extat *Tom. VII. Alt. fol. 297.* de qua postea agam, cum de scriptis Lutheri hoc anno tractandum erit. Sequenti Dominica Pentecostes ante meridiem in templo D. Nicolai concionatus est *D. Justus Jonas* Præpositus Wittenbergensis, a meridie Lutherus. Cum uterque beneficium Dei in liberanda civitate a jugo Pontificiarum legum & dura persecutione extolleret, in genua (ut *Schneiderus* in *Chronico Lib. IV. p. 184.* refert) procubuerunt auditores, multisque cum lacrymis Deo gratias egerunt. Malignus hic est Maimburgius, cum una concione Lutheri Lipsiam Lutheranam factam esse scribit, levitatem scilicet populi arguere volens. Verum, ut dixi, dudum præparata erat magna civium pars ad Evangelicam doctrinam, & audiendi eam cupidine flagrabat; superfuit tamen non exiguus in constituenda religione in urbe illa labor. Festinabat, ita suadente Electore, Henricus, ut præveniret infida quorundam ex suis consilia & Elector Pontani & Wittenbergensium Theologorum sententiam, quomodo procedendum esset, rogaverat. Eorum responsa *Reg. J J. fol. 141. D, 1.* extant, inter quæ

(4) *Elector juvat Henricum in negotio reformationis.*

(5) *Electoris relatio de actu Lips.*

(6) *Conciones ibi a Luthero habita.*

(7) *Wittenbergensium & Pontani de visitatione consilia.*

A. 1539.

quæ eminet, quod *Pontanus* d. 6. Julii summa cum prudentia composuit. Proponit inter alia exemplum Johannis Electoris, qui antequam visitationem institueret, reformationis opus per conciones Evangelicas & per rescripta & alloquia procerum ad curiam sive Cancellariam vocatorum, tractaverat, inde facilius successisse significat visitationem; fatetur tamen superfuisse, quæ emendationem ulteriorem poscerent, eamque per Consistoria commodissime fieri posse existimat. Scribit etiam, se aliquam Consistorii formam, præcipue in causis matrimonialibus, nunc Wittenbergæ, & gratis quidem sive absque salario, inchoasse, valde probante Luthero. Et hæc prima *Consistoriorum* rudimenta in Saxonia fuerunt, quibus postea in melius formatis administrationi & inspectioni Ecclesiarum magno cum successu prospectum fuit. His modis usus etiam est Henricus, festinans quidem ex causis, quas dixi. Primum omnium edicta promulgavit, quorum formulam Spalatini manu d. 9. Julii conceptam *d. l. Reg.* 𝔇. *2.* reperio, quibus Missæ solitariæ sive sacrificatoriæ & communio sub una prohibebantur, (id quidem Dresdæ statim a morte Georgii factum erat) conciones etiam fieri jubebantur; sed magna erat virorum, qui ad eas idonei essent, penuria, ideoque subsidia ab Electore petita sunt, & Melanchthon sua manu nominavit, unde mutuandi ad tempus aut constanter sumendi essent in præcipuas Misniæ & Thuringiæ urbes Theologi & concionatores. Inter illos præcipui erant *Amsdorffius* Magdeburgo, *Hessus* Uratislavia, *Steinius* Vinaria, *Myconius* Gotha, *Fusius* Leisnico, *Eberhardus Brisgerus* Altenburgo, *Johannes Cellarius* Francofurto, *Lincus* Norimberga, *Raidius* Hirschfelda, *Caspar Lohnerus* Olsnitio, *Thomas Naogeorgus* Cala accersendi; sed ex his aliqui dimissionem a suis impetrare non potuerunt, aut aliis ex causis impediti sunt. Cætera, quæ Theologi in visitatione, quam Henricus moliebatur, observanda esse censebant, eadem fere erant, quæ in Electoratu locum habuerant, nisi quod ad præcipua & maxime necessaria tunc respiciendum esset, donec tot vacantibus parochiis idonei homines præfici possent. Nugas hic ut solet agit *Surius* Carthusianus, qui de reformatione hac, & speciatim Lipsiensi, loquens, *Evangelium non prorsus Lutherice ibi regnasse* scribit, *unde a quibusdam Catholicis vocentur molles confessionistæ, oppositi scilicet rigidis, qui omnia dicta & facta Lutheri, quantumvis putida & insulsa, tuenda sibi statuerint.* Ex iis enim, quæ narravimus & porro ostendemus, apparet, eandem prorsus doctrinam, hortante Electore Saxone, & consilium cum collegis suggerente Luthero, ad Augustanæ confessionis & apologiæ formulam introductam esse. Olfecit aliquid monachus de disputationibus post publicatum anno 1548. edictum Caroli Cæsaris, quod *Interim* vocant, inter Theologos ortis, aut quæ ante sancitam anno 1580. concordiam acciderant; sed illæ ad hoc tempus minime pertinent, neque sana sunt, quæ inde de Lutheranorum distinctione colligit, multoque minus, quæ de promiscua omnium dictorum factorumque Lutheri defensione blaterat, quam nemo unquam suscepit. Cautus fuit hic Maimburgius, qui *Surium*, licet eum in margine alleget, hactenus non exscripsit.

(8) Edictum & cura Henrici de concionatoribus.

(9) Surii calumnia refellitur.

A. 1539.

Conversionem Lipsiæ, audivimus, *Johanni Friderico* Electori, rigido, si quis alius, Lutherano, tantopere placuisse, ut eo nomine Deo gratias ageret. Præterire hic non possum memorabiles *Myconii*, Pastoris Gothani, quem Lipsiensibus ad aliquod tempus veluti commodaverat Elector, literas ad eum d. 21. Junii (*d. Reg.* 𝔜. *fol.* 143. 𝔇. *2.*) datas. Narrat in his, causam Evangelii per Dei gratiam egregie in urbe procedere, omnes Pontificios cultus jam cessasse & præcedenti die Mercurii (d. 18. Jun.) communionem integram & Missam Germanicam (constat etiam hinc, quid *Missam* vocaverint Evangelici) inceptam esse: Consules & Senatum magnam ad ista promovenda promtitudinem ostendere, & ex choro templi parochiani cancellos aliaque sustulisse, ut communicantibus locus pateret: In æde Franciscanorum scalas ædificatas esse in suggestum, præcluso monachis, qui in cœnobio adhuc supererant, aditu. Meminit disputationis de Baptismo habitæ (de qua mihi nihil liquet,) sed ad novam sese parasse scribit Doctores Pontificios & monachos Dominicanos, ut transsubstantiationem & præsentiam corporis Christi, extra communionem reclusi & circumgesti, ejusque adorationem omniaque alia Papæ & monachorum figmenta tuerentur; magnaque cum fiducia victoriam de verbo Dei, accito Halis Doctore quodam *Matthæo*, sibi promisisse, aut id saltem sperasse, ut populus turbaretur & doctrinam Evangelicam suspectam haberet. *At me*, inquit, *& D. Crucigerum* (nam is quoque permissu Electoris Wittenberga Lipsiam ad tempus venerat) *Deus noster hesterno die d. 20. Jun. iis animi & corporis viribus roboravit, ut ante & post meridiem ultra octo horas, præsente Rectore totaque Academia, in magno etiam populi & doctorum virorum numero, in Collegio majori, & maximo illius auditorio, certamen de doctrina Christi inire & sustinere potuerimus, in quo (ut Celsitudo tua ex aliis intelliget,) Diabolus cum omnibus sectatoribus, mendaciis & blasphemiis turpiter succubuit: Christus vero cum verbo suo & Sacramento, ut aurum ex igne, cum maximo splendore exiit & palmam reportavit. Rector Academiæ* (in fastis Academiæ nominatur *M. Christianus Pistorius*, Westerburgensis) *bonis argumentationibus nobis adstitit, idem Magistri quidam fecerunt.*

(10) Myconii relatio de reformatione Lips.

ADDITIO I.

Epistola Germanica a Myconio ad Electorem scripta dignissima mihi visa est, quam ex autographo integram hic apponam:

(a) Litera Myconii ad Electorem Germanica.

Durchlauchtigster / Hochgebohrner Churfürst / Gnädigster Herr / E. Churfl. Gnaden sind die Gnade GOttes / ewiger Friede und Heyl durch Christum / zusambt meinem Gebeth und unterthän. diensten allezeit zuvor bereit / Gnäd. Herr / E. Churfl. Gnaden weiß ich zu preiß und lob dem Allmächtigen GOtte nicht zu verhalten / daß sich die sachen des heiligen Evangelii noch alle recht hier zu Leipzig anlassen und schicken / und sind nun die Gotteslästerliche Päbstliche mißbräuche abgethan / auch am vergangenen Mittwoche die rechte Communion und teutsche Messen wiederum angefangen. Und es thut der Bürgermeister und Rath nochmals / als die es gern wollen fördern helffen / haben auch die fürgebäu für dem Chor einbrechen und also zurichten lassen / daß es zur Communion bräuchlich / auch zun Barfüssern eine treppe zum predigtstuhl also zurichten lassen / daß

A. 1539.

daß man in der Kirchen darauff kommen kan / und die münche hinfort keinen zugang darzu haben können. Als aber ich am nechsten von E. Churfl. Gnaden von Wurtzen wiederum gen Leipzig kommen / haben nach der nechst gehaltenen disputation von der Tauffe sich die Papisten / Doctores und Prediger-Mönche auffs schärffste gerüstet / wider unsere Lehre vom heiligen Sacrament zu disputiren vermeynet / des Pabsts und Teuffels lügen und mißbräuche vom Sacrament / von der Transsubstantiation, von der langwierigen Gegenwärtigkeit des Leibes und Blutes Christi im Sacrament / wo es gleich ausser dem Brauch behalten und eingeschlossen auch umgetragen wird / von der adoration und dem gantzen Mönch- und Pabsts-Gespenste zu erhalten / und hatten drauff geschworen / weil sie sich sowohl gerüstet / und ihnen einer / D. Matthæus genannt / von Hall zu Hülffe kommen / sie wolten an Gottes Wort ritter werden / oder ie einen scheu machen / daß das arme Volck irre würde / und unsere Lehre und sachen verdächtig und ungewiß hielte / aber unser lieber HErr GOtt stärckte mich wider sie an Leib und Seel / und bin neben D. Creutzigern gestern Freytags für- und nach mittage / wohl acht- oder neundhalbe stunde im nahmen des HErrn / in beyseyn des Rectoris, aller Facultäten / aller Studenten und der gantzen Universität / auch eines grossen hauffen volcks und gelehrten im Collegio majori, im grössesten Auditorio zu erhaltung der reinen Lehre Christi zu kampff getreten / und hat GOtt Gnade gegeben / wie E. Churfl. Gn. von andern erfahren werden / daß der Teuffel mit alle seinem anhange / lügen und lästern mit aller schande / Christus aber mit seinem Wort und Sacrament / wie ein Gold durchs Feuer gezogen / in aller herrligkeit bestanden und den sieg behalten hat. Der Rector hat uns mit guten argumenten beygestanden / deßgleichen etliche Magistri, und hoffe / der Satan soll nun den Kopff an unserm felß Christo zerstossen haben / daß er sein beissen etwas nachlassen wird / wiewohl er noch nicht gar auffhören wird / denn er ist ihm ie zu starck / der saame des Weibes / wider den er sich gelegt. Solches habe ich E. Churfl. Gn. damit sie sich Christi Ehre zu erfreuen hätten / und nicht irgend ungereimet Ding von dieser disputation höreten / nicht wissen unangezeigt zu lassen / und bitte GOtt / er wolle E. Churfl. Gn. als dem treuen Vormunden der lieben Christenheit / gnädiglich und seliglich behüten und erhalten. Datum zu Leipzig / 1539. Sonnabend nach Viti (21. Junii.)

(11) *Annotatio quædam.*

De hac relatione a viro consummatæ pietatis & virtutis ad Principem suum scripta gratulari sibi potest inclyta Academia & civitas Lipsiensis, purissima Evangelii luce tunc illustrata. Cognoscitur etiam ex illa, neque vi neque placendi Principibus studio actum esse; facta potius disputandi potestate & toleratis Professoribus & monachis, qui priscis opinionibus inhærerent, donec ipsi veritatem agnoscerent, aut sponte sua ad errorum complices digrederentur. Dissimulandum tamen non est, non defuisse in tanto Cleri Lipsiensis, tum etiam civium numero, quibus illa mutatio displicebat: Georgius enim Dux fervidissimos & pugnacissimos quosque in Academia & Senatu multis annis foverat, per quos a Lutheranismo tam scholares quam cives arceret. Hoc non celarunt Electorem, quos, petente Henrico, ad visitationis illius negotium miserat.

ADDITIO II.

(a) *Relatio Crucigeri & Jonæ de difficultatibus in reformatione.*

D. Caspar Cruciger Lipsiæ natus & suos cives intimius cognoscens, multos tunc ex primoribus Senatus D. Jonæ indicavit, & hic ad Electorem retulit, qui inviti paruerint. Petierant etiam ab Henrico, ut comitia provinciæ indiceret, in quibus de reformationis negotio consultaretur; sed Dux ab Electore admonitus, moram omnem abrupit, quod non paucos e proceribus suspectos haberet, de populi vero consensu confideret, nec successu caruit consilium. Acris controversia per quinque dies (referente *Spalatino*) inter Visitatores & Senatum fuit de jure vocandi Pastorem urbis. Pertinebat id ab antiquo ad præpositum collegiatæ ecclesiæ Thomanæ; sed hic Principi jus suum resignaverat, idque sibi concedi petebat Senatus, Princeps autem tunc temporis obtinuit: sed postea a successoribus Senatui redditum est. Academiæ reformationem in lectionibus & studiis necessariam judicaverat Elector, & *Melanchthonem* missurus erat, formulam VVittenbergensem allaturum; sed dilata tunc illa cura fuit. Interim Visitatores d. 13. Aug. Doctores, Magistrosque omnes congregarunt, eosque *D. Jonas* Henrici nomine Latine alloquens, dehortatus est ab omni disputatione contra Augustanam Confessionem & Apologiam, utque ex Theologia scholastica nihil asserent. Illi, petito ad deliberandum spatio, Deputatos ad Visitatores a meridie miserunt, verba faciente *D. Camitiano*, omne obsequium offerentes. Fatebantur tamen, a Theologica Facultate se non habere mandatum, sed nec ab illa quidquam periculi esse, cum duo tantum supersint, nempe *D. Ochsenfurt*, senex capularis, & *D. Melchior*, qui vocatus concionator in templo metropolitano Magdeburgensi, die sequenti discessurus esset. Hunc *Camitianus* postea, familiari sermone jocatus, *aptiorem esse* dixit *robore corporis, ut ligna ad comburendos hæreticos congereret, quam ingenio ad disputandum.* Monachi Dominicani & Franciscani, licet inter eos essent, qui huc usque contumeliis & sarcasmis contra Evangelicos petulanter grassati erant, magna tamen cum humilitate obsequium obtulerunt, nihil de regula aut privilegiis suis aut Pontificis & superiorum autoritate excipientes. Hac animi vilitate *D. Jonæ* ansam dederunt, ut in literis ad Electorem sæpius citatis scriberet, *fidem illos Pontifici & Ecclesiæ Romanæ male servare.* (sie handeln bey ihrem Pabst und Glauben an die Römische Kirche untreulich) *Homines sunt,* ait, *laxa conscientia, ad jussa paratissimi.* Hæc censura vel compensare potest illam, quam supra ex Maimburgio toti nationi impactam retulimus, vel debilitatem religionis Pontificiæ ostendit. Sane ex maximo Cleri harum provinciarum numero paucissimi reformationi repugnare ausi sunt, quanquam nemini vis inferretur. Inter primores unus fere *Julius Pflugius*, Decanus Misnensis & Canonicus, postea vero Episcopus Numburgensis, repertus fuit, qui vetus institutum aperte (meliora forte mente occultans) retinuerit. Acerrimi Lutheri hostes, quos Georgius veluti gladiatores saginaverat, *Cochlæus* & *Vicelius* clanculum aufugerunt. Ille quidem ex itinere, ut ipse scribit, calamum strinxit adversus jus ministerii Evangelici: *Vicelius* explicationem in Evangelia Dominicalia sive *Postillam* immanibus convitiis refertam typographo Lipsiensi *VVallrabio* excudendam reliquerat; verum hic, cum inhibitioni, Principis jussu a Senatu factæ, non paruisset, carcere mulctatus fuit, & exempla libri abolita sunt.

A. 1539.

(b) *De Theologis Pontificiis quibusdam.*

(c) *Item de Pflugio, Cochlæo & Vicelio.*

(12) *Acta visitatorum in Misnia.*

Visitatores erant, ab Electore commodati, *D. Justus Jonas* Præpositus Wittenbergensis, *Georgius Spalatinus* Pastor & Superintendens Altenburgensis, *D. Melchior a Creuzen* Colditiensis & *Johannes a Pack* Diebensis Præfectus. Ex horum & maxime *Jonæ* & *Spalatini* literis d. 5. 7. 29. August. d. 1. & 8. Septembr. ad Electorem vel solum, vel simul ad fratrem *Joh. Ernestum* Ducem (qui tunc completo anno ætatis decimo octavo in regiminis societatem ab Electore assumtus erat) datis, item ex relatione ad ipsum *Henricum*, finita visitatione d. 29. Aug. missa, quædam huc inserenda esse duxi. Festinabat, ut dixi, Henricus, neque modum visitationis in Electoratu ante decennium habitæ exacte sequens, primum hunc laborem intra breve temporis spatium absolvi voluit, fortasse, ut postea carere illis posset, quos Elector miserat,

A. 1539.

rat, & per suos negotium illud perficere. Citatis itaque uno die viginti aut pluribus ex pagis pastoribus injungebatur, ut Missas solitarias (die Winckel-Messen) & communionem sub una omitterent, & officio suo secundum normam Augustanæ confessionis & Apologiæ fungerentur. Id omnes promiserunt, e quibus tamen plurimi, aut veteri opinioni, licet aliud simularent, intra præcordia dediti, aut ad docendum Evangelium prorsus inepti erant. Observarunt id visitatores, & repetita cura & examinatione opus esse agnoscebant. Omnium maxime id ursit Lutherus, cujus literæ d. 19. Septemb. datæ extant. Inceptus fuit labor *Misnæ*, circa Idus Julii præsentibus Henrico Duce & adsistente illi Electore. Illis vero mox abeuntibus, actum est cum Canonicis templi cathedralis, ut reformationi assentirent. Verum illi habito, ut vocant, capitulo generali per Decanum *Julium Pflugium* & *Henricum Carlevitium* Canonicum sese excusabant. Mandatum itaque est, ut ab omni veteri ritu in templo abstinerent, destructumque fuit sepulchrum *Bennonis* (quindecim ante annos magna cum pompa in cœlitum numerum evecti,) insigni cum Pflugii & aliorum offensa, præsertim cum visitatores dicerent, cultum illum Baaliticum esse. Inde *Dresdam*, ubi *Johannes Cellarius* Pastoris munus accepit, & deinceps *Freibergam*, *montem S. Annæ*, *Chemnitium* & in alia montani tractus oppida & monasteria profecti, & inde *Penicam* ad Muldam & *Pegaviam* ad Elystrum transeuntes, & mandata exequentes d. 5. Aug. *Lipsiam* venerunt, ubi jam ultra duos menses Myconius & alii doctrinam Evangelii sedulo promoverant. Sequenti die 6. Aug. qui erat Mercurii, post concionem ad D. Thomæ habitam, in curia urbana initium commissi sibi negotii fecerunt. Comparuerunt plus quam quinquaginta sacerdotes & monachi, totusque Senatus. Hic professus est, *se articulos de omittendis Missis solitariis, celebratione integra cœnæ Domini, solvendis votis monasticis, & permittendis Clero conjugiis, pro Christianis & divinis in conscientia sua agnoscere & obsequium præstare velle.* Vocatus deinde Præfectus Lipsiensis *D. Georgius a Breitenbach*, cum pastoribus ex agro, increpatus est, quod adversus Evangelicam doctrinam verbis factisque sese opposuisset; negare id prorsus non poterat, acerbius tamen relatum esse ad Principem dicebat, & in posterum in officio se futurum esse promisit, præteritorum veniam rogans. Senatus per Consulem *Widemannum*, acrem sub Georgii principatu Evangelicorum adversarium, petiit, ut *D. Caspar Cruciger* Wittenberga dimitteretur, & Pastoratum in Lipsia patria sua susciperet: sed Elector iteratæ licet petitioni assentire noluit, contra nitente Luthero, qui postea d. 4. Novembris Electori scribens gravibus verbis asseveravit, Crucigero carere non posse Academiam, & huic potius, toto jam orbe celeberrimæ, quam Lipsiæ prospiciendum esse; vocat illum *magistrum in lectione theologica excellentissimum & singularem* (einen fürbund) *quo post mortem suam niti debeat studium Theologicum.* Annuit tamen Elector desideranti id Senatui, ut *Myconius* (quem a civibus mire coli & amari, magnumque ab eo profectum civitati

Speciatim Lipsiæ.

sperandum esse, scripserat,) ad unum alterumque annum Lipsiæ doceret: mansit is itaque ibi mensibus octodecim. Addit *Jonas*, in literis d. 7. Jun. hunc Myconium *verum & utilissimum Apostolum Lipsiensium esse, verum itidem Misniæ Episcopum, qui plus utilitatis, quam anteriores omnes allaturus provinciæ illi esset.* Intercedit idem pro *Joh. Pfeffingero* Pastore Belgerano, quem itidem magnifaciebant Lipsienses, & consensu Electoris postea Pastorem habuerunt anno 1543. doctoris gradu ornatum. Laudat quoque *Casparum Lohnerum*, qui Oelsnitio venerat, non ingratum civibus, Myconio licet imparem. Post dies decem, peractis, quæ tunc Lipsiæ fieri poterant, *Oschatium* & inde *Dœbelam*, *Lomatschium*, *Haynam* aliaque tractus ad Albim oppida & monasteria adierunt. Post septem hebdomadum labores *Dresdam* reversi, & absente Henrico, a Consiliariis magna cum gratiarum actione circa finem Augusti mensis dimissi sunt donata Theologis singulis veste serica Damascena. De Abbatibus speciatim referunt, omnes, & inter eos Pegaviensem, obsequium promisisse, & hunc ob libellum contumeliosissimum, quem in Lutherum publicaverat, magnam simulasse pœnitentiam. Inter Abbatissas a singulari prudentia & pietate commendant Seuselicensem, ex nobilissima *Haugwiziorum* gente natam. Illa, ut *Spalatinus* d. 8. Septemb. scribit, Deo & Principi pro benignissima visitatione gratias egit, & fassa est, se oneratam traditionibus humanis conscientiam habuisse, & caruisse omni solatio. Petiit inde pium & idoneum concionatorem, accepitque a Luthero commendatum *Johannem a Mila*, cui centum florenorum stipendium annuum constituit. Generatim scribunt, invenisse se per Dei gratiam magnam ubique promptitudinem & cupiditatem ad accipiendum verbum Dei, & commendant egregium studium *Casparis Schonbergii* in Reinsberg & *Rudolffi Rechenbergii* in Graupiz, quos Henricus ad visitationem istam deputaverat, multa antea sub Georgio religionis causa perpessos. Dresda discedentes prolixa & multis argumentis referta epistola, omnium visitatorum nomine subscripta, cohortati sunt Henricum Ducem, (præmissa excusatione ob negotii molem & temporis angustiam) ut de altera & accuratiori visitatione & reformationis continuatione cogitaret, hoc enim ad officium ejus pertinere. Queruntur de multis pastoribus, qui nunc quidem obsequium verbis obtulerint, sed reipsa præstituri non sint, vel odio veritatis, vel ignorantia & ruditate: agi de salute quingentorum aut sexcentorum millium hominum, quos in parochiis fere mille reperiri dicunt: illos huc usque pro omni cultu divino Missarum spectaculum habuisse, hoc jam sublato, nisi conciones Evangelicæ & alia pietatis exercitia substituantur, miserrimos esse futuros. Miseratione quidem non indignos esse senes quosdam pastores, qui jam meliora discere & præstare non possint, talibusque etiam in Electoratu de alimentis provisum esse; sed huic charitati præponi debere curam salvificæ doctrinæ. His desideriis licet tam celeriter, quam opus erat, ob decrepitam Principis ætatem, secutamque non multo post mortem, locus non fuerit, magno tamen post

(14) Et aliis quibusdam locis.

aliquot

A. 1539. aliquot annos studio filii ejus *Mauritius* & *Augustus*, Electoratus dignitatem adepti, in constituendas Ecclesias & scholas incubuerunt, ut ex illorum actis notum est. Hæc fere sunt, quæ de visitatione Ecclesiarum in Misnia ex *Archivo Vinariensi* eruere potui.

(15) *Visitatio in Thuringia.*

De *Thuringia*, quæ Georgio subdita fuerat, extat *Melanchthonis* scheda MS. (*Reg. N. fol. 452. OO.*) in qua judicium de Pastoribus in oppidis, ad quæ ab Henrico Duce missus erat, aperit. Primarium erat *Salissa* (Langensalza) in qua non reperit, cui animarum cura committi posset; laudat tamen Franciscanum quendam *Eberhardum Fabri*. Tolerari posse putat *Weissenfelsensem*, donec melior substituatur, qui promiserit se orthodoxe concionaturum & Sacramenta legitime administraturum esse. Idem judicat de *Kindelbruccensi*, qui ab auditoribus bonum habeat testimonium & obsequium sit pollicitus. Reliquos, puta in *Eccardsberga*, *Weissensea*, *Denstadio*, *Sangerhusa*, *Friburgo* ad Unstrum, ob ruditatem & pessimos mores ferri posse negat: De quodam dicit, esse *prorsus turpem*; (ein gantzer unflath) de alio, esse *levissimum*; De alio, quod *ob stupra & adulteria infamis* esset: *Friburgensem*, licet ex Moguntina diœcesi ejectum, commendatum tamen fuisse ab Eccio, quia acerbissimus erat Evangelicæ doctrinæ criminator. Ex his colligi potest, quales fuerint in pagis, & quam curam in munere suo adhibuerint Episcopi eorumque vicarii, cum tamen in hac regione Lutheranis vicina & permixta, vel æmulatione vel ipsius Principis Georgii fervore excitari potuissent. Longe plura invenient, qui *Dresdensis Archivi* chartas excutient.

ADDITIO III.

(a) *Alia visitatio in Thuringia.*

Ex *MS. Spalatini* historia intelligitur, Visitatores in Thuringia fuisse *Justum Menium*, Isennaci, & *Johannem VVeberum*, Neostadii ad Orilam, Superintendentes, ab Electore suppeditatos, iisque addidisse Henricum ex nobilitate provinciæ *Hartmannum Goldacker*, *Fridericum ab Hopfgarten* & quendam *VVazdorffium*: Repetitam etiam fuisse visitationem sub finem anni in Misnia, non adhibitis amplius (ut nec opus erat,) Electoralibus, missis *VVolffgango Fusio* Chemnitiensi & *Casparo Zurnero* Freibergensi, Superintendentibus, ex nobilitate vero *Theodorico Preussio*, *Johanne a Kitscher* & *Rudolffo a Rechenberg*: Alteram vero in Thuringia visitationem secutam fuisse anno 1541.

(b) *Comitia provincialia Henrici Ducis.*

Idem Spalatinus refert, prima Henrici comitia provincialia mense Novembri hujus anni habita fuisse *Chemnitii*, ibique multa adhuc Episcoporum & Ordinum nomine postulata, ex quibus apparebat, non omnibus placere reformationem, neque servile obsequium, quod Maimburgius sugillat, exhibitum esse. Inter alia petitum fuit, ut concionatoribus inhiberetur, ne in acta Georgii Ducis inveherentur, hujus enim regimen æquum & conservata ab illo jura Ordinum apprime laudabant, & Henricum ad imitationem hortabantur. Ad quæ ille sic respondit: *Se Principem esse, non minus ac Georgium fratrem, neque vestigiis qua sequatur opus habere; ita vero munere suo functurum, ut reprehensionem non incurrat.*

Ex his, quæ ad meam pervenerunt notitiam, necessitas reformationis probabitur, non sine eximia Joh. Friderici Electoris laude, qui agnatum senio torpentem & idoneis ministris tunc destitutum, consilio & hortatu, tum commodatis ei optimis Theologis & concionatoribus, ad purgandum illud Augiæ stabulum, adjuvit. Hoc non immerito prædicavit *D. Jonas* in relatione d. 29. Aug. supra allegata, addito pio voto: *Deus plenus gratiæ Evangelio, cui suo opere & miraculo portas in his provinciis aperuit, successum ulteriorem largiatur! Idem pro misericordia sua gratiam & vires Celsitudini tuæ concedat, ut curam, quam otiosi Episcopi negligunt, imo Christum & veritatem divinam aversantur & persequuntur, pro tot centenis animarum millibus verbum Dei flagrantissime desiderantibus in posterum quoque exerceat mente excelsa & Christiana, & ex amore Dei & commiseratione erga populos.*

(16) *Alia quædam de visitatoribus illis.*

Licet vero, ut dixi, visitatores multos defectus nimia festinatione relictos esse agnoscerent, in pagis præsertim, mirifice tamen laudant plerarumque civitatum studium & profectum, omnium nempe, quibus docti & facundi concionatores dari potuerunt; nec tacent gaudium & liberalitatem incolarum, beneficium hoc divinum agnoscentium. De *Henrico Scherlio*, inter mercatores Lipsienses illo tempore non postremo, Spalatinus refert, ita placuisse illi conciones D. Pfeffingeri, ut huic, si Lipsiensibus (quod & postea factum est,) Pastor daretur, annuos florenos quinque & viginti (quæ illo tempore non contemnenda pecunia erat) spopondérit. *Annæbergensium* etiam concursum ad conciones vix satis laudare potuit *D. Jonas*, miratus simul, quod in oppido illo vix ante annos quadraginta in mediis sylvis exstructo, tantam frequentiam invenerit, ut ad sex hominum millia in templo numerata fuerint.

§. LXXIII.

(1) *Status Evangelicorum post mortem Georgii.*

Operæ pretium esse credidi, ut paulo prolixius, & quantum notitia ex bonis documentis hausta permisit, de insigni hoc incremento Evangelicæ religionis in nobilissima provincia, morte Georgii ad Henricum delata, agerem. Maximum hæc mutatio dolorem adversariis Evangelicorum peperit, & sunt, qui (nescio quam vere) *Henrico Brunsuicensi* impiam vocem excidisse tradunt, quod dixerit, *malle se, ut Deus in cœlis, quam Georgius obiisset.* E diverso dubitari non potest, non exiguam fuisse Evangelicorum lætitiam. *Johannes Fridericus* certe Elector (licet nihil immodestius ab eo dictum scriptumve, intellecto hoc casu, reperire potuerim) magno tamen tædio levatus est, obitu agnati, cujus nec stomacho satisfacere, nec invidiam lenire ullo modo potuit. Commendaverat ei, cum Francofurtum una cum fratre *Joh. Ernesto* proficisceretur, ex veteri more, & testandæ fiduciæ causa, curam provinciæ suæ humanissimis verbis, & satis come responsum tulerat. Cum vero secundum decreta conventus Francofurtensis quidam militum Electoralium Præfecti in oppidis Georgii juvenes pro more conquirerent, qui stipendia mereri vellent, vehementer exarsit *Georgius*, & immitem animum acerbis literis exseruit, quanquam id omne injussu Electoris factum, postquam comperisset, confestim prohibitum fuisset. Novam etiam & impudentem sycophantiam hoc ipso tempore in lite cum Antonio *Schonbergio* vel excogitavit vel probavit, quæ si processisset, nec morte Georgii extincta fuisset, aut aperto bello partes implicuisset, aut Evangelicos omnes honoribus & facultatibus dejecisset.

AD-

A. 1539.

ADDITIO I.

(a) Lis Georgii Duci cum Antonio a Schönberg.

Antonius a Schönberg arce Schonberga aliisque prædiis religionis causa deturbatus, eaque vendere adactus ante aliquot annos a Georgio Duce fuerat. Deinde cum solutam ab emtore pecuniam acceptorum se esse putaret, excitati sunt ejus agnati, ut contradicerent, neque flecti potuit Georgius, vel Schönbergii precibus, vel multorum Principum intercessione, ut illi placaretur. Provocavit igitur Antonius, ex legibus Imperii, ad judicium per arbitros constituendum, sive, quod vocant, Austregarum. Denominati sunt octo viri: *Ernestus a Miltiz*, Marescallus aulæ, *Christophorus ab Ebeleben*, *Melchior ab Ossa* Doctor, *Henricus a Bünau*, in VVesenstein, *Ludovicus Fachsius* Doctor, *Nobilis a Luttichau*, *VVolffgangus a Nismiz*, *Otto a Dieskau*; Præses his datus *D. Georgius a Breitenbach*: Procurator Principis erat, ut tunc moris, ex nobilitate *Johannes a Kitscher*; Advocatus *D. Simon Pistoris* Cancellarius. Objectum est Principis sive fisci nomine Schönbergio, quod a veteri religione, quam Princeps cum provincialibus profiteretur, defecisset, conciones Lutheranas adiret, Sacramentum sub utraque a sacerdotibus non consecratis, nominatim *a Schenkio*, quem Henrico Duci concionatorem commendasset, sumeret, itemque quod illius consilio Freibergæ veteres fundationes Missarum & anniversariorum abrogatæ, novique ritus ipso visitatore introducti essent; propter hæc itaque pro hæretico & excommunicato, adeoque nullius juris, actionis aut possessionis capax haberi deberet. Hæc Advocatus fisci in ultima, quam vocant, positione (im letzten Satz) admiscuit, (quibus *Antonius*, actoris partes sustinens, respondere non poterat;) itaque nihil aliud illi supererat, quam ut protestaretur, illa a judicibus attendi non debere, neque se, sine legitima causæ cognitione in foro competenti, pro hæretico haberi, aut interim restitutionem spolii, quam urgebat, denegari sibi posse; allegabat præterea, se cum Electore Saxoniæ, Duce Henrico aliisque Protestantium Principibus & civitatibus communem causam habere, non nisi in Concilio ventilandam. Ad hæc judices d. 3. Febr. hoc anno 1539. interlocuti sunt, de hæresi, cujus *Schönbergius* insimulatus fuerit, &, quæ illam comitabatur, excommunicatione & pœna, ante omnia ab Episcopo Misnensi, ut Ordinario, cognoscendum esse. Hæc sententia *Schönbergio* molestissima erat, non solum ob suspectum Episcopi judicium, in quo absque dubio de hæresi condemnandum se esse prævidebat, sed & quod interea neque prædia sua neque pretium venditionis reciperet, & quæstio de hæresi non solum ab Episcopo protelari, sed & Romam denique deferri posset. De his itaque apud Electorem Saxoniæ & Landgravium capita fœderatorum, qui tunc Francofurti congregati erant, acerbe questus est, qui præjudicium sibi omnibus inde imminens ad animum revocarunt, & de remedio se cogitaturos esse d. 10. Febr. per Electorem & Landgravium responderunt, his inter alia verbis: *Hoc scimus, Deo sit laus, pro certo, & sine cujusquam injuria asserimus, nos cum aliis eandem nobiscum religionem profitentibus & ritus observantibus, ab omni hæresi & superstitione liberos esse; quomodo vero adversa pars coram tribunali divino veraque Ecclesia Christi statura & se ab hæresi & idololatria purgatura sit, Deus aliquando manifestum faciet.* (Das wissen wir/ GOtt habe lob/ und sonder männigliches Verkleinerung/ fürwahr/ daß wir und die Bekenner unserer und der unsern Lehre und ceremonien/ aller Ketzerey und Aberglaubens unschuldig/ wie man aber auff dem andern theil vor GOttes Gericht/ und auch vor seiner warhafftigen christlichen Kirche bestehen/ und rechter Ketzerey und Abgötterey sich entschuldigen und entledigen möge/ wird sich/ ob GOtt/ wohl finden.) Appellaverat Schönbergius ab interlocuto illo ad Cameram Spirensem, sed id non probabant Principes, neque ullum inde remedium sperandum esse dicebant. Neque tamen invenio, quid illi tunc decreverint & opportuna accidit post breve tempus mors Georgii, qua hæc & alia Evangelicorum gravamina in provincia ejus sublata fuerunt.

(b) Interlocutum judiciale.

(c) Querela de hoc apud fœderatos.

A. 1539.

(2) Epicrisis quædam.

His, quæ refero, consideratis, mirum non est, si Evangelici molestia hac non illubentes caruerint. Neque tamen invenio, quomodo censuram Maimburgii meruerint, qua illis ferociam imputat aucta, ut putat, Georgii morte potentia. Nihil enim viribus illorum accessit, Henrico societatem verbis potius quam factis colente, ut in tempore memorabitur: neque quidquam ex studio pacis remiserunt, aut inevitabilis defensionis terminos egressi sunt. Ad hanc tamen, dilata Cæsaris pactorum Francofurtensium ratihabitione, non potuerunt non magis magisque sese convertere. Huc pertinent, quæ conventus Francofurtensis tempore, aut paulo post, cum Regibus exteris egerunt. Gallus quidem post pactas cum Cæsare inducias frigidiorem se erga Principes fœderatos gerebat, & cum a Bavaris intellexisset, *Ulricum* Würtenbergicum Ducem copias adversus Prælatos quosdam Germaniæ parare, licet id plane confictum falsumque esset, hortatus tamen hunc est, non sine aliqua comminatione, ut a proposito desisteret. Has Regis literas cum fœderati Francofurti congregati vidissent, habita deliberatione sub finem conventus d. 19. Aprilis per Electorem Saxoniæ & Landgravium epistolam ad Regem scripserunt, cujus contenta *Sleidanus Lib. XII. p. 343.* retulit. Conscripta fuit stylo *Melanchthonis*, & extat *Reg. H. fol. 278. n. 117.* Inter alia ita loquuntur: *Constat, nos non solum non moliri bellum, sed etiam diligenter flagitasse, ut pax constitueretur; cujus nostræ voluntatis satis graves testes habemus illos ipsos Principes, qui Francofurdiæ pacis faciendæ causa convenerunt. Nec terroribus impulsi ullis sumus, ut arma caperemus, tametsi variis modis lacessimur. Edita enim injusta proscriptio civitatis nobis fœderatæ,* (Mindæ) *quid aliud est, quam belli civilis classicum? Factum est fœdus a quibusdam, qui conspirarunt, non ut controversiæ civiliter dijudicentur, sicut in Ecclesia fieri decet, sed ut sine vera cognitione defendantur sententiæ injustæ, contra Ecclesiæ morem latæ; dilacerentur patria & Ecclesia impiis armis. Auctorati sunt exercitus ingentibus & inusitatis stipendiis, vagantur legiones grassantes in agris nostris, contractæ ab adversariis nostris: tentantur & sollicitantur contra nos miris artificiis omnes populi atque Ordines: denique varias occasiones adversarii quærunt movendi belli.* Et post pauca: *Deus testis est, nos nulla prava cupiditate, sed quodam pio officio adductos causam ecclesiasticam tueri. Nam tanta lux, tanta perspicuitas doctrinæ est, quam sequimur, ut non dubitemus, piam & ecclesiæ Christi necessariam esse. Deinde in hac ipsa causa ea sumus usi moderatione, ut multas injurias, illatas nobis ab adversariis, publicæ tranquillitati condonaverimus. Amamus enim patriam, & consuli ecclesiis sine civili sangvine cupimus; ac speramus fore, ut tempus in nonnullis offensiones animorum leniat, cum Reges & Principes magis perspicient genus doctrinæ, in qua versamur. Econtra adversarii nostri sic inflammati sunt odio causæ nostræ, ut nulla moderata consilia, nullam veram cognitionem admittant, tantum se parent ad faciendam civium & cognatorum cædem, ad efficiendam vastitatem ecclesiarum. Hanc ad rem fœdera fecerunt, & habent obligatos exercitus. Hæc verissima esse, res ipsa loquitur, & testari possunt multi præstantes viri*

(3) Acta Evangelicorum cum Rege Galliæ.

(4) Excerpta ex eorum literis.

A. 1539.

ri omnium Ordinum in Germania, paulo moderatiores. Causam inde suam Regi commendant, petuntque, *ne criminationibus adversariorum alienari se ab ipsis patiatur, sed potius heroico animo præsidio sit innocentiæ, faveatque causæ ad gloriam Christi pertinenti, & caveat, ne injustis armis veritas opprimatur.* Ad hæc Rex Gallice, licet ante hac majoris honoris causa, & veluti ad pares, Latine scripsisset, d. 16. Maji *Montargii* respondit, & *Illustrissimos & potentissimos Principes (tres illustres & tres puissants princes)* confœderatos & socios nominans, fatetur, se *Ulricum* rogasse, ne quid faceret, quod filii sui (*Christophori* a patre discordis) in aula regia versantis, successioni nocere posset, aut pacem Christianorum turbaret. Si ista aliter intellexisset *Ulricus*, intentionem Regis non esse assecutum. Laudat de cætero studium pacis & amicitiæ, quod profitebantur, hortatus, ut in eo persistant. Significat etiam, se ex colloquio cum Cæsare & literis Ferdinandi magnam ad pacem propensionem percipere, additque solitam officiorum oblationem. Apparet hinc, Regem Protestantibus suspicionem eximere voluisse mutati erga illos animi, literasque suas ad *Ulricum*, quanquam aliud indicarent, ad eum finem interpretatum esse. Exigua igitur tunc spes illis de Galliæ Rege fuit, nec multo major de Anglo. Is tamen cum rescivisset conventum Francofurti indictum esse, literis d. 3. Februarii datis (*Reg. H. fol. 260. n. 111. A.*) per Legatum *Christophorum Montium* fœderatis exposuit, decretam esse Romæ illorum oppressionem, quanquam non desint, (idque inprimis agere *Polum* Cardinalem) qui suadeant, ut ab Angliæ Regis clade initium fiat, certum interim esse, & sibi ex Legatorum suorum relatione constare, quod Cæsar pessime illis cupiat; offert itaque fœdus & societatem, petitque ut Legatos, qui de hac tractent, ad se mittant. Responderunt Elector & Landgravius ex conventu mense Aprili, se cum sociis non id agere, quod Regi nunciatum esse deprehendant, & ipse anno præterito Legatis fœderatorum (de quibus §. *LXVI.* actum est) dixerit, ut a religione sua recederent, sed id saltem, ut pacem obtineant. De Cæsare non timere, quod alienæ sævitiæ minister esse velit, licet ingenti cum dolore videant, quod crudelitas plusquam Neroniana in membra Christi exerceatur. Se vero nullo metu a doctrina catholica & apostolica avelli posse. Excusari se petunt, quod propter impendentes motus ad relationem a Legatis suis factam, & ad literas Regis nuper d. 17. Januar. scriptas, nondum responderint: Legatos maximopere humanitatem Regis studiumque purioris religionis laudasse; Rogant, ut in eo pergat, & sicut dominatum Pontificis excusserit, ita etiam impia ejusdem dogmata corrigat, ut cœpisset. Queruntur inde de edicto, ad quod se ab Episcopis Papismo addictis induci passus sit; id enim non convenire cum articulis Wittenbergæ tractatis: Augustinum jam suo tempore scripsisse, *traditiones ita crevisse in Ecclesia, ut durior sit servitus Christianorum, quam Judæorum:* Longe nunc pejus fieri, quod constitutiones illæ vitiosæ atrocibus pœnis muniantur. Orant per gloriam Christi, ut Rex piis parcat. Addunt, Theologos a se mitti non posse variis ex causis, & quæ sua sit sententia, ex iis, quæ ante triennium Wittenbergæ acta fuerint, satis constare; ex illa nihil se mutaturos esse, cum veram esse sciant & divinam, nullumque periculum ejus causa declinaturos. Subjungunt argumenta ex sacris literis contra Missas, communionem sub una, & prohibita Clero matrimonia: Tandem ad tractandum fœdus Legatos se missuros esse pollicentur. Destinati itaque sunt in conventu *Franciscus Burcardus* sæpe nominatus & *Ludovicus a Baumbach Binsfortius*, Saxonicæ, hic Hasso a consiliis iisque mandata in scriptis d. 4. Aprilis, sed brevia, ob periculum itineris, secretiora oretenus data sunt d. 8. April. Jussi fuerunt intentionem tractatus Francofurtensis & pacti, quod Norimbergæ instituendum erat, colloquii explicare, & quod in hoc nullum præsidendi dirigendique jus Pontifici detulerint: promotionem gloriæ divinæ a se intendi, & ut persecutiones Evangelicorum sisterentur, in Austria maxime, in qua plurimi ex proceribus & magna pars populi veram religionem profiterentur: stipulatos se esse, ut nemini religionis causa vis fieret; hoc nisi servetur, fas sibi futurum esse, ut oppressos defendant, nec minus, ut ad illum finem fœdera ineant, suas enim vires non sufficere, hoc præsertim tempore, cum magna annonæ penuria premeretur Germania. (Hoc adeo verum erat, ut frumentum etiam in Anglia coëmendum esset, & Bremenses commercii illius facultatem, intercedente d. 18. Maji Electore, a Rege peterent) Petierunt itaque Legati a Rege trecenta aureorum millia ad usus belli deponenda, reciproca tamen auxilia in Angliam mittenda deprecabantur, quod Rex illis opus non habeat, præterque non imminui suas copias, his enim communem hostem distineri posse; si tamen res exigat, decem millia peditum & quingentos equites offerunt, Regis sumtu alendos. Edictum Regis, de quo queruntur Protestantes, illud est, quod *Sleidanus Lib. XII. p. 346.* & prolixius *D. Gilb. Burnetus Hist. reformat. Eccl. Angl. Part. I. Lib. III.* vers. Lat. *fol. 144.* refert, itemque *Surius*. Execrabilis hucusque Angliæ Rex Pontifici fuerat, quod primatum imperiumque ejus magna cum contumelia abrogasset, *Roffensem* Episcopum & Cancellarium *Thomam Morum* supplicio affecisset, cœnobia diruisset & spoliasset, *Polum* Cardinalem regno ejecisset, *Thomæ Becqueti*, Archiepiscopi quondam Cantuariensis, (quem Henricus II. Rex ob defensam Romani Pontificis jurisdictionem necaverat, Papa vero in Sanctorum numerum retulerat,) corpus comburi fecisset. Hæc ut immania scelera Pontifex ipse *Paulus III.* proximo anno 1538. d. 25. Octobr. in consessu Cardinalium denuo recensuit, tribusque delectis ad ferendam sententiam mandatum dedit, quæ etiam d. 17. Decemb. (quamvis ante triennium concepta esset) promulgata fuit, qua de re post alios videndus est *Paulus Venetus in Hist. Conc. Trid. Lib. I.* ejusque censor *Pallavicinus Lib. IV. cap. VII.* Integra extat apud *Burnet. d. l. in Collect. n. IX. fol. 93. & sqq.* Hoc non obstante, & licet, ut *Pallavicinus d. l. §. 3.* loquitur, *abominandus Ethnicus, Roma videretur Henricus, nulliusque excusationis capax & sedato animo rabiem exercens;* cum tamen edictum sex capitum d. 28. Jun. hoc anno publicasset, in quo summam fidei Romanæ, nempe *transsubstantiatio-*

(5) *Regis responsum.*

(6) *Legatio Anglica ad Evangelicos.*

(7) *Horum responsum.*

A. 1539.

(8) *Legatio Evangelicorum in Angliam.*

(9) *Rex Angliæ condemnatur a Pontifice.*

(10) *Edictum Regis de religione.*

A. 1539.

tiationem, communionem sub una, cœlibatum sacerdotum, vota monastica, Missas privatas & auricularem confessionem, addita pœnæ capitalis in transgressores sanctione, stabilivisset, nulla de Pontifice facta mentione, teste eodem *Pallavicino cap. VIII. §. 16.* tantopere satisfecit Papæ, ut is Cæsarem ad imitandum illud edictum hortatus sit, & ut Protestantibus significaret, nihil illis ab Henrico sperandum esse, emendationem nempe & conciliationem cum Papa meditante. Sed ad Legatos redeo. Illi cum ad Regem d. 23. Aprilis venissent, d. 29. auditi sunt satis benigne: Rex enim monebat, cavendum esse Protestantibus a pulchris Cæsaris promissis, se quoque illi diffidere, & ad defensionem paratum esse. Deputati inde sunt a Rege qui cum illis tractarent, *Thomas Crumvellus*, (ita enim nomen ejus in literis ad Electorem Sax. datis scriptum invenio, non *Cromwellus*) *Duces Nortfolccius & Suffolcius, item Cancellarius & Admiralius Regni* atque *Episcopus Dunelmensis Tonstallus*: Convenerunt in ædibus Crumvelli d. 2. 16. & 18. Maji, neque tamen concludi aliquid potuit, causante Rege, quod non satis instructi essent Legati, neque conditiones æquas & pares obtulissent: Id in literis ad Electorem & Landgravium d. 25. Maji datis & sequenti die oretenus Legatis tunc dimissis allegavit. Sed occultiores mutati animi causæ erant, de quibus, & aliis negotiis Anglicanis, sequentia exhibeo.

(a) *Legatorum adventus & acta.*

ADDITIO II.

(a) *De edicto Regis Anglie* [illegible]

Legatis ex conventu Francofurtensi in Angliam missis *Melanchthon* literas ad Regem d. 1. Apr. datas tradidit, quas in compilatione epistolarum ejus omissas *D. Burnetus* in *addendis ad Part. I. n. 6. fol. 249. & seqq.* edit. Lat. retulit, ejusdem fere tenoris, quem mandata fœderatorum continent. Edictum autem regium, quod *Melanchthon* in his literis oppugnat, illud esse oportet, quod anno 1537. in Comitiis Cleri Anglicani compositum & sequenti anno publicatum fuit, referente *Burneto d. Part. I. Lib. III. fol. 122. & 137. Lat. Vers.* Laudat quædam in eo *Melanchthon*, inprimis idololatriæ abrogationem, sed reprehendit retentionem multarum superstitionum, quarum plenam suadet emendationem, & ut a rigore in dissentientes cessetur. Sed longe pejus fuit, cujus summam retulimus, quod hoc anno publicatum est, & apud *Burnetum* legitur *fol. 144.* Sustinuerat huc usque spem reformationis *Thomas Crammerus* Archiepiscopus Cantuariensis, cui adstipulabatur *Foxus* Herfordiensis Episcopus Regi acceptus. Is enim post reditum ex Legatione Germanica palam suadebat, ut Augustana confessio admitteretur, utque Rex Protestantium Germanorum patrocinium susciperet, & eos annua pensione juvaret. Morte Foxi, qui paulo ante decesserat, *Stephanus Gardinerus* Episcopus Vintoniensis, acerrimus reformationis hostis & a Foxo dissidens, a Rege vero ob industriam & adulandi artes æstimatus, animum sumsit, ut Regem in contraria ageret, & a favore erga Germaniæ Principes retraheret. Dicebat enim, hos Cæsaris subditos, nec cum Rege comparandos esse, ut notat & refutat *Burnetus d. l. fol. 151.* Socium consiliorum ille habuit *Edmundum Bonnerum*, occultiorem quidem, & fingendi Magistrum, quem *Crumwellus* & *Crammerus* imprudenter ad *Herfordiensem* primo, deinde & ad *Londinensem* Episcopatum evehi passi erant. Ex reliquis, qui a *Crammeri* partibus stabant, Episcopis, *Hugonem Latimerum* Vigorniensem & *Nicolaum Saxtonum* Sarisberiensem, illum simplicitatis, hunc arrogantiæ & animi rixosi, alios aliorum defectuum arguit Burnetus. Queritur idem de concionatorum importunitate, & it[a] factum esse indicat, ut contraria factio in Comitiis eodem mense Aprili, quo Legati Saxonis & Landgravii advenerant, cœ-

(b) *De consiliis Episcoporum Angliæ.*

(c) *De pu-*

ptis) prævaluerit, legatio spreta fuerit, &, nequicquam contradicente Crammero, decretum illud de sex Articulis locum invenerit, addita a Parlamento gravissimarum pœnarum sanctione adversus omnes, qui vel verbo, nedum facto, contravenirent. Approbatum fuit edictum, ut dixi, & *Burnetus* tradidit d. 28. Jun. cum Legatio Germanorum prior ante mensem dimissa esset. *Crammerus*, quod articulos voce & scripto refutasset, in summum periculum adductus tunc est, & vix *Crumwelli* ope servatus, de quo legi potest *Burnetus fol. 148.* Duo vero Episcopi *Saxtonus* & *Latimerus* ad resignandos Episcopatus adacti & in carcerem conjecti sunt. *Crammero*, etsi constanti Regis favore adhuc staret, magna tamen autoritatis pars decessit, & cum ille executionem decreti neglecturus esse videretur, *Bonnerus*, jam Londinensis Episcopus, eam sibi demandari a Rege petiit, & postea d. 12. Novemb. diploma impetravit (vid. *Burn. fol. 151.* & in *collect. Part. III. n. XIV. fol. 104.*) Crammero tamen indultum est, ut postero die d. 13. Novembr. alio Regis edicto lectio Bibliorum, lingua Anglica, populo permitteretur, cum anno præterito id tantum ordinatum esset, ut exemplaria in templis proponerentur, eorumque legendorum iis, qui vellent, potestas esset. *Crumwellus* potentiam, quam in aula aliquot annis exercuerat, & labefactari ab æmulis videbat, retinere & stabilire cupiens, anno præterito consilium ceperat, ut Regem ad novum conjugium hortaretur: expertus enim erat, multum apud illum posse, etiam in religionis negotio, Reginas. Cum igitur magna fama esset de pulchritudine & elegantia *Annæ*, Clivensis Ducis filiæ, cujus sororem Elector Saxoniæ in matrimonio habebat, commendare illam Regi cœpit, (vid. *Burn. fol. 143.*) effecitque, ut propositas ex parte Cæsaris nuptias cum filia *Christierni* Daniæ Regis captivi, Francisci Mediolanensis Ducis viduæ, quæ ex sorore Cæsaris nata erat, recusaret. Concordia enim, quæ tunc inter Cæsarem & Galliæ Regem coire videbatur, suspiciosum *Henrici* ingenium curis impleverat, & præsidium quoddam a Germaniæ Principibus ex affinitate cum Duce Clivensi, qui Cæsari ob causam Geldricam invisus erat, sperabatur. Habentur in Actis Vinariensibus *Reg. N. lit. Hh. fol. 103. n. 40.* literæ Pontani d. 16. Septemb. ad Electorem Saxoniæ datæ, lectu quidem difficiles, sed ex quibus percipitur, *Christophorum Montium* ab Rege Anglo ad Electorem missum non solum matrimonium illud Regis cum *Anna*, sed & fratris hujus *Guilielmi* Ducis cum *Maria* Regis filia secretis cum Pontano sermonibus proposuisse: Cum vero objiceretur, quod Rex, post divortium cum matre ejus factum, filiam pro illegitima, & ad successionem in regno incapacem declarasset, *Montius* non veritus est dicere: Henricum tunc nihil serio, sed tantum ficte & simulate egisse, ut amori suo satisfaceret, esse enim obnoxium fœminis (ein Frauen-Mann) & omnia apud eum posse uxores. Verum Electori suspecta & ingrata omnia fuerunt consilia illa, licet speciem juvandæ religionis & firmandarum partium haberent. Certe nihil magis commendari in hoc Principe posse videtur, quam quod in causa religionis summam & absolutam fiduciam in Deum haberet, nec humanis artibus & consiliis multum tribueret, nisi conscientiæ prius tutissimo modo prospectum esse existimaret. Plus illis dabat Landgravius, unde sæpe disceptatio inter eos orta est, quod etiam Anglicarum rerum occasione hoc anno accidit. *Bucerus* Argentoratensium Ecclesiastes, ab amicis in Anglia rogatus, sedulo instabat apud Landgravium, ut *Melanchthonis* iter in Angliam apud Electorem promoveret. Sperabatur enim, Regem exorari posse, ut edictum illud sanguinarium abrogaret aut molliret. Sed Elector (*Reg. H. fol. 282. n. 118.*) d. 11. Octobr. respondit, certum se esse in conscientia, quod per annos quatuor aut quinque nihil omiserit, quod ad causam religionis in Anglia juvandum pertineret: *Herfordiensem* Episcopum tribus mensibus VVittenbergæ non exiguo cum sumtu a se sustentatum, & effectum esse, ut de fidei capitibus sufficientissime instrueretur. Retulisse eum omnia ad Regem, nihil tamen responsum esse. Missos in Angliam anno 1538. *Burcardum*

A. 1539. *blicatione edicti Regii.*

(d) *De Crumwello novas Regi nuptias suggerente.*

(e) *Colloquium Montii Angli cum Pontano.*

(f) *Diversa Electoris & Landgravii de rebus Anglicanis sententia.*

A. 1539.

cardum & *Boyneburgium*, iterumque hoc anno illum & *Baumbachium*, nihil obtinuisse: Regem semper cunctatum esse, & post tot moras, clam Protestantibus, Synodum illam suam cum Episcopis habuisse, & ab instituto reformationis magna cum praecipitantia defecisse: Nihil esse, quod dicat, se a Protestantibus auxilia sperare non potuisse; *quis enim*, ait, *parenti meo mihique & tibi auxilium tulit aut solatium praestitit in causa hac Dei & religionis? Si exercitum parare voluisset, non defuit illi pecunia, neque penes me & te stetit, foedus ab illo oblatum inire, cum socii omnes ab illo abhorrerent; neque finem tractatus expectavit, quem per Regem Daniae denuo coeperat, sed ad condemnationem nostrae doctrinae, nobis inauditis, festinavit. Prostrata nempe Pontificis potestate, & ex opibus Ecclesiasticis locupletatus, cum Caesare & Gallo pacem meditatus est; Legatos nostros nupero mense Majo elusit, eorumque abitum maturavit, ut consilia sua perficere & edictum publicare posset.* Haec itaque & alia merito a se exprobrata esse scribit ablegato Regis *Christophoro Montio*, & culpam sibi tribui non posse, quasi causam religionis in Anglia neglexerit, & eo nunc se esse animo, ut negotiationem cum Rege abrumperet, consulturum tamen esse Theologos, & ferre posse, ut in conventu *Arnstadiensi* (qui instabat, ut dicetur) ulterius hac de re deliberaretur, praesertim quia ex alia causa (matrimonii nempe Regii cum sorore Clivensis Ducis) legatio in Angliam mittenda esset; minime tamen sibi consultum videri, ut *Melanchthon* in Angliam mitteretur, irent potius alii, & ipse *Bucerus*. Quod *Montium* attinet, illi Rex, mutato iterum consilio, ex suspicione amicitiae inter Caesarem & Gallum tunc, ut putabatur, coeuntis nova mandata dedit, quibus denuo pellicere ad societatem Protestantes nitebatur. *Montius* igitur apud Landgravium primo, deinde apud Electorem Regis sui gesta utcunque excusabat; (*Reg. H. fol. 260. n. 111. B.*) negare non poterat edictum, sufficere tamen putabat, quod contra Pontificem communem haberent causam: Sed Elector mascule respondit: *se verbum Dei vivum secundum Augustanam confessionem accepisse illudque publice profiteri, absque quo nulla sit vera cognitio Dei, nec spes salutis: ab hac confessione non defecturum, etsi vitam & quicquid haberet, amittere cogeretur:* (wolten lieber darbey zusetzen Leib/ Gut/ und in summa/ alles/ was wir vermögen.) *Ab hac professione nunquam se ulla ex causa depelli posse, neque verbo Dei clarissimo spoliari, nec ulla dissimulatione sua animum additurum esse hostibus, ut figmenta sua & humana dogmata iterum obtrudant, & pluris, quam unquam, aestiment, atque in pristinas tenebras reducant, qui semel ab illis Dei misericordia liberati sunt.* Cum *Montius* culpam retardati foederis Electori imputare vellet, quod Legatos nuperos non sufficienti mandato instruxisset, regessit Elector vetus proverbium: *Qui vult discedere ab amico, occasionem quaerit.* Duas ajebat conditiones a se & sociis Regi propositas per ipsum Montium fuisse: primam, ut prius concordia religionis sanciretur; alteram, quod Protestantes aequale foedus inire paresque praestationes in se recipere non possent; De his relatum ad Regem, & tamen desideratam Legatorum missionem fuisse, itaque de aliis conditionibus cogitare aut Legatos instruere Protestantes non potuisse; si enim illae non placuissent, decuisse Regem, ut per literas potius illas rejiceret, quam Legatos flagitaret, quibus repulsam in os ingereret. Addebat, vulgata in conventu nupero Francofurtensi Regis oblatione de foedere cum Protestantibus ineundo, sat magnum his odium apud Caesarem conflatum esse: tanto nunc acerbius & impatientius ferre, quod jam etiam religionem suam condemnatam a Rege esse percipiant, neque ad rem facere, quod Pontifici sese opponat Rex, cum eadem sit Episcoporum, quibus ille obsequatur, doctrina & tyrannis. Cum hoc responso dimissus erat *Montius* mense Septembri. Non multo post Elector (ut Landgravio scripserat) d. 12. Octob. a Luthero & collegis consilium petiit, quid putarent religionis & conscientiae causa in negotio hoc faciendum esse. Responderunt *Lutherus*, *Jonas*, *Pomeranus* & *Melanchthon* d. 23. Octobr. praestitum esse ab Electore & sociis (quanquam aliud videretur *Bucero*) quicquid fas & aequum fuisset; sed Angliae Regem contra conscientiam ad edictum provolasse, cum non ignoraret, verbo Dei conformia esse, quae Evangelici docent: Uti illum libello *Sarcerii*, articulos fere omnes continenti, in Anglicam linguam verso: audivisse orthodoxas *Crammeri* & *Latimeri* conciones; in edicto tamen omnia rejicere, & contraria, tanquam divinae legis & fidei essent, asserere, praeterea crudeliter saevire in dissentientes, *Hoc*, ajunt, *novum est Satanae institutum, ut cessante jam aliquatenus Pontifice, Reges pro suo ingenio & commodo de religione statuant. Episcopos & Praelatos tolerant & defendunt, ut habeant, quorum consiliis & ministeriis absque sumtu suo uti possint: Missae spectaculo aliisque superstitionibus rudem populum occupant; ipsi sentiunt & credunt, quae volunt & sibi utilia sunt. Ita animatum esse* dicunt *Henricum, idque voluisse, cum Burcardo dixerit, se ipsum regere regnum suum; spretis scilicet, quae Evangelici suggesserint: Missum igitur faciendum esse, ex praecepto Apostoli, satis quippe monitum, & qui sciens prudensque veritati obluctetur.* Addunt, *Regem esse sophistam, &, ut loquuntur, glossatorem, fucis & fallaciis deditum:* Siracidis dictum allegant *XXXVII. 23. Odibilis est, qui sophistice loquitur.* Judicari etiam de illo debere dicunt ex intimioribus, quibus utatur, Consiliariis; inter hos eminere *Gardinerum* Episcopum Vintoniensem, tyrannum saevissimum, qui homines rogo addicat, nullius criminis reos, quam quod transsubstantiationem credere nequeant: coelibatum ab hoc urgeri, qui duo scorta, virilem vestem gestantia, secum ducat. *Sibi omnino videri* (neque falsi hoc judicio fuerunt) *non esse Henricum, per quem Deus Evangelium suum in Anglia sit stabiliturus.* Ad *Buceri* argumentum ex dicto Christi; *docete omnes gentes;* respondent: *Ad se praeceptum illud non pertinere, qui ad ministerium certi loci vocati sint, praestare tamen, quantum possint, publicata scriptis vera doctrina etiam in alias nationes.* Addit *Melanchthon* de se, quod Regem jam satis & modeste monuerit, cum prius edictum publicasset; (intelligit literas d. 1. Apr. datas, de quibus dictum est) scripsisse etiam *Crumwello* & *Crammero*, nihilominus audire, quod displicuerint Regi, quae scripserit, unde facile conjici possit, qualem accessum sperare posset, si ad Regem proficisceretur; fore enim, ut ad Episcopos rixosos & indoctos rejiciatur, ut prioribus Legatis factum esset. Irrident denique frivola quaedam Regis argumenta, dicere enim ferebatur, *quia mala opera damnant, ideo bonis salutem acquiri*, item, *quemadmodum sibi liceret legem ferre, ut non nisi coelibes ad aulica ministeria adhiberet, ita fas quoque sibi esse, ut idem de sacerdotiis statueret.* Lutherus eodem die privatim & solus Electori scribens *Melanchthonis* iter in Angliam penitus dissuasit: Ab Rege nihil, dicit, esse sperandum; Legatos ejus VVittenbergae fassos esse magnam illius inconstantiam, immo *Antonium Barnesium* dixisse, a Rege religionem & cultum Dei pro nihilo haberi. *Laetari se* ait, *quod Rex publicatione edicti larvam tandem deposuerit, hoc longe melius esse, quam si cum falso amico foedus initum fuisset: Legatos ejus postulasse, ut pro capite & defensore Evangelii in Germania haberetur; apage*, inquit, *caput illud; opes & nummi illum inflant & pro Deo vult adorari. Portet peccata sua quae non emendat! Fefellit jam olim egregie Maximilianum Caesarem & Ludovicum XII. Galliae Regem; Papa esse posset, adeo callidus & versutus est. Deus custodiat celsitudinem tuam & socios a subdolis illius machinationibus.* Circa idem tempus *Melanchthon* ita suadente Landgravio, jussus est expostulationem, ut vocant, ad Regem scribere: Praestitit id epistola gravi & prolixa Kal. Novembr. hoc anno data, quae reperitur *Tom. IV. Oper. Melanchth. in fine* & in *compilatione Pezelii P. I. p. 345.* item *in Volumine epistol. Melanchth. Lib. I. n. 28. edit. Lond.* ubi tamen falso adscribitur annus 1529. Dignissima esset quae tota hic legeretur, neque ullam forte corda-

A. 1539. *causa Anglicana.*

(g) *Acta Montii cum Electore.*

(h) *Responsum VVittenbergensium in*

(i) *Lutheri de ea literae.*

(k) *Melanchthonis epistola expostulatoria ad Regem Angliae.*

A. 1539.

cordatius scripsit; accedente etiam principum autoritate, sed omissis, quæ ad dogmata pertinent, quædam saltem ex illa ad historiam magis pertinentia adscribemus: *Multi boni & docti viri in Germania spem conceperunt, fore, ut autoritas tua etiam cæteros Reges mutaret, ut tandem indignam crudelitatem Principes Germaniæ deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Hujus sanctissimi & pulcherrimi consilii ducem atque autorem te fore statuebant. Sed nunc præjudicio tuo nos non leve vulnus accepimus. Confirmatur cæterorum Regum iracundia, augetur pertinacia impiorum, stabiliuntur veteres errores ingentes. Sed illud haud dubie contendunt Episcopi, se non errores, sed veras sententias & jus divinum tueri. Et quanquam non ignorant, sere ipsa cum jure divino & Apostolica Ecclesia pugnare, tamen homines astuti possunt invenire bellas interpretationes, & ut vocat Euripides,* σοφὰ φάρμακα, *quæ in speciem excusare errores & abusus videntur. Hæc sophistica nunc non tantum in Anglia habet admirationem sapientiæ, sed Romæ dominatur; ubi Cardinalis Contarenus, Sadoletus, Polus, nobis fucis pingunt abusus. In Germania etiam multorum nobilium animos hæc sophistica depravat. Itaque nil miror, his præstigiis istinc moveri plurimos. Et quanquam tibi nec eruditio nec judicium deest, tamen etiam sapientes speciosis persuasionibus interdum a veritate abducuntur.* Et post alia: *Negari non potest, diuturnas & horribiles tenebras in Ecclesia fuisse. Traditiones humanæ non tantum fuerunt carnificina piarum mentium, sed, quod est indignius, fuerunt cultus multipliciter vitiosi. Erant vota, donaria templorum, vestitus, ciborum delectus, battologiæ precum, indulgentiæ, honos statuarum, colebantur sancti manifesta idololatria, ignorabantur veri cultus Dei, & vera opera, denique magna similitudo erat ethnicarum religionum, & Romæ adhuc est. Erat ignota doctrina vera de pœnitentia, de remissione peccatorum, quæ fide in Christum contingit, de justitia fidei, de discrimine Legis & Evangelii, de usu Sacramentorum. Claves translatæ erant ad tyrannidem Pontificiam constituendam, longe anteferebantur politicis officiis ceremoniæ humanæ. Ad hos errores accedebat vita contaminata libidinibus, propter legem de cœlibatu. Ex his tenebris Deus non nihil evolvit Ecclesiam, repurgata doctrina: fatendum est enim, non humana diligentia deprehensos esse tam inveteratos errores, sed Dei donum est hæc Evangelii lux, qua Ecclesiis rursus ostensa est. Nam Spiritus sanctus vaticinatur, postremis temporibus certamina vehementiora fore piis cum Antichristo, vaticinatur & Antichristum stipatum satellitio ingenti Episcoporum, hypocritarum, Principum, adversaturum esse veritati, interfecturum pios. Hæc fieri nunc res loquitur ipsa. Romani Episcopi tyrannus partim invexit errores in Ecclesiam, partim confirmavit, & nunc tuetur viribus, ut prædixit Daniel. Gaudebamus autem, te abeo sejunctum esse, ac sperabamus fore, ut Anglica Ecclesia reflorescerer. Sed Episcopi tui non sunt avulsi a Romano Antichristo, illius idololatriam, errores, vitia tuentur. Nam articuli nunc editi astute delecti sunt: confirmant omnes humanas traditiones, cum stabiliunt præcipue vota, cœlibatum & confessionem. Muniunt non solum autoritatem, sed omnes errores, cum retinent privatam Missam. Ita arte caverunt, nulla ut emendatio institui possit, dignitas & opes in tuo sint. Hoc egisse Episcopos, res ostendit ipsa.* Et sub finem. *Rursus igitur te propter Dominum nostrum Jesum Christum obtestor, ut decretum Episcoporum lenias & emendes. Eaque in re gloriæ Christi servias, & consulas tuæ & Ecclesiarum tuarum saluti. Moveare votis multorum piorum toto orbe terrarum, qui optant, ut aliqui Reges conferant autoritatem suam ad veram Ecclesiæ emendationem, & ad tollendos impios cultus, ac propagandum Evangelium. Respicias & illos pios viros, vinctos propter Evangelium, qui sunt vera Christi membra. Et si non mutabitur decretum, sine fine grassabitur in Ecclesia sævitia Episcoporum. Hos enim habet Diabolus odii sui adversus Christum & furoris administros, hos impellit ad Christi membra trucidanda. Horum impias & crudeles sententias & sophisticas cavillationes, nostræ veræ & justissimæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pii te orant & obtestantur. Quod si impetrabunt, haud dubie Deus, ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & voce, virtus tua celebrabitur. Christus enim judicaturus est bene & male meritos de Ecclesia. Et dum vivent literæ, extabit ad posteritatem memoria rerum tantarum. Et cum Christi gloriæ serviamus, & Ecclesiæ nostræ sint Christi Ecclesiæ, non deerunt, qui piæ causæ patrocinari, qui bene meritos debita laude ornare, & crudelitatem vituperare poterunt. Circumit Christus esuriens, sitiens, nudus, vinctus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum Regum injustissima sævitia, petens ne lacerentur corporis sui membra, sed ut defendantur veræ Ecclesiæ, ornetur Evangelium. Hunc agnoscere, excipere, fovere, pii Regis est officium, & cultus Deo gratissimus.*

(l) Excepta a pontificiis Episcoporum. [margin note partly illegible]

(m) De abusibus & erroribus Romanis.

(n) De articulis a Rege publicatis.

(o) Dehortatio a persecutione.

Dum ista inter Principes & Theologos aguntur, Legati ad Regem ab Electore, ut dicere cœpi, in Angliam destinati fuerunt mense Augusto, rogatu Ducis Clivensis, *Johannes a Dolzig* Mareschallus & *Burcardus* jam Cancellarius, ut Clivensibus assisterent, in pactis nuptialibus inter hujus sororem & Regem componendis. Dissuaserat conjugium istud Elector ob Regis lubricam fidem & infelicia uxorum ejus fata; sed offenderat candore hoc suo affinem, & cum negotium impediri non posset, honoris causa missa Legatione, in gratiam sponsæ, promovere id voluit. Multo magis aversatus est nuptias illas, postquam mutatum Regis animum in causa religionis intellexerat; neque id apud Clivensem dissimulabat, ut apparet ex mandatis d. 28. August. datis. Profecti sunt cum Saxonicis ex aula Clivensi *Guilielmus ab Harpffen*, aulæ Præfectus & *D. Henricus Oelschlæger*, Cancellarius. Ab his & Deputatis ex parte Regis, *Crammero* Archiepiscopo Cantuariensi, *Andleyo* Cancellario, *Crumwello* privati sigilli custode, & *Tonstallo* Dunelmensi Episcopo pacta dotalia Londini d. 4. Octobr. subscripta sunt: Constituta fuit dos centum florenorum millium, dotalitium annuum viginti millium. Maximus honor habitus fuit Legatis, nec humaniores possunt esse literæ, quam quas Rex d. 7. Octob. dimissis Legatis dedit (*d. Reg. n. 111.*) Laudat Legatos, Dolzigium vocat *strenuum & nobilissimum equitem*, Burcardum autem *virum clarissimum*, pollicetur in summa omnia, *quæ*, ut scribit, *affinis affini, & amicus amico præstare possit.* Aderat in aula Regis *Fridericus Palatinus*, pro *Christierno* captivo Daniæ Rege, socero suo, auxilia dicis gratia petens, revera, ut matrimonium cum uxoris suæ sorore, Mediolanensis Ducis vidua, offerret; sed frustra erat, & ab Henrico jubebatur cum fratre Electore Palatino Pontificium jugum excutere, & fœderi Smalcaldico accedere. Fiebant hæc ad demonstrandam Saxoniæ Electori singularem amicitiam. Blandiebantur Legatis *Crammerus* & *Crumwellus*, & Regis aversionem & rigorem in nupera legatione, itemque edicti publicationem excusabant, quasi non alia ex causa profecta essent, quam quod Rex percepisset, Electorem nuptias Clivensi dissuadere, nunc vero omnia recte procedere, Regem conciliatum esse, & fore, ut edicti executionem intermitteret, & licet id tam cito, (quia Parlamenti autoritate decretum fuerit), non posset, proxima tamen occasione aboleret. Ad hoc multum profuturum esse, si Theologi ex Germania in Angliam mitterentur, & quidem ante mensem Apr. anni sequentis, quo iterum convocatum esset Parlamentum. Rex ipse Legatis ad convivium adhibitis & venatum ductis familiari sermone eadem fere insinuabat, addebat tamen, ut solebat, cedendum esse in quibusdam capitibus a Protestantibus, testatus nihilominus, se veritati semper locum esse daturum. Tertia vice iidem Legati mense Nov. ex conventu *Arnstadiensi* in Angliam missi fuerunt, ut sponsam deducerent. Invisum erat matrimonium illud Cæsari, ut vel ex diplomate apparet, quo post diuturnam solicitationem transitum sponsæ per Belgicas suas ditiones d. 10. Decemb. permisit, restricto ejus comitatu ad centum & quinquaginta equites, sed non nisi leviter armatos hastis brevibus, ensibus & gladi-

A. 1539.

(p) *Legatio Saxonica ad Regem propter matrimonium Clivense.*

(q) *Alia legatio ad deducendam sponsam.*

A. 1539.

gladiolis. Electoris ad Regem literæ datæ sunt d. 10. Nov. In iis fidem illis facit, & Regi de pacto conjugio gratulatur, suamque mittit ratificationem, annexa tamen petitione, ut Rex, dejecta dudum Episcopi Romani, quem AntiChristum vocat, tyrannide, nunc etiam abusus ejus ad exemplum Electoris & sociorum repudiet, & Episcoporum consiliis reluctetur, qui monstrum, ut loquitur, Romanum in corde fovent & retinent, ejusque autoritatem, nomen & imperium facile restitui posse existimant, si dogmata ejus retineantur.

(r) *Falsa relatio de mutata Lutheri doctrina in Angliam missa, ejusque contenta cum animadversionibus.*

Comperit eodem tempore Elector, disseminatam fuisse in Anglia falsam relationem de mutata a Luthero & Melanchthone doctrina, idque factum est paulo ante Comitia Anglicana, in quibus edictum sex articulorum Protestantibus molestissimum conditum fuit. Hac fraude Regem sine dubio induxerunt sycophantæ, ut ad edicti illius approbationem tanto facilior esset, credens Evangelicos ipsos vacillare. Accepit exemplum scripti Elector a Legatis suis, idque d. 13. Novembr. Luthero & Collegis misit, ut refutare nequissimum figmentum possent. Optandum esset, ut responsum illorum extaret; sed huc usque in Actis Archivi reperire illud non potui, ipsumque scriptum illud ex Anglia missum alieno loco (*Reg. O. fol. 140.* 𝕮. 𝕮. 𝕮.) deprehenditur, cum reponi debuisset *Reg. H. fol 260.* Quia tamen insigne specimen doli exhibet, quo Evangelica doctrina in suspicionem maximæ inconstantiæ adducta & pessimis interpretationibus corrupta fuit, totum hic exhibeo, additis tamen notis ex vera & orthodoxa Lutheri confessione & doctrina depromtis, ne incautis lectoribus fucus obtrudatur. Titulus est:

Copia eorum, quæ Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon cum adhærentibus civitatibus & aliquot Germaniæ Principibus admiserunt.

Sequitur:

(s) *Speciatim de munere Episcoporum.*

Primo fatemur, in Ecclesia esse debere politiam & regimen, in quo sint Episcopi, qui examini & ordinationi ministrorum ejusdem, nec non juribus in eadem exercendis præsint, qui attendant diligenter, ut Ecclesiæ sibi commissæ doctrinis piis & sinceris moribus fideliter instituantur. (1)

(1) Lutherus & Melanchthon nunquam statuerunt, necessarium esse munus illud Episcopale, quale in Ecclesia Romana constitutum erat, cum omni illa potestate & jurisdictione; neque inter Episcopos & Pastores essentiale discrimen agnoverunt; quod manifestum est ex omnibus eorum scriptis nunquam revocatis, & inprimis ex tractatu *de potestate & jurisdictione Episcoporum* a Melanchthone anno 1537. Smalcaldiæ composito, a Luthero subscripto, & articulis, quos ipse conscripserat, annexo. Tolerare autem volebant Episcopos, & externi muneris eorum autoritatem sequi, si verbum DEI pure prædicari, & Sacramenta ex præscripto Christi administrari curarent, remotis abusibus.

(t) *De potestate Pontificis.*

Admittimus, in Ecclesia bonum & conveniens esse, ut Episcopus Romanus cæteris Episcopis præsit, qui eos convocare possit ad audiendam & examinandam doctrinam & concordiam illorum, qui in Ecclesia discrepantia docent. Verum pompam Romani Pontificis, divitias & fastum illius, qui etiam sibi regna subjicere nititur, quæ neque adjuvant neque promovent Evangelium, non admittimus. Nam Reges, quorum interest, illud bene moderari possunt ac debent. (2)

(2) *Lutherus* Papatum ne jure quidem humano cum utilitate Ecclesiæ ferre voluit, ut constat ex articulis Smalcaldicis. *Melanchthon* hac in parte singulari opinione, cui nemo assensus est, concedi aliquid posse putavit, sed eadem conditione, qua Episcopatus admitti posset.

(u) *De ritibus & ceremoniis.*

Fatemur, ratione delectus ciborum, festorum & ceremoniarum, facile fieri posse concordiam, dummodo doctrinæ in Ecclesia concordes essent, & non discrepantes, ut sunt. Si enim doctrinarum esset concordia, indignum judicaremus, nos ab Ecclesia segregare, quandoquidem impossibile sit, mundum absque ceremoniis & humanis constitutionibus posse consistere, & ob id non erat necesse ab aliis nos segregare, ac novas & inusitatas erigere, cum omnis innovatio non necessaria fugienda sit; neque enim in observantia dictarum ceremoniarum & humanarum constitutionum ullum est periculum, dummodo doctrinæ sanæ tractentur. (3)

A. 1539.

(3) Non negarunt, necessariam fuisse separationem ob ceremonias, sed has non minus, quam dogmata erronea, pro sufficienti separationis causa habuerunt, si ad superstitionem & idololatriam tenderent, iisque affingeretur opinio necessitatis, ex obligatione conscientiæ, & meriti apud Deum, cum detrimento libertatis Christianæ & Ecclesiasticæ, cui fas est, ritus, pro cœtus commoditate & profectu, mutare; inepta vero argumentatione a regimine mundi ad regimen Ecclesiæ nunquam usi sunt, haud ignari, quæ damna per eam in Ecclesiam fuerint illata.

(x) *De confessione auriculari.*

Utile judicamus, in Ecclesia confessionem, & peccatorum enumerationem fieri debere, alioquin illa sublata, tolleretur ac offuscaretur doctrina de remissione peccatorum, & potestate clavium, cum in confessione inter cætera, unde fiat peccatorum remissio, doceri debeat; dummodo tamen in confessione confitentes probe instituantur, & conscientiæ in rigorosa & exacta omnium peccatorum enarratione non prægraventur. (4)

(4) Necessitatem enumerationis peccatorum nunquam requisivit Lutherus, neque, sublata ea, dixit, obfuscari doctrinam de remissione peccatorum, adeoque non reprehendit alias Ecclesias, quæ diverso modo eundem finem tenuerunt, præparatione & excitatione communicantium in pœnitentia & fide, loco particularis confessionis introducta.

(y) *De fide justificante.*

Credimus, justificationem ex fide fieri, neque etiam per quævis opera per nos satisferi, aut peccatorum remissionem consequi posse. Neque tamen illa fides nos justificans otiosa esse debet, sed piis & bonis operibus exornata. (5)

(5) Omittitur subdole particula *sola*, nec sincerius est, quod negatur, per quævis opera satisfieri posse: Indicatur enim, esse aliqua opera, quæ id præstent; id est, charitatem, qua exornatam esse fidem debere dicunt, id est, ut alii loquuntur, *formatam.* At Lutherus charitatem ab actu justificationis exclusit, nec formam, sed effectum & fructum fidei esse statuit.

(z) *De libero arbitrio.*

Fatemur, liberum arbitrium a Spiritu Sancto adjutum nonnihil agere, quoties peccato alicui nos subtrahere volumus. (6)

(6) Dubium est, an architecti horum articulorum sano sensu hæc intellexerint, & cum Evangelicis consenserint, de cooperatione hominis post conversionem, ita ut soli Deo omnis gloria absque ulla meriti proprii arrogatione tribuatur.

(aa) *De amissione Spiritus S. per peccatum mortale.*

Fatemur post peccatorum condonationem Spiritum Sanctum homini impartiri, ab eoque denuo recedere, cum is aliquod peccatum mortale perpetraverit. (7)

(7) Addi debuisset, pœnitentia recuperari remissionem & Spiritum Sanctum posse, ne Novati hæresis Evangelicis, ut calumniatores tunc facere solebant, imputari posset.

(bb) *De Missa.*

In Missæ officio consueta utimur forma; quid enim prodesset mutatio ceremoniarum, præsertim ubi necessaria non fuerit; atqui privatas Missas non admittimus, cum illæ nonnullorum abusuum occasio extiterint, fiunt enim ex Missarum celebratione nundinationes. (8)

(8) Non dixerunt, Missis se uti *consueta forma*, id est, quæ per abusum introducta erat, sed meliorem a se adhiberi affirmabant, sublato nempe *Canone*, quem vocant, aliisque cum orthodoxia pugnantibus formulis & ritibus: neque solum nundinationes Missarum improbabant, sed etiam, quod pro sacrificio propitiatorio haberentur. Ideo Missam ad solam communionem sacram revocarunt, servata etiam libertate in mutandis ritibus, quos ab initio vitandi scandali causa,

A. 1539.

cauſa, vel ſpe concordiæ, retinuerant, qua etiam poſtea uſi ſunt.

(cc) De cœna Domini.

De cœna Domini hoc ſentimus: quemadmodum Chriſtus in ultima cœna ſuis diſcipulis verum corpus ſuum edendum & ſanguinem potandum in cibum & potum ſpiritualem dedit; ita hodie nobis, ſuis diſcipulis & fidelibus, quoties dictam Cœnam juxta præceptam formam; accipite & manducate &c. tenemus, verum corpus ſuum & ſanguinem ſuum comedendum & bibendum dat. Et hæc trium Evangeliſtarum & D. Pauli mens eſt, & ita illorum verba clare ſonant, & hinc omnis, quæ fit ſuper illis verbis erronea interpretatio, procul abſcedat. Docemus, Chriſtum dediſſe diſcipulis ſuis ſub utraque ſpecie corpus & ſanguinem ſuum & ita apud nos obſervari debere, quemadmodum & obſervatur. Verum quia humanis conſtitutionibus altera ſpecies eſt prohibita per Epiſcopum Romanum, optime remedium poſſet inveniri, dum realiter utraque ſpecies diſtribuatur volenti ea uti, atque prohiberetur, ne una pars alteri inſultaret. (9)

(*9*) Addere debuiſſent, rejectum eſſe ab Evangelicis dogma *transſubſtantiationis* cum omni ſequela, incluſionis, circumgeſtationis & adorationis Sacramenti. Falſum quoque eſt, indifferentem Evangelicis fuiſſe communionem ſub utraque & una; ſed illam ſolam, ut jure divino immutabili præſcriptam, probarunt.

(dd) De invocatione Sanctorum.

Quandoquidem notum eſt ex ſacris doctoribus dies feſtos ſanctorum fuiſſe ſervatos, nam ſacri canones ſuper his adhuc extant, in illis autem non conſtat invocationis illorum ullam mentionem fuiſſe factam, immo ſolum ex his manifeſtum fit, illos nobis exemplo proponi, quo illorum vitam & converſationem imitari diſceremus: tamen, cum propter aliquam conſuetudinem ſanctorum interceſſio admitti deberet, tum fierent precationes ad Deum, quatenus eaſdem alicujus ſancti interceſſione exaudire nos dignaretur; Certum autem aſſerimus, ſanctos jugi interceſſione interpellare pro Eccleſia. Probe tamen ſunt Chriſtiani docendi, ne eam fiduciam, quam habere debent in Deum, in Sanctos convertant. Non rejicimus etiam imagines Chriſti & ſanctorum, ſed venerationem illis exhibitam, unde idololatria exorta eſt. (10)

(*10*) Nunquam pro certo aut fidei articulo aſſeruerunt, Sanctos pro nobis intercedere: conjecturam quandam admiſit Lutherus in articulis Smalcaldicis, negavit tamen, ullo modo interpellandos eſſe, ut intercedant, aut Deum rogandum, ut illorum interceſſionem reſpiciat.

(ee) De votis monaſticis.

Neque etiam damnamus monachorum ac clauſtris mancipatorum vitam, ſed ſolam fiduciam, quam nonnulli in regularum obſervantia poſuerunt. Rejicimus etiam illorum vota, quæ aliqui fecerunt, ſuper his, quæ tenere non potuerunt; neque tamen volumus ob id monaſteria aboleri, ſed quod deinde ſint ſcholæ, in quibus perſonæ diſciplinis honeſtis inſtituantur, quodque Papa ſuper votis diſpenſaret, ita ut cuique liberum ſit, eadem tenere vel non, & in hoc mentis tranquillitati & quieti bene conſuleretur & vota non eſſent mala. (11)

(*11*) Non probarunt, ſed damnarunt mancipationem in clauſtra. Tolerari vitam monaſticam poſſe ſtatuerunt, ſi abſit coactio, opinio meriti, otioſa mendicatio, aliique abuſus tollantur, & libera ſit abſque diſpenſatione Pontificis exeundi facultas.

(ff) De conjugio Cleri.

Matrimonium ſacerdotum eſſet in poteſtate Papæ, qui illud poſſet admittere, quia concubinatus multorum prohiberetur, paucos enim caſtos videmus: Si autem lex de non contrahendo locum habere deberet, tum dignitatibus & prælaturis Eccleſiaſticis, ad vitandum ſcandalum, non niſi graves & perfectæ ætatis homines præficerentur. (12)

(*12*) Luthero falſa affingi apparet, quaſi Pontificis arbitrio & diſpenſationi permitteret conjugium Cleri: hoc enim divini juris, nec licitum ſaltem, ſed & neceſſarium omnibus eſſe cenſuit, qui donum continentiæ non habent. Cautela quoque de dignitatibus Eccleſiaſticis, non niſi provectæ ætatis viris, qui nempe cœlibes eſſe poſſent, conferendis, non eſt Lutheri.

A. 1539.

(gg) De purgatorio & indulgentiis.

De purgatorio & indulgentiis, ſalubrius eſſe judicamus, in ſcholis, quam e ſuggeſtu publice & abſque fructu diſſerere ac diſputare, dum tamen ante omnia nundinationes ex his ortæ abigerentur. In his namque, quemadmodum in aliis quibuscunque, ſuper quibus nunc inter nos vertitur controverſia, abuſum potius, quam rem ipſam rejicimus, quæ tamen omnia per Concilia legitime congregata diſcuti & emendari poterunt. (13)

(*13*) Purgatorium ipſum, totumque indulgentiarum Pontificiarum commentum rejecit Lutherus cum ſociis, quod inter alia manifeſtum eſt ex articulis Smalcaldicis; ideoque non vetuit, ne pro concione illa refutarentur, fecit enim id ipſe, nec voce ſolum, ſed & ſcriptis, lingua patria.

(hh) Epilogus articulorum commentitiorum.

Hos articulos Zuingliani & Oecolampadiani nondum acceptarunt, tamen ſimplices populi perſonæ ad hos facile inclinantur, & frequenti concione ſperatur eos brevi reſipiſcituros. (14)

(*14*) Invidioſe hic allegantur *Zuinglius & Oecolampadius*, quaſi illorum tantum ſectatores Pontificios abuſus rejicerent, non itidem Lutherani. Falſum deinde eſt, quod populus ad admittendas has conciliationes propenſus fuerit, aut ſpes facta ſit, per conciones illum ad eas movendi. Contrarium etiam poſt mortem Lutheri deprehenſum eſt, cum publicato anno 1548. edicto Carolino pauciſſimi incruſtationes, his, quæ in Anglia tunc inventæ fuerunt, non abſimiles, admitterent, & licet vi ad eas recipiendas adacti, brevi tamen abjicerent.

Libelli, qui a Martino Luthero his articulis contrarii editi fuerant, nunc manu ipſius retractantur, & agnoſcuntur omnia errata. Datum in Germania menſe Mart. 1539. (15.)

(*15.*) Hoc tam impudenter falſum eſt, ut refutatione non ſit dignum.

(ii) Annotatio de iiſdem articulis in Germania ſparſis.

In Archivo Vinarienſi *Reg. N. fol. 452.* DD. *n. 220.* hoc idem ſcriptum Germanice verſum, ſed mutatum & interpolatum extat, cum inſcriptione, quod Imperatori ab Electore Sax. *Joh. Friderico* miſſum fuerit. Fateor me, cum Volumen illud perluſtrarem, neque invenirem ullum indicium ex aliis chartis & documentis, qua occaſione, quove die & anno Elector talia ab ejus religione prorſus abhorrentia ſcripſiſſet, non leviter turbatum eſſe. At poſtquam aliud volumen, illud nempe, ex quo res Anglicanas retuli, evolviſſem, & Latinum illud, quod exhibeo, ſcriptum ex Anglia miſſum, conſideraſſem, ſtatim deprehendi, eandem calumniam Electori in Germania ſtructam fuiſſe, quam in Anglia Luthero & Collegis ſycophantæ impegerant. Uno tamen atque altero loco pro loci & hominum diverſitate ſubdole variarunt. Quod enim in ſcripto per Angliam ſparſo contra dominatum Pontificium in Reges & Principes inſeruerant, ut Henrico Regi palpum obtruderent, id in Germanico omiſerunt. De juſtificatione etiam propius acceſſerunt doctrinæ Lutheri, quam plurimi ex Pontificiis Doctoribus in Germania non improbabant. De Miſſis etiam clarius locuti ſunt, & ubi de ceremoniis & feriis agitur, illa tantum feſta retinenda eſſe ſcripſerunt, quæ in Eccleſia tempore Hieronymi, Ambroſii & Gregorii Nazianzeni in uſu fuiſſent. Interim notabile hoc eſt impiæ fraudis ſpecimen, & ſolatium præbere poteſt contra continuatam ad noſtra usque tempora malitiam hominum, qui nihil non licite fingi poſſe putant, quo veritati Evangelicæ noceatur.

(kk) Quædam de cultu Thomæ Cantuarienſis.

Mantiſſæ loco memorabilem *D. Gilb. Burneti* relationem de *Thoma Cantuarienſi*, cujus *hoc §. n. 9.* mentio facta eſt, ex *Part. I. hiſt. Reform. Eccl. Angl. fol. 137.* adjiciam. *Thomas Cantuarienſis* (verba ſunt Burneti) *a Rege Henrico II. in Epiſcopum Cantuarienſem electus, plurimas Regi, autoritati ejus ſeſe opponendo, Pontificis vero Romani poteſtatem exaltando, moleſtias creavit. Ac quanquam articulos Concilii Clarendonenſis, de infringenda Papali, & aſſerenda autoritate regia, aſſenſu ſuo approbavit, mox tamen ipſum hujus pœnituit,*

A. 1539.

tuit fidelitatis. Hinc ad Pontificem fugiens, ceu primarii fidei Romanæ articuli confessor fuit exceptus, Rege & regno a Pontifice excommunicato. Mox Regis Galliæ intercessione Regi Henrico reconciliatus, ac sedi suæ Cantuariensi vix restitutus, novas regno turbas movere capit, contra Archiepiscopum Eboracensem & alios quosdam Episcopos, quod ipso absente filium Regis coronassent, censuras stringens. Quæ Rex in Normannia audiens dixit, si fideles sibi essent servi, non tantas a sacerdote ferendas sibi esse turbas: factum inde, ut nonnulli Regis ministri zelo perciti Becketum interfecerint. Certe Rex seria facti hujus duci debuit poenitentia, Monachis, pro more, de martyris istius sanguine mire vulgantibus. Romæ quippe confestim is in Divorum numerum relatus, tanquam Ecclesiæ Rom. martyr, & omnibus Apostolis, Ecclesiæque primitivæ sanctis longe fuit ante positus: adeo, ut ante tria secula non fuerit major in cælo Divus, quod ex oblationibus, in primariis Ecclesiæ Christi Cantuariensis altaribus factis, colligere est: primum erat Christo, alterum Mariæ, tertium S. Thomæ dicatum. Accidit porro, ut anno quodam in altari Christi tres libræ, duo solidi & sex denarii: in B. Virginis altari 63. libræ, 5. solidi & 6. denarii: in altari vero B. Thomæ 832. libræ, 12. solidi & 3. denarii oblati fuerint. Anno sequenti differentia adhuc major erat: Christo ne obolus quidem, B. Virgini quatuor saltem libræ, unus solidus & octo denarii, S. vero Thomæ libræ 954. solidi sex, & tres denarii oblata fuerunt. Factum hinc, ut Basilica Thomæ pretii facta fuerit inæstimabilis. Unica gemma a Ludovico VII. Galliæ Rege, Thomæ reliquias visitante, donata, pretio omnes in Europa gemmas superasse dicitur. Neque vero proprium in Calendario diem vicesimum nonum Decembris assignasse illi sufficiebat; sed majora ob istum martyrem, quam ullum alium, Ecclesiæ concessa fuerunt privilegia. Dies consecrationis corporis ejus, quem translationis diem vocabant, videlicet septimus Julii, non solum erat feria, sed singulis decem lustris Jubilæum quindecim dierum, cum venia Papali pro singulis Basilicam visitantibus, fuit institutum: quemadmodum ex annalibus sexti Jubilæi, post ejus translationem anno 1420. celebrati (quo circa centum millia peregrinorum sepulcrum Becketi visitarunt) constat. Jubilæum initium sumebat hora duodecima Vigiliæ festi, ac quindecim dies durabat; qua quidem ratione immensæ ad Basilicam istam redundabant divitiæ, quæ tandem, propter technas perfidas, Regem commoverunt, ut non solum Basilicam subvertere, sed & Becketum e Divorum numero expungere constituerit.

(12) *Acta inter Angliæ & Daniæ Reges.*

Non meliori fide eodem fere tempore cum Daniæ Rege *Christiano* egit Rex Angliæ. Licet enim subinde Christierni captivi partibus favere videri vellet, misit tamen Legatum in Daniam, qui Regi de abjecto Pontificis jugo gratularetur, & de fœdere cum illo & Smalcaldicis aliquid proferret, quod postea Daniæ Rex, missis ad Electorem Saxoniæ & Landgravium *Wolffgango Utenhofio* Cancellario (nobili familia in Variscis sive præfectura Weidensi nato) & *Caspare Fuchsio*, Secretario significavit, rogatusque inde ab Electore est, ut cum Rege commercium aliquod pro conservanda spe amicitiæ & fœderis continuaret.

(13) *De literis Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ.*

De Rege Poloniæ etiam aliquid referendum est. Miserat *Albertus Borussiæ Dux (Reg. H. fol. 267. n. 113.)* Cubicularium suum *Christophorum a Creuzen*, qui d. 26. Maji Electori aperuit, conventum *Cracoviæ* habitum esse, præsentibus Pontificis, Galliæ Regis & Venetorum Legatis, & de induciis cum Turcis tractatum; ultimum autem scopum esse oppressionem Evangelicorum, statuente Pontifice, præferendam hanc esse bello cum Turcis: etiam sibi & Daniæ Regi exitium destinari, & contra hunc animari *Suecos*. Edoctus interim Poloniæ Rex a genero suo *Joachimo II.* Electore Brandenburgico de instanti tractatu Francofurtensi, literis ad Electorem Saxoniæ d. 23. April. datis, ad pacem & jungenda contra Turcos arma illum hortatus est, iis tamen verbis, quæ Elector durius accepit, & silentio prætereunda esse non existimavit; verum egregiis & prolixis literis a *Melanchthone* compositis d. 1. Septembr. respondit, & causam Evangelicam mascule in illis tutatus est, petiitque, ut Rex atroces contra se & socios suspiciones abjiceret, & pro autoritate sua, qua propter ætatem & rerum gestarum magnitudinem valebat, Cæsari consilia suggereret, quæ ad gloriam Christi, ad salutem Ecclesiæ, & totius Europæ tranquillitatem tenderent. Paria fere paulo post Elector Brandenburgicus ad eum scripsit, ut in loco memorabitur.

ADDITIO III.

(a) *Epistola Electoris ad Regem Polon. eidemque exordium.*

Extant Electoris *Saxoniæ* literæ *Reg. H. fol. 247. n. 107.* Præmittitur relatio de literis Regis *Poloniæ* ad Electorem *Brandenburgicum*, in quibus Principes Germaniæ admonebantur ad pacem inter se colendam & ferenda adversus Turcos auxilia. Probat ista Elector Saxoniæ eademque se in conventibus Imperii semper suasisse, nec solum votis a Deo expetere, sed & paratum semper fuisse, ut pro viribus ad illa præstanda concurreret. Deinde ex Regis literis ad se scriptis querelam quandam a se observatam esse dicit, quæ forsitan ab accusatione aliqua sui orta sit, neque dubitare, homines impios, inimicos sanctissimæ causæ religionis, quam probet, ubique omnibus artificiis & calumniis Regum animos adversus se incendere, ideoque non ingratam sibi esse occasionem voluntatis suæ apud Regem declarandæ. Demonstrari manifestis testimoniis posse scribit, se a seditiosis & turbulentis consiliis maxime abhorrere, & sæpe cum summa reverentia a Cæsare rogasse, ut pacem benigne promitteret. Nulla in re, quæ ad defensionem Imperii pertineret, autoritatem Imperatoris detrectasse, nec a cæteris Principibus & Ordinibus sese sejunxisse; auxilia contra Turcos misisse, seditiosorum tumultus in Germania oppressisse, aliquanto majoribus sumtibus & laboribus, quam plerique alii. Hæc notoria esse, quæ plenam fidem apud Regem mereantur, adversus omnes impiorum & malevolorum calumnias. Pergit deinde his verbis: *Sunt qui ardent odio nostri propterea, quod non exercemus crudelitatem in homines innocentes, quod quosdam manifestos abusus Ecclesiasticos emendari passi sumus, & emendaverimus ad normam veræ doctrinæ, quam Catholica Ecclesia Christi clarissime profitetur. Propter has causas irascuntur nobis quidam, qui avertunt invictissimum Imperatorem, & cæteros Reges a consilio gerendi Turcici belli, qui non desinunt hortari Invictissimum Imperatorem ut adversus nos bellum exitiale patriæ & Ecclesiæ, quæ est altera patria, moveat, qui furentes impietate jura naturæ obliviscuntur & fœdera ad obruendum nos & nostra faciunt, & cognatum sanguinem exorbere cupiunt, qui plus quam Neronianam crudelitatem in homines honestos nobiscum sentientes exercent, qui adversus nos solicitant omnes Reges ac nationes. Epistola R. D. V. nos admonet de Testamento Christi, quod, ut decet, libenter audimus, ut pacem colamus. Sed illud testamentum nihilne ad adversarios nostros pertinet? Nos jubemur pacem colere: In illis scilicet laudem meretur crudelitas, quia falso prædicant, se Ecclesiam tueri, qui testamentum Christi, hoc est, doctrinam & beneficia ejus delere conantur, qui lucem Evangelii impiis traditionibus obruerunt, qui omnia sacra venalia habent, qui Ecclesiam idololatria polluerunt, qui, ut defendant idololatriam, tyrannidem, luxum & libidines suas, trucidant multos bonos viros, movere civilia bella, & facere infinitam vastitatem Ecclesiarum conantur. Hos sciat*

(b) *Querela de odio & sævitia adversariorum.*

A. 1539.

sciat R. D. V. privatis odiis incensos impedire recta consilia. Hi vetant, quo minus pax nobis promittatur, quæ si esset certa, aliæ deliberationes publicæ essent faciliores. Voluit etiam Christus in testamento suo, quod ipse suo sanguine consecravit, potiorem esse curam tuendæ doctrinæ cœlestis, quam pacis, & conspirationis cum iis, qui opprimere Evangelium cupiunt, cum quibus ne ipse conspiraret, sanguinem suum profudit. Porro hactenus etiam, cum fuit incerta pax, tamen auxilia misimus, & sæpe polliciti sumus in omnibus rebus officium nostrum, modo ut pax nobis concedatur. Idem adhuc pollicemur. Primum enim natura postulat, ut nostrorum securitati consulamus, quibus debemus protectionem, qui suas facultates ad armandos exercitus conferunt. Jam si nobis absentibus aut amissis præsidiis facerent impetum in nostros subditos inimici nostri, jure reprehenderemur. Nec petuntur a nobis auxilia veteri more. Non enim adhibemur ad deliberationes, tantum flagitantur a nobis copiæ aut stipendia. Exercitus committuntur Ducibus ignotis, sine Legatis, sine consilio, sine commeatibus; ita objiciuntur cives hostibus trucidandi, hostes irritati, prodiuntur. Talia consilia, tales exitus sunt pœnæ impietatis illorum, qui nos apud R. D. V. criminantur, solet enim Deus publicis cladibus idololatriam punire. Proponunt edicta Neroniana, stabiliunt horrendos abusus & flagitia, interficiunt Christi membra, tanquam prius victimas mactaturi Marti, antequam educant exercitus. Hus auspiciis bella movent. Quid hi gererent feliciter, qui mentes idololatria contaminatas & manus habent pollutas sanguine Christiano. Quæ subjungit, etsi lectu dignissima sunt, brevitatis tamen causa omittimus. Inter alia scribit: *Dubitandum non est, quin cum Turcis feliciter dimicaturi essemus, si Ecclesia prius sanaretur; &, idololatria deleta, restituerentur veri cultus Dei & vera doctrina.*

(c) *Oblatio auxilii contra Turcas.*

Addam etiam verba ex literis regiis d. 27. Apr. hoc anno ad Electorem datis, quibus ad apologiam illam permotus est (*Reg. H. fol. 265. n. 112.*) *Magna hæc est Dei erga nos ira*, (loquitur de bello Turcico) *quam tanto magis meremur, quod, cum ille ad Patrem suum cœlestem ex hoc mundo migraturus nil aliud nobis Testamento reliquerit, quam pacem, nos Testamentum illius violamus, hæreditatem respuimus, &, quod ipse nos adoptando fecit, filii ejus esse recusamus. Dici non potest, quam hæc a nobis dolenter scribantur, non possumus enim non summam ex eo molestiam capere, quod esse quosdam videmus, qui vivi videntesque ruunt in interitum, & privata sua odia explere potius dicuntur, quam ut publice cuncto Christiano populo periclitanti succurrant.* Rogat inde Electorem per viscera misericordiæ Christi, *ut in pacis curam incumbat, utque Principes privatas simultates Reipublicæ Christianæ condonent.*

(d) *Verba ex literis epistola regia.*

§. LXXIV.

(1) *Ferdinandi Regis edicta quædam.*

Jam reliqua Evangelicorum consilia & acta hujus anni considerabimus. Multa eos in solicitudinem conjiciebant. A Cæsare major metus & diffidentiæ, quam spei, causa erat; nec meliora a Ferdinando Rege sibi promittere poterant. Publicaverat ille ipso Francofurtensis conventus tempore d. 3. Aprilis edictum, quo omnes suorum subditorum filios proposita gravi pœna ex Academia Wittenbergensi avocabat, illaque in futurum cunctis interdicebat. Exegerat aula *Wolfgangum Severum*, liberorum suorum informatorem ob suspicionem Lutheranismi.

ADDITIO I.

(a) *De Wolfgango Severo quædam.*

Wolfgangus hic *Severus* alias Schiefer vocabatur. Extant ejus literæ ad Melanchthonem d. 24. Aug. anno 1536. Oeniponte datæ (*Reg. O. fol. 156.* JJJ.) in quibus se *præceptorem Regium* nominat, & honorifice de libris Lutheri & Melanchthonis sentit, maxime de commentario in Galatas & Locis communibus. *Severus* hic anno 1524. studiis in Academia VVittenbergensi incubuerat; circumfertur ejus distichon:

Japeti de gente prior, majorque Luthero
Nemo fuit; sed nec, credo, futurus erit.

A. 1539.

Ejectus ex aula Ferdinandi, religionis causa, hoc anno 1539. VVittenbergam venit, & commendatus fuit Electori a Melanchthone d. 7. Novembris, ut filiorum Principis studiis præficeretur. Lutherus sua manu addidit, *commensalem illum suum esse, virumque valde pium & cœlibem, talemque, ut conjici posset, mansurum*; sperat, summopere Electori gratum fore. At hic in responso suspicionem quandam indicat apostasiæ, per quam in aulam Ferdinandi pervenerit; accedere tamen jubet. Mirum sane esset, quomodo tam diu toleratus fuisset in aula regia, si Lutheranismum non dissimulasset. Ad hunc forte pertinet, quod *Pallavicinus Lib. IV. cap. VIII. n. 8.* ex *Farnesii* Cardinalis literis d. 28. Octobr. allegat, Ferdinandum interdixisse, ne quis cum filiis de fidei controversiis sermonem haberet: Id forte fecerat *Severus*, nec absque successu; quo enim animo *Maximilianus* Ferdinandi filius & successor in Imperio erga Evangelicos fuerit, satis notum est; is vero hoc tempore duodecennis erat.

(b) *Ferdinandi mandatum quoddam.*

Frustra Ferdinandum sollicitabat Landgravius literis d. 10. Julii datis, ut indictionem colloquii Norimbergensis promoveret. Nulla etiam spes superat de Episcopis ad reformationem & concordiam persuadendis, id quod Elector Saxo d. 2. Aug. Landgravio scribens (*d. Reg. H. fol. 278. n. 117.*) deplorat, refertque, ut frustra Misnæ habito per aliquot dies cum Episcopo colloquio laboraverit. In eadem epistola optat, ut certi aliquid de bonis Ecclesiasticis communi consensu constituatur, quod Francofurti fieri non potuerat, fatetur tamen, se illis non assentiri, qui omnes reditus ministris Ecclesiæ, licet jam reformatis & evangelicis, attribuendos esse censeant, fore enim, ut in eundem luxum aliaque vitia cadant, quæ antea Clerum corruperint, & quorum continuandorum causa omnes concordiæ conditiones ab adversariis rejicerentur. At nihil magis spem de Cæsare & impetranda ab eo pace imminuit, quam mandatum ab illo (*Reg. H. fol. 265. n. 112.*) d. 8. Jun. Capitulo *Bremensi* datum, quo jubebat, ut *Henricum Brunsuicensem* conservatorem sive protectorem reciperent, & fœderi Norimbergensi, pro veræ religionis defensione inito, accederent. Subreptum est sine dubio Cæsari a Brunsuicensi ejusque fratre *Christophoro*, Archiepiscopo Bremensi, neque enim sex mensium tempus prætererat, intra quos ratificatio Cæsaris expectari & ab utraque parte a recipiendis fœderatis abstineri debebat; Id enim Legatus Cæsaris *Lundensis*, plenissima cum potestate missus, adstipulante etiam Ferdinando Rege, promiserat, fidesque publica requirebat, ut observaretur. Intra idem tempus *Erfurtenses* & *Mülhusini* ad ejusdem fœderis societatem a Brunsuicensi sollicitabantur. Ferdinandus quidem transgressionem Protestantibus imputabat, literis ad Electorem Palatinum d. 13. Sept. datis, quod Henricum Saxoniæ Ducem in protectionem recepissent; sed factum id erat ante triennium, & licet post mortem Georgii receptio illa Henrici etiam ad provincias per successionem ad eum delatas extendi posse videretur, nondum tamen conventum ea de re cum illo fuerat, licet Elector missis *Johanne a Pack* & *Justo ab Hayn* d. 29. Jul. cum adversæ partis molimina erumperent, illum admonuisset, ut nova pactione & suæ incolumitati & rebus Evangelicorum prospiceret. Dilatum fuit enim negotium ad proximum conventum.

(2) *Literæ Electoris & Landgravii.*

(3) *Edictum Cæsaris ad Capitulum Bremense.*

(4) *Ferdinandi querela de Protestantibus.*

A. 1539.

tum. Irritaverant etiam Electorem judices Cameræ, præſentatum ſibi menſe Auguſto in defuncti aſſeſſoris Saxonici *Caſpari a Seidewiz* locum *D. Baſilium Monnerum* recuſantes, neque rationem repulſæ, deſideranti id licet Electori, reddere volebant. Nulla tamen alia erat, quam quod Auguſtanam confeſſionem profiteretur, & interrogatus, an juramento ſeſe ad obſervandum edictum comitiale anno 1530. publicatum & Evangelicis ſumme noxium, ideoque ſuſpenſum, obligare vellet? reſpondiſſet, ſe id ſalva conſcientia facere non poſſe. Nihilo ſegnius tamen *Ferdinandus* per Legatos & literas apud Landgravium inſtabat, ut auxilia adverſus Turcos mitterentur, quaſi omnia recte ſeſe haberent, &, quæ pactis Francofurtenſibus pro pacis ſecuritate promiſſa erant, ſufficienter præſtita ab illo & Cæſare eſſent.

(5) *De D. Monnero a Camera Imp. rejecto.*

Ventum itaque eſt ad congregationem fœderatorum Evangelicorum *Arnſtadii*, poſt finem ſex menſium ratificationi Cæſareæ præfinitorum, ad d. 19. Novemb. deſtinatam. Ejus brevem mentionem facit *Sleidanus d. Lib. XII. p. 347.* Multa tamen in ea acta ſunt *(Reg. H. fol. 248. n. 108.)* quæ relatione non ſunt indigna. Elector Saxoniæ habito prius inter ſuos & Landgravii miniſtros *Berckæ* ad Vierram colloquio, de ſociorum voluntate, ſi ad bellum, ut metuebatur, res veniret, certus eſſe volebat. Miſit itaque cum prolixis mandatis ex præcipuis Conſiliariis non togatos ſaltem *Pontanum*, *Packium* & *Burcardum*, ſed & viros militares *Bernhardum a Mila* & *Conradum Gozmannum*, Equites. Per hos omnes curas ſollicitudinesque ſuas aperuit, non tacens defectus quosdam ſociorum, propter quos ducatum fœderis, quem hucusque cum Landgravio geſſerat, impoſterum declinabat. Difficilis fuit deliberatio in Arnſtadienſi conventu, & ad diem 10. Decemb. usque continuata. Moveri ſe tamen Elector precibus & promiſſa emendatione paſſus eſt, ut munus cum maximo quidem labore & periculo conjunctum retineret: pactus tamen, ut ſibi vicarius & Legatus (ein Unterhauptmann) ſubſtitueretur; is fuit *Milanus* ſupradictus, Landgravio autem datus eſt *Sigismundus Boineburgius*. Cum vero ex hoc ipſo conventu *Johannes a Dolzig* & *Burcardus* Legati ad Ducem Clivenſem & inde in Angliam proficiſcerentur, mandatum his eſt ex decreto fœderatorum, ut de ſtatu religionis in Anglia certiora explorarent, & pro re nata tractationem de fœdere renovarent, ſpem etiam de Melanchthone in Angliam, ut Rex ſæpe deſideraverat, mittendo facerent, ſi ſucceſſus aliquis ad promovendam in religione concordiam conjici poſſet. Decreta etiam eſt legatio ad Electores *Trevirenſem* & *Colonienſem* & ad Epiſcopos *Bambergenſem* & *Würzburgenſem*, itemque ad Ducem *Juliacenſem*, quos omnes ad moderata conſilia inclinare exiſtimabant, ideoque petebant, ut a fœdere Norimbergenſi porro, ut huc usque fecerant, abſtinerent, ne ſub religionis prætextu libertati Germaniæ periculum crearetur. Teſtabantur etiam, ſe neque illis, neque cuiquam, religionis cauſa vim aut damnum illaturos, ſed plane contentos eſſe, ſi modo ſibi & aliis, qui idem jus ſibi aſſererent, pro ſua conſcientia & in ſuis ditionibus de ſacris ſtatuendi facultas maneret.

(6) *Conventus Evangelicorum Arnſtadienſis.*

(7) *Acta Electoris & Landgravii Berckæ.*

(8) *Acta quædam Arnſtadienſia.*

A D D I T I O II.

A. 1539.

Trevirenſis Elector erat (ut de Colonienſi *Hermanno*, poſtea palam ad Evangelicos transgreſſo [illegible] dicam) *Johannes a Mezenhauſen*, anno 1531. [illegible]*rdo* defuncto ſuffectus. In illo Proteſtantes, & [illegible]primis Landgravius, ſingulare conciliandæ controverſiæ in religione, pacisque & libertatis Germanicæ ſtudium, agnoſcebant: Inſignem etiam ejus manſuetudinem *Ambroſius Pelargus* Dominicanus, acris Evangelicorum, nec non Eraſmi, antagoniſta, laudavit. Vide *Brow. Chron. Trev. Lib. XXI.* Neque ille ſpem Proteſtantium de ſe conceptam tunc fefellit, inviſus licet eo nomine Pontifici ex *Aleandri* delatione, cujus veſtigia reperiuntur apud *Pallavic. Lib. IV. cap. VIII. §. 14.* Miſſo ſane ad ſe Cancellario Haſſiaco candide aperuit, Cæſarem & Pontificem junctis conſiliis id agere, ut ſub religionis prætextu Principes Germaniæ univerſos opprimerent; conſulendum ergo in commune, & concordiam in religione procurandam, vel, ſi hæc obtineri nequeat, pacem civilem conſtituendam eſſe. Ad hoc operam ſuam pollicitus eſt, paremque ſperandam eſſe dixit ab Electoribus, *Colonienſi* & *Palatino*, item ab Epiſcopo *Monaſterienſi* & Duce *Juliacenſi*, immo & ab ipſo *Moguntino*, licet huic minime fiderent Proteſtantes. Hæc (*Reg. H. fol. 285. n. 119.*) Landgravius ad Electorem d. 7. Novembr. diſerte perſcripſit. Quis credat in eadem ſententia *Bavaros* & inprimis *Guilielmum* Ducem fuiſſe, cujus frater *Ludovicus* primarius erat inter Duces fœderis Norimbergici; interim ejusdem Principis Landgravii literis, d. 6. Decembr. (*d. Reg.*) ad Electorem datis, idem ſignificatur, idque ex aſſeveratione *Leonhardi ab Eck* intimi Conſiliarii Guilielmi Ducis, in colloquio cum *D. Gereone Sailero* Auguſtano habito, cujus literas Landgravius Electori miſit. *Sailerus* juſſu Landgravii ſalutaverat *Eckium*, quæſiveratque, cur in Bavaria militaris apparatus fieret, falſo prætextu metus ab invaſione Ulrici VVurtenbergici, revera, quemadmodum Landgravius judicabat, ut Evangelicis inſultarent. Ad ea *Eckius*, cum multa & repetita de candore & fide proteſtatione reſpondit: Heros ſuos nihil minus, quam VVurtenbergenſem, timere, apparatum vero illum omnem ſervandæ libertatis Germanicæ cauſa facere, cui ſcirent Cæſarem inſidiari, neque præſidia adverſus vim viderent, inope Ferdinando, fratre Cæſaris; diſcordantibus inter ſe Principibus reliquis, invalidis urbibus, & inconſtantibus. Cæſarem quidem præ ſe ferre Lutheranorum caſtigationem; ſed his oppreſſis Pontificiis non magis parciturum, neque hos aliud quam flebile ordinis beneficium habituros eſſe. Conſternatum fuiſſe dixit Herum ſuum *Guilielmum*, audito, quod Cæſar ad Galliæ Regem veniret, ex eorum conventu & familiaritate nihil boni ſperandum eſſe Germanis. Summe nunc, ſi unquam, neceſſarium eſſe, ut Principes, poſitis ſimultatibus, in commune conſulant. Multum ad hoc valiturum pro prudentia & fortitudine ſua Landgravium, idem Bavaris curæ eſſe, eosque dolere, quod brevitate temporis excluſi ad diem colloquio cum Electore Saxoniæ antehac indictum venire non potuerint, neque reſponſum acceperint, alium indici poſtulantes. *Brunſuicenſis* conſilia nihil morari Bavaros, neque illi fidere; ut nec *Friderico Palatino*, qui nuper in Hiſpania apud Cæſarem dejeraverit, ſe inſcio concionatores Lutheranos in Palatinatu verſari, cum tamen certum ſit, non niſi ſciente illo & volente vocatos eſſe. Scire etiam Bavaros, parum ſibi favere Cæſarem, cui diſplicuerint ob contradictionem electionis Ferdinandi, aliisque conſiliis. Jactavit *Eckius*, ſe auſum eſſe Cæſari dicere, electionem illam majeſtati & autoritati illius noxiam fuiſſe. Parum prudenter agere Proteſtantes, quod cum Cæſare toties tractarent, a quo tamen pro beſtiis haberentur: id judicare eos debere ex vilitate perſonarum, quibus in tractatibus cum iis uti ſoleret. Hæc in *Heldum* & *Lundenſem* jaciebat. Denique iterum de jungendis pro communi libertate viribus diſſeruit, & ab Heris ſuis facilius Lutheranos, quam Hiſpanos, tolerari poſſe

(a) *De Trevirenſis Electoris propenſione ad concordiam.*

(b) *De propenſione Bavariæ Ducum ſtudio.*

A. 1539.

se asseveravit. Ista vel non multum dissimilia ab *Eckio* dicta fuisse, confirmari potest ex ipsius literis (*Reg. H. fol. 359. n. 139.*) d. 27. Maj. anno 1540. ad Landgravium datis, in quibus affirmat, Heros suos non solum concordiæ cum Evangelicis ineundæ cupidos esse, sed etiam reformationem Ecclesiæ Romanæ omniumque abusuum ex utraque parte desiderare & urgere.

(a) De Tridentini Electoru propensione ad concordiam.

Consultatum etiam fuit *Arnstadii* de legatione ad Cæsarem, cujus adventus in Belgium sperabatur, mittenda, ejusque instructione, & concepta est formula, ex qua sequentia recenseri merentur. Profitentur Principum & Civitatum nomine, se in conscientia & pro evitanda æterna Dei ira, atque consequenda salute animarum, postquam per Dei gratiam & Spiritum illius sanctum Evangelicam veritatem cognovissent, obligatos fuisse ut eam acciperent, sine ullo cujuscunque hominis damno, nedum ut Cæsari adversarentur; omnia ex timore Dei & conscientiæ impulsu egisse (aus Gottesfurcht und drangsal der gewissen) in reliquis omnibus, extra causam religionis, Cæsari & Imperio fidem & obsequium præstitisse & posthæc præstituros esse. Narrant inde acta Francofurtensia, & ut speraverint, Cæsarem illa probaturum esse, literis ejus d. 7. Julii 1536. Saviliani datis aliisque confisi, quæ benevolentiæ significatione & pacis promissione refertæ fuerint; se enim nihil magis quam pacem cupere, eamque diligentissime servare velle, urgent ergo aut ratificationem pactorum Francofurtensium, aut Comitiorum generalium indictionem: ut gravaminibus suis, præsertim a sententiis Cameralibus, remedium afferretur. De Regibus Galliæ & Angliæ fatentur, Legatos illorum societatem offerentes auditos a se esse, sed recusata illorum oblata, ne Cæsari tunc in provincia Narbonensi bellum gerenti officerent. Postquam vero *Heldus* pacis Norimbergensis securitatem interpretationibus suis sustulisset, justo metu se adactos fuisse, ut cum Regibus per Legatos de concordia in religione agerent: Cæsaris enim tantam esse potentiam, ut mirum non fuerit, quod ad externa auxilia adversus intentatas illius nomine minas respexerint. Nihil tamen egisse, de quo coram Deo & Cæsare respondere non possint. Cum *Daniæ Rege*, Principe pio & Germani generis, fœdus a se initum esse non negant; illum quoque non nisi æqua petere, & Cæsari, si audiretur, satisfacturum esse. De effectu hujus legationis sequenti anno agendum est; Apparet interim, nihil omissum fuisse ab Evangelicis, ut Cæsarem placarent, quanquam nec dissimularent, animum sibi ad resistendum injustæ aggressioni superesse. Multa igitur in hoc conventu de defensionis mediis deliberata sunt, dilata tamen conclusione, ne pacis spem prorsus intervertisse viderentur. Aderant *Henrici* Ducis Saxoniæ Legati, neque tamen omnibus consiliis adhibebantur, quia tributorum collationem Henricus declinabat, nihil aliud offerens, quam quod, si res ita ferret, non defuturus esset communi causæ, & pecuniam apud se depositurus servaturusque esset, instrumenta etiam bellica, quæ in parato haberet, suppeditaturus. Neque plus impetrari ab eo potuit, licet multis rationibus urgeretur, ut ad exemplum reliquorum pecuniam conferret. Expensarum, quæ proximis annis in stipendia militaria & sumtus legationum aliaque ejusmodi erogatæ erant, calculus ductus est, cujus summa erat quadraginta & sex millia florenorum. Mindensibus, executionem sententiæ contra se latæ vehementer metuentibus, promissa sunt auxilia, sed & consilium suggestum fuit, ut cum Episcopo, si possent, tolerabili modo transigerent, lis enim erat de sexaginta florenorum annuo reditu, quorum causa tantæ turbæ excitabantur. Cum vero percrebuisset, *Nicolaum* quendam *Kragium*, concionatorem fanaticum, plebi Mindensi dogmata minus bona proposuisse, & Pastorem urbis, furori illius cedentem, urbe exiisse, mandatum fuit *D. Urbano Regio*, Luneburgensis Ducatus Superintendenti, ut conservandæ orthodoxæ religionis curam gereret: nullo enim modo ferre volebant fœderati, ut inter suos essent, quibus impia & seditiosa doctrina imputari posset; & secuta est postea illorum defectuum correctio. (*Reg. H. fol. 269. n. 114.*) Magno studio in conventu *Arnstadiensi* commune aliquod decretum de bonis Ecclesiasticis recte impendendis urgebat Elector; sed variantibus sententiis, multisque Legatis mandatorum defectum allegantibus, dilata res ad proximum conventum fuit d. 1. Martii anni sequentis *Smalcaldiæ* habendum. In universum omnes agnoverunt, induciarum Francofurtensium vinculum nullum superesse, & admitti, omni jure, novos socios posse. Adversus *Henricum Brunsuicensem*, quem *inquietum & implacabilem* vocant, (einen unruhigen mann / der nicht zu gewinnen) initium deliberationis tunc factum est, quomodo violentiæ ejus resisteretur, ut postea factum est. *Bremensium* causa multa fuit disceptatio; utut enim odiosi essent ob religionem, obtinuerant tamen in Camera sententiam proscriptionis contra *Balthasarem Dynastam Esenæ* (vulgo Juncker Balthasarn) a quo vim publicam passi erant. Mandata etiam erat executio Episcopo Monasteriensi, Ducibus Luneburgensibus & Guilielmo Juliacensi, qui defuncto hoc anno parenti successerat, itemque Comitibus Oldenburgico & Frisiæ Orientalis, & civitati Hamburgensi, sed horum multitudine & diversis consiliis in longum extrahebatur negotium, neque Evangelici convenire inter se poterant, an patrocinium causæ Bremensis susciperent.

(9) De legatione Arnstad. decretis.

(b) De parte Saxonica cum ...

(10) Acta ... eadem cum Henrici Ducis Sax. Legatis.

(11) Item cum Mindensibus.

(12) Alia quædam ex actis conventus illius.

SECT. 20.

(1) De Electoris Brandenb. conversione ad doctrinam Evangelicam.

Joachimus junior, Elector Brandenburgicus, qui ad exemplum senioris Joachimi, patris sui, fervidi sane in antiqua religione, huc usque catholicus fuerat, idem in provinciis suis fecit, cessitque Ordinibus id instantissime petentibus, & solutione omnis æris alieni, quo tenebatur, mutationem hanc se redemturos promittentibus. Etiam patruus ejus Albertus, Archiepiscopus Moguntinus, utut magnus esset Catholicus, furioso tamen torrenti, totam Germaniam Septentrionalem raptanti, resistere non valens, coactus est, ut invitus

A. 1539.

licet, diœcesium Magdeburgensis & Halberstadensis incolis libertatem amplectendi confessionem Augustanam ad exemplum vicinorum, concederet.

(2) De concessa ab Alberto Cardinale libertate religionis Magdeburgensibus & Halberstadensibus.

§. LXXV.

(1) *Amplior de conversione Electoris Brandenburg. relatio.*

Insignia Evangelicæ religionis incrementa hic proponit Maimburgius. Nemo, qui amplissimas Electoratus *Brandenburgici* provincias, & tres in iis Episcopatus considerat, dubitabit, quin justi fere tractatus materiam historia reformationis illius suppeditet; sed mihi intra fines notitiæ, quam adeptus sum, manendum est. *Joachimus II.* Elector parentis & patrui Cardinalis Moguntini tanto majori cura & severitate educatus fuit, quanto propius in veteri religione illis ab effulgente in vicina Saxonia Evangelicæ doctrinæ luce videbatur periculum, in adolescente vividi ingenii. Natus erat annos duodecim, cum Lutherus Tezelium oppugnare cœpisset. Biennio post, cum patre Electore Francofurtum, ubi Carolus V. ad Imperium evectus est, ductus, Wittenbergæ Lutherum de articulis fidei, & inprimis de justificatione hominis, disserentem audivit & miratus est. Accessit *Elisabethæ* matris ad Evangelicam veritatem conversio, de qua alibi dictum est. Hujus instructione monitus, abhorrere cœpit Princeps ab inveteratis erroribus & inprimis a Missis. Sed obstabat metus a parente, quo minus matris pietatem palam sequeretur, quæ religionis causa multa pertulerat, & maritum liberosque, ut conscientiæ satisfaceret, deseruerat. Mortuo anno 1535. parente, etsi subditis passim Evangelicos doctores expetentibus & admittentibus conniveret, a publica tamen concessione & instituenda reformatione retardari se passus est, sive *Georgii* Saxoniæ Ducis (cujus filiam in matrimonio habuerat,) itemque *Alberti* Cardinalis, patrui, reverentia, sive spe futuri Concilii, a quo correctio errorum sperabatur. Nec mirum est, si etiam periculum respexerit, in quod conjecti erant, qui Augustæ publicam religionis mutationem professi fuerant, & ante omnia eventum mediationis quam susceperat, expectare voluerit. Scribit sane Elector Saxoniæ ex conventu Francofurtensi (*Reg. H. fol. 270. n. 117.*) ita sese ibi gerere *Brandenburgicum*, ut neutri parti addictus videretur, &, quid sentiret, nondum aperiret (**hält sich noch neutral, und läßt sich nichts mercken**) audire tamen eum, refert, conciones Evangelicas, & in ditionibus suis permisisse aliquibus locis, ut concionatores Evangelicos haberent & communione sub utraque uterentur. Habet Deus suas moras & horas, & alium alio citius in vineam suam vocat. Prævenit Electorem fratrem *Johannes* Marchio, cui paterno testamento *Nova*, quæ dicitur, *Marchia* cum Ducatu Silesiæ *Grossensi* & parte *Lusatiæ*, quæ Brandenburgici juris est, itemque *Bescoviensi* & *Storckoviensi* tractu assignata erat. Hic cum paucis familiaribus ad matrem, in Saxonia tunc commorantem, & Lutherum excurrens, repurgatæ religioni sese serio applicuit, ita ut anno 1538. accitis ex Saxonia Theologis, in aula sua *Custrinensi* & per totam ditionem reformationem publice ordiretur, spreta Episcopi *Lebusensis* oppositione, de qua etiam mense Mart. 1539. (*Reg. H. fol. 235. n. 104.*) apud Electorem Sax. questum esse reperio. *Joachimus* Elector, postquam *Sigismundi* Poloniæ Regis, cujus filiam anno 1535. uxorem duxerat, contradictiones epistola, a *Melanchthone* Latine composita, quam mox producam, superasset, *d. 1. Novembr.* sive, ut in concionibus Jubilæis, Berolini anno 1640. excusis, refertur, *d. 31. Octobr.* integrum Sacramentum Eucharisticum, administrante id *Matthia a Jagou*, Episcopo Brandenburgensi, in Ecclesia collegiata *Coloniæ ad Sprevum* accepit, una cum plurimis ex aulica & provinciæ nobilitate. Sequenti die (quæ erat Dominica,) idem in æde S. Nicolai a Senatu magnaque civium parte factum est, nec multo post a plerisque provinciarum incolis, qui hoc beneficium dudum a Deo expetiverant, eoque jam obtento maximas gratias Principi agebant.

(2) *Item de fratre ejus Marchione Johanne.*

(3) *Electoris communio sub utraque.*

A D D I T I O I.

(1) *Epistola Joachimi II. Electoris Brandenb. ad Sigismundum, Regem Poloniæ.*

Epistola Electoris Brandenburgici ad Regem Poloniæ, cujus mentionem feci, publicata quidem dudum reperitur inter epistolas *Melanchthonis Lib. I. ep. 55. edit. Lond.* sed cum volumina illa epistolarum in paucorum manibus sint, & hæc stylo quidem Melanchthonis scripta, ad res tamen Electoris in reformatione gestas pertineat, ejusque pietatem & constantiam egregie testetur, digna utique fuit, quæ hic integra legatur.

Serenissime atque inclyte Rex, & carissime pater, cum scirem, Regiam dignitatem vestram, ut cæteris heroicis virtutibus, ita & amore Christianæ pietatis ac veritatis excelleret, non dubitavi ad eam de mea voluntate scribere, me pio consilio, & ea moderatione, quæ Christianum Principem decet, in Ecclesiis meæ ditionis, quædam manifesta vitia correcturum esse. Qua in re non populi affectibus aut alienis exemplis moveor, sed existimo, ad eorum officium pertinere, qui præsunt, inspicere Ecclesiam, præsertim tali tempore, cum, dissensionibus motis, præfici idoneos Doctores necesse est: & ratio ineunda est, ut veris modis autoritas religionis & disciplinæ retineatur. Eaque moderatione uti decrevi, ut non solum nihil contra Catholicam Ecclesiæ Christi sententiam recipiam, a qua nulla unquam vis me avellet, sed etiam ne quid autoritati Episcoporum detraham. In hanc sententiam cum Germanice ad Regiam vestram Dignitatem nuper scripserim, fortasse quidam durius interpretati sunt literas, nec satis exposuerunt R. V. D. consilii mei rationem. Quare accidisse judico, ut paulo aliter, quam expectaram, responderetur. Cum autem R. V. D. ea pietate amare & colere perpetuo decreverim, quam filius optimo debet patri, maxime cupio, cum reliquam vitam meam, tum vero & consilia mea in Republica R. V. D. probari. Itaque duxi, copiosius R. V. D. exponendam esse meam mentem, & purgandam inconstantiæ aut mutati judicii suspicionem. Proinde rogo, ut hanc meam epistolam paterno animo R. V. D. legat, sibique persuadeat, me ab officio filii nunquam discessurum esse. Semper ita sensi, nullum esse majus decus, quam in vera religione, veroque cultu Dei constantiam. Quæ sententia sic est infixa animo meo, ut non simulatis aut fucosis officiis, sed vere colendam esse Christianam pietatem semper statuerim. Quare non raro deploro Ecclesiæ morbos cum veteres, tum novos, & ardentissimis votis emendationem optavi. Nec enim negari potest, quosdam etiam veteres morbos in Ecclesia hærere. Disciplina vetus laxata est, multæ superstitiones in tanta Pontificum negligentia & Pastorum inscitia receptæ sunt: nonnihil etiam præsentes discordiæ concusserunt Ecclesiam. Ego

igitur

A. 1539.

igitur hactenus eam gravitatem præstiti, ut nec abusus probarim, aut crudeliter defenderim, ut faciunt alii; nec fanaticis opinionibus in mea ditione locum præbuerim. Habeo utriusque rei honestam, gravem & piam causam, nec muto hoc judicium. Cumque videam opus esse, ut sanciatur disciplina, & præficiantur Ecclesiis boni doctores, suscepi eam curam, ut sciat populus in tantis discordiis, quid amplecti, quid fugere debeat. Qua in re quadam in utraque parte ita moderor, ut a Catholica ecclesia Christi non discedam, nec de autoritate Episcoporum quidquam detraham. Nam si aliquid moderari velim, manifesta flagitia probanda essent, & injusta sævitia exercenda: quorum utrumque ab iis alienissimum esse debet, qui vere, non simulatus aut fucosis officiis, religionem colunt. Hæc cum ita sint, spero me constantiam præstare dignam bonis viris, & vere amantibus religionem. Nusquam enim discedam a scopo, videlicet a sententia Catholicæ Ecclesiæ Christi. Quod vero mihi exempla quorundam vicinorum Principum proponit R. V. D. qui nullam mutationem admiserunt: sæpe cum illis ipsis de tota religione collocutus sum, idemque uterque optabat, ut æquitate Pontificia restitueretur Ecclesiarum concordia, emendatis quibusdam abusibus. Socer meus (id est, Georgius Saxoniæ Dux,) *etiam paulo ante mortem gravissimas de ea re deliberationes habuit. Videbat enim solitudinem fieri in Ecclesiis suis, nisi vellet injustam sævitiam exerceri: a qua abhorrere eum, ut erat justitiæ amans, animadverti. Nec moderationem illam judicabat esse aut secessionem ab Ecclesia, aut sejunctionem ab iis qui præsunt, aut a reliquo nomine Christiano. Quare existimet R. V. D. me non ita in hanc causam ingressum esse, ut aliorum bonorum Principum judicia aut exempla non attenderim. Si qui autem fortasse asperiores sunt, ut esse non multos videmus, qui sine discrimine omnes abusus, omnia errata, immanitate suppliciorum stabiliunt; horum exempla nec ante secutus sum, nec unquam imitanda esse duxi. Nec profecto consensum Ecclesiæ conspirationem esse, ad injustam sævitiam exercendam, unquam existimavi. Quare etiamsi lenior alicubi videor, non propterea vel ab Ecclesia, vel a reliquo nomine Christiano, disjunctus sum. Nam & verum consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi amplector, qui extat in Scripturis Apostolicis, in veteribus canonibus, & probatæ fidei scriptoribus, & pollicitus sum, me Synodo, si quando rite conveniret, non defuturum esse. Nec desunt mea officia, ulla in re, communi tranquillitati. Nec fortunas tantum meas ad societatem defensionis Christiani orbis, sed etiam operam in re militari contuli antea, & adhuc offero. Nec a me ipse discedam, neque unquam voluntatem hanc mutabo. Quare si voluptati fuit R. V. D. antea mea conjunctio & affinitas, quam quidem mihi dulcissimam & honorificam esse profiteor: spero, hanc quoque meam voluntatem perpetuo jucundam R. V. D. esse debere, quæ semper habebit, (DEO dante) generum amantem Christianæ religionis, & concordiæ Ecclesiæ Christi, Synodis assentientem, abhorrentem toto pectore a fanaticis opinionibus, damnatis judicio Ecclesiæ Catholicæ Christi, gerentem arma pro communi nomine Christiano. An, qui sic affectus est, accusari poterit desertionis Ecclesiæ? Aut illi videntur potius conjuncti Ecclesiæ, qui sine ulla veteri autoritate receptos abusus defendunt, ignotos veteri Ecclesiæ? qui Neronianam sævitiam in pios exercent? Nos non videmur, qui nonnullo cum periculo tuemur verum Ecclesiæ consensum, qui populo veros cultus proponi curamus, & ab injusta sævitia abstinemus. Spero plane, judicium & R. V. D. & Synodi nobis æquius fore, quam ut moderationes & lenitatem nostram improbet. Quod vero hortatur R. V. D. ut expectem Synodum, fateor me hæc consilia aliquandiu Synodi expectatione distulisse. Quid enim communi concordiæ optatius esset? Sed hanc moram Ecclesiæ expectare non possunt, quæ interea dissiparentur, & in solitudinem ac vastitatem redigerentur, si eas non constitueremus. Explorata mihi est voluntas Caroli Imperatoris, Domini nostri clementissimi, quem scio magna contentione a Clemente & Paulo III. petiisse, ut quam primum Synodus haberetur, & rite cognitis rebus concordia constitueretur. Sed Pontifices non valde appetunt Synodos, & fortasse Regum judicia non sine causa metuunt; sed tamen si qua erit alicubi Synodus, non deerit ei meum officium. Habet R. V. D. meam purgationem, & perpetuæ voluntatis testimonium.*

A. 1539.

Illa pars epistolæ majorem etiam dolorem nobis attulit, quæ queritur, nos rem indignam a R. V. D. petiisse, ac videmus, eam partem non in eam sententiam intellectam esse, in quam a nobis scripta est. Nos semper, etiam ante hanc nostram affinitatem, laudare magnitudinem animi & constantiam R. V. D. soliti sumus, quam postea multo magis prædicavimus. Sed scio etiam R. V. D. ad hanc virtutem adjunxisse alias multas, bono Principe dignas: amorem virtutis, Christianam pietatem, justitiam, clementiam: propter has virtutes libenter meum consilium significavi R. V. D. ac spero, eam non improbaturam esse hanc meam voluntatem in moderandis abusibus quibusdam, ob illam gravissimam causam, ne dissipentur Ecclesiæ nostræ; quod futurum esset, si manifesta vitia defenderentur. Cum autem cupiam consuetudinem carissimæ conjugis meæ mecum suavissimam esse ipsi, quæ semper fuit, & DEO dante, futura est perpetua, petivi, ut ei consilium nostrum exponeretur; quæ quidem ita mores meos habet perspectos, ut sciat, me & religionis studiosum esse, & abhorrere ab injustis consiliis. Cumque in hoc nostro conjugio celebrari etiam DEUM cupiamus, sæpe preces conjungimus, sæpe de divinis mandatis, de spe vita æternæ, de beneficiis Christi, colloquimur: in his sermonibus etiam pietas ipsius mihi magno solatio est. Si quos autem amet ritus, his suo arbitrio uti potest: nam mihi maxima curæ est, ut nostrum conjugium utrique jucundum sit, & salutare: & DEUM oro, ut utriusque mentem gubernet ad suam laudem. Oro autem & obtestor R. V. D. ut hanc nostram commemorationem boni consulat: & ut paterno amore nos complexa est, ita nunquam sinat animum suum abalienari. Nos vicissim pietatem, quam filius optimo patri debet, summa fide præstabimus: ac valde rogamus, ut R. V. D. mittat aliquem huc, cum quo copiosius de his rebus colloqui possim, qui exponat conjugi meæ carissimæ benevolentiam R. V. D. erga me nihil mutatam esse. Bene valeat R. V. D. quam Deus diu servet incolumem. M. D. XXXIX. Mense Octobri.

Usus est Elector viris Evangelicis, inter alios *Jacobo Stratnero*, Concionatore aulæ Onoldsbacensis, & *Georgio Buchholzero*, Præposito Berolinensi, a quibus constitutio sive ordinatio Ecclesiastica (Kirchenordnung) conscripta fuit, consulto de ea Luthero. Hic judicium suum d. 4. Decemb. 1539. in epistola ad Electorem Joachimum aperuit, quæ ex libro *Antiphonarum* typis in Marchia vulgato, in appendicem *Tom. VII. Alt. fol. 717. relata*, legitur. Respondit Lutherus, ut solebat, candide, & cordate. Retinuerat Elector (ut *Sleidanus* quoque *Lib. XII. p. 335.* annotavit) *plusculum ceremoniarum, ut offensionibus mederetur*: Ista Lutherus *Vicelium olere* scripsit, &, quid desideraret, oretenus Legatis Electoris indicavit, ad eorum relationem in literis suis provocans. Improbat tamen in his quædam satis diserte, v. g. extremam unctionem & circumgestationem Sacramenti sive processiones. *Si una specie circumferatur*, ait, *dimidium, immo nullum est Sacramentum, & Deo contumelia infertur*; (ist Gottes Spott:) *si utraque totius orbis oculi & sermones in novitatem hanc convertentur, dabiturque Papistis ad subsannationes occasio.* Rogat igitur Principem, quoniam, victa Satanæ oppositione, in maximis & gravissimis articulis ausus sit vera & recta statuere, ut etiam ista capita superet, ne reformatio tota ludibrio & risui diaboli exponatur. Tolerari posse dicit unctionem

(4) *Lutheri monita de reformatione Marchica.*

A. 1539.

ctionem ægrotantium, & ut Sacramentum ad illos deferatur, modo ne fiat more papistico. Satius tamen esse, ut ista tacite & ipso facto ferret, quam ut in constitutione ediceret & sanciret. De hac enim in præfatione dici, quod ex sacris literis desumta & primitivæ Ecclesiæ conformis sit. *At*, inquit, *si contrarium ex Scripturis doceatur, reprehensionem incurret constitutio: Innumeri fuerunt primitivæ Ecclesiæ ritus, (quos non servamus) neque Christus unctionem instituit, neque Jacobi Apostoli verba in illa observantur, multo minus effectus sequitur, miraculosa nempe sanatio per orationem fidei, de qua loquitur Apostolus cap. V. 15. item S. Marc. VI. 13.* Subjungit aliquid de Sacramento ad ægrotos portando, monetque, *ne ex ciborio*, quod vocant, *sed potius ex consecratis in Missa* (i.e. communione sacra) *panibus desumatur.* In exordio harum literarum testatus erat gaudium suum, & gratias Deo pro reformatione ab Electore instituta agit, fatetur tamen, *se dubitasse, an obstacula superaturus esset, ideoque huc usque ab illo adhortando abstinuisse. Deus est*, ait, *qui præstat omnia supra facultates & spes nostras. Nos absque illo nihil præstamus, ipse præstat omnia absque nobis, sed in nobis.* Obiter hic notari potest, Lutherum de autoritate epistolæ Jacobi, ut aliquando fecisse videtur, non dubitasse, eandemque illi, quam allegato in eodem articulo Evangelio S. Marci, tribuisse. Eodem die *Georgio Bucholzero*, Præposito Berolinensi, *d. Tom. VII. fol. 718.* ad quæsita respondit, de stolis & processionibus, sed liberius & veluti jocans: *Si*, inquit, *Elector concedit, ut Evangelium pure & absque humanis additamentis prædicetur, & Sacramenta Eucharistiæ & Baptismi secundum institutionem Christi administrentur, omissa invocatione Sanctorum eorumque mediatione & intercessione, abolita Sacramenti circumgestatione, abrogatis Missis quotidianis, vigiliis & consecrationibus aquæ, salis, herbarum &c. & in processionibus responsoria correcta & orthodoxa, Latina sive Germanica adhibeantur, procedas in nomine Domini, gestesque crucem auream aut argenteam, stolam sericam vel linteam, etiam duplicem vel triplicem, si Principi placeat: nam & triplicem habuit summus sacerdos Vet. Test. & inde usurpatæ sunt in Papatu, quas ornatas vocant. Si vero semel templum circumiisse non sufficit, vel septies circumeas, ut Israëlitæ Hierichuntem. Et quis prohibebit Principem, si Davidis exemplo saltare velit, in sacro illo ambitu ad instrumenta musica? Talia, si absit abusus & opinio necessitatis ad salutem, nihil conferunt aut auferunt Evangelio. Quantas ego*, pergit, *gratias Deo acturus essem, si Papa cum suis eatenus perduci posset.* De elevatione in Missa, id est, communione, monet ceremoniam esse liberam, neque fidei Christianæ noxiam, ideo continuari posse, quamdiu lubeat. Causas fuisse dicit speciales Wittenbergæ, quæ in Marchia non sint, ut omitteretur, neque fore, ut restituatur, nisi ex necessitate, cum sit ritus indifferens humanæ inventionis, non vero ex præcepto Dei. Inseritur ibidem *fol. 719.* alia epistola ad *Gregorium Solinum*, Tangermundensium Pastorem, in eadem materia anno sequenti d. 13. Sept. a Luthero scripta, in qua itidem probat ordinationem Ecclesiasticam in Marchia, quoad capita doctrinæ & fidei; posse itaque, si ita videatur, etiam servari unctiones ægrotorum & confirmationes adultorum, quia non imperentur, ut Sacramenta, nec a conscientiis liberis aliter respiciantur, quam ut ceremoniæ. *Si autem per ista*, ait, *gravaris, imitari potes Pastorem Spandaviensem, qui Servesta ab Electore vocatus non prius assensit, quam sibi libertas promitteretur ritus illos omittendi; non diu durabunt hæc additamenta, minime omnium prolixitas Missæ, & quæ vocant officia venient in contemtum, & unum post aliud evanescet. Interea adiaphora ista tractanda sunt, prout expedit ad salutem animarum.* Sed redeo ad propositum. Elector ordinationem illam non solum Consiliariis, sed & provinciæ Ordinibus, examinandam proposuit, approbatam solenniter publicavit, & visitationem instituit, dirigente illam Cancellario *Johanne Weinleber*, cum Deputatis ex proceribus provinciarum. Hac moderatione in retinendis ritibus, & quod fœderatis Smalcaldicis non accessit, licet id frater, Marchio Johannes, fecisset, id intendit Elector, ut reformationem per totam Germaniam, evitato scandalo apud eos, qui ceremoniis externis inhærebant, a fidei præcipuis capitibus non alieni, promoveret, unde etiam factum est, ut in Comitiis proxime secutis inter mediatores locum inveniret.

(5) *Literæ ad Bucholzerum.*

(6) *Item ad Gregorium Solinum.*

(7) *Visitatio in Marchia.*

A. 1539.

ADDITIO II.

De ordinatione sive constitutione ipsa, quam pluribus locis frustra quæsitam tandem ex Serenissimi Electoris Brandenburgici Bibliotheca nactus sum, sciendum est, excusam illam esse *Berolini*, forma, quam dicunt, quarta, cum inscriptione: Kirchen-Ordnung im Churfürstenthum der Marcken zu Brandenburg/ wie man sich beyde mit der Lehr und Ceremonien halten soll: id est, *Constitutio Ecclesiastica in Electoratu Marchiæ Brandenburgicæ, quid servari in doctrina & ceremoniis debeat.* Privilegium typographo datum sigillo suo firmavit Elector die Martis post Jubilate, id est, d. 20. April. 1540. Præfatur Princeps in allocutione subditorum Ecclesiasticorum & secularium quædam de exortis & terribiliter auctis a longo tempore in Ecclesia Christiana erroribus, abusibus & controversiis, & ut Cæsar paterna fide & diligentia cum aliis Principibus Christianis remedia malis illis horrendis quæsiverit, utque ipse Elector curam adhibuerit, ut pium illud propositum concordiæ Christianæ sanciendæ obtineret, eaque spe huc usque non sine subditorum molestia in reformatione cunctatus sit. Cum vero videat optimam Cæsaris intentionem ab iis, qui eam promovere deberent, impediri potius quam promoveri, immo opprimi, & generale Concilium Christianum vix aut sero expectandum esse; sibi vero a Deo commissa sit subditorum cura, & hora mortis omnibus instet, citiusque ingruere possit, quam Concilii tempus adveniat, Prælatis ecclesiasticis in christiana reformatione & concordia procuranda cessantibus, pigritantibus, eamque fugientibus; (dieweil die hohen Geistlichen Häupter zu christlicher reformation/ vergleichung und einigkeit säumlich/ lässig und verflüchtig) ideo ad honorem Dei, exaltationem & propagationem verbi divini, ad subditorum salutem, solatium & beatitudinem, tum, ne oppressa luce divinæ veritatis, ut in multis locis factum sit, alii crassi, horrendi, impii & diabolici errores & falsa dogmata in provincias suas irrepant, se post diligentem indagationem, a viris doctis, fidelibus, piis, integris & a Deo illuminatis, magnisque donis ornatis habitam, & cum consilio præcipuorum prælatorum & consiliariorum suorum, ordinationem ecclesiarum christianam in verbo divino fundatam, neque illi, ut relatum sibi sit, contrariam, componi & publicari fecisse. *In*

(a) *Denominatio Ecclesiasticæ Electoris Brandenburg. quæque exordio.*

hac,

A. 1539.

hac, ait, nos non nostrum, sed Dei honorem & propagationem divinæ veritatis, & ut nostri ad verum Domini & Servatoris nostri Jesu Christi cognitionem perveniant, quærere, coram Deo & orbe protestamur, & in conscientia nostra certi sumus. Neminem Christiane, honeste & debito cum obsequio sese gerentem turbabimus, nibil cuiquam auferemus, sed tantum apertos & sensibiles, abominandos, scandalosos & terribiles abusus, bona conscientia minime ferendos, abolebimus; ceremonias, bonosque Ecclesiarum ritus, quantum fieri potest & licet, retinebimus, ita tamen, ut talia non doceantur aut serventur, tanquam necessaria ad consequendam salutem aut constringendas conscientias, sed teneantur ad externam disciplinam & incitamentum devotionis, & omnia eo dirigantur, ut veritati divinæ & infallibili conveniant. Confidimus nos a sancta, orthodoxa & vera Ecclesia Christiana, cujus unicum caput est Jesus Christus, non recessisse; in hac enim per Dei gratiam vitam finiemus, & reformationi & ordinationi huic nostræ insistemus: Existimamus enim, eam sancto, vero & irrefragabili verbo Dei, institutioni Christi, doctrinæ Apostolorum, consuetudini primæ, puræ & immaculatæ ecclesiæ, testimonio sanctorum Patrum, quos ecclesia recepit & probavit, & qui fervorem suum & constantiam fidei, morte & sanguine suo demonstrarunt, conformem & congruam esse. Addit, *se Christianam, honestam & cum verbo divino convenientem informationem recusaturum non esse, si sanctum, generale, liberum nec partibus obnoxium Concilium Christianum in Germania, aut Synodus nationalis, vel colloquium Christianum haberetur, & in eo unanimi Ordinum consensu decideretur, immo ad id studium & operam collaturum se esse promittit.* Subjungit summam doctrinæ, quam publice prædicari mandat, nempe de gratuita justificatione hominis per Christum, de merito ejus vera fide apprehendendo, de vita ad exemplum Christi inculpate gerenda, & charitate erga proximum per bona opera, quæ fidem necessario sequuntur, exercenda; de precibus quotidie, præsertim pro remissione peccatorum, fundendis, ex quibus argumentum contra meritum operum humanorum sumit, quæ omnia in præloquio hoc pie quidem & nervose proposita, in capitibus Ordinationis latius deducuntur.

(b) *Summa doctrinæ de fide & justificatione.*

Primum est de doctrina, eo sensu scilicet accepta, quo in visitatione Saxonica reperitur, ut *Lib. II. §. XXXVI. fol. 104.* dictum est, nempe de justificatione & salute hominum: Præcedit gravis exhortatio ad concionatores, iisdem verbis, quibus Georgius Marchio Brandenburgicus in sua ordinatione anno 1533. publicata, & supra ad *§. XXV. Ad. IV. fol. 71.* relata usus fuit. Specimen postea Concionatoribus proponitur, quomodo ex Scripturis docere cœtum possint, & præcipua fidei capita percurruntur. Licet enim agnoscat, hoc proprie ad Episcoporum munus pertinere, nihilominus *piis & christianis Principibus itidem incumbere*, dicit, *ut doctrinam Evangelii in provinciis suis propagent, quæ illi adversantur, aboleant, sacramenta secundum divinam institutionem administrari curent, & disciplinam ad præscriptum verbi divini constituant & conservent. Hinc laudari in sacris literis Reges abusuum reformatores, culpari idololatriæ autores & fautores. Gratias itaque*, scribit, *Deo agendas esse, qui Principum corda singulari beneficio ad salutem subditorum procurandam moverit, rogandumque, ut saluberrimo huic operi successum largiatur. Jam enim puritatem doctrinæ Christianæ ex Scripturis ita in lucem esse restitutam, ut adversarii contradicere illi non possint, & qui id tentaverint, omnes huc usque pudefacti sint.* Summam doctrinæ denuo indicat, ut prædicetur pœnitentia & remissio peccatorum per fidem in nomine Domini, sequanturque digni pœnitentiæ & fidei fructus. Quanquam vero omnia, quæ de his capitibus satis liquide & prolixe ex clarissimis Scripturæ dictis subjunguntur, verbotenus recenseri mereantur, brevitas tamen observanda est. Primo in articulo justificationis exactissime refertur & stabilitur Lutheri (licet nomine tenus non allegati) doctrina. *Hoc est, ait, caput principale & in hoc consistit summa totius Evangelii, ut clare & pure, spreta omni contradictione humana, doceatur & ad mortem usque teneatur, nempe, quod remissionem peccatorum, justificationem & finalem atque æternam salutem ex mera gratia Dei consequamur, solummodo per fidem in redemtionem Christi, nulla nostra dignitate, nulloque opere & merito nostro.* Hæc egregie confirmantur, dein subjungitur: *Quamvis quidam medium proponant, ut confiteamur justificari nos per fidem, omitti autem velint voculam* sola, *hoc tamen minime subsistit, & cum summo animæ fit periculo. Neque enim veteres tantum doctores exclusivam hanc expresse posuerunt, sed eandem scriptura efficaciter secum fert.* (Die Schrifft bringt die gewaltiglich mit sich) Adduntur inde argumenta ex epistolis Pauli & allegatur *Augustinus de Spiritu & litera. Videant itaque*, ait, *qui vocabulum & phrasin*, sola fides, absque operibus nostris, *ferre nolunt, sed tollunt, quid agant. Turbant nempe conscientias, & hoc in ultimo agone suo experientur; faxit Deus, ut vel tunc id apprehendant, ne de gratia Dei desperantes intereant!* Item: *Ut sincera sit doctrina evangelica & christiana, hæc exclusiva* sola fides absque merito operum, *intrepide docenda est; qui enim multa nunc de fide concionantur, sed hanc exclusivam evitant, suspecti & periculosi sunt doctores. Hic articulus fidei est capitalis, & in hoc consistit differentia specifica, qua fides Christiana ab omnibus aliis religionibus putativis, quomodocunque nominentur, essentialiter distinguitur, & ex quo solo certa est.* (Wie diß der Haupt-articul ist Christliches Glaubens/ so ists auch eben die differentia specifica und eigentlicher unterscheid/ damit der Christliche glaube von allen andern vermeynten Religionen/ wie sie namen haben/ wesentlich abgeschieden/ und aus dem er allein gewiß ist) Tantum confessorem & assertorem doctrinæ suæ in Serenissimo hoc Electore singulari Dei gratia nactus tunc est Lutherus, ut ipse illam clarius & animosius proponere non potuerit. Commendat etiam inde Princeps elenchum omnium errorum huic articulo oppositorum, & quibus remissio peccatorum in hominis meritis & operibus quibuscunque, in viribus liberi arbitrii, indulgentiis, peregrinationibus, meritis sanctorum, monasticis, &, ut loquitur, *superchristianis* votis perfectionis & vestimentis, ponitur tanto damnabilius, quod etiam abundantiam talis meriti aliis pro adipiscenda salute vendiderint, homines deceperint &, quod timendum est, multos in damnationem induxerint; item quod sacrificium Missæ pro vivis atque defunctis statuerint, institutionem Christi perverterint, & nundinationem ex ea fecerint. *O abominationem* (exclamat) *in his & omnibus, quæ illis sunt annexa!* Idem statuit de ceremoniis, quæ sub opinione meriti hominibus obtruduntur: *quicquid enim, ait, non soli fidei gratiæ Dei innixæ secundum verbum divinum tribuendum docetur, id non est dogma Christianum, sed Antichristianum* ex dicto Augustini: *quicquid est extra Christum, in Antichristo est.* Applicat huc dictum *I. Joh. IV. 3.* de spiritu Antichristi, & eos, qui per aliud medium, quam fidem in Christum salutem quærunt, etsi non negent Christum in mundum venisse, causam tamen negare existimat, propter quam venerit. Monet tamen, *elencho modeste & discrete, pro ratione personarum & locorum, utendum esse, neque huic semper incumbendum neglectis magis necessariis, neque odium in homines, sed potius amorem ad reducendos errantes ostendendum.* Occurrit criminationibus eorum, qui ex doctrina de justificatione saluberrima, magnis cum clamoribus impudenter & contra conscientiam arguunt, bona opera per hanc doctrinam improbari & prohiberi; deinde & impietati illorum, qui ex doctrina de salute per solam fidem consequenda vanissime sibi persuadent, licita nunc esse omnia opera carnis. *Horum causa veritatem doctrinæ nullo modo obscurandam aut deserendam; attamen hominibus serio inculcandam prius esse doctrinam legis divinæ, exigendos dignos pœnitentiæ & fidei fructus; demonstrandam vim & naturam fidei, quam non capiant corda dura, impia & superba, quæ peccatum & iram Dei non agnoscunt; fidem enim non esse frigidam & otiosam opinionem, sed rem ardentem,*

(c) *Elenchus errorum oppositorum.*

(d) *Refutatio calumniæ de prohibitione bonorum operum.*

A. 1539.

tem, efficacem & negotiosam, qua fiat, ut animus serio credens, & primum quidem iram Dei propter peccata, deinde gratiam ejus absque ullo merito sentiens, non possit non ineffabili gaudio magnaque spe & solatio de gratia Dei, veroque & ardentissimo amore erga illum &, mandante eo, erga proximum impleri, unde omnia bona opera proveniant, quæ pluribus describuntur. *Hæc enim*, ait, *exclusiva illa particula sola minime excluduntur, quasi facienda non sint; aliud enim est bona opera facere, aliud per opera salvari: Facienda sunt, sed ad salutem non sufficiunt, ideo mori oportuit filium Dei, & huc pertinet sola fides. Bona opera facere debemus obsequio erga Deum & ad ejus honorem, ad commodum proximi, & ad probandam fidem: Sicut enim hæc officium suum præstat sursum erga Deum, ita opera id præstant deorsum. Neque tamen fides suo merito adipiscitur salutem, sed dum veritatem divinæ promissionis apprehendit. Et sic justitiam coram Deo & salutem per solam fidem habemus; ex hac per gratiam producuntur bona opera.* Horum studium ex Decalogo ita proponi jubet, ut populus simul doceatur, *licet humanis viribus observatio legis impossibilis sit, a Deo tamen datum nobis esse Spiritum sanctum, cujus gratia jugum Christi nobis leve & suave fiat, & quamvis in hac vita ad summam perfectionem pervenire nequeamus, & sub perpetua cura & medela cœlestis medici maneamus, nihilominus Deum obedientiam inchoatam in suis fidelibus & sibi reconciliatis ex gratia æternis præmiis esse remuneraturum, & sua dona, non vero humana merita, coronaturum.*

(e) *Alia quædam doctrinæ capita.*

Secundo capite instruuntur concionatores de vero & utili usu Veteris & Novi Testamenti & de Legis atque Evangelii discrimine. *Tertio* describitur natura veræ pœnitentiæ, ad quam requiritur agnitio peccatorum & contritio, dein fides de remissione peccatorum per meritum Christi. Additur informatio de efficacia absolutionis Ecclesiasticæ & utilitas confessionis, cujus exercitium egregie commendatur & proposito exemplo indicatur, quomodo ad agnoscenda & confitenda peccata excitari homines possint; ita tamen ut confessionem præcipue coram Deo edant, apud Ecclesiæ ministrum autem in genere de peccatis suis querantur, in singularibus vero animi angustiis consilium petant. *Quarto* confessio Ecclesiastica ab omnibus exigitur, qui ad Sacramentum cœnæ accedere volunt, & vis absolutionis demonstratur. *Quinto* prolixe agitur de lege divina, & quid ea non solum quoad externa opera, quæ etiam hypocritæ præstant, sed maxime internam animi integritatem omniumque cogitationum & affectuum puritatem, quam nemo mortalium suis viribus præstare potest, exigat. Reprehenditur persuasio de libero arbitrio, & quod sufficiat, si præstemus, quantum in nobis est. Adducuntur dicta Pauli de usu legis ad agnoscenda peccata, & sentiendam iram Dei, & ad disciplinam morum: notatur tamen, Christianos jam non observare Decalogum ex autoritate Moysis, (sic enim ad totam ejus legem obligarentur) sed quia Moyses in Decalogo Legem naturæ, quæ omnes homines obstringit, optime indicavit, & nos a Christo & Apostolis ad eam ablegamur. *Quicquid igitur* (ait) *non est ex lege naturæ, nec a Christo & Apostolis pro necessario habetur, id a nobis non attenditur.* Declaratur hoc exemplo Sabbathi Judaici, ad cujus observationem jam non sumus obstricti. *Sexto* de Evangelio, cujus præstantia & usus egregie demonstratur, recensitis præcipuis beneficiis Christi, & descripta natura justitiæ Evangelicæ, regenerationis & renovationis, & utilitate Sacramentorum. *Septimo* præclara proponuntur de cruce & afflictione Christianorum, ejusque saluberrimis effectibus, ut & de patientia a piis in afflictione præstanda, & auxilio a solo Deo petendo. Summe itaque vituperantur non solum, qui opem a Diabolo & incantatoribus petunt, sed & qui ad Sanctos recurrunt, & votis ad illorum cultum sese obstringunt. Nominantur speciatim loca Marchiæ *Sternberga, VVilsnaccum, Crussovia, Novacamera* (Nykammer) in quibus aliisque ejusmodi locis diabolica signa facta esse dicuntur. *Octavo* de oratione ejusque

(f) *Improbatur invocatio Sanctorum & vera oratio commendatur.*

necessitate, utilitate & abusibus tractatur. Inter hos refertur & describitur invocatio Sanctorum, jubenturque pastores, ut homines sensim a Sanctis ad Deum reducant. (**sollen die leute fein säuberlich von den heiligen wieder zu Gott führen.**) Id futurum esse, si doceant, nullum extare mandatum neque exemplum aut formulam in Scripturis, de Sanctorum invocatione, & quod contrarium in his præcipiatur, nempe ut Deum adoremus & illi soli serviamus. *Matth. IV, 10.* Ista tamen ea cum modestia tractanda esse, monetur, ne Sancti contumelia afficiantur, sed ut verus eorum honor servetur, Deo pro donis in eos collatis gratias agendo, eumque rogando, ut exempla illorum imitemur: & hoc in Ecclesia veteri observatum fuisse ex antiqua precationum formula in festo S. Cæciliæ ostenditur. Rejicitur denique persuasio de merito precum in recitatione multiplici orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ, & quicquid præterea anili & superstitioso modo eo usque invaluerat. *Nono* de libero arbitrio docetur, posse homines ex viribus liberi arbitrii opera externa facere aut omittere ad præscripta legum: posse etiam ex viribus naturæ a Deo datis civilem probitatem & bona opera præstari, & hanc *justitiam carnis* vocari a Paulo, quam lex producat, data quippe impiis & peccatoribus *I. Tim. I, 9.* ab omnibus enim justitiam externam exigi, & delinquentes in hac & altera vita puniri. Negatur deinde, hominem ex propriis viribus cor suum mutare, purgare, & divina dona ex illo producere posse v. g. veram contritionem, verum & infucatum timorem Dei, veram fidem, sincerum amorem, castitatem, fugam ultionis, veram patientiam, veras preces. *Decimo* de libertate Christiana removetur opinio pessima, quasi Christiani eximantur ab imperio magistratuum, aut observatione statutorum Ecclesiæ, & asseritur, libertatem illam consistere in impetrata remissione peccatorum absque merito nostro, & donatione Spiritus sancti ad sponte præstandum Deo obsequium & exercendam charitatem, deinde in liberatione a lege Moysaica, ceremoniali & forensi, & quod denique ordinationibus Ecclesiæ non aliter obligemur, quam boni ordinis & disciplinæ causa, non vero, ut salutem per eas mereamur; iis vero, quæ divinis præceptis repugnant, v. g. prohibitione matrimonii, quæ ab Apostolo I. Tim. IV. 1. doctrina dæmoniorum vocetur, minime adstringamur. Hæc omnia in prima hujus constitutionis parte continentur & explicantur, & multa ex constitutione *Georgii* transsumta sed prolixius tractata & confirmata sunt.

(g) *De libero arbitrio.*

(h) *De libertate Christiana.*

Pars *altera* Catechismum sive juventutis institutionem exhibet, cum nova Principis præfatione. In hac Elector catechizandi non tantum juventutem, sed & rudiores ex adultis necessitatem & utilitatem summopere commendat; fatetur tamen, & testes propterea advocat, quos alloquitur, Ecclesiarum pastores & ministros, summam populi in fide Christiana ignorantiam & Cleri in illo instruendo neglectum. Cæterum capita Catechismi cum concionibus paræneticis transscripta sunt ex sæpe citata constitutione *Georgii*; cujus compendium *d. Addit. IV. ad §. XXV. fol. 71. hujus Libri* exhibuimus.

(i) *Catechismus.*

Tertia pars constitutionis hujus Electoralis rituum formam exhibet, & novo exordio insigni & luculento munita est. Post breviter repetitam summam doctrinæ de justificatione per solam fidem, & de studio bonorum operum, diligentissime tractandæ, & iteratam commonitionem de catechizatione fideliter instituenda; ceremoniis quoque sive externis quibusdam rebus & ritibus in Ecclesia opus esse dicit Princeps: talia enim a Deo hominibus in carne adhuc versantibus in utroque testamento constituta, quædam etiam ab Ecclesia boni ordinis causa provisa esse. Queritur, Satanam, & quidem partim sub nomine Ecclesiæ, abusus plurimos in ritibus & ceremoniis introduxisse, institutionem Christi pervertisse, immo etiam prohibuisse, damnasse, & contraria approbasse atque præcepisse: inventis humanis affictam esse opinionem meriti & hæc omnia manifesta & notoria esse. *Sic factum est*, ait, *ut etiam boni & pii ritus & opera vere bona contaminata, corrupta & damnosa facta sint per eos, qui salu-*

(k) *De ritibus.*

A. 1539.

salutem ex illis non pro se saltem, sed & ex abundanti pro aliis, contra capitalem fidei articulum, quo salus ex sola gratia Christi peti docetur, mereri voluerunt. Sibi itaque propositum esse affirmat, ut institutionem Christi integram servet, & abusus aboleat, idque se facere jure Principis, & exemplo piorum Regum Veteris Testamenti. Nemini enim fas esse, ne Angelo quidem, constituta a Christo mutare, neque se diutius tolerare & cum animæ periculo defendere potuisse, quæ huc usque in contrarium facta sint. Omnia ergo, quæ contra verbum Dei, & ex solo arbitrio humano, absque fundamento & inutiliter invecta deprehenderit, abrogata & sublata in provinciis suis velle, retentis tamen ritibus ad servandum in Ecclesia ordinem, & reverentiam in usu Sacramentorum decentibus, utque conciones, cantiones & preces Ecclesiæ pie & utiliter instituerentur. Non negat tamen, uniformitatem rituum per universam Ecclesiam neque olim fuisse, neque nunc requiri, cum in ea non consistat unitas fidei: neque tamen vult, ut ex cujuslibet arbitrio ceremoniæ varientur, aut de iis contendatur, improbatque denuo omnem persuasionem, ac si mereri aliquid per illas apud Deum possimus. Reservat sibi jus mutandi posthac quædam, sive ex conclusis Concilii generalis aut provincialis, sive ex aliis gravibus causis, cum consilio Episcoporum, Visitatorum & doctorum. Pastores, qui putent, sibi ipsis de his statuendi potestatem esse, ad Pauli dictum remittit, *quod non omnia expediant, quæ licent*, scandala enim vitanda esse. Si quis tamen vel pastor vel cœtus aliquid desideret, aut si quem scrupulum habeat, illum eosque jubet a se & Episcopis atque Visitatoribus consilium petere: illis vero, qui ex suo solum cerebro agere velint, veniam dat, ut ex provincia sua abeant, & loca petant, ubi proprio arbitratu vivere queant. Ista præfatus, ritum Baptismi præscribit, fassus tamen, multa non necessaria (inter quæ unctionem sive chrisma nominat) illi accessisse, quæ tamen in bonam partem interpretatur & retinet. (l) Incipit a forma baptismi in casu necessitatis; (die Nothtauffe) deinde illam tradit, quæ in templo observanda sit; hanc eandem esse apparet, quam Lutherus anno 1522. ex rituali Latino germanice versam proposuit, de qua *Lib. I. §. CXXXV.* dictum est. Sed in Marchia tunc non solum chrisma, sed & reliquæ ceremoniæ retentæ sunt, licet paulo post, ipso Luthero autore, in Electoratu Saxonico abrogatæ essent. Et eatenus Elector etiam ab ordinatione *Georgii* agnati discessit. (m) Progreditur etiam ad *confirmationem*, a *Georgio* prætermissam, neque tamen Sacramentum vocat, sed solum *ceremoniam*, & ex veteri instituto, antequam abusus supervenissent, haud inutilem fuisse existimat: ab Episcopis enim examinatos fuisse adultos, quomodo fidei capita didicissent, & quos bene profecisse deprehenderint, in argumentum approbationis, cruce in fronte signatos, cæteros melius instruendos pastoribus commendatos. Vult itaque, ut Episcopi, aut potius, quia pro numero subditorum suoque labore hoc gravandi non sint, ex illorum mandato pastores, hunc ritum in Festis potissimum Paschatos & Pentecostes celebrent, malle tamen, ut Episcopi alios quoque viros doctos pastoribus adesse juberent, ad præcavendos abusus. (n) De *confessione* eadem fere, quæ Georgius, præcipit: (1) ut a singulis fiat, improbato, qui alicubi cœperat, more, ut plures simul confiterentur & absolverentur. (2) Ut nemo ad Sacramentum cœnæ admittatur, qui pastorem die præcedenti non adierit, editaque prius fidei suæ professione, & ad quæsita respondens, sequenti die confessionem fecerit & absolutionem acceperit: semel tamen examinatos & probatos statim ad confessionem admitti jubet, magnamque hujus utilitatem denuo deprædicat. (3) Moneri vult a pastoribus homines ad confitenda ingenue peccata, quibus in conscientia urgentur, ut instructionem & consolationem accipere possint: injunctionem vero satisfactionum plane rejicit & prohibet, utpote fidei & doctrinæ de passione Christi contrariam. Additur instructio, quomodo agendum sit cum iis (quorum magnum numerum esse Princeps queritur) qui nullam plane capitum fidei notitiam habebant, ne Decalogi quidem; recipi quidem ex his jubet, qui informationem admittunt, sed repelli refractarios, incapaces aut hæreticos. (o) De sacra Cœna prolixam abusuum & errorum expositionem præmittit, id maxime taxans, quod per imperitiam & lucri causa ex Sacramento hoc sacrificium factum sit, per quod remedia febrium & morborum, egestatis & periculorum corporis & fortunæ, quæsita fuerint, immo & incantationes factæ sint, & denique in purgatorii fictitii ignem ad redimendas animas illatum fuerit. Tanta esse & tam atrocia hæc scandala, ut Deus sine dubio gravissimis pœnis illa vindicaverit. Subjunguntur rationes, cur sacra Cœna non possit esse sacrificium: *Abest enim*, ait Princeps, *mandatum Domini & exemplum Apostolorum, nec Paulus hoc Corinthios celasset, traditurus, quæ a Domino acceperat.* Opinionem hanc de sacrificio post longa tempora exortam esse, ex ipso canone Missæ ostendit, ubi panis & vinum offerri dicuntur ante consecrationem, & nomina Sanctorum commemorantur, successu temporis inserta. Nominat *Kilianum* & *Totnanum*, quos in Diœcesi VVurzburgensi ut Francorum apostolos colunt, sequioris licet ætatis & doctrinæ monachos; ut satis appareat, Georgii Marchionis Theologum *Stratnerum* hujus ordinationis non minus atque ejus, quæ anno 1533. in Franconia publicata fuit, autorem esse. Opponitur inde Orientalium & Græcorum exemplum, qui hostiam non faciant ex corpore & sanguine Christi, sed preces suas sacrificium vocent. Ex differentia etiam canonum v. g. *Ambrosiani*, argumentatur, sequiorum seculorum inventa hæc esse, neminem enim mutaturum fuisse, sed perpetuo servaturum, si instituta essent a Christo & Apostolis. Succedit argumentum palmarium ex *epistola ad Hebræos*, de sacrificio Christi in cruce semel oblato, & obstruitur effugium, de commemoratione & repræsentatione, unici illius & cruenti sacrificii, & tunc demum excusaturum se esse adversarios (die Widersacher) dicit Elector, si posthac in canone non dixerint *se offerre Christum*, sed *recordari oblationis a Christo factæ*. Contra invocationem Sanctorum, quæ in Missis fit, ea vult repeti, quæ Parte *prima* edixit; cætera, etsi insititia & ad rem non facientia, vestitum puta, & ornatum sacerdotum, jure libertatis Christianæ concedit & retineri vult. Alios inde errores contra substantiam Sacramenti enumerat & improbat, omnes nempe, quibus, variis quidem interpretandi & loquendi formulis, id intenditur, ut *significari* potius, quam *præsens esse*, dicatur corpus & sanguis Christi. Hos qui fovent, etiam Parte *secunda* in concione de sacra Cœna iisdem verbis, quibus *Georgius* usus erat, quæque supra allegata sunt, increpaverat. Idemque urget hoc loco, allegans dictum *Rom. IV, 17.* Speciatim negat, tolli posse veritatem promissionis divinæ hominum incredulitate, ideoque impios etiam verum corpus Christi in Sacramento accipere, licet absque fructu spirituali. Non minus contradicit ablationi calicis sive communioni sub una, refutatque prætextus illius erroris, & ad exemplum agnati *Georgii* rigidior est, quam Elector Saxoniæ in prima Ecclesiarum visitatione & publica reformatione anno 1528. fuerat; permittere enim nemini vult usum unius speciei, nec magis ad Sacramentum admitti, qui de fide hujus articuli dubitent, quam qui illi aperte adversentur: hos enim, ut manifestos adversarios, repellit, illos, etsi infirmi sint, expectare jubet, donec confirmentur. Denique neque eos ferre vult, qui communione abstinentes spectaculo saltem ejus, sicut olim Missæ privatæ, contenti essent, Christum enim non dixisse; *venite & spectate*, sed *accipite & edite*. Non pauca subjicit, quanta cum animi devotione & reverentia, Sacramentum sumi debeat, iterumque prohibet privatas Missas absque communicantibus, utpote puriori primorum quatuor seculorum Ecclesiæ ignotas. Admoneri serio jubet populum ad frequentem communionem, ut in urbibus & oppidis populosis quotidie sacra cœna celebrari possit; in minoribus vero & in pagis sufficere, si die Dominica fiat. Mandat, adductis rationibus, ut non solum loci sacræ Scripturæ & preces alta voce canantur, sed & ipsa

(l) De Baptismo.

(m) De confirmatione.

(n) De confessione.

(o) [illegible]

A. 1539.

ipsa verba consecrationis, & hæc quidem lingua patria: putat enim Latinam & tacitam murmurationem tantum usurpatam fuisse, ne populus jus suum ad utramque speciem intelligeret, aut alias canonis absurditates deprehenderet. Explicari ergo jubet populo totius mysterii rationem & usum, removeri denique ab eo jubet ebriosos, adulteros, usurarios, aliorumque flagitiorum manifesto reos, donec emendationem promittant & præstent. Formam sive ritum administrationis, quem præscribit, eundem esse apparet, exigua cum mutatione, quem a Luthero anno 1523. Vittenbergæ introductum fuisse diximus *Lib. I. §. CXXXVI. & Lib. II. §. XX.* Speciatim retinuit Latinam recitationem Evangelii & Epistolæ, sed ita, ut Germanica interpretatio statim populo prælegatur: elevationem etiam servavit. Eundem fere Liturgiæ ritum quotidianum Ecclesiis Collegiatis & monasteriis injunxit, si adsint communicantes; sin minus, verba institutionis & consecrationem omitti jussit, nihilque fieri, quod populo spectaculum missaticum præbeat. Tolerat usum candelarum, sive pompæ sacræ sive necessitatis causa, tempore hyberno: sed abrogat, quas *fraternitates*, ut vocant, vel privati perpetui luminis causa fundassent, eosque sumtus ex arbitrio Visitatorum ad meliores usus impendi præcipit. Cantum chori sive *horas*, ex antiquo instituto & præscripto cujusque Episcopatus ritu vel breviario servari jubet, demtis, quæ ad Sanctorum cultum pertinent, alisque non orthodoxis. Collectas, quas vocant, sive preces Ecclesiæ publicæ a pastoribus præcinendas, sicut & Litaniam verbotenus constitutioni huic rituali inseruit, ut a Luthero Germanice versæ & compositæ erant; hujus quoque hymnos canendos, tacito licet autoris nomine, passim indicat. De visitatione ægrotorum & morientium plurima pie & utiliter monet, nulla tamen extremæ unctionis mentione. In urbibus majoribus constitui vult unum atque alterum Presbyterum, qui cum ordinariis pastoribus & ministris specialem ægrotantium curam gerat, contagionis præsertim tempore; monachos in veteri superstitione obduratos ab animarum cura prorsus removet. Sacramentum ad decumbentes deferri jubet ex templis, consecratum nempe in solenni celebratione cœnæ, utque Presbyterum præcedat æditūus, cum candela & tintinnabulo. Si non adsint elementa Sacramenti publice in cœtu consecrata, & necessitas ægroti festinationem exigat, consecrationem in templo fieri jubet, edito per campanam signo: in oppidulis vero & pagis permittit, ut consecratio in domo ægroti fiat, præscripto ritu. Sepulturæ ceremonias has ordinat: Sonum campanæ, prægestationem crucis sequentibus Scholasticis & Ecclesiæ ministris, hymnos Latinos & Germanicos, textus etiam in sacro exequiali, quod *officium* vocabant, prælegendos, itemque eleemosynas in altari ex more offerendas; sed celebrationem Missæ & communionem, in funerum procuratione plane tollit, sicut &, quas dicere solebant, tricesimæ diei & anniversarias expiationes & commemorationes. Harum loco & pro officiis, quæ vocabant, mortuorum, ter in anno statis diebus conciones de morte & resurrectione cum cantionibus & precibus convenientibus haberi vult, sacram quoque cœnam celebrari, si communicantes adsint, id enim suspicionem Missæ pro mortuis non esse habiturum, nullo præsente funere. De matrimonio agens, inprimis expectasse se dicit, ut constitutio de cœlibatu Cleri antiquaretur, quod cum factum hucusque non esset, se abrupta cunctatione jure Principis decernere, ut conjugia Clericis permittantur, nemo tamen ad ea cogatur, qui cœlibatum caste servare possit: vetat autem fœminas suspectas aut concubinas a presbyteris ali aut domi haberi. In gradibus cognationis circa sponsalia & nuptias observandis stari vult legibus scriptis, usque dum alia fiat conventio. (biß auf andere vergleichung) Dissolutionem conjugum nullam admittit, nisi quas jus divinum probat. Formam copulationis, quam vocant, Germanice celebrandæ, eandem proponit, qualem Lutherus conscripserat. De ordinatione sacerdotum & de Episcopali autoritate & jurisdictione edicit, ferendos non esse, qui non vocati & ordinati prætextu Evangelicæ doctrinæ in cœtus aut domos sese insinuent, minime omnium Sacramentarios, Anabaptistas, Iconomachos & seditiosos: Jura patronatus omnibus conservat, ad quos de jure spectabant, sed nominatos Superintendenti a se constituto, *Johanni Stratnero*, ad explorationem sisti jubet, deinde pro more ordinari. Refert ex *Hieronymo* & post eum ex aliis Doctoribus, Scholasticis & Canonistis, nominatim *Panormitano* in *Cap. Quando de consuetud.* nullum fuisse ab initio inter Episcopos & Presbyteros ratione ordinationis discrimen, & Episcopos ipsos eam a collegio Presbyterorum accepisse per manuum impositionem, idque ex Actis Apostolorum & Epistolis ad Timotheum patere: ideo non improbat morem in quibusdam provinciis jam introductum, ut ordinatio, quam bona conscientia ab Episcopis petere non licuerit, a Presbyteris fieret; nihilominus tamen utile existimat, ut unus a Presbyteris electus Superintendentis & Episcopi munere fungatur, idque se in provinciis suis servaturum esse indicat. Cum igitur per Dei gratiam, ut loquitur, *Episcopus Brandenburgensis* (quam stylo antiquo, *amicum suum singularem*, besondern freund/ vocat) cum doctrina Evangelica plane consentiat, ab hoc omnes Ecclesiarum ministros ordinari jubet, nec non a reliquis Marchicæ ditionis Episcopis (*Havelbergensi* puta & *Lebusiensi*) si reformationem hanc probent & recipiant, id quod illis pie apprecatur. Addit tamen, nihil imponi debere ab Episcopo pastoribus, quo inique graventur; admittendos etiam conjugatos, neque formula amplius utendum: *Accipite potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis.* Pollicetur, se Episcopis reformationem acceptantibus, & jurisdictionem in pastores & in causis matrimonialibus, omnesque reditus & bonorum possessiones conservaturum esse, neque etiam passurum, ut parochiarum juri & proventibus aliquid detrahatur. Hortatur parochos, ut Episcopis obediant, dum nihil contra verbum Dei & æquitatem sint exacturi, seque ipsum vindicem Episcopalis autoritatis offert. Iisdem Pastoribus vitæ sanctimoniam injungit, pœnas transgressoribus minatus, & de banni Ecclesiastici, sive excommunicationis, legitimo & pio usu, nec ad res profanas & debitorum exactiones transferendo, cum consilio Episcoporum, Prælatorum & Doctorum, statuturum se esse recipit. Festa ordinat eadem fere, quæ in Saxonia, paulo tamen plura addens v. g. *corporis Christi, Laurentii, Assumtionis Mariæ, omnium Sanctorum, Catharinæ,* &c. De jejuniis, profitetur, se Principis politici jure legem condere eo fine, ut vulgus comessationibus & gulæ deditum, ad temperantiam a teneris assuefiat, nolle tamen, ut conscientiæ his statutis onerentur, aut meriti opinio illis accedat. Servari igitur mandat jejunia diei *Veneris* & *Sabbathi*, & *Quadragesimæ* tempore, ut carnibus parcatur, larga inprimis in Marchia piscatura. Temerariis transgressoribus, ob inobedientiam & scandalum, pœnas minatur, sed carnis esum fœminis gravidis, ægrotantibus & ad morbos dispositis, indulget, nec vetat jejunii tempore carnes quasdam vendi. Ex ceremoniis *Quadragesimæ* aliisque temporibus rejicit consecrationes palmarum, ignis, aquæ, salis, candelarum atque alia ejusmodi: Retineri jubet cantum de passione ex quatuor Evangelistis, repræsentationem resurrectionis, & similia quædam, ut & processiones sive circuitus in hebdomade, quam vocant, *Rogationum* (in der Creutz-woche) demptis abusibus, & adhibitis piis cantionibus. De Scholarum in civitatibus & oppidis constitutione generatim aliquid edicit, curamque illam, longo tempore neglectam, Visitatoribus a se injunctam esse indicat. In *epilogo* paucis repetit, quæ in exordio testatus erat, quod expectare Concilii convocationem & decreta, per conscientiam sibi non licuerit, neque curam suam paternam ad doctrinam Evangelicam subditis impertiendum differre. Agnoscit ad Episcopos & Prælatos curam hanc pertinuisse, neque se illi satis parem esse (erkenne sich zu wenig dar-

(zu

Marginalia (left): (p) *Abrogatio Missæ & quorundam rituum ordinatio.* — (q) *De cura & communione ægrotorum.* — (r) *De funeribus.* — (s) *De matrimonio.* — (t) *De ordinatione &*

Marginalia (right): A. 1539. *jure Episcopali.* — (u) *De festis & jejuniis.* — (x) *Alia quædam.*

A. 1539.

nu) paratum potius fuisse ad exeqnendum, quæ illi pie statuissent, sed cum tanto tempore nihil fieret, gloriam Christo Domino Dominorum & Regi Regum ejusque verbo divino dedisse, nihilo tamen minus Magistratui suo (Cæsari scilicet) debitum præstiturum obsequium esse.

(1) Diploma Episcopi Brandenburgensis.

Subjungitur *Episcopi Brandenburgensis* diploma, solito cum titulo: *Nos Matthias Dei gratia Episcopus Brandenburg.* in quo breviter indicat, se non solum in Baptismo, Christo supremo & unico animæ pastori obstrictum fuisse, sed & memorem esse, quæ sibi, cum ad episcopatum evectus esset, a Metropolitano suo injuncta fuerint: *Vade & prædica Evangelium Jesu Christi populo tibi commisso.* Idem in Scripturis præcipi Episcopis. Cum igitur deprehenderit, ab *Electore Brandenburgico,* Domino suo Clementissimo, constitutionem Ecclesiasticam publicari, verbo Dei non contrariam sed conformem, neque abusibus diutius connivendum fuerit; se ex præcepto Paulino contra veritatem nihil potuisse, sed obligari, ut pro ea laboret, & ideo bona conscientia contradicere ulterius constitutioni Principis nequivisse, neque illam ex Episcopali munere suo impedire valuisse, existimasse potius, quod sibi, ut fideli divinorum mysteriorum dispensatori incubuerit, legibus his assensum præbere, easque acceptare. Hortatur inde omnes ecclesiarum pastores & ministros, aliosque ex sacro & politico ordine, ut huic ordinationi obsequium præstent, quia id animæ salus exigat. Neminem Christianorum Principum fore sperat, qui sibi imputaturus sit, ac si aliud quam honorem Dei & animarum salutem spectasset; ad hujus enim curam se obligatum esse, nec non ad debitum obsequium Principi præstandum. Addit pium votum pro augmento regni divini, veræ fidei, &, quæ ejus fructus sunt, bonorum operum. Huic constitutionum volumini, quod plagulis constat LXIX. & in singulis partibus cælata insignia Electoris, in fine autem Episcopi exhibet, subscriptum est dictum *Augustini* ex Lib. I. contra Manichæos: *Legite & omni vigilantia ista discutite, & magis magisque legite atque discutite; sed animo æquo, non animo inimico. Legite illud attendentes, quia erit vobis in futuro judicio ista scriptura testis, si agnoscentes, vera esse, quæ dicta sunt, ad sinum matris Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola veritatem docet, omni cursu non festinaveritis.*

Raynaldus in anni præcedentis historia *n. 38.* Electorem Brandenburgicum vulgari & protrito convitio proscindit, scribens, *cum a fide Catholica ad carnis licentiam Lutheranam defecisse*, laudat tamen, *quod in fide Cæsaris perstiterit, nec Smalcaldico fœdere se irretierit.* Subjungit rescriptum Pontificis d. 5. Julii, 1538. ad *Cardin. Aleandrum* Legatum ad Ferdinandum Regem datum, in quo mutationem Electoris jam tum cognitam dissimulavit, eumque laudavit, quod in reductione Germanorum ac pace & concordia ineunda se libenter interposuerit & vestigiis progenitoris sui inhæreat, qui similium sanctorum & bonorum operum semper studiosus fuerit; itemque Fridericum ex majoribus suis imitetur, qui in reducendis ad unionem Ecclesiæ Bohemis egregiam & laudabilem operam navaverit. Verum palpus hic Electorem a progressu in reformatione quam narravimus, non retraxit: & ex hujus formula judicari potest, num Elector a fide Catholica defecerit aut carnis licentiam potius, quam Evangelicæ veritatis puritatem sectatus sit. Addit Raynaldus *Cochlæi* literas *in anno 1539. n. 21.* quibus culpam mutationis sive reformationis Marchicæ Melanchthoni & Vicelio imputat.

(1) Annotatio ad dicta quædam Maimburgii.

Quæ Maimburgius inspersit de Electoris cum ordinibus provinciarum pactione, quod mutationem religionis solutione æris alieni, quo Elector oneratus erat, redemerint, id quidem ex nostratibus hausit. Vid. *Chytræus Lib. XII.* Ex actis autem mecum communicatis nihil ea de re liquet, & notior est Electoris ab aliquot annis ad religionis emendationem propensio, quam ut hoc stimulo opus habuisse videatur. Idem de *Alberto* Cardinali Moguntino *Chytræus*, *Dresserus* aliique tradiderunt, quod ignorare non potuit Maimburgius, pepercit tamen Cardinali, neque ei imputare voluit, quod sanctimoniæ illius alibi a se laudatæ detraheret. Interim a viro magnæ eruditionis & experientiæ *D. Joh. Christoph. Heroldo*, Regiminis Brandenburgici in Ducatu Magdeburgensi Consiliario gravissimo, amico veteri & æstimatissimo, edoctus sum, Ordines provinciæ in Comitiis *Calbæ* habitis, *Alberto* solutionem debitorum, quibus obstrictus erat, (oblatis quingentis florenorum millibus) promisisse, antequam concessionem libertatis in religione impetrassent: idque exemplo urbis *Halensis*, quæ post *Magdeburgum* provincia primaria est, comprobatur, quæ non nisi post biennium publicam Evangelicæ religionis introductionem adepta est, de qua in illius anni actis dicam. Cæterum nescio, an a contradictione scripta sua liberare possit Maimburgius: Cum enim paulo ante in reformationem Misnicam invectus dixisset, *gentes Germaniæ religionem amplecti, quæ Principibus placeret*; hic duarum nobilissimarum provinciarum contrarium exemplum ultro proponit, quæ religionem Principi suo Cardinali Alberto placentem minime secutæ sunt.

(9) Reformatio in Dania.

Quoniam vero de incrementis reformationis hoc anno factis tractamus, & in hunc incidit consummatio ejus, quæ in *Daniæ* regno a multis annis agitata fuit, prosequendam mihi esse duxi ejus historiam quam *Lib. I. §. CX. CXLIX.* attingere cœpi: neque tamen vulgatos autores exscribam, sed compendio utar ex MSS. aut libris rarioribus, qui ad me pervenerunt. *Fridericus* Rex, ut alibi monui, pulso *Christierno*, Evangelicæ religionis, cui favebat, libertatem subditis, quantum in se erat, non invidit, constitutis alicubi etiam concionatoribus, inter quos celebratur *Georgius Johannis*, qui *Viburgi* Evangelium docuit, & juventutem erudiebat; id multi secuti sunt, & inclaruere circa annum 1527. *Johannes Tausson* & *Christianus Shroch*, quibus tamen Episcopi & Clerus magno impetu se objiciebant. Ne igitur Evangelii doctrina illorum tyrannide supprimeretur, (verba sunt relationis *MS.* quam *D. Christiano Kortholtio*, alibi a me pro meritis laudato, debeo) Rex sapientissimus in Comitiis *Othoniæ* (Odensee) in Fionia anno 1527. habitis de reformatione religionis deliberavit, & gravissima oratione Episcopos allocutus est, cujus summa erat: *Se ideo Regem esse, ut Ecclesiæ esset nutritius, adeoque monere se eos, ut omni studio puram & incorruptam Evangelii doctrinam prædicari curarent. Satis eos videre, quid superstitio Pontificia in Germania effecerit; etiam in suis regnis communem omnium querelam esse, quod loco puræ religionis nihil nisi fabulæ, traditiones & nugæ meræ proponerentur; eoque jam esse perventum, ut vulgus ipsum istarum nugarum pœniteat. Sacramento se quidem fidem dedisse conservandi religionem Romano-Catholicam in suis regnis, non tamen id ita intelligendum esse, quasi fabulis & commentis etiam patrocinari deberet. Intelligere ipsos, quanti errores in Ecclesiam irrepsissent, quos nemo sanus defendere nec posset nec deberet,*

A. 1539.

ret, neque se neque illos Ecclesiæ Romanæ placitis obstrictos esse, præterquam illis quæ in verbo divino essent fundata. Quoniam proinde religio Lutherana tam altas jam egisset radices, ut sine summa calamitate & ruina regni evelli non posset, voluntatem sane suam esse, ut utrique religioni, tam Lutheranæ quam Romanæ, liberum daretur exercitium, donec publicum haberetur Concilium. Licet autem Episcopi, quorum maxima in regno potentia & opulentia erat, vehementissime repugnarent, itum tamen est a Senatoribus regni, cum assensu populi in Regis sententiam, & permissa fuit publice Evangelicæ religionis facultas, vetitum autem ne religionis causa ulli vis inferretur, & Rex tutelam adversus omnem violentiam pollicitus est. Clero & monachis data fuit exeundi ex collegiis ut & nubendi potestas. Injunctum quoque Episcopis, ut confirmationem suam, sive, quod vocant, pallium, post hac non Romæ, sed a Rege peterent. In immensum inde aucta est Evangelicæ doctrinæ professio, sed a persecutione minime desistebant Episcopi, quanquam exiguo cum effectu. Expulsum enim ex monasterio *Taussonum* supra nominatum cives susceperant, & concionantem tutabantur. Postea Haffniam vocatus in æde D. Nicolai docuit. Rex publice edixit, ut primarium religionis Evangelicæ caput de justificatione per fidem per totum regnum de pulpitis proponeretur. Introductæ etiam sunt cantiones Lutheri & Psalmi Davidici Danice versi. Novum enim testamentum eadem lingua jamdudum, Christierni exulis cura Antverpiæ excusum, & in Daniam missum, in plurimorum manus pervenerat, refutare tamen illud ausus erat anno 1526. quidam *Paulus Eliæ*, Canonicus Othoniensis. *Malmogiæ*, quod Scandiæ emporium est, permissu Regis reditus Cleri concionatoribus Evangelicis & quatuor Gymnasii noviter instituti Professoribus attributi sunt. Anno 1530. d. 8. Sept. in comitiis regni disputatio habita fuit inter Theologos, ab Episcopis *Colonia Agrippinæ* accersitos, & *Taussonum* aliosque Evangelii ministros. Horum confessioni oppositi erant ab adversariis articuli XXVII. Decretum est a Rege & Ordinibus, ut utriusque religionis liberum exercitium usque ad Concilii definitionem locum in regno haberet. Inde semper auctus est Evangelicorum numerus, deserta sunt monasteria & templa superflua, quædam etiam tumultuose a plebe destructa. Anno 1532. *Christiernus* exul restitutionem infeliciter molitus, in potestatem *Friderici* Regis pervenit, & in custodiam datus post multos annos vitam finiit. Anno 1533. 10. Jul. *Fridericus* decessit, & interregnum secutum est turbidum & provinciis regni pene exitiosum. Episcopi nihil omiserunt, ut pristinam potentiam recuperarent. Abhorrentes enim a *Christiano*, primogenito Friderici filio, Evangelicæ doctrinæ addictissimo, id agebant, ut *Johannes* frater illius natu minor & impubes in Regem eligeretur, educandus interea in veteri religione. Plebs *Christiernum* captivum liberare & in regnum restituere satagebat. Superavit omnes adversitates multo labore & sumtu nec sine sanguine *Christianus*, anno tamen integro Haffniam obsedit, & tandem fame coactam anno 1536. in potestatem redegit, atque sic quietam regni possessionem adeptus est.

(10) *Episcoporum renitentia.*

A. 1539.

(11) *Animadversio in Episcopos & constitutio Superintendentium.*

Habita tunc d. 12. Aug. cum Senatoribus fidelioribus secreta deliberatione, consilium iniit, & d. 20. Aug. executus est, ut Episcopos Daniæ septem uno die in vincula conjiceret. Solus fefellit, qui eum quærebant, *Ova Bildius*, Episcopus Arhusanus, sed eandem sortem post mensem subiit. Anno sequenti itidem d. 12. Aug. qui Regi natalis erat, in Comitiis Regni erecto pegmate Rex, Episcopos recitata trium horarum spatio oratione accusari fecit, productisque instrumentis, quæ subscripserant & signaverant, crimina eorum demonstravit, conjurationem præcipue, quam contra se ad invadendum summum in regno imperium, nec non ad interficiendos & exterminandos Evangelicos inierant. Insolentior cæteris *Jacobus Ronnovius* Episcopus Rotschildensis, ipse ad regnum aspirasse, & nuptias *Mariæ* Hungariæ, sororis Cæsaris, cui effigiem suam miserat, ambiisse arguebatur: hic etiam, cum cæteri post aliquot annos dimitterentur, postquam omni dignitate sese abdicassent, & obsequium Regi jurassent, solus in contumacia sua perstitit, & in carcere decessit. Cæterum, acclamante publice populo, & decreto Ordinum secuto, Episcoporum, quale hactenus ad secularis Principatus formam & Germanicorum Præsulum more exercuerant, munus prorsus abolitum abrogatumque fuit, redactis in fiscum regni omnibus illorum palatiis, oppidis, arcibus & pagis, quorum enumerationem apud *Helduaderum* legere licet. Coronatus Rex *Christianus*, qui *Tertius* vocabatur, fuit in iisdem Comitiis *a Johanne Bugenhagio* Pomerano, Wittenberga accito, & hic ordinationem Ecclesiasticam tunc Latine conscripsit, quam valde commendat *Chytræus Lib. XV.* idem in septem Episcoporum locum d. 26. August. totidem Theologos nomine *Superintendentium* (quanquam vulgo etiam *Episcopi* vocari soleant) jussu Regis & Ordinum in templo Cathedrali Haffniæ consecravit. Hunc exitum habuit Episcoporum in Dania fastus & luxus, sævumque in Evangelicos odium. Dubitari tamen vix potest, retineri ab iis & dignitatem & opes potuisse, si moderatis consiliis & reformationi locum dedissent, permissa Evangelii prædicatione & rituum emendatione. Luthero displicuisse dicitur severa illa & omnimoda Episcopatuum oppressio, ita ut speciatim Regem monuerit de conservandis, quos vocant, Canonicatibus, ex quibus viri docti ad Reipublicæ & Ecclesiæ utilitatem sustentari possent. Anno sequenti Islandiæ, quæ Danici juris in ultima Septentrionis plaga regio est, Episcopus Pontificius, captivus in Daniam abductus, & in ejus locum Superintendens substitutus est. Pleraque ista debeo excerptis ex historia *Conradi Aslaci Lib. I. in Addit. III. ad §. CXLIX.* citata & repetenda hic visa sunt, cum, ut dixi, hoc anno 1539. Comitiis Othoniæ habitis, ultima manus operi reformationis imposita fuerit, accersito denuo in Daniam *Bugenhagio*. Quid vero actum sit, malo ipsius verbis Latine versis ex relatione ejus, (*Reg. O. fol. 152.* ℌℌ.) post reditum d. 4. Julii ad Electorem Saxoniæ scripta, quam meis narrare. Præmisit quædam de itinere

(12) *D. Pomerani relatio de gestis in Dania.*

A. 1539. re, quod non ſine periculo per Dei tamen gratiam & precibus adjutus tutus perfecerit, &, acceptis a Rege Haderslebiæ literis, d.1. Jun. *Othoniam* venerit. Scribit poſtea: *Die Viti* (d. 15. Jun.) *profeſſi ſunt in Comitiis Regni Senatores omnes publice, perſeveraturos ſe eſſe in doctrina Evangelica, in qua ſatis ſint inſtructi, ſervaturos etiam ordinationem rituum ante biennium factam; ſi tamen in Concilio libero pacis & concordiæ cauſa indifferentes & utiles ceremoniæ,* (freye und dienſtliche ceremonien) *doctrinæ Evangelicæ de remiſſione peccatorum non contrariæ, recipiantur, illas quoque ad exemplum aliarum Eccleſiarum Chriſtianarum admiſſuros. Inde Rex omnesque Senatores ſigilla ſua ordinationi chriſtianæ, ex Latina, quam ſcripſi, in Danicam linguam translatæ, appoſuerunt. Sequenti die producta fuit & cum omni promtitudine & gratiarum actione approbata fundatio & ordinatio Academiæ Hafnienſis. Conſtituti ſunt Profeſſores boni, & larga accipiunt ſtipendia; non dubito de egregio ſucceſſu, isque jam apparet. Evangelium in regno pure & efficaciter prædicatur: Deus, qui cœpit, ulteriorem largiatur profectum! Nullibi vidi majorem quam in Dania audiendarum concionum cupiditatem. Concurritur etiam diebus non feſtis, & hyeme ante lucem, in feſtis tota die; preces fiunt diligenter.* Hæc *Pomeranus.*

(15) *Reformatio ulterior in Holſatia.*

Subjiciam quædam de ſtatu religionis in *Holſatia*, qui nempe ſecutus eſt poſt ea, quæ *Lib. I. ad d. §. CXLIX.* recenſui. *Friderici* Regis, qui, expulſo & poſtea capto Chriſtierno, totam cum Sleſvvicenſi Ducatu regebat, continuata cura, majora indies incrementa habuit res Evangelica. Irrepſerant fanatici quidam, & Zuinglii dogmata profitentes, quorum caput erat quidam *Melchior Hoffmannus.* Cum hoc *Bugenhagius* anno 1529. publice *Flensburgii* diſputavit, ut acta typis excuſa oſtendunt, & exire poſtea regione juſſi ſunt diſſentientes. Anno 1531. *Chriſtianus* Friderici filius, de quo dictum eſt, accepto a patre Ducatus regimine, ex Germania evocavit Evangelii præcones, quorum opera Eccleſias ordinavit. Præcipuus erat *D. Eberhardus Widenſee*, Præpoſitus olim Halberſtadienſis, ubi ex carcere, cui ob Evangelii profeſſionem incluſus erat, evaſit, & Magdeburgi ad D. Jacobum Eccleſiaſtes conſtitutus fuit. Ex eadem urbe accitus eſt *Gerhardus Slewardus* (qui itidem monachus fuerat) Flensburgenſi poſtea Eccleſiæ præpoſitus. Adjuncti his ſunt *Johannes Wendius* Goslarienſis, qui poſtea Ripenſi ephoriæ in Dania præfectus eſt, & *Hermannus Taſtius* Paſtor Huſumenſis (Flensburgenſem vocat *Chytræus Lib. XII.*) Ex nobilitate egregiam operam navarunt *Johannes Reventlow* Cancellarius & *Joh. Ranzovius*, aulæ magiſter. Epiſcopus Sleſvvicenſis, *Godeſcalcus ab Aleveld*, & ſacra vetera & reditus ſuos retinuit; munus ipſum *D. Nicolao Kragio* delatum eſt. Dithmarſi, ſuis tunc adhuc legibus viventes, trucidato licet *Henrico Zutphanio* (de quo *Lib. I. d. l.* actum eſt) opera tamen Paſtoris Meldorpienſis, *Nicolai Boji*, Evangelii doctrina non caruerunt, prædicante eam inter alios *Adolpho Clarenbachio* Colonienſi, qui poſtea anno 1529. una cum *Petro Fliſtedio* (*Sleid. Lib. VI. p. 175.*) in patria religionis cauſa ſupplicium paſſus eſt. Reſiſtebant tamen acriter monachi, & publicum religionis purgatæ exercitium impediebant, adjuvantibus tribunis plebis, quos *Regentes* vocabant. Accidit autem, ut quidam ex iis, *Harringus*, in pago *Weſſelinga* ædes privatas, in quibus cognatus *Boji*, cui itidem *Nicolao* nomen erat, concionabatur, ad diſturbandum cœtum vel puniendos, quos inveniret, ingreſſus concionem cum attentione audiret, & ea convictus Evangelicam doctrinam amplecteretur, unde poſtea ceſſavit perſecutio, & *Bojo* publice in templo concionandi poteſtas facta eſt. A. 1539.

ADDITIO III.

Spicilegium quoddam ex Actis hujus anni exhibendum ſupereſt. In conventu *VVormatienſi* de bello Turcico menſe Junio habito obſervarunt Legati Saxonici & Haſſiaci, conciones quidem Evangelicas in templo haberi & baptiſmum recte adminiſtrari; ſed communio ſacra *ſub utraque* nondum celebrabatur. Admonuerunt itaque Principes bona mente, & quod cives pro ſuæ religionis conſortibus haberent, Senatum d. 28. Junii (*Reg. H. fol. 269. n. 114.*) ut hunc defectum emendarent.

(a) *De Evangelicæ religionis exercitio VVormatiæ.*

De *Mindenſium* proſcriptione ſæpius mentio facta eſt: Eam in aula Ferdinandi quidam rigori & importunitati judicum Cameralium tribuebant; ſed miſſus Spiram ab Electore Saxon. *D. Roſeneccerus* (*Reg. H. fol. 238. n. 104.*) d. 12. Jan. retulit, compertum ſibi eſſe, quod judices non ſine præſcitu & mandato Cæſaris ſententiam illam publicaverint, executionem autem non ſint decreturi, niſi novo Cæſaris mandato accepto. Patuerunt hinc artes aulæ Cæſareæ, & cautiores fecerunt Proteſtantes.

(b) *De proſcriptione Mindenſium.*

Argentoratenſes in eodem judicio actionibus monachorum quorundam vexati, in reformatione Eccleſiarum collegiatarum mediam viam ſecuti ſunt, inita ad tempus transactione (*Reg. H. fol. 248. num. 108.*) ut recipiendi in ſodalitia a quinque juratis ex collegio, præſentibus, quos Senatus deputaret, in ſtudio Theologiæ & ſacris canonibus, Scripturæ non contrariis, examinarentur: proviſa etiam quædam ſunt adverſus Simoniam & alios pravos mores, eaque conditione adminiſtratio redituum collegiis tunc relicta fuit.

(c) *De Argentoratenſibus quædam.*

Otto Henricus Comes Palatinus, Neoburgenſis, (qui poſt aliquot annos Electoratum adeptus eſt,) dudum ad Evangelicam doctrinam propendebat, & in conventu VVormatienſi per *Caſparum a Seckendorff*, Mareſcallum ſuum, deinde miſſo ad Landgravium *Gabriele Arnoldo* Quæſtore deſiderium ſuum teſtatus eſt, ut in fœdus Smalcaldicum reciperetur, ſed diffidebat ei Elector Saxoniæ, & Landgravius (*Reg. H. fol. 285. n. 119.*) autor ei fuit, ut ſuo & Electoris exemplo, depoſita cunctatione, Evangelicam doctrinam publice in ditiones ſuas introduceret, eoque facto de receptione in fœdus non dubitaret.

(d) *Otto Henricus Palatinus ſocietatem Evangelicorum appetit.*

Mors Georgii Sax. Ducis *Abbatiſſæ Quedlinburgenſi*, urbique illi populoſæ, liberiorem Evangelicæ doctrinæ uſum peperit. Georgius enim, qui veteri jure, quod etiam nunc durat, protectionis jus in illuſtre illud Collegium virginum ejusque ditionem habebat, per Capitaneum ſuum vi & armis vetera ſacra tuebatur. Excurrebant tamen cives ad loca vicina, aliquandiu etiam concionatorem quendam cœcum in Hoſpitali ante urbem audiebant, qui Cantorem habebat raucum, ita ut fere in proverbium res abierit. Memorabile eſt, quod Georgius Dux cum Quedlinburgi aliquando eſſet, *Johannem Bethmannum*, qui Evangelium in æde Neapolitana docere cœperat, ad ſe vocatum acriter increpaverit; cum vero hic multa cum modeſtia codicem ſacrum, quem attulerat, oſtenderet, & ex illo ſermones ſe habere diceret, moveri ſe paſſus eſt Dux, ut illum, (licet omnes magnum malum ei ominarentur,) placide dimiſerit, & in officio ſuo pergere juſſerit, donec aliud mandatum ad eum daret. Verum, ſecuto Georgii obitu, Abbatiſſa *Anna*, *Bothonis* Comitis Stolbergenſis filia, a Superintendente Stolbergenſi *Tilemanno Plettnero*, (qui anno 1522. Doctoris titulum VVittenbergæ aſſumſerat) reformationem

(e) *Reformatio Quedlinburgi.*

A. 1539.

publice exorsa, in octo urbis templis Evangelicos concionatores constituit, quorum præcipuus erat *Johannes VVimmenstadius*, Chytræo *Lib. X. XIII. & XV.* laudatus. Monachus is fuerat *Halberstadii*, ibique anno 1526. Evangelium docere cœperat: pulsus inde *Huxariam* ad Visurgim, non incelebre Abbatis Corbejensis oppidum, delatus, ibi quoque doctrinam propagavit: hinc *Quedlinburgum* vocatus est, tandem vero *Goslariam*: egregiam ubique operam præstans. Autor hic fuit scripti anno 1559. editi cum præfatione *D. Joachimi Morlini*, Superintendentis Brunsuicensis, & *Lampadii*, Ecclesiastæ Halberstadiensis, in quo de vero & legitimo usu bonorum Ecclesiasticorum, tum contra Pontificios, tum etiam contra abusus post reformationem inter Protestantes ortos, egregie commentatur: eximie vero laudat *num. 44. & 45. Electores Fridericum*, *Johannem* & *Johannem Fridericum*, itemque *Philippum* Landgravium, quod recte & pie hoc in negotio versati sint. Refertur hic tractatus ab *Hortledero Tom. I. Lib. V. cap. 28.* Nomen tamen suum autor scripsit *VVinnistede*, eratque tunc Pastor *ad D. Blasii Quedlinb.* Hæc & plura retulit *D. Joh. Gerhardus*, qui scriptis suis æternum sibi nomen peperit, in dedicatione *exegesis locor. comm.* ad Senatum urbis Quedlinburgensis, quæ illi patria fuit. Scripsit hoc anno d. 25. Octobr. *Fridericus*, Dux Lignitiensis, se decrevisse per Dei gratiam, in provinciam suam prædicationem verbi divini & administrationem Sacramentorum ad præscriptum Augustanæ confessionis & apologiæ introducere, exemplo Electoris & aliorum Germaniæ Principum: habere se quidem concionatorem, sed opus sibi esse viris insignibus & gravibus: petit igitur, sibi ad triennium concedi *Georgium Majorem*, qui tunc Ecclesiastes templi aulici VVittenbergæ erat. Sed Elector (*Reg. O. fol. 127. ℓ ℓ.ℓ.*) ex consilio Lutheri sese excusavit, quod carere viro illo non posset, alium autem commendavit, *Martinum Tectandrum*. Eodem hoc anno d. 19. Octobr. *Neostadii ad Orilam* quidam *Erhardus Stuer*, Coronaci in Franconia natus, Anabaptismum publice revocavit. Præscripta Electoris mandato a Theologis VVittenbergensibus formula, quæ, cum præcipua fidei Evangelicæ capita contineat, Latine versa inseri hic meretur: *Credo, quod unus sit Deus, tres tamen distinctæ personæ, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, in unitate divinæ essentiæ, coæterna, indivisa & omnipotentes. Credo duas naturas in Christo Jesu, nempe quod secundum Spiritum sit filius Dei ab æterno genitus; secundum carnem vero Davidis & Mariæ filius, & sic verus Deus & verus homo. Credo, remissionem peccatorum & justitiam nobis donari absque merito, per solam fidem propter Jesum Christum. Credo, Spiritum sanctum per hanc fidem accipi. De Baptismo credo, quod infantes omnes in se habeant & ex nativitate sua afferant peccatum originale, ideoque baptizandi sint, ut ad fidem, quæ unica est via ad Christum, perveniant; in hac enim accipiunt remissionem peccatorum per sanguinem Christi, & sic placent Deo & salvantur. Hæc omnia neque scit, neque intelligit ratio, sed Deus solus operatur in infantibus supra cogitationes nostras. De Sacramento corporis & sanguinis Christi credo, ut verba sonant, nempe quod Christus vere sit in Sacramento & in illo operetur, quando id accipio, quia Paulus dicit*: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *Credo, quod Christianus justificatus labi possit in peccata, sed etiam denuo per pœnitentiam & fidem justificari. Credo, Christianis licere, ut magistratum gerant, & quod officium magistratus in se non sit peccatum, sed ordinatio Deo placens. Credo, quod juramentum, quod a Magistratu ad confirmationem veritatis exigitur, non sit illicitum, sed necessarium. Credo, quod Christianis liceat possidere & habere bona temporalia, si illis utantur cum gratiarum actione, ad gloriam Dei, & sublevationem proximi. Credo post vitam hanc temporalem & fluxam, æternum regnum gloriæ & gaudii in cœlis.* Hoc anno VVittenbergæ (*Reg. O. fol. 163. RRR.*) d. 22. Jul. in vincula conjectus est Anglus quidam *Thomas Minturnus*, qui in suspicionem venerat, ac si Luthero insidiaretur, cum plus semel quæsivisset, ut illum solum in horto adire posset, aliquoties autem ad mensam ejus invitatus non venisset. Repertæ sunt apud eum schedæ, in quibus *Lutheri*, *Melanchthonis*, & aliorum VVittenbergensium, ut & *Myconii*, tunc Lipsiæ concionantis, dicta exceperat, & exagitaverat, sed, præter illam conviciandi libidinem, de aliis criminibus convinci non potuit: Dicebat etiam, se religionis causa, & quod carnes diebus vetitis comedisset, periculum vitæ Parisiis adiisse, & fuga sibi consuluisse, cum XXIV. alii capti & supplicio affecti fuissent. Dimissus est volente Luthero, ex mandato Electoris d. 31. Aug. juramento, ut moris est, de non vindicando carcere & omittendis criminationibus, præstito.

(f) *Dux Lignitiensis Pastorem VVittenbergæ quærit.*

(g) *Formula confessionis ab Anabaptista quodam exacta.*

(h) *Anglus quidam VVittenbergæ causam dicit.*

A. 1539.

Ex *Raynaldo* in *annis hujus* historia *§. 33. & 34.* percipitur, Evangelicam doctrinam Avenione & in Comitatu Venascinensi Pontificiæ jurisdictionis, in confiniis Galliæ Narbonensis progressus quosdam habuisse: Pontificem vero *Jacobo Sadoleto*, qui Episcopatum illius regionis Carpentoractensem administrabat, d. 5. Jun. mandasse, ut pro pietate sua & qui celebribus scriptis suis regionem Catholicam adversus hæreses non semel defenderit, illas extingueret, totamque regionem ab illis purgaret, data ei potestate puniendi, qui culpabiles reperirentur. Subjungitur *Sadoleti* ad Cardinalem *Farnesium* epistola 6. Cal. Aug. data, in qua se die & noctu solicitum esse scribit, ut caveat, ne hæretici in ditionem Pontificiam sese conferant; & refert eos vix in vicinia consistere audere, animatis contra eos Senatibus regiis, Aquis Sextiis, Tolosæ & Gratianopoli: Ait tamen, se potestate in diplomate Pontificio concessa non facile usurum, cum validiora sint remedia veritas ipsa & mansuetudo Christiana, quia errorum confessio corde magis quam ore prolata exprimatur. Dubitandum tamen est, an multum illa via profecerit. Senatus sane Aquensis paulo post illam adhibuit, quam Pontifex mitiori præferebat, notumque est vel ex *Thuano Lib. VI. hist.* quomodo sævitum sit in miseros Valdensium in illa regione reliquias Merindolii, Caprariæ & pagis quibusdam circumjectis. Sadoleti tamen pium & mite ingenium in illa ipsa causa *Thuanus* laudat. Produxit etiam *Raynaldus* Sadoleti ad Farnesium aliam epistolam, qua Pontificem reprehendit, quod cum Lutheranos persequatur, Judæis nova indies privilegia in ditione Avenionensi concedat, quibus ad injurias subditis inferendas veluti armentur, & inter hos ut lupi grassentur. *Quomodo*, ait, *hoc accipi putatis a nationibus trans Alpes?* Et post pauca: *In tantane defectione animorum omnium jam a nobis gentium*, (*plane enim dico* omnium, *quod ego ita esse intelligo, vos haud ita sentitis, propterea quod auribus vestris vulgo homines blandiuntur*) *in tantane inquam defectione omnium, & prope execratione autoritatis Ecclesiasticæ, magno reipublicæ præsidio futurum putatis, si sic alueritis, si sic extuleritis Judæos?* Hanc viri inter Cardinales ob eruditionem, moderationem & pietatem laudatissimi confessionem, de universali odio orbis terrarum in regimen Pontificium, nescio an satis caute, produxit tamen *Raynaldus*; quæ opponi potest parasitis aulæ Romanæ veteribus & novis, qui solius Lutheri ferociæ tribuunt, quod tot gentes dominatum illum excusserint.

(i) *Quædam de Lutheranismo in ditione Avenionensi, & Cardinalis Sadoleti.*

§. LXXVI.

Inter scripta Lutheri hoc anno edita, eminet libellus Germanicus *de Conciliis & Ecclesia*, *Tom. VII. Alt. a fol. 236. ad 295.* Meminit ejus Maimburgius *Sect. 18.* sed ita, ut satis pateat, nihil ex eo cognitum habuisse. Neque enim verum est, Lutheri scopum fuisse, ut Ecclesiæ sive Conciliis autoritatem a Christo datam adimeret. Nam præterquam, quod talis potestas, qualem arrogare sibi solent, qui Ecclesiam repræsentare volunt, probata neutiquam est, nec probari potest; Lutherus id potius egit, ut tergiversationem

(l) *Lutheri libellus de Conciliis & Ecclesia.*

Ponti-

A. 1539.

Pontificis, toties repetita prorogatione Concilii satis ostensam, taxaret, & simul, quæ sit vera & legitima Conciliorum & Ecclesiæ natura & potestas, ex solidis fundamentis demonstraret. Compendium retulit *Sleidanus Lib. XII. p. 345.* Sed ex nostro instituto plura exponenda sunt. In præfatione de fraude Pontificis queritur Lutherus, quod protelatione Concilii orbem Christianum ludificaret, & interea per Nuncios suos Reges & Principes ad opprimendos omnes, qui reformationem poscerent, instigaret, ita ut, si tandem ad Concilium veniendum esset, omnis reformationis spes & fructus intercideret: id quod eventu satis probatum fuit. Solatium tamen inde piis proponit Lutherus, cum videant, quæ sit adversariorum pertinacia, & quomodo Clerus malit totam Ecclesiam in corruptione sua relinquere, quam vel minimum ex suis opibus & potentia remittere; frustra itaque ab iis Ecclesiæ nomen jactari. Post hæc & alia ad rem accedens non culpat quidem eos, qui reformationem ex veterum Conciliorum actis & decretis fieri posse sperant, laudatque diligentiam, quod ista compilaverint & ediderint; frustra tamen eos & sperare & laborasse existimat. Exemplum affert ex abusu inter cæteros recentissimo, qui intra annos centum originem habuerit, pluralitate nempe beneficiorum, tot Conciliorum decretis prohibita & nihilominus palam introducta: *Quid igitur*, ait, *expectandum est de correctione maximorum defectuum in fide & moribus, si transgressio conciliorum & canonum tam enormis, manifesta & nova, quotidie locum habet?* Deinde etiam illis spem adimit, qui emendationem sive reformationem ex scriptis Patrum fieri posse putabant. Innuit sine dubio, quæ sub initium anni, ut diximus, in colloquio Lipsiensi a *Carlevitio* & *Vicelio* proposita erant; tractatum enim hunc non multo post, mense Februario, scribere cœpit, mentionem enim facit instantis *Quadragesimæ*. Affirmat, se ante annos plus quam viginti, & antequam Papatum impugnare cœpisset, magna cum diligentia, (præsertim cum epistolam *ad Hebræos, ad Titum,* & *ad Galatas* explicaret,) sed exiguo cum successu Patrum scripta legisse: evenisse sibi, quod Bernardo, qui arbores doctores suos fuisse scripsit, id est, quod meditatione sacrarum literarum sub arboribus facta profecerit. Difficillimum & infiniti laboris esse dicit, Patrum sententias colligere, discernere & conciliare, Gratiani, qui *Decretum*, quod vocant, compilavit, infelicem conatum ostendens. *Augustini* querelam allegat, qui jam suo tempore agnoverit, *Ecclesiam Christianam multitudine opinionum durius premi, quam Judaicam*; unde *omissis Patrum sive Episcoporum scriptis & traditis ad Conciliorum decreta respiciendum esse* dixerit. Monet tamen, Augustinum non nisi duorum Conciliorum recordari potuisse, *Nicæni* nempe, cujus acta vix satis noverit, & *Constantinopolitani*, cujus habiti tempore Augustinus juvenis erat & adhuc paganus. Quod hæc *Oecumenica* vocentur, inde putat factum esse, quia ab Imperatoribus, tot provinciarum (quibus *Orbis Oecumenici* nomen dabant) Dominis, congregabantur, cum reliqua non nisi unius alteriusque essent nationis aut regionis. Observat tamen, etiam ante Concilium Nicænum Episcopos Romanos mussitare cœpisse & ad languorem usque anhelasse universale quoddam jus in reliquarum regionum Ecclesias & Episcopos; (sie haben darnach geseuchelt / gekrunckst / gehustet und gekröchzet) sed nullo aut tenui cum effectu: Episcopos enim Asiæ & Africæ blandis quidem verbis aliquando, prout expediebat, illos esse veneratos, sed obsequium, quod affectabant, non detulisse. Quemadmodum autem non dubitat, priora illa Concilia Imperatorum autoritate, non vero ex Romani Episcopi arbitrio, congregata, & hos nunquam, si per ipsos stetisset, illa alio loco, quam Romæ aut in Italia, indicturos fuisse; ita non negat, postquam non superessent Imperatores, quales fuere Constantinus, Gratianus, Theodosius, & Martianus, sed Imperii potentia imminueretur, crevisse tunc Pontificibus Romanis animum, ut invaderent, (in provinciis præsertim Occidentalibus) quæ ad jus Imperatorum pertinebant. Contra autoritatem autem Patrum, sive Episcoporum & scriptorum Ecclesiasticorum adducit testimonia *Augustini*, quæ *Gratianus dist. IX.* congessit. Concludit inde, non posse reformationem Ecclesiæ aut definitionem controversiarum ex sententia Patrum peti. Post hæc ad *Concilia* separatim consideranda progreditur, expendens, an ex illis norma reformandi sumi possit. Incipit a Concilio Apostolorum *Act. XV.* Ex hoc, ait, si pro regula habendum esset, reformatio in cibis fieri debet, quibus cruor admiscetur & in carnibus ferarum, quæ laqueis suffocantur, immo & pecudum, cum neque in his, licet mactatis, eadem diligentia, ad quam Apostoli fortassis respexerunt, & qua Judæi adhuc utuntur, sanguis expurgetur. Frustra excipi dicit, quod tot seculorum usu aliud inter Christianos invaluerit. Stante enim obligatione, ut Ecclesia reformetur secundum Concilia, nulla præscriptione temporis evitari id posse, minime omnium Concilio Apostolico derogari, in quo Spiritus sancti regimen expresse allegetur, & a nemine in dubium vocetur. Irridet eos, qui statuunt, Pontificum autoritate abolitum illud fuisse, neque enim id factum esse aut fieri potuisse, sed sola desuetudine abrogatum esse. Si vero hoc locum habuerit in Concilio Apostolico, nullum ex sequentibus ab eadem abrogatione immune esse. Ex Concilio Nicæno adducit Canones de septem annis pœnitentiæ, peccantibus præfixis, & quæ adversus eos, qui post Baptismum militiæ nomen dant, statuta sunt, quæ omnia ab usu plane recesserunt, substitutis pœnitentiæ loco indulgentiarum & purgatorii commentis; quod vero militiam attinet, contra Rempublicam & ex erronea persuasione, quasi Christianis militia plane interdictum sit, decretum illud conditum esse notat. Observat etiam, Canonem de Ecclesiis suburbicariis, Romani Episcopi curæ ex antiqua consuetudine commissis, & inde argumentatur, Concilii illius sententiæ adversari, qui potestatem Romani Pontificis non ex antiqua consuetudine ejusque terminis, sed ex jure divino deducant. Ostendit etiam infirmitatem aliorum illius Concilii canonum quorundam & sic satis pro-

Marginal notes:
(2) *Negat reformationem ex veterum Conciliorum decretis [illegible] posse.*
(3) *Ostendit* [illegible]
A. 1539. *autoritatis Pontif.*
(4) *Considerat Concilium Apostolicum.*
(5) *Item Nicænum.*

A. 1539. probatum esse existimat, quod norma reformationis ex Conciliis sumi non possit. Pergit ad Patrum sententias *fol. 245.* & refert irreconciliabilem *Cypriani*, *Augustini* & aliorum de rebaptizandis hæreticis dissensum. Observat, quod omnes libri sacri Veteris & Novi Testamenti, qui pro θεοπνεύστοις agnoscuntur, a Judaicæ gentis viris scripti sint, adeoque Deus soli illi nationi hunc honorem, neutiquam vero paganis, utut conversis, piis & doctis contulerit. Notat etiam, paucissimos articulos in Conciliis, plures quidem a Patribus, & inprimis *Augustino*, neque tamen omnes, aut sufficienter tractatos fuisse, ut ex iis systema doctrinæ Christianæ confici possit. Hæc primam libelli partem constituunt.

(6) Nec non Patrum quorundam sententias.

Altera, de singulis Conciliis Oecumenicis tractaturus *Hilarii* dictum allegat: *Ex caussis dicentis sumenda est intelligentia dictorum*; & ineptos iniquosque esse censet, qui non consideratis dictorum scriptorumve caussis judicium ferant, & antilogias colligant, quod sibi accidisse queritur. Ad *Nicæni* Concilii historiam & Acta *fol. 252. & seqq.* ulterius progressus articulum de æterna divinitate Christi contra Arium magno consensu, immo impetu Episcoporum definitum esse refert, ita ut de articuli hujus veritate ex sacris literis & trium seculorum publica doctrina certi, Arii dogma vix audire sustinuerint. Vehementer culpat fœdam adulationem aut stultam ignorantiam illorum, qui articulum illum in Concilio hoc demum stabilitum esse dictitent, quem tamen non Episcoporum sententia, sed Spiritus sanctus in Apostolos effusus definiverit; illi enim ex Scripturis declararunt, Christum esse verum Deum. Patet hinc, ut Lutherus recentiorum etiam hæreticorum sycophantiæ jam tum occurrerit. Reliquos Concilii canones non magni facit, *aridos & ligneos* appellans, illum præsertim, quo tempus celebrandi Paschatos determinatum est, absque sufficienti cognitione & fundamento. Quapropter *fol. 254.* correctionem calculi astronomici necessariam esse judicat, & Cæsarem atque Reges ad eam procurandam invitat. Negat recte factum esse, quod Pascha mobile fecerint & jactatorium, (ein schuckelfest) inutili curiositate de æquinoctio & plenilunio, nimiaque Paschatos Judaici consideratione inducti, quod tamen per Christum penitus sublatum attendi non debuerit, longeque satius fuerit, dies notare & celebrare, quibus passus & mortuus sit & resurrexerit, sicut factum est in constitutione festi Natalitii: *Assuerunt*, inquit, *pannum novum vestimento veteri*, contra monitum Christi *Matth. IX. 16.* Addit tamen, tolerari hunc errorem posse, nec esse, ut turbæ ejus caussa excitentur, licet optandum sit, ut bonis modis corrigeretur. Annectit hic *fol. 256.* aliam dissertationem de Concilio Apostolorum: observat, quemadmodum in Concilio Nicæno unus tantum articulus, nempe Christum æternum & verum Deum esse, non noviter inventus aut statutus, sed ex verbo Dei adversus hæresin allegatus & assertus fuerit, cæteri vero Canones omnes pro temporalibus & mutabilibus habendi sint; ita etiam in Concilio Apostolico unum tantum articulum divini & immutabilis juris esse, itidem ex verbo Dei indiscreto zelo eorum oppositum, qui conversos ex gentibus ad observationem legis Mosaicæ revocabant: *His enim dictum est, salutem non ex Lege, sed ex gratia Christi expectandam esse, exemplo majorum. Quæ igitur addiderunt*, ait, *de idolothytis, cruore & suffocatis, ex charitate & respectu infirmorum inter Judæos, ne scandalum a conversis ex gentibus caperent, statuerunt, quæ successu temporis per se caderent. Licet autem fornicationis etiam mentionem inter illa fecerint, caussas habuerunt, non quod illius vitii prohibitio non esset perpetua, sed quod inter Gentiles impune committebatur, & conversi de illo opinari potuissent quod ab inveterato more desistere non essent obligati.* Subjungitur egregia digressio *fol. 260.* de historia Arii ejusque fallaciis, & applicatio fit, quæ etiam contra recentiores disputatores notanda est, cum ait: *Scriptorculi Papistæ quidam simulant, (ad exemplum Arii errorem suum variis æquivocationibus occulentis) ac si de fide & bonis operibus semper docuissent, quæ nos nunc docemus, & de contrario injuste se accusari queruntur. Ita pellem ovinam induunt lupi, donec in ovile admittantur, nihil enim sincere & serio dicunt. Deprehendi possunt, si ad revocationem abusuum adigantur, quæ fidei & bonis operibus contraria tradunt, de quibus illos convicimus.* Hortatur Pastores Evangelicos, ut tanto diligentius vigilent, cum jam non pugnandum sit cum crassis illis nigrisque & importunis Papistis (mit den groben schwartzen Poltergeistern) sed talibus, qui scripturas prætexant & ex illis digladiari, aut dividere & turbare Evangelicos velint. Monet etiam, recte fecisse qui vocem *homousion*, licet in Scriptura non legatur, invenerint, idque etiam in disputatione de aliis articulis licite fieri, si hæretici sycophantiis utantur; (wenn sie die sachen mit blinden griffen falsch machen wollen) *Tunc enim utile est*, ait, *ut sensus Scripturæ, ex multis dictis collectus, in brevem quandam phrasin aut dictionem apte redactus, adversariis proponatur, quam acceptare vel rejicere teneantur, nisi in subdola dissimulatione hærere velint.* Ex actis primi Concilii *Constantinopolitani fol. 262.* itidem ostendit unum articulum de persona & divinitate Spiritus sancti contra *Macedonium* ex Scripturis elicitum & assertum, reliquos humani & mutabilis juris fuisse, maxime quæ de Metropolitanis & Patriarchis statuta sunt, & speciatim de sede Constantinopolitana, invito Damaso Papa Romano; Laudat Patrum Concilii ad hunc epistolam, & non spernenda narrat de dissidio inde orto, & impetrato per *Bonifacium* Pontificem Romanum a *Phoca* tyranno primatus privilegio. Eodem modo agit de Concilio *Ephesino fol. 265.* & in hoc quoque unum articulum de divinitate Christi adversus *Nestorium* non statutum noviter, sed repetitum ex Scripturis fuisse. Non vulgariter disserit de errore *Nestorii*, in quem ex ruditate & superbia incidisse eum existimat, & potius phrasi & vocabulis, quam sententia, errasse; more illorum de quibus Cicero, quem allegat, dixit: *jam diu torquet controversia verbi homines Græculos contentionis cupidiores quam veritatis.* Pergit hac occasione ad egregiam explicationem communicationis idiomatum, cujus ignorantia *Nestorius*

(7) Agit iterum de Concilio Nicæno.

A. 1539.

(8) Specimen de Ario.

(9) De Concilio Ephesino & Chalcedonensi.

A. 1539. *storius* erraverit. Notat tamen, a Concilio non omnes, nec sufficienter, damnatas fuisse phrases Nestorii, sed illam saltem, qua negabat Mariam dici debere *Deiparam* : eundem enim improbasse phrases : *Deus passus & mortuus est* : Durius autem cum illo actum, quod ei imputaverint, quasi Deitatem Christi negaret aut duas in eo personas statueret. Licet enim id ex dictis ejus consequens esset, negatam tamen & rejectam fuisse a Nestorio consequentiam, cum fateretur, Christum esse verum Deum & hominem, & non nisi unum esse. De Concilio *Chalcedonensi fol. 271.* non æque sibi liquere scribit, ac de cæteris, neque se scriptoribus Pontificiis, tot falsitatum reis, plane confidere. Eo fere inclinat, ut etiam *Eutychen* circa explicationem & intellectum idiomatum, & sic phrasi potius, quam sensu, diverso tamen a Nestorio, errasse, nimioque rigore condemnatum fuisse suspicetur. Exemplum ex suis dogmatibus proponit, docuisse se, scribens, ante annos viginti, *hominem sola fide justificari*, neque tamen statim vidisse, quod, stante illa doctrina, monachismus & sacrificium Missæ superstitionis & idolatriæ convincatur. Si quis illo tempore hoc contra Monachismum & Missas statuisset, eoque nomine pro hæretico habitus & punitus fuisset, se tunc tam stultum futurum fuisse, ut juste condemnatum esse diceret. Idem fere etiamnum accidere, eum Papistas reprehendat, quod de fide & vere bonis operibus non recte doceant, vicissim ab adversariis accusetur, quasi ipse in doctrina de fide erret, & bona opera vetet. *Hic*, ait, *Nestorius ignorat idiomata, Lutherus exigit bona opera, sed non ut habeant gloriosum & divinum idioma satisfactionis pro peccatis, placandi Deum & justificandi peccatores ; hoc enim ad Deum pertinet, qui dicitur agnus Dei tollens peccata mundi. Sanguini & morti Christi solummodo relinquendum est idioma illud ; aliud habent bona opera, alia nempe merita & præmia. Hæc confundunt Papistæ, & prius illud perperam tribuunt operibus, deinde clamant, Lutherum non docere, immo vetare bona opera. Non vident consequentiam, quod ii, qui bona opera doceant, per quæ pro peccatis satisfiat, in effectu nulla doceant, & quæ non sint in rerum natura. Hæc erat Nestorii dialectica, ut posito & concesso antecedente negaret tamen consequens, eoque ipso antecedens subvertebat.* Inserit hic quædam contra *Antinomos fol. 272.* quæ alibi annotabimus. Memorabile est, quod scribit *fol. seq. Si Eutyches vel Nestorius, de errore suo instructi ab Episcopis, pertinaciter tamen illi institerunt (quod ex historia, quatenus mihi nota est, definire non possum) tunc merito, non solum ut hæretici, sed & ut insignes stulti* (grobe Narren) *condemnati sunt. Si vero non perseverarunt in errore, quod de Eutyche in actis Concilii innui videtur, tunc Episcopi non observarunt præceptum Apostolicum Gal. VI. 1. ut Spiritu lenitatis egerent. Recte quidem deciderunt litem, sed numero & autoritate confisi superbius & vehementius egerant.* Subjungit similitudinem, scribens : *Si quis novus Propheta vel Doctor statueret, hominem perfecte sanctum miracula quævis facere posse, ita ut etiam cœlum & terram crearet : aut diceret, Deum mortuum esse ; de hoc omnes judicaturos esse, quod falsa & diabolica doceret. At*, inquit, *si eum increpantibus diceret, idem docere Christianos, cum confitentur, Christum hominem perfecte sanctum esse, & omnipotentem, eundemque Deum, & tamen mortuum esse, quid ei posset responderi ? Apparet hinc quantum intersit, idiomata naturarum & unionem personalem intelligere.* In disputationibus itaque talibus placida disquisitione & informatione utendum esse monet, non vero præcipitandam esse condemnationem. *Vereri se*, ait, quanquam falsus vates esse malit, *ne in extremo judicio quidam, qui hic de hæresi condemnati fuerunt, judices Episcoporum, qui eos judicaverant, sint futuri.* Post alia, quæ de historiæ Conciliorum defectu annotat *fol. 274.* concludit, etiam in hoc Concilio *Chalcedonensi* nullum novum articulum conditum fuisse. Assentitur *Gregorio Nazianzeno*, qui Concilia Ecclesiæ nocuisse contendit, idque probari dicit ex maximis turbis, quæ post Nicænum & reliqua tria, de quibus tractavit, Concilia secutæ sunt, ut adeo carere illis potuerit Ecclesia, cum articuli, de quibus in Conciliis istis actum est, jam satis clari & liquidi ex sacris literis fuerint. Improbat igitur eorum sententiam, qui dicunt, quatuor illorum Conciliorum decreta Evangelistarum scriptis æquiparanda esse ; longe enim clarius in his tradi articulos fidei & in confesso esse, novos in Concilio condi non posse, qui hoc audeant, in conventicula impiorum degenerare adversus Dominum *Act. IV. 27.* De potestate itaque Conciliorum *fol. 276. & seqq.* ita statuit (1) In Concilio, etsi dirigente Spiritu sancto, non statui novos fidei articulos, ideo nec Apostolos *Act. XV.* quidquam de fide statuisse, quam quod Patres dudum crediderant. (2) A Conciliis posse & debere novos, qui venditantur, articulos fidei supprimi ex Scriptura & antiqua, quæ cum illa consentit, doctrina, ut factum est in quatuor prioribus Conciliis. (3) A Concilio non posse imperari nova bona opera, cum omnia comprehendantur in charitate, & sufficientissime in sacris literis præcepta sint. (4) In Conciliis damnanda esse mala opera, charitati adversantia, v. g. ambitionem & alia vitia Cleri, ut factum est in Conciliis prioribus. Sed & illa esse damnanda, quæ speciem bonam habeant, cum periculo autem conjuncta sint, qualia esse judicat monachorum plurima. Excusat quidem, ut alibi, ita etiam hic, veteres Ascetas, sed Conciliorum culpat negligentiam, quod nimium indulserint novis institutis, per quæ semper aucta fuerit superstitio, sapientiæ opinio & hypocrisis, nec non opulentia monachorum. *Bernardi* exemplum allegat, qui intra annos triginta & sex, quibus Abbas fuit, centum & sexaginta monasteria erexerit, & quidem *Cisterciensia*, quæ, si non statim ab initio, brevis tamen temporis successu opes, Principum divitiis pares, acquisiverint. (seynd Fürstl. Klöster worden) Astu Satanæ fieri dicit, quod semper nova, sub specie boni, sed in effectu noxia, appetantur & constituantur, vetera autem, ipsa, puta, passio & mors atque resurrectio Christi, fastidiantur ; id quod exemplis probat. (5) A Concilio statui non posse novas ceremonias, sub pœna peccati mortalis servandas, sed locum esse dicto Augustini:

(10) *Allegat suæ doctrinæ exemplum.*

(11) *De Nestorio & Eutyche quædam.*

(12) *Proponit paradoxum quoddam.*

(13) *Accedit sententiæ Gregorii Nazianzeni de Conciliis.*

(14) *Examinat, quæ sit potestas Conciliorum.*

A. 1539.

A. 1539. ni: *hoc genus habet liberas observationes.* (6) Damnari potius ab illo debere ceremonias, quæ pro necessariis injunguntur. (7) Fas non esse Conciliis, ut de rebus politicis statuant. (8) Illorum potius officium esse, ut eos, qui id ex Clero audeant, reprimant & condemnent, rejiciendas itaque Pontificum constitutiones sive Decretales fuisse. (9) Leges facere non posse, quæ tyrannidem Episcopis tribuant. (10) Ceremonias ordinare posse, non, quæ Episcoporum potestatem augeant, sed, quæ populo utiles sint, & externam juvent disciplinam. His ita constitutis, non negat parum præstari posse a Conciliis, quod non præstet quilibet Episcopus in sua diœcesi, aut pastor in cœtu: monet autem, minime contemnendum esse horum munus, & Concilia constare ex Episcopis & Pastoribus, qui ea, quæ in singulis diœcesibus & cœtibus bona & utilia sunt, in commune promovere debeant, & plus sæpe præstent, quam Concilia, quod Augustini exemplo comprobat, cujus scripta omnium Conciliorum decretis potiora esse arbitratur, immo in oratione Dominica & in Decalogo meliora contineri, quam in universis Conciliis. *Hæc valde*, ait, *displicebunt Papistis, interim sunt verissima.* Definit ergo Concilium *fol. 279.* quod sit *consessus judicum, causa cognita sententiam, non ex novis legibus, sed ex verbo Dei ferentium, & contradicentes anathematizantium:* Episcopos enim & Pastores verbi divini ministros esse, & quidem singulos, qui ex verbo ordinarie judicent, suæ curæ commissos paucos & parvos; congregati vero etiam plures & majores. Digreditur hinc ad demonstrandam utilitatem scholarum, laudat veterum Imperatorum & Regum institutum, qui in fundatione Episcopatuum & Collegiorum ad studiorum promotionem respexerint, id quod indicari, ut alibi, ita & hic, dicit, titulis *Præpositorum, Decanorum, Scholasticorum, Cantorum, Custodum &c. Utinam*, ait, *fol. 280. vel hodie id agerent Prælati, & retentis omnibus dignitatibus & opibus denuo sacras ordinarent lectiones, atque ad eas audiendas vel una singulis diebus hora Canonicos & Vicarios adigerent, & aliquo saltem modo vetus institutum renovarent, ut digni & idonei ad Episcoporum & Pastorum munia viri formaremur. O Deus!* addit, *quantum afferre possent emolumenti Ecclesiæ, neque illis Deus opes & potentiam invideret, si præcipua illa curarent, & simul mores pravos emendarent.* Verum omnem spem de illis abjicit, doletque, quod illo tempore, ut fama erat, in Episcopatibus ducentæ, trecentæ, immo quadringentæ parochiæ Pastoribus orbæ essent. Implorat sub finem Ecclesiam Christianam, ut Concilium habeatur contra immanem Pontificis, qui legum & ceremoniarum suarum sordibus omnia conspurcaverit, tyrannidem, & in eo articulus capitalis a S. Petro & Apostolis in primo Concilio *Art. XV.* assertus, quod gratia Christi salvemur, purus & integer restabiliatur, non ex inepto sophismate Nestorii & Eutychis, sed ita, ut admisso antecedenti etiam consequentia omnia recipiantur, remoto jugo, quod pro intolerabili habuerit Petrus, & sublatis inutilibus & noxiis additamentis. *Clare*, ait, *loquamur, & postulemus, ut Pontifex non solum aboleat legum suarum tyrannidem, sed & fateatur, bona opera etiam secundum præceptum Dei præstita non facere ad justificationem, remissionem peccatorum & acquisitionem gratiæ; sed hoc fieri per solam fidem in Christum Regem justitiæ, per cujus sanguinem, mortem & resurrectionem satisfactum est Deo, & nos ab ejus ira, morte & inferno liberati sumus. Aboleat igitur omnes bullas suas de indulgentiis, purgatorio, monachismo, cultu Sanctorum, peregrinationibus, aliisque superstitionibus & idololatriis, quæ articulo illo Apostolico adversantur. Restituat etiam, quicquid per ista sibi arrogavit & rapuit, inprimis fictum & ementitum illum primatum, quem ita extollit, ut neminem salvari dicat, qui sibi non sit subditus.* Hæc maxima & gravissima tractanda esse in Concilio, cura Imperatorum & Regum convocando, neque tamen opus esse putat, ut omnes Episcopi, Abbates, monachorum Antistites, Doctores &c. congregentur. Fore enim, ut annus integer transeat, antequam conveniant, & de ordine sessionis concordes fiant; alterum forte otio & luxu consumtum iri; tertio Hussi alicujus supplicium esse decreturos; tanto omnia cum sumtu, quantus ad magnam adversus Turcos expeditionem sufficere posset. Suadet, ut ex omnibus regionibus seligantur viri solide in sacris literis eruditi, quibus gloria Dei, fides Christiana, & salus Ecclesiæ atque animarum, cum pace orbis terrarum, curæ & cordi sit; adhibendos etiam esse quosdam ex laicis prudentes & probos, qualem fuisse ait, *Johannem Baronem a Schwarzenberg*, de quo alibi dictum est. Sufficere posse existimat trecentos, cum in Concilio Nicæno ex toto Imperio, quod nunc Christianis & Turcis subest, non nisi CCCXVIII. comparuerint, quorum XVII. erant Ariani: in secundo Concilio non nisi CL. in tertio CC. in quarto quidem DCXXX. adfuerint, paucioribus tamen in prioribus Conciliis, eruditione & virtute non pares. Negat quoque, alia intricata & desperata negotia ad Concilium esse deferenda, sed Constantinum imitandum, qui oblatos sibi de talibus rebus & rixis libellos in ignem conjecerit, & omnibus illis contentionibus finem fecerit. *Verum enim vero*, scribit, *nunquam sperandum esse dices tale Concilium. Facile consentio, interim si habendum est, tale expeti debet, aut prorsus omittendum & tacendum est.* (laß es gar fahren und schweige mutterstille) Tandem, si universale impetrari non possit, nationale habendum esse suadet: & licet schisma metuendum esse videatur, sperari tamen posse dicit, Deum reliquorum Monarcharum corda flexurum esse, ut aliquando decreta nostræ nationis accipiant, modo nos serio quæramus gloriam Dei & salutem animarum. Quod si etiam de hoc desperandum sit, curanda esse interim parva Concilia parochiarum & scholarum.

(15) *Utilitatem scholarum commendat.*

(16) *Optat legitimum Concilium.*

Tertia pars libelli *fol. 283.* inscribitur *de Ecclesia:* nam hanc non minus ab adversariis crepari & clamari dicit, quam Concilia, neque tamen explicari ab illis posse, quæ, qualis & ubi sit Ecclesia, & malle ut pro illa haberentur Papa, Cardinales & Episcopi. Ipse igitur ex symbolo Apostolico per Ecclesiam intelligit communionem sanctorum, sive cœtum hominum Christianorum &

(17) *Commentatur de Ecclesia.*

& Sanctorum. Vocabulum *Ecclesiæ* ex *Act. XIX. 39. 40.* nihil aliud significare ait, quam congregationem populi, sed sermonem hic esse de Ecclesia sancta, catholica, Christiana, sive congregatione populi Christiani, qui sanctificetur a Spiritu sancto, non Solum per redemtionem Christi, sive justificationem, sed & per expurgationem & mortificationem peccatorum. (durch abthun/ ausfegen und tödten der Sünden) Taxat hac occasione *Antinomos*, de quibus in anni sequentis historia agemus. Melius fuisse dicit, si pro *Ecclesia* (Kirche) in symbolo dictum fuisset *populus sanctus, catholicus, christianus*; hoc enim audito, neminem cogitare potuisse, papam, episcopos, sacerdotes & monachos solos esse sanctos & Ecclesiam, aut, quod ædificium sit Ecclesia, aut denique conventus Apostolorum in festo Pentecostes, qui pingi solet, & vera quidem erat, sed non perpetua. Ex obscuro autem illo *Ecclesiæ* vocabulo, plebi nunquam satis explicato, persuasionem illam de Ecclesia ortam esse, quasi non nisi ex Clero constaret. Papæ quidem & suis non detrahit titulum *Ecclesiæ & Romanæ*, id est, qualiscunque; sed sanctam & catholicam esse negat: veram autem & christianam Ecclesiæ sanctitatem illam esse dicit, quæ *fide purificat corda hominum Act. XV. 9.* id quod plurimis explicat, tum quoad credenda, tum quoad facienda. Addit *fol. 285.* occasione motæ ab Antinomis controversiæ, quod sæpe monuerat, non sufficere, si prædicetur remissio peccatorum & consolatio ex merito & gratia Christi, sed urgendam etiam esse renovationem & emendationem vitæ. *Nemo enim*, ait, *de operibus Spiritus sancti secundum primam Decalogi tabulam recte docet, nisi etiam ejusdem Spiritus opera proponat, secundum alteram tabulam.* Opponit etiam veræ huic sanctitati eam, quæ in Papatu a sacerdotum & monachorum veste & ritibus petitur. Postea signa Ecclesiæ Christianæ proponit *fol. 286. & seqq.* (1) *Verbum Dei*, fatetur tamen, id non semper purum adesse, sed admixta aliquando habere ligna & stipulas *I. Cor. III. 12. 13.* *Ubi vero*, ait, *prædicatur verbum Dei, & sunt, qui illud audiant, confiteantur, & secundum id vivant, etiamsi pauci sint, ibi credas esse Ecclesiam sanctam, catholicam, christianam, sive gentem sanctam I. Petr. II. 9. Verbum enim Dei non revertitur vacuum Esa. LV. 11. & quarta pars agri bonum semen cum fructu accipit. Verbum Dei non est sine populo Dei, nec populus sine verbo.* Hujus vires ad vincendum Diabolum & abjiciendos abusus, quos recenset, magna cum parrhesia adversus clamores & boatus adversariorum deprædicat. (2) *Baptismum* ex instituto Christi administratum. (3) *Sacramentum cœnæ*: nec obesse dicit veris Ecclesiæ membris, etsi id etiam accipiant, qui fidem simulent, & hypocritæ sint, sed ignoti & occulti; notorie enim & palam contradicentes non admitti. (4) *Jus clavium*, sive elenchi publici & privati. (5) *Vocationem & ordinationem ministrorum Ecclesiæ* ex viris idoneis, rejectis mulieribus, pueris & aliis ineptis. Hic vehementer disputat *fol. 288.* contra Pontificem & Episcopos, sibi solis jus vocandi & ordinandi arrogantes, ut & contra prohibitionem matrimonii & secundarum nuptiarum. (6) *Preces ad Deum* laudesque & gratiarum actiones publicas, lingua populari. (7) *Sanctam crucem* sive *afflictionem*, odia & persecutiones, quibus Christiani subjiciuntur. Addit, etiam bona opera inter signa Ecclesiæ referri posse ex omnibus præceptis secundæ tabulæ, sed quoniam etiam pagani & hypocritæ virtutes externas exerceant, neque discerni ab omnibus possint, quæ fiant ex Spiritu & gratia, aut ex natura, ideo se characteres certiores attulisse. *Nicolai* inde *Lyrani* dictum citat, quod *Ecclesia non sit censenda ex Prælatis, sed ex hominibus vere credentibus*, & miratur, quod hoc scribens combustus, ut hæreticus, non fuerit. Ostendit postea *fol. 292.* quomodo fraude Satanæ sub sanctitatis specie introducti sint abusus, & tanta multitudo consecrationum & rituum, ut sub ea occulta & suppressa latuerit vera Ecclesia, illa vero tantum eminuerit, quæ externam gerebat pompam & mundo pulchra & speciosa esse videbatur. Indicat etiam contrarium vitium *fol. 293.* quod incurrerunt Anabaptistæ & Münzerus, postquam Lutherus fucum & larvam illam detexisset. Tunc enim fanaticos illos stulto impetu etiam Baptismum & Eucharistiam, & quod cum elementis Sacramentorum externis conjunctum est, ipsum verbum Dei contemsisse. Tandem etiam de ordine decenti in Ecclesia agit, qui licet ad formam internam non pertineat, nec indubitatos constituat characteres, servari tamen debeat, pro temporum & loci ratione *I. Cor. XIV. 40.* sed justa cum libertate. Rejicit itaque rigorem Pontificium in obtrudendis externis, maxime per Canonistas, quos vocant.

(ß) Proponit signa Ecclesiæ.

ADDITIO.

(a) *Ludovici Granatensis sententia de Ecclesia.*

Quomodo Romanarum partium Theologi Ecclesiam definiant, ejusque primarium characterem constituant obedientiam, Romano Pontifici præstandam, notius est, quam ut repeti hic debeat. Sunt tamen, qui moderatius loquantur, præsertim extra disputationis arenam. Inter eos ob pietatem & facundiam sacram, si quid ego judico, eminet *Ludovicus Granatensis* Dominicanus, qui an. 1588. decessit. cujus opera Latine versa edidit *Andreas Schottus* Jesuita, *Coloniæ Agripp. anno 1628.* Merentur verba ejus ex *Tom. I. fol. 23. b.* & *fol. 24.* adscribi, quibus articulum de Ecclesia in Catechismo minori, sive symbolo Apostolico summe ab aliis suæ Ecclesiæ Theologis approbato, hunc in modum explicat: *Nonus articulus in eo consistit, ut unam Ecclesiam sanctam & Catholicam profiteamur, quæ gratia & favore sancti Spiritus, ut ante jam docuimus, sanctificata existat. Ecclesia idem est, quod conventus aut congregatio: & hac ratione universam Christianorum congregationem, ubicunque etiam illi divisi a se invicem morentur, Ecclesiam vocamus; quamvis enim alter ab altero loco disjunctus sit, nihilo tamen minus ob unam, quam habent fidem, ob idem Baptisma, eundemque Domini nostri Jesu Christi cultum, Ecclesiam eos vocamus. Sanctam dicimus, quia per Spiritum sanctum sunt sanctificati, membra existentes unius corporis mystici, Christum redemtorem nostrum pro capite habentes. Catholicam eam nominamus, ut eam a schismaticis hæreticorum conventiculis discernamus; hi siquidem, veræ fidei cultusque Redemtoris nostri divisione introducta, ab ea discesserunt, seque separarunt. Catholicam item nominamus, ut omnia & singula secula, omnia item loca, singulasque nationes, quæ eandem hactenus fidem coluerunt, includamus. Quo vero loco, inquit forte aliquis, habebimus Christianos peccatores, & qui a vitiis suis atque delictis desistere nolunt? cum illi neque sint hæretici, neque ex societate Ecclesiæ sanctæ*

A. 1539.

ob malitiam suam, neque membra corporis Redemtoris nostri, eo quod ipse eos non agnoscat pro suis. Huic respondemus: Verba hæc, Ecclesia sancta, geminam habere significationem. Prima equidem intelligimus societatem eorum omnium, qui fidem Catholicam profitentur, etiamsi aliqui peccatores admixti sint, & DEO nec dum per gratiam & charitatem conjuncti; & hac ratione extra Ecclesiam sunt solum hæretici & infideles; quoad reliqua, paleas tritito admixtas esse, toleratur. Altera significatione intelligimus solum membra vere sanctificata, quæ non modo per professionem fidei, verum etiam per gratiam Spiritus Sancti, qua membra capiti suo sunt unita & conjuncta. Atque de his proprie magis & expressius loquitur secunda articuli hujus pars, inquiens, Sanctorum communionem; prior enim, quam modo explicavimus, indifferenter & absolute omnes includit, tam bonos quam malos, & universim istis junctis vocatur Ecclesia sancta, a potiori namque, quod in Ecclesia sunt boni, fit denominatio. Illi tamen, nimirum mali atque peccatores, lacrymis & comploratione digni sunt, qui, licet sanctissimi hujus corporis membra sint, putrida tamen sunt & arida, h. e. Spiritu divino carentia, obedientiaque & charitate destituta. Et quamvis forte illi per totos vitæ suæ dies ad rectam semitam reverti enitantur, magis quam hæretici, tum ob doctrinam, qua imbuuntur, tum, ne eo loco, quo illi, habeantur; vel maxime tamen illis ex animo compatior, & scire percuperem, quo ipsi affecti sint animo, si quando hunc Articulum recitare eos contingat, dicentes, se credere hic in terris esse unam Ecclesiam & societatem, cui Spiritus Sanctus dona & gratias suas communicet, puritatem atque sanctitatem illis impertiendo, cum probe norint, suis se demeritis ab ipsa societate excludi, efficique alterius membrum, cujus caput est diabolus, qui capitali odio a Redemtore nostro dissidet. Æquum profecto foret, eum, qui hujus articuli professionem edit, & se tam periculoso in statu constitutum deprehendit, in intimis cordis sui penetralibus perturbatum iri, neque tam inconsiderate & superficiarie, quod multis, eheu! familiare est, eundem deblaterare. Omnes & singulos Christianos articulus hic commonefacit, ut vel unice paci & concordiæ Ecclesiæ intendant, statum atque doctrinam ejus maximopere venerentur, & potissimam eorum, qui Deo sua servitia & obsequia mancipatrunt, proximoque bonis exemplis prælucent, rationem habeant, neque unquam obstaculum aut offendiculum eis inferant: qui enim contra facere ausint, hunc in articulum nefarie impingunt. Inspiciamus porro id, quod hoc ex articulo sequitur, credere nimirum communionem Sanctorum, quæ communio alter ille modus Ecclesiæ & societatis est, de quo superius mentionem fecimus, quæ consistit ex membris sanctificatis, non solum per fidem, sed & charitatem & gratiam Spiritus Sancti: in illis enim & inter illos solummodo mirabilis illa communio, quam inter se, & cum Christo & Spiritu Sancto habent, reperitur. Cum Christo quidem, quia ille vere est caput, quod membris suis suas virtutes & merita impertitur. Cum Spiritu Sancto vero, quia ipsi omnes ex Spiritu isto, & ex ejus afflatu atque gratia, quam ab ipso recipiunt, vivunt; adeo, ut in omnibus & singulis habitet, vivat atque regnet, inter se magis eos uniens, quam membra unius & ejusdem corporis, eo, quod una eademque anima animentur & inspirentur. Inter se denique uniuntur, quia ejusdem Spiritus participes effecti sunt, ejusdemque capitis virtute fruuntur. Et quia unius corporis membra sunt, necessario bonum alterius alteri quoque commune est. Inde orationes unius opitulantur etiam aliis: meritaque & opera satisfactoria, in quantum orationes, quas pro ipsis fundunt, gratiores & acceptiores reddunt, eis patrocinantur, & præterea omnium instructionum, exemplorum atque subsidiorum participes efficiuntur. Hoc Sanctorum communio significat. Quæ cum vere ita sint, continue cum proximo nostro ea in charitate vivere contendamus, maxime vero cum iis, quos Dei amicos esse videmus. Manifestum enim est, illum, qui de bonis suis spiritualibus præsumens, ob ea ferocierit, solumque sibi, non vero & aliis sanctitatem acquirere voluerit; itemque illis, qui ob temporalium amorem & desiderium, virtuti, fidei, & Redemtoris nostri obsequio insistere desinunt, & profectum fidelium ejus negligunt, strictam nimis de hoc articulo reddendam esse rationem: isti namque hujus Spiritus non sunt participes, neque membra hujus corporis, eo quod bonum & salutem ejus non totis ex visceribus, tanquam si propria res ageretur, procurare curam gerunt. Hæc si cum doctrina *Lutheri* conferantur, (demtis, quæ de operum satisfactoriorum communione ex præjudiciis suis inseruit *Granatensis*,) parum profecto discrepabunt. Quod enim *Lutherus* scripsit, censendam esse Ecclesiam ex hominibus vere credentibus, non ex prælatis, multoque minus ex hypocritis, (quod alibi & sæpe docuit) qui ut zizania, sive paleæ tritico & frumento copiose immiscentur, idem indicat *Granatensis*, cum dicit, *magis proprie & expressius Ecclesiam intelligi de vere sanctificatis;* unde recte infert, Ecclesiam in laxiori significatu, comprehensis nempe simul hypocritis, quorum maximus semper est numerus, sanctam non esse, *nisi per modum denominationis a potiori*, sive optima parte. Hinc consequens est, ut Ecclesia, in lato illo significatu sumta, donum Spiritus sancti non habeat, sed illi tantum in ea, qui vera sunt membra Christi; cum cæteri, qui ore saltem Christum confitentur, ut mascule loquitur *Granatensis*, sint membra Diaboli. Sequitur porro, Ecclesiæ, secundum laxam illam significationem, non competere judicium de fide infallibile, sed illis solum ejus membris, quæ vere cum Christo unita sunt, & a Spiritu sancto illuminata & gubernata. Quomodo enim membra Diaboli ex instinctu Spiritus sancti de fide responderent? Quando igitur vel Concilium, vel, qui ejus potestatem repræsentare vult, Pontifex pronunciat, nemo de effatis illis tutus esse potest, quod vera sint, quia incertum est, an, qui pronunciant, sint membra vere sanctificata, per quæ loquitur Spiritus sanctus. Multo minus in privati alicujus sententia acquiescere possumus. Si autem Concilia & Pontifices verum (ut sæpe fecerunt) decidunt & pronunciant, id æstimandum est ex fundamento, quod allegant, id est, ex sacra Scriptura. Sic credere poterant & crediderunt Magi Synagogæ, ex verbis Prophetæ de loco nativitatis Christi respondenti, *Matth. II. 5.* Hinc ergo est, quod Lutherus & Evangelicæ Ecclesiæ, aliud fundamentum, quam sacram Scripturam, in controversiis fundamentalibus de religione agnoscere nunquam voluerunt, aut salva fide poterunt, quanquam haud ignari sint, superesse dissensionum periculum ex varietate interpretationis. De characteribus porro Ecclesiæ, etsi tam prolixe & distincte, ut *Lutherus*, non egerit *Granatensis*, sufficit tamen, quod in genere nil exigat a membris veræ Ecclesiæ, quam *unam fidem, unum baptisma, eundemque Christi cultum.* Neque enim unionem cum Ecclesia Romana, aut Pontificis potestatem, aut consensum in traditionibus agnoscendis requirit; (licet præjudiciis illis occupatum fuisse ex aliis ejus scriptis non sit obscurum) quicunque igitur illa tria servant, illi veræ & sanctæ & secundum excellentiam sic dictæ Ecclesiæ, Catholicæ nimirum, membra sunt, & sanctorum communione fruuntur, nec hæretici aut separati ab illa haberi debent, licet Pontificatus Romani potestatem, & illi sese subjiciendi necessitatem minime agnoscant, aut ne verbum quidem de illo unquam audiverint. Hæretici autem illi tantum sunt, qui fidei caput unum aut plura ad salutem necessaria præfracte rejiciunt, aut pro talibus venditant & obtrudunt, quæ non nisi humani sunt cerebri aut arbitrii.

A. 1539.

(b) Collata doctrina Lutheri & Granatensis.

In fine tractatus, Lutherus invertendum esse dicit contra violentos illos Legislatores Papam & suos dictum Psalmi II. 3. *dirumpamus vincula eorum* &c. Hoc nuper censoria virgula notavit *Jac. Benignus Bossuetus* Meldensis Episcopus *Lib. I. de Variat. Eccl. Protest. §. 25.* falso tamen allegans notas *in Bullam Leonis* ex *Tom. I. Luth. Wittenb.* quæ non sunt Lutheri, sed *Hutteni.* Sed non est,

(19) Notatur Bossuetus Episcopus Meldensis.

A. 1539.

est, ut tantas hic turbas excitet Gallus contra Lutherum, verba impiorum per anagogen in bonum sensum trahentem. Fecit id exemplo sacrarum literarum; ita enim *Esa. XXVIII.* verba impiorum *v. 10. manda, remanda &c.* paulo post *v. 13.* Deo attribuuntur, inverso sensu. Quid si ipsa Psalmi verba convenire existimavit piis, non vero Regibus terræ, quorum mentio fit præcedenti versu? Fecisset id sane ex sententia Tertulliani, Hilarii, Arnobii & Theodoreti, quos citat *Polus in Synopsi ad d. v. 3.* Cæterum hunc Lutheri tractatum *de Conciliis* prolixius recensendum esse existimavi, cum solida eruditione & argumentorum robore inter multos alios Viri libros emineat. Certe licet nostro seculo ex majori librorum tunc non satis cognitorum numero plura eruerint viri docti, ita tamen instructus & ornatus est Lutheri hic tractatus, ut pauca desiderari in eo possint.

(10) Scriptum Lutherum causa Schanitii.

Superest scriptum Lutheri non quidem de controversia religionis, eristicum tamen, quod hoc anno adversus *Albertum Cardinalem* Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgensem edidit *Tom. VII. fol. 392. & sqq.* Fuerat Cardinali famulus quidam amanuensis, aut a cubiculo, & postea Quæstor, *Johannes Schanitius* interioris admissionis & ad artes pecuniæ corradendæ multis annis adhibitus, eoque nomine Hero charus. Cum vero, ut fieri solet, insolescere cœpisset, multasque sibi opes cumulasset, & ingentes sumtus supra sortem suam exstruendis sibi ædibus impendisset, neque jam Hero quærendæ pecuniæ intento, pro lubitu satisfaceret, peculatus reus factus & præcipiti judicio in patibulum actus est. Hujus hæredes injuriam, ut dicebant, homini illatam vindicaturi, cum parum instituta lite efficerent, publicatis scriptis Cardinalem incesserunt & Lutherum permoverunt, ut causam defuncti edita illa invectiva defenderet, simul etiam Cardinali plurima flagitia objiceret. Protestatus quidem est in exordio de veneratione sua ergà *Serenissimam familiam Brandenburgicam*, ex qua natus erat *Albertus*, & scribendi asperitatem non una ratione excusat; verum Elector Brandenburgicus & cæteri ex eadem stirpe vehementer offensi sunt Lutheri hac scriptione, & Saxoniæ Elector, displicere sibi illam, non uno modo testatus est, paucique fuerunt, qui excessum Luthero non imputarent; neque mihi propositum est illius apologiam suscipere, in causa præsertim ad religionem parum pertinenti. Scopus tamen scripti fortasse culpandus non est, qui is erat, ut ex epilogo constat, ut Albertus ad æquam quandam transactionem cum hæredibus Schanitianis & restitutionem aliquam bonorum, in fiscum redactorum, permoveretur. Ex libelli exordio etiam intelligitur, Albertum ipsum Lutheri interpositionem in hoc negotio admittere voluisse. Apparet hinc, multas rei circumstantias non satis notas esse, adeoque acrius judicium suspendi debere, potiusque credi, Lutherum non sine magna causa ad acerbitatem illam progressum esse. Documentum interea etiam summi inter mortales capere hinc possunt, vitia sua indelebilem habere ignominiam, si vel unus vir gravis & doctus calamum adversus illos stringat, nedum cum atrocibus factis magnam subditorum & exterorum numerum ad querelas publicas excitent. Ex Archivo Vinariensi *Reg. N. lit. Hh. fol. 103. n. 40.* percipitur, Lutherum scriptum istud jam anno 1537. composuisse; abstinuisse autem ab edendo, monitum Electoris nomine a *Pontano*, ut ex hujus relatione d. 12. Maji constat: quievit autem ea conditione Lutherus, si Cardinalis a persecutione Halensium desisteret. Id vero cum non fieret, aliaque forte ex causa, sub finem anni 1538. excudi libellus cœpit, nequicquam vetante Electore, cujus rescriptum d. 21. Decembr. extat. Factum inde est, supervenientibus querelis Principum Brandenburgicorum, ut Elector d. 10. Maj. 1539. per *Pontanum* Luthero injunxerit, ut si posthac in ejusmodi caussis privatis aliquid edere vellet, id prius in aulam mitteret; Theologica vero suo publicaret arbitratu ab Academiæ etiam censura immunis, licet absque ista alii libri edi non possent.

§. LXXVII.

(1) Concio Lutheri de Ecclesia, Lipsiæ habita.

Ex concionibus Lutheri hoc anno relata est in *Tomum VII. Alt. fol. 297.* quam habuit *Sabbatho* ante festum Pentecostes d. 24. Maji in sacello arcis Lipsiensis, coram Electore & Henrico Sax. Duce ad Evangelium sequentis Dominicæ *Joh. XIV. 23. & sqq.* Brevitatem excusat Lutherus capitis, qua laborabat, imbecillitate. Tractavit quæstionem de Ecclesia. Nihil enim aliud, ut & hodie fit, magis jactabatur, quam nomen *Ecclesiæ*, eo quidem sensu, ut Ecclesia esset, quam Papa & Clerus constituerent, & subjectam sibi haberent. Hoc refutat ex verbis Christi, quibus promittit se cum Patre venturum & mansurum apud eos esse, qui se diligant & sermonem suum servent. Monet autem Lutherus, respondisse ista Christum Judæ Apostolo interroganti: num saltem Apostolis, non vero mundo sese manifestaturus esset? id est, annon regnum suum palam in toto mundo esset inchoaturus? *Sed Christus* (ait Lutherus) *in responso suo mundum & Hierosolymam omniaque externa præterit & rejicit, & habitationem suam ibi se sumturum esse dicit, ubi sermo ejus audiatur & servetur. A verbo igitur Sacramenta & preces etiam dependent, & ubi hæc sunt, etiam inter paucos, ubi est Christus & Ecclesia.* Addit quædam de contritione & de fiducia in merita Christi, & de dubitatione, qua precantes carere debeant.

(2) Explicatio Ps. CX.

Pro concione etiam alio tempore (quanquam non annotatum est) Wittenbergæ explicatus fuit *Psalmus CX.* (vulg. CIX.) *Dixit Dominus Domino meo &c.* Editæ fuerunt conciones illæ a *D. Crucigero*, & leguntur *d. Tom. VII. fol. 328. ad 381.* In exordio & epilogo commendat Lutherus Psalmum hunc, ut nucleum & epitomen doctrinæ de Christo, eamque cum maximo profectu tractat. Ostendit duas naturas in Christo ibi significari, & humanam quidem collatis vocabulis *Dominus* & *Domino*, quorum prius secundum textum Hebraicum *Jehovam*, id est, Deum essentialem denotat; posterius *Herum* significat, quem suum vocat David (Adoni) hunc ei honorem ob personalem cum divina natura unionem deferens, licet sciret, illum ex suo semine nasciturum. Divinam autem Christi naturam indicari dicit ex sessione ad dexteram Dei. Licet enim exaltatio ad illam Christo contigerit secundum humanam naturam, fundamentum tamen ejus quærendum esse monet in divina, absque

A. 1539.

qua Deo par fieri & ad dexteram ejus sedere non potuisset. Igitur declarari dicit illa sessione divinam Christi naturam, non vero dari. Pergit inde (*fol. 332.*) ad descriptionem & elogium regni Christi, de quo David magnifica vaticinatur, quamvis regnum illud a mundo spernatur, & impugnetur, etiam prætextu nominis Christi magnæque sapientiæ. Ad *v. 2.* notat, per *virgam virtutis ex Sione mittendam*, intelligi ministerium Christi in Judæa prædicatione Evangelii peractum; (*fol. 344.*) qua simul rejiciatur omnis alia doctrina, quæ non cœpit ex Sione, quacunque sub autoritate, vel etiam inspiratione immediata jactetur. Ex verbis: *dominare in medio inimicorum* (*fol. 348.*) statum & fatum Evangelicæ doctrinæ observat, persecutionibus illorum etiam expositæ, qui eam verbis profitentur. Hac occasione taxat vanos conatus eorum, qui conciliari posse putant mutua dissimulatione & cessione controversias fidei capitales. Adscribam verba Germanica, quæ singularem habent emphasin: Es sahen wohl ietzt etliche Klüglinge an zu flicken / wollen den sachen rathen und den Hadder schlichten / geben für / man solte auff beyden seyten weichen und nachgeben. Die lassen wir zwar machen und versuchen / was sie können / gönnen ihnen der mühe wohl; werden sie aber den Teuffel fromm und mit Christo eins machen / so sind sie die ersten. Ich halte aber / es sey mit solchem flickwerck eben (wie Jesus Sirach am 22. sagt) als wenn man Scherben wolte zusammen flicken. Und sind zwar bereit der Schuster viel gewesen / so sichs unterstanden / aber auch umsonst gearbeitet und beyde Drath und Stich verlohren. In andern sachen / was unsers thuns ist / oder Ceremonien und dergleichen äuserlich ding betrifft / da mag man sich vergleichen / und flicken was man kan: aber was den glauben und Christi reich belanget / da man seinen Scepter will beugen und ungerade machen / da will er kein bessern noch flicken haben. Und ob man sichs unterstehet / so macht man es nur damit ärger / daß mans gar verleuret / denn dis Scepter muß und soll gantz und gerade bleiben / ohne alle Brüche und Lücken / als die regul und maß / darnach man gläuben und leben soll. Sensus est: *Sunt nasuti quidam, qui remedium negotio quærunt, & litem componi posse existimant, si ex utraque parte aliquid cedatur & remittatur. Sinamus eos agere, nec laborem illis invidebimus: primi tamen erunt, qui Diabolum convertere & cum Christo conciliare potuerint. Vereor, ne in eos quadret dictum Siracidis cap. XXII. 7. qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Multi jam consarcinatores oleum & operam perdiderunt hac in causa. In aliis rebus, quæ in nostra sunt potestate, & quoad ceremonias & externa, transigere & compositiones quærere licitum est, sed quæ ipsam fidem & regnum Christi attinent, sive virga & sceptrum Domini, flecti & curvari non potest, nec conglutinari & consui. Quid id audent, frustra sunt & perdunt tandem penitus sceptrum, quod nullas admittit flexiones & incurvationes: sed rectum manere debet, ut sit regula fidei & vitæ.* Præclara commentatur, *fol. 354.* ad *v. 3.* de cultu a Christianis sponte & non ex servitute legali præstando, & paulo post *fol. 356.* ostendit, quomodo homines vera fide erecti novas accipiant cogitationes & intentiones erga Deum, ut hunc amare, ex animo invocare, auxilium ejus in omni afflictione sperare, etiam præcepta ejus diligere & servare, omniaque, quæ Deus immittit, pati discant, quia jam reguntur a Spiritu sancto, nec opus habent coactione legis & pœnarum minis. *Licet enim*, ait, *omnis illa obedientia sit infirma, impura & imperfecta, multumque supersit lucta & renitentiæ, firmatur tamen gratia & remissione Christi, pugnat contra pravas cupiditates, illasque vincit auxilio Spiritus sancti, donec tandem peccatum & mors cum corpore hoc mortali penitus destruatur.* Ad verba: *in splendoribus sanctorum* de vero Episcoporum officio *fol. 358.* non spernenda monet; item de regeneratione ex sola gratia divina, absque omni operum respectu *fol. 359. seqq.* Argumentationem pro Missa, ex historia Melchisedeci depromi solitam, refellit *fol. 355.* officii sacerdotalis, quod Christus gerit, partes egregie describit; doctrinam *fol. 366.* sacrificium *fol. 368.* intercessionem pro populo *fol. 369.* æternitatem sacerdotii demonstrat *fol. 370.* Rejicit errorem eorum, qui ex Christo faciunt severum judicem, & intercessores quærunt *fol. 371.* item eos, qui sanctitatem monasticam jactant *fol. 372.* sacerdotium omnibus Christianis commune, & quomodo ex his ministri Ecclesiæ constituendi sint, explicat *fol. 373. & sq.* Ad *vers. 5.* contra reges Evangelium persequentes acriter insurgit *fol. 375.* iisque interitum prædicit, qualis etiam veteri Romæ secundum Psalmi hujus vaticinium (*vers. 6.* vid. *fol. 378.*) acciderit, Germaniæ quoque, nisi resipiscat, metuendus sit, *fol. 376. seq.* Ibidem graviter taxat Principes & politicos, qui prostrata Episcoporum potestate, imperium in sacra sibi arrogant, de quo, cum sub servitute Episcoporum pro simplicitate sua, haberentur, nihil sciverint; (die tropffen habens zuvor nicht gewust) jam vero dicant, omnes obligari, ut pareant quoad religionem Principi & magistratibus. *Versum ult. fol. 379. seq.* explosis Judæorum nugis, de passione Christi interpretatur. Hæc sunt, quæ ex homileticis & exegeticis Lutheri scriptis ad hunc annum in *Tomis* relatis adducenda visa sunt.

(3) *Judicium de conciliatione controversiarum in religione.*

(4) *Alia quædam.*

Ex responsis & epistolis memorari ante alia merentur, in quibus vel solus, vel cum collegis sententiam aperuit de jure defensionis: de quo in conventu Francofurtensi ardua erat deliberatio. Referuntur illa *Tom. VII. Alt. fol. 300. ad 308.* pleraque etiam ab *Hortledero Tom. I. Lib. II. cap. XV. ad XIX.* Scripta sunt quædam in schedis ad *Electorem* missis, quædam ad *Pontanum*: est etiam, quæ ad *Johannem Lubeck*, Pastorem Cotbusiensem in Lusatia Brandenburgensis ditionis, Latine scripta d. 8. Febr. in *Bibliotheca Jenensi* extat, & omisso Pastoris nomine Germanice versa exhibetur *d. l. fol. 302.* Summa omnium est: *Obligatum esse quemlibet Principem, ut vera religionis exercitium in sua ditione promoveat, & contra vim externam tueatur, hanc defensionem licitam esse jure divino & naturali adversus omnes, qui paris sunt potestatis, etiamsi Cæsaris nomen prætexant*

(5) *Responsa de jure defensionis.*

aut

A. 1539.

aut edicta Comitiorum ; hæc enim invalida esse ob defectum consensus & interpositas protestationes & appellationes. Pontifici plane nullum jus esse bella movendi, aut ea Cæsari delegandi ; si enim hoc mandatum exequi velit Cæsar, pro injusti hostis socio & auxiliatore habendum esse. Hoc thesibus Latinis anno 1535. Wittenbergæ publice propositis asseruerat, cum acerrima in Pontificem censura ; illius disputationis versio Germanica habetur *d. Tom. VII. fol. 308. seq.* Negat etiam Cæsarem absolutum esse Monarcham, aut Imperium in religione habere, cum etiam politicum non nisi certa forma, & cum consensu Procerum, exercere teneatur *fol. 303.* Addit, neque Concilii decreta obtrudi Principibus posse, nisi legitime processerit ; si vero contra jus divinum pronunciet, v. g. ut conjugia sacerdotum dirimantur, obsequium plane denegandum esse. Suadet tamen, *defensionem intra terminos suos constringendam, & ad aggresionem & præventionem minime provolandum esse ; pro aggressoribus autem haberi & irrui in eos posse, si bellum indixerint*, sive quod idem esse putat, *si proscriptionis sententia publicetur. fol. 307. a.* Refertur etiam responsum JCtorum *fol. 303. sq.* in quo duobus argumentis jus defensionis probatur : *primum* ex sententia Panormitani, item Innocentii, Baldi, Felini, Cyni, Archidiaconi sumunt, quod pendente appellatione, judici exequenti resisti possit, quippe injuste & nulliter agenti : *alterum* est ex jure publico, statuunt enim idem, quod Theologi, quod Cæsar non habeat jurisdictionem in causa religionis, neque Pontificis jussis obsequi debeat, immo nec Conciliorum decreta exequi, si res ad aliud Concilium differri petatur. Hoc responsum approbarunt Theologi, fassi tamen, se nescivisse ea, quæ ex Canonistis allegata fuerunt. Lutherus eodem tempore per modum circularis epistolæ *fol. 307.* pastores Evangelicos hortatus est, ut preces ad Deum funderent, ad avertendum instans periculum a Turcis & Papistis.

(6) Epistola ad Norimbergenses de formula absolutionis, & alia quædam.

Eod. *Tom. VII. fol. 398.* epistola Lutheri, cui etiam *Pometanus, Jonas, Melanchthon & Cruciger* subscripserunt, ad Senatum Norimbergensem legitur. Dissidebat ibi *Andreas Osiander* a cæteris Ecclesiæ ministris, circa formulam absolutionis generalis, quæ post concionem recitari solebat, ut & hodie consuevit in Ecclesiis Evangelicorum. Improbabat eam, quod multi in cœtu ea essent indigni ob defectum veræ pœnitentiæ & fidei. Respondit consultus Lutherus cum Collegis, non solum privatam absolutionem (quam *Osiander* urgebat) sed & publicam illam probandam esse, nec metuendum, quod ad alios pertineat, quam qui generalem remissionis peccatorum propter Christum denunciationem sibi per fidem applicare possent. Concordiæ tamen causa suadet, ut *Osiandro*, si conscientiæ scrupulo urgeatur, abstinere illa liceat, nec ob id reprehendatur a Collegis, sicut nec hi ab illo, quod generali illa utantur.

Quæ præterea ad scripta hujus anni *Tomo VII.* referuntur, sunt *præfatio* in tractatum *Johannis Sutelii*, Pastoris Gottingensis, de excidio Hierosolymitano *fol. 327.* in qua gravissimæ clades Germaniæ denunciantur. Epistola consolatoria contra metum mortis, ad *Johannem Mantelium*, Diaconum Wittenbergensem d. 10. Novemb. scripta, *fol. 400.* Alia ad quendam Consulem, de cavendo tumultu in vestibulo templi. Epicrisis ad publicatum quoddam illo tempore scriptum de utilitate aquæ benedictæ & iconibus agni Dei consecratis *fol. 719.* Literæ ad sororem d. 2. Decemb. datæ, in quibus promittit se ad eam venturum esse *Roslaviam* in Henrici Ducis ditione, & primam concionem Evangelicam ibi habiturum *Tom. VIII. in append. fol. 994.*

(7) Excerpta de fuga tempore pestis, & communione ægrotantium.

Extant ibidem *fol. 393.* excerpta ex concione Lutheri Wittenbergæ habita, qua dehortatur auditores, ne sparso de peste rumori temere credant, neque illi fugiant, quibus cura publica vel privata incumbat, desertis suis, sed ut de necessaria sustentatione, prospiciant, alias se ipsum curaturum esse indicat, ut relicta illorum cibaria egenis distribuantur, se vero licet monitum a Principe, discessurum minime esse, sed omnibus potius adfuturum, qui suam desiderarent operam. Hæc ad inconsultum plebis & delicatiorum quorundam fugiendi impetum reprimendum dixisse videtur ; nam hoc eodem anno consultus ab *Antonio Lauterbachio* Ecclesiaste d. 28. Novemb. epistolam scripsit, quam *D. Joh. Christfried Sagittarius* alibi laudatus in Bibliotheca *D. Bertrami* Cancellarii Altenburgensis *MStam* invenit, his verbis : *Quod quæris, mi Antoni, de communicandis infirmis, putabam te ex nostra Ecclesia ritu satis esse instructum, in qua tamdiu versatus es : Ego tamen cogito, & vellem communicationem privatam simpliciter sublatam, ubique scilicet, ut populo diceretur in concione, ut in anno ter vel quater communicarent, & postea confirmati verbo quacunque occasione moriendum esset, obdormirent. Nam erit ista privata communio tandem intolerabilis & impossibile onus, præsertim in peste. Nec justum est, Ecclesiam ita facere servilem cum Sacramentis, præsertim apud istos, qui toto tempore contemnunt, & postea volunt in omnem eventum sibi paratum habere servum, cui nihil ipsi servierunt unquam. Sed quia hæc nondum sunt ordinata, facies, ut poteris, interim communices infirmos solos, nisi velis communicare, ut hic fecisti ; protestatus tamen facere ad tempus, nec esse hoc perpetuum futurum apud eos, quia omnino ordinandum erit aliquid in hac re. Vale Feria IV. post Cathar.* (d. 26. Nov.) *1539.* Hanc epistolam ideo retuli, non quod Ecclesiarum nostrarum, quæ morem porrigendi ægrotis Sacramentum, non attenta illa Lutheri opinione retinuit, improbem, sed ut nimiis quorundam scrupulis aut rigori occurram, qui Pastores indistincte & præcise obligatos esse putant, ut pestis tempore cum præsentissimo mortis periculo ægrotantibus sacram cœnam administrent.

(8) De nova Bibliorum Germ. editione.

Extat denique epistola Lutheri ad Electorem Sax. d. 8. Jul. data, *Reg. O. fol. 168.* WWW. in qua queritur, quod *Wallrabius* typographus Lipsiensis, qui tot contumeliosos in Lutherum ejusque doctrinam libros, vivo Georgio Duce, excuderat, jam etiam editionem Bibliorum Lutheri magno cum Wittenbergensium typographorum damno, moliatur. Quanquam autem non invenerim, quid Elector responderit, aut apud Henricum Ducem

A. 1539. effecerit, locum tamen habuisse monitum Lutheri conjicio, quia eodem anno Wittenbergæ novam & insignem Bibliorum Germanicorum editionem in charta majori, quam *medianam* vocant, adornatam esse constat. Scribit sane Lutherus ad *Pontanum* d. 20. Septembr. (*Reg. JJ. fol. 124. C. 6.*) Principes Anhaltinos curasse, ut novæ illius editionis tria exemplaria in charta Pergamena exscriberentur, ad quorum singula 340. pelles vitulinæ requirebantur, sexaginta florenorum pretio emendæ, quæ quidem nunc quadruplo majoris veneunt.

(9) *Præfatio Lutheri in libellum visitatorium, in provincia Henrici Ducis editum.*

Hoc anno Lutherus libellum visitatorium, anno 1528. in Electoratu Saxonico publicatum, in usum provinciarum Henrici Ducis recudi fecit, talem omnino, qualis anno 1538. secunda editione prodierat, eademque cum præfatiuncula, ut ex *Tom. VII. Alt. fol. 1. seqq.* relatum supra fuit. In præfatione vero longiori, eorum loco, quæ de Johanne Electore Saxoniæ anno 1528. narrata sunt, inseruit, quæ ad *Henrici* acta pertinent, hoc nimirum sensu: *Postquam Illustrissimus & Celsissimus Princeps & Dominus, Dominus Henricus, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ & Marchio Misniæ, Dominus noster Clementissimus, post nuperum Georgii Ducis, fratris sui, obitum, a Deo misericordi & cœlesti Patre in veneranda senectute sua, magna & abundantissima gratia divina & benedictione uberrima admirabiliter donatus, doctrinam Evangelicam Salvatoris nostri Jesu Christi, sicut antehac in ea, quam tunc habebat, ditione, ita nunc in omnibus Ducatus sui provinciis prædicandam, docendam, & fideliter propagandam esse statuit, secutus est exemplum Electoris Saxoniæ Domini nostri Clementissimi, agnati sui, & ad constituendas res Ecclesiasticas & Christianæ doctrinæ propagationem initium facturus, Reverendos, doctissimos, strenuos & honoratos viros ordinavit, Dn. Justum Jonam, Theol. Doct. Præpositum Wittenberg. Melchiorem a Creuzen, Præfectum Colditiensem & Leisnicensem, Jur. Doct. M. Georgium Spalatinum, Casparum a Schonberg & Rudolphum a Rechenberg. Faxit Deus, ut hoc exemplum felix & auspicatum sit, quod omnes Germaniæ Principes salubriter imitentur, & Christus tandem in ultimo illo die largissime remuneretur, Amen. Quoniam igitur* (pergit) *Princeps Celsissimus idem nobiscum Evangelium Christi per Dei gratiam prædicari & in omnibus suæ ditionis Ecclesiis & parochiis doceri jussit, eamque doctrinam tota Ecclesia vere Christiana unanimiter & conformiter tenet, ideo instructionem Visitatorum, antehac pastoribus Electoratus Saxonici publicatam, ad retinendam doctrinæ conformitatem, & iisdem verbis, ut primitias primæ plantationis Evangelicæ, typis vulgari curavit, quam concionatores & ministri Ecclesiarum omnes, ut regulam doctrinæ, officii, cultus divini & ceremoniarum observent. Verbis itaque Petri Apostoli, quibus epistolam suam finiit, optamus, ut Deus omnis gratiæ, qui per Evangelium vocavit nos in æternam gloriam suam in Christo Jesu, operi huic cœpto Spiritus sui auxilio divinaque adsit gratia & benedictione, omnesque pias mentes in cognitione Evangelii beatissimi & puritate divinæ veritatis perficiat, confirmet & solidare velit. Illi Patri & Deo immortali, invisibili, soli sapienti, sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.* Obiter notandum, eodem tempore publicatam quoque esse ordinationem Ecclesiasticam, sive librum Agendorum & ritualem in provinciis *Henrici*, retentis formulis a Luthero compositis & in Electoratu Saxonico huc usque observatis, cum præfatione, cui subscripserunt *D. Justus Jonas, Georgius Spalatinus, Caspar Cruciger, Fridericus Myconius, Justus Menius, & Johannes Weberus*, omnes ex Electoratu: Ut adeo calumniæ convincantur omnes, qui differentiam reformationis in *Henrici* Ducat[illegible] [illegible]menti sunt. Prudenter etiam Luthe[illegible] [illegible]criptio omissa est, quia inter Visitatores non [illegible]it, & suspicio evitabatur, quasi ad illius præscripta religio & cultus institueretur.

A. 1539. (10) *Publicatio ordinationis Ecclesiasticæ in eadem provincia.*

(11) *Præfatio in librum Balth. Raydæ.*

Præfatus quoque est Lutherus hoc anno in tractatum Germanicum *Balthas. Raydæ*, pastoris Herschfeldensis, cujus *supra §. XXIV. 10.* mentio facta est. Disputatio illi ab aliquot annis fuit cum *Georgio Vicelio*, apostata & acerrimo Lutheri hoste. Tractatui titulus est: *Concordia sive comparatio Papistarum, Anabaptistarum, Vicelianorum & Lutheranorum cum Ecclesia Christiana & catholica.* Oppositus est libello *Vicelii* contumeliosissimo adversus articulos Smalcaldicos, & dedicatus *Johanni Abbati Fuldensi*, (Comitis Hennebergici filio) & *Cratoni Herschfeldensi*. Laudat priorem, quod ante annos sedecim verbum Dei lubenter audire cœperit & bonos libros adhuc sedulo legat; cum Cratone liberius agit, & Vicelium apud eum ob calumnias contra Lutherum sparsas acriter accusat, eumque nihil agere scribit, quam quod verba maligne captet, torqueat, mutilet, minuat & augeat. Interim a Pontifice ducentorum florenorum annuam pensionem accepisse, non quidem ex fisco Romano (ex quo nemini quicquam dari consueverit) sed ex reditibus Præpositurae Wurzburgensis. Liber *Raydæ*, qui alibi fortassis frustra quæreretur, extat in Serenissimi Brunsuicensium Ducis *Rudolfi Augusti* bibliotheca privata, ut in *Catalogo* nuper publicato notatum est, & in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* eruditus certe & accuratus. Exhibentur inter alia, testimonia Patrum diligenter conquisita, qui justificationem per solam fidem, & iisdem verbis, quibus Lutherus usus fuit, docuerunt. *Neque tamen*, ait, *Lutheri, aut aliorum, qui eum sequuntur, mens est, ut hac doctrina licentia vitæ carnalis introducatur, sed ut piis in tentatione ob peccata non sit desperandum.* (Es sey nicht darum gepredigt / daß man solle ein wild sauleben führen in öffentlichen wercken des fleisches / sondern daß die frommen und gottesfürchtigen im streit der sünden nicht verzagen) Verum de *præfatione* Lutheri in hunc tractatum potissimum agendum est, quæ Tomo VI. Alt. fol. 120. reperitur. Scribit igitur, *proverbium esse Germanicum, quod apertum mendacium refutatione indignum sit*, (eine öffentliche lügen ist keiner antwort werth) *Cum igitur*, ait, *os & cor Vicelii tam impudens sit, isque contra conscientiam in famoso libello suo ita mentiatur, ut etiam Pontificii, licet cæci essent, id deprehenderent, indignum habui nequam & levissimum hominem, cujus mendaciis respondeam. Perquam multos ejusmodi libros silentio* refutavi

(12) *Quædam ex ipso libro.*

(13) *Alia ex præfatione Lutheri.*

A. 1539. *refutavi, neque tamen vetui, ne ab aliis responderetur. Quia itaque Pontifex cum suis crudeliter grassatur mendaciis, cædibus, combustionibus, ejusque sanctitas has fert uvas & ficos, non invideo illi, ut falsi hi fratres & venenati bufones ad illum a nobis transeant; tales sancti decent ejus Ecclesiam, & similis simili gaudet. Velim tamen ut Episcopi & Principes asininis istis scriptoribus silentium imponerent, quos sciunt nihil agere, quam quod in ignem sufflent, quem optimus Imperator Carolus aliquatenus nunc restinxit;* (respicit ad inducias Francofurtenses) *si vero non cessent, scintillæ flammarum, quas excitant, in oculos eorum evolabunt. Caveant sibi igitur, novimus enim eos plus quam satis, nostrasque copias integras habemus, nec deest nobis calamus & atramentum, quo pruritui illorum strigiles paremus,* (man weiß allzuwohl / wie ihre sachen stehen / und unser vorrath ist noch gantz / und haben noch feder und dinte / ob ihnen die haut zu sehr jücke / daß wir sie krauen können) Addit *se tamen pacem optare & a Deo precari.* A. 1539.

SECT. 21.

(1) Relatio de actis bello & pace inter Imperatorem & Galliæ Regem.

Hæc omnia non leviter impulerunt Imperatorem, ut a consilio, quod paulo ante cepisse videbatur, nempe ut Pontifici adversus pacta Francofurtensia inter Catholicos & Protestantes inita & juribus Ecclesiæ contraria satisfaceret, jam discederet, & pacta illa approbaret, ex mera tamen ratione politica & utilitate status, unde multa mala enata sunt, ut nunc exponendum a me est. 1535. *Post mortem Francisci Sfortiæ, ultimi Mediolanensium Ducis, Rex non una ratione Ducatum ad se pertinere contendens, Imperatorem ad concedendam sibi ejus, quia feudum Imperiale erat, investituram urgebat. Hic possessione ejus jam per Antonium de Leva apprehensa, firmiter statuerat, se non solum nunquam toleraturum, ut Galli illum tenerent, sed & retenturum esse, ut Italiæ dominatum sibi acquireret; Regem tamen blandis verbis & speciosis oblationibus deludebat, donec exercitum, quem post victoriam Tunetensem valde debilitaverat, Panormi, ubi tunc erat, reparasset. Eo facto, copiisque ex Mediolanensi ditione collectis, satisfactionis, quam Rex desiderabat, loco, bellum ei intulit,* 1536. *ipse Narbonensem provinciam cum exercitu quinquaginta hominum millium numerum superante invadens, & immisso in Picardiam Belgii Gubernatore, Comite Nassovio.* 1537. Du Bellay. Belcar. *Male illi hic conatus successit. Continuavit tamen bellum, etsi plus quam viginti hominum millia in Narbonensi provincia nulla re gesta perdidisset. Exardescentibus itaque magis magisque belli furiis inter duos istos magnos Monarchas, Pontifex, cum videret, nihil inter arma de Concilio sperandum esse, pacem procurare constituit. Tanto igitur cum zelo, tantaque egit cum industria in colloquio, quod Nicææ separatim cum singulis habuit,* 1538. Jovius Onuphr. in Paul. III. *ut, etsi pacem facere nequiverit, eo tamen, ut jam dixi, illos adegerit, ut decem annorum inducias in manus ejus jurarent. Aliquo postea tempore, cum Gandavenses rebellassent, & Carolus, qui tunc in Hispania erat, tanto citius ad eos profecturus, iter per Galliam intenderet,* 1539. Masson. Ferron. F. Belcar. *commeatum cum omni securitate a Rege obtinuit, eique investituram Ducatus Mediolanensis filio Regis secundo, Aureliano Duci concessurum se esse, vicissim promisit; scripto tamen non cavit, ne, ut ajebat, transitum emisse diceretur, aut investituram non spontanea benevolentia concessisse, sed fide Principis spopondit, cui plus, quam omni alii obligationi, credi debet.* A. 1540. *Ita ubique, maxime Lutetiæ, eodem, qui Regibus exhiberi solet, honore receptus, postea a Delfino & Aureliano Duce, fratre ejus, Valencenas usque deductus est. Hic promissionem denuo confirmavit, executionem tamen in adventum fratris sui, Regis Ferdinandi, & ad compositionem motuum Gandavensium distulit; postea igitur Regis nomine instantissime, ut promissis staret, rogatus fuit.* A. 1540.

(2) Invectiva Maimburgii in Cæsarem de non servata Gallis fide, & non oppresso Lutheranismo.

Dici certe potest, Imperatorem commodiorem occasionem optare non potuisse, quam quæ tunc erat, reducendi ad officium Protestantes, extinguendi Lutheranismum, Solimannum Hungaria expellendi, eum persequendi, & ipsam Constantinopolin, cum spe capiendæ urbis, aggrediendi. Franciscus sane Rex, generosissimus utique, si non callidissimus, sui temporis Princeps, & qui maxime servandæ fidei gloriam sibi vindicabat, Cæsari, si ei, quam dederat, staret, promiserat, adjuturum se eum omnibus regni sui viribus in honorificis illis conatibus esse. Principes fœderati Catholici non minori erant potentia, quam ii, qui Smalcaldiæ fœdus inierant, & hi ad adventum Imperatoris, nullum tunc hostem habentis, trepidantes, jam Legatos in Belgium obviam miserant, excusaturos, quod pacem Germaniæ turbaturi esse insimularentur. Nihilo tamen minus arduum illud & injustum desiderium, retinendi Ducatus Mediolanensis, pleno jure ad Regem spectantis, mentem ejus adversus omnes conscientiæ, honoris & quietis totius Europæ respectus & veram religionis utilitatem obfirmavit. Maluit Hungariam insultibus Turcicis, & magnam Germaniæ partem hæresi Lutheranæ, facta cum iis dolosa transactione, exponere, quam pati, ut filius Regis Mediolanensem hereditatem, jure debitam & solenniter ei promissam, obtineret. Ita verissimum est,

odium,

A. 1540. *odium, ambitionem, æmulationem & artes politicas, etiam in maximis viris sæpe honesta consilia suffocare, ut contra optimos ingenii sui motus talia perpetrent, quorum eos utique puderet, nisi tyrannicis affectibus excæcati turpitudinem & infamiam factorum suorum videre non possent. Cum igitur Legatus Regis post plane compositum Gandavensium tumultum, Imperatorem de promissis interpellaret, quorum præstationem eo usque distulerat, ille, quid de se locuturi essent homines, aut quid historia aliquando de ejusmodi actione judicatura esset, parum sollicitus, audacter & sine ambage respondit, nihil se Regi promisisse. Postea bellum apertum imminere satis prævidens, Protestantibus, ne tot hostes uno tempore oppugnandos haberet, satisfacere, & pacta Francofurtensia ratihabere statuit. Spretis itaque, quæ Legatus & Nepos Pontificis ad avertendum fatale hoc a religione vulnus opponebant, utriusque partis Theologis potestatem fecit, inter se de articulis controversis, ad fidem & disciplinam Ecclesiæ pertinentibus, pro arbitrio transigendi, de quibus tamen tantum sanctæ Sedi & Concilio definiendi jus est. Potuisset hinc schisma priori perniciosius nasci, totamque Germaniam a corpore Ecclesiæ separare. Sed ulterius progressus est. Cum enim Theologi neque Hagenoæ, neque Wormatiæ convenire de controversiis potuissent, interrupta etiam fuissent colloquia, ob gravia negotia Regi Ferdinando & Cæsari intervenientia. Ipse, se præsente, in Comitiis generalibus, hac de causa Ratisbonæ anno sequenti habitis, rem definiri voluit.*

(3) Conventus Hagenoæ & VVormatiæ.

§. LXXVIII.

(1) *Notatur Maimburgii iniqua censura.*

Chaos hic rerum ex plurium annorum actis confusarum exhibet noster, & otiose repetit acta Nicææ inter Pontificem & Reges. Sed non solum hactenus, verum etiam in narratione rerum non satis accuratus sincerusque est. Omittimus tamen, quæ ab instituto nostro remotiora sunt, & ea tantum expendimus & supplemus, quæ ad religionis negotium propius accedunt. Scribit, mutata fuisse Cæsaris consilia, considerationc rerum, quas retulit. Egit autem de morte *Georgii* Saxoniæ Ducis & conversione *Electoris Brandenburgici* ad doctrinam Evangelicam, & aliis quibusdam ejusmodi. Sed ista vix tanti fuerunt, ut Cæsarem ad deserendum propositum suum impellerent, si id unquam habuit, quod mutatum hic dolet Maimburgius, extinguendi nempe *Lutheranismum* aut *Solimannum* Constantinopoli expellendi; Incertum etiam est, utrum inter duo ista difficilius fuisset. Dubitare tamen licet, qua mente serio fuerit Cæsar, & fortassis eam ipse ita occultavit, ut neutri parti de ea satis constiterit. Multa erant, quæ spem de benigniore Cæsaris animo Evangelicis faciebant: ingenua aliquoties facta professio, de necessitate reformandæ Ecclesiæ: multi de conciliando religionis dissidio labores: maximum vero argumentum post aliquot annos præbuit, cum totam Germaniam, victis Smalcaldicis, in potestate haberet, neque tamen uteretur violentia, quæ Pontifici placebat, aut hic commendatur a Maimburgio, & nuper in Gallia exercita fuit. Aut igitur melius animatus fuit, in causa hac Imperator, & religionem vi & armis nemini obtrudere voluit, aut diffisus est iis, a quibus ad sæviendum stimulabatur, prævidens, quod postea expertus est, ut ab illis ipsis, quorum auxilia sperabat, Pontifice & Gallo desereretur. Quod hunc speciatim attinet, ostendere jam cœpi, & alibi iterum dicendum erit, nihil minus *Francisco* Regi cordi fuisse, quam ut Cæsari ad acquirendum absolutum in Germania imperium, ad quod ruina Protestantium via sterni putabatur, adjutor esset. In hospitali quidem illa cum Cæsare, Galliam transeunte, conversatione, & inter festivæ urbanitatis officia, delinitus etiam blandis de Mediolanensis Ducatus traditione promissis, plura forte promisit, quam unquam præstare voluerit aut potuerit. Sed nec Cæsari, artium regiarum non minus gnaro, forte & callentiori, satis certam fidem fecit, adeoque ab illo non immerito delusus fuit, quem ipse delusum ibat. Sane ex *Pallavicino*, cui longe solidiora de consiliis Magnatum monita debemus, & quem magistrum sequi debuisset Maimburgius, haud aliam, quam dixi, Francisci mentem intelligere licet. Vix enim digressus a Cæsare, quem ad fines prope Regni comitatus erat, & conventus a *Farnesio* Cardinale, nepote & Legato Pontificis, ad ea, quæ de extirpandis Lutheranis proposuerat, ita respondit, ut exigua spes Pontifici superesse videretur, ruinam, quam desiderabat, Lutheranismi videndi. *Pallavicin. Lib. IV. cap. X. §. 3.* Collatis his cum tergiversatione Cæsaris, quæ ibidem §. 4. describitur, compensari videntur posse mutua Cæsaris & Regis sophismata, sed aliud visum est Maimburgio, qui oblitus, quam in exordio operis professus est, modestiæ, longa & inutili digressione horrendis conviciis Cæsarem aggreditur. Vidit sane, proh dolor! flagitiorum, quæ Maimburgius hic perstringit, satis tristia exempla nostra ætas, & ipse propiora atque recentiora allegare potuisset, neque erat, quod ex cineribus Caroli erueret, in quibus styli aculeum exerceret. Non deessent ad depellendas criminationes argumenta, si id nostri scopi, aut non ab aliis dudum præstitum esset. Instar omnium Maimburgio, utpote *Jesuitæ*, esse potest Jesuita *Pallavicinus*, qui *Lib. IV. cap. XI. §. 6.* minime verisimile esse dicit, Carolum pro tantilla gratificatione itineris per Galliam, insignem illum Ducatum Mediolanensem perdere voluisse. Refert etiam, *Cervinum* Cardinalem Farnesio adjunctum, cum a Cæsare in Galliam ad Regem profectus esset, in colloquio familiari nihil tale ex Rege intellexisse, neque illum de fide promissionis a Cæsare læsa mentionem fecisse. Conjecturæ itaque & fabulæ superstruuntur omnia ista in summum inter Christianos Principem sparsa convitia. Missis igitur his & futilibus aliis, ad graviora progrediemur, quæ hoc anno 1540. religionis causa & occasione

(2) *De Cæsaris & Regis simulationibus.*

A. 1540.

casione gesta sunt. Primum omnium, quod Evangelicis curæ erat, legatio fuit ad Cæsarem mittenda, de qua, ejusque mandatis sive instructione, *Arnstadii* proximo mense Decembri conventum erat, ut *§. LXXIV.* notatum est, & prolixe traditur a *Sleidano Lib. XII. p. 350.* Perscripta erant Germanice, sed Latine & Gallice versa, Cæsaris causa, qui non nisi Gallica legebat, & Hispanorum Consiliariorum, qui Latina intelligebant. Legati fuerunt *Georgius a Planiz* Saxonicus, *Georgius a Boyneburg* LL. Doctor, Hassiacus Consiliarius, cui Oratoris partes demandatæ erant, & ex civitatibus *Jacobus Sturmius* Prætor Argentoratensis, & *D. Johannes Scheyring*, Consul Magdeburgensis. Maimburgius, ut suæ serviat scenæ, Carolique culpam augeat, Legationem ex trepidatione decretam fuisse scribit: neque mirum videri debet, si periculum a Cæsare per se potentissimo, & nunc Galli viribus, ut spargebatur, subnixo, formidaverint; tam abjecti tamen animi non erant, (licet id ab aliquibus Cæsari persuaderi cœpisse ex Actis constet,) ut a causa sua tuenda discedere, & iniquas conditiones, cum religionis & conscientiæ læsione, subire vellent; neque ad ejusmodi submissiones instructi erant Legati, jussi potius, ut diximus, non dissimulare defensionis adversus vim injustam apparatus. Auditi sunt d. 24. Febr. non sine humanitate & benevolentia, gestu Cæsaris significata, quam Planitius in relatione sequenti die ad Electorem scripta, (*Reg. H. fol. 321. n. 130.*) laudat. Legit etiam Cæsar, ita referente Consiliario ejus, *Cornelio Sceppero*, Gallicam versionem eorum, quæ proposuerant. Responsum dedit (*Reg. H. fol. 359. n. 139.*) verbis satis benignis, sed rerum vacuum: Cogitaturum se esse dicebat de negotio, testatus, pacem sibi cordi esse, eamque procuraturum; nec esse, ut Protestantes ullam metuant violentiam, modo & ipsi quieti sint, & in officio maneant. Plura tunc effici non potuerunt; hærebat enim Cæsar & frater Ferdinandus, qui ad eum venerat, inter pacis & belli cum Gallis consilia. Errat igitur Maimburgius, cum putat, Cæsarem tunc pacta Francofurtensia ratihabuisse, neque magnam spem, quod id facturus esset, concipere potuerunt Legati. Observarunt potius, male affectum esse Cæsarem Duci Juliacensi, ob occupatam Geldriam, paratumque, si huic assisterent Protestantes, ut etiam hos aggrederetur. Eodem tempore *Henricus Saxoniæ Dux* Legatos apud Cæsarem habebat, *Philippum Comitem Mansfeldensem*, *Georgium Schleinitium*, & *D. Commerstadium*, sed nec hi favorem in aula invenerunt; monebantur enim de testamento Georgii Ducis servando, addito, Cæsarem, si quid in forma ejus deficeret, sua autoritate suppleturum. Interea conventus *Smalcaldiensis*, ut Arnstadii decretum erat, ineunte mense Martio habitus fuit, cujus nullam mentionem facit Maimburgius. *Granvellanus*, pro ea, qua apud Cæsarem pollebat, gratia, mirusque simulandi & dissimulandi artifex, non solum Legatos Protestantium comiter tractaverat, magnumque studium pacis & procurandæ reformationis ostenderat, sed & effecit, ut duo illustres viri, Protestantibus grati, *Theodoricus a Manderscheid* & *Guilielmus a Nuenar* Comites, Smalcaldiam proficiscerentur, dissimulato tamen Cæsaris mandato. Præmiserunt Jurisconsultum quendam, *Sibertum Leuenburgium*, Coloniensem, stipendiarium Hassiacum, qui accessum peteret, & negotii summam exponeret. Secutus est *Nuenarius*: *Manderscheidium* enim avunculum ejus, morbus impediverat. Quæ ab eo proposita sunt, *Sleidanus in fine Lib. XII.* retulit. Spectabant nempe ad pacem, & postulabantur quædam in favorem Cleri, & de restitutione bonorum Ecclesiasticorum, ad quæ, ex Cæsaris judicio vel suspicione, magis, quam ad religionem & conscientiam, respicere dicebantur Protestantes; insimulabantur etiam alieni a Cæsare animi, & quod cum æmulis ejus consilia communicassent. Suggestum hoc esse credebatur Cæsari, Galliam transeunti, sive ab ipso Rege, sive a *Momorantio* Equitum Magistro, Evangelicis valde infenso. Responsum Comitibus his, sive Legatis, sive interpositionis causa venientibus, datum est, magno cum judicio & egregia causæ defensione, lingua quidem Germanica, sed Latine versum a *Melanchthone*, & ab alio Gallice. Sed in aula exhibitum ea forma non est, contendente *Granvellano*, ut expungerentur omnia, in quibus ipsius mentio fiebat, aut sermo ad Cæsarem dirigebatur. Causas habebat *Granvellanus*, sive pro ingenii calliditate, sive metu Pontificis, cui vehementer displicebat, quicquid mitius & moderatius cum Protestantibus ageretur. Licet vero Compendium scripti a *Sleidano* fideliter relatum sit *Lib. XIII.* extetque inter Epistolas Melanchthonis *Lib. I. ep. 56.* & in *Compil. Pezeliana Part. 1. p. 377.* dignum tamen est, quod integrum fini *hujus §.* subjiciatur. Consultabant præterea fœderati Smalcaldiæ de concordia in articulis religionis huc usque controversis, in colloquio, cujus spes erat, tractanda & ineunda. Mandaverat, finito conventu Arnstadiensi, Elector Saxo Luthero & reliquis Theologis Wittenbergensibus d. 29. Decembr. 1539. itemque d. 4. Jan. 1540. (*Reg. H. fol. 243. n. 106. & fol. 295. n. 121.*) non solum, ut ipsi, quos *columnas in negotio religionis* vocat, inter se deliberarent, sed &, ut per literas cum aliis (nominabat *Lincum*, *Osiandrum*, *Brentium*, *Regium*, *Jacobum Bremensem*, *Æpinum*, *Amsdorfium*, *Bucerum*, *Snepfium* & *Hassiacos*) communicarent, quid & quatenus tractandum esset cum adversariis. Extat responsum Lutheri inter alias literas ad Electorem ab illo scriptas *Reg. N. Lit. H. n. 42.* d. 18. Jan. anno 1540. datum. In hoc, *mittere* se dicit, *consultationem* (quæ tamen neque in illo Volumine, neque alibi reperta a me est) & gravibus verbis affirmat, *desperatam rem omnem de concordia cum Pontificiis*, & *occæcatos illos esse, neque unquam ab obstinatione sua discessuros.* Iisdem literis excusatum se cupit Principi, quod cum cæteris Theologis, ut desiderabatur, ad conventum Smalcaldicum non accederet; præsentiam suam necessariam non esse, nec causæ nociturum, si ipse jam oculos claudat & mundo valedicat; superesse *Melanchthonem*, *Jonam* aliosque non minus, quam se, idoneos. Annuit illi Elector, ut ex responso Lutheri d. 25. Febr. dato percipitur, quo gratias pro venia data agit,

Marginalia: (3) *Legatio Protestantium ad Cæsarem.* — (4) *Conventus Smalcaldiensis mense Martio.* — (5) *Acta cum Comite Nuenario.* — (6) *Lutheri & aliorum consilium de concordia.*

A. 1540. agit, addita tamen oblatione comparitionis suæ, si illa opus esse videretur. Reliqui etiam Protestantium proceres suorum Theologorum consilia, ex decreto Arnstadiensi, poposcerant, eaque omnia in conventu exhibita & considerata sunt. Summa omnium fuit, ut in Augustana confessione ejusque apologia persisteretur, & in eam sententiam decretum in conventu conditum est: approbata etiam sunt monita Theologorum, qui in conventu aderant & suadebant, ut Missæ, ubicunque in ditionibus Protestantium adhuc haberentur, diutius non tolerarentur; nec inclusio Sacramenti in ciborio, quod vocant, utque altaria superflua & scandalosæ imagines ex templis tollerentur, visitationes etiam instituerentur ad inquirendos & convertendos, aut e cœtibus ejiciendos, qui falsa dogmata, quorum infamia in Protestantes redundabat, profiterentur. Præterea *Melanchthon Lib. IV. ep. 222.* Camerario scribit: *inter omnes Theologos convenisse, ut Episcopis sua redderetur jurisdictio, si piam doctrinam amplecti & manifesta Ecclesiæ vitia tollere vellent.* Sed in Decreto nihil de hoc statutum esse invenio, multo minus de Papa, quanquam essent, qui ea conditione, qua Episcopi ferri posse videbantur, etiam illum admitterent. Præsens erat in conventu ipse Elector, habebatque secum præcipuos bello & pace consiliarios, *Bernhardum a Mila, & Conradum Gozmannum*, Equites & Duces militiæ; ex togatis *Pontanum, Johannem a Pack, Burcardum* Cancellarium, & *Justum ab Hayn*; Landgravius etiam aderat cum *Sigismundo Boyneburgio*, equestri & militari viro, & *Nuspickero* Vicecancellario. De pensionibus militaribus & explicandis contributionum rationibus, aliisque ad defensionem requisitis, provisum fuit: Ducatum fœderis, rogantibus fœderatis, Saxo & Landgravius ad 21. Decembr. continuandum receperunt. Auxilia promissa sunt sociis, qui processibus & sententiis Cameralibus vexabantur, multaque adversus improbitatem, de qua querebantur, judicum illorum constituta sunt. Illudebatur Protestantibus satis aperte, cum judices quidem semper rigorem decernendi secundum formulam Recessus Augustani de restituendis in pristinum statum bonis Ecclesiasticis servarent, Cæsar vero procuratori fisci, *D. Casparo Martæ* interdixisset, ne ex illo Recessu adversus Protestantes ageretur. *Reg. H. fol. 295. n. 121.* Non multo post finitum d. 15. Apr. conventum redditæ sunt Electori & Landgravio literæ Cæsaris d. 18. Apr. Gandavi datæ, & typis postea vulgatæ (Vid. *Hortled. Tom. I. Lib. I. c. 33.*) in quibus conventum ad d. 6. Jun. *Spiræ*, vel si ea urbs contagione laboraret, alio loco, quem Ferdinandus Rex designaret, habendum indicebat. Gravatos se ex his literis existimabant Evangelici, tum quod nulla mentio fiebat gravissimi responsi Comitibus a se in conventu dati, tum quod exprobrabatur, ac si lenitate Cæsaris abusi, oblata compositionis media non admisissent. Nec minus pungebat, quod reliqui Principes Romanæ scilicet Ecclesiæ addicti, *obsequentes* (die gehorsame) vocarentur. Displicebant etiam clausulæ promissioni tuti accessus adjectæ, ut Protestantes vi abstinerent; id enim interpretationem patiebatur de defensione, quam præstituri essent sociis, qui iniquis Cameræ sententiis premebantur, ita ut quolibet adversæ factionis impetu, prætextu executionis sententiarum Cameralium facto, notam criminis incurrere, & pacis Norimbergensis salvique conductus beneficio privari posse viderentur. Auxit dolorem, quod alia forma Cæsar ad reliquos scripsisset, acrioribus querelis de turbulentis Protestantium consiliis usus. Tales Electori Brandenburgico, (*Reg. H. fol. 304. n. 124. B.*) missæ, & ab hoc cum Electore Saxoniæ communicatæ fuerant. Respondendum igitur esse Cæsari existimarunt Principes, idque cordate fecerunt literis d. 9 Maji datis, quarum contenta exponit *Sleidanus Lib. XIII. p. 362.* integras refert *Hortled. d. l. c. 33.* Declinant omnes imputationes, comparitionem tamen ad conventum offerunt, sed ita, ut colloquium, de quo Francofurti actum erat, haberetur, & Theologis ad id venientibus de plena caveretur securitate. Quæ Cæsar d. 22. Maji regessit, omissa a Sleidano, exhibentur *Reg. H. fol. 352. n. 137.* Scribit, se non satis perspicue intelligere, comparerene velint nec ne: hortatur itaque eos denuo, ut veniant, & Theologis quoque securitatem pollicetur, eadem tamen conditione, quæ Principibus injuncta erat, ut se quiete & decenter gererent. (wenn sie sich friedlich und geleitlich hielten) Interea literis Ferdinandi, Spiræ loco ob metum pestis *Hagenoa*, inferioris Alsatiæ urbs, ad conventum habendum designata erat.

(7) *Summa actorum in conventu.*

(8) *Cæsar indicit conventum Spiræ, postea Hagenoam translatum.*

(9) *Literæ inter illum & Protestantes communicatæ.*

In conventu Smalcaldico, & post eum, acta sunt quædam a fœderatis Evangelicis cum Regibus *Galliæ & Angliæ*, quæ ex *Archivis* bona fide referemus, altius tamen repetita. Quod *Gallica* attinet, mutata esse dicebatur Regis erga Principes Germanos Evangelicarum partium inclinatio, idque non solum in aula Cæsarea spargebatur, sed fassus etiam est *Langæus*, qui tunc ad Helvetios a Rege missus erat. Allegat enim literas ejus d. 19. Maji Senatus Argentoratensis in epistola ad Landgravium d. 11. Jun. data (*Reg. H. fol. 352. n. 137.*) deceptum scilicet Regem a Cæsare esse scripserat, ut Evangelicos contemneret, sed cito eum ejus rei pœnituisse, neque unquam posthac Cæsari fidem habiturum, multo minus futurum esse, ut adversus Evangelicos concitaretur, tempus ergo nunc esse commodissimum, ad ineundum inter eos & Regem fœdus. Tectius eadem Rex suggerebat. Cum enim Saxo & Landgravius, intellecto de colloquio & conventione inter Cæsarem & Regem in perniciem Protestantium habita rumore, literas d. 13. Febr. ad Regem dedissent, ut se ab imputata rebellione & aliis calumniis purgarent, responsum regium acceperant, d. 9. Mart. *Novioduni* Gallice datum. In eo de amicitia sua confidere jussit Protestantes, negans, quicquam in illorum detrimentum cum Cæsare actum esse. Deinde, quia Cæsari promiserat, Legatos se ad Conventum, Spiræ indictum, & postea Hagenoam translatum, missurum esse, qui Evangelicos ad accipiendas pacis & concordiæ a Cæsare conditiones adhortarentur, stetit quidem promisso, misitque *Lazarum Bayfium*,

(10) *Galliæ Regis scripta ad Protestantes.*

A. 1540. *sium*, quem *Consiliarium & libellorum supplicum magistrum* vocat, virum probum & doctum, qui exhortationem illam dicis causa faceret, sed Cæsaris intentionem elusit, quæ erat, ut hac legatione Protestantes a spe Gallicæ amicitiæ dejicerentur. *Baysius* enim, allatis Regiis ad Electorem literis d. 17. Maji Latine scriptis, d. 24. Jun. Legatis ejus Hagenoæ insinuavit; Regem quidem concordiam in religione suadere & libenter intellecturum, si de ea cum Cæsare transigerent, sed ita si nihil admitterent, quod majestati, libertatibus & juribus Imperii derogaret; illa enim in tractatu cum Cæsare excepta fuisse a Rege; si aliud renunciatum esset Protestantibus, petit, ut id non credant. Deinde, quasi extra mandatum & familiariter loquens, consultum sibi videri dixit, si Protestantes quantocyus Legatos ad Regem mitterent. *(Reg. H. fol. 359. n. 139.)* Saxonici ista Hero suo referenda receperunt. Eandem viam non multo post in conventu Wormatiensi apertius ingressus est *Petrus Paulus Vergerius*, Episcopus Justinopolitanus, de quo alibi dictum est, qui, teste *Sleidano, Lib. XIII. p. 374.* verbo quidem, tanquam Galliæ Regis causa, sed revera Pontificis nomine aderat. Inprimis cum invitatus aliquando esset ad convivium a Juliacensibus Legatis, una cum Saxonicis & Hassiacis, familiari sermone extenuare cœpit omnia, quæ Rex in conventu Hagenoensi de concordia Protestantium cum Cæsare proponi fecisset, Regemque serio fœdus cum Protestantibus expetere asseveravit. Non negabat quidem, factiones esse in aula, & Cardinales, Pratensem, Cancellarium, & Turnonium, Protestantibus infensos esse, sed favere illis Bellajum, & hujus opera effecturum se dixit, ut Legati Protestantium aditum ad Regem haberent. Addidit majoris fiduciæ causa, ut sibi caverent Protestantes a Legato Gallico, quem mox adfuturum esse dicebat, *Barnaba Voræo Fossano*, eo nempe, qui olim biennium Wittenbergæ vixisset, & postea cum *Langæo* Regis Legato in conventu Smalcaldico adfuisset, tunc quidem Evangelicis addicto sed nunc mutato & in occulto inimico. Referunt hæc Legati Saxonici d. 4. Nov. *(Reg. H. f. 329. n. 133.) Pallavic. Lib. IV. cap. XII.* memorat, Vergerium *Wormatiæ* fuisse, Galliæ Regis, non Pontificis nomine, ut *Sleidanus d. l.* (ubi & orationem Vergerii de unitate Ecclesiæ retulit) & *Paulus Venetus* scripserant. Addit, *Aleandrum* apud Pontificem questum esse de Vergerio, quod cum Lutheranis amicitiam coleret, & de sede Apostolica parum honorifice loqueretur. Ex his confirmantur, quæ Legati retulerunt. Mense præcedenti *Sleidanus*, qui sive ab Argentoratensibus missus, sive a *Bellajo* Cardinali accitus Lutetiæ versabatur, inde d. 4. Octob. *(Reg. H. fol. 367. n. 141.)* scripsit, *Bellajum* quoque urgere, ut Legati a Protestantibus mitterentur, eundem affirmare, bene affectum esse Regem, nec persecutionem Evangelicorum probare, immo ignorare, eamque non nisi furore Cancellarii exerceri: antehac Protestantes intercessisse apud Regem, nescire se, cur id nunc non facerent: Regem utique gratificaturum esse, qui nihil magis metueret, quam ne Protestantes a se alienati, cum Cæsare serio conciliarentur. Venit postea delegatus a Rege *Fossanus*, non tamen *Barnabas*, quem nominaverat Vergerius, sed *Johannes*, frater ejus. Is apud Landgravium d. 28. Novemb. eandem cantilenam de non mutato Regis erga Protestantes animo reiteravit, jactans etiam, quod Rex affinitatem cum Pontifice, matrimonium nepotis *Farnesii* cum cognata Regis *Vindocinensi* proponente, recusasset, nihil enim minus Regem intendere, quam ut Pontificis potentiam augeat. Negavit quoque suppliciis in Gallia affici Evangelicos, decerni enim saltem contra Valdenses, hominum genus indomitum in Alpibus, qui contra magistratum non saltem docerent, sed & tumultuarentur & majestatis læsæ rei essent. Fassus tamen est, non deesse, qui Regem a Germanis averterent, sed spretis eorum consiliis paratum eum esse ad defendendam libertatem Germaniæ, & ad amicitiam cum Protestantibus colendam, periclitari enim Germaniam, si *Hungaria* a Ferdinando & *Geldria* a Carolo occuparetur, id quod utrique propositum esset. Landgravius adhæc, placere sibi testatus est, quod Rex affinitatem Pontificis sprevisset, optavit autem petiitque, ut a Papa penitus abstractus Evangelicam veritatem agnosceret, & Concilium promoveret, quo Ecclesia ab abusibus purgata ad statum temporum Apostolicorum & orthodoxorum Patrum reformaretur. Excusationem de suppliciis (quanquam falsissimum esse sciret,) accipere se simulavit, non improbans, si rebelles, causa cognita, legitime convicti punirentur. De fœderis oblatione agendum esse respondit in proximo fœderatorum conventu. Eundem *Fossanum* d. 8. Decembr. Torgaviæ apud Electorem fuisse reperio *(Reg. H. fol. 312. n. 128.)* & pactas inter *Juliacensem* Ducem & *Johannam Navarraam* nuptias significasse, neque dubito, quin paria iis, quæ Cassellis proposuerat, etiam Electori dixerit, in Actis tamen non inveni. Elector autem haud immemor eorum, quæ Vergerius Wormatiæ detexerat, *Fossanum* pro exploratore habuit; eo quidem magis, quia in aula Juliacensi jactaverat, *Pratensem* & *Turnonium* favere Protestantibus, quod manifesto falsum erat: itaque postea d. 28. Jan. anni sequentis Elector Juliacensem ea de re commonuit. *(Reg. H. fol. 355. n. 138.)* Discrepabant tunc temporis Elector & Landgravius de amplectenda vel evitanda cum Galliæ Rege societate, ideo in conventu, Smalcaldiæ mense Martio habito, nihil conclusum est, constabat enim de sævitia Regis in subditos Evangelicos, & rumor de pacto cum Cæsare, ad Protestantium interitum inito, undique spargebatur. Sed Landgravio secreta (de qua alibi dicetur,) causa erat, ut Cæsarem demereri vellet; neque id latebat Electorem. Interim idem Landgravius ad suppetias Juliacensi, retinendæ Geldriæ gratia, contra Cæsarem ferendas inclinabat, 1000 equites & 4000 pedites offerens, si Elector totidem adjicere vellet. His si Juliacensis, quod sperabatur, exercitum 20000 jungeret, Cæsari negotium fat grave exhiberi posse non dubitabat, allegans, quod urbes Belgicæ averso a Cæsare animo essent, ob imminutas libertates. Verum Elector de sola religionis defensione sollicitus erat, & dum hujus libertatem a Cæsare obtineri posse speraret, a causa Juliacensis, affinis licet sui, armis tuenda abstinebat. Cum vero pericula a Cæsare ejusque cum Gallo conjunctione, certius atque propius in-

(11) Acta per Legatum Baysium.

(12) Literæ inter illum & Protestantes commutatæ.

(13) Gallia a scriptis Protestantes.

(n) Sleidani de Bellajo relatio.

(13) Legatio Joh. Fossani Galli ad Electorem & Landgravium.

(14) Discrepantia quædam consiliorum inter illos Principes.

A. 1540. stare viderentur, & *Lundensis* in convivio quodam Augustæ inter pocula evulgasset, decretum esse a Cæsare Protestantium exitium, Elector oblatam denuo a Galliæ Rege amicitiam spernendam non esse censuit, sententiam tamen perducere Landgravium non potuit, tum ex causa, quam dixi, quod cum Cæsare conciliationem & fœdus quoddam particulare (salva tamen, ut semper sancte testatus est, religione) meditaretur & tractare cœpisset; tum, quod reliquos etiam socios, exceptis Argentoratensibus, a Gallico fœdere abhorrere diceret. Suadebat interim, ut ad oblata Regis honestis verbis responderetur, neque spes conveniendi illi adimeretur. Supervenit postea sub initium anni sequentis alius Legatus Gallicus *Moriletus Museus*, Secretarius & Consiliarius Regius, cui *Sleidanus*, veluti interpres adjunctus erat. Is ab Electore & Landgravio admitti se petiit, interim per literas & memorialia mandatorum summam exponens. Hæc erat, ut Protestantibus denuo suspicionem eximeret, ac si Rex cum Cæsare contra illos pactum iniisset; deinde, ut fœdus offerret, nec non tractatum de capitibus religionis inter viros doctos & pios instituendum. Maturari itaque petebat, sive ab utroque sive, si Landgravius cunctaretur, ab Electore Legationem in Galliam, cujus effectum inter alia fore dicebat, ut persecutiones, de quibus Evangelici querebantur, cessarent. Cavendum denique esse monuit, ne Regem contemnere viderentur, illiusque auxilia tantum ad ultimam necessitatem reservare; hoc enim si Rex deprehenderet, ad alia consilia sese conversurum esse. Ad hæc Landgravius durius respondit d. 11. Febr. nihil certius esse dicens, quam quod Rex Evangelicos in regno suo crudeliter persequeretur, neque sperari posse, ut unquam a Papa recederet; deinde prætextu Comitiorum, quæ Ratisbonæ indicta erant, vacare sibi negavit, ut Legatum admitteret. Hoc idem Elector d. 21. Febr. sed mitioribus verbis respondit, suasitque Legato, ut quoniam ad Comitia præcipue destinatus esset, eo se conferret, ibi enim tractari cum illo posse: & ita nuper *Numburgi* in conventu fœderatorum decretum esse, nempe, ut tota ista deliberatio ad comitialia negotia differretur. Cum his, quæ de blandimentis Gallicis ex fide Actorum retuli, concordant etiam, quæ dict. *Reg. H. n. 128.* ex *Matthæi a Wallenrod* relatione intelliguntur. Is nobilissima familia (ex qua mihi paterna abavia fuit) in Franconia natus, Latinæ & Gallicæ linguæ gnarus, & postea ab Electore Coburgensi ditioni præfectus (Pfleger) tunc Lutetiæ erat in comitatu Legati Juliacensis, qui matrimonium Heri cum Navarræa tractabat. Illum igitur adstantem conspicatus Rex, ringentibus licet *Turnonio & Nuncio Pontificis*, qui aderant, sevocatum clementissime allocutus, multaque testatus est de colenda cum Principibus Protestantibus amicitia, nihil sua referre dicens, quam religionem illi profiterentur: sugillavit Nuncium Pontificium, quod matrimonium Juliacense dissuaderet, Ducem Lutheranum esse dictitans, quod tamen Rex falsum esse ajebat: ex colloquio etiam cum Cæsare habito retulit, dixisse illum, a Protestantibus centum millium exercitum contra se parari, sed propositum sibi esse, ut a bello cum illis abstineret, & excitatis intestinis in Germania motibus vires gentis consumeret. Singulare etiam initio anni sequentis benevolentiæ signum Electori & Landgravio dedit Rex, literis d. 12. Jan. Latine datis *ex castro*, ut scribit, *Fontisbleaudi* 1540. qui nostro calculo erat 1541. Militabat Regi *Georgius a Reckrod* ex nobilitate Thuringica, vasallus Principum, clari illo tempore bellatoris nomen adeptus. Hic ex patria, ubi res suas inspexerat, in Galliam regressus, nescio quid Regi retulerat, quod hic, *ut singularem & raram animi Principum erga se propensionem* interpretatus est: Respondit itaque: *se tanto amoris vinculo devinctum ab illis esse, ut plane vereatur, ut quid dignum, quo gratiam referre possit, habeat; ex animo tamen polliceri se dicit, semper curaturum, ut si beneficiis eos vincere non valeat, officiis tamen respondere videatur.* Tanta, immo nimia, eoque suspectior comitas eo unice tendebat, ut Protestantes a pace & concordia cum Cæsare & reliquis Imperii Ordinibus in Comitiis instantibus tractanda averterentur.

(15) *Alius Legatus ex Gallia Moriletus.*

(16) *Sermo Galliæ Regis cum VValenrodio.*

(17) *Blanda Regis ad Principes literæ.*

Pergo ad res Anglicanas. Legatus Saxonicus *Burcardus*, & Hassiacus *Baumbachius*, sub finem anni præteriti cum sponsa Regis Clivensi in Angliam profecti, ad d. 20. usque Jan. 1540. detenti sunt, fœderis cum Protestantibus tractandi causa, talis nempe, quale Rex eodem tempore cum affine Juliacensi & Clivensi Duce pro mutua defensione inierat. Retulerunt id Legati ad Heros, literis primum d. 11. Jan. datis, & reversi postea in conventu Smalcaldico. His intellectis, quod scilicet Rex in religione cum Protestantibus non consentiret, & societatem alio plane fine & contra Cæsarem appeteret, jussi sunt Theologi denuo, quod Rex desiderasse dicebatur, articulos maxime controversos explicare & scripto defendere; quo facto Elector Saxoniæ ex conventu d. 12. April. suo & sociorum nomine gravissimas literas, *Melanchthonis* stylo Latine compositas ad Regem dedit, quarum hæc est summa: Sibi & Landgravio secundum leges fœderis fas non esse, ut extra causam religionis defendendæ societatem ineant; hoc indicatum fuisse anno præterito in conventu Francofurtensi Legatis Regis, postea etiam a suis ad illum missis. Nec solum frustra huc usque fuisse Evangelicos, sed & secutum esse conspiratione & arti[illegible]is Episcoporum quorundam, quorum animis infixa sit reverentia Romanæ impietatis, atrox illud Parlamenti decretum, eoque se & alios multos consternatos fuisse, cum sperassent fore, ut Rex post excussum Romanum dominatum etiam errores, avaritia & ambitione Episcopi Romani invectos, aboleret. Nunc vero, cum ex novissimæ Legationis suæ relatione Elector perceperit, edicti asperitatem moderatione Regis leniri, executionem suspendi, eumque testari, quod nihil ardentius optet, quam ut vera Christi doctrina in Ecclesia eluceat, & quod articulorum controversorum confutationes desideraverit, ut deliberare cum Episcopis & Doctoribus possit; curæ sibi fuisse, ut solida confirmatio quatuor articulorum de Missa, usu integri Sacramenti, conjugio sacerdotum, & votis monasticis, conscriberetur, & hanc jam a se mitti, petitque, ut Rex eam cum piis & sanis consideret, arbitrum vero sumat Christum, filium Dei, de quo dictum est; *Hunc audite.* Sperat Elector, hoc impetraturum se esse

(18) *Legati fœderatorum in Angliam.*

(19) *Electoris ad Regem Angliæ literæ, & hujus responsum.*

A. 1540. esse ab Rege, qui jam aliquam emendationem inceperit, sublata tyrannide Pontificis & aliquibus idolis, propositaque puriori aliqua doctrina. Subjungit vehementem de Pontifice, quem Antichristum vocat, querelam, &, si Regi videatur, colloquium Theologorum offert, in *Geldria* vel *Hamburgi* aut *Bremæ* habendum. In responso ad Electorem d. 1. Jun. dato, promittit Rex, se lecturum & consideraturum esse, quamprimum per negotia liceret, scriptum, quod acceperat, additque multas benevolentiæ significationes; sed dolere se dicit, quod Elector eruditos secum habeat, qui decreta Regia, de doctrina edita, calumniis impudentibus traduxerint, eaque improbitatis, atrocitatis, idololatriæ aliisque conviitiis incesserint: rogat itaque, ut a præcipitatis & acerbis ejusmodi censuris abstineatur. Oblatum colloquium placere sibi ait, sed moram quærit, dum scriptum, quod missum erat, plumbea, ut loquitur, & æqua lance trutinatum fuerit. Probat etiam exhortationem adversus fraudes, pestiferasque actiones, & impios conatus Romani Episcopi; contra illos se loricam Dei induisse & scuto fidei accinctum esse, dicit, & confidere, ita munitum, factiones, iniqua consilia, perversosque actus Pontificis sese evasurum esse: offert denique adversus vim, etiam absque fœdere auxilia, pariaque sibi ab Electore promittit. Eidem Nuncio, qui literas Electoris in Angliam pertulerat, responsum dedit *Crammerus*, Archiepiscopus Cantuariensis, d. 10. Maj. ad epistolam, quam Elector ad eum scripserat, cujus exemplum non reperi. Tria summopere laudat *Crammerus* a Rege suo præstita; nempe quod *Romani Pontificis autoritatem extinxerit, idololatriam, qua populus ad Divorum imagines cum ineffabili contumelia Dei discurrebat, sustulerit: & hypocriticam religionem extirpata universa monachorum gente, prorsus deleverit*; hunc laborem plus quam Herculeum fuisse existimat. Scribit postea, confutationem Regi missam sibi nondum esse visam, *fore tamen haud dubie, ut justo examine a sapientissimo & pientissimo Principe expendatur*. Monet inde, *ne protinus ægre ferant Protestantes, si Rex nonnihil ab illis dissentiat, præsertim cum sit doctissimus, nec doctorum virorum auxilio destitutus; interim neminem esse illo ad intelligendum acutiorem, vel ad judicandum certiorem, aut ad exequendum fidentiorem & constantiorem*. Hæc genium viri aulici plus satis ostendunt. Fateor, certo indicare me non posse scriptum de quatuor articulis, quod tunc in Angliam missum esse dicitur: exemplum enim literis additum non invenio; ex articulis autem Smalcaldicis excerpta aut illis plane conformia esse nullus dubito. Extat tamen in Actis *(Reg. H. fol. 97. n. 42.)* præter articulos, qui anno 1536. Episcopo Herfordiensi & Collegis Wittenbergæ exhibiti fuerunt, dissertatio de quatuor illis, quæ in Epistola Electoris recensentur, capitibus, de qua conjicio, exemplum ejus esse, quæ in Angliam missa est, rejectum incuria scribarum in alienum locum. In historia *D. Gilb. Burneti* de ultimo hoc literarum inter Regem & Electorem commercio nihil reperio, & mox sublata qualiscunque illa communicatio fuit, immani Regis inconstantia, de qua tamen dudum suspicionem metumque suum, ut diximus, Elector Juliacensi Duci aperuerat. Displicuit nempe Regi sponsa Clivensis, quod minoris pulchritudinis esset, quam effigies illi missa repræsentaverat; fastidivit etiam nescio quid aliud in illa, quod tamen nequaquam ad matrimonii legitime contracti dissolutionem sufficiebat. Futilem nihilominus prætextum arripuit, ac si virgo antea *Duci Lotharingiæ* desponsata fuisset; quanquam plus probari non posset, quam quod impubere adhuc illa de sponsalibus futuris a Parente ejus tractatum pactumve fuisset aliquid, multorum annorum lapsu mutuoque, ut licebat, consensu abolitum. Sed ista a scopo remotiora sunt, quam ut hic pluribus tractari possint. Eo nempe proterviæ progressus est Rex novis amoribus *Catharinæ Howardæ* dementatus, ut Serenissimæ stirpis & innocentis vitæ virginem thoro suo ejiceret; & tam impudenter adulati sunt illi Episcopi & ipse Crammerus, ut pessimo illius facinori decreto suo applauderent. Ipsa quoque Regina admirabili patientia dedecus hoc tulit, & in Anglia mansit, liberali sustentatione & frigido palpo contenta, quod pro sorore Regis habenda esset, cum uxor esse non posset. De his aliisque in Anglia illo tempore gestis videndi sunt scriptores gentis, & ex recentissimis *Burnetus Lib. III.* Prævaluerunt fraudes pessimorum hominum, quibus nihil minus, quam emendatio religionis, curæ erat. Calamitas Reginæ pessumdedit etiam *Thomam* illum *Crumwellum*, qui ad ejus nuptias ante alios Regem incitaverat. Is ex infimo loco, (fabri enim ferrarii filius erat,) ad summa in aula munia evectus, & nuper etiam, post adventum Clivensis sponsæ *Comes Essexiæ* creatus, repentina Episcoporum & nobilium conspiratione circumventus, & falsis criminationibus læsæ majestatis, itemque hæreseos reus peractus, ex Parlamenti decreto d. 28. Julii capite truncatus fuit. Lutheranum fuisse *Burnetus* pro certo habet, nec dissentiunt Saxonicorum Legatorum de eo relationes. Ex iisdem tamen & historiarum documentis constat, hominem fuisse non saltem solida doctrina minime imbutum, sed ejus ingenii, ut Regis favorem omnibus rebus anteponeret. Ultima sane *Burcardi* ex Anglia relatione d. 11. Jan. scripta, cujus supra memini, diserte dicitur, illum de religione ita disseruisse, ut se cum Evangelicis in Germania consentire non negaret, necessarium tamen sibi esse diceret, ut Regis voluntati sese conformaret, etiam cum vitæ suæ periculo, id quod eventus paulo post comprobavit. Non est itaque, ut hunc pro martyre Evangelicæ religionis habeamus, & ipse in loco supplicii mori se professus est in religione Catholica. Hoc etsi ex *D. Burneti* sententia de Romana minime intellexerit, indicat tamen animum infirmum & æquivocationes sectantem. Sincerior fuit, qui post biduum d. 30. Jul. vivi comburium passus est, *D. Barnesius*. Hic est, qui sub *Antonii* nomine in Saxonia notissimus fuit, verum autem erat *Robertus*. Is, cum ante annos complures concione *Cantabrigiæ* habita Cardinalis *Volsæi* vitia insectaretur, tunc quidem, facta palinodia, pœnam evasit: cum vero altera vice offendisset,

(17) *Blanda Regis ad Principes litera.*

(20) *Crammeri epistola ad Electorem.*

(21) *Articuli de religione in Angliam missi.*

(22) *Acta quadam Anglia Regis.*

(23) *Crumwelli supplicium.*

(24) *Martyrium Barnesii.*

A. 1540. disset, carceri mancipatus est, ex quo tamen in Germaniam aufugit, & totum se Theologiæ, teste *Burneto*, tradidit. Ab eodem dicitur in Daniam venisse, & inde in Angliam regressus; anno vero 1536. ab *Herfordiensi* Episcopo in Angliam missus Regi & Crumwello placuisse. Sed demonstratum est in *Addit. ad §. XXXIX.* ex authenticis Regis literis, Barnesium anno 1535. Legatum in Saxoniam venisse, unde patet prius in Angliam illum rediisse. Cæterum religionis Evangelicæ causa damnatum esse cum duobus sociis *Thoma Gerardo* & *Guilielmo Hieronymo*, certum est. Concionatus erat in templo D. Pauli Londinensi de justificatione ex sententia Lutheri, & aculeos quosdam in *Gardinerum* Vintoniensem Episcopum vibraverat: adigi se tamen ad revocationem articulorum quorundam passus est, quos *Burnetus* refert, & *astu Lutherano* (sic loquitur interpres Latinus) *fortasse pronunciatos aut falso illi affictos* putat. Cum vero illum & *Gardinerus* & *Bonnerus* capitali odio prosequerentur, & is quæ revocaverat denuo docere deferretur, in carcerem raptus & ad Parlamenti usque consessum asservatus est, quod eum non auditum nec defensum introducto a Crumwello, in suam ipsius perniciem more, damnavit. De confessione ante supplicium publice a Barnesio edita, monitisque ad Regem, videndus est *Burnetus d. Lib. III. fol. 465.* Extat autem in Archivo *Reg. H. fol. 313. n. 128.* relatio ex Anglia missa & Germanice versa, quam Lutherus cum præfatione edidit, *Tomo VII. Alt. fol. 422.* insertam. Non discrepat a Burnetiana, nisi quod prolixior est. De justificatione & bonis operibus exacte locutus dicitur, ad normam Augustanæ confessionis: de invocatione Sanctorum dixit, nihil in sacris literis extare: Anabaptistarum errorem de partu B. Virginis rejecit: de sacra Cœna, de qua apud Burnetum nihil relatum est, hæc ejus verba *d. Tom. VII. fol. 425.* recensentur: *Semper docui, & adhuc dico, vi institutionis & verborum Christi corpus ejus, quod virgo mater concepit & peperit, admirabili modo in Sacramento adesse & ex instituto Christi sumentibus exhiberi.* Ex iis quæ ad Regem referri petiit & *d. Tom. VII.* accensentur, hæc potissimum memorari merentur: Regem ex concionibus infimæ quidem sortis hominum, quibus se quoque annumerat, ad cognitionem veritatis pervenisse, ita ut Papæ & monachorum superstitionem & hypocrisin deprehenderit, & ex Rege dimidio integer factus sit, atque hoc beneficium, quo ipse & pater ejus caruerit, concionatoribus debere, magnasque illi opes inde accessisse, sed nondum præstitisse, quæ Deus ab eo requireret, hortatus itaque eum est, ad perficiendam Reformationem & ad pauperum sustentationem ex bonis Ecclesiasticis. Reliqua eo pertinebant, ut Regem rogaret de vetandis blasphemiis & frivolis matrimonii dissolutionibus. Summæ pietatis sunt preces, quibus a Deo beatam mortem & æternam salutem petiit, inimicis etiam omnibus & nominatim *Gardinero* palam ignovit. Similia quanquam brevioribus verbis, professi sunt socii ejus, supra nominati, maximamque omnes in morte constantiam ostenderunt, cum summa admiratione, nec exiguo cum profectu adstantis multitudinis; promovit enim potius quam impedivit martyrium hoc Evangelicam doctrinam. Lutherus in præfatione refert, Barnesium, cum Wittenbergæ esset, non saltem nomen, metu persecutorum (quos *sanctos Papistas* vocat,) sed & doctoris titulum occultasse. Gratias Deo agit, quod renovata sint primitivæ Ecclesiæ exempla fuso martyrum sanguine. *Quis*, ait, *ante annos decem hoc decus in Barnesio quæsivisset, & quod Christus ipse in eo nobiscum versatus esset? Domesticum enim & commensalem habuimus.* Execratur deinde Papam, qui se ipsum *sanctissimum* dicat, falsosque sanctos fingat, veros ferre non possit. Laudat modestiam *Barnesii*, quod etsi Regis sui vitia nosset, nec apud amicos dissimularet, palam tamen non nisi honorifice de eo locutus fuerit. Regis fraudem vituperat, quod legatione illa diuturna nihil aliud sub prætextu conciliationis in religione egerit, quam ut assensum Academiæ Wittenbergensis in divortium suum impetraret; indicat etiam, Legatos sub discessum fucum illum non dissimulasse, & dubitasse, an quatuor illos articulos, de quibus supra dictum est, unquam sit admissurus. Inter alia veram causam odii Regis in Barnesium fuisse scribit libertatem, qua repudium Clivensis illi dissuaserit, idque etiam *Burnetus* notavit. Concludit post acrem in Regem censuram: *Laudemus Deum, felicia enim & beata sunt tempora electis & sanctis Christi, misera & funesta Diabolo, blasphemis & hostibus, & fient illis deteriora.* Hæc de rebus Anglicis, ad quæ merito historiam *Barnesii* retulimus, dicta sunto. *Henricus* Rex ab illo tempore nihil aut parum, minimeque sincere, pro reformanda Ecclesia egit. Indulsit quidem *Crammero*, ut lectio sacræ Scripturæ Anglice versæ contra Episcoporum molitiones conservata fuerit, neque tamen restitit restrictionibus plurimis, quibus illa coarctabatur, & pleraque omnia, quæ ad religionis emendationem spectabant, Episcoporum veteris superstitionis patronorum arbitrio detulit. Sævitum est horum impulsu in Evangelicos: Regis vero jussu in illos, qui Pontificis potestatem palam profitebantur. *Crammerus* ipse singulari Regis beneficio, cum de hæresi accusaretur, vix servatus est, ut *Burnetus d. l. fol. 187.* narravit; fatum tamen, quod tunc effugit, regnante *Maria* Henrici filia, incurrit. Rex eodem vitæ tenore, nihilque ex vitiis suis emendans, ad annum usque 1548. superfuit, de quo in opere hoc nostro nihil præterea habemus, quod relatu necessarium aut dignum sit.

A. 1540. (25) *Lutheri de Barnesio scriptum.*

(26) *Alia quædam de Rege & Crammero.*

ADDITIO I.

Responsum nomine Principum Johannis Friderici *Ducis Saxoniæ Electoris, &* Philippi *Landgravii Hassiæ, ac reliquorum cum his conjunctorum in negotio religionis, datum Legatis Caroli V. Imperatoris, Comitibus* Theodorico de Manderschid, *&* Guilielmo de Nova Aquila, *cujus n. 5. mentio facta fuit, hoc est.*

(a) *Granvelani benevolentiam captant Evangelici.*

Existimamus, & Illustrem Dominum *Granvelum*, & generosos Comites bono studio has deliberationes de pace, quas huc attulit *D. Sibertus a Lovenburg* nomine Comitum, & postea *Comes Novæ Aquilæ* coram nobis exposuit, instituisse: quare eis amanter agimus gratias & publico nomine & nostro. Vere enim & ex animo hoc affirmamus, nobis nullam rem humanam optatiorem esse benevolentia Invictissimi *Imperatoris* Augusti, Domini nostri clementissimi, & pace publica Germaniæ. Inprimis autem agimus gratias Illustri Domino *Granvelo*, quod ostendit, se & hactenus fuisse hortatorem, ne de his negotiis decertaretur armis, & suam autoritatem libenter conferre ad consilia retinendæ pacis. Hanc voluntatem ipsius egregiam & dignam eo viro, qui maximarum rerum consiliis inguber-

A. 1540.

gubernatione orbis terrarum intereſt, non dubitamus Deo gratam eſſe: quem quidem precamur, ut confirmet & gubernet hunc animum, ad illuſtrandam gloriam Chriſti, & ad communem tranquillitatem. Rogamus etiam, quantum poſſumus, ipſum Dominum *Granvelum*, ut in hanc curam cogitationemque incumbat, ne Eccleſiæ violentis conſiliis diſſipentur potius quam juventur. Quæ gloria magno viro magis expetenda eſt, quam ut civiles diſſenſiones ſine civili ſanguine componat? Illud autem initio petimus, ne exiſtimet nos delectari his diſcordiis eccleſiaſticis, aut cupiditate aliqua injuſta diſſentire ab aliis gentibus, & a tot ſeculorum conſuetudine. Non accerſimus nobis odia, labores, ſumtus, pericula, tot jam annos, tantum errore & moroſitate aliqua; ſed poſtquam inciderant diſſenſiones in Eccleſia de doctrina, ut ſæpe alias accidit, non eſt abjicienda profeſſio veritatis, nec adjuvanda injuſta crudelitas, quæ in homines pios & innocentes paſſim exercetur. Has habemus juſtas, graves, veras & magnas cauſas diſſentiendi a cæteris, ut Illuſtris Dominus *Granvelus* pro ſua ſapientia ipſe judicare poteſt. Conſtat enim, multos, magnos & non diſſimulandos abuſus ab adverſariis defendi quadam nova aſperitate, quæ non decet Eccleſiam, ut monet Pſalmus: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Et quoniam intelligimus invictiſſimo Imperatori inſtillari quaſdam ſuſpiciones adverſus nos, ut nos non de gloria Dei, de emendatione Eccleſiarum, de ſalute animarum contendere putet, ſed quærere vel opes eccleſiaſticas vel alia; magnopere oramus, ut Illuſtriſſimus Dominus *Granvelus* Invictiſſimo Imperatori, Domino noſtro clementiſſimo nos purget & excuſet. Scimus, tales fabellas ſeri in populo a malevolis, ad deformandam cauſam, quam agimus. Sed tamen in conſilio ſummi Principis dominetur veritas, non ſit locus calumniis. Cum enim adverſarii diffiſi ſuæ cauſæ non poſſint doctrinam, quæ in Eccleſiis noſtris traditur, veris argumentis labefactare, decurrunt ad has querelas, clamitant, occupari facultates Monaſteriorum aut aliarum Eccleſiarum. Quam indignum eſt autem, flagitare eos opum defenſionem, non flagitare emendationem in Eccleſia maximorum vitiorum, quæ & ipſi agnoſcunt? Prima enim cura debebat eſſe doctrinæ divinitus traditæ. At iſtis prima cura eſt imperiorum, opum, voluptatum. Non dubium eſt autem, ſatis perſpectum eſſe ipſis adverſariis, nos non litigare de opibus, nec appetere eccleſiaſticas facultates. Sed hic prætextus fingitur, ut Regum animos incendant ad delendam doctrinam, & ad explendam crudelitatem. Conſtat enim, neminem ex nobis ullam partem alieni territorii abſtuliſſe cuiquam, aut auferre conatum eſſe. Nemo ex nobis in Germania ademit ulli Epiſcopo partem aliquam ditionis. Juriſdictionem Eccleſiaſticam, poſtquam deſiit eſſe quæſtuoſa, ipſi abjecerunt, ac ne poſſunt quidem hanc exercere. Collegia Epiſcopalia fruuntur adhuc ſuis opibus. E contra, adverſarii occupant multa bona noſtrarum Eccleſiarum & reditus debitos noſtris Eccleſiis ſolvi prohibent: & collegia Epiſcopalia, cum antea ſolerent aliquid decidere de ſuo, ad alendos paſtores & gubernatores ſcholarum in civitatibus, jam multæ civitates ex ſuo ærario ſolvunt ſtipendia miniſtris eccleſiarum & ſcholarum. Ac tantum abeſt, ut his civitatibus quicquam acceſſerit, ut etiam vetera commoda amiſerint. Interea quantum periculorum & ſumtuum adfert eis hæc cauſa? Quare videri non poſſunt aut avaritia, aut cupiditate libertatis, amplecti hoc genus doctrinæ. At malevoli odioſe traducunt Principes propter monaſteria. Hanc totam rem notiſſimam eſſe & Invictiſſimo Imperatori & Illuſtriſſimo Domino *Granvelo* optamus, quare in monaſteriis adminiſtratio mutata ſit, quomodo bona partim ad uſus Eccleſiaſticos tranſlata ſint, partim adhuc a nobis teneantur, quæ ſit noſtra de his voluntas? Deinde quibus expilationibus adverſarii exhauriant non ſolum monaſteria, ſed etiam cæteras Eccleſias & parochias, qua ex re, in eorum ditionibus ethnica barbaries ſecutura eſt. Rogamus

(b) *Cauſas diſſenſionis in religione ex non cupiditate ſua allegant.*

(c) *Suſpiciones contrarias a ſe amoliuntur.*

(d) *Diverſum ſuum atque adverſariorum ſcopum oſtendunt.*

(e) *De bonorum avaritia & rapacitate queruntur.*

A. 1540.

Illuſtrem Dominum *Granvelum*, ut pro ſua excellenti ſapientia hoc conſideret. Etiamſi quas acceſſiones haberent Principes, quæ aut ſunt exiguæ, aut certe multo minores, quam dicuntur, tamen propter has nequaquam ſibi tanta odia, labores, curas, ſumtus, & pericula accerſerent, quanta adfert hæc cauſa. Nam ut nihil de odiis & laboribus dicamus, conferantur annui ſumtus noſtri cum his reditibus monaſteriorum; & apparebit, ſumtus longe majores eſſe, quos jam annos amplius ſedecim facimus propter hoc negotium, & hi nobis cum ipſis difficultatibus creſcunt. Deinde conferantur pericula. Quis princeps in diſcrimen adducere vellet omnes ſuas fortunas & dignitatem propter talem acceſſionem? Hæc ſunt perſpicua & evidentia argumenta voluntatis noſtræ. Quare maxime oramus Invictiſſimum Imperatorem, ne ſuſpicetur nos ulla cupiditate moveri in defenſione hujus cauſæ. Omnibus humanis commodis benevolentiam ipſius & patriæ concordiam anteponimus. Nec dubitamus, etiam adverſarios noſtros, quibus notæ ſunt noſtræ ditiones & tota noſtra gubernatio, liberare nos in hac re ſuſpicione avaritiæ. Itaque non aliam ob cauſam ſuſtinemus tam difficile onus profitendæ hujus doctrinæ, niſi quia Deus præcepit Evangelii confeſſionem, ut inquit Chriſtus: *Quisquis me confitebitur coram hominibus, confitebor eum coram Patre cœleſti.* Præcipit etiam, ut fugiamus impios cultus, juxta illud: *Fugite idololatriam.* Præcipit item, ne ſocii ſimus injuſtæ ſævitiæ, quæ adverſus pios exercetur. Nunc redimus ad querelam de monaſteriis; de quibus primum exponemus cauſam, quare mutata ſit adminiſtratio. Poſtquam his regionibus illuxit Evangelii doctrina de veris cultibus Dei, multi ſponte deſeruerunt hypocriſin monaſticam, multi diſceſſuri ex monaſteriis, ut aut redirent ad ſtudia aut aliud vitæ genus honeſtum amplecterentur, ac poſſent œconomias inſtituere, petiverunt aliquid pecuniæ. Cum igitur tempora ipſa flagitarent mutationem, ubicunque reliqui erant monachi, addidimus pios concionatores, & juſſimus abolere impios cultus, & eos, qui manere malebant in illis ſodalitiis, liberaliter ali, quanquam prorſus otioſos, ac præcipue voluimus ſenectuti pauperum proſpectum. Et adhuc talia ſodalitia in quibusdam monaſteriis aluntur. Fuit autem utrunque officii noſtri, curare, ut, pia doctrina propoſita, in illis locis ſuperſtitiones abolerentur, & proſpicere, ne publica bona dilaberentur, quæ jam ab ipſis monachis vel deferebantur, vel negligebantur, vel diripiebantur. Conſtat enim Principes debere cuſtodes eſſe publicorum bonorum. Nec erant jam in monaſteriis, qui familias regere poſſent. Quare præfecimus œconomos, qui familias gubernarent, & curarent agriculturam, & colerent œconomica officia. Sic mutata eſt adminiſtratio monaſteriorum. Quis autem non videt, cauſas mutationis probabiles eſſe? Nec enim peregrinos monachos accerſere voluimus, qui turbarent Eccleſias noſtras: nam multæ parochiæ pertinent ad monaſteria. Statim igitur initio de bonis monaſteriorum reditus conſtituendi fuerunt vicinis parochis. Paulatim & cæteris Eccleſiis, quæ acceſſione opus habebant, multa adjecimus. Conſtituimus & hoſpitalia quædam. Attribuimus aliquid ſcholis. His neceſſariis officiis mutilati ſunt jam reditus monaſteriorum, quæ tamen alibi fuerunt magis, alibi minus, locupletia. Reliquum adhuc eſt in poteſtate Principum, quod in plerisque regionibus exiguum eſt. Et tamen adhuc inde ſunt augendæ parochiæ, ac nunc quoque ex his facultatibus ſæpe juvantur pauperes ſacerdotes, dantur & ſtipendia aliqua pauperibus ſcholaſticis, alibi plura, alibi pauciora. Ac tempora poſtulabunt, ut conſervandorum ſtudiorum cauſa ineatur ratio, ut ex eccleſiaſticis facultatibus plures ſcholaſtici ali poſſint. Quare de his facultatibus, quæ reliquæ ſunt, offerimus nos, ſi in aliqua pia ſynodo aut conventu concordia Eccleſiarum conſtituetur, nos ea bona ad Eccleſiæ, ſcholarum & cæteras publicas utilitates in noſtris territoriis non gravatim tranſlaturos eſſe, ut tunc ſynodus aut conventus conſtituet. Nam

(f) *Sumtus graviſſimos, quos ſuſtinent, allegant.*

(g) *Rationem reddunt de adminiſtratione monaſteriorum & redituum Eccleſiaſticorum.*

A. 1540.

Nam facultates Ecclesiarum pertinent ad conservationem ministerii Evangelici, scholarum, & alios usus Ecclesiasticos & publicos, ut testantur dicta divini juris, & vetustæ Synodi ac veteres Canones. Quod cum ita sit, vicissim petimus, ut adversarii nunc sinant bona ecclesiastica, quæ ipsi tenent, transferri ad veros usus Ecclesiæ, hoc est, ut Parochiis, Scholis & pauperibus consulatur, ubi opus est accessione. Nunc enim multæ sunt civitates, ubi aut nulli aut prorsus exigui sunt reditus parochiarum. Interea nec Episcopi nec Canonici obeunt officia ecclesiastica, & negliguntur studia literarum. Necesse est igitur inire rationem, ut conservari religio Christiana & literæ possint. Harum rerum causa cum præcipue politias Deus constituerit, earum conservationem maxime curare summos gubernatores oportet. Offerimus etiam, nos tunc daturos esse cautionem, ut ecclesiasticæ facultates in nostris ditionibus transferantur ad tales usus, ut dictum est, si vicissim & adversarii cautionem dederint. Videmus enim in tanta multitudine collegiorum Ecclesiasticorum infinitum numerum sacerdotiorum prædæ esse indoctis, helluonibus, scortatoribus, qui non solum usui esse Ecclesiis & Reipublicæ non possunt, sed etiam oneri sunt. Jam hoc tempore quid fit? In ducatibus Principum, qui adversantur piæ doctrinæ, ea, quæ nostris Ecclesiis debentur, in ipsorum ditionibus passim ipsi occupant, ac prohibent, ne nobis solvantur. Cumque nos poscimus debita, nosque offerimus ipsorum Ecclesiis soluturos esse, quæ solent eis pendi ex nostris ditionibus; illi mutuam vicem non reddunt, & adjuvat hos judicium Cameræ, & cogit, ut illis solvamus. Ita nostris Ecclesiis ipsi impune eripiunt, quæ volunt. Vulgare proverbium est, *Æqualitas non parit bellum.* Quare, si adversarii cuperent Germaniam esse tranquillam, profecto tam insignem inæqualitatem non exercerent erga nostras Ecclesias, qua etiam defraudant parochias & pauperes. Sed adeo non curant pia officia, ut nec suis Ecclesiis parcant, indicunt intolerabilia tributa parochiis & cæteris Ecclesiis. Et quia sævitiam exercent in pios pastores, passim deseruntur parochiæ. Ibi desertarum parochiarum reditus transferuntur ad præfecturas. Exhauriuntur Monasteria adeo, ut in multis locis dicant Monachi, nihil sibi reliquum esse, nisi campanarum sonum & suos cantus. Passim non solum pagi, sed etiam oppida sunt sine pastoribus, quæ res mirum in modum animos bonorum offendit, & parit in moribus vulgi ethnicam feritatem, ac ad posteros oblivionem religionis & barbariem. Ac profecto optaremus, Invictissimum Imperatorem vere inquirere, in quibus locis benignius tractentur Pastores, diligentius ornentur Ecclesiæ, majore cura studia Ecclesiæ necessaria colantur, apud adversarios, an apud nos. Ita res ipsa nobis eum placaret, & excitaret, ut emendationem institueret, ac consuleret Parochiis. Nam donec sævitia exercetur in pios doctores, deerunt Pastores in utraque parte. Hanc totam narrationem comperiet Invictissimus Imperator verissimam esse, quæ quidem satis ostendit, nos non propter avaritiam huic doctrinæ favere, quæ nobis auget sumtus & pericula, cum interim adversarii tuto rapiant ex bonis ecclesiasticis, quantum volunt, & habeant alias amplas mercedes, quibus conducti sunt ab Episcopis ad delendam piam doctrinam. Deinde speramus nos Invictissimo Imperatori satis excusatos fore, quod offerimus nos etiam de reliquis bonis Monasteriorum translaturos esse ad usus publicos, quod superest, ex sententia piæ Synodi aut conventus, in quo concordia constituetur. Hæc arbitramur satisfactura esse æquis & rectis judiciis de prima querela.

(h) Abusum adversariorum circa bona Ecclesiastica taxant.

Altera accusatio, multo majorem dolorem nobis attulit, quod invictissimus Imperator suspicatur nos, cum offerimus nos ad veram & piam collocutionem cum aliis, simulare studium concordiæ, ut negotium extrahamus, & re ipsa tergiversari & defugere veram dijudicationem. Et allegantur actiones superiorum conventuum, in quibus, quia non abjecimus doctrinam, dicimur tergiversati esse. Valde dolemus clementissimi Imperatoris animo tam graves suspiciones adversus nos inseri. Est enim odiosa & turpis simulatio, maxime in causis religionis. Igitur magnopere rogamus, ut Invictissimus Imperator nostram purgationem veram & ingenuam audiat. Cum adversarii sparsissent in ipso conventu Augustano infinitas calumnias adversus Ecclesias nostras, nosque jussi essemus dicere de doctrina & ritibus Ecclesiarum nostrarum, nihil occultavimus, sed ingenue & simpliciter totum doctrinæ genus complexi sumus, ut intelligi posset, nos Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi consensum vere sequi ac retinere symbola, & congruere doctrinam nostram & usum Sacramentorum cum vetere ac puriore Ecclesia. Habuimus multas & graves causas nostri consilii, & speramus, bonos viros plurimos tunc quoque placatiores factos esse, cum viderent nos veterem Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ consensum tueri, & abusus atque errores, qui posterioribus seculis in Ecclesiam irrepserunt, taxare. Neque enim negari potest, multa non toleranda vitia irrepsisse. De Pœnitentia & Remissione peccatorum fuit summa confusio doctrinæ. Sacramentum in Missa, ad quos abusus translatum fuit, cum certum sit privatas Missas ignotas fuisse veteri Ecclesiæ? In cœlibatu quantum est turpitudinis? Doctrina de potestate clavium plena fuit vanitatis & ambitionis, & translata ad augendam Romani Pontificis dominationem. Quantum fuit onus Traditionum superstitiosarum? quam nullus delectus ministrorum Evangelii? De his materiis professi sumus, qui errores taxati sint apud nos. Et extant scripta nostrorum, ac multi pii ubique terrarum fatentur, se ex illis pie & utiliter admonitos esse, ut rectius de doctrina Christi, & de veris cultibus Dei sentiant. Non igitur fugimus lucem; cumque Augustæ compositio tentaretur, nihil prorsus astute fecimus: ostendimus, nos expetere concordiam, si necessaria reciperentur: diximus nos de usu indifferentium non litigaturos esse: proposuimus moderatam viam; sed qua æquitate nobiscum actum sit, optaremus penitus scire Clementissimum Imperatorem. Delecti ad eam disputationem ab adversariis, expresse præfati sunt, se nihil mutaturos esse de sua sententia, tantum nobiscum disputaturos, ut nos retraherent ad suas opiniones. Incipiebant defendere invocationem sanctorum, Missarum abusus & satisfactiones. Hæc non erat dijudicatio vera, quæsitis fontibus & fundamentis, sed erat veterum errorum confirmatio. Nunc quia non sumus assensi, nec abjecimus veritatem, adversarii calumniantur nos apud Invictissimum Imperatorem, & fingunt, nos simulasse studium concordiæ, ut negotium extraheremus. Nec aliud vocant conciliationem, nisi defectionem a veritate, nec postea ulla fuit de doctrina disputatio in ullo conventu, & nunquam defugimus tales congressus, in quibus pie & vere de doctrina deliberaretur, & maxime optamus, ut piis & doctis liceat de rebus tantis, quæ sunt Ecclesiæ necessariæ, tandem libere colloqui, maxime optamus, veros fontes & fundamenta doctrinæ cognosci. Quare persuasum esse Invictissimo Imperatori cupimus, nos nec effugia nec ambages quærere. Si nos puderet causæ, possemus eam plausibiliter abjicere. Sed quia scimus, esse piam & Ecclesiæ necessariam, sustinemus ingens onus confessionis propter mandatum Dei, ut supra diximus. Nec agimus astute, cupimus propagare & conservare piam doctrinam propter gloriam Dei, & nihil optabilius est bonis, quam pia concordia Ecclesiarum. Ideo sicut in conventu Francofordiano & alias nos obtulimus, ita & adhuc offerimus nos, ad piam & veram collocutionem cum aliis Principibus & Statibus Imperii, in qua patefactis fontibus & fundamentis doctrinæ Christianæ pia conciliatio instituatur. Et ne quid suspicionis pariat ambiguitas, vocamus piam conciliationem, in qua, patefacta veritate, consulatur Ecclesiæ, emendentur veteres errores, & restituantur veri cultus DEI. Cum enim toties jam dictum sit, velle Invictissimum Imperatorem, ut vere componantur controversiæ, patefactis fontibus & fundamentis, conciliationem non intelligimus confirmationem veterum errorum, aut defectionem a veritate. Non existimamus, unquam Invi-

(i) Calumniæ respondent, quasi concordiam serio non cuperent.

A. 1540.

(k) Narrant acta in Comitiis Augustanis.

(l) Recensent errores & abusus Ecclesiæ Romanæ.

(m) Moderationem suam rejectam esse dolent.

(n) Defectionem a veritate postulari a se dicunt.

(o) Offerunt pium de religione colloquium, si obstacula removeantur.

A. 1540.

Invictissimo Imperatori vere narratam esse seriem disputationis Augustanæ, in qua expressa præfatione adversarii nostri testati sunt, se nihil mutaturos esse de sua sententia, sed hoc tantum acturos, ut nos ad sua deliria inflecterent, quæ aperte pugnant cum Evangelio. Si hoc modo res iterum ageretur, id non esset revocare causam ad fontes & fundamenta, seu veritatem quærere, sed Pythagoricum illud nobis proponere, *Ipse dixit*, quod de autoritate humana in Ecclesia nequaquam recipiendum est. Nam voluntas Dei non potest cognosci ex humanis opinionibus; Sed, ut Johannes inquit, *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Hunc doctorem jubeat arbitrum esse controversiarum Invictissimus Imperator. Jubeat quæri veritatem, ut illustretur gloria CHRISTI, & consulatur saluti hominum. Ea res erit digna pio Imperatore. Et quia vitandæ sunt ambages, & Invictissimus Imperator petit, ut, prorsus & penitus evoluta nostra voluntate, proferamus, quos articulos abjici non posse statuamus: extat *Confessio* nostra cum *Apologia*, in qua satis apparet, quos articulos tanquam necessarios defendamus, nec dubitamus, quin hoc ipsum genus doctrinæ, quod in Ecclesiis nostris traditur, sit ipse consensus Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi, quia & in Propheticis & Apostolicis scriptis hæc ipsa doctrina proponitur, & congruunt veteris Ecclesiæ testimonia de rebus necessariis, videlicet de dogmatibus, de legitimo usu Sacramentorum, de potestate Clavium, de officio ministrorum Ecclesiæ, quod prorsus dissimile est dominationi Romani Pontificis, & de libero usu traditionum humanarum. Quare si abjiceremus Confessionem nostram, dissentiremus ab Apostolica & Catholica Ecclesia, nosque ipsos sejungeremus ab illa vera Ecclesia omnium temporum, in qua primi Patres, Prophetæ, Apostoli & reliqui Sancti eadem fide, quam prædicamus, invocaverunt Deum, & filium Dei Salvatorem, sicut inquit Petrus: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Ab hac Ecclesia dissentire non licet; a qua divelleremur, si, abjecta nostra confessione, veteres errores & horribilem abusum Sacramentorum restitueremus.

(p) *Augustanam Confessionem denuo repetunt.*

Sunt autem præter articulos necessarios alii quidam indifferentes ritus humani, qui, ut in templis sit ordo aliquis, instituti sunt. De his ritibus, de jurisdictione ecclesiastica, de institutione, de ordinatione ministrorum, de cæteris inspectoribus Ecclesiarum, & de bonis ecclesiasticis, de judiciis controversiarum matrimonialium, conveniri posset, constituto consensu principalis doctrinæ. Quorsum enim prodesset, aliquid pacisci de ritibus aut de jurisdictione cum iis, qui adhuc revera in articulis principalibus doctrinæ dissiderent? Tolli dissidium non potest, si alii pergent errores defendere, & interficere pios. Quod autem aliqui objiciunt, errores admixtos esse doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, etsi non dubitamus, doctrinam Ecclesiarum nostrarum, quam confessi sumus, vere esse consensum Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi, tamen si quid reprehendant adversarii, proferant tunc in conventu; ibi de singulis articulis copiose respondebimus, & speramus, nos omnibus piis & amantibus veritatem satisfacturos esse. Si quid etiam obscurius & brevius esset dictum in Confessione & Apologia, quantum opus est, declarabimus. Si alioqui sparsæ essent opiniones ab aliquibus scriptoribus nostris, ut sunt humana, quas corrigi opus esset, illi admoniti non repugnabunt veris judiciis. Scimus etiam, humanorum rituum dissimilitudine in nostris Ecclesiis indoctos offendi, etsi similitudo in his non est necessaria, ubi de doctrina recte convenit, tamen propter communem concordiam ea de re etiam in conventu agi posset. Nam, Dei beneficio, omnes nostræ Ecclesiæ unum hoc doctrinæ genus, quod extat in Confessione & Apologia, profitentur. Hæc etiam causa est, cur nos quidem arbitremur, in publico conventu potius de communi concordia agendum esse, quia de usu indifferentium nihil agi potest, nisi prius de doctrina necessaria conveniat; quam ad rem opus est quadam collocutione, ut declarari res tantæ possint. Deinde, hoc consensu constituto, communi consilio, de jurisdictione Ecclesiastica, & de gubernatione Ecclesiarum, multa deliberanda erunt, quæ seorsim quomodo agi possint, non intelligimus.

(q) *De ritibus aliisque capitibus tractare volunt.*

A. 1540.

Postquam voluntatem nostram declaravimus, iterum rogamus Illustrem Dominum *Granvelum*, ut sit hortator Invictissimo Imperatori, & ad pacem faciendam, & ad Ecclesiæ reformationem suscipiendam, ut firma & durabilis concordia fieri possit. Nam si vitia manifesta stabiliantur, semper erunt, qui reclament, & injustum est, reprehensionem vitiorum & errorum velle armis prohibere: talia imperia non decent in Ecclesia. Imperator Constantinus bis dederat judices Donatistis, quanquam aperte delirantibus. Tertio ipse eos audivit, ne prius edicta duriora proponeret, quam res satis disputata & cognita esset, ne autor esset exempli in Ecclesia asperioris. Speramus autem, Invictissimum Imperatorem, & justitia & bonitate præditum esse, ut, cum tam multæ controversiæ de rebus maximis exortæ sint, non sit ante veram & justam cognitionem aliquid violenter acturus. Oramus igitur, ut, quemadmodum in Francofurtano conventu per Oratorem promisit collocutionem publicam, clementer eam collocutionem instituat, ut, sicut toties jam dictum est, curet patefieri veritatem ex fundamentis, quæ inspici præcipue in Ecclesia debent, videlicet ex verbo DEI, quod in Propheticis & Apostolicis scriptis traditum est, cum quo etiam vetus & purior Ecclesia congruit. Quicquid autem accidet, tota posteritas judicabit, nos æqua & pia petivisse, ac pro futura non tantum nobis, sed universæ Ecclesiæ, cui consulere Invictissimus Imperator debet, præsertim cum Pontifices ardentes ambitione & crudelitate tantum sint hortatores, ad trucidandos innocentes & pios sacerdotes, & vastandas Ecclesias. Ac profecto magna laus est Invictissimi Imperatoris, quod hactenus non gessit morem his atrocibus consiliis, quia Deus vult inprimis exerceri pietatem & lenitatem erga miseros Evangelii ministros.

(r) *Petunt promotionem reformationis & colloquii ab Oratore ejus propositi.*

(s) *Negant se hostibus ejus auxilium tulisse.*

Postremo & hoc valde oramus, ne invictissimus Imperator fidem habeat atroci calumniæ, qua aliqui ex nobis dicuntur adjuvisse hostes, cum quibus Imperator Invictissimus bellum palam indictum gessit. Constat enim, nos in tempore certis officiis quosdam Capitaneos Invictissimi Imperatoris adjuvisse, misisse bombardarios & pulveris tormentarii mediocrem copiam, libenter etiam nostris subditis concessisse, ut in militiam ad Invictissimum Imperatorem proficiscerentur. Constat & illud, nos tunc quædam non vulgaria commoda oblata repudiasse, non aliam ob causam, nisi ut fidem & observantiam nostram erga Invictissimum Imperatorem majore studio declararemus. Quare nos purgatos esse Invictissimo Imperatori cupimus, & si quis ex nobis nominatim delatus est, ejus responsionem speramus satisfacturam esse Invictissimo Imperatori. Hanc nostram responsionem, in singulis articulis veram, simplicem & ingenuam, rogamus, ut Illustris Dominus *Granvelus* non gravatim legat, & Invictissimo Imperatori reverenter commemoret; nosque ei commendet, ac oret, ut veram conciliationem, sicut supra dictum est, Ecclesiarum instituat, quæ quidem adeo necessaria est, ut si sævitia non cessaverit, metuenda sit ad posteros horribilis vastitas Ecclesiarum. Nam pontifices malunt extingui totam religionem quam aliquam reformationem admittere. Maxime autem oramus, ut Illustris Dominus *Granvelus* exponat etiam Invictissimo Imperatori, Domino nostro clementissimo, querelam nostram justissimam de Judicio Cameræ, in quo nobis conjuncti iniquissime vexantur contra jus & contra prohibitionem Imperatoriam. Et quidem in causis levibus non solum injustæ, sed etiam atroces sententiæ feruntur; ut in causa *Mindensi* apparet, in qua lis est de sexaginta florenis aut circiter, quos civitas egena attribuit parochiæ, ut & antea pertinebant ad Ecclesiam. Sed adversarii malunt eos ab ociosis consumi, cum interea magnas opes ecclesiasticas habeat ibi collegium Sacerdotum otiosorum, qui prorsus non serviunt Ecclesiæ. Et tam exiguam partem noluerunt decidi

(t) *Dolent de sævitia Pontificum & impedita reformatione.*

(u) *Queruntur de proscriptione Mindensi.*

A. 1540.

(x) *Itemque de aliis processibus Cameralibus.*

decidi ad usus parochiæ. Propter eam levem causam in judicio cameræ lata est sententia proscriptionis contra civitatem *Mindensem*. Hanc petulantiam judicii coerceri & prohiberi omnes tales processus, magnopere oramus, juxta petitionem nostram, & formulam, de qua in conventu Francofordiensi cum duobus Electoribus, Palatino & Marchione, actum est. Si invictissimus Imperator vult Germaniam tranquillam esse, ut ostendit, profecto processus illi Judicii Cameræ prohibendi sunt. Nam tales sententiæ quid sunt, nisi classica ingentium tumultuum, adversus quæ jure naturæ concessa est defensio? Ac si non aboleantur hi processus, & forte accideret, ut aliqui contraherent militum copias, non possemus non suspicari, contra nos eas colligi. Qua ex re possent subiti tumultus oriri, quod minime vellemus. Nos enim maxime cupimus tranquillam esse Germaniam, & magnopere oramus Illustrem Dominum *Granvelum*, ut invictissimo Imperatori, Domino nostro clementissimo, sit hortator, ut nobis pacem concedat, & processus contra nos injustos in causa religionis prohibeat. Rogamus etiam generosos Comites, ut nos amanter Illustri Domino *Granvelo* commendent. Nos vicissim & ipsi & Generosis Comitibus nostra officia deferimus.

ADDITIO II.

(a) *Theologorum Dresdensium consilium de potestate Episcoporum.*

De quæstione, an & quatenus Pontificis & Episcoporum autoritas ferri possit, quam tetigi §. 7. extat *Reg. H. fol. 298. n. 121.* Theologorum Dresdensium ad *Henricum* Ducem consilium, ex decreto Smalcaldensis conventus conscriptum. In hoc affirmant, se Augustanam confessionem ejusque apologiam, ut antea sæpe, ita etiam nunc denuo legisse, & ita compositam ab autoribus suis invenisse, ut melius illa declarari aut dictis Scripturæ confirmari a se non possit, nisi superflua adjicere vellent: refutatam etiam illam ab adversariis nondum esse. Optant, ut Cæsari aliisque scrupulus eximatur, calumniis adversariorum injectus, ac si Pontifici & Episcopis omne denegaretur obsequium, barbara quadam cum protervia, utque intentio reformationis recte explicetur, ejusque necessitas ostendatur. Episcoporum ordinationem & cognitionem libenter admissuros se esse profitentur, si secundum normam verbi divini procedant. Culpam itaque illorum esse, quod defectus & abusus, licet ab optimis & doctissimis suorum observatos, mordicus defendant, omnemque emendationem, & amicam atque æquam de reformatione tractationem rejiciant. Hinc factum esse & necesse fuisse, ut interea de religione & de ritibus & ceremoniis aliquid constitueretur, in quibus tamen salva analogia fidei & charitate, emendari præterea aliquid posset. Addunt plura de munere Episcoporum, ad præscriptum verbi divini gerendo, nec imminuenda ejus dignitate; non disputari ajunt de munere ipso, sed de corrigendo abusu, itemque de ceremoniis, de quarum natura & libertate jam olim *Gerson* & *Cusanus* scripserint. De administratione bonorum Ecclesiasticorum judicium deferunt Jurisconsultis, qui cum prudentia legali junctam habeant pietatem.

(b) *Epicrisis.*

Ex hoc responso satis quidem constat, in religione ipsa cum Electoralibus consensisse Dresdenses, secus quam cavillatur Maimburgius, neque de jurisdictione Episcoporum diversa ab illis statuisse, si modo conditionem, quam utrique vero urgebant, acceptassent Episcopi. Pontificis vero mentionem facientes Dresdenses ulterius tendebant, quam *Melanchthon*, sed hactenus cum illo singularem fovebant sententiam, id quod animadvertit *Pontanus* de hoc ipso responso d. 23. Febr. Electori scribens: in Pontifice non solum abusus, sed ipsam potestatem impugnandam esse, quam sibi jure divino in omnes Episcopos perperam arrogaret; *sine dubio*, ait, *jure humano concedi illi aliquid posse putant, sed Papa illo non est contentus, nec retineret sub jugo Reges & Principes, nisi hos divini juris prætextu obligatos haberet.* Erant in aula Henrici, & pristinam autoritatem magna ex parte recuperaverant veteres Georgii Consiliarii, *Carlevitius* aliique, conciliationis cum Pontifice & Episcopis cupidi, quibus Theologi illo tempore aliquid, quoad ceremonias & externa quædam conciliationis media, indulsisse videntur; sed causæ communi, damnum illatum non fuit, & successu temporis, qualiscunque illa fuerit opinio aut intentio, evanuit, accedente in primis ex parte Pontificis & Episcoporum summi rigoris in retinendis omnibus abusibus demonstratione.

A. 1540.

(c) *Electoris Brandenburg. consilia de concordia.*

Eadem tunc in aula Electoris Brandenburgici agitabantur, commercio *Carlevitii* cum *Eustathio a Schlieben* & propositis concordiæ mediis, quæ anno 1539. Lipsiæ cum *Bucero* tractata & Landgravio, ut alibi dixi, transmissa fuerant. Legati hoc ipso anno d. 2. Febr. (*Reg. H. fol. 321. n. 130.*) ab Electore Brandenburgico ad Saxonicum venerant *Adamus Trottius* Marescallus & *Jacob Schillingius* Sarmundæ Præfectus, eadem fere proponentes, suadentesque, ut *Electoribus Rhenanis*, Ducibusque *Bavariæ* & *Brunsuicensi* conditiones illæ commendarentur, & cum iis transigeretur, præveniendo Cæsaris de tractanda concordia consilium, quod ad utilem reformationem non esset profuturum. Ejusdem Electoris intentio erat, ut occasione conventus inter Electores *Gelnhusæ* d. 10. Martii indicti (*Reg. H. fol. 348. n. 136.*) in quo de causa Geldrensi & Cæsaris cum Juliacensi Duce conciliatione tractandum erat, aliquid etiam de concordia in religione tentaretur.

(d) *De Electoribus Moguntino & Treviren. si quædam.*

Sed obstitit *Moguntinus*, ex cujus literis ad *Christophorum Turcum* Cancellarium Halensem d. 5. Jan. datis percipitur, illum memorem, quod anno 1539. ad mediationem in conventu Francofurtensi admissus non esset, tractatum omnem circa sacra recusasse, & *Trevirensis* consilia reprehendisse, quæ cum Landgravio communia haberet. Nec negari potest singularis inter hos familiaritas. Cognoscitur enim ex literis Landgravii d. 8. Mart. ad Electorem Saxoniæ scriptis, Trevirensem *Friderico Calenbergio*, a Landgravio ad se misso, multa adversus Evangelicos consilia aperuisse, inter alia hoc, quod *Heldius* Cæsari tres auri milliones (ex Cleri forte corrogationibus) obtulerit, si Protestantes autoritate vel armis in ordinem redigeret. Compertum etiam fuit, Moguntinum a Ferdinando monitum fuisse, ut impediret, ne quid *Gelnhusæ* de religionis concordia tractaretur, aut si quid fieret, in suspenso maneret & ad Cæsarem referretur.

ADDITIO III.

Articuli, de quibus num. 21. dictum est, in Angliam nempe missi, hi sunt:

De Missa.

(a) *Wittebergensium sententia de Missa, & quatenus sit sacrificium.*

De lectionibus & precationibus in Missa non est controversia. Cum enim Paulus etiam in publicis ceremoniis velit recitari aliquas sacras lectiones, utiles ad excitandas mentes ad timorem Dei & fidem, & addi precationes & gratiarum actionem, hic mos in Ecclesia non abolendus, sed diligenter conservandus est. Primum enim maxime prodest in communi cœtu fieri precationem, quia Christus nominatim Ecclesiæ dedit promissiones, cum ait: *si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est; ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum.* Invitat igitur nos Christus amplissima promissione, ut in precatione nos Ecclesiæ adjungamus. Vult Deus Ecclesiam sic inter se devinctam esse, ut alii aliorum necessitate afficiantur & pro aliis orent, & promittit se has preces exauditurum esse. Ut hoc discamus, & hanc fidem exerceamus, publica consuetudo Ecclesiæ in publicis precationibus, in Missa, & aliis ceremoniis, monere nos debet. Jubet & Paulus *2. Corinth. I.* per multos fieri precationes, ut vicissim multi agant gratias Deo, quod Deus exaudiverit preces, quodque respexerit afflictos. Deinde exemplum Ecclesiæ utilissimum est; monet enim multos ut ipsi quoque excitentur ad credendum & invocandum, præsertim si populus in concionibus admoneatur de promissionibus

A. 1540.

bus Ecclesiæ factis. Ita enim intelligent aliorum exempla, & mos Ecclesiæ proderit ipsis ad ædificationem, ut docet Paulus *1. Corinth. XIV.* Tertio prodest etiam exemplum Ecclesiæ, ut moneat singulos, quarum rerum cura affici & quid petere debeant: nam populus non admonitus non intelligit publicas necessitates; ibi autem non solum audit, privata dona petenda esse, sed etiam discit, singulos debere affici publicis curis, orare pro universa Ecclesia, ut liberetur ab erroribus, scandalis, dissidiis, impiis cultibus, ut propagetur vera doctrina, ut veri cultus præstentur DEO, & nos regamur & sanctificemur per Spiritum sanctum. Discit item, Deo placere precationes de rebus corporalibus, de pace, de felici gubernatione, de proventu frugum, contra pestilentiam & similia mala. Hujusmodi precationes in publicis ceremoniis, in Missa & aliis, sentimus, pie & necessario institutas esse, est enim mandatum Dei, & ut invocemus eum in omnibus periculis, & ut populus in publicis ritibus de hac invocatione doceatur, ut discat Deo credere, & a Deo petere & expectare auxilium. Sed de usu Sacramenti corporis & sanguinis Domini in Missa improbamus eos, qui sentiunt, usum Sacramenti cultum esse applicandum pro aliis vivis & mortuis, & mereri illis remissionem culpæ & pœnæ, idque ex opere operato. Hæc enim sunt ignota veteri Ecclesiæ, & dissentiunt a Scripturis sacris, & obscurant doctrinam de fide, & alieni operis fiduciam pariunt. Sed, cum Christus dixerit: *Hoc facite in mei commemorationem*, instituit hoc Sacramentum, ut ibi fiat vera fide recordatio mortis ipsius & beneficiorum, quæ nobis morte sua meruit. Et hæc beneficia per Sacramentum applicantur sumenti, cum fidem hac recordatione exuscitat, & credit, Christum vere nobis donare sua beneficia, cum tantum testimonium nobis exhibeat, quod nos sibi adjungat, quod nos velit tanquam sua membra servare, quod nos mundet suo sanguine. Hæc fides, qua accipiuntur beneficia Christi, est spiritualis cultus Dei; & quia cum ea fide debet esse conjuncta gratiarum actio, qua corda vere pro remissione peccatorum & redemtione gratias agant DEO Patri & Domino nostro Jesu Christo; ideo vetus Ecclesia hunc usum Sacramentorum vocavit *Eucharistiam*, sicut *Cyprianus* suavissime inquit de communicantibus: *Pietas inter data & condonata se dividens gratias agit tam uberis beneficii largitori*, id est: Pietas utrumque considerat, quanta sit magnitudo beneficii nobis donati, gratiæ & vitæ æternæ, & e regione, quanta sit magnitudo malorum nostrorum, hoc est, peccatorum & mortis æternæ. Existit igitur ardens gratiarum actio, cum videmus nobis ineffabili clementia tanta peccata remitti, & nos insuper donari Spiritu Sancto & gloria illa æternæ vitæ. Et in hanc sententiam, sentimus, hanc sacratissimam ceremoniam vocari *sacrificium* a sanctis Patribus, qui certe non senserunt, id opus applicatum pro aliis mereri eis remissionem culpæ & pœnæ, idque ex opere operato; sed senserunt, in usu Sacramenti exercendam esse fidem, & gratiarum actionem faciendam esse. Cum igitur Christus sic instituerit usum Sacramenti, ut esset communio, in qua porrigeretur aliquibus Sacramentum, & hunc morem diu servaverit vetus Ecclesia, nec habuerit privatas missas; sentimus nos, talem ritum, in quo sit communio aliquorum, pium & consentaneum esse Evangelio. Deinde privatæ missæ solitæ sunt fieri cum illa opinione de usu Sacramenti, quod necesse sit, existere in Ecclesia hunc cultum applicandum pro aliis, ut mereatur eis remissionem culpæ & pœnæ. Tales igitur missæ abrogandæ sunt; & ut hæc scandala tollantur & Christi institutio, videlicet communio, servetur, sentimus, neminem cogendum esse, ut celebret privatas missas. Cum enim Paulus dicat, *reos esse corporis & sanguinis Domini illos, qui abutantur sacramento*, summa cura præstandum est, ut pius & sanctus usus ad gloriam Christi & salutem Ecclesiæ restituatur.

De utraque specie.

(b) *De communione sub utraque.*

Non dubium est, quin vetus Ecclesia in oriente & occidente usa sit utraque specie Sacramenti corporis & sanguinis Christi, videlicet specie panis & specie vini. Nam & Paulus hunc morem testatur fuisse in Ecclesia Corinthiorum, & Christus, cum instituit sacramentum, non solum pro parte Ecclesiæ, videlicet pro sacerdotibus, sed pro universa Ecclesia hunc usum Sacramenti ordinavit, & extant Hieronymi & aliorum sententiæ, quæ ostendunt, hunc morem diu mansisse in Ecclesia & in Capitulo. *Comperimus*, præcepit Gelasius, *quod utraque species sumatur; quare recens prohibitio tantum est humana traditio.* Quare non habet autoritatem mutandi institutum Christi, nec sunt cogendi homines propter humanam traditionem, ut contra conscientiam mutent morem traditum a Christo & usurpatum in veteri Ecclesia, cum constet, hunc usum legitimum & pium esse.

A. 1540.

De Conjugio Sacerdotum.

(c) *De conjugio cleri.*

De virginitate & de continentia & de conjugio manifestam Pauli sententiam *1. Corinth. 7.* sequimur & defendimus. Et quemadmodum Christus laudat Evnuchos, qui se castraverunt propter regnum Dei; ita nos quoque docemus, virginitatis conservationem bonum opus esse, & utile ad assiduitatem præstandam in studiis & in meditatione, in precatione; in ministeriis Ecclesiasticis, sicut Paulus inquit: *Maritum ea curare, quæ sunt mundi, cœlibem vero, quæ sunt Domini;* nam maritum impediunt occupationes domesticæ, quo minus possit præstare illam assiduitatem, utilem studiis & ministeriis publicis, sed cœlebs est expeditior, quare & majorem intentionem animi adhibere potest in discendo, docendo, & cæteris functionibus, & minus ab his curis abducitur. Itaque commodum est eligere & habere in Ecclesiis ministros pure cœlibes, & adhortandi sunt hi, qui videntur idonei, ut donum Dei propter utilitatem Ecclesiæ conservent sua diligentia & temperantia, & docendi, quod Deo placeat hoc officium & habeat magna præmia. Sed quia Christus ipse testatur, *non omnes idoneos esse ad perpetuum cœlibatum*, ideo sentimus, his, qui non sunt idonei ad cœlibatum, conjugium nec prohibendum esse nec prohiberi posse voto aut lege humana, quia votum & leges humanæ non possunt nos liberare a lege divina & jure naturæ: est autem lex divina, ut *unusquisque, qui non habet donum continentiæ, habeat uxorem vitandæ fornicationis causa.* Et jus naturæ est appetitio conjunctionis conformis rectæ rationi. Ad hanc naturalem, ut vocant, στοργήν accessit jam concupiscentia, quæ magis inflammat naturam, ut magis opus sit conjugio, tanquam remedio. Illa autem lex, quæ sacerdotibus prohibet conjugia, mere humana traditio est. Immo hæc nova traditio, quæ prohibet conjugia sacerdotibus, & contracta distrahit, non est orta a conciliis, sed a solis Romanis Episcopis. Est autem munditiès coram Deo, non polluere conscientiam, sed obedire Deo; quare impurus cœlibatus non est munditiès, & conjugium, cum sit sanctificatum verbo Dei, est munditiès, sicut Paphnutius dixit, *consuetudinem conjugalem esse continentiam.* Certo enim scimus, hoc vitæ genus Deo placere, & est plenum exercitiis pietatis, ideoque Ecclesia longo tempore non solum in oriente, sed etiam in occidente, habuit sacerdotes conjuges. Et testantur historiæ, hunc morem vi in Hispania & Germania mutatum esse. Et Græcæ Ecclesiæ habent adhuc sacerdotes maritos, quare conjugium non est immunditiès aut res indigna ministris Ecclesiarum. Qualia autem exempla, quantam immunditiem, quam indignam Ecclesiis pepererit lex Romani Episcopi, non est obscurum. Cumque lex divina præcipiat conjugium his, qui non præstant continentiam, judicamus, prohibitionem pontificiam de cœlibatu illicitam esse, & conjugium Sacerdotibus permittendum esse.

De votis monasticis.

(d) *De votis monasticis.*

Multæ sunt graves causæ, quare opus sit de publico alere studiosos & pios, destinatos sacris literis, ut inde sumi possint Ecclesiarum doctores. Cum enim tenuiores non possint suis facultatibus tolerare sumtus studiorum, & divites magis conferant se ad alias artes, quibus magni honores, magna præmia in republica pro-

A. 1540.

posita sunt; necesse est, Ecclesiam curare, ut publicis reditibus foveantur aliqui, qui dent operam sacris literis & cæteris artibus, quibus Ecclesia opus habet; hoc nisi fit, multis in locis defuturi sunt Ecclesiis pastores, & pertinet hæc cura ad Reges & Principes, prospicere, ne desint Ecclesiis pastores, & suppeditare sumtus docentibus & discentibus. Ideo enim Esaias vocat Reges *nutricios Ecclesiæ* & reginas *nutrices*, ut doceat, quod Reges & Respublicæ debeant defendere doctores & suppeditare sumtus; nec iniquum est, hos, quorum studia ad utilitatem Ecclesiæ destinata sunt, vicissim ab Ecclesiis ali, sicut Paulus inquit: *quis militat suis stipendiis?* Hoc consilio apparet initio cœtus in collegiis & monasteriis institutos esse, ut frequentia aliqua esset versantium in sacris literis, ex quibus eligi possint doctores, idque leges in Codice & historiæ testantur. Prodest igitur, ad hunc usum, emendatis opinionibus & cultibus impiis, conservare collegia & monasteria; non enim satis est, juventutem, quæ admovenda est olim Ecclesiæ gubernaculis, literas discere, sed etiam disciplina quadam & piis exercitiis assuefacienda est ad amorem ceremoniarum & pietatem, nam qui non sunt tali diligentia assuefacti, plerumque magis sunt profani, quam expedit. Ad hæc opus est Ecclesiæ doctis & peritis pastoribus; plurimum autem ad doctrinam confirmandam & formanda judicia conducit illa familiaris cum doctis & peritis rerum spiritualium conversatio: nemo enim potest solidam doctrinam sine tali collatione consequi. Si autem omnino deerunt pastores Ecclesiis, aut erunt pastores indocti & inexercitati & tyrones, qualem statum futurum Ecclesiæ putabimus? vastitas & barbaries futura est, amissis literis, extincta doctrina. Paulus vetat eligi Neophytos, quia sciebat opus esse peritis & exercitatis doctoribus, Nazianzenus deplorat Ecclesiæ calamitatem, quia hi, qui antea non didicissent, subito fierent doctores, non doctrina sed suffragiis evecti. Basilius ait, sibi doctrinam præstantium patrum, quos audierit, adhuc personare in auribus. Quare valde optandum est, ut talia sint monasteria, in quibus floreat & propagetur doctrina, & recte assuefiat juventus, & præparetur ad ministeria Ecclesiæ, ut haberi possint eruditi & exercitati doctores Ecclesiarum. Talia fuerunt olim collegia Episcoporum, ut ex Ambrosii & Augustini historiis & aliis apparet, in quibus diu propagata est doctrina; postea, cum in talibus collegiis studia doctrinæ negligerentur, magna mutatio doctrinæ secuta est, quæ non leviter nocuit Ecclesiæ. Itaque, conservata politia collegiorum & monasteriorum, emendentur opiniones, tollatur superstitio, abjiciantur impii cultus, & renoventur studia doctrinæ ad utilitatem Ecclesiæ; nos enim judicamus opiniones illas impias esse, sentire, quod monastica vota mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam, aut sint justitia vel perfectio christiana; & quanquam licita vota servanda sunt, tamen vota monastica sunt illicita, facta cum falsa persuasione, quod illa opera, sine mandato Dei excogitata, non sint res indifferentes, sed sint cultus, & mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam. Quare sunt irrita vota. Quod igitur ex Paulo objicitur de viduis, quod primam fidem irritam fecerint, etiamsi tunc fuissent aliqua vota, tamen ille locus non potest accommodari ad vota monastica horum temporum, quæ, cum fiant cum impia opinione, non sunt vota. Transferunt enim gloriam Christi in humanas observationes, & veros cultus in Ecclesia obscurant, scilicet fidem in Christum, & bona opera vocationis: quis enim non anteferebat observationes monachorum functioni magistratus & patris familias? hæc enim tanquam profana & immunda opera vix excusabilia videbantur; fides vero obscurabatur, quia non docebant, gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, sed tribuebant hunc honorem suis observationibus; & has opiniones & hæc exempla imitabatur reliqua Ecclesia, & superstitiose sentiebat, opera traditionum humanarum cultus esse, ac mereri remissionem peccatorum & vitam æternam; cum autem has opiniones damnet Evangelium, constat, vota monastica, cum hac persuasione facta, non esse licita.

A. 1540.

Adhæc non omnes sunt idonei ad perpetuam continentiam, debet autem votum esse de re possibili, & constat, multos juvenes & puellas intrudi in monasteria & cogi, ut faciant vota ante justam ætatem, qua in re quantum sit periculi, non est obscurum. Concedendum est igitur iis, qui malunt in alio vitæ genere pie vivere, ut discedant ex monasteriis. Recte faciunt & illi, qui discedunt a monachis, ubi in monasteriis coguntur observare impios cultus, ut abusus Missarum, indulgentias & pleraque alia. Si qui autem idonei ad vitam monasticam malunt in illis collegiis vivere, si sunt emendatæ opiniones & cultus, & utuntur ordinationibus, velut rebus indifferentibus, hos non reprehendimus, ac multos sanctos & præstantes viros hoc animo pie vixisse in monasteriis judicamus, immo optandum est, ut sint talia collegia doctorum & piorum virorum, in quibus ad utilitatem communem Ecclesiæ colantur studia doctrinæ christianæ, & adolescentes non solum doctrina erudiantur, sed etiam piis exercitiis & illa pædagogia rituum assuefiant ad pietatem, sed ita, ne votis irretiti cum periculo conscientiæ retineantur. Et hoc vitæ genus, quia destinatum esset ad utilitatem Ecclesiæ, ad docendos & exercendos eos cœtus, ex quibus sumi possent Ecclesiarum doctores, esset pium & placeret Deo, haberet enim cultus a Deo mandatos; est enim mandatum Dei, ut accessuri ad ministeria doceantur & exerceantur, & propter hunc finem probat Deus pædagogiam rituum. Possunt & monialium collegia esse, ubi puellæ discant literas & doctrinam pietatis; sed non sunt retinendæ in monasteriis juvenculæ, quæ nubere cupiunt, nec deinceps ullæ votis onerandæ sunt, est enim Pauli doctrina servanda, qui ita suadet virginitatem, ne velit laqueos injici conscientiis.

ADDITIO IV.

Operæ pretium est, ut sententiam Theologorum (a) hoc anno Smalcaldiæ congregatorum contra *Sebastianum Francum, Casparum Schwenckfeldium*, aliosque fanaticos, stylo *Melanchthonis* conceptam ex *Pezelii Part I. p. 385. & sqq.* exhibeamus, qua simul hypocrisis hominum istorum rejicitur, qui singularis sanctimoniæ prætextu separationes quærebant, verboque Dei & sacramentis efficaciam denegabant, ex Donatistarum errore, si ministri vitiosi essent. Faciebant id plerique ex Anabaptistis, magno tamen cum fuco, quia aliam sanctimoniæ formam sibi ipsis effinxerant, inspirationes jactitantes, iisque flagitia enormia excusantes, ut notum est. Verba autem sententiæ illius theologicæ hæc sunt:

(a) *Theologorum Protestantium sententia contra fanaticos quosdam.*

Vagantur passim errores quidam, qui abducunt populum a cœtu Ecclesiarum, quæ recte constitutæ sunt, hoc est, quæ nullos habent idololatricos & impios cultus, & ubi recte & pure traditur Evangelii doctrina. Cum autem Deus voluerit, ministerium Evangelii esse publicum, idque ab omnibus ornari & conservari præceperit, non dubium est, graviter offendi Deum contumacia omnium, qui cœtus Ecclesiarum, quæ recte constitutæ sunt, deserunt, aut alios inde abducunt. Sicut Christus inquit: Qui vos spernit, me spernit. *Discessimus ab Ecclesiis Papæ propter manifestam idololatriam & impia dogmata plurima, quæ in Papæ Ecclesiis regnant. At nulla vera causa est, quare ministerium in nostris Ecclesiis deserendum sit. Itaque hortamur omnes pios, ut discant amare Ecclesias suas, & ministerium recte constitutum non aspernentur, nec audiant fanaticos spiritus, qui deterrent cæteros ab audiendis piis doctoribus, & usu sacramentorum in nostris Ecclesiis. Intelligimus, spargi semina Donatistarum. Nam hypocritæ quidam, qui & justitiam fidei ignorant, & cum sint homines otiosi, veros cultus, hoc est, officia vocationis nec intelligunt, nec præstant, fastidiunt communes honestos mores, & simulatione singularis modestiæ & sapientiæ se ad populum venditant, vituperant ministros Evangelii sine justa causa. Deinde cum ceperint homines, ut fit, novæ & insuetatæ religionis admiratione, spargunt falsa dogmata, negant efficax esse ministerium Evangelii, quod isti publice ad-*

A. 1540.

ce administrant, cum Paulus diserte dixerit de ministerio: Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti: *Item*, fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. *Ideo hortamur pios, ut sint vigilantes, nec se ab illis fanaticis ac fastuosis hypocritis decipi sinant, sed publicum ministerium ament & ornent; sicut docent nos plurima dicta Spiritus Sancti:* Quam dilecta tabernacula tua, *&c.* Quam speciosi pedes evangelizantium pacem. *Sunt & alii, similes Scepticorum, qui Ecclesias & ministros vituperant, dum volunt videri nullis addicti partibus. Hi quoque inveniunt applausores, quia semper grata est vulgo reprehensio gubernatorum. Sciunt autem pii, in Ecclesia oportere extare cujuslibet sinceram confessionem, sicut inquit Paulus:* Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. *Quam quisque judicat esse Christi Ecclesiam, huic se adjungat, & profiteatur, se eam probare, ne aliorum fidem sua dissimulatione debilitet. Nec est, nisi unica Christi sponsa Ecclesia, quæ videlicet recte docet Evangelium, recte administrat Sacramenta, nec habet cultus impios, aut idololatricos. Ad hanc unam pertinent promissiones factæ Ecclesiæ. In hac exaudit Deus invocantes: In hoc cœtu necesse est aliquos esse Deo placentes. Nec constat hic cœtus ex diversis sectis, ut* Sebastianus Francus *fingit, qui omnes pariter fingit esse Ecclesiam, Papistas & eos, qui nobiscum sentiunt. Hanc fanaticam opinionem sciant pii improbandam esse, & meminerint, oportere extare confessionem, quam quisque Ecclesiam probet. Scribit & alia multa* Sebastianus Francus *digna reprehensione. Edidit paradoxa, in quibus & hoc est:* Omnia peccata esse paria. *Etsi autem studet hoc dictum & similia glossis quibusdam pingere & fucare, tamen hæ præstigiæ disputationum non sunt utiles in Ecclesia. Improprie dicta multos errores pariunt. Nec Ecclesia a Zenone, sed a Christo dogmata accipit, qui discernit inter blasphemias & cætera peccata, item inter peccata Sanctorum & impiorum. Multa etiam colligit* Francus *ad Scripturæ autoritatem extenuandam, & jubet Spiritum quæri, omisso verbo. Nos autem retineamus dictum Pauli:* Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. *Spiritus Sanctus est efficax per verbum. Nec assentiendum est ullis imaginationibus de DEO & voluntate Dei, sine certo verbo Dei. Hanc verbi Dei & ministerii gloriam omnes pii discant agnoscere & venerari, ut veram & firmam doctrinam & consolationem retineant. Circumfertur &* Schwenckfeldii *libellus, qui negat humanitatem Christi post glorificationem esse creaturam, ac vituperat omnes, qui dissentiunt, eosque vocat* creaturistas. *Nos in Ecclesiis nostris fideliter retinemus symbola, Apostolicum, Nicænum & Athanasii, & damnamus omnes errores pugnantes cum his symbolis, damnatos a Catholica Ecclesia Christi, & agnoscimus hæc symbola vere tradita esse in verbo Dei, conscripto per Prophetas & Apostolos. Scimus autem, hanc propositionem:* Christus est creatura, *rejectam esse a Catholicis propterea, quia Ariani eam intelligebant de utraque natura in Christo, qui negabant, filium DEI λόγον esse ὁμοούσιον Patri, sed contendebant, creatum esse ex nihilo. Sed hoc tempore non disputat Schwenckfeldius de forma loquendi, sed contendit, naturam humanam in CHRISTO non esse creaturam, ante glorificationem fuisse creaturam. Hoc delirium improbamus & dicimus, humanam naturam in Christo & esse & manere creaturam, ut Johannes inquit:* Et verbum caro factum est. *Ita & nos dicimus cum tota Ecclesia Catholica, filium Dei λόγον coæternum Patri, assumsisse humanam naturam ex Maria Virgine, tempore constituto divinitus, duasque naturas unitas esse, sic, ut una persona sit Jesus Christus, filius Dei, natus ex Maria virgine. Manet tamen sua proprietas naturis; divina est coæterna Patri, humana est creatura, orta ex semine Abrahæ, sicut promissio dicit:* In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Si natura humana in Christo mutata esset in Deitatem, ut fingit Schwenckfeldius, jam non benediceremur in semine Abrahæ. Refutatur autem Schwenckfeldius multis illustribus testimoniis. Symbolum dicit:* Natus ex Maria virgine, *& deinde,* sedet ad dextram Dei Patris, *Ille idem natus ex virgine, sedet ad dextram Dei. Et apud Lucam:* Ecce manus & pedes meos, quia ego sum, contrectate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. *Et Rom. I.* De filio suo nato ex semine David, secundum carnem. *Etsi autem & nos invocamus & prædicamus Christum, Deum & hominem, sedentem ad dextram patris, & cognoscimus humanam naturam ineffabili gloria ornatam & immortalem esse, tamen esse naturam humanam genitam ex Maria virgine, ex semine Abrahæ affirmamus, ideoque creatam fatemur & prædicamus, eoque consolationem habemus in Christo, quia fratrem esse scimus, & os ex ossibus ejus, & Pontificem ex hominibus assumtum, qui ut perpetuo pro nobis interpellat, ita perpetuo est Pontifex Deus & homo. Repudiamus igitur delirium Schwenckfeldii, qui si fatetur Christum esse Deum & hominem, cur negat humanam naturam esse creaturam? Si vocat creaturam tantum naturam mortalem, cur novo modo loquitur, & conturbat Ecclesias? Nos* creaturam *vocamus usitato more res a Deo conditas ex nihilo & ab his ortas.*

(b) *Speciatim contra eos, qui sanctitatis prætextu separationem quærunt.*

(c) *Contra Sebast. Francum nominatim.*

(d) *Contra Schwenckfeldium.*

ADDITIO V.

Referri ad conventus Smalcaldici acta etiam meretur testamentum *Philippi Melanchthonis*, quod is, nescio quo mentis præsagio, (astronomiæ enim aliquantum tribuebat) VVittenbergæ condiderat. Haud prorsus tamen vanum fuisse ejus metum, morbus ostendit, quo, ad conventum Theologorum *Hagenoæ* institutum proficiscens, (ut in loco memorabitur) *Vinariæ* oppressus fuit. Multa vero notatu dignissima in testamento hoc reperiuntur, quæ ad religionem spectant; neque tamen adversarii veteres & recentes cavillandi justam caussam habebunt, dum *Melanchthon* fatetur, se methodum & formam explicationum aliquando mutasse: fatis enim clare affirmat, factum id esse salva sententiæ veritate. Formula autem testamenti hæc est ex *Pezel. Part. I. p. 389. & sqq. In nomine DEI Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Apparet, initio præcipue condita esse testamenta propter hanc caussam, ut patres relinquerent liberis certum testimonium suæ sententiæ de religione, quam volebant gravi autoritate quasi obsignatam propagari ad posteros. Item ut liberos ipsos ad eandem sententiam retinendam & conservandam obligarent, sicut exempla ostendunt in testamento Jacob & Davidis. Ideo & Christus suum quoddam testamentum hoc modo condidit. Et quia testamenta continebant explicatas, certas immutabilesque sententias de doctrina cœlesti, rerum magnitudo auxit testamentorum autoritatem. Quare & ego meorum liberorum & quorundam amicorum admonendorum caussa, volui initio in Testamento, & meam confessionem recitare, & liberis meis præcipere pro officio Patris, ut in eadem sententia constanter maneant.* Primum *autem ago gratias Deo Patri Domini nostri Jesu Christi pro nobis crucifixi, conditori omnium rerum, quod me vocavit ad pœnitentiam, & ad Evangelii agnitionem, ac oro, ut propter Filium suum, quem pro nobis voluit esse victimam, mihi condonet omnia peccata, me recipiat, justificet, exaudiat, & a morte æterna liberet: sicut credo vere facturum esse. Nam ita jussit nos credere, & impietas est, pluris facere peccata nostra, quam mortem filii Dei. Hanc antefero meis peccatis. Rogo autem, ut hæc initia fidei in me Deus confirmet Spiritu suo sancto, propter Filium mediatorem. Excrucior equidem & meis peccatis, & scandalis aliorum, sed antefero mortem Filii Dei, ut gratia exuberet supra peccatum.* Secundo *affirmo me vere amplecti symbola, Apostolicum, & Nicænum, & de tota doctrina Christiana sentire, ut scripsi in Locis communibus & Romanis* (Comment. in epist. ad Rom.) *postremæ editionis, in quibus explicate de singulis articulis, sine ambiguitate conatus sum dicere, quod sentio. De cœna Domini amplector Formulam Concordiæ hic factam. Adjunxi me igitur nostris Ecclesiis, & has judico profiteri Catholicæ Ecclesiæ Christi doctrinam, & esse vere Christi Ecclesias; ac præcipio meis liberis, ut in nostris Ecclesiis maneant, ac fugiant Papistarum Ecclesias & conjunctionem. Nam Papistæ in*

(a) *Testamentum Melanchthonis.*

(b) *Indicat errores Pontificios.*

A. 1540.

in multis articulis profitentur corruptissimam doctrinam: prorsus ignorant doctrinam de justitia fidei, & de remissione peccatorum: nihil tradunt de discrimine legis & Evangelii: de invocatione Dei habent ethnicas aut Pharisaicas opiniones. Ad hos errores addunt & alios multos, & manifestam idololatriam, in missis suis, & cultu mortuorum hominum. Peto igitur a meis liberis, ut mihi propter mandatum Dei in hac re obtemperent, nec se adjungant Papistis. Et quoniam video impendere ad posteros novas conturbationes dogmatum & Ecclesiæ, ac fortassis existent Spiritus fanatici ac leves, qui labefactabunt articulos de Filio Dei, & de Spiritu Sancto, volo præmonitos meos, ut constanter retineant sententiam, quam profiteor in Locis cum Catholica Christi Ecclesia, ubi damno Samosatenum, Servetum, & alios, dissentientes a Symbolis receptis. Erunt etiam fortassis novæ dogmatum conciliationes Sophisticæ post hanc ætatem, ubi restituentur veteres errores non nihil fucati, & hæ conciliationes corrumpent doctrinæ puritatem, quæ nunc traditur. De his quoque præmoneo meos, ne Sophisticas conciliationes approbent. Sed hic eruditi hortandi sunt, ut advigilent, ne specie pacis & publicæ tranquillitatis recipiant dogmatum confusionem, qualis in Sirmiensi Synodo facta fuit. (c) *Methodi suæ rationes reddit.* *Vere hoc possum affirmare, me conatum esse, ut vere & proprie explicarem nostrarum Ecclesiarum doctrinam, ut juventus rectius intelligere nostras sententias posset, & ad posteritatem conservare. Hæc forma si prodest, ut judico, rogo Casparum Crucigerum, & alios qui nos audiverunt, ut eam in scholis conservent. Scio, quosdam aliquando suspicatos esse, me quædam moliri in gratiam adversariorum. Sed Deum testem facio, me adversariis non patrocinari voluisse, sed quæsivisse proprietatem in explicando, ut juventus has res rectius perciperet, sine ambiguitatibus, & quam difficile mihi fuerit, hunc ordinem & methodum in explicando reperire, multi norunt, qui sciunt, me formam in explicando sæpe mutasse; & constat, Augustinianam formam non satis explicatam esse. Ideo affirmo, me bono studio hanc methodum instituisse, quæ extat in Romanis, & quidem cupio post me relinquere sententias certas, sine ambiguitate: quia ambiguitas postea parit novas discordias. Nec meum consilium fuit, ullam novam opinionem serere, sed perspicue & proprie exponere doctrinam Catholicam, quæ traditur in nostris Ecclesiis, quam quidem judico singulari Dei beneficio patefactam esse his postremis temporibus per D. D. Martinum Lutherum, ut Ecclesia repurgaretur & instauraretur, quæ alioqui funditus periisset. Ergo hanc lucem, quam diu possumus, conservemus. Ac precor Deum Patrem Servatoris nostri Jesu Christi, conditorem omnium rerum, ut piorum studia adjuvet, & conservet aliquam Ecclesiam, ac præsertim benedicat nostris Ecclesiis, quæ propter Evangelium sustinuerunt certamina diuturna.*

(d) *Agit gratias Luthero, item Principi & aliis.*

Ago autem gratias Reverendo D. Doctori Martino Luthero, primum, quia ab ipso Evangelium didici; deinde pro singulari erga me benevolentia, quam quidem plurimis beneficiis declaravit, eumque volo a meis, non secus ac patrem, coli. Ego, quia vidi & comperi, præditum esse excellenti & heroica vi ingenii, & multis magnis virtutibus, pietate ac doctrina præcipua, semper eum magnifeci, dilexi, & colendum esse sensi. Ago etiam gratias Illustrissimo Principi, Duci Saxoniæ Electori, Domino Johanni Friderico, cujus erga me fuit singularis clementia & liberalitas. Ac oro Deum, ut servet eum incolumem, defendat, ac gubernet, ad suam & communem salutem Ecclesiæ, & multarum gentium. Fuit mihi etiam pergrata benevolentia viri Clarissimi Domini Cancellarii Pontani, quem & ipsum propter egregiam vim ingenii & virtutem dilexi, eique pro omnibus beneficiis gratias ago. Ago gratias & cæteris bonis viris, qui constantiam in amicitia nostra perpetuam præstiterunt, Georgio fratri meo, Joachimo Camerario, Domino Cancellario Francisco (id est, Burcardo) D. Jonæ, D. Pomerano, Crucigero, D. Augustino, (Schurfio) D. Milichio, Paulo Ebero, Vito. Ac precor Deum, ut eos servet. Nec judico extingui has amicitias mea morte; sed sentio nos paulo post in cœlesti vita conventuros esse, ubi verius frui licebit amicitia nostra, & erit multo dulcior familiaritas. Precor etiam omnes, ut mihi amanter dent veniam erratorum meorum, si qua in re quemquam offendi. Certe petulanter non volui offendere. Etiam omnibus in Academia Doctoribus, ac collegis meis gratias ago, quod me amanter multis officiis in Republica, & privatim adjuverunt.

§. LXXIX.

(1) *De actis conventus Hagenoensis, & contradictione Legatorum Pontificia adversus colloquium.*

Quanquam in conventu *Hagenoviensi* neque colloquium habitum est, quod intendebatur, neque aliud conclusum, quam ut alius conventus *Wormatiæ* haberetur, multa tamen ex actis illis observari possunt de utriusque partis consiliis & curis; sed sic, ut Protestantes majorem candorem & simplicitatem ostenderint, non neglecta tamen debita circumspectione, ut ex fideli, quam ex authenticis documentis hausi, relatione, ut spero, æquis lectoribus probabitur. Prima aulæ Cæsareanæ cautela fuit, ut Catholici non eo die, qui Protestantibus præfinitus erat, videlicet 6. Jun. sed 23. Maji *Hagenoæ* adesse juberentur, ideo nimirum, ut intra quindecim dies ante Protestantium adventum cum iis agi possent, quæ expedire videbantur. Sed incidit prius quam consilium illud productum est, acris cum Legatis Pontificiis, *Farnesio* & *Cervino*, Cardinalibus, concertatio. Cum enim, referente *Pallavicino Lib. IV. c. X. §. 11.* ex *Granvellano*, post emissum jam edictum de conventu, intentionem Cæsaris de colloquio intellexissent, vehementer contradicere cœperunt. Quæ in Protestantes declamaverint, & Turcis pejores hos esse criminati sint, luculenter retulit *Sleidanus Lib. XIII. p. 364.* Secretiora aperit *Pallavic. d. l.* ex quibus apparet, Cæsarem quidem serio intendisse colloquium cum Protestantibus instituendum, & putasse (ut *Granvellanus* causabatur) quod id Pontifici displiciturum non esset; sed dimoveri tamen se a proposito passus est, cum Cardinales acerbissime, ut *Pallavic. §. 13.* loquitur, contraniterentur, & periculum autoritati Pontificiæ imminens magnopere exaggerarent; verendum etiam esse dicerent, ne reliqui Germaniæ Principes cum Protestantibus consentirent & conjunctim a sede Romana penitus deficerent: pro remedio autem Concilium Oecumenicum proponebant. Acrius ista dicta & scripta fuisse non dissimulat *Pallavicinus*, quam ut sine indignatione a Cæsare legi potuerint, effectu tamen non caruerunt. Notabile est, quod de *Farnesio* memorat idem autor, quod consilio illo & decreto Cæsaris de habendo colloquio perculsus, & ex juvenili, ut ait, hebetudine interiora rerum non assequens, ausus fuerit Pontifici, avo suo, magna cum libertate suggerere, ut celerrime ad emendationem curiæ & Cleri procederet. (2) *Farnesii ad Pontificem literæ.* Hoc profecto ex conscientia immanium corruptelarum, & metu, ne in colloquio manifestarentur, ortum esse oportet, bonæque mentis impetum ostendit. Sed fregit illum, qualiscunque fuerit, teste Pallavicino, *Heldus* aliique, quos *veræ fidei* (qualem intelligat, haud obscurum est,) *studiosos* appellat. Hi enim a congressibus istis excidium religioni instare prænunciabant, id est, potentiæ Pontificiæ & Cleri, suisque commodis; horum nempe conservandorum causa omni reformationi dogmatum & disciplinæ pervicacissime resistebatur. Perspecta igitur Pontificis voluntate, oblatis

A. 1540.

oblatis etiam ab eodem auxiliis & nummis permoti Cæsar & Ferdinandus, etsi sine summo dedecore omnisque arcani revelatione conventum indictum revocare aut suspendere non possent, modum tamen illum, quem dixi, invenerunt, ut Catholicos prius separatim evocarent; factum id enim est post certamen illud cum Legatis Pontificiis quod circa d. 20. Apr. accidit, nam Ferdinandi ad Protestantes literæ d. 28. April. datæ sunt.

ADDITIO I.

Supplenda hic sunt, quæ *Raynaldus* ex tabulario *Vaticano* producit, ex quibus consilia Pontificia, ut & Germanorum quorundam, perspiciuntur. Adventum Cæsaris, qui toto decennio ex Germania absens fuerat, multorum in Italia & Germania animorum motum excitasse, dubitari non potest. Exhibetur a *Raynaldo* consultatio sive oratio, quam *gravissimam* vocat, in anni hujus 1540. historia *n. 4.* Ejus autor desperat fere, quod Imperator effecturus aliquid sit pro pace religionis, cum Augustæ anno 1530. nihil effecerit. Inter *tria*, quæ a Cæsare agi posse putat, *primum* esse ait concordiæ inter partes stabilimentum; sed hanc ob summam animorum dissensionem, per viginti annorum rixas exasperatam, sine summa Spiritus sancti operatione obtineri non posse: *alterum* esse, ut Lutherani armis subigantur; verum hinc totius Germaniæ lamentabile exitium metui debere, firmius etiam putat esse fœdus schismaticorum, quam ut Cæsaris viribus frangatur, nisi forte stratagematibus uti noverit; bellum itaque suadere non vult: *tertium* superesse dicit, ut Monarchæ vel nolentes patiantur, sectam suo libitu Germaniæ provinciis imperitare, atque captivis & miseris Ecclesiis dominari. Eventus sane huic vel judicio vel præsagio fidem aliquam fecit, postquam, frustra tentatis prioribus duabus viis, tertia locum invenit, Ecclesia quidem in Protestantium provinciis & urbibus non in captivitatem aut servitutem, ut consultor ille metuit, redacta, sed in libertatem legitimam asserta. Aperit posthæc *Raynaldus*, quæ ex Germania Romam a clientibus quibusdam perscripta fuerant. *Cochlæus fer. 3. post Lætare* (d. 9. Mart.) *Uratislavia* Card. Contareno (n. 5.) hæc significavit: *Nostri in Germania Ecclesiastici Prælati, nescio an ignavia, an desperatione langueant, suorum ubique patientes censuum accisionem, ac decrementum: Lutherani vero nullis parcere satagunt curis, laboribusque & sumtibus: excogitant varias rationes & ordinationes, quibus stabiliant sectam suam. Ordinant Superintendentes, novos scilicet Episcopos, quibus dant potestatem ordinandi Presbyteros & Diaconos, unicuique in districtu suo: in scholis vero diligentissime instruunt pueros, & sua doctrinæ commendatione, & Papistarum odio ac contestatione; atque, ut animosi fiant ad prædicandum populis, exercent eos quibusdam ex postilla Lutheri declamationibus. Suarum præterea Ecclesiarum ministris largius amplificant stipendia, quemadmodum & scholarum Rectoribus, ex abolitione Missarum privatarum. Audio equidem, in hac ampla & egregia civitate Uratislaviensi, quæ jam ultra quindecim annos perpetuo lutherizat, supra quingenta beneficia simplicia, quæ altari vacant, aboleviße Senatum, & in communem cistam omnes fructus & reditus illorum convertiße, unde scholis suis Ecclesiarumque ministris largius, quam antea, tribuant stipendia. Hoc tamen a me scriptum, nollem rescire Senatum.* (Notanda est timiditas hominis, cujus ferocia post mortem Georgii Ducis haud parum mitigata erat.) *Itidem fit Magdeburgi, Hamburgi, & per totam fere Germaniam, ubicunque invaluit hæresis ista; ut mihi sane difficillimum videatur, e pectoribus hominum eradicare hanc luem, quam in teneris annis imbibunt in scholis & in publicis concionibus, atque etiam domi ex librorum lectionibus; Deo tamen omnia possibilia sunt.* Odium quidem & invidiam Cochlæi hæc sapiunt, interim progressum doctrinæ Evangelicæ & curam Principum atque civitatum de illa conservanda simul ostendunt. Malignior vero & prolixior relatio est *Joh. Eccii*, ad eundem Cardinalem d. 13. Mart. Eichstadii data, quæ *n. 6.* subjungitur. In hac omnia exaggerat & sugillat, tristemque & lugubrem Germaniæ statum depingit. Divis cœlitibus venerationem subtrahi queritur; miseris animabus in purgatorio suffragia non dari; sacra Missarum cessare; imagines deturpari, conspui & confringi. Maxime vero deplorat bonorum & thesaurorum Ecclesiæ distractionem, contemtum Papæ & Cleri, & quod Roma pro meretrice Babylonica habeatur; sublatum cœlibatum & rupta monachorum vota, aliaque ejusmodi addit, quibus veterum abusuum reformationem deplorat. Ignaviam exprobrat iis, qui hæresin in scintilla non extinxerint, quod tum fieri debuisset, dum ipse cum *Carolostadio* & *Luthero* Lipsiæ disputasset. Sed contemtum fuisse Romæ *fraticellum* (*Lutherum*) cujus tamen plausibilia argumenta Germani magno cum favore auscultaverint, nec minori plausu exceperint distinctionem *curiæ* & *Ecclesiæ* Romanæ. Accusat Prælatos Germaniæ, quod ad ista riserint, & tacite speraverint, *fore, ut a gravaminibus curiæ Romanæ & diris exactionibus in confirmationibus & collationibus pallii, item a privilegiorum violationibus, iniquis intrusionibus, enormibus dispensationibus ac similibus liberarentur: arbitratos esse, totam hanc tempestatem in Romam lapsuram, & animos in spem libertatis erexisse.* Hæc profecto *Eccius* satis libere apud Cardinalem fassus est, quanquam male judicet, hoc initium dolorum & servitutis fuisse. *Fratres* etiam, sive monachos, culpat, quod *fratrem* (Lutherum) lædere noluerint; putat etiam deterritos esse, quod in causa *Capnionis* a Sede Apostolica defensi non solum non fuerint, sed & ludibrio & risui expositi. Laudat quidem Academias, Parisiensem, Lovaniensem ac Coloniensem, quæ sententiis suis lectulum Salomonis defenderint, sed spretas illas & famosis libellis proscissas fuisse. Alias scholas tacuisse, doctosque viros vidisse, se negligi, nullisque honorari beneficiis & dignitatibus: hoc *VVimphelingio* optimo Theologo, hoc *Zinzelio* prædecessori suo, contigisse, & sibi in hunc diem evenire, (nulla scilicet præmia & beneficia avaritiæ hominis sufficiebant) *se solum cum bestiis* (sic pro modestia sua adversarios vocat) *congressum*, donec *socius accurrerit Emserus, vir optimus & doctus.* (ut judicat) *Interim se sub titulo indoctorum canonicorum, ut indoctum sophistam & calumniatorem diffamatum, Lutherum ob paritatem Evangelii & dona Spiritus cum Paulo ferme æquatum esse.* Recenset deinde, & graviter improbat omnia Lutheri acta, nec non Zuinglii, & enumerat provincias & civitates, a Romana sede avulsas, per totam Germaniam, nominatim in Ducatu *VVürtenbergico*, cujus ditissima monasteria tredecim, septem Ecclesias Collegiatas, plura quam bis mille beneficia curata & simplicia computat. In Saxonia inter civitates Imperiales imperite refert *Francobusam & Gorlitium*: quarum illa Comitibus Schwarzburgicis paret, hæc Lusatiæ municipium est. Nec illos solum Principes taxat, qui palam religionem mutaverint, sed & qui per conniventiam sacerdotibus uxores, monachis exeundi ex claustris suis facultatem, & plebi communionem sub utraque permiserint; quo nomine speciatim reprehendit *Marchiones Badenses* & *Fridericum Palatinum*. Sub Rege Ferdinando salva quidem omnia esse scribit, sed plurimos tamen in *Austria* ex Baronibus & nobilibus esse Lutheranos, *Silesiam* majori ex parte infectam: a solis *Bavariæ* Ducibus tanta cum severitate puniri deviantes a religione, ut ne verbum quidem mutire audeant. Numerat in Bavaria LXXIII. monasteria opulenta, VII. Ecclesias collegiatas, XXXV. oppida, LXXII. castella Principum, nobilium arces, villasque regionis, pagos nempe, sine numero esse dicit: Electorem *Palatinum*, aliosque ejus familiæ bonos quidem esse, (id est, non Lutheranos) sed qui non puniant excedentes, excepto uno *Johanne Palatino Spanheimensi*, sive auff dem Hundsrück/ (is Cameræ Præses erat.) Desperat, ut reduci possint, qui per tot annos in erro-

(1) Consultatio Romæ exhibita, de adventu Cæsaris in Germaniam.

(b) Cochlæi literæ ad Contarenum de statu religionis in Germania.

(1) Farnesii ad Pontificem literæ.

A. 1540.

A. 1540.

re (ut ait) sint versati: dubitat etiam, si reducantur, an monachi & sacerdotes haberi possint, aut Ecclesiæ cathedrales reformari. Queritur, in his solos nobiles (ut loquitur) canonicari, & inter plurimos vix paucos esse, qui sacerdotes initiati sint, aliquos nunquam orare, alios raro horas canonicas recitare, Theologiæ nullum studere. Enumerat quatuordecim Academias Germaniæ, ex quibus sex in manibus hæreticorum esse dicit, *Basileensem*, *Tubingensem*, *Erfurtensem*, *Lipsiensem*, *VVittebergensem*, & *Francofurtensem*, (ad Viadrum,) ubi Doctores in singulis Facultatibus promoveantur, & Landgravium *Marpurgi* propria autoritate idem moliri. Se dudum suasisse, ut omnes illæ Academiæ privilegiis privarentur, & ab omni promotione & beneficiis excluderentur, qui literis in illis studerent, consuluisse etiam, ut collegia ad alliciendam juventutem ad ordines sacros instituerentur, & *Leonem X.* id promisisse, sed morte præventum esse. His atque similibus querelis atque calumniis exacerbabatur Pontifex, ut ab omni concordiæ in religione procurandæ, & Ecclesiæ reformandæ studio magis magisque abalienaretur, & Cæsarem ad mitiora inclinantem per Legatos suos ad rigorem incitaret.

ADDITIO II.

(a) *Scriptum, a Card. Farnesio Cæsari exhibitum, ex Raynaldo, ejusque exordium.*

Scriptum, cujus *paragrapho hoc n. 2.* mentionem fecimus, integrum annalibus suis inseruit *Raynaldus n. 15. & seqq.* quod hic referendum esse duximus, etsi summa ejus a *Sleidano* fideliter exposita sit: eximium enim Pontificiæ acerbitatis in Protestantes documentum est. Annotationes tamen quasdam addimus ad repellendas atrociores injurias, & historiæ veritatem asserendam. Verba Legatorum hæc sunt: *Heri, cum Reverendissimus D. Legatus audivisset, Illustrem D. de Granvella, nomine Cæsareæ Majestatis, & Serenissimi Romanorum Regis proponentem, Majestatibus suis videri utile, & necessarium ad tollenda dissidia religionis in natione Germanica, quæ jam satis superque christianam pietatem labefactarunt, & quotidie magis labefactant, nec non ad providendum rebus contra Turcam, (quod exploratum sit, Turcam hoc anno Hungariam valido apparatu petiturum) conventum Catholicorum Principum ad Festum Trinitatis Spiræ haberi, in quo primum tractaretur de augendo fœdere Catholicorum, ac de nonnullis rebus Religionis, quæ forte possent concedi statibus Protestantibus; quæ tamen non essent de essentialibus catholicæ nostræ fidei; & illis semel constitutis inter Catholicos Principes, deinde alius conventus cum nonnullis Principibus Protestantium post tres sequentes hebdomadas fieret, in quo de concordia Germaniæ in fide, & de auxilio contra Turcas tractaretur, adhibitis etiam ad hunc conventum Oratoribus Christianissimi Regis, &c. Cumque idem Illustris Dominus de Granvella super hoc peteret sententiam Reverendissimæ Dominationis suæ; licet nonnulla tunc dicta fuissent, tamen quia conclusum est, ut Reverendissima Dominatio sua cogitaret, ac proponeret Majestatibus suis, qua ratione videretur sibi, posse, salvis rebus Religionis, provideri periculis Turcicis, ita sententiam, quo decet pudore, profert: Debent ante omnia prædictæ Majestates, pro comperto habere, Sanctissimum Dominum nostrum verum pacem, & unitatem Germaniæ optare, quæ tamen pax & unitas non dividat eam ab Ecclesia, & constituat perpetuum bellum cum Deo. Nihil etiam magis optat sanctitas sua, quam sævientis Turcæ, atrocissimi & potentissimi hostis, conatus posse communibus Christianorum votis ac viribus propulsari & comprimi. Veruntamen, quod ad præsentem materiam conventus Protestantium, & Catholicorum spectat, immo de Religione, & pace Germaniæ tractandum est; hæc putat animadvertenda: Cæsarea, & Regia Majestates pro sua prudentia meminisse debent, de Religione sæpius tractatum fuisse cum Protestantibus, sed præsertim Augustæ, ubi cum diu disputatum fuisset, præsentibus omnibus Statibus Imperii, a multis viris doctissimis, nihil tamen propter tortuosos recessus adversariorum potuit concludi. Tandem præsentarunt ipsi Cæsareæ Majestati Confessionem suam Augustensem, quæ quidem Confessio, licet in multis sit reprehendenda, nihilominus nullo modo fuit ab eis observata, quinimmo in multis articulis contrarium fecerunt ac faciunt. Multos etiam alios articulos, in illa Confessione præteritos, habent, dissentientes a fide Catholica, qui etiam, quando opus erit, ostendi poterunt. Itaque si cum eis tractandum erit de Religione, cum sint, tanquam anguillæ, lubrici, nihil omnino certi in manibus Catholicorum haberi poterit.*

A. 1540.

(b) *Nota ad exordium.*

Not. Acta Comitiorum Augustanorum anno 1530. supra prolixe & cum fide relata ostendent, iniquas esse imputationes de tortuosis recessibus & lubricitate Protestantium. Deprehendent potius cordati lectores, adversariis tribuenda esse illa vitia. Nec magis verum est, quod Protestantes in multis articulis contra confessionem Augustanam fecerint; huc usque sane nullo exemplo probari potuit hæc criminatio. Ineptus enim cavillus est *de Missa*, quam inter exempla mutationis præcipue allegare solent, & tantum ludunt in vocabulo; satis enim ex articulo XXIV Confessionis constat, qualem missam (integram nimirum communionem) retineri & celebrari in Ecclesiis suis profiteantur Evangelici, & quas rejiciant, illas nempe, quæ pro sacrificiis venditabantur. Qua vero fine & intentione quosdam articulos in confessione præterierint, sibique reservaverint, facultatem, pro conscientia sua, & ex norma sacrarum literarum, alios quoque emendandi, ostensum est in loco. Vid. *Lib. II. §. LXVII.* Certum etiam est, tractatus de concordia in Comitiis Augustanis impedimentum a Pontificiis consiliis ortum esse, & a tergiversatione illorum, qui nec confessionem suæ fidei edere, nec confutationem Evangelicis oppositam communicare cum his, ut petebatur, volebant.

(c) *Querela de rejecta Pontificis autoritate in conventione Francofurtensi.*

Sed & superiori anno cum Regia Romanorum Majestas pro sua pietate optasset, ac sperasset (suadente Marchione Brandenburgensi Electore) aliam viam concordiæ posse inveniri, cœpti sunt Francfordiæ tractatus partium. Verum in primo limine iterum adversarii in lapidem impegerunt, ostendentes, quam alienum animum habeant a concordia, quippe qui, excusso semel jugo obedientiæ, non reformatum summum Pontificem, sed nullum; nec remotos abusus aliquos a sede Apostolica, sed sedem ipsam destructam velint. Ex quo principio quæ potest concordia sperari, cum omnimodam perniciem, in primis sedis Apostolicæ, & ejus partus quærant, deinde (hac destructa) totius ordinis Ecclesiastici perturbationem?

(d) *Responsum ad eam.*

Not. Plurimis testimoniis in opere hoc nostro probatum damus, paratos fuisse Protestantes ad agnoscendam Episcoporum functionem, intra legitimos & pie constitutos terminos. Hinc consequens erat, ut & Pontifici, quod æquum esset, maneret. Quod vero Francofurti & alibi de hoc capite prolixe tractari & conveniri non potuit, in causa erat, quod ante omnia de dogmatibus, ad substantiam fidei & religionis pertinentibus, agi debebat, in his vero omnis spes emendationis & reformationis a parte Pontificia præscinderetur. Hoc animadverso, imprudentissimi fuissent Evangelici, si, de doctrinæ puritate minime certi, Episcopis & Pontifici dominatum, quem sibi arrogaverant, denuo detulissent. Præterea Episcopi Germani (ut ex Eccii relatione intellectum est, & acta publica testantur) de potestate Pontificis in tractatibus & colloquiis parum soliciti erant, neque summum & præcipuum articulum controversiæ in illa constituebant, ut hic Legati faciunt. Si vero de religione ipsa, ejusque primariis articulis conveniri potuisset, de regimine Ecclesiæ externo facilis fuisset transactio.

(e) *Allegat difficultates cur concordia dari non possit cum Evangelicis.*

Quod si anno superiori id fecerunt in viridi, quid nunc facient in arido? Cum videant, pacem cum Rege Gallorum nondum conclusam, & Turcam jam Hungariæ imminentem; opportunitate enim temporum erunt insolen-

A. 1540.

olentissimi, neque patientur a suis sententiis, quibus pertinaciter hærent, dimoveri; cum præsertim maxima sit diversitas inter partes, non unius, aut alterius (ut falso afferitur) articuli, sed multorum, & plusquam quinquaginta articulorum. Addendum est etiam, quod nescitur, cum quibus sit tractanda concordia, cum non omnes eadem sentiant. Lutherani hoc volunt, illud petunt Zwingliani, ut reliquas sectas omittamus.

(f) Consideratio illarum.

Not. Plures, quam unum & alterum articulum, controversos fuisse, verum est. An vero quinquaginta fuerint, & omnes ad fundamentum fidei pertinuerint, accuratiori disquisitione indiget, quæ non est hujus loci. Ad pauciora tamen capita reduci potuisse disputationem, non dubitaverim, modo eadem cura & sinceritate cum Evangelicis negotium aggredi voluissent adversarii. Quid vero hi potissimum intenderint, illi præcipue, quibus Romani Pontificis potentia & autoritas totam religionem constituebat, vel ex Legatorum hoc scripto cognoscitur. Pauci erant, qui de dogmatibus laborabant, dum honores & emolumenta sacerdotum & monachorum intacta mansissent. Dissensus inter Lutheranos & Zwinglianos illo certe tempore concordiam in Germania non impedivisset, cum nullus tunc in Imperio Princeps, nullaque civitas esset, quæ Zwinglii dogma aperte profiteretur: Augustanæ confessioni omnes adstipulabantur, in ea acquieturi, si pacem impetrare potuissent. Anabaptistarum, aliorumque fanaticorum nulla tunc potentia aut autoritas erat.

(g) Cur nihil concedi possit Protestantibus.

Verum demus, adhuc concordiam posse fieri, & Protestantes etiam ad obedientiam sedis Apostolicæ adduci, id nullo modo fieri potest, nisi multa Protestantibus permitterentur, quæ etiam essent prohibita de jure positivo; velut Communio sub utraque specie, & connubia sacerdotum, & similia: non deberi tamen sine publica autoritate, & consensu in Ecclesia innovari. Et si forte opponeretur, quod confirmatio eorum, quæ ipsis permitterentur, ratione pacis & concordiæ, sive a sede Apostolica, sive a Concilio postea peti possit, certum est tamen, quod is consensus non expectaretur, sed statim in eum usum, repente, sibi gratissimum, venirent. Quo facto Germania jam unita inter se, & receptis ritibus, qui sibi placerent, nullam curam amplius gereret de concilio, ex quo sequeretur divisio corporis, & unitatis Ecclesiæ, cum hi usus & mutationes, neque in Hispania, neque in Galliis, neque in Italia, neque in reliquis provinciis Christianitatis essent receptæ. Quod si etiam postea generale Concilium has mutationes non approbaret, immo contrarium statueret, quæ spes esset reducendæ amplius Germaniæ, in suis opinionibus jam pridem confirmatæ?

(h) Ostenditur contrarium.

Not. Objectionem hanc, etsi speciosa & gravis videretur, removere, si auditi fuissent, poterant Protestantes. Dixissent *primo*, pacis causa omnino relaxanda esse, quæ jure positivo niterentur. Negassent *deinde*, aliarum provinciarum consensum a se aut a Pontifice respici debuisse, aut cum conscientiæ & salutis periculo expectandum, quid aliis videretur, cum singulis cœtibus jus & fas esse debeat ad reformandos abusus & corrigendos errores, etsi consuli alii non possint, id quod illo tempore multis ex causis difficillimum erat. Injustus itaque Pontificis metus erat, quod aliæ nationes eadem, quæ Germanica, desideraturæ essent. Debuisset potius errores agnoscere & reformationem ultro omnibus offerre. Sic Concilium maximo cum Orbis Christiani applausu convocari potuisset, nec solum gravamina, quæ *Eccius* dira & enormia in aula & curia Romana agnoscit, sed & dogmata in Concilio correcta fuissent.

(i) Metuitur universalis a Pontifice defectio.

Præterea periculum est, ne Protestantes multa de sua opinione concedant, modo id unum a Catholicis obtineant, ut una omnes a sede Apostolica deficiant, cum id solum maxime cupiant, & in votis habeant. Quod si evenerit (ut est valde timendum) tunc non esset in potestate Majestatum suarum providere. Quemadmodum accidit de Concilio indicendo in dicta Ratisbonensi; de qua re constitutionem Status Imperii sine autoritate Cæsareæ Majestatis fecerunt, sicut sua Majestas alias sanctissimo Domino nostro significavit. Quare, ut alia omittamus, ex his paucis possent Cæsarea, & Regia Majestates cognoscere, quid sperandum sit ex amicis hujusmodi tractatibus, & colloquiis cum eis habendis.

A. 1540. *...tio, quam Cæsar impedire non possit.*

(k) Nota ad hanc objectionem.

Not. Nondum ita desperata erat illo tempore causa, ut omnis concordiæ & conservandæ Episcopalis & Pontificiæ autoritatis via & ratio penitus præclusa & impossibilis fuisset. Aliud ex actis tum priorum tum sequentium annorum ostendi potest. Quod vero Legati hic allegant, falsum esse Cæsarem, quod decretum Ratisbonense (nempe anno 1532.) de indicendo Concilio sine autoritate sua conditum fuerit, id profecto non facile credent, qui verba decreti sive Recessus clarissima (*tit. de Concilio*, das Concilium betreffende) & clausulam sequentem §. haben wir angesehen etc. consideraverint. Ad artes itaque & dissimulationes aulicas referenda est illa excusatio, quam hodie vix allegarent Cæsaris aut Pontificis ministri. Protestantium sane principiis non repugnat, si decretum illud etiam sine autoritate Cæsaris validum fuisse dicatur. Agebatur enim de causa religionis & conscientiæ, in quam Cæsar nullum imperium sibi arrogat, & laudandus est Carolus Imperator, qui, etsi aliter sensisset, ordinum tamen consensui cesserit, & decretum illud ratihabuerit.

(l) Querela, quod Evangelici pacis leges violaverint.

Quod autem ad pacem Germaniæ spectat, non sine animi dolore ac pudore proferri possunt, quæ subjiciuntur: Fuit Vormatiæ primum de pace tractatum, & conclusum, deinde factæ fuerunt Norimbergenses induciæ inter utrumque Statum, Protestantium scilicet, & Catholicorum, addito etiam Cæsareo Ratisbonensi mandato: ubi tot emanarunt mandata Majestatum suarum sub pœna Provincialis pacis, & banni imperialis, tamen possunt videre Majestates suæ, ubi tot convenerunt Principes subscripti & jurati, uti tot emanarunt mandata Majestatum suarum, additis gravissimis pœnis; nihil tamen observatum fuisse, quinimmo spretis omnibus, induciæ illæ sæpius fuerunt violatæ, & partes Protestantium novis confœderationibus contra pacta adauctæ, accessione nonnullorum Principum, sicut Regis Daniæ, Ducis VVürtembergensis, & aliarum etiam nonnullarum Civitatum: mutatione facta religionis in diversis locis & provinciis, contra pacem & jusjurandum.

(m) Rejicitur hæc imputatio.

Not. Hæc injuste objiciuntur Protestantibus. Neque enim perjuri perfidique fuerunt, sed circumventi potius & gravati, quod alius sensus pacificationi Norimbergensi & mandato Cæsareo attribuebatur, quam quem illi intendissent, nec Cæsar novam illam de interpretatione pactorum litem decidere vellet, ut in loco pluribus demonstravimus.

(n) Acres in Evangelicos contumeliæ.

Ex quibus, ne longiores simus, facile conjici potest, quæ spes futuræ pacis sit habenda. Durante enim pace, tum libris, tum minis, tum practicis, aliquot quotidie seducunt ex omni hominum genere; cum facile sit, ubi religio refrixerit, evocare homines e divina vita ad molliorem, e continenti ad voluptuosam, ex obedientia ad libertatem: neque seducunt homines solum, sed Ecclesias diripiunt, Episcopos ejiciunt, Religionem profanant, atque id impune: immo in tantum progressi sunt, ut integerrimum, & reverendissimum Imperialis Cameræ Judicium divellere conentur, ut eo divulso, & autoritas Cæsareæ Majestatis in Imperio concidat, & ipsi impune in omnium bona, ac vitam grassari possint. Nulla igitur spes firmæ & diuturnæ pacis ex amicis tractatibus haberi potest, nisi eam pacem velimus, quæ & omnem dignitatem sedis Apostolicæ inprimis opprimat, & Catholicam religionem conculcet, ac omnem Ecclesiasticum ordinem confundat, & destruat.

A. 1540.

(o) *Earum refutatio.*

Not. Hæc quoque declamatoria sunt & calumniosa, petuntque, ut dici solet, principium. Quis enim convincere potest Protestantes, quod homines e divina vita ad molliorem & voluptuosam, & ex obedientia ad libertatem evocaverint? Quæ demonstrari potest monachorum & populi, qui vocabatur, Catholici, vita divina, aut quomodo probari, quod mollior aut pejor sit ea, quam Lutherus & Evangelici vel docebant vel gerebant? Indicavimus alibi, nimii rigoris accusatum fuisse Lutherum, quod perfectionem ab omnibus Christianis requisiverit. Deinde, quod Principes, civitates & populi in abrogandis abusibus & repurgando cultu divino, deliberato egerunt consilio, (excessus & tumultus plebis non defendo) id Legati vocant *Ecclesias diripere, Episcopos ejicere, religionem profanare*: frustra quidem & frivole, nisi cognoscatur de causa ejusque jure. Quomodo a Cameræ Judicio Protestantes injuste processibus & mandatis, dum de bonis Ecclesiasticis eorumque fructibus in ditionibus suis pro conscientia sua statuerunt, vexati sint, alibi pluribus ostensum est. Certe, si sedes Romana Apostolico more sese gerere, vel saltem enormes quosdam abusus emendare voluisset, non solum ab oppressione, quam illi nunquam speraront, sed & renitentia Protestantium libera fuisset.

(p) *Suadetur Concilii convocatio.*

Hæc omnia, Reverendissimus D. Legatus non ignorat, Cæsareæ & Regiæ Majestatibus esse manifesta ac multo plurima in hanc sententiam, quæ hic colligi brevitatis studium non permittit. Restat nunc tractandum, qua via & ratione providendum sit periculo Turcico, salvis rebus religionis. Periculo Turcico provideretur, si ab utrisque, Catholicis scilicet, & Protestantibus, auxilium Majestatibus suis tribueretur; sed dubitatur, id posse impetrari, nisi prius inter eos de Religione convenerit. Igitur, cum publica res Religionis in universali Concilio, non autem in Diætis particularibus, tractanda sit, cumque Catholici semper optarint Concilium, ut patet per Ratisbonensem recessum, & per capitula Ligæ Catholicæ, proponit Reverendissimus Legatus Majestatibus suis, ut velint hoc Concilium œcumenicum statim prosequi, & celebrari, hoc enim modo, satisfactis Catholicis, non poterunt auxilium denegare, & res Religionis remittentur Concilio, ut decet. Et quantum ad Protestantes, incutietur ipsis ex hoc Concilio maximus terror, & videntes rem serio tractari, timebunt rebus suis, & sic erunt tractabiliores, & magis obedientes Majestatibus suis, ut qui jam sentient, sibi esse resipiscendum, & redeundum ad cor, & forte venient & ipsi, & mittent ad Concilium, præsertim, si cognoverint Majestates suas nolle amplius pati hæreses in Germania, sed velle, ut in ipso Concilio, hoc est, regia via, uniantur.

(q) *Ostenduntur intentiones Catholicorum & Protestantium diversæ de Concilio.*

Not. Fatentur hic Legati, quod alii negare mallent, Catholicos Germaniæ ordines Concilium desiderasse & petiisse. Ab initio quidem motæ de religione controversiæ politici in Germania Principes omnes, nonnulli etiam ex Clero, & ante omnes Cæsar ipse, (ut ex *Glapionis* actis cum *Pontano* ostendimus,) eum ob finem Concilium cupiebant, ut abusus olim indicati, & errores noviter a Luthero detecti emendarentur; nec parum creverat hoc studium, postquam *Adrianus VI.* reformationis necessitatem per Legatum suum in Comitiis Norimbergensibus publice agnovisset. Postea callidis *Clementis VII.* consiliis Cæsar & plurimi Germanorum Principum a scopo illo sensim abducti sunt, id quod Augustæ anno 1530. ex actis Comitiorum satis intelligitur. Resuscitatum fuit desiderium, si non in Cæsare, qui Pontificem eam ob causam offendere tunc nolebat, certe apud Ordines Imperii, ut Legati ipsi affirmant, in Comitiis Ratisbonensibus anno 1532. Auctus enim jam erat Evangelicorum per Germaniam numerus, & detecta magis magisque doctrinæ veritas. Tanto vero majori solertia apud Episcopos Germaniæ & quosdam ex Principibus politicis instabat Pontifex, ut de impediendo reformationis progressu cogitarent, persuasi, magna inde pericula & damna dignitati & opibus suis imminere. Horum obsequio confirmatus Pontifex a concilio jam minus sibi metuebat, sperans fore, ut Protestantium sententia in illo condemnaretur, postquam eorum consilia & conatus eum successum non habuissent, quem ab initio vel ipsi sibi promiserant, vel metuerant Pontifices. Igitur Protestantes parum boni a Concilio expectabant; neque tamen, quod Legati hic asserunt, ejus metu impediri se a cura & defensione religionis sinebant, sed etsi a Concilio, quale Pontifex præparabat, condemnationem sibi instare suspicarentur, hoc tamen commodi ex eo oriturum esse putabant, ut exposita publice doctrina sua calumnias, quibus in regnis & provinciis paulo remotioribus onerabantur, repellerent, & veritatis studium aliis quoque nationibus instillarent. Regia autem via, quam hic laudant Legati, ad examen controversiarum & unionem Ecclesiæ fuisset, si impetrare potuissent Protestantes modum & formam Concilii, qua secundum normam sacrarum literarum pia & candida cognitio locum invenisset, remotis & sequestratis præjudiciis, quæ per traditiones, constitutiones & consuetudines invaluerant, a tenuioribus initiis in majus semper aucta.

A. 1540.

(r) *Urgetur consensus omnium nationum.*

Est etiam rationi consentaneum, cum res fidei & religionis pertineant ad omnes Christianorum provincias, ut omnium votis componantur, ex quorum consilio & autoritate, si quid aut in religione mutandum, vel corrigendum, immutetur, & corrigatur (nam respicere oportet non solum ad Germaniam, verum etiam ad Hispanias, Galliam, Italiam, & reliquas Christianorum provincias) neque credendum est, quod, si quid ob quietem Germaniæ novi in religione fiat sine scitu & permissione aliarum provinciarum, id posse carere, aut magna calumnia & scandalo, aut perniciosissimo exemplo. Præterea si quid privatim in Germania constitueretur, quod ab aliis provinciis non probaretur, esset magnum monstrum in corpore Christi, quia Ecclesiæ membra non cohærerent, & unitas non servaretur.

(s) *Ostenditur ejus difficultas.*

Not. De hoc asserto supra dictum est, & optandum quidem foret, ut obtineri posset, quod hic speciose proponitur, nempe, ut causa religionis ab omnibus aut plerisque provinciis Christianorum, junctis consiliis tractari posset. Sed satis patent, & a multis indicatæ sunt difficultates, quare id sperari non possit, neque in ullo Concilio minus observatum fuit, quam in eo, quod tunc meditabatur Pontifex, & postea Tridenti habitum est. Ne vero, dum omnium aut plurimorum concursus frustra expectatur, singularum provinciarum salus periclitetur, cuilibet Ecclesiæ incumbit, ut adhibitis, quot invenire potest, sociis, religioni & disciplinæ prospiciat.

(t) *Commendatur Concilium, ut antiquum & solenne remedium controversiarum.*

Fuit etiam mos antiquus, & ab Apostolis traditus ad hæc usque tempora conservatus, ut in controversiis fidei Concilium semper adhiberetur, quo sequestro, ac medio controversiæ omnes firmarentur, & pax restitueretur. Neque erit difficile hoc Concilium celebrare, quod omnes pii homines continuis precibus, & votis a Deo, & a summo Pontifice efflagitant, ut inter alios fecit paulo ante Rex Poloniæ, per proprium Legatum, inprimisque ipsi confœderati fœderis, sive Ligæ Catholicæ: inter quos, ut supra dictum est, in uno articulo constitutum est, & juratum, ut velint totis viribus suis procurare Concilium, quod in diæta Ratisbonensi, ut supra dictum est, sine autoritate Cæsareæ Majestatis fuit conclusum.

(u) *Consideratur hoc assertio.*

Not. Morem antiquum, quem hic allegant Legati, ut in Conciliis de religione definiatur, tam crude & indistincte non agnoscunt antiquitatis Ecclesiasticæ periti. Stetit Ecclesia inter hæreses maximas, ultra tria secula, antequam de Con-

A. 1540.

Concilio vel cogitari posset. Nec Nicænum coire potuisset, nisi pleræque Europæ, Asiæ & Africæ provinciæ unius Constantini imperio paruissent. Licet vero *œcumenicum* hoc dici soleat, eo sensu, quo Imperatores hunc titulum sibi arrogabant, longe tamen abest, ut Episcopi ex toto terrarum orbe in illo congregati fuerint, ut etiam pauci ex Occidente, Romano licet imperio subdito, Nicæam venerint. Aliud itaque remedium examinandarum controversiarum & dignoscendæ ab errore veritatis in Ecclesia quæri debet, quod aliud non est, quam sacra Scriptura, quæ omnibus pie consulentibus respondet, id quod Lutherus in tractatu de Conciliis, & post eum alii satis superque evicerunt. De hac itaque norma prius conveniendum erat, si a Concilio remedium esset expectandum. Quæ de flagitatione Concilii & decreto Ratisbonensi annectuntur, jam supra considerata sunt.

(v) *Aliæ rationes pro Concilio.*

Tempus etiam est oportunum: nam dum Cæsarea Majestas, & Christianissimus Rex Gallorum sunt in hoc tractatu pacis, cujus sperari potest, Deo dante, finis optimus; cumque tanta inter Majestates suas facta est conjunctio animorum, & tot signa benevolentiæ omnibus ostensa, omnium provinciarum suarum Prælati, tuto & commode convenire poterunt. Accedit insuper securitas conscientiarum, inprimis Cæsareæ, & Regiæ Majestatum, deinde etiam reliquorum Principum Catholicorum, qui in privatis tractatibus aliquid vel approbare, vel permittere possent, vel forte ipsis invitis decerneretur, quod esset in magnam DEI offensam, & animarum perniciem, ut supra dictum est. Quod si ad Concilium rejectum erit, Majestates suæ, & reliqui omnes vacabunt omni culpa. Nec omittendum est, Concilium futurum utilissimum Majestatibus suis, quia durante eo, omissis tractatibus Religionis, & ad Concilium rejectis, interim, quæ sibi utilia, & necessaria erunt, commode pertractabunt.

(x) *Annotatio ad eas.*

Not. Ista etiam speciosius quam verius dicuntur, & eo pertinent, ut Cæsar & Principes Pontifici & Clero absolutam de religione & regimine Ecclesiæ decernendi potestatem deferant. Rectius autem Protestantes saluti & conscientiæ suæ consulebant, dum alios potius judices, quam illos quærerent, qui in sua causa & pro suis honoribus & commodis sine dubio pronunciaturi erant, ut & factum est.

(y) *Explicatur ultima Pontificis intentio de Concilio.*

Convocato igitur, ut dictum est, Concilio, & exclusis omnibus privatis tractatibus Religionis, Majestates suæ poterunt, quos sibi videbitur, & Catholicos congregare, & cum eis tractare de augendo fœdere Catholico, quod fœdus quanto erit magis validum, & potens, tanto erit utilius. Nam eo aucto, & corroborato, vel Protestantes patientur se adduci ad Concilium, ac ejus determinationi se (ut debent) subjicient, vel si erunt obstinati, illo ipsomet fœdere poterunt Majestates suæ uti, ad eos corrigendos, & ad saniorem mentem reducendos post Concilii decretum. Atque hæc quidem dicta sint, quantum ad Religionem attinet.

(z) *Observatio.*

Not. Hic manifesto erumpit, quod paulo ante indicavimus, id actum fuisse a Pontifice, ut conciliatis per fœdus, quotquot ad id allici possent, magnatibus, tanto securius causam suam tractare & de ea pronunciare valeret, haberetque qui decreta exequerentur, honesto sub prætextu, quod causa ex more & instituto Ecclesiæ cognita & decisa esset.

(aa) *Pax inter Cæsarem & Gallum suadetur.*

Quantum vero ad imminens periculum Turcæ, Reverendissimus D. Legatus inprimis, ut sæpius ex mandato Sanctitatis suæ fecit, non cessat hoc Cæsareæ Majestati cum omni affectu repetere, ut pax primum cum Christianissimo Rege Gallorum concludatur: ab ista enim pace pendet salus Reipublicæ Christianæ; nam si illa non concluderetur (quod Deus avertat, quod tamen non speratur) dubium est, an concordes vires totius Christianitatis possint viribus potentissimi illius hostis resistere, cum domi non adeo plena esset securitas. Sed hujus pacis utilitatem multifariam ideo nunc explicare minus est necessarium, quod sæpius de ea actum sit cum Cæsarea Majestate.

(bb) *Ostenditur diversus hujus pacis scopus.*

Not. Consilium de pace inter Cæsarem & Regem Galliæ non eadem semper intentione aut fide tractabant Pontifices. Tunc sane *Paulus III.* uti ea volebat ad opprimendos Protestantes. Alio tempore nihil magis formidarunt Romæ, quam harum potestatum conjunctionem. Certe nunquam propius ab insigni reformatione abfuit Sedes Pontificia, quam cum tempore Concilii Pisani *Maximilianus I.* Imp. & *Ludovicus XII.* *Galliæ Rex Consilia junxissent.*

(cc) *Modus suggeritur ad persuadendos Protestantes ad auxilia belli Turcici.*

Poterunt etiam Majestates suæ, rejectis (ut dictum est) tractatibus Religionis ad Concilium, interim cum Principibus Catholicis de auxilio contra Turcam fœdus stabilire sine ulla mora: tum etiam stabilito Catholicorum fœdere, acceptato per Majestates suas Concilio, & accisa Protestantium spe de Religione pervertenda, & bonis Ecclesiasticis diripiendis, Majestates suæ, & reliqui Germaniæ Principes suadere possent Protestantibus, ut ad Concilium venirent, nulla omissa ratione vel cautione honesta, quæ illos adducere posset; non esset neque a ratione alienum, neque difficile, ut supra dictum est, aliquid etiam auxilii ab ipsis contra Turcam obtinere.

(dd) *Effectus agnoscitur.*

Not. Effectu non caruit hoc consilium, satisque simplices fuerunt Protestantes, ut spe concordiæ aut Concilii legitimi vires suas ad Hungariam Ferdinando Regi afferendam destinarent. Respexit tamen candorem illorum Deus, ut religioni nullum inde insigne damnum enatum fuerit.

(ee) *Summa in Evangelicos calumnia, quod Turcis sint pejores.*

Si autem Majestates suæ absque mala concordia Religionis nihil contra Turcam obtinere possent; videndum est, quod sit majus detrimentum, & quid cedat in majorem Dei offensionem: an ipsius Dei verum cultum, ac religionem destrui; (quod fieret, quando Germania in malo per concordiam conveniret) an ipsius Germaniæ auxilio contra Turcam destitui? Non enim facile discerni potest, (ut christiane loquamur) qui sint inimiciores Christi, Protestantes, an Turcæ? quia hi captivant, & occidunt corpus, illi captivas ducunt animas, & in perditionem trahunt: non cogunt hi Religionem mutare, illi sub specie boni corrumpunt Religionem, ac destruunt.

(ff) *Hujus refutatio.*

Not. Sentina quædam calumniarum & convitiorum hic deprehenditur. Quid enim horribilius & contumeliosius dici potest, quam quod ii, qui Christum confitentur, tum per fidem in eum unice salutem quærunt, & fidei per charitatem exercendæ student, nec illius capitalis erroris convinci possunt, *inimiciores sint Christi, quam Turcæ, animas captivent, & in perniciem trahant, atque religionem corrumpant & destruant?* & hæc evomentes *Christiane se loqui* dicunt. Tantæ vero protерviæ causa nulla reddi potest, quam quod Germani peregrinum in conscientia opesque suas dominatum diutius ferre nolebant, & pro insulsis fabulis, crassissimisque erroribus, certæ veritatis ex divinis Scripturis cognoscendæ studio flagrabant.

(gg) *Conclusio scripti Farnesiani.*

His igitur omnibus diligenter perpensis, poterunt Majestates suæ rectius deliberare, quid, & quomodo agendum. Reverendissimus D. Legatus est & hujus sententiæ, ut Concilium ante omnia convocetur, celebretur hoc anno, ut in conventibus Germaniæ nihil de Religione tractetur, ut fœdus Catholicorum augeatur, & corroboretur, ut eo fœdere aucto, Protestantes omnibus modis ad Concilium alliciantur: interim vero concludatur pax cum Rege Gallorum, & colligantur auxilia ex omnibus partibus contra Turcam. Illud etiam in fine non omittendum est, quod antequam tractatus amicabiles perficiantur, & auxilium Imperii stabiliatur, elapsum erit tempus occurrendi hoc anno Turcæ, & pro anno sequenti negotium auxilii ferendi poterit melius tractari in communi loco Concilii votis contra communem inimicum. In his tamen prædictus D. Legatus remittit se singulari prudentiæ Serenissimarum Majestatum suarum, quibus omnia feliciter optat contingere.

A. 1540.

(hh) *Summa ejus indicatur.*

Not. Ex postulato hoc intelligitur, id agi, ut Protestantes, si ad Concilium agnoscendum allici non possent, vel ejus decretis non starent, junctis Cæsaris & Gallorum viribus subigerentur, & Pontificia monarchia nova acciperet fulcra, deletoque Protestantium nomine in perpetuum stabiliretur.

(ii) *Alia ex Raynaldo, & inprimis de consilio Heldi.*

Responsum Cæsaris, de quo *n. 22.* agit *Raynaldus*, satis notum est, subjungit *n. 23. 24.* Latinam versionem diplomatis Cæsarei, quo Protestantes ad conventum Spirensem vocavit d. 2. April. Gandavi dati. Laudat *Matthiæ Heldi* consilium *n. 25.* quamvis spretum tunc a Cæsare. Suaserat, adigendos esse Protestantes, ut Cameræ judicio pareant, utque renuentes & ab invasione bonorum Ecclesiasticorum non abstinentes, a fœdere Catholico plectantur, hoc vero inprimis corroboretur, sic controversias facile consopitum iri. Putat tamen, tractari de his posse in Concilio vel generali vel nationali, salvis, quæ in veteribus conciliis decisa sunt, neque tamen exprimit, quæ pro veteribus habeat; interim etiam reformationem abusuum curiæ Romanæ suscipiendam esse non dissuadet, tollendam pluralitatem beneficiorum, urgendam residentiam Episcoporum, & ut ista omnia rectius procedant, pacem cum Gallo faciendam. Discessit sub finem Aprilis a Cæsare *Farnesius*, laudatus *Raynaldo, n. 26.* quod fœdus catholicum contra Lutheranos firmissime instauraverit, & in itinere Regem Galliæ ad asperiora edicta contra hæreticos permoverit.

(kk) *Cervini Card. legatio ad Ferdinandum.*

Paulo post d. 12. Maji Pontifex *Cervinum* Card. denuo ad Cæsarem & Ferdinandum fratrem ablegavit, *ob magnitudinem rei*, ut in literis suis loquitur, *quanta graviorem hoc tempore cuncta Christianitas non habeat.* Cervinus quoque in itinere Galliæ Regem convenit, qui (*n. 28.*) dixisse fertur: *damnari a se conventus & colloquia cum hæreticis*, (qualia scilicet in Germania instituebantur) *cogi enim ad officium debere, non audiri, cum non converti, sed simplices laqueis suis irretire meditentur.*

(ll) *Pontificis exhortationes ad Moguntinum & alios.*

Interea Pontifex literis d. 14. Maj. datis *Card. Moguntinum* hortatus est, ut se, pro expectatione & spe Pontificis, in conventu Spirensi gerat, suoque officio, honori ac dignitati satisfaciat, magnam tamen erga eum fiduciam testatur, &, cum adhortatio non sit necessaria, laudationem parare se dicit, quod is se talem, qualem Pontifex cupit, præstiterit. Iisdem laudum stimulis epistola eodem die data *Bavariæ* Duces, itemque *Johannem Fabrum*, Episcopum Viennensem, tum *Herbipolensem* instigavit, & ut Nuncio ad conventum misso, *Johanni Morono*, Mutinensi Episcopo, fidem præstarent, admonuit *n. 29. 30. 31.* Hortatus quoque est *insignes*, ut *Raynaldus* scribit, *fidei pugiles, Joh. Eccium & Joh. Cochlæum, ut in cursu solito laudis ac pietatis perstarent, ac ubicunque occasio ferret, ad asserendam fidei incorruptæ puritatem piam operam strenue navarent.* Addit, *non defuisse illos muneri suo, ac veteres palmas de Lutheranis partas recentioribus cumulasse.* Fecerunt hoc, si mendaciis & sycophantiis palma debetur, & incorruptæ veritatis titulus convenit inveteratis erroribus & abusibus manifestis, quos illi obstinatissime, &, meliora licet edocti, miseræ Germaniæ obtrudebant.

(mm) *Mandata Pontificis Morono data, cum epicrisi.*

Sequuntur mandata *Morono* data *n. 32.* quæ ex *Pallavicino, Lib. IV. cap. XI. n. 4.* nota sunt. Producit præterea *Raynaldus n. 33.* memoriale quoddam secretum, quod *Pallavicinus* non tetigit. In hoc *Moronus* explorare jubetur, *an Lutherani & Zuingliani non sophistice, ut per annos viginti fecerint, sed vere & solide in præcipua & maxima Eucharistiæ materia convenerint; item, an Zuingliani ab errore circa imagines, quas Lutherani illæsas reliquerint, recesserint? & quoniam Lutherani in articulis de pœnitentia, confessione, administratione Sacramentorum, ceremoniis & aliis rebus propius ad veritatem accedant, num certi & firmi aliquid de unanimitate sperari & statui possit?* Timere tamen se, dicit Pontifex, quod Zuinglianorum prædicatores reducere populum non possint, & addit, se audire (nescio, quam vere) quod populus clamet; *se malle in totum redire ad Ecclesiam Catholicam, quam a suis prædicatoribus hodie unum, cras aliud audire.* Jubetur igitur Nuncius occasionem non negligere, si per unum aut alterum modum, & maxime per medias personas, una civitas post aliam reduci & revocari possit, id quod de *Norimbergensibus* & aliis sperat, *quorum æraria exhausta esse putat, & ab iis fastidiri superbos & inexplebiles prædicatores suos, item quod graventur contributionibus, præcipue ad sustentandos prædicatores, quos cum uxoribus & pueris maximis impensis ali cogantur, ita ut sæpe in una civitate facilius olim sustentari potuerint decem sacerdotes, quam hodie unus illorum prædicator.* Hæc falsissime a pugilibus illis veritatis & fidei, *Fabro, Eccio & Cochlæo*, Pontifici suggesta erant, neque quidquam absurdius & mendacius dici potuit, quam quod de immensis sumtibus ad alendos ministros Evangelicos collatis, & de frugalitate veterum sacerdotum isti commenti sunt. Conciliari etiam non possunt cum iis, quæ supra ab ipso *Cochlæo* Romam relata esse indicavimus, quod salaria ministerii ex reditibus beneficiorum & aboliti cultus missatici Protestantium proceres & civitates desu[illegible]t. Verum quidem est stipendia annua paul[illegible]ra pastoribus aliisque Ecclesiæ & scholarum [illegible]tris constituta fuisse, sed quod ex libris rationum facile demonstrari potest, modica nihilominus, & ad luxum & superbiam minime apta. Cessaverant autem innumeræ exactiones, quibus ante reformationem populus a Clero numerosissimo gravabatur. Sed hæc obiter. Haud magis vera sunt, quæ itidem ex relatione parasitorum ad Pontificem delata erant, & in instructione sequuntur, *quod Lutherus, Philippus, & alii, errores aliquos proprios retractaverint*; id quod ne uno quidem exemplo probari potest. Interim argumentari inde jubetur Nuncius contra Protestantes, quod nihil certi, firmi aut stabilis apud illos sit. Cautus etiam esse monetur in concessione communionis sub utraque, ne per Germaniam contingat, quod in Bohemia acciderit, & Picardi succrescant. Inculcari vult, quod communio sub una specie statim post resurrectionem Christi in Ecclesia cœperit. Quam vere autem hoc dicatur, sciunt Evangelici.

(nn) *Fabri consilium, ejusque examen.*

Futile etiam argumentum *Faber* suppeditavit, quo Lutherani ad fidem Catholicam reduci possent, si nempe illis exponeretur amplitudo, gloria & affluentia Germaniæ ante obortas sectas, & quibus nunc calamitatibus conflictetur. Imperitum sane omnis historiæ esse oportet, qui nesciat, longe duriora passos esse Germanos omnibus illis seculis, quo Pontifices dominatum suum ad eum perduxerant apicem, ut Imperatores mancipiorum pene loco haberent, aut jus & libertatem suam vindicantes, excitatis factionibus, in extremas angustias redigerent, & bellis civilibus, itemque inutilibus in Palæstinam expeditionibus, omnia Christianorum regna viris & opibus exhaurirent. Nec meliora sunt, quæ *Faber*, referente *Raynaldo n. 34. & sqq.* prolixius declamat, in quibus tumultus rustici culpam Evangelicæ doctrinæ imputat, &, ob dissidium inter Evangelicos ortum, de veritate totius doctrinæ dubitandum esse contendit. Vulgaria sunt, quæ de bonorum Ecclesiasticorum mutatione a Protestantibus facta, & eorum restitutione, disputat, proposito remedio, ut Abbates & Prælati monasteriorum, scholas posthac instituerent. Impudenter deinde perorat, *neminem fuisse in Comitiis Augustanis, qui aperire ausus fuerit, quam absurda, quam impia & a Christiana religione aliena, etiam oblatæ Confessioni contraria, Lutherani & Zuingliani docuerint, & quod sole meridiano clarius sit, Lutheranos plusquam ducentas hæreses, abominationes & errores, præter innovationes in ceremoniis, docuisse.* Sed bene est, quod addit, *Principes & Magistratus non rescivisse illas doctrinas*; idque est certissimum, cum nec ipse *Faber*, nec ullus alius, ne unum quidem ad hunc usque diem articulum deprehendere, & sine calumnia ostendere, multoque minus probare potuerit, quo Lutherani Catholicam veritatem læserint.

Protestantes, etsi tunc penetrare secreta illa actu non potuerint, suspicabantur tamen, non satis sincere agi, itaque ad omnes casus sese præparabant.

A. 1540.

(a) Elector & Landgravius socios monent de mittendis Legatis & Theologis Hersfeldiam & Darmstadium.

bant. Ad colloquium habendum invitavit Elector Saxoniæ d. 10. Maji non solum fœderatorum, sed & aliorum Evangelicorum Principum Consiliarios & Theologos, ut confessionis & Apologiæ, Augustanæ defensioni in colloquio assisterent, & contra Pontificis malas artes, ut loquebantur, (böse Practiken) maxime vero ad conservandam veram in suis ditionibus propagandamque doctrinam, consilia jungerent. Addiderat exemplum responsi Comitibus dati, & quod ipse cum Landgravio Cæsari dederat. Comprobarunt omnia non solum Fœderati, sed & qui extra fœdus erant, etsi a mittendis Theologis plerique sese excusarent idque fecerunt inter alios *Henricus* Dux Meckelburgensis & *Fridericus* Liegnitiensis. Hic d. 29. Maj. scripsit, non satis laudari a se posse responsum, de quo dictum est, neque a se & omnibus Consiliariis suis quicquam reperiri, quod mutandum aut emendandum in illo esset, & hoc pro conscientia sua affirmat, promittitque perpetuam in agnita Evangelica veritate constantiam. Idem pollicitus est Meckelburgensis. Ut vero Elector sui districtus socios, ita Landgravius eos, qui in superiori Germania erant, commonefecit. Ex illis civitates Imperiales, habito inter se conventu, d. 17. Maji, paratas se esse ad mittendos Theologos responderunt, & sperare se dixerunt, fore, ut, procedente colloquio, multi veritatem Evangelicam agnituri sint *Reg. H. fol. 352. n. 137.* sed id ipsum erat, quod Clerus Romanus metuebat, & ideo colloquium, quibus poterat modis, impediebat aut inutile reddebat. Iidem fœderis Duces non satis certi, quid & quomodo *Hagenoæ* & quam tuto tractari posset, sparsa passim de adversariorum moliminibus fama, consultum esse putarunt, ut non solum Theologi, sed & Consiliarii militares in loco quodam intermedio convenirent, ex quo, prout res ferret, illi ad colloquium proficisci, aut hi, si conventus vel pacificationis nulla spes esset, de mediis defensionis deliberare possent. Itaque, qui in Saxonico circulo erant *Hersfeldiam*; qui in Hassiaco, *Darmstadium* d. 6. Jun. ire jussi sunt. His sollicitudinibus & angustiis accessit internum quoddam malum, quod inter ipsos Duces fœderis simultatis aut diffidentiæ causam præbuit, de quo, ob recentes Scriptorum quorundam calumnias agendum mihi aliquid esse video.

ADDITIO III.

(a) De scriptoribus & autoribus, qui digamiam Hassiacam denuo propalarunt.

Scriptores, quorum calumniis adactum me esse dixi, ut de re, quæ taceri potius debuisset, agere constituerim, sunt *Antonius de Varillas*, sæpe notatus, *in historia de hæresibus Lib. XII.* edit. Belg. anno 1687. *p. 87. sqq.* eumque secutus & tradita ab eo augens & supplens *Jac. Benignus Bossuetus*, Episcopus Meldensis, *de variat. Eccles. Prot.* anno 1688. edit. Belg. *Lib. VI. p. 226. sqq.* Hic etiam allegat epistolas cujusdam *Gastineau*, annis decem vel duodecim prius in Gallia publicatas, & a nemine, ut ait, refutatas, citatque tractatum sub nomine *Daphnæi Arcuarii*, sive *Laurentii Begeri*, jussu *Caroli Ludovici* Electoris Palatini, anno 1679. editum. Uterque vero laudat *Ernestum Hassiæ Landgravium*, cujus opera ex *Archivo Hassiaco* producta fuerint documenta de digamia *Philippi Hassiæ Landgravii*, a Luthero & aliis Doctoribus Evangelicis approbata. Novissime sputa Bossueti linxit *D. Arnaldus Part. III. pract. mor. Jesuit. cap. XVII.* Dudum quidem, mentionem rei fecit illustris historicus Galliæ *Jac. Aug. Thuanus Lib. XLI.* sed modestius, quam Bossueto probatur *d. l. p. 227.* Nolo hic de consilio Serenissimorum, quos nominavi, Principum disquirere, (quorum alter, Palatinus, dum viveret, magno me favore complexus est, quod literis ejus ad me datis probare possum; alter, adhuc superstes, non indignum me gratia sua reputat) cur nimirum post annos plus quam centum silentio & oblivione sepulta resuscitare & producere voluerint proavi & prosoceri secreta. De scriptoribus liberius loqui licet, qui, ut puto, Galli maxime, prudentius cautiusque fecissent si camerinam hanc non movissent: habent enim domi, si tanta lubido est Principum mores in censuram vocare, unde magna compleant volumina; nec minora de dispensatione Pontificum vel sacerdotum, qua flagitia non arcana solum, sed & publica vel concedere vel dissimulare solent ex causis, quas Deo & conscientiæ minime probabunt. Sed mihi nihil minus quam recriminatio proposita est, neque aliud nunc ago, quam ut rem, uti gesta est, cum fide exponam & opprobrium Evangelicis præter meritum illatum removeam. Faciam autem id ex authenticis Principum & Theologorum scriptis, quæ in *Archivo* Vinariensi *Reg. C. fol. 163. n. 19. & sqq. item Reg. H fol. 300. n. 25.* asservantur. Mendacia & convitia autorum, quos nominavi, hæc potissimum observavi.

A. 1540.

(b) Calumniæ Varillasii & Bossueti.

Varillasius scribit, Landgravium Lutherana religione vetitum fuisse, quo minus libidinis stimulos mortificatione corporis retunderet, *d. l. p. 87.* ab eo concilium quoddam Theologorum VVittenbergæ congregatum & consultum fuisse, *p. 88.* illorum decretum non solum a Luthero & Melanchthone, sed & a celeberrimis Saxoniæ Theologis subscriptum fuisse *d. l.* idque solum factum esse placendi & adulandi studio, & ex causis pure politicis, spreta lege divina & Evangelica *p. 206.* *Bossuetus* scribit, quod solo metu, ne Landgravius ad Pontificis & Cæsaris partes transiret, Lutherus & Melanchthon, & quicunque in Germania inter Reformatores celebres fuerint, iniquitatem Landgravii probaverint, & Evangelium veluti sacrificaverint, ut Principem potentem in partibus retinerent. De his, ut & aliis, quæ uterque in historiæ ipsius circumstantiis peccaverunt, ex vera facti narratione judicari poterit.

(c) Initium amoris Landgravii erga Margaretham Saliam.

Landgravius *Margaretham de Sala* in sororis suæ *Elisabethæ*, viduæ Saxonicæ Rochlitianæ (cujus alibi mentio facta est) gynæceo visam deamare cœperat, ut ipse in literis ad Electorem Saxoniæ, Lutherum aliosque scriptis non negavit. Cum vero ab his illi objiceretur, quod illiciti amoris flammas extinguere debuisset, agnovit quidem fragilitatem & defectum, sed ea cum excusatione, ut diceret, se, etiamsi amore illius fœminæ captus non fuisset, ex rationibus tamen, quas Deo & Ecclesiæ probari a se posse confideret, aliam ducturum fuisse. Usus est tot tantisque asseverationibus, ut majores nemo fortassis in tali negotio unquam ediderit. Sed hæc sola ejus conscientia nitebantur & non nisi post factum audita ab eo sunt.

(d) Rejicitur calumnia, quod religio Landgravii causa digamiæ fuerit.

Interim tam male instructus in religione & disciplina Christiana non fuit, immo ex assidua Bibliorum lectione & ex Lutheri scriptis, quæ non semel allegavit, satis superque perceperat, quod officium hominis Christiani in restinguendis libidinibus esset, idque melius explicaverant Lutherus & Collegæ, quam a multis annis factum erat; cum Clero non eadem cura esset, proposita doctrina Evangelica homines ad pietatem instruere, quæ post commissa crimina, ad satisfactiones, quas vocabant Canonicas, cum emolumento sacerdotum adigere. Certe quamvis pravos multorum mores, quibus Evangelii doctrinam dehonestant, serio deploremus, non tamen habent, de quo glorientur adversarii, sed iniqui sunt, cum nostra taxant vitia, sua dissimulant. Quam levis est transgressio, quam Landgravio objiciunt, si conferatur cum iis, quæ eodem tempore in Gallia potissimum patrata sunt, & ad nostra usque tempora continuata! Quid profecerunt mortificationes, quas *Varillasius* ab Evangelicis rejectas esse queritur? (de externis loquor, puta de ciliciis, jejuniis, flagellationibus, aliisque ejus generis) Neque enim plura fœdissimarum libidinum exempla, quam in illis ipsis regionibus, deprehenduntur, ubi morti-

A. 1540.

tificationum illarum species & pompa frequentissime conspicitur. Sanctissimum & verissimum est effatum Apostoli: *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*, I. Tim. IV. 8. *Spiritu mortificanda sunt facta carnis*, Rom. VIII. 13. Spiritus vero operatio sperari non potest, ubi pura ex verbo Dei doctrina non proponitur & media a Christo & Apostolis præscripta humanis inventis potiora non habentur. Religioni itaque Evangelicæ, sive doctrinæ Lutheri, imputari non potest licentia, qua Landgravius a teneris annis & antequam ad Evangelii agnitionem pervenisset, corruptum se esse fassus est, immo non nisi ex puriori doctrina conscientiæ scrupulos sensit, & a sacris mysteriis, ut ipse in mandatis d. 30. Novembr. 1539. *Bucero* datis aperuit, longo tempore sese abstinuit. Fortassis tamen rationes, quas allegavit, ejus non erant ponderis, ut *Lutherum* & *Melanchthonem* movissent, nisi alias & graviores *Bucero* oretenus referendas, commisisset, aut ipse in se recepisset, conscientiæ testimonio Deo probandas. Exemplum mandatorum, cum a scriptoribus, quos dixi, vulgatum sit, hic exhibere nihil attinet. Notandum tamen ex illo est, omnia, quæ per *Bucerum* exposuit, soli Luthero & Melanchthoni, & quidem sub sigillo confessionis, relata fuisse, tantum abest, ut alios in concilium quoddam convocaverit, aut, quicunque aliquo nomine & loco in Saxonia fuerint, Theologos consuluerit, quod Galli isti malitiose fingunt, eo fine, ut lapsum, si quis in causa hac Luthero & Melanchthoni contigerit, omnibus ejusdem religionis Doctoribus imputare possent. Extant Landgravii ad Lutherum literæ octo fere post menses d. 27. Jul. datæ, in quibus scribit: *Fateor, me Margaretham amasse* (id est, ante nuptias vel tractatum de matrimonio) *sed honeste; & cum illa potiri licuerit, chariorem alia quavis habuisse; si vero illam non fuissem adeptus, aliam utique quæsivissem. Spero, Deum tibi aperuisse, quid me urserit. Si non acquiescis, comparebo coram te & Hero tuo; dicam vobis sub secreto confessionis talia, ut contenti mecum esse possitis, intellectu tamen proh dolor! non forent jucunda* (ich will euch beichtweise dinge sagen / daß ihr mit mir zu frieden seyn werdet / sie würden aber warlich übel lauten / Gott erbarme es!) Addit, *se sperare, ut a Deo a similibus custodiatur: Scito hæc*, ait, *quia scire voluisti, neque de bono aliquo cogita, sed de pessimo. Si mentior, Deum vindicem patiar, habeo etiam probationes.* Quid per ista intelligat, non est, ut rimari aut conjectura assequi annitar; eo tamen prolata esse videntur, ut justam non solum facti sui causam, sed & separationis ab uxore se habuisse indicare voluerit. *Melanchthon d. Vol. Reg. fol. 151.* aliquot paginas sua manu de hac causa implevit, in quibus inter alia refert, Landgravium sibi revelasse, & a se uni Luthero detecta esse, ex quibus satis appareret, non leves causas fuisse, propter quas ei indulserint. Sed ab hoc non pendet decisio causæ, verum ab examinatione responsi, quod a *Luthero* & *Melanchthone* d. 10. Decemb. dicti anni datum est, & a Gallis ex Germanico versum refertur. Proposuerunt ab initio satis prolixe omnia, quibus dimoveri ab instituto posse videbatur Landgravius: allegarunt jus divinum, & licet ea sint opinione, ut dispensatio in quibusdam casibus locum habeat, scandalum tamen ingens ostendunt, & ipsi & toti causæ Evangelicæ imminens. Cum vero ex *Bucero* intelligerent, obstinatum esse in sententia Landgravium, & quod conscientiæ & saluti ejus aliter prospici, & is ab adulteriis abstrahi non posset, tunc demum scribunt, si omnino decreverit, ut unam adhuc conjugem ducat, judicare se, ut id fiat secreto, paucis consciis, quibus animum suum sub sigillo confessionis explicaret. Exagitant Galli, quæ ad reliquas Landgravii rationes & oblationes, maxime vero de Cæsare, responderunt, quibus illum fallacis & infidelis animi insimulant, & religionem ejus non solum *Papisticam*, *Cardinalitiam*, *Italicam* & *Hispanicam*, sed & *Saracenicam* vocant. Liberius illa dicta esse, quam decet, nolim negare, sed secreti fiducia scripta sunt & præter omnem scribentium intentionem consilio minime bono vulgata. Neque tamen ignotum est, qua tunc fama Carolus Cæsar laboraverit, neque fuerunt, qui audacius lubricam fidem & ex vulgari tunc in Hispanos dicterio *Mauram* sive *Saracenicam* Carolo objicerent, quam Galli, qui ab illa protervia ne hodie quidem desistunt, ut ex *Maimburgii* historia hujus ipsius anni & sequentis, & ex *Varillasio* manifestum est. Sed ad responsum Lutheri & Melanchthonis redeo. Hoc illi soli VVittenbergæ scripserunt, nullus præterea Theologus aut Ecclesiastes in Saxonia; dissenserunt potius, cum res emanaret, & extant acria *Nicolai Amsdorffii* & *Justi Menii* in contrarium judicia. *Bucerus* & quatuor reliqui, quorum nomina a *Bossueto d. Lib. VI. p. 279.* referuntur, in Hassia demum, desiderante Landgravio, subscripserunt approbationis suæ testandæ causa, erantque, præter *Bucerum*, quem Landgravius Argentorato acciverat, ministri Ecclesiarum Hassiacarum aut Aulæ. *Bucerus*, accepto *Lutheri* & *Melanchthonis* responso, in itinere Electorem Vinariæ adiit, & quæ VVittenbergæ egerat d. 13. Decembr. exposuit. Consternatus mirum in modum Elector, habita cum *D. Pontano* per integrum diem sequentem deliberatione, postea d. 15. Decemb. respondit, verba faciente *Pontano*, se vehementer optare, ut de hoc negotio, cujus exemplum a multis seculis non extet, nihil plane ad se relatum, neque VVittenbergæ responsum fuisset: prævidere se, dicebat, summum probrum Landgravio, Theologis, totique Evangelicæ Ecclesiæ metuendum. Gravissima inde argumenta attulit, quibus Landgravius a proposito vel prorsus averti, vel ut moram ferret, moveri posset. Si vero nullo modo desistere vellet, secretum necessarium esse ostendit, & ut conjugium illud apud alios pro mero contubernio, concubinatu & pellicatu (in gestalt eines lantern contubernii, concubinatus und buhlschaft) venditetur; satius esse, ut hanc ignominiam subeat, quam cum multis Magnatibus communem habiturus esset, quam ut pro digamo haberetur. Petenti vero Landgravii nomine *Bucero*, ut Elector illi assisteret, si ob hoc factum periculum adeundum esset; responsum fuit, si res sub sigillo confessionis ex consilio Theologorum secreta teneretur, casum dari non posse, quo Landgravius periclitaretur, aut Electoris ope egeret. Ingentia vero præmia & redhostimenta Landgravius per *Bucerum* Electori offerebat, societatem perpetuam in omnibus Electoris causis, etiamsi ex fœdere Smalcaldico ad auxilium non obligaretur, & alia maxima. Ea tamen omnia Elector rejecit, animique longe majoris documentum dedit, quam calumniatores Galli Evangelicis affingunt. Quid igitur non de Luthero præsumendum est, quem fingunt conscientiam & religionem respectu politico de retinendo in partibus Landgravio postposuisse? Is sane innumeris vicibus & quavis occasione, solius Dei auxilio in causa sua & Evangelii niti se, non verbis solum professus est, sed ipso facto comprobavit, nullis minis nec blandimentis concussus aut vacillans. Produxit tunc etiam Bucerus *Christinæ* Saxonicæ, uxoris Landgravii diploma, quod totum sua manu d. 11. Decembr. in arce *Spangenbergensi* exaraverat, tum subscriptione & sigillo firmaverat, per quod in nuptias illas secundarias consensit, salvis tamen pactis suis dotalibus & juribus liberorum, quos ex Landgravio susceperat; de his etiam maritus illi eodem die cavit, idque factum est, cum Bucerus VVittenbergæ Lutherum consuleret: & inde constat, destinatum decretumque conjugium cum *Salia* fuisse, antequam Lutheri approbatio impetrata esset. Secutæ sunt nuptiæ cum *Margaretha* d. 3. Mart. f. Mercurii post Domin. Oculi, Rotenburgi ad Fuldam, quarum pacta & instrumentum a Notario consignatum Galli, aliena vitula arantes, produxerunt. Aderant *Bucerus* & *Melanchthon*, itemque *Eberhardus Thannius*, Præfectus VVartburgensis, Consiliarius Saxonicus, solertia quadam Landgravii accitus, unde postea falso sparsum est, Legatum Electoris præsentem fuisse; nec dubito, *Melanchthonem* etiam alia sub specie advocatum fuisse; erat enim tunc in conventu Smalcaldico. Hos intra terminos, si negotium hoc contentum fuisset, & famæ Landgravii rectius consultum &

(e) *Landgravii de conscientia sua summa obtestatio.*

(f) *De responso Lutheri & Melanchthonis.*

(g) *Bucerus cum Electore agit.*

(h) *Dev[illegible] ptiæ Landgravii.*

A. 1540.

A. 1540.

& scandalum præventum foret; sed sive ipsius Landgravii indulgentia & delectatione ex complexu amicæ, sive hujus, tali matrimonio elatæ, ejusque matris *Annæ*, (nobilissima *Miltitiorum* gente natæ) ambitione aut loquacitate, turbata vehementer sunt omnia. Ostenderat non solum Landgravius, sed & descripta dederat socrui novæ instrumenta nuptiarum, & responsa Theologorum, deinde sorori supra dictæ, viduæ Rochlitianæ, misso aulæ suæ Marescallo, quid fecisset, significaverat. Hæc vero, impos mentis, immanes in querelas & iras exarsit, quod ex literis ejus ad Electorem plurimis percipitur; neque tamen Elector, licet ipse non parum Landgravio succensens, placare eam, & ne rem evulgaret, hortari destitit, donec inter ipsam & fratrem concordiam restituisset; obtinere tamen non potuit, ut matrem *Margarethæ*, quæ Gynæceo ejus præfecta erat, & cum filia, valetudinem hujus obtentui sumens, in Hassiam discesserat, in gratiam reciperet. Majorem vero eadem mater molestiam domi incurrit. Cum enim ex Hassia in prædium dotalitium *Schönfeldam* prope Dresdam rediisset, & ex viduæ Rochlitianæ delatione nuptiæ illæ in aula *Henrici* Ducis innotuissent, hic quoque uxoris, ut Landgravius postea questus est, (quanquam illa hujus matertera esset,) instigatione, *Annam* Dresdam accivit, & de nuptiis filiæ satis severe, ut illa Landgravio scripsit, interrogari fecit, unde coactam se esse putavit, ut omne secretum, traditis etiam, quæ a Landgravio acceperat, documentis, revelaret. Quanquam Elector ei imputaret, quod ex ambitione muliebri id fecisset. Hoc facto *Henricus* subito ex Consiliariis suis *Johannem a Kitscher* ad Electorem ablegavit, magnasque per eum querelas de scandalo a Landgravio dato exposuit, tanto, ut dicebat, intolerabiliori, quia jam colloquium Hagenoæ de religione instabat, & de causa Evangelii transigendum aut decidendum esset; quam in summam ignominiam a Landgravio adductam esse judicabat. Elector d. 31. Maji *Kitscherum* cum responso generali dimisit, ignorare se simulans, quid actum esset, & quietem in negotio hoc commendans. Solicitatus tamen acrioribus *Henrici* literis d. 7. Jun. *D. Melchiorem a Creuzen*, Præfectum Colditiensem, ad *Henricum* misit, qui testaretur, Electori quidem summe displicere factum Landgravii, sed cum res infecta reddi non posset, unicum consilium restare ostenderet, ut secretum custodiretur. Excusavit etiam Legatus responsum Theologorum, petiitque, ut *Henricus* viduam Saliam ab omni molestia liberaret, ut & factum est; immo *Henricus* fateri noluit, quæ illa Landgravio scripserat, quasi ex domo sua per lictores evocata & Dresdæ custodita minisque territa fuisset. Evidens testimonium hæc præbent, & ideo enarrantur, ut constet, falsissimum esse, quod factum Landgravii ab Evangelicis probatum fuerit; prudentissimum tamen Electoris consilium erat, ut res summo cum studio occultaretur. At Landgravius metuens, ne, adhibita licet omni diligentia, nihilominus factum emanaret, & sibi periculum apud Cæsarem strueretur, ab *Henrico* inprimis *Brunsuicensi*, qui nullam occasionem illi nocendi omittebat; aut, ut alii judicabant, ut occultationis molestiam amicæ detraheret; tutius esse credebat, ut in eum casum auxilia parata haberet. Sciebat autem Electorem ea esse virtute & religione, ut nisi de justitia causæ confideret, nihil opis ab illo sperare posset. Urgebat igitur illum crebris literis, ut mentem suam explicaret; & varia argumenta conquirebat a Theologis suis suppeditata, quibus demonstraret, etiam in Novo Testamento dispensationis per modum binas uxores certis conditionibus, maxime vero conscientiæ causa, permitti posse. Neque tamen Electori persuasisset, non tantum, ut ei adstipularetur, (quod nunquam impetrari a se passus est,) sed nec, ut cum aliis consultaret, an & quatenus Landgravio hac in causa assisti posset, si crimen illi intentaretur; nisi Bucerus *Jacobum Sturmium* Prætorem Argentoratensem, magnæ inter fœderatos autoritatis virum, induxisset, ut sententiam suam hac de re aperiret, & Landgravius ipse magnum animo mœrorem concepisset, petiissetque, ut intimiores Consiliarii quidam Electoris & sui, itemque Lutherus & Melanchthon cum Hassiacis Theologis congregati consilium in causa caperent. Assensit itaque tandem Elector, diesque *Isenaci* d. 18. Jul. constitutus fuit, eoque etiam *Lutherus* venit; *Melanchthon* enim ex ægritudine animi, quam ex negotio hoc contraxerat, *Vinariæ* periculose decubuit, ut adesse in conventu non posset; id Elector ipse in literis ad Landgravium testatus est. *Isenaci* tractatum fuit præcipue de quæstione, an & quatenus Landgravio, si ob factum illud suum periclitaretur, ab Electore & sociis assisti posset. Cum vero id a præjudicio de causæ ipsius jure dependeret, de illo quoque consultatum est. Conveniebat inter Theologos Saxonicos & Hassiacos, quantum ex illorum scriptis apparet, dari casum, quo bigamia simultanea apud Christianos licita esset, ex conscientiæ nempe sive majoris peccati vitandi necessitate, ut *Lutherus* & *Melanchthon* in responso Landgravio dato & supra allegato censuerant. Ad conscientiæ vero suæ testimonium magis magisque provocabat Landgravius, hoc ipso conventus tempore, ut itidem supra dictum est. Cum vero conditionem de custodiendo secreto ægerrime servaret, Elector jam ante conventum d. 15. Jun. novum *Melanchthonis* responsum illi miserat, quod extat *d. Reg. C. fol. 163. n. 19. fol. 106. & sqq.* In hoc quidem regulam contra bigamiam stabilit, sed etiam facultatem dispensandi admittit, ea tamen cum conditione, ut non nisi secreto, (consilio, ut ita dicam, confessionali **durch einen Beichtrath**) concedi possit. Landgravius restrictione hac non contentus Cancellario suo *Johanni Feigio*, vel ut Latine scribens sese vocare solebat, *Ficino*, & quatuor Theologis, Melanchthonis responsum examinandum commisit. Eos quidem non nominat, sed vix dubitari potest, fuisse tres ex illis, qui responso Lutheri & Melanchthonis d. 10. Decembr. dato subscripserant, nempe *Adamum Fuldam, Dionysium Melandrum* & *Johannem Lenyngum*, quartum vero *Johannem Kymæum*, qui *Corvini* loco, (cujus nomen in priori illa subscriptione legitur,) accessit. Quatuor enim hi una cum Cancellario d. 23. Jun. epistola ad Lutherum & Melanchthonem data causam Principis, & ut illius ratio haberetur, enixissimis precibus, & per viscera misericordiæ divinæ commendaverunt. Consultatio vero illorum extat *d. Vol. 206. sqq.* prolixa sane & erudita. Sed refutationem ejus, licet allegetur, in Actis non inveni. Causas prægnantes habeo, ut de quæstione principali, an & quatenus ferri possit inter Christianos bigamia, hic non tractem. De conditione secreti dissensus erat inter Saxonicos & Hassiacos: hi enim tam stricte illam non requirebant, licet dispensationem non nisi urgente conscientia, ex summa necessitate, & consentientibus primariis Ecclesiæ membris, fieri debere faterentur. Sed non solum *Melanchthon*, verum longe fortius *Lutherus* conditioni secreti institit. Jam enim, cum conventus Smalcaldici hoc anno habiti tempore, ex ipsius Landgravii literis consummationem nuptiarum cum Margaretha intellexisset d. 12. April. (*d. Vol. fol. 75.*) Electori scripserat, se literas Landgravii combussisse, ne secretum ex illis emanet, & ipsum denuo ad illud servandum cohortatum esse. *Custodiendum enim est*, ait, *omni modo, neque res hac spargi debet vel jactari* (**Es soll und muß heimlich gehalten und nicht gerühmet werden.**) Addit votum, *ut, quoniam Landgravius tantopere testetur, de salute sua agi*, (**weil er es so hoch zu seiner seelen Seligkeit achtet.**) *Deus successum largiatur.* Postea ad *Eberhardum Thannium* d. 27. Jun. scribens, vehementer improbat, quod Landgravius publicare rem velit, suadet potius, ut Cæsari significet, se concubinam alere & dimissurum, si alii Magnates idem faciant. Addit: *Ego, quæ Landgravius sub arcano confessionis per Bucerum mihi exposuit, secretissima tenebo, etiam cum ignominia mea. Præstat spargi, Lutherum indulgentia sua desipuisse, (longe enim me majores viri desipiunt, & sapientum, ut dici solet, non parva aliquando est stultitia,* (**Ein weiser mann begehet keine kleine thorheit.**) *quam ut rationes evulgem, propter quas Landgravio indulsimus. Id longe majus dedecus illi afferret, & causam longe faceret pejorem.* At in conventu Isenacensi

(i) Evulgatio Secreti.

(k) Afflicta Dresdæ cum Salia matre.

(l) Legatio Electoris ad Ducem Henricum in ea causa.

(m) Landgravius cum Electore agit.

(n) Consultatio Isenaci habita.

(o) Hassiacorum Theologorum opinio, & a Saxonicis dissensus.

(p) Lutheri litera.

A. 1540.

censi sententiam suam ultima vice (ut ipse scribit) in schedula aperuit, quæ habetur *d. Vol. fol. 115.* & pertinet ad relationem Legatorum Electoris d. 20. Jul. scriptam fol. 311. b. *Impossibile est*, ait, *ut causa hæc publice defendi queat. Si tamen nihilominus Landgravius cum incommodo & onere totius confessionis, sive Ecclesiæ nostræ, ad propalationem procedere vult, opus est, ut cum Proceribus omnibus propositum communicet, alias opem & auxilium ab his inique peteret. Ego & Melanchthon nostra autoritate nihil proficiemus, & antequam publice causam hanc defendam, aut negabo responsum illud a me & Melanchthone datum esse, (secretum enim fuit, &, si publicetur, nullum fiet,) aut si hæc inficiatio non subsistat, & responsum nostrum, non, ut revera est, pro confessionali, sed pro consilio habeatur, errasse & desipuisse me fatebor potius, (daß ich geirret und genarret habe /) & veniam petam; (ich wil umb Gnade bitten) scandalum enim nimium est intolerabile.* Addit, *Landgravio sufficere debere, quod puellam (die Metze) clam bona conscientia habere possit, secundum ejus confessionem & Lutheri ac Melanchthonis responsum.* (laut seiner Fürstl. Gn. Beichte und unsers Beichtraths.) *In hac sententia* (ita concludit) *perseverabo.* (dabey bleibe ich) Aliud *Lutheri* autographum, *d. l. fol. 116.* insertum est, Consiliario cuidam Hassiaco scriptum, in quo prolixe disputat, secretum illud responsum VVittenbergense, si propaletur, nullius esse valoris, secundum regulam: *unius testimonium nullum; duorum omnia:* Differre itaque *secretum* & *publicum*, ut *omne* & *nullum*. Cum vero inter alia a Landgravio & in consultatione Theologorum ejus allegatæ fuissent *conciones Lutheri in Genesin*, (de quibus in anno 1528. *Lib. II. §. XXXVIII.* egi) & quidem ad *cap. XVI.* ubi dixerat, (*Tom. IV. Alt. fol. 110.*) *quod non peccaverint Patriarchæ digami*, & inter alia his verbis usus erat: *se nec hodie bigamiam impedire posse, suadere tamen nolle;* (ich könte es noch heute nicht wehren / aber rathen wolte ichs nicht) Ad ea hæc regerit: *Nil juvabit Landgravium concio mea in Genesin: nam & antea & postea diversis vicibus docui, reducendam non esse legem Moysaicam, etsi clam in casu necessitatis, vel etiam publice (si magistratus jubeat) pro exemplo uti illa liceat. Quamvis igitur afflictæ alicujus conscientiæ ex necessitate arcanum consilium darem, ut Moysis lege vel exemplo agat, non tamen jus manifestum aut exemplum statuerem, sed respondissem, ut confessionarius* (als ein beichtvater) *qui nihil agit publice, sed in arcano pro necessitate conscientiarum; nec procedi debet ad propalationem; nec juvant exempla quæ ex historia post natum Christum a quibusdam afferuntur de Carolo Magno & Valentiniano. Non valet consequentia; quod tu ex necessitate facis, ego jure faciam. Furtum ex summa famis necessitate impune committitur, ut & homicidium ob inevitabilem defensionem, sed hæc in exemplum trahi non debent, nec jus faciunt. Necessitas frangit legem, sed non facit legem.* Urget præterea non solum, ut Princeps secretum custodiat, sed & contra bigamiam in ditione sua publice scribi & doceri faciat: *una enim concione*, ait, *centum rumoribus & confabulationibus popinarum occurritur.* Monet etiam, *ne puellam deserat Landgravius, cujus conjugium tantæ cum necessitatis & conscientiæ allegatione obtinuerit.* Claudit tandem, *coram Deo defendi a se posse causam Landgravii ex secreto confessionis & necessitate, sed coram mundo & jure, ut loquitur, nunc regente sive usitato, nec posse se nec velle illam defendere.*

(q) *Responsio ejus ad concionem quandam a se habitam.*

Apponam etiam Electoris responsum, Landgravio concionem illam Lutheri acriter urgenti, d. 3. Jun. datum (*d. l. fol. 275.*) *Aliud est*, ait, *scribere & docere, quid in hoc vel illo casu Deo & Scripturæ non adversetur; aliud vero factum contra jura publica & morem universalem palam audere & defendere. In doctrina & confessione conscientia instruitur, quatenus ex necessitate excusari possit, & Canonistæ quædam scripserunt & concesserunt, quæ utique in foro civili defendere nollent. Cum Lutherus scribit, se bigamiam non suadere; eo ipso indicat, se nolle, ut publice introducatur, & scopus concionis ejus is potissimum tunc fuit, ut Patriarchas a variis interpretum censuris defenderet, non vero, ut Christianos ad licentiam provocaret.* Hæc Elector. Referri etiam ex multis *Landgravii* ad Lutherum literis merentur, quæ d. 27. Jul. scripsit, respondens ad epistolam Lutheri d. 24. Jul. datam, cujus exemplum non invenio. *Scio* (ait Princeps) *abs te & Melanchthone in tribunali externo defendi me non posse, neque id a vobis desideravi: contentus vobiscum sum, quod non negatis, quæ mihi respondistis: Deus, cui interiora cordis mei nota sunt, inposterum quoque auxilium feret; si non fecerit, & aliquid patiendum mihi est, tolerabo id in nomine Domini, conscientiæ meæ securitate & puritate lætus, & quod pro me habeam verbum Dei, tuumque & aliorum Doctorum consilium. Id mihi in afflictione majus solatium affert, quam omnium Jurisconsultorum incerta responsa.* In iisdem literis magnis elogiis Lutherum ornat, inter alia his verbis: *Ego te (absque adulatione) inter omnes homines pro primario æstimo Theologo.* Item: *nihil in te desidero, & virum te esse agnosco, qui Deum respiciat.* Sic acquiescere visus Landgravius, & a propalatione desistens, responsum in conventu illo Isenacensi, Electoris nomine, per Legatos accepit, fore, ut non deseratur, si ob causam hanc insultum pateretur, dummodo secretum custodiret. Hoc solatium ut Principi daretur, Lutherus suasit, difficiliore licet Electore & *Pontano*, qui varia de Landgravii & de Buceri consiliis suspicabatur. Onerabatur *Bucerus* rumoribus, ac si cum aliis, qui nuptiis Rotenburgensibus adfuerant, magna præmia accepisset; sed id maligne fingi questus est, & jam antea d. 19. Aprilis Ducissæ Rochlitianæ ab illa calumnia sese purgaverat, fassus tamen, Landgravium pro labore itineris VVittenbergam suscepti, & quæ in aliis ejus negotiis scripserit, centum imperiales uxori suæ Argentoratum misisse. Extat etiam memorabile, de quo supra dicere cœpi, consilium *Jacobi Sturmii*, assentiente Bucero. (*d. l. fol. 231. sqq.*) Præsupponit Landgravium celaturum esse matrimonium hoc, nullamque pompam aut titulum alterius uxoris (Zugemahl) novæ nuptæ daturum, sufficere enim, si suo vocetur nomine *Domina Margaretha:* Deinde, si quis eum interroget aut culpet, generaliter respondendum ab illo esse, se nihil contra jus divinum aut Cæsareum fecisse, quod conjugi, quam habebat, liberisque ejus derogaret aut noceret; (id sane Landgravius non tunc solum, sed & alias sæpissime professus est, & præterea ad evidentiam facti provocavit, quod cum uxore conjunctissime & suaviter viveret.) His ab illo observatis statuebat, deseri eum a fœderatis non posse (1) quia nec facti notorietate, nec sua confessione convictus esset, aliquid contra jus divinum fecisse, ut adeo vi contra illum in casu, qui ad solam ejus conscientiam pertineret, agi non posset. (2) Quod causa hæc ad tribunal Ecclesiasticum deferenda prius esset; jam vero nullum extaret, quod Landgravius non posset ut suspectum rejicere. (3) Si producto forte instrumento nuptiarum ex officio (nemine accusante) inquisitio adversus eum pareretur, excipiendum esse, quod id jure fieri non possit, sed actione & cognitione legitima in foro competenti experiendum & procedendum fit, censores vero illos prius manifesta adulterii & alia crimina persequi debere. Interim *Sturmius* ex conventu Hagenoënsi, unde consilium illud miserat, d. 9. Jul. (*d. l. fol. 303.*) secretum rei omnibus modis custodiendum suadet; paucos enim fore, qui dispensationem probaturi sint, plures dicturos esse, tentationi resisti debuisse & potuisse, auxilio divino. Putat denique satius esse, ut matrimonium illud rescindatur, quam manifestum reddatur, cum summo Evangelicæ doctrinæ scandalo. Dubitat tamen, an ad dissolutionem permoveri possit Landgravius, nisi id a Luthero fiat argumentis ex sacra Scriptura petitis.

(r) *Electoris de eadem sententia.*

(s) *Landgravii ad Lutherum literæ.*

(t) *Responsum Landgravio denegatum.*

(u) *De Bucero & Sturmio quædam.*

Post conventum Isenacensem Legati *Electoris Brandenburgici* & *Henrici Saxoniæ Ducis* ad Landgravium venerunt, affinitatem allegantes, quod uxor Landgravii *Christina* Saxonica fratre Henrici *Georgio* nata esset, ejus vero sororem Elector Brandenb. uxorem habuisset, item quod pacto fraternitatis familiæ Principum conjunctæ, & ex eo singuli obligati essent, ut honorem & commoda agnatorum & consociatorum promo-

(w) *Legati Brandenburgici & Saxonici ad Landgravium.*

An. 1540.

promoverent. Si igitur vera esset fama, quod alteram uxorem pri[illegible] superinduxisset, adhortati sunt eum propter communem Evangelii causam, suamque & conjunctorum Principum honorem, ut peccatum corrigeret, neque Dei & Cæsaris iram in se provocaret. Orationem Legatorum, (*fol.* 337. *& seq.*) cum responso suo d. 27. Aug. dato, Landgravius cum Luthero & Melanchthone d. 1. Sept. communicavit. Hoc tale erat: De sua in causa religionis constantia, & de amicitia & officiis erga Principes, sanctaque pactorum observatione dubitari non debere: in conjugio suo ita se vivere, ut coram Deo & in conscientia sua hoc nomine tutus sit: uti se Sacramento corporis & sanguinis Christi, & gerere se, ut decet Christianum, ea vitæ & morum ratione, ut speret, se propitium Deum habere: *Christinam*, conjugem suam, secum esse contentam, & se concorditer cum illa vivere, neque impium se haberi a confessionariis suis: nihil denique actum esse, quod uxori, liberis, successoribusque suis damnosum sit, neque tale aliquid vere sibi objici posse: petit ergo, ut Principes rumores in contrarium sparsos non admittant. A *Luthero* deinde & *Melanchthone* consilium poscit, quid faciendum sibi esset, si Legati, quos nunc leni cum responso, licet acrius meriti sint, dimiserit, redeant, aut ipse vehementius ab Heris illorum urgeatur; præfractam enim novi conjugii negationem sibi parum honestam videri. Quid illi ad hæc responderint, ignorare me fateor.

Circa hoc tempus libellus, ficto *Huldrici Neobuli* nomine editus, circumferebatur pro defensione bigamiæ. Illo viso vehementer exarsit Lutherus, ut ex verbis ejus, *d. l. fol.* 231. relatis, satis cognoscitur. Germanica hæc sunt: Wer nun begehrt mein urtheil uber dis buch, der höre zu. Also spricht D. Martinus Luther uber dis buch Nebuli: Wer diesem buben und buch folget, und darauff mehr denn eine Ehe-Frau nimmet, und will, daß es ein recht seyn soll, dem gesegne der Teufel das bad im abgrund der höllen! Amen. Das weiß ich wohl, Gott lob, zu erhalten, und wenn es eitel Nebulos, Huldriche, samt eitel teufeln schneyete ein gantzes jahr lang, man soll mir kein recht daraus machen, das will ich wohl wehren, viel weniger soll man mir daraus ein recht machen, daß ein mann sich von seinem weibe scheiden möge mit recht, wo sie sich nicht selbs zuvor durch öffentlichen Ehebruch geschieden hat, welches dieser bube auch gern wolte lehren. Sensus est: *Si quis Martini Lutheri judicium de libro hoc Nebuli*, (sic in nomen ejus ludit) *scire velit, hoc audiat: Quicunque libro huic obsequens plures quam unam ducit uxorem, idque jure se facere jactat, illi Diabolus in inferno balneum paret. Hoc se*, ait, *contra omnes Nebulos & Diabolos, innumeros licet, per Dei gratiam defensurum, neque unquam futurum esse, qui se assentiente bigamiam legitimam esse probaverit, aut divortia extra causam adulterii defenderit.* Confidenter hæc quidem, neque tamen vane dicta sunt, & eventus probavit. Ægre vero retineri se passus est, ne librum publice refutaret; ferunt etiam folium quoddam jam scriptum & typis excusum, sed continuationem intercessione Melanchthonis impeditam fuisse. Renovatus tamen est rumor post biennium, quasi tractatum de illa materia meditaretur Lutherus, sed Elector viduæ Rochlitianæ ea de re querenti d. 2. Mart. 1543. respondit, post diligentem inquisitionem nihil explorari potuisse. Interea certantibus, odiosissimis libellis Electore Saxoniæ & Landgravio cum *Henrico Brunsuicensi*, & hoc famam de duplici conjugio (in scripto d. 22. Jul. 1540. publicato *Hortl. d. Vol. I. Lib. IV. c. XI. n.* 68.) objiciente, Landgravius memor eorum, quæ cum Electore & Theologis constituerat, generaliter respondit, (d. 12. Mart. 1541. *Hortl. d. Lib. c. XIX. n.* 35.) calumniatorem esse, qui dicat, se impium sive non Christianum matrimonium contraxisse, aut indignum aliquid Principe Christiano egisse: se quidem coram Deo peccatorem esse, habere tamen conscientiæ suæ rationem, nec a confessionariis suis pro impio æstimari, sibi etiam cum uxore sua Christina optime convenire. Lutherus quoque in invectiva contra Brunsuicensem anno 1541. edita (de qua alibi plura dicentur) *Tom. VII. Alt. fol.* 405. ad convitium illud Henrici contra Landgravium, quem *hæreticum, Anabaptistam* & *bigamum* vocaverat, respondit: *Landgravium habiturum, quæ reponat, sibi tamen ipsi unam tantum Landgraviam notam esse, quæ Domina & mater Hassiaca sit & dici debeat, filiam nempe Georgii Sax. Ducis.* Addit postea: *Quod vero vos Principes in obliquas vias excurritis*, (den holzweg gehet) *efficitis sane pessimis exemplis, ut jam etiam plebs rustica pro peccatis vix habeat crimina illa, & nobis difficile sit, ut honorem & fidem conjugiorum servandam illi inculcare possimus.* Utrumque locum citavit & sugillat, *Bossuetus d. l. VI.* §. 334. Unum addo ex scripto *Melanchthonis* supra ex *Vol. fol.* 151. citato, Landgravii exemplum sequelas, quæ metuebantur, minime habuisse. *Neobuli* quidem libellum, incertum qua de causa, Lipsiæ publice venditum, & in Misnia magis quam aliis locis vulgatum fuisse, refutatum autem a multis; & in Hassia a Præfecto Homburgensi quendam ex plebe, qui bigamiam moliebatur, carceris pœna a proposito detentum.

Hæc optima fide ex Actis relata Gallorum calumniis reponenda esse duxi, quæ etiam brevi dilemmate retundi possunt. Aut enim Lutherus secreta illa indulgentia non peccavit, & ideo injuste a Gallis reprehenditur; aut si peccavit, error ejus Ecclesiæ Evangelicæ nocere & præjudicare non potest. De priori membro, an ab errore & culpa liberari possit dispensatio illa, hic non disquiro; videndi sunt, qui de quæstione hac in utramque partem disputarunt, veteres & recentiores autores. Præsupponamus autem, quod in jure & facto erraverit; quid litigant cum eo censores, cum ipse, ut ex ejus autographis relatum est, deprecatus sit, in eum casum, errorem, prætèrea digamiam acerrime improbaverit & rejecerit? Ecclesiæ certe Evangelicæ nunquam cæcum & fatuum assensum ullius hominis, adeoque nec Lutheri dogmatibus, multo minus factis, præbuerunt. Iniquissime autem agitur cum Luthero, quod illa, quæ sub maximi secreti fide scripsit, & primum muliebri garrulitate, deinde post tot annos, non bono consilio, evulgata sunt, tanquam publice asserta aut indifferenter probata, traducuntur. Minime omnium id facere deberent, qui regnum illud confessionum, quod sine custodia secreti inviolabilis stare non potest, exercent. Quos enim illi censuras non incurrerent, si publicarentur quæ suæ curæ commissis indulgent aut consulunt? Quod si dicant, aliam fuisse Lutheri, aliam suorum sacerdotum facultatem; in circulum redit disputatio, & cum illis absolvenda est, qui dudum in arenam illam descenderunt, aut adhuc descendere cupiunt.

Elector audito, quod Landgravius se inconsulto conciliationis in religione media, fortasse illis, quæ Carlevitius suggesserat, similia a *Buccero* conscribi & *Granvellano* exhiberi fecisset, cum illo quidem per literas d. 6. Jul. postea expostulavit, interim vero suis Legatis serio mandavit, ut constantes essent, sociosque, ne contra fidem & conscientiam flecti se paterentur, admonerent. Suaserat idem Lutherus epistola ad Electorem d. 26. Febr. data, quæ *Tom. VII. Alt. fol.* 422. legitur. *Satis blanditi sumus*, ait, *Diabolo & Papistis: cecinimus, neque tamen saltarunt, lamentavimus, & non planxerunt, justificant sapientiam Dei. Sed hic absque nostra prudentia & potentia causam, quæ sua est, ut huc usque fecit, tuebitur. Verendum est, ne Papistæ blandis verbis sua incrustantes, tentent quosdam ex nostratibus, ideoque etiam Melanchthon desiderat, ut stricta dentur mandata. Nos interim preces nostras negotio admovebimus, quæ huc usque per Dei gratiam non fuerunt sine successu.* (Wir wollen dieweil das liebe Vater-unser in diese sache mengen, welches bisher sich redlich beweiset hat, Gott lob und danck!) At non deerant ex Theologis, quibus instans periculum magnum metum incutiebat, & fortassis industria adversariorum rumores disseminabantur

Marginalia: (x) Lutheri censura in libellum Neobuli. (y) Scripta Landgravii & Lutheri post divulgatum secretum. (z) Epilogus dissertationis. (4) Elector & Lutherus constantiam suadent.

An. 1540. tur ad deterrendos a colloquio Evangelicos, ut culpa, quod non processisset, in hos recideret. Certe *Urbanus Regius*, Luneburgensium Superintendens, *(Reg. H. fol. 298. n. 121.)* Hersfeldia, ubi cum reliquis subsistebat, d. 22. Jun. ad Electorem scripsit, *se audire, Evangelicis omnibus hospitia Hagenoæ in suburbio assignata esse, ut scilicet insidiis & insultibus exponerentur; memorem se esse periculi, quod in comitiis Augustæ anno 1530. incurrisset, ab Hispanis ad necem quæsitus: jam quoque facile tolli posse homunciones quindecim;* (funffzehen männlein/ Theologos innuit, qui Hersfeldiæ erant, & ad colloquium destinabantur) *sed intra triginta annos sperari non posse alios his pares.* Verum Elector in responso confidere eum jubet Deo & provisionibus de securitate factis.

(5) *Urbani Regii literæ ad Electorem, & hujus responsum.*

De hospitiis in suburbio ipse quidem indignationem suam Legatis paulo ante d. 21. Jun. *(Reg. H. fol. 300. n. 125. A.)* testatus erat, turpe & ignominiosum id esse scribens; solatur tamen *Regium*, & significat, idque compertum postea fuit, commodiora suburbia urbe ipsa fuisse, & a Catholicis etiam aliquibus diversoria in illis quæsita esse. Legati Electoris ad conventum fuerunt *Christophorus a Taubenheim* Præfectus Altenburgensis, *Joh. a Dolzig*, Eques, *Franciscus Burcardus* Cancellarius, & *Laurentius Zoch* LL. Doctor, Professor Wittenbergensis. Ferdinandus Rex die, quem suæ partis proceribus indixerat, adfuit, visusque est d. 27. Maji festo corporis Christi in publica processione ingentem cereum gestans, claudentibus latera ejus *Erico* seniore Duce Luneburgico & *Alberto* juniore Marchione Brandenburgico Byruthensi, qui malam inde apud Evangelicos, quorum doctrinam profitebatur, famam adeptus est. Zelum etiam ostendit Ferdinandus, Legatis Evangelicis conciones, quas in hospitiis suis haberi faciebant, interdicens. Id Hassiacis, qui *Johannem Pistorium* adduxerant, denunciatum fuit, antequam Saxonicorum concionator advenisset; sed neque hi neque illi paruerunt.

(6) *Initium conventus Hagenoensis.*

Sed majoris momenti sunt, quæ separatim & secreto cum Catholicis tractavit & in *Archivo* Saxonico *(d. Reg. n. 125. A.)* reperiuntur, industria Legatorum Electoris explorata, quorum notitia *Sleidanum* fugit. Ferdinando ex suggestione Legatorum Pontificiorum propositum erat, ut neglecta in hoc conventu colloquii & pacificationis cura, plures ex Catholicis ad fœderis Norimbergensis societatem perduceret. Nescio tamen, an occultioris consilii Pontificii conscius fuerit, quod *Pallavicinus Lib. IV. cap. X. §. 16.* prodidit, nempe ut quidam ex Principibus Germanis Cæsari minime addicti in peculiarem amicitiam & clientelam Pontificis adsciscerentur. Interim suo scopo insistens post aliquam moram cum Catholicis initium agendi fecit d. 12. Jun. narratisque, quæ huc usque a Cæsare & se pro pace, ut ajebat, acta fuissent, hortatus quidem est illos, ut etiam nunc illi curæ incumberent & cum Evangelicis paciscerentur, in eventum tamen etiam consultarent, quomodo res manu geri posset, & defensio suscipi adversus continuas, de quibus querebatur (per calumnias persuasus) Protestantium violentias (daß man des täglichen zwangs und überdrangs möchte entladen bleiben) utque solatium & tutamen haberent priscæ fidei addicti, neque in eandem apostasiam inciderent. (gleicher massen in abfälligkeit und ungehorsam kämen) Erant inter Catholicos Pontificis intentioni plus satis accommodati, qui maluissent rem ad bellum adducere, sed plerique moderatius sentiebant. Horum itaque sententia prævalente, responsum est d. 14. Jun. ad pacem procurandam paratos esse Principes, itemque ad jungendas contra Turcos vires, hoc enim inprimis desiderabat Rex; sed quæ de apparatu ad defensionem adjecerat, silentio transmissa sunt. Ferdinandus inde d. 18. Jun. priora reiteravit, addita tamen excusatione, quod Cæsar comitia universalia (id enim fieri debuisse monuerant) non indixisset, veritum enim esse, ne pro ruptura pacis Norimbergensis, quæ non nisi usque ad Comitia pacta erat, haberetur.

(7) *Ferdinandi Regis separata cum Catholicis tractatio.*

An. 1540. Ut vero tractatum de concordia in hoc conventu sibi curæ esse ostenderet, denominari ab illis petiit, qui cum Protestantibus veluti Mediatores agerent. Probarunt hoc Principes d. 21. Jun. sed deligendorum arbitrium Regi detulerunt, tum deliberationem de defensione differendam esse censuerunt, donec appareat, quid in tractatu de concordia profici posset. Sequenti die Ferdinandus inter Deputatos Electorem *Palatinum* nominat, reliquos iterum eligi a Principibus petit, denuoque urget, ut de defensione deliberatio instituatur: persistentibus vero in sententia Principibus d. 23. Junii Electorem *Trevirensem* una cum *Palatino*, & ex Principibus Episcopum *Tridentinum & Argentoratensem* atque *Ludovicum Bavariæ* Ducem, rigidissimos quidem ex Catholicis, nominat, eoque ipso Protestantibus omnibusque, qui pacem optabant, spem ejus præcidit. Operosius deinde consultationem de defensione postulat, eo inter alia argumento, quod ad pacem obtinendam profuturum sit, si Protestantes de apparatu illo audirent. Verum Principes d. 30. Jun. contrarium metuendum esse regesserunt, exacerbatis scilicet Protestantibus potius, quam in metum adactis. Prævidérant hi artes istas, ideoque per Legatos suos ab initio statim *(Reg. H. fol. 302. n. 125. B.)* Catholicos, quos æquioris animi pacisque studiosos esse confidebant, convenerant, puta Electores *Trevirensem, Coloniensem, Palatinum*, Legatos Ducis *Juliacensis*, aliosque, a quibus omnibus responsa benigna acceperunt.

(8) *Alia inter hos & Evangelicos secreta.*

Exhibuerunt simul omnibus exemplum literarum in conventu Smalcaldico Comitibus datarum, quod inprimis gratum sibi esse testatus est *Episcopus Augustanus*, quia id frustra huc usque desiderasset. Occultabatur sine diligenter, & *Granvellanus* ipse fassus est, se illud Cæsari non exhibuisse, jactabat tamen se contenta retulisse. Etiam *Trevirenses* Legati longe aliud, quam quod in literis illis continetur, Hero suo relatum esse confessi sunt. *Episcopus Monasteriensis* Cancellario Hassiaco ad se misso asseveravit, sibi non placere fœdus Norimbergense, neque ad id accessurum esse, nisi a Capitulo suo & Ordinibus provinciæ cogeretur. Ita factum est, ut intellectis moderatis Evangelicorum consiliis ad bellicas curas permoveri paucissimi possent. Cum igitur cerneret Rex, nihil a se profici, post aliquot dierum moram d. 12. Jul. mentem aperit, & dilationem tractatus cum Protestantibus in alium diem & locum proponit, itemque colloquium post menses duos habendum, sed absque obligatio-

(9) *Ulterior Ferdinandi cum Catholicis actio.*

An.1540. gatione, (unverbindlich) utque adessent duarum summarum in orbe Christiano potestatum, *Pontificis* nempe & *Cæsaris*, Legati, quorum nullam mentionem a Principibus factam esse miratur. Protestantibus interim proponendum esse dicit, ut Concilio sese submittant, ecclesiastica bona restituant, & ab augenda societate sive recipiendis in fœdus illis, qui in decretum Augustanum anno 1530. consensissent (id fecerant præter paucos, qui confessionem exhibuerant, aut illi in Comitiis adhæserant, omnes reliqui Ordines) prorsus abstinerent. Adhæc Catholici dilationem quidem probarunt, multa tamen de modo tractandi & colloquendi monuerunt, utque omnia amice, non vero per disputationes, tractarentur. Quod Pontificis aut Legatorum ejus mentionem non fecissent, ita excusant, quia scirent, Protestantes a tractatu abhorrere, cui Legatio Pontificis intersit, de Cæsare vero opus non fuisse, ut aliquid dicerent, cum nemo dubitare possit, quin ille pro jure suo Legatos in conventu sit habiturus. Regi deinde permittunt, quid cum Protestantibus tractare velit, sibi tamen notum esse dicunt, illos semper ita fuisse animatos, ut neminem rejicerent aut desererent, qui religionem eorum profiteretur. Erant, qui etiam de defensione eodem, quo de pace tractaretur, tempore deliberari posse existimabant, sed Electores pervicerunt, ut totum illud negotium ad comitia rejiceretur, & sufficere dicebant Recessum Augustanum in quo contra vim, quæ metuebatur, prospectum erat. Dum ista agerentur, Legati Electoris Brandenburgici d. 7. Julii advenerant, sed neque a Catholicis neque Evangelicis in consilium admissi sunt, causantibus illis, quod tardius advenissent; ab his vero ipsi adhuc abstinebant, ne in partes eorum transiisse viderentur. Offensi sunt Ferdinandi illa negotiatione Protestantes, ut ex literis *Burcardi* Cancellarii d. 30. Jun. ad Electorem scriptis intelligitur; observabant enim, nihil aliud ab illo agi, quam ut fœdus Norimbergense stabiliretur. Apertius in ipsa Cæsaris aula actum id fuit, renovato denuo mandato ad Capitulum Bremense, ut Legatos *Hagenoam* mitterent, qui fœdus illud Norimbergense acceptarent. Hoc ex literis *Ernesti* Luneburgensis d. 8. Jun. datis *(Reg. H. fol. 352. n. 137.)* Electori significatum est. Hic vero cum sociis, quanquam infida adversum se consilia & machinas satis perciperet, non solum, ut dictum est, Legatos circa Idus Jun. Hagenoam expedivit, sed & Theologos ire jussit, qui d. 8. Jun. Hagenoam venerunt: ex Electoralibus nempe *Cruciger*, *Myconius* & *Menius*; *(Melanchthonem* enim morbus retardaverat) ab *Henrico* Duce Saxoniæ missus aderat *Nicolaus Scheubelius* Lic. Pastor Dresdensis; venerunt etiam *Wurtenbergenses*, *Onoldsbacenses*, *Norimbergenses* aliique: frustra quidem omnes, cum ex adversa parte colloquium omnibus modis evitaretur. Prætextum inter alia quærebat Ferdinandus ex absentia Electoris & Landgravii, utque illius adventum promoveret d. 25. Jun. syngraphen dederat, qualis etiam Viennæ anno 1535. exhibita fuerat, cavens de non præjudicando Electori, si in hoc conventu, aut uno post illum mense, *Regis Romanorum* titulum Ferdinando tribueret.

(10) *Alia in conventu acta & scripta.*

(11) *Cur Elector Saxoniæ ad conventum non venerit.*

Sed Elector, suadentibus id licet Legatis, perstitit in sententia, ut ipse non accederet ad conventum; pacem enim dicebat sublatam esse, non secuta Francofurtensis tractatus ratihabitione; captiosum quoque esse stylum salvi conductus, colligi ab *Henrico* Brunsuicensi copias militares, neque consultum esse, ut provinciam desereret. Si vero Hagenoam veniret, neque concionibus Evangelicis cariturum neque ciborum discrimen servaturum esse, præsertim cum famam de se spargi intelligeret, ac si a religione defecturus esset; denique cum *Henrico* Brunsuicensi, qui in conventu aderat, sine honoris sui detrimento commercium habere non posse. An.1540.

Desperato igitur ejus adventu, incertum an serio, aut quo fine, desiderato, *Ferdinandus* d. 25. Jun. agendi cum Legatis Protestantium initium fecit, idque postea per Mediatores sive Deputatos d. 28. & 29. Jun. continuatum fuit. Cum vero moderatissimi quique ad instituendum colloquium inclinarent, & jam Theologi in itinere essent, inventus tamen modus est ad illud impediendum, facta d. 6. Jul. propositione a Cancellario *Trevirensi*, ut articuli in Comitiis Augustanis ventilati, de quibus conventum inter partes esse dicebatur, omitterentur, & de reliquis colloquium haberetur. Exhibuere simul indicem articulorum, de quibus transactum esset, ab *Eccio* conscriptum. Hoc vehementer offendit Protestantes, qui nihil tale speraverant, satisque noverant, nihil conventum transactumque esse Augustæ, idque ex ipso Recessu Comitiorum demonstrabant, in quo omnia Protestantium dogmata rejecta fuerant. De mala itaque fide & subtilitate Eccii querebantur; sed ille eandem fere Augustæ etiam ostenderat, falsa de colloquio tunc habito relatione, cui Protestantium Theologi contradicere coacti fuerant, ut ex *Cælestini Hist. August. Comit. Part. III. fol. 36. & seqq.* & ex iis quæ supra *Lib. II. §. LXVIII.* retulimus, intelligi potest. Pejora vero erant, quæ nunc pro conventis & transactis venditabat. Cum igitur ad hunc scopulum allideretur negotiatio, & Protestantes *Eccii* sophismata respuerent, omissoque colloquio, quod ad illam formam a se posse institui negabant, pacis tractationem offerrent, Ferdinandus Rex dilationis (de qua cum Catholicis jam convenerat) proponendæ opportunitatem amplexus est, d. 16. Jul. sed eo stylo iisque conditionibus, quas admittere Protestantes non poterant. Regesserunt itaque non pauca d. 21. Jul. & omissam suorum Principum comparitionem, quæ pro causa dissolvendi conventus allegabatur, ex rationibus jam adductis excusabant. In futuro autem conventu facultatem denominandi Mediatores reservabant petebantque, ut Cæsar ipse adesset; & quoniam huc usque male de causa Evangelicorum informatus esset, rectius instrui se pateretur; Pontificiorum vero Legatorum admissioni palam contradicebant, quod nullum primatum aut imperium Pontificis agnoscerent. Restitutionem vel sequestrationem monasteriorum aliorumque bonorum Ecclesiasticorum, quæ urgebatur, declinabant, quæstionem enim illam cum religione connexam esse ajebant, neque Principibus & magistra-

(12) *Ferdinandus tractat cum Evangelicis.*

(13) *Eccii relatio de articulis Augustæ compositis.*

(14) *Disceptatio Ferdinandi cum Evangelicis, & conventus solutio.*

An. 1540. tibus auferri posse jus de bonis illis in suis territoriis & urbibus disponendi ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ & scholæ, & alimoniam pauperum. Multo magis recusabant, quæ itidem postulabatur, redintegrationem sacrificii Missatici; impugnabant processus Camerales; & ab adsciscendis novis sociis desistere nolebant. Hæc durius accepit Rex & præterquam, quod quædam leviora & circa verborum formulas admissurus esse videretur, reliqua omnia rejecit, & quam sibi asserebant, de reditibus Ecclesiasticis dispositionem, penitus negavit; imputabat etiam, quod ratione colloquii defectum mandati allegassent Legati, cum tamen sufficienter instructi venire, aut ipsi Principes comparere debuissent. Ad hæc, replicatis ad cætera prioribus, responderunt Legati, neminem cogitare de invento Ecciano potuisse, ideoque nec in mandatis suis ad talia responderi potuisse. Post altercationes has publicavit Ferdinandus decretum d. 28. Jul. in quo dies alius 28. Octob. Wormatiæ habendo colloquio indicitur, formaque ejus præscribitur. Huic iterum quædam opposuerunt Protestantes, maxime de sistendis Cameræ processibus; sed Rex nisi restitutionem bonorum Ecclesiasticorum promitterent, negavit quidquam a se concedi posse, relationem itaque Cæsari facturum. Idem Protestantium Legati testati sunt, Herisque suis omnia integra reservarunt. Alia de hoc conventu prolixius recenset *Sleidan. d. Lib. XIII. p. 376. seqq.* Impudens hic est Maimburgius, qui Cæsarem accusat, quod spretis Pontificis monitis utriusque partis Theologis potestatem fecerit de controversiis religionis pro arbitrio transigendi. Ex iis enim, quæ fideliter ex Actis enarravimus, satis constat, non nisi in gratiam Pontificis conventum Hagenoensem in difficultates inexplicabiles inductum esse. Etsi enim Cæsar, ut quidam tradidere, & *Granvellanus* jactabat, in ea fuisset sententia, ut absque Pontificis interventu transigi de religione posset, vincere tamen non potuisset, quæ tum ipsius ministri quidam, tum Theologi Pontifici addicti, & inprimis Eccius, afferebant, obstacula. Ex Protestantibus licet Landgravius, ut dixi, & ex literis ejus constat, hoc tempore valde propensus ad transactionem, etiam cum restitutione bonorum Ecclesiasticorum, certis conditionibus facienda, fuerit, reliqui tamen omnes aut plerique dissentiebant, & in universum omnibus Theologis injunctum erat, ut exacte in articulis Augustanæ confessionis & apologiæ persisterent. De *Melanchthone*, qui cæteris facilior habebatur, *Pontanus* tamen ad Electorem *(Reg. H. fol. 158. n. 75. B.)* d. 5. Maj. scripserat, illum sibi affirmasse, se confirmati & liberrimi esse animi, omnemque gratificandi Principibus voluntatem deposuisse. Pontifex, ut *Pallavicinus Lib. IV. cap. XI. §. 4.* notavit, dubius fuit, an Nuncium ad conventum istum Hagenoensem mitteret. Habebat in aula Ferdinandi *Johannem Moronum*, tunc Episcopum Mutinensem, postea Cardinalem, sed hunc ita instruxerat, ut Regem ad conventum non comitaretur, si quid in eo tentari animadverteret, quod sedis Romanæ reverentiæ non conveniret; aut si accederet, a disputatione tamen cum Lutheranis abstineret, Catholicos saltem confirmaret, omniaque, quæ agerentur, accurate perquireret, nulla tamen autoritate commendaret, & si quid temperamenti proponeretur, celeriter ad Pontificem referret, spe interim facta, Legatum a Pontifice adfuturum esse, si pro dignitate agere posset. *Morono* tutius visum est, ut a conventu abstineret, quanquam præsentiam ejus desideraret Ferdinandus, & *Cervinus* Cardinalis existimaret, in contemtum & suspicionem adductum fuisse Pontificem, non misso Nuncio, quasi curam religionis in Germania negligeret. Cum postea in Recessu Hagenoensi decretum inter alia esset, ut Cæsari liceret Pontificem invitare, ut Legatum ad conventum Wormatiensem mitteret, neque Protestantes id contradixissent, sed solum protestatione sibi adversus primatum Pontificis prospexissent, sublata fuit Romæ dubitatio, decretumque, ut Wormatiam mitteretur, non quidem primi Ordinis Legatus, sed, quem vocant, Nuncius, hoc ita desiderante Cæsare.

(15) *Notatur Maimburgius.*

(16) *De Landgravio & Melanchthone aliquid.*

(17) *Item de Nuncio Pontificis.*

ADDITIO IV.

Dictum est *n. 13.* quæ fuerit *Eccii* de transactione in Comitiis Augustanis circa controversias religionis relatio, utque eam rejecerint Evangelici. Extat Germanica cum subscriptione; *Eccius concepit*, (*Reg. H. fol. 302. n. 25. A.*) sed vitiose descripta, & conturbato aliquibus locis sensu, ut inseri hic non potuerit: contenta tamen ex traditis a *Cœlestino Hist. Comit. Augustan. Part. III. fol. 36. & seqq.* satis percipiuntur. Cum autem in publicato nuper *Tom. XXI. Raynaldi sub anno 1540. n. 49. & seqq. Cochlæi* consilium, *Ferdinando* Regi *Hagenoæ* suggestum, producatur, in quo non meliori, quam *Eccius*, fide acta in delectu, ut loquitur, sive inter Deputatos ad colloquium de controversiis in Comitiis Augustanis, prolixius tamen, retulit, suam etiam sententiam, quid Protestantibus concedi vel negari debeat, aperuit, illorum quoque doctrinam impugnavit; totum hoc scriptum exhibendum hic esse censui; additis tamen annotationibus quibusdam, ad ostendendas *Cochlæi* calumnias, atque breviter indicandos errores. Recte tamen fecerit lector, qui verba *Augustanæ Confessionis* cum censuris istis *Cochlæi*, meisque animadversionibus, contulerit. *Cochlæi* scriptum hoc est:

Consilium Domini Joannis Cochlæi super XXVIII. Articulis Augustensibus, Regi Romanorum exhibitum die XVII. Junii MDXL. Hagenoæ.

Serenissime, & Potentissime Rex, Princeps, ac Domine Clementissime; Posteaquam Regia Majestas vestra clementer singulari fiducia injunxit ac mandavit mihi sub conscientia mea, quemadmodum & apud Deum, & apud Majestatem vestram, confidam sustinere ac defendere, indicare, quodnam in XXVIII. Articulis Protestantium Principum, ac Statuum Confessionis, quam Augustæ in Comitiis Imperialibus Cæsareæ Majestati, omnium clementissimo Domino meo, ante annos decem exhibuerunt, non a Catholica Ecclesia tolerandum, aut acceptandum, si quo modo in iisce Articulis per amicum tractatum cum eis concordari queat, quo Germanica Natio rursus ad pacem, & unitatem in fide, & vera Religione reducatur. Super ejusmodi igitur Christianum mandatum Regiæ Majestatis vestræ, sententiam meam, quam brevissime fieri poterit, obedienter indicabo, humillima cum prece, ut Regia Majestas vestra non secus accipiat, quam ex intimo corde, absque omni affectione humana, summo cum desiderio pacis, & unitatis, quemadmodum coram Deo Omnipotente, tum in extrema mortis hora, & in novissimo Judicii die confiteri intendo, a me factum esse. (a)

(a) Gra-

(a) Gravis hæc est contestatio, sed quam *Cochlæus* multis & pessimis sophismatibus, quibus omnia ejus scripta contra Lutherum & socios scatent, vehementer suspectam facit. Modestior tamen, quam in aliis libris suis, hic fuit, mitigata, ut videtur, post mortem Georgii Ducis Sax. aut senio, ferocia: annum enim tunc agebat LXII. supervixit tamen annis XI. mortuus Uratislaviæ, anno 1552. d. 10. Jan.

De summa Trinitate.

Artic. I.

In hoc Articulo, nihil mihi displicet ex eorum Confessione.

De Peccato originali.

Art. II.

Hic concordavimus cum ipsis Augustæ in delectu: cui sententiæ adhuc sto, & acquiesco. (b)

(b) Concordatum esse de hoc articulo, negarunt *Melanchthon*, & alii collocutores Evangelici. Vide quæ *Lib. II.* §. *LXVIII. n. 2.* & §. *LXXIX. Add.* (b) diximus. Idem refert *Spalatinus*, qui sub initium colloquii scribæ loco admissus erat, sed non diu toleratus, in *Protocollo historiæ suæ MS.* inserto. Controversum nempe mansit, an id, quod post Baptismum in homine remanet, quod Eccius *fomitem & materiale* peccati, Evangelici *concupiscentiam* vocabant, vere peccatum sit, quod ex *Rom. VII. 7. 8.* hi affirmabant, adversarii vero negabant, ne perfectionem, quam jactabant, monachorum, ejusque merita amitterent.

De duabus naturis in Christo.

Art. III.

In hoc Articulo itidem, cum eis per omnia concordes sumus.

De justitia Fidei.

Art. IV.

Augustæ, in delectu super hoc quarto Articulo concordavimus, nempe ut non doceatur, quod sola fides justificat, sed quod omittatur hæc vocula Sola; *quemadmodum & Cæsarea Majestas una cum aliis Principibus, & Statibus in Recessu imperiali indicarunt, atque mandarunt: parit enim scandala in populo, & negligentes circa bona opera reddit homines. Cum igitur in Scripturis nusquam dicatur:* Sola fides justificat; *sed contradicat manifeste sua in Epistola sanctus* Jacobus, *& populus per hoc ad bona opera indevotus, ac piger redditus sit (sicut manifestum est) foret utique, & commodius ad pacem, & magis ædificatorium ad piam vitæ conservationem, hanc scandalosam de sola fide contentionem omittere; quemadmodum & sanctus* Jacobus, Augustinus, Cyprianus, *aliique Sancti fecerunt, & suaserunt.* Augustin. de fide, & operibus. Cyprian. in serm. de lapsis: & *docere populum, ut non sola fide, sed etiam contritione, & dolore cordis, orisque confessione, & operis satisfactione peccata removere, Deum placare, & justitiam adipisci studeat, atque deinceps a peccatis caveat, & non superbiat, aut temere confidat de sola fide.* (c)

(c) De vocabulo, *Sola*, vide quæ notavimus *d.* §. *LXVIII. n. 5.* & *LXXIX. in Add.* (d) Falsum nimirum est, quod *Eccius* & *Cochlæus* asserebant, consensisse Evangelicos, ut hæc vocula omitteretur, quanquam spem omissionis fecisset Melanchthon, si de re ipsa conveniri candide potuisset. Vid. *Cœlest. P. III. p. 47. b.* Quæ vero hic ex Scriptura allegantur a *Cochlæo*, nihil ad rem faciunt; neque enim hic quæstio erat de operatione sive effectu fidei, aut ejus probatione per opera externa, sed, an opera ullo modo, ex parte hominis, sint medium justificationis, sive applicationis gratiæ divinæ & meriti Christi. Vana ergo est solicitudo de scandalo populi; & facile caveri hoc potest, si quod orthodoxum est, liquide & debita cum distinctione justificationis & sanctificationis proponatur, & fidei salvificæ natura & indoles ostendatur, quæ non consistit in notitia historica, aut in opinione de gratia & salute per fidem impetranda etiam ab iis, qui a peccatis non desistunt, nec per fidem fiunt filii DEI, *Gal. III. 26.* quos utique obedire patri cœlesti oportet. Quæ *Cochlæus* annectit de *dolore cordis, confessione oris, & satisfactione operis*, ea ipsa sunt, quorum additamento doctrina de justificatione gratuita subvertitur. Per illa enim non removentur peccata, sed hæc fidelibus ex gratia propter Christum remittuntur, qua obtenta, peccata non quidem satisfactionibus, quæ hoc nomen merentur, abolent, sed iis perpetuo pœnitentiæ studio resistunt, cui non deest dolor cordis & confessio ingenua, nec coercitio sive crucifixio concupiscentiæ.

De ministerio Verbi, & Sacramentorum.

Art. V.

De hoc quoque Articulo concordia in delectu facta est, quæ permanere, & rata haberi potest. (d)

(d) *De his infra aliquid occurret.*

De bonis operibus.

Art. VI.

De hoc quoque concordatum est juxta tenorem concordiæ circa quartum Articulum. Est utique magis ædificativum coram populo docere, quod Deus bonis operibus det præmium, & reddat unicuique secundum opera ejus, sicut Scriptura multifariam attestatur; quam clamare, quod sola fides valeat coram Deo, & opera Deus non curet, quia clamor iste scandalosus est, & falsus, & manifeste contra scripturam, Jacobi II. (e)

(e) Neque de hoc articulo concordatum esse ostendimus *Lib. II. d.* §. *LXVIII.* & *LXXIX.* Idem constat ex *protocollo Spalatini*, qui *Eccii* disputationes refert. Hic aliquando litem de verbis tantum esse dicebat, quia meritum nihil aliud sit, quam gratia, cum non nisi ex gratia mereamur. *VVimpina*, qui inter collocutores erat, malebat dicere, *ex pacto & promissione*. Cum vero *Melanchthon* vi oppositionis, quam Paulus facit inter fidem & legem, solam fidem in actu justificationis admitteret, & prorsus excluderet merita, negaretque, ullam consolationem Christianis superesse, nisi justificatio simpliciter gratiæ divinæ, per fidem, quam Christiani in corde suo sentiunt, apprehensæ accepta feratur, remotis operum & charitatis meritis; *Brentius* etiam Patrum dicta allegaret, qui vocabulo *sola* usi sunt, (unde & *Ambrosii* locus *art. 4. conf. ff.* insertus est;) tunc *Eccius*, vulgari effugio, a Paulo legem saltem ceremonialem fidei opponi contendebat, & charitatem una cum fide in justificatione requirebat, immo ab illa plus quam a fide præstari asserebat. Ideoque hic articulus controversus mansit, & sententia Evangelica in edicto Augustano diserte rejicitur, damnatis, qui statuunt, *fidem absque charitate & operibus justificare*: Eo ipso enim contraria propositio asseritur: *Fides justificat cum charitate & operibus.*

De Ecclesia.

Art. VII.

De hoc quoque concordatum est in delectu: & procul dubio commodius est ad pacem, & veritati conforminus, docere, ac tenere, quod sit unica, vera, Catholica Ecclesia per totum Orbem terrarum dilatata, quemadmodum David, Paulus, Augustinus, aliique Sancti dicunt: In omnem terram exivit sonus eorum; *quam quod nunc contendunt aliqui, quod sola pars Lutheri sit vera, generalis, & Catholica Ecclesia. Nusquam enim Luthero, sicut Petro, dictum est:* Pasce oves meas, & *pars Lutheri nondum est triginta annorum; Ecclesia vero stetit, jam MD. annis, & permanebit usque ad consummationem sæculi,* Matth. XXVIII. & Joan. XIV. *Æquius est igitur, ut pars Lutheri reconciliet, & conjungat se universali Ecclesiæ, quam ut tota, & universalis Ecclesia ad partem Lutheri accedat.* (f)

(f) Statum controversiæ non satis assecutus est *Cochlæus*, qui, teste *Spalatino*, hic erat: *an Ecclesia a potiori & meliori sui parte, id est, a vere sanctis & fidelibus æstimanda & denominanda esset?* Id quod haud obscure affirmabant Evangelici, cum in *confessione Art. VII.* profiteri se dicunt *congregationem sanctorum.* Pro hoc *Eccius* substituere volebat *sanctam.* Sed neque sic finita lis fuisset, cum sancta non sit Ecclesia, nisi respectu sanctorum, qui in ea sunt. Inde pendebat quæstio de judicio Ecclesiæ, quod non nisi proprie sic dictæ, & quatenus ex vere sanctis constat, deferre volebant Evangelici, ex quo porro sequebatur, infallibile judicium sive tribunal in Ecclesia non reperiri, quia vere sancti & electi soli Deo noti sunt. Interim de hoc concordabant, quod in cœtu externo etiam hypocritæ partem Ecclesiæ faciant. Quod *Cochlæus* subjungit, quod pars Lutheri sola vera, universalis & catholica Ecclesia esse & dici voluerit, invidiosum & falsum est. Veram quidem esse oportuit, sed non universalem; hujus enim partem se profitebatur, & pro membris agnoscebat omnes, qui fidei fundamenta tenerent, quocunque sub cœtu aut regimine externo viverent. Protrita sunt reliqua de Petro & de novitate Lutheranismi. Probandum erat, soli Petro commissam fuisse curam Ecclesiæ, eandemque ad Episcopos Romanos translatam, & ab his per subdelegationem impetrandam esse. Hæc cum probari non possint, concidunt omnia, quæ fragili huic substructioni inædificantur.

De malis Ministris Ecclesiæ.

Art. VIII.

De hoc quoque concordatum est. Erraverunt itaque Donatistæ, VViclefistæ, *& alii, qui dixerunt, quod sacerdos peccato mortali obnoxius non possit Ecclesiæ ministerium aliquod facere, aut Sacramentum ullum administrare. Quam sane opinionem Lutherani quoque nunc prætendunt, ac urgent, dicentes, quod Papistæ nullum Dei cultum rite peragunt, sed meram abominationem, & idololatriam faciunt in Ecclesia. Hoc autem ad nullam deservit pacem, nec est consonum veritati.* (g)

(g) Si illi, qui negabant, ullum cultum Dei rite peragi in Papatu, corruptionem ejus universalem indicare voluerunt, aut censuerunt, uno atque altero fidei articulo fundamentali depravato, sive id, negata veritate aliqua divinitus revelata, vel assuto errore enormi, factum esset; totum illum cœtum deseri & vitari ab iis debere, qui veram & puram veritatem cognovissent, rectissime sine dubio judicaverunt. Neque tamen negarunt Evangelici, esse in Papatus externo cœtu, qui singulari Dei gratia articulis fidei capitalibus innixi, ab erroribus liberentur & virtute verbi divini, Spiritusque sancti salventur, multo minus ob vitium sacerdotum sive ministrorum personale pro irrito habuerunt actum servatis requisitis essentialibus ab eo celebratum: & sic *Donatismi* per injuriam accusantur.

De Baptismo.

Art. IX.

Hic quoque concordatum est cum eis, adversus Anabaptistas; ac bonum esset, & æquum, ut Lutherani hic iterum conformarent se nobis in antiquitus usitata Baptismi forma, cum oleo, chrismate, sale, exorcismo, aliisque ritibus & ceremoniis, quæ semper a temporibus usque Apostolorum (uti sanctus Dionysius *testatur) observata fuerunt; hoc sane melius foret, quam quod absque omni Scriptura, contemtim & in despectum Catholicæ Ecclesiæ, antiquos & laudabiles ritus rejiciant, & aboleant: atque per hoc in schisma minime necessarium se dedant, & gratias Spiritus sancti in Baptismo præpediant.* (h)

(h) Verum est, concordatum sive nihil desideratum esse in hoc articulo, nec de validitate Baptismi a Lutheranis administrati vel tunc dubitatum, vel hoc tempore dubitari. Minime igitur opus erat, ut ritus superflui, superstitiosi, partim etiam inepti, restituerentur; nec *Pseudo-Dionysii* autoritas ad id sufficit. Judicio cujusque Ecclesiæ committenda erat rituum ordinatio, nec eorum discrepantia unitatem Ecclesiæ sustulisset. Dominatus vero & tyrannidis culpam non evitabant, qui fratribus imperiose & violente obtruderent, quæ illis scandalo erant, nec ad fidei substantiam pertinebant.

De Sacramento Eucharistiæ.

Art. X.

De hoc quoque Articulo concordatum est cum eis contra Zuinglianos, & Anabaptistas, nempe quod realiter est ibi verum corpus, & verus sanguis Christi, non solum signum, aut figura. Hic autem vehementer necessarium esset, tum ad pacem, tum ad salutem animarum, ut Protestantes concordarent nobiscum de transsubstantiatione panis & vini, atque etiam de cultu & veneratione hujus Sacramenti, tanquam ejus, in quo substantialiter adest verus Deus, Creator, & Redemtor noster, juxta antiquam, & laudabilem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem. Præterea, ut hoc Sacramento charitatis & unitatis non abuterentur ad discordiam, & supervacuam contentionem, qua incipiunt disputare, quamdiu maneat corpus Christi in hostiis, ut vocant, consecratis; unde in gravem incidunt errorem, quo consecratam hostiam, quæ vel in monstrantia circumfertur, vel in ciborio pro infirmis reservatur, idolum vocant, & vinum consecratum, quod eis post communionem remanet in calice, effundunt in terram, velut aquam. (i)

(i) *Spalatinus* notat, postulatum fuisse ab Evangelicis, ut confessioni suæ de præsentia Christi in Cœna, post vocabulum *vere*, adderent *realiter & substantialiter.* Eccius dicit; concordatum esse de hoc articulo, neque tamen *transsubstantiationis* vocabulum urget. Sua itaque hic desideria exponit *Cochlæus*, nullo quidem jure. Quis enim ei concedat, necessarium esse tam ad pacem quam ad animæ salutem, ut transsubstantiationem agnoscant Protestantes, & quod populo Christiano creditu necessaria sint scholarum sophismata? Recentiores etiam sunt abusus; & constat de eorum initio, quos hic probari & introduci a Protestantibus vult *Cochlæus*; Inter quos vel maxime est adoratio hostiæ, custoditæ in monstrantia, ut loquitur, & ciborio, aut circumgestatæ per plateas. Nec sine causa suspectus & invisus erat Protestantibus cultus elementorum sacramentalium, cum extra usum sacræ cœnæ præsentia Christi in illis non sit promissa. Cæterum, quod de vino consecrato, qui post communionem superesset, in terram effuso additur, aut commentum est *Cochlæi*, aut illi falso ab aliis relatum. Aliud enim ordinatum erat, & adhuc observatur.

De Confessione.

Art. XI.

De hoc Articulo non fuit tunc concordatum; postea vero protulerunt Protestantes in delectu sententiam suam in scriptis, sub tribus sane punctis. Primo, *quod omitti non debeat confessio, propter consolatoriam absolutionem.* Deinde, *quod ex ea discamus sublimem & salutarem potestatem clavium.* Tertio, *quod bonum sit, populum assuefacere ad confessionem, in qua sua accuset peccata, quantum possibile est, ut conscientia per absolutionem consoletur. Quod si hæc tria puncta serio acceptarunt, ac profitentur, non foret difficile in his cum eis concordare. Maxima enim eorum querela est, quod omnia peccata sua confiteri debeant Sacerdoti, quod impossibile esse dicunt. Nos autem neminem ad impossibilia cogimus, quemadmodum ipsi nobis imputant, sed petimus duntaxat, ut unusquisque omnia peccata sua, quorum sibi conscius est, confiteatur,*

tur, ut nullum ex humano pudore scienter reticeat, ut eo melius sciat Confessor peccatori consulere: quisquis enim non integram facit confessionem scienter, facit eam fraudulenter. Contra hoc ait Scriptura Hierem. XLVIII. Maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter. *Quicumque autem vere pœnitet, ac dolet de peccatis suis, is ait cum Davide,* Psalm. XXXVII. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. (k)

(k) Serio utique de confessione locuti sunt Theologi Protestantium Augustæ, neque tamen ideo solum exactam enumerationem peccatorum rejecerunt, quod impossibile esset, omnium recordari, (neque nesciebant, quod hic regerit *Cochlæus,* sufficere nempe, si illa enumerentur, quorum aliquis meminerit,) sed quod præcepto divino carere sciebant hunc confessionis rigorem, atque eo tendere, ut sacerdotes imperium in populum exercerent & quæstum facerent, omniumque secreta explorarent. Frustra igitur servitutem hanc, optimo jure excussam, Protestantibus denuo obtrudere volebat *Cochlæus.*

De Pœnitentia.

Art. XII.

De hoc quoque articulo concordatum est in delectu de tribus partibus Pœnitentiæ, nisi quod ipsi aliis utuntur verbis. Nos autem vocamus tres partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem & satisfactionem *juxta antiquum usum sanctorum Patrum* Cypriani, Ambrosii, Augustini, *&c. Ipsi vero nolunt hanc vocem,* [Satisfactio] *licet ea usi fuerint non solum sancti Patres, verum etiam sacra Concilia, & quidem antiquissima. Quod si protervi hic esse nolint, poterit de hoc quoque concordia fieri: Christus enim non ob id pro peccatis nostris satisfecit, ut nos pro eis nihil satisfaceremus; sed dedit nobis exemplum, ut sequamur ipsum, tollentes crucem nostram,* Matth. XVI. *& agentes pœnitentiam,* Matth. XI. Luc. XIII. *alioqui potuisset Corinthius ille peccator contra Paulum dicere: Noli mihi ullam injungere pœnitentiam, quia Christus pro me abunde satisfecit. Et contra hoc est Paulus in* II. Cor. VII. Rom. VI. *ubi ait:* Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita exhibere ea servire justitiæ in sanctificatione. *Summa, non est contra Evangelium, pœnitentiam agere pro peccatis, licet pro eis satisfecerit Christus, nam ipsemet serio mandavit, pœnitentiam agere, in principio medioque, & fine Evangelii,* Matth. IV. Luc. XIII. & XXIV. *Melius itaque fiet, & ad concordiam conducibilius, ut sanctorum Patrum, antiquorumque conciliorum usum relinquamus inviolatum, quam ut de hoc scandalose clametur,* Christus satisfecit, nihil est cum satisfactione nostra; *quia populus fit per hoc indevotus, & piger ad bona opera.* (l)

(l) Dissentit hic a *Cochlæo Eccius,* negatque, de hoc articulo conventum esse. Vocabulum *satisfactionum* merito vitabant Evangelici, at minime inficiabantur pœnitentibus & conversis pro mulctis illis & expiationibus, quæ sacerdotum arbitrio exigebantur, incumbere novam obedientiam, sive imitationem Christi, bene agendo & mala patienter ferendo, & opera carnis mortificando, ambulando in charitate, & sancte atque inculpate vivendo, quantum humanæ conditionis imbecillitas permittit. Corinthii a Paulo coerciti exemplum nihil ad rem facit; aliud enim est publica enormis peccati censura, & delinquentis cum Ecclesia offensa conciliatio; aliud satisfactio clancularia a sacerdote imposita. Illam Ecclesiæ Evangelicæ minime improbant, & rectius, quam Romana exercent; hanc ad Cleri dominatum & emolumentum introductam aversantur, meritoque docent, vanam & irritam esse hominum pro peccatis satisfactionem, & hanc unice a Christo præstitam esse, nihilo tamen segnius pœnitentiam & fugam peccati & sanctimoniam morum exigunt, & a veris Christianis ex sanctificatione præstari sciunt & experiuntur, nullo licet confessionum & satisfactionum rigore serviliter adactis.

De usu Sacramentorum.

Art. XIII.

De hoc quoque concordatum fuit in delectu; & foret utique melius, antiquam retinere doctrinam super hoc, nempe Sacramenta novæ legis multo efficaciora esse Sacramentis veteris legis, nec esse illa tantummodo signa divinæ voluntatis erga nos, sicut nunc aliqui dicunt, verum efficientia vasa, & instrumenta, per quæ gratiam Dei consequimur. Quapropter inique docetur, ea non dare, aut afferre gratiam iis, qui bene utuntur eis, & per se ipsos obicem non ponunt, tanquam fides sola cuncta faciat. Esset præterea ad pacem conducibilius, si Sacramentorum numerus septenarius integer esse sineretur, quam scandalose dicere, tantum duo, aut tria esse Sacramenta; talis enim haud necessaria novitas, nihil ædificationis in populis affert secum, quemadmodum experimur quotidie. (m)

(m) Non invenio concordatum esse de hoc articulo, certum tamen est ex articulo Confessionis XIII. non solum ipsum actum sacramentalem sive opus operatum, sed fidem accedentis & utentis requisitam fuisse ab Evangelicis. Hoc frustra reprehendit *Cochlæus,* futili argutatione, quod sacramenta Novi Testamenti efficaciora esse debeant, quam Veteris. Capacitas enim subjecti eadem requiritur, quæ alia esse non potest, quam quæ ex fide oritur. *Cochlæus* & socii id volebant, ut, elata ultra modum efficacia Sacramentorum, sacerdotum quoque dignitas & autoritas augeretur, nullo ad salutarem populi usum habito respectu. Inde & numerus Sacramentorum excrevit, quem hic frivole tuetur Cochlæus, recte autem & ex verbi divini regulis, nec sine veterum doctorum exemplo, determinarunt Evangelici spretis scholasticorum nugis.

De ordinatione Ministrorum.

Art. XIV.

Articulus iste in verbis quidem suis reprehendendus non est, in sensu autem adversatur nobis. Nec debet in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus. Hæc sane verba bona sunt, & recta, Protestantium vero sensus, & usus non est rectus. Ordinariam enim vocationem eripiunt Episcopis, & dant eam Laicis. Eligunt præterea Apostatas quosdam Monachos, quibus prætensam tribuunt potestatem ordinandi Presbyteros, & Diaconos. Hoc autem totum præsumtuosa & frivola novitas est contra usum Christi, & Apostolorum ejus, qui non Laicis, sed Episcopis hujusmodi ordinationem, atque vocationem commiserunt. Quare longe magis proficuum ad pacem foret, relinquere Episcopis antiquitus institutam & usitatam potestatem, quæ & in Scripturis bonum habet fundamentum: quamquam Principes, & Magistratus Civitatum, vocationem absque scitu & voluntate suorum Episcoporum, qui non gratis aut frustra vocantur locorum Ordinarii, arrogant sibi ipsis, ac frivole præsumunt, Pastores & Concionatores secundum libitum suum, & instituere, & destituere, dantque vanam & nullam quibusdam potestatem Apostatis, qui nunquam sunt legitime in Episcopos ordinati, ordinandi Presbyteros & Diaconos: id quod antea in Ecclesia Catholica nunquam est auditum. Cum igitur jactitent, se nihil novi dicere, aut incipere, merito debent a tali desistere novitate, & aliorum deinceps officium minime usurpare. (n)

(n) De episcoporum munere & autoritate, quatenus Evangelici consenserint, pluribus locis dictum est. Negarunt tamen, jus ordinationis ita dependere ab Episcopis, ut ab illis præcise petenda esset, licet errores capitales corrigere nollent, & ministerium Ecclesiæ alio modo, quam quem Christus instituerat, præscriberent. Cessantibus itaque, aut expresse renitentibus, & vi grassantibus Episcopis, ad vetus jus Ecclesiæ & cœtuum ex necessitate reditum est, &

An. 1540.

ordinati fuerunt ministri Ecclesiæ, servatis substantialibus a Christo & Apostolis præscriptis: Hoc jus frustra laicis, id est, populo Christiano controversum facit Cochlæus.

De ceremoniis, & ritibus Ecclesiæ.

Art. XV.

Hoc in articulo vellemus eis cito consentire, si ex fundamento Scripturæ demonstrarent, nostras ceremonias, & antiquos Ecclesiæ ritus contra Evangelium esse, sicut dicunt. At adhuc non demonstrarunt, quod laudabilis, & antiquus usus consecrandi, aut benedicendi, salem, aquam, vinum, herbas, placentas, quæ ipsi contemtim pro mero habent ludibrio, sit contra Evangelium, quandoquidem in eo nusquam est prohibitus, & bonum hab t fundamentum in Paulo 1. Tim. IV. *quod sanctificetur p r verbum & orationem. Similiter non est contra Evangelium, servare processiones: in Ecclesia sanctificatis vestibus, calicibus, aliisque vasis & ornatibus circa missam, & divin s officia, uti: accen ere luminaria, thure fumigare. Idcirco esset ad pacem & unitatem multo commodius, ritus, & ceremonias, quarum magna pars, etiam Apostolorum temporibus in usu fuit, sicut Divus testatur* Dionysius, *inviolatas relinquere, & eas ubicunque abolitæ sunt, rursus instaurare, quam temere irridere, ac frivole abolere. Dant enim populo bonas occasiones ad devotionem cordis, ad timorem, & honorem Dei, quemadmodum docet experientia: per hæc tamen nolim inutiles & superstitiosas ceremonias defendisse; sed desidero multo potius, ut ubicumque reperiuntur, confestim amoveantur.* (o)

(o) Inepte profecto probatio negativæ ab Evangelicis exigitur, quod nempe prohibita sint in Evangelio consecrationes aquæ, salis, herbarum, aliarumque rerum. Putarim, demonstrandum jus consecrandi fuisse ab illis, qui tales ceremonias, levibus initiis introductas, partim etiam a paganis mutuatas, quæstus causa Ecclesiæ obtrudunt. Dictum Pauli, quo cibus oratione sanctificari docuit, frigide, & eo interpretandi modo, qui Cochlæo & similibus dignus est, ad defendendas consecrationum superstitiones detorquetur. Apostolicorum temporum mores ex *Dionysio* probari nequeunt, neque auferendum est posteriorum seculorum Ecclesiæ jus mutandi, quæ olim decenti cum libertate, habitoque temporum respectu, observabantur, si id cœtibus expediat. Ad experientiam de ceremoniarum utilitate confidentius provocare poterant Evangelici; certo scientes, nihil profectum esse apud populum tot rituum servitute, sed cultum verum interversum fuisse, & in hypocrisin degenerasse, omissa præsertim informatione in capitibus doctrinæ primariis. Dum vero de his conveniri potuisset, &c, quod *Cochlæus* hic non male monet & optat, imminuta & ad bonum & tolerabilem modum reducta fuisset ceremoniarum illa moles, haud difficulter secuta esset de hoc articulo concordia.

De Potestate seculari.

Art. XVI.

Hic quoque cum ipsis concordes sumus, contra errores Anabaptistarum, & aliorum, qui putant, nullam debere inter nos Christianos esse potestatem secularem, quemadmodum & Lutherus *ipse in quibusdam scriptis suis sentit. Hæc sunt verba ejus in libello* de potestate seculari: Sed unusquisque alteri æqualiter subjectus est. Sicut Paulus ait Rom. XII. Unusquisque alterum habeat pro suo superiore. *Item:* inter Christianos gladius esse non potest, idcirco non potes eo inter & super Christianos uti. *Ex his & aliis Lutheri dictis verisimile est, & rusticorum seditionem ac tumultum, & Anabaptistarum errorem ortum habere. Si igitur stabilis debeat erigi pax, & concordia, summe necessarium erit, ut hujusmodi tam scandalosi libri* Lutheri *tollantur.* (p)

(p) Veterem calumniam de causa belli rustici malitiose renovat *Cochlæus*, & cavillis indulget, probe sciens, optimum sensum habere, quæ *Lutherus* scripserat, quod Christianis (scilicet qua talibus) neque militandum sit, neque jus gladii exercendum. Quid vero illis ut civibus & membris Reipublicæ conveniat, aliunde notum erat. Qui his offenduntur, non meliores sunt iis, quos *Petrus epist. II. cap. III. 16.* describit.

An. 1540.

De extremo Judicio.

Art. XVII.

De hoc quoque articulo concordatum fuit in delectu. Interim vero permultæ opiniones fatuæ pseudo-prophetarum in Saxonia, præsertim circum VVittenbergam, de novissimo die sunt in lucem prolatæ, quæ sane populum usque adeo territum dubiumque ac stupidum reddebant, ut plerique agricolarum, neque agros colere, neque seminare voluerint, tanquam novissimus dies præ foribus jam esset, ac certissime hoc vel illo die, hac vel illa hora, venturus esset. Huic fatuitati causam præbuerunt nova secta & Suermerorum vesania, cum unicuique licere, ac liberum esse permittatur, adversus antiquam Ecclesiam novi aliquid in medium proferre: tametsi clarissime in Scriptura Matth. XXIV. & Act. I. *testetur Christus ipse, tempus illud neminem certo scire, quod Pater in potestate sua sibi reservavit.* (q)

(q) Hoc quoque per calumniam Evangelicæ doctrinæ tribuitur, quæ nihil commune habet cum fatui & fanaticis; malunt tamen hoc incommodum ferre, quod Christus prædixit, & primitiva toleravit Ecclesia, nempe ut quidam libertate Evangelica abusi in errores labantur; quam ut servile & sævum Romanæ Hierarchiæ imperium subeant. Stultis illis opinionibus remedium affert doctrina orthodoxa, & eventus ipse, cum se delusos sentiunt fanatici.

De libero arbitrio.

Art. XVIII.

De hoc quoque concordatum est in delectu. At hic quoque necessarium foret, ut erronei & scandalosi libri illorum concionatorum, præsertim Lutheri, *&* Philippi Melanchthonis, *contra liberum arbitrium evulgati, revocarentur ab eis, & abolerentur, in quibus sane vehementi contentione docuerunt, hominem non habere liberum arbitrium, sed Deum operari in nobis, & bonum & malum, ipsumque esse causam efficientem peccati in homine; ac omnia fieri ex absoluta necessitate, ut aliter fieri nequeant, quoniam homo nullam habeat arbitrii voluntatis suæ libertatem, nec sit in ipso, facere & non facere, sed in Deo, qui universa in homine operetur, sive bona sint, sive mala; unde adhuc multi homines errant, ac dicunt,* sic vult me habere Deus, sic, & sic oportet me facere, aliter fieri non potest. (r)

(r) Dudum ad malignas dictorum suorum interpretationes responderunt *Lutherus* & *Melanchthon*, & *Cochlæo*, si qua ei pietas æquitasque fuisset, satisfactum esse oportuit. Si qui tamen adeo indociles fuerunt, ut hic refertur, eorum in gratiam pios & eruditos libros aboleri itultum fuisset.

De causa peccati.

Art. XIX.

Et hic per omnia concordatum. At in contrarium jacent nobis in via, ad scandalizandam juventutem, priores annotationes Philippi Melanchthonis *in* Pauli ad Rom. Epist. *in quibus sane permultæ sunt propositiones, huic articulo contrariæ. Exempli gratia, cum ait,* certum esse, quod omnia a Deo fiant, sive bona sint, sive mala. *Item,* quod Deus non solum permittat creaturis, ut operentur, sed quia ipsemet proprie omnia operetur in eis; *& sicut* S. Pauli vocatio *est proprium opus Dei, ita &* adulterium Davidis, *immo, &* proditio Judæ Iscariotis *fuerit proprium opus Dei. Quomodo autem debet stabilis constitui, aut servari, in fide pax & concordia, ubi ejusmodi scripta, & dogmata in populo, præsertim in juventute, quæ Philippo adhæret, manent, & non revocantur, nec abolentur?* (s)

(s) Quic-

(s) Quicquid *Melanchthon* de necessitate illa scripserit, (quanquam merito diffidam, an a *Cochlæo* sincere adducta sint, quæ allegat, nec vacet libros ipsos eorumque varias editiones, quas autor ipse sæpe revidit & correxit, inspicere) certum est, eum vel de concursu physico, vel de permissione & directione divina, vel de æterna Dei præscientia & providentia agere, & posterioribus libris, si quæ in prioribus paradoxe aut obscurius scripserit, ita explicasse, ut veritatem minime læserit. In prima sane *locorum communium* sive *hypotyposeon* editione, anno 1521. VVittenbergæ excusa, (qui libellus tersissimus, cur in opera ejus non sit relatus, equidem nescio,) cum multa & de eventuum necessitate, & de summa hominis post lapsum corruptione, qua sit, ut non nisi malum cogitare, nihilque vere bonum agere posit, commentatus esset, in summam redigit dicta his verbis: *Si ad prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus ulla est libertas, sed eveniunt omnia juxta destinationem divinam. Si ad opera externa referas voluntatem, quædam videtur esse judicio naturæ libertas. Si ad effectus referas voluntatem, nulla plane libertas est etiam naturæ judicio. Jam ubi affectus cœpit furere & æstuare, cohiberi non potest, quin erumpat.* Hæc in auctiori locorum communium elaboratione egregie explicavit, vid. edit. ann. 1545. Tom. I. Op. fol. 147. b. sqq. insertam. Sed *Cochlæus* & socii, licet probe scirent, orthodoxas esse, & a se minime refutari posse *Melanchthonis* sententias, nihil tamen impensius cupiebant, quam ut libri & Lutheri & illius prorsus abolerentur, neque enim sine summo pudore & dolore legere poterant, quæ speciatim *Melanchthon* contra Lombardum, Thomam, Scotum, aliosque veteris scholæ magistros, ex quibus Cochlæus & similes unice sapiebant, ita demonstraverat, ut præter cavillos non haberent, quod regererent. Id quod eruditi & pii lectores, qui argumenta expensuri sunt, facili negotio deprehendent.

De Fide & bonis operibus.

Art. XX.

De hoc articulo excitata est scandalosa, supervacanea, ac diuturna contentio in populo per Lutherum, *quæ tam facile tolli posset, si antiqua sententia nostra non pateretur calumniam, nec male intelligeretur, ac interpretaretur. Etenim non dicimus nos,* opera sine fide placere Deo, *aut* ex seipsis mereri absque charitate, & gratia, remissionem peccatorum, cœlum aut vitam æternam; *sed dicimus,* quod neque sola fides, neque sola opera (*addendum videtur*, sed fides & opera) simul DEO placeant, nobisque ad vitam meritoria sint, si per charitatem fiant. *Sic Paulus ait* Gal. V. *Promisit enim Deus ejusmodi operibus mercedem reddere.* Matth. X. XIX. XXIV. & XXV. Luc. XIX. *quod & Paulus testatur* II. Cor. IX. & I. Timoth. VI. *Nemo profecto negare potest, Deum esse justum* Psal. X. *Si ergo mala opera punit sempiterno supplicio, exigit utique ejus justitia, ut bona opera remuneret sempiterno gaudio, quemadmodum verba Christi clare & aperte contestantur* Matth. XXV. & Joh. V. *Adde, quod immensa bonitas, & misericordia secundum seipsam, magis propensa est ad remunerandum bonum, quam ad puniendum malum; scriptum est enim* Jac. II. Misericordia superexaltat judicium. *Quapropter bene possent scandalosa contra merita bonorum operum scripta, & dogmata, ac prædicationes concionatorum tolli, ac aboleri; ejusmodi enim criminationes fiunt, multo magis contra Dei gratiam, quæ est præcipua causa bonorum operum, & eorum meriti potius, quam ipsa secundum se opera. Immo Deus ipse per hoc blasphematur, ipse enim in nobis operatur non solum bona opera, sed etiam bonam voluntatem, sicut ait Apostolus* 2. Cor. III. *&* Phil. XII. *& Propheta* Osea XV. *Idcirco non est, ut nos multum glorietnur, aut præsumamus superbe de bonis operibus nostris; nos enim ea non ex nobismetipsis, sed ex DEO habemus. Sic Paulus docet* 1. Cor. IV. *&* Rom. II. *atque facile posset tolli ista de operibus contentio, si nos recte intelligere vellent adversarii; & multo sane melius foret, ut nos ex utraque parte studeremus in charitate Christi, & unitate fidei multa opera bona facere hic super terram, & vel thesaurum hic comparare, quem postea in cœlis certissime inveniremus, sicut docet nos Christus* Matth. VI. & Act. Apost. XIV. *Mercedem vero bonorum relinquamus indubitatæ promissioni, & misericordiæ Domini Dei commissam, quam multis hac de re disputare verbis, & per hæc bona opera omittere & negligere, & velut infructuosas arbores coram Deo inveniri.* (t)

(t) Post vanas de meritis operum digladiationes, & male applicata Scripturæ dicta, innuere tamen videtur *Cochlæus*, litem de hoc articulo sopiri potuisse. Et prope ab eo abfuerunt collocutores in tractatibus *VVormatiæ* & *Ratisbonæ*, ut in loco dicemus. Erant tamen semper ex parte Romana, qui tantum ex dogmate illo de meritis operum retinebant, quantum ad scopum satis notum conducebat.

De intercessione & invocatione Sanctorum.

Art. XXI.

De hoc quoque articulo tractatum est in delectu, sed non plane concordatum. Admiserunt quidem nobis, quod omnes Angeli, & Sancti in cœlo coram Deo pro nobis intercedunt, & quod memorias, & festa eorum, in quibus Deum rogamus, ut Sanctorum intercessio nobis sit proficua, bene observare possumus; sed nolunt Sanctos invocare, quando id Scriptura non jubet. Dicebant tamen, se nemini prohibere, ne invocet, neque enim hoc Scriptura ulli prohibuit. At in facto longe aliud apud eos consuetum invenimus; quandoquidem non solum invocationem, sed etiam imagines, & memorias & festa Sanctorum abjecerunt, & nos ob eam rem idololatras vocaverunt. Quoniam vero ea temeritas & novitas multum scandali in populo, & irrisionis apud sciolos semidoctos, uti manifestum est, excitavit, multo melius foret, hujusmodi contentionem velut supervacaneam, scandalosam, ac nocuam abjicere, & unumquemque nostrum sequi Sanctorum salubrem doctrinam, piamque, & sanctam conversationem, ut & nos, per eorum vestigia gradientes, æternam coronam assequi valeamus. Non est enim aliquis propterea idololatra, si quem Sanctorum in cœlo veneratur & invocat: Scriptura namque Sanctos non vocat Idola, *sed* filios Dei, fratres, *&* cohæredes Christi, *immo &* Deos, *non quidem natura, sed gratia, & participatione æternæ beatitudinis,* Psalm. XXXI. *quos Pater ipse cœlestis honorat* Jo. XII. *& eorum sanctitatem multis declarat miraculis. Quoniam igitur hæresis* Vigilantii *ante mille & centum annos, & a D. Hieronymo multis Scripturæ testimoniis confutata, & ab Ecclesia catholica rejecta & damnata fuerit, merito deberent Protestantes a tam antiquo errore se abstinere, & cum universali potius Ecclesia Sanctos unanimiter venerari, & invocare.* (u)

(u) Nostri, ut alibi monitum est, non concesserunt, certum esse, quod Sancti pro nobis intercederent, neque probarunt, licet prohibere non possent, si Sancti ab aliis invocarentur. Quod vero in his colendis ideo idololatria committi non possit, quia Sancti sunt filii Dei, futilis est argutatio, quam neque accuratiores Romanæ Ecclesiæ Doctores approbabunt; sed effugium quærunt in gradibus & distinctione cultus. Notum etiam est, non absolvi, forte ne a Pontificiis quidem ab idololatriæ crimine illos, qui ipsum Christum invocant, quem tamen Deum consubstantialem Patri negant.

De usu utriusque speciei Eucharistiæ.

Art. XXII.

Circa hunc articulum non est plene concordatum in delectu; ex hac sane ratione, cum pacis amore vellemus eis utriusque speciei usum relinquere, petitum est ab eis, ut id fieret confessione prævia, quod ipsi acceptarunt: ut Prædicatores eorum dicerent populo, non esse injustum, aut peccatum, sub una specie communicare:

An. 1540.

nicare: esse præterea sub qualibet specie totum Christum Deum & hominem substantialiter: & si quis inter eos sub una specie communicare velit, ut ei non denegaretur: denique, ut species vini nunquam porrigeretur, nisi sub missa, & non portarent eam per plateas ad infirmos. Ad hæc responderunt illi, post longam disputationem ac declarationem, se non damnare eos, qui vel olim, vel etiam nunc, sub una specie communicaverint, nec reputare hoc eis in peccatum; sed nolle se, ut ipsorum Prædicatores id populo prædicent. Hinc itaque apparet, magis protervia quandam, quam necessitatem esse, propter hunc articulum se a Catholica separare Ecclesia; quandoquidem ipsimet in delectu confessi sunt, non esse peccatum sub una specie communicare. Judicet ergo unusquisque secundum conscientiam suam, an non sit multo melius & salubrius, extra missam sub una specie communicare in unitate Ecclesiæ secundum longam, ac generaliter in plerisque Conciliis approbatam consuetudinem, quam sub utraque specie in schismate, & separatione ab universali Ecclesia, contra antiquitus observatam consuetudinem Ecclesiæ, in rebellione, contra utramque potestatem, cum horrendo dedecore, & abusu venerabilissimi Sacramenti, quod sacratissimum charitatis & unitatis signum esse debet, sicut Paulus docet I. Cor. X. & XI. *ab ipsis autem pessimo abusu usurpatur in signum dissidii, & schismatis; atque ita non aliter, quam ad judicium, & æternam damnationem sumi potest, extra Ecclesiæ communionem, & Catholicam unitatem. Attamen si unus iste articulus pacem & unitatem impediturus esset, mallem eos in hoc relinqui cum disputatione proprio arbitrio pro subditis suis: sub hoc sane moderamine, ut usum unius speciei, quem Catholica tenet Ecclesia, non damnent, nec contra eam prædicare aut scribere suis permittant, usque ad judicium & sententiam Concilii generalis.* (w)

(w) Verba nostratium, quibus eos, qui sub Ecclesia Romana simplici obedientia præcepto de communione sub una obsecuti sunt, damnare noluerunt, maligne captantur, ac si præceptum ipsum non impugnarent, aut ejus observationem etiam in futurum pro indifferenti haberent, vel peccari ab iis negarent, qui meliora edocti communionem integram negligerent. Reliqua quoque *Cochlæi* declamatio nullius est ponderis: Nam concordiæ civilis & externæ causa ne unum quidem capitalem fidei articulum omittere, aut errorem recipere fas est. Culpam itaque schismatis illi sustinent, qui hac conditione concordiam cupiunt, & tradita hominum pari cum divinis jure æstimant, & violenter urgent.

De conjugio Sacerdotum.

Art. XXIII.

De hoc articulo non est concordatum in delectu. Habent illi quidem gravem adversus nos objectionem, quod tot Presbyteri cum impudicis (proh dolor!) mulieribus se coinquinant, & castitatem non servant. Attamen non debet propterea status cœlibatus & constitutæ castitatis damnari aut aboleri. Nemo enim ad ejusmodi statum suscipiendum compellitur aut cogitur, sed unusquisque libera voluntate in eum se dedit, ac immittit, sicut alius Matrimonii statum suscipit. Jam scimus omnes, non licere uxorato conjugium suum relinquere, & in alium statum se conferre; sic & Ecclesiastico Presbytero, aut Monacho non debet licere, statum continentiæ relinquere, & Matrimonium inire: sicut enim maritus vovet uxori, ita Ecclesiasticus vovet Domino Deo. Si ergo status conjugii non tollitur propterea, quod multa in eo peccata, & diversi generis mala, & adulteria a malis perpetrantur, quia multi inveniuntur probi, qui Matrimonium suum juste observant; sic neque status Presbyterii, cœlibatus, & continentiæ tolli debet propter malos, qui statum suum per incontinentiam transgrediuntur ac defœdant, quia inveniuntur adhuc multi (Deo sit laus) probi sacerdotes, Monachique, ac Moniales, qui statum suum illicito concubinatu non commaculant. Quoniam vero apud nos Germanos admodum frequens est (proh dolor!) scandalosus Presbyterorum in seculo concubinatus, præsertim apud plebanos in pagis, qui communiter cum ancillis rem domesticam gubernare necessitate quadam coguntur, ubi stramen, ut dicitur, igni propinquum est, ibi levi casu accendi potest; libenter ab aliis audire velim, atque etiam simul cum aliis pro mea simplicitate in commune consultare, quanam ratione hujusmodi mala & scandala queant averti. Res profecto magni est momenti, & magna ac matura indiget deliberatione: nam tam dedecorosa licentia, carnalisque libertas, quæ nunc a multis apostaticis Presbyteris, Monachisque, ac Monialibus levissime, ac impudentissime in prætenso eorum matrimonio attentatur, & comperitur, antea nunquam audita, aut comperta fuit: quapropter indiget articulus iste gravi, & matura consultatione. Ego autem, velut omnium minimus, agnosco me longe imparem ad judicandum de hac re. Sunt quidem in delectu nonnulla proposita media; sed uxoratis Apostatis non sunt visa tolerabilia; idcirco indigeret articulus iste tractatu speciali, qui hic nimis longus foret. (x)

(x) Misere se hic torquet *Cochlæus*, neque pronunciare audet, quid sentiat. Si divino jure conjugiis interdictum est Clero, nulli locus est dispensationi: Si non est interdictum, nisi præcepto humano, & manifesta sunt, quæ nec ipse dissimulat, prohibitionis incommoda; aboleri debebat) tollendi scandali & reducendæ concordiæ causa, prohibitio. Sed *Cochlæo* visum est, tempori & aulæ servire; vivebat enim sub Ferdinando Rege, cujus moderatam de hoc articulo sententiam non ignorabat. Nihil vero cautela hac effecit, immo hanc ob causam suppressum tunc fortassis fuit hoc ejus scriptum, quo neutri partium satisfecisset.

An. 1540.

De Missa.

Artic. XXIV.

Hoc in articulo bene concordare possunt, si nos audire, ac recte intelligere vellent, & Apostatarum protervia tam magna, & ferox non esset. Eorum enim causæ contra missæ sacrificium nimis leves sunt, e quibus hæ duæ sunt præcipuæ. Prima, *quod Paulus ait* Hebr. X. Christus semel oblatus. Secunda, *quia multi Presbyteri propter nummos missas celebrant. Ad primam* causam *responsum est in delectu, Christum tripliciter oblatum esse: primo, typice & figuraliter in Agno Paschali; deinde corporaliter per cruciatum in cruce, velut hostiam cruentam; tertio, spiritualiter, in mysterio honorifice, & sine omni cruciatu, & sanguinis effusione, in gratiam & memoriam corporalis, & cruentæ illius victimæ, quæ in cruce pro nobis oblata fuit, quemadmodum Christus ipse, & post eum Paulus Apostolus ejus, claris verbis nobis præceperunt,* ut hoc faciamus in ipsius commemorationem, annunciantes mortem ejus, donec veniat. *Et bene Missæ oblationem vocamus* sacrificium mysteriale, & repræsentativum, victimamque incruentam. *Contra quam sane nullam possunt Protestantes justam, aut rationabilem causam prætendere, aut proferre. Cumque in delectu interrogarentur, cur nunc omittant in Missa sacrum Canonem? reddebant de hoc rationes tres, sed leves, pueriles, ac frivolas.* Primo, *quia in peccatum mortale reputamus, Canonem omisisse.* Secundo, *quia Canon plerumque oblationis, & sacrificii mentionem facit.* Tertio, *quia in Canone Sanctos invocamus. Ad has eorum rationes breviter responsum est, quamvis revera grave sit peccatum mortale, omittere Canonem in Missa; de hoc tamen Canon ipse nihil dicit, quod autem de sacrificio loquitur, hoc de Mystica oblatione, quam nos* mysteriale, repræsentativum, *seu* rememorativum, *&* incruentum *vocamus* Sacrificium, *intelligitur. Ad tertiam denique dictum est: Licet iniquum non sit, invocare Sanctos, non invocantur tamen in Canone. Nullam igitur justam habent adversus Canonem rationem, sed mera est protervia, atque temeri-*

tas,

An. 1540

tas, quod Canonem omittunt, & ejiciunt. Quod autem avaritia apud nonnullos Presbyteros huic se immiscet sacrificio, abusus est, & propter eum non debet Missa, bonum & sanctum opus, aboleri, quemadmodum non aboletur matrimonium, licet plerique propter divitias uxorem ducant. Quoniam igitur Laici aliqui probrose ac odiose dicunt, Missarios Sacerdotes vendere Dominum Deum nostrum uno grosso, aut batzio, esseque proinde ipsos pejores Juda, qui Christum Dominum non uno, sed triginta grossis vendiderit; hac profecto gravis est injuria, invidiosaque calumnia adversus pauperes sacerdotes, quibus Paulus claris verbis permittit, ut de altari vivant, qui altari deserviunt 1. Cor. IX. *& Christus ipse ait, quod dignus sit operarius cibo & mercede sua. Quapropter non sunt abolenda altarium confessiones, & Missa privata, quia non est iniquum, eos de altari vivere, qui altari serviunt. Fiunt praeterea multa hinc inde in Monasteriis, & in Canonicorum Collegiis Missa privatae ex mera devotionis pietate, non propter munera, aut pecunias ullas. Idcirco non ipsae Missae, sed duntaxat abusus aboleri debent.* (y)

(y) Quanquam parum omittat *Cochlaeus*, quod pro Missae sacrificatoriae defensione afferri solet, evitat tamen, de qua tunc maxime disceptabatur, quaestionem, *an Missa esset sacrificium propitiatorium?* Apertior est *Eccius*, qui in relatione sua non subsistit in assertione repraesentationis, reputationis & commemorationis, callide tamen, ut invidiam declinaret, decisionem de propitiatione ad Concilium rejicit his verbis: (Wie aber und wie groß das Verdienst der Messe sey/ und wie die einem und andern zugeleget werde/ ist biß auff ein gemein Concilium auffgeschoben worden.) id est, quae vel quanta sit utilitas aut meritum Missae, & quomodo aliis applicetur, ad Concilium generale remissum est. Haec tamen ex sua sententia addit, Evangelici enim neque concesserant, Missam esse sacrificium repraesentativum, neque decisionem, an esset propitiatorium, simpliciter Concilio deferebant, satis jam praevidentes, Clerum non laborare de repraesentatione, aut ea contentum esse, quae in celebratione sacrae coenae ex instituto Christi per se sequebatur, sed propitiatorii sacrificii dignitatem, & usum Missae, vindicare, ex quo praecipuus ejus proventus pendebat. Nec dubitare poterat *Eccius*, si res ad Concilium, quale Pontifex parabat, veniret, quin in hanc sententiam decisio esset secutura, idque factum est apertissime in Concilio Tridentino Sess. XXII. cap. 2. ubi pronunciatur, *Missam vere esse sacrificium propitiatorium, ut ii, qui cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti & poenitentes accedant, misericordiam consequantur & gratiam inveniant &c.* Anathema deinde illis infligitur, qui dicunt: *Missae sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis*, (hunc enim sensum Lutherani pacis causa admittebant) *aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti*, (hoc moderatiores quidam ex Pontificiis contenti erant) *non autem propitiatorium.* Ne vero, quae de fide accedentium dicta erant, sacerdotum & sacrificii causam penitus subverterent, cum paucissimi cum fide accederent, anathematizantur etiam, *qui negant, sacrificium hoc pro vivis & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere;* unde satis patet, Missarum applicationem longe maximam sine fide asseri. His stantibus nulla spes concordiae supererat, & protervia atque temeritas a *Cochlaeo* proterve & temere Evangelicis objicitur, vanaque est distinctio inter usum & abusum sacrificii illius propitiatorii, utpote in re, quae usum legitimum habere non potest. Nec melior est commiseratio sacerdotum pauperum, quam prae se fert *Cochlaeus*, & justum putat, grossos & batzios, ut loquitur, illis pro Missarum celebratione solvi. Quis enim hoc quaestus genus probet, aut quid cum altari Veteris Testamenti commune habent ministri Evangelici, sublato toto sacrificiorum genere, postquam summus sacerdos noster Christus, melioris testamenti sponsor factus, sempiternum habet sacerdotium & per semetipsum ad DEUM accedens semper vivens interpellat pro nobis omniaque consummavit semel se offerens. Hebr. VII. 21. 24. 25. 27. it. IX. 25. 28. Interim alia & honesta ad alendos Evangelii ministros media sunt, nec opus est, ut ad sacrificia redeatur.

An. 1540.

De Confessione.

Art. XXV.

De hoc articulo dictum est supra, & super hoc uno praecipue consistit contentio: An teneatur homo omnia confiteri peccata, de quibus ipse sibi conscius est, & nullum scienter obticere in confessione? Ad hoc responsum est Augusta in publica confutatione adversus illorum confessionem ex D. Hieronymo in haec verba: Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio impietatis veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, quod ignorat magister, qui linguam habet ad curandum, ei facile prodesse non poterit, si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. (z)

(z) De hoc quantum hic opus esse videbatur, dictum est supra ad Art. XI.

De discrimine ciborum.

Art. XXVI.

Cum peterent nostri in delectu, ut Protestantes velint se universali conformare Ecclesia in discrimine & ciborum, & temporum, in jejuniis & festis diebus, in processionibus, & in aliis Ecclesiae ceremoniis, & consuetudinibus; illi responsum suum in scriptis obtulerunt in hanc sane sententiam: Primum, *quod universales Ecclesiae ceremonias libenter nobiscum velint, pacis & unitatis gratia, conformiter observare, dummodo ex eis non fiat, vel gravamen conscientiarum, vel necessarius Dei cultus.* Secundo, *quod nolint publice admittere esum carnium in sextis feriis, & Sabbathis: item, in jejuniis quatuor temporum, & in vigiliis Nativitatis Christi, & Pentecostes, verum quadragesimale jejunium dicebant nimis longum esse, ideo dividi debere.* Tertio, *quod etiam communia festa observare velint, quibus populus permaneret in consuetudine audiendi verbum Dei.* Quarto, *quod consuetas cantationes, lectionesque, & divina officia in diebus festis celebrare velint.* Quinto, *quod etiam consuetas Processiones, & Litanias in diebus Rogationum, ut vocantur, velint observare, ut per eas populus ad cultum Dei adhortaretur. Quod si serio ita sentirent circa haec quinque puncta, bona nimirum foret haec ad unitatem praeparatio, ad invenienda media, quibus se nobiscum & cum universali Ecclesia plane conformarent.* (aa)

(aa) Sat multum concesserunt Protestantes in capitibus, in quibus fundamenta religionis & cultus divini non versabantur, ut pacem obtinerent. Cum vero hanc neque in illis Comitiis neque securis impetrare possent, & ab Episcopis non solum desererentur, sed & damnarentur, &, si per illos stetisset, occidendi & extirpandi magistratibus traderentur, ab omnibus istis oblationibus haud immerito recesserunt, nec ad fucatam illam concordiam amplius respicientes de ritibus ita statuerunt, ut quisque in sua provincia aut civitate ad bonum ordinem expedire judicabat.

De votis Monasticis.

Art. XXVII.

De hoc articulo admodum graviter, & copiose per multas scripturas, & per exempla sanctorum Patrum, in publica confutatione responsum est; sed etiam in delectu sunt de

An. 1540.

de hoc egregia quædam puncta in scriptis proposita, cum petitione hac, ut ab illis acceptarentur. Ad qua illi responderunt, quod Monachis & Monialibus, quotquot adhuc manent apud eos, in monasteriis suis liberum esse deberet, usque ad futurum Concilium, sive manere, sive exire. Secundo, quod ejusmodi personæ monasticæ non debeant impedìri, aut inquietari in sua conversatione, & in suis vestibus & ceremoniis. Tertio, quod eas velint ab omni vi, & violentia, quantum possibile sit, tueri ac protegere. Quomodo autem hæc interim ab eis observata sint, publice manifestum est: unde vereor, illos magis attendere ad bona temporalia, quam ad fidem & religionem ejusmodi personarum. Nos autem præterire, ac transvolare non possumus, sed tenemur vota manu tenere; quandoquidem verbum Dei tot in locis Scripturæ, quemadmodum Cæsarea indicat confutatio, tam severe præcipit, ut vota Deo promissa reddantur & observentur. Nam & ipsimet Protestantes in Apologia sua dicunt, licita vota servari debere, sicut præterea, quod nemo debet alios bonis suis spoliare, & exuere. Sciunt enim, quod peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Sciunt denique verbum Dei, quod scriptum habetur Levit. XXVII. *quidquid Domino Deo semel dedicatum est, in alios usus converti non debet; sed Deo sanctum jugiter permaneat. Quod si avaritia & impura mammon eos non obsessos, & omnino excæcatos tenet, esset cum ipsis de hoc quoque articulo super tolerabilibus mediis tractandum.* (bb)

(*bb*) De hac materia multum dictum est toto opere nostro. Inique hic traducuntur Protestantes, quod Augustæ oblata non præstiterint. Qui enim poterant, cum monachi ipsi ultro ex monasteriis egressi Evangelicam doctrinam sequerentur, multi etiam concionarentur, vel alimentis constitutis non contenti, veterique superstitioni inhærentes, aufugerent? Cum deinde omnis spes reformandi monasteria, cum consensu Episcoporum & Pontificis interiisset, nulla causa erat, ut Principes & civitates jure suo, de monasteriis in suis ditionibus, ad utilitatem cultus publici & pro conscientia, statuendi non uterentur, aut obtentu veterum fundationum, ex errore & persuasione factarum deterreri se paterentur, ne mutationem in melius instituerent. De votis, & quatenus obligent, satis superque alibi disputatum est. Nemo vetabat eum continentiam sponte sua servare, qui hujus donum a Deo accepisset; sed virtus ista, sive bonum, non est inter ea, ad quæ homines votis & juramentis adstringere se possent: Id si improvide fecissent, præstabat voti relaxationem & culpæ veniam a Deo petere, & infirmitatem agnoscere, quam læsa conscientia, & cum salutis periculo, in iis perseverare, quæ præstari non poterant.

De potestate Episcopali.

Art. XXVIII.

Episcoporum potestas, & jurisdictio efficaciter in Confutatione ex sacris literis demonstrata, sed & ipsorum Confessio affirmat, quod utraque potestas, ecclesiastica, & secularis, debeat propter mandatum Dei religiose observari, ac honore affici, tanquam summa Dei beneficentia in terris. Præterea in delectu proposuerunt hac de re scriptum quoddam Protestantes, in quo sic statuebant: Primo, *ut Episcoporum regimen, & potestas manu teneri debeat; nolint tamen per hoc Episcoporum abusus, & negligentias justificasse.* Secundo, *quod velint procurare, ut Episcopis debita exhibeatur obedientia, atque ut ipsorum Pastores ordinariis Episcopis præsententur, ut Episcopi eorum excessus corripere valeant.* Tertio, *ut ecclesiastica jurisdictio in ecclesiasticis causis non impediatur.* Quarto, *ut Episcoporum excommunicatio in causis ecclesiasticæ jurisdictionis non impediatur, si secundum dictamen sacræ Scripturæ exerceatur. Quomodo autem hæc omnia intermedio tempore observaverint, in luce est palam omnibus. Si autem serio ita sentirent, sicut verba supra dicta sonant, sperandum sane foret, ut super hoc quoque articulo possint pax & concordia per licita media comparari, ac erigi.* (cc)

(*cc*) Acceptari debuissent ista ab Episcopis, quo facto querelæ *Cochlæi* cessassent. Sed cum illi ea tantum sibi sumere vellent, quæ ex sua erant dignitate & utilitate, nihil vero agere aut concedere eorum, quæ pro restabiliendà veritate & puritate doctrinæ, & legitimo Sacramentorum usu restituendo, tot Principes & populi jure optimo submissisque precibus flagitabant, adacti tandem hi ista pertinacia sunt, ut sibi ipsis consulerent, nec pro animarum suarum pastoribus agnoscerent, a quibus nihil præstabatur, quod ad officium eorum proprie & principaliter pertinebat.

Conclusio.

Hæc est, Serenissime, ac Potentissime Rex, Clementissime Domine, simplex mea deliberatio super XXVIII. Articulis Protestantium Confessionis, in hanc brevem redacta summam, quam equidem Regiæ Majestatis vestræ sublimissimo intellectui, & judicio prorsus, & per omnia subjectam esse volo, & reservatam. Nolo præterea ignorare Majestatem vestram, quod adhuc alii sunt permulti Articuli, adversus Catholicæ Ecclesiæ doctrinam & ordinationem, per Lutheranos, aliosque id genus suæ sectæ concionatores, publicis scriptis in populos longe lateque in Sacro Romano Imperio evulgati, & in lucem editi, qui in ipsorum Confessione neque contenti, neque commemorati sunt; sine quorum sana determinatione, & conformatione nulla stabilis pax, & Christiana unitas poterit concludi, aut erigi. Ubi igitur Regia Majestas vestra volet, poterit videre & scire; haud gravatim aliquos eorum, & quidem bono in numero indicabo: sine hoc enim veram, & perfectam unitatem concludere non poterimus.

Excellentissimæ Regiæ Majestatis vestræ
Devotissimus Sacellanus
Joannes Cochlæus, Canonicus
Vratislaviensis. (*dd*)

(*dd*) Dum totum hoc *Cochlæi* scriptum considero, non possum non ejus aliorumque miserandam obstinationem deplorare, qua ad effulgentem puritatis Evangelicæ lucem oculos clauserunt, & Reformationis, a longo tempore omnium piorum votis expetitæ, progressum sufflaminarunt. Videt pius & cordatus lector, quomodo *Cochlæus* inter XXVIII. confessionis articulos priores decem, & præterea XII. XIII. XVI. XVII. XVIII. XIX. & sic plus quam dimidiam eorum partem, non impugnet, sed pro transactis & concordatis (quanquam, ut dixi, alicubi falsus sit) habeat. Observabit etiam, quam fragilibus argumentis reliquos in dubium vocet, veteremque opinionem defendat, aut quæ consilia & temperamenta suggerat: nempe XI. & XXV. *de confessione particulari*; XIV. & XXVIII. *de jure Episcoporum*; XV. *de ceremoniis*; XX. *de fide & bonis operibus*; XXI. *de invocatione Sanctorum*; XXII. *de communione sub utraque*; XXIII. *de conjugio sacerdotum*; XXIV. *de Missa*; XXVII. *de votis monasticis*. Hæc novem capita, ut ab Evangelicis solidissime concepta erant, nullo nisi scholasticarum opinionum obtentu, vel veteris abusus diuturnitate, vel honoris & commodi causa, tam intoleranda visa sunt *Cochlæo*, & aliis ejusdem ingenii viris, eaque tam perverse proposuerunt Pontifici & Episcopis, Regibus etiam & Principibus, ut digna habita sint, propter quæ orbis Christiani reformatio intermitteretur, immo per supplicia & bella hominum myriades innumeræ perimerentur; cum illo certe tempore desperari nondum posset, quin, salva utrinque fide & conscientia, compositionis media invenire liceret. De *Pontificu potestate* non nisi duobus verbis *art. VII. Cochlæus* mentionem fecit, neque enim tunc tam aperte centrum omnium controversiarum in illo puncto con-

constituebant, ut postea factum est. Porro, quod *Cochlæus* in epilogo jactat, quasi *permulti adhuc articuli in libris Lutheri & ejus sequacium extent contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam & ordinationem*, eorumque indicium & probationem in se recipit, vanissimum esse satis constat, neque illi pro isthac oblatione gratias habitas esse invenio. Notum erat ex tot ejus tractatibus, quo candore in excerpendis Lutheri & Melanchthonis aliorumque libris procederet; & hi ejus atque similium sycophantias detexerant. Interest tamen Ecclesiæ Evangelicæ, ut hominum illorum methodum & artes memori mente teneat; & opportune accidit, ut *Raynaldus* in opere nuper edito *sub anno 1536. n. 37. Joh. Fabri* consilium d. 4. Jul. d. a. Oeniponte datum & Romam missum propalaverit, hoc titulo: *Præparatoria futuri universalis nuper indicti Concilii.* Allegari id a nobis in Actis anno 1537. potuisset, nisi tardius *Raynaldi* librum nacti essemus. Hic, igitur, ut præstem, quæ supra in annotatione ad *Cochlæi* tradita *de art. XIX. Aug. confess.* promisi *Jo. Fabri*, tunc quidem Episcopi Viennensis, & omnium Pontificiorum clientium in Germania primicerii verba quædam producam. Postquam enim summam solicitudinem toto illo scripto, quod in *paragraphos LXXII.* distributum est, in eo posuisset, ut doctrina Lutheri in Concilio, quod *Paulus III.* tunc Mantuæ indixerat, condemnaretur, modum ostendit, quomodo id expeditissime & celerrime fieri possit, si nempe idonei viri hæreticas propositiones *v. g. omnia ex necessitate fieri; & nullum esse liberum arbitrium*, ex libris Lutheri & aliorum excerpant, aut, ut *n. XIV.* loquitur, *expiscentur, emulgeant & trahant*; post alia *n. XVII. & XVIII.* hæc scribit: *Est itaque expeditissima via illa, ut si Sanctitas veniat ad Concilium, cum ejusmodi excerptis instructa, & parata eo modo, quo dixi, ne, cum Mantuam ventum fuerit, primum quærendum sit, quid agendum, quaque de causa conventus ille a tam longinquis Nationibus Orbis Christiani fiat. Primo itaque libri, de quibus dixi, sunt requirendi, cum magna etiam difficultate, sine ulla temporis consumtione & mora. Præterea, quia Angelus Satanæ ita pulchre sese in Angelum lucis transfiguravit, formidandum est vehementer, quod multi ex aliis nationibus, si totos libros hæreticorum in Concilio legerint, ut non modo non illos impugnarent, verum potius inde Lutherani ac hæretici redderentur: Nam in his reperies non nisi mellita, (ut est in Isaia) placentia quæque; totus enim ad hoc intendit Lutherus, ut rejiciat ac damnet bona opera; consuat (ut est in Ezechiel) pulvillos sub omni cubito manus, & faciat cervicalia sub capita universæ ætatis, ad capiendas animas: proinde tutum non erit, omnibus omnium hæreticorum libros, sed tantum constantissimis & probatissimis viris communicare. Alioqui, si inciderit quispiam, vel sciolus, qui prurientes aures habet, facile illicietur, ut malo adhæreat. Proinde ad lucrandum tempus, & animas multorum Christi fidelium, saltem propositiones intolerabiles, pugnantes, & quæ prima facie quibusvis bonis abominabiles & explodendæ videbuntur, sunt excerpendæ ac extrahendæ; quibus oblatis, & simul originali, ad verificationis revisionem procedendum.* Nolo hic de impudentissimis conviciis & calumniis expostulare, quæ ferreæ frontis homo in doctores Evangelicos evomit; sed hoc tantum notari peto, quæ methodus excerpendi & condemnationes eliciendi jam tum suggesta fuerit, oppido probata Pontifici, cujus responsa ad omnia a *Fabro* proposita *Raynaldus d. l. n. XXXVIII.* producit, ut & epistolas, quibus eruditionem & pietatem ejus mire extulit. Hanc viam, neque aliam tenuerunt *Cochlæus, Eccius, Fridericus Nausea*, quos nominatim Pontifici commendat *Faber*, talibusque relationibus innituntur decreta *Concilii Tridentini*, neque hodie desunt, qui hanc expiscandi & emulgendi artem continuant: inter quos locum etiam habet *Bossuetus*, Episcopus Meldensis, aliique recentiores in Gallia controversiarum tractatores. His non possum non hac occasione opponere scitissima & verissima *Melanchthonis* dicta, quibus post multos annos *Friderici Staphyli*, transfugæ sive apostatæ teterrimi, & *Avii Coloniensis* criminationes repressit, *Tom. IV. Opp. fol. 817. Usitata sunt* (scribit) *hæc artificia sycophantiis, confundere diversa, divellere conjuncta, excerpere mutilata, & affingere falsas interpretationes, ut inquit Demosthenes.* At ille idem inquit, πονηρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης, ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. Paulo superius ad objectas Evangelicis antilogias, *Cochlæi, Eccii, Fabri* & tunc *Staphyli* improba cura collectas, egregie, sed generaliter responderat, *manifestas & virulentas calumnias esse*; deinde in pauca contrahit defensionem, dicens: *Ecclesias nostras duplici injuria afficis, aut enim narras, quæ non probant nostræ Ecclesiæ, aut recte dicta manifestis calumniis depravas.* Vix putaverim pluribus verbis opus esse, quibus tota illa antilogiarum, sive, ut ipse loquitur, variationum machina, a *Bossueto* nuper producta, uno veluti halitu, instar bullæ aqueæ, utcunque splendentis, dissiari possit.

ADDITIO V.

In conventu Hagenoensi, cum arena Pontificiis & Lutheranis destinata vacaret, novus quidam veluti mirmillo prodiit, utrosque provocans, & simul transactionis formulam venditans. Fuit is *Rupertus a Mosham*, Decanus Cathedralis Ecclesiæ Pataviensis, sive, ut loquimur, Passaviensis, vir nobilis, qui affines sibi esse scribit Illustrissimas hodie in Austria Familias Comitum *de Windischgraz & Bercka*. Extant ejus ad Electorem Saxoniæ literæ (*Reg. H. fol. 317. n. 129.*) paulo ante conventum d. 4. Maji hoc anno datæ, in quibus ei offert libellos quatuor *de monarchia & palingenesia Ecclesiæ*, & per hos demonstratum a se esse scribit, quomodo neque ex placitis Pontificis, neque ex scandalosis erroribus Lutheri (utrumque enim pro Antichristo sese habere professus est) sed secundum verbum & mandatum Dei Ecclesia reformanda esset. Hoc medium sibi a Deo revelatum esse jactat. Addit, Anabaptistam, licet pro tali diffamatus sit, se non esse, immo multos horum a se fuisse conversos. Sacramentariis quoque non assentiri, quippe qui præsentiam realem credat. Papatum & Lutheranismum e diametro oppositos esse, nec unquam conciliari posse, nisi illo, quod ipse proposuisset, medio. Mox ex ipso conventu Electori d. 22. Julii denuo scribit, & articulum de justificatione a Luthero propositum non minus abominandum & antichristianum esse statuit, quam errores Pontificis; petit tamen ab Electore admitti & viatico instrui, ut colloquium cum Luthero & Melanchthone iniret; multa etiam cum *Morono*, Nuncio Pontificio, se tractasse refert, ut & cum Senatu & Ministerio *Norimbergensi*; reliquisse denique se significat Decanatum, quem habuerit, amplissimum, & pro veritate jam multa perpessum esse. Elector Legatis d. 31. Julii mandavit, ut hominem a proposito in Saxoniam proficiscendi dimoverent. Data est a me, quam potui, opera, ut libellis istis potirer, sed neque in Archivis reperti sunt, neque ulla huc usque notitia ad me pervenit, num editi sint, an in Bibliothecis MSS. lateant. Extat tamen epistola Theologorum Norimbergensium d. 2. Novemb. 1539. data,

(a) *Ruperti a Mosham nova de concordia in religione propositiones.*

An. 1540.

(b) *Epistola Norimbergensium ei opposita.*

cum inscriptione: *ad Dn. Rupertum a Mosham, Decanum Pataviensem & regium Consiliarium, in qua venenata ejus convitia, mendacia & noxia dogmata percelluntur, & magna ex parte, licet breviter, confutantur.* Vocant autem eum *hominem vehementer jactabundum, sacrarum literarum imperitum, bonarum artium ignorantem, obstinata animi pertinacia, nullumque fuisse* ajunt, *qui pari convitiandi & maledicendi petulantia Lutherum, aut ullum mortalium sit persecutus.* Recensent multas ejus in Lutherum calumnias, v. g. quod non doceat, expurgandas esse peccati reliquias, quod verbum a fide abstulerit, pœnitentiam a remissione, crucem ab Evangelio, fidem a charitate separet, fidem mortuam prædicet; quæ omnia, & alia Augustanæ confessioni objecta, solide refutant; ipsi quoque malam fidem, quod promissis in colloquio inter se & illum habito non steterit, & quod subornatus videatur, ut conciliationis prætextu religionem Evangelicam subverteret, objiciunt. Suspicionem facere posset epistola, quam *Goldastus Polit. Imp. part. XXVII. art. VII.* producit, Decani (anonymi quidem) d. 30. Maji data, in qua Protestantibus concedi posse putat (absque Concilio) communionem sub utraque & conjugium sacerdotum, quibus impetratis si non acquiescant, gladio humiliandos esse existimat. Sed Norimbergenses superstitionem & idololatriam illi exprobrant etiam sortilegia, tum vanam prophetiæ jactantiam irrident, qua inter alia Lutheri excidium prædixerit, & se pro novo Helia, qui libros legis repererit, venditet; Hierosolymam, quam cœlitus sibi indicatã & donatam esse dicat, exagitant. Inter duodecim ejus portas *primam* assignaverat Patri, Filio & Spiritui sancto; *alteram* verbo Dei, fidei & operibus; *tertiam* intellectui, rationi & voluntati; *quartam* cordi, ori & operi; cæteras huc transscribendi & reliqua, quæ deliravit, cognoscendi, desiderium periisse mihi fateor. Finem homini tragicum obtigisse ex epistola *Melanchthonis ad Casp. Crucigerum* d. 12. Jul. Bonnæ 1543. data, percipitur; quanquam, quomodo id factum sit, non exprimatur, scribit enim tanquam de re nota his verbis: *De Moshameri, Decani Pataviensis, morte non dubito, quin audieritis. Tam multis horrendis exemplis monemur, ut in timore obediamus Evangelio, nec calumniemur res recte traditas, ut satis audacter faciebat Moshamerus.* Extat *Lib. III. epistolar. Mel.* edit. Londin. *n. 75.* & *part. I. collect. Pezel. p. 538.*

(c) *Quædam de ejus morte.*

§. LXXX.

(1) *Historia conventus VVormatiensis.*

De conventu igitur *Wormatiensi* nunc agemus, etsi finis in annum sequentem incidit. Maimburgius de illo paucis verbis tractat, in quibus tamen sunt, quæ cum Actis non conveniunt. Falsum enim est non minus de hoc quam de Hagenoensi congressu, quod arbitrium transigendi de religione Theologis utriusque partis delatum fuerit, & contrarium, *ex Pallavicino d. l. §. 5.* percipi potuit, sed nec certum est, quod colloquium ob negotia Cæsari & Regi intervenientia abruptum fuerit. Acta conventus succincte & fideliter exposuit *Sleidanus Lib. XIII. §. 370. seqq.* Secretiora de consilio Pontificis prodidit *Pallavicinus d. cap. XI. & XII.* Disputationem cum *Eccio* mense Jan. sequentis anni habitam cum ampla præfatione edidit *Melanchthon*, quæ in operibus ejus *Tom. IV. fol. 644. seqq.* extat, & Germanice versa apud *Hortled. Tom. I. Lib. I. c. 36.* Quædam etiam ad historiam conventus pertinentia ex literis aliisque scriptis Melanchthonis intelligi possunt, relatis a *Pezelio Part. I. p. 394. seqq.* Supersunt tamen multa in Archivis, quæ præterire noluimus; elucent enim ex iis utriusque partis consilia, inprimis autem, qua simplicitate & constantia Evangelici egerint, quibusque artibus etiam in hoc tractatu elusi fuerint. Cæsar accepta de Actis Hagenoensibus relatione, suspensis omissisque cæteris Protestantium desideriis, satis habuit, decretum de conventu Wormatiensi confirmare, illumque edito d. 15. Aug. edicto indicere addita de securitate accessus & reditus prolixa promissione. Ferdinandus Rex literis ad Landgravium d. 1. Sept. datis idem significavit. Licet vero ad Electorem, pendente adhuc de electione sua lite non scriberet, magnum tamen pacis & amicitiæ desiderium *Hoffmanni* Baronis, qui Electori non ingratus erat, literis testatus est. Respondit illis Elector affirmans, *(Reg. H. fol. 329. n. 133.)* d. 5. Sept. *sibi quoque non pacem solum, sed & illud cordi esse, ut propitios faventesque haberet Cæsarem & Regem, quatenus nempe obtinere id posset sine læsione honoris divini, conscientiæ suæ, & jurium atque libertatum Germaniæ. Ab his se recedere non posse, & frustra esse, quæ adversus ea apud se dicerentur,* (seu vergeblich davon zu reden) *parum tamen esse ad tractandum.* Appropinquante vero conventus tempore d. 7. Octobr. Elector Lutherum cæterosque Wittenbergenses Theologos, itemque Jurisconsultos & alios quosdam Consiliarios & Ecclesiastas ad se vocavit, inter alia consultans de potestate Pontificis. Conclusum fuit, illam non esse agnoscendam, sed publica protestatione declinandam. Formula *Gothæ* d. 12. Octob. conscripta refertur in *Collect. Pezelii p. 395.* Missi inde *Dolzigius* & *Burcardus* constituto die aut paulo post Wormatiam venerunt. Instructio Legatorum Saxonicorum d. 17. Octob. data *d. Reg. n. 133.* multam spirat constantiam & pietatem. Jubentur sese opponere dominatui Pontificio, etiamsi alii ex Evangelicis remittere aliquid in hoc articulo vellent. Si separatio inde sequatur, Deo id commendandum esse dicitur. Persistendum esse in decreto Smalcaldico de recusando Concilio, quale *Paulus III.* indixerat, & negando omnem primatum & superioritatem Pontificum. Si enim nunc taceant, fore, ut pristinam tyrannidem & censuras denuo sibi accersérent. Nec obstare decretum Hagenoense, in quo concessum fuit Pontifici, ut Legatos Wormatiam mitteret, si vellet; inde igitur sequi conventum & colloquium nihilominus habendum esse, etsi nollet. Rejici etiam denuo debere articulos, quos *Eccius* Hagenoæ produxerit, falso jactans de iis Augustæ conventum esse; nihil mutandum nec in sensu Augustanæ confessionis, neque in verbis; horum enim mutatione nil nisi fraudes quæri. Ita *Smalcaldiæ* statutum nuper esse, neque Electorem ab illo decreto recessurum, nec suffragiorum numero vinci se passurum, etsi quidam ex undecim Evangelicorum ad colloquium Deputatis, ad partes oppositas transirent. Contradictum esse in Comitiis Spirensibus anno 1526. & 1529. prætensæ illi de numero suffragiorum regulæ, & in illa protestatione persistendum esse, cum etiam jure Canonico doceatur, unum suffragium sacræ Scripturæ testimonio subnixum toti Concilio prævalere. De Electore Brandenburgico optima se sperare dicit Saxonicus, quod illis non sit accessurus, qui impias propositiones adversus Augustanam confessionem allaturi sint,

An. 1540.

(2) *Consultatio Protestantium de potentia Pontificis.*

(3) *Legati Sax. eorum mandata.*

An.1540.

sint, mandat tamen Legatis, ut omnia diligenter observent. Si fortassis objiciatur, in Augustana confessione Pontificis mentionem factam non esse, respondere jubet, causas fuisse tunc Theologis, ut id facerent, interim in articulo de potestate Episcoporum comprehendisse etiam Papam, neque hunc a cæteris Episcopis distinxisse. De bonis Ecclesiasticis repetit & teneri vult, quæ Smalcaldiæ *Heldo* responsa erant. Abolitionem processuum Cameralium simpliciter urget, non admissa moderatione, quam Ferdinandus Rex Hagenoæ, non rogatus proposuisset. Comparuerunt etiam Legati alterius partis. Inter hos autem illico dissidium erupit, cum appareret, Legatos Electoris *Palatini* & *Brandenburgensis*, Ducisque *Juliacensis*, qui inter undecim Catholicos adscripti erant, cum cæteris parum consentire. Elector Brandenburgicus miserat *D. Leonhardum Kellerum*, Canonicum & Præpositum Havelbergensem, *Alexandrum Alesium* Scotum, & *Johannem Ludecken*, aulæ concionatorem. Hi ordinationem Ecclesiasticam in Marchia publicatam (de qua §.LXXV. n.7. a. *in addit.* dictum est,) Ferdinando & Legatis Catholicorum exhibuerunt, testati, nihil in ea constitutum esse, quam quod ad gloriam Dei & æternam ejus veritatem pertineret. Accepisse eam & legisse dicitur Ferdinandus in *relatione MS.* Ex *Burcardi* Cancellarii Saxonici literis d. 12. Novembr. præterea intelligitur, dubitasse reliquos Romanarum partium, an Brandenburgicos in suum reciperent numerum; sciebant enim, quod *Kellerus* uxorem duxisset. Sed is repulsam parum curabat, dicens: Si ab illis repelleretur, non defuturos, qui se reciperent. Idem cum Collegis retulit Legatis Saxonicis, Herum suum Electorem Brandenburgicum abeuntes se monuisse, (sie solten das wörtlein sola wieder mit bringen / oder selbst nicht wieder kommen) *ut reportarent voculam* sola, *aut ipsi non redirent.* Significabat, nihil remittendum esse in articulo de justificatione. De Juliacensibus *Burcardus* refert; articulos fidei ab illis conscriptos allatosque fuisse, qui parum ab Augustana confessione discrepant. Advenerant literæ Cæsaris ad conventum d. 12. Octobr. datæ, in quibus *Nicolaum Perenottum Dominum de Granvella (nobilem* vocat & *Consiliarium intimum)* sui loco admittendum & audiendum commendat. Ipse *Granvellanus* ad Proceres d. 2. Novemb. Latine scripsit, vocat illos *Reverendos patres in Christo, Illustrissimos Principes Electores & Imperii Principes*, item *Illustres, Generosos, strenuos, eruditos & prudentissimos viros.* Excusat, quod paulo tardius adventurus esset; mittit interea multumque laudat *Johannem de Navia*, Præpositum Mervillanum, spectabilem virum & Consiliarium Cæsaris dignissimum, cujus alibi mentio facta est. Is *Heldo* successerat, magnusque erat laudum Granvellani præco, iisdemque artibus imbutus. Blandissime agebat cum Protestantibus; insectabatur Heldi & Cameralium judicum actiones satis acerbe, Granvellani studium pacis & reformationis, summam & indefessam industriam, humanitatem, eruditionem admirabilem, (ita ut etiam Virgilium memoria teneret,) miris modis extollebat; nec parum filios ejus laudabat, quorum duos secum adducturus esset, Clericum unum, *Antonium* Episcopum Atrebatensem, alterum Politicum. (Alii observaverant, illum cum septem aut octo liberis in aula Cæsaris versari omniumque fortunas provehendas a Cæsaris & Pontificis gratia expectare & sollicitare) *Granvellanus* ipse d. 20. Novembr. adfuit, convocatisque d. 25. Nov. Procerum utriusque partis Legatis mandatum Cæsaris prælegi fecit d. 10. Octob. datum. Continebat id clausulas fere insolitas, *ut cum Deputatis ad conventum Electoribus, Principibus, & Ordinibus in casibus in Recessu Hagenoensi comprehensis & Cæsareæ declarationi reservatis, eorumque omnium dependentibus, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, simul & separatim, agere, consultare, tractare, concludere, decernere & declarare, viresque & autoritatem Cæsaris, quoties opus esset, interponere, aliaque omnia facere, dicere, exercere & pronunciare posset, quæ in præmissis & circa ea necessaria essent, seu quomodo libet opportuna, & quæ Cæsar ipse, si personaliter interesset, agere tractare, & facere posset, etiamsi alia forent, quæ mandatum magis speciale exigerent, quam in præsentibus esset expressum.* Hæc magnam quidem Cæsaris fiduciam, fortassis tamen etiam ministri superbiam indicant, omne jus majestatis in pace & bello in se recipientis infausto, ut apparuit, cum effectu. Prælecto mandato orationem Latinam habuit *Granvellanus*, cujus ex ore dicentis exceptæ contenta referuntur in *Collect. Pezelii p. 409.* summa etiam a *Sleidano p. 371. d. l.* Laudavit Cæsaris optimas intentiones, nec sui oblitus est, Germanorum in se prædicans affectum, & suam ad illos demerendos promtitudinem; hortatus est omnes, ut Germaniæ misereantur, tanto in periculo versantis, & ut pro pietate & zelo religionis, atque ad solum Christum crucifixum respicientes, de restituenda concordia consilia conferant. Illacrymari inde non nihil cœpit, (sic erudierat oculos) & per viscera Jesu Christi orare, ut ad scopum illum nitterentur. Responsum illi est datum, Procerum nomine, (cum titulo *Illustris dominationis* Eure Herrligkeit/) post consuetas gratiarum actiones & oblationes; propositum id esse omnibus, ut subortæ controversiæ Christianis & piis modis componerentur, veritas in lucem producta exsplendesceret, & pax pia & certa restitueretur. Initium conventus factum est d. 6. Decemb. a sacris. Catholici Missæ in Ecclesia Cathedrali & institutæ processioni; Protestantes concioni in alio templo interfuerunt. *Granvellanus* quidem postea variis prætextibus conciones Evangelicorum in templo Dominicano impedire conatus est, sed obnitentibus Legatis, & ad hos respiciente Senatu, continuatæ sunt. Altercatum postea est pluribus diebus de modo agendi, propositumque fuit, a Præsidibus, & Cæsaris nomine comprobatum, quod minime expectaverant Protestantes, ne ex numero suffragiorum decideretur. Hi quidem in causis religionis nunquam concesserant, ut vinci numero sententiarum possent (quod semper urgebat altera pars) idque in ipsa ad hunc conventum d. 17. Octob. conscripta instructione Legatis suis injunxerat Elector. Sed discesserunt tunc a regula sua ipsi Catholici, metuentes, ne, si tres illi (de quibus

Marginal notes:

(4) *Dissidium inter colloquutores Catholicos.*

(5) *Granvellani literæ ad Ordines & Naviæ sermones.*

(6) *Adventus Granvellani & mandatum amplissimum.*

(7) *Ejusdem oratio.*

(8) *Initium conventus.*

(9) *Propositio Catholicorum contra majora suffragia.*

An. 1540. bus dictum est,) ex undecim suæ partis suffragatoribus fortasse & plures, (de *Coloniensibus* enim minime securi erant) eadem cum Evangelicis sentirent, magnum causæ suæ præjudicium fieret. Huic igitur cautela illa occurrebant *Granvellanus* & collegæ, Ferdinandi Regis Consiliarii, qui unam cum illo legationem repræsentabant. Statuebant nempe, ut *Pallavicinus d. cap. XII. §. 9.* refert, ut singulæ partes, undeni nempe ex Catholicis & totidem ex Evangelicis, non consideratis peculiaribus suffragiis, unam tantum sententiam ex plurium effatis formarent, ita ut in effectu duobus suffragiis concluderetur, quæ contraria esse futura nemo dubitabat, indeque planum erat, nihil actum iri toto illo colloquendi & tractandi labore. Improbabant hæc merito Evangelici, ut intentioni Hagenoensi prorsus contraria. Disceptata etiam multa sunt, de modo agendi & acta conscribendi, sive de Notariis eorumque substitutis, de juramento, quo obstringendi erant ad silentium, & ut tabulas suas (Protocolla vocant) soli Cæsari traderent, neque etiam ad Heros suos quidquam referrent. Ista Præsidum colloquii nomine *Conradus Brunus*, Evangelicis, ut alibi dictum est, summe infensus pariter & invisus, ingerere & obtrudere satagit, magno cum Protestantium fastidio, quæ denique eo tendebant, ut colloquium in ventos & fumum abiret, quod unice cupiebat Pontifex, fatente *Pallavic. d. cap. XI. §. 13.* Nuncius tamen caute agebat. Is erat *Thomas Campegius* Laurentii Cardinalis frater, Episcopus Feltrensis, cujus & comitum illi additorum elogium legitur apud *Pallavic. d. l. §. 9.* Magna adhibebatur cautio, ne Protestantes ad contradictionem aliquam & irreverentiam erga Pontificem irritarentur. Cum igitur tempus indictum esset ad congressum Procerum in curia, omissum fuit indicium, quod alias fieri solebat, qua de causa & materia conveniendum & deliberandum esset. *Granvellanus* maturius, quam omnes, comparuit; accessit deinde Nuncius, quem comitabantur & introducebant *Decanus Moguntinus* & *Cancellarius Heidelbergensis*. Sella illi posita est (quanquam supra *Granvellanum* illam collocari desiderasse fertur) e regione Legatorum Electoralium, sed spatio satis inferiori. (weiter hinab) Locutus est demisse & modeste, (demüthig ut referunt Legati Saxonici,) & multa (postea scilicet publicata) omisit; Compendium orationis refert *Sleidanus p. 372.* & *Pallavic. d. c. XII. §. 4.* Dixit inter alia, *se magnam in Germania mutationem invenire, aliamque faciem, quam ante annos viginti habuisset.* Consessum allocutus usus est verbis; *Reverendi, Magnifici ac nobiles viri, fratres & majores observandissimi.* Cætera quæ dixit, Generalia erant, neutri parti placentia, proficientia, aut nocentia. Responsum ei fuit per Cancellarium Moguntinum, *D. Jacobum Reuter*, breviter & aride (mager und dürre scribunt Saxonici) nulla cum Pontificis mentione. Vocabat Nuncium *Reverendissimum Dominum*, consessus vero proceres *Illustrem & magnificum S. Cæs. Maj. Oratorem & Commissarium, Reverendos, Generosos, nobiles, spectabiles & clarissimos Electorum, Principum & Ordinum Consiliarios.* Orationem Nuncii *gravem, piam & christianam* fuisse dicebat, *& libenter auditam*; pollicetur, *se ita exhibituros esse deputatos, ut appareat quæsivisse gloriam Dei, & ea, quæ faciunt ad pacem & tranquillitatem christianam.* Protestantes paratam habebant responsionem separatam, quam *Melanchthon* composuit & *Pezelius* retulit *d. l. p. 423.* Recitata tamen illa non fuit, quia, ut Legati Saxonici scribunt, nihil pro autoritate dixerat, aut gesserat Nuncius, immo Pontificem in oratione sua ne nominasset quidem. Abeuntem ex curia deduxerunt, qui introduxerant: *Granvellanus* scenæ serviens modicam illi reverentiam, quam vocant, gestu exhibuit, vulgarem nempe & domesticam, ut Legati loquuntur. (eine gemeine/ häußliche und nachbarliche reverentz) Cum in negotio nihil procederet, & tempus rixis inutilibus extraheretur, Cameræ vero judices processus suos hoc ipso conventu durante, continuarent, etiam adversus Electorem Saxoniæ in causa *Burggraviatus Magdeburgici*, & sententiam proscriptionis contra *Goslarienses*, in contumeliam Evangelicorum, Wormatiæ affigi curassent, plus una vice *Granvellanum* convenerunt Evangelici, nempe d. 13. 22. 28. 30. Decemb. parum tamen solatii ab illo reportabant. Graviter inprimis questi sunt de distracto in duas factiones colloquio, & quod Catholici sententiam suam scripto proponere volebant, ad condemnandam Evangelicorum doctrinam. Inter scripta Præsidibus exhibita, satis memorabile & serium fuit, quod insertum est *collectis Pezelii p. 416. seqq.* Scribitur inter alia: *Nos ut de doctrina placide & pie conferamus, huc missi sumus: non, ut recipiamus articulos flexiloquos, & insidiose scriptos, qui non tollent, sed magis inflammabunt dissidia. Accedit & illud quod iniquum est, non audita utraque parte ire in suffragia. Fortassis auditis argumentis aliqui ex utraque parte abjicerent sententias, quas nunc amplectuntur. Itaque grave præjudicium est, suffragia praripere.* Addunt, *se recusasse synodum Pontificiam, quia iniquum sit, adversarios & hostes esse judices; minus tamen periculum futurum fuisse in Concilio, in quo convenirent plures docti & moderati, & exterarum gentium homines minus occupati affectibus, quam qui tunc adessent; fortasse etiam ajunt nos auditi essemus, & res erudite forent disputatæ.* Rejiciunt deinde eos, qui cum utriusque partis contumelia dicant, verborum saltem pugnam esse. *Cur enim nos*, inquiunt, *interficiunt adversarii, cur deleri tot gentes volunt, si tantum verbis dissidemus, non rebus?* Et paulo post: *Profecto duras pœnas damus inscitiæ, si ideo plectimur, quia non satis facundi & diserti adversariis videmur. A tali Philosophia, quasi omnium religionum dissidia non nisi verborum rixæ essent, abhorrere debere, censent, Christianos, unam enim esse veram religionem, in qua regnet filius Dei, exaudiat preces, & salutem æternam impertiat, eam nempe religionem, quæ certo verbo Dei tradita est, & est consensus Catholicæ Ecclesiæ Christi, videlicet Patrum, Prophetarum & Apostolorum.* Negant, *fucosis conciliationibus tranquillitatem restitui posse; praripienda non esse suffragia; sperare, declarationem suam piis mentibus satisfacturam esse; fraudari non debere expectationem hominum, de* hoc

(10) *Altercationes alia.*

(11) *Acta Legati Pontificii, it. responsum ei datum.*

(12) *Querela Protestantium de actu Catholicorum.*

An. 1540.

(13) *Melanchthonis literæ ad Granvellanum.*

hoc conventu conceptam. In eandem fere sententiam d. 22. Decemb. ad *Granvellanum* privatim scripsit *Melanchthon*, neque de concordia plurimorum articulorum desperare se dicit; defendit inprimis doctrinam de justificatione, de qua in summa nihil aliud dicatur, quam quod agens pœnitentiam debeat credere, remitti sibi peccata propter filium Dei, non propter propriam dignitatem: hunc articulum obscurandum non esse deliramentis monachorum. *De Missæ abusibus*, dicit, *multos bonos viros aliquot seculis questos esse, & fortasse multas publicas calamitates pœnas esse contaminati Sacramenti, nec dubium esse, quin Missæ opus habeant emendatione, & articulum Evangelicorum mollissime positum esse, reprehendi applicationem, sive eos, qui putant Missam aliis mereri remissionem & alia. De Episcopis* (subdit) *eorumque dignitatibus & politia Ecclesiastica satis moderate loqui Evangelicos; quod autem Episcopi nullam emendationem concedant, causam non esse obscuram; conspirare eos cum monachis, qui superstitiones propter quæstum, inscitiam & pertinaciam defendunt, recentibus etiam libris; cum illis non plus agi posse, quam cum aspidibus surdis.* In fine, etsi *videre se* dicat, *quales sint plerique, cum quibus rixandum sit*, sperat tamen, *aliquas controversias in hoc ipso congressu tolli posse, reliquas ad aliam deliberationem rejici.* An hoc *Melanchthonis* scriptum scientibus Legatis Saxonicis Collegisque suis compositum sit, in Actis non invenio. Laudant tamen Legati *Melanchthonis* constantiam; interim illo verborum temperamento ansam forte dedit ad colloquii inter duos habendi consilium, quod desperato alio successu *Granvellanus* in medium protulit, ut mox dicam.

(14) *Literæ Legatorum Sax. & responsum ad eos Electoris.*

Referam prius quædam ex literis Legatorum Saxonicorum, & Principis responsis. Scripserunt, fuisse ex Catholicis, cum tres illi, de quibus dictum est, a cæteris dissentirent, qui dicerent, rixam saltem esse de verbis: (id quod refutatum esse paulo ante annotavimus.) Laborasse itaque, ut dissentientes illos placarent, & a Palatino Electore petiisse, ut alios mitteret Legatos. Cum vero id frustra fuisset, *Granvellanum* permovisse, ut d. 2. Jan. arctius colloquium ad evitanda suffragia, de quibus huc usque disputatum erat, institueretur, in quo unus saltem ex una parte verba faceret, ita tamen, ut reliquis liceret aliquid monere & addere; res itaque ad *Eccium* & *Melanchthonem* redibat. Ista dolose agi, facile perspiciebant Protestantes, culpamque ante alios *Moguntino* & *Bavaris* imputabant, qui nihil agerent, nisi ex suggestione Nuncii Pontificii. Addiderant Catholici, se non recedere a Recessu Augustano, neque obligari velle ex hoc etiam colloquio, nisi quatenus Cæsari & majori parti Ordinum in Comitiis probaretur. Sed neque hoc admittebant Evangelici, Recessui vero Augustano veteres protestationes & appellationes opponebant. Elector d. 30. Decembr. aliisque diebus Legatis suis rescripsit, se singularem Dei providentiam agnoscere, quod tres illi a cæteris dissensissent, & hi lucem fugerent, & obliquas vias quærerent, quas cavere Legatos jubebat, neque solum, si res ad disceptationem veniret, sententiæ Augustanæ confessionis, sed & verbis & formulis inhærere, licet Landgravio ex Buceri consiliis aliud placeret, periculum enim esse, si verba mutarentur, ut postea etiam a sensu recederetur, id quod jam antea d. 21. Novemb. prolixis literis Landgravio repræsentaverat. Tandem d. 12. Jan. consensum est in colloquium inter duos, quos dixi, Doctores instituendum. Cœptum est igitur d. 14. Jan. 1541. ejusque acta, ut dixi, Latina, in operibus *Melanchthonis* & Germanica ab *Hortledero* exhibentur, ex quibus pauca adscribemus. Incepit *Eccius*, & in præloquio inter alia reprehendit, *quod exemplum Augustanæ confessionis & apologiæ a Protestantibus in hoc conventu exhibitum* (extat *Part. I. Oper. Mel. fol. 39. & sqq.* & aliunde notum est) *discreparet ab illis, quæ Augustæ tradita fuissent.* Vetus est hæc objectio, de qua alibi satis dictum est. *Melanchthon* tunc respondit, postquam suum sermonem a precatione ad Deum inchoasset, *rerum eandem esse sententiam, etsi quædam in posteriori editione mitigata vel explicatiora sint.* Nec ulterius cum Pontificiis progressa illo tempore est de isthac variatione disputatio. Recruduit autem postea, atque inter Evangelicos *Lutheranos* & *Reformatos* multarum litium materiam præbuit, maxime in articulo de sacra Cœna. Etsi enim in *colloquio Ratisbonensi*, quod paulo post secutum est, ita declarata fuit de Sacramento sententia, ut Augustanæ confessioni nihil derogaretur; aliud tamen visum est Theologis Helveticis, & qui postea in Germania illis accesserunt: qua de re alio tempore & loco agendum est. Consuli interim possunt ex nostra parte *Kirchnerus* cum Collegis *in apologia* anno 1594. *Wolfio*, sive *Hardeshemio* opposita *Lib. II. fol. 299. & seq.* Ex altera vero *Hospinianus Part. II. fol. 178. b. & seq.* Durius vero tunc accepit Melanchthon Eccii verba, cum schismatis culpam Protestantibus impegisset, dicens: *Ex nobis exierunt*, regessit enim: *Cum consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi vere amplectamur, ac tantum quosdam abusus alterius partis reprehendamus, quemadmodum cogit cœleste mandatum: non assumes nomen Dei vane. Et Paulus; si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit; non discessimus ab Ecclesia Catholica Christi, sed reliquimus taxatos abusus. Ac ab ipsis verius ex ipsorum cœtibus expulsi sumus violentis edictis, excommunicationibus, & nova acerbitate, quæ in Ecclesia non fuit usitata. Non propterea Jeremias discesserat a populo Dei, etiamsi damnabatur ab iis, qui tenebant ordinariam potestatem, ita nobis quoque ratio officii nostri constat. Et judicium Deo & veræ congregationi Ecclesiæ permittimus. Deinde semper nos ad judicium Ecclesiasticum impartiale obtulimus, & adhuc nos offerimus.* *Eccius* postea *verba sua rapta esse* dixit, *nec deesse, quæ responderet, sed malle humanitate lucrari fratres.* Hæc veluti velitatio fuit. Quod articulos ipsos attinet, oppugnavit Eccius *secundum* Augustanæ confessionis, in quo concupiscentia dicitur peccatum, & quidem, ex Lutheri interpretatione, non solum materiale, sed formale. Hoc adversari dicebat sacris literis, & Patrum atque Ecclesiæ doctrinæ, & detrahere beneficio Baptismi & regeneratio-

An. 1540.

(15) *Colloquium inter Eccium & Melanchthonem d. 14. ad 17. Jan.*

An. 1540. nerationis eos, qui statuant peccatum post baptismum remanere. Melanchthon sententiam confessionis ex scriptura *Gen. VI.* & *Rom. VII.* tutatus est, itemque ex *Augustino*. Eccius in eo perstitit, quod concupiscentia post Baptismum non sit culpa, sed pœna. Sequenti d. 15. Jan. Melanchthon rejecit objecta, & honorem suum Baptismo & regenerationi asseruit, quod in his detur Spiritus Sanctus, cujus auxilio oppugnari & vinci possint concupiscentiæ. A meridie Eccius exaggeravit, ut sævitiam plus quam Herodianam, quod infantibus tribueretur crimen capitale, quod tamen non sit nisi infirmitas & pœna, dolore quidem & deprecatione digna, non vero *culpa* nec *reatus*, quod vocabulum sophismate Lutheri inventum esse dicebat. Tertia die, quæ erat *Dominica* 16. Jan. *D. Brunus* Præsidum nomine postulare cœpit, ut ad alium articulum progressus fieret; sed rejecit id, nomine Evangelicorum, Melanchthon, & ad dicta Eccii respondit, cum aliqua acrimonia, quod Eccius atrocibus verbis usus esset; Explicavit vocabulum *culpæ*, & infantibus tribui debere statuit, si accipiatur pro reatu, esse enim vitium repugnans legi Dei, & remanere, etsi condonetur, & obedientia fidelium Deo placeat propter mediatorem. Dicta Pauli *Rom. VII.* ex *Augustino* de renatis accipienda esse contendit, ludens in Eccium, quod, cum cætera veluti pinxisset, hoc Pauli dictum obvelasset, ut pictor faciem Agamemnonis in immolatione Iphigeniæ. Refutavit etiam propositiones ejus, ex quibus syllogismos formaverat v. g. *Omne peccatum est voluntarium*; excipiendum enim esse originale: *Lex est servatu impossibilis, si concupiscentia est peccatum*; respondit enim, possibilem esse quoad externam præstationem, non vero quoad integram & internam obedientiam, quam lex requirit. Dictum Christi: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ita intelligendum esse dicit; ut non confundatur lex & Evangelium; mandatum enim esse, *non concupisces*, quod a nemine possit impleri. D. 17. Jan. Eccius duriora illa de *sævitia Herodiana* verba ad concionatores imperitos pertinere dixit, qui peccatum originis vocent *capitale* (die haupt Sünde) &, ut non ineptum pictorem se esse ostenderet, ex dicto Pauli *Rom. VII.* concupiscentiam vitium non mentis, sed carnis, membrorum & corporis esse dixit, jactavitque, se biduo aut triduo de hoc articulo disputare posse, adeoque non exhaustam esse scientiam suam. Concessit, concupiscentiam peccatum dici posse, ut Scriptura dicitur *manus*, id est, effectus pro causa, vere autem peccatum non esse, nempe nec formale nec damnabile post Baptismum. Hic finem habuit non solum disceptatio de hoc articulo, sed & totum colloquium. Quæ enim sub titulo actorum Wormatiensium *dict. Part. IV. Oper. Melancht. fol. 673. seqq.* inserta sunt, maxime *a fol. 687.* ad colloquium Ratisbonense pertinent, fit enim expresse mentio sex collocutorum.

ADDITIO I.

(a) *Eccius a Melanchthone describitur.*

Eccius, licet se *non ineptum pictorem* esse diceret, revera talis erat, & consideratis omnibus ejus factis & dictis, nil nisi magnus ardelio. Id ostendit *Melanchthon* inter alia his verbis, in præfatione colloquii Wormat. *Part. IV. Oper. fol. 641.* *Fortasse prodest extare ἑωλοκρασίαν Eccianam eo, ut boni & graves palam videant, Sophistas illos nec candorem nec studium veritatis ad has tantas deliberationes afferre. Audivi Eccium gloriose jactantem, posse se utramque partem tueri. Putat de laude ingenii certari, non quærit veritatem, non studet consulere Ecclesiæ, denique in hac causa deploranda erat omnium lacrymis humani generis miseria, quod propter malum originis, hæc præstans natura, primum horribili ira Dei, deinde ingenti mole calamitatum hujus vitæ, & morte ipsa oppressa est. Præterea, imagine Dei in nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei versatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Sed hæc relinquo cogitanda pio lectori, cum conferet utriusque conciones. Non arbitror autem quenquam pium adeo lentum esse, καὶ ἄχολον, ut sine fremitu Eccii sophismata & ineptas verborum præstigias legere possit. Ludit vocabulis, criminis, culpæ, peccati capitalis, converrit testimonia, quæ scit nihil contra nos facere, denique Socraticus disputator est, perpetuo suam sententiam occultat, tantum hoc agit, ut oppugnet adversarium. Ingenue dicam, quod sentio; Sæpe mihi & stomachum & bilem hæ insidiosæ tergiversationes, captiones, γοητείας moverunt, quæ Phormionem aut Pseudolum in comœdiis, non Theologum in explicatione doctrinæ decent. Hæc eo commemoro, ut cogitent studiosi, quantum sit periculi cum his Sycophantis congredi, seque ad similia certamina majore cura præparent; ac primum quidem vera & salutaria Ecclesiæ d[illegible] studeant, deinde luceat in oratione, tanquam in [illegible] ingenuitas dicentis, sitque propria & simplex [illegible]onis forma: qualis Apellis est color in tabulis:*

(b) *Responsio ad ultimam ejus objectionem.*

Qu[o]d vero ad ultimam Eccii objectionem ex verbis Pauli *Rom. VII.* de peccato non in mente; sed carne residente attinet, ad quam ordine disputationis exclusus respondere non potuit *Melanchthon*, in illa quoque minime solidam sacrarum literarum cognitionem, quam jactare videbatur, sed refertum sophismatibus caput ostentavit, quibus orthodoxas interpretationes obscuraret. Habuit tamen, ut non dubito, illius cavilli autores, eundemque assumere non est veritus *Bellarminus Lib. V. de amiss. grat. cap. 10.* Sed nec Romanæ Ecclesiæ defuerunt Doctores cordatiores, qui manifestam veritatem agnoverunt, & *carnem*, cujus Paulus *h. l.* mentionem facit, pro toto homine, carnis sensualitate & rebellione membrorum post lapsum corrupto accipiendam esse statuerunt, licet corruptio illa maxime in carne deprehendatur, quæ tamen minor non est in anima. Videatur *Estius in Rom. VII. 18.* ubi *Augustinum* sequitur *Lib. XIV. C. D. cap. 2. 3. 4.* nec *Bellarminus* ipse *d. l. cap. 15.* diffiteri ausus est, vitium etiam in parte superiori animæ inveniri. Uberius hæc pro suæ eruditionis copia deduxit *D. Phil. Jac. Spenerus* in excellenti tractatu contra *Brevingium* Germanice edito, *de Evangelica justitia fidei cap. III. p. 219. & 235.*

(16) *Finis & dissolutio conventus.*

Sequenti die 18. Jan. publicatum fuit Cæsaris Rescriptum d. 15. Jan. ad Granvellanum datum, quem vocat charissimum & fidelem Equitem, primarium Consiliarium status, libellorum supplicum Magistrum, & sigillorum custodem. Nihil in hoc de negotiis sibi & fratri enatis, quæ Maimburgius hic finxit, causatur Cæsar, sed scribit, quia multæ difficultates adhuc circa colloquium versentur, & instet tempus Comitiorum (quæ ad diem 6. Jan. 1541. Ratisbonæ, diplomate Cæsaris d. 14. Decembr. Bruxellis dato, indicta erant) in quibus omnia rectius tractari & componi possent, velle se, ut colloquium eo differatur, vel cesset, si cœptum sit; laudat interea studium Principum, & multa testatur de sua ad concordiam propensione, & spe illam per Dei gratiam obtinendi. *Granvellanus* pauca locutus, hortatus est Evangelicos, ut in

An. 1540. in Comitiis compareant, & illorum acta commendata a se esse Cæsari dixit, veniam etiam rogavit, si quæ duriora esset locutus. *Evangelici* optare se dixerunt, ut colloquium maturius fuisset inchoatum, professi tamen sunt, se Cæsari ita volenti parituros, omniaque ad Heros relaturos esse, excusant tamen ob protractum huc usque conventus tempus, si tardior fieret in Comitiis comparitio. Granvellano gratias egerunt, quod sapienter, moderate & diligenter egisset, & sic cum mutua benevolentiæ significatione discessum est. Inter se tamen convenerunt Evangelici, ut Theologos bonosque & orthodoxos concionatores, ad Comitia adducerent, & in aulam Cæsaris Consiliarios mitterent, qui ejus responsum de suspensione proscriptionum & processuum Cameralium solicitarent. Granvellanus nulla non arte in hoc conventu usus est, ut utrique parti placeret, sincerius tamen cum Pontificiis egit: neque id latebat Protestantes, cum jam in Comitiis Augustanis zelum ejus observassent, nunc vero intelligerent, ipsius consilio rigorosissimum edictum d. 1. Septemb. in Belgio publicatum esse, quo non solum libri Lutheri aliorumque, qui aliquo modo suspecti Clero essent, sed & Novum Testamentum, Antverpiæ lingua populari excusum, sub gravissimis pœnis prohibebantur. Verum familiari sermone longe aliud simulabat, & ut Legati Electoris d. 23. Decembr. retulerunt, post acerrimum conflictum de modo colloquii, Saxonicis, in privato colloquio summam reformationis necessitatem cordate demonstrantibus, asseverare non dubitavit, *Cæsarem eandem tanto cum studio cupere, ut promoturus eam sit, etsi Protestantes ab ea solicitanda cessarent.* Cum etiam bonorum Ecclesiasticorum mentio fieret, non ignotum esse Cæsari dixit, Electorem illorum administrationem non male, & pro conscientia, ordinasse; interim ob eadem bona quotidie rumpendi tractatus de concordia occasio quærebatur.

(r) *Granvellani ficta simulatio.*

ADDITIO II.

(a) *Planitii Legati Sax. relatio ex aula Cæsaris.*

Sublegenda hic sunt, quæ historiam illustrant, & in serie rerum commode narrari non potuerunt. *Planitius*, ut diximus, in aula Cæsaris tempore conventus Hagenoensis substiterat, minime quidem gratus; scribit enim *Reg. H. fol. 285. n. 120. & fol. 321. n. 130.* se non aliter, quam ut Turcum vel Paganum, respici, neque multo melius tractari Brandenburgici Electoris Legatum, *Joachimum a Molzan:* atroces etiam injurias calumniasque falsissimas de Electore Saxoniæ spargi, inter alia, quod Legatum ad Turcos societatis ineundæ causa misisset. Autorem mendaciorum ajebat esse *Henricum Brunsuicensem*, eaque magna cum voluptate audiri & disseminari ab *Heldo*, qui adhuc in aula erat, & omnia, quæ Protestantium nomine Cæsari exhibebantur, illi non lecta, accipiebat. (*Reg. H. fol. 348. n. 136.* & fol. 355. *n. 138.*) Lætabatur inprimis *Heldus* publicatis tunc a Brunsuicensi libellis contra Electorem & Landgravium, ex quibus apparere dicebat, qui fructus essent novi Evangelii. Interim Cæsar d. 8. Junii *Planitio* post plurimas petitiones responsum dedit, quo Electorem de pace confidere jubet, testaturque, se ab illo non nisi quieta & moderata sperare. De processibus Cameralibus vetera repetiit inanibus verbis: causas nempe religionis ad Cameræ judicium non pertinere, sed cavendum esse Protestantibus, ne ad illas traherent aliena. Sic indecisa manebat lis, quænam causæ religionem attinerent. Ad querelas de Brunsuicensis molitionibus adversus urbes *Goslariam* & *Brunsuigam*, dictum est, admonitum esse Ducem, ut a vi abstineret & exitum causæ in judicio expectaret; sed & Protestantes monebantur, ne vim *Henrico* inferrent. Ita ludificari se sentiebat Elector. Renovata etiam fuit in *Ulricum VVurtenbergicum*, ipsumque *Landgravium* calumnia, (*Reg. H. fol. 303. n. 123.*) quod exercitum colligerent. Ideo ipse *Ferdinandus* non Ulrico solum, sed & Landgravio d. 24. Junii id exprobravit, masculum vero ab utroque responsum accepit; a Landgravio inprimis, qui Brunsuicensem accusabat, quod copias nemine prohibente pararet, ut Electori & Landgravio insultare posset.

An. 1540.

De Lundensi dictum est, ut gratia Cæsaris exciderit. Extant ad illum Landgravii epistolæ, *Reg. H. fol. 344. n. 135.* in quibus, & præcipue in ea, quam d. 1. Jan. 1540. scripsit, non solum Lundensem a calumnia excusat, quasi in conventu Francofurtensi Protestantibus, largitione corruptus, plurima indulsisset, & potius de rigore ejus in hos queritur, sed & de se aliisque Evangelicis testatur, quod minime appetant Episcoporum bona, sed ferre possint, ut omnia retineant, id tamen desiderare, ut constituant vicarios & subepiscopos, vel quocunque nomine vocandos, qui populo secundum verbum Dei & veteres Canones de animarum salute prospiciant. Neque tamen opus esse, ut ideo reditus Episcopales & Cathedralium Ecclesiarum imminuerentur, sed facile colligi sumtus posse ex collegiis inferioribus, in quibus plerunque non nisi homines ex infima plebe & rudes (Baurenknöbel) saginarentur. Pontificem, scribit, a Germanis pro Antichristo haberi, neque unquam futurum esse, ut illum adorarent; ab Italis, si ita vellent, fieri id posse. Se tamen quod attineret, non repugnaturum, si Papa, ut Episcopus primarius, qui in cæteros inspectionem haberet, toleraretur, & Cæsarem, quando opus esset, de Concilio procurando admoneret. Ferre se etiam posse, ut Missis privatis uterentur, qui putarent coli per eas Deum posse, donec nempe meliora edocti, ipsi ab illis desisterent. Misit etiam Lundensi apologiam, Brunsuicensis Ducis libellis oppositam, & dialogos, quibus refutabatur, quem *Brunus* ediderat. Ex Lundensis ad Landgravium epistolis notabilis est, quam d. 8. Maj. scripsit (*d. Reg. n. 138.*) Utitur autem eadem tituli & styli urbanitate, quam in literis ad Electorem adhibere solebat, ut alibi notavimus. De compositione vero religionis hæc habet: Meine einfältige meynung ist / und dabey bleibe ich / soll man die Religions-sachen zu Gottes ehre und beständiglich vertragen / so müssen wir auff beyden seiten Gott allein für augen haben / und auff beyden seiten fromm seyn / und fromme leute darzwischen handeln lassen / auch auff beyden seiten / so viel immer mit Gottes ehre geschehen mag / nachlassen / damit unter den häuptern ein christlich und freundlich vertrauen gepflantzet werde / so zweifle ich gar nicht / Gott der allmächtige wird uns erhören / stets bey uns seyn / und seine gnade mildiglich mittheilen / damit seine sache gefördert und ewiglich vertragen werde. id est, *Ego ita sentio & in hoc persisto, si de religione ad honorem Dei & constanter transigendum est, ab utraque parte solum Deum respiciendum esse, pietati studendum, & bonorum virorum interpositione utendum; utrinque etiam, quatenus per Dei honorem licet, aliquid remittendum, ut inter Proceres christiana & amica concordia plantetur. Ita agentibus dubitandum non est, quin Deus auditurus, adfuturus, gratiamque suam largiturus sit, ut ipsius causa promoveatur, & de ea perpetuo & constanti modo concordia ineatur.* Hæc generalia quidem sunt, sed quæ animum candidum, pium & æquum indicant. In iisdem literis per schedulam significat, se Ferdinandum Regem ad conventum Hagenoensem comitaturum non esse, se enim (sic ludit) Lutheranum esse, Heldum illi esse adfuturum.

(b) *Landgravii literæ ad Lundensem.*

(c) *Hujus responsum.*

Argentoratenses (*Reg. H. fol. 313. n. 128.*) hoc anno gravibus litibus vexati sunt ab *Abbatissa S. Stephani & Priore Carthusiano*, neque condemnationem in camera evitare poterant. Ediderunt egregiam apologiam, inter alia ex literis fundationis anno 1067. datis allegantes, quod neque psalmodia monialium, neque Missæ, quales postea invalue-

(d) *Argentoratensium lites cum Clero.*

An. 1540. nerationis eos, qui statuant peccatum post baptismum remanere. Melanchthon sententiam confessionis ex scriptura *Gen. VI.* & *Rom. VII.* tutatus est, itemque ex *Augustino*. Eccius in eo perstitit, quod concupiscentia post Baptismum non sit culpa, sed pœna. Sequenti d. 15. Jan. Melanchthon rejecit objecta, & honorem suum Baptismo & regenerationi asseruit, quod in his detur Spiritus Sanctus, cujus auxilio oppugnari & vinci possint concupiscentiæ. A meridie Eccius exaggeravit, ut sævitiam plus quam Herodianam, quod infantibus tribueretur crimen capitale, quod tamen non sit nisi infirmitas & pœna, dolore quidem & deprecatione digna, non vero *culpa* nec *reatus*, quod vocabulum sophismate Lutheri inventum esse dicebat. Tertia die, quæ erat *Dominica* 16. Jan. *D. Brunus* Præsidum nomine postulare cœpit, ut ad alium articulum progressus fieret; sed rejecit id, nomine Evangelicorum, Melanchthon, & ad dicta Eccii respondit, cum aliqua acrimonia, quod Eccius atrocibus verbis usus esset; Explicavit vocabulum *culpæ*, & infantibus tribui debere statuit, si accipiatur pro reatu, esse enim vitium repugnans legi Dei, & remanere, etsi condonetur, & obedientia fidelium Deo placeat propter mediatorem. Dicta Pauli *Rom. VII.* ex *Augustino* de renatis accipienda esse contendit, ludens in Eccium, quod, cum cætera veluti pinxisset, hoc Pauli dictum obvelasset, ut pictor faciem Agamemnonis in immolatione Iphigeniæ. Refutavit etiam propositiones ejus, ex quibus syllogismos formaverat v. g. *Omne peccatum est voluntarium*; excipiendum enim esse originale: *Lex est servatu impossibilis, si concupiscentia est peccatum*; respondit enim, possibilem esse quoad externam præstationem, non vero quoad integram & internam obedientiam, quam lex requirit. Dictum Christi: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ita intelligendum esse dicit; ut non confundatur lex & Evangelium; mandatum enim esse, *non concupisces*, quod a nemine possit impleri. D. 17. Jan. Eccius duriora illa de *sævitia Herodiana* verba ad concionatores imperitos pertinere dixit, qui peccatum originis vocent *capitale* (**die haupt Sünde**) &, ut non ineptum pictorem se esse ostenderet, ex dicto Pauli *Rom. VII.* concupiscentiam vitium non mentis, sed carnis, membrorum & corporis esse dixit, jactavitque, se biduo aut triduo de hoc articulo disputare posse, adeoque non exhaustam esse scientiam suam. Concessit, concupiscentiam peccatum dici posse, ut Scriptura dicitur *manus*, id est, effectus pro causa, vere autem peccatum non esse, nempe nec formale nec damnabile post Baptismum. Hic finem habuit non solum disceptatio de hoc articulo, sed & totum colloquium. Quæ enim sub titulo actorum Wormatiensium *dict. Part. IV. Oper. Melancht. fol. 673. seqq.* inserta sunt, maxime *a fol. 687.* ad colloquium Ratisbonense pertinent, fit enim expresse mentio sex collocutorum.

ADDITIO I.

(a) *Eccius a Melanchthone describitur.*

Eccius, licet se *non ineptum pictorem* esse diceret, revera talis erat, & consideratis omnibus ejus factis & dictis, nil nisi magnus ardelio. Id ostendit *Melanchthon* inter alia his verbis, in præfatione colloquii Wormat. *Part. IV. Oper. fol. 641. Fortasse prodest extare ἱμλοκρατίαν Eccianam eo, ut boni & graves palam videant, Sophistas illos nec candorem nec studium veritatis ad has tantas deliberationes afferre. Audivi Eccium gloriose jactantem, posse se utramque partem tueri. Putat de laude ingenii certari, non quærit veritatem, non studet consulere Ecclesiæ, denique in hac causa deploranda erat omnium lacrymis humani generis miseria, quod propter malum originis, hæc præstans natura, primum horribili ira Dei, deinde ingenti mole calamitatum hujus vitæ, & morte ipsa oppressa est. Præterea, imagine Dei in nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei versatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Sed hæc relinquo cogitanda pio lectori, cum conferet utriusque conciones. Non arbitror autem quenquam pium adeo lentum esse, καὶ ἄχολον, ut sine fremitu Eccii sophismata & ineptas verborum præstigias legere possit. Ludit vocabulis, criminis, culpæ, peccati capitalis, convertit testimonia, quæ scit nihil contra nos facere, denique Socraticus disputator est, perpetuo suam sententiam occultat, tantum hoc agit, ut oppugnet adversarium. Ingenue dicam, quod sentio; Sæpe mihi & stomachum & bilem hæ insidiosæ tergiversationes, captiones, γοητεῖαι moverunt, quæ Phormionem aut Pseudolum in comœdiis, non Theologum in explicatione doctrinæ decent. Hæc eo commemoro, ut cogitent studiosi, quantum sit periculi cum his Sycophantis congredi, seque ad similia certamina majore cura præparent; ac primum quidem vera & salutaria Ecclesiæ dicere studeant, deinde luceat in oratione, tanquam in vultu, ingenuitas dicentis, sitque propria & simplex orationis forma: qualis Apellis est color in tabulis:* Quod vero ad ultimam Eccii objectionem ex verbis Pauli *Rom. VII.* de peccato non in mente; sed carne residente attinet, ad quam ordine disputationis exclusus respondere non potuit *Melanchthon*, in illa quoque minime solidam sacrarum literarum cognitionem, quam jactare videbatur, sed refertum sophismatibus caput ostentavit, quibus orthodoxas interpretationes obscuraret. Habuit tamen, ut non dubito, illius cavilli autores, eundemque assumere non est veritus *Bellarminus Lib. V. de amiss. grat. cap. 10.* Sed nec Romanæ Ecclesiæ defuerunt Doctores cordatiores, qui manifestam veritatem agnoverunt, & *carnem*, cujus Paulus *h. l.* mentionem facit, pro toto homine, carnis sensualitate & rebellione membrorum post lapsum corrupto accipiendam esse statuerunt, licet corruptio illa maxime in carne deprehendatur, quæ tamen minor non est in anima. Videatur *Estius in Rom. VII. 18.* ubi *Augustinum* sequitur *Lib. XIV. C. D. cap. 2. 3. 4.* nec *Bellarminus* ipse *d. l. cap. 15.* diffiteri ausus est, vitium etiam in parte superiori animæ inveniri. Uberius hæc pro suæ eruditionis copia deduxit *D. Phil. Jac. Spenerus* in excellenti tractatu contra *Brevingium* Germanice edito, *de Evangelica justitia fidei cap. III. p. 219. & 235.*

(b) *Responsio ad ultimam ejus objectionem.*

An. 1540. (16) *Finis & dissolutio conventus.*

Sequenti die 18. Jan. publicatum fuit Cæsaris Rescriptum d. 15. Jan. ad Granvellanum datum, quem vocat charissimum & fidelem Equitem, primarium Consiliarium status, libellorum supplicum Magistrum, & sigillorum custodem. Nihil in hoc de negotiis sibi & fratri enatis, quæ Maimburgius hic finxit, causatur Cæsar, sed scribit, quia multæ difficultates adhuc circa colloquium versentur, & instet tempus Comitiorum (quæ ad diem 6. Jan. 1541. Ratisbonæ, diplomate Cæsaris d. 14. Decembr. Bruxellis dato, indicta erant) in quibus omnia rectius tractari & componi possent, velle se, ut colloquium eo differatur, vel cesset, si cœptum sit; laudat interea studium Principum, & multa testatur de sua ad concordiam propensione, & spe illam per Dei gratiam obtinendi. *Granvellanus* pauca locutus, hortatus est Evangelicos, ut in

An. 1540. in Comitiis compareant, & illorum acta commendata a se esse Cæsari dixit, veniam etiam rogavit, si quæ duriora esset locutus. *Evangelici* optare se dixerunt, ut colloquium maturius fuisset inchoatum, professi tamen sunt, se Cæsari ita volenti parituros, omniaque ad Heros relaturos esse, excusant tamen ob protractum huc usque conventus tempus, si tardior fieret in Comitiis comparitio. Granvellano gratias egerunt, quod sapienter, moderate & diligenter egisset, & sic cum mutua benevolentiæ significatione discessum est. Inter se tamen convenerunt Evangelici, ut Theologos bonosque & orthodoxos concionatores, ad Comitia adducerent, & in aulam Cæsaris Consiliarios mitterent, qui ejus responsum de suspensione proscriptionum & processuum Cameralium solicitarent. Granvellanus nulla non arte in hoc conventu usus est, ut utrique parti placeret, sincerius tamen cum Pontificiis egit: (a) neque id latebat Protestantes, cum jam in Comitiis Augustanis zelum ejus observassent, nunc vero intelligerent, ipsius consilio rigorosissimum edictum d. 1. Septemb. in Belgio publicatum esse, quo non solum libri Lutheri aliorumque, qui aliquo modo suspecti Clero essent, sed & Novum Testamentum, Antverpiæ lingua populari excusum, sub gravissimis pœnis prohibebantur. Verum familiari sermone longe aliud simulabat, & ut Legati Electoris d. 23. Decembr. retulerunt, post acerrimum conflictum de modo colloquii, Saxonicis, in privato colloquio summam reformationis necessitatem cordate demonstrantibus, asseverare non dubitavit, *Cæsarem eandem tanto cum studio cupere, ut promoturus eam sit, etsi Protestantes ab ea solicitanda cessarent.* Cum etiam bonorum Ecclesiasticorum mentio fieret, non ignotum esse Cæsari dixit, Electorem illorum administrationem non male, & pro conscientia, ordinasse; interim ob eadem bona quotidie rumpendi tractatus de concordia occasio quærebatur.

(a) *Granvellani ficta comitas.*

ADDITIO II.

(a) *Planitii Legati Sax. relatio ex aula Cæsaris.*

Sublegenda hic sunt, quæ historiam illustrant, & in serie rerum commode narrari non potuerunt. *Planitius,* ut diximus, in aula Cæsaris tempore conventus Hagenoensis substiterat, minime quidem gratus; scribit enim *Reg. H. fol. 285. n. 120. & fol. 321. n. 130.* se non aliter, quam ut Turcum vel Paganum, respici, neque multo melius tractari Brandenburgici Electoris Legatum, *Joachimum a Molzan:* atroces etiam injurias calumniasque falsissimas de Electore Saxoniæ spargi, inter alia, quod Legatum ad Turcos societatis ineundæ causa misisset. Autorem mendaciorum ajebat esse *Henricum Brunsuicensem*, eaque magna cum voluptate audiri & disseminari ab *Heldo*, qui adhuc in aula erat, & omnia, quæ Protestantium nomine Cæsari exhibebantur, illi non lecta, accipiebat. (*Reg. H. fol. 348. n. 136.* & fol. 355. *n. 138.*) Lætabatur inprimis *Heldus* publicatis tunc a Brunsuicensi libellis contra Electorem & Landgravium, ex quibus apparere dicebat, qui fructus essent novi Evangelii. Interim Cæsar d. 8. Junii *Planitio* post plurimas petitiones responsum dedit, quo Electorem de pace confidere jubet, testaturque, se ab illo non nisi quieta & moderata sperare. De processibus Cameralibus vetera repetiit inanibus verbis: causas nempe religionis ad Cameræ judicium non pertinere, sed cavendum esse Protestantibus, ne ad illas traherent aliena. Sic indecisa manebat lis, quænam causæ religionem attinerent. Ad querelas de Brunsuicensis molitionibus adversus urbes *Goslariam* & *Brunsuigam*, dictum est, admonitum esse Ducem, ut a vi abstineret & exitum causæ in judicio expectaret; sed & Protestantes monebantur, ne vim *Henrico* inferrent. Ita ludificari se sentiebat Elector. Renovata etiam fuit in *Ulricum VVurtenbergicum*, ipsumque *Landgravium* calumnia, (*Reg. H. fol. 303. n. 123.*) quod exercitum colligerent. Ideo ipse *Ferdinandus* non Ulrico solum, sed & Landgravio d. 24. Junii id exprobravit, masculum vero ab utroque responsum accepit; a Landgravio inprimis, qui Brunsuicensem accusabat, quod copias nemine prohibente pararet, ut Electori & Landgravio insultare posset.

(b) *Landgravii literæ ad Lundensem.*

De Lundensi dictum est, ut gratia Cæsaris exciderit. Extant ad illum Landgravii epistolæ, *Reg. H. fol. 344. n. 135.* in quibus, & præcipue in ea, quam d. 1. Jan. 1540. scripsit, non solum Lundensem a calumnia excusat, quasi in conventu Francofurtensi Protestantibus, largitione corruptus, plurima indulsisset, & potius de rigore ejus in hos queritur, sed & de se aliisque Evangelicis testatur, quod minime appetant Episcoporum bona, sed ferre possint, ut omnia retineant, id tamen desiderare, ut constituant vicarios & subepiscopos, vel quocunque nomine vocandos, qui populo secundum verbum Dei & veteres Canones de animarum salute prospiciant. Neque tamen opus esse, ut ideo reditus Episcopales & Cathedralium Ecclesiarum imminuerentur, sed facile colligi sumtus posse ex collegiis inferioribus, in quibus plerunque non nisi homines ex infima plebe & rudes (Baurenknöbel) saginarentur. Pontificem, scribit, a Germanis pro Antichristo haberi, neque unquam futurum esse, ut illum adorarent; ab Italis, si ita vellent, fieri id posse. Se tamen quod attineret, non repugnaturum, si Papa, ut Episcopus primarius, qui in cæteros inspectionem haberet, toleraretur, & Cæsarem, quando opus esset, de Concilio procurando admoneret. Ferre se etiam posse, ut Missis privatis uterentur, qui putarent coli per eas Deum posse, donec nempe meliora edocti, ipsi ab illis desisterent. Misit etiam Lundensi apologiam, Brunsuicensis Ducis libellis oppositam, & dialogos, quibus refutabatur, quem *Brunus* ediderat. Ex Lundensis ad Landgravium epistolis notabilis est, quam d. 8. Maj. scripsit (*d. Reg. n. 138.*) Utitur autem eadem tituli & styli urbanitate, quam in literis ad Electorem adhibere solebat, ut alibi notavimus. De compositione vero religionis hæc habet: Meine einfältige meynung ist / und dabey bleibe ich / soll man die Religions-sachen zu Gottes ehre und beständiglich vertragen / so müssen wir auff beyden seiten Gott allein für augen haben / und auff beyden seiten fromm seyn / und fromme leute darzwischen handeln lassen / auch auff beyden seiten / so viel immer mit Gottes ehre geschehen mag / nachlassen / damit unter den häuptern ein christlich und freundlich vertrauen gepflantzet werde / so zweifle ich gar nicht / Gott der allmächtige wird uns erhören / stets bey uns seyn / und seine gnade mildiglich mittheilen / damit seine sache gefördert und ewiglich vertragen werde. id est, *Ego ita sentio & in hoc persisto, si de religione ad honorem Dei & constanter transigendum est, ab utraque parte solum Deum respiciendum esse, pietati studendum, & bonorum virorum interpositione utendum; utrinque etiam, quatenus per Dei honorem licet, aliquid remittendum, ut inter Proceres christiana & amica concordia plantetur. Ita agentibus dubitandum non est, quin Deus auditurus, adfuturus, gratiamque suam largiturus sit, ut ipsius causa promoveatur, & de ea perpetuo & constanti modo concordia ineatur.* Hæc generalia quidem sunt, sed quæ animum candidum, pium & æquum indicant. In iisdem literis per schedulam significat, se Ferdinandum Regem ad conventum Hagenoensem comitaturum non esse, se enim (sic ludit) Lutheranum esse, Heldum illi esse adfuturum.

(c) *Hujus responsum.*

(d) *Argentoratensium lites cum Clero.*

Argentoratenses (*Reg. H. fol. 313. n. 128.*) hoc anno gravibus litibus vexati sunt ab *Abbatissa S. Stephani* & *Priore Carthusiano*, neque condemnationem in camera evitare poterant. Ediderunt egregiam apologiam, inter alia ex literis fundationis anno 1067. datis allegantes, quod neque psalmodia monialium, neque Missæ, quales postea invalue-

An. 1540.

(e) Literæ Ducum Luneburg. ad Cæsarem.

invaluerunt, institutæ fuerint. Cum vero vim metuerent, auxilia a fœderatis stipulati sunt. Eandem vexam patiebantur inter multos alios *Luneburgensium* Duces, conventi a *Capitulo S. Blasii* in urbe *Brunsuiga*. Memorabilis est libellus supplex a *Philippo* & *Ernesto* Ducibus d. 29. Maji ad Cæsarem scriptus, inter alia his verbis: Das soll mit der Gottes-hülffe in unser hertz und gedancken nicht kommen / daß wir iemands vom rechten wahren Gottesdienst / gesängen und ceremonien abziehen / und auff verführische secten und lehre weisen wolten: Daß wir aber nicht alles vor christlich / wahr und recht halten können / das in kurtzen jahren durch menschen-rechte und satzungen ohne Gottes wort / ja stracks wider den klaren befehl und helle wort Gottes in die kirche ist eingeführet worden / und billig neue secten / und verführische lehren mögen genannt werden / das befiehlet uns unser einiger heiland und rechter lehrer / Christus / den auch der allmächtige Vater zu hören uns befohlen / und angezeiget hat / daß er in demselbigen ein wohlgefallen habe / den sollen wir hören. Dessen lehre ist die wahre und alte lehre / auch in der christlichen kirchen erhalten worden / der solten wir auch bey gnade und ungnade des Allerhöchsten glauben und anhängig seyn / wie wir denn mit seiner gnade und hülffe thun wollen. Id est, *In pectus nostrum nunquam (Deo juvante) veniet hæc cogitatio, ut alios a legitimo & vero cultu Dei & ab hymnis & ceremoniis abstrahere, & ad falsas sectas & doctrinas ducere velimus. Ne vero prorsus omnia pro Christianis, veris & orthodoxis agnoscamus, quæ brevi tempore hominum legibus & statutis præter verbum Dei, immo directe contra clarum & liquidum mandatum & verbum ejus in Ecclesiam invecta sunt, (quæ merito falsæ & erroneæ sectæ dici possent,) hoc prohibet unicus & verus Salvator noster Christus, de quo Pater omnipotens testatus est, complacere in eo, & hunc esse audiendum. Hujus doctrina vera est & antiqua, quam etiam Ecclesia retinuit, huic credendum & adhærendum est, ne gratia Dei amittatur, idque nos illius ope & auxilio præstabimus.* Lubenter talia refero, ut appareat, uno tunc spiritu, dissitos licet Principes & Proceres, neque communicato semper cum aliis consilio, neque consulto Luthero, fundamenta fidei suæ, ex verbo Dei allegasse, quod in Ecclesia conservatum esse merito prædicabant, ideoque nihil rejiciebant, quod cum eo conveniret, aspernabantur autem, quæ successu temporum (quæ, si cum antiquitate verbi divini conferantur, non immerito brevia vocant) hominum arbitrio introducta erant. In conventu Hagenoensi *Ericus* Dux Brunsuicensis, septuaginta annorum senex, paulo post, quam scenicæ Sacramenti circumgestationi (de qua dixi) interfuisset, dysenteria correptus obierat. Hujus viduæ & filio impuberi molestissimus erat *Henricus* Brunsuicensis; impugnabat defuncti testamentum, quod inter tutores filii scripsisset Landgravium, hunc apostatam & hæreticum pertinacem vocabat, inprimis renitebatur reformationi religionis, quam vidua procurabat, editoque ad Clerum Ducatus d. 6. Octob. diplomate, ab omni mutatione abstinendum esse contendit, saltem usque ad Comitia d. 6. Jan. indicta. (*d. l. Reg. n. 126.*) Sed omnium maxime imminebat Goslariensibus & Brunsuicensibus civitatibus. Fœderati itaque Evangelici, ne socios desererent, aut ipsi ex improviso invaderentur, eadem cautione usi sunt VVormatiensis conventus tempore, quam adhibuerant cum Hagenoæ tractaretur. Convenerunt enim per Legatos *Numburgi*, indicto die 19. Novembr. *Reg. H. fol. 335. n. 134.* Difficilis tamen rerum tractatio fuit. Excusaverant se *Pomeraniæ* Duces itemque *Johannes* Marchio Brandenburgicus, tardius Legatos misit *Landgravius*, ita ut Elector, in varias suspiciones adductus, Ducatum fœderis (die Hauptmannschaft /) cujus tempus d. 21. Decemb. expirabat, non nisi diu cunctatus, & certis quibusdam cum conditionibus, tum ad unum saltem annum, continuaturum se esse diceret. Miserat ex conventu VVormatiensi Cancellarius Hassiacus consilium quoddam Pontificium, nescio quomodo acceptum. Suadebatur in eo Cæsari, ut Protestantes blandis modis permoveret, ut in Concilium consentirent, de pace vero nihil certi promitteret, interim cum Galliæ Rege fœdus iniret, & quod Norimbergæ cœptum erat, prosequeretur & augeret, deinde vi in Lutheranos ageret, spretis eorum contra Turcos auxiliis. Metuebatur præterea, (ut ex *Pontani* literis *d. 27. Decemb.* intelligitur,) ne Elector Brandenburgicus cum fratre suo partibus oppositis accederet, idemque facerent tres in Saxonia Episcopi, tum *Erfurtenses* & *Mulhusini*. Ab *Henrico* Saxoniæ Duce, parum erat præsidii, licet enim processu Camerali ab Episcopo Misnensi, exemtionem ditionis suæ a supremo jure Saxonico prætendente, vexaretur, Ferdinandus etiam nondum desisteret a pecunia ex testamento Georgii flagitanda; fractus tamen senecta Princeps & curarum pertæsus, lente in omnibus agebat; ideoque Legati ejus in conventu Numburgensi nihil concludebant, omnia Hero reservabant, dubitabant etiam, an causa Goslariensis & Brunsuicensis ad religionem pertineret. Cum tamen periculum his civitatibus proxime instare crederetur, Electoris & Landgravii autoritate, ægre quidem assentientibus cæteris, decretum, fuit auxilium 400. equitum & 1000. peditum, Duce, *Bernhardo a Milla*, urbi Brunsuicensi. Addita etiam sunt secreta mandata, ut Goslariensium quoque ratio haberetur, aperte enim his nemo fere opitulari audebat, quod proscriptionis Cameralis fulmine percussi essent. De hoc omnes convenerunt, ut in Comitiis Ratisbonensibus (quæ instabant,) eadem in causa religionis, Concilii, judicii Cameralis & belli Turcici sentirent. Continuatus fuit conventus usque ad d. 16. Jan. 1541. multaque de causis fœderatorum particularibus constituta, sed plura dilata fuerunt, interque hæc receptio in fœdus, quam quærebat vidua *Erici* Brunsuicensis, filii nomine. Jacta hic sunt in arcano fundamenta expeditionis adversus *Henricum* Brunsuicensem, cujus odia & molimina Elector & Landgravius ferre amplius nolebant, irritati præter tot alias injurias incendiis passim ab hominibus nequissimis excitatis, quorum multi capti & tormentis subjecti autorem allegabant *Henricum*. Hujus conventus tempore d. 11. Jan. *Mauritius*, Henrici Saxoniæ Ducis filius primogenitus cum Landgravii filia nuptias Cassellis ex improviso celebravit; quæ quidem tunc varia incurrerunt judicia, neque satis placere parentibus Mauritii credebantur, sed post annos aliquos deprehensum est, non sine consilio divino affinitatem illam contractam fuisse, occasionem enim fortissimo Principi dedit, ut non solum Landgravium socerum ex captivitate liberaret, sed & libertatem religionis, immo totius Germaniæ stabiliret. Sed illa postea acciderunt.

(f) De Henrico Brunsuic. quædam.

(g) Conventus Evangelicorum Numburg.

(h) Nuptiæ Mauritii Sax. Ducis.

Hoc anno ad incrementa religionis referri potest *Gustavi* Sueciæ Regis (*Reg. H. fol. 335. n. 138.*) constans ad causam Evangelicam tuendam propensio; ex literis enim Electoris d. 26. April. ad Landgravium datis percipitur, Regem auxilium 4000. peditum fœderatis, si eo opus haberent, obtulisse. Eodem tempore Senatus *Spirensis* indignante licet Cæsare, duos concionatores Evangelicos vocavit. Invenio etiam literas Legatorum Saxonicorum in conventu VVormatiensi, quibus *Nordlingensibus*, *Dünckelspuhlensibus* & *Giengensibus* ob receptam doctrinam Evangelii gratulantur, & acta in conventu cum illis communicant, fœdere licet non junctis.

(i) Incrementa quædam reformationis.

Memoranda hic etiam est odiosissima de conventu Hagenoensi *Joh. Eccii* relatio ad Contarenum a Raynaldo in historia hujus anni 1540. n. 51. relata. Scribit: *nullam spem fuisse Hagenoæ rei bene gerendæ ob Cæsaris absentiam; paucos Principes se eo contulisse; Episcopos supinam habuisse in religionis causa negligentiam*, & enumeratis, qui defuerint ex *Suevia, Bavaria & Franconia*, solum *Augustanum* adfuisse notat, *qui non ex toto sit candidus, sed Erasmicis scriptis non nihil infectus*. (Erat is *Christophorus a Stadio*, cujus sæpius mentionem fecimus.) Post alia quædam, *tyrannos & hæreticos*, (ita vocat Evangelicos) *triumphare* ait, *& efferari atque obstinatiores fieri, cum nullam prorsus videant executionem*; eundem exitum VVormatiensis conventus formidat, &, cum multa alia eadem petulantia

(k) Eccii de conventu Hagenoensi relatio.

tulantia contra Saxonem & Landgravium cæterosque ex Protestantibus effutiisset, persistit in consilio *de vi adhibenda, & ut duro modo durus quæratur cuneus, atque Concilii autoritate hæresis extirpetur.* Hoc ut saluberrimum laudans *Raynaldus n. LII.* queritur tamen, ex relatione *MS. Angeli Massarelli*, Secretarii Concilii Tridentini, quod Cæsar a Pontifice dissenserit. Profert inde *n. LIII.* novam *Fabri* de conventu VVormat. consultationem, in qua repetit, quæ de libris Lutheri & aliorum anno 1536. suaserat (ut supra in *Addit. IV. lit. dd.* relata) & atrocius, quam *Eccius* in Episcopos Germanos (ad alios enim applicari, quæ scribit, non possunt,) invehitur, quod *neque Augustæ* (anno 1530.) *neque Ratisbonæ* (anno 1532.) *neque nuper Hagenoæ ausi sint vel verbo commemorare hæreses & impietates adversariorum, sed, ut muti canes, latrare noluerint*, metuitque, *nisi aliter agatur, ne tota Ecclesia* (Romana) *dilabatur & corruat: Deceptos esse Principes*, ait, *ut Lutheri dicta & scripta pro aureis habeant.* Valde queritur, *quod negligantur homines docti in Germania, qui hæreticos refutent, ita ut panem non habeant, multo minus impensas ad excudendos libros.* Exhibet inde *Raynaldus n. LIV.* instructionem *Feltrensi* Episcopo d. 11. Octobr. 1540. Romæ datam, plenam aulicæ versutiæ & cautelarum, quas ille etiam diligentissime observavit. Producit etiam literas, quibus Pontifex causam religionis, aut suam potius, *Antonio* Episcopo Atrebatensi, filio Granvellani, d. 4. Octobr. commendavit, itemque literas, quibus *Albertum Pighium* ab eruditione & fidelitate laudat, & *Feltrensi* assistere jubet. De reliquis vero *VVormatiensis* conventus actis non nisi pauca refert, ex *Jovio* & *Surio* exscripta: hic enim solita cum protervia Evangelicorum acta in conventu convitiatus est, & omnia cum illis colloquia, ut noxia rei Rom. rejicit, consentiens cum Eccio aliisque, qui condemnationibus, harumque executionibus, Ecclesiæ optime prospici posse, statuebant.

(l) *Fabri nova contra Evangelicos consultatio.*

(m) *Alia ex Raynaldo.*

§. LXXXI.

(1) *Lutheri enarratio in Psalmos graduum.*

Ex scriptis Lutheri Latinis in hunc annum refertur *Tom. IV. Jen. fol. 415.* & *Tom. III. Wittenb. fol. 509.* prælectio Academica, sive *Enarratio in Psalmos*, qui dicuntur *graduum*, nempe a CXX. (calculo Hebr.) *ad CXXXIV.* Quanquam enim lectiones illas Lutherus anno 1531. cœperit, & anno 1533. absolverit, editæ tamen non sunt, nisi hoc anno 1540. cura *Viti Theodorici.* Versæ sunt eædem Germanice a diversis autoribus, & sequenti anno 1541. publicatæ, extantque *Tom. VII. Alt. fol. 488. seqq.* Etsi vero iste quoque labor Lutheri extemporaneus esse videatur, sicut plerique alii, isque infinitis occupationibus, quibus obrutus erat, tempus ad accuratam revisionem vix subtrahere potuerit, characteres tamen pii & spiritualis doctoris tot tantosque, bonæque & ex fontibus petitæ interpretationis exempla plurima, in his commentationibus reperient lectores, ut sine magno profectu discessuri a lectione non sint. Tenuis est stylus, quali sine affectato verborum ornatu uti consuevit, neque tamen barbarus; nec desunt quædam modeste inspersa ornamenta literaturæ, quæ in viro gravissimis studiis curisque dedito, & pro illius seculi genio, vix majora desiderari possint. Specimina, ut ex aliis ejus scriptis, etiam ex hoc dabimus. Præfatio brevis, sed piis & judiciosis sententiis referta est. *Diligens*, scribit fol. 415. *verbi divini prædicatio est proprius cultus Novi Testamenti, longe gratior Deo, sanctior & melior, quam omnes cultus & sacrificia Veteris Testamenti; ideo etiam, cum Lex adhuc vigeret, sancti Prophetæ, procul abjectis holocaustis & aliis legis sacrificiis, sacrificium laudis commendabant.* Fol. 415. b. *Sicut audire sermonem sacrum, ante hoc tempus servitus quædam æstimabatur, quæ sicut aliæ operæ, ab hominibus præstaretur, ita nunc diversum statuendum, nempe, quod qui docent, legunt, scribunt, audiunt sacra, sint veri sacerdotes Dei, qui Deum suum merito & grato honore afficiunt. Hæc igitur debent nos accendere ad assiduam tractationem verbi Dei. Quanquam etiam hoc verum est, non ita plenam habere nos posse sacrarum rerum cognitionem, quin opus nobis sit, quotidie eas denuo discere, experiri & in iis confirmari, propter continuas vexationes Satanæ, quibus nos exercet, ut sicut non cessant occasiones ruinæ, ita nos quoque non cessemus ab assidua meditatione verbi Dei, ad ædificationem nostri & Ecclesiæ. Nihil enim æque perniciosum est, quam quod multi hodie faciunt, ut post levem cognitionem hujus divinæ sapientiæ, statim se magistros factos putent. Quia enim hæc non in eo posita sunt, si quam optime de iis disserere possis, sed in usu & experientia, quam non ratio humana, sed Spiritus gubernat ac regit, profecto longe falluntur, qui in nuda cognitione acquiescunt, quæ nunquam esse potest integra sine usu.* Taxat ibidem vitium *acediæ.* (*Accediam* olim indoctos dixisse notat) *Ea proprie est fastidium hoc verbi, quod ex præsumtione scientiæ nascitur, & hodie in vulgo nimis commune est. Contra hoc vitium Moses jubet acuendam esse legem posteris, hoc est, quotidie urgendam & exercendam, etiamsi notissima sit: semper enim exsplendescet aliquid, quod antea nos latuit, semper aliquid allubescet, quod antea, ceu insipidum neglexims.* Et in fine *f. 416. Et libenter quoque vos exhortatus sum contra acediam & fastidium. Si enim aliquid doctrinæ nostræ periculum imminet, ab hoc vitio imminet. Hæretici & sectæ, etsi multum noceant, tamen hoc agunt, ut nos cogant ad sacrarum literarum diligentem cognitionem. Sed hæc pestis, fastidium verbi, in nobis ipsis nascitur, & eo plus periculi affert, quanto minus observari a nobis potest. Tum autem certa Satanæ victoria est, cum nos stertere, & securi, ac saturi esse cœperimus.* Optandum esset, ut nostro tempore vitium hoc ex scholis exularet. Certe intentioni Lutheri nemo propius accedere poterit, quam qui studium sacræ Scripturæ exegeticum & paræneticum diligenter promoveat, omnibusque aliis præferat. *Fol. 417. b.* contra falsos doctores αὐτοκατακρίτους scribit: *Hoc præsertim in autoribus hæresium, seu impiarum doctrinarum experimur; iis nihil dici aut fingi potest, quo emendentur. Non quidem spes desit, futurum, ut cedant veritati, sicut certum est, eos convinci posse, sed non convertuntur. Etsi enim jam uno loco impium os obtures, statim inveniunt, quod remurmurent; sicut non solum Arii & aliorum hæreticorum historiæ ostendunt, sed etiam nos nostri seculi exemplis testari possumus. Ergo impossibile est, compescere perpetuo os hæreticorum; hoc autem possibile est, ut eos convincamus & redarguamus, item ut nostros ab eorum errore, ceu præsentissimo veneno, præservemus.* *Fol. 419.* fiduciam ad orandum commendans, suam olim inhabilitatem fatetur, dicens: *Istæ cogitationes* (de indignitate nostra) *etiam me olim exercuerunt & adhuc*

(2) *Commendatio tractationis verbi divini.*

(3) *Depertinacia hæreticorum.*

(4) *De fiducia in oratione ad Deum.*

An. 1540. *adhuc hodie, si qui inter Papistas sunt simplices, exercent. Sic enim cogitabam, peccator sum, non igitur possum orare ad Deum, mihi propter peccata succensentem; quæram mediatores, quibus propitius est, Mariam, Petrum, Annam &c. conscientiæ enim pavidæ, audito nomine Dei, terrentur. Et sane magna est Majestas, sed non tam magnam fingere tibi debes, ut ideo orare nolis. Si enim Majestatem consideras, cur non in hoc consideras, quod ipsa Majestas præcepit, ut orares? Profecto non ita pusillus aut nihil es, quin te autoritas præcipientis liget.* Et paulo post: *Hanc rationem orandi totus Papatus ignorat, & possum exemplo meo affirmare, sicut ego in monachatu nunquam unam orationem Dominicam vere oravi, ita quoque adhuc hodie Papistas ne unam quidem syllabam in fide orare. Hoc forte factum est, ut Deus audiret gemitus inenarrabiles cordis mei, sicut credo alios multos fuisse, qui istos gemitus etiam habuerunt, quanquam eos non agnoverunt.* Item fol. 419. b. *Sic dicit Bernhardus alicubi, nec memini me quicquam legisse in omnium recentiorum scriptis, de oratione aut pulchrius, aut magis pie dictum, Fratres, inquit, nolite dubitare de oratione vestra, sed scitote, quando verbum per os erumpit, tunc oratio vestra scripta est in oculis Dei, & aut fiet, quod petitur, aut expedit non fieri. Quid potuit dici magis Christianum?* *Fol. 420. b.* duram allegat allegoriam Augustini ad Ps. CXX. 4. *Sagittæ potentis acutæ* cum *carbonibus desolatoriis. Postquam enim* (ut ait) *se bene macerasset, per* sagittas *intelligit* Evangelium, *per* carbones exempla Patrum. At pro inepta & obscura versione sensum commodum ex fontibus subjicit. *Fol. 421.* non vulgariter disputat contra tropum, qui in verbis institutionis Christi, *hoc est corpus meum,* quæritur, & ad allegata loca ex Patribus, & præcipue ex *Augustino*, qui *Sacramentum* dixit esse *sacræ rei signum*, hæc, quæ regulæ instar esse possunt, respondet: *Quod Patrum testimonia converrunt, & magno conatu nituntur ostendere, veterem Ecclesiam sic sensisse, quem hæc ita moveant, ut ideo a Christi verbis discedat? Cum præsertim non hoc solum probare possimus, veteres etiam, eo modo, quo nos, de Sacramento esse locutos; sed si quis simpliciter veterum autoritate nitatur, eum necessario multa probaturum, quæ manifeste cum sana doctrina pugnant. Periculosa itaque hæc via est, ideo Christi verba depravare, quia Veteres de iis aliter videntur esse locuti, quam nos solemus, qui dicimus, Christum, sicut verba sonant, cum panem dedit, dedisse corpus suum, & cum vinum dedit, dedisse sanguinem suum. Ita enim nobis de his verbis judicandum est, sicut judicarunt Apostoli, cum hæc verba ex Christo audirent:* Accipite, comedite, hoc est corpus meum. *Non est cogitandum, quid ille aut alius dixerit, cum res nondum venisset in disceptationem. Longe enim aliter videmus locutos Patres in disceptationibus, & extra disceptationes.* *Fol. 423. b.* ad vulgarem obtrectationem, quod Evangelii prædicatio turbas & scandala pepererit, inter alia hæc monet, hodiernis quoque Aristarchis respondenda: *Non facile est superare scandala illa, cum aut Satan, aut sapientes homines ea exaggerant, & causam in nos rejiciunt, quod nos ea excitaverimus, pertinaciter resistendo, cedendum fuisse potius, quam ut sic animi exacerbarentur. Sicut Erasmus in Diatribe sua disputat: Esse plerosque morbos, quos præstet omnino non tangere, quam cum tanto periculo medicinam tentare. Sunt hæc sapienter dicta, & nos ipsi videmus satis incommoda talium scandalorum, videmus contemtum gravissimum verbi, videmus licentiam & disciplinæ dissolutionem, quæ sub Papatu tanta non fuit. Sed quid ista ad nos? Quod enim loquimur, quod pugnamus verbo, facimus jussi, nec licet nobis detrectare autoritatem jubentis Domini.* Et postea: *Quare potius, quam aliquid regno Christi & gloriæ ejus decedat, ruat non solum pax, sed cœlum & terra. Hoc periculum sapientes isti non vident. Itaque tanti faciunt istam necessariam jacturam tranquillitatis, quæ sub Papatu fuisse visa est. Nos contra amplificemus gloriam Dei, & fructus, qui nascuntur ex pura prædicatione, & contemnamus istas voces, quibus nimis moleste onerant nos Epicuri isti, qui nihil quam pacem & tranquillitatem laudare possunt.* Considerare autem jubet non solum incommoda, sed & emolumenta doctrinæ Evangelicæ *fol. 424.* Scribit enim: *Aperi tu oculos, & non solum intuere in ista incommoda externa, sed vide etiam, quæ fuerit turbatio in Papatu, quot & quanta monstra impietatum fuerint. Nusquam unum verbum purum audiebatur, de peccato, de gratia, de merito Christi, & de fide, de exercitiis sanctorum operum, de Magistratu, de aliis vitæ generibus. Omnia erant conspurcata pestilentibus glossis. Ad hæc quanta fuit prophanatio Missarum? Quanta impostura indulgentiarum, purgatorii, & similium ad quæstum excogitatarum abominationum: Mihi quidem intuenti in regnum Papæ, quale fuit ante prædicationem Evangelii nostri, videntur homines studio & ex composito ab impiis doctoribus objecti Satanæ, & æternæ damnationi. Nam quod ad ministerium attinet, tota doctrina jacuit, præter textum Scripturæ, qui negligebatur, & administrationem Sacramentorum, quanquam alterum non solum mutilatum fuit, sed nunquam de vero ejus usu recte homines edocti sunt. Hic igitur judica, utrum præstet? Sunt enim turbæ istic, sunt hic quoque turbæ. An non igitur mille modis præstat retinere loquelam seu verbum Dei, quam amisso verbo, retinere pacem, etiamsi sit, ut sic dicam, cœlestis pax? Ego quidem sine verbo ne in Paradiso optarim vivere; at cum verbo etiam in inferno facile est vivere, sicut in hoc mundo, quasi in inferno vivimus, & tantum nos consolamur spe, quam verbum Dei nobis ostendit, atque hac spe vincimus omnis generis incommoda & cruces.* Paria leguntur *fol. 484.* & *485.* Sunt inter recentiores, ex Gallis præsertim, quos negare non pudet miserum Ecclesiæ ante restitutam puritatem doctrinæ statum. Sed tam impudens non fuit Lutherus, ut talia sexcentis aut pluribus, quos habebat, auditoribus anno isto 1533. proponere auderet, quorum plurimi ex regionibus & urbibus venerant, in quibus corruptio cultus & neglectus sacræ doctrinæ adhuc durabat; multi tam etiam juvenili non erant ætate, ut non recordari possent, quæ ante annos decem vel

(5) *Rejicitur tropus in verbis institutionis sacræ cœnæ.*

(6) *De sequelis doctrinæ Evangelicæ.*

(7) *Demolitio Ecclesiæ sub Papatu.*

(8) *Epicurei aulici.*

An. 1540. vel duodecim Ecclesiæ & doctrinæ facies fuerit. Verum est, & Lutherus ipse non uno loco fassus fuit, cœpisse etiam in Pontificiorum Doctoribus studium legendi sacras literas, & conciones a philosophicis nugis & insulsis fabulis purgari. Sed ille de tempore loquitur, ante cœptam reformationem, quo inter mille vix unus fuit, de quo vera non esset illa, quam hic proponit, querela. *Fol. 434. a. & b.* in aliud genus hominum calamum stringens, non minus nocentium; *Quidam*, inquit, *nostro tempore eloquentia & doctrina præstantes omnes ceremonias ridebant, non ex sacris litteris, sed Lucianico more, & ex stultitia cordis sui; interrogati, cur id facerent? nihil afferebant melius, quam quod Cato dicit: si Deus est animus, sit pura mente colendus. Inde assuebant non solum indoctum, sed etiam impium hoc consequens: Ergo Deus non colitur externis rebus. Hoc sane non est evertere traditiones, quod tamen conabantur sapientes isti, sed præbere occasionem infinitis superstitionibus, erroribus & impietatibus; ut tandem non solum traditiones istæ Pontificiæ, sed etiam Christi verbo institutæ ordinationes rideantur, aut saltem non tanti fiant, quanti debebant a nobis fieri.* *Fol. 457.* extat locus a multis observatus, sed qui hic omittendus non fuit, de studio catechetico, etiam a provectioribus non negligendo, id quod Lutherus suo docet exemplo. *Ego etiam Theologus sum, qui mediocrem usum & peritiam sacræ Scripturæ variis periculis sum consecutus, sed non ita efferor hoc dono, quin quotidie una cum pueris Catechismum h. e. Symbolum & Decempræcepta mecum orem, & intento corde inspiciam, non tantum verba transcurrens, sed etiam observans, quid singula verba significent. Et sane, cum hoc non facio, & aliis negotiis occupor, sentio inde certum incommodum. Verbum enim a Deo in id datum est, ut id nobis acuamus, sicut Mosi dicit, & exerceamus. Sine hoc exercitio animi nostri contrahunt quasi rubiginem, ut ipsi nobis ipsis excidamus. Videmus, & quotidiana vita satis magnum documentum est, quo homines cadant, & quibus excipiantur periculis. Sed hujus rei quæ alia causa est, quam quod securi sunt, non orant, verbum non audiunt nec ruminant, contenti in eo sunt, quod in libris habent & legere possunt? His paulatim inserit Satan contemtum verbi, deinde aut in subitam desperationem aut alia pericula conjicit. Quid enim reliquum est, verbo amisso, quo homo contra hunc hostem se munire & defendere posfit? Theologi igitur est, assidue discere, assidue exerceri in verbo & oratione, non tantum quia res sunt maximæ, quæ animo plene includi non possunt, sed etiam quia adversarius noster non semel tentat, sed assidue; ergo assidue verbo contra eum pugnandum & orandum est.* *Fol. 464. b.* memorabile non suum quidem, sed alterius cujusdam viri docti dictum refert de damno, quod Respublica patitur, etiam opibus non infirma, sed viris idoneis destituta, & civitatem nominat, cujus fatum prædictum nostro tempore impletum est. Germanice extat *Tom. VII. fol. 567. b.* De prudenti Principum cunctatione & circumspectione exemplum *Friderici* Electoris Saxoniæ quod allegat, memorari dignum est *fol. 466. Hoc ipsum donum Dei est, per industriam administrare Rempublicam, vel patrare aliquid, ne temere irruas, sed expectes occasiones omnes. Tale ingenium erat laudatissimi Principis Friderici, Saxoniæ Ducis, Electoris. Is erat vir vere industrius, qui non dicebat, non faciebat omnia, quæ poterat in præsens dicere aut facere, sed expectabat tempus, personam, locum commodum, dissimulabat multa, suo autem tempore & loco uno verbo plus efficiebat, quam multi alii sine hac industria, potentia & viribus summis.* Addit tamen quædam, quibus lapsus humanæ sapientiæ, divino auxilio destitutæ, indicat, ejusdem Principis exemplo. *Sic Ducem Fridericum, quanquam sapientissimum virum, multa fefellerunt, quæ cavere non potuit, quæ res etiam vehementer sæpe eum commovit. Forte enim non fuit in eo primis temporibus hæc sapientia, ut diceret, Domine adsis, & adjuva laborantem; nam monachi, qui tum animos Principum ceperant, nihil tale docere poterant; postquam autem ex hac nostra doctrina didicit, magistratum divinitus esse institutum, mirabilem ex ea re voluptatem cepit.* *Fol. 467. b. seqq.* egregie explicat corruptionem hominis, sive, ut loquitur, malum hæreditarium, in Paradiso a Satana Protoplastis inspiratum, affectationem divinitatis; sed prolixiora sunt, quam ut referri hic possint. *Fol. 470.* contra fiduciam in multitudine hominum, sive suffragatione plurimorum, multa utiliter monet, dein suo confirmat exemplo, scribens: *Ego igitur in principio causæ meæ, cum contra indulgentias & alios abusus scriberem, hoc donum divinitus datum habebam, quod tantam causam in me unum recipiebam, & mihi uni sustinendam auxilio divino judicabam, nec putabam fiducia aliorum quippiam tentandum esse, alioqui idem mihi accidisset, quod Munzero & aliis fanaticis accidit. Bonitate autem causæ, hoc est, ipso verbo Dei nitebar, id sentiebam ne a portis quidem inferorum everti posse, etsi me, & qui mecum sentiebant, facile per tyrannidem adversarii possent opprimere. Ac sane bonitas causæ effecit, ut sequeretur quoque ingens approbatio omnium, etiam illorum, qui nunc nobis sunt infensissimi hostes. Hic si tam stultus fuissem, & cogitassem, me habere infinitos meæ sententiæ suffragatores, ac fiducia multitudinis cepissem aliquid tentare, sicut Munzerus fecit, idem meus, quanquam in causa meliore, qui illius fuisset exitus. Sed malebam sequi S. Paulum, qui me sic monebat Gal. VI. Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in alio.* *Fol. 474. b.* de conjugio præclara docet, immodicam vero cœlibatus laudem in Hieronymo taxat *d. l. & fol. 478. b.* De continentia seu virginitate ita loquitur, ut eam pro insigni dono Dei & ornamento agnoscat, minimeque, quod per calumniam ei impingitur, omnes homines ad conjugium obliget. Scribit enim inter alia: *Libertas sua maneat tum cœlibatui tum conjugio. Quis enim ad conjugium cogat non indigentem conjugio? Qui tales sunt, ut verbum hoc posfint capere, maneant cœlibes, & glorientur in Domino; sicut qui non vocantur* ad

(9) De retinendis ceremoniis decentibus, admonitio.

(10) De necessitate studii catechetici.

(11) Prædictio de urbe quadam.

(12) De sapientia Friderici Electoris.

(13) De periculo suo cum inciperet disputare.

(14) Laus virginitatis.

An. 1540. *ad rempublicam privati manent; qui non vocantur ad ministerium Ecclesiarum, manent inter auditores. Par omnino hic ratio est: Cum per infirmitatem naturæ suæ non cogantur ad conjugium, sed ex eorum numero sint, qui conjugio carere possint, recte faciunt, quod conjugio abstinent, & iis molestiis se non onerant, quibus carere possunt. Econtra qui non sic robusti sunt dono Dei, sed sunt propriæ infirmitatis sibi conscii, quod non simul caste & extra conjugium possint vivere, hi pluris facere necessitatem suam debent, quam incommoda & molestias conjugii.* Et paulo post: *Qui sine conjugio non possunt caste vivere, uxorem ducant, & sciant se habere insigne & excellens donum a Deo conditum ad infirmitatem suam medicandam, sicut Scriptura fœminam vocat adjutorium viri. Qui autem castitatis donum habent, vivant cœlibes, ut ita, quanquam donis simus dispares, tamen singuli in nostris donis serviamus Deo, & vivamus sine scandalo ad utilitatem proximi.*

(15) *Vituperium impuri cœlibatus.*

De cœlibatu vero Cleri, itidem contra Hieronymum disputans, notabilia habet, sic enim statuit *fol. 479. Fingunt quidem monachi conjugium se ideo fugere, ut castitatem amare videantur, sed non est verum. Divo Paulo potius credendum est, dicenti, quod spiritu erroris, non studio castitatis conjugium damnabunt, præsertim nunc posita lege, qua conjugium prohibent. Ambrosium, multa arguunt, sponte abstinuisse a conjugio. Hujus exemplum fortasse alii quoque certo consilio secuti sunt. Sed Hieronymus ita contumeliose de conjugio loquitur, ut prorsus non possit excusari, sicut nec hodie nostri Papistæ. Sed neque Gregorius excusari potest, qui legem de cœlibatu & conjugiis solvendis propagavit etiam in alias Ecclesias. Loquuntur uterque mendacium in hypocrisi, quando dicunt, quod amore castitatis conjugium detestentur. Non enim sunt, nec possunt esse casti,* (Papistæ) *sicut quotidiana scelera ipsorum ostendunt; sed hoc sectantur, ut sint liberi & securi ab illis molestiis, & simul specie ac hypocrisi opinionem sanctitatis apud vulgus colligant, ut videantur tanquam spectacula & Angeli in mundo esse, non homines, & ideo digni habeantur, qui labores alienarum manuum manducent. Hæc est præsertim nostrorum Papistarum, monachorum, sacrificulorum & monialium sacra h. e. execrabilis castitas.*

(16) *Bona conjugii.*

De bono conjugii notabilia sunt, quæ scribit *fol. 481. Germanicis canticis summis laudibus prædicatur fides conjugum, quod hac vita nihil habeat suavius & præstantius quam est uxor mariti amans. Idem uno ore omnes sani homines fatentur, non quidem propter voluptatem carnis, quæ in scortatione, adulterio, pollutionibus major est: ibi enim incenditur libido, in matrimonio autem extinguitur; sed quia summa voluptas est, uxorem esse paterno, materno, filiali, hoc est, summo affectu erga maritum. Hoc illud excellens donum est, & dignum, quod in mulieribus admiremur ac prædicemus.*

(17) *De atheismo Aristotelis.*

Fol. 487. postquam de *Velleji* disputatione pro sententia *Epicuri* apud *Ciceronem* quædam allegasset, de *Aristotelis* Theologia ita loquitur: *Aristoteles in eam fere delabitur sententiam, ut, etsi Deum non appellet stultum, tamen ignarum omnium rerum statuat, qui nihil nostrorum negotiorum intelligat & videat, nihil consideret, præter se ipsum, & tantum delectetur in speculatione sui ipsius. Hoc autem etsi non est stultitiam tribuere, tamen certe est adimere scientiam, & constituere ignarum rerum humanarum. Sed quid ad nos talis Deus, aut quis ejus est usus?*

An. 1540.

(18) *De fide salvifica absque meritis.*

Fol. 492. & sqq. ad Ps. CXXX. v. 3. Si iniquitates observaveris, Domine; argumentis invictis suam probat sententiam de remissione peccatorum, quam sola fide in gratiam Dei & meritum Christi consequimur, simul etiam monet *fol. 492. b.* qui inter Papistas contrarium statuere videantur & operibus aliquid tribuere, verbis id potius facere quam mente. *Ipsi,* ait, *non faciunt quod docent, ut fiducia suorum meritorum moriantur.*

(19) *De tolerandis infirmis.*

Fol. 493. b. & 494. a. cum omnes homines in justificatione æquari, & omnibus, etiam optimis, sicuti Davidi, gratia Dei ignoscentis opus esse docuisset, egregie explicat verba Pauli *Act. XIII. 18. mores eorum sustinuit,* (ἐτροποφόρησεν,) scribens: *Sicut bonus maritus fert mores uxoris, præceptor discipulorum, Princeps suorum aulicorum: Quod si hæc civilis vita opus habet ista ἐπιεικεία, ut non summo jure homines omnia inter se agant, quanto magis hoc necesse est, ut Deus sit τροποφόρος in hac nostra tum imbecillitate tum pravitate. Esset quotidie, quod observaret & puniret, sed non vult observare nos, hoc vult, ut nos credamus in Christum, tunc vult ipse τροποφορεῖν, vult ad nostram imbecillitatem connivere & ignoscere, ac propter fidem in Christum nos pro justis habere.*

(20) *De standa fiducia in meritis.*

Fol. 494. b. graviter dehortatur omnes, ne agere velint cum Deo secundum legem, & ostendit, quam facilis in hoc lapsus sit, Bernardi exemplo; ait enim: *Non frustra hoc moneo, video enim, quid acciderit optimo viro Bernardo; cum, si diligenter excutias, invenies esse duplicem. Quando enim est apud se in fide, tunc pulcherrime docet Christum, prædicat ejus beneficia, accendit animos ad amplectendum Christum, hic nihil spirat nisi rosas & mella. Rursus cum disputat ex lege aut de lege, tunc non aliter disputat, quam Turca aut Judæus aliquis, qui Christum aut nescit, aut negat. Legat ejus disputationes, quisquis volet, de vita monastica, de obedientia erga Abbates &c. & videbit, me verum dicere. Idem aliis Doctoribus omnibus usu venit. Quando sunt secum extra disputationes, pure docent Christum, cum autem in campum legis progrediuntur, sic disputant, quasi nullus usquam esset Christus, qui instituisset, immo qui suo sanguine remissionem peccatorum emisset. Idem nos quoque experimur, cum in legalia & traditiones incidimus. Ergo in illo Paradiso seu cœlo gratiæ consistendum est, & nusquam progrediendum a. io, ut maneamus in hac simplici confessione cum Davide, apud te propitiatio est.*

(21) *De solatio ex conservatione Ecclesiæ, inter afflictiones & persecutiones.*

Fol. 509. b. ex historia solutæ captivitatis Babylonicæ, post finitos annos septuaginta, & promissione divina secuta, solatium capit pro conservatione Ecclesiæ, scribens: *Magis movere nos debet verbum promittentis Dei, quam præsens aut imminens ruina. Si enim Deus per patientiam multam conservavit Ecclesiam sub Papa; si tulit usum alterius speciei tantum, & multos abusus, quos in Ecclesiam invexerunt impii doctores; si tandem, cum omnia essent desperatissima, clarissimam verbi sui lucem exoriri fecit inter densissimas tenebras, cur desperaremus? Major est misericordia Dei cœlo & terra, & potest absorbere errores, in quos electi nonnunquam inducuntur. Nemo quidem est, qui non o-*

ptet

An. 1540. *per politiam esse tranquillam, populum obedientem & sanctum. Sic optabile erat, Ecclesiam esse concordem, nulla nec doctrinæ nec morum conspici scandala, Principes amplecti verbum, id non odisse aut persequi. Sed talis tum politia tum Ecclesia forte a perito artifice pulchre pingi potest, in hoc mundo vero non poterit usquam inveniri. Quare sic comparemus nos, quod Ecclesiæ tam puræ, & politiæ sic tranquillæ faciem nunquam simus visuri, eo autem contenti simus, quod Ecclesia aut politia (etsi turbæ & incommoda quædam sunt) non prorsus abolentur; quod aliqua majestas in Imperio, in Ecclesia autem sana doctrina conspicitur, & quod pauci quidam magnifaciunt verbum, utuntur Sacramentis, orant, etsi major pars diversum facit. Ad hunc finem pertinent consolationes hæ, ne, dum omnia videntur collapsura, omnem spem abjiciamus. Nunc sane misera Ecclesiæ facies est, cum pastores & ministri verbi vix se videntur contra famem tueri posse, in tanto rusticorum & civium odio. Sæpe itaque cogito, totum ministerium sua sponte, etiamsi absque tyrannis esset, corruiturum: sed promissio a nobis pluris debet fieri, quam omnes species, quæ se oculis ingerunt.* *Fol. 511. b.* cum justum esse docuisset, ut Episcopis in officio suo cessantibus, ex reditibus eorum, veris & piis pastoribus alimenta constituantur; multa disputat adversus autoritatem Pontificis, & ut aboleri debeat, etsi, (quod non concedit) divini juris esset, cum accedat abusus. Tandem vero hæc subjicit: *Quod si Pontifices non pugnarent contra doctrinam Christi, si nobiscum statuerent, justificari nos solo pretio sanguinis Christi, & non docerent homines negotiari propriis meritis & operibus, tunc libenter agnoscerem autoritatem eorum, & confiterer, eos re sancta sancte etiam uti. Sed cum abusus manifestus sit, nihil eos juvat, quod sanctam rem habeant, sicut gloriantur.* *Et fol. 512.* *Si Pontifices custodierint testamentum & testimonia, quæ Dominus docet, audiemus eos; si non custodierint, non audiemus, nec venerabimur in eis quantumvis sanctam rem, qua sic fœde & impie abutuntur. Nam etsi Pontifices non sunt, tamen aliqui erunt, qui custodiunt testamentum, ne Ecclesia plane aboleatur. Sic ante annos centum, cum Pontifices testamentum Domini projicerent, Johannes Huss inventus est, qui id summa reverentia custodiret. Sic hodie, cum Episcopus Moguntinus, tanquam summus, quoad dignitatem, testamentum non vult custodire, sunt alii, qui custodiant, & in oculis Dei pastor contemtissimi pagi longe gratior & major est, quam omnes totius Germaniæ Episcopi, cum omnibus Cardinalibus & Pontificibus. Neque enim Deus concedit hominibus autoritatem supra verbum. Hoc qui venerantur, sequuntur & custodiunt, sunt Ecclesia, quantumvis in mundo contemti sint. Qui non custodiunt, sunt Ecclesia Satanæ, nec sublevant eos magnifici tituli.* Et paulo post: *Hoc verbum, quod Prophetæ & Apostoli locuti sunt, est id verbum, quod debet credi, cui debet subjectus esse Papa cum omni Ecclesia sanctorum, nec quidquam debet sine hoc verbo, multo minus contra hoc verbum suscipere.* Hæc tamen cum iis, quæ in articulis Smalcaldicis statuit, conferenda sunt, & ex illis interpretanda. Prius enim hæc scripta sunt. Smalcaldiæ vero, considerata pertinaci renitentia contra Ecclesiæ emendationem aliisque regiminis abusibus, Pontifici Romano plus quam alii Episcopo (præter primæ sedis honorem) ne jure quidem humano concedendum esse existimavit. *Fol. 515.* consolationis Evangelicæ ubertatem & felicitatem ex doctrina repurgata eximie commendat: *Si igitur sumus coram mundo contemti, afflicti, tristes, vexati, abominabiles, pauperes, consolemur in eo, quod habemus dotes regni cælorum, quod per fidem in Verbum evademus victores peccati, mortis & satanæ, quod toti sumus induti salute. Quam multos apprehendit ante hoc felix seculum desperatio? Quod si hanc cognitionem gratiæ Dei, & consolationes has verbi habuissent, annon putas eos potius omnium opum mundi jacturam passuros fuisse? Quando enim sentitur ira Dei, & desperatio, tunc etiam infinitæ opes vilescunt. Quid enim tum sunt arces, oppida, quid regna & principatus? Omnia hæc quis non libenter projiceret, tantum ut cor pacatum esset? Merito igitur Paulus* ὁλοκληρίαν *vocat, quod omnia in hac cognitione sint posita. Nam etsi emendicato pane hic vivamus, annon hoc pulchre sarcitur in eo, quod pascimur pane cum Angelis & vita æterna, Christo & Sacramentis? Hæc cui non sapiunt, is sane sectetur Papam, & quærat cum fabris Satanæ Cardinalitium galerum. Ego alias opes sector, quas fortasse contemnunt sapientes, qui aut Epicurei, aut Academici sunt, ego autem omnibus mundi gemmis & auro omni antepono. Ante annos triginta, si unius tantum Psalmi veram cognitionem habuissem, visus mihi fuissem Deus quispiam, omnia enim tum plena erant fœdissima ignorantia, abominationibus & idololatria infinita. At nunc, cum quasi diluvium quoddam cælestis sapientiæ & cognitionis nobis Dominus aperuerit, etiam mundanas opes quærimus ingrati, & sic delicati sumus, ut nolimus eorum, quæ mundus habet, aliquid nobis deesse: Sed apud Esaiam est, lectum angustum esse, non itaque utrisque potest esse locus. Quanquam res non damnamus, sunt enim dona Dei, quare quibus obveniunt, fruantur iis cum gratiarum actione, & sine querela proximi; quibus autem non obveniunt, ii æquo animo ferant penuriam.* *Fol. 517. ad Ps. CXXXIII.* fatetur, obscuras in eo esse figuras de rebus apud gentes simpliciter incognitis, id est, de unguento, seu balsamo, quæ ideo barbaræ videri possent, sed addit non decere *barbam* vocare, quibus Spiritus sanctus uti voluit, quin potius *barbariem* vocemus elegantiam Græcorum, siquidem cum impietate & ignorantia Dei conjuncta est. *Fol. 518. b.* graviter taxat spiritus fanaticos, quos *Basilius* dixerit τῇ γλώσσῃ βομβαίνειν, hanc enim unicam gloriam ducere, ut concordiam discindant. *Hi Psalmum invertunt, & canunt in cordibus suis: Ecce quam bonum & jucundum est disturbare fratres, ut non habitent in unum, sed alius huc, alius illuc proruat. Neque enim habent pacem & concordiam pro balsamo, ideo semper nova quærunt nec putant se aut Doctores, aut pastores Ecclesiarum esse posse, nisi a nobis dissentiant & quiddam novum sibi excogitent. Hos fugere debemus & cavere, ne eorum simus similes, sed discere, quod Ecclesiarum concordia sit donum Dei, quam fovere, augere, custodire debemus omnibus viribus. Nihil enim est pulchrius in oculis Dei & Angelorum, quam videre, quod doctores & magistri Ecclesiarum sint concor-*

(22) *Contra abusus Pontificiæ & Episcopalis potestatis.*

An. 1540. (23) *Laus doctrinæ Evangelicæ sive reformationis.*

(24) *Taxat eos, qui barbariem styli in Scriptura fastidiunt, & qui dissidia excitant.*

An. 1540. *des & unanimes, qui idem docendo sequantur & sentiant.* *Fol. 519. b.* verbi divini insigne facit elogium & pro eo conservando merito orari dicit in fine concionum, pergit postea: *Cum verbum est purum, tum omnia sunt salva, sancta & pura, utcunque furant portæ inferorum, & nos non solum rerum, sed quoque vitæ & corporis jacturam faciamus. Quid enim in eo incommodi est, modo animæ salventur? Verbum itaque est, ut sic dicam, genus generalissimum omnium bonorum, siquidem omnia bona conservat; hoc autem amisso aut depravato, omnia bona simul sunt amissa. Sicut enim sublato sole & luce mundi, qui ambulat, in tenebris ambulat; ita obscurato verbo, sequitur etiam politiæ periculum. Ibi non Magistratus, non subditus, non ancilla, non servus scit, quid faciat, sed sunt omnia in errore & densissimis tenebris.*

(15) *Præstantia Verbi divini.*

§. LXXXII.

(1) *Relatio de Joh. Agricola Islebio.*

De scriptis Lutheri Germanicis, recordor eorum, quæ contra *Antinomos* priori anno edita in hunc transtuli, quo lis illa notabili catastrophe finita est. *Johannes Agricola, Islebiæ*, eodem quo Lutherus oppido, sed septem post eum annos, anno 1492. natus, a patria, ut tunc literatis mos erat, cognomentum sumsit, quo in subscriptione epistolarum editisque libris constanter usus est, ut se *Islebium* & Germanice Eißleben vocaret. Vulgo, quod parva statura erat, diminuto *Agricolæ* vocabulo *Magister* Grickel nominari consueverat, inde etiam per allusionem *Græculum* dixit Lutherus. *Sartorem* appellat Spalatinus *in historia MS.* nescio, an ob paternum opificium, aut quod huic ipse puer forte destinatus fuit. Studiis tamen postea Wittenbergæ operam dedit, Luthero & Melanchthone doctoribus; deinde ludo literario Islebiæ præfectus & ad conciones admissus est, ab *Alberto Comite Mansfeldensi*, qui illum in Comitatu Electoris Saxoniæ Johannis, Spiram ad Comitia anno 1526. adduxit, idemque fecit anno 1530. & ita inter concionatores, quibus in itinere Elector utebatur, numeratus fuit. Ingenio erat fervido, inquieto & rixoso; moribus non satis correctis: Simulare tamen & insinuare se noverat, satisque placuit Luthero, non tamen ita, ut nihil magni sine illo ageret, quod gratis finxit *Varillasius*. Cum aliquam sibi famam ex negotiis Comitialibus, facundia homiletica, edito etiam libro *de proverbiis Germanicis* quæsivisset, elatiori animo esse & *Melanchthonem* sugillare cœpit, edito libello, quo formulam visitationis Ecclesiasticæ anno 1527. a *Melanchthone* conscriptam reprehendit, ut §. *XXXIV. & XXXVI. Lib. II.* dictum est, simulque narratum, quomodo tunc lis illa sopita fuerit. Sed anno 1536. *(Reg. N. lit. G. fol. 102. n. 39.)* ab *Alberto* Comite Hero suo discedendi ex patria veniam petiit, questus, se non satis benigne tractatum, & promissis frustratum esse: *Albertus* responso d. 27. Decembr. dato ingratitudinem non solum, sed & avaritiam, negligentiam in demendato officio, nec non ebriositatem illi exprobravit, & quod plura contra Evangelicos quam Pontificios disputasset. Dimissus tamen Wittenbergam se recepit, ibique legendi in Academia & concionandi facultatem, nescio qua conditione, impetravit, salarium certe ab Electore accepisse constat. Abuti nihilominus & Principis beneficio & Lutheri aliorumque favore cœpit, veteresque opiniones suas, quas dudum abjecisse visus erat, auditoribus & discipulis insinuavit. Monitus & refutatus a Luthero, ut mox dicam, iterum emendationem simulavit, & consensum cum Luthero apud Electorem jactavit, cujus rescriptum d. 30. Octob. 1537. ad illum datum extat *Reg. N. lit. G. fol. 101. n. 38.* in quo placere sibi quidem id dicit, sed & illum hortatur, ut non solum eandem cum cæteris sententiam teneat, verum & iisdem loquendi formulis utatur, ne simpliciores offendantur. Sparserat positiones sive theses, dissimulato nomine suo, quæ referuntur *Tom. I. Lat. Wittenb. fol. 399. b. & seq.* In his statuit pœnitentiam non ex Decalogo, sed ex Evangelio docendam esse, abutens dictis *Luc. XXIV. 26. Joh. XVI. 8. Marc. XVI. 15. Phil. II. 5. 12. Rom. III. 20. 28. Act. XIII. 38.* Spiritum S. dari dicebat sine ulla alia re, id est, prorsus absque lege & ex Evangelio, ita converti & justificari homines, ut legis prædicatio neque ad principium, neque ad medium, neque ad finem justificationis prosit. Ex dictis Lutheri quædam ut pura probabat, alia ut erronea rejiciebat, maxime quæ in *Commentario in Epist. ad Gal.* de officio legis in terrendis conscientiis docuerat: Nominatim iterum taxabat *libellum visitatorium*, spretis, quæ anno 1537. promiserat. Germanica harum thesium versio extat *Tom. VII. Alt. fol. 314. sqq.* Subjunguntur illis aliæ, incertum tamen, an Agricolæ, an quorundam discipulorum sectatorumque ejus. In illis impudenter & impie etiam Petrus Apostolus reprehenditur, quasi non intellexerit libertatem Christianam, dictumque ejus *II. Petr. I. 10. certam facientes vocationem vestram* (quibus in versione vulgata adduntur verba: *per bona opera)* improbatur. Contra has assertiones Lutherus, autorem & nomen dissimulans, & Academica libertate, (ut postea affirmavit,) quinque disputationes publice instituit, quæ *d. Tom. I. Wittenb. fol. 400. seqq.* Latine, Germanice vero *d. Tom. VII. fol. 316.* leguntur, adscripto anno 1538; Successit postea sexta anno 1540. *d. Tom. I. fol. 406. & Tom. VII. fol. 324.* In iis Lutherus sententiam suam, rejecto dogmate Scholasticorum, legi & viribus hominum plus justo tribuentium, ita explicat, ut legis officium esse dicat, revelare iram Dei, sive ad peccatorum agnitionem & pœnitentiam homines deducere, ita ut pœnitentia proprie sic dicta a lege inchoetur, id quod ex plurimis iisdemque, quæ Agricola adduxerat, Scripturæ locis evincit. Blasphemum igitur esse dicit, si dicatur, *legem ejusque prædicationem & usum ex Ecclesia tollendum esse.* Spiritum sanctum monet etiam per legem operari, cum *arguat mundum de peccatis Joh. XVI. 8.* Legem quidem utilem & necessariam non esse ad justificationem & opera bona, (quæ scilicet a justificatis fiunt) neque ad salutem, sed justificationem & salutem necessariam esse ad bona opera sive impletionem legis *disp. IV. th. 38. 39.* Proponendam esse legem non impiis solum, ut territi agnoscant peccatum, mortem & inevitabilem iram Dei, & humilientur; sed & piis, ut admoneantur de crucifigenda carne & concupiscentiis suis; *disp. V. th. 42. seqq.* Errare igitur An-

(1) *Theses ejus contra doctrinam legis.*

(3) *Lutheri contraria.*

An. 1540.

An. 1540. Antinomos, si putent, peccata tolli formaliter, substantialiter & philosophice, cum tantum tollantur relative, per solam reputationem, &, ut loquitur, ignoscentiam Dei. Plurimas inde sequelas ex Antinomorum sententia deducit, quibus tota doctrina de Christo everti videatur, idque non solum in thesibus istis, sed & populariter in scriptis Germanicis proposuit, quod primum, quantum sciam, fecit in tractatu *de Conciliis* anno 1539. edito, quem §. *LXXVI.* retuli, omissis, quæ ad Antinomos pertinent. Questus tunc est de his (non nominato *Islebio*) quod ad exemplum Nestorii, posito a se antecedenti, non videant, poni etiam debere consequens. *Concionantur*, inquit, *pulchre de gratia & remissione peccatorum & de redemtione, sed fugiunt vitantque doctrinam de sanctificatione & de nova vita in Christo, ne scilicet terreantur homines, sed perpetuis fruantur solatiis. Cum enim dicere deberent: non potes esse Christianus, si es adulter, fornicator, ebriosus, superbus, avarus, fœnerator &c. dicunt: si talis es, crede modo in Christum & non erit, ut legem metuas, Christus enim totam implevit.* Et post alia: *Non vident consequentiam sanctificationis ex justificatione, & ut ex hac necessario sequatur, ut Christianus habeat Spiritum sanctum, novamque gerat vitam, aut si id non faciat, sciat, se Christum non habere. d. Tom. VII. fol. 273.* Per disputationes Lutheri *Islebius*, ut Lutherus ipse in prolixa ad *D. Casparum Guttelium* Pastorem Islebiensem, epistola *Tom. VII. fol. 310.* refert, & Electori, literis d. 5. Apr. 1540. in conventu Smalcaldico datis, pluribus exponunt *(d. l. Reg. n. 38.) D. Jonas, Pomeranus, Amsdorffius & Melanchthon* adigi se passus est, ut denuo revocaret, quæ scripserat, formulamque conciperet palinodiæ, quæ cum Luthero non placeret, emendata fuit a Melanchthone: Sed dum Agricola in ea signanda cunctaretur, Lutherus vero audiret, esse Islebiæ ex Ecclesiastis *Casparum Bohemum* aliosque, item in regione Luneburgensi & Pomerania, qui crassiora docerent, & negarent, fidem adulterio aliisque gravissimis flagitiis amitti, continere se non potuit, quo minus epistolam illam ad *Guttelium* publicaret, in cujus tamen exordio revocationem *Agricolæ* allegat, eumque, ut unum ex amicis optimis & proximis, serio egisse sperat: professum enim esse, se in Augustana confessione & ejus apologia persistere, & si quid contra eam scripsisset, aut scripturus esset, jam nunc pro falso aut damnato habere. Tacendum tamen sibi fuisse negat Lutherus, cum spargi audiret, falsissime quidem, ac si ipse eadem cum Agricola sentiret, & legem atque Decalogum rejiceret; refutandam itaque sibi fuisse, dum viveret, hanc calumniam, ne in mortuum speciosius renovetur. Fatetur quidem, se docuisse & adhuc docere, quod peccatores ad pœnitentiam invitandi sint contemplatione mortis Christi, exemplo Bernhardi omniumque Doctorum Christianorum; inde tamen minime sequi, quod omittenda aut tollenda sit concio de lege: esse enim in cœtibus, qui terreri & a securitate retrahi debeant, in hanc vero prolabi, si legem contemnant, & peccata ex illa non agnoscant. Notabile est quod subjungit *fol. 312. Etsi aliquando docuisset, legem in Ecclesia proponendam non esse, injustum tamen esse: veterem illam opinionem sibi objici, cum posthac clarissime & frequentissime contrarium asseruerit. Se enim plurima alia in Papatu & quidem serio docuisse, nec esse nunc, qui tanta cum contentione & severitate ex timore Dei Papista miser & afflictus fuerit,* (um Gottes furcht willen/ wie ich armer Tropff seyn muste) *sibi itaque etiam dictum Apostoli convenire scribit II. Petr. III. 18. Crescite in cognitione Domini. Ego,* inquit, *nondum inveni Doctores, Concilia, Patres, (etsi quintam essentiam ex illorum scriptis & sententiis extraham) qui profectus loco illico & ab initio statim substituere potuerint perfectionem.* (daß sie aus dem *crescite* flugs im anfange vollbracht/ und *crescite* so viel als *perfectum esse* hätten machen können) Allegat Petri exemplum, a Paulo reprehensi, & Pauli, cui Christus dixit: *sufficit tibi gratia mea.* Flebili postea modo queritur, quod jam præter Pontificios etiam inter suos habeat, a quibus extreme affligeretur: optasse Hiobum & Jeremiam, ut nati non essent, id se fere de libris suis optare, ut scripti non essent, & sublimium Doctorum recentium opera omnes Bibliopolarum officinas implerent: experiri se nunc magis quam antea, esse articulum fidei, quod Diabolus sit Princeps mundi, hoc paucos considerare, illumque putare longissime a se remotum esse, & se Deum in sacculo habere. (Der Teuffel sey jenseit dem Meer und Gott in unserer Tasche.) Interim tamen concionandum & scribendum esse, non quidem propter falsos fratres, qui inde non nisi scandala & damna accipiant, sed piorum gratia. Reprehendit postea methodum ab Antinomis inventam, ut prius de gratia, deinde de manifestatione iræ divinæ populus doceatur; hoc invento id agere eos dicit, ut fiant lux mundi. Pauli methodum opponit, qui *Rom. I.* incipit a manifestatione iræ, stultumque verborum lusum esse dicit, si pro lege prædicetur illa iræ manifestatio, quæ idem est ac ipsius legis prædicatio. Optat, ut sicut Islebius professus fuerit, ita & reliqui omnes ab hac insania discedant. Recenset postea infelicitatem suam, quod plus quam viginti insultus hostium variorum sustinere coactus fuerit *fol. 313.* Narrat primo, quæ a Papa perpessus sit; dein Munzeri tumultum, quo propemodum extinctus fuerit; (hätte mir das Licht schier gar ausgewehet) vix obturato illo foramine, fenestras veluti fractas fuisse a Carolostadio, tanto cum impetu, ut lucernam cum oleo sublaturus esse videretur: successisse Sacramentarios & Anabaptistas, & qui se simul cum Papa adorti sint, *Servetum & Campanum*; nominare non vult cæteros, quorum scriptis aut voce læsus sit. Concludit inde, etsi ad centum annos vitam produceret, quietem tamen sperandam sibi non esse; neque enim cessaturum Diabolum, ideo se horam beatam precari, & omnium rerum satietate captum esse. (ich bitte um eine gnädige stunde/ und mag des wesens nicht mehr) Hortatur posteros, ut vigilent & sese parent ad resistendum Diabolo; solatium promit ex promissione Christi *Matth. XVI. 18.* & ex dicto *Hebr. XIII. 8. Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.* Addit verba, quibus summa pietas & fiducia indicatur.

(4) *Locus ejus ex tractatu de Conciliis.*

(5) *Item ex epistola ad Guttelium.*

(6) *Retractat quædam olim scripta.*

(7) *Queritur de adversariis.*

An. 1540.

An. 1540.

(8) *Iſlebius accuſat Lutherum.*

His irritatus *Agricola* d. 30. Mart. 1540. in conventu Smalcaldico literas ſupplices, aut accuſationem potius acerrimam contra Lutherum, Electori exhibuit. In hoc ſcripto negat, ſe docere, quod lex non ſit toleranda, ſed quod non ſit docenda ac ſi juſtificaret hominem coram Deo, aut regeret conſcientiam, aut in pie pœnitentibus operetur converſionem. Omnes poſtea ſequelas rejicit, a Luthero ex ſcriptis ſuis elicitas, & dolere ſe dicit, quod talis vir, qui per admirabilem Dei gratiam puram Evangelii doctrinam in lucem, ad multarum animarum conſolationem, produxerit, perſuaſus tamen ab hominibus malis, mendacia contra ſe ſcripſerit: ſe illum, ut patrem a Deo ſibi præpoſitum, coluiſſe, & per eum ſe Chriſtianum & filium Dei factum eſſe: Illi etiam tribus vicibus multa cum ſubmiſſione ſatisfeciſſe, eundem tamen ſemper vehementius in ſe concitatum fuiſſe: ſe non deprecari ultimum ſupplicium, ſi vera ſint, quæ a Luthero ſibi imputentur: implorat itaque judicium & auxilium Electoris. Reſpondit ei Elector d. 7. Apr. cauſæ cognitionem pollicitus, hortatur tamen illum ad modeſtiam. Eadem fere Agricola ad *Albertum* Comitem Mansfeldenſem miſerat, ut conſtat ex literis Alberti d. 12. Apr. ad Electorem datis, item ex *Guttelii* epiſtola d. 7. Apr. ad Lutherum, quem *patrem & doctorem*, ſe vero *ejus ſubmiſſum diſcipulum* vocat, vehementer improbans maledicentiam Agricolæ.

(9) *Lutheri defenſio.*

Lutherus ad communicatum ſecum *Iſlebii* libellum reſponſum dedit, quod manu ejus ſcriptum extat d. Reg. & inſertum eſt *Tomo VII. Alt. fol. 324. ſqq.* Producit ſtatim ab initio excerpta *ex Poſtilla Iſlebii*, & teſtimonia *Guttelii*, quem *pium Doctorem* vocat (den frommen Herrn D. Caſpern) Itemque *Wendelii*, Eccleſiaſtæ Iſlebienſis, ex quibus oſtenditur, Agricolam dudum clam & dolo factionem & ſectam Iſlebiæ inſtituiſſe hominum, quos *Minores* vocaverit, & apud illos peſſime traduxerit Wittenbergenſes, ob doctrinam, pro qua tamen ipſi & Principes, totque provinciæ vitam & opes in periculum dederint, immo ipſam animam, niſi vera & divina eſſent, quæ docti ſint. *At iſte*, inquit, *miſer tenebrio* (der ohnmächtige mausköpff) *in occulto & ſycophantice, nobis nec compellatis nec auditis, doctrinam noſtram impugnat, interim ad Comitia ſe duci ſinit, ſimulat ſe nobiſcum ſentire, concionatur, docet, ſcribit, ſicut nos, quos tamen clam inſectatur & calumniatur, novamque ſectam contra nos inſtituit; Idem tentavit Wittenbergæ, ut Eccleſiam & Scholam corrumperet; poſtillas ſuas, mentitus a me reviſas & approbatas eſſe, typographo excudendas tradidit, ſpreto Principis edicto, quo vetitum eſt publicari, quæ Rector Academiæ non approbaverit. Hæc omnia ſtultus & petulans homuncio* (das Leckerlein und Närrichen) *ex mera fecit ambitione, ut ipſe ſolus magiſter eſſe videatur: Dudum enim Iſlebiæ dixit, Wittenbergenſium judicium eſſe humanum diem I. Cor. IV. 3. & jactaſſe; ego perrumpam. Attamen, clandeſtina illa odia animo recondens, & calumnias diſſeminans, nobiſcum, ut amicus & domeſticus, edit, bibit, converſatur, ridet, nec auſus eſt nobis in faciem contradicere, aut doctrinam ſuam palam profiteri, ſicut nos Auguſtæ fecimus.* Addit, *ſe, ut ei parceret, Academica diſputatione cum eo egiſſe, ut controverſia doctrinaliter tractaretur & explicaretur, nec opus eſſet cognitione judiciali.* Petit, ut Agricola ad probationem adigatur eorum, quæ Luthero aliisque Wittenbergenſibus objeciſſet, id ſi non faceret, ad honorem læſis reſtituendum, & correctionem pro dato ſcandalo & damno, condemnetur. Poſt hæc ad libellum ita reſpondet, ut non neget, quæ contra illum ſcripſerat, nec diſſimulet, acriora ſcripturum eſſe, quia ſectatores ejus jactent, illum eſſe virum, a quo Wittenbergenſes Theologiam & dialecticam diſcere debeant. Quæ illi imputaſſet, quod docuerit, legem & Decalogum tractandum non eſſe, & quod Wittenbergenſes clandeſtinis convitiis læſerit, vera utique eſſe & probata; quas vero nunc excuſationes & interpretationes afferat, nihil ad rem facere, ſed eo tantum pertinere, ut ſtolida, ambigua & contradictoria ſcripſerit. Sequelas ex theſi Agricolæ jam deductas: *Lex non eſt docenda*, ſive, ut eam emolliverat: *Lex periculoſe docetur*, neceſſario fluere aſſeverat; immo & has: *Ubi non docetur Lex, ibi nec docetur agnitio peccati; ubi enim non eſt lex, ibi nec eſt prævaricatio; ſine lege peccatum mortuum eſt; virtus peccati lex;* quæ omnia Paulus docuit. Porro: *ubi non docetur agnitio peccatorum, ibi etiam docendum non eſt de illorum remiſſione, ſive de gratia: Hæc omnia*, ait, *ſequuntur, ex ipſius Spiritus ſancti regulis & dictamine, ut conſequens ex antecedenti.* Addit, *hujus erroris fructum eſſe, ut homines ſecuri & in diem vivant, idque facere* dicit *Agricolam*. Subtilius eſt, quod ex eodem Agricolæ aſſerto elicit, tolli peccatum originis, niſi, poſt converſionem hominis, contra peccata poſt Baptiſmum & juſtificationem commiſſa, lex urgeatur.

An. 1540.

(10) *Elector Sax. judices & arbitros in cauſa hac conſtituit.*

Laboratum poſtea eſt juſſu Electoris a Prætore Saxoniæ (dem Landvoigt) *Bernhardo a Mila, D. Pontano & Benedicto Pauli* de amicabili inter *Lutherum & Agricolam* compoſitione; ſed cum nihil proficeretur, Elector d. 15. Jun. reſcripſit, interloquendum eſſe, ut judicio experiretur *Agricola*, & probaret, injurias ſibi a Luthero illatas eſſe; quod hic negabat. Mandavit tamen judicibus illis delegatis, ut ſi *Agricola* denuo transactionem quæreret, operam darent, ut Lutherus quoque ad eam diſponeretur. Extat libellus ſupplex *Agricolæ* absque die & anno, qui huc fortaſſis pertinet, in quo proteſtatur, ſe minime diſceſſurum eſſe ab Auguſtana confeſſione, immo in hac moriturum, neque ſe de doctrina perverſa convictum, paratum tamen eſſe & ad ſententiam accipiendam & ad transactionem, hujusque formulam ſibi præſcribi petit, admiſſuro etiam duriorem. (wolle in einen ſauren apffel beiſſen.) Extat etiam Lutheri ſcheda *(Reg. N. lit. H. fol. 111 n. 44.)* in qua miſere lamentatur de ſuarum partium hominibus (von den unſrigen) qui, excuſſa poteſtate Papæ, nunc etiam legem Dei excutere cupiant, & hanc ſolum ad politiam reſtringant, Papæ etiam adulantes, inter quos diſerte nominat *Agricolam*; teſtatur tamen, ſe malle Papiſtam eſſe, qualis olim fuerit, quam ſycophantis his accedere: confidere ſe, quod Papa jam non ſit nociturus Eccleſiæ Evangelicæ, ab internis autem hoſti-

An. 1540. hostibus magnum illi ait periculum instare. Consulti etiam a Delegatis Theologi Wittenbergenses judicarunt, Lutherum nihil falso Agricolæ imputasse, verum omnia ex illius assertis necessario consequi, nec deesse, qui ea ipsa, quæ Lutherus metuisset & indicasset, ex dogmate Agricolæ colligerent, statuerentque peccata non nocere fidelibus; id constare ex libello Luneburgi edito. Addunt, Agricolam, quæ nunc dicat, antea non dixisse, quod lex post Evangelium sit docenda & prædicanda. Mandaverat Elector antea d. 18. April. ut Agricola Rectori Academico fidem daret, quod discessurus non sit ante finitam litem, idque fecerat; verum is d. 15. Jul. a Prætore veniam abeundi petiit, significans, se in alium locum vocari; *(Reg. N. fol. 102. n. 39.)* sed antequam is ab Electore mandatum accepisset, aut responsum Agricolæ dedisset, hic clam discessit, & ab Electore Brandenburgico receptus est. Exprobrarunt hoc illi postea d. 16. Octobr. Consiliarii Electoris Sax. in rescripto ad excusationem, quam literis ad Electorem datis proponebat; indicant tamen malle se, quod *Berolini*, quam alibi, versaretur.

(11) *Agricola abit.*

(12) *Elector Brandenburgicus pro Islebio ad Melanchthonem scribit.*

Interea Elector Brandenburgicus d. 17. Septemb. *Melanchthoni* (quem *spectabilem & doctissimum*, den Achtbarn und Hochgelahrten vocat) scripsit, se vocasse Agricolam, ægre autem ferre, quod inter illum & Lutherum lis esset, significat tamen, Agricolam optime de Luthero & aliis Wittenbergensibus loqui, eumque pœnitere, quod cum Luthero rixatus sit, agnoscere excessum (er sey zuweit gelauffen) & dicere, se id facturum non fuisse, si scivisset, quod nunc audiret Lutherum non omnia adversus Antinomos scripta, sibi, sed aliis in Luneburgensi regione & Pomerania imputasse; promittere etiam, quod nunquam talia posthac docere velit, sed Antinomorum errorem ipse refutaturus & impugnaturus sit. Rogat inde Elector *Melanchthonem*, ut concordiam procuraret, sibi enim placere hominem, & conciones ejus, & seipsum cum illo esse locutum. Sed notari inprimis merentur, quæ in eadem epistola Elector de se profitetur. Wir sind aus Gottes des Allmächtigen gnade und erleuchtung der rechtschaffenen göttl. warheit berichtet / und dermassen zugethan / daß wir mit höchstem fleiß alle zwietracht gerne verhütet und hingeleget sehen / in betrachtung / daß es viel greuliches ärgerniß giebt / so die Lehrer in der Kirchen uneinig und zwyspaltig seyn solten / wir auch leuthe bedürffen / die die heilsame lehre des Evangelions in unsern landen und Churfürstenthum fördern und fortsetzen möchten. Item. Dieweil uns unser HErr selbst lehret / daß wir einander verzeihen und vergeben sollen / desgleichen pflegt man auch zu sagen: *Quod Ecclesia non claudat gremium revertentibus.* Wir haben / ohne ruhm zu reden / keine grössere Freude auf erden / denn nach unserm höchsten vermögen zu fördern und fortsetzen zu helffen / das zu ausbreitung göttl. nahmens und ehre / zu erweiterung des Evangelions / und zu vermehrung des christlichen glaubens gereichen und gedeyen möge) id est, *Gratia omnipotentis Dei, ejusque illuminatione ad agnitionem divinæ veritatis pervenimus, eique ita addicti sumus, ut omni studio discordias præcavere & componere nitamur, considerantes, quam detestabile scandalum ex Doctorum Ecclesiæ dissidiis oriatur: opus etiam nobis est viris, qui salutarem doctrinam Evangelii in provinciis Electoratus nostri propagent & promoveant.* Item: *Dominus & Salvator noster ipse nos docet, mutuam remissionem & condonationem; & de Ecclesia dici solet, quod non claudat gremium revertentibus. Majus nobis gaudium (hæc sine jactantia dicimus) nasci non potest in hac vita, quam si omnibus viribus procurare & promovere possimus, quæ nomen & honorem Dei dilatarent, & Evangelii, Christianæ religionis, atque fidei incrementa producerent.* Hæc profecto non perfunctoriam Evangelicæ doctrinæ agnitionem & curam indicant, simulque ostendunt, quis scopus finisque magni hujus Principis fuerit, cum in ceremoniis & ritibus mutandis cunctaretur, sperans scilicet, quod facilior futura esset aliorum ad eandem fidem conversio, in qua tamen quoad capita fundamentalia cum Saxonicis prorsus consentiebat, & se cum illis unam constituere Ecclesiam, in hac ipsa testabatur epistola; in hujus enim gremium recipi vult Agricolam.

(13) *Fidem Evangelicam egregie profitetur.*

An. 1540.

(14) *Melanchthon respondet.*

Respondit *Philippus* d. 1. Octobr. ex mente Lutheri & sua, necesse esse, ut Agricola aut litem cum Luthero in judicio pendentem prosequeretur, aut errorem retractaret, atque orthodoxam sententiam de lege Dei explicaret, idque faceret scripto ad Islebienses, quos in errorem induxisset, deinde ut etiam convitia revocaret, quibus Lutherum læsisset; peccare enim, quod ante conciliationem sacra tractaret & concionaretur, adversus præceptum Christi *Matth. V. 24.*

(15) *Islebius scripto revocat errorem.*

Ex duabus his viis Agricola posteriorem elegit, revocatione Germanice scripta, & data die Jovis post Barbaræ d. 9. Decembr. 1540. typisque *Joh. Weissii*, Berolini vulgata. Inscribitur, *Concionatoribus, pastoribus, senatui & civibus Islebiensibus.* Summa est, *se intellexisse, orta esse dissidia, postquam Islebia anno 1536. discessisset de lege Dei, occasione suarum concionum & lectionum, eamque famam etiam Wittenbergam, & ad Reverendum Dn. D. Lutherum (patrem suum dilectissimum) delatam esse: se vero malle decies mortem pati, quam verbum Dei vel in minima particula maculare, aut purum doctrinam obscurare atque schismata & scandala in Ecclesia nostra, (ita loquitur) quæ est Jesu Christi, excitare; itaque pro beneficio agnoscere, quod de hac materia actum secum sit, & jam ostensurum esse, quæ sentiat, & quæ ex prioribus sermonibus suis mutet & corrigat. Primo* testes invocat Islebienses, quod semper docuerit usum legis elenchticum ad externam disciplinam, & ad continendos rudes & infirmos; item, quod Deus flagitia puniat immissis plagis publicis: restrinxisse tamen hunc usum legis, quod non conferat justitiam coram Deo, nec remissionem peccatorum producat; id vero se vehementius ursisse, quia adversarium habuerit *Georgium Vicelium*, nihil aliud, quam externam illam disciplinam, docentem, ad subvertendam veram doctrinam de fide in Christum; de hoc itaque articulo solum cum *Vicelio*, cujus errorem Pelagianum pluribus recenset, cum aliis vero recte sentientibus nullam sibi controversiam fuisse. *Secundo* fatetur, se de usu legis, quatenus pœnitentiam operetur,

An. 1540. retur, disputasse & dubitasse, atque statuisse, ex Evangelio discendam esse agnitionem peccati & poenitentiam, & existimasse, quod hujus principium esset fides, qua gratia Dei sanctis per Christum donetur, ut propter hoc beneficium Deum ament, timeant, & a peccatis desistant, & sic poenitentia procedat ex amore justitiæ, non ex timore poenæ. Dicit *præterea*, se firmiter tenuisse, quod lex sit ministerium mortis, & poenitentia ab illa sola producta non faciat ad salutem; conjunctim itaque & copulative simul & semel docendam esse poenitentiam & remissionem peccatorum, ut fit per Evangelium. Hæc pluribus deducit; deinde subjungit: *edoctum se esse a Luthero, etiam in poenitentia piorum prædicationem legis non esse omittendam nec removendam;* (sey nicht hyndan zu setzen) *quia lex est æterna vox Dei, quæ continuo accusat & damnat peccata tam in piis quam in impiis; neque reatum peccati intelligi atque agnosci, nisi damnetur per legem divinam, & peccatum fiat supra modum peccans per mandatum. Rom. VII. 13.* Ex eodem Luthero se didicisse, *hoc primarium esse officium legis, ut manifestet peccata, quo homines gratiam tanto diligentius quærerent, sicut scriptum est; Deum conclusisse omnia sub peccato, ut omnium misereretur.* Post hæc ita loquitur: *Confiteor publice, ore & corde, omni cum simplicitate, coram Deo & hominibus, me credere & statuere, quemadmodum credit & statuit Ecclesia Wittenbergensis, in cujus doctrina tota vita mea perseverabo, doctrinam & prædicationem legis non esse negligendam, etiam cum sanctis prædicatur poenitentia, & quod in Novo Testamento officium legis & concio poenitentiæ sub Evangelio comprehendi debeat, & accusari peccatum, simul vero proponi promissio gratiæ, quæ datur propter Christum, non vero propter contritionem,* (sive poenitentiam stricte sic dictam, die reue) *Duo hæc etiam in conversis servari debent, ut lex continuo arguat pravas concupiscentias in carne, & sensus legis in nobis accuset & damnet peccata, maneantque terrores & tremores, sed vincendi per fidem in Christum, & fiducia in ejus promissionem. Fateor etiam, me in hoc puncto errasse, rogoque omnes, qui per me in errorem inducti sunt, ut me etiam hactenus imitentur, ut mecum peccata sua Deo confiteantur, atque remissionem & gratiam petant, tum etiam errorem Antinomorum conjunctim mecum condemnent, & ut venenum, fugiant phrases has aut similes: Evangelium omnium primum prædicari & audiri debet; ex hoc audis & discis, opera tua nihil esse, & quicquid agis, peccata esse; deseras opera tua, & desperes de te ipso. Sed ita docendum est: Lex primo doceri & audiri debet, ex hoc cognoscere se discit homo, scriptum enim est: per legem cognitio peccati. Hoc vero agnito, & territa jam conscientia, sequi debet Evangelium, quo cor territum consolationem accipiat & erigatur.* Rogat denique omnes Wittenbergæ, Islebiæ, & ubicunque versentur, & nominatim Lutherum (quem iterum vocat *patrem nostrum charissimum*) ut sibi propter Deum ignoscant, si tempore erroris illius sui ipsos læserit; se enim cum iis consentire, & ad finem usque vitæ puram & sinceram doctrinam de lege Dei servaturum esse, omnesque Antinomorum errores damnare & rejicere; ad eandem fidem omnes hortatur, cum piis nihil gratius esse debeat, quam ut alter alterum in veritate instruat, ideoque se ex animo & vere profiteri, acceptissimam sibi fuisse instructionem, & se sperare, illam & sibi & aliis multum esse profuturam. Neque tamen hoc scripto statim, ut speraverat, Luthero de vera conversione sua fidem fecit; id quod ipse *Agricola* literis *d. 19. Decemb.* apud Electorem Saxoniæ queritur, *nihilque toto vita sibi gravius accidisse* scribit, *quam simultatem illam cum viro Dei, quem ipse patris loco veneratus sit, & in cujus obsequio mori velit, apud quem tamen nihil proficiat, ne juramenti quidem oblatione;* ideo *se Deo* dicit *causam committere*, petit tamen, *ut sibi, ad alendam uxorem novemque liberos, trimestre*, quod restare sibi dicit, *salarium non denegetur, se enim id diligenti lectione promeruisse.* Sed non multo post d. 20. Jan. 1541. eidem Principi exemplum revocationis sua manu signatum misit, significans, *se cum Luthero conciliatum esse.* (Er sey endlich gar christlich versühnet und verglichen) Implorat etiam gratiam Electoris, *veteremque se & fidum ministrum Saxonicum mansurum esse* asseverat. Sed hic durior fuit, & d. 28. Febr. per Consiliarios respondeti illi jussit, se nondum ei ignovisse, quod contra fidem datam Wittenberga discesserit; mittunt tamen ei liberi comitatus diploma, quod desideraverat. Etiam post annos quatuor ex literis *Electoris, Lutheri* & *Georgii Bucholzeri* colligi potest, nondum in pristinam gratiam apud Electorem aut amicitiam Lutheri illum rediisse, quod ingenium viri mutabile & novaturiens magis magisque perspicerent, cujus effectus post mortem Lutheri in compositione *edicti Carolini* anno 1548. deinde in lite inter Theologos Evangelicos *de adiaphoris* plus satis apparuit. Hæc de illo ex Actis indubitatæ fidei, occasione scriptorum Lutheri, referenda esse duximus. Produxit vitam ad annos LXXIV. decessitque Berolini anno 1566. *Raynaldus* de causa Islebiana pauca quædam *in Actis anno 1538. n. 41.* ex suis autoribus *Cochlæo* & *Surio* exscripta memorat, addito convitio, quod Lutherus factus sit Proteus, qui Islebii conclusionem ex deliris Lutheri dogmatibus recte deductam, damnaverit, & autorem ad palinodiam adegerit, adeoque suo telo se confoderit. Quam futilia hæc sint, ex iis, quæ retulimus, quilibet, ut speramus, deprehendet.

(16) *Alia, quædam de ejus actis & obitu.*

§. LXXXIII.

Supersunt alia quædam Lutheri scripta enarranda. Ex iis *Tom. VII. Alt. fol. 401. ad 422.* inserta est *adhortatio* Lutheri Germanica *ad pastores, ut concionentur contra usuras.* (An die Pfarrer / wieder den wucher zu predigen / vermahnung.) In exordio refert, se ante annos XV. contra usuras scripsisse, quanquam sine spe emendandi malum inveteratum; longe minus nunc sperare, memorem dicti Senecæ: *Deest remedii locus, ubi, quæ vitia fuerunt, mores fiunt.* Addit: *Germania facta est, quod fieri debuit, per usuras, & funditus corrupta est.* Jubet tamen pastores & concionatores, ut mascule populum ab usuris dehortentur; licet enim eas abolere nequeant, quod nec lege politica fieri jam possit, spem tamen esse, ut vel aliqui ex Sodoma illa eripiantur, & conscientiæ pastorum satisfieri debere. Doceri autem vult (1) usuram esse, quicquid supra sortem, sive pecuniæ,

(1) *Adhortatio Lutheri ad pastores, ut concionentur contra usuras.*

An.1540. cuniæ, sive frumenti, aliarumque rerum fungibilium, mutuo datarum, sive quinque sive sex aut plures floreni pro centum, percipitur, & percipientes salvari non posse, nisi convertantur. (2) Regulam præscribit, nullo inveteratæ consuetudinis respectu, in concionibus proponendam, ex præcepto Christi liquidissimo *Luc. VI. 34. Mutuum date, nihil inde sperantes;* de exceptionibus apud Jurisconsultos disceptandum esse. (3) Persistendum esse in hac doctrina, etsi metuendum sit, ne nullus alteri mutuum gratis sit daturus, neque ad id jure humano adigi possit. (4) Rejicit prætextum, quod usuræ pro liberali compensatione præstiti in mutuo dando officii, haberi possint; æquum tamen esse putat, ut, qui mutuum accepit, tempore statuto id reddat, aut damnum emergens vel lucrum cessans creditori resarciat, id est, ut præstet id, quod interest, boni viri vel judicis arbitrio determinandum. Improbat autem certam usuræ stipulationem, respectu hujus damni vel lucri statim in ipso contractu mutui factam, propter interesse nempe non verum, sed phantasticum, ut loquitur. Hac de re Jurisconsultis ipsis, & inprimis iis, qui in aulis & judiciis Principum versantur, instrui alios debere existimat; quod cum negligant, a pastoribus, ut peccatum evitetur, docendum esse. Exempla inde pravitatis usurariæ, & remediorum illi oppositorum, ex historia Græca & Romana erudite allegat; urget etiam *Nehemiæ* factum *cap. V.* & cum fama tunc esset, reperiri in Saxonia, qui nundinis Lipsiensibus & Numburgensibus, pro centum florenorum sorte, a debitoribus decem, usuræ nomine, extorquere noverint, & sic in quatuor nundinis, uno anno, quadraginta pro centum lucrentur, vehementer in eos invehitur. *Sic,* ait, *homo otiosus & usurariæ nequitiæ peritus, si centum florenorum summa quadraginta uno anno lucratur, tantum percipit, quantum victui rustici toto anno satis est, & sic pro modo sortis reditum annuum equestris viri, Comitis, Principis, immo Regis, acquirit.* Pastores itaque instruit, ut fœneratores omnes parvos & magnos non solum publice redarguant, sed & a sacrorum communione repellant, quanquam id cum magno odio & periculo ab omni genere hominum, quorum vitia acriter *fol. 410.* describit, facturos esse non dubitet; satius enim esse, ut peccatores pro culpa sua soli damnentur, quam ut una cum illis pastores, qui connivent, simul ad infernum præcipitentur. Verba Germanica, quæ nomine pastoris, aliquem ex fœneratoribus alloquentis, concepit, parrhesiam habent non ingratam. Thue busse und recht/ wo nicht/ so kanstu so wohl ohne mich/ und meine absolution einfältig zum Teuffel fahren/ als daß du mit meiner absolution zwenfältig zum Teuffel fährest/ und dazu mich ohne meine schuld mitnimmest. Nein/ Gesell/ es heist; fahre du hin/ ich bleibe hier/ ich bin nicht Pfarrer/ daß ich mit iederman zum Teuffel fahre/ sondern daß ich iederman mit mir zu GOtt bringe. Sensus est: *Resipisce & fac quod justum est; si non vis; satius est, ut tu ad diabolum absque mea absolutione solus & unus, sive simpliciter descendas, quam ut id duplici veluti modo, mea cum absolutione facias, & me, licet tuum peccatum non perpetrem, tecum rapias. Absit hoc, amice; abi tu solus, ego hic maneo. Non sum pastor, ut cum quolibet ad diabolum descendam, sed ut omnes mecum ad Deum ducam.* His ita pro regula & fundamento constitutis, exceptionem considerat, quid de pecunia viduarum vel pupillorum, qui aliud victus parandi medium non habent, statuendum sit; putatque Principes, adhibito Jurisperitorum itemque Theologorum & judicum consilio, per ἐπιείκειαν invenire & lege sancire posse, quod hoc necessitatis casu liceat. Progreditur ulterius, & expendi desiderat constitutionem Justiniani *L. 26. C. de usuris,* qua vilioribus semisses, id est, sex; illustribus trientes, id est, quatuor; negotiatoribus octo pro centum permittuntur. *Vellem,* ait, *si coram Deo id probare possem, ut personis, qui hoc reditus genere opus habent, ex necessitate quadam, & ex commiseratione, aliquid concederetur; sed non consentiam, ut fœneratio sit modus negotiationis & acquirendi, neque credo, Imperatorem id intendisse. Quicquid tamen senserit, bona opera, quæ ad cœlum pertinent, docere ille non potest, sufficit, si ordinet, quæ spectent ad hanc vitam, neque in foro poli sufficit, Cæsaris legibus obedire.* Inconsultum vero putat, ut pastores de his pro concione disputent, mavult, ut secreta dent consilia, vel a Jurisconsultis & bonis viris petant. Pro axiomate adversus peccatum avaritiæ & usurariæ cupiditatis Apostoli dictum *1. Tim. VI. 8. 9.* proponit; regulam illam inprimis, *ut, habentes alimenta, & quibus tegamur, contenti simus,* & hoc nobilibus & Principibus viris, non minus ac plebejis, dictum esse monet, cum neque illi præter victum & amictum quidquam ex hac vita auferant; cum modo tamen conditioni cujusque convenienti hoc intelligit: *Ita,* ait, *David & alii opulenti plura habuerunt, & licite quidem, etiam coram Deo; victus & amictus talium lautior esse potest, licet nihil sit quam victus & amictus. Domus, palatium, provincia & similia sunt id, quo teguntur: dapes, vinum, cerevisia sunt alimenta. Neque enim hæc pabula equorum sunt, nec tegumentum est hara aut saccus, sed id, quo quisque opus habet, pro sua conditione. Id autem certum est, & observari debet, plus ex omnibus opibus, quam victum & amictum, sumi non posse, licet modus pro conditione hominum differat.* Præcepta Christi, quæ repetit: *Omni petenti tribue Luc. VI. 30. mutuum date, nihil inde sperantes d. l. v. 35. & ut pallium etiam dimittatur ei, qui tulit tunicam, Matth. V. 40.* male pro consiliis a monachis & Mahomete venditari docet, quasi saltem a perfectis observanda sint; id pluribus refutandi occasionem sumit, & revera omnes ad ea obligari ostendit, sceptrum enim Christi esse *sceptrum rectitudinis,* sive *virgam directionis Ps. XLV. 7.* si dicatur, difficillimum sic fore, ut aliquis sit Christianus, verum id esse concedit, sed Christum ideo non mutare verba sua. Da wird nichts aus/ wir müssen uns nach ihn richten und schicken/ die elle muß nicht nach dem tuch/ sondern das tuch nach der elle sich messen lassen. *Mutari hoc non potest, nos Christo accommodare nos & submittere debemus: Ulna non ad pannum, sed pannus ad ulnam mensurari debet.* Inde explicationem trium illorum præceptorum prolixiorem subjungit. *Primo* quidem *(fol. 412.)* ad dicta *Matth. V. 42. & Luc. VI. 30.* notat, quod opponantur Judæorum interpretationi, qui tantum

An.1540.

(2) *Moderationem quandam admittit.*

(3) *Commentatur de præceptis Christi, quæ pro consiliis habentur a Monachis.*

(4) *Speciatim, quod omnibus dandum sit.*

An. 1540. tum amicis & suæ gentis hominibus dare volebant, exclusis inimicis & peregrinis, jubere igitur Christum, ut sine distinctione amicitiæ vel conjunctionis, aut spe redditionis detur, id quod ex *Matth V. 47.* manifestum esse monstrat; omnibus enim & singulis indistincte dari, impossibile esse; dein non intelligi omnes, qui egeant; qui enim jam habeant, aut culpa sua faciant, quo minus habeant, quibus indigent, illis dari non debere. Improbat igitur, quæ mendicis & otiosis & perditæ vitæ hominibus dantur, eosque homines a Magistratu coerceri desiderat, quo facto pauciores esse futuros, ait, qui ope nostra indigeant, & sic vere egentibus plura dari posse. Modum quoque in dando teneri vult, & ita dari hodie, ut cras & perendie & anno futuro etiam sit, quod detur. Christi enim præceptum perpetuum esse. Taxat eos, qui omnia sua semel & uno die relinquunt, ut monachi fiant, *hi*, ait, *obolum pro mille florenis dant, & plus quam habet mundus, quem reliquisse se jactant, accipiunt.* Paulum quoque allegat *II. Cor. VIII. 13.* qui non vult dari, *ut aliis remissio sit, dantibus autem tribulatio. Christus non exigit*, (ait) *ut meis facultatibus ex mendicis Dominos & opulentos faciam, ego mendicem; necessitati pauperis succurrere debeo, ut is mecum comedat, non ut ego cum illo; aut ut domesticis ablata peregrinis tribuam. Petenti dare jubet Christus; non petit autem, nisi nequam, qui pauper non est. Egestas quoque varia est, multi indigent ad pompam, & illis Diabolus det, quod cupiunt; Christus de suis loquitur, quos ad patiendum secum vocavit, & qui vita hac præsenti utuntur cum respectu ad æternam, quilibet pro sua conditione; nolite in sublime tolli. Luc. XII. 29.* Docet porro, qua mente dandum sit, *absque ostentatione* nempe & *simpliciter*, *Matth. VI. 3. Rom. XII. 8.* non spe redhostimenti, aut perpetuæ & servilis gratitudinis, aut cum exprobratione; allegat *Sirac. XX. 14. 15.* & acriter perstringit Principes & proceres, qui nihil pio & generoso animo dare noverint. Ad *alterum* præceptum de mutuo eadem fere notat; mutuare jubet amicis & inimicis, sed egentibus, & quidem gratis. Hoc si observetur, tam difficilem non esse hujus præcepti observationem, nec opus habuisse sophistas scholasticos, sive monachos, ut consilium ex eo facerent; addit gravissimam in usurarios censuram & ut male parta ad hæredes non transmittant. *Tertium* præceptum, ut pallium dimittatur tunicam tollentibus, de patientia Christianorum, inprimis martyrum, explicat, qui pro fide Christi vim & injuriam passi sint, & pati debeant absque ulla renitentia; monet tamen ambitiosos etiam & falsos martyres fuisse Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos. Quærit inde, quomodo exerceri possit patientia illa, cum sub Magistratu pio & Christiano locus non sit violentiæ? Respondet autem nihilominus multiplicem occasionem Christianis offerri, ut injurias patienter ferant, tam corruptos enim esse omnes hominum ordines, ut paucissimi sint, qui aliis injuriam non faciant, aut aliena invadant aut rapiant, ita sane, ut dicat, omnes bonos piosque agricolas sive rusticos unius provinciæ in uno non magno pago, urbium incolas in uno oppido, nobiles in una arce domicilium habere posse: speciatim odia & persecutiones describit, quibus fideles Ecclesiæ ministri & Evangelii concionatores subjiciuntur. In *epilogo* occurrit exceptioni eorum, qui dicunt, se usuras non a pauperibus, sed ab opulentis exigere, nam & eos peccare, & damnum etiam ad pauperes redundare, auctis rerum pretiis, ita ut ei, cui ante aliquot annos centum floreni ad victum annuum suffecissent, jam ducentis opus sit. Quid de nostrorum temporum vitiis & miseria diceret vir Dei, cum non solum fœnebri malo laboratur, sed insano luxu facultates consumuntur, & monetæ adulteratione omnia turbantur commercia, augenturque rerum pretia? Paucis denique excipit, & licitas esse putat venditiones & emtiones annuorum redituum, modo absint fraudes, quibus fit, ut in usurarios contractus degenerent.

(5) *De mutuo, & patientia, & aliis quibusdam.*

Ex *epistolis Lutheri* Germanicis paucæ *Tom. VII. Alt.* referuntur. Ex iis enarravi, quam ad Electorem Saxoniæ (*fol. 422.*) dedit, § *LXXIX. n. 4.* Acerrima est, quæ eodem *fol. b.* extat, in qua d. 4. Maj. Decanum, qui erat *Julius Pflugius*, & Canonicos Cizenses vehementer hortatur, ut, quem Evangelicæ doctrinæ causa in vincula conjecerant, *Pancratium Fischerum* liberum dimittant, addita comminatione, ni id faciant, fore, ut Elector eos potentia sua coerceat (soll ihnen manns genung seyn) & quem præterea excitare possit. (*Henricum* innuit Ducem) De præfatione in relationem de supplicio *Barnesii* in Anglia dictum est *§. LXXVIII.* Quæ *fol. 426.* legitur, ad Principem quendam, cujus nomen omittitur, d. 25. Jun. scripta, sine dubio ad *Henricum* Saxoniæ Ducem data est. Hunc enim hortatur, ut Ecclesiarum & scholarum in Ducatu suo rationem habeat, multos adhuc defectus esse innuens; questus etiam, quod sint, qui, licet verbi divini amorem jactent, ejus tamen doctores odio prosequantur, id quod de se ipso fortasse intelligit, quia multis ex primaria Misniæ nobilitate, præsertim *Pflugio*, parum gratus erat. Sequitur *fol. 427.* alia *ad Jonam, Pomeranum, Crucigerum & Melanchthonem*, absque die, sed quia Pomerano simul inscribitur, mense Martio datam esse oportet, quo scilicet tempore iste cum reliquis in conventu Smalcaldiensi versabatur, versa enim est ex Latina, quam vidisse me non memini. Queritur de Cæsare, quem servum servorum esse dicit, propter obsequium, quod Papæ & Clero præstabat; Orare se pro eo scribit, & contra eum, (scilicet si converti, & a violentis consiliis retrahi non possit) exauditionis autem certum esse; Deum enim in media ira & in ipsa morte auxilio suo adfuturum: admiranda esse omnia opera ejus, & incomprehensibilia per ea fieri, ut crescat, quod interire; stent, quæ cadere; & quæ aliis omnia videntur, apud Deum nihil sint. Huic soli honorem deberi, creatori & rectori unico omnium rerum. *Si igitur* (ait) *ex bello pacem affertis* (de ea enim tunc tractabatur) *accipiemus illam, si bellum, etiam ex hoc pacem sperabimus; per vitam & mortem fiat voluntas Domini, hæc si fiat, nos quoque pacem habe-*

(6) *Epistola Lutheri ad Canonicos Cizenses.*

(7) *Ad Henricum Ducem Saxoniæ.*

(8) *Ad Pomeranum & Melanchthonem de statu religionis.*

An. 1540.

habebimus ad vitam æternam. Amen! Respicere eos jubet ad Christum, Diaboli quidem instinctu crucifixum, sed qui Diabolum vicissim crucifigat & vincat. Cum postea ex conventu Wormatiensi literas *Melanchthonis* accepisset, eique d. 18. Nov. responderet, idem fere de Cæsare judicium fert, quod nempe omnem felicitatem in perpetuum perditurus sit, quia idololatra Pontificis, eique pedes osculatus esset. Literas illas *MSS.* habuit *D. Johann. Christfried Sagittarius.* Duas alias epistolas (allegante eodem) *Joach. Westphalus* produxit in editis anno 1549. sententiis Lutheri de Adiaphoris. Prior satis prolixe scripta est *Dominica post Elisabeth*, id est, d. 21. Nov. brevior altera IV. (scilicet feria) post *Elisabeth*, id est, d. 24 Nov. Hortatur Melanchthonem & socios (in priori) ut Cæsaris quidem mandato in colloquio agant, quæ agenda sint, sed Papam pro præside non agnoscant, quia sit pars & adversarius. Dein, ut omni genere modestiæ & humilitatis respondeant, & quicquid cedi posiit salva fide, pacis causa cedant; at, quæ Dei sint, in illis vetat quidquam remitti, aut ex indulgentia adversariorum accipi. Prædicit autem, non nisi clamores inter *Eccium* & *Osiandrum* futuros, (hunc enim *Eccius* singulariter provocaverat) nec modestiores fore *Cochlæum, Vicelium* & alios. In altera epistola spem omnem de Cæsare & Ferdinando abjici jubet, neque quicquam boni ab his sperari posse existimat, quia innocentem Evangelicorum (in Belgio nempe & Austria) sanguinem fuderint; Deum tamen oratione Ecclesiæ motum illorum conatus impediturum aut mitigaturum esse.

(9) *Ad Hieron. Wellerum de lupanaribus.*

Diximus alibi, inter reformationis capita etiam fuisse abrogationem lupanarium, quæ sub Papatu publice in usu erant. Sed nescio quo prætextu hoc anno in civitate Fribergensi de restituenda illa licentia agitatum esse videtur. Consultus autem Lutherus *a D. Hieronymo Wellero* respondit: (Ep. MSS. apud *D. Joh. Christ. Sagittarium*) *Gratiam & pacem. Nihil tibi sit, mi D. Hieronyme, cum illis, qui lupanaria restitui volunt. Tolerabilius fuisset, diabolum non expulisse, quam denuo intromittere, & stabilire de novo. Negent prius Christi nomen, & sint gentes Dei ignorantes, qui lupanaria restituent. Nos Christiani, si tales esse volumus, habemus manifestum Dei verbum; Scortatores & adulteros judicabit Dominus; multo magis, qui eos fovent, tuentur, adjuvant consilio, auxilio. Alioqui quomodo licebit publice docere contra fornicationem, si magistratum tolerantem fornicationes laudari oportet? Sed polluentur, inquiunt ex verbis Augustini, omnia libidinibus. Contra est remedium, Dei gratia, scilicet conjugium, vel spes conjugii. Quid autem opus conjugii remedio seu spe, si permittamus scortationem impunitam? Experti sumus, florentibus sub Satana lupanaribus, non solum non fuisse consultum rebus, sed magis exemplo liberæ scortationis aucta stupra & adulteria, etiam palam nota. Nunc Dei gratia, scortatione prohibita, minus est stuprorum & adulteriorum, præsertim manifestorum. Corripiat Magistratus (si volet Christianus esse) tam scortationes & stupra, quam adulteria, saltem manifesta; si occulta abundent, ipse est excusatus. Summa: contra Deum nihil possumus nec facere, nec permittere, nec tolerare. Fiat justitia, & pereat mundus. Vale, raptim feria 6. post Ægidii* (3. Sept.) *anno 1540.*

(10) *Quæstio Morlino proposita de bonis Ecclesiæ.*

Doctoris Theologi gradum hoc anno Wittenbergæ mense Septembri assumsit *Joachimus Morlinus*, qui multis per Germaniam Ecclesiis, & denique Brunsuicensi operam suam addixit. Ei, ut moris est, quæstio proposita fuit per ephebum, a Luthero conscripta, his verbis: *Utrum reditus, donati Ecclesiis ad Evangelii ministros alendos, & ad studia conservanda, eripiendi sint otiosis, impiis & oppugnantibus Evangelium? Ac primum, ne id fiat, grave argumentum est: Non licet ministris Evangelii quenquam vi cogere, juxta illud: Arma nostra non sunt carnalia. Impii non possunt sine vi excuti possessionibus; Non sunt igitur eripiendi eis Ecclesiarum reditus, quos tenent. Sed diversum Augustini tempore factum est. Imperator jussit reditus, quos habuerunt Ecclesiæ Donatistarum, transferri ad orthodoxos, idque defendit Augustinus, recte factum esse. Nam ad ministros Evangelii non pertinet gubernatio opum, tamen magistratus politicus efficere debet, ut quisque suum teneat; Jam hi reditus non sunt impiorum Canonicorum, sed sunt veræ Ecclesiæ. Quare magistratus Ecclesiæ veræ, debet etiam pœnam sumere de impiis, tanquam prædonibus. Magna profecto necessitas est, acerrime hanc causam agi. Nisi enim facultates restituantur Ecclesiæ, boni pastores & pauperes scholastici sane peribunt, studia extinguentur, deerunt Ecclesiis & Reipublicæ literati.* Notandum tamen est, non contradicere sibi Lutherum, cum alibi consilium dedit, ut Canonicorum status & reditus, scilicet ad alendos viros nobiles & doctos, in variis Reipublicæ negotiis adhibendos, conserventur; quæ enim in hac quæstione statuit, opposita erant aliquorum in aula cupiditati, qui reditus ex abolitione quarundam Ecclesiarum collegiatarum, ad pias causas deputatos, in profanos usus vertere volebant.

(11) *Preces Lutheri pro Melanchthone ægrotante.*

Denique (omissis aliis) exhibere lubet relationem de precatione Lutheri pro Melanchthone, qua is, hoc anno ex mœrore animi periculosissimo decumbens, servatus est. Prædixerat sibi mortem ex conjectura astrologica, ut jam occasione testamenti ejus §. *LXXVIII. Add. V.* notavimus, fecitque tunc versum, a plurimis citatum:

Viximus in Synodis, & jam moriemur in illis.

Interim iter illud ingressus in morbum deploratum, ut dixi, Vinariæ incidit. Inde Elector illico Lutherum Wittenberga evocavit, ut ei solatio esset. Narrabo reliqua verbis *D. Salomonis Glassii*, Superintendentis Gothani generalis, b. m. quo quatuordecim annorum adolescens, cum in Gymnasio Gothano literis operam darem, patre spirituali duobus prope annis usus sum, Theologi consummatissimi. Eum sane jam tum pro captu meo venerabar, & cum concionantem ob exilitatem vocis paucissimi vel intelligerent, vel attentionem ei præstare vellent, ego quidem sermones ejus calamo excepi, & doctrinam viri accuratissimam, & in exegesi pene incomparabilem,

An. 1540. lem, in summa habui admiratione. Sed non opus est tanto viro mea commendatione, cum tot extent scripta illius, & inter ea *exegeses Evangelicæ* Latinæ, in quibus *Dom. Voc. Jucund. p. 196.* hæc ex *MSS. Bibliothecæ Principis* Germanicis Latine retulit: *Adveniens Lutherus Philippum jam animam acturum comperit; fracti erant oculi, intellectus pene amissus, lingua defecerat & auditus, vultus conciderat, neminem agnoscebat, cibo & potu abstinebat. Hunc ob adspectum summe Lutherus conterretur, & ad comites itineris conversus ait; bone Deus, ut nobis Diabolus hoc organon dehonestavit!* (wie hat mir der Teufel das organon geschändet.) *Ad fenestras porro vultu averso devotissime Deum invocabat,* (Alda (sagte Lutherus) muste mir unser HErr Gott herhalten/ denn ich warff ihm den sack für die thür/ und riebe ihm die ohren mit allen promissionibus exaudiendarum precum, die ich aus der heiligen schrift zu erzehlen wuste/ daß er mich müste erhören/ wo ich anderst seinen verheissungen trauen solte. Parrhesia hæc vix exprimi Latine potest, sensus est: *Se cum Deo magna cum confidentia egisse, omnesque ei objecisse & veluti inculcasse, quæ ex Scripturis allegari poterant, promissiones de audiendis precibus, itaque cogebatur* (ait) *me exaudire, si fiduciam meam in promissiones suas conservare vellet.* Pergit Glassius: *Post hæc manum Philippi prehendens: (bene autem cognita ipsi cordis & conscientiæ ejus solicitudo erat) Bono animo esto, Philippe, ait, non morieris: quamvis occidendi causa Deo non desit, tamen non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: delectatur vita & non morte. Quia Deus maximos peccatores, qui unquam in terris vixerunt, Adam videlicet & Evam, in gratiam suam vocavit & recepit, multo minus te, Philippe, vult abjicere vel permittere, ut in peccato & mœrore tuo pereas. Quare spiritui tristitiæ locum ne dato, nec tui ipsius fias homicida, sed confide Domino, qui mortificare & vivificare potest. Hac dum ita proloquitur, reviviscere quasi & spiritum ducere Philippus incipit, paulatimque viribus resumtis, tandem sanitati restituitur &c.* Facit hujus sui morbi, ut & eorum quæ in eo acciderunt, & narrata sunt, mentionem ipse *Philippus*, in epistola ad *Burcardum Mithobium*, quæ in *consiliis Theolog.* ipsius, a *D. Pezelio* collectis, habetur *p. 394. Duas epistolas,* inquiens, *hac æstate missas accepi, primam Smalcaldiæ, alteram in Thuringia, cum essem horribili morbo oppressus, qui tantum ex animi dolore ortus erat, quem aliena causa mihi attulerat, de qua & tu quoque quereris. Fuissem extinctus, nisi adventu Lutheri ex media morte revocatus essem. Nunc te oro, ut causam Deo commendes.* Quæ sequuntur, ad negotium Hassiaci conjugii pertinent, de quo alibi satis dictum est. Extat eadem epistola integra *Lib. II. Epist. Melanchth. edit. Lond. n. 336.*

§. LXXXIV.

(1) *Digressio de societate, quæ vocatur Jesu, ab Ignatio Loyola*

Incidit in hunc annum 1540. confirmatio Societatis, ab *Ignatio Loyola* institutæ, quæ a *Jesu* nomen sumsit; nec occasionem facile negligunt Romanarum partium historici, quin felicem hunc annum eo nomine prædicent, & panegyricis elogiis indulgeant. Fecit id inter antiquiores operose *Laurentius Surius* Carthusianus; ex Jesuitis vero innumeri, modestius præ aliis *Pallavicinus Lib. IV. c. XI. §. 9.* Maimburgio cautio fuit, ut sileret, offensam forte metuens, sive laudasset Societatem, qua paulo post ejectus est, sive frigide ejus meminisset, prodito rancore, quem ejectus conceperat. Hæsi aliquandiu, num silentium autoris, quem sequor, imitari, an originem & formam celeberrimæ Societatis referre satius esset. Elegi postremum, in gratiam illorum ex nostratibus, quibus vera & solida de isto hominum genere, cum quo tantas inimicitias exercent, notitia necessaria est, ne, sua instituta, ut solent, laudantibus, quod respondeant, non habeant. Procedam tamen alio paulo, quam vulgari modo. Neque enim Jesuitarum dicta aut facta omnia aut pleraque, quæ fama divulgavit, aut scripta eorum ostendunt, in censuram vocabo, quod infiniti, certe non mei laboris esset; nec in convitia erumpam, quorum quidem illi in nos prodigi sunt. Referam de iis, non quæ transfugæ ex illorum ordine prodiderunt, sed quæ ipsi, vel alii tradunt, qui nostrarum partium non sunt; & quoniam non multo post, quam Lutherus reformationem cœpisset, *Ignatius* suam quoque molitus est: (Ab initio sane *presbyteri reformati* dicti sint, qui nunc *Jesuitæ* vocantur. *Vid. Odor. Raynald. Tom. XXI. ann. Eccl. anno 1549. n. 23.*) parallelismum aliquem interdum exhibebo, & utriusque consilia & methodum considerabo, unde judicium fieri possit, uter ex illis, melioribus, aptioribusque adminiculis instructus, Ecclesiæ reformationem felicius tentaverit. De *Luthero* quidem, quæ affero, unde sumam, ex toto operis mei contextu satis liquet. In annotandis *Ignatii* actis, cum neque omnes autores noverim, aut consuluerim, qui illa descripserunt, (quales memorantur *Petrus Ribadeneira, Andreas Lucas, Daniel Bartolus*) secutus sum *Joh. Petrum Maffeium*, Italum Bergomatem & Jesuitam, qui Ignatium vidit, & historiam de vita illius cum approbatione superiorum suorum publicavit. Usus autem sum editione, quæ *Coloniæ Agrippinæ anno 1594.* prodiit. Ignatius *Bertrandi, Domini Ognis & Loyolæ in Guipuzkoa*, ut hodie dicitur, veteris Cantabriæ, qua montes Pyrenæos tangit, regione, filius fuit, inter octo natu minimus, lucemque aspexit anno 1491. septem annis Luthero minor. Puer, literis vix a limine salutatis, inter ephebos *Ferdinandi*, Regis Arragoniæ, adscitus, cum adolevisset, militiæ nomen dedit, & more nobilium, eorum maxime, qui aulas & castra sequuntur, factionibus & rixis, tum vesanis amoribus & reliquis seculi vitiis, ut panegyristæ ipsi fatentur, indulsit, nisi quod a blasphemiis & spoliis abstinuit, & sacra eorumque antistites revereri solitus est. Cum ordines ducere cœpisset, irruentibus anno 1521. in regnum Navarræ Gallis, ipse jam annos XXIX. natus, *Pampelonam* urbem & arcem, ab aliis desertam, defensurus, in crure & manu graviter vulneratus & a Gallis captus est. Dum decumberet, Petrus Apostolus, quem juvenis carmine

An. 1540. *yola instituta.*

(2) *Ignatius quis?*

An. 1540.

ne quodam Hispanico celebraverat, ei apparuisse & incolumitatem promisisse dicitur. Librum inde profanum, ut tempus falleret, legendum petiit, sed sacros accepit, *de vita Christi*, & *Flores Sanctorum.* Horum lectione erectus, contrariam tentationem superavit, & vitæ emendationem seriam sibi proposuit, accepto a Deo insigni dono *discretionis spirituum.* Hæc *Maffeius* refert, simul tamen monet, *rudem & ignarum artium spiritualium & christianæ Philosophiæ fuisse hominem, & omnis fere sanctitatis & officii perfectionem in asperitate vitæ & voluntaria corporis afflictione posuisse.* Suscipiebat enim frequentes verberationes & longa jejunia. Apparuit ei, (sic traditur) noctu, sed vigilanti Maria virgo, palam se & puerum Jesum ostendens: *Hac divina visione mirifice recreatus, odium rerum mundi & voluptatum maximum conceepit, ita ut mortalia illi omnia sordere coeperint.* Observamus hinc, illiteratum fuisse Ignatium, & præter linguæ patriæ, paulo tamen plus quam plebejam, notitiam (carmina enim scripsisse dicitur) omnis disciplinæ expertem. Verum ruditas illa non obfuisset pietati & conversioni, neque enim multarum linguarum peritia ad eam requiritur, cum de Deo & salute nostra, quantum opus est, qualibet lingua enunciet. Qui vero docere alios vult, aut immediate, quod Apostolis contigit, a Deo instruitur, aut ex sacris literis prius percipere debet, quæ aliis proponat. Lutherus igitur non modo patriam linguam, prosa & carmine, egregie excoluit, in eam sacra Biblia integre & eleganter vertit, & tot atque tanta volumina Germanico sermone, de omnibus ad fidem & mores pertinentibus scripsit, verum etiam artibus, quarum rudis erat Loyola, a teneris imbutus, ex sacris literis capita fidei didicit, ut aliis explicaret; Ignatius vero nihil tale fecit. Duo enim alii fontes indicantur, ex quibus sua ab initio, ut audivimus, hauserit. Legit nempe primo libros *de vita Christi & Sanctorum*, qui quales fuerint illo seculo, ex iis, qui supersunt, immanibus fabulis referti, solido Christianismi fundamento destituti, nec manifestis erroribus carentes, conjici potest. Nam etsi quædam, in historia præsertim de vita Christi, ex sacris literis desumta, ad fundamentum religionis pertinerent, reliquæ tamen de Sanctis narrationes & fabulæ, neglectis pietatis & fidei vere Christianæ principiis, immodicas vitæ asceticæ laudes fere continebant. Omisso igitur nucleo, putamina secutus Ignatius, in vitæ austeritate atque sordibus, & barbara corporis afflictione aliisque, quibus interiora animi non emendantur, pietatis perfectionem & peccatorum expiationes quæsivit. Secundum profectus fundamentum dedisse dicuntur visiones, & dona excellentissima (quæ ordinarie absque sufficienti sacræ Scripturæ cognitione non dantur) immediate accepta. Longe meliorem certioremque viam Lutherus tenuit, neque enim tam insolens fuit aut fatuus, ut visiones aut apparitiones venditaret, quæ barbaris seculis ad errorum crassissimorum confirmationes allegari solitæ, Christianis, meliora edoctis, merito suspectæ sunt; sed a fanaticis sui temporis prorsus recedens, fundamenta doctrinæ non alia proposuit, quam a Christo & Apostolis præmonstrata. *Sic scriptum est:* ait Dominus in ultimo cum discipulis colloquio: & ubi desierat Christus, in prima concione inspiratus divinitus Petrus incepit, exclamans: *Hoc est, quod dictum est per Prophetam &c.* Quid igitur ab Ignatio promittere sibi potuit Ecclesia, aut quod ædificium sperare ab illo, qui neglecto fundamento Prophetarum & Apostolorum, arenæ fabularum superstruebat, per quæ emendationem moliebatur? Ex autoribus illis suis res gestas Christi & sanctorum in codicem congessit, & figuris illustravit. Auspicia magni moliminis a cultu superstitioso *B. Virginis in Monte Serrato* sumsit; ejus fanum aditurus, multis noctibus corpus flagellis verberavit, & castitatis voto sese obstrinxit, immo, Virginis beneficio, ut scribunt, *impetravit, ut ab illo die usque ad ultimum vitæ omnis libidinis sensu caruerit.* Hac quidem assertione castitatis laus destruitur, quæ non est virtus, quando cupiditatibus non exercetur, quas vincat. Lutherus, quod nec acerrimi ejus censores negant, ad annum usque vitæ XLII. nullo miraculo, sed ordinariis auxiliis Spiritus sancti adjutus, caste vixit, nec honesto matrimonio, postea inito, pudorem aut pietatem læsit. Ignatius, in itinere illo, quo pedem proferret, incertus, in bivio constitit, & laxato mulæ freno, qua animal iret, secuturum se esse constituit. *Maffeius* præcipitantiam in consilio hoc Ignatii agnoscit. Verum is tot sanctorum historiis & fabulis caput oppleverat, ut fortasse recordatus fuerit paris consilii, quod anno 1239. Hispani in regno Valentiæ arripuerant, cum itidem mulæ ductu *Darocam* oppidum eligerent, in quo corporalia, quæ vocant, sive lintea, quæ sanguine hostiæ sacramentalis cruentata esse credebant, custodirentur, secuto ingenti ad eorum venerationem concursu, & post duodecim annos instituto festo corporis Christi. Vid. *Ludovic. Granat. op. Lat. Tom. I. fol. 282. b.* Quicquid sit, mulæ ductu Ignatius *Barcinonem* delatus est. Inde invocata B. Virgine, sparteos calceos, laceramque de sacco tunicam induit, fune pro baltheo usus, claudus pede, baculo innixus, cucurbitam ad aquæ usum gestavit; ornatum hunc a mendico sumserat, tradita huic veste pretiosa. Gladium & pugionem, instituto, equitum illius temporis more, pervigilio d. 24. Mart. 1522. B. Virgini dedicavit, eo scilicet tempore, ut argutatur *Maffeius*, quo Lutherus, quem infamis hæresiarchæ convitio proscindit, in Comitiis Wormatiensibus causam dixit, quanquam temporis ratio non concordat. Sic Ignatius, ut ejus discipulus gloriatur, *novus Dux, divina providentiæ nutu, excitatus fuit, quem Christus Imperator, & ipsum & sectatores ipsius, obligatos religionis arctissimæ Sacramento, adactosque nominatim in verba Romani Pontificis, furori & libidini hæreticæ pravitatis opponeret:* aut ita potius (quo spiritu & auspicio, ipse viderit) initiatus fuit, qui non tam ipse, magister utique haud doctissimus, quam per suos Evangelicam veritatem ejusque professores odio-

(3) *Observatio de ejus & Lutheri notitia rerum Theologicarum.*

(4) *De fundamentis Ignatiani profectus & doctrinæ Lutheranæ.*

(5) *De Votis & destinationibus utriusque.*

An. 1540.

An. 1540. diosissime infestaret, & cadenti Romano dominatui fulcra qualiacunque supponeret, ut postea videbimus. Quanto melioribus auspiciis Lutherus, non fatuo fortis impetu, aut mulæ ductu, sed conscientiæ stimulis, nec suo arbitratu, aut stulto ornatu, sed honestissime conductus & comitatus, ad doctrinam suam animatus, & ad ejus rationem reddendam profectus est, nec arma profana, sed se ipsum Deo dedicavit, adito Wormatiæ sævissimi supplicii periculo, si, quod multi suadebant, promissa de securitate fides rupta fuisset. Ardentissimis precibus non Virginem, a qua nos audiri & juvari nulla extat promissio aut probatio, sed Deum omnipræsentem & omniscium imploravit; desertus ab omnibus & ab ipso patrono, Saxoniæ Principe, animum non abjecit, in nullius quam Christi verba juravit, neque alio voto, quam quod in baptismo conceperat, omniaque hominis erga Deum officia complectitur, obligari voluit.

(6) *Ignatii primi progressus in doctrina & vita, diversi a Luthero.*

Ignatius ex *Monte Serrato* in *Minoressam* oppidum descendens, *vilissima plebis hospitium inter egenos & sordidos delegit, victum infimis precibus ostiatim emendicavit, a carnium esu tota hebdomade, excepta die dominica, abstinuit, simplici pane & aqua profluente contentus; somni parcissimus & humi cubans, corpus quotidie flagellis acerrime cecidit, singulis diebus septem horas, genibus innixus, in oratione vocali (meditationis adhuc ignarus) perstitit; sacrificio Missæ, & officiis, quæ vocant, matutinis & vespertinis attentissima cum quotidie interfuit, octavo quoque die ad confessionem & communionem venit. Celavit nobilitatem, delectationem omnem fugit, & cum esset decoro vultu, & egregia totius corporis firmitate, omnem illum acerrimi bellatoris rigorem & virilis juventæ formam amisit.* Hæc est illa Ignatii sanctitas, cujus partes aliquas Lutherus, dum monachus esset, implevit, sed meliora doctus, affectata, nec a Deo mandata, quædam etiam parum honesta & licita, mendicationem præsertim victus, contemsit & abjecit, sinceram & intimam animi pietatem ex fide in Christum ortam, & charitatis atque perpetuæ pœnitentiæ & temperantiæ studio exercitam, sectatus. Ignatius ipse, non multo post, a sacerdote monitus, excessum, ut narratur, agnovit & commodiorem vitam elegit, quam successores, ut audiemus, ita secuti sunt, ut exprobrari illis nimius in se rigor jam non possit.

(7) *Tentationes, & secuta revelatio.*

Cæterum, ne quid *futuro Ecclesiæ Romanæ Atlanti & perfectionis Magistro* deesset, diabolicis etiam tentationibus & spectris exercitus est. Relatio tamen de illis, præterquam, quod ipsius solius narratione nititur, in risum & ludibrium desinit, quia autore *Maffeio Lib. I. c. 7.* baculo tandem ab Ignatio abacta sunt. Sed fidem superant, quæ eodem loco narrantur, quod ad *Rubricatam* amnem, qui *Minoressam* interfluit, tanta luce mirificæ revelationis perfusus fuit, *ut momento temporis plurima clare perspexerit, non solum de fidei Christianæ mysteriis, verum etiam de aliis vel subtilissimis Philosophorum quæstionibus & decretis, quasi nitidissimo quodam in speculo planissime cerneret ea, quæ post multam accuratamque lectionem maximosque labores & vigilias vix demum solent homines intelligentia comprehendere.* Addo & sequentia *Maffeji* verba: *Dum B. Virgini psallit Ignatius in supplicatione publica, in Deum rapta ita ejus mens est, & quasi per apposita quædam & maxime illustria symbola Trinitatis ipsius Numen augustissimum vidit distinctum personis & unum essentia, ex quo tanto gaudio & lacrymis totam diem de illo mysterio, tanta similium & exemplorum varietate & copia, disseruit, ut cuncti obstupescerent. Ausus etiam est, literarum licet ignarus, librum de Trinitate conscribere.* Et post alia: *Oblatus ei est per visionem modus, quem in molitione hujus universi Deus tenuit, quem negavit verbis adumbrari, nedum exprimi posse; vidit etiam in elevata hostia Christum Deum & hominem contineri. In ecstasi viginti quatuor horis fuit, ut pro mortuo habitus parum abfuerit quin sepeliretur, nisi cor palpitasset. Quidam ejus dicta & facta curiose observantes, intempesta nocte, supplicantem animadverterunt, (elevante spiritu sarcinam corporis) quatuor circiter cubitis e terra sublimem & ex consortio sermonis divini, (quod de Moyse scriptum legimus) tota facie mirum in modum radiante.*

(8) *Annotatio de revelatione illa.*

Nolo equidem de extraordinariis visionibus, quibus Deus ex potentiæ suæ plenitudine populo mortali conspiciendum se præbere posit, hic disputare; at, cum cætera Ignatii dicta, scripta & acta considero, adduci non possum, ut illi eadem aut majora iis revelata esse putem, quæ Moyses, & Paulus viderunt; nec nobis satis innotuerunt, quæ ex visione illa retulerit Ignatius. Interim, quæ Paulns vidit & audivit, vel, ut talia, quæ non licebat homini eloqui *II. Cor. XII. 4.* reticuit, vel quæ enunciavit ac docuit, non erant alia, ut ipse apud Festum Præsidem & Agrippam Regem *Act. XXVI. 22.* professus est, *quam quæ prædixerant Prophetæ & Moyses.* Idem fundamentum doctrinæ suæ habuit Lutherus, idque unum tutissime sequimur.

(9) *Ignatius docere incipit.*

Ista luce irradiatum se aut fingens, aut sua imaginatione persuasus Ignatius, laicus, literarum rudis, & militiæ desertor, nulla missione, nisi quam ipse sibi sumserat, nullo miraculo probatus, jam confidenter homines docere cœpit; habitu honestiori usus convivia frequentavit, spiritualibus epulis, teste *Maffeio*, hospites pavit, librum etiam *de spiritualibus exercitiis* composuit.

(10) *Scribit librum de exercitiis spiritualibus.*

Hæc ferunt & laudant illi, qui *Luthero*, literis a juventute imbuto, monacho, sacris initiato, Doctori Theologiæ, Professori academico, & concionatoris in oppido Wittenberga vices gerenti, jus docendi & scribendi abjudicant. *Ignatio* vero a nemine vocato, &, ut diximus, indocto, nec consecrato, prohibito etiam non una vice a superioribus Ecclesiasticis, scribere tamen & docere, non licuit tantum, sed & summæ laudi & Ecclesiæ Romanæ maximæ fuit utilitati.

Dicendum hic aliquid esse existimavi de libro tanti nominis, &, quod ei tribuunt, meriti, quem Ignatius *de exercitiis spiritualibus:* (ut modo memoravi) anno 1548. Romæ lingua Hispanica edidit, ab Andrea Frusio Latinum factum, paucis ex nostratibus cognitum. Editione usus sum, quæ *Pragæ* anno 1680. ex typographia academica prodiit. Præmissa est illi approbatio *Pauli III.* Pontificis, d. ult. Jul. 1548. & privilegium *Alexandri VII.* d. 12. Oct. 1657. quo iis, qui

per

An. 1540. per octidui spatium exercitia illa peregerint, & quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concedit; sed & requirit, ut interea temporis poenitentes & confessi sint, & SS. Eucharistiae sacramentum sumserint, ut adeo nihil restet emolumenti, quod, ex privilegio illo, ab exercitiorum istorum usu sperari possit; pie enim & rite poenitentibus, credentibus & communicantibus remissionis beneficium ex divina promissione competit, nulla nec Pontificis, nec Ignatianae methodi cooperatione. *Ludovicus de Ponte* in *vita Balthasaris Alvarez cap.43.* affirmat *Deum hæc Exercitia Ignatio revelasse: immo per Gabrielem Archangelum nonnemini fuisse a Deipara significatum, se patronam earum, fundatricem atque adjutricem fuisse, docuisseque Ignatium, ut ea sic conciperet.* Ob quam causam procul dubio factum, ut in frontispicio libri Maria repraesentaretur, cum inscriptione: *Magistra religionis.* Definitur ab initio modus examinandi propriam conscientiam, & meditandi, contemplandi, orandi, mente & voce. Sequitur temporis anxia praefinitio; quinque horae uno die meditationi impendendae constituuntur, per aliquot hebdomadas in loco secreto continuandae, prorogato tamen tempore, si incidat ariditas, desolatio aut tentatio. Modus examinandi cogitationes, sermones & opera, praescribitur, ut per lineas & puncta, item manuum & digitorum figuras computus fiat, qui tamen ex libro tam facile non intelligitur, quam ex magistrorum manuductione. Singulis, quae deprehenduntur, peccatis satisfactio injungitur, internus dolor mentis, extra vero, subtractio victus & somni (quanquam huic parum demi debere monetur) & strati commoditatum, usus ciliciorum, funium, aliarumque austeritatum & afflictionum, ita tamen, ne dolor ossa penetret, & flagella ex minutis funiculis, exteriores tantum partes sive cutem feriant. Materiam meditandi assignat Ignatius lapsum Angelorum & hominum, peccatorum gravitatem, passionem Jesu Christi, nostram impotentiam, mortem, infernum, & alia. Precum formula ad Christum haec potissimum ab eo commendatur: *Anima Christi, sanctifica me, corpus Christi, salva me, sanguis Christi, inebria me, aqua lateris Christi, lava me, passio Christi, conforta me, Jesu, exaudi me, intra tua vulnera absconde me, ne permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ evoca me, & jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in secula seculorum, Amen!* Huic junguntur: *Ave Maria* & *salve regina*, cum oratione Dominica. Imagines & figurae libri non omnes probari possunt, laudandum tamen, quod nihil de Sanctis, nihil de meritis propriis, nihil de indulgentiis papalibus inseritur, sed neque perfectio mystica in eo reperitur, &, praeter servilem temporum & modorum definitionem, accommodatior est totus ille labor ad terrendos peccatores enormes, quam ad fideles, & Christiana doctrina & disciplina jam imbutos, consolandos & corroborandos. Interim, quae in hoc libro analoga sunt fidei, & ad odium vitiorum & pietatis studium faciunt, minime reprehendo, neque opus est, ut cum *Maffeio* ad dictamen Spiritus sancti immediatum confugiamus. Cum

(n) *Epicrisis de libro.*

vero idem scribat, *auctum & recognitum fuisse librum, antequam Pontifici confirmandus exhiberetur*, certum non est, quid primo illi Ignatii labori, vel ejusdem aut aliorum interpolationi tribuendum sit. Nec de nihilo sunt, quae autor *Pract. Mor. Vol.I.p.266. & seq.* de creberrimis librorum Jesuiticorum & hujus ipsius mutationibus & (ut ille loquitur) falsificationibus commentatur. Exemplum sane memorabile citat, ex editione 1574. *Burgis* in Hispania excusa p. 31. & 32. ubi statuitur, *majorem perfectionem Christiani esse, si indifferentem se gerat, & expectet ea, quæ Deus revelaturus sit, quam si ad ea se determinet, quæ non revelata & proposita sint per Evangelium.* Subjungit *Maffeius* prolixam de peregrinatione Ignatii Hierosolymitana narrationem *Lib. I. a cap. 11. ad 15.* impulsore scilicet & adjutore Christo, ut putat, suscepta, in qua etiam apparitione ejus non una vice honoratus esse dicitur. Verum longius illa a scopo nostro abeunt, & hoc tantum notandum est, Ignatium proposito suo docendi & convertendi Turcos, quod animo conceperat, excidisse, tum operis difficultate, tum inhumaniter habitum a monachis Hierosolymitanis. In illo itinere Venetiis *Antonio Trevisano*, Patritio, divinitus revelatum fuisse narratur, sanctum virum esse Ignatium; unde & ex porticu, in quo, ex melioribus hospitiis ob habitum sordidum & mendicum rejectus, cubabat, in domum Trevisani receptus est. Et hoc primum est, (quam validum, alii judicent) alterius de illo testimonium, reliqua omnia ab ipsius pendent relatione & asseveratione. Agitare inde animo, quid agendum esset, coepit; neque enim divinae vocationis conscius sibi erat, sui tamen fiducia erectus, singulare aliquid moliebatur. Deliberabat, num coenobium aliquod dissolutum & corruptum intraret & emendaret, post preces tamen, ut *Maffeius Lib I. c.16.* scribit, ab illo proposito destitit, *ne operam suam intra unius familiæ cancellos includeret, satiusque duxit, ut unctioni sancti Spiritus jam subsidia doctrinæ & literarum cognitionem subjungeret.* Haec profecto praepostera sunt, & a methodo atque exemplo vocationis & ministerii, non Lutheri saltem, sed & aliorum, quos Deus ad Ecclesiae suae singulare commodum destinavit, immensum distant. Certe, quos Deus immediata Spiritus sui unctione dignatus est, illi vel miraculoso plane modo omnia didicerunt, vel etiam praeparati erant ex ea disciplina, quam Paulus allegavit, *eruditus ad pedes Gamalielis, juxta severitatem paternæ legis. Act. XXII. 3.* & de qua *ad Timotheum II. ep. III. 14. 15.* scribit: *Permane in iis, quæ didicisti & credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*, & caetera, quae sequuntur, cum summo sacrae Scripturae elogio. Quomodo igitur Ignatius singulari illa unctione, immo visione S.S.Trinitatis, ut audivimus, illuminatus, jam ad puerilia studia & rudimenta doctrinae ablegatur? Scripserat jam libros; concionatus erat in compitis & mensis; & nunc, ut *Maffeius* loquitur, *non erubescit elementarius fieri* & ludimagistrum *Ardebalum* Barcinone adit. Vidit *Maffeius* difficultatem, ut tamen unctionis illius donum cum ruditate & consilio hominis tres & triginta jam annos nati, & qui nunc demum ad

(12) *Ignatii peregrinatio Hierosolymitana & acta Venetiis.*

(13) *Consilia ejus & studia literarum, eorumque examen aliquod.*

An. 1540.

An. 1540. præcepta grammatica discenda accedens, stupidus fuerit, conciliaret, hanc ejus hebetudinem inde ortam esse scribit, quod animum haberet ad cœlestia erectum. *Ita*, ait, *voce amandi vel alia ejusmodi (quæ pueris proponitur) rapi se ad illas cogitationes passus, nihil memoria retinebat. Diabolus illi* (ita pergit) *lumina intelligentiæ offerebat, recondita patefaciens Scripturæ mysteria. At revocari se, deprehensa fraude, a studiis non est passus, & ad pedes Ardebali procidens rogavit, ut se veluti puerum per biennium tractaret, atque verbis & plagis tardantem exciperet. Sic*, (ait Maffeius) *humilitate victus abscessit dæmon, & importunæ illusiones cessarunt.* Credat ista, qui volet. Ex illa tamen schola ad *Complutensem* Academiam sese contulit Ignatius, quanquam & ibi (referente *Maffeio c. 17.*) præpropera festinatione semet impediret. Physica ibi utcunque ex *Heberto*, Theologica ex *Magistro sententiarum* didicit, socios tamen jam tum eligere, & in scholasticorum circulis de pietate & virtute disserere denuo cœpit, itemque pueros informare, & omnium ordinum homines passim ad cultum Dei studiumque religionis acri & vehementi oratione incitare. Hæc cum nulla adhuc vocatione, nec clericali charactere jus docendi adeptus, tentaret, tum, quod multæ mutationes in moribus hominum eum adeuntium sequerentur, ***ad tribunal inquisitorum*** tractus est. Suspectus erat ***Lutheranismi***, item sectæ *illuminatorum*, quæ paulo ante in Hispania oppressa erat, immo & veneficii. Fateor, cum ista & plura in *Maffei* libro legerem, tum ex aliis scriptoribus recordarer, & inprimis nupera historia *Varillasii de hæresibus Lib. XXIII.* ubi haud exigua Lutheranismi semina in Hispania præsertim inter viros nobiles fuisse tradit, in eam me venisse cogitationem, an non Loyola confusam quandam renascentis in Germania, e Lutheri scriptis quibusdam Hispanice, ut constat, versis, purioris doctrinæ notitiam adeptus fuerit. Sed ut hoc pro certo tradere nolim, ita satis liquet, hominem, legitimis proficiendi modis neglectis, & ingenio atque phantasiæ biliosæ nimium tribuentem, a vero scopo aberrasse. Vidit quidem summam in plebe ignorantiam, Cleri negligentiam, utriusque Ordinis turpissimos mores: huic malo remedia quærens, absque vocatione, in compitis concionatus est, & libellum scripsit. At *Lutherus* non solum errores & vitia deprehendit, & zelo illa corrigendi flagravit, sed & legitima & decentia remedia adhibuit; monuit Episcopos; veritatem coram Legato Pontificio, deinde coram Cæsare & proceribus Germaniæ palam asseruit, & cum Doctor & concionator esset, scriptis & voce docuit, non rudis, sed Theologiæ peritus, rejectis, quæ præter fundamenta religionis ex hominum opinione & statutis irrepserant. Ministerii dignitatem non prostituit, nec in popinis & circulis, sed sacris locis concionatus, neque quantum in se fuit, alios concionari permisit, quam qui sufficientem notitiam ex sacris literis acquisivissent. Non auxit superstitiones & rituum atque formularum servitium, quod Ignatius fecit, nec vitæ austeritate & corporis verberatione sanctimoniæ laudem affectavit, sed rationalem & ingenuum cultum Dei, in Spiritu & veritate præstandum, populis commendavit & ipse tenuit.

(14) *Acta Ignatii Complutensia, cum epicrisi ex actis Lutheri.*

Inquisitores, de quibus dicere cœpi, longius etiam, quam Ignatius, ab emendatione Ecclesiæ, quam ille utcunque meditabatur, aberant, & tunc quidem ab imputatis criminibus illum absolverunt, sed initia sectæ, quam institutum ibat, destruxerunt: Vestem, quam cum sociis ex panno laneo nondum tincto gerebat, mutare adegerunt, ipsi nigram, duobus rubram assignarunt, tertio, qui Gallus erat, sua reliquerunt indumenta, quæ nemo in Hispania imitabatur. Post sex tamen menses, cum a concionibus non abstineret, & fœminæ quædam, illo magistro, nescio quas peregrinationes suscepissent, denuo in judicium vocarunt, & carceri manciparunt. In hoc Evangelium, Pauli Apostoli exemplo, concionatus esse a *Maffeio* dicitur, satis incaute; neque enim, ut Paulus Romæ, inter Paganos & Judæos, sed in Hispania, in tanta Archiepiscoporum, Episcoporum, sacerdotum & monachorum multitudine, & in Academia, in qua Theologia christiana doceri asserebatur, versatus est; unde alterutrum sequitur, sive, quod ipse nova & insolita docuerit, sive, quod totus ille Clerus veram Evangelii doctrinam ignoraverit & neglexerit, id quod Lutherus cum suis querebatur. Si vero dicatur, illum non ob doctrinam ipsam, sed quod sine vocatione doceret, coercitum fuisse; tunc perit illa gloria, quam cultores ejus ipsi tribuunt, & juste punitus esset; quanquam non appareat, id ejus crimen fuisse, cum multo post tempore in Italia idem impune auderet. Cæterum ex secunda illa molestia eluctatus, & vinculis solutus hac conditione est, [illegible] jungeretur, quadriennium studiis Theolo[illegible] (qualia scilicet scholastici illi Doctores tractabant) impendere, scholasticum habitum assumere, & a verbis ad populum faciendis abstinere.

(15) *Inquisitorum decreta in Ignatium.*

Verum ille hæc aversatus, relicto Compluto, *Salmanticam* profectus est, ibique cum sociis suis populum publice & privatim docere cœpit. *Res erat*, ut Maffeius scribit, *(cap. 17.) omnino inusitata, & ipsa novitate admirabilis, laicos homines, & externa re nulla differentes a cæteris, Apostolico ac pastorali propemodum munere fungi palam, & sacerdotes ipsos ad partes suas obeundas accedere. Vicarius inde Episcopalis citatum Ignatium interrogavit, quid expertes doctrinæ conciones de rebus divinis haberent? Respondit; se non concionari, sed de virtutis pulchritudine & vitii fœditate, cum occasio daretur, familiariter & ex æquo loco (non conscensis cathedris) disserere, atque homines ad odium peccatorum & amorem probitatis hortari. Ursit Vicarius, quia literis imbutus non esset, an Spiritu sancto esset inspiratus? Ad hoc respondere detrectavit.* Neque ego illius tantum, sed & *Maffei* silentium miror, longeque præfero Lutheri candorem, qui, cum de doctrina sua interrogaretur, non naturalia de moribus sophismata, qualia Ignatius in plateis venditabat, nec inspirationes extraordinarias, sed tantum sacras literas allegabat. *Vicarius responso minime contentus, in squalidum carcerem conjecit hominem, cum socio Callisto. Ibi catena allegati, hominibus concurrentibus iterum de contemtu rerum humanarum, pœnisque vitiorum & præmiis virtutum, concionati sunt.* Interim judices librum de

(16) *Acta Ignatii Salmantica.*

(17) *Ejus carcer & liberatio.*

An. 1540. de Exercitiis, supra allegatum, legerunt & examinarunt, & cum cæteri Ignatii socii ex vinculis evasissent, aut dilapsi essent, ipsum denuo ad examen vocarunt, & cum, teste *Maffeio*, admirabiliter ad omnia respondisset, absolverunt, facta etiam potestate docendi populum, sed addita restrictione, ne definire quædam ex Theologia, præsertim de peccati lethalis & venialis differentia, auderet. *Hoc sibi* (narrare pergit *Maffeius*) *a viris, qui veræ & Catholicæ fidei præsides esse debebant, & a quibus nullius erroris convictus erat, injungi molestissime ferebat, ideoque relicta Hispania, eleemosynis fœminæ cujusdam Barcinonensis adjutus, Galliam petere decrevit, &, itinere sine mora instituto, Lutetiam anno 1528. mense Februario intravit. Hic jam vir XXXVII. annorum, genere & cohortis præfectura, quam gesserat, nobilis, ab annis etiam quatuor scholasticus, & duarum Academiarum civis, non dedignatus est, ut Maffeius d. l. c. 18.* scribit, *in collegio Montacutiano, inter procaces puerorum greges, Grammaticæ rudimenta repetere; suis etiam institutis insistens in summa vixit paupertate, & victum non nisi mendicando quæsivit, in Missarum auditione & Sacramenti usu, ut in Hispania, frequens, suo tamen profectui tunc intentus, alieni curam seposuit, nisi quod in conversatione privata multos ex sodalibus a vitiis retraxisse, & ad vitam monasticam assumendam, opesque pauperibus distribuendas, permovisse* dicitur. Cum octodecim menses inter pueros consedisset, ad collegium *S. Barbaræ* transiit, Philosophiæ per annos tres & dimidium operam dedit, & Magister creatus est; Theologiam apud Dominicanos didicit. Conciliet, qui potest, disciplinæ hujus scabritiem, cum immediata illa & ingenti illuminatione, de qua dictum est. *Maffeius*, doctrinam hominis parum licet prædicans, admirabilem tamen characterem morum nobis depingit. *Mirum* (scribit cap. 21.) *& efficax ingenium Ignatii & studium ad homines demerendos. In Principum amicitias opportune se insinuare, easdemque obsequio & submissione tueri; pares facilitate & morum suavitate allicere; inferioribus & egentibus autoritate, opera, & ex suis angustiis etiam pecunia præsto esse; morbo laborantes vel cum valetudinis periculo adire, solarique amantissime; eorum, cum quibus viveret, ageretve, vel difficultatem naturæ & arrogantiam perpeti, vel ineptias ac stultitiam, quod ita res ferret, dissimulatione mirabili exsorbere; ad aliorum arbitrium & voluntatem, quibuscunque rebus honeste posset, semper accommodare se ac flectere; omnibus denique in Christi gratiam omnia fieri; ubi penitus in horum sensus ac voluntates irrepserat, tum demum officiis ac benevolentia comprehensos occupatosque, pro suo quemque captu, sensim & caute progrediens, Christianæ religionis præceptionibus & officiis excolebat. Atque his ferme artibus, & simul sanctimoniæ & frugalitatis exemplo, multos a turpi & flagitiosa vita, non modo ad sobrietatem & continentiam, sed etiam ad contemtum rerum mortalium, atque ad salutaria Christi consilia convertit, complures præterea hæreticos, grassante jam tempeste Lutherana, tempestivis disputationibus monitisque convictos, ad sacra quæsitorum tribunalia volentes adduxit, & cum sacra Romana Ecclesia in gratiam secreta abjuratione restituit.* Habemus typum, quem, si eo

(15) Inquisitorum decreta in Ignatium.

(16) Alia Ignatii Salmantica.

(17) Ejus carcer & liberatio.

(18) Proficiscitur in Galliam, & inter pueros literas discit, postea Philosophiam & Theologiam tractat.

(19) Character morum ejus ex Maffeio.

tempore exacte non repræsentavit Ignatius, ita tamen se is instillavit, ut effectus, de quibus dicemus, secuti sint. Tantus talisque, si *Maffeio* credimus, periculis non caruit *Lutetiæ*. Vocatus enim est a Dominicano, *Matthæo Orio* ad inquisitionem, sed mox absolutus. Infamem etiam virgarum scholasticarum pœnam, adultis quoque barbari illius temporis more, metuendam, parum abest, quin incurrisset, accusatus, quod scholares ad confessiones & altaria diebus festis abduceret; liberatus ab hoc dedecore est a Præside collegii, *Johanne Govea* Lusitano, quem insigni submissione placaverat.

Jam ad initia societatis *Lutetiæ* constituta venimus. Socii novem, quos delegit, a *Maffeio* aliisque nominantur *Petrus Faber* Allobrox, diligens ejus imitator; severus adeo in seipsum, ut, summa hyeme, meditationes sacras sub dio, nivi insidens, per sex dies, absque cibo & potu, perageret. Quam verum hoc sit, aut quam utile ad scopum, fateor me non capere. Ego meo exemplo, aliorumque, qui me pietatis zelo & exercitio antecedunt, testimonio didici, in morbis aliisque afflictionibus & nimiis virium dejectionibus suspiria quidem brevesque preces ad Deum emitti posse, sed ad seriam, attentam & diuturnam meditationem corpus, si non a molestiarum sensu plane liberum, tamen haud immodice gravatum, requiri, mentem vero non tantum repletione & ingluvie, sed & infirmitate & dolore corpusculi deprimi, ut ad meditandi vigorem elevari difficillime posit. Sed istis alia omnia placuerunt, aut facilia fuerunt. Hæc obiter occasione *Fabri*. Reliqui erant *Franciscus Xaverius*, nobilis Cantaber, Indica missione postea celebris. *Jacobus seu Didacus Laynes*, Seguntinus, qui Ignatio in præfectura societatis successit. *Alfonsus Salmero*, Toletanus; *Nicolaus Bobadilla*, Palentinus, & isti quidem Hispani. *Simon Rodericus*, Lusitanus; *Claudius Jajus* Gebennensis; *Johannes Codurius*, Ebrodunensis; *Paschasius Broëtus*, Ambianensis, Galli. Ex his *Salmero*, *Bobadilla*, *Rodericus*, scribente *Maffeio* superstites fuerunt. Cum his Ignatius in montem martyrum (*Mont-martres*) prope Lutetiam eductis, 18. Kal. Sept. (15. Aug.) anno 1534. votum concepit: Continuatis Theologiæ studiis, mortalibus rebus nuncium remittere; in paupertate, divinæ gloriæ & proximi saluti servire; Hierosolymam navigare & conversioni infidelium incumbere, palmamque martyrii studiose capere; aut si profectio Hierosolymitana non procederet, Pontificem accedere, eique ut Vicario Christi, ad spirituale proximi auxilium, sine ulla vel pretii pactione, vel temporum aut locorum exceptione, operam deferre. In his laudari potest studium theologicum, modo legitimum & fundamentale fuisset, mercedis etiam recusatio, & paratus ad molestias animus: cætera examen patiuntur. Martyrium, sive vitæ periculum pro Deo & religione imminens, si opus fuerit, non recusare debent Christiani, sed nec affectare. Mortalibus rebus nuncium non remitti vita illa monastica, nec veram, & quæ Deo placeat, paupertatem illam esse, Lutherus luculenter demonstravit, aliique post eum, nihilque minus apud Jesuitas, quam hoc devotionis caput, valuit. Hierosolymitana peregrinatio, simpliciter forte non improbanda, corrumpitur tamen plerumque super-

An. 1540.

(20) Lutetiæ pericula incurrit.

(21) Ignatii primi socii in Gallia delecti.

(22) Votum instituta societatis, eorumque consideratio.

per-

An. 1540.

perſtitione aut curioſitate, affectatione glorioſæ, temeraria quoque in pericula præcipitatione, & neglecto, quod cuilibet domi incumbit, officio. Converſio infidelium laudabiliter ſuſcipitur, ſed multa diſpicienda & conſtituenda ſunt, ne temere ſuſcepta, aliis, ſalutem molientibus, exitium pariat. Illa denique ſervitus, quam Pontifici Romano promittebant, quatenus nimirum, ut eventus docuit, ad monarchicum dominatum & faſtum ſtabiliendum, non vero ad Eccleſiæ ſalutem ſpectabat, vix convenit præcepto Apoſtolico *1. Cor. VII. 23. pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*. Neque dubio carebat, quod illi de vicariatu Chriſti pro certo habebant. Interim *Lutheri* inſtitutum votis his Ignatianis præferendum eſt. In Theologiæ puræ & vere Chriſtianæ ſtudiis quid præſtiterit, neminem latet. Mortalia ſane, ſive mundi honores & opes, quæ cum veritatis jactura acquiri potuiſſent, non quidem ſingulari voto, ſed per Dei gratiam ſpontanea virtute ſprevit: gloriam Dei & ſalutem proximi innumeris ſcriptis & dictis eo cum ſucceſſu promovit, quem ad hunc uſque diem tot regna & provinciæ, percepta Evangelicæ doctrinæ luce, & a ſervitute Romana liberatæ, ipſi acceptum ferunt. Reliqua, quæ ad monaſtica ergaſtula & affectatam ſub paupertatis titulo cum damno Reipublicæ inertiam ſpectant, & ſervile obſequium hominibus præſtandum, rejecit & improbavit.

(23) *Reditus Ignatii in Hiſpaniam, & acta.*

Sed ad *Ignatium* redeundum eſt, & ad ea, quæ *Maffeius Lib. II.* tradidit. Sociis, Lutetia abiturus, diem 25. Jan. 1537. conſtituit, quo Venetiis omnes comparerent, inde Hieroſolymam profecturi. Ipſe, in Hiſpaniam regreſſus, ex veteri inſtituto, vili habitu denuo per oppida vagari & victu mendicare, indignantibus agnatis, cœpit; homines publice & privatim inſtruxit, ne tum quidem juſſus aut vocatus; conciones, cum templa confluentem multitudinem non caperent, in agro vel ſub dio habuit, ſecuta, ut refertur, plurimorum converſione: Socios tamen illos priores, in Hiſpania electos, defeciſſe omnes deprehendit, niſi quod Gallus cucullum induerat. Quæ fuerit illa converſio hominum, utique Catholicorum, & quid concionatus ſit Ignatius, non ſatis exprimitur: unum memoratur, parum quidem ad orthodoxam religionem veramque pietatem pertinens, quod ejus ſuaſu ad ſalutationem, qua Maria Virgo colitur, ſignum campana datum ſit. Diverſum plane inſtitutum cum ſuis tenuit *Lutherus*. Victum non turpi mendicatione, ſed ex legitime collatis & promeritis diligenti & multo labore ſtipendiis quæſiverunt; verbum divinæ veritatis non diſcurſantes, ſed ubi & quando vocati erant, populo fideliter annunciarunt, ex quo ſolo, accedente Spiritus ſancti auxilio, ſalvifica fides, cum fructu operum vere bonorum, ſequi poteſt. Cultum Virginis & ſanctorum nec præcepto divino, nec incorruptæ Eccleſiæ exemplo probatum, & ſanctis ipſis contumelioſum, ſuſtulerunt.

(24) *Ignatius Venetias repetit, ſuoque vivit more.*

Ignatius & ſocii Venetias ad præſtitutum diem delati, ex mendicato vixerunt, & viliſſimis ſordidiſſimiſque miniſteriis, in valetudinariis, ſeſe manciparunt, fœda dictu etiam leproſis & Gallica lue putreſcentibus exhibentes. Qui inter eos ſacerdotes erant, Miſſas novo, illo tempore, exemplo, gratis celebrabant. Certum eſt, viſitationem & conſolationem aliaque officia, quæ ægrotis præſtantur, ab ipſo Salvatore noſtro nominatim inter illa opera referri, quibus Chriſtiani fidem ſuam teſtati, æternam remunerationem ex gratia impetrabunt. Sed neſcio, an modus, quo Ignatius cum ſociis uſus eſt, nulla neque vocatione, neque ſatis idonea occaſione, is ſit, quem Deus a ſuis exigit. Quinimo eventus oſtendit, oſtentationi id fere omne datum, & obtento, qui quærebatur, ſcopo, omiſſum eſſe, aut nunc non facile a Jeſuitis præſtari inferioris ordinis hominibus.

An. 1540.

(25) *Romam venit, Venetias regreditur, conſiderantur acta ejus.*

Eodem anno 1537. Ignatius Romam cum ſuis profectus, & a Paulo III. Pontifice permiſſionem Hieroſolymitani itineris, & ex collatione illius pro ſe & ſociis viaticum (non admodum largum) ducentorum aureorum accepit, tunc etiam ſacerdotio initiatus eſt. Evanuit mox, ſive ob bellum cum Turcis, ſive aliis ex cauſis, quæ ex eventu conjici poſſunt, Hieroſolymitani itineris propoſitum, manſit tamen pruritus concionandi Venetiis & in urbibus illius ditionis. Modus hic erat, ut ex officina forte aliqua ſcamnum proferrent, eoque pro ſuggeſtu utentes, elata voce & pileo ſupra caput in gyrum acto, populum advocarent. *Tanto vero orationis impetu, gravibusque & veris ſententiis, tantaque omni geſtu ac habitu, pietate, eo denique in oculis ardore* (verba ſunt Maffei) *concionati ſunt, ut peritiſſimus quisque harum rerum æſtimator, hos demum eſſe Chriſtianos concionatores, germanosque præcones Evangelii eſſe, dictitaret.* Hoc judicium ex comparatione cum aliis ea ætate meruiſſe eos oportet; hodie ne apud ſuos quidem, nedum apud eos, qui veritatis Evangelicæ gnari ſunt, facile invenient. Italos quidem & Hiſpanos ſuperare tunc haud difficulter potuerunt Ignatiani, ſed in Germania, ut Lutherus ipſe teſtatur, non ſolum, qui illum ſequebantur, ſed & ex adverſa parte non pauci diligentius & cautius populum alloquebantur, veterum fabularum & nugarum tædio & verecundia. Elogium vero illud, quo Ignatium & ſocios honorat *Maffeius*, Evangelicis concionatoribus majori longo jure tribui potuit, qui jam non ficta ſanctorum miracula, animarum in purgatorio cruciatus, earumque ex ſuffragiis a ſacerdotio coëmtis liberationes & apparitiones, aliaque ad ſanctorum, & *majorem Virginis matris gloriam* (quod Jeſuitarum ſymbolum eſt) tendentia proponebant, neque corporis verberationes, Gentilis idolomaniæ exemplo inventas, nec ſuperabundantia religioſorum merita miſero & deſpecto laicorum, quacunque etiam dignitate eminentium, ordini applicanda, aut Romani Pontificis admirabilem potentiam & benignitatem in diſpenſandis indulgentiis jactabant, qualia tamen concionum prope omnium illo ſeculo materia erant, & plurimis locis etiam nunc ſunt. Fortaſſis tamen Ignatius cum ſuis, ſi methodum libri ſui, qualis nunc eſt, *de exercitiis ſacris* ſecutus fuit, meliora protulit, quibus nihilominus longe præferenda eſſe, quæ Lutherus ejusque diſcipuli concionari ſolebant, ex collatione ſcriptorum, quæ extant, ſatis manifeſtum eſt.

(26) *Apparitione cœleſti confirmatur; Romæ verſatur, & patronos invenit.*

Verum, eodem *Maffeio* teſte, maximum inſtituti ſui autoramentum habuit Ignatius, cum illo anno, comite *Fabro* & *Layneſio* (præſide quidem Maria Virgine) Romam denuo profectus, haud procul urbe, cum oraret,

An. 1540. raret, & in meditationem defixus esset, Deum sibi apparentem vidit, qui filio Jesu, crucem bajulanti, Ignatium & socios ostendit & commendavit, Christum vero placido & sereno vultu ad se conversum dicere audivit: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Hæc Lutheranis non solum incredibilia, sed & multis ex Romanæ Ecclesiæ doctoribus suspecta fuerunt, nec eventus respondit, si ad gratiam illam respiciendum est, quam vere pii desiderant, & quæ saluti Ecclesiæ conducit. Ignatius, sive illa visione, sive alio modo confirmatus, Pontificis gratiæ sese magno cum studio insinuavit, & omissa infidelium in Palæstina conversione, & vili illa leprosorum & ægrotorum cura, aliam instituti sui periodum Romæ inchoavit. *Faber* & *Laynes* ipso doctiores, in collegio, quod *Sapientiæ* vocant, sacras literas profiteri cœperunt; ipse exercitia sua commendare, ita, ut *Caspar Contarenus* Cardinalis libellum istum sua manu descripsisse dicatur. Procurator vero Cæsaris, *D. Petrus Ortizius*, cum Ignatio in cœnobium quoddam secedens, quadraginta diebus ad illius methodum meditationi vacavit. Sequenti anno 1538. concionari in templis exorsi sunt, & christianam catechesin, quæ, fatente *Maffeio*, dudum obsoleverat, vicatim instituerunt, reducto etiam frequenti confessionis & Eucharistiæ usu, diaboli fraude, ut autor loquitur, extincto.

(27) *Catechesi operam dant.*

Hæc per se laudabilia, cum contumelia tamen Pontificis & Cleri narrantur, quod (ut nihil de tot seculorum inertia dicam) viginti jam annis a Luthero, ejusque sectatoribus acerrime reprehensi & moniti, immo & flagitantibus emendationem magnatibus & populis, nunc demum unius Ignatii indocti, aut in Theologia tyronis, & paucorum obscurorum hominum opera, in rebus, quæ pro totius Ecclesiæ salute ab omnibus curari debebant, tandem excitati sint. Conferentibus interim catecheses Jesuiticas cum iis, quas Lutherus, & post eum alii quam plurimi in provinciis Evangelicorum proposuerunt, facile constabit, quantum hæ præferendæ sint, nucleum divinæ scripturæ exhibentes, argutiis Ignatianis. Scopi etiam differentia haud obscura est: Jesuitarum enim catechesis in populosis & opulentis urbibus instituta fuit, neglecta maxima parte plebis in minoribus oppidis & pagis, Deo tamen non minus charæ, qui infimos præ sapientibus, nobilibus & divitibus elegit, *I. Cor. I, 27.* Motam Ignatio litem ab Augustiniano quodam Romæ fuisse, memorat *Maffeius, d. Lib. II. c. 8.* homine scilicet Lutherano, qui Ignatium de erroribus doctrinæ & turpitudine morum accusaverit, causa tamen ciderit, & fuga elapsus sit. Hæc, vellem, ut autor luculentius retulisset, quo de oppositione doctrinæ Lutheranæ & Ignatianæ rectius judicari possit; quanquam fortassis Augustinianus ille haud magis Lutheranus fuerit, quam multi Episcopi, Prælati & Doctores, qui in Hispania & Gallia Ignatio ejusque sociis & successoribus sese satis acriter opposuerunt.

(28) *Accusatur a Lutherano quodam.*

Sed jam ad confirmationem a Pontifice *Paulo III.* impetratam pergendum est, quæ proprie ad anni 1540. historiam, quam tracto, pertinet. Mirum quidem videri posset, quod eo tempore de novis religiosorum societatibus Romæ cogitatum fuerit, quo tot & tantæ de veterum inscitia, inertia, pravisque moribus querelæ audirentur, & monasteria magno numero non solum in regnis & provinciis, in quibus Evangelica doctrina vigebat, sed & in Anglia, & in Principum, qui reformationem non admiserant, ditionibus, vacua essent, aut ad summam miseriam redacta, ut ex scripto Protestantium publico supra *Addit. III. ad §. LXXVIII.* relato, *lit. b.* intellectum est. Valuerunt tamen Ignatii argumenta, cum præsertim monachorum ingens numerus, & eorum quidem, qui a jurisdictione Episcoporum exemti, Pontifici immediate, ut loqui solemus, subjecti & addicti fuerant, ad extollendam & celebrandam Pontificis potentiam, & ad eos, qui ei resisterent, hæresis imputatione exagitandos auctorati & conducti, palam defecisset, & ad Lutheri ductum & exemplum prædicando effecisset, ut jam tot provinciæ Pontificiæ dominationis jugum abjecissent. Reliqui ad reducendos, quos vocabant, Lutheranos, neque apti, neque satis animosi erant, multi etiam paulo sapientiores reformationem, si non prorsus eo, quem Lutherus desiderabat, modo, aliquam tamen, & præsertim in aula & in curia Pontificia, desiderabant, non obscure assentientibus Episcopis, quotquot eruditione & pietate aliis præstabant. Intererat igitur Pontificis, ut novum quendam delectum hominum, & veluti prætoriam quandam cohortem, haberet, qui, neglectis aliis finibus, suæ tantum potentiæ & utilitatis, quam tot gentes oppugnare cœperant, conservationi studerent. Sic commodum accidit, & callidus satis fuit Ignatius, ut hoc palmario argumento operam suam Pontifici probaret, & simul speciem non contemnendæ & populo profuturæ emendationis præberet, verbi divini prædicationem & instructiones catecheticas jactans, & quidem absque mercede & præmio, cujus cupiditate Clerus pene totus, & inprimis monachorum ordo, infamis erat.

(29) *Societas, ab Ignatio instituta, confirmatur Romæ.*

Referri hic merentur verba ex propositione Ignatii, qua confirmationem a Pontifice petiit: (Retulit ea post alios *Raynald. Tom. XXI. in An. 1540. n. 67.*) ***Quamvis Evangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti ac Jesu Christi Vicario subesse, ad majorem tamen nostræ societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusque mortificationem & voluntatum nostrarum abnegationem summopere conducere judicavimus, singulos nos ultra commune illud vinculum speciali voto adstringi; ita, ut quicquid modernus, aliique Romani Pontifices, pro tempore existentes, jusserint, ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quascunque provincias mittere nos voluerint, sine ulla tergiversatione aut exceptione illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, sive miserint nos ad Turcas, sive ad quoscunque barbaros, etiam in partibus, quas Indias vocant, existentes, sive ad quoscunque hæreticos sive schismaticos, sive etiam ad quosvis fideles.***

(30) *Singulare obsequium ab Ignatio Pontifici delatum.*

Hanc oblationem clementer accepit Pontifex, & in Bulla sive diplomate confirmationis V. Cal. Oct. (d. 27. Sept.) 1540. dato, magno elogio ornavit Ignatium & socios, his inter alia verbis: ***In universitate Parisiensi graduati, & in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu sancto ut*** pie

(31) *Elogium Ignatii ex verbis Bullæ Pontificiæ.*

An.1540. *pie creditur, afflati, jamdudum e diversis mundi regionibus discedentes, in unum convenerunt, & socii effecti, abdicatis hujus seculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Jesu Christi, atque nostro & aliorum successorum Romanorum Pontificum servitio dedicarunt; & jam quam plurimis annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt; verbum Dei prævia sufficienti licentia, publice prædicando, fideles privatim ad bene beateque vivendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, hospitalibus inserviendo, pueros & personas rudes ea, quæ ad Christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, & demum omnia charitatis officia, & quæ ad animarum consolationem faciunt, ubique terrarum, ubi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.* Examinari posset, quam vere dicatur; *socios ex diversis mundi regionibus in unum convenisse*, cum novem illos socios suos Ignatius Lutetiæ inventos, ex Hispanis & Gallis, computato Lusitano & Sabaudo uno, delegerit; item, quod dicantur, *plurimis annis verbum Dei, prævia sufficienti licentia, prædicasse*, cum tamen ex *Maffeio* aliisque Jesuitarum historicis contrarium constet, & a nobis paulo ante fideliter relatum sit.

(32) *Regulæ societatis.* Sed progredior ad regularum societatis considerationem. Harum quidem publicatio constitutione Pontificia anno 1549. vetita fuit: nactus tamen eorum exemplum est Lugduni in Gallia anno 1607. *Rudolphus Hospinianus*, celebris inter Reformatos scriptor, easque *historiæ* suæ *Jesuiticæ* anno 1619. *Tiguri* editæ & anno 1670. recusæ inseruit, cujus fidem hic sequor. Regulæ vero illæ, sive leges, non ab initio statim, sed postquam magna incrementa per omnes fere orbis christiani provincias adepta esset societas, & post publicata Tridentinæ Synodi decreta, eam amplitudinem & formam nactæ sunt, quæ apud auctorem invenitur. Continent multa capita, quorum aliqua ad omnes socios, alia Præpositos, Curatores, Missionarios, aliisque ministeriis destinatos spectant. Nemo non maximam solertiam & circumspectionem in iis deprehendet, quædam etiam, quæ speciem pietatis habent, laudemque & imitationem merentur. Aliqua ex illis in gratiam nostratium, qui libros, quibus usus sum, consulere non possunt, adscribenda esse existimavi.

(33) *Excerpta ex regulis, de paupertate & obedientia.* Ex præceptis, sive regulis generalibus vigesima quarta hæc est: *Diligant omnes paupertatem, ut matrem, & juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus aliquot effectus ejus experiantur; nullaque re tanquam propria utantur, paratique sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia vel necessitas id exiget.* Reg. XXV. *Victus, vestitus, & lecti ratio erit, ut pauperibus accommodata; & unusquisque sibi persuadeat, quod, quæ vilissima erunt ex iis, quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius majorem abnegationem & spiritualem profectum.* Reg. XXXIV. *Ad superioris vocem perinde, ac si a Christo Domino egrederetur, quam promtissimi simus, re quavis, atque adeo litera, a nobis inchoata, necdum perfecta, relicta.*

(34) *De exercitatione conscientiæ.* Reg. XL. *Quicunque hanc societatem in Domino sequi volet, & in eadem ad majorem gloriam Dei manere, sub sigillo confessionis, vel secreti, vel quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit; debet conscientiam suam magna cum humilitate, puritate & charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata, & totius anteactæ vitæ rationem integram vel certe rerum majoris momenti superiori, qui tum fuerit, societatis, vel cui ex præpositis, vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat; & sexto quoque mense rationem hanc sui, ab ultima, quam reddiderit, incipiendo, quisque reddet. Sic etiam videtur, quod Coadjutores, Formati & Professi singulis annis, vel crebrius, si superiori videbitur, suæ conscientiæ rationem dicto modo reddant.* Reg. XLI. *Nullam debent celare tentationem, quam Præfecto rerum spiritualium, vel confessario, vel superiori non aperiant, immo vero, totam animam suam illis integre manifestam esse, pergratum habeant; nec solum defectus aperiant, sed etiam pœnitentias vel mortificationes & devotiones ac virtutes omnes, voluntate pura optantes, ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum judicio illorum, quos Christi, Domini nostri, loco habent.*

(35) *De omittendis negotiis secularibus.* Reg. XLV. *Ut plenius possit societas rebus spiritualibus juxta suum institutum vacare, quoad ejus fieri poterit, a negotiis secularibus abstineat, (qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant.*

(36) *De vitandis novitatibus doctrinæ.* De officio Provincialis Reg. LIV. *Cum opinionum novitas vel diversitas non modo finem ipsum, quem societas ad Dei gloriam propositum habet, impedire possit, sed etiam ipsum societatis statum maxime labefactare: necesse est, ingeniorum licentiam in opinionibus vel introducendis vel sectandis omnibus certa aliqua lege coercere. Quare diligentissime curent Provinciales, juxta mentem constitutionum, ea exacte ab omnibus nostris, & præcipue a Professoribus observari, quæ in ratione studiorum præcipiuntur.*

(37) *De doctrina horti dicenda.* De officio Præpositi domus professæ Reg. XXXIX. *Proponatur populo assidue in Ecclesia verbum Dei, in prædicationibus, & sacræ Scripturæ vel doctrinæ christianæ lectionibus, quod etiam in aliis ecclesiis, plateis & locis præstari potest, quando ad majorem Dei gloriam conferre videbitur: nominatim vero puerorum ac rudium personarum in Christianismo institutionem, tanquam proprium vocationis nostræ ministerium, valde commendatam habeat.*

(38) *De literis scribendis.* De formula scribendi Reg. I. *Magnopere juverit ad animorum unionem in societate, literarum ultro citroque missarum inter inferiores & superiores frequens commercium, & crebro alios de aliis certiores fieri, & audire, quæ ex variis locis ad ædificationem, & eorum, quæ geruntur, cognitionem, afferuntur.* Reg. II. *Superiores domorum & Rectores scribant singulis hebdomadis ad suum Provincialem in Europa, in Indiis vero, ut suis Provincialibus visum fuerit, commodum & opportunum.* Reg. III. *Scribant autem ad suum Provincialem de statu personarum & rerum omnium, non solum, quæ inter nostros, sed etiam quæ per ministeria societatis erga externos in domibus suis vel collegiis fiunt, & non tantum de his, quæ recte si*

An. 1540.

se habent, sed etiam de his, quæ secus; & quoad fieri poterit, curent, ut omnia tanquam præsentia Provincialis cernat. Ex regulis Missionariorum Reg. XI. *Media spiritualia, quibus juxta institutum societatis & beneplacitum superioris uti poterunt, fere sunt ministerium verbi Dei, in prædicationibus, sacris lectionibus, privatisque exhortationibus & colloquiis; sacramentorum, confessionis & Eucharistiæ administratio, exercitiorum spiritualium traditio, dissidentium reconciliatio, casuum conscientiæ ad Ecclesiasticos eorumque officii magis privata explicatio, & Christianæ doctrinæ ad pueros ac alios rudes publica declaratio.* Reg. XII. *Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia permittunt, & vires patientur, incumbere poterunt, & infirmos, præcipue in Xenodochiis, per se vel per alios juvando, & pauperes ac in custodiis detentos, quatenus licebit, eodem modo sublevando.* Reg. XIII. *Et si certus ordo in nostris ministeriis exercendis præscribi non potest, plerunque tamen utilius erit, & securius, ab humilioribus inchoare, ut a doctrina Christiana pueris explicanda, ab ægrotis hospitalium invisendis, eorumque & aliorum magis indigentium confessionibus audiendis.* Memorabilis etiam est canon, sive formula professionis, quam Jesuitæ, qui dicuntur *quarti voti*, jurati edere obligantur. Admittuntur vero ad hoc non nisi seniores, multorumque annorum experimento probati, vivuntque cæteris honoratius & lautius in *domibus*, quas vocant, *professis*, distinctis nempe ab illis, in quibus *novitii* instruuntur, aut lectiones publicæ & scholæ habentur, quæ *collegia* vocantur. Præcipuum quarti voti caput est, quo singulare illud obsequium Pontifici Romano promittitur, de quo supra dictum est, & infra pluribus explicabitur. Canon vero, in quo veluti medulla totius religionis Romanæ, qualis in Concilio Tridentino constituta exhibetur, & qui Pontificio diplomate anno 1564. confirmatus fuit, hic est, ut ab *Hospiniano Lib. V. p. 97. 98.* refertur: *(1) Ego N. N. credo & recipio, quæcunque sacrum generale Concilium Tridentinum credit & recipit; conveniunt enim illa cum iis, quæ in Evangelicis & Apostolicis literis continentur, v. g. Purgatorium esse. (2) Prædictis vero Evangelicis & Apostolicis literis atque aliis, quæ prædictum Concilium credi jubet, etiamsi illa in Evangelicis & Apostolicis literis non invenirentur, credo propter autoritatem Ecclesiæ Catholicæ, quæ in usu Ecclesiastico prædicta scripta & non scripta recipit. (3) Catholicam Ecclesiam credo esse eorum universitatem, qui Romanam Ecclesiarum magistram ac matrem sequuntur, & Romanum Pontificem, Petri Apostolorum Principis successorem, & Jesu Christi, Domini nostri, Vicarium esse agnoscunt. (4) Hanc ego esse Catholicam Ecclesiam, ejusdemque fidem verissimam esse credo, quia SS. Patrum, Orientalium & Occidentalium, Australium & Aquilonarium, ab Apostolis usque ad nos, consentiens & continua traditio, & ipsam esse Catholicam Ecclesiam, & eidem Ecclesiæ credendum esse, docet. (5) Prædictæ autem SS. Patrum traditioni credo, quia eam doctrinam tradunt, quæ a sanctis Apostolis fuit prædicata, ut ipsa doctrinæ successio demonstrat. (6) Sanctis vero Apostolis ideo credo, quia illi a Domino nostro Jesu Christo, ut in ipsius Domini verbis constat, ad docendas gentes missi sunt. (7) Christo Domino nostro & in aliis & in eo etiam, quo se Deum esse testatus est, propterea credo, quia Deus illum misit, lumen ad revelationem gentium. (8) Missum autem fuisse Christum Dominum nostrum a Deo Opt. Max. credo, quia illi omnia conveniunt, quæ sancti Prophetæ de ventura Messia & a Deo mittendo prædixerunt. (9) Prophetis prædictis & aliis etiam, & in eo etiam, quod Deum locutum ipsis perhibent, ideo credo, quia, quæ de Christo Domino prædixerunt, & non nisi per divinam revelationem prædici potuerunt, impleta jam esse video, quale illud est: Gentes fuisse in Christum credituras. (10) Prophetas prædixisse illa, quæ de Christo Domino sub eorum nomine prædicta leguntur, ideo credo, quia non solum christianus orbis, sed etiam ipsi hæretici, Mahumetani & Judæi, Christianorum inimici, eadem fatentur prædixisse, quæ cum gentium & Sibyllinis oraculis conveniunt. (11) Propter prædictas rationes magis credo, quam propter passiones martyrum, cum & Diabolus suos martyres habeat, aut propter miracula, nam & Antichristus facit miracula, falsa quidem illa, sed quæ vera esse videbuntur, aut propter quamvis aliam rationem. (12) Communis ergo ratio credendi hodie ad Prophetarum oracula ultimo resolvitur, id est, ad divinam convenientiam Veteris Testamenti cum Novo, ut merito S. Petrus dixerit: Habemus firmiorem sermonem propheticum. (13) Profiteor, septem esse vere ac proprie sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta ad salutem generis humani, licet non omnia singulis necessaria, scilicet; Baptismum, Eucharistiam, confirmationem, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium. Et horum omnium ceremonias rite venerandas & colendas esse. (14) Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis. (15) Profiteor, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, substantialiter & transsubstantialiter verum corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi. (16) Profiteor, fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transsubstantiationem vocat. (17) Profiteor, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum sumi, & laicis sub una tantum specie porrigendum altaris Sacramentum. (18) Constanter teneo, sanctos, una cum Christo regentes, orationes pro nobis Deo offerre, nos juvare, interdum visitare, scire, quæ apud nos geruntur, opem ferre animabus purgatorii, & has regere, visitare & illuminare. (19) Constanter teneo, reliquias sanctorum esse venerandas. (20) Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum, habendas & retinendas esse, atque illis debitum honorem & venerationem impertiendam. (21) Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem affirmo, ex qua, ceu ex spirituali Ecclesiæ thesauro possint dari indulgentiæ ex superabundantia operum Christi & sanctorum, quibus ipsi non indigent. (22) Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.*

(39) *De exercitiis sacris.*

(40) *Quartum votum & formula professionis.*

An.1540.

(23) Omnia & singula, quæ de peccato originali & de justificatione in S. S. Tridentina synodo definita & declarata sunt, complector & recipio. Ex formula hac (quod obiter noto) judicari potest de libris recentioribus, quos alibi citavimus, quibus mitior molliorque sensus dogmatibus Romanis tribui solet; hic enim pleraque ita referuntur, ut a Jesuitis ad hunc usque diem doceri solent, & absque omni emendatione, quicquid etiam alii jactent, continuabuntur, nisi Deus Ecclesiæ illius reformationem pro sua sapientia & bonitate, eoque, quod ipsi placebit, tempore moliatur. Interim dubitandum non est, quin meliora viderint regularum autores, infallibilem nempe fidei normam in Scriptura sacra: deteriora tamen secuti sint, quæ nullum in illis fundamentum habent, immo ex iis manifesto improbanda & rejicienda sunt, quod ab Evangelicis dudum sufficientissime demonstratum est. Multa alia ex regulis istis, & ex tota historia Ignatii & sociorum memoratu non indigna referri hic possent, sed brevitatis ratio habenda est.

(41) *Nova privilegia Pontificia.*

Restrictus erat in hujus anni diplomate, sociorum numerus ad *sexaginta*, sed alia Pontificis constitutione paulo post sublata fuit restrictio, successum deprehendente Pontifice: unde in Bulla anno 1549. III. Cal. Nov. data, Jesuitæ vocantur *ager fertilis in Domino, qui uberes fructus pariat, pii patres, qui verbo & exemplo prosint, oculi mentis Papæ.* Concessa illis est potestas, coadjutores temporales ad omnia necessaria & utilia officia assumendi, quod Societati, ad acquirendas opes, maximo fuit adminiculo.

(42) *Præpositus societatis generalis, & provinciales.*

Præposito generali, quod munus Ignatio, renitenti quidem, & non nisi a confessario suo, *Theodosio Minorita*, obsequi jusso, delatum erat, amplissima data est autoritas, ut veluti Legatus Dei Romæ resideret. Neque ad annos quosdam restrictum est hoc regimen, quod in aliis monachorum sodalitiis observatur, sed ad vitæ tempus retinetur, ita ut *Paulus IV.* Pontifex anno 1558. frustra conatus fuerit, summam illam potestatem ad aliquot annorum tempus reducere & moderari. Generali assistunt quatuor ex peritissimis. Ipse soli Pontifici subest, neque ullo cum Cardinali aut Episcopo, sed cum illo solo de rebus Societatis & conservandæ Sedis Rom. consilia confert; illius unius censuræ nulliusque alius subditus est. Exemta est societas ab omnibus oneribus personarum & bonorum, etiam a decimis & impositionibus papalibus. Liberam habet facultatem conservandi cum hæreticis, & ad largissimas dispensationes. Ad cantum chori, sive psalmodias & horas, quas vocant, canonicas, quibus reliqui monachorum ordines somnum interrumpunt, & corpus fatigant, obligata non est. His atque aliis privilegiis ita crevit & celebrata est societas, ut anno 1541. Ignatius provinciis Præpositos constitueret, Hispaniæ nempe, Lusitaniæ, Italiæ & Germaniæ. Huic *Petrum Canisium* præfecit. Cauto consilio socios omnes ab Episcopali & Cardinalitia dignitate arcuit, nec ullo modo dimoveri se ab hoc proposito passus est, contra nitente licet Pontifice. Sed postea, ut notum est, ex Jesuitis etiam Cardinales creati sunt, & Episcopatus in India acceperunt. Obiit Ignatius Romæ prid. Cal. Aug. anno 1556. ætatis 65. Reliqua ejus gesta, vitamque interiorem ex *Maffeio* aliisque scriptoribus petere licet.

An.1540.

(43) *Mors Ignatii, & alia quædam de illo.*

Visiones suas ipse in ephemeride consignavit; in scriniis mortui nihil fere repertum est, quam *grana*, quæ vocant, *piacularia, ceræ, agni cœlestis effigies, picturæ & icunculæ*, aliaque id genus, quæ ab impiis, ut *Maffeius* statuit, irridentur, sed non minus a veris Christianis ex meliori principio. Laudatur inter alia singularis & ab hominum moribus diversa, sordium affectatio, qua modestiam contemtumque sui ostentabat, ita, ut aliquando impetum ceperit, ridicula & fœda forma in publicum procedere, ut ludibrium vulgi tanto magis in se concitaret. De miraculis illius plura memorantur, quam credi possunt. Caput ejus radiare visum est *Philippo Nerio*, qui itidem sanctus Romæ habetur; mortuum, qui se suspendio necaverat, suscitavit; spectra pepulit; strumam tactu sanavit. Talia in diplomate Pontificio, quo inter sanctos relatus fuit, enarrantur. *Gregorius* enim *XV.* d. 12. Mart. 1622. catalogo Sanctorum eum adscripsit, cujus Bullam canonizationis 8. Id. Aug. 1623. *Urbanus VIII.* publicavit, & diem 31. Julii ad recolendam ejus memoriam consecravit; quod tamen in Gallia, quia eo die *S. Germani* festum celebratur, rixæ causam dedit, & partiri illum diem jussus est cum S. Germano Ignatius, aut huic, ut antiquiori cedere, & bissextili die singulis quadriennijs contentus esse, ut celebris apud Helvetios Reformatus Theologus *Joh. Heideggerus hist. Pap. §. CCXXXV.* refert. Ex sacris de Ignatio lectionibus, a Pontifice in Festo ejus præscriptis, hæc verba refert *Raynaldus Tom. XXI. in an. 1539. sub finem:* Constantem fuisse omnium sensum, etiam Pontificio oraculo confirmatum, quod *Deus, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium & institutam ab eo societatem objecerit.* Leguntur hæc in *Breviario Romano* ad diem 31. Jul. ubi inter alia etiam refertur, quod auditus aliquando fuerit Ignatius dicere, *si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, & proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori:* De quo dicto ejusque sensu non deessent forte, quæ examen poscerent. Supra omnem modum, immo blasphema est adulatio *Petri Dezæ*, Dominicani Hispani, qui Valentiæ in festo Ignatii principium epistolæ ad Hebræos illi applicavit, pro concione dicens: *Novissime diebus istis locutus est Deus in filio suo Ignatio, quem constituit hæredem universorum:* Parum abfuit, quin etiam adderet; *per quem fecit & secula.*

(44) *Consideratio primarii capitis regularum Jesuitarum de conservanda potestate Pontificia.*

Considerabimus jam, ut ad propositum, propter quod narratio hæc instituitur, paulo propius accedamus, (præter ea, quæ sparsim notavimus) præcipua instituti Jesuitici capita, cum secutis effectis & successibus. Palmarium scopum, sive serio, sive suæ securitatis & utilitatis gratia, præstituit sibi suisque Ignatius, postquam alia ejus consilia irrita fuissent, *Romanæ sedis conservationem.* Huc enim tendit speciale obsequium, quod Pontifici obtulit, licet honestioribus verbis, quæ retulimus, id exprimeret, nempe quod ejus jussu exequi vellet, *quæ ad profectum animarum &*

An. 1540. *& fidei propagationem pertinerent.* Hoc solum non poterat magnum illum Pontificis favorem, & insolita privilegia mereri. Sat magnus monachorum numerus erat, qui idem studium profitebantur, per omnes Orbis provincias, etiam noviter detectas, jamdudum diffusi. Potentiæ itaque & utilitatis Pontificiæ stabilimentum quærendum sibi esse decrevit Ignatius, sub quo suæ societatis commoda tutissime & felicissime promoveri & omnibus aliis Cleri ordinibus palmam præripi posse, judicabat. Protestantium Germanorum aliorumque, tum etiam Angliæ Regis intentio Romæ eo accipiebatur, ut ad omnimodam Romani Pontificatus ruinam spectaret. Hoc quidem ipso anno, ut ex scripto *§. LXXVIII. Add. III.* producto, intelligitur, publice professi erant, suo & fœderatorum nomine Elector Saxoniæ & Landgravius Hassiæ, *sibi tantum doctrinæ divinitus traditæ curam esse, adversarios imperium opes & voluptates quærere, Pontifices vero ita animatos esse, ut malint totam religionem extingui, quam aliquam abusuum & errorum reformationem pati.* Evidentissime etiam probatum a me esse existimo, quod Protestantes, dummodo doctrinæ puræ exercitium & legitimum sacramentorum usum bona cum Pontificum & Episcoporum pace impetrare sibi & suis potuissent, illo tempore non solum, ut fecerunt, intactas opes Pontificis & Episcoporum relicturi, sed & jurisdictionem & autoritatem illorum in omnibus, quæ salva religionis substantia ferre potuissent, toleraturi & agnituri in suis provinciis fuissent. Hoc accipi, & reformatio manifestorum defectuum & errorum admitti, & immane illud schisma, quod pertinaci illa & sæva renitentia desperatum & inconciliabile factum est, evitari potuisset. Quapropter societati Ignatianæ, observatis ejus per orbem christianum, & in Germania speciatim, moliminibus, non immerito exprobraverunt Protestantes servitutem illam, qua se non tam religioni, quam potentiæ Romanæ conservandæ, obstrinxerat. Hunc excessum etiam insignes Romanæ Ecclesiæ doctores aliaque prava Jesuitarum consilia dudum animadverterunt, ut ex actis librisque, contra illos in Hispania, Gallia, Venetiis & alibi publicatis, manifestum est. Etsi vero contradictiones illas, urgentibus Ecclesiam fatis, superaverint Jesuitæ, & intra annos centum incredibiles progressus, non contra Evangelicos saltem, sed &, ad augendam atque ad immensas opes & potentiam evehendam societatem, contra Episcopos, Prælatos & religiosa sodalitia suæ Ecclesiæ fecerint; ab annis tamen fere quinquaginta debilitari cœpit ingens illa machina, nec sine rei Evangelicæ emolumento; certe ad confirmationem plurimorum, quibus summa illa Societatis felicitas scrupulum excitare potuit, factum est, ut defectus & vitia doctrinæ & morum ab insignibus & doctissimis in Ecclesia Romana viris detecta magis magisque fuerint, id quod maxime præstiterunt Episcopi & Doctores Galli, magno quidem plerunque cum malo suo, *Jansenistarum* nomine infamati, & durissime tractati. Horum libri, etsi in dogmatibus vehementissime dissentiant ab Evangelicis, & his pessime autores eorum cupiant, fidem tamen dictis faciunt, optandumque esset, ut Latine, aut nostra lingua omnes versi extarent. Ut de veteribus, & a *Scioppio* scriptis, jam nihil afferam (notis quippe) luculentum inprimis opus est, lingua Gallica, sub titulo; *Morale pratique des Jesuites, (Practica moralis Jesuitarum)* publicatum, quod jam in tria excrevit volumina, in quibus, allegatis, & ex ultima India & America accitis, aut ex monasteriorum in Hispania secreto, eruditis documentis, referuntur, quæ ad notitiam Evangelicorum nunquam pervenissent, nisi collisi inter se Jesuitæ & alii Prælati & Doctores fuissent. Autor priorum voluminum ignotus esse voluit, at tertii *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, Jesuitarum potissimum suasu ex Gallia ejectus, haud dubie habendus est. Patuit ex his libris arcanum, quod Protestantium vix ulli penetratum fuisset, quod Jesuitæ, immemores devoti illius obsequii, quo Pontifici sese obstrinxerat Ignatius, suæ Societatis potentiam & gloriam Pontificiæ majestati longe præferant, & ubicunque possunt, non Romanæ Sedis, sed suas res agant. Verum, qui Romæ vivunt, Jesuitæ, cautius sese gerunt, interque eos *Sfortia Pallavicinus*, decantatissimus historiæ de Concilio Tridentino autor, cujus toties in opere hoc nostro mentio occurrit, pro ingenii sui acumine, magnaque eloquentia, nihil omisit, quo dominatum Pontificium adstrueret, & ab imputationibus corruptelarum liberaret, ut ex iis, quæ passim allegavimus, constare aliquatenus potest. Nuperrime vero Gallus quidam, qui se *Richardum Abbatem* (nescio, an non ficto nomine) vocat, edito anno 1690. magno adversus *D. Petrum Jurium*, celeberrimum inter Reformatos scriptorem, volumine, (cujus contenta in *Actis Erud. Lips. p. 571. & seqq.* item *p. 698. & seqq.* exhibentur) Pallavicinum graviter vituperavit, & quicquid ille non pro religione aut Sede, sive moderata & canonibus convenienti pontificis autoritate, sed pro dominatu ejus despotico, quavis occasione, toto opere suo commentatus est, ita culpavit & rejecit, ut *horrori esse* dicat *omnibus Ecclesiæ Romanæ veris filiis, & zelum pro Ecclesia habentibus.* Contrarias itaque criminationes hodie sustinent Jesuitæ, non solum servilis, ubi ea illis expedit, adulationis, qua Pontifices, eorumque familiares palpant, sed & contumaciæ & malæ fidei in spernendis Pontificum jussis, quando suis adversantur honoribus & commodis.

(45) De libris contra Jesuitas a Romano Catholicis editis.

(46) De Pallavicino aliquid.

Alterum est & speciosissimum, quod Ignatius pro gloria & utilitate Romanæ Ecclesiæ obtulit, ministerium nempe propagandæ in regionibus infidelium religionis. Hoc vero, si Jesuitarum relationibus & panegyricis credimus, ita præstiterunt, ut non solum Protestantes, quos cessationis & desidiæ hac in re accusant, sed omnium reliquorum in Ecclesia Romana Clericorum studia & labores longissime superaverint, & miraculis martyriisque suis Orbem illum, quem vocamus novum, vastissima nempe regna Indorum, Sinarum, Japonum & Americanorum impleverint. Hoc pro summo societatis suæ merito Pontificibus imputant, Protestantibus vero, ut characterem indubitatum veræ doctrinæ sive Ecclesiæ Catholi-

(47) De missionibus Jesuitarum Indicis sive Chinensibus.

An.1540. cæ obtrudunt, quam suo ministerio Deus tantis successibus honoraverit & probaverit. Dudum gloriationibus his responderunt Evangelici, ita ferme, ut fingi plurima dixerint majori licentia, quod ex locis tam dissitis, & ad quæ nostratibus accessus olim sane minime patuit, quæ ipsi vellent, referre, & a nemine facile contrarii convinci possent. Qui mitius senserunt, quædam, ab initio præsertim, a *Francisco Xaverio* inter Indos & Japones acta (quæ non prorsus conficta esse existimarunt) singulari gratiæ divinæ tribuerunt, qua fieri potuerit, ut, quæ ex verbo divino barbaris proposita sunt, præcipua & simplicissima fidei Christianæ capita, eos ad salutem promoverint, Deo errores admixtos, modo, nobis quidem parum perspicuo, in piis mentibus corrigente & condonante. Verum hodie autores quos indicavimus, alia suggerunt, quæ jactantiæ illi Jesuitarum opponi possunt. Producunt enim delatas ad Pontifices ab aliis, qui in India pro conversione gentilium laborant, monachis, immo & Episcopis, magni nominis, vehementissimas querelas, per quas Jesuitarum in missione illa sua perversissimæ artes, immo enormia flagitia, ita describuntur, ut vix credi possit, esse homines Christianos, doctos, sacerdotes, & Apostolicum munus usurpantes, qui audere illa & perpetrare non erubescant, & tanta discrimina terra marique adeant, sævissimis etiam suppliciis & cruciatibus, cum apostasiæ, in quam etiam non pauci inciderunt, periculo, sese objiciant, non, ut veram & puram doctrinam Evangelii, quod jactant, gentilibus illis proponant, sed ut opes & honores acquirant. Hæc, ut dixi, ex illorum constant relationibus, qui ejusdem cum Jesuitis religionis sunt, easdemque provincias, propagandæ fidei causa, frequentant, & quorum aliqui pro religione durissimam mortem oppetierunt. Quoniam autem rei Evangelicæ interest, ut ex his autoribus quædam nostratibus, qui libris illis carent, aut linguas, quibus scripti sunt, non intelligunt, innotescant, ex documentis, quæ *Vol. II. Pract. mor.* exhibentur, præcipua ad rem facientia producam.

(48) *Excerpta ex Theatro Jesuitico.* Excerpsit vero autor *Part. II. Pract. mor.* primo librum, cui titulus est, *Theatrum Jesuiticum*, quo quidem huc usque potiri non potui. Prodiisse dicitur lingua Hispanica anno 1654. *Conimbricæ*, inscriptus *Innocentio X.* Pontifici, ut apologia esset monachorum, in India Christianismum prædicantium. Relatus tamen est Jesuitarum, ut creditur, opera in *indicem librorum prohibitorum*. Autor habitus fuit *Ildefonsus a S. Thoma*, monachus tunc Dominicanus, nunc, (nam nuper admodum superstes fuit) Episcopus *Malacensis*, quem dicunt filium naturalem Philippi IV. Hispaniarum Regis esse. Verum hunc Jesuitæ permoverunt, ut edito libello pernegaret, se libri illius autorem esse, famamque illam de natalibus suis refelleret, acri cum invectiva adversus *D. Arnaldum* Sorbonicum, itemque *D. Petrum Jurium*, ex Reformatis, quorum uterque ex libro illo, Ildefonso attributo, Jesuitis insultarunt. Quomodo vero Arnaldus Ildefonso responderit, nec Jesuitis pepercerit, ex tractatu ejus, qui in *Actis Erud. Lipsiens. 1689. p. 616.* relatus est, intelligitur. Licet autem *Arnaldus* probabiles rationes alleget, propter quas, ut & alii fecerant, Ildefonsum pro autore libri illius habuerit, admittere tamen non recusat, quod Jesuitæ posthac asseruerunt, scripti nempe autorem fuisse *Johannem de Ribas* Dominicanum, quem quidem Jesuitæ non parum sugillant, sed Arnaldus, producto testimonio *Dominicanorum Cordubensium*, in quorum conventu anno 1688. mortuus est, tanto impensius laudat. An.1540.

(49) *Prævaricatio Jesuitarum in prædicando Chinensibus Evangelio & administrandis Sacramentis.* Cum Jesuitæ ante annos septuaginta (ita in excerptis *Theatri d. l. p. 1.* narrare incipit, quem cito, autor) in regnum Chinense, sive Sinense pervenissent, ut Evangelium prædicarent, regio vero illa pretiosissimis mercibus, ex quibus ingens lucrum capi poterat, abundaret, ex concionatoribus mercatores facti sunt. Cumque viderent Sinenses molles & effœminatos, nec non superstitionibus suis addictissimos esse, illorum favorem, ne lucrum, cui inhiabant, perderent, captare, etiam relaxata doctrinæ Evangelicæ rectitudine, cœperunt, id agentes, ut abominabiles gentis ritus & mores tolerarent, & disciplinam Christianam, utut plane contrariam, illorum idolomaniæ & vitiis accommodarent. Primus Jesuitarum, qui Chinam ingressus est, *Matthæus Riccius* fuit. Is *Bonziorum*, sacerdotum idololatricorum, habitum sumsit, rasusque est toto capite & genis. Excusabatur hoc, quod illo modo tutius versari inter barbaros liceret; sed autor statuit, habitum seu vestitum illum idololatrici cultus characterem fuisse, nec ab ullo Christiano, quanticunque commodi, immo nec conversionis aliorum spe aut prætextu, geri, salva conscientia, potuisse. Alius mox Jesuita *Julius Alenus*, Riccii opera ad Imperatorem admissus, artes mathematicas & militares docere cœpit. Huic *Aleno* imputatur, quod idololatria profundiores radices in Sinarum regno egerit, cum ipse & socii omnes, a disciplina Christiana recedentes, novitios ab omnium præceptorum Ecclesiæ, quæ positiva vocantur, obligatione liberos esse finerent, neque ex Sacramentis & ritibus Ecclesiæ quidquam præter Baptismum retinerent; jejunia, confessionem, communionem & Missarum audiendarum onus vel prorsus omittentes, vel mollissime & raro exigentes. Probat hæc autor *Francisci a Matre Dei*, monachi Franciscani, relatione ad superiores suos anno 1616. ex China missa, & attestationibus ejusdem Ordinis monachi, *Antonii de S. Maria*, qui Notarii vicem præstitit, & dicta *Casparis Ferreyræ & Emanuelis Diazii*, Jesuitarum, literis consignavit, itemque *Bartholomæi Roboreti (Roboredo)* Jesuitæ, ex insulis Philippinis, responso ad Franciscanorum accusationes, & ex actis in aula regia Hispanica, in qua a Jesuitis allegatum esse dicit privilegium Pontificium, per quod concessum illis fuerit, vincula illa Ecclesiasticarum legum relaxare. Fatetur quidem autor *Theatri*, ex quo ista referuntur, a *Paulo III.* Papa anno 1537. permissum fuisse neophytis in India, ut non nisi *vigilia Paschali & Natalitia, & diebus Veneris in Quadragesima*, jejunarent, & præterquam diebus *Dominicis, festoque natalitio & circumcisionis*, in reliquis omnibus manu, si vellent, laborarent; sed reliquas indulgentias probare Jesuitæ, ut autor testatur, non potuerunt. Reprehendit illos idem, quod in Baptismo fœminarum, ne maritos zelotypos offenderent, unctionem, sputum & sal omitterent, neque extremæ unctionis participes fœminas

An.1540. nas facerent, nempe ut favorem barbarorum retinerent, licet Franciscani aliique monachi isthæc omnia apud suos neophytos sine difficultate exercerent. Hic iterum contraventum esse dicit Bullæ *Pauli III.* qua præceptum sit, ut provectæ ætatis viri in summo vertice & in pectore, adolescentes vero & fœminæ ungerentur, ut pudor permitteret. Porro, cum lege regni, enormissimæ usuræ, triginta nempe pro centum, singulis annis præstandæ, concedantur, Jesuitæ discipulis suis easdem permiserunt, id quod ex *Aleni*, supra dicti, tractatu de confessionibus, lingua Sinensi edito probat. Baptizarunt etiam absque scrupulo, & non injuncta male quæsitorum restitutione, fœneratores sive trapezitas publicos, qui pignora propter non solutas usuras, gravissimas licet, ex pacto commissorio retinebant: Ita factum est, ut monachi, flagitia illa in conversis non ferentes, in summum inciderent odium. Probat id ex *Johannis Moralis* Dominicani relatione, cui fœnerator quidam, ab eo conversus, non sine ironia responderit, monachos vestitum veterem & obsoletum reducere, Jesuitas novo & usitato, & qui placeat, uti, alludens ad morem gentis, qui tunc mutatus erat, sumtis, strictarum & arctarum loco, tunicis manicisque largioribus. Gravius culpantur Jesuitæ, quod conversis suis indulgeant, ut more gentis sacrificia majoribus suis faciant. Hoc prolixe probatur tum *Part. II.* tum *Part. III. Pract. moral.* & effugiis Jesuitarum, qui ritum civilem & innoxium ex sacris illis facere voluerunt, eoque sophismate Pontificibus imposuerunt, & dispensationem impetrarunt, respondetur. Præterea, ut summam impietatem detestatur autor, quod discipulis suis manifestum idolorum cultum permittant, dummodo intentionem illius ad simulacrum crucis, in altaribus idolorum occultatum, dirigant. Narrat, Jesuitas in sacellis suis Imperatori Chinensi altaria struere, sacra idololatrarum funebria palam frequentare, & Missas in domibus & conclavibus, in quibus imagines majorum, quæ ut idola coluntur, extant, celebrare. Ad hæc probanda producuntur literæ monachorum, & confessio Jesuitæ cujusdam *Ignatii Lupi (Lobo)* qui anno 1635. fassus est, se cohorruisse, cum prima vice exequiis pagani Chinensis interesset, & coram cadavere in genua procidere debuisset; animatum tamen ad id fuisse a duobus, quos vocant, *Mandarinis*, sive regiis magistratibus, qui testati essent, *Provincialem Jesuitarum* & *Julium Alenum* idem fecisse. Permitti etiam a Jesuitis scribit, ut Chinenses Christiani imaginibus Christi & B. Virginis majorum suorum, damnatorum licet, effigies, quas colunt, adjungant. Interim ex literis Jesuitarum Chinensium, ad Generalem suum Romam scriptis, & interceptis, refert, quod acerbe de monachis conquerantur, qui hanc Jesuitarum methodum & prudentiam non sequantur, & sperare se dixerint, fore, ut divina ope monachi illi omnes regno ejiciantur, nec Episcopum sui Ordinis, quod moliebantur, a Pontifice impetrent; *hoc enim si fiat*, scribunt, *actum de nobis est.* Non dissimulo, esse quædam inter illa, quæ ex Dominicani illius libro refero, quæ, si secundum Evangelicæ veritatis regulas examinentur, laudem potius, quam vituperium Jesuitis pariant. Nam, quod jugum illud intolerabile tot rituum Romanorum gentibus ad Christum conversis imponendum non esse censent Jesuitæ, faciunt id ex præscripto Evangelico & exemplo Apostolorum, quamvis parum satisfaciant obligationi, qua se Pontifici obstrinxerunt, dum jussa ejus negligunt aut transgrediuntur: Peccant quoque dum ferre nolunt alios Evangelii præcones, suæ licet Ecclesiæ membra, ut satis appareat, quod suum honorem & commodum populorum saluti præferant. Verum longe deteriora sunt, quæ *d. l. p. 45. §. 9.* sequuntur; ubi refertur, quod Jesuitæ Chinensibus & Japonibus nolint Christum pauperem & crucifixum prædicare, sed tantum regnantem & gloriosum repræsentent, longe recedentes ab Apostolorum instituto, qui scientes licet, crucem Christi stultitiam esse gentibus, nihilominus Christum crucifixum annunciarunt, & tamen durissima gentilium corda emolliverunt. *At isti*, scribit, *sapientiores sibi videntur, & per annos octoginta non nisi ea religionis elementa Barbaris proposuerunt, quæ illis nullum afferrent scandalum, aut in moribus eorum nihil mutarent. Addit, sperari a Jesuitis non posse, ut mysteria salutis doceant, et si præter octoginta illos, tot mille adhuc annis in China versarentur; ratio*, ait, *est, quia ipsi paupertatem oderunt, & bene vestiti & laute viventes, tum mercaturæ & quæstui incumbentes, ridiculi futuri essent, si pauperem & crucifixum Christum, ejusque exemplum populis, luxu & libidine corruptis, quorum favorem ambiunt & opes quærunt, commendarent. Nihilominus tamen Europam relationibus suis de insigni progressu doctrinæ Evangelicæ a se procuratæ implent & obtundunt, cum ii, qui Jesuitas noverunt, certo sciant, quam parum per tot annos præstiterint. Et quomodo possint illi* (pergit) *ex Chinensibus Christianos efficere, cum potius ex Christianis faciant Chinenses, talesque ipsi fiant.* Rejicit illorum excusationem, ac si positis primum principiis postea doctrinam de mysteriis crucis subjungant, negatque id ab illis fieri, nec moribus & scopo eorum convenire, ut Christum aliter, quam gloriosum, prædicent. Allegat epistolam *Caspari Alendæ* ex Philippinis, qui narrat, se *Pequini* (celebri Sinensium urbe) in templo Jesuitarum picturam Christi & duodecim Apostolorum observasse, qui commodissime vestiti & calceati repræsentati essent; alibi ita pictos, ut pedes eorum, ne nudi conspicerentur, occultati fuerint, Hieronymum quoque habitu Cardinalis decoratum. Citat etiam epistolam *Soteli*, in qua refertur, Japones dicere solere, duos esse Deos Christianorum, unum divitem, potentem & lautum, Jesuitarum; alterum Monachorum, nempe pauperem, miserandum & famelicum, & hinc originem habere diversa utrorumque dogmata. Addit, ab *Ignatio Lupo*, Jesuita supra nominato, rogatos fuisse per Deum Franciscanos, ne effigiem Christi crucifixi in templo suo proponerent, eam enim Chinensibus horrori esse. Aliis testimoniis etiam confirmat, quod Jesuitæ effigiem Christi crucifixi in obscuro ædium loco, vilibus ministeriis destinato, occultatam habuerint, nulloque honore affecerint. Igitur a Christianis quoque Chinensibus monachos moneri, ne crucem illam monstrent, & fuisse, qui icunculam Christi crucifixi, ut moris est, sibi donatam aversati An.1540.

(49) Prohibicatio Jesuitarum a tradicione Chinensium Evangelio dominicandi Sacramentum.

(50) De idololatria, cujus participes se faciunt Jesuitæ.

(51) De recitatione doctrinæ, dum crucem Christi non prædicant.

An. 1540.

(52) *Causa odii Jesuitarum in monachos.*

versati sint & restituerint; sperni itaque contrario Jesuitarum splendore & luxu, a Chinensibus observato, paupertatem & nuditatem monachorum, & hanc causam esse, quod Jesuitæ in regionibus illis monachos tam ægre ferant, & apud proceres gentis traducant, quasi non religionis, sed eo consilio adveniant, ut Hispaniæ Regi provincias illas prodant. Sciunt enim, ab his mores suos & mercaturæ quæstum, quem ante omnia sectantur, Pontifici denunciari, unde & factum est, ut *Urbanus VIII.* Pontifex anno 1636. d. 22. Febr. edito diplomate Jesuitis, varias licet excusationes afferentibus, simulque monachis omnibus (quanquam ex his nemo illius excessus reus esset, sed solummodo invidiæ levandæ causa Jesuitis accenserentur) mercatura plane interdixerit. Reliqua, quæ autor de Jesuitarum in monachos odiis & moliminibus diversisque methodis, commentatur, hic prætereo, quædam vero paulo post ex epistola alia producam.

(53) *Alia Jesuitis objecta.*

Notari judicium autoris meretur, dum scribit: *Non permitti a Deo, ut Jesuitæ miracula in regionibus illis edant, indignam enim esse doctrinam, qualem ibi prædicant, quæ per miracula accipiat confirmationem.* Ideo etiam martyrii honorem Jesuitis fere abjudicat, quem & vitari ab illis diligentissime dicit, & in Japonia per annos triginta securos intactosque vixisse Jesuitas, unumque tantum, illumque Japonem & laicum, ex illorum sodalitio inter primos martyres anno 1597. fuisse, quando sex monachi Franciscani, & ex Japonibus septendecim, supplicio religionis causa affecti sunt. Exprobrat illis fœdas apostasias duorum Provincialium in Japonia, *Christophori Ferreyræ*, & *Joh. Bapt. Porri*, qui etiam perniciosissimum consilium barbaris dederint, ut Christianos in palatia omnibus delitiis affluentia includerent, & per scorta ad defectionem solicitarent, id quod primo in duobus successerit Jesuitis, quos nominat, & scriptores Jesuitarum fraudis convincit, qui ista, productis falsis testimoniis, negare ausi fuerint. Hoc prolixius *Part. III. Pract. mor.* deducitur & probatur. Quamvis vero ex decreto congregationis Romanæ, quæ *de propaganda fide* dicitur, regulæ Jesuitis præscriptæ sint, quas sequi in missionibus suis deberent; negat tamen autor, observatas ab illis esse, idque memorabilibus exemplis probat, invectus maxime in *Martini Martinii*, Tridentini, Jesuitæ, cujus libri *de rebus Sinensibus* extant, prævaricationes, quod in summum *Mandarinorum*, sive procerum aulicorum ordinem evectus, superbo luxui & superstitionibus dissimulandis probandisque sese dediderit, tractatis & rejectis summo cum contemtu monachis, idque agens, ut omnes ex Imperio Sinensi expellerentur. Taceo alia, quæ ad singulorum potius vitia pertinent, quam ad consilia & instituta societatis.

(54) *De Ludovici Soteli Episcopi Japonici, querelis contra Jesuitas Romam delatis.*

Progredior ad epistolam *Ludovici Soteli d. Vol. II. p. 137. ad 197.* relatam, quæ d. 20. Jan. 1624. Pontifici ex carcere *Omurensi* in Japonia scripta fuit. *Ludovicus* iste monachus fuit Franciscanus, cum aliis ejusdem ordinis viris, multis annis, in Japonia versatus, ea quidem cum laude, ut a Pontifice Episcopatus munus in parte Japoniæ illi conferretur. Ad quod capessendum, cum denuo in Insulam navigasset, captus a barbaris & supplicio affectus est. Paulo itaque ante mortem amplam relationem ad Pontificem composuit, in qua & acta sua & Jesuitarum, & statum Ecclesiæ, qui tunc in vasto illo regno erat, exposuit, ea quidem, ut profitetur, fide, quam Christianus & religiosus, tum etiam Episcopus, & martyrii candidatus, præstare deberet. Suspectam fecerunt hanc epistolam Jesuitæ, suis quippe rebus vehementer nocentem, sed *Arnaldus*, aut quisquis autor est, *Practicæ moralis*, præcipue *Part. III.* (quam *Acta Erud. Lips. 1690. d. l. p. 381. & seqq.* in compendio exhibent) objecta refutavit. Præterire autem lubet, quæ *Sotelus* de molestiis a Jesuitis sibi, in impedienda consecratione Episcopali exhibitis, conqueritur. Referam vero in compendio, quæ ad Jesuitarum actiones in Japonia tunc temporis circa sacra & regimen Ecclesiæ pertinent. Scribit nempe *Sotelus*, postquam anno 1614. edicto Imperatoris Japonici, cultus publicus, qualem *Jesuitæ* in orientali, *Franciscani* autem, *Dominicani* & alii monachi in occidentali regni parte stabiliverant, sublatus fuisset, perstitisse tamen magnam incolarum partem in fide illa, quosdam etiam, non obstante sævissima persecutione, de novo conversos ad eam esse, sed nihil magis progressum religionis sufflaminasse, quam defectum operariorum. Ortum autem eum esse ab horrenda oppositione & contradictione Jesuitarum. Hi, ut refert, & aliunde notum est, impetraverant, ut Episcopatus in Japoniam Episcopo urbis *Maccao* in China collatus fuerit, evecto etiam ad id munus viro suæ societatis. Ab hoc *Provincialis Jesuitarum* in Japonia præpositus vicariam acceperat potestatem, suisque subdelegabat sociis, ita, ut sacrorum totum regimen in Jesuitarum manibus esset, & ab iis, quicquid reliquum erat, Christianorum, dependeret. Interim plus quam triginta Jesuitæ eo tempore, quo *Sotelus* scripsit, in LXVI. Japoniæ regnis & plus quam ducentis provinciis non fuerunt, qui ne percurrere quidem aut visitare tot regiones, magnasque & populosissimas urbes poterant, nedum animarum curæ satisfacere.

(55) *Specitum, quod sufficientem animarum curam non gerant, nec alios permittant.*

Quoties tamen audirent, aliquem ex aliorum ordinum monachis, vel zelo suo ductum, vel ab incolis vocatum, advenisse, & sacramenta administrare, quibus plurimi incolarum per annos viginti caruerant, tum confestim Jesuita quidam a *Provinciali* missus, ab una regni ora ad aliam, qua potuit celeritate accurrens, monachorum in locis etiam a Jesuitis nunquam frequentatis, ministerium disturbabat, obtendens, quod suæ societati soli jus diœcesanum attributum esset. Si instaret monachus, & desertam ab illis aut nunquam aditam provinciam a Jesuitis fuisse regereret, tunc ille, præsente populo, decretum Concilii Tridentini prælegebat, & Japonice interpretabatur, quo sacerdotes omnes vetantur sacra ministeria, absque permissione pastoris, sive *Curati* ordinarii, exercere. Nec juvabat monachum, si ex eodem Concilio exceptionem afferret, & prohibitionem illam negaret ad illas Orbis partes & neophytos Christianos pertinere; abrupta enim disputatione, Jesuita autoritate Episcopali usus, incolis omne

A. 1540. omne commercium cum monachis interdicebat, excommunicatione terrens renitentes; pessime etiam tractabat eos, qui ex commiseratione hospitio excepissent monachum, aut in *fraternitates*, quas vocant, *Rosarii* & *Cinguli S. Francisci* recipi se passi essent. Ista multis exemplis varisque cum circumstantiis *Sotelus* Pontifici demonstrat. Queritur etiam, quod non solum isto modo monachos vexent, & Christianos cum iis conversantes excommunicent, sed & omnia illorum acta sugillent, traducant & calumnientur, & testimonia, si quis ex monachis martyrium passus esset, denegarent, quicquid autem ipsi gererent, in immensum extollere, & per totum Orbem magnifice deprædicare solerent. Item, quod ultro gloriarentur, quos patronos in aula Romana & Hispanica haberent, quorum favore omnia impetrarent, utque Episcopo suo omnem autoritatem adimerent, eumque ex suo arbitratu agere cogerent, *Vicariorum* titulo omnia ejus munera in se trahentes. Hinc factum esse ait *Sotelus*, ut non solum Christiani Japones magnum ex dissidiis inter Jesuitas & monachos scandalum sumerent, sed & pagani palam insultarent religioni, & tam Jesuitas quam monachos pro simulatoribus & hypocritis haberent, & cum sacerdotibus suis idololatricis *Bonziis* paris nequitiæ esse dicerent, qui ex religionis professione & externæ sanctimoniæ affectatione tantum honores & lucra quærerent, unde tandem concludebant, unum idemque utriusque religionis, christianæ & paganæ, id est, nullum fundamentum esse, & populum fuco & fabulis decipi a sacerdotibus, qui, sancta & honesta aliis proponerent, ipsi nihil tale in vita & moribus interioribus exercerent & præstarent. Cætera ex hac epistola, quæ non solum querelas de molestiis autori a Jesuitis exhibitis, sed & consilia continent, per quæ Pontifex Jesuitas coercere, & Ecclesiæ Japonicæ, aliisque per aliorum ordinum monachos & Episcopos prospicere posset, referre supersedeo.

(56) *Libellus Didaci Collati, Dominicani.*

Memorabilis etiam est libellus eadem *Part. II. p. 198.* relatus, quem *Didacus Collatus (Diego Collado)* Dominicanus, Hispaniarum Regi anno 1631. exhibuit, in quo Jesuitarum actiones in India, China & Japonia acriter taxat, *Soteli* relationem supra dictam ab objectionibus Jesuitarum defendit, aliisque illorum excusationibus respondet, & remedia suggerit, unde & opera Regis, cum Pontifice ea de re agentis, rescripta quædam Pontificia postea secuta sunt. Sed pleraque, quæ Dominicanus iste monuit, ex iis, quæ retulimus, intelligi possunt. Ex observationibus vero huic *Vol. II.* ab Arnaldo, ut verisimillimum est, subjunctis, operæ pretium est, aliqua referre.

(57) *Annotationes singulares autoris Part. II. Pract. mor. speciatim de gestis Jesuit. inter Abyssinos.*

Notat (1) Jesuitas, cum in partem Africæ, quam Aethiopes Abyssini (gens Christiana) incolunt, recepti essent, non minori zelo & rigore, quam errorem Eutychianum, qui illis imputatur, jejunia eorum reformasse, quæ tamen primitivæ Ecclesiæ exemplo sanctius, quam Romana, observabant, cum, omisso prandio, non nisi hora tertia vespertina cibum sumerent, id quod omnes reliquæ Christianorum sectæ in oriente ad eundem modum præstant, occidentales vero ab aliquot seculis, cœna in prandium mutata, disciplinam relaxarunt. Probat intempestivum meliora abrogandi fervorem ex libro *Nicolai Godignii* Jesuitæ, de rebus Abyssinorum & gestis Patriarcharum Aethiopiæ, itidem Jesuitarum, qui postea expulsi sunt, Lugduni 1615. edito, item ex alia relatione Jesuitæ cujusdam anno 1629. ad Generalem Societatis de rebus Abyssinis scripta, ex qua percipitur, fratrem Imperatoris Abysſini *Zelachristum*, a Jesuitis instigatum, verberibus & cæde in eos sæviisse, qui veteri instituto jejunabant. Procul autem abfuisse Jesuitas censet a spiritu Evangelico neglectumque fuisse *Augustini* monitum, quod *in convertendis hæreticis intacta relinqui debeant, quæ sana sint*, item *Gregorii* Papæ *Lib. VII. ep. 12. ad Augustinum* monachum in Angliam missum scribens, ut *si quid in qualibet Ecclesia Gallicana vel Anglicana invenerit, quod plus Deo placere possit, id solicite eligeret.*

(58) *De neglectis a Jesuitis Christianis S. Thomæ.*

(2) Objicit Jesuitis, quod Christianis in India, quorum majores S. Thomæ discipuli fuisse creduntur, omnem operam ex hac una ratione denegaverint, quod Liturgiam lingua Chaldaica celebrarent. Confirmat hoc ex *historia Jesuitæ Bartholi* Romæ anno 1667. tertia vice edita *Part. I. p. 472.* & stolidæ huic, ut ait, renitentiæ, alius Jesuitæ *Joh. Bapt. Scortiæ* dictum ex tractatu *de sacrificio Missæ* anno 1616. publicato opponit, statuentis, liturgiam apud Græcos Græce, apud Chaldæos Chaldaice, & apud Latinos Latine celebrandam esse; item *Jacobi Ledesmæ*, veteris Jesuitæ, in libro anno 1573. edito, testantis, linguæ Hebraicæ, sive Chaldaicæ in liturgia usum apud Christianos *Thomanos* licitum esse. Hunc itaque Jesuitarum in illos rigorem, cum indulgentia, qua idolomaniam Chinensium ferunt & juvant, componens, Jesuitas similes Pharisæis esse dicit, *excolantibus culicem & glutientibus camelos.*

(59) *De recusata a Jesuitis versione Bibl. in linguam Chinensem.*

Improbat (3) quod Jesuitæ non obsecuti sint Pontifici permittenti, ut Missa lingua Sinensi (quam *sacram* vocant, distinctam a plebeja) celebraretur, & in eandem linguam Biblia transferrentur; iterumque *Bartholum* allegat, id non modo non negantem, sed etiam fatentem, quod *Nicolaus Trigaltius* Jesuita, qui concessionem Pontificis anno 1619. in Chinam apportaverat, non optime exceptus a sociis fuerit, sed hi a labore versionis, *ut longo, difficili, periculoso, nec necessario* abstinuerint, cum potius illum, ut gloriosissimum, & quo hæreticorum ora obstruere potuerint, alacres suscipere debuissent, quia sic patuisset, a Pontificibus non damnari versiones sacrarum literarum in linguas populares. *Caput*, ait, *repleverant Jesuitæ disciplinis mathematicis & philosophicis, & doctrina Confutii, magisque expedire credebant Chinensibus, si computus Astronomicus corrigeretur, quam ut gentibus illis scripta Prophetarum & Apostolorum, a Deo inspirata, innotescerent.* Taxat maxime, quod laborem versionis, a Papa præscriptum, pro periculoso & non necessario habuissent, non nisi autoritatis Pontificiæ & Patrum veterum contemtu, qui populis sacram Scripturam lingua cujusque gentis legendam commendarunt. Veram recusationis causam fuisse suspicatur, quod veriti sint, ne, publicatis lingua populari sacris literis, simul evulgaretur crux & paupertas Christi, atque asperitas vitæ christianæ, quarum illam silentio occultabant Jesuitæ,

A. 1540. hanc moribus rejiciebant. Irridet ingentem librorum mathematicorum numerum, quos in China publicant Jesuitæ, ad bonum scilicet Ecclesiæ, ut *Kircherus* Jesuita, in *Sina illustrata*, gloriatur. Cum id legisset, ait autor, expectasse se enumerationem librorum sacrorum & piorum, sed non nisi mathematicos, geographicos, physicos & morales recenseri invenisse, a *Matthæo Riccio* potissimum compositos, ita ut inter CCCXL. volumina, quæ Jesuitæ ab ingressu suo in Chinam, usque ad annum 1636. in lingua Sinensi ediderint, nullæ versiones Biblicæ, ne quidem Evangeliorum & Epistolarum dominicalium reperiantur. Idem fere ex relationibus Jesuitarum aliorumque, qui paucis abhinc annis in regnum *Siamense*, auspiciis Gallicis, missi sunt, observari potest, plus nempe studiis methematicis & artibus militaribus, quam religioni datum esse. Vid. quæ ex scriptoribus illis relata sunt in *Act. Erud. Lips. anno 1687. p. 107. anno 1688. p. 6. & 507. anno 1689. p. 479.* Quapropter minus mirandum est, si omnis ille labor & sumtus infelicem tandem exitum invenit, ut fama fert, & relationes posthac ostendent. Cæterum autor, quem allego, Jesuitas ad exemplum Johannis VIII. Pontificis ablegat, qui, ut ex *epistola* ejus *247.* probatur, permisit, ut liturgia, item Evangelia, Epistolæ & preces Ecclesiæ in linguam Sclavonicam transferrentur. Allegat Card. *Jo. Bonam Lib. I. de Liturg. c. 6.* testantem, in primitiva Ecclesia cultum publicum in linguis popularibus peractum fuisse. Prætereo *monita 4. 5. 6. 7.* quibus Jesuitis exprobratur, quod ex indigenis Presbyteros, licet id non solum permissum, sed & utilissimum fuisset, non constituerint, Episcopos, a Pontifice missos, aversati sint, immo, munus episcopale inutile & noxium populis illis futurum esse, statuerint. Probat id ex sermone *Godini*, Jesuitæ Lusitani, ab ipso in relatione sua, anno 1663. Ulissipone edita, memorato, quo *Franciscum de Palu*, Gallum, titulo Episcopi *Heliopolitani* a Pontifice in Indiam missum a proposito divertere conatus sit. Ultima animadversio (8) pertinet ad ambitionem Jesuitarum, qua ad summas in regno Sinensi dignitates politicas aspirasse dicuntur, & multa parum laudanda de *Adamo Schallio*, maxime vero de *Martino Martinio*, referuntur. Adduntur denique excerpta ex libro paulo ante nominati Episcopi Heliopolitani, in quibus Jesuitarum methodus, modeste quidem, sed serio in censuram vocatur, quod tantum mediis humanis nitatur, neglectis precibus, mortificatione, exemplo vitæ, & præscriptis Christi & Apostolorum. Hæc sequenda esse dicit, rejecta exceptione, quasi alia nunc sint tempora; Dei enim manum non esse abbreviatam. Vituperat *omne mercaturæ exercitium*, cujus ne umbram quidem Evangelii præcones sectari debeant, item *omnem vim & coactionem, utpote quæ ab exemplo Christi, non ferro, sed de ligno crucis imperantis, & Apostolorum, qui ut oves inter lupos missi erant, prorsus abhorreat. Nunquam igitur verbum ex ore Missionariorum* (quanquam id non raro fiat) *excidere debere, quod gladio Pauli utendum sit, quando clavis Petri non penetraret.* Vetat etiam autoritatem parari opibus & divitiis, & insinuationem apud Reges & proceres, alia via, quam virtutis & sanctimoniæ.

(60) *Quædam ex libro Episcopi Heliopolitani de methodo conversionum.*

Itaque, si in aulam vocetur minister Evangelii, studere eum jubet humilitati, modestiæ & simplicitati; ita ut omnem rerum profanarum tractationem evitet, aut, si consilium rogetur, ignorantiam rerum politicarum opponat, vel, si urgeatur, ea tantum consulat, quæ honestissima sint, & ad salutem tendant. Caveri quoque vult humanæ sapientiæ ostentationem, in concionibus, ex *Antonini*, quem sanctum vocant, commentario allegans, Corinthiorum id vitium fuisse a Paulo notatum, quod, ne stulti viderentur, hominibus, profanæ scientiæ cupidis, Christum prædicaverint ad humanæ sapientiæ modum, vitatis, quæ absurda videri potuissent, speciatim doctrina de resurrectione corporum. Admittit tamen, ex observatione *Thomæ Aquinatis*, post proposita & stabilita fundamenta doctrinæ de cruce Christi adminicula ex ratione & Philosophia. Licet vero studia Astronomiæ & Matheseos, itemque artes picturæ & alias per se non improbet, (quibus accessum, famam & opes Jesuitas quæsivisse in regionibus illis, constat) statuit tamen, propter maximum abusum iis plane abstinendum ab Evangelii præconibus esse. Spernit objectionem, quod, omissis illis mediis, propagatio Evangelii inter illas gentes non succederet, & Paulo idem contigisse ait, neque eos progressus illum fecisse, quos Pseudoapostoli habuerint, sapientiæ humanæ sese accommodantes. Pauli vero exemplum imitandum esse, ipsiusque Christi & Apostolorum, & successum Deo commendandum.

(61) *Ratio, cur hæc relata sint.*

Si quis est, cui hæc, quæ de Jesuitarum in regiones illas missionibus refero, prolixiora, nec ad scopum pertinentia videantur, illum rogatum velim, ut momentum rei consideret. Nullum, ut mihi quidem videtur, illustrius pro Ecclesia Romana argumentum, & quod iis, qui secessionem ab ea fecerunt, majori cum specie oggeri possit, facile reperitur, quam ista gentium barbararum, quam jactant, conversio, miraculis etiam & martyriis, quæ narrant, confirmata: maximam autem hujus gloriæ partem Jesuitæ sibi vindicant, nullusque modus aut finis est librorum, quibus, jam ultra seculum, hoc ministerium suum summis cum laudibus deprædicant. Testes sunt inter innumera alia epistolæ Jesuitarum ex India & Japonia scriptæ, & a *Maffeio* olim versæ, & recentiorum Italorum & Gallorum volumina, interque hæc prolixum opus historiæ Japonicæ Abbatis cujusdam, quod in *Actis Lips. anno 1690. p. 173. 239.* recensitum est. Talia non possunt non legentibus scrupulum injicere, an fieri possit, ut Jesuitæ non sint membra veræ Ecclesiæ, immo vasa gratiæ, quale Paulus fuit, missus, *ut aperiret oculos gentium, & ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum. Act. XXVI. 17. 18.* Verum enim vero, si quæ jam non ex Protestantium scriptorum testimoniis, sed ex Episcoporum, Doctorum, & monachorum, qui dogmatibus Ecclesiæ Romanæ pertinaciter inhærent, relationibus & libellis adduximus, cum panegyricis Jesuitarum conferantur, omnis horum fides labefactatur & concidit. Esto, quod Jansenistæ inter eos sint, qualem esse dicunt *Arnaldum*, privatis studiis societati Jesuitarum infestum; producunt tamen insignia documenta, ipsorumque Pontificum Bullas, ne-

que

A. 1540. que huc usque visa sunt, quæ horum fidem & responsa destruant. Neque tamen illis ipsis autoribus credimus, cum, quæ Jesuitis adimunt, aliis, suarum partium hominibus, tribuere voluerunt, monachis nempe aliorum Ordinum, & Gallis quibusdam, Episcoporum titulo ornatis, & in regiones illas missis. Hos dicunt Christi & Apostolorum doctrinam & exemplum exacte secutos esse. Sed considerantibus, quæ ipsi referunt, facile apparebit, longe etiam istos a simplicitate veritatis Evangelicæ recessisse. Quid enim ad hanc faciunt fabulæ de sanctis, & fraternitates Rosarii & Cinguli? ut taceamus alia, licet majorem speciem præ se ferant, humana tamen inventa, quæ in doctrina Evangelica solidum fundamentum non habent, nec cum fructu barbaris proponi possunt. Quanto rectius facerent, si ex limpidissimis sacrarum literarum fontibus haurirent, quæ miseris illis gentibus proponerent, necessaria scilicet fidei salvificæ capita, omissis, quæ multorum licet seculorum prava consuetudine introducta aut noviter inventa sunt. Tanto majori vero cum culpa additamentis illis puritatem doctrinæ corrumpunt, quanto faciliora & utiliora omnia sunt, quæ Scripturarum apertis testimoniis nituntur, & quanto graviorem rationem Deo reddere debent, qui occasionem nationes illas accedendi, & simplicissimis Christianæ fidei præceptis imbuendi negligunt.

(62) *Annotatio de aliis Missionariis.*

(63) *Item de officio Christianis incumbenti, in conversione paganorum.*

Neque tamen ego pigritiam & inertiam illorum ex Evangelicorum parte defendo, qui ab erroribus illis dudum liberati, operam & media, quæ poterant & debebant, non adhibent, ut ad barbaras illas gentes pura Evangelii doctrina propagetur. Quod enim obligati ad id sint Christiani, agnoverunt Principes & Theologi Germani, quorum acta in hoc commentario nostro narravimus, ex quibus constat, quanta pericula adierint, quod ab adjuvandis consilio & ope illis non abstinuerunt, quos reformationis cupidos esse intellexerant, quibus, cum plura præstare non possent, editis tamen libris, missisque peritis concionatoribus, succurrerunt; quo ipso agnoverunt, etiam paganis charitatis hoc officium deberi. Hac obligatione soluti hodie utique non sumus, quisque scilicet pro modo facultatis a Deo concessæ. Legi merentur, quæ de hoc commentatus est laudatus sæpius *D. Phil. Jac. Spenerus* non uno loco, vid. *homil. in op. Francof. 1677. fest. Ascens.* & quæ ex illa latine versa sunt in *capit. fid. anno 1689. p. 227.*

(64) *De doctrina & catechesi Jesuitarum in Europa, & ejus elogiis, quæ sibi ipsis tribuunt.*

Nunc, postquam sat multa de duobus illis Jesuitarum institutis, nempe de tuenda potentia Sedis Romanæ, & de propagatione religionis ad barbaros diximus, considerandum porro est, quid præstiterint in catechesi, & institutione juventutis, & in refutandis, quos illi vocant, hæreticis in Europa. Sane, si & hic eos audiamus suarum laudum præcones, palmam præripuerunt omnibus. Duo inprimis libri inter multos alios extant, quibus doctrinam, eruditionem & industriam suam deprædicarunt. Primus *anno 1640.* in Belgio prodiit, anno nempe seculari post confirmatam a Pontifice societatem, habetque titulum: *Imago primi seculi Jesuitarum.* Alter *Christophorum Gomezium*, Jesuitam Hispanum, autorem habet, qui melius, quam prior ille scriptor, consultus, ne propriæ laudis fœtorem, ut ille, excitaret, Pontificum, Imperatorum, Theologorum, aliorumque, immo & adversariorum elogia Jesuitis data congessit, & justo volumine *Antverpiæ anno 1681.* edi curavit. Priori libro potiri huc usque non potui, sequor itaque excerpta ex illo, & Gallice versa ab autore *Pract. mor. Vol. I.* sed præcipua saltem, omissis non paucis, annotabo. Comparat panegyristes Societatem cum curru Israelis, dolente Elisæo, quondam in cœlum rapto, & per Jesuitas reducto; ut & cum Angelis; vocat eos homines perfectos, de quibus *Joachimus Abbas*, (notæ haud optimæ propheta) vaticinatus sit. Sapere dicuntur omnes a maximo ad minimum, etiam illi, qui pueros & plebem instruunt, non minus, quam qui Principibus & Regibus a confessione sunt; Leones (sic ait) sunt & aquilæ, nascuntur veluti galeati; *animalia* sunt Ps. LXVII. (vulg. vers.) v. 11. prædicta, unde rem acu tetigerunt *Arias Montanus, Pagninus & Genebrardus*, qui vocem hebraicam, qua animalia significantur, verterunt *societatem.* Hæc societas, quam Apostolicam vocant, immo Apostolorum, miraculum per se satis magnum esse dicitur, ut aliud ab illa expectari non debeat: est oraculum, sive rationale, quod Veteris Testamenti summus sacerdos in pectori gestavit, nisi quod hoc ipsius Christi pectori affixum est: Reliqua monachorum sodalitia saltem cum Manna, tabulis Moysis & virga Aaronis comparantur. Hanc ejus excellentiam emblematibus & lemmatibus supra omnem modum in frontispicio libri exornarunt, quæ refert, & acrem in censuram vocat autor excerptorum. *Gomezii* libro præmissa est figura turris Davidicæ *Cant. IV. 4. quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendentes ex ea; omnis armatura fortium.* Particulari encomio mactantur *Laynesius, Lessius, Suarezius, Vasquius,* alii. Comparatur Societas non solum cum Ecclesia & sponsa Christi, sed cum ipso Christo, ad cujus exemplum tenui initio cœpisse, crevisse & passa esse dicitur, unde & cognomen suum a Jesu sumtum tuentur, repugnante autore & adducta *Sorbonæ Parisinæ* anno 1554. lata sententia, qua titulus ille vehementer improbatus fuit, Thomæ Aquinatis judicio, qui a *Christo* quidem recte denominari *Christianos* statuit, quia unctionis ejus participes sunt, sed nomen *Jesu* incommunicabile haberi vult, quia Salvatorem indicat, in cujus operis partem nemo admittitur. Confirmant tamen Jesuitæ cognominationem illam apparitione, juveni cuidam Parisiensi facta, cui monasticam vitam ambienti, &, quem potissimum Ordinem præferret, dubitanti, Johannes Evangelista tres schedulas exhibuerit, in quarum duabus *Capuccinorum* & *Carthusianorum* nomina argenteis literis, *Jesuitarum* aureis scripta erant. Tanta in eodem libro seculari Jesuitarum sapientia celebratur, ut, qui juvenes in ea moriuntur, seculum complevisse videantur; mortuos non Angeli, ut alios pios, sed ipse Jesus, obviam veniens, excipit. Immo ex *Fran-*

(65) *De cognomine Jesuitico.*

A. 1540. *cisci Borgiæ*, (qui inter Sanctos relatus est) vaticinio nullus Jesuita, qui in societate manet, damnatur. B. Virgo tota illis dedita est, & in revelatione quadam visa fuit pallio suo societatem obtegere. Tantis itaque prærogativis & dotibus ornata Societas totam, si illi credas, reformavit Ecclesiam, & faciem ejus prorsus mutavit, munimenta dæmonis destruxit, monstra hæreticorum ex antris & cavernis protraxit, virtutes ab exilio revocavit, Musas sepultas resuscitavit, doctrinam in scholas reduxit, usum sacramentorum in pristinum vigorem & frequentiam restituit.

(66) Considerit encomiorum ex sententia Evangelicorum.

Videamus nunc, ut inaudita hæc verborum encomia factis tueantur Jesuitæ. De catechesis quidem studio supra fassi sumus, quod haud male mereri de Ecclesia cœperint, modo recta via progressi essent. In explicatione librorum sacrorum multa ab illis præstita esse, ingentia ostendunt volumina. Philosophiam & literaturam elegantiorem, scientiasque, quas mathematicas vocamus, egregie excoluerunt. Has laudes illis detrahere non debuisset autor, quem allegamus. Verum, si de doctrinæ Christianæ puritate quæramus, & num pie & recte reformationi Ecclesiæ a tot regnis & populis desideratæ, & a multis procuratæ, sese opposuerint? qua soliditate, quoque candore Theologorum Protestantium scripta refutaverint, & sic gloriam, quam affectant, coram Deo assecuti sint? ipsi definire & pronunciare non possunt, sed audienda est etiam altera pars. Contradicunt autem Societati non modo omnes Evangelicorum Ecclesiæ, & quicunque in illis doctrina, judicio & stylo valent, verum & gravissimi, magnæque eruditionis parisque zeli doctores, immo Episcopi & Prælati, ut audivimus, Romanarum partium. Quomodo Evangelici dogmata illorum ex illis ipsis, qui schismati caussam dederunt, erroribus & abusibus hausta & mordicus defensa, (quorum præcipua supra *n. 40.* ex formula, in quam jurant, recensuimus) impugnent, calumnias & sophismata innumerabilia illis exprobrent, tum sævitiam, pessimasque artes & sycophantias, quibus Principum animos contra pacta & promissa in Evangelicos concitant, demonstratum iverint, nemini ex nostratibus vel mediocriter doctis ignotum est, neque hic referri potest, aut opus est, cum infiniti pene libri his disputationibus repleti sint. Interim damna Ecclesiis purioribus a Societate illata manifesta sunt, & a Pontificibus publice laudantur. Testis est *Bulla Urbani VIII.* qua Societatis autorem Ignatium inter sanctos retulit, cujus epitomen, qui compilationem Bullarum Pontificiarum inspicere non possunt, ex *Heideggero* petant *Hist. Pap. §. CCXXXIV.* Sed satius est, ex altera parte, de qua dixi, Pontificiorum nempe doctorum afferre, quæ minus cognita nostratibus esse solent, & apud multos fortasse majus pondus invenient, quam quæ ab Evangelicis scripta sunt. Non adducam, quæ nascenti Societati, vel cum jam adulta admitti ad collegia passim, ubi expediebat, instituenda, aut Professorum Academicorum munera sibi committi peteret, opposita & objecta sunt, in Gallia præsertim: collegerunt & tradiderunt ea multi Romanæ Ecclesiæ scriptores politici & ec-

(67) Nec non ex Rom. Catholicorum judicio; speciatim in articulo de gratia.

clesiastici, & pleraque exhibentur ad *Hospiniano* in libro supra allegato. Operosum quoque nimis esset, si controversiam in articulo de gratia, jam ultra seculum, inter Jesuitas & Dominicanos, aliosque, quos Thomistas vocant, acerrime agitatam, enarrare vellem. Extant plurimæ de ea narrationes, ex quibus constat, quomodo Pontifices sententiam *Ludovici Molinæ*, Jesuitæ Hispani, anno 1588. in tractatu *de concordia gratiæ & liberi arbitrii* stabilitam examinaverint, parumque abfuerit, quin Pelagianismi illum condemnarent, sed consultius tandem duxerint, a definitione, qua alterutram partem utrinque multis factionibus subnixam offendissent, abstinere. Descripta est a plurimis autoribus lis illa, postquam renovata fuit & exasperata, cum *Jansenius* (cujus alibi in hoc opere mentionem fecimus) Jesuitarum, *Molinam* sequentium, dogma valide oppugnavit, magnosque & multos approbatores ex Episcopis & Doctoribus Ecclesiæ Romanæ in Belgio præsertim & Gallia invenit. Neque cessat illa contentio, condemnata licet Jansenii opinione, & adactis ad revocationem, vel ad silentium egregiis in Gallia viris ex proceribus Ecclesiæ, aut in exilium ejectis, qui non parebant. Inter hos *D. Antonius Arnaldus*, sæpe jam memoratus, senex licet capularis, non desinit Jesuitis negotium facessere, editis vel suo, vel alio, vel omisso nomine libris quorum haud pauci in *Actis Erud. Lips.* recensentur. In his Pelagianismi Jesuitas palam accusat, & eatenus Protestantium scriptorum, eundem illis objicientium, judicio accedit, etsi ab iis in aliis dogmatibus plus satis dissideat, nullamque prætermittat occasionem, tam Lutheranos quam Reformatos acerbe perstringendi. Interim sive decisa sit controversia illa, sive desperandum de ejus definitione, Jesuitæ apud plurimos Ecclesiæ suæ Theologos integrasque monachorum societates magna invidia laborant, quod immemores instituti, & contra regulam supra *n. 36.* productam, novitati opinionum indulserint, & Ecclesiam suam tantis turbis repleverint. Dudum quoque male audiit Jesuitarum Societas propter doctrinam *Joh. Marianæ*, itidem Jesuitæ Hispani, aliorumque, qui statuerunt, licitum, immo laudabile esse, si quis, privatus licet aut subditus, Regem aut Principem hæreticum, mandatu Pontificis, vel etiam ex zelo religionis, quovis modo e medio tollat; id quod in Gallia plus semel effectum habuit, & in Anglia tentatum est. Hæc quoque a Romano-catholicis exprobrata sunt Societati, immo publice in Gallia condemnata. Aliam infamiam illis conciliavit opinio de *æquivocatione*, sive reservatione mentali, qua defraudari possunt privati, & Principes, & jurisjurandi religio evertitur. Ejusdem notæ est dogma de *probabilitate*, cum statuunt, excusari a culpa, qui ex probabili opinione peccant, etiamsi ex duabus sententiis minus tutam, immo eam eligant, quæ vel unius viri docti & probati autoritate nitatur. Hunc fontem corruptæ Theologiæ moralis & laxatæ disciplinæ, & hoc artificium esse, quo Jesuitæ maximam populi partem & plurimos procerum divitumque, quibus strictioris disciplinæ rigor molestus est, ab aliis sacerdotibus abductos ad se trahant, Clerus Gallicanus publice

(68) Jesuitarum sententia de tyrannicidio.

(69) Alia de reservatione mentali & probabilitate.

A. 1540.

(70) *Nova haeresis Jesuitarum denunciata ab Arnaldo, de Peccato philosophico.*

blice questus est, & illi, quos *Jansenistas* vocant, publicatis libris plurimis ostenderunt. Biennium est, cum *D. Arnaldus* thesin *Stephani Bougotii* Jesuitæ in collegio Divionensi anno 1686. publice defensam, ut hæreticam denunciare cœpit. Thesis verba hæc sunt: *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus, disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Improbare illud dogma visi sunt, edita epistola, Jesuitæ Parisienses, sed eorum declarationem tanquam parum sinceram insectatus est *Arnaldus*, nec destitit denunciationem repetere & quinto jam libello urget Jesuitas. Vid. *Act. Erud. Lips. 1689. 1690. 1691.* In ultimo tamen significat condemnatam fuisse thesin supra relatam ab *Alexandro VIII.* Pontifice nuper defuncto, in tribunali inquisitionis Romanæ d. 24. Aug. 1690. Hæresis tamen notam thesi isti non inussit Pontifex, sed his verbis sententiam pronunciavit: *Secundam thesin seu propositionem* (quæ prima fuerit eodem die & effato damnata, paulo post dicemus,) *declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam esse, sicuti damnat & prohibet, ita ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit, publice seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictam thesin seu propositionem ad praxin deducant.*

(71) *Sententia Jesuitarum de attritione.*

Alia non parvi momenti quæstio non indecisa saltem longo tempore Romæ hæsit, verum etiam edito *Alexandri VII.* diplomate *d. 7. Maji anno 1667.* exemplo non bono, & quod *Heideggerus in hist. Pap. §. CCXCVII.* acriter perstrinxit, publice in utramque partem doceri permissa est. Disceptant nempe scholarum Pontificiarum Theologi de *attritione*, quam vocant, & *contritione*. Nimirum, *an attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in sacramento pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei?* Asserebant hoc magnæ eruditionis & autoritatis Theologi, *Jansenistæ* inprimis: Aliud vero placuit Jesuitarum doctissimis, inter quos *Sirmondus*, post acres contra Thomam quoque & Scotum disputationes, referente *Heideggero d. l. §. CCXCVI.* conclusit: *Eum, qui nullo affectu Deum diligat, nec voluntatem suam ad ipsum convertat, dummodo eum non oderit, & cæteris mandatis obsequatur, legi divinæ satisfacere.* Idem alibi, hoc privilegium Christianis supra Judæos concessum esse, dicere non est veritus, his verbis: *Æquitati consentaneum fuit, in lege gratiæ & Novi Testamenti illud durum & difficile exercendæ ad obtinendam justificationem perfectæ contritionis, id est, charitatis actus, præceptum resolvi: æquum, inquam, fuit, institui sacramenta, quæ charitatis defectum suppleant, nec tam arduam animi affectionem requirerent: alioqui Christiani, qui filii sunt, nihilo facilius Patris sui gratiam sibi reconciliarent, quam Judæi, qui tantum servi erant, & Domini sui misericordiam impetrabant.* Ad ista ex Jansenistis, qui, sub nomine *Montaltii, epistolas provinciales* edidit, sic exclamat: *Vah! in apertum totius Evangelicæ legis excidium profana quidvis audendi licentia grassatur! Violatur magnum illud mandatum, unde lex pendet & Prophetæ: cor ipsum pietatis attentatur: expulso inde spiritu vivificante, inane pietatis simulacrum relinquitur: postremo negatur, ad salutem necessarium esse, Deum diligere. Quid restat amplius, nisi ut non amandi Deum privilegium a Christo hominibus allatum prædicetur? Hoc etiam vestri* (Jesuitæ) *prædicarunt. Crescere jam non potest impietas. Ad summum pervenit.* Memini, me anno 1675. Viennæ Jesuitam celebrem, quem *P. Wolfgangum* vocabant, cujusque audiendi causa templum cathedrale ingressus eram, concionantem de hac quæstione audivisse, ita quidem, ut Lutherum, qui attritionis illius figmentum rejecit, miris modis exagitaret, quanquam bilis illa in suæ Ecclesiæ viros redundaret. Lutheri enim orthodoxa & pia sententia, qui fidei & charitati partes suas ex præscripto verbi divini accurate assignavit, satis nota & sæpius in opere hoc adducta est. Confer. *Lib. I. §. LVI. Addit. I. (b) & sqq.* Mitior fuit Pontifex, quem dixi, qui in Bulla sua, *cupiens*, ut ait, *pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extingui, auditis verbis Cardinalium consultorum & qualificatorum S. congregationis generalis inquisitionis, præcipit cunctis & singulis fidelibus, quocunque gradu & dignitate, etiam Episcopali & majori, immo & Cardinalitia fulgentibus, ut, si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent; vel docebunt, vel prædicabunt, aut alio quovis modo pœnitentes aut scholares cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta; quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Cunctationis tamen in definiendo causa, quæ pietati & conscientiæ satisfaciat, indicari vix potest. Videntur potius Pontifices, qui, ostentandæ humilitatis causa, servos servorum se vocant, tales nunc revera fieri, & monachorum atque sodalitiorum, quæ, pro fastigii sui conservatione, ad immodicam potentiam evexerunt, minas timere. Fortasse tamen hunc errorem aut ejus fundamentum condemnare voluit, si modo per Bullam *Alexandri VII.* licuerit, Pontifex nuper defunctus, in sententia supra allegata. Prima enim, quam recenset, & ut hæreticam damnat, omnibusque hæreticorum censuris & pœnis subjicit, thesis his verbis refertur: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum*

A. 1540.

mum interpretative. *Hunc* (finem ſcilicet ſive Deum) *homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.* Dictum eſt ſupra, ut Jeſuitæ ad Romani Pontificis poteſtatem tuendam ſeſe obſtrinxerint; ejus vero maximum columen eſt infallibilitas, quam ſibi arrogant Pontifices, non ſolum in quæſtionibus de fide & dogmatibus ex Scriptura vel traditione, immo ex Spiritus ſancti dictatu decidendis; ſed & quando de facto quæritur. Utrumque ſatis animoſe & acriter defenderunt Jeſuitæ, & olim & nuper, maxime in cauſa *Janſenii*. Quanquam enim hujus propoſitiones, Romæ condemnatæ, negarentur in libris ejus extare, aut illo, qui condemnatus fuit, ſenſu a Janſenio ſcriptæ fuiſſe, ejusque defenſores, falſum in hoc eſſe Pontificem, contenderent; contrarium tamen aſſeruerunt Jeſuitæ, Galli non minus quam Romani, & Pontificem etiam in facto ab errore immunem pronunciarunt. Verum mutata eſt hodie in Gallia rerum facies, Regique viſum fuit, infallibilitatis illius privilegium Pontifici adimendum eſſe, invenitque modum, ut Clerum regni in aſſenſum pertraheret. Nec regium favorem ſpernere auſi ſunt Jeſuitæ, ſed, qui in Gallia vivunt, Gallicum etiam ſenſum præ ſe ferunt. Neſcio tamen, num hæc illorum vafrities, quam Romæ dudum obſervatam fuiſſe dubium non eſt, an aliæ cauſæ ſeverum *Innocentii XI.* Pontificis animum concitaverint, ut ex libris præcipuorum Jeſuitarum excerptas, & a Janſeniſtis proditas theſes, quibus Theologia moralis corrumpitur, publice condemnaverit. Illo veluti fulmine afflata Societas non parum perdidit ex magna illa, quam paraverat, fama, ut jam non deſint, non dico ex Proteſtantibus, verum ex Romano-catholicis, qui interitum & extinctionem omnimodam illi ominentur, & exemplum *Equitum Templariorum* metuendum eſſe putent, quos, conſenſu Regum, *Clemens V.* Pontifex anno 1312. oppreſſit, non magis forte ob crimina, quorum accuſabantur, quam propter opes, quas ad invidiam usque per totam Europam acquiſiverant, ſuperati tamen in hoc a Jeſuitis, qui etiam ditiſſimas & fertiliſſimas novi, quem vocamus, orbis provincias palatiis prædiisque ſuis impleverunt, largiſſimosque ubique terrarum reditus percipiunt, aperte quidem a primo inſtituto, vili nempe illa paupertate, quam profitebantur, recedentes. Sed hæc obiter; agimus enim hic de dogmatum labe, quam Societas, etiam Roma judice, contraxit, tum ibidem & in Gallia frequentiſſime libros ſuos publice condemnari experta eſt. Obſervavit id ſcriptor recens *Richardus*, ſupra citatus. Operæ pretium eſt, & ad hiſtoriam literaturæ theologicæ pertinet, ut catalogum condemnatorum librorum Jeſuiticorum in iſtius libro, qui Pariſiis ex officina *Eliæ Joſſet*, ut ex titulo patet, prodiit *cap. XV. p. 156.* exhibitum, hic Latine referamus. Eſt autem talis: Commentarii *Corn. a Lapide* in epiſtolas Canon. condemnati ſunt a Facultate Theol. Pariſ. anno 1626. Libri *Eduardi Knot* & *Joh. Floyd.* a Sorbona & congregatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Pariſ. anno 1631. d. 10. Febr. Liber *Joh. Bapt. Pozæ*, Hiſpani, cum omnibus apologiis ſuis, ad inſtantiam Academiarum multorumque Ordinum religioſorum, ob inſignes impietates & monſtroſas opiniones, ab Urbano VIII. Papa 1632. Theologia moralis, ſumma peccatorum & practica juris Canonici *P. Bauny* Romæ d. 26. Oct. 1640. & a congregatione Cleri Gallicani Mantenſi d. 12. April. 1642. publicatis cenſuris illis per totum regnum ex decreto Præſulum d. 29. Nov. 1643. Tractatus de Hierarchia *P. Cellotii*, ejusdem Cleri decreto d. 22. Jun. 1642. Liber *P. Rabardeau*, titulo *Optati Galli*, Romæ d. 28. Mart. 1643. Theologia Moralis *P. Garaſſi*, a Sorbona. Theologia *P. Hereau*, ex decreto conſilii regii privati d. 18. Martii 1644. Liber, cui titulus: Theologia *Petri Aurelii*, aut ejus præcipui errores; ſcriptus a Jeſuita anonymo, ad inſtantiam Cleri Pariſienſis anno 1647. Liber *P. Briſacierii*, titulo Janſeniſmi confuſi, ab Archiepiſcopo Pariſienſi d. 29. Dec. 1651. publicata per omnes parochias urbis ſententia. Theologia moralis *Antonii de Eſcobar* Romæ & in Gallia damnata eſt. Theologia caſuiſtarum *P. Piroti* ab Alexandro VII. d. 21. Aug. 1659. & a XXI. Archiepiſcopis & Epiſcopis Gallis, quorum diplomata, notatis diebus & annis, allegat Richardus, tum etiam a Facultate Theol. Pariſ. d. 16. Jul. 1658. Liber de probabilitate *P. Fabri* Romæ damnatus eſt; item Diatriba *P. Eſtrix* Belgæ. Theologiam moralem *P. Moya* Hiſpani, ſub qui nomine *Amadæi Guimenii* ſcripſit, Innocentius XI. anno 1680. damnavit, itemque Catechiſmum Jeſuitarum in India, ejusque apologiam d. 4. Mart. 1680. Propoſitiones *P. Jacobs* condemnavit Epiſcopus Atrebatenſis d. 5. Nov. 1675. Patet hinc, orthodoxiæ gloriam, quam ſibi arrogant Jeſuitæ, ſuſtineri amplius non poſſe, præſertim cum ex Societate nulli ſcribere liceat ſine licentia & approbatione ſuperiorum, & ſic culpa ſingulorum ad plures, totiusque ſodalitii regimen redundet. Si quis igitur librorum illorum, aliorumque copiam haberet, bonasque horas conſumere vellet, ingens volumen de erroribus Jeſuitarum non ſolum ab Evangelicis, ſed & a Romanæ Eccleſiæ Prælatis & Theologis, immo ſummo illius capite, Pontifice, annotatis & damnatis conſcribere poſſet, etiamſi mores illorum ſicco tranſiret pede.

(72) De infallibilitate Pontificis varia Jeſuitarum ſententia.

(73) Libri Jeſuitarum Romæ & in Gallia damnati.

Mihi ſane, etſi haud injuſta retorſio eſſet, cum Jeſuitæ, de Luthero & primariis noſtræ Eccleſiæ doctoribus ſcribentes, immani acerbitati, & manifeſtis calumniis indulgeant, ſi de illorum quoque enormibus vitiis exempla afferrem, conſtitutum tamen eſt, camerinam hanc non movere. Interim toti Societati neglectum paupertatis & humilitatis ſtudium, cujus prætextu emerſerunt; ingens opum deſiderium, & negotiorum aulicorum & politicorum affectatio; tantis argumentis imputantur, ut difficillimum illi futurum ſit, non modo apud Evangelicos, ſed & ſuæ religionis proceres ſeſe purgare. Fateor equidem, me, cum a multis annis Societatis hujus incrementa incredibilia, tum, quibus valet, dotes, aut famam, quæ longe lateque diffunditur, eruditionis nempe multiplicis, opulentiæ, privatum modum ſupergreſſæ, gratiæ apud magnates, notitiæ omnium partium & linguarum orbis, conſideraſſem, non potuiſſe non ſortem Eccleſiæ Chriſtianæ vel mirari ſatis vel dolere. Cogita-

(74) De moribus Jeſuitarum annotatio.

(75) Item de Societatis flore, felicitate & induſtria.

bam

A. 1540.

bam enim, si hominum ingenio, sapientia, industria, agilitate, facultatibus & laboribus juvari potuisset Ecclesia, purgari religio, disciplina & virtus vera atque infucata restitui, eruditio ad summum fastigium erigi, errores omnes refutari; præstari id potuisse ab hac Societate, cujus exemplum in omnium seculorum historia non inveniemus, sive numerum & delectum hominum ex omnibus nationibus, generibus & ordinibus; sive commoditates totum terrarum orbem, sumtu ex aliena liberalitate aut sua solertia quæsito, peragrandi, omnes artes liberales & mechanicas excolendi, Reges & magnates accedendi & conciliandi; sive partas inde opes, & tot alia, quæ nulli vel politicæ, vel religiosæ societati contigerunt, respiciamus. His enim mediis factum est, ut Societas a decem hominibus, & a viro seri & imperfecti studii, morumque non commodissimorum, cœpta, intra annos centum quinquaginta ad viginti millia hominum, quorum maxima pars literarum studiis expolita & sacris initiata est, atque magisterium scholarum fere omnium sub Romana Hierarchia obtinet, aucta sit, in sex & triginta provincias, quas Præpositi gubernant, orbem diviserint, & in hoc plus quam octingenta collegia sive domicilia in amplissimis & nobilissimis urbibus habeant, quorum plurima regiam æquant magnificentiam, omnibusque rebus ad ingenium excolendum, Bibliothecis inprimis, instructissima sunt. Abundant præterea otio non vili, immunes, ut dictum est, a multis, quibus alia religiosorum sodalitia obruuntur, oneribus servilis cultus. Quis satis miretur accuratam regiminis & obsequii rationem? nam & hæc exemplo caret, ita ut etiam, quemadmodum supra *n. 34.* relatum est, in conscientias suorum rigidissimum imperium exerceant. Quanta est industria & assiduitas literarii inter illos commercii, per quod omnium rerum notitia per totum orbem ad eos, quibus secreta committuntur, & denique ad Præpositum Generalem perfertur, a quo, veluti anima, totum corpus per nervos Præfectorum provincialium & Rectores collegiorum ita movetur, regitur & conservatur, ut huc usque nulla æmulorum machina everti potuerit. Aliæ respublicæ & societates, aulæ quoque summorum Principum, sæpe de defectu idoneorum ministrorum queruntur, paucosque habent, quibus ad omnia, pari cum successu, uti possint: Jesuitarum vero societas defectum hunc, si in aliqua provincia sentit, ex alia facillime supplet, absoluto generalis Præpositi in omnes imperio, neque illo cerebrino & despotico, sed ex relationibus accuratissimis instructo. Sedet ille Romæ absque pompa, & privato similis, sed, ut autor *Pract. mor. Vol. I. p. 51.* narrat, haud falso dicere illustri cuidam Gallo, qui eum inviserat, potuit, *ex illo conclavi suo non solum Lutetiam, sed & Chinam, neque hanc modo, sed & totum terrarum orbem eo, quo nemo intelligat, modo gubernari.* Colligi aliquid potest de mole negotiorum, qua supremus ille societatis Rector premitur, ex præfatione epistolarum *Job. Pauli Olivæ* Neapolitani, qui munus illud amplissimum multis annis gessit, & anno 1681. defunctus est,

(76) De Generalis Præpositi potentia.

vid. *Act. Erud. Lips. anno 1683. p. 133.* Memorat ibi, se quatuordecim Secretariis seu amanuensibus instructum esse, scribendis in orbem literis, & expediendis quæ referuntur, occupatis, quos haud dubie ex maxime doctis & industriis delegit.

A. 1540.

(77) Epilogus digressionis de Jesuitis.

Licet vero, consideratis his atque aliis, nihil, quod hominum sapientia, industria & opibus effici possit, Jesuitarum societati deesse videatur, ostendi tamen verum & salutare emolumentum & commodum non potest, quod ad Ecclesiam ex illa redierit. Quamvis enim personam a religione, quam profiteor, mihi impositam, & præjudicium, quod ex nostratium Theologorum in Jesuitas odio & accusationibus hausisse videri possim, deponerem veluti & sequestrarem; ex illorum tamen, quos adduxi, autorum, ex ipsa Romana Ecclesia, testimonio didici, quam longe & vehementer a scopo suo in prima Societatis institutione jactato aberraverint Jesuitæ. Illorum enim judicio, nedum nostro, Romanam religionem non purgarunt, aut in majorem lucem & perfectionem adduxerunt, sed una cum disciplina morum pessime corruperunt; doctrinam Christi veram, vitæque ejus exemplum & regulam gentibus barbaris, quarum conversionem in se receperant, non proposuerunt, sed potius, lucri & honoris adipiscendi causa, veritatem Christianam, turpi cum prævaricatione, prodiderunt, & ad idololatriam horrendam detorserunt. Romani Pontificis dominatui serviliter adulati sunt, quamdiu cum emolumento suo id facere potuerunt: sed, cum aliud expedire videretur, in Gallia & China causam Pontificiam deserere, & autoritatem, cujus stabiliendæ ministerium præ aliis omnibus receperant, contemnere ipsi & labefactare cœperunt, quod etsi Protestantibus haud invitis fiat, Jesuitarum tamen instituto minime convenit. Ideo ex his omnibus satis liquido demonstratum esse puto, quod demonstrare volui, certe aliter pro candore, qui me decet, & pro conscientia judicare non possum, quam, quod *instituta ista anno 1540.* (cujus historiam hic finio) *confirmata, & postea insolitis privilegiis & prærogativis ornata societas, scopum propositum non tenuerit, neque veræ & universali, neque Romanæ, cujus fulcrum esse vult, Ecclesiæ præstiterit, quæ debuisset & potuisset, si tantis beneficiis & successibus pie, æquæ prudentia,* quæ *justorum* dicitur, *& angelico præconio Luc. II. 17. commendatur, uti voluisset.* Possem comparationem adjicere de consiliis *Erasmi* & *Ignatii*, quorum uterque defectus & vitia Ecclesiæ Romanæ vidit, & reformationis media quæsivit, uterque etiam ea, quæ Lutherus adhibuit, vehementer aversatus est, & pessime traduxit, Ignatii quoque successores crudeliter persecuti sunt. Ex ea consideratione ostendi posset, mediis consiliis in rebus divinis & sacris vix unquam locum esse, neque ab hujusmodi Societatibus & hominibus, quantæcunque profanæ sapientiæ acumine valentibus, aut fuco religionis tinctis, sperari Ecclesiæ felicitatem posse. Collata vero cum his Lutheri & Evangelicorum doctorum methodus, utut rudis & simplex videatur, & hierarchiæ Romanæ assertoribus hæresis nomine odiosissima sit, adminiculis etiam opum aliarumque commoditatum, quibus Ignatiana societas tam largiter potita est, prope omnibus caruerit; illos

tamen,

A. 1540. tamen, ut ſupra dicere cœpi, habuit ſucceſſus, ut religio Chriſtiana, inter incertas traditionum & ſcholaſticorum tricas nugasque per tot ſecula fluctuans, & rituum onere ac numero pene oppreſſa, ad ſimplicia & ſolida Scripturæ ſacræ fundamenta reducta, & a jugo humani & peregrini dominatus liberata fuerit. Evanuerunt monſtroſæ ſuperſtitiones & fabularum innumerarum intolerabiles ineptiæ, & reſtitutus eſt cultus in ſpiritu & veritate, quem ex promiſſione Chriſti indoles Novi Teſtamenti requirit. Culpa profecto, quod plurimi, in luce hac doctrinæ Evangelicæ, immenſo libertatis Chriſtianæ beneficio abuſi ſint, & mores ad dogmatum ſanctiſſimorum regulas non conformaverint, imputari doctrinæ ipſi non poteſt. Diſſidia per reformationem multiplicata ſunt; ſed hoc malo Eccleſiam ſuam laboraturam eſſe Chriſtus ipſe prædixit, neque remedium aliud, quam quod ex legitimo elencho peti poteſt, præſcripſit; minime omnium violentiam, quam Pontificatus Romanus a multis ſeculis exercuit, & quæ ab Ignatianis laudatur & promovetur, præcepto vel exemplo commendavit. Quapropter, ut & alibi monui, ferendum eſt æquo animo fatum purioris Eccleſiæ, & quando hypocriſis & corruptela morum & diſſenſio inter doctores evitari & corrigi, proviſis probatisque a Deo modis & mediis, penitus non poteſt, ſolatium nobis eſto, quod a doctrinæ labe purgati ſimus, nihilque nos lateat ex conſiliis divinis de ſalute noſtra, quodque pœnitentia & fides integre, & quantum ad ſalutem ſufficit, nobis prædicetur, non ſecus ac ab Apoſtolis factum eſt. Comparata deinde miniſtrorum Evangelicorum paupertina conditione cum divitiis Jeſuitarum, nemo non judicabit, illam inſtituto Chriſti longe convenientiorem eſſe, has ſeculi genium referre: ſufficere autem fidelibus Chriſti cultoribus debet victus & amictus ad neceſſitatem. Denique etiam de ſapientiæ, quam Jeſuitarum ſocietas jactat, prærogativa, non eſt, quod noſtri contendant: Sapientia enim mundi inter characteres non eſt, per quos veri & fideles Eccleſiæ miniſtri aut membra dignoſci poſſint. Aegyptiorum illa gloria erat & Chaldæorum, non Iſraelitarum Veteris Teſtamenti, nec Novum habet, quo magis glorietur, quam doctrinam de cruce Chriſti. Vanus tamen fuit *Eraſmi* & aliorum, qui eadem minati nobis dudum ſunt, metus, ac ſi cum Scripturæ aſſiduo ſtudio, quod Lutherus & ipſe diligentiſſime tractabat, & aliis commendabat, elegantia eruditionis & artium humanitas conſiſtere non poſſit. Inito ſane computo & collata paucitate noſtratium, qui Eccleſiæ & ſcholis ſerviunt, cum copiis & exercitibus Jeſuitarum & monachorum, expenſis etiam ſumtibus, quos parciſſimos noſtri, largiſſimos adverſarii habent, non inveniet diligens & æquus rerum æſtimator gloriæ, quam Jeſuitæ ſibi tribuunt, fundamentum. Deus certe a tempore reformationis Eccleſiarum ſcholarumque noſtrarum doctores & miniſtros, ut de politici ordinis viris jam non loquar, tantis etiam humanioris literaturæ donis inſtruxit & ornavit, quibuscum compoſiti vel doctiſſimi Jeſuitarum, non habebunt, quo ſe illis præferant.

ADDITIO I.

A. 1540. Cum Bulla *Innocentii XI.* cujus *hoc* §. *n.* 72. mentionem feci, in Germania divulgaretur, ex Belgio allata, fateor equidem, vix oculis meis fidem me habuiſſe, ſuſpicatum etiam eſſe, an non a *Janſeniſtis*, quos vocant, conficta & ſuppoſita eſſet. Compertum tamen poſtea fuit, dubitandum de illa non eſſe. Recuſa eſt in Saxonia anno 1681. cura *D. Joh. Frid. Mayeri*, *Superintendentis tunc Grimmenſis*, cum verſione Germanica, & annexa eſt iteratæ editioni *catechiſmi*, quem antea publicaverat, *Papiſtici*. Exordium Bullæ hoc eſt: *In generali congregatione ſanctæ Romanæ & univerſalis inquiſitionis habita in palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo Domino noſtro, Dom. Innocentio, divina providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, a ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Sanctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi a Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus ſeu ſcriptis excerptis, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus inquiſitoribus, ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulo & accurate ſæpius diſcuſſis, eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditu: Idem ſanctiſſimus D. N. re poſtea mature conſiderata, ſtatuit & decrevit, pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernitioſas, eſſe damnandas & prohibendas, ſicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones, in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.*

(a) Exordium Bullæ Innocentii XI. contra Jeſuitarum ſententias.

Notari debet cautela Romana, quod autores theſium neque nominentur, neque damnentur, ipſæque theſes, quarum pleræque plus quam hæreticæ aut potius impiæ & execrandæ ſunt, non niſi *ſcandaloſæ* & *in praxi pernicioſæ* dicantur. Hinc neſcio, an non titulus Bullæ a Janſeniſtis in Belgio interpolatus ſit, cum in eo nomina Jeſuitarum, *Azorii, Sanchez, Leſſii, Laymanni, Filliutii, Tamburini*, referuntur, ex quorum libris theſes illæ deſumtæ ſint. Interim in ſcriptis Janſeniſtarum a multis jam annis indicata ſunt iſtorum, aliorumque Jeſuitarum loca, quanquam ad noſtram notitiam non omnes, qui allegantur, libri pervenerint. Theſes, ut in Bulla leguntur & condemnatæ ſunt (licet quasdam invitus) exhibeo, ſive quod ſine uberiori ſcholaſticarum vel moralium tricarum explicatione intelligi vix poſſunt, ſive quod de fornicatione, adulteriis, aliisque turpitudinibus tradunt, quæ verecundius reticerentur.

(b) Theſes in Bulla condemnatæ.

Theſ. I. *Non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis aut epiſcopalis.*

II. *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

III. *Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

IV. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

V. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret*, (videtur deeſſe vox, *definire*, aut ſimilis) *condemnare non audemus.*

VI. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.*

VII.

A. 1540.

VII. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.*

VIII. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

IX. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

X. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

XI. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus, per solos actus externos.*

XII. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Ex ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo.*

XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes, absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, de illius morte naturali gaudere, illam efficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

XIV. *Licitum est, absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

XV. *Licitum est filio, gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

XVI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

XVII. *Satis est; actum fidei semel in vita elicere.*

XVIII. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

XIX. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

XX. *Hinc potest prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

XXI. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

XXII. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

XXIII. *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.*

XXIV. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

XXV. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

XXVI. *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

XXVII. *Causa justa utendis his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

XXVIII. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

XXIX. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

XXX. *Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

XXXI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

XXXII. *Non solum licitum est, defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

A. 1540.

XXXIII. *Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere sicut & jus habenti in cathedram vel prabendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.*

XXXIV. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

XXXV. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

XXXVI. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

XXXVII. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

XXXVIII. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

XXXIX. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum, tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

XL. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.*

XLI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

XLII. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

XLIII. *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis autoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?*

XLIV. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit probabilis opinio in Theologia.*

XLV. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

XLVI. *Id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

XLVII. *Cum dixit Concilium Tridentinum, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumto comparativo, pro positivo; vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

XLVIII. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

XLIX. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

L. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit, in confessione dicere, se esse fornicatum.*

LI. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum, eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis adspiciatur, ne domo expellatur.*

A. 1540.

LII. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemtus.*

LIII. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

LIV. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

LV. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

LVI. *Frequens confessio & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

LVII. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

LVIII. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

LIX. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.*

LX. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere & proponere emendationem.*

LXI. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quin immo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

LXII. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

LXIII. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

LXIV. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

LXV. *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.*

(c) *Conclusio Bullæ.*

Sanctio & finis Bullæ hæc est: *Quicunque autem cujusvis conditionis, status & dignitatis, illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de iis disputative, publice aut privatim, tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii, prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis & status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxin deducant. Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicunque inposterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non a quibuscunque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde contravertuntur, donec a S. Sede recognitæ sint & super iisdem propositionibus judicium proferatur.*

Franciscus Riccardus, S. Romanæ & universalis inquisit. Notarius.

Locus (†) Sigilli.

Anno a nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexentesimo septuagesimo nono, indictione secunda, die vero 4. mensis Martii, Pontificatus autem sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Innocentii, divina providentia Papæ XI. anno tertio, supra dictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum, ejusdem sanctissimæ inquisitionis cursorem.

A. 1540.

(d) *Animatio quædam de ipsa Bulla.*

Apparet hic iterum moderatio Pontificis, quod omitti vult censuras sententiarum, de quibus inter Jesuitas, Dominicanos, aliosque certatur, puta de gratia Dei & viribus liberi arbitrii, de pœnitentia & contritione, de conceptione B. Virginis, de autoritate Conciliorum & Papæ, aliisque magni momenti articulis, inter quos sunt, qui fundamenta fidei convellunt, si accurate expendantur. Eos tamen omnes ferunt tolerantque Pontifices in iis, qui autoritatem ejus, si non ex animo, verborum tamen honestate agnoscunt, cum Evangelicis nihil non pro summo imputetur crimine, nec ulla eos juvet orthodoxia, dum summum quem Romæ urgent, & capitalem de primatu & imperio Pontificio articulum non admittunt. Liquet etiam ex stylo Bullæ & ex Arnaldi querelis, quod non solum cum moderatione, sed timide in condemnandis erroribus societatum religiosarum versentur Pontifices, & quod verissimum sit *Erasmi* de potentia monachorum, ipsi Pontifici formidanda, judicium, quod ex epistola ejus *Lib. I. add. ad §. LXV.* (*b*) retulimus. Eo ipso tamen finis & utilitas Pontificatus, immo necessitas, quam nobis quotidie inculcant ejus defensores, indies magis magisque debilitatur. Si enim Pontificibus jure divino potestas & infallibilitas data esset, in controversiis de fide decidendi, cur illi tot annis, immo seculis rixari finerent non modo paucos aliquos, sed integra sodalitia, & quidem de quæstionibus maximi momenti? Si vero humano tantum & politico respectu moras nectunt, offensas & turbas vitant, expectantque, donec decreta sua manu regia exequi & tueri possint, tunc utique omnis illa gloriatio intercidit, quod Ecclesia sine capite visibili regi & conservari non possit. Perinde enim est, non esse tale caput, aut esse quidem, sed ad sententiam ferendam progredi non posse, nisi temporum ratio id ferat. Longe igitur rectius sentiunt ii, qui errores in fide ex norma verbi divini refellunt & damnant, nulla de exequendis, per vim regiam, sententiis suis sollicitudine, sed hanc Deo committentes. Satis autem ex his omnibus patet, potestatem Pontificiam non nisi ad conservandum imperium, quod Regum atque Principum vel negligentia vel divisionibus & factionibus acquisiverunt, pertinere & religionem prætextui esse. Interim *Innocentius XI.* pessimam apud Jesuitas illorumque patronos & clientes gratiam publicatione illius bullæ iniit, parumque abfuit, quin eum palam pro *Jansenista*, deinde etiam pro *Quietista* habuerint, & qui modestissime decretum ejus tulerunt, sacra pro ejus conversione fecerunt, quod in Gallia factitatum esse, idonei autores tradiderunt. Novi ipse illustrem virum, nec spernendæ eruditionis, qui ab Ecclesia nostra, in qua educatus erat, ad Romanam transierat, toto tamen vitæ tempore inquietus, & in magnis licet opibus & dignitatibus constitutus parum tranquillus, cum paucos ante annos moreretur, de Pontificis orthodoxia dubitasse & questum esse, ita scilicet a Jesuitis instructum. Laudarunt e contrario zelum *Innocentii* egregii multi ex Ecclesiæ Romanæ proceribus viri, nostrates quoque, & inter hos, qui Bullam illam edidit, supra memoratus *D. Mayerus*. Fuerunt fortassis etiam, qui majoris reformationis spem de illius severitate conceperent, quia multa Romanæ curiæ & aulæ vitia correctum ibat; sed deceptos illos esse, eventus ostendit, ejusque successoris mores argumento sunt, nihil expectandum esse a sede illa, donec Deo placuerit, illis, quos divina ejus sapientia cognitos habet, modis, solida & sufficientia remedia adhibere. Huc usque nec Jesuitæ Babylonem *Jer. LI. 9.* sanarunt, nec ipsi ex castigatione Pontificis profecerunt, ut ex Doctoris illius Sorbonici, *Arnaldi*, nuperrimis scriptis ostendimus.

(e) *Invidia Innocentio XI. ob publicatam Bullam nata.*

ADDITIO II.

Stabo promissis, & a moribus Jesuitarum meo stylo reprehendendis abstinebo, neque nostratium censuras exscribam, sed ex adductis rationibus præterire omnia non potui, quæ a Romanæ Ecclesiæ doctoribus de Jesuitis prodita sunt. Iis tamen, quos allegavi, unum adhuc addam, sed qui instar multorum esse potest.

(a) *Scriptum Dominicani*

Est

A. 1540. *de la Nuza contra Jesuitas.*

Est is *Hieron. Bapt. de la Nuza*, ordinis Dominicani, Episcopus Albarazini & postea Albari in regno Arragonico. Hujus scriptum contra Jesuitas publicavit autor *Theatri Jesuitici*, quod citavimus, & Gallice versum exhibetur *Part. I. Pract. moral. p. 8. & sqq.* Est autem applicatio prophetiæ sanctæ, quam vocant, *Hildegardis* ad Jesuitas. De *Hildegardi* paucis notandum est, quod Abbatissa fuerit monasterii S. Ruperti prope *Bingam*, haud procul Moguntia, & anno 1180. decesserit. Fertur autem prophetias suas, inspirante Numine, lingua Latina, quamvis eam non didicisset, aliqua etiam Germanica scripsisse & dictasse. Cum vero dubitari de illius fide cœpisset, consultus ab Archiepiscopo Moguntino *Eugenius III.* Pontifex, tunc in urbe Trevirorum versatus, examinari scripta & dicta ejus, convocatis novem Archiepiscopis, aliisque ex Clero, interque eos *Bernhardo*, Abbate Clarevallensi, sanctitatis nomine celebri, fecit & approbavit, anno 1148. ut non solum *Joh. Wolfius Tom. I. Memorab. in anno 1180.* sed & *Masenius* Jesuita in *Chronico Trevir. Tom. II. fol. 50.* retulerunt, & plura de illa annotaverunt.

(b) *De Hildegarde Abbatissa, quæ fuerit.*

(c) *Vaticinium ejus ex Bzovio.*

Exhibeo autem ante omnia ipsam Hildegardis prophetiam, quam autor *Pract. mor. d. Part. I. p. 4.* ex *Bzovii annal. Tom. XV. fol. 465.* exscriptam profert: *Insurgent gentes, quæ comedent peccata populi, tenentes Ordinem mendicum, ambulantes sine rubore, invenientes nova mala, ut a sapientibus & Christi fidelibus ordo perversus maledicatur. Sed Diabolus radicabit in eis quatuor vitia, scilicet; Adulationem, ut eis largius detur; Invidiam, quando datur aliis & non sibi; Hypocrisin, ut placeant per simulationem; & Detractionem, ut se ipsos commendent, & alios vituperent: Propter laudes hominum & seductiones simplicium, sine devotione, sine exemplo martyrii, prædicabunt incessanter principibus Ecclesiarum, abstrahentes Sacramenta a veris pastoribus, rapientes eleemosynas pauperum miserorum & infirmorum, trahentes se in multitudinem populi, contrahentes familiaritatem mulierum, instruentes, qualiter blande maritos & amicos decipiant, & res proprias eis furtive tribuant: Tollent enim res injustas & male acquisitas, & dicent: Date nobis, & nos orabimus pro vobis, ut aliorum vitia cernantur, & suorum oblivi scantur. Heu & res miseras* (tollent) *a raptoribus, spoliatoribus, prædonibus, latronibus, usurariis, fœneratoribus, fornicatoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, apostaticis, a mulieribus linguosis & luxuriosis, a perjuris mercatoribus, a filiis viduarum, a militibus, tyrannis, a principibus contra legem viventibus, & a multis perversis; propter perversionem diaboli, & dulcedinem peccati, vitam delicatam, brevem & transitoriam, facientia damnationem æternam, omnia eis erunt apta. Populus vero de die in diem durior erit, & expertus erit eorum seductiones, & cessabunt dare, & cum cessaverint dare, ibunt circa domos famelici, sicut canes rabidi, submissis oculis, contrahentes cervices, ut velut vultures,* (turtures) *pane satientur, quibus clamabit populus super eos, dicens: Væ vobis, filii mœroris, vos mundus seduxit; diabolus infrænavit ora vestra, & corda vestra sine sapore, mens vestra vaga fuit, oculi vestri delectabantur in vanitatibus, pedes vestri veloces ad currendum in malum, mementote, quid eratis, non boni æmulatores, pauperes divites, simplices potentes, devoti adulatores, sancti hypocritæ, mendici superbi, petitores effrontes, doctores instabiles, humiles elati, pii duri, dulces calumniatores, pacifici persecutores, amatores mundi, desideratores honoris, venditores indulgentiarum, seminatores discordiarum, martyres delicati, confessores lucri, ordinatores commodi, suspiratores crapularum, mercatores domorum, ædificatores in altum, & quod altius adscendere non potestis, tunc cecidistis, sicut Simon Magus, cujus per orationem Apostolorum Dominus ossa contrivit, & plaga crudeli percussit. Sic Ordo vester contritus est propter seductiones & iniquitates vestras. Ite Doctores perversitatis, patres pravitatis, filii iniquitatis, scientiam viarum vestrarum ire nolumus.*

(d) *Idem ex Wolfio.*

Wolfius eandem prophetiam sequentibus verbis exhibet: *In diebus illis exsurget gens insensata, pomposa, cupida, perfida & dolosa, quæ peccata populi comedet, ordinem quorundam timentium devotorum sub dissimulata mendicantium specie tenentes, seque ceteris ficta devotione, inflata scientia, ac prætensa sanctitate præferentes, sine rubore ac Dei timore ambulantes, multa nova mala adinvenientes, fortes & validi, sapientibus & Christi fidelibus ordo ille maledicetur; a laboribus cessabunt, & otio vacabunt, assumentes potius ordinem adulantium, quam mendicantium: studebunt insuper omnes nimium, qualiter doctoribus veritatis perverse resistant, & eosdem cum potentibus interficiant, & potentes seducant & decipiant, propter necessitatem vitæ & delectationem mundi. Diabolus namque in eis quatuor vitia radicabit, videlicet adulationem, invidiam, hypocrisin & detrectationem; adulationem, ut eis large detur; invidiam, quando aliis dabitur & non ipsis; hypocrisin, ut per falsam simulationem aliis hominibus complaceant; detrectationem, ut se ipsos commendent, extollant, & alios vituperent propter laudem hominum, & seductionem simplicium: ac sine devotione & exemplo martyrum prædicabunt instanter: detrahent principibus secularibus: Ecclesiarum sacramenta veris pastoribus subtrahentes; recipientesque eleemosynas pauperum, infirmorum & miserorum; nec non se in multitudinem populi trahentes: familiaritatem cum mulieribus habentes, easque instruentes, qualiter maritos & amicos suos blande, & per verba dolosa decipiant, nec non res proprias ejusdem furtive subtrahant & ipsis tribuant. Tollent namque res furtivas & male acquisitas, ac dicent: Date nobis & nos orabimus pro vobis: sic, ut aliorum vitia curiosius tegant, & suorum penitus oblivi scantur. Heu etiam tollent res miseras a raptoribus, prædonibus, spoliatoribus, furibus, latronibus & sacrilegis, ab usurariis, fœneratoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, apostatis, mulieribus luxuriosis, lenis & lenonibus, a potentibus, perjuris mercatoribus, falsis judicibus, militibus, tyrannis, & a principibus contra legem viventibus, & a multis perversis, persuasionem Diaboli, & dulcedinem peccati, ac vitam delicatam, transitoriam & brevem, nec non satietatem in condemnationem æternam sectantes. Hæc autem omnia in eis aperta & manifesta erunt populis universis. Ipsi vero de die in diem duriores & nequiores efficiuntur: & cum seductiones & iniquitates eorum exploratæ fuerint, tunc cessabitur eis dari: & tunc ibunt circa domos famelici, & ut canes rabidi, submissis in terram oculis, contrahentes cervices suas, veluti turtures, ut pane satientur. Tunc clamabit populus super eos: Væ vobis miseri, filii mœroris! Vos mundus seduxit, diabolus ora vestra infrænavit; caro vestra lubrica, & corda vestra sine sapore; mens vestra vaga fuit, & oculi vestri delectabantur in vanitatibus, & in insaniis multis; Venter vester delicatus dulcia fercula appetit: pedes vestri veloces ad currendum in malum. Mementote, cum eratis apparenter beati æmulatores, pauperes divites, & simplices potentes, devoti adulatores, perfidi traditores, perversi detractores, sancti hypocritæ, veritatis subversores, nimis directi, superbi, effrontes, doctores instabiles, martyres delicati, confessores lucri, immites calumniatores, religiosi avari, humiles elati, pii duri, mendaces dulces, pacifici persecutores, simplicium oppressores, malarum sectarum per vos de novo excogitatarum adinventores, misericordes nequam, amatores mundi, venditores indulgentiarum, spoliatores beneficiorum, oratores incommodi, conspiratores seditiosi, suspiratores crapulosi, desideratores honorum, zelatores criminum, mundi raptores, insatiabiles prædicatores, applausores hominum, seductores fœminarum, seminatores discordiarum. Bene enim de vobis gloriosus Propheta Moyses in cantico suo cecinit; Gens absque consilio & sine prudentia: Utinam saperent ac intelligerent, & novissima providerent! Aedificatores in altum, & dum altius adscendere non poteratis, tunc cecidistis, sicut Simon Magus, quem Deus contrivit & plaga crudeli percussit; sic & vos per seductionem, nequitias, mendacia, detractiones & iniquitates vestras corruistis. Et populus dicet illis: Ite Doctores perversitatis, subversores veritatis, fratres Sunamitidis, patres hæreticæ pravitatis, pseudoapostoli: quia simulastis, servare vos vitam Apostolorum; nec tamen in minimo vitam illorum implevi-*

A. 1540.

plevistis. Filii iniquitatis, scientias viarum vestrarum nolumus. Nam præsumtio elata vos decepit, & insatiabilis concupiscentia subvertit erroneum cor vestrum. Et cum in altum, ultra quam decet, adscendere voluistis, justo Dei judicio deorsum in opprobrium sempiternum cecidistis.

(e) *Nuzæ explicationes vaticinii.*

Explicationes *Nuzæ* ex *Theatro Jesuit.* referendæ essent, sed cum adipisci librum non potuerim, ex versione Gallica bona fide latine præcipua quædam adducam. Ad exordium ita commentatur Episcopus *Nuza*, ut dicat: Agi in illa de personis Ecclesiasticis, & speciatim de monachis mendicantibus, quorum privilegia habeant, & in libris suis passim jactent Jesuitæ, quanquam raro, & non nisi ostentandæ humilitatis causa, mendicent, adeoque speciem tantum mendicantium sumant, quod in ipsa prophetia indicari videtur. Allegat deinde verba, quæ neque in *Bzovii* neque *VVolfii* editione extant, & hinc conjici possit, tertiam aliquam fuisse, qua *Nuza* usus est, & differentiam ex versionibus nasci. *Bzovius* quæ allegat, in codice quodam Bibliothecæ Dominicanæ Dertosensis (Dertosæ in Catalonia) reperiri scribit. *VVolfius* totum septem librorum opus habuisse videtur. Dicuntur nempe sine capite futuri, de quibus vaticinatur Hildegardis. Hoc convenire dicit *Nuza* Jesuitis, quia nomen Societatis sumserint, omissa fundatoris mentione, ab aliis monachorum Ordinibus servata, ita ut irascantur, si *Ignatiani* aut *Loyolicæ* vocentur. Eodem argumento *Joachimi Abbatis* prophetiam ad Jesuitas trahit, quando is *turbam associatam* nominavit. Ad verba Hildegardis: *ambulantes sine rubore*, scribit: *Totus orbis consentit, quod in omnibus rebus sine pudore & honestate agant. Si quid moliuntur, nihil curant, quicquid iis dicas, aut quicquid sequatur. Nulli mortalium minus soliciti sunt, de gravissimis etiam rebus, quam illi, dummodo ad destinatum finem perveniant.* Exempla allegat eorum, quæ impudentissime egerint adversus *Casparum de Quiroga*, Cardinalem Toletanum, & *Hieronymum Manriquez*, quem Philippus II. Rex visitatorem illis dederat. *Regulam habent*, ait, *communissimam, nihil melius esse, quam sua negotia suosque fines tractare & sequi, spreta fama, quia facile evanescit.* Notandum esse dicit, quod prophetia non dicat, *sine verecundia* illos ambulare, sed *sine rubore, sine timore Dei*, (ut in VVolfiana editione legitur) scilicet quia nihil omnino curent, & *Libertinorum* (id est, atheorum) more vivant. Ad verba: *Invenientes nova mala*; quærit: *Quis invenit & exercuit morem confitendi per epistolam? Quis pœnitentes coëgit, ut complices delicti, inviti etiam, detegant? Quis dixit, religiosum, ex revelatione certa vel probabili, conjugium inire posse? item, quod, prævia tali revelatione, superioribus obsequium detrectari possit, legesque omnibus hominibus communes violari, item, confessionem omitti, si quis ex revelatione sciat, se in gratia esse? Quis docuit, mercaturam exerceri a religiosis posse, centumque alia in materia impuritatis, usurarum & Simoniæ. Et quod omnium maxime horribile est, quod ea, quæ unus illorum facit aut dicit, utut novum aut scandalosum, ab omnibus defendatur, neque ulla materia parva aut magna sit, in qua novas nequitias non invenerint.* Ad verba: *A sapientibus & Christi fidelibus ordo perversus maledicetur: Nemo est*, (annotat) *qui de iis eorumque perversitate non conqueratur, nemo enim non videt, quod in omnia negotia se ingerant, hæreditates captent, fœminas frequentent, delicati sint hypocritæ, Principum adulatores, religiosorum inimici, in agendo artificiosi, pleni præsumtione, famam eruditionis & virtutis affectantes, & quod personas respiciant, atque centum alia ejusmodi faciant. Multi tamen sunt, qui eos tuentur, & totus orbis, licet eos in pectore abominetur, laudat tamen lingua.* Ad verba, quæ ex VVolfio desumta sunt; *Studebunt omnes nimium, qualiter resistant Doctoribus veritatis: Nihil utique*, ait, *agere videntur, quam ut sanctis patribus contradicant, & in Thomam commentantes, occasionem quærant illius sententias impugnandi. Molina Augustinum pessime tractat, & in materia de gratia efficaci crudelem vocat, aliisque gravat epithetis, quia libero arbitrio non omnia tribuit, quæ Jesuitæ falso & periculose illi assignant.* Ad verba, quæ neque Bzovius neque VVolfius habet; *Abutentur favore potentium ad opprimendos innocentes*; hæc notat: *Provincialis Dominicanorum in Arragonia, in memoriali Philippo II. Regi Hispaniarum exhibito, refert; Semper aliquem ex Jesuitis in aula versari, qui nihil aliud agat, quam ut Dominicanos apud Regem & Nuncium Pontificium, arrepta minutissima ex scriptis eorum occasione, & falsissime traducat. Taceo*, ait, *mille fabulas & historias, quas finxerunt, quibus Principes & proceres deceperunt, ut religiosos in invidiam inducant, his periculum struant, & sibi parent favorem.* Ex quatuor vitiis, quæ Diabolus cordibus eorum (ita dicente *Hildegardi*) impresserit, invidiam & hypocrisin probatione egere negat: de adulatione dicit, quod sine exemplo sit, nec ullos esse homines, qui ut ipsi faciant, sibi addictos, aut a quibus commoda expectant, pro sanctis extollant, etsi aliquis vitiosissimus, v. g. fœnerator publicus sit; qui vero illis amicus non sit, eum pro sancto haberi posse penitus negent. Maledicentiam illorum extremam esse scribit, qua aliis noceant & se extollant, minime observantes præceptum Senecæ: *parce lauda, parce vituperato, illud adulationis, hoc malignitatis indicium est. De sanctis igitur* (ait) *pessime loquuntur, peccatores laudant, iisque adulantur, & se ipsos supra sanctos erigunt, ita ut nuper aliquis eorum gloriatus sit, invenisse Molinam, quæ Augustinus invenire nequiverit. In sermonibus familiaribus frequenter dicunt, religiosos cæteros non nisi feces & lutum esse, & arbores infrugiferas; se vero in illorum locum venisse, & spiritu, qui in primis illorum fundatoribus fuit, regi, nec dissimulant, ut ægerrime ferant Dominicanos & Franciscanos.* Allegat *Nuza* epistolam Rectoris Balearici (sive Majorcæ) qua Provinciali Dominicanorum Arragonensium id scribere non sit veritus. Ad alia verba, quæ itidem neque *Bzovius* neque *VVolfius* exacte referunt, vulgo, ait, dici, quod Jesuitæ nolint esse martyres, sed sibi parcant, ut confessionibus audiendis vacent: *Martyres* (ita pergit) *tam paucos habent, ut digitis manus numerari possint. Venetiis publicato contra Paulum V. Pontificem edicto, cum in summo periculo essent, qui Pontifici obedire vellent, & multi religiosi dure haberentur, Jesuitæ metu a[illegible] [illegible]um ultro aufugerant, & tamen jactant, quo[illegible] [illegible] pro Pontifice passi essent. Itaque hæc prophe[illegible] indicat, quod fidem ita prædicaturi sint Principibus, ut a periculo vitæ tuti esse possint. Nolunt Apostolorum & aliorum Evangelicorum doctorum exemplo oves esse inter lupos, Dominici & Francisci sectatores martyriis sese ab initio exposuerunt, sed Jesuitæ, cum gratia Imperatoris Japonici excidissent, a Philippo II. copias militares sibi submitti petierunt, sub quarum tutela tuti concionarentur, de quo scandalo, Philippinarum Episcopus, Michael de Benavides, Regem admonuit. Licet igitur primi in Japonia Evangelium, multisque in locis Indiæ prædicaverint, paucos tamen ex suis indicare possunt, qui martyrium sustinuerunt, in tanto licet crudelissimorum & Evangelicæ veritati infensissimorum hominum numero.* Ad verba: *Abstrahentes Sacramenta a veris pastoribus.* Interpres Gallus indicat differentiam versionis *Bzovianæ* ab illa, quam *Nuza* secutus est, sensum tamen eundem esse dicit; hic vero *Nuza*, verissimum esse, statuit, quod prædictum est, & recordari se dicit, quod statim atque Japoniam ingressi fuerint Jesuitæ, Gregorio XIII. Papæ & Imperatori Japonico persuaserint, non expedire, ut alii religiosi in regiones illas mitterentur, diversa enim illorum vestimenta & instituta, (licet inter ornamenta Ecclesiæ *Ps. XLV. 10.* referantur,) novitiis offensam excitatura esse dictitabant. Sic deceptum Pontificem illis solis concessisse curam Japoniæ, ita, ut ne Episcopus quidem potestatem habuerit, terras illas ingrediendi, ideoque, exclusis veris pastoribus, & impedita Sacramenti confirmationis administratione, tam facile secutam esse apostasiam a fide: Jesuitas vero docere, quod confirmatio & ordinatio Episcopalis non sit necessaria, idemque factis suis in Japonia, in Philippinis

(f) *De Jesuitarum impudentia.*

(g) *De novitatibus a Jesuitis introductis.*

(h) *De perversitate eorum.*

(i) *De audacia, qua Patribus Ecclesiæ contradicunt.*

(k) *De calumniandi & adulandi studio.*

(l) *De fuga martyrii.*

(m) *De invidia adversus alios religiosos.*

A. 1540.

pinis & in Anglia probare. *Trahentes se in multitudinem populi. Hæc*, ait, *illorum propria cum est. Hinc falsas sæpe literas divulgant de rerum suarum successu, & ut adversarii nihil effecerint. Si quid ipsis improspere evenit, id studiose tacent. Narrant historias ex Japonia, Polonia, Germania & Roma, immo, ubi commodum est, etiam in locis, in quibus versantur, fabulas fingunt, infamiam non verentes, etsi postera die mendacii convincerentur: Sufficit iis, ut finem suum teneant, qui est, ut populus decipiatur & illis faveat. Hinc tam audaces fuerunt, ut Clementi VIII. dixerint, totam Ecclesiam turbatum iri, si contra Jesuitas in quæstione de auxiliis gratiæ pronunciaret.* Quæ de eleemosynarum interceptione, de familiaritate cum fœminis, utque has doceant maritis illudere, & bona sua Jesuitis tribuere, prædicta sunt, manifestissima esse ait *Nuza*, nec opus habere probatione. *Tollent res injustas & male acquisitas.*) Nemini, scribit, *hoc magis convenit, hinc brevi tempore ditiores facti sunt omnibus mendicantium Ordinibus. Sumunt ab omnibus, a furibus, ab usurariis, a mercatoribus, a malis judicibus, a libidinosis & perditis, ab apostatis, a concubinariis, a fœminis, & denique ab omnibus, qui vitam Evangelicæ legi oppositam gerunt. Dubito*, ait, *cum video, quid & a quibus capiant, annon secretam permissionem per subreptionem impetraverint, ut transigere cum istiusmodi peccatoribus possint, & acceptam male quæsitorum partem ad collegiorum suorum commoda impendere. Vidi exempla quædam, & legi in illorum regulis, quod Præpositus illorum Generalis nova semper privilegia, exemtiones & gratias solicitare debeat. Dicent, date nobis, & orabimus pro vobis.*) Hic recens exemplum allegat, *ut dixerint, societatem in se recipere peccata hominum, & pœnitentiam pro iis acturam esse, itaque quiescere eos, & de sanctificatione securos esse jubent, licet nihil præstiterint, & tales in timore & tremore contineri debeant. Qui iis confitentur, obliviscuntur propinquorum suorum.*) Hæc quoque verba ex alia versione depromta sunt, putat autem *Nuza*, tantum esse exemplorum, quibus prædictio illa probetur, numerum, ut decima pars sufficiat ad demonstrandum hujus vaticinii implementum. *Vitam delicatam.*) *Scit hoc*, scribit, *totus orbis, neque ipsi negant. Nemo indusiis subtilioribus utitur, neque lectis melioribus.* Addit plura ejusmodi, ut non surgant de nocte ad preces & hymnos; ut jejunia strictius non observent, quam lautissimi ex laicis; ut opipare vescantur, optima habeant vina aliosque potus, & delicatius vivant, quam magnates mundi. Nec ipsi solum his fruuntur, sed & potestatem Romæ impetrarunt, ut aliis jejuniorum relaxationem indulgeant. Sequuntur alia, quæ in editionibus prophetiæ, quas retuli, iisdem verbis non extant. Fatetur deinde, quæ de illorum casu & mutatis populi affectibus prædicta sunt, nondum impleta esse, affirmat tamen non deesse, qui jam melius cognoscant Jesuitas, & eadem illis ominentur. Interim epitheta illa, quibus excipiendi a populo esse dicuntur, aptissime illis convenire contendit, omniaque illorum vitia & artes, quibus ditescant, & hominibus placere studeant, prolixius exponit, quam referri opus est, pleraque etiam ex jam dictis intelligi possunt. Inter alia neglectum charitatis illis exprobrat. *Alii religiosi*, ait, *stipem ab aliis accipiunt, Jesuitæ nullam dant ulli, nisi utilitatis causa; novas indies opes acquirunt, nihil unquam reddunt, quocunque modo acquisitum, neque priori possessori, licet pereuntem viderent, teruncium erogant. Dulces calumniatores.*) *Suaviter scilicet, maledicere noverunt de aliis; religiosorum lapsus ita enarrant, ut condolere iis videantur, scribuntque quovis prætextu, quæ illis aliisque contumeliosa sunt, licet futilia & falsa. Ribadeneira*, in tractatu de tribulatione, *Savonarolæ* historiam non alio fine narrat, quam quod Dominicanus fuerit. *Pacifici persecutores.*) *Tam placide id agunt, quasi neminem tangerent, utut crudeliter infestent, quos non amant, ita ut nullum venenum tam cito mortem afferat. Sententia illorum est, quod nemini sit ignoscendum, licet dissimulare liceat, donec ultionis occasio nascatur. Amatores mundi.*) *Verum hoc esse deprehendent, qui observabunt, quomodo in mundo radices figant; ut in Regum & Principum palatia irrepant, & variis gradibus ad summum in omnes dominatum adscendant; quam ægre, semel admissi, ejiciantur. Idem patet ex illorum ædificiis aliisque artificiis, quibus primores ubique ad se alliciunt; & ex porticibus & pergulis aliisque quæ invenerunt, nulli religiosorum sodalitio usurpata, ab his enim id agi dicit, ut populum fraudibus potius liberent, quam irretiant. Considerate*, addit, *qua ratione instructionem juventutis ad se traxerint, ut in classibus suis filios nobilium & mercatorum educent, ex iis (in comœdiis suis) Duces & Imperatores faciant, licet literas legere nesciant, pauperes vero alios optimi ingenii & profectus negligant, ita ut satis apertum sit, quod non curent instructionem juventæ, sed ut omnibus modis potentium favorem sibi concilient, omniumque rerum Domini fiant & in mundo sese efferant, hujus enim vere sunt amatores, imo mancipia. Venditores indulgentiarum.*) Hæc non de indulgentiis Pontificum intelligit *Nuza*, quas alii mendicantium Ordines prædicant, sed de facilitate, qua disciplinam relaxant Jesuitæ, omnesque libros suos replent, ut emtores plurimos inveniant, qui ex iis solatia percipiunt, ut retinere possint bona aliis erepta, & leges de abstinentia transgredi atque alia turpiora perpetrare. *Ordinatores commodi.*) *Totus mundus*, ait, *ab iis discere potest, quomodo utilitas sectanda sit: Omnia considerant; in locis mille leucarum intervallo dissitis provident & disponunt omnia, ne quid lucri illorum manus evadat, quamvis id videatur impossibile. Fertur, eos de impossibilibus disserere, ut possibilia fieri possint.* Addit plura, ut contrario, quod aliorum Ordinum fundatores tenuerunt, instituto commoditates vitæ, (neglecta mortificatione) in victu, amictu aliisque omnibus rebus secuti sint. *Suspicatores crapularum.*) Hæc verba mendosa esse conjicit autor, & recte quidem: nam & *Bzovius* scribit *Suspiratores crapularum*, quod scil. eas desiderent, & *Wolfius* legit *suspiratores crapulosi*, eo fortassis sensu, quod licet luxuriose vivant, speciem tamen pœnitentium & suspirantium induant. *Honoris cupidi & ambitiosi.*) Ex his verbis, quanquam in editionibus supra relatis non inveniantur, multa commentatur *Nuza*, questus inter alia, quod sub *Gregorio XIII.* munus magistrorum palatii Dominicanis eripere conati sint; citat verba *Ribadeneira*, quibus Jesuitas omnibus ordinibus præfert, testaturque quod pluris quam illi æstimentur, quanquam nec cantum nec jejunia nec disciplinas nec pœnitentias nec cilicia habeant. Idem quoque altiorem illis locum præ monachis asserit, quia Ecclesiasticum sive sacerdotalem habitum gerant, inde etiam Generali Jesuitarum honoratior sedes, quam monachorum Generalibus in Concilio Tridentino tributa fuerit. *Hoc impudens mendacium*, ait, *non omnibus propinant, sed familiaribus librum illum secreto legendum offerunt, donec figmentum hoc convalescat, & libri ad publicam veniant notitiam, interim typis excusa hæc sunt & in tempore effectum habebunt. Maimburgius* certe *Lib. VI. histor.* suæ in anno 1562. *ex Sacchini hist. Societ. Tom. II. Lib. VI. §. 79.* refert, quod Jacobo Laynesio Jesuitarum Generali, licet Societas ejus ultima omnium fuerit, ideo tamen locum ante monachos destinaverit Magister ceremoniarum, proximum nempe post Generalem Regularium S. Augustini, quia Clericorum & Presbyterorum regularium esset ordo, monachis sine dubio præponendus. Addit tamen, inventum fuisse a Legatis Pontificiis temperamentum, ut Laynesius quidem ultimo post Generales loco suffragium diceret, sed sedem extraordinariam inter Episcopos caperet. *Mercatores domorum.*) Hoc de mercatura, quam fructuosius & callidius, quam vel ipsi Genuates exerceant, interpretatur, cum conscientiam laxissimam habeant, & minima etiam non negligant, nec in una aut altera provincia, sed in toto orbe negotientur. *Seminatores discordiarum.*) *Nulla civitas est, nullum regnum*, ait, *ubi turbas non excitaverint, etiam in ipsa Ecclesia.* Considerari jubet, quæ Venetiis, Lutetiæ & alibi egerint, & divisiones ab illis seminatas esse queritur, quarum radices ante finem mundi evelli non possint. *Ædificatores in altum.*) *Structuris magnificis. Si quis*

(n) De captatione plebejorum favoris.

(o) De injuste quæsitis.

(p) De inquietudine.

(q) De vitæ eorum delitiis.

(r) De neglectu charitatis.

(s) Item de calumnia.

(t) De crudeli odio.

(u) De amore mundi.

(w) De licentia dispensationum.

(x) De avaritia & crapula.

(y) De ambitione.

(z) De discordia serenda studio.

(aa) De structuris magnificis.

A. 1540.

Si quis, scribit, *urbi alicui appropinquet, leucæ spatio oculis ejus nihil altius offertur, quam palatia & templa Jesuitarum, horumque porticus & muri, neque tamen tam alte adscendunt, quam ipsi cupiunt; Deus enim superbis resistit & humilibus dat gratiam.* Ex his omnibus tandem argumentatur *Nuza*, prophetia illa Hildegardis societatem Jesuitarum designari, & exitum habitaturam esse, qui indicatur.

(bb) *Quid Jesuitæ libro Nuzæ opposuerint & quomodo responderit Arnaldus.*

Ista viri Romano Catholici, tum celeberrimi ordinis monachi, & denique Episcopi, censura post multos annos publicata gravius offendit Jesuitas, quam si mille Lutherani talia aut pejora illi objecissent. His enim plaustra conviciorum pro more regessissent: id quod non æque facile fuit in Episcopum, quem hæresis crimine infamare non potuerunt. Aliam itaque viam ingressi sunt, ut ex libro, non ita pridem Gallice edito, apparet, cui titulus est: *Defensio novorum Christianorum, ut & Missionariorum in China &c.* Dicunt autem in hoc libro, Societatem suam ex singulari moderatione isthæc omnia patienter ferre & silentio transmittere, ut falsa nempe & injuste objecta. Apologiæ illi opposita est *pars III. Pract. mor.* quam sæpe allegavi, & in hac autor simulatam illam moderationem esse contendit, & pro desperatione causæ habet *cap. 18.* ubi exempla adducit, ut Jesuitæ minime parcant neque Episcopis neque Theologis aut monachis, sed in sævissimas recriminationes erumpant. Deinde *cap. 19.* acriter eos taxat & falsi accusat, quod, producto instrumento quodam, ex testimonio *Martini Lopezii*, conventus Dominicanorum Cæsaraugustæ Prioris, probare conati sint, non extare scriptum illud Episcopi *de la Nuza.* Intempestive nunc quæri dicit de libro, quem ante annos XXXII. *autor Theatri Jesuit.* allegaverit, qui intra hoc tempus ex uno loco in alios transferri potuerit; deinde aliud documentum profert d. 3. April. 1688. Hispanice scriptum, & Gallice versum, in quo idem *Lopezius* longe aliter refert, quæ Jesuitarum nomine secum acta sint, unde satis constare asserit autor, quod de fide & existentia libri illius minime dubitandum sit. Prætereo quæ ab *Arnaldo* de aliorum Episcoporum in India, inprimis vero *Johannis de Palafox*, Angelopolitani Præsulis, & *Dominici Navarretæ*, urbis S. Dominici Archiepiscopi, querelis contra Jesuitas prolixe deducuntur, per quæ omnia illa confirmationem accipiunt, quæ supra de perversa doctrina malisque moribus Jesuitarum recensita & testimoniis autorum minime Lutheranorum probata sunt.

(cc) *Andr. Osiandri de Vaticinio Hildegardis libellus.*

Notandum denique est, editam fuisse jam anno 1527. ab *Andrea Osiandro*, tunc in templo Laurentiano Norimbergæ concionatore, partem quandam prophetiæ Hildegardis, sed saltem ex versione Germanica, caruisse enim se fatetur libris Hildegardis Latinis. Præmisit præfationem brevem quidem, in qua judicare non vult, an Hildegardis Spiritus sancti instinctu scripserit; observat tamen, Deum, in prædicendis cladibus, non solum sanctis & piis Prophetis, sed & aliis uti, etiam fatuis, ut ante excidium Hierosolymitanum factum est. Pars autem vaticinii, quam edit, non est illa, quam supra ex *Bzovio & Wolfio* produximus, sed alia major & longior, quam Latinam exhibet *Wolfius d. l. in anno 1180.* Continet autem prolixam invectivam in vitia Cleri, de quibus Ecclesia Christi, sub specie fœminæ Hildegardis apparens, acerbe queritur, speciatim de luxu Episcoporum, quodque moribus Principum seculi vivant, quapropter ab his exuendos opibus & in ordinem redigendos esse denunciat. Extat hic Osiandri libellus in Bibliotheca privata *Serenissimi Brunsuicensium Ducis, Rudolphi Augusti*, (vid. *Catalogum* nuper editum *p. 237.*) ut & in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi.*

(dd) *Excerpta ex oratione Majoragii de laudibus auri.*

Recentiores sunt de avaritia Cleri, & speciatim de Jesuitis, querelæ, neque tamen nostra ætate, aut a Lutheranis, sed a viro Romanarum partium, & quidem Italo, oculato teste, ante annos centum supra triginta in Gymnasio urbis Mediolanensis institutæ, eo quidem ingenii acumine & verborum elegantia, ut non dubitem gratissima futura esse, licet paulo prolixiora, quæ ex illis adscripturus sum. Loquor autem de *Marco Antonio Majoragio*, clarissimi nominis Rhetore, qui tamen etiam sacris studiis addictus erat. Ejus elogium in *historia anni 1555.* qui illi vitæ ultimus fuit, apud Illustrem *Thuanum* reperitur *Lib. XVI.* Elaboravit is summo cum artificio orationem, quam inscripsit *Philochrysum*, sive de *laudibus auri*, quæ tamen ob illos ipsos sales, (propter quos eam allego,) dudum suppressa fuit. Sed publico commodo & delectamento ante viginti & quinque annos ex latebris illam produxit vir doctissimus, magnæque in aula Holsatica dignitatis, *Marquardus Gudius.* At distractis celeriter exemplaribus nuperrime denuo cum insigni imitatione edidit *D. Dan. Georg. Morhofius* Professor Kilonensis, vir merito suo longe mihi charissimus & æstimatissimus, in quo habet Germania, quo genti nostræ gloriam omnigenæ & exquisitæ eruditionis, qua ingenii viribus & indefesso studio eniti licet, asserat. In oratione autem illa *Majoragius* seculi sui (utinam non etiam nostri!) avaritiam per omnes hominum Ordines grassantem per modum ironiæ satyricæ, & specie laudantis, ita descripsit, ut præter *Morhofium* pari argutia & elegantia vix quisquam imitari id posse videatur. Licet autem libellus nuper excusus sit, quo minor tamen est mole, tanto difficilius ætatem fert. Ut igitur tam insigne nec suspectum testimonium de avaritia Cleri Romani, quæ reformationi primam fere occasionem dedit, in libro majori veluti vehiculum aut receptaculum inveniat, ecce fideliter huc transscripta, quæ ad materiam hanc spectant. In genere ad Prælatos & Clerum spectant sequentia (*p. 58. edit. Morhof.*) *An,*

(ee) *An cupiditas a Pontif. & Cardinalibus.*

si damnanda esset auri fames, & sitis, & cupiditas, Pontifices nostri, viri omnium sapientissimi sanctissimique, petasati patres, quos Cardinales vocant, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Bardocucullati, denique religiosorum omne genus, aurum tantopere desiderarent? Non eo dementiæ perventurum quenquam existimo, ut aurum condemnare aut aspernari velit, cum summos nostræ religionis Antistites, atque adeo Monarchas, nihil non auri comparandi gratia moliri videat. Nuper enim quendam amicum meum, summa autoritate, fide, religione virum conveni, qui pridie ejus diei Roma venerat, quæ civitas propter auri cultum atque venerationem & alias semper & hoc maxime tempore, omnium sapientissima religiosissimaque judicatur; ubi (quod equidem vehementissime laudo) quamplurimos nostri ordinis summos auri cultores comperisse se dicebat, qui propter auri desiderium ac amorem plurima patrare non dubitant eorum, quæ istis fortasse fatuis & superstitiosis hominibus scelesta esse videantur. Sed propter rei tam pretiosæ tamque potentis acquisitionem nihil cuiquam scelestum aut turpe videri debet, cum præsertim aurum ejus esse naturæ perspicuum sit, ut, cum semel ad sese hominis animum atque mentem allexerit, tanquam optimus imperator eam postea regat, atque ita volentem & cupientem imperio suo subjiciat, ut nihil aliud quam de se cogitare sinat, nullum rivalem patiatur, reliquarum rerum omnium amorem depellat. Item, post alia quædam: *Nam nostra tempestate sacrorum principes, quos balbutientium puerorum imitatione, Pappas appellamus, cum illius ætatis aureæ sanctissimos mores & religionem perlegunt, adeo sanctitatis ac religionis ardore succenduntur, ut, si liceat ea secula revocare, vehementissime concupiscant, & pro virili parte nitantur, ut saltem domus sua suorumque cognatorum, affinium, necessariorum, auri copia fiat aurea. Quamobrem totos se immergunt auro: quicquid dies noctesque cogitant, id totum aurum est: huic uni student: in hoc vigilant: ad hoc omnibus viribus incumbunt. Quod si fortasse Bacchus lætitiæ dator eam optionem, quam olim Midæ Phrygum regi dicitur obtulisse, Pappis nostris liberam concederet, illud sine dubitatione summa cum alacritate protinus exclamarent.*

- - - - - Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.

Et prius (ut existimo) fame tabescerent, quam conditionem hanc peterent immutari. Tanta est auri virtus & potestas. Quod si forte, Proceres, Papparum cubilia, cœnationes, atria, porticus, vestibula, totam denique regiam videretis, tum credo lætitia vobis cor ipsum exultaret. Nihil non auro politum, nihil non magnificum. Quid quod etiam mulas auro stratas videmus? perinde

quasi

A. 1540.

quasi pecudes etiam ipsæ præstantiam auri sentiant. Sed, quibus tandem artibus hoc tantum auri sibi comparent, vobis jucundissimum esset audire, Proceres; namque inde magis etiam auri potentiam agnosceretis, cum videretis illos ab auro regi, quibus omnia divina atque humana regenda tradita sunt. Sed hæc quoniam non admodum ad rem nostram faciunt, ab aliis malo quam a me cognoscatis. Habent quidem Christum in ore frequentissime, qui se auro quodammodo contrarium & paupertatis ducem ac exemplar præbuit, quem si sequerentur, eos in ordinem nostrum admittere non possemus; sed viri sapientissimi memoria tenent, ipsum etiam Christum pecunia proditum fuisse, quod sibi ne accidat, magnopere pertimescunt. Itaque maximos auri cumulos undique congerere student, ut, si forte contigerit, eos ab aliquo satellitum suorum prodi, possint auro se quam citissime redimere. Si quis autem roges, ubi fidem habeant, quam sacræ & humanæ literæ tantopere commendant, ut per eam solam nos affirment cœlestem illam ac beatorum sedem facile consequi posse? illud egregium Satyrici Poetæ dictum respondebunt:

(ff) Fides [illegible] in [illegible] num-mu.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca;
Tantum habet & fidei.

An vobis in hoc damnandi esse videntur? Non opinor; etiamsi quibusdam in cogendo auro paulo cupidiores quam æquum sit esse videantur. Nam & pietatis & Christianæ religionis sæpissime obliviscuntur, & relicta sacrorum administratione, bella suscipiunt. Sed omnino mendose reprehenduntur: nam justissima tantum bella gerere solent: nempe contra illos, qui decimas & primitias, quibus sancta sustinetur ecclesia, persolvere nolunt. Hoc Patres sanctissimos, maximeque venerabiles, quibus divino jure primitiæ debentur, non sine summa ratione commovet: neque enim aliter vitam ducere possent. Nam verissimum illud est, quod ait Hesiodus:

(gg) Bella gerunt auri causa.

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.
Humano generi namque ipsa pecunia vita est.

Quamobrem etiam inviti bellare compelluntur, ut sacrilegæ nationes, quæ decimas non solventes illis vitam eripiunt, funditus evertantur. Illud fortasse requiretis, quomodo nullis armis, nisi divinis officiis, exerciti Pappæ præliari possent? Cognoscite, Proceres, non enim sine causa quæritis: nam non ipsi prælia gerunt, sed ipsorum aurum; cujus, in armis etiam, sicut in reliquis rebus omnibus, summa potestas est. Jam vero, quemadmodum summæ res administrentur, si diligenter cogitare volueritis, credo vos facile perspecturos, auri vim esse maximam. Nam in arce religionis, auro reguntur universa; nihil ibi speretis nisi manibus auro gravissimis. Omnia Romæ cum pretio. Qui plurimum auri secum attulerit, is securus esto, se, quicquid optaverit, facile consecuturum. Quod ut facilius credatis, audite quid eleganti carmine Petronius cecinerit:

(hh) Omnia auro ab iis impetrantur.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Multa loquor, quid vis nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Jovem.

Veniat ergo Romam, vel quo magis ei libuerit, bene nummatus: confestim ei regiæ valvæ recludentur, cum omnes alacri vultu venientem excipient, ei gratiam & favorem suum omnes & pollicebuntur & præstabunt, brevi tempore dignitates amplissimas, opima sacerdotia consequetur, plurimum auctoritatis & potestatis habebit. Nec interim, quinam sit ille, quem omnes tantopere suspiciunt, quisquam sibi exquirendum esse cogitabit, summo loco natus an terræ filius, probatis moribus an profligatis, doctrina præditus, an a Musis aversus. Hæc jam nihil ad rem facere prorsus existimantur; aurum est, quod omnia regit, omnia dispensat, omnia transigit, omnia componit. Illud vero quamvis fortasse vobis ridiculum esse videbitur, tamen a me in dicendo prætereundum esse non arbitror, quod aurum tanquam Prometheus quispiam, imminutas corporis partes restituit. Si quis enim aut altero captus oculo, aut claudus, aut testibus carens, aut quovis alio membro spoliatus, ad sacerdotii dignitatem aspirarit, quamvis per jus pontificium tales non liceat in sacerdotum numerum aggregari, præsens tamen aurum facile jus pontificium frangit, & membra supplet mutilata. Sed fingite nunc aliquem singulari eximiaque virtute præditum, & expolitum omni doctrina virum, qui sacerdos fieri velit, & ei desit alter tantum testium; si aurum illi defuerit, sit Numa licet ille religiosior, Aristide justior, Aristotele doctior, domum sine sacerdotio redibit. Sed hoc (ut dixi) ridiculum; illud vero multo omnium gravissimum & præstantissimum, quod etiam sub terras, ad eas animas, quæ torquentur in tartaris, a principibus in religione viris compertum est, aurum potestatem suam transmittere, quæ statim eas inde liberet, & ad superos recta perducat. Nec illa parva auri potestas est, quæ consceleratum quemvis hominem ab omni supplicio pœnaque liberare facile potest, modo manibus auri plenis diploma plumbatum impetrarit. Quid, quod aurum in annorum multa millia peccandi sine pœnæ timore indulgentiam facile, cum voluerit, obtinet? Nam præterita scelera non tantum aurum sed etiam argentum modicum, duabus aut tribus indulgentiæ bullis coemtis, delere facillime potest. Verum hæc fortasse silentio præstat involvere, ne quis fatuus aut ineptus, quæ nos in auri laudem dicimus, in Papparum contumeliam dicta judicet. Ad alias potius religiosissimas personas, in quibus aurum jam imperium suum confirmavit, transeamus. Tanta est enim auri vis & potestas, ut, quos Ecclesiæ Cardines appellamus, eos labefactatos a propria sede dimoverit, & imperio suo subjugarit. Qui certe nunc multo melius & stabilius totam religionis machinam sustinebunt, postquam auro fundati sunt. Nam quomodo quæso religionem sustinere possent, si præ paupertate se ipsos sustinere non possent? Illud nimirum nunc operæ pretium suaveque est contemplari, cum sublimes per urbem, stratis auro mulabus provehuntur, rubra causia conspicui, quam certe fulvam melius effinxissent, ut esset insigne domini sui auri, satellitibus undique stipati, ut ipsis etiam regibus invidiam movere possint, trementibus præ mollitie genis. Atque ut majori auctoritate digni videantur, templa Deorum peniculamentis terram verrentibus ingrediuntur, quod alias, cum multo minus quam nunc homines saperent, vix in mulierculis tolerandum esse videbatur. Inde domum regressi, post Saliares & Sybariticas epulationes; clandestinæ dominæ finibus excipiuntur. Quas omnes eis voluptates ac delicias aurum præstare quis ignorat? Jam vero propter aurum eousque sapientiæ nostro tempore perventum est, ut quam plurimi summam Tibarenorum & admirabilem doctrinam præclare intelligant, & omni diligentia exercere studeant, quos memoriæ proditum est in risu & ludo summum bonum constituisse. Nam sanctissimorum Cardinalium domos morionum & aleatorum plenas invenietis, quibus vicissim pro libidine sua delectentur. Præterea nostra tempestate reperiuntur, qui sexcentis Philippeis scortum unum conducere non dubitent. Sed unde illis auri tanta copia? Non aliunde certe, quam ex plurimis & ditissimis sacerdotiis, quæ etiam auro venati sunt: ita aurum ex amento ut semen ex semine, nascitur & exuberat. Nemini igitur dubium esse potest, auri potestatem esse maximam, qui sacrosanctos illi magistratus tam cupide servire videat. Quid? magisne difficile est in eis auri potestatem agnoscere, quibus olim curæ fuit, sacris initiatos invisere, afflictos consolari, sacerdotum errata, si quæ erant, emendare, bonos eligere, malos abdicare? Minime vero. Nunc enim multo majorem nacti felicitatem opima tantum sacerdotia, unde magnam auri copiam hauriunt, invisere solent. Ex quo factum est, ut Episcopi quasi auri exploratores nominentur. Sunt enim mitra bicorni decorati, cujus pars illa prior, quamvis aliud olim significare credebatur, nunc tamen aurum indicare perspicuum est, posterior autem argentum. Hoc modo auri atque argenti, quibus plane devoti sunt, insignibus exornati, tanquam pro templis & aris, ita pro auro atque argento, dimicant. Cum vero cursu revoluto quatuor anni tempora venerunt, in quibus sacris initiandi congregantur, ita se gerunt Episcopi, ut summum auro, quem meretur honorem atque reve-

A. 1540.

(ii) Etiam indulgentiæ peccatorum.

(kk) Avaritia & fastus ac luxuria Cardinalium.

(ll) Item Episcoporum.

A. 1540.

reverentiam exhibeant. Nihil enim aliud eos, qui sese ad sacerdotii dignitatem ingerunt, interrogare solent, nisi quantum auri possideant, quot habeant prædia, quale & quantum patrimonium, quot sint eis beneficia sive præbendæ? sic enim appellant, eas præfecturas, quas a Papa sacerdotes auro redemerunt, nempe a præbendo, vel quod ipsi pro eis habendis aurum præbuerint, vel quod illæ sacerdotibus aurum præbeant. Qui se maximas atque amplissimas habere possessiones dixerit, plurimumque auri possidere, statim eum benignissime excipiunt; nam ab hujusmodi clericis, quibus est auri satis ampla copia, præter statutum atque ordinarium tributum, quod ab initiandis exigunt, non vulgarem etiam mantissam expectant. Itaque alacri vultu: dignus est hic (inquiunt) qui admittatur, & sacerdos creetur. Sed quid, si literarum non magis peritus sit, quam germen (quod dicitur) Arcadicum? aut si non magis honestatem curaverit, quam asotus quilibet? hoc nihil impedit. Aurum enim præsens etiam illum Aquinatis poetæ Peribomium & doctum & honestum reddere potest; at vero doctrina bonique mores sine auri præsidio nihil prosunt. Quid autem de Sacerdotibus cujusque generis loquar? quos tanta auri cupiditate flagrare notum est, ut ad missas, quas vocant, devorandas, perinde quasi ad operas, pretio conducantur, & ipsius Christi corpus atque sanguinem auro vendant? Quid, quod bis aut ter uno die lucri causa sæpissime missantur? Deinde quot rixæ? quot seditiones? quot discordiæ? quot clamores inter ipsos presbyteros exoriuntur? dum primitias, aut decimas, aut annua menstruaque salaria, pro missationibus suis exigunt, atque inter se partiuntur. Persæpe etiam non alia de causa litigant, nisi quod eorum aliquis confessionem peccatorum audierit ab homine, qui sub alterius sacerdotis imperio fuerit, vel tanquam vultur triduo cadaver ante præsenserit, quod providus negligenti surripiat; hinc præcipue solent gravissimæ contentiones exoriri, ut a jurgiis ad crucis baculos sæpe veniatur. Sed fortasse requiretis, Proceres, cur de hominis confessione, aut de cadavere, dimicandum esse censeant. An vero ignoratis, ex istis confessionibus & cadaveribus maxima illis vectigalia provenire? Nemo confitentem gratis audiverit. Confessos vero pro peccatorum absolutione pœnas aureas pendere jubent. Sed in funeribus maxima prædæ spes eis constituta est; hinc enim uberrimi fructus emetuntur. Nuper audivi sacerdotem quendam, qui dolebat artem suam (ita enim appellabat) esse pessimam, propterea quod homines raro morerentur. Hæc est aurea charitas. Cum enim aliquis fato concedit, priusquam ejus cadaver sepeliunt, de mercede sua pacisci volunt, nec ullum penitus humo condi patiuntur, nisi prius soli pretium sibi numeratum viderint. Quod si forte quis ita pauper sit, ut olim Agrippa Menenius, aut Valerius ille cognomento Publicola, is præda canibus & corvis relinquetur. Usque adeo mori miserum est, nisi aurum possideas. Cum vero contra tantas mortis injurias aliquis magna auri vi munitus, vitæ suæ diem clauserit, tum vero lætissimum videre est, parochum trepidare, ne parum magnifice funus apparetur, sursum ac deorsum cursitare, mortui cognatos & affines adhortari, ut in eo funere sibi famam immortalem acquirant, nec modico auro parcant, ut illius animam in cœlum recta subducant; id futurum (inquiet) si septimum, trigesimum anniversarium officium, divi Gregorii missas ipse celebret; quo feliciter impetrato, statim in ipso funere duplicem sibi mercedem dari jubet. Hæc enim jam lex est, & jus ex consuetudine factum parochis omnibus. Deinde pro feretro in quo cadaver jacuit, pro pallio quo opertum fuit, grandem sibi pecuniam numerari jubent. Interim atratus mortis procurator omnibus se plene satisfecisse putat, cum ecce lignearum, ænearum, argentearum, aurearum crucium multitudinem parochus in medium adfert, & majorem etiam quam prius sibi data fuerit, pro crucibus istis pecuniam flagitat: postremo sacerdotum etiam ministri, qui, dum funus efferretur, subtiliori voce cum sacerdotibus nænias cantillarunt, & funalia crucesque circumtulerunt, pecuniariam aliquam offulam præstolantur. Nonne igitur pro cadaveribus, unde tam opima spolia proveniunt, tanquam pro focis & aris dimicandum est? Age vero, quid in concione quotidie clamant? quid populo persuadere conantur? non aliud sane, nisi pauperis parochiæ memores esse velint, ut animarum parentum, fratrum, sororum, cognatorum, affinium, misereantur, quæ torquentur in purgatorio, crebrisque oblationibus & missarum celebrationibus eas a purgatione liberent. Denique hoc unum student, in hoc incumbunt, hæc eorum maxima est occupatio, ut scilicet quam plurimum auri congerant; & sæpe minas regaliter addunt, futurum ut grandines omnia sata contundant, ut omnes fructus pruina præcipiat, ut nihil germinent arbores, nihil producat hortus, intereant pecudes, nisi sacerdotum populi magnam curam habeant: hinc iram Dei maxime concitari, quoties videt sacerdotibus suis primitias, decimas, solita suffragia, denegari. Quibus certe minis populorum mentes, quibus nihil est superstitiosius, perterrefaciunt, & facile quocunque voluerint impellunt. Sed quorsum hæc tam multa de sacerdotibus? Ut intelligatis, Proceres, id quod in hac exornationis nostræ parte tractamus, auri vim esse maximam, quæ religiosorum etiam mentes, quibus nihil ex omni parte perfectius inveniri potest, imperio suo subjecerit. At quæ sequuntur, speciatim feriunt Jesuitas, quanquam mirari liceat eos tam cito (*Majoragius* enim non nisi annos quindecim post illius Societatis confirmationem superfuit potuitque orationem aliquot ante obitum annis scripsisse, cum in ea non semel sugillet *Alciatum*, qui tamen anno 1551. ineunte decesserat,) ab instituto, in quo summam paupertatem inter alia profitebantur, defecisse, & tantos in se aculeos provocasse, qui vix majores esse possent, si hodie post auctas in immensum eorum opes exserendi essent. Scribit autem autor *p. 66. 67. Restat etiam ex religiosis genus quoddam novum atque monstrosum, quos publice quidem* fratres, *privatim autem* patres *appellant, vulgari vocabulo* spirituales: *quamvis sæpenumero non tantum spirituales patres inveniantur. Horum ego medius fidius incertus sum, an auri cupiditatem explicem, quæ tanta est, ut ei saturandæ non solum memorata Pelopis aut Zopyri talenta, sed quicquid in toto terrarum orbe auri est, vix sufficere posse videatur; an, quod forte melius est, illi Apollinis oraculo paream:*

Μὴ κινεῖν καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Video enim, quasi ea quæ oculis cernuntur, futurum, ut, si labyrinthum hunc semel ingressus fuero, postea, cum voluero, non possim exitum reperire. Quis enim, Bardocucullum illum frequenter excutiens, omnes, quæ in eo sunt, simulationum latebras investigare possit? Itaque mihi certe in cogitationum trivio esse videor. Quid enim faciam? Laudemne? quos nunquam satis damnare possem? Vituperem? qui, quicquid a me dicitur, id sibi in laudem vertere conabuntur, propterea quod ab auri studioso vituperentur. Quasi vero non aurum ipsi plusquam Deum ac propriam vitam diligant. Qui cum ex castris nostris se palam transfugas esse profiteantur, tamen nescio quibus cuniculis ad eandem sæpissime revertuntur. Quo majore etiam odio digni sunt, qui, cum publice de loco superiore, quantum possunt, in auri cultores debacchentur, ipsi deinde illud idem aurum summa religione venerantur. Quod si suam in aurum benevolentiam & observantiam ingenue faterentur, equidem eos summopere laudarem atque celebrarem, quemadmodum jam in aliis religiosis supra feci. Nunc, cum id, quod pulcherrimum est, in se dissimulent, & idem in aliis reprehendant, quis non eos merito detestetur? quis non omni supplicio vivos mortuosque mactandos esse censeat? Verum jam omnibus fere cognitum est, istos nebulones duabus, quod ajunt, sedere sellis. Nam se tanquam sorices suo ipsorum indicio produnt; cum omnia propter aurum audeant, atque ejus gratia limites omnes verecundiæ transierint; quippe qui jam pridem eo impudentiæ pervenerunt, ut, quoscunque obvios habuerint, ab eis stipem non solum petant, sed etiam efflagitent: qui non solum per compita, verum etiam ostiatim aurum mendicare non erubescant,

(mm) *Sacerdotes auri causa Missas celebrant & confessiones audiunt.*

(nn) *Exequias vendunt.*

A. 1540.

(oo) *Minæ divini aurum populo extorquent.*

(pp) *De Jesuitarum avaritia speciatim.*

A. 1540.

bescant: qui totum terrarum orbem, quam magnus est, circumvolitant, ut sua faciant opima cœnobia: qui publice paupertatem professi tantum auri congerunt, ut palatiorum insanis substructionibus etiam Reges ipsos ad invidiam commovere possint. Quæ subjungit, ad Franciscanos aliosque mendicantium Ordinum Monachos pertinent, *p. 67. 68. Quid, quod ex illis, qui ligneos pedes habent, & qui, nescio qua religionis simulatione palam aurum tangere verentur, cum interim, si fors obvenerit, aliquid mollius tangere non vereantur, invenitur aliquis, qui viginti millibus aureorum purpuream conetur a summo Pontifice causiam extorquere? Quod sane non admodum difficulter impetravit: quid enim non potest aurum? Taceo testamentorum aucupia, confessionum insusurrationes, cadaverum rapinas, propter quæ cum sacerdotibus ἀσπονδον πόλεμον continenter gerunt. Alia profecto multo majora gravioraque non tacerem, nisi vibrantes eorum linguas atque trisulcas pertimescerem, quæ tanto feruntur impetu, ut Jovem ipsum, fulminum jaculatorem, Vulcanumque fabricatorem, perterrefacere facillime possint. Nam quicunque contra eorum opiniones aliquid aut fecerit aut dixerit, vel qui occulta eorum scelera patefecerit, is statim e locis superioribus, ubi suo arbitrio mugiunt, hæreticus ubique prædicatur. Quis enim ignorat, quam in Erasmum, nostri ordinis non infimum hominem, debacchati fuerint, quoniam in eorum hypocrises & scelera, ut erat homo facetissimus, quodammodo luserat? Illum enim impudentissima lingua factiosum & hæreticum ausi sunt appellare. Sed tu, credo, Erasmi calamitate doctus cautior, Alciate, fuisti, qui nihil unquam, aut certe parum, in aureis scriptis hoc tam impurum hominum vel potius belluarum genus attigisti; quod te ideo fecisse crediderim, quia te pudeat eos nominare, qui doctorum hominum nominibus oblivionem inducere conentur. Sed (ut ad rem redeam) quanquam hoc animantium genus, qui se non homines, sed hominum patres appellari volunt, auri cupidissimum sit, tamen nihil amplius de eo dicendum mihi esse censeo: cupio enim eos in cupiditatibus suis inveterascere atque marcescere, neque unquam auri fructum quenquam, nisi qui eos omnes strangulet, degustare.*

(qq) *De Franciscanis & similibus quædam.*

ADDITIO III.

(a) *De historia missionis Tunkinensis liber Joh. Phil. Marini Jesuitæ, & cur ea hic allegetur.*

Prodiit anno 1663. Romæ ex officina *Nicolai Angeli Tinassi*, cum approbatione Superiorum, *Historia missionis Jesuitarum in Japoniam*, & præcipue *in regnum Tunkinense*, a *Joh. Philippo Marino* (De Marini) lingua Italica conscripta, & *Alexandro VII.* PP. dedicata, forma, quam vocant, quarta. Legi tunc eam non sine delectatione, tum, quod non pauca contineret eo usque parum cognita, tum, quod modeste, & non sine pietatis affectu, scripta videretur. Nunc etiam, cum revolvissem, haud diffiteor, non pauca in illa observata a me esse, quæ meliorem methodum & disciplinam Jesuitarum ostendant, quam illis Dominicani, quorum scripta allegavi, tribuere solent. Non invenio hic prævaricationem in dissimulandis mysteriis fidei Christianæ, nec lites cum monachis & Episcopis, aut cætera, quæ imputari Jesuitis multisque documentis probari intelleximus; immo si superstitiones, quæ Evangelicæ doctrinæ assui solent, abessent, multa ab autore narrantur, quæ ideam quandam vitæ vere Christianæ & Apostolicæ exhibere possent. Referuntur prioribus *tribus* historiæ allegatæ libris gesta a Jesuitis in regno *Tunkin*, cujus curam sub Japonicæ missionis (postquam hæc immani sævitia prorsus sublata fuit) titulo susceperunt. *Quartus* de missionibus in *Cocincinam*, *Cambojam*, *Siam*, *Macassar*, *Canton*, *Haynam* insulam; & *quintus* de iis agit, quæ in regno *Lao* expeditæ sunt. Acta pleraque aut præcipua ad annum 1655. & sequentes, usque ad annum 1660. pertinent, quo *Marinus* in Italiam ex provinciis illis reversus est, & relationem ad Pontificem composuit. Miseranda est omnium illorum regnorum in religione cœcitas, eadem nempe idololatria obrutorum, qua Sinensis Imperii (cujus partes regiones istæ olim constituerunt) incolæ laborant. Hoc tanto magis deplorandum est, quanto major hominum multitudo in vastissimis illis provinciis reperitur. Inito enim computo ex *Riccioli* & *Nadesii* Jesuitarum calculis, *Marinus* in præfatione numerum hominum per totum, qua cognoscitur, terrarum orbem mille millionum constituit. Ex his Europæ centum; paulo plures Africæ; ultra ducentos Americæ: quingenti vero Asiæ assignantur. Deinde Asiæ plus quam dimidiam partem occupat *Sina*, cum regionibus adjacentibus, ut adeo his ducenti sexaginta incolarum *milliones*, interque hos regno Tunkinensi quindecim ab autore tribuantur. Judicare hinc licet, quantæ pietatis & laudis opus sit, tot populis divinæ veritatis facem præferre, & hæc unica causa excusare aut incitare eos potest, qui incredibili cum molestia regiones illas adeunt, & a natura soli & cœli hominumque moribus infinita patiuntur incommoda, quæ spe lucri ex mercatura, aut delectamenti, vel honoris & famæ, minime compensari possunt: id quod autor satis graviter demonstrat, omnemque fructum immanium periculorum & ineffabilium tædiorum, quæ describit, in sola pietate quærit, qua æternæ gentium illarum saluti consulitur. Hujus autem scriptoris fide nititur, num meliores sint Jesuitarum actiones in regno *Tunkinensi* & vicinis, quam in *China*; an vero hic tanto citius ab instituto deficiant, quanto majoribus honorum & opum illecebris tentantur, ut Dominicani contendunt. Cum igitur ex horum relationibus quædam recensuerim, candori meo convenire ratus sum, ut non prætere am librum Jesuitæ, qui pleraque a se & sociis gesta ita refert, ut secundum principia missionis satis recte consistant, nec vituperia illa mereri videantur, quæ monachi Jesuitis impingunt. Causa Protestantium, falsis adversus Jesuitas criminationibus, opus non habet, immo ex hujus etiam autoris confessione robur accipit. Nam, etsi *Marinus* præcipua quædam religionis Christianæ capita satis simpliciter & candide cum neophytis tractari dicat, ita ut non nisi iis ex paganis quædam reticeantur, qui tantum curiositatis causa & subdola mente expiscari aliquid velint, quod irrideant (vid. *Lib. II. cap. IV.*) satis tamen indicat, omnes adscititii & commentitii cultus partes, & veræ religionis dehonestamenta magno ubique & præcipuo studio barbaris illis obtrudi, summamque eorum laudem in hoc constitui, quod omnes illas superstitiones, quibus Romana Ecclesia laborat, maximo cum applausu acceperint & exerceant. Hinc imaginum, crucium, icuncularum, aquæ benedictæ, rosarii & similium insanus amor in misera illa gente prædicatur. Talia potissimam catecheseos partem absolvunt, & fatetur autor *Lib. II. cap XI. multos opere, non scientia, Christianos esse. Faciunt*, inquit, *opera Christianorum, licet respondere non possint interroganti.* Quanquam vero tales illi magnopere placeant, persuaderi tamen nobis non sinimus, Christianos esse, qui vera & summa fidei principia non didicerint; ex fide enim operum etiam optimorum laus & pretium pendet, omniumque minime ad rem facit externa illa rituum servitus, ad quam barbaros illos haud magno negotio redigunt Jesuitæ, cum ita jam a teneris instructos imbutosque inveniunt, ut cultum Dei totum in ceremoniis, quæ parum a Romanis (ut autor ipse agnoscit) discrepant, positum esse existiment. Neque etiam fieri potuisset, ut triginta Jesuitæ, quorum nomina Index historiæ præfixus exhibet, qui ab anno 1626. ad 1660. vastissima illa regna adierunt, ex quibus etiam plerique paucos intra annos absumti sunt, tantum mortalium numerum in fundamentis religionis Christianæ instituerent. Adjutores quidem sibi elegerunt ex indigenis, quos *catechetas* vocant, sed ad proponendam doctrinam minime sufficientes, & non nisi rituum & externæ disciplinæ ministros & exactores. Hos (*Lib. II. cap. III.*) tribus votis adstringunt: *paupertatis* nempe, ut ex eleemosynis lautius vivant, *cæli-*

(b) *De erroribus & abusibus, quos Jesuitæ barbaris proponunt.*

(c) *De catechetis, quos constituunt.*

A. 1540.

cœlibatus, & *obsequii* Jesuitis præstandi. In convictum tamen suum hos non recipiunt, sed ut famulos in separatis collocare stationibus, & ex iis magistros & reliquorum ephoros constituunt. Sacramenti administrationem illis non concedunt, ne Baptismi quidem, nisi extremo necessitatis casu, aliquando tamen novo exemplo, cum nimius ad confessiones accursus fit, aut valde indociles sunt, qui confitentur, interpretibus catechetis illis utuntur. Eorum alimenta unice pendent a contributionibus plebis. Cum vero hæc ex populari superstitione mortuorum cultui addictissima sit, & integrum anni mensem in funestis illis sacris consumat, Jesuitæ stultitia hominum abusi, doctrinam de purgatorio paganæ superstitioni substituerunt, totoque illo mense, per catechetas, historias, immo fabulas, de pœnis animarum in purgatorio prælegi faciunt; quæ quales sint judicari potest ex libellis, qui in Europa venditantur, & paulo sapientioribus ex ipsa Romana Ecclesia fastidio sunt, cum constet, nihil de genere & modo pœnarum illarum, silente Scriptura, immo & veteris Ecclesiæ testimonio, definiri posse, quidquid etiam de purgatorio ipso statuatur. Interim hac arte efficitur, ut non solum novi Christiani expiationes pro mortuis, ut ante perceptam Christianismi qualemcunque notitiam consueverant, levi mutatione continuent, sed &, ut ad alimoniam atque commoditatem Catechetarum jam conferant, quæ olim idolis & eorum sacerdotibus exhibebant. Quando etiam Jesuitæ per regnum discursitant & Missarum spectacula præbent, finitis omnibus in quolibet tractu vel cœtu sacris pro requie defunctorum cujusque Ecclesiæ solitas faciunt recitationes, quod dum fit, populus oryzam, vestem lineam, & nummos apud altaria (Jesuitæ enim nihil accipiunt) deponunt, quæ postea Catechetis conceduntur. Quanti vero in cultu sanctorum, & inprimis B. Virginis, excessus miserrimis illis gentibus insinuentur, ex autoris hujus traditis nemo pius & orthodoxus, sine summo animi dolore, percipere potest. Unum saltem inter innumera exemplum annotabimus. Expulsus per exorcismum, ut *Lib. II. cap. X.* refertur, ex homine quodam dæmon, puellam arripuit, & per hanc magnas in Deum & sanctos blasphemias effudit: Hujus collo, cum exorcismi soliti formula nil proficeret, Jesuita stolæ suæ laciniam, in qua nomen *Mariæ* aureis filis acu pictum erat, imposuit: Sævire inde quidem terribilius cœpit dæmon, atque ita agitare puellam, ut a quatuor viris contineri vix potuerit; sed cum sacerdos *Mariæ* nomen repetere non desisteret, idemque facerent, qui aderant, Christiani, tandem dæmon, ut autor scribit, nominis hujus vim sustinere diutius non potuit, sed cessit. Subjungit autor, *multos paganos hoc eventu emendatos, & devotissimos dulcissimi nominis Mariæ cultores factos esse, quod solum, fideliter invocatum, tantam habuerit virtutem, ut dæmonem ejecerit.* Notare quoque jubet, nomen illud Latinis literis stolæ insutum fuisse, ut ejus figuram & significationem puella ignoraverit, solusque dæmon cognoverit. Hæc nescio quomodo alios afficiant, mihi deploranda visa est hominum doctissimorum & sacerdotum, qui tanto cum periculo in medios barbaros sese præcipitant, Deique gloriam unice quærere volunt & debent, incredibilis, ut mollissime dicam, cœcitas, qua non vident, cum summa Christi Salvatoris nostri contumelia Mariæ tribui, quæ ipsi soli competunt, quæque solus, & clarissimis verbis, Apostolis suis in ultimo alloquio *Marc. XVI. 17.* injunxit & promisit: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Quid responsuri sint DEO, qui divini nominis honorem homini tribuunt, ipsi quidem viderint; verendum interim magnopere est, ne Satanas ludibrio exorcistam illum habuerit, cum spreta, quæ in nomine Jesu, aut S.S. Trinitatis præcesserat, adjuratione, ad *Mariæ* nomen cedere se simulavit, & abusum manifestissimum hoc modo corroboravit. Recordatus sum hac occasione dicti S. Augustini, qui libro *de unitate Ecclesiæ*, *cap. XVI.* Donatistas provocat, ut *Ecclesiæ suæ veritatem demonstrent*, *non*, ut scribit, *in sermonibus & rumoribus Afrorum*, *non in Conciliis Episcoporum suorum*, *non in literis quorumlibet disputatorum*, *non in signis & prodigiis fallacibus*, *quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus; sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est in omnibus canonicis librorum sacrorum autoritatibus.* Huc respexisse debebat *Marinus* ille, hoc fundamento conversionum sanctimoniam & veritatem tueri, non vero Donatistarum vanas imitari gloriationes & inter *mirabiliarios* (sic enim dici illi solebant) locum affectare. Characterem quidem Ecclesiæ Romanæ *d. c. X.* in exorcismi & sanationum donis quærit, sed nisi alio, quam quem ipse narrat, modo exerceantur, manifestum potius erroris & illusionum argumentum præbent, & implementum faciunt eorum, quæ de *virtute, signis & prodigiis mendacibus II. Thess. II. 9.* prædicta sunt. Alium exorcismi ritum recenset Autor, *Lib. III. cap. I.* quo tamen non Jesuitæ, sed Christiani illarum regionum utuntur. Obligant se ad jejunia; cruces & aquam benedictam adhibent, quibus frustra tentatis fustibus adoriuntur obsessum, nec cædere cessant, donec exeat dæmonium. Sæpius abolitionem hujus moris conatos esse Jesuitas memorat autor, sed repugnasse *Tunkinenses*, dictitantes, sic fraudibus eorum occurri, qui se obsessos fingant, & superbiæ dæmonis illudi, hunc enim fugere, si contemni videatur. Nobis nullo modo hæc barbarorum methodus cum disciplina Christi convenire videtur, qui non nisi verbi sui virtute dæmones ejecit, neque alium modum discipulis suis præscripsit. Præterimus, quæ de apparitionibus S. S. Trinitatis & B. Virginis ex *Lib. II. cap. IX.* & *Lib. III. cap. II.* afferri possent, aliaque ejusmodi. Minus frequens est miraculum, quod pro confirmando statuto Ecclesiæ *Lib. III. cap. III.* factum esse narrat autor. Fuisse enim quendam dicit, qui jejunia feriæ sextæ & septimæ irridere consueverit: cum vero is, spreta prohibitione, carnem comederet, frustum quoddam transversum in gutture ei hæsisse, deinde in modum brachii humani excrevisse, manu etiam instructum, quo linguam & fauces hominis compresserit, eumque suffocasset, nisi ipsius pœnitentia & precibus aliorum brachium illud vomitu rejectum fuisset. Ostensum sibi brachium illud esse testatur *Marinus*; quod profecto sine commiseratione viri, minime, ut videtur, mali, legi non potest, cui sine dubio homines mendacissimi impudenti dolo imposuerunt.

Cæterum, qualem de mysteriis religionis intellectum habeant barbari, & quid proficiatur doctrina, quæ & qualis illis proponitur, ex allatis ab autore *Lib. III. cap. VI.* exemplis colligi potest; quanquam ille eum in finem recenseat, ut magnam hominibus istis simplicitatem, candorem & conscientiæ teneritudinem attribuat. Unum atque alterum saltem referemus. Senex quidam, cum incendium in vicinia ortum domui suæ appropinquare videret, subito accurrens, omissa omnium aliarum rerum cura, imaginem Christi, inter duos latrones picti, chartaceam, quam pro summo thesauro habebat, eripuit, cum vero, flammis omnia corripientibus, modum servandi chartam non inveniret, convolutam deglutivit, mox vero apud Jesuitam questus est, se vehementer timere, ne alter ex latronibus, malus nempe, aliquid ex vitiis suis sibi intus affricaret, ut damnum quoddam inferret. Risit Jesuita deliri senis simplicitatem, amplexus tamen est hominem, & quietum reddidit, omnia, quæ a latrone metueret, in se recipiens. Fœmina quædam hostiam sacramentalem acceperat, & paulo post actum pœnitentiæ exercitura, pectus vehementer manu percussit, sed scrupulum conscientiæ inde concepit, quod tantum hospitem, Christum nempe, quem intus habere putabat, majori cum reverentia non tractasset. Verum *Franciscus Rangellus*, Jesuita Lusitanus, cui hanc querelam exposuerat, confidere eam jussit, & ab omni culpa immunem pronunciavit. Addit autor, in talibus conscientiæ delicatæ sensibus *Tunkinenses* versari, & paucissimos esse, qui non in moribus universis eandem ostendant sollicitudinem & diligentiam. Hoc magnum solatium Jesuitis afferre, quod tantum Christianorum numerum, angusta quidem ad cœlum via, sed verissima

(d) *De purgatorio, quod prædicant.*

(e) *Quid B. Mariæ tribuant.*

(f) *Locus Augustini de prodigiis.*

(g) *De exorcismo Tunkinensium.*

(h) *De miraculo sæpe non titulati jejunii.*

(i) *Stultus barbari metus ab imagine quadam.*

(k) *Item fœmina de offenso Christo.*

A. 1540.

ma & tutissima, progredi videant. Laudat etiam alibi obsequium gentis *Marinus*, & *Lib. II. cap. X.* rationem reddit, cur tam frequentia, quam alibi, miracula in provinciis illis non edantur. Fieri enim id ex indole gentis tam docili, ut facillime credat, quæ bonis rationibus & per similitudines proponantur, cum aliæ nationes difficillime credant, quæ miraculis non probentur.

(l) *Confessio Marini, quod miraculorum donis careant Jesuitæ, & aliis modis sibi accessum quærant.*

Utut vero alii, ut notum est, multa de miraculis, a Jesuitis in remota illa Orbis parte patratis, jactent, fatetur tamen autor *Lib. V. cap. VII.* & alibi passim, & excusat miraculorum defectum, (cui etiam in regulis suis & confessione supra *n. 40.* relata durum remedium quæsiverunt) defenditque alios insinuandi sese, & fidem apud barbaros inveniendi, modos, v. g. medicinam, & artium quarundam professionem, ante omnia vero donorum & munerum oblationem. Verba ejus Italica *d. l. p. 496.* hæc sunt: *Co soli doni in quella parte si guadagna la gratia de Principi, e si parla con linguaggio inteso, acciochè poco a poco con esso i Padri si facciano strada, alla predicatione dell' Evangelio. Perche ove nulla si sa del vero Dio, o bisogna intrarvi co miraculi in mano, o questi mancando, la via ordinaria è, accommodarsi a gli usi del paese, e à concetti di quella gente e valersi dell' esca de doni, specialmente, quando le cose, che si presentano sono nuove e curiose.* Id est, *Solis donis in illis regionibus gratia Principum acquiritur, & sic loquendum est lingua intelligibili, ut paulatim patres* (Jesuitæ) *viam sibi struant, ad prædicationem Evangelii. Ubi enim nulla veri Dei notitia est, aut miracula in manibus gerere debent prædicatores, aut, ubi hæc deficiunt, ordinaria via incedere, quæ est, ut moribus gentis & capacitati hominum nos accommodemus, & donis inescemus homines, offerendo inprimis res novas & exquisitas.* Hæc ingenue ostendunt, vanam esse de miraculis gloriationem. Quod vero donis & largitionibus homines ad Christum perducere non sit ex Salvatoris disciplina, notius est, quam ut moneri debeat, aut Lutheranorum verbis proponatur; sufficient, quæ supra *n. 60. hujus §.* ex *Episcopo Heliopolitano* adduximus. Inter modos parandi accessum, minus sumtuosus, sed valde frequens est, imaginum elegantissime depictarum oblatio. Sed illis non tam ad sacram aut piam venerationem, quam ad belluinam quandam voluptatem moventur turpissimi barbarorum, cum elegantis formæ Sanctos Sanctasve in effigie contuentur; talesque sibi vivos cupiunt adduci; qui vero maxime religiosi sunt, eundem his imaginibus cultum exhibent, quem fœdissimis idolis suis præstare solent. Vid. *Lib. V. c. VIII.* Viliorem vero captandæ barbaricæ benevolentiæ modum vix reperiri posse puto, quam qui eodem loco *cap. IX.* a *Marino* refertur. Cum enim Jesuitæ inter alia majoris pretii dona etiam catellos quosdam delicatiores Regi Laonitano obtulissent, magistros etiam eorum sese constitui voluerunt, quos ludicra quædam docerent. Mire probat hoc inventum autor, Paulino scilicet non absimile, sic enim Jesuitas *omnia fieri* putat *omnibus*, & illum tunc fructum cepisse, ut, dum canes docerent, etiam ephebos Regis Christianis imbuerent præceptis.

(m) *De abusu dicti Paulini; omnia fieri omnibus, ex historia Gregorii VII.*

Cæterum de abusu dicti Apostolici, quod observare se putant Jesuitæ, ut *omnia omnibus fiant*, notari meretur factum *Gregorii VII.* Pontificis, qui sub *Hildebrandi* nomine & ob acta cum Imperatoribus nostris notissimus est. Irruperant in Africam Saraceni, sive Arabes & Christianos ad internecionem prope deleverant, ita ut *Leo IX.* Pontifex circa medium seculi XI. scripserit, *vix quinque Episcopos & pauculas Christianas oves, quotidianæ tamen occisioni destinatas, in Africa superesse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus* (Episcopos innuit, quorum nullibi major copia fuit) *alta pace exultaverit.* Vid. *D. Melch. Leydecker*, Theologus Ultraject. *dissert. de statu Eccl. Afr. Sect. 19.* Saracenorum vero in Mauritania Rex tunc erat *Anzir*, qui, nescio qua causa, certe non religionis, *Gregorii* Pontificis favorem ambibat, datis ad eum literis, missisque captivis, quos vinculis solverat, Christianis, & Presbytero quodam *Servando*, quem Episcopum *Hipponensium* consecrari petebat. Extollit & miratur hoc *Baronius Tom. XI Annal.* in anni 1076. hist. *fol. 489.* edit. Plantin. 1608. quod nempe eo tempore, quo *Henricus IV.* Imp. Gregorio renitebatur, *Rex Mahometanus primatum Petri & Romani Episcopi super omnes Ecclesias principatum agnoverit.* Producit inde epistolam a Pontifice ad Arabum illum Tyrannum datam his verbis:

(n) *Epistola Gregorii VII. Pontificis ad Regem Afrum.*

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Anzir Regi Mauritaniæ, Sitifensis provinciæ in Africa, salutem & Apostolicam benedictionem. Nobilitas tua hoc in anno literas suas nobis misit, quatenus Servandum Presbyterum Episcopum secundum Christianam constitutionem ordinaremus; quod, quia petitio tua justa & optima videbatur, facere studuimus. Missis etiam ad nos muneribus, Christianos, qui apud vos captivi tenebantur, reverentia beati Petri, principis Apostolorum, & amore nostro dimisisti: alios quoque captivos te dimissurum promisisti. Hanc denique bonitatem creator omnium Deus, sine quo nihil boni facere, immo nec cogitare possumus, cordi tuo inspiravit, ipse, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in hac intentione mentem tuam illuminavit. Nam omnipotens Deus, qui omnes homines vult salvos facere, & neminem perire, nihil est, quod in nobis magis approbet, quam, ut homo, post dilectionem suam, hominem diligat, & quod sibi non vult fieri, alii non faciat. Hanc itaque charitatem nos & vos, specialius nobis, quam cæteris gentibus, debemus, qui unum Deum, licet diverso modo, credimus & confitemur, qui eum creatorem sæculorum & gubernatorem hujus mundi quotidie laudamus. & veneramur. Nam sicut Apostolus dicit: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Sed hanc tibi gratiam a Deo concessam plures nobilium Romanorum per nos cognoscentes, bonitatem & virtutes tuas omnino admirantur & prædicant. Inter quos duo familiares nostri, Albericus & Cincius, & ab ipsa pene adolescentia in Romano Palatio nobiscum enutriti, multum desiderantes in amicitiam & amorem tuum devenire, & de his, quæ in partibus nostris placuerint tibi libenter servire, mittunt ad te homines suos, ut per eos intelligas, quantum te prudentem & nobilem habeant, & quantum tibi servire velint & valeant. Quos magnificentiæ tuæ commendatos rogamus, ut eam charitatem, quam tibi tuisque omnibus semper impendere desideramus, eis pro amore nostro & recompensatione fidelitatis prædictorum virorum impendere studeas. Scit enim Deus, quia pure ad honorem Dei te diligimus, & salutem & honorem tuum in præsenti & in futura vita desideramus. Atque, ut ipse Deus in sinum beatitudinis sanctissimi Patriarchæ Abrahæ, post longa hujus vitæ spacia, te perducat, corde & ore rogamus.

(o) *Epicrisis.*

Hæc qui legent, desinent mirari, quod Jesuitæ quædam ex historia Christi, scandali, ut putant, vitandi causa; & ne aditum sibi præcludant, celare barbaros soleant, ut supra §. *LXXXIV. n. 51.* ostendimus, cum autorem & magistrum habeant Pontificem, sibi & omnibus, qui Romanæ Hierarchiæ fastigium colunt & promovent, summe venerandum, qui, ut Regi Mahometano non displiceret, ne nomen quidem Christi, cujus tamen Vicarius esse volebat, memorare consultum duxit, immo dicto Apostoli *Eph. II. 14.* de summo illo beneficio unitæ Veteris & Novi Testamenti Ecclesiæ, ad fœdissimum Syncretismum cum execrabili secta Muslimica impie abusus est, & homini a Christiana fide alieno, & regnorum Christianorum, extirpatis incolis, sævissimo detentori, receptionem in sinum Abrahæ ominatur. *Baronius*, qui fortasse rectius dedecus hoc Gregorii sui reticuisset, minime illud amolitur, cum scribit, *haud dubie rogasse Pontificem pro Rege, ut Christianus & promissionum Abrahæ capax fieret:* Id enim non sufficiebat, sed decuisset Pontificem, ut barbaro viam salutis, per Christum quærendæ candide in epistola hac, vel uno verbo ostenderet, quod, tam pulchram occasionem nactus, facere sine periculo potuisset. Fortassis etiam æquivocationis inventum *Gregorio* tribuendum est illo certe non indignum, nempe, ut Abrahamum nominans de Christo in pectore cogitaverit. Quis autem Pontificis Theologiam probet, cum scribit, quod *unum Deum* diverso licet modo, *cum Rege colat*

A. 1541.

& confiteatur; Verus enim Deus est & colitur, qui habet Filium, & qui *non honorificat filium, non honorificat patrem Joh. V. 23.* Antichristus est, qui negat patrem & filium, id est, qui non agnoscit mysterium hoc relationis inter Deum patrem, ac filium ejus Jesum. Interim moderatior fuit *Gregorius*, quam *Paulus III.* ille enim charitatem specialius se Mahometanis debere agnoscit, quam cæteris gentibus, quia illi unum Deum colunt; at Pauli Legatos Cæsari inculcantes audivimus §. *LXXIX. Add. II.* (ee) quod *Lutherani inimiciores sint Christi, quam Turcæ;* illi tamen cum Pontifice non unum saltem Deum, sed & unum eundemque Christum colunt, & de ejus persona, naturis & officio consentientia docent, quod eorum acerrimi adversarii in omnibus colloquiis & censuris fassi sunt.

A. 1541.

SECT. 22.

(1) Cæsar a Pontifice Legatum ad Comitia petit.

Ne tamen (Cæsar) *per orbem infamaretur, quasi manum thuribulo admovere, & absque Pontifice in rebus ad religionem simpliciter spectantibus, suo arbitrio agere vellet, rogavit eum, ut Legatum mitteret, qui plenam potestatem haberet, differentias inter Catholicos & Protestantes componendi, pecunia etiam instructus esset, qua Theologis Lutheranis honesto modo gratificari posset, satis enim inopes erant. Sane Principes & Magistratus Protestantes, qui bona Ecclesiarum & monasteriorum invaserant, nondum pro lubitu satiati illis erant, minimamque ex iis partem Doctoribus suis assignaverant. Lutherus ipse, quem ut Patriarcham venerabantur, alios non habuit reditus, quam salarium Professoris in Academia Wittenbergensi, unde Erasmus dicendi occasionem sumsit, Lutherum, utut pauperem, multos tamen ditasse: nam D. Eccius, Cochlæus & Faber pinguia beneficia in præmium acceperant, quod Lutherum eruditis scriptis refutassent. Pontifex non commissurus, ut aliquid in his comitiis contra autoritatem suam fieret, Legatum eo destinavit Casparum Contarenum, Cardinalem, virum sapientem, doctum & bonum, quique non exiguam gloriam ex multis gravissimis negotiis reportaverat.*

(2) Mittitur Contarenus.

Neque tamen illi concessit, quæ Imperator desiderabat: stricte potius vetuit, ne quidquam definiret, aut, ad obtinendam, quæ parabatur, conventionem, in disciplina aut receptis Ecclesiæ consuetudinibus mutaret, neque aliquid vel daret vel promitteret Theologis. Nolebat enim sermonibus diffamari, ac si eos dato ære corrupisset, aut tam indignis modis reducere vellet ad Ecclesiam, quæ longe nobiliores ad convertendos errantes adhibet. Ne tamen per tenacitatem hoc intermittere videretur, magnam pecuniæ vim ad vires fœderis Catholici contra Protestantes augendas obtulit, si bellum his, ut optabat, inferretur, quando nempe ad Ecclesiam regredi recusarent. Hoc etiam fine mandaverat Legato, ut confestim Imperatorem ad pacem cum Rege incitaret; hanc enim efficacissimum pro tempore medium ad reducendos Protestantes futurum esse judicabat. Ita Legatus Roma digressus, mense Martio Ratisbonam venit, ut Comitiis adesset. Erant ibi Imperator, omnes Electores, & omnes fere Principes & Proceres Catholici & Protestantes, & Civitatum utriusque partis Legati.

(3) Acta quædam ejus.

Antequam Comitiorum initium fieret, Cardinalis tempus dextre captavit, ut Imperatori sermone & efficaci & pathetico pacem cum Rege bonam & solidam ineundam suaderet, hanc enim verum medium fore, Protestantes absque omnibus inutilibus ejusmodi colloquiis reducendi. Imperatori improvisa hæc erant, isque Mediolanensem ditionem retinere statuerat; sistens itaque illico Legati sermonem, & præter morem suum commotior, respondet: se tractare non posse cum Principe, qui ut Dominus leges & pacis conditiones invito præscribens secum ageret. Sic Legatus de pace nihil amplius locutus est, ne præcipuo negotio damnum inferret, concordiæ nempe, quam procuraturum se inter Catholicos & Protestantes esse in animum induxerat, dissuadentibus multis ex sapientibus, qui credebant fieri id non posse.

(4) Liber de religione a Cæsare exhibitus.

Cum autem Imperator pacem illam magis, quam ipse, quanquam ex alia ratione, & multum diverso fine appeteret, secreto ipsi per ministrum suum primarium, Nicolaum Granvellanum, suggeri fecit scriptum, viginti duo capita complectens, quod a bonis & eruditis doctoribus compositum esse dicebat, pro conscientia sua credentibus, posse illa sine præjudicio fidei Catholicæ ab utraque parte acceptari. Compertum tamen fuit, manum iis admovisse, & venenum hæreseos suæ subtiliter instillasse Martinum Bucerum, Ecclesiastem Argentoratensem, & ex ordine Dominicano apostatam. Legatus sane, vir industrius, id deprehendit, nec corrigere quædam in viginti articulis cessavit.

(5) Alia Contareni acta.

At cum gloriam procurandæ concordiæ affectaret, quæ tamen pro utriusque partis dispositione non magis, quam inter lucem & tenebras, Christum & Belial, stabiliri poterat, usus est in quibusdam articulis, v. g. de justificatione, de meritis bonorum operum, & de fide, phrasibus aliquibus ambiguis, quæ neutri parti satisfaciebant, quia id non exprimebant, quod alterutra ad professionem fidei suæ essentiale esse existimabat. Certe ab omni tempore observatum fuit, prætensas compositiones religionis, quando hæreticos cum Catholicis per henotica, typos, ectheses, sive per expositiones fidei, quas vocant, conciliare tentatum est, supprimendo, dissimulando, ambigue eloquendo, aut nimium emolliendo aliquam doctrinæ Ecclesiasticæ partem, nec his nec illis placuisse, pariter scilicet questis, quod per ambages procedatur in fide, re tam delicata, quæ, si in uno capite erret,

Anno 1541. Sleid. l. 13. sub fin. & 14. init. Cochlæus. Surius in Comm. Bzov. car. 4. 11. Pallav. l. 4. c. 13. 14. & 15. ex utrum Card. Contareni.

Instr. Card. Contar. ap. Pallav.

Litt. Gasp. Contar. ad Card. Farnes.

Cochlæus.

Zenonis. Heracl. Constant.

A. 1541. Litt. Card. Farnes. ad Contar. ap. Pallav.

ret, in omnibus deficit. Igitur lecta Romæ in pleno Consistorio expositio Legati Contareni approbata non fuit. Inexpectatum erat, quod vocabula quædam essentialia, quibus Ecclesia ad exprimendam Catholicam veritatem utitur, suppressa essent: inter alia vox meriti, respectu bonorum operum, sub prætextu, ac si dici posset, Lutheranos nobiscum de re ipsa, quæ hac voce significatur, convenire, scilicet quod ea, quæ Deus nobis pro operibus nostris concedit, non ex debito justitiæ, sed tantum vi promissionis dentur, quam Deus gratuito fecit, pro bonis operibus, quæ non nisi ex ipsius gratia facere possumus. Eoque res processit, ut ob hanc ipsam, aliasque moderationes, quas Legatus in cæteris quibusdam articulis admiserat, maxime, in illo de justificatione, Cardinalis Caraffa, qui postea Pontifex fuit, eum prodita causæ Ecclesiæ accusaret. Defendebatur tamen ab aliis, qui pro eo ita nitebantur, ut Papa tandem illum excusatum haberet, quia nihil nisi ex sententia Theologorum fecerat, qui expositionem eo, quo illam correxerat, modo approbaverant. Reddita igitur fuit, ut erat, Imperatori.

A. 1541.

Spondan. ad hunc ann.

§. LXXXV.

(1) *Animadversio in quædam Maimburgii & Pallavicini dicta.*

Historia Comitiorum Ratisbonensium longe plenius & accuratius tractari meretur, quam fecit noster, qui pauca & vulgatissima adducit, verbosus in parergis, ex *Pallavicino* quidem, sed minus exacte & sincere, exscriptis. Ab initio statim ex suo fingit ingenio, quod Cæsar infamiam metuens, ne manum ad thuribulum admovisse videretur, Legatum a Pontifice petierit. Sed id non imputavit Cæsari *Pallavicinus*, nec adeo potuit, cum nec Wormatiæ ex suo arbitrio, aut inscio & invito Pontifice egerit, immo ex illius consilio totum illum conventum inutilem reddiderit. Petiit autem, teste *Pallavicino Lib. IV. cap. XII. §. 10.* Nuncii loco *Legatum*, quem vocant *a latere*, sive majoris autoritatis, qua vel pax obtineri a Protestantibus posset, id est, obsequium, vel incrementa illorum aliis modis impedirentur; quod nihil aliud est, quam ut, persuasionibus frustra adhibitis, vis succederet. Illud quoque non tradit *Pallavicinus*, quod tam crude a Pontifice postulaverit Cæsar, ut Legato plenam potestatem ad dissidia inter Catholicos & Protestantes componenda daret; neque enim ignorabat Cæsar, aut Granvellanus, summas rei difficultates, sive spectarentur, quæ Pontifex & Clerus remittere ex suis prærogativis nollent, sive quæ Protestantes concedi desiderarent, si Pontificis & Episcoporum aliquam potestatem agnoscere vellent. Certum quidem est, & ex Actis constat, ministros Cæsareos in familiari cum Principibus aut Legatis Protestantium sermone sæpe magna cum ingenuitate confessos esse necessitatem reformandæ Ecclesiæ, ita ut asseverarent; Cæsarem ad eam etiam absque consensu Pontificis progressurum esse; sed aliter loquebantur cum Legatis & Nunciis Pontificiis & cum Episcopis, quorum ingenium utique noverant, quale *Pallavicinus cap. XIV. §. 13.* describit, non multum a Luthero dissentiens, quod *plerique magni Principes, quam probi Episcopi, esse mallent.* Quod vero *Pallavicinus d. cap. XII. §. 10.* præsidium a Pontifice, ejusque Legatione ideo necessarium esse existimavit Cæsari, quia hæresis Protestantium non minus hujus, quam Pontificis diademati perniciosa esset, id vulgarem & rancidam olet calumniam, aut magnam ostendit rerum ignorantiam. Nulli sane Imperii Ordines in obsequio Cæsari præstando vincere potuerunt Protestantes, quoties hi de religionis & conscientiæ libertate securi erant, vel saltem bona spe erigebantur. Demonstrarunt hoc ipso facto iisdem temporibus in bellis Turcicis & Gallicis. Meliora non sunt, quæ idem autor *cap. XIV. §. 12.* de Theologis Evangelicis commentatus est, quæ neque omnia referre ausus fuit Maimburgius; omisit enim, quæ de impudentia *Buceri* memorantur, quod stipem a Legato Pontificio petierit. Tam abjectæ vilitatis virum illum fuisse nisi certioribus argumentis probetur, nemo crediderit, neque dubito, Legatos Saxonicos, qui alia multa in illo desiderabant, observare id potuisse, & Hero suo relaturos fuisse, in quorum tamen scriptis, magnis licet & minutis rebus refertissimis, nihil tale invenitur. Mirum præterea est, quod satiari non possint Protestantium adversarii perpetua reiteratione maligni de Principibus Evangelicis judicii, quod *d. l. Pallavicinus*, crassius vero Maimburgius, Orbi obtrudunt, quod expleri non potuerint bonorum Ecclesiasticorum rapina, tam sordidi scilicet, ut minimam ex iis partem Doctoribus suis assignaverint. Me sane dudum pertæsum est toties refutare, quæ reipsa refelluntur. Acta & libri rationum in Archivis asservati ostendunt, reditus sacros, qui illo tempore ex bonis vacuorum monasteriorum colligi potuerunt, tenues fuisse, & maximam ex iis partem ad salaria ministrorum Ecclesiæ & scholæ deputatam fuisse. De Lutheri stipendio tam imperite quam falso loquuntur, quod nempe aliud non habuerit, quam quod professione Academica merebatur. Ex prima enim fundatione non nisi exiguum honorarium Lectoribus sive Professoribus, qui ex monasteriis sumebantur, dari solebat, munusque illud monasteriis ipsis injunctum erat, neque alio titulo Lutherus Professor fuit, quam quod Augustinianus, & ex suo conventu ad profitendum delectus erat: mutato postea statu monastico constitutum fuit Luthero stipendium amplissimum, pro illius temporis frugalitate, quadruplo sane majus, quam fundatio requirebat, aut cuiquam Academiæ doctori ante illum datum fuit, tantum denique ut ipse subinde plus sibi dari diceret, quam cuperet, & honeste accipere posset. Videant itaque, qui Doctorum Evangelicorum paupertatem tam contemtim habent, ne Pharisæis accedant, qui ipsum Christum pauperem, & pauperes commendantem, irridebant, & suis applaudebant divitiis, aut majoribus inhiabant. *Luc. XVI. 14.* Ecclesiæ utique ministris non minus, immo magis, dictum est quam aliis Christianis *1. Tim. VI. 8. habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Quod vero Pontificem laudant, quod pecunia corrumpere & in partes suas illicio pecuniæ traducere Theologos Evangelicos nolue-

(1) *Specialim de ministris Evangelicis & reditibus sacris.*

Litt. Gasp. Contar. ad Card. Farnes.

Cochlæus.

Zenonis. Hemel. Confiant.

A. 1541.

noluerit, id quidem recte faciunt, & optandum esset, ut nunquam hoc aucupium in nostrates fuisset exercitum, quo tamen haud paucos captos esse, non caret exemplis; sed non minori laude dignus fuisset *Paulus III.* si nummos suos ad bellum innocentibus inferendum non obtulisset, quod tamen ab illo factum esse, magnifice prædicant. Talia consilia verius libidini & avaritiæ, quas *Pallavicinus d. cap. XIV. §. 13.* Evangelicæ doctrinæ radices facit, tribui possunt, quibus jungenda est sanguinis fundendi cupido, infallibile hostium Ecclesiæ signum. Utut vero liberalis fuisse prædicetur Pontifex erga Fabrum & socios, ipsum tamen *Fabrum* vehementer queri audivimus, quod præmia non satis digna propugnatoribus Romanæ religionis tribuantur. De *Contareni* Cardinalis actis & fatis non est, ut prolixe agamus; consuli potest Pallavicinus, cui id curæ fuit, ut illum omni suspicione propensionis in Lutheranismum liberaret, argumento satis valido, quod *Ignatii Loyolæ* institutum, quod illo tempore emersit, ante alios curiæ Romanæ Proceres promovisset *cap. XIII. §. 1.* Protestantes, quam ex fama de illius eruditione & moderatione conceperant spem, publiceque professi erant, non diu foverunt, ut ex scripto illorum Comitiali in quo queruntur, iniquo se præjudicio ab illo læsos esse, constat relato a *Melanchthone Part. IV. fol. 757.* Extat & hujus epistola ad Lutherum d. 25. Apr. data *Lib. I. ep. 40.* ubi scribit: *Durum esse Contarenum, & nulla in re discedere velle ex consuetudine Romana, & sedulo conari, ut impediret deliberationem de concordia.* Quæ porro Maimburgius affert de *Contareni* efficaci & pathetico sermone, quo Cæsarem ad pacem cum Rege Galliæ ineundam persuadere voluerit, *Pallavicinus* ad pauca verba & suspiria reduxit *d. cap. XIII. §. 5.* Sed his scriptoribus nihil magis placet, quam brevis illa via, omnibus colloquiis & doctrinis efficacior, ut *Principes conveniant in unum Ps. II. 2.* de qua dudum flebilem in modum apud Deum questa est Ecclesia *Act. IV. 26.* Mitiora tamen fuerunt, si *Pallavicino d. cap. XIII. §. 4.* credimus, *Pauli III.* consilia, jubentis Legatum, ne respueret leniora remedia, si decora quadam agendi dignitate sustinerentur, speciemque omnem arcerent timoris in causa, & subornationis. Sed hæc sine dubio talia erant, quæ Protestantes in vetus illud pistrinum Italicæ servitutis reducerent, ideoque majestas, Pontificis suprema semper lex esse debebat, & pro salute venditabatur Ecclesiæ. Propterea ex duobus monitis, quæ *d. l. §. 6.* ad propositionem Cæsaream dedisse perhibetur *Contarenus*, unum erat, ut Augustanus Recessus anno 1530. efficax conservaretur; is enim veluti arx erat, ex qua continuæ incursiones pro occasione temporum in Evangelicos fieri posse videbantur; alterum, ut Pontificis honorifica ratio haberetur, asserta Legato ejus autoritate. Primum opes, alterum honores respiciebat, radices hierarchiæ. Insignem vero hic proterviam perfidiamque *Granvellani* detegit *Pallavicinus d. §. 6.* cum excusationem illius adducit, quod non illo stylo uti potuerit, qui Pontifici placeret, dicentis scilicet *cum brutis ferisque animantibus agendum esse in Comitiis, quorum insania indulgeri debeat, ut mansuetiores fierent.* Bestiæ itaque & bruta erant causidico huic peregrino, aulici favoris aura supra merita evecto, tot Principes eorumque Legati, qui ob plurima & egregia dona multis illius ætatis præferri, vix uni postponi poterant. Hos ipsos *Granvellanus* a prudentia & moderatione privatis colloquiis laudare solitus erat, & de Cæsaris gratia suaque amicitia confidere jubebat. Tanta ejus comitas etiam erga *Melanchthonem* fuit, ut cum ille casu rhedæ manum luxasset, chirurgum Cæsareum illi mitteret, cujus etiam opera non infeliciter usus est, ut ipse refert *Lib. IV. ep. 235.* Non deessent forte verba aut argumenta, quibus scurrile convitium in autores retorqueremus, sed sinamus illos, fatumque veritatis agnoscamus, quæ hostium suorum injuriæ, prædicente id Christo, qui ipse est veritas, fere semper exponitur. Præterea etiam scommata vanasque Maimburgii jactatiunculas, cum Lutherum *Patriarcham Protestantium* vocat, *Eccii* vero, *Cochlæi* & *Fabri* eruditionem laudat. De libro, quem Cæsar collocutoribus proposuit, quod contenta attinet, postea agemus. De hujus autore a Pallavicino, qui ex Contareni & Nuncii judicio *Gropperum* nominat, nescio an ex ambitione, ne illum perpetuo magistrum agnoscat, an ideo dissentiat, quod *Groppero*, ex quo paulo post in historia anni 1542. heroem facit, injuriam inferre videatur, si eum diceret autorem libri esse. Cæsar in exordio *Recessus*, *Comitialis §. Nachdem aber Churfürsten etc.* compositum illum esse memorat a doctis quibusdam viris. Eccii suspicio fuit, teste *Pallavicino cap. XIV. §. 4. Vicelium* autorem fuisse, & ideo ille, quod huic vehementer infensus esset, a libro abhorruit; nec fortasse prorsus fefellit eum conjectura; Librum enim Elector Brandenburgicus, cui non ingratus erat *Vicelius*, Berolino attulerat, Luthero in transitu monstraverat, & ab hoc responsum tulerat, esse reformationem Georgii Ducis & Misnicorum (de qua an. 1539. egimus) vid. *epist. Luth. Tom. VII. Tom. Alt. fol. 486.* Credibile est, plures manum operi admovisse; incertum tamen, an *Bucerum*; quanquam Maimburgius, Cochlæum secutus, id asserere videatur, duriori etiam, quam *Cochlæus*, censura; ait enim, *Bucerum hæresis suæ venenum libro admiscuisse.* Interim *Gropperus*, ut *Pallav. d. l.* refert, a Pontificiis Legatis pro autore se haberi non detrectavit, & laudem modestiæ adeptus est, facilis ad emendationes ab illis propositas: neque enim Contarenus ipse librum correxit, quod ei tribuere videtur Maimburgius. Approbarunt inde librum *Thomas Badia* Dominicanus, palatii magister, qui Contareno aderat, & *Eccius*, sed hic fere invitus. Cum igitur *Pallavicinus d. l. §. 5.* diserte scribat, approbatum fuisse librum a Pontificiis, locum habere non potest epicrisis Maimburgii de vano *Contareni* studio, conciliationem inter Christum & Belial quærentis, nec multum ad rem pertinet, quæ de damnis Ecclesiæ per consilia henotica illatis queritur. Evangelicos certe non ferit, qui licet ab adversariis sæpius istiusmodi formularum artificiis tentati sint, ipsi tamen simplici fidei suæ professioni insistere maluerunt, neque adversariis griphos logosque obtrudere unquam conati sunt. *Melanchthon*, qui aliis plerisque tractabilior habebatur, conciliationes illas *fucosas* vocat, & vehementer in præfatione libri istius

(3) *Quædam de Contareno.*

(4) *Granvellani contumeliosa de Protestantibus dicta.*

(5) *De autore libri Ratisbonensis.*

(6) *Melanchthonis in actis ex Comitiis querela.*

Part.

A. 1541.

Part. IV. fol. 696. it. 729. improbat multoque magis in familiari ad Camerarium epistola d. 19. Apr. data. *Lib. IV. ep. 235.* Cum enim dolorem ex casu rhedæ & luxata manu memorasset, causasque, nescio quas, attulisset, rejectis illis, hanc statuit: *Divinitus plector ac justas pœnas do, cum aliorum meorum delictorum, tum vero etiam hujus meæ facilitatis, quod futilibus & insulsis consiliis me adhiberi sino, contra tot præcepta sapientum.* Loquitur autem de toto illo conciliationum negotio, quod Wormatiæ frustra tentatum, haud melioribus auspiciis Ratisbonæ renovabatur.

SECT. 23.

(1) Deputatio ad colloquium de religione.

Hic cum Comitia mense Aprili inchoaret, professus est, se, postquam omnia pro congregando Concilio, ad finiendas cunctas de religione controversias, sine successu tamen, fecisset, melius medium ad componendos motus & vires contra Turcos jungendas non reperire, quam si ex utraque parte Theologi industrii deligerentur, viri boni & pacis amantes, qui amice inter se de iis, quæ circa articulos controversos credenda essent, convenirent, utque ea postmodum cum Ordinibus Imperii & Legato Pontificis communicarentur, quo communi consensu bona & solida concordia iniri posset. Cum ergo totus conventus Cæsarem rogasset, ut ipse, quos vellet, deligeret, tres ex alterutra parte nominavit, ex Catholicis nempe Doctores Julium Pflugium, Johannem Gropperum, & Johannem Eccium: Ex Protestantibus vero Philippum Melanchthonem, Martinum Bucerum & Johannem Pistorium; voluitque, ut Fridericus, Comes Palatinus, Electoris frater, & Nicolaus Granvellanus, colloquio præsiderent, ad servandum ordinem, utque sex aut septem viri honoratiores, maximam partem ex Principum Consiliariis, ut testes actorum, adsisterent. Expensa ibi fuit expositio ista fidei Imperatori exhibita, quæ ab utraque parte accipi posse videbatur. Sed postquam mensis inter examinationes & disputationes transiisset, deprehensum fuit, Theologos præterquam de quinque aut sex articulis convenire minime posse, nempe de justificatione, de libertate hominis, de peccato originali, de Baptismo, de bonis operibus, & de Episcopatu. Sed ubi ad alios, maxime ad illum de Eucharistia ventum est, satis apparuit, conveniri non posse; neque enim jam de phrasibus, in quibus facilis est conciliatio, sed de rebus ipsis agebatur, in quibus Catholici cedere non poterant. Persistebant enim hi semper, ut Lutherani confiterentur, substantiam panis & vini post consecrationem non restare, & corpus Jesu Christi etiam extra usum Sacramenti durare, in ciborio, quod vocant, repositum, aut per plateas gestatum, ideoque adorari debere. Sed Lutherani hoc asserere nolebant, non magis quam sacrificium Missæ, confessionem peccatorum particularem, infallibilitatem Ecclesiæ per Concilium repræsentatæ, primatum Papæ, ut capitis Ecclesiæ universalis, & alios ejusdem ponderis articulos, in quibus non de verbis sive formulis saltem quæritur, sed de re ipsa, quæ formulis, quibus utimur, exprimitur. Ita utrique sententiam suam scripto exhibuerunt, idque Imperator cum Ordinibus communicavit, non parum confusus, quod eos longius a concordia abesse cerneret, quam Theologos, qui collocuti erant. Cum enim significasset, videri sibi, standum esse articulis, in quibus Theologi consensissent, usque ad Concilium generale vel nationale, aut alia Comitia Imperialia, Legatus, mandata sua sequens, omnia ad Pontificem remittenda esse contendebat, aut ad Concilium generale, quod convocaturus erat; Nationale enim, quia in materia fidei nihil supremo jure definire potest, nolebat admittere, & Legato vel maxime injunxerat, ut illi se omnibus viribus opponeret. Electores cupiebant retineri articulos, de quibus in colloquio conventum erat, poscebant autem Concilium in Germania habendum, in quo confirmarentur, si doctrinæ Ecclesiæ congruere deprehenderentur, & de reliquis articulis ultima ferretur decisio. Episcopi & reliqui Principes Catholici rejiciebant articulos, quia ambiguis phrasibus concepti essent, quas a Protestantibus ad hæresis suæ sensum explicari posse credebant; & hi ipsi eodem modo metuentes, ne articulis sensus Catholicus tribueretur, clariorem explicationem fieri debere dictitabant; in summa, non probabant eos, nisi quatenus confessioni suæ Augustanæ conformes essent, secundum hanc enim ejusque apologiam, intelligendos esse contendebant. Quoad Concilium priori suæ sententiæ insistebant, se nullum extra Germaniam, aut in quo Papa per se aut clientes suos judex Protestantium futurus esset, admissuros: Licet autem difficillimum esset, inter tantopere dissentientes concordiam invenire, Imperator tamen proposito suo de pace in Germania servanda, & ut utrique parti satisfieret, insistens; metuensque, ne Rex Franciscus validam factionem contra se excitaret, autoritate sua omnibus disceptationibus his, simul etiam Comitiis finem fecit, condito edicto d. 28. Jul. in quo statuit, ut omnia, quæ in colloquio inter Doctores utriusque partis acta essent, ad Concilium generale aut totius Germa-

(2) Eventus ejus, & acta Contareni.

(3) Ordinum Imperii diversa judicia.

A. 1541.

(4) Decretum Comitiale & declaratio Cæsaris particularis.

Germanicæ Nationis, aut denique ad Comitia proxima post annum & sex menses habenda, differentur. Interim Protestantes articulos, de quibus conventum erat, servarent nihilque innovarent; Episcopi vero Ecclesias suas & mores Cleri secundum præscripta a Legato capita reformarent; Prohibuit etiam destructiones monasteriorum, invasiones bonorum Ecclesiasticorum, & ut nemo ad deserendam veterem religionem sollicitaretur. Hoc sine dubio Catholicis proficuum erat. Sed eodem tempore, ut de Protestantibus etiam quos paulo ante patrocinium Galliarum Regis implorasse noverat, securus fieret, arte tanto Imperatore parum digna aliquid egit, per quod idem illis præstitit, ac si edictum plane isti, quod fecerat, contrarium emisisset. Dedit enim iis separatim literas patentes beneformatas, quibus libertatem credendi, & publice profitendi, quæ de omnibus articulis propositis ipsis placerent, indulgebat, & in illorum favorem interpretabatur, quicquid contra eos in edicto decrevisse videbatur. Permisit etiam ut in communionem suam reciperent, quotquot eam desiderarent: Suspendit nuperum edictum Augustanum, omniaque, quæ contra eos publicata erant, & quod huc usque obtinere nequiverant, Cameræ Imperiali mandavit, ut jus illis, sicut aliis, redderent, nullo ad religionem, quam profitebantur, respectu. Hæc terribiles sequelas secum ferebant, inprimis ruinam monasteriorum & quorundam ex Clero, qui in Protestantium ditionibus beneficia quædam adhuc possidebant.

§. LXXXVI.

(1) *Acta Cæsaris ante Comitia.*

Ex historia Comitiorum non tam illa persequemur, quæ *Melanchthon*, *Sleidanus* aliique, & ex illis noster, retulerunt, quam quæ ex Actis Archivi *Reg. E. fol. 48.* pluribus voluminibus perlustratis, paulo reconditiora didicimus. Carolus Cæsar, ut Protestantium Proceres Ratisbonam alliceret, nihil omisit, quo studium pacis & concordiæ testaretur, æquumque se ad illorum postulata ostenderet. In itinere igitur ex Belgio per tractum Metensem Spiram versus instituto, literis d. 19. Jan. ad Electorem Saxoniæ satis benigne datis, hortatus eum est, ut ipse veniret, deinde d. 28. Jan. edictum publicavit, quod typis postea excusum est, in cujus exordio idem pacis studium, & quod ejus causa Comitia indixisset, prolixe enarrat: Subjungit deinde, ut prætextu religionis, & quæ ab ea dependent, maxime vero de bonis Ecclesiasticis variæ controversiæ in Camera Spirensi aliisque judiciis ventilatæ, quædam etiam definitæ sint; agnoscit quidem sui esse officii, ut cursum judiciorum legitime promoveret, sed simul manifestum esse, dicit, si ad executionem sententiarum jam pronunciatarum, nominatim contra *Mindenses* & *Goslarienses* (quos Camera proscripserat,) procederetur, & reliqui processus continuarentur, evitari non posse mala & incommoda, immo bella & sanguinis effusiones; oriturum etiam esse impedimentum instantium Comitiorum, jam enim quosdam ex Principibus causari, quod metu turbarum, & ad paranda defensionis media, domi retineantur: ideoque se cum consilio quorundam præcipuorum Principum Ecclesiasticorum & politicorum, sibi & Imperio obedientium, & ex plenitudine potestatis Cæsareæ, ad vitanda pericula & damna irreparabilia, decrevisse, & hoc diplomate indicere, suspensionem omnium processuum, religionis causa & occasione huc usque in Camera pendentium, & executionis sententiarum in civitates supra dictas pronunciatarum, salvo tamen jure partium, & ut nihil novi fieret, quo pax turbari posset, Granvellanus, ut Legati Saxonici *Reg. H. fol. 394. n. 149.* referunt, jactavit sua opera fieri, ut edicto illi staretur, renitentibus licet Cameræ judicibus; sic ille nullam ostentandæ potentiæ & erga Protestantes benevolentiæ occasionem prætermittebat. Ejusdem facilitate obtentum est, instante Landgravio, ut Cæsar diploma salvi conductus proficiscentibus ad Comitia d. 3. Jan. expeditum d. 10. Mart. relaxaret liberamque abeundi facultatem, quæ antea ad consensum suum restricta erat, concederet: Elector enim Saxoniæ veteri Imperii mori coarctationem illam repugnare monuerat. Ferdinandi quoque Regis magna ad pacem propensio celebrabatur, & quod ad eam Cæsarem fratrem stimularet. Id ei Romæ imputatum, *Pallavicinus* notat *Lib. IV. cap. XI. §. 7.* & a Lutheranis Consiliariis circumseptum fuisse scribit, illiusque animo alte infixam opinionem necessitatis transigendi cum Evangelicis. Idem Rex, ut in nuperis conventibus fecerat, cautionem dedit Electori Saxoniæ de non præjudicando ejus juribus, ratione Regiæ electionis. Cæsar ipse exemplo suo Principibus præiturus, primus omnium Ratisbonam venit. Adfuit mox Landgravius, omni studio Cæsari sese insinuans, nec multo post Contarenus advenit, magnoque numero Præsules accurrerunt, non satis probante id Cæsare, sed majorem politicorum numerum desiderante, ut Landgravius ad Electorem d. 17. Mart. scripsit; sed nihil huic majori curæ tunc erat, quam ut adventum Electoris procuraret. Sollicitaverat eum, antequam ex Hassia discessisset, d. 2. Febr. Granvellani desideria & præclaras oblationes allegans, suam etiam interpositionem ad conciliationem plenariam cum Ferdinando Rege offerens. Verum Elector jam tum d. 10. Febr. regessit, consideratum & decretum inter fœderatos esse, ipso etiam Landgravio sic sentiente, quod consultum tutumque non esset, ut ambo fœderis Evangelici Duces & capita ad comitia venirent. Legationem vero amplissimam decrevit, misitque suo loco *Wolfgangum Principem Anhaltinum*, additis ei Consiliariis *Johanne a Dolzig*, *Johanne a Pack*, *Francisco Burcardo* Cancellario & *D. Blicardo Sindringero*, submissi etiam postea sunt *Christophorus a Taubenheim* & *Eber-*

(2) *Ferdinandi Regis actio quædam.*

(3) *De Landgravio aliqua.*

(4) *Legatio Saxonica.*

A. 1541.

Eberhardus Tannius, ille Altenburgi, hic Isenaci seu Wartenburgi Præfectus. Legati Electoris, cum sub finem Martii Ratisbonam venissent, a Landgravio itemque a Friderico Palatino, (cujus literæ ad Electorem eo nomine scriptæ extant) nec non a Granvellano incitati non destiterunt Electoris adventum solicitare, allegantes inter alia, fore, ut qui inter Evangelicos nutarent (quod aliqui facere videbantur) præsentia ejus confirmarentur. Sed Elector multis rescriptis, inprimis d. 13. Maji, gravissimas rationes proposuit, quibus a comparitione retineretur. Misit tunc Legatis literas Lutheri, quæ *Tom. VII. Alt. fol. 484.* leguntur, manu vero hujus scriptæ extant *Reg. H. fol. 329. n. 133.* sed simul a Pomerano subscriptæ. Illarum prior pars agit de articulo justificationis, de quo Ratisbonæ disputabatur, ut postea dicemus; altera vehementer dissuadebatur iter Electoris ad Comitia. Scribit enim Lutherus cum Collega, se jam diu Deum orasse, & nunc quoque orare, ut periculosissimo hoc tempore Electorem ab itinere averteret; illum enim certissime virum esse, (E. Churfürstl. Gn. sind der rechte Mann) quem diabolus ante alios Principes infestet, & petat: per Deum itaque rogat, ut domi maneat; Cæsarem enim excusationem jam accepisse, legationem splendidissimam missam esse; si ipse accederet, nullum finem solicitandi, hortandi, suadendi fore, se ipsum id Wormatiæ expertum esse: Etiamsi vero diffametur, ac si Cæsari tam benigne invitanti debitum obsequium detrectaret, & offensa indubitato sequeretur, considerare tamen illum jubet, quod non minorem incursurus sit, si accedat, neque assentiat omnibus, quæ ab se postularentur, immo si vel in uno capite resistat: Gravissimum vero periculum esse, ut conscientiam lædat, vel unius articuli desertione: Longe itaque satius esse, ut vituperium illud sustineat, quam ut de conscientia periclitetur: Fructum itineris nullum sperari posse; periculum pene certum esse: Cæsarem, utut bonum & mitem, persuaderi tamen & regi in hoc negotio ab aliis, a Moguntino maxime, quem *omnis doli architectum* vocat: Cæsari fundamentum causæ & quæstionum minime cognitum esse, id satis apparere ex eo, quod librum illum probet, a magistro tamen non bono, &, ut putat, ejusdem Moguntini Cardinalis consiliis compositum, fucis & technis refertum & incrustatum: Adesse Ratisbonæ *Henricum Brunsuicensem*, capitalem Electoris hostem, cædis & incendiorum autorem: Quod si omnino offendatur Cæsar, & duri aliquid contra Electorem statuat, Deo id esse commendandum, ejusque auxilium sperandum conservata interim integritate conscientiæ; hac autem salva, pericula potius subeunda esse, quam illa læsa pacem & gratiam quærendam. *Certi autem sumus*, ait, *nos neque opes neque honores, sed tantum verbum Dei fideliter sectari. Deus incepit negotium, ipse etiam perficiet.* (Es ist besser mit gutem gewissen in gefahr und ungnaden / denn mit bösem gewissen in frieden und gnaden leben. Wir sind ja gewiß / daß wir hierinnen kein gut / ehre / gewalt / sondern allein Gottes wort treulich meinen / der hats angefangen / wirds auch vollenden) vid. *d. Tom. VII. fol. 486.* Paulo ante idem, quod supra Maimburgius, sed meliori cum applicatione, dixerat, *conciliari Christum cum Satana non posse; si id liceat aut fieri queat*, ait, *opus non esset, ut Ratisbonam iretur, Torgaviæ fieri posset.*

(5) *Lutheri consilium de negotiis Comitialibus.*

A. 1541.

Negari sane nequit, hunc quoque conventum magnæ astutiæ & multorum sophismatum scenam fuisse. Neque tamen Carolo Cæsari personam assignamus, qualem illi audacter tribuit Maimburgius. Erat quidem, ut plerique Principes solent, expers doctrinæ vel incuriosus, variisque ministris circumseptus, Hispanis, Burgundis, Germanis, ex quibus hi minima apud illum erant potentia. Diversi & contrarii tot procerum respectus mentem Cæsaris distrahebant. Pontifex sua tenebat principia, ut nihil remitteret ex usurpata potentia & autoritate. Episcopi qua mente fuerint, ex *Pallavicino cap. XIV. §. 13.* intelleximus. Paucissimi inter eos, nec multo plures inter Principes politicos, veteri religioni adhuc addictos, reformationem pati poterant, nisi forte, ut fastus Cleri reprimeretur, & opes acciderentur, de erroribus vero doctrinæ corrigendis aut veræ pietatis exercitio parum erant solliciti. Erant, qui bella & rapinas cogitabant, ut *Pallavicinus* observat, maligno tamen judicio de Landgravio, cujus exemplo incitatos illos esse putat *d. cap. XIII. §. 6.* Hi colloquium, & quicquid ad conciliationem pacis & quietis pertinebat, aversabantur; idem faciebant illarum partium Theologi, alia ex causa. *Contarenus* quidem serio de concordia laborabat, sed quodam pietatis affectu, non ex Pontificis intentione. Huic propius accedebat *Eccius*, aliique, qui disturbare omnibus modis consilia de concordia cupiebant, licet aliud simularent. Observavit id *Melanchthon Lib. IV. ep. 236.* & ab illa *Eccii* importunitate discussionem periculi speravit, quod ei tantum videbatur, ut *invenire se non diceret, quomodo humano consilio laquei ab Evangelicis evitarentur.* Inter hos, ut supra monui, diffidentia non exigua regnabat, quam satis aperte indicat *Melanchthon d. l.* multum questus de Landgravio, quem sub *Alcibiadis* nomine designat; sed res clarius ex Electoris & Lutheri literis patescit, quas paulo post adducam. Ex prima Legatorum Saxonicorum relatione, *(d. loc. Reg. E. 48. Vol. 1.)* d. 29. Mart. data, percipitur, benignissime acceptos illos a Cæsare fuisse, & statim per *Johannem Navium*, Cæsaris nomine loquentem, responsum optimis oblationibus plenum retulisse. *Granvellanus*, cum illum convenissent, gesta Saxonica in conventu nupero Wormatiensi apprime laudavit, & ultro de rigore judicii Cameralis questus est, affirmans tamen, Cæsarem, quæ de suspensione sententiarum & processuum edixerit, præstiturum esse, & *Henrico* Brunsuicensi jam injunxisse, ut *Goslarienses* aliosque missos faceret. Rogatus inde, ut efficeret, ne *Heldus* & *Brunus* negotiis inter Cæsarem & Evangelicos adhiberentur (id quod scripto Evangelicorum omnium postulatum postea est) facile assensit. Iisdem literis, & quas paulo post d. 12. April. scripserunt, eadem & plura de Cæsaris benigna propensione erga Electorem, & præsentiæ ejus desiderio, ut

(6) *De Cæsaris & Episcoporum intentione.*

(7) *De Eccio & aliis quædam.*

(8) *Acta Legatorum Sax. cum Cæsare & Granvellano.*

A. 1541. & *Granvellani* comitate, significant, de Landgravio vero referunt, illum asseverare, se in articulis ad salutem animæ & conscientiam pertinentibus verboque Dei fundatis, ne in una quidem litera (nicht einen Buchstaben) cessurum esse, facturum id tamen, ut loquebatur, in *neutralibus*, id est, indifferentibus & rixis circa verba, tum pacis causa, tum ut Evangelii prædicatio propagaretur. Addunt, quæ supra retuli: quod vehementer Electoris, cujus prudentiam & autoritatem ex merito æstimare se dicebat, præsentiam desideraret. Addebant Legati, Cæsarem longe mitius, quam Augustæ, erga Evangelicos sese gerere, & neque esum carnium neque conciones inhibere. Ad hæc, præter illa, quibus absentiam suam excusavit & supra memorata sunt, d. 7. Apr. Legatis respondit Elector: se in religionis capitibus nullo modo cessurum esse, neque enim litem esse de verbis, sive de rebus *neutralibus*; discrepari in rebus, & in his verborum fuco, sine offensa Dei, conciliationem fieri non posse, & fore, ut utraque pars dictura sit, suam sententiam admissam esse, & oppositam cecidisse. Negat, inter *neutralia* referri posse bona Ecclesiastica sive monasteria; horum restitutione, quæ urgebatur, & ad quam inclinare Landgravius videbatur, id quæri dicebat, ut restitutis in provinciis Evangelicorum monachis, tota veteris doctrinæ impietas cum omnibus abusibus denuo introducatur, & ut media sustentandi ministros Ecclesiæ & scholæ subtrahantur; Ad hoc enim se ante omnia reditus Ecclesiasticos destinare & impendere, neque quidquam, quod superfuerit, in suam utilitatem, sed ad publicos usus versurum esse. His literis adjunctum est responsum *Lutheri* ad *Pontanum*, quod *d. l. Reg.* extat, & confundi cum illo non debet, quod supra ex *Tom. VII. fol. 485.* allegatum est, sequenti mense scriptum. In hoc igitur haud levem de *Landgravio* & *Bucero* suspicionem indicat, & inversam ab illis esse scribit orationem Dominicam, quod præferant petitionem quartam, de pane & pace solliciti, antequam obtinuerint, quæ prius petenda erant, *nomen*, *regnum* & *voluntatem* Dei; sic *excolari culices & glutiri camelos Matth. XXIII. 24.* Incipiendum esse a doctrina, id est, de fide justificante, & de sacramentis, tum demum ad neutralia progrediendum esse, immo hæc per se secutura, ut factum sit in provinciis Evangelicorum; tali concordiæ adfuturum Deum, non vero, si neglectis capitalibus articulis neutralia tractentur; præferendam esse discordiam concordiæ absque Deo, nec *commissurum novam veteri vestimento immittendam, Luc. V. 36.* Addit, se nolle consiliis eorum accedere, de quibus suspicabatur, quod causam deserturi essent, sed potius hanc totam iterum in se recepturum & solum, ut ab initio, staturum esse. (ehe ich mich will ziehen lassen / ehe wolte ich die sache wieder zu mir nehmen / und / wie im anfange / allein stehen) *Scimus*, ait, *causam Dei esse, ille eam incepit, & huc usque conservavit, perficiet etiam; qui sequi non vult, retro maneat; non vincent nos, neque Cæsar, neque Turca, nec ipse diabolus, quicquid etiam nobis evenerit* (Wir wissen / daß es Gottes sache ist / der hats angefangen / bisher selbst geführet / und wirds hinaus führen / wer nicht hernach will / bleibe dahinden / der Käyser / der Türcke dazu / und alle Teuffel sollen hier nichts gewinnen / es gehe uns darüber wie Gott will) Improbat, quod religionis negotium tractent, ac si esset res & causa Cæsaris, Turcæ & Principum, in quibus varia media & cautiones solertia hominum quæri possent, darique aliquid aut remitti: *At*, inquit, *hanc causam hinc Deus tractat, ibi Satanas, & utriusque angeli; hoc qui non credunt, nihil boni præstabunt.* Magis inde caveri jubet falsos fratres, quam hostes apertos. De *neutralibus*, sive de ritibus externis, sic constitutas esse Ecclesias Evangelicas, scribit, ut si quis Italus vel Hispanus, linguæ Germanicæ ignarus, in templa veniret, videretque Missas, chorum, vestes sacerdotum, audiret organa musica & campanas, is nihil aut parum deprehensurus esset, quod in cultu externo a veteri instituto differret. *Cur igitur*, ait, *plus a nobis exigitur? Cur turbabimus & in partes distrahimus nostros cœtus, nihil tamen apud adversarios profecturi?* De bonis Ecclesiasticis tum demum agendum esse statuit, si prius Pontificii suas superstitiones & blasphemias corrigant, & conjunctim cum Evangelicis verbum Dei prædicari faciant, & scholas constituant; hoc præstito habituros esse, bonorum, quantum satis est (sollen güther gnug finden.) Detestatur itaque, quod aliud non agant, quam ut ad veteres errores reducant Evangelicos. Plura se ob imbecillam valetudinem nec loqui nec scribere posse dicit. Verum enim vero pauca hæc & familiariter atque cum impetu quodam, ut apparet, scripta, nervum tamen & summam omnis consilii continent, in quo totum religionis negotium vertebatur. Nam *primo* fundamento fidei & dogmatibus substantialibus insistit, in quibus nihil cedi aut remitti potest: *secundo* in ceremoniis largitur, quicquid salva conscientia admitti potest: *tertio* de bonis Ecclesiasticis litigare non vult, si prius doctrina recte constituatur. Non video quid magis pie aut solide dici potuerit. Intelligitur inter alia ex his, qua ratione & fini ritus etiam superfluos retinuerit Lutherus, sola nempe spe, ut tanto facilius & minori cum scandalo atque sine tumultu puritas doctrinæ ita insinuari populo posset, ut Ecclesia emendata in fundamentali doctrina, non vero de novo formata dici posset, neque tamen dubitavit, fore, idque eventu confirmatum est, ut rituum correctio facile secutura esset. Hoc igitur Viri consilium temerario ausu turbarunt *Carolostadius*, *Munzerus* & alii, qui omnia vetera nulla necessitate penitus subversum ibant. De bonis etiam Ecclesiasticis justissima & optima erant, quæ Lutherus proposuit, & Elector professus est, ut postquam ex iis de ministerii sustentatione provisum esset, de reliquis omnibus pro bono publico transigeretur & decerneretur. Hoc si acceptassent adversarii, multa etiam inter Evangelicos utiliter constitui & præcaveri abusus potuissent, de quibus Lutherus ipse multique post eum pii & egregii viri questi sunt, & adhuc queruntur. Sed ad rescripta Electoris redeo. Jubet,

(9) *Electoris rescriptum ad Legatos.*

(10) *Lutheri aliud de actis Comitialibus judicium.*

(11) *Epistolæ de sententia Lutheri.*

(12) *Electoris mandata ad Legatos.*

A. 1541. Jubet Legatos, ut Landgravium interrogent, quænam is pro *neutralibus* aut pro logomachiis habeat, de iis postea cum *Melanchthone* conferant, & inde iterum cum Landgravio tractent, ut opus non sit subinde suum aut Lutheri judicium interponi, se tamen cum hoc interim consultaturum esse; tandem vero testatur, si, quod non sperat, Landgravius aliique e sociis cedere in fidei articulis velint, se tamen non cessurum, sed in Augustana confessione & decretis Smalcaldicis perseveraturum esse, spe plenum, quod Deus se & alios verbi sui confessores conservaturus sit. (wir wollen bey der Augspurgischen Confession und Schmalkaldischen vereinigung verbleiben/Gott schicke es/ wie es ihm gefällig/ hoffen doch/ er werde sein wort und dessen bekenner erhalten.) Addit, se non terreri, sparsa de copiis, quas *Henricus Brunsuicensis* conscribere dicebatur, fama, mittitque libellos, & a se & a Luthero illis oppositos, quos Brunsuicensis publicaverat, illosque distribui mandat; repugnare denique jubet molitionibus Episcoporum in Saxonia, qui sessionem in his comitiis, ut Principes Imperii, affectabant. Id præ reliquis acrius faciebat Episcopus *Misnensis*, acerbo scripto Electorem & *Henricum* Ducem traducens. In illo non solum dignitatem Principis Imperii sibi vindicabat, nihil præter protectionis jus Saxoniæ Ducibus in Episcopatus sui ditionem concedens, sed & dogmata insectabatur, quæ odiose, nec sine calumnia, recensebat; lamentabatur etiam de tumba *S. Bennonis* d. 14. Jul. anno 1539. Principum jussu destructa. His similibusque querelis impetraverat, ut Cæsar, antequam ad Comitia veniret d. 19. Jan. Electori & *Henrico* Duci rescriberet, ut salvo jure suo Episcopos in loco inter Principes Imperii capiendo non impedirent; sed reluctati sunt uterque, & Cæsari tunc consultius visum est, ut ab illa sessione Episcopi abstinerent, ne scilicet Saxones irritarentur. Itaque, ut Legati referunt, cum Cæsar d. 5. April. propositionem Ordinibus ederet, *Julius Pflugius*, Decanus Misnensis, qui ab Episcopo mandata habebat, inter aulicos Moguntinos adstitit. Quid vero hic paulo post in Episcopum Numburgensem electus egerit, alibi exponemus. Ex eorundem Legatorum relatione constat, Cæsarem cum d. 4. Apr. Ordines sequenti die ad audiendam propositionem citari fecisset, Catholicos Missæ secum adesse jusserit, Evangelicis vero, ut in Curiam venirent, indixerit. Summa propositionis ex ipso Recessu postea publicato intelligi potest, & prolixe refertur a *Sleidano Lib. XIII. p. 378. seqq. Pallavicinus d. cap. XIII. §. 6.* taxat ministros Cæsareos, quod jejunas formulas de Pontifice (ut supra innui) adjecerint. Satis tamen prolixa fit mentio de actis Cæsaris cum *Clemente VII.* & *Paulo III.* in Italia & Gallia, & quomodo illos ad indicendum Concilium paratos invenerit; item quod *Hagenoæ* conventum fuerit, ut Nuncium & Theologos Wormatiam Pontifex mitteret, denique, ut suspenso ex justis & gravibus causis (aus redlichen und ansehnlichen ursachen) colloquio illo, Legationem Cardinalis *Contareni* procuraverit, quem vocat *virum pacis amantem*, *celeberrimum & prudentissimum*. Sed maluissent fortasse Pontificii, ut potestas Pontificis magnifice fuisset deprædicata, magnæque querelæ de Protestantibus recitatæ, ut Augustæ factum erat. Obtentum tamen per illos fuit, ut Augustanum decretum clausula quadam reservaretur. Id factum est §. So haben wir aber-mahls ꝛc. ubi de colloquio inter Theologos agitur, in parenthesi paucis verbis (*sine præjudicio Recessus Augustani.*) At hæc sufficere videbantur, ut quicquid rigidi & sævi in comitiis illis contra Evangelicos decretum erat, quavis occasione expediri posset, & vi agi, si colloquiis & suasionibus nihil efficeretur. Perspiciebant id Evangelici, dissimulandum tamen erat, & qualiscunque pacis & induciarum conditio accipienda, licet eam magno sumtu redimerent, præstitis adversus hostes Cæsaris auxiliis. Si vero Cæsar neque Gallum neque Turcam timuisset, dubitari vix potest, quin jam tum Pontificiis consiliis locus fuisset, & ex Recessu Augustano satis speciosus prætextus capi potuisset, ad Protestantes vi opprimendos. *Maimburgius* certe *initio Libri IV.* prolixe refert, quomodo, cessante illo metu, anno 1546. bellum susceptum, & instituto etiam tunc in Comitiis tractatu, Protestantibus illusum fuerit. Hoc vero anno 1541 Cæsarem & Gallici & Turcici belli cura angebat, alia etiam Pontificem, ne Cæsar nimia auxiliorum cupiditate Protestantibus indulgeret, quæ Pontifex ferre non posset, aut colloquiis & disputationibus Theologorum publicis fundamenta veritatis cæteris quoque Principibus, qui a partibus Pontificiis huc usque steterant, innotescerent, & studium reformationis provocarent. Hinc omnis ista disceptandi via Pontifici & intimioris admissionis Cardinalibus summopere invisa erat, experimento Augustanorum Comitiorum edoctis, quantum nocuisset, quod tunc actum erat; inde enim instructi haud pauci Principes ad Evangelicorum partes transierant. Ideoque *Eccius*, arcani illius conscius, moderatiora cæterorum consilia sufflaminabat, suisque clamoribus & sophismatibus, si obtundere non posset Theologos Evangelicos, id tamen efficiebat, ut colloquium necessario rumpendum esset. Hagenoæ conventum frustraverat, productis articulis, de quibus Augustæ transactum esse fingebat: Wormatiæ aliis objectamentis colloquium protelavit, ejusque loco nescio quam confutationem moliebatur, donec instante Comitiorum tempore conventus iste ex improviso solveretur. Cum in his comitiis eædem larvæ in scenam produci non possent, tentatum primo est prævalentibus Episcoporum suffragiis, an penitus evitari posset colloquium. Cum vero id per Cæsarem eosque, qui serio ad concordiam & pacem propendebant, fieri non posset, recursum fuit ad ultimum præsidium, ut omnia arbitrio & consensui Pontificis submitterentur; Protestantes vero ipsi tum libro illo captioso, tum dura contradictione, etiam in evidentissimis fidei capitibus, offensi & fatigati, ab omni spe concordiæ dejicerentur.

(13) *Misnensis Episcopi querela de Electore.*

(14) *Propositio Cæsarea.*

(15) *De Evangelicorum statu, eo tempore.*

A. 1541.

§. LXXXVII.

(1) *Alia Electoris ad Legatos mandata, & missio Amsdorffii.*

Ordo Actorum in Comitiis diligenter a *Sleidano* traditus est, qui refert, proposita a Cæsare, responsa ab Ordinibus utriusque partis, constitutum colloquium, hujusque progressum & finem. Displicuit tamen ab initio Electori Saxoniæ, quod propositus colloquii modus (ut nempe non de articulis Augustanæ confessionis, sed de libro a Cæsare producto ageretur) tam promte acceptus ab Evangelicis fuisset, neque id celavit Legatos in literis d. 22. Apr. scribens, cavere eos sibi debuisse etiam ab Evangelicis, illis maxime, qui medias partes constituere videbantur; neque enim satis fidebat Electori Brandenburgico, qui tunc ad Comitia venerat. Jubet igitur, denuo, ut non solum in sententia, sed & in verbis Augustanæ confessionis persisterent, in Concilium, nisi liberum & Christianum esset, non consentirent, nec ad auxilia Cæsari ferenda suo nomine concurrerent, nisi pace interna prius stabilita. d. 29. Apr. non exiguam suspicionem de *Bucero* detegit, imputans ei scriptum quoddam de peccato originis, nuper Wormatiæ compositum, metuensque, ne, ut Lipsiæ anno 1539. cum *Vicelio*, ita & Ratisbonæ separata cum quibusdam consilia haberet, cum causæ damno, vel saltem, ut odium in Saxonicos aliosque constantiores derivaret, si colloquium rumperetur; nolebat enim, ut culpa, quam Catholici Wormatiæ omnium judicio incurrerant, jam in Evangelicos transferretur: Interim in votis habebat, ut ruptura illa fieret, si disputatione de aliquibus articulis peracta, nihil æqui a Pontificiis obtineri posset; ad pacem vero, & hac obtenta, ad auxilia adversus Turcos, paratissimum se esse profitebatur. Miserat eodem tempore in comitatu *Philippi* Pomeraniæ Ducis *Nicolaum Amsdorfium*, Magdeburgo excitum, cui victum apud Legatos assignavit. Exhibito jam collocutoribus libro supra dicto, Legati d. 22. April. Electori referunt, eundem esse, quem Elector Brandenburgicus Luthero ostenderit, memorantque in articulo de justificatione formulas hinc inde conceptas fuisse Augustanæ confessioni non adversantes, ex illa tamen declarandas: Laudant *Melanchthonem*, quod dixerit, se mori malle, quam conscientiam & veritatem lædere, & certissime ex mœrore moriturum, si id faceret: Magnam quoque spem a bona Cæsaris intentione & a collocutorum Catholicorum æquitate ostentant, fassos enim esse, Ecclesiam ob plurimos & magnos abusus reformatione omnino egere: Etiam Landgravii constantiæ confidunt, qui *Melanchthonem* hortatus sit, ut minime cederet, ubi sine offensa Dei & conscientiæ cedi non posset; speciatim in articulo de cœna Domini. Sequenti die scribunt, in hoc conveniri non posse, renitente *Contareno*, cum quo collocutores Catholici quotidie consultent. Elector d. 10. Maji improbat stylum, quem *Melanchthon* admiserat in articulo de justificatione, substitutis verbis aliis, quam in Augustana confessione, obscuris nempe & scholasticis, acturum tamen se esse dicit cum Luthero, a cujus doctrina, sicut eam ad hunc usque diem proposuerit, neque in hoc neque in aliis articulis discessurus esset: Involutam esse tenebris & appendicibus sententiam de sola fide, qua justificamur, & adversariis, admissa nova formula, ansam dari, ut gloriarentur, Evangelicos a sua doctrina recessisse. Repetit iterum, quod prius jusserat, ut si in doctrina de sacra Cœna & de Ecclesia conveniri non posset, a colloquio desisteretur; neque enim aliud agi, quam ut explorarentur Evangelici, & de levioribus quibusdam transigeretur, dilatis gravioribus: Rigori, quem Augustæ experti sint, blanditias nunc successisse dicit, eodem aut majori cum periculo. Inserta epistolæ schedula sic loquitur: *se non videre, quomodo sincera & Christiana concordia iniri possit cum illis, qui propter doctrinam & veritatem Evangelicam plurimos acerrime persecuti sint & trucidaverint: quietam illis & pacificam mentem non esse, nec respectu concordiæ Christianæ aut honoris divini, sed dolose alicubi cedere, admixtis sophismatibus quæ data occasione pro lubitu interpretari possent.* (Wie kan oder mag man sich mit den leuthen rechtschaffen und christlich vergleichen / die unserer lehre und der warheit halben viel leuthe durchächtet und umgebracht / weil kein ruhig gemüth bey ihnen zu spüren / sondern / worinnen sie entweichen / das thun sie gefährlich und mit betrieglichen einmengungen / und daß sie es zu ihrer gelegenheit deuten und ziehen mögen zu ihrem gefallen / und nicht zu christlicher einigkeit und in bedacht der göttlichen Ehre.)

(2) *Relatio Legatorum.*

(3) *Elector Melanchthonis conniventiam improbat in articulo de justificatione.*

Inter hæc Lutherus de formula in articulo justificationis consultus literas ad Electorem scripsit, quas jam supra ex *Tom. VII. Alt. fol. 484.* allegavi, quibus dies additus non est; datas vero esse oportet paulo ante d. 10. Maj. cum Elector relationem Legatorum d. 5. Maji scriptam accepisset. In his Lutherus non solum iter Electoris ad Comitia dissuadet, ut supra retulimus, sed prius de formula illa sententiam hunc in modum aperit: Recte sentire Electorem, quod eam pro consarcinata parumque sincera habuerit (es sey weitläufftig und geflickt ding.) videri sibi, *Melanchthonem* formulam orthodoxam composuisse, asserta secundum ea, quæ hactenus docuerit, justificatione ex sola fide absque operibus *Rom. III.* huic vero aliam substituisse alterius partis collocutores ex dicto *Gal. V.* de fide, quæ per charitatem operatur; illa vero a Melanchthone rejecta, consutam & coagmentatam tandem hanc fuisse, in qua utriusque partis sententia probari videretur. (Verba formulæ inter alia hæc sunt: *Firma est & sancta doctrina, per fidem vivam & efficacem justificari pœnitentem.) Aut enim,* pergit Lutherus, *Eccius fatebitur, (quod non faciet) se & suos ante hac non ita docuisse, & tunc aliquandiu stare poterit formula, de qua transactum est: Si vero jactabit, ut certissime faciet, se semper docuisse ex Gal. V. de fide efficaci, tunc hæc transactio non est nisi commissura nova, vestimento veteri aptata, qua scissura fit pejor Matth. IX. 16. ita illi clamabunt, se vicisse nostri vero pulchre sibi prospexisse dicent, addita præsertim protestatione, quod non recesserint ab Augustana confessione.* Evidentius hoc futurum esse ait, si ad cæteros articulos veniatur, qui ex hoc dependent, idque jam olfecisse Evangelicos, dum caverint, ut etiam de reliquis articulis concordetur, quod cum non sit successurum, fore, ut ad veterem illam & brevem formulam redeatur,

(4) *Lutheri de illo sententia.*

A. 1541.

dicatur, *Rom. III. arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis.* De dicto *Gal. V. 6.* monet, id non agere de justificatione, sed de vita justificatorum; *aliud longe est*, inquit, *fieri, aliud agere; aliud est esse, aliud est facere, & pueri distinguunt activum & passivum. Sed Eccius distinctionem rejicit aut non intelligit. Alia est quæstio, si quæras quomodo aliquis justificetur coram Deo; aliud quid agat justificatus; Sicuti aliud est arborem fieri, & fructus ferre.* Et post alia: *Pontificiorum sophisma est, justificari hominem non solum per fidem, sed etiam per opera, sive per charitatem & gratiam, quam vocant inhærentem: Hoc tamen falsissimum est, &, si id obtinuerint, habebunt omnia, quæ volunt, nos nihil. Coram Deo nihil valet, quam filius ejus charissimus, Jesus Christus, ad illum ubicunque est, respicit, in illo complacuit; hic totus sanctus & purus est coram illo: Filius autem non per opera, sed per fidem in corde absque omni opere apprehenditur; charitas & opera nec sunt, nec esse possunt filius Dei aut justitia, quæ coram Deo pura & sancta sit, ut est filius, itaque per se non consistunt coram Deo, ut justitia pura, qualis est filius; quod vero justa & sancta vocentur, ex gratia fit, non ex jure, neque illa æque respicit Deus, ut filium, sed tantum propter filium ea tolerat, & fert illorum impuritatem, immo coronat ea & præmiis afficit, sed id omne propter filium, qui in corde habitat per fidem, absque hoc dici debet: non intres in judicium cum sancto & servo tuo.* Hæc etsi simplicissime dicantur, perspicua tamen & solidissima, immo divina sunt. In fine epistolæ intercedit apud Electorem pro *Melanchthone*, ne illi durius respondeat, futurum alias, ut mœrore conficiatur: Reservatam enim esse confessionem Augustanam & firmiter retentam, de reliquis quoque articulis concordare debere, antequam valeant, quæ huc usque acta sunt: Interim non cariturum fructu suo colloquium, nociturum etiam Papatui; allegat dictum Christi ad Paulum *2. Cor. XII. 9. virtus in infirmitate perficitur. Certe*, ait, *in nobis huc usque semper infirmus fuit Christus, & tamen humiliavit potentes: Ita agere consuevit, ne superbiamus aut gloriemur, ac si in rebus tanta & tam sublimis majestatis divinæ nosmet ipsi aliquid præstaremus.* Qui disputationem istam de articulo justificationis luculentius cognoscere velit, legat articulum ut tunc conceptus fuit, *Part. IV. Melanchthon. fol. 703.* ejusdemque relationem, *in Collect. Pezel. Part. I. p. 443.* quæ non exscribo; apponam tamen aliquid ex epistola *D. Crucigeri*, qui Melanchthoni assistebat, d. 19. Maj. ad *D. Pomeranum* data, (*MS. ex collectaneis Valent. Bavari Tom. II. p. 448.*) qua respondet ad ea, quæ Lutherus in literis jam relatis, & ad Legatos transmisis, scripserat. *Vidimus vestram sententiam de formula consarcinata in primo articulo; si recepta fuisset formula a Philippo composita, quæ simpliciter & plane & explicate continebat veram sententiam, nihil a quoquam desiderari potuisset. Nunc, dum de sententiis ita certatum fuit, quod adversarii eam quidem recipere se ostenderint, & tamen a se prolatam formulam non prorsus abjici vellent, in consarcinatione illa fieri non potuit, quin quædam verba relinquerentur, quæ vel haberent aliquid incommodi, vel postea illorum cavillationibus depravari possent. Quare ne nobis quidem & reliquis satis probata est. Sed tamen, quia de ea adhuc publice referendum est, interim utcunque tolerata est, ea spe, ut si in cæteris nostræ doctrinæ assentirentur, facile existimaretur, quod hic desideratum esset, posse corrigi ac sarciri.* Cæterum, quæ Maimburgius supra *Sect. 22.* de meritis operum commentatus est, rectius percipiuntur ex *Pallavicino* (cui ista debet) *Lib. IV. cap. XIV. §. 9. & 10.* Excusat ibi quodammodo Protestantes, quod honestis justorum operibus nollent *meriti* nomen apponere, quia *meritum* apud illos sonaret titulum ex justitia, perinde ut operarius pactam mercedem meretur: allegat etiam *Thomam*, qui monet, vocem illam attemperandam esse, cum inter Deum & hominem non intercedat vera justitia ex infinito inter eos discrimine, & homo omnia possideat ex sola Dei liberalitate. Nec *Contarenum* taxat, quod non exegerit ab illis, ut pronunciarent, tribui nobis æternam felicitatem, ut operum præmium. Addit, tametsi operibus cum gratia exhibitis sempiterna gaudia debeantur, primus tamen titulus non sint opera, sed gratia nobis a Deo liberaliter collata. Patet hinc, utut speciose loquantur de gratia, & in articulo, qui pro transacto habebatur, inter alia his verbis utantur: *soli justitiæ Christi nobis donatæ salus tribuenda est*; nihilominus, nisi applicatio gratiæ, meriti Christi & salutis soli fidei diserte tribuatur, evitari non posse opinionem de merito operum humanorum, & quicquid ex illa scholastici deduxerunt; hoc toties alias, & epistola supra dicta satis clare, monuit Lutherus. Tantus tamen illo tempore rigor Romæ fuit, ut, teste *Pallavicino d. l. § 10.* jussus fuerit *Contarenus*, ab omni verborum temperamento abstinere, neque ulli articulo assensum aperte præbere; Quapropter quicquid in libro illo moderatius dictum est, nullum Romæ valorem habuit; interim non verebantur Catholici Ratisbonenses a Protestantibus postulare, ut libri formulis, quibus non diserte contradixerant, starent. Quod reliquos articulos attinet, in quibus Evangelici indicarunt, quid desiderarent, ad *cap. VII. fol. 706. Part. IV. Melanchth.* ubi Ecclesia dicitur *domus magna*, omitti voluerunt vocem *magna*, ut in margine notatur, ne scilicet Ecclesia ex numero æstimaretur. Ad *cap. IX.* de autoritate Ecclesiæ aliam formulam litera *A.* signatam exhibuerunt, quæ extat *d. Part. IV. fol. 732. & seq.* In hac tribuunt Ecclesiæ (1) jus pronunciandi de canone librorum sacræ Scripturæ, eoque referunt dictum Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ Catholicæ autoritas.* (2) Donum prophetiæ, sive verum intellectum & interpretationem Scripturæ, quam tamen non alligant certis personis aut locis, & donum illud alias esse dicunt in pluribus, alias in paucioribus, alias magis, alias minus illustre & purum, sicut Paulus inquit, quosdam *supra fundamentum stipulas struere.* Porro consensus Catholici fundamentum ponunt in conformitate cum scriptis Propheticis & Apostolicis; negant etiam interpretationem pertinere ad impiam multitudinem & profanos, in externo cœtu comprehensos, sed tantum ad pios, quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* (3) Judicium Ecclesiæ deferunt de exortis in fide controversiis, expresse tamen statuunt, labi in hoc posse

Marginal notes: (6) *Demeritis operum quadam.* — (7) *De Ecclesia.* — *Lutheri ... sententia.* — (*) *Crucigeri de eo epistola.*

A. 1541. posse Concilia sive synodos, tam generales, quam provinciales, cum in his sint etiam impii, & pii quoque habeant suos lapsus : adducunt exemplum Synodi Sirmiensis. Pro *cap. XIV.* de Eucharistia substituerunt formulam *lit. B. fol. 733.* In hac contra transmutationem & transsubstantiationem quæ in libro asserebatur, ita scribunt Evangelici : *Non docemus, fieri transsubstantiationem, ut vocant, seu abjici substantiam panis, & sequimur multorum sanctorum patrum plana & perspicua testimonia.* Ab initio dixerant : *Fatemur, in cœna Domini vere & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi sumentibus.* De utilitate etiam Sacramenti aliter locuti sunt, quam autores libri. Ad *Articulum XV.* in quo confessio & enumeratio peccatorum lethalium exigebatur, monuerunt lit. C. *fol. 336.* allegato dicto *Prosperi*, suadendam esse, non imperandam confessionem, si peccata sint occulta, & docendum esse populum, quod remissio fiat propter Christum, non vero propter enumerationem. Pro eo vero, quod in libro poscebatur, ut quilibet ad minimum semel quotannis confiteretur, pertinere dicunt ad officium pastorum, ut certis temporibus audiant plebem, & interrogent singulos de sua fide, & de moribus admoneant, quæ idonea videantur ætati. Hæc notari merentur adversus nescio quas difficultates, quas non solum auditores, sed & pastores contra talia examina alicubi movent, quorum necessitatem in comitiis his tot Principum & civitatum nomine professi sunt Theologi. Ad ejusdem articuli *§. 3. fol. 737.* repetunt, absolvi contritos etiam ab iis peccatis, quæ in confessione omiserint aut ipsi ignorent, & ideo rejiciunt vocabulum in libro *legitime* ; statuebatur enim, absolutionem non proficere, nisi *legitime* confitentibus, id est, omnia singulatim enumerantibus. Deinde, ut jussi erant, sententiam suam adversus enumerationem particularem pluribus propugnant : Respondent ad objectionem, quod sublata enumeratione laxetur disciplina : Ingens enim discrimen esse dicunt inter ea, quæ ad externam disciplinam, & quæ ad spiritualia certamina conscientiæ, luctantis cum ira Dei, spectent : externa recte curari acri elencho, excommunicatione, itemque explicatione fidei a singulis exacta, & castigatione malorum morum, deinde etiam pœnis civilibus : aliquid etiam conferre confessionem privatam, & absolutionem ab Evangelicis retentam ; sed ad internam mentis quietem sufficere confessionem delictorum generalem, nec exigi debere enumerationem sive omnium sive quorundam, multoque minus admittendum, quod huc usque docuerint Pontificii, enumerationem esse meritum remissionis, inde enim nasci perpetuam dubitationem, qua fides extinguatur : Jubent igitur eos, qui disciplinam urgent, respicere ad paria pericula piarum conscientiarum. Laudant inde ritum Ecclesiarum Evangelicarum, sperantque, si eum viderent adversarii, futuros esse placatiores. *Nemo*, ajunt, *admittitur ad communionem, nisi prius exploratus & absolutus sit a Pastore seu Diacono, in eo colloquio multi petunt consilia de certis casibus, multi erudiuntur : & singulis Dominicis magna est frequentia confitentium. Si qui sunt male morati, arcentur a communione, & Pastor admonet Magistratus sui officii. Si quis profanus nollet accedere ad communionem, admonitus, cum non obtemperat, vituperatur in publica concione, & habetur tanquam excommunicatus.* De traditionibus, quæ opponebantur, Pauli dictum allegant, qui dicit eas *habere speciem sapientiæ* : Addunt, *quosdam fortassis non propter disciplinam, sed propter suas utilitates defendere hoc regnum confessionum, quod auget autoritatem Ordinis & locupletat monachos.* Quæ sequuntur ex ipso libro petenda sunt, lectu dignissima. Summa est, non esse addendam gratuitæ remissioni peccatorum ullam rem tanquam necessariam, sine mandato Dei, nec meritum inde fingi, multoque minus admitti debere, quod inducat dubitationem de fide. Negant sequi, quod absolutionem præcedere debeat cognitio specialis, ministerio enim Ecclesiastico impertiri vocem & solatium Evangelii, sicut alia sacramenta, absolutionem petentibus, & male confundi censuram delictorum publicorum cum absolutione sacerdotali & conscientiarum consolatione. Dictum *Jacobi V. 16.* pertinere dicunt ad conciliationem inter discordes; dictum Christi, *ostendite vos sacerdotibus*, laudem esse ministerii, non futilium recitationum humanarum. Ad oppositum consensum Patrum respondent, eos plurimum loqui de pœnitentia publica, legendos præterea esse cum judicio, inprimis *Cyprianum*, qui statuere videatur, absolutionem non valere, nisi pœnæ etiam sustineantur : Allegant in contrarium *Chrysostomum*, *Gratianum* & recentiores. *Catholicus consensus*, scribunt, *non est æstimandus ex testimoniis truncatis ullius patris, & fides niti debet verbo Dei, non humanis testimoniis.* Synodum Lateranensem parum morantur, citant dictum Pauli *Gal. I. 8.* & quod non liceat Ecclesiam onerare traditionibus, quæ habeantur pro cultu aut merito. Addunt vulgatum illud, quod *Ecclesia non judicet de occultis*, ergo, dicunt, nec mandat, ut occulta revelentur, multo minus enumerationem requirit, ut possit indici mulcta. Provocant ad apologiam Augustanæ confessionis, qua doctrina integra de pœnitentia vere, pie & fideliter explicata & illustrata sit, quo Deo gratum officium piisque Angelis jucundum exhibitum esse credunt, quibus lætitiam parit vera hominum pœnitentia. Ad idem caput d. 17. Maji exhibent sententiam suam de satisfactionibus *fol. 742. & seq.* Originem earum deducunt ab invento Episcoporum, pro acuenda disciplina, secutos esse ajunt abusus & commentitias pœnas purgatorii minime necessarias, cum Deus veras immittat, territis conscientiis, & afflictionibus externis, ad humiliandos peccatores: Has vero neque imponi neque remitti posse ab Ecclesia, sed hujus esse, ut doceat fructus pœnitentiæ, qui sequi debent conversionem, & ut peccatores manifestos publice castiget, quod fieri dicit in cœtibus Evangelicorum v. g. cum recipiuntur Anabaptistæ aut homicidæ. Nolunt tamen, ut restituantur veteres ritus pœnitentiæ, illo tempore ab Episcopis introducti, quo magistratus pagani quædam vitia v. g. fornicationis non

(8) *De Eucharistia.*

(9) *De confessione & absolutione.*

(10) *De satisfactionibus.*

A. 1541.

A. 1541. non puniebant. Ad *cap. XIX.* de hierarchia Ecclesiæ *d. l. fol. 744. lit. E.* Pastorum officium consistere dicunt in docendo Evangelio & administrandis Sacramentis, itemque in excommunicatione enormiter peccantium in doctrina vel moribus, & cum hoc officium ex æquo omnibus incumbat, ideo uniri omnes eodem officii vinculo sub capite Christo; Episcopos propter utilitatem electos esse, ut curam aliorum susciperent, ad vitanda dissidia & schismata; eodem pertinere reliquos gradus Archiepiscoporum & Patriarcharum,: Prodesse hos ad convocandas Synodos, & constituenda judicia de controversiis doctrinæ & emendatione vitiorum, atque tollenda scandala, nec non ad condendas leges, ut omnia fiant ordine & decenter, sed absque cultus & meriti necessitate, nec ut æquivalere statuantur præceptis a Deo cultibus. Diserte hic profitentur, se Pontificibus & Episcopis, qui piæ doctrinæ adversantur, autoritatem tribuere non posse. *Cap. XX.* de cultu sanctorum ita sentiunt autores libri, quod ex communi & recepto usu Ecclesiæ pie oretur Deus, ut Sanctorum meritis & donis moveatur ad auxilia sua impertienda; agnoscunt quidem, merita Sanctorum non ex se, sed per Christum valere, cujus gratia etiam illi servati sint, addunt tamen, religiosa quadam pietate etiam directo invocari posse, & animi quodam ardore, (extra missam tamen,) & ut tota fiducia in Christum reponatur, omnis boni autorem. Hæc omnia rejiciunt Evangelici *lit. F. fol. 746.* quia unus constitutus est mediator, cujus officium obscurari non debet cultu Sanctorum, in verbo Dei non præscripto, multo minus Sanctis tribui posse omniscientiam, qua vota singulorum audiant, id enim soli Deo competere; explodunt sophisma, quo defendi opinio opposita solet. Ad *idem cap. XX.* in quo Missa dicitur actio omnium sacrarum sanctissima, publicum Ecclesiæ ministerium & sacrificium repræsentativum, *Lit. G. fol. 746. & seq.* reponunt, sacrificium Christi applicari piis per fidem, & per hanc quoque in Sacramento, cum hoc exhibeatur, & recordatio fiat Christi, precesque fundantur; hoc a veteribus vocatum fuisse sacrificium, scilicet laudis & actionum gratiæ sive Eucharisticum, non vero, quod actio illa sit pretium pro peccatis, aut ut remissionem ullam mereatur aliis, vivis aut mortuis, illos enim sua fide vivere, hos aliorum fide non juvari. Cum vero *articulo XXI.* pro singulari conciliationis medio consilium in libro subjunctum esset, quod *Julius Pflugius & Johannes Gropperus* (ægrotante tunc Eccio) in margine *fol. 724.* Cæsari & Ordinibus expendendum deferebant, nempe ut apud Protestantes Missæ celebrari non deberent, nisi adessent communicantes, & ut communione sub utraque uti illis liceat, modo non damnent eam, quæ fit sub una; porro, ut Missæ celebrentur lingua populari, & ritualia antiqua revideantur, & ubi opus est, corrigantur. Evangelicorum sententia *lit. H. fol. 747.* ita exponitur, ut mutari debeat abusus Missæ, quod creditur applicari ipso opere operato vivis & mortuis, & quod plus prosint multæ, quam paucæ, aut una: Hæc enim negant a Christo instituta esse, qui nec obtulerit nec offerri jusserit, igitur rejici debere canonem Missæ, in quo dicitur *oblatio fieri pro vivis & mortuis.* Communionem sub utraque requirunt, ut necessariam, neque enim conscientiam acquiescere posse, si altera species omittatur. De ritibus non disputant, & concordiam in illis secuturam esse putant, si verus doctrinæ consensus stabiliatur. Non damnant eos, qui nondum satis instructi & tamen dociles sint, sed persecutores & contrarium dogma defendentes. Etiam Ecclesiam superioris ætatis non damnant, ob omissam alteram speciem, quia Deus, teste Paulo, condonat stipulas fundamento superstructas, dum hoc teneatur: sed in abusu Missarum & cultu sanctorum plus vitii fuisse dicunt, multisque exitium illatum, ut & per legem de cœlibatu & superstitionibus monasticis; patefactos igitur jam abusus emendandos, non defendendos esse. Denique, cum autores libri de conjugio clericorum veteres canones eosque varios recitassent *cap. XXII.* fassi tandem, recentiores veteribus rigidiores fuisse, neque repugnarent, si aliquid relaxaretur, Evangelici *lit. J. fol. 749.* ad scripta sua provocant, quibus ostenderint, præceptum de cœlibatu pugnare cum jure divino & naturali, item quæ contra vota monastica scripserint; repetunt tamen summatim argumenta pro legitimo sacerdotum conjugio; addunt monitum de alendis ex reditibus monasteriorum Pastoribus. Hæc sunt, de quibus in Comitiis his disputatum est, quæ iniquis censuris *Maimburgius* exagitat, *Pallavicinum* secutus. Immodestior *Surius*, qui *Sleidanum* proterve criminatur, ut mendacem vanissimum & perniciosissimum, qui tamen nihil omnino, nisi fide actorum, retulit. Idem *Surius* collocutores Evangelicos contemnit, ut Grammaticos frigido & inepto scommate; Cæsar sane pari laude illos cum Catholicis dignatus est, & qui acta legent, deprehendent, vere Theologos fuisse. Sed difficile foret Eccium multosque alios a Sophimatum studio liberare. Legatur insignis dissertatio *Melanchthonis* hoc anno scripta de odio sophistices. *Part. I. collect. Pez. p. 438.* A. 1541.

(11) *De ministerio & regimine Ecclesiæ.*

(12) *De cultu sanctorum.*

(13) *De Missa.*

(14) *De conjugio Clericorum.*

§. LXXXVIII.

Cum de reliquis Comitiorum actis luculenter & diligentissime scripserit *Sleidanus*, nec spernenda sit *Melanchthonis* relatio *d. P. I. collect. Pezel. p. 445. sqq.* ex quibus corrigi maligne relata a *Maimburgio*, & suppleri omissa possunt, satius esse duco, ut ab illorum repetitione abstineam, & persequar minus vulgata, ex scriptis Principum & Legatorum, ut & Lutheri, ex quibus de consiliis & gestis judicium ferri potest. Elector Saxo, publicata jam propositione, & cœpto colloquio d. 13. Maji, Legatis suis scribens, vereri se dicit, ut Cæsari serio proposita sit bona & solida Ecclesiæ reformatio: facilius credit, id eum agere, ut Papam & Clerum coerceat, & ad disciplinam redigat, imminutis opibus; (daß er Pabst und Geistliche in ein züchtiger und enger wesen bringe /) non vero, ut vicariatum Christi & supremam potestatem, quam sibi arrogant Pontifices, abroget, aut dogmatum errores corrigat; permissurum etiam, ut Pontifex in Concilio præsideat,

(1) *Electoris Saxoniæ rescripta ad Legatos de consiliis Cæsaris.*

sideat,

A. 1541.

fideat, licet id Protestantes nequeant admittere: Pacis conditionem postulaturum illum esse, ut Norimbergæ & Suinfurti anno 1532. fecerit, ut Episcopi cum Clero suo manerent, quales fuissent. Agnoscit, Dei providentia factum esse, ut irrita fuerint pacta *Cadani* & *Viennæ*, & adhuc duret lis cum Ferdinando de electione, qua factum sit, ut liberius pro causa religionis agere huc usque potuerit. Addit alia ejusmodi, & paratum se etiam dicit ad transigendum cum omnibus in causis politicis, etiam cum Brunsuicensi, si se purgare posit a crimine procurati incendii (des Mordbrennens/) quanquam arctam & familiarem amicitiam cum eo nunquam sit initurus. De Episcopis scribit, se nolle illis leges præscribere, quid in suis territoriis in causa religionis statuere velint, auxilia tamen civitatibus & Proceribus ex nobilitate, religionis puritatem appetentibus, qui Episcopis subjecti erant, certisque privilegiis muniti, non denegaturum. Aliis rescriptis *Melanchthonem* moneri jubet, ne alia profiteatur, quam quæ Lutherus & ipse huc usque docuerint, & ne quidquam pro concluso & transacto habeatur, nisi ab Ordinibus utrinque prius examinetur, & de eo conveniatur, ideoque protestationem interponi vult adversus formulam de justificatione, ne videatur agnita esse. Cum interea Legati retulissent, in articulo de Sacramento Eucharistico aliam formulam libro oppositam; & Germanice *Friderico Palatino*, colloquii Præsidi primario, Latine vero *Granvellano* exhibitam, sed ab hoc cum commotione rejectam fuisse; respondit Elector d. 15. Maj. sibi hoc placere, ut de mente Granvellani tanto apertius extet indicium. Legati d. 14. Maji laudarunt *Johannem Pistorium* Pastorem Niddanum tertium inter collocutores Evangelicos, ut virum pium, candidum & constantem (sey ein frommm/aufrichtig und beständig Männlein) & consentire cum *Melanchthone*, cujus constantiam prædicant; *Bucerum* dicunt mussitare, (er rede mit halbem munde/) neque tamen ausurum, ut cederet. Comprobavit hoc judicium Elector d. 22. Maj. Eodem tempore *Melanchthon* apud Cæsarem delatus fuit, quod nimis rigide contradiceret, præsertim in articulo de confessione, ita ut libello supplici ad Cæsarem dato sese excusaverit, qui extat *part. I. collect. Pez. p. 453. & Lib. II. Ep. I.* Iratus etiam fuit Cæsar *Amsdorffio*, qui, in hospitio Saxonico Dominica Jubilate concionatus, inter alia dixerat, *diversum esse judicium Dei & Cæsaris:* id vero invidiosius relatum erat, accipere tamen excusationem Cæsar visus est, & vocatis ad se d. 18. Maji Legatis Saxonicis exposuit, se, quicquid ille concionatus sit, optima tamen in causa religionis intentione esse, & reformationem cum Ordinibus suscepturum, velit aut nolit Papa; se verbo Dei Veteris & Novi Testamenti insistere, quæri saltem de interpretatione & sensu, qui verus esse non possit, nisi unus sit; delectos esse Theologos ab utraque parte excellentes, (fürtreffliche) quanquam præjudicare non debeant illorum dicta, (es sey alles unverbündlich) donec a se & Ordinibus approbentur: Si vetus diruatur ædificium, quædam tamen tigna & cæmenta usum præbere; ita in reformatione rejiciendos non esse omnes veteres ritus: Improbavit, quod ad collocutores Evangelicos quotidie XVII. vel XVIII. alii Theologi itarent. Hæc & alia in *Archivo* consignata extant, una cum responso Legatorum, quo Cæsari gratias pro benigna illa allocutione egerunt, &, quæ illi displicere videbantur, excusarunt, inprimis quod de Theologis ad collocutores euntibus dixerat, hoc enim bono fine fieri ajebant, & ad concordiam prodesse. Biduo ante d. 16. Maj. Landgravium quoque allocutus hortatusque erat Cæsar, ne præcipitanter abrumperetur tractatus; (man soll nicht so kurtz aufstossen:) questus deinde fuerat, *Melanchthonem* a Luthero instrui, & ab aliis instigari, ad duritiem & vehementiam; multa scripsisse Evangelicos, quæ jam mordicus tenere & nihil remittere velint, veritatis tamen potiorem rationem habendam esse. Ad ea respondit Landgravius, se ab initio nullam de successu spem habuisse, aliquam postea, cum de quibusdam articulis consensisse viderentur collocutores; at nunc in præcipuis, maxime vero de sacra Cœna & de conjugio sacerdotum, acriter repugnare Catholicos. Quæ de Lutheri instructione Cæsar dixerat, excusavit Landgravius, & se existimare dixit, Lutherum, si adesset, concordiam promoturum esse. Idem Melanchthon in exculpatione ad Cæsarem scripsit, supra allegata. Inde Cæsar Landgravium melius sperare de concordia jussit, statuebat tamen, reformationem fieri non posse, Cleri scilicet, nisi de dogmatibus prius consensus ineatur: Sed fefellit sagacissimum licet Cæsaris animum calliditas Pontificis & ejus satellitum, qui difficillimam & desperatam faciebant conciliationem in dogmatibus, non quod per se talis esset, sed ut hoc prætextu suorum defectuum reformationem differrent & eluderent, quamdiu nempe, qui illam postulabant, de hæresi accusari possent. Videbant utique, si Proceres utriusque partis de dogmatibus consentirent, & sic Protestantes a falsa hæresis imputatione liberarentur, nihil certius futurum esse, quam ut junctis consiliis & viribus leges Clero ponerent. *Navius* Cæsaris mentem in sermone familiari cum Legatis ita explicabat, ut diceret, nolle eum quidquam detrahi Evangelio, quod commune bonum esset omnium Christianorum, neque disputationem admittere, ubi clara essent Evangelii verba, colloquia itaque tantum requiri in dubiis. Elector, intellectis benignis illis oblationibus, in Rescripto d. 28. Maj. diffidentiam suam aperuit, timere se dicens, ne, quod minis Augustæ fieri non potuerit, nunc blanditiis obtineatur: anceps esse negotium, & fraudem satis apparere, inter alia ex hoc, quod collocutores Evangelici a communicatione cum suis deterreantur, cum Catholici nihil agant sine præscitu & consensu Legati Pontificii: Si a parte Evangelica aliquid circa dogmata cedatur & remittatur, tunc clamaturos esse adversarios, constantia & solida non docuisse Evangelicos: Optat speratque finem colloquii, cum nulla emendatio aut pœnitentia adversæ partis appareat, omniaque astute & captiose agantur: Persistit in mandato, ut articulus de justificatione pro transacto non habeatur, nisi de omnibus aliis simul conveniri possit: exitum talem conjicit, qui etiam paulo post

(2) *Item de Melanchthone.*

(3) *Legatorum de illo & aliis Theologis, ut & actus cum Cæsare relatio.*

(4) *De Landgravio quædam.*

(5) *Item de Cæsare & Navio.*

(6) *Electoris nova sollicitudo.*

A. 1541.

post secutus est, ut omnia ad Pontificem & Concilium ab illo indicendum rejiciantur. Claudit literas gravissimis verbis: Weil wir leben/so sollen/durch verleihung des Allmächtigen/die worte von vergleichung der Religionen bey uns/unserer person halben/nicht statt finden/sondern wollen es dahin stellen/und dabey bleiben/wer sie vergleichen wolle/der vergleiche sich mit Gott und seinem Wort/und nehme dasselbige und diese Lehre an/wie wir und andere dieses theils auch gethan haben. Wer mit flickwerck umgehen will/der fahre hin! id est: *Quoad vixero, locum apud me, & quantum in me erit, Deo juvante, non habebunt propositiones de concilianda religione; constanter statuo, qui conciliationem quærit, id agere debere, ut cum Deo & verbo ejus concilietur, & hoc doctrinamque Evangelicam accipiat, ut nos & alii fecimus, mittamus illos qui consarcinationes quærunt.* Reprehendit nempe illos, qui, de veritate licet satis convicti, alios tamen respiciant, neque soli aut suo periculo profiteri eam velint. Addit, se jam Francofurti ante biennium hunc rerum exitum prævidisse; lætatur de constantia *Melanchthonis*, & ad illam perpetuo tenendam divinum illi apprecatur auxilium. De *Amsdorffio* scribit: etsi concionatus esset, quæ Cæsari relata fuerant, nihil tamen dictum ab illo fuisse, quod verum non esset. Legati d. 24. Maji retulerunt, finitum esse ante biduum examen libri collocutoribus propositi: Catholicos agnovisse crassos abusus (grobe mißbräuche) in cultu sanctorum, & quod legitima probandaque sit communio sub utraque; optasse, ut Missæ non celebrarentur, nisi cum adessent communicantes; putasse tamen, corrigi posse usum privatarum, si applicatio pro aliis ex opere operato cessaret; conjugium sacerdotum pro indifferenti habuisse, & reformationes monasteriorum necessarias judicasse. Paulo post d. 26. Maji ab Electore petunt designationem abusuum Ecclesiæ Romanæ, quam postulasse a se dicebant *Granvellanum*; indicant simul, oblatas esse a collocutoribus Evangelicis d. 24. & 25. Maj. sententias sive annotationes novem, de quibus supra dictum est. Elector in Rescripto d. 2. Jun. graviter questus est de consiliis adversariorum, quibus impediatur doctrina Christiana, doctores ad silentium adigantur, populo vero via ad salutem præcludatur; eo tamen se animo esse testatur, ut hanc promoturus pro viribus sit, etsi nunquam pacem sperare posset. Rejecit acriter petitam abusuum designationem, quæ non nisi dolose fieret, indicatos esse Wormatiæ plus quam quadringentos, maximos vero ipsi doctrinæ inhærere: Episcoporum esse, ut ipsi illos inquirerent; se & alios Evangelicos, excusso dominatu Episcopali, Ecclesias suas ab abusibus jam purgasse; corrupta doctrina sequi etiam corruptos ritus: Pontificios nil nisi fucatam emendationem agitare, surculos quosdam ab arbore mala rescindere, ut tanto firmior maneret tota. Se dubitare non posse, vane prætendi ab adversariis religionis & salutis nomen, omniaque callide agi.

(7) *Relatio de fine colloquii, & de abusuum designatione postulata.*

(8) *Electoris responsum.*

Eodem tempore nescio quæ spes nasci visa fuit in Comitiis de concordia, inter partes circa religionem ineunda; referunt enim Legati, licet *Moguntinus*, *Bavari*, & *Brunsuicensis* lætarentur, si tractatus abrumperentur, & satis appareret, in colloquio hoc plures controversias exortas esse, quam Augustæ, plurimos tamen meliora cupere & sperare, & Landgravium pacis causa formulam articuli de justificatione probare, existimantem, sensum & substantiam Augustanæ confessionis conservari, & differentiam non nisi in verbis esse; *Fridericum* vero *Palatinum* retulisse, quod Cæsar iterum præsentiam Electoris desideraret, & cum ex *Friderico* intellexisset, spem esse de concordia, erexisse se in lecto (decumbebat enim ex morbo podagrico) & manu pectus *Friderici* tetigisse, dicentem, hunc sibi acceptissimum, charissimumque nuncium esse. (es sey ihm eine angenehme und liebe bothschafft) Addunt, eundem Principem *Fridericum* agnovisse, aberratum fuisse a scopo, quod loco Augustanæ confessionis, de qua colloquium haberi debuerit, liber ille fuisset propositus, incertum, cujus consilio aut quo fine. Sive igitur ex spe illa, sive ex iis quæ Cæsari a Landgravio dicta, & a *Melanchthone*, ut supra notavi, scripta erant, quod *Lutherus* ad pacem & concordiam propenderet, captum est ab *Electore Brandenburgico* & agnato ejus *Marchione Georgio*, (præscitu, ut dubitari non potest, Cæsaris) consilium de mittenda ad Lutherum legatione. Suscepit illam *Johannes Princeps Anhaltinus*, cui Elector Brandenburgicus addidit *Matthiam a Schulenburg*, Consiliarium, & *Alesium Scotum*, Theologum. Significarunt hoc Legati Electori d. 1. Jun. petentes, ut Lutherum ea de re certiorem faciat & præparet. Respondit d. 7. Jun. non sine querela de Electore Brandenburgico, quem putabat nimis indulgere aut fidere alteri parti, magis vero de *Johanne Anhaltino*, qui Augustanæ confessioni & fœderi Smalcaldico dudum accesserat; scribit autem se Luthero rem indicasse, & confidere, honeste & pie responsurum illum esse Legatis. (er werde ihnen eine Christliche und erbare antwort geben) Improbat eorum consilia, qui religionem & pacem externam pari pretio haberent, & connectere vellent, cum tamen hæc illi, si aliter fieri non posit, cedere debeat; ita futurum esse, ut vetus superstitio retineatur, & subditi Principum, quibus nulla religionis cura esset, a veritatis doctrina impediti, in erroribus priscis hærerent. Eundem illis scopum in tractatu pacis anno 1532. fuisse, sed se nunc non magis, quam tunc cessurum esse. Aperte denique profitetur, etiamsi, quod non speret, permissione Dei cadat Lutherus, & in articulis cedat, se tamen ei minime esse assensurum. (wenn Gott D. Martinum schon fallen liesse / daß er solche articul zulassen wolte / dafür ihn Gott behüten wolle und wird / so willigen wir doch nicht drein.) Eodem, quo ista scripserat, die, Legati, quos dixi, Wittenbergam venerunt, aderatque fratri *Johanni* Principi *Georgius* Anhaltinus sæpe laudatus, Præpositus Magdeburgensis, Luthero charissimus. Accurrit ipse Elector Wittenbergam Torgavia, & excepit Principes & quos secum habebant. Inter illos & Lutherum actum est d. 10. Jun. Proposuerunt nomine *Electoris Brandenburgici* & Marchionis *Georgii Onoldsbacensis*, benignam saluta-

(9) *Nova spes concordiæ.*

A. 1541.

(10) *Legatio ad Lutherum ex Comitiis.*

A. 1541.

salutationem, & laudabile Cæsaris de concordia in religione studium, concordatum esse inter collocutores in articulo de justificatione, & cæteris quibusdam; in aliquibus vero conveniri non potuisse, & ab Evangelicis exhibitas esse formulas, Luthero, ut putabant, jam notas: petunt deinde nomine *Electoris Brandenburgici*, item *Marchionis Georgii*, quoniam Lutherus ex gratia & illuminatione Dei primus doctrinam in lucem reduxerit, ut nunc ipse quoque ante omnes operam præstet ad invenienda Christianæ concordiæ media, qua futurum sit, ut salvifica doctrina, inprimis articulus de justificatione, latissime propagetur & inde necessario secutura sit abusuum cæterorum correctio: concordia vero non constituta, multa pericula timenda esse dicunt, neque Turcis, de quorum immanitate multa loquebantur, resisti posse. Quod si non omnia nunc componi possint, tolerantiæ tamen ex charitate locum esse procurandum, ut ferantur, qui nondum satis sunt instructi, exemplo Ecclesiæ Veteris & novi Testamenti. Excusabant Cæsarem, quod non omnes abusus abrogare protinus posset apud suos, quod nondum essent convicti, nec obsequium præstituri; inita vero concordia aut tolerantia progressurum esse ad abusuum abolitionem: Venetos quoque eventum hunc expectare & sic propagationem doctrinæ maximam sperari posse: Lutherum ipsum ante hac statuisse, sit caput doctrinæ de justificatione purum & liberum constituatur & communio sub utraque populo permittatur, cæteros articulos tolerari posse; rogant igitur, ut cum Electore Brandenburgico & cæteris, qui fideliter & sincere agant, consilium & operam jungat, ut articuli, de quibus conventum esse dicebant, tenerentur, reliqui commoda quadam ratione suspendantur & differantur; id si non fiat, fore, ut comitia sine fructu dissolvantur, plurimorum cum terrore, nec sine periculo turbarum in imperio & dissidiorum inter ipsos Evangelicos. Denique ab ipso poscunt consilia & media, quibus articuli controversi præscindi aut componi possint quatenus liceat, salvo verbo Dei, & sine scandalo. Quæ ad hæc in colloquio oretenus responderit Lutherus, neque consignata in *Archivo* reperio, neque in Electoris Rescripto d. 14. Jun. Ratisbonam dato relata, addidit enim tantum misitque legatis scriptum Lutheri d. 12. Jun. Principibus Anhaltinis exhibitum, quod extat una cum propositione illorum *Tom. VII. Alt. fol. 482. & seqq.* In hoc decentibus verbis celebrat intentionem Cæsaris in procuranda religionis concordia & pace publica, successum a Deo illi apprecatus, suum quoque ad utrumque finem studium & preces testatur, idemque laudat in Principibus, qui veritatem non tantum verbis profiteantur, sed & contumelias & damna, per incendiarios passim illata, patiantur, quiescant tamen & ab ultione abstineant. Quod articuli quatuor ad concordiam redacti sint, libenter se, ait, percipere, sed non nisi unam formulam de justificatione vidisse: Repetit deinde, quæ nudius tertius dixerit, inter partes fieri non posse concordiam, quamcunque etiam autoritatem & industriam adhibeat Cæsar, nisi adversarii sincere agant, & concordare velint cum Deo & veritate: At illos illudere Cæsari: si enim in quatuor articulis cesserint, in reliquis quoque decem non posse non cedere, quia illi, ipso effectu & per bonam consequentiam, ex quatuor concordatis, & inprimis ex articulo de justificatione, decidantur & damnentur; cum igitur in his persistant, satis indicare, quod quatuor priores servandi animum non habeant. Deinde in ipso articulo de justificatione desiderat & improbat, quod immixtum sit liberum arbitrium, & dictum Pauli *Gal. V.* quod illi ita intelligant, ut charitas quoque ad justificationem requiratur, cum tamen Paulus non dicat, *fides per charitatem justificat*, sed *operatur aut efficax est*. Consilium vero, quod a se peteretur, aperire se posse negat, cum non viderit articulos ab altera parte conscriptos, sed tantum, quæ Evangelici illis opposuerint; Hæc sibi omnino placere, & esse verissima: Utut igitur in quatuor articulis convenerint, incassum laborari a Cæsare, nisi etiam concordes fiant in decem reliquis, esse enim inter hos, qui primo Decalogi præcepto manifeste adversentur, nulloque modo admitti possint. Ad tolerantiam sufficientem causam se non videre, cum non deprehendatur infirmitas, neque in magistratibus neque in Clero seu ministerio Ecclesiæ, sed potius manifesta sævitia & tyrannis, in qua illi sint perseveraturi, si articulos controversos retineant, & populo vi obtrusuri, meliora licet edocto. Tolerari posse concedit inter adversarios, qui ex infirmitate verbum Dei nondum audiverint, una communionis specie contenti sint, & ad enumerationem delictorum in confessione obstrictos se esse credant; sed hos infirmos non futuros esse robustos, nisi quatuor illi articuli, de quibus conventum esse dicebatur, publice proponantur, maxime ille, qui agit de justificatione: Si Cæsar edixerit, ut hi libere & pure prædicentur, & pro veris & Christianis agnoscantur, tunc reliquos decem venena sua esse amissuros, & docentes atque audientes, quotidiana purorum illorum articulorum tractatione, ad deserendos decem reliquos ultro perventuros esse; hoc accidisse in pro[illegible]ciis Evangelicorum: Sic secundum Pauli p[illegible]ptum *infirmos in fide suscipi*. Infantes macu[illegible]tos abjici quidem non debere, attamen balneo puro lavandos esse, id est, prædicatione purorum articulorum, qui admixtis leprosis inquinari non debeant: Sic Christum tolerasse Apostolos, crassissime errantes, ipsi tamen adhærentes, & quotidianam purgationem & instructionem admittentes. E contrario si articuli puri non proponantur ab idoneis, etiam in cœtu Pontificio, doctoribus, fore, ut tolerantia in perpetuam transeat duritiem, & populus instructione privetur, *quomodo enim audient sine prædicante Rom. X.* & sic nunquam secuturam esse concordiam Christianam: Permissa vero quatuor articulorum prædicatione, Cæsarem, reliquorum decem ratione, edictum cum convenienti clausula publicare posse, in quo spes ostendatur, fore, ut, etsi de his concordari nunc non potuerit, concordia tamen de reliquis ex ipsis concionibus sit secutura. Addit, si non obtineatur, ut conciones de se,

(11) *Responsum Lutheri.*

A. 1541.

A. 1541.

quatuor articulis fieri possint, tunc manifestum esse, quod concordiam non cupiant adversarii, neque tolerantiam admitti posse: Cæterum, cum colloquium ea conditione habitum sit, ut de actis inter sex collocutores relatio ad Ordines fiat, & hoc etiam Evangelicis placeat, sibi non licere, ut ab eorum decreto & sententia sese separet. Hæc de legatione illa, de qua scriptores nihil memorant, nisi quod d. *Tomo VII.* Legatorum postulata, & responsum Lutheri, inserta sunt, referri meruerunt, cum vix illustrius actorum Lutheri exemplum occurrat, ex quo tot ejus virtutes testimonium accipiant. *Modestiam* styli nemo desiderabit. *Prudentia* elucet, cum nihil petiit aut suasit, quam quod æquissimum erat. Et ipsi Cæsari, tum collegio Electorali, multisque Principibus, & plerisque ex civitatibus, Catholicis etiam, teste Pallavicino, placuit, nec nisi artibus Pontificiis, & Episcoporum, qui numero suffragiorum prævaluerunt, renitentia, impeditum est, quo minus edicto promulgaretur, nempe ut articuli, de quibus conventum erat, ab omnibus agnoscerentur, & publice pro concione proponerentur. Hoc utique pium & conscientiæ conveniens erat; Error enim vel in uno articulo deprehensus absque mora corrigi debet, licet de aliis nondum constet, dilatio enim absque periculo animæ fieri non potest. *Constantiam* vero Lutheri nemo non laudabit, qui consideraverit, non minoris animi esse, blandimentis, quam minis resistere: Spreverat has Lutherus Augustæ apud Cajetanum, & Wormatiæ coram Cæsare totoque Ordinum Imperii consessu: Jam vero tentabatur a Proceribus, unam secum religionem profitentibus, qui etsi Legationem bona mente suscepissent, calliditati tamen adversariorum succubuissent, si Lutherus in articulis controversis cessisset, & palliatas conciliationes acceptasset, quod post ejus mortem anno 1548. factum est tanto Procerum & Theologorum numero, *edictum Carolinum*, quod a libro Ratisbonensi parum discrepabat, recipientium.

(1) *Epicrisis de hac legatione.*

§. LXXXIX.

(1) *Electoris mandatum ad Burcardum Cancellarium.*

Confirmatus Elector Lutheri constantia & sapienti consilio, in literis supra allegatis d. 14. Jun. *Burcardum* Cancellarium increpavit, quod Landgravio formulam articuli de justificatione inconsulte probanti, & assentientibus illi non minus incaute Evangelicis reliquis, non illico & palam contradixisset, jussitque, ut id adhuc faceret, & cum cæteris Collegis præcaveret, ne in ullo articulo ulterior fieret remissio; *Ego quoque*, ait, *non minus lubenter quam alii stabilitam pacem in Germania cernere velim; sed illius causa non admittam, quod Deo & conscientiæ adversatur, & Deus me ab hoc peccato gratia sua immunem servabit: talis pax pœna esset divina, & initium discordiæ irreconciliabilis.* Purgat se postea a suspicione, quam a Cæsare contra se foveri, quidam ex Legatis Ratisbonensibus Luthero familiariter significaverat, nempe quod auxilia adversus Turcos detrectaret & impediret: Constare ait, se plus quam alios antehac præstitisse, idque etiam in posterum facturum, neque tamen passurum, ut ad impiam transactionem inducatur: Nocere Cæsari rigorosa edicta, quibus antea Evangelicos perculerit, horum animos illum a se alienasse, neque tamen adversariis satisfecisse, cum exequi non posset, quæ edixerat: Jam quidem se non dubitare, quin pacem serio cupiat Cæsar, sed non æque certum esse, immo vehementer dubium, an sincere meditetur reformationem, cum nihil plane præstiterit in abrogatione abusuum manifestorum. Ex quatuor articulis, de quibus conventum esse dixerant, qui ad Lutherum missi fuerant, unam tantum formulam, nempe de justificatione, sibi missam esse scribit, quam tamen probare non possit: Laudat *Melanchthonem*, de cujus constantia Legati testati erant, & recte illum facere dicit, quod Deum potius, quam Magnates respiciat; (es sey besser / daß er auff Gott sehe / als auff die grossen häupter) Reperit fere eadem d. 21. Jun. iterumque urget, ut integra servent omnia, & a confessione Augustana minime recedant, neque quidquam acceptent, quo autoritas Pontificis agnoscatur; *me enim*, scribit, *sub jugum Antichristi nemo reducet, & adjutorem Deum mihi fore confido.* De Turcico bello monet, id proprie non pertinere ad causam Christianorum & Germaniæ, sed oriri ex lite inter Ferdinandum Austriacum, & defuncti Regis Johannis filium, utrumque esse Christianum, utrumque etiam Solymanni patrocinium quærere, & a Ferdinando gravius tributum oblatum esse Turcis, si deserant Johannis filium, itaque non agi de religione Christiana, sed de possessione regni, adeo ut non interfit Reipublicæ Christianæ, uter ex competitoribus duobus Christianis illud possideat, propterea tanti momenti non esse propositionem de illo bello, neque tamen se, salva pace interna, auxilia Ferdinando negaturum. Mandat denique, cum ex sententia Lutheri desperandum sit de concordia in religione, ut *Melanchthonem* domum remittant, absentiam enim ejus diuturnam Academiæ Wittenbergensi noxiam esse, nullumque finem tractandi tentandique fore, donec ille discesserit; sequi postea etiam *Amsdorffium* & *Crucigerum* debere.

(2) *Speciatim de bello Turcico.*

Interea liber, de quo collocutores tractaverant, & qui Cæsari per Granvellanum redditus erat, nec ab hoc eo usque describendi copia impetrari potuerat, ex Cancellaria Moguntina, ut fieri solet, dictatus scribis Ordinum fuit, & novum conciliationis schema *Elector Brandenburgicus* d. 11. Jun. proposuit, quod in *Archivo* extat, plenum variis circumlocutionibus & emollitionibus v. g. *conciliis jus esse decidendi de controversiis fidei, sed secundum Scripturas:* Hoc nemo negabat, sed quæstio erat de interpretatione Scripturæ, ejusque legibus & modo. De Pontifice dicebatur, *agnosci eum posse pro primario Patriarcha, si non persequeretur Evangelium:* Verum ille tam protervus non erat, ut Evangelium persequi se diceret, sed doctrinam Protestantium pro Evangelica non habebat. Confessiones & satisfactiones admittebantur, sed ut essent solatii, instructionis & medicinæ loco: Manebat interim coactio, & quicquid ad confessionum illud regnum pertinebat. Rejecerunt hoc inventum Saxonici cum reliquis, & ante alios *Melanchthon*, conclusumque fuit, ut relatione de actis collocutorum Cæsari jam facta, deliberatio & decretum Comitiale expectaretur. De tolerantia infirmorum, quæ in nova illa conciliationis forma speciose commendabatur, respondit *Melanchthon*, infirmos non esse autores libri, qui

(3) *Nova de concordia tractatio sine effectu.*

A. 1541.

(4) Lutheri de libro Ratisbonensi responsio.

crassos & manifestos errores in eo defenderint. Pervenit postea libri Cæsarei sæpe dicti exemplum ad Electorem, & ab hoc Luthero missum est. Respondit hic d. 24. Jun. brevi epistola, quæ extat *Tom.VII. Alt. fol. 486.* in qua, ut alibi notavi, agnoscit eundem esse, quem Elector Brandenburgicus sibi ostendisset. Addit, sua nihil referre, quæ fuerit Cæsaris aut Electoris Brandenburgici de libro sententia aut intentio, in ipso vero libro nil nisi dolos & Angelicæ lucis simulationes & fucos esse; sed Deum decipi illis non posse. Laudat Theologorum suæ partis responsa, & speciatim Melanchthonem, quod in articulis de satisfactione & Missa optime retuderit Satanam. De Patriarchis, de quibus in novo conciliationis schemate actum erat, respondit proverbio Germanico, es ist der Schnee / der vorm Jahre gefallen / quasi dicat, *exoletas & inanes nugas esse: Patriarchæ enim*, inquit, *stabilem locum non habuerunt; Hierosolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus, cito oppressi sunt a Saracenis, nec Papa illos ferre potuit; hærent itaque in charta, & in usum reduci non possunt.*

(5) Electoris & Legatorum ejus scripta quædam.

Biduo post, d. 26. Jun. Elector Legatis significat, a Luthero ob tenuem valetudinem expectandum non esse, ut ad librum prolixe respondeat; probat, quod *Melanchthon* novas propositiones protinus rejecerit; suspicatur, illas a *Bucero* Electori Brandenburgico & Landgravio suggestas esse. De hoc tamen Principe scribunt Legati d. 21. Jun. quod Ratisbona discesserit, displicere sibi testatus Legationem ad Lutherum, asseverans etiam, se contra verbum Dei & conscientiam cedere aut aliquid remittere minime velle. Habita nihilominus alia inter Theologos de novo conciliationis invento deliberatio fuit d. 25. & 29. Jun. Ejus summam referunt Legati d. 30. Jun. scribuntque, *Melanchthonem* priori sententiæ suæ institisse, quod conciliationi lubricæ & consarcinatæ operam nollet impendere; (wolle zum flickwerck nicht helffen)

(6) De Bucero aliqua.

Bucerum, cum improbari a reliquis consilia sua videret, excusationem attulisse, quod spem habuerit, inter Pontificios eos, qui æquioris animi essent, attrahi posse concordiæ illis formulis & mediis; tandem vero post aliquas ambages professum esse, se cum fratribus suis (Argentoratenses innuit) Augustanam confessionem & apologiam retenturum, & Pontificis superioritatem agniturum non esse. Convenerunt in eo omnes, insistendum esse sententiis, quæ libro, novem illis schedis totidem literis ab A. usque signatis & supra relatis, oppositæ erant, neque tamen pro approbatis habenda reliqua libri capita, v. g. de Sacramentis, quæ dicuntur, *confirmationis* & *unctionis*: Fassi etiam sunt, articulos de quibus transactum esse videbatur, declaratione egere, neque prius pro concordatis & acceptatis agnosci aut proponi debere.

(7) Lutheri de conciliationibus sententia.

Lutherus eodem tempore d. 29. Jun. Electori mentem suam uberius explicavit *Tom.VII. Alt. fol. 487.* Præsupponit ab initio, quod semper a se assertum esse dicit tentamina conciliationis nil nisi versutias esse Moguntinas & Pontificias: Christum & serpentem concordari non posse, neque tamen sibi displicuisse, ut doctrina Evangelica in disputatione probe examinaretur & innotesceret, ut Augustæ factum erat. Suadet deinde, quoniam actio Ratisbonensis inter Theologos partium finem habuerit, & relatio ad Cæsarem & Ordines facta sit; ut revocentur *Melanchthon* & *Cruciger*, curandum autem, ut tutum iter habeant, se enim nec Moguntino nec Brunsuicensi fidere. Scribit præterea, si Cæsari, aut qui ejus nomen assumunt, serio proposita esset in religione concordia, faciendum id utique illis esse cum Deo, & in nomine Dei, sive (ait) ut clarius loquar (teutsch geredt) requiritur, ut ipsi prius cum Deo se concilient, & palam fateantur, erratum huc usque esse; Pontifices intra sex secula multas animarum myriades perdidisse; Imperatorem intra annos viginti plurimos pios igne, aqua & ferro sustulisse, aut, ut id fieret, edictis suis permisisse: *Deus*, inquit, *judex supremus, quamvis nos cum iis transigere velimus aut possemus, non tacebit; nec tacebit sanguis Abelis, & nos quoque condemnabit, si taceamus.* Addit, Electorem ipsum, ut hæreticum, damnatum, neque dum absolutum esse, infestari etiam immissis sicariis & incendiariis. Optimum ergo esse arbitratur, ut Elector per Legatos suos ad Augustanam confessionem & apologiam provocet, & in his perseveraturum se esse testetur, in cæteris causis, quæ ad corpus & opes pertinent, obsequentissimus sit. De Theologis adversæ partis statuit, illos Deo honorem exhibere & fateri debere, se huc usque non docuisse, quæ jactent; posse enim ex innumeris libris contrarii convinci, asseri enim in illis gratiam duplicem, nempe *gratis datam*, & *gratum facientem* sive justificantem, per hanc autem intelligi *charitatem*, quod negare illi non possint; hoc vero revocandum esse, nec occultandum vocabulo fidei efficacis per charitatem, & assertione liberi arbitrii, his enim non nisi fucum quæri, immo dolos & mendacia. Proponi itaque debere confessionem Augustanam, ut Hagenoæ fieri debuisset, & Wormatiæ cœptum esset, continuandum vero Ratisbonæ fuisset. De quatuor articulis acturum se quidem esse cum Collegis, modo sciat, quid de illis conventum sit, (nam nec illi constabat nec hodie certi aliquid ex Actis apparet) videri sibi tamen, Melanchthonem, vitandæ offensæ causa, in quibusdam molliorem fuisse; suggerit igitur Electori, ut dicat, *Lutheri* & *Pomerani* quoque sententias audiendas esse, & ut hoc modo odium a se aliquatenus avertat.

(8) Mandata Electoris de Theologorum reditu.

Placuerunt hæc Electori, ita ut d. 14. Jul. Legatis rescripserit, mandandum esse *Melanchthoni, Crucigero* & *Amsdorffio*, (quia Lutherus per valetudinem laborare hac in re non possit) ut vel Ratisbonæ, vel in itinere Olsnitii aut Plaviæ in Voigtlandia, consultent consignentque, quid ad librum respondendum esset, deinde cum reliquis Theologis sententias communicarent, nec dissimularent, articulos quatuor non placere *Luthero, Pomerano* & *Jonæ*, unde nec Electori probentur: Ita futurum, ut offensa a Theologis susciperetur, quod Lutherus suaserat, nihil eo nomine passuris, & pax inter Principes facilius stabiliretur. Jubet etiam reliqua, quæ Lutherus monuerat, ut Augustanam confessionem & apologiam denuo proponerent, & in ea perseverandum esse dicerent, donec erroris convinceretur. Suboluit aliquid de hoc consilio adversariis, nescio an per *Bucerum*, eo enim pertinere videntur, quæ supra *§. LXXXV. n. 2. ex Pallavicini cap. XIV. §. 12.* allegavi.

A. 1541.

(9) *Notatur Pallavicinus.*

vi. Fallitur tamen, cum putat, Theologos metu Principum a conciliatione & submissione destitisse. Faciliores utique se in quibusdam articulis præbuerunt, in quibus dissensus verborum arte occultari poterat, & qui in vulgus Christianorum non satis noti erant, puta de libero arbitrio, de peccato originis, de natura & forma justificationis & regenerationis: Fecerunt autem id suo arbitratu, & consentientibus simul Principibus & Legatis suarum partium, quotquot in Comitiis aderant, solo Electore Saxoniæ excepto: & hic quidem, visa formula de justificatione, dubitare cœpit, ut diximus, antequam cum Luthero communicasset, sed intellecta hujus sententia confirmatus est, ut declarationem illius articuli urgeret. Nullæ hic minæ, ne tantillæ quidem, nedum metus mortis, ut nugatur *Pallavicinus;* neque Lutherus opus habebat, ut terreretur aut cogeretur, constantissimus ipse in sententia, & adversus minas & blandimenta, ut narravimus. Quod si de uno illo justificationis articulo dissensus inter Principes & Theologos fuisset, ob hunc tamen rupta non fuit concordia, sed propter alios, quos recenset *Pallavicinus* & ex eo *Maimburgius*, nempe de Sacramento, de confessionibus & satisfactionibus, de potestate Concilii & Pontificis: In his vero absque Principum monitu *Melanchthon* cum sociis in novem, quæ recensitæ sunt, formulis sive schedis confestim contradixerunt, ita ut vanissima sit calumnia, quod Principum suorum autoritati & violentiæ cesserint. Afferri hic multa possent notatu dignissima ex relatis *a Pallavicino d. cap. XIV. & XV.* de actis Cæsaris cum Legato Pontificio, sed vitanda est prolixitas, & autor ipse consulendus.

(10) *De Contareno aliquid.*

Contarenus, ut jussus erat, quæstionem de autoritate Pontificis ad ultimam conflictus partem distulit *d. cap. XIV. §. 10.* nempe, ut dissolutio colloquii aliis potius articulis, quam huic tribueretur: Hodie aliam methodum sequuntur controversiarum tractatores, nec tam verecundi sunt, ut non omnis disputationis caput in Pontificis majestate constituant, eo enim pertinet, quicquid de Ecclesia in modum præjudicii disputant. Non minor circumspectio sive sagacitas fuit *Contareni*, teste *Pallavicino d. cap. XV. §. 1.* ut Pontificem moneret ad indicendum propediem Concilium œcumenicum, non expectata Cæsaris aut Comitiorum postulatione. Sic elisa est Cæsaris intentio, qui edicere volebat, ut ad Concilium usque articuli, de quibus in Comitiis conventum esse videbatur, docerentur, & ut nationale Concilium haberetur, si œcumenicum non posset obtineri. Non dissimulat *Pallavicinus*, doluisse Cæsarem, quod a Papa præventus esset; sed reluctari non potuit, quo minus totum negotium de religione a Principibus Catholicis ad Pontificem rejiceretur: Id tamen factum est, ut dixi, Episcoporum studiis, licet aliter videretur Cæsari ipsi, ut & Electoribus, & magnæ Civitatum parti, Evangelici vero aperte contradicerent. Quæ hic *cap. XV. n. 10.* contra Concilia nationalia disputat *Pallavicinus*, & quæ de Episcoporum in Germania defectibus, atque instituto ad illos corrigendos seminario Romano, sub disciplina Jesuitica, *cap. XIV. §. 13.* commentatur, satis indicant curiæ Romanæ adversum Evangelicos artes. Frigidius tamen est *Contareni* dictum, quo convicisse dicitur Theologos Protestantium, quod *Episcopi eorum sint veri Episcopi*, quia de negligentia in officio querebantur Evangelici. Veros enim, quoad titulum & vocationem, haud difficulter tunc agnovissent illos, si officia sua, ad quæ constituti erant, præstitissent: cum vero nihil prosit titulus & nomen in muneribus, præsertim Ecclesiasticis, quæ a titulis separari non possunt, dataque sunt ad ædificationem, non vero ad destructionem, prohiberi nullo jure potuerunt Principes & populi, ut pro inutilibus, immo inimicis & persecutoribus, tales sibi præficerent Pastores, qui officio suo, non titulotenus, sed ipso opere, ad salutem commissi gregis, fungerentur.

A. 1541.

(11) *Speciatim de dicto ejus de Episcopis.*

(12) *Finis & decretum Comitiorum.*

Finita sunt comitia, publicato decreto, d. 29. Julii; (hunc enim diem acta publica adscriptum habent,) cujus summam *Sleidanus* refert. Notandum est, tribus vicibus Cæsarem testari, obligatoria non esse, quæ ex libro a se proposito a collocutoribus acta vel transacta sint; (sey unverbindlich) Fassus etiam est in exordio decreti, pravos abusus in statu Ecclesiastico & politico deprehendi, & reformandos, idque ab Ordinibus universis sive communibus (von gemeinen Ständen) petitum, sed ita, post communicationem cum Legato Pontificio, conventum esse, ut res tota ad Concilium Christianum in Germania celebrandum, aut si hoc non procederet, ad nationale, vel denique ad Comitia generalia, remitteretur. In hac tamen narratione præjudicium illatum est Protestantibus, cum Cæsar allegat Ordinum generalium postulata, quibus tamen Protestantes non assenserunt, neque enim illi quicquam cum Legati Pontificii consiliis, de quibus tamen quædam referuntur, commune habebant, neque dilationem eo modo, quem Cæsar indicat, petierunt, multo minus, quod itidem refertur, postulare potuerunt, ut Protestantes a Cæsare permoverentur, ut etiam in reliquis articulis Christianas & æquas informationes admitterent (solten sich in den übrigen puncten auff christliche und billige maaß auch weisen lassen) Hæc enim minime quadrant ad Evangelicos, sed ita sibi ipsis contradixissent & in articulis, qui pro concordatis habebantur, informationes admisisse, sive cessisse fasi essent, atque sic errorem hæreticum agnovissent. Idque ipsum erat, quod a Luthero observatum, & Legatis suis ab Electore non semel, ut cavendum, propositum & inculcatum erat. Quod si in illa formula de Ordinibus generalibus ad numerum suffragiorum respectum est, id quoque Evangelicis noxium erat, constanter negantibus, in causa religionis numero esse cedendum. Sed gravius fuit, quod in decreto hoc Protestantibus sive Ordinibus Augustanæ confessionis (ita enim nominantur) injunctum est, ut intra articulos concordatos subsisterent, nec ultra eos progrederentur, cum tamen toties dictum esse a Cæsare audiverimus, pro conclusis & transactis habenda non esse quæ inter collocutores acta erant. Multo minus satisfaciebant Evangelicis, quæ de reformatione Cleri speciose præcipiebantur: dogmatum enim emendatio ante omnia desiderabatur, ea vero neglecta parum sperandum

A. 1541. dum erat a correctione Simoniæ, quam vocant, aliorumque ejusmodi defectuum in Clero. Callide quoque ubi prorogatio pacis Norimbergensis anno 1532. sancitæ statuitur, mentio fit summæ necessitatis, ex qua pro salute Germaniæ pax illa inita esse dicitur. Id enim eo pertinebat, ut, cessante necessitate, pax etiam cessaret, quandocunque nempe Evangelici, sine alterius partis periculo, subigi possent. Ubi de suspendendis Cameræ processibus in favorem Protestantium decrevit Cæsar, non exemit scrupulum, propter quem ab annis decem tot turbæ extiterant, nempe quænam essent causæ religionis, de quibus in Camera litigandum esset: Reservavit quidem declarationem istius quæstionis, cum consilio statuum vel in Comitiis, faciendam, sed neque sic securi erant Evangelici, facile perspicientes, quid contra se ex suffragiis adversariorum & dissidentium in religione (neque enim alios Cæsar sententiam rogare poterat aut volebat) sibi expectandum esset. Reliqua, quæ in decreto referuntur, ad Cameralis judicii conservationem pertinent, sumtibus Ordinum ad triennium præstandam, cum huc usque dimidiam salariorum partem Cæsar præbuisset. Decreta etiam fuit visitatio Cameræ quotannis habenda, & ut judices juramento adstringerentur ad observandum horum comitiorum decretum. Auxilium contra Turcos tunc promissum & celeriter præstandum (die eilende hülffe) modicum erat, conferenda scilicet pecunia decernebatur, dimidia pars expeditionis, quam vocant, Romanæ, qua pro statu, qui tunc erat, contribuentium, ultra octo millia militum ali non poterant. De majoribus autem auxiliis constanter suppeditandis (der beharrlichen Hülffe/) aliisque causis ac legibus publicis conventus ad d. 14. Jan. Spiræ indicebatur, quo Deputati ex Circulis congregati cum Legatis Cæsareis deliberare & decernere deberent. Cum vero, quæ dixi, aliaque in hoc decreto, admitti sine causæ suæ summo periculo Evangelici non possent, Cæsar declaratione, quam *Maimburgius* tantopere sugillat, placare eos voluit, eodem die data, & in Recessu reservata: Ejus autographum in *Archivis* asservatur, jam tum typis exscriptum, & a *Goldasto P. II. Const. Imp. fol. 237. & 239.* per errorem bis insertum. Compendium ejus apud *Sleidanum d. l.* reperitur, sed paulo brevius & obscurius, quapropter explicatius eam referemus.

(13) *Declaratio Cæsaris Protestantibus data.*

(1) Quod in decreto præcipiebatur Evangelicis, ut articulos concordatos servarent, id intelligendum esse statuit Cæsar, secundum explicationem Theologorum Augustanæ confessionis: Sic prospectum est cavillo in articulo de justificatione aliisque, in quibus recessisse a sua doctrina videri potuissent Evangelici. (2.) Ubi destructio & abolitio monasteriorum in posterum prohibetur, addit Cæsar, non prohiberi Principes & Magistratus a Christiana illorum reformatione. (3.) Quod statutum erat de reditibus monasteriorum, ad locum, ubi sita sunt, ex aliis provinciis deferendis, nec inhibendis, id extenditur etiam ad monasteria in territoriis Evangelicorum, & ut ex reditibus ante omnia ministrorum Ecclesiæ & scholarum salaria constituerentur. (4.) Quod vetitum erat, ne Protestantes aliorum subditos ad suam religionem permoverent (bewegten) id de dolosa machinatione (abpracticiren) vel protectione aperta explicabatur, non vero de receptione eorum, qui sponte religionem Evangelicam susciperent. (5) Decretum Augustanum anno 1535. expresse suspendit Cæsar, & Cameræ judices prohibet, ne secundum illud pronuncient, sed ut jurati decretum horum Comitiorum, & hanc ejus declarationem, sequerentur: Concessit etiam Protestantibus, ut viros suæ religioni addictos judicio illi assessores darent. (6) Nominatim cavet *Goslariensibus* de suspensione proscriptionis, contra illos Spiræ pronunciatæ. (7) Verba decreti Comitialis, quibus Augustanus Recessus reservabatur, ita interpretatur Imperator, ut ad causas religionis pertinere non debeat: Fatetur denique & testatur, Evangelicos non aliis, quam his conditionibus, decretis Comitiorum assensisse.

ADDITIO.

(a) *Salvi conductus speciales formulæ Cæsaris Protestantibus datæ.*

Spicilegium ad historiam Comitiorum, aliaque ex anni hujus actis *Archivum* Saxonicum suppeditat. Cæsar, præter salvi conductus generales literas, alias d. 26. Jan. subscriptas dederat, (*Reg. H. fol. 365. n. 140.*) in quibus renunciat constitutionibus & decretis, quæ adversus diplomata salvi conductus allegari possent, (hoc ad decretum Concilii Constantiensis pertinebat) promittit observationem pacis, tam præsentis, quam futuræ, de qua conveniretur; Principibus eorumque Consiliariis & Theologis discedendi etiam ante finem Comitiorum veniam concedit, suo cum præscitu, quanquam etiam hanc clausulam, ut diximus, postea d. 10. Mart. relaxaverit.

(b) *Acta cum Legato Gallico in Comitiis.*

Cum Legato Gallico, cujus in *addit. ad §. LXXVIII. n. 15.* mentio facta est, communi fœderatorum nomine in his Comitiis parum agi poterat, Landgravio diligenter cavente, ne ullam Cæsaris offensam incurreret. Significarunt igitur Gallo Legati Saxonici, quod præsenti rerum statu tractari de fœdere Gallico, quod ille desiderabat, non posset. Simulavit Legatus, se id non moleste ferre, rogavit tamen, ut Principes cum Rege suo veterem colerent amicitiam, & in pace, quam cum Cæsare tractarent, Regem suum comprehenderent, qui idem in tractatu induciarum Nicææ, ratione illorum, fecisset: monuit etiam, ne Saxo & Hessus sese separari paterentur: negavit, Regi suo cum Turcis fœdus esse, neque alio fine amicitiam cum illis conservari, quam ad bonum Orbis Christiani, & inprimis Venetorum. Petebat præterea, ut Regi suo faverent, sessionem & suffragium inter Principes Imperii, ratione Ducatus Sabaudici poscenti, quem armis occupatum tenebat: Denique etiam arbitrium in lite cum Cæsare de Ducatu Mediolanensi Principibus deferebat. Hæc atque alia ex relatione Legatorum d. 11. Jun. ad Electorem perscripta intelliguntur.

(c) *Melanchthon defertur apud Cæsarem.*

Præsentia Gallici Legati etiam *Melanchthoni* invidiam peperit, delato apud Cæsarem, quod familiariter cum Gallis conversaretur. Id vero in excusatione sua supra memorata negavit; narrans, se semel tantum fortuito occursu in via, salutatum a Gallico Legato fuisse, qui paucis verbis de dissidiis in religione questus esset: fassus tamen est, se cum adolescentibus quibusdam eruditis ex Gallia, ut hominem scholasticum, de Philosophia & Theologia sermones habuisse.

(d) *Poloniæ Rex intercedit pro Alberto Borussiæ Duce.*

Rex Poloniæ Legatum in his Comitiis habuit, qui Saxonicos convenit, & ad tractatum de concordia in religione successum apprecatus monuit, ut ratio haberetur *Alberti, Borussiæ Ducis*, qui Regi consanguinitate & feudi nexu junctus esset, injusta vero proscriptione, Spiræ publicata, adhuc vexaretur; Testatus etiam est, Regem suum *Alberto*, si vim pateretur, non esse defuturum. Factum inde, ut non solum Electoris Saxoniæ, sed & Brandenburgici omniumque fere Evangelicorum Principum Legati Cæsarem rogaverint, ut præscriptionem illam aboleret. Dicebant; coactum

A. 1541.

coactum fuisse vi bellica *Albertum*, ut sese Poloniæ regno submitteret, cum ab Imperio suppetias impetrare non potuisset; cessasse præterea veterem causam, propter quam Borussia equitibus Teutonicis tradita fuerat, defensionem nempe adversus paganos: magis itaque expedire, ut ad Regem Poloniæ, quam ad Ordinem illum equestrem respiceretur, & plerosque Principes amicitia Regis & commerciis cum gente Polonica carere non posse, uti nec Silesiam & Austriam. Exacerbata sunt in *Henricum Brunsuicensem* odia, quod hic præsens in Comitiis sedem sibi caperet supra Legatos *Georgii Marchionis Brandenburgici*, unde consessus d. 22. Jun. cum tumultu ruptus est. Nec placebat Principibus indulgentia Cæsaris in Henricum, & quod pro medio transactionis alternationem proponeret, cum tamen familiis Electoralibus jus præcedendi omnes alias competere, notorium esse dicerent. Effecerat antehac *Henricus* sermonibus suis, quibus suæ stirpis nobilitatem Saxonicæ præferebat, ut Elector libellum a *Spalatino* compositum, quo Saxonicæ familiæ prærogativa asserebatur, typis vulgari & mandato d. 11. Jul. Legatis dato, distribui in Comitiis jusserit. Scriptum illud Germanicum *Hortlederus* inseruit *Tomo suo I. Lib. IV. cap. 23.* cum annotationibus, in quibus multos *Spalatini* lapsus in Historia & Genealogia liberrime indicavit. Rixas denique *Henricus* habuit cum *Johanne Lundensi*, quæ fere ad verbera processissent, parato ad defensionem Lundensi, qui, licet Ecclesiasticus, gladiolum sub veste gerebat, quem vocare solebat *Vade mecum*. Mortuus est in his Comitiis d. 30. Jun. *D. Philippus Langius*, Legatus Ulrici Ducis VVurtenbergici. Huic exequiæ honestissimæ ductæ sunt ab Evangelicis, habitaque parentatio a *D. Erhardo Snepfio*, Theologo VVurtenbergico, in templo Franciscanorum. Comitiorum occasione fœderati Evangelici de suis quoque negotiis consultationem habuerunt, extatque Recessus, sive decretum duplex d. 1. Augusti (*Reg. H. fol. 391. n. 148.*) Statutum inprimis fuit, acceptanda esse dogmata, de quibus collocutores in his Comitiis convenerint, sed cum declaratione, & insertis verbis, quibus ambiguitas evitaretur. Sic observata fuit cautio, quam Elector, ex consilio Lutheri, multis ad Legatos suos rescriptis commendaverat & urserat. Additur, perseveraturos esse omnes in Augustana confessione & apologia, & persistendum conjunctim in protestatione adversus Concilium, omnemque autoritatem Pontificis Romani, cujus in recessu Comitiorum aliqua mentio facta esse videbatur. Conventum etiam, ut Legati ad Comitia Spirensia proximo Januario indicta, ad auxilia contra Turcos consensum non præstarent, nisi pax prius in Germania stabilita esset, & reformatum Cameræ judicium. De hoc immanes querelas, veteres novasque, congesserunt, quæ tamen, ut in loco narrabimus, adversæ partis calliditate mirifice elusæ sunt. Rogati sunt a sociis Elector & Landgravius, ut controversiam inter *Regem Daniæ & Duces Pomeraniæ*, de jure Episcopali & parte quadam territorii in Insula Rugiana, componerent; ut & anno sequenti factum est. Ab antiquo enim insula illa diœcesi Roschildensi in Dania attributa erat, cum aliis quibusdam juribus & reditibus, pro quibus postmodum Daniæ Regi a Ducibus alia compensatione satisfactum fuit. Decreta quoque fuit inter multa alia receptio *Erici junioris, Ducis Brunsuicensis Hannoverani*, in fœdus Smalcaldicum, quam mater & tutrix ejus, *Elisabetha Brandenburgica*, alibi memorata, dudum sollicitaverat. Videamus jam, quid *Raynaldus* ex Archivis Vaticanis & manuscriptis de Actis Comitiorum Ratisbonensium producat. Mandatorum *Contareni in anno 1541. n. 1.* summam tantum exhibet, arcani enim cura fuerat Pontifici, & jussus erat *Contarenus*, notante *Pallavic. Lib. IV. cap. XIII. §. 2.* dissimulare, quod scripta mandata haberet; interim omnia tendebant ad conservandam autoritatem Pontificis, qualem sibi arrogabat, & ut nihil concederetur Protestantibus, sed omnis potius concordiæ tractatus abrumperetur, rejectis ad Concilium Disputationibus, & ut media ad opprimendos Lutheranos providerentur, pace nempe inter Cæsarem & Galliæ Regem, & fœdere inter Catholicos Germanos constituto. Repetit deinde ex *Claudii* cujusdam, quem postea *Internuncium*, hic vero *arcanorum Principum participem* vocat, relatione ad *Farnesium* Cardinalem d. 4. Mart. objurgatum esse a *Bavariæ* Ducibus d. 2. Mart. Cæsarem, præsente solum *Granvellano*, ob errores, clementia & indulgentia sua commissos, quod hæresin non exsciderit, & religionem labefactari permiserit, licet ipsi omnes vires opesque suas, quin ipsam vitam ad id obtulissent; Excusatos ergo se esse dicebant Bavari, & nihilominus scire volebant, quid Cæsar agere vellet, nempe an Colloquium VVormatiæ cœptum continuari sineret, quod ipsis futurum esset ingratissimum & periculis plenum, an Concilii convocationem intra annum promovere, factis interim induciis, aucto fœdere Catholico; aut denique arma adversus Lutheranos expediturus sit, & quidem in singulos, omisso religionis prætextu. Ad hæc Cæsarem, ait, excusationem ante actorum, ob Gallica in se molimina, opposuisse, & rem ad *Contareni* adventum distulisse. Aliis literis d. 4. April. (vid. *Raynald. n. 4.*) significavit *Claudius*, Bavaros in sententia perstitisse, ut Lutheranis bellum indiceretur; repugnasse autem Cæsarem, allegata ærarii inopia, & periculo, si Lutherani Gallica & Turcica auxilia excirent, & quod nec parta de illis victoria salus animarum procuraretur; Saxoniæ enim Electorem Legatis mandata dedisse, ne ulla ratione a confessione sua discederent: De Principibus Evangelicis, *Cochlæi* & *Surii* criminationes adducit *Raynaldus*, quod conciones in hospitiis suis haberi fecerint, jejunia non servaverint, & (quod vix fidem meretur) in sanctissimis hebdomadis sanctæ diebus venationi indulserint. Ex *Episcopi Aquilani* ad *Card. Farnesium* literis *n. 7.* narrat, suspectos fuisse Præsides colloquii de religione, non *Fridericum* solum *Palatinum*, quem Card. *Aleander* dudum vacillare in fide Ecclesiæ & Imperatoris deprehendisset, sed & *Granvellanum*, & hunc quidem *Card. Moguntini* judicio. Hujus acrem etiam in Cæsarem censuram aperit, dixisse enim fertur, quod existimationem omnium perditurus sit Cæsar, & effecturus, ut Catholici alium Imperatorem sibi sint præfecturi. Verum nisi vel *Claudius* ille vel *Aquilanus* majorem rerum, quam hominum peritiam habuerunt; parum certi Romam retulerunt, acciditque iis, quod multis ejusmodi arcanorum rimatoribus contingere solet, ut egregie fallantur, & nummis, quos proditoribus & susurronibus aulicis solvunt, nugas emant & mendacia. Assistentium, quos Principes deputaverant ad colloquium, nomina, præter *Henrici Hasii*, ne unum quidem recte novit *Aquilanus*, aut imperite recenset *Raynaldus*, neque corrector errores animadvertit. *Eberhardum Rudium a Colberg*, nobilem Francum, vocat *Folesnberg*; *Theodoricum*, *Comitem a Manderscheidt*, nominat *Didacum a Mandapert*; *Franciscum Burcardum* Canc. Sax. *Rivarde*, & *Joh. Feigium*, Canc. Hassiacum *Joh. Jaj.* Falsus quoque est *Aquilanus* eximie in spe, quam de colloquii eventu pro Romano Pontifice conceperat, vel ipsius *Raynaldi* judicio. Pergit inde *Raynaldus* (*n. 8.*) ad censuras in librum, quem Cæsar collocutoribus porrigi fecerat, multasque in eo hæreses invenit, autorem vero alium non novit, quam ex *Cochlæo* & *Surio*, itemque *Belcario*, Episcopo Metensi, iniquissimo in Protestantes scriptore, didicerat. Ex *Aquilani* epistola (*n. 11.*) addit, quod *Melanchthon* & *Bucerus* de præsentia in Sacramento aperte dissenserint, & hic, Sacramentariorum primus, signum tantum corporis Christi adesse, statuerit. Id sane actis contrarium est, neque hanc *Buceri* prævaricationem tacuissent Legati Saxonici in relationibus ad Herum, quas allegavimus. Reliqua de colloquio & actis comitialibus ex *Goldasto* exscripta sunt. *Eccii* querelam de *Pflugio* & *Groppero* operose defendit *Raynaldus*; hæresin de sola fide a Jacobo Apostolo refutatam esse, & per Legem, quæ fidei a Paulo Rom. III. opponitur, non nisi ceremonialem intelligi, contendit. Detestanda vero (*n. 17.*) & impia vocat scripta Protestantium, de articulis in colloquio tractatis exhibita, & literis *A. B. C.* signata, de quibus satis a nobis dictum est. *Claudii* postea literas d. 29. Maji datas *n. 18.* pro-

(e) *Rixæ Henrici Brunsuic. cum Protestantibus & Lundensi.*

(f) *Acta fœderatorum Evangelicorum separatis in Comitiis.*

(g) *Quædam ex Raynaldo de mandatis Pontificiis.*

(h) *De expostulatione Bavariæ Ducum cum Cæsare.*

(i) *Aliæ querelæ de Protestantibus & de Cæsare.*

(k) *Moguntini inprimis; cum epicrisi.*

(l) *Errores & acerbitates Raynaldi, vel autorum, quos sequitur.*

(m) *De actis quibus*

A. 1541.
dam, Pontificis nomine, cum Granvellano.

profert, in quibus narrat, quomodo ipse apud *Granvellanum* obtestationem severissimam contra tolerantiam Protestantium, ad quam Cæsar inclinabat, *Contareni* nomine, interposuerit, relatis etiam responsis, *Granvellani*, quem dixisse memorat, *transsubstantiationis vocem subtiliorem esse, & ad doctos, non ad populum pertinere; huic vero sufficere, si credat corpus Christi esse in Sacramento, in eoque adorandum; hoc articulo composito alios articulos facile conciliatum iri, excepto illo de recensione peccatorum in confessione:* Spem etiam ostendisse, fore, ut primatus Pontificis in his Comitiis confirmaretur, & Angliæ Rex cum eo conciliaretur interpositione Cæsaris. Petiit itaque (referente *Claudio*) *Granvellanus*, sed frustra, ut tempori serviretur, & vox *transsubstantiationis* omitteretur, aliquos interim Theologos Lutheranos, atque maxime *Bucerum*, pollicitos esse dixit, se, cum Ratisbona discesserint, transsubstantiationis sensum esse prædicaturos. Hæc si dixit *Granvellanus*, imponere sine dubio homini voluit, ut *Contarenum* ad concordiæ & tolerantiæ admissionem moveret. Cæsarem vero melius, quam Granvellanum, locutum esse cum *Contareno*, ex ejusdem *Claudii* literis, post quatriduum datis, *n. 19.* memorat, in quibus etiam mors *Joh. Fabri* Episcopi Viennensis notatur, & in ea gravissimum damnum passa esse dicitur Catholica religio. *Num. 20.* literæ Pontificis ad *Contarenum* d. 15. Jun. datæ referuntur, in quibus imputationem Cæsaris refellit, quasi pecuniam ad fœdus Catholicum promissam Pontifex non repræsentaverit, dicit autem quinquaginta aureorum millia (summam, ut putat, sufficientem, & quantam Cæsar non habuerit in numerato) *Moronum* ad conventum Hagenoviensem attulisse, at cum nemo ea postularet, neque tunc defensione adversus Protestantes opus esset, Romam reportasse, ubi etiam adhuc parata servarentur. In eodem tamen rescripto (*n. 21.*) Pontifex non probat, ut bellum adversus Protestantes nunc suscipiatur, mavult, summam illam pecuniæ ad conciliandos Protestantes erogari, sed ita, ne fides emi videatur; tolerantiam autem omnem rejicit, quia articuli controversi fidei essentiales sint, ut sine Jesu Christi speciali mandato facultas de eis deliberandi Pontifici non adsit, servatos esse huc usque & signis comprobatos, quos tueri vel oppetita morte oporteat. At quales fuerint articuli hi essentiales, nempe *Monarchia Pontificia, Missa, purgatorium, Confessio particularis, invocatio Sanctorum, monachatus*, & *cœlibatus cleri*, similesque alii, notum est. Pro remedio Concilium venditat, cujus impediendi & protrahendi jam nulla causa superfit, decrevisse itaque Pontificem novam ejus indictionem, abolita suspensione, si aliter fieri non possit, vel invito Cæsare. Laudat inde *Contareni* constantiam, in articulis controversis non cedentis, & culpat Doctores (*Pflugium* puta & *Gropperum*) qui decreverint, opera post gratiam non esse meritoria: Murmuratum esse dicit, Romæ adversus hæc, neque articulum de operibus satis expensum Ratisbonæ esse. Cum vero *Contarenus* ad concedendam communionem sub utraque inclinasse videretur, placide respondet Pontifex, libenter se ejus judicium audivisse, sed punctum ad Concilium remittendum esse. Notabilis inde est (*n. 25.*) relatio ad Pontificem d. 7. Jun. quæ, dissimulato autoris nomine, producitur, in qua collocutores, Præsides & assistentes colloquii, ex parte Catholicorum, pusillanimitatis & stupiditatis accusantur, quod adversariorum (Lutheranorum) audaciam non represserint, sed omnia, quæ eis placuerint, fieri permiserint; nominatim *Pflugium* & *Gropperum* autor traducit, quod *fere faveant hæreticis, & male consenserint, hominem sola fide justificari, ita ut de eorum lapsu impie triumphaverit Bucerus, & sic unus tantum peritus Theologus* (Eccius) *restiterit, judices vero Laici fuerint, contra omne jus & in magnum præjudicium*. His ita adstipulatur *Raynaldus*, ut *Pflugium* & *Gropperum* fœdissimo errore infectos & in partes Lutheranorum tractos esse, non dubitet asseverare. Pergit vero anonymus, & porro queritur, quod conciones permittantur Lutheranis, iisque populus civitatis Ratisbonensis pervertatur, rideatur etiam Pontifex, & DEUS

(n) *Mors Joh. Fabri. Pontificis literæ ad Contarenum.*

(o) *Accusatio collocutorum, & speciatim Pflugii & Gropperi apud Pontificem; ut & Protestantium. Laus Jesuitarum.*

oretur a concionatoribus, ut Cæsarem illuminet; libri etiam hæretici quotidie Germanice evulgentur. Reprehendit quoque conversationem & compotationem Catholicorum cum Lutheranis, & quod Principes a Pontificia causa tuenda abducantur, item, quod collocutores Lutherani contra datam fidem omnia ad suos perscribant. Post alia ejusmodi impense laudat *Moguntinum*, quod se gerat strenuissime & constantissime, & colloquia omnia, utpote ex impio Recessu Francofurtensi orta, improbet. De Principibus Protestantibus ita judicat, quod sint pauperrimi & debitis gravati, subditis etiam ob tributa odiosi, ita ut populus ad Ecclesiam regressum desideret, hoc se ex nobilibus quibusdam apud Doctorem *Sceld* (nescio an *Heldum* intelligat) VVormatiæ audivisse refert. Suadet Pontifici, ut probos doctosque viros mittat, qui per Germaniam discurrant, & populum illuminent, cum hæretici impigre sua proponant dogmata, itemque ut religiosos Italos in monasteria Germaniæ mittat, aliis exemplo futuros. Laudat nominatim *Petrum Fabri*, (ex sociis Ignatii) & ex iisdem *Jacobum*, (*Laynes*) aliumque cum eo mittendum esse in Germaniam, putat. *Cardinalis Moguntini* studium pro causa Pontificia, quod anonymus ille supra commendavit, colligi potest ex subjuncto ejus consilio *n. 27.* quo rationes exponit, cur Concilium non sit celebrandum in Germania, licet id Ordines Catholici desiderarent; magna vero in Protestantes convitia effundit, & ardorem eorum describit, ad sectam suam, sive dolo sive vi propagandam, ideoque ab iis magnopere metuendum esse dicit, si in Germania habeatur Concilium. Rejicit vero penitus Concilium nationale, & pro unico remedio habet generale. Hæc ostendunt, non falsum esse Lutherum nec Electorem Saxoniæ, cum nihil æqui a *Moguntino* sibi promitterent, sed ab ejus ingenio plurimum metuerent, licet aliquando pacis studium & reformationis desiderium egregie simulare nosset. Quæ *n. 28.* additur scriptura *Contareni* contra Concilium nationale, ad Ordines Imperii, & horum responsum d. 26. Jul. in quo optare se dicunt nationale, si generale non procedat, item capita reformationis Episcopis a *Contareno* proposita, monita etiam adversus ea a Protestantibus, & ut publicationem articulorum, de quibus in colloquio conventum erat, petierint, ex *Goldasto* exscripta sunt, & quæ de rebus Gallicis afferuntur, ex *Belcario*. Magis memorabile est, quod *num. 33.* ex *Joh. Casa* libro de *vita Contareni* refertur, quod fuerint inter Catholicos, quibus Cæsaris potentia suspecta esset; quod quidem ad *Bavaros*, si ea, quæ ex *Leonhardi ab Eck* dictis & scriptis alibi exhibuimus, conferantur, pertinebat. Sequitur *n. 34. Recessus Comitiorum*, cum acerba *Raynaldi* invectiva in Cæsarem, quod ad *Lutheranos inclinaverit, neque tamen eorum benevolentiam conciliare sibi potuerit;* dein quod *vitia Catholicæ Ecclesiæ ex natura humanæ corruptione invecta perstrinxerit, Lutheranorum* (sic criminatur) *horrenda scelera silentio presserit, nec animum ad ea comprimenda habuerit, & quod spem sceleratam de Concilio nationali illis injecerit, in quo deleta foret per Germaniam religio Catholica.* Adduntur *n. 35.* quæ *Moguntini* nomine Ratisbonæ d. ult. Jul. Pontificis Legato reposita sunt a *Jodot Hoet Filter*, quo monstro nominum *Jodocum Hohfelder* designat. Significatur in illa relatione, quomodo protestati sint Evangelici, publicato Recessu, (ut in loco dictum est) & ut Cæsarem & Regem ad duas horas detinuerint, ut omnia ad eorum arbitrium aptare atque immutare cogerentur. Declarationis Cæsareæ, Protestantibus datæ, notitiam nullam se habere fassus est Moguntinus ille Consiliarius, neque in Cancellaria Imperiali, id est, Moguntina consignatam esse, ut fieri solet. Omitto querelas *Eccii* de *Bucero* ad Contarenum, ut & Gallica, Anglica, & Scotica, item Turcica, ex variis autoribus descripta, & quæ de congressu Pontificis & Imperatoris Lucensi ex *Pallavicino* & *Surio* relata sunt, aliaque ad historiam politicam pertinentia. Catholici cujusdam cum *Contareno* expostulationes ex *Casa* (*n. 38.*) recensentur. *Num. 66.* epistola Pontificis, ad *Margaritam*, Navarræ Reginam sororem Francisci Regis, benigne scripta, exhi-

A. 1541.

(p) *De Moguntino quædam.*

(q) *Alia quædam Contareni.*

(r) *Casa culpatur apud Pontificem & ejus Legatum. Alia quædam.*

An. 1541.

exhibetur, ex qua colligit *Raynaldus*, eam a Lutheranismo ad Catholicam religionem rediisse.

(t) *Ex Spalatino de receptione Contareni in Comitiis.*

Ex *Spalatini* etiam *historia MS.* notanda quædam restant. De *Contareno* refert, cum ad Comitia veniret, solum *Episcopum Ratisbonensem* cum centum & decem equitibus obviam ei profectum esse, nullumque præterea, Cæsaris aut Ordinum nomine: exceptum in hospitio fuisse ab Archiepiscopis *Salisburgensi* & *Bremensi*, Episcopo *Passaviensi*, Ducibus *Bavariæ* & *Henrico Brunsuicensi*. Senatum Ratisbonensem nihil præstitisse, negando, id olim fieri consuevisse: Legatos Electoris Saxoniæ omnes, (septem nempe, quos supra §. *LXXXVI. n. 4.* nominavimus) Dom. Lætare d. 27. Mart. a Cæsare auditos esse, & Germanice locutos, exhibito tamen dictorum tenore Latine & Gallice: Cæsaris nomine respondisse *Navium*. Eodem die *Landgravium* advenisse, præcinentibus tubis, & trecentorum equitum comitatu, inter quos ducenti leviter armati fuerint: obviam ei processisse *VVolffgangum Anhaltinum*, cæterosque Legatos Saxonicos ex equestri ordine: Horum equites in ingressu agmen duxisse propter Archimarescalli, quod Electori competebat, officium. Dom. Palmarum (d. 10. April.) a Cæsare Evangelicis nihil significatum fuisse, ut cum in templum comitarentur, abstinuisse itaque *Saxonicos*; cæterorum Electorum, *Palatini* nempe & *Brandenburgici*, Legatos in templum venisse, sed processioni ad deponendam statuam Christi in sepulchrum non interfuisse; Nuncium Pontificium extra ordinem secutum esse, & benedictionem minus solennem (den schmalen Seegen) dedisse, ridentibus plerisque.

(t) *Ceremonialia quædam de Cæsare & Legatis Sax. Landgravio & aliis.*

Porro de colloquio memorat, Cæsarem d. 27. April. collocutores ad se vocasse, singulis manum porrexisse, hortatumque eos esse, ut libere & sine cujusquam metu agerent, & secretum observarent. Exhibitos fuisse a Pontificiis articulos, de quibus colloquendum esset, numero XVII. quibus controversiæ præcipuæ de potestate Ecclesiastica, de Sacramentis & Missa, de sacerdotibus & monachis, de bonis ecclesiasticis, de cultu Sanctorum, de ceremoniis & ritibus, de confessione & satisfactione, denique etiam de fide & merito operum continebantur; sed, exhibito a Cæsare libro, de quo dictum est, hujus methodus sequenda erat. Inter Theologos, præter collocutores, adfuisse memorat *Michaelem Heldingum*, Suffraganeum Moguntinum, qui postea Mersburgensem Episcopatum adeptus est, *Sidonii* prius nomine ornatus, *Ambrosium Pelargum*, Dominicanum: Ex Treviris *Nicolaum Meinrichium* Doct. Colonia *Erhardum Billicanum*, Carmelitam: Magdeburgo *Joh. Mensingium*, Suffraganeum Halberstadiensem, & *Conradum Micolium*, Dominicanum: Salisburgo *Leonhardum Marsillar*, *Nicolaum Apel*, *Johannem VVeizler*, Provincialem Minoritarum: Ex Bavaria *D. Matthiam Crez*, Decanum Monachiensem: Ex Clivensi Ducatu *Johannem a Flaten*, Præpositum Aquisgranensem, *Conradum Heresbachium* & *Albericum König*: Hos, ut auditores, cum Principum & Ordinum Consiliariis quibusdam, quos recenset, colloquio adfuisse.

An. 1541.

(u) *Cæsaris acta cum collocutoribus, & quædam de colloquio, & qui ei adfuerunt.*

SECT. 24.

(1) Maimburgii censura de actionibus Cæsaris.

Ecce quomodo Princeps hic, utut pro religione Catholica zelum habere videretur, absque scrupulo credidit, licere sibi eam ad utilitatem suam pro rerum statu accommodare, ne quid esset, quod impedire posset expeditionem, quam sibi contra Turcos & Regem Christianissimum proposuerat. Protestantes sane adeo contenti fuerunt, ut omnia, quæ desiderabat, auxilia adversus Turcos promitterent, & nulla eorum, quæ Legati Regii opponebant, habita ratione, cum cæteris consentientes statuerent, proscribendum esse Ducem Cliviæ, Regis fœderatum, quem protegebat, restabiliendum vero hostem ejus, Sabaudiæ Ducem, quem regione spoliaverat, & ut nulli, qui Imperio subditus esset, Regi servire liceret. Dici vero, his consideratis, verissime potest, si Franciscus I. satis pœnarum dedit, quod nimium tribuisset Protestantibus, quibus tantopere fidere non debebat, Carolum etiam V. non leviores luisse, quod iis, cum dispendio etiam religionis, faverit, ut ad partes suas contra Turcos & Regem illos traheret.

(2) De infelici ejus in Africam expeditione.

Amisit enim hoc ipso anno, flebili naufragio, in quo ipse etiam vitæ periculum incurrit, pulchram classem, quam in Africam contra Turcos Algerianos duxerat. Præterea exercitus ejus, quem in Italia sub Marchione Guastensi, Insubrium Præfecto, habebat, non multo post a Duce Enguiano penitus deletus est, celebri ad Cerisolas prælio. Ita illudit Deus Principibus, qui regulas politicas mere humanas, ut destinatis potiantur, sequentes, viam ineunt, cultui suo adversam, eosque subvertere solet, ut illorum exemplo falsa mundi sapientia confundatur. Imperator igitur, facta hoc modo pacificatione provisionali, ut Germaniæ, se absente, fidere posset, promte in Italiam descendit.

(3) De colloquio ejus cum Pontifice.

Ibi dum exercitus in portu Veneris classi imponitur, tempus habuit, Lucæ cum Pontifice de Concilio colloquendi, quod omnino tunc convocandum erat, si particulare in Germania impediri deberet, quod Protestantes suarum rerum causa optabant, Pontifex evitabat. Postea Carolus, etsi Pontifex, ob provectam jam anni tempestatem, summopere suadebat, ut subsisteret, ad infelicem tamen Algerianam expeditionem profectus est, eoque d. 23. Octobr. appulit, cœlo maxime sereno.

Jovius l. 40. Belcar. l. 22.

(4) De naufragio classis Cæsareæ.

Sed elapso triduo, antequam vel vidisset Turcos, furiosa tempestas pro iis pugnavit, partemque classis oppressit, alteram dissipavit. Ita collectis magno labore quæ ex naufragio restabant, in Hispaniam abire coactus fuit, ibique portum mense Novembri tenuit, eodem fere tempore, quo exercitus fratris sui Ferdinandi in Hungariam, ductu Comitis Roggendorffii, missus, apud Budam a Turcis cæsus fuit.

Jovius Belcar. Isthuanf.

(5) De clade in Hungaria.

(6) Pontifex Concilii indictionem renovat.

Interea Papa, cum videret, ne Venetos quidem Vicentiæ locum Concilii daturos, quia Solimanno, cum quo pacem habebant, suspicionem movere metuerent, decrevit, in Tridentina urbe id indicere. Credebat enim, quia in finibus Germaniæ sita est, & a Tirolensi ditione, adeoque ab Imperio dependet, Protestantes prætextum non habituros, hanc, ut omnes alias Italiæ urbes, recusandi.

An. 1541.

§. XC.

(1) *Refellitur Maimburgii censura in Cæsarem.*

Frivolum & injustum est Maimburgii de *Carolo* judicium. *Primo* enim non probavit sufficientibus argumentis, abusum esse Carolum religionis prætextu ad rerum suarum utilitatem. Quid enim si Evangelicis meliori mente pacem indulsit, quod videret, illos de hæresi a Pontifice & Episcopis imputata convictos non esse? Quid si noluit Pontificiorum placitorum nudus administer & executor esse? Præsumendum de qualibet actione est, quod ex bono & legitimo principio & motu fiat, donec constet de contrario. At animi Cæsarei interiora solus Deus novit & judicavit. *Secundo*, si Cæsaris scopus primarius is fuit, ut in causa religionis circumspecte & pro conscientia ageret, neque sibi pronunciandi & exequendi potestatem ex sola Cleri suggestione aut suffragiorum numero competere existimaret, culpari non potest, si præter hunc finem supremum, etiam secundarios respexerit, conservationem nempe pacis & auxilia contra hostes suos.

(2) *Item in Protestantes.*

Protestantes etiam nihil injusti aut subdoli egerunt aut admiserunt, Cæsaris declarationem acceptantes. Sciebant quidem Imperii leges & consuetudines, quibus conveniebat, ut majoris partis suffragiis & decreto staretur: sed jam dudum secum expenderant statuerantque, regulam illam ad causas religionis & conscientiæ non pertinere, neque Cæsarem obligari, ut odiosa Episcoporum, & qui iis assentiebantur, suffragia sequeretur, & ad vim & arma, ut illi maxima ex parte cupiebant, progrederetur: Pacem igitur ab eo oblatam tanto justius & lubentius acceperunt, quanto utilior illa rebus suis esset, & simul adversaria factio, autoritate Cæsaris destituta, optimo jure reprimi posset, si vi agere vellet. Pontificis autoritatem cur non agnoscerent Protestantes, gravissimas allegaverant rationes, a quibus depelli non poterant contrariæ factionis opinione, neque suis jussis illam stabilire ausus est Cæsar, immo ipse in causa reformationis illam non usquequaque agnoscebat, multo minus probabat studium belli, quod quidam ex Proceribus Germaniæ, Pontificiarum partium, teste *Pallavicino cap. XIII. §. 6.* & ipse Pontifex *cap. XIV. §. 14.* (ut alibi notavimus) ostentabant. Itaque quoad causam religionis Proceres Protestantium in eum sese asseruerant statum, in quo non nisi a Deo & conscientia sua leges accipere deberent; & illis optimo jure resistere poterant, qui odio aut prædæ cupiditate incitati, vim parabant, ut non multo post *Henricus Brunsuicensis* magno cum malo suo expertus est.

(3) *Cur ipsi Ducem Juliacensem non protexerint?*

Non minus injuste Protestantes sugillat Maimburgius, quod *Ducem Juliacensem* contra Cæsarem non protexerint, immo, quod falso scribitur, proscribendum esse statuerint. Non tam liquido constabat de jure ejus in *Geldriæ* Ducatum, ut ejus causa bellum Cæsari inferrent, & Gallicam societatem, cujus invidia Juliacensis laborabat, alienissimo tempore, quo Cæsar in Germania pacem colebat, & bello cum Gallis implicabatur admitterent. Elector quidem Saxoniæ Juliacensis sororem in matrimonio habebat; sed tantus non erat affinitatis hujus nexus, ut se & provincias suas cum summo periculo Cæsaris potentiæ objiceret, Principis illius causa de cujus jure liquidissime non constabat, & qui ad ejusdem religionis apertam professionem moveri non poterat, & fucata reformatione, de qua alibi dictum est, meliora Electoris consilia eluserat. Recentiora etiam erant Gallicæ versutiæ documenta, de quibus in præcedentium annorum historia egimus, quam ut denuo, Regiæ amicitiæ spe, Cæsarem jam placatum offenderent. Accedebat sævitia, quæ in Gallia adversus Evangelicos exercebatur. Vid. *Sleid. lib. XIII. p. 391.*

(4) *Ducis Sabaudiæ causam non deseruerunt.*

Quod *Sabaudiæ* Ducem attinet, inhumanissimum fuisset, si causam ejus prorsus deseruissent Protestantes; etsi enim de se & religione sua haud multum meruisse sciebant, neque is, ut alibi questus est Elector Saxo, communia cum Germanis consilia habuisset, vasallus tamen erat Imperii, & a Gallis ditione per vim exutus, præsens denique ipse in Comitiis, & commiseratione dignus.

(5) *Caroli V. infelices successus & successorum felicitates non adscribendæ.*

Temerarium itaque est, quod Maimburgius cladem, a *Carolo* ad oram Africæ vi tempestatis, & a Ferdinando in Hungaria, Turcorum impetu acceptam, ad divinam refert ultionem, quod pacem Evangelicis indulserint, nec Pontifici, exitium eorum flagrantissime cupienti, morem gesserint. Quid si dicamus, futurum fuisse, ut in majora mala uterque incideret, si sævis Pontificis consiliis locum dedissent? Fecit id quidem *Carolus* post annos quinque, & successum, quem omnes norunt, adversus Protestantes habuit: verum paucos post annos omnem victoriarum suarum fructum perdidit. Ex successoribus ejus *Ferdinandus II.* Imperator consilia a Carolo omissa repetiit, parumque abfuit, quin illa exequeretur, &, Maimburgio judice, successus a Deo debitus fuisset, sed contrarium eventu probatum est. E diverso quietem & felix regimen habuerunt, quibus potior pacis in Germania conservandæ, quam Pontificiæ cupiditatis implendæ cura fuit, laudatissimi Imperatores *Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II.* & *Matthias*; post pacem etiam Westphalicam *Ferdinandus III.* Nulli vero tot victoriæ contigerunt, quot *Leopoldo*, Imperatori Augusto, neque majora auxilia ullus prædecessorum adversus hostes a Protestantibus accepit. Quid igitur prohibet, quo minus hæc præmia a Deo pietati & fideli pacis tam politicæ quam ecclesiasticæ observationi *Augustissimi Imperatoris* concessa esse agnoscamus, eademque illi porro collatum iri speremus, etiam contra illos, qui multum se apud Deum meritos esse gloriantur, quod tot civium myriades propter dissensum in religione in summam redegerint miseriam, multos etiam vita privaverint? Hæc ad insolentiam scriptoris corrigendam notanda visa sunt.

(6) *Eccii importunitas in collegas ab iisdem retunditur.*

Ex Actis hujus anni, omissis, quæ ad causam religionis proprie non pertinent, observanda est *Eccii* importunitas in Collegas colloquii Ratisbonæ habiti, *Pflugium* & *Gropperum*, quos, se ægrotante, lenius cum Evangelicis tractasse criminabatur, qui tamen edita apologia, ostenderunt, nihil a se, nisi communicato cum illo con-

An. 1541.

consilio, actum fuisse. Prospexit his Cæsar diplomate, quo testatur, illos mandata sua in colloquio fideliter & dextre exsecutos esse; produxit id *Pflugius* ipse in publicato anno sequenti scripto contra Electorem Saxoniæ apud *Hortled. Tom. I. Lib. V. cap. 14.* Electus enim hoc ipso tempore in Episcopum Numburgensem fuit *Pflugius*, & a Cæsare d. 18. Julii ad Electorem Saxoniæ & d. 22. Jul. ad civitates Numburgensem & Cizensem mandata impetravit, ut in possessionem admitteretur, vid. *Hortled. d. l. cap. 12.* Sed ea de re, secutisque inde dissidiis & motibus in sequentis anni historia agemus.

(1) De Cæsaris itinere in Italiam, & colloquio Lucensi.

Cæsar in Italiam profectus est, comite Cardinali *Contareno*, inviso licet, parumque felici, quod, ut *Pallavicinus* judicat, Cæsaris offensam incurrisset, nec Pontifici satisfecisset, a quo tamen satis benigne exceptus, & legatione Bononiensi remuneratus fuit. Cæsarem *Lucæ*, quæ celebris est Hetruriæ civitas, Pontifex, ut rogatus erat, convenit, expectatus tamen aliquot diebus, ut ostenderet, majorem se esse Cæsare, id quod notat, & probat *Pallavic. d. L. IV. cap. XVI. §. 1.* ubi & acta inter eos exponit. Petebat Cæsar indictionem Concilii, societatem Pontificis in fœdere, quod vocabant Catholicum, & reformationem Cleri Germanici, a *Contareno* propositam. Sed responsum, dilationem petente Pontifice, ut cum Cardinalibus deliberaret, postea demum impetravit, ut in anni sequentis actis memorabitur.

(1) Legati Pontificu de Concilio.

Misit interea Pontifex *Nicolaum Ardinghellum* Episcopum Forosempronienſem, qui conservationem induciarum inter Cæsarem & Regem procuraret, & de loco Concilii ageret. *Hieronymus Verallius*, Episcopus Casertinus (vide *Pallavic. d. l. §. 9. & seq.*) cum Ferdinando Rege expostulavit de declaratione, quam Cæsar Lutheranis in Comitiis dederat, & revocari illam postulavit; sed Ferdinandus fratris & Domini sui decreta se pro sapientissimis venerari dicebat, repulsam tamen reverentiæ modestiæque gratia, ut *Pallavicinus* loquitur, respersit. De loco Concilii disputatum est, insistente Ferdinando, ut in Germania deligeretur, cum Lutherani alium non essent admissuri: Sed Nuncius horum rationem haberi debere negabat, quod Concilium recusassent, neque adituri essent, quocunque id loco haberetur.

§. XCI.

(1) Mors Henrici Saxoniæ Ducis.

Interim quiete ex declaratione Cæsaris utcunque fruebantur Evangelici, neque tamen curis & molestiis carebant. Decesserat *Henricus* Saxoniæ Dux anno ætatis LXVIII. d. 18. Aug. cum non multo ante *Mauritio* filio primogenito, viginti annos nato, (error enim est apud *Sleidanum*, *Lib. XV. in princip.* ubi XVI. annos natus hoc tempore fuisse dicitur) regimen provinciæ tradidisset. Redierant in gratiam Henrici veteres Georgii Ducis Consiliarii, quorum experientia carere non poterat, interque eos præcipue *Georgius Carlevitius*, cujus sæpe mentio facta est, & *D. Simon Pistoris*. Hi aliique ex veteri concertatione de religione, Electori invisi & infensi erant, qui etiam parum fidebat, aliis quidem ex causis, *Antonio Schönbergio*, qui multum apud Henricum poterat, & jam ab aliquot annis inter Electorem & Henricum Ducem simultates gliscebant, de quibus multa queritur Elector *in fragment. Hist. MSta.* Henricus Dux, ut dictum est, cum vivo Georgio in re angusta versaretur, ad fœdus Smalcaldicum accesserat, sed postquam opimam Georgii hæreditatem crevisset, instigantibus ministris nihil fere præstabat, quod fœderis leges requirebant, neque tamen palam ab eo recedere audebat. Sed *Mauritius* Dux, deposita dissimulatione, cum prius d. 9. Novemb. (*Reg. H. fol. 394. n. 149.*) urgenti fœderis pacta Electori respondisset, se in comitiis Ordinum illa de re jam tractaturum esse, postea d. 21. Jan. sequentis anni 1542. diserte Electori & Landgravio scripsit, *Ordines provinciæ suæ consentire in fœdus illud nolle, quod Henricus parens eo tempore inisset, quo regimen provinciæ non habuerat.*

(2) Mauritius Dux, ejus filius, fœderi Smalcaldico renunciat.

Promisit tamen auxilia & opem pro viribus, si religio defendenda esset, hanc enim a se & Ordinibus provinciæ constanter probari. Elector & Landgravius etsi non deessent, quæ regererent, acquieverunt tamen, neque irritare Mauritii juvenilem ardorem volebant, & sufficere videbatur, quod adversarium non haberent.

(3) De Henrico Brunsuicensi quædam, & de Bavariæ Ducibus.

Intolerabilior vero indies fiebat *Henricus Brunsuicensis*, ita ut, neglecto Cæsaris mandato, *Goslariensi* & *Brunsuicensi* civitati dira quæque denunciaret, & damna variis modis inferre non cessaret. Procedebat etiam certamen literarium, publicatis invectivis, quæ apud *Hortlederum* leguntur. Itaque patientiam fere omnem consumserant Elector & Landgravius, & hic literis plurimis, præsertim d. 11. & 20. Novemb. & 21. Decemb. ex causis satis gravibus Electorem stimulavit, ut in *Henricum* arma expedirentur, cum aliter securitati sociarum civitatum omniumque Evangelicorum prospici posse negaret: Spem faciebat, non improbaturum esse Cæsarem, quæ agerentur, si de causa recte informaretur: neque metuendum esse, ut Bavariæ Duces Henrico assisterent; conjicere se potius ajebat ex sermonibus aut literis *Leonhardi ab Eck* (sæpe memorati Consiliarii Bavarici) fore, ut a fœdere Catholico discederent.

(4) Lutheri ad Sueciæ Regem epistol., hujusque responsum.

Non parvam spem collocabant Evangelici in *Rege Daniæ*, diffidebant e diverso *Sueciæ Regi*, illumque ad partes, quas vocabant, Burgundicas propendere suspicabantur. Cum rumores ea de re ad Lutherum pervenissent, ausus is est Regi Sueciæ scribere, & quædam per aliquem ex aula ejus *Balthasarem Funccium*, qui Wittenbergæ fuerat, oretenus proponere, quibus illum ad constantiam in doctrina Evangelica, & ad societatem cum Electore & fœderatis adhortabatur. Respondit *Gustavus* Rex, honorifica & benigna ad Lutherum epistola, d. 1. Junii data. In hac dolere se dicit, quod, etsi tempore sui regiminis eandem cum Germaniæ Proceribus Protestantibus religionem professus sit, & abrogatis inveteratis superstitionibus, in regnum introduxerit secundum doctrinam Lutheri, ut loquitur, (nach eurer lahr) neglectus tamen hucusque fuerit, etsi societatem fœderis obtulisset; excusat igitur apud Lutherum, quod salva dignitate iteratam oblationem facere non posset; gratum tamen sibi futurum esse significabat, si Lutheri opera fieri aliquid posset apud fœderatos, quod ad honorem Dei & conservandum in regno suo verbum ejus conduceret, sibique & Regiis, liberis atque hæredibus (unsern jungen Leibs-Erb-Herrschafften) utile esset. Ista uberius proponenda eidem *Funccio* concredidit.

An. 1541. Has Regis *Sueciæ* literas cum *Daniæ* Rege postea communicatas esse ab Electore reperio, & suspiciones adversus *Gustavum* ita evanuisse, ut ipse *Rex Daniæ* misso sub initium anni sequentis *Georgio Corpero*, Secretario suo, Electorem rogaret, ut receptionem *Gustavi* in fœdus procuraret. *(Reg. H. fol. 407. n. 151. B.)* Extant etiam *Gustavi* Regis literæ sub finem anni 1542. ad Electorem & Landgravium datæ *(Reg. H. fol. 387. n. 147.)* quæ multam spirant pietatem. Scribit enim, *sibi nihil lætius & acceptius esse, quam ut per illuminationem Dei, & operationem Spiritus sancti prædicatio verbi Dei puri & salvifici ubique magno cum fructu propagaretur, superatis, quæ superstitiosi objicerent, obstaculis; sed etiam, ut Principem Christianum & Ecclesiæ Catholicæ membrum, omni studio curasse, ut id in regno suo fieret, neque dubitare, quin bonum hoc adversus insultus hostium auxilio Dei constanter obtineri possit: Cum tamen ab adversariis vis & dolus metui debeat, justum, pium & Christianum sibi videri, & ita in animo suo decretum esse, ut concordia & fœdus ad defensionem religionis incrementa accipiat, ideoque requirenti hoc Christiano, Daniæ Regi, affini, fratri & vicino suo, respondisse, se proclivem esse, ut æquis conditionibus fœderi Evangelico accederet:* Petit itaque a Principibus, *ut sibi occasionem præbeant, & indicent, ad mittendos Legatos hoc de negotio acturos*, additque prolixam amicitiæ & fidei promissionem.

(5) *Sueciæ Regis literæ ad Electorem & Landgravium.*

ADDITIO.

Spalatinus in hist. MS. annotavit, *Granvellanum* in Comitiis VVormatiensibus dixisse; *Si non erit concordia*, (de qua tunc tractabatur,) *Pontifici bene erit, Cæsari male, Germaniæ pessime.* Hoc profecto, cum Rati bonæ spes concordiæ denuo evanesceret, effectum habiturum esse, non immerito metuissent vel experti essent Evangelici, nisi singulari Dei providentia Cæsaris & Ferdinandi Regis animi eo fuissent inclinati, ut, aliud licet agentes, pacificatione, invito aut inscio Pontifice, ad tempus inita, causam Evangelicam promoverent. Licet autem ab initio Comitiorum eventus hic prævideri non potuerit, fuere tamen, qui illo ipso tempore publice reformationem reciperent, quod in civitatibus quibusdam *Sueviæ* & a Comitibus quibusdam ad Rhenum factum esse observat *Spalatinus*, & aliunde notum est. Mirum autem maxime videri posset, idem ausos fuisse Ordines *Archiepiscopatus Magdeburgensis & Episcopatus Halberstadiensis*. Tradunt quidem etiam ex nostratibus haud spernendi autores, ut supra §. LXXV. n. 8. dictum est, *Chytræus Lib. XV. fol. 414.* & *Dresserus Chron. Sax. Germ. fol. 579.* ære redemtum fuisse hoc beneficium ab *Alberto* Cardinale. Cum enim luxu suo immensis debitis sese gravasset, ab Ordinibus Magdeburgensibus *Calbæ* congregatis trecenta florenorum millia, ab Halberstadiensibus autem ducenta millia oblata & constituta illi sunt, ea quidem (ut autores allegati aliique, & inter hos *Maimburgius*, putant,) conditione, ut libertas religionis Evangelicæ subditis concederetur. Sed, ut loco allegato innuimus, nihil constat de expresso pacto, immo contrarium ex iis, quæ in civitate *Halensi* hoc anno acta sunt, percipitur. Repleta erat illa urbs, ut aliæ ampliores & opulentiores in Germania, magno Cleri & monachorum numero, & infinitis prope superstitionibus, & dependentibus inde sumtibus gravata. Argumento inter alia esse potest, quod *D. Gothofr. Olearius* in *Haligraphia anno 1667. Lipsiæ edita* memorat: Fuisse in templis corpora Sanctorum integra XLII. particulas 8133. Sed nuper ex Serenissimi Ducis Brunsuicensis, *Rudolphi Augusti*, privata Bibliotheca ad me pervenit descriptio prolixa reliquiarum Halensium, anno 1520. excusa, cum typis vasorum pretiosorum plusquam ducentorum, in quibus illæ recondebantur. Similem descriptionem VVittenbergensem ex *MS.* produximus *Lib. I. §. CXXXI. Add. II.* Quapropter in Halensi recensenda breviores esse possumus. Prodiit interim hæc autoritate *Alberti Cardinalis*, præmissa libro ejus effigie, & subjunctis insigniis, ut tanto magis miranda sit impudentia eorum, qui tot falsa & conficta pro veris & sanctis, & vetito quidem modo colenda obtruserint. Merito sane dubitandum est, an ex tot particularum millibus vel una vera & genuina fuerit, id quod cordati lectores facile deprehendent, multisque argumentis demonstrari posset. Suum tamen cuique judicium relinqui poterat, modo superstitiosus ille cultus abfuisset. Inter plurima incredibilia & aperte fabulosa, aut silentio potius tegenda, pauca annotabimus. Ostendebatur inter alia terra agri Damasceni, ex qua Adam creatus esset, quasi scilicet id asseri posset: ossa plurima & pars vexilli S. Georgii, cujus historiam, ut alibi dictum est, dudum ipsa rejecit Romana Ecclesia. Quid dicamus de particulis ex arca Noachi, corporibus Patriarcharum & Prophetarum, virga Moysis, qua miracula edidit, Aaronis, quæ floruit & fructus tulit, indusio B. Virginis, quo induta fuit cum Christum pareret, domo Simeonis & Marthæ, castello Johannis, cute Bartholomæi sanguinolenta, S. Christophoro? Inter integra corpora esse jactabantur, unum infantum ab Herode occisorum, septendecim ex undenis millibus virginum, comitum S. Ursulæ, ut & brachium sponsi hujusÆtherei, item vitrum, quo virgines illæ usæ esse dicebantur; quas nunquam in rerum natura fuisse, nemo, qui sapit, ignorare potest. Solennis reliquiarum ostensio fieri solebat Dominica post festum nativitatis Mariæ, d. 8. Sept. in templo S. Mauritii & Mariæ Magdalenæ, novem circuitibus, (in neun Gängen.) Conferebantur devote ista intuentibus, preces ad Deum fundentibus, &, quod omnium maximum erat, eleemosynas sive nummos Ecclesiæ illi collegiatæ porrigentibus, ex privilegio *Leonis X.* indulgentiæ annorum tricesies novies millenorum millium, ducentorum quadraginta quinque millium, centum & viginti; dierumque ducentorum & viginti, & præterea quadragenarum sexies millies & quingenties millenarum, & insuper quadraginta millium. Tam levi opera, (ut jactat autor,) tantus animæ thesaurus (ein solcher Seelenschatz) acquiri potuit. Sed & hic caute addebatur in promissione indulgentiarum, quod nempe fruituri illis essent, qui idonei forent ad merendum; (zu verdienen geschickt.) quod populus non magis intelligebat, quam prodigiosum illum & pene inenarrabilem indulgentiarum calculum. In tanta urbis Halensis superstitione nihilominus semina Evangelicæ veritatis dudum jacta erant. Fovebat eam cum aliis duobus pastoribus *Nicolaus Demuth*, Præpositus monasterii novi operis, magnæ apud Cardinalem autoritatis. Sed is, cum uxorem virginem monasticam duxisset, anno 1523. relicta urbe Torgaviam concessit. De *Georgio VVincklero*, qui non concionari solum Evangelice, sed & Sacramentum integrum exhibere cœperat, sed cum vitæ suæ dispendio, diximus in actis anno 1527. *Lib. II. §. XXXI. n. 3. 4. fol. 83.* Neque destitit ab impediendo doctrinæ progressu Cardinalis, ejusque nomine Cancellarius *D. Christoph Turcus*, ita ut anno 1531. tres Consules, quindecim Senatores, Scabini etiam & Assessores quidam, multique ex civibus in exilium acti sint. Cum vero anno 1541. *Luna post Lætare* (d. 28. Mart.) Senatus convocatis civibus collectionem pecuniæ ex decreto Ordinum provinciæ, ut dictum est, Cardinali pro rata urbis (22000. nempe florenos) imperaret, petere hi cœperunt, ut cum tribunis consultare sibi prius hac de re, aliisque civitatis negotiis, liceret. Hoc impetrato, ex singulis urbis parochiis, quarum quatuor sunt, octo viros delegerunt, & per hos concionatorem Evangelicum, usum integri Sacramenti, & magistrum scholæ pium & doctum flagitarunt; hoc si fieret, ad pecuniam conferendam paratos se esse ostendebant. Die 30. Mart. denuo per omnes parochias congregati idem unanimiter statuerunt, uno tantum in parochia S. Gertrudis reperto,

(a) *Incrementa Evangelicæ religionis in inferiori Saxonia, & speciatim Halis.*

(b) *Descriptio reliquiarum, quæ Halis ostendi solebant.*

(c) *De origine & progressu doctrinæ Evangelicæ molestia, & in actu inter Senatum & cives.*

An. 1541.

perto, qui veteri religioni se inhæsurum esse diceret. Alius vero, *Petrus Crusius*, eo usque acriter reformationi adversatus, repente mutatus, publice exclamavit, se pro Evangelica doctrina opes & vitam in discrimen missurum esse. Adhortati deinde se mutuo sunt, ut Deum devotis precibus invocarent, quo spiritus ejus auxilio firmati, optimam viam & rationem inirent, qua verbi divini audiendi compotes fieri possent. D. 31. Mart. Deputati illi XXXII. (der Ausschuß) per *Thomam Schulerum* desideria sua exposuerunt, vehementer questi, quod huc usque vanissimas & miserabiles monachorum & aliorum conciones audire coacti fuissent. Respondit Senatus, se curaturum esse, ut doctus & modestus concionator inveniretur, sed qui intra terminos Evangelii sese contineret, & a refutatione aliorum abstineret: Reliqua ad Legatum sive Locum tenentem Cardinalis (den Stadthalter / qui erat *Johannes Albertus* Marchio Brandenburg. alibi a nobis nominatus) & *Capitulum Metropolitanum Magdeburgense* rejecit. Regesserunt Deputati, se vereri, ne concionator, quem Senatus vocaret, talis esset, quales huc usque habuissent, se vero quendam Lipsia aut VVittenberga accersendum desiderare, tum etiam integri Sacramenti distributionem, & constitutionem scholæ, neque in his rebus superiorum jussa expectare, sed a Senatu remedium quærere, utpote in causa Dei & verbi divini, quæ ad aliorum arbitrium deferenda non esset: Scire se, ut jamdudum, vivo *Georgio VVinckler o*, Cardinalis sæpe rogatus de reformatione fuisset, & quomodo aliquando totus Senatus ad genua ejus procumbens levatisque manibus verbi divini liberam prædicationem petiisset, utque Cardinalis surgere jussos parvam moram ferre placide monuisset, testatus, se ultimum (in reformatione) non esse futurum. Interim nihil secutum, sed omnia cum maximo plurimorum hominum damno relicta, uti erant, fuisse. Ita instantibus cedere visus est Senatus, recepitque, literas se Lipsiam scripturum & concionatorem inde petiturum esse, quibus tamen civium nomine sigillum apponeretur. Verum altera die d. 1. April. Senatus Deputatis civium indicavit, sibi re denuo considerata haud consultum videri, literas eo, quo heri dictum esset, modo scriptas & signatas ad Lipsienses dari, ne dissensionis inter Senatum & cives suspicio præberetur; satius esse, ut tres aut quatuor ex civibus Lipsiam proficiscentes concionatorem oretenus ad aliquod tempus sibi concedendum solicitarent. Addidit Senatus, cogitandum esse, annon prius negotium hoc ad Legatum & regimen Principis referendum esset; narravitque, in Comitiis *Calbensibus* ab ordine quidem equestri libertatem religionis a Cardinali petitam, illisque ab hoc concessam fuisse, sed urbium & oppidorum nomine idem postulatum non esse. At delegati civium, habito inter se colloquio, responderunt, se neminem in hac causa verbi divini rogaturum amplius esse, totumque ejus periculum coram Deo in se recipere. Allegaverant etiam antea non nobilium saltem & pagorum, qui iis subditi erant, sed & oppidorum quorundam in Archiepiscopatu exempla, in quibus Evangelii doctrina publice locum haberet. Sic conventum est, ægre licet adstipulante Senatu, ut sequenti die duo Senatores, totidemque ex civibus Lipsiam proficiscerentur, & concionatorem quærerent. Detectum est propositum Consiliariis Principis, & Præfectus vicinæ arcis, [*Giebichenstein*] ex qua jurisdictio Principis in gravioribus causis exercebatur, cum aliquot armatis currum, quo Lipsiam ablegati vehebantur, adequitans deterrere eos voluit, nullam tamen vim illis intulit. Sed Lipsiæ impetrari, neque *D. Joh. Pfeffingerus*, quem expetebant, neque alius potuit, quod Locum tenens Cardinalis (ut in actis, quæ mecum communicata sunt, notatur) obtestatus Lipsiæ esset, ne id fieret; itaque paulo post VVittenbergam itum est, indeque accitus *D. Justus Jonas*, sæpe a nobis memoratus, Præpositus tunc VVittenbergensis & Theologiæ Professor, qui d. 14. April. die Viridium, primam habuit concionem, & Sacramentum integrum distribuit, ut ex dicta *Haligraphia* aliisque monumentis constat. Extat *Reg. N. lit. L. n. 19. fol. 72.* relatio *Joachimi VVablii*, d. 4. April.

(d) D. Justus Jonas Halam vocatur; notantur etiam alia quædam.

An. 1541.

ad Electorem Sax. Halis data, in qua breviter narrat, quæ fusius ex actis exposuimus: addit tamen, cives monuisse, ut summa pecuniæ, (25000. imperialium) ad fœderis Catholici sumtus apud *Georgium* Ducem Saxoniæ deposita, repeteretur, Cardinali in computum ejus, quæ *Calbæ* constituta esset, solvenda. Ex his, quod supra monere cœpi, satis apertum esse videtur, pactum publicum cum Cardinale de religione non intervenisse. Refertur etiam tenor literarum, hoc ipso tempore ab *Alberto* ad Legatum & Consiliarios scriptarum, per quas *Halenses* vehementer increpantur, quod concionatorem aliunde peterent, addita gravi in illos comminatione, quæ utique locum non invenisset, si transactum hac de causa publice fuisset. Reliqua de incrementis reformationis in urbe, ut dixi, aliunde petenda sunt. Unum ex actis adhuc addere libet, quod scribæ publici, (der Stadtschreiber) *D. Gosmanni* magnum ad impediendam doctrinam Evangelicam studium apparuerit; ita ut importunitate sua rem prope ad seditionem deduxisset: Is vero paucos post dies in furorem incidit, ut vinculis constringi debuerit, eoque miserrimo statu postea decessit. Fertur id malum in posteros quoque ejus aliquos propagatum esse. Referri hic meretur exemplum epistolæ, ab eximio quodam Theologo, qui autographum servat, ad me missæ, quam *Lutherus* ad *D. Jonam* sua scripsit manu, subscribentibus tamen etiam *D. Pomerano*, *Crucigero* & *Melanchthone*. Verba ejus hæc sunt: *Gratiam & pacem. Quid est, quod quæratis aut dubitetis, Mi Jona, de aperiendo tertio templo S. Mauritii? Isti sunt dies, quos expectandos esse censuimus proximo consilio, cum adessent vestri Consules & Syndicus, D. Doctor Chilianus. Conculcatus etiam ille Filius Dei glorificavit sese in hostibus suis. Data nobis victoria ista insperata & incredibilis apud omnes, tam nostros, quam adversarios. Epiphania Domini manifesta est. Et quanquam monstro illi Moguntino non optem iram Dei & damnationem sui; tamen lætor inveteratum illum dierum malorum Dan. XIII. 52.* (ubi *senis libidinosi* mentio fit) *tamdiu vixisse, ut videret horribilem istam confusionem consiliorum suorum satanicissimorum, & casum irreparabilem. Benedictus Deus, qui utique judicat in terra, & capit impios in operibus manuum suarum, ut non possint dimidiare dies suos. Ploret nunc sane, sicut dignus est, & vivat in pœnam sui, qui tot triumphos in lætitia nequitiæ suæ hactenus habuit, contra Deum & omnia, quæ Dei sunt. Agite, quæso, nobiscum publicas & solennes gratias, fecit enim Deus nobiscum mirabilia in gloriam suam, nec despexit preces & gemitus pauperum suorum; Sed fecit in brevi vindictam suorum ad se clamantium. Sic pereant omnes hostes tui Domine, Amen. Datum 18. Augusti, 1542.* Acerbus est, fateor, in Cardinalem stylus, sed quo is odio, tanto quidem perniciosiore, quanto occultiore, in Evangelicos flagraverit, eoque Lutheri zelum in se concitaverit, alibi satis ostensum est. Constat porro ex *Reg. O. fol. 151.* G. G. G. ad tempus saltem *D. Jonam* Halensibus veluti commodatum fuisse. Revocare igitur illum Elector decreverat, sed intercessione Lutheri d. 8. Novemb. 1544. exorari se passus est, ut eum Halis relinqueret, titulum etiam *Præpositura* & centum florenorum annuam pensionem ex ea illi servaret, & præterea salarium isti, qui vice illius lectionem Theologicam susciperet, numerari curaret. Adjecta est conditio, ut obligatus maneret Electori & Academiæ, si ad consilia aut negotia graviora opera ejus & præsentia requireretur, item ut versioni librorum Lutheri Germanicorum operam daret. Lutherus, ut Electorem ad hæc moveret, & *Pontani*, qui Jonæ minus favebat, oppositionem superaret, non solum diuturna viri ministeria, statum rei familiaris non lautum, liberosque ejus jam adultos & majori sumtu alendos; sed & hoc allegavit, quod nemo alius Moguntino, ejusque officialibus, tanto cum animo & effectu resistere posset, aut eadem gratia & autoritate apud cives polleret. Post biennium orto bello Smalcaldico privatis odiis (*D. Turci*, ut videtur) succubuit *Jonas*, & cum *Mauritius* Saxoniæ Dux copiis suis Halam occupasset, abire jussus est, indeque in Ducatu *Coburgensi*, ut alibi indicavimus, sua-

(e) *Lutheri de reformatione Halensi epistola.*

(f) *De D. Jona quædam, & alia, quæ postea secuta sunt.*

An. 1541.

rum fortunarum sedem invenit. Sed nihil obfuit illa mutatio religioni in urbe, & *Mauritius* postea Elector, quique illi successit, *Augustus* frater, autoritate sua effecerunt, ut ab administratoribus *Archiepiscopatus Magdeburgici* literis, quas vocant, reversalibus cautum fuerit Halensi civitati de libertate religionis, quam etiam ab illo tempore retinuit, accedente publica per pacificationem VVestphalicam anno 1648. confirmatione.

§. XCII.

(1) *Enarratio Lutheri in Ps. XC.*

Inter scripta Lutheri Latina unicum hoc anno exhibetur *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 521. & sqq.* Enarratio nempe *Psalmi XC.* secundum calculum Hebraicum, quæ tamen prælecta fuit in Academia anno 1534. & hoc demum anno edita. Germanica versio relata est inter scripta anni 1542. *Tom. VIII. Alt. fol. 165. & seqq.* autorem autem habuit *Johannem Spangenbergium.* Præfatur Lutherus, cum & nunc vivant, & post mortem suam futuri sint, qui Theologiam & omnia studia contemnant, necesse esse, ut aliqui sint, qui Deum laudent, & verbum ejus longe lateque propagare conentur. In hoc curriculo se decurrere velle dicit, donec cursum suum absolverit, & se nunc Psalmum hunc, qui Moysi tribuitur, enarrare decrevisse, & reliquum vitæ in Moyse explicando consumere, utpote fonte, ex quo Prophetæ & Apostoli Spiritus sancti beneficio sapientiam divinam hauserint, neque se operam rectius meliusque collocare posse, quam si eo deducat discipulos, & pro virili sua ac modo accepti doni, semina divinæ sapientiæ ostendat. Argumentum Psalmi constituit in atroci mortis descriptione, ad terrefaciendos hypocritas & Epicureos, ita ut Moyses hic sit, ut loquitur, *Mosissimus*, & legislatoris officio strenue fungatur, dum mortis, tam temporalis, quam æternæ caussam ab ira Dei deducit, non omissa tamen prorsus consolatione, quam in fine Psalmi, dum precatur, subjungit. Ad titulum Psalmi commentans, rejicit Hieronymi opinionem, ex Rabbinis forte haustam, quod hujus unius Psalmi titulus decem sequentes complectatur, quasi illi omnes Moysis sint. Deinde, cum Moyses dicitur *vir Dei*, *fol. 522. b.* notat, non cessasse vocationem Moysis, sed organum divinum eum fuisse, etsi peccaverit: credendum ei quidem non fuisse, cum peccaret, sed ubi non peccavit, mansisse ejus legationem & autoritatem; idem de Davide asserit, additque: *Sic nos quotidie possumus labi, sed ministerio seu verbo nihil derogatur per peccatum nostrum: quanquam, nostra vocatio, nescio, an cum illorum vocatione possit conferri.* His breviter & simpliciter dictis duo, alibi non semel a nobis monita, egregie confirmantur, nempe quod Lutheri lapsus doctrinæ ejus non officiant; deinde, quod vocationem, quam vocant immediatam, qualis fuit Moysis aut Davidis, sibi arrogare non fuerit ausus. Egregia est, rarique acuminis index, observatio *fol. 523. b. & seqq.* ad ejusdem tituli vocem: *oratio* quod, ubicunque agitur de præceptis aut operibus primæ tabulæ, pro regula tenendum sit, significari simul, tecte licet, consolationem de resurrectione mortuorum seu vita æterna. Hoc nos ex Christo doctore cœlesti discere ait, qui ex simplicissimis Scripturæ verbis: *Ego sum Deus Abraham, Isaac & Jacob*, argumentatus sit, Deum esse Deum vivorum, non mortuorum. Cum igitur in primo præcepto Deus dicitur *noster Deus*, statim intelligi posse & debere, vivorum Deum esse, & nos cum eo æternum esse victuros. Cum oratio pertineat ad opera secundi præcepti, eamque in hoc Psalmo præscribat Moyses, eo ipso indicare, ut opem a Deo quæramus; *Quid autem est*, ait, *ad Deum orare in periculo peccati & mortis? an non est sentire, quod apud Deum sit locus veniæ & certum auxilium contra illa mala?* His positis contemnit Philosophiam *Aristotelis*, qui solatium adversus mortem quærit in ejus meditatione, & *Ciceronis* in *Tusculanis*, qui nullum certum remedium ostendere potest. Præfert igitur secundum principia humana, sive extra revelationem, *Epicuri* sententiam, qui sublata spe vitæ æternæ, hilariter hic vivere jubet, & *Catonem* laudat, dicentem: *qui metuit mortem, etiam id, quod vivit, perdit.* Altius igitur adscendendum esse scribit, & ad divinam sapientiam oculos erigendos, ut ex ea discamus opem contra mortem precibus a Deo impetrare. *Fol. 526. & seq.* defendit versionem suam, *qui facis homines mori*, quam cum Hebræo; *facis hominem reverti ad contritionem*, idem significare dicit. (Vulgata enim, ex diversa lectione textus Hebraici, vertit; *ne avertas hominem*) Hinc igitur contra Manichæos argumentatur Lutherus, qui mortis caussam ab alio accersebant principio, & ex Scriptura, quod rationi humanæ incognitum erat, nosci dicit, tum quod mors sit ab ira Dei, tum quod adversus mortem ex commiseratione Dei nobis spes ad vitam æternam & inde solatium detur; Illud primum poni a Moyse, hoc secundum. Taxat paganos & monachos, qui vana adversus mortem remedia commenti sint. Ad eundem versiculum *fol. 526.* annotat, patres intellectum in eo quærere, de peccato concupiscentiæ. *Fortasse*, ait, *non habuerunt alias tentationes, præter illas animales & carnis. Nam aliarum in suis scriptis raram fecerunt mentionem. Inde fit, ut Papistæ nostri, cum de peccato originis disputant, etiam nihil intelligant, quam concupiscentiam carnis. At, cum ea primum sentiri incipiat a pubescentibus, sequitur peccatum originis longe esse gravius quippiam, quod etiam in iis est & vivit, qui ætate inferiores sunt, in infantibus, immo etiam in fœtu adhuc vivente in utero, sicut Ps. 51. ostendit. Sed quia Doctores fere restiterunt in psychicis cogitationibus, nec potuerunt scripturam ad illa occultiora & spiritualia naturæ vitia accommodare, fit, ut negligentius etiam in summis Scripturæ locis versentur. Quare sinamus eos regnare & abundare in suo sensu, nos autem sequamur veram & germanam sententiam. Fol. 527. b.* brevitatem vitæ ex *vers. 4.* quo mille annorum tempus cum una nocte æquiparatur, de se ipso dicit: *Ego jam sum natus annos LI.* (ita computat anno 1534. quo ista scripsit) *hoc totum tempus, cum recte considero, sic abiit, ac si hoc die essem natus. Verum enim est, quod Philosophi dicunt; Præteritum abiit, futurum non venit. Igitur de omni tempore nihil habemus, quam quod nunc est, reliqua non sunt, quia aut abierunt, aut nondum venerunt.* Addit postea ad

(2) *De titulo, Vir Dei.*

(3) *Observatio de solatio in prima Legis tabula latente.*

(4) *Quid in Deo sit causa mortis.*

(5) *De peccato concupiscentia subtilius aliquid.*

(6) *De brevitate vitæ.*

An. 1541.

ad *vers. 7.* plura non vulgaria de tentatione blasphemiæ, ejusque superatione, ex quibus hæc tantum e *fol. 530.* adscribimus: *Gubernatione itaque opus est, ut hosti te opponas, & statuas, istam infirmitatem tuam Deo notam esse, nec offendi Deum ea, si non indulgeas ei. Quod autem peccator es, & humili confessione id agnoscis, grata Deo est humiliatio hæc, siquidem eam per Moysen & Prophetas docuit, & Legem suam ideo revelavit, ut hoc modo humiliaret nos. Quæ autem Satan in humiliatione hac suggerit, vel ad desperationem, vel ad contemtum & blasphemiam, hæc æstimabis, quod sint passiones tantum, & non res seu sententia judicata. Sic filius, cum a parente castigatur, non æstimat virgam esse signum exhæredationis, sed etiamsi virgam patiatur, tamen statuit, patrem esse & manere patrem. Sic, qui gravi morbo implicitus est, morbo seposito, videt & sperat salutem. Ad hunc modum, sunt quidem istæ cogitationes blasphemiæ horribiles, & tamen sunt bonæ, si modo eas gubernes, & iis bene utaris; Includunt enim istos gemitus inenarrabiles, qui penetrant nubes, & divinam Majestatem quasi cogunt ad ignoscendum & salvandum. Sentiri hæc possunt, sicut reliqua spiritualia; dici non possunt, nec sine experientia disci. Quare merito ridetur Dionysius, qui scripsit de Theologia negativa & affirmativa. Postea definit, Theologiam affirmativam esse, Deus est ens; negativam esse, Deus est non ens. Nos autem, si vere volumus Theologiam negativam definire, statuemus, eam esse sanctam crucem & tentationes, in quibus Deus quidem non cernitur, & tamen adest ille gemitus, de quo jam dixi.* Sequuntur quædam de utilitate mutuæ consolationis, quæ suo confirmat exemplo. *Sum quidem*, inquit, *Doctor, & fatentur multi, se a me non mediocriter adjutos in sacris literis; sed hoc mihi sæpe usu venit, ut sentirem me adjuvari & erigi uno verbo fratris, qui se mihi nullo modo putabat parem esse. Ingens enim pondus est in verbo fratris, quod tempore periculi ex Scriptura pronunciatur. Habet enim Scriptura inseparabilem comitem Spiritum sanctum qui corda varie movet & erigit per Verbum. Sic consolati sunt S. Paulum Timotheus, Titus, Epaphroditus, Fratres e Roma euntes in occursum, quanquam multis modis doctiorem & exercitatiorem in verbo Dei. Habent enim etiam summi Sancti tempus suum, in quo infirmi sunt, alii autem firmiores.* Post alia subjungit *fol. 531.* tentationem illam monachis non prorsus ignotam fuisse, & *Gersonem* solatia contra eam tradere.

(7) De miseria senectutis.

Ad *vers. 10. Dies annorum nostrorum sunt septuaginta anni &c. fol. 533.* miseriam ætatis, quæ post annos illos (non quidem mathematice, sed physice, ut ait, numerandos, & complectentes eos, qui supra aut infra sunt) superest, graviter describit, & negat eam mereri, ut vita dicatur, cum omnia, quæ naturalis sunt vitæ, desinant, non cibo, non potu cum voluptate utantur homines, ad nullas res gerendas sint utiles, & alantur tantum in pœnam suam. Proverbium deinde Germanicum; **Alte Narren die besten** / *senes, stulti stultissimi*, eo applicat, ut paucissimos esse dicat, qui etiam, cum ad illorum annorum miseriam pervenerint, intelligant, senectutem, mortem & similia esse pœnas; *quin*, ait, *mirabili stultitia juvenescunt, non sensu solum, sed etiam affectu. O miserrimam miseriam!* Postea quærit, an hoc tempore anni vitæ pauciores sint, quam tempore Moysis? & respondet, *nostram ætatem haud multum defecisse, si modo veterum more moderate viveremus, & non corrumperemus valetudinem & vitam nostram immodico luxu & crapula. Ipsi*, ait, *ad dimensum vixerunt in summa frugalitate: itaque & tolerare sumtus eis facile fuit, & pervenerunt ad justam ætatem, quam fortasse nos quoque impleremus, si pari moderatione corpus regeremus.* Non improbat tamen eorum sententiam, qui ætatis tempus post diluvium, & successu seculorum, naturaliter decrevisse statuunt. Incommoda senectæ graviter describit, & rara exempla putat esse eorum, quibus jucunda fuerit; urget testimonium Psalmi hujus, in quo longissimæ hominum ætati tribuitur *labor & dolor*, quibus vocabulis idiomate Hebraico etiam *idololatria* significatur, qua corda hominum vel maxime perturbantur. Sed hæc ex enarratione illa sufficiant. In epilogo promittit Lutherus, se posthac *Genesin*, quoad vitam Dominus sit daturus, explicaturum esse, sicut & præstitit, ut in loco dicemus.

(8) Alia quædam scripta Lutheri exegetica.

De scriptis Lutheri exegeticis, quæ *Tomo VII. Alt. fol. 490. ad fol. 714.* inserta sunt, notandum est; Explicationem *Psalmorum*, qui dicuntur *graduum*, ex Latina, quam **§. LXXXI.** enarravimus, versam, adeoque hic repetendam non esse. Deinde commentarii in Prophetas *Nahum, Sophoniam & Malachiam*, itidem versiones sunt, quarum autor in inscriptionibus nominatur *Stephanus Agricola* Augustanus, Pastor Mersburgensis. Latine quidem iidem extant, *Tom. IV. Lat. Wittenb.* sed cum in editione Jenensi, in qua Principibus Saxonicis, Johannis Friderici Electoris filiis, cura fuit, ut non nisi genuina Lutheri scripta ederentur, omissi sint, conjici potest, dubitatum aliquatenus de iis fuisse, an revisi a Luthero fuerint: Interim spiritum & eruditionem ejus haud obscure ostendunt.

(9) Excerpta ex enarratione Prophetæ Nahum, de interitu hostium Ecclesiæ.

Ex enarratione, sive, ut vocatur, *hypothesi* in Prophetam *Nahum d. Tomo IV. Wittenb. fol. 615. b.* consolationem adversus hostes Ecclesiæ excerpemus, quæ prædictionem quandam continet, eventu comprobatam: *Hodie nostri quoque Principes, hostes verbi Dei, ista legant, discant hic, se non effecturos, quod contra verbum Dei efficere instituerunt, peribunt in medio conatu, dum nihil minus timebunt, quam se interituros esse; sicut idem judicium Dei in pseudo-prophetis nostrorum temporum sumus jam experti, qui, dum in medio cursu essent, dum se consecuturos esse sperabant, quod jamdudum cogitaverant, miro consilio Dei interierunt, & sua spe impia sunt frustrati, quia habent semper contra se sententiam divinam, quæ est in Ps. 55. viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Item, cogitaverunt contra te consilia, & non potuerunt. &c. Quæ sententia omnes manent etiam impios Principes, qui contra Dominum hodie pugnant; non est, quod illi sperent meliora, nisi ab impietate sua & concitata crudelitate resipuerint, in medio conatu peribunt.*

(10) Similia ex commentario in Sophoniam.

In commentario in *Sophoniam*, cum in exordio *cap. III.* de variis corruptelis & reformationibus Ecclesiæ Judaicæ disseruisset, *fol. 654.* hanc facit admonitionem, quæ & ipsa prædictionem

An. 1541. ctionem quandam non contemnendam complectitur, dum scribit: *Idem omnino nos quoque experiemur, verbum Dei habemus clarum & copiosum, multi illuminantur, cæteri contemnunt & persequuntur, quos manet ira Domini, impossibile est enim, quin ulciscatur Dominus contemtum verbi sui. Proinde certissime possumus pronunciare, magnum malum super contemtores verbi venturum, neque enim hic falli possumus; deinde rursum restituto verbo sincero, nunquam tamen deerunt, qui verbum & cultum Dei purum sint depravaturi, donec Christus suo adventu hujus mali finem faciat, & omnes perdat.*

(11) *De sensu vocis pochazim.*

Ad *v. 4.* ubi falsi prophetæ dicuntur *vesani*, haud vulgaris philologiæ sacræ specimen præbet Lutherus, laudans septuaginta, qui vocabulum (פחזים) *pochazim* transtulerunt πνευματοφόροι, quod expressum dicit a Paulo *Eph. IV. 14.* verbis aptissimis, περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ *circumlati omni vento*, scilicet doctrinæ, ex levitate nempe; unde in versione illius epistolæ usus est vocabulo Germanico leichtfertig/ & hic phrasi böse buben und leichtfertige leute. Perstringit inde interpretem Latinum vulgatum, ejusque copiam sive variationem, quam affectare solet. Vertit enim vocem ex eadem radice formatam *Jer. XXIII. 32.* quasi significaret *miraculum*, cum idem, quod in loco Sophoniæ, indicet, nempe levitatem & nugas, sive ut Lutherus ibi transtulit, lose theidingen / hic autem vertit gewäsche.

(12) *De vocabulo Hebraico* nughe, *quod Hieronymus accepit pro* nugæ.

Ad *v. 18.* quod recens in Gallia *Critices sacræ* haud incelebris autor *Richardus Simon* in Hieronymo satis acriter taxavit, jam tum a Luthero observatum est. Hieronymus enim nescio qua imaginatione vocabulum hebraicum (נוגי) *nughe* Latinum esse contendit, & ideo non vertit, sed retinuit, scribens, *nugas, qui a lege recesserunt, congregabo*, sensu plane inepto; Propheta enim agit de congregatione Ecclesiæ Novi Testamenti, in quam utique non colligebantur nugæ, quapropter Lutherus *fol. 657. b.* hanc addidit animadversionem: *Sic transtulit Hieronymus, & habet suas rationes, quibus ductus, cur sic verterit, putans* nugas *esse Latinum vocabulum, quod ex hebræa lingua transsumtum sit, utpote ex matrice aliarum linguarum omnium. Mirum vero mihi est, cur tam insigniter Deus labi permisit homines tantos, sicut hic etiam in re Grammatica insigniter lapsus est Hieronymus, vir tantus, nam non est hæc vox* (nugæ) *Hebræa, sicut ipse vult, sed vera vox esset*, nughe. Rationem deinde reddit, cur loco eorum, qui dicuntur recessisse a lege, verterit & substituerit *mæstos*, lapsos nempe in peccatum & pœnitentes, quos scimus in regnum Christi assumtos esse.

(13) *Responsio ad objectionem de malis moribus Evangelicorum.*

Porro digna memoratu sunt, quæ ad frequentissimam tunc & hodie objectionem de malis Evangelicorum moribus respondet *fol. 658.* *Quia Evangelium sincerissimum est, sincerissimam docet fidem & genuinam dilectionem proximi, summam modestiam & puritatem, ideo ratio statim reprehendit in præconibus verbi vitam & mores, si quando videt non per omnia cum purissima doctrina, quam docent, quadrare. Judicat enim eorum vitam ex ipsorum doctrina, atque ita etiam doctrinam contemnit. Sicut hodie hostes Evangelii semper objiciunt, semper audire se ex nobis Evangelium, nihil videre Evangelicum, nos scilicet aliud docere, aliud vivere dicunt; isti meminerint, quid sit homo, nempe animal rationale, cui demandatum est divinitus imperium in omnes creaturas Gen. I. Sed vide infantem, quam nihil appareat in eo tam potentis Imperatoris, utpote qui sit præ omnibus animalibus calamitosissimus, qui se prorsus juvare non potest, & ab alieno tantum pendet auxilio, alioqui pereundum esset ei, is scilicet imperaret omnibus creaturis & animalibus? qui jacens in cunis nihil novit, quam plorare & vagire, sed tamen restat adhuc dominium in omnes creaturas, quamvis non appareat, adhuc in spe est, nam in hoc alitur, in hoc fovetur, ut tandem receptis viribus, imperio illo suo potiatur, ubi grandescet. Idem fit in omnibus creaturis, in arboribus, in segetibus, in plantis, in fruticibus, quod quia in infimis est, multo magis in summis & divinis rebus necesse est fieri, ut de die in diem crescamus, de fide in fidem, donec grandescamus, & occurramus Domino viri perfecti, ut inquit Apostolus ad Ephesios. Interim tamen dissimulat imbecillitatem nostram benignus pater Deus, & omnia facile condonat, ne habeamus inde opprobrium, modo salvum servemus & sincerum verbum, modo maneamus in vulva & in isto sinu Dei,* (Esa. XLVI. 3.) *quo nos portat semper.* Utrumque locum, qui copiam *Tom. Lat. Wittenb.* non habent, in versione Germanica *Tom. VII. Alt. fol. 696. & sqq.* invenient.

(14) *Ad verba Malachiæ, quæ in sacrificio Missæ explicant Pontificii.*

In annotationibus ad *Malachiam cap. I. 11.* ex quo vulgare pro sacrificio Missæ argumentum exsculpitur, Lutherus *fol. 659. b.* ita commentatur: *Hoc sacrificium exponit Paulus Rom. 15. cum inquit; ut sim minister Jesu in gentibus, sacrificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium. Per Evangelium ergo, tanquam per instrumentum sacerdotale, obtulit gentes, id est, obtulit & exhibuit Deo puros a peccatis, mortificatos in corpore & carne, & per Evangelium extinguuntur veteres errores, & suscitatur veritas in corde, quæ Deum confitetur, credit in eum, laudat eum, & carnem denique mortificat. Non est igitur Missa hoc sacrificium, de quo hic dicitur, sive ex opere operantis, sive ex opere operato fingas. Alioqui & scortatio ex opere operato non esset peccatum, quia mulier est bona creatura Dei, sicut isti de Sacramento dicunt. Atqui præcepta omnia in opus operantis respiciunt, nec quæritur, quam bona sit res, sed an bene aut male ea utaris. Et ad sacrificium purum requiritur puritas offerentis. Hoc voluit Deus, cum prohibuit, nec cæci, claudi, aut quemcunque defectum habentes, ministrent altari.* In margine annotatur, quod *Irenæus* & *Tertullianus* verba Malachiæ eodem modo interpretati sint. vid. versionem Germ. *d. l. fol. 704.* Confirmat sententiam suam Lutherus *cap. III. 3.* ad verba Prophetæ: *& erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*, scribens *fol. 663. b.* *Sacrificium in justitia, est sacrificium Novi Testamenti, quid enim necesse fuisset promittere sacrificia, quæ jam fiebant? Sed quæ tunc fiebant, omnia impura erant, quia impuri sacerdotes sacrificabant, Christianorum autem pura & justa sunt sacrificia, quia ipsi sunt puri & justi. Ps. 131. Sacerdotes, inquit, tui induantur justitia. Sic igitur primum describit Propheta justificationem personæ, deinde justum opus. Sacrificium nostrum est mortificatio carnis, significata per lanienam & mactationem illam veterem. Incenditur autem igne Spiritus & charitatis odor suavissimus*

An. 1541. *Domino*. Adde versionem Germ. *d.l.fol.711.* Sciendum denique est, argumentum in Prophetam Haggæum, quod in fine *d.Tom.IV.Wittenb.fol.666. & seq.* exhibetur, non Lutheri, sed Melanchthonis esse, id quod compilatores Tomorum Germanicorum anno 1552. fassi sunt, ex ea tamen ratione (nescio, an sufficienti) breve hoc scriptum inter opera Lutheri retulerunt, quia is in Haggæum nihil esset commentatus. Notatur idem *Tom.VII. Alt.fol. 701.* extatque hoc ipsum argumentum in operibus *Melanchthonis Part. II. fol. 527.*

(18) *Argumentum in Haggæum, auctore Melanchthone.*

§. XCIII.

(1) *Lutheri scriptum contra Henricum Brunsuicensem.*

Prodiit hoc anno acerrima invectiva Lutheri Germanica adversus *Henricum*, Ducem Brunsuicensem, inscripta, **wieder Hanß Worst;** Vocabulis autem his aut lurcones, & qui dici solent ventres, aut scurræ inepti Germanis designantur. Ansam scommati dederat *Henricus*, dum in *Replica*, anno præcedenti d.2. Novemb. adversus Electorem Saxoniæ publicatæ, (quam *Hortled. Tom.I. Lib.IV. c.16.* exhibet) exordio *§.3.* in parenthesi, & quasi aliud agens, retulerat, Electorem Saxoniæ a Luthero, devoto suo, ita vocari. (**welchen** Martinus Luther, **sein lieber andächtiger / Hans Worst nennet**) deinde plurimis scripti illius acerbissimi locis Evangelicorum doctrinam vehementissime insectatus erat, Lutherus scribit: (**Er flucht/ lästert/ plerret / zerret/ schreyet und speyet.**) *ita criminatur, calumniatur, ringitur, clamat & spumat, ac si legione diabolorum* (ut ille Marc. V. 9.) *obsessus, & vinculis atque compedibus constringendus esset.* Multa ex hoc libro Lutheri, qui *Tomo VII. Alt. fol. 443. ad 470.* insertus est, retulit *Sleidanus Lib.XIII. p.313. & seq.* Nos autem illa maxime excerpemus, quæ is omisit. Bilem, si unquam, certe in isthoc scripto acriter & copiose effudisse Lutherum satis apparet, profitetur tamen in exordio, se non invitum ejusmodi libros adversariorum edi videre, neque exiguum delectamentum percipere (**Es thue ihm nicht nur im Hertzen/ sondern auch in der Kniekehle und Fersen sanfft**) cum deprehendat, adversum se misellum homuncionem ita furere, Deo permittente, principes infernales & profanos, (**höllische und weltliche Fürsten**) ut ilia fere præ ira & odio rumpant, dum ipse sub umbra symboli Apostolici & orationis Dominicæ securus degat, & Diaboli, squamarumque ejus magnas iras, clamores & rictus rideat, illi vero protervia sua causam Lutheri juvent, & suam reddant deteriorem; optat igitur, ut ejusmodi libros continuo edant, se enim inde rejuvenescere, vires recipere, & oppido lætari. *Licet autem* (ait) *tot millia procudant, quot vitia habet Brunsuicensis, una tamen vocula illis respondere possum: mentiris Satan,* & sic ait in hymno suo (ex *Ps. XLVI.*) confidenter, & cum indignatione inimicorum, se cecinisse; **Ein wörtlein kan ihn fällen/** *uno verbulo hostem prosterni.* Ante omnia negat, se dicterium illud, **Hans Worst/** quod de homine inficeto & insulso (**einem groben Tölpel/**) qui tamen sapere sibi videatur, licet inepta & absurda proferat, usurpari vulgo soleat, & a se quoque in concionibus aliquando adhibitum sit, ulli mortalium, quod sciat, speciatim aut nominetenus applicasse; quapropter impudentissimi mendacii accusat, & verbis parum lepidis facessere jubet omnes, qui sibi imputent, quod Electori hoc scomma impegisset, abdomen forte corporis ejus respiciens; (**Worst** enim botulum seu farcimen, quod fere ex carnibus minutim concisis & cruore perfusis fieri in macellis solet, denotat) dein per totum libellum idem cognomentum *Henrico* tribuit, omnes quoque ejus contumelias in Electorem prolatas, dum hunc hæreticum, apostatam, rebellem, monstrum, Cainum, Nabalem, vocavit, ut putidissima mendacia, quibus nihil prorsus effici aut noceri immerentibus possit, respuit & contemnit; gloriatur itidem contra alios calumniatores; *Ubi sunt nunc*, ait, *Emseri, Eccii, Cochlæi, Vicelii*, & (quem paulo post nominat,) *Fabri libri, aut quid præstiterunt? Verbum Dei manet in æternum.* Citat testimonium Principum adversæ partis, quos ex ipsa confutatione Augustanæ confessionis observasse dicit, non posse hanc ex verbo Domini refelli. In summa, magnum honorem ex atrocissimis criminationibus, quarum formulas ex Diaboli tabulariis (**das formular sey aus des Teufels Cantzley genommen**) desumtas esse dicit, Electori Saxoniæ & Evangelicis nasci existimat, quod beatitudinis compotes sint, quam Christus *Matth. V. 11.* de iis prædicat, quibus a mentientibus maledicitur. Tangit hic quædam de criminationibus *Henrici* in Electorem, sed fusius ad eas sub finem respondet, ut audiemus. Post hæc, ne in lato illo criminationum personalium campo, ut scribit, tempus & operam consumat, stylum adversus eam potissimum stringit, qua Electorem Saxoniæ & ejusdem fidei consortes, ut hæreticos & apostatas ab Ecclesia, diffamavit. Postulat igitur ab adversariis vel unicum fundamentum, quo evincant, se esse Ecclesiam; contra ultro probationem suscipit, Evangelicis titulum illum jure deberi. Hoc demonstrat ex eo, quod verum teneant Baptismum, verum & integrum Sacramentum Cœnæ, verum clavium usum, quibus non Reges aut Principes, sed peccatores ligent, aut pœnitentibus cœlum aperiant, præterea verum & purum verbum Dei, vetus fidei symbolum, antiquam orationis Dominicæ formulam; agnosci ab iis secundum Ecclesiæ veteris principia autoritatem Magistratus, jus & usum verum & pium conjugii, eadem quoque propter verbi divini professionem pati, quæ fideles olim passi sunt; e contrario vi non grassari, neque vindictam exercere, sed priscæ Ecclesiæ more pro hostibus orare, neque jejunia deesse, non hypocritica quidem seu affectata, sed quotidiana fere, ob summam paupertatem, quam præsertim in ministris Ecclesiæ Evangelicæ deprehendi, non sine dolore observat. Post hæc Papatui objicit errores in abusu Baptismi, in præferendis illi votis monasticis, de satisfactionibus, indulgentiis, consecratione salis & aquæ, in peregrinationibus, in fraternitatibus constituendis, in mutilatione sacramenti Cœnæ, in figmento sacrificii Missatici, in abusu clavium, in tot inutilibus traditionibus & legibus, in constituendo & ultra modum venerando capite Ecclesiæ externo, in Sanctorum canonizatione & cultu, in prohibitione matrimonii, sævitia contra fideles, per brachium, quod vocant, seculare; verbo saltem indicat reliqua de purgatorio, veneratione reliquiarum, & alia ejus ge-

(2) *De scommate Hanß Worst.*

(3) *Gloriatur de inimicis.*

(4) *Titulum Ecclesiæ Evangelicis vindicat, Pontificiorum errores ostendit.*

An. 1541. ctionem quandam non contemnendam complectitur, dum scribit: *Idem omnino nos quoque experimur, verbum Dei habemus clarum & copiosum, multi illuminantur, cæteri contemnunt & persequuntur, quos manet ira Domini, impossibile est enim, quin ulciscatur Dominus contemtum verbi sui. Proinde certissime possumus pronunciare, magnum malum super contemtores verbi venturum, neque enim hic falli possumus; deinde rursum restituto verbo sincero, nunquam tamen deerunt, qui verbum & cultum Dei purum sint depravaturi, donec Christus suo adventu hujus mali finem faciat, & omnes perdat.* Ad *v. 4.* ubi falsi prophetæ dicuntur *vesani*, haud vulgaris philologiæ sacræ specimen præbet Lutherus, laudans septuaginta, qui vocabulum (פחזים) *pochazim* transtulerunt πνευματοφόροι, quod expressum dicit a Paulo *Eph. IV. 14.* verbis aptissimis, περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ *circumlati omni vento*, scilicet doctrinæ, ex levitate nempe; unde in versione illius epistolæ usus est vocabulo Germanico leichtfertig/ & hic phrasi böse buben und leichtfertige leute. Perstringit inde interpretem Latinum vulgatum, ejusque copiam sive variationem, quam affectare solet. Vertit enim vocem ex eadem radice formatam *Jer. XXIII. 32.* quasi significaret *miraculum*, cum idem, quod in loco Sophoniæ, indicet, nempe levitatem & nugas, sive ut Lutherus ibi transtulit, lose theidingen / hic autem vertit gewäsche. Ad *v. 18.* quod recens in Gallia *Criticæ sacræ* haud incelebris autor *Richardus Simon* in Hieronymo satis acriter taxavit, jam tum a Luthero observatum est. Hieronymus enim nescio qua imaginatione vocabulum hebraicum (נוגי) *nughe* Latinum esse contendit, & ideo non vertit, sed retinuit, scribens, *nugas, qui a lege recesserunt, congregabo*, sensu plane inepto; Propheta enim agit de congregatione Ecclesiæ Novi Testamenti, in quam utique non colligebantur nugæ, quapropter Lutherus *fol. 657. b.* hanc addidit animadversionem: *Sic transtulit Hieronymus, & habet suas rationes, quibus ductus, cur sic verterit, putans* nugas *esse Latinum vocabulum, quod ex hebræa lingua transsumtum sit, utpote ex matrice aliarum linguarum omnium. Mirum vero mihi est, cur tam insigniter Deus labi permisit homines tantos, sicut hic etiam in re Grammatica insigniter lapsus est Hieronymus, vir tantus, nam non est hæc vox* (nugæ) *Hebræa, sicut ipse vult, sed vera vox esset,* nughe. Rationem deinde reddit, cur loco eorum, qui dicuntur recessisse a lege, verterit & substituerit *mœstos*, lapsos nempe in peccatum & pœnitentes, quos scimus in regnum Christi assumtos esse. Porro digna memoratu sunt, quæ ad frequentissimam tunc & hodie objectionem de malis Evangelicorum moribus respondet *fol. 658. Quia Evangelium sincerissimum est, sincerissimam docet fidem & genuinam dilectionem proximi, summam modestiam & puritatem, ideo ratio statim reprehendit in præconibus verbi vitam & mores, si quando videt non per omnia cum purissima doctrina, quam docent, quadrare. Judicat enim eorum vitam ex ipsorum doctrina, atque ita etiam doctrinam contemnit. Sicut hodie hostes Evangelii semper objiciunt, semper audire se ex nobis Evangelium, nihil videre Evangelicum, nos scilicet aliud docere, aliud vivere dicunt; isti meminerint, quid sit homo, nempe animal rationale, cui demandatum est divinitus imperium in omnes creaturas Gen. I. Sed vide infantem, quam nihil appareat in eo tam potentis Imperatoris, utpote qui sit præ omnibus animalibus calamitosissimus, qui se prorsus juvare non potest, & ab alieno tantum pendet auxilio, alioqui pereundum esset ei, is scilicet imperaret omnibus creaturis & animalibus? qui jacens in cunis nihil novit, quam plorare & vagire, sed tamen restat adhuc dominium in omnes creaturas, quamvis non appareat, adhuc in spe est, nam in hoc alitur, in hoc fovetur, ut tandem receptis viribus, imperio illo suo potiatur, ubi grandescet. Idem fit in omnibus creaturis, in arboribus, in segetibus, in plantis, in fruticibus, quod quia in infimis est, multo magis in summis & divinis rebus necesse est fieri, ut de die in diem crescamus, de fide in fidem, donec grandescamus, & occurramus Domino viri perfecti, ut inquit Apostolus ad Ephesios. Interim tamen dissimulat imbecillitatem nostram benignus pater Deus, & omnia facile condonat, ne habeamus inde opprobrium, modo salvum servemus & sincerum verbum, modo maneamus in vulva & in isto sinu Dei,* (Esa. XLVI. 3.) *quo nos portat semper.* Utrumque locum, qui copiam *Tom. Lat. Wittenb.* non habent, in versione Germanica *Tom. VII. Alt. fol. 696. & sqq.* invenient. In annotationibus ad *Malachiam cap. I. 11.* ex quo vulgare pro sacrificio Missæ argumentum exsculpitur, Lutherus *fol. 659. b.* ita commentatur: *Hoc sacrificium exponit Paulus Rom. 15. cum inquit; ut sim minister Jesu in gentibus, sacrificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium. Per Evangelium ergo, tanquam per instrumentum sacerdotale, obtulit gentes, id est, obtulit & exhibuit Deo puros a peccatis, mortificatos in corpore & carne, & per Evangelium extinguuntur veteres errores, & suscitatur veritas in corde, quæ Deum confitetur, credit in eum, laudat eum, & carnem denique mortificat. Non est igitur Missa hoc sacrificium, de quo hic dicitur, sive ex opere operantis, sive ex opere operato fingas. Alioqui & scortatio ex opere operato non esset peccatum, quia mulier est bona creatura Dei, sicut isti de Sacramento dicunt. Atqui præcepta omnia in opus operantis respiciunt, nec quæritur, quam bona sit res, sed an bene aut male ea utaris. Et ad sacrificium purum requiritur puritas offerentis. Hoc voluit Deus, cum prohibuit, nec cæci, claudi, aut quemcunque defectum habentes, ministrent altari.* In margine annotatur, quod *Irenæus* & *Tertullianus* verba Malachiæ eodem modo interpretati sint. vid. versionem Germ. *d. l. fol. 704.* Confirmat sententiam suam Lutherus *cap. III. 3.* ad verba Prophetæ: *& erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*, scribens *fol. 663. b. Sacrificium in justitia, est sacrificium Novi Testamenti, quid enim necesse fuisset promittere sacrificia, quæ jam fiebant? Sed quæ tunc fiebant, omnia impura erant, quia impuri sacerdotes sacrificabant, Christianorum autem pura & justa sunt sacrificia, quia ipsi sunt puri & justi. Ps. 131. Sacerdotes, inquit, tui induantur justitia. Sic igitur primum describit Propheta justificationem personæ, deinde justum opus. Sacrificium nostrum est mortificatio carnis, significata per lanienam & mactationem illam veterem. Incenditur autem igne Spiritus & charitatis odor suavissimus Domino.*

(11) *De sensu vocis pochazim.*

(12) *De vocabulo Hebraico* nughe, *quod Hieronymus accepit pro* nugæ.

(13) *Responsio ad objectionem de malis moribus Evangelicorum.*

(14) *Adversus Malachiæ, qua de sacrificio Missæ explicant Pontificii.*

(15) *Argumentum in Haggæum, autore Melanchthone.*

Domino. Adde verſionem Germ. *d.l. fol. 711.* Sciendum denique eſt, argumentum in Prophetam Haggæum, quod in fine *d. Tom. IV. Wittenb. fol. 666. & ſeq.* exhibetur, non Lutheri, ſed Melanchthonis eſſe, id quod compilatores Tomorum Germanicorum anno 1552. faſſi ſunt, ex ea tamen ratione (neſcio, an ſufficienti) breve hoc ſcriptum inter opera Lutheri retulerunt, quia is in Haggæum nihil eſſet commentatus. Notatur idem *Tom. VII. Alt. fol. 701.* extatque hoc ipſum argumentum in operibus *Melanchthonis Part. II. fol. 527.*

§. XCIII.

(1) *Lutheri ſcriptum contra Henricum Brunſuicenſem.*

Prodiit hoc anno acerrima invectiva Lutheri Germanica adverſus *Henricum*, Ducem Brunſuicenſem, inſcripta, **wieder Hanß Worſt;** Vocabulis autem his aut lurcones, & qui dici ſolent ventres, aut ſcurræ inepti Germanis deſignantur. Anſam ſcommati dederat *Henricus*, dum in *Replica*, anno præcedenti d. 2. Novemb. adverſus Electorem Saxoniæ publicatæ, (quam *Hortled. Tom. I. Lib. IV. c. 16.* exhibet) exordio *§. 3.* in parentheſi, & quaſi aliud agens, retulerat, Electorem Saxoniæ a Luthero, devoto ſuo, ita vocari. (**welchen Martinus Luther, ſein lieber andächtiger / Hans Worſt nennet**) deinde plurimis ſcripti illius acerbiſſimi locis Evangelicorum doctrinam vehementiſſime inſectatus erat, Lutherus ſcribit: (**Er flucht / läſtert / plerret / zerret / ſchreyet und ſpeyet.**) *ita criminatur, calumniatur, ringitur, clamat & ſpumat, ac ſi legione diabolorum* (ut ille Marc. V. 9.) *obſeſſus, & vinculis atque compedibus conſtringendus eſſet.* Multa ex hoc libro Lutheri, qui *Tomo VII. Alt. fol. 443. ad 470.* inſertus eſt, retulit *Sleidanus Lib. XIII. p. 313. & ſeq.* Nos autem illa maxime excerpemus, quæ is omiſit. Bilem, ſi unquam, certe in iſthoc ſcripto acriter & copioſe effudiſſe Lutherum ſatis apparet, profitetur tamen in exordio, ſe non invitum ejusmodi libros adverſariorum edi videre, neque exiguum delectamentum percipere (**Es thue ihm nicht nur im Hertzen / ſondern auch in der Knieekehle und Ferſen ſanfft**) cum deprehendat, adverſum ſe miſellum homuncionem ita furere, Deo permittente, principes infernales & profanos, (**hölliſche und weltliche Fürſten**) ut ilia fere præ ira & odio rumpant, dum ipſe ſub umbra ſymboli Apoſtolici & orationis Dominicæ ſecurus degat, & Diaboli, ſquamarumque ejus magnas iras, clamores & rictus rideat, illi vero protervia ſua cauſam Lutheri juvent, & ſuam reddant deteriorem; optat igitur, ut ejusmodi libros continuo edant, ſe enim inde rejuveneſcere, vires recipere, & oppido lætari. *Licet autem* (ait) *tot millia procudant, quot vitia habet Brunſuicenſis, una tamen vocula illis reſpondere poſſum: mentiris Satan,* & ſic ait in hymno ſuo (ex *Pſ. XLVI.*) confidenter, & cum indignatione inimicorum, ſe ceciniſſe; **Ein wörtlein kan ihn fällen /** *uno verbulo hoſtem proſterni.*

(2) *De ſcommate* **Hanß Worſt.**

Ante omnia negat, ſe dicterium illud, **Hans Worſt /** quod de homine inficeto & inſulſo (**einem groben Tölpel /**) qui tamen ſapere ſibi videatur, licet inepta & abſurda proferat, uſurpari vulgo ſoleat, & a ſe quoque in concionibus aliquando adhibitum ſit, ulli mortalium, quod ſciat, ſpeciatim aut nominetenus applicaſſe; quapropter impudentiſſimi mendacii accuſat, & verbis parum lepidis faceſſere jubet omnes, qui ſibi imputent, quod Electori hoc ſcomma impegiſſet, abdomen forte corporis ejus reſpiciens; (**Worſt** enim botulum ſeu farcimen, quod fere ex carnibus minutim conciſis & cruore perfuſis fieri in macellis ſolet, denotat) dein per totum libellum idem cognomentum *Henrico* tribuit, omnes quoque ejus contumelias in Electorem prolatas, dum hunc hæreticum, apoſtatam, rebellem, monſtrum, Cainum, Nabalem, vocavit, ut putidiſſima mendacia, quibus nihil prorſus effici aut noceri immerentibus poſſit, reſpuit & contemnit; gloriatur itidem contra alios calumniatores; *Ubi ſunt nunc*, ait, *Emſeri, Eccii, Cochlæi, Vicelii,* & (quem paulo poſt nominat,) *Fabri libri, aut quid præſtiterunt? Verbum Dei manet in æternum.* Citat teſtimonium Principum adverſæ partis, quos ex ipſa confutatione Auguſtanæ confeſſionis obſervaſſe dicit, non poſſe hanc ex verbo Domini refelli. In ſumma, magnum honorem ex atrociſſimis criminationibus, quarum formulas ex Diaboli tabulariis (**das formular ſey aus des Teufels Cantzley genommen**) deſumtas eſſe dicit, Electori Saxoniæ & Evangelicis naſci exiſtimat, quod beatitudinis compotes ſint, quam Chriſtus *Matth. V. 11.* de iis prædicat, quibus a mentientibus maledicitur.

(3) *Gloriatur de inimicis.*

Tangit hic quædam de criminationibus *Henrici* in Electorem, ſed fuſius ad eas ſub finem reſpondet, ut audiemus. Poſt hæc, ne in lato illo criminationum perſonalium campo, ut ſcribit, tempus & operam conſumat, ſtylum adverſus eam potiſſimum ſtringit, qua Electorem Saxoniæ & ejusdem fidei conſortes, ut hæreticos & apoſtatas ab Eccleſia, diffamavit. Poſtulat igitur ab adverſariis vel unicum fundamentum, quo evincant, ſe eſſe Eccleſiam; contra ultro probationem ſuſcipit, Evangelicis titulum illum jure deberi. Hoc demonſtrat ex eo, quod verum teneant Baptiſmum, verum & integrum Sacramentum Cœnæ, verum clavium uſum, quibus non Reges aut Principes, ſed peccatores ligent, aut pœnitentibus cœlum aperiant, præterea verum & purum verbum Dei, vetus fidei ſymbolum, antiquam orationis Dominicæ formulam; agnoſci ab iis ſecundum Eccleſiæ veteris principia autoritatem Magiſtratus, jus & uſum verum & pium conjugii, eadem quoque propter verbi divini profeſſionem pati, quæ fideles olim paſſi ſunt; e contrario vi non graſſari, neque vindictam exercere, ſed priſcæ Eccleſiæ more pro hoſtibus orare, neque jejunia deeſſe, non hypocritica quidem ſeu affectata, ſed quotidiana fere, ob ſummam paupertatem, quam præſertim in miniſtris Eccleſiæ Evangelicæ deprehendi, non ſine dolore obſervat.

(4) *Titulum Eccleſiæ Evangelicis vindicat, Pontificiorum errores oſtendit.*

Poſt hæc Papatui objicit errores in abuſu Baptiſmi, in præferendis illi votis monaſticis, de ſatisfactionibus, indulgentiis, conſecratione ſalis & aquæ, in peregrinationibus, in fraternitatibus conſtituendis, in mutilatione ſacramenti Cœnæ, in figmento ſacrificii Miſſatici, in abuſu clavium, in tot inutilibus traditionibus & legibus, in conſtituendo & ultra modum venerando capite Eccleſiæ externo, in Sanctorum canonizatione & cultu, in prohibitione matrimonii, ſævitia contra fideles, per brachium, quod vocant, ſeculare; verbo ſaltem indicat reliqua de purgatorio, veneratione reliquiarum, & alia ejus ge-

An. 1541. generis plura. Fatetur inde, se & socios ex Ecclesia, non a persona adversariorum, Scripturam & Sacramenta accepisse, at hos vera illa & pura bona corrupisse, ab illis defecisse, & in scortationem spiritualem incidisse, ab *Hosea cap. I. & Ezech. XXIII.* satis aperte descriptam. De infantium tamen ante annos discretionis morientium salute non dubitat, immo & ex adultis quosdam in illis cœtibus servari scribit, qui ante obitum ad Christum se converterint, quorum aliquos se ipsum novisse testatur. Ex eo deinde, quod conciliandæ concordiæ in religione, quanquā non serio & candide, ut ait, sed ad dissidia inter Evangelicos serenda, media proponunt, & utriusque partis articulos conjungere & simul tolerare volunt, argumentatur, nihili eos religionem facere, qui divina præcepta & sua inventa eodem habeant pretio & loco. Objicit illis dogma, quod de gratia Dei dubitari debeat, quæ tamen unica sit ad salutem via, opposita illi, quæ per opera & merita hominum quæritur. Veram autem Ecclesiam ab errore in fide immunem esse statuit, nec ab illa errores & mendacia admitti. Cum autem hæc tanto numero habeat foveatque Romana, evidens esse, quod non sit vera Ecclesia, neque illos bona, sed erronea mente esse, (nicht gutherzige / sondern irrherzige Leute) qui putent, conjungi posse vera dogmata & errores, id est, veritatem & mendacia, lucem & tenebras In moribus labi Ecclesiam agnoscit, sed necesse esse, ut doceat purum Dei verbum, ita ut concionatores, licet quotidie remissionem peccatorum suorum petant, non tamen orare debeant: *remitte nobis, quæ falso docemus*, sed cum *Jeremia XVII.16.* dicere: *Tu Domine scis, quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit*, ideo Christum dicere *Joh. XV.3. vos mundi estis, propter sermonem meum.* Hoc ad fidem refert, non ad mores, quanquam horum munditia & sanctificatio inchoanda & per totam vitam continuanda sit, sed ante mortem non perficiatur. Hinc ait, ubi doctrina pura conservatur, prædicantibus licet eam impiis, consistit Ecclesiæ cœtus unitas, licet plurimi in illo sint hypocritæ & peccatores; at contaminata fidei puritate, statim oritur separatio sive schisma. Concludit, cum probare non possint Pontificii, se veram habere Ecclesiam, & Evangelicos esse hæreticos, eos non majori jure vindicare bona Ecclesiæ, quam furem aut latronem, quod subduxit & rapuit, neque restitutionem, sed pœnam illis deberi, ut falsis Prophetis & Baalitis, si judicium constitui in mundo de hac lite posset. Allegat postea dictum *Georgii* Saxoniæ Ducis, infelicis, ut scribit, memoriæ, (unseliger Gedächtniß) qui abusus in Ecclesia reformandos esse agnoverat, sed indignatus fuerat, quod ab unico monacho ex angulo, (von einem eintzigen Mönche aus einem Loch /) susciperetur. Item quod Ordines Imperii adversæ partis in Comitiis Augustanis Papam dehortati sint, ne unquam indulgentias in Germaniam posthac mitteret. Denique *Moguntinum* fassum esse dicit, articulum de matrimonio Cleri improbari non posse. De Concilio expostulat, cur id postulaverint, si nullos in Ecclesia abusus agnoscant; Evangelicorum causa opus eo non esse, sanctificatam jam esse horum Ecclesiam a Spiritu sancto per verbum, & omnia pura in doctrina & Sacramentis habere; monet autem, purgationem morum ad illud usque tempus continuari debere, cum angelis pares simus futuri. Evangelicos Concilium desiderare dicit, ut audiantur, & doctrinam suam in lucem producant, & ut apostasia Romana detegatur. Hæc Lutherus magna quidem cum verborum asperitate, multisque in Brunsuicensem & Pontificem increpationibus, in priori & maxima libelli parte deduxit, cui apologiam subjungit contra objectum crimen inobedientiæ, seditionis & rebellionis: hoc enim committi ab iis negat, qui in causa fidei Deo parent, nec Cæsari, quæ ejus sunt, detrahunt. Ad objecta alia in moribus vitia paucis respondet, fatens dolensque, quod mores Evangelicorum, licet puram doctrinam habeant, meliores tamen Hierosolyma non sint, in qua, licet purissima Prophetarum doctrina prædicaretur, magnus tamen erat impiorum hominum numerus. *Ita & apud nos*, ait, *sanguis est & caro, & diabolus inter filios Hiobi: plebs rustica effera est, oppidani avaritiæ student, rapinas exercet nobilitas, nos clamamus, increpamus per verbum, quantum possumus, nec frustra; (per gratiam Dei) qui enim doctrinam admittunt, & emendari se sinunt, valde boni sunt, & plus fere præstant, quam ab iis exigimus, aut vires quorundam patiuntur: pauci horum sunt, sed Deus etiam unius Naamanis causa toti Syrorum regioni beneficia exhibuit.* Narrat præterea Lutherus, quam spem de *Alberto* Moguntino concepisset *Fridericus*, & quomodo falsus esset, tum quam blande, sed subdole, ipse ab illo tractatus fuerit. Ut autem evidentius fiat, qua occasione tumultus, quem Henricus *Lutheranum* vocat, cœpisset, prolixe disputationis contra Tezelium totum ordinem recenset, *fol. 461. & sqq.* eo quidem modo, de quo *Lib. I.* pluribus egimus, nec opus est, ut hic repetamus; in compendio legi possunt apud *Sleid. Lib. XIII p. 376. & sq.* ubi etiam per modum digresionis describitur quid sit pallium, quod Archiepiscopi magno ære Romæ redimunt, cujusque sumtus indulgentiis a Moguntino Romæ impetrandis, & per Tezelium prædicandis, occasionem dedit. Acerrima est conclusio narrationis, in qua dissidii culpam in *Henricum* ejusque similes conjicit, quos vehementer vituperat. Progreditur porro ad acta Cardinalis *Cajetani*, & *Leonis* Bullam, quam sedecim diebus prius Romæ publicatam esse scribit, quam citatio sibi fuisset exhibita, & acerbe invehitur tum contra agendi modum, tum in ipsa præconia indulgentiarum. Redit inde ad convitia ab *Henrico* in Electorem Saxoniæ conjecta, & testatur, se excusare nolle excessus in compotatione commissos, interim non solum pro mensura corporis largiorem potum tolerari posse notat, sed & negat ebriositatis vitium Principi tribui debere; aut quod noxia & prava, ex liberiori illo victu Principis sequantur: neque enim gravissimi muneris sui curis & officiis illum deesse, & virtutibus egregiis præditum, os habere verax, manus liberales ad juvandas Ecclesias & scholas, & sublevandos pauperes, firmum, constans, & candidum pectus ad audiendum verbum Dei, ad puniendum malos, tuendum bonos & ad custodiendam pacem & quietem; conjugium ab eo tam sancte coli, ut exemplo omnibus Principibus hominibusque esse possit; gynæceum esse castissimum, & monasteriis, quatenus laudari possint, simile; quotidie audiri verbum

Marginalia:
(5) De Georgio Sax. Duce & de Moguntino quædam.
(6) De Concilio.
(7) De pravis Evangelicorum moribus.
(8) De facto cum Tezelio disputatione.
(9) De moribus Joh. Friderici Electoris.

An. 1541.

bum Dei, frequentari conciones, laudari Deum, quantum vero singulis diebus legat scribatque Elector ipse, nolle se jam dicere. Præter potus in mensa largiorem modum nihil plane in illo deprehendi asseverat, quam maxima dona Dei, & virtutes pii & boni Principis, castique & vere pudici mariti; monet igitur, ut in tam pulchro corpore verruca quædam, quæ mutari non possit, dissimuletur. Legi merentur, quæ contra hanc ipsam objectionem Elector in duplica sua (*Hortled. d. Lib. I. c. XXII. n. 6.*) affert; allegat quidem veterem Germanorum in compotationibus morem, sed non laudat, (könne nicht sagen / daß es recht sey /) & sperare se dicit hanc gratiam a Deo, ut in posterum defectum illum emendet, & in obsequio divino ad gloriam Dei sese contineat. Ista non sine utilitate commemorari putamus, ut ad imitationem candoris & correctionis, tanti Principis exemplum omnes excitet, cautos etiam faciat eos, qui virtuti & pietati serio student, ut nihil in moribus suis incultum & non emendatum relinquant, quod calumniandi occasionem præbere possit. Quot vero & quanta flagitia Lutherus impingat *Henrico*, quantaque id cum vehementia faciat, lubens prætereo, malimque memoriam illarum acerbitatum sepultam penitus esse; quanquam aliter visum fit *Hortledero*, qui omnia ista scripta eristica, in summo contentionum fervore publicata, operi suo inseruit. In utroque sane Principe id postea effecit providentia & benignitas divina, ut & inter se, post acceptas utrinque clades, conciliati fuerint, & *Henricus*, de cujus conversione Lutherus desperare videtur, sub finem vitæ veritati Evangelicæ locum dederit, posterosque habuerit magnos & illustres Principes, qui eandem publice professi sunt, & in provinciis suis conservaverunt & foverunt. Quæ de *Landgravii* digamia Lutherus in hoc tractatu scripsit, alibi relata sunt. Unum adhuc, haud illepidum, ut puto, afferam, quod ex historia *Friderici* Elect. Lutherus annotavit *fol. 467. Oblatus illi aliquando est*, ait, *a fœmina quadam misera libellus supplex, in quo petebatur, ut Princeps ei jus justum*, das rechte Recht / *reddi curaret. Placuit Principi simplicitas fœminæ, & subridens, nescire se dixit, quid sit jus injustum; conjecit tandem, quod res erat, judicum nequitiam argui.* Inde multa commentatur Lutherus de tyrannicis judiciis, nec parcit *Henrico*, aliisque, quos ejus vitii reos esse existimat.

(10) Quæstum de Henrico Brunsuic.

(11) It. de Landgravio & Friderico Saxoniæ Electore.

(9) De moribus Joh. Friderici Electoris.

(12) De bello Turcico.

Adhortationem ad preces contra Turcos gravissimam edidit hoc anno Lutherus, quæ extat *Tom. VII. Alt. fol. 473. ad 481.* Ante omnia de peccatis serio commonefacit omnes, eaque in duo genera, pro diversitate factionum, in quas Germania scissa erat, distribuit. Pontificios increpat ob errores doctrinæ, & sævitiam in Evangelicos; hos ob pravitatem morum, qua doctrinæ puritas in contemtum adducatur, & fiat, quod post Prophetas Veteris Testamenti de Judæis questus est Paulus *Rom. II. 21. quod propter eos blasphemetur nomen Dei inter gentes.* Speciatim taxat contumaciam procerum & populi, in admittendo elencho pastorum, ut & ingratum in hos animum, dum sufficientia alimenta eis non præbeant. Rejicit exceptionem, cum dicerent, olim triginta florenorum annuo salario contentos pastores fuisse, nunc centum illis non sufficere; ostendit enim aucta ad triplum esse rerum pretia, improbitate & avaritia hominum: Se quidem mendacem vatem esse malle, sed certo scire, Deum Germanos aut per Turcas, aut intestino bello propediem puniturum esse. Ante omnia igitur ad pœnitentiam hortatur cunctos; Pontificios, ut sævire desinant, & consilium Dei agnoscant; suos, ut gratiori animo beneficio Dei, in reformatione exhibito, utantur, & puritatem doctrinæ morum sanctimonia ornent. A Principibus postulat, ut pietati studeant, verbum Dei diligentius audiant, ad Sacramentum cœnæ frequentius accedant, judicia debito modo exerceant, flagitia, & inter hæc usurariam pravitatem, de qua vehementer queritur, severe puniant, ab ebrietatis turpitudine, ab alea, & luxu abstineant (mäßiget das häßliche / schädliche sauffen / spielen und unkosten.) Pravia hac ad Deum conversione, excitat eos, ut strenue adversus Turcos bellum gerant, id enim justissimum esse, & licet occumbendum in eo sit, vitæ jacturam Christianis spernendam esse ostendit: Milites quoque a dissolutis moribus & maxime a pessima blasphemandi consuetudine revocat, & concionatores castrenses, (die Heerprediger) officii admonet; egregias precum formulas præscribit, ut & ritum cantandi in templis, quem tamen cujusque Ecclesiæ arbitrio relinquit. Refellit eos, qui desperant, aut consilia & remedia spernunt, statuentes, ut Mahumedani solent, omnia fato, seu ex prædestinatione fieri: *Verum est*, ait, *quod, quæ Deus destinavit, necessario fiant, sed mihi non est mandatum, immo prohibitum potius, ut illa scruter & sciam. Quia igitur ea nescio, tentatio Dei esset, negligere, quæ agenda sunt, & in interitum ruere. Præceptum mihi est, ut sciam & faciam, quæ debeo, verbum Dei ea me docet, quæ vero ignoro, Deo committenda sunt; illum scire decet, quid destinarit, ego id scire non debeo.* Allegat Joabi *II. Sam. X. 11. 12.* dictum: *Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro & civitate Dei nostri; Deus autem faciet, quod bonum est in conspectu ejus. Idem*, ait, *faciamus & præstemus officium, nec ad prædestinationem respiciamus, de qua nullum verbum, nullam lucem aut scientiam habemus. Removeamus illam ex oculis, animo & omnibus sensibus, & sinamus eam in obscuro esse, agentes interim, quæ agenda & mandata nobis esse scimus.* Subjungit quædam adversus Turcos & Pontificios, maxime ratione conjugii, quod hi Clero injuste prohibent, & contemtum etiam in aliis habent, illi scelerate violant. Acriter etiam invehitur in eos ex nobilitate, qui plebem exactionibus & usuris premunt; plus semel *Moguntinum* & *Henricum Brunsuicensem* acerbe increpat. Solatia vero annectit ex consideratione misericordiæ divinæ, cujus insigne argumentum ostendit, ex concessa luce Evangelicæ doctrinæ, & quod hanc pii & electi susceperint, & cum capitis & fortunarum periculo teneant & tueantur: *Horum*, ait, *fides & oratio rem perficient*, werden dem Faß den Boden ausstossen / und dem Spiel ein Ende machen. *Faciet Deus vindictam electorum suorum,*

An. 1541. *rum, clamantium ad se die ac nocte, Luc. XVIII. 7.* Vetat denique fiduciam collocari in nostra sapientia & potentia, vetat etiam metui hostes & adversarios. *Nostrum*, scribit, *solatium, nostra fiducia, in qua superbimus & gloriamur, nostra securitas, victoria, lætitia, gaudium, honor, & decus ad dextram Dei omnipotentis sedet, huic ne pilum quidem turbabit Diabolus.* Emphasis Germanicorum verborum versione exprimi non potest; Scribit enim *fol. 481.* **Unser Trost/ Trotz/ Hochmuth/ Vermessenheit/ Stoltz/ Pochen/ Sicherheit/ Sieg/ Leben/ Freude/ Ruhm und Ehre sitzt droben zur Rechten Gottes des Allmächtigen Vaters. Trotz Teufel/ krümme ihm ein Haar.**

(13) *Conciones Dessaviæ habitæ.* Ex concionibus Lutheri duæ *Tom. VII. fol. 430. ad 443.* referuntur, quas hoc anno d. 21. & 22. April. *Dessaviæ* habuit, cum *Johannis*, Anhaltini Principis, filius, *Bernhardus*, baptizaretur. Tractavit prolixe ex *cap. III. Matth.* de baptismo Johannis & Christi, & de Sacramenti hujus dignitate atque utilitate, nec abusus tacuit, qui in Papatu irrepserant.

(14) *Epistola ad Myconium ægrotantem.* Inter epistolas Lutheri, Tomis insertas, celeberrima est, quam ad *Fridericum Myconium*, sæpe a nobis laudatum, Superintendentem Gothanum, graviter tunc decumbentem d. 9. Januar. hoc anno scripsit. Extat Germanice versa *Tom. VII. Alt. fol. 429.* & plena est egregii adversus mortem solatii, sed & summæ fiduciæ, quam Lutherus de exauditione precum suarum concepit. Verba inter alia, quæ *Melchior Adami in vita Myconii p. 181.* retulit, hæc sunt: *Ego oro & peto Dominum Jesum, vitam nostram, salutem & sanitatem nostram, ne hoc mihi addi sinat malum, ut, me superstite, videam te aut aliquot nostrum perrumpere & irrumpere per velum ad quietem, & me sinatis foris relictum inter dæmones, & vos præcedere. Peto, ut loco tuo me faciat Dominus ægrotum, & jubeat deponere tabernaculum meum hoc inutile, emeritum & exhaustum.* Et in calce literarum: *Vale, mi Friderice, & Dominus non sinat me audire tuum transitum, me vivo: sed te superstitem faciat mihi: hoc peto & volo, & fiat mea voluntas, Amen. Quia hæc voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem, nec copiam quærit. Iterum vale. Pro te oramus ex animo, & vehementer tua ægritudine perturbati sumus.* Successus precum is fuit, ut *Myconius* non tantum ex morbo desperato tunc reconvaluerit, quod ipse duabus ad *Georgium Rorarium* epistolis postea testatus est, vide *Adam. d. l. p. 182.* sed & Luthero superstes fuerit; decessit enim d. 7. April. 1546. altero post Lutheri mortem mense. Alia epistola, d. 11. Jan. data, Lutherus concionatorem quendam aulicum monet, ut a falsis fratribus illatam molestiam patienter ferat.

(15) *Alia de immunitate ministrorum Ecclesiæ.* Alium in aula Theologum d. 28. Octob. rogat, ut efficiat, quo pastores a tributo ad bellum Turcicum, quod illis imponebatur, immunes relinquerentur, saltem eo usque, donec Princeps, qui aberat, domum rediret. Rationem autem immunitatis non sumit ex principiis Hierarchiæ Romanæ, sed quod nec in Electoratu, nec in alio Ducatu Evangelico id fieri huc usque consueverit, & quod nihil proprii possideant Ecclesiarum ministri, nec plus habeant, quam ex quo vitam tolerent.

(16) *De transsubstantiatione & elevatione.* In appendice *Tom. VIII. Alt. fol. 995.* exhibetur ex anni hujus actis fragmentum Lutheri de *transsubstantiatione*, in quo de origine hujus opinionis & vocis erudite & acriter disputat. Pertinet, ut videtur, ad literas, in eadem causa ad Principem quendam (*Wolffgangum*, ut puto *Anhaltinum*) d. 25. Maj. scriptas, *Tom. VII. fol. 482.* In his fatetur, se dogma transsubstantiationis, quia a Vicleffo impugnatum olim fuerit, intactum reliquisse; cum vero id jam pro articulo fidei (in colloquio nempe Ratisbonensi) venditare velint, nullo modo ferendum esse, sicut nec circumgestationem, nec reservationem in ciborio; adorationem vero fieri dicit (ipsius nempe Christi) in sumendo genibus flexis. Elevationem pro ceremonia habet libera, quam continuari aut omitti, parum referat; agnoscit tamen, ob ceremonias semper plus turbarum in Ecclesia extitisse, quam de verbo & Sacramento, quia plebs externis adhæreat, & ea putet æternum conservanda esse, se vero cum ceremoniis, nisi impiæ sint, stare, dum stent; cadere, si cadant. (**Wenn sie stehen/ wo sie nicht gottlos sind/ so stehe ich mit/ fallen sie/ so falle ich mit**) *Ceremoniæ enim*, ait, *nobis subjectæ sunt, non vero nos ceremoniis.* Ad eundem *Wolffgangum*, qui ab Electore ad Comitia Ratisbonensia Legatus erat, scripta est epistola d. 8. Mart. *Tom. VIII. fol. 996.*

(17) *Consolatio ad Wolffgangum Anhaltinum.* In hac preces suas, ut rogaverat, ei promittit, cogitare tamen illum jubet, quod in causa Dei Legatus sit, optatque, ut id in animo suo sentiat. Addit, suum huc usque solatium semper fuisse, quod certo persuasus sit, causam suam esse Dei, non suam, & Deo sat magnum numerum Angelorum adesse a quibus defendatur; aut si in hac vita se destituant, fore, ut in futura melius excipiant.

(18) *Ad Principes Anhaltinos admonitio de litibus forensibus.* Ad reliquos Principes *Anhaltinos* d. 26. Novemb. scribens, causam quandam, quæ ad processum, quem vocant, ordinarium remissa erat, commendat, ut propter actoris paupertatem de simplici & plano, absque strepitu juris, tractaretur & decideretur: *Tolerari lites forenses posse sentit, si locupletes sint partes; alioquin*, ait, *processus ille pauperibus gravissimus & tyrannidis instar est, nec culpa vacant Magistratus, qui ei indulgent. Cur Vos Principes & Domini ex Jureconsultis Imperatores & Dominos vestri regiminis facitis, & cur ipsi non judicatis, & opem fertis, ubi potestis? Quasi scilicet Princeps quæstor tantum esset, sive redituum receptor*, (**wäre nichts/denn ein Rentmeister der Zins-Einnahme**) *ut lites a se ad Jureconsultos ableget, cum damno & ruina pauperum.* Petit ergo, ut causas ejusmodi, pauperum saltem, ipsi audiant & decidant, neque in Jureconsultorum tricas conjiciant, qui nullum iis finem faciant, sed, accepta pecunia, lingua causidica sacculos hominum excutiant. (**dreschen mit den Zungen Sack und Beutel aus**) *Jura*, scribit, *semper justa & bona sunt, Jureconsulti & processus raro.* Cæterum, quæ *Tom. VII. a fol. 483. ad 487.* de actis Lutheri cum Legatis, Ratisbona missis, leguntur, supra *§. LXXVIII. n. 10. 11.* tractavimus.

(19) *Epistola ad Electorem Saxoniæ de sua* In fasciculo *Archivi Vin. Reg. O. fol. 140.* **EEE.** in quo multæ Lutheri epistolæ autographæ asservantur, invenitur, quam hoc anno d. 25. April. ad

An. 1542.

senectute & morbis defessus.

ad Electorem dedit, in qua ei magnas agit gratias, quod curam pro corpore suo jam senescente & corrupto, (der alten bösen haut/) tam benigne susceperit, summque Medicum & Chirurgum ad se miserit; nimium id fuisse agnoscit, (es sey mehr denn zu viel) & se optasse dicit, ut a Jesu clementer avocatus fuisset, (hätte lieber gesehen/ daß mich der liebe Herr Jesus mit gnaden weggenommen/) cum jam parum in hac vita præstare posthac possit, (da ich doch nunmehr wenig nütze bin auff Erden.) *Pomeranus*, ait, *ut puto, instantia precum suarum, & publicarum in templo, id impedivit.* Commendat postea *Carionem* Medicum Wittenbergensem ob officium fideliter & gratis sibi præstitum. Haud indigna etiam memoratu est alia Lutheri epistola *ex Reg. O. fol. 125.* AAA. in qua d. 3. Julii Electorem rogat, ut *Vito Winshemio* lectionem linguæ Græcæ demandet, & Melanchthonis scrupulo occurrat, qui, accepto hoc anno salarii augmento centum florenorum, Græcam lectionem absque mercede retinere velit, ut ejus stipendium ordinarium fisco Academico cederet. *At ille*, ait, *ab annis plusquam viginti maximos in Academia labores sustinuit, ut quiete jam ex parte frui optimo jure possit. Magistri juniores, discipuli ejus, ad docenda Græca idonei sunt. Ipse veluti famulus communis in hac schola fuit, & satis meretur beneficia a Celsitudine tua destinata. Debitor ejus est Orbis Christianus, & Pontificii, Deo sit laus, illum ejusque discipulos magis timent, quam quoscunque alios inter eruditos. Hæc*, addit, *cogitabit Celsitudo tua & disponet, tu enim omnino supremus judex, pastor & quæstor harum provinciarum esse debes.* (E. Chf. Gn. müssen doch der obriste Richter/ Pfarrer und Schösser seyn in diesen Landen) Postea (*Reg. O. fol. 168.* WWW.) d. 4. Aug. Principi scribit de libro, quem tunc sub prælo esse refert, & cui præfationem, ita desiderante Electore, destinat. Librum illum non alium fuisse existimo, quam qui collocutoribus in Comitiis propositus erat, de quo *§. LXXXV. & seqq.* egimus. Mirum alicui videri possit, quod in epistola hac Lutherus judicat, perniciosius scriptum ab initio Evangelicæ doctrinæ suæ non prodiisse; sed recte & prudenter Lutherum sensisse observabunt, qui sciunt, semper plus noceri sycophantiis & erroribus, veritatis specie & larva obvelatis, quam manifestis criminationibus & aperta falsorum dogmatum propositione, cui insulsi illi Lutheromastiges, *Cochlæus* & similes, incumbebant. Ideo Lutherus gratias se agere Deo dicit, cujus mirabili sapientia effectum sit, quod Pontificii hunc librum in Comitiis non acceptaverint. Suspicatus sane haud immerito esse videtur Lutherus, si id fecissent, futurum fuisse, ut plurimi Evangelicorum ad assensum perducti fuerint, & sub prætextu reformatæ jam satis doctrinæ, in pristinas corruptelas incaute brevi tempore inciderint. Quod vero præfationem a Principe desideratam attinet, Lutherus indicavit, se quidem constituisse aliquid præfari, sed id ad Melanchthonis ex Comitiis reditum, qui propediem expectaretur, distulisse; paratum tamen se esse ad scholia addenda, qualia meruisse putet Diabolum. Sed, quantum ego sciam, ab hoc labore, sive valetudinis causa, sive alio impedimento, destitit. *Melanchthonis* autem in librum præfatio, lectu sane dignissima, extat *Tomo operum ejus IV. fol. 729. & seqq.* Notæ mihi sunt, præter has, aliæ Lutheri epistolæ, hoc anno datæ, & huc usque ineditæ; sed ex iis quædam tantum allegabo, quæ ad acta publica Lutheri; aut ad vitæ ejus historiam aliquid conferunt. In literis ad *Antonium Lauterbachium* d. 18. Mart. solatia adversus tentationes, quas ab adversariis hoc anno passi sunt Evangelici, promit, & ad constantiam hortatur virum in aula concionantem. Memorat inde, Cæsarem in Belgio (scilicet ut Protestantibus in Comitiis Ratisbonensibus benevolentiæ significationem daret) executiones in Lutheranos vetuisse, in Gallia quoque cessari a suppliciis metu tumultus publici. De Coloniensis Episcopatus cœpta reformatione *gaudere se* dicit, & Deum laudat, *qui Evangelium suum*, ut scribit, *glorificat, ut si nostri conterranei Bethsaiditæ & Corozitæ non acceptent Prophetam in patria sua, relictis illis in confusione sua, accipiant illum Samaritæ & mulier Cananæa. Pergamus tantum prædicare, orare, tolerare, est merces operi nostro, nec in vanum laboramus.* Rogat dein amicum, ut pro se Deum oret, quo bona hora aliqua obdormiat, cum Paulo dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi &c.* Sic, quæ supra de infirmitate Lutheri hoc tempore magis magisque ingravescente notavi, confirmantur. Quanquam enim quinque fere annos adhuc vixerit, variis tamen morbis afflictus, laboribus, quibus suetus antea erat, & minime parcebatur, par amplius non fuit. Vergente Autumno d. 17. Nov. Electori commendavit fratrem uxoris suæ *Joh. a Bora*, ut ei de aliquo munere prospicere velit, ablata ei, quam eo usque habuerat, procuratione monasterii virginum Lipsiensium, invidia, ut Lutherus suspicabatur, *D. Simon Pistoris*, quem veteris offensæ ex Lutheri scriptis, tempore Georgii Ducis non sine aculeis in Simonem editis, conceptæ memorem esse putat.

(20) *De Melanchthone & Winshemio querela.*

(21) *Præfatio de libro Ratisbonensi.*

(22) *Aliæ quædam Lutheri epistolæ.*

SECT. 25.

Anno 1542. Sleidan. Belcar. l. 23.

Hoc itaque per Moronum, Episcopum Mutinensem, Principibus proposuit, qui Spiræ ad media, quibus Turcis resisteretur, deliberanda convenerant. Ferdinandus Rex & Catholici oblata magna cum gratiarum actione acceperunt. Sed Lutherani protestati sunt, se nunquam passuros, ut Pontifex Concilium convocaret, aut nomen ejus in decreto convocationis locum haberet; addebant, illam urbem sibi non magis, quam alias, quæ propositæ fuerant, placere, cum magis ad Italiam, quam Germaniam pertineat. Certe tam feroces & superbi post Comitia Ratisbonensia, in quibus Imperator metuere eos, & iis se accommodare visus erat, evaserant, ut nullum amplius modum tenerent. Nam cum Capitulum Numburgen-

(1) Evangelicorum protestatio contra Pontificem.

Sleidan.

(2) De Pflugio & Amsdorfio Episc. Numburg.

An. 1542. *burgense D. Julium Pflugium, unum ex tribus Catholicis, qui Ratisbonensi colloquio interfuerant, Episcopum elegisset, Dux Saxoniæ electionem hanc aperte invalidam declaravit, quia electus Augustanæ confessioni non adhærebat, locoque ejus Nicolaum Amsdorffium nominavit, primarium ardentissimumque ex Lutheranis, cui magister suus Lutherus, Papam Wittenbergæ repræsentans, manum imposuit, ut ea ceremonia Episcopus fieret. Nibilominus Papa indicere Concilium non cessavit, emissa Bulla d. 24. Maji. In hac exponit, quicquid ab annis fere viginti quatuor de convocando illo actum erat, ut nempe suprema Ecclesiæ autoritate, doctrinæ capita, de quibus cum tanto scandalo tamdiu disceptatum fuerat, definirentur, & abusus in mores & disciplinam invecti reformarentur; Exhortatur deinde omnes Principes Christiani Orbis, maxime Imperatorem & Regem Galliæ, (quos pari magni & paterni amoris affectu compellat) ut eo mittant Episcopos ditionum suarum, omnesque, quibus Concilio assidendi jus est, Calendis Novembribus hoc anno comparituros. Fatendum tamen est, postquam tamdiu convocatio hæc, & inchoatio Concilii toties postulati, dilata fuit, tempus minus opportunum ad id celebrandum vix sumi potuisse. Bellum enim, quod tunc inter Imperatorem & Regem non amplius pro gloria & utilitate status, aut ex ambitione, ut antea, sed ex odio & furioso cum ardore gerebatur, qui ad dicenda & facienda eos impellebat, tantis Principibus plane indigna, totam Europam in terribiles turbas præcipitaverat. Diversa parte Turca in Hungaria alias excitabat, ubi non inveniebat fere, qui resisterent, eodemque tempore littora Italiæ potenti classe diripiebat. Ita nec mari nec terra tuta erant itinera, neque Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, immo tandem ne Italiæ quidem Episcopi, a Tridento paulo remotiores, in viam se dare audebant.*

(3) Indictio Concilii Tridentini.

(4) Taxatur, ut intempestiva.

Rejectio Pflugio, Nicolaum Amsdorffium nobilemque Theologum Wittebergensem, substitutum, inaugurante Luthero. Sect. 14.

§. XCIV.

Primum, quod ex anni 1542. historia proponit noster, ad Comitiorum Spirensium, quæ d. 14. Jan. indicta, mense Februario initium habuerunt, acta pertinet. De his vero plura referenda sunt, omissis licet, quæ ad bellum Turcicum solummodo spectant, de quibus ampla notitia ex ipso Comitiorum Decreto, d. 11. April. publicato, hauriri potest. Supplebimus itaque *Sleidani* narrata, in causis ad religionem propius accedentibus. Miserat Elector Saxoniæ Legatos *(Reg. E. fol. 51.) Conradum Gozmannum*, Equitem, Regiomonti, *Eberhardum Thannium*, Wartenburgi Præfectum, & *Franciscum Burcardum*, prolixis mandatis d. 28. Januar. instructos. Prohibebantur, ne Pontifici aut ejus Legato ullum obsequium aut honorem exhiberent, neque *Sanctitatis* titulum illi deferrent, reo quippe, ut scribit, idololatriæ & apostasiæ a vera Christi Ecclesia, ideoque nec in Concilium, quod ipse indiceret, consentirent, sed peterent, ut a Cæsare convocaretur, & Pontifex partis, non judicis, loco in illo haberetur: Abstinere etiam jubebantur ab omni tractatu de concilianda religione, ut & a novo consilio, quod *Jacobus Sturmius*, Prætor Argentoratensis, suggesserat: Articulos de quibus Ratisbonæ conventum esse videbatur, ita admitterent, si explicationibus (de quibus in Actis anni præcedentis dictum est) locus esset: Collationem Episcopatus Numburgensis in *Amsdorffium*, ut rite & more Christiano factam, defenderent: Cameralium processuum & proscriptionum abolitionem urgerent, firmumque pacis stabilimentum: His impetratis, ad auxilia Ferdinando contra Turcos mittenda suffragarentur, ea tamen inter alia conditione, ut apud exercitum conciones Evangelicæ, & Sacramenti sub utraque distributio, permitterentur. Ut de his omnibus cum Ferdinando, sine præjudicio controversiæ de ejus electione, agi posset, nova cautio, ad annum duratura, interposita erat. Ferdinandus enim ob cladem, amissa Buda, superiori anno in Hungaria acceptam, & metum a nova Turcorum incursione, in angustiis constitutus, nihil omittebat, quo placare Evangelicos posset, litibus Cameræ & Henrici Brunsuicensis consiliis valde irritatos. In ipso itaque decreto comitiali severe edixit, ut omnes pacem custodirent, admisit etiam & inseri passus est Evangelicorum protestationem adversus Concilium (§. **dagegen haben die Stände der Augspurgischen** *Confession &c.*) Inducias Ratisbonenses ad quinquennium, a fine instantis expeditionis Turcicæ computandum, prorogavit, ea scilicet conditione, qua Ordines utriusque partis illas acceptassent. (Hoc ambigue dictum est & ab Evangelicis de Cæsarea declaratione, a Pontificiis de sua contradictione intelligi poterat.) Justitium etiam Cameræ in causis religionis, aliisque huc usque ventilatis, indictum & provisum est, ut ad Idus Junii proximas visitatio & reformatio Cameræ procederet, quæ, secundum decretum Ratisbonense, mense Januario præterito fieri debuisset. Ad visitationem illam deputati sunt *Electores Moguntinus* & *Saxo*, *Episcopus Würzburgensis*, *Georgius Marchio Brandenburgicus*, *Martinus Comes Oetingensis* & *Senatus Augustanus*; sic dimidia Deputatorum pars ex Evangelicis sumta erat. Sed majoris securitatis & benevolentiæ Protestantibus testificandæ causa Ferdinandus, ad exemplum Cæsaris fratris, d. 10. Apr. declarationem a se & adjunctis sibi Commissariis Cæsareis, *Hugone Comite Montfortio*, & *Johanne Navio* (qui *Messantii* cognomentum a ditione vel prædio adsciverat) subscriptam exhibuit *(Reg. H. fol. 391. n. 148. Goldast.* **in Reichssatzungen** *fol. 276.)* In hac confirmavit Cæsaris declarationem, Ratisbonæ anno præterito datam, ad quinque annos, cum decreto hoc Spirensi, valituram. Visitationem & reformationem Cameræ denuo promisit, cum clausula, si non procederet, ut Evangelicis fas esset, judicium illud & in religionis & in aliis causis recusandi, neque ad sumtus salariorum obligati essent. Additur diserta suspensio proscriptionis Goslariensis, & prohibitio *Henrici* Brunsuicensis hostilitati, adversus

(1) *Legati Electoris Sax. ad comitia Spirensia, eorumque mandata.*

(2) *Ferdinandi Regis moderatio* erga Protestantes, & decreto Comitiorum Spirensium.

(3) *Notanda declaratio.*

An. 1542. versus urbem illam, opposita, operamque suam obtulit Rex ad procurandam non civitatis solum, sed & fœderatorum Evangelicorum cum *Henrico* compositionem. His ita constitutis, ampliora auxilia, quam unquam, Ferdinando decreta sunt, habitusque is honos Electori & Landgravio, ut in ipso decreto negotium illis daretur, ut *Regem Daniæ* ad societatem in auxiliis præstandis permoverent, quo ipso tacite fœdus Smalcaldicum, cui Rex accesserat, probari videbatur. (vid. §. Dieweil aber zu diesem guten vorhaben 2c.) Cum vero de Duce, exercitui auxiliari, quem Ordines missuri erant, præponendo consultaretur, Elector Saxo non nisi Evangelicos, aut illis faventes, proposuit, ante omnes *Philippum Hassiæ Landgravium*, deinde *Albertum Borussiæ Ducem*, *Fridericum Palatinum*, *Georgium Brandenburgicum*, *Ernestum Luneburgicum*; protestatus adversus Bavaros & Brunsuicensem. Consensit postea in *Joachimum Electorem Brandenburgicum*, cum aliqua tamen difficultate, præsertim cum ipse, rei bellicæ non satis peritum se esse, fateretur; professus denique ipse est, se non detrecturum fuisse munus illud, si Rex & Ordines id sibi voluissent concredere. Indictus simul fuit alius conventus *Norimbergæ* d. 13. Julii proximi habendus, in quo, relatione de visitatione Cameræ Spirensis, quæ decreta erat, audita, certi aliquid de judicio illo constitueretur, & deliberatio de bello Turcico continuaretur. In his Comitiis Spirensibus Fœderati Evangelici de suis negotiis separatas habuerunt consultationes, (*Reg. H. fol. 401. n. 150.*) & formulam conventionis d. 14. Apr. subsignarunt, in qua conjunctim operam promittunt ad reformationem Cameræ, mense Junio faciendam, ita ut veteres Assessores omnes dimitterentur: statuunt quædam de conciliandis inter fœderatos controversiis v. g. *Regis Daniæ* cum *Ducibus Pomeraniæ*, *Ulrici Würtenbergici* cum civitate *Eslingensi*, item de juramento a Deputatis fœderatorum præstando, qui ad decidendas lites adhibendi essent. Inveni quoque prolixam dissertationem de bonis Ecclesiasticis, *Buceri* manu conscriptam, quomodo nempe calumniæ adversariorum, quas identidem hac de re ingeminabant, refellerentur. *Goslariensibus* denuo auxilium promissum est adversus vim, quam a Brunsuicensi metuebant; actum etiam de recipiendo in fœdus *Sueciæ* Rege, id tamen cum aliis capitibus ad instantiam Norimbergæ Comitia dilatum fuit. Sed prælecto, ut moris est, decreto Comitiorum, protestati sunt publice Evangelici non tantum contra Pontificis acta, & Cameræ judicium, sed & de facultate adsciscendi novos fœderatos, nominatim *Elisabetham Erici* Brunsuicensis Ducis viduam, cum filio suo impubere. Quod attinet Pontificis consilia & Legationem, quam paucis verbis tetigit Maimburgius, plura ex *Pallavicino Lib. V. cap. XVII.* notari merentur. Commiserat Pontifex *Johanni Morono*, Episcopo tunc Mutinensi, & paulo post Cardinali, ut formulam de reformatione Cleri Germanici, a *Contareno* nuper Ratisbonæ conscriptam, in medium quidem proferret, sed ita, ut adjutor potius, quam exactor neglectæ disciplinæ, Pontifex videretur: Prudentiæ hoc tribuit *Pallavicinus*, *d. cap. §. 1* quod *gnarus esset Pontifex a nobilioribus plantis fructus vix primis digitis, quasi sponte porrectos, esse legendos, & solum a sylvestribus pertica decutiendos, quasi violenter exactos, contumeliosum etiam Germanis futurum esse* dictitabat, *si illi soli, non etiam Itali, reformarentur:* Quasi vero non majori gloria digni fuissent, qui primi abusus satis manifestos corrigerent; aut Christianismi leges non requirerent, ut quilibet a se ipso potius emendationem inciperet, saluti & conscientiæ sine mora prospiciens, quam ut alios expectaret. Verior cunctationis causa erat, ne Præsules Germaniæ, quorum potentia facilius, quam doctrina & morum exemplo, Lutheranismus reprimi poterat, offenderentur, & superesset, quod in Concilio ageretur, de quo jam satis certus erat Pontifex, quod ad capita religionis emendanda & conciliand a, profecturum non esset. De fœdere etiam Norimbergensi disputare cum Cæsare & Ferdinando jussus fuit *Moronus*, cum ob stylum, quo non satis prospectum fuisse dignitati Pontificiæ esse dicebat, (quo nomine declarationem impetravit) tum ob modum contributionis, quo gravari se querebatur Pontifex, & pro quarta sextam sumtuum partem offerebat. Hanc ajebat sufficere, quia in *fœdus illud coiret, ut caput Ecclesiæ* (*vid. d. cap. XVII. §. 4.*) Nescio quomodo hoc concilietur cum dicto Christi *Luc. XXII. 26. Vos autem non sic &c.* & an non Apostolorum successorem dicere decuisset cum Paulo *2. Cor. X. 4. arma militiæ nostræ non sunt carnalia:* Omitto, quæ de suppetiis Pontificiis contra Turcos jactat Pallavicinus. Quod locum Concilii attinet, simulavit Pontifex, se ipsum illi adfuturum esse; cum vero ob senium longinquum iter suscipere non posset, consequens erat, ut in Italia haberetur: metuendum etiam esse, si in Germania coiret, ne disceptatio a linguis ad gladios transiret. Igitur *Mantuam, Ferrariam, Placentiam* & *Bononiam* proponere debebat *Moronus*. Verum is manifestam repulsam evitaturus, consentiente Pontifice, quatuor illas urbes commendavit quidem, sed ita, ut magis serio *Cameracum*, & denique *Tridentum* in oratione sua, d. 23. Mart. in Comitiis habita, proponeret. vid. *Sleid. p. 400.* Scripto responderunt Ordines, *Catholici* nempe, ut se in subscriptione vocant, & rogarunt, ut Concilium *Ratisbonæ* aut *Coloniæ* indiceretur: quod si obtineri non posset *Tridentum* demum acceptant, *nempe ut tollantur dissidia & Christiana concordia redintegretur;* Sed quod in concilio tali futurum esse, nemo sanus sperare poterat. His ad Pontificem relatis diploma indictionis, d. 22. Maj. conceptum, postea in festo Petri & Pauli Apostolorum, d. 29. Jun. publicatum est, constituto Concilii initio in festo omnium Sanctorum, sive Kal. Nov. hujus anni: Scilicet, notante *Pallavicino lib. IV. cap. XVII. §. ult.* ut omen esset ad extinguendam hæresin, quam Lutherus illo die produxisset. Alias Pontificis cautelas circa habendum Concilium vide sis apud *Pallavicin. Lib. V. cap. I. §. 7. & 8.* De legatione Gallica ad Comitia Spirensia, & oratione a *Francisco Oliverio* d. 14. Febr. habita, consulendus est *Pallavicin. d. cap. XVII. §. 4.* & *Sleidan. Lib. XIV. p. 397. sqq.* Notabile est inter multa

Marginalia: (4) *Quæ tum ac belli contra Turcos.* — (5) *Evangelicorum in Comitiis Spirensibus tractatus particularis.* — (6) *Pontificia mandata Morono data.* — (7) *Catholicorum responsio.* — (8) *Legatio Galliæ Regis ad Comitia Spir.* — An. 1542.

An. 1541. multa alia elogium Germanorum, cum veterem & propriam eorum laudem esse dixit, ut, *sicut cum injuria aliena fines suos amplificare minime soleant, sic etiam fortiter depellant periculum, & pro libertate pugnent acerrime.* Omen hinc capiamus, ut, quemadmodum Galli nostro tempore, cum manifesta injuria & perfidia, ruptisque pacis & induciarum legibus alienos fines invaserunt, sic Germani, veteris virtutis memores, vaticinium hominis Galli impleant, & erepta feliciter recuperent, injurias etiam & sævitiam, inaudito inter gentes, ne dicam Christianos, exemplo, inermibus & dediditiis illatam pro meritis ulciscantur. Displicuit *Oliverii*, erudita licet & facunda, oratio, tum quod ignaviam persuadere vellet Germanis, tum quod suspectus esset orator, missus a Rege, qui bellum adversus Cæsarem non obscure moliebatur. Ita invisi pariter & irati clam discesserunt Oratores, offensi maxime importunitate *Cancellarii Moguntini*, qui, cum jussus esset rogare Legatos, ut Regem ad pacem servandam permoverent, minas adjecerat. Responsum postea Legatis Ordinum nomine, per epistolam missum est. In hac queruntur, quod orationis exemplum, sæpius licet petitum, & ad respondendum parati, non obtinuerint: Exhortationem ad pacem non improbant, sed in præsens defensionem adversus Turcos necessariam esse contendunt, Regemque, & ad auxilia mittenda, & ad servandam pacem, monent. Addunt, si quis, dum bellum cum Turcis gereretur, motus inter Christianos excitet, quærenda esse ad illum reprimendum media: Hoc comminationem quandam sapiebat. Ad Regem etiam literas dederunt d. 11. Apr. Ordines, in quibus eadem petunt & laudant Legatos, quod copiose & diserte locuti essent, dolent vero quod, non expectato responso, discessissent. Cæterum ut ex *Reg. E. fol. 55.* constat. literas Regis ad Electorem d. 19. Dec. 1541. datas Saxonicis Legatis in Comitiis exhibuerunt, quibus Rex petebat, ut fides illis haberetur: Nominantur *Franciscus Olyverius*, Eques auratus (*ornatus* scribitur) *Dominus de Villiers Lespon*, Ballivius Divionensis, *Hermannus Cruseus* Magister hospitii, *Maurus M[illegible]*, a cubiculo & secretis. Hos, cum mense Jan. mandata sua Saxonicis Spiræ exposuissent, hortati hi sunt ad pacem cum Cæsare colendam, & ad subsidia contra Turcos, sed responderunt Galli, *Regem suum in animum inducere non posse, ut eorum negotia promoveat & in tuto collocet, qui ipsum insignibus injuriis afficiant, neque se illorum potentiam suis impensis sustinere velle, qui postea & ipsi & Germanorum libertati majoribus opibus & vi incumberent*; (hæc in Austriacos vibrabantur) *Electori vero Saxoniæ præcipuo amico, cujus præclarum animum erga se & singularem virtutem, fidem & constantiam multis argumentis perspexerit, non esse defuturum, maxime si quidam hostes nominis Christiani in Electoris fines impellerent.* Qui inter Legatos *Cruseus* (*de Crois*) nominatur, Reginæ Navarreæ Cancellarius erat, & Evangelicæ doctrinæ favebat; dicebat, cessare nunc persecutiones in Gallia, & multa de Regis erga Electorem & ejus socios benevolentia jactabat. Aderat etiam *Georgius Recrodus*, alibi memoratus, Tribunus Germanus, Gallis militans, qui a Rege sibi sancte affirmatum esse testabatur, nullam ipsum cum Turcis societatem habere. Saxonici, præter verba decentia, nihil cum Gallis tunc temporis tractarunt, neque promissis illis inescari se passi sunt. Odiosi etiam ideo fuerunt alteri parti Galli, quod Quadragesimæ tempore, cum Spiræ essent, carnibus vescerentur, eatenus nimirum Lutherani. *Raynaldus in hoc anno n. 10.* contenta orationis, ab *Olivario* habitæ, prolixe exponit ex *Belcario*.

(9) *Ejusdem ad Electorem Sax. litera.*

(10) *Alia quædam ex legatione Gallica.*

ADDITIO.

Mandata Pontificis Morono d. 8. Jun. data (de quibus hoc §. *num. 6.* quædam ex *Pallavicino* notavimus) integra refert *Raynaldus* hoc anno *n. 1. & sqq.* Fatetur Pontifex (*n. 2.*) in Ecclesia Christiana & in Clericorum ordinibus multa, ut temporis longitudine humanis omnibus accidere solet, in deterius prolapsa esse, nec opportunum solum, sed propemodum necessarium esse, ut reformatio fiat ad pristinum statum Christianum, quo Deus magis propitius reddatur, & populus Christianus melior magisque orthodoxæ fidei cultor. Ideo, ait, Legato *Contareno* reformationem in Germania demandatam fuisse, quemadmodum instituta sit in curia Romana, & in universa Italia, ac demum in aliis Christianis nationibus. Quis hic non meram hypocrisin, immo ludibrium manifestum, sub titulo & nomine summi Pontificis & Pastoris, qui in exordio professus erat, se pro orthodoxa pietate conservanda opes omnes & vitam quoque libenter impensurum esse, Deo & Ecclesiæ ejus illatum, animadvertat & deploret? Qualis nempe fuit reformatio curiæ Romanæ, qualisque futura venditabatur Italiæ & aliarum nationum, talis etiam erat, quam in Germania meditabatur, id est, nulla. Necessarium utique erat, non *propemodum*, ut scribit Pontifex, sed *omnino & prorsus*, ut populus melior fieret, magisque orthodoxam fidem coleret; sed quis credat id cordi fuisse Pontifici & Clero, qui facta, quæ secuta sunt, ipsiusque Concilii Tridentini decreta cum his verborum ampullis contulerit? Allegat quidem errorum & lapsuum causam, *longitudinem temporum & humanam fragilitatem*; immemor forte, quod & ipse frequentissime jactabat, & hodie crepant omnes reformationis osores, ideo constitutum esse vicariatum illum Christi in terris, & infallibile in regenda Ecclesia & conservanda fidei puritate tribunal, ut perpetua conservetur orthodoxia, nulloque temporum aut hominum lapsu corrumpatur, aut certe doctrinæ & disciplinæ defectus a supremo illo orbis Christiani Principe facile corrigantur; quod cessante illa potestate impossibile esse putant, & hanc ob causam Ecclesias Evangelicas confidentissime, tanquam capite & norma destitutas, spernunt & damnant: Sed ita proditur infirmitas illius assertionis, quæ si vera esset, errores & abusus crassissimi per tot secula in Ecclesiam invecti semperque aucti non fuissent, vel vitari & emendari potuissent: Nulla enim temporum longitudo auxilium & inspirationem Spiritus Sancti, quam cathedræ Pontificiæ promissam esse dicunt, debilitasset. Quia vero tanta & tam diuturna corruptio secuta est, satis inde colligitur non solum negligentia & vitium hominum in cathedra sedentium, sed & hujus ipsius lapsus & inutilitas; aliaque via & ratio quærenda est, per quam Ecclesiæ reformatio obtineatur, quæ alia non est, quam quæ a Protestantibus indicata, & ubi licebat, adhibita fuit, verbi divini regula. Quale vero frigus in se ipso habebat Pontifex, tale etiam invenit in Episcopis Germaniæ. Ipse enim refert, (*num. 3.*) hilari quidem animo *Contareni* propositionem exceptam ab illis, sed nihil præstitum fuisse, quam quod scripto edi sibi postulassent, quæ *Contarenus* desideraverat; hunc vero, instante conventus fine, & ob temporis brevitatem, nihil agere potuisse. Ita Pontifex. Sed quis *Contarenum* impedivisset, quo minus, tanti negotii causa, etiam post Comitia cum Epi-

(a) *Demandatu Pontificiu ad Moronum ex Raynaldo quædam, cum expensione.*

An. 1542.

Episcopis tractare potuisset? Quod igitur tantæ dignationis Legatus infectum reliquit, id inferioris notæ Nuncio, *Morono*, frustra committebatur. Quapropter pulcher ille fucus, qui *n. 5.* subjungitur, & quem pro summæ prudentiæ specimine a *Pallavicino* laudatum *d. l.* retulimus, non nisi pallium & crusta fuit, enixæ in Pontifice & aula Romana voluntatis, ut nihil fieret, quod reformationem saperet, nedum re ipsa promoveret. In fœderis, quod Catholicum vocant, negotio, parum contentum se esse, significat Pontifex: Queritur enim, quod formula ejus ostensa *Contareno* non fuerit, putatque ejus renovationem necessariam non fuisse, cum ipse in priori formula comprehensus esset, comprobare igitur novas leges non vult, tum quod quædam in iis sint, quæ personæ suæ non conveniant, tum quod pro nimio & injusto habet, ut quartam sumtuum partem conferret: Itaque non nisi generalem pro viribus opem aut sextam denique partem offerre jubetur *Moronus*. Æque laxa & tepida sunt, quæ (*n. 6.*) de auxiliis contra Turcos a se petitis Nuncio mandat; tanto vero asperiora, quod Protestantibus, quos Cæsar humaniter a Pontifice tractari desiderabat, omnem tolerantiam & concessionem denegat, dicens, se nec posse nec debere, licet universa autoritas a Christo sibi sit concessa, absque Concilii, quod instabat, deliberatione & consilio aliquid statuere. Condemnare nempe poterat, proscribere, & ad sævissima supplicia destinare, & fœdera ad exequendas diras illas inire, idque ex autoritate Christi; (cujus titulo abutitur.) Sed hæc eo non valebat, ut manifestos errores corrigere, & evidentissimam doctrinæ veritatem admittere posset. Hoc ad Concilium, excusandæ tantum moræ & dicis causa, rejiciebatur, quod inde patet, quia nullum illi definiendi jus, sed saltem deliberandi & consulendi tribuit, reservata eo ipso sibi soli absoluto imperio. Reliqua in his mandatis ad locum & tempus Concilii pertinent: Locum non vult, nisi in Italia, ex rationibus sæpe adductis, minime tamen legitimis, Tempus tunc in Pentecosten conjecit, quo Spiritus Sanctus (ut ait), ex cœlis descendens, in Synodum etiam descendere dignaretur, quasi scilicet hac commoditate, quam sibi in deligendo loco Pontifex procurabat, Spiritus Sanctus opus haberet, & per occasionem festi ad Concilium veniret. Cum vero tempus hoc differendum esset, non minus fausto omine, festum omnium Sanctorum pro Concilii inchoatione delegit; immo hoc magis conveniebat Ecclesiæ Romanæ, quæ maximam & lucrosissimam cultus partem in Sanctorum veneratione constituit. Diploma indictionis integrum exhibet *Raynaldus*, (*n. 13.*) longa narratione actorum Pontificis, in Concilio primum *Mantuæ*; dein *Vicentiæ* indicendo, refertum. Habet inter alia acrem reprehensionem Ducis *Mantuani*, antea quidem jam publicatam, quod concedi sibi postulasset, quæ ab institutis majorum, conditione temporum, & Pontificis atque Sanctæ sedis nominisque Ecclesiæ dignitate & libertate plane fuissent aliena. Improbat inde tractatum concordiæ cum Lutheranis, quos tamen hic modeste vocat *dissentientes*, & palam testatur, se articulorum Ratisbonæ postulatorum tolerantiam concedere nequivisse, obstante scilicet, ut dicit, Christiana & Catholica veritate, & sedis Apostolicæ dignitate. Significat denique metum quendam de successu Concilii, & indictionem, post languidam illam narrationem, paucis verbis absolvit: *Indicimus*, ait, *Concilium sacrum, œcumenicum & generale in civitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibusque nationibus opportuno ad Kal. Novemb. anni præsentis incipiendum, prosequendum, & adjuvante Domino, ad ipsius gloriam atque laudem, & Christiani totius populi salutem, absolvendum & perficiendum.* Attulit diploma hoc ad Conventum Norimbergensem *Otto Truchsesius*, tunc Cubicularius Pontificis, postea Episcopus Augustanus & Cardinalis, & responsum a parte Romano Catholica tulit, quale desiderabat. Verum de Protestantibus (*n. 16.*) acerbe, ut solet, queritur *Raynaldus*, quod *pertinacia & perfidia obduruerint, & Concilii Domini, non vero rei violatæ religionis esse, & impostorum suorum*, (Concionatorum) *deliramenta Concilii decretis anteferre voluerint.* Placuisset scilicet *Raynaldo*, si Protestantes in scamno reorum sordidati statim consedissent, & porrecto collo capitalem subiissent sententiam. Interim proterve illis pertinaciam imputat, quam constantiam nominare debuisset; perfidiæ vero crimen incurrere non poterant; qui Pontifici fide obstrictos se esse negabant. Minus mirandum est, quod pro deliramentis habet *Raynaldus*, repleto scholasticis nugis capite, sapientiam Evangelicam, quæ mundi sapientibus semper fuit eritque stultitia. Præterimus cætera, quæ ad bellum Gallicum & Hungaricum, & ad irritas Pontificis de pace Legationes pertinent. Notabilius est, quod de *Contareni*, qui d. 24. Aug. hoc anno *Bononiæ* decessit, laudibus ex *Joh. Casa* affert, (*n. 23. sqq.*) maxime, quod Pontifex eum, ut magnum virum, utilemque Reipublicæ Romanæ civem, &, qui etiam Protestantibus ob eruditionem & continentiam laudatus fuerit, serio luxerit. Defendit etiam eum *Ludovici Beccatelli* testimonio *n. 25.* ab imputatione, quod *Bernardino Occhino*, Cappuccinorum Generali, sed deserto monachatu in errores lapso, faverit & ante mortem cum eo familiariter collocutus fuerit. De hoc homine plura postea, sed ex autoribus, qui extant, *n. 56.* addit.

(b) *Monita Pontificis [illegible] Contareno, & aliis quædam.*

(c) *De loco & tempore Concilii.*

(d) *Contenta diplomatis, quo Concilium indictum est.*

(e) *De Contareno & Occhino quædam.*

§. XCV.

Cum Protestantes ad societatem belli adversus Turcos, magno cum sumtu suo, induci se passi essent, & jam quietiora sibi pollicerentur, instante, quam per tot annos flagitaverant, & jam stipulati in duobus Comitiis erant, reformatione Cameræ Imperialis, mox tamen deprehenderunt, minus sincere secum agi. Miserat Elector, ut Spiræ decretum erat, Legatos ad visitationem Cameræ, *Erasmum a Minckvviz*, equestris Ordinis virum, Præfectum in Belzig Juriumque Doctorem, & *Benedictum Pauli*, Jureconsultum Wittenbergensem. His vix domo profectis, (*Reg. H. fol. 403. n. 151. A.*) adfuit in aula Electoris *Guilielmus Baro Schvvarzenbergius* Ferdinandi Regis structor (**Fürschneider**) cum mandatis Heri d. 2. Jun. Viennæ literisque Cæsaris d. 7. Maji Vallisoleti in Hispania datis, quibus significabatur, suspendendam esse visitationem illam ad Cæsaris usque adventum in Germaniam: ita enim illum instructum & monitum esse, (**sey ihm allerley bericht und warnung geschehen**) quod sine motu negotium illud expediri non possit. Graviter hoc tulit Elector, neque id apud ablegatum Regis dissimulavit, intolerabilia esse dicens, quæ a Camera paterentur Evangelici; simul Legatis suis Spiram missis rescripsit, se quidem Cæsari haud libenter contradicere, neque tamen in suspensionem visitationis consentire posse, nisi etiam jurisdictio Cameræ suspenderetur; videri itaque sibi necessarium, ut cum fœderatis hac de re consultaret; ab hac enim pacem & quietem patriæ dependere, neque alia conditione auxilia ad bellum Turcicum promissa esse; interim illi cum præsentibus aliorum ad visitationem deputatorum Procerum Legatis deliberarent, num visitatio procedere deberet, aut saltem recusatio nomine Evangelicorum publice intimanda esset. Sed præter Wurtenbergicos nemo ad aggrediendam visitationem animum sumere voluit, hærebantque inprimis Legati Augustani & Ulmenses, novisque mandatis opus sibi esse dicebant. Omnes tamen consenserunt, ut protestatio fieret de non agnoscenda Cameræ jurisdictione, nec tribu-

(f) *Visitatio Cameræ suspenditur a Cæsare & Ferdinando contradicentibus Evangelicis.*

An. 1542. tributis ad salaria judicum conferendis, nisi facta prius reformatione. Hoc itaque denunciatum fuit a fœderatis Cancellario Moguntino *D. Jonæ* homini illis valde iniquo, item *D. Melchiori Klingio* & *Joh. Fabro*, qui Electoris Brandenburgici nomine aderant, & Cæsareo mandato morem gerebant, nec non Legato *Hildesiensis* Episcopi. Eadem denunciatio facta est judicii Cameralis Præsidi, *Johanni Comiti Montfortio*, exhibito ei instrumento protestationis, coram Notario & testibus, d. 26. Jun. quod ille tamen non accepit, sed in mensa depositum reliquit. Hoc rerum statu, cum neque Camera a persecutione Evangelicorum cessaret, & ex Catholicis potentissimi quique declarationem Cæsaris & Regis de suspendendis processibus in dubium vocarent, palam dicente *Eckio*, Consiliario Bavarico, assuefaciendum non esse Cæsarem (man müste den Käyser nicht dran gewehnen) ut, quæ Ordines decrevissent, suis declarationibus enervaret; deinde *Henricus* Brunsuicensis, spreta Ferdinandi Regis legatione & adhortatione, a minis & insultibus adversus Goslarienses non desisteret, adactos se esse existimarunt Elector Saxo & Landgravius, ut periculum a se & sociis, oppresso Henrico, averterent. Comparato itaque exercitu, antequam Comitia Id. Jul. Norimbergæ indicta inciperent, Brunsuicensem Ducatum invaserunt, & intra duos menses totum in potestatem redegerunt. Hujus expeditionis mentionem cur Maimburgius, minutiora licet aliquando, magisque a proposito aliena sectans, omiserit, causam ignorari a me fateor. Percepta ejus fama Ferdinandus, cum jam in itinere Norimbergam versus esset, misso iterum Schvvarzenbergio, dehortari Electorem a bello cœperat, sed cum hic in proposito persisteret, in Comitiis effecit, ut Legati in castra Fœderatorum suo & Ordinum nomine mitterentur. Extat horum relatio d. 16. Aug. in qua narrant, se exercitum Saxonis & Landgravii invenisse 4000. equitum & 15000. peditum lectissimorum, his accurate solvi stipendia, & exactissimam servari disciplinam, nullumque provincialibus, ne monasteriis quidem aut Clericis, damnum inferri: Occupatum jam esse totum Ducatum, præter duas arces *Guelferbyti* & *Steinbruccæ*: (quæ tamen post paucos dies fœderatis deditæ sunt) Præterea Duces fœderis affirmare, se nihil hostile contra quemcunque alium moliri, totumque exercitum, si id peteretur, & stipendia numerarentur, illico in Turcos ducturos esse: His ita comparatis, intempestivum sibi visum esse scribunt, ut mandata inhibitoria, quæ acceperant, insinuarent & victores exacerbarent, cum *Henrico* etiam, ut jussi erant, nihil agi posse, quod ex provincia aufugisset.

(2) *Saxo & Landgravius Ducatum Brunsuicensem occupant.*

(3) *Legatorum ex Comitiis in Ducatum missorum relatio.*

ADDITIO.

(a) *Consolatoriæ Pontificis ad Henricum Brunsuicensem literæ.*

Sterile solatium *Henricus* Dux ex epistola Pontificis, d. 29. Sept. ad se data, accepit, quam *Raynaldus n. 38.* producit. De calamitate sua scripserat Romam, & quendam *Paulum Scubingerum* miserat; Responsum tulit, dolere Pontificem ob casum *Henrici*, omnemque curam & providentiam pro conservatione veræ religionis & Catholicæ fidei polliceri, pro *Henrico* vero ad Cæsarem & Ferdinandum scripsisse, Nunciumque suum ad conventum, *Landshuti* in Bavaria (ibi tunc versabatur *Henricus*) habendum, instruxisse.

Scripserunt deinde Elector & Landgravius d. 29. Aug. ipsi Ferdinando Regi, & reddita denuo factorum ratione, pacem se servaturos, & copias contra Turcos submissuros esse, asseverarunt, aut exauctoraturos, si uti illis nemo vellet. Cæterum quo minus exercitum fortissimum in Turcos duceret Ferdinandus, aut pecuniæ inopia, aut invidia illorum obstitit, qui Evangelicis materiam bene de Rep. merendi subtrahebant, etsi magnis Regis copiis, (numerus enim supra LX. millia erat) nihil in Hungaria hoc anno gestum esset. Hoc Ferdinandus ipse in conventu Norimbergensi fassus est. Adjuncti illi erant a Cæsare *Christophorus Episcopus Augustanus*, *Fridericus Comes Palatinus*, *Bavariæ Dux*, *Fridericus Furstenbergius*, & *Hugo Montfortius*, Comites, cum *Johanne Navio*. Excusavit se Cæsar, quod morbo impeditus exercitum, ut constituerat, ipse in Turcos non duxisset, obstitisse etiam Gallorum in Belgio & Italia machinationes. Promisit denuo adventum suum in Germaniam hoc ipso anno, & quod interim maritimum cum Turcis bellum gesturus esset: De concordia in religione præsentem se diligenter acturum esse pollicebatur. Ferdinandus de multis questus est, qui suppetias Spiræ promissas aut nullas aut integras non submisissent, aliosque sumtus detrectassent: Hoc tamen ad Protestantes non pertinebat, qui egregia contra Turcos auxilia secundum decretum Spirense miserant, & *Mauritius* Saxoniæ Dux voluntarie ad militiam illam profectus præclara fortitudinis specimina edidit, non sine vitæ periculo, ex quo illum satelles *Johannes*, (quanquam in prænomine varient scriptores) *a Reipitsch*, nobili in Lusatia familia natus, eripuit, Principi, qui, confosso equo, in terram effusus erat, toto corpore incumbens, donec advenientibus in subsidium suis, inter quos *Melchior a Wangenheim* ex nobilitate Thuringica, nominatim laudatur, hostes pellerentur. *Reipitschius* multis acceptis vulneribus in castra relatus, paulo post interiit. Superest hujus fidelitatis memoria, constituta & continuata huc usque pensione quadam uni ex illa gente. Memoratur etiam Ferdinandi Regis dictum in relatione Actorum 1542. *Tom. VIII. Alt. fol. 207.* Audito enim strenuo illo *Reipitschii* facto, exclamasse fertur: O *quam pretiosa res sive thesaurus est minister & subditus fidelis, qui corpus & vitam pro Principe suo exponit, ubi necesse est.* Notandum est, Electorem & *Mauritium* Ducem auxilia quidem, ut dictum est, præstitisse, sed contributionis modum, qui Spiræ a plerisque decretus erat, & in Recessu legitur, collectationem nempe virilem, & taxationem annuorum omnium redituum (den gemeinen pfennig) non admisisse, sed servasse veterem, quem ab expeditione Romana (den Römerzug) denominant, licet etiam hoc gravatos se esse ostenderent, cum post divisionem inter *Ernestum* & *Albertum* fratres, (avos Principum) singulæ portiones tantundem contribuere cœpissent, quantum ex tota regione ante divisionem solvi solebat. Vereri autem se dicebant, capitatione illa numerum & opes omnium civium suorum propalari, futuros tamen alios, qui candide & fideliter id non essent facturi. Permoverant fœderati *Albertum* Borussiæ Du-

An. 1542.

(4) *Electoru & Landgravii excusatio & ...*

(5) *Propositio in Conventu Norimberg.*

(6) *Digressio de auxiliis contra Turcos a Protestantibus & speciatim a Mauritio Duce, præstitis.*

(7) *De modo collectandi.*

(8) *De Alberto Bo-*

An. 1542.

rusia Duce.

Ducem, licet proscriptione Spirensi vehementer offensum, ut turmam equitum ad bellum Turcicum mitteret, quo ejus obsequio impetratum est, ut proscriptio illa ad anni tempus suspensa fuerit.

(9) *Acta in Comitiis Norimberg.*

Cæterum in Comitiis illis non nisi de rectius præstandis & continuandis auxiliis contra Turcos tractatum, & de bello Brunsuicensi disputatum fuit, cujus tamen successus autoritatem & securitatem Evangelicis tunc peperit, ringentibus licet æmulis, inter quos præ aliis malignus erat, is quem dixi Cancellarius Moguntinus, qui, ut referunt Legati Saxonici, ægerrime consensit, ut apologia fœderatorum pro expeditione illa prælegeretur: Cum vero remorari id tandem diutius non posset, lectorem constituit, qui sine tædio etiam adversariorum audiri non potuit. Ferdinandus Rex Senatui Norimbergensi aliquid circa exercitium religionis Evangelicæ inhibuerat, sed obtemperatum illi non est, prohibiti etiam sunt a Senatu Franciscani, quorum aliqui in monasterio supererant & alebantur, ne Missas in hospitio Nuncii Pontificii celebrarent. Publicato inde Comitiorum decreto d. 26. Augusti. contradictum fuit ab Evangelicis, tum Pontificis causa, comparitionem ad Concilium per Nuncium urgentis, tum propter modum collectarum, de quo dictum est & maxime ob neglectam Cameræ reformationem. Referunt Legati Saxonici d. 20. August. *(Reg. H. fol. 421. n. 154.)* Ferdinandum suo & Cæsaris nomine paratum fuisse ad pacem stabilem concedendam, sed repugnasse ordines pontificiarum partium, & defectum mandati obtendisse.

§. XCVI.

Quæ Maimburgius de *Nicolao Amsdorffio*, ab Electore Saxoniæ ad Episcopatum Numburgensem promoto, affert, paulo prolixius ex anni præcedentis actis repetita exequar, cum in Episcopatu illo per annos septendecim Cancellarii munere functus sim.

(1) *Descriptio Episcopatus Numburgensis.*

Diœcesis *Numburgensis*, quoad jus Episcopale & Ecclesiasticum, fines olim habuit ab Occidente ad Orientem inter Salam, Plissam & Muldam, amnes Thuringiæ Orientalis & Misniæ, tum a Septentrione, sive a limitibus Merseburgensis Episcopatus ad Bohemiam usque, meridiem versus, haud spernendo tractu terrarum per territoria Electorum & Ducum Saxoniæ, & Dynastarum Ruthenorum & Schönburgiorum in Voigtlandia, diffusa. Sed jurisdictionis sive territorii aut temporalis, quod vocant, patrimonii Episcopalis termini, ad quos etiam jus Diœcesanum post pacificationes de religione publicas in Germania Evangelica, hodie restrictum est, arctiores sunt. Urbes duæ subsunt Episcopo vel Administratori, *Numburgum*, ad dextram Salæ ripam, & *Ciza*, quinque fere horarum a Numburgo itinere, ad Elystrum amnem. *Numburgi* appellatio ex re nata est, novum enim castrum vel oppidum munitum significat, quod, ut conjicitur, *Henrico I.* sive *Aucupe* imperante, in locum, quo nunc jacet, translatum fuit, cum antea in vico ad Salam proximo, qui *Altenburgi*, sive veteris castelli nomen retinuit, ædificatum esset. *Cizam*, Henetis (den Wenden) olim habitatam, omissis fabulis & allusionibus, a tritico nominatam esse existimaverim, cujus fertilem agrum habet. *Cit* autem, sive *Zit*, lingua dictæ gentis triticum significat, unde & *Zittavia*, Lusatiæ urbs, nomen traxit. Episcopi cathedra, quam vocant, *Cizæ* primum erecta fuit, *Ottonis I.* sive Magni auspiciis anno Christi 968. ædificato templo, sive basilica, (ein Dom) non spernendi operis, cui adjuncta fuit curia, seu aula Episcopi. Sed post annos sexaginta Cathedralis Ecclesiæ honor *Numburgum* translatus est, condito prope urbem illam, Septentrionem versus, templo eximio, & suburbio spatioso, muris cincto, quod vulgo *Immunitas* (die Freyheit) dicitur, ubi Canonicorum domicilia constituta sunt. Mutationis rationes in diplomate *Conradi II.* Cæsaris anno 1032. allegantur, firmitas & augmentum religionis, munitior enim atque opulentior erat urbs Numburgensis. Domicilium tamen pro more, ut liberius viverent, non in urbe primaria, sed *Cizæ* constituerunt Episcopi, ibique arcem cum templo, fossa & muris communiverunt. Illam vero, & bellorum injuria & vetustate corruptam, & rudi opere olim constructam, diruit, & ex fundamentis novam, digna genere & virtute sua magnificentia, condidit & *Mauritioburgum ad Elystrum* (aliud enim eodem nomine supra Dresdam situm, Electorem *Mauritium* conditorem habet) vocavit Reverendissimus & Serenissimus Princeps *Mauritius*, Dux Saxoniæ, Johannis Georgii I. Electoris Saxoniæ filius quartogenitus, Herus meus, immortali memoria & laude dignissimus, qui d. 4. Decemb. 1681. animam cœlo reddidit. Templum *Cizense*, quod Cathedrale fuerat, *Collegiatum* mansit, ea tamen cum prærogativa, quam transactione anno 1231. ab *Henrico VII.* Imper. confirmata obtinuit, ut Præpositus Cizensis semper tertium in Capitulo Numburgensi, post Præpositum nempe & Decanum Cathedralem, locum & suffragium haberet. Castella cum pagis Episcopalis jurisdictionis, magna ex parte cis Elystrum jacent, Misniam versus, vendita *Brunoni* Episcopo sub finem seculi XIII. a Marchionibus Misniæ; reliqua circa Salam, haud procul Numburgo sita sunt. Illustria & equestria feuda, intra & extra jurisdictionis fines, plurima habet Episcopatus, Monasterio *Bozensi*, (Bose vel Bosau) quod Cizæ adjacet, dudum quidem destructo, nomen aliquod fecit monachus *Paulus Langius*, Cygneus, edito superiori seculo, post cœptam jam reformationem, *Chronico Cizensi* Latino, doctis non ignoto. Nostra ætate *Joh. Zaderus*, concionator templi Cathedralis Numburg. vir doctus, historiam Episcopatus duarumque ejus urbium ex bonis documentis Germanice compilavit, industria haud contemnenda, in qua tamen sunt, quæ emendationem poscunt: Asservatur manuscripta in Bibliotheca Reverendissimi & Serenissimi Principis, *Mauritii Guilielmi*, Saxoniæ Ducis, Administratoris Numburg. (Mauritii filii primogeniti) Domini mei Clementissimi, qui summi generis decori & patriis avitisque virtutibus, pro magna ingenii felicitate, uberrimam omnium rerum, quæ Heroum notitia dignæ sunt, cognitionem junxit. Sed hæc de Episcopatus situ & territorio sufficiant.

(2) *De Philippo Palatino, Episcopo Cizensi.*

Præfuerat illi ab anno 1498. *Johannes*, ex nobilissima *Schonbergiorum* equitum stirpe. Huic jam senescenti Coadjutor datus est anno 1517. *Philippus*, Philippi Electoris Palatini filius,

An. 1542. lius, commendatus Capitulo a *Friderico* Electore Saxoniæ & fratre ejus *Johanne* Duce, prælatusque fuit competitori, *Vincentio a Schleiniz*, qui postea Mersburgensem Episcopatum adeptus est, *Johanni* igitur anno 1520. defuncto successit pleno jure *Philippus*. Is beneficii hujus memoriam conservans, *Friderico* Electori Episcopatus tutelam, non solum, ut Patrono ab antiquo, sed & ut cognato & amico singulari, quem parentis loco venerabatur, sæpe commendavit, cum ipse, utpote *Frisingensi* etiam in Bavaria Episcopatu dotatus, raro Cizæ versaretur. Hinc etiam factum est, ut Vicarii & Consiliarii ejus, absente Hero, res graviores, non nisi ex consilio Electorum agerent, neque in causa religionis tam acriter, ut reliqui in Saxonia Episcopi, populi studiis & Principum desiderio resisterent, ut alibi annotavi. Aliquando tamen rigorem quendam exercuerunt Officiales, quos vocant, & Consiliarii ad Regimen deputati, inter quos, ut moris erat, Canonici primarium locum habebant; neque tamen facile quicquam executi sunt, protegentibus subditos Electoribus Saxoniæ, si querelas ad eos deferrent. Attamen vivente *Philippo* temperarunt sibi Principes, ejusque modestiam benevole respiciebant. Cum vero ille d. 6. Jan. 1541. decessisset, & de morte ejus fama ad Electorem *Joh. Fridericum* pervenisset, hic (*Reg. H. fol. 335. n. 134.*) Consiliariis, quos ad conventum, Numburgi a fœderatis tunc habitum, miserat, mentem suam aperuit, & jus vetus allegavit, quod *Episcopus Numburgensis non nisi cum consensu Principum eligi deberet*; se vero facile conjicere scripsit, a Capitulo electum iri aliquem ex suo numero, qui ad veri Episcopi munus, secundum præscriptum Apostolicum gerendum, idoneus non esset futurus: Deliberare igitur illos jussit, num Pastor Numburgensis *D. Nicolaus Medlerus*, Episcopus constitui posset, assignato illi mille florenorum salario, cæteris vero Episcopatus reditibus ad pias causas destinatis, & ut Canonicis sui proventus ad vitam relinquerentur. Ad hæc d. 11. Jan. Consiliarii responderunt: de morte *Philippi* nec sibi quicquam compertum, nec in urbe notum esse, ideo se non ausos, ut cum Canonicis hac de re agerent; finito etiam eodem prope die conventu, discesserunt. Sed mox, (ut ex Actis *Reg. B. fol. 190.* constat) certiori de morte Philippi nuncio allato, Elector, suo, & fratris *Johannis Ernesti* Ducis nomine, *Christophorum Taubenheimium* Altenburgi, & *Eberhardum a Thann* Wartenburgi Præfectos, cum mandatis d. 19. Jan. 1541. datis, Numburgum ad Canonicos misit, qui displicere Principibus dicerent, quod obitum Episcopi celassent, eosque hortarentur, ne inscio Electore, licet forte aliunde eo nomine urgerentur, ad electionem procederent, aut adigi se paterentur; Electorem enim & fratrem jure Principis eos defensuros esse, si cum consensu illorum agerent. Jussi autem sunt Legati protestationem interponere & jus Principum reservare, si forte ad electionem jam festinassent. D. 21. Jan. Legati primo *Cizam* venerunt, & intellecta ex Consiliariorum Episcopalium relatione morte *Philippi*, illis denunciarunt, ut pecuniam & pretiosa diligenter custodirent, neque in arcem Episcopalem quemquam sine venia Electoris

(3) *Consilia & acta Electoris Sax. de eligendo in Philippi locum Episcopo.*

(4) *Legatio ad Capitulum Numburg. & hujus responsum.*

admitterent. Inde *Numburgum* profecti d. 22. Jan. præsentibus Canonicis, *Georgio Forstmeistero* Seniori, *Casparo a Würzburg* Scholastico, *Bernhardo a Draschwiz*, *Christophoro a Stönz*, *Henrico a Bünau*, *Volrado a Schleiniz*, *Nicolao a Lochau* & *Sigismundo a Lindenau*, omnibus ex nobilitate, & *Jodoco Malero* Licentiato, mandata sua exposuerunt. Responderunt hi, se literas d. 19. Jan. ad Electorem dedisse & obitum Episcopi significasse; illas vero a tabellario, cum Principem *Altenburgi* non invenisset, ex inscitia reportatas fuisse, interea ad præcavenda, quæ metuissent, pericula, ad eligendum successorem festinasse, idque hoc ipso die aliis literis apud Electorem excusasse. Fassi deinde sunt, cum ante annos aliquot de *Coadjutore*, qui Philippo adjungeretur, tractatum esset, Legatos ad se ab Electore missos fuisse, qui denunciaverint, ne id absque Principis voluntate tentarent, idque promissum tunc & servatum quoque fuisse; verum hoc ad electionem, sede vacante faciendam, non pertinere. Hanc distinctionem pro cavillatione habuerunt Legati, & instrumentum a Notario conscriptum allegarunt, in quo Canonicorum confessio, coram Legatis illis facta, non solum de Coadjutoris, sed & de Episcopi electione, inscio & invito Electore non facienda, recitabatur. Ostenderunt deinde, quam gravis futura sit Principibus præcipitata a Capitulo electio, & inhibitionem addiderunt, ne electum in possessionem admitterent, nisi intellecta prius Principum voluntate. Ad hæc Canonici in distinctione illa sua perstiterunt, eamque alio instrumento, Capituli rogatu conscripto, contineri dicebant; paucos præterea tunc Canonicos adfuisse, quorum confessio nocere non debeat Collegio: Petierunt a Legatis, ut Principes placarent, efficerentque, ne facta jam electio impugnaretur, possessionis tamen traditionem, ut postulatum erat, dilaturos se esse promittebant. Quanquam vero Canonici electum non nominassent, compertum tamen a Legatis fuit, *Pflugium* electum esse. Elector jam antea cum *Pontano* aliisque, quid pro rerum statu juste & tuto agi posset, consultaverat, nec parvæ occurrerant dubitationes: Nunc, cum *Pflugium* tanta cum festinatione electum esse percepisset, aucta fuit ejus solicitudo & commotio, ita ut d. 26. Jan. 1541. Senatui Numburgensi scripserit, se quidem *Pflugii* dotes non ignorare, scire etiam, quod pro eruditione sua doctrinam in Saxonia receptam, & ab Electore & sociis in formula confessionis Augustæ exhibitam, pro pia & orthodoxa haberet; interim certum esse, quod eam nihilominus & contra conscientiam suam vehementissime impugnaret: ideoque non dissimulat, nullum a Capitulo eligi potuisse, qui sibi magis ingratus, molestus, & reformationi religionis inimicus esse posset: sibi vero curandum esse, ut pura Evangelii doctrina cum legitimo Sacramentorum usu in Episcopatu jam recepta conservaretur. Paulo post d. 3. Febr. Senatus Deputatos ad Electorem misit, enixe inter alia petentes, ut patrocinio suo veritatem religionis, purasque, quæ institutæ erant, ceremonias tueretur, consilium tamen simul rogabant, quomodo se erga Episcopum electum, quem

(5) *Rescriptum Electorale ad Senatum Numburgensem.*

An. 1542. quem sine dubio Cæsar defensurus esset, gerere deberent, ut fidei atque officio suo satisfacerent. Elector bene sperare eos jussit, suasitque, ut dilationem peterent, & rem ad se referrent, si vel a Capitulo, vel ab Episcopo ad juramentum subjectionis præstandum vocarentur. Postea d. 18. Febr. edicto monuit Episcopatus Ordines, ne ad indictas d. 20. Febr. defuncto Episcopo exequias, superstitione quippe infectas, comparerent: Senatui tacite permisit, ut occasione usi, sacellum D. Jacobi, quod ante urbem, portæ & munimentis vicinum & incommodum, atque jam tum desertum erat, nec non partem muri, quo cœmeterium templi parochialis cingebatur, ad dilatationem plateæ, destruerent. Hoc Senatus & cives impigre fecerunt, & a Capitulo, quod mulctam eo nomine dictaverat, ad Electorem provocarunt. Exhibitæ tunc literæ Capituli, d. 21. Febr. ad Electorem datæ, fuerunt, in quibus jam palam *Julium Pflugium*, sui Collegii Canonicum, & Præpositum Cizensem, unanimibus suffragiis a se electum esse significant, eumque Principi ob morum probitatem, genus honoratum, & singularem eruditionem atque industriam commendatum cupiunt, addita excusatione, quod proximis literis suis nomen ejus reticuissent, incertos enim fuisse, an electioni assensurus fuerit *Pflugius*. Natus is erat patre *Cæsare Pflugio, Eytræ*, opimi in Episcopatu Mersburgensi, haud procul Luzena & Lipsia prædii, Domino, & nobilissimis in Misnia familiis affinitate junctus, eleganter eruditus, & *Doctoris* titulo ornatus, *Moguntiæ, Misnæ & Numburgi Canonicus*, sed pertinacia in veteri religione (cum aliqua tamen reformatione) retinenda, & per sophismata excusanda, Electori, ut dixi, odiosissimus. Itaque ejus nomine ad literas Capituli Consiliarii d. 26. Febr. responderunt: minime placere Principi, quæ acta sint, neque *Pflugium* ex rationibus jam allegatis probari, Principem tamen jura Capituli conservaturum esse scribunt, modo Episcopum elegissent, vel adhuc eligerent, qui puritati religionis & paci studeret. Capitulum d. 21. Mart. respondens, jura sua jam confidentius adstruit, & Principes ad tutelam Episcopatus obligatos esse scribit, quod oppida & arces feudi jure ab Episcopis tenerent; repetunt etiam alia, quæ Legatis mense Januario opposuerant, laudantque denuo *Pflugium*, & dicunt, hunc seipsum apud Electorem excusaturum, & debito modo erga illum gesturum esse. Ad hæc d. 24. Mart. Consiliarii Electoris breviter replicarunt, Principem in priori sententia persistere. Hæsitante inde *Pflugio*, qui *Ratisbonæ* in Comitiis versabatur, an electioni insisteret, (unde & dilationem ad sex menses, diplomate Pontificis d. 16. April. dato, ad deliberandum impetraverat, addita tamen inhibitione, ne Capitulum ad aliam electionem procederet) ambigentibus etiam Canonicis, num aliam viam tentari satius esset, tres prope menses abierunt, & Elector sperare cœpit, *Pflugium* se invito Episcopatum non esse accepturum; sparsa etiam fama erat, illum ad *Episcopatum Eichstetensem* postulatum esse. Elector ergo negotium dedit (*) *D. Melchiori Crucio* (a Creutzen) Præfecto Colditiensi, & *Christophoro Taubenheimio* supra nominato, ut occasione nundinarum, quæ in festo Petri & Pauli Numburgi solenniter celebrantur, cum quibusdam ex Capitulo familiariter sibi notis & cognatis privatim agerent, causasque explicarent, propter quas *Pflugius* ad recusationem Episcopatus permoveri posset, aliusque ex Collegio eligi deberet, quem utique toleraturus & protecturus esset Elector, si religionis reformationi non adversaretur: Addere jubebantur, Pontificis confirmationem nullo jure niti, sed negligendam esse, & sufficere electionem Capituli, accedente Principum approbatione. Speciatim *Günthero a Bünau*, Decano, insinuare debebant, gratum fore Electori, si is ipse eligeretur, modo a persecutione Evangelii abstineret. Sed totus hic conatus irritus fuit. Refert enim *Crucius* d. 6. Julii, se quidem cum *Bernhardo a Drasschwiz & Christophoro a Stönz*, Canonicis, familiariter & libere locutum esse, illos vero jura Episcopatus, qui soli Cæsari subjectus, & non nisi protectionis jure Principibus obligatus esset, magnifice deprædicasse, & *Pflugii* electionem animose defendisse, neque motum rigidæ reformationis, quam Elector ex consiliis Lutheri instituturus esset, dissimulasse. Duo isti Canonici cum *Crucio* in Academia Wittenbergensi vixerant, satisque imbuti erant Evangelii doctrina; quapropter illos pro familiaritate admonuit, ut conscientiæ suæ consulerent, & de Episcopo eligendo cogitarent, qui munere illo secundum præscripta Apostolica fungi posset; dicebat etiam, alterutrum ex illis, ut & *Ulricum a Denstedt* (itidem Canonicum, sed nondum Capitularem) dignum Episcopatu esse. Sed ista omnia recusata fuerunt. Nec plus effecit *Taubenheimius*. Hic enim d. 22. Jul. narrat, se *Bünavium*, Decanum, ex morbo decumbentem convenisse, nihilque illum ex mandatis suis celasse; Hunc vero, in laude *Pflugii* & excusando illo ab omnibus imputationibus, prolixum fuisse, & asseverasse: nihil commune *Pflugio* cum consiliis Moguntini adversus Electorem fuisse, licet Moguntiæ, ut Canonicus Metropolitanæ illius Ecclesiæ, versatus sit; nullo igitur modo illum mereri, ut ab Episcopatu, ad quem legitime & a juratis electus esset, dejiceretur. Idem multa de Episcopatus juribus, & contra Principum prætensiones, disseruit, de se vero, data a *Taubenheimio* occasione, professus est, se ab Episcopali dignitate, & ætatis suæ & temporum consideratione, plane abhorrere, immo, si Episcopus esset, de abdicando munere cogitaturum. Supervenerunt illo tempore literæ Cæsaris ad Electorem d. 18. Jul. ex Comitiis Ratisbonensibus datæ, quæ *d. l. Reg. B.* authenticæ extant. In his non tam jubet, quam placide & graviter monet Principem, ne *Pflugium* legitime electum impediret, nec juribus Episcopatus, Imperii jurisdictioni subjecti, derogaret. Severiori stylo *Senatui Numburgensi & Cizensi* d. 22. Julii præcepit, ut electo *Pflugio* obsequium præstarent, & ab omni renitentia & jurium Ecclesiasticorum invasione abstinerent. Utrumque rescriptum *Hortlederus Lib. V. c. 12.* retulit. De Electoris exceptionibus partim ex iis, quæ recensuimus, uberius vero ex scriptis, sequenti tempore Cæsari exhibitis, constare potest; de quibus, cum non tam ad religio-

(†) De electione Julii Pflugii.

(*) Tractatus irritus cum Capitulo de eligendo alio.

(§) Cæsaris mandata de admittendo Julio.

An. 1542. gionem, quam ad controversiam de jure superioritatis & protectionis pertineant, plura non addam.

(9) *Electoris nomine occupatur Ciza.* Elector sui tenax propositi, ut *Pflugium* a possessione Episcopatus arceret, amplam legationem *Cizam* misit, *Johannem a Dolzig*, Equitem, *Eobaldum a Brandenstein*, Præfectum Vinariensem, *Erasmum Spigelium*, *Dietericum Starschedelium*, *Melchiorem a Creuzen*, *Justum ab Hayn*, *Henricum ab Einsiedel*, omnes Consiliarios & splendidæ nobilitatis, & *D. Philippum Rosenecerum.* Hi d. 18. Sept. 1541. *Wolfgango ab Ende*, cui a Capitulo præfectura arcis Cizensis commissa erat, cum armatis quibusdam ex improviso supervenerunt, eoque vespere & sequentibus diebus, ut jussi erant, frustra renitentibus & deprecantibus, qui aderant, Canonicis, *D. Melchiorem Crucium*, supra dictum, multa quidem causantem & prope invitum, Præfectum sive Capitaneum supremum Episcopatus constituerunt, qui cum Consiliariis Regiminis negotia omnia curaret, & nemini alii administrationem, sine præscitu & mandato Electoris, permitteret. Confectus est, jussu Legatorum, adhibitis ex nobilitate & civitatibus Episcopatus testibus, index rerum mobilium & pretiosarum a tribus Notariis. Secutum est luculentum Electoris ad Canonicos rescriptum d. 29. Septembr. serio adhortantis, ut in *Pflugii* locum alium eligerent, quem ipse pro conscientia & jure suo admittere posset; accesserunt Senatus oppidorum & quorundam ex Nobilitate preces, eadem flagitantium. Repetita sunt mandata, missis denuo Legatis Electoralibus d. 20. Octobr. Sed Capitulum negabat, se ab electione sua recedere posse, nisi *Pflugius* sponte sese abdicaret. At hic interea in Misniam venerat, indeque intercessores ex agnatis suis ad Electorem misit, prolixas quoque literas d. 23. Octob. ad *Electorem Brandenburgicum*, *Mauritium Ducem Saxoniæ*, & *Philippum Hassiæ Landgravium* dedit, jus suum speciose deducens, & se ab omni culpa purgare laborans. Neque tamen his omnibus flecti potuit Elector, ut ex responso agnatis *Pflugii* dato, iisque, quæ secuta sunt, satis liquet, exprobravit potius *Pflugio* omnia, quibus & se offensum, & religioni præjudicatum esse existimabat.

(10) *Notatur Maimburgius.* Ex his, quæ secundum fidem Actorum huc usque relata sunt, & ex Actis 1541. repetenda fuerunt, constare puto, futilem esse Maimburgii conjecturam, cum scribit: *Electorem, ex declaratione Cæsaris in Comitiis, in gratiam Protestantium exhibita, insolentiorem factum, Pflugio obstitisse.* Apparet enim illum a mense Januario hujus anni 1541. de repellendo *Pflugio* consilium cepisse, neque id unquam mutasse. Declaratio autem Cæsaris d. 29. Julii data est. Tam cito etiam, ut Maimburgius innuere videtur, ad *Amsdorffii* denominationem minime festinavit Elector, sed de hoc post longam demum moram & multiplicem deliberationem, tum quod alium magis idoneum invenire non posset, cogitavit. Sed antequam de hujus vocatione agamus, status religionis in Episcopatu describendus est.

(11) *Status religionis in Episcopatu,* Is hoc tempore talis erat, ut Canonici & maxima pars Cleri, nec non ex nobilitate quidam, vetera dogmata & ritus retinerent, sed oppidorum & pagorum incolæ, desiderio Evangelicæ doctrinæ flagrantes, in loca Electoralis ditionis proxime sita excurrerent.

An. 1541. *speciatim Numburgi.* Id inprimis Numburgenses jam ab aliquot annis fecerant. Ausus quidem erat anno 1520. quidam ex Clero, *D. Pfenningius*, Evangelicas conciones habere, sed is a Canonicis infestatus, posteaque, cum in Bohemiam aufugisset, retractus, & carceri ad mortem usque inclusus est. Bello rustico plebs importunior permissionem a Capitulo, ad accersendum concionatorem Evangelicum, impetravit; is erat *Johannes Langerus*, Wolckenhainensis, qui postea Coburgensium in Franconia Pastor fuit; sed tunc post quinquennium, anno 1529. d. 5. Jul. mandato Cæsaris publicato, urbe exactus est. Parochiale templum, S. Wenceslao dedicatum, ad curam Præpositi Cathedralis pertinebat, qui Vicarios, pro more, constituere solebat. Erat is illo tempore *Wolfgangus, Comes Stolbergius*; hunc cives rogabant, ut concionatorem Evangelicum præsentaret, quod cum renueret, ipsi vero alium ferre nollent, factum est, ut cultus publicus in urbe prorsus cessaret, & non nisi campanarum pulsu statis horis indicaretur, nemine sacra faciente, aut templum frequentante. Id anno 1531. accidit. Sequenti, quidam *Johannes Cramerus*, Evangelium concionari cœpit, sed & hic, adveniente cum armatis quibusdam Quæstore Cizensi, fuga sibi consuluit. Cum igitur eo tempore diebus Dominicis populus ad pagos vicinos, concionum audiendarum causa, excurrisset, orto d. 27. April. incendio, pars illa, quæ *Immunitas* dicitur, plus quam ducentis familiis habitata, deflagravit. Talibus periculis ut occurreretur, autoritate Electoris in æde S. Mauritii suburbana Pastor Evangelicus constitutus fuit, additusque, postea Diaconus, ob magnum civium concursum. Tentata fuit anno 1533. per Legatos Electorales concordia inter Capitulum & civitatem, ad majorem reformationis progressum, sed nihil tunc obtentum est. Impeditæ tamen sunt a plebe pleræque ceremoniæ, speciatim circa festum Paschale, collocatio statuæ Christi in sepulchrum cum pervigilio, itemque consecratio aquæ baptismalis. Miserat *Philippus* Episcopus concionatores ex Bavaria, quibus satisfieri civibus posse credebat, sed cum displicerent, cito abierunt. Anno 1536. rogatus Lutherus *D. Justum Jonam* & *D. Hieronymum Wellerum* misit, qui die passionis Dominicæ & sequenti Paschatos festo concionati sunt; sed *Wellerum* ob exilitatem vocis aspernati cives, cum honorario dimiserunt, *Jonas* ad autumnum usque mansit. Tentavit quidem Episcopus, ut minis & proposita exilii pœna impetum populi sisteret, sed studium hujus & protectio Electoralis reformationem promovit. Itaque anno 1537. *Nicolaus ille Medlerus*, Curia Variscorum (Statt Hoff im Voigtland) invidia quorundam pulsus, Pastoris & Superintendentis Numburgensis munus accepit, conscripsitque formulam rituum, a Luthero & Melanchthone comprobatam, quæ etiam adhuc magna ex parte retinetur. Anno 1541. *Medlerus* etiam in templo Cathedrali concionari cœpit, in quo tamen Canonici & Vicarii suos quoque ritus servabant, &

Missas

An. 1542.

(12) *Status religionis in urbe Cizensi.*

Missas celebrabant. Hæc *Numburgi* eo usque acta sunt. *Cizæ* tardius impetrata est religionis libertas, acrius eam impediente regimine, quod ibi præsens erat, Episcopali. Senatus quidem, a civibus impulsus, jam *anno 1533.* libello supplici a regimine Episcopali ministerium Evangelicum in æde parochiali S. Michaelis constitui petierat: acrius idem postulavit *d. 16. Decembr. 1534.* sed prolixo rescripto d. 18. Decemb. rejectus est, & affirmabat Præses regiminis satis provisum, quoad doctrinam & Sacramenta, secundum consuetudinem Ecclesiæ, nec sibi fas esse, contra decreta comitialia, antequam generali Concilio aliud definiretur, quidquam novi concedere. In eundem sensum *Philippus* Episcopus ipse, literis d. 10. Maji 1535. *Frisingæ* datis respondit. Repulsam etiam tulit Senatus, cum anno 1538. jam non conciones Evangelicas, sed leviora alia peteret, puta, ut mercatus hebdomadalis propter festa Apostolorum, ut fieri solitum erat, non intermitteretur, & ut mortuos extra urbem, ob nimiam cœmeterii angustiam, sepelire liceret. Rescripsit enim Episcopus d. 26. Maj. se religione impediri, quo minus contra morem majorum talia indulgeret. Cum vero cives a flagitatione concionatorum Evangelicorum non desisterent, & ad liberos suos instruendos ludimagistrum quendam conduxissent, iteratis vero Episcopi jussionibus, mandato etiam *Ferdinandi* Regis increparentur, neque quidquam precibus suis efficerent, tandem anno 1539. Senatum permoverunt, ut missis quibusdam sui ordinis, Electoris Saxoniæ opem implorarent. Is igitur responso d. 24. Octob. dato, propositum eorum laudavit, & protectionem obtulit, si vim a regimine Episcopali paterentur, recepit quoque, se apud *Henricum* Ducem Saxoniæ effecturum esse, ut moniales Cizenses, quibus jus erat pastorem in æde D. Michaelis constituendi, ad præstandum salarium ex reditibus, quos in ditione Henrici habebant, compellerentur; de cætero tamen hortatus est civitatem, ut Episcopo & regimini ejus, extra causam religionis, omne præstarent obsequium. Misit deinde, petente Senatu, *Eberhardum Brisgerum*, olim Priorem Augustinianorum Wittenbergensium, (cujus alibi mentionem fecimus,) tunc concionatorem Altenburgensem, ut pastoris & Superintendentis munus ad aliquot menses *Cizæ* obiret, quod ille d. 9. Nov. auspicatus est, & Diaconum sibi adscivit *M. Joh. Cramerum.* Sed huic regimen Episcopale minas intentabat, de quibus, cum Senatus d. 20. Nov. apud Electorem quereretur, hic d. 24. Nov. regimini satis severe scripsit, ut a vi abstineret, quod ni facerent, demonstraturum se esse, qua cura religionem complecteretur, & quod mandata sua impune non spernerentur: Diplomate etiam singulari *Cramero*, & qui ei successuri essent, de securitate cavit. Cum vero in altera urbis parochia ad *D. Nicolai* quidam *Matthæus Bock*, a *Julio Pflugio* Præposito Cizensi, patrono illius ædis, constitutus, acerbis declamationibus in concionatores templi Michaelitani debaccharetur, Senatus, præcavendi tumultus causa, ædem Nicolaitanam occludi fecit, & *Pflugium* rogavit, ut Evangelicum concionatorem ædi præficeret, vel jus patronatus Senatui conferret; verum is utrumque d. 6. Jan. 1540. modesto quidem stylo, recusavit. Annotatum reperio, transactionem quandam inter regimen Episcopale & Senatum, intervenientibus Canonicis, tam Numburgensibus quam Cizensibus, ipsoque *Pflugio*, Abbate item *Bosaviensi* & quibusdam ex nobilitate, initam fuisse, cujus tamen exemplum ad me non pervenit. Eodem anno 1542. d. 22. Jan. accepto ab Electore mandato, *Georgius Spalatinus*, Superintendens Altenburgensis, & *Henricus ab Einsiedel*, Consiliarius Principis, Cizam venerunt, & de ordine cultus publici salariisque ministerii certi aliquid constituerunt. Gravi jam senio *Cramero* Senatus alium Diaconum adjunxit *M. Jacobum Thammium*, Consulis *Galli Thammii* filium, cum consilio quidem *Spalatini*, qui tamen monuit, rectius facturos fuisse, si peregrinum vocassent, quia Prophetæ non solerent honorari in patria, eaque occasione *Friderici* Electoris Saxoniæ autoritatem allegavit, qui sæpe dictum illud Christi allegare & laudare consuevisset, simulque observasset, nullum sibi notum esse, quod a quatuor Evangelistis eodem sensu & iisdem pene verbis referretur. *Brisgerus*, quanquam Cizenses illum ob doctrinam & mores vehementer probarent, & apud Electorem laudarent, diutius tamen apud eos manendi veniam impetrare non potuit, sed circa finem Julii mensis *Altenburgum* rediit. Pastoris officium inde *Cramero* demandatum fuit, concionatoris vero munus cuidam *M. Severino* injunctum.

(13) *De Nicolao Amsdorffio ad Episcopatum vocato.*

Hoc religionis statu Elector, cum ad alium Episcopum *Pflugii* loco constituendum animum obfirmasset, neque consilium de quodam ex Capitulo, aut de *Georgio Anhaltino* eligendo procederet, animum ad vocandum *Nicolaum ab Amsdorff* appulit. Natus hic fuit familia equestri, sed in re tenui, *Tschepæ*, in districtu Wurzensi, in prædio paterno d. 3. Decemb. 1483. paucis diebus Luthero junior. Literarum studiis in pueritia imbutus, anno 1504. Magisterii gradum, deinde Licentiati, & locum inter Canonicos Omn. Sanct. accepit. *Magdeburgum*, ut alibi diximus, anno 1524. vocatus, Ecclesiastæ & Superintendentis munus huc usque gesserat, tanto cum applausu, ut, cum vocari eum ab Electore, ex literis, & misso in urbem *Bernhardo a Mila* Prætore Saxonico intellexissent, literis *d. 3. Jan. 1542.* ad Electorem datis, enixis precibus contenderent, ne illum evocaret; immo jam itineri paratum retinuerunt, & iteratis *d. 7. Jan.* literis, multis rationibus demonstrare conati sunt, quod Elector eum, tot aliis viris egregiis instructus, relinquere in statione sua deberet. Ipse quoque hoc civitatis studium animadvertens, licet antea assensisset, Electori tamen scripsit, se nihil magis optare, quam ut manere sibi liceret. Verum Elector d. 10. Jan. Senatum monuit, ad majorem Evangelicæ Ecclesiæ utilitatem respiciendum esse, nec defuturum, qui ei in munere sufficeretur, obtulitque illis ad tempus *Georgium Majorem*, tunc in templo Omn. Sanct. Wittenbergæ concionatorem, qui olim scholam Magdeburgensem rexerat. Properatum itaque iter *Amsdorffii* fuit, & habita cum Ordinibus Episco-

patus

An. 1542.

(14) *De Amsdorffii introductione, regimine & œconomia.*

patus deliberatione, solennis introductio secuta est. Adfuit illi *Elector* cum fratre *Johanne Ernesto*, itemque *Ernestus, Dux Luneburgicus.* Comparuerunt quoque ex Canonicis Cathedralibus *Ernestus Comes a Rheinstein*, Præpositus, & *Georgius Forstmeisterus* octoginta annorum senex; præterea *Thomas, Abbas S. Georgii* prope Numburgum; quidam etiam ex nobilitate Episcopalis ditionis, inprimis *Ehrenfridus ab Ende* in Kayna, & *Güntherus Bünavius* in Quesniz; tum *Lutherus, Melanchthon, Spalatinus* Altenburgensis, *Medlerus* Numburgensis & *Wolfgangus Steinius* Weissenfelsensis, Superintendentes, & hic quidem ex Ducatu Mauritii. De loco & tempore, cum alii minus accurate scripserint, *Spalatini MStum* tutissime sequemur. Memorat is mense Januario cum Comitia provinciæ Vinariæ haberet Elector, venisse eo agnatos *Julii Pflugii*, qui tunc in prædio Pflugiano *Knauthayn*, haud procul Lipsia erat, & conciliationem ejus cum Electore tentasse, ipsum quoque apud Ordines Episcopatus d. 15. Jan. publico diplomate testatum esse, se Episcopatum, ad quem electus fuerit, acceptasse, illumque administraturum esse, absque illius incommodo. (Fortasse hoc est id, quod *Hortlederus Tom. I. Lib. V. cap. XII. in fine*, eodem die datum refert & cujus *Lutherus* in tractatu infra referendo mentionem facit) sed Electorem suo institisse proposito & ablegatos illos Pflugii re infecta d. 18. Jan. dimisisse. Eodem die Lutherus cum collegis Numburgi adfuit, sequenti vero d. 19. Jan. Ordines Episcopatus eum per Deputatos convenerunt & consilium rogarunt, quomodo conscientiam liberare possent a vinculo juramenti, quo Capitulo obstricti erant; respondisse autem Lutherum, præferendam esse obligationem, qua Deo devincti essent, id quod postea in concionibus & publicatis scriptis prolixius deduxit. Postera igitur die d. 20. Jan. qui erat Veneris, inauguratio *Amsdorffii* solenniter peracta est concionante Luthero. Cantatus fuit hymnus Latinus *Veni Sancte Spiritus:* Post actum vero Ambrosianus Germanice; id placuit Electori, ut honorarium Cantori dari fecerit. Episcopus Theologos prandio excepit. Secuta die Sabbathi d. 21. Jan. ante meridiem *Amsdorffius* literas quas vocant *reversales* Ordinibus exhibuit, deinde homagium a Numburgensibus ei præstitum fuit. Formula juramenti, quod novo Episcopo præstitum fuit, discrepabat a veteri, insertis verbis, *quod parituri essent subditi Episcopo secundum verbum Dei & mandata Christi, qui verbum Dei pure doceret, & Baptismum atque Sacramentum cœnæ integrum ex institutione Christi administraret, sede vero vacante* (quo casu Capitulo Cathedrali parendum alias erat) *Ecclesiæ Numburgensi, illique Domino, quem Ecclesia ista, autoritate Principum Patronorum* (hæc quoque verba erant novi styli) *pro reformatione Christiana constitueret.* A meridie Episcopus cum duobus fratris sui *Bartholomæi Amsdorffii* filiis, itemque *Luthero* & *Melanchthone* Cizam profectus est, & sequenti die Dominica d. 22. Jan. concionem ex Evangelio, de sanatione leprosi habuit: a meridie Lutherus concionatus est, eadem ut puto sententia, ut Numburgi fecerat, & postea libello uberius complexus est. Episcopo, (qui cœlebs erat) ut piæ frugalitatis specimen daretur, non nisi sexcenti floreni annui deputati sunt, præter mensæ sumtum; cæteri reditus, in rationes redacti, ad pias causas destinabantur. Præfectus Episcopatus, sive *Capitaneus* (quæ dignitas veteri more præcipuo cuidam ex vasallis Episcopalibus conferri solebat) constitutus fuit idem, qui huc usque Electoris jussu ditioni præfuerat, *D. Melchior a Creuzen*, cui paulo post successit *Melchior a Wechmar.* Cancellarius vero *D. Franciscus Pfeil*, & mox *D. Nicolaus Reinaldus.* Animadversum est in refractarios quosdam ex nobilitate, confiscatione prædiorum, & custodiæ mandatus *Valentinus a Lichtenhayn* in Ezelshayn, cujus in mandatis Cæsareis, contra Electorem publicatis, mentio fit. Vix ullam Electoris *Joh. Friderici* actionem acriori censuræ expositam, aut majori specie reprehensam esse comperio, quam hanc *Amsdorffii* ad Episcopatum evectionem; idque ex actis ab *Hortledero* editis *d. Lib. V.* aliisque scriptoribus luculenter constat: rationes tamen ejus, præter politicas, Lutherus in edito libello, de quo dicemus, explicavit.

An. 1542.

ADDITIO.

(a) *Consilium primum Lutheri & Collegarum de eligendo Episcopo Numburg.*

Bis hoc anno (quantum ex Actis colligi potest,) in causa Numburgensi Theologi VVittenbergenses consulti ab Electore fuerunt, eorumque responsa *d. Reg. B. fol. 190.* asservantur. Primo subscripsere *Justus Jonas*, Doctor, *D. Mart. Lutherus* & *Johannes Bugenhagius.* In hoc sibi non liquere ajunt, num jus Principis, quod allegabatur, nempe; quod ipso inscio & invito eligi non potuerit Episcopus Numburgensis, certum & solide fundatum sit, ipsique supremum in ditionem Episcopalem imperium competat: Hoc vero si ita se habeat, ipsi non licere solum, sed incumbere, ut Canonicos ad eligendum talem Episcopum cogat, qualem Paulus ad Timotheum & Titum describit, & qui puritati doctrinæ, in Augustana confessione & Apologia comprehensæ, addictus sit; dudum enim Canonicos cultu idololatrico aliisque vitiis meruisse, ut serio corrigantur, idque subditos vehementer optare. Addunt tamen, quia Canonici omnibus modis repugnaturi sint, considerato præsentis temporis statu, & imminente belli Turcici periculo, sibi consultius videri, ut Elector quendam ex Principum familia eligendum commendet, per quem posthac reformatio promoveri possit: Si vero hæc obtineri sine vi nequeat, satius esse, ut negotium differatur aut dissimuletur, quam ut hujus causa turbæ & pericula excitentur, conscientiæ enim interim satisfieri, quod incolæ Episcopatus libertate doctrinæ Evangelicæ fruantur. Huic responso dies & locus non est adscriptus; extat autem *Lutheri* epistola d. 24. Jan. (1541) ad Electorem data, in qua sese excusat, quod angina laborans accedere Principem non possit, neque multum hac de causa loqui aut scribere, ad *Pontani* itaque, *Jonæ* & *Pomerani*, qui Lochaviam venturi sint, sententias illum remittit, & quamvis ipse quoque in his literis acerrime in Canonicos invehatur, quod mortem Episcopi celaverint, & ad electionem malitiose festinaverint, moderationem tamen suadet, proverbium populare allegans, quo celeri cursu pertingere non liceat, tardo tandem gradu perveniri. (**was man nicht erlauffen kan/ das kan man zuletzt erschleichen**) *DEUS*, ait, *nihilominus aliquando hæc tibi prorsus in manus tradet, & sycophantas illos in calliditate sua capiet.* Hoc, mutatis licet personis, post mortem *Julii Pflugii* effectum habuit, delato Episcopatus jure, per postulationem Capituli Cathedralis, ad filios *Augusti*, Saxoniæ Electoris, in cujus posteritate id etiamnum durat, pactis & investituris Cæsareis firmatum. Sic religioni & emolumento studiorum Academicorum & scholasticorum, nec non ministerii Ecclesiastici multis modis prospectum, & con-

An. 1542.

conservato Canonicorum statu, etiam nobilitati consultum fuit, idque ex consilio & voto Lutheri & collegarum, ut mox referemus. Altera consultatio VVittenbergæ habita est, mense Novembri hujus anni 1541. Sed nec huic Lutherus, ut ex stylo constat, interfuit, calculi morbo vexatus, manu tamen sua reliquorum sententias approbavit, alicubi etiam notas addidit. Responsa pleraque manu *D. Crucigeri* scripta fuisse apparet, *Melanchthonis* etiam quædam autographa indicium faciunt, illum styli autorem esse. Ardua fuit deliberatio, neque quidquam omiserunt Theologi, ut fervorem Principis temperarent: Is enim eo tendebat, ut Episcopus absque dignitate illa seculari constitueretur, & collegium Canonicorum aboleretur. Theologi in priori responso suadebant, ut reformatio quidem & emendatio Christiana procuraretur, dignitates tamen illæ Episcopales & Canonicorum in commodum nobilitatis conservarentur; nisi enim id fieret, verebantur, ne ordo ille nobilium a studiis plane retraheretur, idque experientiam in Episcopatibus superioris Germaniæ testari dicebant, in quibus ab annis triginta paucissimi Canonici ex nobilitate invenirentur, qui literis operam sufficientem dedissent, postquam nempe ex doctrina Evangelica deprehensum fuerit, vitam illam statumque Canonicorum rejiciendum esse: Quod si visia doctrinæ & morum correcta fuissent, illustres & nobiles viros mansuros in collegiis illis fuisse. Laudant provincias Saxonicas, quod dudum & a centum fere annis ex nobilitate viros habuerint literis egregie excultos: Rogant itaque, ut Elector in hoc Episcopatu, parvo licet, specimen emendationis præbeat, quod in majoribus vix sperari posit, nisi forte hoc exemplo excitentur. Ostendunt, per Episcopos & Canonicos, recte edoctos & emendatos, multa utiliter ad externum Ecclesiæ regimen præstari posse; nempe (1) judicia in caussis Consistorialibus & matrimonialibus, (2) examina ordinandorum, ipsamque ordinationem, (3) Synodos, in quibus graviter de doctrina & disciplina tractari posit, (4) visitationes Ecclesiarum. Ad hæc quatuor ajunt & personas singulares & sumtus requiri, ista vero omnia ex Episcopatuum dignitate & opibus dependere, ideoque ab antiquo in magna fuisse autoritate. De persona Episcopi, si quis, remoto *Pflugio*, eligi a Capitulo posset, ante omnia monent, cavendum esse, ne juvenis & doctrinæ Christianæ atque disciplinæ Ecclesiasticæ ignarus & imperitus admittatur; & nescire se dicunt, num idoneus aliquis inter Canonicos reperiatur, optant igitur, ut *Georgius Princeps Anhaltinus* eligeretur: *De hoc enim*, perhibent, *nobis omnibus constat, quod doctrinam Evangelii recte intelligat; pius etiam est, & Ecclesiæ curam geret.* Excusant eum ab imputatione consarcinationis sive fucatæ conciliationis; (als solte er zu flickwerck in der Lehre geneigt seyn) Lutherum enim testari, licet *Georgius* nuper cum fratre suo *Johanne*, Ratisbona (ut in loco narratum est,) missο, VVittenbergam venerit, articulos tamen Concordiæ illius impugnasse, neque suasisse, ut acciperentur, & palliatio fieret: (daß sie angenommen und vermummelt würden) In libro etiam satis longo, ad Electorem Brandenburgicum Ratisbonam misso, in omnibus illis articulis opiniones Papistarum diligenter & bonis cum fundamentis refutasse, multaque folia contra potestatem Pontificiam scripsisse, quod admirati sint Theologi. (daß wir uns drüber verwundert haben) Addidit *Melanchthon*, sibi, antequam ad Comitia & Colloquium hoc anno profectus esset, a *Georgio* dictum, & postea Ratisbonam scriptum esse, ut sibi a consarcinatione (flickwerck) caveret, qua utraque doctrina confunderetur, compositis scilicet articulis, quos utraque pars in suum sensum torquere & interpretari posset: Eundem nuper dixisse, se cum fratribus institutionem Superintendentis & Consistorii in monasterio *Neoburgensi* ad Salam (Mönchenneuenburg) moliri, & petiisse, ut formula VVittenbergensis Consistorii secum communicaretur; præterea aliquot ministerii Candidatos VVittenbergam misisse, ut ibi ordinarentur: Hic igitur si eligeretur, & electionem acciperet, ulterius negant esse contendendum. De *Amsdorffio*, quem Elector tunc proposuerat, scribunt, persuaderi nullo modo illi posse, ut Episcopatum acciperet. Huic consilio hæc verba Lutherus subscripsit: Solches alles dünckt mich gantz fein und nützlich seyn / denn ich dürffte Fürst Georgen wohl ein grösseres vertrauen / so ich ihn erkant / und menschlich zureden ist. Id est, *Ista omnia bona & utilia mihi esse videntur, vellemque Principi Georgio majora credere & committere, quatenus eum novi & humano judicio assequi licet.* Subjungunt reliqui alia monita de ceremoniis, sive cultu publico. Suadent (1.) ut *Cizam* concionator pius & prudens mittatur, qui fideliter doceat, & cum reliquis concionatoribus concordiam colat, operamque det, ne concionibus suis efficiat, ut templa deserantur. (daß er die Kirchen nicht wüste predige) (2) Ut Missæ privatæ aliique abusus confestim aboleantur, & ritus ad exemplum Electoratus constituantur; reprehendunt enim eos in Misnia, qui putent, Missam quotidianam absque communicantibus retineri posse. (3) Formam indicant psalmodiæ, a Canonicis & Vicariis posthac instituendæ, addita lectione Biblica, & concione atque precibus, ut gravis atque serius sit cultus, ex quo Clerus pigrum & inutile spectaculum solummodo fecerit. (Kirchendienst soll ein rechter Ernst seyn / so hats das fruchtlose Pfaffenwesen zu einem faulen spectacul gemacht) Alio capite de personis & numero Canonicorum, (post decessum præsentium) ex nobilitate & literatis assumendorum tractant, explosa Pontificis denominatione & confirmatione, itemque mensibus Papalibus & annatis. Canonicos ex nobilitate deligi volunt, non tamen homines otiosos & venationibus deditos, sed qui ad Synodos, Consistoria, examina & visitationes, itemque ad negotia Principum idonei sint, quos ideo octo annis in Academiis vivere, & bonum inde testimonium reportare debere existimant; his vero adjungendos esse in Collegio Numburgensi & Cizensi, conveniente distributione, tres Theologiæ, sex Legum Doctores, & unum Medicinæ: Sic constitutis, conservandum esse jus eligendi Episcopum statuunt, salvo veteri Principum jure. Altero in responso Theologi ad abrogandum munus Episcopi nihilominus, ut putabant, inclinantem Electorem aliis rationibus & argumentis adorti sunt. Dicunt, Pontificios rigidiores Episcopatum pro divina habere institutione, absque quo neque ullum Sacramentum aut remissio peccatorum, adeoque nec Ecclesia sit, id quod etiam in libro Ratisbonensi subdole insinuatum esse indicant. Facile inde conjici posse ajunt, non quieturos esse Episcopos, neque hoc exemplum admissuros, ut unus post alium exterminetur, totaque Ordinis sui prærogativa & potentia intereat. Hoc magnum apud Imperatorem omnesque Reges pondus esse habiturum, tanquam caussam totius Ecclesiæ Christianæ, & articulum primarium, quem Pontificii & Canonistæ potiorem esse ducant, ipsa doctrina de fide & sacris Missæ. Facilius ab iis toletari monachorum abolitionem, cum sciant, statum monasticum a Christo non esse institutum, ideoque ab Episcopis aliisque sapientioribus parvi haberi; sic qui Abbatum & monachorum abrogationem patienter tulerint, pro Episcoporum conservatione extrema tentaturos esse, etiam illos, qui abusum hujus potestatis corrigendum esse hucusque non negaverint. Fore etiam, ut status publici in Imperio destructionem secuturam esse suspicaturi sint, cum Episcopi lotum inter Principes ex veteri more obtineant. Igitur nec a fœderatis approbationem & auxilium hac in caussa sperare Electorem posse; intellectum enim esse Ratisbonæ, non omnes ejus esse sententiæ, ut Episcoporum munus abrogandum sit, neque hunc articulum pro parte confessionis Augustanæ habitum iri. Suadent igitur Electori, ut, quoniam Capitulum Numburgense ad alium in locum *Pflugii* eligendum permoveri nequeat, rem potius in statu præsenti relinquat, quam præcipitanter tractet. Regimini Episcopatus politico satis provisum esse, constituto sub inspectione & directione Electoris Præfecto: Ecclesiasticum ab Episcopo & Canonicis dudum neglectum, persona Episcopi aut provisoris carere adhuc posse. Monent iterum, ne juvenem con-

(b) *Alterum Consilium.*

(c) *Monita quædam eorum specialia.*

An. 1541.

constituat, nec expulso sacrifico simiam subroget. (Germanice hæc festivius exprimuntur: Er soll nicht Pfaffen austreiben/ und Affen einsetzen) Consultum esse putant, ut Consistorium ex viris idoneis erigat, qui de causis matrimonialibus & Ecclesiasticis in Episcopatu & vicina Thuringia cognoscant, Superintendentes consilio juvent, & Pastores scholarumque ministros constituant; hoc utile & pium futurum esse, nec dicis causa suscipi. Addunt alia, quomodo vacantia posthac beneficia sive præbendæ utiliter conferri possint: ex reditibus Episcopatus salaria Consistorialibus constituenda, reliqua ad usus publicos destinanda, aliquid etiam, ad conciliandos nobilitatis animos, ad studia adolescentum & alimenta virginum impendendum esse censent. Quid vero, finita cum *Pflugio* lite, de Episcopi constitutione, faciendum sit, tum noluerunt disputare, cum non omnia prævideri & ordinari humana sapientia possint. Hoc inprimis ad Ecclesiæ utilitatem requiri dicunt, ut studia sacrarum literarum promoveantur, neque dubitant, quin ab initio ad hunc finem Canonicorum Collegia constituta sint; nec sine fructu factam esse conversionem quorundam Collegiorum in Academias, exemplo VVittenbergensi: Laudant etiam, quod ex reditibus Ecclesiarum Collegiatarum *Altenburgi, Isennaci* & *Gothæ*, stipendia scholasticis constituta fuerint; neque tamen expedire credunt, ut etiam ex Cathedralibus Collegiis Academiæ fiant; sufficere his provinciis *Lipsiensem* & *VVittenbergensem*, & nocituram esse multiplicationem. Multo minus probant, si Principes Canonicorum Collegia abolituri, bona invasuri, neque tamen Regimen Ecclesiasticum constituturi essent, aut ipsi potius dominatum in pastores exercere velint. Monent iterum, nobilium rationem habendam esse, ut, ab otio retracti, ad regendam provinciam apti & promti reddantur. Audivisse se ajunt *Franciscum* Galliæ Regem, cum *Clemente VII.* Pontifice tractasse, ut ex opulentis Abbatiis *Commendæ*, ut vocant, *equestres* constituerentur, sicut in Hispania cum plurimis factum sit, quanquam sacerdotibus non placeat: bonum itaque reformationis exemplum hac in re in Saxonia statuendum esse. Se quidem probare non dicunt Episcoporum & Canonicorum statum, qualis in Papatu fuerit; sed neque consultum sibi videri, ut, reformata licet doctrina, Episcopis & Ecclesiæ Præsulibus promiscue relinquantur opes, ex quibus superbiant, aut avaritiæ studeant, quod multo magis facturi sint, si uxores duxerint: Cum vita voluptuosa curam Ecclesiæ non subsistere, & de se ipsis ingenue fatentur, vereri se, *ne si ad dignitates & opes evehantur, intra tres annos similes futuri sint luxu & inertia larvatis illis Episcopis*, fore etiam, ut *uxores suæ liberos superbe sint educaturæ, ut olim factum fuerit.* Hac occasione oppositum excessum taxant, cum jam Ecclesiarum & scholarum ministri tam parce alantur, ut famem atque miseriam macie vultus testentur; (man sahe ihnen den Hunger aus den Augen an) medium ergo tenendum esse, ut commode prospiciatur ministris, & quæ ex reditibus antiquis supersunt, ad alias res utiles impendantur. Inter has maxime referunt scholas & Consistoria, quæ Episcopi quondam constituerint, non neglecta doctrinæ cura: at postquam hanc deseruerint Episcopi divitiis & luxuria corrupti, scholas in monasteriis erectas fuisse; postquam etiam hæc, acquisitis opibus, studiis valedixissent (so bald sie reich worden/ haben sie ausstudirt) Academias sive Universitates successisse. *Hic est*, ajunt, *effectus divitiarum, quæ Clero non prosunt, Episcopi* (addunt) *sane non solum doctrinam omiserunt, sed & verum Episcopalis audientiæ, sive Consistoriorum usum perverterunt, politicorum negotiorum plus justo ad se trahentes*; restituendum ergo esse statuunt meliorem modum, ab Episcopis observandum, eoque fine munus & nomen eorum retinendum. Disserunt inde de forma electionis, quam variam fuisse notant: Ab initio Episcopos a Clero & populo electos esse, dein a Clero solo, sub autoritate Principum, postmodum hos exclusos a Pontificibus, relicto patronatus jure. Ad hæc Elector proponi Theologis jussit, se neque religionis & conscientiæ ratione, neque juris sui intuitu, Episcopatum Numburgensem in veteri statu relinquere, neque *Pflugium* admittere posse, compelli itaque ad viam quandam extraordinariam: Cogitasse quidem de illustri aliquo viro, cui demandari Regimen Episcopatus per modum provisionis posset, sed cum hoc non careat magna difficultate, satius sibi videri, ut Episcopus constituatur, pius nempe & verus, qui muneri, a Theologis recte & prudenter præscripto, præesse possit; Poscit ergo, ut aliquem ex nobilitate denominent, perspectæ doctrinæ, pietatis & virtutis, & qui cœlebs sit; huic se Præfectum adjuncturum esse, (einen Schutzhauptmann) qui, dum Episcopus Ecclesiasticis negotiis incumberet, ejus nomine & mandato politicam gereret administrationem; id quod etiam juri Pontificio conveniat, constitutis *Ballivis*. Hanc Electoris sententiam probarunt Theologi, & ad illius officium pertinere statuunt, ut, rebus sic stantibus, jure patronatus Ordinibus Episcopatus virum idoneum proponat, quem, si illi receperint, legitimam futuram esse electionem, utpote a primoribus populi, & autoritate Principis peractam; sequi posse ordinationem ab aliquot Ecclesiæ ministris sive concionatoribus. De persona monent, ne constituatur superbus & rixosus, sed qui præter reliquas virtutes etiam prudentiam habeat, ut Præfectum in officio continere possit, ne provincialibus gravis sit: sumtum quoque constituendum esse Episcopo & Præfecto debita cum moderatione. Lutherus huic responso sua manu subscripsit, sibi omnia illa vehementer placere, sed totum momentum rei positum esse in persona, quæ eligeretur: speciatim probat constitutionem Præfecti, ad administranda bona Episcopalia; id ab antiquo fieri consuevisse, & pastores quoque œconomis usos esse, ut Apostoli S. Stephano & collegis. In alio scripto Elector, cui consilium denuo datum erat de promovendo ad Episcopatum *Georgio Anhaltino*, multa & gravia sibi dubia suborta esse indicat, hoc inter alia, quod imminuti, (postquam superstitiosæ contributiones cessaverint) Episcopatus reditus ad alendum Episcopum, illustri genere natum & lautiori vitæ adsuetum, non sint suffecturi, nec superfuturum, quod ad pias causas erogetur. Laudat inde *Amsdorffium*, ut doctum, probum, nobilem & præterea cœlibem, neque se vereri, ne recusaturus sit Episcopatum; moneri potius a Theologis debere, ut accipiat, opus quippe bonum, Paulo teste: Quod si recuset, alium quærendum esse, sive nobilem sive plebejum, maritum aut cœlibem, dummodo doctum, pium & prudentem. Adducit in hoc scripto exempla Regum *Angliæ, Daniæ* & *Sueciæ*, qui Episcopos vel in ordinem redegerint vel abrogaverint, nec non acta Cæsaris cum Episcopo *Ulrajectensi* & *Leodiensi*, denique etiam *Borussiæ* Ducis, qui de Episcopatibus in provincia sua ex arbitrio statuerit: omnes enim Christianos Principes jam deprehendisse ait, quam noxia sit Episcoporum potentia, pompa & luxus; sibi itaque vitio verti non debere, quod nullo privatæ utilitatis respectu hac occasione id solum quærat, quod Ecclesiæ conducat. Quæ huc usque retulimus, indicio sunt, non tam inconsiderate & temerarie actum esse in causa hac, ut *Maimburgio* visum est, neque *Amsdorffii* aut *Lutheri* respectu tantam rem ausum esse Electorem, sed quod putaret exemplum esse statuendum, quod pietati & religioni incrementa afferret. Ex *Lutheri* etiam annotationibus liquet, quod nec ipse, qui fortasse omnibus præferri meruisset, hoc munus ambierit, nec *Amsdorffium* commendaverit, licet plus una vice ab Electore propositum. Frigidus itaque est Maimburgius, cum *Papam* hic vocat *Lutherum, qui manus suæ impositione Episcopum creare voluerit*: Nullum hujus vanitatis vestigium conspicitur, & a Theologis statim in medium allatus est ritus ordinationis, a pluribus Ecclesiæ ministris (*prædicantes* vocant) administrandus, ut & factum est. Neque magis accurate dicitur, *Amsdorffium* primarium inter Theologos fuisse, qui jam inter Saxonicos non amplius censebatur. Ardentioris animi & liberioris linguæ eum fuisse, concedi potest, sed

(d) *In specie de conservandis Canonicatibus, & de Academiis.*

(e) *Electorus responsum.*

(f) *Theologorum replica.*

(g) *Elector decernit, vocandum esse Amsdorffium.*

(h) *Epicrisis ad dicta Maimburgii.*

An. 1542.

ſed nævis nemo caret; eos tamen majoribus compenſavit virtutibus, & magna mentis in rebus adverſis conſtantia, morumque rectitudine.

(i) *De Pflugio quædam ex ſequentium temporum hiſtoria.*

Multa de *Amsdorffio* & *Pflugio* dicenda reſtant, ſed pleraque metam, quam mihi propoſui, ipſaque ætatis & virium ratio mihi imperat, excedunt. Ideo non niſi pauca, & eorum potiſſimum gratia, quibus alios ſcriptores conſulendi copia non eſt, ad complementum hiſtoriæ de utroque addam. *Pflugius* Pontificem & Cæſarem ſolicitare non deſtitit, ut in poſſeſſionem Epiſcopatus legitime ſibi delati mitteretur. Extat *Pauli III.* Pontificis ad Cæſarem epiſtola d. 30. Jun. 1543. data, in qua *Pflugium* ut *orthodoxum*, tum *nobili* & *militari genere procreatum*, commendat, utque ei ad obtinendam Epiſcopatus poſſeſſionem auxilium feratur, urget. *Amsdorffium* vocat, ſolito Romanæ curiæ convitio, *iniquitatis filium & Lutheranæ hæreſis ſectatorem, qui laicorum quorundam potentia intruſus ſit, & expelli a Cæſare debeat.* Neque tamen prius ſuccurrit *Pflugio* Cæſar, quam, fruſtra tentatis omnibus de reducendis per ſubdolas negotiationes ſub jugum Pontificium Lutheranis; anno 1546. ad arma ventum eſt, & *Mauritius* Sax. Dux Cæſaris partibus palam acceſſit. Tunc enim *Amsdorffius* Magdeburgum ſe recepit, & Præfectus ejus *Melchior a VVechmar* cum ducentis præſidiariis arcem *Cizenſem* d. 3. Decembr. 1546. deſeruit, ſtatimque *Pflugius* eam ingreſſus eſt, & ſine mora Epiſcopatus Ordines, haud reluctantes, juramento ex antiqua formula, ſibi, &, ſede vacante, Capitulo obſtrinxit. Turbatus quidem eſt paulo poſt, cum anno 1547. Elector ex Suevia cum exercitu regreſſus, non ſua ſaltem recuperaſſet, ſed &, præter Lipſiam & Dreſdam, *Mauritii* totam occupaſſet provinciam. Verum, ſecuta mox Electoris menſe Majo ad *Mülbergam* clade & captivitate, *Pflugius* ſine mora reſtitutus eſt, quietamque inde ad mortem usque poſſeſſionem habuit. Præfuit autem ſubditis inſigni cum integritate & æquitate, quam acta ejus oſtendunt. Nihil duri adverſus eos decrevit, qui contrarias partes ſecuti erant; & raræ moderationis exemplum eſt, quod quadraginta fere cives Cizenſes, qui patria emigrare, quam illum Principem agnoſcere, maluerunt, levi mulcta Senatui ſoluta, in gratiam receperit; ſinguli enim non niſi unum florenum ſolverunt. Edicti quidem Carolini, anno 1548. publicati, quod *Interim* vocatur, executionem, quod & alii faciebant, procurare voluit; habito tamen ea de cauſa *Pegaviæ* menſe Auguſto a *Pflugio* cum Conſiliariis & Theologis Saxonicis, interque hos *Melanchthone*, colloquio, modus obſervatus eſt, qui tolerabilis erat; dein, ſecuta *Mauritii* expeditione contra Cæſarem & pace Paſſavienſi, priſtinus religionis Evangelicæ ſtatus eſt conſervatus. Prodiit tunc ſcriptum pſeudonymum *Chriſtiani* Lauterwahr / in quo Pflugio multa imputabantur, inter alia, quod edictum Carolinum, etſi autor ejus primarius fuerat, ipſe, ut interpolatum a *Petro Malvenda*, Theologo Hiſpano, reprehendiſſet. Sed *Pflugius*, ut calumniam refelleret, a *Mauritio* jam Electore obtinuit, ut *Georgius Carlevitius*, *Rudolfus Bunavius*, Senior (in Droiſſig) & *D. Ludovicus Fachſius* Ordinarius Lipſ. teſtimonium perhiberent. Reſponderunt autem illi aut falſa penitus, aut a ſe non audita fuiſſe, quæ perſonatus ille ſcriptor de *Pflugii* dictis vulgaverat. *Fachſius* hoc ſaltem retulit: Cum inter *Pflugium* & *Melanchthonem* de illo edicti capite, in quo de fide & bonis operibus tractatur, ſermo eſſet, & *Melanchthon* verba aliqua, quæ *Pflugio* ipſi diſplicere credebat, indicaſſet, reſpondiſſe *Pflugium*, ſibi non ignotum eſſe, quomodo illa verba decreto inſerta fuerint. [Er wiſſe wohl/wie die worte hinein kommen/] Unde conjectura fuit, ſi penes eum ſtetiſſet, quod iſta, & fortaſſe aliæ quoque edicti ſententiæ meliorem & Evangelicis gratiorem formam accepturæ fuiſſent. Extant etiam ſcripta quædam *Pflugii*; duæ inter alia epiſtolæ, una ad *Güntherum a Bünau*, Decanum Numburgenſem, altera ad *Simonem Henrici*, vectigalis Cizenſis Præfectum, in quibus utrumque morbo lethali decumbentem iis conſolatur verbis, quibus Evangelici Doctores uti ſolent. Ex his aliisque viri dictis & factis judicari poteſt, Evangelicæ veritatis ſatis gnarum non ſolum, ſed & ei non parum addictum fuiſſe; cur vero eam publice profiteri noluerit, Deus noverit, cui facti ſui quisque rationem reddere cogitur. Electoris Saxoniæ judicium ſupra ex reſcripto ad Senatum Numburg. d. 26. Jan. 1541. audivimus. (*n. 5. hujus paragraphi*) Mitius judicantibus videri poſſet, ſpe concordiæ de religione ineundæ retentum fuiſſe: Nam ad finem usque vitæ de ea laboravit conſiliorumque omnium, quæ *Ferdinandus I.* cum *Georgio Caſſandro* aliisque agitabat, conſcius fuit; ita tamen in his verſatus eſt, ut nec Pontificibus diſpliceret, id quod ex literis *Pii IV.* anno 1560. quibus electionem ſuam ad Pontificatum *Julio* ſignificavit, ſatis apparet. In iis tamen accurate ſatis loquitur Pontifex, cum *reliquias Eccleſiæ Numburgenſis* nominat, nam nihil, quod ex Pontificiis principiis pro Eccleſia haberi potuiſſet, ſupererat, niſi pauci Canonici aut ſacerdotes, & vicarii in Eccleſia cathedrali & collegiata. Obiit *Pflugius* anno 1564. d. 3. Sept. anno ætatis ſuæ LXI. ſepultus in choro templi collegiati, quod nunc aulæ Cizenſis uſibus accommodatum eſt. Epitaphium ejus, inſigne viri elogium exhibens, in renovatione templi, a *Mauritio* Duce ſupra laudato intactum relictum fuit.

(k) *De Amsdorffio itidem.*

Jam de *Amsdorffio* quædam ſubjungemus. Poſtquam *Magdeburgi*, poſt amiſſum Epiſcopatum, proſtratasque funditus fœderis Smalcaldici vires, usque ad annum 1550. receptum habuiſſet, eo anno a filiis *Joh. Friderici* Saxoniæ Electoris, tunc adhuc captivi, Conſiliarii Eccleſiaſtici (Kirchenraths) & Superintendentis functione honoratus eſt, aſſignato illi trecentorum florenorum annuo ſtipendio, quod illo tempore ſatis honeſtum erat; titulum etiam *Epiſcopi*, cum illi ſcriberent, tribuebant. Vixit itaque *Iſennaci*; ibi redeuntem ex cuſtodia Cæſarea *Joh. Fridericum* excepit, compoſito hymno, quem alternis choris pueri, puellæ, & populus in area, quæ palatio Ducis & parochianæ Eccleſiæ interjacet, decantabant; quem audiens pius Princeps, lacrymans dixit; *quis ego ſum, cui tantum honorem Deus exhibet?* Morienti ſequenti anno Electori adſtitit & poſtea parentavit. Colliſus eſt cum Theologis quibusdam Proteſtantibus non una diſputatione. *Flacii* errorem ſecutus quidem non eſt, ſed benigne interpretatus; itaque peccatum originis non dixit eſſe ſubſtantiam, ſed accidens tamen validiſſimum ein ſtarck *accidens*. In quæſtione de libero arbitrio formulam illam *mere paſſive* acriter tuebatur, omnemque capacitatem activam homini denegabat, innitens dicto *I. Cor. II. 14.* *Animalis homo non percipit* (proprie *non recipit*, in Græco enim eſt, οὐ δέχεται) & inde Dei operationes etiam requiri ſtatuebat, ut homo reciperet; interim non duci dicebat hominem nihil agentem, ſed audientem, attendentem, cogitantem verbum, id quod etiam *Flacium* conceſſiſſe monebat: voluntatem vero hominis ad bonum natura nolentem ſive noluntatem eſſe, repugnantem verbo & Spiritui Sancto. Propter phraſin, *bona opera noxia ſunt ad ſalutem*, maximam ſubiit invidiam; ipſe vero, edito tractatu, ſic eam explicabat, ut nocere diceret opinione meriti, & oppoſitam formulam quam in Edictum Carolinum relatam, quidam ex Theologis Saxonicis probabant, quod *neceſſaria* ſint ad *ſalutem*, æquivalere illi credebat, cum dicitur, *mereri ſalutem*. Melius itaque ſenſit, quam locutus eſt. Formularum in capitibus fidei a Theologis obſervandarum præſcriptionem probare non ſolebat, multa etiam diligentia ad ſopiendas inteſtinas Theologorum controverſias laboravit. Obiit tandem gravis ſenio & cœlebs d. 14. Maji 1565. Iſennaci anno ætatis 82. & in choro templi parochialis ſepultus eſt. Errat *Melchior Adamus* in *vita Amsdorffii*, (jejune ſane deſcripta) dum computat annum *octogeſimum* attigiſſe Amsdorffium, cum tamen nativitatis & mortis annum non ignoraverit. Multa & memorabilia viri dicta, ſcripta & acta complexus eſt & laudavit *Nicolaus Rebhahn*, Superintendens Iſennacenſis *Lib. I.* a me allegatus, in *commentario hiſtorico MS.* qui in ſcriniis Eccleſiæ illius ſervatur.

An. 1542.

(1) *Initia Evangelicæ doctrinæ in urbe Ratisbonensi.*

§. XCVII.

In hunc annum incidit publica religionis ad formulam Augustanæ confessionis reformatio in celeberrima urbe Imperiali Ratisbona: Historia rei gestæ ex duabus *MSS.* relationibus, amicorum opera mecum communicatis, breviter hic exponetur. Semina Evangelicæ doctrinæ non multo post exortam adversus indulgentias disputationem in urbe sparsa sunt, illatis Lutheri libellis, & quidam ex monachis Augustinianis, ut multis aliis locis facere consueverant, etiam hic, ad ductum Lutheri, concionari cœperunt anno 1523. inprimis quidam *Georgius*. Laudatur etiam, absque nomine, *Prior Dominicanorum*. Eodem anno d. 24. Aug. Lutherus Senatum per literas adhortatus est, ut ad exemplum aliarum urbium Evangelicæ doctrinæ introductionem in urbem promoverent. Verum acriter restitit Episcopus, qui, etsi imperium politicum in civitatem liberam non haberet, jus tamen Diœcesanum, numeroso præsertim Clero instructus, & vicinorum Bavariæ Ducum potentia fretus, tutabatur. Crevit tamen tædium veterum superstitionum & nugarum. Hæ quidem novum paulo ante acceperant adminiculum, cum anno 1519. Judæis ob usurarum aliosque excessus urbe ejectis, in aream synagogæ, solo æquatæ, ædes lignea ad cultum statuæ *B. Virginis*, quam *formosam* cognominabant, (die schöne Maria) exstructa esset. Fictis enim, aut varia arte, ut refertur, procuratis miraculis, & facundis *Balthasaris Hubmayeri* (qui post aliquot annos Anabaptismi causa Viennæ exustus est) concionibus ingens incolarum & peregrinorum numerus alliciebatur, tantaque stipis contributio secuta est, ut inde certamen inter Episcopum & Senatum urbis oriretur. Hic enim templum lapideum ex pecunia ædificare volebat, Episcopus vero Cleri usibus nummos deputabat. Sic irritatis animis patefactisque magis & magis fraudibus & sordibus Cleri, majori indies Evangelicæ doctrinæ desiderio cives accendebantur: ita quidem, ut publicum ejus exercitium per libellos supplices non solum a Senatu, sed & a Cæsare, peterent, neque contenti essent, quod jam monachi quidam, ut dixi, & Dominicanus ille (salarium ea de causa a Senatu accipiens) conciones puriores continuarent, & multi ex civibus, introductis clam ex vicinia pastoribus, integra communione uterentur vel ad eum finem in agros excurrerent. Habebat etiam *Bernardus Baro de Stauffen*, Ehrenfelsæ Dominus (*Argulæ Grumbachiæ* alibi memoratæ parens vel frater) domum in urbe, & in ea Evangelicum fovebat concionatorem. Anno 1538. ludimoderator *Caspar Navius*, Wittenberga petitus, & a Melanchthone commendatus, in urbem venerat. Hujus informatione cum bonis literis puræ doctrinæ principia hauserunt juvenes, & inde Wittenbergam missi excolebant, posteaque domum reversi religionem tanto faciebant commendatiorem: nominatur inter hos *Wolffgangus Hallerus*, trium Imperatorum Secretarius. Sed ulteriori & publico progressui vehementer sese semper opponebat Clerus, & cum vivis nocere non posset, in mortuos sæviebat, denegata illis sepultura; quanquam hic rigor cito spretus est, paratis alibi cœmeteriis. Juvit cives libertas comitialis, maxime anno 1541. cum in hospitiis *Electoris Brandenburgici* & *Landgravii Hassiæ* conciones Evangelicæ haberentur, admissis ad eas sacramque communionem civibus. Pacificatione vero qualicunque tunc in comitiis obtenta, hoc anno 1542. Senatus, & per se propensus, & continua civium solicitatione victus, habita deliberatione & adhibito consensu populi cultum Evangelicum publice instituit, factique rationem Episcopo & Cæsari exposuit, idemque postea anno 1544. multas licet contradictiones passus, repetiit, paulo quidem timidior, nec fœderi Smalcaldico accedere ausus. Primus autem, anno 1542. ordinarie vocatus & constitutus Evangelicæ doctrinæ præco fuit *Erasmus Zollnerus*, Ratisbonæ natus, qui in templo *S. Hemerani* Pastor fuerat. Hic primam concionem autoritate Senatus, Dominica post purificationis, (d. 5. Febr.) in templo novæ, quam vocabant, parochiæ, quod ex æde Mariæ illius formosæ exstructum erat, in maxima auditorum frequentia habuit, quæ ita continuata est, ut tres novæ portæ in templo faciendæ essent. Autumno hujus anni 1542. sacra solennia ex ritu Evangelico fieri cœpta sunt, accito Norimberga *Johanne Forstero*, cui *Zollnerus* & quidam ex Stauffiana ditione pastor, *Leopoldus Moserus*, adstiterunt. Inter primores civitatis ad sanctam communionem tunc accesserunt *Andreas Wolfius*, Camerarii munus (quod in civitate hac primarium est) gerens, & *D. Johannes Hiltnerus*, Reipublicæ Consiliarius. Deinde ordinarius Pastor vocatus fuit Wittenberga, ubi & Doctoris titulum assumsit, *Hieronymus Noous*; & cum templum supra nominatum non sufficeret, conciones Evangelicæ etiam in Dominicanorum & Augustinianorum templis habitæ sunt. Statua formosæ Virginis, quæ columnæ in vestibulo ædis erectæ imposita, tantoque olim populi concursu culta erat, anno 1544. d. 14. Jul. præmissa admonitione publica sublata fuit: Calamitates & interruptiones, maxime quæ post edictum anno 1548. quod *Interim* vocant, in causa religionis acciderunt, utque nihilominus anno 1552. purior cultus restitutus fuerit, etsi in relationibus, quas habeo, narrentur, longius tamen mensuram temporis, quam mihi in hoc opere præstitui, egrediuntur, quam ut hic referri possint.

An. 1542.

(2) *Publicum ejus exercitium hoc anno introductum.*

(3) *Otto Henricus Palatinus favet doctrinæ Evangelicæ.*

Insigne vero religionis Evangelicæ incrementum hoc anno fuit reformatio partis *Bavariæ*, sive *Palatinatus*, qui tunc *junior* dicebatur (die junge Pfaltz) (quia per transactionem ad filios *Ruperti* minorennes antehac pervenerat) hodie *Neoburgicus* a sede Principum vocatur. Tenebat tunc eum *Otto Henricus*, mortuo fratre *Philippo*, solus, sed magno ære alieno oneratum. Is Princeps, ut diximus, jam ab aliquot annis puriori religioni favere cœperat, cunctatus, ut videtur, circa publicam professionem, ut alii non pauci, spe universalis emendationis aut transactionis. Sed cum illa spes magis magisque evanesceret, conscientiæ suæ rationem secutus, opera *Michaelis Dilleri*, olim Augustiniani, quem a concionibus habebat, & *Andreæ Osiandri*, Norimbergensis Ecclesiastæ, (*Reg. H. fol. 403. n. 151.*) edicto publico

An. 1542. co mentem suam declaravit. *Altingius in historia MSta* memorat, consultum etiam a Principe & ad ministerium Ecclesiæ Neoburgensis vocatum fuisse *Wolfgangum Musculum*, Ecclesiasten Augustanum, Helveticæ opinionis sectatorem, quam etiam postea palam asseruit, cum Augusta edicto Carolino anno 1548. pulsus ad Helvetios concessisset. Verum in Actis, quæ consului, nihil de eo reperi, & *Otto Henricus* Augustanæ confessionis formulam secutus est, quanquam eam in diplomate, de quo dicere cœpi, non allegaverit. Datum id est d. 22. Jun. 1542. & typis excusum *Neoburgi*. Alloquitur in eo subditos, & præcipue Prælatos & Pastores, & præfatur quædam de calamitate temporum & plagis a Deo, peccatis hominum provocato immissis, itemque de officio Principis Christiani in promovenda morum emendatione. Hanc vero melius obtineri non posse asserit, quam si per verbum Dei peccata arguantur & Christus Salvator unicus fidelibus pure & incorrupte, absque omni additamento aut admixtis adversus testimonia Scripturæ erroribus, repræsententur (daß Christus der einige Heyland den gläubigen hertzen fürgebildet werde lauter und rein/ ohne allen zusatz und vermischung ungegründeter/ irriger/ verführischer lehren/ die in heiliger schrifft kein gezeugniß haben.) Ex defectu vero orthodoxæ doctrinæ, & introducta falsa & erronea, non posse non peccata & scandala enasci, dum proponuntur, quæ ad pompam & emolumenta Cleri, non vero quæ ad salutem animæ & honorem Dei pertinent. Hinc factum esse, ut rudiores neglecti, timidiores consternati, sapientes offensi fuerint; & se ipsum magno cum dolore intelligere, quod Pastores in sua ditione in concionibus suis magis ad veteres consuetudines & inanes fabulas, quam ad verbum Dei, respiciant, & abusus antiquos sui commodi causa servent, emendationem vero morum & salutem animæ parum curent. Prohibet igitur Pastores ab omni doctrina, in sacris literis non fundata, nec primæ Ecclesiæ Apostolicæ convenienti: incumbere vero summo studio jubet iis, quæ Christus & Apostoli docuerunt, & in Novo Testamento maxime comprehensa sunt: Hanc vult ut subditis fideliter proponant, in illis præcipue capitibus, quæ ad salutem requiruntur; ex illa doctrina omnia peccata, scandala & abusus modeste redarguant, & populum ad emendationem pia adhortatione perducant; ipsi vero a fornicatione, ebrietate & comessationibus, aliaque morum levitate, sese prorsus contineant, & piæ atque Christianæ vitæ exemplo auditoribus præeant. Si quis ex pastoribus majori informatione egeat, illum jubet Theologos suos, quos in aula jam habeat, & adhuc vocaturus sit, consulere, animique sui sententiam candide & modeste exponere. Comminationem inde adversus contravenientes annectit. Anno sequenti ordinationem Ecclesiasticam conscribi & publicari curavit. Hoc instituto suo magnum apud agnatos vicinosque Bavariæ Duces odium incurrit Princeps, ut ex literis ejus d. 12. Aug. ad Electorem scriptis apparet, in quibus potissimum de Eckii, sæpe memorati, Consiliarii Bavarici, malignitate queritur. Elector ei d. 29. Aug. amicissime respondet, insigni cum gratulatione de edita

(4) *Edicto publico eam in ditionem introducit.*

fidei professione, pioque solatio adversus afflictiones, omnibus Christianis expectandas & patienter tolerandas; offert illi prolixe officia & auxilia, & de receptione in fœdus, quam ille desiderabat, confidere jubet; & hæc paulo post Norimbergæ mense Aprili 1543. a fœderatis decreta fuit, assignato tributi modo, qui *Ernesto Duci Luneburgico* statutus erat.

An. 1542.

(5) *Recipitur in fœdus Evangelicum.*

Alia Germaniæ parte *Hildesia*, urbs Episcopalis haud spernendæ amplitudinis in Saxonia inferiori, occasione belli Brunsuicensis, ad reformationem sacrorum progressa est. Ad hanc quidem cives dudum propenderant, sed obstabat metus ab Episcopo, nec non ab *Henrico Brunsuicensi* vicino. Dum vero hunc bello adorti essent fœderati Evangelici, missis ad Hildesienses Legatis cohortati eos sunt ad suscipiendam emendationem, suumque obtulerunt patrocinium. Id sibi licere credebant, quia urbs illa, Episcopo quidem subjecta, nec Imperialis, privilegiis tamen ab antiquo munita, & Hanseatico fœderi innexa erat. Rogatu igitur Senatus, conditionem acceptantis, missus fuit in urbem Wittenberga *D. Johannes Pomeranus*. Ejus literæ ad *Pontanum* d. 2. Sept. datæ extant *(Reg. H. fol. 407. n. 151. B.)* in quibus refert, se præcedenti die, seu Kal. Sept. primam concionem habuisse; narrat inter alia, cum hymnum Germanicum ipse (ut tunc apud Evangelicos moris erat) inciperet, metuisse, ne solus ignotum auditoribus canticum cantaret, sed, magna cum admiratione sua, & gratiarum erga Deum actione, totum pene cœtum concinuisse. Apparet hinc, non parum profecisse ad doctrinæ Evangelicæ commendationem cantiones Germanicas. In iisdem literis miserabilem Ecclesiæ in urbe statum circa sacra describit: Es ist hier weder Pfarrer noch Capelan/ der uns helffen kan/ es liegen hier alle dinge erbärmlich/ die Stadt ist überhäufft mit Pfaffen und Mönchen/ wieder welche wir schreyen: thut mir auff die pforten der gerechtigkeit. Betet vor uns mit fleiß/ denn das gebeth ist hoch von nöthen. Das tröstet mich aber/ daß ich vermercke/ daß die stadt des worts begehre/ es läst sich ansehen/ als sey kommen die zeit ihrer barmhertzigkeit/ als man im Psalm singet. Sensus est: nullum ex Pastoribus & Diaconis in urbe inventum, cujus opera uti posset, (unicum enim adjutorem habere se scribit, *Martinum Winkelium*) omnia miserrime jacere, repletam oneratamque esse civitatem sacerdotibus & monachis; contra eos se clamare: *aperite portas justitiæ*, & opus esse precibus ad impetrandum divinum auxilium. Solatio esse, quod civitas verbi divini cupida sit, & instare videatur tempus misericordiæ divinæ, secundum *Psalmum XII. 6.* Scribit etiam, se ordinationem Ecclesiasticam componere cœpisse, nimium licet occupatum & obrutum, & adventum *Antonii Corvini* desiderare, qui Hannoverani Ducatus Superintendens erat. Episcopus Hildesiensium, ut alibi diximus, tunc erat *Valentinus a Teutleben*, qui in ditione Electoris Saxoniæ & familia equestri natus, fratrem quoque in aula ejus habebat *Casparum* Doct. LL. & Consiliarium; literas itaque ad Electorem (quem, originis & feudalis nexus memor, non ut parem, sed ut Principem respiciebat, & *Dominum* vocabat

(6) *Receptio religionis Evangelicæ in urbe Hildesiensi.*

(7) *Episcopi Hildesiensis oppositiones, & acta cum Electore Sax.*

 ele-

An. 1542. *clementissimum*) dedit, deinde ipse ad illum profectus est, invenitque in arce *Weyda*, quæ oppido cognomini, in Thuringiæ & Voigtlandiæ finibus, adjacet. Exhibuit ibi Electori exemplum sententiæ Pontificiæ d. 15. Dec. 1540. Romæ adversus Duces Brunsuicenses *Ericum* & *Henricum* publicatæ, qua restitui jubebantur, quæ Episcopo *Johanni* ex familia Ducum Lauenburgensium nato, a Ducibus Brunsuicensibus anno 1521. ablata erant. In sententia illa Pontificis, cujus exemplum Germanicum *Hortled. Lib. IV. cap. XVIII.* retulit, prolixe recensentur arces & præfecturæ octodecim, oppida septem & dimidium, (inter quæ erat *Hamela*, non ignobilis ad Visurgim civitas) Castella equestria duodecim, villæ (in Germanica versione dicuntur Dörffer) mille; qui tamen numerus, nisi parvos vicos, aut villas quasdam rusticas singulares comprehendat, nimius videtur, nec cum *Chytræi* relatione concordat. Ex hoc autore, ut & aliis, quibus ille usus est, causa occupationis intelligi potest, de qua hic prolixe agendi locus non est.

(8) *Quædam de controversia inter Episcopum Hildesiens. & Duces Brunsuicenses.*

Paucis sciendum, controversias de finibus & locis quibusdam pigneratis, ab aliquot annis inter Episcopos & Duces Brunsuicenses & Luneburgenses fuisse & tandem in bellum apertum erupisse, magna cum provinciarum vastatione, præsertim sub finem imperii *Maximiliani I.* & in interregno, nec compositiones, plus semel initas, servatas esse. Cum vero *Carolus V.* imperium adeptus, inducias partibus, donec de causa legitime cognosceretur, serio indixisset, proscriptionem contravenientibus minatus, & Episcopus, indomiti vir animi, non paruisset, proscriptionis sententia in eum lata, & ut fieri consuevit, ipsi parti adversæ & sociis exequenda permissa est, eaque ratione ditionis Episcopalis maximam partem (tribus saltem Castellis seu præfecturis *Mariæburgo*, *Sturwalda* & *Peina* cum oppido, exceptis) Duces Brunsuicenses, *Ericus* & *Henricus*, occuparunt, & postea ab Imperatore feudi jure cum Ducatibus suis in literis investituræ impetrarunt, exemplo raro, quod a Protestantibus magna cum specie objici illis potuisset, qui his pro summo crimine imputabant bonorum Ecclesiasticorum possessiones, quas tamen in suis ditionibus jure Principis, & religionis atque conscientiæ causa, tum maxime ad alendos Ecclesiarum ministros, multas etiam consensu monachorum, apprehenderant. Licet vero Pontifex, ut dixi, restitutionem per sententiam decrevisset, & ex suis legibus aliter decidere non potuisset, cum culpa Episcopi successoribus & Ecclesiæ non videretur nocere posse; nulla tamen executio judicati illius secuta est, quanquam omni conatu eam quæreret Episcopus. Vid. *Chytr. Lib. VIII. fol. 248. ad 253.* & *Lib. XV. in pr. fol. 429.* Inter postulata itaque Episcopi apud Electorem hoc primum erat, quoniam jam Brunsuicensem Ducatum cum occupatis ex Hildesiensi ditione in potestate haberet, ut Episcopatui sua restitueret. Ad hæc & alia, ad istam rem pertinentia, Electori facilis fuit responsio, deliberandum esse cum sociis fœderis. Sed majori fiducia Episcopus postulavit, ut a patrocinio civitatis Hildesiensis desisteret; Verum Elector multis argumentis & mascule illi demonstravit, necessariam & piam esse reformationem, & per *declarationem* Cæsaris sibi & fœderatis licere, civitates, quæ ab antiquo jus adsciscendi protectores haberent, ob causam religionis tueri. Cum igitur nihil profecisset Episcopus, acerbissimam accusationem contra Senatum Hildesiensem in Camera Spirensi instituit, &, assistente ei Procuratore fisci, severissimum mandatum d. 19. Dec. hoc anno impetravit, in quo allegatis edictis, quotquot in odium Protestantium Wormatiæ, Norimbergæ, Spiræ, Augustæ, Ratisbonæ publicata erant, pro certo asserebatur, *quod Hildesienses a vera, Christiana, & dudum legitime exercita* (wohlhergebrachter) *religione, fide & ceremoniis defecerint, & novam, turbidam & perniciosam receperint; circumgestationem & asservationem Sacramenti, tanquam cultum Baaliticum, impediverint, populum ab audiendis Missis, constituta mulcta prohibuerint, imagines quasdam confregerint, & jam templo cathedrali & monasteriis vim intentent, cum contumelia Dei & Cæsaris.* Ista omnia intra quindecim dies restituere & corrigere, & a novatione quacunque in posterum abstinere jubentur, pœna proscriptionis proposita. *(Reg. H. fol. 421. n. 154. B.)* Reiterata sunt talia jussa, tum ad Episcopi, tum ad Abbatis monasterii S. Gothardi instantiam, d. 25. Dec. & anno sequenti d. 9. Apr. 27. Jun. 6. August. 19. Sept. 30. Octob. nullo quidem effectu. Civitas enim, promissa 500. florenorum menstrua contributione, post multas deliberationes, mense Novembri 1543. in fœdus Evangelicum recepta, recusationi Cameralis judicii, exemplo reliquorum fœderatorum, adhæsit; *(Reg. H. fol. 470. n. 165.)* & quanquam postea non prorsus quieta tempora in causa religionis secuta sint, ad hodiernum tamen usque diem per Dei gratiam Evangelicæ fidei publicum exercitium retinuit.

An. 1542.

(9) *De Episcopi actionibus contra civitatem in Camera, & aliquis quidam.*

ADDITIO I.

Ut supra *Henricus Brunsuicensis*, ita etiam vicinus ejus, Episcopus Hildesiensis, chartaceo solamine a Pontifice refocillatus est. Literas enim d. 5. Decembr. hoc anno datas *Raynaldus* (*n. 39.*) ex parte refert, in quibus Pontifex summum dolorem profitetur, quod Episcopus non tantum terrena amisisset; (illa quidem Catholici, ut dictum est, ei ademerant,) sed & quod hæretici animas cœlo destinatas illi auferre niterentur: (id scilicet fiebat, sublatis in urbe Hildesiensi per Evangelii lucem tenebris errorum.) Monet deinde, ut ad Concilii determinationem cuncta rejiciat, denique & ejus causa Cæsari se scripturum esse recipit. Extat *Reg. H. fol. 5,1. num. 186.* exemplum literarum absque die, sed anno 1544. datarum, quibus Episcopo ex Comitiis severe reversionem ad sacra antiqua imperanti graviter, sed & acerbe respondent Hildesienses. Neque enim solitum titulum *Domini Clementis* illi tribuunt, vocantque Episcopum putativum, qui se pro tali gereret (einen vermeinten Bischoff.) Exprobrant ei pertinaciam & maledicentiam, & quod Moguntiæ desidens curam Episcopatus negligat, civesque ob debita sua variis molestiis vexari a creditoribus sinat. Acerrime postea in cultum Missaticum invehuntur, & in inscitiam turpesque mores Cleri. Liberos suos plus didicisse dicunt ex sacris literis, quam omnes ejus Canonici, sacerdotes & vicarii: Hos itaque, non pios suos concionatores, ut Episcopus postulaverat, ejiciendos esse censent. Clericatum enim & sacerdotium illorum in vestibus, tonsuris & ritibus a Deo non institutis, deinde in calumniis, convitiis & minis consistere; in corde nil nisi seculum & carnem gerere.

(a) *Consolatio Pontificis ad Episcopum Hildesiensem.*

(b) *Quædam ex literis Senatus Hildesiensis ad Episcopum.*

(das

An. 1542.

(das ist die liebe Geistligkeit / im hertzen seyn sie gantz weltlich und fleischlich.) Cæterum, quod monuerat de tributis ad bellum Turcicum solvendis, ad id paratos se esse scribunt, in summa autem, quoniam videant afflictiones sibi tolerandas fore, perinde sibi esse, num ab Episcopo vel aliis inferantur.

(10) Evangelicæ doctrinæ conatus in urbe Metensi.

Dispar successus fuit in potentiori & libera, atque tunc Imperiali urbe *Metensi*. Magna quidem spes apparuit, Evangelicam doctrinam in urbem introducendi, & inde in Lotharingiam & Galliam propagandi, & illam docere primum unus & alter ex monachis Dominicanis cœperant: Sed hoc anno extincta est. Erant inter Senatores nobiles viri *Johannes* & *Casparus ab Huy*, qui, cum Episcopus, Cardinalis Lotharingus, conciones in urbe impediret, & vim ex vicina Lucenburgensi regione, aliisque Belgicis provinciis, Cæsari subjectis, ostentaret, in prædiis suis urbi adjacentibus concionatores habebant, ad quos audiendos magnus populi numerus concurrebat *(Reg. H. fol. 442. n. 158.)* Erecti vero Senatores, cum civibus Evangelio addictis, successu rerum, a fœderatis hoc anno gestarum, mense Novembri recipi se in societatem & protectionem petierunt. Nec abnuebat Landgravius, ab Argentoratensibus sollicitatus; sed non parum dubitavit Elector stante formula conventionis cum Cæsare, per quam quidem civitatibus liberis patrocinium præstari poterat, sed eam Meti non postulabat totus Senatus, verum quidam ex illo & pars civium minor. Extat *Lutheri* de hoc casu responsum, *(d. l. Reg.)* in cujus tergo notatum est, *Melanchthonem* eadem sentire. Concedit Lutherus, quod Principibus liceat aliis ex justa causa & pro viribus succurrere, & probat exemplis ex sacris literis adductis: concedit itidem, privatorum protectionem suscipi posse, qui manifestam vim & tyrannidem patiuntur; sed hoc casu multa expendenda & cavenda esse, non tantum quoad jus, sed & quoad vires & utilitatem. Veretur, ne exitium paretur infirmæ Evangelicorum Metensium parti, prævalente Senatu, & longe majori parte incolarum, quibus auxilio adfuturi sint *Burgundi, Lotharingi, Galli*, omnes Evangelio infestissimi & crudeles, quod Lotharingorum exemplo probat, qui in rusticos, licet deditit ios, anno 1525. immaniter sævierint. Dijudicandam itaque rem Principibus relinquit, consideraturis, quo successu parti civitatis opem ferre possint, sine majoris mali periculo; petit tamen, ut Legati Metensium (erant illi *D. Johannes Niedbrucker*, vulgo D. Hans von Metz/ & *Johannes Carquienus*) non sine omni consolatione dimitterentur. *Pontanus* d. 21. Nov. Electori scribens, Lutheri sententiam laudat, qui dixerit intricatiorem esse casum, quam ut de ea pronunciare audeat, & precibus Deo commendandam esse. Concionator, quo Metenses utebantur, erat *Guilielmus Farellus*, natione Gallus, celebris apud Helveticos Doctor, sed tanto odiosior Belgis, ut constat ex literis *Cornelii Scepperi* Consiliarii Bruxellensis, ad Landgravium, mense Decembr. datis, in quibus metuendum esse monet, ne opera *Farelli* urbs Gallis prodatur. Ideoque per literas & Legatos negotium hoc tractari visum est, missique sunt Metim a fœderis Proceribus *Theodoricus Comes a Manderscheid* & *Petrus Sturmius*, Argentoratensis, qui cum Senatu d. 8. Mart. egerunt, ut unum saltem ex novendecim templis Parochialibus Evangelicis concederet; multum etiam operæ præstitit Comes *Furstenbergius*, qui haud procul ab urbe castellum *Gorsam* possidebat, in quo concionatorem habebat Evangelicum. Tumultus tamen, hoc tempore a plebe urbana contra Comitem in urbe tunc versantem excitatus, & vicissim Comite Sacerdotibus & Senatui minitante, novæ Legationi causam dedit, quam Dux *Wurtenbergicus*, *Landgravius Hassiæ* & *Senatus Argentoratensis* eo miserunt, a qua d. 16. Mart. transactio quædam procurata est, in qua Senatus unius templi concessionem promisit. Non multo post ipso festo Paschali d. 25. Mart. 1543. cum cives quidam Metenses ad concionem *Gorsæ* supra nominatæ audiendam exiissent, a filio Ducis *Guisii* (in gratiam agnati Episcopi Metensis) cum turma equestri impetus in illos factus est, occisis quibusdam aut in flumen Mosellam præcipitatis, violatis etiam mulieribus. Hanc sævitiam molestissime tulerunt Protestantes, & apud Regem Galliæ de ea questi sunt non unis literis, inter quas tamen non nisi illam epistolam inveni, quam Elector & Landgravius d. 21. Maj. Torgæ dederunt, in qua scribunt, sibi non potuisse persuaderi, tale facinus commissum esse ab eo, qui ex summo & principe genere natus sit: deinde non posse non dolere, quod acerbissime infestentur, qui confessionem & religionem eandem secum in civitate Metensi profiteantur: Extat etiam epistola Regia d. 27. Maj. 1543. apud pagum *Aulnai* data, miræ humanitatis & prolixa. Summa est, se inscio factum esse, negari etiam, quæ de Guisio ad Principes relata erant, calumnia, ut scribit, *Guilielmi Furstenbergii*, qui tunc temporis gratia Regis, cui diu militaverat, excidit, & decretis Cæsaris obsecutus, in hujus partes transiit: Castellum *Gorsam* suæ ditionis esse asserit, certis conditionibus *Furstenbergio* traditum, quibus ab illo infractis turbarum occasio enata sit, sibi vero juris Regii tuendi necessitas incubuerit. His sequentem subjungit benevolentiæ contestationem: *Præter hæc omnia significandum vobis putavi, me nihil unquam voluisse aut cogitasse moliri contra S. Imperium, Principes aut Ordines ejusdem, aut aliquid facere, quod merito illis debeat displicere, maxime & potissimum nihil unquam contra Protestantes, apud quos egregiam & illustrem amicitiam opemque semper deprehendi, adeo quidem, ut suis meritis & officiis non debeam & possim non amare, juvare & colere ipsos: & quantum ad religionis causam pertinet, nunquam me ingessi, aut impedimentum ullum intuli.* Et paulo post: *Quod reliquum est, vos me semper invenietis, ut amicum fœderatum & fratrem vestrum, qui vobis gratificari semper studebit, ea spe, futurum, ut vos eodem animo vicissim erga me sitis. Illustrissimi, incl yti, generosi, spectabiles & prudentes fœderati, amici & socii charissimi, Deus vos conservet & augeat.* Sed a Galliæ quidem Rege tunc nihil metuendum erat Metensibus, Evangelicorum vero spem subvertit Senatus, magna ex parte

(11) Lutheri de re consilium.

(12) Acta Procerum Evangelicorum cum Metensibus.

(13) Vis, Metensibus Evangelicis illata a Guisio, a Rege Galliæ excusatur.

(14) Acta Cæsaris nomine contra Evangelicos Metenses.

An. 1542. te Episcopo & Clero addictus: De hoc questi sunt, in conventu Smalcaldico Scabinus *Huyus* & *Doctor* ille *Johannes*, referentes, quod sacerdotem quendam Gallum, a *Duce Aureliano*, Regis fratre, missum, in urbe haberent, de pulpito atrocissime Evangelicos criminantem; deinde quod, connivente Magistratu, plebs infima concionatorem Evangelicum in platea euntem variis contumeliis afficeret, denique etiam ferre nollent, ut diebus non feriatis conciones haberentur. Literas itaque ex conventu d. 19. Jul. Duces fœderatorum ad Senatum dederunt, serio hortantes, ut & maledicum illum compescerent, & secundum pacta, ipsorum rogatu d. 16. Mart. inita, concionatorem Evangelicum tuerentur; offerunt etiam, si Senatus id peteret, Theologos mittendos, qui religionis Evangelicæ rationem redderent, & cum adversæ partis sacerdotibus disputationem instituerent. Responsum Senatus non invenio. Prævaluit antiquæ superstitionis studium & autoritas Cleri: Nam paulo post Senatus a regimine Bruxellensi impetravit, ut in urbem mitteretur Consiliarius Cæsaris, *Carolus Boissotus*. Hic d. 12. Octob. Metim venit & concionatorem Evangelicum *Vaultrinum* ejecit, *nebulonem* eum vocans, *qui Lutheri, Melanchthonis, Buceri & Calvini dogmata laudasset*. Secutum est altera die mandatum Senatus, in quo Evangelicam doctrinam prorsus prohibet, (in exilium jam pulsis plurimis, qui eam professi erant) omnes etiam libros, & nominatim cantionum & Psalmorum, sub gravi pœna vitari jubet: Hymnos illos vocat *Martinianos*: addit tamen (ne apud Proceres Protestantium nimium odiosi fierent) se illos non improbare, sed propter abusum vetare, omnemque hujus rigoris causam in Cæsarem ejusque Legatum rejicit. His intellectis indoluit quidem Elector, sibi tamen gratulatus est, quod, præviso hoc eventu, Landgravii & aliorum fervori sese non accommodasset. Nihilominus una cum illo d. 8. Dec. literas ad Cæsarem dedit, in quibus petebatur, ut concessio a Senatu d. 16. Mart. ut supra dictum fuit, civibus Evangelicis data servaretur, aut saltem libertas conscientiæ illis non denegaretur. Hæc, quanquam partim ad anni sequentis historiam pertinent, uno contextu hic exponenda esse duximus.

ADDITIO. II.

(a) *De laniena Gorsensi relatio, ex Fürstenbergii literis.*

Extant *Guilielmi Fürstenbergii* literæ d. 29. Mart. datæ, in quibus narrat, cum Pastori Evangelico concionari quidem in urbe, ex pacto, liceret, sed cavillatoria hujus interpretatione Sacramenti distributio non permitteretur, exiisse Gorsam ad ducentos viros fœminasque, ut Sacramentum a *Guilielmo Farello* acciperent, idque ante meridiem factum esse: Cum vero prandetent, irruisse Guisii Ducis filium *Aumalium*, cum equitum, cui præerat, turma, & quosdam ex Metensibus occidisse, quosdam in flumen præcipitasse: Fœminas, atque inter has gravidas, ad mortem usque constupratas fuisse; quosdam in fuga deprehensos prope urbem ab arboribus suspensos, reliquos perfugium in arce, quæ *Fürstenbergii* præsidio tenebatur, habuisse: Senatum Legatis Protestantium de facinore hoc questis respondisse, neminem ex suis hoc factum detulisse, neque se pro civibus, sed pro exulibus habere, qui Gorsæ fuissent. Plus inde nocuit *Fürstenbergius*, cum castellum illud, ut ex literis ejus, d. 25. Maji datis, cognoscitur, Cæsaris copiis Burgundicis aperuisset. Hæc ex Actis *d. l.* & *Reg. H. fol. 546. n. 180.* intelliguntur, in quibus etiam relatio extat de monacho (*Carolo* nomen erat,) qui Metim missus erat, & Protestantes petulantissime insectabatur. Accusatus ille apud Senatum respondit: se propter Deum in urbem a nemine instigatum venisse, ut hæresin refutaret, paratum quoque se esse ad disputandum, sed coram judice competente, Papa, Concilio, Academiis, minime vero Meti, ubi non sit in hac causa tribunal legitimum: de Protestantium religione nihil se fingere, sed ea dicere, quæ eorum consortes in Germania docerent, hoc tamen scire eos debere, *Farellum* non ejusdem cum illis religionis esse, neque convenientia cum Augustana confessione docere. An tunc vera fuerint monachi dicta de *Farello*, in medio relinquendum est; illum vero postea de cœna Domini cum Helvetiis & Gallis consensisse, non ambigitur. Memorabilis est epistola, Fœderatorum Evangelicorum nomine, ad Ducem Lotharingiæ, qui Metensibus ob religionem infestus erat, & ex vicinia nocebat, d. 7. Novembr. hoc anno *Melanchthonis* stylo scripta. (vid. *Lib. I. Ep. 58.* edit. Londin.) Removent in exordio calumnias, quibus apud exteros diffamari se sciebant, & judicium de se suspendi petunt, dum legitime audiantur, & cognoscantur controversiæ: manifestum esse dicunt, multos veteres morbos Ecclesiæ deliberationem gubernatorum Christianorum requirere, neque se tot pericula, labores & sumtus aliam ob causam suscipere, quam ut illi corrigantur, & gloria Dei promoveatur: Petunt igitur, ne se concitari adversus Metenses patiatur, qui tranquilli & fideles sint in officiis civilibus, & nihil desiderent, quam doctrinam puram, & usum Sacramentorum sincerum. Intelligi jam a populo, sparsa aliqua Evangelii luce, abusus, & excuti hominibus veram invocationem Dei, si contra conscientiam abusus observare cogantur; perturbata enim conscientia mentem a Deo refugere, neque eum recte invocare. Periculum etiam a falsis doctoribus esse, nisi pia & salutaris doctrina publice constituatur; hac pacem civitatum muniri, nunquam enim antea, quam in hac luce Evangelii, doctrinam de omnibus civilibus officiis æque illustratam fuisse. Eos vero, qui vera invocatione & piis moribus Deum colant, non esse impedituros cæterorum ceremonias, qui secus sentiant; Dehortantur igitur Ducem a violentis consiliis, sic enim retineri tranquillitatem, si neutra pars alteram vi impediat, & hanc mutuam moderationem salutarem multis civitatibus in Germania fuisse, quæ funditus periissent, si violenta consilia ab initio fuissent tentata.

(b) *De monacho Gallo, Evangelicis infesto.*

(c) *Epistola Procerum Evangelicorum ad Ducem Lotharingiæ.*

An. 1542. Hoc anno 1542. composita, ut alibi dicetur, controversia inter *Electorem Sax.* & *Mauritium* Sax. Ducem, ab illo mandata & peracta fuit visitatio in parte Episcopatus Misnensis, sive Wurzensi districtu. *Wurzena* oppidum tribus a Lipsia milliaribus, orientem sive Dresdam versus ad Muldam fluvium situm est, in ditione Episcopatus Misnensis temporali, habetque Ecclesiam collegiatam, & agrum cum pagis nobiliumque sedibus spatiosum & fertilem. Huc missi sunt ab Electore *Erasmus Spiegelius* & *Dietericus Starschedelius* ex nobilitate, *Georgius Spalatinus*, Altenburgensis, & *Johannes Schreinerus*, Grimmensis, Superintendentes mense Majo. (*Reg. JJ. fol. 67. n. 9.*) Ab his templum collegiatum (vulgo der Dom) cultui parochiali attributum est, Canonicis vero assignata ædes S. Wenceslai, in qua conciones Evangelicas audirent, & sacra quædam secundum formulam emendatam exercerent, cessantibus Missis, horisque, quas vocant, canonicis. Reditus omnibus ad vitam relicti sunt, & po-

(15) *Visitatio in districtu Wurzensi.*

An. 1542. potestas nubendi facta iis, qui cœlibatum castum servare non possent. Constitutus Pastor oppidi & Superintendens ditionis *Johannes Hoffmannus*; cætera ad præscriptum libelli visitatorii, anno 1538. recusi, ordinata, jussique sunt pastores *S. Biblia* Latina & Germanica, *Postillas* & alia scripta Lutheri, item apologiam *Melanchthonis* tum *Pomerani* & *Crucigeri* libros sibi comparare & legere. Extant typis impressæ duæ conciones copiosæ & eruditæ de rebus Wurzensibus, a Superintendentibus loci *D. Joh. Schreitero* filioque ejus *D. Christophoro Daniele*, illa anno 1624. hæc anno 1673. habitæ, unde plura percipi possunt lectu non indigna. Ad annum denique hunc pertinent literæ, *(Reg. H. fol. 421. n. 154. A.)* nomine fratrum *Ecclesiæ Venetiarum Vicentiæ & Tarvisii, ad Lutherum* d. 26. Nov. Latine scriptæ, stylo *Balthasaris Alterii*, qui etiam *Vito Theodorico*, Norimbergensium Ecclesiastæ d. 29. Nov. scripsit. Magnus in his literis pietatis affectus, religionis puræ desiderium, constantia in persecutionibus, & veneratio erga Lutherum deprehenditur, simul & querela de dissidio in articulo de Sacramento: ut digna sit, quæ hic integra legatur.

(16) *Literæ Italorum ad Lutherum datæ.*

ADDITIO III.

Excellentissimo atque integerrimo sacrarum literarum Doctori & Magistro Dn. Martino Luthero tanquam Principi ac fratri nostro in Christo colendissimo, VVittenbergæ.

Flumina aquarum viventium, quæ de ventre tuo profluunt, præstantissime Luthere, *cœlesti pluvia indies magis atque magis increbrescant & tumescant, quo melius ac uberius rigare possis, tam ibi quotidie prædicans, quam hic literis absens, sitientia Domini prædiola.*

(a) *Excusatio, quod non scripserint.*

Etsi longe antehac coram Deo testati simus, ac quotidie testamur, quoad possumus, summam ejus benignitatem atque clementiam erga nos extitisse, quod in hac temporum sævitia, regnantibus admodum Satana ac filio ejus Antichristo, talem inter cæteros dederit nobis virum, cujus ministerio vigilantiaque crassissima illæ tenebræ, quæ jam universum fermè orbem usque ad summum occuparant, e pectoribus nostris sint excussæ & quasi penitus explosæ, ac Christus noster e sepulchro iterum in lucem sit redditus; tum nostri quoque erat officii, literis commonefacere, quantum tibi in ea re deberemus, quamque tui studiosi ob id facti essemus, qui non solum labore & industria totus in hoc incubuisti, sed tradidisti multoties animam tuam, sicut optimus miles Christi, ut Evangelium Dei, verbum salutis nostræ, primum Germanis tuis, fratribusque nostris amantissimis, deinde nobis tandem promulgaretur ac reciperetur. Id, quod cum apud nos satis prospere cessisset, nescimus quomodo actum sit, ut in tanta omnium nostrorum jucunditate incredibilique lætitia ac summa animi alacritate, quam de manu Domini suscepimus, sic diutinum silentium servare potuerimus, quin illam tecum huc usque communicaverimus, ut per tuam atque nostram fidem mutuam consolationem acciperemus, Deoque optimo maximo Principique nostro clementissimo immortales gratiæ non tam a vobis, quam a nobis agerentur, teque eo honore, quo digni sunt ii, qui maxime laborant in verbo & doctrina, uti debebamus, afficeremus, nosque, quos Christo jamdudum pepereras, pro filiis tuis agnosceres, ut eos interdum erudire, monere, corripere, erigere, consolarique merito posses. Nunquid, in convertendo Dominus captivitatem nostram, ita nos reddidit somniantes, tamque stupidos, similes iis, quorum animi subita lætitia consternantur, ut omnino nobis esset obmutescendum? Siccine repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, ut tibi dicere nequiverint : magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus nimis lætantes ; *aut pudor aliquis subrusticus, vel torpor animi quidam servilis deterruit nos, ut, cum parvuli essemus adhuc & in Christo quasi modo geniti infantes, ea, quæ nobis contigerunt, tibi homini gravissimo ac sanctissimo nunciare vel non auderemus vel nesciremus omnino? Verum, quicquid id est, fatemur ingenue culpam, agnoscimus quidem errorem, quod nimis erga te ingrati extitimus, tanti beneficii prorsus immemores, nimium a charitate excidimus, quæ nulli solita est injuriam inferre, nedum agit malum, sed ne cogitat quidem, omnibus reddit debitum, semper est officiosa, cunctis est benigna. Pietatem quoque nimis temere læsimus, cujus propagandæ studio ita decebat nos affici, ut neque rerum etiam nobis carissimarum ratio esset ulla, quæ huic uni præferri posset. Itaque quod nostra non potuit ingratitudo, turpis ignavia & resupina negligentia quædam efficere apud te, nunc ipsa cogit necessitas, & magnitudo rerum, quibus hodie longe acerbius, quam antea, premimur. Urget hinc Antichristi immanitas, quæ quotidie magis incrudescit adversus electos Dei. Proscribuntur multi, quorum aliqui in Cenobates (forte* Genabates) *secessisse dicuntur, quidam Basileam & in Helvetias, alii in finitimas regiones, plurimi capiuntur, ut perpetuo tandem carcere contabescant, nullus tamen est, qui eripiat innocentem, qui judicium faciat pauperi & orphano, qui patrocinetur gloriæ Christi: Omnes in unum conspirarunt, ut opprimant Dominum & unctum ejus, nullibi autem magis sævit ac prævalet hæc calamitas, quam hic, ubi totus viget Anti-Christus, & suum exercet imperium, aperta vi omnia in pace possidet, homo ille iniquus, perditionis filius, & autor peccati; mactat ac perdit oves Domini, pro libidine sua latro ille insignis, & luporum omnium ferocissimus. At nos, qui dispersi vagamur, non cessamus sedulo rogare Dominum, ut mittat fortiorem illo, qui superveniens vincat eum, universaque arma diripiat, in quibus is modo tantopere confidit, & spolia simul distribuat, pastoremque bonum restituat: qui animam suam pro nobis posuit, cujus vocem libenter audimus & praeuntem facile sequimur, quia scimus & cognovimus eum, ut oves suas quasi deperditas in pascua reducat & sint secum in æternum: tantum ille nimium tardat reditum suum, nos interim veluti errabunda* (oves) *per invia hujus mundi deducimur, atque in præceps trahimur. Vos autem, quos interim posuit Dominus ad custodiam super gregem suum, donec advenerit, advigilate, quæsumus, arcete lupos, ne sic libere nos invadant ac devorent, scitis enim, quam rapaces sint, quam avidi prædæ, & gregi quam male parcant; præstate nobis eam operam, quam potestis, ne id omnino sequatur, memores eadem vobis accidisse, quæ modo nobis fiunt, experti estis hæc omnia quam plenissime, ne patiamini carnem nostram sic crudeliter dilaniari, cum simus invicem membra, sentite in vobis vulnera, quæ nobis inferuntur, quum ex eodem corpore simus, cujus caput est Christus, pro quo mortuus est, & ejus tantummodo spiritu vegetatur & crescit, ad quod ultro paratos esse, non tam speramus, quam certo scimus. Nam cum tanta passi fueritis, ob eam duntaxat causam, ut nomen Christi ad nos usque perveniret, non est credendum, quod cum agnoverimus illum & sequamur, in medio pene cursu deseramur a vobis, quorum voce ad id certamen vehementer incitati sumus, & ad hunc usque diem mirifice impellimur. Imo longe majora & ampliora pollicemur de vobis, quam petere possimus aut sciamus, freti ea solum spe, quam in candore & virtute fidei vestræ summaque charitate concepimus. Id autem est, quantum huc usque e spiritu Christi colligere potuimus, & fortasse vobis quoque non displicebit, ut, quamprimum fieri poterit, ad Serenissimos Germaniæ Principes, qui ex nostra sunt parte, & eorum bonus est numerus, auspice Christo, sicut a multis accepimus, hanc rem totam deferatis, eosque per Christum rogetis, ut literas commendatitias ad Senatum Venetiarum pro nobis conscribant, rogando monendoque, ut sese temperent ab ea decernendi licentia atque judicandi libidine, quam ministris Papæ tam inconsulto concessere, ac quotidie sævius impertiuntur in pusillos Christi, sub prætextu fidei & religionis impie cruciandos; sed permittant quemlibet ritu suo vivere, dum tamen seditio ac publicæ quietis perturbatio caveatur, eamque rem ad generale Concilium, quod ajunt*

(b) *Querela de persecutionibus.*

(c) *Consilium & opem implorant.*

An. 1542.

ajunt in promtu esse, licet nunquam futurum esse arbitremur, omnino referant, interim neminem cogi aut trahi ad fidem sinant. Quod si aliter fecerint, sciant inprimis, de his omnibus Deum ultorem fore, deinde eam injuriam non tam cæteris fidelibus, quam toti Germaniæ fieri existiment. Has inducias, si Deo adlibuerit, ut impetrare possimus, quantas accessiones & fidei & charitatis regno Christi afferre credimus? Quot concionatores in publicum prodirent, ut Christum populo fideliter annunciarent, quot & prophetæ apparerent, ut Scripturam rite interpretarentur, qui modo in angulis latent, præ nimio metu exanimati! Messis autem ne quidem parva est, sed multa, operarii vero nulli. Vos scitis, quale incrementum receperint Ecclesiæ vestræ, quam latum ostium patefactum sit Evangelio in his induciis, quas audivimus per triennium vobis concessas. Curate igitur diligenter, ut nobis omnino dentur, fovete communem causam, agite, ut per hoc in Christo ea consolatio nobis afferatur, si pro Christo tribulationem quotidie sustinemus: percupidi enim sumus, ut evagetur verbum Dei, sed desunt, qui vere nos pascant, nisi abundantia vestra nostram suppleverit inopiam. Alterum est, quod illinc imminet, & excidium Ecclesiis nostris minatur quotidie. Quæstio illa de cœna Domini, in Germania primum orta, deinde ad nos quoque delata, proh dolor! quot turbas excitavit? quot dissidia peperit? quantum offendiculorum dedit infirmis? quantum jacturæ Ecclesiæ Dei? quantum impedimenti gloriæ Christi propagandæ? Nam si in Germania, ubi tot sunt Ecclesiæ recte institutæ, totque viri sanctissimi, spiritu ferventissimi, atque omni eruditione præstantes, hujusmodi venenum tantum invaluit, ut itum sit in duas partes mutuis altercationibus; quanquam hæc omnia necessario accidunt, cavenda tamen sunt tanquam dira & formidanda, veluti coram Deo abominabilia: Quanto magis apud nos ea pestis evagata est, ut indies fiat insolentior? Ubi nullas publice habemus, sed quilibet sibi ipsi est Ecclesia, pro cujusque arbitrio atque libidine, infirmi contra robustiores præter fidei suæ mensuram sese efferunt, firmiores imbecillos ne dum suscipiunt ac tolerant in spiritu mansuetudinis & lenitatis, memores, adesse sibi idem infirmitatis pondus & circumstans peccatum, sed elati facile illos negligunt ac spernunt, omnes sibi videri malunt magistri quam discipuli, cum parum habeant eruditionis, omnes prophetæ, cum nihil sciant, neque Spiritu Dei agantur. Doctores plurimi, non intelligentes, quæ loquantur, neque de quibus affirment: Nonnulli Evangelistæ, quibus satius esset ab aliis in silentio discere, quam cæteris prædicare: Multi Apostoli, cum non sint vere missi. Omnia hic aguntur tumultuarie, cum decore nihil. Verum quia Deus non facile patitur, ut sui in errorem traducti, diutius in eo persistant, compulit tandem vos ad concordiam, ut in unam sententiam coiretis, Ecclesiis scilicet vestris nihil aliud præcipiendum, quam in pane corpus Domini & in vino Christi sanguinem vere exhiberi, ad hoc tamen, ut in illo vivamus, & ille in nobis; & his signis, ceu quibusdam mediis, dari gratiam & Spiritum, non propria ex se, sed Christi virtute, qui omnia in omnibus operatur ac ministrat. Hæc Dominus Bucerus *jam pridem nobis literis suis significavit, admonens nos, ut contentionibus posthabitis, unanimes efficeremur; uno ore laudantes Deum, qui non est dissensionis, sed pacis; addidit quoque, de conciliatione apologiam a Domino* Philippo Melanchthone *fuisse editam, quam huc usque avide expectamus. Quibus simul auditis, ita sumus mirum in modum recreati, ut tranquilla & pacata repente inter nos fuerint omnia, factique sumus omnes unum in Christo. Sed quia non dormitat, qui nos odit, per quosdam sciolos, duræ cervicis homines, novas res molitur, novas ingerit quæstiones, nova miscet certamina. Optaremus tam propter illos, ut confundantur, aut forte resipiscant; (ita Deus faxit!) quam propter quosdam infirmos, qui apud nos plurimi sunt, ut eorum mens & conscientia confirmarentur tandem, ne omni vento doctrinæ fluctuent ac circumferantur; ut in ea re rescribas nobis, quidnam senseris, tametsi non ignoremus sententiam tuam: at nos in ea semper fidimus, & mordicus retinemus, quia scimus, sanam esse & verbis Christi & Pauli consentaneam. Addas insuper (amabo) de modo reconciliationis aliquo; nam quamvis vir Dei* Bucerus *annunciarit nobis omnia quam accuratissime, & ea facile credimus, agimusque Deo ob id gratias sempiternas; cupimus tamen per te ipsum fieri certiores, ut ex hoc scire commode possis, quantum tibi uni præ cæteris tribuamus. Apologiam quoque transmittas, & si quæ alia, quæ a te tam in negotio Sacramenti, quam in cæteris rebus, quæ ad religionem pertinent, nuper sunt edita. Omnia tua, quoniam Christi sunt, scito nobis esse quam gratissima, eademque plurimi fieri, neque id quidem injuria, nullus est enim qui ignoret, quæ & quanta a Deo credita sint tibi, & quid in provincia fidei egeris insudarisque, quantumque in ea possis & valeas. Sed in his omnibus laudamus, magnifacimus, extollimus & reveremur Dominum, qui in Ecclesia sua collocavit lucernas tam ardentes, ut omnibus, qui in ea sunt, lumen præstent. Reliquum est, ut sciamus, quid isthic agatur in causa religionis, tum quia ea omnia, quæ operatur in vobis Dominus, tam prospera, quam adversa, eadem nobis fieri arbitramur, propter eundem spiritum fidei; tum multo magis, quod ab eventu rerum vestrarum nostræ robur & infirmitatem auspicantur. Memor itaque tu nostri sis, benignissime Luthere, non tam apud Deum precibus tuis ardentissimis, ut ipsius cognitione feliciter impleamur per spiritum Christi, quam erudita, jucunda & frugi scriptorum ac literarum tuarum frequentia, ut ii, quos verbo veritatis genuisti, citius formentur & adolescant in virum perfectum ætatis Christi, quandoquidem hic famem atque penuriam verbi DEI acerbissimam patimur, non tam Anti-Christianorum feritate & inclementia, quam librariorum summa improbitate & avaritia pene incredibili, qui vestra scripta huc afferunt, & ea sic fraudulenter opprimunt, donec carius illa vendita verint, non sine magno totius Ecclesiæ detrimento. Fratres, qui plurimi sunt isthic, omnium nomine salutabis in osculo pacis. Nos interim Dominum precabimur, ut opus, quod cœpit in te, maximum & admirabile, quodque magna ex parte absolutum videmus, approbante Christo, tandem perficiat, ut gloriam suam inprimis, quæ præscissa ac veluti deplorata tamdiu jacuit, nunc quorundam fidelium ministerio alicubi reparatam, in veterem illam libertatem ac dignitatem ubique sit vindicaturus; deinde tibi, qui legitime certasti, qui illi fidem servasti, reddat coronam justitiæ suæ, quam promisit, & nos, qui reliqui sumus, exemplo tuo excitati ad supernæ vocationis bravium aspiremus, ubi residet Christus noster cum Patre & Spiritu Sancto in æternum. Demum pro tua singulari mansuetudine & summa modestia obsecramus, ne vitio nobis dederis, si nimium tibi molesti fuimus verbositate nostra vel dicacitate; sed nihil est ad eam cupiditatem, qua magnifice tenemur vel visendi tui, vel literis, cum absumus, loquendi tecum. Quod si tibi in animo est rescribere ad nos, ut omnino speramus, teque etiam atque etiam rogamus, ut facias: da operam, ut literæ tuæ nobis reddantur domi Dn. Oratoris Anglici, apud quem Secretarium ago ego* Balthasar, *cui commissa est hæc provincia scribendi ad te,* fratrum nomine. Iterum vale in Domino, & nos ama. Datum Venetiis VI. Kal. Dec. 1542.

(d) *Dolent ob controversiam Sacramentariam, & remedium petunt.*

An. 1542.

Fratres Ecclesiæ Venetiarum, Vicentiæ, Tarvisii, tibi in Christo deditissimi.

Commendavit has literas *Balth. Alterius Vito Theodorico*, Ecclesiastæ Norimbergensi epistola humanissima, tertio Kal. Dec. data, in qua de vera amicitia, quæ non nisi inter fideles Christianos esse possit, pulcherrime disserit. De Lutheri responso in Tomis & actis nostris nihil invenitur, nisi quod *Kirchnerus* & socii, in *apologia* alibi citata, *fol. 331.* partem epistolæ Lutheri, post triennium scriptæ, Germanice versam produxerunt, eandemque *D. Sagittarius Tomo VIII. Altenb. fol. 412.* inseruit. Latinam exhibet *Hospinianus Parte II. Hist. Sacram. fol. 196.* sed neque is totam. Priorem hujus fragmenti particulam omiserunt autores apologiæ. Continet acerrimam, quam Hospinianus non tacuit in Zvinglium, ejusque sectatores censuram.

(e) *De Lutheri ad Alterum litteris, ex Hospiniano.*

An. 1542.

ram. Sed ego sequentia tantum verba epistolæ, quæ ad historiam magis faciunt, excerpenda esse duxi: *In lingua nostra scripsi multa contra eos: Latine scribere non opus mihi esse duxi, cum id mali in Germanica tantum lingua furere cœpisset. Meditor autem, postquam satis sero nunc intelligam, illos per Latinam linguam virus suum sparsisse & spargere in Italiam & Galliam, aliquid Latine edere; Quanquam mallem hoc tentari ab aliquo vestrum, vel Gallico, cujus in Latina lingua major esset usus. Mihi, ut videtis, Latina lingua modicus est usus, qui in barbarie scholasticorum Doctorum ætatem consumsi. Igitur vos non fallant, obsecro in Domino, sive Tigurenses, Bullinger, Pellicanus, neque ipse Bucerus, qui dicitur in principio tragœdiæ multa Latine scripsisse, quæ non vidi, sed jamdudum resipuisse, mihi persuadeo. Quin si forte audieritis, Dominum Philippum vel Lutherum consensisse illorum furori, propter Deum, nolite credere. Sic enim audio, illos, vel aliquos illorum sparsisse rumorem, ut erroris sui pestilentis etiam sub nostro nomine patrocinium & autoritatem haberent. Nolite credere, pseudoprophetæ sunt, qui Galatas subvertere volunt. Sed si Dominus me volet diutius vivere, plura fortassis in publicum dabo. Valetudinarius, senex, piger sum, & horam gratiæ expecto, quam ut vos oro, vestris orationibus mihi impetretis. Dominus noster Jesus Christus, qui nos & vos vocavit, & in eodem spiritu unanimes & univoces fecit, conservet, roboret, perficiat nos & vos in eandem formam & imaginem Filii sui dilecti, Amen. VVittenbergæ, d. 12. Nov. 1544.*

Cæterum ex literis *Melanchthonis* ad *Vitum Theodoricum*, ab *Hospiniano Part. II. fol. 184.* productis, percipitur, Lutherum anno 1543. Italis respondisse. Queritur enim *Melanchthon*, quod horridius scripserit, & transsubstantiationis dogma tolerabilius, quam opinionem Zvinglii esse putaverit. Sed cum Lutheri literæ non extent, judicari de hoc ejus dicto non potest. Ex aliis tamen antea ab eo scriptis conjicitur, illum opinionem de transsubstantiatione pro subtilitate scholastica habuisse, quæ non magni momenti esset, nisi sequelæ accessissent, ex quibus cultus elementorum sacramentalium extra usum sacræ Cœnæ exstruebatur.

§. XCVIII.

(1) Dissidium & contentio inter Electorem & Mauritium Duc. Sax.

Quod reliqua hujus anni gesta attinet, ad causam religionis directo quidem trahi non potest dissidium inter *Electorem* Saxoniæ & *Mauritium* Ducem, occasione supremi juris in oppidum *Wurzenam*, de quo paulo ante dictum est, enatum, quod ferme in apertum bellum erupisset: Vid. *Sleid. Lib. XIV. p. 402.* Fomentum tamen habuit a quibusdam ex nobilitate Misnica, Episcopo Misnensi, *Johanni a Maltiz* addicta, qui Electori sese opponebat, cum majorem ditionis partem in clientela Ducis *Mauritii* haberet, *Stolpa* trans Albim residens. Cum uterque Princeps copias mense Martio eduxisset, magnusque terror Evangelicos omnes, & præcipue Legatos in Comitiis Spirensibus invasisset, metuentes, ne intestino bello res Evangelica intercideret, interventu *Philippi* Hassiæ Landgravii pax facta est, in ipsis feriis Paschalibus, cujus formulam refert *Hortlederius* & quorundam scriptorum fabulosas narrationes refellit. *Tom. I. Lib. V. cap. XIII.* Lutherus quoque admonitionem ad pacem elaboraverat, de qua in recensitione scriptorum ejus agemus. De Concilii indictione dictum est *§. XCIV. in fin.* & Maimburgii censura & lamentatio de bello inter Cæsarem & Galliæ Regem intelligitur ex *Sect. 24. & 25.* De scriptis, quibus se invicem prosciderunt uterque, consuli potest *Sleidanus Lib. XIV. p. 413.* & *Lib. XV. p. 422.* & *Pallavicin. Lib. V. c. I.* præsertim ubi *§. 5.* contra *Paulum Venetum* Pontificiæ autoritatis utilitatem commendat, in conservanda inter

(2) De Cæsaris & Galliæ Regis rixis, & quadam de causa Gelbrica.

Reges pace: id quo successu fiat, res loquitur. Cæsar inter alia Gallo objicit, quod Protestantes consiliis & pecunia adversum se stimulet, sed nullus aut exiguus a Gallicis auxiliis fructus ad Evangelicos pervenit. Elector Saxoniæ irritatus quidem erat, quod Cæsar, neglecta forma juris, neque publico Imperii nomine, sed ut Belgii Dominus, *Juliacensem* Ducem, affinem Electoris, ad tradendum sibi *Geldriæ* Ducatum vi & armis adigere vellet, multique prædicebant, oppresso *Juliacensi*, & profligatis Turcis, copias Austriacas omnes, inde ex Belgio, hinc ex Hungaria, ad subjugandos Evangelicos ductum iri: Neque tamen se moveri passus est Elector, ut Gallicis blandimentis & promissis delinitus, partes affinis sui aperte defendendas susciperet, licet Legatum apud eum haberet *Johannem Dolzigium*, & subsidium quoddam ex lege pactorum, quæ dudum cum *Juliacensi* inierat, ei misisset. Venit sub finem anni ad Electorem Legatus Galliæ Regis, cum literis d. 5. Octob. datis, *Johannes Fraxineus*, quem *unum ex nobilibus domesticis* Rex vocat. Occultum autem iter habuit, quod tunc non satis tuta esset Gallis Germania, & Landgravius particulari fœdere in bello *Juliacensi*, &, quod instabat, Gallico, Cæsari junctus erat. Legatum itaque hunc secreto in arce Svveinizia habuit Elector, dato illi comite *D. Basilio Monnero*, filiorum Electoris præceptore, Gallicæ linguæ gnaro. (vid. *d. Reg. f. 441. n. 157. B.*) *Fraxineus* scriptum exhibuit, in quo magnificis verbis Regiam erga Protestantes benevolentiam deprædicat, licet ex magnis causis, ut ait, in religione nihil mutasset. Repetebat vetus illud, quod in induciis cum Cæsare Evangelicos excepisset; querebatur, quod licet Rex pacem Cæsari & auxilia contra Turcos obtulisset, rejectus tamen, & Legatis ejus Spiræ contra jus gentium, contumelia illata fuisset: Interim ita animatum esse Regem asseverabat, ut suam potius & liberorum personam in discrimen vocare, quam pati vellet, ut ab ullo mortalium libertas Germanorum attentaretur, modo his idem maneret studium. Taxavit inde Austriacos, quod Christianos Turcis objicerent, neque tamen bella contra illos satis strenue gererent, & ideo apud Barbaros nomen Christianum in contemtum adducerent. Laudavit Electorem & socios, quod *Henricum* Brunsuicensem coërcuissent, administrum consiliorum adversus Protestantes. Offert non solum Electori, sed & Landgravio, quanquam de hoc varios rumores ad Regem delatos esse non dissimularet, & reliquis sociis auxilia regia; sed mutua etiam ab illis petit. Ad hæc Elector, laudatis, quæ comiter & benigne dicta erant, sperare se respondit, fore, ut Rex de religione, quam præ aliis intelligeret, indies melius instrueretur, cujus fundamentum ex eo quoque appareret, quod confutatio Augustanæ confessionis in Comitiis 1530. facta toties licet & tamdiu postulata, non publicaretur. Petit, ut Rex a persecutione subditorum, qui confessioni illi addicti essent, abstineret, sciens quippe, controversias tales vi & tyrannide decidendas non esse. De auxiliis oblatis, suo & Landgravii nomine, gratias agit, & hunc non minus, ac se ipsum, veteris libertatis tuendæ studiosum esse af-

(3) Legatio Gallica ad Electorem Sax. datumque hujus responsum.

An. 1542.

firmat; de iis vero, quæ a ſe & ſociis peterentur, reſpondendi & cum fœderatis agendi tempus petit ad proxima usque Comitia, quæ tunc *Normbergæ* d. 14. Novemb. indicta erant, ſed prorogata ſunt. In his ſe allaboraturum eſſe promittebat, ut Legati ab Ordinibus Imperii mitterentur, pacem inter Cæſarem & Regem procuraturi. Hæc occaſione eorum, quæ *Pallavicinus* tetigit, referenda ex Actis fuerunt, quanquam ſub finem anni menſe Decemb. geſta.

(4) Conventus Evangelicorum Swinfurti.

Paulo ante conventum *Swinfurti* habuerunt Evangelici d. 3. Nov. in quo conſilia de mandatis, Legatis ad Comitia dandis, conferebant. Præcipuum erat, ut Cameræ juriſdictio publice recuſaretur. Neque enim ceſſabant judices illi, instante *Henrico Brunſuicenſi*, Electorem de reſtituendo Ducatu, intentata proſcriptionis pœna, ſeveriſſime hortari. Quapropter Elector in conventu illo profeſſus eſt, ſe nec poſſe nec velle ad auxilia contra Turcos concurrere; multa etiam queſtus de perverſa belli in Hungaria geſti ratione, & ut milites, præſertim quos Proteſtantes miſerant, data, ut videretur, opera, commeatus inopia conficerentur. De vi & injuria, Duci *Juliacenſi* (cujus Legati aderant) illata, non minus lamentatus, obtinuit, ut de negotio hoc legitime tractando in Comitiis ageretur. De transactione cum *Henrico Brunſuicenſi*, ad quam *Bavariæ* Duces mediationem offerebant, ſtatuit, Ducatum illi reſtitui non debere, cum illum peſſime adminiſtraverit, ſubditis, & vicinis graviſſimus fuerit, ita ut omnes de expulſione ejus lætarentur; item quod quadringentorum millium florenorum æs alienum contraxerit; denique quod illi, ob lubricam fidem, & reperta malignarum machinationum in arce Guelferbytana documenta, credi minime poſſit. Filiis tamen ejus reſtitui poſſe Ducatum, exiſtimavit, certis conditionibus, ſolutis nempe decies centenis florenorum millibus, ex quibus octies centena millia in ſumtum belli impenſa ſint; reliqua ærario fœderatorum communi haud immerito applicanda eſſe, ne fruſtra tantam moleſtiam & periculum ſuſceperint.

(5) Proteſtatio eorum adverſus Cameram Spirenſem.

Diſceſſum eſt *Swinfurto*, cum lues ibi graſſari cœpiſſet, d. 15. Nov. citius, quam conſtitutum erat, & reliqua, quæ agenda reſtabant, ad Comitia Norimbergenſia dilata ſunt. Paulo poſt ex decreto Swinfurtenſi recuſatio publica judicii Cameralis inſinuata eſt Spiræ d. 4. Decemb. a Legato ad id miſſo, *Georgio Lauterbeccio*, Cancellario Mansfeldenſi. *(Reg. H. fol. 407. n. 151. B.)* Eadem ſequenti anno typis excuſa prodiit, & reperitur apud *Hortled. Tom. I. Lib. VII. c. 21.* In hac arbitros inter ſe & Cameræ judices denominant Electorem Palatinum *Ludovicum*, agnatumque ejus *Ottonem Henricum* Ducem, *Henricum Meckelburgenſem, Ulricum Comitem Helffenſteinium*, & *Ludovicum Stolbergenſem, Senatumque Spirenſem:* Inſerta etiam eſt huic ſcripto declaratio *Ferdinandi*, quam in loco allegavi. Eodem menſe Decemb. fœderati a Rege Daniæ, ſecundum conventa Brunſuicenſia, ad ſumtum belli contra *Henricum* Ducem quadraginta florenorum millia acceperunt, computatis decem millibus, quæ Bremenſibus prænumerata erant ad bellum cum Dynaſta *Iſenæ*.

ADDITIO.

An. 1542.

(a) Quædam ex Raynaldo de Epiſcopo Mersburgenſi.

Neſcio, quo autore *Raynaldus* hoc anno *n. 40.* narret, *Sigismundo* Epiſcopo Mersburgenſi Lutheranos ferrum & flammam interminatos eſſe, niſi ſacerdotibus conjugia, & laicis communionem calicis, permitteret. Hæc duo capita homo feſtivus *harpagones hæreſeos* vocat, quibus animæ in præcipitia impietatis trahantur. Profert inde literas Pontificis d. 5. Decemb. ad Epiſcopum datas, quibus eum, ut nobiliſſimum & probum Epiſcopum, ad conſtantiam & virtutem hortatur, immo ſub vinculo ſanctæ obedientiæ illi præcipit, ut inſtante jam Concilio nihil concedat; Addit, non credere ſe, quod minæ ſint proceſſuræ, & exemplum aliorum Epiſcoporum Germaniæ ei proponit, qui graviſſimas potius jacturas paſſi ſint, quam aliquid conceſſerint. Verum ex actis ſcriptoribusque fide dignis nihil invenio, quod metum Epiſcopi confirmet, vel ſuſpiciones ejus probabiles faciat. In illis enim locis, quæ diœceſi quidem ejus aſſignati ab antiquo erant, ſed ſupremo Saxonicorum Principum imperio ſubjecti, jus ſuum ipſe, & anteceſſor ejus, dudum neglexerat, poſtquam in provincia Electoris anno 1528. *Henrici* vero, ſive *Mauritii* anno 1539. publice reformatio facta eſſet. Supererat itaque ille ſolum diſtrictus, qui Epiſcopatus nomine ſpeciatim vocabatur, & juriſdictioni Epiſcopi temporali ſuberat. In hoc, utut quidam ex nobilitate, aut oppida aliqua, ad exemplum provinciarum Saxonicarum, Evangelicam doctrinam receperint, vi tamen non agebatur, nec Elector Saxoniæ in illum Epiſcopatum poteſtatem ſibi arrogabat, quia, quicquid Duces juris in illo exercebant, ad *Henricum*, &, illo mortuo, *Mauritium* ſpectabat; & non multo poſt, cum anno 1544. *Sigismundus* obiiſſet, abſque omni violentia reformatio Mersburgenſis ditionis ſecuta eſt, ut in loco dicetur.

(b) De Livonis, & libro quodam Eccii.

Juſtior non eſt querela, quam *Raynaldus n. 41.* de *Livonis* inſtituit, quos, poſt extinctam equitum *Cruciferorum* pietatem, (quæ qualis fuerit, ex ſupremi illorum Magiſtri, *Alberti Brandenburgici*, publico ſcripto, alibi relatum eſt) ex colloquii Ratisbonenſis occaſione animum ſumſiſſe ait, ut Catholicos opprimerent. Veriora ex bonæ notæ ſcriptoribus, *Chytræo* inprimis, afferri poſſent, ſed longius a ſcopo noſtro abduceremur. *Raynaldus* anſam inde arripuit, ut *Eccii* ſcriptum de colloquio Ratisbonenſi, *Bucero* oppoſitum, & impudentibus criminationibus ſcatens, (*n. 42.*) commendet. Imperite tamen (*n. 43.*) confundit edicta Auguſtana anni 1530. & 1548. Prioris omnimodam abolitionem, ut *Eccius* queritur, ſuſpenſione ejus non contenti, poſtulaverant in comitiis an. 1541. Proteſtantes, ſed de altero poſt ſex annos ſecuto, quod *Interim* vocatur, nemo tunc cogitare potuit.

(c) De Concilio quædam.

Eodem loco de Concilio memorat, quod Legati Pontificii, Cardinales nempe *Petrus Paulus Pariſius, Johannes Moronus*, & *Reginaldus Polus* d. 21. Nov. hoc anno ſolenniter *Tridentum* ingreſſi ſint, & magnifice ab Epiſcopo urbis, *Chriſtophoro Madruccio* Cardin. excepti. Hunc a liberalitate & humanitate laudat; alii, quibus non ignotus fuit, perditos ejus mores notarunt. Exhibet poſtea literas Pontificis, quibus d. 23. Decemb. *Helvetios* non ſolum, veteri religioni inhærentes, ſed & *Bernates, Baſileenſes* & *Schaffhuſianos* eodem, olim Romæ genti Helveticæ collato, titulo *defenſorum libertatis Eccleſiaſticæ* honorat, & ad Concilium invitat.

(d) De Roberto Vanchop.

Novum inde pugilem, *Eccio* & *Cochlæo* ſimillimum, ſiſtit (*n. 45.*) *Robertum Vanchop.* Hic literis d. 1. Nov. *Salisburgi* datis, acerrim[illegible] tra Evangelicos querelis, ut nempe Concil[illegible] opponant, aures Pontificis implet, quædam et[illegible] ſpargit in *Epiſcopum Auguſtanum*, quæ plenius perciperentur, ſi tota epiſtola producta eſſet: Hoc tamen zelo titulum *Archiepiſcopi Armachani* in Hibernia meruit. Refertur *n. 47.* reſcriptum Pontificium d. 16. Oct. ad Card. *Lotharingum*, ſatis imperioſum, quo Epiſcoporum Gallorum comparitio in Concilio urgetur. Subjunguntur ex *Maſſarello* nova Pontificis decreta d. 14. Jul. de curiæ ſuæ reformatione, a duobus Cardinalibus

(e) Reformatio curiæ.

ſuſci-

An. 1542.

fuscipienda, quam cautior *Pallavicinus* silentio transmisit, gnarus, æque vanam & irritam fuisse, atque illam, quæ prius decreta erat. Majorem fervorem ad impediendum in *Polonia* Evangelicæ doctrinæ progressum ostendit Pontifex, literis ad Regem, similibusque ad Prælatos regni d. 24. Jun. datis. In illis obsequium Cleri tanto magis sperat, quanto indulgentior, in Regis gratiam, erga illum fuerit, remittendo multa de jure suo. Omnia scilicet ex beneficio Romanæ sedis habent Episcopi, etiam in remotissimis regionibus. Sequuntur articuli, quos *Archiepiscopus Gnesnensis*, Regni Primas, in synodo diœcesis proposuit, ut remedia adversus discessionem ab Ecclesia quæreret. Agnoscit tamen in iis, inquirendum quoque esse, num aliquis abusus & si quæ superstitiones, cum doctrina & pietate catholica pugnantes, invectæ sint, & quomodo sine offendiculo & scandalo tolli possint. Utrumque sane facillimum fuisset, nisi scandalum fuerit, errores corrigere, qui sola temporum præscriptione nitebantur, aut Clerum a fastu & luxu ad decens officium reducere. Reformationem etiam Cleri proposuit, sed ita exercendam, ne infirmioribus occasio detur ad hæreticos transeundi. Id scilicet eodem pertinebat, ut reformatio non fieret, sed simularetur. Fatetur magnam sacerdotum & Clericorum in Polonia inopiam, unde multæ Ecclesiæ desertæ sint; de seminariis itaque deliberaturus erat, & nominatim proposuit institutionem collegiorum Societatis Jesu in urbibus præcipuis, allegans exemplum Viennense, ibi enim magnum profectum pietatis ex virorum illorum integritate, doctrina & miro instituendæ juventutis compendio deprehensum esse dicit. De illa Societate dictum est in actis anni 1540. *LXXXIV. & in addit.* Post hæc *Raynaldus* multa de *Calvino*, ejusque sectatoribus in Gallia, ex maledicentissimo autore, *Guilielmo Rossæo* exscripsit, & cum de *Ochini* defectione quædam ex *Gualterio* & *Gastaldo* retulisset, compensatam jacturam illam fuisse existimat insigni & magnifico *Armeniorum* de Pontificia majestate testimonio, (*n. 51.*) qui hoc anno novi Episcopi confirmationem Romæ petierunt & impetrarunt.

(f) Literæ Pontificis ad Polonos.

(g) Articuli synodi Gnesnensis.

(h) Alia quædam ex Raynaldo.

§. XCIX.

(i) Lutheri commentarius in Michæam; & quædam ex exordio de impletione prophetiæ.

Ex scriptis Lutheri Latinis & exegeticis referendus est in hunc annum *commentarius in Michæam Prophetam*, collectus ex prælectionibus illius *a Vito Theodorico Tom. IV. Jen. fol. 538. b. ad fol. 591.* Cum duo potissimum Propheta hic vaticinetur, eversionem nempe regnorum Israelitici & Judaici, & erectionem regni Christi, fidem tamen eum in neutro apud auditores invenisse, notat Lutherus in exordio *fol. 539.* quod illi promissionem Dei, de æterna conservatione regni Davidis carnali modo intelligerent, numerumque suum & potentiam respicerent, ideoque prophetas pro mendacibus habere mallent, quam contraria spei & opinioni suæ admittere. *Deus vero mirabili sapientia* (ait) *utrumque fecit, ut comminationes Prophetarum non essent irrita, & tamen promissiones quoque implerentur.* Monet tamen hunc implendi modum a ratione humana non intelligi, immo absurdum illi videri, quia, ut ambitiosa est, putat Deum suæ gloriæ causa omnia magnifice gerere. Sed Deus numerum non curat, immo ingentem multitudinem propter peccatum potius abjicit, ut paucis credentibus promissiones suas præstare possit. Probat hoc ex Paulo *Rom. XI.* & *Esa. X. 22.* cum Deus, maxima parte populi Israëlitici abjecta, reliquias, & in his Paulum, salvavit; item, quod oppresso toto regno Judaico, & quicquid in populo eximium fuit, stirpem tamen, tenuissima quidem conditione, conservavit, ex qua Christus natus est. Applicat hæc Papatui, qui non minus, quam Judæi, multitudine, potentia & dignitate nitatur. Ad *cap. I. vers. 5. (fol. 541. 543.)* ubi peccatum Samariæ & Judææ, quo excidium sibi accersiverunt, idololatria esse dicitur, cultum Ecclesiæ Romanæ præter verbum & mandatum Dei introductum reprehendit; *Ubi*, ait, *vota, ubi cœlibatus, ubi Missæ pro vivis & mortuis, ubi cultus Sanctorum & intercessiones & merita Sanctorum, ubi peregrinationes, monachatus & similes nugacissimæ nugæ, immo nocentissimæ pestes, verbo Dei instituta, tradita aut mandata sunt? Taceo jam, quod hæc contra verbum defendunt impii, & verbum, defendendæ suæ idololatriæ causa, crudelissime persequuntur. Si enim cultus Dei vis jactare, ostende verbum Dei, non cogitationes tuas, & idolum cordis tui. Verbum autem si non habes, fuge tanquam extremam impietatem, quicquid pro cultu Dei obtruditur.* Notat postea etiam vera vitiari adjectis falsis, veluti bona opera, si accedat fiducia meriti. Ad *cap. I. 7. fol. 544.* negat, omnes imagines & picturas Judæis prohibitas fuisse, sed eas tantum, quæ adorarentur, & per illam adorationem Deus coli crederetur; pro barbarie itaque & insigni inscitia habet, quod in multis locis Christi & Apostolorum imagines sine discrimine ex templis ejectæ sint. *Quis enim non videt*, inquit, *quod, sicut sine peccato piæ historiæ, etiam cum fructu auditorum, recitantur, ad hunc modum propter rudes etiam pingi tales historiæ & sculpi possint, non solum in privatis ædibus, sed & in publicis locis?* Abjici autem jubet imagines mendaces & scandalosas, sicut *Barbaræ, Margarethæ, Georgii, Christophori, Catharinæ &c.* quia homines, quos referunt, non fuerunt in natura. Quæ eodem versu de mercede meretricia dicuntur *fol. 544. b. & 545.* applicat ad bona Ecclesiastica, malis artibus plerumque quæsita, nec melioribus usurpata, & laudat Principes Evangelicos, quod recta studia & doctrinam religionis egregie & cum maximis sumtibus propagent, & immerito spolii & alienatarum opum Ecclesiasticarum accusentur. *Hi potius*, ait, *accusentur, qui Ecclesiam non adjuvant & tamen monasteria spoliant.* In fine capitis hujus primi, quæ adversus idololatriam Judæorum a Propheta dicta sunt, his quoque temporibus necessaria esse existimat, scribens *fol. 547. Quantum abominationum, jam plus quam sexcentis annis, in Ecclesiam per Pontifices invectum est? Coëgit eos necessitas, ut saltem textum Evangelii in templis recitarent, quanquam id quoque in Italia & aliis Nationibus multo rarius, quam in Germania factum est. Sic Baptismum & cœnam Domini retinere eis necesse fuit, quanquam utrumque Sacramentum varie contaminaverunt, alterum etiam impie mutilaverunt. Hæc ut retinerent, necessitas coegit eos. Sed his sepositis, nihil per omnem vitam a Pontifice ut Pontifice, ab Episcopo ut Episcopo, a sacrificulo ut sacrificulo, a monacho ut monacho, a moniali ut moniali, per tot secula factum est, quod non ex diametro cum verbo Dei pugnaret. Nam etiam bona ipsorum opera defœdavit impia opinio meriti. Hanc impietatem, cum adhuc hodie Pontifices velint esse salvam, cum eam mordicus retineant, & cum immani crudelitate defendant, quomodo possibile est, ut non Deus suo tempore,*

An. 1542.

(2) De erroribus Romanæ Ecclesiæ.

(3) De imaginibus, quatenus tolerandæ.

(4) De abusu bonorum Ecclesiasticorum.

(5) Iterum de abusibus Rom. Ecclesiæ.

An. 1542. *pore, & brevi quidem, cum vastitate totius Germaniæ puniat? Non enim habebitur innocens, qui nomen Dei blasphemaverit, & verbum ac voluntatem ejus contemserit, sicut exemplum hoc regni Ismël abunde ostendit.* Cap. II. v. 1. de ficta & simulata sanctitate monachorum & Pontificum haec habet *fol. 547. b. Magna sanctitas simulatur a monachis & sacrificulis, quoties missandum est, quoties in publico aliquid faciendum; sed cum postea ad vinum, ad scorta, ad nummos exigendos ventum est, ibi primum ostendunt, quam eis simulatio ista sanctitatis cordi fuerit. Sic Pontifices, bone Deus, quam sancti, quam mites, quam humiles sunt, cum instituuntur processiones seu supplicationes, cum indulgentiæ effunduntur in stultam multitudinem? Sed his ipsis levissimum est, magno numero interficere pios Doctores ubique gentium; His ipsis levissimum, exsolvere ab obedientia & juramento subditos, quoties Cæsares aut Principes nolunt obsequi ipsorum cupiditati; Levissimum est, involvere in bella & cædes tota regna. Taceo fraudem judiciorum, inexhaustam avaritiam, infandas libidines, quæ quidem omnia etiam vulgus intelligit execranda esse. Sed tamen illi, qui faciunt, putant splendore religionis tecta esse, & non ita conspici.* De gratia Dei & exhibitione mediorum salutis universali, & quomodo intelligendæ sint promissiones generales, quæ conversionem & salutem omnium indicare videntur, v. g. cum *cap. II. 12.* dicitur: *congregabo Jacob totum &c.* egregie commentatur, & orthodoxam Ecclesiarum nostrarum doctrinam liquidissime proponit *fol. 551. b. 552.* his verbis: *Hic incauti lectores iterum impingunt, & universales promissiones referunt ad eventum, qui maxime particularis est. Neque enim omnes credunt, ideo nec salvantur omnes. Tenendum igitur discrimen est. Aliud enim est, benedicentur in te omnes gentes, & aliud; omnes gentes promissionem hanc de benedictione accipient. Nam Evangelium offert quidem omnibus remissionem peccatorum & vitam æternam per Christum, sed non omnes promissionem hanc Evangelii accipiunt. Ita hoc in loco dicit Propheta: Universum te, Jacob, congregabo; & tamen eventus docet, maximam partem populi Evangelio non credidisse, & ideo abjectam esse, sicut Propheta idem ostendit, cum dicit de reliquiis Israël. Cur igitur, inquies, sententiæ sic universales sunt? Ideo scilicet, ne quis ab Evangelii promissione se excludat. Christus enim non unius populi aut temporis thesaurus est, sed offertur per verbum omnibus. Quod autem Christum non omnes accipiunt, ipsorum culpa fit, quod non credunt, & indulgent incredulitati suæ. Interim manet sententia Dei & promissio universalis; Quod Deus omnes homines vult salvos esse. Ad hunc modum Propheta quidem dicit, universum Jacob colligendum. Deus enim vult Christum esse communem thesaurum omnium, sicut dicit Christus: Ita dilexit Deus mundum, ut daret filium suum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ecce colligendi studium, ut omnes colligat in unum ovile, ad unam gratiam per Christum. Sed huic voluntati Dei obsistunt increduli, cum verbo parere & id accipere nolunt. Itaque tantum reliquiæ Israël colliguntur & salvantur.* Ad *Cap. III. v. 1.* ubi Propheta Principes & Duces populi alloquitur, & de peccatis admonet, *fol. 553.* officium Pastorum Ecclesiæ esse dicit, ut magistratuum quoque peccata manifesta, quæ cum ingenti subditorum scandalo committuntur, arguant: agnoscit quidem, Prophetas singulariter ad id vocatos, & per visiones aut alio modo instructos fuisse; statuit tamen, generale Novi Testamenti mandatum sufficere de prædicanda pœnitentia. Paulo post ad *v. 3.* de incremento luxus, & inde orientibus rapinis & exactionibus graviter objurgat Principes *fol. 554.* Adde, quæ habet *fol. 557. & 581.* verbis maxime notabilibus: *Hodie inusitatus luxus omnium Principum aulas invasit; non ædificiorum ratio, non vestitus, non victus eadem est, quæ olim fuit: omnia sumtuosissime instruuntur. Sed revera ædificant & ornant quoque Principes suas aulas in sanguinibus, quod novis & inusitatis exactionibus subditos suos onerant, ne quid de splendore & luxu cogantur diminuere. Olim parce vivebant Principes, ideoque tolerare poterant sumtus sine injuria subditorum, & in publicis periculis patebat eis refugium ad privatorum opes. Nunc, cum ad luxum expilentur subditi, nulla præsidia ad publica pericula depellenda Principes sibi reliqua faciunt. Et accedit aliud gravius incommodum, quod iniquis istis exactionibus etiam subditorum animi abalienantur, & sternitur quasi via ad seditiones & alia mala. Sed sunt hæ pœnæ peccatorum, quæ postea aliis pœnis excipiuntur & multantur.* Taxat etiam avaritiam Cleri Romani, de Evangelicis vero presbyteris dicit, *tam parce & illiberaliter haberi, ut procul sint a suspicione avaritiæ, & vix habeant, unde se & suos alant; si qui tamen sint, qui occasionibus parandarum opum intenti sint, eos meminisse* jubet, *ut rationem habeant sui ministerii, ne id aut dehonestent pravis cupiditatibus, aut eo abutantur ad quæstum.* Ad *v. 11.* cum quædam adversus judices corruptos scripsisset, hæc subjungit, *fol. 557. b. Hæc non tantum ad ipsos judices seu magistratus referenda sunt, sed etiam illos, quorum opera Magistratus in administrando jure utitur, ut sunt Jurisconsulti, Advocati, Procuratores, & id genus alii, quorum cum esset jus & æquum defendere, sæpe lucro uberiore invitati, iniquas causas defendunt; sæpe bonas causas involvunt & implicant magis, quod in mora eis quæstus sit; sæpe pauperibus negant operam suam, etiam in justis causis, quando contra potentiores agendum est. Magis enim hominum favorem & gratiam, quam Domini mandatum & functionem suam respiciunt. Sed quis omnes hujus generis fraudes & dolos commemoraret? Etsi autem nihil magis dolet, quam in bona & justa causa succumbere, propter aliorum sive perfidiam, sive inscitiam (nam ii quoque peccant, qui ad hæc negotia nondum satis instructi accedunt) tamen, quia judicium Domini est, mussitanda injuria & vindicta Domino relinquenda est, qui suo tempore ab avaris contemtoribus juris & prævaricatoribus satis graves pœnas expetet, sicut Propheta in fine admonebit.* Ad eundem versum, quo culpantur sacerdotes, qui mercede docent, ostendit, studium mercedis improbari, non vero alimenta ministris Ecclesiæ debita, quod ex Paulo *I. Cor. IX.* egregie deducit, & satanico ministerii odio incendi ait, qui reprehendunt, quod alicubi ministris Ecclesiæ

(6) *De ficta sanctitate monachorum.*

(7) *De gratia Dei universali, & cur non omnibus ad salutem proficiat.*

(8) *De elencho et-*

An. 1542. *iam in Magistratus necessario.*

(9) *Taxat avaritiam Cleri.*

(10) *Et Advocatorum malitiam.*

(11) *Salaria ministrorum Ecclesiæ commendat.*

An. 1542. cleſiæ liberaliora ſtipendia conſtituta ſint. Deinde ſic loquitur *fol. 558. Si Eccleſiarum utilitatem ſpectamus, annon in eam potius partem pronunciabimus, ut miniſtri Eccleſiarum habeantur liberaliter, quam quod multis in locis vix a fame ſe & ſuos tueri poſſunt? Nam hæc illiberalitas meliora ingenia a cura Eccleſiarum abſterret. Non enim omnium eſt illud robur animi & ea conſtantia, ut pro difficillimis laboribus odium & famem reportare velint. Ac præcipue marito nihil poteſt gravius accidere, quam ſi videat uxorem & liberos egere, quos, ſi aliam rationem vitæ ſequatur, etiam cum ſplendore alere poſſit. Nam etſi Legum & medicinæ ſtudium propter magnos ſumtus non omnibus pateat, tamen in republica munia honeſte adminiſtrari poſſunt ab homine etiam mediocriter erudito, quæ omnia ad ſplendorem vitæ & ad opes aditum patefaciunt. Hæc profecto juventus magis ſectari volet, etiam ſuorum cauſa, quam ut uxorem & liberos in certam mendicitatem ſciens & prudens protrudat. An non igitur Eccleſiæ ex iſta illiberalitate, qua erga miniſtros utitur, certum periculum erit? ſiquidem eruditis hominibus carebit, & indoctorum hominum, qui non poſſunt ad altiora contendere, inepta ac periculoſa gubernatione opprimetur: Sicut ante oculos exempla ſunt, quæ oſtendunt, non ſolum, quanta caligine res ſacræ indoctorum gubernatione involutæ; ſed etiam quanta barbarie omnes bonæ artes oppreſſæ fuerint. Nemo igitur offendatur, quod alicubi bonorum Principum pio ſtudio Eccleſiarum miniſtri paulo liberalius habentur; hoc potius queramur omnes, non haberi a maxima parte Principum & Rerumpublicarum poſteritatis curam, quæ in tanta illiberalitate, aut nullos, aut indoctiſſimos gubernatores habitum eſt. Inprimis grave & intolerabile illorum tum peccatum, tum judicium erit, qui Eccleſias ſpoliant & miniſtrorum facultates invadunt. Sicut in agro ferox nobilitas, & in Rebuspublicis potentiores familiæ plerumque ſolent. Utrique enim parvi lucri ſpe invitati in certum exitium Eccleſias adducunt, quas, majorum exemplo, etiam ſua liberalitate adjuvare & ornare debebant.*

(12) De ſpontanea Chriſtianorum obedientia.

Ad *Cap. IV. v. 1.* in verba: *& fluent ad eum populi*, de ſpontanea hominum ad Chriſtum converſione pulcherrime docet *fol. 560. b. Quod additum eſt, & populi confluent ad eum, in eo pulchre oſtenditur diverſitas hujus regni ab aliis corporalibus regnis. Ibi enim vinculis legum & coactione eſt opus, ut homines maneant in officio & nihil turbent, ideo etiam armis ad retinenda imperia & defendendam autoritatem Principum opus eſt; ſed in Chriſti regno hac cura non opus eſt; Non indiget armis, quibus homines cogat; ſtatim, cum verbum in auribus & cordibus hominum ſonare cœperit, ipſi homines ſua ſponte vel ſua voluntate, ut ille dicit, coacti accurrunt, & in parte hujus regni hærere volunt, ſicut Chriſtus dicit, regnum Dei nunc vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quid enim poteſt lætius audiri, quam quod per Chriſtum Pater reconciliatus, peccata remiſſa, & vita æterna nobis donata ſit? Tantarum opum quis non optaret ſe quoque participem fieri? Itaque cum primum verbum hoc vulgatur, ſicut flumina, nemine cogente, ſed ſua vi, per præcipitia decurrunt, ita populi ad hunc montem, hoc eſt, ad Eccleſiam confluunt, in qua per Evangelium theſauri miſericordiæ Dei oſtenduntur, & credentibus diſtribuuntur. Nam verbum (Nabaru נהרו) ſimilitudinem fluminis, magna vi per declivia loca decurrentis, complectitur.* Quæ vero de novo cultu in regno Chriſti inſtituendo ad *v. 2. fol. 561. & ſeq.* commentatur, prolixiora ſunt, quam ut adſcribi poſſint; interim piis lectoribus iſta & alia ſumme commendamus.

(13) Bellare Chriſtianis licitum eſſe, non negat.

Ad *v. 3.* quæſtionem, *an liceat Chriſtianis arma ſumere & bellum gerere?* ita explicat *fol. 563.* ut manifeſtæ calumniæ rei fiant *Faber, Cochlæus, Eccius*, & alii ſycophantæ, qui Luthero negativam ſententiam imputant; diſerte enim & hic & alibi ſæpius docet, non agi hoc Prophetæ loco, de magiſtratu civili, ſed de regno Chriſti, relinqui igitur magiſtratui ſuam adminiſtrationem integram, ut pax publica conſervetur, (qua etiam Eccleſiæ opus eſt) at ſine armis retineri nequeat. Ad *v. 5. fol. 564. b.* hortatur Eccleſiam, ut *in nomine Domini Dei ſui* (ut loquitur Propheta) magno animo pergat, & libere damnet adverſa ſequentes.

(14) Ad conſtantiam & ſpem pios hortatur; & alia quædam breviter indicata.

Addit: *Debet quidem Eccleſia eſſe patiens, humilis & officioſa, ſed cum verſatur in ſuis rebus. At cum de doctrina, de cultu Dei, de ipſo Deo agitur, ibi debet ſuperba ac animoſa eſſe, ac libere ſine diſſimulatione damnare omnes errores, & ſua defendere. Hoc enim non ſolum ad Chriſti gloriam, ſed etiam ad animorum ſalutem pertinet. Si enim adverſarii dogmata ſua libere, & nemine damnante, in publicum ſpargerent, multo plures ſeducerentur. Nunc, cum & damnamus eos, & noſtra defendimus, cum gloriamur etiam de lumine verbi, quod apud nos eſt, ac Pauli exemplo etiam Angelos anathematizamus, ſi diverſum doceant; ſalvatur Chriſto honos ſuus, & Satanæ conatus franguntur, non valentis tam multos in fraudem inducere. Ad hanc ſuperbiam & obſtinationem vocat Propheta hic Eccleſiam, & promittit, quod illi, qui hunc Dominum habent, & in viis ejus ambulant, hoc eſt, qui verbum ejus ſequuntur & retinent, erunt in ſeculum & in perpetuum, hoc eſt, quod manebunt populus Dei, etiam poſt hanc vitam in ſempiternum. Hoc teſtimonium de reſurrectione & vita æterna dignum eſt notatu. Agnoſcamus igitur theſaurum, quem nobis Dominus dedit, revelato regno Chriſti, & patientes in adverſis, gloriationem hanc veræ doctrinæ ac ſpem vitæ æternæ retineamus, neglectis illis, qui alios cultus, & Deos alios ſequuntur, ac noſtram doctrinam damnant.* Ex verbis *v. 7. Regnabit Dominus ſuper eos &c.* primatum & regnum Pontificium refutat, & Antichriſtianum eſſe contendit *fol. 565. b.* Ad *cap. V.* de naturis, perſona & officio Chriſti, & de regni ejus indole, Eccleſiæque fatis, ſumma cum pietate & orthodoxia commentatur, occaſione autem *v. 9 fol. 572.* vaſtitatem Germaniæ certam impendere dicit, additque votum, *da pacem Domine in diebus noſtris, Amen.* Cujus & compos factus eſt, evocatus a Deo eo ipſo, quo bellum Germaniæ nocentiſſimum cœpit, anno. Adde, quæ habet *fol. 582. b.* Ad *Cap. VI. v. 7. fol. 576.* idololatriam & perverſum Judæorum cultum cum monachorum ſuperſtitione comparat, & defectum

An. 1542.

fectum denuo ostendit, mandati scilicet Dei, absque quo nihil placeat Deo, utcunque speciosum sit. *Ad Cap. VII. v. 1.* ubi Michæas de successu doctrinæ penitus desperare videtur, statum Ecclesiæ considerat, cui objici dicit atrocissime ab adversariis, quod fructus non ferat doctrinæ, sed sequantur seditio, sectæ, avaritia, tyrannis, & subjungit *fol. 579. b. Sed dic mihi, num Micham accusabimus, quod aut in docendo negligentior, aut in objurgando non satis vehemens fuerit? Nam doctrinam ejus culpare non audebis, & tamen ipse testatur, se nullum videre fructum doctrinæ suæ in populo. Immo, quanto ipse acrius reprehendit vitia, tanto majora incrementa sumsere. Hujus igitur incommodi quæ causa est? Profecto non doctores, ac multo minus doctrina. Sed Satan est causa, qui zizania, hominibus dormientibus, serit in agro bono. Ea postea sic pullulant, sic crescunt, ut bonum semen non solum obruatur, sed plane stranguletur. Sed non ideo aut vocatio penitus abjicienda, aut negligentius faciendum officium est. Hæc enim duo incumbunt doctoribus. Primum, ut animam suam redimant, sicut Ezechiel loquitur. Deinde etiam, ut impius mundus habeat testimonium publicum contra se. Sicut Christus dicit Joh. 15. Si non venissem & locutus essem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ad hæc accedit tertia causa, & quidem potissima, quod & nomen Dei sanctificandum est, aliis omnibus blasphemantibus, & semper aliqui erunt, qui verbum amplectentur. Habet enim Deus semper suam Ecclesiam, ubi verbum est, etsi variis scandalis deformata & pene oppressa sit.*

(15) *Querela de malis moribus hominum, etiam in vera Ecclesia viventium.*

(16) *De fructu calamitatum publicarum.*

Ad *v. 8. Si sedero in tenebris, Dominus lux mihi est,* præclara monet de emolumento, quod pii etiam ex calamitatibus publicis sentiunt, inter alia sic scribens *fol. 584. Neque vero impedit, quod calamitates illæ sint pœnæ peccatorum. Nam Propheta statim peccatum in sua & sanctorum persona profitetur ac agnoscit. Hoc solum restat, ut tu quoque peccata tua agnoscas, & in iis non pergas obstinate. Castigat pater quoque filium propter peccata, & tamen ista castigatio est signum paterni animi. Sic Paulus dicit: corripi nos a Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Fiunt igitur etiam illæ calamitates, quas propter peccatum infligit Deus, piis seu pœnitentibus certa signa gratiæ Dei & vera Sacramenta, sicut epistola ad Hebræos hunc ipsum locum pulcherrime explicat cap. 12. Fiunt etiam exercitia fidei, fiunt opera obedientiæ erga Deum, & habent promissionem compensationum æternarum: In hanc igitur lucem nos quoque intueamur oculis & animo, & fiet, sicut Paulus dicit, ut etiam gloriemur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem efficit, spes autem non confundit. Scimus enim per Spiritum sanctum qui nobis datus est, nos a Deo diligi, & gratiam tanquam diluvium inundare in nos.*

(17) *De characteribus Ecclesiæ.*

Ad *v. 14.* de Ecclesia & ejus signis adversus Pontificios disputat, qui alia (spreta simplicitate Ecclesiæ) nempe ritus splendidiores, vota monachorum, cœlibatum &c. & similia invenerunt; & inter alia hæc habet. *fol. 586. b. Sed miseri & bis cæci homines, non vident, Ecclesiam & populum Christi esse spirituale regnum. Itaque non habet externas notas, nisi valde contemtibiles, scilicet verbum remissionis peccatorum, Baptismum in mortem Christi, & cœnam Domini. Quæ cum intuentur gentes, Judæi & Papistæ, levia ducunt: Non enim considerant, in qua re nitantur ista, nempe in sanguine filii Dei; Ecclesia autem hoc considerat, & hunc thesaurum agnoscit. Videt sibi filium Dei datum & natum, & Propheta loquitur. Immo videt eum etiam in cruce propter nos occisum, ut nos vivemus. Agnoscit ipsum verbũ Evangelii, Baptismum & cœnam Domini, sanguine filii Dei signata, ideo vere se jactat populum Dei. Confer enim huc legem, circumcisionem, sacrificia, templum, terram Canaan & alia omnia, quæ populus ille habuit, & de quibus magnifice est gloriatus. Ea, quid, obsecro, sunt ad sanguinem filii Dei? Porro si hæc, quæ Deo mandante instituta & facta sunt, non merentur huc conferri, ubi, quæso, manebunt vota monachorum, impurus cœlibatus, & alia id genus, quæ ab hominibus conficta, a Deo autem nunquam nec mandata, nec approbata sunt?* Miracula postea ordinaria omnium temporum, quæ ex verbi prædicatione sequuntur, ad *v. 16.* enarrat, addens, *fol. 588. Ubicunque enim, & quandocunque Evangelium docetur, ibi ad hunc modum fructificat inter gentes, sicut etiam nostra experientia testatur. Quantum erat studium redimendarum Missarum? quam frequens invocatio Sanctorum? in peregrinationes quantum impendebatur? quantum in ornamenta templorum? Hæc omnia Evangelium de morte filii Dei pro peccatis nostris, ita ex animis nostris excussit, ut etiam ad mentionem talis idololatriæ horreamus.* Brevis denique totius commentarii syllabus exhibetur *fol. 590. b. & 591.* Versio Germanica, cujus autor nominatur *M. Stephanus Reichius*, extat *Tomo VIII. Alt. fol. 67. ad fol. 167.*

An. 1542.

(18) *De Concilio a Pontifice indicto, cur liberum non sit.*

Relatum est *fol. 591. b. ad fol. 596.* in hunc annum ex errore, ut in margine *d. fol. 591. b.* agnoscitur, breve scriptum Lutheri, quod anno 1537. composuit, *quomodo Concilium Christianum debeat esse liberum*, item *de conjuratione Papistarum*. Hoc a me in acta illius anni referendum fuisset, sed tardius errorem animadverti. Ab initio spem omnem deponi jubet de reformatione Ecclesiæ, & sinceritate doctrinæ restituenda, propter juramenta horrendissima, quibus omnes fere Doctores, Prælati & Episcopi Pontifici obstricti sint, nec præstituros multum esse paucos quosdam ait, qui nuper veluti postliminio errores agnoverint; fore potius, ut cæterorum exprobrationibus animi illorum frangantur: Ideoque juramentorum relaxationem ante omnia necessariam esse, nihil enim sperari posse a colluvie illa hominum, quorum, licet plurimi ex iis sint indoctissimi & puri puti asini, una & quæstuosissima ars sit, unius horæ spatio discenda, *Papæ servire, adulari, honores divinos ei tribuere, jus & fas in ipsius gratiam pervertere, & secreta, cum commodum est, prodere.* Bonos & integros viros, qui in hoc genere hominum sint, excipit. Hanc rationem esse dicit, cur soli indocti & nugaces quidam doctorculi, eruditissimi hujus seculi dedecora, tam impudenter & vesane erro-

res

An. 1542.

(19) *Formula juramenti, quo promovendi in Doctores Pontifici adstringuntur.*

res & abusus defendant, aut de iis rixentur potius; tot vero docti & eloquentes taceant, vel sanius & moderatius agant: Ex eodem fonte Jurisconsultorum quorundam & Episcoporum effœminatissimorum barbaricam sævitiam derivari ait. Subjungit inde formulam juramenti scholaris *Ingolstadiensis*, in Doctorem promovendi, his verbis *fol. 592. b. Ego N. Scholaris Ingolstatensis, Eistetensis diœcesis, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro, Domino Paulo tertio, ac ejus successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, consensu, tractatu, vel facto, ut vitam aut membrum perdant, seu quod contra alicujus eorum personam, vel in ipsorum aut Ecclesiæ eorundem, seu sedis Apostolicæ autoritatum, honorum, privilegiorum vel Apostolicorum statutorum, ordinationum, reservationum, dispositionum, seu mandatorum derogationem, vel præjudicium, machinationes vel conspirationes fiant. Et si ac quoties aliquid horum tractari scivero, id ne fiat, pro posse impediam, & quanto commode potero, eidem Domino nostro vel alteri, per quem ad illius notitiam pervenire possit, significabo. Consilium, quod mihi per se vel nuncios seu literas credituri sunt, ad eorum damnum nemini pandam: ad defendendum & retinendum Papatum Romanum & regalia S. Petri contra omnem hominem adjutor ero. Autoritatem, privilegia & jura, quantum in me est, potius adaugere & promovere, statuta, ordinationes, reservationes, dispositiones & mandata hujusmodi observare, & eis intendere curabo. Legatos sedis Apostolicæ honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Hæreticos & schismaticos, & qui alicui ex Dominis nostris & successoribus prædictis rebelles fuerint, pro viribus persequar & impugnabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

(20) *Animadversiones in eam; & alia Lutheri.*

In margine, quo revelatio secretorum promittitur, annotat Lutherus, intelligendum id etiam esse de secreta confessione, nam sigillum confessionis merum esse fucum, quo laicis os oblinitur. Sequuntur aliæ animadversiones literis *a. b. c. d.* &c. signatæ. Observari vult ante omnia, hanc formulam Doctoribus præscribi, ex quorum devotione (quoniam maximo sint numero) maximum etiam commodum Pontifici nascatur; unde & factum esse ait, quod Doctorum nomen tam invisum superiori seculo redditum sit, ut si vir nobilis doctoratum accepisset, plane degener existimaretur, unde & in plerisque locis in Senatum non legantur. In notis reliquis idem acerrime sane & pluribus prosequitur, monstratque, ut nullus Princeps aut Magistratus ullam fidelitatem a Consiliariis, qui Doctores, & ad istum modum Pontifici obstricti sint, sibi promittere possit. Addit, in *Germaniæ* Academiis, *Wittenbergam* & *Tubingam* solas ab hoc vinculo liberas esse, in *Anglia* omnes, quasdam etiam, si fama vera sit, in *Italia*. Rogat bonos ac pios viros, ne Doctores tali juramento olim obstrictos contemnant, illos minime, quos ejus jam pœnitet. Sequitur formula jurisjurandi, quo Notarii obligantur; in quo speciatim reprehendit, quod contra patriam jurent, & ad recuperandum amissa Pontificibus adjutores esse velint. Inde vetus formula *fol. 595.* in quam olim jurabant Episcopi, ex decretali: *Ego: de jurejurando;* deinde etiam recentior producitur. In hac ad limina Apostolica iter annuum, ex priori formula, Italiæ solum Episcopis injungitur; transalpinis vero triennium indulgetur. Rationem Lutherus conjicit, ut tanto citius moriantur ex molestia vel veneno, & palliorum redemtio frequentior fiat, vel ut professionem illam ære redimant: Concludit, libertatem nullam sperari posse a Concilio, in quo non nisi, qui sic jurati sint, ad decisiones, reliqui omnes saltem ad instruendum, disserendum & consultandum admittantur.

An. 1542.

§. C.

(1) *Lutheri dissertatio de inauguratione Amsdorfii ad Episcopatum Numburgensem, & cur Pflugius non sit admissus.*

Inter scripta Lutheri hujus anni Germanica primum est *Tom. VIII. Alt. fol. 1. ad 11.* quo *Nicolai Amsdorffii*, Episcopi Numburgensis inauguratio defenditur. Post exordium, quod ironia non caret, dum peccari dicit in Pontificem & Ecclesiam ejus, sine spe veniæ, quod Episcopus *Numburgi* absque chrismate aliisque unguentis initietur; Primum de jure disputat, quo, contra electionem Capituli, ad Episcopi constitutionem processum sit. Deducit id, omisis argumentis juridicis, ex jure divino. Præsupponit enim, quod Episcopi, quem Capitulum elegerit, dogmatibus & religione præcepta tria priora decalogi lædantur, neglecto vero & puro cultu Dei, ideoque censet eum, ut falsum Prophetam, *Matth. VII. 15.* fugiendum, & vocem Christi ab ovibus ejus audiendam *Joh. X.* Falso doctori vero dicendum esse ex *Hos. IV. 6. tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ne sacerdos meus sis.* Cum enim Pontifices neminem ferant, ad acerrime persequantur, qui suis non obsequatur decretis, longe minus a piis Principibus & populis ferendos esse falsos doctores. Vehementer objurgat Canonicos, quod dudum moniti, populum tamen ad Evangelicam doctrinam audiendam admittere noluerint, sed hæc, iis invitis, autoritate Principum, implorantibus civitatibus Numburgensi & Cizensi, introduci debuerit. Efferri nempe eos dicit, fiducia virium Pontificiarum, quas utique magnas esse non negat, & sibi ab aulico quodam Romano dudum dictum esse refert, plus minimo digito valere Pontificem, quam omnes totius Germaniæ Principes: Isti tamen potentiæ divinam opponit & præfert. Reprehendit præterea, quod ab electione *Pflugii*, Pontifici & Moguntino obligati, desistere, & alium ab illis vinculis liberum, aut ea ex verbo Dei abjicientem, sufficere noluerint, sed Principum adhortationes & proposita media contemserint; irridet etiam dissimulationem, qua usi erant, in occultando electi nomine. Errores vero capitales ipsis, & electo ab iis Episcopo, objicit, quod fidei Christianæ prædicationem prohibeant, damnent, & ferro & igne eam profitentes persequantur, fiduciam operum doceant, integram Sacramenti distributionem repellant, abominationem Missarum tueantur, conjugia & cibos vetent, & hæc omnia pertinaciter faciant, toties licet de emendatione moniti. De *Pflugio* speciatim queritur, quod, licet eum habeat intellectum, eam eruditionem, atque alia dona Dei plurima, ut etiam Pontificatu supremo dignus sit, in literis

An. 1542.

tamen suis *Numburgum* missis, quibus invitum se ad Episcopatum accedere profitebatur, & magnifica addebat promissa, ne verbo quidem significaverit, se doctrinam & Sacramentorum administrationem, ut huc usque introducta erat, quantum in se esset, permissurum. Si quis ad hæc opponat, nondum definitum esse ab Ecclesia, quod Pflugius & similes sint lupi & falsi Prophetæ, ei respondet; oves Christi non expectare decisiones a Conciliis luporum, sive eorum, qui de se ipsis judicare & pronunciare velint, sed jus habere fugiendi suo judicio pastores alienos. *Joh. X. 5.* Frustra possessionem objici, æternum esse Deum, contra quem nulla currat nec allegari possit præscriptio; in temporalibus locum esse possessionibus & præscriptionibus, in spiritualibus minime. *In his*, ait, *nihil est possessorium, præscriptio, justitia, sanctitas, religio, (quæ jactantur) immo nihil sunt angeli & cœlum; sed solus Deus omnia, omni tempore, omni hora, omni loco & in omnibus personis. Ille non potest circumscribi, impediri, præscribi, contranitentes omnes superabit in inferno & extremo judicio.* **Er will und muß ungefangen / ungewehrt und unverjahrt seyn / oder er wird alles überjähren und überwähren in der hölle / wie er doch ohne das thun wird am jüngsten Tage.** Tacere itaque illos jubet, nec allegare possessionem & jus acquisitum, nam a Deo in re hac spirituali nihil tale respici. Quærit *secundo*, an contra fidem & jusjurandum fecerit Ecclesia sive populus Numburgensis, alium quærendo & recipiendo Episcopum? Hoc planissime negat, eodem fundamento, quod oves Christi vocem ejus audire & sequi debeant, & sic juri divino, & inde ortæ obligationi nullum obstet juramentum; hoc enim invalidum esse, nisi præstetur vero Episcopo, spernendos itaque esse clamores illos, sicut ipse omnes spreverit adversarios suos, *Fabrum, Eccium, Cochlæum, Wicelium*, quos suo more cognominat, itemque *Moguntinum* & *Brunsuicensem*. Historiolam quandam subjungit, Erfurti, se juvene Baccalaureo, quendam, qui se pro Comite Hennenbergensi venditaverit, Rectorem Academicum electum, eique juramentum præstitum esse, postea compertam fuisse fraudem, & aufugisse falsarium, qui minime Comes, sed plebejus fuisset, phrygio nempe, qui acu pingeret. Sicut igitur juramentum, homuncioni illi ex errore præstitum, corruisset; ita evanescere etiam, quod Episcopo præstetur, quamprimum is verus Episcopus esse desinat; immo solutos fuisse cives Episcopatus vinculo, quo Episcopis & Capitulo obstricti fuerint, ab eo tempore, quo Evangelicam doctrinam recipere cœpissent, & Pontificem pro alieno sive lupo agnovissent, &, qualis debeat esse verus Episcopus, ex Pauli epistolis ad Timotheum & Titum didicissent. Mitigat tamen hoc, & dicit, id non fuisse actum, **(wir dringen nicht drauff)** ut Episcopus omnia ipse præstaret, quæ Apostolus poscit, sed libenter laturos, & in extremo judicio culpæ partem in se recepturos fuisse, si pro *Valerio* (Episcopo Hipponensi) concionetur *Augustinus*, id est, si Episcopi aliis idoneis viris officium suum demandent, aut eos admittant, quos cœtus expetunt. Indicat consilium, de quo §. *XCVI.* & in *Addit.* dictum est, quomodo deliberatum fuerit,

(2) *Rejicit exceptionem præscriptionis & possessionis.*

(3) *Juramentum, in re impia præstitum, servandum esse negat.*

(4) *Concedit Episcopis, ut per Vicarios res agant, & Canonicatus servandos esse suadet.*

ut cum Episcopali & Canonicorum dignitate & statu conservaretur doctrinæ puritas. Affirmat etiam cum multa asseveratione, se sæpius cum pio Principe, **(mit dem frommen Herrn)** *Georgio Anhaltino*, Præposito Magdeburgensi, locutum esse, ejusque consilium & opem implorasse, qua fieri possit, ut Episcopatus & Canonicatus conservarentur, non vero dissolverentur; **(daß die Stifter nicht zerrissen würden /)** id enim Germaniæ utile non fore, hoc præsertim tempore, quo avaritia omnes ardeant & plane furant, **(da der Geitz alle welt wilde / toll und thöricht gemacht hat.)** Hanc viam Capitulo Numburgensi suggestam iniri debuisse, sic tueri electionem suam potuisse; multa enim hoc tempore extra ordinem admitti, ita ut etiam Principes seculares ex necessitate & subsidiarii veluti Episcopi esse cogantur, **(müsten Nothbischöffe seyn /)** qui Pastores & concionatores defendant, cum id Papa & ejus sectatores recusent. Addit, liberum manere potuisse Episcopis & Canonicis, num uxores ducere vel cœlibes (absque scortatione tamen) vivere voluissent, nec prohibendos fuisse, ut ex reditibus suis aliquid uxoribus & liberis conferrent. Stultum forte hoc consilium suum videri, sed divinum esse, & sic pro sapiente stultitia habendum, existimat. De monasteriis ita sentit: Quemadmodum recte fiat, ut mendicantium sodalitia, omnibus onerosa, aboleantur; ita majora & opulenta monasteria non minus, quam Episcopatus & collegiatas Ecclesias, conservanda & in scholas convertenda esse judicat, ad pauperiores ex nobilitate aliosque idoneos viros sustentandos, qui jam, absque tali subsidio, inertia torpeant, aut, ut mures & glires, in horreis saginentur. Hanc igitur intentionem Electoris & fratris ejus circa Episcopatum Numburgensem fuisse dicit, ut exemplum bene constituti Episcopatus exhiberetur. *Tertio* disquirit, an recte fecerit Episcopus *Amsdorffius*, quod manus sibi a se & aliis, qui pro hæreticis & apostatis Romanæ Ecclesiæ habeantur, imponi passus sit? Fatetur, non esse, quæ de se bona prædicet & jactet, hominem se esse, ut alios, in peccato & morte sub Diaboli tyrannide natum, vivere etiam non tam bene, ut vellet, sed ereptum se ex potestate Diaboli, & quicquid habeat boni, non suum, sed Christi, Dei & Salvatoris sui, esse, cujus dona negare non debeat. Modice quidem se intelligere Scripturam, melius tamen eam, & quomodo consecrandus sit Episcopus, nosse, quam Papam & Episcopos ejus, ignaros, *quid loquantur vel affirment. 1. Tim. I. 7.* quidve agant & faciant. Defendit etiam consecrationem, in casu necessitatis a quocunque factam, & quod, secundum jus Pontificium, Episcopi etiam a Simoniacis vel turpissimis, quales *Bonifacium VIII. Julium II. & Clementem VII.* fuisse dicit, consecrari valide & legitime possint; sicut matrimonia valeant, a qualicunque presbytero consecrata. Interim in conscientia tutum se esse, quod legitime consecraverit, adscitis Superintendentibus sive Episcopis vicinis, & in præsentia Principum & populi. Laudat postea Episcopum *Amsdorffium* a nobilitate, a doctrina, qua omnes Pontificios superet, ab honesta vita & animi candore, denique etiam a cœlibatu, & ita tam ex Canonum requisito, quam secundum Paulum,

An. 1542.

(5) *Defendit ritum ordinationis Amsdorffianæ, & personam Amsdorffii commendat.*

sine

An. 1542. sine crimine & irreprehensibilem esse, salvo tamen judicio divino, in cujus conspectu nemo justificetur *Ps. CXLIII. 2.* Repetit Electoris sententiam de non dilacerandis aut alienandis bonis Episcopalibus, & mendacii accusat omnes, qui contrarium *Pflugio* retulerint; se enim hoc *Numburgi* & *Cizæ* publice, Electoris nomine, proposuisse, nec latere id *Pflugium* posse; quod vero hic jam dicat, se Episcopatum Christiano more gubernaturum, immo & permissurum esse præsentem doctrinæ & rituum statum, iis se parum fidere, non dissimulat. Ab annis enim viginti loquelam eorum se didicisse dicit, & scire quid Christianum & Evangelicum vocent, & quantum promissis eorum tribuendum sit. Hæc fere sunt hujus libelli contenta, ex cujus postremis verbis apparet, alias fuisse conciones, breviores scilicet quas *Numburgi* & *Cizæ* habuerit, & hic allegat; & illa extensa postea & scripto consignata fuisse. Confirmatur hoc ex *epistola Lutheri MS.* ad *Amsdorffium* d. 12. Febr. hoc anno data, quæ in *Bibliotheca Jenensi* extat, &, cum brevis sit, & documentum expeditissimi ingenii, & incredibilis celeriter scribendæ facultatis, tum etiam prudentiæ & integritatis in recusando munusculo *Amsdorffii*, exhibeat, plene referenda esse visa fuit. Scribit autem: *Et ego impense gaudeo, vir in Domino charissime, placuisse tibi literas meas, scilicet non in vacuum me scripsisse. Volebam enim consolari, ut qui pro te sim sollicitus non vulgari sollicitudine, memor in quantas te curas conjecerim, vel potius conjici consenserim. Sed Dominus, qui per stultos & infantes regit orbem, & confundit sapientes in sapientia sua, ipse perficiet opus suum per nos stultissimos virorum, ut Prov. I. appellamur. Cæterum non te afficiat, quod scripsi, nihil me abs te petiturum. De Episcopo, non de Amsdorffio scripsi, id est, nolim mihi quicquam dari, tanquam de rebus Episcopatus, scilicet, ne centauris indignissimis occasio fiat blasphemandi, postquam ipsi omnia devorant sine conscientia, & postea culpam in nos transferant, propter unum aprum vel leporem aliis donatum.* **Lasset sie fressen in Gottes oder eines andern nahmen / daß wir nicht mit fressen gelästert werden.** *Gratulor, quod Clerus Cizensis morigerum sese ostendit. Nova nulla, nisi quod sub incude est liber de Episcopatu, quem Naumburgæ promisi. Esset jamdudum absolutus, si per novam imbecillitatem stetisset, & quæso, quid majore voluntate cuperem, quam ut ante quindenam esset absolutus? Quod possum, promptus facio. Vale in Domino, qui te confortet, & ora pro me.*

(6) *Amsdorffius Pflugio respondet.*

(7) *Annotatio quædam de scripto hoc, ex epistola Lutheri.*

(8) *De modo ritum ordinationis Amsdorffianæ, & professionem Amsdorffii commendat.*

(8) *Præfatio in libellum Richardi contra Alcoranum.*

Vertit hoc anno Lutherus Germanice libellum Latinum *Richardi Dominicani*, quo *Alcoranus* refutatur, addiditque exordium & epilogum. In exordio *Tom. Alt. fol. 12.* fatetur, se de veritate libelli, dudum quidem a se lecti, dubitasse, neque credere potuisse, dari homines rationales, quibus a Diabolo persuaderi tam turpia & horrenda potuerint; suspicatum potius esse, hæc, ut multa alia, a scriptoribus Italis, perpetuis in gratiam Papæ mendaciis operam dantibus, conficta esse; desiderasse igitur *Alcorani* ipsius lectionem, miratumque esse, quod, licet regnum Mahometis jam ultra novem secula viguisset, nemo tamen indagaverit aut tradiderit, qualem religionem Turcæ profiterentur. At nuper Quadragesimæ tempore, *Alcoranum Latinum* ad se pervenisse, sed pessime versum, ut meliorem interpretationem omnino desideret, interim ex eo deprehendisse, *Richardum* non confinxisse, quæ scripserit, sed convenire ea potius cum *Alcorano*. Ætatem scriptoris ex conjecturis collocat in initium seculi XV. sub *Alberto I.* Imperatore. In vertendo autem libello, hunc finem se ait habuisse, ut Christiani in fide sua confirmarentur, perspectis immanibus Mahometis erroribus; agnoscit tamen, religionem illam hominibus carnalibus aptissimam esse, & successum, quem per tot secula habuit, scandalum excitare posse, nisi consideretur justum Dei in puniendis populi sui peccatis judicium, tum consilium in continuatione persecutionum & martyrii in Ecclesia Christiana, quæ sanguine innocenti fundata sit, & ejus perpetua effusione conservetur. Interim summam infelicitatem in Mahometanis observat, quod & instrumenta sint immanis in Christianos sævitiæ, & se tanto numero, per impietatem suam in æternum præcipitent exitium. Deplorandum etiam esse notat, quam *Richardus* dudum allegaverat, eorum pertinaciam, qua conversionis viam sibimet ipsis prorsus præcludunt, dum autoritatem sacræ Scripturæ aboleverunt, nullamque informationem vel disputationem de religione admittunt. Libellus *Richardi* capita habet XVII. lectu admodum digna *Tom. VIII. Alt. a fol. 13. ad 37.* In epilogo, quem subjungit, Lutherus, ex capite libelli IX. id maxime urget, quod Mahometes ipse, cum librum de duodecim millibus rerum mirabilium conscripsisset, fassus sit, quartam tantum partem narratorum veram esse, quod nihil dici possit impudentius & absurdius; interim neminem ait excusari, qui talia profitentem, nec vera a falsis distinguentem, audiat. vid. *fol. 37.* Quem locum notari velim adversus protervam *Varillasii* aliorumque calumniam *Lib. I. §. CII.* refutatam, qua Luthero ex libello *de Missa angulari*, & relata in eo disputatione cum Diabolo, imputant, quod sciens & prudens Diabolum autorem doctrinæ suæ allegaverit. Longe autem execrabilius esset, si quis diceret, se a Diabolo didicisse, quæ doceret, quam si quis profiteretur, inter ea, quæ doceret, quartam tantum partem veram, falsas autem reliquas esse. Quod vero *Richardus* tradidit, paucos inter Mahometanos esse, qui *Alcorano* serio credant, licet fidem verbis profiteantur, id graviter ad Christianos applicat Lutherus *fol. 38.* *Hi*, ait, *sciunt & fatentur verbum Dei, & verissima esse, quæ audiunt, interim cor eorum alibi habitat, occupatumque est Mammona, potentia, gloria & voluptate humana, & ita scientes & proterve veritatem, quam noverunt & profitentur, contemnunt Doctores, atque errores & superstitiones defendunt, populus vero, licet quotidie audiat, peccata esse adulterium, furtum, latrocinium, avaritiam, blasphemias, contemptum Dei, irridet tamen præcepta Dei, & qui ea prædicant:* Eo minus mirandam esse dicit impietatem Mahometanam, cum verbum Dei ne audiant quidem. *Immo* (ait) *cum duo veluti Turcorum agmina, inter se pugnantia, eadem pec-*

(9) *De impietate eorum, qui scientes peccant.*

An. 1542. *peccent, alterum Mahometanorum, alterum pseudochristianorum, se ipsum, si interrogetur, responsurum aliter non esse, quam quod justius sit, ut Deus hos puniat quam illos, utque victoriam Turcis potius concedat, ideo nempe, quia major culpa sit Christianorum, qui, meliora scientes & profitentes, nihilominus in flagitia ruunt.* Ideo de victoria talium adversus Turcos plane desperat, *fol. 39.* De Alcorano porro notaverat *Richardus*, quod toties mutatus & interpolatus sit, ut jam non constet de ejus autore & fide. Idem de Ecclesiæ Romanæ traditionibus asserit Lutherus; adeo enim incerta & confusa esse omnia, ut scire, aut pro certo & comperto indicare nemo possit, quis v.g primus fuerit autor & magister auferendi calicem sacrum laicis; quis fabulas de S. Georgio, Christophoro, Catharina, Ursula & aliis invenerit; quis sacrificium Missaticum, purgatorium, indulgentias, aliaque ejusmodi innumera primus excogitaverit; jam postquam illa in consuetudinem venerint & in libros relata sint, pro sanctæ Ecclesiæ articulis haberi, & ut hæreticos diffamari & puniri, qui de iis dubitent. Ideo Romanæ aulæ dicterium esse: *non potest omnium ratio reddi*; plane oppositum effato *Petri Ep. I. cap. III. 15.* quo jubet *paratos esse Christianos ad reddendam rationem omni poscenti.* Item Pauli, qui Timotheum *scire* monet, *a quo didicerit II. Tim. III. 14.* Execratur deinde inprimis libidinosam Mahometanorum vitam, fœdissimumque conjugii abusum; & licet devotio illorum religiosa & disciplina politica & militaris laudetur, eam tamen, & quicquid boni apud illos reperitur, non nisi hypocrisin esse judicat, nec magis dignam commendatione, quam societatis leges, quas latrones inter se accurate servant, aut adulteræ amorem, & fidem, quam amatori suo longe diligentius, quam marito & liberis, præstat, aut superstitiones in colendis sanctis. *Hoc*, ait, *ex carnis nostræ natura perversa oritur, quæ ad serviendum Diabolo in peccatis paratissima & fidelissima, cessat tamen & restitat in obsequio erga Deum & virtutum exercitio.* Gratias inde Deo agendas esse monet, quod in Mahometismo errores tam crassi sint, ut nemo, qui vel rationis ductum sequatur, decipi illis possit, in Papatu vero conservaverit sacras literas, textum Evangelicum & Sacramenta, ut electi, decepti licet, in cruce tamen aut in morte viam salutis reperire, & Salvatorem apprehendere potuerint, ut *Bernardus* & alii fecerint. Interim *Mahometem* pro Antichristo proprie habere non vult, nimis enim crassum esse dicit, & a nigro Diabolo agitatum, qui paganorum more Christianos persecutus sit. At subtiliorem fuisse Romanum Antichristum, qui retentis, quæ supra enumeraverat, itemque matrimoniorum jure, Catechismo & usu clavium, in media sedeat Ecclesia, & bonis sanctisque illis articulis suas admisceat traditiones legesque, quibus religionem corrumpat, inutilem reddat, & viam salutis in operibus quærendam doceat, unde omnes collegiorum & monasteriorum fundationes & opes pendeant. Sic decipi etiam pios potuisse, & evenisse, quod Paulus prædixit, *II. Tim. III. 5. habituros speciem pietatis, virtutem vero ejus abnegaturos*; miraculis etiam prævalere, de quibus Mahometes gloriari non sit ausus. Denique conjugii abusum aperutum quidem esse ait in polygamia Mahometica, sed in Papatu impudicitiam prope universalem per legem cœlibatus introductam esse. *Mahometes* (ait) *turpissimus omnes ducit uxores, nullam vero habet; Papa sive Clerus noster cœlebs & pudicus, nullas ducit, habet omnes.* His aliisque corruptelis & vitiis renunciandum esse dicit, seriaque conversione ad Christum redeundum, id ni fiat, majorem successum sperandum nobis esse negat, quam majores habuerint, qui tot seculis contra Mahometanos pugnaverint, illi tamen ex sterili Arabiæ angulo tantos latrocinio suo progressus fecerint, ut terras quadringentorum pene milliarium Germanicorum spatio inde distantes subegerint, jam vero nostras fores pulsent, & intra septa nostra nobis insultent. (Mahomet hat / da er ist aus dem spröden mörder-winckel Arabien kommen / bey vierhundert teutscher meilwegs Land genommen / und klopft ietzt an unsere Thür und bietet uns trotz auff unserm miste.) Hæc etsi acrius dicta, ex suis tamen principiis deducta, & ideo prolata, ut emendatio sequeretur, omissa verborum quorundam asperitate, dissimulare non potuimus, idcirco præsertim, ut appareat, quo fine Lutherus Alcorani dogmata, eorumque refutationem publicaverit; neque enim defuerunt, qui atrocem calumniam eo nomine illi impegerunt, ejusque doctrinam cum Alcorano comparatunt.

(10) *De incertitudine traditionum annotatio.*

(11) *De hypocrisi Mahometanorum.*

(12) *De Antichristianismo.*

(13) *De damnis a Turcis illatis & metuendis.*

Sequitur *fol. 41.* præfatio Lutheri in epitomen *libri de conformitatibus Francisci*, in qua ideo se librum ipsum in memoria hominum servare, & hoc ejus compendium edere scribit, ut testimonium extet, quid in Ecclesia sub Papa huc usque scriptum lectumque fuerit, quod nunc multis incredibile esse videatur; A duobus enim aut tribus annis extitisse ex parte adversa, qui publice, & maxime in Comitiis, exornare & incrustare (putzen und schmücken) omnia tentaverint; his oggerendas esse fœtidas has nugas, confirmatas tamen, privilegiis ornatas, atque præceptas a Pontificibus. Harum tamen pœnitere illos negat, sed id agi, ut, sub specie concordiæ, in quibusdam articulis sanciendæ, vetera illa inquinamenta clam & sensim reducant; stultos tamen esse, si putent Spiritum sanctum technas illas non videre, qui dudum *Matth. IX. 16.* vetuerit, *ne quis pannum novum insuat vestimento veteri, & pejorem faciat scissuram*; quapropter impossibilem esse existimat conciliationem illam, nec veritatem nisi ab una parte stare posse. Interim gratias Deo agere jubet omnes, quod fabulas nugasque illas jam, Evangelica doctrina illuminati, detestentur, quæ non ita pridem creditæ fuerint a se quoque, neque quenquam forte ausum illis contradicere, aut facturum id fuisse magno cum malo suo; nominat *Hiltenium* & *Fleccium* monachos, in vincula propterea conjectos: orandum etiam Deum esse monet, ut lucem verbi sui nobis servet, nec in priores tenebras relabi sinat; metuendum id esse, si posteri ingrati pro beneficio hoc divino futuri sint, & fore, ut eadem cœcitate puniantur, qua majores laboraverint, Deo enim auxilium retrahente lapsum facillimum esse, & principem tenebrarum

(14) *Præfatio in librum de conformitatibus Francisci.*

An. 1542.

brarum haud magno negotio efficere, ut falsissima credantur, quemadmodum Ægyptii olim boves, canes, serpentes, pisces, imo cepas & allium, pro Diis coluerint. De remediis, quæ *Franciscus* & *Benedictus* adversus flammas libidinum quæsivisse perhibentur, ille in nive, hic in sentibus & spinis corpora volutantes; miratum se olim dicit, cum monachus illa legeret, quod tam sancti viri stimulos tales senserint, & tunc quidem silendum sibi, & credenda omnia fuisse; at nunc judicare, quod remedium a matrimonio petendum fuisset. Addit, duos illos homines ad regimen Ecclesiæ & politiæ reformandum minime aptos fuisse, nugisque & deliramentis suis mundum implevisse, doctrinæ vero & regno Christi tenebras offudisse. *Si salvati sunt*, ait, *quod quidem a misericordia divina, quæ largissima est, spero, nos quoque non desperabimus.*

(15) Adhortatio de pace ad Saxoniæ Principes in causa Wurzensi.

Diximus §. *XCVIII.* de dissidio inter Electorem *Johannem Fridericum* & *Mauritium* Ducem Saxoniæ in causa Wurzensi, quod prope in bellum erupisset; conscripsit autem tunc ipso die passionis Dominicæ, sive Veneris ante pascha, Lutherus adhortationem ad Principes & Ordines provinciæ, quæ extat *Tom. VIII. fol. 42.* sed, ut ex scripto *D. Pomerani* anno 1547. publicato percipimus, uno tantum quaternione ejus excuso, suppressa fuit, pace mox secuta. Contenta autem epistolæ hæc sunt. Fatetur, præmisso honorifico titulo, sibi quidem, ut Theologo & Ecclesiastæ, judicium de lite prorsus politica minime competere, veruntamen, secundum monitum Pauli *I. Tim. II. 1. 2.* obsecrationes & orationes incumbere; & orationes quidem atque preces jam factas esse & continuari, adhortationem autem se scribere ad Principes & Ordines ausum esse, quia ex utraque parte Evangelicam doctrinam receperint & Christiani sint, & ideo etiam minister Christi audiri ab iis debeat. Proponit dictum Christi *Matth. V. 9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, ex quo contrarium quoque verum esse infert, pacifragos Diaboli filios esse. Hanc Dei sententiam ad omnes pertinere affirmat, absque conditionis & dignitatis respectu. Obligatos itaque esse Principes divino præcepto, ut pacem colant, neque ullam ob causam, nedum tam levem, rumpant; non minus etiam obligari, etsi de injuria querantur, & hanc propulsare se dicant, ut prius de pace & concordia tractent, & judicium de lite offerant & admittant; hoc neglecto vindictam privatam & vetitam esse; Laudat tribunal provinciale, ut pulchrum regionis cimelium, (das feine Kleinod / das Hofgericht) & tot adesse & consuli posse dicit egregios ex nobilitate viros & Jurisconsultos, tandem etiam Principes, hæreditario pacto unitos; (die Erbvereinigte Fürsten) Si res in bellum erumpat, viros sapientes idem judicaturos esse de tantis Principibus & Ordinibus, ac de duobus rusticis ebriis, qui in caupona de vitro rupto, aut fatuis, qui de frusto panis pugnis dimicent. (Als wenn sich zween volle Bauren im Kretschmar um ein zerbrochen Glas / oder zween Narren um ein stück Brod schlügen.) Interim ex scintilla hac incendium magnum oriri posse, quo communes hostes, & Turcæ inprimis, lætarentur, Evangelio vero insignis inferretur ignominia; Diabolum per calumniatores suos jactaturum esse ait, hos esse Principes & Proceres atque Ordines, qui aliis viam ad cœlum ostendere & omnes homines veritatem docere vellent, jam vero tam stolide & pueriliter agant, ut nec parvi momenti litigium legitimis mediis componere possint; Allegat deinde utriusque Principis arctissimam cognationem, atque Ordinum utriusque provinciæ multiplices inter se necessitudines, unde bellum hoc vere civile & intestinum tantoque injustius futurum esset. Nominat litem de pediculo, nec enim pluris esse Wurzenam cum omni jure suo episcopali, si cum sanguine tot Principum & nobilium conferatur. Addit severam iræ & pœnæ divinæ comminationem, & Turcos atque Tartaros tolerabiliores esse provinciæ asserit, quam tales Principes & cives. *Memini*, inquit, *Fridericum Electorem beatissimæ recordationis, cum litem haberet cum Erfurtensibus, & quidam pugnaces ipsi proponerent, quinque hominum jactura urbem occupari posse, respondisse, vel unius nimiam esse.* Es sey gnug an einem. *Erfurtum autem*, addit, *alia buccella est, quam Wurzena; talis erat ille Princeps.* Erfurth wäre viel ein ander Brate in die Küche / als Wurtzen; das war ein Fürst. *Rogo vos*, (pergit) *Principes, ut salutem vestram consideretis, nec tantam ignominiam & turpitudinem perpetuam egregiis Ducatibus vestris inferatis.* Et post alia: *Secedat quisque in cubiculum, oretque Deum serio; certus sum, fore, ut Spiritus sanctus corda vestra mutet.* Subjungit, se ex illius parte staturum esse, qui jus & compositionem admittat, sive is *Elector* sit, sive *Mauritius*, se enim neutri blandiri posse, & autorem atque consultorem, Dei loco, illi parti esse, quæ pacem obtulerit nec obtinuerit, ut se mascule & alacriter defendat, se ejus sanguinem & damnationem in se recepturum; dein, si in prælium, veluti coacti, procedant, respicere eos monet Wittenbergam, se enim manus suas super eos ad remissionem peccatorum elevaturum esse, utpote tales, qui se licite defendant, & post cognitionem legitime oblatam sed recusatam, inique invadantur, beate occubituri sint, quicunque Principi suo in causa legitima militaturi essent. At recusantibus pacem & cognitionem, & læsæ conscientiæ stimulos & cladem, immo æternam damnationem in judicio divino denunciat, ac fugere omnes ex hujus partis exercitu jubet, & solum relinquere Principem injuste pugnantem, illosque, qui una cum eo in infernum ruant: Neminem enim obligari, ut cum salutis suæ dispendio Principi adsit; regulam esse ait, *hoc possum, quod jure possum:* Ominatur injustis mentis pavorem & labantia genua, & voto ad Deum pro pace finit. Hæc Lutheri sententia fuit, mascula profecto, multæque libertatis, in hoc præsertim ostensæ, quod causam utriusque Principis æquali judicio tractat, nec Electoris, licet ei non uno nomine obstrictus esset, partes tuetur. In privatis vero literis, quæ manuscriptæ extant, de *Mauritio* Duce, ejusque familiaribus ex nobilitate Misnica, querimonias indicat, quas silentio sepeliri satius est, quam hic referri. Ex epistola tamen ad *Amsdorffium*, d. 13. Aprilis data, exscribi quædam merentur, quæ ad historiam faciunt, & acrem

(16) De Friderico Electore narratiuncula.

(17) Epilogus scripti, cum epicrisi.

(18) Epistola Lutheri de causa Wurzensi.

An. 1542. acrem morum depravatorum censuram continent. Scio quidem, & veteres & recentes adversarios, & inter hos nuperrime *Bossuetum*, in libro *de variationibus*, ex illis Lutheri & aliorum querelis vehementer contra Doctrinam Evangelicam argumentari; sed quam frivole id fiat, sæpe ostensum est, & in hac ipsa epistola Lutherus innuit. Quæ vero in hac de calamitate secutura prædixit, eventus non multo post comprobavit. Verba epistolæ hæc sunt: *Causa* (Wurzensis) *prorsus est prophana per se, contributio seu exactio, & nescio quæ alia: Vidi enim articulos, inter quos ille est: In Wurzen debere doceri verbum Dei, secundum visitationem Saxonicam Electoris. Hoc ipse Dux Mauritius proposuit. Tota quæstio dicitur esse de libero transitu Mauritii per Wurzen. Illa nihil ad nos, seu ad ministerium. Alioqui si nos occasio deberemus dici omnium malorum, quæ contra nos gesta sunt, quantum, quæso, sanguinis effudissemus, tot occisis, submersis, exustis sanctis confessoribus nostræ doctrinæ? Christus ipse viderit, qui suo verbo occasio est tanti mali & odii in dæmoniis, in Münzero, Rege Monasteriensi, &c. per quos multa mala fecit, & multum sanguinis perdidit, in scandalum (ut cogitant) & ignominiam nostræ doctrinæ. Quanquam tanta est ingratitudo pro gratia Dei oblata, tantus verbi contemtus, tam furiosa incrementa scelerum, avaritiæ, usuræ, luxus, odiorum, perfidiæ, invidiæ, superbiæ, impietatis, blasphemiarum, ut impossibile sit, Germaniæ tandem a Deo parci & indulgeri. Aut enim Turca nos castigabit, aut tale aliquod intestinum malum aliquando nos visitabit. Pœnas quidem sentimus & dolemus, sed in peccatis horrendis (super quæ contristatur Spiritus sanctus & Deus tangitur dolore intrinsecus) incedimus. Quid mirum, si Deus aliquando vicissim rideat nos in interitu nostro plorantes & ejulantes, qui continue clamantem & extendentem gratiæ manus, & (si fieri posset) plorantem contra nos, nec audimus nec aspicimus. Denique necesse est, hæc malorum initia ferre, majora impendent impœnitentibus. Nec est, quod expectemus bonum, quod non potest venire in futurum, sic implente contra nos cœlum & terram clamore peccatorum nostrorum. Et oculis spiritualibus horribilior est facies Germaniæ tempore pacis, dum tot monstris gloria Dei ubique vastatur, Ecclesiæ & scholæ dissipantur. Quanquam bellum etiam paucos emendet, tamen risum stultorum etiam vertet in luctum, qui sapientes potest in virga furoris visitare. Deus tollat nos ante faciem calamitatis in pace. Interea nos saltem ploremus peccata nostra & Germaniæ, & oremus & humiliemus illi animas nostras, instantes officio nostro, docendo, arguendo, consolando totis viribus. Quid aliud possumus? Germania obsurduit, cæca est, incrassati cordis est, ut spem contra spem nobis habere non liceat.* Sequitur, post alia quædam, pia exhortatio & consolatio ad *Amsdorffium*, his verbis: *Tu fortis esto, & nobiscum gratias age Domino pro sua sancta vocatione, qua nos dignatus est segregare ab istis perditis & perdentibus hominibus, & in suo verbo puro & sancto puros & irreprehensibiles custodivit & custodiet in finem. Flere licet pro inimicis crucis Christi, sed illi lacrymas nostras ridem. Quare tristitiam ex illorum miseria conceptam mitigemus gaudio sancto in Domino, qui nobis lætus surrexit a mortuis, quem videntes cum discipulis lætemur & exultemus in die ista salutis, Amen. Dominus tecum, qui sustineat & soletur te nobiscum. Alioqui extra Christum nihil est audire & videre, quam omnia tristia in regno furentis Diaboli.* An. 1542.

§. CI.

Ex præfationibus, epistolis, aliisque scriptis Lutheri secundum ordinem compilationis *Tom. VIII.* sequitur *(fol. 45.)* præfatio in postillas *Johannis Spangenbergii*, concionatoris Northusani, brevis quidem, sed egregia, cujus emphasis exprimi Latine vix potest. Exorditur a voce *mysterii* vel *sacramenti*, quod Paulus passim Christo & Evangelio, & speciatim *Eph. V. 32.* unioni seu desponsationi ejus cum Ecclesia tribuit. *Hoc*, ait, *putasse, cum recens Doctor Theologiæ renunciaretur, probe a se intelligi, & dictum simplex* (eine schlechte Rede) esse; *sed*, pergit, *postquam, Deo sit laus, tyro misellus* (ein armer Schüler) *Scripturæ factus sum, mire intueri incipio verbum illud, & experientia deprehendo, vere esse mysterium. Licet enim clarissime & apertissime prædicaretur ab Apostolis, nihilominus summis mortalium, sapientibus & prudentibus absconditum & occultum mansit, & revelatum est parvulis secundum dictum Christi, Matth. XI. 25.* Post alia, velut ænigma proponit & solvit: *nihil est manifestius & nihil occultius, quam Christus, nihil comprehensu facilius, quam Christus, in præsepio, nihil incomprehensibilius, quam Christus sedens ad dextram patris & dominans super omnia.* Quæritur deinde non tantum de Pontificiis; sed & de iis, qui se Evangelicos esse jactant, & si semel legerint Scripturam de Christo, tam saturi & repleti sint scientia, ut vel Apostolos a se doceri posse existiment, nedum pastores & concionatores suos. Tales, ait, id quod legunt non habent pro mysterio aut profunda sapientia, sed exigua, quæ cochleari hauriri possit una sorbitione, (ein löffel vol/den sie in einem schluck austrincken mögen.) Illos missos facit, & sinit cortice frui & nucleo carere, licet eum dudum se eruisse putent. Se vero & pios mysterium hoc exsugere velle, ait, ut infantes materno admotos uberi, donec aliquid perceperint, nec se ipsos ablactaturos esse, ut superbi illi faciant, quos veluti pudeat mammarum, & currere velint, antequam iis crura ad justam mensuram creverint. (Wir wollen dieweil an diesem geheimniß saugen / wie ein kind an der brust seiner mutter / biß wir auch einmahl etwas davon kriegen / und uns nicht so früh und zeitlich davon entwehnen lassen / wie sich diese hohe leuthe selbst entwehnen/ und sich schämen der Mutter Zitzen zu saugen. Denn sie können selbst lauffen / ehe denn ihnen die beine und füsse gewachsen sind.) Laudat itaque scriptores, qui mysterium Christi explicant, queritur tamen, quod non omnes id pure faciant, sed quilibet cum libro suo in officinis venalem se sistat, non ut Christum & mysterium ejus revelet, sed ne sua mysteria, & pulchras, quas se de mysterio Christiano habuisse putat, cogitationes perdat, verum propalet, nullo emolumento, quamvis talis etiam dæmones converti iis posse credat, cum

(1) *Præfatio in postillas Joh. Spangenbergii.*

tamen

An. 1542.

tamen nondum muscam converterit. E contrario culpat pastores & concionatores ignavos, qui aliorum libris, veluti formulariis & Calendariis, ad victum suum annuum quærendum utantur, & sicut psittaci aut cornices, voces aliorum sine intellectu imitentur. At hunc non esse scopum suum, dicit in libris edendis, sed cogitare & allaborare se cum aliis, ut etiam post mortem suam & similium, qui non perpetuo in principiis agminis staturi sint, (die nicht ewig an der spitze stehen würden) religio Christiana contra diabolum, mundum & carnem defendatur. Addit: Etsi fortasse non eandem molestiam subituri sint posteri in expurgandis corruptelis religionis, qualem ipse cum sociis sustinuerit, habituros tamen tantundem, si non plus, quod agant, ut resistant Diabolo, ne pares abominationes in Ecclesiam invehat. Ideo, ait, vigilandum & studiis incumbendum est, *attende lectioni.* Profecto nequaquam potes nimium legere Scripturas, nec nimis diligenter & recte legere, quæ legis; nec, quæ recte legisti, nimis recte intelligere, nec recte intellecta nimis bene docere, nec, quæ bene docuisti, nimis bene vita & moribus exprimere. Experto crede Ruperto. (Für-war du kanst nicht zu viel in der schrifft lesen / und was du liesest / kanstu nicht zu wohl lesen / und was du wohl liesest / kanstu nicht zu wohl verstehen / und was du wohl verstehest / kanstu nicht zu wohl lehren / und was du wohl lehrest / kanstu nicht zu wohl leben.) Porro occasionem hoc anno ex facto, ut videtur, nactus, edidit aliqua *fol. 46. b.* & seqq. de puerperis, & de baptismo infantum infirmorum, necessitatis tempore administrando. Puerperas monet, ut in partu sibi non parcant, sed, quo vivos liberos edant, omnibus viribus annitantur. Vetat baptizari infantes in utero, vel si brachium aut crus saltem prodeat, hominem enim, (integrum scilicet, non membrum) sicut nasci, ita & renasci ex aqua & Spiritu *Joh. III. 5.* precibus tamen Deo commendandum esse partum talem, neque dubitari debere, quin Deus, qui parvulos ad se vocat *Marc. X. 14.* suscepturus illum sit. Permittit deinde, ut, qui integri eduntur, sed tam debiles sunt, ut baptismum publicum expectare non posse videantur, a fœminis baptizentur, verbis baptismi substantialibus, & adhibitis testimonii causa duobus tribusque aliis fœminis; si vero convaluerit infans domi baptizatus, tunc in templum deferendum esse, non ut baptismus repetatur, validus quippe, sed ut testimonii causa a ministro Ecclesiæ approbetur, ceremoniis & precibus, quas describit. Expositiios, de quorum baptismo non constat, baptizandos esse statuit, neque enim anabaptismum committi, cum clandestinum baptisma ignotum computandum non sit. Ex eadem ratione matri concedit, ut, casu sic urgente, infantem suum ipsa etiam sola, & nemine præsente, baptizet, hunc, si moriatur recte & sufficienter baptizatum esse, statuit: Si vero supervixerit, fieri posse putat a matre baptismum illum solitarium, & infantem publice baptizari, (quanquam hanc opinionem neque alibi a Luthero repetitam, neque ab aliis receptam esse inveniam, & tutiori modo huic casui prospici possit.) Subjungitur hic *fol. 50. & sqq. ad 64.* tractatus *D. Joh. Bugenhagii* Pomerani, quo *Ps. XXIX.* (Latin. *XXVIII.*) explicavit, & *Christiano III.* Regi Daniæ inscripsit. In hoc libello multa de baptismo ac salute infantum, eorum speciatim, qui in utero, antequam eduntur, decedunt, adversus Anabaptistas, ut & librum, qui *Augustino* tribuitur, *de fide ad Petrum,* disputat. Notandum est, post rubricam libri d. *Tom VIII. fol. 51.* legi; *summa D. Martini Lutheri,* ut putare aliquis posset, explicationem Psalmi, quæ sequitur, Lutheri esse, præsertim cum in indice, sive *Tom. X. Alt.* inter Lutheri scripta referatur; sed certum est, *Bugenhagium* ejus autorem esse, idque clarissime patet ex ipsius annotatione *fol. 64.* ubi rogatum a se Lutherum esse memorat, ut consolationem scriberet pro fœminis abortum facientibus, utque illam, a Luthero impetratam, libello suo addiderit. Consolatio illa, *d. l.* subjuncta, succincta est, sed tersa & solida. Dehortatur *primo* matres a curiosa solicitudine, cur Deus partum vivum edi & baptismo frui non sinat, pertinere enim hoc ad occulta Dei judicia, neque tamen abortum rem novam & insolitam esse, quippe quæ etiam in Scripturis exempli causa allegetur *Ps. LVIII. 9. 1. Cor. XV. 8.* *Secundo* bonam spem collocari jubet in precibus matris, licet in summa illa angustia infirmis, sed quas Spiritus sanctus adjuvet. *Rom. VIII. 26.* orationem quippe hominis Christiani minime spernendam, sed rem esse magnam & omnipotentem dicit, sanctificatum enim esse hominem fidelem sanguine Christi, & unctum Spiritu sancto: quod igitur serio precatur, inenarrabilibus maxime gemitibus cordis, a Deo sine dubio exaudiri *Exod. XIV. 15.* Allegat exemplum precum *Monicæ* pro filio *Augustino,* quibus effectum sit, ut filius hic perditus non solum ex Manichæo Christianus, sed & talis tantusque Doctor factus sit, cui parem Ecclesia Christiana ab Apostolorum temporibus non habuerit. Dubitari non posse, ait, de salute infantum Veteris Testamenti, qui ante octavum diem, circumcisioni destinatum, decesserint, & in Novo Testamento Deum non ita se adstrinxisse dicit Sacramentis, (licet verbo se adstrinxerit) quin etiam extra ordinem salvare infantes non baptizatos possit. Ita in Veteri Testamento salvasse Hiobum, Naëman, aliosque in Babylone & Ægypto, licet fœdus legemque suam sperni noluerit; Inde propter perversitatem hominum potius de infantum horum salute in Scripturis nihil memorari existimat, ne in abusum & contemtum traheretur. In fine exempla allegat juvenis in Nain *Luc. VII.* absque sua fide, intuitu matris, resuscitati, & filii, intercessione reguli patris, sanati *Joh. IV. 50.* aliaque; hunc fidei & orationis fructum esse affirmat, ut Deus etiam aliis, sicuti corporis salutem, ita & fidem dare possit. Sequitur *fol. 66.* consolatoria ad viduam *Joh. Cellarii,* pastoris Dresdensis d. 8. Maji data, & alia, ad quendam d. 23. Maj. qui facultates suas furto amiserat. Hæc ex Tomo VIII. recensuimus.

(1) *Præfatio in postillam Joh. Spangenbergii.*

(2) *Admonitio de puerperis, & de baptismo infantum infirmorum.*

(3) *Libellus Bugenhagii de eadem materia.*

(4) *Additamentum libelli, autore Luthero.*

Addemus quædam ex *Archivis & MSS.* Extat *Reg. O. fol. 181. hhhh.* intercessio Lutheri ad Electorem Saxoniæ *Oswaldo Losano,* Consuli Zuiccaviensi, data 1. Jan. hoc anno, in qua scholam civitatis illius, pro qua beneficium aliquod a Principe expetebatur, commendat, hancque & illam, quæ *Torgaviæ* erat, pro duobus pretiosissimis & ex-

(5) *Intercessio Lutheri pro schola Zuiccaviensis incremento.*

An. 1542. excellentissimis cimeliis in provinciis Electoris habet, (sind zwey treffliche und köstliche kleinode in E. Churfl. Gn. Landen) in his enim singulari Dei favore viros utiles & salutares (nützliche und tröstliche Leute) formari: Laudat Zuiccavienses (deposito jam omni, quem adversus eos habuerat, & de quo alibi diximus, rancore) quod ultro ad scholæ augmentum animum appulerint, cum alibi sint, qui cupiditate secularium rerum repleti, mallent Christum cum Ecclesiis & Scholis eo migrare, ubi Leviathan dominatur. Cum hoc anno tributa ad bellum Turcicum in omnibus provinciis Electoris colligerentur, Elector vero mandasset, ut Lutherum, ratione bonorum, quæ possidebat, immunem esse sinerent, ipse d. 26. Mart. ad Electorem scripsit *Reg. N. lit.* Hh. *n. 42. fol. 109.* & immunitatem, quoad domum majorem, sive ædificia monasterii Augustani, quæ ei donata antehac fuerant, acceptat; scribit enim, vix tertiam partem exædificatam esse, tantosque sumtus ad reliqua requiri, qui suas facultates superent, & ideo se exiguam quandam domum emisse 420. floren. pretio, qua post mortem suam uxor & liberi uti possint, pro hac quoque tributi immunitatem non recusat, quia nondum solverit pretium, & ædificanda etiam hæc domus esset. Sed pro reliquis, quæ possidebat, hortis nempe & prædiolo, quæ omnia 610. florenorum pretio coëmerat, submisse rogat, ut tributa sua accipi juberet Elector. *Nam ego quoque* ait, *cum nummulis meis adesse expeditioni contra Turcos libenter volo, & quidem inter eos, qui sponte contribuunt, refractariorum enim sat magnus est numerus; exemplum quoque præbere cupio & invidiæ occurrere, aliosque excitare, si videant D. Martinum quoque tributa solvere. Denarios, quos ego & obsequentes alii, lubenti animo solvimus, spero Deo non minus placituros, quam minuta illa æra viduæ Luc. XXI. 2. & magis quam aureos, quos divites, sed inviti, pendunt.* Addit, *se etiam inter eos locum optare, qui ipso facto aliquid contra hostes præstarent vel paterentur, immo, nisi senium & imbecillitas corporis obstaret, præsentem in agmine esse malle;* (officii scilicet spiritualis causa) *interim cum Ecclesiæ precibus dudum suas junxisse, vereri enim, ne Germani temerarii nimis sint, &, neglecta ad Deum conversione, hostem contemturi, qui tamen contemni non debeat, omnibus Diaboli viribus subnixus, ita, ut, nisi Deus propitietur, & ex nostra stet parte, parum ex apparatu nostro sperari possit.* Apparet ex his animus viri ingens, sed paucis contentus, nec opum, nec immunitatis, quæ alios gravaret aut offenderet, cupidus, manifeste sane ingenio Cleri illius temporis oppositus. Hanc Lutheri mentem utinam omnes imitarentur, moresque hos sequerentur, qui doctrinam ejus probant! De baptismo infantum in casu necessitatis supra quædam ex *Tomo VIII.* allata sunt; sed *Reg. N.* LL. *n. 199. fol. 405.* reperitur singulare factum, literis consignatum, obstetricis cujusdam in oppido *Cala* ad Salam; hæc enim infantes quosdam infirmos ibi & in vicinia, necessitatis prætextu, baptizaverat (ut ajebat) absque aqua, pronunciatis solum verbis: *ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* De hoc consulti *Lutherus & Bugenhagius* d. 26. Mart. respondent, fœminam hæreseos suspectam esse, quæ superioribus annis in illo regionis districtu sectatores habuerit. Sperni & corrumpi aperte baptismum, qui sine aqua fieri non possit, neque sufficere, quod anus illa dicat, se verbo Dei baptizare, verbum enim non sufficere, sed simul aquam in Sacramento illo requiri; Narrat Bugenhagius, cum ante annos tredecim cum Sacramentariis, evocatus Hamburgo, in Holsatia disputasset, relatum fuisse ad Regem, quod quidam clam docerent, baptismum sine aqua fieri posse. Hoc quidem sibi credibile vix visum fuisse, & cum nemo id publice assereret, disputare quoque de eo noluisse: suadent inde, quoniam de errore fœminæ constet, ut diligenter inquiratur, an non a ministris Ecclesiæ illius loci ortus sit, & ut ad emendationem procedatur, minimeque hic abusus toleretur, infantes etiam denuo & legitime baptizentur. An. 1542.

(6) Literæ ejus de tributis, propter bona sua præstandis.

(7) Lutheri & Bugenhagii literæ de baptismo sine aqua.

§. CII.

Progredimur ad historiam anni 1543. ex qua *Maimburgius*, ut paulo post videbimus, paucis verbis suspensionem Concilii Tridentini indicat, deinde prolixam digressionem de reformatione Coloniensi; cum immodico *Johann. Gropperi* elogio, infarcit. Sed nobis alia dicenda supersunt. Agendum inprimis est de Comitiis Norimbergensibus, quæ d. 14. Nov. anni superioris indicta, ad 14. Dec. prorogata, & non nisi ineunte mense Febr. hujus anni cœpta sunt. *(Reg. H. fol. 463. n. 163.)* Ad ea *Ferdinandus* Rex, bis misso (mense Novemb. & Dec.) *Doct. Andrea Coneritio*, ex nobilitate Misnica, Cameræ quondam Assessore, Electorem Saxoniæ, ut ipse veniret, invitavit; ita quidem, ut inter alia, ad persuadendum illum significaret, sibi minime placere, quod Cameræ judices præcepto Cæsaris in suspendendis processibus non parerent. Sed Elector gravissimas excusationis causas allegabat, & subdole agi, multis rationibus suspicabatur, præsertim, quod Cæsar & Rex nolebant declarationem, Ratisbonæ Protestantibus datam, evulgari; ideoque gladio similem esse dicebat, quem vagina educere non liceret. *Ferdinandus* d. 17. Jan. *Norimbergam* venit, & post octo dies *Granvellanus* cum *Navio*. Adjunctus etiam Ferdinando a Cæsare erat, non ingratus Protestantibus *Christophorus, Episcopus Augustanus*, alibi a nobis ob studium veritatis & amorem patriæ laudatus, de cujus libertate adversus exterorum molimina tuenda cum Legatis Saxonicis familiariter in his Comitiis egerat; sed in his ipsis apoplexia correptus obiit, successorem nactus acerrimum Romanæ Hierarchiæ propugnatorem, *Ottonem Truchsesium*, ex Dynastis Waldburgensibus. Summam actorum in Comitiis proposuit *Sleidanus Lib. XV. p. 419. & sqq.* Plena fuerunt simultatum & rixarum, exacerbatis catholicis casu *Henrici Brunsuicensis*; Evangelicis vero ob non agnitam ab adversæ partis Ordinibus declarationem Cæsaream Ratisbonensem: Accedebat causa *Juliacensis*, quam legitime cognosci, aut amice componi maxima pars Ordinum utriusque religionis desiderabat, ita ut *Granvellanus* vix haberet, quo defendere violenta eorum consilia posset, qui Cæsarem ad *Geldriam* vi occupandam stimula-

(1) Legatio Ferdinandi Regis ad Electorem Sax. & hujus responsio ac comparatio ne in comitiis Norimbergensibus.

(2) De Christophoro, Episcopo Augustano, & ejus morte.

(3) Summa actorum in Comitiis Norimbergensibus.

An. 1543. mulaverant. Prætexebatur quidem alia belli causa, societas nempe Juliacensis Ducis cum Gallis, sed facile patebat, nihil aliud agi, quam ut *Geldria* cæteris Belgii provinciis adjuncta, hæreditario Cæsaris imperio subderetur, ut & factum est. Multa afferebant *Ferdinandus* & *Granvellanus* ad placandos Protestantes; sed cum Catholici ulterius permoveri non possent, quam ut dicerent, se declarationem Cæsaris pro invalida habere nolle, (wolten sie nicht unkrafftigen) neque tamen permitterent, ut in Recessu sive decreto Comitiorum expressa ejus mentio fieret, decretum de auxiliis contra Turcos continuandis aliisque capitibus, quod Præsules & Bavariæ Duces cum Catholicis quibusdam procuraverant, aperte rejectum est a Protestantibus, adeoque effectu caruit, neque in numerum Comitialium constitutionum relatum fuit. Concessit etiam *Ferdinandus*, quod nunquam antehac factum erat, ut protestatio, se præsente, solenni consessu Ordinum recitaretur, jussitque scripto comprehensam a Cancellario Moguntino recipi, tradente eam *Francisco Burcardo*, (Brunsuicensis Ducatus tunc Cancellario) Electoris & sociorum nomine. Extat instrumentum actus d. 23. April. a *Georgio Selneccero* Notario compositum. (*Reg. H. fol. 421. n. 154. A.*)

(4) Nomina Legatorum Protestantium in Comitiis.

Procerum Protestantium Legati erant, Saxonici nempe Electoris *D. Melchior ab Ossa* Cancellarius, *Eberhardus Thannius* & *Burcardus* paulo ante dictus; Landgravii *Rudolphus Scheckius*, Doctores *Johannes Fischerus*, dictus *Waltherus*, & *Tilemannus Güntherodus*; atque *Sebast. Aytingerus* Secretarius. Georgii Marchionis Brandenburgici *Balthasar a Rechenberg*. Ruperti Palatini *D. Waltherus* modo dictus; Luneburgensis Ducis *D. Nicolaus Holsteinius* Cancellarius; Pomeranorum *Jacobus a Zizvviz*; Wurtenbergensis *Christophorus a Fenningen* & *Philippus Ayrerus*, *Doctor*. Civitatum deputati frequentes aderant, & Catholicæ quoque cum Evangelicis, in articulo de bello Turcico consentiebant. Sed abstinuerunt a reliquorum Evangelicorum consilio Elector *Brandenburgicus* & *Mauritius* Dux Saxoniæ.

(5) Causæ, cur decretum recusaverint.

Contradicebant autem Evangelici decreto Comitiorum (1) quod factum esset, non admissis ad suffragia in Ordinum consessu Evangelicis, licet magna Catholicorum pars in admissionem consensisset. (2) Quod de pace provisum non esset, secundum conditiones, quibus Evangelici in auxilia contra Turcos Ratisbonæ, Spiræ & nuper Norimbergæ mense Augusto 1542. consenserant. (3) Quod matricula, quam vocant, Imperii non correcta, sed tributa ad veterem modum, non attentis gravissimis exceptionibus, indicta essent, & quidem sub pœna proscriptionis.

(6) Tractatus in causa Brunsuicensi sine successu.

Tractatum fuit in his Comitiis, interventu Ducum Bavariæ, de causa *Henrici* Brunsuicensis, quem exulem *Bavari* receperant; sed iniquas conditiones proponente *Leonhardo Eckio* sæpe nominato, ut ex Protocollo sub initium mensis Februarii conscripto cognosci potest, nihil effectum est. Nec plus profecit *Ferdinandus* Rex, cum d. 1. April. cognitionem causæ illius instituisset: Legati enim Evangelici de angustia temporis excipiebant, causantes se sufficientia mandata ab Heris accipere tam cito non posse, præterea tot atque tanta contra *Henricum*, si urgerentur, demonstraturos esse, ex quibus appareret inhonestum & intutum fore, omne cum eo transigendi negotium. Interceptæ erant illo tempore (ut ex Landgravii ad Legatos suos Rescripto d. 7. Apr. patet,) *Henrici* literæ, quibus jactabat, fore, ut brevi a Cæsare in Ducatum suum restitueretur; unde conjiciebant Evangelici, subdole agere *Granvellanum*, qui affirmabat Cæsarem *Henrici* causam suam non facere.

(7) Electoris Sax. querela de periculo causæ Evangelicæ, & constantiæ testimonium.

Ista & alia sublestæ fidei & callidarum machinationum indicia vehementer afflixerunt Electorem Saxoniæ, extatque pathetica querela, (*d. l. Reg.*) ab ipso conscripta, de summo causæ Evangelicæ periculo, cui omnes infesti essent, &, neglecto interim pacis internæ stabilimento, Germaniam Turcorum invasioni exponerent. Dolebat quoque *Mauritium* agnatum & *Albertum* Brandenburgicum Byruthensem Cæsari militare, *Ulricum* Wurtenbergicum cum Bavaris, acerrimis huc usque æmulis, fœdus iniisse, cum periculo urbium Evangelicarum in Suevia; *Juliacensem* vi & armis opprimi, aut ex desperatione ad societatem cum Gallis impelli; denique servitium Principibus Germaniæ imminere. De *Granvellano* sic judicat: si verum esset, quod dicebatur, illum amplissimis & liberrimis mandatis a Cæsare instructum esse, ad constituendam in Germania pacem, neque tamen id faceret, oportere eum omnium mortalium nequissimum esse. (er müsse der grösseste Gottes-dieb von der Welt seyn) Tandem cum omnia in exitium ruitura esse præsagiret, his verbis sese erexit, quæ licet liberiora, suis tamen fundamentis innixa, adscribi merentur: Soll das reich Danielis weissagung nach zu trümmern gehen/ und die zeit ietzo vorhanden seyn/ so wird nichts helffen / wir werd n hindurch müssen: der allmächtige Gott / ein Vater aller gnaden / wolle Herr / Vater und Meister seyn/ und es besser machen / denn die vernunfft begreiffen kan / und wolle dem Pabst/ Türcken/ Käyser und Frantzosen wehren / und sein wort biß zu ende der welt erhalten / es bleibe das andere wo es wolle. Id est, *Si secundum vaticinium Danielis Imperium dissolvi debet, & tempus jam adest, nullum erit adversus ea remedium; ferenda sunt, quæ instant. Deus vero omnipotens, pater omnis gratiæ, esto Dominus, Parens & Magister in hac causa & melius omnia dirigat, quam rati ne humana comprehendi possunt; resistat Pontifici, Turcis, Cæsari etiam & Gallis, verbumque suum ad finem usque mundi conservet, dum reliqua omnia eant, ut poterunt.* Constat hinc, qua mente Princeps hic ad extrema omnia pro religione sustinenda jam tum sese composuerit, & quæ post paucos annos secuta sunt, aliquatenus animo præceperit, neque tamen spe sua falsus sit (amissa licet magna opum & dignitatis parte) de retinenda veritatis Evangelicæ, & publice eam profitendi potestate.

(8) Evangelicorum acta & decreta Norimbergæ.

Occasione horum Comitiorum fœderati Evangelici separatas consultationes habuerunt, Recessu d. 28. Apr. *Norimbergæ* conscripto. In hoc, relatis, quæ Svvinfurti nuper acta erant, statuunt, se conjunctim Cameralibus processibus & proscriptionibus sese oppositoros esse; decretum Comitiorum

An. 1543. rum non executuros; nec auxilia, licet singulatim rogentur in Hungariam missuros; Legatos ad Cæsarem deputaturos, qui desideria sua proponerent; Ducatum Brunsuicensem retenturos, convicto tot criminum *Henrico*, detectoque ejus contemtu mandatorum Cæsaris, in causa Goslariensi datorum. Hildesiensibus etiam protectionem promiserunt. Acta dein quædam sunt de recipiendis novis, qui se in fœdus admitti petebant, sociis, sed dilata ad proximum conventum pleraque, & hic *Francofurti* indictus, sed gravibus ex causis ad d. 25. Jun. Smalcaldiæ habitus est. Invitati erant Electoris & Landgravii literis non solum Fœderati, sed & reliqui Evangelici, quorum intererat, pacem & libertatem in religionis causa conservari. Ex his *Mauritius* Saxoniæ Dux (*Reg. H. fol. 479. n. 167.*) respondit d. 27. Maj. se, ut Electori & Landgravio dudum affirmaverit, in vera religione & verbi divini confessione per Dei gratiam perseveraturum esse, præstiturum etiam, quæ ex unione hereditaria deberet, sed excusatum se haberi petit, quod Consiliarios ad conventum non mittat: Theologos vero missurum esse, si de doctrina & religione agendum foret. *Albertus* Marchio Brandenburgicus Byruthensis d. 30. Jun. eadem testatus excusationem allegavit ex absentia *Georgii* Marchionis, cum quo communia haberet ista negotia. *Norimbergenses* d. 18. Jun. scripserunt, se quidem ob gravia impedimenta mittere Legatos non posse, attamen in agnita veritate religionis constanter esse permansuros, nec omissuros, quæ ad ejus propagationem pertinerent. His Elector d. 26. Jun. accepta excusatione & oblatione benigne respondit. Vocati tunc primum fuere ad consilia communia *Ratisbonenses*, qui nuper Evangelicam doctrinam publice in urbem introduxerant, non obstantibus acerrimis minis a vicinis Bavariæ Ducibus: sed & ipsi excusatione usi sunt, quod ad conventum suos mittere non possent; testantes tamen, se ad promovendam gloriam Dei & animarum salutem promtissimos cupidissimosque esse. Etiam ex fœderatis aliqui Legatos non miserunt, plerique tamen, qui Norimbergæ in Comitiis adfuerant, comparuerunt. Consultatum ante omnia fuit de literis Cæsaris, d. 26. Maj. *Genuæ* ad Duces fœderis datis, quæ authenticæ extant *Reg. H. fol. 490. n. 169.* Improbat, verbis quidem moderatis, quod decreto Norimbergensi contradixissent, & de pace & reformatione Cameræ solicitudinem indicassent, quæ superflua esset, pacem enim servandam, & judicium Cameræ omnino reformandum esse; interim ob summum periculum belli Turcici auxilia non fuisse deneganda: ad illa igitur præstanda vehementer illos adhortatur. Decreta fuit ad Cæsarem legatio, excusationes, quas per literas jam allegaverant, oretenus repræsentatura, & auxilia certo modo oblatura. Actum etiam de aliis fœderatorum negotiis, sed dilata sunt pleraque. Disceptatum est non leviter de juramento, quo Legati ad conventus obstringendi essent, soluti prius illo, quod Heris suis præstiterant, eo scilicet fine, ut libere & secundum conscientiam de propositis deliberationum capitibus & in controversiis inter ipsos socios, suffragia dicerent. Hoc inprimis urgebant civitatum Deputati, & erant, qui de violentia Principum fœderatorum querebantur, *Eslingenses* maxime, quibus Dux Wurtenbergicus gravis erat; alii exemplum metuebant; & *Sturmius*, Prætor Argentoratensis, insignem civitatem notam sibi esse dicebat, quæ ad fœdus esset accessura, si æqua & legitima via decidendi de fœderatorum dissidiis, ad formulam Suevici fœderis, admitteretur. Sed Principibus plerisque parum placebat hoc postulatum, & Landgravius Legatis suis mandavit, ut reniterentur, ne ministri Principum potestatem in ipsos Heros sibi arrogarent & ex famulis domini fierent. Id evenisse in fœdere Suevico dicebat, questus inprimis de *Eckii*, Bavarici Consiliarii, importunitate, eamque ob causam Electorem palatinum, Episcopum Wurzburgensem, & se ad dissolutionem fœderis illius permotum esse, dicebat. Sic animato Landgravio, & eadem fere sentiente Electore, nihil hac de re definiri potuit. Rogatus est a cæteris Landgravius, ut *Mauritium* Saxoniæ Ducem, generum suum, bonis rationibus induceret, ut ad fœdus rediret & contribueret; Elector enim Saxoniæ, qui sæpius id ab agnato petens repulsam tulerat, denuo illum solicitare nolebat. Ad Regem *Sueciæ* in societatem recipiendum omnes inclinabant, sed ea conditione, ut centum florenorum millia ad sumtus necessariæ defensionis Brunsuigæ deponeret, & ad expensas annuas quinque millia contribueret. Commissum tamen fuit Landgravio, ut cum Rege tractaret, & illi pedites sexies mille, si illis opus haberet, in auxilium promitteret, Bremam usque mittendos, dein Regis stipendiis merituros: quartam tamen vel tertiam partem remittendi potestatem haberet. Dilata etiam fuit receptio *Ottonis Henrici* Palatini Neoburgensis, & *Wolffgangi* Bipontini: illius, quod nimis exiguum tributum offerret; hujus, quod Legati nihil in mandatis ejus causa haberent. Promissa tamen est societas *Francisco* Episcopo Monasteriensi, Osnabrugensi & Mindensi, qui ad Evangelicam doctrinam propendebat, & libertatem ejus profitendæ civitatibus illis vel indulserat, vel spem faciebat: Desideratum tamen, ut cum Capitulis cathedralibus & Ordinibus Episcopatuum de communi doctrinæ reformatione ageret, quo ea cum consensu omnium aut plurimorum suscipi posset, interim vero equites quadringentos, quos offerebat ad opem fœderatis ferendam, paratos haberet, & 500. florenos annuos ad expensas fœderis minores contribueret. Auxilium in hoc conventu a fœderatis postulavit Rex *Daniæ*, cui *Maria* Regina, Belgii gubernatrix, ob veterem litem cum *Christierno* & ejus filiabus, bellum indixerat. Sed excusarunt se plerique ex Legatis, tum mandati defectu, tum quod causam illam ad religionem pertinere non existimarent. Finitus est conventus, condito Recessu, ut vocant, d. 21. Jul. alíusque eodem die subscriptus de causa *Henrici* Brunsuicensis, & administratione occupati Ducatus, ex quo plus damni & sumtuum, quam commodi, ad fœderatos redundabat. Reditus enim non sufficiebant, ad salaria ministrorum & stipendia militum, nec ad pensiones creditoribus solvendas; (*Reg. H. fol. 489. n. 168.*) & *Henricus* ipse quo possessoribus molestia exhiberetur, creditores

(9) *Conventus alius Smalcaldiæ, quem adire recusat Mauritius Dux Sax. ut & Norimbergenses & Ratisbonenses.*

(10) *Acta in conventu.*

An. 1543. ditores stimulabat, ut sua acriter exigerent, sponsoresque, ut tunc moris erat, obstagiorum lege urgerent. Secuta est sine mora Legatio ad Cæsarem, missique sunt *Burcardus* Excancellarius Saxonicus, *Georgius Boyneburgius* Hassiacus, *Christophorus a Fenningen* Wurtenbergicus Consiliarius, *Jacobus Sturmius* Argentoratensis. Hi Cæsarem, ex Italia per Sueviam cum exercitu Hispanorum & Italorum in Belgium moventem, Spiræ invenerunt. Admisit eos, bis tamen expectare jussos d. 2. August. sero jam vespere. Excepit stans, manumque singulis porrexit, idemque fecit, cum discederent; sedit autem dum loqueretur, & literas Principum Electoris & Landgravii d. 27. Jul. datas, ipse aperuit & legit, scriptoque sibi tradi jussit, quæ oretenus proposuerant. Summam retulit *Sleidanus Lib. XV. p. 429.* Prolixa sed gravis erat enarratio gravaminum, ab anno 1530. ad hoc usque tempus repetita, inprimis querelæ afferebantur contra Camerale judicium, quod declarationem Cæsaream non attenderet: Iniquitas etiam jam olim, & nuper in Comitiis Norimbergensibus deprehensa, exaggerabatur, quod Evangelicis quidem semper pax & quies imperaretur, alteri vero parti liberum servaretur vi agere, quoties possent aut vellent; occasionem autem statim nasci, cum Evangelicorum aliquis in sua ditione de reditibus Ecclesiasticis disponeret, & aliquid ad meliores & pios usus ex illis destinaret, tunc enim mandata ex Camera celerrime decerni, & proscriptiones intentari. Addiderunt & reliqua, quæ Norimbergæ exceperant, de inæqualitate tributorum, quam etiam quidam ex adversa parte agnovissent, & ideo decreto non minus, quam Evangelici, contradixissent. Responsum Cæsaris d. 4. Aug. datum, temperatis licet verbis, gravabat tamen Evangelicos, quod sine sufficienti causa Cæsari diffidere, & auxilia contra Turcos alienissimo tempore detractare dicerentur: Spem vero amplam faciebat & pacis servandæ, & reformandæ Cameræ, modo legitima inquisitio præcederet, absque qua Assessores (quod Evangelici vehementer postulabant) exauctorari non possent: Reliqua ad Comitia, quæ jam in mensem Decembrem Spiræ a Cæsare indicta erant, remittebantur. Ex relationibus *Burcardi*, aliisque documentis præter ea, quæ *Sleidanus* memorat, multa de ingenio aulæ Cæsareæ, inprimis *Granvellani* & *Navii*, adduci possent, ex quibus vafrities hominum, in eludendis Evangelicorum postulatis, cognosceretur. *Navius*, cum Cæsaris nomine, illoque præsente, Legatis respondisset, declarationem Ratisbonensem diserte allegavit, & servatum illam a Cæsare iri, magnifice asseveravit; sed cum responsio petentibus Legatis scripto exhiberetur, omissa est illa asseveratio; deinde, cum molestiæ enarrarentur, quibus Cæsar eo tempore oneratus esset, bellum nempe Turcicum, Gallicum & Juliacense, Brunsuicensis quoque causa inter eas recensebatur; cum tamen non *Navius* solum, sed & *Granvellanus* affirmarent, Cæsarem causam illam ad animum non revocare, neque *Henrici* magnam rationem habere, licet illi, exuli quippe & misero, accessum denegare non posset.

(11) *Legatio Evangelicorum ad Cæsarem.*

(12) *Responsum Cæsaris, & relatio de Navio.*

Pœnituit autem ministros Cæsaris, quod secretum in scripto illo detectum esset, ideoque id sequenti die reposcerunt, & verba illa deleverunt, errori illius imputantes, qui scriptum ex Gallica lingua (hac enim omnia gravioris momenti, quæ Cæsari prælegenda essent, prius conscribebantur) in Germanicam transtulisset: Post paucos autem dies correctum illud restitui sibi petierunt, reddito alio, quo verba illa de *Brunsuicensi*, penitus omissa erant. Factum id fuit *Moguntiæ*, eo enim proficiscentem Cæsarem secuti sunt Legati. Hic etsi aliud responsum, quoad rem ipsam, impetraturos se esse speraverant, festinante tamen ad bellum Juliacense Cæsare cum ministris, referre ad Heros desideria & promissa ejus jussi sunt; quibus intellectis, Elector Saxoniæ *Granvellano* d. 24. Aug. scripsit, se cum Landgravio conventum sociis indicturum esse, omnique studio acturum, ut auxilia contra Turcos hoc anno adhuc præstarentur, seque ipsum exemplo præiturum, spe fretum quod Cæsar promissis de pace & Cameræ judicio reformando staturus esset. Convocati illico sunt fœderati literis d. 27. Aug datis *Francofurtum (d. Reg. H. fol. 490. n. 169.)* ad d. 19. Sept. & interea de pecunia ad stipendia, militum in Hungaria bellantium conferenda, serio admoniti, quia tempus ad copias mittendas nimis angustum erat. Consenserunt in hæc Legati, qui ad conventum venerant, numero quidem pauci; quidam Principes scripto assensum præbuerunt. Post multas etiam deliberationes decretum fuit, ut ad institutam mense Octobri Cameræ visitationem Legati mitterentur, interposita tamen protestatione, ut Cancellarius Moguntinus, *D. Jacobus Jonas*, inter visitatores non esset, quod is omnia judicum acta apud Evangelicos sæpius mordicus defendisset, deinde, ut ad præscriptum declarationis Cæsareæ & nuperæ promissionis, a *Granvellano* & *Navio* facta reformatio procederet. Rogati etiam sunt Principes, ut ipsi ad Comitia venirent, vel Legatos cum liberis mandatis mitterent, talesque, qui auctoritate & experientia tantis negotiis pares essent, ne denuo adversariorum artibus iniqua decreta conderentur. Monitum quoque fuit, ut Coloniensis & Brandenburgicus Electores ad conformia cum fœderatis consilia sollicitarentur. His aliisque in decretum congestis, conventus hic d. 3. Octob. finitus est, dataeque ad Cæsarem literæ d. 27. & 29. Sept. & 2. Octob. nomine Legatorum a *Principibus, Ordinibus & Civitatibus Christianæ Augustanæ confessionis & religionis*, Francofurtum missorum. In his significarunt, quæ de collectis ad bellum Turcicum statuerant, addita protestatione, id minime fieri ex decreto Norimbergensi, sed spontaneo Principum & Ordinum erga Cæsarem obsequio; reiterarunt quoque petitiones de gravaminibus suis eorumque remediis. Ad tres illas literas Cæsar unum Rescriptum dedit d. 17. Octob. *Montibus Hannoniæ*, gratias agens pro subsidio ad bellum Turcicum, & de reliquis omnibus bonam spem faciens, de causa vero Brunsuicensi dicebat, se *Mauritio* Saxoniæ Duci, qui illum in Belgio convenerat, aliquid mandasse, quod ex eo intellecturi essent.

(13) *Conventus Evangelicorum Francofurtensis, & ejus acta.*

An. 1543.

§. CIII.

(1) *Legatio ad visitandam Cameram.*

De gravissimo negotio visitationis & reformationis Cameræ Spirensis repetendum est, quod ab Evangelicis decretum erat, ut a mittendis Deputatis, ad visitationem, quæ secundum conclusa Comitiorum Norimbergensium d. 3. Jul. Spiræ indicta erat, abstinerent, ne scilicet Acta Comitiorum illorum agnoscere viderentur; desperabant etiam de successu visitationis, nisi judices omnes exauctorarentur, & de novis constituendis tractaretur. Cum vero Cæsar iteratis Rescriptis d. 26. Maj. & 17. Jun. serio mandaret, ut suos mitterent, neque se exceptionibus contra Decretum Norimbergense tuerentur, quia visitatio in præcedentibus Comitiis postulata & conclusa fuerat, permoti quidem non sunt, ut visitatores mitterent, quia Cæsar declarationis suæ Ratisbonæ datæ nullam fecerat mentionem; reverentiæ tamen causa ablegarunt Spiram *D. Henricum Schneidewinum* Saxonicum, & *D. Johannem Keudelium* Hassiacum, Consiliarios, cum mandatis in conventu compositis, ut Commissariis Cæsaris, *Wolffgango* Magistro Ordinis Teutonici, *Philippo* Episcopo Spirensi, aliisque rationes exponerent, propter quas sine præjudicio causæ suæ visitatores mittere non possent, paratos tamen ad id fore dicerent, si intelligerent, abdicandos esse omnes judicii Præsides & Assessores. Hæc d. 11. Jul. proposita Commissariis fuerunt, multa quidem regerentibus. Verum neque illis, neque, qui aderant, Catholicorum Visitatoribus cordi erat, ut negotium visitationis procederet, multo minus ut mutatio circa officium & personas judicum fieret. Hi enim, uti quidem tunc animati esse dicebantur, pro validissimo & aptissimo instrumento habebantur, quo in summas angustias adduci possent Evangelici. Ut enim dictum est, querelæ omnes contra Evangelicos promptissime in judicio Cameræ admittebantur, decretis sine mora rigidissimis in illos processibus, citationibus & proscriptionum comminationibus. Nitebantur illa edictis Comitiorum, quotquot in Evangelicos publicata erant, dissimulatis aut in alium sensum explicatis declarationibus Cæsareis. Etsi vero Evangelici, ut dictum est, contradictionibus, recusationibus & appellationibus adversus tribunal illud sibi prospicerent, fidere tamen mediis illis non poterant: Speciose obstabant edicta & leges Imperii, & publicatis proscriptionum sententiis, adversariis liberum erat, suis aut amicorum viribus, pro lubitu in proscriptos grassari. Hi igitur continuo in metu versabantur, & magno cum sumtu ad defensionem sese parare, aliquando etiam, ut in causa Brunsuicensi factum erat, injurias & vim æmulorum prævenire cogebantur. Hæc Cæsar pro rerum suarum statu haud ægre ferebat, cum utrosque sibi obnoxios habere posset; Protestantes scilicet connivendo & simulatione, ac si judicum rigor sibi non placeret, ita ut etiam ad inhibitiones aliquando progrederetur, & subinde reformationem serio moliri videretur; Catholicos vero spe lactans, fore, ut quamprimum se a bellis cum Turcis & Gallis expediisset, vires omnes contra Evangelicos verteret: Eo fine forma illa juridica processuum Cameralium, etsi aliquando ab effectu suspensa, conservabatur tamen, ut in tempore prætextum daret exequendi, quæ nunc sine periculo & damno majori tentari non poterant. Interea Evangelici magna onerabantur invidia, quasi judicia & leges ferre non possent; & erant inter ipsos, qui contra suarum partium Proceres (v. g. *Eslingenses* contra Ducem Wurtenbergicum) aut adversus Catholicos, extra causam religionis jurisdictionem Cameræ implorare maluissent, & inviti recusationi illi universali adhærebant. Callide etiam agebant Camerales, ut quibusdam, Evangelicis licet, sed non fœderatis, parcerent: Invenio enim, qui professi sint, se nullas de Camera conquerendi causas habere. E contrario graves etiam Catholicis erant, qui Protestantibus non vehementer adversabantur. Questus id est Dux Juliacensis, literis ad Electorem d. 27. Jun. datis, scribens: Sibi, quod auxilia adversus Turcos secundum decreta Norimbergensia (quibus ipse non minus, quam Evangelici contradixerat,) non præstitisset, proscriptionem a Camera intentari; actionem vero suam, quam adversus *Mariam*, Belgii Gubernatricem propter bellum sibi illatum instituerat, & interdictum impetraverat, jam a judicibus retardari, vetitumque esse procuratorem Cæsaris, ne Duci assisteret, ut tamen facere cœperat. Vacuus illo tempore locus erat Assessoris ex circulo Westphalico & ab hujus primariis Principibus, (denen ausschreibenden Fürsten) id est, Episcopo Monasteriensi & Duce Juliacensi denominandi; Sed cum Monasteriensis ad Evangelicos propendere videretur, Camerale Collegium denominationem, ejus loco, Leodiensi Episcopo detulit. Sed ad propositum redeo. Commissarii Cæsarei, auditis Protestantium Delegatis, Cæsarem, qui d. 25. Jul. *Spiram* venerat, consuluerunt, &, intellecta ejus voluntate, post abitum illius d. 5. Aug. decreverunt, quoniam neque *Elector Saxoniæ*, neque *Georgius Marchio Brandenburgicus* suos ad visitandam Cameram ex decreto Comitiorum misissent, & ex Catholicis quoque, *Martinus Comes Oetingensis* non venisset, cæterorumque Legati, exceptis Moguntinis, sufficientibus mandatis instructi non essent, ut negotium ad Kal. Octob. differretur. Idem a Cæsare aliis, qui tunc apud eum erant, Protestantium Legatis, de quibus §. *præced.* dictum est, significabatur; a *Granvellano* vero & *Navio* spes facta erat de exauctorandis Cameræ judicibus. Hac erecti ad diem præstitutum 1. Octob. Spiram venerunt Legati Electoris Saxoniæ *Ersmus a Minkwiz*, Præfectus in Belzig, idemque LL. Doctor, duoque ex JCtis Wittenbergensibus, *Melchior Klingius* & *Ulricus Mordeisen*. Aderant quoque Legati *Georgii* Brandenburgici & Senatus *Augustani*. Ex Catholicis, præter *Moguntinos* Legatos, loco *Würzburgensis* Episcopi comparuit *Valentinus Teutlebius*, Episcopus Hildesiensis sæpe memoratus, *Gervicus Abbas Wingartensis* & *Martinus* ille *Comes Oetingensis*. Inter Commissarios Cæsaris primarius erat, & verba faciebat, *Philippus Episcopus Spirensis*, vir industrius, cautus & facundus. Merentur hujus conventus Acta, quæ amplissima extant, (*Reg. H. fol. 501. n. 171.*) ut præcipua ex illis referantur. Eminuit inprimis *Hildesiensis Episcopi* in legibus & tricis fori peritia, summumque partium suarum studium, licet moderationis affectatione callidissime lenitum. Omnem vero

(2) *De Cameralis judicii illo tempore scopo & actionibus.*

(3) *Dilatio decretæ visitationis.*

(4) *Ejusdem reassumtio.*

(5) *De Episcopo Hildesiensi & aliis visitationis actu.*

An. 1543.

An. 1543.

ro operam eo conferebat, assentientibus ei ut plurimum Abbate & Comite, ut intentionem Evangelicorum de emendatione Cameralis judicii interverteret. Eadem cura, quanquam tectior, Cæsareis erat Commissariis: Moguntini moderationem præ se ferre visi sunt, idque sine partium suarum dispendio faciebant, quas satis tuebatur Hildesiensis. Rogati ab Electore *Dux Würtenbergicus*, *Landgravius*, & civitates, *Argentoratum* & *Francofurtum*, Spiram ex suis miserant processus Cameralis peritos, quorum consilio Saxonici uti possent: Neque enim JCtis Saxonicis eadem rerum Cameralium notitia erat, ac suarum legum, quæ ab Imperialibus non parum discrepant.

(6) Cancellarius Moguntinus a visitatione excluditur.

Prima concertatio fuit de Cancellario Moguntino *D. Jacobo Jona*, quem, ut dictum est, Evangelici in nupero conventu suo excludendum esse a negotio visitationis decreverant, causati, illum omnes Cameralium judicum actiones semper mordicus defendisse; ideo per Legatos suos ipsum Cæsarem sollicitaverant, ut ab illa expeditione removeretur. Durum id etiam Evangelicis quibusdam videbatur, & *Jonas* ab Hero Spiram missus, de honore suo agi dicebat, si abscedere juberetur. Post altercationem satis longam res ad Cæsarem relata, & ab hoc d. 27. Octob. ita decisa fuit, ut *Jonas* quidem Legatione sua fungeretur, sed ex consessu discederet, quoties aliquid contra eum proponeretur. Hoc sciebat Cæsar Evangelicis non esse satisfacturum, cum exceptio illa nihil singulare haberet, ad quod non obligarentur omnes judicii vel collegii alicujus Assessores, si privatum negotium haberent. Sed *Jonas* secreto monitus fuit, ut causam aliquam prætexens sponte discederet. Publicato igitur Id. Novemb. Rescripto Cæsareo, magnifice de sua integritate locutus, Deoque & Cæsari gratias agens, sonticas sibi causas enatas esse dixit, quibus domum revocaretur; Addidit tamen, etiamsi illæ cessarent, se nihilominus ab Hero suo precibus impetraturum esse, ne Spiram redire teneretur: Ejus igitur loco *D. Jacobus Reuter*, Moguntini Electoris nomine, consessui interfuit. Hoc obstaculo post sesquimensem superato, gravius aliud obortum est. Initium negotii faciendum erat a conscribendis communi consensu capitibus sive articulis, quos Visitatores Cameralibus judicibus, Advocatis, aliisque ministris proponere

(7) Disputatio de recessu Augustano.

debebant. Inter eos Hildesiensis hunc quoque in medium attulit, ut judices interrogarentur, *num secundum Decretum Comitiorum Augustanorum 1530. huc usque jus dixissent.* Probare autem prolixe (d. 21. Nov.) allaboravit, standum esse Decreto illi, ut regulæ, exceptis solummodo casibus, qui in Comitiis Ratisbonensibus anno 1532. & 1541. suspensi erant. Sed Evangelici nihil minus ferre poterant, quam ut Decreto Augustano robur suum maneret, cum in eo religio Evangelica prorsus damnata, & inter alia vetitum fuisset, ne in subselliis scriniisque Cameræ ulli Evangelico, neque inter Advocatos & Procuratores, locus esset, cum tamen diversum per declarationem Cæsaris anno 1541. impetrassent. Itaque Hildesiensi, cui cæteri suæ partis assenserant, mascule contradixerunt Saxonici, cum sociis, ita tamen, ut declarationem Cæsaris non allegarent, jussi enim erant illam celare, donec sine causæ manifesto damno a productione ejus abstinere diutius non possent. Relata etiam hac disputatione ad Cæsarem, rescriptum est d. 27. Nov. seponendum esse illum articulum de Decreto Augustano & ad alia progrediendum. Id quidem interea fieri cœperat, & de aliquibus concordatum erat, quos Hildesiensis proposuerat, cum Saxonici suos afferrent plusquam septuaginta, qui in Evangelicorum nupero conventu congesti, vitia & defectus judicum satis acriter indicabant. Tum

(8) Aliæ de articulis, per Evangelicos judicio Camerali objectis.

vero Hildesiensis longo sermone multisque argumentis contendit, hos articulos non ad visitationem ex officio Cæsaris & Ordinum Imperii expediendam, sed ad accusationem pertinere, & ad hanc instituendam obligatos esse Evangelicos, quia publicis scriptis, quibus Cameræ judices, ut suspectos, recusaverant, eam in se recepissent: nunc igitur tempus esse, ut crimina judicibus imputata ostenderent & probarent, & hoc velle Cæsarem, cum in Rescripto d. 27. Octobr. jussisset, ut, quæ Evangelici judicibus objicerent, his a Commissariis proponerentur, & audita illorum defensione, placida & amica compositio tentaretur aut res ad Cæsarem & Ordines proxime in Comitiis congregandos referretur. Verum Saxonici cum sociis rejici se ex visitatorum & cognitorum ordine ad accusatorum subsellia videbant; distinguendum itaque negotium visitationis ab accusatione esse dicebant; præcedere illam & periculum fieri debere, an per eam querelis & gravaminibus Evangelicorum remedium inveniri posit; quod si non procederet, de accusatione agendum esse; nec aliter interpretabantur Cæsareum rescriptum. Ut autem tanto minori labore & absque errore de sordibus & vitiis judicum per visitatores inquiri posset, petebant, ut quidam Advocati & procuratores, qui aliquot annis prioribus causas in judicio orassent & tractassent, accerserentur & interrogarentur: Illos enim, qui tunc aderant, plerosque novitios esse ajebant, qui ad interrogata nihil aut parum respondere posint: Si autem veteres, utpote casuum & rerum experti, examinarentur, non dubitabant, tot defectus deprehensum iri, ut ad remotionem judicum omnium aut plerorumque, de qua ministri Cæsaris spem fecerant, procedi posset. Hanc intentionem & machinam probe perspiciebat Hildesiensis, omnibusque modis elidebat, non sine specie asserens, visitationem ad præsentes pertinere, testium vero absentium evocationes & examina inquisitionem sapere, quæ Legatis non esset mandata. Sopita

(9) De juramento Assessorum, & de declaratione cæsarea, ab Hildesiensi oppugnata.

aut dilata hac quæstione, nova extitit de juramento Judicum & Assessorum. Cautum erat, ut inter alia juris jurandi ab illis præstandi capita etiam hoc esset, ut pronunciarent secundum decreta Comitiorum Ratisbonensium 1541. Sed Evangelici decretum illud non agnoscebant, nisi secundum declarationem a Cæsare speciatim obtentam, de qua in historia de Comitiis illis diximus. Cum igitur Hildesiensi, verba Decreti simpliciter urgenti, respondere amplius non possent, ad producendam tandem arcanam illam declarationem adacti sunt. At Hildesiensis (d. 26. Nov.) temperare

An. 1543. perare sibi non potuit, quin Cæsaris illud scriptum vehementissime impugnaret; extortum id esse dicebat, vel subreptione impetratum, defectus etiam formæ habere, omissa Vicecancellarii & Secretarii subscriptione, denique etiam a stylo curiæ Imperatoriæ discrepare, & contradictiones implicare: Objiciebat etiam, si maxime a defectibus illis purgari posset, mutatam tamen jam & sublatam esse Cæsaris Rescripto, in quo Commissarii jubebantur Decretum Ratisbonense 1541. simpliciter respicere, nulla arcanæ illius declarationis facta mentione: Reservatum autem esse Cæsari in hoc ipso visitationis negotio, ut oborto dissidio decidere & statuere posset, quid agendum & sequendum esset. Saxonici hæc ad Cæsaris contumeliam pertinere dicebant, & Cæsarem ipsum declarationem suam esse defensurum, nec opus habere sua ad id opera; sibi tamen satis compertum esse, quod Cæsar declarationem illam sciens prudensque, post multam deliberationem, & ab intercessoribus ex Procerum ordine informatus dederit. Commissarii in ancipiti versabantur, cum causæ Catholicæ per declarationem illam noceri cernerent, neque tamen Cæsaris acta in dubium vocare auderent. Dixerunt itaque, intempestive de juramento isto ejusque contentis disputari, cum adhuc in visitatione ejusque articulis definiendis occupati essent; de juramento agendum fore, si ad reformationem, post visitationem, veniretur. Hac arte etiam hunc scopulum, propter quem reliquos mensis Novemb. dies & initium Decembris consumserant, utcunque evitarunt. Impegerunt inde mox in alium, quo negotium penitus ruptum est: Resumta enim de articulis Saxonicis consultatione, vix tertiam illorum partem admittebant Catholici. Cum igitur Saxonici hoc modo totam visitationem enervari, &, omissis præcipuis visitationis & examinis capitibus, Cameræ statum, qualis erat, cum summo Evangelicorum dedecore & detrimento, mansurum esse deprehenderent, d. 12. Decemb. cum impetrare nihil æqui possent, in consessu surrexerunt, professi, sibi per mandata Electoris non licere, diutius huic negotio operam impendere, cum manifestum esset, scopum ejus plane interverti: provocare se itaque ad Cæsarem & Ordines Imperii, mox in comitiis indictis adfuturos. His dictis ex curia discesserunt, secutique eos sunt Legatus *Georgii* Marchionis & *Augustanus*, dictitantes, se absque Saxonicis progredi non posse. Sequenti die Commissarii rogarunt Saxonicos, ut *Spiræ* manerent, donec Cæsar ad relationem, quam facturi essent, rescriberet, polliciti etiam sunt, se interim, licet aliud minati essent, & Hildesiensis urgeret, in visitatione non progressuros. Obsecuti sunt Saxonici, nec multo post, ineunte Januario sequentis anni, mandatum ab Hero acceperunt, ut *Spiræ* subsisterent, jussaque sua ulteriora expectarent; instabant enim Comitia, & Cæsar jam ex Belgio expectari dicebatur. Decesserat d. 28. Dec. *Georgius* Marchio Brandenb. piæ & laudatissimæ memoriæ Princeps, ejusque morte nova visitationi remora injecta est, donec in ejus locum alius deputaretur.

(10) *Ruptura conventus visitatorii.*

(11) *De jure* Inter alias plurimas, in hoc Visitatorum conventu agitatas controversias etiam hæc fuit, an cura sive directio, quam vocant, Cancellariæ Cameralis Electori Moguntino diutius committi posset; Protestantes enim gravari ab illo se dicebant, eumque multas lites in Camera habere, & favorem præter merita causæ invenire. Ab antiquo autem jus illud Ordinum Imperii fuisse, ut Cancellariam æque, ac ipsum judicum tribunal, constituerent. Sed acerrime sese opposuerunt Moguntini, iisque patrocinabantur Commissarii Cæsaris, visitationem tamen Cancellariæ Cæsari & Ordinibus asserebant. Quærebatur etiam, cum Saxonici aliquando ad mandata Principis sui provocarent, an id jure facere possent; Hildesiensis enim contendebat, ex Legibus Imperii Principes ipsos adesse & visitationem suscipere, aut Legatos liberrimis mandatis instructos mittere debere, neque enim Principum sed Imperii negotium geri. Sed ista & alia relatu licet non indigna prætereo; quæ autem recensui, specimen exhibent status rerum, qui tunc fuit, & quibus modis dissentientes in religione, multisque aliis ad rempublicam pertinentibus causis, suarum quisque partium utilitati prospicere voluerint.

An. 1543. *Moguntini Archiep. in Cancellaria Camerali.*

§. CIV.

Ut vero Evangelicæ rei status hoc anno rectius cognoscatur, & divina providentia ex eventibus secutis cum majori admiratione deprehendi, simul & de consiliis hominum judicari cum fructu possit, ex documentis reconditioribus, operæ pretium erit, paulo plura adducere. Tanta fuit hoc tempore negotiorum moles, tot machinæ adversus Evangelicos instructæ, inter hos quoque ipsos tot suspiciones & simultates, aut trepidatio & error in eligendis mediis, ut mirum sit, Duces fœderis, Electorem Saxoniæ & Landgravium, tantis curis & laboribus sufficere potuisse, neque hoc anno ad arma deventum esse, ut post triennium factum est. Extant (*Reg. H. a fol. 498. ad 555. n. 170. ad 182.*) duodecim magna Volumina literarum, quæ inter utrumque Principem hoc anno commearunt, præter eas, quæ ad acta Comitiorum & conventuum relatæ sunt. Nulla propemodum hebdomas præteriit, qua non duobus tribusve vicibus alter alteri scripserit, responderit, & cum eo communicaverit, quæ ex variis ministrorum aut sociorum relationibus, ex Germania finitimisque regionibus, perceperat. Ex illis autem potissimum referemus, quæ ex Cæsaris, Regum & Principum actis, quorum notitia huc usque non prorsus evulgata esse videtur, ad negotium religionis propius spectant. Cæsar quidem, quod omnes fere scriptores observarunt, magna solertia in celandis interioribus animi sui affectibus uti consueverat, ita ut plerunque non nisi ex eventibus perspici possent, multorumque conjectamentis & censuris subjecti essent. Pessime de iis judicabant Bavariæ Duces, *Gulielmus* inprimis, qui *Leonhardi ab Eck*, sæpius nominati, consiliis regi credebatur. Hic vero *Eckius*, quoties cum Consiliariis Hassiacis, Comitiorum tempore, colloqueretur (id quod frequentius faciebat, quam cum Saxonicis) Cæsari malignum & invidum animum, & fidem lubricam, ingentem etiam superbiam, & sapientiæ supra omnes

(1) *De magno periculo causa Evangelicæ hoc anno, & Electoris & Landgravii gravibus curis.*

(2) *De Cæsaris intentione statuque publico diversa judicia; Bavarica inprimis.*

An. 1543.

omnes opinionem tribuebat, taxabatque Landgravium, quod se in Comitiis Ratisbonensibus decipi passus esset, ad pacta cum Cæsare ineunda, quibus cautum erat, ne cuiquam Cæsaris adversario extra causam religionis, opem ferret, unde secuturum esse ajebat, ut *Juliacensis* Dux *Geldriam* amitteret, aut sua quoque ditione exueretur. Ab exemplo hoc aliisque argumentis concludebat, Cæsarem id agere, ut Principes Germanos, unum post alium, in servitutem redigeret, incepturus a Saxone, progressurus ad Landgravium, & denique ad Bavaros; cæteros omnes, aut inopia, aut placendi studio, & animo ad servitutem composito, Præsules maxime, jugum facile subituros esse. De religione ita animatum esse Cæsarem dicebat, ut ea pro rerum suarum utilitate uteretur: Scire se, quod paratam haberet reformationis formulam, Pontifici non profuturam; ejus metu consilia Pontificis retineri aut impelli, prout res ferret; eadem ratione nunc mitius, nunc severius cum Evangelicis agi. Pontificis quoque vitia non dissimulabat, hominem esse dicens impium, astutum, fallacem: (sey ein böser mensch / listig und falsch) Nihil ergo magis necessarium esse sentiebat, quam ut seposita religionis causa, & hac cujusque conscientiæ relicta, fœdus cum Bavaris inirent Saxo & Landgravius pro defendenda veteri libertate: Certum esse ajebat, Cæsarem infensum esse Bavaris, tum quod cum Gallis diu amicitiam coluissent, tum quod *Johannem Vaivodam* fovissent, maluissentque ab illo, quam ab Austriacis, Hungariam possideri; horum enim causa Turcos ad bella Germaniæ inferenda incitatos esse. Neque tamen Cæsari curæ esse bellum Turcicum, gnaro nempe, Germanos periculi magnitudine compulsum iri, ut suo sumtu & sanguine Turcis resisterent: Nec dissimulasse hoc Cæsarem, cum nuper in itinere ex Italia in Belgium, *Guilielmo* Duci, belli Turcici studium, & pacem cum aliis, suadenti, aperte respondisset: *alios se Turcos habere*; (Gallum nempe & Juliacensem) *Germanus incumbere, ut fines suos adversus Barbaros tuerentur.* Hæc, & alia ejusmodi ab *Eckio* diversis vicibus; partim etiam ab ipso *Guilielmo* Duce, Hassiacis dicta, aut Landgravio scripta, non carebant specie, & Landgravius ipse haud parum ad fœdus & societatem cum Bavaris inclinabat, & Electorem Saxoniæ instigabat, præsertim, cum *Ulricus* Dux Wurtenbergicus, qui cum Bavaris in gratiam redierat, conciliatorem se offerret. *Eckio* minus fidebant; quia omnia nimia cum cautela & secretissime agere volebat, ne quid de hoc consilio ad Austriacos emanaret, neque tamen spondere, nisi oretenus, pro Heris suis volebat, de non juvando Henrico Brunsuicensi, id quod Saxo & Landgravius scripto fieri debere contendebant. Idem declarationem Cæsaris Ratisbonensem vehementer oppugnare solebat, & in Comitiis Norimbergensibus eo provectus erat insolentiæ, ut, dum alii Catholici, & inprimis Episcopus Tridentinus (Cardinalis postea *Madruccius*) admittere eam & decreto inseri vellent, publice in consessu exclamaverit, *præstare, ut orbis rueret, aut Turcorum dominatus subiretur, quam ut Catholici Germaniæ Principes declarationem illam pro lege agnoscerent.* Tantum nempe

(5) *Speciatim quidem de Leonardo ab Eck, & de Ulrico Wurtenbergico.*

momentum in retinendo illo fræno edictorum Comitialium, quibus religio Evangelica damnata erat, & Cameræ tribunali in statu, quo erat, conservando, ponebant, veriti scilicet, si ista vincula relaxarentur, & Cameræ Assessores ex Evangelicis non minus, quam ex Catholicis, reciperentur, ne Protestantes reformationem magis magisque promoverent, pluresque subinde socios habituri essent, & Catholicis paria incommoda a Camera imminerent, quæ nunc Evangelici sentiebant. Non deerat *Eckio* sententiæ suæ excusatio, tum ex magno præjudicio Germaniæ metuendo, si Cæsari concederetur, decreta Comitiorum sine præscitu & consensu Ordinum interpolare & enervare; deinde sufficere debere Protestantibus dicebat, quod Bavari ipso facto declarationem illam Cæsaream approbarent, nihil contra illam vi agentes aut acturi. Suspecta nihilominus Saxoni & Landgravio erant *Eckii* consilia, cum magnum Bavarorum zelum, pro veteri religione hoc ipso tempore contra Ratisbonenses exercitum, considerarent, & id agi animadverterent, ut, se in societatem Bavaricam concedentibus, fœderati reliqui magis magisque in suspicionem adducerentur, ac si ipsi non tam religionis securitatem, quam suæ potentiæ augmenta, quærerent. Hoc præcipuis quibusdam ex Legatis fœderatorum, civitatum præsertim superioris Germaniæ Deputatis callide insinuaverat *Eckius*, aliique; Saxoni vero & Landgravio suggerebatur, civitates in fœdere constantes non esse, aucupari gratiam Cæsaris & Ferdinandi, & secreta omnia evulgare. Gloriabatur sane *Eckius*, sibi nihil occultum esse, quod in consessionibus suis deliberassent Evangelici, & Ratisbonæ in Comitiis anno 1541. Italo quodam, (quorum solertiam in explorandis secretis præ omnibus aliis nationibus celebrabat) usum se esse, qui simulato ad Evangelicam religionem transitu a Legatis quibusdam, nominatim Pomeranis, omnia esset expiscatus. Sed omnem fidem *Eckio* apud Protestantes detraxit *Ulricus* Wurtenbergicus, magna, ut solebat, cum libertate Landgravio scribens, ut sibi ab homine illo, quem scelestum (einen Schelmen) vocabat, prorsus caveret; dicebat enim eum, cum ejusdem candoris & secreti professione, cum Austriacis tractare, & nuper a *Ferdinando* annuam ducentorum florenorum pensionem obtinuisse. Licet vero ipse *Ulricus*, ut dixi, fœdus inter Protestantes & Bavaros procuraturum se esse polliceretur, totum tamen negotium post multa literarum & Legatorum commercia ad proximorum Comitiorum tempus dilatum fuit. Hæc notanda sunt, ut appareat, quibus potissimum autoribus diffidentia erga Cæsarem Protestantibus implantata sit, cum eo usque meliora de illo sperarent, & Landgravius profiteretur, sibi fidem a Cæsare satis esse servatam.

Mira autem fuit Cæsareanorum ministrorum cum Landgravio agendi calliditas. Ratisbonæ in Comitiis 1541. maxima cum benevolentiæ & fiduciæ significatione simulaverant, cupere Cæsarem, ut Landgravius summus exercitus Dux contra Gallos esset; spem etiam fecerant de componenda, cum magno ejus commodo lite,

(4) *Cæsaris & Granvellani acta cum Landgravio & Protestantibus.*

quam

An. 1543. quam cum *Nassoviis* de Comitatu *Cattimelibocensi* habebat; permittebant ei, ut causam religionis, omnesque fœderatos vetustiores exciperet. Sic inductus promisit, se intentionibus Cæsaris Domusque Austriacæ nullo modo adversaturum, nec eorum æmulis aut hostibus, nominatim Duci *Juliacensi*, auxilium laturum esse. Cum vero formulam pacti paulo clarius concipi desideraret, magnamque pecuniæ summam ad conscribendum exercitum, quem ducturus esset, prænumerari posceret, dilatum est hoc caput, & promissum a Cæsare, in Italiam & Hispaniam tunc abeunte, se, provisis, quæ opus essent, ex itinere & per *Granvellanum* responsurum esse. Annus ille interim cum sequenti præteriit, nihil respondente Cæsare, nec *Granvellanus*, cum sub initium anni 1543. ad Comitia Norimbergensia venisset, sæpe licet cum Legatis Hassiacis & familiariter collocutus, ullam hujus rei mentionem fecit, literasque Cæsaris mense Octobri 1542. ad Landgravium, similesque ad Electorem Saxoniæ datas ad finem usque Comitiorum retinuit. In his quidem Cæsar significabat, se *Granvellano* mandasse, quæ cum Principibus ageret; at non solum cum Saxonicis, qui aderant, Legatis nihil egit, sed ne cum Hassiacis quidem nisi ea, quæ ad negotia Comitiorum proprie spectabant: De tractatu vero illo Ratisbonensi paulo ante abitum (cum audiret de fœdere inter Protestantes & Bavaros agi) ita disseruit, ut diceret: Cæsarem coactum esse, ut consilium de exercitu Landgravio tradendo mutaret, cum jam ab Hispanis impetrasset, ut, relicto apud eos filio, (cui Ordines Regnorum juramentum, ut successori, præstiterant) in Germaniam discedere, ibique aliquot annis commorari posset; Ideoque Cæsarem decere, ut ipse exercitum duceret, & dubitare, an Landgravius secundas partes suscepturus sit; satius esse, ut, dum Cæsar in Gallia bellum gereret, Landgravius ejus autoritate munitus Germanos in officio contineret: finito vero bello Gallico, Cæsarem, adhibitis in consilium *Landgravio* & *Mauritio* Saxoniæ Duce, genero ejus, negotium religionis compositurum esse. Laudavit inde *Granvellanus* Mauritium multis modis, maxime vero ob insigne fortitudinis specimen, in bello Turcico nuper præstitum, & a Cæsare summopere desiderari dixit, ut is in castris suis adesset, copias quasdam ducturus. Eadem *Georgio Carlevitio*, quem Mauritius Norimbergam miserat, prolixe exposuit, ut ex hujus ad Landgravium literis d. 19. Mart. *(Reg. H. fol. 530. n. 177.)* constat. Fucus non latuit Landgravium, sed dissimulandus erat. Post Comitia *Granvellanus*, Cæsari ex Italia venienti obviam profectus, Augustam venerat d. 6. Maj. aderant ibidem *Navius*, Viceancellarius, *Johannes de Lim* Commissarius, quem vocant, exercitus generalis, aliusque Cæsaris Consiliarius, *Johannes Baumgartnerus* Augustanus. Huic cum *Sebastiano Schertelio*, equite aurato & Augustanæ militiæ tunc Præfecto, itemque Landgravii & fœderatorum stipendiario, aliqua erat familiaritas, & *Granvellano* sese insinuaverat *Schertelius*, cum eum nuper ad Comitia euntem, cum aliqua equitum manu per Bavariæ fines deduxisset: Augustæ etiam versabatur *Guilielmus Comes Fürstenbergius*, sæpe jam nominatus, qui tunc, deserto Gallo, Cæsari militaturus erat. Hic *Schertelio*, Granvellani cæterorumque Consiliariorum Cæsaris nomine, aperuit repetiitque, quæ de Cæsaris erga Landgravium benevolentia & fiducia Granvellanus Legatis Hassiacis Norimbergæ significasset, & cur consilium de exercitus imperio Landgravio conferendo non procederet; suasit vero, ut Landgravio scriberet, & mox, literis a *Granvellano* accipiendis, instructus, coram significaret, statuisse Cæsarem, ut Landgravio summam rerum Germanicarum curam demandaret, pacem etiam ad multos annos Protestantibus concederet, & Cameram Spirensem reformaret, Henrici quoque Brunsuicensis causam & litem Nassovicam, & hanc quidem suo impendio, sopiret, tradito Principi Arausionensi Ducatu Luxenburgico: *Schertelio* insignem tribunatum in undecim millia peditum Cæsaris nomine offerebat. Addebat, sibi quoque opimas conditiones a Cæsare proponi, ut agmen quoddam in Galliæ fines duceret, atque in urbes *Metim*, *Tullum* & *Virdunum* imperium haberet; se tamen *Granvellano* dixisse, si hoc fieret, se, expulsis sacerdotibus, Evangelicos concionatores in civitates illas esse introducturum, & respondisse *Granvellanum*, facere id ipsum posse, modo nihil ea de re propalaret. (er möchte es thun / solte nur nicht viel davon sagen) Sed quanti hæc fuerint, mox deprehensum est: Adierunt enim *Schertelium* d. 11. Maj. *Linnus* & *Baumgartnerus*, & ante omnia denunciarunt, *Granvellanum* & cæteros Cæsaris ministros nolle amplius cum *Fürstenbergio* quidquam rei habere, sed hæc esse consilia Cæsaris, quæ Landgravio referre deberet *Schertelius*, nempe, ut Princeps ille in conventu Evangelicorum, qui instabat, proponeret & efficeret, ut auxilia non exigua Cæsari adversus Gallos sub finem proximi mensis Julii mitterentur; Legatos etiam ad conventum missurum esse Cæsarem, si ita videretur Landgravio, vel *Hugonem Comitem Montfortium*, vel *Baumgartnerum*, vel *D. Knollerum*, ita instructos, ut largitionibus aliisque modis quosdam ex Evangelicis ad partes Cæsaris flecterent, ex consilio nempe Landgravii: Hæc si procederent, & per *Schertelium* Cæsari referrentur, tunc futurum esse, ut Landgravius unum ex duobus Cæsaris exercitibus in Gallos duceret, tertiam enim irruptionem Angliæ Regem facturum esse: Cæsarem Landgravio ultra copias auxiliares, quas Evangelici missuri essent, Hispanorum aut Italorum (utras mallet) cohortes quasdam esse traditurum: De pace & Camera eadem, quæ *Fürstenbergius* offerebant, dein, ut Landgravius a collectis immunis esset, id quod Cæsar secreta quadam ratione procuraturus foret; in causa Nassovica denique inducias ad aliquot annos promittebant. Hæc ad Landgravium d. 27. Maj. perscripsit *Schertelius*, parum quidem grata: Respondit enim d. 31. Maji se ab illo, utpote homine emunctæ naris, (einem weisen Gesellen) non expectasse, ut talia ad se referret; quam parum enim ejusmodi hominibus, & speciatim *Baumgartnero*, fidendum esset, probe ipsum nosse, & quod Landgravius *Fürstenbergio*, eadem

(5) *Alia Granvellani & Navii acta Augustæ.*

(6) *Eorum mandata ad Landgravium Schertelio data.*

An. 1543.

An. 1543. eadem fere referenti, rescripsisset, multoque minus Saxonem aut alios ex fœderatis id esse facturos: *Montfortium* ad conventum mitti non debere, invisum quippe Protestantibus, repertis illius ad *Henricum* Brunsuicensem literis, neque Landgravium passurum, ut socii largitionibus aut promissis corrumperentur; tempus etiam ad auxilia præstanda nimis breve præstitui. *Adjecit* & alias rationes, cur propositio Cæsaris apud Fœderatos successum non esset habitura, & satis nuper Norimbergæ deprehensum esse, dicebat, quod, reclamantibus Ordinibus, Cæsar promissis stare non posset; minime vero consultum esse Protestantibus, ut vires suas, missis Cæsari auxiliis, consumerent, deinde enervati, Brunsuicensis & aliorum insultibus exponerentur; in causa Nassovica moram sibi inutilem esse, neque ob incertam spem tantum periculum se aditurum; remissionem tributorum provinciæ suæ nec honestam esse, cæteris sua conferentibus, nec fieri posse, ut socios lateret, ad exercitum, modicum licet, trium puta equitum, & quindecim peditum millium, in trium mensium stipendia requiri florenorum quingenta & quadraginta millia. Jubet ergo *Schertelium* a tractatu illo abstinere, vetatque eum stipendia a Cæsare accipere, cum brevi fieri posset, ut fœderati ipsi opus illo haberent. Inserta dein epistolæ scheda permisit illi, ut Cæsareanis spem de subsidio pecuniario a Protestantibus numerando faceret, si Cæsar pacem conservare & Cameram reformare posset, tum impedire, ne *Brunsuicensis* in Ducatum suum reverteretur. Antequam responsum hoc ad *Schertelium* perferretur, ipse, literis a *Granvellano* acceptis, (quas tamen in Actis non reperio) *Cassellas* ad Landgravium venit; sed, ut ex responso, quod a Principe subscriptum accepit, colligi potest, tenuiores conditiones proponere jussus erat. Cæsar enim jam ad conventum Evangelicorum Legatos missurus non erat, ne Catholicos offenderet, & *Granvellanus*, qui huc usque sæpissime promiserat, se cum Landgravio esse collocuturum, excusari se cupiebat eadem ex causa, ne Pontifici, eique addictis suspectus fieret: Petebatur itaque a Landgravio, ut ipse in conventu Cæsaris desideria promoveret, quo facto nihil non a Cæsare speraret. Hæ Cæsareanorum ministrorum artes erant. Non minus simulandi peritus Cæsar, missum ad se, Protestantium nomine, *D. Henricum Coppium* Argentoratensem, *Cremonæ* d. 26. Jun. benigne audivit Gallice loquentem: Responderi ei per *Navium*, se præsente, fecit, quod pacem omnino in Germania servaturus esset, & quod condito nuper *Genuæ* d. 2. Jun. edicto omnibus eam indixerit, simulque ad Comitia *Spiræ* habenda d. 30. Nov. constituerit: Legatos Protestantium, quos ad eum destinari dixerat *Coppius*, libenter ajebat se admissurum esse, si in Germaniam venisset; petere interim, ut Protestantes auxilia adversus Turcos mitterent, nihil enim illis timendum esse, ne ab *Henrico* quidem Brunsuicensi, neque enim huic assensurum Cæsarem, ut vim pararet. Hæc & alia speciosa & blanda corrumpebant non raro importunitate & excandescentia ministri Cæsaris; *Granvellanus* inprimis, præceps ira & sermone, personæ, quam gerebat, subinde obliviscebatur, unde Landgravius proverbio Germanico in literis ad Electorem eum vocavit *caput Petri.* (einen Peters-Kopff) Fortasse tamen aliquando ex proposito minas spargebat, ut terrorem incuteret. Fecit id non semel in Comitiis Norimbergensibus, cum apud Hassiacos jactaret, Cæsarem in Electorem Saxoniæ animadversurum esse, quod Juliacensi suppetias tulisset: Postea etiam *Spiræ* d. 3. Aug. cum *Burcardo*, Electoris Legato, acriter expostulavit. Fassus hic erat, Electorem, cum Præfectos Cæsaris Belgicos incursionem in Ducatum Juliacensem fecisse percepisset, idque privatis potius stimulis, quam jussu Cæsaris, factum esse credidisset, aliquot cohortes peditum ad tuendam provinciam submisisse, in quam succedendi uxori Electoris jus esset: Sed subsidia illa non nisi ad duos menses præstitisse, neque ullo fœdere Gallis aut Juliacensi obstrictum esse; unico illo teneri, quod pro religione initum esset, (Smalcaldico nempe) præter antiquam fraternitatis pactionem cum familia Brandenburgica & Hassiaca; inscio etiam & invito Electore rejectas esse inducias, quas *Granvellanus*, Cæsaris nomine, Norimbergæ Juliacensi obtulerat; paratum de cætero esse Electorem ad obsequia & officia Cæsari exhibenda, itemque ad transigendum cum *Ferdinando* Rege, in controversia de electione. Verum *Granvellanus* his auditis increpavit *Burcardum*, quod Norimbergæ cum novo Electoris Cancellario *Ossa* die noctuque (ut ajebat) cursitasset, ut Ordinum Legatos ab auxiliorum in bellum Turcicum promissione dehortaretur: Jam vero etiam impossibilia a Cæsare flagitari, pacis nempe conditiones & Cameræ reformationem, quorum neutrum in Cæsaris esset potestate: Electorem non solum priora illa subsidia, quibus Cæsar offensus non esset, sed & alia recentiora Juliacensi præstitisse, & delectus Cæsaris in quibusdam Germaniæ locis impedivisse. Objecit porro expulsionem *Henrici* Brunsuicensis, & quod suam religionem Ducatui illi & civitati Hildesiensi obtruderent fœderati. In Landgravium etiam invectus est, quod equites Ordinis Teutonici in sua ditione persequeretur; futurum esse dixit, ut Cæsar quibuscunque conditionibus pacem cum Galliæ Rege iniret, & deinde, quæ ex re sua essent, ageret. Juliacensi dira minatus est; nihil redditurum ei esse Cæsarem ex occupatis in ejus provinciis, & vix vitam illi relicturum. Gloriabatur de societate Cæsaris cum Rege *Angliæ*, qui jam exscensionem cum exercitu in Galliam fecisset, & sororem Juliacensis nudam, sive in indusio (im Hemde) remissurus esset. Cum ad ista *Burcardus* respondisset, Herum & se excusans, molliri visus est *Granvellanus*, & postero die 4. Aug. denuo admissum bene sperare de Cæsaris erga Electorem affectu jussit, neque enim illum oblitum esse beneficii a Saxonibus cognatis ejus (in electione ad Imperium) accepti: Se vero recordari, & Cæsari in memoriam revocasse, quod parens Electoris *Johannes*, cum Cæsari in Comitiis Augustanis valedixisset, oculos habuisset lacrymis madidos, quod teneræ & amicæ mentis signum fuisset. Laudavit deinde Cæsaris summam mansuetudinem, quam etiam in hoc itinere *Ulrico* Wür-

(6) *Eorum mandata ad Landgravium Schertelio data.*

(7) *Acta Cæsaris cum Coppio, Legato Protestantium.*

(8) *Item Granvellani cum Burcardo Cancellario Sax. & de Navio quadam.*

An. 1543. Würtenbergensi ostendisset, facta ei gratia deprecationis, ad quam ex transactione sese obligaverat. Dein d. 9. 10. & 11. Aug. Moguntiæ, *Granvellanus* iterum affirmavit *Burcardo*, contentum esse Cæsarem cum actionibus Electoris, modo a societate Juliacensis abstineret; rediturum brevi esse in Germaniam, & de causa electionis & religionis amice tractaturum: Cameræ judicibus vehementer irasci ipsum Cæsarem, omnesque nuper *Spiræ* punire voluisse, se quidem dissuadente, quod id crederet dignitati Cæsaris adversari, certum tamen esse, quod post visitationem dimittendi sint. De Brunsuicensi cum contemtu quodam locutus est, indicans, quod causa ejus quietura sit ad Comitia usque. Cavere denique jussit Protestantes, ne immoderate circa bona Ecclesiastica agentes Cæsarem in Germania præsentem offenderent; commendavit etiam, sed paucis, *Julii Pflugii* causam; *Juliacensi* vero nullam spem gratiæ & veniæ superesse dixit, nisi *Geldriam* protinus Cæsari traderet; prædixit quoque, quod secutum est, dolose cum illo agere Gallos, neque unquam sponsam Navarræam illi missuros esse. Hæc indicant ingenium hominis affectibus agitati, & sese in omnes formas vertentis. Neque tamen adeo obtusa gerebant pectora Evangelici, quin artes Pelasgas deprehenderent, & adversariis non voluntatem, sed occasionem & vim nocendi deesse, cernerent. Blandior erat *Navius*, sed non probior: Licet enim in colloquiis cum Protestantibus acriter in Cameræ judices & *Henricum* Brunsuicensem inveheretur, & nil nisi pacem & concordiam promitteret, excepta tamen verba illius sunt, quæ non tantum favorem in Brunsuicensem, sed & extremum in Protestantes odium indicarent. Dixisse enim ferebatur, cum miles quidam in castris Cæsareis capite plecteretur, par supplicium se omnibus Principibus Evangelicis ominari. *Ferdinandum* Regem quod attinet, ille quidem hoc tempore summo studio vitabat, ne Protestantes offenderet, & in Comitiis Norimbergensibus discedentibus Legatis Saxonis & Landgravii sancte affirmaverat, per se non stetisse, quo minus declaratio Ratisbonensis Decreto comitiali inserta fuisset, Deoque notum esse dicebat, a quibus id fuisset impeditum (Bavaros innuens.) De Brunsuicensi ita loquebatur, ac si exiguam ejus rationem haberet, diceretque, illum malum sibi suo jumento accersivisse: (er habe es nicht anders haben wollen) Denudabat tamen quandoque affectus, & Legatis civitatum Evangelicarum defectum mandatorum, quo minus ad auxilia contra Turcos ferenda consentirent, obtendentibus respondit, mandata tamen eos habere, ut Principem Imperii (Brunsuicensem scilicet) regione sua ejicerent. Hæc & alia aulæ Cæsareæ & Regiæ fidem suspectam Evangelicis faciebant, ita ut Landgravius quoque Cæsari licet eo, quem dixi, modo devinctus, non minus, ac Saxo, declarationem a *Ferdinando* & *Granvellano* denuo oblatam recusaret, palam fatendo, se promissis illis fidere non posse, nisi vel Ordinum consensus universalis, vel quorundam Principum specialis sponsio accederet. Nominavit Landgravius Electores Rhenanos aut saltem *Coloniensem* & *Palatinum*, Episcopos *Monasteriensem*, *Würzburgensem*, *Augustanum*, aliosque, *Fridericum* & *Ottonem Henricum* Comites Palatinos & *Mauritium* Saxoniæ Ducem. Agnoscebant Elector Saxoniæ & Landgravius (& ille datis ad hunc literis d. 12. April. ultro fatetur) verum esse, quod Bavari dicebant, legitimum & ordinarium modum non esse, ut Cæsaris privata declaratione constituerentur, quæ Ordinum consensu decernenda erant; sed pacis causa extraordinariam hanc viam initam esse. Altius tamen hæc res habebat fundamentum; agebatur enim de religione sive jure sacrorum, neque satis certum erat, nec ab Evangelicis admittebatur, quod de religione & conscientia per suffragia Ordinum decidi posset; videbatur potius, cuilibet Principi & civitati liberæ jus esse sacra constituendi, modo in rebus ad Rempublicam pertinentibus antiquas observaret regulas, & a corpore Imperii ejusque capite se non separaret.

(9) *Ferdinandi acta cum Protestantibus.*

§. CV.

Majores suspicionum & motuum causas *Henricus* Brunsuicensis dabat; is apud *Ludovicum* Bavarum (non satis consentiente *Guilielmo* fratre) receptum invenerat, eorumque intercessione apud Pontificem sollicitabat pecuniæ subsidium, ut copias conscribere, & Ducatum suum recuperare posset. Quanquam vero Pontifex, parcus cautusque senex, sese excusaret, diffidebant tamen Evangelici, eo quidem magis, quod *Henricus*, ex Bavaria discedens, Cæsarem in Belgio bella gerentem sectaretur. Id tamen varie excusabant ministri Cæsaris, tum commiseratione, extorri Principi non deneganda, tum laudando Cæsaris intentionem, qui exulem apud se haberet & observaret, ne turbas facile ciere posset. *Granvellanus* haud obscure hostem *Henrici* se ferebat, quoties cum Legatis Protestantium ageret; jactabat etiam, se illum, veniam petentem, & conciliationem quærentem, repulisse. Retulerunt Hassiaci d. 8. Febr. ex Comitiis Norimbergensibus, se literas *Henrici*, in arce Guelferbytana repertas, *Granvellano* ostendisse, querelis de illo refertas, itemque Cæsaris sugillatione: comparaverat enim hunc cum accipitre mortuo, quo aves terreri possent, itaque nomine saltem ejus opus sibi esse scribebat, sub cujus autoritate Protestantes aggrederetur; De *Navio* quoque contemtim scripserat. Ad ista, ut narrant, *Granvellanus* respondit: sibi de inimica *Henrici* in se mente satis constare; literas enim ejus ad Cæsarem tunc in Africa bellantem, ad se pervenisse, & ex iis, ut jussus erat, apertis se vidisse, quomodo criminatus se apud Cæsarem esset, ac si pecunia ab Evangelicis accepta corrumpi se passus esset; Has se literas ad Cæsarem cum apologia sua misisse, ipsi quoque *Henrico* pro meritis respondisse. Eadem dicebat *Heldum* (quem *nebulonem* vocabat) scripsisse: hunc vero ab *Henrico* testem nominatum fuisse, quod Cæsar auxilium illi contra Protestantes pollicitus esset; Cæsarem autem id prorsus negasse, & mendacii manifesti accusasse *Heldum*. (habe gesagt / er lüge es in seinen Hals.) Addidit, hunc ipsum *Heldum* falso se pro Oratore & Vicecancell[illegible] Cæsaris venditasse, & diploma a Cæsare p[illegible]lum impetrasse, Germanicæ linguæ non satis gnaro. Hæc incaute effutiit *Granvellanus*, quibus acta Cæsaris suspecta

(1) *Granvellani de Henrico Brunsuicensi & de Heldo litera & scripta.*

An. 1543.

An. 1543.

suspecta fiebant: Erant enim ex Catholicis, qui declarationem Ratisbonensem, inscio Cæsare, compositam & exhibitam fuisse contendebant, & fraude Legati Electoris Brandenburgici *Eustachii a Schlieben* obtentam esse dicebant: *Granvellanus* tamen non solum in colloquio cum Hassiacis, sed & alias sæpe testatus erat, se, volente & jubente Cæsare, declarationem illam expedivisse. Sed ut ad Brunsuicensem redeat sermo, idem *Granvellanus*, cum audiret, interpositione Bavariæ Ducum transactionem inter Protestantes & *Henricum* tentari, dehortatus illos est, & suasit, ut non nisi præsente Cæsare, & in Comitiis, de causa illa transigerent, neque esse, ut de auxiliis a Cæsare vel fœdere Norimbergensi *Henrico* ferendis metuerent, eorum enim spem omnem se dudum, Cæsaris jussu, præcidisse. Sed hæc plenam fidem apud Protestantes non invenerunt, cum a plurimis monerentur, favere *Henrico* Cæsarem, & apud Pontificem pro eo ad obtinendam pecuniam intercedere. Ipse etiam *Henricus* sæpe & palam gloriabatur, se brevi exercitum, cum Cæsar copias finito bello Juliacensi dimissurus esset, comparaturum, & sua vindicaturum esse. Ne quicquam itaque asseverationibus Cæsaris & Regis atque ministrorum fidebant Protestantes, multosque sumtus faciebant, ne imparati opprimerentur. Nec minorem solicitudinis & doloris causam suggerebat fortuna Ducis Juliacensis. Huic quidem, ut diximus, multum nocuerat Landgravius, pacto illo cum Cæsare Ratisbonæ inito; id ut corrigeret, una cum Archiepiscopo *Coloniensi* sedulo apud Cæsarem laborabat scriptis & legationibus, ut Juliacensis illi conciliaretur; sed monebatur sæpius ab Electore Saxone, ut ipse ad Cæsarem proficisceretur, & rem majori studio tractaret. Acerbe enim casum affinis ferebat Elector, tum propter jus uxoris, ut dixi, tum quod Juliacensem Evangelicæ doctrinæ favere sciebat, quippe qui jam sæpius integro sacramento usus esset. Sub initium belli, ut supra innuimus, Elector cohortes quasdam duce *Guilielmo Tumshirnio*, viro forti, submiserat; harum virtute copiæ Cæsaris Belgicæ, quas *Araschotius* ducebat, ad Sittardum oppidum d. 25. Mart. cæsæ fuerant, iisque viginti tormenta bellica, cum tredecim peditum signis, & equitum vexillo primario, ademta erant. Id pessime habuit Cæsarem, & *Granvellanus* in iras & minas horribiliter erupit: Sprevit tamen eas Elector, ut & rumores, qui spargebantur, quod desertus a Gallis *Juliacensis*, & supplex Cæsari factus, multa Electoris arcana prodidisset. Sat magnum interim damnum ex clade Ducis sensit res Evangelica, paratus enim ille ad societatem Smalcaldici fœderis, & ad reformandam in provinciis suis amplissimis religionem habebatur: Ab hoc plane retractus est pactione cum Cæsare, cujus caput quoddam erat, ut sacra ex veteri ritu servaret; accessit concordiæ vinculum, conjugium cum *Maria* Ferdinandi Regis filia; sic elusa est spes affinitatis, quam vanis pollicitationibus & blandimentis Rex Galliæ ostentabat. Extant literæ Regis d. 6. Mart. ad Ducem scriptæ, in quibus deductionem desponsatæ Duci Navarræ diserte promittit & se in eo esse jactat, ut sexaginta peditum millia ex variis nationibus conscriberet; testatur, vitam se potius amissurum, quam Ducem deserturum esse. Non multo post d. 2. Jul. in castris ad vicum *Marolles*, *Nicolaum de Cruce* expedivit, literis Latinis ad Electorem & fœderatos, tum Gallicis ad illum solum instructum, quibus fidem Legato faciebat, eumque Latine Cubicularium suum, (Gallice *Valet de Chambre ordinaire*) vocabat. Significavit illius adventum Electori Dux Juliacensis, & Crucius ipse haud ignotus Electori, qui eum ante hac Regis nomine convenerat. Sed Elector illico d. 23. Jul. respondit, petiitque, ut ab itinere ad se abstineret; *(Reg. H. fol. 441. n. 157. B.)* neque enim a Landgravio Cæsari fœderato illum admissum iri, neque sibi id nunc licere, aperto inter Cæsarem & Regem bello, nec itineris securitatem præstari posse; verum Legatus, antequam literas has acceperat, cum Juliacensi quodam Consiliario in viam se dederat, & Isenacum usque penetraverat. Elector tamen ulterius eum progredi passus non est, &, misso ad illum *Burcardo*, nec non per literas d. 29. Jul. datas, monuit, obtineri auxilia, quæ Rex & Juliacensis petebant, nequaquam posse, renitentibus fœderatis in conventu Smalcaldico, qui paucos ante dies finem habuerat; se quidem, quantum licuerit pro illo, sed frustra laborasse. Sane nemo ex fœderatis Evangelicis Gallo jam fidebat, perspecta ejus inconstantia, & *Eckius* in Comitiis Norimbergensibus expresse Hassiacis dixerat, Regem nullius esse fidei, eumque contra Protestantes libellum disseminasse, quo illos diffamaret, quod contra promissa Legatis suis in Comitiis Spirensibus anno 1542. data, *Ferdinando* contra Turcos auxilia præstitissent. *(Reg. H. fol. 525. n. 176.)* Sed neque hoc promiserant Evangelici, neque libellus talis a Gallis editus produci potuit, & suspicati sunt Evangelici, confictum hoc ab *Henrico* Brunsuicensi, & Bavaris suggestum fuisse. Econtrario ex aula Juliacensi *Dolzigius* Electori, & hic Landgravio d. 25. Maj. scripserat, famam esse, quod Rex Galliæ ad Evangelicam doctrinam propenderet: Sed mox deprehensum est, falso id spargi, & curas Electoris auxit secuta paulo post affinis Juliacensis calamitas, majorque indies sociorum languor & trepidatio. Cum enim Cæsar, copiis non spernendis instructus, per Germaniam superiorem secundo Rheno in Belgium descenderet, certatim etiam ab Evangelicis quibusdam, captata est ejus gratia, submissis tormentis bellicis, pulvere pyrio, aliisque adminiculis, ita ut sumtum, quem ad bellum Turcicum in nuperis Comitiis declinaverant, hoc modo largiter resarcirent. Landgravius egregio vini & avenæ munere Cæsarem ditionem Hassiacam navibus in Rheno prætervectum, d. 13. Aug. honoravit, & benignum responsum tulit, Legato suo *Volperto Riedeselio* ex Hassiaca nobilitate, datum, valde placere munera illa Cæsari, illumque Landgravio perpetuo faviturum esse; (er wolle sein gnädiger Käyser seyn/ so lange er Käyser sey) magnas etiam *Granvellanus* gratias egit, convenienti largitione placatus. Nocebat causæ communi *Ulricus* Wurtenbergicus, violenter cum *Eslingensibus* agens, & Cæsaris blandimentis mollitus. Detrectabat sum-

(1) *Protestantium suspiciones de Henrico Brunsuicensi, & propter causam Juliacensem.*

(2) *Granvellani de Henrico Brunsuicensi & de Heldo dicteria & scripta.*

(3) *Regis Galliæ acta cum Juliacensi & Protestantibus.*

(4) *Cæsaris iter Germanicum, & expeditio Juliacensis.*

(5) *De Ulrico Wurtenbergico quædam.*

An. 1543. sumtuum ad bellum Brunsuicense contributionem, quanquam *Henricum* Ducem in literis ad Landgravium pessime traduceret, & Diabolo pejorem esse scriberet. Idem tamen Landgravium, & per hunc Electorem, identidem hortabatur, ut strenue agerent. Festive Landgravio id significanti respondit Elector d. 20. Jun. *(Reg. H. fol. 546. n. 180.)* recordatum se, scribens, cum *Ulrici* literas legisset, quod narratum a patruo *Friderico* & parente *Johanne* Sax. Electoribus audivisset de *D. Melrichstadio*, Medico & Professore Wittenbergensi. Is cum Principibus illis, *Maximiliano I.* Imperatori contra Gallos militantibus, in Belgium profectus erat, medicinæ causa: cum vero duorum equitum stipendium haberet, jussus est adesse Principibus, qui cum Cæsare irruptionem in fines Galliæ moliebantur; verum ille, progresso paulum agmine, sibi metuens, Principes accesserat, & præsente Imperatore rogaverat, ut sibi cura, minime quidem ad eum pertinens, præparandi principibus prandii in vico quodam demandaretur; hortatus tamen est Principes per Deum vivum (quæ illi loquendi formula erat) ut progrederentur, magnum enim successum contra hostes habituros esse dicebat. Hoc animo *Ulricum* esse innuebat Elector, alios incitantem sibi parcentem. Inter reliquos fœderatos multi, maxime ex civitatibus, expeditionem Brunsuicensem, decretam licet in conventibus, animadverso periculo, quod in defendenda, quæ occupata erat, *Henrici* provincia subeundum esse videbatur, tacite sugillabant, & se a Principibus, non tam ut socios, quam ut subditos, tractari querebantur. Postea etiam causam illam aperte deseruerunt. Ex his prævidit prædixitque, quæ secuta sunt, Elector Saxoniæ & cum Landgravio haud segniter egit, ut tutioribus mediis causæ Evangelicæ prospiceretur: Hæc esse credebat, si cum Bavaris de pace mutuo custodienda conveniri, & *Mauritius* Saxoniæ Dux in fœdus speciale trahi posset, quo facto languorem, aut discessum quorundam ex fœdere Smalcaldico, sine magno rerum dispendio, ferri posse existimabat. Sed Landgravius, ut inter alia ex literis d. 4. Mart. constat, Electorem monuit, ut omni cura fœdus illud conservaret: a Deo enim sine dubio ad hunc finem destinatum id fuisse, ut verbum ejus salvificum plantaretur & propagaretur: *Quamvis enim*, ait, *homines Spiritu & verbo Dei illuminentur, hoc tamen medium Deus ipse suppeditavit, ut multi, fœdere hoc erecti, doctrinam Evangelicam admiserint, quod metu periculi non fecissent*; nec dubitabat, *idem ab aliis inposterum sperandum esse, societatis hujus fiducia.* Scripserat idem paulo ante d. 8. Febr. *Georgio Carlevitio*, multis eum argumentis instigans, ut *Mauritium* Ducem, Herum suum, ad fœdus illud denuo accipiendum permoveret. Proponebat belli Turcici periculum, quod post subactam Austriam & Bohemiam Misniæ metuendum esset, contra quod præsentissimum auxilium ab Electore & Landgravio expectare posset: Addebat, *Henricum* Ducem, ipsumque *Mauritium* Ducem, omnino fœderis illius, cujus formulæ uterque subscripserat vinculo teneri, *licet Jureconsulti exceptiunculam quandam invenerint.* (ob gleich die Doctores ein glößlein machten) Sed respondit ad hæc *Carlevitius* d. 17. Febr. *Mauritium* in religione quidem constantem esse futurum, sed ad fœdus non accessurum, ne ad multas causas, quæ ad religionem non pertinerent, cum periculo suo defendendas implicaretur. Ipsum & *Henricum* patrem non nisi religionis causa in fœderis societatem venisse, & eatenus in illo perseverare; at nunc nullum religioni periculum instare, & consultius esse, ut *Mauritius* gratiam Cæsaris & Regis, ut superiorum & vicinorum, quæreret: Illos enim victores tandem esse futuros, ferendosque esse, dum Deus illorum majestatem tueatur, neque meliores Dominos, si licita esset mutatio, sperari posse; a Turcis vero nihil timendum esse Misniæ dicebat. Multa ad hæc regessit Landgravius, negans inprimis, quod propter alias, quam religionis, causas periculum cum fœderatis subeundum esset; nullius enim patrocinium suscipi, nisi mature & probe examinatis rationibus: pro religionis tamen negotiis merito haberi, quæ intuitu illius, sub alio licet prætextu, in Evangelicos pararentur; idem contrario casu in fœdere Norimbergensi, cujus pars *Georgius* Dux fuerit, cautum esse: Cæsaris majestatem & imperium a se & aliis fœderatis respici, sed secundum jus & conscientiam. Non celavit Electorem Landgravius ista, & d. 29. Mart. scripsit, per veteres illos aulæ Dresdensis Consiliarios (quorum facile Princeps erat *Carlevitius*) stare, quo minus *Mauritius* ad fœdus rediret, se illos probe nosse, nec ignorare, quid, vivo *Georgio*, adversus *Henricum* & *Mauritium* machinati sint. Post hæc *Mauritium* generum d. 11. Apr. pie & graviter monuit, ne Cæsari militaret, inter alia his verbis: Wenn ein Fürst / der land und leuthe zu regieren hat / und von GOtt dahin gesetzt ist / seinen unterthanen wohl fürzustehen / christliche religion im lande zu pflantzen und den unterthanen gleich und recht zu verschaffen / und derselbige ohne grosse noth / von lusts wegen / in krieg ziehet / sich selbst / seine unterthanen und gute freunde in gefahr setzen wil / ob das für Gott groß ablaß sey / das wissen wir nicht; id est, *Si Princeps, provinciæ a Deo præpositus, ut civibus bene præsit, religionem Christianam promoveat, jus & justitiam administret, absque summa necessitate, delectationis causa, in bellum proficiscatur, cum suo & subditorum atque amicorum periculo; an hoc modo gratiam apud Deum impetret, nescire me fateor.* Significat deinde, quomodo Cæsar multa sibi obtulerit, ipse vero d. 1. Jan. ad oblata responderit; Cæsarem tamen cunctatum huc usque esse, neque *Granvellanum* quidquam hac de re secum loqui aut tractare, ut tamen spem fecisset Cæsar; addit etiam, si *Mauritius* omnino Cæsari militaturus esset, poscendum fore a Cæsare, ut stipendia ad aliquot menses prænumeret, alias *Mauritio* eadem incommoda metuenda esse, quæ avus ejus *Albertus* magno cum damno suo expertus sit; monet etiam, ne adversus ullum Germaniæ Principem impugnandum induci se patiatur, minime omnium adversus Juliacensem, alias summum odium in se provocaturum, exemplo etiam nociturum esse, & temporum vices timeri debere. Liberius *Carlevitio* scripserat, periculum ostendens a juvenili *Mau-* An. 1543.

(6) *Solicitudo Electoris Sax. de fide & usu fœderis Smalcaldici, & deliberatio cum Landgravio.*

(7) *Mauritius Sax. Dux frustra solicitatur, ut ad societatem fœderis rediret.*

An. 1543.

Mauritii fervore, & certissima pecuniæ jactura, quam in militiam illam erogaturus esset; agi præterea de libertate Germanica, eamque in Juliacensi peti & infestari. Hæc rerum facies tunc erat, debili admodum spe ex fœdere & viribus Evangelicorum, quorum capita Elector & Landgravius jam tum prospiciebant, quæ paucos post annos passi sunt; tantum abest, ut insolenti & feroci animo fuerint, quem illis *Maimburgius*, *Pallavicinus*, & alii earum partium scriptores imputant: Neque tamen ullum satis idoneum ad prævenienda illa mala consilium, salva religione & conscientia, excogitare & effectui dare poterant; Sed id divina providentia, per ancipites & funestos licet casus, invenit. Hæc ipsa sane *Mauritii* ad demerendum Cæsarem propensio, quæ affectibus ejus aut Consiliariorum solertiæ tribuebatur, DEO sic gubernante, magnam causæ Evangelicæ utilitatem, præter omnium expectationem, præbuit. Putabant quidem Elector & Landgravius, si *Mauritius* vires secum jungeret, satis validos se futuros, ut hostes repellerent, cum tamen æque facile fuisset, ut *Mauritium* in eandem secum ruinam præcipitarent, quo facto omnem spem excutiendi dominatum in libertatem & religionem Germaniæ funditus destruere potuissent. At constituto extra fœdus *Mauritio*, & de Cæsare egregie merito, medium superfuit, quo & libertas & religio servata fuit. Hæc est sapientia DEO propria, qui ex difficillimis rebus præter omnium hominum cogitationes optima producere potest. Notare hic lubet, quæ Landgravius d. 25. Septembr. ad Electorem scripsit, de prædictione Astrologi, sive, ut loquitur, practici cujusdam, quem *Charium* vocat. Significaverat ille, *fore, ut trabes nigra* (sic ex insignibus gentilitiis Electorem Saxoniæ designabat) *adeo debilitarentur, ut ædificium amplius ferre non possent. Hæc*, scribit, *valde me tristem faciunt, nam idem autor Juliacensi cladem prædixit.* Equidem astrologiæ judiciariæ parum defero, crediderimque potius ex aliis non difficilibus conjecturis hariolatum illum, quisquis fuit, astrologum esse: interim historiæ causa referre hoc volui; Landgravius tamen in iisdem literis superstitiosa prædictionis illius approbatione abstinuit, & ex illa hoc tantum observavit, ut tanto majori sollicitudine de avertendis, quæ imminebant, malis, consilia caperentur.

(f) Epistolis de statu fœderatorum.

An. 1543.

SECT. 26.

Quamobrem Pontifex, cum Legati ejus plus quam sex mensibus numerum aliquem, sufficientem ad incipiendum Concilium, comparentium frustra expectassent, coactus demum fuit, id in commodius tempus differre.

Anno 1543. Bulla Pauli III. prid. Non. Jul. Bonon. Anno 1543.

Pontifex Concilium suspendit.

§. CVI.

Repeti huc debent, quæ ex *Maimburgio* de bello, quod inter Imperatorem *Carolum* & *Franciscum* Galliæ Regem exarsit, *Sect. 25.* retulimus. Verum ea, sicut & quæ ad Concilii historiam pertinent, paucissimis tractanda sibi esse censuit noster, ut evitaret, quæ sine Gallici nominis dedecore narrare non poterat. Major fuit aliorum, etiam ex Gallis, scriptorum ingenuitas, *Belcarii* inprimis, quem ideo non parum laudat *Pallavicinus Lib. V. cap. I. §. 4.* non omisso Ludovici XIII. Galliæ Regis elogio, qui librum *Belcarii* dedicari sibi, & publicari in Regno passus est, etsi in contractum tunc temporis inter Gallos & Turcos fœdus, & propter accitam & oram Italiæ & Galliæ classem Barbarorum, acriter strinxerit calamum. Sed, *Pallavicino* judice, non multo religiosior fuit *Carolus*, quod cum *Henrico* Angliæ Rege, hoste Pontificis capitali, societatem pepigit, & Protestantibus in Germania religionis libertatem indulsit. Legi merentur, quæ hac de re, & contra *Paulum Venetum*, disserit *d. Lib. XV. cap. IV.* §. 27. & *seqq.* Quod vero *§. 28.* pro principio venditat, Christianos per baptismum subditos fieri Ecclesiæ, admitti posset, si intelligeret illam, quæ Christi Spiritu & verbo regitur, suosque filios ad præceptum & exemplum Christi materna regit pietate. At illi de Romana sermo est, aut de Pontifice potius, cui Romam, ut *Christiani generis regiam §. 20.* assignat, ex qua nimirum dominatio in Christianos non aliis exercetur mediis, quam quibus Reges seculi uti consueverunt; unde constat, immerito conjungi Christum & Pontificem, cum §. 29. scribit, *hæreticorum tyrannide id agi, ut Christi fideles vel a vera fide deficiant, vel a Vicario Christi.* Germanis utrumque, Angliæ Regi postremum, imputat, neutrum recte; asserit enim, quod est in quæstione. Quæ de Concilio ejusque recusatione, a Protestantibus hoc tempore reiterata, idem autor *cap. IV. §. 17.* commentatur, ad ea recidunt, quæ alibi sæpius tractavimus, num videlicet justas recusandi causas Protestantes habuerint. Suis vero principiis innititur, cum scribit, nullum unquam futurum controversiarum in religione judicem, qui non aliquo pacto pars sit. Judicem nempe requirit, qualis est Pontifex, qui tribunal conscendens cum Clero suo, id primum & ultimum habet, curat, urgetque, ut suum dominatum stabiliat, & refragantes vi subigat; Verum tali judice carere potest & debet Ecclesia: Habet judicem infallibilem, licet invisibilem, Christum, qui per verbum suum, admirabili clementia & providentia conservatum, inter oves suas, quæ boni & fidi pastoris vocem audiunt & cognoscunt, veritatem pronunciat, eaque sola conscientias fidelium tranquillat. Ad hunc illi provocant, neque tamen instrumenta sive ministros recusant, qui verbum Dei ad controversiarum decisiones pie & sapienter applicent, liberi a præjudiciis externæ & violentæ potestatis & infallibilitatis, quam Pontifices sibi attribuunt. Injuriam igitur *Pallavicinus d. l.* Evangelicis infert, cum id eos egisse in Concilii recusatione scribit, ut vel alios deciperent, vel ipsi decepti potius, quam iniqui, viderentur. Deceptio sane sive dolus nulla illis specie tribui potest, qui toties & apertissime indicarunt, quale Concilium expeterent, & quibus ex causis agnoscere id, quod Pontifices indixerant, non possent: De iniquitate vero haud immerito questos esse, ex publicatis illorum scriptis, Lutheri inprimis, dijudicandum est, quæ hic repeti, nihil attinet. De Actis

(i) Examinantur quædam Pallavicini dicta.

An. 1543.

(2) *Acta inter Cæsarem & Pontificem.*

inter Cæsarem & Pontificem, quæ *Maimburgius* præteriit, consulendus est *Pallavicinus d. Lib. XV. cap. II. III. IV.* item Sleidan. *Lib. XV. p. 428.* Convenerunt Pontifex & Cæsar d. 26. Jun. *Buxeti*, quod *Pallavicinorum* prope *Padum* oppidum esse notat *Pallavicinus d. cap. II. §. 4. Sleidanus* ad *Tarum* fluvium, inter *Cremonam* & *Placentiam*, ponit. Refert *Pallavicinus d. cap. II. §. 4.* & *Raynaldus n. 12.* plurimos ex Cardinalibus dissuasisse Pontifici iter ad Cæsarem, ut infra dignitatem; sed vicisse sententiam Card. *Sadoleti*, quam ex epistola quadam ejus afferunt. Dixit nempe: *Dignitatem Pontificis in eo positam esse, si, quæ utilia & commoda Reipublicæ Christianæ essent, agerentur; hanc unam se agnoscere, neque aliam, præter eam, in ecclesiasticis hominibus.* Aureum profecto dictum, quod haud immerito votum expressit *Raynaldo*, ut in parenthesi exclamaret: *Hoc utinam consilium, tam salubre Ecclesiæ, bene perciperetur!* Sed quomodo cum majestate, quam Pontifices sibi arrogant, conveniat, fateor me non comprehendere. Nihil omittebat Cæsar, quo Pontificem, a Gallo penitus abstractum, ad suas partes traduceret; sed non deerat huic speciosa excusatio, quod patris communis officio fungi deberet, & ut *Granvellano* dixerat, *Romam vivere pane, & in neutram partem propensione d. cap. II. §. 1.* Interim, quod *Pallavicinus* negat, non solus *Paulus Venetus*, sed & alii scriptores Itali, & ex nostratibus *Sleidanus* affirmant, *Paulum III.* non adeo paternæ illius integritatis, quam jactabat, memorem fuisse, quin privatas utilitates curaret, & filio *Petro Aloysio Farnesio*, & ex illo nepoti *Octavio*, genero Cæsaris, potentiam in *Hetruria* stabilitum iret, impetrata Cæsaris confirmatione ad alienationem *Parmæ* & *Placentiæ*, quas olim a Mediolanensi Ducatu avulsas & Pontificibus traditas familiæ suæ concesserat Pontifex: Hac spe falsus, minus bene in Cæsarem affectus discessit. An vero ipsum Mediolanensem Ducatum suis acquirere voluerit Pontifex, uti quidem non *Sleidanus* modo, sed & *Hadrianus* & *Jovius* Itali, & *Sandovallius* Hispanus, memorant, pro certo asserere non ausim; cum non spernenda sint, quæ in contrarium affert *Pallavicinus*, eaque occasione de scriptoribus illis Italis & Hispano notabilem censuram expedit *d. cap. III.*

(3) *De Concilio Tridentino quædam.*

Ex eodem *Pallavicino* & *Paulo Veneto* discendus est status Concilii, proximo & hoc anno Tridenti indicti, & aliquatenus cœpti. Pontifex nempe, etsi satis prævideret, exorto inter Cæsarem & Gallos bello, Concilium celebrari non posse, Legati etiam, quos de pace ad illos miserat, nihil impetrarent, ipse tamen, ut culpam a se in alios devolveret, tres Cardinales *Moronum*, *Parisium & Polum* destinavit, ut d. 3. Sept. *Tridenti* essent, quanquam non nisi post Kal. Nov. eo venerunt. Præmiserat, (ut se pro Domino & Magistro Concilii gereret,) *Episcopum Comensem*, qui cum *Tridentino* (Cardinali *Madruccio*) Legatos suos exciperet. Horum mandata summatim exponit *Pallavicinus Lib. XV. cap. I. §. 9.* Jubebantur nempe apparatum ad Concilium palam facere, aut præ se ferre; nullas tamen actiones incipere, nisi prius Patres, quos vocant, frequentes ex Italia, Germania, Gallia & Hispania adventassent: cum hæreticis ante inchoatas sessiones disputare prohibebantur, moniti tamen, ut erga eos, si adessent, moderate sese gererent, vitata implacabilis odii suspicione, nec imminuta per lenitatem autoritate. *Vid. d. cap. I. §. 8.* & quæ adversus *Venetum* disputantur *cap. IV. §. 2. & seqq.*

An. 1543.

Supervenerunt postea mense Jan. anno 1543. Legati Cæsaris, *Granvellanus* cum filio *Atrebatensi* Episcopo, & Hispani duo *Aquilarius* & *Mendoza*, quorum ille res Cæsaris Romæ, hic apud Venetos procurabat. Hi, cum prius a Cardinalibus spes facta esset, fore, ut non solum plurimi ex Italia Episcopi, (quorum pauci quidam aderant) sed & ex aliis nationibus, (exceptis Gallis, de quibus nihil certi promittebant) accederent, publicam admissionem in templo petierunt ad exhibenda mandata, & orationem, quam *Atrebatensis* composuerat, Cæsaris nomine recitandam. Sed Cardinales hanc solennitatem defugiebant, causati, Concilium si plures Episcopi adventarent, a jejunio & precibus, & mandatorum examinatione, inchoandum esse. Post acres tamen rixas & minas impetravit *Granvellanus*, ut non quidem in templo, sed in aula Cardinalis *Parisii*, Legatio Cæsarea admitteretur. Habuit igitur ibi d. 9. Jan. in magna hominum frequentia orationem *Atrebatensis*, quam amarissima bili in Gallum repletam fuisse scribit *Pallavicinus d. l. §. 10.* ex qua etiam guttulæ quædam in Pontificem respersæ sint, ut Gallis faventem. Integram exhibet *Raynaldus hoc anno n. 2.* Narrabat Orator acta Cæsaris pro religione & Concilio, excusabat ejus absentiam, rejecta in hostes culpa, offerebat Concilio officia, & adhortationem ad accuratam morum reformationem non negligebat, hanc unicum medium ad curanda Ecclesiæ vulnera esse contendens. Consueta hæc illo tempore erant, nec (quod *Maimburgius* fecit,) felicitas Ecclesiæ prædicabatur, aut reformationis necessitas negabatur, quod hodie plurimis, & inprimis Gallis, quando cum Protestantibus disputant, solenne est. Responderunt Cardinales, ut *Pallavicinus* tradit, cum summa reverentia erga Cæsarem, decentique in Oratores humanitate. Sed habito inde secreto colloquio, deprehensum esse a Cardinalibus dicitur, *Granvellanum* sincere non ferri ad promovendum Concilium, & vocem ei excidisse, qua nationale Concilium præ isto, quod universale nominabant, probare videretur, nisi forte lapsum vocis simulaverit, ut Pontifici metum incuteret, nihil magis, quam synodum nationalem, aversanti *d. l. §. 15.* Confirmantur hac relatione, quæ de ingenio *Granvellani* alibi annotavimus.

(4) *Speciatim de ejus suspensione.*

Cæterum quæcunque Cæsaris ejusque ministrorum intentio fuerit, aut quid de sua per cubicularium *Ottonem Truchsessium*, Episcopum paulo post & Cardinalem Augustanum *Pallavicino* multum laudatum, in Comitiis Norimbergensibus & apud Poloniæ Regem professus sit Pontifex, dimissa tamen non fuit suspendendi Concilii occasio, ex bello Gallico & Turcico oblata. Prætextum quoque dedit improvisus *Mendoza*, qui post discessum cæterorum Cæsaris Legatorum *Tridenti* substiterat, & mansurum se esse promiserat, abitus. Habita itaque *Bononiæ*, ubi Pontifex tunc erat, d. 15. Maj. cum aliquibus

An. 1543.

bus Cardinalibus deliberatione, decreta fuit Concilii prorogatio, ne autoritas Pontificia vilesceret, cui neque Catholici parebant, dum non mittebant Episcopos, & Protestantes palam refragabantur. Cum igitur nec Cæsar in colloquio *Buxetano* haberet, (ut *Pallavicinus* refert) quod opponeret, diploma de suspensione publicatum est, quod integrum producit *Raynaldus n. 17.* datum prid. Non. (6) Julii Bononiæ & mire laudat *Pallavicinus d. cap. IV. §. 20.* Continet enarrationem operæ a Pontifice præstitæ, & excusationem propter motus bellicos, promissum item alius convocationis, ex arbitrio Pontificis & sedis, quam vocant, Apostolicæ. Hæc & plurima lectu digna *Pallavicinus* memorat, *Venetum* pro more refutans: Abstergit etiam Pontifici maculam suspicionis, de participatione Turcicæ societatis, quam quidam inde conceperant, quod classis Turcica, quæ Gallis auxilio venerat, oram Italiæ, qua Cæsari parebat, depopulans, Pontificiæ ditioni parceret, vid. *d. l. §. 21. 22.* Rationes etiam exponit, per quas Cæsar Pontificem, (facta inter alia de conciliatione Angliæ Regis cum Pontifice spe) a Galliæ Rege abstrahere nitebatur, & quas illi Pontifex opposuit. Tandem quoque judicium suum de actis Cæsaris promit, &, rectius facturum illum fuisse, statuit, si Galliæ Regis filio Mediolanensem Ducatum, ut promisisse dicebatur, tradidisset, illumque a paternis partibus (ut dubitari ob Burgundorum Ducum vetus exemplum non potuerit) separasset, & sic pace cum Gallis facta, & perdomitis Protestantibus, solidam Germanici Imperatoris potentiam sibi posterisque asseruisset. Hoc vero neglecto, duas veluti venas in corpore Austriacæ potentiæ apertas fuisse dicit, unde immensum Indiarum aurum, & Hispaniarum generosus sanguis effluxerit, ad defendendum nempe in Italia Mediolanensem Ducatum, & ut Batavis, in hæresis Anglicanæ contagium tractis & rebellibus, resisteretur. Hic ejusmodi scriptorum ultimus semper scopus & finis est, *exitium Evangelicorum*, a quo consummatam Romanæ Ecclesiæ felicitatem pendere non dubitant.

(c) *Alia quadam ex Pallavicino.*

ADDITIO.

(a) *Raynaldus causam suspensi Concilii Episcopis Germanis perperam tribuit.*

Raynaldus (hoc anno n. 18.) præcipuam & arcanam causam reperisse se putat, propter quam Concilium suspensum sit, metum nempe Præsulum Germanorum, *qui*, ut scribit, *verebantur, ne, dum ipsi ad Concilium proficiscerentur, gladio Spiritus decertaturi, a Lutheranis interea gladio ferreo urbes sua invaderentur.* Id probare vult productis *n. 19. & 20.* literis Pontificiis ad Regem Poloniæ & Duces Bavariæ; in quibus, inter alias suspensi Concilii causas, etiam iste nonnullorum Episcoporum Germaniæ metus allegatur. Sed prætextum merum fuisse, dubitari non debet. Taceo, quod pauci tunc in Germania Episcopi fuerint, qui gladio Spiritus certare possent, non solum Lutheri judicio, sed & *Joh. Fabri*, Viennensis Episcopi, ex *Pallavicino* alibi relato. Constat vero ex toto hoc commentario nostro, Episcopis invasiones a Protestantibus timendas non fuisse, minime omnium hoc anno, cum, post occupatum Ducatum Brunsuicensem, exercitum dimisissent, & nil nisi pacem desiderarent, id quod præcipui ex Ecclesiasticis Principibus probe sciebant. Interim, eandem excusationem etiam post annos viginti, licet pragmatica sanctione pax in Germania constituta esset, inepte obtentam esse, ex *Pallavicini Lib. XX. cap. XVII. §. 7.* discimus. Cum vero idem alias causas, cur Præsules Germani ne tum quidem ad Concilium venerint, ex Actis Concilii aperiat, verba ejus adscribemus. *Molestiæ, quam exhibebat æmulatio laicorum Oratorum, accessit altera ex Procuratorum Ecclesiasticorum postulato; cui causam, seu potius occasionem præbuit* (Leonardi Marini) *Lancianensis* (in Aprutio, regni Neapolitani provincia Archiepiscopi) *dictum. Is die decimo septimo Maji, (1563.) cum pronunciaret sententiam super tertio Canone de abusibus, præscribente Episcopis, ut per se ipsos, non item per alios, Ordines conferrent, dixit: Si Episcopi suo munere fungerentur, Ecclesiam reformatum iri; nam & residerent, & pascerent: at e contrario ab Episcopis Germaniæ, & inprimis a Septemviris, suas Episcoporum infulas quasi contemni: Et per hunc dicendi æstum conversus ad Drascovitium* (*Georgius* vocabatur, natione Croata, Episcopus quinque Ecclesiarum) *addidit: Te alloquor, Reverendissime Domine, tanquam Oratorem Cæsaris; quænam est ratio, cur Episcopi Germaniæ, ac præcipue Septemviri, ad Synodum non conveniant, negligentes deponentesque e memoria jusjurandum, ab ipsis hac de re in ipsorum electione editum? Si frenis, si stapedibus aureis utuntur, si cum tanta pompa, tantoque comitatu obequitant, si Principes, & Ecclesiastici & Laici sunt, cuncta hæc obtinent, quia sunt Episcopi, & tamen nolunt interesse Concilio. Ubi præpedirentur, oporteret procuratores ab ipsis mitti, sicut effectum est ab Archiepiscopo Salisburgensi, & ab Episcopis Eistetensi & Basileensi, quo pacto aliqua ex parte suo muneri satisfacerent. Inde ad reliqua argumenti capita progressus est, nunquam interpellatus. Ubi tacuit, ita Drascovitius: Tametsi ipse Ferdinandi Cæsaris Orator non esset, sed tanquam Hungariæ Regis, tamen quando Lancianensis ipsum interpellarat, nolle se a responso abstinere. Causam, cur Episcopi Germaniæ non accederent, esse notoriam, periculum scilicet, ne ipsis abeuntibus haretici ditiones eorundem occuparent. Causam vero, qua detinebantur, ne suos Procuratores legarent, esse, ne illos destinarent, ut muti & obstrictis linguis, quasi statuæ aut pictæ tabulæ, postremum locum occuparent. Ætate Pauli III. Procuratoribus Præsulum Germanicorum præstitum fuisse jus suffragii, & etiam sub vivente Pontifice usum semel eo jure fuisse Procuratorem Salisburgensis Archiepiscopi; se vero ignorare postea, quo pacto, & qua de causa hoc ipsis interdictum fuerit.* Nec minus notabilia sunt, & ad arcanas dominationis Pontifitiæ artes pertinent, quæ sequuntur. Scribit nempe *§. 8. d. l. Paulum III. Pontificem, ut Episcopos ad comparitionem adigeret, diplomate 1. Maji 1545. constituisse, ut Procuratores Episcoporum nullam agendi facultatem haberent, quam ad excusandam illorum absentiam: postquam vero a Legatis edoctus esset, Procuratores quosdam Ecclesiasticorum Principum Germanorum ob eam causam fremere, eundemque acerbitatis sensum ab omnibus Germaniæ Episcopis timeri, peculiari diplomate d. 5. Decemb. illius anni Procuratores Episcoporum Germaniæ, prætexta causa, quod eorum diœceses armatis hæreticis cingerentur, & ideo præsentia Pastorum indigerent, exemit. Sed Legati veriti, ne ob hanc exemtionem insignes aliarum nationum Præsules tumultuarentur, tum* (hoc apprime notandum est) *ne Germanorum Procerum Procuratores adeo inundarent*, (ut interpres Pallavicini loquitur) *sive frequenter adessent, ut alii nationi suffragio antecellerent, effectusque pravos afferrent*, (Lutheranismo forte accedentes) *Germanos pacare conati sunt, & privilegium illud, consensu Pontificis* (Legatorum scilicet calliditatem suæ sententiæ præferentis) *occultum habuerunt, & suppresserunt, nec nisi duobus, Claudio Jajo* (Jesuitæ) *Augustani Episcopi, & Ambrosio Pelargo Dominicano, Trevirensis Septemviri, Procuratoribus jus Consiliarii* (sive vocem consultativam, non definitivam) *concesserunt. At postea anno 1562. Angelus Massarellus, Concilii Secretarius, illius arcani ignarus, sed qui exemtionis privilegium Germanis Episcopis datum noverat, Salisburgensis Archiepiscopi & Episcopi Eichstetensis Procuratores admisit, id quod Legatis vehementer displicuit; immo & ipsi Pontifici, cum id intellexisset; diploma igitur confici jussit, quo privilegium illud revocabatur, sed & hoc celari*

An. 1543.

(b) *Rixa in Concilio Tridentino de absentia Episcoporum Germaniæ.*

(c) *Variæ Pontificis constitutiones de eorum præsentia & absentia.*

An. 1543.

iari volunt, ut ostendi saltem, cum opus esset, posset. Addit alia, ex quibus tricæ & versutiæ Legatorum aulæ Pontificiæ percipi possunt, quibus Procuratores absentium Episcoporum a jure suffragandi dejiciebantur; nam idem etiam Galli Episcopi postulabant, non minus ab hæreticis periculum allegantes. Neque tamen tacet *Pallavicinus* acerbam querelam *Leonardi Alleri*, Episcopi (*titulo tenus*) Philadelphiensis, sed suffraganei & Procuratoris ab Episcopo Eichstadiensi ad Concilium missi §. *10*. Sed & hæc silentio & dilatione elisa tunc fuit. Post aliquot vero menses renovata est disputatio de eadem lite; *Possentne Episcopi per Procuratores in Concilio comparere, & sententias dicere, necne?* negatumque est absentibus communiter jus decidendi per Procuratores; dicebant enim, personam Episcopi desiderari; huic auxilium assistentis Spiritus sancti sperandum esse. Temperamentum tamen inventum est, quod Galli & Hispani admiserunt, nempe, ut eorum Procuratores & Theologi delecti, ad audiendum admitterentur, non tamen ad loquendum. Vid. *Pallavic. Lib. XXI. cap I § 10 & sqq.* Sed quid cum Germanis actum sit, *Pallavicini* verbis referemus, §. *14*. *Magna supererat difficultas de Germanis Præsulibus, præsertim Principibus; cujus conditionis cum ibi tunc nemo per seipsum adesset, & perpauci etiam minoris gradus, non poterat inter Episcopos illius nationis odiosa reddi absentium exæquatio cum præsentibus: & peculiaris necessitas in memoratis Præsulibus, custodiendi ipsorum oppida, conjuncta cum propria ipsorum amplitudine, videbatur eximere hoc privilegium a nota peculiaris in eam partem studii, eosque, quibus concedebatur, ab invidia liberare. Ea propter propendebant Legati ad indulgendum judicum suffragium Germanorum Procuratoribus, cum hoc peteretur a Cæsare, & conducibile censeretur, quo facilius postea Concilii sanctiones exciperent, quando aliqua ex parte se illarum autores agnoscerent. Pontifex tamen, cum animadverteret, in quadam capitum classe, in qua per varios ac modicos gradus a summo ad infimum procedatur, semper necesse esse, inter eos, quibus privilegium denegatur, nonnullos esse dignitate proximos alicui minimo, ex affectis privilegio, adeoque argumentum querelarum inde suppetere; tutius & tranquillius existimavit, judicis suffragium singulis negare, significans, ut summum, se flexum iri ad suffragium Consiliarii concedendum. Rescripserunt præsides, impertiendum saltem judicis suffragium Procuratoribus Septemvirum Ecclesiasticorum & Archiepiscopi Salisburgensis, ob evidentem cum aliis inæqualitatem; se autem certos esse, id Hispanos Præsules æqui bonique facturos. Sed postea, tametsi Pontifex responderet, in eo se minime repugnare erga tres quatuorve ex præcelsioribus, iis videlicet, quos jam nominavimus, dummodo reliqui, cujusvis nationis acquiescerent; dein vero, hisce quatuor, quos nominatim signarat, Episcopum Herbipolensem addi permitteret, & pro quatuor prioribus diplomata mitteret ad Legatos; tamen ignotum mihi est, id unquam fuisse peractum. Quin inter subscriptiones, in exitu Concilii appositas, nemo legitur ex Procuratoribus quinque Principum, quos modo recensuimus; reliqui Procuratores subscripserunt, omissa voce,* definientes, *usurpata in subscriptionibus Episcoporum, & cujusvis, qui jus definientis suffragii obtinebat; quamvis fuerit ex Episcopis, qui subscripserit etiam, tanquam Procurator alterius Episcopi absentis, & præsertim Episcopus Quinque Ecclesiarum, pro Archiepiscopo Strigoniensi, cunctisque Episcopis & Ecclesiasticis Hungariæ; non usi sunt voce* definientes, *quatenus subscripserunt, tanquam Procuratores, & hoc pacto indicarunt, non exerceri a se duplex judicum suffragium. Idem egere Procuratores quorundam Episcoporum simul ac Principum Germanorum, ut Georgius Hochenvartius, Procurator Episcopi Basileensis, Alfonsus Salmeron, & Johannes Polancus Societatis Jesu, Procuratores Othonis Cardinalis Truxesii Episcopi Augustani, qui ambo Principes erant. Ita palam fit, duriora quædam, quæ initio videntur impatibilia, instar quorundam sylvestrium pomorum, concocta & maturata tempore ac tractatione, paulatim mitescere, & absque molestia deglutiri.* Hæc quidem ex actis longe post secutis, & a *Pallavicino* relatis anticipo; sed cum nec laborem meum ad illa tempora produci posse spes sit, & *Raynaldus* occasionem de his agendi suggesserit, cum bona lectorum gratia digressionem hanc a me susceptam esse spero. Ex illa vero observari potest, errare *Raynaldum*, qui veram & arcanam suspensi Concilii causam nobis obtrudat, quæ non nisi prætextus fuit. Nam nec in reiterata postea Concilii convocatione, & pacata penitus Germania, comparuerunt Germani Præsules; sed consessum illum, ut hominum longe se inferiorum, loquaciorum tamen & sophismatibus validiorum aspernabantur, quod *Marinus Lancianensis* supra nominatus olfecit, neque hic opus est pluribus exponere. Et sic decreta Tridentina absque illorum suffragiis prodierunt, quod ex secretis hisce, a *Pallavicino* revelatis, clarissime demonstratur. Italica itaque sunt, & Romanæ aulæ placita, numero suffragiorum, non pondere asserta, quæ sub Oecumenici Concilii splendido nomine orbi Christiano obtrusa fuerunt, tantoque majori & meliori jure ab Evangelicis repudiantur.

(d) *Temperamentum in admissione procuratorum, ab Episcopis Germanis constitutorum.*

(e) *Epicrisis.*

SECT. 27.

Dolendum maxime tunc fuit, quod Protestantes, cum quibus Imperator magno studio ita agebat, ut in partibus suis durante hoc bello eos retineret, quotidie novos progressus facerent. Hoc enim ipso tempore apparuit id ex funesta Archiepiscopi Coloniensis *mutatione, cujus historiam integram referri a me absque interruptione oportet, ut infelicis Prælati hujus casus demonstretur.* Hermannus *ex illustri* Weidensium *Comitum familia, Archiepiscopus & Elector Coloniensis, Princeps erat bonis moribus, ingenio miti & placido, erga pauperes largus, & magno pro fide Catholica ardore, id quod in duabus occasionibus ostendit. Primo enim, cum post mortem Erici Brunsuicensis, Episcopi Paderbornensis, a Canonicis illius Ecclesiæ successor electus esset, ut Lutheranis, qui stabiliri ibi cœperant, resisteret, tam strenue egit, ut auxilio amicorum, copiis non spernendis eum comitantium, urbe potiretur, prædicatores omnes, quos reperiebat, ejiceret, & ibi Lutheranismum plane aboleret, capitis pœna, si quis eum profiteretur, proposita. Secundo metuens, ne Lutherani, in vicinia sat magno numero dispersi, hæreseos suæ venenum clam in Electoratum propagarent, Concilium cum Suffraganeis suis Coloniæ habuit, in quo pulcherrima, quæ optari possent, decreta edidit ad religionem in puritate conservandam, & disciplinam Ecclesiasticam in vigore retinendam, nec non ad regendos mores & officium omnium fere Christianorum, cujuscunque conditionis. Sed super hæc omnia duobus magnis defectibus, infortunium suum producturis, laborabat, valde enim indoctus erat, nihilque eorum, quæ Prælatum scire oportet, didicerat, ita ut non plus ex Latinitate intelligeret, quam quantum ad Missæ & Breviarii recitationem requi-*

(1) Relatio Maimburgii de reformatione, ab Hermanno Archiep. Colon. cœpta.

(2) Taxat Hermannum ut indoctum & stupidum.

Robert. Pont. l. 4. Ser. in Comm. Chytr. ad ann. 1532.

Concil. Colon. t. 1. 14. Concil. edit. Paris.

Robert. Pont. Ser. Comm. Sleid. l. 15. Sleid. l. 17.

An. 1543.

requirebatur. Hinc, cum Landgravius Hassiæ, qui ejus, postquam perversus fuit, patrocinium susceperat, Imperatori aliquando dixisset, nullum Archiepiscopi hujus crimen esse, quam quod Ecclesiæ suæ reformationem suscepisset: respondit Princeps ille: Heu quid reformaturus est bonus ille vir, qui difficillime & pauca Latine scit? Non potuit, quamdiu vixit, plures quam tres Missas, celebrare, ex quibus duas ipsemet audivi, testarique possum, ne introitum quidem legere illum potuisse. Pulchra etiam omnia decreta illius Concilii, tam bene composita, minime ipsius, qui nihil eorum intelligebat, sed celebris D. Gropperi, Archidiaconi Coloniensis, opus erant, is enim ea conscripserat, & in formam, quam videmus, redegerat. Inde est, quod Prælatus hic, vir utpote simplex & parum cautus aut perspicax, facillime decipi potuit, in materia religionis præsertim & sub specioso reformationis prætextu. Semel autem in fraudem inductus, tam pertinaciter ei inhærebat, ut ab erroribus revocari nequiret; neque enim satis ingenii habebat, ut ipse detegere eos posset, nec satis docilis erat ad suscipiendam informationem, quod accidere solet hominibus talibus, qui boni & devoti habentur, sed indocti sunt. Quemadmodum enim S. Teresia dicere solebat, malle se confessionarium habere virum honestum & admodum doctum, quanquam absque sublimi devotione, quam qui devotum se omnibus modis profiteretur & ostenderet, sed nihil sciret: ita vere dici potest, magis expedire Ecclesiæ, si gubernetur ab Episcopo magnæ capacitatis & peritiæ in rebus agendis, mediocris licet devotionis, quam a bono quodam viro, ex eorum numero, qui facile decipiuntur, & qui nec judicium nec scientiam nec ingenium habent, maxime vero qui ex reformatione gloriam quærunt. Hunc sane in modum miser iste Hermannus perditus fuit. Cum enim Imperator ultimo edicto suo Ratisbonensi serio exhortatus esset Episcopos Germanos, qui summæ negligentiæ accusabantur, ut reformationi & sui & Ecclesiarum suarum operam darent, Lutherani quidam occulti, qui in aula hujus Episcopi erant, caput ejus ea cogitatione implerunt, ac si reformatio ista in quibusdam dogmatibus & consuetudinibus fieri deberet, introductis, ut ajebant, in Ecclesiam contra verbum Dei, & substitutis traditionibus mere humanis. Ab his clandestinis hæreticis, qui ingenium ejus regebant, adeo persuaderi & induci se passus est, ut Martinum Bucerum accerseret, in reformatione Ecclesiæ Coloniensis, quemadmodum in Argentoratensi fecerat, laboraturum. Porro cum Capitulum & Academia Coloniensis vehementer hæretici illius, quem in urbe Bonna concionatorem constituerat, ausis reluctarentur, Lutheranismum quippe palam prædicantis, & scriptis quoque defendentis; in subsidium ejus Melanchthonem, Pistorium & alios quosdam ex famosissimis Protestantium Ecclesiastis, advocavit, quos eum non puduit a Duce Saxoniæ & Landgravio Hassiæ, duobus factionis Protestantis capitibus, petere, crasso & infirmo ingenio suo digno artificio simulans, quasi nihil quidquam cum Lutheranis commune habere vellet, sed id solum desideraret, ut populo doctrina, puro Dei verbo perfecte conveniens, proponeretur. Novi isti Doctores omnibus viribus, (boni scilicet Lutherani) id agebant, ut doctrinam suam recentem stabilirent. Librum etiam de reformatione ediderunt, Augustanæ suæ confessioni conformem, cui Theologi Colonienses contrarium opposuerunt, quem Antididagma *vocabant, quasi antidotum dicas contra venenum falsæ doctrinæ Lutheri. Hunc Archiepiscopo obtulerunt, submisse rogantes, ut hæreticos illos ex diœcesi sua expelleret, nec veterem Ecclesiæ doctrinam læderet, sed intra limites reformationis morum, secundum intentionem Imperatoris ejusque edicti Ratisbonæ editi, præcise maneret. Cum vero obtusam ejus mentem minime moverent, isque totus sub specioso reformationis prætextu novis dogmatistis deditus esset, ab omnibus ejus mandatis & gestis ad Pontificem, tanquam caput, & ad Imperatorem, ut protectorem Ecclesiæ, appellarunt. Hæc Coloniæ gerebantur ex sententia Johannis Gropperi, qui & autor erat libri adversus Protestantes Archiepiscopo exhibiti. Inde est, quod Johannes Sleidanus, Historicus, magnus Lutheri sectator, de eo memorat, quod cum arcta amicitia Bucero junctus esset, turpiter ejus doctrinam & partes deseruerit, & inimicis ejus accesserit, Archiepiscopum, cui tamen totam fortunam suam debebat, infeliciter prodens. Et Theodorus Beza, calumniæ isti cumulum adjecturus, ideo id ab eo factum esse scribit, ut Cardinalis crearetur; pueriliter etiam ingenii elegantis laudem affectans, frigida & misera urbanitate addit: Gropperum, qui Judæ exemplo Magistrum prodiderit, ejusdem proditoris pœnam incurrisse, seipsum funiculo execrabilis galeri strangulantem. Significare enim vult, promissione galeri Cardinalitii vocem ejus suppressam fuisse, ne pro doctrina Lutheri verba faceret. Sed facile demonstrari potest, nihil hoc esse, nisi vilem imposturam, male excogitatam. Certissimum enim est, magnum hunc virum, irrefragabili scriptorum ejus temporis testimonio semper vehementissimum ferventissimumque Lutheri adversarium fuisse, unumque ex iis, qui ipsi & hæresi ejus, maximo zelo & animo pro Catholica veritate constantissime restiterunt. Quod si post colloquium Ratisbonense, ubi inter tres Ca-*

S. Teres. in vit. sua c. 5.

(3) Refert, ut Bucerum & alios acciverit.

(4) De oppositione Cleri Coloniensis.

(5) Gropperus laudatur; culpantur Theologi Protestantes.

Sleid. l. 15.

Beza in Icon.

Annal. Colon. Surius in ad Gropp. jux. Petramelar. Carattiol. Ciacon. Ughell.

An. 1543. tholicos, cum totidem Protestantibus collaturos, delectus fuit, aliquod cum Bucero commercium habuit, id inde factum, quod concionator iste Argentoratensis, rationibus ab excellenti hoc viro in colloquio prolatis convictus, spem ei facere videbatur, literis ad eum scriptis, se in eo esse, ut a Luthero discederet, (quemadmodum a Zuinglio jam discesserat) & ad Ecclesiam Catholicam rediret, a qua duplici apostasia defecerat, monasterium suum & habitum Jacobiticum deserens, ut conjugem duceret, quod ad tertiam usque vicem fecit. Utile notatu est, quod Protestantes primos celeberrimosque Doctores suos præcipue acceptos ferre debeant amori fœminarum, & secutæ inde Sacramenti matrimonialis, per horribile sacrilegium, profanationi. Hoc facile probari potest exemplo duorum Martinorum, Lutheri & Buceri, sicut & Oecolampadii, Petri Martyris, & uno verbo, longo catalogo similium apostatarum, qui bene inceperant spiritu, sed male & turpiter finierunt in carne. Hoc unum sufficere posset ad demonstrandum, quam nihil unquam D. Johannes Gropperus commune cum Lutheranis habuerit. Majorem enim commendationem sanctitate vitæ suæ, quam profunditate doctrinæ, meritus est; omnes quippe virtutum Christianarum species in moribus ejus elucebant, delicata inprimis, & si ita loqui fas est, adeo scrupulosa pudicitia, ut, cum aliquando ex precibus matutinis egressus deprehendisset, ancillam ausam esse lectum suum, absente famulo, sternere, celerrime eam cubiculo ejecerit, eodemque modo lintea, pulvinar & culcitras statim complexus, omnia per fenestram in mediam plateam deturbaret, ac si lectus suus, a fœmina saltem tactus, peste infectus esset. Dignum hoc, quanquam aliquid insoliti præ se ferat, autores gravissimi & serii judicarunt, quod elogiis sancto huic viro datis insererent. Crassior enim nunquam fuit calumnia, quam ista, qua Beza de galero Cardinalitio usus est, propter quem scilicet vocem Gropperus perdiderit, qua hac occasione ad defendendam doctrinam Lutheri usurus fuisset. Evidens enim est, non Paulum III. tunc Papam, sed successorem Marcelli II. Paulum nempe IV. post annos duodecim, in secunda, quam faciebat, promotione, constituisse, extraordinaria egregii hujus doctoris merita compensare, & proprio motu Cardinalem creare, cum nemini in mentem veniret, ut ei honorem hunc procuraret, & ne ipse quidem, (nihil minus Coloniæ, quam tale aliquid in animo habens) vel minimam cogitationem, nedum desiderium aut spem foveret. Adeo etiam generosa fuit mente, ut nullum meritis suis, quam ipsa merita, præmium quærens, & contentus, quod concionibus & libris contra hæreticos fortiter pugnasset, Pontifici submisse gratias de habito sibi honore ageret, peteretque, ut benigne ferret, si pileum rubrum, pro more sibi transmissum, ut & fecit, remitteret. Credebat enim nigrum, quem huc usque gestaverat, tantumque terrorem per eum Novatoribus incusserat, sufficere debere, ut eo post tot pulcherrimas victorias ab inimicis Ecclesiæ reportatas, coronaretur; posteritas enim docta, ejus opera videns, semper judicatura est, rubrum istum, qui ei offerebatur, quantocunque splendore hominum oculos feriat, a quorum favore aliquando magis, quam ex veris meritis proficiscitur, æqualis pretii æstimari non posse cum illo, quem virtute & doctrina sua tam illustrem reddidit, quemque propterea usque ad mortem suam constanter gestare voluit, quæ post annos duos sanctum finem gloriosæ ejus vitæ imposuit. Putavi memoriæ magni hujus Doctoris me honorem hunc jure merito exhibere debuisse, qui totum Electoratum Coloniensem ab hæresi liberavit, incredibili valore infaustis Hermanni Archiepiscopi conatibus sese objiciens. Certe, quicquid tentaverit Prælatus iste, ut vel ad silentium saltem, &, ne contra diceret, eum adigeret, utut etiam obligatus hic illi multis magnisque esset nominibus; semper tamen ei cum constantia respondit, vitam se potius, quam vocem perditurum, in occasione ista, ubi silentium suum causam Dei proditurum esset. Tandem tam mascule locutus est, & ita animavit totum Clerum Coloniensem, ut celebre illud Capitulum fortissime contra Archiepiscopum ageret, & ab hoc ad Papam & Imperatorem appellaret. Pontifex ad tribunal suum intra dies sexaginta illum citavit; sed cum non saltem non compareret, sed & Lutheranismum in tota diœcesi continuo prædicari faceret, solenniter illum excommunicavit, & ab Archiepiscopatu deposuit; hunc vero Adolpho Comiti Schaumburgensi dedit, quem Archiepiscopus iste Coadjutorem sibi fecerat; subditos etiam omnes a juramento fidelitatis, quod ei præstiterant, absolvit. Imperator, qui eundem, ut ad accusationes responderet, citaverat, privare illum Electoratu, nisi ad officium rediret, jam constituerat; sed cum nunc in eo esset, ut bellum Protestantibus confœderatis moveret, nec id religionis, sed rebellionis eorum causa, facere videri vellet, dissimulandum adhuc sibi esse duxit. Scripsit itaque ad eum, sicut ad alios Principes, monens, ut in obsequio permaneret, nec ullum rebellibus fœderatis auxilium præberet. Hermannus huic mandato lætus obtemperavit, credens, Imperatorem, diligenti hoc obsequio suo devinctum, de se ob causam religionis inquietando non esse cogitaturum. Sed mox spe sua dejectum se esse vidit. Statim enim anno subsequenti Imperator, dissipato feliciter magno Protestantium exercitu,

Marginalia: An. 1543. — Cancciol. in vit. Paul. IV. Sur. in ep. ad Gropp. jun. Victorell. ap. Ciacon. — (6) Pontifex Hermannum condemnat; Imperator connivet. — 1545. — 1546. — Sleid. l. 18.

An. 1543. *ercitu, ita se instructum deprehenderet, ut obsequium exigere posset, Legatos (Commissarios vocant,) Coloniam misit, cum mandatis, ut sententiam Pontificis exequerentur, & Comitem Adolfum throno Archiepiscopali, loco apostatæ Hermanni, imponerent. Hic a Duce Clivensi persuasus, ut bellum civile evitaret, satius duxit, se ipsum munere abdicare, & in Comitatum suum Weidensem secedere, ubi post annos quinque obiit, in hæresi sua obstinatus, annos natus octoginta. Interea novus Archiepiscopus Adolfus Lutheranos concionatores omnes ex Electoratu suo expulit, & religionem Catholicam integre restituit. Quamvis vero illa hoc in negotio in Electoratu Coloniensi prærogativam tulerit, Lutheranismus tamen alibi majorem contra illam reportavit, in Comitiis nempe Spirensibus. In his enim Imperator, utut videri vellet vel esset magni zeli Catholicus, non multum tamen dubitavit, vindictæ & utilitati suæ illam immolare, eo modo, quem nunc breviter enarrabo. Vehementissime irritatus erat Princeps hic, quod statim post naufragium suum Algerianum a Francisco Rege ab omni parte, totisque regni, immo & Turcarum viribus, invasus esset; itaque, cum præterea in retinendi Ducatus Mediolanensis studio immotus persisteret, unde præcipua belli causa orta erat, nihil magis intendit, quam quo modo cum successu bellum gereret. Hac fini ex Hispania in Belgium profectus, Ducem Clivensem, amicum Galli, aggressus est, oppida ejus optima occupavit, & illum brevi ad conditiones, quas ei imponere voluit, adegit, inprimis, ut fœderi cum Rege renunciaret. Post lætum hoc principium, totum Imperium in partes suas trahere allaboravit, ut junctis sibi cunctis Germaniæ viribus, relictisque cæteris omnibus, in Galliam irrumperet.*

Chytr. an. 1543. l. 17. ut & Sleid. l. 18.

An. 1543.

(7) Hermannus se abdicat Archiepiscopatu.

(8) Cæsar in Germaniam venit ad Comitia Spirensia.

§. CVII.

Cum tot gravissima rerum capita persultare jejuna brevitate soleat noster, haud facile conjectaverim, cur tam prolixus sit in narratione actorum Coloniensium, & in elogio *Joh. Gropperi*, nisi palpum obtrudere voluit quibusdam, qui illo, quo scripsit, tempore, amplissimum Archiepiscopatum Coloniensem ad Gallorum partes trahebant, quorum consiliis immanis illa Gallorum in Germaniam irruptio anno 1688. magna ex parte tribuenda esse videtur. Sed missis his, præstat scripta Maimburgii examinare, & ubi opus est, corrigere aut supplere. *Hermannus* ex illustri & antiqua stirpe Comitum *Wida*, (ita usitatius quam *Weda* aut *Weida* scribitur) patre *Guilielmo* natus, ad Archiepiscopi & Electoris Coloniensis dignitatem anno 1515. evectus est. Fratrem habuit, præter *Guilielmum* familiæ propagatorem, *Fridericum*, qui anno 1522. in Episcopum Monasteriensem electus, cum subditos Evangelicam doctrinam desiderantes lenius tractaret, quam Clero suo probaretur, cedere Episcopatu, adhibito inter alia *Johannis* Electoris Saxoniæ consilio, maluit, quam contra conscientiam in cives sævire: Tradito itaque anno 1532. *Erico* Brunsuicensi, Episcopo Osnabrugensi, Episcopatu, & pensionem quandam pactus ad fratrem *Hermannum* se contulit, & *præpositura*, quam vocant, Bonnensi contentus fuit. *Hermannus* quoque satis benigne, ut erat miti ingenio, & Coloniensem & Paderbornensem diœcesin rexit; in hac tamen irritatus plebis Paderbornensis petulantia, & a Canonicis stimulatus, Evangelicæ doctrinæ professionem impedivit, quod ejus factum approbatione sua dignum censuit Maimburgius. Temperavit tamen rigorem, nec solum concionatores, *Johannem Musingum* & *Christophorum Danum*, ex custodia elapsos, & a Susatensibus receptos persecutus non est, sed & civibus Paderbornensibus XVI. ad mortem condemnatis gratiam fecit, precibus supplicum & adstantium, immo & carnificis facto singulari, motus: Hic enim gladium, quo productos in forum decollare jussus erat, judicibus publice tradidit, negans, se innocentium cruore manus polluturum esse. Vid. *Chytr. Lib. IX. fol. 278.* & *Lib. XIII. fol. 392. & seqq.* Alterum, quod Maimburgius in Hermanno laudat, est formula reformationis, anno 1536. a *Groppero* consarcinata, de qua breviter & vere scribit *Sleidanus Lib. X. p. 292.* quod pleraque dogmata Pontificia novis interpretationibus & veluti coloribus in ea fuerint vestita: Hæc enim *Gropperi* non minus, quam *Pflugii*, quem collegam ejusmodi laborum habere solebat, ars fuit, quam hodie Galli, & inter hos *Bossuetus* Episcopus, & Jesuita *Dezius* recoxerunt, cujusque antiqua specimina in reformationis Juliacensis & Misnensis molimine alibi produximus; de illa autem Gropperiana egimus supra *§. L. addit. I.* Cum vero fucus ille neque *Hermanno* satisfaceret, neque Cleri emendatio qualiscunque sequeretur, Archiepiscopus vero cum ætate & experientia desiderium solidioris reformationis auxisset, nec a Concilio, quod sperabatur, remedia diutius expectare vellet, anno 1539. ad *Melanchthonem*, qui tunc Francofurti Evangelicorum conventui aderat, *Petrum Medmannum* ablegavit, ut cum illo de reformatione & concordia Ecclesiæ consilia conferret. Patet hoc ex epistola *Melanchthonis* d.17. Mart. data, *Lib. III. ep. 38.* in qua *Medmannum* virum vocat eruditum, pium, facundum, & optime moratum. Rogabatur jam tum Melanchthon ut Archiepiscopum adiret, sed iter ejus ad hunc usque annum 1543. dilatum fuit. Anno 1541. sub finem Hermannus *Martinum Bucerum* Argentorato ad se vocaverat, ut ex scripto postea publicato & infra referendo colligitur. Habitis autem cum illo colloquiis, confirmatus est in proposito, neque tamen nisi exeunte anno 1542. redire Bucerum, & Bonnæ publice concionari jussit. Mox sub initium anni 1543. d. 15. Jan. literas (*Reg. H. fol. 506. n. 172. A.*) ad Electorem Saxoniæ dedit; Melan-

(1) *De Hermanno breviter narrata.*

(2) *De ejus reformatione anno 1536.*

(3) *De altera anno 1539. & sequentibus.*

An. 1543.

Melanchthonem ad ſe mitti petens; antequam vero hæ afferrentur, Elector & Landgravius *Hermanno* ſcripſerunt, ut in propoſito reformationis Evangelicæ perſiſteret; moniti enim erant a *Bucero*, ut trepide agentem & cunctantem ſenem ſolarentur & confirmarent: Neque hoc effectu caruit, reſpondit enim *Hermannus* d. 6. Mart. gratias illis pro benevolentiæ ſignificatione, & conſilii atque opis oblatione agens & teſtatus, ſe gloriam Dei & ſalutem proximi, minime vero ſeipſum quærere. (Wir ſuchen nichts / als die Ehre des Allerhöchſten / und die wohlfarth / heyl und ſeligkeit unſers Nechſten / und nicht uns.) Nec multo poſt *Medmannus* ipſe adfuit, & literas ſupra indicatas exhibuit, quibus ipſi fides fiebat, nihil tamen aliud, quam *Melanchthonis* miſſionem petiit, & hic Electori d. 8. April. ſcripſit, ſibi quidem videri, longe utilius fore, ſi concionatores Archiepiſcopo mitterentur, neque ſe abſque damno juventutis Academicæ abeſſe poſſe; facturum tamen quæ Elector juſſurus eſſet.

(4) Melanchthonis iter ad Hermannum.

Reſcripſit Princeps d. 10. April & ad ſex vel ſeptem hebdomadas *Melanchthoni* veniam dedit, & licet ſumtibus *Hermanni* iter faceret, centum tamen florenos viatici loco miſit, duosque equites armatos comites addidit. Cum vero *Melanchthon* concionatores mittendos eſſe monuiſſet, poteſtatem ei fecit, ut *Georgium Majorem*, aut alios ſecum duceret, quod tamen factum non eſt.

(5) Epiſtola Melanchthonis ad Lutherum de geſtis Bonnæ.

Geſta a *Melanchthone* ex literis illius, Bonnæ ſcriptis ſummatim cognoſcuntur. Ad Lutherum nempe (*Lit. I. ep. 74.*) d. 19 Maj refert: *Epiſcopum velle, ut forma doctrinæ & rituum ad exemplum Norimbergenſis Eccleſiæ conſcriberetur, & inchoatum opus inſpiciendum ſibi tradidiſſe. Id* ait, *hoc triduo feci. Epiſcopus vult pure tradi doctrinam, tolli ritus publicos, pugnantes cum doctrina; ſed adverſari non deſinunt Canonici, etſi in his quoque ſunt, qui aliorum violentiam impediunt. Fuerunt minitati quidam ferociores, ſe excuſſuros eſſe Epiſcopum. Quare Landgravius ad Collegium ſcripſit, ac palam affirmat, ſe & ceteros fœderatos ſuſcepturos eſſe defenſionem Epiſcopi, ſi opus ſit. Reliquæ civitates, præter Coloniam, & præcipua pars nobilitatis expetit piam Eccleſiarum conſtitutionem, quam vident profecto neceſſariam eſſe. Vix enim alibi in Germania tantum arbitror fuiſſe, aut eſſe ſuperſtitionis barbaricæ & plane ethnicæ, quantum fuit in his regionibus, ut adhuc exempla currentium ad ſtatuas oſtendunt. Sed video, nunc conciones magna frequentia audiri Buceri & Piſtorii, & animadverto, utrumque pure & recte docere. Sunt & alii in vicinis aliquot oppidis & pagis, qui recte docent, & Sacramenta pie adminiſtrant.*

(6) Item ad Camerarium.

Poſtea ad *Camerarium* d. 9. Maj. hæc ſcribit, *Lib. IV. Ep. 298. Etſi magna eſt impiorum confuſio, chariſſime Joachime, & hanc augere dogmatum diſſenſiones exiſtimantur; tamen tantæ ſunt tenebræ, ut neceſſarias habeamus cauſas repurgandæ doctrinæ. Non poſſes ſine lacrymis videre harum Eccleſiarum labes, in quibus adhuc frequens populus quotidie concurrit ad ſtatuas. Et in hoc ritu ſumma eſt religionis indoctæ multitudini. Judicat igitur ſenex Princeps, neceſſariam eſſe emendationem Eccleſiarum, & hanc recte inſtitui cupit. Hactenus tantum initia ſcripti legi, in quo forma doctrinæ & rituum deſcribitur, proponenda his Eccleſiis. Et intexui quædam περὶ τριῶν ὑποστάσεων τῆς Θεότητος* (de tribus perſonis divinitatis) *Pauci adjuvant Principem, Colonia oppugnat. Sed tamen paſſim ſunt boni viri & recte ſentientes.*

An. 1543.

Item d. 23. Maj *Epiſt. 300. Senex noſter afficitur cura recte conſtituendarum Eccleſiarum, quæ profecto in his regionibus valde deformatæ ſunt. Et ſunt in aula boni quidam viri, ſed pauci, qui eum adjuvant. Tarde igitur in tanta rerum mole procedunt negotia.* Denique jam redux d. 11. Aug. Erfurdiæ *Ep. 304.* ſummam actorum hoc modo exponit: *Poſtquam Bucerus & ego librum abſolvimus, quo forma inſtaurandarum Eccleſiarum continetur: Epiſcopus ſenex, adhibitis Coadjutore, ut vocant, & Decano Comite Stolbergio, ingenioſo homine, & aliis quibusdam præcipuis viris, & me, legi ſibi totum librum juſſit, attentiſſime audivit, multa de plerisque locis graviter diſſeruit, quædam ſuo judicio recte mutavit, interdum noſtras ſententias, re diſputata, ſuæ opinioni prætulit. Huic labori dies ſex tribuit, ac quotidie matutinas horas quatuor continuas. Miratus ſum ſenis aſſiduitatem & diligentiam, ac animadverti, ſerio hanc rem tantam ab eo agi; quod, quantum referat, intelligit. Et has controverſias, pene ut artifex, dijudicat. Continet autem liber initio doctrinæ ſummam. Poſtea politica de collegiis, ut teneant ἀξιώματα* (dignitates) *ac tantum corrigant doctrinæ & ceremoniarum vitia. Cum de libro ſtatuiſſet Epiſcopus ipſe, poſtea conventum indixit; delecti ſunt, qui legerent & expenderent. Tandem igitur Comites ordo Equeſter, & Legati civitatum, magno conſenſu librum comprobant, & pollicentur, ſe ad eam formam Eccleſias inſtauraturos eſſe. In collegio Colonienſi, etſi multi ſummo loco nati recte ſentiunt, tamen πλέονές οἱ κακοί.* (plures ſunt mali) *Ab his reliqui ordines petiverunt, ne quid moliantur adverſus Principem. Hæc fuit καταστροφὴ conventus.* Eadem fere *Crucigero* ſcribit *Lib. III ep. 76.*

(7) Reſpondetur Maimburgii dictis quibusdam.

Ex his ante omnia de ſtatu religionis in urbe & provincia Colonienſi judicari poteſt, & an *Hermannus* culpari mereatur, quod de ejus emendatione ſerio cogitaverit. Apparet etiam, tam rudem illum non fuiſſe, qualem eum hic fingit Maimburgius, *Surium* aliosque nugatores maledicos ſecutus, adſtipulante etiam *Boſſueto* in ſæpe allegata Variationum hiſtoria. *Caroli* Cæſaris cenſura in alia omni cauſa, quam ubi de doctrina & eruditione hominum judicandum eſt, majoris erit momenti. Parum doctum fuiſſe *Hermannum*, facile crediderim, tales enim erant tunc epiſcoporum plerique, fatente *Pallavicino*, pium tamen & negotio, quod gerebat, ſufficientem fuiſſe, non dubito; ſi Deus ſucceſſum, ex cauſis ſibi notis & probatis, non denegaſſet. Non ſola Colonienſis ditio fuit, quæ radiis Evangelicæ veritatis illuminari cœpta, iisdem tamen poſtea privata & priſcis tenebris involuta fuit: culpa omnis a Deo removenda, & hominum vitiis tribuenda eſt. Quæ vero *Maimburgius* de officio & virtutibus Antiſtitum hac occaſione philoſophatur, tanti apud me non ſunt, ut aſſenſum illi præbeam, aut, quæ ex Tereſiæ

ſcriptis

scriptis adducit, admittam: Simplicius enim veriusque semper existimavi, & experiendo didici, sinceram pietatem zelumque discretum, cum mediocri eruditione conjunctum, præferri debere ingenii & doctrinæ sublimitati & solertiæ, quæ parum abest a versutia. Quod vero *Hermannus* Lutheri & Lutheranorum nomen aversatus fuerit, professusque, ac si nihil cum illis commune haberet, id, licet in Actis non deprehendam, ita tamen interpretor, ut Electoris, Landgravii aliorumque dicta & scripta, qui regulam credendi & reformandi neque ex cujuscunque hominis dictatu sumebant, sed divinarum literarum autoritatem ductumque sequebantur, quantum, pro gradu cognitionis a Deo sibi concessæ, capere eum, & pro temporum & virium ratione exequi poterant: Interim homines erant, & infirmitatibus non carebant, tot præsertim tantisque adversariorum machinis infestati & impediti. Acrius hæ *Hermannum* concutiebant, tardum ingenio & senecta, & a collegio Canonicorum, inter se dissentientium, non uno modo in proposito suo turbatum. Factum hinc est, ut *Buceri* conciones, mense Decembri Bonnæ cœptas, & lectiones in epistolas Pauli, quas in monasterio Franciscanorum habebat, ipse interruperit, & Bonna discedens, illum secum Bruliam abduxerit, restituta tamen ei non multo post concionandi & legendi potestate; id ex *Buceri* literis d. 6. Jan. ad Landgravium datis intelligitur. Ipse quoque *Bucerus*, ut Landgravius d. 19. Jan. Electori scripsit, non ausus est ab initio dogmata Evangelica satis aperte proponere; sequebatur enim ut plurimum formulas Ratisbonenses, anno 1541. concinnatas, quas Landgravius, dicterium Theologi sui *Dionysii Melandri* referens, vocare solebat dialecto superioris Germaniæ (den Haffenkäß) *pulmentum varia mixtura, olla infusum.* Non satis placebat illa dissimulatio Electori, monito licet a Landgravio, quod non omnia sub initium exacte constitui possent; reperiuntur etiam *Pontani* literæ, anno sequenti ad Electorem datæ, (*Reg. N. Lit. H. n. 40. fol. 103.*) ex quibus constat, Lutherum & *Bucero* & *Melanchthoni* succensuisse, quod nimis molliter in reformatione egerint; & Elector ipse in literis, ad Amsdorffium d. 4. Jun. 1544. scriptis, judicium ejus (*d. Reg. H. fol. 506. n. 172. A.*) de ordinatione Ecclesiastica ab *Hermanno* tunc publicata expetens, sibi videri, dicit, puritatem doctrinæ accurate servatam non esse, & ceremonias plurimas non probandas interpretationibus molliri. Propositum scilicet erat *Hermanno*, ut ex *Melanchthonis* literis colligi potest, *Chytræus* etiam *Lib. XVI. fol. 460.* apertius tradit, ceremonias veteres omnes, quotquot sine impietate servari possent, una cum collegiorum dignitate, libertate, prærogativis & juribus omnibus, retinere, ut moderatæ & piæ ordinationis Ecclesiæ Cathedralis exemplum esse posset: sed eventus ostendit, in rebus tantopere corruptis modum difficillime inveniri; quapropter omnis ista cautio inutilis fuit, &, retenta illa pompa, doctrinæ puritati incrementa omnia subtracta fuerunt. Ad ea, quæ in *Groppero* singulariter laudat *Maimburgius*, & ad veterem de conjugiis Doctorum Evangelicorum querelam, respondere, postquam toties quæstio illa tractata est, nihil attinet, nec magis, ut *Bezæ* narrationem & aculeum defendamus. Extant tamen (*Reg. H. fol. 541. n. 179.*) *Buceri* ad Landgravium literæ, (non adscripto die) mense Junio allatæ, in quibus illi familiariter aperit, *Gropperum* vel serio Evangelicæ doctrinæ assensisse, vel id multa cum asseveratione simulasse, ita ut *Bucerus* neque tunc omnem de ejus conversione & constantia spem abjecerit; unde satis constare puto, conficta esse, quæ de *Buceri* transitu ad partes Pontificias, apud *Gropperum* jactato, *Maimburgius* tradidit. In iisdem tamen literis *Bucerus* terribile Dei judicium *Groppero* imminere scribit, si a veritate solidissime cognita deficiat; judicat etiam, si id fecerit, avaritiæ ejus tribuendum esse, cum tot sacerdotia & beneficia cumulet, & nuper etiam Decanatum *Xanthensem* acceperit, ita jam bis mille flor. reditu annuo (magna illo tempore summa) fruatur. *Melanchthon Lib. I. ep. 84.* ad *Crucigerum* scribens, tria aureorum millia quotannis eum habere refert. Hac rerum suarum conditione, & confecta ætate inanem purpuræ Cardinalitiæ splendorem facile rejicere potuit. Notanda hic est *Surii* protervia, qui in historia Actorum Coloniensium *Sleidano*, sine omni argumento & probatione, mendacia imputat, perfrictæ frontis homo, & impudentissimus calumniarum & convitiorum architectus; neque enim aliud scripsit *Sleidanus Lib. XV.* & alibi, cum de reformatione hac tractat, quam quæ cum Actis publicis, & in Principum scriniis repositis, conveniunt. Quæ porro hic de consiliis & expeditione Cæsaris, & de causa Juliacensi *Maimburgius* annectit, partim supra relata sunt; reliqua ad sequentis anni gesta pertinent.

(8) *De Bucero & Melanchthonis mollioribus consiliis quadam.*

(9) *Item de Groppero.*

(10) *Notatur Surius.*

ADDITIO.

Ex scriptis reliquis, occasione reformationis Coloniensis tunc publicatis, plurima in oblivionem fere venerunt, nec facile hodie inveniuntur, typis licet olim excusa: Ex iis igitur, quorum vel ex Archivis vel aliunde copia nobis facta est, recensenda quædam esse duximus. Lectu ante omnia digna est, quam allegavimus, epistola *Melanchthonis* ad Archiepiscopum d. 17. Mart. 1539. data, *Lib. III. ep. 38.* Exordium hoc est: *Illustrissime & Reverendissime Princeps: Etsi privatim mihi benevolentia Reverendissimæ Dominationis tuæ gratissima est: tamen multo magis Reipublicæ causa gaudeo, quod R. D. T. sic animata est, ut non inflammare & exulcerare Ecclesiæ mala violentis consiliis, sed sanare veris remediis cupiat. Nec vero dubium est, quin ubique terrarum, ac præcipue in Germania, multi pii assiduis votis & lacrymis optent, ut divinitus tandem aliqui gubernatores Ecclesiarum, autoritate præstantes, excitentur ad suscipiendam hanc curam, ut Ecclesiam multis veteribus erroribus squalentem repurgent, & recens laceratam immani Principum sævitia, & variis discordiis distractam, rursus concilient & recreent. Plurimi enim Principes & Episcopi non modo privatim exercent in pios crudelitatem indignissimam Christiano nomine, sed jam publice nefarium bellum nobis minantur. Qua ex re & Ecclesiæ & Germaniæ vastitas secutura est, nisi aliquorum moderatio hæc consilia impediet.* Laudat deinde *Hermannum*, quod a sævitia huc usque abhorruerit, & alienus fuerit a conspiratione contra Evangelicos (fœdere scilicet Norimbergensi inita.) Rogat, ut in tanto fastigio Ecclesiæ & Germaniæ constitutus, curam de Ecclesia & patria suscipiat, maxime, si induciæ (de quibus tunc *Francofurti* tractabatur) obtineantur. De Synodo Pontificia, etsi procedat, metuit, ne augeat potius publica mala, non sanet; constare enim, quales

(a) *Epistola Melanchthonis ad Hermannum Archiepisc.*

An. 1543.

sint cupiditates, & qualia judicia potentiorum, qui soli in Synodo suffragationem habere volunt; opus itaque esse Germaniæ bonis & magnanimis Principibus & vere Germanis, qui non metuant Pontificiam tyrannidem, sed ausint veteri jure Ecclesiæ de salute Patriæ deliberationem instituere. Exempla adducit Synodorum, absque Romani Pontificis autoritate habitarum a doctis & piis Episcopis; queritur, quod tales non sint in Germania, & quod ab his plusquam Neroniana sævitia exerceatur: Nihil enim eos agere, quam ut fœdera armorum faciant, & bellum civile moveant, aut potentiorum voluntatibus morigerentur. De concordia religionis, quam optare Archiepiscopum ex *Medmanno* intellexerat, monet, talem sectandam esse, quæ non inducat caliginem veritati, nec veteres errores, astute afficta excusatione stabiliat, sicut in *enchiridio* Coloniæ edito factum esse dicit, hostiliter præterea oppugnatis in eo Evangelicis, & dissidiis magis inflammatis: Nihil tam absurdum esse, quod non possit effici concinnius, si callidi artifices adhibeant sua pigmenta, seu ut Euripides vocat, σοφὰ φάρμακα. (Hæc verba pro lemmate inscribi possunt *Bossueti, Dezii* & aliorum expositionibus & conciliamentis.) Reliqua, quanquam non minus egregia, omittimus. In Archivo *d. Reg. H. fol. 506. n. 172. A.* exemplum reperitur rescripti Pontificii ad Senatum Coloniensem, d. 1. Febr. datum, in quo (reclamante quidem veritate) vehementer questus est de Germanis, qui a matre, quam vocat, & magistra omnium Ecclesiarum, Roma, beneficiorum ejus obliti, recesserint, fidei catholicæ sensum contaminaverint, Sanctis Dei honorem abstulerint, cultum Dei imminuerint, Clerum & religiosos persecuti sint, sacras virgines monachis nuptum dederint. Laudat deinde Principes & civitates, quotquot se ab hac labe incorruptos servaverint, & nominatim Colonienses, hortaturque, ut sibi ab omni doctrina caveant, cui non accesserit Ecclesiæ autoritas; & hæresi propinqvum interitum minatur, in quo tamen, quatenus de Evangelica religione loquitur, egregie falsus est. *Colonia Agrippina* inter amplissimas Germaniæ urbes est, Imperialis & libera, sed Archi-Episcopo quoad diœcesin, & quibusdam juribus particularibus, obstricta, & Clero numerosissimo, tam seculari, quem vocant, quam regulari, repleta, unde maximæ curæ fuit Pontifici, & qui ejus partes in Germania sequebantur, ne Evangelicæ doctrinæ libertas civibus concederetur; erant etiam inter hos non pauci, quibus utilitas ex beneficiis Ecclesiasticis reformationi præferenda videbatur; itaque ad hunc usque diem nullus rigor omissus fuit, quo admissio publicarum in urbe concionum impediretur. Prodiit eodem anno acerrimus contra *Bucerum* libellus, cui titulus est; *Judicium Deputatorum Universitatis & secundarii Cleri Coloniensis, de doctrina & vocatione Martini Buceri.* Latine nec ineleganter scriptus est, autore, ut *Melanchthon* in epistola ad D. Crucigerum innuit, *Eberhardo Billico* Carmelita. Verba *Lib. III. ep. 75.* & in *Pezelii Tom. I. p. 536.* hæc sunt: *Coloniæ liber editus est, non tam contra Bucerum, quam contra universam doctrinam Ecclesiarum nostrarum, & contra nostros Principes. Poeta operis est Carmelita ille bene saginatus, & Bacchi ac Veneris sacerdos. Titulum operi fecerant:* Judicium Cleri & Academiæ. *Cum autem saniores in Collegio quidam Comites vidissent, scriptum dignius esse scurris, quam Clero, jusserunt mutari titulum, ac testati sunt, id opus non probari suo collegio. Addita est ergo tituli correctio, pro* Clero *jubent legi* Clerum secundarium, *nothos videlicet Cleros intelligunt. Petulantissime convitiatur doctrinæ & Luthero, & in loco de conjugio spurcitie & obscœnitate verborum utitur, quam vix in lenone ferrent aures mediocrium hominum. Convitia ex Plauti fabulis lecta sunt, quibus fortasse Carmelita ille magis delectatur, quam Psalmis.* Germanice satyram illam vertit ediditque *Caspar Gennepus*, homo maledicentissimus, *Sleidani* ineptissimus antagonista. In collegio Metropolitano, cujus maxima pars constat ex illustris prosapiæ viris, Evangelicæ doctrinæ haud obscure favebat Decanus, *Henricus Comes a Stolberg*, & *Johannes Comes Beichlingensis.* Caute agebant *Adolphus Comes Schaumburgius*, quem sibi Coadjutorem dudum legerat *Hermannus* & *Georgius* ex Ducibus Luneburgensibus, Præpositus: sed plerique sese Archiepiscopo opponebant; pro lenienda tamen invidia contradictionem, secundarii Cleri nomine, ut ex *Melanchthone* audivimus, publicare malebant. In illa igitur acriminatione duorum Martinorum ordiuntur; ex iis *Lutherum* maledictis, tonitruis & execrationibus in Ecclesiam grassari dicunt, *Bucerum* ficta simplicitate & animo versipelli, ac si ex Judaica stirpe natus esset, per mille volumina sese insinuare, nocentiorem Luthero, & toxicum melle circumlitum propinare. Non negant, quosdam articulos, ab illo propositos, sanos esse; vera tamen malo animo admixta esse dicunt, ut incauti ad credenda etiam hæretica inducantur. Inter errores, quos longo ordine recensent, hos potissimum venditant, quod concupiscentiam peccatum vocet, ita ut etiam piis perpetua ignoscentia & remissione peccati originalis opus esse statuat, cum contumelia scilicet baptismi & meriti Christi; Quod naturam dicat Deo repugnare, nec aliter facere posse, quod tamen ipsi ne Diabolo quidem tribuere velint: quod merita operum neget; quod implorari vetet Sanctos & Angelos, quos tamen non ex diffidentia erga Deum, sed ex modestia invocari debere dicunt, ne nobis arrogemus supplicandi dignitatem, nisi consociatis, trepidante conscientia nostra, sanctis Apostolis & martyribus; allegant Scripturæ loca, ubi Deus propter Abramum, Jacobum & Davidem benefacere se profitetur Judæis. *Solariorum* etiam errorem illi tribuunt, quod a solo Christo opem & consolationem nos accipere doceat, cum tamen Christus per media & nosmetipsos operetur, & frater fratrem consolari possit, & conversionem alterius precibus promovere, & Apostoli pro Cananæa muliere, & pro socru Petri, Judæi etiam pro filia Jairi, intercesserint: Traditiones Ecclesiæ, & jus leges ferendi atque in Conciliis definiendi defendunt: Pro maxima vero hæresi habent, quod Sacramenta quædam, & inprimis Missæ sacrificium, & mixtionem aquæ cum vino, item transsubstantiationem, adorationem & circumgestationem hostiæ improbet; quod communionem sub utraque urgeat, qua ad mille annos Ecclesiam abstinuisse confidenter asserunt; a sacerdotibus enim Christum repræsentari & offerri, a Laicis solum recipi ajunt; illos conficere mysterium altaris, hos contemplari: Negant tamen, Christum in Missa Deo donari, vel ut acceptabilem tradi, sed tantum sacrificium ejus in cruce repræsentari, ut nobis concilietur: Missæ applicationem ad defunctos defendunt, & quod adstantes, licet non communicantes, participes fiant orationum, laudum & gratiarum actionis, & per fidem communicent. Confessionem particularem exigunt, allegato (quod nihil quidem ad rem facit) dicto *Esa. XLIII. 36.* Abominantur *Buceri* effatum, quod omnia opera nostra sint iniqua, offensiva & damnatione digna; illa vero ipsi pro satisfactoriis habent, ex gratia Dei: Dictum a *Bucero* allegatum, quod Christiani omnes sint sacerdotes, eo trahunt, quasi totum ordinem Sacerdotum auferat. Monachatum acerrime propugnant & cœlibatum Cleri; dubitandum enim non esse castitatem voventibus de auxilio Dei. Speciatim & acerbe exagitant secundum *Buceri* conjugium, item, quod articulos Ratisbonæ conciliatos alia forma proponat, aut non conciliatos pro talibus venditet. Pontifici primatum & superioritatem in Episcopos & Concilia vindicant. Offerentem se ad examen & disputationem rejiciunt, quod sit apostata, votifragus, digamus & quid non? Impugnant ejus vocationem ab Episcopo factam, ut fraude impetratam; oblata concordiæ media respuunt, nihil remissuri ex ritibus & Ecclesiæ traditionibus & statutis, abusus tamen agnoscunt, tollendosque concedunt, Simoniam, pluralitatem beneficiorum, ministerium titulare, negligentiam in consolanda plebe, locationes & quæstus mercenariorum, cantus absque spiritu, & alia, quæ tunc notoria erant, &, ingenua confessione, reformatione digna habebantur, hodie vero a sycophantis negantur, aut ultro defenduntur. Intolerabile esse ajunt, quod *Bucerus* Lutherum, a Pontifice publice

(b) *Rescriptum Pontificium ad Senatum Coloniensem.*

(c) *Libellus Cleri Coloniensis contra Bucerum.*

(d) *Canonicorum Coloniensium factiones.*

An. 1543.

(e) *Contenta quædam libelli contra Bucerum.*

(f) *Improbatur, quod concupiscentia dicatur peccatum, & invocatio Sanctorum reprehendatur.*

(g) *Missa defenditur.*

(h) *Item confessio & monachatus.*

(i) *Bucero multa exprobrantur; agnoscuntur tamen abusus quidam, & disputatio sub judice competente offertur.*

An. 1543.

blice damnatum, tum *Oecolampadium* & *Capitonem*, altarium & imaginum destructores, encomiis ornet: Imaginum cultum defendunt ex historia *Eusebii* parum certa, neque huc pertinenti, de statua Christi, quæ Cæsareæ Philippi extiterit. Iterum inde in *Buceri* mores & conjugium vehementissime invecti, objecta ab illo Clericis vitia refellunt, & Colonienses pietate, religione, & vitæ honestæ exemplo omnes in Germania & alibi præcellere dicunt; Quicquid vero Argentorati & aliis locis in corrigendis abusibus factum erat, ut sacrilegia execrantur & hæresi Lutheranæ bellum rusticum, omnesque in Germania motus, sudorem Anglicum, aliosque morbos populares, irruptionem Turcorum, & infelicia adversus hos bella imputant, tam proterve, ut cœcos esse dicant, qui hoc non videant, nullamque spem superandi hæc mala superesse dicunt, nisi extincta hæresi. In fine disputationem a *Bucero* oblatam ita accipiunt, si judex adsit, qui per canones decernendi potestatem habeat, & Scripturam explicet ex interpretatione Patrum, qui ante mille annos vixerint, & ex decretis Conciliorum; adscribunt testimonium quoddam *Quirini Episcopi Cyrenensis*, suffraganei Coloniensis. Responsum ad hæc *Buceri*, d. 24. Jul. editum esse, invenio. *Melanchthonis* a *Pezelio* refertur *Tom. I. p. 538.* & *Part. II. Oper. Melanchth. fol. 93. & sqq.* Dignum hoc esset, quod totum hic insereretur, certe, ut ab omnibus legatur; vix enim causam Evangelii unquam melius defendit *Melanchthon*, aut adversariis respondit. Quædam saltem ex illo, quoniam Coloniensium invectivas retuli, non possum non adscribere. In exordio petulantiam autoris judicii istius, & sermonis spurcitiem generatim reprehendit, & cum illo tantum, non vero cum Academia & viris bonis in Clero litigium sibi esse dicit: Captat benevolentiam Academiæ, præceptores suos laudans *Georgium Simlerum* & *Conradum Helvetium*, alumnus Coloniensis scholæ, & hunc *D. Cæsarii* discipulum, cui peculiarem gratiam & venerationem, ut Præceptori, se debere profitetur: Recordatur etiam amicitiæ cum *Buschio*, *Mosellano* & *Mezlero* sancte cultæ. Impietatem tamen esse scribit, si tam diram criminationem prætereat, cum neque *Eccius*, neque *Pighius*, multa licet rabiose scripserint, tanta verborum atrocitate usi sint. *Non dubitamus*, ait, *DEO & veræ Ecclesiæ nostrum studium probari; regulam sequimur certam doctrinæ, scripta Prophetarum & Apostolorum, symbola, Synodorum* (quas nominat,) *veterum, & purioris Ecclesiæ vetusta testimonia.* Addit, post alia, insignem status Ecclesiæ ante reformationem descriptionem, his verbis: *Antequam hæc causa mota est, magna ubique fuit caligo. Humanis ceremoniis monasteria, templa, immo familiæ omnes ita fuerunt oppressæ, ut* Gerson *& alii multi hanc carnificinam conscientiarum deploraverint. Ethnico more invocati sunt mortui; ad statuas concursationes factæ sunt. Doctrina pœnitentiæ fuit obruta spinis disputationum inextricabilium, de confessione, de satisfactione, de indulgentiis. Silentium fuit de fide, qua accipienda est remissio peccatorum. Hæc ignorantia fidei etiam invocationem corrumpebat. Nemo recte discernebat legem divinam & humanas traditiones. De lege divina quam absurda fuerunt opiniones, cum scripserunt, homines posse legi Dei satisfacere! Cœna Domini magna ex parte ad mortuos translata est multis seculis, & horribili idolomania contaminata. De vero usu Sacramentorum silentium fuit. Conciones publicæ multis locis rarissimæ fuerunt, alibi consumtæ sunt in fabulis de Georgio, Christophoro, Catharina & similibus, aut in augendo quæstu monachorum. Jacebat doctrina de vera invocatione, de fidei exercitiis in quotidiana vita, de dignitate vitæ politicæ. Si quis negat, talem fuisse Ecclesiarum statum, non solum testimoniis optimorum virorum refutari potest, sed etiam libris monachorum, qui adhuc extant, & perspicuum signum est, quod nunquam tot senes & graves viri in Germania favissent initiis renascentis doctrinæ purioris, nisi judicassent, Ecclesiæ opus esse emendatione. Favebant autem omnes, qui non erant palam Epicurei. Quosdam mediocres deterruerunt postea exorti tumultus, ut solet Diabolus excitare scandala. Hanc nacti occasionem homines profani & monachi, metuentes suo quæstui, inflammarunt Principum animos ad exercendam sævitiam.* Exempla subjungit eorum, qui in otio cum dignitate vivere potuissent, sed vitæ suæ professionem hujus fidei antetulerint, nominatque *Henricum Zutphaniensem*, *Johannem Croesium*, Theolog. Doct. & *Adolphum* (*Clarembachium*) qui Coloniæ crematus est; se quoque & alios tranquille vivere potuisse; multis ad magnas dignitates aditum patuisse, Principes etiam non levia onera sustinere, id unum tamen omnes agere, ut gloria Dei propugnetur, & pura atque salutaris Ecclesiæ doctrina conservetur: Retinuisse se & illos omnes puras veteris Ecclesiæ doctrinas, nullam convellere, sed recentes errores, qui contra Evangelium & purioris Ecclesiæ judicia irrepserunt, taxare, denique non Ecclesiæ, sed *Clericos secundarii*, (alludit ad titulum scripti) id est, *nothi & degenerantis*, falsas opiniones reprehendere, a quo humanæ, vitiosæ, & recentes leges & labes politiæ Ecclesiasticæ defendantur, cum vetera Cleri collegia honestissimi cœtus fuerint, piorum doctorum & discipulorum, ad propagandam Propheticam & Apostolicam doctrinam. Tales fuisse existimat ante Gothica tempora Ecclesias & scholas Germaniæ; vastata vero per gentes barbaricas Europa, & sero pacata Germania, veterem doctrinam, multis superstitionibus obscuratam esse, & novam politiæ Ecclesiasticæ formam introductam, quæ jam senescens squalidior facta sit, ut sunt omnium politiarum periodi. Provocat inde ad scripta, quibus summa Ecclesiasticæ doctrinæ ab erroribus purgatæ exposita est, eamque dicit ab iis impugnari, qui contra animi sui sententiam erroribus patrocinantur & idola stabiliunt: Pugnari autem partim vi, partim fraudibus; *Vis est*, ait, *cum consuetudinem & consensum magnæ multitudinis allegant; fraudes sunt, quædam absurdiora occultare, ac promere magis speciosa, pingere quosdam abusus novis coloribus, fateri quædam vitia, & promittere aliquam correctionem, quam tamen simulant, ut arte obsistant principiis omnium emendationum, & ut præstigiis ludant, plausibilia quædam ex materiis excerpentes.* Aggreditur inde quædam libri argumenta, & inprimis doctrinam de pœnitentia; hujus enim puritatem diu desideratam fuisse dicit, nec alia re initio studia bonorum ad Lutheri doctrinam cognoscendam magis invitata fuisse. Qui enumerationem peccatorum in confessionibus exigunt, hypocritas vocat, qui aliis onera imponant, quæ ipsi digito non attingunt: Calumniose depravari dicta quædam *Buceri*, quasi discrimen inter opera Christianorum & Ethnicorum sustulisset: *Quid opus est*, ait, *his tragœdiis? Diligenter docemus, quomodo placeat obedientia in renatis propter Christum, cum tamen sit imperfecta, & semper maneant in hac vita in renatis peccata, & addimus discrimen peccati mortalis seu regnantis, propter quod amittitur gratia, & non regnantis seu venialis, ut vulgo vocant.* Explodit, quæ ex *Cypriano* de satisfactionibus seu pœnitentia publica, multis seculis non observata, ad sua trahunt commenta & indulgentiarum deliramenta, quasi scilicet dicta Scripturæ de conversione, & veteres ritus ad peregrinationes pertineant, quæ ad *S. Jacobum* & *caput S. Annæ* suscipiuntur; subjungit de vera pœnitentia non pauca, ut & contra invocationem mortuorum, neque tamen negat, primis etiam seculis Ecclesiæ admixtum aliquid esse contagii, ut hominum natura in hac imbecillitate nunquam est sine vitiis, & sanctos patres semina superstitionum, quæ in Ecclesiam irrepserant, non satis considerasse, vel tolerasse, licet non probarent; eoque refert querelam *Augustini*, alibi allegatam, cum servitutem Ecclesiæ jam suo tempore duriorem esse dixit Moysaica: Verum illos abusus crevisse barbaricis temporibus, & accessisse quæstus: *Erat*, ait, *consuetudo, facere mentionem mortuorum in publicis precibus. Non accesserat opinio, applicandam pro eis esse cœnam Domini, nondum tamen erant statuæ, nondum erant distributa munera inter mortuos, nondum Anna dabat opes, ut Juno, nondum Georgius juvabat equites, ut Castor & Pollux; denique semina sparsa erant, quæ adhuc*

Marginalia (left column): (k) Quadam ex responso Melanchthonis; speciatim ex exordio. — (l) Describit statum Ecclesiæ ante Lutherum.

Marginalia (right column): (m) Distinguit Clerum illius temporis a veteri. — (n) De vi & fraude adversariorum queritur. — (o) Docet de pœnitentia & bonis operibus, & abusus notat. — (p) Speciatim invocationem sanctorum.

An. 1543.

huc erant exigua, *sed tamen veram lucem fidei obscurabant. Alii igitur alius severius obsistebant. Narrat Epiphanius, sua ætate mulieres in Syria statuam Mariæ circumtulisse, & ei liba, & nescio quas res alias obtulisse. Hunc morem inter hæreses recenset, & oppressum esse, inquit, diligentia & autoritate Episcoporum, quod imitatio esset ethnici furoris. Nunc magna pietas ducitur, invocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare.* Subnectit alia, quibus ostendat, eodem modo in Missa ex privatis abusibus publicum irrepsisse, omitti itaque illa exempla, utut antiqua, debere, & ad normam, videlicet ad scripta prophetica & Apostolica, redeundum esse. Ex hac vero egregie impugnat omnem mortuorum, sanctorum licet, invocationem, solumque Deum adorandum esse, *æternam causam boni in natura*, vel ex Platonis definitione; Ethnicorum commentum esse, quod familiares ei tribuantur, neque enim aliter invocandum, quam ut se patefecit, & unum se agnosci vult conditorem & opitulatorem, placatum per Filium. *Nunc*, ait, *accurrit populus ad statuas, recitat precationem, non cogitat, quid invocet, Deumne an animam mortui, nec an Deus sic velit invocari, & cur velit preces nostras certo recipere. Impietas est, a sancto, v. g. morbi depulsionem petere, tribuitur enim creaturæ potentia Dei; impietas etiam est, petere a Deo, ut id faciat propter sancti preces, alligatur enim Deus ad statuam, & fingitur, has preces hic magis recipi.* Veram igitur & piam invocandi rationem præscribit. Quod autem dixerant, *propriæ indignitatis consideratione sanctorum intercessiones assumendas esse*, refelli monstrat doctrina & præcepto Christi, qui in suo nomine omnia peti jussit, & dictis Pauli: *Per hunc habemus accessum ad DEUM.* Quomodocunque igitur corrigatur Sanctorum illa invocatio, *abduci tamen*, ait, *oculos a mediatore, & labefieri fidem & fiduciam in eum, quæ in invocatione lucere debeat.* Adversus Missas & sacrificulorum ignorantiam & abusus graviter disputat, firmiterque negat, extra Sacramenti actionem ullum elementi usum esse, neque ad id Deum allegari, adeoque nec ad panem circumgestatum, non magis, quam ad aquam, si post baptismum adoranda præsentaretur. *Si jam reviviscerent*, scribit, *Ambrosius & Augustinus, ut non dicam de Apostolis, ac venirent ad hæc spectacula, in quibus longo ordine incedunt sacrificuli, gestantes ligneas, argenteas, marmoreas statuas, deinde vero sequitur Hierophantes, gestans panem, viderentque circumfusam multitudinem invocare hunc panem; expavescerent, & interrogarent, ubi gentium essent, & quæ novæ post suam ætatem ethnicorum ceremoniæ natæ essent? Non enim putarent, se in loca Ecclesiæ Christianæ venisse. Cum vero audirent, cœnam Domini in hunc morem conversam esse, tum vero simul dolore atque indignatione exardescerent, & magno animi motu populum ad verum Sacramenti usum revocarent, & de veris pietatis exercitiis monerent. Fuit olim similis Persica consuetudo; circumferebatur sacer ignis, quem adorabat populus, ac præibant trecenti sexaginta quinque sacerdotes, ut numerus congrueret ad dies anni, & gerebant certa ornamenta.* Addit patheticam adhortationem, & historiam, sibi a gravibus viris narratam, de quodam sacerdote, qui *Tubingam* venerit, & reliquias quasdam ossium circumferens promiserit, toto anno a pestilentiæ periculo tutos fore, qui eas essent osculati: Hoc cum *Eberhardus* Dux, sapiens & gravis Princeps, pro scurrili haberet impudentia, respondisse sacerdotem, se verissima dicere, quia populus non det osculum reliquiis, sed vitro, cui inclusæ erant. *Tales sunt vestri colores*, inquit, *quibus nunc excusatis abusus, ut extricetis vos ex piarum reprehensionum laqueis, & tamen in populo prava consuetudo & error confirmetur.* Addit exempla speciatim de Missis privatis, quæ quinto demum seculo in Africa initium ex casu quodam habuerint, spectri pellendi causa, unde paulatim mos, apud barbaras præsertim nationes, irrepserit, & mentio mortuorum in cœna recepta sit, cum Græci in Canone offerre se dicant pro Prophetis & Apostolis, quos utique a pœna liberandos esse non cogitabant, sed gratias pro illorum missione agebant. Hoc pluribus persequitur, & incrementa erroris revelat. Irridet, quam promittunt, emendationem: *Volunt a statuis in templis*, ait, *detergi pulverem, volunt picturas veteres obsolescentes in templorum parietibus renovari, &, ut faciant aliquid, ex Delphico Oraculo volunt aras cubicas duplicari, ut sint augustiores; ferent leges de non alenda barba, de battologia precum non intellectarum; hæ sunt illæ magnæ res, quarum restitutionem requirunt, & quam deplorant impeditam esse a Principe.* Hæc ad fucosam illam, ut loquitur, emendationis formulam, quam tantopere laudavit *Maimburgius*, pertinent, & ab Archiepiscopo nunc merito seriam, post longam & tardam deliberationem, desiderari ostendit. Adversus cœlibatum Cleri, qualem illi exigunt, ad scripta publica provocat, & decem millia jam sacerdotum in Germania esse scribit, qui conjuges & liberos habeant, nulloque jure reprehendi possint. Meminisse se dicit, Episcopum quendam Ratisbonæ *Contareno* Legato Pontificis dixisse, necessario concedendum esse conjugium Presbyteris, quia alioqui defuturi essent Ecclesiæ ministri: cum vero *Contarenus* respondisset, Pontificem monachos ex Italia missurum esse ad vacuas Ecclesias, qui sacrificaturi sint, etsi concionari non possent ob linguæ imperitiam, regessisse Episcopum verecunde, *necessarium munus esse, docere populum, & Evangelii cognitione pietatem alere, neque enim sufficere spectacula ceremoniarum.* Invehitur in *Eccium*, qui tot pastorum uxores lupas nominaverit, etiam in postremo suo scripto; neque sibi deesse dicit, quæ ad obscœnitates eorum regerat, sed mavult, ut illorum petulantia a magistratibus corrigatur. Prolixe inde de castitate vera & honore conjugii disserit, id evincens, quod sacerdotes conjugati bona conscientia munere suo fungi possint. Deinde adversarios alloquitur: *Cur propugnatis cœlibatum? Adeone omnes homines ubique terrarum stipites esse judicatis, ut causam nemo videat, nemo suspicari posit? Num propugnatis, ut vita sit purior? At constat, quales sint mores maximæ multitudinis: Num, ut in vitæ puritate invocatio minus sit impedita? Immo ut quisque maxime intelligit invocationem, ita maxime optat, hoc onus sublatum esse. Num, ut expeditiores sint ad Ecclesias docendas? quotusquisque docet? Una est vera & sola causa tuendi cœlibatus, ut opes commodius administrentur, & splendor ordinis retineatur. Propter hanc causam, quæ in Ecclesia minime valere debebat, a potentibus lex impia defenditur, & multi pii sacerdotes interfecti sunt. Hæc Delecti* (autores Scripti Coloniensis) *non ignorant. Et tamen simulant, se pietatis causa cœlibatum & vota tueri, eaque, sciunt, non veris causis, sed injusta vi & crudelitate defendi.* Quæ subjungit, eo pertinent, ut, pusillum Evangelicorum gregem curæ futurum esse Deo, ostendat, neque irritum reformationis laborem fore, licet paucorum emendatio expectanda sit. Illustrat dicta exemplis Semi & Abrahami, in conspectu pene corruptissimæ urbis Sodomorum veram pietatem docentium. *Buceri* conjugium primum cum virgine *Elisabetha* laudat, quæ, cum ex Evangelio didicisset, fugienda esse idola, monasticas superstitiones reliquerit, statuarum adorationes, mortuorum invocationes, & abusum cœnæ Domini fugerit, in matrimonio vero tredecies puerpera, pietate, pudicitia, & in omni actione modestia, multis bono exemplo fuerit, tandem peste, quam, nisi marito ex statione sua non discedenti, adesse maluisset, effugere potuerit, mortem obierit. Quicquid igitur clament, & quantumcunque canones exaggerent, effecturos tamen non esse, ut sacrilega, incesta & scelerata sint illa connubia. Defendit eundem, quod viduam secundo matrimonio sibi junxerit, & frustra canones veteres allegari scribit, ab illis, quorum mores publici & privati ab universa canonum politia & jure divino dissentiant; anteferri denique debere contendit canonibus utilitatem Ecclesiæ. Monstrat porro, quomodo negligant gloriam Dei & salutem populi, ut maxima pars Cleri non doceat, pastores desint, stipendiis otiosi fruantur Canonici; *Religio*, ait, *in quibus rebus sita sit, templa vestra*

(q) *Item, qui in Missa fiunt.*

(r) *Narrat historiam de protervia cujusdam sacerdotis, miracula jactantis.*

(s) *Emendationem vanam ridet.*

(t) *Impugnat cœlibatum.*

(u) *Laudat conjugium Buceri.*

(w) *Superstitionem Eccles. Colon. infectatur.*

An. 1543.

vestra ostendunt, tanta statuarum varietate; alibi colitur Anna, alibi Maria, alibi stat Servatius, cui pendet de collo marsupium, quia putatur iis servare pecuniam, a quibus colitur &c. Ad hæc concurrit vulgus magna frequentia; has ceremonias putat esse religionem: De vera invocatione, de Christo, de veris officiis pietatis, de disciplina Ecclesiæ silentium est; interim cum Evangelii ministerium negligant ipsi, depellere tamen volunt idoneos & salutares Doctores, prætextu obsoleti Canonis. Ad sua posthæc scripta provocat, in quibus ingenue, plane & sine sophisticis labyrinthis, Ecclesiæ catholicæ doctrinam exposuerit. *Terra mihi*, ait, *potius dehiscat, & obruat tota Ætna, quam velim defendere ullas corruptelas doctrinæ cœlestis, aut pugnare cum Ecclesia Dei, in qua cupio, ut in æterna schola, post hanc vitam etiam videre filium Dei, Patres, Prophetas, Apostolos, & eorum frui doctrina & familiaritate. Hanc futuram scholam mente intueor, quoties in nostras scholas ingredior. Nec velim unquam meum judicium ab illis optimis doctoribus sejungere. Cumque audierim Bonnæ Bucerum, sum ei testis, pure ipsum & fideliter summam doctrinæ Christianæ integram tradidisse.* Et post alia: *Nec motæ sunt hæ controversiæ propter opes, ut leges Agrariæ. De luce doctrinæ dissentimus, hanc retinere cupimus. De opibus & imperiis illi deliberent, ad quos ea res pertinet; etsi profecto æquissimum est, nobis ignosci, cum dolemus, fame contabescere pios pastores, & pauperes scholasticos, & his mediocrem victum præberi, & juvari studia petimus. Sint, si ita volunt, magna collegia nobilium, quorum virtus & autoritas possit esse usui Reipublicæ. Quis hæc reprehendit? Satis superest Ecclesiasticarum opum alibi, unde juvari pastores, & scholastici, & provehi studia possunt. Nec vos Delecti ignoratis, canones præcipere harum rerum curam gubernatoribus Ecclesiarum & Imperiorum. Quod vero dicitis, inhiare reformationem opibus Cleri, hunc esse Christum, cui serviamus, modestissime respondeo, & Bucero & Principibus & multis aliis atrocem injuriam fieri, nec regeram crimen. Nam utri magis de opibus dimicent, minime est obscurum. Nequaquam consentaneum est, tot sapientes Principes, tot Senatores cordatissimos, ulla mercede, quantumvis magna; voluisse tantum sibi periculorum & curarum accersere, quantum adfert Evangelii professio. Quid nos scholastici? qui propter amorem literarum, cum tranquillitatem opibus & dignitatibus ante tulerimus, tamen hanc etiam amittimus in hac militia confessionis, cum in studiis jucundioribus versari mallemus. Sed Deus tandem dijudicabit, quid utrique spectarint, quem oro, ut petulantiæ vestræ frenum injiciat.* Rejicit calumniam, quasi Ecclesiæ Evangelicæ Anabaptistarum deliria recipiant, hæc enim adversariis magis convenire dicit, similes ineptias profitentibus, pietatem nempe esse, *abdicare proprium, sordido vestitu quasi perpetuum luctum simulare, abjicere & contemnere vocem Evangelii de justitia fidei, & contra attollere justitiam operum, induere persuasionem, quod legi Dei homo satisfacere posit, non discernere perfectam obedientiam, quam lex requirit, a disciplina, quam debent & possunt præstare homines: Hæc hypocriticæ vitæ semina,* ait, *communia sunt monachis & Anabaptistis.* Epilogus excusationem continet, quod in placidis disputationibus versatus, contendere jam coactus sit; quanquam vereatur, ne lentus & infans habeatur, quod sævitiam styli Coloniensis acrius non retuderit. Optat rite constitutum judicium Ecclesiasticum, & de iniquis queritur, quorum recens exemplum lepida narratiuncula affert: *Duo sunt in Gallia viri excellenter docti, Castellanus & Bigotius. Et quia Castellani disputationes crebro a Rege audiuntur, hortatur quispiam ex proceribus, ut Bigotius etiam audiatur. Interrogat Rex, in quo doctrinæ genere versetur. Cumque alii honorifico testimonio eum ornarent, tandem Castellanus, qui augeri ejus opinionem nolebat, interpellans, quid, inquit, tantopere prædicatis? Est Aristotelicus. Rex interrogat, qualis sit ea descriptio? Dicam, inquit Castellanus. Aristoteles ἀριστοκρατίας affirmat meliorem statum esse, quam regnum. Hac voce apud Regem sciebat se omnem autoritatem & Aristoteli & ejus studiosis detraxisse. Cumque Rex interrogaret, an hoc scripserit Aristoteles? & cæteri id affirmarent, audissetque, defendere Bigotium Aristotelicas sententias; delirare Aristotelem inquit, & negavit, se defensorem harum ineptiarum auditurum esse. Facile vicit Castellanus tali judice. Hanc imaginem esse*, ait, *judicii, quale Colonienses in libro suo constituant.* Hæc ex egregio *Melanchthonis* scripto, etsi paulo prolixiora, attulimus, ut appareat, qua causæ fiducia, & quam gravibus argumentis, calumniatoribus responderit; quæ si non movent veterum superstitionum & corruptelarum sectatores, confirmare tamen nos possunt & debent, ut convicia & sarcasmos adversariorum spernamus, dum eandem fabulam, propositis tot errorum incrustationibus, agi videmus: De Lutheri in hanc *Melanchthonis* apologiam præfatione dicemus in aliorum ejus scriptorum, quæ ad hunc annum referuntur, enumeratione. Cæterum, ut ad ea, quæ Colonienses Evangelicæ doctrinæ generatim imputaverant, non tacerent, & simul *Hermannum* adversus suorum contradictiones firmarent Elector Saxoniæ & Landgravius, Legatos miserunt, ille quidem *Eberhardum Thannium*, hic *Wernerum a Wallenstein*, & *Richardum Rinckium*, quibus Senator Francofurtensis additus est, literis & mandatis suis & sociorum in conventu Smalcaldico d. 16. & 17. Jul. instructos. Hi, ut ex *Thannii* relatione d. 29. Jul. constat, Coloniam venerunt, & sequenti die Dominica a collegio Canonicorum auditi sunt, licet horum quidam itineri ad Comitia provinciæ, *Bonnæ* indicta, parati essent. Proposuerunt illis, quam vehementer displicuerit Principibus & Ordinibus Protestantium publicatum illud Coloniensis Cleri judicium, quo sana & verbo Dei conveniens doctrina pro hæresi, ex qua omnia mala & incommoda Germaniæ nata sint, traducta fuerit; petebant igitur, ut in autorem animadverteretur, nec talia unquam posthac ederentur, quæ Evangelicis justam indignationis causam præberent. Addiderunt, ut jussi erant, exhortationem, ut Canonici verbum Dei, quod, ut loquebantur, vitam, salutem, & omnia bona secum fert, serio admitterent, illi crederent, & mores ad ejus præscripta componerent, maxime vero Archiepiscopo suo, curam piæ & salubris reformationis ad honorem Dei & salutem suam ac subditorum gerenti, assisterent, nec tempus gratiosæ visitationis spernerent. Canonici, præmissa decenti erga Principes & Status contestatione, responderunt, libellum illum diffamatorium (das Schmähebuch) de quo Legati querebantur, a se non esse conscriptum, sed ab Academia & Clero secundario, a *Bucero* provocato; quicquid igitur in illo asperius dictum sit, ad *Bucerum* & alios, qui *Bonnæ* concionarentur, pertinere, non vero ad Proceres Protestantium, quos Canonici, ut Principes & Status laudabiles, colerent, iisque se commendatos cuperent. De reformatione generatim & paucis ita locuti sunt, ut semper se ad illam paratos fuisse, & adhuc esse, profiterentur. Eodem die cum Senatu Coloniensi a Legatis actum est. Respondit ille, sibi nihil de libello constare, & dudum a se evulgationem ejusmodi scriptorum prohibitam esse, eamque denuo prohibitum iri. Quod reformationem attinet, se confidere Archiepiscopo, quod Cæsari & Ordinibus consiliis actionibusque suis satisfacturus esset; idque etiam Senatui curæ fore. Regesserunt Legati, se quidem hæc Heris suis renunciaturos esse, monuere tamen, ut Senatus in causa religionis veritatem & conscientiam potius, quam hominum mandata, sequeretur. His *Coloniæ* peractis d. 24. Jul. Bonnam abiere Legati, & mandata sua d. 24. Jul. Archiepiscopo & congregatis provinciæ Ordinibus exposuerunt. Et ille quidem studium suum ad reformationem piam & salubrem testatus, Principum & Procerum benevolentiam grati animi significatione laudavit, eorumque consilio & ope se usurum, si res posceret, esse dixit: De libello parum sibi notum esse ajebat, animadversurum autem in autorem, si deprehendi posset, & ne similes prodirent, vetiturum. Ordines provinciæ unanimi consensu, reformationem Archiepiscopi sui admissuros se esse, professi sunt. Canonici neque respondere ad argumenta pro reformatione poterant, neque ad hanc admit-

(x) Scripta sua innocentia de ...

(y) Calumniam & hypocrisin monachorum ostendit.

(z) Exemplum ex historia Gallica affert.

(aa) Legatio Electoris & Landgravii Coloniam missa, ejusque acta.

An. 1543.

admittendam animum sumere; dilationes itaque quærebant. Archiepiscopus revideri denuo & conscribi a *Melanchthone* & *Bucero* reformationis formulam jussit, & illum d. 28. Jul. benigne dimisit. *Thannius* in relatione, de Capituli assensu exiguam spem ostendit, multoque minorem de Coloniensi civitate, hanc enim religionis plane imperitam, & mercaturæ vitæque commoditatibus deditam esse scribit. Erupit sub autumnum anni sequentis d. 9. Oct. Capituli, (solo Decano excepto) Academiæ, totiusque Cleri secularis & religiosi contra reformationem impetus, interposita coram *Georgio Brunsuicensi*, Præposito Ecclesiæ Cathedralis, & adhibito Notario, appellatione ab omnibus Archiepiscopi decretis & actionibus ad Pontificem & Sedem Romanam & ad Cæsarem, ut supremum Ecclesiæ advocatum, & decretorum in religione legitimum executorem. In hoc instrumento nihil omittunt, quod ex Bullis Pontificum & decretis Comitiorum adversus Lutherum & Evangelicos allegari poterat, nec *Bucero* & *Joh. Meinershagen*, qui Bonnæ concionabatur, eorumque scriptis parcunt; quicquid etiam in urbibus & oppidis Electoratus Coloniensis pro reformatione actum erat, odiosissime exagitant. Adversus hanc appellationem Archiepiscopus *apostolos*, quos vocant, *refutatorios*, sive, ut ipse inscribi fecit, *libellum dimissorium* Latinum publicavit, graviter & pie scriptum, in quo necessitatem reformationis demonstrat, utque eam, non attenta illa quæ anno 1536. tentata fuerit, & effectu caruerit, ordines provinciæ in Comitiis 1538. denuo petierint. Testatur, se ita egisse, ut nullius fortunam aut potestatem violaret, sed ut bono publico prospiceret, & veram Dei gloriam, & Ecclesiæ fœde corruptæ emendationem promoveret; queritur de Pontificis adversus se decretis, & de injuria a Capitulo & Clero sibi per appellationem illata: Acta sua defendit ex sacris literis, quas canonibus & legibus hominum prætulerit, & quod ex munere suo obligatus fuerit, ut idololatriam, profanosque & impios abusus, falsa dogmata, & ceremonias prodigiosas, & a Christi doctrina dissentientes, aboleret, nihil autem ex Christi & Apostolorum doctrina mutasse aut retractasse, neque ullam hæresin induxisse, sed invectas evulsisse; consilium & opem ad hæc a Capitulo sæpe, sed frustra, requisivisse, ideoque idoneos alios adhibuisse; ad horum vero personas respiciendum non esse, sed ad ea, quæ doceant; satis tamen ad omnia, quæ iis objecta fuerint, ipsos respondisse. Rejicit igitur appellationem, & si ab hac desistere nolit Capitulum & Clerus, ipse quoque ad Concilium liberum & Christianum universale aut Nationale provocat. Excusum quoque extat Germanice programma Capituli Metropolitani, eodem anno 1544. d. 18. Nov. publicatum, in quo non solum eadem fere, quæ in judicio Cleri secundarii, & in appellatione contra reformationem, & adversus scripta *Buceri*, proposita erant, prolixe repetuntur & exaggerantur, sed &, ne quid ex consuetis deesset calumniis, seditiosa quædam molimina illi imputantur; *Linzii* enim, quod ad Rhenum oppidum est, Coloniensis ditionis plebs immodestius in constringendis statuis egerat. Longo dein sermone enarratur, quo modo Archiepiscopus a Capitulo monitus rogatusque fuerit, ut a proposito desisteret, qualemque Canonici formulam reformationis ad normam Conciliorum & statutorum Ecclesiæ proposuissent, is vero neglexisset; addunt, quam severe Cæsar omnes innovationes prohibuerit, & ut nihilominus Archiepiscopus suæ reformationis edictum publicaverit, & jam visitationem in toto Archiepiscopatu moliatur, denique, ut Cæsaris permissionem in nuperis Comitiis factam jactet, quam tamen hic inficietur. Obtestantur igitur Archiepiscopum, ut ab instituto desistat, & Ordines provinciæ hortantur, ut secundum veterem, cum Archiepiscopo & Capitulo initam, transactionem, sive unionem provincialem (die Landes Vereinigung) sese gerant. Huic scripto responsum est ab Archiepiscopo d. 13. Decemb. in quo rei gestæ seriem prolixe recenset, inprimis miserum diœcesis statum describit, & ad notorietatem & conscientiam Ordinum provocat, narratque, ut dudum, non populus solum, sed & pastores & Clerici, qui alios in pia & vera doctrina erudire & vitæ exemplo emendare debuissent, in tanta Dei & voluntatis divinæ ignorantia versati sint, ut de articulis fidei Christianæ v. g. de Decalogo, oratione Dominica, & de Sacramentorum natura & usu, aliisque capitibus summe necessariis, nullam, quæ Christianos decet, notitiam habuerint, multoque minus alios instruere potuerint, fabulis autem & opinionibus humanis, atque superstitionibus omnem cultum ritusque corruperint, vita quoque & moribus scandala præbuerint. His malis se ab annis viginti duobus remedia frustra quæsivisse, nec profecisse, quæ Cæsar magno labore in tot Comitiis tentaverit. Allegat postea decretum Ratisbonense 1541. quo Prælatis reformationis cura injuncta fuerit, quam merito etiam ad fidem Christianam pertinere crediderit, cum etiam hanc Ordines provinciæ in conventu d. 10. Mart. 1542. postulaverint, ipse vero capita ejus quædam in alio Ordinum conventu d. 1. Sept. d. a. Capitulo & Clero proposuerit: ab his cum nihil impetrasset, coactum fuisse, ut aliorum consilio & opera uteretur. Commendatum autem sibi ab intimis Consiliariis suis fuisse *Bucerum*, ut Doctorem & concionatorem excellentissimum, & pacis studiosum, eique parandæ idoneum (ein fürtreflicher / hochgelehrter / zum friede geschickter und geneigter Gottseliger Lehrer und Prediger.) Memorat, ut eum in Comitiis anno 1541. Cæsarea autoritate colloquio tunc habito deputatum, & postea sub finem anni ad se vocatum, audiverit, utque is postea anno 1542. d. 17. Dec. *Bonnam* venerit, purumque verbum Dei populo proponere, & ab initio, quantum fieri possit, a taxandis abusibus abstinere jussus sit, quod & fecerit; hoc institutum suum in responso Capituli d. 9. Jan. 1543. sibi dato cum summo suo dolore, improbatum, & hominum cogitationes verbo Dei prælatas fuisse; se vero in proposito perseverasse, & formulam reformationis ex præscripto verbi divini, conscribi fecisse, quæ si acceptetur, de incrementis regni Christi ejusque justitia in provincia sua dubitari non posse; sin minus, præsens & æternum exitium metuendum esse. Respondet dehinc ad narrata quædam Capituli, & cur moveri se passus non sit, ut *Bucerum*, antequam cœptum opus perfecisset, dimiserit; probat Senatus Coloniensis consilium, quod erat, ut Capitulum in hoc negotio cum Archiepiscopo concorditer ageret; hoc si factum esset, recte omnia expediri potuisse. Dilationes igitur & tergiversationes Capituli improbat, & Cæsaris mandata, quæ allegabant, falsis suggestionibus impetrata esse dicit; se quidem Cæsari ad obsequia obstrictum paratumque, sed ex iis, quæ per Dei gratiam, ut vera & Christiana, cognovisset, & de quibus in conscientia sua convictus esset, nihil retractaturum, quod id sine peccato in Spiritum sanctum facere non posset. Fatetur posthæc, exemplaria quædam reformationis Cæsari & Ordinibus Imperii in Comitiis nuperis a se exhibita fuisse, ad calumnias depellendas; quod vero passim postea vulgata & vendita fuerint, antequam *antididagma* Cleri prodiisset, se inscio & prohibente factum, neque tamen se abnuere, quin indicentur, quæ correctionem exigere videantur. Pastoribus quibusdam, id rogantibus, mandata interim dedisse, ut in Sacramentorum administratione lingua Germanica uterentur, ut populus *Amen* suum addere posset: Visitationem quidem meditatum esse, sed ob tot contradictiones huc usque suspendisse. Non dubitat, quin pia concordia iniri possit, ad promovendam veram doctrinam Christi, ita ut frivolæ illius appellationis prosecutione minime opus sit futurum. De actis cum Cæsare in Comitiis nuperis refert, se quidem monitum fuisse a Cæsare, ut reformationem usque ad Concilii instantis decreta prorogaret; sed cum exceptionem suam audisset, dixisse Cæsarem, se se illi non interdicere, quo minus purum & liquidum verbum Dei prædicari in suis provinciis faciat. Pactum unionis provincialis negat ad causas religionis pertinere, neque per eam se impediri, quo minus agat, quæ verbum Dei exigit, & de quibus in Conciliis

vel

(bb) *Capitulum Coloniense ad Pontificem appellat.*

(cc) *Hermannus apostolos refutatorios dat.*

(dd) *Programma Capituli contra reformationem & acta Buceri.*

(ee) *Hermanni ad id responsio.*

An. 1543.

An. 1543.

(1) Protectorium Cæsaris Clero Colon. datum & aliis ... ejus ...

vel Comitiis respondere paratus sit. Anno 1545. d. 25. Jun. Cæsar diploma, quod *protectorium* vocat, subsignante *Ottone Cardinale Truchsessio*, Episcopo Augustano, Procancellario, publicavit, quo Capitulo & Clero Coloniensi & provincialibus, qui iis assentirentur, patrocinium & defensionem contra omnes *Hermanni*, quas vocat, innovatione promittit, & contravenientibus gravissimas pœnas, amissionem nempe omnium concessionum & privilegiorum, indicit, omnibusque Imperii Ordinibus exequendi facultatem dat & defert. Hoc Cæsaris edictum, cum annotationibus non levibus, *Hermannus* Electori Saxoniæ misit, ostendens, quomodo subreptum sit Cæsari, & ut huic non deceat, neque is jus habeat, de religione cognoscendi, aut jubendi, ut veteres abusus in Archiepiscopatu servarentur, omnisque cessaret emendatio. Hæc ex scriptis publicatis & Actis Archivorum in negotio reformationis Coloniensis usque ad annum 1545. gesta excerpsi, reliqua ad tempora belli Smalcaldici pertinent, quæ *Maimburgius* non tacuit, & ex *Sleidano* aliisque cognosci possunt. Quæ de simulatione Cæsaris, *Hermanno*, a Pontifice licet condemnato, *Archiepiscopi & Electoris* titulum tribuentis, *Maimburgius* affert, *Pallavicinum* secutus *Lib. VII. Cap. I. §. 2. 3.* ad artes aulicas referenda sunt, quarum plures in tota illa expeditione notari possunt.

§. CVIII.

(1) Formula reformationis Coloniensis.

Jam formulam *reformationis Coloniensis*, de qua paulo ante dictum est, ut a *Bucero* maxima ex parte, juvante tamen & consentiente *Melanchthone*, conscripta fuit, recensebimus. Implet illa justi tractatus sive libri mediocris modum, qui, ut ex *Hermanni* Electoris scriptis percipimus, typis quidem statim excusus, sed aliquandiu celatus fuit. Prima editio Germanica, quam vidi, (folio minori impressa) in præfatione quidem locum adscriptum habet *Buschoven*, sed dies & annus omissus est; idem in reliquis editionibus factum. Prodiit autem alia forma paulo majori, in cujus fine legitur, excusam esse *Bonnæ* anno 1543. a Laurentio Mylio, sive **von der Mühlen.** Alia itidem anno 1544. quæ dicitur secunda, & diligenter correcta & emendata. (**mit grossem fleiß gedruckt/ corrigirt und verbessert**) Neque tamen reperire potui, quod in rebus mutatum esset; typis correctior est & elegantior. Latina itidem *Bonnæ* anno 1545. publicata est, versio tamen libera est, & Germanica fere clariora & ampliora sunt. Titulum habet: *Nostra Hermanni, ex gratia Dei Archiepiscopi Coloniensis & Principis Electoris simplex ac pia deliberatio, qua ratione Christiana, & in verbo Dei fundata, reformatio doctrinæ, administrationis divinorum Sacramentorum, ceremoniarum, totiusque curæ animarum, & aliorum ministeriorum Ecclesiasticorum, apud eos, qui nostræ pastorali curæ commendati sunt, tantisper instituenda sit, donec Dominus dederit constitui meliorem, vel per liberam & christianam Synodum, sive generalem sive nationalem, vel per Ordines Imperii Nationis Germanicæ in Spiritu sancto congregatos. Bonnæ ex officina Laurentii Mylii, typographi, anno M.D.XLV.* Subjuncta sunt insignia Principis, & ad illorum latera adscripta leguntur dicta *Jerem. VI. 16. State super vias &c.* & *Act. XX. 28. Attendite vobis & universo gregi.* In præloquio *Hermannus* Archiepiscopus Cæsaris studium laudat in componendis dissidiis de religione, & in re-

(2) Quædam ex præloquio.

formatione Ecclesiarum generali, per universam Germaniam procuranda. Allegat deinde mandatum ejus, quod Ratisbonæ una cum Pontificio Legato Prælatis dedisset, ut christianam Ecclesiasticarum rerum correctionem susciperent, & hominum animos præpararent, quo citius in religionis conciliationem consentirent. Refert, ut Ordines suæ ditionis in multis Comitiis reformationem piam & Christianam petierint, & sibi in nupero conventu Bonnensi autores fuerint, ut reformationem sanciri & publicari curaret: Testatur, quod ipse deprehenderit, opus esse Ecclesiis suis emendatione, destitutis quippe piis & doctis ministris, ut nihil certæ & sinceræ doctrinæ inter suos prædicatum sit, sed horribilis Dei ignorantia, perniciosa superstitio & ἀπιςία, cum peccatis gravissimis, invaluerit, quam omnium salutarium rerum turbatio sit secutura. Hinc se pro officio & conscientia motum esse dicit, ut remedia afferret, adhibuisse multos viros exercitatos, & Dei timore ac spirituali doctrina & prudentia præditos, cum quibus diu multumque collocutus sit, omniaque fideliter expendisse, & tandem sequentem formam & præparationem restituendæ doctrinæ & Ecclesiasticæ disciplinæ ordinasse; indignum quidem se, infirmæque fidei & tenuis judicii, attamen Archiepiscopum & animarum curatorem esse; Subjicit etiam, quæ constituit, emendationi ulteriorique gratiæ & illuminationi divinæ, petitque ab omnibus, qui aliquid in ordinatione hac sua deprehenderint, quod verbo Dei consonum non esset, aut ad ædificationem fidei in Christum facere non videatur, ut de eo se certiorem faciant, grata mente & promte id acceptaturum, qui vero probent, eos rogat, ut sibi consiliis & precibus assistant, se vero non potuisse ullius hominis aut potestatis respectu diutius cunctari, aut Concilium generale vel nationale in rebus, quæ ad gloriam Dei & populi salutem pertinent, expectare. Constitutio ipsa LXV. habet capita, ex quibus præcipua quædam annotabimus. Doctrinam ex solis sacris literis haurire pastores & concionatores jubet Archiepiscopus, non vero ex autoritatibus hominum, ne illorum quidem, quos patres vocant, prolixe enim ostendit, hos quoque, quæ docuerint, solius Scripturæ judicio & testimonio subjecisse: Multa pie monet de auxilio divino, ad conciones ac ministerium precibus a Deo exorando, & de adhortationibus ad pietatem, atque elencho errorum. Prælegi mandat in omnibus concionibus locum aliquem ex Scripturis, queriturque, quod lectorum in veteri Ecclesia officium abolitum sit; Improbat & pro vitio habet morem, si concionatores uni tantum atque alteri verbo ex lectione seu textu inhæreant, prætereant cætera, vel etiam penitus ad alia, quam lecta sunt, delabantur. In articulo de Trinitate, & ejus sancta & pia invocatione, acriter rejicit idolomaniam & idololatriam, atque abominandam impietatem vocat invocationem mortuorum, cultumque imaginum, statuarum atque ossium. Causam peccati in hominis voluntate ponit, omni culpa a Deo remota; peccatum originis cum *Anselmo* vocat *carentiam justitiæ originalis,*

An. 1543.

(3) *Ex ipsa constitutione sententia de fundamento doctrinæ.*

(4) *De invocatione Sanctorum, libero arbitrio, lege & pœnitentia.*

An. 1543.

ginalis, sed id explicat de voluntate hominis a Deo aversa, horribilibus tenebris intellectus, pravis & vitiosis motibus, & inclinatione omnium virium contra mandatum Dei: Concludit inde humanam voluntatem, absque auxilio Spiritus sancti non posse se vero timore Dei, vera dilectione, veraque fide ad Deum convertere, licet ante regenerationem communi Dei adjutorio externam disciplinam utcunque præstare possit. De Veteri Testamento & legis usu consentientia cum doctrina Evangelicorum proponit; ex Novo Testamento veram pœnitentiam & contritionem illam esse statuit, quam Christus ipse in animis hominum excitet, per quam ad Christum fugere compelluntur: Explicat, quæ sint vera peccata, quando scilicet peccatur ex incredulitate in Deum, non vero, quæ adversus hominum commenta committuntur. Exponit decem præcepta, eaque computat, ut appendicem primi de vetito imaginum cultu pro *secundo*; *nonum* vero & *decimum* pro uno numeret: In hoc de concupiscentiæ peccato ita statuit, etsi quis omnia præcedentia per gratiam & auxilium Dei probe observaverit (quam felicitatem sibi contigisse, nemo unquam sanctorum agnoverit) per decimum tamen præceptum convinci, quod miser & damnatus sit peccator & hostis Dei. *Quamdiu enim*, scribit, *deprehendet in se, non dico, motum aliquem animi ad malum id, quod prohibet & damnat Deus, sed qualemcunque modo inclinationem & propensionem, & ad id, quod præcipit Deus, languidum & remissum studium, nedum fastidium & repugnationem, agnoscet se hoc præcepto argui, & condemnari, ut transgressorem legis divinæ, & quidem totius: Ea enim dum postulat, ne quid allubescat vetiti, hoc exigit præstari toto pectore, tota anima, omnibus viribus; Ita siquidem diligi Deum & coli a nobis lex requirit. Hoc autem, ut toto corde, tota anima, & omnibus viribus alieni simus ab omnibus iis rebus, quas prohibet Deus, præstare nemo potest, nisi quem amor studiumque Dei & eorum, quæ nobis præcipit, sic teneat incensum totum, ut toto etiam corde, tota anima, omnibusque viribus abhorreat ab omni eo, quod Deus prohibet. Huc vero nemo sanctorum, dum hic viveret, pervenit. Quare hoc decimo præcepto convictos fateri omnes oportuit, neminem in hoc seculo vivere, qui plane mundo corde sit, & non necesse habeat, per Christum & a maledicto & a condemnatione legis liberari.* His agnitis, potentissime impelli nos dicit ad quærendam gratiam & satisfactionem Jesu Christi, & ut Spiritu virtutis ejus nobis donato carnem mortificemus & novum hominem induamus. De justificatione docet post prædicationem legis & agnitionem peccati non sufficere ad justificationem pœnitentiam & dolorem seu contritionem, sed satisfactionem pro peccatis requiri, quæ, cum non nisi a solo Christo præstita sit, & ex Evangelio innotescat hominibus, fide sit acceptanda. Hoc prolixe deducitur, & in summa dicitur, justificationem consistere in remissione peccatorum, & donatione justitiæ Christi per fidem, sive cum fiducia accepta. Hanc sequitur regeneratio seu adoptio in filios Dei, cum omnium bonorum operum studio & operatione. Abstinet autem autor styli a vocabulo *imputationis*, & phrasi, quod *sola fides justificet*, quanquam sententiam ipsam satis liquido exprimat, quod nempe gratis justificemur, & cavendum sit, ne honorem mediatoris Christi transferamus ad bona opera, quanquam horum necessitatem, possibilitatem, qualitatem & utilitatem operose tueatur. Ecclesiam, tradit, visibilem esse, eam nempe, in qua verbum Dei prædicatur, & Sacramenta legitime administrantur, & in qua Deus publica confessione colitur & invocatur. In ea cum vere credentibus, qui non quidem magna semper copia, perpetuo tamen in terris reperiantur & duraturi sint, etiam malos versari. Subjungit plura de unitate Ecclesiæ ex iisdem principiis. Ministros verbi & Sacramentorum ab Ecclesia constitui docet; pro hæreticis habet, qui veritati approbatæ, id est, Spiritui sancto obloquuntur & maledicunt in articulis capitalibus, v. g. *Manichæos* & *Samosatenianos*, nec non eos, qui Christo gloriam mediatoris detrahunt, meritis operum remissionem peccatorum tribuentes. Reliquas quæstiones de Ecclesia & ejus autoritate, omittit. Orationis sive precum necessitatem & utilitatem ostendens, formulam orandi a Domino præscriptam sequi jubet, sed recte intellectam & expensam, ideo paraphrasin ejus addit. Abusus deinde orationis vitari vult, nempe, ut non fiant per merita Sanctorum, neque ab his auxilia contra mala, veluti a *Sebastiano* contra tempestates, aut ab aliis, quorum aliquot enumerat, contra alia petantur; horribilem ait esse impietatem istam; cultum vero Sanctorum eatenus commendat, ut Deum pro donis in eos collatis laudemus, ipsosque sanctos eam ob caussam prædicemus, & imitari illos studeamus. Quod vero vetusta Ecclesia hoc & non alio modo coluerit sanctos, ex sex *collectarum* antiquarum formulis demonstrat, quas in gratiam eorum ex nostratibus, quibus libri rituales Romanæ Ecclesiæ parum noti sunt, adscribemus:

(5) *Expositio Decalogi, speciatim præcepti decimi.*

(6) *De justificatione & bonis operibus.*

(7) *De Ecclesia & ejus ministris.*

(8) *De precibus & paratim de iis, quæ ad sanctos fiunt.*

(9) *Formulæ precum de sanctis, quæ non improbantur.*

An. 1543.

In memoria Apostolorum Petri & Pauli.

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum, Petri & Pauli, martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ, eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumsit exordium, per Christum Dominum nostrum.

In festo D. Johannis Baptistæ.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in Beati Johannis nativitate tribuisti, da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ, per Christum Dominum nostrum.

Item in natalitiis D. Stephani.

Da nobis, quæsumus, Domine, imitari, quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus orare, per Christum Dominum nostrum.

In commemoratione D. Laurentii.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio, martyri tuo, tribuisti tormentorum sue-

An. 1543.

suorum incendia superare, per Christum Dominum nostrum.

In memoria D. Agathæ.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut cujus natalitia colimus per ejus ad te exempla gradiamur, per Christum Dominum nostrum.

In commemoratione D. Cæciliæ.

Deus, qui nos annua Beatæ Cæciliæ, martyris tuæ, solennitate lætificas, da, ut, quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo, per Christum Dominum nostrum.

Istæ precum formulæ etiam hodie in *Breviario Romano* inveniuntur. [*(10) De abusibus circa imagines.*] Fatetur tamen sequioribus temporibus admixta quædam in aliis formulis esse (id quod postea exemplis comprobat) de divorum meritis & intercessionibus. Inter abusus postea refert recitationes orationis Dominicæ, angelicæ salutationis & similium, populo imperatas, & quod loca quædam, in quibus oretur, aliis præferantur, cum Christus omne illud discrimen sustulerit *Matth. XVIII. 19. Si duo consenserint super terram &c.* Quod vero veteres ad sepulchra sanctorum oraverint, ideo factum esse scribit, ut tanto devotius recordarentur fidei martyrum, & exinde excitati similia dona a Deo tanto ardentius peterent. Contra cultum imaginum & statuarum multa affert, nullumque earum usum admittit, quam ut memoriam fidei illorum, & officiorum pietatis, excitent. Igitur ornatum earum, suffitus, accensa lumina, vota ad eas commeandi & auxilia ab iis petendi, impium & idololatricum furorem vocat. Nominatim rejicit imagines rerum falsarum, & quæ impias & superstitiosas opiniones in populo gignant, v. g. quod *Antonius* pingatur cum igne & porco, *Rochus* cum ulcere, *Leonardus* cum catena, unde remedia ab iis contra morbos & vincula poscantur. Execratur talia vehementius, cum in templis ponuntur, aut cum statuæ pinguntur vel sculpuntur habitu lascivo, aut ad pompam conficto; iis libidinem excitari aut opum desideria accendi dicit. Improbat, præter supra notata, suspensionem donariorum, & genuflexionem ante imagines. [*(11) De jejunus & eleemosynis.*] De vera & pia jejunandi ratione egregie commentatur, & multos abusus indicat, præsertim multiplicationes temporis, opinionem cultus & meriti, repletionem diebus post jejunia a multis usurpatam, & alia ejusmodi. De sacris oblationibus ex Scriptura & dictis Patrum docet, quæ sint vera Christianorum sacrificia, deinde eleemosynarum in commune aliquod Gazophylacium Ecclesiæ, ex quo egenis succurri possit, erogationem commendat: Ex ingenita enim superbia, inhumanitate & neglectu fratrum, fieri dicit, quod plerique malint ad ornatum lignorum & lapidum, & ossium mortuorum, quam in usus pauperum, quos pro nihili hominibus habent, sua dona conferre. [*(12) De Anabaptistis.*] Contra Anabaptistarum errores & flagitia, (Monasteriense exemplum allegans) operose disputat, diligenter tamen Superintendentibus, quos vocat, injungit, ut eos instruant, (tolerabili custodia detentos,) convertentibus sese ignosci, & refractarios Magistratibus tradi vult, pro modo delicti, vel secundum constitutiones Imperii puniendos. Similiter se agere velle profitetur cum aliis, qui ullum falsum dogma, cum receptis fidei symbolis pugnans, excitent aut spargant. [*(13) De ordine cultus publici.*] Ad conciones, lectiones sacras & catechesin, certa tempora constituit, non solum diebus festis, sed & profanis, & in oppidis quidem omnibus diebus binos conventus, si adsint ministri, & a populo impetrari possit diligens præsentia, in pagis ternos singulis septimanis, vel, si per populi negligentiam id non liceat, binos, aut unum saltem exigit. [*(14) De Sacramentis, & speciatim de Baptismo.*] De Sacramentis generatim, dehortandum esse, monet, populum, ne ex iis gratiam speret, vi & merito solius operis externi, sive administrantis sive sumentis; sed ex virtute Dei & merito Christi. Dein, ubi de Baptismo agit, excludi vult ab actu administrationis tam parentes, quam susceptores impios, & manifestis criminibus contaminatos; celebrari autem præcipit Baptismum summæ Liturgiæ tempore, diebus dominicis aut festis, & instrui parentes & susceptores de officio suo, & infantes exorcizari in conventu vespertino. Formulas inde præscribit adhortationum, itemque quæstionum & responsionum, parentibus & susceptoribus proponendarum, ut & exorcismi & precationum, partim ex iis, quas Lutherus conscripserat, desumtas, sed latius explicatas, aut prolixiores, cum aliqua etiam verborum mutatione. Sed in duos actus administrationem distribuit, ita ut post ea, quæ paulo ante die præcedenti fieri jusserat, baptismus ipse sequenti die dominica inter sacra cœnæ Domini peragi mandetur, excepto tamen casu, quo differri baptismus tamdiu non potest; tunc enim quolibet tempore in templum deferri vult infantem, & omnia supra præscripta uno actu, omissis etiam exhortationibus & precationibus quibusdam, absolvi; concedit quoque, ut domi baptizetur infans, in periculo vitæ constitutus, ab iis, qui adsunt, ita tamen, ut si supervixerit, in templum deferatur, & ibi interrogationes & preces fiant, formulis præscriptis. [*(15) De confirmatione.*] In confirmatione baptizatorum, cum adoleverint, impositionem manuum, & professionem fidei ab iis edendam, & communionis sacræ usum exigit: præfatur quædam de veteri Ecclesiæ consuetudine ejusque ratione, deinde officium confirmationis non sibi aut suffraganeo (dem Weyhebischoff) solum reservat, sed &, quia majores, quam olim, sint dioceses, & ne nimis actus ille differatur, visitatoribus bis in anno manuum impositionem per totam regionem absque olei adhibitione (hanc enim propter abusum abrogat) administrandam demandat; Pastores tamen jubet, confirmandos prius instruere & interrogare de fidei capitibus, ex formula satis prolixa, quam præscribit. In hac ad quæstionem, *quid sit Sacramentum cœnæ?* responsio hæc subjungitur: *Est communicatio corporis & sanguinis Christi, quæ nobis in cœna Domini, cum illa juxta institutum Domini celebratur, cum pane & vino vere exhibentur.* Sequitur prolixa de cœna Domini commentatio, & ritus descriptio. Præsupponit, nihil in hoc Sacramento faciendum esse, quam ex præscripto Christi, neque respici debere ad ea, quæ alii ante nos fecerint. Agnoscit, Christi & veteris Ecclesiæ exemplo unam & commu-

An. 1543.

nem cœnam in uno cœtu, unoque tempore, celebrandam esse, nec alios ad eam admitti vult, quam qui Christi sint discipuli, & fidem in eum profiteantur; celebrari jubet in cœtu Ecclesiæ die dominica, si adsint communicantes, lingua populari, & panem & vinum, id est, corpus & sanguinem Domini omnibus distribui: Addit multa de verborum Christi pia consideratione & applicatione, & de commemoratione passionis ejus. Postea pastoribus injungit, ut populum ab abusu Missarum revocent, clementer tamen a Christo condonari affirmat, quæ huc usque peccata sint, iis nempe, qui fiduciam omnem in Christo & merito ejus, non in opere vel administrati vel sumti sacramenti collocaverint. Tolli vult ex animis hominum falsam illam & impiam opinionem, qua putant, *a sacerdote in Missis Christum Dominum nostrum patri offerri, ea quidem ratione, ut sua intentione & oratione efficiant, ut Christus patri fiat novum & acceptum sacrificium pro hominum salute, aut ut meritum passionis Christi & salutiferi sacrificii, quo Dominus ipse se patri in cruce hostiam obtulit, applicetur aut communicetur iis, qui id propria fide non apprehendunt & suscipiunt, cum tamen minister in administrando sacramento nihil conferre possit, quam ut primam sacram cœnam, uti Dominus instituit, exhibeat & administret, ejusque mysteria populo explicet, sacramentum dispenset & pro omnibus oret; eos vero, qui sine fide propria communicant, judicium & condemnationem sibi accersere* dicit, *reosque corporis & sanguinis Domini fieri.* Ista pluribus deducit, & patres veteres, qui *sacrificii* vocabulo, cum de Sacramento scribunt, usi sunt, solennem quidem memoriam sacrificii Christi, minime vero applicationem intellexisse monet; sed hanc longe post cum aliis abusibus invectam esse. Rejicit inde propositionem & circumgestationem, ornatumque sacramenti, ejusque externum cultum, maxime vero *communionem sub una*, sive calicis omissionem, levemque & temerariam objectionem vocat, cum dicitur, integrum Sacramentum a Christo solummodo Apostolis datum esse; ex Scripturis enim sacerdotes præ laicis nihil præcipui in hoc sacramento habere, ideoque hunc abusum neglectu præpositorum irrepsisse, neque unquam institui ab hominibus potuisse, aut a patribus institutum esse, ut tantum panis distribuatur. Post alia, quibus ad verum Sacramenti usum populum hortatur, & ab eo repellit impœnitentes, ad institutum, (de quo ab initio dixerat) ut nempe uno tempore totus cœtus communicet, redit, & quia id nimis obsoleverit, & publica ignoratione pridem obtectum fuerit, leniter ad id revocari jubet homines, interim vero eos, qui non communicant, doceri, quam utilitatem capere possint, si Sacramenti celebrationi assistant. Notat, patres quoque veteres, non nisi tota fraternitate præsente, cœnam (ob incommodam sub vesperem convocationem) matutino tempore, in cœtu publico, diebus dominicis & festis celebrasse, aliquando tamen cum peregrinis aut selectis quibusdam, & hoc vocasse *Missas privatas.* In formula concionis vel exhortationis, quam prælegi vult, iterum ita loquitur de Sacramento, ut credendum esse dicat, *Jesum sanctificare carnem & sanguinem suum in sacra Cœna cum signis visibilibus panis & vini, & per ministerium Ecclesiæ vere nobis offerre, ad remissionem peccatorum, & in cibum vitæ æternæ &c.* Et in alia formula sic loquitur: *qui hoc pacto,* (id est, credens, quæ præcedunt de institutione Christi) *de pane hoc comedit, & de calice bibit, & verbis his, quæ audit a Domino, ac signis, quæ accipit, firmiter credit, is vere ac salutariter carnem Christi manducat, & sanguinem ejus bibit, ipsumque totum Deum ac hominem plenius in se percipit, cum omni merito ejus & gratia.* Post illam adhortationem, confessionem publicam præscribit, a sacerdote recitandam, ut & absolutionem postea pronunciandam, his verbis: *Ego Christi & Ecclesiæ minister, omnibus, qui sua peccata dolent, qui Christo Domino veram fidem habent, & approbare se cupiunt, annuncio remissionem omnium peccatorum, gratiam Dei & vitam æternam, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.* Omnia ista, ut & hymnos, *Kyrie eleyson* & *Gloria in excelsis*, lingua Germanica dici & cani mandat, introitu Latino excepto, si scholastici adfuerint, qui eum canere possint; collectam vel legentis vel canentis more recitari, indifferens habet. Jubetur, postmodum Epistolæ & Evangelii lectio, & longa præscribitur precatio pro Ecclesia, Magistratu, Cæsare inprimis & Principe, dein pro populo Christiano, & pro communicantibus, alia etiam brevior, & denique Symbolum a populo cani, &, dum id fit, eleemosynas sive oblationes conferri vult publice ab omnibus in loco conspicuo, easque præsente Ecclesiæ cœtu in gazophylacium a curatoribus referri. Ut vero vetus mos, ex Ecclesia ejiciendi profanos, restituatur, admonitio commendatur ad pœnitentiam & frequentem usum sacræ Cœnæ. Post hæc omnia, ipsa describitur administratio, quæ succedere debet, vocatis ad altare communicantibus, servatoque inter mares & fœminas discrimine. Formula præscripta nihil differt ab ea, quam Lutherus *Tom. III. Alt. fol. 460.* proposuit. Vetatur denique repositio & conservatio sacramentalium elementorum, ideo hæc supputari diligenter jubentur, aut si quid superer it, absumi ab administrantibus præcipit. Mandatur inde, quomodo peregrinis aut debilibus in templo, ægrotantibus vero in domibus, sacramentum porrigendum sit; requirit autem, ut Ecclesia quædam, sive numerus hominum, adsit, qui simul cum ægroto communicent, permittit vero, ut etiam nobilibus, aliisque, qui longe a templis habitant, hyberno maxime vel alias incommodo anni tempore Sacramentum domi administretur. Privatam confessionem retineri jubet, non quidem ut maxime necessariam, sed ut perutilem, nec ut omnia peccata enumerentur, sed ea potissimum, quibus conscientia angitur, & ad quæ vitanda consilio pastoris opus est, utque hic occasionem instruendi auditores habeat. De disciplina hæc potissimum constituit: Ad correctionem eorum, qui enormiter & publice peccant, deligi vult ex cœtibus viros pios & religiosos, qui pastori admonenti adsistant. Contra pertinaces excommunicationem præscribit; vetat autem ea in causis civilibus & pecuniariis uti. De vocatione ministrorum Ecclesiæ agnoscit ante omnia, qua diligentia sibi, ut Episcopo, curandum sit, ut cœtibus pii & docti pastores præficiantur; idem Patronis in

An. 1543.

(16) *De cœna Domini.*

(17) *De Missa & communione.*

(18) *Exhortatio de Sacramento.*

(19) *Ordo Liturgiæ.*

(20) *De communione ægrotantium.*

(21) *De confessione.*

(22) *De disciplina Ecclesiæ.*

in nominatione observandum commendat. A præsentatis exigit vitæ beneactæ testimonium, veræ doctrinæ & huic reformationis libro conformem scientiam & constantem professionem; in ordinatione ritus adhiberi monet, qui libro huic non adversentur. Quæ de nuptiis constituuntur, pleraque cum Saxonicarum Ecclesiarum disciplina & formulis Lutheri conveniunt; promittitur etiam constitutio tribunalium in causis matrimonialibus, ad quæ fortassis quæstiones de gradibus & dispensationibus remittuntur; nulla enim harum in hac constitutione mentio fit. Sepulturæ fieri jubentur in locis ad eas constitutis, & sic, ut nihil omnino pro illis exigatur aut accipiatur; id enim scelus Simoniacum esse dicitur: Præscribuntur formulæ aliquæ concionum funebrium; hymni; *Media in vita &c.* atque Psalmus, *de profundis &c.* vel similes cantiones. Feriæ, præter *dies dominicas*, observari præcipiuntur *festa Natalis Christi, Paschale, & Pentecostes*, singula cum duabus diebus sequentibus, *Circumcisionis, Epiphaniæ, Conversionis Pauli, Purificationis Mariæ, Annunciationis; Dies Jovis & Veneris ante Pascha, Adscensionis, Johannis Baptistæ, Petri & Pauli, Visitationis Mariæ & Michaëlis*, in quo de Angelis doceri vult populum. In cæteris *Apostolorum* festis non nisi durante concione ferias indicit. Addit non pauca de sanctorum memoria pie celebranda, & superstitiones ac fabulas, ritusque indecentes in festis abolet. De jejuniis pastores instruit, quomodo populum docere & adhortari ad exercitia pœnitentiæ & pietatis maxime in quadragesima, absque illaqueatione conscientiæ, debeant & possint; ideo conciones quotidie, si populus ad comparitionem moveri possit, haberi vult. Jejunia quadragesimalia ad finem usque concionum & precum servari jubet, tribus in hebdomade diebus, nempe secunda, quarta & sexta, explosa inepta & perversa vesperarum retractione in tempus antemeridianum; hujus dispensationis & moderationis rationem inter alias reddit, ut simulatio, quam Deus abominatur, tanto magis evitetur, notum enim esse ait, quod paucis vera jejunandi ratio nota aut cordi sit, discrimen etiam ciborum in jejuniis tollit, & populum admoneri vult ad eam abstinentiam, qua spiritui caro magis subjiciatur. Manichæam vocat illam cibi distinctionem & jejunii simulationem, qua fiat, ut pro carnibus pisces & alii delicatiores cibi surrogentur. Tempora cultus publici non multo aliter definit, quam in Saxonia constituta erant. *Salve regina*, & similes hymnos abrogat. Supplicationes extraordinarias, necessitatis tempore indicendas, reservat, ordinarie ad eas unum in mense diem determinat, in quo populus ad pœnitentiam admoneatur, & Litania cantetur; ejus formulam exhibet, qualis apud Evangelicos (rejectis superstitiosis Sanctorum invocationibus) in usu erat, & adhuc est. De scholis, tam inferioribus, quam superiori, omnium, quas dicunt, Facultatum, *Bonnæ* instituenda, utilia plurima constituit, in quibus *Melanchthonis* methodus facile agnoscitur. De inspectione in ministros Ecclesiæ, tum doctrinæ, tum morum causa, subjungit leges. Matrimonium iis, qui extra conjugium sancte & inculpate vivere non possint, permittit. Visitatores & synodos constituit non unius generis, quasdam bis in anno, alias singulis biennis, & has quidem Coloniæ, (convenientibus ad eas solum Decanis, & si qui nominatim vocentur) habendas. Canonicorum summum sive metropolitanum collegium, ex Comitum familiis maximam partem constans, quoad dignitatem & antiqua privilegia & jura intactum relinquit, ita tamen, ut in doctrina & cultu hanc reformationem sequantur, cantusque suos expurgent & moderentur; dein, licet Latinam linguam in iis retineant, Germanicam tamen in templa, quæ parochiæ jus & usum habent, quoad cultum publicum introducant, denique duos in summo templo concionatores Evangelicos, & ad instructionem Canonicorum juniorum scholam constituant. Omitto, quæ Prælatis & Officialibus, quos vocant, Capituli singulatim præscribit. Ad eum modum etiam de secundariis collegiis Canonicorum disponit, & rigidæ legi, de primi anni residentia, temperamentum aliquod adhibendum esse, censet. Ex monasteriis dimittere se velle profitetur, qui sine scandalo in illis vivere non possunt, iisque subsidia quædam suppeditare ad aliquod honestum vitæ genus instituendum. Mendicantium monasteria tota piis usibus destinat, quædam etiam in scholas converti vult. Vestitum monachorum, varium & insolentem, ad honestum & humilem modum reduci imperat; ad præcavenda autem incommoda & jurgia familiarum, quæ ex dissolutione cœnobiorum metui poterant, multa providet. Hortatur religiosos, & maxime virgines, ut in cœlibatu persistant, si eum caste & pie servare possint; sin minus, ut nubant. Ad sublevandam egestatem nobilium familiarum & consilium & opem offert, parentesque & cognatos ad eandem curam invitat, & de hæreditatibus, aliisque ejusmodi quæstionibus, deliberationem cum Ordinibus ulteriorem reservat. Collegia virginum nobilium in statu suo relinquit, ita tamen, ut quoad sacra, reformationem hanc admittant. *Capputiatorum* & *Begardorum* sodalitia conservanda esse statuit, (salva tamen cultus reformatione) quia ægrotis curandis, & mortuis sepeliendis piam impendant operam, & manu victum quærant.

An. 1543. (29) *De Canonicis & monachis.*

ADDITIO.

(a) *Epicrisis de reformatione Coloniensi.*

Hæc est illa constitutio, qua *Hermannus* maximam Cleri sui majoris minorisque partem a se alienavit, & implacabile odium Pontificis in se concitavit, illique tandem succubuit. Interim, si quis has ejus leges & admonitiones cum iis conferat, quas anno 1536. *Gropperi* stylo edidit (ex quibus aliquot §. *L.* produximus.) neque deprehendat, Gropperum humanis inventis fucum illevisse, & *Hermannum* piam ex verbo divino simplicitatem in plerisque doctrinæ capitibus secutum esse, disciplinam etiam longe rectius constituisse, eum præjudiciis vehementer occupatum esse oportet. *Hermannus*, si ingenio & senecta debilis, neque ea sapientia & eruditione instructus fuit, ut ipse per se tanto negotio par esset, nec ad primum laudis fastigium eniti potuerit, secundum tamen gradum obtinuit, quod recta monentibus obsecutus est, & diœcesi suæ amplissimæ, idque desiderantibus subditis, edita hac constitutione, viam salutis aperuit. Quod vero successu caruit optimum consilium, patienter ferendum est. Rumpere servitutis suæ compedes noluit Clerus, & man-

An. 1543.

mansit aut restituta est, de qua *Melanchthon* questus fuit, populi superstitio, *Coloniæ* potissimum *Agrippinæ*, Clero, templis, sacellis, statuis, reliquiis, plus, quam ulla in Germania civitas, repletæ, ita ut *Romam Teutonicam* esse dicant. Quæ de Coloniensibus his rebus historia *Raynaldi*, Romæ nuper edita, tradit, pauca sunt; Recitatis pro more *Cochlæi* & *Surii* conviciis sua addit autor: (*n. 21. 30. hoc anno 1543.*) Producit tamen documenta, nempe exhortationes Pontificis ad Capitulum & Clerum, ut & ad Senatum Coloniensem *n. 22. 24.* item ad *Hermannum* ipsum d. 1. Jun. In hac eum objurgat, *quod ejectis orthodoxis, prædicatores Lutheranos receperit, Ordinibusque provinciæ, ut Lutheranismum reciperent, suaserit, sacrificium Missæ in die sancto Paschæ vernacula lingua celebrari fecerit, præmissa tantum generali confessione & absolutione, more Lutheranarum civitatum;* (quanquam in plerisque harum confessio privata non omittitur, sed generalem illam præcedit) addit; *illum hæc omnia nulla Cleri aut Senatus voluntate, aut populi tumultuantis, & Lutheranismum optantis, seditione, sed sua tantum fecisse.* Hoc Pontifici a Clero suggestum est, tacente, quod Ordines provinciæ reformationem plus semel flagitaverint, & populus in locis non paucis, ut Clerus ipse speciatim de oppido *Linzio* questus est, tumultum excitaverit. Observari etiam hæc Pontificis assertio potest contra *Maimburgium*, qui populos Germaniæ cœco impetu Principum jussa in religione sequi putat; cum hic contrarium fateri audiamus Pontificem. Præterea plus una vice in hoc commentario nostro notavimus, omnibus fere, qui religionis emendationem cupiebant & promovebant, calumniose objectum esse ex parte Romana, quod non animæ & conscientiæ causa, sed privatis stimulis reformationem moliti sint. Sic *Friderico* Saxoniæ Electori æmulatio in Brandenburgicos, & vindicta in Pontificem, beneficium, nescio quod, recusantem; *Luthero* invidia in Dominicanos; aliis alia ejus generis impinguntur, & *Varillasius* totum historiæ suæ *de hæresibus* opus, immanibus figmentis & erroribus repletum, ad hunc potissimum finem & scopum consarcinavit, ut neminem sincera mente religionem mutasse dicat. Eadem malignitate *Hermanno* Romæ tunc imputatum fuit, *quod superbia & invidia adversus Pontificem inflatus, non ob aliam causam, quam ob justitiam super certis beneficiis Ecclesiasticis contra eum administratam, Lutheranos ad se vocaverit.* Prodit hoc *Raynaldus* verbis Pontificiis, quæ epistolæ supra indicatæ inserta, sed lenitatis studio, ut ait, inducta fuisse narrat. Verum illa lenitudo in summum rigorem conversa postea est, quamprimum nempe inclinatis Protestantium in Germania rebus, tempestivum videbatur aperte agere. Itaque in literis ad Capitulum & Clerum Coloniensem d. 3. Jul. 1547. datis, Pontifex *Hermannum*, quem in epistola illa, licet jam tum Lutheranum, *Venerabilis* tamen *fratris* solito titulo compellaverat, jam *Satanæ & impietatis filium* nominat, & Archiepiscopatu indignum habet. Decretum Clerus promte secutus est, constantiam profitebantur Ordines, & res ad vim spectabat: Sed bonus senex Comitibus *Manderscheidio* & *Nuenario*, nobilitatis in Archiepiscopatu facile primis, ita suadentibus obtemperans, tum misericordia populi sui motus, & ne bello vastaretur provincia, ultro cessit, fidemque & jusjurandum omnibus remisit. Obiit post annos sex Idibus Augusti anno 1552. in patria sua, &, ut *Sleidanus* loquitur, qualem expetivit, finem habuit. Nam, aut Evangelii propagare doctrinam, & recte constituere suæ ditionis Ecclesias, aut privato sibi vivere licere, non semel optaverat: Et ab amicis aliquando monitus, *quantum invidiæ sibi conflaret ex ista religionis mutatione;* respondere solebat: *nihil esse, quod inopinanti posset accidere, seque jam pridem in omnem casum obfirmasse mentem.* De reformationis libello memorandum restat *Lutheri* judicium, ex literis *ad Pontanum* absque die: (*Reg. H. fol. 609. n. 195.*) In his quidem probat, quod nulla nominis sui in reformatione illa mentio facta sit, absterreri enim eo homines; sed valde improbat stylum in articulo de Sacramento (hunc enim solum festinanter inspexerat, & eo se premi ait, da drückt mich hart der Schuch) *Multa* (ait) *facit verba liber de usu & emolumento Sacramenti, sed de substantia mussitat, scilicet, ut sententia occultetur, quod faciunt heterodoxi;* (die Schwärmer) *contra hos ne verbum quidem profert Episcopus,* (Hermannus) *quod tamen omnino faciendum erat; cætera enim facile sequerentur. Diserte non docetur, an præsens sit verum corpus & sanguis, & ore sumatur. Anabaptistarum res prolixe recensentur, cum tamen errantes isti* (die Schwärmer) *articulos non minus malos habeant; itaque hic liber non solum illis tolerabilis, sed & consolationi erit, plus pro illorum, quam pro nostra doctrina faciens. Ideo nauseam mihi peperit, & valde stomachabundum me fecit,* (habe sein satt / und bin uber die massen unlustig drauff) *Si totum librum legere debeo, Princeps spatium temporis mihi indulgebit, dum componam fastidium; Præterea nimis longus & dicax est liber, & os Buceri garrulum* (Klappermaul) *satis in eo deprehendo.* Hæc tunc *Lutheri* de reformatione Coloniensi sententia erat, festinantis quidem, ut ipse scribit, & nova disceptatione cum Helvetiis acriter commissi, aut, ut multi judicant, ab *Amsdorffio* incitati. Verba libri in articulo de Sacramento, quæ Lutherum offenderunt, partim supra relata sunt, neque negari potest, omnia fere reliqua ita concepta esse, ut ex Helvetica quoque sententia probari potuerint. Sed, ut diximus, *Hermanno* ea placuit lenitas, qua etiam cavit, ne in toto scripto aliquid contra Pontificem nominatim spargeretur, & *Bucerus* cum Helvetiis collidi noluit. Non latuit *Melanchthonem* indignatio Lutheri, immo tantopere eum afflixit, ut de deserenda VVittenberga cogitaret, si Luthero invisus esset, aut quod futurum esse dicebatur, publice ab illo refutaretur. Sed pia Electoris Saxoniæ providentia & industria *Pontani* placatus est Lutherus, & Melanchthonis excusationem accepit, dicentis, se neque caput illud reformationis Coloniensis de sacra Cœna composuisse, neque *Bucerum* celasse, quæ in eo desideraret, hunc tamen admonitionis suæ nullam habuisse rationem. Sic ira Lutheri vehementius in *Bucerum* versa est: Attamen etiam hic illum tranquillavit, editis postea libellis, in quibus sententiam de Sacramento paulo clarius explicavit, & Lutherum contra *Cochlæum* strenue defendit, ut in historia anni 1545. referemus. Vid. *apologia VVolfio opposita fol. 319. 325. & sqq.* it. *Hospinian. in act. an. 1544.*

(b) *Quædam ex Raynaldo, de monitorio Pontificis ad Hermannum.*

(c) *Hermannus a Pontifice condemnatur, cedit Episcopatu & obit.*

(d) *Lutheri de libello judicium.*

An. 1543.

§. CIX.

Hoc etiam anno typis Wittenbergensibus publicata est, auspiciis *Johannis Friderici* Saxoniæ Electoris & *Philippi* Hassiæ Landgravii, *Ordinatio Ecclesiarum* in occupato Ducatu *Henrici* Brunsuicensis, sive Guelpherbytano, dialecto inferioris Saxoniæ, opera Theologorum, ut ex *Chytræo* percipimus, *Johannis Bugenhagii* Pomerani, *Antonii Corvini* & *Martini Gorlitii*, quam *Hortlederus Tom. I. Lib. IV cap. 44.* exhibet. In exordio statuitur, divinam & Christianam Ecclesiarum ordinationem duplicem esse, alteram immediatam, verbum nempe & mandatum Dei, quod nemo mutare possit; alteram divinam itidem, sed mediatam, per Prophetas, Apostolos, Episcopos & Pastores, (de Principum potestate hic non agitur, legitima tamen eorum in sacris autoritas non excluditur) quæ ad promovendam priorem illam seu immediatam tendit. Exemplum utriusque subjungitur ex *1. Cor. XI 23.* prioris, ex verbis institutionis sacræ Cœnæ, quæ Paulus dicit se *a Domino accepisse;* alterius, ex monitis Pauli *d. cap. XI. v. 21. 34.* de ritu & ordine in sacra cœna servando, & generatim ex *cap. XIV. 40. ut omnia honeste & secundum ordinem fiant*, & tales esse dicuntur traditiones & dispositiones, quas reservat Apostolus ad

(1) *Ordinatio Ecclesiastica in Ducatu Brunsuicensi Guelpherbytano.*

An. 1543. præsentiam suam *d. cap. XI. 34.* quanquam etiam proprie traditiones vocat, quas ex verbo Dei proposuit *d. cap. XI. v. 23. & tradidi vobis*; neque aliæ intelliguntur *2. Thess. II. 15.* Ad primum legum sacrarum genus & ordinem refertur catechisatio, quæ omnibus necessaria, Principibus etiam & nobilibus, ne rudes (Gravianen/ Grobianer) maneant, sicut in papismo, in quo boni, ut ajunt, erant Christiani, qui die Veneris carnium esu abstinebant, die Dominica aliam tunicam induebant, & sacerdotem ad altare stantem spectabant, nihil praeterea scientes. Negatur, expectandum esse Concilium, cum mors interea in ignorantia & incredulitate illa timenda sit; neque opus esse deliberatione, an verbum Dei audiendum & Evangelium admittendum sit: Negatur etiam, expectari tale Concilium posse, in quo Antichristianismus condemnetur, & puritas doctrinæ stabiliatur: Cognitione quoque, quam Papistæ urgebant, quodnam nempe & quale sit verum Evangelium, supersedendum esse, de hoc enim satis constare, & doceri veram fidem & vera bona opera; id quod pluribus verbis &, ad genium nationis, liberrimis & masculis deducitur, sed cum solida ex fundamento orthodoxiæ demonstratione, ut dolendum sit, quod libellus hic fere in oblivionem venerit, nec in plurium manibus versetur, cum veræ pietatis studium egregie commendet. Inter alia, postquam de imperfectione operum, etiam eorum, quæ pii faciunt, prolixe disseruissent autores, *Augustini* locum citant, quo *Legem a Christianis impleri* dicit *ex gratia*. Huic ne aliud ejusdem dictum, quod *justus etiam in bono opere peccet*, obstare videatur, ostendunt, quomodo ante omnia ex gratia Dei per fidem fiamus filii Dei, deinde ex virtute Spiritus sancti facta carnis mortificemus, *Rom. VIII. 13.* bonos fructus feramus, Deumque & proximum diligere incipiamus. ***Hoc obsequium*** (ajunt) ***licet per se imperfectum sit, Deus a filiis suis pro perfecto, sancto & puro accipit, ex gratia & favore erga nos, sicut parens probat, quæ liberi ex obedientia præstant. Sic implemus Dei præcepta, & facimus, quæ Deus mandavit, non perfectione operis nostri (quod impossibile est) sed ex gratia & favore Dei; is enim est pater noster, favetque nobis propter Christum, quem fide accepimus.*** vid. *d. l. fol. 1708. §. 6. vers.* Darna/wann wy ꝛc. Idem repetitur iisdem pene verbis paragrapho sequenti, *vers.* Darumme ꝛc. Pergunt inde ad secundum ordinationis caput, positivæ scilicet, neque ad hanc Concilio opus esse statuunt. ***Neque enim*** ajunt, ***Papa aut Cardinales huc venient, qui nobis scamna in templis affabre faciant, Locatos, quos vocabant, sive magistros in scholis ordinent, campanarum pulsus in monasteriis præscribant, aut salaria Pastoribus & Diaconis constituant, quid hæc & talia stulte expectamus?*** (Wat harren und narren wy?) ***Hos ipsi ordinabimus, ut cultum & verbum Dei servemus***; negant tamen, cuilibet licere leges hujusmodi condere; & fatuos esse Pastores, (sind Gecken) qui subinde nova moliantur adversus receptos ritus tolerabiles. Rejiciunt etiam frivolas, ridiculas & vanas Episcoporum leges v. g. de vestibus monachorum, multoque magis, quicquid de indulgentiis, peregrinationibus, fraternitatibus, discrimine ciborum, sacrificio

(3) *De catechismi necessitate.*

(4) *De studio professionis Christianæ.*

(4) *De jure constituendi ritus ecclesiasticos.*

Missæ, communione sub una, consecrationibus variis, aliisque superstitionibus antehac introductum fuerit, quæ omnia acriter taxantur & explodantur. His præmissis in tres partes constitutionem hanc Ecclesiasticam distribuunt; ***Prima*** doctrinam & cultum publicum, & quæ ad eum pertinent, præscribit; articulus de justificatione ex sola fide recte & aperte doceri jubetur, & simul operum studium urgeri; ex Sacramento Baptismi inutiles ceremoniæ removentur; abrogantur Missæ, quatenus sunt sacrificia pro vivis aut mortuis; præcipitur communio integra; & ut ad preces, ad patientiam, ad legitimum matrimonii usum, etiam Clero concedendum, & ad obsequium erga Magistratum, & status œconomici piam observationem, populus admoneatur. Commendantur Pastoribus ***S. Biblia, Postillæ & Commentarii in Paulum Lutheri, Apologia Philippi,*** & tractatus ***D. Pomerani in Ps. XXIX.*** de baptismo infantum in casu necessitatis, ***libellus visitationis Saxonicæ,*** & alia scripta non inutilia. Salaria ministris Ecclesiarum constituuntur, ampliora quam olim, quia omnia ære comparare cogantur, neque quidquam pro officii sui administratione exigere a populo debeant, licet accipere ab opulentibus possint sponte oblata. (Will en iemand/ de yd vermag/ williglich wat schencken/ warumme scholden sie dat nit nehmen?) Pastores & ministri Ecclesiæ a Senatu & præfectis ærarii ecclesiastici (den Kastenherren) aut a Patronis, ad quos id pertinet, eligi & Superintendenti ad examen & ordinationem præsentari, Scholarum magistri a concionatoribus, cum consilio & consensu Senatus, constitui jubentur. Minutiora alia præterimus. Quinque pastoribus ministerii in Ducatu inspectio, distributis inter eos præfecturis & oppidis, committitur, ***Guelpherbytano, Helmstadiensi, Bocclumensi, Gandersbemensi*** & ***Alfeldensi,*** ita etiam, ut pastores officio suo male fungentes loco movere possint, item de causis matrimonialibus judicare, salva tamen Consistorii, cujus institutio promittitur, superiori jurisdictione. Inseritur hic constitutio ***de Ecclesiis collegiatis*** in urbe ***Brunsuiga,*** quomodo nempe Canonici cultum publicum reformare, scholas instituere, deinde consistorialem jurisdictionem in totum Ducatum exercere debeant; sed annotatio additur, illam nondum executioni mandatam esse, quia collegiatæ illæ Ecclesiæ plures haberent ex Ducibus Brunsuicensibus & Luneburgensibus Dominos: testantur tamen autores styli, quod istam ordinationem de Canonicis, consilio Doctorum conscriptam, ideo publicent, ut appareat, quod Principes neque in hac neque aliis suis provinciis bona Canonicorum appetere, sed quod conservare potius collegia talia velint ab antiquis abusibus & superstitionibus purgata, & ad meliorem usum translata; quanquam se timere dicant, ne bona illa male ut plurimum quæsita, & pessime impensa, mutationem tandem subeant. Reprehendunt tamen Principes, qui Canonicatus famulis suis donabant. Posthæc cantus Latinus a scholaribus quotidie peragendus præscribitur, cum recitatione Catechismi Latini: linguam enim hanc in cultu publico aliquatenus retinendam esse statuitur, & inficeti (Gravianen) & fanatici vocantur, qui eam, & bonarum artium studia, ex Ec-

An. 1543.

(5) *De quibusdam fidei articulis.*

(6) *De salariis pastorum.*

(7) *De Superintendentibus.*

(8) *De Canonicis.*

(9) *De usu Latinæ linguæ in sacris.*

An. 1543. clesia eliminare voluerint, mendaci & obtuso enthusiasmo. (ut erlogen unde stumpen Geisterery) Acrior censura *Munzeri* & sequacium subjungitur §. 43. Deinde ritus dominicæ diei proponuntur; retinentur vestimenta missalia, & lumina, non ut necessaria, sed ut indifferentia, ideo diebus non feriatis, & in domibus, quando Sacramentum ægrotis datur, omittenda, reservata vero omnimoda abrogatione, si aliæ provinciæ Evangelicæ eo progredi voluerint; interim nec pastores impedire volunt, quo minus ritus quosdam mutent circa stolas & lumina. (Dar fragen wy nichts na / es gilt uns glyke vele / dat schal en fry sin / ut Christlicken Fryhet) Adjecta est narratiuncula de quodam Pastore evangelico, qui nasuto alicui interroganti, cur cereis in Sacra Cœna uteretur? an videre absque illis non posset? responderit: fieri id in memoriam noctis, in qua Christus, accensis in cœnaculo luminibus, cœnam instituerit. Exhortationum formulæ ante communionem, (quam *Missam* vocant, sed absque communicantibus celebrari interdicunt) prælegendæ, ut & ipsa consecratio ex verbis institutionis, cæteraque ex ritu fere Saxonico præscribuntur. De concionibus in hebdomade bis aut ter habendis, prout numerus concionatorum id ferre possit, utilia monstrantur, certæ etiam materiæ commendantur, statis in anno diebus populo proponendæ v. g. die *Stephani*, de eleemosynis, sequenti festo *Johannis Evangelistæ*, de vocatione cujusque Christiani speciali. Dominica *Esto mihi*, de Baptismo: Dominica *prima post Pascha*, de clavibus Ecclesiæ. Die *viridium*, de cœna Domini, & a meridie de lotione pedum & agone Christi in horto. Die *passionis Christi* recitari jubetur historia de passione, harmonice ex quatuor Evangelistis a *D. Pomemno* conscripta, accedente brevi explicatione. Festo *Johannis Baptistæ*, contra Anabaptistas de cultus publici necessitate tractari mandatur, prælegi etiam tota ejus historia. Die *Michaelis*, de Angelis prædicari, & gratiarum actio pro frugibus anni fieri, cantato hymno, *Te Deum laudamus*, Germanice ex versione D. Lutheri. Festa indicantur *Natalium, Paschæ, Pentecostes*, tribus singula diebus celebranda, dein *Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, Annunciationis, Visitationis Mariæ, Ascensionis, Johannis Baptistæ, Michaelis, Mariæ Magdalenæ*. Confessio cum enumeratione peccatorum omnium acriter rejicitur, & falso allegari *Augustinus* dicitur can. *quem pœnitet dist. I.* & *can. consideret dist. V.* quia librum illum non scripserit Augustinus, nec si scripsisset obligare Christianos ad onus illud potuisset, commendatur tamen confessio particularis, ita ut peccata, de quibus conscientia angitur, & propter quæ consilium pastoris utile est, non taceantur, in genere autem quilibet se pro peccatore agnoscat. In formula absolutionis, quæ præscribitur, Sacerdos (manum capiti confitentis imponens) non dicit: *annuncio tibi*, ut in Coloniensi reformatione legimus; sed *absolvo te*. De imaginibus & statuis præcipitur, ut Magistratus eas, ad quas preces fiunt, aut lumina accenduntur, ex templis auferri curet: retineri concedunt picturas, quæ sacras historias repræsentant, quanquam rectius ex Bibliis, quæ jam etiam plebeji legere possint, percipiantur; sed improbantur statuæ Apostolorum ex truncis ligneis, quæ idolis paganis haud absimiles esse dicuntur. Excommunicatio eorum, qui doctrina & moribus pervicaciter peccant, illa saltem probatur, quæ fit remotione a Sacramentis & cœtus Christiani communione. *Matth. XVIII. 17.* Major vero illa, quam Pontifex & Episcopi facere consueverant, ad Magistratus remittitur: Interim ab auditu verbi divini & negotiorum civilium communione excommunicatus non excluditur. Sepulturæ ritus ita describitur, ut funus deducatur adhibitis scholaribus, & cantu hymnorum, qui recensentur, *Psalmorum* nempe *LI. CXXX.* & *Media in vita &c.* Germanice, Symboli Apostolici & cantici Simeonis rhythmis Germanicis; unde videre licet, exiguum cantionum numerum tunc fuisse, nondum exculta & correcta, ut postea factum est, poesi patria, consueta pro sepultura munuscula recipi non prohibentur. De obstetricibus, gravidis, baptismo infantum, a fœmina etiam, urgente necessitate, peragendo, & de solatio parentum, si vivi non nascantur partus, multa monentur, quæ ex doctrina *Lutheri* & *Bugenhagii* alibi relata fuerunt. Sequuntur ritus ordinationis, ex formula Ecclesiarum Saxonicarum. Præterea ad signum campanæ, hora undecima circa meridiem datum, preces pro pace & contra Papam & Turcam commendantur. Libri ad usum ministerii, & inprimis *Biblia Wittenbergensia*, ut *anno 1542.* correcta prodierunt, coëmi a curatoribus Ecclesiarum jubentur. Adversus fornicationes & adulteria severa fit admonitio, cum vehementi invectiva in Clerum, qui vitæ impuritate totum orbem contaminasse dicitur. Parte *secunda* constitutionis, de scholis agunt, tam puerorum, quam puellarum, publicis, privatas enim (die Winckelschulen) prohibent, & ea fere præcipiunt, quæ in Saxonia jam erant introducta. Pars *tertia* pertinet ad curam ærarii Ecclesiastici, & hospitalium, quæ vocant, habetque utilissima monita, quæ, aliunde nota, recenseri hic non est opus. Licet vero, ut *Chytræus Lib. XV.* & ex eo *Hortlederus* refert, hæc ordinatio post quinquennium, restituto in Ducatum *Henrico*, abrogata fuerit, laude tamen sua privanda non est, & providentia gratiaque Dei singulari accidit, ut *Henrici* filius, *Julius*, religionem Evangelicam post parentis mortem, in Ducatu suo præclaris legibus denuo stabiliverit. vid. *Chytræus Lib. XXII. in princip.* Summe quoque memorabilis est constitutio, eodem anno in Ducatu Brunsuicensi publicata, & meretur, quem gerit titulum: (apud *Hortled. d. l. c. 45.*) *Pia & vere Catholica, & consentiens veteri Ecclesiæ ordinatio ceremoniarum pro Canonicis & monachis, qui reliqui sunt in terra Brunsuicensi. Nam quemadmodum ex bonis illis Ecclesiasticis, non superstitiosi & blasphemi monachi, neque otiosi Canonici, ut nunc nihil aliud dicamus, posthac alantur, sed constituantur ministeria publica Ecclesiarum, quibus indigemus, & curentur pro emeritis ministris, pro studentibus & aliis pauperibus, superius in hac nostra ordinatione exemplum (si fieri posit) propositum est.* Neque tamen ex hac referam cantus & cultus leges, licet pro temporis & status illius ratione satis pie &

Marginalia: (10) *De ceremoniis quibusdam.* (11) *De concionibus.* (12) *De confessione & absolutione.* (13) *De imaginibus.* An. 1543. (14) *De excommunicatione.* (15) *De sepultura.* (16) *De baptismo infantum ægrotantium, & alia quædam.* (17) *Reliquæ ordinationis partes; & ut illa abrogata fuerit.* (18) *Specialis constitutio de canonicis & monachis.*

An. 1543. & prudenter ordinatas, quæ legi possunt *fol. 1742. & seqq.* Sed ex multis alia quædam annotabimus, ob pietatem & soliditatem memoratu dignissima. Admonentur ante omnia Canonici & monachi, ut sic instituant animum ex verbo Dei & fide Christiana, ut certo sciant, solum Christum coram Deo Patre suam esse justitiam, & vitam æternam, murmura vero illa horarum canonicarum & longas simulatasque preces esse fatigationes corporis, & vexationes conscientiarum. Deinde vetantur publice canere, quæ non sint desumta ex sacra Scriptura Veteris & Novi Testamenti, ne sub specie nominis Dei blasphement contra secundum præceptum: *Non assumes nomen Domini, Dei tui, in vanum.* Additur post alia quædam: *Idcirco abstinebunt a cantu & collectis, quæ sapiunt invocationem Sanctorum & justitias humanas, quasi nostris operibus mereamur remissionem peccatorum, & vitam æternam, quæ est impietas & abnegatio misericordiæ Dei Patris & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, blasphemia in Evangelium gloriæ Dei, & turpis ignorantia Baptismi nostri. Gloriamur, nos esse fideles, non Turcas, sed ubi est fides nostra? Fidere nostris justitiis, non est fidere sola Dei bonitate in Christo, sed est proprie habere Deos alienos contra primum præceptum, ut, simus athei & impii, sine Deo in hoc mundo, omnia tentantes, quasi varios Dei cultus, sine verbo Dei, sine mandato Dei, sine fide, sine fiducia in Deum, breviter, sine Deo. Annon hic merito obstitit Ecclesia sancta, sponsa Christi, cum Paulo dicens, Ergo scilicet Christus gratis mortuus est? Et rursus: Ignorantiam Dei quidam habent. Item; Volentes, ut Judæi, suam statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti. Justitia autem Dei (id est, quando justificamur a Deo) est per fidem sanguinis Christi.* Proponunt e contrario exemplum blasphemiæ ex *collectis* sive precationum formulis, quæ in cantu canonico festis diebus fieri solebant, v. g. *Deus, qui nos in hodierna die lætificas, concede propitius, ut ejus Sancti* (cujus memoria recolebatur) *meritis & intercessione a peccatis omnibus absolvamur, & vitam consequamur æternam. Hoc scilicet est* (subjungitur) *petere Patrem in nomine Jesu, quemadmodum ipse jussit. Hæc scilicet est oratio fidei, quemadmodum oratio debet esse fidei, nisi Turca sis, & tamen post istas blasphemias audemus addere: per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hanc formulam exempli gratia allegant ex *collectis*, in festis S. Georgii & Blasii, quas ex cantionalibus Canonicorum sine dubio exscripserunt; nam in *Breviario Romano*, quod habeo secundum Tridentini Concilii decreta restitutum, & *anno 1675. Antverpiæ* cum privilegio excusum, in illis festis aliæ reperiuntur. Sed eodem sensu plurimæ extant, v. g. *in vigilia Andreæ Apostoli*, d. 29. Novemb. *Quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apostolus, cujus prævenimus festivitatem, tuum pro nobis imploret auxilium; ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur.* In Festo *Bibianæ* d. 2. Decemb. *Mentes nostras ejus intercessione tibi charitate conjunge, ut amotis periculis, præmia consequamur æterna.* In Festo *Nicolai*, d. 6. Decemb. *ut ejus meritis & precibus a gehennæ incendiis liberemur.* In Festo *Damasi*, d. 11. Decemb. *Intercessione ejus placatus indulgentiam nobis tribue & pacem.* In Festo *cathedræ Petri Romanæ*, d. 18. Januar. aliisque ei dicatis: *Ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur.* In Festo *Francisci Salesii* (Episcopi Genevensis, quem 1622. mortuum *Alexander VII.* in sanctos retulit) d. 29. Januar. *Ut suffragantibus meritis ejus, æterna gaudia consequamur.* Item in Festo *Petri Nolasci*, itidem ab *Alexandro VII.* canonizati, d. 31. Januarii. *Ipsius intercessione concede a peccati servitute solutis, in cœlesti patria perpetua libertate gaudere.* In Festo *Gregorii Papæ*, d. 12. Mart. *Ut, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur.* In Festo *Leonis Papæ*, d. 11. April. *Ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis.* Cætera præterimus, cum ex his constet, nihil, in hac parte, mutatum esse a Romana Ecclesia, ex cultu Sanctorum.

(19) Admonitio de fide Christiana & vero cultu Dei, & cantionibus superstitiosis & avitibus.

(20) Improbantur collectæ de sanctis.

(21) Alia talium exempla ex Breviario Romano.

Sed ut ad constitutionem, de qua agere cœpimus, revertamur; cum ostendissent autores, peccari precibus illis contra articulum de remissione peccatorum, per solum Christum nobis speranda, hæc addunt: *Hic unus articulus, qui est remissio peccatorum per Christum, si vere creditur, confundit & subvertit totum Papatum, & omnem monachatum, ut nunc est, & omnes justitias humanas virorum & mulierum, id quod est regnum Antichristi, tantum abest, ut hoc articulo credito, non possit fidelis homo, etiamsi sutor sit, non dijudicare cantus & verba fidei adversa, modo linguam intelligat, qua canitur. Quando autem Pharisaicis opinionibus occupati multi dijudicare non possunt aut non volunt, certissimum signum est, eos defecisse a fide, & baptismo Christi, sub nomine tantum fidei Christianæ.* Allegatis postea dictis aliquibus, & speciatim Act. IV. 12. *Nec enim aliud est, &c.* subjungunt: *Audis exclusivam illam particulam, de qua nunc ineptuli disputant, num sola fide justificemur? ignorantes, quid vel vocabulum, fides, significet, ne dubites, eos a fide defecisse. Siquidem fides, sive fiducia illa Christiana apprehendit Christum in conscientia coram Deo, & in Christo Patrem, & aliam justitiam coram Deo non novit, nisi Christum.* Quæ ad confirmandam illam veritatem, & repellenda omnia hominum merita *d. l. fol. 1739.* plurima subjiciunt, egregia & sanctissima sunt. Post illa sic scribunt: *Quis, quæso, fidelium posthac audire poterit hanc blasphemam invocationem, non tam ad Beatam virginem Mariam, quam contra eam factam; Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, cuncta bona posce.* Et post alia, quibus debitam quidem venerationem B. virginis asseverant, sic loquuntur: *Hæc sunt maxima, ob quæ beatam eam dicimus, sed insanitas & infidelitas facit ex ea Deum, quia invocat eam, postulat ab ea remissionem peccatorum, illuminationem mentis, salutem animæ & corporis. Mirum, quod in hanc horrendam cæcitatem licuerit nobis pervenire; sed ita fieri necessarium est, amisso lumine Christo, ubi homines defecerunt a fide.* Impudentis mendacii, quo sanctos gravari non honorari dicunt, exempla proponunt, v. g. de *Nicolao*, de quo cantabant: *Beatus Nicolaus, jam triumpho potitus, vovit suis famulis cœlestia præbere commoda, qui toto corde poscunt ejus petitiones.*

An. 1543.

(22) De remissione peccatorum, & justificatione per solam fidem.

(23) Notatur cultus Marianus.

(24) Item S. Nicolai.

An. 1543. *tiones.* Quos quæso, ajunt, famulos habet *Nicolaus, Augustinus, Franciscus?* Ubi & quando *Nicolaus* vovit suis famulis præbere cœlestia commoda? mendacium est &c. Explodunt, quod pro defensione illius invocationis ex *Psalmo ult. vers. 1.* allegare solebant; *Laudate Dominum in sanctis ejus;* Præterquam enim, quod vocabulum *sanctis* neutrius generis esse videatur, non magis inde sequi dicunt, quod invocandi sint sancti, quam psalterium, cythara, tympanum &c. de quibus David eodem loco dicit; *laudate eum in Psalterio & cithara.* Falsitatem etiam Legendarum, quas vocant, de sanctis ostendunt, inprimis narrationem de *Matthæo* Apostolo, quam referunt, & quæ hodie quoque in festo ejus, d. 21. Sept. recitatur in *Breviario Romano*, his verbis: *Evangelium Jesu Christi Hebraice scripsit: mox in Æthiopiam profectus, Evangelium prædicavit, ac prædicationem multis miraculis confirmavit. Illo igitur inprimis miraculo, quo Regis filiam a mortuis excitavit, Regem patrem & uxorem ejus, cum universa provincia, ad Christi fidem convertit. Rege mortuo, Hirtacus ejus successor, cum Iphigeniam, regiam filiam, vellet sibi dari in matrimonium, Matthæum, cujus opera illa virginitatem Deo voverat, & in sancto proposito perseverabat, ad altare mysterium celebrantem jussit occidi.* Notant autem, neque templa, neque altaria tunc habuisse Christianos, neque Missas celebratas, neque virgines ad castitatem voto sese obstrinxisse. Adducunt insignem locum *S. Cypriani* martyris, *Lib. I. ep. 11.* qui seculo tertio vixit, & cum multa in laudem virginum, &, ut eas ad perseverantiam in castimonia excitaret, diserte scribit: *Si perseverare nolunt aut non possunt, melius est, ut nubant, quam in ignem deliciis suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant.* Obiter hac occasione observant, *Gratianum*, decretorum compilatorem, diligenter cavisse, ne tales patrum sententias referret, cum tamen erroneis eorum dictis sæpe abutatur, ut conscientiæ laqueos nectat. Stultum itaque vocant legendæ autorem, qui scribere ausus fuerit, *Iphigeniam illam ducentis virginibus monialibus præfuisse, publice in Ecclesia a S. Matthæo benedictis, unde & in Pastorali suo orationem ad hunc habeant satis ineptam, quam in consecratione virginum legant, dicantque, esse Matthæi Apostoli.*

(25) *Falsa de Matthæo Apostolo narratio.*

(26) *Speciatim de voto virginum.*

Ab eodem Legendarum autore, seu, ut vocant, impostore depravatum esse locum *Ambrosii* ostendunt de *Laurentio* martyre. Cum enim ex relatione *Ambrosii* percipiatur, quod *Sixtus* Papa dicatur *Laurentio* Diacono consecrationem corporis & sanguinis dominici commisisse, veritum esse dicunt autorem, ne contra sacerdotum characterem aliquid ex illis verbis erueretur, & Diaconi Presbyteris in consecratione corporis Dominici æquipararentur, ideo pro vocabulo *consecrationem* substituisse *dispensationem.* Eundem reprehendunt, quod de *Bartholomæo* Apostolo non solum nihil certi tradiderit, sed & ineptissime varias relationes conciliaverit, scribens: *Alii dicunt eum crucifixum, alii excoriatum, alii tantum decollatum; & potest dici, quod ista omnia sint vera, quod primo fuerit cæsus, inde crucifixus, postea de cruce depositus & excoriatus, postremo vero decollatus.* Sed *Breviarium Romanum* hæc interpretamenta aversatur, & excoriationem solam asserit. *Hæ næniæ*, ajunt, *olim in Ecclesia non legebantur, sed prohibebantur, nunc autem non solum leguntur, sed etiam omnes conciones occupant:* Citant *Gelasium* Papam, *dist. 15. c. sacrosancta &c.* longo ordine historias ejusmodi apocryphas legi vetantem, inter alias librum, qui dicitur *transitus S. Mariæ. Has tamen nugas*, pergunt, *tantum non adoravimus.* Hinc nec hodie cessant assumtionem B. Virginis d. 15. August. recolere, vid. *Breviar. Rom.* quod profecto satis paradoxum est, si ex relatione aut falsa aut minime certa tantas solennitates ordinent. Fatentur enim, ut nuper *Richardus* ille, Abbas, qui præjudicia *D. Jurii* refutavit, ingenue fecit, pro articulo fidei venditari assumtionem illam non posse, licet sine peccato credi putent. vid. *Act. Erud. Lips. anno 1690. p. 613.* An. 1543.

(27) *S. Laurentii historia.*

(28) *Item de S. Bartholomæo.*

(29) *De assumtione B. Virginis.*

ADDITIO.

Cum ordinationes illas Brunsuicensis Ducatus *D. Pomerano* debeamus, ejusque viri scripta magnum pietatis zelum candoremque insignem spirent, nec solida careant eruditione, operæ pretium esse duxi, etiam illam constitutionem enarrare, quam Ecclesiis urbis *Brunsuigæ* anno 1528. præscripsit, & adscripto suo nomine, lingua Saxonica edidit, *VVitenbergæ* dicto anno, in forma octava plagulis XVII. excusam. Referenda quidem fuisset in anno 1528. quo edita est, sed cum eam non nisi post absolutam a typographis illius anni historiam nactus sim, transpositionem hanc lectores boni consulent. Titulum habet: Der erbarn Statt Brunswig Christlike Ordeninge / to Dienste dem hilgen Evangelio / Christlicker Lere / Tucht / Frede unde Eynicheit; ock darunter vele Christlicke Lere vor de Borger / durch Joh. Bugenhagen Pomern beschreven. id est, *Honestæ civitatis Brunsuicensis ordinatio Christiana de ministerio Evangelii, Christiana charitate, disciplina, pace & concordia, cum multis monitis Christianis ad cives, conscripta a Johann. Bugenhagio Pomerano.* Notari hic ante omnia, immo laudari meretur modestia & pia moderatio, qua fiebat, ut constitutiones illæ, sicut earum, quas recensemus, exemplis probatur, non tam stylo imperantium, quam monentium & docentium compositæ fuerunt, ita, ut non solum ministris Ecclesiarum & scholarum, sed & cuilibet ex populo in fide & pietate profectum afferrent, & sic avide legerentur. Hunc stylum & morem servari, ex utilitate Ecclesiæ Evangelicæ fuisset. Sed ad libellum ipsum accedamus. In *præfatione* summam constitutionis indicat autor, acturum se dicens, de scholis & ministerio Ecclesiæ, salariis ministrorum, & sustentatione pauperum; hæc autem necessario bonis legibus ordinanda esse censet, & rejicit eos, quibus displicebant novæ constitutiones. Ceremonias, quæ præscribuntur, liberas esse vult, veteres tamen, quæcunque salva conscientia retineri potuerint, a se absque mutatione relictas esse testatur; paratum etiam dicit Senatum, si conventio de uniformitate rituum in Concilio fieri posit, ut cum cæteris consentientia recipiat, sed nequaquam mutaturum esse doctrinam & Sacramenta, quippe quæ in Concilio S. S. Trinitatis dudum constituta sint, & promulgata per Christum, itemque voce atque scriptis Apostolorum. Constare igitur ex illis sufficienter, quod prædicandum sit Evangelium miseris & contritis peccatoribus, & baptizandum aqua, & distribuendum atque accipiendum Sacramentum corporis & sanguinis Domini. *Contra hac*, ait, *neque sancti, neque profani, neque diaboli, neque Angeli (ut Paulus testatur) quidquam aliud statuent, sed servandum est, quod a Deo jam statutum fuit, cui hoc non placet, manet impius, & non Christianus. Hoc pronuncio de ordinatione hac, ad quam contribuendam vocatus & jussus consilium dedi & operam.* Excusat prolixitatem, quia rationem reddere voluerit eorum, quæ

(a) *Ordinatio Ecclesiastica in urbe Brunsuicensi, autore D. Pomerano.*

(b) *Quædam ex præfatione.*

An. 1543. quæ præscribuntur, ut erroribus occurratur, & ex lectione libelli cives recordentur, quæ concionatus esset. De dogmatibus responsurum se esse coram Deo profitetur, certum, quod portæ inferni prævalere adversus ea non possint; leges autem positivas (die Ordnung) esse Senatus populique Brunsuicensis. Laudat postea insignem Magistratus & honestissimorum civium pietatem & studium in procuranda Evangelica religione, & in condendis his legibus, quas etiam tueri contra inquietos & refractarios velint. Sequitur *caput primum* de Baptismo, in quo pædobaptismum egregie defendit, ut quidem tunc adversus furorem Anabaptisticum, qui in urbem irrepere potuisset, summe opus erat. Ex dicto autem Christi *Marc. X. 14. talium est regnum Dei*, argumentatur, quia regnum Dei non pertineat nisi ad credentes, ideo & parvulos credentes esse, & pro talibus a Deo haberi & suscipi, licet intelligere nequeamus, quomodo infantes, usum rationis non habentes, credant; *nam etiam in adultis* (ait) *ratio non credit, sed fides, quæ est donum Spiritus Sancti.* Allegat dictum Petri *Act. II. 39. Vobis est repromissio & filiis vestris.* Ideoque minime dubitat, Apostolis allatos esse infantes, & simul cum adultis baptizatos, firmiter itaque tenendum servandumque esse baptismum infantum, & moriendum potius, quam ut eripi eum nobis patiamur: Provocat ad scripta Norimbergensia & VVittenbergensia, quibus objectiones Anabaptistarum satis superque refutatæ sint. Substantialia postea baptismi indicat, rejecto chrismate, ut & lingua Latina, pro qua popularem adhiberi vult, sicut Apostoli ideo dona linguarum acceperint, ut ab omnibus gentibus intelligerentur. Optat, ut omnes adulti, cum infantes baptizantur, accurrerent, ut audirent, quid ageretur, suique baptismi recordarentur. Post hæc obstetricum instructionem, & solatia gravidis & abortum facientibus, aut mortuos parientibus, proponit; vetat rebaptizari a fœminis baptizatos, aut exorcismum his adhiberi. *Secundo* de scholis agit, & ante omnia officii sui parentes admonet, ut liberos, quos Christo in baptismo obtulerint, instrui in ejus fide curent; id vero negligentes summæ arguit impietatis; corruptos enim semel mala educatione liberos, nimis sero plerunque aut nunquam ad pietatem redire. Remedia in papatu per satisfactiones aut erogationes ad sacras structuras, fraternitates, vitam monasticam & similia, vanissime quæsita fuisse ostendit. Vera autem & salutaria esse, quibus, ex pia informatione de fœdere in baptismo cum Deo inito, ejusque observatione, adulti ad fidem & charitatem promoveantur, & hunc esse scholarum publice institutarum scopum; nihil vero turpius & indignius esse nomine Christiano, quam si instructio liberorum non recte curetur a Christianis, quos tamen Judæorum exemplum excitare deberet, quibus in Veteri Testamento severe præceptum fuit, ut liberos in lege informarent. Quæ de numero & magistris scholarum eorumque laboribus & salariis operose disserit, & rationibus & exhortationibus munit, recenseri hic non possunt, sunt tamen utilissima; inprimis observari & curari jubet, ut Rector scholæ sive Magister sit vir doctus, sub tali enim intra triennium plus profici posse, quam viginti annis sub indoctis; commendat methodum Saxonicarum scholarum ex *libello visitatorio*, eodem anno 1528. edito, cujus autorem expresse profitetur *Melanchthonem* esse, licet nomen suum non præscripserit. Quam vero alibi indicavi, insignis diversitas in victu omniumque rerum pretio, si cum nostris temporibus comparetur, etiam hic notari potest. Quinquaginta enim floreni annui, quos, ut non spernendam summam, pro salario, Rectori assignat; hodie infimis collaboratoribus, pro majori rerum caritate, vix sufficiunt. Constituit quidem didactra sive mercedes pro pueris singulis solvendas, quarum dimidiam partem Rector accipiebat; sed & illæ exiguæ erant, opulentiores enim toto anno non nisi octo grossulos Marianos, tenuiores, nummos, quos a Matthia cognominabant, duodecim præstabant. Salutare monitum est, quo scholæ Magistrum instruit, ut adolescentes sedecim annorum, in quibus ingenium deprehendat, ad aliud honestum vitæ genus adhortetur; ita tamen, ut repetant domi & teneant, quæ didicerunt, quæ quidem tunc maxima ex parte catechetica erant, & integri Scripturæ, Novi Testamenti potissimum, libri explicabantur. *Qui vero*, inquit, *ea dona habent, ut alios aliquando docere possint, & ecclesiasticis aut civilibus muneribus fungi, hos Deo offerimus, & talibus opus habemus; unus enim aliquando melior est, quam decies mille alii.* Sic autem offerri tales Deo dicit, si ab opificiis & artibus vulgaribus abstineant, & in literis quousque opus est, progrediantur. *Hi*, ait, *juvandi etiam sunt stipendiis, iisque acceptis obligandi, ut aliquando operam suam Reipublicæ præstent. Nonne hoc melius est, quam cum liberos nostros sacerdotes & monachos fecimus? si non erunt ditissimi, erunt tamen utilissimi, mediocres quoque adipiscentur facultates, neque Deus eorum obliviscetur, quin honesta iis det sustentationis media.* *Tertio* de concionatoribus & ministris Ecclesiæ tractans, præclare disserit de eorum officio, emolumenta aut damna ostendens, quæ a bonis vel malis ministris expectanda sint. Bonos precibus a Deo posci debere monet, sic, etsi occultus quidam proditor & falsus frater, (apertum enim ferri non debere) veluti Judas, sit inter Apostolos, fore tamen, ut nocere Evangelio non possit. *Superintendentis* officium utilissimum esse censet, ad concordiam in concione verbi divini servandam, & præcavendos errores contra doctrinam de gratuita justificatione, & institutionem Sacramentorum, qui hos foveant & propagent, in urbe tolerari non posse, sicut nec eos, qui contra Magistratum concionentur, aut doceant, a Christianis geri Magistratum non posse. *Senatores nostri*, ait, *ratione fidei fratres nostri sunt coram Deo, sed propter officium suum Domini nostri sunt, qui gladium a Deo mandatum contra malos stringere possunt & debent.* Id pluribus persequitur, & allegat *libellum visitationis* Saxonicæ, & *Lutheri* tractatum de Magistratu. Ad Superintendentis quoque officium spectare dicit prospicere, ut elenchus peccatorum a concionatoribus recte & intra modum fiat. *Christus*, ait, *Judæ proditionem exprobravit, sed convitium non intulit.* A Superintendente etiam lectiones Latinas in usum eruditorum haberi vult, ideo doctum in sacris literis virum requirit, qui libenter audiatur, & adversarios refutare possit, qui aliquando ex ipsis Collegis oriantur. *Adjutorem* illi adjungi jubet, cum quo, & adhibitis reliquis ministris Ecclesiæ, & Rectoribus scholarum, cognoscat de causis fidei, & examinet ministerii Candidatos; eorundem consilio ordine movendos esse, qui id merentur, sed accedente autoritate Senatus & Curatorum Ecclesiæ, (der Kastenherren,) Numerum ministrorum nimium esse non vult, ne discordias pariat, & salariorum media consumat; non pauciores tamen quam quindecim in parochiis urbanis constitui debere existimat; *Superintendenti* vero & *Adjuncto* ejus nullam attribuit parochiam, sed concionari eos jubet per vices in templis, ut tanto diligentius unitas doctrinæ conservetur. Salaria iis non ad necessitatem saltem, sed etiam ad honestatem & commoditatem vitæ præbenda esse statuit; *hunc*, ait, *esse duplicem honorem a Paulo 1. Tim. V. 17. præceptum. Quisquis* (dicit) *eos hoc non putat dignos esse, is neque dignus est, ut verbum Dei ex illis audiat;* Tenuitate etiam salarii matrimonia impediri dicit, & sic futurum esse, ut cœlibatus, sicut olim prohibitione, ita nunc avaritia denuo, & majori cum culpa, introducatur, & pudendum esse, si ad alendos in una parochia urbana duos viros, aut in pago unum, media desint, cum tantus Cleri numerus antehac sustentatus fuerit; neque tamen id agi, ut divites fiant ministri, sed tantum, ut honestum victum habeant. Prospici etiam jubet senescentibus & ægrotis, ut & viduis & orphanis eorum, si egeant, hoc enim sine impietate & turpitudine omitti non posse. Sed qui cum nostri temporis rationibus componet definitionem annuorum salariorum, risum vix tenebit. Superintendenti enim constituuntur 100. floreni, Adjuncto 50. concionatoribus 35. & quando uxorem duxerint, adhuc decem, præter habitationem gratuitam. Laborum vero modum haud exiguum iis injungit, ut summo mane post exor-

(c) De Baptismo.

(d) De Scholis.

(e) De ministerio Ecclesiastico.

(f) De concionibus.

An. 1543.

exortum solis diebus Dominicis & festis in omnibus parochiis conciones catecheticas habeant, in crepusculo enim aut ante lucem omnes cantus omitti vult, ne veteres abusus reducantur, inter quos nominat *Missas, Rorate*, in festo scilicet Natalitio noctu habitas; a meridie epistolas Apostolicas explicent, & sæpius in hebdomade concionentur. Simplicitatem in omnibus concionibus etiam Superintendenti & Adjutori commendat: *Neque enim*, ait, *id agere debent, ut cum applausu & pompa concionentur, sed ut utilia plebi & singulis proponant.* Certa quoque anni tempora determinantur, in quibus Superintendens & Adjutor Catechismum quaternis concionibus in hebdomade explicent. Bacchanalia summe improbat, & licet peccata illa stulta videantur fuisse, (Narrensünden) Dei tamen iram protervia illa provocari affirmat: Honesta convivia bonum habere effectum, in servanda amicitia & conjunctione animorum civili censet, sed acriter reprehendendas esse a concionatoribus comessationes nocturnas, & excessum cibi & potus, tum convitiandi & inprimis sugillandi Magistratum licentiam; Diabolum fere omnia convivia ad suum ait traxisse servitium; quamdiu itaque abusus ex illis removeri non possit, Christianum decere, ut ab iis abstineat. Pulcherrime differit de Baptismo Christi & nostro, de quo tempore Bacchanalium conciones haberi vult, ejus enim contemplatione fœdas illas & barbaras voluptates in contemtum & odium adduci: *Quis enim*, (ait,) *nisi prorsus impius, non moveatur, si audiat, in mortem Christi nos baptizatos esse, æternum fœdus cum illo contraxisse, Spiritum Sanctum accepisse, Christum induisse, & vocis cœlestis, hic est filius meus, participes factos esse?* De causis matrimonialibus, si in litigia erumpant, aut scandalum metuatur, judicium Senatui defert, qui pro negotii natura Superintendentis consilium adhibiturus sit. Hunc vero, ut & cæteros Pastores & ministros de conscientiæ casibus responsuros esse secreto interrogantibus. Sequitur longa & acerrima disputatio adversus abusus veteres consecrationum, prohibitiones conjugii, & leges de ciborum discrimine, omnemque aliam hypocrisin. De Festis paria fere ordinantur, quæ ex constitutione, anno 1543. in Ducatu publicata, supra retulimus. Dominicas celebrandas esse dicit more perpetuo piorum Christianorum, ut totus dies cultui divino impendatur. Aboleri jubet superstitionem in festo *S. Autoris*, quem ut patronum & defensorem urbis colebant, &, quæ in pompam illam erogata olim fuerant, in usus pauperum destinat. Octavo post festum illud die, concionem haberi vult in laudem Dei, qui urbem defendit, & ut tutela ejus in futurum precibus impetretur; vetus enim traditio, quod Sanctus ille visus sit hostes ab urbe abigere, ut fabulosa rejicitur, vel ita explicatur, ut Angelus fortasse apparuerit. Memoriam etiam hujus ordinationis, Dominica post Ægidii 6. Sept. 1528. publicatæ, recoli gratiarum actione quotannis jubet; nam pridie ejus diei Senatus & populus in eam consensit, & secuta Dominica de omnibus pulpitis recitari, & hymnum Ambrosianum cani jusserat: neque enim minus, ait, esse hoc beneficium, quam liberationem urbis ab hostibus. Sequitur prolixa & summe pia dissertatio (sub titulo *de Missa*) de Evangelio Christi nobis annunciato, & de institutione & salutari usu Sacramenti, dignaque ad eum præparatione, & quod discipulus Christi esse debeat, qui Sacramento hoc cum fructu uti velit; explicatur etiam, in quo discipuli talis officium consistat; Refutantur inde, qui præsentiam realem corporis & sanguinis Christi in cœna negant. Scribit quidem, esse fortassis inter eos, qui putent, abominationem Missæ Pontificiæ illa sententia validissime destrui; sed Christianos, ait, non decere, ut mendacia mendaciis repellant, neque sufficere, quod multa de fruitione spirituali differantur, nam hanc etiam in Ecclesiis orthodoxis doceri; sed conscientiam tranquillari non posse, nisi verbis Christi clarissimis insistatur. Objectiones inde prolixe refellit; nec pauciora sunt, quæ cultui missatico opponit & calicis ablationi. Et profecto tanta est in his omnibus parrhesia viri, &, popularis quidem, sed solida argumentandi industria, ut vix credam, ulla versione hujus libelli nativam autoris facundiam satis exprimi posse. Liturgia, quæ subjungitur, in plerisque cum Saxonica concordat, certe in nulla re gravis momenti ab ea discrepat. In formula tamen confessionis publicæ, ubi peccata in genere indicantur, spatium aliquod per signum N. N. notatum est, & adhortatio fit, ut quisque illa in mentem revocet, quorum se reum deprehendit, & eorum remissionem a Deo petat. De imaginibus additur; in templis statuas fictitias bene multas & truncos inutiles reperiri; cum tamen noluerint esse iconomachi, illas tantum sublatas esse, quæ singulari veneratione cultæ fuerint; tolerari reliquas, sed ita, ut si denuo in abusum trahantur, statim removeri debeant. *Ultima* libelli parte multa de ærario Ecclesiastico utiliter constituuntur, cum egregia ad eleemosynas conferendas exhortatione.

(g) *De matrimonio, ceremoniis, festis.*

(h) *De Sacramento cœnæ.*

An. 1543. (i) *Alia quædam.*

§. CX.

(1) *Acta in Misnia, ad reformationis confirmationem.*

Taceri non debent, dum de incremento & confirmatione reformationis hoc anno agimus, quæ in provinciis *Mauritii* Saxoniæ Ducis (postea Electoris) gesta sunt. Diximus supra, non defuisse quosdam inter provinciales, qui veterum superstitionum, tanto præsertim rigore sub *Georgio* Duce usque ad annum 1539. conservatarum, tam cito & facile oblivisci non possent; & juventa Principis, cujus benevolentiam adversa pars variis modis captabat, flecti posse videbatur, gliscentibus etiam simultatibus inter illum & Electorem Saxoniæ, quæ paulo ante in bellum fere erupissent, & ægre, neque tamen penitus, sopitæ erant, ut eventus post paucos annos ostendit. At singulari Dei providentia factum est, ut ista omnia minime obessent religioni. Immo *Mauritius* constitutionem amplissimam hoc anno, Lunæ post Trinitatis (d. 21. Maji) de rebus Ecclesiasticis edidit, quæ inter reliquas in *Corpus*, quod vocant, *Saxonicum*, relata est. Contenta ejus præcipua hæc sunt: Hortatur Superintendentes & Pastores, ut officio suo diligenter præsint, curam animarum sibi commissarum, summa cum solicitudine & omnibus viribus gerant, populum pia & orthodoxa doctrina imbuant, & ad preces & opera charitatis excitent, ipsique suo præeant exemplo; contra impios & contemtores doctrinæ, si dehortatio non proficiat, excommunicatione utantur, & ne sic quidem corrigibiles, Principis Præfectis indicent, ut post mensis spatium excedere ex provincia jubeantur. Post hæc, ut juventus, ad gloriam Dei, in bonis literis & artibus, præsertim vero in sacra Scriptura erudiatur, tres scholas majores, sive, ut postea vocatæ sunt, illustres ex vacantibus monasteriorum & collegiorum reditibus constituit, unam *Misnæ*, alteram *Mersburgi*, tertiam *Portæ*, (ubi cœnobium olim Benedictinorum fuerat) prope Numburgum. Determinat Præceptorum & scholarium numerum, & horum quidem *Misnæ*, LX. *Mersburgi*, (cui postea *Grimma* surrogata est) LXX. *Portæ* centum esse debebant, qui omnes victum & amictum gratuitum acciperent. Præterea centum studiosis S. S. Theologiæ academicis, Lipsiæ informandis, stipendia ordinat, ipsi vero Academiæ duorum millium florenorum annuum reditum, ultra veteres, quos habebat, assignat, & monasterii *Paulini* sive *Dominicani*

(2) *Constitutio Mauritii Saxon. Ducis de rebus Ecclesiasticis.*

(3) *Fundatio scholarum illustrium, dotatio Academiæ, & alia.*

An. 1543.

nicani ædificia omnia tribuit, sexcentos item modios frumenti annuos deputat, dispensatori admetiendos, ut victum pauperibus studiosis modico pretio præbere possit: Hodie isto modo CXLIV. juvenes Lipsiæ cibantur. Hoc vocabatur mensa communis. (der gemeine Tisch.) Pastorum etiam in urbibus & oppidis Ducatus & Præceptorum scholasticorum ex proventibus ecclesiasticis Salaria aucta sunt, & constitutæ insignes pensiones annuæ ad egenorum indigenarum alimenta, (für die Haußarmen) ut mendicandi licentia & improbitas cessaret; quanquam optima illa intentio ad effectum sufficientem non fuit perducta. Ut autem ista omnia, & quæ ad augenda Pastorum salaria requirebantur, præstari possent, consensu & præscitu Ordinum provinciæ, majori numero deputatorum, (des grossen Ausschusses) constituisse se profitetur Princeps, ut reditus bonorum Ecclesiasticorum, monasteriorum & collegiorum vacantium, perpetuo (in Ewigkeit) ad sumtus illos supra ordinatos impenderentur. Quoniam vero quidam ex nobilitate, ut & plerorumque oppidorum Magistratus, beneficia ecclesiastica, (geistliche Lehen) ex veteri fundatione, olim conferre Clericis soliti fuerant, horum vero reditus partim ad Pastorum, partim ad Præceptorum scholasticorum salaria augenda applicati erant, certus modus numerusque definitus est, ut, loco juris illius patronatus, nobiles & civitates denominare & præsentare possent pueros, in tribus illis scholis educandos, ita quidem, ut pueri illi pro tertia parte ex nobilitate deligerentur. Cum etiam deprehensum esset, prædia aut fundos quosdam monasteriorum vacantium majori cum utilitate vendi, quam per œconomos administrari, constituti sunt ex provincialibus quatuor viri in Thuringia, totidemque in Misnia, qui ad venditionem procederent, & usuras pretiorum ad ecclesiasticas erogationes delegarent. De jurisdictione ecclesiastica, præsertim in causis matrimonialibus, administranda, cum Episcopis provinciarum suarum, Misnensi & Mersburgensi, acturum se esse recepit Princeps, ut jus suum christiana & pia ratione & secundum Scripturam sacram per Consistoria exercerent; hoc si impetrare ab illis non posset, tunc aliis Prælatis in ditione sua officium illud jurisdictionis ecclesiasticæ demandandum reservabat. Eadem constitutione nuptias in gradu tertio collaterali, lineæ æqualis, in futurum licitas pronunciavit, ita, ut prohibitio intra gradum tertium, lineæ inæqualis, restringeretur. Quæ matrimonia præterito tempore in propiori gradu contracta fuerant, ea, liberosque ex iis natos, pro legitimis agnosci jussit. Quæ sic constituta legimus, inprimis de bonorum ecclesiasticorum reditibus, ad utilitatem ministerii in templis & scholis, & ad educationem studiosæ juventutis applicandis, os obstruere debent clamoribus scriptorum veterum & recentium ex adversa parte, qui contraria omnia Principibus Evangelicis imputant. Interim ea, quæ recensuimus, postquam *Mauritius* ad Electoratum pervenit, maxime vero a fratre & successore ejus, *Augusto*, Sax. Electore gloriosæ memoriæ, egregie aucta & rectius atque utilius provisa sunt, quæ autores alii retulerunt, eruntque fortassis, qui omnia luculentius ex scriniis Dresdensibus eruent; mihi enim intra terminos, operi huic præstitutos manendum est.

(a) *Perpetua destinatio bonorum Ecclesiasticorum ad pios usus.*

(c) *De jurisdictione Episcopali, & causis matrimonialibus.*

ADDITIO.

Producam tamen rescriptum *Mauritii* Ducis admodum memorabile, quod post publicatam illam mense Majo constitutionem ad Doctores, Licentiatos & Professores Lipsienses d. 22. Septemb. dedit, nempe ad *Ambrosium Rau* Præpositum ad S. Thomam, *D. Ludovicum Fachsium, Johannem Saur, Alexandrum Alesium, Johannem Scheffel, Johannem Pfeffingerum* Superintendentem, *Joachimum Camerarium, Bernhardum Zieglerum* & *Casparum Bornerum*. In hoc occurrere videtur judiciis quorundam, qui de candore ejus in causa religionis dubitabant: Dein ut provincialibus & subditis suis solicitudinem adimeret, ne denuo mutationes circa sacra sequerentur, aut hæc ex arbitrio Principis & aulæ dependere viderentur, a cura illorum se veluti abdicat, & viris illis Academicis committit, verbis valde emphaticis, quæ, ut scripta sunt, Germanice subjungemus: Welcher gestalt und wie wir unser hertz und gemüth zu der rechtschaffenen christlichen religion geneigt/ das wollen wir zu Gottes erkäntniß gestellet/ und gleichwol/ so viel äuserlich zu bezeugen/ uns auff unsere ausschreiben bezogen und referiret haben. Und wiewol es nicht ohne/ daß wir ein junger Fürst/ und allerley an uns gelanget/ daß wir zu weitern nachdencken und vernehmen gegen etlicher unsern unterthanen wären verursachet und bewogen worden/ so wolten wir doch nicht gern weiter schaffen/ thun oder handeln/ denn Göttl. heiliger schrift/ derselben rechtschaffenen lehre/ auch in weltlichen sachen aller tugend/ zucht und erbarkeit gemäß/ wie denn an ihm selbst billig/ darzu wir denn vornemlich Gottes gnade bitten und begehren. Demselben nach/ wiewol wir in unserm weltlichen regiment also fortzuschreiten gedencken/ daß wir mit zeitigen rath handeln/ und schaffen wollen; haben wir dennoch betrachtet/ daß an dem/ so der seelen heil/ auch das göttliche wort belanget/ zum höchsten gelegen/ daß es damit nicht ausgerichtet seyn will/ daß wir vielfältig/auch von vielen mancherley ersuchet und berichtet werden/ sondern daß ordnung und entscheidung seyn muß/ darnach sich in gleichen fällen männiglich gleichförmig zu richten. Derohalben haben wir euch als gottfürchtige/ gelehrte und verständige personen in unserer Universität zu Leipzig (welche wir auch darum begnadet und begabet/ daß wir gelehrte/ fromme und verständige männer darzu zu haben verhoffen/ welche diesem vaterlande und vielen dienen könten) auserlesen/ die in denen sachen/ das Göttliche wort/ und den Christlichen wandel und ceremonien belangend/ rathen/ lehren und dienen könten. Und begehren dennach/ ihr wollet hinfürder in allen stücken die lehre des Göttlichen wortes/ christliche ceremonien/ ehesachen/ und was wir vor euch weisen werden/ ein Consistorium zu Leipzig anrichten/ halten und üben/ und euch/ unsern landen und vielen zu gutem exempel darinnen also erzeigen/ daß nicht eigener nutz und förderung seines gleichen/ sondern die ehre Gottes darinnen gesuchet/ gelehret/ gefördert und gehandhabet werde/ und wollet darinnen nicht ansehen der welt ruhm/ preis/ gloria/ güter noch anders/ das von dem rechten wege iemand verleiten möchte. Sonderlich aber/ dieweil wir den christlichen bann in unsern landen zuzulassen bedacht/ und offentlich ausgeschrieben/ so wollet euch förderlich entschliessen/ wie derselbige bann durch vorgehende christliche ermahnung/ auch in welchen fällen er zu gebrauchen sey/ denn wir werden hinfürder die Superintendenten und Pfarrer derhalben an euch weisen/ und weil wir nach geschehenen bann mit der weltlichen Execution, inhalts unsers ausschreibens/ zu verfahren gedencken/ werdet

(a) *Rescriptum memorabile Mauritii Ducis ad Proceres Academiæ Lips. de instituendo Consistorio.*

(b) *Verba ejus Germanica.*

An. 1543.

werdet ihr erwegen / wie nach heimlicher ermahnung zu der Buſſe / auch in was laſtern / und wie oͤffentlich zu bannen ſey / damit darinnen nichts / denn Gottes ehre geſuchet / und gantz und gar kein mißbrauch geſpuͤret werde / ſonſt und ohne das wuͤrden merckliche aͤrgerniſſe erfolgen / ꝛc. Senſus eſt: *Se divinæ ſcrutationi & cognitioni dijudicandum deferre, quomodo intus in corde & pectore ſuo ad veram & orthodoxam religionem propendeat; provocare interim, quoad externa, ad edictum ſuum nuper,* (ſcilicet d. 21. Maj.) *publicatum. Se quidem, fatetur, juvenem adhuc eſſe Principem, & varia ad ſe delata eſſe, quibus moveri ad ulteriores cogitationes & actiones cum ſubditis quibusdam potuiſſet: neque tamen facile aliquid decreturum aut acturum eſſe, quam quod ſacræ Scripturæ & puræ ex illa doctrinæ; in rebus vero civilibus honeſtati & virtuti conveniens eſſet; hoc enim ſe decere & ad id præcipue Dei gratiam precibus a ſe implorari. Quamvis autem in rebus ad regimen politicum ſpectantibus cum conſilio progreſſurus & acturus ſit; conſiderasse tamen, non ſufficere, ut in cauſis, quæ ſalutem animæ & verbum DEI attinerent, multa & varia ad ſe referrentur, ſed certas leges & deciſiones requiri, quibus in caſibus ſimilibus omnes uniformiter obſequi poſſent. Hinc igitur illos, ut viros pios, doctos & ſapientes ex Academia Lipſienſi (ideo a ſe dotata, ut tales viri etiam in poſterum in ea ſperari poſſint, qui patriæ & multis utilem præſtare valerent operam,) a ſe delectos eſſe, qui in cauſis ad verbum Dei, vitam Chriſtianam, & ceremonias ſpectantibus conſulere, docere & aliis prodeſſe queant.* Mandat inde, *ut poſthac in omnibus cauſis, quæ ad doctrinam verbi divini, ceremonias Chriſtianas & controverſias matrimoniales pertinerent, & quas præterea ipſis delegaturus eſſet, Conſiſtorium inſtituerent & haberent, in eo vero provinciis ſuis aliisque multis optimo exemplo præirent, quo conſtaret, illos minime proprium commodum aut promotiones ſui ordinis hominum, ſed gloriam Dei quærere & quæ ad illum ſcopum tenderent, docere, promovere & tueri, ſepoſito omni reſpectu ad gloriam & applauſum mundi aut opes, quibus homines a via recta abducerentur.* Speciatim *deliberare* eos jubet, *quomodo excommunicatio, de qua in edicto nupero ſtatuerit, in provincia exerceri poſſit, prævia Chriſtiana admonitione, & pro caſuum diverſitate; ſe enim poſthac Superintendentes & Paſtores ad illos remiſſurum, paratum vero futurum eſſe ad exequenda, quæ in edicto ſtatuerit, expendi autem ab illis debere, quo ordine præmiſſa ſecreta ad pœnitentiam & emendationem morum admonitione, quibusque in criminibus & quomodo publica excommunicatio facienda ſit, neque tamen aliud, quam gloria Dei, per illam quæratur, evitatis omnibus abuſibus, ex quibus non poſſint non magna exoriri ſcandala.*

(c) *Contenta Reſcripti, Latine verſa.*

Hoc anno initium habuit reformatio eccleſiaſtica in Principatu *Hennebergico*, de qua lubentius ago, certius etiam commentari poſſum, quia ultra triginta annos, quibus Saxoniæ Ducibus, regionis illius Dominis, a conſiliis fui, notitiam provinciæ exactam adeptus ſum. Situs eſt tractus ille (qui Comitatus principali dignitate præditus, eine gefuͤrſtete Grafſchafft vocari ſolet,) in Franconia, qua Thuringicæ Sylvæ, & Vierræ amni, antequam in Haſſiæ fines influit, adjacet, amplioris olim, quam nunc eſt, juriſdictionis. Nam totus ille diſtrictus *Coburgenſis*, qui Ducatus nomine cenſetur, & multa *Wurtzburgenſis* Epiſcopatus loca, tum *Smalcaldiæ* pars cum pagis vicinis, Hennebergici juris fuerunt, variis temporibus & titulis ad Epiſcopos Wurzburgenſes, Saxoniæ Duces, & Haſſiæ Landgravios, (ut de *Durlaco* nihil dicam, quod ante annos plus quam ſexcentos Hennebergenſes habuiſſe tradunt) tranſlata. Eo vero tempore, quo Evangelica doctrina ſecundum ductum Auguſtanæ confeſſionis publice introduci cœpit, maximam partem non ſolum ejus regionis, quæ hodie Hennebergenſis principatus nomen habet, ſed & alias quasdam præfecturas, nunc Wurzburgenſes, & partem Smalcaldiæ, de qua dixi, poſſidebat, regebatque *Gutlielmus*, qui *Schleuſingæ* aulam habuit. De origine familiæ, ut fieri conſuevit, multa eſt diſputatio, & fuerunt, qui eam ex Italia accerſiverunt, ex patriciis nempe ſive Baronibus Romanis, Ducum titulo hodie clarentibus, qui a *Columna* nomen habent, ita, ut perſuaderi ſibi paſſus ſit *Bertholdus* Hennebergicus, Archiepiſcopus Moguntinus, cum quinque fratribus, ut anno 1467. inſignia Italorum illorum, columnam nempe albam, cui corona aurea impoſita eſt, in ſua reciperet, in quibus antea gallina nigra partem maxime conſpicuam occupabat. Sed melior fortaſſe ſententia eſt, eamque operoſe defendit *Cyriacus Spangenbergius*, multorum chronicorum, & inter alia etiam Hennebergici autor, indigenas Francos fuiſſe Hennebergicos Comites, & ortum a veteribus Franconiæ Ducibus habuiſſe. Principis dignitatem primus adeptus eſt ab *Henrico VII.* Imperatore *Bertholdus*, (quem *decimum* vocat *Spangenbergius*) anno 1310. diploma 8. Kal. Auguſti Francofurti datum eſt, in quo hæc verba ad propriam inter Comites & Principes differentiam pertinent, cum dicitur: *Conferimus ei omnia jura Principum, tam in ingreſſu, quam in egreſſu, ad imperialem deliberationem, in ſententiis conveniendis, dictandis, pronunciandis &c.* Comites nempe, etſi in Comitiis Imperii locum in Principum conſeſſu habeant, (im Fuͤrſtenrath) viritim tamen ſuffragia non dicunt, ſed per claſſes, ſive collectim; jus itaque ſingularis ſuffragii cum aliis dignitatis prærogativis accipiunt, qui ex Comitum ordine inter Principes aſſumuntur, ita ut cæteros Principes, ut pares, compellent, quibus antea *Dominorum clementium* titulum tribuerunt. In tres olim lineas diviſa fuit ſtirps Hennebergica, quarum ea, quæ *Roͤmbildenſis* vocabatur, ſeculo XIV. extincta eſt; altera *Aſchachenſis* ad annum quidem 1549. duravit, quo *Albertus* ex illa ultimus deceſſit; verum is ex præfecturis duodecim, quæ Hennebergenſem Principatum conſtituebant, non niſi unam, *Kundorffianam* nempe, poſſedit. *Gutlielmus* itaque tertiæ, id eſt, *Schleuſingenſis* propagator, de quo agimus, reliquas præfecturas omnes, & alias præterea, ut dicemus, habebat, & Principis titulum & regimen ſolus gerebat. Multi ex hac gente, ut tunc moris erat, ad Eccleſiaſticas dignitates, easque ſupremas pervenerunt. Memoravimus jam *Bertholdum*, Archiepiſcopum Moguntinum; plures ad Epiſcopatum Wurzburgenſem & Bambergenſem, & ad Magiſterium Ordinis Teutonici evecti ſunt. Notare lubet ex epitaphio *Philippi Hennebergici, Bambergenſis Epiſcopi, a Spangenbergio Lib. IV. cap. XVI.* relato, & Bambergæ adhuc viſendo, ultimum diſtichon, craſſæ ſuperſtitionis illius temporis documentum, his verbis:

(6) *Reformatio Principatus Hennebergici.*

(7) *Digreſſio de familia Hennebergica.*

(8) *Eccleſiæ Prælati ex Hennebergicis.*

> *Qui coluit vivus ſemper te, virgo Maria,*
> *Hunc tua ſuſcipiant numina ſancta, precor.*

Numen

An. 1543.

Numen scilicet est aut habetur Maria, & beatitudinem confert eam colentibus, neque Christi ulla in carmine illo mentio fit. Sed propius accedimus ad propositum. *Guilielmus*, quem nominavimus, & quem *Septimum* vocat *Spangenbergius*, anno 1478. patre cognomine natus fuit, qui eadem seculi infelicitate anno 1465. sodalitium centum hominum, Sancto Christophoro dicatum, instituerat, a *Sixto IV.* Pontifice anno 1480. confirmatum: gestabant catenulam argenteam, ex qua fabulosi Christophori icuncula pendebat; catena ex quatuordecim Angelorum figuris composita erat, quarum singulæ nomen sancti auxiliatoris ex illis, qui Germanice die vierzehen nothhelffer dicebantur, in pectore inscriptum habebant. Leges societatis omnes ad cultum Sanctorum & sacrificia missatica pertinebant. Talia *Wilhelmo* veluti hæreditaria propagine instillata erant, & ipsum superstitiosissimum effecerant, præsertim, cum anno 1498. statua B. Virginis, quæ triginta prope annis in loco quodam sylvestri *Grimmenthal*, Hennebergicæ ditionis, culta fuerat, in ædem, sumtibus civis Wurzburgensis, *Henrici Teufelii*, extructam, recepta, miraculis ita inclarescere fingeretur, ut uno anno a quadragies quater millenis hominibus visitata fuerit. Anno 1515. multo ære redemit *Guilielmus* participationem meritorum ordinis *Benedictini*, diplomate ab *Henrico Abbate Bursfeldensi* aliisque accepto; item a Magistro *Hospitalis S. Spiritus*, quod Romæ est, & impetrato *Leonis X.* privilegio, quo indulgentias annorum decies centenorum millium, & præterea viginti quatuor plenarias remissiones peccatorum obtinuit. Ex filiis quoque, quos genuerat, tres sacris ordinibus addixit, ex quibus *Johannes* vicinam Abbatiam Fuldensem (Principatus Imperialis titulo nobilem) adeptus est. Exorientem vero ex concionibus & scriptis Lutheri Evangelii doctrinam vehementer ab initio aversatus fuit *Guilielmus*, neque suos tantum ab ea severis mandatis abstinuit; sed & in Fuldensi ditione, ad eam impediendam, filio, *Johanni* Abbati adstitit, rigoremque ejus *Hammelbergensis* ad Salam Franconicam oppidi, cives experti sunt, quanquam postea, connivente Abbate, qui patre mitior erat, anno 1540. concionatorem Evangelicum acceperint. Cum anno 1521. Lutherus in confiniis Hennebergicis haud procul *Smalcaldia* captus esset, fama illius facti oneratus est *Guilielmus*, tam acer enim ille hostis novæ doctrinæ habebatur. Licet vero a rusticis rebellibus anno 1525. adigeretur, ut d. 3. Maji diplomate illis caveret, se verbum Domini sequi & tueri velle, & articulis XVII. quos, ut in loco dictum est, postulabant, assentiri; oppressa tamen paulo post seditione, nihil in religione mutavit, & ex rebellibus subditis duos & viginti capitali supplicio affecit, reliquos sexdecim millibus florenorum mulctavit. Cum anno 1530. Evangelici proceres *Smalcaldiæ* convenissent, ægerrime id tulit *Guilielmus*, quod arx & Ecclesia collegiata, & quædam pars urbis, suæ esset ditionis, multoque minus moveri se passus est, ab Electore & Landgravio, ut confessioni Augustanæ accederet. Filius tamen ejus & successor in regimine destinatus, *Georgius Ernestus*, Philippum Hassiæ Landgravium comitatus, in comitiis Augustanis semina quædam doctrinæ acceperat, quæ sensim progerminarunt & robur acceperunt a pietate uxoris, quam anno 1543. duxerat, nempe *Elisabetha, Erici* Senioris Ducis filia, cujus mater, *Elisabetha Brandenburgica*, magno studio doctrinam Evangelicam promovebat. Ad eandem inclinabat eodem tempore alter *Guilielmi* filius, *Poppo*; Hic canonicus erat Wurzburgensis, ut & frater ejus *Christophorus*. Ea vero tunc vita Canonicorum erat, ut compotationibus, venationibus, aliisque excessibus liberrime indulgerent, unde duella & cædes frequenter oriebantur. *Christophorus* quidem anno 1532. quendam ex apparitoribus sive vigilibus oppidanis Wurzburgi occiderat, impetrata tamen multo labore & sumtu venia Canonicatum retinuit. *Poppo*, ingenio licet mitiori, *Philippum Comitem Hohenloicum*, itidem Canonicum Wurzburgensem, in rixa ex venatione orta, anno 1541. vulneraverat, ut ob accedentem morbum mortem oppeteret. His casibus & moribus Cleri consideratis, perspectaque fratris *Georgii Ernesti* pietate, etiam ipse odisse Papismum cœpit. Sic filiorum precibus tandem cessit *Guilielmus*, jam quidem LXV. annorum senex, & assensit, ut reformatio religionis serio susciperetur. Vocatus eam ob causam Wittenberga est *D. Joh. Forsterus*; publica tamen confessio Evangelicæ religionis anno proximo 1544. demum secuta fuit. Cum prima concio *Mainunga* a Forstero haberetur, bis, incerto autore, clamor de incendio excitatus, item alius a fœmina male sana ortus, concionem turbavit; perstitit tamen in proposito Forsterus, Satanæ ludibria spernens, & concionem atque sacra absolvit. Itaque hoc tempore, quo res Evangelica magno in periculo versabatur, *Guilielmus*, sero licet, & veluti hora undecima in vineam vocatus, intra paucos tamen annos, adjutus a filiis, optime instituit Principatus sui Ecclesias, & tam constans fuit, ut etiam post prostratam potentiam fœderis Evangelici, & omnibus Cæsaris iras metuentibus, edictum interimisticum, anno 1548. publicatum, recipere noluerit. Extant ejus literæ gravissimæ, ad Cæsarem datæ d. 13. Febr. 1549. In his testatur, se certissima fide persuasum esse, quod in Ecclesiis suæ ditionis nihil aliud doceatur, quam quod clare inveniatur in sacris literis, & ipse Salvator noster unicus Jesus Christus, a Patre missus docuerit, & docere jusserit, usitatum etiam fuerit in Ecclesia Apostolica. Hæc se & suos sequi, & coram universo Orbe confiteri, etiam cum fortunarum & vitæ periculo. De cætero nihil magis se cupere & agere, quam ut post Deum Cæsari fidem & obedientiam præstet; ad hanc populum a pastoribus suis serio admoneri. Deprecatur itaque edictum illud, & rogat, ut, quæ jam in provincia sua constituisset, firma & immota relinquerentur. Addidit, cogitare debere Cæsarem, eum, qui temporalium rerum causa a veritate divina, quam conscientiæ testimonio agnoscat, deficeret, ipsi Cæsari multo minus fidum futurum esse. His atque aliis ex causis a Deo provisis factum est, ut nullum passus sit incommodum. Vixit inde ad annum usque 1559. decet-

Marginal notes:

(9) De Guilielmo Principe, ejusque superstitiosa aversione ab Evangelio.

(10) Filiorum ejus ad Evangelium propensio.

(11) Guilielmus initium facit reformationis, vocato Wittenberga Forstero.

(12) Constantia Guilielmi & obitus.

An. 1543. decessitque, in pia & constanti religionis Evangelicæ professione, d. 24. Jan. ætatis anno octogesimo primo. Subjungam breviter reliqua. *Guilielmus* ex *Anastasia*, *Alberto* Electore Brandenburgico & *Friderici II.* Electoris Saxoniæ filia prognata, tredecim liberos, & inter hos septem filios, suscepit; placuit tamen divino Numini, ut in filiis ejus genus celsissimum extingueretur. Quinque in pueritia, aut variis casibus decesserunt. *Georgius Ernestus*, vivo parente, Ecclesiis bene constituendis fidelem operam navaverat, & inter alia *Schleusingæ* Gymnasium illustre ex reditibus Ecclesiasticis fundaverat; quod seminarium quoddam illius regionis erat, & adhuc est, educandæ ad sacra potissimum studia juventutis. *Poppo*, de quo diximus, tanta diligentia sacrarum literarum lectioni incubuit, ut libellum ad confirmationem doctrinæ Evangelicæ, & refutationem oppositæ, conscripserit, quem anno 1557. a *Christophoro Vischero*, Superintendente Luneburgico, typis vulgatum memorat *Spangenbergius*. *Poppo* hic binis vicibus conjugium iniit; primum, cum *Elisabetha* Brandenburgica, supra nominata, *Erici* Senioris, Brunsuicensis Ducis, vidua; deinde cum *Sophia*, *Ernesti* Luneburgensis Ducis filia; sed sine prole d. 4. Marr. 1574. obiit, anno ætatis LXI. *Georgius Ernestus*, itidem bis maritus, fuit, primo nempe filiæ *Erici* supra memoratæ, & post hujus mortem, *Elisabethæ* Wurtenbergicæ, *Christophoro* Duce genitæ; sed neque hic liberos reliquit, & anno 1583. d. 22. Decemb. annos natus LXXII. apoplexia extinctus est, miro fati lusu, in castello Hennebergensi, unde familia nomen habuit; quod tamen a longo tempore equestris ordinis viris in feudum concessum fuerat, & tunc a quodam ex *Trottiorum* familia possidebatur. Igitur Hennebergici Principatus maxima pars ad *Duces Saxoniæ* ex pacto successorio, cum Hennebergica familia inito, delata est. Smalcaldiæ portio Hennebergica, cum præfecturis quibusdam vicinis, *Landgraviis Hassiæ* accessit; quædam ad *Episcopatum Warzburgicum* feudi jure delata sunt.

(13) *Alia ex historia Hennebergica, usque ad extinctionem familiæ.*

Floret adhuc per Dei gratiam in Hennebergica ditione doctrina Evangelica sub patrocinio Saxoniæ Ducum. Administrarunt regionem indivisam per Legatum sive Præsidem (einen Stadthalter / oder Oberauffseher) *Schleusingæ* ut plurimum degentem & per regimen *Mainungæ*, quod Principatus primum oppidum est, (feudum tamen Wurzburgense,) constitutum, usque ad annum 1660. quo, inita divisione, quinque unciæ lineæ Electorali Saxonicæ, septem Ducali attributæ sunt; ita, ut *Johannis Georgii I.* Electoris filius natu minimus, *Mauritius* Saxoniæ *Dux*, sæpe & ex merito laudatus herus meus, *Schleusingam*, *Sulam*, *Kuhndorffium*, & alia quædam cum pagis annexis, Duces Saxoniæ ab *Ernesto* Electore, ejusque abnepote, *Johanne Wilhelmo*, descendentes, *Mainungam*, *Wasungam*, *Themaram*, ad Vierram oppida, arcemque munitam ad eundem fluvium *Masfeldam*, *Ilmenaviam* cis sylvam Thuringicam, & reliqua acciperent. Pactum fuit inter alia de conservanda religione, & Gymnasio Schleusingensi communi sumtu sustentando, ut & huc usque factum est.

(14) *De translatione Hennebergensis provinciæ ad Duces Sax.*

An. 1543. Inter incrementa religionis hoc anno referenda est plenior & exactior reformatio ditionis *Ruthenicæ* in Voigtlandia, speciatim in præfecturis *Schlaizensi* & *Lobensteinensi*. Cœpta quidem & magna ex parte peracta erat anno 1533. ut supra §. *XXV. Add. III. lit. e.* memoravimus, sed propter viciniam Bambergensis Episcopatus, aliisque ex causis superstitiones veteres nondum penitus expurgatæ erant, nec ea disciplina vivebant Ecclesiarum ministri, qua debuissent. Eodem igitur, quo ante decennium, modo instituta fuit & renovata visitatio, insigne studium testante & conferente Dynasta, quem etiam eo nomine Elector Saxoniæ datis ad eum literis impense laudavit. Remotus est Pastor Schlaizensis *Wolfgangus Spies* & vocatus in ejus locum Olnizio *Paulus Rebhun*. Lobensteinii Pastor in locum Diaconi rejectus fuit; alii plane loco moti: constitutis tamen iis, qui egebant, alimentis. Melius etiam provisum fuit œconomiæ monasterii *S. crucis*. Hæc & alia utilia procurarunt Dynastæ Rutheni nomine, viri nobiles *Henricus a Wazdorff* & *Carolus a Kossoth*: Electoris nomine aderant *Wolffgangus a Græfendorff* Præfectus Plaviensis cum Pastore illius oppidi: quæ omnia prolixius tradita reperiuntur *Reg. JJ. fol. 10. n. 10.*

(15) *Exacta reformatio in ditione Ruthenica.*

§. CXI.

Jam de scriptis Lutheri hoc anno editis agendum est. Inter Latina quidem *Tomo IV. Jen.* duæ tantum epistolæ insertæ sunt, de quibus inter alias, quas referemus, mentio fiet: Germanica autem, quæ *Tomo VIII. Alt.* exhibentur, maxima ex parte Judæis opposita sunt. Nescio enim, quæ, occasione dissidii de religione in Germania, Judæos protervia, vel fanaticos quosdam dementia invaserit, ut illi audacius suam tuerentur superstitionem, ex his vero essent, qui Judaismum profiteri vellent. Refert etiam Lutherus ipse in tractatu mox allegando, *(d. Tom. VIII. fol. 229.)* Judæos, cum audivissent, Wittenbergæ Hebrææ linguæ studium florere, librosque suos legi, magnam spem de meliori rerum suarum statu concepisse, & ideo tres doctos ex illis viros ad se venisse, quibuscum de religione disputaverit, eo quidem eventu, ut, quando textus sacræ Scripturæ ipsis opponeretur, suas illi, pro more, glossas & interpretationes afferrent, & ad autoritatem Rabbinorum suorum provocarent. Se tamen, ait, misertum illorum esse, etiam intercessione eos juvisse, ut a vectigali, ob iter illud ad se, immunes essent, comperisse nihilominus postea, illos blasphemos in Christum fuisse, &, consueto convitio, suspensum *(Tholab)* vocasse; ideo se constituisse dicit, eos missos facere, & iræ divinæ cum D. Paulo relinquere, deteriores enim fieri, si benevole tractentur. Tractatum igitur hunc non *contra Judæos*, sed *de Judæis & eorum mendaciis*, (von den Jüden und ihren Lügen/) inscribit, & ad Pastorem quendam per modum epistolæ dirigit, a quo libellum, forma dialogi compositum, acceperat, in quo Judæus quidam dicta Scripturæ de Christo & virgine Deipara depravare conatus erat. Scripsit autem Lutherus hanc dissertationem anno præcedenti, sed hoc anno edita est, & habetur *d. Tom. VIII. a fol. 208. ad fol. 274.* Latina vero ejus versio *Tom. VII. Wittenberg. fol. 166. & seqq.* Monet ab initio, nihil effici, cum

(1) *De Scriptis Lutheri.*

(2) *Libellus de Judæis & eorum mendaciis.*

An. 1543. cum Judæis disputando de mysteriis fidei Christianæ, ob immanem illorum indurationem; satius igitur esse, ut argumentis, quæ vocamus ad hominem, urgeantur, quod nempe jam a seculis quindecim regnum & sacerdotium amiserint, evidenti documento iræ divinæ, quam Christus *Luc. XXI. 23.* illis prædixit, & cujus exemplum non extat; neque enim tam crudelem in eos futurum fuisse ait Deum, nisi pervicacia sua ab omni spe veniæ se ipsos præclusissent: Si itaque diuturnitate miseriæ suæ non emolliantur, ut tandem agnoscant, Messiam venisse, nihil putat apud eos disputando effici. Pro confirmatione autem fidei Christianæ & illorum, quos Judæorum pessimæ calumniæ & cavillationes movere videantur, in tractatus *parte prima* fundamenta jactantiæ Judaicæ aggreditur, ostendens, quod vane, & non nisi carnaliter, de generis sui prærogativa, de circumcisione, de verbo & lege Dei, & de terra Palæstina glorientur. Hæc enim omnia, deficiente fide in Christum, veraque & interna pietate, nullius esse momenti aut utilitatis; sicut nec Christianos juvet, quod verbum Dei & Sacramenta habeant, & neglecta fide, in opere operato, externisque ceremoniis hæreant. *Altera* libelli parte, quæ *fol. 224.* incipit, Scripturæ dicta præcipua proponit, & ex iis solidissime evincit, Messiam venisse; præmittit tamen *d. fol. 224.* patheticam querelam de obstinatione humana. *Nisi ipse*, ait, *experiendo cognovissem Papistas, adversarios meos, incredibile mihi visum fuisset, homines tam malitiosos inveniri, qui veritati apertissimæ & agnitæ, ipsique Deo in faciem contradicerent.* Hæc, & Judæorum contumaciam considerans, exclamat: *O iram terribilem & judicium divinæ Majestatis incomprehensibile! quomodo fieri potest, ut sic a mortalibus despiciaris? Cur non consternamur, & præ metu & terrore morimur, videntes, quam horrendum sit veluti fulmen iræ tuæ consideratio, in sanctissimorum quoque virorum animis, id quod ex Moysis & Prophetarum exemplis percipimus; & tamen a saxeis his & ferreis mentibus proterve eludatur!* Ex dictis sacris, quæ eruditissime, magnaque cum argumentandi peritia tractat, & ab objectionibus vindicat, primum est *Gen. XLIX.* de *sceptro Judæ auferendo, & mittendo eo, qui venturus est*, sive *Silo*. Notari inter alia jubet differentiam promissionum Dei, quod aliæ sint puræ, aliæ conditionales; hujus generis esse illam, qua Salomoni *1. Reg. IX. 6. 12. 13.* perpetua conservatio regni & templi promittitur, si nempe populus custodiverit mandata Domini: at prioris generis esse promissionem de Silo sive Messia, quæ non suspendatur ab hominum obsequio vel peccato; & sic Judaicam elidit exceptionem, cum dictitant, adventum Messiæ ob peccata gentis differri. Sequuntur loca *2. Sam. XXIII. 2. & seqq. Jerem. XXXIII. 17. & sqq.* de promissa perpetuitate regni Davidici & cultus divini, quam necessario de regno Christi intelligendam esse demonstrat. Vaticinium *Haggæi II. 8. 9. 10.* egregie ad Christum applicat, & gloriam secundi templi ex sola Christi in eo præsentia deducit, rejecta Judæorum exceptione de sanctiori cultu in secundo templo, cessante idololatria, & ostenso secundi templi profanationem majorem fuisse, quam primi. Licet enim ab idololatria crassa abstinuerint, majus tamen piaculum commisisse ait, quod legem Dei impiis interpretationibus perverterint, & quod primores sacerdotum ad Sadducæismum & Epicureismum defecerint. Execratur dein *Rabbinorum* doctrinam, maxime de moribus, ita ut in tribus *Æsopi* fabulis, dimidio *Catone*, & quibusdam *Terentii* Comœdiis, longe sapientiorem doctrinam de virtutibus reperiri existimet, quam in omnibus Talmudistarum scriptis inveniatur, aut in cor Judæorum cadere possit. *(fol. 243.) Non exaggero hæc*, ait, *scio enim, quomodo in libris suis nobis maledicant, & ut in scholis & precationibus pessima nobis imprecentur, dein usuris & fraude maxima nobis damna inferant, denique, quod deterrimum est, hæc recte a se, & in honorem Dei fieri jactent. Hoc non fecerunt gentiles, sed tantum Diaboli opus est, & eorum, quos possidet, sicut Judæos.* Prophetiam *Danielis IX. 24.* de septuaginta hebdomadibus docte explicat, & multa ex historia Judaica, præsertim de rebellione gentis, & ultima Hierosolymæ destructione sub Hadriano secuta, affert, ita tamen, ut immaniter mentiri dicat Judæos, qui ab Hadriano cæsa scribunt Judæorum quadragies centena millia in *Bitter* sive *Betboron*, & duodecies centena millia *Alexandriæ*, inter quos fuerint centies & sexagies mille tubicines. Nihilo autem meliores factos esse ait Judæos, sed potius in majorem semper cœcitatem & impietatem incidisse. Itaque *fol. 253.* scribit: quicquid agant, edant, bibant, dormiant, vigilent, stent, ambulent, lavent, jejunent, orent &c. id omne Rabbinorum spurcis traditionibus & impietatibus contaminatum esse, ut Moyses difficulter in illis deprehendatur, sicut apud Christianos sub Papatu multitudine traditionum humanarum, veluti insectorum verminatione, obrutus sit Christus, & verbum ejus, ut vix cognosci potuerit. *Tertia* libelli parte stylum stringit in blasphemias, quibus Judæi Christum, matremque virginem, impudentissime insectentur; item in crudelem illorum mentem adversus Christianos omnes, & improbam spem, qua sese lactent, fore, ut aliquando omnes Christianos spolient & trucident, hoc enim affectu eos insanire certum & indubitatum esse dicit, licet in incerto relinquat, an vera sint omnia, quæ de illorum sceleribus, mactatis nempe infantibus Christianis, aut infectis veneno fontibus & pascuis, vulgo ferebantur. Severam deinde sententiam adversus eos promit, censetque, synagogas illorum funditus destruendas, domos quoque diruendas, libros precationum & Talmudicos omnes, ex quibus blasphemias suas discunt & exercent, immo & ipsos sacros codices Veteris Testamenti *(fol. 265.)* quia illis tam male utuntur, auferendos, Rabbinis doctrina interdicendum, commercia omnia deneganda, prohibendas usuras, & injuste quæsita extorquenda, laborem vero omnibus injungendum esse, quo victum quærant; Si hæc ferre nolint, aut ultio & damnum ab iis metuatur, in exilium mittendos, sicut olim in Gallia & Hispania, & hoc, quo scribebat, tempore factum sit in Bohemia, & non ita pridem Ratisbonæ & Magdeburgi. (ex Saxonia superiori dudum ejectos fuisse, notorium erat.) Acria hæc sunt, & quæ approbationem non invenerunt. Rationibus tamen non carent, quæ de coercendis Judæorum

(3) *De dictis quibusdam Scripturæ, in tractatu hoc explicatis.*

(4) *Blasphemias eorum vituperat, & pœna dignas habet.*

An. 1543. rum blasphemiis & furtis usurariis monet, nec injuste Principum & Procerum culpam persequitur, qui lucri causa ad Judæorum flagitia connivent; Christianos quoque graviter culpat, qui illis operam non unam præstant, ut impietates & superstitiones tanto liberius exerceant. Negari sane nequit, multo melius cum Judæis, quam fieri solet, agi posse, ut a fraudibus quibus populum circumveniunt, & opes sibi acquirunt, itemque a blasphemiis cohibeantur; maxime vero, ut in fide Christiana convenienti & pia ratione informentur, & exemplo virtutum invitentur: quapropter respondere sine dubio Deo debent Magistratus, qui ista non negligunt saltem, sed multis modis conversionem aut emendationem miserrimæ gentis ipsi variis modis impediunt. Denique parte *quarta* Lutherus discrimen ostendit spei de Messia, qualem Judæi habent, & qua nos fruimur. Nullam salutem Judæis expectandam esse ostendit, etsi Messiam, qualem exoptant, adipiscantur, nihil eos cupere dicit, quam divitias & voluptates, neque aliud a Messia auxilium sperare quam felicitatem profanam & vindictam in hostes; illis obtentis, negat eos porco feliciores esse, qui pro lubitu vivat, & sine omni cura & solicitudine cultrum lanii patiatur: tanto vero miseriores esse ait Judæos, quibus iratus Deus, & æterna supplicia irrogaturus immineat; ut vere de illis aliisque, spe salutis carentibus, locum habeat dictum Christi, *Matth. XXVI. 24. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Si vero* (pergit) *haberem Messiam, qui malo huic remedium afferre posset, ut mortem timendi causa non esset; ut de æterna vita confidere & insultare possem Diabolo & inferno, nec me teneret amplius ira divina; tunc cor meum præ gaudio exultaret, & voluptate veluti inebriaretur, incenderet me amor erga Deum, ut illum laudarem & glorificarem absque intermissione. Licet etiam mihi neque aurum neque argentum aut alias daret opes, mundus tamen totus mihi paradisi loco esset, etsi in carcere laterem, vinculis constrictus. Talem autem Messiam habemus Christiani; ideo Deo, patri misericordiæ, ineffabili cordis gaudio gratias agimus, & facile obliviscimur omnium dolorum, & damnorum, quæ Diabolus nobis in Paradiso intulit; abundantissime enim restituta sunt omnia per Messiam.* Germanica majoris emphasis sunt, & adscribi digna. Hätte ich aber einen solchen Meßia / der mir diesen schaden heilen könte / daß ich für dem Tode mich nicht fürchten dürffte / des Lebens immer und ewig sicher wäre / dem Teuffel und Höllen ein Kliplein schlagen könte / und für dem Zorn Gottes nicht mehr beben müste / da würde mein Hertz für freuden springen / und mit eitel Lust truncken werden / da würde sich ein feuer der Liebe zu Gott anzünden / loben und dancken nimmermehr auffhören. Gäbe er mir darnach nicht Gold / Silber und ander Reichthum / so wäre mir doch alle Welt eitel Paradieß / wenn ich auch im Kercker leben solte. Solchen Meßia haben wir Christen / und dancken Gott / dem Vater aller Barmhertzigkeit / mit vollen überschwenglichen freuden unsers hertzens / vergessen frölich und gern alle des leidens und schadens / den uns der Teuffel im Paradieß hat zugefügt.

(7) *Differentia spei Judæorum & Christianorum de Messia.*

Denn er ist reichlich gebüsset / und erstattet durch diesen Meßia. Reliqua non minoris facundiæ & pietatis ex libro ipso peti possunt. Edidit mox, ut in hoc tractatu promiserat, alium, quo refutat execrandam Judæorum calumniam de Christo Salvatore nostro, quem nescio cujus magiæ & abusus nominis divini, quod *Tetragrammaton* vocant, accusant, ejusque vi omnia miracula perpetrasse, tandem vero eadem arte a Juda Iscariote superatum & supplicio affectum esse, nequissime & insulsissime mentiuntur. Hic libellus bis, & secunda vice auctior, hoc anno editus est, & exhibetur *Tomo VIII. fol. 277. ad fol. 303.* titulo: *de Schembamphoras Judæorum*, duasque habet partes. In *prima* refert Lutherus impias & absurdas nugas Cabbalisticas ex *Purcheto*, deinde acerrime refutat, verbis quidem & dicteriis, ad quæ illum spurcities & improbitas gentis provocaverat, sed quæ zelo ejus condonanda sunt; unde & ipse (*fol. 287. priori*, bis enim per errorem numeratur) Deum rogat, ut sibi ignoscat, quod adversus hostes ejus execrandos, Diabolum & Judæos, verbis illiusmodi utatur, gravissime illorum impietate offensus & irritatus. (Denn es gehet mir durch leib und leben.) Egregia sunt, quæ de nomine *Jehovah* commentatur *fol. 287. b.* Explodit Judæorum ineptam superstitionem, quod ineffabile esse dicant nomen illud Dei. *Neque enim* (ait) *nomen per se ineffabile est, cum a Deo ipso revelatum sit & toties in Scriptura memoretur. Hoc quidem dicit Scriptura, rem ineffabilem esse, quæ nomine illo significatur, nempe essentia, potentia, sapientia, bonitas Dei, & quicquid præterea de Deo dici potest; id enim omne ineffabile, immensum, infinitum & incomprehensibile est; sed nomen ipsum quoad literas & syllabas non est ineffabile. Sic ergo loquendum est de Dei nomine ineffabili, quod Deus essentiam suam habeat a nemine, principio & fine careat, quod sit & existat ab æterno, in se & ex se, ut essentia ejus non dici possit fuisse, vel futura esse, nunquam enim cœpit, neque incipere potuit, nunquam desiit, nec potest desinere, sed ipse totus non nisi esse dici potest, sive ens & essentia, hoc est Jehovah.* Et post alia: *Natura comprehendi non potest, quod aliquid sit æternum; ideo Angeli æterna felicitate fruuntur, quia saturari non possunt, nec gaudere ad satietatem, intuitu & gaudio æternæ Dei essentiæ, neque comprehendere hanc possunt; nam si comprehendi posset, non esset æterna, sed principium aut finem habere deberet, neque aliis essentiam dare posset, cum sui ipsius non esset certa.* Sed omittimus cætera, non minus egregia, & Spiritu Lutheri digna. Parte libelli *altera* Judæorum calumniis occurrit, qui genus Christi ex Davide in dubium vocant, & Evangelistarum, Matthæi & Lucæ, dicta cavillantur. Etiam hic adversus dogmata & mores Judæorum acerrime disputat Lutherus, sed inter alia lectu dignissima sunt, quæ de genere Mariæ virginis, ad concilianda utriusque Evangelistæ tradita, commentatur. Quanquam enim in quibusdam autores sequatur *Lyranum*, *Burgensem* & alios quos citat, pleraque tamen acutius & solidius ipse deducit, & clarissime explicat. Summa est: A *Matthæo*, Josephi, qui maritus Mariæ fuit, a *Luca*, Mariæ genus descri-

An. 1543.

(6) *Alius tractatus Lutheri de Schembamphoras Judæorum.*

(7) *Rejicit superstitionem de non pronunciando nomine Jehova.*


(1) *Confirmat genealogiam Christi.*

bi.

bi. Observari inprimis jubet, quem Matthæus *Mathan* nominat, Lucas *Mathat*, unum eundemque, & tam Josephi quam Mariæ avum fuisse; ex uno enim ejus filio, quem Matthæus *Jacobum* nominat, natum esse statuit Josephum, ex altero, quem *Heli* vocat Lucas, Mariam. Cognationem inter Mariam & Elisabetham, matrem Johannis Baptistæ, hanc fuisse existimat, quod Mariæ mater, *Anna*, soror fuerit *Elisabethæ*; *Mariam Jacobi* vel *Cleophæ*, sororem Mariæ virginis natu majorem facit; *Salomen*, sororem Josephi, *Zebedæi uxorem*. Tabulam inde genealogiæ proponit, sed quæ *Tomo VIII. Alt. fol. 294. b.* vehementer conturbata est. Eam vero ex editione, ab ipso Luthero *forma quarta* hoc anno edita, restitutam damus, additis annotationibus quibusdam, ut & erroribus typographicis in *Tomo* occurratur, & res clarior fiat.

Genus Mariæ Deiparæ maternum.

Genus Mariæ paternum, ut & Josephi Sponsi ejus.





(9) Epicrisis e loco Luc. I. 69.

Non est hujus loci, aut mei instituti, ut ad infinitas, magnaque ex parte inutiles disputationes de genealogia Christi & Mariæ digrediar. Homini Christiano ex tot Novi Testamenti dictis indubitatum esse debet, Christum natum esse ex semine Davidis & hoc habere ex Maria virgine, quæ non ex Josepho, sed ex Spiritu sancto concepit; unde necessario consequitur, quod non solum Josephus, sed ipsa Maria Virgo ex genere Davidis ortum habeat. Inter alia omnibus nota & expensa testimonia illustrissimum mihi semper visum est, quod Christo perhibet Zacharias *Luc. I. 69.* dicens: *Erexit nobis cornu salutis in domo David, pueri sui.* Ista vero loquens *repletus erat*, (ut diserte dicitur *v. 67.*) *Spiritu sancto & prophetabat.* Summæ vero impietatis esset, si quis putet, Zachariam ignorasse, quod Maria non ex Josepho, sed ex Spiritu sancto uterum ferret: Sciebat eam ab Elisabetha, itidem *Spiritu sancto repleta, (v. 41.)* summa laude & benedictione dignam prædicatam fuisse. Quam autem laudem meruisset Maria ab Elisabetha, aut qua fronte ab illa & se ipsa omnibus mulieribus anteferri potuisset, nisi divina & admirabilis conceptio ejus ex lumine Spiritus sancti Zachariæ & Elisabethæ innotuisset, & inde simul prædicta a tot seculis generatio Messiæ ex semine Davidis pro impleta haberi debuisset; licet constaret, eam non concepisse ex Josepho, utut hic ex posteris Davidis esset? Lutherus pie & graviter Scripturæ fundamento insistit, dum *fol. 287.* scribit, eum, qui credat Evangelistis, quod Jesus sit Christus sive Messias (& sic filius David) haud difficulter quoque crediturum esse, quod genus Davidis ex matre virgine habeat; Qui prius non credat, eum infelicissimum esse, quem præstaret non fuisse natum, aut unquam verbum in Scri-

(10) *Lutheri effatum generale de hac quæstione.*

An. 1543. pturis legisse, neque illius referre, ut de matre & genere Messiæ disputet, non magis ac Judæorum, qui sola contradicendi & blasphemiæ studio idem faciunt. *Deus* (ait) *omnia in hoc viro* (Messia) *ponit, omnia ad eum ablegat, omnia ejus causa impendit, omnia ad illum direxit, omnia illi in manus tradidit; qui hunc habet, is habere debet omnia, qui hunc non habet, nihil plane habebit. Hoc pro certo tenendum est.* (Gott hat auff den Mann alles gesetzt/ alles geweiset/ alles gewandt/ alles gerichtet/ ihm alles in die hand gegeben; wer den hat/ der soll alles haben/ wer den nicht hat/ der soll nichts haben; So heissts.) Magni etiam ponderis sunt, quæ de dignitate librorum Novi Testamenti Judæis opponit *fol. 288.* Cæcos eos vocat, quod tantum Veteri Testamento contenti sint, nec videant, si Messias in eo clarissime promissus veniret, necessario sequi, quod non fuerit taciturus, sed aliquid & longe majus & illustrius propositurus, locuturus & docturus, quam Moyses, David, omnesque Prophetæ fecerint: ex illius autem factis & dictis librum oriri debere, sicut ex Moysis actis & dictis factum est. *Liber autem Messiæ* (pergit) *longe melior, sanctior & excellentior esse debuit, quam Moysis & totum vetus Testamentum, Messias enim non solum sanctus est, sicut Moyses & Prophetæ, sed omnium sanctissimus, & Propheta Prophetarum, ergo & liber ejus omnium librorum sanctorum sanctissimus esse debet. Hos non fingunt* (ait) *Gojim, quos Judæi execrantur, sed Moyses ipse populo suo clare prædixit, quod nempe alius liber Scripturæ expectari debeat.* Ita enim dicit *Deut. XVIII. 15. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audite.* Explicat autem hoc egregie, & notari jubet, agi hic a Moyse non de persona, sed de officio Prophetæ, sive Messiæ; Prophetam dicit a Domino suscitandum esse, *sicut se*, illum vero esse non potuisse Samuelem, Davidem, Eliam, Elisæum, Esaiam & reliquos Veteris Testamenti; ratio, quia omnes infra Moysen fuerunt, & idem, quod Moyses docuerat, nempe circumcisionem, Decalogum, leges sacerdotii & alia, nihilque plane aliud aut diversum a Moysis dogmatibus proposuerunt: *Novus itaque Propheta alia* (ait) *docere debebat, aut non opus fuisset, ut tot & tanta verba de illo faceret Moyses, & audiri eum juberet, cum paucis dicere potuisset, fore, ut se suamque doctrinam audituri sint in illo & omnibus Prophetis.* Idem deducit ex verbis *d. c. XVIII. 18.* in quibus Deus promittit, se propositurum esse verba sua in ore Prophetæ illius, alia nempe, quam in Sinai ex Moyse summo cum terrore audiverant. Allegat alia Prophetarum dicta, quibus nova doctrina populo proponenda promittitur, inprimis *Jeremiæ XXXI. 31. & seqq.* cujus verbis omnes Judæos, vetera jactantes, penitus confundi dicit; tam clare enim prædici novum verbum & fœdus, ut nihil clarius dici possit. Rejicit inde, quicquid opponere solent Judæi, & eorum malitiam execratur, quod Christum superbe & contumaciter rejecerint, quapropter nunc post finitas epulas esuriant, & frustra grunniant (vid. *fol. 290.*) Sie haben das essen verzürnet/ und die freude vermaulet/ aus grosser hochmuth und steiffsinnigkeit/ darnach wolten sie schmollen und grunzen/ da sie nichts funden in ihrem hunger. *Fol. 296. & seqq.* invictis argumentis demonstrat, Christum natum esse ex virgine, & ab *Esaia VII. 14.* explicari dicit antiquiora vaticinia *Gen. III. 15. & XLIX. 10.* Erudite & minime vulgariter disserit de vocabulis *Alma* & *Silo*, ut & de dictis *Ps. XXII. 11. CX. 3. Jer. XXXI. 22.* Laudat etiam Bernardi cogitationem de verbis *Levit. XII. 2.* ubi mulieri purgatio injungitur, quæ pepererit *suscepto semine*, quod superfluum videtur, cum nulla aliter pariat; Bernardus autem existimavit, Moysen ideo hæc addidisse, ut exciperet Mariam, quæ paritura esset non suscepto semine. Quemadmodum autem in præfatione hujus tractatus *fol. 277.* Lutherus sententiam suam non dissimulat, quod conversionem Judæorum, quam multi ex *Rom. XI.* sperant, pro impossibili habeat, & Apostolum longe aliud illo loco intelligere dicat; ita etiam sub finem *fol. 300.* eandem confirmat, & Judæorum *amentiam, cæcitatem & furorem mentis*, quæ omnia Moyses illis (non gentibus) *Deut. XXVIII. 28.* prædixerat, perpetuo duraturam esse censet, additis Esaiæ vaticiniis *XXIX. 11. & sqq.* item dictis Christi *Matth. VIII. 12. Joh. VIII. 21.* & Pauli *2. Cor. III. 13. & sqq.* Licet vero eos reprehendat, qui apud Judæos intellectum Scripturæ quærunt, apud cæcos nempe visum, & apud furentes sapientiam; linguam tamen Hebraicam ab iis discendam esse fatetur, immo per Deum rogat *fol. 302.* omnes Hebrææ linguæ studiosos, ut operam illam diligentissime præstent; maxime vero, ut Grammaticam Hebraicam purgent a falsis Judæorum interpretationibus, quo ad Novum Testamentum & analogiam fidei accommodari possit; Nam Judæos distinctionibus, conjugationibus & punctationibus suis id egisse putat, ut vaticinia de Messia obscurarent, & utriusque Testamenti analogiam impedirent. Hoc præter ea, quæ supra ad allegata loca, contra cavillationes Judaicas annotaverat, ex *Es. IX. 6.* probat, ubi a Judæis, levi mutatione punctorum, in verbo ויקרא sensum illustrissimi dicti perversum esse dicit, ut legendo *vajicra* (& *vocabit*) intelligatur, ac si Deus, *admirabilis, consolator &c.* Messiam vocaturus esset *Principem pacis*: Sed si passive legatur *Vajicare*, (*& vocabitur*) tunc omnia illa nomina Messiæ tribui. Ista Lutherus, pro ea, quam tunc habebat, cognitione commentatus est. Postea aucta Hebraicæ literaturæ peritia, deprehensum est, punctationem illam, tametsi retineatur, cavillo Judæorum nullum afferre adminiculum. Cæterum plura exempla reperturos esse non dubitat Hebraistas, & inter illos nominatim compellat *Bernardum Zieglerum*, Professorem linguæ Hebraicæ Lipsiensem, hortaturque, ut juncta cum aliis opera Judaica illa fermenta ex Bibliis ejiciat. Addit, sibi gratum fore, etsi sua interpretatio Biblica alicubi erroris arguatur. Ob man müste mich angreiffen/ und tadeln/ der ich zuweilen in der Dolmetschung gefehlet/ das will ich mit danck annehmen. *O quam sæpe* (ait) *erravit Hieronymus! Egregii viri Santes* (Pagninus) *& Munsterus studio incredibili & inimitabili interpretati sunt Biblia, multaque bona præstiterunt, attamen a Rabbinis alicubi supplantati sunt, ut glossam illorum secuti, contra analogiam fidei*

Marginalia: (11) *Item de dignitate librorum N. T.* — (12) *De virginitate Mariæ.* — (13) *De conversione Judæorum.* — (14) *Professorum Grammaticam reprehendit Lutherus.* — (15) *Ut & punctationem.* — (16) *Agnoscit defectus in versione sua.*

fidei impegerint. Ego quoque plus justo translatoribus tribui, ut retractare quaedam cogar, praesertim versionem, II. Reg. XXIII. in verbis novissimis Davidis, sicut propediem faciam. Punctationem itaque Hebraicam aperte pro humano invento habet, (menschen fündlein) qua Judaei sensum Biblicum pervertere voluerint, sicut & aequivocationibus & distinctionibus suis, quae omnia regulam & legem ex significatione, cum Novo Testamento convenienti, accipere debere contendit. Haec minime praetereunda mihi visa sunt, licet non plane ignorem, quot quantique viri punctationem Hebraicam, ut primaevam & authenticam, defendant, & quid ex hac Lutheri contra punctationem disputatione, (in qua multos, nec minus eruditos sectatores habet,) incommodi metuant. Maxime vero ad modestiam Lutheri ostendendam faciunt, quae de errore & emendatione suae versionis ingenue & verecunde profitetur. His retundi debent clamores illorum, qui Lutherum pro imperio tantum egisse, & absolutum assensum ab omnibus exegisse, vociferantur. Nullum tamen ex hac ejus modestia adminiculum nascitur iis, qui ea vel ad Scripturae incertitudinem, vel versionis Lutheranae inutilitatem arguendam abuti velint. Certa enim nihilo minus & immota, satisque clara sunt in Scripturis fundamenta fidei, & constat versioni laus & utilitas sua, licet in locorum quorundam difficiliorum translatione vel Lutherus, vel quisquis alius interpres, non omnia exacte penetraverit, & in sensu exprimendo aliquando lapsus sit. Ex tractatu illo *secundo* contra Judaeos, *tertium* quoque conscribendi occasionem arripuit Lutherus, commentarium nempe *ad ultima verba Davidis II Sam. XXIII. 1. & seqq.* Extat is *d. Tom. VIII. fol. 304 ad fol. 341.* & Latina ejus versio *Tom. III. Witt. edit. 1549. fol. 91.* Memorat in exordio, S. Hieronymum testari, se ad novam Bibliorum versionem ideo accessisse, quia a Judaeis irrideri intelligeret Christianos, quasi vera non essent Biblia, quibus tunc ubique utebantur, quoniam scilicet erratum esset ab interpretibus in quibusdam verbis & literis, quae ab Hebraeo textu valde discrepent; Id quod antea *Aquilam*, *Theodotionem*, *Origenem*, aliosque ad versionis laborem moverit, unde eo tempore sex versiones extabant & *Hexapla* vocabantur. Eundem vertendi pruritum suo quoque tempore deprehendi dicit Lutherus, vereturque, ne tot versiones progressu temporis extent, quot homines scioli Hebraicae linguae notitiam sibi sint arrogaturi. Omitti tamen nimium hunc laborem posse existimat, modo Judaeorum de Bibliorum versione judicia contemnantur; idque vel ideo fieri debere dicit, quia ipsi fateantur, se aliquibus locis verba non intelligere, immo quod nec habeant Codices plane uniformes, & ab omni defectu, nec quoad Grammaticam, prorsus immunes; (Sie haben nicht einträchtiglich/ ohne allen mangel/ eine reine gewisse hebräische Bibel/ auch der Grammatic nach zu reden) in Theologia autem plane nihil sciant. Se vero haec Judaeorum scommata nihili facere, neque illorum causa vel elementa Hebraica cognoscere & discere velle, cum Christiani habeant Novum Testamentum, id est, Jesum Christum in Veteri Testamento promissum, qui adventu suo lumen & intellectum Scripturae attulit, quemadmodum *Joh. V. 46.* dixit: *Moyses de me scripsit*, & *Luc. XXIV. 25. 26. Necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in Lege, Moyse, Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Hic* (ait) *vertitur totius rei cardo* (da liegts/ da steckts/ da bleibts) *qui hunc virum, qui vocatur Jesus Christus, filius Dei, quem nos Christiani praedicamus, non recte & vere habet, nec habere cupit (agnoscere scilicet & in illum credere,) is, me autore, missa faciat Biblia,* (der lasse die Bibel mit frieden/ das rathe ich) *vereri enim debet, ne in sensu Scripturae eodem modo, quo Judaei & Turci, & olim Ariani, Manichaei, Pelagiani, atque hodie Papistae, erret.* Data igitur optione, se non dubitaturum esse inquit, quin intellectum Scripturae, quem habuerit Augustinus, Hebraicae literaturae licet parum peritus, summae Judaeorum in Grammatica scientiae praelaturus sit. Hac enim etsi instructissimi essent, Scripturam tamen non magis intelligere, quam (ut praedictum est *Esa. XXIX. 11.*) *librum signatum* sive clausum; cavere itaque jubet a nimio Rabbinisticae philologiae studio, quo *Lyranum*, virum quidem doctum & fidelem, saepiuscule lapsum esse constet. Satius inde putat, ut vetus interpretatio qualiscunque, quia ex Novo Testamento explicationem accipit, retineatur, quam philologiae saltem causa novae procudantur. Et sic ad propositum accedens, commentaturum se esse, speciminis causa, dicit in *verba ultima Davidis*, parum innitentem suae versioni, in qua alios omnes interpretes, ne solus sapere videretur, secutum se esse fatetur. *Jam, ait, meo sensu agam, & non nisi spiritum meum ducem sequar, sive placuero sive displicuero, neque enim nunc prima vice scribo, quae aliis non placent;* addit tamen, *se fundamento inbasurum esse pro viribus, ut opus suum in die Domini probari & manere possit I. Cor. III 12. & seqq.* De hoc quidem nemo dubitabit, qui hunc commentarium legerit, tanto Spiritus sancti lumine radiantem, ut, si quid judico, vel ex hoc libello de Lutheri Theologia orthodoxa, & quidem ea, *quae secundum pietatem est, Tit. I. 1.* testimonium manifestissimum capi possit. Periculum faciant lectores, Germani praesertim nostri; nam Latinus interpres emphasin styli assequi non potuit, quod, ut mihi, ita & omnibus contigit & pariter continget, qui transferre in aliam linguam Lutheri scripta occipiunt. Pauca quaedam, excitandi ad lectionem studii causa, excerpta dabo. Philologicum est, *fol. 306.* quod notat *d. l. cap. XXIII. v. 1.* ad vocem *(hucam)* הקם quam Hieronymus vertit *constitutum*; sed plus ea dici censet Lutherus, & Germanice uti se velle innuit voce gefestiget, nisi nova esset, & ipse novitates in lingua odisset. Inde desumtam esse conjicit definitionem fidei, *Hebr. XI. 1.* ubi dicitur, *substantia*, Graece ὑπόςασις & significationem exprimi verbis *stabilitus*, *substantiatus*, *constantificatus*, *hypostaticus*, *certus* passive, sicut verbum Domini *certum* est active. Grammaticum itidem est, quod ad verba: *egregius psaltes Israel*, sive, ut est in Hebraeo; *jucundus psalmis Israel*, observat: Psalmos, licet a Da-

(17) *Lutheri commentarium ad ultima verba Davidis.*

(18) *Monet quaedam de vero versionum scopo, & modo, contra Rabbinos.*

(19) *Speciatim in hoc libello suo, cujus elogium additur.*

(20) *Quaedam philologica.*

An. 1543. a Davide compositos, *Israelis* tamen dici, quia a cœtu Israelitico recepti sint; hoc enim requiri, ut aliquid Ecclesiæ tribuatur, & ita *Ambrosii*, *Sedulii* & aliorum hymnos *Ecclesiæ* dici, probatos nempe usu. Ad dogmatica maxime pertinent, quæ ex Davidis verbis *v. 2. 3. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam: Dixit Deus Israel mihi &c.* ad probandum sacrosanctum Trinitatis mysterium, egregie elicit, monetque, quomodo idem ex aliis Scripturæ locis, ubi Deus de Deo loquitur, & ubi Sermonis sive λόγου Dei, aut Domini, alium eodem nomine compellantis mentio fit, (observata interpretationis lege & analogia fidei) fieri debeat, utque semper tertia persona, Spiritus nempe sanctus, qui verba Prophetis & scriptoribus sacris dictat, simul intelligenda sit. Id ex loco Davidis parallelo, & ad quem verba ejus ultima respiciunt, *II. Sam. VII. 12. & I. Par. XVII. 11. & seqq.* solidissime, & per longam digressionem, *fol. 309. & seqq.* deducit. Respondet inde *fol. 313.* iis, qui objicere vellent, si tam clare mysterium illud ex Veteri Testamento cognosci potuerit, cur id non animadverterint Rabbini Judæorum & Patres Ecclesiæ primitivæ. Dicit nempe, linguam Hebraicam post decessum Apostolorum parum cognitam, & Patres contentos fuisse Novi Testamenti testimoniis. Rabbinos vero justo Dei judicio ad lucem illam cœcutiisse, suis occupatos præjudiciis, id quod accidere hoc tempore ait iis, qui ad liquidissimam doctrinam ex Evangelio de fide & justificatione oculos claudant. Inter alia Veteris Testamenti dicta ad eundem sensum pie & erudite explicat verba *Es. XL. 19. Dominus tibi in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Egregiam quoque subjungit paraphrasin versionis *Dan. VII. 13. 14.* ostenditque, Christianis minime difficile esse, ista & alia de Trinitate & de Christo intelligere, licet a Judæis & impiis alia omnia ex illis colligantur. His jungi debent, quæ habet *fol. 316.* ad *Ps. CX. 1.* collatis Christi verbis *Matth. XXII. 43. 44.* ubi etiam Spiritus sancti, per quem David locutus esse dicitur, & sic trium personarum expressa fit mentio. Ex dicto loco Danielis fundamenta struit doctrinæ *de communicatione idiomatum*, cum explicat, quod Daniel dicit de *potestate, honore & regno, filio hominis tradito*, ita nempe, ut potestatem, quam cum Deo Patre & Spiritu S. indivisim & in solidum ab æterno possidet, etiam acceperit, ut filius hominis, quod ostendunt dicta *Matth. XI. 27. XXVIII. 18.* Ex Daniele autem lucem afferri ait verbis Davidis, *d. l. I. Par. XVII. 16.* quæ vulgatus sic expressit: *Fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.* At Lutherus Hebræos fontes secutus, approbante, quem allegat, *Zieglero* Lipsiensi, vertit; *aspexisti me, veluti in forma hominis, qui in supernis est Dominus Deus.* Sicut etiam paulo ante *fol. 314.* & postea *fol. 318.* se recessisse dixit a versione vulgata *II. Sam. VII. 19.* ubi legitur; *Ista est lex Adam Domine Deus:* quod nihil ait significare, ipse vero reddidit: *Ista est species hominis, qui est Dominus Deus.* Ex hac communicatione idiomatum, quæ ex unione divinæ & humanæ naturæ in Christo necessario profluit, ingens solatium deducit, verbis exquisitis & patheticis, *fol. 316.* quæ interpres Latinus sic reddidit: *Deplorandum est, nos, qui Christiani sumus, & hoc immensum & inenarrabile beneficium, tanta luce & copia testimoniorum novi & veteris Testamenti, intelligimus, hoc ipsum non tanta lætitia amplecti, & ea gratitudine prosequi, qua debebamus. Nihil alienum aut mirum esset, si pii hominis cor tantæ rei magnitudinem plene & penitus comprehensam perspiceret, eum repente & subito extingui magnitudine gaudii, & rursus eodem gaudio reviviscere. Quid enim magis mirandum dici aut cogitari potest, quam nunc Deum vere esse hominem, & inter homines una nobiscum colloqui, commorari, consuetudine nostra uti, denique pro nobis mortem adire? Certe David ad rem tantam obstupescens & velut attonitus gaudio, nihil habet, quod dicat, nisi has mirantis voces. Quis sum ego? quisnam? quænam est mea domus? quod huc usque me provehis.* Præclare etiam de hoc mysterio argumentatur, ex *Jerem. XXX. 9. Servient Domino Deo suo, & David Regi suo;* ubi Christus cum Deo, pari cultu prosequendus, conjungitur. Hæc prima libelli parte reperiuntur. *Secunda*, ad proposita Davidis verba regressus, demonstrandum sumit, quomodo probari possit, quod Christus dixit, Moysen de se scripsisse, & sic, quod Moyses Christianus fuerit, sive doctrinam de Christo proposuerit. Hoc per Apostolos Johannem & Paulum, veluti per Legatos, exploraturum se esse dicit, & sic ante omnia confert dictum Johannis *cap. I. 1. In principio erat verbum &c.* cum dictis Moysis *Gen. I. 1. 2. 3. In principio creavit Deus cœlum & terram, dixitque Deus;* & considerato simul testimonio *Psal. XXXIII. 6.* Accurate deinde de operibus divinitatis, quæ dicuntur *ad extra*, ut indivisis, & de iis, quæ dicuntur *ad intra*, sive personarum characteribus, commentatur, & confusiones atque errores caveri & vitari jubet. Agnoscit sane, videri posse hæc subtiliora esse, quam populo Germanico proponi debeant, (ist uns Teutschen vielleicht zu scharff oder subtil) & melius intra scholæ cancellos retineri, quoniam vero Diabolus (ut ait) caudam vibret, ipse vero (utinam haud falsus vates) conjicit, fore, ut ultimis his temporibus hæreses veteres sit resuscitaturus, mundus etiam ad audienda nova vehementi pruritu feratur, sanam vero doctrinam *II. Tim. IV. 3.* fastidiat; utile esse statuit ut ex populo quidam, ut & simpliciores sive indoctiores ex Pastoribus & scholarum magistris, de articulis & mysteriis fidei lingua Germanica erudiantur: quibus vero difficiliora hæc intellectu sint, eos jubet cum pueris in Catechismo subsistere, & contra Diabolum & hæreticos, Judæos & Turcos orare. Explicat inde uberrime & accurate, tam trinitatem personarum, quam unitatem essentiæ, ex dictis *Luc. III. 22.* aliisque. Occurrit etiam *fol. 323.* scrupulis, qui, ut haud abs re judicat, etiam pios & doctos urgere possunt, quomodo sancte & absque errore unum Deum in singulis personis Trinitatis invocemus; quod postea *fol. 325.* pluribus persequitur. Merentur verba ejus quædam, licet paulo prolixiora, in gratiam eorum, quibus dubium tale suboriri potest, ex versione Latina *fol.*

(21) *De mysterio S. S. Trinitatis.*

(22) *De communicatione idiomatum, & unione personali.*

(23) *Observatio de mysteriis fidei populo proponendis.*

(24) *De invocatione trium personarum Divinitatis.*

An. 1543. *fol. 112.* adscribi. *Scimus* (ait) *certum & indubitatum hoc esse, ac ita Deum ipsum illustribus testimoniis sese patefecisse, quod sit unicus æternus Deus, conditor & parens omnium rerum, cœli & terræ, quodque idem unicus creator & pater universæ naturæ conditæ, sit vere & natura pater unici filii sui, intra ipsam divinitatem. Et rursus, quod in eadem divinitate idem ille Deus conditor, pater naturæ rerum, sit unicus vere & natura æternus filius æterni patris; Denique quod & idem Deus, conditor, pater omnium rerum, sit unicus Spiritus Sanctus, ab æterno patre & filio procedens & utrique coæternus. Nam hæ tres distinctæ personæ revera sunt unicus æternus Deus, conditor, pater omnium rerum, & unaqualibet persona vere est ille unicus æternus Deus, conditor, pater universi opificii mundi. Quare, si in hac agnitione Dei & fide precationem instituens, invocationem tuam dirigis ad Christum, tali forma verborum: Invoco te Domine Jesu Christe, unice, æterne & vive Deus, conditor, pater omnium nostrum, hac, inquam, precatione non est, quod metuas, ne patrem aut Spiritum S. offendas, tanquam aliquid vel alteri, vel utrique de suo detrahens, sed tuto & secure statuere potes, probari Deo tuam invocationem, & totam divinitatem agnoscere, & velut attestari, quamcunque trium personarum unam invoces, te hoc ipso simul etiam omnes, adeoque unicum Deum invocare. Nulla enim citra aut extra reliquas, aut velut ab illis divisa aut separata, invocari potest, quia constat, esse unicam, indivisam divinitatem, & omnium personarum, & uniuscujusque seorsim. Sic etiam ex opposito, nullam trium personarum negare aut contumelia afficere potes, quin simul omnes, adeoque eundem unicum verum Deum, prorsus neges, ut I. Joh. II. dicitur: Qui filium abnegavit, is nec Patrem retinet. Sic igitur, inquam, Dominum Jesum Christum invocans, nihil erras, aut perperam facis, perinde, ut Ecclesia de Spiritu S. canens, etiam ad ipsum dirigit invocationem; Veni pater pauperum &c. Sed tamen ad retinendam simplicitatem & proprietatem doctrinæ de discrimine personarum, & ad exemplum Apostolicæ formæ & consuetudinis, in Ecclesia imitatione Apostolica receptæ, convenientius est, sequi ac tenere hunc ordinem, ut juxta seriem, qua recensentur personæ divinitatis, instituentes invocationem, & alias in docendo aut exponenda confessione fidei nostræ, primam nominemus personam Dei patris, sicut in forma a Christo tradita dicimus, Pater cœlestis &c. quia hæc persona est veluti scaturigo & fons divinitatis (ut sic liceat loqui) in Filio & in Spiritu sancto, nec potest, nominato Deo Patre, sejungi aut abesse Filius, sed necesse est, hunc etiam tanquam una nominatum, intelligi, ita & Spiritum sanctum, nominato Patre & Filio, intelligi oportet una, & nominatum esse, cum nulla trium personarum ipsa divinitate ab alia sejuncta, aut extra aliam seorsim, tanquam alius Deus, esse possit. Sic fere Apostolos Paulum & Petrum loqui videmus, Benedictus Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, pater omnis misericordiæ &c. & Christus ipse passim in concionibus Evangelicis mentionem seu nomen patris suo anteponit, & ad eum se & omnia sua refert; Et tamen idem clare inquit, filium honorandum esse, perinde ut honoratur Pater. Item, quæcunque habet Pater, mea sunt; Et, quæ Pater operatur, similiter operatur & Filius. Videlicet prorsus tota divinitate æqualem Patri se faciens, nisi quod intelligi vult, primam personam divinitatis esse Patrem, a qua Filius est, & habet hoc ipsum, quod Filius est, non econtra Pater a Filio.* Hæc Lutherus. Sed abrumpendum est, quanquam summo cum profectu plura notari possint. Vide, quæ habet ad dicta Pauli *Coloss. I. 15. & seqq. 1. Cor. X. 4.* item ad *Gen. III. 15.* & *Gen. IV. 1.* ubi accurate explicat verba Evæ, quæ vulgatus ita vertit: *possedi virum per Deum*; alii varie: Sed Lutherus solide evincit, particulam Hebraicam (*Et* את) perpetuo & regulariter esse notam accusativi seu appositionis, unde ipse reddit: *possedi virum Dominum*; ut Evam recte intellexisse monstret promissionem de semine suo, quod scilicet Messias ex fœmina natus homo & Deus sit futurus; locum vero, quem opponi posse videt de Henocho, qui *Gen. V. 24.* in versione vulgata dicitur ambulasse cum Deo, in Hebræo vero legitur: ויתהלך את־האלוהים *ambulavit Deum*, commodissime intelligi posse putat, ut illud ex phrasi Latina, *vixit Sardanapalum*, *vixit bacchanalia*, ut si de homine dicatur, qui Deum ambulet seu vivat, idem sit, ac si dicatur divine vivere, ideo & in sua versione Henocho vitam divinam (göttlich leben) tribuit. Addenda est explicatio eximia apparitionis Moysi factæ, *Exod. XXXIII. 17. & seqq.* item *Exod. XXXIV. 23.* ubi masculi ter in anno jubentur comparere coram האדן יהוה אלוהי ישראל *Dominatore Jehova, Deo Israel*, unde iterum argumentum pro Trinitate eruit. Specialis inde dissertatio sequitur *fol. 336.* de duabus naturis in Christo, cum refutatione errorum & hæresium tam Nestorii, quam Eutychis, & recentioris cujusdam, quem insanum vocat, *Johannem Campanum* sine dubio innuens, ut & Judæorum & Turcorum. Denique reliqua verba Davidis breviter percurrit. In fine dicit, se optare, ut Theologi nostri Hebraicæ linguæ alacre impendant studium, & Biblia, a furibus protervis (Judæis scilicet) erepta, domum reducant, (daß unser Theologen getrost Ebräisch studirten/ und die Bibel uns wieder heimholten/ von den muthwilligen dieben) utque omnia meliora faciant, quam ipse fecerit, ita nempe, ne se Rabbinis, eorumque affectatæ & tortæ (gemarterten) Grammaticæ falsæque interpretationi subjiciant, sed Dominum & Salvatorem nostrum clarissime in Scripturis inveniant & cognoscant.

(25) *Explicatio dictorum quorundam.*

Observatio de mysterio fidei ...

(26) *De duabus naturis in Christo.*

§. CXII.

(1) *De oratiunculis, a filiis Saxoniæ Electoris habitis.*

Ad præfationes & epistolas, aliaque scripta breviora Lutheri progredientes, inserendum hic esse existimavimus præloquium, ex libello tunc edito, qui in *Sereniss. Brunsvic. Ducis* bibliotheca privata asservatur; ut & ex *Tom. IV. Lat. Jen. fol 780.* quod declamationibus, hoc anno III. Kal. Maj. (29. April) Wittenbergæ ab Electoris Sax. Joh. Friderici filiis habitis, præfixit. Primogenitus, *Joh. Fridericus secundus*, sive *medius* dictus, (habuit enim fratrem ejusdem nominis natu minorem, in flore ætatis postea extinctum) annos

An. 1543. natus quatuordecim disseruit de officio boni Principis. Alter *Joh. Guilielmus* anno ætatis decimo tertio de S. Georgio verba fecit. Aderant *Ernestus*, Dux Lüneburgensis, & *Wolffgangus*, Princeps Anhaltinus, proceresque Aulæ & Academiæ. Excusæ sunt oratiunculæ, adjunctæque aliæ, anno præcedenti, nempe anno 1542. Torgaviæ in *hypocausto*, ut dicitur, *gentilitio*, a primogenito pronuntiatæ, altera d. 28. Febr. *de legibus regni literarii puerilis*; altera *d. 2. Octob.* qua parenti Electori de victoria adversus *Henricum* Brunsuicensem gratulatus est. Lutheri elogium, quod oratiunculis præmissum fuit, hoc est. *Vidimus & audivimus his diebus singulare, & apud Germanos inusitatum exemplum, quod duo fratres, alter tertium decimum, alter quartum decimum annum ingressus, ac pene (ut dicitur) infantes, habuerunt duas has orationes Latinas contiguas, coram tota hac universitate. Et hi fratres non infimæ, nec mediocris, sed summæ nobilitatis, puta summo, clarissimoque loco nati, nempe filii Illustrissimi Principis nostri & Domini, Dn. Johannis Friderici, Ducis Sax. Electoris &c. omnium studiorum, artium & virtutum Patroni clementissimi. Qui & ipse, cum aliquot aliis Principibus, una præsens audiebat, magno (ut credere par fuit, & satis apparebat) gaudio, scilicet pater filios suos, ea ætate, tam feliciter, idque brevi tempore in literis profecisse. Ego sane inter cæteros admirabar vehementer, non solum istam animi magnitudinem in pueris, qua in tali ac tanto cœtu, nihil territi, Latine & dexterrime perorabant, sed etiam tam pure, tam graviter, tam distincte, ac fere memoriter, quasi ex tempore dicerent, omnia pronunciabant. Simul succurrebat recordatio temporis paulo superioris, in quo non invenisses ex omni (quæ dicitur) multitudine Ecclesiastica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, addo, Doctorum, & quicunque voluissent denique audire doctissimi inter eos, qui tale aliquid præstare potuisset. Certe magnum decus, magnamque gloriam literæ, utut sint apud alios Magnates & proceres contemtæ, in istis clarissimis & Illustrissimis Principibus consecutæ sunt, nec minori gloria ipsæ vicissim Principes tantos ornaverunt. Hic videas, quid sit quantumque valeat bona institutio, præsertim, si contingat (ut hic) natura formabilis, & ingenium idoneum. Qua in re optimi parentis & Illustrissimi Principis consilium & voluntas mirifice extollenda sunt, qui filios suos non vulgari more Principum & nobilitatis dilexerit, id est, otio & ignorantia negligi passus sit, sed omni studio & cura eos recte institui & erudiri curarit, ut essent non tantum sanguinis genere clarissimi, sed & literis ingeniique cultu, cunctis nationibus admirabiles. Sed ipsæ orationes mihi omnem materiam laudis præripuerunt, ex quibus ipse lector intelliget plura, quam mea, sicca ista & jejuna, seu horrida & sordida oratio dicere potest. Hoc reliquum est, ut optimis pueris, clarissimisque Principibus omnia bona precemur, & oremus Deum Patrem, largitorem istorum & omnium bonorum, ut cœptis istis felicibus studiis & institutis feliciorem successum, felicissimumque fructum benedictione abundantis gratiæ suæ donare dignetur. Quod eo magis orandum est, quod hoc seculo ingrato & pessimo, dubitare nos Christiani non possumus, quin Diabolus, omnium bonorum, ipsiusque Dei hostis furentissimus, & sicut leo rugiens, & confessioni Evangelii per istos Principes exacerbatissimus, tentabit omnibus studiis & insidiis, si non perdere omnino poterit, tamen impedire & frustrari hæc divina dona. Et vidimus in sacris historiis, immo & in omnium gentium historiis, quibus, qualibus, quantis machinis & astutiis in aulis Regum & Principum (quia ex illis maximos & saluberrimos fructus in Ecclesiam & Politiam proferri sentit) regnare semper tentarit, & omnia invertere studuerit, ut nisi Principem ista coronet & complectatur oratio, psalmo vigesimo; protegat te nomen Jacob, mittat tibi auxilium de sancto, & de Zion tueatur te; certe inter tot dracones, serpentes, lupos, vulpes, & si qua pejora sunt monstra, diaboli furentis ministeria, id est, inter fallaces Consiliarios, perfidos amicos, proditores ministros, rapaces proceres, ipse unus & solus nequeat onus suum sustinere & perdurare, & tamen inter hos vivere & regere cogitur. Principes enim, & quod optimum & summum in mundo est, unice & avidissime petit, delicata est gulæ: (ut dicit Habacuc) Esca ejus electa, & tyranni ridiculum ejus sunt. Quapropter commendatos sibi habeat Ecclesia, & quisquis est, qui Christi esse voluerit, hos optimos Principes, & eorum studia ac gubernationes, fideli & seria apud Deum oratione juvet contra Diabolum, hostem illorum præcipuum. Qua in re faciemus non solum gratissimum sacrificium Deo, sed nobis ipsis quoque necessarium & salutare beneficium. Quis enim cogitando, nedum dicendo, consequi potest, quam beata res sit, sub bono & salutari Principe vivere, qui & gloriam Dei & salutem Reipublicæ quærat, augeat & conservet. Dona sunt hæc, & (ut Scriptura loquitur) benedictiones Dei opulentissimæ. Ipse Dominus Jesus Christus, filius Dei, qui cœpit bonum opus suum in istis fratribus Principibus, det, ut non solum aliis Principibus, sed sibi ipsis has duas orationes cumulatissimo opere & fructu recitarint, recitent, retineantque semper ad gloriam Dei & salutem hominum, Amen.* Historia Illustrissimorum Oratorum illorum non est hujus loci, in his etiam provinciis, in quibus vivo & scribo, notissima; sed exterorum causa pauca ex illa afferam. *Johannes Fridericus*, qui anno 1529. natus, non solum spe Electoralis successionis, infortunio parentis, qui ea anno 1547. exutus fuit, excidit; sed &, cum imprudenti zelo, & hominum male feriatorum pravis consiliis deceptus, res novas moliretur, anno 1567. in arce sua Gothana, auspiciis Cæsareis, ab Augusto Saxoniæ Electore obsessus, ad deditionem coactus, & ad captivitatem perpetuam damnatus fuit, in qua etiam anno 1595. Neostadii in Austria decessit. Erat de cætero bono & miti, sed nimis flexili ingenio Princeps, nec indoctus, & afflictionem suam patienter tulit. Filii ejus ex *Elisabetha* Palatina duo, *Johannes Casimirus*, Coburgensium, & *Johannes Ernestus*, Isenacensium, Duces, nostra memoria sine prole decesserunt, eorumque hæreditas ad *Johannis Guilielmi* nepotes delata est. Is erat alter ex Oratoribus istis supra nominatis, frater Johannis Friderici *secundo genitus*, propagator Serenissimæ stirpis Ducum Saxoniæ, ab *Ernesto Electore* descendentis, qui hoc tempore provincias omnes inter se divisas possident, quæ *Johanni Friderico* Electori, ejusque

(2) *Lutheri in eas præfatio, & elogium puerorum.*

(3) *Votum pro illis.*

(4) *Annotatio quædam historica.*

An. 1543.

An. 1543. jusque fratri *Johanni Ernesto*, (qui sine posteris decessit) tum legibus deditionis, a Carolo V. Imperatore anno 1547. in castris ad Wittenbergam; tum ex pacto cum Augusto Sax. Electore obvenerunt, & hodie jus quinque suffragiorum, pro totidem Ducatibus in classe Principum Imperii habent.

(c) *Epistolæ Lutheri ad Wolferinum de re sacramentaria.*

Epistolæ Lutheri, quæ, ut supra dixi, *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 596. b. & seqq.* extant, scriptæ sunt ad *Simonem Wolferinum*, Pastorem ad D. Andreæ Islebiensem, qui cum *Friderico Raubero*, Pastore ad D. Petri de sacramento disputabat. Exprobrat ei Lutherus d. 4. Julii atrocitatem in verbis, quibus usus erat adversus comministrum, deinde quod iis, quæ post communionem ex pane & vino reliqua erant, vulgariter uteretur. Licet enim cessante communione, cesset Sacramentum, scandalum tamen vitandum esse monet, suadet igitur, ut reliqua illa ipse cum communicantibus consumat, quod Wittenbergæ fieri consueverat. *Non est necesse*, ait, *ut quæstiones illas scandalosas & periculosas moveas de cessatione actionis sacramentalis, in quibus tu suffocaberis, nisi resipiscas. Nam hoc argumento tollis totum Sacramentum, nec habes, quod respondeas calumniatoribus, qui dicent; inter agendum plus cessat Sacramentum, quam exercetur.* Subscripsit his literis, pro testando assensu *D. Pomeranus.* Clarius ista explicantur alia ad eundem epistola d. 20. Jul. *fol. 597. b. & seq.* ex qua sequentia adscribimus: *Scilicet ego non turbarer & dolerem, optime Simon Wolferine, qui viderem, vos unius oppiduli, unius Ecclesiæ populi ministros, in doctrina tota concordes, tam gladiatorio animo inter vos concurrere, propter rem, nec perspectam satis vobis, neque tanti momenti, si perspecta esset? Vide tu ipse propositiones tuas, an respondeant tam tragicæ vociferationes charitati & fraternitati. Video Satanam vos tentare, ut ex festuca trabem faciat, potius incendium ex scintilla. Poteratis hæc mutuo colloquio transigere, cum non contra rabiem Papistarum, sed contra socium ministerii & religionis res esset. Sane D. Philippus recte scripsit, Sacramentum nullum esse extra actionem sacramentalem; sed vos nimis præcipitanter & abrupte definitis actionem sacramentalem. Quare efficietis, ut nullum prorsus videamini habere sacramentum. Nam si stet illa festinata præcisio actionis, sequetur, quod post prolationem verborum, quæ est potissima & principalis actio in Sacramento, nullus percipiat corpus & sanguinem Christi, eo, quod desierit actio. Hoc certe non vult D. Philippus, & generaret ista definitio actionis infinitos scrupulos conscientiarum & interminabiles quæstiones, sicut apud Papistas disputabatur, an sub primis, mediis, vel ultimis syllabis adesset corpus & sanguis Christi. Spectandus est ergo non tantum motus ipse actionis instantis vel præsentis, sed tempus quoque non mathematica, sed physica latitudine, hoc est, danda est mora actioni huic, & mora in justa latitudine, ut dicunt, ἐν πλάτει. Sic ergo definiemus tempus vel actionem sacramentalem, ut incipiat ab initio orationis Dominicæ, & duret, donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus & ab altari discessum sit; ita tuti & liberi erimus a scrupulis & scandalis quæstionum interminabilium. D. Philippus actionem sacramentalem definit relatione ad extra, id est, contra inclusionem & circumgestationem Sacramenti. Non dividit eam intra se ipsam, nec definit contra se ipsam. Quare curabitis, si quid reliquum fuerit Sacramenti, ut id accipiant vel aliqui communicantes, vel ipse sacerdos & minister, non, ut solus Diaconus, vel alius, tantummodo bibat reliquum in calice, sed aliis det, qui & de corpore participati fuerint, ne videamini malo exemplo Sacramentum dividere, aut actionem sacramentalem irreverenter tractare. Sic sentio, sic sentit & Philippus, hoc scio.*

(6) *Consolatoria Lutheri ad Amsdorffium.*

Manuscriptæ Lutheri literæ, hoc anno ad *Amsdorffium* Episcopum datæ, duæ ad me pervenerunt, quæ in *Bibliotheca Jenensi* extant. Prior scripta est d. 10. Julii. In hac de valetudinis infirmitate queritur, & beatum sibi exoptat obitum; deinde Episcopo solatia proponit his verbis: *Tibi esse molestum istum Episcopatum, etiam sine teste, valde credo; sed, quia voluntas Dei fuit & est, de qua dicimus: fiat voluntas tua, in qua nobis vivendum, lætandum; ferendum est omne, quod acciderit. Si nemini placet, sufficit, illius voluntati optime placuisse, quod facimus, aut quod patimur. Ipse reddet suo tempore nobis, qui voluntati ejus bona, licet incognita & insensibili, nos obtulerimus. Miseria est, in qua vivis, sed ea conjuncta est cum gloria æterna & beneplacito Dei, quia non tibi, sed ejus voluntati servis in hac servitute, deinde impedimentum es Diabolo & suis, ne mala plura faciant. Et absit, ut Episcopus esses similis istis ventribus, qui suas hic consolationes habent, in perpetuam ignominiam & pœnam. Non enim sunt in luctu nobiscum, cum hominibus non flagellantur &c. Consolare ergo & roborare in Domino, cum scias, te esse in ista beatitudine cum Sanctis: Beati, qui lugent, quoniam ipsi in Domino consolabuntur. Ora pro me, ut vel cito moriar in Domino, vel recreatior factus te cito visitem, Amen.* Altera d. 7. Novemb. itidem multas de corporis incommodis querelas proponit, paratus tamen cadaver illud putridum (den faulen schelmen) deponere. Addit deinde: *De novitatibus nihil scio, neque magnopere scire cupio. Mundus est mundus, fuit mundus, erit mundus, qui nil scit nec scire cupit de Christo. Eat ergo viis suis, ut Christus & nos etiam nihil de eo sciamus, nisi quod hoc scimus, non esse vera, nec futura, quæ mundus scit & cupit, quia scriptum est: vanitas omnis homo vivens, & tu Domine imaginem eorum ad nihilum rediges. Nihilominus pergant furere & indies pejores fieri, quæ res magnum solatium est, instare diem adventus gloriæ Dei. Nam ille indicibilis contemtus verbi, & gemitus piorum inenarrabilis significant, mundum esse traditum, ut acceleret diem perditionis suæ, & salutis nostræ, Amen, fiat Amen! Sic erat mundus ante diluvium, sic ante subversionem Sodomæ, sic ante captivitatem Babylonis, sic ante excidium Hierusalem, sic ante vastitatem Romæ, sic ante miseriam Græciæ & Hungariæ, sic erit & est ante ruinam Germaniæ.*

An. 1543.

hören sollen sie nicht / erfahren müssen sie (*Audient nihil, sed experientur.*) *De his tecum coram libentius agerem, pro mutua inter nos consolatione.* Wir müssen doch singen (*cantare nos oportet*) *cum illis Jerem. 51. Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Vale in Domino, qui est salus nostra, & salvabit nos in æternum, Amen!* Inscriptio literarum notanda est, quæ hæc fuit: *Reverendo in Christo & vere Episcopo Ecclesiæ Numburgensis D. Nicolao ab Amsdorff, Majori suo suspiciendo.* Doctoris titulus hoc anno collatus est Wittenbergæ *Johanni Marbachio*, Lindaviensi, celebri postea apud Argentoratenses Theologo; huic sequentem quæstionem, ut moris est, Lutherus proposuit: *An in Synodo in judiciis dogmatum soli Episcopi habeant suffragationem decisivam?* Subjicitur autem hæc responsio: *Solos Episcopos habere hanc autoritatem, videtur ex hoc argumento, quod in synodo Chalcedonensi scriptum est, Synodum esse Episcoporum, non Clericorum: Non igitur concedent suffragationem cæteris præter Episcopos. Deinde, ut maxime concedatur suffragatio non solis Episcopis, sed etiam cæteris sacerdotibus; tamen Laicos excludendos esse contendunt, quia receptum est, judicia non esse confundenda, sed causas profanas relinquendas esse Magistratui, qui imperia gubernat, ecclesiasticas vero definiendas esse per Episcopos & sacerdotes, quia his cura doctrinæ commendata est, sicut scriptum est apud Malach. Ex ore sacerdotis requiram legem. Ac multa possunt citari in hanc sententiam de vitanda confusione judiciorum. Sed contra argumentantur alii: Summum judicium est Ecclesiæ, quæ constat non tantum ex Doctoribus, sed etiam ex reliquo cœtu, ideoque promissio veritatis ad universam Ecclesiam pertinet, non ad unum ordinem. Sunt igitur legendi judices non tantum sacerdotes, sed & laici, qui propter honestos mores, gravitatem & eruditionem, censentur idonei. Ac de sacerdotibus exempla manifesta sunt. Extat hodie synodi Ephesinæ liber, in quo sunt subscriptiones Presbyterorum & Diaconorum. Extat & Concilium Toletanum, quod jubet ordine suffragari Episcopos, Presbyteros & Diaconos. In synodo Antiochena refutatione & suffragio suo condemnavit Samosatenum Diaconus Malchion: in Nicæna Arium Athanasius, nondum Episcopus. Sed de Laicis exempla quæruntur. Constantinum, narrat historia, disputasse, & sua scriptione damnasse Arium. Interfuit & Martianus Imperator synodo Chalcedonensi, & extant ejus verba, quæ dicunt, in causis fidei cognoscendis etiam laicos adhibendos esse. Postremo Paulus inquit de his judiciis, si fuerit sedenti revelatum, taceat prior, volo omnes ordine dicere sententias. Denique cum summum sit Ecclesiæ judicium, quæ constat ex Doctoribus & reliquo cœtu, necesse est ex utroque judices legi.* Testimonium Marbachio a Luthero d. 20. Februarii exhibitum producit *D. Joh. Fechtius*, alibi a me laudatus, in *Volum. Epist. Theol. anno 1684. Durlaci* publicato, *p. 3.* Referemus hic etiam, de qua in aliis hujus anni actis mentio fieri potuisset, ex epistola, non quidem a Luthero, sed ad illum a *Vito Theodorico* d. 16. Febr. scripta, mortem *Joh. Eccii*, quam sic narrat: *De Eccii morte audivisse te puto. Decessit decima Februarii sub meridiem. Decubuit dies plus minus septem. Initio febris eum invasit, quam cum solito more curaret crebris poculis, malum auctum est, adeo, ut hortarentur eum amici ad confessionem & Eucharistiam. Sed frustra aliquandiu. Tandem etiam παραφρόνησις accessit. Itaque festinarunt & adhibuerunt monachum, qui ad lectum Missam celebraret. Is cum solitas abominationes Canonis mussaret, Eccius exclamare cœpit:* hätten wir nun die 4000. Gülden / wir wolten der sachen wohl rath finden. (id est, *si nunc haberemus florenos illos quater mille, facile inveniremus consilium*) *Et tamen sic παραφρονοῦντι data Eucharistia est. Paulo post secuta est epilepsia, quæ non solum aliorum sensuum omnium, sed etiam linguæ usum ademit. Quicquid dictum ei est, lapidi dictum est; nec profuit, quod monachi ad lectum murmurarent non intellectos Psalmos. Tandem accessit tertius morbus, qui etiam vinosorum & libidinosorum est, itaque una cum sanguine etiam animam evomuit. Hæc mihi narravit Weiglerus, nam ejus amici alia: Pudet enim eos in suo defensore tam fœdæ mortis. Respondit Buceri secundo scripto; dicunt esse virulentissimum librum. Bucerus alicubi scripserat, Eccium mortuum, Eccius in libri titulo scripsit hæc verba: Quia Eccius vivit. Cum itaque liber Ingolstadii absolutus exiret, Eccius ægrotare cœpit, & vivere desiit. Hæc in homine blasphemo non sunt simpliciter naturalia.* Lutheri epistolam MS. retulit *Bavarus Tom. I. pag. 440.* in qua scribit: *Corruit Eccius d. 10. Febr. in meridie, intra septem dies febri, phrenesi & epilepsia vexatus, & denique apoplexia extinctus.*

(7) *Quæstio D. Marbachio proposita a Luthero.*

(8) *Viti Theodorici, ut & Lutheri epistolæ de morte Eccii.*

Ex epistolis & præfationibus Lutheri Germanicis, *Tomo VIII. Alt. fol. 274. & seqq.* relatis, notanda est (1) severa ad magistratum quendam oppidanum dehortatio d. 27. Jan. data, ne Pastorem suum expellant, qui in concionibus acriter taxaverat vitia; hoc enim, ait, ad officium ejus pertinere, atque Dei nomine fieri. Pastor ille fortasse fuit *D. Joachimus Morlinus*, quem Arnstadio pulsum fuisse, ex aliis literis Lutheri, d. 22. Nov. 1543. & 25. Jan. anni sequentis datis, (*fol. 276. & seq.*) intelligitur. (2) Præfatio ad Commentarium *D. Wenceslai Linccii* in Pentateuchum *fol. 303.* In hac egregie deprædicat summam & inexhaustam Scripturæ sacræ & speciatim librorum Moysaicorum sapientiam, ex verbis *Siracidis cap. XXIV. 32. & seqq. Hæc, ait, certissime vera sunt, & ego, exiguus inter Christianos, parvum aliquod experimentum feci; sed cum putarem, me in altum enixum esse, deprehendi, quod non essem, nisi alphabetarius. Ita Augustinus fassus est, se scribendo & docendo profecisse, unde in posterioribus scriptis longe alius vir est, quam fuit in prioribus.* Etsi autem Lutherus cum Salomone *Eccles. XII 12.* agnoscat, scribendi libros nullum finem esse, ideoque & suos, quos non satis eruditos esse dicit, multoque magis aliorum, qui non tam Dei, quam suam gloriam quærant, perituros esse ominetur, sicut ex scriptis intra annos triginta jam plurima ex memoria hominum exciderint; commentandi tamen

(9) *Lutheri epistola pro Pastore, qui vitia taxaverat.*

(10) *Præfatio in D. Linccii commentarium in Pentateuchum.*

An.1543. men in sacras literas laborem continuandum esse, statuit, exemplo veterum, & ut eandem diligentiam in scrutandis illis adhibeamus, etiamsi doctissimi quoque & pii scriptores aliquando non solum aurum, argentum & lapides pretiosos, sed etiam ligna, fœnum, & stipulas afferant; id enim iis non minus ignoscendum esse, quam Magistro sententiarum, Augustino, Gregorio, Cypriano & fere omnibus veteribus. Elogium inde *Linceii* subjungit, qui librum suum meliori, ut putat, successu publicaturus sit, quam *Carolostadius* & *Zuinglius*. Extat (3.) admonitio ad Pastores *fol. 341* ut populum, sicut Elector Saxoniæ publice mandaverat, ad preces pro successu belli contra Turcos exhortarentur. Non tacet rem anno superiori male gestam, & quod inutiliter impensa fuerint gravia civium tributa, egregiæ virorum copiæ amissæ, nomen Christianum in ludibrium apud Turcos versum sit, cum laude Mahometis; quidam etiam Principes, ut fama sit, tributa a subditis collecta retinuerint, & exercitum stipendiis fraudaverint; hos Turcis haud meliores habet, & Germania ejiciendos esse censet. Fatetur, se de successu precum fere desperasse, tum ob illam quorundam perfidiam, tum ob impietatem universalem, & quod flagitia omnia palam continuentur. Precibus tamen insistendum esse monet, ut officio pietatis satisfiat. Si vero Deus pœnam, malitia hominum meritam, decreverit, & preces non exaudiat, fore nihilominus, ut hæc ad orantes revertantur, sicut pax *Matth. X. 13.* (4.) Cum scorta quædam Wittenbergam venissent, programmate acerrimo hortatus est Lutherus juventutem Academicam, d. 13. Maj. ut sibi ab illis & morbo Gallico caveret, minatur etiam severam a Principe optimo & verecundissimo animadversionem. *Stulti*, ait, *juvenes nullum ardorem ferre volunt, statim scortum quærunt, hanc vocant veteres impatientiam libidinis. Neque tamen statim illam explere, aut, quicquid libet, agere licet; resistendum est, sic jubente Scriptura: post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere, Ecclesiast. XVIII. 30.* (5.) Consolatoriæ Lutheri exhibentur, *fol. 274.* ad mulierem, cui iratæ imprecatio quædam exciderat, tanta inde pœnitentia ei oborta, ut de absolutionis sacerdotalis efficacia dubitaret: Item *fol. 344.* ad maritum, qui uxorem morte amiserat. *(6.) Caspar Schwenckfeldius* hoc tempore literas & libellum Luthero miserat; sed hic responsi loco tabellario schedam dedit, in qua *Schwenckfeldio* acerrime exprobrat, quod in Silesia incendium in causa Sacramentaria excitaverit, quod nondum desiisset, & æternum ipsi exitium esset allaturum; prætere a, quod Eutychianismo & dogmate, ut loquitur, *creaturalitatis* (mit seiner Eutycherey und Creatürligkeit) turbare non cessaret Ecclesiam, nullo mandato neque vocatione divina instructus; hominem vocat *insanum & a Diabolo obsessum, ita ut nesciat, quid blateret aut balbutiat.* Testatur itaque se ab illo nihil prorsus literarum aut libellorum accepturum esse, & gravem ei & Sacramentariis atque Eutychianis ultionem a Deo interminatur. (7.) Denique *fol. 342.* refertur epistola Lutheri, d. 2. April. hoc anno scripta, ad virum in aula quadam, ut apparet, potentem, qui de excommunicatione flagitiosorum, ad exemplum veteris Ecclesiæ, restituenda consilium ceperat. Laudat id Lutherus, sed simul prædicit, fore, ut magna inventurus sit obstacula, quia licentia nimis diu invaluisset, & Principes talia parum curarent. Acriter sane in eos invehitur, quos nihil fere agere dicit, quam ut frequentissimis tributis populum exhauriant, ut pleraque Principum palatia jam nihil sint, quam quæstorum & publicanorum stationes (Rentherenen und Zollhäuser.) In hac ipsa autem epistola de ritu elevationis ita scribit: *Abrogavimus hic elevationem Sacramenti, nullam aliam ob causam, quam ut libertatem nostram indicaremus, ostendentes, nos Dominos, non servos esse ceremoniarum, & concordare velle cum Ecclesiis in Saxonia; parati enim sumus ad elevationem illam restituendam, si aliis Ecclesiis expediat, maxime vero ad tuendam & conservandam libertatem conscientiarum, quam Satanas omni tempore & loco per ceremonias infestavit, & sæpe in graviorem redegit servitutem, quam ipsa Lex exigebat. Bossuetus* Meldensis Episcopus in opere sæpe citato *de Variationibus Lib. VI. §. 12. & 32.* Lutherum accusat inconstantiæ & abjecti vilisque animi, quod non nisi in *Philippi Hassiæ Landgravii* gratiam, hanc ceremoniam, quam ipse per annos quinque & viginti servasset, & pro pia & bona habuisset, mutatum iverit; allegat *Peucerum* & similes, quibus Lutheri in Zuinglianos severitas, edito anno 1544. tractatu, (de quo in loco dicemus) nimia visa est. Ego in actis, quorum fidem nemo in dubium vocare potest, (*Reg. N. Lit. H. n. 40. fol. 103.*) sequentia reperi. Scribit nempe *Paulus Rebhun*, supra nominatus, tunc Pastor Olsnitiensis, d. 21. Decemb. 1542. Secretario Electoris, *Antonio Pestelio*, *Amsdorffium* Numburgensem Episcopum mandasse, Pastoribus suæ diœcesis, (ad quam etiam Voigtlandia referebatur) ut elevatio intermitteretur, idque jam fecisse Pastorem Plaviensem; non exigua tamen cum populi mussitatione & indignatione nobilium, qui pastoribus suis, mutationem parantibus minas intentarent. Se quidem nondum paruisse, facturum tamen id esse, sed consultum sibi videri, ut Elector aliquot Superintendentes convocet, & de ceremoniis, in Sacramento conformiter adhibendis, decerni, & sic etiam elevationem abrogari sine scandalo faciat. Post paucos dies d. 6. Jan. 1543. Lutherus ad Pontanum de hac causa ita scribit: Mit der elevation muß ich zwar auff M. Philipps harren/ es machen uns die heillosen ceremonien mehr zu thun/ denn sonst grosse nöthige articul/ wie sie allezeit vom anfang gethan haben. Ich bin noch nicht bedacht/ daß gut sey/ öffentlich durch den druck davon etwas lassen ausgehen. Ich habe keine hoffnung/ daß wir immermehr in allen Kirchen einerley ceremonien zu brauchen eins werden/ wie es im Pabstthum auch nicht müglich gewesen ist. Denn so wirs gleich in unsern Kirchen so und so machen/ so thuns doch die andern nicht/ und wollen von uns ungemeistert seyn/ wie wir für augen sehen. So giengs den Aposteln selbst mit den ceremonien Mosi/ mustens iederman frey lassen/ was sie essen/ kleiden/ geberden wolten. Aber hernach weiter/ wenn ich mich beschlossen habe.

(11) *Admonitio ad preces contra Turcos.*

(12) *Programma contra scortatores.*

(13) *Consolatoria.*

(14) *Contra Schwenckfeldium.*

(15) *De excommunicatione, & de ritu elevationis.*

(16) *Relatio de elevatione, ab Amsdorffio abrogata.*

(17) *Lutheri literæ de elevatione abolenda.*

An. 1543. id eſt, *Quod attinet elevationem, expectandus mihi eſt M. Philippus* (Melanchthon.) *Ceremoniæ infelices plus negotii nobis exhibent, quam articuli maximi & neceſſarii, id quod ſemper & ab initio fecerunt; Nondum puto expedire, ut typis aliquid de hac re vulgetur, nec ſperari poteſt, nos unquam conventuros eſſe in omnibus Eccleſiis de uniformitate ceremoniarum, neque in Papatu id obtineri potuit. Licet etiam nos hoc vel illo modo in noſtris agamus Eccleſiis, idem tamen non imitabuntur alii, neque nos magiſtros ferent, ut ſatis apertum eſt. Apoſtolis idem accidit quoad ceremonias Moyſaicas, cogebantur enim omnibus libertatem concedere, quid edere, quomodo veſtiri, quibus ritibus & geſtibus uti vellent. Sed de his plura, cum mecum certi aliquid conſtituero.* Finita epiſtola addit: *Ora interim pro me, ut horulam beatam inveniam, finis adeſt laboris & vitæ;* (ich habe ausgearbeitet und ausgelebt) *caput meum nihil amplius præſtat;* (iſt kein nütze mehr/ de qua imbecillitate etiam in exordio literarum queſtus erat) *cupio gratiam & miſericordiam, immo habeo eam, & majorem impetrabo, Amen!*

(18) *Ejusdem narratio de ſecuta abrogatione.*

Ex his ne verbum quidem de Landgravio intelligitur, nullam etiam ejus mentionem facit in confeſſione de Sacramento, anno ſequenti edita. In hac *d. Tom. VIII. fol. 353.* de elevatione ita ſcribit, quæ huc ob affinitatem materiæ transſcribimus: *Audio, nos in ſuſpicionem venire, ac ſi cum Sacramentariis conſentiremus, quia elevationem in Eccleſiis noſtris ſuſtulimus, & ſic fateremur, corpus & ſanguinem Chriſti non adeſſe in Sacramento, nec ore ſumi. Verum aliter, & ſic ſe habet res iſta: Ante annos viginti, vel viginti duos, cum Miſſam condemnaſſem, & contra Papiſtas acriter contenderem, Miſſam non eſſe ſacrificium nec opus noſtrum, ſed donum & Teſtamentum Dei, quod nos offerre Deo non poſſumus; ſicut Baptiſmus quoque non eſt ſacrificium, ſed donum Dei gratioſum: Jamtum propenſus eram ad omittendam elevationem, idque propter Papiſtas, qui ex Miſſa faciebant ſacrificium, ſicut adhuc faciunt, & ultra ſex ſecula fecerunt. Quia vero doctrina noſtra recens tunc temporis, totique mundo ſcandaloſa erat, caute agendum mihi fuit, multaque infirmorum cauſa concedere cogebar, quod poſtea non feci; ſic etiam elevationem tunc, ut erat, reliqui, quia bonam admittebat interpretationem, ſicut ſcripſi in tractatu de captivitate Babylonica* (vid. libellum capite initiali de Sacramento Cœnæ *§. quid ergo dicemus ad Canonem verſ. idem facit*) Pergit: *Dum iſta cogito, & quietus ſum, temerarius ille Caroloſtadius* (Hanß Unvernunfft) *cum propheticis ſuis cœleſtibus in me irruit* (poltert wider mich herein) *edito libello, in quo nos Wittenbergenſes vocabat ſicarios & crucifixores Chriſti,* (Chriſtmörder/ Chriſtcreuziger) *novos Papiſtas &c. & valde ac petulanter bacchabatur,* (machts ſehr grob und unoſſe/) *nullam tamen cauſam indicare poterat, quam quod elevationem retineremus; illam interpretabatur pro ſacrificio, ſacrificium autem habebat pro crucifixione, occiſione & mactatione Chriſti pejori, quam quæ a Judæis facta eſſet. Sciebat autem probe, nos Wittenbergæ Miſſam non habere pro ſacrificio, utpote qui jam annis fere tribus contra Papiſtas contenderamus, non eſſe nec dici debere ſacrificium, ſed donum & teſtamentum Dei, ut ſupra dictum eſt, neque Caroloſtadio acceptam ferebamus doctrinam illam, ſed eam ipſe a nobis didicerat, & fortaſſe absque nobis in caput & mentem ejus non veniſſet. Cum igitur Spiritum ejus inſanum contra nos furere viderem absque cauſa, & quod ingens peccatum nobis imputaret, ubi nullum erat; ad offenſam & opprobrium Diaboli retinere tunc ſtatui elevationem, licet abolere eam, Papiſtarum cauſa, conſtituiſſem, neque enim ferre poteram, ut Diabolus me doceret, quid in Eccleſia noſtra ordinandum eſſet, neque conſcientiam meam onerari volebam, quaſi Chriſtum occiderem & crucifigerem, ſi elevationem retinerem, & non abolerem, atque ita a Spiritu illo furioſo cogerer ad abrogationem. Minime ſane id feci, illæſam enim habebam conſcientiam, idque certo ſciebam, & ipſe noverat Caroloſtadius. Potius enim, quam ut conſcientia me obligatum crederem ad omittendam elevationem, niſi interfector & carnifex Chriſti eſſe vellem; non ſolum hodie quoque retinerem elevationem, ſed eam, ſi una non ſufficeret, duabus, tribus, ſeptem aut decem vicibus repeterem. Liberam rem hanc ſervare volebam, ſicut & libera eſt, in qua peccari non poteſt, ſive fiat, ſive non fiat. Sic,* ait, *manſit elevatio*, & addit plura, ad refellendam calumniam, ac ſi nunc eam, ob mutatam ſententiam de præſentia reali, abrogaſſet. *Hæc,* ſcribit, *eſt unica cauſa omiſſionis, quia pleraque Eccleſia jam dudum eam omiſerunt; iis itaque conformes eſſe volumus, ne ſingulares videamur in re, quæ per ſe libera eſt, & absque conſcientiæ læſione cadere aut ſtare poteſt; accedit, quod ab initio, ut dixi, eo inclinaverim, modo Caroloſtadius tam enorme peccatum inde nobis non impegiſſet.* Subjungit haud pauca de cavendo ſchiſmate propter ceremonias, & allegat hiſtorias de Victore Pontifice ob tempus Paſchale cum Orientalibus rixante, item de ritu Ambroſiano, qui adhuc Mediolani ſervetur, ita ut ipſe, cum iter illuc haberet, ad celebrationem Miſſæ non fuerit admiſſus, dictitantibus ſacerdotibus: *nos ſumus Ambroſiani, non poteritis hic celebrare.* Concludit: ſi quis in locum aliquem veniat, (inter Evangelicos) in quo tenetur elevatio, illum offendi non debere, ſed ritum illum pro indifferenti habere. Interim melius & decentius eſſe, ut omittatur pari modo in omnibus Eccleſiis, & ut iis potius accedatur, qui eam abrogaverunt, quam, qui ſervent. Hæc ſatisfacere poſſunt & debent *Boſſueto* & omnibus, qui hæc & alia ſuſpicantur aut fingunt, unde calumnias ſtruant.

(19) *Annotatio ad cenſuram Boſſueti.*

Perperam certe Epiſcopus *d. l. §. 12.* licet ab *Hoſpiniano* aliisque ad id inductus, hanc mutationem elevationis cum hiſtoria de digamia Haſſiaca connectit, & Landgravium poſt illud tempus abſolute in Lutherum, ſive, ut loquitur, Patriarcham reformationis, dominatum eſſe contendit, cum ex iis, quæ ſupra de cauſa illa nuptiarum relata ſunt, aliisque documentis certiſſime conſtet, Lutherum nunquam minus, quam poſt id tempus, Landgravio detuliſſe. Occaſionem autem mutationis commodam extitiſſe, conjicio, poſt occupatum Ducatum Brunſuicenſem, cum

An. 1543. cum conscribenda ibi esset, quam supra recensui, ordinatio cultus & rituum; eo enim pertinere videntur verba Lutheri in epistola supra relata d. 2. April. in qua mentionem facit Ecclesiarum in Saxonia, id est, inferioris; in hac enim ritus elevationis dudum omissus erat, ideoque nec in Ducatum Brunsuicensem introductus fuit, sicut nec in urbem Brunsuigam, licet ista jam anno 1528. constitutionem de ritibus edidisset. Interim quam indifferens Luthero ceremonia illa elevationis fuerit, inde evidentissime judicari potest, quod illa in provincia Mauritii Sax. Ducis, Electoratui licet vicina & permixta, mutata tunc non fuerit, aut Landgravii, cui tamen Mauritius gener plurimum deferebat, consiliis locus datus sit. Maligne itaque non solum, sed & imperite Luthero affingitur, quod ipsi fortassis nunquam in mentem venit, certe non dissimulasset, si ex alia causa ad mutationem esset progressus. Videantur, quæ paulo post: §. *CXVII. n. 2.* ex *Georgii Anhaltini* literis de ritu hoc in ditione Mauritii conservato afferemus.

(2) Compilationes & editiones librorum Lutheri.

Editi hoc anno Wittenbergæ sunt plurimi Lutheri libelli Latine versi, & in unum volumen forma octava congesti, qui extant in Bibliotheca privata sæpe laudata Serenissimi *Ducis Brunsuicensis*, ut *Catalogus pag. 445.* ostendit. Sed cœpta erat collectio scriptorum Lutheri omnium in volumina majora anno 1542. jussu Electoris Saxoniæ. Cum autem moras necterent typographi, indignatus Elector d. 28. Octob. *(Reg. O. fol. 168.* **W. W. W.**) per Pontanum hoc anno 1543. denunciari illis fecit, ut in excudendo pergerent, nisi privilegiis suis privari vellent; sibi enim curæ esse, ut editio, vivo Luthero, iisque, qui adjuvare hoc opus possent, perficeretur. Laudabilis utique fuit Principis intentio, & multi Viri libri absque hac solicitudine intercidissent, breviores præsertim: Interim, ut fieri solet, etiam incommoda habuit bonum consilium; tot enim tractatus in vasta volumina compilati non nisi in Bibliothecis publicis aut locupletiorum locum invenerunt. Quod si utilissimi saltem tractatus Lutheri, & inprimis exegetici, sicuti ab initio editi fuerunt, sæpius recusi fuissent, ut a tenuioris fortunæ hominibus comparari potuissent, melius conservata foret æstimatio & lectio librorum Lutheri. Haud male igitur de Ecclesiis nostris, si quid judico, mererentur, qui hanc curam susciperent, &, Serenissimi *Principis Brunsuicensis* exemplo excitati, libellos Lutheri selectiores, qui, ipso vivo & revidente ac probante, prodierunt, diligenter inquirerent, editiones inter se conferrent, annotationes quasdam & parallelismos adderent, & forma commodissima excudi facerent. Cæterum hoc anno speciatim desideravit Elector Saxo, & Lutherum (cum ei aliquot dolia musto plena ex vineis suis Torgaviensibus dono mitteret) monuit, ut articulorum Smalcaldicorum editionem Germanicam & Latinam forma minori (**auff klein** modus) procuraret, ut ante Comitia proxima, anno 1544. instantia, absolveretur; ignoro tamen, an id præstitum sit, talem enim editionem vidisse me non recordor. In appendice *Tomi VIII. fol. 1001.* exhibetur epistola Lutheri ad *Georgium*, Principem Anhaltinum, Præpositum Magdeburgensem, qua rogat, ut provideat, ne a Pastore & concionatore Dessaviensi circa cantica & alia, quæ *neutralia* vocat, temere aliquid innovetur, vereri enim se, ne quid fanatici erumpat, **ich sorge es gucke ein geistlein heraus.** Mutationes in rebus, quæ fieri possint, tutius ait omitti, aut non nisi cum præscitu & consensu superiorum, & adhibito aliarum Ecclesiarum consilio, suscipiendas esse. *Fol. 1005.* typographo Tigurino *Froschovero*, a quo Biblia, Tiguri edita, dono acceperat, gratias quidem agit, sed severam in ministerium Ecclesiasticum illius urbis censuram addit, atque omne cum iis commercium abrumpit.

SECT. 28.

Sleid. l. 15. Joh. Sleidan.

An. 1544. (1) Cæsaris adventus ad Comitia Spirensia.

His decretis in Germaniam transiit, nec audito amplius Cardinale Farnesio Legato & nepote Pontificis, qui inter duos Monarchas pacis negotium semper tractabat, mense Februario Spiram venit; ubi singulari, quod impenderat, studio suo, omnes Electores & Principes Catholicos & Protestantes cum civitatum Delegatis in unum coactos reperiit, ut adeo Comitia illa frequentiora essent, quam unquam in Germania visa fuissent. Ibi ad obtinendum finem suum duo non sine successu agere instituit: Primo, ut Regem Franciscum exosum Germanis redderet, longa oratione exposuit, quæ ipse adversus Solimannum egisset, & ut hunc bis a Germania repulisset, utque e contrario Franciscus, quo omnes conatus Cæsaris contra hostem tam potentem infringeret, cum magna Christiani Orbis offensa arctum fœdus cum Turco, non tantum ad commercia exercenda, sed & ad bellum Christianis inferendum inierit; hoc plus satis deprehensum esse ex horribili depopulatione, quam classis Barbarossæ, Barone Gardio comitante, in ditionibus Imperatoriis & Imperii fecisset, unde argumentabatur, si contra Turcos aliquid magni & cum successu agi deberet, incipiendum esse bellum ab omnibus contra Regem, ut hostem communem, quoniam contra omnes cum Solimanno societatem fecerit, & hic magis metuendus esset propter Regem, socium suum fidelem & ipsis vicinum, quam propter seipsum. Hic sermo prætextu & verisimilitudine non carens, multum operatus est in animis Principum & Legatorum, qui non minus, ac plerique alii tunc temporis fœdus illud Regis & societatem belli cum infidelibus contractam, concoquere non poterant. Magis vero adhuc

(2) Querelæ ejus adversus Galliæ Regem.

eos

An. 1544.

(3) Aliæ Ducis Sabaudiæ, contra eundem Regem.

eos incitabat præsentia Ducis Sabaudiæ, qui pathetice admodum consessui repræsentavit, Regem Franciscum non solum omni fere ditione se spoliasse, quia ejus causa, ut Princeps Imperii, Imperatoris commoda prodere noluisset, sed hostem etiam hunc omnium, qui Imperio obediunt, irreconciliabilem, cunctas Barbarossæ vires adversus se vertisse, ut Nicæam, unicum locum, qui sibi ex ditione sua reliquus erat, auferret, & maluisse, ut oppidum hoc, quod inter claves Italiæ habendum esset, implacabilis Christianorum hostis, Turci potestati cederet, quam Principi, Deo & Imperatori fido, servaretur. Hoc prorsus effecit, quod Carolus V. expectabat. Expeditio illa Barbarossæ, qui in portibus nostris hybernabat, tantum Regi odium conciliaverat, ut etiam literæ commeatus Legatis ejus denegarentur, & hi Nancejo, quo jam ad Regis negotia, in Comitiis agenda, progressi erant, regredi cogerentur. Quanquam autem longo scripto confœderationem illam cum Turcis defendere anniterentur, Abrahami, Davidis & Maccabæorum, plurimorum etiam Imperatorum Christianorum exempla allegando, qui bonis rationibus moti, societatem cum infidelibus contraxissent, nihil tamen apud Principes istos effecerunt, nimis scilicet ob rem, qua extreme offendebantur, præoccupatos. Scripserunt quin immo etiam Papæ, rogantes, ut secum contra Regem fœdus iniret; sed bonus hic Pontifex medias partes, ut pater communis, inter duos magnos hos Monarchas semper servans, diligenter cavit, ne id faceret. Interea Imperator, cum animos ob fœdus illud odiosum satis commotos adversus Franciscum I. videret, idoneum prætextum invenisse, omnemque reprehensionem vitaturum se esse existimabat, si alterum etiam, quod sibi proposuerat, in his Comitiis perficeret, scilicet, ut arcte cum Protestantibus conjungeretur, non aliter, ac si hæc conjunctio ad destruendum eum, qui Turcos sibi associaverat, omnino necessaria esset. Etiam cum Angliæ Rege, a quo tamen in causa amitæ suæ immaniter læsus fuerat, paulo ante fœdus contra Franciscum Regem pepigerat. Idem in his Comitiis cum Daniæ Rege, Protestantium fœderato fecit, qui regnum, pulso Christierno Rege, cui soror Caroli V. uxor erat, usurpaverat; ea autem fœdus hoc factum est cum conditione, ut Danus a pactis, cum Francisco I. antea initis, discederet. Præterea multis modis Protestantibus blandiebatur, Saxoniæ maxime Duci & Landgravio. Hunc Ducem copiarum suarum contra Solimannum constituturum se esse dicebat; illi vero gratificatus est, successionem Ducis Clivensis, sororii ejus, si is sine mascula prole decederet, & matrimonium Eleonoræ, filiæ Ferdinandi, fratris sui, cum Principe Saxonico, promisit, addita tamen conditione admodum secreta, ut non consummaretur, si de religione conveniri non posset. Tandem fere omnia illis indulsit, edicto 10. Jun. condito, quod Lutheranismo æque utile ac religioni Catholicæ noxium erat. Edictum Augustanum denuo suspensum fuit & prohibitum, ne cui ob religionem negotium exhiberetur, de hoc vero proximis Comitiis tota hyeme habendis, tractari debere, & ex sententia bonorum & sapientium Doctorum ex utraque parte delectorum, definiendum, quid tenendum servandumque sit in fidei & disciplinæ materia, ad Concilium usque liberum, œcumenicum aut nationale, in Germania habendum. Interea pax custodienda omnibus injungitur, & ut utraque pars bonis ecclesiasticis, quæ possidet, quiete utatur, ita tamen, ut pars redituum pauperibus, prædicatoribus, Regentibus & Magistris scholarum, libere eligendis, assignaretur. Denique constituitur, ut exacto, quod præfinitum erat judicibus Cameræ Imperialis, qui omnes Catholici erant, tempore, ex utraque religione alii, sine discrimine, in eam reciperentur. Hoc certe edictum parum placuit Catholicis, cum eis Protestantes per omnia æquipararentur. Sed cesserunt tandem autoritati potius quam rationibus Imperatoris, qui persuadere eis conabatur, justissimum hoc temperamentum esse, optimumque remedium, quod ad conciliandas controversias & utrisque satisfaciendum adhiberi posset. Protestantibus vero adeo acceptum fuit, ut omnia facerent, quæ Imperator vellet. Dux Saxoniæ Ferdinandum pro Rege Romanorum solenniter agnovit, quanquam eo usque nunquam in electionem ejus consentire voluerit, ajebat enim, contra leges Imperii eam factam esse. Landgravius inviolabili fide pariturum se promisit, & omnes simul, Catholicis juncti, polliciti sunt exercitum viginti quatuor peditum, quatuor equitum millium mensibus sex alendum, ut Francisco Regi bellum inferretur, antequam contra Turcos iretur. Et hoc ipsum erat, quod Imperator prætendebat unicusque Comitiorum, quæ convocaverat, finis, in quibus religionem ardenti cupiditati, qua flagrabat, veluti immolavit, ut impediret Regem, ne quicquam in Mediolanensi ditione possideret, quæ tamen justo hæreditatis titulo ad eum pertinebat, quemque ipsi clarissime promiserat. Ita parum omnino conscientiæ & promissis Principum fidi potest, etsi alias honestate & pietate non careant, nisi pro norma politicæ suæ disciplinæ, magnam Jesu Christi regulam habeant, quæ vult, ut ante omnia quæratur regnum Dei & justitia ejus, absque qua omnis sapientia hominum nil nisi stultitia coram Deo est, & finem habet infelicem.

(4) Apologia Legatorum Gallicorum & alia quædam.

(5) Cæsar Protestantes sibi conciliat.

(6) Edictum Comitiorum Spirensium.

(7) Saxoniæ Electoris & Landgravii obsequium erga Cæsarem.

(8) Judicium Maimburgii de Cæsare.

§. CXIII.

An.1544.

(1) Acta anteriorum Comitiorum, aut sub titulum illorum.

§. CXIII.

Comitia, quorum historiam narrat Maimburgius, a Cæsare, (vid. *Reg. E. fol. 55. n. 1.*) jam anno 1543. diplomate, *Genuæ* (quam civitatem, ex veteri stylo, vocat *Cameram suam & Imperii*) d. 27. Maji dato, Spiram indicta erant ad diem ult. Novemb. publicaverat etiam Cæsar d. 2. Jun. mandatum, quo pax in causis religionis & omnibus aliis servari severe edicebatur, prorogationem autem comitiorum datis Bruxellis d. 23. Novemb. literis, significavit, & comparitionem ad diem X. Januar. 1544. postulavit. Electorem vero Saxoniæ & Landgravium d. 10. Decemb. monuit, ut ipsi ad Comitia venirent, pollicitus, & se ipsum mense Januario Spiræ adfuturum esse. Præparati erant animi utriusque, ut Cæsari, præsentiam suam desideranti, gratificarentur, idque habito per Legatos inter fœderatos *Francofurti* mense Decembri conventu (cujus mentionem facit *Sleidanus Lib. XV. p. 435.*) decretum fuit, sed fide Cæsaris de securitate sibi prospici volebant, eoque nomine Elector Saxo jam d. 15. Novemb. 1543. ad *Granvellanum* Latine scripserat, titulum ei dans, *Magnifice & Clarissime vir, nobis singulariter dilecte.* Cæsar, nil cunctatus, diploma salvi conductus d. 6. Decemb. Bruxellis datum misit, in quo tamen excepit eos, qui manifesto bello contra Cæsarem & Imperium grassarentur, aut illorum socii essent, (die in offener Fehde gegen uns und das heilige Reich stehen / oder denselben anhangen.) In literis vero supra dictis d. 10. Decemb. quibus diploma liberi commeatus adjunxerat, superfluum hoc fuisse scripsit, clausulam etiam sive exceptionem illam excusavit, & explicavit, ne Protestantes eam de se aut suis intelligerent: In iisdem literis *Nicolaum Granvellanum*, singularis honoris titulo, vocat *supremum ex Consiliariis intimis.* (obersten geheimen Rath) Turbatum tamen fere fuisset destinatum Electoris ad Comitia iter importunitate metatoris Cæsarei (des Fourirers) Spiram præmissi, qui cum *Submarescallo* Saxonico *Pappenhemio,* cui multum juris in metatione Comitiali sive hospitiis distribuendis ab antiquo est, acriter rixabatur, ita ut Hispani quidam insignia Saxonica, a *Pappenhemio* domibus pro more affixa, dilacerarent. Male id habuit Electorem; igitur d. 1. Jan. Legatis suis, quos ad visitationem Cameræ, quæ adhuc dicis causa agitabatur, & ad Comitia præmiserat, *Eberhardum Thannium, Franciscum Burcardum, Erasmum a Minckwiz, Præfectum Belzigiensem,* & *D. Ulricum Mordisium* scripsit, nisi sibi de insolentia illa satis fieret, se ad Comitia venturum non esse; sed secuto mox inter Cæsareum metatorem & *Pappenhemium* conventione, obstaculum illud remotum, nec multo post metator, qui Judæum quendam ære aliquo mulctaverat, urgente *Pappenhemio,* restituere id adactus fuit. Elector, ne religionis, quam profitebatur, sanctimonia moribus suorum dehonestaretur, insignem de disciplina, ab aulicis servanda, constitutionem publicari fecerat, diligentem concionum sacrarum frequentationem præscribens, & speciatim prohibens excessus compotationum. Ad conciones destinati erant *D. Justus Jonas*, Præpositus Wittenbergensis & tunc Halensium in Saxonia Pastor, *Urbanus Regius* ex Ducatu Lüneburgico, *Fridericus Myconius*, Superintendens Gothanus, & Danus quidam. Extant apud *D. Casparem Sagittarium* literæ MSS. *Casparis Aquilæ*, (sive Adler) Pastoris Salfeldensis, ad *Johannem Dolzigium*, Equitem, Consiliarium Electoris & Præfectum Salfeldensem, d. 27. Jan. datæ, memoratu sane dignæ. In his gravissima negotia in Comitiis tractanda considerat *Aquila*, & ad ea, maxime vero ad bellum contra Turcos, divinam opem serio implorandam esse monet; deinde vehementer queritur, quod ii, qui pretiosissimum verbi Dei thesaurum jam aliquo tempore cumulatissime possederint, exemplo Judæorum, Manna aspernantium, jam fastidire illum cœperint. *Tu igitur*, ait, *vir nobilis & egregie, esto christianus & cœlestis Eques*, (seyd ein christlicher / himmlischer Ritter /) *aperi os tuum felix & facundum magno & constanti animo, protervis in aula hominibus exemplum Israëlitarum propone, eosque ad pœnitentiam, Ninivitarum imitatione præstandam, serio adhortare, ut jejunent & orent, id est, modeste, sobrie & pie vivant;* addit gravem de pœnis divinis comminationem, si vitia, & speciatim vinositas, non corrigantur. *Ingurgitamus*, inquit, *nos vino nobili, læto, pretioso*, (dem edlen / frölichen / theuren Wein) *eoque & aliis donis divinis abutimur ad contumeliam Dei, damnum proximi, nostrique corporis & animæ; unde fit, ut, qui ebrietati indulgent, verbum Dei, etsi possent, non capiant, sed semen hoc nobile solicitudinibus, divitiis & voluptatibus vitæ Luc. VIII. 24. suffocent. Sunt etiam*, ait, *qui elato animo putant, se verbum Dei totum jam satis didicisse, vitant conciones, aut nihil ex iis ad animum revocant, sunt manentque strenui in cerevisia & vino athletæ & turpes scurræ*, (bleiben Bierritter / Weinhelden und Sauköche.) *Sic scilicet agentes, Turcis & aliis hostibus resistemus, immo non vitabimus ultionem divinam, & quam is minatus est, famem verbi sui, Amos VIII. 11.* Hæc ostendunt, non defuisse quidem in aulis inveterata vitia, sed neque Principes neque Theologos officium in iis corrigendis neglexisse, minime vero, ut calumniatores faciunt, religioni imputari posse, quæ maleferiati quidam, quorum ubique & omni tempore magnus numerus est, peccarunt. Ut vero Elector tanto placatior & securior ad Comitia veniret, nihil omissum est nec a Cæsare neque a ministris ejus; & Cæsar quidem d. 14. Jan. Consiliariis Saxonicis prolixe affirmavit, non esse, quod Elector aut socii quicquam metuerent, neque se ullo modo turbas in Germania passurum esse, *Navius* autem Vicecancellarius cum *Burcardo* collocutus, optimam Cæsaris intentionem in negotio religionis mire commendavit. Percipitur hoc ex relatione *Burcardi* ad Electorem d. 21. Jan. in qua scribit; *Navium* multa de fraudulentis Pontificis contra Cæsarem & pro Gallo machinationibus sibi detexisse, magna cum candoris testificatione addentem, ista a Deo ita dirigi, ut verbi sui doctrinam tanto magis promoveret. De *Granvellani* consiliis idem egregia multa promittebat. Grata hæc erant Electori, ut ex Rescripto d. 27. Jan. constat, in quo pollicetur, si revera mitior esset in causa religionis Cæsar, se omni officio & obsequio id demeriturum esse. Publicatis inde, ut fieri consuevit, Cæsaris nomine, allegato tamen consilio Electoris Saxoniæ

(2) Ordinatio Electoris Sax. de disciplina aulica, & literæ de ea Casparis Aquilæ.

(3) Acta inter Consiliarios Cæsaris & Electoris Saxoniæ.

An. 1544. niæ ut *Archimarescalli*, legibus Comitiorum sumtuariis & similibus, d. 4. Febr. inter alia edictum fuit, ne quis alterum religionis causa increpet aut convitietur, multoque minus vi aut manu lædat. Eodem die *Granvellanus* & *Navius Burcardo* denuo affirmarunt, Cæsari serio religionis conciliationem cordi esse, questi tamen sunt, quod nuper *Ratisbonæ* justo duriores fuissent Protestantes; cum vero *Burcardus* eam culpam in Episcopos rejiceret, qui nullo modo cedere voluissent, agnoverunt, verum esse, quod Clerus & Episcopi Cæsarem querelis obtundant, sed optimum modum esse, ut concordia ineatur, sive placeat ea Papæ sive displiceat, (**es sey dem Pabst lieb oder leid/**) ludere eum solummodo indictione Concilii, (**es sey nur ein spiegelfechten**) a Cæsare nemini in causa religionis vim aut injuriam metuendam esse. Sciebant Electoris & Landgravii affectus contra *Henricum Brunsuicensem*; de hoc igitur ita locuti sunt, ut dicerent, sibi illum omnia imputare debere quæ passus esset, nihil illi ex iis, quæ egisset, a Cæsare mandatum fuisse. Ista & similia magnam Electori de læto Comitiorum successu spem faciebant; quapropter, ut nihil ex sua quoque parte omitteret, quod Cæsaris favorem conservaret, d. 7. Febr. Consiliariis mandavit, ut admissionem legationis Gallicæ (quæ, ut ex Maimburgio intelleximus, *Nanceji* erat,) impedirent, nihil enim sinceri ab illa expectandum esse, & exemplum ludificationis in causa matrimonii *Juliacensis* cum *Navarræa* allegabat. Circumferebatur, magna cum Regis invidia, moneta Gallica, in qua ex una parte Gallorum insigne, lilia, ex altera Turcorum, luna, conspiciebantur, cum inscriptione: *Non contra fidem, sed contra Carolum.* Ante adventum Electoris, Cæsar cum Catholicis, qui aderant, Ordinibus egit, ut literas ad Pontificem darent, eumque rogarent, ut Sabaudiæ Duci opem ferret contra Turcos, si Nicæam in ora maritima provinciæ *Narbonensis*, a qua depulsi nuper erant, denuo aggrederentur. Scriptæ sunt d. 9. Febr. vid. *Sleidan. d. l. p. 439.* Evangelici concurrere ad eam deliberationem noluerunt, ne Papæ obsequium aut honorem exhibere viderentur, titulum Sanctitatis ei tribuendo. De responso Pontificis postea dicemus. D. 18. Febr. Elector Saxoniæ Spiram ingressus est. Mos fuit ab antiquo, ut Imperator, si prior ad Comitia venisset, Electores honorifice excipi faciat, adventum suum significantes. (Principibus tamen reliquis idem honor non exhibetur) Nec neglexit hoc Cæsar, misitque ad id officii genus Saxoniæ Electori exhibendum, *Fridericum* Palatinum, cum *Busfio*, stabuli sui supremo Præfecto, aliisque aulæ Proceribus, inter quos etiam erat filius *Granvellani*. Electores Ecclesiastici levare hac ceremonia Cæsarem voluerunt, & urbem absque pompa ingressi sunt. Notare lubet veterum rituum strictam illo tempore observantiam. Invenio enim, *Wolfgango* Comiti *Barbiensi*, valetudinis causa, singulari venia opus fuisse, ut curru tecto, (**einen behengten Wagen**) quatuor equis instructo, utens ingrederetur, equitare enim alias omnes solebant. Die 19. Febr. Elector Cæsarem prima vice allocutus est, exceptusque ab eo fuit in secundo vestibulo (**im andern wesen/**) & benignissime tractatus. Sequenti mox die 21. Febr. propositio comitialis solenniter facta est post celebratam Missam, a qua Elector & Landgravius abstinuerunt, & dum ea fieret, recta in curiam sese contulerunt. Elector tamen advenienti ad consessum Cæsari ipse gladium, pro munere Ensiferi supremi, prætulit. Idem fecit, cum Cæsar *Wolffgangum* ex equestri & postea altius evecta *Milchlingiorum* in Franconia familia, *Magistrum Ordinis Teutonici*, & titulotenus *Borussiæ*, solenniter investiret; Eo nomine specialis gratiarum actio Electori a Cæsare facta est. Potuerat per vicarium id præstare Elector, præsertim, quod actus ille in præjudicium *Alberti Borussiæ Ducis* tenderet, sed præferre voluit obsequium erga Cæsarem; adstitit tamen per Legatos *Electori Brandenburgico*, *Mauritio* Saxoniæ Duci, *Ulrico* Wurtenbergico, Landgravio *Hassiæ* & civitati *Norimbergensi*, qui pro abolenda proscriptionis sententia, contra *Albertum* publicata, Cæsarem solicitabant. Moratus est Spiræ usque ad 14. Maji. De actis comitialibus plura ex Archivo referri possent, nisi Elector ipse in Comitiis aliquandiu præsens fuisset. Ex relationibus tamen, iis potissimum, quæ post abitum ejus a Legatis, quos reliquerat, conscriptæ sunt, quædam notari merentur, præsertim cum sterilia & jejuna sint, neque exactæ veritatis, quæ Maimburgius retulit. *Hermannus*, Archiepiscopus *Coloniensis*, qui cum reliquis Electoribus ipse aderat, multa satis libere de reformatione religionis & pace servanda monuit, nec Ecclesiasticis solum, sed & politicis id studium incumbere dixit, ita ut graviter peccare utrosque diceret, si vel una hora in emendanda doctrina & corrigendis moribus cessarent. Salva etiam conscientia negabat tributa a subditis exigi posse, (quæ tunc ad bellum Turcicum imperabantur) nisi iis de religione prospiceretur; se itaque dixit progressurum, ut cœpisset, & in genere constituendum esse existimavit, ut, cunctantibus Episcopis, a Dominis territorii reformatio fieret. Idem cum reliquis, qui post oblatam an. 1530. in Comitiis Augustanis confessionem, Evangelicam doctrinam receperant, declarationem Cæsaream anno 1541. obtentam, a cavillo liberari petebat, impediri enim dicebant & a pace excludi eos, qui post id tempus reformationem suscepissent, aut in posterum essent suscepturi. Licet enim non omnes ad fœdus Smalcaldicum accessissent, aut posthac accederent, eodem tamen jure reformationis omnes frui debere existimabatur. Catholici ad tempus Comitiorum Ratisbonensium, factæque declarationis (in quam tamen se consensisse denuo pernegabant) respiciendum, &, si quid postea innovatum esset, restituendum esse postulabant. Acrius disputatum est de stylo decreti sive Recessus comitialis, post discessum Electoris. Mediatorum loco erant Electores *Fridericus* Palatinus, qui *Ludovico*, fratri primogenito, Comitiorum horum tempore d. 15. Martii absque filiis mortuo, successerat, & *Joachimus II.* Brandenburg. neuter quidem Pontificiis charus, cum hic reformationem palam in ditionibus suis peregisset, ille idem propositum haud multum

(4) *Quædam de legatione Gallica, Duce Sabaudiæ, & literis hujus causa ad Pontificem scriptis.*

(5) *De adventu Electoris Sax. ad Comitia & alia quædam.*

(6) *Archiep. Coloniens. & aliorum Evangelicorum alia cum Catholicis.*

A. 1544.

tum celaret, quod & non multo post executus est. Licet vero ante abitum promisissent tam Elector Saxoniæ, quam Landgravius, se Legatis suis mandaturos, ut absque ulteriori relatione ad se, eo laborarent, quo finis, qui Cæsari placeret, Comitiis imponeretur, varia tamen in stylo Decreti immiscuerunt ministri Cæsarei, quæ Saxonici & socii admittere non poterant, ita quidem, ut Cæsar d. 24. Maji cum iis per *Navium* expostularet, & suspicari se diceret, ideo abiisse Electorem, ut negotia comitialia interrumperentur, neque pax & concordia obtineretur; Acrius d. 25. Maji locutus erat, si *Granvellano* credi debet, qui id Saxonicis retulit, simulque jactavit, quod Cæsarem leniisset. Pontificii d. 26. Maji contra stylum Recessus non pauca objecerunt, multisque modis restringi dispositiones ejus volebant; speciatim lamentabantur, si ex monasteriorum reditibus decernerentur salaria & alimenta Pastorum & ministrorum Ecclesiæ & Scholæ, tunc non posse conservari cultum ad honorem Dei constitutum, id est, Missas & psalmodias, sive horas. Talia enim illi cultum Dei vocabant, & instructioni populi in fide Christiana præferebant. Dein iniquum & indignum esse putabant, ut pari secum conditione essent Principes & Ordines protestantes, & propterea inducias cum iis sufficere existimabant, donec scilicet data opportunitate quæ tunc tolerabantur, revocare possent. Protestantes æquale jus haud immerito postulabant, immo potiori nitebantur, si ad religionis puritatem respiciatur. Porro id maxime (d. 26. Maji) præcavendum esse monebant, ne aliquibus Decreti verbis aut allegatione edictorum priorum prohiberi aliis videretur facultas Evangelicam doctrinam recipiendi; nolebant etiam monasteriorum in suis territoriis adhuc in pristino statu versantium, aut non penitus reformatorum, emendationi ulteriori renunciare. Sed ista & alia omnia, nec non, quæ Catholicorum nomine desiderabantur, sopita sunt consilio Cæsaris callidissimo, qui non solum per Mediatores illos, sed & ipse d. 28. Maji monere & solicitare non destitit Evangelicos, ut sibi stylum decreti absque ulteriori disceptatione committerent, (solten es heimstellen/) licet non dissimularet, Catholicos id minime facturos, se vero ita decreturum esse, ut non habituri sint, de quo jure queri possint. In hoc igitur, post habitam deliberationem, consenserunt, nominatim *Hermannus* Coloniensis. D. 29. Maji protestati omnes sunt, ut Cæsar promissis staret, neque declarationi Ratisbonensi anno 1541. præjudicium faceret; deprehendebant enim eam a *Granvellano* dolose explicari. Summopere illam Evangelicorum submissionem sibi placere significavit Cæsar, gratiasque egit. Viderunt illi sane, vix tuta satis esse, quæ acceptabant, sed aliam servandæ pacis, ad quam tamen serio inclinabant, viam nesciebant. Artificium, ut antehac in Comitiis Ratisbonensibus, ita & hic idem erat, ut, quicquid Cæsar in favorem Evangelicorum decerneret, extraordinario modo & cum excessu quodam potestatis suæ faceret, ideoque contradictioni Ordinum adversæ partis, tempore & loco commodo subjectum esset; quapropter insolitæ plane clausulæ sunt, & Imperii moribus & legibus parum conformes, quæ decreto Comitiali anno 1544. d. 10. Jun. publicato, insertæ leguntur. Dicitur enim in §. Als wir aber in der Handlung etc. Cæsarem in tribus articulis, de religione, pace, & jurisdictione Camerali, pro conciliatione partium diligentissime tractasse, sed conveniri de illis capitibus in his Comitiis non potuisse, Augustanæ autem confessionis Ordines tres illos articulos Cæsaris arbitrio constituendos permisisse, alteram vero partem multas rationes indicasse, quare idem deferre ei non possent, obtulisse tamen tolerantiam (müsten es geschehen lassen und dulden) si ex plenitudine potestatis Cæsareæ, cui modum ponere non possent, decerneret. Et in fine edicti, ubi pro more mentio fit conventionis de decretis inter Cæsarem & Ordines factæ, ubi refertur, Electores, Principes & Ordines fateri, *decreta illa omnia suo præscitu & consensu condita esse*, exceptio diserte additur articulorum illorum trium, & dicitur: *Cæsarem ex plenitudine potestatis hos definiisse.* Hæc reconditiora sunt, quam quæ Maimburgius ex tumultuaria autorum, quos citat, inspectione penetrare potuerit, summamque, ut dixi, sive Cæsaris ipsius, sive, ut verisimilius est, *Granvellani* & *Navii* solertiam indicant, qui hac ratione posticum, ut dici solet, servarunt, per quod elabi possent, & ab omnibus, quæ tunc, reclamante Pontificie, & indignantibus quibusdam ex Clero, pro pace religionis & spe reformationis constituebantur, recedere, sicut & factum est. Erant tamen etiam inter Prælatos, qui decreto sincere assentirentur, inprimis *Franciscus Comes a Waldeck, Episcopus Monasteriensis*, de quo postea plura dicam, & ex Principum Ordine *Clivensis* & *Badensis*. Ex Decreto alia quædam notari merentur. Antequam ad materiam de controversiis in religione in decreto comitiali accederetur, communi consensu rigida illa contra Anabaptistas constitutio, Spiræ anno 1529. publicata, renovata fuit, repetita tamen etiam admonitio, ut Magistratus eos, quos ex sectariis illis in vincula conjicerent, per Theologos suos fideliter instrui curarent, omnemque operam impendi, ut ab errore converterentur. Hoc ad utriusque religionis Principes & Ordines pertinebat, & mitigationem quandam rigoris insinuabat. In narratione edicti sive Recessus comitialis de causa religionis §. Nachdem wir uns etc. dicitur, *omnia impedimenta pacis & jurisdictionis ex controversiis in religione emanasse, & has ita comparatas esse, ut, nisi Deus aliter provideat, aut commoda inveniantur remedia, ruina & exitium Imperii Germanici metui debeat; ut autem huic periculo tandem occurratur, & æterna præferantur temporalibus, summe consultum esse, nec Imperio solum, sed toti orbi christiano utile,* bone-

(r) *Callidum Cæsaris consilium de stylo decreti Comitialis.*

(8) *Contenta quædam decreti, cum annotationibus.*

honestum praeterea & laudabile, ut absque mora de Christiana concordia & decisione tractetur, idque ad officium Imperatoris potissimum spectare; agnoscitur porro, dissidium & schisma non nisi Christiana reformatione & definitione in Concilio universali, Christiano & libero, in natione Germanica habendo, commode & solide tolli & sopiri posse, & primum quidem omnium hanc viam generalis Concilii tentandam esse; sed, cum in incerto sit, quando id pro temporum statu obtineri possit, alia Comitia proximo autumno atque hyeme (totam hyemem ad hoc negotium destinatam esse, nescio unde hauserit Maimburgius) *praesente iterum Caesare habenda esse.* Ad ea postea locus *Wormatia*, & dies *1. Octobr.* destinatur: Interea vero *Caesarem per viros doctos, bonos, honestatis & pacis amantes, Christianam reformationem conscribi curaturum, Ordines item per suos facere, & illa omnium partium consilia universis proponi debere, ut amicabiliter & christiane conveniatur, quid servandum sit in articulis religionis controversis, usque ad Concilii generalis supra descripti, in Germania habendi, definitionem, per quam graves abusus, qui invaluerint, emendentur, & noxium schisma cum incommodis inde secutis tollatur.* Extat *Reg. H. fol. 585. n. 190.* epistola ad Electorem Sax. *Georgii Frölichii*, scribae publici civitatis Augustanae, in qua inter alia scribit: *Quemadmodum intus & in pectoribus Ordinum Imperii decretum Comitiale conceptum fuit, ita etiam fucato stylo conscriptum est, ut pars utraque suum in illo sensum reperiat. Licet etiam paritas in stylo esse videatur, tamen, si res ad approbationem capitis* (Caesaris) *deferenda sit, nos causa sine dubio prorsus cademus.* (wenn es zum beyfall des haupts kommen solte/ hätten wir die sache glatt verlohren.) Rectissime sane judicavit vir ille, ut ex stylo harum aliarumque ejus literarum constat, antiqui candoris, magnaeque libertatis, quam toto terrarum orbe exulantem inter solos Germanos reliquam esse scribit, & verae religionis zelo flagrans. Viderunt sane Legati Protestantium, nec in collatione cum *Granvellano* & *Navio* tacuerunt, verba illa, quibus damna ex schismate orta significabantur, & aeterna temporalibus praeferenda esse dicebantur, ex mente & intentione Caesaris contra se potius dirigi, quam sua desideria probari. Ipsi quidem nulla non occasione testabantur, sibi aeterna, sive, quae ad animae salutem pertinerent, potiora esse omnibus aliis rebus, turbas etiam obortas non nisi illis tribuebant, qui piae reformationi vim opponebant; sed satis noverant, contraria sibi ab adversa parte imputari. Egregium erat, quod reformationis necessitatem publice agnosceret Caesar, & formulae conscribendae curam in se reciperet, non nescius, frustra id anno 1541. Ratisbonae factum esse. Sed ista omnia etiam contra Protestantes explicari poterant, quasi & hi corruptelas & abusus introduxissent, reformatione nova dignos, deinde isthaec saltem ad tempus, nempe ad Concilii usque definitiones, valitura providebantur. Praecipuum, quod placere Protestantibus potuit, sine dubio erat, quod Concilium alio modo & loco habendum decerneretur, quam id erat, quod huc usque Pontifex molitus erat, & quod nulla Pontificiae potestatis mentio fieret; Deinde quod §. Als wir aber 2c. in fine, diserte statueret Imperator, *dissidium in religione non nisi Christiana & amica transactione in libero & Christiano Concilio universali aut nationali, aut in Comitiis componendum esse.* Sed speciosa haec promissio nitebatur solius Caesaris effato, quod pro valido & obligatorio haberi non poterat propter defectum tot Principum & Ordinum consensus, publica testificatione significatum, ideoque promissioni suae haec verba addiderat: *se paterna diligentia & fide, & quantum in se, id curaturum esse;* (wollen unsern gnädigen/ väterlichen fleiß fürwenden/ und an uns nichts erwinden lassen) Excusatus itaque esse cupiebat, si vel Pontifex, vel Ordines, qui non consenserant, transactioni amicae repugnarent. In articulo de judicio Camerali itidem varie & caute se gessit Caesar. Ex una parte judices Camerales ab omnibus, quae illis per tot annos Protestantes objecerant, criminibus & defectibus absolvit, dicens: *Se ex actis visitationis nihil deprehendisse, quod honori judicum detraheret,* unde & eos ad triennium in statione sua servandos esse statuit, suo quidem sumtu. Ex altera parte utcunque satisfecit Protestantibus, dum in causis eorum jurisdictionem Camerae, durante triennio, suspendit, postea vero nominatos ab illis Assessores absque religionis discrimine admittendos esse concessit, & simul formulam juramenti, quae non solum in Deum, sed & in sanctos ex veteri superstitione concepta erat, relaxavit, liberumque reliquit, num recipiendi in judicum numerum *in Deum & sanctos*, an *in Deum & Evangelium* jurare vellent; duabus tamen appendicibus hoc qualecunque beneficium coarctavit. Excepit enim non solum dispositionem *Aureae Bullae*, (in qua *Cap. II.* formula jurisjurandi, Electoribus praescripta, haec habet verba: *ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti*) sed & reservavit hujus indifferentiae revocationem ex suo & Ordinum universalium arbitrio; ubi autem horum (der gemeinen Stände) sententiae aliquid defertur, id ex majori suffragiorum numero decidi poterat, adeoque in potestatem Pontificiae partis haec res recidebat. His praejudiciis remedium quaesiverunt Evangelici, protestatione pro se & iis, qui in futurum causae suae accederent, d. 11. Jun. pridie ante publicationem decreti in vestibulo Caesareo, Electori Brandenburgico & Legato Electoris Palatini, *Conrado a Rechberg* exhibita, in qua Concilio, si Pontificia autoritate convocaretur, contradicebant, judices Camerales pro innocentibus non habebant, formulae juramenti, *Aureae Bullae* inserti, itidem obloquebantur, & denique declarationi, Ratisbonae a Caesare anno 1541. obtentae, insistebant. *Vid. Reg. H. fol. 569. n. 183.* Dicendum aliquid est, antequam ad alia progrediamur, de responso Pontificis, Ordinibus Imperii, qui eum, ut narravimus, de auxilio, Sabaudiae Duci contra Turcos ferendo, rogaverant, d. 26. Febr. dato. Summam ejus fideliter retulit *Sleidanus d. Lib. XV. p. 440.* integrum nuper produxit *Raynaldus hoc anno 1544. n. 3.* Observari merentur

(9) *De judicio Camerali in specie.*

(10) *Literae Pontificis ad Ordines Catholicos in causa Sabaudica, cum epicrisi.*

An. 1544. rentur verba quædam Pontificis. Deplorat *maximas Apostolicæ Sedis jacturas, obedientia ejus & autoritate tot in locis vel prostrata penitus, vel insigniter diminuta.* Notari hoc debet adversus recentiores, qui cladem illam regni Pontificii extenuant, mireque Luthero insultant, qui eam pro magna habuerit, majoremque ominatus sit. Consideravimus id alibi, & hic confessionem *Pauli III.* habemus, haud leve vulnus potentiæ Sedis suæ inflictum agnoscentis. Omnis inde mali, & illius, quo ipse maxime afficiebatur, suæ scilicet autoritatis deminutionis, & de quo questi erant Germani, belli puta Turcici, aliarumque calamitatum unam eandemque causam esse dicit discordias inter Principes, eique unam & universalem curam & medelam quærendam esse existimat, nempe earum sublationem, sive pacis restitutionem. Ex discordiis autem illis hæreses prodiisse affirmat, & post has rebelliones, Turcas, intestina arma; nam ante hæreses nec in Hungaria, nec Austria & Italia fuisse Turcas. Ista si examinentur, neque vera neque sincera esse deprehendentur. Discordiæ & bella inter Principes Christianos, seditiones item, & rebelliones populorum, Turcarum in Hungariam, immo ipsam etiam Italiam irruptiones fuerunt ante eam, quam vocat, hæresin Lutheri, & proxime ante cœptam Luthero oppositionem, totum fere tempus, quo *Maximilianus* regnavit, inquietissimum fuit, non sine culpa Pontificum, de qua idem Cæsar non semel questus fuit, illorum potissimum pravis consiliis bellorum semina jacta aut nutrita, & se ab omnibus deceptum fuisse, non dissimulans. Vide, quæ paulo post Lutherus in tractatu contra Papatum, de quo mox dicemus, ea de re annotavit, *Tom. VIII. Alt. fol. 423.* Julii II. actorum oblitum esse oportet, qui de hoc dubitet. Deinde quid commune habeat Lutheri doctrina cum discordiis inter Principes, & quomodo ex his occasionem aut ortum habuerit, perspici non potest. Pax inter Maximilianum & Galliæ Regem anno 1516. facta erat; nullo igitur ad bella aut pacem respectu, sed conscientiæ ductu anno 1517. exortæ sunt querelæ adversus ipsorum Pontificum auctam indies avaritiam, & pessimos Cleri mores & curæ de religione & pietate neglectum. Remedium itaque genuinum & adaptatum quæri debuit, non tam a pace inter Principes, quæ nunquam magnopere placuit aut profuit Pontificibus, quam a reformatione abusuum, & emendatione errorum, quam optimi quique per totum orbem Christianum exoptabant. Nihil autem minus cordi erat Pontificibus, & *Paulus* hic, dum pacem inter Cæsarem & Gallum tanto studio quærit & Germanis commendat, id modo, ut eventus comprobavit, agebat, ut eos, qui correctionem urgebant, hæreticorum infami titulo dehonestatos, junctis inter Principes viribus, opprimeret, & ei, quod sub Concilii nomine ad condemnandas oppositiones erigebat, tribunali, autoritatem & vim exequendi compararet. Hoc vocat *pravos mores, cæteraque fœda fugare*, reclamante eventu; nam neque Oecumenici Concilii larva fugatæ sunt, quas vocabat hæreses, nec quidquam pravum fœdumque fuit, quod post illius decreta non manserit, quale antea fuerat, plurima etiam in deterius sunt provecta.

ADDITIO.

An. 1544. (a) *Landgravii acta quædam in Comitiis.*

Referenda etiam alia quædam de actis in Comitiis restant, neglecta aut ignota Maimburgio. Diximus, Electorem Saxonem, & Landgravium induci se passos esse, ut ipsi ad Comitia venirent. Landgravium quidem monuerat paulo ante cœpta Comitia d. 12. Decembr. 1543. Cancellarius *Comitis Teckelnburgici*, (qui inter fœderatos Evangelicos erat) ex ore *Johannis, Comitis Frisiæ Orientalis*, referens, Cæsari, licet benignum se erga Landgravium ostenderet, excidisse tamen verba apud suos, quibus professus esset, se illum & fœderatos intra anni tempus subjugaturum esse. Nihilominus citius, quam Elector, Spiram venit, nempe *d. 10. Febr.* statimque ab Imperatore magna cum benevolentiæ significatione admissus fuit; post quatriduum tamen *Navius* Cæsaris nomine postulavit, ut conciones in hospitio suo, non vero in templo monasterii Franciscani haberi faceret, religionem enim, quam prædicarent, condemnatam esse. Respondit Landgravius, habitas quidem antehac esse in hospitio suo conciones, sed præsentibus hominum quinque millibus, cum jam in æde monasterii vix duo aut tria millia convenirent: Doctrinam, quam sequeretur, nuper Ratisbonæ in articulis primariis pro impia non esse habitam, neque se ejus pudere, paratum potius esse ad publicam ejus defensionem in colloquiis: In cœnobio non nisi unum monachum superesse, & in templo ceremonias dudum cessasse: Incitari Cæsarem ab *Henrico* Brunsuicensi & judicibus Cameralibus, & id agi, ut Principes ad abitum moverentur. Destitisse ab illo postulato Cæsarem conjicio; certe, quod conciones in templo intermissæ fuerint, non invenio. D. 21. April. cum in causa Brunsuicensi, de qua mox agam, Cæsarem adiret Landgravius, &, quæ proposuerat, Gallice conscripta exhiberet, dicens, se nescire, an Cæsar intellexisset, quæ Germanice dicta essent, benigne is respondit, se optime intellexisse; deinde continuato humanissimo cum Landgravio colloquio excusare cœpit, quod ejus opera in hoc bello Gallico uti cum honore ejus non posset; sequenti anno id facturum esse, pollicitus est. Inter ista tamen magni favoris simulacra, qualia etiam *Sleidanus Lib. XV. p. 447.* annotavit, erumpebant quandoque interiores affectus, ita ut Cæsar d. 10. Maji Landgravio exprobraret, eum & socios non stare declaratione sua Ratisbonensi, sed terminos illius egredi, & inhonesta a se petere. (**Sie begehrten nicht redliche sachen**) Hoc Landgravium vehementer pupugit, ut regereret; Cæsarem quidem esse Dominum suum, a quo omnia toleranda sibi essent, (**dem halte er alles zu gute**) sed alii responsurum esse ex merito, statimque discedendi ex Comitiis veniam petiit; tres menses se præsentem fuisse, & frustra laborasse dicens, ut pacem aut justitiæ administrationem obtineret; habere, quæ domi ageret. Sed Cæsar sibi quoque non deesse dixit alibi negotia, & tamen manendum esse; Retineri itaque ad octo adhuc dies se passus est Landgravius. Maxima concertatio Saxoni & Landgravio in his Comitiis fuit cum *Henrico* Brunsuicensi, nam hic ipse in Comitiis aderat, & metuebatur, ne inter eum & Landgravium res ad manus deveniret, præsertim cum ordo in consessu Principum, qui aderant, tunc requireret, ut Landgravius *Henrico* ad latus assideret. Surrexit itaque *Johannes* Palatinus Simmerensis, & protestatus de jure prioris loci, quem relinquebat, medius inter eos consedit, id quod Cæsaris monitu fecisse putabatur. *Sleid. d. lib. XV. p. 438.* Sed in acerrimas & fœdas rixas erupit causa Brunsuicensis, ut ex scriptis, quæ tunc recitata & exhibita sunt, constat, quæ in compendio exhibet *Sleidanus*, integra producit *Hortled. Tom. I. Lib. IV. c. 46. 47. 48.* Protestatus erat *Henricus* d. 20. Febr. se Electorem Sax. & Landgravium sociosque eorum pro Principibus Imperii non agnoscere, publici quippe criminis, contra se patrati, reos, & provinciæ suæ, vi ablatæ, injustos detentores. Huic contrariam protestationem eodem die Saxo & Landgravius opposuerunt, deinde 5. April. oretenus illum accusarunt, quanquam impetrasset a Cæsare, ut a consessu tunc abesset.

(b) *Ejus & Electoris Saxoniæ litigium in Comitiis cum Henrico Brunsuicensi.*

An. 1544.

Productæ sunt querelæ *Goslariensis* & *Brunsuicensis* civitatis prolixæ & multiplices, literæ etiam *Henrici* & *D. Heldi*, ex quibus demonstrabatur, quibus delationibus Protestantes apud Cæsarem onerasset, & exitiale bellum contra eos parasset: Ut vero ista non zelo religionis, sed tantum cupidine aliena invadendi, molitum illum esse ostenderent, concubinatum ejus cum *Eva Trottina*, & simulatam hujus mortem, falsasque exequias denuo detulerunt. Ex multis præterea literis *Henrici* probarunt, quam contumeliose de Cæsare & ministris ejus primariis *Lundensi* & *Granvellano* scripsisset. Petunt, acta sua contra illum approbari & litem in Camera ab eo contra se cœptam aboleri, illumque ex consessu Principum ejici. Responsum *Henrici* d. 23. April. itidem publice prælectum fuit, plenum acerrimis recriminationibus. Objiciebat inter alia Electori Sax. occupationem Episcopatus *Numburgensis*, & *Amsdorffii* proterviam detestabatur, quod monetam cudi fecisset, quæ una nummi parte caput Cardinalis, altera morionis referret; Illi adscriptum erat: *Effigies cardinum mundi*; alteri vero lateri: *Effæminati dominabuntur eis.* Præterea fœderis cum Turcis & Gallis accusabat adversarios, & refellebat fundamenta ab illis contra se adducta; speciatim de declaratione Cæsaris Ratisbonensi (vid. **Hortled.** §. *20.*) satis libere disputavit. Negat enim Cæsaris potentiæ absolutæ, sive plenitudini potestatis locum esse, in causis, quæ per conventionem cum Ordinibus tractandæ sint, ipsius quoque declarationis instrumento multos defectus tribuit. Addidit quædam de testamento *Georgii* Sax. Ducis (§. *64.* & *seqq.*) nec negat, se & fœderis Catholici Norimbergensis socios consultasse, & Cæsari suggessisse, quomodo id contra *Henricum*, Georgii fratrem, exequendum esset. De causa *Trottinæ* pauca reponit, & ad ea, quæ Ratisbonæ responderat, provocat, Landgravio vero bigamiam acerbe exprobrat, eamque a VVittenbergensi schola approbatam fuisse contendit. (§. *73.* & *seqq.*) Ultima Saxonis & Landgravii responsio *d. l. c. 48.* exhibetur, quæ tamen, vetante id Cæsare, qui sufficere dicebat, quæ audivisset, recitata publice non fuit. Inter alia constantissime negant fœderati objecta de fœdere cum Turcis & Gallis, ita ut Landgravius dicat, se *Georgium a Recrod* (cujus exemplum *Henricus* nominatim allegaverat) vasallum suum feudo privasse, quod, se prohibente, Galliæ Regi militaverit. *Amsdorffium* laudant, ut virum pium, doctum, & divina vocatione constitutum Episcopum, qui pro se responsurus sit, jus vero supremum in Episcopatum *Numburgensem* nec non *Misnensem* & *Mersburgensem* Ducibus Saxoniæ palam asserunt. De digamia Landgravius respondet (§. *24.*) Henricum mentiri, neque enim se contra legem divinam aut religionem christianam secundam uxorem duxisse, nec conjugem suam ad consensum in veritas illas nuptias vi adegisse, multo minus tertiam superaddere velle, aut concubinis pluribus uti, quæ omnia *Henricus* ei impegerat: Negat etiam Elector Saxo, (§. *25.*) a VVittenbergensi Academia digamiam probatam esse, sed id malitiose fingi scribit. Plurima dein vitia *Henrici*, & quam inique & sæve conjugem suam, *Mariam VVurtenbergicam*, tractaverit, prolixe recensent. Cum vero *Henricus* etiam *Paccianæ* causæ memoriam refricuisset, acriter eum refutat Landgravius, & ad literas & documenta provocat, manu Paccii scripta, quibus ille ante mortem, judicio publico in Belgio illi illatam, convictus, Landgravius vero ab omni culpa purgatus fuerit. Repellit etiam calumniam, ac si Anabaptismo cum multis suorum faveret; non negat tamen, in paucos ultimum supplicium a se decretum esse, cum deprehensum fuerit, eos id magna cum obstinatione subire, & illa constantiæ specie multos moveri, econtrario plurimos, quibus leviores pœnæ irrogatæ fuerint, conversos esse, & pie atque modeste nunc vivere. Vid. **Hortled.** *d. l.* §. *95.* ubi *Brentii* & aliorum, & inprimis tractatum sub *Mini Celsi* nomine editum allegat & laudat. Cæsar, etsi in colloquiis cum Electore & Landgravio *Henrici* acta non probaret, multaque in eum dicerent *Granvellanus* & *Navius*, satis tamen apparebat, vehementer a Cæsare desiderari, ut Ducatus *Henrico* restitueretur, aut Cæsari in manus, ut dici solet, sequestras traderetur. Hoc *Granvellanus* d. 9. Jun. fœderatis proposuit, non sine expostulatione, & cum iisdem *Mauritius* Saxoniæ Dux, Cæsaris nomine, ea de re tractabat; sed negotium illud arduas inter illos consultationes peperit. Electori Saxon. id maxime curæ erat, ut religio, quam publica constitutione, uti dictum est, in Ducatum introduxerat, conservaretur. Quæ secuta sunt, postea narrabimus. Non persequemur, quæ de transactione inter Ferdinandum Regem & Saxoniæ Electorem retulit *Maimburgius*, Elector tamen impositum sibi fuisse non uno modo, neque quicquam præstitum ex promissis, publicato sub initium belli, post biennium secuti, scripto testatum fecit. Vid. **Hortled.** *Tom. II. Lib. III. c. XI.* ubi instrumenta transactionis maxima ex parte exhibentur. Ad censuram, quam *Maimburgius* in Cæsarem stringit, ob non servatam promissionem de Ducatu Mediolanensi, & acta cum Protestantibus, ut multa regerantur, non est opus. Agnoscimus, quam tradit, regulam de officio Principum, ut ante omnia quærant regnum Dei, sed male eam oppositam esse existimamus his actionibus Caroli, neque enim is Christi, sed Pontificis regno, studium reformationis & pacis tunc prætulit, eoque nomine laudandus summopere fuit Cæsar, majori etiam dignus elogio, si in proposito illo constantiam servasset.

(c) *De digamia Hassiaca aliquid, & de secta Anabaptistica.*

(d) *Acta quædam Cæsaris, & Maimburgii de illis censura.*

SECT. 29.

(1) Pontificis rescriptum objurgatorium ad Cæsarem.

Pontifex itaque acerrimo dolore ob Caroli V. parum Christiana proposita, & edictum, Ecclesiæ perniciosissimum, compunctus, literas admodum longas ei scripsit, quas Cardinalis Pallavicinus historiæ suæ Concilii Tridentini integras inserere non dubitavit. In iis dicit: Se, ne in Heli, magni sacerdotis vitium incidat, obligatum se existimare, ut illi, tanquam pater charo filio, ostendat, quomodo edictum hoc Spirense & salutem animæ suæ in periculum mittat, & Ecclesiam turbet, cujus capiti unice competat, Concilia convocare, & interim res religionis ordinare. Imperatorem vero contra ordinem, a Jesu Christo stabilitum, cum non nisi defensor & minister Ecclesiæ sit, ausum tamen esse, de Concilio œcumenico aut nationali in Germania statuere, nulla Papæ mentione facta. Quodque magis stupendum sit, non veritum esse profiteri, se ipsum de articulis fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ in Comitiis decisurum esse, in quibus judicio laicorum, immo & hæreticorum exponeretur, quid ad Concilium usque, quod in Germania celebrari deberet, credendum sit. Proponit illi postea exempla eorum, qui eodem modo spiritualia invadentes severe puniti sint, & Imperatorum Christianorum, ejus prædecessorum, qui ob semper defensam sanctæ Sedis autoritatem gloriosa præmia ab illa recepissent, etiam in terris. Tandem exhortatur eum ad faciendam pacem, vel, ut saltem arbitrio Concilii Tridentini (secundum Bullam jam publicatam habendi) controversias suas submitteret, utque ante omnia edictum tam scandalosum & Ecclesiæ contumeliosum aboleret;

Lib. 5. c. 6.

secus

An. 1544.

secus si faceret, cogi se, ut contra eum majori cum rigore & severitate ageret, quam vellet. Imperator, continere se sciens, scriptum tam acre sine commotione adversus Pontificem accepit, quanquam contrarium Protestantes, & maxime Lutherus, incredibili studio desiderarent; hic etiam rabido modo contra Breve illud Pontificium scripsit. Subsistit itaque Cæsar in responsione generali, & paucis verbis significavit, se in tempore & loco ostensurum esse, quod omnia fecerit, quæ a se, ut Imperatore catholico, pro bono Ecclesiæ & sanctæ Sedis expectari potuerint, & si idem fecissent, qui sibi in opere tam sancto adsistere debuissent, rem non fuisse in eum, quo nunc esset, statum perventuram.

(2) Cæsaris lene responsum, & alia quædam.

§. CXIV.

(3) De literis Pontificiis ad Cæsarem, & cur producantur.

Scriptum, cujus summam recenset, laudatque noster, longum quidem est, & ex *Pallavicino* (loco allegato *Lib. V. cap. VI.*) peti posset; sed cum neque in omnium manibus sit opus ejus, & tanta cum specie pariter & fiducia de potestate sua glorietur Pontifex, consultum esse putavimus, ut & hic locum inveniat. Addidimus autem quædam, quibus, etsi asserta Pontificia exacte non refutentur, (ille enim labor non est hujus loci) lectores tamen admoneantur, ut fucum caveant, neque se verborum ampullis decipi sinant. Recurrimus alicubi in annotationibus his ad illum ipsum Lutheri libellum, quem, ut rabidum & furiosum, hic exagitat *Maimburgius*. Editus is fuit Germanice anno demum sequenti, cum non nisi sub finem hujus anni notitia Pontificiarum literarum ad Protestantes pervenerit, titulo: *Contra Papatum a Diabolo fundatum.* **Wieder das Pabstthum vom Teuffel gestifftet.** Insertus est *Tomo VIII. Alt. fol. 418. ad 462.* Latine etiam versus. *Tomo VII. Wittenberg. Lat. fol. 477. & seqq.* Sed ex ipso exordio patet, oppositum esse Pontificiis scriptis hoc anno 1544. emissis, neque solum illi, quod Maimburgius enarrat, sed & alii minaciori & acerbiori, ut loquitur *Pallavicinus d. cap. VI. §. ult.* falsus tamen, si putavit, ejus exemplum Protestantibus non innotuisse. Nam non solum Lutherus in libello allegato *fol. 425.* duplicis epistolæ Pontificiæ mentionem facit, sed & plus ad alterum, quod suppressum esse memorat Pallavicinus, quam ad illud, quod is produxit, respondet, & adversus istud alium libellum promittit, quem tamen editum esse non reperio. Debemus alterum literarum exemplum *Raynaldo* (*in historia anni hujus n. 7.*) ut postea videbimus; nunc, quod Pallavicinus exhibuit, afferemus: *Charissime fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex edicto Majestatis tuæ acta conventus tui Spirensis cognovimus; de quibus cum nostram sententiam dissimulare paternus noster amor erga te non patitur, tum vero officii & muneris a Deo nobis per Christum commendati ratio in cura universalis Ecclesiæ, ut apertis verbis te admoneamus, compellit. Nec vero parum nos ad hoc movet grave severitatis divinæ in Heli Sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & adeo eorum errata conniventem, extat severa illa Dei in hæc verba sententia: Quia indigna noverat agere filios suos, nec corripuit eos, idcirco (inquit Deus) non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum. Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primum, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta, hincque posteritas a sacerdotio repulsa, verbum Domini verum & ratum fecerunt.* *Pallavicinus*, qui *cap. VII. §. 2.* diploma hoc *Pontificiæ autoritatis tropæum* vocat, Calvinum vehementer reprehendit, quod *Paulo III.* indulgentiam Heli, quam erga Carolum Imperatorem vitandam sibi esse dicebat, in filios a se vere progenitos palam exercitam, exprobraverit; id enim specie non carere putat, cum cæteras ejus & aliorum, quos hæreticos vocat, objectiones nequitiæ & vanitatis manifeste reas esse, aut fidei clypeo retundi posse existimat. Fateor, me non vidisse, quæ Calvinus scripserit: At Lutherus quoque *d. l. fol. 424.* turpissimam in filium indulgentiam, & insatiabilem in eo ditando cupiditatem Paulo objicit, & *Mantuani* notos versiculos adscribit:

(4) Exordium literarum Pontificiarum de indulgentia Heli.

(4) Annotatio ex Pallavicino, item Lutheri ex libello supra dicto.

- - *Petrique domus polluta fluente*
Marcescit luxu. &c.

(5) Pallavicinus laudat Paulum III. additur epicrisis.

Operosus est *Pallavicinus*, ut maculam illam Pauli, si non eluat, virtutum tamen laude compenset. Non negat, immo ne excusat quidem culpabilem ejus in suos amorem, sed honestum reipublicæ & religionis studium in eo extollit, quo affectus illius privati vitium in reprehendendo Carolo superaverit. Laudat præterea solertiam ejus; qua omnes in tuenda Apostolica sede anteiverit, neminem dicit aulæ mores adeo restaurasse, neminem tot sumtibus arma promovisse in hostes fidei. Laudat etiam, quod nepotes suos charissimos legationibus & militia occupatos maximis periculis pro republica & religione devoverit. Sed hæc profecto omnia aut vane jactantur, aut Evangelicis majora crimina videntur, quam quicquid ex tenero in filios & nepotes affectu peccaverit. Denique subtilissima adulandi specie *divini illius*, ita enim vocat, *Principatus* summam laudem in eo ponit *Pallavicinus*, quod Principem, (id est, Papam, talis enim illi est κατ' ἐξοχὴν) *debitorem* constituat *tam præcelsæ virtutis, ut ejus æmulis nunquam non supersit accusationi locus, etiam in eos Pontifices, de quibus egregia gesta confiteri cogantur, quæ profanis Principibus gloriam perennem conciliare potuissent.* Sane tam iniqui non sumus, ut nihil humani in Antistitibus Ecclesiæ ferre velimus; sed multorum seculorum experientia constat, quibus vitiis, si non omnes, certe plerique summam illam, quam invaserunt, sedem contaminaverint. Lutherus capitale illorum crimen facit *atheismum*, de quo, Romæ vix esse, qui dubitet, se ipsum refert expertum esse, cum ibi versaretur, vid. *fol. 424. Interim*, ait, *munere suo superbiunt Pontifices, & quæ eo nomine agunt & statuunt, pia & recta esse putant, quantumcunque vitiosæ sint personæ:* Idque ipsum *d. §. 2.* innuit *Pallavicinus*. Sed probari prius debebat muneris sive officii legitima constitutio, sive, ut Pallavicinus jactat, *divinitas* Pontificis. Hoc præstito ferri possent personarum vitia, quanquam corrigi etiam ab Ecclesia potuerint, id quod fieri exemplo Constantiensis

Con-

An.1544. Concilii debere, egregie demonstrat Lutherus *fol. 419* .& cum eo omnes, Galli inprimis, qui Conciliis jurisdictionem & potestatem in Pontifices asserunt. Interim hanc, quam a nobis, qui Pontificum vitia taxamus, exigunt, æquitatem, ut ob personarum errata muneris sanctitatem & utilitatem non spernamus, majori jure ab illis poscimus, ut Luthero, aliisque Evangelicis doctoribus nævos suos ignoscant, quod tanto rectius facerent, quanto certius de divino muneris Ecclesiastici, quam Pontificii dominatus jure constat: nam illius regulæ divinitus traditæ, hujus, non nisi hominum commentis, constitutæ sunt.

(6) *Pontifex obsequium Cæsaris olim præstitum laudat, ejus vero errata præsentia culpat.*

Nos vero, Fili, cum a te indigna quædam decreta in conventu Spirensi ex ipsis actis animadverterimus, indigniora vero designata esse, & talia, quæ si propositum exitum, quod Deus avertat, consequantur, non solum te in certissimum animæ salutis periculum adductura, sed & Ecclesiæ paci atque unitati, cui super omnia studere debemus, majorem quam qua hactenus laboravit, perturbationem sint allatura; noluimus sane prætermittere, quin te, a Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his nostris literis de tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem te non, ut Heli filios, admonendum duximus, quos depravata voluntas & consuetudo peccandi indociles prope ad rectam disciplinam reddiderant; sed ut eum potius, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum; Quo majorem in spem venimus, non frustra nos admonitione paterna esse apud te usuros. Omnia vero, Fili, in eo sunt, si ab unitate Ecclesiæ te abduci non sinas, a consuetudine Majorum tuorum religiosissimorum Principum, non recedas; sed eundem, ut debes, morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta pertinent, observes, quem multos annos, summa cum pietatis animi tui significatione, edidisti. Is vero est ejusmodi, ut, quoties de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam judicium referatur, nihil illa inconsulta statuatur.

(7) *Consideratur Cæsaris obsequium.*

Plus satis utique morigerum se & obsequentem Pontifici præbuit *Carolus*, inprimis cum Wormatiæ *Aleandri* importunitate ad edictum illud sanguinarium induci se passus esset, non adhibito, qui requirebatur, Principum consensu, nec considerato, quod sine Germaniæ ruina executioni mandari, quod præcipiebat, non posset; id quod plus semel ex Ordinibus Imperii agnoverunt, quicunque patriæ salutem Romanis cupiditatibus præferebant. Taceo, (quod alibi expensum est) quam male usus fuerit successu, cum Romam, totamque ejus ditionem, cum ipso Pontifice & magna Cardinalium parte, in potestate haberet. At horum omnium gratiam perdidit *Carolus*, cum a more majorum, ita querente Pontifice, in Comitiis Spirensibus recessit, quod tamen suo & optimo jure fecit, donec probatum fuerit, quod hic pro certo & concesso sumit Paulus, judicium de religione ad Sedem Apostolicam sive ad Pontifices deferendum esse.

(8) *Queritur Pontifex, quod in decreto Comitiorum non sit nominatus.*

Tu vero nunc, Fili, cum vel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo, afflictis Ecclesiæ rebus, & inprimis ipsius Germaniæ mentionem facis; vel de nationali, cujus etiam meminisli; vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali conventu, in quo de religione, cæterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus nomen ubique, cui divina & humana jura, approbante tot seculorum consensu, supremam cum cogendi Concilia, tum statuendi de his, & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ unitatem & utilitatem spectant, autoritatem dederunt.

(9) *Notatur Cæsareani styli negligentia.*

Crimen capitale itaque Caroli fuit, quod in decreto comitiali ne nomini quidem Pontificio locum dederit. Et profecto mira fuit eorum, qui calamum scribendis secretis admoverunt, sive oscitantia, sive Pontificiæ majestatis contemtus. Nollem enim fraudulentiæ aut indulgentiæ in Protestantes id imputare, nec excusari illa potuisset, si verum est, (quod Evangelici merito negant) jure divino & humano, & approbante tot seculorum consensu Pontifici jus esse statuendi de iis, quæ ad Ecclesiæ unitatem & utilitatem spectant.

(10) *Accusat Pontifex Cæsarem de indulgentia erga Lutheranos.*

At vero, neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesiæ & majorum abs te morem atque institutiones divinas minime servatas fuisse; sed alia præterea, & ea quidem non pauca, peracti jam conventus decreta leguntur, quæ maxime & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam, quod laicos de rebus spiritualibus judicare vis posse, neque laicos modo, sed nullo discrimine laicos, & damnatarum hæresium assertores; quod de bonis Ecclesiasticis, & de eorum futuris controversiis statuis; quod eos, qui extra Ecclesiam sunt, & per edictum tuum pridem damnati, honoribus pristinis in judiciis ac tribunalibus restituis, atque hoc pro tua & Imperatoria potestate facis, minime approbantibus cæteris, qui in antiqua & sancta obedientia perseverant; Quid tandem horum cum divinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuo Ecclesia est gubernata, convenit; quæ omnem potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cœtus regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt? Hæc vero, quo magis ab omni recta disciplina & consuetudine majorum sunt aliena, eo minus nobis persuadere possumus, e tuo ipsius sensu illa unquam emanare potuisse; sed eandem pietatem animo tuo, suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctæ Sedi sunt rebelles, putamus. Qui, si a te impetrare non potuerunt, ut, quæ contra eam facere volebant, probares, saltem, ut ejusmodi edictis aliquam abalienati animi significationem dares, abs te contendisse, facile possumus judicare. Id vero eos impetrasse tanto magis dolemus, quanto id tibi & Ecclesiæ, nisi cito ad te ipsum redeas, majori damno & detrimento fore, nobis maxime est persuasum.

(11) *Notatur dissensus ad dictum Pallavicini & Pauli Veneti de admissione Laicorum ad Concilium.*

Paulo Veneto dicam hic scribit *Pallavicinus*, quod literas has Pontificias enarrans tradat, Cæsari a Pontifice objectum fuisse, quod *idiotis* judicium de religione permiserit, cum tamen non de idiotis, sed de *laicis* locutus sit Pontifex. Sed præterquam, quod subtilis est vocularum illarum differentia, & præter Clericos, immo etiam paucissimos ex his, omnes alii uno eodemque

An. 1544. que loco & pretio, id est, nullo a Pontifice in causis fidei censeantur; plus tamen utique Pontifex imputavit Cæsari quam par fuit, dum eum culpat, quod *nullo discrimine* laicos ad judicium de rebus spiritualibus admittere voluerit. At hoc ex decreto Comitiali non apparet, neque enim sine discrimine decernit Cæsar, cum §. Nachdem aber ungewiß ꝛc. ut supra retulimus, dicit, se formulam reformationis conscribendam delegaturum esse viris doctis, bonis, honestatis & pacis amantibus, gelehrten/ guten/ ehr- und friedliebenden Personen. Peccatum itaque oportet esse in eo, quod non excluserit laicos, aut fortassis ad hos solos aut potissimum respexerit, cum & plures ad laborem istum idoneos inter illos, quam in Clero, inventurum se esse existimaret. Sed majus crimen erat, quod hæreticos quoque non repulerit, illos nempe, quos pro talibus præcipiti judicio damnaverant Pontifices, inter quos tunc temporis erant quatuor Imperii Electores, nec pauci & potentissimi Principes, Comites & Dynastæ, atque tot insignes civitates, his enim non minus ac iis, qui veterem cultum retinuerant, injunxit Carolus *d. l.* ut per suos quoque consilia de reformatione conscribi curarent. Hic in disputationem descendi posset, num ad consultationes & definitiones de rebus fidei non nisi Clerici, sive Ecclesiarum ministri adhiberi possint aut debeant? Id quod audacter & sine hæsitatione asseverari videmus a Pontifice, neque aliter eum decet, si tueri vult, quam gerit, personam. Sed quid sentiant, qui sacrarum literarum regulas & exempla placitis Romanis præferunt, satis notum est, & alibi tractatum.

(12) Pontifex objurgat Cæsarem, quod Pontificium munus usurpaverit & laicos admiserit.

Quod non possumus non indies magis magisque timere, quo attentius consideramus, quibus cum amicitiam inieris. Si enim, ut inquit Apostolus, corrumpunt bonos mores colloquia mala; quanto gravius, si quis cum malis conjuncta consilia & fœdera habeat, hoc timendum erit? Quanquam quidem non dubitamus, sub specie pietatis, utilitatis, honoris, ad hæc eos te solicitasse; sed nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliquo ejusmodi nomine, quasi veste pretiosa, se ornet. Tu vero, fili, interroga potius patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi: hi enim omnes una voce te ad unitatem Ecclesiæ, atque honorem & obedientiam hujus sacræ sedis hortantur, atque jam pridem factis ipsis sunt hortati. Si vero sanctissimum quemque, & in divinis legibus peritissimum consules, gravissimas in eos divinæ iræ vindictas proferent, qui, quacunque de causa, quacunque pietatis specie adducti, summi sacerdotis munera sibi sumere voluerunt. Est vero ea maxima, quam rebelles adducere solent, cum Principes ejus cathedram adscendunt, atque, ut jus & autoritatem cognoscendi causas religionis & judicandi sibi assumant, hortantur; Sacerdotum enim negligentia, pro stimulo ad impellendum eos, utuntur, ut Ecclesiæ curam in componendis religionis controversiis, & in ordinandis Ecclesiæ rebus in se suscipiant. Quis enim hoc factum non dignum summa laude judicet? Nemo quidem, si factum tantum respiciatur: sed ut ex domo bene instituta, in qua divisa officia & munera, non licet unicuique pro suo arbitratu omnia exercere, etiamsi singula in suo genere sint præclara: quod qui tentant, quamvis bono id animo faciant, a patre tamen familias merito reprehenduntur: quippe qui suo intempestivo zelo, quod pulcherrimum est in domo, nempe ipsum ordinem, sine quo nulla domus diutius stare potest, quantum quidem in ipsis est, tollunt, & prudentiæ ejus, qui illum instituit, summam injuriam faciunt; Sic prorsus in Ecclesia Christi, quæ est domus Dei, in qua omnia munera sunt dispertita, & singula singulis ita distributa, ut inferiores superiorum officiis non fungantur, eo minus licet ordinem perturbare, quo majori prudentia ordinata est Ecclesia, quam de ulla domo cogitari possit; estque ea semper gravissima in Dei prudentiam ac sapientiam injuria. At non omnes hæc vident. Sed nec te etiam satis adhuc videre arbitramur, Cæsar, quantum injuriæ inferas divinæ providentiæ in hac domo Dei, in qua supremum munus sacerdotibus est commendatum, cum horum tibi partes & honorem sumis. Nec vero vidit Oza, cum honoris causa arcam Dei curru boum vectam prosequens, illis calcitrantibus, manu admota, dum ruinam timet, sustentare voluit. Quis vero hominum hoc factum improbare ausus esset? Vel quis non potius illud summopere laudaret, quod sacerdotibus absentibus in præsenti periculo ruinæ ipsius arcæ, quam bos lasciviens, ut inquit Scriptura, jam inclinaverat, manum, ut eam sustineret, admoverit? Nemo quidem hoc non, ut pie factum, laudasset, nisi severitate vindictæ, minime id sibi gratum fuisse, Deus ostendisset, cujus quidem ultio Ozam statim e vita sustulit, nullam aliam ob causam, (Scriptura testante) nisi quia temere, quod ad Sacerdotum & Levitarum officium pertinebat, supplere ipse ausus esset. Tantum vero peccatum in hoc facto fuisse, quis unquam cogitasset? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne in eundem divinæ iræ laqueum incidamus. De quo nunc, Fili, te admonere voluimus, ne fallacibus illorum persuasionibus adductus, qui in ore semper habent reformationem Ecclesiæ, in tanto non boum, sed Sacerdotum quasi lascivientium cœtu, quorum illa humeris sustentatur, tu manus temere admoveas.

(13) Negatur principium Pontificiæ assertionis.

Vana hæc de summo jure sacerdotum in causis religionis unice decidendis gloriatio dudum examinata & explosa est, ab iis, qui sciunt, post sublatum cultum Leviticum, & gratiam Spiritus Sancti beneficio Novi Testamenti in omnes fideles diffusam, neminem repellendum esse a judicio de religione, quicunque nempe iis adminiculis instructus est, ut ex fundamentis Sacræ Scripturæ verum a falso discernere posit, & commodam sententiæ suæ aperiendæ occasionem habeat. Christiani enim omnes, nempe vere tales, sunt *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, & a Petro his titulis condecorantur *I. Petr. II 9.* non tantum rasi & uncti ritu Romano. Frustra igitur se & Clerum magnifice deprædicat Pontifex, & vane minatur. Possent quædam ludi ad verba ejus de *boum & sacerdotum lascivientium cœtu*, sed in re seria serio agemus. Interim non tantum Ecclesiarum ministri aut Præsules, sed & ex laicis, quos vocant, illi, qui principem in Republica locum tenent, aut a Deo iis instructi sunt dotibus, quæ ad causas sacras recte dijudicandas & ordinandas requiruntur, manum labenti Ecclesiæ admovere, & titubantem Clerum sustinere, non solum absque metu casus, quo

An.1544. quo Oza oppressus est, sed & absque ulla offensa Dei possunt, immo debent & obligantur, id quod irrefragabilibus argumentis dudum evictum est.

(14) *Pontifex exempla Veteris Test. Cæsari opponit.*

Est enim hoc sacerdotum munus atque officium. In eundem vero laqueum inciderunt Dathan & Abiron, atque Core, qui ægre ferentes, in sancto populo unum præ cæteris dignitate summi sacerdotis fulgere, se tam Moysi quam Aaroni opposuere, cum dicerent: Sufficit vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus; quid elevamini super populum? Licet vero hæc verba contra ambos dicta videantur, tamen, Moyse interprete, didicimus, omnis eorum indignationis causam summum sacerdotium Aaronis fuisse; non enim, ubi omnis multitudo est sancta, virum aliquem eminere dignitate, æquum esse censebant. Quam vero graviter hæc res displicuerit Deo, insigne in eos divini judicii & severitatis exemplum ostendit, quos terra dehiscens una cum universa supellectili & omnibus bonis vivos absorpsit. Hæc vero vetera nunc recito, quia (ut inquit Apostolus) in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt; ut discant omnes, si in sacerdotio, quod deserviebat tabernaculo & umbræ, quodque una cum tabernaculo abolendum divina providentia statuerat, tantam curam Deus ostenderit, ut ne minimam quidem mutationem ab humano ingenio inultam permiserit, quanto major reverentia tribuenda sit illis sacerdotibus, qui non amplius serviunt typo & umbræ abolendis, sed ipsi vero tabernaculo, quod nunquam transfertur? quantove minus de mutatione vel minima ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant? quanto denique gravius & magis intolerabili superbia putabimus eos in divinam providentiam peccare, qui vel hanc confundere & ad se transferre postulant, vel alio modo de illa statuere volunt, quam longa Ecclesiæ consuetudo, fundata in testimoniis Scripturarum, promittit & declarat.

(15) *Ostenditur differentia Vet. & N. Testamenti.*

Hic profecto pleno ore fatetur Pontifex, quod, populum christianum ad servitutem Judaicam reducere, summa & unica cura fuerit Hierarchiæ Romanæ structoribus. Argumentatio autem a sacerdotio Aaronis ad ministerium Ecclesiæ christianæ nullius est momenti, si ex ea deducatur exclusio populi a cognitione rerum sacrarum aut tractatione quæstionum de fide. Typus fuit Aaron non Papæ, sed Christi; consummato autem morte Christi sacerdotio, quod saluti hominum destinatum fuit, abolitæ illæ umbræ sunt, & evanuit, quicquid iis annexum erat. Scimus sane, tam fatuos fuisse infelicibus seculis sub Pontificio dominatu populos, ut ista patienter audirent, immo ex eodem paralogismo decimas Leviticas sibi imperari paterentur. Sed nolim autor hodie esse Pontifici, ut has nænias occinat, non dicam, Lutheranis, sed ne iis quidem, qui nondum jugum ejus penitus excusserunt, minime omnium illi, quem hodie *primogeniti* titulo, quem tunc Cæsari tribuebat, ornare solet.

(16) *Alia Pontificis objectio ab exemplo Regis Oziæ.*

Quocunque vero modo, quacunque specie pietatis hæc proposita tententur, radicem quidem mali superbiam Deo semper odiosam esse non est dubium. Id quod maxime declarat Oziæ Regis exemplum, in quo simul & radicem hujus mali, & gravem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex, alias laudatissimus, idque testimonio Scripturæ, in hoc tantum superbiæ arguitur, quod incensum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam superbam judicasset? Sed Spiritus Dei in Scriptura, cum ad hujus facti narrationem pervenit, Elevatum, inquit, est cor Oziæ. In quo vero elevatum? nempe quod alieno ministerio fungi voluit, de quo postquam a sacerdotibus admonitus, nec illis paruisset, statim a Deo lepra est percussus. Hæc vero nunc, charissime fili, recensemus, ut intelligas, si superbum fuit Oziæ factum, in adolendo incenso super altare thymiamatis, quanto superbius sit, hoc tantum adolere incensum super altare corporis Christi, cæteraque, quæ religionem ipsam comitantur, persequi? Quid autem? An non putas hoc incensum esse coram Deo, leges de religione sancire? Est quidem incensum, idque Deo omnium gratissimum (nullum enim odorem tibi persuade Deum gratius suscipere) sed non est tuum munus illud, Imperator; est Sacerdotum Domini, est nostrum inprimis, quibus Deus potestatem ligandi & solvendi dedit. Vide vero, in quam tu partem templi intres, cum hodie tibi ministerium sumis; non quidem in atrium aut in sancta, ut Ozias: non enim tantum Sanctum est hoc factum, sed Sanctissimum. Cum ergo prudentia tua huc tu penetras, & in sancta sanctorum, atque ipsum corpus Christi penetras, ejus officium tibi arrogas. Nec te excusat, quod sanctum sit factum, vel quod non perpetuas, sed ad tempus, hoc est, usque ad futurum Concilium duraturas leges laturum te esse dicas: Ut enim id per se pium sit; tamen in eo, cui Deus ministerium hoc non dedit, maxime est impium. Sumis enim tibi eam personam, quæ propria est Dei, cui solum de sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet. Dei enim vox est ad malos sacerdotes: Ego ipse, inquit, super pastores requiram gregem meum de manu illorum; quod ut suo tempore penitus facturus est Deus, ita si quis interim quasi de manu ejus præripere hoc tentavit, is semper pro tali ausu gravissimas pœnas dedit. Veluti contra nullo unquam seculo intermisit certis quibusdam signis testari, illos majoribus gratiis tum interius tum exterius, & omni genere bonorum dignos esse, qui augendo & ornando sacerdotum genus, Ecclesiæ sua unitatem & Principem sedem auxilio & gratia foverunt; ut in Constantino Magno, in Theodosio, in Carolo Magno accidisse videmus, quibus nulli unquam christiani Imperatores vel divinis gratiis vel victoriis illustriores fuere. Contra vero Deus eos, qui sacerdotibus restitere, non solum passus est in omne genus turpitudinis labi, sed sæpe & insignibus quibusdam pœnis in testimonium divinæ iræ suæ castigavit. Nec vero nunc de illis loquimur, qui Ecclesiam nascentem adhuc extingvere sunt conati, Neronibus, Domitianis, & ejusdem generis reliquis, sed de iis, qui illam persecuti sunt jam adulta ætate, incipientem in Principes autoritatem sui muneris exercere, postquam constituta jam & confirmata est Petri sedes in oculis omnium Principum. Qui vero hujus autoritati restitere, a Deo sic castigatos constat, ut manifeste appareat, quam grata sit ac semper fuerit Deo hujus sedis obedientia; contra autem, quam ingrata & odiosa in eandem inobedientia.

An.1544.

Postu-

(18) Examinatur allegatum jus potestatis Pontificiæ.

Postulantur hic, quæ Carolus agnoscere non debuit. Dixisset aliquid Pontifex, si Cæsar suo solummodo arbitratu de religione decidere, aut sacra ipse facere voluisset, quanquam confusionem illam Pontificum exemplo tueri potuisset, qui, cum sacerdotes esse velint, summi tamen Principis etiam personam induunt: Sed cum Concilium convocare, vel, si propositum hoc exequi non possit, in Comitiis deliberare, & cum consilio peritorum de religione ex principiis a Deo revelatis statuere vult, nihil egit, quod Oziæ Regis peccato simile erat. Assertum itaque Pontificis, quod sacerdotibus solis munus competat de religione sancire, probari non potest, multoque minus, quod id sibi tandem soli vindicat, dum scribit: *Nostrum est inprimis, quibus Deus potestatem ligandi & solvendi dedit.* Legendus hic est Lutherus *d. l. fol. 438. & seq.* item *fol. 444. & seq.* Antiqua sane est hæc prava detorsio verborum Domini, cum Petro dixit *Matth. XVI. 19. Et tibi dabo claves &c.* Insolentissime enim dudum facta est a *Nicolao I.* Pontifice (seculo nono) in *can. omnes, dist. 22.* quem adducit & execratur *d. fol. 444. & seq.* Lutherus: nam ex hoc ipso dicto, *Beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii jura commissa a Christo esse,* contendit. Sed Lutherus ostendit (1) claves nil aliud esse, quam potestatem Christi nomine exercendam in absolvendis pœnitentibus & condemnandis impiis, sive impœnitentibus. (2) Esse itaque beneficium, pœnitentium causa a Domino institutum, cujus administratio concredita est Ecclesiæ ministris. (3) Jus ligandi & solvendi non Petro, ut personæ, sed ut Apostolorum nomine respondenti, collatum esse, adeoque his omnibus & eorum successoribus competere. Hoc manifestum esse ex *Matth. XVIII. 18.* & *Joh. XX. 21. 22. 23.* quæ ejusdem Domini nostri Jesu Christi dicta non minoris sint autoritatis, quam quod *d. l. Matth. XVI.* legitur, immo hoc ex illis explicari debere. Negat etiam Petrum sibi soli ex verbis illis aliquid arrogasse, idque vel ex Matthiæ ad Apostolatum electione constare dicit, quam Petrus solus suscipere debuisset, si vera esset Pontificum interpretatio. Addit multa de Ecclesiis, ab omnibus Apostolis & inprimis a S. Paulo, absque ulla autoritate Petri, constitutis, & alia, quibus primatus ille Petri, qualem Pontifices finxerunt, penitus subruitur. Exempla, quæ hic Carolo proponit *Paulus*, argumentum legitimum & apodicticum non producunt; nam etsi infeliciter sese multi Imperatores & Reges dominatui Romano opposuerint, potuit tamen is nihilominus vetitus & illegitimus esse, & ut pœna principum & populorum Christi fidem non ea, qua debebant, pietate & sinceritate profitentium & exercentium a Deo immitti.

(1) Lutheri responsio ad interpretationem Pontificiam de clavibus Petro traditis.

(19) Pontifex exempla Imperatorum proponit, qui Pontifices læserint infelici eventu.

Inprimis eum ex Imperatoribus, qui in apertam defectionem & contemtum hujus S. Sedis erupit, legimus fuisse Anastasium Primum, quem a Gelasio Pontifice Romano admonitum, ne Acacii Episcopi Constantinopolitani, a Sede Apostolica damnati, partes foveret; cum nec monitis ejus paruisset, & Hormisdæ, ejusdem successoris, Legatos, ad eum ea de causa missos, ut a communione cum hæreticis desisteret, contemtim primo auditos contumeliosius dimisisset, divina tandem ira fulmine e vita sustulit. Sequuntur hujus impietatis successores, sed per intervalla, multi alii imperatores, quales fuere Mauritius, Constans Secundus, Justinianus, Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longum esset, qui diverso quidem genere mortis, sed omnes aut violento, aut ignominioso, spoliati antea Imperio, & omni dignitate, perierunt; ut manifeste appareat in eis ultrix inobedientiæ vindicta divina. Quæ series usque ad Henricum illum perduci posset, qui cum gravissime Sedem Apostolicam vexasset, tandem eum a suo filio captum Leodii ultio divina in carcere mori fecit: justissimam quidem inobedientiæ pœnam ab eo repetens, ut a filio castigaretur, qui eum, quem patris loco divina ei providentia in Ecclesia constituerat, tot modis vexaverat, ejusque autoritatem neglexerat. Id quod & de Friderico Secundo dici potest, nisi quod infeliciori mortis genere est sublatus, qui, filio suo ipso carnificis munere fungente, strangulatus interiit. Tametsi Deus non semper hoc modo rebelles castigare soleat, quandoquidem nonnullos sic desideriis suis frui permittat, ut, quod ad externam castigationem attinet, impune peccare, & in magna rerum omnium affluentia, quasi felices vivere videantur: id ea ratione factum a divina providentia sancti patres pie existimarunt, ne, si omnes hi impii castigarentur, nullum aliud tribunal divinæ justitiæ reliquum esse homines judicarent. Quosdam ergo hic in aliorum exemplum Deus, ut justus agnoscatur, aperte castigat; quosdam vero, dum hic castigare dissimulat, ad tribunal suum futurum severius judicandos reservat; nullum vero peccatum impunitum dimittit divina justitia. Ea autem omnium gravissima est castigatio, cum ii, qui Deum gravissime offendunt, impune id se facere existimant: omnes enim tales cæcitate mentis sunt percussi, & in passiones, ignominias, ac in reprobum sensum, traditi, quæ ceu propria impiorum flagella Apostolus numerat. Cum autem hæc omnibus impiis sint communia, tum vero maxime illorum propria, qui suam impietatem in oppugnanda principe Sede, & in Ecclesiæ unitate scindenda exercuere. Hoc quidem in quibusdam animadvertimus, qui quo pluribus, dum sanctam erga illam obedientiam servarunt, virtutibus splendere sunt visi, eo magis post impiam ab ea defectionem in prodigiosas animi passiones, avaritiæ, libidinis & crudelitatis fuerunt traditi: id quod Anastasio, de quo supra mentionem fecimus, evenisse historiæ narrant. Similibus vero exemplis in hac nostra ætate utinam quidem careremus.

(20) Epicrisis ad exempla illa.

Quod sub finem *§. præcedentis* notatum est, etiam huc reperi debet; præterea, si historiam Imperatorum illorum, quam Pontifex allegat, examinare temporis hujus & loci esset, plurima moneri possent, ex quibus idem, quod diximus, demonstraretur, justo nempe Dei judicio factum esse, ut oppositiones etiam legitimæ nil profecerint adversus dominatum, quo puniri debebat Ecclesia; deinde etiam in Imperatorum illorum actis deprehenduntur, quibus causam per se bonam perverso agendi modo tractantes, successum ipsi corruperint.

(21) Pontifex Juda-

Nec vero in singulos tantum homines hæc ultio divina, castigans eorum inobedientiam erga hanc prin-

An. 1544.

orum & Græcorum exemplum proponit, ob rebellionem punitorum.

principem Sedem, est pergavata, sed in nationes etiam & provincias, in quibus videmus, cum gravissime omnium ii sint castigati, qui Christum Dominum habere recusarunt, proximum miseriæ locum eos sortitos esse, qui Vicarii Christi autoritati resistere. Duas vero nationes a Deo inprimis castigatas atque afflictas videmus, quæ olim florentissimæ fuere; quarum una pertinax in negando Christo permansit; altera aliquandiu cum Vicario ejus præ cæteris omnibus contendit. Illa est Judæorum, qua nulla majori miseria oppressa est; hæc vero Græcorum, quæ proxime ad miseriam Judæorum accessit, quia proxime ad impietatem accesserat. Quare, si Christus ipse in cæteris Imperatoribus, Regibus, populis & nationibus nunquam inultam tulit Vicarii sui spretam autoritatem, ea interim perpetua successione conservata, si tam severis judiciis eorum inobedientiam castigando, odiosos sibi semper fuisse hujusmodi conatus, ostendit: Quanto in te, Cæsar, si, quod Deus avertat, hanc oppugnares, cum apud Deum, tum apud homines hoc odiosius judicaretur, qui ex illis Imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris Sedi Apostolicæ detulerunt, quam ipsi ab ea receperint.

(22) Respondetur ad hanc objectionem.

Infirmum argumenti genus hoc est, a Judæorum, Christum pertinaciter negantium, rejectione ad pœnam illorum, qui Vicarii Christi autoritati restiterunt. Nondum legitime probatum est jus illud Vicarii, & donec id fiat, impune illi resistitur. Porro, si Græcorum aliud crimen non fuisset, quam quod hic illis exprobrat Pontifex, dici fortasse posset:

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Denique si ex successu judicandum est de jure causæ, quid respondebunt Mahometanis, quibus per tot secula in tot orbis terrarum provinciis Christianismus succubuit. Quæ in fine de honore Imperatoribus a Romanis Pontificibus collato innuuntur, ad Imperii translationem ad Germanos pertinent, quam sibi arrogant Pontifices, de qua in altero scripto, quod postea producemus, clarius locutus est Paulus.

(23) Pontifex Constantini M. exemplum Carolo proponit. Concilium generale suadet, Lutheranos ut hæreticos aversatur.

At neque hæc, charissime fili, scribimus, quasi ullo modo persuadere nobis possimus, hujusmodi te consilia in animo rata & confirmata habere; sed ut amans pater salutis filii & honoris, ac de utroque solicitus, simul atque edictum ipsius Spirensis conventus vidimus, te admonen[dum] duximus, eo quidem gravius, quo magis exploratum periculum, in quo versaris, habemus. Denique si pluribus dissuasimus, ne in disceptatione super his, quæ ad religionem pertinent, componendis, jus tibi vel autoritatem sumeres, non ob id scripsimus, quod disceptationes componi non maxime optaremus, qui (teste nostra conscientia) ut hoc rite fieret, vitam & sanguinem libenter effunderemus, sed ut exemplis cum ex divina Scriptura, tum ex Ecclesiasticis historiis citatis te admoneremus, ne, quod ad tuum ministerium non pertinet, ipse tibi arrogares, & pro tua & Imperatoria Majestate juberes; sed potius Constantini Magni, servi Dei, maximi ac felicissimi Imperatoris, exemplo te hortaremur: quod tantum facimus, ut eos suo judici, & suis judicibus judicandos & corrigendos relinquas. Ille vero, cum rogatus esset ab ipsis sacerdotibus, ut in eorum disceptationibus se judicem præberet, prorsus recusavit. Cujus verba in hanc sententiam ab historiarum scriptoribus, qui adfuerunt, citantur: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideo a vobis recte judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium; & vestra jurgia, quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. *Hæc ille Magnus, non tam imperio, quod erat maximum, quam pietate & cæteris virtutibus, dixit; cui te, Cæsar, in omnibus persimilem esse cupimus & optamus. Quod vero præ te fers studium & desiderium, ut componantur controversiæ in religione, & ut aliqua disciplina morum in universa Ecclesia renovetur; te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam præbeas ei, cui Deus curam hujus ministerii commisit. Ut enim te, tanquam caput, in rebus hujusmodi tractandis minime ferendum censemus, ita, tanquam brachii accommodatissimi, tuam inprimis opem desideramus. Hoc vero nostrum desiderium fecit, ut ad minimam quamque spem cogendi Concilii Oecumenici, non solum nos semper promtos præbuerimus ad illud indicendum, sed ubi vel minima spei scintilla eluxerit cogi posse, eo statim Legatos miserimus: quemadmodum ultimo loco etiam fecimus, quanquam non cum eo fructu, quem assidue optamus. Sed maluimus sane omnia tentare, quam vel minimæ occasioni deesse, quam a divina bonitate semper expectamus. Cum autem universalis Ecclesiæ utilitatis causa Concilium fieri summopere cupimus, tum vero præcipue illius inclytæ nationis Germanicæ, quæ jam pridem discordiis in his, quæ ad religionem pertinent, plurimum vexata dissidet, cujus saluti, (ut tua etiam Majestas fatetur) commodissime per Generale Concilium opitulari nos posse semper speravimus. Horum autem consiliis, qui jam ab hac sede sunt condemnati, te usum esse, quod nunc conquerimur; non ob id quidem conquerimur, quod semper hos remotos a tua amicitia esse cupiamus, aut id quæramus, quia semel damnati sint, ut semper damnati maneant: Testis enim nobis est Deus, quod nihil magis in votis habeamus, quam ut oves perditas ad Dominicum ovile reducamus; & ut illam nobilem provinciam universam in fide & religione cum capite & reliquo corpore in omni amore atque amicitia conjunctam videamus; idque ob eas, quas diximus, causas: Sed tu nunc, dum ii in discordiis cum capite & reliquo corpore manent, (de iis, qui tales sunt, loquimur) dum extra Ecclesiam sunt, per edictum quoque tuum damnati, eorum amicitiam pluris, quam par est, facis, dum indulgentius eos tractas; cum hac tua indulgentia & præteritorum edictorum declarationes separatim a te facta non solum hactenus illis non profuerint, ut ad saniorem mentem redirent, sed potius, quod reipsa compertum est, occasionem dederint, ut insolentiores sint facti, & ad occupanda vicinorum bona animosiores; dissidium certe ipsum magis hoc modo fovere, quam tollere videris.*

(24) Annotatio ad exemplum Constantini ex Richerio.

Constantini M. exemplum in contrarium animare potuit debuitque Carolum Imperatorem. Inter multos, qui hoc argumentum tractarunt, allegare nunc lubet virum Romano Catholicum *Edmundum Richerium, Lib. I. de Concil. cap. II. §. 1.* Citat

Citat ibi *Eusebii* verba *Lib. I. de vita Constant. cap. 37. Constantinus Magnus, veluti communis Episcopus, ut pacem Ecclesiis redderet, ac disciplinam Ecclesiasticam sanciret, synodos convocavit, & in consessu Episcoporum sententiam dixit.* Item: *Eleganti oratione de pace concilianda synodum* (de Nicena loquitur) *aperuit, dissidium inter Episcopos subortum, & ad se ab Episcopis delatum, placavit, tumque demum Concilii decreta suo sigillo rata fecit.* Sed *Paulus* verba honoris, quibus Constantinus Episcopos demulsit, pro lege habet, Gratianum secutus, qui *Caus. XI. quæst. 1. can. continua.* eodem fine dicta illa Constantini adducit. Concedi sane debet, etiam Imperatores in causis fidei judicium Episcoporum non posse refugere, quod nempe hi ex præscripto verbi divini reddunt; item, quod de litibus clericorum ante omnia a clericis judicandum sit, id quod glossa *d. can. continua.* annotavit, ubi enim dicitur; *ad Dei solius judicium reservamini*, id ita interpretatur: *Dei, id est, Clericorum, qui Dii appellantur*, allegat *can. sacerdotibus ead. quæst.* in quo ex epistola *Gregorii* Papæ ad Imperatorem *Mauritium*, verba Moysis *Exod. XXII. 28.* Clericis accommodantur. Certe si crude & simpliciter intelligi debent Constantini dicta, ab omni judicio exemti essent Episcopi, quod nemo minus admittet, quam Sedes Romana, coram qua perpetuo litigant. Sed prospexerunt sibi Pontifices, qui privilegium illud sibi solis vindicarunt; quo jure id fiat, in tractatu suo *d. l. fol. 455. & seqq.* rigide examinavit Lutherus. Statuit autem (1) Pontificem subjectum esse cujuslibet Christiani judicio sive censuræ. Piis enim & sanctis hoc jus competere, ut mala & prava, ubicunque inveniantur, dijudicent & damnent, adeoque *ambulent super aspidem & basiliscum. Ps. XCI. 13. & de mundo & Angelis judicent. I. Cor. VI. 2. 3.* (2) Ab Ecclesia judicandum esse Papam, autoritatem præstantibus & judicata exequentibus Imperatoribus & Principibus. Hoc ut faciat, acriter hortatur *Carolum*, & Ordines Imperii, ostenditque, quid commeruerint Pontifices tum corruptione doctrinæ, tum invasione urbis Romæ & tot provinciarum Italiæ. Interserit multa de summa illorum in rebus theologicis ruditate, quam ex libris illorum Decretalibus & omnibus manifestam esse ait, provocat etiam ad suam & plurimorum experientiam, *d. l. fol. 456. Richerius* supra allegato loco *§. 4. Socratem proœm. histor. Lib. V.* inducit scribentem: *Passim in historia Ecclesiastica Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem sententia convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Deinde contra *Bellarminum Lib. I. de Concil. cap. 13.* disputat, eumque veritati cimmerias tenebras offundere scribit; fateri quidem eum dicit, in temporalibus se olim subjecisse Imperatoribus Pontifices, sed quia id mutatum sit, & Imperatores jam non dominentur in toto Orbe, Pontifex vero in suis provinciis ipse sit Princeps supremus temporalis, sicut Reges & Principes, ideo nunc Pontificem nemini subjectum, & hoc divina providentia factum

(25) Lutheri sententia deducitur, Papam Ecclesiæ judicio subjectum esse, statuentis.

(26) Eadem ex Richerio.

esse, ut Pontifex libere munus suum exequi possit. Addit autem epicrisin *Richerius* his verbis: *Nunquam pejus Ecclesia se habuit, vel secundum disciplinam, vel secundum mores, quam ab eo tempore, quo ista, quæ memorat Bellarminus, contigerunt.* Constat hinc, quam improbe sibi capitis dignitatem arroget Pontifex, & ex Cæsare brachium faciat. Hæc enim est vetus illa cantilena, quod Imperatorum sit, exequi decreta Papæ, quam ex *Andrea Vallio* allegat & refutat *Richerius d. l. §. 3.* Quod vero *Paulus* Papa vitam & sangvinem suum profundendum offert, si disceptationes de religione componi possent, id cave credas alium habere sensum, quam ut, spretis fundamentis a Protestantibus allegatis, veteres errores & abusus, & inprimis absolutum illud jus decidendi in quæstionibus de fide, Pontificatui Romano salvum & intactum maneat. Neque alia est, quam jactat, in Protestantes charitas, ut scilicet tum demum damnatos eos esse amplius nolit, si ad veterem sententiam redeant, hoc ille vocat *ad ovile Domini reverti.* Denique quæ contra indulgentiam Cæsaris, ejusque declarationes Protestantibus datas, & contra hos ipsos, ac si per eas insolentiores facti sint, & aliena invaserint, detonat, præterimus, cum ex iis, quæ alibi tractavimus, satis probatum sit, nihil fecisse Imperatorem, quod jure facere non potuerit debueritque, nec Protestantes in bello Brunsuicensi, ad quod Pontificis verba respiciunt, legitimæ defensionis terminos egressos esse.

Sed hos, quia ad meliorem formam, non iis quidem viis, alienis ab omni more ac consuetudine majorum, atque ab ipso jure divino, sed per generale Concilium optime perduci potuisse, semper in Domino speravimus, & nunc etiam speramus; ideo nos plus illius provinciæ commodis, quam ullius alterius, consulentes, ad Germaniæ fores Tridentum usque Legatos nostros misimus, sed vocavimus, & non erat, qui audiret; venimus, & non erat vir. Verum nec propterea desistimus, sed adhuc vocamus, & clamamus ad te, & ad cæteros Principes. Clamamus vero cum Propheta Davide: Venite, ploremus coram Domino. Nec enim aptius principium Concilii esse poterit. Et cum Daniele; oro pro peccatis meis & populi; accuso, confiteor, obsecro: Domine, peccavimus, iniquitatem fecimus, & impie egimus & recessimus: nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus & patribus nostris, quia peccavimus: tibi autem, Domine, misericordia est & propitiatio. Ad tale ergo Concilium te vocamus, in quo Angelos ipsos assessores habere speramus; qui si super uno peccatore, pœnitentiam agente, gaudent; quanto magis super universa Ecclesia, cujus ipsi pars sunt, ad pœnitentiam congregata gaudebunt? Huc accedit, quod saluti Christiani populi ab imminente potentissimo & perpetuo Christiani nominis hoste Turcarum tyranno, quo pacto, nisi per Christianorum conjuncta in fide & charitate auxilia, consuli possit, non videmus. Quare sterne viam, dilecte Fili, ad tale Concilium: hoc enim tui muneris proprium erit. Sternes autem, si vel pacem reddas, quantum in te est, Christiano populo, tantopere ab omnibus expetitam; vel saltem arma cohibeas,

(27) Notantur aliæ quædam ad asserta Pontificia.

(28) Pontifex commendat Concilium generale; rescindi cupit decreta Spirensia: Conclusio epistolæ.

An. 1544.

hibeas, dum Ecclesia in Concilio congregari possit; ubi æquius est, quam per vim, vestras disceptationes decidi. Hoc vero tu & cæteri Christiani Principes, quos etiam atque etiam de eadem hac re admonebimus, præsertim vero eum, quo cum bellum geris, faciatis. Jam Concilium adest; jampridem enim indictum est, neque vero abruptum est, etsi bellorum causa in commodius tempus dilatum. Itaque huc, charissime Fili, incumbe, & hanc lætitiam primum populo Christiano, qui jampridem intestinis bellis est attritus, redde; deinde vero nobis, qui te nihil charius in terris nos habere judicamus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes; idque specimen divinæ virtutis in te præbe, ut non modo patrem, te pie monentem, non averseris, quod faciunt ii, quos Deus in signum abdicationis suis desideriis tradit; sed ut eundem ad te, tanquam Deo jubente, tali tempore missum, qui labantem sustineat, & magno animæ salutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, ejus vocem libenter audias, monitis obtemperes. Satis vero obtemperabis, si cum te a semita sancta, ut appellat Propheta, quæ eadem est regia via Majorum tuorum, religiosissimorum Principum, humana consilia, ut hominem, deflectere potuere, huc statim de ea, qualis sit, admonitus, divinam indolem proferens, redeas, atque ita animum inducas, nullum ut in iis, quæ ad religionem pertinent, tibi jus & autoritatem vindices: Si divinam institutionem & Ecclesiæ consuetudinem sequens, ab ipsis conventibus imperialibus, a quibus absunt, qui autoritatem de ejusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de sacerdotibus atque de religione disceptationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias; Si de bonis Ecclesiasticis, quorum judicium ab ipso Domino, cui sunt conservata, sacerdotibus relinquatur, & commendetur, & ipse nihil statuas; & sepositis armis aut studeas paci, aut si aliter pax conciliari non potest, Concilio generali, judicandi de iis, quæ tam perniciosa bella in populo Christiano tamdiu alunt, potestatem facias: Si denique ea, quæ per nimiam indulgentiam rebellibus huic sanctæ sedi, & contumacibus concessisti, ipse rescindas ac tollas. Hæc enim, charissime fili, cum ita sint, quæ tuam ipsius animam in magnum salutis periculum adducant, & Ecclesiæ pacem magis magisque perturbent, facile videre potes, nisi per te quamprimum his malis remedium adhibeatur, (quod te facturum speramus) in quas angustias sis nos compulsurus: ut aut officio aut muneri, nobis a Deo per ejus filium dato, deesse cogamur, cum maximo detrimento; aut iterum severius agere, quam vel consuetudo nostra vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam officio deesse in tanto discrimine non debemus prorsus, sed volumus, quantum per ejus gratiam, cujus vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri possumus. Insidet enim in animo & ob oculos nostros obversatur illud idem, de quo principio diximus, divinæ severitatis in Heli sacerdotem exemplum; quem non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorsus abstinuerit; corripuisse enim eos satis constat ex Scriptura; sed quod in corripiendo, ut inquit D. Hieronymus, lenitate patris, non autoritate Pontificis agebat. Nos lenitate patris, integris prope adhuc rebus usi sumus; quibus ex edicti forma transactis, (quod Deus avertat) in Heli exemplo satis vides, in quam nos necessitatem sis adducturus. Quare tecum considera, Cæsar, quid te magis deceat, quid ad tuum inprimis officium erga Deum & Ecclesiam pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat: An, ut brachium nostræ severitati, in iis, quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinent, præbeas; an potius illis faveas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immensa misericordia sua tuam Majestatem ab iniquorum consiliis liberet, ac pacis consilia in tuo corde confirmet, ut unanimes uno ore honorificemus Deum Patrem, per Jesum Christum; cui cum S. Spiritu sit honor per æterna secula. Amen! Datum Romæ apud S. Marcum, XXIV. Aug. M D XLIV.

An. 1544.

(29) *Brevis annotatio.*

Pallavicinus d. l. cap. VII. n. 1. Cæsarem expostulasse ait de verbis Pontificis, scribentis; *vocavimus, & non erat, qui audiret:* cum tamen Cæsar Oratorem suum *Mendozam* ad Concilium, cum indictum esset, misisset. Sed querela Pontificis ita explicabatur, ut ad Præsules, qui non venerant, pertineret. De hoc fortasse neuter rixandi sat justam causam habuit. Quo jure autem cætera Pontificis postulata nitantur, a quæstione præjudiciali dependet, quæ sit in indicendis Conciliis & statuendi de sacris legitima in Ecclesia Christiana potestas & methodus.

§. CXV.

(1) *Annotationes ad decretum Spirense, Romæ composita, ex Raynaldo.*

Jam etiam alterum diplomatis exemplum producemus, quod, ut supra dictum est, *Raynaldo* debetur. Præmisit is *d. l. in hist. anni hujus n. 5.* annotationes ad decretum Comitiorum Spirensium, Romæ compositas ex *MSS.* quæ allegat. In his (1) reprehenditur, quod Papa in decreto illo non rogetur, ut Nuncium vel Legatum ad conventum (Wormatiæ habendum) mittat, & metuendum esse indicatur, ne reformatio, cujus formulas conscribi, & in conventu proximo offerri Statibus jusserat Cæsar, per impios & sceleratos concipiatur, & Cæsari ad majorem confusionem obtrudatur, sicut factum fuisse dicitur anno 1541. id est, in libro illo, quem Cæsar collocutoribus in Comitiis Ratisbonensibus proposuerat. Satis itaque proterve & impudenter autores hi *impii* & *scelerati* vocantur, licet Lutherani non fuerint, & *Gropperus*, cui labor iste fere tribui solet, Cardinalitia purpura dignus habitus sit. Sceleratum scilicet & impium est, quicquid non est ad palatum curiæ Romanæ. (2) Improbatur dispositio de reditibus Ecclesiasticis ultro citroque præbendis, quia parificaret Lutheranos & Catholicos. (3) Non magis probatur detractio ex reditibus pro concionatoribus, scholis, hospitalibus & eleemosynis, sic enim nihil superfuturum esse conjicitur presbyteris Catholicis. (4) Reprehenditur, quod concordia sive transactiones de bonis ecclesiasticis promiscue probentur, cum eæ tantum valere debeant, quæ debito modo & legitime factæ essent, absque præjudicio Catholicorum, qua quidem ratione nullæ penitus approbationem Romæ invenirent. (5) Denique culpatur, quicquid definitum erat de judicio Camerali, nempe, ut ad id admitterentur Lutherani, qui tamen Missas & alia pro idololatriis habeant, item quod juramenti formula per sanctos

ctos non præcise imperetur, sed suspendatur, & sic his detrahatur veneratio, quæ tamen inviolabiliter ab Ecclesia Catholica observata sit, item quod habilitatio Lutheranorum non fiat per Papam, quod tamen necesse sit, quia illam sibi reservavit in *Bulla* contra Lutherum edita, & in *Bulla cœnæ Domini*. Summe etiam displicet suspensio edictorum veterum, *Wormatiensis* nempe & *Augustani*, adversus Lutheranos publicatorum & processuum atque proscriptionum Cameralium. Decreto itaque illi Spirensi d. 4. Jul. in Consistorio Romano lecto, & consideratis, quæ indicata sunt, immo, ut *Farnesius* Cardinalis d. 23. Jul. (sic referente *Raynaldo n. 6.*) scripserat, *quanto plus expensum & examinatum fuit, eo magis officere*, *nostræ* (ut loquitur) *Catholicæ religioni & autoritati Sedis Apostolicæ, judicatum fuit*. Sic commotus Pontifex literas illas d. 24. Aug. datas, quas præcedenti §. *CXIV.* exhibuimus, ad Imperatorem scripsit. Hæc ex *Massarello* refert *Raynaldus*, & verba initialia literarum illarum citat: *Ex edicto Majestatis tuæ &c.* Nihilominus, & licet, ut dixi, in margine (*n. 7.*) annotet, extare illas apud *Pallav. Lib. V. cap. VI.* postquam quædam Cochlæi verba parvi momenti exscripsisset, subjungit: *Quæ autem Pontifex Cæsari scripsit, se habent, ut infra*; & statim, licet tales ad Cæsarem non pervenerint, subjicit, quæ una cum annotationibus nostris hic sequuntur, in quibus plurima a typographis errata esse satis apparet, sed quæ omnia corrigere non potuimus, cum nec editionis Romanæ curatores debitam adhibuerint diligentiam.

(t) Exordium aliarum literarum Pontificis ad Cæsarem, a Raynaldo productarum.

Quæ in recessu a Spira tanquam acta reliquisti, dilecte fili, Rex, magnam profecto multis admirationem, nobis autem etiam ingentem dolorem ingesserunt, qui de Imperatore Augusto multa diversa ab illis & meliora sperabamus. Ut enim facile ipse agnoscas, quid secundum fidem ac religionem, quam Deo debebas, perperam egeris, quod non nostri esse muneris nescimus, obsecramus te pro paterna, atque erga te peculiari dilectione nostra, ut querelam atque expostulationem nostram, & justam & necessariam, patienter audias. Concordiam & pacem inter Germaniæ Principes te primum intendere exponis, hactenus rem sane bonam atque optandam, modo ne fuerit illa pax, quam Dominus non venerit in terram mittere, sed exturbare. Subdidisti, id minime fieri posse, nisi, quæ sunt fidei & religionis inter illos controversa, simul componerentur, & hoc non abesse a veritate existimamus. Adjecisti tu, nec per te stetisse, quo minus legitimo, libero & generali Concilio hæc jam essent definita. Quo in loco nescimus, an subtacite nos insinuare volueris, quod satis ipsa reliqua gesta videntur prætendere, tanquam per nos steterit, ne Concilium haberetur: quod quam sit veritati proximum, in promptu est conjectura, cum jam ab exordio assumtionis nostræ fere continuum de habendo Concilio tractatum habuerimus, nec unquam detrectavimus illud, quin sæpius, ac pluribus in locis indixerimus, & novissime Tridenti, ut postulationi tuæ satisfaceremus. Quod autem per temporum calamitates hoc contigerit, flagrante universo Orbe Christiano discordiis ac bellis, ne uspiam cogi potuerit, Principum interim Christianorum animis exacerbatis, qui non perspicue cernit, profecto in luce meridiana cæcutiet. Forte nos esse in causa, quod hujusmodi bellorum incendia viguerunt, quispiam objiciet? scilicet, quia toto tempore, quo Pontificium munus obivimus, nihil magis acceptius curavimus, quam ut videremus tandem aliquando pacem in diebus nostris, ita ut nec annis nostris pepercerimus molesta, itinera, & in hac ætate grandæva admodum periculosa, sæpius arripientes, & ut jam testimonium advocare nobis valeamus. Quo pacto tu, Imperator, res fidei & religionis, ac tanti ponderis controversias componendas esse in tuo isto a Spira recessu definivisti? Primum nationale Concilium spopondisti, ut ibi de fidei nostræ dogmatibus controversia dirimerentur, quæ omnia, quis prudens ac sapiens non admiretur? Tum quia illa tibi & nationali Concilio arrogaveris, quæ minime gentium ad vestram agnitionem & jurisdictionem pertineant, tum vel maxime, quod attentaveris, quod scire poteras per Legatum nostrum, dilectum fratrem recolendæ memoriæ, Casparem Contarenum, vobis esse & nostro nomine ac speciali mandato, vivis etiam rationibus, interdictum; namque tibi, ad eum primum spectare, qui Christi vicem in terris gerat, jam ex innumeris sanctorum Patrum sententiis ac gestis poterat esse perspicuum.

(3) *Lutherus intentionem Pontificis de Concilio in censuram vocat, & ostendit, quid sit Concilium liberum & Christianum, & cur in Germania habendum.*

Lutherus, qui, ut dicere §. *præcedenti* cœpi, ad hoc quoque exemplum literarum Pontificiarum in tractatu illo suo respexit, acerrimis verbis Pontifici exprobrat, quod nunquam serio de Concilio habendo cogitaverit, præsertim quod tria illa epitheta, in Decretis Imperii sæpe repetita; de Concilio *libero*, *christiano*, & *in Germania convocando*, sudes illi & antecessori ejus in oculis fuerint. Vereri nempe Pontificem, ne exemplo Constantiensis Concilii, licet id minime pro sancto habeat Lutherus, (ist unheilig genug gewest) suprema cognitio de actis Pontificum Concilio asseratur. *Liberum* Concilium postulatum esse ait a Germanis, tale nempe, in quo aures & linguæ liberæ sint, ad proponenda & audienda, quæ ad emendationem Ecclesiæ & abusuum correctionem faciant, maxime vero, ut verbum Dei liberrime locum habeat, & judicio Spiritus sancti ex eo & secundum illud omnia decidantur, unde & opus sit, Theologos adesse Scripturæ sacræ peritos. At *liberum* longe alio sensu intelligi a Pontifice, tale nempe, in quo ipse cum Clero suo ab omni censura liber sit, & omnia relinquantur, ut sint, & probentur, quæ egerit, hoc enim esse antiquum Paparum carmen (die alte Geige) ut ipsi imperent Concilio, illiusque decreta probandi aut abolendi jus habeant, pro arbitrio suo; Concilium vero non sit nisi consilium, quod omnibus Pontificis desideriis serviliter assentiatur. Ein Ja-Herr / der oben an sitze / beym Handfaß an der Thür / und höre / was die Gnad-Juncker über dem hohen Tische gebieten. Hoc ab illis vocari *liberum*, & ita intelligendam esse linguam curiæ Romanæ, ut semper contrarium significet. Porro dicit *Christianum* Concilium posci a Germanis, candido & simplici animo, in quo nempe de capitibus fidei Christianæ ex verbo divino tractetur, non vero de jure Pontificio, de cingulis, stolis, casulis, calceis, tonsuris, consecrationibus, præbendis, prælaturis, palliis, dignitatibus & frivolis atque ludicris aliis innumeris. (des Narrenwercks unzehlich.) Sed

Christia-

Christianum Romæ dici, quod est Pontificium, decretisque Paparum conforme, v. g. prohibitionem sacri calicis & conjugiorum Cleri, inventum purgatorii, Missas & similia a Spiritu sancto damnata. Quod tertium attinet, ut Concilium sit *Germanicum*, sive fiat in Germania, veteratorie responderi ait a Pontifice, & effugium quæri, verbis illis, quæ infra referuntur, *si jusseris arma deponi*. Probe enim illum scire, quod hoc non sit in potestate Cæsaris, immo, quod ipse Pontifex semper occasionem & facultatem habeat, Gallos ad arma concitandi, & Concilium, si ita expediat, turbandi. Pontifex quidem regerere potuisset, se etiam Gallum ad pacem hortatum esse, sed valde dubium erat, an bona fide id faceret, & facili negotio pro calliditate sua novarum turbarum occasiones suscitare noverat; quod vero *Contareni* monitum in Comitiis anno 1541. contra Concilium nationale pro præcepto hic venditat *Paulus*, non parum importunum est, & documentum dare potest Cæsaribus & Principibus, quanto cum præjudicio suo officiosi sint in admittendis Pontificum legationibus.

(4) Pontifex impugnat Concilium nationale, & sibi soli jus pronuntiandi in Sacris asserit.

Præterea, quæ, tibi videtur, in nationali Concilio poterit esse absque nobis ulla determinandi facultas ea, quæ ad fidem & christianam vitam, & Ecclesiasticos ritus pertinent? Cum & istic pene cuncta sint violata, perturbata, confusa, & jam præjudicium factum adversus veritatem. Nemini dictum fuit, nisi Petro: Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et cum hæc ita se habuerint, & quam latissime pateant, Tu tamen, Cæsar, præsumta autoritate (quod tua pace dictum velimus) declarasti, quæcunque erunt tibi determinata, etiam rata fore usque ad generale Concilium, ita ut si forte, immo, si non forte, sed etiam certe, quæ factio Lutherana prævalitum ibi, mordicus tenet, & omnis vere pius atque Catholicus execratur, determinarentur, ea ex nunc tu statuis esse rata, adeo incircumspectus, ut prius approbes, quam scias esse probanda, immo postquam probabiliter noveris improbanda, tu tamen illa esse rata constituis. Ac unde hanc arrogare potestatem potes, vel statuendi vel approbandi contra fidei veritates, qui neque illam habes licentiam fidei veritates decernendi absque nobis, cum te deceat audire & non docere; & jam statuta probare atque recipere, non statuere atque probare, quin etiam illas gladio, quem per nos accepisti a Deo, tueri atque defendere usque ad sanguinem, & non adversariis partibus quovis modo adhærere, aut favere: nam ejusmodi audere, quæ tu audes, quid est aliud, quam miserabiliter Ecclesiam scindere, immo etiam turpiter atque infeliciter ab ipsa Ecclesia temetipsum rescindere & segregare, & reliquam Germaniæ partem, quæ (Dei gratia) hactenus a tanta labe manserit incontaminata, uno exemplo tecum idem in barathrum errorum adducere, ut relicto fonte aquæ vivæ convertantur ad cisternas dissipatas? Nos autem, qui hæc interim fieri per Imperatorem videmus, quanto, putas, mœrore afficimur? Et per eum Imperatorem Carolum, cui Dominus tanta dedit, tanta credidit, quanta post primum Carolum nemini alteri, quæ & nos tibi servari, & adhuc multo majora cum Dei benedictione augeri veris perpetuo augmentis, magnopere cupimus. Audivimus enim libenter atque docemus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, modo & tu libenter audias, quæ sunt Dei, Deo serventur, non autem abs te præripientur, cujus petitorium erat, si ab alio vendicarentur, vindicem esse, (hæc idoneum sensum non habent, sed corrigi non potuerunt.)

(5) Rejicitur assertum Pontificum de cognitione in causis fidei.

Perpetuo in hac & omnibus Pontificum assertionibus regnat πρῶτον illud ψεῦδος, quod sibi solis jus sit, ea, quæ ad fidem, mores & ritus Christianos pertinent, determinandi. Hoc scilicet datum illis est dictis Christi: *Rogavi pro te &c.* & *Tu aliquando conversus &c.* quam misera autem sit ista argumentatio, Evangelici doctores dudum demonstrarunt. Taceo, quæ in Gallia publice opponuntur. Falso huic principio innititur etiam prætensum illud jus convocandi concilia, sive generalia sive nationalia, cui *Lutherus d. Tr. fol. 425.* fortiter contradicit, & contrarium exemplis *Constantini, Theodosiorum, Martiani, Caroli Magni, Ludovici Pii*, aliorumque evincit. Alterum non minus falsum est, quod pro certo & concesso hic jactat Pontifex, cum scribere non veretur, quod Carolus gladium per Pontificem a Deo acceperit. Pendet hoc ex fabula quintæ monarchiæ, de qua alibi dictum est, & infra aliquid occurret. Hodie cautius loqui didicerunt Romæ. Cætera, tum quæ Imperatori, tum quæ Protestantibus impingit protervæ hujus epistolæ stylus, mera sunt convitia, responso indigna.

(6) Pontifex urget dictum; pasce oves meas.

Si enim tu, quæ jura Cæsaris esse putas, tanta cura, tanta militia tueris, & vendicas, existimas, Deum omnipotentem, non sua tuiturum, aut vindicaturum? Si quis autem, etiamsi Cæsar, eriperet, annon cogitas fidelium animas, quas Baptismo regeneravit Ecclesia in spem vivam, & suo sanguine Jesus Christus redemit, esse ipsius Dei & peculium ipsius Christi? Porro earum curam, nunquid Cæsari demandavit? Nunquid Cæsari dictum est; pasce oves meas? an uni Petro, & in ejus persona cunctis successoribus ejus? Hæc sunt fidei nostræ fundamenta, quæ, qui ignorat, certe aberrat a finibus, & non putamus esse domesticum: qui autem violat, etiam hostem experiatur, cum, qui hujusmodi est, ea, quæ Dei sunt, sibi, ut fur & latro, surripiat.

(7) Lutherus impugnat jus potestatis Pontificiæ, & ejus abusum demonstrat.

Audimus hic denuo fidei Romanæ fundamenta, & quam pulchre defendantur; quæ, si nulla sunt, corruunt utique omnia, quæ illis superstruuntur. Abusum dictorum Christi ad Petrum, ut sæpe alias, ita & in responsione ad has Pontificis literas, prolixe ostendit & acerrime refutavit *Lutherus d. l. fol. 438. & seqq.* Præsupponit, & Hieronymi dicto confirmat, omnes Episcopos pari jure præditos, omnesque Apostolorum successores esse, parvorum oppidorum, non minus, quam magnarum urbium & regnorum, *Eugubinum*, ut *Romanum &c. Gregorium*, quem *Magnum* vocant, & Lutherus pro ultimo Romæ Episcopo habet, id agnovisse statuit, rejecto & improbato *universalis Episcopi* titulo; non nescit, quæ opponi solent, sed ut cavillos spernit. Dominatum vero Papalem illico post *Gregorium* manifesto affectari cœpisse scribit a *Sabiniano*, dein a *Bonifacio III.* Phocæ Imperatoris auspiciis; sed cautiores fuisse, qui maluerint jure divino, quam concessione Imperatorum, utpote revocabili, summum imperium in sacra, non primatum saltem personalem, qui concedi illis potuisset

An. 1544.

tuisset (der ihnen wohl zu gönnen war) sibi vindicare, & ad hoc allegasse dicta *Matth. XVI. 18. 19. & Joh. XXI. 16. 17.* His terruisse orbem Christianum, & cum summa insolentia dominatum suum exercuisse, id quod inter alia ex scriptis *Æneæ Sylvii*, post *Pii II.* Pontificis, ad *Martinum Mejerum* Cancellarium Moguntinum deducit, de quibus alibi dictum est. Pro summo autem crimine habet, quod sibi jus statuendi articulos fidei & interpretandi Scripturas, licet eas non didicerint, arrogent, & salutem illis negent, qui obsequium Romanæ Ecclesiæ non præstent. Notat hic, vocabulum *Romanæ Ecclesiæ* se intelligere de ea, quæ post erectum Papatum in errores inciderit, cui teterrima dat epitheta, quanquam etiam hodie in Sodoma ista (ut loquitur) Romana quosdam inveniri non dubitet, qui cum Lotho & ejus filiabus comparari possint. Monstrat deinde, ut Pontifices post subjugatos Episcopos etiam Reges & Principes in potestatem redegerint vel redigere continuo laboraverint, aut factionibus perpetuis inter se colliserint. Hoc enim ex re illorum esse, licet simulent, se pacem inter Reges procurare. *Si Phocas*, ait, *resurgeret & videret, quomodo Pontifices omnes Episcopatus, Ecclesias collegiatas, monasteria & templa sibi subjecerint, quomodo raperent & devorarent omnia, & dogmata novosque ritus statuerent, Christum & doctrinam ejus destruerent, idololatrias innumeras erigerent, totum orbem, quoad animas & corpora, in fraudem inducerent, innumeras opes pessimis dolis ad se traherent, Imperatores pedibus conculcarent, excommunicarent, persequerentur, provinciis & urbibus spoliarent, tanquam fatuos tractarent, & in sinu de his actis suis gauderent, deinde male quæsita cum scortis & cinædis turpissime prodigerent; putasne Phocam istum, quamvis homo fuerit deterrimus, probaturum illa esse, immo ita cum Pontifice ageret, ut Papatus illius sui oblivisceretur.* Quod vero Papalis ille dominatus non sit ex Deo, cognosci dicit ex fructibus, & præterea probari a sufficienti, ut loquitur, divisione; *Primo*, ait, *non est fundatus a Magistratu civili, neque huic tale jus in regnum Dei competit, neque Phocas id intendit; putavit forte, Pontificem veluti quendam Superintendentem futurum esse, qui de doctrina & disciplina in Italia & provinciis vicinis servanda ex præscripto Synodi Nicenæ curam gereret, in totum orbem enim uni homini inspectionem illam credi, impossibile est. Præterea Pontifices ipsi jus suum non deducunt a Magistratu politico, sed hunc potius a se putant dependere. Secundo Pontificatus non est fundatus a Magistratu Ecclesiastico, sive ab Episcopis totius mundi, aut a Conciliis, neque hæc præstare id potuissent, immo, teste historia, vix Episcopi paucissimi imperium Pontificum sponte & absque renitentia subierunt, neque ullus in orientalibus provinciis Papam pro superiore unquam habuit, aut hodie habet. Nihil etiam magis aversantur Pontifices, quam ut autoritatem Ecclesiæ sive Conciliorum supra se agnoscant.* Patet id ex famosis eorum, ut *Lutherus* scribit, decretis, inprimis ex audacissimo asserto *Paschalis* Papæ, Archiepiscopo *Panormitano cap. significasti &c. X. de Electione*, rescribentis: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem & facta sunt & robur acceperunt &c. Convenimus itaque*, ait, *in hoc cum Pontificibus, quod jus suum neque a Principibus, neque ab Ecclesia habeant; atqui non nisi duo hi Ordines (præter œconomicum) divini sunt instituti, & per hos omnes alios Deus ordinavit.* Concludit inde, durisque verbis enunciat, id quod in rubrica tractatus pro lemmate posuerat, *a Diabolo fundatum esse.*

(8) Negat Pontificatum a Principibus aut Ecclesia, & sic neque a Deo constitutum esse.

Post hæc ad dicta Scripturæ, quibus Pontifices divinam institutionem muneris sui confirmare nituntur, respondet, præmissa acerba ironia; neque enim magis ex verbis Christi *Matth. XVI. Tu es Petrus*, Pontificis Romani primatum & monarchiam adstrui posse ait, quam si quis id colligere velit ex dictis *Gen. I. In principio creavit Deus cœlum & terram.* Prætereo reliqua. Deinde dissentire dicit Canonistas, qui notarunt, his verbis; *Tu es Petrus, & dabo tibi claves &c.* Pontificatum Petro non esse datum. Glossa enim in *c. considerandum, dist. 50.* id diserte negat, quia sint verba de futuro, & dicta ante passionem, probari autem debeat non promissio, sed traditio clavium. In eandem sententiam citatur *Abbas* in *c. significasti.* Interim dicto huic præfracte innituntur Pontifices. Vid. *dist. 22. c. omnes &c. sacrosancta &c.* quæ pro blasphemis habet Lutherus, gravissimasque pœnas falsa illa gloriatione commeritas esse a Pontificibus statuit, reclamante illi assertioni ipsorum conscientia, totiusque antiquitatis testimonio, cui talis verborum Christi sensus in mentem non venerit. Explicat deinde veram verborum Christi de petra, in qua ædificata est Ecclesia, sententiam, ex ipsius Petri verbis *I. Pet. II. 4. 5. 6. 7.* & Pauli *Eph. II. 20.* item ex Patribus totoque contextu, qui, collatis dictis *Matt. XVIII. 18.* & *Joh. XX. 21. 22. 23.* (ut supra retulimus) evincit, verba de clavibus ad omnes Apostolos pertinere, id quod *glossator* & alii Canonistæ majori cum pondere respondere, ut putat, potuerint, quam quæ ex verbis de præsenti & de futuro, & de tempore ante vel post passionem moverunt. Inserit hic haud pauca de cæterorum Apostolorum pari cum Petro jure, neque enim ullam rationem allegari a Pontificibus posse, quod illi Ecclesias suas non, nisi sciente & jubente Petro, fundaverint, unde, si Petri jus sibi tribuere velit Pontifex, cogi eum probare, quas Ecclesias in orbe Petrus fundaverit, (ab aliis enim fundatæ ad eum aut successores non pertinerent) aut quod nullam nisi Romanam instituerit. Si enim alias quoque fundaverit, puta in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, quarum Ecclesiis epistolam suam priorem inscripsit, tunc Episcopi, qui in cathedris illis successerunt, non minus gloriari de sede Petri potuissent, quam Romani.

(9) Respondet ad dictum Matth. XVI. Tu es Petrus.

Notat, incertissimum esse, quando Romæ fuerit Petrus, sicut nec de corporibus, ejus & Pauli, satis constet, licet capita eorum lignea populo ostendantur. Monet etiam, tempus fundationis nullius Ecclesiæ minus certum, quam Romanæ, & ex argumentis haud levibus conjicit, constitutam Romæ fuisse Ecclesiam non diu post Christi ascensionem, forte a Judæis Romæ habitantibus, sive *advenis Romanis*, ut *Act. I. 10.* nominantur, qui in festo Pentecostes Hierosolymam profecti, & visa miraculosa Spiritus sancti effu-

(10) Disputat de origine Romanæ Ecclesiæ.

An.1544.

effusione, auditaque Petri concione conversi domum redierint, inter quos forte fuerint, de quibus postea *fol.451.* agit *Andronicus* & *Junias*, cognati Pauli, *quos nobiles ante se Apostolos* fuisse memorat *Rom. XVI. 7.* Certe a Paulo multos sanctos Romæ salutari *d. cap. XVI.* qui tales fuerint, antequam Paulus vel Petrus Romam venissent, aut venire potuerint, obstante edicto Claudii *Act. XVIII. 2.* Urget hic etiam vehementer, quod Paulus post conversionem suam minime jussus sit Petrum adire, & quod tot Ecclesias fundaverit, (testibus epistolis ad eas scriptis) inconsulto Petro. Negat etiam, *Antiochenam* Ecclesiam a Petro fundatam esse, cum Barnabam potius autorem habeat, aut alios, qui *Act. XIII. 1.* nominantur. De *Alexandrina* quoque monet, asseverari non posse, quod ab Apostolo aliquo fundata sit, quæ tamen multas ob causas, & maxime ob egregiam scholam Romanæ præferenda fuerit. *Hipponem* non magis ab Apostolis fundatam esse, interim ejus Episcopatum, plane independentem a Romano obtinuisse Augustinum, qui plus præstiterit scriptis suis ad utilitatem Ecclesiæ, quam omnes Pontifices Romani, in unum conflati. Redit post hæc ad dictum *Matth. XVI.* & cum pro indubitato habeat, *petram*, de qua loquitur Dominus, esse Christum, vel fidem in Christum, in qua ædificata & contra portas inferni duratura sit Ecclesia, ut execrabilem abusum insectatur interpretationem Pontificum, qui per *petram* intelligunt jus primatus & potestatis suæ. Ex verbis Christi negat aliud concludi posse, quam quod, qui in eum credat, veluti in petra fundatus, adversus portas inferni prævaliturus sit. At ex interpretatione Pontificia id confici, qui petræ, id est, Pontificatui Romano innititur, & obedit, is salvus erit, & adversus portas inferni servabitur; id quod summe dicit blasphemum, & ab ipso diabolo suggestum esse. Præterea sequentibus verbis Christi, *dabo tibi claves, & quodcunque ligaveris*, nil aliud promitti docet, quam jus Ecclesiæ omnibus ejus ministris conferendum, de remissione peccatorum, pœnitentibus annuncianda, & ligandis impœnitentibus. Sed Pontificio interpretamento summam de omnibus rebus decernendi potestatem ex verbis illis colligi, ita sane, ut sub vocabulo *quodcunque* non comprehendatur saltem omne genus peccati, sed quicquid est in orbe, omnes Ecclesiæ, omnes Episcopi, omnes Imperatores & Reges. Nec minus trahi & extendi verba, *super terram*, illa enim opponi a Christo cœlo, ut nempe absolutio in terris sive hominibus, hic in terra viventibus, impertita, in cœlo valere debeat, minime autem promitti, quod omnis terra Petro aut Pontificibus subjicienda sit, quod nec unquam factum sit. Vehementer itaque invehitur in blasphemum Nicolai Papæ fastum in *c. omnes &c. dist. 22.* supra relato. Verba ejus, quæ Luherus Germanice vertit, *fol.445.* hæc sunt: *Omnes, sive patriarchæ cujuslibet apices, sive metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet Ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ille fundavit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni simul & cœlestis imperii jura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, illius autoritate fulcitur. Unde non dubium, quia, quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit: Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæresin labitur.* *Audis*, ait Lutherus; *hæc verba, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non hoc volunt, totum orbem Christianum in Christum credere debere, sed hoc significant: solam Romanam Ecclesiam fundavit Christus, sed Romana fundavit omnes reliquas Ecclesias. Unam saltem novit Christus Ecclesiam in toto orbe, quam super se, petram, in fide ædificavit, sed duplicem facit Papa: Romanam, quæ sola a Christo in petra fundata sit, alteram, sive reliquas omnes, quas non Christus, sed Papa fundaverit. Claves etiam non intelligit de potestate absolvendi & ligandi peccatores, sed de imperio terreno & cœlesti.* Certe tam horrenda visa hæc sunt Luthero, ut addat: *Desino, neque in hoc luto blasphemo & infernali, & in fœtore Diabolico diutius volutari volo, legat ista etiam alius. Qui Deum vult audire, legat Scripturam, qui Diabolum audire vult, decreta & Bullas Pontificum legat. Væ, væ, væ, illi, qui Pontifex fit aut Cardinalis, melius homini illi esset, si natus nunquam foret. Judas Dominum prodidit & morti tradidit, Papa prodit & corrumpit Ecclesiam Christi, quam Dominus chariorem & pretiosiorem habuit, quam sanguinem suum, pro illa enim seipsum immolavit.* Dura sunt hæc, fateor, sed quo zelo scripta sint, constat, & alibi notavimus. Refert postea Pontificum cupidinem dominandi in Imperatores & Reges, exercitamque in hos sævitiam, neque tamen semper impune, quod *Bonifacii VIII.* exemplo, a *Philippo* Galliæ Rege puniti, confirmat, idque approbat. Fœdas etiam adulationes & infinita mendacia, quibus animi Pontificum ad insaniam istam invitati fuerint, insectatur. *Exempli gratia* allegat fabulam in Corpus juris Canonici relatam de donatione Constantini *dist. 96. c. Constantinus &c.* nec melius esse ait diploma *Ludovici* Imp. *dist. 64. c. Ego Ludovicus &c.* & juramentum ab *Ottone I.* Pontifici præstitum. *can. Tibi Domino Johanni dist. 63. Hinc est*, ait, *inter alia, quod corona Papæ non dicitur infula, sed regnum mundi; triplex autem est, quia tres mundi partes sub se habet: Hoc est illud regnum, quod Diabolus Christo ostendit, Pontifex ab illo præsentatum lubentissime acceptavit.* Minus interim peccari ab eo putat dominatus politici affectatione, quam tyrannide in sacra & conscientias, hanc vocari ab eo dicit in *d.c. omnes jus cœlestis Imperii*; at quomodo id exerceat, exemplis quibusdam ostendit. *Christus*, scribit, *fidem in se ut petram requirit; Papa dicit, sibi credendum & obediendum esse, salvari, qui id faciat, damnari, qui non faciat. Christus sacramentum suum integrum suis exhibet; Papa laicis unam partem sufficere statuit, utramque solis sacerdotibus deberi. Sacramentum instituit deditque Christus ad confirmationem fidei; Papa sacrificium pro vivis & mortuis ex eo fecit, idque*

(11) *Iterum refutat interpretationem dicti; Tu es Petrus.*

(12) *Disputat contra jus clavium Pontificum.*

(13) *Respondet ad c. omnes dist. 22.*

(14) *Taxat alia Canonum loca de Pontificu potestate.*

(15) *Ostendit oppositionem Christi & Pontificis.*

An.1544. *idque venale habet, & in commercium atque nundinationes vertit, ex quibus ventrem pascat & mundi opes sibi rapiat. Dominus confidere jubet eos, qui in fide moriuntur; negat id Papa, & in purgatorium prius ablegat homines, & ad satisfactiones pro peccatis adigit, operibus, a se injunctis, præstandas. Sic per claves & Missas suas remedia quærit, quasi a Christo & fide non præstentur. Dominus virtutem Baptismi perpetuam esse vult, quoties per pœnitentiam revertimur; at Papa monachatum parem aut meliorem Baptismo prædicat, quanquam illo ipse non utatur. Dominus peccata remittit confitentibus & absolutioni credentibus; Papa exigit satisfactionem per contritionem & enumerationem omnium, etiam occultorum, peccatorum. Dominus salva fide & charitate fraterna omnium creaturarum usum liberum reliquit, ut in iis neque peccatum neque justitia aut meritum versetur; at Christo insultat Papa, cum mortaliter peccare statuit, qui diebus jejunii carne aut lacticiniis vescitur, se tamen & Cardinales suos pro lubitu ab illo rigore eximit, damnat etiam qui non jejunant aut ferias celebrant, in honorem sanctorum, quos ipse constituit.* Addit alia de veneratione & obedientia, quam Papæ affectant, & de redemtione palliorum, de annatis, mensibus papalibus, aliisque sine reluctatione præstandis; huc enim pertinere ait verba *c. in memoriam dist. 19. Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus. Dominus,* pergit, *conjugium liberum reliquit; Papa Clericis eo interdixit, & castitatem introduxit Sodomiticæ parem. Omnium deinde monachorum sectas, statuta, vestes, cibos, gestus, & quicquid insanus aliquis commentus est,* (was ein ieglicher Narr erdichtet/) *colligit, confirmat, & intolerabilia illa statuta indulgentiis & privilegiis ornat, ita ut Christiana libertas & fides prope interierit, totusque Orbis vinculis & nexibus impeditus fuerit, nullaque creatura fere reliqua manserit, quam non funibus & compedibus constrinxerit Pontifex, ut pedem aut manum movere vix aliquis potuerit, quin in peccatum & pœnam incideret; neque hæc instituerunt,* ait, *Pontifices disciplinæ causa, sed longe speciosiori titulo, cultus nempe divini & meriti, ea tamen ratione & methodo, ut omnia ære venderent; claves enim,* (quod postea prolixe deducit) *non nisi solventes habent, neque tamen gratis solvunt, omniumque libertati, opibus & corporibus insultant; interim conscientiæ vinculis irretitus populus Christianus Satanæ fraude perit:* Huc enim tandem omnia redire concludit Lutherus, & hoc esse, quod Paulus *Col. II. 21. 2. Thess. II. 3. sqq.* prædixerit. Exprobrat denique Pontificibus summum in docenda plebe neglectum: *Nullum,* inquit, *præceptum Decalogi, nullam petitionem orationis Dominicæ, nullum symboli articulum recte explicari, immo vix recitari fecerunt, ut pueri quinquennes nunc apud nos faciunt; nihil docent de pio & salutari usu Sacramentorum, nihil de vere bonis operibus. De his omnibus ne verbum quidem in magnis illorum voluminibus, Decretis, Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus, Bullis invenitur.* Progreditur inde ad alterum illud dictum, quod in literis a *Raynaldo* exhibitis allegatum audivimus. *Johan. XXI. 17. Pasce oves meas. Hoc,* ait, *crepat Pontifex in cap. significasti &c. de Electione, & eo interpretatur, ac si omnes oves Christi promiscue Petro (& successori ejus Pontifici) commendatæ essent.* Quærit autem, quas paverint reliqui Apostoli, & an non idem officium Dominus omnibus Apostolis *Matth. XXVIII. 19.* injunxerit, nisi etiam hæc Christi soli Petro dicta esse fingantur, ut illa *Matth. XVI.* Pergit, &, licet præceptum illud; *pasce oves meas,* Petro (quod tamen minime concedit) soli datum esse dicatur, id tamen ad Episcopos Romanos pertinere, abnuit, cum idem successionis jus Episcopi omnium Ecclesiarum a Petro fundatarum allegare potuerint. Negat a fundantis persona aut a tempore argumentum sumi posse ad universalem Episcopatum, alias Antiochiam omnibus præferendam fuisse, in qua & Petrus sedem habuisse dicatur, & in qua primi vocati sunt Christiani *Act. XI. 26.* Etiamsi vero Christus indefinite dixerit, *Pasce oves meas,* nec locum nominaverit, neminem tamen sanum inde colligere posse dicit, ac si ex verbis indefinitis universale munus Petro commissum intelligi debeat, cum illo enim consistere nequaquam posse, quæ paulo post solenniter omnibus Apostolis, itemque S. Paulo a Christo mandata sunt. Trina autem illa interrogatione & jussione indicasse Christum, quod nemo pascere oves suas debeat, nisi qui ipsum amet. Probare igitur Pontificem debere, quod id faciat (agnoscit hoc *Paschalis Papa in d. c. significasti &c.* scribens: *conditionem apposuit, si diligis me)* Dein *pascere,* ait, *non idem est ac Pontificem & supremum Dominum esse, potestatem exercere, Christianos subjugare, Imperatores pedibus conculcare, Reges & Episcopos juramentis obstringere & sibi subjicere; Sed pascere, est Evangelium & fidem prædicare, & reliqua præstare, quæ Paulus & Petrus ab Episcopis & Pastoribus exigunt, & quidem gratis & absque mercede, licet alimenta (itidem sine contractu mercenario) præberi Pastoribus debeant; neque gratis solum pascere debent, sed & præmia Prophetarum expectare, quæ Christus in eodem loco Petro prædixit, & quæ is & multi sancti Episcopi Romæ acceperunt; cum nunc Pontifices nil patiantur, sed ferro & igne jamdudum grassentur, idque intra annos viginti palam contra Evangelicos, crudeliter exercere denuo cœperint. Faciant periculum Imperatores & Reges, & Pontificem adigant, ut Pastoris munus vel in una parochia Romana ex præscripto Christi administret, deprehensuri sunt, eum, qui nunc totum Orbem pascere velit, ne unius quidem oviculæ curam suscepturum esse.* Hæc, etsi paulo prolixiora, ex libello isto Lutheri excerpenda esse duximus, cum inter ultima ejus scripta recensendus sit. De verborum asperitate & obscœnitate, quam uno ore illi objiciunt adversarii, & *Maimburgius* infra in fine libri sui *tertii* acrius, quam hic, persequitur, alibi dicam; pergo ad alia Pontificiarum literarum, a *Raynaldo* evulgatarum, verba.

An.1544. (16) *Responsio Lutheri ad dictum; Pasce oves meas.*

An. 1544.

(17) *Continuatio epistolæ Pontificiæ ad Cæsarem, cui defectio ab Ecclesia imputatur.*

Quæ tibi, Cæsar, non convenire, ea tantum ratione putamus, quia hæc non a tuæ mentis bonitate, sed per subreptionem aliquam malignorum abs te obtenta atque extorta esse existimamus: quod nobis probabit Cæsarea circumspectio, si, quæ perperam acta viderit, protinus, ut speramus, revocaverit. Nam illud, quod in eisdem actis abs te præsumtum, perspeximus, quantum possemus unquam justa reprehensione prosequi, cum tumet ille Cæsar, qui in Augustensi & imperiales in eos leges vigere decrevisti; Tu (inquam) illemet Cæsar (si modo nunc ille idem) quæcunque abs te recte, riteque ac magnifice pro Christiana religione gesta fuerant, nunc a novo conatu revocasti & reprobasti. Quod adeo improbum factum, cum omnes pii, qui sunt in Germania, detestentur, ut mitiore, minusque inhonesto vocabulo linires, ne immodice religiosa pectora exulcerares, suspensionem vocas, quam nos abrogationem penitus interpretamur. Cumque in nationali conventu, quæ probanda sunt, facile quisque valeat divinare, hac in re quis summopere non admiretur, te illud egisse, per quod nulli hominum magis, quam tibi, contumeliam feceris & detrimentum, nullumque magis, quam te ipsum, damnaveris? Si enim, quos jam hæreticos censuisti nobiscum, & judicasti, eos etiam nunc tales putas, nulla esset tibi profecto causa tuam revocandi aut suspendendi sententiam, ne Imperatoriæ leges in eos vigeant, cum tanto magis nunc hæretici sint, quanto pertinaciores ac duriores tanto tempore in sententia perstiterint. Si autem eos nunc hæreticos inficieris, a teipso recedens, tuamque sententiam damnans, non aliud agis, nisi quod manifeste declaras, te in eorum aggregare societatem, & illam fidem profiteri, quam scelerata & adultera illa factio prædicat, & quam sedes Apostolica cum omnibus Catholicis Ecclesiis anathemati subdit; quod quam sit gloriosum, quamque isto culmine Imperatorio dignum, tuæ prudentiæ tranquilla mente judicandum relinquimus: Nos enim tremendum ac maxime perhorrendum tibi existimaremus, non ob judicia bonorum tantum, apud quos tuæ bonæ famæ dispendium pateris, nec ob nomen, quod transmittis in posteros, cum in eorum historiis, qui gesta hujus seculi enarrando, inter eos te annumeratum perspiciunt, qui hæreticorum fautores, & Ecclesiæ sanctæ Dei persecutores fuerunt, & infelices exitus habuerunt; verum ob judicium Dei, de quo dictum illud verbum audimus, Potentes potenter tormenta patientur. Quod si vita nostra quovis modo a Dei ritibus disjuncta esset, & illi per te periclitarentur, daremus hoc forte Cæsari, obstaremus, dissimularemus; at, cum fieri nequeat, ut contemta autoritate, despectisque judiciis nostris, non simul etiam Dei autoritatem despicias, jam nobis dissimulare non licet, sed expostulare cogimur, atque admonere, ut cœptum pessimum meliore consilio retractes, irritumque facias, ne in te iram Dei de terra provoces & de cœlo.

(18) *Defenduntur acta Cæsaris, & causa metus a Concilio nationali indicatur.*

Justitia harum censurarum stat caditque cum principio, de quo jam satis dictum est. Si enim Cæsari jus fuit, cum consilio & consensu procerum, & adhibitis viris Theologiæ peritis, de controversiis religionis & cultu divino secundum regulas verbi divini decernendi, vana est ira, qua hic flagrat Pontifex, nec peccavit Cæsar, sed christiani & pii Principis officium executus est, dum quæ in comitiis Augustanis, anno 1530. ad quæ respicit Pontifex, nondum satis perspecto momento causæ, & persuasionibus Legati Pontificii deceptus, præcipitato judicio in Evangelicos statuerat, revocavit; emendatio enim errorum omni tempore laudabilis est. Quapropter dilemma Pontificis nullius est valoris: potuit enim Cæsar injuste damnasse in Comitiis prioribus Evangelicos, ut omnino fecit, & sic merito errorem correxit, neque ex eo, quod ad ulteriorem causæ cognitionem in Concilio nationali progredi tunc voluit, statim sequitur, quod ei hic exprobrat Pontifex, ac si sententiam Evangelicorum manifeste probaret, cognoscendum enim de ea prius erat in Conciliis, aut conventibus, de quibus tunc decretum condidit. Prætereo ea, quæ Pontifex jactat, *quod omnes pii in Germania Cæsaris acta, in suspendendis edictis contra Evangelicos olim promulgatis, detestentur*; non conveniunt cum magno illo metu de Concilio nationali, in quo futurum esse dicit, ut suspensio edictorum in perpetuam abrogationem sit transitura. Si enim pii erant in Germania, qui Evangelicos secundum rigorem edictorum illorum persequendos esse existimarunt, illi certe a Concilio nationali non erant absfuturi, suamque sententiam in eo defendere poterant. Malæ itaque causæ conscientia Pontifici pavorem illum incussit, prævidenti, quod longe major, quam assentatorum suorum, quos *pios* vocat, futurus esset in Concilio nationis cordatorum virorum numerus, qui errores & abusus Ecclesiæ Romanæ sint deprehensuri & correcturi: Si autem verum esset, quod tam confidenter prædicat, *vitam suam a Dei ritibus non esse disjunctam, & divina judicia despici ab iis, qui sua despiciant*, non adeo desperare debuisset, quin agnituri veritatem fuerint, si non omnes, plerique certe. Sed actum de se esse sciebat, si semel cognitio debita & libera de gravaminibus contra se & Sedem Romanam institueretur.

An. 1544.

(19) *Pontifex Cæsarem sub persona Christi alloquitur.*

Attende, oramus te, atque in Domino obsecramus, quod ex ore nostro summus tibi Deus præfatur; quid enim miri, si Pontifex de cathedra intonans profiteatur; Ego (inquit Dominus Deus exercituum) o Cæsar, ego sum, qui sum, per me Reges regnant & potentes ducuntur justitia, & in manu mea cor Regis, meumque est dare, & conferre regna atque imperia; ego, qui novi super aspidem & basiliscum ambulare, & conculcare leonem & draconem; ego, qui aufero spiritum Principum, terribilis in Reges terræ, regens illos in virga ferrea, & quasi vas figuli confringens eos. Et nunc, o Cæsar, intellige & audi, qui judicas terram, recole majorum tuorum gesta & exempla, qui illam adscenderunt celsitudinem, in qua tu es, considera tam tristes tuorum exitus, qui ad impietatem conversi meam Ecclesiam sunt persecuti, non eos tibi commemorabo, nec aliud quicquam objiciam, nisi ut in mentem redigas, quam ob causam ego Imperium ad Germanos ex Græcis per meos Vicarios transtulerim, eamque gentem despexerim; hoc tibi in magni commentarii locum relinquo commemoratum. Hæc ipse Christus per os meum insinuat tibi, dilectissime Cæsar, cujus vocem vehementem, velim, non obaudires, ne frustra jactam esse interpreteris.

Inanem

An.1544.

(10) Rejicitur assertio de translato per Pontificem ad Germanos Imperio, ex Luthero.

Inanem de translato per Pontifices, ut Christi Vicarios, ad Germanos Imperio Romano glori- ationem dudum insectatus fuerat Lutherus, ut alibi notatum est; sed nunc eandem dicto libello *fol. 460. & seqq.* paucis quidem, vehementer tamen, aggreditur. Quærit unde sumserint Pontifices, quod Germanis donaverint, annon ipse concionator Wittenbergensis, eodem modo Electori Saxoniæ regnum Bohemiæ vel Poloniæ donare possit? Quæ *Leonis X.* sapientia fuerit, Imperium Constantinopolitanum *Francisco I.* Galliæ Regi largientis? *Putantne*, ait, *Romæ, tam fatuos & stupidos esse Germanos, ut nullam historiarum librorumque cognitionem habeant?* Narrat inde gesta Pontificum cum *Carolo Magno*, ex quibus minime probetur, quod Pontifex Imperium, Græcis ablatum, Germanis tradiderit, transactum potius inter hunc & Constantinopolitanum Imperatorem fuisse memorat. Titulum quoque ad imperium Græcorum *Ottoni III.* ex *Theophania* matre ortum allegat. Nihil ait superfuisse ex Imperio Occidentis, quod Pontifex Carolo daret, qui jam Germaniam & Galliam ex paterna successione possidebat, Hispaniam vero dudum ab Imperio avulsam fuisse. Italiam armis Caroli Longobardis eripi debuisse, & sic liberatum ab horum tyrannide Pontificem fuisse. Nudum itaque nomen Carolo obtrusum esse, magnique id successoribus ejus constitisse, quod ex actis Pontificum contra Cæsares demonstrat, non tacens quæ *Leo X.* per Cardinalem *Cajetanum* contra *Carolum V.* machinatus sit, & ut sæpe tentaverint Papæ, inanem illum titulum a Germanis in Gallos transferre, ut his illudere eodem modo possent. Prætextum ab unctione & coronatione sumtum esse indignatur, illum vero ritum sperni a Cæsaribus debuisse contendit, cum pessime abusi eo sint Pontifices, Cæsaris enim jus & majestatem electione Principum niti, consecrationem Pontificiam nihil conferre aut prodesse.

(11) Pergit Pontifex in objurgatione Cæsaris & de Concilio disputat; finis epistolæ.

Nam cum schismatico Rege, & Catholicæ Ecclesiæ hoste acerrimo, iniisse fœdera, qui te insigni injuria affecerat, Reginam amitam tuam, veram ejus uxorem, tanquam concubinam, & secum adulteram, infando repudio ab se segregans, quem pro horrendo scelere Romana Sedes (etiam te postulante & proclamante) damnavit; pragmaticam in regno Hispaniæ sanxisse; Augustensem tuam sententiam, & aliorum Imperatorum sanctiones nuper revocasse; nationalem synodum hæreticis promisisse, & ejus acta, antequam appareant, rata nihilominus fore constituisse; denique nullum ulterius Concilium futurum, nisi quod celebratum fuerit in Germania, nulla etiam nostri nominis & autoritatis facta per te mentione, quasi nihil ad nos negotia religionis pertinerent & spectarent: Quis adeo prorsus stupidæ mentis non sentiat, quid hæc sibi velint? Sunt enim certa nimis indicia, quia a parte Ecclesiæ ad partes hostiles defecisti, quod dum memoramus, etiam tui gratia contremiscimus, & stupore quodam invadimur, dum cogitamus, hæc ab illo Imperatore Carolo emanare, qui tantum fidei ardorem in omnibus suis actis antea præferebat. Atqui dices, quia ego detuli generali Concilio, si quod liberum & Christianum fuerit; verum cum locum adjicis, scilicet in Germania celebratum fuerit, non queat esse liberum & Christianum, alterum vero, quia ibi demum Christianum & liberum, ubi maxime Lutherana factio viget & præstat cæteris, ut illud juxta tuam mentem liceat interpretari, Christianum esse, quod fuerit Lutheranum. (Hic quoque conturbatus est sensus, & divinari debet) *Nonne sentis, Cæsar, nonne sentis spicula veritatis acerba, & nonnihil ad salutem facientia, si resipiscas? Nam rursum, quæso, quod putas meditari?* (forte *meditare*, aut *quid putas*) *Ais, te velle generale Concilium? Hoc si vere & ex animo, cur illis promittis nationale? cum etiam Tridenti per nos fuerit indictum, cur de illo verbum nullum? & tamen si ita necesse fuerit, ut alibi & in Germania celebretur Concilium, fidentes in Domino non abnuemus, modo illud reliquum conveniat, quod suo jure vera Concilia deposcunt, videlicet, ut liberum sit & Christianum, cum sit scriptum; Non sedebo cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus, non introibo, odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Tu ergo vide, an liberum esse possit, ubi ad arma concurritur, & ibi Christianum, ubi Christi Vicarius dicitur Antichristus, & tamen nihil ibi est Christi, nisi ostentationis ac prætextus gratia, & nuda vox; quanquam hanc contumeliam (si me solum percellit) ejus exemplo, qui etiam dæmonium habere insimulatus est, mansuete omnino ferre deberemus, atqui blasphemiam habet in se contra Dominum clausam, cujus (licet indigni) vicem gerimus, ob istam gratiam, nec a nobis libenter accipienda est, neque a te patienter ferenda, cui dedit gladium Deus, non enim frustra portas, sed ad Christiani nominis defensionem, non ad Christi sanguinis effusionem. Nolumus, o Cæsar, duris ullis verbis exulcerare, & tamen veritatem continere non possumus, ad quam si æquo animo respicias, erit tibi profecto salutaris. Id enim, si cœpta prosequeris, ea certe facies, quibus, quæcunque hactenus præclare gessisti, magnopere obscurentur, coinquinentur, atque nomen tuum nota sempiterna inuretur. Quid ignominiosum tibi magis? quid diu majorem tibi potest conflare invidiam, quam quod dicatur Carolus Imperator Lutheranus? Quocirca tuum erit, dilectissime fili Carole, consulere nomini tuo & providere saluti, & vocem patris audire, sedulo ac paterno amore monentis, nec in tua & confœderatorum quantavis potentia fidere; cum enim omnis humana potentia sub Deo sit, Deo omnipotenti comparata jam non est potentia sed infirmitas. Nos autem, ne quod habeas, unde conqueri de nobis possis, pollicemur tibi, animum nostrum ad omnia, quæcunque petieris, promtum esse, modo divinam Majestatem non lædant. Vis Concilium? Damus Concilium, nec ulla per nos interponetur mora, quin fiat. Vis illud in Germania? nec nos abnuimus, modo queat ibi esse liberum & Christianum. Ut enim sit Christianum, non oportet illic hæreticos commisceri, tanquam sint illi pars Concilii, qui jam non sunt, & seipsos segregaverunt. Qui autem sint ejusmodi, non erit Cæsaris, aut alterius cujuscunque, id cognoscere & declarare, sed nostrum, qui hoc judicium accepimus ab ipso Christo. At vero,*

An.1544.

An. 1544.

vero, ut sit Concilium liberum, tuum erit hoc facere, quod & fiet, si jusseris arma deponi, si animum inclines ad pacem, aut saltem ad inducias, fideles etiam ad pacem praevenias, interim omni causa vestrae controversiae ad cognitionem sanctae synodi remissa. Has leges & conditiones, quae ad pacem faciunt, si tu recipis, pacem certe reddes Orbi. Sin autem, hactenus apud Dei Majestatem excusabimur, quia te paterne monuimus, &, quae tibi adversa erant, pertractavimus, ut minus acerbus futurus sit nobis luctus, si forsitan, (quod minime vellemus) paternas spreveris admonitiones nostras, nec minus tamen, quae nostrae erunt partes, cum omnipotentis Dei auxilio & favore, ut mature meditabimur, ita firmo animo exequemur.

(22) *Pallavicini de epistolae stylo censura.*

Conferentes *Pallavicini* & *Raynaldi* consilia, & ut ille hoc literarum exemplar supprimendum esse censuerit, hic propalaverit, majorem sine dubio circumspectionem *Pallavicini* deprehendent. Meretur autem hujus de epistola a *Raynaldo* producta judicium adscribi *d. l. cap. VI. §. 20. Animadversum est*, (ait) *ubi sacerdotes adacti conscientia in summum aliquem Principem acrius invehuntur; cautionem esse vel maxime religiosam, si sese intra fines solius necessitatis cohibeant; ita ut is deprehendere neutiquam possit, vel in immodico ardore iram larvatam pietate, vel modica reverentia affectatam ostentationem potestatis, pro observantia ineluctabilis obligationis. Secus enim ea sacerdotum increpatio haud reverenter excipitur, tanquam religiosa; sed odio habetur tanquam commotio, ac tandem conculcatur, tanquam elatio.* Neque tamen nobis facile persuaserit, quod conscientia adactus tantas iras illas exercuerit Pontifex; tuendae potentiae, & ultionis in Lutheranos exercendae stimuli propius illum urgebant.

(23) *De sanctione pragmatica in Hispania aliquid, & alia quaedam.*

Quae de pragmatica in Hispania a Carolo publicata meminit Pontifex, aliquam ex *Pallav. d. Lib. V. c. V. n. 2.* lucem accipiunt. Refert enim, constitutiones quasdam in Hispania editas, perniciosas Ecclesiae, & ideo Romanae curiae decreto condemnatas fuisse, quid autem in illis definitum fuerit, non memorat. De reliquis, quae in ultima hac literarum parte tum Caesari, tum Lutheranis, quasi haereticis jam condemnatis, proterve objiciuntur, & de periculo, si Concilium in Germania haberetur, ex supra dictis judicari potest.

(24) *Responsum Caesaris ad literas Pontificis Romae probatur.*

Quantam vero offensam incurrit Caesar, decretum Spirense publicans, tantam Romae laudem sibi peperit, quod bilem illam Pontificis patienter tulerit. Adortus erat Pontifex in aula Caesarea *Granvellanum* & *Petrum a Soto* (*Dominicum* enim per errorem hic vocat *Raynaldus*) monachum Dominicanum, Confessionarium Caesaris, datis eodem, quo Caesari scripserat, die 24. Aug. literis; (*Raynald. n. 8*) & illum quidem benevole hortatur & studiose requirit, ut pro prudentia sua in causa hac agat; monacho virtute sanctae obedientiae injungit, ut hac in re officium suum administret. *Ferdinandum* etiam Regem epistola & per Nuncium monuit d. 27. Aug. (*Raynald. n. 9*) Unde tandem secutum est responsum Caesaris, lingua Hispanica ad Pontificem datum, cujus contenta his verbis refert *Pallavicinus d. l. cap. VII §. 1.*

(25) *Contenta responsi Caesarei.*

Caesarem, habita ratione maximi gravissimique momenti verborum ac rerum, quae in memorato diplomate continebantur, tantaeque jacturae periculi, cui auctoritas dignitasque Caesarea, ac sui nominis existimatio, exponebatur, reponere, se ad omnia responsurum in tempore, opportunitate ac loco, quo tunc declararet, ostenderetque admodum serio, se nec fuisse, nec praebuisse occasionem ullam incommodis, quae contigerant Christianae Reipublicae; quin impendisse semper omnem operam, tam in se, quam in ceteris, ut illis occurreret, ac mederetur, prout probi Caesaris munus & auctoritas, ac dignitas Caesarea postulabat, pariterque ut Catholicum Principem decebat, eaque ratione, quae sibi conveniret in eo, quod spectat ad sanctam sedem. Quod si unusquisque idem pro suo gradu, statu & conditione perfecisset, haud eventura fuisse illa incommoda, in quibus tunc respublica Christiana versabatur: idque a Caesare adeo comprobatum iri, ut culpa in eos recideret, qui id merebantur, ac veritas errorem omnem, insimulationem & calumniam eximeret. In his querelae de iis, qui non eandem, quam ipse, diligentiam in causa praestitissent, fortassis ad ipsum pertinent Pontificem, certe Protestantes non feriunt. At his literae Caesaris, si notitiam earum adepti sunt, non poterant non tristissimas cogitationes injicere, omnemque spem, quam de illo conceperant, adimere, id quod ex iis, quae secuta sunt, satis manifestum fit.

SECT. 30.

(1) Expeditio Caesaris in Galliam & secuta mox pacificatio.

Sleid. Bellefor. l. 16. Ferron. Belcar. & alii.

Inter haec, & postquam omnia, quae cupiebat, a Protestantibus impetrasset, cum potentissimo exercitu in Galliam penetravit, cepitque ibi Lignium, Desiderii fanum, & Castrum Theodorici. Videns autem, cum jam Suessionum urbi propinquus esset, quod Rex Angliae, foederatus suus, vires jungere detrectaret, antequam Bononiam & Monstrolium, quas urbes obsidebat, cepisset, & quod interea copiae suae quotidie diminuerentur, auctis ex adverso regiis; sororis suae, uxoris Francisci, Eleonorae interventione, celebrem illam pacem Crespini, sive ad fanum Johannis de vineis, d. 17. Septemb. majore suo cum emolumento, quam Regis iniit. Hic enim artibus Estampiae foeminae impeditus, egregiam eum delendi occasionem perdidit. Certum ceteroquin est, Regem, cui non amplius opus erat Ottomannicis auxiliis contra Imperatorem uti, secreto pacis istius articulo suppetias contra Turcos ei promisisse, & (quod ad historiam hanc meam praecipue pertinet) duos Monarchas hos convenisse, ut deinceps junctis consiliis in causa religionis progrederentur, & ad hunc effectum allaborare vellent, ut Concilium Tridentinum, durante bello suspen-

Belcar. Pallav. l. 5. c. 7.

Sleid. l. 15. & 16.

An.1544. Spond. ad hunc annum. Jul. Paul. III.

suspensum, de novo convocaretur, intra tres menses habendum, procuraturi etiam, ut abusus curiæ Romanæ reformarentur, qui posteriorum harum hæresium, non quidem propriæ causa, occasio tamen fuisse dicebantur. Mox igitur ambo de Concilii indictione ad Pontificem scripserunt. Is mandavit, ut in orbe christiano solennes gratiæ Deo pro pace hac agerentur, & quantum in se erat, satisfacere illorum desideriis non detrectavit. Nova igitur Bulla d. 19. Novemb. Concilium ad d. 15. Martii sequentis anni Tridenti habendum indixit, restabat tamen difficultas, quomodo Protestantibus id probaretur.

An.1544. (2) Pontifex Concilium denuo indicit.

§. CXVI.

(1) *Acta particularia fœderatorum Evangelicorum in Comitiis Spirensibus.*

De bello Gallico, secutaque mox pace, multa dici possent, sed iis potius insistemus, quæ ad causam Lutheranismi propius spectant. Durantibus Spiræ Comitiis fœderati Evangelici non ita fidebant speciosis promissis, quin ad eum quoque casum respicerent, quem, perspecto eorum, cum quibus tractabant, ingenio, metuere debebant. Ideoque consultationes inter se habuerunt, & decretum *d. 11. Jun.* condiderunt, in quo ante omnia statuitur, id primum proximis Comitiis Wormatiæ fieri debere, ut Theologi, consilia de reformatione, ut Cæsar decreverat, collaturi, congregarentur. De fœdere deinde suo firmando & roborando soliciti, *Ottoni Henrico Palatino* in societatem antehac recepto modicum tributum, dimidiam nempe ejus, quod *Ernestus Lüneburgicus* pendebat, partem indixerunt, donec ad pinguiorem fortunam pervenisset. *Ludovicus & Wolffgangus, Comites Oetingenses*, in fœdus admissi sunt 400. flor. & *Ludovicus, Comes ab Helfenstein* 100. flor. menstruum tributum polliciti. *Ernesto Lüneburgico*, quem Archiepiscopus Bremensis ob reformationem monasteriorum quorundam in Camera accusaverat, item *Philippo Pomerano* contra *Præpositum Stetinensem* & Pastorem *Pasevalcensem* opem & auxilium promiserunt. *Ulricum Würtenbergensem* monuerunt, ut Abbatem in *Königsbrunn*, si immediate Imperio subjectus nec Würtenbergicæ ditionis esset, missum faceret, nec ad reformationem adigeret. *Metensibus*, etsi supra tria hominum Evangelicæ religioni addictorum millia ex illis auxilium implorarent, assistere non sunt ausi, quod Senatus urbis veteri ritui pertinaciter inhæreret. Post finem Comitiorum, & Cæsare ad bellum Gallicum profecto, in causa *Henrici Brunsuicensis* legatio ad Cæsarem expedita est, ita enim jussi erant fœderati, ut de sequestratione Ducatus tractari & conveniri posset. Aversabantur negotium Brunsuicense plurimi ex sociis, *Würtenbergensis* inprimis, immo & *Wolffgangus Anhaltinus*, datis *(Reg. N. fol. 596. n. 184.)* literis ad sociorum Legatos, Arnstadii, & postea Gothæ congregatos, summopere suadebat, ut Ducatus Cæsari traderetur, salva reformatione, quæ circa religionem facta erat. Idem sentiebant *Hamburgenses, Hildesienses, Mindenses*. Obtulerat autem Cæsar, administratorum se esse Ducatum per *Fridericum Electorem Palatinum*, vel per *Brandenburgicum*, & per duos Principes, *Mauritium* Saxoniæ & *Guilielmum* Cliviæ Ducem. Mandata itaque Legatis ad Cæsarem *D. Georgio Planitio* & *Francisco Burcardo* Saxonicis, *D. Güntherodo* & *Keudelio*, Hasiacis Consiliariis, Gothæ data sunt d. 2. Jul. Queri jubebantur de machinationibus *Henrici*, cujus nomine in Belgio & agro Bremensi milites colligebantur, & testari, nisi ille ab apparatu isto & violentis consiliis abstineret, in sequestrationem se non esse consensuros: Sequestros optare *Electorem Brandenburgicum* & *Mauritium Saxoniæ Ducem*, reliquos nimis procul dissitos, *Clivensem* præterea juvenem esse, & domi res turbatas habere. Cum vero undique multa de *Henrici* moliminibus nunciarentur, utque inter alia Episcopo *Monasteriensi*, quod in occupatione Ducatus copias quasdam fœderatis submiserat, minaretur, & ab eo posceret, ut filium suum, vel fratrem *Georgium*, *Præpositum Coloniensem*, adjutorem sibi legeret, Elector & Landgravius non solum socios hujus causæ, sed & veteres, hæreditariis pactionibus sibi junctos, *Brandenburgicum* Electorem, ejusque agnatos in Franconia, & *Mauritium* Saxonem de auxiliis interpellarunt, qui ita responderunt, ut adfuturos se esse dicerent, si Saxonem aut Hessum in suis ditionibus aggrederetur *Henricus*; ita a defensione Ducatus Brunsuicensis sese excusabant. Rex Daniæ, etsi non satis contentus erat de auxiliis sibi a fœderatis Smalcaldicis præstitis, dicebat enim, nimis tenuia fuisse; **(man habe ihm mit der kurtzen Elle gemessen)** magnam tamen erga Electorem & Landgravium benevolentiam & fidem testatus est. Apparebat, *Cæsarem & Ferdinandum* clam fovere *Henrici* apparatus, interim uterque sequestrationem tanto vehementius urgebat, negantes se absque illa *Henricum* cohibere posse. Landgravius apud Cæsarem d. 23. Jun. *(Reg. H. fol. 574. n. 188.)* vehementer de *Henrico* questus, petiit, ut sibi militares quasdam copias in Belgio conscribere permitteret, cum ipse ex Hassia trecentos equites, tum optimos ex suis stipendiariis militiæ Duces, *Sebastianum Schertelium*, *Bernhardum a Thalheim* & *Henricum a Bortfeld* in Cæsaris castra misisset. Electores quoque ad Rhenum ex fœdere speciali ad auxilia sibi præstanda solicitabat, ex quibus *Trevirensis* respondit, se ei non esse defuturum, interim a Cæsare sibi scriptum esse, nihil a Brunsuicensi timeri debere, & si quid auderet, fore, ut a Cæsare prorsus destitueretur. In eundem sensum Cæsar ipse Landgravii Legatis d. 8. Jul. respondit; addidit literas ad Electorem Saxoniæ *Granvellanus*, & quæ Cæsar scripserat, confirmavit. Habito postea cum Legatis Electorum ad Rhenum & Episcopi Würtzburgensis Francofurti conventu d. 16. Jul. promissa sunt Landgravio auxilia, si in suis ditionibus ab Henrico infestaretur. *Monasteriensis* Episcopus Legatis Hasiacis d. 22. Jul. itidem auxilia obtulit, grata mente agnoscens, quod ab Augustanæ Confessionis Principibus in tumultu Anabaptistico adjutus esset. Duravit is metus & apparatus, prout fama de *Henrici* dele-

(2) *De lite cum Henrico Brunsuicensi, & de auxiliis contra eum per fœderatos quæsitis.*

(3) *Landgravii ad Cæsarem in causa Brunsuicensi literæ, item acta cum Electoribus ad Rhenum & aliis.*

(4) *Cæsar causam Brunsuic. differt.*

An. 1544. delectibus augeretur aut minueretur, per totum æstatis & autumni tempus; Cæsar enim ipse, licet sequestrationem Ducatus Brunsuicensis huc usque acriter postulasset, eaque de causa Legati supradicti ad eum venissent, d. 16. Octob. *Granvellani* literis Electori & Landgravio significavit, se totum id negotium ad Comitia proxima distulisse.

(5) *De eventu belli Gallici, & pace secuta quædam.*

Mutata nempe consilia erant eventu belli Gallici, quod contra omnium conjecturas aut spem subita pactione finitum erat. Egregius apparatus Cæsaris contra Gallos effectum, quem poterat, minime habuit, ob prava quorundam consilia & neglectam, qua opus erat, de stipendiis & annona curam. Testatur hoc *Mauritius* Dux Saxoniæ ex castris Cæsaris Landgravio socero referens, Cæsari ad invadendam ipsam Lutetiam occasionem defectu pecuniæ, & orta inde militum renitentia, e manibus ablatam fuisse. *Schertelius* vero, qui (ut *Lib. II. §. XXVII. Addit. o.* memoravi,) in hac expeditione inter primarios Duces Cæsareos fuit, ad Landgravium d. 30. Octob. scripsit, si narrari audiret Princeps, quam male omnia administrata fuerint, fore, ut (secundum proverbium Germanicum) lividus fieret (**er würde blau werden**) se (ex indignatione & mœrore) canum factum esse. Pacem tam præcipitanter, Pontificis & sacerdotum studiis, in odium & exitium potissimum Protestantium, procuratam esse, satis constat, & laudatur inprimis a *Raynaldo* (*n. 22.*) industria supra nominati *Petri a Soto*, qui Cæsari, & *Gabrielis Gusmanni*, qui ejus sorori, Galliæ Reginæ, a confessionibus erat. Male habebat libertatis Germanicæ studiosos, quod Cæsar, qui sub initium Comitiorum tanto cum conatu Proceres Imperii bello Gallico implicuisset, tam celeriter, nullaque cum iis communicatione pacem iniisset. Literas Pontificis, quibus gaudium suum de pace testatus est, d. 13. Octob. ad Galliæ Regem, & d. 16. ad Cæsarem scriptas, idem *Raynaldus* produxit *n. 24. 26.*

(6) *Electori Sax. societas Gallica per calumniam objicitur.*

Rixæ cum Electore Saxoniæ occasio mox quæsita est (*Reg. H. fol. 585. n. 190.*) in aula Cæsaris. *Mauritio* enim Duci Cæsar ipse, ab aliis sic persuasus, dixerat, inventas esse Electoris literas, ex quibus constaret, Electorem a Galliæ Rege pecuniam accepisse. Id pro futili calumnia habuit Elector, & Landgravio, ex cujus literis, d. 12. Octob. ad se scriptis, hoc intellexerat, d. 18. Octob respondit; summam sibi injuriam fieri, neque enim unquam aut teruncium sibi a Gallo oblatum, multo minus solutum, aut unquam a se petitum esse, immo nec ex pecunia in causa electionis Ferdinandeæ, quam olim apud Bavaros deposuerat Gallus, quidquam ad se pervenisse, impudens itaque commentum id esse, & se majori esse animo, quam ut fidem Cæsari & patriæ debitam ullo modo proderet, multoque minus tantilla pecunia (sex enim coronatorum millia nominabantur) venderet. Quod Clivensi sororio suo auxilia quædam miserit, nunquam inficiatum se fuisse, id vero nullum ad Gallicam societatem respectum habere, neque se unquam illam, aut consilium de matrimonio Clivensis cum Navarræa, probasse: Tractatum esse de societate cum Bavaris & Gallo per *Langæum*, sed tam duras conditiones hunc proposuisse, ut nihil concludi potuerit. Repetit eadem d. 29. Novemb. & si consensu *Mauritii* Ducis fieri posset, apud Cæsarem purgaturum se esse scribit, certum quod nullis documentis convinci possit. At se producere inhumanas Regis Galliæ literas posse, ex quibus manifestum fiat, nullam cum eo societatem fuisse. Non multo post a Landgravio d. 14. Decemb. responsum tulit, agnosci jam in aula, non Electoris, sed Legati ejus literas repertas esse, in quibus quatuor vel quinque aureorum millium mentio fieret, sed neque id jam credi. Sprevit inde delationes illas Elector, ita tamen, ut, se cum *Granvellano* proximis Comitiis expostulaturum de iis per Legatos suos esse, indicaret.

(7) *Bavarorum acta cum D. Seilero.*

Eodem tempore *Bavari* ad vetera vaframenta redierunt, ut ex relatione *D. Gereonis Seileri* Augustani (*d. Reg. H. n. 190.*) percipitur. Insinuabat huic, quem ad Landgravium omnia referre sciebat, *Leonhardus ab Eck*, præsente *Guilielmo* Duce, a Cæsare post pacem cum Gallo vim metuendam esse, ad opprimendam libertatem Germaniæ; Bavaros vero ita affectos esse, ut mallent ad Lutheranos transire, quam jugum illud subire; expedire igitur, ut Saxo & Landgravius cum Bavaris fœdus inirent. Concilium a Papa indicendum nullius esse emolumenti, longe melius in nationali agi & conveniri posse. Electorem Saxoniæ cunctatum huc usque esse, nec ad articulos de fœdere, dudum cum illo communicatos, respondisse, nec satis sapere Lutheranos, quod Landgravio in causa digamiæ non assisterent, deserendum illum minime esse, licet longe graviora commisisset. Additum fuit, cum intellectum esset, *Henricum Brunsuicensem* trecenta aureorum millia a Pontifice per Italum quendam flagitare, Bavaros statim quendam ex suis Romam misisse, qui id dissuaderet, neque enim nunc tempestivum esse, ut bellum in Germania incipiatur: id quidem jam etiam Gallum cupere, & ante omnes Landgravio exitium parari. Pontificem Legatum apud Turcarum Imperatorem habuisse, qui bene exceptus fuerit, & inducias inter illum & Austriacos obtinuerit, ita tamen, ut prædatorium XXIV. millium agmen in Hungariam mitti sine ruptura pacis posset. Hæc, qua intentione aut fide dicta sint, eventus post paucos annos manifestum fecit. Non invenio, Electorem & Landgravium multum familiaritati illi tribuisse.

(8) *Alia quædam de pace Gallica.*

Referebatur aliunde ad Protestantes, Ferdinandum Regem pacem cum Gallo non satis probare, sed queri, quod filio suo decederent, quæ illi Cæsar, nunc vero Gallo promisisset. Traducebatur etiam in Belgio Cæsar, quod malis consiliis obsecutus esset, & plus quam centum aureorum millium pretium donariis in tractatu pacis elargiendis consumsisset, ex quibus concubina regia *Estampia* XVI millia ducatorum accepisset, & hanc ubique caput & os tractatuum fuisse. Quæ tunc Evangelicos solicitudo exercuerit, ex arcanis consultationibus, & literis cognoscitur (vid. *Reg. H. fol. 571. n. 186.*)

(9) *Augustanæ civitatis metus, & data illi responsa.*

Augustani inter omnes, quibus ex Italia, mercaturæ occasione, multa significabantur, ingentem Pontificis & Italorum lætitiam ob pacem cum Gallo factam observabant, eam vero jam etiam Germani, Romanarum partium, Ecclesiastici maxime, non dissimulabant, immo

An. 1544. immo, ut *Frölichius* scripsit, vitulari jam incipiebant. (Die Pfaffen fangen an zu gumpen.) Gallum, quem antea, ut Turca pejorem abominabantur, jam ut Christianissimum laudabant. Satis autem penetrabant Protestantes, id jam agi Romæ, consentientibus Cæsare & Gallo, ut indicto Concilio condemnaretur Lutheranismus, dein violenta & sanguinaria executio decretorum fieret. Augustanos speciatim angebat, quod fama ferret, Cæsarem Comitia *Wormatiæ* instantia *Augustam* translaturum esse, id si fieret, fore metuebant, ne, præsidio Cæsareo urbi imposito, & revocato Episcopo cum Clero suo, de libertate civili & sacra periclitarentur, immo in urbe sua sedes belli, quod jam tum erupturum esse conjiciebant, & post biennium secutum est, constitueretur. Petebant igitur consilium; & Landgravius quidem autor erat, ut *Johanne Chrysostomo* (ut jocabatur) intercessore uterentur, id est, aliquot florenorum millia *Navio* aliisque offerrent, qui translationem illam Comitiorum impedirent. Memorabile est Lutheri, & collegarum responsum, quod Electori, consilium poscenti, dederunt. *Videmus*, ajunt, ***nos rem hanc maximam, conservationem puræ & orthodoxæ doctrinæ, humana solum prudentia non esse obtenturos. Faciamus itaque, quantum pro tempore secundum veram voluntatem Dei fieri potest***, (**was mit rechtem göttlichen willen zu thun möglich**) ***minime vero cogitemus, quod in nostra potestate sit, omnibus periculis in futurum occurrere. Illicita autem media plane omittamus;*** Inter hæc referebant, si Augustani præfracte Comitiorum in urbe convocationem negarent. Rescripserunt ergo Elector & Landgravius Senatui d. 28. Octob. ut libello supplici, Cæsari porrecto, incommoda, quæ ex conventu Comitiali, præsertim ob caritatem annonæ, metuerent, proponerent, peterentque, ut status religionis in urbe conservaretur. Sed ista solicitudo evanuit, Comitiis *Wormatiæ*, ut constitutum erat, licet paulo serius, sequenti anno habitis. Spem quidem fecerat Cæsar, se ad Calendas Decembres *Wormatiæ* adfuturum esse, sed, ut dicemus, impedimenta oborta sunt. Interim d. 10. Novemb. Electorem denuo hortatus erat, ut ab omni armorum motu in causa *Henrici Brunsuicensis* abstineret, hujus enim apparatus evanuisse, & causam ad Comitia usque quiescere debere. In iisdem literis, ut & aliis antea ad Landgravium datis, gratias principibus agit Cæsar, quod ipsi de pace cum Gallis gratulati essent, testatus, se ad illam, non suæ utilitatis causa, sed Germaniæ & Orbis Christiani commodo, progressum esse.

(10) *De Cæsare quadam.*

§. CXVII.

(1) *Mors Episcopi Mersburgensis & Augusti Sax. Ducis & Georgii Anhaltini administratio.*

Decessit hoc anno in veteri superstitione *Sigismundus a Lindenau*, Episcopus Mersburgensis. Canonici, præter tres, qui aberant, unanimi consilio, *Augusto* Sax. Duci, fratri *Mauritii* octodecim annorum tunc adolescenti, qui postea ad Electoratum Saxonicum evectus, magnum nomen virtute & rerum gestarum gloria sibi peperit, egregium illum præsulatum in fertilissima Saxoniæ & Thuringiæ parte, ad utramque Salæ ripam situm, cui nec *Misnensis* nec *Numburgensis* par est, detulerunt, nulla reservatione, nisi, ut arbitrium de ritibus in templo Cathedrali integrum sibi relinqueretur. Maxima enim ditionis Episcopalis pars jam tum Evangelicæ doctrinæ addicta erat. Cæsar quidem *Mauritium* Ducem in Comitiis Spirensibus monuerat, ne quid in Episcopatu illo innovaret, sed confirmaverat eum, consilium suum rogantem, socer *Landgravius*, ne occasionem rei ad religionis commodum gerendæ amitteret. Opportunus itaque modus ille fuit promteque acceptus, quem Canonici inierant, nec contradictionem passus est. *Augustus* quoque Princeps nullo, neque Clericatus aut sacerdotii, neque cœlibatus vinculo obstringebatur, sapientique consilio, retento sibi regimine Episcopatus politico cum reditibus, sacrorum curam *Georgio Principi Anhaltino*, qui inter Canonicos Mersburgenses ex ordine receptionis *Senior*, & præterea *Præpositus metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensis*, item Episcopalis Misnensis erat, sub titulo *Administratoris in spiritualibus*, exercendam tradidit, assignata illi splendida quatuor millium florenorum annuorum pensione. Commissa eidem fuit consensu *Mauritii* Ducis inspectio Ecclesiastica districtus *Lipsiensis* & *Thuringiæ*, quatenus *Mauritio* parebat. Extant *Georgii Carlovitii* literæ in arce sua *Cribsteniana* d. 27. Jun. ad Landgravium datæ, (*Reg. H. fol. 580. n. 189.*) in quibus ista omnia mire prædicat, optatque, ut omnibus Episcopatibus hoc modo prospectum esset: Extollit pinguem *Augusti* conditionem, cui jam reditus duplo major esset, quam *Henricus* pater ejus, ante cretam *Georgii* hæreditatem, habuisset, & melius ei provisum esse existimat, quam si ad Archiepiscopatum *Magdeburgensem* perveniret; unde colligitur, agitatum tunc aliquid ea de re fuisse, confecto ætate & morbis *Alberto* Cardinali, qui etiam anno sequenti decessit. Lutherus quidem, cujus scripta & dicta quædam *Bavarus Tom. II. collect. p. 570.* annotavit, consilia illa de administratione *Mersburgensi*, ut callida & ad utilitatem Principum tendentia, reprehendisse dicitur, pleraque etiam de secuta postea distractione inter Electorem & Mauritium, quam ambitioni nobilium imputabat, præsagiisse; eventus tamen, mira Dei providentia, is fuit, ut religionis puritati in Episcopatu illo recte fuerit provisum. Inter acta hujus anni, & veluti tyrocinia *Georgii Anhaltini* in suscepta administratione, reperio, delatam ad illum fuisse quæstionem de ritu elevationis, cujus anno præcedenti §. *CXII.* mentio facta est. Controvertebatur de ceremonia hac in ditione dotalitia *Elisabethæ*, viduæ *Johannis* Sax. Ducis, qui ante patrem *Georgium* obierat. Expostulavit cum illa Elector Saxo literis d. 5. Febr. (*Reg. N. ℞. n. 199. fol. 405.*) scriptis, occasione pagorum quorundam, in præfectura *Camburgensi*, quam *Elisabetha* possidebat, sed quorum parochiæ ad monasterium *Eisenbergense* in territorio Electorali spectabant. Scribit autem; se illi, & quidem ex sententia Lutheri & aliorum, antehac dissuasisse, ne elevationem, quæ Pastorum arbitrio in ditione illius omissa fuerat, restitueret, cum facile occasionem ad restabiliendam hostiarum, quas vocant, adorationem dare illo mo-

(2) *Rixa de ritu elevationis in ditione Elisabethæ, viduæ Saxonicæ.*

An. 1544. do poſſet. Habetur (*d. l. Reg.*) exemplum ſchedulæ, a *Luthero* & *Pomerano* ſubſcriptæ, in qua ſtatuunt, intermiſſam in diſtrictu *Rochlitienſi* elevationis ceremoniam, utpote rem liberam introducendam denuo non eſſe, niſi ſingularis quædam neceſſitas id exigat, qualem tamen conjicere non poſſent. Addunt effatum generale: *Graviſſimi momenti & ſumme curandum eſſe, ut divina præcepta ſerventur.* (Gottes geboth ſolte man halten/ da liegt macht an.) Sed ſecuta illo tempore mutatione in Epiſcopatu *Mersburgenſi*, & tradita *Georgio*, ut dictum eſt, inſpectione Eccleſiaſtica, *Eliſabetha* negotium ad illum retulit, literasque miſit *Joh. Sagittarii* Paſtoris & Superintendentis *Rochlitiani*, ad ſe ſcriptas, in quibus narrabat, ſe in præfectura *Dornburgenſi* & *Camburgenſi* Paſtores deprehendiſſe, qui Miſſas Papiſtico more celebrarint, idque in nupera vigilia, quam vocant, natalitia ter fecerint, populum quoque ad hoſtiarum adorationem cohortati: præterea ad ſtatuas & imagines quasdam ſuperſtitioſas die & noctu cereos accendi: Cum vero *Rochlitii*, *Mitweydæ* & *Geithenæ*, etiam vivente Georgio Duce, reformatio opera *Antonii Muſæ* facta, & inter alia elevationis quoque ritus ſublatus fuerit, viſum ſibi eſſe, ut idem in præfecturis ſupra dictis, *Eliſabethæ* ſubjectis fieret, neque tamen celat, populum hac omiſſione offendi, & *Mauritii* Ducis nomine a viſitatoribus juberi, ut ceremonia illa reſtitueretur: Hoc vero, ait, conſcientiæ ſuæ grave eſſe & malle, immo petere, ut a munere ſuo honeſtam miſſionem impetraret. His perceptis, *Georgius* d. 24. Sept. (*d. l. Reg.*) Conſiliariis *Mauritii*, qui Lipſiæ erant, ſententiam ſuam hunc in modum aperuit: Se intellexiſſe, quod *Rochlitii* hæc ſit obſervantia, ut ſacerdos conſecrationem corporis & ſanguinis Dominici, verſa ad populum facie, peragat, (quo ipſo, quanquam id diſerte non addat, ceſſabat elevatio, quæ fiebat, ſi ſacra faciens Paſtor tergum cœtui obverteret,) neque illum ritum a ſe improbari, qui etiam ab antiquo aliis quibusdam in locis, &, ut putat, *Moguntiæ* in uſu fuerit: Quod vero *Superintendens Rochlitianus*, præcipitatis & rigidis mandatis, in præfectura *Dornburgenſi* & *Camburgenſi*, contra ordinationem ritualem *Henrici* Ducis, ex conſilio Theologorum publicatam, & huc usque illis in locis ſervatam, ad innovationes progreſſus ſit, & exemplo Rochlitiano elevationem a Paſtoribus ſub pœna privationis omitti juſſerit, id ſibi, absque neceſſitate & durius, quam vel in Papatu fieri conſueviſſet, factum videri, longeque ſatius eſſe, ſi præcipua fidei Chriſtianæ capita de ſincera pietate & pœnitentia, & de vera fide in gratiam Jeſu Chriſti, ejusque genuinis fructibus, majori cum zelo urgerentur, quam ut in articulis, qui fidei & ſacramentis nihil addant neque demant, diſputationes & rixæ minime neceſſariæ, cum ſcandalo ſimpliciorum, excitarentur. Scribendum itaque eſſe putat a Conſiliariis abſentis *Mauritii* ad *Eliſabetham*, ut caveret, ne Superintendens Paſtores ab obſervatione conſtitutionis *Henricianæ*, ubi recepta eſſet, impediret. Etſi enim etiam iſta loca ad dominium illius dotalitium pertinerent, ſeparata tamen eſſe a diſtrictu *Rochlitiano*, & ſubitam mutationem incolis non modo, ſed & vicinis in præfecturis *Mauritii*, ſcandalum eſſe daturam: relinqui potius ſingulis locis ritus ſuos debere, donec pia conventione per totam provinciam uniformes ceremoniæ conſtitui poſſent; id quod omnino ſperandum eſſe exiſtimat a Principibus domum redeuntibus, adhibito Doctorum conſilio, inventisque modis, quibus tam Papiſtarum quam Sacramentariorum erroribus occurratur, & diſputationes ſuperfluæ evitentur. Hæc, ut pia & moderata, ſecuta eſt *Eliſabetha*, idque literis d. 3. Octob. Electori ſignificavit, & exemplum earum, quas Georgius, ut diximus, ſcripſerat, addidit.

(b) *Georgius Anhaltinus elevationis ritum, ubi adhuc erat, ſervari jubet.*

An. 1544.

ADDITIO I.

(a) *Digreſſio de Georgio Principe Anhaltino.*

Locus hic eſt non incommodus de *Georgio* illo *Principe Anhaltino* plura dicendi. Nullum enim genus aut argumentum veræ laudis, viro eccleſiaſtico tribuendæ, inveniri poteſt, quod ille non meruerit, ita ut ſui temporis eximium decus, ſequentibus exemplum prope inimitabile, haberi poſſit. Compendium vitæ ejus deſcripſit *Joachimus Camerarius*, anno 1555. Eaque narratio præfixa eſt operibus *Georgii* Latine & Germanice editis. *Philippus* quoque *Melanchthon* orationem in laudem ejus compoſuit anno 1554. quam *D. Georgius Major* in ſolennitate quadam Doctorali recitavit, *operibus* Principis ſubjunctam: Latin. *fol. 627. b.* German. *fol. 501.* Ejus maximam partem inſeruit *Melanchthon præfationi Tom. V. Lat. VVittenberg.* Videatur etiam *Melchior Adamus in Vit. Theol. p. 245. & ſeqq.* Nuperrime magnæ eruditionis & pietatis Theologus, *D. Elias Veielius* tractatum egregium *de cauſa Eccleſiæ Evangelicæ in negotio reformationis* ex ſcriptis *Georgii* Principis concinnavit, & de vita ejus notabilia pleraque retulit. Natus fuit *Georgius* anno 1507. Idibus Auguſti, patre *Erneſto*, Principe Anhaltino, & matre *Margaretha, Henrici*, Ducis *Monſterbergenſis* in Sileſia, cui *Georgius Podiebradius* Rex Bohemiæ avus fuit, filia. De Anhaltinorum Principum ſtirpe commentandi labor ſupervacaneus eſſet; imperitum quippe omnis hiſtoriæ eſſe oportet, qui antiquitatem & ſplendorem Sereniſſimæ familiæ ignoret. Cum vero Georgius duos fratres haberet, *Johannem* & *Joachimum*, ex more ſeculi deſtinatus eſt dignitatibus eccleſiaſticis, & ſtudiorum cauſa, cum nondum eſſet duodecennis, mortuo jam parente, Lipſiam miſſus, Magiſtrum ſtudiorum nactus fuit *Georgium Heldum*, Forchemii in Franconia natum, virum inſigniter doctum & pium, qui etiam diſcipulos habuit *Joachimum Camerarium* & *D. Caſpar. Crucigerum.* Princeps ipſe mire amavit *Heldum*, magnisque præconiis proſecutus eſt, & mortuum anno 1545. acerbiſſime luxit. Nominat eum in præfatione tractatus de ſacra Cœna *virum fidelem, doctum, & Magiſtrum ſuum amatiſſimum*, den treuen/ gelehrten Mann / meinen hochgeliebten Magiſtrum. Nec parum ei profuit agnati ſui *Adolfi, Epiſcopi Mersburgenſis* cura, qua non ſolum inter Canonicos Mersburgenſes receptus eſt, ſed & conſiliis & monitis inſtructus, & ad correctos mores, legendamque ſacram Scripturam incitatus. *Adolfus* enim, etſi reformationi, quam Lutherus moliebatur, ut alibi narravimus, reſiſteret, nec Pontificias partes deſereret, vitia tamen & abuſus in Eccleſia probe obſervaverat, & in articulo de juſtificatione parum a vera doctrina aberat, ut poſtea ex ipſius Georgii verbis audiemus. Nam omiſſa prolixiori vitæ ejus hiſtoria ab aliis, ut diximus, ſufficienter tradita, ſcripta præcipua recenſebo, majori, ut puto, cum utilitate. Ex illis tamen ante alia annotabo, quæ ad hiſtoriam *Lutheri*, cujus

A. 1544.

cujus dicta & facta quædam ab aliis omissa *Georgius* annotavit, pertinent. Ter excusa fuerant, antequam anno 1570. *Joachimus Ernestus* & *Bernardus* Principes Anhaltini, *Joachimo*, fratre *Georgii* nati, quartam editionem Latinam publicassent. Versionis autores in præfatione nominant *Christophorum Pezelium* & *Abrahamum Ulrici-Cranachium*, postea Superintendentem Servestanum: Celebrant felicitatem seculi, in quo invictissimum, ut loquuntur, Heroem, *Martinum Lutherum* oculis viderint, ejusque [illegible] fidelem & gratissimum discipulum ad extremum usque vitæ halitum fuisse dicunt *Georgium* patruum suum, & in hujus laudes plura memoratu digna addunt. Deinde anno 1577. *Joachimus Ernestus* solus quintam editionem Germanicam procuravit, ut calumniis, *Georgio* in causa Sacramentaria impactis, occurreret. Id in præfatione hujus editionis indicat, qua tamen maxima ex parte priorem illam repetit; omittitur vero *Pezelii* mentio, qui in controversia illa suspectus erat. Rara est hodie utraque editio, & Latina tardius sum potitus: Germanicam itaque excerpsi, eamque prætuli, quia *Georgius* omnia scripserat Germanice. Non solum autem solida doctrina tam in Theologica, quam in Canonum & Juris Civilis scientia imbutus erat Georgius, sed & commode atque eleganter loqui & scribere noverat; stylus sane Germanicus purus & fluidus est, singulari etiam modestia gratus. Sequar vero ordinem voluminis, quod allegavi, quanquam temporis ratio in compilatione illius observata non est. Primo loco exhibetur *fol. 1. & seqq.* concio, habita in festo Christi natalitio anno 1552. in arce Anhaltina *Warnsdorff*, coram domesticis, (unsern lieben Hofgesinde und Haußkirche) ut loquitur *Georgius*, in præfatione ad *Joachimum* Principem fratrem suum, qui publicationem concionis hujus ab eo petierat, *d. 22. Febr. 1553.* scripta. In editione tamen non solum dicta amplificavit, sed & notis eruditis, ex quibus peritia ejus in lingua Hebraica conspicitur, illustravit, v. gr. *fol. 5. b.* reprehendit versionem vulgatam, in qua, contra fontes Hebræos *Gen. III. 15.* & septuaginta interpretum translationem, pro *ipse conteret*, legitur: *ipsa conteret*; adde explicationem vocis *Siloh fol. 7.* & quæ *fol. 9.* de *Psalmo LXXII.* quem Salomoni vindicat, commentatur. De nomine *Jehovah* & *Adonai* vid. *fol. 11.* Sequitur alia de eadem materia concio, sed brevis, *fol. 31. & seqq.* Postea duo longi sermones ad Evangelium Dom. VIII. post Trinit. Matth. VII. *fol. 54. ad 131.* de falsis prophetis, exhibentur, prior *anno 1549.* posterior *anno 1550.* habitus. Præmisit autem Georgius prolixam præfationem *fol. 35. & seqq.* die non notato, sed ut ex iis, quæ *fol. 48.* ad marginem annotavit, constat, anno 1551. scriptam. In hac ad sermones illos edendos causas se habuisse ostendit (1.) quia in templo cathedrali Mersburgensi heterodoxa de novo docerentur, & maxime ordinatio ministrorum Evangelicorum impugnaretur. (2.) Quia etiam publica scripta prodierint, quibus veteres abusus propugnarentur. (3.) Quia calumniæ denuo late spargantur, quod Evangelici a vera religione defecissent. Paucis noto, (quamvis ad sequentium annorum historiam pertineat; sed ad intellectum præfationis hujus, aliorumque scriptorum Georgii ignorari non debet) post devictos fœderatos Smalcaldicos, & publicatum anno 1548. edictum Carolinum, ab Augusto Sax. Duce, cum anno 1549. conjugem *Annam* Danicam duxisset, Episcopatus Mersburgensis administrationem abdicatam, & ab Imperatore Carolo, Canonicorum, licet pauciorum, postulationem prætexente, *Michaelem Heldingum*, suffraganeum Moguntinum, ad Mersburgensem Episcopatum promotum fuisse. Vid. *Chytr. Lib. XVII. fol. 497. Heldingus* ille humili loco in Belgis, ut *Pantaleon*, aut in ditione Moguntina, ut alii scribunt, natus, ingenio doctrinaque ita provectus est, ut titulo *Episcopi Sidoniensis* ornatus, suffraganeus fieret Moguntinus. Carolum vero Cæsarem sibi conciliavit concionibus, tempore Comitiorum anno 1548. in templo cathedrali Augustano, cum magna eruditionis & moderationis laude, habitis, & opera in edicto illo concinnando, cum *Julio Pflugio* & *Johanne Agricola Islebio* præstita. Hoc itaque ad Mersburgensem præsulatum evecto,

(b) *Excerpta ex concione ejus de nativitate Christi.*

(c) *Conciones Georgii de falsis Prophetis.*

(d) *De mutatione administrationis in Episcopatu Mersburgensi.*

Georgius inspectionem ecclesiasticam, quam *Augusti* Ducis nomine exercuerat, continuare amplius non potuit, attamen, ut Senior Capituli, retinendæ puritati religionis, in Episcopatu dudum introductæ, summo cum studio incubuit. Patet hoc ex scriptis, ad quæ redimus. Concionatus nempe est in templo cathedrali *Mersburgensi* dictis annis, & abusus, qui denuo obtrudi incipiebant, reprehendit, ea quidem jam tum intentione, ut sermones illos publicaret, expolitos tamen & amplificatos; sed ob varia impedimenta tardius secuta est editio. Refert id ipse Illustrissimus autor, in prolixa, de qua dicere cœpi, *præfatione*, quam in partes tres distribuit. In *prima* paucis enarrat, quæ alibi (ut referemus) prolixius exposuit, quomodo ad Evangelicæ veritatis agnitionem pervenerit, utque instituti sui rationem tribus tutoribus olim suis, *Alberto* Cardinali Moguntino, & fratri ejus *Joachimo I* Electori Brandenburgico, atque *Georgio* Saxoniæ Duci reddiderit. Addit, quomodo post mortem *Sigismundi* Episcopi, diœcesi Mersburgensi quoad Ecclesiastica vocatus & jussus præfuerit, & eo inter alia laboraverit, ut status Canonicorum emendaretur & absque dissolutione conservaretur, id quod *D. Lutherus* ipse tum in colloquiis, tum publice in concione *Mersburgi* habita approbaverit; denique novo Episcopo (Michaeli) tanquam Principi in reliquis quidem paruerit, quoad religionem tamen protestatus & reservans, ne quid in ea contra factam in Episcopatu reformationem innovaretur: id quod ille quidem non visus sit recusasse, conciones etiam quasdam pias & orthodoxas in festis præcipuis habuerit, verum haud multo post veteres errores, denuo immiscuerit, & jam palam profiteatur, se omnia ad priorem illum, qui sub Papatu fuerit, statum reducturum esse. Initium etiam in majori arcis conclavi (im Saal) fecisse eum narrat, innovatis ordinationum, Missarum & consecrationum spectaculis, & constitutis in templo concionatoribus, quos nominat, qui antiquos errores tectius prius, dein aperte, populo propinaverint. Probat id allegatis ipsius Episcopi & concionatorum illorum sententiis *fol. 39. b. fol. 40.* Dolet autem maxime, quod ordinationem Evangelicorum ministrorum proterve impugnaverint; & cæteros quidem errores in ipsis concionibus jam tum per modum cautionis & dehortationis refutatos a se esse dicit; ad postremam vero illam & nuper motam contra ordinationem Evangelicam objectionem in præfatione hac *fol. 41. ad 48.* solide respondet. Præsupponit quidem ex *epistola ad Hebræos* veram sacerdotii christiani naturam, & quod ministro Ecclesiæ non competat proprie sacerdotium, sed munus prædicandi verbum Dei, & administrandi Sacramenta; inde oppositiones singulatim aggreditur. Ad *primam*, cum dicunt, neminem consecrari vel ordinari posse Ecclesiæ ministrum, nisi ab Episcopis, qui & ipsi legitime consecrati esse deberent, per instantiam regerit: Si ordinatio ab Episcopis solis legitime & valide fieri possit & debeat, plerosque sacerdotes Pontificios jus ordinis tueri non posse, quia non a veris Episcopis, qui cœtui & populo alicui certo præfici debent, *Act. XX. 28.* sed a larvatis, & nomine saltem tenus Episcopis, quos *titulares* & *suffraganeos* vocant, consecrati fuerint. Clare inde & satis libere indicat, quomodo Episcopi, cum muneri suo ipsi satisfacere noluissent, levem quendam monachum, cuculli sui pertæsum, aut superbum & pomposum sacerdotem (einen leichtfertigen Mönch / der seiner kappen gern loß wäre / oder einen pranghafftigen Pfaffen) episcopali ornatu induerint, titulumque diœcesis, quæ in provinciis ultramarinis, sub potestate barbarorum, aut plane non in rerum natura sit, ei conferri fecerint. Cum vero Episcopi nomen & munus sit correlativum, id quod ex libris ritualibus probat, in quibus ordinans ordinandum jubet *vadere, & populo sibi commisso Evangelium prædicare*, tales autem *relatum*, nempe gregem curæ suæ demandatum, non habeant, ideo Pseudoepiscopos esse concludit. Provocat ad veteres contra abusum illum querelas, item ad *Clem. in plerisque, de electione*; & ad agnati sui *Adolfi* Episcopi testimonium, qui abusum hunc sæ-

(e) *Contenta præfationis in conciones, & querela de Michaele, Episcopo Mersburg.*

(f) *Defensio vocationis ministrorum Evangelicorum & sua.*

A. 1544.

pe improbasset. In Evangelicis vero Ecclesiis substantialia omnia in ordinatione observari statuit, vocationem, examen, confirmationem, cum vocatis impositione manuum verbi prædicatio & Sacramentorum administratio in cœtu certo concreditur. Suam quoque ordinationem legitime factam esse ostendit, cum sibi cum consensu *Capituli* ab Administratore (*Augusto* Duce) ut membro collegii Canonici Presbyteriali, functio Episcopalis demandata esset; accessisse publicam in templo cathedrali ordinationem & consecrationem, consentiente & approbante Ecclesia per *Capitulum*, quod a longo tempore per compromissum aut privilegia singularia Ecclesiam repræsentet. Refert reliquos ordinationis ritus, & impositionem manuum a Presbyteris diœcesis & vicinis factam, secundum morem Apostolorum & placita Concilii Nicæni. Licet vero nec tonsam habeat coronam, nec infulam gestet ipse aut alii Evangelici Pastores, coronam tamen suam esse scribit cœtum sibi demandatum *Phil. IV. 1.* baculum pastoralem esse verbum Dei; chrisma, Spiritum S. & divinam ejus doctrinam; hanc esse spiritualem unctionem, *I. Joh. II. 27.* relinqui a se aliis ornatas auro & gemmis infulas, argentea peda & politicum provinciarum regimen, modo verbum Dei purum, & legitimam Sacramentorum administrationem concedant, hoc unicum desiderari. *O quam libenter,* ait, *illos, si hoc facerent, pro Episcopis agnosceremus, & omni obsequio coleremus, minime invidentes illis ordinationem aut jurisdictionem suam, id quod B. Lutherus ipse sæpius ore & scriptis & speciatim in sermone, in cathedrali templo Mersburgensi habito, testatus est. Quoniam vero Episcopi ordinatione sua a verbo Dei discedunt, veteres abusus reducunt, & potestate & jurisdictione abutuntur, ideo consecratio eorum merito ab Evangelicis vitatur & rejicitur, & hi jam cantant: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus, Ps. CXXIV. 7.* Addit, se quidem rogasse *Matthiam a Jagow,* Episcopum Brandenburgensem, (reformationis Marchicæ promotorem, alibi a nobis memoratum) ut ordinationem suam in se susciperet, sed illum eo tempore mortuum esse, itaque Pauli & Barnabæ exemplo, quos Prophetæ & Doctores Antiocheni *Actor. XIII. 1. 2. 3.* ordinaverunt, *D. Martinum Lutherum* piæ mem. aliosque accersitos fuisse, a quibus solenniter & pie, accepto etiam Sacramento, per manuum impositionem ordinatus fuerit, eoque nomine Deo se gratias agere dicit. Subjungit inde ex *Hieronymo,* quæ nota sunt, ab ipso tamen egregie deducuntur, de paritate Episcoporum & Presbyterorum, & quod casu necessitatis (qualis injuria & odio Episcoporum in Evangelicos extiterit) Presbyteris ordinandi jus omnino concedendum sit. Gradus etiam & diversa officia Cleri satis distingui & observari in Ecclesiis Evangelicis demonstrat, licet quædam in illis, utpote jure positivo saltem nitentibus, pro commodo Ecclesiæ mutata sint. Detegit etiam simonias, simulationes & elusiones in Ecclesia Romana circa collationem Ordinum, & irridet formulas, quibus utuntur, dum populi, qui non adest, aut quæ Latine recitantur non intelligit, in ordinatione consensum rogant, postea vero quidam Diaconi aut Subdiaconi, qui ordinandum vix noverunt, acclamant, *dignus est, justus est.* Per hæc *secundam* objectionem, quod ordinatio in Evangelicis Ecclesiis usitata, non sit Apostolica, & *tertiam,* quod septem gradus vel ordines Cleri non observentur, refutat. Quod vero *quarto* criminabantur, ac si Evangelici, a Romana Ecclesia discedentes, etiam catholica exciderint, & sic ministerio careant, id prorsus falsum esse asserit. Discessisse se & Evangelicos fatetur ab erroribus & abusibus, sed rediisse ad Ecclesiam Romanam, veram & sanctam, quæ doctrinam, quam Petrus & Paulus proposuerunt, profiteatur. Ecclesiam autem ibi sine dubio esse, ubi docetur verbum Dei, & sacramenta ex institutione Domini administrantur. Itaque diabolicam malitiam & execrandam blasphemiam vocat, quod Sacramenta a ministris Ecclesiæ Evangelicæ, verbum Dei docentis & institutionem Christi observantis, administrata, pro nullis & irritis habeant, & conscientias hominum turbent, solatiaque summa illis auferre nitantur. Addit notam marginalem *fol. 47. b.* ex actis Concilii Tridentini anno 1551. de sacrificio Missæ, & ut de consecratione ibi disputatum sit, & agnitum, Scholasticos inter se de hac plurimum dissensisse. Improbat etiam, quod vim consecrationis malint in formulis *Canonis missatici,* quam in verbis Christi quærere, contra *Can. panis est, dist. 2. de consecrat.* Retorsione acri *fol. 48.* utitur, & sacerdotes Pontificios, quia doctrinam puram ex verbo Dei non admittant, verum Sacramentorum usum multis modis corrumpant, & præterea persecutores sint, vera membra Ecclesiæ aut veros pastores esse negat. *Secundo* præfationis capite refellit concionatores Episcopi *Mersburgensis* & alios, qui abusus excusare & defendere conabantur; narrat *fol. 48. Tezelii* & similium protervas pro indulgentiis declamationes, & ut ipse quendam *Bartholomæum* Dominicanum, ex *Tezelii* comitibus, *Dessavia* pro concione jactantem audiverit, se videre, quomodo sanguis Christi, ex rubra cruce, insignibus Pontificiis ornata (quam præferri sibi indulgentiarum præcones curabant) copiose destillet, miracula etiam cruci illi tribuentem; eundem ait contradicentes excommunicasse; *Tezelium* vero omnia in pessima & impia regula fundasse: *quicquid fit ex Papa certa scientia, nullius debet aggravare conscientiam.* Refert inde, quod *D. Lutherus* juramenti in promotione Doctorali præstiti vinculo, ut sæpe contestatus sit, obligatum se esse crediderit, ut errores illos redargueret, id autem eum fecisse, exemplo Prophetarum a Deo excitatorum, placide & severe, (mit güte und ernst) nihilominus sæpius asseverasse, se id non fecisse in contumeliam, sed ad emendationem Cleri, neque ad fundationum veterum destructionem, sed correctionem, ita, ut restituta doctrina & Sacramentorum legitima administratione, omnes honores & opes retinerent Episcopi & Prælati. Hanc etiamnum unicam ait viam esse ad concordiam christianam, quam tamen adversæ partis Clerus negligat & rejiciat, immo mores pessimos, impios, impudicos & scandalosos (das schädliche/unchristliche/unzüchtige und ärgerliche wesen *fol. 49.*) pejus & impudentius, quam unquam, continuet, spretis canonibus antiquis & decretis Imperii recentibus, propositisque reformationibus. Jam etiam scriptis errores defendi queritur, citatis nominatim libellis *Joh. Fabri,* Dominicani Augustani, de Scriptura & Conciliis. Hac occasione quædam *Dominicanorum* crimina vetera & nova recenset, *Fabri* postea objectionibus respondet, & disputationem cujusdam in Concilio Tridentino allegat, in qua contra Scripturam pro traditionibus pugnat, & abutens *Ep. Judæ v. 10.* cum brutis comparat illos, qui rationem non admittant, sed Scripturam tantum requirant. De juramento etiam suo, anno 1524. cum in Præpositura Magdeburgensi defuncto *Magno Anhaltino,* agnato suo, successisset, præstito, quod sibi objici posse animadvertebat, excipit, se in illa adolescentia sua, septendecim annos scilicet natum, errores & abusus enormes Pontificis non intellexisse, deinde juramentum primario ad S. Petrum ejusque successores respicere. Si igitur Pontifices doctrinam Petri fideliter amplecterentur, se illis lubentissime obediturum esse affirmat (*fol. 51.*) neque etiam nunc inter eos esse futurum, qui illorum vitæ aut opibus nocere velint. Præferendam esse obligationem ait, qua in Baptismo obstrictus fuerit, ex qua sibi incumbat, ut erroribus manifestis obloquatur & resistat. Capite *tertio* purgat sese a nova inculpatione, contra quosdam ex Evangelicis, ac si post edictum Carolinum a puritate fidei recessisset, doctrinam de justificatione per solam fidem deseruisset, & Ecclesiam sub jugum Papæ & Episcoporum reduxisset. Hæc pertinent ad lites, occasione edicti illius interimistici inter Theologos Saxonicos Electorales aliosque exortas, de quibus, ut aliunde notis, & ad sequentium annorum historiam referendis, hic agendi locus non est. Cum vero editio hujus præfationis & concionum propter aliqua impedimenta retardata fuisset, & in tempora belli a *Mauritio* Electore moti incidisset, suspicionem a se amolitur, ac si ad tumultus illos bellicos respo-

A. 1544.

(g) *De indulgentiarum abusu per Lutherum impugnato.*

(h) *De juramento suo, Pontifici præstito, quædam.*

(i) *Excusat ceremonias, ex edicto Carolino receptas.*

An. 1544.

respexerit, & conciones has occasione eorum publicaverit; testatur potius, se, qui non nisi arma spiritualia habeat, ab omni consilio & proposito militari longissime abesse. In concionibus illis duabus multa habet memoratu dignissima; omnes enim prope errores Pontificii solide in illis refutati sunt. De ceremoniis, quarum quædam ex edicto Carolino restitutæ erant, contradicentibus, ut notum est, multis, *fol. 106* sancte testatur, nihil a se admissum esse, quod doctrinæ Christianæ adversetur, nec id actum, ut cum Papistarum ritibus quam proxime sese conformaret, sed ex illo principio, quod ex ceremoniis retinendum sit, scandali & discriminis vitandi causa, quicquid ad ædificationem, salva doctrinæ veritate, retineri possit. Hoc se sæpius ex D. Luthero audivisse, qui etiam ad *Nicolaum Hausmannum* (sanctæ, ut scribit, memoriæ virum) in tractatu de ordinatione Missæ, postea typis excuso, id sua manu scripserit. Adversarios insignis fraudis & calumniæ accusat, qui doctrinam de justificatione gratuita, per solam fidem in Jesum Christum apprehendenda, cavillantur, ac si per eam bona opera excluderentur, sive, ut, veluti proverbio, dicere solebant, Lutheranos statuere; *bona opera non juvant, peccata non damnant;* ostendit sycophantiam, & Scripturæ dicta allegat, quibus necessitas bonorum operum probatur, inprimis *II Pet. I. 10.* provocat etiam ad testimonium Lutheri, qui in præfatione, versioni Germanicæ epistolæ illius præfixa, scriptam illam esse dicit contra illos, *qui putarent, fidem Christianam esse posse sine operibus.* Quomodo vitandi sint Pseudoprophetæ, multa pie & prudenter monet, neque schismatis reos esse dicit, qui Episcopis aut Prælatis falsa docentibus non obediant, argumentum sumit ex *can. sunt quidam &c. caus. 25. qu. 1.* in quo Urbanus Papa etsi potestatem condendi leges Pontificibus asserat, excipit tamen: *ubi aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres, sententialiter aliquid definiverunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Speciatim Evangelicos qui in ditione Episcoporum vel Principum adversæ partis habitant, *fol. 112.* admonet, si a Scripturæ lectione arceantur, ut catechismum saltem memoria retineant, attamen a seditiosis consiliis abstineant.

(k) Refellit calumniam quod Evangelici bona opera reprobent.

(l) Scripturæ autoritatem & utilitatem ostendit.

Concione secunda ad verba *Matth VII. 16. a fructibus eorum cognoscetis eos*, comparat inter se Pontificiæ & Evangelicæ Ecclesiæ fructus. In hac dicit, Scripturam sacram legi & magni fieri, in illa vetari & suspectam reddi: scholas in Papatu negligi, barbariem invehi, non tractari veram pietatem & catechismi capita, sed superstitiones, immo diabolicas & magicas artes & conjurationes. Circumvagari enim solitos esse testatur scholares (*magnos bacchantes* vocat, dicebantur vulgo *scholares peregrinantes*, seu *scholastici vagantes*, fahrende Schüler / de quibus erudita extat commentatio *Jacobi Thomasii*) qui vetitas formulas exorcisandi Diabolum & serpentes, item salis consecrationem, vecturas in pallio, aliasque incantationes homines docuerint, præterea turpissime vixerint, donec tandem sacerdotes missatici, (quidam tamen saltem titulotenus) facti sint, licet non nisi *Cisiojanum* (fastos Ecclesiasticos) didicerint, Missasque legere & hymnos cantare utcunque noverint, interim in impietate illa sua, cui assueverant, persistentes. Hos, cum Pastorum munus adepti essent, vere fuisse cœcos & cœcorum duces, inde immanem illam ignorantiam, tantosque errores & abusus in Ecclesiam redundasse. At apud Evangelicos manifestum esse, ut scholis docti & industrii Præceptores præpositi sint, qui juventutem non modo in bonis artibus, sed & in catechismo & sacra Scriptura a teneris informent: in Academiis etiam sacras literas egregie doceri, cum olim non nisi scholasticorum tricæ, nugæ & rixæ tractarentur. In monasteriis quibusdam, quæ olim tantum superstitioni dicata fuerint, jam juvenes in humaniori, & sacra literatura educari, vigere linguarum studia, spreta in Papatu, licet Canones aliud requirerent *cap. si nonnulli, & cap. specula X. de magistris.* Subjungit his illustre illud de versione Bibliorum *Lutheri* testimonium *fol. 117.* a multis merito laudatum, quod *Lib. I. §. CXXVII. in addit.* retulimus. Non minus insigne elogium est, quo *Lutherum* paulo post honorat, scribens, majus adhuc beneficium Dei esse, quod *Luthero* gratiam largitus sit, ad pie & orthodoxe explicanda tot capita doctrinæ Christianæ, & lumen quasi præferendum Scripturæ, (ein sonderliches Licht zum rechten Verstand der Göttlichen Schrifft angezündet) maxime vero ad scopum totius Scripturæ Jesum Christum veluti digitis monstrandum, ejusque beneficia & merita extollenda, ut adversarii ipsi, si vera loqui vellent, fateri cogantur, hæc se ex Luthero didicisse, neque ipsos antea ea intellexisse. Recenset inde articulos præcipuos, & concludit, Lutherum verum fuisse Christi discipulum, qui docuerit *ut potestatem habens, non sicut scribæ, Marc. I. 22.* Gratias agit Deo, quod in pagis jam Pastores sint doctiores *Magistris* illis *in sacra pagina*, qui in Academiis olim docuerint. Laudat porro *Lutheri, Philippi, Corvini* & aliorum libellos catecheticos & precum, item *postillas*, sine quibus ne adversarii quidem quidquam sapiant, (können weder gatzen noch eyer legen) Si enim non ex his, sed ex suis loquantur scriptoribus, ranarum instar coaxare dicit. Execratur itaque ingratum eorum animum, quod his donis utantur, & tamen Ecclesiam, ex qua illa acceperint, tam hostiliter oderint. De concionibus, quam male & negligenter factæ sint, non parum queritur *fol. 118.* In Italia non nisi Adventus & Quadragesimæ tempore haberi: in Germania quidem etiam Dominicis & festis diebus, sed loco verbi divini somnia & fabulas, immo & aperta mendacia, quæ in proverbium abierint, proposita fuisse, aut ad summum ex *Magistro sententiarum* quæstiones quasdam difficiles, ne a concionantibus quidem, nedum a populo intellectas, aut denique doctrinas morales ex Ethicis Aristotelis, accedente corruptela universali, quod omnia ad merita hominum applicata fuerint, silendo de Christo & ejus meritis. Verum, post reformationem immenso Dei beneficio purgatos esse suggestus, ita ut etiam apud adversarios jam Scriptura sacra pro concionibus tractetur. Diligentiam inde concionatorum Evangelicorum, (quanquam doleat, inter hos quoque esse, ut inter Apostolos Judam, qui vitiis insignibus non careant) vel minimorum, longe majorem esse affirmat, quam eorum, qui inter Pontificios doctissimi & sanctissimi habeantur. De catechisatione notat, licet veteres Doctores & Episcopi quoque eam summa cum cura tractaverint, neglectam tamen sub Pontificatu fuisse, nisi quod in aliquibus parochiis populo oratio Dominica, Symbolum fidei, & decem præcepta prælecta aut pronunciata fuerint, nulla, vel exigua de Sacramentis informatione; immo abominabile habitum fuisse, refert, si pueri verba institutionis Sacræ Cœnæ didicissent vel recitassent, licet tantum solatium in illis contineatur, & *Leo Papa ep. XI.* memoret, suo tempore etiam infantes illa novisse; singulari tamen gratia Dei factum, ut aliqua precum notitia a parentibus & maxime a matribus instillata fuerit infantibus, admixtis licet superstitiosis quibusdam, veluti incantationibus. (abgöttische Seegen) His opponit catechisationem puerorum apud Evangelicos, qua Angelos gaudere dicit *fol. 118. b.* Semina illa manere ait in adultis, & licet hi corrumpantur, ad conversionem tamen aliquando prodesse quæ pueri didicerint, cum ignaris & non informatis nullum fere ad eam medium supersit. In cultu etiam publico, licet negligentiam Evangelicorum non dissimulet, præfert tamen Evangelicos cœtus Pontificiis, ob studium audiendi verbum divinum, & pium Sacramentorum usum, bonas precum formulas & cantiones, lectiones quoque Scripturæ Sacræ lingua populari publice institutas; parvi vero facit, quæ Pontificii pro cultu sacro venditant. Ex fructibus doctrinæ Evangelicæ in animis hominum extollit quietem conscientiæ ex articulo de gratia & fide orientem, quæ apud adver-

(m) Comparat fructus doctrinæ Pontificiæ & Evangelicæ.

(n) Scholas Evangelicorum laudat.

(o) Encomium Lutheri.

(p) Vitia concionatorum Pontificiorum notantur.

(q) De catechisatione Evangelica.

(r) De studio audiendi verbi divini.

An. 1544.

adversarios non reperiatur, item solatium, in quo morientes decedunt, cujus capiendi & proponendi peritiores esse dicit plebejos quoque inter Evangelicos, quam omnes sacerdotes & monachos, hos quippe, cum vivos comminatione pœnarum purgatorii terruissent, morituros non nisi Bullis, fraternitatibus, meritis Sanctorum, vigiliis & Missis (sui potius, quam illorum commodi causa) erigere. *Lutheri* dictum laudat, contra iconomachos scribentis, quod ostensio statuæ Christi crucifixi plus illo tempore morientibus profuerit, quam quicquid imperiti sacerdotes proposuerint. Ad mores progressus, vulgare convitium adversariorum, quod per Evangelicam doctrinam disciplina relaxata fuerit, & homines pessime vivant, vetus esse & Apostolicis temporibus jam fieri solitum indicat, *Rom. III. 8. II. Petr. III. 16.* Neque tamen dissimulat plurima Evangelicorum vitia, at causas habere dicit, non ab Evangelio, sed ab hominum incredulitate *Hebr. IV. 6.* ex conniventia quoque Magistratuum, & inscitia concionatorum quorundam, qui fidem urgeant, & obliviscantur pœnitentiæ & emendationis. Interim mores apud Pontificios, & inprimis apud Clerum & Canonicos, longe deteriores esse confidenter & ad experientiam provocans, asserit, & multa in cœtibus Evangelicis commendat, studium puta charitatis, eleemosynarum, curam xenodochiorum, visitationes ægrotorum, sanctitatem matrimonii, scortationum evitationem &c. quibus omnibus opponit mores adversariorum, eorumque protervos clamores retundit, quasi Evangelici disciplinæ corruptæ rei sint, quam tamen a multis seculis Pontifices & Clerus, contemtis & desuetudine abolitis veteribus canonibus, neglexerint. Speciatim Episcoporum peccata persequitur, ut politicum regimen invaserint, neglecto munere Ecclesiastico, & simoniam & concubinatum foverint. Laudat, quod apud Evangelicos visitationes, synodi, & ordinationes Apostolicæ observentur. De ceremoniis, sive adiaphoris, satis præstitum & oblatum esse ait ab Evangelicis, retinendo, quæ ad profectum facerent, sed multa rejecta fuisse, quibus necessitas & obligatio conscientiæ, cum opinione meriti, afficta fuerit. Famosam etiam & acerbam objectionem, quod a tempore reformationis tot sectæ extiterint, ita refutat, ut dicat, ortas quidem eas esse cum reformatione & juxta eam, sed non secundum eam, aut ex ea; post enim hoc falsissime Luthero & Evangelicis imputari, illum etiam omnes hæreses solidis argumentis refutasse, multasque hoc modo suppressisse, cum Pontificii non nisi ferrum & ignem pro remediis habeant. Addit ex historia Ecclesiastica exempla, quod semper sectæ juxta veram religionem fuerint, & Pontificiis suas objicit dissensiones. Quod vero etiam bellorum & seditionum culpam Evangelicæ doctrinæ tribuant adversarii, id pro impudentissima habet calumnia, sed quam etiam Christus & Apostoli passi sint; laudat econtrario, quantum post reformationem venerationis accesserit Principibus & Magistratibus, omnibusque, qui aliis præsunt, quorum omnium nulla pene ratio habita fuerit sub Papatu, prælato multis modis Clericorum & monachorum statu. Culpam etiam seditionum in illos retorquet, qui subditos contra Deum & conscientiam peccare jubeant, & dominari velint in fidem & religionem; hanc rustici motus causam fuisse, improbati quidem ab Evangelicis doctoribus, sed Dei judicio permissi, qui tamen simul argumentum melioris doctrinæ fuerit, ordinarium enim esse, ut hanc sequantur motus, major vero quies fit, *si fortis ille armatus sua possideat in pace, Luc. XI. 21.* Quamvis etiam apertum esse dicat, majora & diuturniora bella, etiam hoc tempore in Italia & aliis provinciis fuisse, ubi Evangelicæ doctrinæ locus non fit, nec taceat plurima a Pontificibus excitata esse; agnoscit tamen divinam justitiam in nupero bello, per Saxoniam gesto, sed & benignitatem Dei, verbum suum conservantis. Denique quod exprobrari solebat Evangelicis, quod criminationibus & asperis verbis contra adversarios utantur, in eo quidem excessum non laudat, sed tamen Christi & Apostolorum exemplo acres etiam increpationes tuetur. *At quid ad hæc*, ait, *maledicentia adversariorum, qui non homines, sed ipsum verbum Dei criminantur, & persequuntur, neque charitatem ullam exercent, nisi ad eam referri debeant excommunicationes, exsecrationes, carceres, & tot suppliciorum,* quæ enumerat, *genera, quibus in innocentes Evangelii confessores sæviunt?* In fine etiam ingratos ex cœtibus Evangelicis severe taxat, qui non nisi nævos Ecclesiæ ministrorum & alios quosdam defectus reprehendant.

(s) *De causis corruptæ disciplinæ morum.*

(t) *De ceremoniis & festis.*

(u) *De tumultibus, seditionibus & bellis.*

(*) *De verborum asperitate, Evangelicis imputata.*

Sequuntur *fol. 132. & seqq.* tres conciones *de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, anno 1550. in templo cathedrali Mersburgensi *Dom. Palmarum*, item *die Viridium* & *secunda feria paschali* habitæ, cum præfatione ad Mersburgensis Episcopatus subditos, in qua inter alia memorat, ut anno 1545. ordinatus fuerit ad inspectionem ecclesiasticam in Episcopatu, & tuendam doctrinam puram, a *Laurentio Reinhardo*, aliisque Pastoribus jam antea in parochia civitatis Mersburgensis, aliisque locis plantatam, utque adjutus in illa cura fuerit a *Lic. Antonio Musa*, & Doctoribus *Georgio Majore* & *Johanne Forstero*. Refert inde, quæ acta a se sint, magna quidem cum modestia atque extenuatione sui, & causas aperit, quare de hoc articulo, variis contradictionibus oppugnato, publice concionatus sit: laudat etiam instructionem præceptoris sui defuncti *Georgii Heldi*, cum elogio supra relato. Quanquam vero plurima pie, orthodoxe & præclare dicta ex his concionibus excerpi & referri mereantur, brevitatis tamen ratio habenda est. Defendit *Conc. I. fol. 144.* sententiam de præsentia reali, simpliciter accedens traditis *D. Lutheri, Melanchthonis* quoque refutationem, Oecolampadio oppositam, allegans; monet, male facere, qui aliter de *Melanchthone* judicent. Postea *fol. 145.* transsubstantiationis dogma impugnat. *Concione II. fol. 148. & seq.* Missas, per abusum quippe introductas, rejicit. *Chrysostomi* querelam citat ex *homil 61. tit. de sacrorum participatione mysteriorum*, quod sacerdotes in cassum assistant altari, cum nullus sit, cui communicetur; item *Anacleti Papæ* rescriptum ad omnes Episcopos *can. Episcopus, dist. 1. de consecr.* ubi post ea, quæ Clero in sacrificio, quod vocat, observanda præscribit, diserte mandat: *peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.* Adducit etiam alias probationes, & ex libris ritualibus Ecclesiarum & monachorum quorundam constare dicit, ante annos centum, aut centum quinquaginta, morem illum adhuc viguisse; eo etiam pertinere precationes in canone, quæ solitariæ Missæ non conveniant, sed ad numerum quendam communicantium respiciant. Ridicule enim in Missa dici, *accipite, manducate, bibite*, nullo præsente, qui accipiat aut bibat; allegat etiam verba ex precatione Canonis, ut *quotquot ex hoc Altaris participatione corpus & sanguinem sumserimus* &c. item ex *complendu*, quas vocant, *Sacramenta, quæ sumsimus* &c. & ubicunque pluralia verba in formulis extant, & minime quadrant ad Missas privatas. Pro integra communione, & distributione calicis, argumenta insignia, rejecta exceptione de *concomitantia fol. 150. & sqq.* proponit, non solum ex verbis Christi, sed & ex canonibus Pontificum, *can. Cum omne de consecr. dist. 2.* item ex *Innocentio III.* & *Magistro sentent.* Adscribit & laudat verba *Prosperi*, relata in *can. cum frangitur & c. de consecr. dist. 2.* tum celeberrimum *Gelasii* rescriptum in *can. comperimus d. l.* & *Leonis Serm. Quadrag. IV.* Communionem etiam integram retentam esse, narrat in Ecclesiis, quæ dicuntur Apostolicæ, immo per totum Orientem & Occidentem, & in plerisque locis Germaniæ, usque ad Concilium Constantiense durasse; speciatim libros rituales *Magdeburgenses*, & *Præmonstratensium* a *Norberto* Archiepiscopo Magdeburgensi institutorum, allegat, & calices adhuc superesse memorat (eorumque aliquem apud se esse alibi professus est) cui fistula inserta sit, per quam laici sanguinem Christi acceperint. Respondet ad objectiones, inprimis ad eam, quam a Catholico consensu sumunt. Ex verbis etiam Pauli, quibus *mortem Domi-*

An. 1544.

(x) *Concionés de Sacramento cœnæ, earumque præfatio.*

(y) *Quædam ex concionibus excerpta.*

A. 1544.

Domini annunciare jubet, Missas tacitas & solitarias destruit, & usum linguæ popularis probat. Redit iterum ad argumenta pro usu calicis, & *Constantiensis* Concilii Decretum d. 15. Jun. 1415. integrum adscribit, erroremque ejus ostendit. Taxat etiam idem Concilium ob cultum *B. Mariæ* Virginis, auctum hymno (*sequentia* vocant) quem secum ab Abbate quodam sene Melinensi in Marchia communicatum, simulque narratum esse notat; illum in Concilio, loco hymni; *Veni, Sancte Spiritus, & emitte cælitus*, decantatum fuisse: Incipit; *Veni mater gratiæ, fons misericordiæ &c.* Additur in fine exemplum literarum *Joh. Eccii*, Ingolstadii anno 1535. d. 14. Maji ad Principem quendam datarum, in quibus interrogatus respondet: *Fuisse etiam in Germania olim utriusque speciei usum, sicuti & in cæteris provinciis, adeo ut etiam recens natis infantibus exhiberetur. Neque reperio, ullum Pontificem hanc consuetudinem abolevisse usque ad concilia Constantiense & Basileense. Crescente tamen Ecclesia, cum in tanta multitudine non posset exhiberi debita Sacramento reverentia, sponte Christiani, absque omni mandato, in honorem sacramenti cesserunt, & una specie contenti fuerunt, ex instinctu, procul dubio, Spiritus Sancti.* Sed procul dubio fallit & fallitur Eccius, cum sponte populi ab usu calicis recessum esse dicit, neque id ferre debuisset Clerus; at blasphemus est, cum id instinctui Spiritus sancti attribuit: Spiritus enim sanctus non inspirat verbo Dei, id est, sibi ipsi, contraria. (vid. ipsius Principis *Georgii* responsum *fol.* 418. & Edit. Latin. *fol.* 196.) *Concione III.* multa disputat adversus Pontificios, qui communionem sub una ex *Luc. XXIV. 30.* adstruunt, & *Augustini* atque *Chrysostomi* allegorias excusat, non probat; negat etiam, in potestate Ecclesiæ fuisse, communionem ad unam speciem restringere, causas quoque, per quas ad legem illam mota esse dicitur, examinat & rejicit. Subjungitur tribus his concionibus *quarta*, eodem anno in festo corporis Christi habita *fol. 184. & sqq.* cui amplum præloquium præfixit, in quo, fundamentum doctrinæ de Sacramento non in consuetudine & observantia, sed in verbo divino quærendum esse, demonstrat, cum acri censura in adversarios, qui ex consuetudinibus illis optimas quasque omiserint, deteriores vero introduxerint, quas in compendio enarrat. Agit autem in hoc sermone potissimum de honore, Sacramento cœnæ exhibendo, & verba *Chrysostomi ex homil. 60. in Matth.* adscribit *fol.* 190. in quo inter alia dicit: *Discamus itaque philosophari, & Christum, prout vult ipse, venerari, honorato namque jucundissimus honor, quem ipse vult, non quem nos putamus.* De adoratione Sacramenti invitum se loqui dicit, ob immodestam hac de re disputationem, sequi se tamen profitetur *Lutherum*. Rejicit errorem *Helvetiorum*, qui præsentiam realem credere nolint; deinde inter adorationem internam seu spiritualem, & externam distinguit, & de hac Sacramento exhibenda præceptum divinum extare negat, cum tamen hæc fere sola, absque interna, in Papatu usurpata sit. Ubi vero interna adsit, externam quoque decenti ritu & modo secuturam esse, non dubitat, citans *fol.* 195. *b.* verba *Lutheri* ex libello ad *Valdenses*; (ex *Tom. VII. VVittenb. fol. 370.* vid. *Tom. II. Alt. fol. 306.*) improbat autem penitus, si reverentia illa ad panem aut vinum referatur, quæ soli Christo, quem invisibiliter, sed vere præsentem esse credimus, debetur; allegat etiam *articulum 15. Lutheri*, (est 16. *Tom. II. VVitt. Lat. fol. 545.*) Lovaniensibus anno 1545. oppositum, in quo Sacramentum vocat *venerabile & adorabile.* Circa ritum adorationis sive venerationis, genu flexionem, ut necessariam, non exigit, suadet tamen, & narrat, se cum Luthero anno 1541. VVittenbergæ multa de hac locutum esse, illum vero elevatis manibus respondisse; *Si descendere viderem Spiritum Sanctum in forma columbæ, ut accidit Johanni Baptistæ; in genua utique prociderem, manus levarem, & dicerem: Sancte Spiritus, esto mihi propitius; cur idem non facerem in Sacramento hoc venerabili, in quo Christus præsens est?* Etiam verba manu Lutheri conscripta & sibi exhibita refert: *Adoratio in Sacramento per se se accedit, dum genibus flexis verum corpus & verus sanguis sumitur, sine disputatione.* Pergit inde ad historiam de festo corporis Christi, quod ab *Urbano IV.* circa annum 1260. in gratiam fœminæ cujusdam Coloniensis, institutum ab initio fuisse, a viris fide dignis se intellexisse scribit, & *Urbanum* ipsum revelationem, piis quibusdam factam, allegare, unde per se constet, verbo Dei mandatum non esse. Ad *Bullam Urbani IV.* quæ *Clem. I. de reliq. & ven. Sanct.* inserta est, annotat Illustrissimus autor, *exordium esse pulcherrimum*, (ut legentibus satis patet) *ita, ut Angeli lucis speciem gerat Pontifex, sed mox aures longas, aut ungues*, ait, *ostendit & sibi contradicit* (hauet sich selbst in die Backen) *cum quotidianam Sacramenti commemorationem in Missis impense extollit, & tamen majorem & solenniorem in festo speciali instituendo quærit, quæ nullo modo præferri potest illi, quam Christus ipse instituit.* Omitto, quæ contra indulgentias, in constitutione promulgatas, item contra Jubilæa, processiones & Missas, spectaculi causa celebratas, graviter disserit. Memorat hic *fol. 200. & sqq.* ab agnato suo *Adolfo*, Episcopo Mersburgensi, paulo ante mortem suam, de justificatione dicta; sed ea infra commodiori loco recensebuntur. Legi merentur, quæ de Sacramento ex *Lutheri* sententia, ægrotis porrigendo, commentatur *fol.* 205. notat tamen, morem illum in odium Novatianorum introductum esse, antea enim nihil conservatum fuisse ex consecratis, sed omnia a Clericis consumta, quod probat ex *can. tribus gradibus &c. de consecr. dist. 2. Elevationis*, quam a veteribus *ostensionem* vocatam esse scribit, ritum, qui tamen cum circumgestatione & reliqua superstitione nihil commune habeat, in Ecclesiis *Mauritianæ* ditionis retentum defendit, sed ut indifferentem, & in margine *Lutherum* sibi oretenus & per epistolam respondisse, & hortatum se esse, testatur, ut ritum illum, quia continuatus eo usque fuerit, retineret, nec mutari fineret, addidisse, liberum etiam sibi esse, ut abrogatum ex causa idonea restitueret. Hoc moneri a se, ait, contra eos, qui se Lutheri discipulos esse jactent, contrarium tamen statuant. Nos etiam notanda hæc esse monemus, adversus cavillos *Bossueti*, de quibus alibi dictum est. Quod vero Christus non sit præsens in pane consecrato, extra usum, etiam ex *Angelo* in *summa de Eucharistia, l. q. 25. Alexandrum de Ales* secuto, & ex *Astesano Minorita in summa sua Lib. IV. tit. 17.* de Eucharistia probat. vid. *Edit. Lat. fol. 263. b. & 264.*

Conciones quatuor in Psalmum; *Conserva me Domine*, Latin. *XV.* sed in Hebræo *XVI. Dessaviæ* in templo parochiali habuit, anno 1552. tempore contagionis, & in iis de passione & resurrectione Domini pie, facunde & docte sermocinatus est; amplificatas tamen & correctas edidit & dedicavit *Joachimo*, Principi Anhaltino, fratri suo, epistola memorabili & prolixa, ex qua tamen non nisi historica quædam excerpemus. De *Luthero* refert, quanti fecerit Catechismum, & colloquii cujusdam ejus amicissime secum & cum aliis VVittenbergæ habiti meminit, in quo dixerit: *Sicut Canticum Salomonis vocatur canticum canticorum, ita Decalogus dici potest doctrina doctrinarum; symbolum fidei, historia historiarum; oratio Dominica, oratio orationum; Sacramenta, ceremoniæ ceremoniarum.* De eodem Luthero narrat, illum, cum Mersburgi apud *Georgium* fuisset, & sub discessum, in sella sedens, valedicturus esset, facta de sententia Zuingliana mentione, oculos & manus suas elevasse, & dixisse: *Gratias ago Deo meo, quod novam doctrinam nullam inveni nec proposui, sed veterem & veram retinui, omnesque novitates, adversus antiquam & genuinam doctrinam & fidem Christianam, a Judæis, Turcis, hæreticis, Papa & aliis quibuscunque Sacramentariorum & Anabaptistarum sectis invectas, oppugnavi, iisque, quantum potui, restiti. Hæc verba*, ait, *cum gaudio audivi, confirmatusque fui in judicio meo de Luthero, quod novationes non quæsiverit, sed Scripturam presse secutus, articulos fidei constanter retinuerit, nil nisi errores doctrinæ & abusus reprehendens.* Addit encomium concionum Lutheri anno 1533. Torgaviæ de Christo habitarum, (vid. supr. §. *XXIV. n. 5.*) cum quibus suas comparare minime vult. Interim has Magdeburgensibus, Anhaltinis, Mersburgen-

Marginalia (left): Concilium de Sacramento … — Literæ … — Quæ … ex … omnibus … pta. — (z) De adoratione Sacramento Cænæ.

Marginalia (right): An. 1544. — (bb) *De festo corporis Christi.* — (cc) *De communione ægrotorum, & de elevatione.* — (dd) *Conciones in Ps. XVI. & narrata de Luthero in præfatione.*

An. 1544.

gensibus & Misnensibus, in quos sive jure Præpositturæ Magdeburgicæ, sive ex Mersburgensi administratione inspectionem & curam Ecclesiasticam habuit, veluti testamentum relinquere se profitetur. Edidit autem hac occasione simul cum concionibus his rhythmicam passionis Christi descriptionem *fol. 294. & sqq.* a matre sua illustrissima, supra nominata, compositam, non semper quidem servata metri lege, nec sine nævis. Testimonium hoc sui erga matrem amoris & obsequii præbere se dicit, quam a pietate & cura in se & fratribus educandis commendat, vereque *Margaritam* & utilem in Principatu Anhaltino matrem fuisse prædicat. Eam anno 1530. d. 28. Jul. in cognitione & invocatione Jesu Christi Salvatoris nostri, magna cum fiducia & consolatione, decessisse refert, sperans, Deum ei defectus & errores veteres (religionem enim pristinam non mutaverat) clementer condonasse. Ex concionibus ipsis, etsi multa referri possent, nihil adscribemus; plenæ sunt piarum exhortationum & egregiarum consolationum, parcæ in refutationibus; rationem enim auditorii & temporis, ut ipse profitetur, habuit Princeps, aliquando tamen errores serio castigavit. Digna lectu sunt, quæ *fol. 247. b. & sqq.* de descensu Christi ad inferos, contra eos, qui articulum illum non ex Scripturæ testimonio, sed tantum ex symbolo, quod vocatur, Apostolico deducunt, commentatur; rem enim plenam periculi esse scribit, si ab Ecclesia aliquid receptum esse dicatur, ut fidei articulus, quod tamen in Scriptura non sit fundatum. Allegat *fol. 250. & 251.* verba Lutheri ex sermone de Christo, supra dicto. Sequitur brevis *concio* vel dissertatio ad capita symboli, *de remissione peccatorum, resurrectione & vita æterna fol. 302. & sqq.* item *elogia sacræ Scripturæ*, & commendatio diligentis lectionis, quam Codici cuidam Biblico inscripsit *fol. 304. & sqq. Dehortatio a vita impudica*, ad juventutem *fol. 307. & sqq.* Sermo quo *Psalmus CXXVIII. explicatur*, in solennitate nuptiali, cum *Augustus* Saxoniæ Dux (postea Elector) cum *Anna*, *Christiani III.* Daniæ Regis filia, anno 1548. d. 9. Octob. ministerio *Georgii*, sacro ritu jungeretur *fol. 309. b. & sqq.* Præmissa est epistola dedicatoria ad sponsos, quos pro cognationis jure compellat cognatum & cognatam. **Meine freundliche lieben Herren Oheim / Frauen und Muhmen.** *Duodecim conciones* synodales Latinæ, in Synodis Pastorum Mersburgensis diœcesis habitæ, quæ stylo *Melanchthonis* compositæ esse dicuntur a *Chytræo d. Lib. XVI. fol. 466.* Germanice versæ exhibentur *fol. 378. & sqq.* Sed ex his nihil afferemus. Historica in illis sunt, sed ad sequentium annorum acta pertinent, quæ de ceremoniis ex edicto Carolino receptis, enatisque inde rixis & tumultibus, differuntur *fol. 357-388.* Cum anno 1541. Carolus Cæsar Comitia Ratisbonæ haberet, multaque spes de concordia in religione esset, *Georgius* literas (*fol. 367. b.*) d. 2. Jul. ad Cæsarem dedit, in quibus Augustanam confessionem modeste defendit, & Cæsarem rogat, ne calumniis aurem præbeat, sed de causa diligenter cognoscat; allegat suum & fratrum exemplum; *Illis & mihi* (ait) *qui tamen in vicinia habitamus, odiosissimæ relationes de doctrina illa fiebant, quasi per eam bona opera prohiberentur, omnes bonæ leges subverterentur, & iniquitati fores aperirentur, item, quasi Ecclesia Christi, cum Sacramentis, immo Christus ipse, cum matre sua B. virgine, omnibusque sanctis, contemtui haberetur, omnes veteres errores & hæreses renovarentur, Magistratus quoque potestas rejiceretur. Contra hæc, utpote plane impia (ut spargebantur) acriter, quantum in nostris viribus erat, (frustra tamen) connixi sumus, donec tandem deprehenderemus, eos, qui talia nobis retulerant, non esse optimæ fidei, suspectos etiam maxime se facere, quod nobis lectionem sacrarum literarum & inquisitionem fundamentorum dissuaderent. Sed nos exemplo aliorum piorum Principum instructionem ex Scriptura & ex Patribus a piis doctisque viris, ut nostri & subditorum saluti consuleremus, petivimus & admisimus, & ex confessione & apologia Protestantium, colloquiis etiam cum illis habitis, tandem cognovimus, eos injuste traductos esse.* Addit argumenta, quod Scripturæ sacræ insistant, symbola Ecclesiæ retineant, & hæreses omnes rejiciant; refutat objectiones de bonorum operum prohibitione, aliasque, & econtrario præcipuos quosdam abusus Pontificios proponit, rogatque, si Cæsar nondum deprehendat, recte sentire Evangelicos, ut tamen provideat, ne vis cuiquam ob hanc confessionem inferatur, sed pax custodiatur. Non multo post, cum intellexisset, Cæsarem literas suas legisse, alteras *fol. 370. b. & seq.* scripsit (die non notato,) in quibus gratias decentes eo nomine agit, duosque libellos mittit, catechismum nempe, & tractatum, quo calumnia, ac si de Maria virgine contumeliose loquantur Protestantes, refutabatur. Hos Lutheri libros fuisse, dubitari nequit, licet autorem non nominet; Cæsarem tamen ex veteri proverbio monet; *Non quis, sed quid dicatur, attende.* Excusat, quod acrius in altero ex libellis taxentur Prælati, *id enim*, ait (se ipsum modeste comprehendens) *meriti sumus*, & allegat rationes, optatque Collegis suis ex Clero emendationem, Cæsari vero exemplum actorum Constantini M. in Concilio Niceno Episcopos hortantis commendat: Sed ad hoc requiri dicit, ut Cæsar ipse sacram Scripturam intelligat, adulatoribus aures occludat, & gladio Scripturæ, rixarum nodum plusquam Gordium discindat. Sequitur *fol. 372.* Georgii epistola ad Cardinalem Moguntinum, quem cognatum & affinem vocat, (**Herr Oheim und Schwager**) d. 11. Aug. 1543. data, in qua eum commonefacit, ut pro abusuum & errorum correctione, contranitente licet Pontifice, laboret, mitemque Cæsaris mentem ad eum finem flectat. *Noli* (scribit,) *aliud in hoc respicere, quam veritatem & vitam illam alteram: Si enim ad certa Scripturæ divinæ fundamenta, a quibus, humanarum opinionum studio, recessum est, redeatur, omissis non necessariis, incertis, immo talibus, quæ jam rejecta & improbata sunt, facile foret, ut non solum in Germania, sed per totum Orbem Christianum concordia iniretur.* Suadet deinde pacis curam, animatque Cardinalem, ut absque formidine, quæ ex Scriptura per Dei gratiam vera & pia esse cognoverit, amplectatur & promoveat, ne pœnam incurrat, a Christo denunciatam: *Servus sciens voluntatem Domini &c.*

Anno 1542. d. 14. Decemb. formulam reformationis Capitulo metropolitano *Magdeburgensi* præscripsit Georgius, *fol. 373. ad 383.* quam in congregatione (*Capitulum* vocant) d. 24. Novembr. oretenus proposuerat. Exorditur ab elogio Imperatorum, qui Episcopatus & monasteria, ut alibi in Germania, ita in Saxonia, postquam gens illa ad Christi fidem se converterat, magna cum cura & liberalitate fundarunt; respexisse autem illos, ait, ad studium & doctrinam sacrarum literarum, quod apparere dicit ex Bibliis, quibus Ecclesias donaverint, aureis literis descriptis, auroque & gemmis ornatis, quæ tunc supererant. Intellexisse itaque illos, quod munus Episcoporum & Cleri sit, religionem & sacras literas discere & docere, & erroribus ex iis occurrere, idque Apostolici esse mandati. Refert, ut Otto Magnus Imperator Magdeburgensem Ecclesiam, consensu concilii *Ravennæ* habiti, *Primatis* dignitate decoraverit, multosque Prælatos & Clericos ei adjutores assignaverit. Addit, in Altari summi templi primario seu sublimi (**auff dem hohen Altar/**) ad eum usque diem nullius Sancti statuam aut imaginem positam esse, sed tantum Christi crucifixi, & libros Evangelicos. Narrat inde corruptelas, Satanæ fraude invectas, prædictas sane a Christo & Apostolis: cum vero illæ Romanam Ecclesiam (querentibus & testantibus id dudum *Hieronymo*, *Augustino* & *Gregorio*) vehementer infecerint, Germanicæ vero ab illa religionem acceperint, fieri non potuisse, quin & errores ejus per contagionem attraxerint. Causam mali maximam fuisse, quod Præsules rebus profanis se addixerint, Scripturam sacram contemserint, & in causis religionis nimium indulserint humanis cogitationibus. Reformationem itaque totius orbis clamoribus merito posci, & in nuperis Comitiis Ratisbonensibus (anno 1541.) decretum inter alia esse, ut Prælati se ipsos reformarent, &

(ee) *Margarethæ Anhaltinæ rhythmi de passione Christi, & ejus obitus.*

(ff) *De descensu Christi ad inferos, & alia quædam.*

(gg) *Ad Carolum Cæsarem literæ apologeticæ de reformatione.*

A. 1544.

(hh) *Item ad Moguntinum.*

(ii) *Formula reformationis, ad Capitulum Magdeburgense.*

& sic honori & commodo eorum consultum esse, ne aliorum potius imperio, quam suo consilio, corrigantur. Pia deinde & pathetica, modesta tamen adhortatione collegas monet & per Deum obtestatur, ut huic saluberrimo instituto incumbant. Inter alias rationes etiam hanc affert, quod, abusibus jam per se in populo exolescentibus, concionatores Evangelici in oppidis & pagis, etiam in Archiepiscopatu, ab incolis constituantur; verendum inde esse, ne omnem autoritatem perdat Clerus metropolitanus, & successu temporis de jurisdictione temporali pericliteur. Sat grave damnum ex eo oriri, quod, cessante reformatione & visitatione ordinaria, ab iis, qui eam suscipere deberent, errores & hæreses irrepere possint, cum vocati a plebe non examinentur, & a nemine dirigantur. Capituli itaque officium esse ait, ut consultent, & Archiepiscopo, cui a consilio sint, suggerant, quomodo reformatio procuranda sit. Ipsis vero Canonicis, & per eos aliis ex Clero, ante omnia lectionem Biblicam commendat, hunc enim scopum olim *Breviariorum* fuisse, pessime licet in demurmurationes & conscientiæ laqueos versum (sey zum strick der Gewissen und vergeblicher lippen-plapperey gedien) Cum vero vetera statuta ab iis, qui in Canonicorum numerum recipi volunt, studia academica requirant, ad Theologica potissimum eos adigendos esse suadet; pudendum enim esse, quod unicus tantum in toto Collegio Canonicorum Theologus sit, qui & raro in Capitulo compareat. Ex eadem ratione, lectores Theologiæ constitui debere, censet, quos Canonici & Vicarii omnibus hebdomadibus audiant, & inter se de capitibus religionis colloquantur & disputent. Consultationes frequentes de rebus Ecclesiasticis habendas esse, examinandas controversias de religione, quæ jam ventilantur. Proponit inde summa doctrinæ capita, speciatim de justificatione & bonis operibus, non dissimulans abusus, quos fœdos & fœtentes, a Monachis per nundinationes meritorum aliaque ejusmodi invectos esse, queritur. Notat speciatim cultum in Christi, immo ipsius Mariæ contumeliam, B. Virgini attributum, & hymnum illum, *Salve Regina*, reprehendit. Improbat mutilationem Sacramenti & sacrificium Missaticum, & illi innixas fundationes & missas solitarias, in quibus stultissime (es wäre das allernärrischte) sacerdos, populi & cœtus loco, columnas templi aut puerum quendam, vel unam atque alteram aniculam alloquatur: *Dominus vobiscum, oremus, sursum corda; Gratias agimus Domino Deo nostro*, item: *accipite, edite*, &c, *refecti cibo & potu cœlesti*, &c, *Ite, Missa est.* quibus omnibus ridicule tantum mysterium prostituatur & tractetur, quasi ludus esset puerorum cum pupis. *O* (ait) *ridiculas præstigias.* O der leichtfertigen Gauckeley; das heist / küpffern Geld / küpfferne Seelmessen / doch / wie der Hirte / so sind die Schaafe. Hæc omnia ab Episcopis ex Scriptura corrigi posse & debere contendit, non attento, quid Romæ decretum sit; nihil enim valere Pontificum scita contra Scripturam. Citat *can. sunt quidam, 25. q. 1.* supra relatum. Negat etiam Concilii decisionem expectandam esse, cum sit incertum, quando secutura sit, & divina præscripta perpetuam emendationis regulam jam satis suppeditent. Subjungit etiam reliqua de ceremoniis impiis omittendis, de conjugiis Clero permittendis, & de abolendo concubinatu, de morum honestate restituenda, de abusu excommunicationis tollendo, de visitationibus diligenter instituendis, de pauperum & hospitalium, quæ vocant, cura. Claudit scriptum repetita admonitione; proponit decus & commodum, quod ex tam laudabili opere reportaturi & Ecclesiæ, curæ suæ commissæ, exhibituri sint, liberata conscientia a gravissima culpa, si officium negligant, & reditus præbendasque suas, nullo fructu in Ecclesiam redundante, consumant; ostendit etiam exempla Synagogæ Judaicæ, quid metuendum sit, cœcitas nempe a Deo tandem immissa, & omnimoda destructio. Hæc breviter quidem, sed solide conscripta, quorum ulteriorem explicationem offert, utut divinæ, æternæque veritatis luce coruscantia, tunc tamen frustra fuerunt, sed successum habuerunt post paucos annos in tempore, quod Deus destinaverat.

Magni momenti sunt scripta & acta inter *Georgium* hunc nostrum *Anhaltinum* & *Georgium Saxoniæ Ducem* a *fol. 383.* ad *497.* quæ Anhaltinus ipse *Roslabiæ*, quæ est præfectura Anhaltina, congerere cœpit d. 3. Decemb. 1538. finiit autem laborem d. 24. Jan. 1539. ut notatur *d. fol. 383. & 497.* Ex his, cum historiam Georgii Sax. Ducis, supra secundum ordinem temporum tractatam, illustrent & suppleant, præcipua referri operæ pretium est, quod tamen, qua licet brevitate, & in summa faciemus. *D. Joh. Mensingius* Dominicanus Magdeburgensis, acerrimus Lutheri antagonista, Dessaviæ aliquandiu concionatus, cum Halberstadiensis suffraganeus fieret, alium sui ordinis, *Petrum Anspachium*, Halberstadio Dessaviam miserat. Hic anno 1532. die Viridium pro concione vehementer in eos invectus erat, qui Sacramentum sub utraque sibi exhiberi desiderabant. Aderat *Georgius* Princeps, & in ea sententia jam confirmatus, quod communio illa legitima esset, id quod nec monachus negare ausus erat, huic concionis suæ immodestiam exprobravit. Cum vero Monachus Dessavia ab Electore Brandenburgico Francofurtum ad Viadrum evocatus esset, fratres Georgii Principis & ipse commendatum sibi ad conciones Evangelicas habendas *Nicolaum Hausmannum* in festo Petri Pauli sequentique Dominica, Dessaviæ, & postea mense Septembri in arce VVorlitiensi concionantem audiverunt, & sic probato & placenti Dominica XV. post Trinitatis d. 15. Sept. munus illud contulerunt. Hoc audito *Georgius* Sax. Dux, qui *Hausmannum*, male apud se delatum, oderat, *Joachimum* Principem, *Georgii* fratrem, in aula sua olim educatum, Lipsiam accersivit, & d. 6. Decemb. facto post cœnam sermonis initio de consanguinitate sua cum matre Principum, & ut ab hac aliquando Lipsiæ rogatus esset, ut commendatos filios suos haberet, & ab hæresibus dehortaretur, *de Hausmanni* vocatione queri cœpit, quem Lutheranum esse dicebat, qui Zuiccaviæ monachos expulerit & ceremonias mutaverit; deinde hortatus est Principem, ut cum fratribus suis, quemadmodum post mortem matris huc usque fecissent, veteres ritus servarent, (id quod *Johannes* Princeps, frater senior, nuper Ratisbonæ promiserit,) & a nova doctrina sibi caverent, nisi divinam benedictionem, quam hucusque in Principatu suo experti essent, amittere vellent; id enim futurum, se exemplo aliorum, qui religionem mutaverint, edoctum esse. Ad hæc *Joachimus* respondit, narrans, quomodo sibi & fratribus, vacante Dessaviæ concionatoris munere, *Hausmannus* commendatus sit, & pias conciones albis & stolis indutus habuerit, in quibus nihil reprehendi potuerit, neque quidquam in ceremoniis mutatum huc usque ab eo esse. *Georgius* Dux *Hausmannum* hominem nequam esse dixit, qui illico communionem sub utraque introducturus, sacerdotibus conjugia permissurus & Missam eversurus esset. *Joachimus* tantum ad caput de communione respondens, improbari non posse dixit, si integra præberetur, id enim verbis Evangelistarum convenire, itemque cum doctrina Patrum & Canone Gelasii, *comperimus*. Replicavit *Georgius*, sibi quoque hunc notum esse, sed agere illum de communione Sacerdotum & a Luthero falso de Laicis explicari. Addidit, in Ecclesiæ potestate fuisse, ut administrationem Sacramenti mutaret, sicut mutaverit Baptismi formulam. (id quod cavillari solent ex *Act. X. 48.*) Cum autem ad hoc responderet *Joachimus*, & Ambrosii quoque dictum allegaret, Lutheranam glossam id esse dixit *Georgius*; dein ab ulteriori disputatione destitit, nisi quod etiam *Georgii*, fratris ejus, mentionem fecit, eumque suspectum Lutheranismi habuit. De *Forchemio* quoque questus est, quod sumtu Principum VVittenbergæ viveret, ex quo tamen antro nihil boni

(kk) *Acta de religione inter Georgium Anhaltinum & Georgium Sax. Ducem anno 1538.*

An. 1544.

ni prodiret. (Aus dem Loche kähme nichts gutes.) Hæc *Joachimus* ipse ad fratrem *Georgium* d. 9. Decemb. scripsit, *fol. 384. & sqq.* hanc primam Evangelii causa luctam, parvam quidem, sibi contigisse dicens, (sey der erste kleine Strauß des Evangelii halben gewesen.) Eodem die 9. Decemb. *Georgius* Saxo ad *Georgium Anhaltinum* literas dedit *fol. 386.* in quibus dicta Lipsiæ eidem proponit, sed acrioribus & contumeliosis verbis in *Hausmannum*, quem etiam sibi hæresin persuadere voluisse dicit, ut & in *Forchhemium*, quem, Judæ exemplo, ad Hannam & Caipham, id est, ad Lutherum accessisse ait, cavere etiam jubet Principem, ne prælaturas suas in discrimen mittat. *Georgius* Princeps, licet jam tum prolixum responsum composuisset, brevius tamen dedit d. 10. Jan. 1533. *fol. 387.* generatim testatus, se & fratres neminis, nisi Jesu Christi, doctrinæ addictos esse, & in ea constanter, non saltem usque ad Concilium, sed ad finem usque vitæ, exemplo *Adolfi* & matris suæ, qui in fide & amore Jesu Christi beate decesserint, perseveraturos esse. Postremum hoc, in responso die Antonii 17. Jan. *fol. 388.* ita acceptat *Georgius Saxo*, ut gavisurum se dicat, si Anhaltini in eadem, quam *Adolfus* & mater illorum ad mortem usque professi sint, religione persistant; sed denuo suspiciones suas aperit, magna cum acerbitate dirisque conviciis in *Hausmannum* & *Forchemium*, tum ipsum *Lutherum*, quem VVorlitii apud *Joachimum* Principem fuisse resciverat, invehitur. Ad illa *Georgius Anhaltinus*, spe alloquendi *Georgium Ducem*, ultra annum tacuit. Interim *Hausmannus* in officio suo pergens, nihil quidem mutaverat in ritibus, nec mutare volebat, donec populum sufficienter instructum esse deprehenderet. Sed prono jam ad emendationem populo, Principes *Cardinali Moguntino*, cujus diœcesi Magdeburgensi Anhaltina ditio subjecta erat, propositum suum de reformatione in scriptis aperuerunt; illo vero contradicente, nihilominus die Jovis, qui *Viridium* vocatur, anno 1534. communionem sub utraque & reformationem quorundam abusuum publice instituerunt, *Georgius* autem Princeps libello ad *Joachimum I.* Electorem Brandenburgicum misso, facti rationem exposuit & defendit, deinde, cum occasio *Georgium Ducem* conveniendi oblata non esset, literas ad illum die Veneris post Lætare 5. April. 1538. datas, insciis fratribus a se, ægrotante tunc licet, compositas, misit *fol. 389.* in quibus humanissimis verbis & magna cum submissione Ducis & cognati, tutorisque olim sui benevolentiam captat, & de studio veritatis & pietatis, quo in hoc negotio reformationis unice regi & agi se dicit, sancte, ut coram Deo, testatur. Adjunxit vero literis his prolixam epistolam, quam *anno 1533.* ad Georgium Ducem composuerat, *fol. 390.* item exemplum earum, quas d. 27. April. Lunæ post Jubilate 1534. Electori Brandenburgico scripserat *fol. 394.* ipsiusque libelli, quem ei exhiberi fecerat, *fol. 394. b. ad 432.* Ex hoc multa excerpi possent, memoratu dignissima, sed nimium excresceret hæc relatio. Occurrit Princeps *fol. 398.* perversitati illorum, qui doctrinam de gratuita justificatione per solam fidem carnaliter accipiunt, & se per illam exemtos a pietatis & bonorum operum studio esse putant, itemque iis, qui per calumniam Luthero & sociis imputant, ac si ita docerent: Egregiis vero argumentis & testimoniis Scripturæ necessitatem bonorum operum demonstrat, *fol. 401. b.* Novellam Justiniani 123. producit, qua in oblatione, id est, sacra cœna (fatetur enim Georgius sacrificium vel oblationem vocari Sacramentum consuevisse, laudis nempe & labiorum, idque ex *Breviario Magdeburgensi* probat) clara voce uti jubet Sacerdotes, ut populus audiat & intelligat, id quod lingua cognita & populari fieri necesse esse dicit; item *fol. 402.* dictum Leonis & Innocentii III. Ex vocabulo *facite* non magis fieri posse dicit *fol. 405.* *offerte*, quam cum Zuinglio voculam *est* converti in *significat.* Ibidem *Hugonis* Cardinalis dictum allegat, scribentis: *Hoc facite, id est, accipite & date.* Pro calice non solis sacerdotibus sed Laicis quoque dando *d. l.* & *fol. 406. & seq.* plurima testimonia cumulat, & libellum in *Magni*, Anhaltini, agnati sui, cui in Præpositura successerat, Bibliotheca inventum allegat, *de quadruplici Missæ expositione*, in quo verba *bibite ex hoc omnes*, explicari ait, *Ex hoc scilicet calice sanguinis, omnes, scilicet sine personarum acceptione.* Refutat etiam interpretationem, qua can. *comperimus*, sive *Gelasii* constitutionem (alium in eam cavillum *Georgius Saxo* supra produxerat) quidam elidere nituntur, ac si ad hæreticos explorandos calicis usus solum adhibitus fuisset. Ex *Missalibus*, a Bohemis Basileæ in Concilio productis, probatum esse dicit *fol. 410.* communionem integram ante Hussum usitatam fuisse, provocat etiam ad administratoris Pragensis testimonium, item ad *Matthæum Lunensem*, Pastorem Sazensem, & alios qui sibi ipsi id retulerint, & ad libros, quos in Bohemia viderit, in quibus verba, de communione illa testantia, erasa fuerint, aliaque eorum loco surrogata. Idem de cunctis aliis nationibus affirmat. Refellit omnia, quæ objici solent ex Veteri & Novo Testamento; respondet quoque ad Concilii Constantiensis decretum. Pro Scripturæ autoritate egregie decertat, ejusque legitimam interpretationem urget *fol. 420.* Pontificis dominatum oppugnat *fol. 422. b.* Addit denique *fol. 429.* eximiam adhortationem ad Principes, & Magistratus, ut usum calicis restituant, & quidem absque conditione, quæ in Comitiis Augustanis anno 1530. adjecta fuerit, de probanda nempe simul communione sub una. Id ex mera superbia Cleri, & ex pertinaci opinionum suarum (quas divinæ institutioni præferant) defensione factum esse existimat, aut fraudulento consilio, ut concessam communionem integram brevi tempore revocarent. Frivolum inprimis esse dicit, cum causantur, a Christo non prohibitam esse communionem sub una: Ut enim indifferentia haberi possint, quæ neque prohibita, neque præcepta a Deo sint; ita, ubi præceptum extat, (veluti hic de communione integra) dubitandum non esse, quin contrarium sit prohibitum. Subjuncta est *fol. 432. & sqq.* dissertatio separata, sed quæ pars libelli fuit, in qua conjugium Sacerdotum solidis argumentis defendit; historica etiam de tumultu ex prohibitione conjugii tempore Gregorii VII. in Germania orta affert, & *fol. 436.* ex Chronico, sibi in Bohemia ostenso, verba Bohemica adscribit, quæ in versione Latina hæc sunt: *Anno Domini 1196. Petrus Cardinalis in Bohemiam veniens, dum Scholasticos voluit ordinare, a Sacerdotibus & Prælatis prope occisus fuit, ideo, quod Sacerdotes juberet a se uxores dimittere:* Unde constat, integro post Gregorium seculo, nondum obtemperatum prohibitioni ejus in regno Bohemiæ fuisse. *Adolfum* quoque Episcopum, agnatum suum, sæpe dixisse memorat, testesque superesse ait viros magni nominis, qui id ex ore ejus non semel audiverint, se in Concilio pro conjugiis Cleri laboraturum esse; & prope invitum, atque non sine molestia sua, in pastores uxoratos aut concubinarios animadvertisse; eundem narrasse, quod olim Sacerdotes cum concubinis suis clandestina habuerint matrimonia. Quæ de turpitudine cœlibatus disserit *Georgius*, præsertim *fol. 438. b.* pudefacere possunt omnes ejus propugnatores. Summe abominandum inter alia esse dicit, quod Pastoribus quibusdam, qui uxores duxerant, permissæ sint alicubi ab Episcopis ea conditione, ut dicerent, concubinas se, non uxores habere. Ad ea, quæ adversus exceptionem, quod Nobilitati sacris initiatæ, nisi interdicto conjugii, consuli non possit, & quod Ecclesiarum reditus a conjugatis sacerdotibus consumantur, egregie respondet *fol. 440.* & abusus evidentissime ostendit. Excusat deinde majores nostros, quod aliter persuasi mala illa toleraverint, hodie vero neminem excusari posse dicit, demonstrata ex sacris literis emendationis necessitate. *Eccii* testimonium de communione sub utraque, quod supra relatum fuit, etiam huic libello adjunctum

A. 1544.

(ll) *Epistolæ ad Georgium Sax. scripta, & ad Electorem Brandenburg. anno 1533. & 1534.*

(mm) *De conjugio Sacerdotum speciatim.*

ctum est, cum annotatione quadam ad Eccii dicta sequiora, & insigni cum voto, ut Deus oculos aperire omnibus velit, quo veterem universalis & sanctæ Ecclesiæ usum reducant, magnique illum faciant, neque in re tam clara fucum fieri, lapidem pro pane, scorpionem pro ovo, pro pisce serpentem, pro dulci amarum, pro luce tenebras, pro Christi institutione hominum commenta, & pro vera & laudabili Ecclesiæ consuetudine abusuum recens inventum, & ab hæreticis (Manichæis) ortum, sibi obtrudi sinant, cum salutis æternæ jactura. Jam, quæ *fol. 444. b. ad 456.* sequuntur, dignissima essent, quæ integra exhiberentur; in iis enim magno cum candore & summa cum pietate prolixe refert *Georgius*, quomodo a pristinis erroribus, quos magno cum zelo ab initio defenderit, per singularem Dei gratiam liberatus sit, & ad Evangelicæ veritatis agnitionem pervenerit. Sed tantum partem hujus relationis Latine versam exhibebo, eam nempe, quam *D. Elias Veielius* tractatui suo, cujus mentionem feci, inseruit, & quæ *Edit. Latin. fol. 545. b. & seqq.* tota legitur, his verbis:

(nn) *Relatio Georgii de initio sui ad Evangelicam doctrinam conversionis, ex editione D. Veielii.*

Postquam præmisisset, quod prioribus scriptis probaverit, se autoritate Scripturæ atque usu & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ, immo & Romanæ, Apostolicæ, credere, quæ credat & doceat, pergit: *Tamen pluribus cor atque animum meum aperire decrevi, ut videat Lector, me singulari instinctu & ductu divini Numinis, nec temere, neque ex inconstantia, pervenisse ad veritatis cognitionem, & vix tandem eluctatum esse ex iis impedimentis, quæ obstare mihi videbantur. Nam quicquid in hoc toto negotio a me susceptum est, id Deus scrutator cordium novit, non ex malo animo profectum esse. Equidem bona conscientia cum D. Paulo veritatem in Christo dicere possum, quod ab ineunte ætate ardentem zelum habuerim erga legem patriam, & erga ceremonias, consuetudines & doctrinam, in quibus initio educatus sum. Itaque hanc viam & doctrinam, quæ illis omnibus contraria, quæ omnes laudabiles ritus, & quæ bene constituta essent, everteret, & omnis generis mala e contrario afferret, (sic enim mihi tum persuasum erat) acerrimo odio prosecutus sum. Ac possunt adhuc mihi testes esse multi, me, quantum in mea juvenili ætate fieri poterat, non obscura indicia istius odii reapse ostendere conatum fuisse. Existimo etiam, Reverendissimo Capitulo, & Senatui Magdeburgensi, memoria nondum excidisse, cum scriptis inter sese Concionatores in Capitulo & urbe contenderent, quantopere defenderim Capitulares concionatores, & quantum eis patrocinii præstiterim, & omnia, quæ sciebam & poteram, libenter in ipsos contulerim. Præterea cum aliqui, quibus alioqui magnopere favebam, de ista via & doctrina quædam apud me dicerent, meminerunt illi, quanta cum vehementia eis restiterim, quam contumeliose in juvenili isto calore eos a me repulerim, immo, quam libenter prorsus & funditus eversam esse voluerim, novit is, qui est super omnia. Nam ubicunque poteram, eos, qui in hac causa apud me suspecti erant, studiosissime impediebam in omnibus, quæ ad ipsorum honorem aut utilitatem pertinebant, aut quæ ad promovendam istam doctrinam spectare videbantur. Atque hæc cum facerem, singulari voluptate ac lætitia fruebar, ac judicabam, me præclaram operam navasse. Judicavi enim ex auditis & ex parte, non plane, visis & cognitis. Nam a lectione librorum abhorrebam, qui veneni pleni esse ferebantur. Cum autem mecum ipse cogitarem de hoc negotio accuratius, existimabam, me, tanquam membrum Ecclesiæ & status Ecclesiastici, adversariis hujus studiosius resistere debere. Quare, cum ex colloquiis, quæ sæpe incidebant, intelligerem, fundamentum causæ partim in Scriptura sacra, partim in Ecclesiæ Patrum & probatorum Doctorum interpretatione, ordinationibus & traditionibus consistere; decrevi, aliquandiu intermittere cætera studia, quæ ad voluptatem suaviora, & ad externa commoda utiliora mihi fuissent, & quantum per occupationes potui, (nam & in juvenili ætate nunquam otio indulgere solebam) Scripturam sacram in manus sumsi. Et quia, persuasus ab aliis, plane in ea sententia eram, ut recentibus istis Doctoribus, quos Ecclesiæ adversari audiebam, nihil prorsus fidendum esse existimarem, at contra accipiebam, veteres Doctores longe aliter Scripturam interpretatos esse, aliter docuisse, aliter ritus servasse quibus plus tribuendum esse credebam; Ideo veteres illos Doctores & Canones perlustrare volui, nullam aliam ob causam, quam ut Patronos hujus doctrinæ, quæ nunc novitatis nomine traducitur, eo certius ac liberius, quod contra Deum & Ecclesiam agerent, ubi & in quibus articulis falso sentirent, convincerem, & aliquos, quibus ex animo favebam, a sententia abducerem, reliquos vero in obedientia & unitate Ecclesiæ Catholicæ retinerem. Etsi autem non ignorabam & sæpe a præstantibus viris audieram, multiplices abusus esse in vita, qui excusari non possent in personis Ecclesiasticis tamen credebam, doctrinam & ordinationes, quæ Ecclesiæ adscribebantur, pias & sanctas esse. Ac judicabam, propter abusus aliquos non esse discedendum ab ordinationibus Ecclesiæ. Novos vero illos Doctores, ut arbitrabar, cum existimarem, tantum propter abusus, quos in vita & moribus Clericorum animadverterent, vel ex curiositate vel ex odio, tantas distractiones excitare, nihil dubitans, cum Donatistis conferre audebam. Sed per Deum immortalem quid dicam! Cum ultro citroque Doctorum scripta & canones considerarem, nusquam reperire interpretationem & traditiones quas quærebam & quas sæpe jactaveram, nec cum aliis conferens, qui perpetuo Patres in ore habebant, tale aliquid investigare potui. Contra vero inveniebam, non modo plures abusus, quam profiteri multi ausint, contra Scripturam & Ecclesiæ ac Patrum constitutiones defendi, sed etiam longe lateque aberratum esse a puritate doctrinæ Christianæ. Videbam enim multos articulos a sanctis Doctoribus traditos & a Conciliis approbatos, per recentes istos Doctores restitui, quos Ecclesiastici nostri pro hæreticis damnarent. Intelligebam, argumenta Magistrorum nostrorum, quibus illos oppugnarent, prorsus eadem esse cum iis, quæ veteres hæretici in ejusmodi negotiis adhibuissent, quæque a sanctis Patribus firmissime refutata essent. Etsi autem nondum constabat, utrum inscitiæ (nam, quæ scripserunt Ecclesiastici Doctores, pauci hactenus legerunt, nisi quantum ex illis in Doctoribus scholasticis allegatur) an vero malevolentiæ, (quod erga certas personas acerbo odio affecti essent,) denique an malitiæ (quod vel auditu grave & horrendum est) tribuere talia deberem: hoc enim Dei judicio, & ipsorum excusationibus adhuc relinquo; Tamen demonstrari posse videbam, inprimis ex scriptis Augustini contra Pelagianos, in præcipuis articulis, qui nunc controvertuntur, nostrorum sententias ab hæreticorum asseverationibus non valde dissentire, ut in articulo de justificatione coram Deo, de causa nostræ salutis, de lege, de viribus liberi arbitrii, de humanis meritis, de gratia Dei & remissione peccatorum, de fide, de bonis operibus, & si qui alii articuli cum his cohærent, ut taceam interim de abusibus in vita & moribus, de quibus judicium fieri potest facilius. In his clare animadvertebam, ut dixi, multa, quæ D. Augustinus contra hæreticos illos docuit, nunc per monachos & horum sectatores damnari, & quidem illa ipsa fundamenta & dicta allegari, quæ D. Augustinus acerrime refutavit. Nec dissimilia in cæteris articulis reperi. Semper autem Deus omnipotens ingenti misericordia hanc scintillam gratiæ suæ in meo pectore lucere volebat, ut per ipsius gratiam, non per propria merita, salutem obtineri crederem. Sæpe etiam mecum recordabar sermonis, quem de salute nostra a charissimo meo patruo, Episcopo Adolfo, piæ memoriæ, in quadam concione, ac postea in cœna, Dominica Judica, paulo ante ipsius obitum, magna cum voluptate audiveram. Cum enim quidam Ordinis Prædicatorum, Licentiatus Sebastianus, merita hominum extolleret atque efferret, graviter eum taxabat Episcopus Adolfus, citato Psalmi testimonio, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. In quo ter repetebat, & urgebat clausulam; Omnis vivens, omnis vivens, omnis vivens. Sicut idem Episcopus tandem in hac ipsa fiducia misericordiæ divinæ, non propriorum meritorum, ex hac vita placide discessit. Similiter recordabar, dilectissimam Dominam ac matrem meam constanti fide hunc articulum amplexam fuisse, cujus rei non solum testimo-*

An. 1544.

nium adhuc habemus in proprio ejus chirographo, sed etiam ipse mihi testis esse poteram, qui præsens fuissem, cum postremum in his terris vitæ diem illa clauderet. Quare cum deprehendissem, bonos istos homines, quibus initio, plus quam par erat, confidebam, quique omnia sua somnia nomine & prætextu ordinationum Ecclesiæ tueri non verentur, tam procul in hoc articulo, qui caput est doctrinæ christianæ, a sacra Scriptura, & a veterum Doctorum & sanctæ Ecclesiæ decretis ac doctrina discessisse, non parum statim initio terrebar. Quæ sequuntur, summatim percurremus. Pergit enim, & suspectos sibi factos esse dicit Doctores suos Pontificiarum partium, quod Scripturam parvi facerent, neque tamen alia dogmatum suorum fundamenta candide proferrent, malignosque affectus in eos, quos pro hæreticis habebant, ostenderent, aliisque indignis & indecentibus artibus, quas modeste reticere voluit, uterentur. Episcopi Misnensis *Joh. Salhusii* dictum, alibi a nobis memoratum, citat, *Mensingium* etiam testem allegans; interim ita præoccupatum se fuisse fatetur, ut a Lutheranis omnia bona opera, omnesque bonas leges subverti existimaret, territum etiam fuisse tumultus rusticani recordatione, & tot sectis, quæ emergebant. Deum testem invocat, quot noctes insomnes transegerit, quosque mentis angores senserit, in ancipiti hærens. In eo vero se semper perstitisse dicit, quod *sola gratia Dei, non meritis nostris, nitendum esset;* confirmatum in hac sententia fuisse lectione *quinquagenarum Augustini*, ex quibus etiam matrem tunc morituram consolatus sit, & a contrariis quorundam suggestionibus retraxerit; cæteros articulos ad Concilii decisionem se tunc distulisse, cujus spes aliqua tempore comitiorum Augustanorum *anno 1530.* oborta erat. Cum vero ex comitiis illis confessionem ab Evangelicis exhibitam legisset, & cum illa ea, quæ de religione eorum ad se relata fuerant, non convenire vidisset, se quidem putasse, errores quosdam ab illis correctos esse, & ad Ecclesiam reditum eos moliri, interim, quæ contra Donatistas, & de libero arbitrio ex *Augustino* in *Confessione* asseruerant, sibi valde placuisse. Licet vero ad quietem se denuo composuerit, lecta tamen *apologia confessionis*, & viso postea *decreto Augustano*, in quo omnes veteres abusus probabantur, & errores omnium sectarum promiscue cum Evangelicorum sententia damnabantur, magis magisque animadvertisse, non recte in hoc negotio procedi. Scripta itaque *Lutheri* consuluisse, & deprehendisse, eum par cum veteribus Prophetis fatum incurrisse, quibus meritorum jactatores (**die Werckheiligen**) semper infesti fuerint: monet tamen se ideo non pro Propheta, sed pro imitatore eorum Lutherum habere. Non negat, se offensum ab initio esse, propter Lutheri durum & acerbum stylum, (**da er nicht fast höflich und linde herein gehet**) sed veritatem sententiarum nihilominus agnovisse; superasse etiam aliud obstaculum, quod emendatio morum non tam plene & exacte sequeretur, ut deberet: vidisse enim, id non fieri culpa doctrinæ, sed hanc, & Catechismum ex ea juventuti propositum, ad pietatis studium sufficientem fuisse. Matris etiam suæ dictorum hac occasione denuo recordatus *fol. 448. b.* refert, miratam illam esse, quod concionatores veteres, de gratia Christi loquentes, non tam emphatice loquantur, quam novi Doctores, (**wie kömmt es doch / wenn unsere Prediger von der gnade Christi lehren sollen / daß es ihnen doch nicht so hertzlich wil abgehen / als den andern neuen Lehrern?**) addidisse, se optare, ut ad eum modum docerent, fassamque esse, se clarius ex novis scriptis de gratia Christi informatam esse. Denique placere sibi dixisse, quod compulsi sint concionatores (veteres) ad legendas Scripturas. (**sind nunmehr in die Bücher der heiligen Schrifft gejagt**) De sectis, post reformationem Lutheri exortis, se ita sibi ipsi satisfecisse dicit *Georgius*, ut agnoverit imputari Luthero non debere, quæ discipuli ejus impudentes & perversi (**unverständige und ungerathene**) immodeste docuerint, eis enim ipsum omnibus viribus repugnasse. Fatum deinde Ecclesiæ esse agnoscit hæreses & tumultus, antiquam etiam paganorum calumniam Christianis impactam, ac si religio illorum turbarum causa esset; concordiam vero, quam ante reformationem jactant, aut negat, aut ex ignorantia & imprudentia originem habuisse dicit, cum omnes opiniones & abusus sine delectu reciperentur, & (ut supra dixerat) *Satanas omnia sua possideret in pace;* interim tragœdias non paucas ex dissidiis Ordinum monasticorum extitisse. Primum vero argumentum, quod Ecclesiæ obediendum sit, itidem a se tandem elisum esse scribit, (*fol. 451.*) considerante, quod veræ Ecclesiæ, sponsæ Christi, non competat mandare aut instituere, nisi quæ verbo Christi præscribuntur; obsequium itaque non rumpi, si abusibus resistatur; id quoque apud se pondus amplius non habuisse, quod diceretur, si abusus essent, quos Lutherus arguerit, sequi, quod Ecclesiam per aliquot secula deseruerit Deus; Nam, non obstantibus illis erroribus & abusibus, Deum nihilominus Ecclesiam, ejusque vera membra, ut tempore schismatis Israelitici, & in corruptela Synagogæ, conservasse. Corruptionem autem & obscurationem veritatis justo & imperscrutabili judicio Dei, peccata punientis, tribuendam esse; majorem vero metui debere, si manifesta jam veritatis lux spernatur. Improbat inde odium personæ, v. g. Lutheri, quod ex eo solum veritas rejiciatur. Non enim a personis, sed a re dependere veritatem ait, nec minus verum esse, quod Christus sit filius Dei, & pro populo mori debuerit, licet prius dæmones dixerint, alterum Caiphas; econtrario probandum non esse, quod passionem Christi dissuaserit Petrus, etsi Apostolus fuerit. Illa denique argumenta parum apud se valuisse profitetur, quod opum jactura metuenda sit, novam doctrinam sectantibus: Christianis enim opulentiam, aliasque ejusmodi felicitates promissas non esse, neque ab iis appetendas; neque illo se moveri, quod hominum & quidem maximorum odia sit incursurus, memorem enim esse dicti Apostolici: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem;* sperare tamen se dicit, idque Deo facile esse, ut amici fiant, qui fuerant inimici; confidit quoque de justo & æquo Cæsaris & Procerum Imperii animo. Quid frater suus *Johannes* promiserit, (id enim objectum a *Georgio Duce* erat) se ignorare ait, discessisse vero eum ante finem Comitiorum; interim nullis promissis impediri Christianos debere, a professione veritatis. Hoc itaque modo se non potuisse contra stimulum calcitrare, sed cum Apostolo dixisse: *Non enim possum aliquid contra veritatem.* Item cum Davide: *Credidi, propter quod locutus sum.* Cum Paulo: *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem*, dictum quoque Christi secutum esse, *Marci VIII, 38. Qui me confusus fuerit*, &c. (ita enim legit ex *Vulgata*) *Hausmanni* vocationem tuetur jure patronatus, sibi & fratribus in Ecclesiasticis speciatim competente, & doctrinam ejus Christianam, vitamque piam, & ad exemplum proficientem, & curam pauperum laudat. Protestatur de benevolentia fideli erga omnes, collegas etiam suos, Canonicos, in veteri opinione adhuc persistentes, & Lutheri dicta & scripta allegat, supra (*lit. e.*) jam citata, in quibus statuerit, Episcopatus & Canonicatus corrigendos, non abolendos esse; ostendit, quomodo emendatio haud difficulter fieri possit.

(oo) *Excerpta ex reliqua Georgii relatione.*

Ista omnia cum *Georgius* Saxoniæ Dux legisset, dilatorie primo *fol. 456. b.* dein *fol. seq.* ad proposita respondit d. 2. Maji 1538. Præmittit excusationem, quod laicus, & a parentibus suis per Præceptores in fide simplici, & in Ecclesia recepta, informatus sit. Credit Ecclesiam de Sacramento cœnæ, sive de Missa definire potuisse, quid servandum sit, pariturum tamen se esse dicit decretis Concilii universalis. Dolet, quod *Georgius*, a parentibus suis eodem modo educatus, neglectis *Mensingii* & *Anspachii* concionibus, *Hausmannum* audiverit, Lutheri discipulum, cujus doctrina de sola fide multa millia animarum (ita persuasum erat miserando seni) in exitium præcipitata sint. Impugnat dogma de sola fide, inepta plane argumentatione, quia etiam passio Christi credi debeat, quasi hæc non pertineat ad objectum fidei; aperte tamen asserit, fidem ad primam justificationem requiri, qua tamen nemo, nisi opera charitatis præstet, salvetur, sed, ut servus nequam, qui talentum suum defoderit, in extremas tenebras præcipitetur.

A. 1544.

(pp) *Georgii Ducis ad Anhaltinum responsio.*

cipitetur. Inter alia, frigido cavillo concupiscentias quasdam non peccata, sed virtutes esse, dicit, ex dicto Psalmi: *concupivit in te anima mea.* Exprimi ait in Decalogo, quæ concupiscentiæ sint peccata, ergo non omnes pro peccatis habendas. Scire se, & interfuisse, ait, consultationibus, in quibus conveniri de controversiis potuisset, si Lutherus tantum vocem illam *solam* omittere voluisset; (hoc quoque *Eccio* & *Cochlæo* incaute crediderat) De libello, Electori Brandenburgico misso, dubitat, an a *Georgio* Principe compositus sit, nimis enim discipulum Lutheri redolere. Abusus in Ecclesia esse fatetur, sed eorum correctionem non esse privatorum. Paulum & Barnabam de quæstione Antiochiæ oborta decidere noluisse, sed eam ad Apostolos detulisse. *VVicleſi* & *Huſſi*, ortasque ab iis sectas, & *Georgii* Bohemiæ Regis, avi sui, qui Anhaltini proavus fuerat, exempla allegat. Multa in Lutherum convitia tandem spargit, & reprehendit invasiones bonorum Ecclesiasticorum, & quod in Quadragesimæ nuperæ tempore Dessaviæ plures vituli, quam salmones (quorum ibi copiosa captura est) consumti in mensis fuerint. Cavere sibi jubet Anhaltinum, ne fidat sapientiæ suæ, sed hortatur, ut cognitionem illis, quibus ea competit, permittat; ne Evæ, ob superbiam & curiositatem lapsæ, exemplo cadat. Exhibetur etiam *Cochlæi* ad Georgium Principem epistola d. 26. April. data *fol. 460.* In hac regerit quædam contra Principis censuras libellorum suorum, & se Augustæ 1530. ut & VVormatiæ 1521. dixisse refert, quod duo articuli, de communione sub utraque & conjugio sacerdotum, quos *Georgius* Princeps maxime urgebat, citra fidei jacturam permitti Lutheranis possint; sed plures esse, in quibus Lutherus erret, a *Georgio* caute, ut putat, dissimulatos. Provocat ad libros suos, in quibus probasse se dicit, communionem sub una semper in Ecclesia licitam fuisse; & poscit probationem, quod inter Christianos unquam licitum fuerit sacerdotibus, post susceptum ordinem uxores ducere. Producitur responsum *Georgii fol. 460. b.* d. 8. Maji *Cochlæo* datum, dilatorium & breve, in quo ei *venerandi Doctoris* titulum dat, sed ob præsentiam *VVolfgangi* agnati se excusat, quod prolixe nunc non scribat; testatur tamen, se nullius consilio & impulsu, sed benevolo & pio affectu ad Heroem & optimum Principem (*Georgium Ducem*) scripsisse. Postea d. 22. Jul. *fol. 461. Georgio* Duci replicans, libellum ad Electorem Brandenburgicum a se & nullo alio compositum esse, asseverat; deinde dissertationes adjungit *fol. 462.* ad *492.* per quas in capitibus VIII. nempe de *justificatione, ceremoniis, communione, circumgestatione Sacramenti, conjugio sacerdotum, Concilio, abusibus & bonis Ecclesiasticis* sententiam suam explicat & defendit. Magna in his copia argumentorum & testimoniorum selectorum reperitur, magnum etiam judicium & pia gravitas, sed multa ex iis referri non possunt. De fide præclare docet *fol. 463. & seqq.* se neque notitiam, neque virtutem miracula edendi, neque opinionem otiosam, sed talem fidem intelligere, qua, a Spiritu sancto in corde accensa, aliquis Christum cum beneficiis suis firma fiducia apprehendat, credatque, quod Deus sibi (in individuo) ex mera gratia propter Christum peccata remittat, & justitiam ac salutem donet. Ab hac excludit omnia opera, tam præcedentia, quia illa Deo absque fide non placeant, quam sequentia, quia homo, ea præstans, jam a Deo justificatus sit, licet opera illa fidei fructus sint, & præmia hujus & futuræ vitæ habeant. De concupiscentiis bonis, de quibus *Georgius Dux* scripserat *fol. 464. b.* non disputari ait, esse enim dona Dei, sed de malis agi, quas Paulus *Rom. VII.* describit & peccata vocat. Negat, se doctrinam de fide ab *Hausmanno*, sed longe prius, & ab ipsa matre sua, didicisse. De particula *sola* diligenter inquisivisse, & invenisse, eam a Patribus vel iisdem vel æquipollentibus verbis usurpatam. vid. *Edit. Lat. fol. 574. b. & seqq.* Citat *Cyrillum, in Joh. XIV.* ubi dicit: *Per fidem namque, non aliter salvamur.* *Augustinum, de Spiritu & litera cap. 13.* *Colligimus non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei; non litera, sed spiritu; non factorum memoria, sed gratuita gratia.* Item in *Joh. VIII. tract. 43.* ubi scribit, *quod rejiciantur, qui non fuerint credituri fide, qua sola possent a peccatorum obligatione liberari.* *Ambrosium, Lib. I. de Abrah. Patr. nisi per fidem* Jesu Christi. Et *Lib. 2. de Jacob & vita beat. cap. 2. non operibus, sed fide.* Iterum in *Rom. III.* ubi bis utitur voce *sola*, item verbis; *nisi tantum, ut credant.* In *Rom. X.* ubi bis extat *sola.* Toties quoque ad *Gal. III.* *Basilium*, in concione *de humilitate*, ubi dicit: *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter justitiam suam aliquis effertur, sed agnoscit se egere vera justitia, sola autem fide in Christum justificari.* *Origenem*, in *Rom. III.* ubi quinquies reperitur *sola.* *Hilarium*, in *Matth. VIII.* *Fides sola justificat.* Adjicit, hæreticos fuisse, qui particulam illam impugnaverint, Ebionæos nempe, ex *Euseb. Lib. III. hist. Eccles. cap. 27.* Veterem versionem Germanicam citat *fol. 470.* in qua dictum *Rom. III. 28.* vertitur; nur durch den Glauben/ quod idem esse dicitur, ac *sola.* Hæc Illustrissimi autoris diligentiam probant. Addit multa, quibus articulum hunc contra omnes cavillos invictis argumentis defendit, relatu dignissima. De consecratione, & quibus verbis illa fiat, præclare commentatur *fol. 479.* & Scholasticorum nugas rejicit; adducit inter alia hymnum Ecclesiæ *fol. 479. b. & 480. b.*

> *Verbum caro, panem verum*
> *Verbo carnem efficit:*
> *Fitque sanguis Christi merum,*
> *Etsi sensus deficit,*
> *Ad firmandum cor sincerum*
> *Sola fides sufficit.*

& in summa dicit, consecrationem, (die Wirmung/ hæc enim illi sunt synonyma) sive præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna, Christi ipsius opus esse, per verba institutionis mirifice operantis, non vero sacerdotis, formulas & consecrationes, carmina quasi magica recitantis. De calice Laicis ablato acriter disputat contra phrasin Concilii Constantiensis *hoc non obstante fol. 483. & seq.* causas autem prohibitionis, quas allegare soleant, tantum prætextus causa proferri monet, veram & unicam esse, ut Clero præ laicis prærogativa accresceret *fol. 485.* & hoc se, indicante sibi locum *Georgio Roschino* Delitiensi, Minorita Servestano, confessionario suo, anno 1531. ex *Gabriele Biel de can. Miss. lect. 84.* clarissime percepisse. Ante *Bielem* idem statuisse *Gersonem, contra hæres. & comm. Laic.* sub *utraque specie*, & *Albertum Magnum* opusculo *de Sacram. alt. cap. 29.* rationem etiam ab *Alexandro de Ales* afferri, quod communio sub utraque majus habeat meritum. Respondet *Cochlæo fol. 487.* qui verba *Gersonis* de consecratione interpretatus erat, cum tamen diserte scribat, dignitatem esse in sumtione. De circumgestatione Sacramenti *fol. 487. b.* observat, illam in Bulla *Clementis* non mandari, & in *Breviario veteri Magdeburgensi* nullam ejus mentionem fieri, neque in summo templo *ciborium, capsulam* aut *monstrantiam*, quam vocant, unquam fuisse, sed thecam quandam, in qua reliquiæ asservabantur, evacuatam, & hostiam in ea reconditam & circumlatam fuisse, unde satis constare putat, quod ceremonia ista antiqua & universalis, ne in Romana quidem Ecclesia, fuerit. De Concilio scribit *fol. 490.* aut nullum futurum esse, aut ab eo nihil expectandum, quam condemnationem Protestantium, & confirmationem omnium abusuum & errorum veterum; nullam etiam libertatem in eo sperari posse, cum omnes Episcopi, Clerici etiam, Notarii & intimi quique Pontifici juramento obstricti sint, Italorum denique Episcoporum multitudo cæteros omnes clamore & impetu sit obtusura. Huic scripto subjuncta est, *Edit. Lat. fol. 605. b.* epistola Principis ad Cochlæum latine scripta; eodem die 22. Julii, cujus versio Germanica extat *fol. 492. b.* In hac testatur, se non malo animo *Cochlæi* mentionem in priori

(qq) *Cochlæi ad Anhaltinum literæ, cum responsis.*

(rr) *Anhaltini ad Georgium Ducem epistola & dissertatio, speciatim de sola fide.*

(ss) *Item de communione sacra.*

(tt) *De Concilio, & alia quædam.*

(uu) *Epistola ad Cochlæum, cum responso.*

A. 1544. ori libello suo fecisse, neque, ut ille Principi imputabat, callide dissimulasse articulos quosdam, sed illos tantum hac vice tractasse, quos *Georgius* Dux impugnaverat. Destruit deinde mascule jactantiam *Cochlæi*, quod communionem sub una ita defendisset, ut responderi illi non potuerit. Ad postulatam ab eo probationem, quod Ecclesia Sacerdotibus post susceptos Ordines conjugia concesserit, obligatum se esse negat, quia non extet prohibitio divina: Quod vero *Cochlæus* suspicatus esset, Georgium consuluisse alios, *Melanchthonem* forte, id quidem se honeste & sincere facere, & per quem profecerit, profiteri potuisse, scribit Georgius, factum id tamen hac vice non esse, quia in secreto cum *Duce Georgio* tractare voluerit; Addit verba honesta, quibus suspicionem malevolentiæ eximere *Cochlæo* cupit. Hic d. 29. Jul. cum decenti submissione respondet, & se indignum agnoscit, qui literas cum Principe commutet, differt tamen ulterius responsum, donec libellum ad *Georgium* (Ducem) missum vidisset. Duo autem denuo (ineptissime quidem) postulat, *primo*, ut demonstretur, qua Scriptura aut a quo Patre prohibitum sit, ne laicis sacramentum sub una tantum specie præbeatur; *secundo*, quod sacerdotibus ordinatis conjugium ab Ecclesia permissum fuerit. Fatetur quidem, jure divino prohibitum non esse Clericis conjugium, sufficere tamen putat, quod ab Ecclesia Græca & Latina sit interdictum. Ulteriorem disputationem haud obscure declinat, cum rectius facturum esse scribit Principem, si sententiam suam Pontifici aut Concilio proponat, quam Principi politico, id est, *Georgio* Saxoniæ Duci. At hic commercium epistolare omne cum Anhaltino abrupit literis d. 17. Aug. datis. Respondet quidem, at non sine bile, ad probationes Anhaltini de voce *sola*; quicquid autem ille dicat, certum tamen se esse censet, non sola fide, sed gratia Dei, & fide per charitatem operante, homines salvari. Addit Dux: se putare, Lutherum nunc ipsum illa voce usurum non esse, si res foret integra, & ambitione non impediretur, ne dicta corrigeret, quibus homines a disciplina & bonis operibus plane abduxisset; fore autem, ut sanguis pereuntium ab iis poscatur, qui vocabulum illud addiderint. Ad testimonia ex Patribus, qui de sola fide locuti sunt, regerit, illa ad Veteris Testamenti tempora pertinere; quasi scilicet alia salutis via in Novo esset. In articulo de communione, simpliciter se obedire dicit Ecclesiæ, quæ a Spiritu sancto gubernata errare non possit; in Missa, contemplatione passionis Christi, spiritualiter se frui corpore & sanguine Christi; una vero specie in communione contentum esse. Tandem gratias agit pro missis sibi libris, fieri tamen posse negat, ut in sententiam Anhaltini, in qua ille salutem quærat, in senectute hac sua pertrahatur; addit proverbium Germanicum, alte Hunde sind übel bändig zu machen / *canes vetuli sunt indociles*. Hic finis fuit certaminis illius literarii, inter duos *Georgios* admodum illustres, in quo cui victoria tribuenda sit, difficile judicatu non est; veritas sane ab Anhaltini partibus manifesto stetit, ex adversa parte pugnabatur inveterati erroris, quem consuetudinem vocabant, & autoritatis ecclesiasticæ larvis, & cavillationibus sacræ Scripturæ. Notavit autem Anhaltinus sub finem actorum a se compilatorum, se *Georgium Ducem*, ob bonum regimen laudatissimum, & a quo ipse multa beneficia acceperit, rebus sic stantibus, inquietare amplius noluisse, quotidie tamen, quoties in oratione Dominica ad verba, *fiat voluntas tua*, perveniat, pro eo orare, idque continuaturum se esse. Sed Saxo sequenti anno, ut in loco diximus, decessit.

(xx) *Georgii Ducis ultimum responsum & quæ secuta sunt.*

(yy) *Protestatio Georgii Anhaltini contra Michaelem Heldingum, Episcopum Mersburg.*

Sub finem Voluminis *fol. 497.* instrumentum protestationis, d. 2. Decemb. 1550. a Notario adhibitis testibus, conscriptum exhibetur, quo fides publica fit de protestatione, a *Georgio* Principe Anhaltino, *Mauritio Bosio, Johanne a Storckau, D. Francisco Judicis*, dicto *Heynichen*, & *Lic. Justo Malero*, Canonicis Mersburgensibus, absente ob morbum Decano, *Sigismundo a Lindenau*, interposita, cum *Michael* ille *Heldingus* possessionem Episcopatus Mersburgensis a Canonicis sibi tradi peteret. Institerunt enim apud eum *Georgius* & Collegæ, ut doctrinam, in Episcopatum introductam, cum ritibus suis intactam sineret, & Clericis conjugatis nullam exhiberet molestiam. *Georgius* speciatim repetiit & arguit defectus, quos in postulatione *Heldingi* antea allegaverat, protestatus, licet in honorem Cæsareæ Majestatis Episcopum pro Principe & gubernatore agnoscere paratus esset, se tamen, qui annis triginta duobus Canonicus fuisset, jam vero Senior Capituli, & in ordinatione sua ad inspectionem obligatus esset, ferre non posse, si pia & orthodoxa doctrina, in Episcopatu huc usque conservata, mutaretur. Illam protestationem benigne admisit Episcopus, postulationem tamen suam legitimam esse dixit, quam in foro competenti defendere posset. Promisit quoque se ita præfuturum esse Episcopatui, ut Catholicum & Christianum Episcopum deceat, & subditi approbaturi sint. Pollicitus præterea est, se nihil mutaturum esse in religione, qualem nunc in Episcopatu inveniret; si quid vero mutandum esse putaret, id bono fine & usu, & cum consensu Capituli, facturum, Clericos etiam conjugatos, ut alios subditos, protecturum esse. Hæc asseveranti reliqui Canonici, supra nominati, manus porrexerunt, *Georgius* vero protestationem suam iteravit, & in alio instrumento consignari fecit *fol. 499.* & sic possessioni Episcopi contradixit, si promissis non staret, eoque casu ad Concilium liberum & Christianum provocavit, speciatim testatus, se nunc quidem cum Episcopo in templum iturum, & auxilium Spiritus sancti imploraturum esse, sed nolle, ut actu hoc ullum falsæ doctrinæ caput approbatum a se esse intelligatur. Si vero Episcopus promissa servaret, tunc ei se omnia officia, quæ deberet, exhibiturum esse. Non vanam *Georgii* solicitudinem fuisse, ex iis, quæ supra diximus, percipi potest.

An. 1544.

(zz) *Epilogus digressionis hujus de Georgio Anhaltino.*

Hæc ex scriptis & actis *Georgii Principis Anhaltini* excerpta characterem ingenii animique ejus exhibent, elogio, ut confido, quod sub initium hujus narrationis illi tribui, dignum, immo longe majorem. Spero etiam, multos puræ doctrinæ addictos & pietati deditos, qui hæc legent, insignia Dei beneficia, in virum hunc collata, veneraturos, & mecum agnituros esse, vix ullum ex primis illis religionis Evangelicæ doctoribus anteferri huic posse. Quanquam enim *Lutherum* & *Melanchthonem* ipse pro modestia sua, ut præceptores, coluerit, etiam *Pomeranum* aliosque magnifecerit, constat tamen, & ex iis, quæ excerpsi, colligi, multo vero magis ex ipsorum scriptorum lectione deprehendi potest, nihil ei ad solidam eruditionem defuisse, nec tantum Theologiæ positivæ fundamenta perfecte eum intellexisse, sed & sacræ philologiæ peritum, & in lectione Canonum historiaque Ecclesiastica versatissimum, judicio summo polluisse, eloquentia insigni, modestia quoque singulari ornatum fuisse. Non extollam generis splendorem, propter quem ipse se minime extulit; interim, quia notum est effatum Apostoli; *non multi nobiles &c. I. Cor. I. 26.* tanto magis, ut rarum & insigne decus Ecclesiæ nostræ, haberi debet, quod vir non mediocris, sed summæ nobilitatis, & ex Imperii Principibus, ad hanc eruditionis sacræ munerisque ecclesiastici excellentiam adscenderit. Quæ aliis objectare cum protervia solent maledici ex adversariis, in hoc locum non habent. Nulla huic ambitio exprobrari potest, qui, cum a *Præpositura* metropolitanæ Ecclesiæ ad *Præsulatum* facile evehi potuisset, magnas illas dignitates veritatis Evangelicæ professioni, tum quidem contemtissimæ, & periculis maximis expositæ, posthabuit, & inter Doctores Evangelicos despectos, & persecutionibus obnoxios, locum sumsit, nullumque eorum munus refugit, ex-

An. 1544.

emplo tamen raro, ut pauciſſimi vel ex equeſtri nobilitate reperti poſt eum ſint, qui imitari id voluerint. Libidinem quoque objicere nemo poteſt *Georgio*, qui cœlebs manſit, caſtiſſime tamen & pudiciſſime vixit, ſancte licet & honorifice de conjugio, etiam Clericorum, ſentiens & ſcribens. Nec maledicentiæ accuſari poteſt, a qua magno cum ſtudio abſtinuit, licet errores ipſos debita cum ſeveritate in ſcriptis ſuis refutare non ſit veritus. Ab avaritia quoque intactus fuit, cum enim Clericatus Romani votis vinculisque liber eſſet, nec a diviſione provinciæ cum fratribus ſuis arceri poſſet, cum iis tamen amiciſſime & conjunctiſſime, & iis reditibus, quibus fruebatur, contentus vixit. Reliquas vitæ ejus interioris laudes ſcriptores ſupra nominati exequuntur, & adjectæ ſunt in fine Voluminis *fol. 501. & ſqq.* orationes aliquæ in honorem defuncti habitæ, ut & epicedia a *Melanchthone* & *Camerario* compoſita. Elogia quædam a *Luthero* Principi huic data, inter ſcripta ejus, hoc anno, referemus. Cæterum, pro ſorte, cum multis piis & laborioſis viris communi, valetudinem habuit infirmam, quam continuis ſtudiis & meditationibus exhauriebat. Deceſſit *XVI. Cal. Novemb.* ſive *d. 17. Octob. 1553.* cum annum vitæ quadrageſimum ſextum duobus ſaltem menſibus ſuperaſſet. Quam pie & placide, (legatis etiam liberaliter ad ſuſtentationem Paſtorum in Principatu Anhaltino relictis) vitam clauſerit, ex autorum, quos allegavimus, relationibus cognoſcitur.

(4) *Mors Epiſcopi Caminenſis, & ſecuta altercatio inter Pomeraniæ Duces, item dehortatio ab Electore Sax.*

Aliud quoque religionis Evangelicæ incommodum quodpiam ſublatum eſt morte *Eraſmi Manteufelii*, Epiſcopi Caminenſis, qui d. 20. Jan. hoc anno vivere deſiit, pervicax & ipſe in veteri errore, & multum adverſatus Pomeraniæ reformationi, ut §. *L. Addit. II. hujus Lib. III.* dictum eſt. Datum fuit ab initio aliquid a Ducibus, parum inter ſe conſentientibus, conſiliis aulicis. Commune illis in Epiſcopatum jus erat, & Epiſcopus ex veteri fundatione, majori vinculo Principibus obſtringebatur, quam alibi in hierarchia Romana fieri conſueverat. Verba veteris ſtatuti vel pacti inter alia hæc erant: *Dominus Epiſcopus Caminenſis, de jure hæreditario, debet eſſe ſummus plebanus Dominorum Ducum Pomeraniæ & illorum hæredum, & ſupremus Conſiliarius eorundem manere in perpetuum tenetur, & non debet aliqua mala intentare contra Duces & Ducatum Pomeraniæ & inhabitantes, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: Sed & ſemper & quotidie concordare cum eis, & Domini Duces prædicti debent de jure propter hoc defendere diœceſin Caminenſem, ſicut proprium dominium & Ducatum Pomeraniæ.* Præter hæc facultatem nominandi Epiſcopos habebant Duces, modo id facerent intra tres menſes a tempore mortis cujusque Epiſcopi. Verum enim vero tunc in diverſa abierunt *Barnimus* & *Philippus* Duces; ille enim commendatum ſibi a fratre uxoris ſuæ *Erneſto* Luneburgico *Ludovicum*, Georgii, *Comitis in Eberſtein & Neugarten*, filium impuberem, *Philippus vero Jacobum Gizeritium* nominavit. His auditis Elector Saxo & Landgravius ex Comitiis Spirenſibus *Barnimum* (*Reg. H. fol. 570. n. 185.*) dehortati ſunt a pueri denominatione, rogantes, ut virum ſapientem, qui Epiſcopatu ad præſcripta Pauli Apoſtoli reipſa fungi poſſet, ſpretis veteribus abuſibus, junctisque cum *Philippo* agnato conſiliis, eligeret. *Philippus*, miſſo Legato, apud Electorem queſtus eſt de *Barnimo*, ſibi quoque filios eſſe dictitans, ſi ad pueros illuſtres reſpiciendum eſſet. Obſecuti autem monitis Duces, non multo poſt tranſegerunt, interponentibus etiam officium ſuum Ordinibus provinciæ, quibus ex veteri more incumbebat, ut de controverſiis inter Principes tractarent & cognoſcerent. Conventum etiam jam tum in diviſione Ducatus erat, ut *prælaturæ & præbendæ Canonicæ Caminenſes dignitatem & reditus retinerent, Epiſcopus autem cum Capitulo de cultu divino, ſecundum normam Aug. confeſſionis, ejusque apologiæ & ordinationem Ducum, Treptoviæ publicatam, optime provideret, piasque viſitationes inſtitueret:* Additum fuit, *ut diſſentientibus & plures ad Epiſcopatum nominantibus Ducibus, ſorte ex denominatis legeretur, qui recipiendus eſſet.* Sic ſopita lite, cum *D. Johannes Bugenhagius* oblatum Epiſcopatum recuſaſſet, *Bartholomæus Suavenius* illum obtinuit; ſed poſt annos ſex *Martino Weigero* reſignavit, ut *Chytræus Lib. XVI.* memorat.

An. 1544.

ADDITIO II.

(a) *D. Bugenhagii acta, in recuſando Epiſcopatu Caminenſi.*

Miror, *D. Bugenhagii* ſive *Pomerani* acta in recuſando Epiſcopatu Caminenſi, in enarratione vitæ ejus præterita eſſe a *Melchiore Adamo*; nec, quod ſciam, alii multum de iis obſervarunt. Quapropter cum dignitatum & opum, legitime præſertim oblatarum, contemtus inter magnas rarasque animi dotes referri mereatur, ex duobus, quæ in *Archivo Saxonico d. Reg. H. fol. 570. n. 185.* aſſervantur, *Bugenhagii* ad *Lutherum* & *Melanchthonem* ſcriptis (die quidem carentibus & partim ad annum ſequentem pertinentibus) hic exponam. Splendidam legationem miſerant VVittenbergam Pomeraniæ Duces, quæ ſuo nomine *Bugenhagio* Epiſcopatum deferret, de Capituli totiusque provinciæ deſiderio ſimul teſtata. Reſtitit ille diu & acriter; cum vero Elector Saxoniæ ipſe VVittenbergam veniſſet, &, ut videtur, ad accipiendam conditionem Bugenhagium, utut invitiſſimus eo careret, benigne eſſet hortatus, Legati vero Principum palam dicerent, niſi conſentiret, fore, ut bellum inter Duces, qui de alio, præter illum, convenire non poſſent, oriretur, ceſſit tunc Pomeranus precibus minisque illis, tum etiam patriæ ſuæ amore victus, & certis conditionibus obſecuturum ſe eſſe dixit. Ac poſtquam Legati, accepto illo reſponſo abiiſſent, magnus virum mœror inceſſit, ut, quemadmodum ipſe refert, cum ſumma mentis anguſtia & tentatione ad Deum clamaret: *O Deus, quam ſtulte conſenſi, libera me ab hoc nexu, propter nomen tuum, & per filium tuum Jeſum Chriſtum; Incidi in hunc errorem propter peccata mea, per ignorantiam & præcipitantiam, juva me miſericordia tua, quemadmodum dixiſti Hoſ. XIII. 9. Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Item: Ne projicias me a facie tua.* Exauditum autem ſe, & firmatum animum ſuum duplici ex cauſa eſſe, ſcribit, *primo*, quod, re melius conſiderata, judicaret, comminationem illam de bello inter Principes orituro, eo valere non poſſe, ut ipſe propterea aliquid in ſe reciperet, aut præſtaret, quod ſupra vires aut præter ſcopum ſuum eſſet, nec reſpondere ſe cogi, de infortunio, quod aliena culpa ſequeretur; obligari enim Principes, ut, vitato tumultu & certamine, de alio Epiſcopo denominando inter ſe convenirent, neque etiam deeſſe viros, ex quibus idoneum eligere poſſent: *Secundo*, conditiones, quas conſenſui ſuo addiderat, reverſi cum Principum literis Legati rejecerant; ſic itaque reſtituto ſibi decernendi arbitrio, rationes denuo aperuit, cur Epiſcopatum illum ſuſcipere minime poſſit. Oppoſuit nempe ætatem ſuam, ſexageſimum enim annum attigerat, & exhauſtum laboribus corpus, Epiſcopatum autem per annos ſedecim ita adminiſtratum eſſe, ut plus quam integer annus, ut ait,

(b) *Cauſæ recuſationis præcipuæ.*

tranſ-

A. 1544. transiturus esset, antequam vel culina instrueretur, quod si non faceret, vituperium se non esse evitaturum. Dicebat autem cum Apostolis *Act. VI. 2. Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* In Episcopatu illo tantas in rebus politicis & oeconomicis curas requiri, ut per eas penitus a studiis & concionibus distraheretur, id quod mortem sibi allaturum esset. Christi quoque dictum obstare *Luc. XXII. 25. 26. Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Deesse praeterea idonea ad sumtus, quos munus episcopale requirat, media. Praelaturas enim summas & pingues, quae olim sua impensa operam in functionibus episcopalibus, jurisdictionibus, visitationibus, legationibus, multisque aliis rebus contulerint, jam nihil amplius conferre, sed Episcopo soli onera illa omnia injungi, quibus in tam spatiosa provincia par esse non posset. Multa ablata esse ex bonis Episcopatus, (utique non ex Lutheri aut sua doctrina) & donationes Principum allegari, quae nisi restituantur, facultates, per quas Ecclesiis & scholis succurreretur, defuturas, & spem Pastorum, qui a se praesidium expectassent, interituram esse; se vero cessante, fore, ut ipse ad mortem usque affligeretur, aut, dum istis curis tempus consumeret, primaria Episcopi munera, doctrinam inprimis, negligere cogeretur. Denique scandalum dari a se hostibus Evangelii non debere, qui dicturi sint, Episcopos a sedibus suis per novos Doctores dejici, easdem vero jam ab his conscendi, manifesto documento, quod in taxando regimine Episcopali non quaesivissent honorem Dei. *Recusabo itaque,* ait, *ad honorem Evangelii, omnem illam Episcoporum dignitatem & pompam cum jurisdictionibus & opibus, sicut jam binos Episcopatus* (in Dania forte) *rejeci.* Cum vero urgeretur, ut saltem ad annum conditionem acciperet, etiam hoc negavit, tum, quod elapso illo tempore, idem inter Duces certamen renasciturum esset, tum quod nova sibi expostulatio & contumelia expectanda sit, si non maneret. Addit, se jam ante aliquot annos in Pomerania, poscentibus id Ducibus, & cum venia Electoris, fuisse, & reformationi Ecclesiae, muneribus vere Episcopalibus, operam impendisse; culpam non suam, sed politici regiminis esse, si non omnia successerint. Ad unum hoc sese offerebat, si prius constitutus fuerit alius Episcopus, quod, indultu Electoris, modo aetas & corporis vires id patiantur, in *Pomeraniam* iterum proficisci & ad ordinationem Ecclesiae denuo operam conferre vellet; hunc laborem vere esse Episcopalem. Multis inde gratiis pro honore sibi a Ducibus oblato actis, suadet, ut alium quendam virum, etsi *Doctoris Theologiae* titulo publice non ornatum, deligerent, qui tamen pius esset, & Christianam doctrinam intelligeret, paratusque foret, non solum, ut visitaret, sed &, ut in praecipuis Ecclesiis aliquando concionaretur: Id populo ad concordiam doctrinae servandam, & ad autoritatem Episcopo conciliandam utile esse. Malum pudorem Episcoporum olim fuisse dicit, quod concionandi munus defugerint, cum tamen Christi ministri esse velint, qui ipse, licet filius Dei, & omnium Episcoporum Episcopus, hoc munus in terris non detrectaverit, sed praecipue exercuerit; servum autem non esse supra Dominum. Episcopum praeterea illum idoneum esse debere ad regimen episcopalis ditionis politicum; adjungendum autem ei esse eruditum & exercitatum Theologum, qui & concionari ejus vice, & in spiritualí administratione consilia dare possit. Peregrinum accersendum non esse; commendat ergo ex nobilitate patria *Bogislaum Kleistium, Jacobum Putcammerum, D. Balthasarem a VVolde, Mauritium Damitium;* esse etiam alios indicat, ex quibus Duces vel unum conjunctim, vel singuli unum, qui sibi placeat, nominare possint, ex quibus alter ad exemplum Matthiae *Act. I.* sorte eligeretur. Haec, meo quidem judicio, animum viri non vulgarem, suaque sorte contentum, & vera atque genuina sacri muneris officia, minori licet cum utilitate aut dignitate conjuncta, majoribus & splendidis, sed curis & opibus mundi implicitis, pia generositate praeferentem ostendunt. Vixit quidem post id tempus annos fere quatuordecim, sed valde debilitato circa extrema vitae tempora corpore, diemque suum placide obiit d. 20. April. 1558.

(c) *Oblatio quaedam ejus & consilium.*

An. 1544. Venerunt sub finem anni ad Electorem Saxoniae & Landgravium (*Reg. H. fol. 574. n. 187.*) Legati a *Guilielmo* Brandenburgico, *Archiepiscopo Rigensi*, *Matthias* Unverferth Cancellarius, & *Georgius a Rosa*, Praefectus Troedensis, qui de Senatu urbis Rigensis, quae in foederis Smalcaldici protectione erat, multa questi sunt. Sed his illa de bonis episcopalibus & jurisdictione in urbem, quam ex dimidia parte Archiepiscopus, ex altera Magister Ordinis equestris Livonici sibi vindicabant, potissimum vertebatur. Interim apud Proceres Evangelicos Archiepiscopus insimulabatur, ac si religioni Evangelicae non satis aequus esset. Is vero per Legatos suos hosce professus est, se purissimae Evangelicae doctrinae addictum esse, detexit etiam molimina aulae Caesareae, quae Magistrum Ordinis, *Johannem Reckium* (von der Recke) & quosdam *Livoniae & Curlandiae* Episcopos, secretis mandatis instruxerat, ne posthac ullum ad Archiepiscopatum pervenire sinerent, qui veterem religionem non profiteretur, a se etiam postulari dicebat, ut consecrari se in sacerdotem faceret. Intercessit postea pro eo frater ejus *Albertus Borussiae Dux*, & de religione ejus confidere jussit Proceres Smalcaldicos; retulit etiam, reformationem ab eo apud subditos susceptam esse, at non solum equites Ordinis, sed & quosdam in ipsa urbe *Riga*, in veteri haerere superstitione, aut clam ei favere. Interponere quidem Elector & Landgravius autoritatem suam volebant, ut sincera inter Archiepiscopum & urbem concordia coiret, sed res in longum extracta, & fractis postea Protestantium in Germania viribus, in turbas conjecta est, quae bellis Polonicis, Suecicis & Moscoviticis, Livoniae exitialibus, causam dederunt. Factum tamen singulari Dei gratia, ut, inter tot rerum atque casuum revolutiones, nihilominus vera doctrina in *Livonia*, & in metropoli ejus *Riga* locum obtinuerit, eoque beneficio ad hunc usque diem sub Regum Sueciae, Dominorum suorum, orthodoxae religionis vindicum potentissimorum, protectione fruatur.

(d) *Legatio Archiepiscopi Rigensis ad Electorem & Landgravium, & quaedam de rebus Livonicis.*

Supersunt pauca quaedam ex anni hujus actis notanda. *Albertus* Borussiae Dux, de cujus pio in reformanda religione studio saepius dictum est, hoc anno ordinationem Ecclesiasticam anno 1525. & 1530. publicatam, denuo, ex comitiorum provincialium decreto, recudi fecit, & novis constitutionibus quibusdam auxit, inter quas sunt, ut Pastores singulis confitentibus absolutionem pronunciarent, exorcismi formulam in celebratione baptismi non omitterent, in sacra Coena, post consecrationem panis, statim ad ejus distributionem procederent, eaque facta vinum consecrarent & praeberent. Additum tamen fuit in fine monitum, de non constringendis per ritus conscientiis. Haec atque alia annotavit *Harthnoch. Lib. II. cap. 1. histor. Eccles. Boruss.* Cum vero exiguus hominum eruditorum in Borussia numerus esset, qui Ecclesiarum & scholarum ministerio praeesse utiliter possent, ita ut plerunque peregrini accerserentur, *Albertus* Dux non solum in urbe *Regiomontana* anno 1541. Gymnasium particulare instituerat, sed & hoc anno 1544. Academiam fundavit, privilegiis & immunitatibus ornavit, & bonis legibus firmavit, de quibus videri potest autor jam allegatus *d. l.* Primum autem novae Academiae Rectorem constituit *Georgium Sabinum* Jur. Doct. virum doctum, elegantem inprimis poetam. Is non vulgariter in Marchia natus, *Schulerus* vocabatur, antequam *Sabini* nomen assumeret. Gener fuit Melanchthonis, qui tamen mores ejus non semper probavit, ut ex familiaribus ejus ad Camerarium literis intelligitur.

(e) *Acta quaedam Alberti Borussiae Ducis, inprimis in fundatione Academiae Regiomontanae.*

Consultus hoc anno *D. Pontanus*, Excancellarius Saxonicus, a *Johanne Comite Schaumburgensi* in Austria superiori, cujus parenti *Georgio* Ferdinandus Rex severe, & dictata gravi, ni pareret, poena, praeceperat,

(f) *De exercitio religionis in Austria Pontani responsum.*

A. 1544.

rat, ut concionatorem Evangelicum, jam antea Austria pulsum, a Comite vero *Eferdingæ* receptum, dimitteret; respondit d. 20. Jul. (*Reg. H. fol. 571. n. 186.*) quia Comes non esset inter Ordines Imperii, & hucusque obtineri non potuerit, ut provincialibus libertas religionis, invitis Principibus, permitteretur, parendum esse Regi, & causam Deo commendandam.

(5) *Conatus Episcopi Monasteriensis in reformanda diœcesi.*

Hoc anno in *Monasteriensi* Episcopatu, qui ditionem sive provinciam, inter amplissimas Germaniæ referendam, habet, reformatio religionis in Comitiis provincialibus publice ab Episcopo commendata est. Erat is, alibi jam memoratus, *Franciscus* ex *Waldeccensium* Comitum illustrissima familia, qui & *Osnabrugensem* & *Mindensem* Episcopatum regebat, & jamdudum Evangelicæ doctrinæ favere cœperat, unde &, eo connivente, in urbibus primariis, *Monasterii*, *Osnabrugæ* & *Mindæ*, locus illi fuit, nisi quod *Monasterii* Anabaptistarum furor omnia turbaverat. Nec deerant ex nobilitate plurimi, minorumque oppidorum incolæ, qui reformationem desiderarent, quidam etiam veteres superstitiones jam mutaverant. Sed collegia *Canonicorum*, aut ex illis plerique suis dignitatibus & reditibus metuentes, & morum emendationi adversantes, acriter repugnabant. Episcopus cum *Hassiæ Landgravio* intimam colebat amicitiam, ejusque consiliis ut plurimum obsequebatur, paratus, si per se stetisset, cum omnibus Episcopatibus sive provinciis suis fœderi Smalcaldico sese jungere. Sed obstacula a Capitulis cathedralibus validissima erant. Memorari vero merentur, quæ hoc anno, ut dicere cœpi, in conventu Ordinum Monasteriensium gesta Cancellarius Episcopi, *Nicolaus Meyerus*, d. 18. Aug. ad Landgravium scripsit: (*Reg. H fol. 580. n. 189.*) Refert: Episcopum quidem de religione ab initio in propositione sua ad Ordines nullam mentionem fecisse, sed a Capitularibus illico productum & intimatum Ordinibus fuisse mandatum Cæsareum, quo jubebatur Capitulum, ut veteres ritus Christianos eodem, quo in Cathedrali templo, modo ubique servaret; testati itaque sunt (ut ex relatione *Meyeri* intelligitur) Canonici publice, se mandato illi Cæsareo obsecuturos esse, & postularunt, ut Episcopus innovationes circa sacra, quas in quibusdam Episcopatus locis fecisset, aboleret, & mandati transgressores puniret. Ad ea Episcopus respondit: se, qui tamen Princeps regionis esset, mandatum a Cæsare non habere: id vero, quod Capitulo datum esset, secundum decreta Comitiorum *Ratisbonensium* interpretari, ita ut religio & cultus servari eo statu deberet, qui a se aliquibus in locis ad normam fidei Christianæ & veteris atque Apostolicæ Ecclesiæ ritum formatus esset, sibi enim tum ex decreto illo, tum jure Principis incumbere, ut populum Christianum in provincia sua ad doctrinam Evangelii & disciplinam Christianam, per concionatores pios & evangelicos, instrui faceret; summe profecto necessarios esse Pastores, qui concionibus suis pœnitentiam & remissionem peccatorum populo annunciarent, eumque docerent servare omnia a Christo præcepta: Deprehendisse enim Episcopum magno cum dolore, populum vera notitia pœnitentiæ minime imbutum esse, immo male informatum, ut gratiam Dei apud statuas, reliquias, & in ceremoniis, quas non intelligerent, quæreret, fidem vero in Jesum Christum negligeret, quæ tamen nunquam esset sine contritione & dolore de peccatis, nec absque charitate & studio operum vere bonorum. Præterea Sacramenta Baptismi & S. cœnæ eo cum intellectu, eaque fide & devotione administrari & recipi debere, ut homines vere uniantur cum Christo, & in fide magis magisque confirmentur: Verum duo hæc Sacramenta, cum contemtu redemtionis a Christo factæ, distribui, ut vulgus Christianorum prope ignoret, quid in illis a Christo sibi exhibeatur. Venerandum vero corporis & sanguinis Christi Sacramentum plane contra institutionem Christi, & Apostolicæ Ecclesiæ morem, in Missis tractari, absque explicatione doctrinæ Evangelicæ & commemoratione mortis Christi; præterea turpissimam Simoniam & lucri cupiditatem exerceri. In reliquis ritibus & ceremoniis Ecclesiæ, cantibus puta & precibus, quæ omnia ad instructionem totius populi, & ad incrementum fidei Christianæ tractari deberent, Sacerdotes & clericos ipsos ignorare, quæ cantent, legant aut agant; peragi omnia absque cordis attentione, & absque sui aliorumque emendatione: Hoc coram Deo summe abominabile, & a Prophetis sæpe condemnatum esse. Notum præterea omnibus esse, quod sacerdotes & clericos deceat, ut sancte & inculpate vivant, & quod in ministerio Ecclesiastico tolerari non debeant, qui in flagitiis manifestis perseverent; quomodo vero cum vita & moribus Cleri in universum comparatum sit, neminem latere. His aliisque gravibus causis & ex officio suo motum fuisse Episcopum, ut aliquod, tenue licet, initium emendationis in quibusdam provinciæ locis, pura prædicatione verbi Dei & administratione Sacramentorum, ex præscripto divino, fecerit, spe fretum, fore, ut Ordines provinciæ universi ad præstandam Christianæ reformationi operam excitarentur, paratum etiam se esse, ut cum iis hac de re ulterius tractaret, non alio fine, quam ut obsequium Deo & verbo ejus sanctissimo præstaretur, neque se dubitare, quin de instituto hoc suo apud Cæsarem & omnes respondere possit. Quod si res aliter cadat, eademque ipse quoque obstacula & incommoda incurrat, quæ pro more seculi omnibus Prophetis, Apostolis & piis Dei famulis in regno Christi objecta fuerint, haud ignotum esse Ordinibus provinciæ responsum Apostolicum, violento illi Hierosolymitano consessui datum (*Act. V. 29.*) *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Longe autem melius & tolerabilius esse, hominum quam Dei iram in se concitare; Episcopum tamen Cæsari in rebus politicis præstiturum esse, quicquid debeat, ut hucusque fecerit. Hanc propositionem Ordines ex nobilitate & oppidis lubentissime audivisse refert Cancellarius, & optasse, ut Capitulum mandatum illud Cæsareum minime produxisset. At huic displicuisse Episcopi consilia, neque tamen aliud ei tunc opposuisse, quam, se nolle cum illo in disputationem de hac causa descendere, sed Cæsareum mandatum servaturos esse, sperare se in Eccle-

(6) *Episcopi responsum ad Capituli renitentiam, & propositio reformationis Ordinibus provinciæ facta.*

A. 1544.

Ecclesia sua Cathedrali etiam habere Evangelium & christianas ceremonias. Respondit Episcopus: se quoque cum iis disputare nolle, quæ vero benigna & pia mente monuerit, eo spectare, ut cultus divinus reformetur & abusus aboleantur; qui igitur ex ordinibus admittere hoc nolint, eos se non coacturum, interim nec ab Evangelio discessurum, nec prædicationem ejus in locis, ubi vigeret, abrogaturum esse, constituisse potius, Deo juvante, in reformatione pergere, neque ob hanc ulli pœnam indicere. Subjungit Cancellarius, majorem Senatus urbis *Monasteriensis* partem (exceptis nempe duobus Consulibus, & quibusdam ex senioribus, Clero pertinaciter adhærentibus) Evangelii doctrinam desiderare & reliqua oppida fere omnia magno cum gaudio eandem receptura esse; non tacet tamen, quod in locis, ubi recepta sit, ob defectum sufficientis inspectionis non constet, quam idonei sint concionatores, & esse, qui non satis pie viverent; Rogat itaque Landgravium, ut assistat Episcopo, & ex Theologis suis *M. Adamum* (*Cratonem sive Fuldensem*) atque duos tresve pios & placidos concionatores mittat, qui in locis, ubi Evangelium docetur, visitationem instituant, aut poscentibus id civibus reformationem alibi etiam ordiantur; Opus postea esse, censet, ut ex *Marpurgensi* & *Wittenbergensi* Academia submittantur, qui ministerio Ecclesiastico fungi possint. Spem etiam nasci significat, eoque plurimos ex Abbatibus inclinare, ut in cœnobiis monachi juniores in Theologia erudiantur, modo haberi possint, qui eos doceant. Episcopum desiderio Evangelii flagrare, neque ei ab ullo, quam a Landgravio, efficacius succurri posse. Tanta spes melioris & purioris in religione status provinciæ illi tunc affulsit. Quid enim verius, melius, aut sanctius dici potuit, de morbis & remediis Ecclesiæ, quam Episcopus tunc proposuit? Sed Deo justissimæ, nobis licet parum cognitæ, causæ fuerunt, ut impulso Pontificis consiliis ad progressum reformationis acrius inhibendum Cæsare, & secuto post biennium bello Smalcaldico, intentio Episcopi optima successu destituta fuerit. Capitulum tamen, cum Episcopus anno 1547. *a Paulo III.* ob intentatum defectionis a fide Catholica crimen Romam citaretur, defensionem ejus, teste *Chytræo Lib. XVI. fol. 482.* suscepit, illa potissimum celebrans, quæ contra Anabaptistas gesserat, unde conjici potest, eum, post prostratas Protestantium vires, consilia de reformandis Ecclesiis deseruisse. Affixerunt eum postea turbæ inter *Brunsuicenses Duces*, *Albertum Brandenburgicum*, aliosque exortæ. In his invidia veteris cum *Landgravio* societatis oppressus, & opibus suis, capta inprimis arce *Iburgensi*, quæ Osnabrugensis Episcopatus sedes est, spoliatus, immo ab Episcopatibus omnibus exclusus, in urbe Monasteriensi veluti exul delituit, & civium benignitate sustentatus, tandem tot calamitatibus fractus d. 15. Jul. 1553. decessit. vid. *Chytr. Lib. XVIII. fol. 519.* adde eundem *Lib. XII. fol. 366.* ubi eum a pietate, sapientia, justitia, clementia & humanitate, atque adeo, ut optimum & laudatissimum Principem, commendat.

(7) *Cancellarii Monasteriensis literæ & consilia ad Landgravium.*

(8) *Alia quædam de eventu secuto.*

De indictione Concilii renovata, cujus mentionem facit *Maimburgius*, cum *Paulo Veneto* litigat *Pallavicinus*, & Pontificem serio ac lubentissime ad indictionem illam progressum esse, nec Cæsaris aut Galliæ Regis admonitione opus habuisse contendit, non negans tamen, Cæsarem hanc apud Germanos laudem captasse, ac si se potissimum autore Concilium indiceretur, idque missis ad Principes Legatis insinuasse. vid. *Lib. V. cap. VII. §. 9. & seqq.* Et ista sane non sine fundamento pro Pontifice allegari videntur, cui jam pleræque suspiciones de Concilio exemtæ erant. Debiliora sunt, quæ *Veneto* opponit §. 8. putat enim, sine causa imputari Pontifici, quod Italos potius Episcopos, quam Transalpinos, in Concilio comparere optaverit: Italiam enim vix pro quinta parte Pontifici subjectam esse. Sed experientia comprobatum est, non temere judicasse *Venetum*; Episcopos enim Italos aulæ Romanæ vel favoribus vel rigoribus expositos, etsi diœceses suæ in aliorum Principum clientela sint, plus, quam alios omnes, ad Pontificem respexisse, dubitari non potest. Altero post *Bullam* indictionis publicatam die consuetam cautelam adhibuit Pontifex, condito d. 20. Novemb. edicto, quo, sede vacante, durante licet Concilio, electio Cardinalium collegio asserebatur. Mox d. 3. Decemb. ad Helvetiorum pagos scripsit (vid. *Raynald. n. 31.*) hortatus, ut motas de religione controversias ad Concilium referrent, suosque oratores ad id mitterent. Vocavit etiam Cardinales absentes, ut ad *d. 6. Jan.* anni sequentis Romæ adessent, & de gravissimis causis in Concilio tractandis in medium consulerent: Speciatim invitatus fuit *Moguntinus*, d. 10. Decemb. Preces quoque Pontifex pro successu Concilii per urbem & orbem Christianum indixit, & d. 12. Dec. processioni institutæ cum toto purpuratorum Senatu ipse interfuit. *Raynald. n. 43.*

A. 1544.

(9) *De indictione Concilii, aliisque quibusdam Pontificis actis.*

ADDITIO III.

Hoc anno *Rotenburgi ad Tubarim* Evangelicæ religionis exercitium publica autoritate constitutum est. Retulit id *D. Joh. Ludovicus Hartmannus*, Superintendens Rotenburgensis, piæ memoriæ, in concione *Dom. Lætare anno 1672.* habita & typis excusa. Meretur tamen claritudo urbis, inter imperiales non postremæ, & in Franconia, patria mea, celebris, ut hic quoque locum inveniat narratio illa, cum præsertim libelli illi exigui ætatem ferre, aut satis innotescere non soleant. Dudum multi ex Senatu & civibus puriori religioni addicti erant, & ut supra §. *XXIV. n. 3.* retulimus, jam anno 1533. Lutherus Senatui *M. Georgium Schnellerum*, Rotenburgi natum & VVittenbergæ eruditum, commendaverat, qui Evangelicas conciones haberet. Laudat inter alios *D. Hartmannus* Consulem *Johannem Hornburgerum*, qui Lutheri & Melanchthonis discipulus fuerit, & anno 1543. commentarium in Psalterium egregium ediderit, cum præfatione *Joh. Brentii*; *Bonifacium* quoque *Wernizerum*, itidem Consulem, qui anno 1530. confessionem Evangelicorum Augustæ recitari audiverit. Multa tamen obstiterunt, quo minus universalis & publica in urbe & ejus ditione reformatio procedere posset, nec parum, credo, nocuerat tumultus rusticus, quo urbs afflicta fuerat, & potentia vicinorum, reformationem aversantium. Anno autem hoc 1544. licet in magno periculo res Evangelica versaretur, Deus tamen Proceribus urbis animum dedit, ut destinata prudenter & fortiter perficerent. Convocarunt die Lunæ post Invocavit (d. 3. Mart.) omnes Pastores, & per delectos interrogarunt, an Evangelicam doctrinam profiteri & docere vellent?

(1) *De reformatione Rotenburgi ad Tubarim.*

An-

A. 1544.

Annuerunt omnes, excepto uno, *Diacono ad D. Blasii.* Missi inde sunt *Hornburgerus*, Consul supra dictus, & *Joh. Krebsius* Norimbergam, ad accersendum doctum quendam concionatorem Evangelicum: impetrarunt autem ad tempus *Thomam Venatorium*, alibi a nobis nominatum, ad D. Jacobi Ecclesiasten. Is *Dominica Laetare* (incidit tunc, ut ephemerides ostendunt, in *d. 13. Mart*) primam concionem Evangelii in templo Rotenburgensi parochiali, itidem D. Jacobo olim dedicato, habuit, & Pastoris munus cum summo omnium gaudio & applausu per menses sex continuavit. Paulo ante in aede Franciscanorum concionari coeperat contra Papatum *Caspar Dietenbohius*, & in aede Xenodochii *Henricus Reunerus*, item in pago Urbi subjecto VVindelspach *Andreas Seilerus*, monachus antea Dominicanus. Redeunte ad sua *Venatorio*, expetitus quidem VVittenberga fuit *D. Georgius Major*, sed missionem ab Electore Saxoniae impetrare non potuit. Advenit etiam *D. Erasmus Alberus*; sed mox alio vorsum, (Magdeburgum ut puto,) vocatus est; successit itaque commendatus a Melanchthone *M. Sigumundus Staudacherus*. qui tamen non nisi ad d. 7. Febr. 1546. superfuit. Successores caeteri ad annum usque 1561. ab *Hartmanno* nominatim recensentur. Ad veritatem autem Evangelicam non modo oppidum, sed & religiosi utriusque sexus laeti & lubentes sese converterunt, ita ut paulo post, (anno 1546.) non nisi unus monachus & duae moniales vetulae superessent. Incredibilis omnium zelus in studio religionis & audiendis concionibus fuisse perhibetur, ita ut homines, publice in templis in genua provoluti, Deo cum lacrymis pro liberatione ex superstitione veteri gratias agere consueverint. Afflicta quidem fuit urbs cum aliis edicto Carolino anno 1548. & ad cultum illum, quem vocabant *interimisticum*, adigi coepit; sed haud diu duravit calamitas illa. Post pacem enim Passaviensem quietum religionis Evangelicae exercitium ad hoc usque tempus divino beneficio urbs retinuit. Ordinationem postmodum Ecclesiasticam, cum consilio *D. Jac. Andreae*, publicavit Senatus, Consistorium ex tribus Ecclesiae ministris Evangelicis & totidem Senatoribus constituit: Paedagogium anno 1559. in monasterio Franciscano ordinavit, dein cum numerus scholarium ad quingentos excresceret, novum aedificium extruxit.

(b) *Nomina concionatorum, & alia quadam.*

§. CXVIII.

Ex scriptis Lutheri Latinis hoc anno in Tomos Jenenses nihil relatum est. Prodierat quidem pars *praelectionum in Genesin*, sed ea, cum reliquis anno 1545. absolutis, uno volumine postea edita fuit, ut in loco referemus. *Tomo VIII. Germanico Altenburg.* inter ea, quae anno 1544. scripsit Lutherus, primum locum occupat *fol. 345. & seqq.* tractatus, qui inscriptus est; *Brevis confessio de Sacramento* (Kurtze bekäntnüß vom H. Sacrament.) Occasionem scribendi, ipse Lutherus indicat, datam sibi esse a *Caspare Schwenckfeldio*, quem, ut §. *CXII. n. 14.* retulimus, scheda, nuncio ejus, ad se misso, data, acriter offenderat. Hunc magna adversum se convitia spargere dicit, & cum in schedula illa *Schwenckfeldium* cum Sacramentariis una censura perstrinxisset, hos quoque sibi iratos esse affirmat, neque tamen aegre fert, se illis invisum esse, cum non neget, se istos, & nominatim *Carolostadium*, *Zuinglium*, *Oecolampadium* cum Schvvenckfeldio & Tigurinis, qui eos sequantur, condemnare, minime vero cum iis in articulo de Sacramento (ut diffamari se audiat) consentire. Id publico hoc testimonio, quod morti proximus ad tribunal divinum allaturus sit, confirmaturum se esse profitetur. Postea *fol. 353.* hac quoque ratione ad scribendum permotum se esse insinuat, quod ob abrogatum anno proxime praeterito ritum elevationis in suspicionem Zuinglianae doctrinae se venisse perceperit. Alias vero causas *Peucerus*, *Pezelius*, aliique hariolati sunt, quos secutus est *Hospinianus Part. II. hist. Sacrament. fol. 189.* quod nempe Medicus quidam Zuiccaviensis *D. Stephanus Wildius*, a Luthero hospitio exceptus, cum vino incaluisset, narraverit, egregios in Misnia viros ex abolitione illa elevationis argumentari, Lutherum Helvetiorum sententiae accessisse, praesertim cum a multis annis nihil contra eos scripsisset; addidisse *Wildium*, autoritatem ejus hoc modo labefactari; & inde incitatum Lutherum fuisse, ut statim profiteretur, se contra Helvetios scripturum esse. Avide narratiunculam hanc arripuit *Bossuetus*, in opere suo *de Variationibus Lib. VI. n. 12.* & praeterea ex convivio illo generatim colligit, Lutherum aliosque reformatores poculis indulsisse, nec vitium illud magis, quam alia, corrigere voluisse. Sed, utut ab omni naevo absolvere illos nolim, scio tamen, morum emendationem, & speciatim ebrietatis evitationem, sedulo ursisse Lutherum, miror que *Bossueti* rigorem, qui hospitis excessum Luthero imputat, & a reformatoribus nostris exigit, quae nec ipse nec omnes Episcopi aut Pontifices per tot secula vel ipsi vel in Ecclesiis, quibus tamen despotice imperant, praestiterunt. Ut enim non solum vinositatem, sed & longe graviora flagitia, non in populo suo tantum, sed & in Praelatis & Clero ferant, res loquitur. Ajunt etiam, Lutherum offensum fuisse, quod Tigurini aliam versionem Bibliorum Germanicam procurassent. Sed missa circa scribendi occasionem disceptatione, ex contentis libelli ipsius quaedam videbimus. Narrat ab initio Lutherus, ut ipse & socii ante annos quindecim *Marpurgi* cum *Zuinglio* & *Oecolampadio* de multis articulis vere Christianis transegerint, sed in quaestione de Sacramento haeserint, promissa tamen amicitia & omissione certaminis, cum spes esset, Deum, precibus exoratum, daturum esse intellectum conformem, neque se parvam concepisse fiduciam, cum *Zuinglius* & socii tot bonos articulos concessissent, (neque enim, ut paulo post *fol. 346.* monet, se vel in uno ad illos, sed hos ad se in omnibus, excepta causa Sacramenti, transiisse) fore, ut etiam de hoc unico conventio esset aliquando secutura. At prodiisse (inter opera Zuinglii tunc denuo edita) libellum ejus, qui titulum habet; *Expositio fidei Christianae*, ab eo post colloquium Marpurgense paulo ante mortem compositum, & Regi Galliae inscriptum. In hoc se cum horrore legisse dicit Lutherus, quae de salute Ethnicorum asseruisset *Zuinglius*, & inde profanam ejus mentem, & quod Marpurgi serio non egisset, collegisse; ab illo etiam tempore omnem spem de iis, qui sententiam Zuinglii sequerentur, abjecisse; revocat inde in memoriam omnia, quae illi contra doctrinam suam de Sacramento acerbius scripserant aut dixerant, omniaque convitia de *Deo panaceo*, *de Capernaitis*, *Anthropophagis*, *coenis Thyesteis* & similia. Ea vero tanto iniquius & protervius in se suosque spargi & Papisticum errorem sibi objici dicit, quanto evidentius constet, se tam cruda & carnalia

(1) *Lutheri brevis confessio de Sacramento.*

(2) *Contenta Libelli.*

A. 1544. carnalia non docuisse, cum neque in Papatu talia sint audita. Neminem enim statuisse, quod corpus Christi frustatim comedatur, aut sanguis particulatim hauriatur, sed secundum veterem illum in *festo corporis Christi* hymnum dici; *sumit unus, sumunt mille, tantum iste, quantum ille, nec sumtus absumitur.* Summe itaque exaggerat contumeliosa illorum scommata, quibus omnino, ob reverentiam Sacramenti a Christo instituti abstinere debuissent, etsi verum esset, quod falso sibi persuaserint, in Cœna non nisi panem & vinum exhiberi. Subjungit verba illa *fol. 347.* quæ & Helvetios vehementer offenderunt, & Pontificiis veteribus novisque magnam conviciandi ansam dederunt, noviter a se inventa, quæ Diabolo plenos esse Zuinglianos indicare videntur. Durissima sane sunt, sed non nisi sub conditione & per modum retorsionis scripta, adeoque non satis bona fide a censoribus allegata. Ait enim: *Ego illorum Deum (sicuti illi nostrum* impanatum *vocant) etiam nominare potuissem, idque adhuc facerem, nisi nomini divino parcerem, illosque vocare possem vero nomine non solum* panivoros *&* vinibibos, *sed animarum devoratores & interfectores & indiabolatos &c. qui mentes & linguas blasphemiis repletas haberent*, & quæ sequuntur, ab *Hospiniano fol. 187. & seqq.* crude satis relata. Utique charitati Christianæ convenientius fuisset, quæ Lutherus, scommatibus acerrimis irritatus, non tam opposuit, quam opponi a se posse, si vellet, ostendit, pro pure dictis non venditare. Sed quæ ab utraque parte (*Tigurini* enim anno sequenti vehementissimam refutationem publicarunt) ultra modum dicta sunt, mutari jam non possunt, & pro *Luthero* multa adduxerunt autores apologiæ, *Wolfio* oppositæ, sæpe citati in anni hujus actis, *fol. 344. & seqq.* Reliqua libelli hujus referre, & quæ de Lutheri & Melanchthonis simultatibus inde ortis dici possent, item, quomodo *Bucerus* se in renovata hac rixa gesserit, prolixe enarrare, instituti mei non est; extant plurimæ relationes ab utraque parte editæ. De *elevatione* vero, cujus Lutherus in hoc tractatu *fol. 353.* mentionem facit, satis dictum est §. *CXII. n. 15. & seqq.* Progredimur ad alia.

(3) *Concio Lutheri in festo Michaelis.*

Ex concionibus Lutheri *fol. 356. & seqq. d. Tom. VIII.* refertur primo ea, quam habuit in *festo Michaelis* ad lectionem *Apoc. XII. v. 7. & seqq.* In exordio, cum pauca disseruisset de Angelis creatis, statim tractare incipit de Angelo increato, sive de filio Dei Jesu Christo, fide enim in hunc verum Deum & hominem, fundamentum totius Christianæ doctrinæ niti, eoque pertinere notat omnia, quæ de Deo, de Angelis, de cœlo & inferno, de morte & vita docent. *Qui istum articulum de Christo non credit ex animo, illi* (ait) *nihil prodest, quicquid de Deo aut rebus divinis audit aut legit, neque quidquam ex iis capiet aut intelliget, licet Biblia legat; suadendum potius ei est, ut missa faciat Biblia, aliaque omnia legat; hic enim liber tantum docet filium hunc Dei, a patre ab æterno genitum, & in orbem missum, ut caro & sanguis noster fieret ex semine Davidis, & corpore Mariæ virginis. Qui hæc serio & ex animo non credit, nec ante omnia, quæ in mundo sunt, solatium, gaudium & delectamentum in hoc quærit, ille nunquam doctus fit in Scripturam, totamque ignorat creaturam, immo melius ipsi foret, si nihil unquam de Scripturam audivisset.* Hoc contra eos, qui hodie articulo de divinitate Christi contradicunt, & tamen Christiani esse volunt, probe notandum est. Addit narrationem, seu fabulam potius, ut ipse judicat, in Papatu recitari solitam de Diabolo, qui quendam percusserit, qui ad verba Symboli; *incarnatus de Spiritu sancto & homo factus est*, cum cæteris, ex veteri more, genibus in terram non procubuisset. Docet inde, quale sit regnum Christi, & pugnam draconis cum Angelo, sive potius cum Christo, quem per Michaelem intelligit, in regno gratiæ sive Ecclesia fieri, vel potius destructo *Arianismo*, factam esse censet; quamvis de lapsu dæmonum a quibusdam Doctoribus explicatus hic locus Apocalypticus fuerit. Deplorat inde certamina non solum cum Pontifice, sed & cum novis sectariis, iisque fortiter repugnandum esse monet. Egregia sunt, quæ de gaudio ex fide & victoria contra Satanam, quam pii reportant, *fol. 362.* commentatur. Altera, quæ *fol. 369. & seqq.* refertur, concio habita est *Dom. XVII. post Trinit.* in sacelli arcis *Torgaviensis* inauguratione. Primum ædificium sacrum in Saxonia fuit, quod a cœpta reformatione exstructum erat, ideoque Elector Saxo, omissis ritibus veteribus, non nisi concione verbi divini & precibus, ceremoniam initiationis peragi voluit, accersito *Luthero*, qui primum sermonem sacrum in eo haberet. Atque hæc duo, verbi nempe divini prædicationem & preces ad consecrationem sufficere, neque chrisma aut suffitum Episcoporum requiri, in præloquio monuit Lutherus. Tractavit inde textum Evangelicum *Luc. XIV. v. 1. 11. Dominica* illi assignatum, disseruitque tum de Sabbatho veraque ejus colendi ratione, tum de vitando studio proedriæ, sive prælationis. Quoad Sabbathum, sive septimum diem, ad cultum divinum Judæis olim præscriptum, jus libertatis Ecclesiasticæ defendit, quo Dominica Sabbatho subrogata fuit, nam mutationem ex gravi causa, potestate & consensu Christianorum fieri posse non dubitat, non vero ex arbitrio singulorum; nec semel constituta, sine urgente necessitate, mutari, sed retineri debere monet, salva libertate Christiana. Rejecta inde superstitione Judaica, pium Sabbathi cultum in eo ponit, ut verbum Dei prædicetur & animo imprimatur ac recolatur, precesque ad Deum fundantur, id quod in cœtu, majori cum devotione & efficacia fieri ostendit. Loci certi ad cultum publicum, destinationem & accommodationem probat laudatque, sed si aliter res ferat, de loco non multum disceptandum esse docet, modo clancularia coitiones, Anabaptistis usitatæ, vitentur. Opinionem, quam de externa rituum observatione, neglecta interna mentis pietate, & omisso charitatis studio, vulgus concipit, & quam ipse olim in monachatu suo fovisse se fatetur, improbat & refutat, & Judæorum stultitiæ, a Christo reprehensæ, simillimam esse monstrat. Ad secundum Evangelii caput salubria monet de modestia Christiana, de cavendo studio prælationis, & extollendæ dignitatis suæ, & de contemtu aliorum

A. 1544.

(4) *Item in sacelli Torgaviensis inauguratione.*

A. 1544. orum vitando. Comparandum & retinendum quidem esse cuique locum a Deo assignatum, minime negat; sed unicuique pariter incumbere dicit, ut, se coram Deo meliorem alio, licet vilioris conditionis, minime esse, agnoscat. Taxat fastum hominum, speciatim nobilium, qui alios, præsertim eos, qui literis operam dant, contemtim *scribas* vocare & exagitare non uno modo solebant. In epilogo precatur Deum, ut Ecclesiam & verbi sui concionem servare, ædem hanc novam ab omni labe doctrinæ custodire, pacem Germaniæ tueri, adversariorum mala consilia frangere, & Principi atque omnibus patriæ ordinibus prosperos rerum successus largiri velit. Simplicia hæc esse & ornatu prope omni carere, satis patet, sed recte æstimantibus non nisi pia, solida & ad propositum sufficientia esse videbuntur. Edidit sermonem hunc post mortem Lutheri *D. Caspar Cruciger*, & d. 1. Octob. 1546. filiis Electoris, *Johanni Friderico* & *Johanni Guilielmo*, Principibus juventutis, dedicavit *fol. 367. & seqq.*

(5) *Quatuor conciones Lutheri de resurrectione mortuorum.*

Sequuntur quatuor conciones Lutheri ad dicta Pauli *I. Cor. XV. Prima* ad *d. cap. XV. v. 36. 37. 38.* Dominica Cantate anno 1544. habita *fol. 381. & seqq.* resurrectionis nostræ veritatem ex articulo de creatione, sive de omnipotentia Dei, demonstrat. Hoc enim argumento omnes dubitationes de promissionibus divinis, quæ ratiocinationi nostræ adversari videntur, vinci posse & debere, ostendit Lutherus, non pauca contra *Helvetios* de præsentia corporis Christi in cœna disputans. *Altera fol. 390.* post octiduum habita, ad *d. Cap. XV. 40–44.* populari quidem modo, sed perspicue & jucunde, explicatur restitutio corporum nostrorum ex cineribus veluti aristarum ex granis in terra computrescentibus, fructuum ex arbore per hyemem arida, & fœtuum ex semine exiguo provenientium. *Tertia fol. 398.* ad annum sequentem pertinet, habita enim est Dom. Voc. Jucund. 1545. *ad d. Cap. XV. v. 52. 53.* in qua egregie & pie disseritur de immutatione corporum in die novissimo, de sonitu tubæ, & de vigilantia, quæ Christianis judicium illud Dei credentibus & expectantibus incumbit. *Quarta* denique *fol. 405.* cui annus & dies non est adscriptus, tractatur dictum *Hos. XIII. 14.* a Paulo *d. cap. XV. v. 55. & seqq.* allegatum, & de victoria Christianorum contra mortem & peccatum angoresque conscientiæ multa præclare dicuntur. Refertur *Tomo* hoc *VIII. fol. 363.* præfatio Lutheri in libellum Germanicum *Justi Menii*, Pastoris & Superintendentis Isennacensis, contra Anabaptistas hoc anno editum. Laudat autem non solum argumenta, sed & stylum autoris, eumque longe præfert ei, quo *Carolostadius* & *Zuinglius* usos esse dicit, qui tam horride locuti sint, ut vix intelligi potuerint: sed *Zuinglium* quidem dialectus *Helvetica* excusare potuit; *Carolostadius* vero satis diu in Saxonia vixerat, ut emendare dictionem potuisset, sed is abstrusa fanaticorum vocabula improbo zelo sectabatur.

ADDITIO I.

Quadam ex præfati- *one Menii contra Anabaptistas.*

Quoniam liber *Menii* VVittenbergæ anno 1544. excusus ex Bibliotheca *Sereniss. Ducis Brunsuicensis*, mecum communicatus est, pauca de eo, ex autoris præloquio, quæ historiam illustrant, annotabimus. Inscriptus est *d. 3. April.* Senatui *Mulhusino*: In illa enim civitate *Menius* tunc Pastoris & Superintendentis vice fungebatur, missus illuc anno 1542. concedente Electore Saxoniæ & petente Senatu. Non tacet, quæ damna passi essent Mulhusini, *Munzeri* fraude decepti, nec convitia adversariorum, qui dictitabant, evitari malum illud potuisse, si in veteri religione perstitissent. Gaudere tamen cives jubet, quod post afflictionem illam ad cognitionem veritatis pervenerint, & ministerium Ecclesiarum & scholæ optime constitutum habeant, maxime vero laudat scholæ Magistrum sive Rectorem, quo meliorem optare non possint. In fine tractatus comparat autor statum temporis Sauli & Davidis cum illo, qui tunc erat, scribens: ***Quemadmodum, dominante Saulo, & in exilium ejecto Davide, plurimi absque dubio de justitia causa Davidica dubitaverint, ita & nunc non deesse, qui judicent, si doctrina Evangelica, quam Lutheranam vocent, vera esset, fore, ut illam quoque Principes & Proceres politici & ecclesiastici reciperent: Sed væ illis, ait, qui fidei suæ melius fundamentum non habent, quam ab homine, dicuntque, quæ hic tanta dignitatis aut tanta eruditionis vir probat & credit, ego quoque probabo & credam. Verum nostra fides firmius habet fundamentum in verbo Dei infallibili; respicit id & apprehendit, quod prophetæ, Christus & Apostoli docuerunt, licet totus orbis aliud crederet.***

(6) *Epistola consolatoria Lutheri ad Spalatinum.*

Ex Epistolis Lutheri hujus anni paucæ in d. *Tomo VIII.* referuntur. Præcipua est, qua *Spalatinum* d. 21. Aug. 1544. consolatur, magno animi dolore oppressum, ex quo etiam anno sequenti extinctus fuit. Afflixerat virum illum sexaginta jam annorum senem, curisque & laboribus confectum, turpitudo pastoris cujusdam, qui uxoris defunctæ novercam duxerat, & Spalatini consensum, nescio quomodo, impetravisse dicebatur. In exordio, effectus tristitiæ sibi satis notos esse, scribit Lutherus, tum suo, tum aliorum exemplo, nominatim Melanchthonis, cujus summum mœrorem in causa digamiæ Hassiacæ, & morbum periculosissimum inde anno 1540. Vinariæ contractum memorat, quem tamen Christus ore veluti suo resuscitaverit, ut alibi relatum fuit. Deinde casum ita concipit, ac si culpa in *Spalatinum* consentientem in flagitium illud, aut id non impedientem, reciderit; nihilominus tamen evincit, desperandum minime esse de gratia Dei, peccata non levia saltem, sed & gravissima remittentis. Narrat, se olim, cum in pari afflictione versaretur, & mortem fere ex animi ægritudine oppetiisset, a *Staupitio* erectum esse, dicente: *Tu ficititius & pictus peccator esse vis, sed scire debes Christum etiam eorum, qui veri, magni, & prorsus damnabiles peccatores sunt, salvatorem esse.* Verbis inde suavibus & emphaticis, ut frater fratrem, ad solatium ex gratia Christi capiendum hortatur.

(7) *Consolatoriæ alia, & quædam diversi argumenti.*

Consolatus etiam est *fol. 355.* d. 8. Jul. uxorem *Hieron. Baumgartneri*, Senatoris Norimbergensis, viri egregii, qui eo tempore, ob vetera ex fœdere Suevico contra Norimbergenses orta dissidia, a *Johanne Thoma* a *Rosenberg*, potenti & factioso in Franconia equite (cujus familia nostra ætate extincta est) in itinere captus erat, nec nisi post annum, inita inter Senatum & *Rosenbergium* pactione, liberatus fuit. Aliæ consolatoriæ præterea exhibentur ad Theologum quendam d. 1. Octob. *fol. 378.* & ad parentes, quorum filius, in Aca-

A. 1544.

Academiam studiorum causa missus, pie decesserat, d. 25. Octob. *fol. 378.* In *appendice Tomi VIII. fol. 1002.* literæ Lutheri producuntur ad *Prætorem Lipsiensem*, quibus is fœminam quandam, in ædibus suis famulatam, sed non unius maleficii ream, quam uxoris indulgentia impunitam evasisse dicit, urbe ejici, aut pro meritis castigari petit. Ibidem literæ leguntur, quibus apud *Pontanum* d. 16. Jun. de Jurisconsultorum sententia quadam in causa matrimoniali, ut & de venatoribus, qui colonos variis modis vexare dicebantur, acriter queritur.

(8) *Epistola Lutheri Latina ad Spalatinum, illa speciatim, qua præfatus est in libellum quendam ejus.*

Inter *MSS.* epistolas *Lutheri* Latinas, hoc anno datas, superest inter alias ea, quam *Spalatino* d. 30. Jun. scripsit, in qua litis illius cum Jureconsultis, de qua modo diximus, mentionem facit, tanto cum dolore, ut in vita sua, totaque causa Evangelii nunquam se perturbatiorem fuisse dicat. Sed ista viri afflictio sequenti anno vehementius erupit, ut narrabimus. At epistola, quam ad eundem *Spalatinum* d. 8. Mart. placidiori animo dedit, tota adscribi meretur; Licet enim præfationis loco libello *Spalatini*, in quo piarum consolationum exempla & sententias colligit, præfixa fuerit, nescio tamen an, aut ubi is hodie reperiatur. Est autem hæc: *Venerabili in Domino fratri Magistro Georgio Spalatino, Pastori Altenburgensis Ecclesiæ, & Superattendenti suæ diœcesis Ecclesiarum in Misnia fidelissimo & sincerissimo, gratiam & pacem in Christo Deo & Salvatore nostro. Placet mihi institutum tuum, mi Spalatine, nec dubito, quin Deo ipsi placeat & omnibus, qui Deum quærunt, quo collegisti Sanctorum Dei dicta & facta puriora. Pertinent enim hæc ipsa non solum ad obstruendum os loquentium iniqua contra nos, & obtrectantium nobis, quasi novas opiniones & dogmata feramus; verum etiam ad confirmandas nostras conscientias, tot testimoniorum & exemplorum veterum nube eruditas, qui eadem nobiscum senserunt, dixerunt, fecerunt & tulerunt. Nam etsi unicuique sufficere debet sua fides in verbum Dei, ut contra portas inferorum etiam sibi soli in acie standum sit: tamen, ut est, juxta Spiritum promtum, caro infirma, non levi aut parvo momento movetur pius animus, si viderit tot secula, tot exempla, tot excellentes homines ante & circa se similes sibi fuisse, & similia semper facta esse per illos, qualia nos ex Scripturis didicimus, & experientia quotidiana cognoscimus in nobis. Multa sunt quidem in sanctis hominibus, sicut & in nobis, quæ dixerunt & fecerunt secundum tyrannidem & legem peccati. Rom. VII. Quod volo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc facio, itaque non ego id facio, sed, quod in me habitat, peccatum &c. Taceo mendacia, quæ sunt in eorum historias per impios Diaboli ministros seminata; tamen, cum ventum est ad agonem & confessionem, videmus, quam pure & constanter fidem suam testentur. Quid potuit Ambrosius magis pie & fortius dicere, cum in agone suo novissimo contra peccatum, mortem, iram Dei & infernum, hanc vocem confidentissime edidit ad circumstantes sacerdotes: Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere. Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quam vocem S. Augustinus in suo quoque agone mirifice commendavit, ut refert Possidonius in ejus Legenda, & ipse quoque Augustinus sese hac voce sui ipsius solabatur contra conscientiam: (quæ est mortis sævissimum ministerium) Turbabor* (inquit) *sed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. Quis non videt, sanctissimos viros talibus verbis testari fidem in Christum, nudam quidem & solam, sed firmam & victricem mortis & peccati? Nam etsi vitam & opera sua judicent coram hominibus irreprehensibilia esse, (sicut decet & oportet) tamen coram Deo nituntur sola misericordia & bonitate ejus, tacitis meritis, & in vulneribus Christi, sicut columba illa in foraminibus petræ, (petra autem est Christus) volunt inveniri. Recte itaque & utiliter facimus, si sanctorum dicta & facta primum a mendaciis alienis purgemus, deinde verbum recte secantes, prudenter ad regulam seu analogiam fidei probemus, sicut docet Apostolus: omnia probate, quod bonum est tenete. Qua admonitione quid opus fuit, si sanctorum dicta & facta omnia, sine judicio, pro articulis fidei essent habenda? Non fuit eorum vocatio æqualis Apostolorum & Prophetarum vocationi. Sancti fuerunt, sed homines, & quorum Spiritus promtus patiebatur carnem non modo infirmam, sed & repugnantem. Ubi ergo Spiritu dominante loquuntur & operantur, sunt eorum verba & opera colligenda, ceu fragmenta Evangelica, ut quæ Dominus Christus in eis operatus sit, & vere sint Christi ipsius opera: Ubi vero carne adversante loquuntur & operantur, damnandi sane non sunt, sed excusandi vel tolerandi pro nostra certissima consolatione, quia videmus sanctos Dei nobis infirmis similes fuisse, & suam unamquemque in carne ista peccati circumtulisse infirmitatem. Hac causa volui tuum librum, mi Spalatine, invulgari. Sed tu deinceps tibi a laudibus meis tam grandibus, dicerem (nisi esset mihi tuus candor notus) falsis, temperabis. Scio, me esse nihil. In Domino bene vale, & ora pro me, ut feliciter migrem ex corpore mortis hujus & carne peccati hujus. Amen!*

(9) *Item Myconium.*

Paulo ante d. 23. Febr. *Myconium* ex pertinaci raucedine oppressum erexit, scribens: *Melius est te vivere semivivum, quam mori vocalissimum. Poteris consilio & autoritate Ecclesiis prodesse, etiam semimortuus. Et vides, quam sint necessarii veterani milites Christi, ut roboretur per eos succrescens & tenera adhuc pueritia eorum, qui nostrum locum sunt suscepturi. Etiamsi Spiritus sanctus omnia sine nobis possit, tamen non voluit nos frustra vocatos in ministerium, ut essemus organon ipsius.*

(10) *Quædam ex epistolis Lutheri ad Amsdorffium & ad D. Jonam.*

In literis ad *Amsdorffium*, Episcopum Numburgensem, d. 8. Mart. datis, in quosdam ex nobilitate ob avaritiam & dominandi in aulis cupiditatem non leves stringit censuras. Deinde cum fama ubique sparsa esset, Pontificem & Venetos clam contra Cæsarem cum Gallis & horum fœderatis Turcis conspirare, graviter in omnes invehitur, exclamans; *O Christianissimum Regem, o sanctissimum patrem! o catholicissimos Venetos! o ubi nunc sunt pecuniæ illæ infinitæ, contra Turcam, ex palliis, annatis, confessionalibus, indulgentiis &c. collectæ? scilicet pro Turca contra Christianos serviunt.* Similia fere questus est non multo post apud *D. Jonam*, d. 17. April. inter alia scribens: *Totus ubique commovetur & colliditur Orbis; sic certat verbum cum portis inferorum, ut*

necesse

A. 1544.

necesse sit, hanc commotionem corporum & animorum, maximam rerum mutationem afferre. Invisit hoc anno *Amsdorffium*, qui illum humanissime & liberaliter excepit, & abeunti Præfectum suum comitem, Wittenbergam usque dedit, cantharum quoque argenteum cum cochleari donum apud eum clam deponi jussit. Id cum non nisi post abitum Præfecti animadvertisset Lutherus, d. 27. Augusti datis ad *Amsdorffium* literis gratias egit: *Onerasti me*, scribit, *ignarum, & pene furem invitum fecisti rerum tuarum, quanquam tu fortasse Josephi exemplum interpretaberis, qui fratri suo Benjamin scyphum in saccum clam jussit includi. Verum tu nosti, quam indecorum sit, me Theologum pauperem & humiliori loco natum & positum, bibere argento & auro. Quare & hostibus & inimicis verbi, etiam inter nostros, scandalum præbebo & ero. Igitur in tuam præmaturam & intempestivam prodigalitatem rejiciam omnem culpam, protestatus, (si quid hoc promovebit) me tua charitate, non mea voluntate, tam superbum & ambitiosum esse factum. Gratias tamen ago quam maximas, & si quid potest mea tam frigidi peccatoris oratio apud Deum, efficiam, ut & tui & administrationis tuæ non immemor inveniar.* Mense Novembri ad *Christophorum Piscatorem*, Pastorem Jüterbocensem, consilium suum in quatuor capitibus rogantem, responsum dedit, a *Schlüsselburgio* conservatum. In hoc autor illi est (1.) ut contumaces & contemtores Sacramenti, & apud Monachos communionem quærentes, de suggestu increpet, & sepulturæ in cœmeterio Evangelicorum privationem minetur. (2.) Non improbat, si impedire posset, ne monachis illis, qui adhuc in oppido fuisse videntur, eleemosynæ præbeantur, adversariis quippe & perturbatoribus Ecclesiæ. (3.) *Satis multum est*, (scribit) *quod hactenus passi sunt Episcopi, quod mulieres & virgines in templum ingrediantur ornatæ & coronatæ, tanquam in theatrum. Est abusus satis manifestus contra Paulum & Petrum: Sed violenta est consuetudo. Quare omnino prohibendus est abusus in percipiendo Sacramento, ut non sint deformes nostris & aliis Ecclesiis. Est enim signum levitatis & eorum, qui nihil plus æstimant Sacramentum, quam panem in mensa communi.* (4.) *Quantum potest fieri, resistendum est dilationi Baptismi, ne hoc usu exemplum tandem irruat in perpetuum abstinendi. Sic in Italia in multis urbibus magna pars hominum per omnem vitam manent sine Baptismo, dum in pueritia non baptizantur; grandes effecti, contemnunt omnia, & moriuntur ἄθεοι. Sic Papa Clemens sine Baptismo mortuus est, id quod spirat Anabaptismum.* Quod de *Clemente VII.* sive *Julio Mediceo* scribit, fama a multis annis per Italiam & alias provincias vulgaverat. Natus enim fuit ex furtivo concubitu, & diu celatus, unde rumor ortus erat, ne baptizatum quidem infantem fuisse, *Leonis* tamen *X.* benignitate pro agnato postea habitus, & nescio cujus testimonii fide natalibus restitutus est, ut nomen & insignia gentis *Medicea* palam assumeret, unde non solum in ordinem equitum *Melitensium* receptus est, sed & postea ad Cardinalitiam purpuram & in thronum Pontificium aditus ei contigit, ut alibi dictum est.

(11) *De itinere Lutheri ad Amsdorffium, & dono ab eo accepto.*

(12) *Litera ad Pastorem Jüterbocensem.*

Ex epistolis *MSS.* Germanicis memorabilis est, quam Lutherus ad conjugem Electoris Saxoniæ *Sibyllam Clivensem* d. 30. Mart. dedit, *Reg. N. lit. H. n. 42. fol. 109.* Scripserat illa benignissimas ad Lutherum literas, de valetudine ejus solicitudinem, & constantem erga illum benevolentiam testata. His respondet: Se quidem satis prospere, & melius, quam promereretur, vivere, quod vero capitis infirmitate quandoque laboret, id debili, frigidæ, & morbidæ senectuti tribuendum esse, (das Alter ist da / welches an ihm selber alt und kalt / kranck und schwach ist.) & fore, ut olla, ut est in proverbio, diu ad fontem gestata demum rumpatur. Addit: *Satis diu vixi; Deus horam beatam largiatur, qua corpus iners & putridum* (der faule unnütze Madensack) *sub terram ad populum suum migret. Vidi sine dubio, quæ optima in terris videri potuerunt: In pejus itura esse res videntur, Deus suos adjuvet! Amen.* Solatur eam postea ob absentiam Electoris mariti, (qui in Comitiis Spirensibus erat) necessariam eam esse dicens, & ad bonum Ecclesiæ atque Germaniæ tendere, ut Diabolo occurratur, turbarum omnium autori. *Si is*, ait, *quiescere posset, nobis quoque tranquillitas esset. Sed nos hoc habemus adminiculum & hanc prærogativam, ut fruamur verbo divino, quod nos in hac vita solatur & sustentat, futuram autem promittit & affert. Preces etiam habemus, quas scimus Deo placere, & exauditum in tempore iri. Hæc duo ineffabilia cimelia, neque Diabolus, neque Turca aut Papa cum suis habere possunt, & eatenus longe miseriores sunt, quam vel mendicissimus inter mortales. Gratias propterea agamus Deo, Patri misericordiæ, in Jesu Christo filio suo Domino nostro, quod thesaurum hunc pretiosissimum indignis nobis uberrima gratia largitus est. Hinc igitur promtissimus ad videnda & ferenda mala temporalia, & misereamur mundi cæci & infelicis, & in eo tantorum magnatum, quos hac gratia nondum dignatus est Deus. Utinam aliquando illos illuminet, ut nobiscum eam videant, agnoscant & capiant!* Paulo post d. 19. April, cum dubitaret, an epistola sua ad Electricem pervenisset, breviter repetit ejus summam, & celerem Principis mariti reditum optat. *Multum enim*, scribit, *effici cum Pontificiis non potest, exhauriunt nos sumtibus & crumenas evacuant, simulant se pacem cupere, neque tamen cupiunt. Jesus Christus, Dominus noster, qui negotium sibi proprium cœpit, ipse id peragat, idque faciet, sicut hucusque fecit, alias infectum manebit, neque quicquam boni efficietur,* (es will ungethan bleiben / und nichts gutes gethan werden.) Prætereunda denique non est epistola Lutheri ad *Antonium Corvinum*, a *Lersnero*, in *Chronico Dasselensi* exhibita. Iter hoc anno per Wittenbergam habuerat *Elisabetha* Brandenburgica, sæpe memorata, *Erici* senioris Ducis Lüneburgensis Hannoverani vidua, cum filio Patri cognomine sedecim annos tunc nato: invitari autem ad prandium fecerat Lutherum, & Princeps adolescens preces ad mensam Germanice & Latine recitaverat, examinatus etiam de capitibus fidei bene responderat. Id quidem placuit Luthero, votoque optimo profectus juvenis prosecutus est, simul tamen solicitudinem suam non celavit, ne Princeps is fraude Satanæ & malitia

(13) *Lutheri epistola ad conjugem Electoris Sax.*

(14) *Alia ad Corvinum.*

A. 1544.

tia hominum, si adolesceret, & cum hostibus causæ Evangelicæ conversaretur, magnaque adversariorum autoritate ad defectionem moveretur. Hortatus itaque est *Corvinum* & subditos Principis ad preces assiduas. *Ecclesia enim*, scribit, *in magno versatur periculo, Christus caput ejus provideat, ventisque & fluctibus imperet.* Haud vanum hunc Lutheri metum fuisse eventus ostendit.

ADDITIO II.

(a) *Ordinatio Ecclesiastica in Ducatu Hannoverano.*

Elisabethæ, viduæ ***Erici***, nomine edita est, aut recusa potius, ordinatio ritualis: Prodierat enim prima vice anno 1542. Sed ejus copiam, cum istius anni acta tractarem, non habui. Jam vero illa & epitome, quam hoc anno *Antonius Corvinus*, dialecto Saxonica composuit & publicavit, beneficio *Serenissimi Ducis Brunsuicensis* potitus, conveniens esse duxi, ut contenta hic potius, loco licet alieno, enarrem, quam silentio prorsus transmittam. Præfatur

(b) *Edictum Elisabethæ Ducissæ.*

Elisabetha in edicto, ordinationi præmisso, ad filii sui impuberis *Erici*, subditos Ecclesiasticos & politicos, de dissidiis, religionis causa ab aliquot annis obortis, *dum pertinaces quidam & captiosi*, ut ait, *abusus execrabiles corrigere, illi vero, qui eos redarguebant, a Verbo Dei recedere noluerint.* Fatetur inde, per traditiones & doctrinas hominum turpiter seductum esse populum ab Evangelio & veritate. *Quid enim*, inquit, *novimus de catechismo, quid recti sanique didicimus de usu Sacramentorum, de remissione peccatorum, de justificatione, de vere bonis operibus, de cruce sancta? Nonne concionatores meras nugas fabulasque tractarunt, nonne peccatorum venia nummis redimebatur, in opprobrium meriti Christi? Quis negare hoc potest, qui indulgentiarum nundinationem in Germania tam frequentem vidit? His*, pergit, *providere debuissent proceres Ecclesiæ, sed nullum adhibent remedium, errare sinunt oves sine pastore. Cæsari quidem in comitiis Ratisbonensibus curæ fuit concordia in religione constituenda, sed propter peccata, ut puto, nostra nihil effecit.* Inde vero, nequaquam justum piumque censuisse se, dicit, ut subditos in incerto fluctuare ulterius sinat, sed exemplum sequi decrevisse fratris sui *Electoris Brandenburgici*, aliorumque laudabilium Electorum & Principum: Et cum Ordines provinciæ in nuperis Comitiis promiserint, Evangelicæ doctrinæ constanter sese adhæsuros esse, constitutionem hanc ad Concilium usque servandam publicasse. Protestatur, se neque ex curiositate & novitatis studio, aut in cujuscunque damnum, sed ex vero amore verbi divini, & affectu erga subditos, hoc agere, neque præjudicaturam esse ordinationi universali, de qua proceres christiani orbis, secundum verbi divini præscriptum conventuri essent. Addit quædam de officio Principum & Magistratuum, & ut ipsa testamento *Erici Senioris*, mariti sui, tutrix filii constituta, & ad suscipiendum regimen ab omnibus provinciæ Ordinibus requisita fuerit. Datum hoc diploma est *Mundæ* (ad Vierræ & Fuldæ confluentes) anno 1542. omisso die. Ordinatio ipsa, sive primum ejus Volumen continet

(c) *Contenta ordinationis.*

expositionem articulorum fidei plerorumque, & quædam ad disciplinam pertinentia, nec non Catechismum, magnaque ex parte desumta est ex constitutione Ecclesiastica *Brandenburgica*, quam §. *LXXV. Add. II.* in compendio exhibuimus. Conciones sane catecheticæ, quæ ex *Georgii Marchionis Onolsbacensis* ordinatione in Electoralem Brandenburgicam translatæ fuerunt, cum explicationibus ex minori Catechismo Lutheri etiam hic verbotenus repetuntur: eadem quoque capita fidei & argumenta ad refutandos veteres errores proponuntur, diverso tamen alicubi stylo, qui sine dubio *Corvinum* autorem habet. De parochiis in Ducatu dicitur, quod pleræque Pastores habeant, neque ullus ex his removendus sit, qui huic ordinationi obsequi, & emendationem in iis, quæ non intelligat, admittere velit; contra refractarios vero, aut muneri non sufficientes, reservatur debita provisio: si quæ vero posthac parochiæ vacaturæ essent, ad eas recipi neminem debere edicitur, quam qui a Superintendente, qui in commodo provinciæ loco constituendus sit, examinetur & probetur. Mandatur etiam, ut in omnibus Ecclesiis habeantur *Loci communes Philippi*, & *Augustana confessio* cum *Apologia*, Latine & Germanice, & ut in scholis nihil majori cum cura, quam Catechismus, tractetur. Alio volumine præscribitur forma rituum, ad instructionem parochorum minus peritorum, (für arme ungeschickte Pfarrer) cum nova præfatione *Elisabethæ*, in qua excusat, quod multæ ceremoniæ infirmorum causa retentæ sint, ne scandalum sumant, si absque decenti ordine in Ecclesiis & profano modo, (ut alicubi fieri queritur) agi videant, scire se tamen dicit, in quo consistat veritas & sanctitas Christianismi; emendationem vero reservat, si prius aliquandiu continuata fuerit concio Evangelica, & alii Evangelici Proceres communem aliquam ordinationem edituri essent. Latinus inde cantus magna ex parte, sed correctus ab erroribus, retineri jubetur, intersertis tamen hymnis Germanicis. In *Missa*, id est, celebratione cœnæ Dominicæ, ornatus vestium servatur, item cereorum accensio; in communione ægrotorum elementa in domo ægrotantis consecrari jubentur. Festa celebrari mandantur, sine conscientiæ tamen laqueo & nexu, ut apud alios Evangelicos. De jejuniis, parte *prima*, consilium potius, quam præceptum, datum erat, nempe, ut bis in hebdomade, item in Quadragesima, si non tota, tamen tribus in hebdomade diebus, carnibus abstineretur: Id in *rituali* hac *constitutione* repetitur, addita tamen commonitione, ne illi, qui hoc servant, alios, qui libertate sua uti velint, reprehendant, neque hi illis molesti sint. Consecratio salis, aquæ, herbarum, palmarum, placentarum, prorsus prohibetur. In formula Baptismi, prolixa exorcismi formula, sicut in prima Lutheri ordinatione, retinetur, ut & usus albæ vestis, (das Westerhemdlein) cætera omittuntur. Confirmatio fieri jubetur post examen catecheticum adolescentum utriusque sexus, quibus accessus ad sacram Cœnam permittitur, cum impositione manuum a visitatore seu Superintendente, aut, quoniam hic adesse ubique non possit, a Pastore ordinario, adhibitis duobus ex vicinia Pastoribus, peragenda. Subjunguntur *introitus*, quos vocant, *Missarum* Germanici, a Pastoribus in festis solennioribus decantandi. Hæc, ut dixi, anno 1542. typis excusa sunt. Sed cum plerique Pastorum apud *Antonium Corvinum*, qui tunc Superintendens Ducatus constitutus, & in oppido *Pattensen* Pastor erat, questi essent, se ordinationem illam ob dialecti differentiam non intelligere, ipse, licet hoc ad excusationem pigritiæ aut renitentiæ prætexi videretur, ut tamen ea removeretur, in gratiam simpliciorum, partem illam, quæ de ritibus agit, in linguam Saxoniæ inferioris versam, hoc anno 1544. denuo edidit, cum præfatione d. 22. Jan. data, in qua satis severe monet Pastores, ut officium suum diligenter & cum fide præstent, addita comminatione, se refractarios & ineptos loco moturum; nam hoc sibi serio ab *Elisabetha* Ducissa injunctum esse, cui obsecuturus sit, ne conscientiam suam, ad Pastorum ignaviam & inscitiam connivendo, oneraret. Speciatim vero publicavit prolixiorem de ritu confirmationis formulam, eadem dialecto. Tempus præscribitur in festis Paschatos, Pentecostes & Nativitatis Christi, & quidem post cultum vespertinum, quia antemeridianum tempus concionibus & Sacramento impendendum erat. Pastoribus omnibus potestas confirmandi denuo conceditur, sed ita, ut duos vel tres ex vicinia necessario adhibeant, utque confirmandi per octo dies diligenter instruantur. Admonitio præscribitur ad populum, in qua de veteris confirmationis abusu dicitur, stolidam fuisse opinionem *c. ut jejun.* de *consecr.* dist. 5. ex Concilio Aurelianensi in Papatu venditatam: ***Nunquam erit Christianus**, nisi in confirmatione **Episcoporum fuerit chrismatus**;* (Glossa tamen ad vocem ***Christianus*** addit ***plenus***, quia confirmati dicuntur pleni

(d) *Constitutio de ritibus lingua Saxonica edita.*

(e) *Speciatim de ceremonia confirmationis.*

A. 1544.

A. 1545.

pleni Christiani, ab *Urbano* Papa *in c. omnes* d. l.) monetur inde populus, ne ritum hunc in antiquam vertant histrioniam: (Affenspiel) Ideo multa ex historia Ecclesiastica & Patrum testimoniis de catechesi afferuntur, ejusque utilitas egregie commendatur; ostenditur etiam vetustas impositionis manuum ex Veteri & Novo Testamento, sed additur, Spiritum sanctum non nuda illa ceremonia, verum precibus impetrari. Subjunguntur tandem piæ precum formulæ pro confirmatorum profectu & conservatione in doctrina & pietate; Pastor vero manum singulis imponens dicere jubetur: *Accipe Spiritum Sanctum ad custodiendum & defendendum te ab omni malo, & ad confirmationem & adjumentum in omni bono, ex manu clementissima Patris, Filii & Spiritus Sancti Amen.* Claudi mandatur actus cantu hymni: *Te Deum laudamus.*

A. 1545.

SECT. 31.

Anno 1545. Sleid. l. 16.

(1) Acta in Comitiis VVormatiensibus.

Hanc ob causam Comitia Ordinum Imperii Wormatiæ mense Martio celebrata sunt. In his Rex Ferdinandus & Cardinalis Augustanus, Otto Truchsesius, Imperatoris nomine præsentes, duo magna negotia ejus nomine proponebant, bellum nempe contra Turcos, & conciliationem animorum in capite religionis. Quod postremum hoc attinet, exponebant, Imperatorem & Regem Galliæ tandem effecisse, ut Concilium toties postulatum, convocatum sit, itaque proponi in eo debere, quæ una aut altera pars dicenda haberet, & standum iis, quæ ibi statuerentur. Nil itaque superesse, quam ut de bello adversus Solimannum gerendo deliberaretur, ad quod Rex Franciscus digna tanto Principe auxilia Imperio generose promiserit. Catholici his omnibus lubentissime consensum præbuerunt. Sed Protestantes econtrario semper contendebant, ideo conventum hunc haberi, ut secundum nupera Comitiorum Spirensium decreta pax Germaniæ firmaretur, composita ex communi consensu formula fidei, a partibus communiter & universaliter accipienda, donec in Concilio universali aut nationali Germaniæ aliter decerneretur.

(2) Protestantium gravamen de Concilio Tridenti indicto.

Quod autem Tridenti indictum esset, in quo Papa ipse aut per Legatos præsidere vellet, sæpe se protestatos esse, se nec velle nec posse id pro legitimo Concilio agnoscere. Itaque ante omnia de religione tractandum esse, ut pax Germaniæ stabiliretur; absque illa enim nunquam adversus Turcos societatem coituram. Hac in sententia pertinaciter persistebant, neque unquam ab ea recedere volebant, quicquid Imperator, quem podagra Bruxellis morata erat, ut ante mensem Majum Wormatiæ comparere non posset, & Legati Francisci Regis facerent, ut illos ad controversias de religione Concilio Tridentino submittendas impellerent.

(3) Cæsaris occultum contra Protestantes consilium, & prorogatio Comitiorum.

Ægerrime hæc ferens Carolus V. jam tum in pectore consilium formare cœpit, quod postea adjumento pacis, quam cum Rege habebat, arripuit, ut factionem illam armis subjugaret, quæ manifeste ad rebellionem & infringendam autoritatem suam in Imperio tendebat. Quoniam tamen artem magnorum Principum, astutam nempe dissimulationem, ad præveniendos, & ex improviso deprehendendos inimicos, mire callebat, assentire se illorum petitis præ se tulit, & sumto prætextu, quod admodum pauci ex Electoribus & Principibus in Comitiis præsentes, nec delegati sufficientibus mandatis instructi essent, Ratisbonam conventum prorogavit, ubi Principes omnes d. 6. Jan. anni sequentis comparere tenerentur, mandans interim, ut Theologi utriusque partis ante Comitia illa formulam religionis conscriberent, quæ ibi examinaretur, & mutatis, quæ mutari opus esset, tandem ab utraque parte probari & acceptari posset.

(4) Catholicorum indignatio; dissimulatio Cæsaris.

Pessime hoc habuit Catholicos, inprimis Episcopos, qui Tridenti in Concilio erant & secretum consilium Imperatoris ignorabant, neque tolerare poterant, ut is causam religionis ad Comitia Imperialia rejiceret, cum magno Concilii œcumenici, ab ipso procurati & jam inchoati, contemtu. Sed Carolus, ut ingenti erat animo, id hac occasione, ab omni excusatione abstinens, egit, quod viri magni, supra vulgus elevati, agere solent. Tales enim consilio semel recte capto, non magis ab illo per sermones quoscunque de suis actionibus, quarum secreta molimina non conspiciuntur, disseminatos, dimoveri se patiuntur, quam Sol cursum mutat, ob strepitum tempestatum, a ventis in regione aëris, sua sphæra longe inferiori, concitatarum.

§. CXIX.

(1) *Lutheri & Collegarum ultima deliberatio & responsio de formula reformationis ex decreto Spirensi 1544. conscripta.*

Antequam ad tradita a Maimburgio, aut acta Comitiorum *Wormatiensium* accedamus, ordo rerum poscit, ut ex anni hujus 1545. (cujus acta nunc enarranda sunt) historia omnium primum de formula reformationis dicamus, quam secundum decreta *Spirensia* Elector Saxoniæ a Theologis *Wittenbergensibus* conscribi jussit. Licet enim satis appareret, quod, quæ *Spiræ* a Cæsare constituta fuerant, nempe, ut quilibet ex Proceribus formam & modum reformationis a viris bonis & sapientibus componi faceret, & in proximis Comitiis *Wormatiensibus* exhiberet, ex contradictione Pontificis, secutaque consiliorum post pacem cum Gallo mutatione, nullius futura essent effectus; Elector tamen Saxoniæ, ne quid a se desiderari posset, mandaverat Theologis, ut collatis consiliis sententiam suam de toto regimine Ecclesiæ & reformatione Christiana (vom gantzen Kirchenregiment und christlicher reformation,) aperirent, & extrema indicarent, in quibus, per Dei gratiam, ultimo persistere vellent. Rescriptum, d. 23. Nov. 1544. datum, extat *Reg. H.*

A. 1545.

fol. 603. n. 194. idque repetunt *D. Martinus Lutherus, D. Joh. Bugenhagius, Pomeranus, D. Caspar Cruciger, D. Georgius Major* & *Philippus Melanchthon*, in relatione ad Electorem Wittenbergæ d. 14. Jan. 1545. ab singulis sua manu subscripta. Addunt autem, *se sperare non posse, ut Episcopi & indocta, impia & superba Capitula Canonicorum* (quibus sane epithetis vitia eorum, qui tunc vivebant, & quæ negari non poterant, nervose descripserunt,) *doctrinam Christianam & pias ceremonias unquam reciperent*, censent potius, *id in æternum* (zu ewigen Zeiten) *non esse facturos. Nihilominus*, ajunt, *oblationem submissam fecimus, & lenem reformationem proposuimus, ex qua satis intelligi potest, imputari nobis non posse, quod dignitati & opibus illorum inhiemus, aut schismati causam præbeamus.* (So haben wir ihnen doch ein demüthig erbieten gethan / und ihnen eine gelinde reformation fürgegeben / daß uns nicht aufgeleget werden kan / daß wir ihnen nach ihrer hoheit und gütern trachten / oder der spaltung uhrsache sind.) *Non possumus humano consilio omnibus periculis occurrere, sed agemus pro vocatione nostra, quæ mandata nobis sunt, cætera Deo commendabimus secundum Psalmum: Jacta super Dominum curam tuam.* Allegavi has literas Theologorum, ut &, quam ei addiderant, formulam reformationis, *in præfatione* Libri primi hujus operis, & quidem in editione priori, quæ anno 1688. forma, quam vocant, *quarta* prodiit, ex autographis ex Illustri *Bibliotheca Gothana* ad me missis, quæ adhuc, dum hæc scribo, penes me habeo, & denuo inspexi. At primæ editionis tempore nondum consulueram *acta Archivi Vinariensis*, ex quo documenta illa in præfatione memorata, olim ad Serenissimum *Ernestum* Saxoniæ Ducem, Herum meum, beatissimæ memoriæ, pervenerunt. Verum, postquam Actorum fasciculi Vinaria ad me transmissi, & cum volumine illo Gothano collati sunt, *duo* deprehendi, quæ lectorem celare nolo. *Primum* est, quod *Lutherus* & literis ad Electorem & reformationis libello cum cæteris collegis suis, & quidem primo loco subscripserit, styli tamen Germanici, ut tunc conjeci, autor non fuerit, contrarium enim ex *Pontani* literis ad Electorem postea afferam. Latinum *Melanchthonis* esse, non tantum ex annotatione Secretarii, quam in *præfatione* allegavi, sed & ex Electoris Rescripto ad Melanchthonem d. 14. Febr. & *Pontani* testimonio constat; Scribit enim hic d. 4. April. Electori, *Melanchthonem* versionem, ut jussus erat, absolvisse. De Germanico idem ex ejusdem *Pontani* literis concludo. Id utique certum est, Lutherum autorem non esse. *Alterum* est, quod penitus consideratis correcturis marginalibus, quas ibidem in præfatione, ut a *Luthero* scriptas, citavi, dubitare cœperim, an Lutheri sint; & verisimilius mihi nunc videtur, *Franciscum Burcardum*, Electoris Cancellarium, autorem illarum esse, ejus enim manum interea ex plurimis illius autographis Vinariæ asservatis noscere didici, quæ a *Lutheri* scriptione non multum discrepat, quanquam similior ei est *Crucigeri* ductus; sed magis credo correctiones illas in aula factas esse. Candida hæc professio lectoribus dubitationem omnem de fide allegationum mearum, ut confido, eximet. Jam ipsam reformationem illam Latinam ex autographo diligentissime descriptam, exhibeo, additis diversis lectionibus, quæ in editione *Pezeliana*, Neostadii in Palatinatu anno 1600. procurata, *p. 586. & seqq.* reperiuntur, aliisque quibusdam annotationibus.

(2) *Eorum literæ ad Electorem.*

(3) *Admonitio de autore styli, & correctione hujus formulæ.*

A. 1545.

Vera & salutaris Reformatio seu gubernatio Ecclesiæ Christi præcipue in his *quinque* * membris consistit:

* In editione *Pezeliana*, quam in his annotatiunculis voce *Pez.* indicabimus, legitur; *in his sex.* Sed Wittenbergenses sextum caput, non pro membro seu articulo, sed pro consectario habuerunt. Notandum præterea verba in titulo: *Reformatio seu*, addita esse in margine exempli authentici, ideo in Pezeliana non reperiri.

(4) *Forma ipsa, ejusque summa capita sive articuli.*

Primum in vera & pura doctrina, quam Deus Ecclesiæ suæ patefecit, tradidit & doceri mandavit.

Secundo in legitimo usu Sacramentorum.

Tertio in conservatione Ministerii Evangelici, & obedientia erga Pastores Ecclesiarum: sicut Deus vult & postulat conservari ministerium Evangelii, & servat ipse sua potentia & præsentia.

Quarto in conservatione honestæ & piæ disciplinæ, retinendæ per judicia Ecclesiastica, seu jurisdictionem Ecclesiasticam.

Quinto in conservandis studiis necessariæ doctrinæ, & scholis.

Sexto, ad hæc opus est defensione corporali, & facultatibus, ad personas, quæ sunt in officiis necessariis, alendas.

I.

De primo articulo; scilicet, de vera doctrina.

(5) *Quæ sit origo & verus character Ecclesiæ.*

Deus condidit genus humanum præcipue ad hoc summum opus, & ad hunc finem, ut ipsum agnoscat, invocet, & in tota æternitate celebret. Quare & ante lapsum Adæ, & postea, certis & manifestis testimoniis se hominibus patefecit, & peculiarem doctrinam & verbum tradidit, ad quod alligavit suam Ecclesiam, ita, ut illi certo sint Ecclesia & populus Dei, qui verbum & doctrinam ab ipso traditam, docent, discunt, amplectuntur & profitentur, nec ulli alii sint Ecclesia & populus Dei, qui verbum illud aut non habent, aut persequuntur. Ac post lapsum Adæ, singulari promissione edita, *sic* *

* Pez. omisit; *Sic*

se patefecit Deus: Promisit se missurum filium suum, & per hunc, & propter hunc, daturum remissionem peccatorum & abolito peccato & abolita morte redditurum justitiam & vitam æternam. Et hunc suum filium Jesum Christum certis & manifestis testimoniis postea misit & exhibuit: fuitque semper Ecclesia Dei, exstructa super filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, & super hoc ipsum verbum, quod per filium revelatum est, sicut scriptum est *I. Corinth. III. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id,* *

* Pez. pro *præter id*, legit *nisi.*

quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS. Et *Eph. II. Estis concives Sanctorum, & domestici Dei, ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,* *

* Pez. errore typographi omisit *& Prophetarum*

existen-

A. 1545.

existente lapide angulari JESU CHRISTO, *in quo totum ædificium coagmentatum crescit, ut sit sanctum templum per Dominum, per quem & Vos una ædificati estis, ut sitis habitatio Dei, per Spiritum sanctum.* Ex his & similibus multis testimoniis congruentibus, manifestum est, solum eum cœtum esse Ecclesiam & populum Dei, qui doctrinam de Deo traditam per Prophetas, Christum & Apostolos, docent, discunt, amplectuntur & profitentur. Et primum & summum mandatum Dei est, hanc doctrinam & Filium Dei audire, & ei assentiri, & doctrinam retinere incorruptam, sicut æternus Pater de cœlo clamans inquit: *Hic est filius meus dilectus, quo delector; hunc audite.* Et sicut *Psalmo II.* scriptum est: *Osculamini filium*, id est, amplectimini *

* Pez. omisit *id est amplectimini.*

filium vera fide & lætitia cordis, audite eum, & adsentiamini ejus doctrinæ &c. Qui igitur filium Dei Jesum Christum nolunt audire, sed Evangelium contemnunt, aut negant, aut persequuntur; integrum, aut articulos aliquos Evangelii, hi non possunt esse Ecclesia & populus Dei. Hæc manifesta sunt. Primum igitur & ante omnia necesse est, in Ecclesia Dei integre & pure doceri & propagari Evangelium, sicut Deus sæpe præcepit, & Christus ipse dixit Joh. XIV. *Si quis diliget me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sit igitur in reformatione Christiana prima hæc cura, ut Evangelii doctrina pura & incorrupta in Ecclesiis & in Scholis proponatur, servetur & propagetur. Sicut & primæ ac vetustæ Synodi præcipue propter doctrinam convocatæ sunt, ut Synodus, quæ describitur *Act. XV.* & Concilium Nicenum condidit pium & salutare Symbolum ad retinendam puram Evangelii doctrinam de filio Dei. Etsi autem in synodis recentium temporum & hujus ultimæ senectæ mundi sæpe tentatæ sunt reformationes; tamen in eis exigua mentio facta est doctrinæ necessariæ, cum manifestum sit, multos abusus irrepsisse, quibus Evangelii lux obscurata fuit. Postquam autem defensores quidam abusuum ante annos fere triginta occasionem præbuerunt taxandi errores, clementer Deus in hac opinionum collatione restituit Evangelii *lucem* *

(5) *Prima cura in Ecclesia, ut doceatur Verbum Dei.*

(7) *Doctrina vera comprehensa fuit in confessione Augustana.*

* Pez. *doctrinam*

in omnibus articulis necessariis ad salutem æternam, de quibus exhibuimus Cæsareæ Majestati Confessionem Augustæ Anno M. D. XXX. in qua Confessione doctrinæ, Deo juvante, perseverabimus, sicut illa dextre & sine depravatione intelligenda est, & in nostris Ecclesiis intelligitur. Non enim dubitamus, illam doctrinam nostrarum Ecclesiarum certo *

* In authentico Latino, loco verborum *de quibus &c.* & quæ sequuntur, usque ad *certo*, ponuntur in margine hæc verba: *De quibus exhibita est Cæsareæ Majestati confessio doctrinæ Augustæ anno M. D. XXX. quam non dubitamus*

esse unicam, æternam, consentientem doctrinam veræ Catholicæ Ecclesiæ Christi, traditam per Prophetas, Christum & Apostolos, & congruentem cum Symbolis Apostolico & Niceno, & veteribus piis Synodis & sententia veteris & prioris Ecclesiæ. Quare & necessarium esse *ducimus*, *

* In authent. pro *ducimus*, in margine legitur *nostri existimant*

ad gloriæ Dei illustrationem, ad veram invocationem, ad salutem plurimorum hominum, ad excitandam & confirmandam fidem & veram invocationem in posteris, ut sententia doctrinæ, sonans in Ecclesiis nostris, comprehensa in Confessione nostra & Catechismis, concorditer in omnibus Ecclesiis populo tradatur & propagetur, videlicet de omnibus articulis, sicut in Symbolis Apostolico & Niceno comprehensi & recitati sunt, & sicut illi ipsi articuli in veteribus piis Synodis, Nicena, Constantinopolitana, Ephesina & Chalcedonensi recte & necessaria enarratione illustrati sunt. Et ad intelligendos articulos Symbolorum de Christo, & de immensis beneficiis, quæ Ecclesiæ propter Christum dantur, necessaria est & reliquorum articulorum vera cognitio, qui recensentur in Confessione, de peccato originis, de gratia, de fide, de bonis operibus & de Sacramentis, videlicet quod *certissima* *

(8) *Speciatim de peccato originis.*

* Pez. legit *Christiana*

veritas sit, omnes homines ex virili semine conceptos, nascentes adferre secum peccatum originis. Ac propterea omnes homines, qui non adferuntur ad Christum, & non regenerantur per *Baptismum*, *

* Pez. legit *Spiritum sanctum*

damnatos esse ac manere reos iræ Dei æternæ. *Item:* infantes baptizandos esse, & eorum baptismum placere Deo & efficacem esse, ac recipi eos in gratiam, donari Spiritu sancto, & fieri hæredes vitæ æternæ per baptismum. *Item:* peccatum originis esse carentiam justitiæ originalis, quæ debebat inesse. Et hæc carentia est & reatus, & depravatio virium hominis, scilicet mentis, voluntatis & cordis, *

* Pez. inserit, quæ fortasse incuria scriptoris VVittenberg. omissa sunt: *nam in mente est caligo de Deo;* & pro *quod* legit *&*

quod voluntas aversa est a Deo, & in voluntate, & in corde est prava inclinatio adversus legem Dei, propter quæ mala, videlicet propter reatum & aversionem illam a Deo ac depravationem virium, homo damnatus est, nisi liberetur per regenerationem. Hæc sententia sine ulla dubitatione semper fuit Catholicæ Ecclesiæ Dei, Prophetarum, Apostolorum & scriptorum Ecclesiasticorum consentiens doctrina, de tristi & deplorando vulnere, quod humana natura accepit in lapsu Adæ. Quod vero aliqui labefactare *nostram* *

* In margine authentici substituitur: *nostrorum*

sententiam in hoc articulo audacter conantur, male faciunt, ac manifestæ veritati contradicunt, & confirmant tenebras in multorum mentibus, ne agnoscant, quid sit peccatum, nec discant, quid sit gratia & fides. Nam ex illa aversione a Deo oriuntur hæc ingentia mala in humanis mentibus: dubitatio de Dei voluntate, securitas carnalis, neglectio Dei, esse sine metu, & sine dilectione Dei, magis confidere præsidiis præsentibus, quæ cernuntur, quam confidere Deo. Fatendum est autem, hæc ingentia mala vere esse peccata, & repu-

A. 1545.

(9) *De gratia & remissione peccatorum.*

repugnandum est his morbis animorum, quod fieri non potest, obscurata vera doctrina de peccato originis. Sequitur deinde articulus de gratia, & de remissione peccatorum, videlicet, consequi homines remissionem peccatorum, gratiam & Spiritum sanctum, seu reconciliari, reputari justos & fieri hæredes vitæ æternæ, non propter merita *propriorum* *

* Pez. legit *bonorum*.

operum, sed propter mediatorem Christum, fide in ipsum. Hic articulus Dei beneficio in Ecclesiis nostris copiose declaratus est. Nec vero dubium est, oportere in Ecclesia universa extare & proponi hunc articulum, sicut *apud nos* *

* In margine authent. substituitur; *a nobis*

docetur & declaratur. Nam hæc una est de remissione peccatorum & reconciliatione, vera, æterna, & immota Dei sententia, ut *Act. X.* scribitur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Ac nisi hujus articuli doctrina servetur pura & sincera, magni & ethnici errores sequuntur; corda hominum manent in assidua dubitatione, velut apud Ethnicos, nec firmam consolationem habent, sed fugiunt Deum, nec recte invocant, postea mirari disciplinam & suam justitiam incipiunt, *hanc amplificant* *

* Pez. omisit duo hæc verba.

& fingunt eam placare iram Dei, & mereri remissionem peccatorum, & quia tamen manent in dubitatione, cumulant modos disciplinæ, excogitant vota, monachatus & multos ritus. His opinionibus & hac hypocrisi magis magisque obscuratur doctrina de beneficiis Christi, & de fide statuente, gratis donari remissionem peccatorum & in cordibus inchoante pacem & vitam æternam, de qua dicitur: *Justus fide sua vivet.* Denique hic articulus, ut in nostris Ecclesiis docetur & intelligitur, est præcipua vox Evangelii, quam mutare non licet ulli creaturæ in cœlo aut in terra: sed est Dei æternum, immotum & immutabile decretum, qui immensa misericordia per Filium hoc modo peccatum abolere vult, & nobis restituere vitam æternam agnitione & fide hujus *Filii* *

* Pez. omisit vocem *Filii*.

mediatoris. Deinde sequitur & doctrina de bonis operibus: quod, cum fide in Christum accipitur remissio peccatorum, simul mittit Deus Spiritum sanctum in corda credentium, & accendit in eis novam lucem & vitam, timorem Dei, dilectionem, bonum propositum juxta omnia præcepta Dei. Et severe mandat Deus, ut in bonis operibus vivamus, & bonam conscientiam habeamus, ac donatam reconciliationem & gratiam retineamus, ac non effundamus. Cumque vera doctrina de bonis operibus in toto orbe terrarum horribiliter contaminata & depravata sit, & adhuc in multis regionibus impure & corrupte tradatur, valde postulat Ecclesiæ universæ necessitas, ut vera doctrina concorditer & de hoc loco tradatur, videlicet quæ opera Deus postulet, quomodo nostra obedientia placeat Deo, cum tamen in hac vita in tanta nostra infirmitate adhuc maneant peccata in omnibus hominibus: i-

(10) *De bonis operibus.*

tem de discrimine peccatorum. De his tantis rebus recte & fideliter illustrata est doctrina in Ecclesiis nostris, quam quidem non judicamus scholasticas *argutias* *

A. 1545.

* Pez. legit *disputationes*, & ita est in Germanico.

esse, & otiosas cavillationes verborum, ut multi homines prophani loquuntur. Quare nos mutare non possumus. Si quis autem putat esse ludos scholasticos, ac vera mutari, & falsa, ornata fucis, recipi posse, hic sciat, etiamsi nunc securus non metuit judicium Dei, tamen tandem suas pœnas testificaturas esse, Evangelium non esse fabulosum.

II.

Ex his articulis alii sequuntur, qui de

legitimo & salutari usu Sacramentorum

loquuntur.

(11) *Articulus secundus de Sacramentis, & speciatim de baptismo.*

De Baptismo. Constanter & severe retinendus *& defendendus* *

* Pez. omittit *& defendendus*

est baptismus infantium. Et ad excitandam in circumstante cœtu invocationem Dei, utile esset in singulis locis lingua intellecta populo pronunciari preces, fidei *professionem* *

* Pez. mendose legit *promissionem*.

& verba baptismi. Nec opus est aut plures aut longiores ceremonias addi, quam nunc in usu sunt.

Confirmatio.

(12) *De confirmatione.*

Valde necesse esset in omnibus Ecclesiis, tradi certis diebus Catechismum, ut pueri adsuefierent ad verbum & nativum intellectum omnium articulorum & partium doctrinæ Christianæ. Ad hanc consuetudinem sanciendam prodesset ritus confirmationis: *Cum videlicet exacta pueritia jam firmior ætas seu adolescentia accederet, palam in Ecclesia audienda esset integra doctrina confessio, & cum interrogatus promitteret constantiam in hac ipsa sententia recitata, & in hujus Ecclesiæ sua confessione; manus Pastoris ei imponendæ essent, & publica precatione petenda mentis & cordis in hoc consitente confirmatio & gubernatio.* *

* Pez. aliis verbis hæc exprimit: *Sic quidem, ut pueri & puellæ palam in Ecclesia sonarent integram doctrinæ confessionem, postea vero interrogati singuli promitterent constantiam in hac ipsa sententia, & communi vera Ecclesiæ confessione. Ac tum a Pastore manus eis imponerentur, & publica precatione peteretur mentis & cordis confirmatio & gubernatio in his consitentibus.*

Hæc ceremonia non esset inane spectaculum, ut nunc est Episcoporum ritus, sed profutura esset ad retinendam doctrinæ puritatem, & propagationem sententiæ Ecclesiasticæ, ad concordiam, & ad disciplinam.

Ordinatio.

(13) *De ordinatione.*

Etsi postea de Ordinatione rursus dicendum est in ea parte, in qua de *servando* *

* Pez. legit *fovendo*.

ministerio Evangelico dicetur: tamen hic necessariam admonitionem breviter inserendam esse duximus. Magna res est & necessaria Ecclesiæ, cura recte exercendæ ordinationis. Etsi enim Deus propria sua potentia & gubernatione ministerium

A. 1545.

rium Evangelicum servat, & excitat ipse pastores & doctores, & facit idoneos, ut *Eph. IV.* scriptum est: tamen & tota Ecclesia, & maxime præcipua membra Ecclesiæ etiam suum studium & operam ad hanc rem conferre debent, ut præparentur multi ad munus docendi, & ut instituti, certis locis a doctis examinatoribus explorati, admittantur ad ministerium aut rejiciantur. Hic labor mandatus fuit olim Episcopis. Sed plurimi diu jam magnam sævitiam exercent in recte docentes, & non solum diœceses suas non curant, sed ne suarum quidem ditionum Ecclesiis pastores præficiunt. Ideo necesse est deliberari, quomodo universæ ecclesiæ consulendum sit. Et si Episcopis autoritas ordinationis tribuenda est, necesse est, ut suam mentem de doctrina declarent. Nam si erunt & manebunt hostes Evangelii, nec volent ullos ad ordinationem admittere, sine obligatione ad impiam doctrinam, & ad delendam veritatem: non poterit ab eis ordinatio peti; Sed si veram doctrinam amplecti & tueri vellent, & idoneis hominibus examen commendare, præclare mereri de Ecclesia possent. Plurimum enim refert ordinationem recte instaurari. Et si gubernatores vere considerarent ingentia beneficia Dei, quæ per ministerium Evangelicum dantur, quod videlicet Deus hac voce, & non aliter, sibi colligit æternam Ecclesiam, & nobis miseris hominibus mandavit vocare homines, qui didicerunt doctrinam Christi, per quorum functionem in docendo, & administratione sacramentorum vere est efficax, & facit nos hæredes vitæ æternæ: majore diligentia curarent, ut ordinatio rectius administraretur, & non pateret hic sanctissimus gradus hominibus prorsus ignaris Evangelii, aut hostibus, aut Epicureis. Populus etiam de ministerii *Evangelici* *

* Pez. omisit.

dignitate, & de ordinatione docendus est, ut hoc ingens beneficium Dei intelligere discat, quod Deus certo per hos vocatos & hanc functionem efficax est, & ipsum ministerium *magis* *

* Pez. omisit.

amet, & majore cura servare studeat, sicut singuli suo loco debent ornare & tueri hoc ministerium recte docentium, sicut sæpe scriptum est, *& Christus inquit.* *

* Pez. omisit.

Qui vos spernit, me spernit. Noti sunt autem manifesti abusus, quibus ordinatio multis jam seculis polluitur. Valet persuasio, sacerdotes ordinari propter *

* Pez. addit *Missæ*

sacrificium, non docendi Evangelii causa. Et hæc opinio auxit numerum sacrificulorum, quia putant homines, cumulare hæc sacrificia, præcipuum Dei cultum esse. Quare hi, qui ordinationi præfuerunt, admiserunt indoctos sine discrimine, cum soli illi fuissent admittendi, qui mediocriter docere populum de vera doctrina possent. Jam si concordia constituenda est, & Episcopis commendanda ordinationis autoritas, necesse est, prius doctrinæ consensum esse, ut dictum est. Deinde & mandata ordinationis dentur de docendo Evangelio & administratione Sacramentorum, non de aliis operibus, ut sacrificent pro vivis & mortuis. Nec onerandæ erunt conscientiæ impia lege cœlibatus, quæ omnibus temporibus causa fuit multorum tristissimorum scelerum, & perpetui exitii multis hominibus. Et in universo ordine sacerdotum lex illa peperit ethnicam obscœnitatem & prophanitatem, quorum peccatorum contagio se polluunt omnes, qui hanc legem de cœlibatu defendunt & stabiliunt.

A. 1545.

(14) De pœnitentia.

De pœnitentia & Confessione.

Manifestissimum *

* Pez. *manifestum*

est, doctrinam Monachorum de pœnitentia adeo fuisse obscuram & plenam perplexitatis, labyrinthorum & errorum, ut non solum a populo, sed ne ab ipsis quidem scriptoribus integre percepta sit. Proposuerunt contritionem sine vera agnitione peccatorum & iræ Dei, & sine veris terroribus. Et hanc finxerunt mereri remissionem peccatorum, si sit sufficiens: *Sed neminem scire, quando sit sufficiens.* *

* Pez. omisit, errore forte typographi.

Perniciosus & hic error fuit, quod *gravia* *

Pez. omisit.

interiora peccata removerunt ex conspectu, & negarunt esse peccata, ut dubitationes, securitatem, diffidentias, & alias pravas inclinationes. E contra vero pueriliter finxerunt peccata, ex traditionibus humanis. Deinde de enumeratione, de satisfactionibus, de indulgentiis, errores eorum pene manibus palpari possunt. Postremo silentium prorsus est apud eos de fide, seu fiducia in Christum, accipiente remissionem peccatorum, immo jubent dubitare. Propter hos errores re ipsa doctrina eorum de pœnitentia ethnica *quædam sapientia* *

* Pez. omisit.

est, quæ conscientias relinquit in dubitatione de remissione peccatorum, aut docet acquiescere in satisfactionibus, sicut *Alcoranus* tradit canones, qui gradus delictorum quibus operibus compensandi sint. Constat autem doctrinam de vera pœnitentia, de agnitione peccatorum & iræ Dei, de vera contritione, & veris terroribus, qui existunt in mente agnoscente peccata, de fide in Christum, accipiente remissionem, & de nova obedientia, & vera emendatione vitæ & morum; præcipuum caput esse doctrinæ Christianæ, quod maxime opus est sincere & incorrupte tradi. Ac intelligunt omnes pii, se vero pectore Deo gratias agere debere, pro hoc immenso beneficio, quod rursus accendit lucem hujus doctrinæ, depulsa caligine, & rejectis erroribus, ut sciant jam pii vera peccatorum discrimina, & ubi vera consolatio petenda sit, ac norint, hos esse præcipuos cultus Dei expavescere conspectu nostræ infirmitatis & iræ Dei, & tamen confugere ad mediatorem Christum, & statuere, propter ipsum donatam esse remissionem peccatorum, & hac fide in Christo acquiescere, sicut scriptum est: *Justificati fide pacem habemus.* Hanc lucem doctrinæ si quis non magni facit, procul abest a Christi agnitione, & habet animum occupatum prophanis aut philosophicis imaginationibus. Cum autem omnes prudentes sciant, hunc ipsum articulum in nostris Ecclesiis fideliter & pure proponi & explicari, & necessitas universæ Ecclesiæ postulet, ut puritas hujus articuli optima fide conservetur: nec possumus,

A. 1545.

ſumus, *nec volumus admittere corruptelas hujus articuli.* *

* In Authentico inducta ſunt hæc verba. Pez. legit: *nec poſſunt nec debent admitti corruptelæ.* In Germanico legitur: So wollen und können wir keine enderung/verdunckelung/ und kein flickwerck in der Lehre dieſes Articuls willigen oder zulaſſen.

Quanquam autem artifices quidam, qui novis fucis pingunt & excuſant veteres abuſus, quærunt *noſtræ explicationis* *

* Pez. *contra noſtram explicationem*

in hoc articulo cavillationes: tamen omnes prudentes norunt omnium partium, *

* Pez. addit *pœnitentiæ*

doctrinam in hoc articulo apud nos veram, incorruptam, piam & ſalutarem eſſe. Confeſſionem vero & ipſi in uſu pio retinere ſtudemus, ut in ea populus erudiatur, & fides rudium *

(15) De confeſſione.

* Pez. addit *hominum.*

exploretur, & mentes perterrefactæ conſolationem audiant, ac maneat intellectus Evangelii & teſtimonium publicum, quod Evangelium vere annunciet remiſſionem peccatorum multis publice, & privatim ſingulis petentibus & credentibus. Et ſi ſalutaris Reformatio inſtitueretur, præcipue opus eſſet, hunc totum articulum de pœnitentia, & doctrinam de confeſſione, de privata abſolutione & de fide, ita proponi, tum in Catechiſmis, tum alias in concionibus, & conſervari, ſicut a nobis ſæpe, vere & copioſe explicatus eſt. De excommunicatione vero, & de pœna ſequente excommunicationem, infra in capite de judiciis Eccleſiaſticis dicetur. Nunc enim adhuc de pio uſu Sacramentorum dicimus.

De cœna Domini.

(16) De inſtitutione divina accurate ſervanda in cœna Domini.

Poſtquam Deus initio per Adam, & deinde per Abel inſtituit ceremonias, ſtatim Cain & ejus imitatores hypocritæ depravarunt eas, & varias corruptelas adfinxerunt. Ita in populo Iſrael ceremonias a Deo ordinatas, transtulerunt hypocritæ ad abuſus, & novæ excogitatæ ſunt, ut cultus Baal, & excelſorum. Nec ratio humana judicat eſſe peccata, ceremonias a Deo inſtitutas transferre ad alios uſus præter inſtitutionem, aut excogitare novos cultus. Immo ſentit, hos ritus eximia opera eſſe, grata Deo, & iram ejus placantia, ut cum Iſraelitæ in omnibus montibus extruerent ſacella, exiſtimabant ſe augere bona opera, & ſalutaria exercitia & præcipuos cultus Dei, ſicut apud *ſapientiſſimos* *

* Pez. omiſit.

ethnicos in Græcia omnes vici in urbibus, omnes viæ in campis plenæ erant ſacellorum. Hæc triſtia peccata & hanc deerrationem a vera invocatione, intelligent homines in poſtremo judicio, & poſt hanc vitam. Nunc vero firmiſſime tenenda erat regula: Non diſcedendum eſſe a verbo Dei, & ab inſtitutione divina, nec cœnam Domini vertendam eſſe in alia opera, quam ut a Chriſto inſtituta eſt, & ut de obſervatione prima teſtatur uſus Apoſtolorum & primæ ac purioris Eccleſiæ, videlicet ut populus conveniat; vult enim Deus publicos & honeſtos eſſe congreſſus Eccleſiæ, ut vox Evangelii ſit publica, & palam audiatur coram omnibus creaturis, & ut filius Dei palam innoteſcat, celebretur & invocetur, ut multæ ſententiæ docent: *In convenien*do populos & *Reges in unum, ut ſerviant Domino.* In hoc congreſſu publico, ad docendos homines, & ad excitandam invocationem, lectiones aliquæ ex divinis libris recitandæ aut canendæ ſunt, qui mos ſemper in Eccleſia Dei fuit. Eſt & concio addenda, ſicut Chriſtus præcepit, in ritu cœnæ dominicæ dici de ſua paſſione, reſurrectione, & æternis beneficiis, quæ Deus propter filium Eccleſiæ tribuit: †

A. 1545.

(17) De liturgia & adminiſtratione ipſa, ejusque fructu.

† Pez. addit, *& Paulus inquit.*

Quotiescunque hoc facietis, mortem Domini annunciate. Suntque in eo congreſſu homines hortandi, ut conjungant invocationem, ſicut Chriſtus ſingularem promiſſionem addidit precationi communi Eccleſiæ. Urget enim nos, ut illos publicos cœtus & congreſſus veneremur, juvemus, tueamur, & accedamus, ac adficiamur cura communis ſalutis. Ideo ibi precatio facienda eſt pro eccleſiaſtica & politica gubernatione, de pace & de frugibus, & ſinguli ſua pericula animæ & corporis ibi Deo commendent. Hic & cœna Domini adminiſtretur, ita ut presbyter poſt precationes, magna reverentia & pia attentione recitet verba Chriſti, intelligens quid agat, ac deinde diſtribuat *corpus & ſanguinem Domini* †

† Pez. ſubſtituit; *Eucharistiam & Sacramentum corporis & ſanguinis.* Quæ mutatio, neſcio an Melanchthonis an editoris Neoſtadiani, eo pertinet, ut Helveticam non minus quam Lutheri ſententiam admittat.

manducantibus, ſibi & aliis admiſſis ad communionem, & prius exploratis ac abſolutis, nec perſeverantibus in manifeſta turpitudine, quos & ipſos intelligere oportet, quale ſit hoc magnum munus divinum, videlicet, quod hic ſumantur corpus & ſanguis Chriſti, & *quis ſit fructus bujus ſumtionis, videlicet ut* †

† Pez. pro his ſubſtituit, *uſu Euchariſtiæ.*

fides excitetur & confirmetur. Cum enim Chriſtus hac ſua inſtitutione exhibeat nobis ſuum corpus & ſuum ſanguinem, adjungit nos ſibi tanquam membra, remittit nobis peccata noſtra, propter ſuam mortem, (non propter hanc noſtram obedientiam) vult nos exaudire, & gubernare, & facit nos hæredes vitæ æternæ. Simul autem & gratiæ agantur Chriſto in uſu hujus Sacramenti, pro ipſius paſſione, reſurrectione, & omnibus beneficiis. *Tertio* †

† Pez. *Præterea.*

agnoſcamus, in hoc fœdere etiam omnes amplectentes Evangelium, unius Chriſti membra eſſe. Quare dilectionem erga omnes illos, propter Chriſtum, veris officiis præſtemus. Hæc eſt vetus & pura forma cœnæ Domini, *communionis & Miſſæ,* †

† Pez. ſubſtituit: *quam communionem vocant.*

ſicut a Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis & proximis Apoſtolorum temporibus ſervata eſt. Hunc ipſum morem magna reverentia retinemus & tuemur in Eccleſiis noſtris. Valde etiam poſtulat Eccleſiæ neceſſitas, ut omnes Chriſtiani, ac præcipue gubernatores, hanc a Chriſto inſtitutam communionem, & cœnæ dominicæ celebrationem adjuvent, & conſiderent horrendos abuſus, qui contra inſtitutionem errore recepti late vagantur. Primum manifeſtum eſt, & negari non poteſt, maximam partem ſacrificulorum in Europa

(18) De abuſu quoad perſonas ſacerdotum.

A. 1545.

ropa propter ventrem & petere sacerdotii honorem, & Missas celebrare, qui ne curant quidem ullam doctrinam, nec intelligunt, quid agant, & ad quid hoc opus institutum sit, & ceremoniam imitantur, *sicut pueri*, †

† Pez. omisit.

multi etiam polluti sunt manifestis peccatis, in quibus perseverant. Tales graviter peccant, & nomen Dei polluunt contra *secundum praeceptum* †

† Pez. legit: *contra praeceptum*, & inserit verba Decalogi: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Omittit etiam dictum Pauli primo loco hic citatum, *Qui manducat* &c. & alterum saltem retinet.

& contra hoc dictum Pauli ad Corinthios: *Qui manducat indigne panem hunc, aut bibit poculum Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Item; *qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Haec peccata merentur aeternas poenas, & in hac vita causae sunt magnarum calamitatum publicarum, bellorum & vastitatum. Ac ad officium omnium gubernatorum in Ecclesia, Episcoporum & Principum, pertinet, hanc manifestam prophanationem Sacramenti, quantum fieri potest, prohibere. Haec est manifestissima veritas. Secundo Missa hoc falso praeconio ornatur, & ex hac persuasione privatae Missae cumulatae sunt, videlicet, quod sacrificulus offerat Filium Dei, & hoc sacrificio mereatur *vivis remissionem peccatorum, & mortuis liberationem* †

(19) *De abusione sacrificii Missatici.*

† Pez. *remissionem peccatorum vivis & mortuis, vivis liberationem a peccatis, & mortuis* &c.

ex purgatorio, ex opere operato, etiam sine bono motu utentis. Manifestum est autem, coenam Domini non institutam esse pro mortuis, quia textus aperte praecipit recordationem mortis Christi: quod ad mortuos accommodari non potest. Certum & hoc est, viventes non accipere remissionem peccatorum vel propter opus sacrificuli, vel propter aliud quodcunque opus humanum: sed tantum propter Christum, propria fide, juxta salutarem doctrinam de fide, ut scriptum est: *Justus fide sua vivet.* Est autem publica persuasio maximae partis hominum, Missam mereri facienti & aliis remissionem peccatorum & vitam aeternam. Et haeret haec opinio in mentibus praecipuorum, adeo, ut putent se, si sint assidui spectatores Missae, habituros gratiam Dei, successus, & magnam felicitatem, etiam cum perseverant in aliis manifestis sceleribus. Et concurrunt multae causae, propter quas potentes valde dimicant de tuendis Missae abusibus, quarum prima est: Multi potentes & sapientes gubernatores dicunt, omnes mutationes vitandas esse: praecipue autem hanc, quae videtur nervus esse religionis. Hi dicunt, populum fore prophanum, non venturum in templa, non veneraturum ullas ceremonias, si usitata consuetudo legendi Missas mutaretur. Deinde multum valent hae causae: Consuetudo, *lucra*, †

† Pez. mendose *longa* scilicet consuetudo. Sed omnino lucrum hic taxatur, quod missificantes quaerunt, in Germanico enim dicitur; genieß.

excellentia ordinis sacrificulorum. Ideo satis scimus, reformationem communionis & Missae valde difficilem esse. Cum autem errores, de quibus dictum est, & abusus adeo crassi & manifesti sint, valde necesse est, tantas prophanationes Sacramenti non dissimulari. Et hoc consilium solum tutum est, ut prima & vetus consuetudo communionis & *Missae* †

A. 1545.

Pez. omisit.

rursus instauretur, & omittantur venales & privatae Missae. Sed diebus Dominicis, & in aliis feriis, & aliis diebus, cum petent aliqui communionem, honeste celebretur Missa, in qua Presbyter aliquibus exploratis & absolutis, ut dictum est, distribuat *corpus & sanguinem Domini.* †

† Pez. *Sacramentum corporis & sanguinis*; eadem cautela, quae supra notata est.

Praeterea & de hac re dici necesse est: Cum jam populus certo sciat, coenam a Christo sic institutam esse, ut detur & sumatur integrum sacramentum, non tantum a sacerdotibus, sed etiam a populo, multi sunt, quorum conscientiae valde anguntur propter usum unius partis. Excruciantur enim dubitatione, & se facere contra Christi mandatum judicant, eaque de re scimus gravissimas esse querelas piorum in multis regionibus, ac nominatim in Bavaria, Austria, Juliacensi Ducatu, Brabantia, & Hollandia. Haec dubitatio impedit veram invocationem, & deterret homines ab usu Sacramenti, & utentibus affert angustias animi, quae pariunt desperationes, ut in multis ostendit eventus. Hoc onus conscientiarum auferre hi, qui praesunt in ecclesia, Episcopi & Principes debent. Quare valde necesse est, restitui usum veterem integri sacramenti. Tales sunt angustiae conscientiae etiam in Sacerdotibus *multarum regionum*: †

(20) *De restituendo calice.*

(21) *Querela de sacerdotibus, preces & adhortatio de reformatione abusuum.*

† Pez. *multis.*

multi sciunt se peccare, quod propter consuetudinem, aut asperitatem Dominorum, coacti privatas & funebres Missas legunt, & tamen *adversari Dominis, qui nolunt omitti* †

† Pez. *quia adversari Dominis nolunt, omittere.*

hos ritus, non audent. His conscientiis mederi oportuit Episcopos & Principes, juxta hanc piam regulam, & Ecclesiae necessariam, quae docet: Nullam ordinationem humanam in Ecclesia retinendam aut stabiliendam esse, quae polluens conscientiam impedit invocationem Dei aut observationem alicujus mandati divini, sicut Paulus inquit, *datam esse potestatem ad aedificationem, non ad destructionem.* Et *Matth. XV.* Christus Pharisaeos objurgat, quod humana traditio comprobabat opera pugnantia cum mandato divino. *O JESU CHRISTE fili Dei vivi, qui sedes ad dextram aeterni Patris, ut serves tibi ecclesiam, & des ei dona tua: flecte animos summorum gubernatorum, ut cum harum maximarum rerum adficiantur, ut cultus idolorum, & prophanationes divini nominis ac sacramenti emendentur, & pii, luctantes cum dubitatione, liberati, vera consolatione erigantur, & vera Dei agnitio & invocatio veri cultus Dei, & vera ac salutaria officia pietatis instaurentur.* Nec tanta est obscuritas aut subtilitas harum controversiarum, ut a mediocriter doctis, timentibus Deum & amantibus veritatem, non possint dijudicari. Immo perspicua est veritas, & facilis intellectu iis, qui non privatos adfectus, odia, superbiam, avaritiam, studium calumniandi, sed timorem Dei, & studium cognoscendae veritatis ad eas adferunt. Praeterea luce meridiana clarius est, saevitiam, quae exercetur,

ingens

ingens peccatum esse, & irritare iram Dei, & causam esse magnarum publicarum calamitatum, ut Christus *Matth. XXIII.* dicit: *super hostes veritatis, qui sævitiam exercent, venturum esse sanguinem omnium sanctorum, qui interfecti sunt inde usque ab Abel usque ad Zachariam.* Itaque gubernatores, qui Deum timent, ac fugere societatem injustæ sævitiæ cupiunt, nec volunt stabilire errores, & prophanationem divini nominis, hi certe debent piam reformationem in his articulis & aliis adjuvare, ac nominatim, ut Ecclesiæ recte de Sacramento corporis & sanguinis Christi erudiantur, quid ibi exhibeatur, & ad quem fructum hæc sumtio instituta sit, & quomodo prosit, ut in usu Cœnæ luceat verus intellectus sacramenti & fides, & adsit reverentia, quæ decet in Ecclesia, ne Sacramentum objiciatur porcis, ut proh dolor tristissima exempla conspiciuntur in toto orbe terrarum, in illa ingenti multitudine indoctorum & impiorum sacrificulorum & monachorum, qui tantum ventris causa legunt Missas. Item apud Anabaptistas & alios, qui de Sacramentis prophanas opiniones habent, & dicunt, tantum ibi panem & vinum exhiberi, & Sacramenta tantum esse signa professionis coram hominibus & fœderis inter homines, nec esse testimonia promissionum & gratiæ Dei erga nos, atque ita delent doctrinam de exercitio fidei erga Deum, in usu Sacramentorum. Constat etiam ex historiis Ecclesiæ veteris, circiter trecentos annos post Apostolos nondum fuisse consuetudinem celebrandi privatas Missas: Sed postea ex inscitia & superstitione paulatim receptæ sunt, deinde sine modo cumulavit eas avaritia. Prodesset etiam, si Deus daret concordiam, ut *simul mediocris similitudo in ceremoniis additis cœna Domini & Missæ ordinaretur,* †

† Pez. *ut honesta ceremonia ordinarentur.*

videlicet, ut præcederent confessio & absolutio eorum, qui ad communionem accessuri essent, *& Presbyteri honeste ad aram starent,* *

* Pez. omisit.

& omitterentur indecori ritus in templo, *velut ad mensas adsidentium.* †

† Pez. omisit. Dubito autem an Melanchthon ista de aris & mensis expunxerit, in autographo enim tam Germanico, quam Latino, manu ejus subscripto, extant.

De invocatione Sanctorum, qui ex hac vita excesserunt.

(22) *De idololatrico Sanctorum cultu.*

Addemus hic & articulum de invocatione *Sanctorum*, qui ex hac vita excesserunt. Manifestum est enim, mundum plenum esse *idolorum cultu,* †

† Pez. *idololatricorum cultuum*

in hac invocatione. Expresse scriptum est *Deuteron. VI. & Matt. IV. Dominum Deum tuum,* id est, qui se tibi per verbum suum & certa testimonia patefecit, *adorabis, & huic soli servies.* Solet autem magna multitudo hominum confugere ad Sanctos, quasi dent bona corporis aut animæ. Hic error manifeste est idolorum cultus. Aliqui autem quærunt excusationes, & variis coloribus hunc ritum pingunt & ornant. Non invocentur, inquiunt, Sancti, ut conditores aut effectores donorum illorum; sed ut intercessores. Hic fucus hac perspicua responsione refutatur: In Ecclesia seu in populo Dei nulla invocatio docenda, instituenda, aut stabilienda est, quæ in verbo Dei nec præceptum ullum, nec exemplum habet. Manifestum est autem, in scriptis Propheticis & Apostolicis prorsus nullum præceptum aut exemplum hujus invocationis extare. Et *Rom. XIV.* dicitur: *Quicquid non est ex fide, peccatum* est. Cum igitur nullum extet verbum Dei de hac invocatione, fit talis invocatio cum dubitatione, an hic mos Deo placeat. Quare nequaquam stabilienda est. Præterea solius omnipotentis naturæ est, modus cordium, & invocationem ac gemitus in cordibus omnium hominum, audire & judicare. Invocans autem Sanctos, qui ex hac vita excesserunt, tribuit eis hunc honorem & hanc potentiam, quod cernant motus cordium ubique: Id re ipsa est eis tribuere omnipotentiam. Est autem idolorum cultus, tribuere aliis, præter Deum, omnipotentiam. Omnes igitur gubernatores, Episcopi, Pastores, & Principes, hunc errorem & abusum, abolere debent. Quæ autem pertinacia est, stabilire hanc invocationem, cum in conspectu sint abusus tanti, qui manifesti sunt cultus Idolorum, & nemo ignoret, nullum præceptum aut exemplum extare in scriptis Propheticis & Apostolicis, quod doceat hanc invocationem Deo placere? Nec vero sequitur hinc, ut nobis injuste objicitur, nos non diligere, non venerari, non honore adficere sanctos. Item aboleri a nobis festos dies, quorum præcipua fuerit celebritas. Ad hæc respondemus: Deo æterno Patri & filio ejus Jesu Christo, & Spiritui sancto, tanquam essentiæ omnipotenti, tribuenda est invocatio: Sed Sanctis alii honores competunt, ac potest eruditus & pius concionator ex eorum historiis populo multa recitare, quæ de maximis rebus erudiunt mentes, & confirmant fidem. *Primum*, quod in ipsorum historia extent testimonia illustria de summo Dei beneficio, *quod videlicet Deus se generi humano patefecerit,* †

(23) *Quomodo Sanctorum memoria colenda sit.*

† Pez. omisit.

quod ipsis videlicet Prophetis & Apostolis tradiderit suum Evangelium, & addiderit certa testimonia, & per hos collegerit sibi Ecclesiam. Hæc summa beneficia Dei considerare & celebrare oportebat, & pro eis gratias agere, quoties Sanctorum historiæ recitantur aut cogitantur. *Secundo*: Tota gubernatio Ecclesiæ in historiis Sanctorum mente reputanda est, & Deo gratiæ agendæ, quod subinde restituit vocem Evangelii, & *alios atque alios* †

† Pez. *aliquos mirabiliter.*

vocat & confirmat. *Tertio*: Insignia exempla gratiæ Dei in eis conspiciuntur: Sicut Deus remisit peccata Aaroni, Davidi, Petro, Paulo & omnibus aliis: ita certo vult & nobis omnibus peccata remittere *fide petentibus.* †

† Pez. omisit.

Quarto: Sicut sanctos suos castigavit, & cruci subjecit, & tamen sustentavit sua consolatione, & rursus mirandis liberationibus ornavit: ita discamus, nos quoque gubernandos esse. Obediamus in cruce, ac petamus & expectemus auxilium & liberationem, sicut scriptum est: *Subditus esto Deo & ora eum* †

† Pez. addit reliqua: *& ipse faciet*, quæ errore scribentis omissa videntur.

Quin-

A. 1545.

Quinto: Laudandi sunt & ipsi sancti, quod diligentiam adhibuerunt, ne effunderent Dei dona, sed mores suos recte gubernarunt, studiose didicerunt doctrinam cœlestem, exercitia studiorum, meditationum, & precationum habuerunt, quas eorum virtutes nobis imitandas proponamus. De his locis dicendum erat, quoties de Sanctorum honoribus quæritur, quorum locorum consideratio gignit in animis veram dilectionem & reverentiam erga Sanctos, tum in cœlis viventes, tum nobiscum adhuc in hac vita degentes, occupatos gubernatione Ecclesiæ & reipublicæ. Quod pulchrius esse spectaculum potest homini sano quam mente contemplari tales viros, quales fuerunt Joseph, David, & alii? Primum enim Deus in illorum consideratione agnoscitur, qui se per illos certis testimoniis patefecit. Deinde in horum rebus gestis discimus, quomodo Deus sibi colligat Ecclesiam, & quomodo eam gubernet. Tertio juvat eorum excellentes virtutes contueri & admirari. Hæc consideratio absentium movet animos ad quærenda exempla inter viventes, qui in simili gubernatione & vocatione versantur, & collatio accendit benevolentiam & reverentiam erga eos.

De Conjugio.

(24) De conjugio.

Hoc loco & de conjugio dicemus, quia usitatum est fieri mentionem ejus inter Sacramenta. Nec *dissensio* †

† Pez. mendose legit *defensio*.

est ulla, quid sit conjugium: sicut manifestum est, de his tribus vitæ gradibus: de conjugio, de dignitate ordinis ecclesiastici, & de dignitate politicæ gubernationis, in Ecclesiis nostris singulari Dei beneficio doctrinam præclare illustratam & repurgatam esse, quæ antea in traditionibus Pontificum & deliramentis monachorum valde obscurata & contaminata fuerat. Sed hac de re nunc controversia est: Quibus personis concedendum sit conjugium, sitne concedendum conjugium Presbyteris & illis personis, quæ fuerunt obligatæ votis monasticis? Hic dicimus, necessariam partem esse Reformationis, tollere impia vincula, quæ prohibent conjugium. Concedendum est conjugium presbyteris, & personis, quæ fuerunt obligatæ votis monasticis, & abolenda est prohibitio conjugii, quæ & causa fuit ingentium peccatorum, & innumerabiles animas in Epicureos furores, in desperationem & in æternum exitium impulit, sicut Paulus hanc prohibitionem expresse nominat doctrinam Dæmoniorum. Sunt in conspectu flagitia & damna ab illa prohibitione orta: totus luxus Sacerdotum, vagæ libidines, Epicurea prophanitas, desperationes, æternum exitium animarum, pœnæ publicæ, quæ libidines comitantur, quorum malorum omnium rei sunt, qui initio autores legum de cœlibatu & comprobatores fuerunt, & nunc rei sunt præsentium & futurorum peccatorum, qui eas leges jam tuentur. Ac profecto triste spectaculum est, quod hæc impia lex defenditur parricidiis piorum & bene meritorum sacerdotum, sicut nominari possunt multi honesti, pii & docti sacerdotes, qui propter conjugium, non propter alias causas, interfecti sunt. Ostendit autem & hæc ipsa sævitia, autorem legis de cœlibatu diabolum esse, qui cum sit homicida, munit injustam legem tanta crudelitate. Germania habet jam amplius, quam decem millia sacerdotum maritorum, qui habent tot honestas conjuges, & multo plures liberos. In hoc tanto numero multi sunt, qui Deum recte invocant, recte serviunt in ministerio, sunt electi ad æternam salutem, & mansuri sunt æterna membra Christi. In tales autem sævitiam exercere, aut arma stringere, horrendum peccatum esset. Deinde & publica Ecclesiæ necessitas consideranda est. Nisi enim abrogatur lex de cœlibatu, deerunt Ecclesiis pastores & concionatores. Quia nunc homines honesti, timentes Deum, & abhorrentes a libidinibus, hanc ipsam ob causam ecclesiasticos gradus petere nolunt, qui conscientias suas hoc vinculo & his peccatis, quæ legem †

(25) Specialim Clericorum.

† Pez. addit. *de cœlibatu*.

sequuntur, onerare nolunt, sicut constat, aliquos nobilissimos Principes, Comites & multos natos in familiis equestribus honestissimis, reliquisse ampla sacerdotia collegiorum summorum, impurum cœlibatum fugientes. Et fiunt similia a multis præstantibus ingeniis in plebe, quæ magno usui & ornamento Ecclesiæ esse poterant. Postremo valde dolendum est, summos gubernatores malle habere magna agmina cœlibum sacerdotum levium, indoctorum, pollutorum variis libidinibus: quam sacerdotes maritos honestos, Deum timentes, castos, bona conscientia Deum invocantes, eruditos. Quæ vero præterea necessaria sunt ad retinendam conjugii honestatem, commendentur judiciis ecclesiasticis, ubi illa recte constituta sunt, & recte constituentur. Hactenus dictum est de doctrina Ecclesiæ, & de Sacramentis, quas res primum & præcipue in Ecclesiæ gubernatione notas constitutas esse, propagari, & conservari oportet. Cumque creaturæ nulli, nullis angelis, æternum & immutabile decretum voluntatis divinæ, quam in Evangelio patefecit, & in doctrina ac Sacramentis proposuit, mutare liceat: servemus id nos quoque immotum & incorruptum, nec ex humana sapientia aliquid contra Evangelium, aut incerta præter Evangelium statuamus. Diabolus primus autor tentationis, in Paradiso ita decepit primos parentes, postea horribiles furores accendit in Ethnicis: decepit & Israelitas, & populum Ecclesiæ post Apostolos, ut, cum e conspectu amovisset eis verbum Dei, & effudisset alias speculationes, secuti sint varii errores. Ita sapientissimi Ethnicorum Ægyptii, Chaldæi, Syriaci, Græci, Romani, audacter finxerunt idola & cultus accommodatos ad sua imperia, & hos voluerunt suorum imperiorum nervos esse. Sic non ludat Ecclesia Dei, non attemperet doctrinam & cultus ad commoditatem imperiorum, sed retineat puritatem verbi Dei, & unam, consentientem, & perpetuam doctrinam, traditam per Prophetas & Apostolos, sicut *ad Galatas I.* scriptum est: *Si Angelus de cœlo aliud Evangelium docebit præter id, quod docui, anathema sit.* Omnibus hominibus mandatum est, ut hanc veram doctrinam, unicam de Deo, & æternam discant; confiteantur, & tueantur, sicut æternus pater clamat de filio: *Hunc audite.* Item *Matth. X. Qui me* con-

(26) Admonitio de non mutandis, quæ Deus instituit.

A. 1545. *confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo cœlesti, &c.*

III.

Nunc sequitur tertia pars operis:

de ministerio Evangelii, in qua parte & de personis ac Episcopis dicetur.

De ministerio Evangelico & Regimine Episcoporum.

(27) *De divina institutione ministerii Evangelici.*

Sicut viri politici, antecellentes sapientia, constituerunt regna, gradibus personarum, modo electionis, & nervo ordinariæ successionis, præfinitione certorum locorum & collegiorum, legibus, judiciis, executione, præsidiis, opibus, defensione: & alii in constituendo felices fuerunt, ac durabiles politias constituerunt, ut Cyrus, Augustus: alii fuerunt infelices, nec retinere statum, cujus fuerant autores, potuerunt, ut Pisistratus, Cleomenes & alii: nam etiam in his rebus opus est Dei auxilio & gubernatione: ita multo magis in Ecclesia magna cura & studio multi sapientes conati sunt eam ad imitationem Regni constituere; ordinarunt gradus personarum, electionem, successionem ordinariam, diœceses, opes, præsidia. Sed in hac ipsa ordinatione eventus fuerunt dissimillimi. Nam postquam hic status diligenter ordinatus & munitus est, sæpe Episcopi & gubernatores ipsi everterunt Ecclesias, sicut palam cernitur, Episcopos & eorum aulas multis seculis prorsus neglexisse studia doctrinæ cœlestis, & vocationem suam. In veteri testamento Deus quoque diœcesin alligatam personis, loco, successioni ordinariæ, instituit, quæ duravit annos amplius mille. Et tamen hæc ipsa diœcesis multos habuit impios pontifices, & hostes veræ doctrinæ, ut Menelaum, Jasonem, Alcimum, & alios innumerabiles. Ante Aaronem Ecclesia Dei *diutius* †

† Pez. rectius scribit; *divinitus*, idque congruit cum textu Germanico.

duobus millibus annorum fuit, etiamsi nondum erat talis diœcesis, alligata loco & personis, & ordinariæ successioni. Et postea in politia Judaica sæpe Prophetæ & Doctores a Deo excitati sunt, quos audire necesse erat, etiamsi damnabantur ab impiis Pontificibus. Necesse est igitur discernere ab illa politia Episcoporum, alligata locis, personis, *successioni ordinariæ, imperiis, legibus humanis,* †

† Pez. omisit.

ipsum ministerium Evangelicum, quod Deus instituit & magna misericordia subinde instaurat, & perpetuo servat Ecclesiæ suæ, quod non alligatum est certis locis, personis, *successioni ordinariæ, imperiis & humanis legibus* †

† Pez. omisit.

sed Evangelio. Paulus ad *Eph. IV.* inquit, *Christum sedere ad dextram Patris, & Ecclesiæ donadare, Prophetas, Apostolos, pastores, doctores.* Et diserte addit causam, cur Christus sua potentia servet ministerium, & excitet doctores; videlicet, *ut vera, consentiens, unica doctrina perpetuo in Ecclesia maneat,* sicut inde ab Adam usque ad hæc tempora mansit verbum Dei, *& pura sententia in vera Ecclesia:* †

† Pez. omisit.

& ne Ecclesia abducatur a verbo Dei, & impellatur in varios errores, ut Ethnici quotidie novos furores excogitabant. Hic Paulus plane adfirmat, verum ministerium Evangelii in Ecclesia singulari potentia & beneficio Christi retineri, videlicet hoc modo, ut subinde exsuscitet, gubernet & defendat doctores, qui Evangelium recte proponant, & cum obscuratum & contaminatum est, rursus illustrent: & sit efficax per vocem Evangelii & administrationem sacramentorum, colligat sibi Ecclesiam æternam, det Spiritum sanctum. Sic Christus ipse suum librum, & suam scholam servat, sicut *Esaia LI.* scriptum est: *Posui verba mea in ore tuo, & umbra manus mea protexi te, ut plantes cœlos &c.* Et sæpe repetita est hæc promissio ad consolandos omnes recte invocantes Christum, ut sciamus, Deum sua potentia servaturum esse Ecclesiam suam, Evangelium, & Ministerium Evangelii. Nam si fundamentum esset Ecclesiæ humana diligentia & humana constantia, & Evangelicum ministerium ab humana potentia penderet, cito deleretur, cum ipsis imperiis, *ubi sonaret vox Evangelii,* †

† Pez. omisit.

sicut Ethnicæ religiones cum suis imperiis funditus deletæ sunt. Sed Deus in illo capite Esaiæ inquit, se ministerium Evangelii propter se ipsum, & servandam notitiam nominis sui servaturum esse, & non permissurum, ut deleatur. Sic & *Psalmo secundo* inquit: *Prædicabo de præcepto: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Hanc vocem Christus per sese & suos ministros perpetuo sonabit, nec opprimi sinet. Hæc *primum* dicta sint de ministerio Evangelico, ut omnes intelligant, nos confiteri, sicut hæc est æterna & immota veritas: ministerium Evangelii & Sacramentorum necessarium esse, *& Ecclesiam ad hoc alligatam esse,* †

† Pez. omisit.

nec esse populum Dei aut electos usquam, nisi in cœtu vocatorum, ubi sonat vox Evangelii, & administrantur Sacramenta. *Secundo* & hoc ingens Dei beneficium agnoscendum est, & Deo nominatim pro hoc tanto munere gratiæ agendæ sunt, quod Deus Ecclesiæ mandavit, ut ipsa ministros eligat ad docendum Evangelium, & ad Sacramenta exhibenda, & per illos ipsos, humana voce electos, vult esse efficax, & in hoc ipso numero multos excitat Spiritu sancto, & ornat peculiaribus donis ad Ecclesiam instaurandam, sicut Paulus Tito præcipit, ut Presbyteros in civitatibus collocet. Et fit mentio ordinationis ac impositionis manuum ad Timotheum. Mos etiam Ecclesiæ, qui multis seculis duravit, notus est, quod honesti & pii homines omnium ordinum convocati nominarunt & elegerunt Episcopos. *Tertio* verum est, fungentibus ministerio Evangelico, si recte doceant, & Sacramenta administrent juxta institutionem, sive vocentur Episcopi, sive Pastores, mandato divino obedientiam deberi in omnibus, quæ præcipit aut vetat Evangelium, & contumaciam puniri æternis pœnis, juxta illud: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Præterea debetur illis, rite fungentibus ministerio Evangelico, obedientia in judiciis

(28) *Electio ministrorum competit Ecclesiæ.*

(29) *Ministerio debetur obsequium.*

A. 1545.

A. 1545. judiciis Ecclesiasticis, ad quæ & Ecclesia adhibenda est. Ad hæc judicia venire vocatum, & convictum obtemperare *sententiæ*, *

* Pez. omisit.

necesse est. Postremo loco ordinationes rerum sunt, quæ vocantur adiaphoræ, ut temporum, lectionum, & similium rerum, quæ tamen sine impiis opinionibus a gubernantibus Ecclesiam constituuntur, boni ordinis causa, pro loci conditione. In his populus debet obedientiam eatenus, ne cum scandalo illas ordinationes violet, nec fiant dissipationes non necessariæ. Et in summa, Ministerio Evangelico, per quod Deum efficacem esse certissimum est, & per quod Deus nobis adest, omnes homines vero pectore, & vera reverentia se subjicere debent. Et præcipuus Dei cultus est, adjuvare hujus ministerii conservationem, omni officii genere, suppeditando victum, & defendendo, pro cujuscunque loco. Pro quibus officiis Deus ingentia præmia pollicitus est. *Qui uni ex minimis discipulorum meorum propter doctrinam vel potum aqua dabit, amen dico vobis, merces ei dabitur.* Hæc in genere dicta sunt de ministerio Evangelico, id est, de omnibus in sua vocatione recte docentibus Evangelium, & recte administrantibus Sacramenta. Postea vero quæritur: An inter istos ministros ordinem & gradus esse necesse sit? Non omnes dona similia habent, non omnes idonei sunt ad dijudicandas obscuras controversias doctrinæ, non omnes possunt constituere judicia. Et cum in hac tanta imbecillitate humana necessaria sit inspectio aliqua prudentiorum, & necessaria sint judicia, oportet esse certa loca & certas personas idoneas, ad quos negotia referantur, & illa loca personis & opibus ita instructa esse oportet, quantum humana diligentia provideri potest, ut spes sit, *potentias* *

(30) *De gradibus ministrorum.*

(31) *De utilitate officii Episcopalis.*

* Pez. legit *politias*. In Germanico est; beständige Ordnung.

illas multis seculis mansuras esse. Ideo volunt, Episcopos esse tanquam gradum supra reliquos Presbyteros. Omnis autem gubernatio ministros & sumtus requirit. Quare & Episcopis opus est aliqua frequentia doctorum hominum, ad ordinationem recte exercendam, ad examina, ad institutionem ordinandorum, ad visitationem, ad judicia, consilia, ad scribendum, ad legationes, ad synodos seu concilia. Sicut Athanasii, Basilii, Ambrosii, Augustini, & similium gubernationes plenæ fuerunt occupationum, & multas Ecclesias complexæ sunt, ut multæ gentes adversus hæreticos munirentur, & in Synodis aliqua frequentia doctorum esset. Ad hæc negocia multis collegis & ministris opus fuit. Jam si præsens politia Episcoporum dissiparetur, secutura esset barbaries & infinita vastitas, quia Reges & Principes, qui mundana imperia tenent, occupati sunt aliis negotiis, & pauci Ecclesias curant, *& pauciores doctrinam norunt, aut inquirunt.* *

* Pez. omisit.

Ideo censent, necessario præsentem politiam Episcoporum retinendam esse. Responsio: Nec nobis placent dissipationes politiarum aut gubernationum, & valde optamus, ut Episcopi & collegæ gubernationis Ecclesiasticæ, vere faciant suæ vocationis officia. Et in eo casu offerimus obedientiam nostram, videlicet, si desinent esse hostes veræ doctrinæ, quam profitemur, nec erunt tyranni & parricidæ piorum & calamitosorum sacerdotum nostrorum, & incipient parum doctrinam, quam docemus, in Ecclesiis suis propagare, & recipient legitimum & pium usum Sacramentorum, & hanc emendationem tueri volent. Hæc ipsa tanta distractio Ecclesiarum initio ab Episcoporum asperitate orta est, qui fulmina anathematum adversus nos emiserunt, & sacerdotes nostros, homines innocentes, doctos, pios, interfecerunt, cum Episcoporum dignitatem non violassent, immo pro eis labores ministerii sustinuissent, ac fuissent ministri pii & salutares, ut multi eorum voce ad Deum conversi, facti sint hæredes vitæ æternæ. Si vero Episcopi, ut hactenus, ita deinceps hostilia facient contra doctrinam, quam profitemur, nulla poterit inter illos & nostros sacerdotes & doctores fieri concordia. Quid vero Principes & politici gubernatores facturi sint, ipsorum deliberationi relinquimus. Nos quidem, qui jam ministerio Evangelico fungimur, non possumus cum iis, qui manere volent Evangelii hostes, concordiam facere. Exitum autem Deo, qui est justus judex, & promisit, sese sua præsentia ministerium Evangelii defensurum esse, commendabimus, utram partem, & quomodo nos protecturus sit, sicut Apostolos necesse fuit Deo commendare ecclesiæ sui temporis defensionem. Nam, ut prius dictum est, scimus, ministerium evangelicum non ab humanis voluntatibus aut præsidiis pendere, sed servari a Domino nostro Jesu Christo, ut apud Oseam dicitur: *Salvabo eos in Domino Deo suo, & non salvabo eos in arcu & gladio &c.* Denique ad piam concordiam nulla via est alia, nisi hæc, ut Episcopi veram doctrinam & legitimum usum Sacramentorum amplectantur, & nos ipsis, tanquam Ecclesiæ gubernatoribus, obediamus, ad quod nos offerimus. Plus largiri sine magno peccato, & sine contumelia Dei, non possumus. Ex hac significatione nostræ voluntatis, deferentis in hoc casu obedientiam, manifestum est, nos satis excusatos esse, cum nobis objicitur, nos contumaciæ & schismatibus causam præbere. Ad id justissima hæc responsio est: Nos offerre obedientiam, si non postuletur a nobis, ut veritatem Evangelii abjiciamus & damnemus. Hic si objiciunt: expectandam a nobis esse cognitionem controversiarum; vicissim opponimus, damnari nos injuste ante cognitionem, & injuste crudelitatem exerceri, rebus nondum dijudicatis, vero Ecclesiæ judicio. Præterea multi ex ipsis sciunt, doctrinam nostrarum Ecclesiarum, sicut in ecclesiis nostris proponitur, & sicut eam sæpe jam in conventibus confessi sumus, & declaravimus, & dextre ac non calumniose intellectam, veram, & sinceram catholicæ ecclesiæ Dei sententiam esse. Præterea si Episcopi veram doctrinam ecclesiarum nostrarum amplecti & propagare vellent, & fieret concordia, si qui deinceps utiliter Ecclesiæ Dei servituri essent, hos oporteret etiam perficere, ut necessariæ functiones per suos recte administrarentur. Et quanquam aliqui Reformationem Episcoporum instituunt ad veterum canonum severita-

(32) *Quatenus Episcopi ferri possint.*

A. 1545. ritatem: tamen discrimen est inter mandata divina, quæ sunt æterna, nec propter imperiorum mutationes delenda sunt: & mandata humana, quæ temporibus & cum imperiis mutantur, sicut omnes eruditi sciunt, divinas & æternas leges longe differre ab humanis, senescentibus & intereuntibus legibus. Ut si Senatus Spartanus nunc Lycurgi leges restituere vellet, ut agri communiter colerentur, & fruges pro cujusque patrisfamilias necessitate dividerentur: hæc novitas non necessaria esset, *& magnos tumultus paritura esset.* †

† Pez. omisit.

Illud tamen nunc quoque Spartæ necessarium est, ut mandata Dei serventur, ut prohibeantur & puniantur injustæ cædes, adulteria &c. Ita in hac reformatione, cum manifestum sit, in omni gubernatione opus esse multis personis, & has sine victu & stipendiis vivere non posse: necesse erit, etiam Episcopos, qui facient necessarios sumtus in gubernatione, habere facultates aliquas. Quanquam autem gubernatio impiorum, & immodicæ opes impediunt administrationem Ecclesiarum, & literarum studia, & multi pii & prudentes ante hæc secula non temere questi sunt, Episcopos nimium occupatos esse prophanis negotiis imperiorum, & opum suarum cura: tamen postquam nunc talis est politia & opum ordinatio, & Episcopi prudentes ac timentes Deum, recte uti suis facultatibus possent, nos illam opum & ditionum possessionem non turbamus. Illud autem agimus, ut illi ipsi Episcopi, collegia, & populi illarum ditionum ad veram Christi agnitionem, & veram invocationem Dei adducantur, & ut mores collegiorum, qui nunc similes Ethnicis sunt, emendentur, ut constat, Canonicos plerosque ignaros esse doctrinæ Christi, ethnica prophanitate contemnentes religionem, deditos obscœnis voluptatibus. Cumque præcipua & propria cura esse collegiorum deberet, docere Evangelium, & in suis diœcesibus propagare, manifestum est, superbissime contemni munus docendi. Initio enim collegia fuerunt honestissimi cœtus sanctissimorum & eruditissimorum hominum toto orbe terrarum, discentium & docentium. Ita Johannes Evangelista, & deinde Polycarpus, & alii multi pulcherrimos cœtus hominum eruditione & virtute præstantium, docentium & auditorum, secum habuerunt. Nec pulchrius ullum toto orbe terrarum spectaculum esset, quam videre talem senatum, & talem scholam. Nunc vero si hæc recentia collegia ad illam veterem imaginem conferantur, quanta erit dissimilitudo? Sed quia non omnes in collegiis sunt Epicurei, sed aliqui saniores judicium Dei metuunt: his servire nostra moderatione ad salutem, & quantum Deus concedet, manente hac politia, revocare eos ad vocationum officia cupimus. Nam hæc postremi mundi ætas non tam felix est, ut ex collegiis Canonicorum rursus Eliæ & Elisæi scholæ fieri possint. Et tamen, si vellent, Episcopi & Canonici servire Ecclesiæ utiliter possent, in tuendis quibusdam necessariis officiis, ad quæ etiam opus est viris bonis & prudentibus. Nec egestas pietas est, nec opulentia

(33) *De collegiorum Canonicorum reformatione.*

peccatum. *Tenere imperia non est peccatum,* † A. 1545.

† Pez. omisit.

etsi difficile est simul sustinere ecclesiæ & imperiorum gubernationem. Sed tamen Episcopus timens Deum, curas utriusque oneris recte distribuere posset: Sicut David, Ezechias, Constantinus, Theodosius, & nunc multi Principes, etsi *politicis* †

† Pez. omisit.

negotiis occupati sunt, tamen interea & Ecclesias inspiciunt, & earum negotia mediocriter gubernant. Paulus Apostolus prorsus non attigit ulla negotia Imperatorum suæ ætatis. At Ambrosius, etsi erat Episcopus, tamen legationes obiit, pacis faciendæ causa inter Valentinianum & Maximum: sicut & nunc unius Ecclesiæ in oppido aliquo pastor prudens & studiosus fovendæ suorum concordiæ, lites aliquas civium privato consilio dirimit. Et Bernhardus, pacis autor fuit inter Lotharium Imperatorem & Conradum. Talia officia, si modus & ordo mediocriter serventur, non reprehendimus. Postremo, etiamsi Canones severissimi condantur, tamen, si personæ sunt sine timore Dei, & non ex animo venerantur ministerium Evangelii, illæ Canonum otiosæ paginæ non profuturæ sunt Ecclesiis. E contra vero, si in personis erit timor Dei, & voluntas juvandæ Ecclesiæ, & sollicitudo de doctrina & de ministerii Evangelici conservatione: poterunt etiam in hac politia, pro modo suarum virium aut suæ industriæ, Ecclesiis utiliter servire. Ideo hanc nostram Reformationem ad leges divinas, quæ ut sunt æternæ, ita semper ab hominibus colendæ erant, instituimus, non ad regulas humano consilio excogitatas, quibus dominantur tempora. *Primum* fateri ipsi coguntur, Deum ante omnia præcepisse Episcopis, ut doceant Evangelium per seipsos, aut certe per alios doceri curent, & recte exerceant administrationem Sacramentorum. Ideo Episcopi viros honestos & idoneos ad docendum Evangelium suis collegiis & ditionum suarum Ecclesiis præficere debent. Ad hanc rem facile invenient stipendia ex sacerdotiis, si adest voluntas & verum studium juvandæ Ecclesiæ, debent & abusus in ceremoniis tollere. *Secundo*, sciunt & hoc mandatum Dei esse, ut ordinationem presbyterorum recte administrari curent, videlicet ita, ut simul fiat seria morum & doctrinæ exploratio, ac rudiores ac dociles erudiantur. Sciunt Episcopi ipsi, hanc veterem esse de ordinatione opinionem, proprium videlicet Episcoporum opus esse, hanc ipsam comprobationem presbyterorum, quæ fit impositione manuum. Non existiment autem, tantum ideo solis Episcopis hoc opus attributum esse, ut fastigium altius agnosceretur: sed multo magis ideo, ut Episcopi præsentes in examine doctrinam diligentius inquirere possent, & caverent, ne admitterentur ad hunc gradum, qui prorsus non possent docere, aut quorum mores alienaturi essent voluntates hominum a ministerio Evangelico.

(34) *De vero Episcoporum munere ut & quibusdam abusibus.*

Sicut

A. 1545. Sicut Paulus Timotheo præcipit, *ne cui cito manus imponat.* Et cum in examine adhibetur diligentia, ut unum quoddam certum & consentiens doctrinæ genus proponatur; & rudiores, qui erudiendi sunt, ad id assuefiunt: hæc exempla plurimum conducunt ad Ecclesiarum concordiam. Cumque petetur ab Episcopis ordinatio, maneat tamen suum jus Patronis, vocandi idoneos, eosque præsentandi, ut vocant. Retinent & jure divino Patroni omnes hanc inspectionem, ne sinant corrumpi doctrinam, juxta illud: *Cavete a Pseudoprophetis.* Admoneant igitur concionatores, qui falsa proponunt, & pertinaces removeant a ministerio, & sui facti causas apud Episcopos exponant. *Tertio:* Episcopis præcipit Deus, ut sint inspectores doctrinæ in omnibus Ecclesiis, quibus præsunt, & curent, ut pastores inferiores recte doceant: sicut Christus Petro præcipit: *Et tu conversus confirma fratres tuos.* Ad hanc rem olim visitationes fiebant, quibus & nunc valde opus esset. Itaque in collegiis Canonicorum esse aliquos honestos & doctos Canonicos oportebat, qui certis temporibus per totam diœcesin Ecclesias adirent, & pastores indoctiores audirent concionantes, & de aliqua doctrinæ parte eos admonerent. Horum officium sit etiam, audire aliquos in populo, ut, quid intelligat & discat populus, animadverti possit. Explorent etiam famam de moribus pastorum & auditorum. Nam hæc duo opera sunt præcipua & vere divina opera ejus functionis, quæ inter omnium creaturarum functiones summa & maxima est, scilicet retinere lucem veræ doctrinæ de Deo, & bonos mores: quarum duarum rerum maximarum tuendarum cura Episcopis præcipue mandata est; non consecrare campanas & parietes. Etsi autem Episcopi nunc utcunque retinent ceremoniam ordinationis, tamen manifestum est, explorationem doctrinæ & morum, & institutionem imperitorum omitti. Ideo plenus est orbis terrarum indoctis, levibus, impiis sacrificulis. Et hanc religionis prophanationem Deus punit magnis publicis calamitatibus, bellis, confusionibus & ruinis regnorum. Manifestum & hoc est, non fieri visitationes ecclesiarum, præterquam quod recens aliqui Episcopi, ut veram doctrinam opprimerent, ad aliqua loca suarum diœcesium accesserunt. *Quarto:* Deus præcipit exerceri judicia ecclesiastica, ut *Matth. XVIII.* scriptum est, & *I. Timoth. V.* videlicet ut ex ecclesia ejiciantur, qui falsa docent, & rei manifestorum criminum, qui mores non emendant, & ut lux veræ doctrinæ, & boni mores retineantur. Hæc judicia a Deo præcipi manifestum est, & fuisse in ecclesia semper ab initio mundi, nihil dubium est, quæ eo quidem diligentius exercenda erant, quia magistratus prophani non curant doctrinam, deinde in disciplina negligentes sunt, quia non puniunt vulgares scortationes aut adulteria. Deploranda est autem & hæc calamitas ecclesiæ, quod hæc judicia prorsus ab Episcopis negliguntur, & excommunicatio ad causas proprias fori prophani indigne & impie translata est. Mores enim canonicorum & aliorum sacerdotum testantur, vagas libidines non punitas esse. Ac de judiciis & excommunicatione mox prolixius dicetur. *Quinto*, sæpe etiam necesse est Synodos autoritate aliqua in una diœcesi, aut pluribus convocari. Nec exigua sapientia est prospicere, quando prosit convocare cœtus, & quomodo tanta ingeniorum & voluntatum varietas gubernanda, *moderanda*,† & ad concordiam flectenda sit. Non enim prodest, multos superbis, turbulentis veteratoriis, factiosis ingeniis præditos, sæpe convocare: & tamen interdum dissidia doctrinæ aut aliorum communium morborum emendationes postulant, multos convocari, & aliqua communi deliberatione quæri remedia, sicut Apostoli Synodos salutares habuerunt. *Sexto*, cum Episcopi debeant esse inspectores doctrinæ, inter præcipuas curas & hanc esse oportuit, perficere, ut scholæ superiores & inferiores recte regerentur. Nam Academiæ nunc sunt, ut olim prima collegia Canonicorum, doctrinæ custodes, testes, & propagatrices, quas intelligere ecclesiæ doctrinam integram, & nosse universam antiquitatem, certamina & judicia ecclesiæ oportet, & scire, unde doctrinam acceperint, & testimonia veræ sententiæ ad posteritatem transmittere: Sicut Irenæus allegat testimonia ecclesiarum Græcarum & Latinarum. Ac valde postulat publica necessitas, ut omnes gubernatores ecclesiastici & politici majore diligentia & sedulitate excitent & foveant studia literarum, & disciplinam in scholis severius adstringant. *Nimia* † est enim horum temporum libertas, in qua multi efferantur, & negligunt exercitia religionis, precationes, & lectiones sacras. Hanc feritatem si adulti ad rempublicam adferent, erunt pestes generis humani: quia sine vera invocatione Dei vivent, negligent Ecclesias, fient Epicurei, ut nunc passim, proh dolor! tales cyclopes multi sunt in aulis & civitatibus. Revocetur ergo adolescentia ad modestiam, assuefiat exemplis & honestis exercitiis ad agnitionem & timorem Dei, & metæ salutares circumdentur libertati. Verum ad hæc Episcoporum opera omnia, opus est in quolibet diœcesi aliquot honestis & doctis viris & Deum timentibus, quales haberi possent, si accederet hæc diligentia, ut ad sacerdotia collegiorum eligerentur tales viri, quorum industria usui esse posset. Nunc enim quam multi sint recte eruditi in collegiis Canonicorum, res ipsa ostendit: ac præcipue pauci sunt, qui doctrinam Ecclesiæ recte intelligant & ament. Et ut honesti viri sint in collegiis Canonicorum, abolenda est impia lex de cœlibatu, & concedendum est his honestum & pium conjugium. *Postremo*, si Deus autor piæ & salutaris concordiæ faveret initiis reformationis, & emendatio pia procederet, deinceps in electione Episcoporum rationem haberi oporteret non tantum politicæ gubernationis, sed etiam ecclesiasticæ. Quærendus esset non tantum diligens quæstor, aut vir politicus, sed etiam mediocriter sciens doctrinam Ecclesiæ, & non superbe fastidiens ministerium evangelicum, deliberationes de doctrina, & de piis ceremoniis, & defensione Pastorum, sed præcipua Episcopi officia intelligens & amans. Etsi autem veteres canones multa ordinaverunt de electione, quibus personis, &

† Pez. omisit.

† Pez. legit *Nota*

A. 1545.

& quorum graduum hominibus concedendum sit jus suffragandi; tamen nobis hoc tutissimum videtur, ut sit electio penes summa collegia, ut hactenus, postquam amplexa essent puram Evangelii doctrinam. Et si quid juris quocunque loco Principes habent, ut id maneat eis integrum. Nam si revocanda esset vetus consuetudo, ut populus, seu præcipui viri omnium graduum, suffragarentur, ille mos & olim magnos tumultus excitavit in Asia, in Græcia, & in Italia: & nunc in hac natione horridiore majora certamina pariturus esset. Et si collegia, lenissimo consilio, quo non labefactatur fastigium aut dignitas cujusquam, non diripiuntur opes, non impeditur administratio, ad reformationem jure divino præceptam non poterunt flecti, ut existimamus, quia major pars habet cum inscitia & impietate conjunctam pertinaciam, ut Pharao, & Judæi, & multi sunt palam Epicurei, qui mentis judicium amiserunt propter libidines, & ferocem Dei contemtum: quanto minus flectentur ad reformationem præscriptam in veteribus canonibus, quæ imperia eis eriperet, & diminueret opes? Si autem Episcopi & Canonici manere hostes Evangelii, & parricidæ recte docentium volent, sicut fuerunt hactenus: commendabimus Deo judicium, & hæ compositiones frustra tentantur. Non enim abjicere confessionem veræ, necessariæ, & salutaris doctrinæ a Deo traditæ, & sanguine filii Dei obsignatæ, nec deserere ministerium Evangelicum licet: & Ecclesiarum nostrarum defensionem a Domino nostro Jesu Christo, qui sedet ad dextram æterni Patris, ut sibi Ecclesiam voce Evangelii sui colligat, expectare debemus.

IV. De judiciis Ecclesiasticis.

(35) *De instituto & natura judiciorum ecclesiasticorum.*

Deus potestati, gerenti gladium, mandavit, ut externam honestam disciplinam juxta omnia mandata Dei tueatur ac retineat, & corporalibus pœnis omnes, qui violant externam disciplinam, puniat, & omnes mediocriter periti forensium negociorum sciunt, quæ causæ ad hoc forum vere pertineant. Præter hoc forum constituit Deus aliud judicium in Ecclesia, quod, cum via esse debeat ad pœnitentiam, non interficit hominem vi corporali, sed punit verbo Dei, scilicet, aut separatione aut ejectione ex Ecclesia. Postea vero huic foro ecclesiastico etiam controversiæ de matrimoniis commendatæ sunt, quod bono consilio factum videtur. Sæpe enim incidunt controversiæ, in quibus conscientiis partium consuli debet, cujus rei in foro prophano non ita habetur ratio. Sed quod multis seculis alia prophana negocia, ut lites de pecunia, forum ecclesiasticum ad se traxit, & quod Pontifices fulmen excommunicationis torserunt in Imperatores, ad imperii amplificationem in Italia, aut ad retinendum regnum Neapolitanum, & quod excommunicatio non exercetur ad puniendas vagas libidines, adulteria, contumaciam juventutis contumeliosæ adversus parentes, Epicureum contemtum christianæ doctrinæ & Sacramentorum: hi abusus deinceps tollendi sunt. Utinam vero gubernatores considerarent, quam necesse sit recte constitui & defendi judicia ecclesiastica, quæ si non constituentur, sequentur multo t[illegible]ores morum, disciplinæ & doctrinæ confusiones. Ac primum sciunt omnes, negocia conjugii magnam partem esse vitæ humanæ, & incidere tam multas & tam varias controversias, ut ad cognitiones negociorum conjugalium sit opus peculiari judicio, seu peculiari decuria judicum. Nec fieri potest, ut singuli pastores in Ecclesiis tantum eruditionis & judicii habeant, ut has controversias recte dijudicare possint. Sæpe enim adeo obscuræ & intricatæ causæ sunt, ut etiam doctis & peritis difficile sit pronunciare. Ideo necesse est in locis certis, opportunis, *præcipuis*, †

A. 1545.

(36) *De causis matrimonialibus speciatim.*

† Pez. omisit.

ad quæ accedere homines sine magnis sumtibus possunt, in diœcesibus Consistoria constituere, quæ cognoscant & dijudicent controversias matrimoniales christianis sententiis, juxta verbum Dei, Evangelium & illas honestas leges, quæ in Ecclesia Christi a piis & prudentibus Christianis inde usque ab Apostolis, tanquam honestæ, & Deo placentes judicatæ sunt: ne Ethnicæ & Turcicæ confusiones libidinum existant. Item Pastores cujuslibet loci moneant reos criminum, ut se emendent; si non fit emendatio, indicent eos Consistorio, quod citet reos, &, audito negocio, puniat sontes. Ac nominatim hæ causæ ad hoc forum deferantur, quas prophana potestas negligit: Si quis falsum dogma spargit: Si quis contumeliose loquitur de religione christiana aut de Sacramentis: Si quis toto anno nec absolutionem petit, nec accedit ad Cœnam Domini: Si quis contumelia adficit pastorem Ecclesiæ, aut alios Evangelii ministros: Si quis apud se palam scortum aut concubinam alit: Si de adulterio adversus aliquem aut aliquam fama verisimilis fertur: Si quis quæstum facit usuris: Si juvenes contumaces contra parentes, aut alios, quibus commendati sunt, dedunt se helluationibus, & inhonestos ludos exercent. Hæc Consistoria habeant potestatem ferendæ sententiæ excommunicationis: & sententia mittatur ad Ecclesiam ejus loci, ubi excommunicati domicilium est, & ibi aut recitetur sententia in concione, aut scripta adfigatur ad templi januam. Populus vero juxta regulam Pauli doceatur, *ne adhibeat excommunicatos* †

(37) *De aliis causis consistorialibus.*

† Pez. *ne adhibeatur talis*

ad societatem congressuum Ecclesiasticorum. Est autem contemtor excommunicationis, pro facti atrocitate, & a potestate, gladium gerente, coercendus. Nam potestas politica Ecclesiam in tuenda pia disciplina juvare debet, ut *Rom. XIII.* scriptum est: *Potestas sit terrori pro malo opere, & honore adficiat recte facientes.* †

† Pez. *Potestas sit terrori malo operi & honori bono.*

Et *Esa. XLIX. Reges erunt nutritores Ecclesiæ*, id est, foveant & protegant ministros Evangelii, & augeant reverentiam Evangelii in populo. Sed præcedat in omnibus causis vera & pia cognitio: ac sint judices non soli sacerdotes, sed etiam alii honesti & docti viri, Deum timentes, ac idonei ad judicandum, tanquam honesta membra Ecclesiæ inter laicos. Cum enim Christus inquit: *Dic Ecclesiæ*, & his verbis mandat, ut summum judicium sit penes Ecclesiam, docet, non tantum unam partem Ecclesiæ, scilicet Episcopos, sed etiam

ex

A. 1545. ex reliquis gradibus populi eligendos esse judices idoneos, qui sunt membra ecclesiæ, homines honesti, docti, Deum timentes: & vult hos quoque habere voces decisivas, sicut hodie extat liber *Actorum Concilii Ephesini*, in quo apparet, etiam Presbyteros & Diaconos habuisse voces decisivas.

V. De Scholis.

(38) *De necessitate & utilitate scholarum.*

Manifestissimum †

† Pez. *Manifestum.*

est, necessarias esse literas & scholas literarum ad conservationem & propagationem doctrinæ *Evangelii, & ad totam gubernationem.* †

† Pez. *Ecclesia.*

Nam doctrina *christiana* †

† Pez. *Ecclesiastica.*

non est philosophica, seu notitia indita nascentibus, ut numerorum notitia aut leges naturæ; sed est mirandum decretum Dei æterni, Patris, Filii & Spiritus sancti, de Filio mediatore, & de remissione peccatorum, ac restitutione vitæ æternæ, quod decretum ex sinu æterni Patris prolatum Filius patefecit. Idque Deus voluit mandari literis per Prophetas & Apostolos, & horum scripta legi ac audiri mandavit. Quare etiamsi aliæ gentes & religiones carere literis possent, tamen Ecclesia Dei carere literis, linguarum cognitione & eruditione non potest. Ac valde opus esset, pios, eruditos, peritos & prudentes Episcopos inspicere scholas, & maxime hæc studia regere. (39) *Quæ docenda sunt in scholis.* *Primum* theologica: Necesse est enim aliquos magna autoritate præditos præesse, qui curent, ne doctrinæ ecclesiasticæ puritas corrumpatur a petulantibus & pravis ingeniis. Retinenda est & concordia doctrinæ & voluntatum conjunctio, quia sæpe ex privatis odiis oriuntur dogmatum dissidia. Sint etiam delecti censores eruditi & graves, qui judicent, quæ scripta liceat edi, quæ non sint edenda. *Secundo* juventutis studia, quæ ad eas artes & linguas assuefacienda est, quæ necessariæ sunt ad explicationem scriptorum propheticorum & Apostolorum. *Tertio*, gubernandæ sunt & disputationes non solum theologicæ, sed etiam juveniles. Nam adsuefacti ad Sophisticam aut ad defensionem absurdarum opinionum, cum postea adferunt eam consuetudinem ad res graviores, ludunt simili modo. Discat juventus in scholis non solum admirari celeritatem ingeniorum; sed multo magis amare veritatem, & hanc propter Deum in qualibet materia reverenter tueri. (40) *De disciplina scholastica.* *Quarto*, disciplina *Christiana* *

* Pez. omisit.

instauranda est, ut adolescentia adsuefacta ad modestiam, & ad agnitionem & timorem Dei, adferat has virtutes postea ad gubernationem tum Ecclesiæ tum Reipublicæ. Quales enim futuri sunt Episcopi, aut Pastores aut senatores, qui in scholis vixerunt grassatorum more, nec didicerunt doctrinam Evangelii, nec se ad invocationem Dei, piis exercitiis adsuefecerunt? Multum enim refert, quales mores homo a teneris assumat, & multo firmior est malarum rerum consuetudo, quam bonarum, quia natura sequax est, cum invitatur ad vitia. Quærenda sunt igitur consilia disciplinæ instaurandæ. *Quinto*, in multis urbibus magnis Germaniæ, ubi collegia Canonicorum & monasteria locupletia & multa sunt, nulli reditus Ecclesiastici attributi sunt scholis. (41) *De mediis ad scholas sustentandas.* Quare nec doctores *idonei* *

* Pez. omisit.

conduci possunt, nec ali pauperes Scholastici. Certum est autem, primos reditus Collegiis donatos esse præcipue propter has duas causas, propter ministerium Evangelii, & ad juvanda studia doctrinæ. Ideo justissimum est, nunc quoque ad has duas res maxime necessarias, aliquid ex tantis opibus collegiorum transferre. Hanc voluntatem esse Christi & ecclesiæ Dei, non dubium est. Nam Christus inquit: *Qui dederit vel potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem suam.* Vult igitur doctores & discipulos inopes, bonæ spei, ali & juvari. Et cum omnes dicant, reditus ecclesiasticos esse bona ecclesiæ; si ipsa Ecclesia, domina harum rerum, interrogetur: an velit pastores pios & doctos, cum conjugibus & liberis, fame contabescere, aut scholas deseri, & deleri studia literarum, interim vero tanta agmina ignavorum & indoctorum saginari? quid putamus responsuram esse? Primum certe diceret, filiis suis opitulandum esse, & vere filii ecclesiæ sunt *pii* *

* Pez. omisit.

pastores & pii scholastici. Commonefaceret etiam Episcopos, collegia & potestates de voce Christi, quam sonabit in extremo judicio: *Esurii & non cibastis me &c.* Quare ut literæ serventur, juxta mandatum Dei, & propter Ecclesiæ necessitatem, aliquorum, paucorum saltem, collegiorum aut monasteriorum reditus transferantur ad scholas.

VI. De victu & defensione ministrorum Evangelii.

(42) *De victu & defensione ministerii a Principibus curanda.*

Vult Deus in terris etiam in hac vita semper Ecclesiæ reliquias esse, ut in aliqua parte generis humani luceat ipsius & Christi notitia, & Christus hæreditatem habeat aliquam ex genere humano. Quanquam autem & excitat ministros ipse, & servat sua præsentia, tamen hoc modo utitur: dat hospitia aliquas politias, Regum & Principum imperia, & civitates, ubi aliquantisper sit ecclesia, & studia colantur, etiamsi alii Reges & Principes *sunt inimici ecclesiæ.* *

* Pez. *persequuntur Ecclesiam, tamen sunt pii aliqui gubernatores.*

Itaque Reges, Principes & gubernatores, qui Deum & Dominum nostrum Jesum Christum vere invocant & diligunt, *sciant* *

* Pez. *hi sciunt.*

politias debere hospitia esse Ecclesiarum, sicut scriptum est: *Aperite portas principes vestras.* Ideo suaviter *foveant Ecclesiam Dei, &* *

* Pez. *fovent Ecclesiam; & tales monendi sunt, ut*

ante omnia honore adficiant, & servare studeant ministerium Evangelii, & curent, ut pastores Ecclesiarum habeant victum, & adjuvent pro sua vocatione propagationem Evangelii: Sicut in Esaia

A. 1545.

saia præcipitur: *Reges erunt nutritores tui, & Reginæ nutrices.* Quælibet potestas, quælibet respublica exemplum sibi propositum esse ducat in vidua Sareptana; ut illa quamvis difficili tempore excepit & pavit Eliam, ita nunc similia officia deberi ministerio Evangelii sciamus. Sed in his furoribus hominum non diuturna fuerunt hospitia ecclesiæ in iisdem locis: Ut, donec Joseph vixit, mediocris tranquillitas ecclesiæ erat in Ægypto. Post annos centum & quadraginta a morte Joseph egressa ex Ægypto aliud hospitium quæsivit. Cyrus & Artaxerxes defenderunt Judæam. Postea Ochus crudeliter eam adflixit. Ideo sunt secutæ pœnæ, & mutatio regni Persici. Sicut sæpe alias *Deus* *

* Pez. omisit.

punivit injustam asperitatem, quæ in sacerdotes Evangelium docentes, & alios pios grassata est. Sciant igitur potestates, sibi a Deo præceptum esse, ut foveant ecclesias, non sinant deleri ministerium Evangelii & doctrinam, curent victum pastoribus Ecclesiarum; perficiant, ut Evangelium ad posteritatem propagetur, & semper possint publici & honesti congressus esse, in quibus publice sonet vox Evangelii, & fiat invocatio *vera,* *

* Pez. mendose *una.*

& Sacramentorum distributio. Harum rerum conservatio summus finis sit universæ politicæ gubernationis.

De Monasteriis.

(43) *De monasteriis.*

Manifestum est, *vota monastica* *

Pez. *vitam monasticam.*

vincula esse multorum peccatorum, falsorum cultuum & immundi cœlibatus. Hic autem articulus *

* Pez. addit. *quod vita monastica non sit cultus Dei, nec sit status perfectior aliis vitæ generibus.*

inter doctrinæ articulos a nobis numeratur, & copiose & sæpe declaratus & confirmatus est. Erunt igitur personæ, quæ sunt in monasteriis, docendæ, hæc usitata vota improbari a Deo, quæ obligant ad falsos cultus, & ad immunditiem. Ideo & potestates concedere debent, ut si quæ personæ monasticæ honeste & pie in alio genere vitæ extra monasteria vivere mallent, tuto id facere possent. Sicut & Synodus Chalcedonensis permisit Episcopis, ut vota remitterent. Cæterum, si potestates vellent aliqua monasteria ad educationem & institutionem piam adolescentiæ, tanquam scholas, conservare, de ea re non litigamus.

Finis.

Deo laus & gloria.

Martinus Luther. D.
Johannes Bugenhagen, Pomer. D.
Caspar Cruciger. D.
Georgius Major. D.
Philippus Melanchthon.

§. CXX.

(1) *Electoris & Pontani litera de reformatione*

Antequam hic Theologorum *Wittenbergensium* libellus ad Electorem pervenisset (missus autem erat Germanicus, ut ab initio conscriptus erat,) acceperat is (*Reg. H. fol. 603. n. 194.*) consultationem *Martini Buceri*, Argentoratensibus exhibitam, quam *Pontano* d. 18. Jan. transmisit, mandans, ut illam pariter ac *Wittenbergensem* perlegeret, & de utraque sententiam suam aperiret, indicat etiam, quæ sibi in ea displicerent, ut postea dicemus: In iisdem literis optare se significat, ut *Lutherus* ad Pontificis diploma, quo cum Cæsare expostulaverat, ut supra dictum est, aliquid scriberet, quod *Melanchthon* Latine verteret.

A. 1545.

Wittenbergensi & Argentoratensi sive Buceri.

Pontanus d. 20. Jan. respondet, & sibi quoque displicere librum *Buceri*, sive *Argentoratensem*, Wittenbergensium vero libellum valde probari scribit, utpote leniter & moderate compositum (sey gelinde gestellet) nec spiritum Lutheri impetuosum in stylo deprehendi, interim egregium & bonum esse (sey köstlich und gut) & expedire, ut a *Melanchthone*, quemadmodum etiam Elector desideraverat, Latine vertatur, famam insignis moderationis per totum Orbem Evangelicis Ordinibus allaturum esse non dubitat. (wird den Ständen in aller welt einen grossen glimpff machen) Laudat inprimis, quod *Augustanam confessionem* pro fundamento retinuerint, & de Sacramentis purissime, suavissime & brevissime scripserint, clamores vero adversariorum, quod dignitatibus & opibus eorum saltem inhiarent Evangelici, modeste refutassent. Addit post alia: *Etsi Papa & Episcopi in Concilio suo longe aliam molituri sint reformationem, ex illa tamen, cum hac collata, nil nisi culpam, ignominiam, & ulteriorem contemtum reportabunt.* (werden nichts denn sünde / schande / hohn und spott und weitere verachtung erlangen und davon tragen) Relinqui quidem ait in hoc consilio Capitulis electionem Episcoporum, sed conditionem addi, si receperint doctrinam christianam, quod si apud *Numburgenses* impetrare potuisset Elector, libentissime etiam illis electionem permissurum fuisse. Laudat inde & Electori commendat *Melanchthonis* lenitatem, scire enim Principem, quam utilis illa in stylo *Augustanæ confessionis* & *Apologiæ* fuerit, eundem fructum, Deo volente, ex hac quoque reformatione expectandum esse, & fore sperat, ut irati illi & venenati sacerdotes adversæ partis apud Cæsarem ipsum gratiam & autoritatem sint perdituri. Testatur porro, *Lutherum*, cæterosque omnes approbare scriptum istud, veteri modo, ne *Bucerus* in libello suo supra dicto divisioni inter socios Evangelicos ansam det; satius tamen esse, ut Argentoratenses cum libro illo suo deserantur, & si *Wittenbergensis* formula non placeat, de alia potius conveniatur. Significat præterea, a *Melanchthone* in verbis, quibus de ministerio Ecclesiæ & regimine Episcoporum tractaverit, etiam Pontificem intelligi, idemque ab eo doceri in explicatione Evangeliorum, sive *postilla* hoc anno edita, in qua illicitam Pontificis & Episcoporum potentiam plane destruxerit. Suadet inde Electori, ut, probato *Melanchthonis* labore, Lutherum ad alia reservet, expectetque progressum malitiæ Pontificiæ in negotio Concilii. *Tunc opus erit* (ait) *ut Lutherus securim fabrilem* (die bindaxt) *arripiat, & fortiter cadat.* (daß er mit der bindaxt weidlich zuhaue) *Ad id per Dei gratiam sublimiorem, quam alii homines, habet spiritum.* (sic explicat,)

quæ

A. 1545.

quæ ſupra de ſpiritu *impetuoſo* vom Rumorgeiſt / dixerat) *Vellem ſane*, pergit, *ut ad Pontificis ſcriptum, quo ſtatuit, nullam diſcuſſionem requiri, ſed omnia deciſa eſſe*, (reſpicit ad expoſtulationem Pontificis cum Cæſare, ſupra relatam) *reſponderet, id ſine dubio egregie faceret, & Papam impudentis mendacii convinceret, nos vero ab omni hæreſis macula purgaret & liberaret, præterquam ejus, qua Conſtantiæ in Huſſo injuſte condemnata fuit.* Communicavit inde Elector cum Landgravio *Wittenbergenſe* ſcriptum, & hic d. 8. Febr. reſpondit, atque Theologorum ſuorum, *Adami Fuldenſis, Juſti Hiberini, Dionyſii Melandri, Johannis Kymæi, Balthaſaris Raidæ, Joh. Kuzenbergii* & *Joh. Leningii* literas, die præcedenti *Spangenbergæ* ſibi exhibitas, Electori mittit. In his primo aliam quæſtionem de tributis Clero imponendis, quam *Argentoratenſes* moverant, paucis tangunt, & in hac cum *Wittenbergenſibus* conſentiunt, quod iſta lis in Comitiis *Wormatienſibus* tractanda non eſſet, licet in Concilio immunitas illa nimia contra veteris eccleſiæ morem & antiquos canones a Clero uſurpata impugnari poſſet. Deinde in reformatione a *Wittenbergenſibus* conſcripta nihil omnino invenire ſe dicunt, quod emendandum aut mutandum eſſet, præter ea, quæ Landgravius obſervaſſet, & Electori ſignificaturus eſſet, quæ etiam non dubitant a *Wittenbergenſibus* admiſſum iri. Tam modeſte enim compoſitam eſſe reformationem dicunt, ut, ſi ab adverſariis rejiciatur, nullatenus præterea cedendum, ſed cauſa Dei judicio committenda ſit. Suadent, ut iſta Reformatio denuo reviſa & emendata, ſive ab altera parte acceptetur, ſive recuſetur, typis excuſa, ad omnium notitiam promoveatur: veritati enim lucem fugiendam non eſſe. Probant porro, quæ adverſus Concilium Tridenti indictum *Wittenbergenſes* opponenda eſſe cenſuerint, & denique, licet ipſi cum Wittenbergenſibus aliisque ſinceris verbi divini cultoribus, in cauſa religionis, ad Deum præcipue, & Chriſtum Salvatorem, eccleſiæ ſupremum & optimum defenſorem, reſpiciant; rogant tamen Principem, ut cum aliis Proceribus Evangelicis curam, quam huc usque geſſerint, etiam in poſterum continuet. *Landgravii* vero monita, quibus Theologi ejus, ut audivimus, aſſentiuntur, hæc fuerunt. (1) Cum *Wittenbergenſes* (capite *primo* de doctrina) ſcripſiſſent, omnes homines ex virili ſemine conceptos afferre ſecum peccatum originis, ac propterea, qui non adferantur ad Chriſtum, & non regenerentur per baptiſmum, damnatos eſſe: Landgravius, etſi concedat, baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe, etiam infantibus, & qui eum contemnant, judicium divinum in ſe provocare; caſum tamen excipiendum eſſe cenſet, ſi infans, a Chriſtianis parentibus progenitus, vel in utero matris, vel ſtatim poſt partum intereat, ut baptiſmus ei conferri non poſſit, hunc enim infantem pro damnato non putat habendum eſſe, idque *Lutherum* & *Pomeranum* in expoſitione *Pſalmi XXIX.* ipſos docuiſſe, quapropter erroris vitandi cauſa explicationem & declarationem quandam articulo illi addendam eſſe. (2) Quoad miniſterium

(2) Landgravii & Theologorum Haſſiacorum monita ad formulam reformationis VVittenb.

(3) Speciatim de ſalute infantium, qui ante Baptiſmum decedunt.

eccleſiæ, rem eſſe difficillimam, ut Epiſcopis poteſtas permitteretur, in Eccleſiis Evangelicorum pro lubitu miniſtros conſtituendi. Sane, ſi puram doctrinam recipiant, minus periculoſum id futurum eſſe, excludi tamen non debere Principum & Magiſtratuum inſpectionem, ne Epiſcopi iterum agant, quæ quondam ſub Papatu agere conſueverint. (3) Circa jurisdictionem Eccleſiaſticam in cauſis matrimonialibus proſpiciendum eſſe, ut viri pii in Conſiſtoriis conſtituantur, qui Deum reſpiciant, & ſecundum verbum Dei & Evangelium in omnibus cauſis decidant; ut enim ſolis Clericis ea poteſtas deferatur, rem maximi eſſe periculi. Putat igitur, concipiendum eſſe hunc articulum his verbis: *Conſtituantur in locis Epiſcopatuum & regionum celebrioribus & opportuni ſitus, ut a provincialibus ſine magno ſumtu adiri poſſint, judicia ſive Conſiſtoria, quæ in cauſis matrimonialibus pie & Chriſtiane, ſecundum verbum Dei & Evangelium, & ſecundum leges in eccleſia chriſtiana a piis viris tempore Apoſtolorum & poſtea receptas, & Deo placentes, ſententiam ferant.* Hæc Landgravii monita Elector d. 1. Martii ad Lutherum & Collegas miſit, mandans, ut formulam ſuam, quam ſibi placere dicit, ſecundum iſta emendarent. Reſponſum, quod in Volumine Bibliothecæ *Gothanæ* reperitur, a *Luthero* & quatuor reliquis ſupra nominatis ſubſcriptum, memoratu digniſſimum eſt. Teſtantur ab initio, ſe ex animo deſiderare concordiam & pacem inter Chriſtianos, ſatis enim magnas afflictiones & coarctationem nominis Chriſtiani in anguſta ſpatia metuendam eſſe; interim adverſarios majori indies rabie inflammari, & hoc anno tot Chriſtianos, interque eos doctos & ſapientes viros, ſolius religionis cauſa combuſtos eſſe, licet quibusdam inter illos ex inſcitia aliquid ex anabaptiſticis erroribus adhæſerit. Huic immenſæ ſævitiæ & miſerandæ calamitati non occurri a Principibus alterius partis. Id ſe cum ſummo dolore conſiderare, neque tamen ullam ſpem habere, quod Epiſcopi, monachi & Theologi in aula Cæſaris, honeſta & licita ad concordiam Chriſtianam media vel propoſituri vel admiſſuri ſint. *Ferdinandum* Regem Hungariæ nuper pollicitum, ſe ad Comitia eorum venturum, & de defenſione Chriſtianæ religionis conſultaturum cum iis eſſe, ſed non veniſſe, nec multa, quæ ad rem facerent, mandaſſe; edicta vero contra religionem atrocia publicaſſe, non ſine mœrore Hungarorum, hæc belli auſpicia abhorrentium. *Sanguis Chriſtianus*, ajunt, *in cœlum clamabit, & verendum eſt, ne magnæ ſequantur animadverſiones, hæc enim homicidia & vivicomburia non diu durare poterunt. Ideo* (pergunt) *reformationis formulam brevem & frigidam compoſuimus, vel delineavimus potius, ut a Celſitudine tua & reliquis proceribus expendatur. Nec diſplicet nobis, ut alii quoque ſententiam dicant, & meliora afferant, ſi quæ ad concordiam chriſtianam & laudem Dei proficiant. Scientes præterimus multas & arduas diſputationes, ut quilibet bene affectus deprehendere poſſit, nos rixas non quærere, ſed ad concordiam, quantum licet & fieri poſſit, inclinare, cum tamen pars adverſa ne minimum quidem indicet, in quo*

A. 1545.

(4) Item de poteſtate Epiſcopali, & cauſis matrimonialibus.

(5) VVittenbergenſium reſponſum ad monita Haſſiaca.

A. 1545.

cedere velit. Nobis autem omnino magna videtur relaxatio esse, (es dünckt uns warlich ein groß weichen seyn) *quod autoritatem Episcoporum, si puram doctrinam recipere & plantare velint, revereri & obsequium illi exhibere paratos nos esse, testati sumus. Ex doctrina enim, quæ æternum & immutabile Dei consilium & decretum est, gemittere nihil possumus. Item, quod repugnare nolumus adversus temporalem illorum potestatem & ingentes opes, quas tamen semper abusus sequitur; neque etiam rigorem veterum canonum ab illis exigimus. Si igitur illis cordi esset, ut promoverent gloriam Dei & pacem, viam sane monstramus, ut illorum politica dignitas, & opes, de quibus præcipue contendunt, secundum formulam illam nostram intacta manerent. Quicquid autem ex voluntate Dei evenerit, nos secundum Psalmum LXIX. 14. dicemus; Ego vero orationem meam ad te Domine, & de doctrina rationem reddemus, prout Deus nobis vires concesserit.* Progrediuntur inde ad monita Hassiaca, & *de infantibus Christianorum ante baptismum decedentibus*, ideo se nihil formulæ inseruisse dicunt, quia illiusmodi quæstiones bene multas omiserint; se enim nunc de ministerio ejusque functione ordinaria egisse, nec ad casus necessitatis respexisse, in quibus dispensatio quæri debeat. Recte itaque se statuisse, Baptismum esse necessarium, id est, secundum naturam & ordinem ministerii, ubi copia baptismi haberi possit, & ne is contemnatur. Hoc sensu dispensationem non excludi, neque damnari infantes Christianorum ante baptismum morientes, ita tamen, ut nomen Christi super illos invocetur & seriæ preces fiant, (daß ernstlich gebetet werde / hæc verba Lutheri manu inserta sunt) neque baptismus per contemtum negligatur. *Hoc enim,* ajunt, *verum est, & teneri debet, quod infantes Judæorum & Turcorum, qui nomen Christi super illos non invocant, sed execrantur, ad hæreditatem Christi & æternam salutem non pertineant, ideo Christus clare dixit Marc. X. 14. Sinite parvulos ad me venire, talium enim (qui scilicet ad Christum afferuntur) est regnum cœlorum. Ad hunc sensum lectorem discretum breviter quidem remisimus, verbis scilicet illis, cum scripsimus: damnatos esse infantes, qui non adferantur ad Christum, in iis enim casum, in quæstione Hassiaca propositum, comprehendimus, licet ideo non expressum, ne Cæsari aliisque suspicionem injiceremus, ac si de errore anabaptistico lenius justo sentiremus. Neque opus esse existimamus hanc quæstionem huic formulæ inserere, quæ generalis manuductio ad concordiam esse debet, & per quam non sunt excitandæ prolixæ disputationes.* De secundo capite, id est, de ministerio Ecclesiæ & ordinatione ita scribunt: *Nobis non displicet, ut Celsitudo vestra & Landgravius diligenter expendant, quomodo hic articulus emendari possit, ipsi quoque dubitamus, an Episcopi ordinationes ipsis delatas debita cum fide & diligentia sint administraturi. Quia tamen cedendum aliquid est, proponi id atque nominari utique debuit, nec ad concordiam aliud magis expedire videtur, quam ut ordinatio, quæ semper pro maxima aut unica Episcoporum functione habita fuit, illis restituatur, salva vero esse debet Patronis præsentatio: quod in formula nostra innuimus, clarius tamen exprimi potest, his forte verbis:* Restituta Episcopis ordinatione jus Patrono cuique maneat nominandi & præsentandi, quod ab antiquo habuit. *Si Deus concordiam largiretur & Episcopi ministeriis Ecclesiæ viros pios & doctos præficere vellent, sumtuum ratione utile esset, ut ipsi ordinationes & visitationes instituerent, & judicia ecclesiastica exercerent, haud exiguæ enim singulis annis ad ea requiruntur impensæ, quæ & Pastoribus & Magistratibus graves sunt, nec Principes, qui onera sua habent, sumtus ad causas ecclesiasticas libenter erogant. Si vero idonei viri ad munera ecclesiastica in posterum vocandi sunt, ut Deus præcepit, & summe necessarium est, examen etiam accuratum ordinandorum requiritur, ut indoctiores, de quorum tamen profectu spes est, ad aliquod tempus differantur, & diligenter erudiantur, donec intelligentiores fiant. Magnum & arduum onus & opus est, Ecclesias regere ad laudem Dei, & studia conservare. Ad id Dei gratia, magna industria, magni sumtus, persona plurimæ & labores requiruntur, neque tamen, etsi diu disputetur, ab hominibus, quomodo ea exequi velint, semper succedunt, quæ cogitant, sed tunc demum, cum Deus opem fert, & pios ministros, concionatores & Magistratus excitat. Satis autem constat, Episcopos ista non curare nec regere, ut decet, velle, sed solum id agere, ut suam conservent gloriam & pompam.* De tertio articulo, sive de causis matrimonialibus ita sentiunt: *Verum est, non carere periculo, si Episcopi in tribunal restituantur, & pristinam potestatem recipiant & firment. Quia tamen de transactionibus loquendum est, offerre aliquid debuimus, neque id in speciem facimus; & Episcopali regimini oblatio nostra grata esse deberet, si eam bene expenderent. Damus autem illis judicia matrimonialia, habent illi opes suas & constituere illa recte possent, si vellent.* (Lutherus ad marginem sua manu repetiit, *immo vellent*, ja wolten / innuens, eos minime velle) *Procedente autem aqua transactione, Magistratus, cui disciplinæ cura incumbit, providere nihilominus debent, ut judicia illa matrimonialia pie administrentur, facile etiam conveniri posset de fundamentis decisionum in casibus sæpe occurrentibus, in quibus jus Pontificium non servamus, itaque verba illa a Landgravio suggesta inseri posse existimamus; ubi enim nos scripsimus, judicandum esse secundum Evangelium, idem dicere voluimus, quod in Landgravii formula exigitur.* Notandum hic est; quicquid hic ex formula sua allegant Theologi, de Germanica intelligendum esse, nam Latina versio postea demum secuta fuit, & in hac verbotenus reperiuntur, Tit. *de judiciis Ecclesiasticis*, vers. *Ideo necesse est &c.* quæ Landgravius monuerat, & in hoc responso Wittenbergenses probaverant. Addunt in fine votum: *Salvator noster Christus Ecclesiam suam & Principum christianorum regimen ipse clementer gubernet & conservet, absque divina enim ope humanis viribus nihil constans & duraturum constitui potest.* Sed & hæc subjungunt: *Quid multis his de rebus loquamur: Episcopi enim & alii serio non cupiunt Ecclesiæ succurrere. Non nisi tentamenta & molimina sunt, quibus id agunt, ut lumen illud gratiæ plenum*

(das

(6) *In specie de infantibus non baptizatis.*

(7) *De ordinatione ab Episcopis facienda.*

(8) *De causis matrimonialibus; & alia quædam.*

A. 1545. (das gnadenreiche Licht) *quod Deus ex maxima misericordia ad cognitionem Evangelii & legitimum cultum suum verumque solatium splendere fecit, extinguant. Orabimus illum ardenter & assidue, ut ipse suam gloriam & cognitionem conservare velit.* Hoc responsum a *Luthero*, *Pomerano*, *Crucigero*, *Majore* & *Melanchthone* conscriptum, summam spirat pietatem, prudentiam & modestiam; neque vana fuit, quam in fine detegunt, optimorum virorum solicitudo. Non solum enim haud multo post, quod metuebant, tum *Wormatiæ*, tum *Ratisbonæ* erupit, quod nihil sinceri in tractatibus illis de concordia ab adversariis actum fuerit, sed & formula illa, quam tanta cum soliditate & circumspectione conscripserant & declaraverant, ne producta quidem, aut a sociis omnibus approbata fuit, ut ex actis Comitialibus intelligemus. Cæterum Landgravius in literis ad Electorem d. 16. Aprilis (*Reg. H. fol. 630. n. 197.*) explicationem *Wittenbergensium* de Baptismo infantum penitus approbavit. De Episcopis autem scribit, *lupo oves tradi, si illis jus ordinandi Pastores concedatur;* attamen, si cæteris placeat, se quoque assensurum esse, sed ea conditione, si Episcopi contra verum Evangelii sensum aliquid introducerent, aut officium negligerent, hominumque traditiones directe vel indirecte iterum populo obtruderent, ut ipsi Principes & Magistratus remedia adhiberent. Causarum matrimonialium cognitionem libenter Episcopis resignat. Composuerat etiam *Melanchthon* exemplum epistolæ, qua Cæsari *Wittenbergensis* reformatio insinuanda esset; id aliquis Germanice verterat, & vocabulum *calumniose*, quo *Melanchthon*, adversarios perstringens, usus erat, transtulerat spitzbübisch: Pro eo Landgravius scribendum esse monebat, fälschlich; *Melanchthon*, cum id audisset, risu abstinere non potuit, ut *Pontanus* d. 24. April. ad Electorem festive retulit.

ADDITIO.

(a) *De consilio sive libello Buceri de reformatione, & speciatim de ejus exordio.*

Librum *Argentoratensem*, de quo Saxoniæ Elector & *Pontanus* in literis *hoc paragrapho n. 1.* allegatis tractant, in actis *Archivi Vinariensis* loco citato (*Reg. H. fol. 194.*) frustra quæsitum, in volumine *Bibliothecæ Gothanæ*, ex quo formula reformationis VVittenbergensis producta est, inveni. Habet is folia integra XCIV. sed incuria eorum, qui Bibliothecæ olim præfuerunt, quædam in fine libelli perierunt. Folio *primo* manu Secretarii Electoralis annotatum est, hanc esse *reformationem a Bucero compositam.* (des Buceri gestellte reformation anno 1545.) Non pœnitebit lectores, summam libelli, quem editum esse, aut facile reperiri dubito, hic cognoscere. Monet autor ab initio, ut ii, qui Ecclesiæ Christi curam cum fructu gerere velint, ante omnia regnum Christi toto corde quærant, & se totos operi Christianæ reformationis addicant: qui enim aliud in hac causa, quam sanctificationem nominis & dilatationem regni divini, respexerint, eos Deo abominabiles esse, neque præstituros, quæ utilia sint. Applicat iis dictum *Ps. L. 16. & seqq. quare tu enarras justitias meas* &c. a sanctis itaque sancta curari vult, idque pluribus exequitur. Requirit etiam concordiam & consensum inter doctores Evangelicos, ita tamen, ut, si quas habent in capitibus non necessariis dissensiones, sibi mutuo condonent. Hoc neglecto, multum noceri ostendit causæ evangelicæ. Exigit porro, ut in Comitiis instantibus, cum summa licet modestia, quæ personas deceat, causa Evangelii maxima cum parrhesia & severitate liquidissime proponatur, & adversæ partis errores mascule & clare indicentur. Improbat, quod Evangelici in omnibus Comitiis hucusque partes & locum reorum sumserint, idque tantum egerint, ut suam religionem defenderent, accusationem vero Episcoporum & Cleri fere omiserint, neque jus Ecclesiæ & reformationis contra eos satis urserint; sic illos non actorum modo, sed judicum quoque partes invasisse. Summe igitur necessarium & utile esse existimat, ut corruptelæ a Clero Ecclesiæ illatæ, & ad exitium ejus quotidie tendentes, universaliter demonstrentur, & reformatio generalis urgeatur. Examinat inde objectiones, quæ methodo illi, quam proponit, obstare videantur. Nam *primo*, ait, esse, qui dicant, si reformatio generalis postuletur, fore, ut ex adversa parte ii, qui erga Evangelicos hucusque moderatius se gesserint, vehementissime exacerbentur, & ad jungenda cum cæteris rigidioribus consilia incitentur. Sed his respondet: non sufficere, ut Evangelici tantum reformationem in suis provinciis & civitatibus procurent, sed obligari eos, ut toti Ecclesiæ succurrant, idque ex metu odii & periculi non omittant. Si enim Diabolo aut Antichristo vel minimum permittatur, quod gloriæ & regno Christi adversetur, fieri id sine abnegatione Christi non posse. Ideo sanctos primitivæ Ecclesiæ viros, verbo Christi innixos, spreto Diabolo ejusque furore, idololatriam gentilem generatim & coram Imperatoribus & Regibus arguisse & rejecisse. Sperandum quoque esse putat, si accusatio Cleri palam instituatur, ut Cæsar & Proceres Imperii ad reformationis approbationem tanto magis animentur; magnam enim vim esse divinæ veritatis, neque de omnibus Episcopis & Prælatis desperari debere, aut metui, quod acerbiores futuri sint, si vitia & errores detegi intelligant; quod si illi omnes veluti canes & porci sanctum pedibus conculcare vellent, meliora tamen de Cæsare & Principibus politicis præsumi posse: Tantam enim esse Cleri corruptionem, & tam evidenter demonstrari posse, ut excusationes, quibus hucusque sycophantæ quidam abusus palliare & incrustare cœperint, facile sint dispariturae. Denique, si omnes tam politici, quam Ecclesiastici, Proceres, accusatione illa in furorem versi, in Evangelicos, veluti Judæi in Stephanum, irruant, id pro Christi gloria tolerandum esse statuit. *Secundo* objici posse significat, fore, ut accusatione illa, ab Evangelicis instituta, adversarii vicissim aliam adversus Evangelicos ordiantur, cum inter hos sint, qui in reformatione, præsertim quoad bona ecclesiastica, non careant nævis. Respondet: necesse esse, ut, quod ab initio monuerat, omnes, qui regnum Christi sincere quærant, id integre faciant, non vero dimidia, aut quadam ex parte, (nicht halbirten noch stückelten) & satius esse, horum, qui recte non agant, societate carere, quanquam eo rem deventuram esse non metuat; si qui vero sint, qui bonis ecclesiasticis, non solum ad pias causas, sed & ad commoda politica utantur, eos vel conscientiæ suæ bono modo consulturos esse, vel causa recte considerata, & ostensa adversariorum pessima bonorum Ecclesiæ administratione, condemnari non posse, qui aliquid ex reditibus illis, olim per malas artes Reipublicæ subtractis, ad usus publicos destinarent. Tertio opponi ait, quod Cæsar & Proceres accusationem, quam autor suadet, nec facile sint admissuri, nec in ea pro desiderio Evangelicorum decisuri. Ad hoc regerit: verendum non esse, ne Cæsar, qui Comitia præcipue ad inveniendas concordiæ in religione vias, & auxilia contra Turcos decernenda indixerit, accusationem illam protinus sit rejecturus; si tamen id faciat, aut non recte in cognitione procedat, aut male judicet, officio tamen suo satisfecisse Evangelicos, & a peccato se purgasse, quod commissuri essent, si ex metu & pusillanimitate ab accusatione desistant. Denique deteriorem causam illorum futuram non esse, quia Cæsar pacem servatum iri promiserit, donec amica transactio in religione iniri possit; eventum itaque qualemcunque a piis & officio suo

(b) *Buceri responsio ad objectiones contra consilium suum.*

A. 1545.

(c) *Cur accusatio cleri instituenda sit?*

suo legitime functis expectari debere. Pergit ad capita, propter quæ accusatio illa instituenda sit. Ante omnia incitari Evangelicos debere contendit ductu Spiritus sancti mundum de peccato arguentis, & exemplo Prophetarum & Apostolorum, qui non solum veritatem professi sint, sed & errores severissime indicaverint & coram Regibus & Principibus refutaverint. Deinde cum in concionibus corruptelæ a Clero introductæ acerrime taxentur, nil prohibere, quo minus idem publice fiat, & cum obstacula reformationis a Prælatis ortum habere constet, ut hi mascule redarguantur & reprimantur, ne semper actores & accusatores Evangelicorum in Comitiis esse audeant, sibique eo nomine applaudant, & insolentiores fiant. *Privatum certe*, ait, ***neminem tam inconsultum esse, ut in accusatorem suum, quem magnis vitiis oneratum esse sciat, recriminationem non instituat: quanto autem confidentius*** (inquit) ***causa evangelica adversus inimicos tractatur, & blanda illa dissimulatio, qua placere illis volumus, omittitur, tanto majorem successum a Deo sperare poterimus.*** Addit, neque reformationes in aliis provinciis expectari, neque quæ huc usque factæ sint, conservari posse, nisi Episcoporum potentia & luxus destruatur, & periculo occurratur, cui per tot annos expositi fuerint Evangelici, intentato nempe omnibus rebellionis crimine, qui reformationem secundum verbum Dei in suis ditionibus moliti sint. Accedere, quod adversarii reditus sacros ex suis provinciis ministeriis Evangelicis denegent, & sic media ad horum sustentationem (cui populi res tenues non sufficiant) imminuant, dominatum vero suum continuent, & facultates augeant, idque posthac magis magisque facturi sint, magno cum piorum damno & consternatione.

(d) *Quomodo illa formari debeat.*

Formam posthac accusationis contra Episcopos & Prælatos, pro impetranda universali totius Germaniæ reformatione, proponit. Exordium faciendum esse putat allegando, quod salus Germaniæ in concordia de religione versetur, quodque illa a Concilio aut Pontificibus, dum hi abusus non corrigant, sed augeant, sperari nunquam possit. Propositionem inde sive petitionem Evangelicorum, quæ in Comitiis, ad concordiæ tractatum institutis, fieri possit, sic format, ut Cæsar cum Ordinibus per viros vere pios, pacificos & expertos expendi & distingui faciat, quæ ad religionem & piam curam animarum necessaria requirantur, nec in ullius gratiam omitti; dein, quæ ratione temporis & personarum moderationem patiantur, aut indifferentia haberi possint; denique, qui abusus sine læsione Dei & exitio Ecclesiæ tolerari amplius minime debeant; pergendum postea & aperiendum esse scribit, quod Episcopi officium suum huc usque neglexerint, immo reformationem summo cum studio impediverint, aut in Pontificem rejecerint, a quo tamen eam nunquam sperandam esse probe sciant. Ante plura quam sex secula dominatum in Ecclesia sibi arrogasse Episcopos, neque tamen emendasse abusus, sed cumulasse. Nihil profecisse nuperum decretum Ratisbonense, quo Episcopis injuncta fuerat reformatio, nisi apud *Coloniensem* & *Monasteriensem*; in quæ vero pericula conjecti hi fuerint a Clero suo, satis notum esse; nuper quoque *Spiræ* ab Episcopis optimum Cæsaris de concordia consilium nullo alio prætextu subversum fuisse, quam quod sine præscitu Pontificis actum esset, cum tamen sciant, & probari possit, nemini mortalium magis adversam esse reformationem, quam Pontificibus, neque quicquam magis sibi invicem oppositum esse, quam acta Christi, Petri Apostoli & piorum Pontificum, Cornelii, Gregorii & similium, & ea, quæ successores eorum ab aliquot seculis exercuerint. Episcoporum renitentia hucusque colloquia, & quæ in conventibus *Spiræ* anno 1525. item *Francofurti*, *Norimbergæ*, *Hagenoviæ* & *VVormatiæ* tractari debuerint, vel prorsus impedita, vel irrito conatu habita esse, unde olim seditio rustica, & postea tot alia mala ortum habuerint. Desperata igitur ab Episcopis & Pontifice emendatione, exemplum *Davidis*, *Ezechiæ*, *Josiæ*, *Constantini*, *Theodosii*, Cæsari & Ordinibus sequendum esse, & reformationi, ut supra dictum est, serio incumbendum. Interim Evangelicos id non cupere, ut Episcoporum dignitati aut opibus aliquid decedat, malle, ut augeantur, si id Deo placeat, & saluti Ecclesiæ conducat; neque de se gloriari, ac si in vita & moribus prorsus essent irreprehensibiles; veruntamen, quæ de animarum salute procuranda sentiant, secundum gratiam a Deo concessam non posse non in medium afferre. Prolixe inde consilium suum proponit *Bucerus*, & substantialia, in quibus pium Ecclesiæ regimen consistat, hæc esse statuit, *Primo* ministerii Ecclesiastici constitutionem legitimam & juri Ecclesiæ convenientem.

A. 1545.

(e) *De reformatione Episcoporum primo omnium instituenda.*

Incipiendum autem esse a capitibus Ecclesiæ sive Episcopis. Laudat dictum Leonis Papæ in *C. miramur, dist. 61. Totius familiæ Domini status nutat, si, quod requiritur in corpore, non reperiatur in capite.* In Episcopis autem requirit, ut gregem salutari doctrina & legitima administratione Sacramentorum pascant, disciplinam custodiant, & morum exemplis præeant; inferiores Ecclesiæ ministros ad præstandum officium adigant, tum etiam, ut ipsi a cœtibus Christianis pro veris pastoribus agnoscantur & probentur; denique ne plures cœtus sibi regendos sumant, quam quibus officium suum impertiri, & visitationes expedire possint. Porro ex Pauli & Patrum dictis ostendit, quomodo Episcopis notitia sacræ Scripturæ, prudentia Christiana, & experientia in regendo necessaria sit, & novitii, nisi donis plane singularibus instructi sint, admitti ad tale munus non debeant. Dein, quod certæ boni Episcopi notæ sint, si sancte & inculpate vivat, aliaque omnia negotia, munus Episcopale impedientia, omittat. Ut vero cœtui suo gratus, utilis & probatus sit Episcopus, eligi eum aut postulari debere, ostendit, a toto Clero populoque, præcedenti quidem exploratione & approbatione. Probat ista & alia testimoniis Scripturæ & Patrum atque canonum, constitutionum quoque Justiniani; & secundum has regulas Imperatori & Ordinibus curandam esse Episcoporum & ministerii Ecclesiastici constitutionem.

(f) *De doctrina veritate stabilienda.*

Alterum, quod requirit, est doctrinæ veritas & puritas. Hanc enim unice in sacris literis, & speciatim Novo Testamento, inveniri, & quicquid postea invectum & doctrinæ assutum fuit, falsum esse pronunciat. Quapropter nihil in Ecclesiis proponendum esse, quam Scripturam, & quæ ex illa desumuntur, idque fieri debere magna cum attentione, devotione, stylo etiam eleganti, plano atque facili, qui non a piis solum, sed & a profanis percipi possit *1. Cor. XIV. 2. Tim. III. 2. Pet. I.* & ut scopus horum omnium sit excitatio pœnitentiæ & contritionis de peccatis, & fidei in Christum unicum Salvatorem, cui fidei, si vera & viva sit, semper adesse soleat Spiritus adoptionis, qui concupiscentias opprimat, corpus & animam sanctificet, liberrimam & constantem professionem & exaltationem nominis divini & charitatem in proximum, itemque patientiam in omni castigatione & afflictione producat, cum spe plenariæ redemtionis & renovationis in vita cœlesti & æterna. Verba Germanica, quorum emphasin Latina versione assequi difficile est, hæc sunt: **Daß in allem dem / das man in der Kirchen lieset / singet und auslegt / das allein und gäntzlich gesucht und geschafft werden solle / daß die Leuthe gelehret / angeführet / und bracht werden / immer zu mehrer Erkäntnüß und Furcht GOttes und seiner heiligen Gebot / zu schärfferem fühlen Reu und Leid ihrer Sünden / und zu steiffern Glauben an unsern HErrn JEsum Christum / als durch dessen einiges Verdienst wir Verzeihung der Sünden / die Gnade und göttliche Kind- und Erbschafft haben. Mit und bey welchem Glauben sich aus Würckung des heiligen Geistes / des Geistes der Kinder GOttes / des Geistes des Glaubens / allewege findet / so fern es ein wahrer lebendiger Glaube ist / ein seeliges Absterben aller bösen Lüsten und Begierden / und Heiligung an Leib und Seel / ein freyes und beständiges Bekennen und Großmachen Göttliches Nahmens / auch eine wahre und reine Liebe zu dem Nechsten / sein Heil und**

A. 1545.

und Wohlfarth in allem und mit allem / das wir sind / haben und vermögen / zu fördern / und auch neben dem allen / eine steiffe beharrende Gedult alles des / so uns der HErr zu leiden aufferlegt / das werde uns von ihm aufferlegt / zur Zucht von der Sünden wegen / oder zur Bewährung / ihn damit herrlich zu machen / und seinen Nahmen zu heiligen / mit frölicher Hoffnung und sicherer Erwartung der vollkommenen Erlösung und Erneuerung unsers Leibes und Seelen / in das ewige Himmlische Leben. Hierzu / daß in dem Menschen immer wachse / zunehme und stärcker werde / der Glaube an Christum mit aller Gottseeligkeit / daß wir also gäntzlich in Christo leben / und Er in uns / daß alles unser Thun und Lassen diene zu dem Preiß GOttes und Heil des Nechsten / solle alles Auslegen der Schrifft / alles Lehren / alles Straffen und Vermahnen / alles Schrecken und Trösten in den Kirchen gerichtet seyn und würcklich dienen / und mit nichten zu erhöhen das Ansehn oder zeitlichen Genieß der Menschen / oder einiger Creaturen. Ista vero omnia, ait, non frigide aut perfunctorie, sed virtute & efficacia divina tractanda esse. Idem observandum esse dicit in administratione Sacramentorum Baptismi & sacræ Cœnæ, explicata salutari eorum intentione & usu, item in impositione manuum sive confirmatione: porro in precibus, publicis præsertim, quas lingua populari fieri necesse sit, itemque in jejuniis, ex vera pœnitentia, bonaque cum moderatione instituendis. *Tertio* disciplinam ecclesiasticam recte curari vult, & quidem in tempore & ordine cultus publici, pie, decenter & cum emolumento constituendo, ita, ne admisceantur, quæ verbo Dei contraria sunt, nec opinio & fiducia meriti externis illis ritibus accedat: Deinde in exercendo officio Pastorum erga omnes & singulos ex cœtu, doctrina, consolatione, redargutione, pœnitentiæ commendatione, itemque in peccatorum pertinacium excommunicatione & conversorum receptione. Speciatim, ut necessariam disciplinæ partem, exigit Episcoporum curam & inspectionem circa officium & mores pastorum suæ diœcesis; denique etiam stipem seu eleemosynarum collectionem ad alendos pauperes, rejectis tamen hominibus otiosis & inutilibus, qui cœtum gravant. Quæ huc usque de doctrina & Sacramentorum administratione, & de disciplina disseruit, præter Scripturæ testimonia etiam consuetudine veteris Ecclesiæ confirmat, atque ea omnia Cæsari & Ordinibus sequenda & restituenda proponit, & ad id jure divino & immutabili obligatos eos esse dicit.

(g) *De disciplina Ecclesiæ.*

Postea ad illa, quæ ab initio suaserat, regressus, ostendit, quomodo ab illa norma discessum, & in quantam corruptionem tota Germania lapsa fuerit. Queritur, plurimos cœtus Pastoribus plane destitui, inter centenos vero, qui adsunt, vix unum reperiri, qui non maximis flagitiis munere suo indignum se reddiderit, immo gravissimas pœnas politicas promeritus sit. Paucos etiam inter Episcopos esse, qui non simoniace aut favore Magnatum munus suum adepti sint: nullum autem inveniri, qui officio suo iis, qui supra descripti sunt, functionum modis præsit, longeque ampliores diœceses ab omnibus possideri, quam ut præstare valeant, quæ debeant, etsi maxime vellent, neque etiam vicarios ab iis constitui, qui officia illa debito modo exhibeant, sed tantum politicis, sive regiminis sui negotiis occupari. Plebi multis locis lectionem Scripturæ sacræ penitus interdici, & summa quoque doctrinæ capita, Decalogum, Symbolum & orationem Dominicam, itemque lectiones Evangelicas & Epistolicas non nisi Latina lingua proponi, neque explicari, licet id secundum traditiones Apostolicas, canones & leges veteres, immo jure naturæ fieri debuisset. Porro precibus & hymnis Ecclesiasticis multa sacræ Scripturæ contraria immixta esse, quæ expurgari debeant, preces etiam illas & psalmodias plerumque ab hominibus mercenariis minime idoneis, immo turpibus & atrocium criminum reis, absque omni pietate deproperari. Presbyteros, qui explicare populo verbum Dei debeant, canendis & recitandis Missis & formulis tempus consumere,

(h) *Enumeratio defectuum in ecclesia Romana.*

aut, si concionentur, scopum supra indicatum minime tenere, nihil sani aut divini vel intelligere vel proferre, Papæ potius potestatem & indulgentias, & sanctorum cultum ab iis commendari, jam etiam protervis convitiis & inanibus nugis petulantissime veræ doctrinæ contradici. Recenset deinde vitia, quæ in administratione sacramentorum committuntur, abusus in precibus, jejuniis & feriis, in fingenda singulari templorum & altarium quorundam sanctimonia & efficacia, in idololatrico statuarum & imaginum cultu, in nundinatione Missarum, in depravatione & multiplicatione reliquarum ceremoniarum, ex avaritia & lucri cupiditate orta, in perverso excommunicationum usu, & in redituum & bonorum ecclesiasticorum a veteri & meliori fine aversione. In originem vero abusuum & corruptelarum inquirens, justitiam quidem Dei in puniendis populorum peccatis agnoscit, sed tamen speciatim ut causas mali indicat & taxat, quod Episcopi, neglecto Ecclesiastico munere, regiminis politici laboribus, aularum ministeriis & pompæ sese addixerint. Spretum ab illis esse effatum Christi: *nemo potest servire duobus Dominis*, ut & exemplum Apostolorum, qui etiam eleemosynarum cura sese abdicaverint, ut verbi ministerio præesse unice possent, tum præcepta Paulina & meliorem veteris Ecclesiæ observantiam. Francorum olim Regum culpa Episcopos ad aulica negotia adhiberi cœpisse memorat, indeque factum, ut munera sua vicariis commiserint, servatis tantum, quæ populo spectaculum darent, sibi autoritatem. Eorum exemplo pastores oppidorum & pagorum partem muneris maxime divinam & excellentissimam, conciones nempe ex verbo Dei habendas, monachis mendicantibus, ineptissimis licet, tradidisse, se vero otio, Missarum cantui, ritibusque, nihil ad populi instructionem facientibus, dedidisse. Inde omissis concionibus piis & Christianis, quibus populus doceri potuisset, idololatriam & externi cultus æstimationem in immensum crevisse, sequente vitæ & morum summa corruptione. Magnam etiam causam mali fuisse notat, quod jus eligendi Episcopos, contra Scripturæ & veterum Canonum scita, ad paucos talesque redactum sit, qui nihil minus, quam sapientiam & industriam, ad verum munus Episcopale necessarium, in eligendo quærere soleant; item, quod ex aulis supremis ad genus illustre respectum sit, & sæpe pueris Episcopatus, etiam plures uni, procurati fuerint, nec parum nocuisse statuit omissas visitationes, & omnimodam exemtionem Cleri ab omni jurisdictione & animadversione Principum. Laudat veteres leges de Synodis frequentissime habendis, quæ magno cum damno Ecclesiæ exoleverint; monstrat alia, quæ ex Conciliorum generalium neglectu emerserint, nec dissimulat, multum contribuisse Reges & Principes, cum ista omnia viderent & scirent, neque tamen de remediis tempestive, serio & constanter cogitarent.

(i) *Causas mali inquirit.*

Sequitur consilium de reformatione tolerabili, quæ nunc in Germania locum habere possit. Primam curam esse debere censet de bonis & piis Episcopis eo modo, quem supra descripserat, eligendis, examinandis & probandis; agnoscit tamen, charitatis & pacis causa tolerandos esse, qui tunc vivebant, cum Capitulis Canonicorum suorum. Relinquendos illis esse Principatus suos, cui sese unice devoverint, juniores tamen ex Canonicis studiis literarum, sacrarum potissimum, imbuendos esse: Quoniam vero ab omni Ecclesiastica functione abstineri se non sint passuri Episcopi, ferendum esse, ut inspectionem habeant circa vocationem & investituram Pastorum, item in bona Ecclesiarum, & ut visitationes & Synodos instituant, & judicia Ecclesiastica, in causis præsertim matrimonialibus, exerceant, ordinem & disciplinam in cultu tueantur, & defectus præcaveant & emendent. Sed ad ministrorum Ecclesiæ idoneorum vocationem, in qua officium suum Episcopos & eorum Vicarios per tot secula neglexisse dicit, alios inspectores, qui de requisitis & conditionibus ministrorum sapienter & pie judicare possint, quærendos esse, & per totam Germaniam consti-

(k) *Media tolerabilia reformationis proponit, speciatim in constitutione Episcopalis regiminis.*

A. 1545.

stituendos, prout inter se convenire possent Ordines Imperii, vel, si id obtineri nequeat, cuilibet Principi in sua ditione jus concedi debere, ut idoneis viris munus illud committat. Monet præterea, singulis pagis vicisque, qui aliquam colonorum frequentiam habeant, Pastores præfici, ideoque *incorporationes*, quas vocant, aboleri debere. Non minus necesse esse, ut inspectores sive ephori & visitatores constituantur, qui Pastores in officio contineant, sed districtus sive diœceses non tam amplas & spatiosas, sed ad veteris Ecclesiæ morem & ad exemplum politicarum præfecturarum redigendas esse, & inter ipsos quoque inspectores gradus & subalterna officia ordinari debere. Addit multa, quæ a singulis observanda sint, item de synodis & visitatione. Deinde de capitibus doctrinæ agit, & iterum distinguendum esse monet inter necessaria sive in Scripturis fundata, & non necessaria. Singulatim porro disserit de justificatione, fide & bonis operibus; disputat etiam contra invocationem Sanctorum & purgatorium. Sacramenta non nisi duo a Christo instituta agnoscit, baptismum nempe & cœnam Domini. De illo inter alia monet, quod diebus festis præsente cœtu administrandus sit. De ritibus & inter eos de exorcismo, licet nec Apostolicis temporibus constituti & magnis abusibus corrupti sint, conveniendum tamen esse arbitratur inter Ecclesias, ut nulla fit rixa, sive ceremoniæ illæ (accedente pia explicatione) retineantur, sive aboleantur. Sacramentum cœnæ a sanctis celebrari & sumi vult, remotis, qui manifestis & excommunicatione dignis flagitiis contaminati sint. (die in offentlichen und bännischen Lastern liegen) Urget etiam integram cœnæ distributionem, rejicit abusus missaticos, & vanam de opere externo opinionem, neglecta vera fide & pietate. De ritibus a Christo non præscriptis conveniri posse putat; transsubstantiationem pro figmento habet; asservationem & adorationem Sacramenti improbat, liberum autem relinquit ritum elevationis, item, ut in actu communionis genu flexio aut corporis inclinatio fiat, non in signorum sive elementorum visibilium, sed Christi honorem, qui oculo fidei respiciendus sit. Ægrotis Sacramentum exhiberi concedit, sed domi apud ipsos consecratum; licet non neget, testimonia veterum adesse, quod ex templis ad eos missum fuerit. Impositionem manuum admittit in baptismo, in reconciliatione pœnitentium, & confirmatione sive ordinatione ministrorum Ecclesiæ, item catechumenorum; ritum tamen illum pro vero Sacramento non habet, ut nec benedictionem conjugum; de hujus tamen ceremoniis, quia divinitus præscriptæ non sint, conveniri & transigi posse non dubitat. Preces publicas lingua populari faciendas esse, denuo urget, de temporibus autem, cum ad septem illas horas nemo cogi posit, itidem conveniri posse existimat, sicut & de tempore jejunii, & de festis, atque de ritibus excommunicationis. Ad cohortandos, corrigendos & consolandos homines constitui & Pastoribus subordinari idoneos ex Clero, utile esse putat, & ex *Ambrosio in I. Tim. V.* commendat Presbyterorum officium, qui parentes adjuvent in liberis erudiendis. Confessionem, ubi in usu mansit, servandam esse suadet, sed absque speciali peccatorum enumeratione; ubi exoleverit, invitis non obtrudendam, consultum tamen esse censet, ut quilibet ex cœtu, una minimum vice in anno, Pastori suo delicta confiteatur, & ejus instructionem in vita & moribus petat & accipiat. Matrimonii libertatem Clero vindicat, monachos a veteri instituto dudum defecisse ostendit, ideo reformanda esse suadet monasteria, ita nempe, ut ad ministerium Ecclesiæ adhibeantur monachi, qui idonei ad id essent, inutiles dimittantur, qui vero quiete & pie in iis vivere & victum manu quærere vellent, relinquantur. De bonis Ecclesiæ multa disputat, & in summa statuit, ea ad sustentationem ministerii & pauperum impendenda esse, neque aliam fuisse veterum intentionem. Non tacet multiplices abusus, & ut magnates & nobiles, cum opes Ecclesiæ a Clero, plebeji fere generis, in immensum augeri & male absumi viderent, iis ipsi inhiaverint, filiosque & agnatos suos in bona ecclesiastica, non functionis sed fruitionis causa, intruserint, ea vero monasteria & collegia, quæ plebejis reliquerint, gravissimis oneribus presserint & exhauserint. Exemplum idem secutos esse Prælatos Ecclesiæ, inventis, quas vocant, *commendis* & *reservationibus*; quapropter in melius omnia mutanda esse putat mutua conventione, ita ut ex bonis & reditibus Ecclesiæ ministerium ejus & scholæ conserventur, Clerici juniores bene educentur, pauperibus succurratur, & reliqua, (quæ, si calculus recte ducatur, non exigua aut spernenda esse existimat) usui publico, cui nimium per fundationes bonorum ecclesiasticorum detractum fuerit, applicentur.

(l) *Item in capitibus doctrinæ, Sacramentis & ceremoniis.*

(m) *De reformatione monasteriorum, & bonorum Ecclesiasticorum usu.*

Hæc est summa consilii *Buceriani*, cui in fine responsionem addidit ad duas objectiones. (1.) Si adversarii dicturi essent, se cum hæreticis & schismaticis tractare & transigere non posse. (2.) Si dicant, causam non ad Germanos saltem, sed ad omnes nationes Christianas pertinere. Quoad *primum*, notam hæresis in illos retorquendam esse, idque fieri posse, censet, per accusationes supra propositas. Quod vero ad *secundum* regessit, in volumine, quod allegavi, quia in fine mutilatum est, non extat, facile tamen conjici potest, quod responderit, singulos cœtus, totasque inprimis nationes obligatas esse ad reformationem, neque moras & dilationes ad expectandum consensum aliorum petitas excusari posse, cum periculo animarum, quod moram non fert, a singulis occurri debeat, & unitas Ecclesiæ, restitutis & servatis articulis fidei necessariis, per se subsistat.

(n) *Responsio ad duas objectiones.*

Innuimus supra, Electorem Saxoniæ aliqua in hoc *Buceri* scripto improbasse, verbositatem inprimis, neque ea negari potest; quædam enim bis terve repetuntur, & brevius multa dici potuissent. Alterum, quod Elector reprehendebat, erat, quod Bucerus accusandos esse coram Cæsare & Ordinibus Episcopos, sive potius ipsum Pontificem, (ad hunc enim tandem culpa recidebat) censeret, non videns, Cæsarem & Ordines, si sibi id judicium in Cletum sumerent, idem in Evangelicos esse executuros. At Electori nefas, ut scribit, videbatur, hominum decisioni veritatem divinam subjicere. Certe, si consilium illud *Buceri* expendatur, magna difficultate laborare deprehendetur. Taceo, quod nihil in accusationis suæ capitibus proponit, quod *Lutherus* non dudum aperte Pontifici & Clero objecerit, maxime in scripto, quod ad Comitia Augustana miserat, in consessu Episcoporum & Principum lecto, vid. supra *Lib. II. §. LXXI.* Itaque parum prudenter Clero nunc eadem oggessissent Protestantes, & nil nisi odia quæsivissent, nullo cum emolumento suo. Nam, si moveri se minime passi sunt Pontifex & Episcopi acerrimis *Lutheri* exprobrationibus, quas satis sciebant, Proceribus Evangelicis probari, nihil quoque novis horum querelis dedissent, omnemque concordiæ tractatum, magno cum prætextu, tanto ferocius rejicere potuissent. Deinde periculum, quod Elector indicat, nempe quod Cæsar judicium non solum in Episcopos & Clerum, sed & in Evangelicos sibi arrogaturus esset, non abs re metuendum erat, nec *Buceri* cautela valuisset, putantis, si Cæsar sententiam contra Evangelicos pronunciaret, nihilominus pacem ab illo ex decreto Comitiorum Spirensium servari debere, donec scilicet de controversiis in religione amice transactum fuerit. Sed Cæsar regerere potuisset, Evangelicos ab illo pacto ipsos recedere, cum jam & accusationem instituerent, & judicium poscerent, quod nunquam, ut *Bucerus* ipse fatetur, fecerant. Quapropter, licet ab initio multa & fervide de accusationibus & de reformatione universali urgenda scripsisset *Bucerus*, in progressu tamen libelli omnia ad media transactionis deducit, ita ut querelas illas tantum ad movendos ad concordiam adversariorum animos præmisisse videatur, nullam de iis sententiam Cæsaris expectans. Sed eundem & majorem effectum præstare poterant, quæ dudum

(o) *Quid Elector & Pontanus in consilio Buceri desiderarint.*

(p) *Epicrisis de eodem.*

A. 1545.

dum a *Luthero* & aliis publice objecta erant. *Pontanus* præterea *Bucero* imputat, quod nimio cum rigore in Evangelicis reformationem urgentibus sanctimoniam exigeret, quasi homines non essent, nævosque haberent, a quibus nec *Bucerus* ipse immunis esset. Sane pietas & sanctimonia nunquam satis commendari aut exigi possunt; sed calumniæ exponebatur consultationis Bucerianæ exordium, quod ideo *superbum* vocat *Pontanus*. Si enim reformatio non nisi ab illis peti aut promoveri posset aut deberet, quam qui ipsi mores accuratissime prius correxissent, tarde aut nunquam perveniri ad eam potuisset, unde *Lutherus* sæpe monuit, ante omnia doctrinam de fide & moribus ab erroribus purgari & recte constitui debere, ex ea deinde vitæ emendationem sperandam esse; fatebatur tamen, in Ecclesia etiam purissima non defuisse, nec posthac defuturos esse hypocritas & male viventes. Principes quoque Evangelici sæpe idem professi sunt, suosque defectus agnoverunt, & emendationem propositam sibi esse contestati sunt. Quod vero *Bucerus* de promovenda apud alios veritate doctrinæ, sine odii aut periculi metu, & ex vinculo conscientiæ, urget, id moderationem quandam admittit. Excludenda sine dubio est omnis violentia & temeritas: Ideoque Principes Protestantes dudum a *Luthero* moniti intercedendo & liberis suffragiis in Comitiis pro aliis in causa Evangelii laborabant, sociosque Principes & Civitates, quibus vis ingruebat, pro viribus juvabant, aut vim sibi intentatam repellebant; De aliis autem in societatem confessionis aut fœderis adsciscendis eam navabant operam, ut caverent, ne pax publica turbaretur, & res ad arma deveniret. Talia itaque consilia multa egent circumspectione, nec generali regula expediri possunt. Cæterum Buceri scriptum multa habet summe probanda, magnaque viri doctrina & facundia ex eo ubique elucet, neque etiam, ubi singulares quasdam opiniones habere videtur, pertinax in iis est, aut pacem Ecclesiæ ob eas turbat; consentiunt præterea multa, quæ proponit, cum iis, quæ in consilio *VVittenbergensi* leguntur. Interim huic prærogativam dandam esse, ego quidem non dubitaverim. Sed lectorum judicium esto.

(q) *Aliud Consilium Buceri VVittenbergæ examinatum.*

Diversum ab illo, quod recensui, ut puto, *Buceri consilium* fuit, quod examinarunt *Lutherus, Pomeranus, Cruciger & Melanchthon*, quorum responsum extat sub *n. 3.* in fasciculo *actorum colloquii Ratisbonensis* anno 1546. habiti, qui *Dresdæ* asservatur, & infra §. *CXXXII.* allegabitur. Dies adscriptus non est, conjici tamen potest, non nisi mense Januario sequentis anni responsum illud datum fuisse, profecto jam Ratisbonam *D. Majore*, (is certe non subscripsit) & antequam VVittenbergæ innotuerit inchoatio Concilii Tridentini *d. 13. Decemb.* facta. *Tria* proposuerat, ut breviter referunt, *Bucerus: Primum*, ut abrogatio edicti VVormatiensis anno 1521. & Augustani anno 1530. in Comitiis urgeretur; *alterum*, ut reformatio universalis postularetur, quamvis cedendum in aliquibus esset, nec omnes Ecclesiæ Evangelicis conformes fieri possent; *tertium* per modum quæstionis propositum erat, an Concilium esset recusandum? Ad *hoc* prius respondit *Lutherus* cum sociis: Omnino recusandum esse Concilium, quia Papa, postquam articulos Evangelicos jam damnasset, idemque sine dubio in Concilio facturus esset, quemadmodum nuper *Lovanienses* fecerint, judex esse non posset. Postea ad *primum Buceri* caput dicunt, se quoque optare, ut edicta illa abolerentur, sed petendum id esse modeste, & obtinendum absque vi & minis. Causas fortasse allegari posse, propter quas Principes adversarios armis adoriantur, sibi vero, ut Theologis, non convenire, ut consiliis illis, extra casum necessariæ defensionis, accedant, sed suum officium hoc solum esse, ut Pastores ad pias & orthodoxas conciones, Magistratus vero ad promovendum ministerium & tuendam disciplinam admoneant. Ad *secundum* de reformatione universali ajunt, nihil a se proponi posse, quam ut in genere omnes Principes & proceres moveantur ad procurandam doctrinæ puritatem & legitimam Sacramentorum administrationem, nec non ad sufficientem ministerii Ecclesiastici constitutionem. Quod autem aliqui crebro de nova reformatione differant, cujus causa in multis cedendum sit, vereri se, ne id eo tendat, ut ab ipsa Augustana confessione in plurimis recedatur, atque Evangelica doctrina cum Pontificia in unam confundatur, quod sine Evangelicarum Ecclesiarum conturbatione, immo destructione fieri non possit. Esse etiam fortasse, qui ad commoda secularia in reformatione illa nova, nempe ad distributionem Episcopalium ditionum respiciant; sed hoc modo Episcopos, quos expellere hujus consilii autores velint, ad accipiendam doctrinam Evangelicam moveri non posse; neque se expectare, ut Proceres Evangelici, propter novum hunc modum, in partes ituri, aut illum violenter molituri sint, ex eo enim multas & maximas sectas & divisiones in Germania metuendas esse. Quod vero dicant, non omnia una vice in Ecclesia Pontificia corrigi posse, ad id respondent: doctrinam ante omnia puram esse debere, cætera, etsi tardius emendentur, tolerari posse, nec referre, si in ritibus quibusdam differentia maneat.

§. CXXI.

(r) *Acta in Comitiis Wormatiensibus, & speciatim de pace, an per indictionem Concilii Tridentini finita sit.*

De actis Comitiorum *Wormatiensium* præter pauca, quæ Maimburgius hac *sect. 31. Sleidanus* vero *Lib. XVI. p. 459. ad 463.* item *p. 472.* longe plura & solidiora tradidit, aliunde & maxime ex *Archivo Vin. Reg. E. fol. 59. Vol. I.* sub tit. *Comitia Wormatiensia*, afferenda sunt, ex quibus intimiora quædam cognoscuntur. Nam in his quoque Comitiis summa cum calliditate actum est cum Protestantibus; neque hos penitus latebant adversæ partis consilia, & inprimis (quod etiam in responsione per Legatos, nemo enim ex Principibus aderat, *Sleid. d. l. p. 461.* testati sunt) metuebant, ne indictum a Pontifice Concilium pro termino & fine pacis in Germania de religione huc usque constitutæ haberetur. At nihil omittebant, qui Cæsaris nomine (cum ille podagra impeditus nondum advenisset) aderant, *Ferdinandus* Rex, *Otto Truchsesius*, Episcopus Augustanus & jam Cardinalis, & *Fridericus Comes Fürstenbergius*, ut suspicionem illam Protestantibus eximerent, id quod ex iis, quæ d. 16. April. & sequentibus acta sunt, apparet. Allegabant inprimis, Concilium jam tempore Comitiorum *Spirensium* indictum fuisse, & sic pro termino pacificationis ibi initæ haberi non posse, neque a Protestantibus *Spiræ* monitum aliquid hac de re esse. Sed etsi hi agnoscerent, se quoque in ea fuisse sententia, quod Concilium, a Pontifice indictum, pacem Germaniæ tollere non deberet, & de hac jam *Spiræ* essent protestati; videre se tamen dicebant, quod Pontifex ita instituerit Concilium, ut ipse judicis locum manifesto sumeret, neque suffragatores alios admitteret, quam quos juramenti vinculo obstrictos haberet, quapropter, cum plura ausurus esset, machinationibus occurri debere & declaratione opus esse, quod pax servari debeat, nullo ad Concilium istud habito respectu. Addiderunt, quod notatu dignum est, & paulo apertius, quam a *Sleidano p. 462.* refertur, hodie autem vix eadem ingenuitate allegaretur, Principes non tantum pro se suisque personis in Comitiis comparere, sed obligari, ut pro provincialibus etiam, civitatibus & subditis suis, (vor ihre Land und Leuthe/communen und Unterthanen) curam gerant,

A. 1545.

rant, & horum incolumitatem tueantur; cum his quoque de subsidiis, ad bellum Turcicum præstandis, domi consultandum, (müsten mit ihnen drauss handeln) ideoque de pace & securitate illis prospiciendum esse, ut suas quisque facultates, uxores & liberos, in tuto futuros esse, scirent, illis enim alias perinde esse, sive a Turcis, sive ab aliis, ista sibi eriperentur. Ad hæc, Cæsaris nomine, non tantum in genere pacis continuatio, nulla Concilii mentione facta, promittebatur, sed & d. 24. April. de Concilio nominatim responsum est, Cæsarem quidem non posse illi, aliarumque nationum consensui resistere, si tamen per illud concordia in religione non obtineretur, nec reformatio, juri & rationi conveniens, & prout necessitas eam exigat, succederet, tunc Cæsarem cum Ordinibus ulterius deliberaturum esse. Hæc non sine specie & generose dici videbantur, verum Legati Electoris Saxonici, qui erant, *Eberhardus Thannius* Wartembergensis & *Erasmus a Conriz* Schneebergensis, Præfecti, tum Cancellarius *Franciscus Burcardus*, cæterique Evangelici d. 28. April. regesserunt, etiamsi aliæ nationes Concilio Tridentino se submitterent, sibi tamen non licere repugnare conscientiæ, & solidis ex sacra Scriptura rationibus, ut causam adversariorum judicio deferant, ideoque non sufficere oblata Cæsarea, sed pacis prolongationem diserte fieri debere, usque ad Concilium liberum & christianum, atque plenam de religione transactionem: Facile conventurum esse Pontificem cum clientibus suis, reformationem quoque instituturum, quæ suo juri, suisque rationibus conveniret; sed quod æterno verbo Dei & consuetudini veteris & veræ Ecclesiæ Apostolicæ (secundum quam reformatio fieri deberet) conformis sit futura, se ex argumentis & exemplis notabilibus expectare non posse, fore potius, ut errores confirmentur; licet etiam postea Cæsar, ut jam obtulisset, denuo tractare vellet, partem oppositam non esse cessuram. (würden nichts drauff geben.) His profecto nervum rei tetigerunt Evangelici, verique vates fuerunt, quod ex actis & decretis *Concilii Tridentini*, irritisque Principum de illis moderandis aut corrigendis conatibus plus satis elucet. Disceptatum eodem tempore est de jurisdictione Camerali, quam non tantum ratione causarum, quæ ad religionem pertinebant, præteritarum, sed & futurarum rejiciebant Legati Evangelici, ita ut, antequam in his capitibus sibi satisfieret, consultationes de bello Turcico, quæ a Cæsareis Legatis urgebantur, etiam sine præjudicio & salvis capitibus illis habendas, plane recusarent, ita enim sibi a Principibus suis mandatum esse dicebant. *Ferdinandus* Rex ipse d. 7. Maji multa cum Legatis Protestantium locutus est, neque dubitare se dixit, quin meliora mandata haberent, magnum enim esse a Turcis periculum; excusavit etiam armaturam Cæsaris, de qua aliquid monuerant Legati, eamque tantum Turcæ opponi affirmabat; objiciebat vicissim, quod Protestantes copias militares colligerent. Legati tamen id negabant, licet faterentur, Heros suos, tot rumoribus turbatos, subditis & stipendiariis suis mandasse, ut ad repentinos casus parati essent; nihil quam pacem & securitatem desiderari ab illis ajebant, & ne, durante vel finito bello

(2) *Evangelicorum contestatio adversus concilium & pro pace, itemque de Camerali judicio.*

(3) *Ferdinandi Regis, ipsiusque Cæsaris cum Protestantibus sermones.*

Turcico, hostiles domi insultus sustinere cogerentur. Cæsar interea d. 15. Maji *Wormatiam* venerat, & d. 19. Maji ipse Legatos Evangelicos in cubiculum suum vocatos, benigne allocutus est, nihil questus, sed ultro gratias agens de iis, quæ huc usque acta erant, & finem negotiorum sollicitans, optare quoque se dicebat, ut Principes Evangelici ipsi adessent. Idem sequenti die in publico consessu actum. Postea d. 29. Maji *Johannes Navius* Vice-Cancellarius & *D. Georgius Giengerus* Consiliarius Cæsaris, familiaris colloquii cum Legatis Saxonicis specie (sincere enim & cordate acturos se esse contestabantur) fassi sunt, in Cæsaris potestate non esse, ut Concilium impediret, *Granvellanum* jam sat gravi invidia laborare, ac si Lutheranis nimium indulsisset, petierunt, ut Evangelici aliquid proponerent, in quo honeste gratificari illis posset Cæsar. Suadent, ut suspiciones & querelas suas contra Pontificem in Concilio proponerent, Cæsarem ne latum quidem unguem ab autoritate sua in Pontificem recessurum esse. Si nationes in Concilio comparuerint, nihil valituras esse decisiones Pontificis, sed aliter actum iri. (würde anders hergehen) Cæsarem contra Concilium nullam securitatem præstare Evangelicis posse, ne sibi ipsi quidem, sed querelas proponendas esse. Legati ad hæc regesserunt, de securitate & pace cavendum esse & caveri posse Heris suis, satis enim intelligi, quod Concilium pacis tollendæ causa indictum sit, cæterum Pontificis malam administrationem & introductos abusus sufficienter demonstratos esse, præterea jam damnasse illum Lutheranos Bullis, etiam ea, qua Concilium indixisset, neque aliud quam executionem ab illo quæri. Licet vero nihil aliud poscerent Legati, quam promissionem de pace, impossibilia tamen postulari dicebant, & alia media ab iis proponi volebant Cæsareani, & ipse *Granvellanus*. Hic cum illis jam antea, ut erat vehemens, nec semper animi affectusque occultandi potens, altercari satis acerbe cœperat; tunc vero cum de persecutionibus in Evangelicos Belgas quererentur, objecit, a Lutheranis quoque in suis provinciis puniri Catholicos, nuper enim *Augustæ* civi cuidam triginta florenorum mulctam dictatam esse, quod infantem suum veteri ritu baptizari fecisset, *majus & minus*, ajebat, *non variant speciem*. Sed regerebant Legati, nimis magnam differentiam esse inter mulctam pecuniariam, modicam inprimis, & vivicomburium. Exprobrabat etiam Evangelicis *Granvellanus*, quod vi uterentur & fidem non servarent, inter se ipsos divisi essent, Concilium rejicerent, concionatores pertinacissimos haberent, itemque quod in Catholicos judicium exercere vellent. Verum hæc omnia solide refutarunt Legati, & speciatim negarunt, quod Principes sui judicium in adversarios sibi arrogarent, id enim saltem poscere, ut viri boni ab utraque parte, veluti arbitri, eligerentur. Concitatior inde *Granvellanus* etiam Anabaptismum illis imputavit, sed & hoc mascule rejecerunt Legati, dicentes, nisi concionatores Evangelici hæresi isti obstitissent, longe periculosiorem futuram fuisse. Postea d. 13. Jun. *Granvellanus*, jam mitior, & *Navius*, Cæsaris nomine, hæc obtulerunt: Curaturum eum esse, ut Concilium rite & legitime haberetur, &

A. 1545.

(4) *Acta a Navio cum Evangelicis.*

(5) *Granvellani cum Evangelicis altercationes.*

(6) *Oblata abeo, mitiora, & Legatorum responsa.*

A. 1545. & Evangelici sufficienter audirentur, ita tamen, ut postea etiam obtemperarent decretis. Si vero interea & usque ad proxima Comitia aliquid iniqui & molesti a Concilio ageretur, Cæsarem de remedio & concordia cogitaturum, & interim pacem servaturum esse. Responderunt Legati Evangelici, postulatum semper fuisse Concilium liberum; tale vero non esse, quod *Tridenti* habeatur, in quo Pontifex, licet pars sit, judex tamen esse velit; contradictum huic molimini continuo fuisse, & speciatim anno 1541. interim manifestum esse, quod Papa illud pro legitimo venditet Concilium, in quo ipse cum suis decidat, idque satis ex diplomate indictionis apparere. Nihil prodesse, si audiantur Evangelici, cum adversarii judicum personam sumserint, judicium igitur deferendum esse viris piis & honestis, ab utraque parte delectis, qui secundum verbum Dei & formam vetustissimorum Conciliorum atque primitivæ Ecclesiæ, pronunciarent & reformarent. *Tridentum* Italicam potius, quam Germanicam, urbem esse, eo mitti Theologos suos non posse, machinationes clandestinas a Papa metuendas esse; Si vero Concilium liberum & Christianum in Germania convocetur, & prius de modo procedendi conveniatur, ita sese gesturos esse Evangelicos, ut nullius culpæ rei sint futuri. Pacem itaque postulant usque ad piam, amicam & integram transactionem (bis auff eine christliche / friedliche und vollkommene vergleichung) de religione, in Concilio libero, christiano & partibus non obnoxio ineundam. Sequenti die *Fridericus Elector Palatinus*, qui ad Cæsarem venerat, per Præfectum aulæ, *Conradum a Rechberg*, & Cancellarium *Henricum Hasium*, veluti per modum interpositionis, agere cœpit cum Evangelicis, & ab iis d. 15. Jun. responsum tulit, idem fere cum eo, quod *Granvellano* dederant, nempe, se causam suam vel in Concilio libero & christiano, vel in nationali, vel in Comitiis generalibus, non vero *Tridenti*, tractaturos esse, ista tria media *Spiræ* anno 1544. approbata fuisse, a quibus discedere non possent, interim pacem servandam esse. *Palatinus* post aliquot dies (d. 27. Jun.) regeri illis jussit: anno 1544. *Spiræ* contradictum non esse Concilio ratione loci, ideoque *Tridenti* comparendum esse, Cæsarem enim operam daturum, ut Evangelici integre & absque præjudicio audirentur, & Legatis eorum de securitate recte prospiceretur. In Germania Concilium haberi non posse ob plebis immodestiam, ideo nuper *Ulricum* Wurtenbergensem *Farnesio* Cardinali, Pontificis Legato, commeatum per provinciam suam denegasse, causatum, adversus populi insultum defendi eum non posse. Sed hoc ad *Palatinum* falso relatum fuerat, ut postea ipse agnovit; *Ulricus* enim, ideo *Farnesio* transitum denegatum a se esse, Ferdinando scripsit, quod non solum tutum iter, sed & honorificam receptionem, & liberale hospitium postulasset, id quod ex re sua minime fuisset; addiderat, pro parrhesia, cui suetus erat, se nosse & dicere posse, nisi verecundia erga Regem detineretur, quam sanctus sit Pontifex & ejus Legatus. Indicavit etiam *Palatino* Electoris Saxonici Legatus *Burcardus*, nomine cæterorum, Evangelicos omnino & nominatim contra locum Concilii, sive *Tridentum*, Spiræ in Comitiis anno 1542. protestationem interposuisse, quæ etiam Decreto Comitiali inserta fuerit; (*vid.* R. A. *d. a.* §. dagegen haben aber die stände Augspurgischen confession.) Deinde ibidem in genere anno 1544. adversus quodcunque Concilium, quod Pontifex indiceret, protestatos esse. Compertum postmodum fuit, Electorem *Palatinum* Cæsari proposuisse, ut nullo modo, nec a Papa, nec ab alio quocunque, se ad bellum, religionis causa gerendum, impelli sineret; nisi enim anno 1532. pacificatio per fratrem suum *Ludovicum* & Archiepiscopum, Moguntinum procurata esset, Germania jam dudum bello arsisset. Suasit vero Cæsari, ut ad concordiam in religione sanciendam Concilium nationale vel Comitia generalia convocaret, & quæ inter Germanos conventa essent *Tridentum* mitteret, pacemque servaret, etsi in Concilio illo pacta ista non approbarentur. Hæc sibi non displicere præ se tulit Cæsar, idque d. 28. Jun. renunciatum est Evangelicis *Palatini* nomine, & hi d. 30. Jun. consenserunt, ut alia Comitia indicerentur, in quibus de concordia tractaretur. Omitti præterea placuit mentionem Tridentini Concilii, atque dissimulandum, quod haberetur. Actum inde fuit a Cæsare cum Proceribus Imperii, Romanæ religionis addictis, ut etiam illi hunc modum approbarent; sed d. 7. Jul. *Rechbergius*, nomine Heri sui Palatini, Evangelicis retulit, impetrari a Catholicis consensum non posse, sed Cæsarem, ex plenitudine potestatis suæ, Comitia & colloquium de religione indicturum esse. Ad hæc Evangelici Palatino demonstrarunt, nisi consensus Catholicorum obtineretur, frustra statui de colloquio, neque candide hoc proponi; postularunt etiam, ut decretum Comitiorum *Spirensium* anno 1544. de servanda pace nominatim repeteretur, alias enim se tutos non esse futuros; Cæsari quidem non diffidi, sed adversæ partis consilia sibi suspecta esse. Continuata postea per aliquot dies Palatini, qui tamen non parum suspectus Cæsari religionis causa erat, nec apud Evangelicos multum poterat, interpositione, Cæsar sese excusavit, quod *Spirense* decretum nominatim allegare non posset, in genere autem præcedentia Decreta omnia in formula decreti, quam d. 22. Julii Evangelicis legendam exhibuit, citaturum esse pollicitus, inter hæc comprehendi *Spirense*, permissurum etiam ut Evangelici protestarentur, quod idem simul speciatim intelligerent. Sed illi videbant, callide agi, neque istis verborum strophis fidi posse. Tandem d. 26. Jul. in prorogationem Comitiorum eamque decreti formulam consenserunt, quæ d. 4. Aug. publicata est, & in Codice Recessuum Imperii reperitur. Hujus summam brevissime & negligenter *Maimburgius*, accuratius *Sleidanus d. l. p. 472.* refert. Artificium autem styli cognosci non potest, nisi ab eo, qui huc usque narrata aliquatenus cognita habet. Incipit decretum ab excusatione, quod gravissima negotia in Comitiis his tractari propter absentiam ipsorum Principum non potuerint: & illico subjungitur prorogatio Comitiorum ad d. 6. Jan. anni sequentis 1546. *Ratisbonæ* habendorum, in quibus Principes

(7) *Fridericus Palatinus mediator inter Cæsarem & Evangelicos.*

(8) *Palatinus consilia de concordia & pace, & interpositionem continuat.*

(9) *Contenta Recessus Wormatiensis.*

A. 1545.

A. 1545. cipes ipsi adesse deberent, sicut & Cæsar venturus esset. Testatur inde Cæsar magnum desiderium de concordia in causa religionis restabilienda, & nota esse dicit impedimenta, propter quæ huc usque obtineri non potuerit, ut autem nihil omittatur, quo promoveri id possit, edicit colloquium, hoc anno ante futura Comitia, *Ratisbonæ* habendum, ad quod ipse, ut caput, als das haupt (non addit, quale; supra tamen se defensorem *sanctæ fidei nostræ* nominaverat, Beschirmer unsers heiligen glaubens / id quod de Romana intelligi poterat) Præsides unum vel plures missurus esset, a statibus veteri & usitatæ religioni addictis (denen Ständen der alten hergebrachten religion) quatuor collocutores & quatuor auditores, totidem ab Augustanæ confessionis Ordinibus delegari, & ab his ante diem 15. Septemb. nominari debere. Hi *convenire* jubentur *d. 30. Novemb. atque mox, Deo juvante, controversias religionis aggrediantur, ac de omnibus, quæ cum sacra Scriptura congruant, & Ecclesiæ salutem atque abusuum emendationem promovere videantur; quantum fieri possit, christiane & amice conveniant, ad solius Dei gloriam & veram atque christianam unionem & reformationem ecclesiæ, rejecto omni obstaculo, respicientes.* Mandat porro, ut Delegati isti de colloquio actisque suis in Comitiis relationem integram edant, & pollicetur, se postea de ea cum Ordinibus deliberaturum & operam daturum, officiumque suum interpositurum esse, ut pia & perfecta unio & concordia sequatur. Subjungit præceptum de pace servanda secundum constitutionem de pace publica, (innuitur solennis illa *anno 1521.* edita) & omnes atque singulos recessus pacificationum, quomodo Ordines Imperii illos (allenthalben id est, ex qualibet parte) acceptaverint, vel ipse jure supremo constituerit, & jam renovet. Addit pauca de Cameræ judicio, (quod interea, dilapsis Assessoribus, ad paucissimos, quatuor, ut invenio, viros, redactum erat,) ad Comitia proxima usque continuando, ne fatalia, quæ vocant, processuum periclitentur. Hæc omnia ita constituta videbantur, ut mos Comitiorum exigit; sed in fine, ubi verbis consuetis de consensu inter Cæsarem & Ordines ad decretum promulgandum publica fit testificatio, in parenthesi duæ protestationes inseruntur; una nomine Ordinum veteris religionis, qui profitentur, se in cætera quidem omnia, sed in caput illud de colloquio non consensisse, Cæsari tamen modum non præscribere; altera Augustanæ confessioni addictorum, quod a novissimo decreto sive recessu *Spirensi*, quo scilicet pax usque ad amicam transactionem de religione constituta erat, non sint recessuri. Cautelis hisce, ex parte Ordinum Catholicorum, ad Pontificem respicientium (de Cæsare mox dicam) fomitem quasi belli, in cineribus jam gliscentis, occultatum esse, facile conjicitur, neque magnificum illud Cæsaris de pace secundum priores Recessus servanda præceptum ita conceptum erat, ut eos obligaret, qui rumpere eam vellent; unica enim illa clausula, ubi dicitur, *servandos esse Recessus, sicut ab Ordinibus ex utraque parte, aut*, ut loqui solemus, *respective, acceptati essent*, absolvebat eos a crimine fractæ pacis, qui in Recessus expresse non consenserant. Obedientiam quidem Cæsari promiserant, ex potestate & officio veluti regio agenti: Sed adversus hanc promissionem exceptionem opponere poterant, se obsequium illud non nisi ex necessitate & pacis causa, cum Protestantibus, qui majoribus viribus tunc instructi erant, resistere non possent, promisisse, illam vero obligationem, cessante necessitate, perimi. Denique, cum causa ad religionem & conscientiam spectaret, sine consensu Pontificis, quem illi pro supremo ecclesiæ capite agnoscebant, & quod Episcopi & Abbates, qui inter Imperii Ordines connumerantur, & in Comitiis suffragandi jus habent, juramento singulari illi obstricti erant, valide sese obligatos esse, negare poterant, & sic magna cum specie Concilium prætexere, cujus decisioni stari oporteret, & in renitentes, si facultates adessent, vi agi posset. Huc trahi poterant verba *Recessus Spirensis anno 1544.* §. Als wir aber in der handlung befinden 2c. ubi dicitur, Catholicos, cum Cæsar, ex plenitudine potestatis, in causa religionis tunc decerneret, dixisse, (Sie müsten es geschehen lassen und dulden) *se cogi, ut ista fieri sinerent & tolerarent.* Certe Legati Evangelicorum in Comitiis *Wormatiensibus*, verba ista accuratius considerantes, satis perspiciebant, quibus difficultatibus laborarent, & a Jureconsultis diligenter expendi debere dicebant, quænam ex illis obligatio nasceretur. Sed de his atque aliis dubitationibus & consultationibus inter Evangelicos postea agemus: Hic ad supplendam historiam Comitiorum dicenda quædam supersunt.

(10) *Epicrisis de decreti illius clausulis.*

(11) *Cæsar præsentiam Electoris desiderat.*

Cæsar, cum recordaretur, quid rebus suis anno 1544. Electoris Saxoniæ præsentia in Comitiis profuisset, etiam nunc eam impense desideravit; quapropter non solum Legatos, plus una vice, cohortatus est, ut Hero suo comparitionem persuaderent, sed & *Wolfgangum Theodoricum a Pfird*, virum nobilem & militia clarum, præterea Electori charissimum & stipendio obligatum natione Alsatum, ad se vocavit, & benigne desiderium illud suum testatus est, ipsumque ad Electorem ablegavit. Is *Weidæ* circa Nonas Julii Electorem convenit, & inter alia significavit, Cæsarem permissurum non esse, ut Pontifex judicis personam in Concilio sumeret; addere tamen etiam minas jussus erat. Ad ea Elector *Pfirdio* respondit, si a Cæsare impetrari posset, ut Concilium liberum & Christianum, loco Tridentini, (cui Elector se submissurus minime esset) haberetur, tunc se ad Comitia venturum, & consilia operamque ad eum finem candide collaturum esse. Interim alii Electoris Consiliarii & *Lutherus* multas rationes allegabant, cur Elector *Wormatiam* ire non deberet, patescere enim adversæ partis artes, neque aliud quæri, quam ut blandis verbis ad acceptandum Concilium Tridentinum induceretur Elector, aut aliis modis illaquearetur. Cæterum, placueritne Cæsari reliquorum Principum absentia aut displicuerit, judicari non potest, nisi perspectis ipsius Cæsaris consiliis, quæ tamen in Comitiis tanto cum studio occultavit, ut etiam Catholici penetrare ea non potuerint. Securum quidem de Cæsare fuisse jam tum oportet Pontificem, neque enim Episcopos, qui alias frequen-

(12) *De consiliis Cæsaris & Papæ quædam.*

A. 1545. quenter, cum de religione agendum esset, in Comitiis, ut suffragiorum numero prævalerent, comparere solebant, quandoque etiam a Pontifice ideo monebantur, cohortatus tunc est, ut adessent, & nepos Papæ, Cardinalis *Farnesius* paucis diebus Wormatiæ commoratus, d. 30. Maji noctu discesserat, unde colligi poterat, nullam ei de Cæsare suspicionem superfuisse. Aderat præter *Truchsesium*, Cardinalem Augustanum, personæ & dominationi Pontificiæ addictissimum (quem, nescio cur, unicum adfuisse *Sleidanus p. 463.* memorat, nisi fortasse ante finem Comitiorum reliqui discesserint) *Wolffgangus*, Magister Ordinis Teutonici, *Valentinus* Hildesiensis & *Adrianus* Razeburgensis, Episcopi. Inter eos *Hildesiensis* acerrimus erat in Evangelicos, ita, ut, referente d. 3. Jun. *Burcardo*, *Granvellanus* ipse (ut erat simulandi artifex) vehementer de illo questus fuerit, dicens, esse virum nequam, (leichtfertig) qui dudum nil nisi turbas moliretur, & jam etiam Cæsari persuadere vellet, pacem indicto Concilio finitam esse. Qualem autem *Hildesiensis* consultationem tractatu prolixo, quem ipse librum vocat, conscripserit & Cæsari in Comitiis his, vel paulo ante exhibuerit, paucis notum esse credo, immo, cum in actis Comitiorum, quæ in *Archivo* asservantur, nullam ejus mentionem invenerim, prorsus dubito, an ad Legatorum Saxonicorum notitiam pervenerit. Interim copiam ejus benignissime mihi fecit Serenissimus Brunsuicensium Dux *Rudolfus Augustus*, alibi quidem, sed nunquam pro merito a me laudatus.

(n) *De Episcopis, qui in Comitiis comparuerunt.*

ADDITIO I.

(a) *Valentini, Episcopi Hildesiensis, libellus, de articulis fidei controversis.*

Titulus scripti Hildesiensis hic est: *Sacra Cæsareæ & Catholicæ Majestatis Vestræ seriosa jussioni & voluntati, ordinationique nuper habiti & celebrati imperialis conventus Spirensis, illiusque decreto de reformando componendoque religionis negotio satisfaciendo, offero ego Valentinus Episcopus Hildesiensis Majestatis Vestra devotus & obsequentissimus servulus, eidem Sacræ Majestati Vestræ librum hunc, meam ac nonnullorum bonorum, piorum & doctorum Theologorum Catholicorum sententiam & judicium in se continentem, qualiter & quibus mediis controversi religionis Protestantium & Augustensis confessionis Statuum articuli, etiam in eorundem confessione Augustensi non comprehensi & positi, (in œcumenico tamen ac generali Concilio & non alias, modo inclitam nationem Germanicam schismaticam facere nolimus) conciliari, componi & concordari, vel saltem tolerari possent, salvo semper in omnibus orthodoxorum Patrum & doctorum virorum melius & rectius sentientium saniori & prudentiori consilio ac Catholica censura: Anno M. D. XXXXV.* Tractatus ipse in exemplo mecum communicato folia habet satis presse descripta centum & quatuor, & in duas partes distributus est. In *prima* ad singulos Augustanæ confessionis articulos aliquid annotatur. In *altera* præter XXVIII. articulos confessionis alii XXXIX. indicantur, qui a Lutheranis post confessionem partim asserti, partim in dubium vocati sint, ita ut in universum LXVII articuli in hac consultatione tractentur, in quibus tamen sunt, de quibus cum Lutheranis nulla erat controversia, sed tantum confirmationis aut ostentandæ scientiæ causa, aut ad augendum numerum producuntur. Talis est *articulus I.* Aug. conf. *de Deo*, quem fatetur Episcopus recte doceri a Lutheranis. *Articulum* etiam *II. de peccato originali* re ipsa concordare dicit cum Ecclesia, discordare autem ratione definitionis. *Cochlæus*, cujus censuras anno 1544. congestas §. *LXXIX. Addit. IV.* retulimus, simpliciter scripserat, concordare; sed accuratior est Episcopus, qui definitionem peccati originalis in *Augustana Confessione* reprehendit, ubi Lutherum imitati dixerint, quod peccatum originis sit *nasci sine metu Dei, sine fide seu fiducia erga Deum & cum concupiscentia*; hos enim animi morbos Episcopus proprie putat esse peccata actualia, medium igitur proponit, ut definiatur more consueto, *carentia vel defectus originalis justitiæ debitæ inesse, cum concupiscentia*: docet autem, post baptismum, quoad culpam, nihil morbi manere, licet remaneat concupiscentia, in pœnam prioris culpæ. In *articulo III. de Christo* non nisi ordinem taxat, velletque, ut secundo loco positus esset, secundum seriem symboli Apostolici. *Articulum IV. de justificatione* concordari posse existimat, si fides intelligatur ea, quæ per dilectionem operatur *Gal. V. 6.* id est, quam vocant, *formata*, & ut dictio, *sola*, non ponatur, quia in Scripturis non inveniatur. Magna cum subtilitate & cautela sententiam Ecclesiæ Romanæ integram involvit potius, quam explicat Episcopus, ut Pelagianismi imputationes evitet; interim multis verbis neque plus neque aliud dicit quam *Eccius*, *Cochlæus* aliique sycophantæ; Ait enim: charitatem, per Spiritum sanctum infusam, formam esse fidei, spei, & aliarum virtutum, sine qua nulla virtus meritorie vivificet, seu justificet: trahit eo dictum Pauli *I. Cor. XIII. 2. 3.* Negat, fide, quæ subjective sit in intellectu (id est, notitia, quam non sufficere, nisi assensus & fiducia cordis accedat, ad raucedinem usque clamaverant Lutherani) corrigi posse voluntatem, sed hoc fieri debere per charitatem. Reconciliationem inter Deum & hominem, sive justificationem, fieri dicit per mutuam dilectionem, & propter hanc non imputari peccata *Rom. IV. 8.* Primam hominis conversionem, per fidem (id est, per notitiam, citat enim *Hebr. I. 6.*) contingere, & motum fidei illis primum a Deo esse, non ex nobis, quod Augustinus aliquando putaverit, sed retractaverit. Infundi primam inter alias virtutes fidem *informem*, sed non nisi per *formatam* corda purificari. Ad tempus ante justificationem requirit, ut homo peccata detestetur, & hanc esse fidem informem, prævenientis gratiæ motu excitatam; hunc motum sequi, aut potius concomitari fidem formatam. Primum motum sive præparatoria ad justificationem nihil mereri, omnique gloria carere, quia arbitrium voluntatis post lapsum infirmum sit, & nisi per Dei gratiam excitetur, ad bonum invalidum & inefficax. Addit, quæ Lutheranæ doctrinæ propius accedere videntur, donatam nobis justitiam Christi, ejusque merita nostra esse, & nobis imputari, sed mox subjungit, præter hanc imputativam meritorum Christi justitiam, aliam, voluntati nostræ nempe inhærentem, justitiam, id est, propriam a nobis per charitatem recipi; his duabus justitiis simul hominem justificari, easque separari non posse, & priorem amitti, nisi altera sequatur. Interim, licet nescire non potuerit, a Luthero dilectionem seu renovationem, ut fructum & effectum inseparabilem fidei requiri, proprie tamen loquendo justificationem soli fidei attribui; condemnat tamen ejus sententiam. Utut autem concedat, non solum infantes baptizatos, sed & adultos, si post Baptismum decedant, salvari absque omni opere proprio, distinctionem tamen fidei & charitatis, quam in actu justificationis Lutherus urget, agnoscere non vult, & mox eo relabitur, ut dicat, quod adultus ille etiam per affectum charitatis, quam simul cum fide acceperit, justificetur, & denique, ne a schola sua ullo modo dissentire videatur, vitam æternam mercedem esse operum statuit, non ex gratia tantum, sed & secundum debitum, nempe ex conventione *Matth. XX. 17. Nonne ex denario convenisti mecum*? Torquet se iterum & addit, opera secundum substantiam suam nihil habere condignum æterna gloria, & sic gratia Dei dari vitam æternam, quod idem est, ac si dixisset *ex merito congrui*, qua tamen voce ut abstineret, cautio fuit. *Articulum VI.* (in *Articulo V.* enim nihil desiderat) *de bonis operibus*, concordare putat, sed quæ in fine dicuntur de sola fide & salvatione sine opere, concordari posse & debere contendit eo modo, quo *Articulo quarto* dixerat. Ad *articulum VII. de Ecclesia*, quem concordare dicit, notat discordare definitionem

(b) *Specialim de peccato originali.*

(c) *De justificatione per fidem.*

A. 1545.

nem Ecclesiæ, quæ in confessione dicitur esse *congregatio sanctorum;* ipse autem in Ecclesia etiam comprehendit malos, (quamdiu in una fide, Evangelii doctrina, & participatione Sacramentorum quiete ambulent.) ad hos autem applicat etiam dictum Pauli, *I. Cor. X 17. unum corpus multi sumus*, item *Eph. IV. 4.* Vide quæ ad *Cochlai* censuram *d. l.* ad articulum hunc notavimus.

(d) *De S. cœna.*

Articulum X. de *sacra Cœna* (nam *articulum IX.* totum admittit) itidem concordare statuit; annotat tamen, quod effectus hujus Sacramenti consistat in consecratione, qua panis, virtute verborum, in corpus Christi convertitur, & vinum in sanguinem. Hic paulo tectius, quam *Cochlæus*, transsubstantiationis dogma urget, infra autem clarius requirit, unde simul patet, verba articuli hujus ab adversariis intellecta non fuisse de transsubstantiatione, ut aliqui existimarunt.

(e) *De confessione & pœnitentia.*

Ad articulum XI. de *confessione* aperte urget Episcopus, ut omnia peccata, quorum quis memoriam habet, in confessione enumerentur, neque aliter concordari posse censet hunc articulum, quam si hoc admittant Evangelici, utque illorum tantum delictorum recensitionem excludant, quorum aliquis non recordatur. Vid. quæ ad *Cochlæum d. l.* notavimus. *Articulo XII. de pœnitentia*, satisfactionem arbitrio sacerdotis præstandam exigit per regulam, quam statuit: *Inordinatio culpæ non reducitur ad ordinationem justitiæ, nisi per pœnam. Justum est enim*, ait, *qui plus voluntati suæ indulsit, quam debuit, ut aliquid iterum contra voluntatem patiatur.* Probari hoc putat dicto *Apoc. XVIII. 7* ubi Deus Babyloni justa ultione tantum inferri jubet luctum & tormentum, quantum habuerit delitiarum; quæ ad gratuitam remissionem peccatorum a Deo pœnitentibus & credentibus promissam & impertitam nullo cum fundamento referuntur.

(f) *De usu Sacramentorum, & de ordinatione.*

Articulo XIII. de usu Sacramentorum Episcopus dictum Pauli *Gal. IV. 9.* de *infirmis & egenis elementis*, per quæ intelligit ceremonias Judaicas, ad sacramenta Veteris Testamenti detorquet, putatque, ea nihil gratiæ continuisse, sed nuda signa fuisse. Concordari tamen de hoc articulo posse dicit, si Protestantes concedant, Sacramenta cum hoc, quod significant, etiam aliquid efficere; sed hoc semper concesserunt Augustanæ confessioni addicti, veruntamen etiam fidem accipientis ad salutarem Sacramentorum usum requisiverunt, neque hunc solius sacerdotis operi tribuere voluerunt. In *articulo XIV. de ordinatione ministrorum*, idem sugillat Episcopus, quod *Cochlæus*, quod nempe Evangelici pastores suos ordinari non faciant ab Episcopis.

(g) *De libero arbitrio.*

Articulum XVIII. de libero arbitrio, itidem, ut *Cochlæus*, concordare dicit, sed aliter antea sensisse scribit Lutherum cum assertione XXXVI. liberum arbitrium rem esse statuerit de *solo titulo;* Episcopus autem liberum arbitrium homini etiam post lapsum vindicat, ex hoc, quod homo sit rationalis: Eatenus autem Lutherum non habet contradicentem. Fatetur dein, hominem peccando perdidisse libertatem a culpa & miseria, non autem libertatem naturalem, quæ libera est a coactione. Momentum hujus litis alibi sæpius expensum est.

(h) *De bonis operibus.*

Ad *artic. XX.* de *fide & bonis operibus* (in *art. XIX. de causa peccati* nihil reprehendit) allegat, quæ dixerat ad *Artic. IV.* & fidei formam dicit esse charitatem, Fide justificari hominem non negat, sed justificationem fieri per charitatem, sanctificatum fieri sanctificatiorem: redit itaque disputatio ad justificationem primam & secundam, & litigatur ambiguitate vocabulorum, dum justificatio confunditur cum sanctificatione, quæ augmentum recipit. Quæstionem *de merito operum* expediri & concordari posse arbitratur, si Evangelici admittant distinctionem meriti *de congruo & condigno*, sed *hæc*, ait, *illis non est grata.*

(i) *De invocatione Sanctorum.*

Art. XXI. de invocatione sanctorum, concessisse dicit Evangelicos, quod Angeli pro nobis orent, *Zach. I. 12.* unde infert, sanctos, quia Angelis pares fiunt, etiam intercessores nostros esse. Sed neque prius neque posterius in colloquiis *Augustæ* aut alibi concessum esse invenio, & ab Ecclesia Evangelica visio illa prophetica *Zach. I.* optimo cum fundamento, de filio Dei intelligitur. Cætera quoque argumenta, quæ Episcopus pro invocatione Sanctorum ex Scripturis promit, ab Evangelicis dudum elisa sunt, ideoque ipse iis parum fidit, & maximum sententiæ suæ pondus in antiquissima consuetudine ponit, putatque, si nihil definitum de hoc articulo sit in Scripturis, tunc illius determinationem secundum doctrinam *Augustini* in ecclesiæ potestate esse. Desperat inde, quod articulus hic concordari possit, donec cum ecclesia confiteantur Protestantes, quod sancti pro nobis orent, & quod ideo eos invocare liceret. Sed hoc per Dei gratiam nunquam facient, nam nec prius concedunt, quod sancti pro nobis orent (quod nec satis clare illis tribuit episcopus, scribit enim, *ex parte concedere id illos videri*) nec, si concederent, sequi agnoscunt, quod invocatio licita sit, obstat enim, contra quam nihil determinari debet ab ecclesia, analogia fidei, quæ invocationem per omnia genera & omnes species, soli Deo vindicat, nec absque idololatriæ periculo contrarium unquam admittit.

A. 1545.

(k) *De communione sub utraque & conjugio Cleri.*

Articulum XXII. de communione sub utraque, discordare ab Ecclesia Romana agnoscit, & calicis usum in odium Nestorii, & ad effusionis periculum in tanta fidelium copia vitandum, aliisque ejusmodi ex causis, quæ ex transsubstantiationis dogmate promanant, recte sublatum esse opinatur, licet non neget, sed ex *Ænea Sylvio* ipse alleget, ante *Concilium Basileense* vinum consecratum etiam ad ægrotos deportatum fuisse; post id tamen tempus numerus fidelium auctus, in Europa certe, non est. Hæc & vulgaria alia, inprimis locum *Luc. XXIV. 30.* prohibitioni illi prætexit, Concilii tamen decreto Protestantibus indulgeri communionem sub utraque posse censet, his conditionibus, si credant & doceant, non esse præceptam, & quod sub una quoque specie totus Christus sumatur, nec peccent, qui calice abstineant, item, ut subditis communionem sub una, quotquot ea uti velint, permittant, & ægrotis hanc saltem concedant. *Articulo XXIII. conjugium sacerdotum & religiosorum* itidem rejicit, argumentis tritis insistens, in fine tamen Concilio defert, quid veritati conformius & Christianæ reip. conducibilius decreturum sit.

(l) *De Missa & confessione.*

Articulum XXIV. de Missa, in fundamento discordare dicit ab Ecclesia, contendit autem, sacrificium Missæ institutum esse a Christo verbis: *hoc facite*, quasi dixerit, ut scribit: *facite id, quod ego in cœna feci & institui atque in cruce perfeci.* Idem enim esse statuit sacrificium, a sacerdote oblatum, cum eo, quod Christus obtulit, cum sit commemoratio ejus, sive *reputativa passionis Christi imago.* Non tacet reliqua ex *Mal. I. 11. Gen. XIV. 18. Hebr. VII.* Missas quoque privatas, earumque applicationem, licet hæc ex assertis illis de commemoratione non sequatur, adeo propugnat, ut nec in Concilio aliud statui posset. *Art. XXV. de confessione* eundem servat rigorem, & mordicus tenet *Innocentii* canonem; *omnes utriusque sexus* &c. & plenam atque integram enumerationem peccatorum postulat, neque ullam conciliationem hujus controversiæ admittit, nisi quod peccata non intellecta nemo obligetur confiteri, id quod per se impossibile est, nec pro remedio haberi potest. Fatetur, expresse non esse mandatam confessionem illam, sed sequi ex remissione, remitti enim non posse, quæ non speciatim indicentur. Trahit tamen huc dictum *Esaiæ XLIII. 26. narra, si quid habes, ut justificeris*, quod a Septuaginta interpretibus versum esse dicit: *dic tu iniquitates tuas, ut justificeris.* Concludit de necessitate salutis esse, ut homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, & quod Deus unum sine altero non remittat; quæ ad confessionem sacerdoti faciendam non pertinere, Theologi orthodoxi dudum ostenderunt.

(m) *De jejuniis, votis monasticis, & potestate Episcopali.*

Artic. XXVI. de jejuniis, postquam ea ex traditione adstruxisset, ita tamen, ut minores viginti & uno annis, ægrotos, peregrinantes, laborantes, tum mulieres gravidas & lactantes, ab illarum observatione eximat; componi hanc litem posse existimat, si statuatur, jejunium & alias traditiones humanas, contemtus tantum & scandali vitandi causa, culpam peccati mortalis habere. *Art.*

XXVII.

A. 1545.

XXVII. *vota monastica* jure divino servanda esse contendit, & ideo de hoc articulo concordari posse negat; vota etiam de cœlibatu, per gratiam Dei, servatu possibilia esse, non dubitat, tandem vero Concilio œcumenico mutandi potestatem non denegat. *Artic. XXVIII.* sive ultimum de *potestate Episcopali*, rejicit, nisi quod moderationem abusuum, & mitigationem rigoris excommunicationum & censurarum, propter malitiam temporis, ita tamen, ut adversariis non detur major peccandi occasio, admittit. Addit, a Vicario Christi in terris omnem aliam potestatem Ecclesiæ in alios descendere, & cum visibili aliquo signo conferri debere, hoc enim non observato schismata fieri. Sonant hic perpetuo jactata dicta: *Tu es Petrus, & dabo tibi claves* &c. Quod vero *Joh. XX. 22.* Apostolis concessum fuit, principaliter Petro & successoribus ejus attribuit. Posthæc alii articuli sequuntur, in confessione *Augustensi*, ut Episcopus scribit, non comprehensi nec positi. *Articulus XXIX.* inscribitur *de Ecclesia*, quem titulum etiam habet *articulus VII.* Aug. confessionis. Differitur autem prolixe de Ecclesiæ definitione, origine, synonymis & unitate; sed inter unitatis modos requirit non solum unitatem capitis, quod est Christus, item fidei, baptismatis &c. sed etiam Pastoris, Pontificis nempe, qui Petro, cui dictum est, *tu es Petrus*, successit. Inde etiam, cum de sanctitate Ecclesiæ multa disputasset, Romanam inprimis sanctam & Catholicam esse statuit, quia nunquam erraverit, & universalis, atque per totum orbem extensa sit; itaque Lutheranos injuriam Christo & Ecclesiæ facere dicit, quod in sola Saxonia Ecclesiam constituant & esse velint; id quod illis per manifestam tribuit calumniam, cum contrarium millies asseruerint. Apostolicæ etiam Ecclesiæ nomen Romanæ vindicat, non solum propter observationem Apostolicorum dogmatum & traditionum, sed & propter Petrum & Paulum Apostolos, qui illam martyrio suo consecrarint, & omnibus urbibus sua præsentia & venerando triumpho prætulerint. Sic *Hierosolyma* præferri deberet, quam Christus utique sua morte magis honoravit, quam Apostoli Romam. Potestatem Ecclesiæ duplicem facit, temporalem & spiritualem, illam Laicis, quorum caput Imperatorem esse dicit, hanc Clero tribuit, sed in primo gradu. Subdola autem distinctio hæc est, ut potestatem laicam sive Regum, Ecclesiæ veluti infarciat, & spirituali, potiori quippe, subordinet. Pontificius primatus hic iterum asseritur verbis, *Tu es Petrus.* Secundum gradum spiritualis potestatis Episcopis assignat, ut reliquorum Apostolorum successoribus. Deinde sacerdotes mediatores inter Christum & populum facit, ut Moyses fuit inter Deum & homines. *Deut. V. 5.* Sed plenitudinem hujus officii & potestatis clavium in uno residere dicit, ex quo in alios derivetur, & hunc Petri successorem esse, unde & Petrus solus pingatur cum clavibus. Hoc eo pertinet, ut, quod supra Episcopis tribuisse videri poterat, quod Apostolis successerint, limitetur, neque illi ex dependentia a Pontifice eximantur. Ista hæc omnia, per viginti integra folia hoc articulo, magna cum allegationum copia, deducta, eo tendunt, ut Lutheranos, illam Romanæ Ecclesiæ unitatem, universalitatem & potestatem non agnoscentes, manifestæ hæresis reos faciat, & ab Ecclesiæ communione abscindat & ejiciat. *Art. XL.* agit de *ceremoniis Ecclesiæ* non abrogandis, quia sint præparationes ad cultum Deo præstandum, ostendit deinde, ut ceremoniæ Novi Testamenti successerint Veteris Testamenti festis & solennitatibus. *Neomeniæ* speciatim surrogari putat festa B. Virginis, quia in Maria prima apparuit illuminatio Solis, id est, Christi. Festo *tubarum*, succenturiat festa Apostolorum; festo *tabernaculorum*, festa consecrationis Ecclesiæ; festo *cœtus & collectæ*, festum Angelorum vel omnium sanctorum: abutitur sane Episcopus & suo ingenio, & patientia hominum, qui festorum Pontificiorum natales norunt. In fine agnoscit, omnia illa esse juris positivi, neque tamen ullo modo abolenda, licet abusus corrigi debeant. Interim si vera est illa surrogatio, pejoris conditionis minorisque dignitatis est Christianismus quam Judaismus, hujus enim ceremoniæ, licet operosissimæ, divinitus erant institutæ; at Ecclesiam Pontifices suo arbitratu jugo illi subdiderunt, quod portari non potuisse Petrus fatetur *Act. XV. 10.* immo multiplicarunt id numero festorum aliisque modis. *Art. XLI.* non Dominicam saltem diem Sabbathi loco ab Ecclesia constitutam, sed & reliqua crebriora festa servanda esse statuit. *Artic. XLII.* Concilia vocat omnes conventus vel communicationes ab Apostolis cum multitudine aut Presbyteris habitas, v. g. in electione Matthiæ *Act. I.* in eligendis septem Diaconis *Act. VI.* in quæstione de circumcisione *Act. XV.* in conventu Pauli cum Presbyteris Ephesinis *Act. XX.* probat etiam majorum traditionem, quod Apostoli ante separationem suam, ad prædicandum porro in orbe Evangelium, symbolum fidei composuerint. Recordor hac occasione Glossæ festivæ, *in rubr. X. de summa Trinitate*, quam fortasse in mente habuit Episcopus, retulit etiam *Balthasar Andrea* Cæsaraugustanus, qui Concilii Tridentini decreta cum annotationibus edidit: (vid. *Decret. Sess. III. lit. d.*) *Symbolum dicitur a syn, quod est simul, & bolus, quod est morsellus, quia unusquisque Apostolorum suum morsellum, id est partem, apposuit.* Postea Episcopus ex suis principiis, *c. Synodus, &c. nec licuit, dist. XVII.* convocationem Concilii & jus in eo præsidendi soli Romano Pontifici tribuit, quem judicem esse dicit totius Ecclesiæ. Dissuadet tamen Conciliorum congregationem, ne scilicet Episcopi ab Ecclesiis suis avocentur, (quasi non plerique ab iis abessent) immo nec convocanda esse putat, nisi in quæstionibus de fide, quæ antea non fuerint determinatæ, aut si Papa cum suo collegio non plene videret, quid in ea parte tenendum esset. Interim ab infallibilitatis Pontificiæ præconibus casus dari vix potest, quo Concilium convocari debeat, & frustra prædicat Episcopus multas Conciliorum utilitates. Germaniæ autem eo tempore necessarium esse agnoscit, sed *bonos & sanctos viros ad id vocari* vult, *non carnales & avaros, expertos, non inhabiles & indoctos, denique qui zelum habeant ad reformationem*; quæ regulæ si observatæ exacte fuissent, deficientibus ejusmodi viris, Tridentini Concilii convocatio fieri minime potuisset. Conciliorum itaque universalium caput *Art. XLIII.* facit Papam, *quia caput & vertex est, a cujus potestate & autoritate omnia membra, etiam simul collecta, in terris dependeant. Cypriani & Augustini*, item *Julii* Papæ *can. nolite errare, dist. XI.* dicta citat, quibus monarchicum hoc Ecclesiæ regimen a Christo institutum esse, probari existimat. Porro Pontificem quidem consulentibus & assentientibus Patribus, omnia tamen *autoritative & principaliter* in Concilio facere, ex antiqua Conciliorum praxi constare dicit. *Petrus enim prius locutus est Act. XV.* Denique ait: *Ut caput toto corpore residuo non solum situ, sed & autoritate superius est: sic summus Pontifex Romanus Concilii caput est, cum sit Ecclesia universalis caput, quam ipsum Concilium repræsentat.* Post ista *Art. XLIV.* audacter asseverat, Concilium tale, in quo Romanus Pontifex, tanquam caput & Pastor, unanimi consensu & autoritate cum Patribus Ecclesiæ concurrit, in his, quæ fidei sunt, errare non posse. Hoc, cum aliis, confidenter colligit ex dicto Christi: *oravi pro te, Petre*; Accedere, ait, regimen Spiritus sancti, unde nec appellare liceat a Concilio. Distinguit tamen *Art. XLV.* plenitudinem potestatis sive clavium, quam Pontifici vendicat, in *divinam* (quam in Deo Patre vocat, *omnipotentiam*, & in Christo *excellentiam*) & *ministerialem*, pro qua habet Pontificiam, talem nihilominus, quæ & universalis sit & infallibilis, notitiam habens omnis veritatis ad salutem necessariæ; ex hac participare censet reliquas pro graduum differentia, exemplo seniorum, in quos delatum aliquid sit ex spiritu Moysis *Num. XI. 17.* Deducit inde *Art. XLVI.* omnes quæstiones de fide ad Pontificem deferendas esse, id enim fecisse Apostolos *Act. XV.* scilicet quia Petrus primus est locutus; & ab Angelo e cœlis misso Cornelium jussum esse, ut ad Petrum mitteret, & ab eo disceret, quæ facienda essent. (Oblitus est *Anania*, ad quem a Christo ipso

(n) *Alii Episcopi articuli, speciatim de Ecclesia.*

(o) *De ceremoniis & festis.*

(p) *De Conciliis & potestate atque infallibilitate Pontificis.*

A. 1545.

A. 1545.

Paulus est ablegatus.) Huc etiam trahit, quod Petrus primam concionem in Pentecoste habuerit, & iter Pauli *Gal. II. 1.* Addit notissima quædam ex Patribus & Jure Canon. concludens, *quod solus* (notanda est hæc vox) *Christi in terris Vicarius, Petri successor, de fide ac religione, Scripturæ dubia etiam, circa jus divinum & naturale emergentia, interpretari & declarare habeat, cum autoritate, cui non licet oppositum asserere, tenere, vel opinari.* Item, quod Deus hoc singulari infallibilitatis munere apostolicum Petri thronum suæ divinitatis clementia firmaverit, ita ut judicium ejus in his, quæ fidei, hominumque saluti necessaria sunt, a veritate aberrare non possit. Testem advocat *Gregorium ep. 181.* *Art. XLVII.* non dubitat, Pontifici, ut Christi Vicario, aliquam etiam in toto orbe temporalem potestatem asserere, citans testem, omni scilicet exceptione majorem, *Nicolaum* Papam in *can. omnes, dist. 22.* quem alibi allegavimus; temperat hoc, ut potestatem illam habeat aliquo modo, *quantum videlicet Ecclesiæ necessitas, aut in correctione peccatorum pastoralis officii debitum, pro spirituali bono conservando, exigit & poscit. Itaque,* ait, *non habet directe plenam, sed ex consequenti, ad finem jam dictum. Augustini* verba adscribit, sed maxime *Innocentii III. cap. solitæ, X. de major. & obed.* ubi Constantinopolitano Imperatori ingerit dictum *Jerem. I. 10. Constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* (Quis enim dubitet, hoc ad Pontifices referendum esse, cum id ipsi dicant, infallibili interpretandi dono præditi?) Exemplum laudat *Zachariæ* Papæ, destituentis *Childericum* Regem Francorum, & *Pipinum* ei substituentis; id quod *Gelasius* Papa *Anastasio* Imperatori objicere non est veritus, *can. alius. caus. XVI. q. 6.* Nec obliviscitur Episcopus *Leonis IV.* qui contra Saracenos bellum imperavit, & *Innocentii IV.* qui Regi Lusitaniæ prodigali coadjutorem dedit, & ad Archiepiscopum *Arelatensem*, in famoso illo *c. per venerabilem, X. qui filii sint legitimi*, rescripsit: *Non solum in Ecclesiæ patrimonio, verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno juri præjudicare velimus, sed sicut in Deuteronomio continetur.* (allegat verba *cap. XVII. 8. & seqq.* ubi mortis pœna statuitur in non obedientes sententiis Pontificis Judaici, in causis ad eum delatis.) Quod vero hæc lex ad Pontificem Romanum pertineat, dubitare itidem nemo debet, argumentante Pontifice, quod *Deuteronomium*, sive *lex secunda, ideo sic dicatur, quia in Novo Testamento observari debeat, & locus, quem in eo elegerit Dominus, sit sedes Apostolica.* Hæc a Pontifice dici, & ab Episcopo Cæsari in Comitiis obtrudi, vix quisquam crediderit, qui id oculis suis non legat. Exemplum denique exemplorum adducit, quod Papa transtulerit Imperium Romanum ad Germanos. De hoc quoque ambigere nefas est, postquam sic pronunciavit *Innocentius III.* in *cap. Venerabilem X. de elect.* Finis hujus articuli est: *Papa potest apostatas a fide Principes privare dominio temporali, quod super fideles habent.* Hodie Lutherus, qui ista omnia falsissima, insolentissima & fere blasphema esse judicavit, propugnatores nactus est ex Clero Romano Gallos, qui fortassis rigorem ejus, libros Pontificios comburentis, aliquando imitabuntur. Sed quicquid illi fecerint, nobis hic Episcopi articulus manifestum præbet argumentum, quod *art. XLVI.* in quo infallibilitatem Pontifici attribuit, falsus sit, & omnes fallat, qui fidem ei habeant. *Artic. XLVIII.* cum priori stat caditque. Si enim verum est, Pontificem esse supremum Christi Vicarium, & Principem, tam in spiritualibus, quam, ad hæc exequenda, in temporalibus; verum etiam est, legibus & statutis ejus (Episcopus tamen tam pius est, ut addat *justis*, sed nil addit de judice, qui de justitia cognoscat, aut cognitionem illam Pontifici soli defert) obtemperandum esse. Cum vero priorem articulum destruxerint Protestantes, per se corruit alter, & querelæ Episcopi, in quas prorupit, injustæ sunt, quædam etiam falsæ, ut, cum ait: *Spretis legibus ecclesiasticis, aperta fuit omnibus malis janua, nutare cœpit in multorum cordibus fides, inundarunt hæreses, refriguit charitas, evanuit devotio, expirabit juge sacrificium, cessaverunt solennitates, evacuata sunt templa, abrogata jejunia, truncata sacramenta, neglecta confessio, extinctum purgatorium, intermissa mortuorum suffragia, diruta templa, profanata monasteria, libera facta monastica vota, divino timori effrenis quædam peccandi successit licentia.* Ex his demenda sunt, quæ invidiose & falso attribuuntur libertati Evangelicæ, nempe quod *fides nutaverit*, quæ per doctrinam Evangelicam restituta est & firmata, cum nulla fere superesset; quod *charitas refriguerit*, quam ex hypocritica & nugatoria genuinam & divinæ intentioni conformem cum suis docuit Lutherus; quod *templa diruta* sint, id quod plebis, ad desperationem adactæ, facinus fuit, Doctoribus Evangelicis minime probatum. De reliquis plerisque gratulandum est Ecclesiæ Evangelicæ, quæ postquam servitute illa humanarum legum, verbi divini beneficio, emancipata est, idololatrias & superstitiones, cultus commentitios & vincula votorum impia sustulit; contra hæreses, non sua culpa, sed, permittente, & fideles suos exercente Deo, subortas, gladio Spiritus pugnavit; licentiæ morum, non doctrinæ, sed hominum ea abutentium vitio invectæ, restitit; Sacramenta, vere talia, non truncavit, sed redintegravit & purgavit. Pro tot tantisque beneficiis æternas gratias debet agitque Deo, & miseratur eorum, qui in pistrino illo humanarum legum adhuc infeliciter laborant. Quæ *artic. XLIX. de excommunicatione* commentatur, talia sunt, quæ Evangelicis non multum displicere possunt. Ait enim, excommunicationem fieri non debere, nisi ob culpam mortalem (quæ, etiam absque sententia excommunicationis, peccatorem a charitate dividit) & post trinam denunciationem; monet etiam Ecclesiæ præpositos de moderatione. *Art. L. de imaginibus* sophismata consueta proponit, quod cultus non ad imagines, sed ad id, quod repræsentant, referatur, & cavillis elidere nititur, quæ ex Scripturis opponi solent. In eo autem crassius errat, quod scribit: imaginum cultum ab Apostolorum tempore, in Ecclesiis servandum, traditum esse ipso scilicet facto; unde, quia suo tempore statuas & imagines coli videret, argumentandum esse putat, semper id factum esse; quod profecto fatuum & absurdum argumentationis genus est. Paulo sincerior est *artic. LI. de indulgentiis*, fassus, per Scripturam & Biblia, ut loquitur, illas non innotuisse, sed *Gregorio* Papæ, quia ante novem secula septem stationes Romæ ordinaverit, originem earum deberi, & Spiritui sancto in Pontifice illo, qui errare in talibus non potuerit, ab Ecclesia merito obediri. Hic crambe centies recocta apponitur: *oravi pro te, Petre.* Sequitur alia non minus putida de thesauro meritorum Christi & sanctorum aliis distribuendo, autoritate scilicet Pontificis, in quo omne jus dispensationum residere dicit. Lutherum hic accusat, quod ausus sit eas impugnare, ab *Innocentio* licet *III.* & *Urbano IV.* in Conciliis probatas. *Purgatorium articulo LII.* adstruens, præter inanes argutias, & abusum dictorum *Matth. XVI. 31.* & *I. Cor. III. 15.* nihil affert, quod recenseri mereatur. Frigida quoque sunt *Artic. LIII.* quæ de ceremoniis quibusdam, & speciatim de *thurificatione* philosophatur, retinenda talia esse contendens; pejora etiam, quibus *Art. LIV.* pro consecratione salis, aquæ, palmarum & herbarum, aliarumque rerum pugnat, antiquitatem jactans ex supposititiis Pontificum epistolis. Miseranda est viri tam docti, tantoque lumine rationis præditi, cæcitas, quod scribere audeat: *Indubie credendum est, divinæ virtutis in harum rerum usu operationem non esse sine effectu, modo quis illis licite utatur, recta fide mediante; credenti enim omnia sunt possibilia.* Taceo, quam perperam hic accommodet dictum Pauli *I. Tim. IV. 4.* Prolixus est *Artic. LV. de vita monastica.* Abutitur dicto *Matth. XIX. 21.* quasi præceptum vendendi omnia sua, adolescenti diviti datum, ad omnes discipulos pertinuisset, idque illi executi essent; & huic consilio, ut loquitur, Christi, ad perfectionem tendenti, refragari sectarios, quos

A. 1545.

(q) *De potestate Pontificis temporali.*

(r) *De obligatione obediendi statutis Pontificum.*

(s) *De excommunicatione.*

(t) *De imaginum cultu.*

(u) *De indulgentiis & purgatorio.*

(x) *De thurificatione & consecrationibus.*

(y) *De vita monastica & horis canonicis.*

A. 1545.

quos vocat, in Germania, frivole asserit, & eos proterve vituperat. *Artic. LVI.* Precum Canonicarum recitationem, septenis horis faciendam, divino jure defendit, ex *Nehemia* nempe & *Esra*, & verbis *Davidis Ps. CXIX. 164. septies in die* &c. Datos autem reditus Clericis esse statuit, ut laicorum vices in divino illo officio suppleant, quasi hoc conveniat divinæ intentioni & œconomiæ, ut officium, ad quod, si divini præcepti esset, fideles omnes, laici non minus, qualis erat David, quam Clerici, obligantur, per vicarios præstari possit. Fatetur tamen, peccari in recitandis horis illis, *nisi cum actuali vel habituali intentione studiose pariter & devote dicantur*, quo quidem pacto totidem quotidianos peccatores in choris suis aut domi habebunt, quod horariarum precum recitatores, neque merita jactare præ populo, qui ubique frigidus est in precibus, poterunt, immo majoris culpæ rei erunt. *Artic. LVII.* confidenter asserit, hæreticos non solum ab Ecclesia excommunicandos, sed & a Magistratu non secus ac falsarios monetæ, aut alios maleficos, morte puniendos esse, accedente privatione bonorum & dignitatum, neque peccari dicit hac severitate ab Ecclesia, maxime cum in relapsos exerceatur. *Artic. LVIII.* admonet Pastores, aliosque ex Clero, quibus animarum cura commissa est, ut Evangelium prædicent; sed hoc majori cum zelo *Lutherus* ursit, minusque indulgens fuit, quam Episcopus, qui concedit, ut per alios hoc munus exerceant, qui ipsi id præstare nolint. *Artic. LIX.* pro septenario *Sacramentorum* numero pugnat argutiis vulgatis, inhæret etiam scholastico dogmati, quod Sacramentum sit nullum, nisi minister habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, item quod characterem indelebilem non baptismus solum, sed & Ordinatio imprimat. *Artic. LX.* defendit baptismum parvulorum, nemine ex Evangelicis repugnante. *Artic. LXI.* confirmationem, ut Sacramentum, necessariam esse contendit, sed a solis Episcopis administrandam. Luthero dissentienti, *VValdensium* & *VViclefi* hæresin imputat. *Artic. LXII.* argumenta producit pro præsentia corporis & sanguinis Christi in Sacramento altaris, minime quidem contradicente Luthero, aut qui illum sequuntur. Sed *Artic. LXIII.* transsubstantiationem in ultimo instanti prolationis verborum consecrationis fieri asserit, neque ullam affert probationem, præter dictum Ambrosii: *ubi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi.* *Artic. LXIV.* adorationem Sacramenti, etiam cum circumgestatur, exigit, eadem latria, quæ Christo præstanda esset. Lutheranos, qui id recusant, cum *Micol*, filia Saulis, comparat, Davidem ante arcam saltantem irridente, ideoque iis sterilitatem spiritualem, æternasque blasphemiæ pœnas minatur. *Artic. LXV.* præsentiam corporis Christi etiam extra usum Sacramenti defendit, quamdiu species consecrata superstit; hæc atque similia ex vulgari cavillatione verborum Pauli deducit. *I. Cor. XI 34. cætera, cum venero, disponam.* *Artic. LXVI.* bilem plus, quam in præcedentibus omnibus, effundit in Lutherum & Lutheranos, qui occupata bona Ecclesiæ & monasteria restituere nolint, cum tamen ad id, jure Canonum *caus. XVI. qu. 4.* can. *sunt qui opes*; can. *sacrilegium*, can. *omnes*, & quidem ita, condemnentur *can. quisquis* d. l. *ut damnum novies, immunitatem tripliciter componant*, sive restituant; acerrime rejicit exceptiones, quod conscientia impediri se dicant Lutherani, quo minus restituant bona illa, & quod ea ad meliores usus convertere velint; hoc enim solius esse Pontificis, excluso etiam Imperatore: Hunc igitur implorat, ut celeriter opem ferat, & ablata restitui faciat, ne ad arma cum exitio Germaniæ deveniatur; cum tamen ob hanc causam vel maxime eodem anno ad arma deventum sit. *Articulo* denique *LXVII.* allegatis pro more locis ex Jure Canonico, Imperatorem defensorem religionis & fidei atque Advocatum & Patronum Ecclesiæ esse dicit, & ideo ex officio, etiam non interpellatum, obligari, ut autoritate & potestate sua, & justitiæ armis indutus, in aciem descendat: hoc ejus officium esse ait, non vero, ut ipse aliquid de religione statuat; adscribit verba *Baldi* ad cap. *olim*, *X. de rescript.* ubi dicit: *Imperator olim schisma curabat, Concilium congregabat, illique interserat; non quod ipse Imperator hodie aliquam in fide seu religione statuendi, mutandi, alterandi, seu decidendi potestatem habeat, cum id solum ad Romanum ac summum Pontificem, & œcumenicum, universale ac plenarium, & in Spiritu sancto congregatum & coactum spectet Concilium.* Quæri hic posset, si olim, fatente *Baldo*, jus illud habuit Imperator, quis illi id auferre sine læsæ majestatis crimine potuerit? Disquiri etiam, an Papæ & Concilio conjunctim competat jus decidendi, & quid requiratur, ut in Spiritu S. legitime congregatum esse dici possit? Sed omittimus ista. Pergit Episcopus, & posterius *Baldi* assertum, suaque principia sequens, Imperatori non nisi executoris potestatem tribuit; omnes enim, si his credas Doctoribus, Reges & Principes, non nisi apparitores sunt Pontificis, quos *jussa capessere fas est.* Eundem vero, quod post *Leonis* Bullam, qua Lutherus damnatus fuit, edicto VVormatiensi huncce proscripserit, omni, quo potest, verborum ornatu collaudat, op ans, ut executioni edicti institisset, petitque, ut id adhuc faciat, &, ut tanto minus muneris sui obliviscatur, exemplum edicti Latinum & Germanicum consultationi huic suæ adjungit. Hæc est *Valentini Teutlebii, Episcopi Hildesiensis*, sententia, cum piorum nonnullorum, ut in rubrica dixit, & Doctorum Theologorum Catholicorum judicio conscripta, quæ profecto pro summa doctrinæ, non tam Ecclesiæ, quam curiæ & aulæ Romanæ haberi potest & debet, omnibus quippe regulis & axiomatibus suffulta, quibus Pontifices, quotquot rigidissimi assertores juris sui fuerunt, dominatum Orbis sibi arrogarunt; sed ob hanc ipsam importunam, Imperatori quoque & Regibus Principibusque intolerandam, Pontificiæ omnipotentiæ deprædicationem, factum esse puto, ut omissa tunc sit scripti hujus communicatio & publicatio. Totum enim mimum, quem Cæsar in Comitiis hujus anni tam solicite instruxerat, reducto velo denudasset. Interim divinæ providentiæ & benignitati acceptum ferendum est, quod neque tunc, cum ad bellum nondum paratus satis esset, neque postea, prostrata licet fœderis Smalcaldici potentia, hoc Episcopi consilium secutus sit Carolus, immo nec in constitutione illa sua *Interimistica* anno 1548. hunc veluti Catechismum Romanum pro fundamento assumserit, sed longe tectius cautiusque agens, multa, quæ hic cum horrore legimus, incrustare & edulcare voluerit. Postea vero largius beneficium gregi Evangelico, vehementer licet presso, & pene ad incitas redacto, stabilita pace *Passaviensi* & *Augustana*, divinitus exhibitum est. Produximus autem scripti hujus contenta, eo potissimum fine, quia, ut dixi, compendium est doctrinæ curiæ Pontificiæ, cujus mancipium Episcopum, cætera doctum & sapientem virum, fuisse doleo, neque dubitari debet, eandem sententiam in intimis cordis recessibus ab iis foveri, quicunque eodem nexu Romano dominatui devincti sunt, licet eam non nisi, ubi tempus & occasio fert, aperte promant & exequi tentent. Attamen etiam inter Episcopos & Prælatos in Germania & alibi esse nolim negare, quibus ista, quæ *de Pontificis potestate* ultra omnem modum jactantur, non multo minus, quam nobis sordeant, & execranda videantur, & qui multo sanius etiam de dogmatibus quibusdam sentiant.

(z) De pœna hæreticorum & concionibus.

(aa) De septem Sacramentis, baptismo parvulorum & confirmatione.

(bb) De præsentia reali, transsubstantiatione & adoratione Sacramenti.

(cc) De restitutione bonorum Ecclesiæ.

(dd) De officio Imperatoris in exequendis Decretis contra Lutheranos, & speciatim VVormatiensi.

(ee) Epicrisis de Episcopi libello.

Maimburgii encomium audivimus, quo Cæsaris calliditatem laudat, & pro singulari Principum arte generatim deprædicat, quod nempe odium, & decretum contra Protestantes bellum occultaverit, pariter & indignationes suæ partis Principum contemserit. *Pallavicinus Lib. V. cap. XV.* §. *1.* & brevius & subtilius cum auro comparat Cæsaris occulta consilia, cum scoriis vero indulgentiam, quam Protestantibus exhibere videbatur. Laudat idem, quod *Cæsar in decreto Comitiali hæreticorum*, quos vocat, *votis haud quicquam* con-

(14) Epicrisis ad dicta Maimburgii & Pallavicini de calliditate Cæsaris.

A. 1545. *concesserit, seu in illis subtrahendis a Concilii Tridentini potestate, seu indulgenda ipsorum dogmatibus perpetua pace, seu in largienda indemnitate ob erepta ecclesiæ bona, sed quod solum spoponderit colloquium ac conventum hyeme proxima Ratisbonæ iterum habendum de rebus fidei & reformandis moribus.* Hæc, nescio, an satis congruant cum verbis decreti, si bona & prisca fide intelligenda sint. Imperator enim, ut supra relatum est, omnes atque singulos Recessus priores, & ut ipse per Electorem *Palatinum*, *Granvellanum*, *Navium*, aliosque testatus erat, speciatim *Spirensem* anni proxime præteriti, quo pax & quies promissa erat, oretenus confirmavit, eundemque verba decreti, in quo omnium & singulorum mentio fit, comprehendebant. Præterea tot verbis, Cæsareæ, summæ in terris Majestatis, nomine conceptis, tantamque pietatem & devotionem præ se ferentibus, de concordia in religione ex sacra Scriptura ad salutem ecclesiæ & abolitionem abusuum stabilienda, ut audivimus, magnifice decernere, Dei etiam opem implorare (dicitur enim, ad ista omnia cum Deo progrediendum esse, sollen die sachen mit Gott angreiffen) item, quatuor collocutores & totidem auditores ex Protestantibus, quos Romæ pro hæreticis condemnari sciebat, vocare, eodemque cum Catholicis, ad idem colloquium deputandis, loco & honore habere; ista tamen omnia falso & per simulationem dicere & agere, nescio an talia sint, quæ vir honestus, nedum sacerdos & Cardinalis, laudare possit. Scoriæ utique fuerunt, fatente *Pallavicino*; sed ut scorias nemo auro ex proposito admiscet, licet repertas separet; ita Christianos, piosque Principes inprimis, qui supremi Ecclesiæ patroni esse volunt & debent, haud decet, in causa, ex qua salus tot animarum pendebat, mimum agere, & technas cum abusu nominis divini, rerumque sanctissimarum, struere, per quas subverterentur, quos blandis verbis demulcebant, quorumque causam penitus improbare non poterant. Cæsar certe publice profitebatur, reformationem necessariam esse, eam vero unice expetebant Protestantes. An vafrities ista Cæsari, an potius ministris, consiliorum architectis, tribuenda sit, disquirere, nec pauca allegare possem, quæ meliorem de Cæsaris mente, & quod revera reformationis studiosus fuerit, præsumtionem facerent; sed cum non desint, quæ in contrarium proponi queant & paulo ante *n. 12.* indicata quædam fuerint, satius est ista divino judicio committere. Interim pii candoris specimen dederunt Elector Saxo, &, qui ei assistebant, Evangelici, dum pacis, ad breve licet tempus servandæ, & conscientiæ causa, rupturam, quam instare nemo non videbat, quamdiu licebat, evitabant, & veluti scientes decipi se sinebant, quamvis suspiciones non celarent, neque tamen quenquam contrario astu circumvenirent. Haud minus laudari merentur, quod in negotiatione cum exteris bona fide versati sint. Licet enim Legati Gallici, ut inter Cæsarem & Regem convenerat, & *Sleidanus d. l. p. 470.* narrat, ad Comitia missi, Ordines ad Concilium agnoscendum hortarentur, idque ad terrorem Evangelicis incutiendum spectaret; clam tamen Evangelicos animabant, & spem amicitiæ & societatis regiæ denuo faciebant; Jam enim novas diffidentiæ causas adversus Cæsarem habebant, ut ex literis *Eberhardi Thannii*, Legati Saxonici datis d. 12. Jun. constat. Elector vero Saxo blanditias illas sprevit, & Legatis rescripsit d. 20. Jul. *d. Reg. E. fol. 59. Vol. II.* se Gallis minime fidere.

(15) *Evangelicorum candor in negotiis cum Cæsare, item cum Galliæ & Angliæ Regibus.*

De *Angliæ* Regis ad causam Evangelicam nova propensione magna denuo spes oriri videbatur. Missus fuerat ad Landgravium sub finem anni proximi *Christophorus Montius*, alibi memoratus, & Regis nomine fœdus obtulerat. Idem multa narraverat de *Henrici* Regis humanitate, qua Clivensem, quam repudiaverat, tractaret, ita ut eam sororis charissimæ loco haberet, splendide sustentaret, ex venatione in singularis benevolentiæ signum subinde aliquid ei mitteret, de valetudine ejus diligenter inquireret, & cum ægrotaret, Medicos suos ad eam ablegaret, manere jubens, donec convalesceret; addebat, separationis unicam causam fuisse, quod impossibile Regi esset, maritali cum illa congressu uti, accessisse Parlamenti de dissolutione matrimonii decretum; Excusabat etiam *Crumvvelli* supplicium odio Procerum, & quod incautius effutiisset, se tempus expectare, ut illi, qui religionis reformationi adversaretur, pugionem in pectus infigeret; hoc de Rege interpretatos esse judices. *Barnesium* quoque exitium sibi provocasse, intempestiva contra Episcopum Vintoniensem invectiva. Reprehendebat *Burcardum* & *Myconium*, quod, cum in Angliam legati essent, in disputationes de religione descendissent; majori cum successu mitti potuisse *Melanchthonem* & *Bucerum*. Hæc Landgravius cum Electore communicavit. Accesserunt *Buceri* suasiones, qui Angliæ Regem multa præstitisse dicebat, cum Antichristi dominatum abrogasset, idololatriam in cultu imaginum & reliquiarum imminuisset, Monachismum abolevisset, & doctrinam christianam a multis erroribus purgasset, ceremonias quoque rectius constituisset, easque commode explicari faceret. Agnoscebat quidem, hæc nondum sufficere ad verum & purum Christianismum, nullum tamen ex Regibus exteris (Suecum & Danum oblitus) propius ad eum accessisse dicebat; commendabat etiam *Montium*, qui jam toto biennio in Germania Theologiæ studiis incubuisset, Doctorisque gradum assumsisset, & vere Evangelicus esset. Ista tamen Electorem parum moverunt, ut ex rescriptis ad Legatos d. 25. Maji & 20. Jul. datis intelligitur, Angliæ enim Regem pro hoste Evangelicæ doctrinæ habebat, qui nihil in reformatione præstitisset, quam ut se caput ecclesiæ constitueret, ad quod a Deo non esset vocatus, interim in pios Christianos tyrannice sæviat, & flagitiose vivat, in omnibus denique rebus tantum sua quærat commoda, id quod ex legatione in Saxoniam missa satis constare affirmabat; quapropter nihil boni se ab illo sperare posse dicebat, neque tempestivum nunc esse, cum Smalcaldici fœderis tempus ad finem properet, ut de novis cum exteris pactis agatur. Tandem cum sæpe de negotio hoc interpellaretur, ad conventum & deliberationem sociorum id remisit. Idem fecit, cum a Rege Galliæ rogaretur, ut pacem inter illum & Angliæ Regem procuraret; nam etiam hoc, tum ob invidiam, tum ob sum-

A. 1545.

(ii) *De actis fœderatorum Evangelicorum in Comitiis, & speciatim de sequestratione Brunsvicensi.*

sumtuum gravitatem, ad fœderatos rejecit. Hi vero occasione Comitiorum sæpius inter se de communi causa consultationes instituerunt, parum tamen inter se concordes. Neque enim solum *Coloniensis, Palatinus & Brandenburgicus* Electores, qui Evangelicam doctrinam amplexi erant, item *Mauritius* Saxoniæ Dux & ex civitatibus *Norimbergensis, Ratisbonensis* aliæque, quarum omnium opes rem fœderatorum egregie stabilire potuissent, societatem detrectabant, sed & inter ipsos fœderatos multiplex erat dissensio, & speciatim a causa *Henrici* Brunsuicensis abhorrebant *Johannes, Marchio Brandenburgicus, Ulricus VVurtenbergicus, & Duces Pomeraniæ.* Ideo Saxo & Landgravius cum cæteris, Cæsari, sequestrationem Ducatus Guelferbytani iterum serio urgenti, obsecuturos se esse testati sunt, præsertim cum in formula sequestrationis (quam *Hortlederus Tom. I. Lib. IV. c. 49.* exhibet) promitteretur, omnia, quæ post occupationem Ducatus ordinata essent, servari debere, quo etiam religioni prospectum esse videbatur. Movebat fœderatos non solum magna invidia, quam ex possessione illa sustinebant, verum & sumtus, qui ad conservationem & custodiam requirebantur, & per quos reditus annui prorsus absorbebantur, ut ad refusionem impensarum, quas belli causa Saxo & Hessus erogaverant, nihil comparci posset. Ut enim provinciales sibi conciliarent, justique & moderati imperii specimen darent, exactiones immodicas, aliaque fisci commoda non legitima, quæ *Henricus* cum magno civium onere sectatus erat, abrogaverant. Ita ducto calculo anno 1543. & 1544. compertum fuit, ex proventu annuo Ducatus, intra terminos æquos reducto, vix triginta duorum florenorum millium summam confici, cum *Henricus* plus, quam alterum tantum, variis modis percipere soleret. Quanquam vero multo labore cum Cæsare transegissent fœderati, & Cæsar capita supra indicata d. 10. Jul. suæ manus subscriptione firmasset, & *Henrico* d. 18. Jul. misso ex aula *Laurentio ab Altensteig* Dapifero, significari fecisset, obsequiumque ei imperasset; hic tamen summa cum protervia Cæsari oblocutus est, neque mandatis severissimis, quæ in Comitiis conscripta & mox d. 6. Aug. typis publicata fuerunt, paruit. Id an conscio Cæsare fecerit, & in hac quoque causa non nisi simulate actum fuerit, varia fuerunt judicia, interim magno suo malo recalcitravit tunc *Henricus*, ut in loco narrabimus.

(rr) *Decretum conventus Evangelicorum VVormatiensi.*

Reliqua Fœderatorum acta in conventibus, tempore Comitiorum habitis, ex instrumento Recessus seu decreti, d. 7. Augusti subscripti (*Reg. H. fol. 589. n. 191.*) cognoscuntur. Inter alia statuerunt, ut in ditionibus & civitatibus publicæ admonitiones de suggestu fierent ad corrigendos mores, & veros fructus doctrinæ Evangelicæ demonstrandos; sequente enim vera pœnitentia & correctione sperandum esse, ut Deus adversariorum consilia mirabili modo frangeret. (Es solle ein ieder das volck auff denen cantzeln erinnern lassen / und für sich selbst also halten / damit man spühren möge / daß das Evangelium rechtschaffene früchte bringe / darauff und auff wahre reue und änderung sündlichen lebens / würde Gott wunderlicher weise des gegentheils fürnehmen brechen.) Conventum etiam est, ut quisque a viris idoneis causas expendi & conscribi curaret, ob quas Concilium Tridentinum recusandum esset; ad eas examinandas aliaque sociorum negotia, Decembri proximo conventus *Francofurtum* indictus est. Decreta etiam tunc est legatio, ad pacem inter Galliæ & Angliæ Regem procurandam, de quo consilio supra dictum est, quem vero effectum habuerit, postea narrabitur; querelæ etiam propositæ sunt ab *Ulmensibus, Memmingensibus & Halensibus Suevis*, de vicinis Pontificiis, a quibus religionis causa in pagis quibusdam vexabantur. *Eslingenses* quoque denuo de Ducis Wurtenbergensis persecutione vehementer querebantur. His & aliis consilia & opem petentibus per legationes & literas, ut fieri tunc potuit, prospectum est.

A. 1545.

ADDITIO II.

(a) *Canonicorum Colon. ad Hermannum legatio, & hujus responsum.*

De *Hermanno*, Electore Coloniensi, non pauca diximus *§. CVIII. & seq.* Acta tamen Comitiorum *VVormatiensium*, & quæ iis commixta in *Archivo* inveniuntur, aliqua adhuc suppeditant, quæ relatu non sunt indigna. Paulo ante Comitia, sub finem anni 1544. (diem notatum non reperio) *Canonici Colonienses*, Pontificis & Cæsaris mandatis instigati, delegatos ad *Hermannum* miserunt, qui illum denuo a reformatione dehortarentur, &, si in ea pergeret, fidem, illi juratam, renunciarent. Postremum hoc ille statim rejecit, dicens, in illorum potestate non consistere, ut seipsos juramenti vinculo liberarent, cognitione in foro competenti opus ad id esse, pessimo tamen exemplo ab illis tentari. Deinde sumta dilatione, post octiduum respondit, ipse & per Consiliarios: Se quidem videre, quod Canonici causam religionis parvi facerent, sibique vitio verterent, quod Lutheranismi, Papæ & Cæsari tantopere invisi, suspectum se faceret; se vero non inconsiderate, aut ex animi levitate eo progressum esse, verum ante annos decem, quindecim & plures, in multis Comitiis cum amicis consultasse, quomodo abusus Ecclesiæ, & inprimis intolerabiles corruptelæ curiæ Romanæ corrigi possint. Sperasse quidem, fore, ut Pontifex & Cæsar tot hominibus, eandem ob causam afflictis & sollicitis, in Concilio aut conventu comitiali de remedio prospiceret, sed Romanis consiliis hucusque impeditum id esse. Cum igitur senex sit decrepitus, cui de animæ salute & conscientiæ tranquillitate serio cogitandum esset, seipsum sacras literas, piosque libros diligenter legisse, adhibitisque doctorum virorum consiliis, ex clarissimis divinæ Scripturæ testimoniis convictum esse, quod doctrina, quam in omnibus Comitiis Papa & alii vehementer impugnassent, pura, pia, Apostolica & divina sit veritas: ab illa vero & verbo Dei se recedere non posse, sed, licet cum vitæ, dignitatis & facultatum periculo, constanter in proposito mansurum esse, in hac enim causa suam & omnium vere piorum salutem æternam verti. (wir befinden / daß an dieser Sache uns und allen wahren Gottes-menschen unserer Seelen Heil / ewige Wohlfarth und Seeligkeit will gelegen seyn.) In cæteris omnibus externis & civilibus, quæ non sint manifesto contra Deum, Cæsari se fore obsequentissimum, & ut Principem Christianum decet, erga omnes gesturum se esse. Confidit etiam, se hoc testimonium ab omnibus reportaturum, quod in munere suo per tot annos ita vixerit, ut nemo de se querendi justam causam habeat. Nullo quoque sumtu Archiepiscopatum a se in hoc negotio reformationis oneratum esse, duodecim enim vel quindecim concionatores in provincia suo ære, & maxime ex patrimoniali reditu, sustentari, nec ullum illorum ex proventibus Archiepiscopalibus, quanquam id

A. 1545.

id merito fieri potuisset, stipendium accipere: Si vero a Canonicis, quemadmodum huc usque factum esse expertus sit, propter causam hanc justissimam, piam & honestissimam, in extrema hac ætate sua vi aut dolo infestetur, idque agatur, ut a dignitate & munere suo excidat, illum eventum se Deo supremo & justo judici committere, neque grave sibi futurum esse, si, ut natus esset, ita & moreretur; *Comes* nempe *VVidanus*, qui apud agnatos receptum & alimenta sit habiturus. Testaturum autem esse scriptis publicis, tum suis, tum doctorum virorum, quorum consilio usus sit, se puram doctrinam, prout obligatus fuerit, agnovisse, & defendisse, magnoque studio desiderasse, ut provinciæ suæ a multiplici idololatria purgatæ, ad veram cognitionem Christi pervenirent. Sic rejecta Canonicorum oppositione, spretisque continuis, quibus eum Pontifex & Archiepiscopi Germani, Doctores etiam Lovanienses vexabant, dehortationibus, in proposito perseveravit. Convenerat illum, Cæsaris nomine, d. 1. Mart. *Navius* & ad Comitia *VVormatiensia* invitaverat, significans etiam illum a Cæsare in articulis pacis cum Rege Galliæ comprehensum esse: innovationes autem omnes in religione vehementer improbabat, & ut tollerentur, insistebat. Sed *Hermannus* a comparitione in Comitiis ob ætatem & corporis debilitatem sese excusavit, & pro beneficio, quod in pactis cum Gallo sui meminisset Cæsar, gratias egit, negavit autem novationes in religione a se factas esse, quanquam suis permiserit, ut communione sub utraque & in administratione Baptismi atque benedictione matrimonii, lingua Germanica uterentur; conjugia etiam monachis indulsisse fassus est, quod licitum sibi fuisse ex dictis Christi & Pauli comprobabat. Quod ordinationem suam Ecclesiasticam publicasset, ideo factum, quia Canonici *antididagma* suum prius divulgassent; exempla vero in Belgium se sciente aut jubente missa non esse. Sic dimisso *Navio*, Legatos suos ad Comitia misit, & ad defendendam reformationem suam mandatis instruxit. Ideo, cum mense Majo, instante Clero, Cæsar cum Legatis de reformatione illa expostulasset, responderunt ii, ut jussi erant, Herum suum ex officio reformasse, neque tamen quicquam Clero detraxisse, sed ministerium Evangelicum suo sumtu constituisse. Iidem Legati apud Saxonicos aliorumque Evangelicorum Legatos professi sunt, Hermannum communem causam cum Evangelicis habiturum esse, quamvis cum illis in actionibus publicis apud Cæsarem per Legatos suos non concurreret. Tractatum inde cum iis est, ut *Hermannus* fœderi Smalcaldico accederet, & tributum menstruum 1400. florenorum conferret: Licet vero multas ob rationes in societatem coire nollet, Evangelici tamen post diligentem causæ considerationem decreverunt, ut illi tanquam socio assisterent, eumque, quamdiu spes esset pacis, in his Comitiis ad exemplum ejus, quæ Spiræ anno 1544. pacta erat, obtinendæ, nominatim in pacificatione comprehenderent; id enim desiderabant Legati illius, d. 21. Jul. dicentes: priores Recessus & declarationes *Hermanno* minime prodesse, quia ita explicabantur, ac si saltem ad eos pertinerent, qui pacificationis aut induciarum tempore Augustanam confessionem publice recepissent. Interim Cæsar, durantibus etiam Comitiis, *Hermannum* duriter tractavit, Canonicorum appellationem recepit, illisque mandavit, ut adversus subditos Evangelicos vi agerent. Sic defecit ab Hermanno *D. Bernardus Georgii*, officialis ejus, & scribere illi d. 3. Jun. non est veritus, se, secundum mandatum Cæsaris, omnes, qui a doctrina Ecclesiæ & a decretis Constantiensis & Basileensis Concilii recessissent, ut hæreticos, lite persecuturum esse. Hinc fuga sibi consulere coactus est *D. Siegfridus Louenbergius*, Consiliarius Hermanni, ut & Landgravii, alibi memoratus, nec tuti erant Canonici, qui Hermanno, ut instrumento publico testatum fecerant, assentiebant, ejusque appellationi ad Concilium adhæserant; Comites nempe, *Henricus Stolbergensis, Jacobus Rhingravius, Fridericus VVidanus, Christophorus Oldenburgicus, Philippus Daunius Falckensteinensis*, itemque *Richardus Palatinus*. Ex adverso *Gropperus*, de quo alibi dictum est, ut se ab omni Lutheranismi suspicione purgaret, *VVormatiam* venit, & *Hermannum* apud Cæsarem suo & Academiæ Coloniensis nomine vehementer accusavit, edito libello, quem *Bucerus* refutavit, ut alibi referemus. Hæc fere in tempus Comitiorum incidunt; iis vero finitis, majores indies etiam hoc anno molestiæ *Hermanno* incubuerunt. Cæsar enim ipse *VVormatia* digressus (*Reg. H. fol. 589. n. 191.*) in itinere d. 15. Aug. eum convenit, eique exprobravit, quod immemor eorum, quæ Spiræ anno 1544. promisisset, in reformatione sua progressus esset, unde Papa continuas de illo querelas ad se deferret, ipsi vero *Hermanno* summum periculum & jactura omnium privilegiorum instaret. Regessit *Hermannus*, se secundum decreta Comitiorum *Ratisbonensium anno 1541.* reformasse, neque fecisse, quod verbo Dei repugnaret, & ex hoc cognitionem & judicium admissurum esse. Negabat, se *Spiræ* promisisse, quo conscientiam contra verbum Dei constrinxisset; dilationem deinde ad respondendum petiit, quam quidem indulsit Cæsar, objecit tamen, quæ *Lincii* & *Campenæ* per tumultum in destruendis imaginibus gesta erant, inscio licet *Hermanno*, monuit etiam eum de juramento, quo Pontifici obstrictus esset, addiditque, Archiepiscopalem dignitatem a Pontifice dependere, & huic annexam esse Electoralem, quæ cum illa staret & caderet. Hoc dictum Cæsaris notari merebatur, magnum hierarchiæ Pontificiæ argumentum, quo omnium Imperiorum & regnorum status viresque periclitantur, ubi Episcopi, magnis dignitatibus & opibus prædití, Pontificibus obnoxii sunt. Post quatriduum d. 19. August. Cæsari *Hermannus* scripto respondit, in quo profitetur, se illi in omnibus obsecuturum esse, quæ non sint contra summam Dei majestatem; negat ullius innovationis reum se esse; falsitatis & mendacii arguit accusationem Canonicorum, quæ nullum habeat neque in sacris Scripturis, neque in veræ & Catholicæ Ecclesiæ traditione fundamentum: quæ vero a se gesta sint, conformia esse religioni Christianæ, veræ & antiquæ, ab ipso Christo traditæ, ab Apostolis propagatæ, & in primitiva Ecclesia receptæ; ad illa se ratione muneris sui obligatum fuisse, omniaque legitime probaturum & assertturum esse. Addit, conciones, suo jussu habitas, fructu non caruisse, magnumque hominum numerum ex illis profecisse, ut jam sine læsione conscientiæ concionatoribus illis destitui non possint. Sed Cæsar *Hermannum*, ut ex literis ejus mense Septembri datis constat, *Bruxellas* citavit, exemplo singulari, de quo alibi dictum est, & quod accurate examinavit *Pontanus* in literis d. 19. Sept. ad Electorem Sax. datis, in quibus ob magnum illud præjudicium *Hermannum* quidem deseri non posse agnoscit, monet tamen, ne Elector solus odium in se suscipiat, (**soll der Katzen die Schelle allein nicht anhengen**) sed ut rem Fœderatis proponat. Hæc occasio fuit indicendi conventum *Smalcaldicum* mense Octobri, in quo tamen nihil actum, sed ad aliam congregationem *Francofurti* habendam dilatum fuit negotium. Interea respondit Saxo *Hermanno*, eumque solatus est, & hortatus, ut appellationi, quam coram Notario & testibus d. 10. Jul. in arce sua *Brulia* interposuerat, insisteret. *Pontani* quoque literas cum Landgravio communicavit Elector Saxoniæ & ille *Hermanno* transmisit, qui de auxilio & ope Saxonis parum hucusque speraverat, cum audisset formulam reformationis suæ Luthero non probari. Verum hic, ut alibi notavimus, moderatione usus est, nec *Hermanno* imputavit, aut causæ communi nocere volebat ea, quæ in *Bucero* reprehendebat. Reliqui fœderati periculum *Hermanni* vehementer ad animum revocabant, quod inprimis ex *Argentoratensium* & *Ulmensium* literis cognoscitur. Hi enim *d. 19. Sept.* scribunt, jam satis patere, quale præsidium sit Evangelicis in pace, induciis & decretis comitialibus, & ut optimus Cæsar (**der fromme Keyser**) regnum illud Pontificium timeat feratque: Statuunt autem, *Hermannum*, pium senem & Principem Ecclesiasticum, cui magis, quam politico, cura religionis incubuerit, nihil egisse, quod non ad honorem Dei & salutem hominum pertineret, nullumque omnino respectum ad commoda temporalia habuisse, deserendum itaque ab Evangelicis non esse.

(b) Navii cum Hermanno acta, & responsum ei datum.

(c) Legatorum Hermanni acta in Comitiis.

(d) Cæsar Hermannum & subditos Canonicosque ejus Evangelicos duriter tractat.

(e) Colloquium & scripta inter Cæsarem & Hermannum.

(f) Evangelicorum, & speciatim Electoris Sax. consilia & acta in causa Hermanni.

A. 1545.

§. CXXII.

(1) *Deliberatio & monitio Evangelicorum de formula reformationis Wittenbergensi.*

Referam nunc, quæ de reformatione a *Wittenbergensibus* conscripta, quam §. *CXIX.* integram exhibui, in Comitiis acta sunt. Elector Saxo desiderabat, & Legatos monebat, ut ea non tantum cum sociis Evangelicis, sed & cum *Granvellano* communicaretur. Sed apud socios non una difficultas observata fuit, quæ *Bucero* tribuebatur. Certe *Pontanus*, (*Reg. H. fol. 602. n. 194.*) Electori scribens, non semel, maxime vero d. 21. Jun. illi imputat, quod suæ sapientiæ nimium deferat, & prolixa sua scripta amet & probet, Landgravii etiam assensu sese efferat, & Helvetios in partes trahere velit. Ex relatione vero Legatorum d. 7. Jun. (*Reg. E. fol. 59. Vol. II.*) intelligitur, in consessu Evangelicorum decretum fuisse, ut formulæ exhibitio differretur, quanquam non nisi duo in illa desiderarent, ut ex dicta relatione, & clarius ex aliis d. 14. & 25. Jun. percipitur. *Primum* erat, quod nimium deferri putabant Episcopis, eo præsertim tempore, cum ante oculos molimina magnæ persecutionis versarentur, cujus autores & incitatores essent Papa, Episcopi atque Clerici. Si igitur his tanta potestas ab Evangelicis secundum formulam *Wittenbergensem* concederetur, facile judicari posse, quomodo illi, summi quippe persecutores, concessione ista magno cum dispendio Evangelicorum & superbe usuri sint. (Würden sie/als die höchsten Verfolger/ solches zu ihrem Vortheil wieder dieser Stände Religion auffmutzen und gebrauchen.) *Alterum*, quod monebant, fuit, quod vereri se dicebant, ne excommunicatio eorum, qui a confessione & communione abstinerent, (vid. quæ supra §. *CXIX. n. 37.* ex formula referuntur) in abusum verteretur, & pristinus ille rigor pontificius (der alte Päbstliche Zwang) reduceretur, non sine multis incommodis. Præterea in verbis quædam desiderata fuisse, scribunt legati, quæ facile mutari possint. Elector ad ista d. 9. Jul. respondit, monita illa haud magni momenti sibi videri. *Nam* (ait) *in reformationis formula pro fundamento sumitur confessio Augustana. Quisquis igitur ex Episcopis oblatis in hac formula frui vult, ab eo quoque Augustana confessio recipienda est, & secundum eam agere debet; si id faciat, neque jurisdictione neque excommunicatione abutetur. Quisquis autem Episcopus neque formulam reformationis, neque confessionem Augustanam acceperit, ille pro Episcopo Christiano non agnoscitur.* Addit tamen, *se ista judicio & decreto ceterorum Evangelicorum committere.* Sed hos in sententia, quantum ex Actis liquet, perstitisse oportet, neque enim, formulam integram aut solenniter Cæsari exhibitam esse, reperio; quæ autem cum *Granvellano* ex formula illa communicata sint, nunc exponam. Dictum jam est, ut is magna sub familiaritatis specie Legatis Saxonicis & speciatim *Burcardo* multa de Cæsaris & sua ad reformationem propensione proponere consueverit, aliquando solus, aliquando assumto *Navio*, item *Barone Hofmanno* ex aula Ferdinandi; quæ tamen omnia, ut eventus ostendit, plena erant simulationis & fuci, nec alio tendebant, quam ut Evangelicos ad comparitionem in Concilio Tridentino inducerent. Cum igitur ei aliquid de reformationis formula suboluisset, (inter tot enim Evangelicorum Legatos silentii fides non semper exactissime custodiebatur) copiam sibi ejus fieri petiit. Hoc ex *Burcardi* relatione ad Electorem d. 14. Jun. scripta prolixius recenseri meretur. Narrat autem, se d. 8. Jun. a *Granvellano* vocatum fuisse, eumque, præsente *Navio*, primum quidem de causa sequestrationis Brunsuicensis locutum esse, deinde, flexo ad negotium religionis sermone, dixisse, se antehac *Burcardum* rogasse, ut formula reformationis a Theologis Protestantibus conscripta secum communicaretur: Id se jam iterato & enixe petere, Cæsarem enim ad reformationem, quæ ad gloriam Dei tenderet, maxime inclinare, omnibusque viribus eam promovere velle, negligendam igitur ex parte Protestantium non esse hanc occasionem, neque recusandam, quam desiderabat, copiam; sæpe enim dictum ab illis fuisse, se lucem non fugere, sed in eam lubenter causam suam exponere. Quod si Cæsar deprehenderit, reformationem illam ad gloriam Dei & emendationem Ecclesiæ Christianæ proficere, fore, ut magno cum studio eam promoveret. Petiit autem, ut hæc multis ex causis secretissime tractarentur, se enim & *Navium* apud alteram partem (Pontificiam nempe) summa suspicione laborare, ideoque celandum hoc esse, tam a se apud illos, quam a *Burcardo* apud suos. Subjungit *Burcardus*, se nescire, quid intendat *Granvellanus*, & parum illi fidere, territum quoque esse, quod articuli Lovanienses (de quibus in loco dicemus) autoritate & nomine Cæsaris publicati sint, & in Belgio persecutio acerrime procedat: Cum tamen Electoris voluntatem ex Rescriptis intellexisset, quod ei non displiceret, si communicatio formulæ cum *Granvellano* fieret, neque enim occultandam esse causam religionis; ideo se in eo esse, ut compendium ex reformatione illa colligeret, idque veluti privatim *Granvellano*, itidem familiariter id poscenti, exhiberet, non impediturus, si Cæsari quoque copiam ejus facere vellet. Licet enim reliqui Evangelicorum Ordinum Legati exhibitionem totius formulæ dissuasissent, hoc tamen modo innoxie, suo judicio, agi posse, & sibi sufficere, ut Electoris intentionem assequatur. Refert porro, se post discessum a *Granvellano*, *Navium* domum comitatum esse, & hunc promisisse, sibi curæ fore, ut formula Cæsari exhiberetur, per quam in causa melius instrueretur, Cæsarem enim a Clero (vom Pfaffenvolck) quotidie obsideri, & longe aliter informari, neque tamen facile commodiorem occasionem futuram esse, ut Cæsari relatio accuratior fieri possit; addidisse, scribit, *Navium*, inter Cæsarem & Pontificem simultatem non levem versari, & ab hoc illi mala multa illata esse, (der Pabst hätte dem Käyser viel böse Stücke bewiesen) unde varii eventus expectari possent. Ex sequentibus *Burcardi* literis, maxime d. 9. Jul. datis, constat, fecisse eum, quod proposuerat, & excerpta ex reformatione (demtis tamen duobus capitibus, de Episcoporum potestate & de excommunicatione, quæ, ut supra retuli, in consessu Evangelicorum in dubium vocata erant) exhibuisse, sed exiguo, ut queritur, cum emolumento. Id quidem clarius non explicat, sed facile judicari potest, omissa illa, quæ alteri parti grata esse potuisset, de restitutione Episco-

(2) *Electoris Sax. responsio.*

(3) *Acta de formula illa cum Granvellano.*

(4) *Formula compendium Granvellano exhibitum.*

A. 1545.

A. 1545.

piscopalis potestatis oblatione, cætera, ut jam satis nota & sæpe rejecta, parum placuisse. Interim mirari & venerari debemus divinam providentiam, qua sine dubio factum est, ut ingenua & moderata Electoris Saxoniæ & Wittenbergensium consilia locum non habuerint, immo ne tractatum quidem de illis fuerit. Hæc tamen approbationem apud omnes recte judicantes invenient, si secundum illorum temporum statum expendantur, quanquam alio plane modo Ecclesiæ paulo post prospexerit Deus, omnisque spes transactionis cum Episcopis, in formula illa suggestæ, post pacem religionis in Germania anno 1555. constitutam, penitus interciderit, nec unquam resuscitari posse videatur, postquam *Tridentini Concilii* decretis omnia illa capita, quæ ab Episcopis stipulabantur Evangelici, illisque spondentibus, jurisdictionem in suis quoque provinciis & civitatibus illis restituissent, præfracte rejecta & condemnata fuerint; ita ut ab illo tempore piæ & sinceræ concordiæ obex positus sit, qui nulla hominum sapientia removeri posse videatur. Memorabile est *Lutheri* dictum, quod de hac ipsa reformatione Wittenbergensi *Pontanus* ad Electorem retulit. Cum enim *Pontanus* Lutherum mense Februario hoc anno in templo Wittenbergensi allocutus esset, & dixisset, esse, qui ulterius cedi posse existiment, quam in formula reformationis factum esset, respondit *Lutherus:* neque se, neque collegas suos ex iis, quæ Deus per Prophetas suos ab initio mundi revelasset, & postea per Filium suum unigenitum ex sinu suo protulisset, atque ab Apostolis toti orbi annunciasset, vel minimum remittere & cedere posse, quicquid alii statuant aut faciant: impossibile esse, verbo Dei & conscientiæ inhærere, & simul mundi favorem & laudem moderationis retinere. In iisdem literis scribit, *Melanchthonem* etiam improbasse *Buceri* consilia, & quod ille concordiæ spem adhuc foveat, cum tamen sciat, quam infeliciter eam *Ratisbonæ* tentaverit. Ejusdem *Buceri* consiliis tribuebatur, quod in Comitiis, ut ex relatione Legatorum Electoralium d. 29. Martii percipitur, Electores *Coloniensis* & *Palatinus* tria saltem capita reformationis postulaturi esse dicebantur, nempe, ut articulus de justificatione recte constitueretur, communio in sacra Cœna integre fieret, & conjugium Clero concederetur. De Buceri conatu ad societatem & concordiam inter Evangelicos Germanos & Helvetios ineundam infra dicam ad §. *CXXIV.*

(5) Dicta Lutheri ad Pontanum de formula illa.

(6) De Melanchthone & Bucero quadam.

Distributa sunt, jussu Electoris, in his Comitiis exempla libri Lutheri *de Conciliis* anno 1539. editi, de quo §. *LXXVI.* actum est, qui tamen nec ab Evangelicis omnibus approbabatur, neophytis præsertim, qualis tunc erat Elector *Palatinus*; sed offensam graviorem incurrit tractatus hoc anno *contra Papam* publicatus, ex quo per occasionem in actis anni præcedentis §. *CXV.* multa retulimus. Narravit tamen, ut Legati Saxonici referunt, *Daniel Stibarus*, ex nobilitate Franconica, Canonicus Würzburgensis vir doctus & moderatus, quod *Ferdinandus* Rex totum perlegisset, & ita de eo judicasset: *si verba aspera expungerentur, haud male cætera a Luthero scripta esse.* (Wenn die bösen Worte heraus wären/ hätte der Luther nicht übel geschrieben.) Addunt Legati, etiam alios ita sentire, & dicere, *Lutherum sibi ipsi acerbitate illa sua plus damni inferre, quam ab adversariis pateretur.* Non possum dissimulare, quæ ad istam Legatorum relationem & epicrisin Elector d. 26. Aug. *(Reg. E. fol. 59. Vol. II.)* respon[illegible]. Scribit nempe: *D. Martinus habet spiritu[illegible] singularem, qui sibi modum in his poni non patiatur. Dubitandum itaque non est, quin verba illa aspera, gravi ex causa adhibuerit. Excitatus est singulariter contra Papatum, ut illum prosternat; non id agit, ut eum convertat, id enim est impossibile, ideo mitibus verbis opus non est. Intentio ejus est, ut rem tam clare proponat, ut abominationes Pontificatus quilibet deprehendere & cavere possit. Arbitramur etiam, Pontificem non ista saltem verba aut similia, sed longe aliud meruisse. Ferendi itaque sunt hominum sermones.* Germanica verba hæc sunt: D. Martinus hat einen sonderlichen Geist/ der läst ihm hierinnen noch sonsten nicht maaße geben/ der hat auch zweiffels ohne dieselben bösen worte ohne sonderliche uhrsachen nicht gebraucht/ so ist er auch sonderlich wieder das Pabstthum erweckt/ daß er das zu boden stossen soll/ und ist seine meynung nicht/ das Pabstthum zu bekehren/ wie auch nicht müglich/ derohalben ihm gute worte nicht von nöthen. Seine meynung ist dahin gerichtet/ es dermassen an tag zu geben/ daß iedermann den greuel des Pabstthums gewahr werde/ und sich dafür zu hüten wisse. So halten wir es auch bey uns dafür/ der Pabst sey nicht allein solcher und dergleichen worte/ sondern viel eines andern und mehrern werth/ man muß aber geschehen lassen/ was davon hin und wieder geredet wird. Cum iterum referrent Legati, quod pictura libello præmissa vehementer improbaretur, literasque *Guilielmi Comitis Nuenarii* mitterent, qui inhiberi petebat, quæ nil nisi exasperationes & scandala producerent, in eandem fere sententiam rescripsit d. 27. Jun. singulari spiritu prædictum esse Lutherum, unde patruum, parentemque suum, *Fridericum* & *Johannem*, Electores, & seipsum illi nihil præscripsisse; aliam longe intentionem illum habere, quam quæ ab aliis penetretur, itaque se impedire non posse, si sint, qui scandalum inde sumant. Queritur in hoc rescripto, quod *Cochlæi* libellus quidam acerbissimus publice in consessu Ordinum lectus fuerit. Hunc illum fuisse credo, quem *Bucerus*, edita ad Proceres Imperii apologia, refutavit, de quo in *additionibus* agam. Attuli *Joh. Friderici* Electoris de spiritu Lutheri, quo stylum ejus impetuosum & aliquando parum castigatum defendit, judicium, quod multi sequuntur; nec pauciores forte fuerunt, aut sunt, quibus id probatum non fuit, nec nunc probatur. Non loquor de Pontificiis, quorum rigidissimas & furore plenas in Lutherum censuras novimus, sed de Doctoribus Ecclesiarum Protestantium. His si non satisfacit Electoris illa pro Luthero apologia, malintque inter defectus nævosque viri dicteria ejus liberiora referre, cum illis ego quidem rixari nolim, & ipse fortasse optaverim, ut tantam verbis curam & moderationem semper adhibuisset vir cætera incomparabilis, quantam in argumentis soliditatem, &, cum de rei summa consulendum erat,

(7) De libris Lutheri de Concilio & contra Papatum, in Comitiis distributis.

(8) Electoris Sax. de stylo Lutheri judicium.

(9) Item de picturis, libellis Lutheri præfixis.

(10) De Cochlæi libello, a Bucero refutato, & quadam alia.

A. 1545. erat, prudentiam vere theologicam demonstrare solitus erat; neque ego cuiquam autor hodie esse velim, ut in his styli præcipitiis Lutherum sequatur. Moveri tamen me fateor tanti Principis iterata & Legatis suis graviter insinuata professione, cui maximos illius ævi inter Evangelicos viros, *Pontanum* & ipsum aliquando *Melanchthonem* adstipulatos esse scio, unde tutius puto a censoria severitate abstinere, & in hoc acquiescere, quod sententiæ Lutheri, in fidei præsertim capitibus, firmis innitantur fundamentis, nec veritati eorum quicquam decedat, etsi verbis aliquando desit, quam plerique requirunt & amant, lenitas aut verecundia.

ADDITIO I.

(a) *De scriptis aliquibus Buceri, & quare ea referantur.*

Quanquam, acta & scripta *Buceri* promiscue referre, non sit mei propositi, cum tamen tempore Comitiorum *VVormatiensium* magno cum labore non solum conciliationem & concordiam, inter partes, de religione certantes, quæsiverit, haud optimam quidem gratiam a multis (Saxonicis præsertim) ut supra ad §. *CXX.* memoravi, reportans, sed &, ut invidiam elideret, & provocatus a *Groppero* & *Cochlæo*, dogmata & abusus Romanæ Ecclesiæ hoc anno publicis scriptis mascule redarguerit, & in iis pro Luthero cordate pugnaverit, ex libellis ejus, qui hodie rarissime reperiuntur; mihi vero beneficio *Serenissimi Ducis Brunsuicensis* innotuerunt, nucleum quendam exhibebo. Primum sub initium Comitiorum editum esse apparet, invehitur enim in eum *Cochlæum* literis d. 30. Maji, *Eichstadii*, ut dicemus, ad Ordines Imperii datis. Titulus est: *Martini Buceri admonitio christiana* (Christliche Erinnerung) *ad Cæsarem & Regem, Ordinesque Imperii VVormatiæ congregatos, de concordia & reformatione in causa religionis, & refutatio contrarii scripti Pontificii, anno 1545.* (*in 4to plagulis XXIV.*) In præfatione quinque capita constituit. (1) Quod Papæ & Clero ejus soli non competat jus reformandi, immo, quod minimum in reformatione præstare possint. (2) Quod Cæsar & Ordines ad concordiam & reformationem non solum possint, sed & debeant nationale Concilium habere. (3) Quod media ad illum finem in Concilio facillime & commode inveniri, & (4) obstacula removeri possint. (5) Offert defensionem ex sacris literis omnium, quæ in reformationis negotio senserit & egerit, speciatim *Coloniæ*, negatque, se ullius erroris in fide condemnatum esse. *Capite I.* reformandi sive emendandi jus Christianis omnibus incumbere statuit, ex præcepto Christi *Matth. XVIII. 15.* idque ex lege charitatis sequi, & inde Synodos provinciales olim habitas esse, itaque nec Petro soli, nec, qui se pro ejus successore gerunt, jus illud competere, quanquam prærogativam ob dignitatem sedis illis non abjudicet. Describit, qualis esse debeat Pontifex, & *Paulum III.* ob delicta juventutis aliaque vitia taxat, & contra Canones Simoniace evectum, pro Antichristo, hoste & perturbatore Ecclesiæ habendum esse, censet, pessime etiam officio suo præfuisse dicit, spoliando Ecclesiam, ut filium & nepotes ditaret, & indulgentiæ sacerdotis Heli, quam quidem in diplomate ad Cæsarem, anno præcedenti edito, improbasset, notorie reum esse. Concludit inde, illum ad emendandam Ecclesiam minime esse idoneum. Episcopos etiam eorundem criminum accusat, & ad historias Concilii Constantiensis, Basileensis & Pisani digreditur, ostendens, quomodo bona Imperatorum intentio a Pontificibus & Clero semper fuerit elusa, utque *Paulus III.* in indicendo Concilio nil nisi suæ potestatis stabilimenta quærat. Rejicit objectiones vulgares, quod Episcopi in possessione sint relinquendi, & Papa judicari a nemine possit. Vindicat reformandi jus Magistratibus, & Proceribus christianis, & piis atque idoneis ex populo, spretis epistolis & decretalibus supposititiis Pontificum, quibus principes ac populos a cura sacrorum excludunt; refutat pleraque, quæ in diplomate supra dicto *Paulus III.* pro se allegaverat, & e contrario Pontificem & Clerum supremæ Principum sive Cæsaris potestati subjicit, & huic jus indicendi Concilii attribuit, ita tamen, ut laicos non excludat. Spernit & irridet minas Pontificias, & ex historiis originem & progressum dominatus Pontificii demonstrat, negatque, axioma Imperii a Papa ad Germanos delatum esse. Reliqua capita, supra proposita, in aliis libellis fusius explicata sunt, de quibus partim dictum est, & paulo post dicetur.

(b) *Libellus, qui inscribitur; Admonitio christiana.*

A. 1545. Ad hæc *Cochlæus* literis d. 30. Maji 1545. *Eichstadii*, cum iter Tridentum faceret, ad Ordines Imperii *VVormatiæ* tunc congregatos datis respondit, nationalis Concilii convocationem summe improbans, & cum antagonistis congredi se paratissimum esse jactans. Queritur etiam, quod Lutherus *VVormatiæ* supplicio merito non fuisset affectus, & gloriatur, sibi tunc a Luthero nihil fuisse responsum. Ad id *Bucerus*, qui Cochlæi epistolam libello suo subjunxit, in margine annotat; Lutherum dixisse: *Quid responderem nihil dicenti?* Nihil enim dixerat, quod ad rem esset, & risum aliis moverat. Urget postea *Cochlæus* edicti VVormatiensis executionem, quod omnium Ordinum consensu promulgatum esse confidenter asserit. Objicit Evangelicis dissensiones de Sacramento, & denuo se sub certis judicibus ad disputandum cum *Bucero* offert, eumque in fine hoc proscindit convitio: *Quis est incestuosus maritus iste, ut incircumcisis & pollutis labiis improperare ausus sit errores Ecclesiæ, columnæ & firmamento veritatis, & provocare quoslibet Ecclesiæ sanctæ matris nostræ filios, quasi unus ipse in omnibus sit innocens.*

(c) *Cochlæi epistola adversus Bucerum.*

ADDITIO II.

(a) *Alius libellus Buceri de actis Lipsiæ 1539. & rationes, cur editus sit.*

Alterum libellum, a *Bucero* hoc anno editum, illum esse puto, qui titulum habet: Ein Christlich ungefährlich Bedencken/ wie ein leidlicher Anfang Christlicher Vergleichung in der Religion zu machen seyn möchte/ zu Leipzig anno 1539. zusammen getragen/ dabey George Witzel auch gewesen/ und in alles bewilliget hat. id est: *Christiana Consultatio in medium* (absque præjudicio) *proposita, quomodo initium concordiæ in religione christiana fieri possit: Lipsiæ anno 1539. præsente Georgio Vicelio, qui & totam approbavit, habita.* Consulenda sunt, quæ de actis anno 1539. Lipsiæ a Consiliariis & Theologis Saxonicis & Hassiacis, & quæ *Georgii Vicelii* in colloquio illo partes fuerint, ex *Archivo* Vinariensi §. *LXXI. Add. I.* retulimus, innuentes etiam, separatum inter *Bucerum* & *Vicelium* tractatum fuisse; is vero huc usque secretus habitus fuerat. Sed publicavit eum hoc anno, libello, quem refero, *Bucerus*, allatis his rationibus, (1) quod Georgius Dux Saxoniæ, cujus auspiciis colloquium istud secreto institutum fuerit, dudum decessisset. (2) Quod ista consultatio in conventu Francofurtensi (anno eodem 1539. habito) ad Magnatum quorundam notitiam pervenerit. (3) Quod contineat res, de quibus Christus dixerit, *Matth. X. 27. quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Tractatus quaterniones habet sex, & dedicatus est *Ferdinando* Regi Romanorum, cui non ingratum futurum esse sperat autor, quia regium officium sit, veritatem religionis promovere, & *Vicelium* inter ministros regios assumtus esse dicatur, cum quo Lipsiæ anno 1539. de istis, quæ nunc publicat, fuerit conventum, præsentibus duobus insignibus *Georgii* Ducis Saxoniæ consiliariis, & viro optimo & fidelissimo, ut loquitur, *Johanne Feigio*, Cancellario Hassiaco, (qui interea decesserat) cui ipse *Bucerus* mandato Landgravii adjunctus fuerit. Asseverat autem in ipsa præfatione, *Vicelium* agnovisse, quod reformatio necessaria sit, & quod doctrina de corruptione hominis, ejusque conversione per Christum, item de Sacramentis, de pœnitentia, de disciplina & ritibus, de ministerio Ecclesiæ recte constituendo, & monasteriorum emendatione, eo modo sit proponenda, qui in hac consultatione explicatur. Addit: tanto magis hoc requiri, quanto gravius periculum a Turcis nunc immineat, & Ecclesiæ corruptelæ manifestæ sint, culpa maxime Prælatorum. Negat tamen, expectari debere

(b) *Dedicatoria ad Ferdinandum Regem.*

A. 1545.

Concilium generale, nec ab eo emendationem sperari posse, Italis ipsis dictitantibus, Papam Germanis factum facere debere, (müsse den Teutschen eine Nase machen.) Si enim emendationem serio cuperet Pontifex, dudum eam procurari ab illo potuisse censet. Laudat potius consilium Cæsaris de conventu nationali instituendo, & allegat alium tractatum suum (die Erinnerung) *Admonitionem*, de qua paulo ante *Addit. I.* egimus, omnesque Papæ oppositiones rejiciendas esse monet. Subjungit votum ad Deum, ut opus suum per manus Regis celeriter promoveat, maturato enim opus esse, ut divinæ pœnæ evitentur. Distributus est tractatus in partes *duas*. In *prima* articuli proponuntur, de quibus inter *Bucerum, Vicelium*, & *Georgii* Ducis Consiliarios tractatum & conventum esse dicitur, ut de mediis concordiæ & transactionis. Parte *altera Bucerus* acerbe questus, quod prima illa pars nec integre, nec se sciente *aut* consentiente, ex typographia surrepta & divulgata, sibi vero inde calumnia structa fuerit, ac si Papatum reducere vellet, mentem suam apertius explicat, & ad quosdam articulos annotat, cur & quatenus in illos consenserit. Referemus autem articulos, ut in priori parte exhibentur, statim ex altera addemus *Buceri* explicationes. Existimo sane, ut & supra *Addit. I.* (*a*) innui, *Bucerum* tractatum hunc non tam Pontificiorum causa, aut spe mediis illis approbandi, quam propter Evangelicos publicasse, ad leniendam, quam se apud socios incurrisse sentiebat, invidiam. Articulo *primo*, qui titulum habet, *de hominis ad gratiam Dei, pietatem & salutem conversione*, docetur: Hominem, fide de gratia DEI, propter meritum Christi peccata remittentis, absque omni operum ante gratiam factorum concursu, (ohne alles zuthun seiner Wercke/ die er gethan hat vor der Gnade/) justificari. Fidem illam Dei donum esse, sed conferri mediante ministerio Ecclesiæ, per verbum Dei & Sacramenta. Ex illa bona opera sequi, & ad hæc incitandum esse populum, proposito præmio regni divini, (id est, æternæ salutis) & comminatione pœnarum. Additur, quia Deus unumquemque judicaturus sit secundum opera, ideo bona opera, quæ in fide & charitate fiunt, *ad salutem esse necessaria*, & a DEO temporale & æternum præmium operibus dari, non quidem ex merito operum, (aus der würde der Wercke) sed ex gratia & propter meritum Christi, qui opera illa ipse in credentibus producat, &, ut *Augustinus* loquitur, *sua coronet dona*. Fatentur tamen consultores, propter corruptelam naturæ, bona opera imperfecta esse, & concupiscentiam sæpe prævalere, ita ut continuo remissionem peccatorum & solatium petere & conscientiæ securitatem apud Christum vera & viva fide quærere cogamur. Repetitur denuo admonitio, merito operum per se nihil tribui debere, Deum enim ex gratia & propter meritum Christi personas credentium suscipere & paterne amare, unde & opera eorum illi placeant. In hoc articulo omissa est, ubi de justificatione per fidem agitur, particula *sola*, qua tamen omnis error de merito operum tutissime vitatur, admissa vero est phrasis, quod *bona opera necessaria sint ad salutem*. *Bucerus* nihil horum in parte sua secunda excusat, hoc tantum notat, se impugnasse ea verba, ubi dicitur, ad justificandum hominem non concurrere opera, *facta ante gratiam*, ex opposito enim concludi posse, quasi concurrant ea, quæ fiant post gratiam. Sed *Georgii* Ducis Legatos sequelam negasse, & se tandem consensisse, quo suspicionem, quam *Georgius* fovebat, removeret, ac si Evangelici docerent, *bona opera plane omittenda esse*. Verum isti cavillo millies & solide responsum antea erat. Addit inde admonitiunculam exigui momenti, ad verba, quod *conversio fiat mediante Ecclesia per verbum & Sacramenta*, intelligi enim id debere, ait, de via ordinaria, non vero extraordinaria, qua Deus uti possit, & v. g. in Abrahamo usus sit. De libero arbitrio (articulo *secundo*) sic docent: homines, etsi a Deo liberi creati, atque intellectu & voluntate præditi sint, nisi tamen in Christo per veram vivant fidem, nihil boni judicare, eligere, velle aut agere posse, sed semper facere, quod coram Deo malum & pravum sit, etsi apud homines boni speciem habeat. Viventes autem per fidem in Christo, a Spiritu sancto illuminari & impelli, ut velint & faciant bona, imperfecte tamen, item minus aut magis, pro modo donorum gratiæ, a DEO per Spiritum sanctum acceptæ. Monendos itaque semper esse homines, quod ex se nihil boni, in CHRISTO autem omnia possint, ne animum despondeant, si de servandis mandatis divinis admoneantur, & ut orent cum *Augustino: da quod jubes, & jube, quod vis*. Neminem tamen in carne viventem, sanctum & perfectum futurum esse; quia semper luctetur & fateri cogatur, se habere peccata, & eorum remissionem quotidie petere debeat. A blasphemia vero etiam deterrendos esse homines, ne dicant, se nihil boni agere posse, nec alios esse, quam Deus eos fecerit, aut quod omnia fiant necessario, ita ut culpam a se remotam in Deum retorqueant. Concludunt, *hominem semper habere liberum arbitrium, ex carne quidem ad malum, ex gratia vero ad bonum*. *Bucerus* profitetur, hunc articulum totum a se recipi. Sed planius & solidius locutus est *Lutherus*, qui homini ante gratiam, honorificum illum liberi arbitrii titulum non tribuit, neque eum meretur voluntas hominis, si, ut conciliatores hi fatentur, ad malum saltem fertur; quæ enim est libertas, si caro absque gratia non nisi ad malum tendit, nec bonum eligere potest? *Tertio* de pœnitentia & satisfactione satis sana proferunt, requirunt enim perpetuam pœnitentiam, satisfactionem vero in flagitiis manifestis talem, quæ pœnitentiam publicam ostendat, exemplo Corinthii *I. Cor. V.* & secundum dicta Pauli *II. Cor. XII.* tum etiam illam, qua parti læsæ satisfit; rejiciunt ergo satisfactiones commentitias, a sacerdotibus præscriptas, & in verbo Dei non fundatas. *Bucerus* hunc articulum repetit, protestatur tamen, se satisfactionem aliter non intelligere, quam secundum tradita Pauli *dd. ll.* & quod in confessione minime exigat enumerationem peccatorum scrupulosam. *Quarto* de Baptismo sic loquuntur, ut ritus veteres *exorcismum, sufflationem, chrisma, albas, consecrationes aquæ*, & alia, si vera fide absque ulla superstitione fiant, pro bonis & piis habeant, neque tamen alios damnent, qui illos propter abusum abrogaverint, suadent vero, ut de his ceremoniis transigatur, & una eademque forma earum constituatur, veteris Ecclesiæ moribus conformis. Monent etiam, mysterium lingua populari explicandum esse, quo ipso Latinam in formulis adhibendam concedunt. Baptismum infantum ex eo fundamento retinendum esse censent, quia Deus promiserit, se nostrum & seminis nostri Deum esse. *Bucerus* veritus, ne plus justo concessisse in veterum rituum restitutione videatur, monet (1.) omittendos esse ritus illos, nisi fiant in vera fide absque superstitione & hypocrisi. (2) Ut liberum maneat Ecclesiæ, ritibus uti vel non uti. (3) Ut transactio de iis fiat, ad ædificationem Ecclesiæ. Hæc si candide explicentur, destruunt, quæ parte prima conventa esse dicuntur. Prolixa est (*quinto*) de Sacramento cœnæ dissertatio. Asseritur inprimis, quod sub specie panis & vini vere detur & accipiatur verum corpus & verus sanguis Christi; deinde operose id agitur, ut Eucharistiæ aliqua sacrificii species tribuatur, ex antiquis precum formulis, quibus commemoratio sacrificii, per Christum semel præstiti, *immolationis* nomen adepta esse dicitur. Commendantur etiam aut excusantur ritus veteres & Missæ quotidianæ, etiam absque communicantibus, non damnatis tamen iis, qui tantum Dominicis & festis diebus, & non nisi cum communicantibus celebrare mallent, & tandem ista omnia, consideratis utriusque partis rationibus, blandis verbis ad ulteriorem deliberationem & tentandam concordiæ viam remittuntur; in hoc tamen convenire videntur, quod Missæ ex opere operato nemini prosint, & integra communio populo Christiano non sit deneganda. *Bucerus* monet primo, vocabula *sub specie*, ad transsubstantiationem non esse trahenda. Secundo indicat, se nunc veterum Patrum scripta, & speciatim *Cypriani* & *Augustini*, diligentius considerasse, & deprehendisse, nunquam in prioribus illis Ecclesiæ secu-

(c) *Conventa libelli, speciatim de conversione & justificatione.*

(d) *De libero arbitrio.*

(e) *De pœnitentia & satisfactione.*

(f) *De Baptismo.*

(g) *De S. cœna.*

A. 1545.

A. 1545.

seculis sacerdotem locutum esse, aut id agi a se credidisse, ut Christum Patri offerret, sed quod totam illam actionem eucharisticam pro sacrificio quodam habuerit: illum igitur sensum solum a se probari, rejecto penitus eo, quod Christus Patri offeratur, vel sistatur: Majestati enim divinæ & Scripturis sacris illum non convenire. De transactione quoad ritus, preces, oblationes, vestes &c. testatur, se aliam non intelligere, quam quæ populo ad venerationem Sacramenti proficiat. Missam quoque sine communicantibus non admittit. His positis, satis patet, ad concordiam nihil facere, quæ cum *Vicelio* egerat, ex parte prima paulo ante relata. *Sexto*, confirmationis ritum Sacramentum quidem non vocant, nec superstitionibus infectum esse negant, reduci tamen piis cum ceremoniis optant, inter alia, ut Anabaptistis os obstruatur. *Septimo* idem fere statuunt de ritibus ordinationis; conjugium tamen Clero, non obstantibus veteribus legibus aut votis permittendum esse existimant, cum constet, a multis seculis nullum hominum ordinem turpius & execrabilius vixisse quam Clerum post matrimonii prohibitionem. Electionem Pastorum & Episcoporum populo deferunt, ita, ut prius primores cum aliquibus ex populo delegatis de personis eligendis consultent; omnes bonas leges de officio & moribus Cleri renovari & servari cupiunt, ut & septem illos gradus seu ordines Cleri. Sed ut non nudum saltem nomen gerant, sed reipsa præstent, quod nomina exigunt; de diœcesibus in fines arctiores redigendis & de synodis & metropolitanorum officio *Buceri* opiniones satis deprehenduntur, quas supra §. *CXX. in addit.* ex ejus consultatione retulimus. Inde occasione a metropolitanis sumta ad Patriarchas & porro ad Pontificem Romanum suspenso pede procedunt, & tandem etiam hujus supremam & ultimam inspectionem veluti in subsidium admittunt, non aliter tamen, quam si vere exerceat munus Apostolicum, & S. Petri exemplo pascere oves Christi velit & possit. *Cur enim talem*, ajunt, *qui nos ad æternam vitam duceret, non ferremus, si vero aliter nobiscum ageret, vocem alieni non audiremus.* Utrumque articulum, *sextum* & *septimum*, in parte secunda denuo probat *Bucerus*, secundum literam tamen; videtur enim interpretationes metuere, idque non sine causa. *Octavo*, unctionem, si fiducia meriti Christi & vera fide eoque modo fiat, quem Jacobus Apostolus describit, non improbant, falsi tamen, olim promiscue usitatum non fuisse, neque a Dionysio mentionem ejus fieri. *Bucerus* corrigit ista, & unctionem ex imitatione haud legitima illius, qua Apostoli ægrotos sanarunt, ortam esse dicit, satius esse putans, ut ægrotis solatia afferantur, ex verbo Dei, precibus, & administratione Sacramenti Eucharistici. *Nono* de jejuniis & *decimo* de discrimine ciborum, arbitrium Ecclesiæ admittunt & concordiam suadent. *Undecimo*, monasteriorum veterem & bonum morem, abusum vero postea introductum recensent, & reformationem eorum suadent, nempe ut in scholas ad educationem juventutis convertantur, & liber ex iis egressus concedatur, sublatis votorum vinculis. *Duodecimo* invocationem Sanctorum rejiciunt, memoriam tamen eorum coli volunt, & Deum rogari, ut eorum preces pro nobis exaudiat, & nobis, ut mores nostros ad exemplum eorum formemus, gratiam largiatur. *Decimo tertio* de festis, servari ea debere putant, quæ *Hieronymi* & *Augustini* tempore in usu fuerint, sed ut eo modo celebrentur, qui pietati conducat, nec licentiæ & turpitudini ansa detur. *Decimo quarto*, commemorationem mortuorum honeste & pie fieri volunt, eo modo, qui ad scopum pietatis proficiat, de quo conveniri inter partes possit. *Decimo quinto* de potestate Episcoporum veteres leges, Justiniani inprimis, recitant, & secundum eas officium eorum geri debere existimant, sub autoritate tamen supremi Magistratus, qui providere deberet, ut Episcopi rite fungantur officio, & tutelam illis præstare viribus gladii & Reipublicæ. *Bucerus* reliquos articulos omnes probat, iterum tamen ad literam provocans, & malignæ interpretationi occurrens; ad ultimum tamen notat, se Episcopos illos, qui jus Principum habent, potestati aliorum Principum non subjicere, interim ab iis tam Ecclesiæ recte constituendæ curam, quam regiminis, quod habent, politici probe administrandi officium exigit, & ad tractatum suum supra allegatum (*Admonitionem*) provocat. Addit epilogi loco, in omnia illa *Lipsiæ* acta se ita consensisse, ut apud *Georgium* Ducem initium transactionis promovere potuissent, salva ulteriori deliberatione. Optat denique, ut Ecclesiæ, Pontificia tyrannide adhuc pressæ, eatenus reformatæ essent, quatenus in hac consultatione propositum est. Hæc sunt, quæ *Bucerus* a se, *Carlevicio*, *Fachsio* & *Vicelio* tractata esse publice est professus, nempe cum jam *Pontanus* & *Melanchthon* ex conventu illo Lipsiensi abiissent; ideo *Pontanus* nullam horum mentionem fecit. Vide quæ §. *LXXI. add. I. lit. m.* notavimus. Cæterum inter domestica Evangelicæ Ecclesiæ vulnera ejus temporis referendus fortasse est conatus ille *Buceri* & *Cancellarii Hassiaci*, dum absentibus Saxonicis, separatum illud colloquium cum *Vicelio* & Legatis *Georgii* Ducis adierunt. Collatis sane iis, quæ præsente *Pontano* & Melanchthone acta, & *d. l.* ex *Pontani* literis narrata sunt, cum his *Buceri* & *Vicelii* inventis, cordati lectores facile judicabunt, quid intersit inter candidam & masculam veritatis assertionem, & inter artificiosas controversiarum incrustationes, sive, ut *Melanchthon* loqui solebat, fucosas conciliationes. *Bucero* tamen, quantacunque industria pacem illam Ecclesiasticam & modestiæ studii laudem quæreret, male successerunt omnia, ita ut semper majus apud adversarios odium, & apud suos versipellis & mobilis animi suspicionem graviorem incurrerit. Adeo nempe verum est, quod supra, ex relatione *Pontani*, dixisse audivimus Lutherum, *impossibile esse, verbo Dei, ut conscientia exigit, nihil detrahere, & simul favorem & applausum apud mundum consequi & retinere.* (**Es sey unmüglich GOttes Wort nichts wieder Gewissen zu vergeben / und gleichwohl auch bey der Welt Glimpff zu machen und zu erhalten.**)

(h) *De confirmatione & ordinatione.*

(i) *De potestate Papæ.*

(k) *De extrema unctione.*

(l) *De jejuniis & monachatu.*

(m) *De invocatione Sanctorum, festis & mortuorum commemoratione.*

(n) *De jurisdictione Episcoporum.*

(o) *Epicrisis de hac relatione Buceri.*

ADDITIO III.

Sequitur tractatus *Buceri* Latinus *de concilio & legitime judicandis controversiis religionis, & confutatio criminum, sibi a Cochlæo objectorum, & eorum, quæ Gropperus scripsit ad Cæsarem, anno 1545. in quarto.* Repetit trium libellorum contenta, & ut in *tertio* articulos, *Lipsiæ* (anno 1539.) cum *Vicelio* disputatos, proposuerit. Probandum suscipit nullis hominibus minus loci dandum in Concilio, quam Pontifici & ejus mancipiis, quorum præcipua vitia, defectus, & errores maximos recenset, utque mala ista quotidie augeant, eos vero, qui reformationem desiderant & promovent, persequantur & interficiant. *Nullam tamen aliam contra nos causam habent*, inquit, *quam quod filios Dei ab humanis figmentis ad divinam veritatem revocamus, ad sacras nempe Scripturas, quas ipsi prorsus eripere populo Dei laborant, & suos pro illis Alcoranos obtrudunt.* Addit reliqua, quod Evangelici mortuorum hominum cultum statuasque & ossa colere nolint; quod Sacramenta integra, nec quæstus causa, desiderentur; quod castitas conjugalis impuro cœlibatui præferatur; quod Clericos requirant non inani titulí, sed qui vere sint portio Domini, & habeant pascantque populi portionem. Episcopos inde Germaniæ exhortatur, ut se a servitute Romana & iniqui juramenti vinculis in libertatem asserant, & sic legitimum in Concilio locum obtineant, quo Spiritus sancti auxilium in judicandis controversiis sperare possint. Imperatori & Ordinibus Germaniæ jus supremum circa sacra, & convocandi Synodum nationis, vindicat, nullum vero Pontifici in eos imperium concedit, non magis ac ulli alii Episcopo Italo. Pios quoque laicos in Concilium admittendos esse, contendit, præsidentibus Principibus; submittit se judicio Ordinum. *Cochlæi* dictis de sequenda fide parentum, & de Episcopatu Romani Pontificis universali, contradicit, multa de tyrannide Paparum in Episcopos questus, & pro exemplo allegans ea, quæ tunc in *Coloniensem* Archiepi-

(a) *Libellus Buceri Latinus de Concilio.*

A. 1545.

(b) *Edictum Wormatiense rejicit.*

chiepiscopum statuebantur, item casum *Guilielmi Comitis ab Hohenstein*, Episcopi Argentoratensis, quem olim Pontifex a munere suo fere dejecisset, quod sacerdotibus suis, & inter hos quibusdam curiæ Romanæ adscriptis, palam scorta domi suæ habere interdixisset. Porro ad edictum *Wormatiense*, quod Cochlæus urgebat, respondet, non esse factum ex omnium Imperii Ordinum sententia, nec prælectum, nec Recessui comitiali insertum: extortum fuisse per Legatos Pontificis, ut sanguine inundarent Germaniam, quemadmodum ipsi gloriati sint; ideo non *Recessum*, sed *Edictum* vocari, & in Comitiis *Norimbergensibus*, Legato Pontificio responsum esse ordinum nomine, ob gravissimas causas executionem ejus intermissam fuisse. Cum vero calamitates publicas adversarii imputare soleant Evangelicæ doctrinæ, ipse eas sævo illi Edicto, & recessui Augustano 1530. æque malo & irrito, tribuit, & per ea Christum Germaniæ hostem judicatum esse dicit. Lutherum contra *Cochlæum* defendit; fatetur, hominem illum esse peccatis obnoxium, & pro tali a se & suis agnosci, sed a veris judicibus habendum illum esse ministrum repurgandæ & restituendæ religionis Christi admirabilem. Non negat, illum acerbiori, nec satis verecunda oratione in Antichristianos invehi solere, sed hoc illi objici ait odio veritatis, non studio modestiæ, aut lenioris sermonis, nec quidquam satis acerbum & vehemens scribi posse, dicit, adversus religionis depravationem, cum contumelia Dei & pernicie Ecclesiæ invectam. *Deinde* (scribit) *illud, quod in dictione offendit, compensant incomparabilia illa Dei beneficia, Ecclesiis per hunc virum collata, tam praeclaris sacrarum Scripturarum enarrationibus, & dulcissima illa atque efficacissima tractatione praecipuorum Capitum nostrae religionis, v. g. de justificatione per Dominum nostrum Jesum Christum & de fructu justificationis, deque officiis reparati & justificati hominis. Quorum locorum explicatione & commendatione, sicut etiam Scripturarum, in nostram praesertim Germanicam linguam, translatione atque explicatione, ille non superioris modo, verum hujus quoque nostrae aetatis viros doctos omnes longo praecedit intervallo: idque pii omnes libenter agnoscunt, & de eo in Domino gloriantur.* Addit plura, quibus grandiloquentiam, hyperbolas & paradoxa ejus vel excusat, vel talia esse dicit, quæ absque ingenti piæ & salutaris doctrinæ fructu non legantur. Hæc se illi testimonia absque metu invidiæ aut ignominiæ debere ait, & ex monito Pauli *II. Tim. I. 8.* qui Timotheum dehortatur, ne se propter vincula sua spernat, fatetur tamen sibi apud Colonienses nocuisse, idque a *Groppero* in ultimo cum illo colloquio detectum fuisse, quod Lutherum in libro *de vera Ecclesiarum doctrina* laudasset. Recte fecisse *Lutherum* dicit, quod Concilio scripta sua examinanda non submisisset, sed soli Scripturæ judicium detulisset; si enim prius fecisset, futurum fuisse, ut causam Evangelii prodidisset. Atrociter mentiri dicit *Cochlæum*, quod Lutherus scriptis ex secessu suo homines ad seditionem concitaverit; quanquam non neget & optime factum esse judicet, quod Cæsarem & Principes admonuerit, ad tollendam Antichristi tyrannidem. Hanc prolixe describit, vehementer questus, quod Lutheranos Turcis pejores habeant adversarii, & in illis ipsis Comitiis monachus quidam Italus pro concione ad cædem Lutheranorum omnes inclamaverit; alius non mitius locutus sit contra eos, qui illos tolerent. Ostendit e contrario, quod Lutherani ab omni vi abstineant, neminem ob superstitionem Pontificiam interficiant, crement, vivum sepeliant, aut ullo afficiant cruciatu, utque ad quietem & pacem cohortentur populum, qui nunquam melius institutus sit, quod regnum Christi opus non habeat humanis præsidiis. Defendit speciatim librum suum, a *Cochlæo* culpatum, & serio se scripsisse dicit, nullam mutationem in externis dominii & bonis Ecclesiasticis desiderari, si veritati religionis prospiciatur, & aliqua facultatum pars ad ministeria Ecclesiæ vera & pia impendatur; atque hoc studium & propositum suum esse profitetur, quo Lutherum imitetur. Apostatam a *Cochlæo* se vocari non

(c) *Lutherum, Lutheranos, & seipsum contra Cochlæum defendit.*

fert impatienter, ab Antichristo tamen defecisse se profitetur. Ad incestum sibi exprobratum respondet, nullius sibi conscium esse, quanquam maritus sit, talis nempe, qualem Spiritus S. in suo ministerio requirat; provocat ad apologias suas contra *Colonienses* & *Latomum*. De controversiis satis diu disputatum esse dicit, & judices æquos ferre vult, non vero ex ecclesia Romana, quam *colluviem Antichristi* vocat. Recusat adversarios suos, & inter hos nobilem, uti vocat, *sacerdotem Bacchi nempe, Veneris & aleæ*, (*Billicum* Coloniensem Carmelitam intelligit) qui cucullum suum aliquando in ludo exponat, & deperdita veste candida, domum redeat atratus: Hunc venerandum patrem hodie inter propugnatores cleri Coloniensis numerari miratur, quem antea *Gropperus* indignum habuerit, quo cum de religione consilia communicaret. De *Groppero* (omittimus enim, quæ *Latomo* opponit) multa subjungit; profligati pudoris manifestæque falsitatis illum accusat, & ut ipse publice sese ad reddendam ministerii & doctrinæ suæ rationem coram Coloniensibus obtulerit, impetrare autem, ut audiretur, non potuerit, commemorat. Ex intimo amico, ut ipse *Gropperus* fateatur, hostem suum factum illum esse refert; idem fecisse dicit *Gerhardum a Veltwick*, Secretarium Imperatoris, ad quem *Gropperus* provocabat. Pro atroci calumnia habet, quod a *Groppero* insimuletur, ac si librum, Ratisbonæ a Cæsare collocutoribus traditum, corruperit, nullum enim verbum in eo mutatum esse, cum ederetur, nisi in quibus typographi una vel altera litera errassent, quod exemplis quibusdam demonstrat. Affirmat, *Gropperum* Ratisbonæ articulos conciliatos omnes, & inprimis tres illos, *de justificatione, usu integri Sacramenti, & connubio sacerdotum* probasse, testes nominat, qui Consilio Electorum interfuerint, quæ tamen omnia *Gropperus* jam involvat, detorqueat, aut sileat. Testatur adversus *Eccii* calumniam, quasi veram Domini præsentiam in cœna negasset, se eandem aperte asseruisse, nempe quod corpus & sanguis Domini, cum distribuitur & sumitur, vere & realiter adsit, cibus vitæ æternæ. Probasse etiam communionem ægrotorum, sed ita, ut apud illos verba institutionis recitentur, & integre conficiatur atque exhibeatur Sacramentum, cultum spectandi, circumferendi & adorandi istud extra usum, rejecisse, ut & transsubstantiationem Missasque privatas. Negat itidem, se & socios in colloquio Ratisbonensi adactos fuisse, ut faterentur, justificationem non fieri per fidem nudam, & ad opera inefficacem, quam Lutherus doceat, sed fide viva & per opera efficaci; negat, unquam se audivisse, quod illa concessione offensus fuerit Lutherus. Interim non diffitetur, nec Lutherum, nec quenquam alium ex Evangelicis docere, quod homo justificetur fide, omnium bonorum operum studio nudata, & ad illa inefficaci, (durch einen blossen und werckloosen Glauben) sed affirmare, fide nos justificationem nostri a Deo accipere, non quatenus ex illa gignitur, eique adhæret, individua comes, charitas, studiumque bonorum operum; sed quatenus in Domino nostro Jesu Christo apprehendat misericordiam DEI, propter eundem unum salutis nostræ sequestrum, peccata nobis gratuito remittentis, & vitam æternam donantis. *Simul autem diserte & clara voce prædicamus*, ait, *fidem, cui non sit conjuncta charitas, cui non insit studium bonorum operum, non esse fidem Evangelii solidam, & vivam, quæ nos filios Dei facit.* Provocat ad *Gropperi* literas d. 8. Aug. 1542. ad se datas, in quibus partem scripti sui de peccato originali laudasset, & reliqua cum desiderio expectasset, utque *Hagenoæ*, interprete *Petro Medmanno*, viro doctissimo & optimo (de quo §. *CVII. n. 3.* dictum est) in notitiam ipsius venisset, & ab ipso atque Gerardo illo Secretario postea ad colloquium invitatus esset, socio *Capitone*. Item ut in hoc *Gropperus* agnovisset, justificationem nostri & salutem nullo nostro, sed unius Servatoris nostri Jesu Christi merito constare, solaque fide Evangelii, fide Christi, eam a nobis percipi, & quod sic tantum de formulis loquendi solicitus fuisset, magnumque studium reformationis ostendisset. Negat, se dixisse, quod Evangelici correctione opus haberent in puritate doctrinæ,

A. 1545.

(d) *Item contra Billicum.*

(e) *Et Gropperum.*

(f) *De justificatione quadam, ex actis colloquii Ratisbon.*

(g) *Alia de Groppero.*

A. 1545.

ctrinæ, & legitima Sacramentorum administratione, fassum tamen, ait, multum desiderari in vita, moribus & disciplina ecclesiastica. Conciliationis spem fecisse, obtenta prius recta dogmatum explicatione, ritumque repurgatione, neque enim de opibus, ditionibus & externis ceremoniis multum laboraturos esse Evangelicos. Tam æquum vero animum a *Groppero* tunc ostensum fuisse, ut *Bucerus* non solum consuetudine & sermone ejus valde delectatus fuerit, sed & maximam spem de consiliis ejus ad juvandam reformationem conceperit, prædicentibus quidem aliis, futurum esse, ut falleretur, cum opum & honorum cupidissimus esset *Gropperus*, & hoc veluti gibbo, impeditus, per angustum Evangelicæ acus foramen ingredi ad regnum cœlorum non posset. Relatum etiam fuisse narrat, id eum agere, ut sacerdotiorum, quorum plurima occupaverat, onus sacrilegum a se rejiceret, sed ab isto instituto prorsus defecisse, cum videret, reformationem Romano Pontifici exosissimam esse, ideoque hujus servituti se totum consecrasse, licet, ejus duritiem retundendam, sæpe judicasset, idemque *Hermanno* consuluisset, & *Bucerum* non *amicissimum solum & dulcissimum virum*, sed & *doctissimum Theologum & præceptorem colendum* nominasset, etiam, cum ministerium *Bonnæ* jam instituisset. Graviter deinde multitudinem beneficiorum ecclesiasticorum, quæ possidebat, illi exprobrat, ipsa illa formula, quam *Gropperus* anno 1536. Coloniæ conscripserat, damnatam, ut & illa, quam Cardinales *Paulo III.* proposuerant, pessimam licet gratiam referentes. Sequuntur non pauca contra Concilium Tridentinum, quod tale minime esse ostendit, quale esse debeat, & a Germanis postulatum sit. Scripta hæc sunt *mense Aug. 1545. Argentorati*, & adjectæ in fine epistolæ duæ *Cochlæi*, de quarum priori d. 30. Maji data *addit. l. c.* egimus. Altera brevis est, qua temeritatem suam apud Proceres excusat, ea maxime ratione, ne *Bucerus* gloriari ausit, si nemo ex Catholicis illi responderet. Vituperat *Bucerus* hanc *Cochlæi* jactantiam, ut & avaritiam, quod, aliquot Canonicatuum, (ut loquitur) sacrilegiis onustus, lautissimis emolumentis abutatur, nec ullum veri Theologi & sacerdotis munus præstet, corruptelas defendat & promoveat, consortium etiam habeat cum sui similibus, Simoniacis turpisque vitæ hominibus. Repetita denique toties adversus Evangelicos schismatis objectione Deo & hominibus illudi ab eo dicit; *Ipsi enim*, ait, *se tot modis a corpore Christi avulserunt, ab omni doctrina & instituto Domini recesserunt: nos tamen, qui cum omnibus veris Christi membris consentimus, & qui, ejus beneficio, doctrinæ & institutis ipsius inhæremus, schismaticos faciunt, & se Catholicos. Schisma enim illis est, ab Antichristo ipsorum ad Christum Dominum desciscere, & abominationes Antichristi commutare dogmatis & institutis Christi, quo pacto nos schismatis etiam nomine gloriamur. Nec enim locum habere in membris Christi possemus, si in corpore hæreremus Antichristi.*

(h) *De epistolis Cochlæi quadam.*

§. CXXIII.

(1) *Pontificis de Concilio & Comitiis Wormatiensibus sollicitudo.*

Concilium *Tridentinum*, cujus hoc anno, & durantibus Comitiis Wormatiensibus præparamenta potius, quam initia circa res ipsas facta sunt, utrique parti multas sollicitudines peperit. Pontifex quidem ad inchoandum Concilium Legatos *Tridentum* destinaverat. (de quibus *Sect. 32.* Maimburgium audiemus) Internuncium etiam miserat, qui ea, quæ Pontificis intererat, speciali cura tractaret, *Joh. Thomam Sanfelicium* Episcopum Cavensem, & sic serio omnia agere videbatur. Metuens autem, ne quid contra Concilium, suamque inprimis autoritatem, in Comitiis Wormatiensibus *nequiter* (ut *Pallavicinus Lib. V. cap. VIII.* §. 7. parum modeste loquitur) *tentaretur*, nepotem *Farnesium* Cardinalem ad Cæsarem misit, licet jam apud Ferdinandum Regem Nuncium haberet callidum hominem, Aleandri olim comitem & discipulum, *Fabium Mignanellum*, postea Episcopum Grossetanum. *Farnesius*, cum d. 20. April. in itinere Tridentum venisset, & tantum decem Episcopos, qui comparuerant, invenisset, inchoationem Concilii suspendendam esse censuit, simul Cæsaris, ad quem proficiscebatur, benevolentiam captans, ut non nisi cum ejus consensu solenne Concilii initium fieret. Probavit consilium Pontifex, quanquam dissensum & offensam ejus vehementer metuerent Legati, & his arbitrium inchoandi Concilium detulit, vid. *Pallav. cap. XI. n. 5. 7.* & *XII. 5.* Sed *Farnesius* Cæsarem, præter spem, ad inchoandum Concilium parum inclinare, deprehendit; *Granvellanus* enim, privato tamen veluti nomine, *Farnesio* proposuit, Protestantes ad arma conclamaturos, ipsamque Italiam invasuros esse, si Concilium inchoari intellexissent, a Catholicis vero Germanis, quibus nervi & animi defecissent, nihil sperari posse; Pontificem itaque providere debere, quibus viribus adversus Protestantes instructus esset. Sed suspicio Pontificis de Cæsare evanuit, postquam *Farnesius* animum ejus penitius introspexit, eumque moram illam nectere deprehendit, ut Protestantes, qui Concilii celeri progressu incitati fuissent, deciperet & adversus eos arma interea pararet. Præterea cunctatio illa Cæsarea eo sine dubio tendebat, ut Pontificem ad conferendos in bellum contra Protestantes sumtus stimularet, ad quos erogandos tenacior justo videbatur. Summa igitur cum lætitia ex *Farnesio* intellexit Pontifex, velle revera Cæsarem in hæreticos ensem educere, & sic moram in inchoando Concilio, spretis hominum judiciis, patienter tulit. Missus postea mense Julio a Cæsare Romam *Andalotus*, non solum de proposito illo confidere jussit Pontificem, sed & permissionem petiit, ut Cæsari, Protestantibus, in exitu Comitiorum, colloquium & alium conventum, per hyemem habendum, indulgere, fas esset, quia hoc anno bellum inchoari nondum posset. Pontifex, etsi de dilatione Concilii nihil certi promitteret, inchoationem tamen ad *Octobrem* usque mensem postea distulit, ad ea vero, quæ de colloquio & alio conventu Cæsar meditabatur, conniventiam obtulit, dummodo bona fide Romanæ Sedis ratio haberetur. Eadem legatione *Hermanno Coloniensi* exitium procuratum est, permisit enim Cæsari Pontifex, indignantibus licet, qui Tridenti erant, Præsulibus, ut in illum sua autoritate animadverteret, dum Papa eum, ut hæresis manifestum, infula spoliaret. Hæc & alia, quibus Evangelicis, blandis interim verbis in Comitiis delinitis, pernicies creabatur, *Pallavicinus cap. XIV.* detexit, multa tamen contra *Paulum Venetum* disputans. Successit alia de loco Concilii cura, Pontifex enim Legatos suos & Episcopos, quibus fidere maxime poterat, in urbe Austriacæ ditionis versari, & veluti sub jugo esse, magis magisque noxium rebus suis esse existimabat, considerans, ut *Pallavicinus* scribit, *a Deo datam esse Pontificibus, Vicariis scilicet suis, propriam ditionem, ut etiam Concilia in illa habere, & tanto liberius & fidentius agere possent*, itaque jam tum de translatione Con-

(2) *Card. Farnesii iter in Germaniam, & expeditio apud Cæsarem.*

(3) *Legatio Cæsaris ad Pontificem.*

(4) *Consultatio de Concilio, in locum Pontificiæ ditionis transferendo.*

A. 1545.

Concilii aut ejus intermiſſione conſultatum fuit, & Legatis Pontificiis poteſtas jam antea collata erat, transferendi illud, quo vellent. *Pallav. d. cap. XIV. §. 6. ad 13.* Prætermus, quæ eodem capite de Pontificis in familiam ſuam ſtudio commentatur, magna cum ingenuitatis, in taxandis illius actis, oſtentatione, quanquam revera non niſi ſubtiliſſimam adulandi artem exerceat.

(5) *Proteſtantium de Concilio ſuſpicio & metus, ex literis Pontani.*

Jam de Proteſtantium ſive Evangelicorum ſollicitudine, & ſententia de Concilio, dicendum eſt. Renovata illius indictio ſtatim illis vehementer ſuſpecta & pro claſſico belli habita fuit. *Pontanus* jam d. 3. Febr. Electori Saxoniæ (*Reg. H. fol. 603. n. 194.*) ſolicitudinem hanc ſuam aperuerat: *Si procedit Concilium*, ait, *quantum humanæ rationis acumine aſſequi licet, dubitari non poteſt, quin de mediis jam providerint Pontifex & Cæſar, aliique, qui Concilio aſſenſerunt, quibus decreta ejus exequantur, neque enim ſummam ignominiam irriti laboris & contemtæ autoritatis incurrere volent.* Cum poſtea in Comitiis *Granvellanus*, *Navius* & *Hoffmannus* Saxonicis Legatis os oblinirent, de Pontifice occulte conquerentes, quaſi is Concilium non ſerio convocasſet, reformationem ab eo veritus; idem *Pontanus* d. 8. Jun. tam ſtupidum non eſſe ſcribit Pontificem, ut jam impedire vellet Concilium, cum id tanta cum circumſpectione indixiſſet, ut ipſe & jurati ejus Cardinales, Epiſcopi & Prælati voces deciſivas in eo habeant, quibus derogare Cæſar & Reges non poſſint, & ſic Papam cum Clero ſuo ab omni reformatione immunem, futurum eſſe: (bleiben wohl unreformirt) *Totus Orbis*, ait, *novit, quod Evangelici in Concilium illud captioſum non ſint conſenſuri, & eatenus recte dixit Granvellanus, fas non eſſe, ut aliquis judex & pars ſimul ſit. Minime autem acceptandum eſt conſilium, ut Evangelici exceptiones ſuas in Concilio proponant, ſic enim primatum Pontificis, totiusque Cleri jurisdictionem agnoſcerent, & mox ſequeretur rejectio exceptionum & ulterior determinatio.* Addit tamen, *ſi Concilium penitus recuſetur, de arbitris cogitandum eſſe.*

(6) *Electoris Sax. reſcriptum in illa cauſa.*

Sed plura recenſeri merentur ex Electoris Saxoniæ reſcripto ad Legatos, d. 26. Maji dato, (*Reg. E. fol. 59.*) in quo ad exprobrationes Pontificiorum, quod Proteſtantes Concilium, tamdiu a ſe poſtulatum, nunc renuerent, reſponderi jubet: liberum, Chriſtianum & univerſale Concilium, intra Germaniam habendum, poſtulatum & promiſſum eſſe; tale vero non eſſe *Tridentinum*, non magis, ac quod *Mantuæ* & *Vicentiæ* indictum fuerat, in quo Papa cum Prælatis ſuis præſidere, & ſuffragari ac decidere velint, ut dudum contra Deum & rationem facere conſueverint, etſi ipſi de erroribus in doctrina & vitiis morum accuſentur, quo caſu ne jura quidem ſcripta ad judicandi munus illos admittant. Hoc ante annos complures Legato *Clementis VII.* Epiſcopo *Rhegienſi* reſponſum fuiſſe; idem publice deductum contra indictionem Concilii *Mantuani*. Deinde ſi quæratur, quodnam aliud verum & legitimum Concilium proponi poſſit, in quod Evangelici conſentiant, ne apud Reges exteros in ſuſpicionem veniant, ac ſi nullam plane cognitionem pati poſſent? difficilem reſponſionem eſſe agnoſcit, nam ut Evangelici merito judicium Papæ & Cleri declinent, ita eandem exceptionem eripi adverſariis non poſſe, neque in hos Evangelicis judicium arrogandum eſſe. *Melanchthonem* quidem in commentario *in Danielem* conſulere, ut ab utraque parte viri docti & pii deligerentur, qui de cauſa tractarent, ſed fore, ut hanc viam Magnates & eorum clientes deſpiciant, (würde ein ſchimpflich anſehen haben) aut eam virorum illorum mixturam procurent, ut nihilominus aſſenſum ab illis ſint impetraturi. Papæ etiam cauſa contradicturos eſſe, a quo non ſint diſceſſuri, neque acceptaturi, quæ ille & Epiſcopi ejus non probent; Papam vero & Clerum ejus nullam reformationem admittere. Si tamen ex parte Evangelicorum mitior via ineunda eſſet, offerri poſſe, ut quidam ab utraque parte deligerentur, qui de cauſa conferant, ſicut & in prioris Concilii recuſatione oblatum fuerit; id ſi adverſarii recuſent, & Papæ autoritatem, cui jus cognoſcendi in rebus fidei deferunt, opponant, tunc invidiam in illos recidere, (der unglimpff wäre auff ihrer ſeiten/) poſito ſcilicet quod Papa de jure in cauſa ſua judex eſſe non poſſit, neque Evangelici jure divino aut civili cogantur, eum pro judice agnoſcere. Fatetur tamen, ſi hanc oblationem acceperint adverſarii, periculoſam nihilominus rem futuram eſſe, cum non conſtet, quinam eligi poſſint viri boni & pii ex omnibus nationibus, ut *Wormatiæ* conſultatum inter Evangelicos erat. Ex parte Evangelicorum Germanicam nationem, comprehenſa etiam Danica, unam ſaltem eſſe, hanc ſuffragiis ab aliis vinci poſſe, & ſic non minus in ancipiti hærere cauſam, quam ſi in Concilium Pontificis conſentiatur. Licet etiam in eo perſiſtatur, & deciſio fieret ſecundum verbum Dei & veteres Canones, adverſarios tamen id ad ſuum commodum interpretaturos, & ex Canonibus & Conciliis allegaturos eſſe, quæ maxime illis placeant & conducant. Porro, ſi ex hac parte reſtringatur deciſio, ut non valeat, niſi unanimiter conſentiant delegati, non attento numero ſuffragiorum, id ſtatim ut iniquum & abſurdum rejectum iri, dicendo: poſtulare Evangelicos, quæ inter homines impoſſibilia ſint, aliter enim, quam ex majoris partis concluſo conveniri non poſſe. Præterea, etſi hoc obtineatur, ut deciſio vel conventio non niſi unanimi fiat conſenſu, fore tamen, ut ex natione Germanica non ſolum Lutherani, ſed & Pontificii deligerentur, inter Lutheranos autem admiſſum non iri *D. Lutherum*, qui tamen in ſacræ Scripturæ intellectu omnium ſit potiſſimus, (der gewaltigſte mann in der heiligen Schrifft) fortaſſe etiam *Melanchthonem* recuſaturos eſſe. Sibi vero, ſcribit Elector, conſultum non videri, ut aliis cauſam hanc committat. Hæc, cum ita ſint, bene expendendum eſſe negotium hoc monet, quo majus in terra non ſit, neque reſpiciendum eſſe ad approbationem mundi. Hunc enim ita comparatum eſſe, ut Chriſtus ipſe eum deſcripſerit: (*Matth. XI. 17.*) *Cecinimus vobis & non ſaltaſtis, lamentavimus & non planxiſtis. Qui enim Deo & verbo ejus*, ait, *contradicunt, apud illos nihil valet noſtræ partis reſpectus, neque movebuntur, ſive canamus ſive*

lamen-

A. 1545.

A. 1545. *lamentemur, sive odium, sive favorem quæramus.* (man suche glimpff oder unglimpff.) Concludit, publicandam esse formulam reformationis Wittenbergensis, in qua inter alia probe dictum sit, (vid. §. *CXIX. n. 27.*) causam esse Dei, qui verbum suum per totum mundum resonare fecerit, nec in Theologorum & concionatorum potestate esse, ut suo consensu ei detrahant vel addant. Cum postea a Legatis relati essent sermones, a Consiliariis Cæsareis & Regiis *Granvellano*, *Hoffmanno* & *Giengero*, ut supra narravimus, habiti, Elector d. 21. Jun. ex arce *Weidensi* prolixe respondit, se, adhibito *Pontani* consilio, omnia denuo expendisse, & deprehendisse, nil aliud ab illa parte agi, quam ut Evangelici inducantur, ut Concilio se subjiciant, iis licet argumentis, quibus ministri illi Cæsarei sibi ipsis contradicant. Antehac *Granvellanum* & *Hoffmannum* dixisse, si Evangelici Concilium recusarent, Papæ causam apud totum Orbem exculpaturos esse, (würden des Pabsts sache bey aller welt gut machen) illum enim Concilium minime cupere & ex hac renitentia, magna cum specie illud omissurum esse. Jam vero dici, *Farnesium* Cardinalem in colloquio cum Cæsare constanter asseverasse, nullum alium modum componendis controversiis superesse, quam Concilium, ideo ad id omnes Reges & Principes vocatos esse; unde satis manifestum sit, Pontifici Concilium, quale indixerit, cordi esse, qui jam utique sciat, sibi nullam in illo reformationem metuendam fore, cum (ut in priori rescripto dictum fuit) jus decidendi sibi suisque arroget, nec in eo a Regibus impediatur, his enim conditionibus Concilium, consensu Imperatoris & Regis Galliæ aliorumque indictum esse. Alteram contradictionem esse, quod Cæsar multam spem fecerit, se curaturum esse, ut in Concilio justa & rationabili forma procedatur, & tamen statim restrictionem adjecerit, quatenus nempe fieri, & apud alios Reges & populos obtineri possit. At hos Cæsari non permissuros, ut Papæ, quem pro Vicario Christi, & supra Cæsarem & Concilium habeant, modum præscribat; contra Reges autem illos nihil profecturum esse Cæsarem. Ideo si Evangelici in Concilium consentiant, vel Papæ jus tribuant, illud, qua fecit forma, indicendi, eosdem etiam vicariatum & primatum agnoscere debere, quod nullo modo facere queant. Verum itaque esse, quod Cæsar testatus sit, se Concilium impedire non posse, quia a Papa indictum jam esset, & alii Reges Legatos suos ad id destinaverint, frustra etiam Cæsarem laboraturum, si vel in uno articulo Papæ, ut Vicario Christi, obluctari vellet. Negat inde, consultum esse, ut, quemadmodum Cæsar suaserit, Protestantes exceptiones in Concilio proponant, cum ne citati quidem sint, nec ut membra, nec ut rei, adeoque nec commodam occasionem habeant recusationis causas proponendi, dubitari etiam non posse, quin adversarii dicturi sint, Concilium œcumenicum non posse rejici, idcirco minime expedire, ut mittantur ab Evangelicis, sive citatis sive non citatis, qui Concilium recusent, fore enim, ut id eo trahatur ac si forum Concilii agnovissent, a Cæsare autem nullum adversus processum Concilii præsidium esse. Porro ex eo, quod Pontifex Protestantes non citaverit, conjici posse, illum de controversiis religionis plane non esse cogniturum, sed id agere, ut illi, quos pro membris Concilii habeat & citaverit, confestim pro hæreticis condemnent Evangelicos, quia doceant, quæ in prioribus Pontificum Conciliis jam condemnata fuerint, & in condemnatos postmodum executionem Regibus demandaturum esse. Hoc ex literis Pontificis ad Imperatorem & Galliæ Regem satis percipi. Nullius autem efficaciæ esse, quod Cæsareani ministri dixerint, Cæsarem ab autoritate sua, nec ut Imperatorem, nec ut Regem Hispaniæ, vel latum unguem (nicht eines haares breit) discessurum esse, nullam enim ei autoritatem a Papa concedi. Ad id vero, quod dicatur, nondum gravatos esse Evangelicos a concilio, respondet: sat magnum gravamen esse, quod Papa judicis personam sumat, qui tamen doctrinam Evangelicam Bullis suis jam dudum damnaverit, & notorie pro reo sive parte habendus sit. Sicut autem persuasiones illæ satis indicent, quod Cæsar Protestantes sub jugum Pontificium reducere velit, ita idem ex minis ejus constare, quas per *Pfirdium*, nuper ad Electorem ablegatum, sparserit. Id vero, quod Legati significaverant, sibi maxime placere scribit Elector, quod Cæsar consilium illud *Buceri* & aliorum non admiserit, qui arbitris, ex utraque parte delectis, judicium de controversiis deferre voluerint, se profecto nescire indicat, si modus ille acceptatus fuisset, quos arbitros denominare potuerit, præsertim cum *Lutherum* inter eos non sint recepturi; recusasse autem arbitrium illud Cæsarem, etsi alia prætexat, non nisi Pontificis respectu, ne scilicet hujus suprema in sacris jurisdictio, quam is sibi arrogat, lædatur. Illud quoque haud minus infidum & periculosum esse, quod Cæsareani alia media a Protestantibus proponi desideraverint, neque enim alio fine id fieri, quam ut eos vel subtili ratione Pontificio jugo subjiciant, vel odiosos apud omnes faciant, quod Concilium *Tridentinum* reprehendant, neque tamen aliam viam, qua ad liberum & Christianum Concilium perveniri queat, proponere sciant. Quia vero hæc ultima fuerit Cæsaris propositio delegatis, minori numero Protestantium (dem engen ausschuß) in Comitiis facta, & aliquid respondendum sit, nihil aliud superesse existimat Elector, quam, ut modus ille de arbitris, ex utraque parte constituendis, repetatur, addita ratione, quia duæ sint partes, quæ controvertant, una nempe Papa cum Clero suo, altera Evangelici, nullo jure fieri posse, ut pars in partem cognitionem exerceat, ideoque ad arbitros eundum esse, & hos judicare debere secundum regulas Evangelii, contra quod, teste Paulo, ne Angeli quidem doctrina locum habeat, unde multo minus ad veteres consuetudines respiciendum, sed ex sola Scriptura Biblica & apostolica decisio petenda sit, id, quod multi ex Patribus Ecclesiæ monuerint. Tale igitur judicium sive Concilium desiderari ab Evangelicis, aut a Cæsare peti, ut alium ostendat modum, quo caveri possit, ne Papa cum Prælatis suis judicium sibi de causa Evangelica sumat. Ad hæc non habiturum

(*) Aliud Electoris rescriptum in eadem causa.

A. 1545.

tum Cæsarem, putet, quod aperte respondeat, neque enim ausurum, ut Evangelicos jubeat Papam pro judice agnoscere, aut si id faciat, ostensurum esse, quod ipse etiam in partes Papæ transierit, sicut & omnes alii Reges, qui idem statuerint, quanquam verum sit, Cæsarem Regesque, exceptis paucis qui ab eo recesserint, (*Anglo* nempe, *Dano* & *Sueco*) Pontifici juramento obstrictos esse, & sic necessario a partibus ejus stare. Si autem Cæsar aperte responderet, se pontificis, ut capitis ecclesiæ, potestati & præeminentiæ derogare non posse, tunc patere artes, & harum autores in calliditate sua captos esse, omnibusque manifestum fore, quicquid huc usque de libertate Concilii jactaverint, meros fucos esse, Concilium enim Tridentinum pro libero & christiano, quale postulatum fuerit, minime haberi posse. Optat autem Elector, ut hoc modo omnes illæ viæ, de delectis arbitris ex utraque parte vel ex nationibus, simul & semel rejicerentur & evanescerent, cum omnes maximum habeant periculum. *Deus*, ait, *optime & ante mundi primordia novit, qui sint sui, hos illuminabit, ducet & reget, verbumque suum illis concedet, etsi nunquam externa concordia iniri possit.* (Unser Herr Gott weiß gleichwohl / und hat es vor der welt Anfang gewust / welche die seinen sind / die wird er wohl erleuchten / leiten und führen / ihnen auch sein wort geben / wenn schon nimmermehr eine euserliche concordie gemacht wird.) His verbis pius & sapiens Princeps, optime a *Pontano*, quem laudat, instructus, cardinem rei complexus est, nec quicquam verius & solidius dici potuit, quo omnis illa de colloquiis, arbitris & conciliis difficultas evitatur. Solius Dei, per verbum & Spiritum suum corda hominum ducentis & regentis, donum est vera fides & religio, nullaque hominum, quemcunque titulum sibi arrogent, autoritate ita decidi possunt controversiæ de religione, ut conscientiæ satisfiat, nisi verbi divini veritate & Spiritus sancti efficaci operatione intus convincatur. Tentari debet concordia, quam *externam* vocat Elector, sed salva veritate; si hæc non integra servetur, nec pax & tolerantia civilis inter dissentientes obtineri possit; ferendum est, quicquid Deus fidelibus suis destinaverit. Hoc fuit Pauli consolatio *II. Cor. VI. 8.* Transit enim Ecclesia *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces, sicut qui ignoti & cogniti &c.* In fine rescripti reliquos quoque fucos Cæsareanorum, quibus Evangelicos ad conferenda in bellum Turcicum auxilia persuadere volebant, Elector abstersit, neque enim confirmationem Spirensis Recessus, nec remedium protestationis contra Concilium, quam Cæsar admittere volebat, securitatem religioni & paci afferre dixit, sed hanc diserte & constanter, etsi Concilium procedat, & decidat, quicquid velit, a Cæsare promittendam esse.

Consulti autem sunt in materia hac de Concilio, ut ab Electore *Pontanus* & *Wittenbergenses*, ita & ab aliis Principibus & civitatibus Theologi & Jureconsulti. De *Wittenbergensium* quidem responsis hic nihil afferemus, cum ea in anni sequentis historia recenseri debeant, eademque fuerint, quæ tunc publicata sunt, ita tamen, ut ex aliorum consultationibus & responsis, quæ utilissima videbantur, excerpserint & suis inseruerint. Ex iis vero, quæ in *Archivo* Vinariensi (*Reg. H. fol. 612. n. 196.*) asservantur, præcipua sunt responsa *Tubingensia* & *Norimbergensia*. Theologi *Tubingenses* convenire inter se non poterant, ideo singuli sententiam suam ad *Ulricum* Ducem perscripserunt. *D. Erhardus Snepfius* Cæsari repræsentandum esse existimabat, Protestantes neque comparere in Concilio, neque suos ad id Legatos mittere posse. Rationem allegat a vitiis Papatus sive Cleri, & inprimis Prælatorum notoriis, quod superbiæ, avaritiæ, luxuriæ & impudicitiæ, ut scribit, penitus immersi sint, ut nulla prorsus reformatio sperari ab illis possit, unde nec adhortationi, a Cardinale *Contareno* Ratisbonæ anno 1541. in Comitiis factæ, ullum præstiterint obsequium, pergere potius omnes, & maxime Episcopos amplissimarum dioecesium, in summa inertia, alea, ebrietate, & libidinum turpitudine, absque omni verecundia, eaque protervia, quæ & inter ethnicos, idololatras & Epicureos non toleraretur. (In aller faulheit / müssiggang / schlemmen und prassen / spielen und sauffen / buhlen und leichtfertigkeit / daß es doch bey keinen heydnischen / abgöttischen und gantz epicurischen völckern nimmermehr geduldet hätte mögen werden.) An ista universaliter probari potuerint, equidem meo periculo non assero; multum tamen veritatis habuisse, ex querelis Italorum, de Germaniæ Prælatis eodem tempore sparsis, ambigi non potest, nec tam inconsideratus fuisset *Snepfius*, ut talia Principi suo scriberet, quæ non manifesta & certa fuissent. Fatetur tamen, esse etiam inter illos viros pios & doctos, qui, ut est apud *Ezech. IX. 4. super abominationibus istis doleant*, licet illorum gemitus & meliora consilia irrideantur, aut vi opprimantur. Alteram excusationem sumit ab acerrima inimicitia & a sævitia, quam in Protestantes Prælati exercebant, maxime in concionatores, quos ideo illorum odiis & dolis objicere Principes non possent. Adducit deinde exempla ex historia sacra, Heliæ puta, qui judicium inter se & Prophetas Baalis non Achabo Regi, impio & sibi infenso, sed populo aut primoribus ejus, licet idololatria præoccupatis, detulit *1. Reg. XVIII.* Protestatur tamen *Snepfius*, se eventum illius judicii adversus Clerum Romanum non intendere nec optare, sed conversionem ejus desiderare, aut si hæc desperata sit, ut dominatus in Ecclesiam illis adimatur. Addit etiam historiam *Michæ II. Paral. XVIII.* item *Jeremiæ cap. XX. XXVI.* & ex ea colligit, litem veris Prophetis & Doctoribus semper cum Pseudoprophetis & sacerdotibus, atque sic cum *Ecclesia repræsentativa*, sive supremis Ecclesiæ tribunalibus, fuisse, a quibus Doctores pii fuerint condemnati, longe vero pejores eos esse putat, qui nunc jus condemnandi Evangelicos sibi asserant, quam Synagogæ Judaicæ principes & assessores fuerint. Idem confirmat ex historia Prophetæ *Amos cap. VII.* Deinde ex Novo Testamento narrat, ut Christus quoque & Apostoli ab *Ecclesia repræsentativa*, sive Synedrio Hierosolymitano, damnati fuerint, & inde argumentatur, causam Evangelicam minime cogni-

A. 1545.

(8) *Responsum de Concilio Erhardi Snepfii.*

A. 1545. cognitioni Prælatorum Ecclesiæ Romanæ committi posse aut debere, quia odium & furorem suum jam per tot annos in pios exercuerint, & a summo ad imum corruptissimis vivant moribus, Romæ maxime, cujus urbis & curiæ immania vitia in proverbium abierint. Subjungit, se tantum ex Scriptura sacra argumenta petiisse, in historia enim Ecclesiastica minus valida inveniri, quod Episcopi jamdudum nimiam sibi autoritatem in Conciliis & Synodis arrogaverint, licet meliori fuerint doctrina & disciplina, quam hodierni, qui neglectis studiis, & quæ ad muneris sui administrationem pertinent, nil nisi fastum retinuerint & auxerint. Ex hoc solo itaque capite, quod judices esse non possint homines impii, indocti, & causæ Evangelicæ hostes aperti, Concilium prorsus & absque ulla conditione rejiciendum esse arbitratur, neque enim quicquam boni ab illo sperandum esse, etsi Cæsar multas cautelas & securitatis vias proponat, aut ipse illud convocet; quamdiu enim in illo Papa cum Cardinalibus & Prælatis judicum personam sumant, veritatem nunquam locum esse habituram. Alter Theologus, cujus nomen non exprimitur, Concilium plane recusandum esse negat, sed ante omnia id agendum, ut Pontifex, quemadmodum *Constantiæ* factum fuerat, deponatur, & libertas Concilio asseratur, deinde Legatos ad id a Protestantibus mitti posse non dubitat. Jureconsulti, inter quos eminebat *Joh. Sichardus*, magna cum diligentia quæstionem de comparitione in Concilio tractarunt, ex eorum etiam responso haud pauca in publicatum anno sequenti libellum recusationis relata fuerunt. Datum est illud d. 28. Novembr. hoc anno ad *Ulricum* Ducem. Negant, Concilium Tridenti indictum tale esse, quale Cæsar anno 1524. in Comitiis Norimbergensibus promiserit & præstare obligatus sit. Prolixe commentantur de loco Concilii, &, *Tridentum* urbem in Germania sitam esse, minime concedunt, ostendunt etiam locum illum esse minus tutum, & rationes *Abbatis Panormitani* contra Concilium, *Basilea Ferrariam* ab *Eugenio* Papa translatum, Tridentino huic applicant. Liberum etiam negant Concilium esse, quia omnes Prælati, immo & ipse Imperator, Pontifici juramento sint obstricti. Præterea in dubium vocant jus Pontificis in convocando Concilio universali, quia etiam Laici ad id citari debeant, in quos nulla sit Pontifici jurisdictio, unde etiam exemplis veterum Conciliorum, quæ œcumenica vocantur, constet, ea ab Imperatoribus convocata fuisse. Quod vero Laici ad Concilia sint vocandi & admittendi, ex ipso jure Pontificio deducunt. *Nicolaus* enim Papa *Michaeli* Imperatori Constantinopolitano circa annum Chr. 860. scribens in *c. ubinam dist. 96.* ultro id fatetur his verbis: *Ubinam legistis, Imperatores, antecessores vestros, synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos?* Disputant inde contra veterem Canonistam *Joh. Andreæ*, qui Laicos quidem admittendos esse in Concilio concedit, sed ad audiendum, non ad consultandum. Statuunt autem cum *Abbate Panormitano* & *Antonio de Rosellis* etiam ad tractandas communes cum Episcopis materias adhibendos esse, idque exemplo *Alexandri II.* Papæ, in can. *ad sedem caus. XXXV. qu. V.* qui ad definiendam quæstionem de gradibus consanguinitatis, in Synodum Lateranensem non Episcopos solum, sed & judices provinciarum, vocaverat; & *Innocentii IV.* qui in *cap. ad Apostolicæ de sentent. & re judic. in VI.* Reges, Prælatos & Principes, tam ecclesiasticos quam seculares, convocare se paratum esse, professus est; Item, quod Laicis vox decisiva in Conciliis competat, probatum eunt ex *gl. in can. Hadrianus dist. LXIII.* ubi dicitur, *Laicos causis fidei interesse posse, etiam non vocatos.* Citatur alia *glossa in d. can. ubinam.* quæ vulgatum illud fundamentum allegat: *quod omnes tangit, ab omnibus tractari debet.* Quærit etiam eadem glossa, an Laici subscribant decretis? & respondet, quod sic, *arg. can. Episcopus de loco. caus. VII. qu. I.* Addunt rationem generalem ex *can. Ecclesia. de consecrat. dist. I.* quod Ecclesia sit collectio Catholicorum, id est, tam Clericorum quam Laicorum, & quod docti præcipuum locum habeant in Ecclesia, *cap. cum ex injuncto X. de haeretic.* & *cap. de multa. X. de præbend.* Laici autem etiam docti sunt. Fatentur tamen, cum post distractum Romanum Imperium, universale Concilium indici non potuerit ab Imperatore, dum Reges illi non obedirent, & ideo præsumi possit, jus indicendi, consentientibus & cedentibus Imperatoribus, ad Pontifices pervenisse, qui & in ejus possessione hodie sint, non satis tutam esse hanc exceptionem, quod Papæ non competat jus convocandi Concilium. Progrediuntur ad rationem, quam ab inimicitia aperta a Pontifice in Evangelicos jam diu exercita desumunt, & quod eos hæreticos vocaverit, quæ appellatio minas contineat pœnarum, in hæreticos exequendarum. Atque ob hanc causam etiam universale Concilium, ut suspectum, recusari posse statuunt, multis rationibus & autoritatibus, & quidem contra *gl. in c. 1. X. de judiciis* (unde supra Electorem Saxoniæ audivimus hanc dubitationem movisse, quod recusatio Synodi universalis de jure locum non habeat) item *Antonium de Rosell. atque Panormitanum*, qui ideo recusari posse negant Concilium, *quia Papa judicet, ut Deus, & ejus sanctitas non præsumatur procedere contra justitiam, & quia Concilium errare non possit*; hæc enim, ajunt, dudum a Theologis explosa esse, & ipsi non dubitant errasse Concilia, exemplo *Chalcedonensis postremi* & *Meldensis*, testimonio ipsius juris Canon. *Caus. XXXVI. qu. 2. cap. Tria.* & *cap. Placuit*, ubi dictum Hieronymi præfertur autoritati Concilii. Ostendunt postea, quis sit effectus recusationis, quam fieri posse & debere suadent, nempe ut, quicquid post recusationem egerit judex, non secus, ac, quod post appellationem attentaverit, nullius sit momenti. Ratione formæ etiam consilium dant, quod recusatio fieri debeat in scriptis, & proponenda sit coram judice recusato, a recusantibus vel procuratoribus speciali mandato instructis, neque tamen per recusationis oblationem agnosci jurisdictionem judicis, modo aliæ exceptiones non admisceantur, per quas consensus in judicium colligi possit. Monent denique, etsi libel- A. 1545.

(9) *Alterius Theologi Tubingensis responsum.*

(10) *JCtorum Tubingensium consilium.*

A. 1545.

libellus recusationis in ipso Concilio offerendus sit, nec sufficiat, si Cæsari exhibeatur, posse tamen hunc rogari, ut loco suspecti illius Concilii, convocationem legitimi & liberi, quale promissum fuerit, in Germania habendi, procuret. Si vero cæteris defectibus remedium adhibuerit Cæsar, inconsultum esse non putant, ut *Tridentum* Legati a Protestantibus mittantur, qui pro re nata, si recte procedi in Concilio videant, illi intersint, si vero contrarium fieri animadvertant, recusationem nihilominus faciant.

(11) *Norimbergensium consilium.*

Norimbergense responsum a Theologis compositum est. In eo expendendum esse dicunt, an non utile futurum sit, ut *Tridentum* mittantur, qui errores & abusus Pontificios aperte proponant, quo futurum esse sperant, ut Pontifex ipse Concilium sit remoraturus. Si vero rejecturus omnia, & potius ad arma provolaturus esset, apud Cæsarem instandum esse, ut Concilium nationale convocet, stabilita prius libertate, relaxando nempe juramenta Pontifici præstita, & suspendendo præjudicia, quibus Protestantes a Pontifice jam onerati sint. Christianum autem Concilium tale esse dicunt, in quo non secundum majorem numerum suffragiorum aut opiniones scholasticas, sed secundum vocem Christi pronuncietur. Ante omnia vero urgent, ut Papæ, qui jam a multis annis, ut Antichristus publicis scriptis & concionibus accusatus fuerit, neque ab illa imputatione se huc usque purgaverit, munus judicis auferatur, & a viris bonis & piis modus inveniatur, ut coërceri & legitimæ cognitioni subjici possit.

§. CXXIV.

(1) *Varia adversus Protestantes odia & molimina.*

Ex consultationibus *de Concilio Tridentino*, quas retulimus, jam satis elucet, quanta solicitudo tenuerit Evangelicos hoc anno, quantisque in angustiis versati sint, cum dubitare non possent, quin sibi extrema instarent pericula. Utut enim vaferrime tegerentur belli molimina, erumpebant tamen passim magis magisque, alienati a se animi Cæsarei & machinationum adversum se indicia, etiam in ipsis Comitiis. Viginti jam annis in templo Dominicanorum *Wormatiæ* concionatus erat Ecclesiastes evangelicus, sub adventum vero Cæsaris parum abfuit, quin Hispanorum zelo civitas beneficio illo privata fuisset. Severe etiam interdictum est aulicis Ferdinandi Regis, ne conciones illas, aut quæ in hospitiis Legatorum Evangelicorum fierent, adirent. E contrario monachus quidam Italus, concionator aulæ Cæsaris, horrendum in modum publice contra Evangelicos debacchatus est, eosque omnes ferro & igne delendos esse censuit. Ægre impeditum fuit a Legatis Saxonicis, ne *Pflugius* investituram regalium Episcopatus Numburgensis acciperet. Confœderat enim jam Cæsar, ad actum illum solenniter exercendum, sed, vehementer obloquente *Burcardo*, (ut ipse d. 6. Aug. refert) tum ne a dissimulatione sua plane recederet, destitit. Controversia mota est *Submarescallo* Electoris *Pappenheimio*, ablato per Præfectum stabuli Cæsarei uranisco, sub quo Cæsar urbem intraverat, qui tamen veteri more *Pappenheimio* debebatur. Licet vero Cæsar promitteret, se *Pappenheimio* compensationem facturum esse, ut & sportulas, quæ ei de investituris, in cubiculo Cæsaris factis, solutæ non erant, præbiturum, non invenio tamen, quod id factum fuerit; sumtus sane ad sustentationem suam in Comitiis ab antiquo debitos a Cæsare petens, jussus fuit probare prius, quod sibi deberentur absente Saxoniæ Electore; id hic pro cavillo habuit. Persecutiones in Belgio contra Evangelicos palam procedebant, edictis sævissimis anno præcedente renovatis & summo cum rigore hoc anno executioni mandatis. Lento igne crudeliter excarnificatus fuerat mense Februario *Petrus Brulius* Gallus Tornaci in Flandria, quo Argentina missus erat. Ejus confessionem fidei & constantiam in morte prolixe narrat *Sleidanus Lib. XVI. p. 457*. In articulo quidem de sacra Cœna respondit secundum sententiam Helveticam, *fide sumi corpus Christi, non ore*, cætera cum doctrina Lutheri satis conveniebant. Extant in *Archivo* literæ *Bruxellis* d. 16. Febr. datæ, in quibus refertur, monachum quendam Italum, qui in aula *Mariæ* Reginæ vehementer in Clerum invectus erat, acriter in eum insurgentibus Lovaniensibus aliisque, fuga sibi consuluisse, alios vero ejus socios comprehensos, *Vilvordam* ductos, & ibi, ut fama ferebat, clam flumine mersos esse. Continuata illa sævitia in Belgio ad terrorem Protestantibus in Germania incutiendum pertinere videbatur; hi vero, ob sangvinis illius innocentis profusionem, male ominabantur Cæsari, agnoscebant tamen, se præter intercessiones, quas in Comitiis per Legatos faciebant, adversus crudelitatem illam nihil opis conferre Belgis posse. Excusabant sævitiam Cæsareani, quod contra mandata dudum publicata a concionibus non abstinerent Belgæ, & quod *Anabaptistæ*, aut *Davidis Georgii* sectatores essent, qui punirentur. Multi ex Belgio in Ducatum *Clivensem* sese recipiebant, *Wesaliam* inprimis, minante Cæsare Duci, si eos foveret. Econtrario intercedebat apud eum Saxo sororius, ut iis parceret. Ordines Belgici ab Hispanis Cæsaris Consiliariis impulsi sunt, ut exercitum egregium suis sumtibus alendum Cæsari promitterent, partim contra Turcos, partim contra Anabaptistas, ut loquebantur, re vera in Lutheranos. Hispani enim, ut ex secreta *Nicolai a Conriz*, Consiliarii Cæsaris, cujus frater erat *Erasmus Conricius* consiliarius Saxonicus, supra nominatus, relatione cognitum fuit, jactabant, se non Germaniam solum, sed & Pontificem Cæsari subjecturos, & ipsum in verum & plena potestate præditum Imperatorem evecturum esse. *Thannius*, cum in causa *Eslingensi* ad Ducem *Wurtenbergensem* ab Electore Saxoniæ missus esset, Hero d. 31. August. significavit, nihil certius esse, quam quod anno proximo Cæsar & Pontifex bello persecuturi sint Electorem & socios; id sibi ex Italia relatum esse. Cæsaris etiam nomine convocatos esse equites, qui *immediati* vocantur, Suevos, Francos & Rhenanos, iisque insinuatum, id agi a Protestantibus, ut omnes Episcopatus extinguantur, magna cum nobilitatis, quæ sola fere canonicatus & prælaturas in illis tenebat, dispendio: Idem Comitibus Imperii per *Reinhardum Comitem Solmensem* & *Georgium Ilsungum* proponi, qui suspicionibus simul occurrebant, ac si Cæsar servitium Germaniæ intenderet. Etiam cum equitibus in *Brunsuicensibus* Ducatibus & ad Hercyniam sylvam Cæsaris

A. 1545.

(2) *Persecutiones in Belgio, & Hispanorum consilia.*

(3) *Relationes de Cæsaris proposito contra Evangelicos.*

A. 1545.

Cæsaris nomine ad eundem pene modum actum est. Narrat præterea *Thannius*, *Albertum Brandenburgicum Byruthensem* pecunia instrui, ut copias colligeret, & Landgravium in suspicionem & formidinem conjiceret. Multæ de *Alberto* querelæ jam erant, quod de religione Evangelica immodeste loqueretur, & Cæsari ad Sacrum missaticum eunti assisteret. Resciverat etiam ex *Navii* secreto colloquio *Burcardus*, *Heldum* sibi non temperare, quin Cæsarem adversus Evangelicos stimularet, itaque accusandum hunc apud Cæsarem ab illis esse dictitabat. Erant, qui præveniendum esse bellicum insultum censebant, id quod Pontanus *Augustanis* & *Schertelio* imputabat, ut nimis fervidis. Elector, etsi meliora sperare videbatur, conscientiæ tamen consulere, & omnia prius experiri, quam ad arma prorumpere decreverat, magnam in Dei auxilium fiduciam professus, ideoque ægerrime nec sine crebris Landgravii expostulationibus ad bellum contra *Henricum Brunsuicensem* moveri se passus est. Tandem vero copias misit, & ipse secuturus erat, ut literæ ejus d. 18. Octob. *Reg. H. fol. 599. n. 192.* testantur; Scribit: Se jam in expeditione contra *Henricum* esse, & sperare, quod Deus contra Jesu Christi filii sui, & verbi sui salvifici osores & blasphematores potentiam suam sit demonstraturus, ut protervia illorum propelli & propositum infringi posset: Fatetur quidem, se cum sociis ob multa peccata sua animadversionem a Deo mereri, ea tamen fiducia esse, quod virga leviori usurus, &, ut pater misericordiæ, secum sit acturus: Si enim *Henricus* successum consiliorum suorum habiturus esset, dubitari non debere, quin machinationes adversariorum magna vi & sine mora sint erupturæ. Eundem animum ostendebant *Guelferbytani* Ducatus Præses & Consiliarii regiminis, in literis ad Senatum *Brunsuicensem*, quibus extrema minatus erat *Henricus*. *Non certamus*, ajunt, *pro opibus terrenis aut honore seculari, sed pro honore Dei & filii ejus, Salvatoris nostri, Jesu Christi, pro gloria nominis & verbi divini & pro vera fide Christiana, Deus justus judex, quem spernit Henricus, machinationes ejus destruet.* Præcipitavit se in periculum illud *Henricus* pravo consilio: Nam, ut recte judicabat Landgravius, si sequestrationem a Cæsare decretam admisisset, & pax de religione, de qua tractabatur, inita fuisset, tunc Ducatum recuperasset; rupta vero pace, & Protestantibus de hæresi condemnatis & vi subactis, itidem eum recepisset. Cæterum *Henrici*, quem Galliæ Rex pecunia juverat, acta & fata in compendio enarrat *Sleidanus Lib. XVI. p. 473. & seq.* quorum summa hæc est: Comparato secretissime exercitu 1500. equitum, 8000. peditum, (quem ad 5000. equites & 20000. pedites aucturum se esse jactabat) ex diœcesi *Verdensi* & *Bremensi*, post damna sociis Smalcaldici fœderis in itinere illata, Ducatum suum ingressus, *Steinbruccam* & *Schoningam* arces, & totam prope regionem, spe pacis aut sequestrationis male custoditam, occupavit, *Guelferbytum* autem obsidione cinxit. Landgravius ex provinciis suis copias non spernendas collegit, & adjutus ab Electore Saxoniæ, qui ei, *Ernesti* Lüneburgensis ductu, 1000. equites & 3000. pedites, alibi conscriptos, tum 6000. ex provincialibus miserat, itemque a genero *Mauritio*, Saxoniæ Duce, qui 1000. equites & quinque peditum millia adduxerat, *Northemium* versus progressus est. Henricus enim, soluta obsidione Guelferbytana, exercitum ad *Calfeldam* vicum duxerat. Ibi *Ericus* Hannoveranus, ejusque mater *Elisabetha* Brandenburgica, (clam quidem *Henrico* faventes & succurrentes,) itemque frater Elisabethæ, *Johannes* Marchio, de pace tractabant, sed nullo successu, & *Henricus* inducias, de quibus conventum erat, ipse ruperat; Ita prælium d. 20. Octobr. commissum est, anceps quidem ab initio, sed inclinante ad Landgravium victoria *Henricus* animum abjecit, & conditiones denuo proponere cœpit, *Mauritio* Duce intercessore usus, sed inops consilii, nec ausus satis nec providens, sese cum filio *Carolo* victori Landgravio dedidit, multis cum lacrymis de miseria sua questus. Exercitus ejus, cum ad internecionem cædi potuisset, dimissus fuit a Landgravio, direptis signis traditisque tormentis bellicis, & exacto a militibus juramento, quod intra sex menses contra fœderatos Evangelicos militaturi non essent. Hanc victoriam Elector Saxo & Landgravius Cæsari per literas significarunt, Landgravius etiam separatim secreta quædam ejus molimina, quæ contra ipsum Cæsarem & fratrem tendere videbantur, ex chartis repertis detexit. Respondit Cæsar d. 6. Novemb. missoque *Nicolao Conricio* Landgravium monuit, ut moderate uteretur victoria, captivos liberaliter tractaret, neque ad conditiones iniquas adigeret, sed amicæ & legitimæ disceptationi rem permitteret, copias etiam, cum nullum illi & sociis periculum superfit, dimitteret. Landgravius ad ea d. 18. Novembr. respondens, Cæsarem rogavit, ut sententiam proscriptionis contra *Henricum* & socios, qui Cæsaris mandata de sequestratione proterve violassent, publicaret; significavit tamen, copias, ut Cæsari & omnibus quieti animi argumentum detur, exauctoratas a se & sociis esse. Isthæc omnia *Sleidanus* ex relatione Electoris & Landgravii jussu anno 1546. publicata, quam *Hortled. Tom. I. Lib. IV. cap. 51.* integram exhibet, excerpsit, ad quam etiam Elector Saxoniæ & Landgravius in responsione sua ad proscriptionem Cæsaream provocant. Hæc quidem contra *Henricum* victoria inter prospera referri posset, & Elector, sicut edito mandato d. 13. Octob. preces per totam provinciam pro successu susceptæ expeditionis, ita & gratiarum actionem d. 26. Octob. publice indixerat, interim hic ipse successus exasperavit Cæsarem & Pontificem, ut tanto vehementius proposito suo de bello Evangelicis inferendo insisterent. In custodia sua varie sese gessit *Henricus*, ferox aut mitis, prout animi ferret impetus. Cum aliquando spem fecisset, se secretum aliquod revelaturum esse, ad Landgravii & sociorum commoda, missi ad eum *Rudolphus Schenckius*, *D. Joh. Walter*, *D. Tilemannus Gunterodus*, & *Henricus a Lauter*, nihil aliud ab eo explorare potuerunt, quam ut diceret, Cæsarem id agere, ut Germaniam plane dissolveret, (wolle Teutschland gar zureissen) & Principes omnes ad mendicitatem reduceret, (und alle Fürsten zu bettlern machen) cogitandum itaque esse, ne tam misere Imperium Germanicum proderetur

(4) *Elector ægre ad arma movetur. Literæ ejus de Henrico Brunsuicensi.*

(5) *Item regiminis Guelferbytani.*

(6) *Summa expeditionis & cladis Henrici Brunsuic. & sequelæ quædam.*

(7) *Henrici dicta in custodia, & annotatio quædam ad Raynaldum.*

A. 1545. deretur & venderetur. Addidit: nisi hæc vera essent, damnari & in Diaboli potestate esse velle animam suam (Seine seele solle ewiglich verdammt und des teuffels seyn.) Sed plura proferre noluit, juramento se vetari causatus. *Raynaldus n. 55.* non uno modo virus suum contra Evangelicos in hac causa effudit. Scribit enim, *Henricum spoliatum esse a Protestantibus, odio Catholicæ religionis*, quod tamen falsissimum est; Longe enim alias belli contra eum causas acta publica ostendunt, & nos ex iis supra aliquid retulimus. Deinde, si religionis causa alios opprimere voluissent, propiores & debiliores erant Episcopi & Abbates vicini, quibus tamen nihil ademerunt. Queritur etiam *Raynaldus*, quod *Henricus* a Protestantibus obrutus & captus fuerit, cum sua recuperare vellet. Tacere autem non debuisset, quod recuperatio illa, quam vi & armis moliebatur *Henricus*, decreto Cæsaris, qui sequestrare Ducatum volebat, severe prohibita esset; unde & Cæsar Electori Saxoniæ & Landgravio, cum illi expeditionem suam significassent, rescripsit, se improbare illam non posse. Illas Cæsaris literas in castris Saxonicis d. 16. Octob. publice lectas fuisse, in relatione, quam *Hortled. Tom. I. Lib. IV. cap. 54.* exhibet, *n. 2.* narratur. Agnoverunt etiam justitiam expeditionis adversus *Henricum* Electores *Moguntinus* & *Trevirensis*, uterque Romano-Catholicus; Landgravio enim suppetias adversus illum tulerunt, ut *d. l. Reg.* Landgravius ipse retulit.

(8) *De morte Alberti Moguntini, & electione successoris.*

Amiserunt hoc anno Pontificii magnum suarum partium columen, *Albertum Brandenburgicum*, Cardinalem, Electorem Moguntinum, de cujus consiliis & actis multa toto hoc opere nostro dicta sunt. Decessit d. 24. Septembris ætatis anno LVI. natus enim erat d. 28. Jun. 1490. Ambire dicebatur *Ferdinandus* Rex, nomine unius ex filiis suis, Archiepiscopatum Moguntinum, cui & Coloniensis, expulso *Hermanno*, & alia forte satisfactione *Adolfo Schauenburgio*, Coadjutori ejus, præstita, jungi posse videbatur, miseratque *Laurentium ab Altenstaig* qui Canonicos prensaret. Magis mirum, quod Landgravius quoque de filio ad Præsulatum illum, nescio quibus conditionibus, promovendo spem conceperit. (*Reg. H. fol. 600. n. 193.*) Tentavit sane amicos Canonicorum quorundam occulte per *Alexandrum Thannium*, Præfectum Darmstadinum d. 5. Octob. Moguntiam missum, publice tamen Capitulo auxilia a Landgravio offerentem, si forte iis ad liberam electionem opus haberent. Electus autem est *Sebastianus ab Heusenstamm*, Doctor Canonum, & Canonicus Moguntinus, ex familia equestri Rhenana, quæ postea ad Comitum dignitatem evecta fuit. Extant *Reg. H. fol. 612. n. 196.* literæ *Eberhardi Thannii* ad Electorem Sax. in quibus ex fratris sui, *Alexandri*, supra dicti relatione significat, *Heusenstammium* Palatini Electoris & Landgravii favore ad Electoratum pervenisse; Cardinalitiam purpuram delatam illi, sed ob tenuitatem redituum Archiepiscopatus recusatam fuisse. Promisisse illum secreto Christianam reformationem, ita tamen, ut cunctandum sibi & lente procedendum esse dixerit, donec confirmationem Pontificiam impetrasset: Deinde Capituli & Evangelicorum Procerum consilio usurum; valde interim dolere, quod tot animæ periclitentur: Petiisse etiam a Landgravio, ut pium, doctum & industrium Cancellarium quendam sibi procuraret, assisteret etiam apud Cæsarem, ut gravamen circa munus Archi-Cancellarii, ab aula Cæsarea Moguntinæ sedi illatum, removeretur. Subjungit *Thannius*, consentiente in responso d. 28. Mart. 1546. Electore, se dictis promissisque illis fidem non habere; *Sebastianum* enim illum semper restitisse causæ Evangelicæ, & virum esse callidum, qui tempus quæreret, & eventum specularetur, quem Caesari molimina habitura essent. *Alberti* mors solicitudinem incussit Pontifici, de successore, quia *ejus electio ab incerto urnæ arbitrio pendebat, & in natione* (ut scribit *Pallavicinus Lib. V. cap. XV.* §. 4.) adeo, etiam in *Ecclesiasticis, corrupta tractabatur.* Idem autor *Albertum* quidem a sincero religionis studio laudat, timidius tamen id eum exercuisse, &, per ætatem postremam defervescente sanguine, etiam æstum ejus deferbuisse notat. Protestantes mortuo *Alberto* hoste liberati sunt, tanto perniciosiore, quanto occultiore; Elector inprimis Saxo, qui cum eo simultates non unas, ut alibi monuimus, per multos annos exercuit. Acceptis tamen Capituli de obitu *Alberti* literis d. 9. Octob. respondit, sibi in votis esse, ut defunctus, si id Deo placuisset, ad verbum Dei sese convertisset, & in fide vera Christiana obiisset; hortatur inde Canonicos, ut in electione talem quærant virum, qui cum cæteris Electoribus honorem Dei & veram ecclesiæ concordiam, ut & Imperii commoda, pro scopo habeat & promoveat; illi se, ut Coelectorem, amicitiæ officia exhibiturum, etiam ditionem Archiepiscopalem, ut rogaverant, in causis æquis commendatam sibi habiturum esse, pollicitus. De legatione, ad pacem inter Galliæ & Angliæ Reges constituendam, a fœderatis Evangelicis decreta, supra dicere cœpimus. Galliæ Rex, utut pace cum Cæsare facta, & in Concilium Tridentinum consentiens, Protestantium causæ multum nocuisset, videri tamen volebat, se illis non minus quam antea amicum esse. Ideo Legati ejus in comitiis *Wormatiensibus* magna cum asseveratione testati sunt, nihil mali a Rege suo Protestantibus metuendum esse, etsi verba pacificationis eo, ut dicebant, detorquerentur; addebant, ad Concilium admittendum coactum illum esse, dum Protestantes ipsi Cæsarem in oppugnando Rege adjuvissent; ita, cum in Belgio & Italia, item in Hispaniæ finibus, & ab Anglo simul invasus esset, conditiones pacis qualiscunque acceptandas fuisse; quia vero nunc intelligeret, Tridentinum Concilium invisum esse Protestantibus, operam daturum, ut illis non obesset, neque etiam Legatos huc usque *Tridentum* misisse, nec unquam auxilia contra Protestantes Cæsari missurum esse. Hæc Hassiaci ex ore Gallorum d. 9. April. *Wormatia* ad Landgravium retulerunt, & hic Electori Saxoniæ significavit. Sed verbis illis parum fidebat Elector, nactusque exemplum pacificationis inter Cæsarem & Gallum, confirmatus ex eo est, Regem cum Cæsare adversus

(9) *De Galliæ Regis oblatione erga Protestantes, ab Electore Sax. rejecta; ut & Angliæ Regis societate.*

A. 1545.

Evangelicos vires juncturum esse; comprehensi enim pactis tantum erant Principes Germaniæ, qui dicebantur obedientes, quales non habebantur Evangelici. Mandavit itaque Legatis ad Comitia Wormatiensia, d. 25. Jun. ut per *Sleidanum*, quem hoc anno loco *Varenbuleri* stipendio annuo centum florenorum conduxerant fœderati, instrumentum illud pacis Germanice verti curarent, quo omnibus consilia illa innotescerent; Nihilominus Landgravius ad renovandum cum Gallis fœdus inclinabat; Cardinalis enim *Bellajus*, *Baumbachio*, qui Landgravii nomine ablegatus in Galliam erat, id denuo proposuerat. Sed restitit Elector, literisque d. 29. Novemb. ad Landgravium datis, dissensum suum testatus est, Lutheri inter alia consilium allegans, quod olim patri suo, *Johanni*, Electori Saxoniæ dedisset. Majori cum bile fœdus cum Anglo, ut jam notavimus, rejecit; in legationem tamen, quanquam ex sociorum potius quam sua sententia, ad tractatus pacis inter Reges Galliæ & Angliæ consensit. Legati erant, ad Gallum quidem *Christophorus a Fenningen*, Wurtenbergicus Consiliarius, qui in illa legatione obiit, *D. Joh. Bruno Nidepontanus*, (Nidbrucker) quem vulgo *D. Johannem Metensem* vocabant, alibi memoratus, & *Joh. Sturmius* Argentoratensis Scholæ Rector, cujus itidem mentio facta est. Ad Anglum *Ludovicus a Baumbach*, Marescallus Hassiacus, & *Joh. Sleidanus*, ut hic ipse refert *Lib. XVI. p. 473.* proficisci jussi sunt; Elector Saxoniæ ex suis neminem adjunxerat, unde & integra legationis acta in *Archivo Vinariensi* reperire non potui. Extat tamen (*Reg. H. fol. 670. n. 209.*) *Joh. Sturmii* prolixa epistola ad *Jacobum Sturmium*, Prætorem Argentoratensem, d. 10. Decemb. hoc anno scripta. Ex ea percipitur, cum *Caletum* in Gallia, quod tunc Angli tenebant, Legati venissent, & d. 20. Nov. cum *Pageto*, Angliæ Regis Secretario, locuti & cœnati essent; ad Gallos inde profecturi, quod non quidem *Monstrolium*, quo ire debebant, sed *Ardeam* (*Ardres*) petierint, tutioris itineris causa, ter enim moniti erant Legati a Gallis, ut sibi ab insidiis Cæsareanorum caverent. Advenisse ea nocte, scribit *Sturmius*, quendam ex proceribus aulæ Gallicæ, *Plancium*, (*la Planche*) literis a *Longovallio* ad *D. Johannem Metensem* & se instructum, ex quibus intellectum sit, Regem Galliæ malle, ut per Protestantium, quam per Cæsaris Legatos negotium pacis tractaretur, item quod Rex ad fœdus cum Protestantibus, adscito quoque post pacem factam Angliæ Rege, paratus esset. Id consilium esse *Estampiæ*, (amicæ Regis) requiri autem, ut Legati animum Regis Angliæ explorarent, & pacem in secreto componerent, neque se impediri paterentur, quod Legati Regis *Admiralius*, *Cancellarius* & *Bajardus* Secretarius ad Cæsarem missi forent; mandatis enim non nisi generalibus instructos esse, ipsis vero (Protestantium Legatis) a Rege media pacis specialia aperiri, de quibus cum Anglo agerent. Ea autem erant, ut induciæ fierent, & *Bononia* Protestantibus in sequestrum ab Angliæ Rege traderetur, usque ad pacis conventionem, vel etiam, ut Angliæ Rex *Bononiam* retineret, donec debita illi a Gallo pecunia cum usuris & sumtibus, de quibus cognoscendi jus Protestantibus deferendum esset, restitueretur, item, ut de matrimonio filii Regis Angli cum filia Reginæ Scotiæ (infantes erant & hæc & ille) ita conveniretur, ut filia in arce quadam Scotiæ sub Protestantium Principum custodia & cura educaretur, donec adolesceret. Hæc d. 20. Novemb. nocte acta sunt. Sequenti, d. 21. Nov. (ut narrare pergit *Sturmius*) supervenit a Rege Galliæ missus *Fraxineus*, qui ante aliquot annis Legatus in Germaniam missus fuerat, confirmans, quæ Plancius proposuerat, literasque a Cardinale *Bellajo* ad *Sturmium* & *Sleidanum* afferens; statim itaque *Caletum* rediit *Sturmius*, & cum cæteris Legatis, qui aderant, *Pageto* & *Cobhamo*, Caleti Præfecto, conditiones illas a Gallis suggestas, sed tanquam a se propositas significavit, quas haud illibenter audire visi sunt Angli. Interea *Ardeam* venerunt Galliæ Regis Legati, *Bordasierius*, *Bobasius* & *Raymundus*, Præses Rothomagensis; ab Anglo vero *Caletum*, *Tonstallus*, Episcopus *Dunelmensis* & alii. Interposita itaque a Protestantibus opera, in tentoriis ad vicum *Campejum* inter *Bononiam* & *Ardeam*, utriusque Regis & Protestantium Legati d. 26. Novemb. congressi sunt, *Sturmio* Latino sermone cohortationem ad pacis studium faciente. Sed Legati Regum, remotis Protestantibus, collocuti postea sunt; Galli tamen, quæ egerant, non celarunt, occultiores vero Angli fuerunt, quapropter cum *Pageto* d. 30. Novemb. *Sturmius* eo nomine quadantenus expostulavit. Dixit autem inter alia *Pagetus*, Regem Angliæ cum Cæsare amicitiam colere, etiam in eo esse, ut cum Pontifice transigeret, & hunc in omnibus cessurum esse, modo Rex titulum *Capitis ecclesiæ* omitteret. *Dunelmensis* deinde ipse multas difficultates de conditionibus, quas Protestantes proposuerant, movit, & suspicari se dixit, illas a Gallis suggestas esse. Paulo post, d. 30. Novemb. *Fraxineus* & *Plancius Sturmio Ardeam* evocato significarunt, Regem Gallum a *Turnonio Card.* mutatum esse, ut jam nollet conditiones illas suo nomine Anglis per Protestantes proponi, decere enim, ut id per Legatos Regios fieret, posse tamen Protestantes tanquam suo nomine de illis agere, sed omissa causa conjugii Scotici. Ostendit etiam *Plancius* regia mandata, in quibus illa, quæ dixerat, ex parte continebantur, itemque fœderis cum Protestantibus mentio fiebat. Relatum etiam a Gallis fuit *Sturmio*, procuratas esse a Galliæ Rege inducias ad annum inter Cæsarem & Turcos, & longiores obtineri potuisse, nisi morte *Aureliani* Ducis, filii Regis, intentio mutata esset. Jactabat inde *Plancius* utilitatem ex amicitia Gallorum cum Turcis, cui induciæ illæ deberentur. De Concilio vero Tridentino dicebat, revocatos esse Oratores Gallos, quia Rex, utut Cæsar progressum Concilii urgeret, admittere illud noluerit, nisi omnes Germaniæ Ordines, & sic etiam Evangelici, consentirent. D. 3. Decemb. habito *Ardea* inter Gallos & *D. Johannem Metensem* atque *Sturmium* colloquio, decretum est, ut *Sturmius* cum *Fraxineo* celeriter ad Galliæ Regem iret, & de negotio pacis ipse ageret. Equis itaque dispositis d. 5. Decemb. in aulam venit, & cum *Turnonio Card.* cœnavit, eidemque, præsente Secretario quodam

(10) *Legati Protestantium ad Reges, pacis causa.*

(11) *Relatio Joh. Sturmii de legatione illa & actis cum Anglis.*

(12) *Sturmii cum ipso Galliæ Rege acta.*

A. 1545.

dam regio, quæ hucusque cum Anglis tractassent, exposuit, addens consilia de conditionibus pacis, quæ Legationi Protestantium æqua esse videbantur, ut *Bononia* ad tempus aliquod Angliæ Regi, qui ejus occupatæ gloria delectabatur, relinqueretur, donec certam pecuniæ summam a Galliæ Rege accepisset, & ut inter Anglos quoque & Scotos pax fieret. Aderat *Fraxineus*, qui Protestantibus non parum favere videbatur, &, inscio *Turnonio*, per *Estampiam* & *Longovallium* id agebatur, ut fœdus inter eos & Regem Galliæ conciliaretur. D. 7. Decemb. ad ipsum Regem admissus est *Sturmius*, & benigne, præsente *Fraxineo*, auditus; Rex de *Bononia* Anglo relinquenda consensit, de re Scotica etiam haud iniqua respondit, *Sturmio* vero mandavit, ut Protestantes de favore suo confidere juberet, itemque, quod neque Cæsari neque Papæ assensurus contra illos esset, nec Concilium agniturus, nisi omnes Germaniæ Ordines, & nominatim Protestantes illud admitterent. De fœdere nihil locutus est, haud procul adstantibus *Turnonio*, & *Admiralio*, *Sturmius* quoque, cum in mandatis de fœdere nihil haberet, neque sciret, quæ Protestantium de eo intentio esset, nullam ejus mentionem fecit. Rogavit denique Rex *Sturmium*, ut ipse ad Angliæ Regem profectus negotium pacis prosequeretur, & cum is diceret, *Fraxineo* comite sibi opus esse, regessit Rex; se *Sturmio* satis fidere. *Regina Navarræ* eo vespere significari fecit *Sturmio*, causam in bono statu versari, & sibi atque *Estampiæ* curæ esse. D. 9. Decemb. articulos ab *Admiralio* & *Turnonio* accepit *Sturmius*, in quibus ultima Regis declaratio continebatur, sed non nisi Protestantium nomine Anglis proponenda. Ductus inde denuo ad Regem *Sturmius*, interrogatusque, an aliquid in articulis desideraret, cumque quædam monuisset, Rex in ea consensit, tum iterum repetiit, quæ de sua erga Protestantes benevolentia d. 7. Decemb. dixerat. Suasit autem *Sturmius* in relatione ista, scribendum ad Regem esse a Protestantibus & gratias agendas. Hæc ex *Sturmii* literis haud indigna relatu esse existimavi, tum, quod multa de genio aulæ Gallicæ, & versuta cum Protestantibus negotiatione ex iis percipi possunt, tum, ipsius autoris causa, qui homo de Schola erat, sapienter tamen in causa gravissima egit, & a Rege atque Proceribus honoratus est. Differentia etiam seculi notari potest, quod tanta tunc penuria virorum in Germania fuerit, qui ad negotia cum exteris tractanda idonei habebantur, obstante linguarum imperitia, & quantus hodie numerus sit, quibus hac in parte nihil deest. *Sleidanus d. Lib. XVI. p. 478.* breviter quædam ex iis, quæ retuli, exposuit, & tandem nihil effectum esse legatione illa scribit, Legatis d. 6. Jan. domum remeantibus. Angliæ Rex multa illis detexit de bello, quod Protestantibus imminebat. Licet vero irrita fuerit hæc Protestantium negotiatio, ut & ea, quam Cæsar eodem tempore susceperat, sequenti tamen *anno 1546. mense Junio* pax inter Reges facta est, & apparuit, contulisse aliquid ad eam, quæ Protestantium Legati egerant. Vid. *D. Burneti historia reform. Angl. Lib. I.* edit. Lat. Genev. *fol. 182. & 186.* item *Lib. II. fol. 13.*

(13) *Annotatio quædam de Sturmio, & quæ secuta est, pace inter Reges.*

ADDITIO I.

A. 1545.

(a) *De Mauritio Duce Sax. digressio.*

De *Mauritio* Saxoniæ Duce diximus, ut socero *Philippo* Landgravio contra *Henricum* suppetias tulerit; id quod mirum videri posset consideranti, quod *Mauritius*, postquam regimen Ducatus post mortem Parentis sui suscepisset, a societate Smalcaldica palam discesserit; & simultates cum capite fœderis primario, Electore Saxoniæ haud parvas exercuerit. Aperiemus igitur quædam de consiliis & gestis Principis, qui postea æternum nomen, parta religionis securitate, meritus est, ex hujus anni actis annotata. Fœdus Smalcaldicum, etsi commoda sua haberet, incommodis tamen non carebat, internis quoque dissensionibus concussum. Earum variæ erant occasiones. Displicebant in Landgravio Electori Saxoni multa, calidiora inprimis ad rem manu gerendam consilia, propensio ad fœdus cum Helvetiis, non obstante illorum dissensu in articulo de Sacra Cœna, ob quem tamen per Germaniam tunc odiosissimi erant. Inter cæteros etiam socios offensi erant, ut alibi diximus, Principes quidam, *Henrico* Brunsuicensi cognatione aut affinitate juncti; ex civitatibus vero *Argentoratensis*, & aliæ quædam, cum Gallis, Anglis & Helvetiis, fœdera ineunda esse, suadebant, impulsore potissimum *Bucero*. Tardi erant plerique ex fœderatis in conferendis tributis, & cum ad computationes sumtuum veniretur, multa desiderabant in Ducum fœderis, Saxonis & Landgravii, erogationibus, ut justo profusioribus; his vero non deerant argumenta, quibus acta sua defenderent, & Civitatibus intempestivam & rei communi damnosam tenacitatem exprobrarent. Hæc & alia, non in Electore solum, sed & Landgravio, qui de tarditate Electoris Saxoniæ & nimia, ut putabat, obstinatione in quibusdam de religione aut ceremoniis articulis querebatur, tædium fœderis produxerant, ut ex utriusque literis, sub anni hujus initium commutatis, constat. Et Elector quidem sæpe in eo erat, ut fœdus, cujus finis anno 1546. appropinquabat, dissolveretur, confidens, Deo, veræ religionis verbique sui curam futuram, sicut anno 1530. fuisset, cum tamen pauci tunc essent, nec fœdere juncti, qui Evangelicam doctrinam profiterentur. Sed Landgravius alia proponebat media, illud maxime, ut inter *Electorem Saxoniæ, Mauritium* Ducem, & *se*, fœdus arctissimum iniretur, neglecta reliquorum societate. Ut autem consilia hæc Electori probaret, misit ei exemplum literarum, a *Mauritio* ad se d. 25. Mart. Dresdæ scriptarum, quarum contenta relatu dignissima sunt. Scribit autem: Se quoque cum dolore agnoscere, quod tempora magis magisque periculosa fierent, & varia ad impediendum cursum verbi divini ex instinctu Satanæ inveniantur & excogitentur, ut metuendum sit, ne tandem effectui darentur. Confidere se tamen, quod Deus pro benignitate sua veritatem defensurus sit, in ejus auxilio spei summam ponendam esse. Controversias inter Cæsarem Regemque Ferdinandum cum Protestantibus notas esse ait, eas maxime, quæ ad bona Ecclesiastica spectent, & licet compositionis media, ut ut difficillimum id videatur, inter hos reperiri possint, inter Pontificem tamen & Evangelicos tam doctrinæ, quam bonorum ecclesiasticorum causa, tantum esse dissidium, quod non nisi solius Dei ope & gratia tolli posit. Accedere periculum a Turcis utrique parti imminens. Se quidem, ut juvenem adhuc & parum expertem, existimare, Turcis ante omnia resistendum esse, qui nec religionem, nec dignitatem Principum pati posint; a Turcis enim diuturnum bellum instare, quod nec ipsi quietos esse sinant Christianos, neque his eæ sint vires, ut illorum potentiam opprimerent. Communis autem periculi hujus intuitu, fortasfis multas adversariorum machinationes in fumum abituras. Sperare se præterea, si res ad aperta erumperet certamina, maximam Germaniæ partem pro Evangelio staturam, neque a Papa ejusque clientibus corrumpi aut subigi se passuram esse; Se certe in omnibus, quæ ad honorem Dei & verbi ejus, hujusque conservationem conducant, ut Principem Christianum decet, nihil omissurum esse, immo omnes potius facultates suas fideli-

(b) *De simultationibus inter fœderatos Smalcaldicos.*

(c) *Landgravii consilium de fœdere cum Mauritio, & hujus epistola memorabilis.*

A. 1545.

deliter collaturum. Si enim *Elector Saxoniæ*, *Landgravius* & ipse (*Mauritius*) accedentibus forte & aliis eadem cum sinceritate, vires suas extremas impendant, & mutuo inter se conveniant, pactaque servent, fore, ut multi aggrediendi Evangelicos pruriginem depostituri sint. Ratione bonorum Ecclesiasticorum ita agi posse, ut vel ad bellum Turcicum destinentur, aut alius modus adhibeatur, quo privati commodi respectus imputari Evangelicis non possit. Offert itaque Landgravio conjunctionem, & ut de ea ulterius consuletur; Legatis vero suis ad Comitia *VVormatiensia* mandaturum se esse, ut pacem apud Cæsarem diligenter solicitent, curentque, ut nihil mali contra Protestantes ab adversariorum machinationibus metuendum sit. Nam si adversus Turcos auxilia præstentur, & domi ab iis, qui Christianos se vocant, periculum immineat, id prorsus molestum & intolerabile futurum esse, ultro agnoscit. Putat etiam, quo demonstretur, nihil omnino quam gloriam Dei & verbi ejus ab Evangelicis respici, consultum fore, ut non solum pax omnibus offeratur, sed & proponatur, ut bona Ecclesiastica, inprimis Episcopatuum reditus, ad usus publicos impendantur. Addit tamen, se vereri, ne Prælati opulenti, qui propter bona potius, quam officium, quo fungantur, Ecclesiastici dici soleant, nihil gravius sint laturi, quam si ad prima fundationum principia reducantur, nedum, ait, ut verbum Dei doceant, dudum ab iis neglectum; neque enim sibi notum esse fatetur, præstitumne id prioribus seculis, cum Episcopatus fundarentur, fuerit, nec ne. Non dubitat, talia jam dudum considerata & proposita ab Evangelicis esse, fieri tamen id post novam consultationem denuo posse. Excusat iterum, quod Landgravio, sapienti & perito Principi, hæc animi sui sensa, juvenis ipse, aperiat. At ista non erant juvenilia, nisi quod ea, quæ de mutatione Episcopatuum proponebat, ab Evangelicis dudum quidem expensa, & a multis expetita, factu tamen impossibilia habita essent, sicut & ipse *Mauritius* de successu non paucas indicat dubitationes. Elector Saxo, deliberatione de hac Landgravii propositione habita, difficultates non leves reperire se credidit, quo minus ad fœdus illud triumvirale adduci se pateretur. Observavit, ut ex consultatione, quæ extat, apparet, fore, ut ipse consensu duorum, Soceri & Generi, in omnibus consiliis superaretur, verebatur etiam, ne Landgravius causas privatas, quarum plurimas habebat, pactis fœderis comprehendere & in tuto collocare vellet, magno cum sociorum sumtu & periculo: lites etiam inter se & *Mauritium* componi prius debere arbitrabatur. Malebat itaque, ut *Mauritius* cum Smalcaldicis, saltem quoad religionem communi consilio tuendam, sese conjungeret, ratione auxiliorum vero, si conditiones fœderis Smalcaldici ei displicerent, vetera pacta familiæ Saxonicæ & Hassiacæ (die Erbverbrüderung) observaret, & in ea, ut moris erat, cum fratre *Augusto*, juraret. In illis autem generatim de mutuis auxiliis ferendis provisum cautumque erat. Licet autem Landgravius diem & locum postularet, ut de hoc negotio consultaretur, suamque in litibus inter Electorem & *Mauritium* interpositionem offerret, Elector tamen d. 12. April. sese excusavit, & lites has in judicio *Austregarum*, quas vocat, definiendas esse dicebat. Id parum probavit Landgravius, ut ex literis ejus, d. 28. April. scriptis, percipitur; reprehendit enim Electorem, quod privatas minutasque cum *Mauritio* controversias publicis, in quibus religionis universarum provinciarum incolumitas versaretur, præferret. Illustre hoc exemplum est, quam frustra etiam pii & sapientes Principes & bona intentione consilia aliquando agitent, quæ insignem habent speciem, effectum tamen non sortiuntur; licet nemo facile penetraverit, aut judicare possit, qua culpa id fiat. Landgravius sane utilissima suggerere credebatur, quæ, si admisisset Elector, cladem illam suam, post biennium secutam, quam *Mauritii* Ducis cum Cæsare conjunctio maxime promoverat, fortasse evitare potuisset, nec in tantum periculum causa religionis adducta fuisset. Verum enim vero, si eventus probe consideretur, multa cognosci possunt, quæ sapientissimis Dei consi-

(d) *Elector Sax. a Landgravio dissentit.*

(e) *Considerationis illius differentia.*

liis tribui debent; unum certe, satis manifestum omnibus, est: Si Elector novum hoc fœdus a Landgravio propositum, nec *Mauritio* tunc ingratum, iniisset, nihil verisimilius esse, quam quod eodem, quo Elector, casu etiam *Mauritius* oppressus fuisset, quem tamen Deus reservavit & eo animo viribusque instruxit, ut Caroli nimios conatus frangere & religioni quietem procurare posset. Docent porro acta, quæ consului, Legatos *Mauritii* in Comitiis *VVormatiensibus* Cæsareorum ministrorum persuasionibus patulas aures præbuisse. *Carlovitius* enim, (ut ex *Camerarii* ad *Melanchthonem* literis *Pontanus* Electori d. 11. Jun. scripsit) Lipsiæ quædam effutierat, quæ eventus postea explicavit, de odio, quod Elector sibi apud Cæsarem procuraret, & de favore, quem Cæsar *Mauritio* exhiberet, a quo multa in posterum speranda essent. Ex ejusdem sermonibus intelligebatur, *Mauritium* Concilium Tridentinum non improbaturum, & adversus Turcos auxilia præstiturum esse. Interim ipse *Mauritius*, etsi neque ad fœderis Smalcaldici communionem permoveri posset, nec Legati ejus in cæterorum Evangelicorum Legatorum congressu comparerent, nec illorum postulatis aut querelis apud Cæsarem assisterent, Landgravium tamen confidere jubebat, se, si vis contra doctrinam Evangelicam pararetur, egregiis cum copiis affuturum esse. Id vero tam secreto non habebatur, quin etiam apud Cæsarem suspectum faceret *Mauritium*. Communem quoque causam cum Electore contra exemtionem Episcoporum *Misnensis* & *Mersburgensis*, qui in Comitiis sessionem & suffragium ambibant, (idem quoque prætendente Julio Pflugio ratione Numburgensis præsulatus) tuendam suscepit *Mauritius*, subscriptis una cum Electore d. 29. April. mandatis conformibus, quibus Legati *Mauritii*, *Christophorus Carlovitius* & *D. Joh. Schwanberger*, instruebantur, cum Electoralibus *Thannio* & *Conricio*, ut jus territoriale Electoris & *Mauritii* in Episcopatus assererent. Irrumpente postea *Henrico* Brunsuicensi, ut diximus, *Mauritius*, socero Landgravio adstitit, magnumque ad victoriam momentum attulit, immo ipsi potissimum deditio *Henrici* & filii ejus tribuenda est. Ob eam ab *Henrico* & quibusdam, qui ei militaverant, diffamatus fuit, ac si minus bona fide in negotio illo esset versatus, ejusque persuasione *Henricus* ad Landgravium pacificationis causa, non vero, ut se dederet, progressus, contra datam fidem captus fuisset. Ad eam calumniam repellendam sequenti anno d. 6. April. *Mauritius* scriptum publicavit, in quo rei gestæ ordinem exponit, & ad viros nobiles & honestos, qui in exercitu *Henrici* fuerint, provocat, reliquos, & inter illos *Christophorum Urisbergium*, copiarum ejus primarium ductorem, & *Joachimum Rubinum* nominatim accusat, quod non nisi pecuniam & prædas respexerint, *Henrico*, cum stipendia illis solvere non posset, paucis ante pugnam diebus vincula minati sint, & in prælio eum deseruerint. Narrat porro prolixe, ut ipse Socero auxilia quidem ex veteri pacto familiari præstiterit, quia *Henricus* cum copiis suis, ex Brunsuicensi ditione deductis, Hassiæ finibus appropinquasset, controversiæ tamen de Ducatu *Henrici*, nunquam particeps fuerit, & illum, aliquot diebus, ante pugnam magno labore, conciliare cum Landgravio æquis conditionibus annixus fuerit, quas tamen *Henricus* cum damno suo spreverit, denique, cum in ipso prælio, desperata salute, alloquium petiisset, & per alios quoque cum Landgravio tractare cœpisset, sua sponte, nullam de securitate fidem stipulatus, fossam, quæ inter illum & Landgravium erat, una cum filio transgressus, ultro ad hunc venerit, & interroganti, an se dedere vellet, clare responderit, se id facturum esse. Addit postea *Mauritius*: *Quicunque dicit aut cantat, scribit & spargit, quod non egerimus in negotio isto, qua Principem bonum & honestum, eoque, quo nos, loco natum, decent, sed quod dolose versati simus in tractanda pace cum Henrico, quod Consiliarii nostri in genua provoluti Henricum ad deditionem permoverint, quod Henricum filiumque ejus, nostra fide tutos, accedere jusserimus, eorumque capturam hoc modo procuraverimus, aut aliud quid non honestum, sed fraudulentum; is malitiose illa omnia fin-*

A. 1545.

(f) *De Mauritii consiliis alia quædam.*

(g) *Mauritii apologia contra Henricum Brunsuicensem.*

A. 1545.

git, contra veritatem & honestatem, non ut decet virum nobilem, honestum & veracem. Hoc convitium in se derivavit *Natalis Comes Hist. Lib. I.* audacter *Mauritio* fraudem imputans, vid. *Hortled. d. l. in annotat. lit. a. fol. 1936.* Idem novissime meruit *Varillas. Tom. III. hist. de haeres. Lib. XIV.* Vid. *Act. erud. Lips. an. 1687. p. 462.* Interim rumor ille diu in Saxonia quoque continuatus est, ut ex *Pontani* literis apparet. De liberatione *Henrici* post devictos a Caesare foederatos Smalcaldicos, restitutoque ei Ducatu, consulendi sunt autores, annorum sequentium, qui metam mihi praefixam excedunt, acta tradentes. Quomodo denique *Henricus* conciliatus penitus sit, tam cum Electore *Joh. Friderico*, quam cum Landgravio, instrumenta transactionum, anno 1553. data, quae *Hortlederus d. Lib. IV. cap. 55. & 56.* produxit, ostendunt.

ADDITIO II.

(a) *Angliae Regis literae ad Protestantes.*

Cum Regum literae, Legatis Protestantium datae, quae *Reg. H. fol. 666. n 206.* authenticae extant, notabiles & relatu dignae sint, exempla illarum hic inserere operae pretium visum est. *Angliae* Rex Latine scripsit, VVestmonasterii d. 30. Decemb. 1545. Inscriptio est: *Illustrissimis, Illustribus, Generosis & Magnificis, Principibus & Statibus foederis Evangelici, amicis nostris charissimis.* Verba literarum haec sunt: *Illustrissimi Principes ac Domini, amici nostri charissimi, salutem, sincerae dilectionis affectum. Non obscuris indiciis nuper declarastis vestrum de republica christiana bene merendi studium, & quam ex animo cupiatis, dissidiis atque bellis inter nos Gallorumque Regem compositis, publicam quietem & concordiam ad omnipotentis Dei gloriam stabiliri, tum ad nos, tum ad Gallorum Regem destinatis Legatis, gravissimis quidem, probissimis ac doctissimis viris; qua in re aperte cognovimus, praeter publicam Christianitatis causam, amicam quoque vestram & quam optime affectam erga nos voluntatem, quam sic interpretamur, ut ingentes nunc gratias vobis omnibus agamus, occasionem omnem libenter amplexuri, qua benevolentiae parilitatem quandoque referre possimus; licetque laboribus in hoc, si fieri potuisset, pacis componendae negotio a vobis sedulo sincereque susceptis, speratus eventus hactenus parum feliciter responderit, vestrum tamen in causa omnium sanctissima praestitum studium, & ab amicissimis profectum pectoribus nobis extitit quam maxime gratum. Quod vero per Gallos steterit, eorumque culpa hactenus infectum sit, quod nos ex boni & Christiani Principis officio quam vehementer confectum optamus. ex eisdem Legatis & Oratoribus vestris, qui actionibus omnibus adfuerunt & interfuerunt, & quibus totius rei gestae series & ordo penitus cognitus & perspectus est, copiose, uberrime sigillatimque intelligetis, confidimusque, omnia fideliter ab eis exposita, relatuque iri, per nosque neutiquam stetisse, quin tam bona suscepta causa a bonis omnibus optatum sortiretur effectum. Nihilominus interim expectamus, ut vos pro vestra, in rectas & justas quasque causas propensione eam erga nos amicitiam assidue praestetis, quae vobis antea semper intima & sincera nobiscum intercessit: & feliciter valete.*

A. 1545.

(b) *Galliae Regis literae ad eosdem.*

Regis *Galliarum* ad Principes & Status Protestantes epistola, d. 9. Jan. 1545. stylo Gallico, id est, 1546. ad fanum Sancti Germani data, ex Gallico fideliter versa haec est: *Illustrissimi Principes & Status, amici charissimi & magni, salutem. Cum certi simus a Legatis vestris, ante hac a vobis in negotio pacis inter Angliae Regem & nos tractando, missis, recte vobis omnia, quae acta sunt, relata esse, nolumus de iis ad vos prolixe scribere: Sed quantas possumus maximas & humanissimas gratias vobis agimus, propter bonum affectum, quem deputati vestri & nobis ad emolumentum rerum nostrarum & in universum ad commodum & pacem orbis Christiani demonstrarunt, tanta prudentia tantoque cum candore & zelo pro utilitate rei Christianae, ut eo nomine illi merito a nobis laudandi & magni aestimandi sint. Hoc celare vos non potuimus, quibus hac ratione mirifice satisfactum est. Confidimus etiam ex probitate, quam in illis cognovimus, quod vobis significaturi sint, quanto cum studio & officio annixi simus, ne iter eorum sine fructu susceptum esset, & quomodo in rebus, quas illi proposuerunt, tum vestri & illorum causa, tum ad commodum & quietem reipublicae Christianae, nec ullo alio respectu aut necessitate nos gesserimus; id quod ex eventu satis apparebit, num Rex Angliae aut nos taedium belli prius simus sensuri. Concessimus sane, quae nulla alia ratione inducti admissuri fuissemus, cujus testis nobis erit Deus & Legati illi vestri. Fecimus autem illud eam maxime ob causam, ne pro perturbatoribus tranquillitatis Christianorum diffamari possemus. Sciunt autem Legati vestri, quantam levitatem subitamque mutationem ex altera parte deprehenderint, & vos ipsi pro prudentia vestra judicabitis, quo illae fictiones & dissimulationes tendant, & unde ortum habeant. Ideo rebus sic stantibus monere & rogare volumus, ut alia vice, quando Angli a vobis petent, ut in talibus negotiis, quae ad nos spectant, operam vestram impendatis, majorem securitatem promissorum ab eis exigatis, quam nunc a vobis factum est, ne vos & vestros inutiliter fatigetis, minoremque gloriam ex tali negotiatione reportetis, quam nos vobis & dignitati vestrae optamus, nec dubitamus, quin hujus moniti nostri in tempore & loco memores sitis futuri. De caetero certi sitis, quod quantum vos attinet, mirifice obligati vobis simus propter bonam vestram voluntatem & operam, quam Legatis vestris in hoc negotio demandastis. Si etiam alia occasione gratam vobis mentem demonstrare poterimus, tam paratos nos ad officia vestri causa optimo cum affectu praestanda invenietis, quam quoscunque alios, quos amicos habetis. Haec Legati vestri pluribus ex nobis perceperunt, vobisque, ut dexteritati eorum confidimus, referent & explicabunt. Precamur DEUM, ut vos Illustrissimi Principes & Status, in sancta & digna habeat protectione.* Titulus est: *Charissimis & magnis amicis nostris, Principibus & Statibus Protestantibus.*

SECT. 32.

(1) Concilii Tridentini initium.

Ita Carolus, dimisso conventu Wormatiensi, sub initium mensis Sextilis per Coloniam iter habens, in Belgium rediit, ut ibi sine magno rumore necessaria ad exequenda, quae destinaverat, & quae maxime celare cupiebat, pararet. Nihilo tamen segnius Concilii progressum urgebat, quod & paulo post initium habuit. Dum etenim inutiliter cum Protestantibus, ut Concilio, Tridenti habendo, se submitterent, Wormatiae tractaretur, Pontifex ro Legatos suos, qui suo nomine praesiderent, misit, Cardinales Johannem Mariam de Monte, Marcellum Cervinum, qui Cardinalis S. crucis vocabatur, & Reginaldum Polum, regii sanguinis in Anglia Principem. Non expectet hic a me lector exactam celebris hujus Concilii historiam, quod occasione quidem Lutheranismi habitum fuit, sed infinita alia negotia, ad causam illam minime pertinentia, complexum est. Si enim veri historici munere fungi vellem, a quo, ut duo periculosi scopuli, extrema, in quae clari scriptores inciderunt, dum vel laudi vel vituperio plus justo indulgent, vitari debent, oporteret me longe majus historia hac, quam scribo, opus componere. Boni itaque consulatur, velim, ut more, quem semper in omnibus

omnibus scriptis meis exacte servare annitor, nihil de Concilio hoc referam, quam quod ad materiæ, quam tracto, perspicuitatem necessarium erit. Primum itaque memoro, initium, seu aperturam, quam vocant, Concilii, quæ d. 15. Martii fieri debebat, non prius quam d. 13. Decemb. tertia Adventus Dominica, factam esse, ob causas valde secretas, & Episcopis ipsis incognitas, quos vehementer tam longa mora tædebat, cujus veram rationem penetrare nequibant, quæ tamen in progressu hujus historiæ satis mature apparebit. Actus inchoationis omnibus consuetis, & in Rituali Romano consignatis, ceremoniis celebratus est; Nam post jejunium unius diei, & processionem generalem a templo Sanctissimæ Trinitatis usque ad Cathedrale, quod S. Vigilio, Episcopo Tridentino, dedicatum est, & in quo sessiones Concilii habitæ fuerunt, cantata fuit solenniter Missa a Card. Montano, primo ex tribus Legatis, concio vero pronunciata fuit, a celebri illo Cornelio Musso, Episcopo Bituntino, maximo Italiæ concionatore. Exhortatio secuta est a Legatis ad patres, qua ad seriam reformationem morum incitabantur, ut hæreticis prætextus rebellionis, quem sumserant, auferretur. Post omnes vero has solennitates prima sessio peracta fuit, cui præter Legatos quatuor tantum Archiepiscopi & Episcopi viginti duo adfuerunt. Soli etiam Ferdinandi Romanorum Regis Legati præsentes erant, Cæsareum Venetiis morbus detinebat, & quos Franciscus I. Rex miserat, ob nimis diuturnam Concilii aperiendi procrastinationem domum erant revocati. Quinque etiam Ordinum Generales, plurimique & celebres omnium nationum Doctores comparuerant, neque tamen aliud actum est, quam ut declararetur, Concilium inchoatum esse, & proximam sessionem, ob propinqua Natalium festa, non prius, quam ad d. 7. Jan. anni sequentis haberi posse. Interea patres de modo procedendi in Concilio hoc, inter se convenerunt, conclusumque fuit, ne suffragia secundum nationes ferrentur, ut in Concilio Constantiensi & Basileensi factum fuerat, multisque turbis causam dederat, sed ut quisque sententiam suam libere diceret, utque ex majori suffragiorum numero decisio fieret, quemadmodum observatum fuerat in ultimo Concilio Lateranensi sub Leone X. Capita, de quibus tractandum erat, examinari & resolvi debere a Prælatis, in plures congregationes particulares distributis, proponi deinde in consessu generali, ibique vel corrigenda vel confirmanda esse, ut solenniter in sessione, post congregationes ejusmodi habenda, publicari possent. Quod titulum decretis præfigendum attinet, duo, injustis Lutheranorum prætensionibus plane contraria, placuerunt, his verbis concepta: Sanctum œcumenicum Concilium, legitime congregatum, ductu Spiritus Sancti, præsidentibus Legatis Apostolicis. *Protestantes enim Concilium volebant a Pontifice prorsus independens: ut igitur iis ostenderetur, corpus adeo regulare, quale est Concilium generale, membra habere debere cum capite suo, quod idem Ecclesiæ universalis caput est, perfecte unita, verba ista apposita fuerunt;* præsidentibus Legatis Apostolicis. *Prætendebant etiam, ut Laicis in Concilio sententiæ dicendæ jus esset, ob hoc omissa sunt verba:* Concilium repræsentans Ecclesiam universalem, *quæ non nisi in Concilio Constantiensi & Basileensi usurpata fuerunt. Neque enim unquam objicere destitissent, Laicos, utpote Ecclesiæ membra, etiam Concilii membra esse debere, quod eam repræsentat. Pravum quidem sophisma hoc facile destrui potuisset, dicendo; Concilium repræsentare Ecclesiam, quatenus docet; ideo hanc cognoscere & decidere per Pastores suos, quibus cæteri uniuntur, perfecta submissione erga ea, quæ illi definiunt: Sed evitari etiam debere, visum est, futilem prætextum de vocabulis rixandi, quæ semper perperam interpretari voluissent.*

(2) Conventa de processu & titulo Concilii.

§. CXXV.

Annotata quædam de causis dilati Concilii.

Ad hæc multa ex *Pallavicino*, & nuper edito *Raynaldi Tomo XXI.* annotari possent, nisi tota illa de Concilio historia prolixiorem & separatam tractationem exigeret, quod *Maimburgius* quoque agnoscit; sed cum affectatione ambitiosa, & nescio quid de laude & vituperio innuens, quod nescio, an ad scriptores, an ad ipsum Concilium pertineat. De secretis dilationis causis supra actum est. Præcipua erat, ut interim Protestantes spe aliqua lactarentur, & belli apparatus tanto occultius fieri posset. Fortassis arcana Cæsar consilia habebat, ut, cum Evangelicis inita concordia, majestatem suam contra Pontificem & Gallum stabiliret. Accedebant novæ inter Cæsarem & Galliæ Regem simultates, maxime post mortem *Caroli*, Aureliani Ducis, filii Regis Galliæ, cui nuptiæ filiæ Cæsaris cum dote Mediolanensis Ducatus promissæ erant. Dilata etiam diutius inchoatio Concilii fuisset, ni Cæsar, videns, Pontificem id in alium suæ ditionis locum translaturum, & Germanos vehementius irritaturum esse, tandem cessisset, majus etiam obsequium erga Pontificem ostensurus, quam Gallus, qui, ut ex relatione *Sturmii* intellectum est, Episcopos suos revocaverat, sive, ut *Maimburgius*, nescio quam vere, scribit, ob procrastinatum Concilium, sive ut Protestantes ad se alliceret, ut ex *Sturmii* relatione intelleximus, nova in Cæsarem odia exerciturus. Falsus interim insigniter est, ut in multis *Raynaldus* cum in anni hujus actis *n. 32.* scribit: *Regem a Protestantibus solicitatum esse contra Cæsarem*, cum, teste eodem *Sturmio*, Legati illorum ne quidem ad accipiendam, quam Rex offerebat, amicitiam & societatem instructi essent. *Pallavicinus*

A. 1545.

nus Lib. V. cap. XVI. §. *6.* æstum & præcipitantiam *Granvellani* taxat, quod, audita revocatione Episcoporum Gallorum, pacta cum Gallo produxerit, ex quibus apparebat, Cæsarem a Rege devinctum esse, ut in Concilium consentiret, cum e contrario Cæsar in Comitiis *Wormatiensibus* gloriatus esset, se Gallum eo perduxisse; & profecto Gallus ipse apud Legatos Protestantium, ut audivimus, professus erat, se coactum esse ad accipiendum Concilium. De mandatis a Pontifice Legatis ad Concilium datis, notabilia refert *Pallavicinus d. cap. XVI.* §. *1. 2.* Jubebantur de religionis articulis ante cætera agere, licet id Cæsaris intentioni adversaretur, qui de reformatione Cleri, aut aliis quibusdam capitibus, tractari prius malebat, ut Protestantibus fucus fieret, & occasiones interea maturescerent; sententias deinde, non autores, damnari volebat Pontifex; (non gratia erga personas, sed astu politico.) Reformationem morum differri jubebat, sed ita, ne subterfugi, aut ad finem concilii detrudi videatur; Libenter audienda esse monet, quæ adversus aulam Romanam vel ipsum Concilium objicerentur, non *quod illis a Synodo prospiciendum sit, sed quo distinctius Pontifici innotescerent, & aptius consuli ab eo posset.* Literis & aliis commentariis, Concilii nomine conscribendis, præfigi trium Legatorum, ut Præsidum, nomen, ut & Pontificis, cujus personam gerebant, mandavit, *ut non modo Concilii convocati autor appareret, sed & coacti caput & Rector.* Indulgentias quasdam largiri Legatis permittebatur, sed non synodi nomine, quia ad hanc concessio talis minime pertineret. Videt *Pallavicinus*, non defuturos esse, qui hæc, quæ ipsius verbis referimus, & alia, quæ omittimus, Pontificis calliditati politicæ tribuerent, ad conservandam suam supra Concilium prærogativam tendentis; Ideo §. *3.* inter politicam *sinceram*, omnium virtutum principem, & *adulterinam*, quæ ad solam utilitatem respicit, & inter vitia scelestissimum est, distinguit. Hujus (§. *4.*) reos facit Principes, qui Pontifici detraherent, aut Episcoporum autoritatem minuerent. At intrepidam Pontificii fastigii defensionem prioris & veræ politicæ artibus adscribit, in forma enim monarchica regiminis, Ecclesiæ salutem consistere putat; vero utique axiomate, si Ecclesiam repræsentat Pontifex. Provocat ad argumenta ex oratione *Aleandri*, *Wormatiæ* habita, sed a se ipso composita *Lib. I. cap. XXV.* Huic vero monarchiæ periculum summum ab ambitione Conciliorum metuendum esse, audacter pronunciat, quia *multitudine congregatorum Prælatorum & opinione Doctorum*, (Gallos sine dubio ante alios innuit) *tum fama populari de potestate Conciliorum supra Papam, insolescere possint.* Hanc vero superioritatem Conciliorum in Papas uno saltem casu agnoscit, si nempe Papa in hæresin incidat, hoc enim unum, in hoc Principe crimen agnoscit. Extra hoc, Concilia non nisi *Senatum Pontificum supremum esse, cujus opera ex Apostolorum instituto uti debeant, in difficillimis Ecclesiæ causis, itaque eos ab inconciliati Concilii arrogantia Cathedram suam ab omni injuria ac detrimento munire debere.* Hæc, an inter regulas illas, quæ horrorem etiam Catholicis incutiant, habuerit recens autor Gallicus, *Richardus*, (vid. *Act. Erud. Lipsiens. an. 1690. p. 571.*) equidem nescio; Evangelici sane omnes his *Pallavicini* effatis mirifice in opinione sua de Antichristiano dominatu, a Pontificibus in Ecclesiam per injuriam temporum, factiones Principum, & socordiam populi invecto, confirmabuntur.

(2) *Mandata Legatis Pontificiis ad Concilium data.*

(3) *Notata quædam ex Pallavicino.*

Ceremonias inchoati Concilii, qui prolixius descriptas legere cupit, *Raynaldum* adeat, qui *Massarellum* exscripsit *n. 36.* Idem *n. 39.* mandati, a Pontifice tribus Cardinalibus dati, formulam, sed non integram, exhibet. Nihil tamen in illa solennitate & prima sessione actum fuit, quam quod qui exiguo numero aderant, quos vocabant, Patres, Concilium *ad gloriam Dei, incrementum & exaltationem fidei & religionis Christianæ, ad extirpationem hæresium, ad reformationem Cleri, ad depressionem & extinctionem hostium Christiani nominis, rite inceptum esse*, vanissime affirmabant, & alteram sessionem *d. 7. Jan.* anni sequentis, ut *Maimburgius* retulit, habendam esse, rogantibus Legatis, annuerent. Vulgatam in Germania relationem de ceremoniis inchoati Concilii, vertit ex lingua Italica in Germanicam anonymus aliquis ex Evangelicis, & notis quibusdam in margine perstrinxit. Retulit scriptum *Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. 42.* Præfatur autor, quomodo desideratum sit Concilium liberum & christianum in Germania habendum; negat autem, ullum ex his requisitis in Tridentino deprehendi. Jubet Christianos, ut oculos aperiant, & vel ex hoc specimine ceremoniarum, pomparum, invocationis sanctorum, aliisque ejusmodi rebus, Pontificem agnoscant. Irridet jactatam in relatione Episcoporum sanctitatem, quod ad horam usque post meridiem tertiam impransi manserint, mirantibus multis, quod vires ad id habuerint: Stolas etiam & mitras purpureas aut albas ex serico aut linteo pretioso, quibus ornati erant diversimode Prælati, insectatur. Erratum est in hoc scripto a typographo fortassis, quod dies solennitati illi *13. Novemb.* assignetur, cum fuerit *13. Decemb.* De Oratorum Imperatoris & Regum actis nihil attinet dicere, cum intra formulas mandatorum exhibendas & verba officiosa substiterint. A *Cornelii Mussi* oratione impense laudanda prudenter abstinuit *Maimburgius*; ejus enim affectationes profani styli & adulationes perstrinxit *Paulus Venetus*, quem ideo, ut & ob alia, acriter aggressus est *Pallavicinus d. Lib. V. cap. XVIII.* Concedere tamen videtur, simpliciorem dictionem causæ, quæ tractabatur, & personis magis convenisse. Exagitaverat inter alia *Venetus* dictum *Mussi*, quod Concilium cum equo Trojano comparasset, quod ominosum fuisse putat, & ad machinationes Pontificias applicat. Hoc Ciceronis imitatione a *Musso* dictum, ostendit *Pallavicinus*, & observari vult, simile etiam dissimile esse. Magis laborat in excusanda adulatione, qua *Mussus* usus erat, dicens: *Papæ lux venit in mundum*, nec aliud reperit effugium, quam ut vocabulum *Papæ* pro interjectione habeat, idque ex codicibus actorum probare nititur, in quibus accentus voci additus inveniatur; tandem *Veneto* hujus imputationis gratiam facit, nec negare audet, ambigue locutum esse *Mussum*, & ad Pontificem respexisse, observavit hoc & *Pallavicino* etiam objecit *Amelotus*, in ampla & memorabili præfatione, versioni *Pauli Veneti*

(4) *Inchoatio Concilii, & scriptum in Germania contra illam sparsum.*

(5) *De oratione Mussi.*

A. 1545. De in[...]abilitate [...]pæ & [...]ncilio[...]rum.

neti historiæ præmissa. Denique de Conciliorum autoritate disputat, &, cum errasse Concilia etiam septingentorum Episcoporum, scripserit *Venetus*, negat id factum esse *Pallavicinus* in iis, quæ a Pontifice, ut capite, directa & comprobata fuerint; fons enim omnis veritatis, si illis credas hominibus, est Pontifex. Veram scilicet & communem Pontificiorum doctrinam esse asserit, quod solus Romanus Pontifex errare non possit, ita tamen, ut nec Concilia errent, accedente Pontificia confirmatione. Communem vocat hanc doctrinam, sed non dissimulat esse Doctores Catholicos, a quibus in dubium vocetur, hæreticos vero pronunciat, qui Concilii œcumenici, a Pontifice comprobati, definitiones impugnent, quia inde sequeretur, etiam Ecclesiam errare. Sed *Lutherus* & alii ab hæresis infamia satis tuti sunt, licet etiam Ecclesiæ, qualicunque sub nomine congregatæ aut repræsentatæ, (universa enim nunquam convenire potest,) errores contingere posse dicant, quoties nempe a verbi divini clarissimis regulis discesserit, aut præter eas aliquid, ut necessario credendum & observandum determinaverit.

(*) *Acta* [...]*ndam & *[...]*putata* [...]*n Concilio.*

Quæ sub finem anni & ante alteram sessionem Tridenti de variis quæstionibus, ad formam Concilii pertinentibus disputata sint, *Pallavicinus* refert & defendit *Lib. VI. cap. I. & II.* Pontifex suo arbitratu, monentibus Legatis, Advocatum Concilio dedit, qui contra Lutheranæ sectæ molimina, aut profanas, ut loquitur, potestates, jura Synodi defenderet, *Achillem de Grassis*, cum delatum id munus recusasset *Antonius Gabrielius*, Jureconsultus insignis, quanquam nec Grassus incelebris fuit; supersunt enim utriusque scripta. *Abbreviatorem*, quem vocant, dedit *Hugonem Boncompagnum*, Secretarium, postquam se excusasset *Marcus Antonius Flaminius*, & hæresis suspectum fecisset (a qua tamen in fine vitæ resipuisse dicitur) *Angelum Massarellum*; hujus tamen electionem patribus Concilii permisit, murmurantibus, quod officia illa ex arbitrio Pontificis, se inconsultis, distribuerentur. Quæsitum est a Legatis ex Pontifice, an suffragia secundum capita, an per nationes numeranda essent, ita ut decem Hispanorum sententiæ tantum valerent, quantum centum Italorum? Quanquam vero posterior opinio de suffragiis nationum, quam in Constantiensi Concilio contra Italos, *Johanni XXIII.* præfracte adhærentes, necessariam fuisse, non inficiatur *Pallavicinus*, (vid *cap. IV.* §. *10.*) Romæ minime probata fuerit, negat tamen eam tunc decisam esse, d. *cap. IV.* §. *9.* licet id asserat *Maimburgius*. Adde, quæ *cap. I.* §. *7.* contra *Suavem* disseruit. Alia controversia fuit de jure suffragandi Episcoporum, Abbatibus Benedictinis sive Cassinensibus & similibus concedendo; hoc volebat Pontifex, sed ringebantur Episcopi, jamdudum sibi derogatum esse questi, quod Abbates æquiparati Episcopis essent, id quod ex arcanis Pontificiæ dominationis erat, & intempestive tunc detegebatur. De religiosorum Ordinum Præpositis, quos vocant, *generalibus*, minor erat dubitatio, & allegabatur proximorum seculorum pro utrisque observatio, vid. *d. l. cap. II.* §. *4.* Procuratores Germanorum Episcoporum idem jus impetrare nequiverunt, qua de re multa secreta aperit Pallavicinus. De titulo Concilii, quod *universalem Ecclesiam repræsentans* dici debere ab Episcopis urgebatur, ardua & spinosa fuit concertatio, non quidem eam ob causam, quam hic suggerit *Maimburgius*, ut Lutheranis, laicos etiam ad Concilium admitti postulantibus, contradictionis ansa præcideretur, sed interiorem, quam aperit *Pallavicinus*; & hunc sequi debuisset *Maimburgius*, quia non nisi per illum de rebus Concilii sapit. Verebatur nempe Pontifex, titulo illo nimiam autoritatem tribui Concilio, nam in Concilio Constantiensi & Basileensi adjecta erant verba: *quæ Synodus a Christo immediate potestatem habet, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur.* Hic audacter quidem rejicit *Pallavicinus* Basileensem Synodum, ut schismaticam, Constantiensem vero modestius tractat, & ideo stylum illum non damnat, quia illo tempore ob schismata inter Papas Concilio major potestas invideri non poterat. Quæ *Maimburgius* hic philosophatur de ecclesia a docentibus solum repræsentanda, & quod Pastoribus perfecta submissione a cæteris obediendum sit, digna sunt Theologia, qua imbutus erat. Sequentia duo *Pallavicini* capita, quanquam ad anni sequentis 1546. acta referantur, magni sunt momenti. Nam *cap. III.* contra *Paulum Venetum*, & qui ei pollicem pressit, *Claudium Salmasium*, operose disputat ex *Cypriano*, asserente, *unum esse ecclesia Episcopatum, cujus partem in solidum tenerent* Episcopi. Inter alia sophismata, quibus Pontificibus Episcopatum universalem asserit, non veretur statuere *n. 7. etsi Apostoli æqualem a Christo potestatem habuerint Evangelii promulgandi, in Petro tamen solo ordinariam fuisse, in reliquis delegatam, ideoque Episcopos Apostolis in illa æqualitate & delegatione generali non successisse, non magis, ac in autoritate scribendi libros Canonicos.* Et verum quidem est, in multis differre Episcopos ab Apostolis, inter alia maxime, quod in universum Orbem, ut illi, non mittantur, sed certæ proponantur diœcesi; merum autem postulatum est, quod de ordinaria & delegata Apostolorum potestate & inde efficta Pontificum in Episcopos dominatione commenti sunt Pontificii parasiti. Non minus impudenter subjungit, quod *Apostoli reliqui Petro* (cui soli claves concessas esse putat) *nihilominus fuerint subjecti, licet ea ipsorum fuerit sapientia, ut Petrus occasionem non habuerit, jurisdictionem suam in illos exercendi.* Hæc omnia falsissimis principiis superstruit, inprimis, quod monarchicum regimen Ecclesiæ plane sit necessarium; frustra etiam ex ipsius *Cypriani* verbis argumentum petit, cum is primatum *Petro* datum esse docet, quod, nisi contradictio *Cypriano* imputetur, de primatu, non potestatis, sed ordinis, intelligendum esse, nemo cordatus negabit, licet hunc sensum ut insipientem, explodat *Pallavicinus*. Post hæc *cap. IV. Venetum refellit*, qui Concilia œcumenica a Principibus sive Cæsaribus congregata & directa esse statuit. Respondet autem *Pallavicinus*, congregatos vel compulsos fuisse ad comparendum Episcopos a Cæsaribus, *postulante Romano Pontifice*, (*imperante* libentius dixisset) fatetur quoque, Cæsares vel eorum ministros

A. 1545.

(8) *Pallavicini disputatio de primatu & jurisdictione Petri in Apostolos.*

(9) *Item de potestate Cæsarum & Pontificum, in convocandis Conciliis.*

A. 1545.

nistros adfuisse in Synodis, ut turbas compescerent, & ideo *Caroli V.* præsentiam vehementer a Pontifice desideratam fuisse: dignum nempe erat Cæsare munus, quod Irenarcha aliquis cum apparitoribus exercuisset. Probabilius est, quod affert, post dissolutionem Imperii Romani per divisiones regnorum, Episcopos variarum ditionum non nisi a Pontifice, cui se, ut capiti, submiserant, convocari potuisse; sed quod id Christi providentia factum, & Pontifici demandatum sit, itidem inter postulata est: Supererat enim alia via, qua inter Reges Christianos conveniri potuisset, ne impedirentur Concilia generalia; nam & hodie absque illorum consensu haberi non possunt, & Pontificis citatio nullum effectum habet, si Reges comparitionem inhibeant. Cætera, quæ contra *Venetum* non solum, sed &, quem pro modestia sua *mendacem* vocat, *Brentium* philosophatur, ut autoritatem Cæsarum in Conciliis enervet, referre supersedeo, cum & prolixa sint, & a Doctoribus Protestantium dudum solide expensa & confutata. Attexemus quædam, ad supplendam hujus anni historiam.

(10) *De colloquio, quod Ratisbonæ indictum erat, & de collocutorum denominatione quadam.*

Cunctatio Cæsaris novis suspicionibus turbavit Protestantes, cum colloquium, quod *Ratisbonæ* ad *Cal. Nov.* incipi debebat, datis ad Electorem Sax. d. 2. Novemb. literis ad *d. 16. Decemb.* prorogavit. Interim Saxo & Landgravius inter se convenerant, & d. 17. Septemb. denominaverant collocutores, *Melanchthonem*, *Bucerum*, *Snepfium*, *Brentium*; auditores *Franciscum Burcardum* Cancellarium Saxonicum, *Volradum Comitem Waldeccensem*, Hassiæ Landgravii nomine, *Balthasarem a Gultlingen*, Würtenbergensem Consiliarium, & *Hieronymum Baumgartnerum*, Norimbergensem Senatorem: Cum tamen hic adesse non posset, d. 30. Novembr. Elector Sax. Norimbergensibus scripsit, ut alium delegarent, ea vero occasione monet, metuendum esse, ne omnia subdole in colloquio agantur, & omni astu laboretur, ut quidam ex Evangelicis collocutoribus in aliquibus articulis a Sacra Scriptura abducantur, id enim jam in prioribus colloquiis tentatum, sed per Dei gratiam impeditum esse: Quoniam vero salus animæ æterna in hoc versetur, & satius sit colloquium plane evitare, quam aliquid in detrimentum veræ religionis admittere, Elector autem non dubitet, quin civitas Norimbergensis puram doctrinam Evangelii secundum articulos, anno 1537. Smalcaldiæ unanimi consensu receptos, constantissime servatura sit, petit, ut Senatus suos instrueret, ne persuaderi sibi contrarium patiantur, & sedulo caveant, si ad concordiam de uno vel altero articulo veniendum esset, ne verba peregrina vel sententiæ concedantur, quæ in ecclesiis Evangelicis recipi & doceri non possint, aut ambiguam & duplicem interpretationem admittant, sed ut transacta clarissimis verbis, Sacræ Scripturæ convenientibus, & ita concipiantur, ut non nisi unum sensum contineant, exclusis omnibus aliis. Invenio Electorem Saxoniæ non parva solicitudine affectum fuisse, *Buceri* causa, & invitum admodum consensisse, ut inter collocutores denominaretur; *Argentoratensibus* etiam imputabat, quod nimis lenes essent, & gratiam aulæ Cæsareæ, famamque moderationis apud adversarios ambirent, unde in se fere solum omne odium tanto vehementius redundaret. Jam antea d. 17. Augusti *Lutherus*, ad Electorem vocatus, de *Bucero* diffidentiæ causas aperuerat, & *Melanchthonem* se excusaturum esse dixerat, si cum illo conjungeretur, suasit itaque, ut *Melanchthon*, *Snepfius* & *Vitus Theodoricus* delegarentur. Hoc ex rescripto electorali ad Pontanum *Reg. H. fol. 599. n. 192.* certum, & contra *Hospinianum* notandum est, qui *Luthero* & *Amsdorffio* imputat, quod *Melanchthon* ad colloquium non sit missus. vide quæ infra §. *CXXXII. n. 2.* relata sunt. Perstitit etiam post denominatum jam *Bucerum* in suspicione Elector, ut ex literis ejus d. 15. Novemb. ad *Pontanum* constat, in quibus scribit, se malle a fœdere discedere, & neminem ad colloquium mittere, quam pati, ut causæ noceatur. Ex *Pontani* etiam relatione ad Electorem d. 10. Decemb. apparet, *Melanchthonem* dixisse, nihil metuendum esse a *Bucero*, præsentibus *Snepfio* & *Brentio*, longe acrioribus, quam ut *Bucero* cedant, si is nimium indulgere vellet adversariis; Putasse etiam, tardius mittendos esse collocutores, quia fortassis colloquium ipsum progressum non sit habiturum. Ex ipsius *Buceri* literis eodem tempore intellectum est, Cæsarem tales viros ad colloquium destinare, cum quibus nihil cum successu agi possit, neque aliud quæri, quam ut colloquium impediatur aut rumpatur, interim Pontificem insistere concilio, & consultandum esse, quid fieri debeat, si decreta Concilii per vim obtrudantur; Synodum Evangelicorum necessariam esse censet *Bucerus*, sed hanc minime probabat Elector. Verebatur scilicet, ne magna pars in concordiam cum Helvetiis consentiret, non tam, quod sententiam illorum probarent, quam metu instantis belli, adversus quod præsidium ab Helvetiorum societate sperabant. Landgravius jam ab initio hujus anni nihil omiserat, quo Electorem ad societatem illam Helveticam pellicere.

(11) *De concordia & societate inter Smalcaldicos & Helvetios frustra tentata, & Wittenbergensium de ea judicium.*

Sed vehementer dissuaserunt eam Theologi Wittenbergenses, *Lutherus*, *Pomeranus*, *Cruciger*, *Major* & *Melanchthon*. Consilium, eorum manu subscriptum, ex parte saltem produxit *Hortleder. Tom. I. Lib. VIII. cap. 16.* & quidem ex compilatione operum *Melanchthonis* Germanicorum, a Reformatis in Palatinatu anno 1603. editorum, itemque ex *Balth. Mencio.* Fugit autem diligentiam *Hortlederi* autographon, quod *Reg. H. fol. 612. n. 196.* in volumine, quo continetur *instructio, quomodo cum aliquibus Ordinibus Imperii tractandum sit &c.* asservatur. Libros, quos *Hortlederus* allegavit, inspicere non potui; at, si *Theologi Palatini*, qui *Melanchthonis* scripta ediderunt, partem responsi de Helvetiis ex proposito omiserunt, causæ suæ serviisse eos apparet, cui *Melanchthonis* subscriptio obesse poterat. Theologi igitur non solum ea regerunt, quæ *Hortlederus* produxit, in quibus continuationem fœderis Smalcaldici suadent, sed & ad quæstionem Electoris, de fœdere cum Helvetiis, respondent, & speciatim causas indicant, propter quas societas illa Principibus appetenda non sit; quarum prima est politica, quod metui debeat potentia *Helvetiorum*, Principibus inimicorum

quod

A. 1545.

quod recenti exemplo eorum, quæ contra *Sabaudiæ* Ducem egerint, & ex quibus bellum a Cæsare timeri possit, comprobant. Sed hoc ipsis Principibus expendendum relinquunt. Pergunt dein & queruntur, quod *Tigurini* publice contra Saxonicos scribant, & articulos doceant, qui rejiciendi sint, (die sträflich sind.) *quomodo igitur corda consentient*, ajunt, *si scriptis palam certetur?* si igitur in fœdus recipiantur, fore, dicunt, ut in sententia sua confirmentur. Mores etiam gentis tales esse, ajunt, qui cum Germanis non conveniant, multa enim loqui & scribere eos solere, quæ temeraria sint nec ferri possint. Denique Daniæ Regem & civitates Saxoniæ inferioris repugnare. Helvetiorum societati, & a fœdere Smalcaldico discessum molituros esse, si illi recipiantur. Concludunt itaque religionis & politici regiminis causa periculosam esse conjunctionem cum Helvetiis, neque hos intra terminos sese contenturos; veterem famam esse, quod ita extensuri sint Helvetii imperium suum, ut Ulma centrum ejus sit futurum. Suadent igitur, ut veteres socios retinere studeant Evangelici, nec ancipitia sequantur, memores dicti: *in silentio & spe fortitudo vestra.* Oportet in eandem sententiam *Wittenbergenses* jam sub initium anni Electori respondisse, is enim in literis d. 8. Febr. ad Landgravium datis, tale aliquid cum eo communicaverat, cui tamen ille non acquievit. Inter alia enim *Reg. H. fol. 602. n. 194.* d. 16. April. Electori respondet: controversiam de Sacramento verbalem esse; allegat quædam ex libris Helveticis, paulo ante Electori missis, testatus tamen, se litem suam non facere, quod fateantur, Christum secundum divinam & humanam naturam præsentem esse, & similitudine de sole, qui ex uno puncto cœli magnam orbis partem illuminet, utantur; e contrario duriora quædam Lutheri dicta de præsentia reali citat. Sed ex illis non apparet, quod Landgravius verum statum controversiæ tunc perceperit. *Pontanus* etiam, jussu Electoris, cum *Melanchthone* egit, eumque (ut d. 24. April. refert,) permovit, ut ad Landgravium de causa Helvetica scriberet, eumque dehortaretur, ne *Tigurinis* patrocinaretur, qui nunquam concordiam Wittenbergensem, anno 1536. initam, acceptaverint. *Bucerum* quoque mitius justo de *Tigurinis* sentire agnovit *Melanchthon*; nam ex reformatione ab eo publicata, quam retulimus, satis apparebat, controversiam de sacra cœna ab eo tanti momenti non haberi, ut ejus causa concordia impediri inter Saxonicos & Helvetios debeat.

(12) *De libro Bullingeri & nota ad historiam Hospiniani.*

Addit *Pontanus*: *Melanchthonem* locum de salute ethnicorum in libro *Bullingeri*, quem titulo; *Absoluta de Sacramentis tractationis*, ediderat, jam ipsum invenisse & valde improbasse, quod *Zuinglii* sententiám defenderit, dixisse etiam: *Helvetios* esse homines duros, pervicaces & superbos, & *Bullingeri* librum pravum esse, qui in ditionibus Electoris & *Mauritii* Ducis vulgari non debeat. Subjungit *Pontanus*: Nisi liber prohibeatur, fore, ut Lutherus de novo concitetur, (würde ein wunderlicher mann darüber werden) verendum tamen esse ne jam plurima exemplaria *Lipsiæ* distracta sint. Suadet itaque Electori, ut & *Landgravium* & *Mauritium* Ducem roget, ut librum in suis provinciis vendi vetent. Secutus est consilium Elector, & (*Reg. N. lit.* 𝔛𝔛. *n. 199. fol. 405.*) *Mauritium* Ducem (an ad *Landgravium* eadem scripserit, non inveni) d. 26. April. rogavit, ut distractionem libri, a *Bullingero* editi, quo Lutheri doctrinam de Sacramento refutet, aliosque errores doceat, in provinciis suis prohibeat. Extat & responsum *Mauritii* d. 2. Maji Mersburgi datum, in quo promittit, se facturum esse, quod Elector petierit, optat tamen, ut lites inter Theologos componi possent. Pleraque hæc autores *apologia Wolffio opposita* in actis *hujus anni fol. 336. & seqq.* annotarunt. Non possum historicæ veritatis causa, (de controversia enim ipsa hic non disputo) *Hospiniani* immodestiam notare, qui *Part. II. Hist. Sacr. fol. 199.* Theologis illis mendacii notam impingit, vana & ficta esse scribens, quæ tradiderint. Fervor etiam turbavit hominem, ut textum *Apologiæ fol. 336.* falso allegaverit, ac si in eo *Mauritius* nominaretur *Elector Saxoniæ*, quam tamen dignitatem post triennium demum adeptus sit. Autores enim, ut litera ostendit, *Mauritium* minime vocant Electorem, sed distinctim de *Joh. Friderico* Electore & de *Mauritio* Duce, genero Landgravii, loquuntur, & referunt, *Tigurinos* a *Landgravio* petiisse, ut apud utrumque intercederet, ne libri sui prohiberentur. Extat *d. l. Reg. n. 197.* exemplum literarum ad Landgravium, quibus subscripserunt pastores, concionatores, lectores sacrarum literarum, & reliqui ministri ecclesiæ Tigurinæ. (pfarrer/ prediger/ der geschrifft leser/ und gemeine diener der kirche zu Zürch.)

(13) *De consilio Wittenberg. de continuando fœdere Smalcaldico.*

De consilio illo Wittenbergensium, de cujus parte posteriori diximus, quanquam in recensitione scriptorum Lutheri agi posset, hoc loco paucis notamus, cum inter fœderatos Smalcaldicos simultates quædam obortæ essent, consilium Theologorum postulatum fuisse ab Electore, & responsum illud, quod d. *Lib. VIII. cap. 16. Hortlederus* ex parte refert, datum esse, quod ante Novembrem mensem scribi non potuit; faciunt enim mentionem capti *Henrici* Brunsuicensis. Rationes autem pro continuando fœdere allegant (1) quod per id tot annis a vi inferenda deterriti sint adversarii. Etsi enim divina misericordia initium reformationis factum sit, & Deus ecclesiam colligere in his temporibus cœperit, verum cultum multis in locis restituerit, errores Pontificios redarguerit, & Epicureismo ex Italia in Germaniam irrepenti viam aliquatenus obstruxerit; Diabolum tamen, ut solet, homines turbulentos ad seditiones & divisiones impulisse, *Munzerum* aliosque, sed qui fœderatorum autoritate repressi sint: Dissoluto fœdere, & cessante inter Principes communicatione, metui debere, ne opiniones & sectæ multiplicentur. (2) Hujus fœderis continuatione effectum esse, ut contrarium illud, magno astu *Norimbergæ* (anno 1538.) procuratum, licet ei *Ferdinandus* Rex, *Georgius* Saxo, *Bavari*, *Moguntinus*, & *Brunsuicensis* nomen dederint, causæ Evangelicæ tamen non nocuerit, & *Brunsuicensis*, vir temerarius, qui Ducatum fœderis susceperit, captus sit, quidam etiam ex illo jam obierint. (*Georgius* nempe Saxo, *Albertus* Moguntinus, & *Ludovicus* Bavarus) Hæc omnia

A. 1545. omnia divinæ providentiæ accepta ferenda esse, & hac concordia, post Deum, stetisse huc usque rem Evangelicam, Deum igitur precantur, ut & Doctoribus consensum in dogmatibus orthodoxis largiatur, & Principum animos uniat, ut, quamdiu fieri possit, in fœdere hoc persistant, neque ipsi illud dissolvant; nam etsi summa industria concordiam colant, Diabolum tamen non cessaturum, ut unionem illam dissipet: operam potius impendendam esse dicunt, ut plures in consortium attrahantur, fœdera enim, pro tutela religionis veræ inita, si bonis legibus ordinentur, Christiana esse & Deo placere. Monent autem, ut ad Dei gloriam unice respiciatur, Deoque soli fidatur, nec cum alienis a religione societas ineatur: cum enim Judæi Ægyptiis sese junxissent, in exitium sese præcipitasse, & Judam Maccabæum successum non habuisse, postquam cum Romanis societatem pepegisset: allegant etiam Josaphati periculum ex fœdere cum Achabo. His postea subjungunt responsum de fœdere cum Helvetiis, quod supra retulimus. Hanc Theologorum sententiam considerantes deprehendent, illis fœdus & societatem Evangelicorum ideo potissimum probari, tum, ut injusta vis repelli possit, tum ad facilius conservandam in religione concordiam. In conventibus enim sæpe præsentes erant Theologi & de fide & disciplina consultabant, quod ex actis, quæ retulimus, satis liquet. Et hanc maxime ob caussam expediisset, ut, constituta licet postea pace religiosa, societas tamen ad illum potissimum finem inter Principes & Proceres Evangelicos diligenter servata & culta fuisset. Sic multis rixis Theologorum occurri potuisset, multa ad emendationem morum & studiorum constitui, multæ machinationes adversariorum bonis consiliis repelli. Digna est hæc res, quam expendant Principes & sapientes, atque pii eorum ministri, tam Politici quam Theologi, quanquam eo, proh dolor! prolapsa est pietas, ut in nullas quam religionis caussas minus curæ, operum & sumtuum impendatur. Alius zelus erat Principum & Procerum superioris seculi, quibus recens memoria pristinæ servitutis, & felicitatis ex emendatione ecclesiæ enatæ contemplatio, curam de Sacris omnibus aliis potiorem fecit. Sed respectus tot malorum, quibus ecclesia nostra ætate affligitur, suscitare utique legitimum ardorem deberet; sed tantum ad curam religionis, non ad factiones in republica excitandas aut alendas.

(14) De usu societatum & fœderum epicrisis.

(15) Electoris Sax. fundatio de stipendiis aliisque piis caussis.

Licet autem periculosus etiam hoc anno 1545. rei Evangelicæ status esset, & flamma instantis belli non ita occultaretur, quin jam aliquatenus & e longinquo veluti fumaret, Elector tamen Saxo curam religionis in sua provincia non neglexit, sed, quod dudum, & maxime anno præcedenti, agitaverat, propositum, de stipendiis ad studia promovenda destinandis, hoc anno cum consilio & consensu Ordinum provinciæ ad effectum deduxit. Computati sunt reditus annui trium ecclesiarum collegiatarum, *Altenburgensis*, *Gothanæ* & *Isennacensis*, mense Septembri per delectos, qui *Cizæ* convenerant, *(Reg. O. fol. 160.* NNN.) inventaque est summa 4167. florenorum, magna tamen pars ex censibus frumentariis constabat, pretium vero frumenti, considerata plurimum annorum taxatione, constitutum fuit modio Altenburgensi (ex quo ducentæ libræ panis aut paulo plures coqui possunt) tritici & pisorum *grossi duodecim*, siliginis & hordei *undecim*, avenæ *sex*; nostra ætate, quando annona vilissima est, duplo fere pluris, sæpe triplo & quadruplo venditur. Interim bona fide, & ex consueto rerum venalium pretio, æstimatio tunc facta est. Ex his reditibus centum & quinquaginta juvenibus, in Academia Wittenbergensi studiis operam dantibus, stipendia annua assignata sunt. Horum XXXVIII. ex nobilitate esse debebant, quorum singulis 40. floreni: reliquis ex municipiis 30. floreni præbebantur, ita tamen, ut inter hos XXIIX. filii Pastorum ecclesiæ reciperentur. Facta etiam est partitio singularis secundum districtus provinciæ & oppida *Electoratus*, speciatim sic dicti, dein *Thuringiæ*, *Misniæ* & *Voigtlandiæ*, jure nominandi Senatibus concesso: In *Franconicis* præfecturis sive Ducatu *Coburgensi* alii ex illa regione reditus constituti sunt. Præterea ex monasteriorum proventibus Elector ad elocationem filiarum nobilium (quæ olim in monasteria detrudebantur) pensiones annuas solvendas deputavit in tractatu *Electorali flor. 350. gr. 15.* in *Thuringia flor. 450. gr. 14.* in *Misnia flor. 400.* in *Voigtlandia flor. 400. gr. 10.* In integro autem reliquit, quæ parens ejus *Johannes* Elector ad Pastorum sustentationem anno 1528. & seqq. post visitationes, itidem ex proventibus ecclesiasticis, assignaverat, & licet, magnos sumtus religionis & pacis tuendæ caussa sibi incumbere, omnibus notum esse, dicat Elector, promittit tamen augmenta. Datum est diploma *festo Bartholomæi, sive d. 24. Aug. hoc anno 1545.* convenienti cum exordio, in quo Deo pro reformatione tantorum abusuum gratiæ aguntur, intersertis piis & utilibus admonitionibus & legibus de legitimo harum fundationum usu. Refertur ab *Hortledero Tom. I. Lib. V. cap. 22.* sed ex communicatione privata, ita ut authenticum in *Archivo* (loco supra memorato) non viderit. Ista quidem, post cladem & captivitatem Electoris, anno 1547. secutam, & provinciis ejus maxima ex parte ad *Mauritium* Ducem Saxoniæ translatis, mutationem subierunt; beneficia tamen non minuta sunt, sed pro modo redituum, tam a *Mauritio* fratreque ejus *Augusto* Electoribus, quam a filiis *Joh. Friderici*, Saxoniæ Ducibus conservata & aucta fuerunt, ut ad hunc diem per Dei gratiam plerisque ministris ecclesiæ atque scholarum prospectum sit, & jam tres Academiæ, *Lipsiensis*, *Wittenbergensis* & *Jenensis*, quæ postrema a filiis *Joh. Friderici* fundata est, sufficienti Professorum omnium scientiarum & artium numero instructæ, in Saxonicis provinciis floreant.

(16) De Evangelicis in Italia.

In Italia quoque Evangelicæ doctrinæ progressus nondum plane oppressus erat. Extant enim in actis Comitiorum *Reg. E. fol. 59. Vol. II. Balthasaris* ut hic vocatur, Neapolitani, *Alterii* nempe, qui *Aquila* in regno Neapolitano natus erat, ad mercatorem Norimbergensem *Christophorum Rembisium* literæ, in quibus modum sibi indicari petit, ut cum *Eberhardo Thannio*, Electoris Consili-

A. 1545.

ſiliario, literarum commercium habere poſſit. Refert etiam, eſſe illuſtrem quendam virum *Bononiæ* Evangelio addictum, qui, ſi bellum contra Papam geratur, ſex millia militum colligere poſſet. Sed Pontifici curæ fuit, ut vi & minis lucem evangelicam in Italia extingueret, ſicut hoc ipſo anno, ejus inſtinctu, *Mantuæ* & *Ferrariæ* (ubi quidam *Philippus Valentinus* a Pontifice nominatim indicatur & capi jubetur) factum eſſe refert *Raynaldus n. 52. & 53.*

Incidit in hunc annum ſævilſima Valdenſium in provincia Narbonenſi perſecutio, ſpeciatim *Cabreriæ* & *Merindolii*. Illi quidem ab aliquot ſeculis in montibus iſtis receptacula habuerant, Pontifici minime obſequentes, ſed ob paupertatem & quietem neglecti; cum vero Lutheri dogmata, per Europam divulgata, etiam illos ad majorem cognitionem promoviſſent, ut *Sleidanus* ſcribit, (quamvis *Helveticæ* potius ſententiæ in articulo de Sacramento acceſſerint) etiam invidiam majorem & denique ſævitiam prope inauditam in ſe concitarunt, quæ, a plurimis prolixe deſcripta, in compendio legi poteſt apud *Sleidanum d. Lib. XVI. p. 463. & ſeq.* Conſulendus etiam eſt *Thuanus*, qui litem, in Parlamento Pariſienſi contra perſecutionis autores motam, recenſet *Lib. VI. hiſtor.*

ADDITIO.

(a) *Decretum Epiſcoporum in Hungaria de reformatione, ex Raynaldo.*

Ex *Raynaldo* quædam addam, quæ ad anni hujus acta pertinent, nec a ſcopo aliena penitus ſunt. Exhibet *n. 24.* decretum Epiſcoporum *Hungariæ*, hoc anno *Poſonii* in Comitiis publicatum. Agnoſcunt, neceſſarium eſſe, ut docti eccleſiaſtici & parochi verbum Dei doceant, & exemplo præeant gregi, utque ſcholæ erigantur, in quibus bonæ literæ & vera religio doceantur, utque Prælati in Eccleſiis ſuis reſideant, aut, ſi muneribus publicis occupentur, idoneos vicarios conſtituant. Recte pleraque; (niſi, quod Epiſcopis in aulis nihil negotii eſſe deberet) ſed, dum ubique veterem religionem reſtituendam urgent, hæreticoſque omnes regno ejiciendos eſſe ſtatuunt, nihil agebant, quam ut veritatem evangelicam, quantum in ſe, opprimerent, & pro religione veteri abuſus peſſimos reducerent. Fatentur, & vehementer queruntur, omnes pene reditus eccleſiaſticos alienatos & Epiſcopos ad inopiam redactos eſſe, id quod non hæreticis, ſed aulæ regiæ imputandum erat. Epiſcoporum ipſorum negligentiam aut imperitiam ſatis aperte accuſant, dum *Suffraganeos* paſſim conſtitui poſtulant, ut ſint, qui ordines impertiantur: quaſi illa cura a tot Epiſcopis ordinariis ſuſcipi non potuerit, nec Suffraganeorum inventum veteribus canonibus plane adverſaretur. Concilii denique maturationem ſatis maſcule poſcunt, nempe, ut, ceſſante Pontifice, Cæſar provideat, ne diutius protrahantur. Poloniæ Rex, ſæpe monitus a Pontifice, non ſatis tamen rigidus contra Evangelicos eſſe Romæ videbatur.

(b) *Miraculum in Polonia, pro cultu B. Virginis tuendo, ex eodem, cum epicriſi.*

Quo vero miraculo confirmati hoc anno Poloni in veteri religione fuerint, haud pigebit lectores ex *Raynaldo n. 61.* intelligere, qui *Stephani Damalevicii hiſtoriam Gneſnenſium Archiepiſcoporum*, notaſque ad eam *Stanislai Lubiensky*, Epiſcopi Plocenſis, allegat. Archiepiſcopus tunc erat, ſimulque Epiſcopus Cracovienſis *Petrus Gamratus*, homo beneficus quidem, aut prodigus potius in pauperes, ſed *luxui, vanitatibus, parafitis, ludionibus, compotationibus & libidini deditus*; (hoc enim elogium ex autore ſuo ipſe *Raynaldus* illi tribuit) quæ tamen flagitia non impedierunt Pontificem, quo minus ei ad *Gneſnenſem* Archiepiſcopatum evecto, etiam *Cracovienſem*, quem habuerat, præſulatum, per diſpenſationem relinqueret. Converſus autem eſt apparitione mortui cujuſdam. Sed præſtat fabulam, cujus Chriſtianos pudere profecto debet, in Evangelicis autem omnibus, ea audita, perpetuum & conſtans ſuperſtitionum deterrimarum odium renovari par eſt, ex Raynaldo ipſo referre: *Accidit, ut Archiepiſcopus in pervigilio feſti cujuſdam diei ad veſpertinas preces recitandas ad Eccleſiam iturus accingeretur, paratuſque in cubiculo aliquantiſper ſolus ſubſiſteret; ecce nota illi viri cujuſdam nobilis Cicroſii, jam diu fato functi, perſona apparet; (familiariter ſecum mutuorum conſcii facinorum diu vixerant) exhorruit tamen ad viſam redivivi hominis ſpeciem Epiſcopus; cumque ille, ut, metu poſito, ſecum ageret, hortaretur, paululum reſumto ſpiritu mortuum affatur: etiamne tu vivis, & in quo tandem loco es, mortali perfunctus vita? Reſpondit ille: Vivo, longeque feliciori, quam vos, fruor aura. Tum Gamratus: tune, quem flagitiis gravatum, & turpibus libidinibus, me, (proh dolor!) conſcio, fœtentem e vita exceſſiſſe conſtat, inter eos ſis, qui felices ſunt? Vix credo. Credes, inquit ille, mox, pauliſper ſuſtine. Juvenis admodum cum in Germania eſſem, incidi in quendam, qui ſacrilego ore ſanctiſſimam Dei matrem inceſſebat; ego, flagitii impatiens, colaphum homini impingo, nec mora, ille armatus, manu ad capulum admota, duellum mihi denunciat, ego non ſegnius ſtringo enſem; congredimur; nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere ſacrilegum conficio, & tunc quidem, ne homicidii & duelli crimini ſuccumberem, fuga mihi conſului; deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, ſed cum ſuprema adeſſet hora, animaque e corpore exiturus, inſultantibus infernalibus hoſtibus, conflictaretur, & ego, exitii certus, nullam reliquam ſpem haberem, ecce, mox nova affulſit lux: Regina cœli, angelicis choris ſtipata, præſto aderat, diffugiunt infernales belluæ, neſcio quid horrendum frementes, frendenteſque. At illa vultu benigno flexit in me miſericordiæ oculos. Milesne, inquit, meus, defenſor honoris mei, peribit? abſit! tum verſa ad Filium; en uterus, in quo conceptus es, en ubera, quæ ſuxiſti, ego militem, quibus olim te ſtringebam, brachiis complexum tantiſper tenebo hunc: tu ſanguinem, quem ex meis traxiſti viſceribus, ſtilla, ego efficiam, ut ex ejus oculis uberes fluant lacrymæ, abluendis ſceleribus ſufficientes. Dixerat, & ego, ex deteſtatione anteactæ vitæ intimo concepto dolore, ſingultibus concutior, lacrymas fundo, patrem optimum me offendiſſe agnoſco, &, annuente ſanctiſſima Patrona mea, ingenti illius amore exardeſco, affectu, non voce, nam morbi vis uſum linguæ interceperat, atque ita in ſupremis meis, caſtiſſima Virgine aſſiſtente, exſpiro. Anima e corpore egreſſa Angelorum miniſterio fertur in cœlum; illic non meritis meis, nam ea vel nulla, vel ſatis exigua erant, ſed divina miſericordia, mihi per Patronam meam conciliata, æternam felicitatem adeptus vere vivo: Inde ad te nunc miſſus ſum, ut te ſupremorum tuorum admonerem. Dudum jam merueras, ut tot beneficiorum acceptorum ingratus more ſerulli, ad exemplum voluptarii Udonis,* (*beluonis* forte legendum) *mulctareris, ſed tuæ largitiones in egenos factæ, illæ epulæ quotidianæ mendicis exhibitæ, illæ veſtes, quibus nuda Chriſti membra texiſti, ne ex meritis tuis in te divina ſæviret juſtitia, prohibuerunt. Scito autem, te abhinc ſexto menſe (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum; expende, & diſpice, quid te interim agere oporteat, nam veniæ adhuc ſupereſſe locum, vel meo doctus exemplo, ne diffidas. His dictis ille quidem diſparuit; Epiſcopus in lacrymas reſolutus, neque eo die in publicum progreſſus, diutius ſolito ſolus manſit, & non niſi ſero, quid ſibi accidiſſet, iis, quibus maxime fidebat, patefecit. Additur: Gamratum ſex illis menſibus omnes numeros viri pœnitentis impleviſſe, & omnibus ſacramentis expiatum, cum optima æternæ ſalutis ſpe, hoc anno deceſſiſſe.* Has non deliras ſaltem, ſed & blaſphemas nugas in fundamentum fidei Chriſtianæ, immo & in principia Philoſophica impingentes, ad ſuperſtitionum confirmationem denuo recoqui, Romæ paucos ante annos ſolenni cum approbatione recuſas, non ſine cordis dolore percipient, ii quoque, qui in cœtibus Romanis aliquo veritatis & emendandæ Eccleſiæ ſtudio moventur. Nihil enim pias mentes majori mœrore afficere poteſt, quam ſi videant, errores tam craſ-

A. 1545.

craſſos & toties refutatos, non corrigi, ſed augeri & renovari. Tremendum eſt judicium Dei in Idumæos *Mal. I. 4. Vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus eſt Dominus in perpetuum.* Utinam hoc nulli Eccleſiæ, quæ Chriſti fidem profitetur, contingat! metuendum tamen eſt omnibus, qui *charitatem veritatis*, toties & tamdiu moniti, *non recipiunt*, iis enim Deus mittit ἐνέργειαν πλάνης, efficaciſſimam nempe *operationem erroris II. Theſſ. II. 10. 11.*

(c) *De Inquiſitione Luſitanica quadam.*

Inquiſitionis Hiſpanicæ & Luſitanicæ ſævitia ſatis nota eſt, & exemplo etiam inter paganos caret; interim vix credibile eſt, nimiam illam etiam Romæ viſam fuiſſe; id tamen confirmat *Raynaldus.* Moverant Pontificem miſeræ querelæ neophytorum, (quos vocabant) ex ſecta Mahometana ad Chriſtianiſmum converſorum, qui ob minimas ſuſpiciones in carceres raptati & tanquam relapſi atrociter excruciabantur, tandem vivi cremabantur, bonis omnibus fiſco addictis, itaque illa pernicies ditioribus maxime incumbebat. Monitus Rex de moderatione adhibende, aſperrime reſponderat Pontifici; ſed hic non ſine autoritatis ſuæ oſtentatione d. 16. Jun. hoc anno reſcribens, in ſententia perſtitit, ita inter alia loquens: *Mirari aut offendi non debet tua Serenitas, ſi in tanta re, ubi de fide Catholica & vita tot hominum agitur, nos miniſtrorum ipſius inquiſitionis, præſertim male audientis, curam gerere, & adminiſtrationis eorum rationem interdum recidere velimus, ne ſanguis occiſorum a nobis & tua Serenitate poſtea requiratur.* Et tunc quidem Rex Pontificiis monitis morem geſſit, ſed paulo poſt novis exceſſibus Pontificem irritavit, ut cauſarum illarum cognitionem ad ſe evocaret, nec, niſi promiſſa a Rege moderatione, ad tribunal inquiſitorum anno 1547. remitteret. Vid. *Raynald. d. n. 131.* Sic Pontifices de ſanguine innocenti ſcrupulum conſcientiæ ſenſerunt, *Maranorum*, quos vocant, lamentationibus moti; at Evangelicos ſine omni miſericordia in Gallia & Belgio, aliquibus etiam Germaniæ locis, ferro & flammis perimi, non ſinebant modo, ſed & gaudebant.

§. CXXVI.

(1) *De actis & ſtatu Lutheri quadam.*

Antequam ad ſcripta *Lutheri* recenſenda pro inſtituto noſtro procedamus, dicenda quædam ſunt de iis, quæ hoc anno illi acciderunt, memoratu haud indigna. Erat is vitæ ejus ultimus, complevit enim menſe Novembri annum ætatis LXII. ultra quem non niſi tribus menſibus, illisque non integris, vixit. Audivimus etiam ex aliquibus ejus ſcriptis, præſagiiſſe illum mortem ſuam; neque leves ejus conjecturæ rationes habuit, variis corporis infirmitatibus, & animi mœroribus confectus. Laborabat exquiſitis capitis doloribus, quibus etiam alter oculus debilitatus eſt; crura intumuerant; calculi morbo ſæpe cruciabatur, *Pontanus* ſane ad Electorem d. 21. Jun. ſcribens, *Lutherus noſter*, ait, *vir pius & optimus, per octo dies vehementer ex calculo laboravit.* (D. Luther / der gute fromme Herr / iſt acht tage hart ſchwach am Stein geweſen.) Mirum itaque non fuit, quod de morte ejus rumores ſpargerentur, & nata forte hinc eſt immanis illa de ejus obitu fabula, quæ *Tom. VIII. Alt. fol. 415. & ſeq.* lingua Italica, & in Germanicam verſa, legitur.

(2) *Fabula ignominioſa de ejus morte ab Italis ſparſa.*

Scribunt autem, cum magna quidem exultatione & gratulatione, tanquam de miraculo *a Deo, in honorem Chriſti, terrorem malorum, & ſolatium bonorum*, ut impie nugantur, *edito*, ex Legati Regis Galliæ literis innotuiſſe, quod *Lutherus* periculoſe ægrotans Sacramentum euchariſticum deſideraverit, eoque accepto ſtatim deceſſerit; rogaſſe autem morientem, additur, ut corpus ſuum altari impoſitum divino cultu adoraretur: Cum vero (neglecto ſcilicet, ut par erat, iſto mandato) cadaver ejus in ſepulchro conderetur, excitatam eſſe tantam in aëre tempeſtatem, ut exitium univerſale imminere videretur, & omnes in ſummum terrorem conjicerentur; vidiſſe deinde eos, qui aderant, cum oculos in cœlum elevarent, hoſtiam, quam accipere Lutherus, tam indignus ſcilicet, auſus fuerit, in aëre ſuſpenſam eſſe; hanc vero illos ſumma cum veneratione apprehendiſſe, atque in loco ſancto repoſuiſſe, & ſic ceſſaſſe tempeſtatem. Sed nocte ſecuta atrociorem turbinem rediiſſe cum vehementiſſimo omnium ſtupore & metu. Aperto autem, cum illuxiſſet, Lutheri ſepulchro, repertum corpus ejus non eſſe, neque quicquam ex eo reliquum fuiſſe, ſed ex ſepulchro fœtorem ſulphureum intolerabilem erupiſſe, ex quo adſtantes in morbum inciderint, indeque multi reſipuerint, & ad Eccleſiam Catholicam ſe converterint. Lutherus accepto hujus impudentiſſimi mendacii nuncio typis id vulgari fecit, & pauca hunc in ſenſum ſubſcripſit: *Ego D. Martinus Lutherus, teſtor hac manus meæ ſcriptura, me figmentum hoc rabidum* (das zornige Gedichte) *d. 21. Martii legendum accepiſſe, & quidem libentem & lætantem, niſi quod abominanda mendacia divinæ Majeſtati attribuuntur. Valde autem me titillat & delectat,* (jocoſe loquitur, es thut mir ſanfft auff der rechten Knieſcheibe / und an dem lincken Fuſſe) *quod Diabolus ejusque ſquama, Papa & Papiſtæ, mihi tam vehementer infenſi ſint. Deus eos a Diabolo reducat & convertat. Si vero decretum eſt divinitus, ut preces meæ pro peccato in mortem irritæ ſint, faxit Deus, ut menſuram ſuam impleant, nec alios, quam hujusmodi libellos, in ſolatium gaudiumque ſuum ſcribant. Sinamus eos, eunt enim, quo voluerunt. Ego interim videbo, an ſalvari poſſint, & quomodo pœnitentiam acturi ſint de omnibus mendaciis ac blaſphemiis ſuis, quibus mundum replent.* Fuerunt ex adverſa parte, quos protervi figmenti puduit, & ideo inventorem ejus ipſum *Lutherum* ſubſtituere voluerunt, vel aliquem ex ſuis; impudenter utique & vane. Extant enim *Reg. H. fol. 630. n. 197.* literæ Landgravii ad Electorem Saxoniæ d. 12. Mart. authenticæ, in quibus ei relationem iſtam Italicam miſit, ſignificans, ſe eam ab Auguſtano quodam, cujus literas etiam adjunxit, accepiſſe, ex quibus percipitur, typis excuſam ſchedam illam Neapoli & multis aliis locis fuiſſe. Optat vero Landgravius, ut *Lutherus* aliquid reſpondeat, quod quidem eo, quo diximus, modo paucis fecit. Elector enim Landgravio d. 29. Mart. ſcribit, ſe ad Lutherum miſiſſe, quæ a Landgravio acceperat, & hunc recudi illa feciſſe cum additamento, quod retulimus, cujusque exempla Landgravio ſimul exhibet.

(3) *Lutherus animi mœroribus affligitur.*

Animi, de quibus dixi, mœrores magis affligebant Lutherum. Eorum variæ cauſæ erant, nec negare velim, certamina cum Zuinglianis, & molliora *Melanchthonis* & aliorum de lite illa judicia, eum haud leviter irritaſſe. Ut tamen ſupra §. *CVIII. Addit. d.* dicere cœpi, lenitus fuit rancor ille; repræſentari enim Elector per *Pontanum* fecerat Luthero incommoda, quæ ex colliſione ipſius & *Melanchthonis* emerſura eſſent, eos enim his ultimis temporibus a Deo ad verbi ejus propagationem ante tot alios electos fuiſſe, monuit itaque, ut *Melanchthoni*, viro inſigni, (einem trefflichen

Mann)

A. 1545.

Mann) parcat, & si quid scribere & publicare vellet, nominatim eum non perstringat. Præterea Jureconsultorum sententiæ in causis matrimonialibus, speciatim de sponsalibus clandestinis, & quod secundum Pontificum leges decidere non desisterent, vehementer offendebant Lutherum. Ex literis etiam Electoris Saxoniæ post mortem Lutheri d. 8. April. 1546. ad *Academiam Wittenbergensem* datis apparet, (*Reg. O. fol. 148.* F.F.F.) luxum vestium, quem mulieres Wittenbergæ exercebant, ita fastiditum esse a Luthero, ut ejus causa urbe excedere voluerit. Ita, quod Cicero alicubi de se fatetur; *amariorem me senectus fecit, stomachor omnia;* Luthero quoque, accedente corporis & mentis ægritudine, & domesticis quibusdam inter famulos famulasque excessibus, accidit, ut tædii & doloris impatiens, Wittenberga non solum hoc anno ex improviso abierit, sed & ægre persuasus fuerit, ut eo rediret. Refertur aliquid de his *Tom. VIII. Alt. fol. 501. & seq.* Sed, cum magnorum & piorum virorum infirmitates, & ut ex iis eluctati sunt, nosse, non careat utilitate, Electoris etiam Saxoniæ pietas in hoc negotio celebrari mereatur, paulo plura hac de re narrabimus. Lis cum Jureconsultis anno præcedenti incalescere cœperat. Extat enim (*d. l. Reg.*) rescriptum Electorale ad *D. Pomeranum*, *Pontanum* & *Melanchthonem* d. 8. Jan. 1544. datum, in quo refert, Jurisconsultos de Luthero questos esse, quod minaretur, se edito libro refutaturum illos esse; mandat autem, ut illis dicant, si quæ statuissent contra verbum Dei & Augustanam confessionem, ut a talibus posthac desisterent; de iis vero, quæ controversa & dubia essent, speciatim in causis matrimonialibus, Theologi & Jureconsulti amice conferrent, & absque detrimento doctrinæ Christianæ, a Luthero propositæ, concordarent, posthabitis legibus Pontificiis: quod si convenire non possent, pronunciari vult ex Theologorum, & illorum ex Jureconsultis, qui cum Theologis consentirent, sententia; *Lutherum* moneri jubet, ut a libro contra Jurisconsultos scribendo abstineret. Sed non multo post d. 22. Jan. *Lutherus* prolixas ad Electorem literas dedit (*d. l. Reg.*) & periculum ab ingruentibus sponsalibus clandestinis, si ea pro validis habeantur, ostendit, magnam adolescentum copiam Wittenbergæ esse significat, procaces autem fieri puellas, & ultro in hospitia juvenum irrepere, amoresque suos illis offerre: Fama ferri, quod parentes filios suos ex Academia revocaturi essent, veriti, ne ad uxores ducendas cogerentur. Se quidem putasse, rescripto Electorali vetitam esse approbationem ejusmodi sponsalium; veruntamen sententia nuper in Consistorio publicata confirmationem ejusmodi desponsationis in causa filii cujusdam *Casparis Beyeri* factam esse. Ea territum se & commotum proxima Dominica pro concione severe monuisse, ut in via regia persisteretur, & parentibus solis jus desponsandi liberos asseretur, rejectis clandestinis promissionibus, quas *pessimum Papatus inventum* vocat, *a Diabolo suggestum.* Tristes inde casus accidere ait, & nuper parum abfuisse, quin *Melanchthonis* filius, ejusmodi sponsalibus irretitus, in summum dolorem parentes conjecisset. Allegat & alia. Recenset postea verba, a se pro concione pronunciata, quibus sponsalia clandestina damnaverit & in infernum veluti præcipitaverit. Rogat Electorem propter Deum & animarum salutem, ut sententiam Consistorii, per appellationem in aulam delatam, antequam ad Comitia proficisceretur, rescinderet, & rescripto suo hoc Antichristi teterrimum inventum ex Ecclesiis provinciarum suarum ejiceret. Improbat etiam exceptionem Jureconsultis probatam, quod valeant sponsalia, si parentum consensus pro conditione promissioni inseratur; manere enim nihilominus vitium clandestinitatis, & parentes postea variis persuasionibus obtundi, sicut *Beyero* illi contigerit, vehementer querenti, quod verba quædam sua captata essent.

(4) *Lutheri cum Jureconsultis de sponsalibus clandestinis discordia.*

Hoc vero anno, mense, ut videtur, *Julio*, tædiis illis, quæ dixi, succumbens, Wittenberga, veluti animi causa, egressus, primo *Ernestum a Schönfeld* Löbnitii convenit, deinde *Henricum Scherlium*, mercatorem Lipsiensem, & ab utroque humanissime & opipare tractatus est; inde Mersburgum ad *Georgium Anhaltinum* Principem, & denique ad *Nicolaum Amsdorffium* Episcopum, Cizam profectus. Ista pleraque ex epistola ad uxorem data percipiuntur. (*d. Reg.*) Scribit autem, se consilia agitare, ut Wittenbergam non redeat, interim incertis locis se vagari dicens. *Obriguit*, ait, *cor meum* (mein Hertz ist erkaltet/) *ut invitus ibi sim.* Male inde ominatur urbi ob pravam disciplinam, inter alia ob fœminarum lasciviam in denudando collo & pectore. Abire itaque veluti ex Sodoma jubet uxorem, & in prædium, quod habebat, *Zeulsdorffense* in Bornensi præfectura cis *Lipsiam* situm sese recipere, fore enim, ut post mortem suam persistere Wittenbergæ, adversantibus omnibus, non posset; (die vier Elementa würden sie nicht leiden) hunc annum vitæ suæ ultimum esse, & sperare se missionem ab Electore, utque salarium suum brevi hoc tempore retineret; se vicissim illi domum majorem (pars fuerat monasterii Augustiniani) olim sibi donatam, gratis restituturum esse. Negotium denique dat uxori, ut *D. Pomerano* & *Melanchthoni* sententiam hanc suam, si vellet, aperiat, *Pomeranum* etiam roget, ut suo nomine cœtui valedicat, se enim iram & fastidia diutius tolerare non potuisse.

(5) *Lutherus Wittenberga abit, nec redire cupit.*

Cum hoc evulgatum esset, magna consternatio secuta fuit, ut ex *Pontani* literis, d. 3. Aug. ad Electorem datis, constat, in quibus simul significat, *Melanchthonem* quoque abitum moliri, nisi *Lutherus* redeat, dicere enim: hunc negotium religionis inchoasse, se, ut minimum, accessisse, (sey als der wenigste mit eingetreten) itaque, si hoc scandalum erumperet, se quoque latibulum aliquod quæsiturum esse. (wolte sich auch verkriechen) Notari hæc merentur adversus eos, qui *Melanchthoni* confidenter imputant, ac si plane averso a Luthero animo fuisset, ejusque mores ferre amplius noluisset. Ita tamen judicat etiam *D. Matthæus Razenbergerus*, Medicus Electoris, cujus alibi mentio facta est, & paulo post fiet. Is in *hist. MS.* multas de *Melanchthone* suspiciones aperit, & inter alia maxime improbat, quod Electori cupienti, ut ipse *Tigurinis*, qui hoc tempore, ut diximus, contra Lutherum scripserant, responderet, ne *Lutherus* senex & debilis laboris illius molestia oneraretur, non fuisset obsecutus,

(6) *Judicia de ejus abitu.*

A. 1545.

cutus, & putasset, id consilium a Luthero suggestum fuisse Principi, qui tamen ejus penitus ignarus fuerit, nec librum Tigurinum viderit, cum non nisi duo ejus exempla in Saxoniam venissent. Sed hæc obiter & per occasionem. Biduo ante, d. 1. Aug. collegium Academicum ad Electorem supplicem libellum dederat, qui ex *historia Wolffio opposita fol. 340.* descriptus, *Tom. VIII. Alt. fol. 501.* ut dixi, insertus legitur, authenticus autem *d. l. Reg.* extat. In hoc narrant, quæ Lutherus (quem *Reverendum & charum patrem suum* vocant) ad uxorem scripserit, & nunciant, idem consilium anno præterito ab illo captum fuisse, a quo tamen precibus & lacrymis *D. Pomerani* & aliorum, ad eum ablegatorum, mitigatus, tunc destitisset. Se vero preces illas jam apud eum renovaturos esse, significaturos tamen simul, quod ægre laturi non sint, si recreationis suæ causa aliquando per dies quosdam alibi versari vellet, rogaturos autem impensissime per Deum, & cum omni submissione, ne prorsus discederet, sed Ecclesiam illam, ad quam a Deo vocatus esset, & quam plantasset, commendatam sibi haberet, domicilium præcipuum in ea retineret, ejusque Episcopus & pater imposterum quoque esse & manere vellet, ne adversarii hoc ejus discessu exultarent, & Wittenberga, ut deserta, in summum veniret contemtum. Addunt, Electori sine dubio hanc rem molestam & illætabilem futuram esse, immo omnibus veræ Ecclesiæ per totam Germaniam membris, scholæ vero Wittenbergensi, in qua tamen per Dei gratiam tanto cum profectu studia optima exculta hucusque fuerint, exitium minari. Se vero etiam per delegatos promissuros esse dicunt, quod ea, quæ Lutherus in Academia aut urbe desideraret & improbaret, summo studio correcturi essent, modo ob paucorum quorundam defectus totam Academiam & Ecclesiam non desereret, quem, ut Eliam, pro *curru & auriga Israëlis*, & speciatim Wittenbergæ, agnoscerent. Testantur etiam, sibi protervos juventutis mores vehementer displicere, & disciplinam omnibus viribus promoturos esse, neque tamen deesse per Dei gratiam, qui honeste viverent, & diligenter incumberent studiis. Hæc se quidem cum Luthero agere decrevisse, sed Principem rogant, ut ipse, pro sapientia sua, de remedio cogitet, & an Lutherum ipsum ad se vocare & alloqui eum vellet; scire Principem, quos hostes habeat parvus grex Ecclesiæ & Academiæ, ideoque Deum precandum esse, ut in concordia conservetur. Referunt ex fama, *Mercurinum (Gattinaram)* Cancellarium quondam Cæsaris dissuasisse, ne adversus doctrinam hanc vi & armis Cæsar grassaretur, si enim ex Deo esset, opprimi eam non posse; sin minus, fore, ut per se concideret. *Nos quidem*, ajunt, *scimus, ex Deo esse doctrinam nostram; nihilominus, si pastor hic noster primarius discesserit, dissipationem gregis valde metuimus.* Veniam denique petunt confusæ scriptionis, & se tam vehementer afflictos esse profitentur, ut mœrorem suum verbis exprimere nequeant. Jam literas Electoris *d. Mercurii post Vincula Petri* (d. 5. Aug.) ad Lutherum datas, & quidem ut scriptæ sunt, Germanicas integras exhibebimus, neque enim facile est, characterem insignis bonitatis & prudentiæ versione exprimere, & hæ inter postremas fuerunt, quas Elector Luthero scripsit: Unsern gnädigen Gruß zuvor. Ehrwürdiger / achtbarer und hochgelahrter / lieber / andächtiger. Uns gelanget glaublich an / daß ihr euch vor etlichen tagen gegen Zeitz / zu dem Ehrwürdigen / unsern lieben andächtigen / Ern Niclausen / Bischoffen zu Naumburg / begeben / welches wir eures leibes gesundheit und recreation halben gantz gern gehöret; wiewohl wir uns zu euch gnädiglich versehen hätten / ihr soltet uns solche fürhabende reise / für eurem auffseyn / zu erkennen gegeben haben / auff daß wir euch mit lebendigem geleit / auch zehrung hätten versehen mögen / bis vorberührten orth desto sicherer zu ziehen und durchzukommen: denn ihr wisset / daß wir es hiervor eurenthalben ie nicht gern dran haben erwinden lassen / auch vor nütz und gut angesehen / aus dem / wie ihr selbst wisset / daß er Julius Pflug nicht nachlässet / nach dem Stifft Naumburg zu trachten / und allerley seltsame practiken und unterbauungen bey seinen Vettern und Freunden / der enden gesessenen / derowegen zu thun. Und wiewohl wir auch nicht zweiffeln / der Allmächtige lasse auff euer und der Kirchen Gebeth seine heilige Engel auff euch warten / und euch in euren wegen geleiten / so erkennen wir uns doch schuldig / mit unserm Fürstlichen und menschlichen zuthun vor euch darneben sorgfältig zu seyn / darum wir gnädiglich und wohl hätten leiden mögen / ihr hättet uns euer abreisen zuvor zu erkennen gegeben; als wir auch gantz gnädiglich begehren / daß ihr uns euer wiederabreisen von Zeitz woltet zu erkennen geben / damit wir etliche der unsern euch zuordnen / auch sonst bequehme bestellung mögen thun lassen. Dieweil uns aber / als wir gestern nach datum, zu unserm wesentlichen hofflager gen Torgau kommen / angelanget / als solte euch zu Wittenberg allerley beschweren / darum ihr daselbst hinfort nicht gern soltet seyn wollen / so mögen wir euch in gantz gnädiger meynung nicht bergen / daß wir solches in wahrheit mit rechter bekümmernüß und mitleyden vernehmen / denn hätten wir die uhrsachen eurer beschwerung in dem sollen vermercken / so wolten wir ie nicht unterlassen haben / für uns selbst das einsehen und verschaffung zu thun / so viel uns durch Gottes hülffe immer müglich gewesen / damit wir es hätten abwenden mögen. Nun haben wir dieselbe eure beschwerungen bißher nicht vernommen / derowegen wir auch keine verschaffung derohalben / wie ihr selbst / als ein verständiger / erachten könnet / haben zu thun wissen. Dieweil aber / wie wir vermercken / davon ein gerücht und weite ausbreitung beyde auff ietzigen Käyserl. Majestät. Reichstage zu Worms / auch sonst / zuförderst bey des göttl. Worts wiederwärtigen und feinden / zu grosser ihrer frolockung / davon entstehen wird / wo solch gerüchte nach- und volldrucken solte. So haben wir nicht unterlassen mögen den hochgelahrten / unsern lieben getreuen Matthias Ratzenbergern / der Artzney Doctorn und unsern Leibartzt / mit dieser unserer schrifft / auch neben-werbung zu euch zu verordnen.

(7) *Academiæ VVittenberg. de abitu illo querela.*

(8) *Literæ Electoris ad Lutherum, earumque effectus.*

A. 1545.

A. 1545.

nen. Und begehren an euch gantz gnädiglich / ihme gleich uns selbst / seiner anzeigung gäntzlichen und vollständigen glauben zu geben / euch auch darauff willfährig zu erzeigen / wie wir uns denn dessen und alles guten willens zu euch gantz gnädiglich versehen / daran thut ihr uns ein besonderes gnädiges wohlgefallen / und sind euch mit gnaden und allem guten geneigt. Datum Torgau / Mittwochs nach Vincula Petri, 1545. Sensus est: Intellexisse Electorem, quod Lutherus ad Episcopum Numburgensem sese contulisset, idque se, quia valetudini & recreationi ejus conduceret, non improbare, se tamen expectasse, ut Lutherus hoc iter suum Electori significaret, quo ei comites, securitatis causa, (cum a *Julii Pflugii* agnatis, in eo tractu habitantibus, non satis tutus esset) addere potuisset; sibi enim incumbere, etsi Deo ejusque tutelæ commendatum eum esse sciat, ut nihilominus curam ejus omni cum diligentia gerat, sumtus etiam ei, ut alias facere consuevisset, suppeditaturum fuisse. Pergit inde: die præcedenti, cum Torgaviam rediisset, relatum sibi fuisse, fieri quædam Wittenbergæ, quæ Luthero molesta essent; id profecto insignem dolorem sibi & sollicitudinem peperisse, nec si desideria sua Lutherus exposuisset, ad adhibenda remedia segnem futurum fuisse, ignarum autem nihil præstare potuisse. Interea se vereri, ne multi sermones de hoc ejus facto in Comitiis Wormatiensibus (quæ quidem præter expectationem eodem pene die finem habuerant) spargerentur, & apud adversarios magnum gaudium orirentur, ideoque Medicum suum, *D. Matthæum Razenbergium*, ad eum sese mittere, & benigne poscere, ut ei, veluti ipsi Electori, fidem habeat. Hæc legatio eum quidem effectum habuit, ut Lutherus *Ciza* ad Electorem *Torgaviam* venerit, & *Wittenbergam* redierit, sed ut *Razenbergius* refert, parum contentus; id quod constare scribit ex expostulationibus cum delegatis Academiæ, quas allegat, quarum tamen nullam notitiam habeo.

§. CXXVII.

(1) Commentarius Lutheri in Hoseam Prophetam, & quædam ex præfatione.

Inter scripta Lutheri, quæ hoc anno in Tomos relata sunt, eminet *Commentarius in Hoseam* Prophetam, a *Vito Theodorico* collectus & editus, *Tom. IV. Jen. Lat. fol 598. ad fol. 684. Wittenberg. Tom IV. Lat fol 398. & seqq.* Germanica ejus versio, autore *Friderico Drachstedio*, refertur *Tom. VIII. Alt. fol. 593. seqq.* In præfatione *fol. 598. b.* non ineptos solum, sed plane stultos esse dicit, qui, in Prophetis nil contineri, putent, quam conciones vetustas, quarum nostro seculo non sit usus: *Cur enim*, ait, *Christus Hoseæ testimonio (Cap. VI. 6. Misericordiam volui & non sacrificium) bis utitur, & quidem in gravissimus disputationibus Matth. IX. 13. & XII. 7.?* Notat postea differentiam inter conciones Prophetarum, quibus impietatem redarguunt & pœnas minantur, & quæ hodie in Novo Testamento ad eundem finem fiunt. Scribit enim *fol. 599. Propheta certas revelationes habent, de certis pœnis, certo tempore, per certos homines infligendis. Nos hodie in genere tantum minamur impio mundo, nec habemus certam revelationem, per Turcamne, an per alias pestes Deus impietatem nostram visitaturus sit.* Cum vero Hoseas multus sit in reprehendenda idololatria, lectionem ejus tempore illo suo utilem esse docet, ut impia Papæ ecclesia, plena idololatricis cultibus, fugiatur. *Non enim*, ait, *eos probo, qui Papistas suo malo genio relinquendos censent, & moderationem vocant, si quis pro concione non sæpius in eos invehatur: Si enim puritas doctrinæ retineri debet, & populo veri cultus commendari, profecto magna necessitas omnibus piis doctoribus incumbit, ut sæpe populum de vitiis impiæ doctrinæ in Papatu & falsorum cultuum pœnis doceant. Reliqua enim peccata etiam imperiti judicare possunt: Sed has veras ecclesiæ pestes non solum vulgus non intelligit, sed etiam fucosis commendationibus a Pseudoprophetis audit ornari. Igitur pios doctores Hoseæ exemplum decet imitari, ut magno animo reprehendant cultus idololatricos, & ad sanam doctrinam auditores invitent.* Utilitatem etiam nostra ætate observatio hæc Lutheri habet, si prudenter ad locum, tempus & pericula ab adversariorum doctrina, prout illa propinquiora aut remotiora sunt, respiciatur. Ex commentario ipso hæc potissimum excerpenda & annotanda visa sunt.

(2) Quædam ex Commentario ad Cap. I.

Ad *Cap. I. 2. uxorem fornicationum fol. 601. b.* quam Propheta ducere jubetur, notat, ita vocari, quia erat ex populo, qui totus spirituali fornicatione corruptus erat; nullo modo enim fieri potuisse docet, ut fornicationem Deus præceperit, neque simile exemplum esse *Exod. XI. 3. XII. 35.* cum ab Ægyptiis vasa pretiosa petere jussi sunt Israelitæ, *factum enim illud*, ait, *non solum excusat autoritas divina, sed etiam ratio, seu naturæ jus, quod præmia constituit mercenariis; nullum vero jus fingi potest, quod fornicationem excuset.* Postea ad spiritualem fornicationem, a Propheta indicatam, applicat facta & dicta adversariorum suorum, quos idololatrici cultus in Papatu patronos sive parastatas & satellites Pontificis & Episcoporum induratorum esse dicit, speciatim ad *Cochlæum*, sive ut *fol. 603.* ad nomen ejus alludit, *cochleam stupidam, Eccium clamosum & ebriosum, Pighium scabiosum, Vicelium hypocritam.* Apparet hinc, lectiones has in Hoseam ante annos aliquot & superstite adhuc *Eccio & Pighio*, qui anno 1543. decesserant, cœptas, tardius vero publicatas esse.

(3) Ad cap. II.

Fol. 606. rationem reddit, cur *caput secundum* non cum veteri sive vulgata translatione inceperit a verbis *vers. 10. cap. I. Et erit numerus &c.* nempe, quia Propheta post indicatum utriusque regni, tam Judaici quam Israelitici, interitum, ex abrupto incipiat vaticinium de conservatione ecclesiæ per regnum Messiæ, & sic concioni minaci & funestæ statim adjungat consolatoriam de fide, ostendatque inæstimabilem bonitatem Dei, gentes vocantis; cum verba Prophetæ expresse sic interpretetur Paulus *Rom. IX. 25.* Gentium autem convocationem conjunctam esse *fol. 607.* notat cum abrogatione Legis, & prædicatione Evangelii, qua homines fiunt *filii Dei viventis*, ut Propheta loquitur & explicatur *Joh. I. 12. 13.* vid *d. fol. 607 b.* ubi hæc verba plena solatii habet: *Sed inquies; non tractat Deus filios suos, ut filios. Premuntur enim cruce, & sævit in eos Satan & mundus. Recte; hoc enim etiam ad filios pertinet, ut adopti-*

A. 1545. *vi filii vero Dei filio similes fiant, qui etiam passus est mortem & omnis generis calamitates. In his, inquit Paulus, retineamus hanc spem, quod si compatimur, etiam conglorificabimur. Sumus enim salvi facti, sed spe. Spes autem non videtur. Sic Johannes: Nunc sumus filii Dei, sed nondum manifestatum est, quid erimus. Scimus autem, quod, cum manifestabitur, similes ei erimus. Hæc consolatio admodum est necessaria, ne in calamitatibus sinamus nobis hanc promissionem excuti, quod sumus Dei filii per Christum. Nam pater filium, quem diligit, castigat.* Pulcherrima etiam est observatio *fol. 608.* ad verba *v. 11. ponent sibimet caput unum,* quæ confert cum verbis Pauli *Eph. I. 22. Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam.* Deinde scribit: *Phrasin Hoseæ hic agnoscis & simul causam audis, cur Christus dicatur caput, quia habet corpus ecclesiam, quod alit, gubernat, ornat donis suis. In eo autem differt Paulus ab Hosea, quod Hoseas de ecclesia dicit; posituram sibi caput unum; Paulus autem dicit, a Deo hoc caput positum seu datum. Sed bellissime hæc conveniunt. Nam Paulus Dei misericordiam hic commendat, cujus ineffabili bonitate hoc caput ecclesiæ contigit; Propheta autem commendat tum fidem, tum confessionem ecclesiæ, quæ paret voci Dei de cœlo sonanti (hunc audite) & Christum solum agnoscit caput suum, per quem vivit, alitur, servatur, regitur, hoc caput firma fide retinet, nec se ab hoc capite sinit abduci. Hanc enim constantiam significat Propheta, cum dicit: Et ponent sibi caput unum.* Ad *Cap. II. 2. judicate matrem vestram,* sicut liberos excusat, & recte facere dicit, qui parentes, a quibus Deum calumnia affici vident, reprehendunt; ita & ecclesiam, sive populum recte facere affirmat, si non conniveat ad vitia Synagogæ sive Cleri. Scribit enim *fol. 610. Reprehenditur peccatum, ut emendetur, & accusatur Synagoga, ut resipiscat, nec pergat Deum contumelia afficere, & sibi accersat exitium. Sed hæc ipsa causa est ingentis odii & invidiæ, qua ecclesia omnibus temporibus gravatur. Augustum enim nomen est matris, & beneficia educationis merito prædicantur a parentibus, apud liberos autem recte in admiratione sunt. Itaque Synagoga jure sibi queri visa est de injusta desertione filiorum, quos in veteri cultu divinitus instituto & mandato educavit & instituit, ut mater, ac jus docendi existimavit non sine gravi injuria a filiis contra matrem usurpari. Sicut Pontifex hodie & autoritate, quam in ecclesia habet, nos premit, & non vult redigi in ordinem a nobis; sed accusat nos injustæ desertionis, sibi autem splendidissimum hunc titulum sumit, quem hic Propheta Synagogæ tribuit, dum* matrem *vocat. Ac sycophantæ Pontificii in eo sibi palmarium putant positum, si autoritatem ecclesiæ verbis in cœlum usque tollant, & illa veteris disciplinæ vincula commendent simplicibus. Dicite, inquiunt, si vos estis ecclesia, unde cœpistis esse ecclesia? An non in Papa ecclesia estis baptizati? Cur igitur nunc ab ea discedities? Cur tanquam filii parentem vultis docere? Quin potius a parente discite & ei obedite, nisi vultis esse ingrati filii. Hæ Papistarum voces sunt, quibus nos putant obrui posse; at, si Prophetas respicimus, hæc ipsa causa fuit, cur Synagoga ab Apostolis doceri nollet, & vellet parci honori suo. Propheta autem hoc in loco diversum jubet, ut accusetur mater a liberis, nulla habita ratione singularis in speciem prærogativæ, quod mater est. Itaque hic regula Petri tenenda est, Deo magis obediendum esse, quam hominibus. Amplectatur synagoga Christum, agnoscat, per eum solum accipi remissionem peccatorum & vitam æternam, & exosculabuntur eam filii, ac omni genere honoris & officii cumulabunt. Sic Pontifices & Episcopi desinant Evangelium persequi & blasphemare, curent ecclesiis veros doctores, impios autem & idololatricos cultus amoveant, & restituant puros & veros cultus, tum non deerunt eis officia nostra, agnoscemus eos tanquam parentes nostros, & parebimus libenter ipsorum autoritati, quam verbo Dei videmus communitam. Sed quia persequuntur Evangelium, ac idololatriam retinent, non tanti apud nos parentis nomen esse debet, ut ideo Christum negemus, & nos cum idololatricis conjungamus. Deo potius obedimus, qui jubet audiri filium, & non solum nos ab idololatris sejungimus, sed libere quoque recusamus autoritatem eorum, & idololatriam traducimus, ne exemplo eorum offensi imperiti inducantur in errorem.* Tanto magis autem locum reprehensioni esse dicit, si mater etiam liberos ad adulterium illud spirituale sive idololatriam cogere velit. Ad v. 5. *Vadam post amatores meos, qui mihi dant panem &c. fol. 611. b.* hæc inter alia affert: *Hodie quoque, quam putamus causam, cur retineant tam pertinaciter impios cultus Papistæ, nisi quod vident eos conjunctos cum opibus & dignitate? his metuunt, si sanam doctrinam amplectantur, quasi vero aut Deus nolit panem dare ecclesiæ suæ, aut satius sit, a Satana eum petere. Novi hominem nobilem, qui cum amplissimos reditus non ex uno Canonicatu haberet, a familiari, pio & erudito viro admonitus forte in mensa est, ut se quocunque modo ex hoc vita genere evolveret, in quo ne quidem sentire recte de religione esset tutum. Ibi ille, commonstrans digito delicatiorem panem & vinum, quod præstantissimum tum appositum erat; Hæc, inquit, sunt, quæ faciunt, ut hoc genus deserere non libeat. Agnoscis, quod, sicut Propheta de Synagoga hic dicit, ita Canonicus iste panem & vinum idololatriæ præmia judicabat, & ideo eam nolebat abjicere, ac profecto postea majus præmium hujus impii sui animi tulit; nam etiam Episcopus est factus, ad quam dignitatem nunquam venisset, si sui Ordinis idololatriam & impietatem reprehendere, & cum Christo se conjungere, ac Evangelium amplecti voluisset. Quid autem de his dicas aliud, quam quod Paulus dixit, Deum eorum esse ventrem? Hunc respiciunt in suis cultibus, hinc quicquid commodum aut incommodum est, hoc vel sequuntur vel fugiunt, nulla plane habita ratione verbi & filii Dei, de quo tamen norunt divinitus mandatum, quod audiri debeat. Profecto toto animo cohorresco, cum video Papistarum peccata sic congruere cum Israelitici populi peccatis. Quis enim non metuat, idem periculum etiam Germaniæ impendere?* Dolet *fol. 612.* ab idololatria, toties monitos, Episcopos Germaniæ nondum tamen desistere, sed infinitas superstitiones suas, inter alias etiam aquam benedictam, salem &c. adhuc commendare, quapropter mirum A. 1545.

non

A. 1545.

non esse, si Turcæ aut alii exitium inferant Germaniæ. Addit: *Misera Pannonia septennalia vota habuit, quæ persolvit idolo Mariæ, quod ad Aquas cultum est. Nonne autem occlusa jam eis via est, dum a Turcis oppressi vitam, fortunas, & omnia amisere? Hæc idololatriæ merces est.* Paulo post optat, ut resipiscat Hungaria, itemque Austria, quæ sanguinis innocentis rea sit, occisis plurimis Evangelicam doctrinam profitentibus. Ad locum obscurum *cap. II. 15. de valle Achor, ad aperiendam spem* multa commentatur *fol. 614. b. & sqq.* & tandem notat, regnum Christi non esse corporale & mundanum, quod in usu & tractatione rerum, quæ oculis expositæ sunt, versetur, sed spirituale, in quo non res, sed spes docetur, sicut Paulus dicit; *spe salvi sumus*, & *spes, quæ videtur, non est spes.* *Ad v. 19.* cum de desponsatione Christi cum ecclesia, per justitiam fidei scilicet, disseruisset, etiam de judicio ejus contra impios agit, & *fol. 620.* hæc scribit. *Historia ecclesiæ huc afferenda erant, in quibus judicium hoc Deus patefecit mundo. Jam multos annos hoc agit Satan, ut & per impios Magistratus ecclesia opprimatur, & doctrina per profanos doctores depravetur. Sed vidit Germania Deum judicantem, & senserunt ecclesiæ liberationem, dum & in mediis conatibus conciderunt impii Principes, & impuri sophistæ dignam impura vita mortem perpessi sunt. Impudentia & arrogantia Eccius omnia Pontificis mancipia vicit, & hoc studium habuisse eum, postremi ejus libri testantur, ut etiam reliquorum virulentiam, si non superare, æquare saltem posset. Itaque ecclesia aliquandiu visæ sunt destitutæ judice, dum impune impurus homo dicit & facit, quæ vult. Sed non cessavit longius vindicis Dei ira, sic enim de eo narrant, quod circumventus letali morbo, dum ad decumbentis lectum Missa habetur, amens, nescio quid, de quater mille aureis nummis dixerit, parum solicitus de eo, quod tum a monacho sacrificulo agebatur, nec ita multo post epilepsia oppressus, lingua usum amittit, simul cum sanguine evomit animam miser.* (4) *Ad cap. IV.* Ad *Cap. IV. 6.* verba; *repellam te, ne sacerdotio fungaris*, ad Papatum applicat *fol. 628.* scribens: *Dicimus cum Hosea ad Papæ ecclesiam: Tu repulisti verbum, ideo non es sacerdos Dei, sed repulit te Deus quoque. Nec plus apud nos Pontificum aut Episcoporum autoritas valere debet, postquam a verbo discesserunt, quam cujusquam privati. Non enim habent successionem, quæ sine verbo duret, sed ministerium est alligatum ad verbum. Hoc qui non sequitur, qui aliquid de eo mutat, qui aliquid ei addit, sive Pontifex, sive Episcopus, sit anathema, & non tantum non caput, sed ne membrum quidem veræ ecclesiæ, secundum Pauli sententiam; Qui aliud Evangelium evangelisaverit, anathema sit, etiamsi Angelus de cœlo id faciat.* Quæ *fol. 629. b.* ad verba *vers. 11. Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*, annotat, & Græcæ sententiæ ex *Cyropædia Xenophontis* & ex *Archilocho*, indicio sunt, Lutherum inter severa & austera studia non plane oblitum, fuisse amœniorum literarum. De cultu imaginum ad *vers. 12. fol. 630. b.* scribit: *Nos quoque hortatores sumus, ne scandalosæ imagines in templis tolerentur. Etsi enim verbo eruditos hæc non movent, tamen cavendum erat imperitis. Nam scandali occasionibus remotis, minus periculorum erit. Nec tantum, homines quid tentent, respiciendum est, officina hæc Satanæ est, qui non cessat perturbare ecclesias, dum occasiones talium peccatorum in publico existunt. Ac apud nos eo minus defendi statuarum usus potest, quod pleraque mendaces sunt, & sicut Propheta hic dicit, nihil sunt, nisi lignum. Quid enim Georgii, quid Margarethæ statuæ sunt, quam figmenta Græcorum Perseus & Andromeda? Verarum autem statuarum usus aliquis esse potest, ut admoneant de historia. Sed hæ quoque, cum in idololatriam vertuntur, tollendæ sunt, sicut in Micha pluribus disputavimus.* Obscurius relata (5) *Ad cap. VI.* sunt ab iis, qui dictata Lutheri exceperunt verba ejus ad *caput VI. v. 2. fol. 638.* ubi sequentia leguntur: *Petrus clare dicit, non solum apparuisse Christum defunctis Patribus & Patriarchis, quorum sine dubio Christus aliquos, cum resurgeret, secum ad vitam æternam excitavit, sed etiam aliquibus, qui tempore Noæ non crediderunt, ac expectaverunt patientiam Dei, hoc est, qui sperarunt Deum non sic duriter grassaturum in universam carnem, prædicasse, ut agnoscerent sibi per Christi sacrificium peccata condonata esse. Complectitur igitur Propheta hoc in loco ecclesiam omnium temporum, hoc est, non eam solum, quæ sub lege & post legem, sed etiam quæ ante diluvium extitit.* Versio Germanica *Tom. VIII. Alt. fol. 660.* non magis liquida aut potius intricatior est. Sententia Lutheri ex ultimis allegatæ periodi verbis, collatis aliis ejus in difficilem illum locum Apostoli explicationibus percipi potest; nempe eandem fuisse pœnitentiæ & conversionis prædicationem ab initio mundi, & sic etiam ante diluvium, quæ fuerit postea & ad finem seculi duratura sit, nimirum quod remissio peccatorum a misericordia Dei propter meritum Christi speranda sit, eos igitur, qui illam viam non eligunt, sua culpa, propter incredulitatem damnari, & hoc Christum per apparitionem illam suam & cum ex morte resurgens piorum veterum corpora resuscitaverit, & secum ad vitam æternam duxerit, damnatis illis re ipsa ostendisse, & veluti concionatum esse. Cum igitur *Lutherus* dixisse scribitur, *Christum prædicasse damnatis, ut agnoscerent sibi per Christi sacrificium peccata condonata esse*, id voluit dicere, *condonari illis potuisse peccata*, si non desperassent, sed gratiam Dei propter futurum Christi sacrificium implorassent, ideoque sua culpa periisse. Adde quæ de magna dicti hujus obscuritate ad *Cap. VII. 1. Genes.* notavit, *infra* §. *CXXXIX. n. 11* relata. Ad *vers. 3. fol. 639.* insignem consolationem affert ecclesiæ orthodoxæ, cum scribit: *Si consideres furorem adversariorum, potentiam & assiduum studium nocendi, cum summa calliditate conjunctum, si postea intuearis ecclesias nostras, quam magna ubique sit infirmitas, quanta scandalorum copia, quanta doctorum penuria, quam periculosa principum & gubernatorum ignavia, dic mihi, an non evangelium judicabis simile lychno, admodum obscurum lumen spargenti, quod uno spiritu eoque non vehementi extingui posse videbitur? Itaque pii trepidant, cum in tam multiplicia pericula intuentur. Sed Propheta consolatur nos, futurum, ut sicut frustra laboraret, qui conaretur surgentem auroram opprimere, ita evangelii quoque lumen sumturum maxima incrementa, nec impediri posse aut opprimi. Nam exitus ejus stabilitus est, ut impediri*

A. 1545. *diri non posfit.* Ad *Cap. IX. v. 13. fol. 651. b.* considerat rigorem justitiæ divinæ, qui in pœnis publicis etiam infantes tolluntur, qua innocentes, &, ut olim circumcisione, nunc baptismo reconciliati cum Deo sunt: solatium inde capit, quod exitium illud saluti illorum æternæ non noceat. Addit postea: *De ethnicorum pueris aliud judicium est, qui sunt extra ecclesiam, quanquam fortasse de his quoque mitius aliquid statuetur, quam de adultis. Sed hæc futura vita aperiet. Cavendum autem studiose est, ne quid pronunciemus, quod verbo non est revelatum. Sicut certa verbi revelatio est de baptisatis, ut ante Christi adventum, de circumcisis, quod sint recepti a Deo in gratiam.* Ad *v. IV. 14.* ubi Propheta orat Deum, ut impios puniat, hæc habet *fol. 652. b. & seq. Pontificia turba hodie verbum non solum non admittit, sed crudeliter odit & damnat. Nec solum nulli emendantur abusus, quantumvis manifesti, sed excogitantur novi fuci, quibus ornetur impietas. Hic, quid facias? Ea spe docuimus, ut emendarentur, quotidie quoque oramus pro successu verbi & contra Satanæ mendacia. Sed impii homines, quanto nos & docemus diligentius & oramus studiosius, tanto fiunt deteriores; agunt, conantur, moliuntur omnia, quæ videntur ad doctrinæ nostræ interitum & idololatriæ propagationem pertinere. Num igitur orabimus, ut sint felices, ut habeant quietem ab hostibus, ut nullis arceantur pœnis, cum certum sit, & successu eos abusuros ad contumeliam Dei, & pace ad delendas ecclesias, quæ sanam doctrinam & veros cultus retinent? Quin potius oremus pro sanctificatione nominis Dei. Hæc oratio sic demum exaudiri cognoscitur, cum Dominus subvertit impietatis Patronos, & omni genere calamitatum eos coercet, ne possint hoc perficere, quod tanto studio instituerunt.* Et post alia sic statuit: si constat de peccato incorrigibili, & quod gloria Dei periclitetur, nisi peccatores intereant, charitatem & orationem excludi & cessare debere, ait enim: *horum alterum, cum interire necessum sit, gloriam nempe nominis divini, vel peccatorem, pereat Papa, pereant impii Magistratus, pereant impiorum dogmatum patroni, pereat totus mundus, & salvetur Deo sua gloria, suum verbum, sua ecclesia, suus cultus, Amen.* Ad *cap. X. 22. Seminate justitiam, metite beneficentiam* (ita enim vertit) *fol. 658. & seqq.* egregie explicat articulos de justificatione & bonis operibus, & post multa epilogum addit *fol. 659. Jam igitur vide, an non Propheta eruditissime, & tamen mira simplicitate, suos docuerit de vera religione. Si enim Christianum pingere voles, quomodo poteris eum magis pingere propriis coloribus, quam Propheta pinxit, cum seminare, metere, arare jubet? Itaque hæc ejus instrumenta sunt, semen in sinu, falx in dextra, aratrum in sinistra manu, assiduum studium verbi, dilectio proximi, & mortificatio carnis. In his posita est vita Christiana, ac futurum est, qui ad hunc modum se in pietatis agro exercent, ut hi inveniant Dominum, qui justitiam depluat, qui ignoscat peccata, & omni genere bonorum spiritualium ornet suos, secundum Christi dictum: omni habenti dabitur. Non enim Christianos decet ignavos esse, strenuo laborandum est, & adjuvabit Spiritu suo laborantes Dominus.* Ad *cap. XI. 1.* contra somnia *Juliani* apostatæ, *Matthæum* Evangelistam defendit, cum dictum Hoseæ, de populo Israelitico loquentis: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ad Christum applicat. *Novum enim*, ait, *fol. 660. & inusitatum non est, ut, cum similes eventus sint, ex particularibus sententiis facere generales. Sicut paulo ante quoque Evangelista fecit, cum Jeremiæ sententiam transfert ad luctum excitatum indigna cæde infantum circa Bethlehem. Hoc magis observandum est, cum fere semper Apostoli translationem Septuaginta sequantur, quod Matthæus hoc in loco Hebræorum Biblia sequi voluit. Nam Septuaginta non singularem, sed pluralem numerum habent: Ex Ægypto vocavi filios ejus. Hunc errorem corrigit Evangelista, & pro sua autoritate ostendere hoc testimonio vult, hunc Jesum, ex Maria natum, & ex Ægypto per Angelum vocatum, esse verum Dei æterni filium, ab æterno genitum. Ideo verius competere in eum hoc testimonium Prophetæ, quam veterem populum, qui non natura, sed adoptione erat filius. Hæc simplex & genuina sententia est.* Ad *v. 10.* de mutatione, post Evangelii doctrinam, cum tumultu orta sic loquitur *fol. 663. Respice ad Papæ tempora, priusquam Evangelium de Christo innotesceret, varii erant monachorum ordines, varii cultus, & revera singuli singulas habebant vias, quibus credebant se salvandos. Quanta enim divorum multitudo, quanta denique cultuum erat varietas? Et tamen nemo putabat se falli, singuli quod rectum erat, se tenere ducebant. Similes itaque erant avibus secure legentibus semina. Ecce autem singulari Dei clementia Leo rugit, insonat Evangelium, docemur, unicum Christi sacrificium esse, quo debeamus niti, reliqua omnia longe esse inferiora, quam ut liberare ab uno, & eo quidem levissimo, peccato possint. Ad hanc vocem commovetur Germania, monachi & moniales abjiciunt impia vota, quibus hactenus confisi erant, amplectuntur filium Dei, tanquam victimam pro peccatis suis oblatam, & vitæ genus sequuntur, quo servire proximo possint. Sic, qui confisi erant impio Missæ sacrificio, illud abjiciunt & sacerdotem Christum amplectuntur. Qui jejuniis, peregrinationibus, redemtione indulgentiarum, speraverant remissionem peccatorum, abominantur jam mendacem spem, & se conferunt ad Christi sacrificium. Quid multis opus est? Hoc rugitu commota terra est, & nos omnes tanquam aves, quæ prius securæ in pastu sedebant, subito exterriti excessimus ab idololatria, & secuti sumus vocem veri pastoris, nescientis fallere.* De operatione Spiritus sancti in infantibus ad *cap. XII. 3. fol. 665.* hæc habet: *Unde, inquies, in fœtu hic sensus? Ex Spiritu sancto nimirum, qui Johannem, sex mensium fœtum, ita illuminavit, ut sentiret Christi recens concepti præsentiam. Est enim Deus non tantum adultorum Deus, sed etiam infantium, etiam embryonum, dum adhuc in utero sunt. Ac quid hoc mirum est, Spiritum sanctum in eis esse efficacem eo modo, quem nos non intelligimus? tamen cum habeant vitam, carnem, & ossa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur. Vere igitur odiosum & impium Anabaptistarum dogma est, qui ideo pueris Baptismum*

(6) *Ad cap. IX.*

(7) *Ad cap. X.*

A. 1545. (8) *Ad cap. XI.*

(9) *Ad cap. XII.*

A. 1545. *simum negant, quod sensu & mente careant, nec intelligant, quæ cum iis aguntur. Nobis non intelligunt, nobis mente ac sensu judicantur carere, sed Deo non sic, cujus opus sunt. Deus enim, sicut alio modo eos alit, quam nos, ita quoque alio modo movet eorum corda. Quod si nullus in Jacob, cum adhuc in utero matris est, sensus est, cur allegatur ejus factum? aut in quem usum allegatur? Sed considerat Propheta Dei mirabile opus, & ideo in Jacob nondum nato, singulare studium ac desiderium promissionis de Christo, hoc est, primogenituræ prædicit, ut arguat Israelitas, qui ad exemplum Esau promissionem de semine negligebant, & curabant interim ventrem. Hanc sententiam nisi sequaris, quis erit usus hujus historiæ, hoc in loco citatæ, aut quomodo non ineptum erit, eam conjungere cum altera memorabili historia de lucta Jacob cum Deo citra Jordanem? Ac divus Paulus quoque non frustra, sed disertis verbis, cum de Jacob & Esau loquitur, addit, priusquam nascerentur.* Quanquam vexatissima controversia sit de libero arbitrio, & nota Lutheri sententia, non possum tamen omittere insignem ejus sententiam ad *cap. XIII. 19.* ubi verba; *perditio tua Israel &c.* de pravæ voluntatis pessimis affectibus explicat, & postea scribit *fol. 672. Hæc tot ac tam multiplicia mala, ex peccato, per Satanam enata, isti non vident, qui liberum arbitrium defendunt. Etsi enim ratio imperare sibi potest, ne consentiat omnibus cupiditatibus, quod attinet ad ipsum externum opus, sæpe enim cohibet, sæpe moderatur vitiosos impetus, id enim nisi aliquo modo in nobis esset positum, quæ legum politicarum, quæ disciplinæ esset utilitas, quam tamen tantopere divinitus commendari videmus? Ac docet experientia, eam pene solam efficere, ne omnes pariter in cædes, adulteria & alia vitia prolabamur; tamen inde effici non potest, quod sit arbitrium liberum, hoc est, quod homo sine Spiritu sancto se gubernare, recte facere, ac Deo commendare possit, id quod caput est, de quo liberi arbitrii defensores pugnant. Nam ipsa concupiscentia peccatum est, nec est otiosa, sed perpetuo contra legem solicitat animos. Vere igitur in homine nihil boni est, si non per Spiritum sanctum prius corda fide purificata, & per remissionem peccatorum nobiscum nata iniquitas sublata fuerit. Atque hæc nostra ratio est, quod liberum arbitrium dicimus nullum esse, ac defendimus, in homine nihil esse boni, nec posse ab homine aliquid boni fieri, nisi Spiritus sanctus eum regeneret. Sicut Ecclesia egregie profecto canit de Spiritu: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Etsi enim externam disciplinam, quæ in arbitrio hominis aliquo modo posita est, Deus exigit & probat, tamen hac non liberamur a peccatis, non liberamur a morte, non commendamur Deo, ut remittat peccata & æternam vitam donet. Contingunt hæc tantum fide, ex merito filii Dei, qui pro peccatis nostris sua morte satisfecit, & promissionem Spiritus a patre accepit, per quem corda moventur, ut & credant remissionem peccatorum, & resistant peccato ac nocenti concupiscentiæ, quæ non prius tota moritur, quam caro hæc moriatur. Non igitur hoc Propheta dicto inepte usi sunt nostri contra liberi arbitrii patronos.* Addi hic possunt, quæ *fol. 677.* post alia plurima lectu dignissima, quibus naturam justificationis per fidem & fructus fidei exposuit, subjungit. *Nihilne igitur sunt opera, inquies? An non his quoque in pœnitentiæ doctrina locus aliquis est? Respondeo; Hactenus de remissione peccatorum & de donatione Spiritus sancti diximus. Hæc prorsus gratuita, & non nostri meriti, sed simpliciter inexhaustæ bonitatis & misericordiæ Dei sunt. Itaque recte, cum de remissione peccatorum loquimur, de nostris operibus tacemus, quæ, quia sine Spiritu sancto fiunt, etiamsi civiliter non mala sunt, tamen bona dici non possunt nec debent, propter impurum cor, ex quo proficiscuntur. Cum autem per fidem remissionem peccatorum & una Spiritum sanctum accepimus, ibi ex corde, ceu puro fonte, etiam pura ac Deo bene placita opera sequuntur. Etsi enim, propter peccati reliquias, etiam sanctorum obedientia penitus pura non est, tamen propter fidem in Christum Deo placet & grata est.* Meminit in prælectione ad *cap. XIV. 3. fol. 679. b.* captivitatis *Hieronymi Baumgartneri*, quem *virum pietatis laude insignem* vocat, (vid. quæ supra §. *CXVIII. n. 7.* diximus) ut facti recentis, quod deplorat, unde colligitur, *anno 1544.* hæc esse dictata. Ad idem *cap. XIV. 9.* ad verba: *Ex me fructus tuus inventus est*, sive, ut *Lutherus* vertit, *provenit*, præclara iterum de justificatione gratuita ejusque fructibus disserit, & concludit *fol. 683. b. Statuuntur igitur hoc in loco duæ conclusiones, quas Papa tanquam certam hæresin damnat. Prima, quod homo, in quantum homo, sine Spiritu sancto sit sterilis arbor, nec possit consequi salutem. Secunda, quod per fidem in Christum, sine merito nostro, tantum ex gratia, consequamur vitam æternam. Clara enim sententia, fructus tuus in me invenietur, & Joh. 15. Nisi in me manseritis, fructus non feretis. Hæ sunt magnificæ consolationes, quæ nos invitare debebant, ut cum vera Ecclesia nos conjungeremus, quæ statuit, remissionem peccatorum & vitam æternam tantum contingere ex gratia per fidem in Christum. Habet autem hæc Ecclesia Deum exaudientem in periculis, respicientem & variis donis ornantem suos; cum econtra alii, qui nituntur sua justitia & suis meritis, etsi ad tempus florent, (nam idololatria initia splendida & felicia sunt) similes erunt arbori, cujus folia defluunt, & horto, qui non habet aquas, sicut Esa. I. cap. minatur.* Fini commentariorum subjungitur *fol. 684. b. & seq.* summa quædam præcipuorum locorum ex concionibus Hoseæ, & *fol. 686. ad 689.* additur ad dictum *Hos. XIII. 14.* quod Germanicus interpres, ut subtilius, vertere noluit, vid. *Tom. VIII. Alt. fol. 732. in fin.* Exhibuit sane Lutherus insigne sacræ philologiæ specimen, dum dictum illud Prophetæ varie ab interpretibus, inprimis Septuaginta versum, cum allegatione Pauli *1. Cor. XV. 54. 55.* accurate confert, statuitque (contra quam alii senserant, atque se ipsum corrigens) Apostolum ibi non solum *Hoseæ* verba, sed & *Esaiæ cap. XXV. 8.* citasse, eaque rectius, quam septuaginta vertisse. Ex libris Lutheri exegeticis nihil præter *Commentarium in Hoseam*, de quo huc usque egimus, in Tomos relatum invenimus. Absolvit quidem hoc anno lectiones in *Genesin*, quarum partem dimidiam jam anno 1544. consentiente & præfante Luthero *Vitus Theodorus* ediderat; sed cum altera pars post mortem demum A. 1545.

(10) *Ad cap. XIII.*

A. 1545. demum Lutheri prodierit, enarrationem utriusque ad sequentis anni acta differemus. Nunc paucis *conciones* quasdam ejus recensebimus, *Tomo VIII. Alt.* insertas. Cum enim, ut §. *praecedenti* narravimus, ex mœrore animi Wittenberga hoc anno abiisset, & amicos inviseret, d. 4. Aug. *Mersburgi* concionatus est, cum *Sigismundus a Lindenau* (agnatus Episcopi cognominis, de cujus obitu §. *CXVII.* dictum est) *Decanus Capituli Cathedralis Mersburgensis*, nuptias celebraret. Explicavit dictum *Hebr. XIII. 4. Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus*; & de dignitate & utilitate conjugii, nec non contra impurum Cleri cœlibatum, & vota ad illum servandum impie concepta, multa disseruit. Extat *d. Tom. VIII. fol. 494. & seqq.* Sequenti die 5. Aug. in vicina urbe *Halensi* concionem habuit (*d. l. fol. 474. & seqq.*) ad dictum Christi *Joh. V. 39. ad 43. Scrutamini Scripturas &c.* In exordio, perbrevi quidem, sua concione opus non esse dicit, cum urbs illa habeat doctos, egregios & bonos concionatores, qui verbum Dei & sanctum Evangelium pure proponant, quos etiam libenter cives audiant, & illis credant. Disputat in hoc sermone contra incredulitatem Judæorum & impietatem Mahometanorum, de qua refert, quod in Alcorano illa ipsa verba Christi, quæ inter alia tractabat Lutherus; *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, fœda depravatione Mahometi applicentur, quasi Christus ipse per ea adventum pessimi impostoris prædixerit, eumque recipi jusserit. Sed nec Pontificiis parcit, quos redarguit, quod nec Christum in Scriptura, nec salutem in illius merito unice quærant, sed Judaico more propria merita per cultus commentitios stabiliant, & opes atque honores sectentur. Reversus mox *Mersburgum* d. 6. Aug. *Psalmum VIII.* pro concione explicavit, & prolixe de natura regni Christi & efficacia verbi divini, nec non de dignitate & usu ministerii Ecclesiastici locutus est, tractans potissimum *vers. 3. Ex ore infantium & lactentium &c.* Hæc est homilia, (*Tom. VIII. fol. 489. & seqq. relata*) quam allegavit *Georgius* Princeps Anhaltinus, ut §. *CXVII. add. I. lit. e.* diximus, ex ea probans, Lutherum publice tunc, ut alias sæpius privatim fecerit, testatum esse, quod conservandi sint Canonicatus. Leguntur autem, quæ eo pertinent, *fol. 492.* Præmiserat quædam de pessimis artibus Pontificum, qui non solum Germaniæ populos per indulgentiarum nundinationem, sed & Episcopatus Palliis & Annatis, & Canonicatus pensionibus & reservationibus aliisque modis exhauserint, & eorum reditus magna ex parte ad famulos suos derivaverint. Eorum ad duo millia esse dicit, qui commensales vocentur, licet victum eis non præbeat Papa, sed cum detrimento Prælatorum, Canonicorum & monasteriorum, iis suppeditet unde vivant, ita ut etiam Romæ collegia, quæ nominat, vacua sint, proventibus ad aulicorum illorum commoda conversis. Refert etiam narratum sibi esse, si recte meminerit, Præposituram Cathedralem Würzburgensem trium millium pensione annua gravari. Affirmat præterea, nisi reformatio ante annos viginti intervenisset, Pontifices interea rapacitatem illam proterve continuaturos, & vix unum collegium in Germania integrum relicturos fuisse. Igitur non Evangelicæ doctrinæ, sed Pontifici ipsi destructionem fundationum illarum imputandam esse, nec aliud expectandum Episcopis Germanis, si jugum illud Papale non abjiciant. Sed illorum quidam hac ipsa Lutheri reformatione, etsi in dogmatibus spreta & rejecta, eatenus tamen caute usi sunt, ut ab exactionibus Pontificiis minus posthac molestiæ & damni illis fuerit exhibitum; alii post id tempus a Pontificio dominatu plane sunt liberati. Subjungit postea, si christiana & decens reformatio instituatur, Episcopi verbum Dei prædicent, Canonici literis operam dent, & vicarios & juvenes ex nobilitate collegiis adscriptos, doceant, conservari fundationes illas posse & debere. *Cur enim*, ait, *Prælaturas & Canonicatus non potius ipsi in provinciis nostris conservaremus, iisque isthoc modo frueremur, quam ad peregrinos transferri illos sineremus?* Et post alia: *malam intentionem profecto non habemus*, (wir meynen es ja nicht böse) *sed libenter opem ferremus & summa fide consuleremus & suaderemus, ut tam egregiæ & Cæsareæ fundationes, Canonicatus & Prabendæ non pervenirent ad ganeones & scorta Romana, sed ut ad bonum usum ex prima intentione reducerentur.* Missas quidem negat servari debere, & scire se dicit, quod plurimi ex sacerdotibus etiam in Papatu inviti eas celebrent, fatetur, id sibi, licet devotus & sanctus sibi esse videretur, in monachatu suo accidisse, ita ut multo libentius lectioni sacræ Scripturæ tempus impenderit. Implorat Cæsaris autoritatem & officium, ut, cessante Papa, ipse media quærat; & iterum urget, suumque & aliorum concionatorum Evangelicorum desiderium esse asseverat, ut beneficia illa ex unguibus commensalium Pontificiorum erepta iis conserventur, qui sacra studia diligenter tractent, & in numero infantium & lactentium sint, ex quorum ore Deus laudem suam perficiat. Concionem utramque d. 4. & 6. Aug. *Mersburgi* habitam *Matthias Wanckelius*, Pastor Halensis ad D. Mauritii *d. Tom. VIII. fol. 488.* edidit, & *Georgio* Principi Anhaltino, cui inter alios titulos etiam *Coadjutoris Mersburgensis* nomen tribuit, dedicavit, *Dominica post Joh. Bapt.* i. e. d. 27. Junii anno sequenti 1546. *Quarta*, quæ *d. Tom. VIII. fol. 480. & seqq.* exhibetur concio, in eodem itinere habita est *Lipsiæ* a Luthero d. 12. Aug. quæ tunc incidit in *feriam quartam*, sive *diem Mercurii*. Explicavit autem partem Evangelii Dominicæ præcedentis *Luc. XIX. v. 45. 46.* & occasione reformationis templi a Christo peractæ, multa & notatu digna de agnoscendo beneficio divinæ visitationis sive reformationis tractavit, causasque ostendit, cur eam Pontifex cum Clero suo aversatus sit, & quo prætextu veteres abusus adhuc tueatur, non multum diverso, ut ostendit, ab illo, quo Synagoga adversus Christum utebatur; inter alia gloriationem de antiquitate rejicit, multosque errores & abusus intra annos ducentos, quosdam etiam recentius introductos esse dicit. Meminisse se ait, sua tantum ætate, cultum *S. Annæ*, quæ mater Mariæ Virginis & avia Christi habetur, in Saxoniam invectum, multaque de *S. Joachimo*, *Josepho*, *Psalterio B. Virginis*, *coronis & rosariis*, & ineptis precatiunculis, aliaque ignota antea, in consuetudinem venisse,

quæ

(11) *Concio Lutheri d. 4. Aug. Mersburgi habita de conjugio.*

(12) *Alia d. 5. Aug. Halis, de scrutanda Scriptura.*

(13) *Concio d. 6. Aug. Mersburgi, de regno Christi.*

(14) *Concio Lipsiæ habita d. 12. Aug. ex Luc. XIX.*

A. 1545.

quæ omnia *veterem fidem* vocent. Velle scilicet eos, ut recipiatur, quicquid impudens aliquis monachus confingat, licet ejus notitiam antea nemo, ne Episcopus quidem, habuerit, e. g. *Psalterium aureum, septem Missas aureas*, & innumeras peregrinationes, quarum aliquas nominat, vix ab annis triginta inventas; hæc ab illis inter antiqua referri, sed prava obstinatione antiqua non censeri, quæ Christus ipse ante annos 1500. docuerit, immo Patriarchæ & Prophetæ ab origine mundi per tot mille annos prædixerint.

§. CXXVIII.

(1) *De scriptis Lutheri polemicis.*

Ad scripta polemica parum otii viriumque hoc anno superfuit Luthero, referendum tamen est ad ea id, quod mense Januario hujus anni, occasione epistolæ Pontificiæ ad Cæsarem, (de quo, quantum opus fuit, supra dictum est §. *CXIV.*) composuit. Promiserat quidem in fine ejus *secundum* de eadem materia libellum, sed animi corporisque ærumnis impeditus a scriptione fuit. Sub finem anni 1544. *d. 6. Decemb.* sive ut *Raynaldus an. 1544. n. 36.* notat, *d. 6. Novemb.* Theologi *Lovanienses* articulos sive theses XXXII. publicaverunt, Cæsareo edicto in Belgio confirmatas, in quibus compendium totius fere doctrinæ, eo usque in Ecclesia Romana receptæ, continetur. Præfantur:

(2) *Ex thesibus Lovaniensium contra Lutherum quædam.*

Magnas quotidie vires in his regionibus accipit hæreticæ pestis contagium, ac, nisi occurratur, futurum prospicimus, ut hic brevi plena sint omnia non solum Lutheranorum, Oecolampadianorum & Anabaptistarum, sed istorum etiam, qui nuper adhuc obscuris nominibus emergere cœperunt: (innuunt sectatores *Davidis Georgii*) Articulos itaque pro officio, quod in ecclesia Dei gerere se dicunt, doctores nempe Theologi, composuisse se ajunt brevissimos & simplicissimos, ut etiam captui imperitissimorum conveniant. Leguntur illi *Tomo II. Lat. Wittenb. fol. 542.* & *d. l. apud Raynaldum*, ut & alibi. Pauca ex iis notabimus. Articul. V. dicunt; *omnia peccata mortalia, etiam occulta cordis, confitenda esse sacerdoti.* Art. VIII. justificationem per fidem admittere videntur, sic statuentes: *Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus, Christum Jesum, Dei filium, nobis propitiatorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nullaque pœnitentia justificatio obtineri potest, sicut nec fide sola, sine pœnitentia & proposito vivendi secundum mandata Dei.* Sed mox Art. IX. subjungunt; *Fides, qua quis firmiter credit & certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, immo eisdem adversatur, etiamsi firma & certa spe expectare debemus, in hac quidem vita, per sacramentum baptismi & pœnitentiæ, peccatorum remissionem, in seculo autem futuro, vitam æternam.* Explicant tamen ista Art. X. & dicunt, *etsi semper in timore & tremore salutem operari debeamus, magis tamen & frequentius de misericordia Domini sperandum esse, quam formidandum de severitate.* Art. XI. hic est: *Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, & cum ex fidei & charitatis spiritu proficiscuntur, ita grata sunt Deo, ut eis, tanquam justam mercedem, vitam retribuat æternam.* Art. XIV. *In Eucharistia non manent panis & vinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conversa, manentibus tantum panis vinique speciebus. Unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in Missa, sive extra Missam, ubicunque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.* Art. XV. usum calicis justa causa Laicis ab Ecclesia denegari argutantur. Art. XVI. Sacrificium Missæ, ex institutione Christi, tam vivis quam defunctis prodesse, simpliciter statuunt. Art. XVIII. matrimonium ne ob adulterium quidem dissolvi posse dicunt. Art. XXI. de Ecclesia & Pontifice sic decidunt: *Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque nostram ætatem perdurans, retinet & suscipit, quicquid de fide & religione tradidit, tradit & traditura est cathedra Petri, super quam ita a Christo suo sponso ædificata, ut in his, quæ fidei sunt, & religionis, errare non possit.* Art. XXII. extra Ecclesiam salutem esse negant, Articulo XXIII. & XXIV. ad Pontificem Romanum applicant, quæ Art. XXI. definiverant, Art. XXVII. sanctorum invocationem recte fieri dicunt, sanctumque & religiosum cultum locorum iis dicatorum probant. *Gratus etiam est Deo*, ajunt Art. XXIX. *imaginum usus, recteque coram iis procumbimus, invocaturi Sanctos, quos repræsentant.* Ex his facile conjici potest, etiam reliqua omnia, septem Sacramenta, satisfactiones a sacerdotibus impositas, extremam unctionem, traditiones & constitutiones Ecclesiæ omnes, purgatorium & vota monastica asseri. Lutherus ulteriorem refutationem meditatus, & si viveret & valeret, pollicitus, thesibus illis XXXII. alias LXXVI. opposuit, quæ *d. l. fol. 544. & seqq.* ut & Germanice versæ *Tom. VIII. fol. 498.* leguntur. Contemtim tractat *Lovanienses*, eosque, quod more Academico *Magistri nostri* vocari solebant, *Magistros nostrollos* nominat, & acerbe perstringit, id quod ægerrime tulerunt jam tum adversarii, & inter recentiores *Raynaldus d. l. n. 37.* ubi mendacii & ineptiarum Lutherum accusat.

(3) *Lutheri theses Lovaniensibus opposita.*

Verum ille suis principiis innixus, *thesi prima & secunda* hæc posuit: *Quicquid in ecclesia Dei docetur sine verbo, mendacium & impietas est; Si idem pro articulis fidei statuitur, impietas & hæresis est.* Ex hoc fundamento ad unum plane omnia, quæ illi extra clarum verbum Dei ex traditionibus pro articulis fidei habent, asperrimis, ut plurimum, verbis rejicit. Speciatim de Sacramento cœnæ *th. 16. & 17.* sic statuit: *In Eucharistia sacramento venerabili, est & exhibetur & sumitur vere, & re ipsa corpus & sanguis Christi, tam a dignis quam indignis. Explodenda tamen & abominanda est doctrina nostrollorum Lovaniensium in usu hujus sacramenti, cum sit profanationis, hæresis, idololatriarum plenissima.* Allegavit thesin hanc 17. *Georgius* Princeps Anhaltinus pro adoratione Christi in Sacramento, ut diximus §. *CXVII. Add. (lit. aa.)* Cum vero *Lovanienses* nullam fidei, quæ ad salutarem Sacramenti usum requiritur, mentionem faciant, ipse *th. 18. & 64.* illam omnino ad dignam & salutarem receptionem necessariam esse statuit. Prohibitionem calicis

A. 1545. *th. 22.* non ecclesiæ Dei, ut illi jactabant, sed paucissimæ parti ecclesiæ, immo Diabolo tribuit, ita, ut major pars ecclesiæ a colluvie pessimorum hominum (ita Clerum vocat) in hoc articulo vim passa sit. *Th. 35.* pœnitentiæ & virtuti clavium absolventium sacramenti titulum concedit; sed eam, quam Lovanienses statuunt, Judæ, Saulis & similium esse existimat. Cum de libero arbitrio Lovanienses *th. 7.* scripsissent, *hominem habere liberum arbitrium, quo possit male, & cum gratia Dei bene agere, item post peccatum mortale admissum, Deo adjuvante, pœnitere & peccatorum remissionem consequi*, ipse *th. 39.* sic censet; *Liberum arbitrium ad bonum est nullum, cum gratia autem posse in bonum, hoc est Magistrolliter aliud respondere, quam quæritur in libertate arbitrii.* Nam thesis, ut a Lovaniensibus concepta erat, non pugnabat cum Lutheri sententia, is enim nunquam dubitavit, cum gratia operari liberum arbitrium sive voluntatem hominis posse; quæstio erat, quid quantumve posset absque gratia? ecclesiam Christi vere unicam & Catholicam esse in terris docet *th. 48.* ad eam vero pertinere negat Lovanienses nec Papam, & sanguinarias persecutiones illis exprobrat. Quæ vero de potestate Ecclesiæ & Papæ *th. 21. & sequentibus octo* tradunt Lovanienses, perfecte *Marcolfica* esse dicit, id est, fabulosa & nugatoria. Respicit ad libellum ludicrum, in quo scurræ, qui *Marcolfus* vocatur, cum Salomone colloquium exhibetur. Id scriptum tunc manibus hominum terebatur, hodie contemnitur. Vota monastica *th. 56. et seqq.* & inprimis castitatem falso jactatam, acerbe insectatur, ut & reliqua. *Paupertas*, ait, *quam vocant, est rapina orbis terrarum et opes mundi etc.* Nec mitius sentit de obedientia. Una tamen ex thesibus his placuit adversariis, nempe *28.* in qua pro hæreticis & alienis ab ecclesia Dei habet Cinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant, corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi in Eucharistia. Constat inde, etsi in hac ipsa disputatione *th. 19.* transsubstantiationem, ex mera vanitate & sine verbo Dei, doceri censuisset, in sententia tamen sua de præsentia reali ex verbis Christi, *edite, bibite*, constanter eum permansisse. Rigorem vero illum contra autores & propugnatores sensus figurati, & qui Luthero Capernaiticum errorem objiciebant, exercuit, ut ex tractatu ejus anno 1544. publicato, & §. *CXVIII.* a nobis relato, ostendimus; interim sævitiam in dissentientes vehementissime improbat subjuncta *thesi 29.* his verbis: *Confutationes Lovaniensium sanguinariæ et incendiariæ pertinent ad parricidas, non ad eruditionem, quam in sacris literis prorsus nullam habent.* Idem dixerat *th. 13. & 14.* cum de Anabaptistis egisset. *Certum est*, scribens, *neque hanc neque aliam sectam confutare Magistrollos posse doctrina et eruditione scripturarum, ideo compendio confutant, scilicet ferro et igne, cæde et sanguine civium.* In fine *th. 73. et seqq.* scribit: *Quam turpiter et æterna labe dedecorant Cæsaris Caroli, tot populorum Principis, clarissimum nomen et suum seculum, cum prætexunt, eum confirmasse tam sacrilega et satanica portenta eorum! Non est Regum aut Principum, etiam veram doctrinam confirmare, sed ei subjici et servire, ut Ps. 2. dicitur: Et nunc, Reges, intelligite, erudimini, judices terræ. Multo minus illorum est, impia, blasphema, idololatrica dogmata confirmare ac tueri; immo contra, illis cum ecclesia resistere & damnare. Disce ergo, frater Christiane, ab exemplo miserrimo Lovaniensium cavere ab hominum doctrina, & diligentius incumbere sacris literis.* Hoc perpetuum principium Lutheri fuit, alibi etiam observatum, & contra calumniatores ejus probe notandum, quod religionem minime subjecerit dominatui Principum, sed satis accurate consideraverit & distinxerit, quale jus his competat circa sacra, ita ut nullius abusus, si quis ortus tunc aut secutus est, autor aut approbator fuerit. A. 1545.

(4) *Lutheri scriptum de non dimittendo Henrico Brunsuicensi.*

Pertinet etiam ad polemicum scribendi genus libellus, forma epistolæ satis prolixe a Luthero elaboratus, *Tom. VIII. fol. 462. et seqq.* ad Electorem Saxoniæ & Landgravium Hassiæ, in quo eos hortatur, ut *Henricum* Brunsuicensem Ducem in custodia retineant, nec dimittant. Scriptus hic est anno ad finem vergente, suasu, ut ex actis Archivi colligitur, *Pontani*, quanquam plures & magnos viros sibi ad scribendum autores fuisse in exordio memorat *Lutherus*. Elector suspicionem ceperat, Landgravium Cæsareis consiliis aures præbere, & ad liberationem *Henrici* inclinare, id tamen dissimulandum sibi esse existimavit, & hunc modum vel invenit vel secutus est, ut Lutherus exhortationem illam, & quidem tam ad Electorem quam Landgravium, scriberet; allegat itaque eam anno sequenti, ad Landgravium 24. Martii 1546. scribens; *Lutherus beatæ memoriæ fundamentis minime fucatis ex sacra Scriptura conscientiam nostram convicit, ut Henricum, nisi blasphemiæ suæ pœniteat, non dimittamus.* Multis sane argumentis, propter quæ *Henricus* ex captivitate dimittendus non sit, refertus est libellus. *Surius*, qua fuit maledicendi petulantia, ridendum se propinasse dicit in scripto hoc Lutherum, nihil tamen nominatim insectatur, quam quod ideo *Henricum* dimitti dissuaserit, quia non agat pœnitentiam nec satisfaciat. *Hoc loco*, ait Surius, *aliquid valet pœnitentia & satisfactio, quam adeo irrident Evangelici.* Stulta profecto cavillatio. Quis enim unquam audivit, ab Evangelicis improbari aut irrideri pœnitentiam delictorum, aut satisfactionem, parti læsæ debitam. Improbarunt pœnitentiam hypocriticam & satisfactionem, quæ Deo præstari fingitur ex sacerdotum arbitrio. Placuit tamen acumen hoc *Raynaldo n. 55. hoc anno*, ubi etiam duritiem imputat Luthero, & clementiam Cæsaris laudat, quod *Henrici* misertus, Landgravium, ut alibi diximus, monuisset, ut benigne tractaret captivum. Sed misereri *Henrici* se scribit *fol. 463. Non habeo* (ait) *cor saxeum aut ferreum, neminis calamitate lætor. Christianum non decet hosti, ne Turco quidem aut Judæo, malum imprecari, immo nec Papæ aut Cardinalibus, rogandus potius Deus est pro omnibus.* Grave tamen eodem loco, & statim sub initium libelli judicium fert de *Alberto* Cardinale Moguntino defuncto; putat enim eum in peccatis suis sine pœnitentia mortuum & ideo damnatum esse. *Henrici* vitia non tacet, neque tamen obliviscitur, quo loco natus esset.

A. 1545.

esset. *Brunsuicensis familia*, scribit, *fol. 463. est inter illustrissimas & laudatissimas Germaniæ, in qua etiam hodie sunt egregii Principes*; sed Henricum indignum esse censet, qui ex stirpe tam gloriosa originem habeat, ob plurima flagitia quæ commiserit, speciatim propter blasphemias in veram religionem, & quæ contra illam machinatus fuerit, Commissarius nempe, ut vocari voluit, Pontificis & Dux fœderis, quod perperam defensivum nominent, cum non nisi ad persecutionem & oppressionem Evangelicorum tendat, licet nemo ex his fuerit aut sit, qui vel minimum iis nocere cupiat. (niemand begehret ihnen ein haar zu krümmen) Singulari beneficio Dei in potestatem Principum Evangelicorum, absque sanguine, & celerrima victoria, traditum esse judicat *Henricum*, quapropter reverenter habendum id esse, & cavendum victoribus, ne Achabi exemplo, Benhadadum dimittentis, peccent, & se ejus loco veluti victimas constituant. Mentionem facit *fol. 465.* emblematis seu numismatis, in Belgio hoc anno efformati, quo haud obscure indicetur, vincula parari Electori & Landgravio, magnam enim spem fuisse, *Henricum* cum exercitu suo, occultissime conscripto, imparatis superventurum esse, magnaque & celeri victoria potiturum; preces etiam publice pro expeditione ejus in provinciis quibusdam factas esse. Illum igitur totius Pontificii corporis fœderisque auspiciis & opibus bellum machinatum, & secutura majora molimina fuisse, si primi conatus successissent. Hoc igitur, qui fax & tuba fuerit, tam cito & sine præstita securitate & satisfactione dimisso, nec beneficium divinum, quo victus fuerit, grata mente agnosci, & adversariorum, quorum pessima consilia & facta describit, superbiam & malitiam confirmari & augeri. Si dicant, Evangelicam doctrinam profitentes misericordiam exercere debere; hanc veram & legitimam esse ait, ut, retento in custodia *Henrico*, occasio majorum criminum auferatur, bonis adhortationibus pœnitentia & emendatio ei persuadeatur, & æqua satisfactio iis, quos læserit, procuretur; hoc facto minime illi invidet sive libertatem sive majorem felicitatem. Sed intempestivam esse statuit misericordiam, immo impiam, & qua divina amittatur commiseratio, si quis malorum ita misereatur, ut peccandi novas illis vires & occasiones suppeditet. *Scimus*, ait, *quod Papa & Papistæ nos omnes ad corporis & animæ exitium destinaverint, nos vero illorum salutem quoad animam & corpus optamus & procurare cupimus. Conscientia nostra nobis testimonium perhibet, vera hæc esse. Ita etiam affecti sumus, ut, si Deus illis, quod insane cupiunt, permittat, nempe, ut nos omnes interficiant & extirpent, gloriosum æstimaturi simus, pro illo & verbo ejus pati. O Deus*, scribit, *quantus is honor esset, & o nos felices! si, ut alias obligati sumus, sanguinem nostrum pro sanguine* (id est fide) *Jesu Christi Domini nostri funderemus. Illis vero hostibus & homicidis nostris pessime id cedet, Deumque justum vindicem experientur.* Et post alia: *Cessate, furiosi & insani, nec in ignem sufflate, quem Deus accendet, flammamque & cineres in os vestrum vertet.* Postea gloriam victoriæ contra *Henricum* obtentæ soli Deo, qui Pontificium illum Commissarium punīverit, tribuendam esse serio monet, nec merita jactari vult ab Evangelicis, inter quos, licet veram habeant doctrinam, plurimi ingrati sint, & verbum divinum contemnant, multisque corrupti sint vitiis, inter quæ singulariter taxat usurariam pravitatem, & rapacitatem fraudesque hominum. *Si vita nostra*, ait, *tam sancta & pura esset, ut est doctrina, vel Diabolum in inferno, nedum Turcos & Papam superaremus.* Interim ex *Esa LV. 11.* solatium capit, quod verbum Dei, pure & recte prædicatum, non revertatur vacuum, & inde argumentatur, esse inter Evangelicos, utut paucos, qui sancti sint & filii Dei, verique Christiani, alias verbum frustra prædicari, quod tamen sit impossibile. Spiritum sanctum ergo adesse statuit, qui verbum pure doceri faciat & conservet, fidemque vere Christianam & alia dona largiatur: *Et hæc fides* (addit) *non potest esse sine fructibus bonorum operum, Christus enim dicit Joh. XV. 5. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Inprimis fides non est sine oratione, & precibus, per quas omnia potest Joh. XIV. 13. & XV. 7. Marc. IX. 23.* Ante omnia itaque commendat & extollit veritatem doctrinæ, ut veri bonique fructus sequi possint, *Matth. XII. 33. Facite arborem bonam, & fructum ejus bonum &c. Omnia*, scribit, *posita sunt in orthodoxa doctrina, si ea recta est, recta & bona etiam sunt, quæ sequuntur, recta opera, vita, crux, fortuna prospera & adversa, cibus, potus, fames, sitis, somnus, vigilia, motus & quies. Si falsa est doctrina, perdita sunt opera, mores, passio, jejunia, preces, eleemosyna, stola, tonsura, & quicquid sancti habet Ecclesia Pontificia.* Ista pluribus persequitur *fol. 469.* Licet vero, ut dixerat, victoria illa sit Dei donum, & Deo confidi debeat, media tamen, ait, negligi non vult Deus. Probat igitur, quod parati sint Principes ad media defensionis; Deum enim non esse tentandum; successum etiam sperari posse, modo Deum propitium vera pœnitentia habeant. Dum *Lutherus* in conscribendo libello occuparetur, veritus est Elector Saxoniæ, ne quædam insereret, quæ Cæsarem offendere possent, & *Pontano* mandavit, ut apud eum aliquid ea de re moneret. Licet autem id *Pontanus* sine dubio optimo & placidissimo modo fecisset, observavit tamen, *Luthero* admonitionem illam non placuisse; rogavit itaque Electorem, post editum libellum d. 19. Decemb. (*Reg. H. fol. 603. n. 194.*) ut *Luthero* per rescriptum gratias pro labore ageret, ut & factum est, simul etiam admonitio illa excusata fuit, quod ea intentione facta non esset, ac si præscribere & mandare illi Princeps voluerit, quæ scribere deberet, id enim per Dei gratiam neque se, neque parentem, neque patruum suum, antecessores in Electoratu, facere solitos esse, eamque mentem Electorem mutaturum non fore. (Sey nicht der meynung geschehen ihm ziel oder maaß zu geben / wie auch der Churfürst und sein Herr Vetter und Vater bißher / Gott lob / nicht gethan / auch des Churfürsten gemüth hinfort nicht seyn solle.) Pia sane & clementi Principe digna fuit hæc modestia & benignitas, qua *Lutheri* ingentia in Ecclesia reformanda merita prosequebatur, ejusque jam senis & varia corporis & animi ægritudine afflicti

A. 1545.

(5) *Admonitio de veritate doctrinæ & pietate morum.*

(6) *Electoris Sax. prudentia in benigne tractando Luthero.*

A. 1545.

afflicti affectibus sese accommodabat. Landgravius etiam non multo post, cum essent, quibus censura Lutheri de *Moguntino* durior videretur, in literis ad Electorem d. 8. Jan. 1546 datis, eadem usus est interpretationis lenitate, scribens; se credere, quod Lutherus bono zelo ita scripserit. Pudefacere hæc exempla alios possunt, qui ad tanti viri dona & merita oculos fere claudunt, nævos autem aliquos morum, aut verba duriora & liberiora dicta & scripta, lynceis obtutibus rimantur, magnoque cum supercilio taxant, tanto quidem iniquius, quod ipse defectus suos, salva doctrina, ingenue & frequenter agnovit.

(7) *Supputatio annorum mundi a Luthero edita.*

Inserta est scriptis Latinis Lutheri *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 689. b. & seqq.* supputatio annorum mundi, quam anno 1541. composuerat, hoc vero correctiorem edidit. Versio ejus Germanica inter sequentis anni acta extat *Tom. VIII. Alt. fol. 733. & seqq.* Elaboravit autem eam *ad suum*, ut in præfatione monet, *unius usum, non ut chronicon vel historicon, sed ut ante oculos positam haberet veluti tabulam, ad inspicienda tempora & annos historiarum, in sacris literis traditarum.* Ideo nec commendare eam, nec extenuare vult, cum ad suum solum fructum respexerit, suaque non referat, pereatne an maneat, satisfaciat aliis nec ne. Laudat *Chronicon Carionis Philippi* ut primum & optimum, quod & ipse secutus sit; nisi quod unum se ausum esse dicit in historia *Jorami* Regis Judæ, ubi viginti annos plus numeravit, quam omnes alii ob rationes, quas affert. Agnoscit autem obscuritatem & errorem plerorumque veterum autorum, & inter eos maxime probat Eusebium; alias etiam opiniones quasdam singulares fovet, sed modeste, ut emendationem non refugiat, in ea tamen firmus stat, quod initium hebdomadarum, a Daniele prædictarum, in anno secundo *Darii Longimani* ponendum sit, vid. *fol. 691. & 726. b.* A *Metasthenis* calculo duodecim annorum numero discedit, quem autorem supposititium esse tunc nondum innotuerat. Scientiam sane chronologicam majorem post Lutheri tempora lucem accepisse, non est dubium; interim non spernendum est studium viri, qui etiam hanc eruditionis partem tractavit, immo eo tempore excolere denuo cœpit, quo jam annis gravis, morbis debilitatus, & infinitis pene laboribus obrutus erat. Quantam vero historiæ Ecclesiasticæ peritiam habuerit, ex scriptis ejus neminem potest latere. Illustre itaque exemplum habent Theologiæ cultores, quod imitentur, idque facient tanto felicius, qui ætate vigent, & tot librorum, qui intra sesquiseculum prodierunt, apparatu uti possunt.

(8) *Præfatio Lutheri in Tom. I. Opp. Latin.*

Ad *epistolas* Lutheri denique veniendum est, maxime publicas sive *præfationes*. Ex his notabilis est, quam *Tomo I.* operum Latinorum, hoc anno edito, præmisit d. 5. Martii. Multa ex illo *Libro I.* retulimus, continet enim historiam cœptæ a se disputationis contra Tezelium, & actorum cum *Carolo Miltitio.* Repetere itaque illa nolumus. Exordium autem, quod ad repellendas adversariorum calumnias multum præstat, hic adscribemus, quo editionem librorum suorum, simulque errores excusat. *Multum diuque restiti illis, qui meos libros, seu verius confusiones mearum lucubrationum voluerunt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis novitatibus obrui, & lectorem a legendis illis impediri, tum quod nunc, Dei gratia, extent methodici libri quam plurimi, inter quos Loci communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulchre & abunde formari potest, ut sit potens in sermone doctrinæ pietatis, præsertim cum ipsa sacra Biblia nunc in omni prope lingua haberi possint, mei autem libri, ut ferebat, immo cogebat, rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint quoddam rude & indigestum chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere. His rationibus adductus, cupiebam omnes libros meos perpetua oblivione sepultos, ut melioribus esset locus. Verum improbitas & importuna pertinacia aliorum, qui mihi quotidie aures implebant, futurum esse, si ego vivus non permitterem edi, tamen post mortem meam certissime essent edituri ii, qui prorsus nescirent causas & tempora rerum gestarum, & ita ex una confusione fierent plurimæ. Vicit (inquam) eorum improbitas, ut edi permitterem. Accessit simul voluntas & imperium Illustrissimi Principis nostri, Johannis Friderici, Electoris, qui jussit, immo coegit typographos, non solum excudere, sed & maturare editionem. Sed ante omnia oro pium lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, immo cum multa miseratione. Et sciat, me fuisse aliquando Monachum & Papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, immo submersum in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel una syllaba obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus, ut sunt adhuc multi. Non eram ita glacies & frigus ipsum in defendendo Papatu, sicut fuit Eccius & sui similes, qui mihi verius propter suum ventrem Papam defendere videbantur, quam quod serio rem agerent, immo ridere mihi Papam adhuc hodie videntur, velut Epicurei. Ego serio rem agebam, ut qui diem extremum horribiliter timui, & tamen salvus fieri ex intimis medullis cupiebam. Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa & magna humillime concesserim Papæ, quæ posterioribus & istis temporibus, pro summa blasphemia & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, vel (ut ipsi calumniantur) antilogiam, tempori & imperitiæ meæ. Solus primo eram, & certe ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus. Casu enim, non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* Promisit in fine, si vixerit, præfaturum se esse *Tomo II.* de Anabaptistis & Sacramentariis; sed *tomus* iste *II.* non nisi post obitum ejus prodiit, ideo *Melanchthon* prologi scribendi officium præstitit d. 1. Jun. 1546. ut in loco notabimus.

(9) *Præfatio ejusdem in libellum de infidelitate Pontificum.*

Acerrima est invectiva potius, quam præfatio, quæ a Luthero præfixa est libello anonymi, cui titulus est, **Pabsts treu** / *fidelitas Paparum*, hoc anno edito, in quo acta *Hadriani IV.* & *Alexandri III.* Pontificum adversus *Fridericum I.* Imperatorem describuntur. Exhibetur hæc præfatio *Tom. VIII. Alt. fol. 417.* in qua Lutherus in genere probat

probat laborem, quo Papa tanquam hostis capitalis Domini nostri Jesu Christi, & eversor sanctæ ejus ecclesiæ, ab omnibus, qui id possunt, describatur & depingatur. Pugnat deinde vehementer pro asserendo honore Imperatorum, & nominatim *Friderici I.* de quo ita loquitur: *Fridericus Imperator neque impius fuit neque hæreticus, serio Ecclesiæ curam gessit, justitiam, disciplinam & honestatem amavit, injustitiam odit, mitissimus in hostes, si se submitterent, Princeps præclarissimus, inclytus, fortis, animosus & victoriosus*, (Ein sehr trefflicher / theurer / weidlicher / kühner und sieghaffter Fürst.) *quem valde & ex animo diligo: insignem expeditionem contra Saracenos, ad liberationem Christianorum, suscepit, qua vitam etiam amisit in flumine.* Igitur Papam, qui talem tantumque virum tam indigne habuerit, diris modis execratur.

(10) Lutheri eloquium in dialogum Io. Frederi de conjugio.

Haud multo mitior est Lutherus, quam in alio argumento alioque adversario arguendo occupatus, in prælocutio, quod dialogo *Joh. Frederi*, Pomerani, de conjugio præmisit, *Tom. VIII. fol. 471.* Oppositus ille est maledicentiæ *Sebastiani Franci* (de quo alibi dictum est) qua fœmininum sexum edito libello proterve insectatus erat. Dedicavit autem Dialogum suum Frederus *Dorotheæ*, *Christiani III.* Daniæ Regis conjugi, cujus insigne elogium, ex *D. Bugenhagii* relatione, adornavit. *Lutherus* in præfatione fatetur, se *Francum* hominem pessimum responso indignum judicasse, certum, quod scripta ejus lucem haud diu sint latura, cum non nisi satyris & convitiis indulgeat, & aliorum detegat & exagitet vitia, illitasque turpitudinum illarum inverecunda relatione chartas mundo obtrudat; Comparat eum cum muscis & vespis, quæ fœdissima quæque pervolitantes & perrepentes, postea inquinatæ & fœtentes, naso, oculis, genis & labiis hominum impudenter insidere velint. Taxari quidem merito vitia etiam a piis doctoribus, sed non cum petulantia aut insultatione, aut quod delectentur in eorum enarratione, sed ut odium flagitiorum excitent, & viam ad emendationem ostendant. Præterea indignatur, quod *Francus* Lutheri sententiam de præsentia reali in Sacramento ideo proterve rejecerit, quia (ut scripserat) literæ saltem pertinaciter inhæreret, quasi Spiritus nihil esset aut valeret; accusat itaque eum, ut fanaticum, (Einen Geisterer und Enthusiasten) & sensus literalis sacrarum scripturarum hostem infensissimum. Hunc illorum hominum, *Munzeri* & similium, genium fuisse scribit, ut nihil nisi spiritum jactaverint, (Gaist / Gaist / Gaist) Scripturam plane contempserint, & qui eam tractarent, *literatores* (Buchstabler) vocaverint; sic vixisse illos pro lubitu, & quicquid egerint, spiritui tribuisse, quicquid vero ab aliis actum fuerit, sordidum, fœtidumque illis visum esse, & carnis titulo diffamatum. Meminit etiam hac occasione *Simonis Lemnii*, (Lemmichen) poetæ, quem *stercoreum* vocat, maledici itidem hominis, ejus nempe, quem ob probrosa carmina Wittenberga aufugisse diximus §. *LXVIII. n. 27. 28.*

(11) Epistolæ Lutheri ad Georgium Anhaltinum, Henr. Einsidelium, & Senatum Halensem.

Epistolæ Germanicæ paucæ hoc anno *Tomo VIII.* insertæ sunt. Quæ *fol. 414.* ad Principem aliquem d. 9. Martii scripta esse dicitur, data fuit ad *Georgium* Anhaltinum, & quidem Latine, quæ *MS.* extat in *Bibliotheca Jenensi*, & meretur, ut in additionibus integra producatur. Ad *Henricum ab Einsidel* d. 31. April. pauca quædam scripsit Lutherus, de nescio qua lite cum colonis, de quo hominum genere eorumque iniquitate & ipse queritur. *Fol. 414.* Senatui *Halensi* d. 7. Maji (*Jovis post Joh. ante port. Lat.*) gratulatus est *Tom. VIII. fol. 473.* de bono Ecclesiæ in urbe illa statu, & de concordia inter pastores & populum, quam ex relatione *D. Jonæ* cum gaudio se dicit percepisse; monet & precatur, *ut abundetis magis I. Thess. IV. 10.* inserit querelam aliquam de *Cardinali* illorum, qui eo tempore duas virgines sacras initiaverat; dein *D. Jonam* commendat, quo se & Wittenbergenses ægre carere dicit: *Rari sunt*, ait, *tales pii & puri concionatores, quod quotidie experimur, Deus ipse eos magni æstimat, ideo dicit, pauci sunt operarii*; subjungit plura in laudem ministrorum piorum.

(12) Epistola ad D. Jonam.

Ex epistolis Latinis MSS. quarum notitiam habeo, superest, quam ad *D. Jonam* scripsit d. 26. Jan. ex qua notanda sunt, quæ habet, de literis illis expostulatoriis Pontificis ad Cæsarem datis, de quibus §. *CXIV.* dictum est: *Circumfertur* (scribit) *epistola Papæ, quam e Venetiis miserunt fratres Theodoro Vito, satis superba ad Carolum V. Imperatorem, in qua multo & magno planeque Italico supercilio expostulat cum eo, cur audeat permittere & promittere colloquia de religione, cum non sit sua functionis docere, sed potius audire & discere a matre ecclesiarum & Magistra fidei.* (*Hæc sunt verba tibi satis nota Apostata Jurista.*) *Multi dubitant, an res sit seria, vel pasquilli ludus; sed mihi tamen non nihil omnino videntur.* Addit, famam esse, quod *Carolus* Imperator in futuris Comitiis reformationis formulam propositurus sit, quæ conveniat cum ecclesia tempore Concilii Niceni, & subjungit: *O festivam reformationem! Si vera sunt, tum res Papæ ad restim redierint, vel si insidiæ sunt, ut nos hac spe alliciant ad consensum, (ut magis credo) tum Papa promisso nos captos pulchre illuserit.* Sequuntur acres in Pontificem & Cardinalem Moguntinum invectivæ.

(13) Item ad Anton. Lauterbachium.

Consultus de ritu elevationis, quem in ditione *Mauritii* Ducis conservare volebat *Georgius* Anhaltinus, ut alibi notavimus, ab *Antonio Lauterbachio*, quem Pastorem & Episcopum *Pirnensem* & vicinarum ecclesiarum, & venerabilem in Christo fratrem suum, vocat, respondit d. 2. Jan. *Quod non scripsi aut respondi tuis jam binis literis, mi Antoni, spero me facile excusari apud te, qui noris, quam sim occupatus, deinde piger, senex & cupidus mortis. Deinde, quod mentem meam in hac causa certissime notam habes. Sed si petatur a nobis aliquid concedi ceremoniis, non jure, sed charitate libertatis, præsertim a tali & tam pio Episcopo, qualis est Mersburgensis optimus Princeps, (nam apud Deum & apud me verus est Episcopus, etiamsi tituli varient, qui ad rem nullius sunt ponderis,) nos debemus cedere invicem secundum doctrinam Pauli, qui fuit omnia omnibus, Judæis Judæus, Gentilibus Gentilis. Secus, sicubi sensit se cogi in servitutem ac necessitatem, ibi plane nulli cedebat. Quare non est, quod dubites aut quæras in hac re amplius. Veritas Spiritus longe est præferenda,* ut

A. 1546.

ut, quæ ad vitam æternam pertineat, istis temporalibus & indifferentibus rebus, quæ cum hac vita finiunt. Inserta est *Tom. VIII. fol. 504.* brevis narratio aliqua de colloquio inter *Lutherum* & *D. Majorem*, Ratisbonam abiturum & Luthero valedicentem, de causa Sacramentaria; sed cum *D. Major* non prius quam mense Januario 1546. Ratisbonam ad colloquium profectus sit, dicta ista ad sequentis anni acta pertinent, & inter illa a nobis referentur.

ADDITIO.

Clarissimo & Generosissimo Principi & Domino, Domino GEORGIO, Episcopo Merseburgensi, Præposito Magdeburgensi, Principi ab Anhalt, Comiti Ascaniæ, & Domino in Bernburg, Domino suo Clementissimo & observantissimo.

Lutheri epistola ad Georgium Anhaltinum, de morte Georgii Heldi Forchemii.

Gratiam & pacem in Christo. Migravit igitur a nobis, Clarissime Princeps, Georgius noster Heltus; migravit magno sui desiderio relicto & dolore nostro. O Deus meus, in isto tempore, quo nobis esset opus multis sanctis viris, quorum precibus, consiliis & auxiliis consolaremur & foveremur, etiam reliquias istas in nobis tollis? Scimus, placitas tibi, o Deus, fuisse hujus Georgii preces & operas, qui filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum ardentissime dilexit, studiosissime coluit, & Ecclesiæ tuæ utilissimus fuit. Ego ipse certe plurimum in ipsius precibus fidebam, & consolatione suaviter fruebar. Quanto magis tibi, clarissime Princeps, acerbissimum vulnus inflictum credo illius discessu, cujus tibi fuit consuetudo suavissima & sincerissima? Cum illo bene actum est, qui collectus ad patres suos & populum suum, plurimos ibi & meliores invenit, quam hic reliquit. Sed nobiscum durissime agitur, cum in ista Sodoma & Babylone vivimus, vel mortificamur potius, & nobis eripiuntur tales Lothi & Danieles, quorum quo magis opem opus habemus, vergentibus rebus in deterius quotidie, hoc minor eorum copia nobis reliqua est. Sed consilium Dei adorandum est, ut est natura ejus, dum aliquid magnum, & quod spem excedit, facturus est, prius omnia annihilat & in desperationem adducit, sicut scriptum est: Deducit ad inferos & reducit. Hoc facit, ut erudiat nos in fide, spe & charitate erga se ipsum, ut discamus invisibilia ejus præferre apparentibus, & contra spem in spem credentes in ipso hæreamus, qui vocat ea, quæ non sunt, ut sint. Quæ enim quis videt, quid speret? Deinde, ut & dilectio fiat fortis, ut mors, & æmulatio dura sit, sicut infernus, dum nobis aufert sua dulcissima dona, & ostendit sese prorsus inamabilem Deum, tunc maxime, cum de bonis optime & amantissime cogitat & sollicitus est. Sic, sic occiditur vetus homo, & destruitur corpus peccati. Quare, clarissime Princeps, Te ipsum consolare secundum opulentam mensuram cognitionis, qua tibi donatum est nosse Deum Patrem & Filium suum, & in operibus manuum suarum exercitatus es. Nos orabimus, ut Deus totius consolationis te roboret & firmet Spiritu sancto, donec illucescat & veniat hoc opus, quod in istis tentationibus jubet nos expectare. Non enim ex corde, ait Jeremias, humiliat filios hominum. Et Augustinus in quodam loco: Non permitteret Deus malum fieri, nisi ex hoc melius aliquid elicere vellet. Nos adhuc in carne sumus, ignari, quid petere aut quomodo petere debeamus, hoc est, quia nobis prosit & optimum sit. Ille autem, qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus, pro nobis sollicitus, plura & ampliora potest, quam angustia nostri cordis ausit optare, immo cogitare. Sed ea dare non potest, nisi prius ea tollat, quibus nos credimus carere non posse, aut magno malo & periculo carere. Exemplis Scriptura referta est. Adam & Heva spe magna de Cain ebrii fuere, mox utroque filio orbati de tota re desperabant. Sed Deus, qui vivificat mortuos, & ex nihilo facit omnia, mox donat eis semen aliud pro posteritate nunquam defectura. Abraham de Ismaele sibi grandia promittit, Isaac de Esau, Jacob de Ruben; sed spes tantas omnes oportuit occidere, ut surgeret nova & æterna spes. Et nunc nos in hoc calamitoso seculo prorsus omni spe destituimur. Sed speremus tamen in Deum vivum spe nova, facturum eum esse finem istorum malorum propediem, nec fallemur. Fidelis & potens est Deus, qui promittit & facit. Lugeamus igitur nostrum charissimum Georgium Helt, quia defecit lux sua, ut Sirach loquitur: non sibi, sed nobis. Illi enim lux sua aucta & stabilita est in æternitatem, donec & nobis cum illo eadem lux nostra & hic deficiat, & illic perficiatur, per illum, qui est lux & vita nostra, Amen. In quo Celsitudo Tua quam optime valeat. d. 9. Martii 1545.

A. 1546.

SECT. 33.

Annus 1546.

(1) De secunda & tertia sessione Concilii Tridentini.

(2) De quarta.

(3) De quinta.

Itaque postridie festi Epiphaniæ secunda sessio habita fuit, in qua, post ceremonias ordinarias, Episcopus, qui sacra fecerat, decretum recitavit, quo de vita Christiana & boni exempli, in Concilio observanda, præcipiebatur. Tertia sessione d. 4. Febr. cui, præter quinque Cardinales, sex Archiepiscopi, triginta Episcopi, plurimique Abbates intererant, lectum saltem fuit Symbolum Constantinopolitanum, utque Episcopi, qui in itinere erant, expectarentur. Dies 8. Aprilis quartæ sessioni assignatus fuit, in qua aderant novem Archiepiscopi, Episcopi vero quadraginta & unus. Longo hoc temporis intervallo in congregationibus, quæ bis singulis septimanis habebantur, examinata sunt, quæ ad verum Dei verbum, utpote regulam & unicum principium fidei contra omnes hæreticos, pertinent, & statutum inde fuit, secundum antiqua Concilia, de numero librorum Canonicorum Veteris & Novi Testamenti, de traditionibus, ab Apostolorum tempore ad nos continua successione perlatis, quas Ecclesia Catholica diligenter, tam quoad fidem, quam quoad mores, conservavit. Declaratum etiam, versionem vulgatam pro authentica habendam, ejusque verba eo sensu, quo ab Ecclesia intelliguntur, capi debere, hanc enim de controversiis obortis unicum legitimum judicem veri Scripturarum sensus esse. Sane absque hoc nihil certi in religione futurum esset, neque unquam de vero principio fidei conveniri posset, ut clarissime demonstratum a me Protestantibus esse existimo, in methodo mea pacifica, & per rationes convincentes, in tractatu meo de vero verbo Dei. Istud vero omne contra Lutherum definitum hoc modo fuit, qui neque traditiones admittebat, & libros quosdam Canonicos rejiciebat, nec alium judicem Scripturæ, quam ipsam, agnoscere volebat, aut se ipsum potius, cum contenderet, semper illum pro vero sensu accipiendum esse, quem ipse ei attribueret. Dein, cum seriem Confessionis Augustanæ sequi placeret, eaque exactissime examinaretur, sessione quinta d. 17. Junii definitum fuit, quid credendum sit

A. 1546. *sit circa peccatum originale. De hoc inter alia ita statuit Concilium, quod per gratiam Jesu Christi, in Baptismo nobis collatam, peccatum hoc nobis remissum sit, remanente tamen concupiscentia, quæ verum peccatum non sit, licet aliquando hoc nomen ei tribuatur, ideo, quia effectus est peccati, & ad id impellit. Sic condemnatur error Lutheri, qui statuit, peccatum originis non deleri in Baptismo, sed saltem non imputari amplius, peccatum enim hoc nihil aliud esse vult, quam concupiscentiam. His adjecit Concilium, quod in hoc decreto de peccato originali nullo modo comprehensa intelligatur Beata & immaculata Virgo Maria, mater Dei, sed servandæ sint constitutiones Sixti IV. qui Missas & officia immaculatæ conceptionis instituit, magnasque indulgentias illis tribuit, qui festum illud devote celebrarent. Satis postea temporis fuit ad examinanda, quæ Lutherani in confessione sua dicunt, de fide justificante, de certitudine gratiæ, de operibus eorumque merito, de libero arbitrio; Sexta enim sessio, quæ d. 19. Julii destinata erat, dilata fuit ad 13. Jan. anni sequentis, ob turbas, quæ interim in Germania nasci cœperant, de quibus mihi nunc dicendum est.*

Extrav. ag. comm. Lib. 3. tit. 12. c. 1.

§. CXXIX.

(1) *Nota quædam generalis ad Maimburgii tradita de Concilio.*

Rectius equidem crediderim facturum fuisse *Maimburgium*, si, pro instituto supra *sect. 32.* indicato, plura & solidiora de Concilio Tridentino referre noluerit, ut pauca quoque, quæ affert, præteriisset, præsertim, cum magna de historia & actis Concilii volumina extent, & quidem autorum, quibus *Maimburgius* anteferre se nullo modo potest. Mihi sane nec vacat nec lubet, illum extra oleas vagantem per omnia sequi, indicabo tamen saltem, quam facere potero, brevissime, quæ notanda sint ad ea, quæ maligne referuntur, & unde uberior notitia peti debeat. Addam, quæ ad historiam pertinent, & a *Maimburgio* tacentur. De sessione *secunda*, d. 7. Jan. habita, *Pallavicinus* tractat *Lib. VI. cap. V.* ubi §. *1. Hieronymi Seripandi*, Generalis Augustinianorum, postea Cardinalis, manuscripta, Neapoli asservata, & Pontificis jussu secum communicata, allegat. Ex illis indicat, admonitionis ad patres, quos vocant, autorem fuisse Cardinalem *Polum*; Decretum vero de vitæ sanctimonia, & modestia, in suffragiis observanda, integrum exhibet *Raynaldus hoc anno n. 6.* Gallorum dein ambitionem notat §. *3.* quorum Oratores in prima sessione postulaverant, ut in precibus, quas Concilium decernebat, non solum Cæsaris, sed & Regis sui nominatim mentio fieret; idem etiam in hac sessione urserat ex Episcopis Gallis *Claromontanus.* Sed consuetudo Ecclesiæ, sive ritus Romani observantia opposita est, quæ in die parasceves solius Cæsaris mentionem in publicis precationibus facere solet. Renovata fuit in hac sessione, & secuta congregatione, quam vocabant, (sessio enim solum dicebatur, cum decreta, de quibus in congregationibus, post multa certamina aut moras, conventum erat, publicarentur) disceptatio de titulo Concilii, (*repræsentantis universalem Ecclesiam*) de quo §. *CXXV. n. 7.* dictum est. Elusit eos, qui titulum hunc affectabant, *Seripandus*, dilationem suadens & obtinens, *dum florentior fieret Concilii status, & ad sanctiones adeo precelsas perveniret, ut earum frontem illius epigraphes majestas deceret.* Evicerunt tamen alii, ut Synodi *œcumenicæ & universalis* titulus adhiberetur, quem Pontifex ipse ei dabat; at serius hoc impetratum fuit, cum jam quædam decreta absque illo titulo edita essent, indeque factum, ut alia illum titulum habeant, alia non habeant. vid. *d. Lib. VI. cap. VI. §. 3.* Taxat ibi *Pallavicinus* acriter *Braccium Martellum*, Episcopum Fesulanum, qui, facto jam de omittendo illo titulo *repræsentationis* decreto, nihilominus reclamabat, indignantibus cæteris, quod commune judicium eorum sperneret, qui, ut *Pallavicinus* jactat, ut *legitimi judices universi Christiani generis considebant*; cum nihil essent, quam Pontificiorum dictaminum, post longas licet disputationes & contradictiones, approbatores, neque, absque capitis illius sui influxu, ullum judicandi proprium jus haberent. *Raynaldus n. 14. Poli* verba refert, quibus *Martellum*, cum conscientiæ suæ stimulos allegaret, repressit, dicens: *Quod conscientia alicui dictat, præferendum quidem est; verum, postquam semel atque iterum & tertio quis sibi satisfecerit, proferendo opinionem suam, & aperte cognitum est, ejus dictum a majori parte non solum non probari, sed omni conatu reprobari, potest ac debet ille opinionem suam dimittere, & quod amplius est, a malo est.* Hoc recte dictum est homini, ambitiosum titulum frivole & pertinaciter propugnanti, vid. *Pallav. Lib. VI. cap. IX. §. 3.* & *cap. XII. §. 1.* Interim *Poli* effatum ad res, quæ divinæ sunt veritatis, extendi non potest, in iis enim per numerum suffragiorum satisfieri conscientiæ non potest, quanquam contrarium in Concilio hoc locum invenerit. Aliud & gravius certamen, quod omisit *Maimburgius*, in congregationibus d. 18. & 22. Jan. habitis agitatum est inter disputantes, num de dogmatibus prius, an de reformatione abusuum tractandum esset? Utriusque sententiæ argumenta explicat *Pallavicinus d. Lib. VI. cap. VII.* sed nimium prodit affectus, cum rationes eorum, qui postponi reformationis negotium volebant, satis aperte tuetur, & magnum illud αἴτημα, quod Concilium subditum sit Papæ, audacter pro certo habet: Deinde improbe timet, ne Episcopi *imprudenti religionis studio, aut Principum suorum desiderio gratificaturi, severissimas aulæ Romanæ leges præscriberent, quæ non tam corruptelas purgarent, quam imminuerent ejusdem potentiam, majestatem, ad eam confluentium frequentiam, & quicquid habet præstantissimi succi:* (ab aurea scilicet pluvia, cum qua Pontificatum comparare solitus esse dicitur *Urbanus VIII.* sperandi.) Nam quod hic addit, *illo succo Romam, tanquam vitem mysticam, Ecclesiarum Christianarum palmitibus vim & unitatem sustentare & fovere*, pietatis mysterio 1. Tim. III. 16. non convenit, sed illi potius, quod describitur 2. Thess. II. 7. Vide sis plura *d. l. §. 2.* Ex quibus

(2) *Quædam ex Pallavicino, speciatim de titulis Concilii.*

(3) *Dictum quoddam Card. Poli.*

(4) *De reformatione in Concilio tractanda difficultas & decretum.*

A. 1546. quibus satis constat, unitatem, quam tantopere urgent, & extollunt, non quæri in fide & Spiritu, sed in universali illo dominatu, ejusque artibus, per quas ex omnibus Christiani orbis provinciis aureus ille succus Romam fluat. De his §. *LXXXIV. Add. II. (dd.)* Majoragii festive dicta allegavimus, & ad eas referri debet frequentia hominum, quam hic laudat Pallavicinus, Romam confluentium; quæ utique nunquam aut rarissime fit fidei & pietatis causa, sed plerumque propter lites & dispensationes, quas quisque domi finire aut impetrare posset, nisi Ecclesiis jus suum, per reservatos ad Pontificum dijudicationem aut gratiam casus, ablatum fuisset, inventis præterea tot legum vinculis, quorum relaxatio nummis & longis fori tricis Romæ petenda est. Miræ vero, sed profanæ calliditatis exemplum ipse eodem loco refert *Pallavicinus*, §. *6. & 7.* cum narrat, quomodo *Montanus*, primus ex Legatis Pontificis, assumta veluti inspirati specie, laudare ultro cœperit suffragium Cardinalis *Madrutii*, ex scheda prælectum, eloquentissime quidem compositum, & ab omnibus summo cum applausu auditum, sed Pontificis scopo plane contrarium, quo, initium a reformatione Cleri faciendum, idque ad reducendos hæreticos præstantissimum remedium esse, (sic jussus a Cæsare) contendebat. (*Add. Raynald. n. 10.*) Tam dextra autem velificatione usus est in sententia *Madrutii* enervanda, Montanus, ut, cum Pontificis intentionem, qui reformationem Cleri differri, aut plane evitari cupiebat, in consessu isto obtineri posse desperasset, sua suada, *veluti incantamento* (ut *Pallav. d. l.* §. *8.* scribit) effecerit, ut proposita a *Thoma Campegio, Feltrensi Episcopo*, media via approbaretur, nempe, ut de fide & moribus simul ageretur. Neque tamen Pontificis indignationem, & ut invitus post tres demum hebdomadas assenserit, tacere Pallavicinus voluit, scilicet ut incautis persuaderet, libertatem Episcopis non defuisse; Laudat quoque, eodem fuco, Legatos *d. c. VII.* §. *16.* quod ausi fuerint mandatis Pontificis contravenire, & regulam inde extruit, *non optimum esse ministrum, qui magis, quod Dominus velit, quam quod Domino prosit, exequatur.* Cæsarem salse irridet, quod, desistere a proposito coactus, *precator alienæ cunctationis factus fuerit*, id nempe per suos rogans, ut lente procederetur, ne Protestantes in furorem agerentur. Hic quoque philosophatur *Pallavicinus*, & *summi esse detrimenti consilium dicit, summum emolumentum pervicaciter velle.* At versutiam Legatorum Pontificiorum, quicunque paulo meliores & cordatiores erant, execrati sunt, ita ut *Petrus Pacecus* Cardinalis, *Giennensis* in Hispania Episcopus, qui libertate sua multas molestias Pontifici in Concilii negotiis exhibere solebat, publice exclamaverit: *Patres decipi a Legatis d.* §. *16.* Adde expostulationem alterius Hispani *Petri Alabæ*, Episcopi *Asturiensis*, cum *Montano, cap. XI.* §. *3.* Vafritiem tamen illam aliasque *Pallavicinus* mire commendat, & pro artibus licitis & prudentiæ tribuendis venditat. *cap. IX.* §. *4. 5.* Inter has etiam fuit cunctatio illa, quam Cæsar optabat, indeque factum, ut sessione *Tertia d. 4. Febr.* non nisi symbolum fidei, quo Romana Ecclesia utitur, sive, quod Constantinopolitanum vocant, recitaretur & approbaretur, & sessioni sequenti dies 8. Aprilis statueretur.

(5) *Querela Episcoporum Hispanorum, & quædam de sessione tertia.*

De disputatis in congregationibus, quæ ante illam, post duos menses habitam, sessionem instituebantur, consulendus est *Pallavicinus cap. XI.* ubi refert, quæ de numero librorum Canonicorum acta sunt, ita quidem, ut *Cervini* Cardinalis dictum alleget, qui dubitationes quorundam veterum, (i. e. patrum) de librorum aliquorum canone, ex *hæreseos cloacis haustas* esse, non veritus est asserere. Quando enim Patres, ad quorum assensum, ubi expedit, non segniter Romæ provocant, & tunc eos pro sanctis habent, aliter sentiunt, quam Romanæ convenit utilitati, tunc errasse dicuntur sine pudore. At cave credas, serio hic aut sine æquivocatione loqui *Maimburgium*, cum scribit; Dei verbum regulam & unicum principium fidei contra omnes hæreticos esse. Intelligit enim non solum verbum scriptum, sed & oretenus per traditiones servatum. De his multum actum est in congregationibus particularibus & generalibus. Vid. *Raynald n. 22. 25. 26. Pallavic. d. cap. XI.* §. *8. et sqq.* Ausus sane fuit *Jacobus Naclantus* Dominicanus, Episcopus *Clodiensis*, *teste Raynaldo n. 26.* in congregatione generali d. 26. Febr. dicere; *Frustra quærimus traditiones, per manus, verbo et observantia communis Ecclesiæ, ad nos perductas, cum habeamus Evangelium, in quo omnia, quæ ad salutem et vitam Christianam necessaria sunt, scripta inveniuntur.* Sed reprehensus illico est a pluribus per sophismata, applicatione dictorum Joh. XXI. 25. & Joh. XVI. 12. & quorundam Pauli pessime detorta, traditiones Scripturæ associantibus. Impudentior *Raynaldus*, axioma vere Romanum margini d. l. appinxit: *Evangelii autoritas pendet a traditione. Pallavicinus d. c. XI.* §. *11. ejusdem Clodiensis* aliud dictum, quo Florentinæ Synodi decretum anno 1441. quod Scripturas cum traditione æquiparavit, in dubium vocaverat, quia Synodus finita fuisset anno 1439. inscitiæ convictum esse, scribit, a Legatis Pontificiis, ostendentibus, Synodum illam, etsi acta Latinæ versionis, a *Bartholomæo Abrahamo Cretensi* edita, in anno 1439. desinant, ad annum tamen 1442. continuatam, & demum Romam translatam fuisse; quod *Pallavicinus* §. *13. Horatii Justiniani* Cardinalis testimonio confirmat, qui acta Synodi illius in Bibliotheca Vaticana inventa edidit, referente *eodem cap. XIV.* §. *4.* Acerbius vero postea sententiam suam repetiit *Clodiensis*, cum Decretum prælegeretur, in quo statuitur *Scripturas et traditiones pari pietatis ac reverentiæ affectu recipiendas esse*: exclamavit enim, *eam inter sacras literas ac traditiones æqualitatem sibi impiam videri*; quod rectissime dictum cæteri cum horrore & admiratione, teste Pallavicino, audiverunt, & puniri hominem contenderunt. Sic territus, primo mollire cœpit verba miser, denique prorsus retractavit, & decreto sese submisit, atque sic communi plausu veniam obtinuit, hæreseos tamen suspicionem non satis eluit, vid. *Paul. Venet.* reprehensus quidem a *Pallavic. cap. XIV.* §. *4.* Adstipulatus est Clodiensi aliquatenus *Petrus Bertanus*, Episcopus *Fanensis*, *teste Raynaldo*, *n. 37.* dixit enim: *Multa esse inter Scripturas & traditiones discrimina, Scripturam penitus esse indelebilem, pleras que autem traditiones mutabiles esse, & pro arbitrio Ecclesiæ tolli,*

A. 1546. (6) *Disputatio de Canone Scripturæ.*

(7) *Episcopi Clodiensis pium dictum de traditionibus, a Concilio rejectum.*

(8) *Episcopi Fanensis dictum in eadem materia, item Claudii Jayi Jesuitæ.*

A. 1546. *tolli, ideo, licet ab uno Spiritu profecta sint, aequali tamen gradu haberi non posse*; addit, *Lutheranos objecturos esse, quod Pontifici ipsi traditiones violaverint & mutaverint.* Sed neque hujus admonitio locum habuit. Interim, assumtis licet in thronum, soli Scripturae debitum, traditionibus, cautio tamen fuit, ne suis rebus nocerent apotheoseos autores; & societatis suae genii subtilioris specimen dedit, laudante Pallavicino, *Claudius Jayus* Jesuita, qui Augustani Episcopi nomine aderat, traditiones ad fidem spectantes, ab iis, quae ad mores pertinent, distinguens, illas sine exceptione retinendas esse censuit, has, non nisi quatenus hodie in Ecclesia vigent. Approbavit dictum Legatus *Cervinus*, S. Basilii autoritate. Sed, quo tendat hæc exceptio, facile deprehendent, qui disciplinam Ecclesiae, traditionibus vetustioribus stabilitam, cum moribus Pontificis & Cleri, quales tunc erant & hodie sunt, comparare velint. Reducti sane ad Basilii aliorumque & veterum Episcoporum tenuitatem (de qua paulo post alterius episcopi verba afferemus) fuissent, nisi recentiora, quae utiliora & splendidiora sunt, in antiquitatis nomen adoptassent, &, si testimonio vetustatis juvari nequeunt, approbatione & observantia ecclesiae (quam scil. Papa eminentissime, & per eum Clerus repraesentat) tuerentur, etsi heri & nudius tertius inventa. Sed in decreto sessionis quartae tectius actum fuit. In hoc enim eodem loco habentur traditiones, tum ad *fidem*, tum ad *mores* pertinentes, tanquam *vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatae, & continua successione in ecclesia Catholica conservatae.* Et haec, omissa *Jayi*, Ignatiani Apostoli, distinctione, retulit etiam, ut vidimus, *Maimburgius*, quanquam verba illa; *continua successio*, contradictionem patiantur, & pleraque, quae traditionibus nituntur, in manifestam adducantur incertitudinem, cum continuatio probatu impossibilis sit, & plurimarum traditionum autor, quo tempore, quave occasione eam docere aut introducere coeperit, haud sit ignotus. Decretum de *versione vulgata* pro *authentica babenda*, & in Concilio, & postea etiam Romae, nedum apud Evangelicos, multas peperit oppositiones. Singulari cum diligentia & argutia commentatus de hoc est *Pallavicinus d. Lib. VI. cap. XV.* & in prolixa disputatione contra *Paulum Venetum cap. XVII.* Erant enim Romae, qui menda vulgatae versionis, non amanuensium nec typographorum, sed ipsius textus, tot & tanta esse sciebant & observabant, ut approbationem ejus haereticis irrisionis materiam praebituram esse minime dubitarent; quare deliberatum Romae fuerit, de suspendenda impressione illius decreti. *Videatur post Venetum Raynaldus n. 53.* inprimis vero *Pallavic. d. cap. XVII. §. 15. & 16. & Lib. VII. cap. XII. §. 1. 2.* ubi refert, quomodo Legati decretum defenderint, & objectioni illi de mendis, ea clausula occurrerint, qua cavetur, ut *vulgata illa & vetus editio quam emendatissime imprimatur*; occasionem etiam hinc sumit contra *Venetum* gloriandi, quod in Concilio tam libere actum & definitum fuerit, ac si nullus existeret Pontifex *cap. VII. § 3. Accinit ei Raynaldus n. 55.* Quae vero in ipso Concilio disputatio de intellectu vocis *authentica* orta sit, ex Veneto & Pallavicino cognoscitur. Quidam tam crude vocabulum id intelligebant, *ut originali etiam Hebraico & Graeco textui praeferri debere* existimarent vulgatam, & hanc ne levissimo quidem errori obnoxiam esse. Hoc qui credit, ait *Pallavicinus d. cap. XVII. §. 10, ab ecclesia non damnatur*; (a Protestantibus tamen sine dubio stultissimus habetur,) Alii eatenus tantum authenticam esse sentiebant, ut *nullus ei insit error in fide aut moribus, etsi in singulis apicibus & propriis verborum enunciationibus non careat naevis.* Hanc sententiam in Concilio *Andreas Vega Hispanus*, Theologus Franciscanus, defendit, & repetiit edito libro *de justificatione*, quem *Pallavicinus* allegat *Lib. XV. cap. X.* Accessit ei postea *Melchior Canus*, Hispanus alius, satis celebris, qui anno 1551. Concilio interfuit, & *Didacus Payra Andrada*, itidem praesens in Concilio, anno 1563. deinde *Nicolaus Semrius* & *Jacobus Bonfrerius*, Jesuitae, nec non *Sixtus Sinensis*, quos omnes citat *Pallavicinus d. §. 10.* multum vero laudat *cap. XVII. n. 14. Michaelem Elizardam*, Jesuitam Hispanum, in libro *de forma quaerenda & reperienda vera religionis*, habetque ista sententia hodie quoque in Gallia & alibi sectatores. Sed prior illa sine dubio communior est, unde & in declarationibus Cardinalium, quae editioni concilii Tridentini insertae sunt, (*utor ea, quae Coloniae Agrippinae anno 1664. in Octavo prodiit*) ad decretum hoc *p. 11. sub n. 1.* additur: *Etiam dicendum est, quod nec vel periodus, vel una clausula, vel dictio aut syllaba jotave unum repugnet, in veteri vulgata Latina editione.* De textu vero Hebraico aut Graeco provocatur ad Regulam tertiam *indicis librorum prohibitorum sub Pio IV.* editi, in qua tamen de textu Hebraico vel Graeco nihil invenio, sed hoc saltem, quod versionum Biblicarum lectio ab Episcopis non nisi doctis & piis concedi debeat, sed ita, *ut iis non utantur, ut sacro textu, sed tanquam elucidationibus vulgatae editionis, ad intelligendam sacram Scripturam.* Si igitur autores declarationum Concilii, quae magna cum approbatione aliquoties editae sunt, & ad quos Pontifex dubitantes de Concilii sensu ablegat, textum originalem, respectu vulgatae, ut authenticae, eodem loco habuerunt, quo versiones alias cujuscunque privati, ab ecclesia non reprobatas, facile patet, quo pretio textum Hebraeum & Graecum habeant. De interpretatione Scripturae Synodus prohibuit *sessione hac*, ne quis audeat illam interpretari contra eum sensum, *quem tenuit mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum.* Hoc vehementer laudat *Maimburgius*, & libros a se editos allegat, in quibus principium istud fidei demonstrasse se gloriatur. Fateor, mihi non vacasse, ut illos inspicerem, omnemque appetitum legendi exemtum esse non solum a scriptoribus *Reformatis*, qui illos refutarunt, sed & a quibusdam ex Romano-Catholicis, inter quos nuper *Richardus Abbas*, *in Act. Erud. anno 1690. p. 565. & p. 608.* relatus, *Maimburgio* ne Theologi quidem nomen tribuere voluit, in *Examine prajudiciorum D. Pet. Jurii cap. 52.* Caeterum de Decreto illo multa dici possent, sed a Theologis

(9) Decretum de traditionibus.

(10) Aliud decretum de versione vulgata.

(11) Disputatio de vo- ce authentica.

(12) De interpretatione scripturae decretum Concilii.

A. 1546. ologis tutius petuntur. Videndus interim *Pallavicinus*, qui ex *Cajetano* & *Cano* (cujus Volumen locorum theologicorum aureum vocat) notabilia de novis interpretationibus, a patrum doctrina dissentientibus, exhibet, *Lib. VI. cap. XVIII. §. 2.* idem tamen *Cajetano*, parum abest, quin hæresin imputaverit, *cap. XVII. §. 2.* Verum illa *Maimburgii* verba, quibus Luthero imputat, quod nullam interpretationem Scripturæ admittere voluerit, quam quæ illi a se tribueretur, impudenter falsa sunt; ex scriptis enim Lutheri, quæ in hoc opere nostro passim allegavimus, manifestum est, nullam infallibilitatem vel autoritatem interpretandi eum sibi arrogasse, sed piæ & legitimæ interpretationis vias modosque ostendisse, exemplis etiam comprobasse, ex adverso vero cavillos & sophismata Pontificia in detorquendo Scripturæ sensu detexisse.

(13) *De peccato originis & de concupiscentia disputationes.*

De peccato originis, de quo sessione *quinta* d. 17. Jun. definitum est, & de clausula, quæ de immaculata conceptione Virginis addita fuit, consulendus, & cum *Veneto* conferendus est, *Pallavicinus Lib. VII. cap. VIII.* ubi inter alia §. 9. Lutheranorum sententiam, quod concupiscentia, post Baptismum remanens, peccatum sit, Jurisperitorum doctrinæ adversari tradit; quasi id curandum sit in Theologia, ut cum juris civilis placitis & Legulejorum opinionibus consentiat. Dictis vero *Rom. VI. 6.* & *Jacob. I. 15.* quæ pro Scholæ opinione in contrarium in Concilio adduxerunt, longe firmius Evangelici pro veritate a se asserta, uti possunt, consideratis simul, quæ Paulus tradidit *Rom. VII.* Hæc etiam luce sua perfuderunt *Joh. Thomam, Sanfelicium, Episcopum Cavensem, Augustinum Bonuccium*, Generalem monachorum, qui servi B. Virginis dicuntur, nec non *Hieronymum Seripandum*, supra memoratum, ut parum a vera sententia abfuerint, clarius eandem defensuri, si libertate, cujus particulam tantum habebant, vera & plena usi essent. vid. *Pallav. d. cap. VIII. §. 11.* Fusius autem ista explicat *cap. IX.* ubi subtiles *Seripandi, Poli, & Bertani* disputationes circa verba decreti; *in renatis nihil odit Deus*, refert. Secundum verba enim illa Deus non oderit concupiscentiam, quæ si peccatum non est, malum tamen est. Neque tamen impetrari potuit, ut ea tollerentur, causantibus ex adverso aliis, voculam *odii* intelligi debere pro *inimicitia*. Hæc ex scholastica disciplina sunt, qua fidei dogmata explicari non solum concedit, sed & laudat *Pallavicinus, d. l. cap. X. §. 8.*

(14) *Item de conceptione B. Virginis.*

De conceptione *B. Virginis* immaculata quantæ fuerint disputationes *Lib. VII. cap. VII.* prolixe tradit *Pallavicinus*. Defendit eam ante omnes *Pacecus* Cardinalis, adjutus a duobus Hispanis, a Pontifice missis, & Loyolæ sociis, *Didaco Laynes* & *Alfonso Salmerone*. Urgebat *Pacecus*, ut decerneretur, ecclesiam quidem nihil de quæstione illa definire, pie tamen credi, quod *B. Virgo* absque peccato originali concepta fuerit. Sed reclamarunt Episcopi & Theologi, qui aderant, ex *Ordine Dominicano*. Verba decreti concepta sunt hunc in modum: *Declarat S. Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* A. 1546. Gravissime hæc tulit, neque tamen mutare potuit *Pacecus*, qui formulam desiderabat, quæ sententiæ *Franciscanorum*, qui *Scotum* sequuntur, prærogativam quandam daret, præsertim, cum duæ tertiæ suffragiorum pro illa essent. *Pallavicinus* non dissimulat, se eidem, ut communi, addictum esse, quod ex disputatione acerrima, quam *d. c. VII.* contra *Venetum* instituit, satis patet. Egregiam tamen viri sententiam, quam hujus litis occasione promit, dignam putavi, quæ adscribatur, Evangelicis sane principiis bene convenientem. Licet enim excipi posse putet a labe originali Mariam, & quidem unicam, ex ratione plane singulari, de omnibus tamen aliis hominibus hæc scribit: *Quanquam divina ope nostra curetur infirmitas, ne diuturno tempore in graves noxas necessario prolabatur; non tamen robustos ea efficit, ut a levioribus abstineamus; quod periclitatione quotidiana docemur; pluribusque Scripturarum oraculis, & universali Christi monitu, nos omnes cohortantis, ad petendum a Deo, ut dimittat debita nostra; adeoque pro certo ponitur, debitores nos esse. Cumque per Scripturæ verba, ac per exempla, id etiam intelligamus extendi ad præclarissimos Sanctorum; haud certe licet nobis ex quacunque sanctimoniæ præstantia legem hanc coarctare, quin eam reddamus ambiguam, adeoque suspectam falsitatis.* Bullæ *Sixti IV.* quæ in decreto allegantur & renovantur, subjunctæ sunt in editione Concilii supra citata, & referuntur *p. 15. & seqq.* Prior data est *anno 1476. III. Kal. Mart.* in qua indulgentiæ amplissimæ conceduntur celebrantibus conceptionem *B. Virginis*, secundum institutum *Leonardi de Nogarolis*, Clerici Veronensis, Notarii Pontificii. Altera publicata *pridie Non. Sept. 1483.* excommunicat eos, qui damnare auderent sententiam eorum, qui immaculatam conceptionem statuant. Additur *Pauli V. Bulla d. 6. Jan. 1616.* qua *Sixti* & *Pii V.* constitutiones renovavit, & disputationes de hac quæstione prohibuit. Producitur porro *p. 24. & seqq.* ejusdem *Pauli V.* decretum aliud in congregatione generali *d. 31. Aug. 1617.* in quo vetatur, ne quis, donec articulus iste a sancta Sede fuerit definitus, audeat publice asserere, quod B. Virgo concepta sit cum peccato originali. Item *p. 27.* Bulla *Gregorii XV. d. 24. Maji 1622.* in qua tamen testatur Pontifex, se non reprobare alteram opinionem, modo publice non proponatur, & contraria damnetur, unde & festum non *immaculatæ*, sed simpliciter *conceptionis* vocari vult. In editione autem illa Concilii *Balthasar Andreæ*, Jurisconsultus Cæsar augustanus, autor *remissionum*, quas vocat, sive allegationum & notarum, magnum numerum doctorum celebrium recenset, qui cum *Franciscanis* sentiunt, & denique *p. 20.* scribit, eam *opinionem & sententiam receptiorem, probabiliorem, & pietati ac devotioni fidelium congruentiorem, hodie ab omnibus fere ecclesiasticis & secularibus Prælatis ac subditis, cujuscunque gradus, dignitatis & sexus, adeo receptam esse, ut veritatis scopum attingere, dicendum videatur, cum præsertim insignes Academiæ eam juramento probaverint, Coloniensis*

A. 1546.

loniensis nempe & Moguntina, Parisiensis & Hispanicæ omnes. Hæc ad ea, quæ Maimburgius suppeditat, annotanda esse duximus, quanquam acta sessionis *quintæ*, metam operis, quam nobis proposuimus, fere excedant; unde reliqua, quæ *Maimburgius* paucis innuit, & ad sessionem VI. quæ non prius, quam *d. 13. Jan. 1547.* habita fuit, pertinent, plane omittimus. Cum in Germaniam exempla decretorum in Concilio d. 8. April. sive sessionis *quartæ* pervenissent, anonymus quidam ex Protestantibus ea Germanice vertit, & cum præfatiuncula quadam, paucisque annotationibus edidit. Refert scriptum illud *Hortled. T. I. Lib. I. cap. 45.* In titulo libelli autor Christianos monet, ut ex hoc specimine decretorum judicent, quid sperandum sit ab hoc Concilio. In præfatione postea narrat, quale Concilium petierint Evangelici, & quomodo *Ratisbonæ* anno 1541. de primariis articulis controversis transactum fuerit; dein, ut Cæsar omnia ad Concilium vel alios conventus distulerit, neque tamen impetrari potuerit, ut Concilium in Germania haberetur. *At nunc,* ait, *Papa, cum sciat, se Concilium in sua habere potestate, & gladium manu adversus Evangelii confessores teneat, Tridenti, missis Cardinalibus, suis & nepotum suorum clientibus, & congregatis paucis quibusdam & famelicis Episcopis & monachis, ad purpuram aut Episcopatus adspirantibus, decidere ex suo præscripto de religione incipit. Si qui inter patres illos a Deo moti ad veritatem animum applicarunt, minis territi, aut a Concilii negotiis remoti sunt. Constantiæ decretum quondam fuit, Concilium esse supra Papam; Eo cum quidam Tridenti ante omnia, proposito titulo de repræsentatione Ecclesiæ universalis, respicerent, satis gnari, quod absque illa autoritate ad reformationem curiæ Romanæ perveniri nunquam posset, illi ita repressi sunt, ut nihil obtinuerint, & jam omnia ex nutu & dictamine Pontificis agantur.* Quam tutus præterea sit locus Concilii, inde, scribit, colligi posse, quod, obnitente Pontifice, fratricidium in *Diazio* nuper d. 27. Martii commissum legitima pœna vindicari non potuerit. Quæ vero spes de decretis Tridentinis concipienda sit, judicandum esse ait ex duobus, quæ nuper d. 8. April. publicata fuerint. Ad *primum* caput notari jubet, traditiones Scripturæ sacræ æquiparari, quo fiat, ut omnes falsæ & idololatricæ doctrinæ, successive & noviter in Ecclesiam introductæ, Spiritui sancto & Apostolorum traditioni tribuantur. Reprehendit porro, quod sub anathemate cogere velint Christianos, ut libros apocryphos pro canonicis habeant, interque hos secundum Maccabæorum, veteribus non probatum, saltem, ut sacrificia pro mortuis ex illo probare possent. In *secundo* capite improbat, quod versionem vulgatam, multis licet locis obscuram & mancam, pro authentica, & quæ regulariter sola legi debeat, declaraverint, contra Canones veteres, quibus intellectus ex Hebræo & Græco peti jubeatur, item contra monitum Augustini, qui copiam versionum utilem judicaverit. Persequitur & reliqua de prohibita laicis lectione Biblica, quamvis non defuerint in Concilio, qui contrarium suaserint; item, quæ de interpretatione & censura Episcoporum, ad excudendos libros impetranda, decreta sint, taxans imperitiam, luxum & profanas Episcoporum occupationes, per quas ad versiones ejusmodi recte edendas non sint idonei. *Ex his,* ait autor, *cognoscant Christiani, indolem liberi hujus & christiani scilicet Concilii Tridentini, certoque sibi persuadeant, nihil aliud ibi agi, quam ut omnes abominationes Papatus confirmentur, & Papa Dominus Scripturæ, omnium legum, hominum, totiusque mundi opum constituatur, qui omnia jura in scrinio pectoris habeat, & idololatriam suam pro vero cultu obtrudat, mediaque salutis venum exponat &c.* Glossæ marginales paucæ sunt, & pleræque cum contentis præfationis conveniunt. Inter alia postulat autor, ut probent, quæ traditiones *continua successione* observatæ sint, item, cum secundum librum Esdræ in Canonem receperint, cur non tertium etiam & quartum admittant, qui itidem in veteri versione Latina reperiantur.

(11) *Scriptum in Germania contra decreta quædam Tridentina publicatum.*

A. 1546.

ADDITIO.

Quanquam, ut dixi, invitus pene de Concilio Tridentino scribam, quia ad id onus humeros meis validiores requiri video; cum tamen aliquid, occasione a *Maimburgio* præbita, afferendum fuerit, addenda etiam esse censui alia quædam historiam illustrantia; in iis vero, omisso *Paulo Veneto*, cujus fidem suspectam Romanæ Hierarchiæ defensores habent, *Pallavicinum* sequar. Cæsar ancipiti cura, tum in negotiatione Comitiali cum Protestantibus, tum de progressu Concilii distractus, ex proceribus aulæ suæ *Franciscum Toletanum*, illustrem Hispanum, *Didaco Mendoza*, Oratori suo in Concilio, qui ex eo, varia causatus, discesserat, adjunxit & suffecit. Hic in primo apud Patres Concilii accessu d. 5. April. impetravit, ut accusatio absentium Episcoporum, quæ Germanos potissimum feriebat, licet jam decreta esset, omitteretur, ne scilicet irritarentur Germaniæ Proceres; Nec tamen sine murmure Episcoporum, qui aderant, obtentum fuit. *Pallav. Lib. VI. cap. XVI. §. 4. 5.* Accusaverat sane Otto, *Episcopus & Cardinalis Augustanus,* literis ad Legatos Pontificios in Concilio *d. 21. Febr.* datis, (*Raynald. n. 24.*) Præsules Germaniæ, quod vel ob metum a Lutheranis, vel quod Concilii dissolutionem expectarent, quidam etiam ob infirmitatem senilem ad Concilium non proficiscerentur; cum autem nihil tristius aut funestius, ut putat, Apostolicæ sedi contingere posset, urgeri debere a Pontifice Episcopos existimat, ut accedant. Ulterius vero tendit *Toletanus*, & eandem ob causam, ne Germani offenderentur, vel potius, ut Evangelicorum suspiciones de Concilio lenirentur, sub initium mensis Maji exquisitissimis rationibus solicitare Præsides Concilii cœpit, deinde Cæsaris nomine hortari, ut dogmatum examen & decisionem differrent. Sed Præsides acriter repugnarunt, inter alia etiam dicentes, in dicta sessione *d. 17. Junii* non nisi de peccato originis actum iri, de quo nulla esset cum Lutheranis controversia. Sed id non optima fide dicebant, inter errores enim de hoc articulo a Theologis Tridentinis excerptos, quos *Raynaldus n. 74.* recenset, *quintus* nominatim Luthero imputatur, quod *concupiscentiam in baptizatis residuam*, pro *peccato originali* habeat; *Sextus*, quod eam *decimo præcepto Decalogi prohiberi dicat? Nonus*, quod Pelagio assentiri videatur, infantibus Christianorum non baptizatis salutem non abjudicans: quæ omnia etiam in Concilio damnata sunt. Argumentum vero singulare *Toletanus* per Episcopum Cavensem *Sanfelicium*, ex sua familia, & simul Nuncium Pontificis, Præsidibus suggerere conabatur, Cæsarem nempe ad media consilia adigi, quia tota Germania, non exceptis etiam *Bavariæ* Ducibus, contra se conspiraret, quapropter Cæsarem sibi & familiæ Austriacæ prospicere debere, neque rem per arma processuram. Cum vero *Toletanus* adderet, Cæsarem optare, ut *Farnesius* Cardinalis ad se

(a) *Toletani, a Cæsare Tridentum missi, acta.*

A. 1546.

se mitteretur, a quo, si satisfactionem accepisset, res Concilii ad Pontificis arbitrium remitti posset, Præsides pro sua sagacitate perspexisse dicit *Pallavicinus*, quod Cæsaris propositiones ex arte eoque fine fierent, ut Pontifex ad valida auxilia illi submittenda adduceretur, metu nempe concordiæ, inter Germanos utriusque religionis coalescentis. Ideo nullam desiderii illius de omittenda dogmatum decisione rationem habuerunt, immo malebant, ut Concilium in aliud tempus aliumque locum transferretur, idque etiam Gallos desiderare sciebant. *Pallav. Lib. VII. cap. III. §. 1. 2. 3.* Itaque in examinandis dogmatibus continuatus est labor; sed & aliquid circa reformationem actum, de qua nihil memoravit *Maimburgius*. Ex his notatu haud indigna sunt, quæ inter Pontificem & Episcopos emerserunt dissidia. Episcoporum summa querela erat, quod in officio suo a Pontificibus variis modis impedirentur & veluti sub jugo essent; Ideo, ut Legati Pontificem d. 7. Mart. teste *Pallavicino* edocuerunt, uni rei defixi inhærebant, ut integra sibi esset ecclesiarum suarum administratio; eo pertinebat, ut ipsis libera relinqueretur constitutio Pastorum, & causæ cognitio in prima instantia, & ut abrogarentur exemptiones adversus ordinariam Episcoporum potestatem & jurisdictionem, Monachis aliisque ex Clero pro Pontificum arbitrio concessæ. Licet autem Pontifex, ut eos placaret, liberam administrationem illis verbo non denegaret, cavebat tamen, ne solutam legibus pro ea acciperent, & supremæ potestati suæ se subducerent, immo revera nihil ex pristino dominatu relaxaturus erat. Acris concertatio postea orta est de reformandis concionibus, in congregatione d. 15. April. habita. De hac dum *Lib. VII. cap. IV.* agit *Pallavicinus*, haud abs re ingenium hominum taxat, quo fieri dicit, ut, qui singuli de morum correctione plurimum clament & cupiant, & de ea statuendi jus habeant, tamen, cum convenere, nunquam animum ad eam perficiendam inducant, nempe quia clamores illi generales sunt, & in deliberatione speciali, ad privata commoda aut cujusque peculiares animi sensus descenditur, & plerique per vocem illam *reformare* intelligant, commune regimen ad suæ mentis ideam peculiarem conformare. Id apparuisse dicit, cum de decreto reformationis, quod *sessione V.* publicatum est, & a *Pallavic. Lib. VII. cap. X.* exhibetur, sententiæ dicerentur. Episcopi, monachorum privilegia aboleri aut restringi postulabant, ne sine sua permissione in templis concionarentur, vice parochorum, multoque minus, ut indulgentias prædicarent. Tam acerbe hoc ursit *Martellus*, Episcopus *Fesulanus*, supra nominatus, ut diceret; lupos esse monachos illos, qui non per ostium ingrederentur; ita etiam exarsit, ut ad cœleste tribunal provocaret, si remedium malo illi non quæreretur. *d. cap. IV. §. 3.* Sed erant inter Episcopos, qui, cum monachi fuissent, *sua tiara, quam nunc gerebant, amore minus, quam cuculli præteriti*, movebantur, inter quos *Thomas Caselius*, Dominicanus olim, nunc Episcopus *Britonoriensis*, monachorum patrocinium suscepit, Pontificum, qui privilegia iis concesserant, autoritate opposita, & culpa in Episcoporum inertiam rejecta; si enim docendi munus illi non neglexissent, monachos in solitaria sua quiete manere potuisse dicebat; *nostra*, ait (Episcoporum) *socordia, ne dicam ignorantia, ab Apostolica sede privilegia regularibus impetravit*, (interior & potior ratio erat stabilimentum Pontificii in Episcopos dominatus) *ipsi totum ministerii pondus sustinent, nos proventibus, nos illius honoribus fruimur, & tamen conquerimur.* Secuta postea congregatione generali *d. 10. Maji*, *Paceus* Cardinalis agnovit defectum, &, cogi Episcopos ad residentiam, ut loquuntur, & ad docendi munus debere, opinatus est; Pauli Apostoli dictum allegabat; *necessitas mihi incumbit, væ enim mihi, si non evangelizavero.* Narravit etiam, se, cum *Pampelonæ* Episcopus fieret, audivisse, quod intra octoginta annos Episcopus nullus in urbe conspectus fuisset, quod semper cuidam ex Cardinalibus Episcopatus ille collatus fuisset, monuit præterea, ut Pontifex viris doctis tiaras Episcopales imponeret, qui idonei & proclives ad munera illa essent, *d. l. §. 10. 11. 12.* ubi refertur, quod *Fesulanus* ob acerbitatem illam a Legatis, ex rescripto Pontificis, tantum verbis correctus fuerit, omissa alia coercitione, ne libertas Patribus ademta censeatur. Recruduit disceptatio de concionibus d. 21. Maji, & *Caselius* supra dictus, per modum retorsionis, Episcopis & Parochis imperitiam denuo objecit, quod ad conciones non essent idonei, quapropter si omnia ad pristinum statum reducere, & monachorum privilegia per annos trecentos cum Ecclesiæ utilitate exercita infringere vellent, Episcopis quoque prima decora esse restituenda. Illa vero fuisse, *ut cum sacco, pro indumento, & cum baculo, lectica loco, incederent, ad Evangelium prædicandum, non ut vestium pompam per opulentiam ostentarent, neque ut pinguescerent, seu potius per otii vecordiam intumescerent.* Hæc refert *Pallavic. Lib. VII. cap. V. §. 6.* Modestius quidem, sed non ideo majori cum successu, pro monachis ea de re disseruit *Seripandus* d. 15. Jun. Summam dictorum ejus exhibet *Pallavicinus d. l. §. 10.* Dixerat primo, æquissimum fore, ut Episcopi integrum illud onus concionandi, veteres [illegible] imitati, in se reciperent, sic dum illi loquerentur, cæteros auscultare, & discere nec docere debere, cogitare tamen eos jubet, quantum oneris hoc pacto subirent. Pergit inde: Non Episcoporum, ut iniquus censor aliquis opposuerat, sed humanæ naturæ vitio tribuendum, si tanto muneri pares illis haud inessent vires. Temporibus præteritis minorem extitisse fidelium numerum, eosque rudiores, & quibus quæcunque sermonis mediocritas abunde fuisset: ecclesiasticas functiones haud ita frequentes: Episcopos minus occupatos in Ecclesiasticorum cura, quorum numerus in præsentia longe frequentior: uno verbo; aliam tunc fuisse regiminis, aliam vivendi rationem; & tamen paucos etiam Episcopos huic muneri satis fuisse: hos in hominum memoria vivere; ineptorum multitudinem in obscura oblivione jacere. At in præsentia opus esse in Episcopis scientiam juris Canonici, ad judicandum, neque minus notitiæ rerum civilium, ad pertractanda negotia cum Principibus, cum Dynastis, cum subditis tam variæ conditionis, ejusque seculi, quod omni solertia excultum, delicatum, artisque plenum esset: hujusmodi defectum dotium in Episcopo vel nullo modo, vel multo difficilius, quam ineptitudinem ad concionandum, alterius opera posse suppleri; & cum earum dotium ornamentis ægre conjungi dicendi leporem, peritiam tutamque intelligentiam divinarum literarum, sacræque doctrinæ; sine quibus Evangelii prædicationem non incremento, sed detrimento religioni futuram: Cum inde eo magis redderetur Præsul obnoxius despicatui, quam privatus concionator, quo quisque ingenio pronior est ad eum, qui præest, contemnendum, & quo fortius idem compellitur, ad alienandam a se multorum benevolentiam, studio justitiæ ac pietatis; at vero religiosi Oratoris ineptiam seu imbecillitatem, & minus ab invidentia animadverti, & minorem offensionem parere. Omnes Episcopos, ad propositam ab Apostolo normam absolute perfectos, pie quidem exoptari posse, sed non prudenter sperari: paucülos singulis seculis numerari; quin ideo numerari, quia pauculi. Subjungit multa, quo excusationi illi speciem conciliaret, simulque ostenderet, quantus labor ad studia Theologica requiratur, qui in otio monastico facilior esset, quam inter negotia Episcopalia. Multa a *Seripando* dicta verissima esse nemo negaverit; sed a simplicitate illa Christiana dudum recesserunt Pontifices, Prælati, Principes etiam & populi, & cultum Dei ad spectacula traduxerunt, pompam & voluptates mundi, aut peccandi licentiam ære ac possessionum traditione redimendi artes invenerunt aut acceptarunt. Alia memorabilis disputatio incidit de lectione Scripturarum, ad quam monachos adigendos esse existimabatur, quam *Pallavic. d. cap. V. §. 2. 3.* describit. Erat, qui Scholasticam Theologiam eliminare cupiebat, inserta Decreto clausula, ut monachi Scripturæ studio incumberent, *omissis Scholasticorum cavilla-*

(b) *Episcoporum querela de Pontifice & lites cum monachis.*

An. 1546.

(c) *Speciatim de concionibus.*

(d) *De causis defectuum in Episcopis, ex Pallavicino.*

(e) *De lectione Scripturæ, monachis injungenda, & de laudibus*

An. 1546. *Theologiæ scholasticæ, & eodem.*

billationibus; sed *Dominicus a Soto* Ordinis Dominicani, ex scriptis suis satis notus, Scholasticæ Theologiæ studium speciose defendit, ita ut illi primum locum, ante lectiones ex sacris literis, deferendum esse existimaret. Dixit enim, referente *Pallavicino d. cap. V. §. 3.* Divina oracula non posse penitius sine acumine scholastico penetrari; hoc appellari cavillos, aut ab eo, qui ex ingenii hebetudine illud percipere non valeat, tenebrasque nominet eam lucem, a qua sentit oculorum imbecillitatem sibi perstringi: aut ab eo, qui sinceram ab adulterina Scholastica non secernit, adeoque disciplinam universam dehonestat, nomine partis, minus quidem propriæ, sed copiosioris, magisque sibi experimento compertæ: rem, quo pretiosiorem, eo frequentius adulterari: Eadem ratione posse pariter posthaberi, inter externas divitias, adamantem sapphiro, & aurum æri, quod ea sæpius simulentur; atque inter animi opes, despiciendas universim sapientiam ac sanctimoniam, quod sæpe sub earum specie fastus ac hypocrisis latitant. Quid tandem esse Scholasticam, nisi eam disciplinam, quæ simul conjungit duo lumina, homini a Deo indita, naturæ videlicet ac fidei; quorum alterum sæpe cum altero fœderatum, nunquam certe illi adversum se habet, & utroque sibi affulgente, quam altissime potest, subit divina mysteria, & prava divini verbi interpretamenta dispellit? Hæreticos in Scholasticam odium capitale profiteri; ea quippe solem quendam esse, qui eorum spectra dissolvit; illi obtrectare perinde esse, ac fœdus cum Protestantibus inire, & Ecclesiam validissimo armamentario spoliare. Ad hæc monuit, honore, ceu lacte, cunctas artes ali, & ubi a Theologis intelligeretur, prima decora tribui studio leviori meditandi suaviter sacras literas, legendique ejus interpretes, adeoque pascendi potius ingenii, quam emungendi, eos libenter deserturos fuisse laboriosissimas intentissimasque Scholasticæ contemplationes. Primaria in militia honestamenta, incitamenta pariter esse debere, adeoque summorum, summeque conducibilium laborum præmia. Hæc *Soti* dissertatio, ut §. 4. affirmat *Pallavicinus*, communem consensum obtinuit, quod emolumenta Scholasticæ attinebat, de loco vero digniori, num sacris literis, an Scholasticæ Theologiæ tribuendus sit, nihil definitum est, Legato *Montano* disputationem, ut exilem & Germanis scandalo futuram, abrumpente. De Scholasticæ Theologiæ abusu & usu disserui quædam in tractatu Germanico de *Christianismo* (vom Christen Staat) *in addit. ad Lib. III. §. VIII. n. 2.* quorum quidem me non pœnitet, sed ulteriorem disquisitionem sapientibus relinquo. Interim hæc *Pallavicini* relatio ostendit, verum esse, quod *Lutherus* non semel asseruit, sua doctrina excitatos esse adversæ partis literatos, ut majori studio ad Theologiam exegeticam se converterent. Apparet autem, quam altas radices Philosophia illa Aristotelica, Scholasticæ Theologiæ pallio velata, in Ecclesia egerit, & sacrarum literarum studium præ illa leve habitum sit, ut monachus ille in Concilio venditare, ut diximus, non est veritus. In reformationis decreto *sess. V* publicato, Episcopis injungitur prædicatio Evangelii, per se ipsos, aut si legitima habeant impedimenta, per idoneos viros peragenda. Monachis præcipitur, ut extra sui Ordinis templa non concionentur, nisi impetrata ab Episcopis venia. Lectores Sacræ Scripturæ in omnibus Collegiatis Ecclesiis, ut & in monasteriis constitui jubentur. Quibus tamen legibus nihil aut parum effectum est, neque enim Episcopi, in Germania præsertim, majori studio sacras literas tractarunt, nec concionandi munere onerari se passi sunt, & monachi Pastorum loco ubique fere non minus, ac antea suggestus implerunt. De *Petro Paulo Vergerio*, Episcopo Justinopolitano, in Veneta ditione, dictum est alibi plus una vice. Eum *Aleander* Cardinalis jam anno 1539. hæreseos suspectum apud Pontificem fecerat; aucta postea suspicione. Circa hoc tempus Romam in jus vocari cœpit, mense autem Martio hoc anno ad Concilium Tridentinum, veluti ad asylum, confugit, licet impetrare non potuerit, ut audiretur; Legatorum

(f) *Ex decreto de concionibus & lectione Scripturæ quædam.*

(g) *Vergerius Tridentum venit, sed inde*

tamen commendatione obtinuit, ut causa *Patriarchæ Veneto* committeretur. Sed cum de defensione, ut *Pallavicinus* scribit, desperaret, relicto Episcopatu, & exclusus Venetiis, apud Rhætos receptum invenit, & postea contra religionem Romanam, Concilium & Pontificem libros edidit, quos insulsos & audaces vocat *Pallavicinus Lib. VI. cap. XIII. §. 3.* nec mitius de auctore & libris judicat *Raynaldus anno hoc n. 29.* & in *anno 1549.* quo demum sententia privationis contra Vergerium Romæ publicata est, *n. 23.* Subjungam, quamvis ad sequentium annorum tempus pertineant, alia quædam de *Vergerio*. Titubantem, an ad religionem Evangelicam sese converteret, impulisse demum dicitur exemplum *Francisci Spiera*, causidici Patavini, qui renegata doctrina Evangelica, quam publice professus erat, in tantam animi & corporis ægritudinem incidit, ut, de misericordia Dei prorsus desperans, miserrime moreretur; vid. *Sleid. Lib. XXI. p. 649.* ubi longam de *Vergerii* conversione narrationem subjungit, cui momentum attulit horrendus ille Spieræ casus, cum inter consolatores ejus præsens fuisset *Vergerius*. Inde cum, ut dictum est, in *Rhætos* profugisset, a *Christophoro Duce Wurtenbergico Tubingam* vocatus & sustentatus est. Scripta *Vergerii*, de quibus Pallavicinus *d. l. cap. XIII. §. 3.* queritur, raro hodie inveniuntur. Ex Tomo I. Tubingæ, anno 1563. *in quarto* excuso hæc notavi: *Actiones tres ad Paulum IV. Pontificem, Concilii Tridentini renovationem molientem, sub ficta Secretarii Pontificii persona institutas: Consilium, sub nomine Cardinalium Bononiæ anno 1553. a Julio III. congregatorum, de reformatione conscriptum: Epistolam ad Sigismundum Poloniæ Regem, in qua de vexationibus Pontificiis per multos annos a se toleratis queritur: Dialogos quatuor, contra Stanislaum Hosium, Episcopum Varmiensem, postea Cardinalem, Alberto Borussiæ & Nicolao Radzivilio Olicæ Duci anno 1559 dedicatos: Annotationes in Catalogum librorum hæreticorum Romæ editum, ad Stanislaum Comitem ab Ostrorog Polonum, eodem anno 1559. Dissertationem de idolo Lauretano, ex lingua Italica a Ludovico Vergerio, quem nepotem vocat, id est fratris filium, versam, anno 1556. cui adjuncta sunt Petrarchæ testimonia, quod Papa sit Antichristus, & Roma Babylon: Scholia in binas Pauli IV. literas anno 1563 edita, ad Joh. Tarnovium, Castellanum Cracoviensem & ordines regni Poloniæ.* Cæterum *Vergerius*, Episcopus licet & legum atque Canonum scientia sic satis instructus, in Theologia parum eruditus fuit: Ausus tamen, ad suspicionem, quam Romæ incurrerat, diluendam, librum contra Lutheranos scribere, in ipso labore de suæ religionis erroribus convictus, deserere illam decrevit. Suscitatus ei est adversarius *Hieronymus Mutius*, civis illius, cujus meminit *Sleidanus*, itemque *Pallavicinus*; epistolas tamen sive invectivas ejus in Vergerium non vidi. Versatile ingenium *Vergerio* tribuitur, nec suspicione caruit, quod conciliationem religionis quovis modo moliretur, & tandem ad vetera sacra redire cogitaret. *Pallavicinus Lib. XV. cap. X. §. 13. & seqq.* Colloquia ejus refert, cum *Zacharia Delphino, Veneto, Episcopo Lesinensi*, Pontificio in Germania Nuntio, anno 1561. habita, itemque literas ad *Herculem Gonzagam Cardinalem* Mantuanum datas, ex quibus suspicio illa confirmari posse videtur. *D. Joh. Val. Andreæ* in vita avi sui D. Jacobi Andreæ *p. 130.* malignitatem quandam Vergerii notat in literis, Lutetiam scriptis commissam, cum anno 1561. inter Legatos a Duce VVurtenbergico in Galliam missos locum affectaret, neque tamen obtinere posset, sive quod ei non fideret Princeps, sive quod in Theologia sufficienter non esset instructus. Obiit 1565. d. 4. Octob. eique parentavit *D. Jacobus Andreæ*, injuriam antea sibi factam remittens. Contenta concionis Græce, ut quandoque solebat, excepit *Martinus Crusius*, retulitque in *annales Sueb. Part. III Lib. XII. fol. 720.* Laudavit eum D. Jacobus ob agnitam veritatem, & quod multas Pontificum malitias detexisset, neque tamen dissimulavit, non satis exercitatum eum fuisse in controversiis de religione.

An. 1546. *aufugit; item alia de eo.*

An. 1546.

(h) *Quadam de articulo justificationis, & habitis de eo disputationibus.*

Fratrem habuit *Joh. Bapt. Vergerium*, qui & ipse in patria Episcopatum obtinuit *Polæ*, & ad Evangelicam doctrinam exemplo Petri Pauli conversus, subita morte obiit, non sine veneni suspicione, vid. *Sleid. p. 652.* Etsi terminos, quos mihi præfixi, neque egredi multum, neque de gravissimo articulo justificationis, de quo sessio *sexta d. 19. Jul.* indicta, sed non nisi mense Januario sequentis anni habita fuit, differere prolixe velim; merentur tamen quædam ex traditis a *Pallavicino*, quæ mense Junio & Julio, hoc anno, acta sunt, & inprimis dicta & facta casusque *Episcopi Cavensis*, sæpe nominati, referri. Disputarunt inter se *d. 28. Jun.* Theologi, quos vocabant, minores de illo articulo, sed non nisi quatuor inter eos fuerunt, qui ad Evangelicam veritatem, quod justificatio hominis soli fidei tribuenda esset, propius accesserunt, a cæteris vero ab hæreticorum opinione, sic censente *Pallavicino*, haud multum abesse crediti sunt, *Lib. VIII. cap. IV. §. 2. 3. 4.* Erant illi *Laurentius Mazochius*, ex ordine servorum B. Virginis, *Gregorius Senensis*, & *Jacobus Utinensis*, Dominicani, item *Gregorius Perfectus*, Patavinus, Augustinianus. Post biduum *d. 30. Jun.* habita ab Episcopis congregatione generali, solus *Franciscus Bandinus*, Archiepiscopus Senensis, *cuncta Christo, nihil hominibus attribuit, totamque justitiæ acceptionem fidei adscripsit, reliquis præparationibus nihil*, teste eodem *Pallav. d. l. §. 7.* Refutavit eum ante alios, apud quos male audiebat ob hanc sententiam *Bandinus*, *Joh. Michael Saracenus*, Archiepiscopus *Materanus*, evincere satagens, *minime sufficere ad salutem solam fidem, sed præter eam exigi a nobis liberi arbitrii conatus*, *d. l. §. 8.* Verum in alio consessu d. 8. Jul. *Cavensis profusa oratione omnia ipsi fidei arrogavit, qua posita ilico subsequatur justificatio, ejusque individuæ comites essent spes & charitas, sed non causa, & quasi prodroma. d. l. §. 11.* His offendit Patrum aures, & plurimi contradixerunt: Assentiri tamen ei visus est *Julius Contarenus*, Episcopus *Bellunensis*, cuncta fidei & Jesu Christi meritis adscribens & nihil operibus; hæc enim solum fidei & justitiæ signa esse dixit, in quibus nulla vis inesset, ad consequendam conservandamque justitiam, & a Christo in commemoratione judicii mentionem operum fieri, non quia gloriam mereantur, sed quia fidem probent, adeoque dum Christus dicit: *sitivi & dedistis mihi bibere*; perinde esse, ac si dicat, *ex hujusmodi opere patuit fides vestra.* Quicquid nostrorum operum efficacitati conceditur, Jesu Christi sanguini detrahi. Hujusmodi sermo (subjungit *Pallavicinus*) uti patribus odiosus obstrepuit, ita in quibusdam memoriam refricavit veterum accusationum, quas *Caspar* Cardinalis *Contarenus*, Julii patruus, subierat, quod similia opinatus censeretur *d. l. §. 15.* Cum vero magna omnes meriti de congruo aut justificationis secundæ per opera acquirendæ defensores cura incessisset, explicandi dictum Pauli (Lutheranorum præsidium) Rom. III. 28. hæsitantibus opportune succurrit sophismate se digno *Claudius Jayus* Jesuita, ideo id asseri dicens a Paulo, quia sola fides sit donum inter ea, quæ ad justitiam conducunt, mere gratuitum, reliqua enim per fidem a nobis impetrari. *d. l. §. 18.* Repetita vero in congregatione d. 17. Jul. disputatione, *Episcopus Cavensis*, allatis plurimorum Patrum libris, sententiam suam confirmare studuit: Cum vero sub finem consessus audiret *Dionysium Zannetinum*, Græcum, Episcopum Gironensem, dicere, se in proximo cœtu *Cavensis* inscitiam & protervitam demonstraturum esse, hic adeo exarsit, ut manum barbæ *Gironensis* injiceret, multosque ex ea pilos evelleret, *Pallav. d. l. cap. VI. §. 1.* Sed propter hunc excessum, quanquam multi pro eo intercederent, rescripto Pontificis Concilio ejectus, & ad perpetuum exilium damnatus est. Succubuit rigori constantia hominis, humilique submissione impetravit, ut in sedem suam redire liceret. Postea a *Paulo IV.* anno 1557. denuo in jus vocatus & in custodia habitus est, liberatus tamen anno 1560. *a Pio IV.* & in pristinam functionem Commissarii in Concilio restitutus. Hæc a *Pallavicino* in historia illorum annorum relata sunt.

§. CXXX.

An. 1546.

(1) *De libello recusationis, contra Concilium Tridentinum ab Evangelicis publicato.*

Quomodo Evangelici de recusando Concilio Tridentino deliberaverint, dictum est §. *CXXIII. & seqq.* Tandem, habito *Francofurti* sub finem anni præcedentis, & initium hujus, conventu, decreverunt, ut causæ recusationis in libello comprehensæ typis publicarentur. Is Latine conscriptus est a *Melanchthone*, Germanica vero ejus versio duplex ad me pervenit ex Bibliotheca privata *Serenissimi Ducis Brunsuicensis*; una anonymi *Magdeburgi*, ut & *Wittenbergæ*; (vid. *Hortled. Tom. I. Lib. I. cap. 43.*) altera *D. Justi Jonæ*, cum ampla & lectu digna præfatione ad civitatem Halensem, Wittenbergæ excusa. Mensis aut dies editionis non traditur, quia tamen mentio fit sessionis tertiæ, *Tridenti d. 4. Febr.* habitæ, satis apparet, post mortem Lutheri, nec ante mensem Martium libellum prodiisse. Quanquam vero is *Parti IV. operum Melanchthonis fol 772. & seqq.* insertus sit, exemplum tamen ex Archivo *Reg. H. fol. 612. n. 196.* cum excuso fideliter collatum & descriptum hic exhibeo, quod pauci ad volumina *Melanchthonis* aditum habent; Ea vero est materiæ nobilitas, argumentorum pondus, & styli nativum quoddam decus, ut lectio hujus scripti non possit non magnum fructum legentibus afferre. Inscriptio est *d. Part. IV. Causæ, quare & amplexæ sint, & retinendam ducant doctrinam, quam profitentur ecclesiæ, quæ confessionem, Augustæ exhibitam Imperatori, sequuntur, & quare iniquis judicibus collectis in Synodo Tridentina, ut vocant, non sit assentiendum.* Brevior est in exemplo Archivi: *Causæ, cur non sit probanda Synodus Tridentina.* Sequuntur jam verba libelli: Etsi ex magnitudine periculorum nostrorum, sumtuum & laborum, satis intelligi potest, nos nec curiositate, nec prava aliqua cupiditate, nec cœca pertinacia, genus doctrinæ Dei beneficio instauratum in ecclesiis nostris, in quo jam consenescimus, retinere & propagare: Tamen de consilio & voluntate nostra hic rursus quædam dicenda sunt, non modo, ut honestis hominibus hujus ætatis nos purgemus, sed etiam, ut universam posteritatem christianam præmoneamus, ne ex criminationibus & condemnationibus adversariorum de nobis judicet, sed & causæ fontes & nostras voluntates vere consideret. Reddent enim Deo omnes homines ubique terrarum rationem sui judicii de nobis, quia non agimus privatam aliquam causam, sed Evangelii doctrinam de vera Dei invocatione, de vera agnitione Domini nostri Jesu Christi, & de omnibus partibus vitæ Christianæ necessariis; profitemur, quod Deus exaudiri vult a toto genere humano, ut colligatur æterna ecclesia ex omnibus gentibus. Quare iterum & vere affirmamus, exaudiente universa ecclesia in cœlo & in terra, & testem voluntatis nostræ facimus Deum, nos præcipue moveri severissimis & immutabilibus Dei præceptis, ut hanc ipsam doctrinam Evangelii puram, quam ecclesiæ nostræ sonant, amplectamur, nec abjiciendam esse censeamus, quæ jubent recte invocare Deum juxta evangelium, & vetant idola coli & religioni Christianæ ethnicos furores misceri. Sic enim inquit secundum mandatum: *Non assumes nomen Domini tui vane.* Et

(2) *Testantur Deum & conscientiam suam, quod ad reformationem ex obsequio erga Deum progressi sint.*

Pater

 Pater æternus inquit de Filio: *Hunc audite.* Et Paulus ait; *si quis aliud evangelium docet, anathema sit.* Item; *fugite idola.* Hæc fulmina cœlestia coegerunt nos assentiri prolatæ veræ doctrinæ, & adhuc cogunt nos, ne eam abjiciamus. Non opes, non voluptates, non Imperia, denique nullæ res humanæ movent animos nostros, ut, cum summis periculis & laboribus, tot jam annos, ab aliis dissentiamus, quorum benevolentiam & conjunctionem omni officio in aliis rebus tueri cupimus. Sed doctrinam cœlestem anteferre nos necesse est, ut præcipitur; *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Nec ignoramus, ab hominibus profanis hanc piam voluntatem nostram terribili oratione vituperari.

(3) *Veritatem religionis paci politicæ præferunt.*

Primum multi sunt athei, qui, cum omnes religiones pariter commentitias & fabulosas esse arbitrentur, inflectendam etiam ecclesiæ doctrinam ad tempora, & ad potentum sensus atque opiniones dicunt, ac fremunt, inanibus verbis, ut ipsi dicunt, multarum gentium tranquillitatem & imperia turbari, voluntque omnibus religionibus concordiam anteferre. Quanquam autem valde dolemus, tantis contumeliis Deum & Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, & ecclesiam Dei affici, ut religio dicatur fabulosa esse, & postponenda otio & tranquillitati imperiorum: tamen nunc breviter respondemus, nos abhorrere ab illis opinionibus Epicureis, easque execrari. Delectantur illa sapientia oratores adversariorum, qui eam ex rancidis Epicureorum libellis excerptam passim nunc edunt, & hoc velut Sirenum cantu multorum aures deliniunt, & mentes eorum a Deo avertunt. Nos affirmamus, doctrinam de Deo, commendatam ecclesiæ illustribus testimoniis, in quibus se Deus patefacit humano generi, veram & salutarem esse, & ut Paulus inquit: *Potentiam Dei esse ad salutem omni credenti.* Ac Deo gratias agimus, quod immensa misericordia ex arcana sede sua prodiens se patefecit generi humano, & Filium misit, ut pro nobis victima fieret: Et sentimus præcipue hoc officium ab omnibus hominibus flagitari, ut hæc beneficia Dei agnoscant & celebrent, ut Joh. XIV. dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Sit igitur prima cura tuendæ veritatis evangelii, nec sumant sibi ulli homines aut angeli tantam audaciam, ut æterna Dei decreta corrumpant, sicut initio fecit Diabolus, Hevam a decreto divino abducens, & postea omnibus seculis fecerunt idolorum & impiorum dogmatum architecti. Nec sumus adeo rudes vitæ communis, cum quidem & nos difficilibus tempestatibus, Deo juvante, regamus nostras ecclesias & politias, ut non intelligamus, quantum bonum sit ordo politicus, & concordia in singulis regnis, & quanta virtus sit cavere, ne temere, ne errore, ne causis non valde necessariis ejus ordinis harmonia turbetur. Ament omnes & venerentur imperia, sed propter Deum, qui se in imperiis recte coli jussit; non amemus imperia extruso Deo autore, nec putemus, hanc hominum societatem tantum ideo coiisse, ut collatis operis quærant voluptates & earum instrumenta. Quales fuerunt civitates Sodoma, Sybaris, Thebæ & similes. Sed sint imperia templa Dei, & ad hoc officium præcipue conditos esse homines agnoscamus, ut Dei notitia in eis luceat, & congregatos esse divinitus, & societatem mirandis vinculis generationis, educationis, officiorum, contractuum, gubernationis, defensionis, copulatam esse, ut veram Dei notitiam docendo & confitendo alii aliis tradant. Sit igitur hoc præcipuum officium in vita, longe anteferendum otio & tranquillitati imperiorum, veram de Deo doctrinam discere & tueri.

(4) *Erroris convincunt ecclesiam Romanam, negantque quod errare non possit.*

Secundo alii nos vituperant callidiores, qui, cum dissimulant se esse atheos, studium religionis præ se ferunt, & jactitant nomen ecclesiæ Dei. In hac ajunt semper manere veram doctrinam, necessariam ad salutem. Quare cum nulla nunc sint idola, nulli errores pugnantes cum articulis fidei, in illo cœtu, qui jam annos sexcentos continuos regit ecclesiam, vociferantur, aut falso quædam in doctrina usitata & usitatis ritibus reprehendi, aut seditiose res parvas exagitari, quas condonari communi tranquillitati melius esset. Cum autem sæpe alias refutata sit hæc jactantia adversariorum, qui magnos & veteres ecclesiæ morbos occultant, nunc tantum orabimus omnes honestos homines, non fascinatos stulta superstitione, ut circumspiciant toto orbe terrarum collegia sacerdotum, plena inscitia & spurcitie, & videant in templis populum ad diversas statuas prostratum, ab aliis alia dona petere, & non modo singularum gentium, sed pene singulorum oppidorum alia numina esse, quorum invocatione mentes a vera Dei invocatione abduci tam manifestum est, quam manifestum est, in bruma nobis diem breviorem esse, quam in æstivo solstitio; deinde considerent etiam profanationem cœnæ Domini, quæ partim in theatricum spectaculum conversa est, partim in quæstum collata, & multis modis contaminatur. Hæc cum considerant prudentes, nihilne mali putant esse tetras libidinum confusiones? statuarum invocationes & varias cœnæ dominicæ profanationes? Quæ cum ante hæc tempora pii eruditione & prudentia antecellentes semper deplorarint, nunc homines astuti defendere præstigiis verborum conantur. At res loquitur ipsa, hæc exempla ethnicorum similia in ecclesiam, Diaboli artificiis, invecta esse & paulatim confirmata. At non errat, inquiunt, ecclesia. Quæ est ista impudentia? cum in conspectu sint tam tetra mala, nolle tamen fateri errare. Non dubium, & fuisse semper, & esse homines pios in ecclesia, qui plerosque errores & deplorarunt & reprehenderunt, alii magis, alii minus perspicue. Ita manet in ecclesia veritas. Interim tamen, ut prædictum est, dominati sunt in ecclesia Pontifices profani, qui imperia & tyrannides pluris fecerunt, quam doctrinam, & indocti sacerdotes & avari monachi multos errores sparserunt, & cœca multitudo facile capitur plausibili doctrina, quæ stultis affectibus blanditur. Horum judicia & exem-

An. 1546. exempla non tribuantur ecclesiæ Dei. Nam & prædixit vox divina, non solum multos extra ecclesiam Dei evangelium oppugnaturos esse, quales sunt ethnici, Judæi, Mahumedistæ, sed etiam in hoc ipso cœtu, qui titulum habet ecclesiæ Dei, magnam fore multitudinem fascinatorum pravis opinionibus & a vera invocatione aberrantem. Ac Petrus nos ad exemplum Israelitarum deducit; *Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sic inter vos erunt.* Quanta multitudo fere omnibus temporibus in Israel idola coluit? Et sacerdotes ipsi, qui, ut nunc loquuntur homines, ordinariam gubernationem tenebant, vera sacrificia depravabant, & pro justitia fidei externam hypocrisin ceremoniarum docebant, quam, cum prophetæ taxarent, sævitia, ut nunc quoque fit, exarsit. Et post Maccabæos, cum sectæ duæ summam potentiam tenerent, Pharisæi & Sadducæi, fateri necesse est, non solum paucos in vulgo, sed magnam turbam sacerdotum, interpretum legis, judicum, tetris erroribus inquinatam fuisse. Hæc cum acciderint in illa parva politia, quæ nervos disciplinæ plures habebat, quam ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperiis, cogitemus & hanc postremam mundi senectam multis morbis & deliriis obnoxiam esse, & Prophetæ querelam ad hæc secula quoque pertinere, qui ait, *nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.* Imo, quid tam simile est, quam Sadducæorum agmini Epicurei Pontifices & Cardinales, & Pharisæis sacrificuli & monachi, qui suos ritus in quæstu habent? nisi quod aliquanto plus pudoris in illa Judaica politia fuisse consentaneum est, quam nunc est in collegiis Pontificiis & monasteriis. Erant enim mariti & disciplinam domesticam utcunque tuebantur, & minus erant otiosi. At parvos nævos, inquiunt nonnulli, & aliquas anicularum ineptias reprehenditis, quas, nisi essetis nimis morosi & μεμψίμοιροι, dissimularetis, propter communem concordiam. Plus enim nocet orbi christiano tam atrox dissidium, quam illæ leves ineptiæ, quæ taxantur; nec fuit unquam ulla ætas, nec erit, in hac hominum infirmitate, sine multis morbis & hallucinationibus. Hac oratione homines, qui perhiberi volunt politici, extenuant errata. Quod fit, quia leviter curant gloriam Dei, & suæ utilitati aut tranquillitati malunt consulere. Quare verborum præstigiis aut tegunt aut excusant multa horrenda mala. Non enim de parvis tantum rebus aut paucis dissensio est, nec tantum anicularum superstitiones taxamus. Extant scripta doctorum vetera & recentia, quæ defendunt hæc portenta. Negant, in scriptura prophetica & apostolica hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, contineri, cum Petrus hunc esse universæ ecclesiæ consensum affirmet, inquiens, *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Nec obscurum est, quam tetram sententiam propugnent adversarii, cum jubent uniuscujusque mentem in perpetua dubitatione manere, an habeat remissionem peccatorum. Postea fingunt dari remissionem propter cujusque merita, immo etiam propter vota monastica, propter venales Missas, quas scribunt etiam ex opere operato mereri remissionem facienti & aliis, deinde cœnam Domini & ad mortuos perverse transferunt. Doctrina de vera pœnitentia, caligine opinionum de enumeratione & de satisfactione prorsus obscurata fuit. Quales fere toto orbe terrarum in templis idolomaniæ conspiciuntur, ubi ad certas statuas fiunt concursus, & hominibus tribuitur honos proprie debitus Deo æterno Patri, & Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, & Spiritui sancto, scilicet invocatio. Quæ eloquentia seu hominum seu Angelorum satis deplorare potest animarum exitia, quæ pereunt propter legem, quæ conjugia prohibet! Ac multa concurrunt mala in immundo cœlibatu: Primum vere Deus irascitur vagis libidinibus. Deinde mentes pollutæ non possunt invocare Deum. Ruunt igitur ex aliis sceleribus in alia tanquam vasa iræ. Ad hæc mala accedunt inscitia & neglectio ministerii evangelici tanta, ut passim aut nullæ conciones aut futiles audiantur, & disciplinarum nulla prorsus sit cura. Non igitur pauci tantum in vulgo peccant, nec leves tantum ineptiæ a nostris taxantur. Magni errores, contumeliosi adversus Filium Dei, & perniciosi mentibus, & atrocia scelera defenduntur magna autoritate ab adversariis, qui se jactitant ordinariam potestatem in ecclesia tenere: Et additur sævitia ad stabiliendos errores & confirmanda multa vitia, qualem antea nunquam exercuerunt gubernatores, qui non fuerunt ethnici. Cum igitur in conspectu sint tanta mala ecclesiæ, errores, idola, libidines, neglectio ministerii Evangelici, sævitia; non solum agnoscenda sunt, sed omnes homines ubique terrarum expavescere eorum conspectu & cogitatione iræ Dei debebant. Non enim de nihilo dictum est sonante Dei voce certissimis testimoniis in monte Sinai, inter fragores horrendos & fulmina, æternas pœnas denunciantia idolorum cultoribus. *Non habebis Deos alienos coram me. Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios &c.* Hanc vocem cum ederet Deus, tremuerunt longa montium juga, saxa, scopuli, & veram esse pœnæ mundi quotidianæ ostendunt. Si qui igitur hanc concionem rident, & præsentibus voluptatibus fruendum censent, & inanem curiositatem ducunt, anxie inquirere veram de Deo & de vera invocatione doctrinam, illis ipsis scopulis & saxis rupis Sinai duriores sunt. Sed non dubium est tristissimas pœnas vocis divinæ & vagari omnibus temporibus per totum genus humanum, & secuturas esse post hanc vitam, cum Filius Dei se iterum mundo ostendet, ut suam ecclesiam ornet æterna gloria, & hostes horribili & non desituro incendio puniat. De hoc ipso judicio interea nos commonefieri statuamus, cum incendia orbis terrarum, ruinas regnorum, confusiones religionum, domesticas calamitates infinitas magno cum dolore spectamus. Sed aliqui non omnino ferrei fatentur, aliquos ecclesiæ morbos, & ut ipsi molli vocabulo nominant, abusus esse, nobis tamen juste irasci ordinariam potestatem, id est, summos orbis terrarum Principes, inquiunt, quia sine ipsorum judicio & autoritate quasdam opiniones aliquot seculorum consensu

(5) *Non parvos, sed maximos errores illos esse, ostendunt.*

(6) *Ad objectionem, quod abusus ferendi sint, ne turbæ excitentur, aut cognitioni*

An. 1546. sensu confirmatas & quosdam ritus aboleverimus. Negant privatis & paucis concedendum esse, ut sibi judicium sumant de re communi, de statu ecclesiæ, & videtur secutura infinita dissipatio, si cuilibet in vulgo sententias & ritus suo arbitrio mutare licebit. Quid enim manifestius est, quam in populo esse maximam multitudinem inimicam religioni & legibus, cupidam infinitæ licentiæ, invidentem alienæ potentiæ, seditiosam, inconstantem, rapacem, denique audacia & furore præcipitem? Hanc armare hac persuasione, ut putet, sibi licere dogmata & leges mutare aut delere, sine superiorum judicio, summa amentia & atrocissimum scelus videtur. Nec vetera tantum exempla commemorant, sed etiam recentia; ut cum Ulyssis socii ventos ex utre, in quem inclusos Aeolus Ulyssi dederat, emiserunt, passim in diversas aeris regiones erumpentes contrariis flatibus mare agitarunt, ut ingentes procellæ navem undique quassarent: Ita nunc, postquam semel propositum est exemplum ab ordinaria potestate discedendi, multis locis homines fanatici palam furiosi tragicos tumultus in ecclesiis excitarunt. Hos igitur judicant nervos esse atque artus sapientiæ in viris politicis, acerrime propugnare ordinariam autoritatem, receptos mores & communem consensum. Hanc terribilem orationem, tanquam caput Gorgonis, omnibus ætatibus ecclesiæ obverterunt potentes, quæ ad inflammandam Regum iracundiam valde accommodata est. Nec vero nihil movemur nos hac atroci oratione. Nam & nos pacem, concordiam principum, imperiorum tranquillitatem optamus, nec ab ordinaria potestate sine perspicuo mandato divino dissentiendum esse censemus. Nec laxamus frenos multitudini, sed hoc sentimus & probamus, quod Apostoli consentientes dicunt; *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Semper ita omnes sani judicarunt, divinam autoritatem humanæ anteferendam esse. Sed præcedat, inquiunt, cognitio. Utinam quidem esset ea gubernatorum ecclesiæ pietas, ut gloriam Dei & salutem animarum anteferrent suis cupiditatibus, & doctrinam emendarent ipsi, & disciplinam pie regerent. Sed Deus ecclesiam suam ita gubernat, ut tradiderit nobis evangelium, quod est æternum & immutabile decretum divinæ voluntatis, certo comprehensum in scriptis Propheticis & Apostolicis. Ab hac regula vetat discedere, etiamsi superiores aut plurimi eam negligant, & abjiciant. Et quia ipse immensa misericordia colligit & subinde instaurat Ecclesiam, excitat doctores, & lucem doctrinæ restituit, qua agnita neminem vult expectare humanas cognitiones aut hominum judicia. Clamat æternus Pater de Filio; *Hic est filius meus dilectus, hunc audite.* Si vere statuimus, esse Deum conditorem & judicem, & patefactum esse, & vero amore nostri misisse filium, ut Ecclesiam æternam colligat. Huic ejus mandato parendum etiam esse statuimus, ut Filium salutis nostræ causa missum, & illustribus testimoniis, resuscitatione mortuorum, & aliis miraculis commendatum toti generi humano, audiamus, eique summa reverentia obediamus. Hoc æternum & immutabile mandatum, *hunc audite*, anteferendum est non solum universæ humanæ autoritati, sed etiam rebus aliis omnibus, quas homines suo ordine expetunt, vitæ nostræ, facultatibus, imperiorum tranquillitati, paci. Non feri, non ἄστοργοι homines erant Apostoli, sed patriam, ut cives in optimis familiis nati, amabant, venerabantur templum, in quo se Deus toties patefecerat, totumque ordinem politiæ judaicæ, qua sciebant in toto genere humano nullam esse pulchriorem politiam, magis quam vitam suam diligebant; Denique norant, utrumque a Deo præcipi, ut res obscuræ ad collegium sacerdotum, quod ministerio ad templum fungebatur, referrentur, & judicatum fieret, ut Deut. II. scriptum est. Hi tamen nec referunt de evangelio ad id Concilium, nec obtemperant prohibentibus, spargi novum doctrinæ genus, quia jam antea audierant vocem æterni Patris de Filio, *hunc audite;* Immo norant, in omnium Prophetarum concionibus præcipi, de audiendo Messia, etiamsi pontifices, reges & principes ei adversaturi essent, ut in Psalmis dicitur: *Osculamini Filium.* Item. *Tu es sacerdos in æternum.* Nec tantum illa vox cœlestis æterni Patris, aut illa dicta in Prophetis ad Apostolos aut Apostolorum tempora pertinebant, sed ad omnes homines, omnibus ætatibus, pertinent. Audita voce Filii Dei in evangelio, necesse est omnes obedire. Et qui *non audierit*, inquit Deus, *ego ultor ero* Sed reclamant adversarii; multa sunt obscura, quorum declaratio prius ab ordinaria potestate petatur. Scimus, hoc plausibiliter dici ab adversariis, qui si hoc serio dicunt, evangelium esse ambiguam & incertam doctrinam, quid aliud esse cogitant, quam Sphingis ænigmata, ut nuper quidam ex adversariis nostrarum ecclesiarum scripsit: Nullum esse verbum in scripturis Propheticis & Apostolicis, quod non varie intelligi possit. Profecto horrenda contumelia Deum afficiunt, qui sic de ipsius sermone judicant; etiam sicubi in parte aliqua non statim se rudibus offert sententia, tamen summa doctrinæ perspicua est. Nulla in Decalogo est ambiguitas, vult enim exponere & exaudiri Deus suam sententiam ab universo genere humano, sine ulla ambiguitate, adversus peccatum. Deinde toti generi humano notam vult esse hanc consolationem, prolatam ex arcano sinu: *Remitti nobis peccata, & fieri nos hæredes vitæ æternæ, propter Filium Mediatorem, non propter nostras virtutes.* Et hoc ingens beneficium fide accipiendum esse, statuendumque singulis, in pœnitentia vere se recipi propter Filium, ac oportere in nobis, postquam renati sumus, lucere hanc fidem & existere justitiam bonæ conscientiæ. Hæc doctrinæ capita nec obscure nec ambigue tradita sunt, & si quid est in ullo articulo obscuritatis, addidit Deus scriptis perpetuam vocem ministerii evangelici, qua imperiti erudiuntur de vera interpretatione. Id ministerium docendi evangelii & fuisse & esse in nostris ecclesiis, negari non potest. Et sunt & fuerunt studia doctrinæ evangelii apud nos, ut Filius Dei præcepit, *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Quare non temere sententias inexploratas aut sparserunt nostri doctores aut nos recepimus, sed & doctores & nos propter gloriam Dei & salutem nostram consideravimus fontes doctrinæ, contulimus ecclesiæ tempora, quæsivimus antiquitatis sinceræ testimonia,

An. 1546.

(7) *Negant, obscuram esse Scripturam in capitibus fidei fundamentalibus, quæ ab Evangelicis docentur.*

An.1546. nia, ne novas aut ambiguas sententias amplecteremur. Atque ita servat Deus semper in ecclesia veritatem, non in illo cœtu, qui Prophetica & Apostolica scripta negligit, & præsentes religiones propter tranquillitatem boni consulendas esse ducit, qualescunque sunt, ut dicunt multi perverse philosophantes, nec iis, qui curiositate aut ambitione quærunt novas opiniones, aut, ut potentum affectibus serviant, applaudunt erroribus; sed in aliis, qui legunt, discunt, & amplectuntur prophetica & apostolica scripta, veritatem amant, testimonia veteris ecclesiæ probata inquirunt, & humanis opinionibus Dei voluntatem anteferunt, quales non solum apud nos & sunt & fuerunt aliqui, sed sunt passim in toto orbe terrarum multi docti & pii, quorum aliqui profitentur, quod sentiunt, aliqui metu impediuntur, quo minus palam ostendant suam sententiam; hi tamen assiduo gemitu ecclesiæ emendationem optant. Ut igitur ne nos quidem petulantibus ingeniis concedendum judicavimus, ut rectas, & vera autoritate traditas sententias mutent, ut fecerunt Anabaptistæ: Ita econtra, ubi perspicua est voluntas Dei, obediendum esse Deo affirmamus, nec expectandam esse cognitionem humanam. Certe illorum cognitio non expectanda est, qui palam sunt hostes veritatis. Deinde etiam si qua esset obscuritas, cur rebus non judicatis damnantur nostræ sententiæ, & multi honesti homines propter solam purioris doctrinæ confessionem interficiuntur? Ea in re certe hoc nostri judicii est, nec trucidare insontes, nec adjuvare aut approbare alienam sententiam. Exarserat injusto odio Saul adversus Davidem. Interea filius Jonathas, etsi in eo erat pietas erga patrem & reverentia erga Regem præcipua, tamen minister esse injustæ crudelitatis noluit. Multi vero alii præsentem potentiam pluris quam causam faciebant. Quam multis locis sacerdotes sancti & docti tantum propterea necati sunt, quod manifesta errata invocationis mortuorum taxarunt, quæ in ipso judicum consessu aliqui in animis tacite improbabant, ut postea eos fateri audivimus! Cum igitur verissimum sit, ad proprium uniuscujusque judicium pertinere, ne in re vel sibi probata vel dubia sævitiam exerceat aut adjuvet, nemo nobis juste succensere potest, quod sævitiæ, quæ quidem a monachorum furore & Pontificum superbia orta est, socii esse noluimus, sed, ut Jonathas, homines innocentes, pios, doctos, Deum invocantes pro nobis, utiliter servientes ecclesiæ, teximus, præsertim cum nos etiam, re judicata, causam probaremus. Nam cum Pontifices nullam legitimam cognitionem instituerent, & manifestam veritatem damnarent, & magna asperitate idolomanias stabilirent, assentiri injustis judiciis non potuimus. Quare diu disputata re & deliberata cum eruditis & piis, hoc doctrinæ genus, quod unum, diligenter consideratis fontibus, i. e. scriptis propheticis & apostolicis, & collata omni antiquitate, videmus esse perpetuum consensum catholicæ ecclesiæ Dei, h. e. omnium eruditorum & piorum, qui fuerunt omnibus seculis in ecclesia Dei, quod quidem in symbolis Apostolico, Niceno & Athanasiano breviter comprehensum est, & probatissimorum scriptorum post Apostolos testimonia habet, propter gloriam Dei & salutem nostram amplexi sumus.

(8) *Queruntur de sævitia erga Evangelicos.*

Scimus, non esse gignendas novas opiniones de Deo, ut audacissime fecerunt cultores idolorum, & Philosophi & multi fanatici homines, sed reverenter tuenda est unica doctrina, in qua Deus ipse illustribus testimoniis se patefecit. Ideo nullam novam opinionem proponi in ecclesiis nostris passi sumus. Sed veterem, veram & unicam ecclesiæ Dei doctrinam incorruptam profitemur, ac ut sciri possit, quænam illa sit, extat Confessio nostra Augustæ exhibita, quæ summam breviter continet, quam quidem congruere ad Symbola Apostolicum, Nicenum & Athanasianum, & ad perpetuam sententiam probatissimorum Scriptorum, qui in ecclesia post Apostolos fuerunt, non dubium est, si modo dextre & non calumniose de scriptoribus illis judicetur. Et quicunque erunt eventus, Deo æterno Patri Dn. nostri Jesu Christi gratias agimus pro hac luce evangelii, quæ monstrat veram invocationem Dei, & firmam consolationem animorum, & normam vitæ, quæ res omnibus hominibus inter summa bona ducendæ sunt. Neque enim Epicureorum judiciis movemur, qui alios bonorum fines, alias metas rerum expetendarum proponunt. Sed conditum esse genus humanum scimus, ut in eo notitia Dei luceat, & ut de Deo vera testimonia dicat, ejusque consuetudine in vita æterna fruatur: Nec majus præsidium esse in hac vita homini in omni genere periculorum, quam scire veram invocationem Dei, ut scriptum est; *Turris fortissima nomen Domini.* Quare vera agnitione Dei nihil optabilius est. Et quanquam eventus in hac vita varii sunt, ut omnium temporum exempla ostendunt, veritatem non sine magnis periculis retineri, tamen Deus eam non prorsus deleri sinit, & nos quidem speramus, Deum nostri hujus officii memorem fore, quod sævitiam in sacerdotes pios & innocentes noluimus exercere, sicut dictum est; *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Non sumus adeo feri aut rudes vitæ communis, ut terribili clamore de ordinaria potestate prorsus nihil moveamur, cum vociferantur multi; non fuisse mutandam doctrinam aut ritus, sine ordinariæ potestatis judicio & comprobatione, quia & ordo ecclesiæ turbetur, & exemplum sit periculorum. Hæc tragice exaggerata multos adversus nos incitant, nec nihil movent animos nostros, nam & nos ordinem & gubernationis vincula intelligimus & magnifacimus. Sed huic nostro dolori opponimus multa perspicua mandata Dei, quibus severissimæ comminationes additæ sunt. Filius Dei inquit, *neque in hac vita, neque postea remitti blasphemiam, quæ contra Spiritum sanctum dicitur.* Hac moniti voce homines, ubicunque sunt, posteaquam audierunt veras sententias, & re cogitata eas intelligunt, severissima lege cogi se agnoscunt, ne veritati divinitus monstratæ adversentur. Quid igitur faceremus in articulis multis, quorum perspicuitas omnes sanos assentiri convincit. Ut de indulgentiis, de sacerdotum conjugio, de manifesta profanatione cœnæ dominicæ, quam sacrificuli indocti, ignorantes, quid agant, & quid sit sacrificium, toto orbe terrarum, ventris causa, in theatricum spectaculum trans-

An.1546. (9) *Nulla nova dogmata, sed vetera & Catholica a se recipi testantur, & contraria merito abrogata esse.*

An. 1546.

transferunt? Num adversaremur Spiritui sancto manifesta scelera taxanti? Et rei horrendæ blasphemiæ, fingeremus nobis hanc excusationem, quam scribunt oratores adversariorum, quia plus mali sit in schismate, hos nævos dissimulandos esse? Immo vero anteferatur mandatum divinum, quod vetat blasphemiam dicere in Spiritum sanctum omnibus episcopis & regibus. Metæ sunt servitutis, quas Deus ipse generi humano circumdedit, quæ ostendunt, quæ mala dissimulanda & ferenda sint, quæ non sint ferenda. Atque ita Deus sæpe collegit, & emendavit Ecclesiam contra judicia ordinariæ potestatis. Jeremias, Amos & alii Prophetæ palam dissentiebant a summis sacerdotibus ac regibus, & majore parte sacerdotum ac populi. Sic postea Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli dissenserunt ab ordinaria potestate. Hi si viros politicos consuluissent, similes oratorum, qui nobis adversantur, audivissent idem consilium, quod apud Platonem scriptum est: Ut parentes deliros ferre decet, ita tolerandos esse potestatis ordinariæ errores, nec excitanda dissidia in patria, quia in ἀναρχίᾳ & seditionibus nihil mali non sit. Hæc oratio, etiamsi alicubi locum habet, tamen in ecclesia non usurpatur ad stabilienda idola & confirmandas blasphemias. Viderant Apostoli Christum revocatum ex morte in vitam, norant, sibi mandatum esse, ut evangelium docerent, quo quidem & illius pulcherrimæ politiæ vincula & nervi laxabantur, quæ ex re in patria dissipationem sequi videbant. Hic si assensissent ordinariæ potestati, neganti revixisse Christum, & damnanti doctrinam, horrendæ blasphemiæ rei fuissent, Deum contumelia affecissent, & sibi & aliis æternum exitium accersivissent. Ut igitur Apostolos ipsos docere evangelium necesse fuit, etiamsi potestas ordinaria dissentiebat; ita omnes homines eorum doctrinæ, cum viderent eam divinitus confirmari, assentiri necesse fuit, quanquam in toto orbe terrarum omnes summi gubernatores refragabantur. Ita semper evangelii voci omnes obedire debent, & qui, cum eam audierint, agnoscunt Dei voluntatem, & tamen obsequi nolunt, imo etiam delere conantur, seu vi, seu fraude, ut nunc multi præstigias ad labefactandam veritatem comminiscuntur, metuant sententiam, quam de blasphemiis Filius Dei pronunciavit, nec cogitent, harum rerum maximarum & ad gloriam Dei pertinentium explicationem inanes ludos esse, de quibus, ut in Arcesilæ schola, concessum sit, quamcunque velint, partem tueri. Hæc præfati sumus, ut coram universa Ecclesia hujus ætatis & posteritatis publice exponamus, quæ nos causæ moverint & ad amplectendum & ad retinendum doctrinæ genus, quod in ecclesiis nostris sonat. Non curiositate, non cupiditate ulla, non errore a cæteris dissentimus, sed de Deo testimonium dicimus. Sentimus, veram esse de Deo doctrinam, in libris propheticis & apostolicis traditam, & Filium Dei judicaturum esse omnes homines, & daturum æternam salutem iis, qui evangelio obediunt, & abjecturum in æternas pœnas illos, qui contemnunt aut oderunt evangelium. Sentimus, præcipue Deo hoc officium a toto genere humano & a singulis hominibus deberi, ut hanc ipsam doctrinam per Prophetas, Christum & Apostolos traditam, servari & illustrari curent, & propagationem adjuvent, sicut scriptum est; *qui non colligit mecum, dissipat.* Sentimus vicissim vere diligi a Deo, servari & exaudiri hanc ecclesiam, quæ evangelium incorrupte sonat. Sentimus etiam hanc ipsam doctrinam, quæ in ecclesiis nostris proponitur, vere esse sententiam scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, de qua symbolorum & probatorum scriptorum testimonia extant. Manet enim in ecclesia in aliquibus vera sententia de Dei voluntate, alias illustrior, alias obscurior, etiamsi ordinaria potestas sæpe prorsus profana & Epicurea est, & tetros errores defendit, sicut in Zacharia, Simeone, Maria, Elisabeth fulsit lumen cœleste, etiamsi Annas & Caiphas erant athei. Nec alligatæ sunt promissiones de veritate mansura in ecclesia ad eos, qui titulum habent ordinariæ potestatis, nec legunt nec didicerunt, nec amant scripta prophetica & apostolica. Immo cum sumserint inde suæ potentiæ titulum, deinde novas leges condunt ad suam utilitatem, & pugnantes cum cœlesti doctrina, & excogitant strophas, quibus eam ad suas opiniones inflectant. Sed manet veritas in aliis, qui, cum discunt cœlestem doctrinam, pio pectore se Deo subjiciunt, expavescunt agnitione peccatorum, & rursus eriguntur fiducia misericordiæ propter Filium Dei mediatorem promissæ, & ardentibus votis orant, se gubernari a Deo, obtemperant ei & regi volunt, non tantum humanis judiciis, sed voce Dei. Ideo Esaias, videns secuturas in ecclesia sui populi & postea tristes tenebras, precatur Deum, ne lucem doctrinæ prorsus extingui sinat. Cumque ait, *obsigna legem in discipulis meis,* significat, mansuram esse doctrinam, veluti obsignatam divino Spiritu in mentibus non omnium, sed discipulorum, i.e. eorum, qui propheticam doctrinam discunt, amant, & amplectuntur & non corrumpunt eam, sicut & nunc Judæi & olim Pharisæi corruptelas excogitarunt, quorum exemplum adversarii nostri in multis gravissimis controversiis imitantur. Cum Paulus toties clamitet; *fide justificamur, impossibile est lege justificari &c.* Isti contrarias sententias proponunt, immo inquiunt; homo legi Dei satisfacere potest, & his actionibus meretur remissionem peccatorum. Sed cum nunquam sciat, quando satisfecerit, semper dubitet, an placeat Deo. Ita ostendunt, se non auditores esse Pauli, sed mordicus tenere persuasionem humanam, quam anteferunt Paulo, diserte diversum docenti. Et cum scriptum Pauli non ausint prorsus delere, audacter fingunt cavillationes ad eludendam evangelii veritatem, quam prolatam ex sinu æterni Patris Deus per prophetas, Christum & Apostolos generi humano tradidit, ut de remissione peccatorum certo nobis voluntas Dei nota esset. Omittimus exempla alia; nam si plura commemorare vellemus, quam longa futura esset oratio? Num Prophetarum & Apostolorum discipuli sunt, qui sacerdotem, honestum maritum, interfici jubent? Hæc injusta crudelitas ex Phalaridis disciplina est, non ex prophetica & apostolica.

(10) *Reformationem factam defendunt, etiam dissentientibus ordinariis potestatibus factam, ejusque summam repetunt.*

Postquam autem ostendimus, & quid sentiamus, & quæ sit voluntas nostra in causa tanta; nunc reliquum est, ut reverenter omnes reges, princi-

(11) *Indicant, quale Concilium*

An. 1546. principes & omnium nationum viros bonos oremus, ut propter gloriam Filii Dei & salutem ecclesiæ autoritatem suam, ad hoc officium, Deo a toto genere humano debitum, conferant, videlicet, ne assentiamur iis, qui delere sinceram evangelii doctrinam, seu Synodi prætextu, seu aliis modis, conantur. Nobis quidem nulla res humana gratior contingere posset, quam videre synodum dignam ecclesia Dei, in qua, libera & pia collatione sententiarum de rebus maximis, explicata veritas inter omnes gentes communi consensu propagaretur. Talem synodum ecclesiæ necessariam & salutarem, & nos quotidie a Deo ardentibus votis petimus, & aliquoties ab invictissimo Imperatore Carolo Augusto, Domino nostro Clementissimo omnes Ordines in hoc Imperio petiverunt. In qua synodo vere, ut Psalmus dicit, convenirent populi & reges, ut servirent Deo, hoc est, in qua veris modis restituerent veram Dei invocationem, & saluti animarum consulerent, non stabilirent idola & pravas opiniones, oppressa veritate partim vi, partim sophismatum præstigiis. Sed hujus Tridentinæ synodi, quam indixit *Paulus III.* judicium secuturos nos esse, nequaquam polliceri possumus, nosque perspicuæ & veræ causæ excusant: Persona judicis, qui est inimicissimus causæ nostræ, & forma judicii, in quo nulla libertas est dicendæ sententiæ, & in suffragium ibunt plures indocti & inimici nostræ doctrinæ, & si qui meliores aderunt, deterriti sævitia malorum, non audebunt dicere quid sentiant. Postremo & locus periculum nostris minatur. Ac *primum* justas esse causas, cur Romanum Pontificem non possimus facere judicem nostrarum controversiarum, manifestum est. Nota est enim vox naturæ & scripti juris, quæ vetat illi judicium permittere, qui reus est ipse & inimicus, & hostilem animum perpetuis præjudiciis declaravit. Hoc totum dissidium orbis terrarum initio ortum est a reprehensione errorum Pontificiorum, quos monachi, circumferentes venales indulgentias, cum auxissent, postea Pontifex *Leo X.* edita Bulla confirmavit & cumulavit errores, quorum refutatio majus certamen accendit. Ac sole meridiano clarius est, defendi in Bulla *Leonis* errores pugnantes cum vera ecclesiæ doctrina. Constat autem, Pontificem errantem non faciendum esse judicem, cumque reus sit, insuper hostilem animum perpetuis præjudiciis declaret. Quotannis repetit condemnationem nostræ doctrinæ, & magnam crudelitatem exercet in omnes, qui amplectuntur nostras sententias, & inflammat Reges & Principes toto orbe terrarum ad exercendam similem sævitiam. Quid aliud nunc quoque judicaturum esse speremus, quam ut hanc crudelitatem confirmet, quam necessariam esse judicat ad retinendam potentiam & ejus nervos, suntque potentiæ ipsius nervi idola, & falsæ opiniones, quas taxamus. Scimus, hanc tam tristem reprehensionem multis magnis viris politicis ingratam esse, & nos non sine magno dolore hos morbos commemoramus. Sed nimis vera & hæc commemoratio & nunc quidem necessaria, quia aliquos esse testes de Deo oportet. *Deinde* qualis erit judicii forma? Initia jam vidimus. Habitæ sunt orationes, in quibus illi Amphictyones, qui sunt Tridenti, jactitant, Romanum Pontificem, & ei addictos nullis doctrinæ erroribus contaminatos esse, & queruntur, ab aliis sparsas esse hæreses. Nec dubium est, eos id crimen in nos conferre. Tales quid judicaturi sint, jam ostendunt, & accedunt multi alii Episcopi, quibus solis suffragatio conceditur, ignari doctrinæ de Deo, & opiniones de ecclesia peregrinas & ethnicas circumferentes, dediti voluptatibus, & ardentes odio nostri, qui aliquid diminui de dignitate sua nostris clamoribus arbitrantur. Hi habent adjunctos monachos indoctos, partim fascinatos stulta superstitione, partim agnitam veritatem, ceu furiis agitati, delere conantes. Hæc tota turba judicum, etsi per sese abhorret a veritate, tamen in rebus manifestis, luce veritatis convicta, etiamsi quid mutare in Pontificiis sententiis vellet, non auderet: tota enim unius arbitrium intuetur. Id non esse judicium ecclesiæ, nec sententiarum collationem, res ipsa loquitur. Etsi enim & pauci aliqui Nicodemi similes aderunt, hi tamen vix gemitu sententiam suam significare audebunt, & ut maxime aliquid recte monerent, major pars vinceret. Hæc cum sint manifesta, injuste faceremus, si illius multitudinis, quam veritati inimicam esse scimus, audaciam confirmaremus, quod fieret, si istam Synodum judicem faceremus. Nec dubium est, nihilo nos justiores aut liberiores judices habituros esse, quam habuit Theramenes, Critiam & cæteros collegas. *Præterea* ad judicii formam pertinet, certo constitui, an ex jure divino, ex symbolis & certis testimoniis doctrinæ Apostolorum pronunciandum sit, an vero ex recenti consuetudine sexcentorum annorum & decretis, quæ aut ex superstitione nata sunt, aut condita sunt, ut munirent potentiam, & ex diluta Theologia Thomæ, Scoti & similium. Jam vero in tertia sessione synodi Tridentinæ decretum est, non discedendum esse ab iis traditionibus & interpretationibus, quæ sunt ipsis usitatæ. Hæc si erit norma judicii, quid pronunciaturi sint, jam liquet. Damnabunt hanc propositionem; *fide justificamur.* Quia non sequimur Thomæ interpretationem, quæ est corruptela pugnans cum ipso Paulo & cum vetustis & sanioribus enarrationibus. Damnabunt hoc dictum: *Una oblatione consummavit omnes, qui sanctificantur;* quod affirmat, unicum fuisse sacrificium propitiatorium, mortem filii Dei, & nunc cœnæ Dominicæ administrationem non esse sacrificium, quale ipsi docent, applicandum pro aliis, ut mereatur remissionem peccatorum. Habent enim contrariam persuasionem, quæ multis seculis late vagata est. Si ex his recentibus opinionibus, pugnantibus cum Apostolica doctrina, pronunciabitur, nihil opus est Synodo. Nota enim sunt hæc recentia, & ob hanc ipsam causam a nostris reprehensa, quia, cum ab Apostolica doctrina dissentiant, quæ est immotum & immutabile decretum Dei, necesse fuit, ad Apostolicam doctrinam mentes hominum revocari. At dicent, cum pleræque sint scripti & sententiæ controversiæ ῥητῦ καὶ διανοίας, cur magis vestræ interpretationi, quam nostræ, quæ consensu aliquot seculorum comprobata est, crederemus? Etsi hæc objectio plausibilis est, tamen omnes pii, doctrina medi-

petierint & accepturi sint, & quare Tridentinum non agnoscant.

(11) *Excipiunt adversus Pontificis personam.*

(13) *Item adversus Episcopos, & monachos*

An. 1546. *ad judicium illud Synodale congregatos.*

(14) *Advertsus normam judicii, quam sessione tertia Tridenti stabiliverant.*

(15) *Monstrant, quæ sit vera interpretatio Scripturæ & quam prava sit*

ocri-

An. 1546. ocriter exculti, vident, quid respondendum sit. *Primo* non sunt omnia obscura in sermone divino & in symbolis. Nulla igitur interpretatio cum fontibus pugnans recipienda est. Non enim gignenda est nova de Deo doctrina, ut fecerunt ethnici, Orpheus, Hesiodus. Ostendimus autem, multas adversariorum interpretationes pugnare cum fontibus, & genus doctrinæ novum esse, non traditum a Deo; ethnicum est enim, quod fingunt, prodesse sacrificium ex opere operato, sine bono motu utentis. *Deinde* constat & hoc, recentia secula, quorum consensum sequuntur adversarii, discessisse a veterum saniorum interpretatione. Videndum est igitur, utra interpretatio, nostra an contraria, congruat cum fontibus, hoc est, cum scriptis propheticis & apostolicis, symbolis & certis testimoniis apostolicæ sententiæ: Hanc esse normam judicii oportebat. Nec nos ignoramus, multos præstigiatores, ut stabiliant idola & pravas opiniones, prætexere antiquitatem, & inflectere integras conciones Christi & Apostolorum & humanas opiniones contra nativam sententiam & illustria primæ ecclesiæ testimonia. Ac magnum decus sapientiæ multi in collegiis Pontificum & aulis regum esse putant, artificiose pingere idola, & continua aliqua interpretatione fallas opiniones lenire. Hi ludi cum multis modis ecclesiæ perniciosi sint, profecto exemplum non est confirmandum. Nam si his fucosis interpretationibus excusare licet errores, qui nunc taxati sunt, aliquanto post etiam ethnicis religionibus, (ut diabolus instigat levia ingenia ad deridendum Deum) affingentur bellæ excusationes. Esset autem impietas, talibus sophistis permittere cognitionem, qui non habent studium veritatis, sed tantum quærunt prætextus, quomodo præsentes ritus tueantur, quia id vident regibus gratum & plausibile esse. Oramus autem omnes graves viros, amantes ecclesiam Dei, ne audiant tales agyrtas, corrumpentes doctrinam de invocatione, quam purissimam esse oportet. Cum mens in invocatione quærit, quem alloquatur, & an & cur audiantur nostræ preces, necesse est sciri, hunc esse verum Deum, creatorem cœli & terræ, & conditorem ecclesiæ suæ, qui se nominat Patrem Domini nostri Jesu Christi, & certo exaudire propter Filium, quem voluit pro nobis victimam fieri, & constituit μεσίτην καὶ ἱκέτην καὶ ἀρχιερέα. Hic si oculis objicit ille præstigiator *Georgium*, *Martem*, *Junonem*, *Annam* & dicit congruere has invocationes, jam revera Deus horribiliter contumelia afficitur. Artaxerxes votum fecerat, ægrotante incesta conjuge, se Junonem solam velle colere, si sanaret mulierculam, & velle totam viam ab arce Babylonica ad templum auro tegere, quod ipsi donaturus esset. Hæc si talis aliquis sophista leget, quæret speciosam interpretationem, dicet Junonem significare unicam æternam mentem, seu πρόνοιαν, rectricem, & Deo gratam esse magnificentiam, qua templa ornantur, ut sacerdotes ali, studia juvari, pauperum inopia sublevari possit. Tales fuci semper fuerunt & sunt & erunt perniciosæ corruptelæ invocationis veræ, de qua concionatur evangelium. Quare adversari talibus, quamlibet speciosis, interpretationibus necesse est. In historia passionis Filii Dei insignis imago proponitur, cum oculi Filii Dei teguntur fasciis, & undique facies cæditur colaphis, & adduntur virulenti sarcasmi, *vaticinare, quis te percusserit.* Irrident velatum, quasi aut non videat, a quo contumelia afficiatur, cum velit perhiberi vates; aut etiam, si videat, dissimulare tamen & accipere injuriam cogatur. Quid tam simile est huic imagini, quam illæ fucosæ errorum excusationes? Veritatem tanquam captivam isti producunt, ac primum oculos ejus velant, hoc est, nudam cerni nolunt, deinde alii aliunde colaphos infligunt, hoc est, corruptelis novis eam lacerant, & sibi ipsi plaudunt, tanquam re bene gesta, triumphos agunt inter suos, & Epicurea audacia sibi persuadent, non cerni has fraudes a Deo, nec verentur judicia hominum, freti potentum favore. Adversus tales sophistas in tantis periculis extremæ senectæ mundi profecto diligentia & circumspectione opus est, ne & hæc, quæ jam restituta sunt, novis præstigiis obruantur, nec hoc exemplo confirmentur petulantia ingenia, quæ libenter omnes religiones miscent. Omnium virtutum longe maxima est maximeque necessaria vera Dei invocatio, quæ est rectrix omnium periculorum vitæ, & radix cæterarum virtutum, & præsidium in hac miseria humana præcipuum. Hujus virtutis doctrinam vult Deus omnibus hominibus esse notissimam & servari incorruptam. Facile autem deerrant humanæ mentes a Deo & in quam tetros errores ruant, postquam semel impulsæ Diaboli laqueis tenentur, ostendunt idola & perniciosi errores omnium seculorum atque ætatum. Ideo non concedendum est, ut homines Epicurei, aut ignari doctrinæ cœlestis, & non amantes veritatem, & studiosi sophistices, de his controversiis pronuncient. At dicet aliquis, nullane patiemini judicia, nullam cognitionem? Immo non dubitamus membra veræ ecclesiæ Dei passim in toto orbe terrarum, quo perferri doctrina potuit, quotidie judicium ferre de doctrina, & multi suam sententiam declarant, qui, ut testentur, se probare hanc doctrinam, confessionem ejus suæ vitæ anteponunt. Non igitur desunt judices & testes nostræ sententiæ. Atque utinam de his tantis rebus, quas universo generi humano notissimas esse oportebat, in judicio vere ecclesiastico possemus nostras sententias cum viris doctis, timentibus Deum & amantibus veritatem, conferre. Cur autem ejus synodi cognitionem expeteremus, in qua non solum nos non audiemur, sed etiam aliis recte sentientibus libertas dicendæ sententiæ nulla concedetur? *Postremo* & loci periculo juste movemur, ubi, cum nostri tuto versari, præsertim emissa aliqua libera voce, non possent, satis excusati sumus, quo minus ad eum locum accedamus. Extant & vetera & probata exempla sanctorum patrum, qui Synodos defugerunt, quanquam autoritate summa indictas, cum suspicabantur non hoc agi, ut veritas patefieret, sed ut stabiliretur aut tyrannis, aut impium aliquod dogma. Imperator *Constantinus* edicto luculenter & severe scripto præcepit gubernatoribus ecclesiarum, ut in Tyro convenirent, etsi aliqui eo viri boni & Deum recte colentes accesserunt, ut *Potamon* martyr; tamen plures Episcopi colludebant *Ario*. Cum igitur *Athanasius* videret, se habiturum esse ini-

Margin notes: (15) Illa, quæ adversarii [illegible] *antur.* — (16) *Speciatim refutant, quæ pro excusatione cultus Sanctorum afferuntur.* — (17) *Quos judices ferre velint.* — (18) *Intutum locum Concilii exemplis, ex historia ecclesiastica adductis, vitari posse censent.* — An. 1546.

An. 1546. iniquos judices, noctu discessit; Cumque ad imperatorem, qui non procul erat, venisset, coram imperatore, quanquam irato, se excusavit. Deinde *Constantius* Synodum Antiochiæ coegit frequentissimam. Ad hanc venire noluit *Maximus*, Hierosolymorum Episcopus, cum quidem loci vicinitas eum invitare posset. Sed norat, quo voluntas *Constantii* propendebat, vel potius quid machinarentur illi impostores, qui mirificis technis depravabant Imperatoris animum. Postea cum *Photinus* horribilem tumultum in Pannonia excitasset, renovans veterem Ebionis blasphemiam, ac negans in Christo duas esse naturas, Imperator, ut in re magna, Synodum convocat Sirmium. Ad hanc magnitudo negotii invitare debebat omnes, præsertim qui non longe aberant; Venit autem eo magna frequentia Arianorum, quæ cum suspecta esset piis Episcopis in Occidente, plurimi eo accedere noluerunt. Ex præcipuis vero venit eo Hispanus quidam, *Osius*, Cordubensis Episcopus, quem Imperator propter nominis celebritatem peculiariter evocarat; cumque ibi astute depravatum esset Nicenum symbolum, *Osius* ambiguitatem verbi, quod insertum erat, stulta opinione tranquillitatis approbavit. Postea cum ejus autoritatem hæretici allegarent, ecclesiæ in multis regionibus magis perturbatæ sunt. Ideo *Hilarius* aspere queritur de *Osio*, eique non solum imprudentiam, sed etiam levitatem tribuit, quare multo satius fuisset, *Osium* non venire in Synodum. *Cyrillus* Episcopus Hierosolymorum, qui defendit ὁμοούσιον, & cum *Gregorio Nazianzeno* tandem consensit, aliquoties citatus a Synodis, non accessit ad eas, ac primus dicitur usus scripta appellatione. Imperator indixerat, ut *Mediolani* convenirent Episcopi ex Oriente & Occidente. Ibi cum *Paulinus* Episcopus Trevirensis & pauci quidam alii animadverterent, *Auxentium* favere Arianis, statim initio discesserunt, ac fuerunt cæteris autores discedendi: Non enim volebant prætextu Synodorum deleri veritatem. Cum igitur similes causas habeamus, ne Tridentinam Synodum probemus, quales illi habuerunt in fugiendis aut relinquendis impiis synodis, satis nos & hæ causæ & hæc exempla excusant. Precamur autem Deum, æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut sicut immensa bonitate generi humano patefecit, ita servet inter homines lucem evangelii, nec sinat eam deleri humanis furoribus quibuscunque. Precamur etiam, ut voce evangelii colligat sibi in multis gentibus ecclesiam æternam, a qua vere invocetur & celebretur, & ubique terrarum idola evertat. Oramus autem propter gloriam Christi & salutem ecclesiæ invictissimum Imp. *Carolum, Augustum, Dominum nostrum Clementissimum* & omnes Reges & Principes, ne prætextu synodi sinant damnari manifestam veritatem, & confirmari idola & injustam sævitiam passim grassantem, ac sibi ipsis comminationes divinas proponant, in quibus dicitur; *Blasphemia Spiritus non remittetur hominibus.* Item, *veniet super vos sanguis justus, effusus inde usque a nece Abel justi &c.* Non assentiantur hypocritis, qui agnitam veritatem obruere conantur, non sint ministri alienæ crudelitatis, sed quærant salutaria consilia ad fovendam ecclesiam Dei, quæ profecto in hac senecta fit angustior & ærumnosior. Hæc reverenter, ut in ecclesia Dei, sine ullis privatis cupiditatibus petimus. Non enim delectamur dissidio, nec ignoramus nostra pericula & nostras ærumnas. Sed assentiri non possumus, ut evangelii lux & doctrina necessaria ecclesiæ Dei aboleatur, nec societate crudelitatis polluere mentes nostras & universam posteritatem nostram volumus. Hæc est plana consilii ratio, quam cum justissimam esse constet, ab ea non discedendum est, & exitus Deo committendi sunt, sicut sæpe dicit vox cœlestis, ut in Ps. XXXVI. *subditus esto Deo, & ora eum.* Item *Expecta Deum, & custodi viam ejus.* Et hunc ipsum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, conditorem omnium rerum & ecclesiæ suæ, oramus, ut nos gubernet & defendat, Amen.

(19) *Epilogus.*

Extat & alia recusatio, Germanice ab *Hortledero Tom. I. Lib. I. c. 44* producta, sed anno 1546. typis excusa, omisso die & mense. Conscripta autem est *Francofurti* in conventu, ut ex literis Legatorum Saxonicorum d. 15. Febr. datis *d. Reg. fol. 196.* constat, & quidem nomine Legatorum *ab Archiepiscopo* (Coloniensem intelligunt) *Electoribus, Principibus & Ordinibus Sancti Romani Imperii Augustanæ Confessioni addictis, ad Concilium missorum* (vel potius mittendorum. (Alloquuntur (præmisso ad Concilii Patres titulo *Reverendissimorum, Reverendorum, Nobilium, Doctissimorum) Dn. Pauli III. Episcopi Romani Commissarios, & Legatos dein reliquos, Cardinales, Episcopos, Prælatos & absentium Legatos & Procuratores.* Protestantur adversus prætensam ab Episcopo Romano superioritatem, autoritatem & jurisdictionem, & contra Concilii cognitionem, quæ divinæ Scripturæ adversaretur, item, quod, quæ dicturi sint, in neminis tendant contumeliam, & quod parati sint *Domini* & *Mandantes* sui, in Concilio Christiano, libero & non obnoxio comparere & cognitionem subire. Causas deinde, cur Concilium & in eo congregatos judices ferre non possint, has enumerant: (1.) Quia Pontifici jus non sit Concilium convocandi, sed id ad Imperatores pertineat, quod probant exemplis *Constantini, Theodosii, Martiani, Justiniani, Caroli M. Ludovici, Ottonum, Henricorum & denique Sigismundi,* qui cum aliorum Regum & Principum consensu *Constantiæ* Concilium habuerint; allegant etiam vetus Testamentum, in quo Moyses, Josua, David, Salomo, aliique Reges, non vero sacerdotes Concilia convocaverint, & cultum divinum reformaverint. (2.) Quia Principes Evangelici Pontifici non sint subjecti, licet is & ejus antecessores dominatum sibi injuste, malisque artibus & contra Canones arrogaverint. Hic Gregorii & Hieronymi dicta satis nota citant, quibus omnibus Episcopis par tribuitur potestas, & acta ab Ecclesia Africana contra provocationes ad Romanos Pontifices. (3.) Quod Pontifex, si jus aliquod convocandi habuerit, id ob negligentiam in convocatione tot annis omissa perdiderit. (4.) Quia Papa cum adhærentibus sibi Cardinalibus, Episcopis & Prælatis de infidelitate, hæresi, simonia, aliisque enormibus criminibus ab Evangelicis accusandus sit, & convinci possit. (5.) Quod locus in Germania secundum decreta Comitiorum non sit delectus, cum *Tridentum* sit urbs Italica &,

(20) *Alia recusatio Germanica Concilii Tridentini.*

(21) *Enumeratio causarum, propter quas Concilium recusandum sit.*

An. 1546. & præterea locus ille minime sit tutus, sed summe periculosus, utpote in quo excommunicatio a Pontifice contra Protestantes dudum publicata recipiatur & agnoscatur, neque literis salvi conductus a Pontifice datis fides haberi possit, quia is statuat, hæreticis, (pro quibus injuste habeat & damnet Evangelicos) eam non esse servandam. (6.) Quod Concilium hoc non sit œcumenicum & universale, & quod in eo cum Cardinalibus suis præsideat Papa, nec laicos admittere velit, ut ex literis ejus expostulatoriis ad Cæsarem constet; laicos autem admitti debere multis probant rationibus, ex textu *can. ubinam, dist. 96.* Præterea ajunt, non adesse viros ex præcipuis christiani orbis nationibus. (7.) Quod liberum non sit Concilium, quia Pontifex Evangelicos jam damnaverit & acerrime persequatur, vocesque decisivas illis tantum concedat, qui ei juramento sunt obstricti. Allegant speciatim, & vehementer reprehendunt damnationem *Hermanni* Archiepiscopi & Electoris Coloniensis. (8.) Quod non sit Concilium christianum, quia non sit constituta & agnita norma decidendi, nempe verbum Dei, sive vox Christi, neque ad hanc provocare liberum sit, neque suffragia decisiva concedantur aliis piis Christianis. (9.) Quod, qui in Concilio hoc sedeant, neque ratione doctrinæ, neque morum, idonei & digni sint, qui de religione judicent, sed falsæ doctrinæ, & pessimæ administrationis & vitæ rei. Hic longo ordine enumerant errores & abusus Romanæ Ecclesiæ; de corruptissimis vero Prælatorum moribus ad notorietatem & scripta Theologorum Evangelicorum provocant, & in summa dicunt, toto orbe homines non esse, quorum omnes actiones Christo & doctrinæ ejus magis adversentur, quam Pontificem & eos, quos in Concilium advocaverit, neque quidquam referre, quod magnis titulis Episcoporum & Prælatorum insigniantur, his enim ob vitia doctrinæ & vitæ enormissima, indignos esse. (10.) Repetunt supra dicta, quod Papa ipse hæresis reus sit, & eo casu judex esse non possit, per *can. 8. & 13. Caus. II. qu. 7.* iterumque addunt accusationem de flagitiis plurimis & atrocibus. (11.) Quod suspectus sit, quia judicare velit in sua causa, & Evangelicorum hostis sit capitalis, & atrocissimus; licet vero illud pacis causa ignoscere vellent Evangelici, facere tamen id posse negant propter causam Dei & conscientiam. Afferunt inde exempla *Chrysostomi, Cyrilli, Maximi Hierosolymitani*, Episcoporum occidentis tempore *Constantii*; ut & *Paulini Trevirensis*, qui omnes vel recusarint Concilia, vel ex iis discesserint, animadversa iniquitate judicii. In fine reiterant oblationem de agnoscendo Concilio generali, christiano & libero, vel tractanda causa in conventu generali nationis Germanicæ, & protestantur de turbis & bellis aliisque malis, quæ eventura sint, si non cessetur a gravandis per Concilium Tridentinum Evangelicis. De libellis his recusationis deliberatum fuit in conventu Francofurtensi, de quo paulo post dicemus. Referemus autem hic, quæ huc pertinent, ex literis notatu dignis Electoris Saxoniæ ad Landgravium d. 22. Jan. *(Reg H fol. 612. n. 196.)* datis, in quibus scribit, se cum *Pontano* deliberasse de libello recusationis, a Theologis Wittenbergensibus componendo, in quo rationes, quemadmodum olim contra *Mantuanum*, ita nunc contra *Tridentinum* Concilium, exponendæ essent. Deduci in scripto illo debere, quale Concilium, & quibus conditionibus, Evangelici, secundum decreta Comitiorum præcedentium, jure desiderent; si vero Papa in Concilio Tridentino progrediatur, ex jure Canonico illi opponi debere, quod Concilii caput esse nequeat, cum manifestus sit hæreticus & idololatra, de hoc enim ipsum & Cardinales, Episcoposque ejus ex Scriptura convinci posse, itaque potestatem Concilii habendi illi & Cardinalibus ejus nequaquam competere, sed eos in legitimo & vere Christiano Concilio ut reos comparere & cognitionem ac judicium subire debere. Talem enim judicem, idololatram notorium, & Evangelicorum infensissimum hostem, & Dei atque verbi ejus adversarium, Concilium convocantem & decreta in eo condentem & publicantem, agnoscere, & ab exceptione & defensione abstinere, miserandam rem fore, & ipsi rationi contrariam, neque in orbe auditam. Aperienda simul esse, quæ Pontifex cum *Henrico Brunsuicensi* machinatus sit. Addit tamen Elector, se non ignorare, & a *Pontano* quoque indicatum esse, quam difficile sit, aliud judicium in causa hac religionis constituere, nuper enim *Wormatiæ* Cæsareos ministros Protestantibus dixisse, Papam ab his recusari, Protestantium vero judicium multo minus ab altera parte agnosci. Proponi itaque modum debere, quem Theologi in consultationibus suis jam tunc monstraverint, speciatim *Melanchthon* in enarratione ad Evangel. Dom. VII. Trinit. Matth. VII. Illam viam jam approbatam esse ab adversariis, qui colloquium admiserint. *Sed ubi, ait, viros inveniemus? Evangelici quidem habent, quos nominent, sed Papa hæsitabit.* Interim, si nullos nuncupaverit, & sic consensus aut colloquium impediretur, expectandum id esse, putat, & Deo eventum committendum; (es möge in Gottes Nahmen geschehen) Monet denique, recusationem hanc maturandam esse, ut fieret sub initium instantium Comitiorum Ratisbonensium, coram Notario & testibus, typis etiam vulgandam atque affigendam esse. *Tridenti* enim insinuationem tuto fieri non posse, nisi forte Legatis, qui eo mitterentur, & in loco vicino subsisterent, salvi conductus literis recte prospiceretur. Locus *Melanchthonis* ex allegata enarratione in Ev. Matth. VII. *Tom. III. operum ejus fol 119. & seq.* habetur. Ad *primum*, quem ex verbis Christi; *Attendite vobis a falsis Prophetis &c.* colligit articulum, *quod judicium de doctrina sit universale & ad omnes pios pertineat*, ita commentatur: *Mandatum Christi, cum jubet cavere pseudoprophetas, neminem excludit: Ergo judicium de doctrina ad universam Ecclesiam & singula ejus membra pertinet. Hinc facile est respondere ad usitatum argumentum adversariorum: Discedens ab ordinariis in ecclesia potestatibus peccat: Lutherani, quos illi vocant, discedunt ab ordinaria potestate ecclesiastica; Ergo &c. Respondeo primum ad majorem. Discedens ab ordinaria potestate ecclesiastica, scilicet sine mandato Dei. Deinde ad minorem, Lutherani discedunt, sed faciunt hoc mandato Christi coacti, quo jubentur sibi cavere a pseu-*

(22) Electoris Saxoniæ literæ de libello recusationis componendo & edendo.

(23) Melanchthonis sententia de judicio in controversiis religionis constituendo.

An. 1546. *pseudoprophetis. Sed hic diligenter videndum est, ne prætextu hujus mandati concedatur ὀχλοκρατία in ecclesia, quo statu nihil nocentius excogitari potest. Tenendum igitur illud est, Christi mandatum esse universale, & nisi hoc statuatur, illico sequi tyrannidem necesse est. Sed addenda est circumstantia, ut illud judicium non deerret a vera & propria sententia Scripturæ. Ita, ut sine sophistica intelligatur, ex qua omnes hæreses oriuntur. Quare, ut recte judicetur, necesse est teneri regulam, hoc est, certam & veram sententiam Scripturæ de singulis articulis doctrinæ, quæ clare & perspicue ex scriptis Prophetarum & Apostolorum ostendi potest esse propria & perpetua sententia, collatis integris & non mutilatis scriptis. Quærantur etiam testimonia Ecclesiæ post Apostolos, præsertim in iis doctoribus, quos constat esse puriores, ut constet de perpetuo consensu catholicæ ecclesiæ Christi, nec aliquod novum dogma sine testimoniis in ecclesiam invehatur. Huc accedat & pia communicatio, conferant inter se pii de doctrina, & audiantur etiam aliorum peritiorum sententiæ, & hi benigne & candide suam sententiam exponant, & vicissim etiam alios comiter audiant. Talis sit consensus piorum, qui pio studio quærentes veritatem, & cum timore Dei, secundum Scripturam pronuncient. Hoc Concilium audiatur, non audiantur illi, qui tantum ut in deliberationibus politicis, vel de sententia aliquorum, qui præsunt, seu autoritate ordinariæ potestatis, vel ex suffragiis multitudinis aut majoris partis, decerni volunt. Immo hoc loco traditur expressum mandatum, ne assentiamur ulli dogmati, non congruenti cum doctrina, clare & certo in Scriptura tradita a Prophetis, Christo & Apostolis. Cavete a Pseudoprophetis & Gal. I.* Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. *Sicut in populo Israël, necesse fuit Jeremiam, Simeonem, Zachariam & alios pios dissentire a Pontificibus, Pharisæis & Sadducæis, qui prætextu & autoritate ordinariæ potestatis errores defendebant. Deinde, si quando occurrant loca seu sententiæ, quæ videntur esse pugnantes, adhibenda est prudentia ex eadem regula, teneatur certa & perpetua sententia Scripturæ. Deinde facienda est collatio textuum & retinenda sunt ea, quæ cum universa Scriptura conveniunt, & cum scriptum sit,* mihi vindictam, & ego retribuam. *Item:* Non vindicabis; *ex aliis locis manifestis Scripturæ excipienda est vindicta publica, quæ est ipsa vindicta divina. Sic scriptum est;* Quos Deus conjunxit, homo non separet. *Et tamen Christus in alio loco excipit casum fornicationis. Postremo cum jubet Christus cavere a Pseudoprophetis, hoc ipso etiam adhiberi vult diligentem inquisitionem, & prohibet temeritatem in judicando. Debet igitur fieri communicatio de doctrina cum aliis piis, & inquisitio veritatis, qua inventa, ille credere debet, qui audit magis consentanea Scripturæ ab alio offerri, juxta illud Pauli: Si fuerit revelatum sedenti, taceat prior. Illa vero concertatio, qua suam quisque sententiam ex invidia, aut ambitione defendit pertinaciter, non fit propter inquisitionem veritatis. Ergo non est propria piorum.* Sed licet hæc non careant fundamento, in libellis tamen recusationis propositus iste modus non fuit, sed in genere saltem oblatio de cognitione legitima, & liberi Concilii agnoscenda facta est. *Mauritii* Ducis Saxoniæ Legati in conventu Francofurtensi suaserant, petendum esse Concilium omnium nationum Christianarum, in quo non nisi veritas & verbum divinum locum haberet, ad id ab evangelicis mittendos esse viros pios, mandatis instructos, ut cum Concilio transigerent, de omnibus, quæ salva fide & conscientia admitti possent; si vero quidam articuli controversi manerent, rogandum esse Cæsarem, ut eos toleraret, donec etiam de illis per Dei gratiam conveniretur. Promisit operam *Mauritius*, qua a Cæsare hoc obtenturus esset, nec non, ut pax secura constitueretur, & tribunal Camerale bene ordinaretur. Perstiterunt tamen cæteri in sententia, quæ ex libellis recusatoriis percipitur. An. 1546.

(14) *Sententia Legatorum Mauritii Sax. Ducis.*

SECT. 34.

(1) De Protestantium suspicionibus adversus Cæsarem.

Principes Protestantes, fœderis Smalcaldici socii, cum Concilii inchoationem, ob difficultates ab Imperatore subinde excitatas, semper procrastinari viderent, in eam venerant opinionem, ac si is plane non cuperet Concilium, quanquam id accepturum se esse simulasset, & Legatum ad id misisset. Animadvertentes autem, quomodo post omnes moras, quas suspectas habere incipiebant, solenne tandem principium sub finem anni præsentis factum esset, illudi sibi ab hoc Principe metuebant, & cum Papa de inferendo bello, cogendisque ipsis ad decreta Concilii agnoscenda, conspirare. Auxit suspicionem, quod Imperator tam secrete agere non potuit, quin rumores de præparamentis ejus ad magnum aliquod propositum per orbem dispergerentur. Confirmatum hoc ipsis fuit a Mandatario, quem apud Angliæ Regem habebant. Rex enim aliquando illi dixerat, recte illum facturum esse, si ad Dominos suos referret, vim adversus eos parari, quando id minime expectarent. Super his Francofurti *ad Mœnum convenerunt mense Januario; post formatum enim fœdus suum Smalcaldicum, nihil dissimulantes, sed aperte & sine permissione Imperatoris, contraque ejus commoda congregabantur: Ibi de novo fœdus suum confirmarunt, ejusque tempus prolongarunt. Postea communi consensu opponere se Concilio Tridentino decreverunt, utque Archiepiscopum Coloniensem, qui ad Protestantes transierat, & ad tribunal Cæsaris citatus erat, protegerent, Cæsarem vero continuo ad postulata concedenda interpellarent, quæ omnibus modis obtinere statuerant, nempe ut liberum religionis suæ exercitium haberent, a Concilio Tridentino minime dependens, hoc enim nequaquam agnituri erant, denique, ut Camera Imperialis posthac non minus ex Lutheranis quam Catholicis composita esset. Audaciores jam erant, quod eodem*

Sleidan. Lib. 16.

(2) De conventu eorum Francofurtensi.

(3) De Fri-

An. 1546. *dem tempore* Fridericus II. *Comes & Elector Palatinus, qui, antequam fratri* Ludovico, *sine liberis defuncto, successisset, bonus semper Catholicus fuerat, ab aliquo autem tempore vacillare in fide cœperat, tandem aperte Lutheranus factus erat, & inde Lutheranismum facile in ditiones suas introducebat. Sæpe enim & maxime post hæreses illas posteriores animadversum est, subditos præsertim in Germania absque difficultate, Principum suorum religionem sequi, quasi horum exemplum & lex regula fidei esset, aut cives apud DEUM excusari possint, in re minime a Magistratibus, sed non nisi ab ecclesiæ catholicæ decisione dependente. Interea Principes Protestantes* Francofurti *congregati miserunt, qui illi de hac mutatione gratularentur, multumque ab illo sperabant. Sed quemadmodum semper Imperatori fidelis fuerat, & hic illi fidebat, ad fœdus illorum accedere noluit, nec illorum socium se profiteri, dicens: Se ideo ita se gerere, ut locum apud Principem servaret, bonamque pacem illis procurare posset. Postquam vero in conventu suo violenta consilia ceperant, non dissimulandum amplius, sed intentionem Imperatoris explorandam esse rati sunt, ne ex improviso opprimerentur. Landgravius igitur sub finem Januarii ad Nicolaum* Granvellanum, *primarium Imperatoris ministrum, scripsit; In Germania famam esse, ex Italia allatam, præterea ex Tribunis, quibus delectus mandati jam sint, intelligi, Imperatorem magnas militum copias contrahere: Quoniam vero cum Gallis pacem haberet, & in eo esset, ut induciæ cum Turcis hucusque tractatæ inirentur, metuendi Protestantes causam habere, ne calumniæ inimicorum in animo Principis innocentiæ suæ prævaluissent, magnusque hic apparatus contra se fieret; undique enim nuntiari, de bello inferendo cum Papa, hoste suo capitali, conventum esse, & quod Imperator cum idoneo exercitu ad Comitia Ratisbonensia venturus esset: Hoc vero manifeste ad turbandam pacem Germaniæ spectare, in prioribus Comitiis stabilitam; Addidit tandem, responsum certum & clarum expectari. Ad hæc omnia* Granvellanus, *cui secreta Principis nota erant, respondit; verum esse, quod Imperator copias quasdam in* Belgio *collegerit, quia vicini Reges Galliæ & Angliæ armati essent, nec tutum honestumve foret, illum inermem, & loca præsidiis vacua esse. Cæterum, quæ de fœdere cum Papa, & de exercitu ad Comitia ducendo spargerentur, falsos esse rumores, ab hominibus male animatis absque ulla veri specie disseminatos, de hoc ipsos plane securos esse futuros, cum Imperatorem in Germaniam propediem venturum visuri essent, tantum aulico satellitio comitatum, ut in Comitiis Ratisbonensibus compareret. Ut autem ostenderet Cæsar, sibi nihil magis, quam stabilimentum pacis, illis concessæ, cordi esse, jam Theologis utriusque religionis negotium dedisse, ut inter se conferrent, & formulam unionis & disciplinæ conciperent; quæ ab utraque parte reciperetur, sicut in nuperis Comitiis* Wormatiæ *conclusum fuisset.*

An. 1546. *Friderici Elect. Palatini ad Lutheranismum transitu.*

(4) *Landgravii literæ ad Granvellanum & hujus responsum.*

§. CXXXI.

(1) *Suspiciones Protestantium de bello, & alia quædam.*

De suspicionibus & consiliis Protestantium dictum est §. CXXIV. & alibi, ut & de iis, quæ *Angliæ Rex* cum Legatis Evangelicorum locutus fuerit. Interim, cum plurima de Pontificis apparatu ad bellum contra Protestantes referrentur, sub initium anni, ex decreto Fœderatorum in conventu Francofurtensi, *Goppingæ* in Ducatu Würtenbergico plaustris quibusdam, ut & *San Goarii* ad Rhenum, quod oppidum Hassiacæ ditionis est, navibus manus injecta fuit, quia arma a mercatoribus Mediolanensibus in Germaniam missa, sine impetrato a Principibus provinciarum commeatu, vehebant; suspicio enim erat, arma illa a Pontifice mitti, militibus, contra *Hermannum* Coloniensem destinatis, distribuenda; sed compertum non multo post fuit, *Angliæ Regis* ære coëmta fuisse, & ita relaxata sunt detentionis præcepta. Multi alii de Pontificis consiliis rumores erant; Erat eo tempore *Augustæ Bernardinus Occhinus Senensis*, Capucinorum quondam Generalis, qui, in Italia Evangelicam doctrinam amplexus, *Genevam* & inde *Augustam* confugerat, ibique Italice concionabatur; postea vero *Tigurum*, & inde in *Poloniam* concessit, & Arianis sese adjunxit. Is varia de Pontifice spargebat, cui a confessionibus fuerat, sive ab amicis ex Italia accepta, sive ex suis conjecturis. Inter alia ad *Bucerum d. 8. Jan.* scripsit; Pontificem bona Ecclesiastica venditurum esse, ut sumtus ad bellum in Lutheranos compararet; Cardinali *Farnesio* nepoti, in Principum ordinem evecto *Bononiam* traditurum, ut potentiam post mortem stabilire posset. Extant etiam literæ Legatorum Saxonicorum ex conventu Francofurtensi d. 24. Jan. quibus referunt; *Hermannum* Electorem Coloniensem per Legatos suos significasse, quod Cæsar exercitu decem millium peditum & aliquot equitum millium comitatus, *Ratisbonam* ad Comitia venturus esset. Porro, etsi Cæsar cunctaretur, Episcopi tamen aliique in Germania Papæ addicti, hujus & Galliæ Regis potentia, Evangelicos cum exercitu octoginta millium aggressuri esse dicebantur; quod Landgravius d. 16. Jan. Electori Sax. *(Reg. H. fol. 630. n. 197.)* scripsit; idque *Henrici* Brunsuicensis, tunc captivi, machinationibus tribuebatur. Sed talia pleraque incerta erant, licet de apparatu bellico contra se minime dubitarent Protestantes. De conventu illo Francofurtensi, cujus mentionem facit Maimburgius, aliquid annotavit *Sleidan. Lib. XVI. p. 478.* Ex Archivo *d. l. Reg.* multa, quæ in hac congregatione, ad quam d. 15. *Decembr.* 1545. Legati Saxonici venerant, acta sunt, percipiuntur. De continuatione

(2) *Acta in conventu Protestantium Francofurtensi.*

An. 1546. tione fœderis, quod ad decennium anno 1536. Smalcaldiæ initum, Dominica *Invocavit* hoc anno 1546. finem habebat, certi nihil concludi potuit, ob multas & graves difficultates; erratque Maimburgius, qui confirmationem fœderis factam fuisse tradit, frustra etiam insultat Protestantibus ob conventus ejusmodi, sine permissione Cæsaris habitos, ignarus juris Principum, nec considerans, quod pace eo usque constituta, tam fœdus, quam ejus occasione habiti conventus tolerari debuerint. Renovata fuit in conventu inter alia quæstio de juramento, a Legatis præstando, sive, ut absque relatione ad Principes suffragia dicerent, atque secundum ea decideretur. Sed Elector Saxo & Landgravius repetierunt, quæ dudum opposuerant. Speciatim rescripsit Legatis suis Landgravius, se tantam potestatem ministris suis in causis belli & pacis concedere non posse, agi enim de sua & provinciarum suarum salute; retinendum esse modum huc usque observatum, qui successus bonos habuerit, majorem suffragiorum partem plerumque ad utilitatem saltem sive parsimoniam in sumtibus tendere, hoc in causa *Henrici* Brunsuicensis compertum esse. Si vero ipse & Saxo nimis proni ad bellum fœderatis, & maxime civitatibus, viderentur, liberum illis esse, ut alios Duces eligerent. In aliis tamen causis & litibus, quæ inter fœderatos versarentur, non repugnabat, quo minus ad earum cognitionem & decisionem jurati deputarentur. Huic sententiæ ex civitatibus assenserunt *Augustani*, exceptis solum casibus repentinis in bello; in his enim Consiliarios bellicos decernere debere, prout res ferret, monebant. Legatos in conventu habebat *Mauritius* Dux Saxoniæ, qui præter illa, quæ supra de Concilii recusatione notavimus, amicam cum *Henrico* Brunsuicensi captivo tractationem proponebant, ea tamen conditione, ut *Henricus* prius fateretur, non aliter secum in deditione sua actum fuisse, quam quemadmodum *Mauritius* affirmabat; sed & hæc causa ad alium conventum, de quo mox dicam, delata est, neque enim *Henricus Mauritium* excusatum habere volebat. Ex Gallia nobilis quidam *Fulenius*, qui Francofurti aderat, asseverabat, (ut ex relatione Legatorum d. 8. Jan. constat) Protestantes sibi de Rege optima quæque promittere posse, neque illum in Concilium consensisse, cum audisset Protestantes id recusare. Responsum ex hoc conventu datum est Regi, ad literas ejus supra ad §. CXXIV. relatas, quibus ei gratias egerunt pro benigna Legationis, quam ad eum anno superiori ad procurandam cum Anglo pacem miserant, exceptione; quod vero successum non habuerit, Deo committendum esse dicunt. Eodem modo etiam Angliæ Regi in hac causa responderunt. Sed alias ad hunc literas d. 2. Febr. dederunt Legati fœderatorum, in quibus, quæ Rex *Wormatiæ* per *Butlerum* & *Montium* Legatos suos Protestantibus proposuerat, relaturos se esse ad Heros scribunt, rogant interim eum, ut Concilio Tridentino non assentiretur, Papam enim nullam reformationem admissurum esse. Sed istæ literæ ex majori suffragiorum numero decretæ sunt, Elector enim Saxo ab Anglo vehementer abhorrebat; vocat eum in rescripto ad Legatos d.

(3) *Speciatim cum exteris, Gallis & Anglis, aliisque.*

12. Jan. *virum impium*, (einen verruchten mann) *cum quo nihil commercii habere vellet; esse persecutorem dicit, non meliorem Pontifice, hujus dominatum sui tantum emolumenti causa excussisse & ex duabus religionibus peculiarem quandam conflasse, ut opes acquireret, primarios enim articulos Evangelicorum in Parlamento suo damnasse.* Aliis literis, itidem d. 2. Febr. datis, apud Regem Galliæ intervenerunt fœderati pro iis, qui *Uticæ* in Lingua Occitana Evangelio faverent, item apud *Pictones* & in toto tractu *Ligeris*, viros enim esse pios & membra Christi, in quæ sæviendum non sit; abusus plerosque & errores in ecclesiam successu temporum introductos manifestissimos esse; gravissimum vero, quod homines nihil contra civiles leges committentes, omniaque debitæ obedientiæ officia præstantes, ad errorum approbationem contra conscientiam cogerentur. Sed Rex d. 19. Febr. *Vernonii* literis parum humanis respondit, præscribi sibi a Protestantibus non debere, quæ in regno suo constitueret, sicut ipsis liberam relinqueret in suis ditionibus decernendi potestatem. Dimiserat idem hoc tempore *Guilielmum Furstenbergium* Comitem, quem captivum tenebat, intercedentibus Protestantibus, quibus Comes in hoc conventu eo nomine gratias egit. Expeditæ quoque sunt literæ ad *Franciscum Donatum*, Venetiarum Ducem, in quibus *Balthasarem Alterium Aquilanum*, Procuratorem sive Agentem fœderatorum esse significant, eique fidem haberi petunt.

(4) *De Hermanno Coloniensi, ejusque propositione in conventu.*

De causa Coloniensi multæ erant deliberationes. Publicaverat d. 8. Jan. *Hieronymus Verallus*, Archiepiscopus Rossanensis, Pontificis ad Imperatorem Legatus, *Trajecti ad Mosam* sententiam suspensionis a functione & reditibus, ad instantiam Subdecani & Capituli Metropolitani, contra *Hermannum* Archiepiscopum, *Henricum* Comitem de Stolberg, Decanum, *Jacobum* Sylvæ & Rheni, *Fridericum Widanum* & *Christophorum* Oldenburgicum Comites, Canonicos. Hermannus ea de re querelas & præterea generatim gravissima monita proponi in conventu fecerat, quæ *d. l. Reg. n. 196.* extant. *Primo* enim dicit; Cæsarem negotia Germaniæ non per Germanos, sed aliarum nationum homines, ex provinciis suis hereditariis, vel Pontifici addictis, tractare, per quos fiat, ut de rebus Imperii & religionis non modo non recte informetur, sed & contra Ordines Imperii irritetur. *Secundo*, Cæsarem adactum esse in coronatione, ut juramento gravissimo Pontifici, ratione *Parmæ* & *Placentiæ*, & ut Germanos ad veterem, quam vocant, religionem adduceret, se obstringeret. *Tertio*, quod Cæsar, aut ejus ministri, qui eum regant, quicquid simulent, serio non offerant colloquium aut conventus ad procurandam reformationem. *Quarto* omnia consilia eo tendere, ut provinciæ Cæsaris hereditariæ incrementa habeant, Germania vero, viribus & opibus exhausta, in servitutem redigatur. His consideratis, & quod Evangelici manifesto pro hæreticis habeantur, & palam in aula dicatur, unam eandemque religionem cum Cæsare profiteri debere, qui ejus protectione uti velint, neque alio fine fœdera cum Regibus ineantur,

An. 1546.

tur, quam ut Germania & religio opprimatur, instet etiam invasio a Turcis, mature deliberandum esse censet monetque *Hermannus*, quomodo imminens hoc periculum corporum & animarum averti possit. Nihil autem in Comitiis instantibus offerri aut promitti Cæsari debere existimat, nisi prius religioni prospectum, & concordia in Germania restabilita fuerit, & Protestantes de gratia & protectione Cæsaris confidere possint. Admonendum quoque esse Cæsarem, ut, remotis Italis, aliisque peregrinis res Germanicas, adhibitis ministris Germanis, Pontifici non obstrictis, tractet & expediat. Suadet *denique*, ut Principes & Ordines Evangelici, aut qui iis accessuri essent, viros pios & doctos delegent, qui in omnibus religionis articulis formam concordem ineant, & adversariis aliisque calumniandi aut suspicandi occasionem admittant, ac si non essent unius religionis, & ideo nec vera hæc esset, quia de illa ipsi convenire non possent, item, ut cum cæteris Imperii Proceribus agatur, ut mentem suam aperiant, an cum Protestantibus pacem colere, & nullo modo ad vim iis inferendam concurrere velint, & ut ab illis, qui hoc non promittant, (quod Episcopos plerosque non facturos esse conjicit) sibi caveant Protestantes. Addit exhortationem, ut omnes vera pœnitentia & fide se ad Deum convertant, ejus honorem quærant, & solummodo propter eum verbo Dei inhæreant, sic sperandum esse auxilium divinum, illos vero, qui de Evangelio glorientur, legant, cantent, doceant, & vita & moribus ei adversentur, castigationem non esse evasuros, neglecta vero penitus cura de corrigendis supra enumeratis defectibus exitium Germaniæ metuendum esse. Elector Saxoniæ in rescripto ad Legatos d. 28. Mart. probat articulos Colonienses, & in conventu Electorum de iis agendum esse dicit; at, quæ de conventu Theologorum Evangelicorum monuerat *Hermannus*, ab iis ei suggesta esse suspicatur, qui continue reformationibus studeant, (die stets reformiren wollen / *Bucerum* & similes designans) *Nos*, ait, *habemus, per Dei gratiam, Confessionem & Apologiam nostram, quæque iis consententia docent Theologi nostri; qui hæc sequi vult, ut nos facere, Deo adjuvante, constituimus, non opus habet multa reformatione, si quis autem his nolit acquiescere, sed proprium atque peculiare aliquid suo arbitratu sibi constituere cupiat, id non possumus impedire.* Displicuit quoque Electori, ut ex literis ejus d. 4. Febr. apparet, quod cæteri ex fœderatis *Hermanno* auxilia promiserint, nullam reciprocam præstationem ab eo stipulati; mandat igitur, ut in generalibus subsistant, si enim collisio cum Cæsare sequatur, reliquos nihil præstituros, & onus in se & Landgravium redundaturum esse. Fœderatorum quidem Legati omnes appellationi Coloniensi *d. 10. Jul. anno 1545.* factæ, solenni protestatione a *Francisco Burcardo* omnium nomine proposita, d. 31. Decembr. adhæserant, legationem etiam ad Cæsarem, post conventum inter Electores Rhenanos *Vesaliæ* d. 17. Jan. habitum, decreverant, per quam pro *Hermanno* intercederetur. Miserunt autem Legatos Electores *Palatinus, Saxo & Brandenburgicus*, excusantibus se *Moguntino & Trevirensi*, quos in speciem satis clementer admisit & audivit Cæsar, moderatum etiam responsum dedit d. 3. Mart. *Trajecti ad Mosam (Reg. H. fol. 666. n. 206.)* In hoc narrat, ut *Hermannus*, neglectis Cæsaris officiis & dehortationibus, in proposito suo contra Capitulum, Clerum & Academiam vehementer progressus sit, nullamque moram aut dilationem admittere voluerit; appellationem vero ejus nullius, ait, esse validitatis, aut si quid valeret, debuisse eum interim quiescere & causam Cæsaris & Ordinum Imperii cognitioni deferre. Considerare jubet intercessores, quam clementer & benigne se huc usque ad conservandam pacem & concordiam in Imperio gesserit, monetque, ne credant, quæ ab *Hermanno* ad eos delata essent: Interim proposita a Legatis optima mente intellexisse, ad pacem quippe & concordiam tendentia, &, modo *Hermannus* desistat, & mandatis obtemperet, fore, ut clementer & benigne eum tractet, acturum etiam se esse de hac causa in Comitiis instantibus, cum consilio Electorum, Principum & Ordinum pollicetur. Vid. *Sleid. Lib. XVI. p. 485.* Post hoc Cæsaris responsum Elector Saxo & Landgravius *Erasmum Minckwitium* & *Jacobum Lersnerum* ad Mauritium Sax. Ducem miserunt, rogantes, ut *Coloniensi* in Comitiis per Legatos suos assisteret, quemadmodum etiam Francofurti spem fecerat, se Hermanno non esse defuturum. Sed tunc *Mauritius* multa quidem in favorem Coloniensis locutus, a mandato tamen Legatis dando sese excusavit, dubitans, an Legatos missurus esset, se tamen ipsum apud Cæsarem pro *Hermanno* oretenus intercessurum esse promisit, testatus quoque se a verbo divino, sive Evangelica doctrina non esse recessurum. Legatos etiam in conventu Francofurtensi habuit *Franciscus Episcopus Monasteriensis, Osnabrugensis & Mindensis*, questus, quod Capitula sua manifeste a se dissentirent, & causam communem cum Coloniensibus facerent, ipse etiam a Vicedecano & Canonicis Coloniensibus literis minacibus infestaretur, ideo se a certa contributionis summa constituenda excusavit, pollicitus tamen, se pro viribus concursurum esse, præsertim ad tuendum contra vim Electorem Coloniensem. Plerique vero, & in his *Johannes* Marchio Brandenburgicus & *Pomeraniæ* Duces, multæque ex civitatibus, nihil certi promittere voluerunt, aut ad aliam deliberationem negotium differebant, in universum tamen & per suffragia plurima *Hermanno* auxilium promissum fuit. Cum vero Evangelicorum, quorum omnium Legati in conventu aderant, quidam extra fœdus Smalcaldicum, quidam in eo, quidam etiam in causa Brunsuicensi separatim conjuncti essent, uno decreto seu pacto expedire negotia sua non potuerunt; diversa itaque *d. 7. Febr.* conscripta sunt. Generatim omnes approbarunt, ut appellationi Coloniensi, de qua dictum est, adhæreretur, & ut recusatio contra Concilium Tridentinum ederetur, Latine a *Melanchthone*, Gallice a *Sleidano* vertenda. Dein, ut quilibet in sua ditione visitationes ecclesiarum institueret, doctrinam pure prædicari faceret, sectis occurreret, scandala vitæ & morum averteret, juventutem pie educari curaret, & pauperibus prospiceret. Prævidebant etiam jam tum exitum colloquii *Ratisbonæ*

(5) Electoris Sax. de iis judicium.

(6) Legatio pro Hermanno ad Cæsarem, hujus responsum, & alia quædam.

(7) Decreta in conventu Francofurtensi.

An. 1546. *bonæ* instituti, cum delecti ex Catholicis essent, ut *Bucerus* d. 24. Decemb. ad Landgravium scripserat, quibus pejores, impudentiores, & magis profani & impii reperiri non potuerint; Itaque in utrumque casum decreverunt; Si colloquii is esset eventus, ut spes aliqua foret de vera reformatione secundum verbum Dei instituenda, ut eo casu in externis, & quoad ceremonias & bona ecclesiastica, quantum salva doctrina fieri posset, cederetur, & transigeretur; si vero pars adversa ad Concilii Tridentini decisiones omnia remitteret, tunc consentire Evangelicos minime posse, sed Deo eventum committi debere, provocandum tamen esse ad tractatus alios cum Cæsare & Ordinibus. Indixerunt inde alium conventum *Wormatiæ* d. 1. April. habendum, in quo de iis, quæ Legati ad suos referenda susceperant, constituendum esset. In decretum illud consenserunt, qui non erant in fœdere, *Coloniensis* Elector, Episcopus *Monasteriensis*, Dux *Borussiæ*, & ex civitatibus *Norimbergenses*, *Rotenburgenses*, *Dunckeelspuhlenses*, item *Kauffbayra & Northusa*. Smalcaldici vero fœderati speciali pacto providerunt, de *Johanne Marchione & Ducibus Pomeraniæ* in fœdere, de cujus prorogatione proxime agendum erat, retinendis, & ut ad solvenda, quæ debebant, subsidia ad fœdus, permoverentur. De Monasteriensis & reliquorum, quos *Franciscus* possidebat, Episcopatuum Ordinibus cum Episcopo conciliandis mandata vicinis data sunt. De abolitione proscriptionis contra *Albertum* Borussiæ Ducem, antehac publicatæ, in Comitiis instantibus procuranda agendum esse statuerunt. De recipienda in fœdus *Ravensburgensi* in Suevia civitate, (ut & postea factum fuit) item de *Donawerdana* negotium vicinis civitatibus datum est. *Electori Saxoniæ, Landgravio, Wurtenbergico, & Augustanis* permissum est, ut aliquam pecuniæ summam ex communi sociorum fisco ad pensiones militares impenderent, quibus ad futura stipendia quidam Præfecti cohortium obligarentur. (zu wartegeld) Conjuncti vero in causa *Henrici Brunsuicensis* denique inter alia decreverunt, ut reditus Ducatus denuo examinarentur, arcis *Guelferbytanæ* munimenta diruerentur, *Henricus* arctius custodiretur, ademto etiam illi gladio & pugione. Iidem d. 1. Maji conventum *Hannoveræ* habendum constituerunt, ad quem Rex Daniæ & alii invitabantur, ad deliberandum, quomodo militum confluxus, (die garden) incertis autoribus huc usque in inferiori Saxonia & in Westphalia fieri soliti, impedirentur.

(8) *De reformatione in Palatinatu.*

Jam de *Friderici Electoris Palatini* publica Evangelicæ doctrinæ professione agendum est. Dudum ille, cum, ante quam fratri *Ludovico* Electori successisset, in aula Cæsaris, cujus sororis filiam *Christierno Daniæ Rege* natam, in matrimonio habebat, multum versaretur, eique charus esset, & ad negotia cum Protestantibus in Comitiis & colloquiis tractanda adhiberetur, semina veræ doctrinæ conceperat; ad Electoratum dein anno 1544. evectus, apertius ad eam inclinabat. Sub finem vero anni 1545. edicto permiserat, ut Missa Germanice celebraretur, neque quisquam ad formam Pontificiam sive Canonum obligatus esset, sed ut omitti ex eo possent, quæ conscientiæ adversarentur. Parochis etiam injunxit, ut concubinas a se removerent, vel uxores ducerent, qui continentiam servare non possent. Multum momenti ad hoc attulit *Otto Henricus*, Electoris agnatus proximus, & destinatus veluti successor, quoniam *Fridericus* senio jam gravis esset, nec liberos haberet. Is ex ditione sua *Neoburgensi*, in qua a Bavariæ Duce multas molestias patiebatur, domicilium *Heidelbergam* transtulerat, eique valde favebant cives, exercitii quippe Evangelicæ doctrinæ publici cupidissimi. Teste enim *Altingio* in *historia MS.* cum Missa in templo sancti Spiritus pro more celebraretur, clara voce cecinerunt hymnum a *Paulo Sperato* compositum, (Es ist das Heyl uns kommen her/) de quo per occasionem *Lib. I. §. CLII. Add. I.* diximus. Veritus itaque est, sic narrante eodem *Altingio*, Elector, ne tandem per tumultum res ageretur, aut *Otto Henricus* omnem populi gratiam in se derivaret, atque sic ad indulgentiam illam moveri se passus est. Dein d. 3. *Jan. Dominica post circumcisionem*, ut *Thannius*, Legatus Saxonicus d. 17. Jan. refert, (*Sleidanus Lib. XVI p. 478. diem 10. Jan.* nominat) in templo parochiali supra dicto prima vice communio sub utraque publice celebrari cœpta est. Paulo ante in festo natalitio idem in arce factum erat, etiam ab Electoris conjuge, ejusque fœminis aulicis Augustanis senatoribus intimioribus (die Geheimen) multum tribuebat Elector, & hi, misso ad eum *Sebastiano Schertelio*, Equite, militiæ suæ Præfecto, animarunt ad persequendum institutum Principem, hortati etiam, ut ad fœdus Evangelicum accederet. Hoc ex literis ab ipso *Schertelio* d. 8. Jan. ad Landgravium datis (*Reg. H. fol. 669. n. 208.*) percipitur. *Gassarus* quoque in *hist. MS.* memorat, a Senatu Augustano missum esse *Schertelium*, virum cordatissimum, equitem auratum, ad Palatinum & Landgravium, ut arcana illos doceret, de apparatu Imperatoris & Papæ, & occultis adversariorum machinationibus, de quibus ex multis locis notitiam acceperant Augustani. Eodem die Fridericus *Schertelium* ad *Landgravium Cassellas* misit, mandatis instructum, ejusque negotiatione effectum est, ut inter *Fridericum & Landgravium* Francofurti d. 24. Jan. colloquium indiceretur, quanquam ob minus commodam Landgravii valetudinem dilatum id ad aliquos dies fuit. Interim ex conventu Francofurtensi Legati ad *Fridericum* deputati sunt, d. 10. Jan. *Thannius* Saxonicus, *Massenbachius* Würtenbergicus, & *Jacobus Sturmius* Argentoratensis, qui lætitiam Principum & superiorum suorum, ex fama de ejus inclinatione ad religionem conceptam, testati, eumque ad constantiam hortati sunt, excusarunt etiam, quod ad conventum non esset invitatus, quia nempe de professione ejus publica nihil Heris Dominisque suis innotuisset. His, ut ex relatione Legatorum, d. 13. Jan. scripta, constat, respondit, se semper ad concordiam in dissidio religionis procurandam pronum fuisse, & plura negotiatum esse, quam Evangelici de eo sperassent, aut Pontificii probassent, putasse etiam, bonam reformationem tandem secuturam esse; quia vero periculose protracta sit, pro initio quodam reformationis se articulos aliquos in provinciis suis nuper-

(9) *Acta inter Electorem Palatinum & fœderatos Evangelicos per Legatos.*

An. 1546.

An. 1546.

per publicari fecisse, continuaturum tamen, Deo juvante, & publice professurum cum Evangelicis puram & christianam religionem esse. Mentionem deinde fecit eorum, quæ *Schertelio* ad Landgravium eunti mandaverat, Legatis etiam aperienda. Ad hæc Legati responderunt, *Schertelium* illa quibusdam delectis secreto significasse, certas autem ob causas nihil in consessu publice propositum esse, omnes vero, qui *Francofurti* adsint, in eo persistere, quod in professione religionis constanter mansuri & pericula non sint reformidaturi; Coloniensi etiam Electori auxilia promisisse; cum vero de modo non omnes mandata a suis haberent, alium diem indictum iri. Rogatunt inde *Fridericum*, quem pro socio Confessionis jam agnoscebant, ut ipse *Francofurtum* proficisceretur. Venit itaque d. 29. Jan. ducentis equitibus leviter armatis comitatus, & adduxit secum *Ottonem Henricum* agnatum, & Consiliariorum præcipuos, *Philippum ab Helmstadt*, *Johann. Plicardum Landschadium* Marescallum, *Hartmannum Hartmanni ab Eppingen*, Cancellarium, & Secretarium ex scriptis notum, *Hubertum Leodium*; Altero die Landgravius urbem ingressus est, centum equitum comitatu, aderant ei *Johan. Rudolfus Schenckius*, Locumtenens, (der Stadthalter) *Hermannus ab Huntelshausen* Marescallus, *D. Gunterodus* Cancellarius, & *Sebastianus Aytingerus* Secretarius. Congressi sunt, post privata colloquia, solenniter Elector & Landgravius, d. 2. Febr. præsentibus Legatis Saxonicis. *Palatinus* ante omnia denuo affirmavit, se in religione vera ac christiana constanter perseveraturum esse, sed quoad consilia cum Evangelicis jungenda dilationem petiit, allegans, in Palatinatu inferiori Ordines provinciæ nullos esse, Comites tamen quosdam clientelares; in superiori vero Ordines esse, qui consuli debeant, se enim solum parum præstiturum esse sine provincialium assensu & adjumento, ære etiam alieno oneratum se esse fassus est, interim bonam spem fecit, & de statu ac consiliis fœderatorum informationem petiit, sciscitatus inprimis, quid *Mauritius Dux Saxoniæ* & *Norimbergenses*, qui multum præstare possent, ad rem communem conferrent, item, quid *Wolffgangus* Bipontinus sentiret. Ad ea Landgravius *Mauritium* generum a zelo pro religione Evangelica & contra Papismum laudavit, narrans, ut in prima expeditione contra *Henricum Brunsuicensem* quinquaginta imperialium millia contribuerit, in altera ipse cum copiis adfuerit, Coloniensi quoque auxilium præstiturus esset una cum Electore & Landgravio. *Wolffgangum* Bipontinum timidum esse non dissimulavit, (sey enghertzig/) *Norimbergenses*, si non adsisterent, quod tamen sperandum esset, nocituros saltem non esse. Electorem *Brandenburgicum* religioni addictum esse, sed vires ei deesse. Communicata etiam cum *Friderico* pacta & secreta fœderis sunt. Licet autem approbare pleraque videretur, dilationi tamen suæ institit, & in conventu proximo, d. 1. April. habendo, sententiam indicaturum se esse promisit. Nolim Maimburgio assentiri, qui Palatinum abstinuisse a fœdere putat, ob fidem, qua Cæsari obstrictus erat; nihil sane tale allegavit, & vincula religionis fortassis non minus, quam reli-

(10) *Acta Friderici & Landgravii Francofurti.*

qui, omnibus aliis respectibus præferebat, jam etiam satis progressus erat, ut offensam Cæsaris incurreret. Sed cum videret, quod fœderati ipsi de fœderis prorogatione nondum decrevissent, sed alium conventum indixissent, haud abs re etiam ipse temporis mora usus est. Interim cum Landgravio convenit, ut ad *Coloniensem Electorem* mitterent viros rei bellicæ peritos, qui considerarent, quomodo urbes, oppida & arces ejus custodiri possent. De reformatione hac a *Friderico* Electore suscepta paucissima refert *Sleidanus d. Lib. XVI p. 478.* nec multo plura in historia sua MS. *Altingius*, quia eam pro primo saltem gradu habet, alterum *Ottoni Henrico*, & tertium *Friderico III.* tribuit, quem perfectum vocat, quia Helveticæ doctrinæ accessit. Quod vero narrat, *Fridericum* a *Melanchthone* consilium de capitibus doctrinæ accepisse, id intelligendum est de consultatione *Wittenbergæ* anno 1545. conscripta, quam §. CXIX. produximus, & concordant rubricæ capitum, quas *Altingius* indicat. Nescio tamen, utrum *Melanchthon* id consilium sibi soli attribuerit, an potius *Fridericus*, ob exosum Lutheri nomen, sic credi voluerit; unde & *Pezelius*, cum scriptum illud edidit, ut alibi monuimus, *Melanchthoni* id adscribere non dubitavit. Addenda esse censuimus, quæ *Altingius* de actis a Friderico in Academia Heidelbergensi retulit, scribens: *Hoc ipso anno 1546. Argentorato Heidelbergam evocavit civem Palatinum, Paulum Fagium, Tabernis montanis* (Berg Zabern ad Rhenum) *editum, Theologum clarissimum, qui in Ecclesia & Academia Heidelbergensi tam sanctum opus susciperet & promoveret. Utrobique, quod potuit, molitus est præsens. Et de Ecclesia quidem assensit iis, quæ pie & prudenter a Melanchthone consulta & perscripta erant. De Academia vero duplici scripto sententiam suam explicavit. Unius titulus erat: Deliberatio & consilium reformationis Facultatis artium Academiæ Heidelbergensis. Alterius: Forma instauratæ Scholæ Heidelbergensis, quæ aperietur Calendis Novembris; ut id pædagogeum potissimum spectasse videatur. Sed opposuerunt se Fagio Professores Academici, contrario scripto demonstrantes, reformationem illam Academiæ damnosam potius quam utilem futuram; Princeps tamen aliquid commodo Academiæ agere cœpit. Quum enim factiosis studiis Nominalium, Realium, Thomistarum, Scotistarum, tota distraheretur, sectas illas una cum nominibus abolevit & sustulit. Contubernia tria prius distincta, partibusque a se distracta conjunxit. Ac quo felicius doctrina & religionis studia efflorescerent, de stipendiis studiosorum, & novo Collegio cogitationem suscepit.* Subjungit tamen autor, omnia illa turbata esse, secuto mox bello Smalcaldico. Paucis rejicienda hic est impudens *Maimburgii* de Germanis judicium, in quod etiam alibi erupit, quod religionem ex arbitrio Principum & Magistratuum sumant ponantque. Historici certe officium minime observavit; si enim veritatem actorum sequi voluisset, tacere hic non debuisset, incolas Palatinatus tam Rhenani, quam superioris, (der Ober-Pfaltz) minime jubentibus, quandoque etiam renitentibus, aut denique conniventibus saltem *Ludovico* & *Friderico* Palatinis, veteres superstitiones abjecisse,

(11) *Ex Altingio quædam de reformatione Palatina.*

(12) *Notatur Maimburgius.*

An.1546. cisse, doctrinam Evangelicam secutos esse, alicubi etiam publicum exercitium instituisse, immo populi magis, quam suo studio, *Fridericum* ad publicam reformationem progressum esse. *Raynaldus hoc anno n.24.* Cardinalis & *Episcopi Augustani* literas ad Legatos, Præsides Concilii, d. 21. Febr. datas affert, in quibus significaverat, *Fridericum* Electorem Palatinum cum aliis Francofurti d. 25. Jan. convenisse, & fœderi Smalcaldico se conjunxisse. Capita fœderis duo præcipua esse, ut sociale bellum adversus omnes, molestias inferentes, gererent, & ut nullis quam suis copiis militaribus aditum in provincias suas præberent. Horum sane neutrum, quanquam vehementer displiceret patribus, jure improbari potuit: Erravit tamen vel *Augustanus* vel *Raynaldus*, non solum in nominibus quibusdam, sed & in annotatione diei, 25. Jan. quo nec conventus cœptus nec finitus est, nec Palatinus aderat. Falsum etiam est, quod *Fridericus* Elector ad fœdus Smalcaldicum tunc accessisse dicitur. Quæ de literis Landgravii ad *Granvellanum* (d. 24. Jan. datis) hujusque responso retulit *Maimburgius*, *Sleidano* debet, qui ea fusius exposuit *Lib. XVI. p. 479. & seq.* Captaverat de novo Landgravius benevolentiam *Granvellani*, revelans ei secretum ex scriptis *Guelferbyti* in scriniis repertis, quod *Henricus Brunsuicensis* per *Christophorum Landenbergium*, *Wolffgangum Hasium*, Duces militares, & *Johannem Staplerum*, Cancellarium suum, insidias *Granvellano* struxerit, eumque captivum facere voluerit. *(Reg. H. fol. 670. n. 209.)* Ad ea *Granvellanus* d. 26. Decemb. 1545. *Trajecto* ad Mosam Landgravio respondit, & maximas gratias egit, inter alia scribens: *Præbuit Illustrissima Excellentia vestra mihi occasionem, qua discam posthac cautius exspatiari, cum antea, fretus mea in omnes conscientia, ac proinde nullius periculi a quoquam metuens, liberius nonnunquam & absque arbitris obambulare consueverim. Utinam vero,* addit, *architecti illi & ministri horum facinorum in me solum machinati essent, & Cæsari interim pepercissent, facilius illis condonari poterat.* Hoc eo pertinebat, quod *Henricus* cum aliis quibusdam, Pontificis persuasione instigatis, Cæsarem pro semiLutherano, aut certe nimis timido & cunctante in causa religionis, haberent, illumque potestate Imperatoria dejiciendum esse censerent; inde & cum Pontifice consilia arcana conferebantur, inprimis de bello, Lutheranis, etiam Cæsare non concurrente, ut alibi notavimus, inferendo. Interim sive fidem his Landgravii delationibus non habuerint Cæsar & Granvellanus, sive odio in Evangelicos, *Henrico* Brunsuicensi nihilominus, etsi aliud simularent, favebant. Extant *(d. l. Reg.)* literæ *Valentini Prulii*, Vicecancellarii Hassiaci, d. 28. April. datæ, cui ab aliquo, qui ex ore confessionarii Cæsarei id audivisse se asserebat, relatum fuit, Cæsarem dixisse; *Henricum* nimis præcipitem fuisse, ideo eo tempore, cum induciæ cum Protestantibus adhuc durarent, succurri illi a Cæsare non potuisse; jam finitis induciis, & Galliæ Rege, ne se movere posset, a Pontifice & Rege Angliæ impedito, a Cæsare id agi, ut *Henricum* ex custodia liberaret, & Evangelicos puniret. Sed ista post aliquod menses scripta sunt. *Granvellani* literæ d. 7. Febr. ad Landgravium *Arnhemii* datæ, quas refert *Maimburgius*, integræ extant *d. l. Reg.* Ex iis hæc potissimum verba notari merentur: *Mirum, nec nunc quidem deesse, qui audeant, quæ proponuntur, spargere, neque cognitas Cæs. Maj. actiones illis viam præcludere; quasi vero quisquam sit in tota Germania, qui cognitum perspectumque non habeat, quam studiose semper Cæsar dederit operam, ut, si fieri ulla ratione posset, commoda tractatione controversiæ componerentur, & sopita discordia, Germania sancta pace frueretur, quodque illis qui contraria seminant, totiesque in hanc rem mentiti, tamen in eo ipso sine probato testimonio sola assertione credatur. Noverit autem Illustrissima Dignitas Vestra eandem esse suæ Majestatis voluntatem, cupereque illam supra modum id nunc consequi, quod infinito labore, magna impensa, magnoque cum incommodo aliarum provinciarum, quæ illi subjectæ sunt, toties tentavit, veram scilicet in Germania & firmam concordiam, ad quam colloquium est institutum, ut eo res deduci possit.* Dein, postquam falsum quoque esse scripsisset, quod Cæsar exercitu decem millium comitatus ad Comitia iturus sit, addit quædam de causa *Hermanni Coloniensis*, & ut Cæsar paterne illum habuerit, nec commotus adversus eum sit, ut ob contemtam autoritatem suam jure potuerit, & jam per *Navium* illum hortetur, ut quiescat, donec in Comitiis Ratisbonensibus aliud statuatur. Claudit literas his verbis: *Videt Illustrissima Dignitas Vestra, longe hac abesse ab iis, quæ malevoli seminant, quorum si me certiorem ante reddidisset, liberassem illam prius ab omni opinione sinistra, in quam ne patiatur se deduci, peto. Utque cognita veritas vel eo ipso argumento, quod solito tantum cum comitatu Cæsar proficiscitur, antidotum sit adversus ea, quæ hujus generis postmodum spargentur. Ego autem, qui studiosus pacis semper sum habitus, cupio admodum eam ipsam pacem & tranquillitatem, si ulli provinciæ, Germaniæ certe, conciliari, videor autem mihi, propositis mihi ab Illustrissima Dignitate Vestra satisfecisse, cui me officiosissime offero & commendo.* *Granvellani* istas simulationes non vituperat *Maimburgius*, laudat potius, dum scribit, eum Cæsaris secretorum conscium fuisse; secreta autem illa erant, quæ minime improbat *Maimburgius*, quod ex improviso obruere decreverat Protestantes. Interim an hic modus, quo *Granvellanus* in decipiendo Landgravio usus est, non dico, Christianos, sed naturalis saltem honestatis studiosos deceat, vehementer dubito. Neque enim aliud est, quam fraus & dolus, qui pietatis obtentu excusari non potest, sed ex illorum procedit schola, qui utile recto sine hæsitatione præferunt, tum etiam præjudicio occupati sunt, quod iis, quos pro hæreticis habent, fides promissorum servari minime debeat, si cum emolumento Ecclesiæ Romanæ frangi possit.

(13) *Card. Augustani ratio de reformatione Palatina & conventu Francofurtano.*

(14) *Literæ Landgravii & Granvellani.*

ADDITIO.

In conventu Francofurtensi (de quo *n. 7.* dictum est) multa fuit deliberatio de fœdere Smalcaldico, alio & meliori modo constituendo & amplificando. Extat *Reg. H. fol. 612. n. 169.* conscripta a Deputatis (dem Ausschuße) nova formula, cujus contenta hæc sunt. In exordio præfantur de periculo, quod confessoribus clari, puri & immaculati verbi divini, inprimis sub prætextu Concilii, quod pontificium & obnoxium (ein

(a) *Formula novi fœderis Evangelicorum, Francofurti proposita.*

An.1546.

(ein partheyliches päbstisches Concilium) vocant, instare ajunt; Deinde, ad exitium animæ & corpori suo & subditorum inde imminens, Deo juvante, avertendum, & christianam concordiam honestatemque & utilitatem publicam in Germania & speciatim in provinciis & civitatibus suis promovendam & tuendam, conjunctionem (einen freundlichen Verstand) se inire dicunt, idque tantum intra terminos defensionis, naturali & scripto jure licitæ. Ante omnia preces publicas indicendas esse statuunt, quibus Deus imploretur, ut fœderatis auxilia præstet, ad doctrinam secundum normam verbi divini & Augustanæ Confessionis tenendam & continuandam, itemque ad vitiorum correctionem, seriamque pœnitentiam & ad defensionem subditorum. Secundo, quoniam de religione & æterna salute, non vero de opibus & bonis ecclesiasticis, licet hoc per calumniam sibi tribuatur, soliciti sint, decernunt, ut ex reditibus ecclesiasticis ante omnia piæ causæ prospiciatur, speciatim circa salaria ministrorum in ecclesiis & scholis, etiam Academiis, itemque in erigendis & conservandis Prochodochiis sive *Hospitalibus*, in educatione juventutis ex nobilitate & plebe, in alendis emeritis aut sontico morbo oppressis ministris, aut defunctorum viduis & liberis. Si quid reliquum esset, id eo modo se impensuros esse promittunt, ut coram Deo & apud honestos omnes respondere eo nomine possint. Testantur, hanc confœderationem (diese Einung) neque Cæsari, neque ulli Statui Imperii vel cuivis alii contrariam, sed tantum ad tuendam veritatem Christianam & pacem, & contra vim injustam pro se & subditis suis initam esse. Ideo exorto tumultu & invasione omnes subditos in casibus repentinis pulsu campanarum convocandos, & vim repellendam esse statuunt, & alia quædam eo pertinentia definiunt. Lites inter ipsos fœderatos versantes (ita tamen, ut nemo a peregrinis, sive extra fœdus constitutis, aliquas per cessiones acquirat) consilio communi, vel per arbitros ex fœderatis delectos, decidi volunt, seposita omni violentia. Illi, qui ob religionem, etsi alius prætextus quæratur, & ob causas ex religione dependentes, vim ab aliis patiatur, succurrendum celeriter ab omnibus esse decernunt, & ut Duces fœderis eam ob causam sine mora conventum indicant & habeant. De ordine in conventibus servando, & de numero suffragiorum, regulas ponunt, sed nihil determinant, de iis enim tractandum & conveniendum speciatim erat, proponendi tamen sive rogandi suffragia potestatem (die Umfrage) Electori Saxoniæ, quia illa eidem etiam in Imperio competat, deferunt. In casibus, qui moram non ferunt, Ducibus fœderis jus tribuunt ad expedienda necessaria, eumque in finem pecuniæ quandam summam conferendam & in parato habendam esse statuunt. Adduntur ex prioribus fœderis formulis, quæ ad rem pertinent, itemque de officio Ducum fœderis, (der Oberhauptleute) de numero tribunorum & præfectorum militarium, de consiliariis bellicis & eorum munere & convocatione, de tormentis aliisque provisionibus bellicis, de libero munitorum locorum in fœderatorum provinciis ingressu & usu, de pactis induciarum aut pacis, de recipiendis in fœdus communi consensu iis, qui posthac illi accedere velint, sed eidem religioni addicti esse debeant. Invenitur etiam *d. l. Reg.* nova designatio fœderatorum, & quantum quisque ad summam centum millium florenorum contribuere debeat, sed tantum quoad superioris Germaniæ Principes & civitates. (den Oberländl. Creyß) In Principum numero primo loco, autores scripti referunt *Electorem Palatinum*, illique octo millium florenorum tributum assignant, tantum nempe, quantum *Dux Wurtenbergicus* & *Hassiæ Landgravius* pendere debebant. In civitatum numerum præter eas, quæ eo usque in fœdere fuerant, ponunt *Norimbergam* cum tributo flor. 4000. *Rotenburgum* ad Tubarim cum flor. 530. *Werdam* ad Danubium cum flor. 260. *Swinfurtum* cum flor. 130. *Kauffbayram* cum flor. 200. Sed ista omnia tantum in medium proposita sunt, non secuta conventione. Ut autem hæc obtineretur, alius conventus d. 1. April. *Wormatiæ*, ut supra significavi, indictus fuit, cujus acta in Archivo extant, sed pleraque ita putrefacta sunt, ut legi non possint. Ex aliis tamen documentis *Reg. H fol. 665. n. 205.* percipitur; multos ex fœderatis non misisse Legatos, & eos, qui advenerant, omnia ad Comitia *Ratisbonæ* instantia distulisse, & d. 22. April. discessisse. Sumtus Legationis in Galliam & Angliam florenorum 4334. computati, & ex fisco communi compensati fuerunt; *Ravensburgensium* etiam in Suevia receptio in fœdus, si continuandum esset, injuncto 400. flor. tributo, decreta est. Non multo plus effectum fuit alio conventu, *Hannoveræ* habito & supra §. *CXXXI. n. 7.* memorato, in quo de impediendo militum confluxu (der Garden) actum erat; adfuerunt tamen *Coloniensis* Electoris, ut & *Monasteriensis* Episcopi & *Juliacensis* Ducis, Comitum etiam *Westphalicorum* quorundam Legati, & inter quosdam certi aliquid ad avertenda illa damna constitutum est, cum reliquis in Comitiis agendum erat. Ad hæc autem & alia fœderatorum negotia ibi tractanda Elector Saxo eosdem consiliarios, qui *Kal. Aprilis Wormatiam* profecti erant, destinavit, illisque speciatim injunxit, ut *Coloniensis & Palatini* Electoris, quoniam uterque Evangelicam religionem profiteretur, rationem haberent, quo in fœdus & societatem reciperentur, ad eam etiam Episcopum *Monasteriensem* & civitates *Norimbergensem*, *Ratisbonensem* aliasque invitarent. De *Sebastiano Schertelio*, Equite, qui inter fœderatos locum quærebat, & pro modo facultatum contribuere paratus erat, priori sententiæ suæ institit Elector, nempe, quod privatos, qui non essent Status Imperii, in societatem fœderis, recipi non esset consultum, alio autem modo *Schertelio*, militiæ perito, gratificandum esse existimabat, (man solle ihn / als einen Kriegserfahrnen / bey gutem willen erhalten) Cum Angliæ Rege nullam cupiebat societatem, neque etiam cum Gallo, quod uterque religionem persequeretur. De Duce *Wurtenbergico* & *Pomeraniæ* & de *Johanne Marchione Brandenburgico* queritur, quod promissis non steterint. *Henrici Brunsuicensis* & filii custodiam, cum honesta & convenienti eorum alimonia, ex reditibus Ducatus, continuandam esse censet. *Henricum* quendam *Puschium*, qui Saxonicas provincias explorare ausus erat, item ad *Granvellanum* capiendum operam obtulerat, proscribendum esse urget. Ad promovendum fœderis Evangelici incrementum, *Coloniensi & Palatino* Electori, si recipiantur, jus suffragii offert, ita ut ipse & Landgravius, qui duplici utebantur, uterque uno contenti essent, & consentit, ut etiam inter reliquos alia suffragiorum distributio fieret, modo Principes uno vincant civitates. Modum contribuendi ex fisco Principum (vom Cammer-Guth) non improbat, monet tamen, ut respectus ad subditos habeatur. Landgravium, ut Ducatum fœderis retineat, rogari vult, se vero ob corporis obesitatem, & molestam sumtuum prænumerationem excusat, querens etiam simul, quod controversiæ suæ cum *Archiepiscopo Magdeburgensi*, item cum *Julio Pflugio*, a fœderatis non habeantur pro causis religionis, cum tamen per indirectum tales sint, item, quod reliqui Evangelici nuper *Pflugium* in colloquio, ut Principem ecclesiasticum, admiserint.

(b) *Alius eorum conventus Wormatiæ, item Hannoveræ.*

(c) *Mandata Electoris Sax. ad tractatus fœderis.*

SECT. 35.

Et vere quidem imperator, ut fidem faceret, nihil aliud sibi propositum esse, quam ut exeutioni daretur decretum Wormatiense, & formula fidei, utrique parti probanda, componeretur, Theologos, Ratisbonæ, *convenire jusserat, ut formulam illam conciperent ante suum*

(1) De colloquio in Comitiis Ratisbon.

An. 1546. de religione instituto.

um ad Comitia adventum. Erant hi ex Catholicorum parte Doctores Petrus Malvenda, *Hispanus;* Erhardus Billichius, *Carmelita;* Johannes Hoffmeister, *Augustinianus; & celebris ille* Johannes Cochlæus, *qui plurimum ex omnibus Doctoribus Catholicis contra Lutherum scripsit, cujus acta etiam ab illo habemus, & cui is nihil quicquam ullo tempore ignovit. Ex Protestantibus electi adfuerunt* Martinus Bucerus, Johannes Brentius, Georgius Major, & Erhardus Schnepfius, *Melanchthonis loco, qui pro more, ut caput cæterorum, præsens esse debebat; sed huic tamen colloquio, quod male cessit Protestantibus, non interfuit. Cum enim Doctor Hispanus Malvenda diu de materia justificationis contra Bucerum disputasset, & hic vi argumentorum, ex quibus extricare se aliter non poterat, adactus, multa assereret, omnium judicio nullo modo probanda, Præsides Colloquii Episcopus Aichstadiensis, Fridericus Comes Fürstenbergius, & Julius, electus Episcopus Numburgensis, volebant, ut, secundum præscriptum Imperatoris, omnia diligenter celarentur, donec de omnibus ad Majestatem imperatoriam in Comitiis relatum foret; sed Lutherani hoc recusabant, injunctum sibi ab Heris suis dicentes, ut de omnibus, quæ in colloquio agerentur, rationem redderent. Dum igitur responsum ab Imperatore, cui Præsides de his scripserant, expectatur, quatuor Protestantium Doctores ad sua quisque reversi sunt, deserto turpiter colloquio, & loco congressus Catholicis cedentes. Subitus hic abitus male, præsertim ab Imperatore, acceptus fuit, per totam Germaniam ob eum questo, nec apparet, cur ita se gesserint, nisi forte fœderati ulterius progredi nolebant, postquam falsus eorum Propheta, Martinus Lutherus, obiisset, sine quo nihil concludi cupiebant. Mortuus autem est inter has ipsas de justificatione habitas Ratisbonæ Disputationes.*

An. 1546. *Romer. Pont. l. 4. rer. memorabil.* *Cochl.*

(1) Ruptura colloquii, & quæ secuta sunt ad mortem usque Lutheri.

§. CXXXII.

(1) *Maimburgii encomium de Cochlæo & alia notantur.*

Encomio *Cochlæi* abstinere potuisset *Maimburgius*, hominis profecto, qui, si quam habuit eruditionem & lectionem, erroris tamen tuendi pertinacia & linguæ protervia corrupit, obtusi præterea judicii, &, ut Lutherus haud male judicabat, stupidi, scribacis interim, & qui chartis mox perituris mundum obruere volebat. *Acta* profecto *Lutheri*, quæ edidit, non nisi insulsæ sunt Satyræ, dignæ, quas exscripserint *Maimburgius* & similes. Quod vero Protestantibus male cessisse dicit colloquium *Maimburgius*, verum est, si ad intentionem adversariorum, qui id dolose instituerant & tractabant, & secutum eventum respiciatur; falsum autem, si scopus Evangelicorum, & causa, quam defendebant, consideretur. Nec minus calumniosum est, quod turpiter loco cesserint. Rationes vero, quas ignorare se scribit *Maimburgius*, quibus moti Evangelici colloquium abruperint, satis graves erant, & nos ex actis authenticis fideliter explicabimus. Inter eas autem mors Lutheri, ut noster hariolatur, aut hinc connexionis qualemcunque opportunitatem suo more quærit, non fuit. Quanquam vero *Sleidani* relatio *Lib. XVI. p. 481. ad 484.* vera & nervosa sit; ex actis tamen *Archivi Vinariensis*, nec non ex volumine, quod ex *Bibliotheca Electorali Dresdensi* mecum communicatum est, plura enarrari merentur. Elector Saxoniæ exiguam aut nullam de successu colloquii spem habebat, & ideo modum circumspiciebat, per quem colloquium evitari posset. Constat id inter alia ex responso *D. Pomerani, Crucigeri, Majoris & Melanchthonis* (Lutheri subscriptionem non invenio) *Reg. H. fol. 663. n. 203.* quod neque anni neque diei notam habet, anno tamen 1545. datum esse oportet, antequam literæ Cæsaris, quibus colloquium in mensem Decembrem indixerat, ad Electorem perlatæ essent. Sententiam vero suam Theologi hanc esse dicunt, aliud esse colloquium petere, aliud, poscente Cæsare, in id consentire. Si Cæsar taceat, Evangelicis quoque tacendum esse. *Nos, ajunt, laborem non defugimus, & sunt fortassis inter nostrates, qui disputare gestiant. Constat tamen, adversarios ne in clarissimis quidem articulis cedere velle. Vetat etiam Christus sanctum projici canibus. Sophistæ autem nil nisi falsas quærunt glossas, & per eas Cæsari aliisque nebulas offundunt, eosque in errore confirmant. Licet vero in articulo de justificatione minimum habeant prætextum, alii tamen sequuntur, de Missa, de Sacramento cœnæ, de Conciliis, de votis, de invocatione Sanctorum, in quibus multa ex Patribus dicta, licet impertinenter, adducent, & ex vetustate fœdissimorum errorum veritatem clamoribus obtundent* (die langwierigen unflätigen irrthümer werden die warheit überschreyen.) Addunt; ex parte collocutorum Evangelicorum quoque difficile esse, ut in tanti momenti disputationibus, omnibus, ex suis quoque (inter quos morosi nec rerum usquequaque intelligentes utique non deerant) satisfaciant: Queruntur de negligentia multorum, neque prævideri a se posse dicunt, (hæc frequens erat *Melanchthonis* solicitudo, in scriptis ejus & inprimis epistolis familiaribus sæpe ostensa) quale regimen ecclesiarum apud posteros sit futurum, ideoque sæpe se optare scribunt, ut de hoc concorditer statueretur; quod si negligatur, eventum Deo se committere, & interim fideliter acturos esse, quæ nunc agi possint. Principibus deliberandum & decernendum esse, num onus hoc regiminis Ecclesiastici retinere, aut pacta cum Cæsare & Episcopis inire velint. Denique frustra esse perhibent, ut Cæsari præscribatur, (id enim quoque in aula Electorali propositum fuisse apparet) quales collocutores ex sua parte mitteret, parendum illi & ferendos esse, quos destinaverit; sed vere & candide in colloquio aperiri sententiam Evangelicam debere. Inciderat nova de persona collocutorum difficultas. Licet enim *Melanchthonem* ab Electore mittendum esse non

(2) *Electoris cunctatio circa colloquium, & consilium de eo VVittenbergensium, speciatim Lutheri.*

(3) *Miss... collocut... rum & ... ditorum... colloqu...*

An. 1546. non dubitaretur, & in formula mandati sive instructionis nomen ejus jam insertum esset, ut & hodie in exemplo, quod in *Archivo* extat, reperitur, accidit tamen, ut Lutherus d. 9. Jan. *Pontanum* conveniret & enixe peteret, ut *Melanchthon* ab itineris & legationis illius molestia liberaretur, adduxitque rationes, quas in literis ad Electorem eodem die datis luculentius exposuit. (*Reg. H. fol. 663. n. 203.*) Rogat in his Principem, ut mature & prudenter consideret, an *Melanchthon* ad colloquium illud mitti deberet, quod nullius esset momenti & successus. (sey nichtig und vergeblich) *Non habent*, ait, *virum, qui dignus sit, cum quo disputet Melanchthon: D. Major sufficientissimus est; adsunt etiam Snepfius & Brentius, qui nequaquam cedent*, (werden sich nichts nehmen lassen) *nec possent, si maxime vellent, nam etiam nos consulemur. Quid si Melanchthon ægrotet, aut obeat? Et revera ægrotat, ut mihi gratulatus sim, quod eum nuper ex comitatu Mansfeldensi reduxerim. Quis autem suadeat, ut is in periculum conjiciatur, quo Deus tentaretur & nobis frustra pœnitudo nasceretur? Juniores etiam Doctores in acie collocandi sunt*, (müssen auch hinan) *& post nos proloqui discere debent. Si D. Major & alii concionari & docere alios possunt, utique etiam cum Sophistis ejusmodi disputare poterunt, coguntur enim quotidie Diabolo repugnare.* Addit tamen, *se ista Electoris arbitrio deferre, & optat, ut Christus ipsi suggerat, quæ voluntati suæ sint acceptissima.* Ex his literis Lutheri nulla plane invidia aut malevolentia in *Melanchthonem* colligi potest, de qua suspicantem audivimus *Hospinianum §. CXXV. n. 10.* Invenio etiam, *Fridericum Myconium* ad colloquium una cum *D. Majore* destinatum fuisse; sed is lethaliter decumbens d. 6. Jan. se excusavit & sui loco *Justum Menium*, aut *D. Basilium Monnerum*, vel *D. Matthæum Razenbergium* proposuit. Interea plurimi ex collocutoribus & auditoribus *Ratisbonam* venerant, & mora Saxonicorum odium Electori excitabat, ut *D. Johannes Hiltnerus*, Syndicus Ratisbonensis, ternis ad Electorem literis significavit. Tandem igitur *D. Major* solus cum *D. Laurentio Zochio* Jureconsulto, Professore Wittenbergensi, qui inter auditores colloquii esse debebat, ire jussus est. Mandatum dudum conscriptum, sed non nisi *d. 10. Jan.* expeditum fuit. In eo jubentur collocutores, ut in agnita veritate & pura doctrina persistant, nec ab ea dimoveri se sinant, aut ex substantia dogmatum quicquam remittant, Electorem enim in contrarium cum animæ & conscientiæ suæ damno minime esse consensurum; deinde, ut pro norma habeant Augustanam Confessionem & Apologiam. Datum illis quoque est, quod simul sequi deberent, exemplum consultationis *anno 1545.* a Luthero & reliquis Wittenbergæ conscriptum, illius nempe quam §. CXIX. produximus. Id quod notandum est, ut enixa & repetita voluntas Electoris ad transigendum de Episcoporum autoritate & de bonis Ecclesiasticis denuo appareat, & culpa continuati dissidii & belli secuti ab eo removeatur. Additur, ut *Bucero* non permittant singulares opiniones proponere, & si id ausurus esset, ut ex literis Prætoris Argentoratensis, *Jacobi Sturmii*, eum compescerent. Literæ *Sturmii* ad Landgravium datæ erant d. 24. Decembr. in quibus testatur, Senatus Argentoratensis sententiam non esse, ut ex Augustanæ Confessionis substantia aliquid imminuatur, Senatum tamen existimare, si colloquium instans non succederet, quod modestiæ Evangelicorum conveniat, ut aliud proponerent. De hoc Argentoratensium consilio sententiam rogati *Lutherus, Pomeranus, Cruciger, Major* & *Melanchthon* responsum dederant, die non notato, cujus autographon in volumine Dresdensi cum reliquis, quæ allegantur, extat; unde conjicio, ob mox secutum bellum Smalcaldicum acta illa a *D. Majore* domi retenta, nec ad Electorem remissa, atque sic postea *Dresdam* delata esse. Dicunt autem Lutherus & Collegæ, se suspicari, colloquium plane non processurum, quippe tantum dicis causa propositum; Cæsari & Ferdinando alias curas esse, nempe ut *Henricum* Brunsuicensem ex custodia liberent, & auxilia adversus Turcos obtineant. Si vero colloquium nihilominus progressum habeat, futurum esse, ut Theologi *Colonienses* & *Lovanienses* a Cæsare ad colloquium deputati, in præcipuis articulis statim turbas moveant. *Lovanienses* enim inprimis articulum de justificatione, (a quo *Wittenbergenses* inchoandum esse putant disputationem) denuo esse impugnaturos, secuturos mox articulos de ecclesia & Conciliis, in quibus nihil prorsus sint remissuri, nec magis ab Evangelicis cedi in illis posse: Ita Ratisbonæ an. 1541. post octo dierum rixas sepositos articulos illos, aliosque de confessione & Sacramentis productos esse, de quibus tamen collisio orta sit priori durior. Hoc si nunc iterum contingat, tunc ab Evangelicis interposita protestatione optimo jure finiri colloquium posse. Ut autem secundum *Argentoratensium* consilium alia colloquii forma proponatur, id vanum & absque effectu futurum esse existimant, deesse enim judices, qui extra partes sint, & ab Argentoratensibus dissensuros *Ulmenses*, & plerasque ex civitatibus, ipsum quoque *Landgravium*, qui probe sciat, in quibus articulis maxima sit difficultas & rupturæ periculum. Satius itaque esse, ut, quemadmodum antehac deliberatum fuerit, rupto adversariorum duritie colloquio, cum protestatione discedatur. De Concilio addunt, vel Pontificem ipsum id impediturum esse, vel, si continuetur, tam crassa decreta proditura esse conjiciunt, ut ludibrium sint excitatura. Interim, antequam Saxonici *Ratisbonam* venissent, *Mauritius Huttenus*, ex equestri Franconiæ nobilitate, Episcopus Aichstadiensis, colloquii Præses d. 14. Jan. omnes Theologos Evangelicos, qui aderant, convivio exceperat, ut ex *Buceri* relatione ad Landgravium d. 18. Jan. *Reg. H. fol. 663. n. 203.* percipitur. Ea occasione de negotio, quod tractandum erat, differens, id totum ad Concilium rejiciendum esse statuebat, suadebatque Theologis, ut *Tridentum* irent, & aliis quoque (quos errare putarent) opem ferrent, sed & ipsi informationem admitterent. (Solten andern auch helffen / sich aber selbst auch weisen lassen) Addebat, Cæsarem procuraturum esse, ne sese simpliciter Concilio subjicere cogerentur. Post multos sermones Episcopus dixit, se apud

(3) *Missio collocutorum & auditorum ad colloquium*

(4) *Aliud VVittenbergensium de colloquio & de Argentoratensium consilio responsum.*

(5) *Sermones Mauritii Episcopi Aichstadiensis, & VVittenbergensium de eo judicium.*

apud

An. 1546.

apud *materculam vetulam*, id est ecclesiam (bey dem alten mütterlein der kirchen) mansurum esse. Responderunt Evangelici, recte eum facere, modo veræ matri adhæreat, cujus characteres indicabant, Romanam autem ecclesiam corruptam & emendandam esse dicebant. De his Episcopi dictis responsum Wittenbergensium extat *d. Vol. Dresd num. 4. a Pomerano*, *Crucigero* & *Melanchthone* subscriptum. In eo censent, recte responsum esse Episcopo *Aichstadiensi* a Theologis convivis, præcipuum enim Episcopi scopum fuisse arbitrantur, ut Evangelici in quibusdam articulis cederent. Inter eos præcipuos esse de Missa, Episcopatibus & monasteriis, & de potestate Pontificia; secuturos dein esse etiam reliquos omnes. Licet autem dicatur, ideo cedendum esse, ut alii quoque ad reformationem moveantur, & concurrant, id sibi non probari. Neque enim facienda esse mala, ut eveniant bona. Veritatem negari non debere, ne quidem ad aliorum emendationem. Quod si Evangelici blandis illis verbis inducti cedant, fore, ut ludibrio postea habeantur, omnes errores confirmentur, & nihilo magis sequeretur reformatio. Narrant, *Ratisbonæ* anno 1541. a *Navio* ad collocutores Evangelicos missum esse *D Joh. Metensem*, cum eadem adhortatione, ut cederent, Cæsarem enim ad reformationem inclinare, eumque, si in quibusdam cedatur, una cum Evangelicis reformationem suscepturum esse; si non cedant, fore, ut insigni illo commodo reliquas omnes nationes privent: (hæc vetus erat *Glapionis* cantilena, quam *Lib. I. §. LXXXVIII Add II.* retulimus) Responsum autem jam tunc esse, non posse nec debere veritatem negari, quam publice confessi essent Evangelici, adversarii vero damnassent. Monent præterea, vocabulum illud *cedere* nimis generale esse; si explicetur, manifestum fore, nil aliud desiderari, quam ut Evangelici ab omnibus articulis desistant. *Satis clare*, inquiunt, *obtulimus* (in consultatione nempe anno 1545. §. *CXIX.* recensita) *in quibus cedere velimus, nempe si Episcopi puram doctrinam foverent, nos illis obsecuturos & regimen Ecclesiasticum conservaturos esse, sicut fit Camini in Pomerania.* (hoc exemplum recens *Pomeranus* sine dubio suggessit.) *Sed non apparet, quod hanc oblationem acceptent adversarii, id potius volunt, ut omnes articulos abjiciamus, &, quæcunque illi decreverint, sequamur. Nos neque aliis hæc consulere possumus, neque privatim admittere, sed nostros articulos constanter & sine mutatione profitebimur. Minime etiam autores sumus Principibus, ut Concilio se submittant; si qui tamen inter nostrates sunt, quos piget molestiarum, quas hucusque religionis causa sustinuimus, & cedere velint, id faciant suo arbitratu. Nos tamen, ut privati, non recusabimus, nec formidabimus, jubente id Cæsare, in Concilio fundamenta doctrinæ nostræ proponere, etiam cum vita nostræ periculo, neque enim in hac causa nostrum quærimus delectamentum, nec opes aut potentiam, sed pro gratia, a Deo concessa, fideliter proposuimus & plantavimus veram doctrinam & gloriam divinam, & piam Jesu Christi, Salvatoris nostri, invocationem, confidimus etiam verum mansurum esse dictum:* (Act. V. 39.) *quod ex Deo est, non potest dissolvi.*

An. 1546.

Pium, prudens & masculum est hoc responsum, & argumentum præbet, animum non despondisse Wittenbergenses, mortuo licet eo ipso tempore, aut certe absente & Islebiæ decumbente Luthero. Dicunt enim in exordio, literas *Buceri* post mensem demum secum communicatas esse; scriptæ autem illæ erant, ut dixi, *d 18. Jan.* & notum est, *d. 18. Febr.* Lutherum decessisse. Alia dein sollicitudo fuit de ordine materiarum in colloquio tractandarum. De hac extat responsum *d. Vol. n. 2.* ab uno tamen, *Melanchthone* forte, (deest enim subscriptio & dies) datum, qui dicit, quanquam processus colloquii ignoretur, & incertum sit, an directores illius librum priorem (anno 1541. productum) denuo exhibituri, aut seriem articulorum Augustanæ Confessionis secuturi sint, vel an *Gropperus* novum librum composuerit; præsumere se tamen, fore, ut liber, ex priori forte excerptus, & quibusdam locis magis fucatus, proditurus sit, famam enim esse talem in aula Bavarica circumferri, ab Episcopo *Aichstadiensi* fortassis eo missum, nam etiam *Parisienses, Colonienses* & *Lovanienses* jam loqui quodammodo ex libris evangelicorum didicisse; Si igitur talis liber producatur, *D. Majori* & *D. Zochio* curandum esse, ut statim exemplum adipi[illegible]ur, & Electori mittant: Ex eo manifestum f[illegible] quid moliantur adversarii, & ab Electore man[illegible]ri deputatis posse, quid agendum sit; idem eos facere debere, si alia forma proponatur. *Dubito*, (ait autor responsi) *quod Malvenda articulum de justificatione intactum sit dimissurus. Si igitur colloquium abrumpendum esset, præstaret, id statim istius articuli occasione fieri, qui in Germania piis omnibus notus & charus est, & sic colloquio finem imponi, facta protestatione, quod spes de concordia nulla superesset, cum in articulo hoc manifesto pars adversa cedere noluerit.* Sed jam ad acta colloquii progrediemur.

(6) *De materia in colloquio tractanda Melanchthonis responsum.*

Ex prima *D Majoris* & *Zochii* relatione d. 23. Jan. (cum d. 21. *Ratisbonam* venissent) ad Electorem data, confirmatur, quod supra jam innuimus, invidiam illi excitatam fuisse, quod mora, in mittendis suis commissa, colloquium retardatum erat, quanquam nec Catholici multo prius parati essent, jam vero decretum esse, ut d. 27. Jan. initium fieret. Catholicos divinum auxilium implorasse celebratione Missæ in ecclesia Cathedrali, Evangelicos habita in templo urbis parochiali concione. Collocutorum personas & nomina ex *Sleidano* retulit *Maimburgius*, erratum tamen ab utroque est, in loco *D. Majori* assignando; is enim non tertium, sed secundum tenuit, cessit quippe sua modestia primum, quem Electoris respectu capere debuisset, *D. Martino Bucero*, ut seniori, & qui verba facere cæterorum nomine deberet; id enim munus nullo modo suscipere volebat *Major*, & si hoc onere gravaretur, abitum parabat. Præsides ab initio non nisi duo erant, *Episcopus Aichstadiensis*, & *Fridericus, Comes Fürstenbergicus*, *Julius* vero *Pflugius* sub finem colloquii additus fuit. Ex auditoribus Catholicis *Georgius a Loxan* Præfectus erat Ratisbonensis Episcopi; *Caspar Kaltenthaler* (*Caltentanus* mendose legitur apud *Sleidanum d. l. p.* 481.)

(7) *De personis ad colloquium deputatis quædam.*

An. 1546. 481.) Dillingensis, Augustano Episcopo; *Georgius Ilsungus* Cæsari a consiliis erat; accessit postea quartus *Bartholomaus Latomus*, Professor Friburgensis. Evangelicorum primus erat, quem dixi, *Laurentius Zochius D.* Sequebatur a Landgravio missus *Volradus, Comes Waldeccensis*, quem insigni elogio ornat *Bucerus*, in literis ad Landgravium d. 18. Jan. datis, ob doctrinam, pietatem, & causæ, quæ tractabatur, intelligentiam, item ob singularem mansuetudinem & resignatam Deo voluntatem, (der gantz geduldig und gelassen auff den Herrn siehet) porro a magna fide & industria in mandatis exequendis, & denique ob vitam vere Evangelicam; præterea *Balthasar a Gültlingen* ex nobilitate Suevica, Würtenbergicus Consiliarius, & *Georgius Volckamerus*, Norimbergensis Senator, qui tamen serius advenit. Adjuncti collocutoribus Catholicis fuerunt *Daniel Stibarus*, Canonicus Würzburgensis & Præpositus Comburgensis, vir nobilis, eruditus & moderatus, & *Cancellarius Aichstadiensis*, cujus nomen traditum non invenio. Evangelicis aderant *Joh. Pistorius* Niddanus ex Hassia, *Martinus Frechtus* Ulmensis, item *Vitus Theodorus*, Norimbergensis Ecclesiastes. Sleidanus extra ordinem adfuisse notat Catholicis *Ambrosium Pelargum*, Dominicanum Trevirensem, qui, rupto colloquio, *Tridentum*, Trevirensis Archiepiscopi nomine, missus fuit. Cæterum, quæ *Bucerus* de collocutoribus Catholicis questus erat, speciatim de *Billici* Carmelitæ perditis moribus, generatim confirmat *Zochius* in literis ad *Pontanum*, d. 28. Jan. datis *d. l. Reg. n. 203.* scribens: *Quales homines ad colloquium nunc institutum ab adversariis adhibiti sint, melius explicari non potest, quam duobus illis versibus:*

(8) *Zochii & Majoris relatio de collocutoribus Pontificiis.*

Ignavi monachi, pepones & inertia terræ
pondera, degeneri dedita turba gulæ.

Qui cum factis satis declarant, se a vera Christi religione esse alienissimos, minime opus videtur, longa disputatione eorum mentes & ingenia explorare. Cum enim facta sint fortiora verbis, & eam ob rem Jureconsultus nolit venditorem servi fugitivi, quem ligatum produxerit & vendiderit, redhibitoria teneri, licet verbis non expresserit & certificaverit emptorem, servum fugitivum esse; Multo minus nobis opus esse videtur, verbis convincere eos, qui nobis ligati Pontificiis legibus producuntur, & factis impurissimis suam produnt impietatem, tamen illi ipsi, sub specie amica & Christiana collationis & tractationis de causa religionis, nobis obtruduntur, licet luce meridiana clarius sit, nullam unquam concordiam cum illis conciliari posse. Specialius *D. Major* ad Theologos Wittenbergenses d. 10. Febr. ista explicat: *(d. l. Reg.) Adversarii, ut semen serpentis, homini dissimillimi sunt, extrema sophistarum fex; monachi duo homines impudentissimi sunt, Malvenda, pro more gentis, homo superbissimus, inflatus, Cæsaris autoritate nititur turbare omnia, & ipsi Præsides, sic satis æqui nobis, tamen hunc timere coguntur, & clare nobis uterque significavit, se odisse hunc Hispanum, nos autem illius contumaciam & superbiam contemnimus, & aliquoties stultos conatus fregimus. Cochlæo jucundum est, hærere in postrema parte collocutorum.* In relatione vero, eodem, ut existimo, die (omissus enim est) ad Electorem ab eodem *D. Majore* & *Zochio* scripta, dicitur: Die Collocutores sind nicht friedliche und schiedliche leuthe / sondern die ärgsten Schreyer und Schänder / auch Sophisten / die keinen consens, sondern grossen dissens suchen / id est, *Collocutores non sunt homines concordiæ & pacis studiosi (quales in decreto Comitiali Wormatiensi Cæsar electurum se esse promiserat) sed clamosissimi & maledicentissimi, tum etiam sophistæ, qui non consensum, sed maximum dissensum quærunt.* Præsides non solum adversæ partis religionem aperte profitebantur, sed & ex iis erant, qui, quæ *Wormatiæ* de colloquio decreta erant, impugnaverant, ideoque parum æqui ab iis impetrare potuerunt Evangelici, ut acta testantur. Rixandi initium mox primo cœpti negotii die (*27. Jan.*) factum & usque ad *d. 5. Febr.* tempus consumtum est, *solummodo in nugis* (ut scribit in literis allegatis *D. Major*) *de Notariis, de eorum numero & fide seu juramento, de actis occludendis & non spargendis, aliisque ejusmodi multis.* Præsides, ex suggestione collocutorum suæ partis, & inprimis *Malvendæ*, qui semper de gratia apud Cæsarem & familiaritate cum confessionario ejus gloriabatur, omnia in secreto fieri volebant, ne evulgatis, quæ acta erant, argumenta Evangelicorum luce sua oculos hominum percellerent, & sophismatum, quibus solis valebant monachi, futilitas deprehenderetur: Dein, ut, quicquid expedire videretur de actis colloquii, Cæsari & Pontifici referre & in vulgus spargere, neque contrarii facile convinci possent. Obtestabantur Evangelici, nullam causam esse celandi, quæ ad gloriam Dei & religionem, quæ omnibus nota esse deberet, pertinerent, neque sibi licere absque mandato Principum, a quibus missi erant, ut in istas angustias conjici se paterentur; sed cum nihil efficerent, maluerunt iis, quæ Præsides circa modum ordinaverant, interim, donec alia mandata a suis acciperent, acquiescere, maxime cum Præsides de iis, quæ Protestantes monuerant, ad Cæsarem se relaturos esse reciperent. Wittenbergenses, consulti ab Electore, (vid. *act. Dresdens. num. 5.*) monuerunt *primo*, ut, licet ex Præsidum decreto, unus tantum ex collocutoribus utriusque partis verba facere deberet, cæteris tamen permitteretur, eum, qui primo loco loqueretur, monere, & suam quoque sententiam & explicationem addere. Hoc inprimis *Buceri* causa observandum esse dicebant, cui, ut dictum est, neque ipsi, neque Elector satis fidebant. *Secundo* improbabant, quod articulus de justificatione in disceptationem revocetur, de quo tamen anno 1541. concordatum fuerit; interim minime dubitant, quin *Malvenda* orthodoxam doctrinam impugnaturus sit, multoque minus, quod impurus ille adulter, monachus Coloniensis *Billicus*, & *Cochlæus* articulum illum magna cum audacia & protervia sint aggressuri; confidunt tamen, quoniam inter collocutores Evangelicos ex relatione *Schnepfii* & aliorum nulla sit dissensio, quod articulum hunc probe defensuri sint. Interim d. *5. Febr.* colloquendi initium factum erat, præfante multa *Petro* illo *Malvenda* Hispano, sed qui Parisiis Theologiam, qualis ibi florebat, didicerat, de laudibus Cæsaris suaque & sociorum pia mente & intentione, quæ

An. 1546.

(9) *Rixa de modo agendi in colloquio.*

(10) *Monita Wittenbergensium.*

(11) *Initium in colloquio per protestationem.*

An. 1546. quæ referre hic nihil attinet. Summam retulit *Sleidanus d. Lib. XVI. p. 482.* fusius omnia exposuit *D. Major*, in relatione de colloquio hoc Ratisbonensi, quæ sub titulo; **Kurtzer und warhaffter Bericht rc.** *Hortlederi Tomo I. Lib. I. cap. 40.* inserta est. Protestatio tamen *Malvendæ* notari meretur, quæ hæc erat: Si quid ipse & Collegæ dicerent, sacræ Scripturæ, Apostolicis traditionibus, & constitutionibus, & decretis Catholicæ Ecclesiæ (hæc omnia apud illos pari ambulabant passu) contrarium, id pro non dicto haberetur; dein, ut, quicquid in colloquio hoc ageretur, nec pro transacto, nec pro deciso, sed pro libera & amica dissertatione, de qua ad Cæsarem & Ordines Imperii referendum esset, æstimaretur. Hoc modo nulla ratio erat, cur tot difficultates de conscriptione & occultatione actorum moverent. Evangelici altero die per *Bucerum*, quæ loci & temporis erant, præfati sunt, & *Malvendæ*, quia is Principes Protestantes perstrinxerat, quædam oretenus reposuerunt, dein conscriptam a *D. Majore* protestationem prælegerunt & exhibuerunt, quam in *additione* integram producam. Licet vero in ea nihil asperius, neque in Cæsarem, neque alium quenquam dictum esset, adversarii tamen, ut scribit *D. Major*, vociferari cœperunt, non esse protestationem, sed criminationem, *Malvenda* vero dixit: *Cum Cæsaris fiat mentio, & ego Cæsareanus sim, igitur non patiar progredi eos, priusquam ad singula capita respondero.* Hoc audito Præsides jubent Evangelicos secedere, sed inspecta diligentius protestatione, vocant eos iterum & pergere jubent; Et sic intempestivus ille *Malvendæ* impetus a Præsidibus ipsis retusus est, qui in protestatione utique nihil inveniebant, quod justæ offensæ causam dare potuisset. Primus articulus, de quo tractandum erat, ex rescripto Cæsaris d. 27. Jan. utrique parti publicato, definitus fuit, nempe de justificatione, sive *quartus* Augustanæ Confessionis; de prioribus enim tribus aut nullam esse controversiam, aut satis disputatum esse censebat Cæsar. Mirati sunt Evangelici, denuo de hoc articulo disputandum esse, de quo *Ratisbonæ* anno 1541. cum *Pflugio & Groppero*, consentiente etiam *D. Eccio*, (quanquam is contrarium postea, ut in loco diximus, venditare ausus esset) conventum fuerat, id quod producto illorum scripto probabant. Sed obtinere non potuerunt, ut hoc ad acta reponeretur. Vid. *Relationem D. Majoris d. l. apud Hortled. n. 37.* Altera in limine disceptationis de hoc articulo collisio fuit, quod non de verbis aut sententia Augustanæ Confessionis, ut ipsius Cæsaris rescriptum exigebat, agere vellent Pontificii, sed *Malvenda* theses novem stylo scholastico conscriptas exhiberet, de quibus disputandum esset. Has Germanice vertit & egregie refutavit *D. Major, (d. relat. n. 17. ad 36.)* sed prolixius, quam referri hic possit. *Malvendæ* tamen theses ex *Tom. II. Witt. Lat. fol. 547. & Part. IV. Opp. Melanchthon. fol 542.* adjiciam. Sunt autem hæ:

(12) *Disputatio de justificatione.*

(13) *Theses Malvendæ de justificatione.*

1. In justificatione peccatoris remittitur peccatum per Christum mediatorem, & gratia infunditur, idque fit ex mera gratia nullis meritis nostris.

2. Ad hanc justificationem in adultis concurrunt etiam actus liberi arbitrii, moti a gratia præveniente, & simul comitante.

3. Fides, qua credimus historiæ Evangelicæ, & Deum Patrem misisse nobis Filium propitiatorem pro peccatis nostris, & per illius sanguinem remitti peccata, est in adultis ad justificationem necessaria. An. 1546.

4. Non tamen sola ad justificandum sufficit, sed requiruntur etiam spes & charitas, & actus pœnitentiæ charitate informatus.

5. Actus hi, ad justificandum adulti concurrentes, non sunt justificationis meritorii.

6. Etsi certum sit, omnia peccata, quæ ullo unquam tempore remissa sunt, aut remittuntur, per sanguinem Propitiatoris remitti; tamen, cum quis firmiter & certo statuit, sibi remissa esse peccata, non habens conditionis & infirmitatis suæ rationem, judicio magis temerario, quam Scripturæ autoritate ducitur.

7. Is, cui remissa peccata sunt, potest auxilio gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat, quod debet. Quod dum facit, non solum non peccat mortaliter, sed potius est justus apud Deum & legis impletor, & ejusmodi homines vere justi sunt apud Deum, & legem ejus implent, quia gratiam habent omnino peccata delentem, & suggerentem vires ad implendam legem; Non quia peccata, quæ post acceptam justitiam adhuc maneant, illis non imputentur, aut propterea tantum, quod justitia, quam non ipsi sed Christus fecit, illis imputetur per Christum.

8. Dicimus, opera hæc, quibus legem justi implent, & Dei voluntatem sequuntur, sic esse vitæ æternæ meritoria, ut eis Pauli testimonio reddenda sit corona justitiæ.

9. Postremo, multæ hominis actiones sunt ante justificationem, quæ non parum conducunt, ut clementissimus Deus oculos suæ bonitatis & ineffabilis misericordiæ ad ignoscendum sæpe convertat.

(14) *Consideratio illarum, & quædam de antithesi Melanchthonis.*

Melanchthon his alias XXXIIX. opposuit *d. l. in Tom. Luth. fol. 547. b. & Melanchth. fol 543. & sqq.* Opus non est, ut hic ad tractandam ex proposito controversiam istam digrediar, & actum agam; interim vel ex sola lectione thesium *Malvendæ*, quilibet mediocriter harum rerum peritus animadvertit, crassissimum de merito operum errorem denuo produci, multis licet verborum involucris & argutiis intricatum, & a moderatione, anno 1541. subtiliter a *Pflugio & Groppero* adhibita, a *Malvenda* in hoc colloquio recedi. Sperari etiam non potest, ut Clerus Romanus & schola Pontificia, positis, quæ fovet, principiis, nisi Deus singulari gratia meliorem illi mentem indat, ab hac opinione unquam discedat. Innititur enim illi magna ex parte prærogativa, quam præ Laicis quærunt Sacerdotes & monachi. Laici enim secundum illam doctrinam salutem quidem adipisci possunt, sed plerique ægerrime, ita, ut adjumento Cleri opus habeant, qui in vita perfecta, ad consilia scilicet Christi, extra ordinem instituta, mereri aliquid posse creditur, quod populo (vix necessaria præcepta, nec debito modo præstanti) ex summi Pontificis dispensatione, sive in hac, sive, quia hoc quoque ob hominum defectus difficillimum est, in altera, id est in purgatorio, contribui & applicari possit. Thesaurus autem ille, quem inæstimabilem & inexhaustum fingunt, ad nihilum rediret, si merita illa abundantia seu supererogatoria non invenissent, aut populo fiducia

An. 1546. cia salutis ex solo merito Christi fide apprehenso nasceretur. Itaque in continua dubitatione detinendus est, qua quidem nec Clerici prorsus liberantur; nam & in his singulatim consideratis rarissime meritorum aliqua copia ex vitæ sanctitate aut illorum persuasione præsumi potest: Ideo etiam ii, qui magnam pietatis speciem præ se ferunt, ad alios respiciunt, illos maxime, quos antiqua opinione, vel recentioribus Pontificum decretis pro talibus habent, qui plus meruerint, quam ad suam salutem opus illis erat, ideoque intercessionem non solum in cœlis præstare, sed & ex superabundantia meritorum suorum, egenis & sterilibus succurrere creduntur. Interdum, ne evidentissimæ veritati, quam Lutherus cum suis in lucem eo tempore produxerat, nimis aperte obstrepere videantur, de fide magnifice loquuntur, sed non de illa, quam sacræ literæ describunt, & ad salutem exigunt, cuique soli justificationem & salutem tribuunt orthodoxi; restringunt enim fidem ad historiam seu notitiam de Christo, aut ad assertionem in genere, quod peccata remittantur, sine fiducia & applicatione individuali; deinde Evangelicæ doctrinæ magnum errorem calumniose affingunt, quod bona opera & pietatis studium impediat & disciplinam laxet; nec quicquam proficitur, etsi millies regeratur, quod vera & salvifica fides ab operum vere bonorum (nam nugatoria & hypocritis omnibus præstitu facilia non moramur) studio & exercitio separari non possit, neque fiducia illa & certitudo salutis, ex fide nata, omnem vigilantiam & solicitudinem excludat, cum *is, qui stat, cavere debeat ne cadat*; neque enim desunt, etiam piis, tentationes, quibus fides exercetur, adest quoque imbecillitatis conscientia, quæ continuam pœnitentiam & humilitatem parit & temeritatem expellit. *Melanchthon* in thesibus allegatis ista & plura probe explicavit. Scribit enim thesi 2. *Malvenda fidem requiri assentitur, scilicet notitiam historiæ, qualis in Juda erat, qua credit, aliquibus remitti peccata; deinde vero delet præcipuum articulum doctrinæ de fide, qua jubet Deus, unumquemque agentem pœnitentiam statuere, sibi ipsi vere remitti peccata propter Mediatorem, non propter alias placationes.* Et thes. 5. *Propria Evangelii promissio est, annunciare remissionem peccatorum. Hoc nihil prodest tibi, si tantum in genere credas, aliquibus remitti, non tibi.* Th. 8. *Generalis fides seu notitia historiæ non erigit mentem perterrefactam & fugientem Deum, sed potius auget pavorem & fremitum adversus Deum. Eo magis irascuntur Judæi & Diaboli, quia sciunt filium Dei judicaturum se esse, & aliis melius fore.* It. th. 11. *Si additur fidei conditio nostræ dignitatis, non habens, ut Malvenda th. 6. inquit, conditionis & infirmitatis suæ rationem, illa prorsus est legis doctrina: Tunc habebis remissionem, cum eris dignus.* Th. 14. *Paulus toties inculcat particulam* gratis, *ut discernat Legem & Evangelium.* Occurrit vero vulgatæ & affectatæ objectioni, quasi doctrina Lutheri excludantur virtutes. Th. 15. *Verum est adesse oportere in conversione pœnitentiam, fidem, (quatenus virtus est) dilectionem, spem, bonum propositum, & alias virtutes; sed hæ non sunt causæ remissionis.* Th. 16. *Ideo dicitur, sola fide justificamur, ut excludatur opinio seu conditio meriti, non ut excludantur virtutes, ne adsint.* Falsæ etiam jactantiæ de impletione legis perfecta & meritoria opponit thesin 20. & 21. scribens: *Errat, qui affirmat, renatos in hac vita posse Legi Dei satisfacere, & expresse dicit, hac impletione legis homines justos esse. Nos contra affirmamus, renatos in hac vita non posse satisfacere legi Dei, & quanquam habent inchoatam obedientiam, quæ Deo placet in credentibus propter filium: tamen persona est justa, id est, accepta propter Mediatorem juxta illud: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quod vero *Malvenda* th. 9. dixerat, multæ hominis actiones sunt ante justificationem, quæ non parum conducunt, ut Deus oculos suæ bonitatis ad ignoscendum sæpe convertat, refutat *th. 26.* his verbis: *Hæc Malvendæ opinio pugnat cum doctrina de gratuita remissione, & deducit mentes ad illam incertitudinem, ut quærant, quando satis habeant meritorum, & tota hæc imaginatio fingitur ad obruendam doctrinam de fide.* Contra dubitationem, quam tantopere *th. 6.* urget *Malvenda*, sic argumentatur th. 30. 31. 32. *Eludunt hanc objectionem, dicunt remitti; sed nos non posse, nec debere de voluntate Dei statuere. Hoc si verum esset, quid opus esset promissione remissionis, aut voce, annunciante remissionem? Non vult autem Deus mentes in hac dubitatione relinquere, sed sic ad se vocat nos edita promissione & consolatione, qua confirmati liberamur morte æterna, quia Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Ideoque in Ephesiis multis verbis describit Paulus hanc asseverationem: Per quem habemus fiduciam, & audemus accedere per fidem. Etsi varias corruptelas hic alii fingunt, tamen manifestum est, hoc ipsum præcipi, ut credamus nos recipi, & hac fide invocemus Deum, non fugiamus, ut fugiunt Deum Saul, Judas & similes. Doctrina præcipiens dubitationem, aut adducit ad desperationem, aut in securis gignit Epicureum contemtum Dei. Nam in invocatione ita cogitant; Nescio quid agam, fortasse Deus me abjecit, nec respicit meas preces.* Concessa illa dubitatione, inanem sonum esse dicit *th. 35.* dictum: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur.* Monet deinde, spei, quam *Malvenda* retinere velit, nomen saltem, non rem teneri; fidem enim excuti mentibus, si putent in dubitatione manendum esse. Distinguit *fidem & spem*, illam dicit esse *fiduciam præsentem remissionem accipientis*; spem, *futuræ liberationis expectationem.* Talia atque plura alia *Bucerus* & reliqui ad nauseam usque *Malvendæ* sophismatibus, *Billici* etiam Thrasonicis clamoribus, quos d. 12. 15. 16. 17. Febr. audire coacti sunt, oggesserunt. *Bucerus* sane ita se gessit, ut ei cæteri insigne testimonium eruditionis & constantiæ tribuerint, & Electori atque Wittenbergensibus scrupulum, de quo supra dictum est, exemerint. *D. Major* enim in literis jam allegatis d. 10. Febr. scribit: *Bucerus valde idoneus est ad has actiones; & quanquam singula ejus dicta, scripta & actiones diligenter nos reliqui observemus, tamen profecto hanc causam hactenus egit summa fide, sicuti acta*

(15) *Alia de colloquio, & speciatim de Bucero.*

An.1546. *acta ostendent, ac semper honorificam mentionem vestrorum omnium facit, tanquam patrum & præceptorum suorum, nihil agit, nisi antea nobis consultis, audit & obtemperat nostris consiliis. Cochlæus fere κωφὸν πρόσωπον in scena illa repræsentavit.* Notatum reperio, quod vetus illud suum & *Eccii* figmentum, alibi relatum, de voce *sola* renovaverit dicens, eam in Comitiis Augustanis anno 1530. remissam & abjectam ab Evangelicis fuisse: Persuaderi deinde sibi passi sunt collocutores Evangelici, ut per triduum disputarent libera dissertatione, & ex qua nihil a Notariis exciperetur. Sic in fraudem inducti, campum calumniis & jactantiæ monachorum aperuerunt, ut postea editis libellis de victoria magnifice gloriarentur, & quicquid lubebat, Evangelicis affingerent, arte illa *emulgendi & extrahendi*, quam a *Fabro* commendatam esse alibi diximus. Adstipulatus iis est *Maimburgius*, dum hic scribit, *Bucerum* adactum fuisse, ut multa assereret, quæ omnium judicio nullo modo probanda essent. Talia cum ex libello quodam Ingolstadiensi percepissent collocutores, & speciatim *D. Major*, in *relatione apud Hortled. n 66.* tantæ impudentiæ accusat scriptum istud, ut responso indignum judicet, tria tamen generatim in eo deprehendi dicit: *primo*, quod nullum verum, solidum & constans habeant Scripturæ sacræ testimonium; *secundo*, quod tantum gloriam suam, & veterum superstitionum & errorum confirmationem quærant, nullo ad honorem Dei & hominum salutem habito respectu; *tertio*, quod calumniosissime & falsissime, & non nisi ad gravandos Evangelicos, omnia ad Cæsarem retulerint. Ad quædam postea specialiter respondens, negat a *Bucero* & reliquis sub initium colloquii simpliciter promissum esse silentium, sed ita saltem, ut dixerint, se, ut honestos viros decet, illud custodituros esse. Huic non contravenisse, cum ad Principes suos aut ad Theologos suarum partium aliquid retulerint. Theses quoque *Malvendæ*, antequam Wittenbergam venissent, *Ratisbonæ* a scholaribus circumlatas & *Monachium* in Bavariam missas esse. Vanissime denique jactari ab illis dicit, quæ in triduano illo certamine acta sint, quasi scilicet Evangelicos ad silentium redegerint, *Bucerum* inprimis, ut sudore madens nesciverit, quo se verteret. Respondet, nullam prorsus causam gloriandi illos habere, cum ipsi sciant, quam male in illo conflictu steterint, & ut *Bucerus Malvendam* plus semel ita compescuerit, ut nihil proferre potuerit, quam; *profecto, ego miror:* quapropter etiam ei aliquando regesserit: *Admiratio, Malvenda, non est demonstratio in Theologia, adduc Scripturas, impugna Scripturis &c.* vid. *d. l. n. 69.* Sed *Bucerus* ipse hoc anno brevem relationem de colloquio hoc edidit, *Argentorati* excusam, quam tamen eam non esse puto, cujus meminit *Sleidanus Lib. XVI p. 484.* licet ita videatur *Hortledero d. Lib. I. cap. XLI.* in quo scriptum hoc *Buceri* exhibet; nam in hoc non tractat amplissime, ut *Sleidanus* scribit, de justificatione, sed paucis ad objectionem respondet, quod dixerit, quæ postea *Surius p. m. 472.* ex primis illis libellis contra *Bucerum* vulgatis, refert; *eum, qui mortali peccato tenetur, fidem Catholicam amittere, non credere Deum trinum & unum esse, neque Christum esse Filium Dei, neque redemtorem generis humani, neque natum, neque crucifixum, nec redivivum. Bucerus* autem *d. l. n. 6.* narrat; cum *Malvenda* statuisset, peccato mortali, sive contra conscientiam commisso, non amitti fidem, & inde conclusisse, fidem solam non justificare, illi se contradixisse & adhuc contradicere & statuere, veram & salvificam fidem cum tali peccato non consistere, præterea se adhuc ita sentire, eum, qui sic peccat, vera & viva fide non credere, Deum patrem Domini nostri Jesu Christi esse verum Deum: Cum vero *Malvenda* replicasset, fidem non destrui, nisi per assensum contrarium, qui tamen non esset in quolibet peccato mortali, se regessisse, esse in quolibet peccato tali; veluti adulterio, furto &c. fidem enim veram omnia verba Dei pro certis & veris habere, speciatim, quod peccata contra conscientiam æternam pœnam afferant, & sic magis quam mors corporis vitari debeant: eum vero, qui adulterium, homicidium, furtum, aut simile crimen perpetrat, secum statuere, illa licite fieri, alias ea non esse facturum, atque sic per peccatum illud destrui fidem, neque cum eo consistere; sæpe se allegasse dictum *I. Joh. V. 1. Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, & cap. III. 9. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Ad ista nihil reponere potuisse, nec ausum esse adversarium, saltem ad experientiam suam provocasse, denique Pauli exemplum proposuisse, qui Deo crediderit, & tamen ecclesiam sit persecutus; at se ipsius Pauli verba *I. Tim. I. 12.* citasse dicentis, *ignorans feci in incredulitate.* Addit alia Scripturæ testimonia, & tandem generatim & satis mascule concludit; *hominum ista fex* (das gesinde) *ut obtineant, impios & sceleratissimos quosque ad Pontificatum etiam, & Cardinalitiam atque Episcopalem dignitatem evehi posse, immo tales ipsam esse ecclesiam, hoc impium figmentum affert, Christianos esse omnes, qui credant, etiam fide mortua, modo dicant se credere, quæ credenda venditant. Vera autem fides est, per quam homo a Spiritu Sancto illuminatus, toti Evangelio credit, idque in omnibus pro vero & certo habet, omne inde solatium, omnemque spem in Christum redemtorem ponit, hunc amat, praeceptis ejus observandis studet, & peccata odit & fugit.* Hæc *Bucerus*, quæ, si absit cavillatio, nemo erroris aut impietatis convincet; & quæ *Surius* præterea illi tribuit, videlicet quod dixerit, *solam incredulitatem esse peccatum*, aut plane dictum in hac disputatione non est, aut sensu orthodoxo, quem alio loco attulimus. Quod vero etiam statuerit, *nulla esse peccata infirmitatis, sed omnia ex malitia & contra conscientiam fieri*, falso fingi arbitror, nihil enim tale a nostratibus unquam dictum est, licet agnoverint, nullum peccatum, si in tribunali divino rigide examinetur, per se veniale esse, sed talia condonari fidelibus, quia hi propter Christum, in quem credunt, Deo placent.

(16) *D. Georgii Majoris relatio de colloquio.*

(17) *Item Buceri.*

De dissolutione colloquii sciendum est, d. 25. Febr. Præsides colloquii continuationem suspendisse, allegantes, rescriptum Cæsareum ad se pervenisse, quod sequenti die publicaturi essent, ut & factum fuit. Exhibuerunt autem literas Cæsa-

(18) *Decretum Cæsaris de forma colloquii.*

An. 1546. Cæsaris *d. 3. Febr. Ultrajecti* ad collocutores & auditores indefinite datas, in quibus utrique parti titulus *nobilium*, *honorabilium*, *devotorum*, & *fidelium* tribuitur, iique paucis verbis ad Præsides eos ablegantur, ex quibus intellecturi sint, quæ ad eorum relationem de forma colloquii Cæsar decreverit, & ipsis sint observanda. Decretum, ut Evangelici conjectabant, ab ipsis Præsidibus, ex suggestione *Malvendæ* & sociorum *Ratisbonæ* compositum, & Cæsari subscribendum missum fuerat. Refertur in actis & a *D Majore* relationi suæ insertum est *d. l n. 40. 41.* Jubebat Cæsar (1) ut *Julius*, Episcopus Numburgensis, in Præsidum numerum reciperetur. (2) Vetabat collocutores alios, præter quatuor, in consessu admitti, licet ab his ad consilium adhiberi alii possint, aut, si aliquis ex collocutoribus ob justa impedimenta comparere nequeat, alius in ejus locum surrogari. (3) Notarios tantum ex arbitrio Præsidum eligi vult. (4) Ut Præsides, collocutores & auditores, itemque Notarii juramento obligentur, quod fideliter celaturi, & secreta habituri sint, quæ agantur, neque cuiquam mortalium revelaturi, antequam relatio ad Cæsarem & Ordines Imperii facta fuerit, & venia propalandi a Cæsare sit impetrata; ita ut solis Præsidibus liceat ad Cæsarem, durante colloquio, referre, quæ referenda esse putent, aut Cæsar scire voluerit. (5) Declarat decretum VVormatiense de modo referendi acta, post finitum colloquium, quod relatio in scriptis & breviter fieri debeat. Hoc decreto multis modis se gravari existimarunt collocutores Evangelici; ideo d. 2. Mart. Præsidibus scripto, quæ desiderabant, exposuerunt. (1) Ut sibi permitteretur, responsum in articulo de justificatione plenum & integrum ad acta dictare. (2) Ut testimonia, quibus probari poterat, *Ratisbonæ anno 1541.* conventum esse de illo articulo, in acta reciperentur. Notandum tamen est, conventionem illam explicatam fuisse ab Evangelicis secundum sensum Augustanæ Confessionis, quemadmodum Elector Saxoniæ tunc temporis desideraverat, ut diximus §. *LXXXVII. n. 3.* idque ex relationibus *D. Majoris* & *Zochii* constat. (3) Licet quoad se, & salvo jure Principum suorum, *Julium Pflugium* Præsidis tertii loco recipere non abnuerent, æquum tamen esse, ut etiam Præsides aliqui, Augustanæ Confessioni addicti, bona cum Cæsaris voluntate constituerentur. (4) Ut Theologis, qui collocutoribus adjuncti erant, liceat colloquio interesse, melioris instructionis causa, quia impeditis collocutoribus, ita permittente Cæsare, succedere deberent. (5) Notarios quoque suæ partis admitti petunt. (6) Negant, juramentum de secreto custodiendo a se præstari posse, absque Principum & superiorum suorum mandato, neque id in prioribus colloquiis factum, aut in veteri ecclesia usitatum, neque ita ordinatum in decreto *Wormatiensi* fuisse: Fidei Christianæ articulos toti mundo, & in tectis quoque, secundum doctrinam Christi, prædicandos esse, præterea se juramento Principibus suis obstrictos esse, hisque omnino referre debere, quæ agerentur. Denique (7) pro compendiosa illa, quæ mandabatur, relatione, petunt, ut omnia dicta & acta a Notariis consignarentur. Addunt; licet de Cæsareo hoc decreto Dominorum suorum mandata expectanda sibi essent, progressuros tamen se interea fore in eo colloquio, si, quæ de responso in articulo justificationis petierant, concederentur; Notarius etiam suus, vel alius a se delectus, ut huc usque, toleraretur; dein, ut in articulis, de quibus concordari non posset, utriusque partis sententiam scripto proponere liceret. Ad silentium non ulterius, quam honestas exigeret, obligatos se esse, profitentur, juramentum vero non præstituros. *D. 3. Mart.* adversæ partis collocutores *Julium Pflugium* recipere se testati sunt, contradixerunt autem Evangelicorum petito, ut testimonia de concordia, anno 1541. circa articulum de justificatione inita, ad acta reponerentur. Sequentibus diebus usque ad d. 10. Mart. Præsides nihil omiserunt, quo collocutores Evangelicos ad parendum Cæsareo decreto inducerent, cum vero nihil efficerent, eo die responderunt, se in negotio progredi non posse, nisi denuo mandatum a Cæsare accepissent. Antequam vero prius illud rescriptum Cæsareum d. 3. Febr. publicatum esset, consulti VVittenbergenses censuerunt, *d. Vol. Act. Num. 6.* de Notariis & actorum consignatione, custodia & communicatione, haud multas difficultates movendas, neque propter eas colloquium dissolvendum esse. Dissuadent etiam, ne occasione articuli, de quo tunc disputabatur, nempe de justificatione, dissolutio fieret, licet id ex causa supra allegata non incommodum esset, quia nempe reliqui articuli adversariorum majorem speciem haberent, & si occasione illorum postea rumpendum esset colloquium, id majori cum invidia Evangelicorum fieri videretur; suadent ergo, ut colloquium continuaretur. At postquam intellexissent, quæ Cæsar d. 3. Febr. rescripserat, maxime quale juramentum a collocutoribus & aliis exigeretur, hoc (alia consultatione *N. 7.*) nequaquam admittendum esse existimant, putant tamen, collocutores usque ad adventum Cæsaris commorari *Ratisbonæ* debere; lætantur etiam in hoc responso de concordia *Buceri*, *Majoris* & reliquorum, eosque adversariis ad omnia recte respondisse censent, optantque, ut colloquium continuari possit. Confirmant dein, quæ dixerant de recusando juramento *N. 8.* & probant, quæ collocutores Evangelici d. 2. Mart. Præsidibus in scriptis exhibuerant, novamque protestationis materiam suggerunt, in qua errores *Malvendæ* recenserentur. Memorabilis est relatio collocutorum Evangelicorum d. 12. Martii data, in qua repetunt, quæ ab initio de Præsidum & collocutorum alterius partis iniquitate questi erant, & magnos in articulo de justificatione errores *Malvendæ* & sociorum summatim indicant, dein *Malvendæ* acerbitatem per triduum illud, quo absque Notariis & veluti familiari colloquio disputatum fuit,

(19) *Evangelicorum de decreto querela & petita.*

(20) *Catholicorum & Præsidum acta quædam.*

(21) *Consilia Wittenbergensium.*

(22) *Relatio collocutorum Evangelicorum.*

An. 1546. fuit, tam enormem fuisse scribunt, (hat sich so streitlich und bitterlich vernehmen lassen) ultimo inprimis die, ut Præsides ipsi non dissimulaverint, se colloquii illum modum amplius non esse permissuros: eosdem tamen, post publicatum rescriptum Cæsaris, & cum Evangelici se ad disputationem in scriptis continuandam obtulissent, proposuisse, ut collocutores eam privatim inter se prosequerentur; sed se excepisse, quod ad privatas tractationes missi non essent. *Pflugium* doctrinæ Evangelicæ in animo suo plane adversari, & hostem Electoris esse dicunt, dependere autem a *Malvenda*, & hunc a confessionario Cæsaris, homine religioni Evangelicæ infensissimo, tantæque de se opinionis, ut totius Ecclesiæ regimen sibi arroget. Monachos impudentes & sycophantas ideo delectos esse dicunt, ut, quæ antehac composita fuerant, iterum dissolverentur, homines esse amarissimi animi, & vere genimina viperarum, a quibus nihil sperari posit, quippe qui præ odio & invidia nec audiant nec videant; cum autem in articulo justificationis nihil obtineri potuerit, multo minus in reliquis expectandum esse, putare igitur, abrumpendum esse colloquium, & sibi permittendum, ut domum redeant; Si vero reassumendum esset colloquium, tunc urgendum, ut Præsides ab utraque parte, pari numero, & plures collocutores deputentur. Rebus sic stantibus Landgravius avocandos esse collocutores, antequam Cæsar veniat, ad Electorem d. 21. Mart. scripsit, sed ita, ut veluti suo arbitratu, non allegata jussione, abiisse viderentur. Sed Elector apertius egit. Illi igitur, accepto Electoris mandato, d. 20. Martii Præsidibus (ex quibus tamen *Aichstadiensis* improviso, & circa vesperam, d. 18. vel 19. Martii relicto scripto, quo valedicebat, & de reditu spem faciebat, domum profectus erat) scriptum exhibuerunt, quod protestationem vocant, (extat apud *Hortled. d. l. n. 59. ad 64.*) In hac enarrata actorum serie, & repetitis, quibus gravatos se esse sentiebant, profitentur, se, sic volentibus Heris, & quia nihil cum successu agi posset, ad sua quemque negotia domum abire, redituros vero, si forma colloquii æqua & utilis constituatur, quod a Cæsaris benignitate sperare se & Heros suos dicunt. Eoque ipso die Saxonici urbe exierunt. Sequenti ad hesternum illorum scriptum a *Julio* Episcopo & *Friderico* Comite Fürstenbergico latina responsio in hospitium collocutorum missa fuit, quæ extat *Reg. H. fol. 663. n. 203.* Alloquuntur in ea, sine ulla honorifica compellatione, auditores & collocutores partium Augustanæ Confessionis. Hanc ob magnum verborum artificium, quod *Pflugio* tribuendum est, in *additionibus* integram producemus. Illam, cum Saxonici, ut dixi, discessissent, altero die 22. Martii, *Loxanus Pistorio, Hassiaco* Theologo, qui adhuc aderat, adductis duobus testibus ex improviso superveniens, tradere voluit, & cum is eam non acciperet, in mensa depositam reliquit. Hic finis fuit colloquii, cujus rupti culpam ab adversæ partis scriptoribus confidentissime attribui videmus Evangelicis, id enim uno omnes ore clamant, & accinit pro more *Maimburgius*. At nihil certius est, quam omni cum studio id actum esse a ministris Cæsaris & Præsidibus, ut Evangelici iniquis postulatis & decretis, quale quidem illud de juramento & omittenda ad Principes relatione manifestissime erat, ad hanc dissolutionem impellerentur, speciosus autem prætextus servaretur, quo illis fuga aut contumacia impingi posset. *Pflugii* quoque adjunctio eodem fine excogitata erat, ut Elector Saxo irritaretur, sicut & factum est, ita, ut acri protestatione adversus illum usus sit, inter alia promissum Cæsaris in Comitiis Wormatiensibus allegans. Sane de *Pflugio* non facile aliquis conjecisset, eum hoc munus suscepturum fuisse, nisi jam certus fuisset de Cæsaris adversus Saxonem & socios consiliis, neque enim sine aliqua ignominia sua præsidere colloquio poterat, in quo, quæ ipse cum *Groppero*, immo & *Eccio* in colloquio anno 1541. habito, cum Evangelicis tractaverat & scripserat, cum contemtu & aversione a *Malvenda* & reliquis rejiciebantur, taxabantur, & a præsidibus ipsis indigna habebantur, quæ ad acta referrentur; sed utilitatis & Cæsarei patrocinii respectu isthæc omnia superavit. Reliquas adversariorum calumnias in relationibus ab *Hortledero* citatis refutarunt *D. Major n. 65.* & *Bucerus n. 6. 7. 8.* Quæ post colloquii dissolutionem secuta sunt, differemus ad narrationem, paulo post de adventu Cæsaris ad Comitia, & quæ in his acta sunt, instituendam. *Pallavicini* brevis, sed maligna de colloquio relatio legitur *Lib. VI. cap. IX. §. 4. & sqq.* Criminatur Evangelicos, quod prius *Francofurti* de extorquenda licentia conscientiæ, libera cooptatione suorum in Cameram Spirensem, & impunitate diripiendi Ecclesias, conspiraverint, Tridentinam quoque Synodum evertere, & fœdere suo *Coloniensem*, parem sibi apostatam, tueri voluerint. In his falsissimum & calumniosissimum est, (cætera enim suo jure & pro conscientia sua meditabantur Evangelici) quod de diripiendis Ecclesiis convitiatur, quod ne in mentem quidem illis venit, toties contrarium professis, & id tantum agentibus, ut bona Ecclesiastica in suis territoriis & civitatibus ad meliorem usum converterentur, & ex illis ministeria Evangelica constituerentur. Nec minoris malitiæ est, animique sævi, indicium, quod dicit, *facibus opus fuisse, non ad illuminandum, sed ad concremandum Protestantes, quia non mentis caligine, sed animi pravitate peccaverint*; hoc de suæ partis hominibus & speciatim de *Malvenda*, *Billico* & reliquis collocutoribus, veritati manifestissimæ & anno 1541. a doctissimis ex suis agnitæ, proterve obstrepentibus, vere affirmare potuisset, neque tamen his faces Protestantes parabant, sed conversionem eorum refutatione eorum, quibus illi pertinaciter inhærebant, procurare volebant. Rectissime vero judicavit *Paulus Venetus*, colloquium technis Catholicorum & subdolis Cæsaris simulationibus dissolutum esse; jejunum autem & omni actorum fidei adversum est, quod *Pallavicinus* calumniatur, cavillationibus Protestantium non tam dissolutum, quam præcisum fuisse colloquium. Cavillis enim supra omnem modum ipsi tentati & infestati fuerunt, ut, detecta fraude, & vicini, quod mox erupit, belli fumo, jam veluti afflati, ex statione iniquissima sese omni jure subduxerint.

(23) *Eorum discessus, & acta quædam illorum & Præsidum.*

(24) *Epi crisis de dissolutione.*

(25) *Pallavicini de colloquio relatio.*

An. 1546.

ADDI-

ADDITIO I.

Meretur *Friderici Myconii*, cujus sæpe & nunc *hoc §. n. 2.* ultima, ut puto, mentio facta est, singularis pietas, intrepidus in pertinaci morbo animus, & ingens melioris vitæ spes, ut epistolas a decumbente scriptas, quæ *M S Cta* extant, nec, quod sciam, publicatæ sunt, hic producamus. Prima eodem die 6. Januarii, quo, ut dictum est, Electori scripserat, data fuit ad D. *Razebergium (Reg. H. fol. 663. n. 203.)* hunc in modum: *Gratia & pax a Deo patre nostro & Domino Jesu Christo. Exterior ille meus homo morbis & adversa valetudine corrumpitur de die in diem, in tantum, ut interior, cui hospitium præbuit, vellet aut illum reformatum & reparatum, aut se non ita impediri & remorari, quin liceat vel inservire Domino, aut exui & esse cum Christo, donec ille reformatus & transformatus in robur & claritatem Christi reinduatur, & expeditus sit ad omnia. Sed de hac re ex literis D. Pancratii. Valde mihi dolet, quod accersito & vocato non licet in virtute illa, quam dedit nobis Filius Dei super omnia dæmonia & omnem virtutem inimici, congredi cum eviratis & evisceratis, enervatis & exanimatis larvis Satanæ in colloquio Ratubonensi. Sed servatur hæc victoria agno, juxta somnium meum, quod ante quatriduum habui & statim narravi Pancratio; Et addidi, me valde scire cupere, quid ex aula referatur, unde somnium illud tam conveniens Scripturæ intelligam. Videbam me accersiri ad aulam Electoris Saxoniæ, quo cum venissem, antea non videram locum illum, neque enim Torgæ erat, neque Gothæ; ibi reperi omnia consilia perturbata, & accedebant, qui narrabant, Principem tam esse animo tristi, ut etiam de morbo & ægritudine aliqua esset periculum. Ibi accersor, excipior, & postquam intelligo, non esse corporis sed animi morbum, ipsum tamen corpus simul trahentem in periculum, adhibeo & applico medicinas & consolationes ex myropolio Christi, & maxime Psalmu: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, est enim salutare vultus mei & Deus meus. Mutat heros ille locum, & nunc in aula, nunc in cubili, nunc in curia sub aperto cœlo versari vult, donec redeat aliqua quies & respiratio, pax & securitas; Ibi mihi condicit in locum ex omni parte, etiam superne & inferne, lapideum, in cujus medio mihi videbatur esse sepulchrum Christi, sed vacuum, ex quo resurrexerat; neque hic erat aliquid triste, nisi quod nulla hic videbam sedilia aut scamna, ubi quis diu sedere posset, sed standum erat aut ambulandum. Ingressus autem fores patebant perpetuo, nec erat istic janua, qua claudi posset, nulla repagula, nulla æra. Videbam istic agnum anniculum pulchrum valde, & candidissimo vellere, duobus cornibus recurvis & acutis armatum; Hic solus erat in hoc sacrario, & expectabam venturum Principem cum suo comitatu, ut istic consolationibus Scripturæ nos erigeremus. Video advenientem maximum & teterrimum canem molossum, longissimis pilis, quales solent habere fœtidi senes hirci, color erat medius inter cinereum & flavum, oculi prorsus ira scintillabant, & spumabat ore; verum non audivi latrantem; is recta ingreditur in sacrarium apertum, ubi ego eram cum agno. Ego valde conterritus & mihi timebam & agno, neque enim arma habebam, quibus illum repellerem, sed ut aliquo modo arcerem illum, ne agnum laceraret & me læderet, fortuito arripui lignum* (ein scheit holtz) *atque sic armatus expecto, quid tentet. Ibi agnus statim conspecto cane nihil terretur, sed magis exardescit, & vidi oculos ejus scintillantes, velut æs candens, & facto impetu insultat in latera canis, ita, quod canis graviter se ictum sentiens, latratu & ululatu querebat, quo se proriperet; insultat agnus secundo, & pene prosternit ac exanimat. Vidi tandem in sacrario isto in angulo foveam profundissimam & descensum ad ima per gradus, duas aut tres testudines; eo depellit agnus canem hunc cerberum & elato toto corpore & incussis cornibus ita protrudit, ut in ipso somnio audirem cadentem & sæpe collisum ad parietes voraginis, ejulantem bestiam fœdam & ferocissimam. Regreditur ad me agnus, quasi blandiens & significans, ne metuerem, partam esse per se victoriam, nos tantum triumpharemus. Sicque evigilo admirans, quid sibi hæc turba in domo sepulchri Domini & pugna agni cum cerbero isto vellet. Sed post triduum accipio in grabatulo meo, in quo graviter mutus (ex angina) decumbo, ex aula literas, quibus accersor ad colloquium Ratisbonense, & cum agno evocer ad pugnam contra canes illos, reversos ad vomitum, omne sanctum lacerantes & conspurcantes. O utinam ita valerem corpore, ut valeo animo & spiritu; quam esset mihi jucundum videre insultus agni Dei in caput, frontem & latera cerberi hujus. Scio, quod fortior est in nobis, quam est is, qui est in mundo; & jucundum mihi esset exagitare & ludere cum infantulo virginis super foramen aspidum & draconum illorum. Novi quam nihil possint omnia vasa testacea, insultantia in petram, quam tumere magnis ventribus, sonare velut æra, & campana amplis faucibus & hiatibus, sed ubi illiduntur super petram, testæ sunt & inutilia fragmenta; si autem lapis ceciderit super ea, pulvis fiunt. Ne metue, si te miserit Dominus aut D. Basilium, fortiter congredere cum bullis istis & ollis. Vivit & regnat, qui cum de cœlo deturbavit, & nunc etiam ex hoc mundo in infernum exturbabit, & liberabit omnem creaturam a corruptione & vanitate, cui subjecta est non volens, & satis diu expectavit & anxie quæsivit liberari. Si vixero, scribam ad te iterum, si autem recolligar ad patres nostros, tamen vobiscum clamabo, ut non perpetuo habeat patientiam, sed liberet nos a malo. Immo jam liberavit nos agnus, cui uni soli debetur virtus, victoria, salus & honor, amen. Redeo ego hinc ad grabatulum meum, expectans, ut fiat de me voluntas Domini, sed bona, sed paterna, sed cœlestis, de qua scriptum est: Vita in voluntate ejus. Vale mi suavissime Razenbergi & confirma Clementissimum Principem & patres omnes in Domino. Tempus breve est, & videbunt in quem compunxerunt, cujus non fregerunt ossa.* Denn er muß drauff treten und will nicht auff Krücken gehen. (*id est conculcare illos debet, non incedet grallis.) Veni Domine Jesu cito, & libera nos a malo, Amen. Datum Gothæ 1546. in die Epiph. Domini.*

Tuus

Fridericus Mecum, Gothanæ Ecclesiæ Christi inutilis servus.

Feci quod potui, & tamen inutilis servus sum. Tanto enim Domino, tanta Domina, Ecclesia, sponsa filii Dei, servire quis satis idoneus? Ubi vero non feci, quod potui, credo remissionem peccatorum per filium Dei, qui omnia fecit, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Non abjiciam gratiam Dei. Est ille verax promissor, ego quanquam sim mendax factor, immo transgressor legis, tamen ero verax, fidelis, credens, apprehendens, tenens, perdurans, ut apprehendam, in quo apprehensus sum. Da solls bey bleiben ewig/ (id est, *Hoc in æternum verum manebit.*) Amen.

(a) *Myconii epistola ad D. Razebergium de somnio suo, item de morbo.*

Alteram epistolam *Myconius* scripsit ad *M. Georgium Rorarium*, quem in titulo vocat *eruditione & pietate præstantem virum, ministrum Ecclesiæ VVittenbergensis, fratrem charissimum*, his verbis: *Gratiam & pacem a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo; Quia vana est omnis salus hominis, & patrum illorum patriæ, & Dominorum hujus mundi, qui fremunt adversus Dominum & adversus Christum ejus. Ægroto iterum valde, & prorsus decumbo, mi M. Rorari, & iterum non mea vox tantum, sed simul omnes hujus corpusculi vires attenuantur. Excitatus anno 1541. per mandata, preces & literas Reverendi Patris Lutheri a morte, nunc vixi sex annos in infirmitate & in morte ipsa. Feci etiam officia vivi hominis, & subibi omnia domus Domini ministeria, quantum potui, usque ad Dominicam quartam Adventus, ubi, cum præsentirem rediturum morbum, summo ardore, cum voce clamante in deserto, adhortatus sum Ecclesiam, ut pararent viam Domino, rectas facerent semitas ejus, amolirentur omnia impedimenta & sordes e plateis cordis, & ita cuncta instruerent, ut parati essent excipere & vi-*

(b) *Alia ejus epistola itidem de morbo suo.*

An. 1546.

& videre salutare Dei & judicem, qui pro nobis & contra impios ac Satanam principem mundi dicturus & statim executurus esse: ultimam sententiam &c. Postea cœpi ægrotare, & decumbo mutus & satur hujus vitæ, atque adeo satur, ut optem non vivere, quam sic vivere, ubi mei nullus est usus. Scripsi Reverendo Patri (Luthero) ut qui me suis mandatis & literis hactenus detinuit: (& libenter Domino & ejus Reverendæ Paternitati hic vixi, & velut languida mater instruit liberos, ita ego Ecclesiam Christi.) Quod si possem, & Dominus vires subministraret, nihil gravarer ultra facere. Oro ergo, ut dimittat me cum benedictione, ita tamen, ut fiat, quod Domino placet, non quod mihi. Sunt omnia in ejus voluntate, ægrotare, languere, revalescere: quia ibi lucrum, ubi ejus voluntas. Tamen si non displiceret Deo, ah! quam vellem dissolvi & esse cum Christo, quam sic esse inutile & mutum pondus terræ. Te oro mi Rorari! ut a Domino Doctore exigas responsum. Ego præ dolore gutturis pene neque cibo neque potu ultra uti possum. Oblecto vero me cibo manna cœlesti, & in lectulo lego nunc Psalmum: Quare fremuerunt Gentes: & adoro parvulum Filium, qui datus est nobis. Benedictus Deus, qui in his doloribus ita me recreat, ut prorsus obliviscar, me ægrotum & corpore afflictum. O Domine Jesu, quid possumus tibi? quid servo tuo fideli & prudenti, (Luthero) quem constituisti super familiam tuam, ut ita nos pasceres, rependere pro his inenarrabilibus donis tuis? Gratias agimus tibi, neque enim aliud possumus, neque tu aliud vis. Vale, mi Rorari, &, si audies me sepultum, scito, nihil nisi ossa, cutem, peccatum & inobedientiam ac reluctantem illum hominem sepultum, ut perfecte liberetur & ipse, a veneno diaboli, peccato & morte. Sed is, qui intus est, qui renovatur de die in diem, qui vivit in Christo, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, in quo vita mea est abscondita in Deo, ut, sicut ille vivit, & nos vivamus; Ille, inquam, homo non morietur, non sepelietur, sed fruetur sua vita in pace & tranquillitate, nec interturbabunt eum tumultuantes gentes, reges, populi, suis inanibus meditationibus. Is manebit etiam, nobis sepultis, semper vobiscum ad consummationem seculi, & curabit omnia munera in domo sua propria Et si deerunt Ministri, dabit Apostolos, Doctores, Pastores, ad augmentum corporis sui. Ah Domine Jesu, serva, guberna, corrobora, libera & defende omnes fideles servos tuos; Fiat, fiat, Amen Saluta ex me D. D. Crucigerum, item M. Paulum Eberum. Pontanus te salutat, qui me quotidie invisit. Rescribe & tu, neque causeris occupationes, quia & morbi volebant me remorari, sed invitis illis eripui me ex lectulo, & ista scripsi. Nunc redeo ad grabatulum, faciant morbi & dolores, quod jussit illos Dominus. Sed volo sint crudeles, quoniam scio, in medio iræ misereri & facere eum cum tentationibus proventum. Ab Vale iterum. Gothæ, ipsa die, qua ceciderunt squamæ ab oculis Pauli (id est d. 25. Jan.) Anno 1546.

Tuus

Fridericus Myconius.

(c) *Quædam ex literis Myconii de morte Lutheri.*

Extat & alia *d. 9. Martii* ab eodem ad *Justum Menium*, Pastorem Isenacensem, data, ex qua hæc tantum, quæ ad obitum *Lutheri* spectant, adscribo: *De morte*, ait, *Lutheri, quam ille mihi ante annos sex prædixit, ante meum transitum futuram, certe vehementer perculsus sum. Sed quid ultra faceret in mundo obstinato, impœnitente, ingrato, insanabili, & in universum in maligno posito, qui mavult in æternum perire, quam per Christum salvari. Quid non fecit? Quid etiam piis & toti Ecclesiæ Christi præstare ultra potuit, aut non abundantissime præstitit per annos triginta nullo pene momento cessans, vel ab orando, vel urgendo officio Christi. Gratias ago Deo, qui nobis hunc Eliam suum hoc postremo tempore misit, & tot annis per illum indignissimis servivit tanta fide & constantia, ut summum miraculum mundo fuerit. Det mihi Dominus felicem horam, ut eum cito sequar, Amen.* Post has literas *Myconius* unum adhuc mensem vixit, &, ut alibi notavimus, d. 7. Aprilis decessit.

ADDITIO II.

An. 1546.

Protestatio sub initium colloquii anno 1546. exhibita, cujus *n. 11.* meminimus, hæc est.

(a) *Protestatio Collocutorum Evangelicorum, Ratisbonæ exhibita.*

Ut inter plurimas alias excellentes virtutes, quibus Davidem Regem ornavit Deus, nulla fuit illustrior, ac populo & Ecclesiæ Dei magis salutaris, quam propagatio & conservatio cœlestis doctrinæ; ita & inter præcipua ornamenta Invictissimi Imperatoris Caroli V. Domini nostri Clementissimi, omnis posteritas & hoc referet, quod in dijudicandis controversiis de religione ea prudentia & moderatione adhuc usus est, ut eas controversias pacificis collationibus excuti, quam injustis armis opprimi maluerit. Quam æquitatem & moderationem ut perpetuo tueatur & conservet, precamur toto pectore æternum patrem Domini nostri Jesu Christi. Quia hoc die pro veteri more D. Joh. Chrysostomi memoria peragi solet, humiliter & cum omni debita reverentia, ab ipsius Cæs. Majestate petimus, quod Imperator Arcadius & Joh. Chrysostomus Gainæ exercitus Duci, iniqua & impia petenti, responderunt: Non licere Regi pietatem profitenti quicquam adversus res divinas statuere; Ut & ipsius Majestas magnitudinem hujus tantæ causæ diligentius consideret, & ut hactenus fecit, ne patiatur se calumniis & iniquis judiciis quorundam, re nondum satis deliberata & cognita, adversus innoxios homines, veram & cœlestem doctrinam, a Filio Dei per Prophetas & Apostolos traditam, profitentes incendi. Hæc enim propria & summa laus magnorum Heroum est, in tantis rebus, divinis nempe & ad salutem tot gentium & populorum spectantibus, posse moderatione uti, non præcipitare consilia, non inflammari injustis aliorum hominum odiis, sed audire & summa diligentia cognoscere causas divinas, & eas non ex unius hominis consilio & arbitrio sed ex solo verbo Dei, unde omnis pietatis fons, justitia, & vita æterna pendet & promanat, dijudicare & decernere, & agnitam semel veram pietatem toto pectore amplecti & tueri. Theodosius, laudatissimus Imperator, jam moriturus vocat ad se filios Arcadium & Honorium, inter quos cum regna esset partitus, postremo utrumque hortatur, ut pietatem & divinam doctrinam tueri & propagare studeant, hac enim & pax, inquit, conservatur, & bella conficiuntur, & hostes vertuntur in fugam, & tropæa statuuntur & paratur victoria. Cum igitur ab optimo Principe & Imperatore nostro Invictissimo Carolo V. hic quartus conventus ad conferendos & patefaciendos eos articulos, de quibus hoc tempore in doctrina Christiana controversia est, indictus sit, Reverendissime Princeps, ac Comes Generose, a Cæsarea Majestate hujus colloquii Præsides & gubernatores constituti, Domini nostri Clementissimi, humiliter ac cum debita reverentia a V. Celss. petimus, ut Cæs. Majestati nostrorum Illustrissimorum & Illustrium Principum, Civitatum & omnium Statuum nomine, complectentium Confessionem Augustanam, ingentes gratias agatis, quod iterum ad patefaciendam doctrinam Ecclesiis & orbi terrarum salutarem ac necessariam, hunc conventum instituerit. Deinde, quod facturos omnino speramus, ut V. Celsit. hanc collationem de sententiis Scripturæ divinæ ita moderetur, non ut præstigiis & calumniis veritas tegatur, involvatur aut obruatur, sed ex collatis sententiis veritas queat patefieri & illustrari. Cæterum, quanquam omnibus omnium adversariorum nostrorum criminibus, quibus nos ac nostram doctrinam apud omnes gentes & populos deformare & obruere conantur, respondere, neque utile neque commodum hoc tempore esse sciamus, tamen ne in publico hoc conventu taciti quasi agnoscere videamur, brevissime & modestissime ad ea respondebimus. Vociferantur in publicis concionibus, & publice editis scriptis nos traducunt ac infamant, nos a veteri & orthodoxa & catholica Ecclesia Christi discessisse, damnare Concilia & omnium sanctorum Patrum scripta, laxare & solvere omnem Ecclesiæ disciplinam, & tribuere populo infinitam licentiam, qualibet audiendi & faciendi, abolere nos veteres ceremonias & ritus a Patribus Ecclesiæ traditos, & alia multa atrocia crimina in nos cumulant. Ad quæ necesse est hic breviter & modeste responderi. Nam si tales esse existi-

An. 1546.

existimamur, & hæc injusta adversariorum præjudicia valent, frustra ad hoc colloquium adhiberemur. Primum igitur coram Deo & toto orbe terrarum confitemur & protestamur, quemadmodum antea in Confessione, Cæs. Maj. in Comitiis Augustanis exhibita, publice declaravimus, quam etiam Confessionem pro repetita haberi volumus, nos non solum agnoscere sed & toto pectore, tanquam fontem omnis salutis & vitæ æternæ, amplecti scripta Prophetarum & Apostolorum, hoc est, omnes V. & N. Testamenti libros, quos vocant Canonicos, & credimus hanc esse ipsius Dei, creatoris rerum, vocem sonantem in his scriptis, inspiratam a Spiritu sancto, qua se Deus mirabili consilio orbi terrarum patefecit: Et hæc scripta esse fundamentum, petram & basin, supra quam Ecclesia, domus Dei, ædificata est, in ipso summo angulari lapide, Christo Jesu, & in his scriptis plene & perfecte omnia, quæ ad justitiam & salutem nostram utilia & necessaria sunt, comprehensa. Et hanc cœlestem doctrinam a Filio Dei & per Prophetas & Apostolos nobis traditam esse omnis cœlestis doctrinæ & piæ vitæ ac cultus Dei unicum & certissimum Canonem & regulam. Neque ullam doctrinam aut cultum Dei recipiendum, qui non in propheticis & Apostolicis scriptis comprehensus & a Deo præceptus & mandatus sit. Secundo, amplectimur quoque, tanquam Scripturæ propheticæ ac Apostolicæ epitomen seu summam, symbola tria, ut Apostolicum, Nicenum & Athanasianum. Tertio, amplectimur item quatuor magna Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, & alia, quatenus quidem cum sacra Scriptura conveniunt, & quorum dogmata & decreta scripturis sacris confirmata sunt. Quarto, agnoscimus scriptores veteres Ecclesiasticos, sed quatenus ipsi agnosci & legi volunt, & sententia eorum testimonium habet Scripturæ. Cum igitur certum sit, hunc esse veteris & catholicæ orthodoxæ Ecclesiæ Christi consensum, injuste ab adversariis nostris damnamur, quod defecerimus ab Ecclesia, ac damnemus Conciliorum decreta & Ecclesiasticorum Scriptorum dogmata. Existimamus autem, satis esse perspicuum quod ab orthodoxa & vera Ecclesia Christi non discesserimus. Quod ad disciplinam attinet, res ipsa loquitur, si vere existimare volumus, longe eam esse apud nos adstrictiorem, quam multi vociferentur. Postremo fatemur, quædam doctrinæ genera & quosdam abusus & ritus pugnantes cum Scriptura prophetica & Apostolica, & consensu Catholicæ Ecclesiæ Christi, reprehensos a nobis, sicut non tantum veteres Scriptores, sed & recentiores, & quidam ex adversariis ipsis, ingenue fatentur, multos errores irrepsisse in Ecclesiam. Sed quemadmodum ea, quæ cum Scriptura pugnant, non agnoscit vera Ecclesia Catholica; ita nostri, qui ad docendum Evangelium Christi vocati sumus, officii fuit, errores reprehendere & damnare. Hanc confessionem & protestationem obedienter petimus, ut Reverendissimæ & generosæ Dominationes vestræ æquo animo suscipiant, & hanc totam tractationem colloquii, juxta articulum decreti VVormatiensis, de colloquio habendo, factam, fideliter, ut non dubitamus, Cæs. Majestati & reliquis omnibus Imperii Ordinibus referant. Nam sicut nolumus in hoc colloquio quicquam amplius in nos suscipere, quam in prorogatione VVormatiensi constitutum est, ita studebimus, quæ officii nostri fuerint, fideliter omnia præstare.

(b) Responsio ad calumnias.

ADDITIO III.

(a) Commissariorum Cæsarii scriptum ad collocutores Evangelicos.

Excusationem vestram, Auditores, Collocutoresque partium Augustanæ Confessionis, hesterno die ad nos missam accepimus & perlegimus diligenter; in qua, commemoratis gravaminibus, quæ ex instructione Cæs. Majestatis, proximis diebus de observatione ac forma colloquii ad nos missa, adferantur partibus vestris, significatis, constitutum vobis esse domum tantisper regredi, dum a Cæs. Maj. remissio eorundem impetrata fuerit, quo, justa ratione colloquendi constituta, causa veritatis, quæ ad omnium salutem pertineat, pro magnitudine ac dignitate sua dextre atque utiliter tractari possit, petentes, ut in bonam partem accipiamus discessum vestrum, atque in eandem apud Cæs. Maj. interpretari velimus, paratos vos esse ad obeundum colloquium, secundum postulata vestra constitutum, quamprimum de consensu Principum ac superiorum vestrorum fueritis a Cæs. Maj. revocati. Nos vero hoc tempore nihil minus sollicitati sumus, quam ut hujus rei quicquam ab iis, qui ad hoc negotium deputati sunt, expectaremus, non solum propter observantiam Cæs. Maj. ad quam de iisdem rebus, cum ex consensu & voluntate vestra retulerimus, responsum quoque ab eadem, non vobis minus, quam diversæ partis, quæ se semper in omnibus obsequentem præbuit, expectandum erat, quod vos facturos promiseratis: sed etiam propter causam ipsam, in qua, cum singularem rationem fortasse, ut componendæ religionis, ita concordiæ pacisque Germaniæ eadem Cæs. Maj. constitutam habeat, quis tam negligens publicæ utilitatis aut sui officii erga eandem Majestatem incogitans fuerit, ut studio ac sedulitate, tam salutari ac necessario negotio ulla de causa defuisse videri velit? Nam, ut cætera omittamus, minime putamus tanti Principis vel studium vel mansuetudinem, in hac communi causa, vel autoritatem contemnendam esse, in hoc præsertim negotio, quo Majestas ejus, ut nobis viam ad concordiam veram ac piam muniat, materiam ambagibus atque contentionibus subtrahere decrevit. An hanc ejus clementiam propesummam non laudare potius singulari animorum gratitudine, quam improbare debemus? Totis jam viginti annis & amplius luctatur cum fortuna ipsa, in depellendis periculis nostris, neque ullum tempus, ullam occasionem prætermisit. Quid futurum esse putatis, si, victus odio atque obstinatione partium, tardior factus fuerit? Poterimusne sustinere diu hanc molem discordiæ, sub cujus ruina omnibus pariter succumbendum erit, nisi nos Deus ipse respexerit. Aut si hunc contemserimus rerum nostrarum moderatorem, quem alium expectabimus in maximis periculis, qui aut resistere possit malis nostris tam prope impendentibus, aut id, quod possit, pari virtute ac moderatione præstare velit? Jam vero tota Germania hodie intenta est in hunc actum vestrum amant ac laudant institutum Cæs. Majestatis, quæ nihil intentatum relinquat: Nostram spectant fidem ac diligentiam, in qua concordiam religionis, pacem Germaniæ, suas multi fortunas positas esse arbitrantur: Detestaturi procul dubio omnes, qui moram huic negotio, vel detrimentum ullum culpa sua attulisse videbuntur. Neque hæc eo monemus, quod plus nostra, in hac causa, quam vestra intersit, sed ut satisfaciamus Cæs. Maj. voluntati, quæ has partes nobis credidit, suo nomine gerendas, atque adeo, ne officio nostro ulla in parte defuisse videamur. Adventura dicitur ejus Majestas, ac paucis diebus hic affutura certis literis nunciatur. Quod si relicta hac nostra provincia, atque edicto VVormatiensi posthabito, domum vos retuleritis, occurretis Majestati ejus in via huc properanti, ne quam moram expectationis longiorem causari possitis. Quæ cum ita sint, petimus a vobis, ut vestri officii memores in hac causa tanta, & expectare responsum Cæs. Majestatis, quam omnes merito observare debemus, & publicæ utilitatis rationem habere velitis. Id quod non modo per se gratum ipsius Majestati, sed a nobis quoque eidem studiose commendandum erit. Quod si stat vobis immota sententia, nec quicquam nomen officii ac sedulitatis nostræ a vobis impetrare potest, tum nos hoc scripto testatum esse volumus, per nos minime stetisse, quo minus satisfactum fuerit voluntati Cæs. Maj. in continuando colloquio; sed vestra potius recusatione atque discessu desertum hoc tempore atque discussum fuisse. Hæc fere sunt, quibus pro munere, quod a Cæs. Majestate assignatum sustinemus, & nostra erga vos benevolentia atque charitate patriæ communis, vos monendos putavimus.

Cæsareæ Majestatis Præsides in colloquio Ratisbonensi.

Julius electus & confirmatus Episcopus Numburgensis. F. G. Z. Fürstenberg.

An. 1546.

An. 1546. SECT. 36. An. 1546.

(1) De Lutheri libro adversus Papatum.

(2) De irritc tentato ab eo exorcismo dæmonii.

(3) Mortis Lutheri descriptio.

Staphyl. Genebrard. Chronolog. in Paul. III. Sur. Comment.

Nunquam hæresiarcha hic violentior aut importunior contra Ecclesiam & Papam, quam paulo ante mortem suam, fuit, præsertim cum Concilium Tridentinum, a quo super omnia abhorrebat, cœptum esse videret. Publicaverat anno præcedenti librum, scandali plenum, lingua populari, contra Pontificatum a Satana stabilitum; *hunc enim ei titulum dederat; addita in frontispicio pictura, ubi Papa conspiciebatur throno insidens, auribus asininis, a Diabolis circumdatus, quorum alii coronam triplicem ei imponebant, alii pedibus in infernum rapere illum nitebantur. Hujus plurimos puduit etiam inter Lutheranos, ad viles istas magistri sui indignitates & insolentes excessus erubescentes; magis enim conveniebant scurræ inepto & impudenti, quam viro, religionis reformationem præ se ferenti, & qui Apostoli loco haberi se volebat. Accidit tamen ei hoc ipso tempore aliquid, ex quo satis apparebat, talem illum non esse. Cum enim dæmonem ex corpore puellæ arreptitiæ ejicere vellet, ad maximas & pudendas extremitates, metu a Diabolo injecto, compulsus fuit, qui clauso ostio in eum irruerat, & hac occasione ludibrio illum exponere volebat, totique mundo ostendere, vera miracula extra Ecclesiam non fieri. Falsus denique hic Propheta contra Concilium furens, vehementissime declamabat, satis videns, dogmata sua condemnatum iri. Ideoque nihil intermisit, quo Principes Protestantes contra sanctum hoc Concilium excitaret. Sed Deus eum subito ex mundo hoc abstulit, ut in altero deplorandæ, quam in isto fecerat, mutationis rationem redderet. Scio scriptores Catholicos & Lutheranos magna cum discrepantia mortis ejus circumstantias describere. Hi, ut insignem sanctum morientem, more suo sistunt, traduntque reddidisse eum animam, inter gratias Deo actas, quod cognoscendum amandumque ex toto corde dederit Jesum Christum, filium suum, quodque per gratiam suam animum & vires sibi concessisset, ut patriæ suæ Evangelii veritatem annunciaverit, precatum etiam, ut eam conservaret, & Papæ ac Concilio, qui illam persequerentur, malediceret. Econtrario illi asserunt, mortuum esse, ut bestiam, sine ullo sensu de DEO, postquam large bibisset & comedisset. Ego, qui valde caveo, ne in extrema, in quæ per præoccupationes præcipitari solent scriptores, incidam, bona fide dicam, quæ, postquam ab utrisque tradita legi, maxime vera deprehendo. Cum esset Wittenbergæ, & Commentarium suum in Genesin perficeret, Comites Mansfeldenses, qui post mortem patris, boni Catholici, Protestantium partibus accesserant, rogarunt eum, ut Islebiam, oppidum, in quo natus erat, ire non gravaretur, ad componenda dissidia quædam, circa hæreditatis divisionem inter se versantia. Eo circa finem Januarii venit, rheda cum uxore & tribus filiis vectus, & quinquaginta equitibus, a Comitibus ei obviam missis, comitatus, exceptus etiam fuit, non tam ut Propheta, quam ut Princeps quidam magnus, exoneratis majoribus bombardis & sclopetis in oppido, pulsatisque omnibus, intrante eo, campanis. Sequenti die in templo S. Andreæ concionatus est, quod & ter aut quater postmodum continuavit, mirandum in modum concurrente e tota regione populo, neque unquam occasionem omisit, quin contra Papam & Concilium terribiliter inveheretur. Sed vespere d. 17. Februarii cum hilariter cœnasset, (cum enim ira non indulgeret, læto erat ingenio & lubenter jocari solebat) de magno circa pectus dolore, colicique torminis violentia questus est: Applicatis illico remediis quibusdam, duas fere horas in parvo grabato viridi dormivit, inde in cubile ad quietem ductus, post mediam noctem vehementer malum sensit, pectusque valde angustatum. Medici, citissime vocati, tardius tamen adfuerunt. Cumque de juvando eo laborarent, & imminutos dolores, dum quiesceret, crederent, mortuum esse deprehenderunt, sive apoplexia, sive subita cerebri exoneratione & catarrho suffocatus. Sic mortuus est Lutherus exigua cum ceremonia, anno suo climacterico, sexagesimo tertio. Vir fuit, certe ingenio, scientia & eloquentia in lingua populari præditus. Sed fatendum est, præter ea omnia, quæ in descriptione ejus, sub initium hujus historiæ, dixi, habuisse eum inter paucas bonas dotes, tantos animi, conversationis, morumque & styli defectus (neque enim quicquam in libris ejus perfectum est, omnesque infinitis conviitiis & mille alienis & pudendis vilitatibus repleti sunt) ut, nisi totum orbem Christianum turbasset, nihil de eo unquam fuisset dictum, non magis, quam de insano illo celeberrimo dictum foret, nisi templum Dianæ combussisset, ut nomen vel per convitia, ob destructum tam pulchrum opus, acquireret. Principes tamen Protestantes insolita affectione tantos ei honores exhibuerunt, quantos maximus quisque post mortem expectare posset. Elector Saxoniæ corpus magnifica cum pompa Wittenbergam transportari fecit, & monumentum ex marmore candido exstrui, statuis duodecim Apostolorum circumdatum, quasi is tertius decimus, Germaniæ intuitu, fuisset; quanquam nullum unquam ingenium minus cum Apostolis comparari potuit, quam Lutheri.*

(4) De vitiis Lutheri censura.

§. CXXXIII.

An. 1546.

(l) *Annotatio ad dicta Maimburgii de Lutheri morituri acerbitate in Pontificem.*

§. CXXXIII.

Finis narrationis Maimburgianæ de Luthero respondet principio & medio. Cœperat Jesuita a calumniis & conviciis, falsa & subdola encomia parce quidem inserens, ut sinceritatis speciem haberent atroces criminationes; Sic telam ab anno 1517. usque ad hunc 1546. continuavit; jam etiam eodem modo pertexuit. Nobis nostri instituti constabit ratio; Falsa, non quidem recriminando, sed ostensa veritate, refellemus, & jam Luthero parentabimus, non ut ex eo idolum faciamus, aut hominem ab omni defectu & nævo intaminatum sistamus, sed ut insignia gratiæ divinæ dona, in Virum hunc ad finem usque vitæ collata, meritis prosequamur honoribus. Rhetorica sunt, quæ *Maimburgius* de aucta, ut loquitur, violentia Lutheri & importunitate in Ecclesiam & Papam lectoribus propinat. Fateor, libellum *contra Papatum*, anno superiori publicatum, quem §. *CXIV.* retulimus, satis acerbum esse; sed quoad res ipsas, nihil novi aut asperius in eo scripsit, quod tot libris per annos XXIV. post edictum Wormatiense editis, non pari severitate fecerat. Præterea nec metuebat, sed plane spernebat Concilium Tridentinum, & de eo parum solicitus erat. Denique licet vitia & errores adversariorum vehementer taxaret, ad concordiam tamen eo ipso tempore, & magis forte, quam unquam, inclinabat, ut ex sæpe citata & §. *CXIX.* relata consultatione, aliisque ejus ductu scriptis, probatum est. Pontifici & Episcopis omnes illorum dignitates & opes relinqui debere, ritusque indifferentes ferri concedebat, modo unicum hoc obtineatur, ut puritatem doctrinæ admitterent, neque eam confitentes persequerentur, sed hunc Antichristi characterem, quem pro certissimo habebat, delerent & abjicerent; quod vero acrius commotus in verba duriora & incomta erupit, tribuendum id & ignoscendum est senectæ, morbis & curis confectæ, irritatæ etiam petulantia adversariorum menti. Ad causam interim, quam defendit, respici debet, hanc ille Deo & conscientiæ suæ probari confidebat, & cum tot regnis & provinciis communem habebat. Donec itaque hæc suis stant fundamentis, inter leves errores referendum est, quod *Lutherus* in modo defensionis, & verborum, quam exagitat *Maimburgius*, indecentia excesserit. Alibi etiam judicium magnorum piorumque virorum allegavimus, qui impetum illum & acrimoniam styli juste & in pejora meritos, nec sine divina providentia, exercitum fuisse agnoverunt, eo fine dubio fine, ut superbia & pertinacia adversariorum, adulationibus eo usque mirifice sustentata & inflata, frangi illa duritie posset. Narratio de expulsione dæmonis, a Luthero infeliciter tentata, insulsum & impudens est figmentum,

(l) *Refutatur fabula de expulsione dæmonis a Luthero tentata.*

quod ex scriptoribus, ira & calumnia ardentibus, quos ad marginem allegat, temere arripuit noster, spernens aut ignorans, quod toties id a nostratibus refutatum esset. *Cochlæus*, cum nihil omitteret, quo ultima *Lutheri* dicta & scripta proscinderet, fabulam tamen istam relatu indignam judicavit. *Surius*, dum mortuo *Luthero* pro sua insultat protervia, (*p. m. 475.*) historiæ suæ inseruit, unde, ut insignem & opere suo dignum flosculum decerpsit *Raynaldus n. 49. in anno 1545.* Sed veram de facto relationem conservavit *Sebastianus Froschelius* Archidiaconus Wittenbergensis, testis oculatus, eamque in compendio recensuit *D. Joh. Mollerus* Hamburgensium Superintendens, in *Luthero defenso* anno 1634. edito §. *CCXXXVI.* ubi citat *Prompt. exempl. Sturmii*, *Part. I fol. 139. Theatr. Diabol. Part I. 59.* Breviter sic se habet; Puellam octodecim annorum ad *Lutherum* adduxerant, quam obsessam a dæmone esse ajebant; Recitare eam jussit symbolum Apostolicum, id cum facere cœpisset, simul atque ad verba; *Et in Jesum Christum &c.* venisset, obmutuit, & misere a dæmone agitata est. Tunc Lutherus: *Novi*, ait, *te Satan, velles, ut hic magna cum pompa exorcismum instituerem, sed id nolo facere.* Sequenti die in templum, dum *Lutherus* concionaretur, ducta fuit, & post concionem, in sacellum; ibi statim in humum procidit, manibus pedibusque renitens & calcitrans, erecta tamen a studiosis, qui aderant. Inde Lutherus populum affatus est, monuitque, miraculis expellendi dæmonia hoc tempore locum non esse, neque plantatam jam ecclesiam opus illis habere; ritum quoque Pontificium non esse sequendum, sed orationibus potius contra hunc spiritum utendum, ejusque superbiam contemnendam esse; Deo etiam tempus & modum poni non debere, quo dæmonem ejicere vellet, ita enim Deum tentari, sed continuandas esse preces, & horam, quam Deus liberationi destinaverit, patienter exspectandam. Postea *Lutherus* manum capiti puellæ imposuit, symbolum fidei & orationem Dominicam pronunciavit, ut & dictum *Joh. XIV. 12. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Preces postea ad Deum una cum cæteris ecclesiæ ministris fudit, ut propter Christum dæmonem ex puella illa ejicere vellet; ipsam postea pede tetigit, additis his verbis: *Superbe dæmon, tu quidem cuperes, ut pompa insigni adversus te nunc agerem, sed id non faciam, scio caput tuum contritum esse, & te ad pedes Domini nostri Jesu Christi jacere, iisque subditum esse*, & sic discessit, puella vero ad suos reducta est, qui postea per literas significarunt, illam non amplius a dæmone vexari. Hæc, ait *D. Mollerus*, nihil habent, quod Evangelico Doctore indignum sit, & fidem merentur, licet decem Monachi, totidemque Jesuitæ aliud referrent. Eandem sententiam de precibus, in talibus casibus adhibendis, Lutherus anno 1536. aperuerat, ut supra dictum est §. *L.* Cæterum, putidissimum mendacium esse, quod *Surius* & similes de male tractato a dæmone *Luthero* retulerunt, acta *Archivi* confirmant, in quibus tot relationes de dictis, scriptisve Lutheri, ultimis maxime vitæ ejus annis, ad Electorem missæ extant, longe minutiora narrantes, de hac tamen re, in publico gesta, nihil plane memorant, nec ulla ratio excogitari potest, cur tantum casum, quo & existimatio & valetudo *Lutheri*, a longo tempore jam tenuissima, vehementer periclitata fuisset, *Pontanus* aliique Electorem celassent. Audivimus e contrario, & porro percipiemus, quanta Lutherus in veneratione hoc ipso tempore, licet averso a Wittenbergensibus animo esse inciperet, & abitum ex urbe medita-

An. 1546.

meditaretur, fuerit, quibusque laudibus vivum mortuumque prosecuti sint, quas plane corrupisset, si publico illo opprobrio a dæmone affectus fuisset.

(3) Vera de ultimis Lutheri actis & morte narratio.

Jam veram ex documentis historiarum de morte *Lutheri* narrationem optima fide affero, eique, quam *Maimburgius* exhibet, substituo; quicquid enim ab adversariis ejus inimicissimis & mendacissimis in contumeliam Lutheri sparsum est, tam impudenter & proterve confictum fuit, ut paulo sagaciores & modestiores ex illa parte ipsi id deprehenderint. *Cochlæus* certe cavillis quidem & scommatibus non abstinet, fabulas tamen haud paucas præteriit; quanquam malitia non careat, quod relationem *D. Jonæ*, cum sine summa impudentia in dubium vocare non possit, vanitatis insimulet. Nec melior est noster, dum inter scriptores utriusque partis medius versari & verisimilia eligere vult, ita tamen, ut viris, ipsius quidem pravo judicio, hæreticis, at inculpatæ vitæ & honestatis, in facti, cui præsentes fuerunt, narratione fidem non habeat. Merentur autem eam plenissime, quia ad ipsum Electorem Saxoniæ altera postquam Lutherus decessisset hora, recenti casus memoria, nec præmeditati, aut ulli fuco aut ornatui verborum indulgentes, sed soli & nudæ narrationi intenti, relationem perscripserunt. Eam postea integram producam. Prius tamen de itinere ejus ex relatione *Tom. VIII. Alt. fol. 847. & seqq.* inserta, & a D. *Jona, M. Cœlio & Johanne Aurifabro*, qui morienti adstiterunt, cum summa asseveratione subscripta, quæ etiam cum actis *Archivi* concordat, aliisque documentis fide dignis, aliqua præmittemus.

(4) Occasio itineris Lutheri Islebiensis, & de Comitibus Mansfeldensibus quadam.

Sugillat *Cochlæus* iter Lutheri Islebiense, quasi ob negotia tantum profana susceptum. De ejus itaque occasione ex historia *MS. D. Matthæi Razenbergii* referri aliquid meretur. In amplissimo & fertilissimo Comitatu Mansfeldensi jam ante id tempus fodinæ æris & argenti a privatis, oppidorum *Islebiæ* & *Hetstedii* incolis, magno cum emolumento cultæ fuerunt, præstita Comitibus consueta decimarum & alia pensione. Cum vero facultates civium, & præcipue institorum & præfectorum operarum & officinarum, (der hüttenmeister) insigniter augerentur, invidia, ut fieri solet, & cupido aulicos quosdam Comitum incessit, ut consilia agitarent, quomodo ad Heros suos, & inde ad se ipsos, majorem proventuum partem, privatis ereptam, transferrent. Comitatum divisim, aliquatenus etiam conjunctim regebant Lutheri tempore Comites, ex duobus fratribus prognati: Ex *Alberto* seniore, *Ernestus, Heldrungæ* residens, is, qui, ut alibi narravimus, *Georgio* Duci Sax. in bello rustico adstiterat, veteremque religionem una cum fratre *Hoiero* in aula Caroli V. versante, retinuerat. Ex *Ernesto* vero alio *seniore, Alberti* fratre, *Albertus & Gebhardus*, hic *Seeburgi*, ille *Mansfeldæ* habitans, uterque religioni Evangelicæ & fœderi Smalcaldico addictus. Ex his ad consilia illa, de quibus dixi (*Razebergio* autore) maxime inclinabat *Albertus*; repugnabant *Ernestus & Hoierus*. Cum vero ille anno 1532. hic anno 1540. decessisset, *Ernesti* filii *Philippus & Johannes Georgius* cum fratribus, *Alberto* assentiri & fodinarum possessores conjunctim aggredi cœperunt. Id non solum tum magnas subditorum querelas excitavit, sed & Comitibus ipsis noxium fuit; auctæ enim opes luxui ansam dederunt, quem, ut fieri consuevit, æs alienum secutum est, tam enorme, ut Comites a Dominis feudi, Electoribus Saxoniæ & Archiepiscopis Magdeburgensibus, quos creditores imploraverant, ditionibus exuti & hæ sequestratæ fuerint. Sed ista postea acciderunt. Tunc vero inter se ipsos & illi, quos dixi, & reliqui ex eadem familia, varie & vehementer de fodinis illis aliisque rebus discreparunt, foventibus lites, ut traditur, & Lutherus queri solebat, Jureconsultis. Sic inter fratres & agnatos discordia indies crescebat, & funestos portendebat eventus, magno cum scandalo civium, & pietatis & arctæ necessitudinis læsione. Anno 1545. *Johannem Georgium*, Comitem supra nominatum, cum itineris cujusdam occasione *Wittenbergam* venisset, Lutherus adiit, rogavitque, ut ab *Alberti* agnati consiliis contra subditos secederet, & his se æquum præberet, itemque ut de litibus, quas inter se habebant Comites, componendis pie cogitaret. Hæc movere visa sunt Comitem, ut porrecta manu *Luthero* obsecuturum se esse promitteret; sed eum, ut *Razebergius* notat, irrisit & sprevit, & domum reversus nihil eorum præstitit, quorum Luthero spem fecerat. Ex altera vero parte *Albertus*, qui Luthero semper quidem faverat, attamen moleste huc usque tulerat, quod is consilia contra metallicos non probaret, vel serio, vel, ut *Razebergius* judicat, per simulationem professus est, se in controversiis illis bonorum virorum, & inter eos maxime *Lutheri*, interventionem & arbitrium admissurum esse. Impetravit itaque ab Electore Saxoniæ, ut ejus cum venia *Lutherus* autumno anno 1545. una cum *D. Justo Jona* & *Melanchthone Islebiam* profectus sit, & transactionem tentaverit. Tunc tamen re infecta Wittenbergam rediit. Paulo post Comites denuo animum ad transigendum applicuerunt, missoque ad Lutherum *Georgio Lauterbeccio*, Alberti Cancellario, benignis & æquis oblationibus spem fecerunt, fore, ut, *Luthero* operam denuo impendente, concordia iniretur. Persuaderi itaque se passus est *Lutherus*, ut secunda vice *Islebiam* illius negotii causa iret, quod profecto reprehendi non potest, sed laudari meretur. Agebatur enim de concordia inter fratres & agnatos proximos, acriter inter se certantes, item de justitia erga subditos exercenda, ad quæ omnia *Lutheri*, quem Comites ut civem suum, magnique nominis Theologum non parvi æstimabant, exhortationes non parum conferre poterant.

(5) De valetudine Lutheri illo tempore.

Retinere potuisset Lutherum consideratio valetudinis suæ, quæ jam, ut alibi memoravimus, vehementer imminuta erat; certe literis sex tantum diebus ante iter, *d. 17. Jan.* ad *Jacobum Præpositum*, Bremensium Pastorem, datis (quæ MSæ in fasciculo *D. Bertrami* extant) de se ipso his verbis queritur: *Senex, decrepitus, piger, fessus, frigidus, ac jam monoculus scribo; & qui sperabam, mihi nunc emortuo requiem, ut mihi videtur, justissimam dari, quasi nunquam egerim, scripserim, dixerim,*

An.1546. *rim, fecerim, ita obruor scribendis, dicendis, faciendis, agendis rebus.* *Razebergius*, quo medico usus erat, refert; Lutherum ex suo consilio fonticulum, seu, ut Italica dialecto vocant, *fontinellam* in crure sinistro, aperiri sibi fecisse, eo cum successu, ut non solum gravedinem & vertiginem capitis mitigaverit, sed & defluxiones imminuerit, ut pedibus templum & auditorium Academicum adire & suggestum conscendere potuerit, quod præstare per aliquod tempus nequiverat, sed vel rheda ad templum vehebatur, vel si debilior esset, domi familiæ suæ concionabatur. Cum vero *Islebiam* proficiscens domi oblitus esset lapilli vel pulveris corrosivi, quo apertus servabatur fonticulus, deinde ob conferta, quibus ibi obruebatur, negotia, curam illius plane neglexisset, inde factum esse putat *Razebergius*, ut obstructo abscessu regurgitatio materiæ peccantis secuta sit, & mortem viro acceleraverit. Notat idem, *Melanchthonem*, ex aliorum Medicorum judicio, morbum Lutheri vocasse καρδιωγμὸν, dolorem seu morsum & rosionem ventriculi, aut potius ejus orificii. Hoc corporis statu hyberno tempore d. 23. Jan. Wittenberga egressus cum tribus filiis, (uxor enim, licet id scribat *Maimburgius*, comitata eum non est) *Islebiam* tamen non nisi *d. 28. Jan.* venit, triduo ob *Salæ* amnis inundationem *Halis* detentus, nec sine periculo aquas lintre superavit. Socius itineris fuit *D. Justus Jonas*, Halensium Superintendens. Exceperunt eum Comites cum comitatu centum & tredecim equitum, *Maimburgius* quinquaginta saltem numerat, & tantum *Ernesti*, quem ut Catholicum laudat, filios adfuisse scit, reliquos, *Albertum* & *Gebhardum*, eorumque filios, omnes Evangelicæ religioni addictos, præterit, neglectu & imperitia, aut errantes secutus. *Cochlæo* honor, Luthero exhibitus, vehementer displicet, nam ipse sibi parem sperare nunquam & nusquam poterat. Venerati autem sunt Lutherum Comites, tum ut primarium doctrinæ orthodoxæ restitutorem, tum etiam Electoris respectu, quo non permittente saltem, sed & jubente, & Comites per eum ad concordiam exhortante, adveniebat. Quæ de tormentorum explosione aliaque memorat *Maimburgius*, in actis fide dignis non invenio, & *Islebia*, oppidum quidem haud spernendum, sed, ut metallica fere solent, apertum, munimentis & muris caret. In ingressu, ut in relatione *Tom. VIII. Alt. fol. 848.* notatur, debilitate insigni correptus fuit Lutherus, ut moriturus jam tunc esse videretur, ipse etiam questus tunc est, sibi a Diabolo fere semper, cum res magnas expedire deberet, talem aliquam molestiam & tentationem strui. Refectus tamen mox est in hospitio frictione per lintea calefacta, cui suetus erat, & medicaminibus Wittenberga secum allatis. De negotio, quod una cum *Wolffgango* Principe Anhaltino, *Johanne Henrico*, Comite Schvvarzburgensi, & Consiliariis Comitum, per dies viginti, magno quidem, sed irrito cum labore tractavit, dicere nihil attinet. Jureconsultis imputabat, quod transactio non sequeretur, quapropter, ut *Razebergius* annotavit, *D. Melchiorem Klingium*, Professorem tunc Wittenbergensem, qui Comitibus a Consiliis erat, & *Islebiam* eo tempore venerat, statim permovit, ut abiret. De uno tamen litigiorum capite, de jure scilicet patronatus, opera *Lutheri* & *Jonæ* conventum fuit, ut refert *Michael Emmerlingus*, Superintendens Mansfeldensis, in dissertatione alibi allegata, qui & instrumentum transactionis *d. 17. Febr. 1546.* subscriptum adhuc pro norma servari dicit. Superintendens tunc constitutus est *Johannes Spangenbergius*, Northusa vocatus, dimissus vero *Simon Wolferinus* ob dissensum in articulo de sacra cœna, is nempe, ad quem epistolam Lutheri *§. CXII. n. 5.* allegavimus. Ordinatio quoque Ecclesiastica in Comitatu Mansfeldensi, quam *D. Guttelius* conscripserat, a Luthero tunc relecta & approbata fuit. Ex concionibus *Islebiæ* habitis, quas Maimburgius vituperat, excerpemus quædam, cum de scriptis Lutheri hoc anno agendum erit. Quod satis laute a Comitibus tractatus, & quandoque cibo atque potu hilariter usus sit, facetiis etiam indulserit, amici quoque ejus tradiderunt, neque tamen repletionis aut intemperantiæ culpam ei assignant. Falsum est, quod *Maimburgius* scribit, eum tardius a Medicis conventum, & præter opinionem mortuum deprehensum esse; Relatio fidei indubitatæ aliud ostendit, quam, sicut authentica, *D. Jonæ* manu subscripta, in Archivo Vinariensi *Reg. N lit. ℌ. n. 44. fol. 111.* asservatur, Latine versam hic, & in *additionibus* Germanicam exhibebimus. Licet enim tota pene narrationi prolixiori *d. Tom. VIII. fol. 848.* inserta sit, legi tamen & edi meretur, ut vel ex styli neglectu & ingenuitate veritas eluceat. Sperni ideo, ut jam dixi, & explodi debet, quicquid illi contraria Catholici, quos *Cochlæus* & *Maimburgius* citant, de morte viri scripserunt. Pauci sane nequam homines ex rumoribus hausta vel in suo cerebro malitiose inventa vulgarunt, quæ alii malevole aut incaute pro veris arripuerunt. Quid vero sibi velit *Maimburgius*, scribens; Lutherum mortuum esse *(avec peu de ceremonie)* cum exigua ceremonia, capere satis non possum. Ego mihi, quem senecta, ultra Lutheri annos jam producta, & corporis debilitas quotidie minatur, exitum, majori ceremonia ornatum aut oneratum non optaverim. Ceremonias forte Maimburgius Luthero destinasset, quas *Job. Husso* Constantienses illi Patres decreverunt, aut quas hodie in vivicomburiis suis observant inquisitores Hispani. Quid quæso desiderari potest circa externa, sive, ut noster loquitur, ceremonias in obitu Lutheri? decessit in negotii gravissimi pia & honestissima tractatione, præparatus ad obitum, ut dicta & scripta ejus plurima ostendunt, jam a longo tempore, eumque a Deo precibus poscens; orationi quotidianæ devotissime vacabat, conciones brevi hoc tempore, & occupatissimus, ter vel quater habuit; bis intra hoc tempus refectus Sacramento Eucharistico; decessit post lætam & piam cum amicis conversationem (qua tamen corpus non oneravit, ut ex actis dictisque ejus post cœnam constat) præsentibus filiis, & adstantibus, immo ministrantibus Illustrissimis viris & matronis, agone paucarum horarum felicissime superato. Ætas quoque ejus, etsi non ad summum vitæ humanæ terminum, ad eum tamen provecta est, quem pauci attingunt. Memorabile est, quod in postrema illa cœna sua de hac ipsa materia sapienter & pie lo-

(6) *Quædam de negotio Mansfeldensi.*

(7) *Notantur quædam ad Maimburgii relationem de morte Lutheri.*

An. 1546. locutus fuit. Refertur enim in narratione sæpe allegata, *fol. 848.* illum inter alia de brevitate vitæ disseruisse, & dixisse: *Verisimile est, si infans unius anni alicubi moriatur, ut per totum orbem mille aut bis mille ejusdem ætatis decedant; cum vero ego sexaginta trium annorum senex moriar, vix sexaginta aut centum paris ætatis mecum morituri sunt, homines enim jam non, ut olim, senescunt.* Eadem in cœna, mota quæstione, an in vita æterna agnituri se invicem sint beati, respondit: *Adamus, ex somno evigilans, Evam, quam nunquam viderat, non interrogavit, unde es? aut, quæ es? sed dixit: hoc os ex ossibus & caro de carne mea: Unde vero sciebat, quod ex lapide non prosiliisset mulier ista? inde nempe, quia plenus erat Spiritu sancto & veram Dei cognitionem habebat. Ad hanc & ad imaginem divinam restituti per Christum in altera vita renovabimur, & parentes nostros & nos invicem cognoscemus de facie.* Sed jam literas *D. Jonæ*, Latine, ut fieri potuit, versas, exhibemus, in quibus reliqua, quæ ad mortem Lutheri spectant, narrantur; cum vero relatio ista properantissime scripta, postea autem a *D. Jona* & *Cœlio*, itemque *Johanne Aurifabro*, informatore liberorum Lutheri, in memoriam revocantibus, quæ omissa erant, aucta & locupletata sit, diverso charactere adscripsimus, quæ ad literarum explicationem pertinent.

Relatio D. Justi Jonæ, Superintendentis tunc Halensis, ad Joh. Fridericum Electorem Sax. de obitu D. Martini Lutheri ex autographo *(Reg. N. Lit. H. n. 44 fol. 111.)* Germanico Latine versa:

(8) *Relatio D. Jonæ de obitu Lutheri.*

Serenissime & Celsissime Elector, Celsitudini tuæ Electorali offero obsequium meum humillimum & officia paratissima, Domine Clementissime. Tristissima mente Electorali Celsitudini Tuæ expono: Venerandus in Christo omnium nostrum pater D. Martinus Lutherus, licet antea Wittenbergæ & in itinere ad hanc urbem, etiam prope eam in curru, cum huc adventaret, male se haberet, & de infirmitate sua quereretur, nihilominus omnibus diebus, quas in negotiis Comitum hic consumsimus, prandio & cœnæ interfuit, ciboque & potu sufficienter usus est, laudans, quod in patria sua bene sibi saperent, quæ ederet, biberetque. Dormivit etiam & quievit non male, & ego, filiique ejus natu minores, Martinus & Paulus, cum uno aut duobus famulis in cubiculo ejus dormivimus, eumque calefactis pulvinaribus, ut ob infirmitatem suam suetus erat, singulis noctibus refotum, in lectum reposuimus, quandoque etiam M. Michael Cœlius concionator Islebiensis: quotidie per tres has hebdomades bonam noctem satis hilariter nobis apprecatus est, (D. Lutherus) *dicens etiam:* orate pro Deo nostro, ut illi causa Ecclesiæ suæ bene succedat, concilium enim Tridentinum vehementer iratum est. *Præterea Dominus Doctor bolos confortatorios* (morsellas) *& aquas vitæ, quas vocant, quibus domi assueverat, Wittenberga afferri fecit, quædam medicamina etiam uxor ejus ultro misit. Semper quoque hoc tempore, cum alternis diebus aut post biduum negotia Comitum tractarentur, Wolffgango, Principi Anhaltino, & Johanni Henrico Comiti Schwarzburgico adfuit, unamque & alteram horam tractationi operam dedit. Verum enim vero heri, die Mercurii post Valentini d. 17. Febr. sic suadentibus Principe Anhaltino & Comite Schwarzburgico, a nobis quoque rogatus & monitus, ante meridiem in conclavi suo minori* (sive museo) *mansit & a negotiis abstinuit, & semivestitus deambulavit, aliquando ex fenestra prospexit & tam enixe oravit, ut ego & alii, qui aderant, percipere id potuerimus. Semper quidem alacris & hilaris erat, aliquando tamen mihi & Cœlio dicebat;* Ego hic Islebiæ natus & baptizatus fui, quid si etiam hic manerem sive morerer? *Dicto autem die Mercurii non in museo illo, sed in cœnaculo majori, cœnavit, varia & egregia dicta Scripturæ inter cœnandum protulit, in aliis vero sermonibus vulgaribus semel aut bis dixit:* Si concordiam inter Comites patriæ meæ Dominos procuravero, domum redibo & in loculum me componam, corpusque vermibus comedendum præbebo. *Ante cœnam quidem de quadam pectoris, non tamen cordis compressione queri cœperat, & linteis calidis fricari se jusserat, cum vero levamentum sentiret, in majori cœnaculo, ut dictum est, cœnam sumsit, inquiens:* solitarium esse non affert lætitiam; *comedit sufficienter & hilaris fuit, jocis etiam usus. Peracta illa cœna iterum dolere cœpit, pectus comprimi questus, & calida poscens lintea, vetuit tamen medicos advocari, & in grabato horas duas & dimidiam fere dormivit. Ego,* Cœlius, *hospes* (Drachstedius *vocabatur*) *scriba civitatis publicus, & hospitis uxor, duoque filii ejus natu minores vigilantes ei assedimus usque ad dimidiam horam undecimam.* (a)

(a) Ante horam nonam dormire in grabato cœperat, sonante decima evigilavit, & eos, qui aderant, rogavit, ut cubitum irent, qui tamen se excusabant, & suum officium esse dicebant, ut illi assisterent. Cum in cubiculum duceretur, in limine ejus dixit, *cum Deo cubitum eo*, dictumque Psalmi pronunciavit; *In manus tuas* &c. manu deinde porrecta omnibus noctem prosperam apprecatus est, & verba illa supra relata addidit, *orate pro Deo d fol. 849.* quæ, cum alium sensum non habeant, quam ut orandum sit pro causa Dei, inepte sugillantur a *Cochlæo fol. ult. hist. an. 1546.*

Petiit inde, ut lectus in cubiculo calefieret, quod & diligenter factum, ipse vero in eum deductus est. Ego, filii ejus duo, & Ambrosius, quem Wittenberga adduxerat, & reliqui famuli in eodem cubiculo cubavimus, in proximo Cœlius. Hora prima post mediam noctem Ambrosium & me excitavit, illique dixit, ut conclave calefaceret; Id quidem ea nocte jam factum erat. Inde mihi dixit; Proh Deum! D. Jona, quam male me habeo; valde comprimi sentio pectus: Islebiæ utique moriar. (b)

(b) Ubi natus & baptizatus sum, *d. fol. 849.*

Respondit Jonas: Reverende pater: Deus Pater noster cœlestis per Christum, quem prædicasti, auxilium feret. *d. l. Accurrit inter hac Ambrosius, illumque ex lecto relevatum in conclave deduxit.* (c)

(c) Ivit tamen absque manuductione, & limen transgrediens iterum dixit: *In manus tuas* &c.

Ibi deambulare cœpit, sed mox calida linteamina poposcit; nos vero illico duos ex urbe Medicos accer-

An. 1546. *cersivimus, qui & confestim adfuerunt, excitari etiam fecimus Albertum Comitem, qui una cum conjuge statim accurrit, hæc vero aquam vitæ & alia medicamenta porrexit.* (d)

(d) Albertum Comitem, cum de periculo ejus doleret, confidere jussit, dicens; se jam melius habere. Comes scobem monocerotis ipse elimavit, eamque vino mixtam Luthero consiliarius Comitis *Conradus a VVolframsdorff* prægustatam, porrexit *d. l.* factum tamen id fuit post cœnam, antequam Lutherus in cubiculum deductus esset. Vid. *d. l. p. 849.* Post horam vero primam, cum in museum ex cubiculo rediisset, & in grabato jaceret, advenerunt *Cœlius* & *Johannes Aurifaber*, item *M. Simon VVildius, & D. Ludovicus* Medicus, nec non alii, qui *fol. 850.* nominantur, atque iterum *Comes Albertus* cum conjuge, medicamina pretiosissima afferente & porrigente. Lutherus autem dixit; *O Deus! quantos dolores sentio, obeo utique hic Islebiæ:* Respondit ei vero *Jonas* cum *Cœlio*: *Reverende pater; invoca Jesum Christum Dominum summumque sacerdotem nostrum, mediatorem unicum, quem prædicasti; magnum sudorem jam emisisti, Deus faciet, ut melius te habeas.* Et ille regessit: *sutor hic frigidus est & mortis prodromus, reddam spiritum;* & tunc orationem in literis his paulo post relatam pronunciavit *d fol. 850.* ubi tamen amplior, & verbis quibusdam mutatis, refertur, nominatim enim Papæ mentionem fecit, ubi de impiis locutus est; (unde & *Cochlæus*, qui relationem prolixiorem, typis excusam legit, irascendi occasionem sumsit) deinde post verba, quæ mox in literis *Jonæ* sequentur, quibus animam, sive, ut modestæ extenuationis causa ajebat, animulam Deo commendabat, adjecit: *O pater cœlestis, etsi corpus hoc deserendum mihi est, & rapior ex hac vita, certe tamen scio quod apud te in æternum mansurus sim, & quod nemo me ex manu tua eripere possit.* Hæc verba ultima, integre relata a *Sleidano Lib. XVI. p 488. Cochlæus* præteriit, non ausus ea vel probare vel refutare. Dictum Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum* &c. Latine recitavit, versioni illi assuetus, addidit etiam itidem Latine verba Ps. LXVIII. 21. *Deus noster Deus salvos faciendi, & Dominus est Dominus educendi ex morte.* Tunc ei *VVildius* pretiosum medicamen ad ultima reservatum exhibuit; sed, eo percepto, denuo dixit Lutherus: *obeo, & spiritum reddam*, atque inde ter celeriter dictum Psalmi, *In manus tuas* &c. recitavit.

Doctor Lutherus autem orare cœpit, dicens: O pater mi cœlestis, æterne & misericors Deus, tu mihi filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum revelasti, hunc prædicavi, hunc confessus sum, hunc amo, & ut Salvatorem ac liberatorem meum charissimum colo, quem impii persequuntur, vituperant & blasphemant, suscipe animulam meam. *Ter deinde prolocutus est verba (Psalmi:)* In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis. *Item:* Sic Deus dilexit mundum. *Dum vero Medici & nos optima adhiberemus medicamenta, silere & linqui animo cœpit, nec nobis, vehementer licet acclamantibus & eum convellentibus, respondit. Cum vero Comitissa iterum ei aquam vitæ instillaret, & Medici instarent, respondere, sed debiliter, mihi & Cœlio cœpit*, ita, *aut* non *dicens. Cum vero uterque ei acclamaremus;* Pater charissime, confiteris utique Jesum Christum filium Dei, salvatorem & redemtorem nostrum? *tum clare satis, ut exaudiri posset, respondit;* Ita. *Postea frons & facies ejus friguit, & quamvis a nobis conquateretur, & nomine suo,* (D. Martine) *vocaretur, nihil amplius respondit, sed manibus complicatis leniter respiravit & ingemuit, & sic, quod tristissima mente, multisque cum lacrymis querimur, Domine Clementissime, obdormivit inter horam secundam & tertiam matutinam. Albertus Comes cum uxore & Johannes Henricus Comes Schwarzburgensis mature advenerunt, & partim in obitu ejus præsentes fuerunt.* (e) An. 1546.

(e) Tardius enim, & in articulo mortis, advenerat Comes *Schwartzburgicus* cum uxore *fol. 850.* ubi prolixius & accuratius omnia explicantur. Nempe, cum post pronunciata verba Psalmi, *in manus tuas* &c. sileret Lutherus & oculos clauderet, Comitis Alberti uxor & reliqui, movere corpus & fricare faciem, acclamare & aquis aromaticis tempora & manus ejus linire non destiterunt, verba autem, quibus eum in agone illo suo interrogarunt D. *Jonas & Cœlius*, sic referuntur: *Reverende Pater; moreris ne in constanti confessione Christi & doctrinæ, quam prædicasti?* & ad hæc clara voce affirmando respondit, ut dicitur in literis, *ita.* Postea in latus dextrum reclinans quadrantem fere horæ dormivit, unde quædam spes oriebatur; sed Medici & Theologi somno illi fidendum esse negabant, & faciem ejus admotis candelis diligenter observabant. Viderunt igitur eum expallescere, & nasum pedesque frigescere deprehenderunt. Scribunt inde: *suspirium profundum, sed lene duxit, & in eo spiritum reddidit, nec digitum nec crus movens, ita ut (quod coram Deo & per conscientiam nostram testamur) nemo inquietudinem aut ullum corporis cruciatum observare potuerit, sed obdormivit in pace & in Domino, sicut Simeon. Impletum est in eo dictum Christi Joh. VIII. 51. Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Hoc dictum ultimum est, quod rogatus manu sua & memoriæ causa in codices Biblicos inscripsit. Habet etiam *Joh. Gasmannus*, quæstor *Comitum Hohnsteinensium* Elricæ, librum Postillæ domesticæ, in quo Pater optimus (der hertzliche Vater) hanc explicationem ad verba; *mortem non videbit in æternum,* addidit: *Quam incredibilia videntur, quæ hic dicuntur, & quæ quotidianæ & manifestæ repugnant experientiæ, sunt tamen verissima. Si quis enim serio verbum Dei in corde suo meditatur, illi credit, & in ea fide obdormit & moritur, ille deficit & obit, antequam mortem videat aut animadvertat, & in verbo, quod credidit & meditatus est, & in quo decessit, certissime salvatur.* His nomen suum & diem 7. Febr. 1546. subscripserat. Impie & insulse nugatur veneno invidiæ lividus *Cochlæus fol. 317.* scribit enim: *Vellent libenter omnibus persuadere, quod mortem ille non gustaverit, sed velut Henoch aut Elias aut Johannes Evangelista sine morte translatus sit.* Dein exclamationi, quam retuli, subjungit; *Huic illorum impudentiæ obstat mortui cadaver, idque fœtidissimum, quod multorum oculi palam viderunt in terram sepeliri, quod de corpore Henoch, Eliæ aut Johannis vere affirmare non possunt.* Stulta prorsus & *Cochlæi* stupore digna cavillatio! Nemo enim unquam negavit, cadaver Lutheri eandem corruptionem passum esse, quam alia: De placida morte quæstio est, quam ei ex promissione Christi contigisse ex relationibus citatis certissimum est. *Maimburgii* quoque dicta falsitatis arguuntur, si cum relationibus his conferantur. Verum sane minime est, quod vel medici tardius advenerint, vel ex improviso mortuum deprehenderint, cum eum melius habere putarent.

Hæc, sequenti statim hora, ut debui, quanquam nos miseri, ab annis viginti quinque discipuli ejus, summo mœrore ex morte hac obruti sumus, celeriter per hunc tabellarium Electorali Celsitudini Tuæ aperiendum esse duximus, submisse petentes, ut man-

An. 1546. *mandet nobis, quid de sepultura fieri velit; Commorabimur hic, usque dum jussa Electoralis Celsitudinis Tuæ accipiamus; scribat etiam, quæsumus, Comiti, quid facere debeat. Ille quidem corpus viri libenter in patria retinere vellet, sed voluntati Electoralis Celsit. Tuæ obsequetur. Deus pater cœlestis & omnipotens consoletur Electoralem Celsit. Tuam & nos omnes, quos casus hic vehementer afflixit. Rogamus quoque, ut uxori defuncti, itemque Domino Philippo; D. Pomerano & Crucigero consolatorias scribat Electoralis Celsit. Tua, quod rectius facere novit, quam nos cogitare possumus. Expectamus celere responsum. Deus Electoralem Celsit. Tuam semper custodiat. Datum festinanter Islebiæ Jovis post Valentini, hora quarta matutina d. 18. Febr. 1546.* Additum est manu *Jonæ: Significo etiam Celsitudini Tuæ, quod D. Martinus omnibus Dominicis brevem concionem hic habuit, quarum exempla penes nos sunt, & intra tres has hebdomadas bis confessus, absolutus & communione sacra usus est.* (f)

(f) Semel publice in cœtu; post alteram vero communionem, quæ in sacello facta erat, duos Pastores ex Comitatu Mansfeldensi, rogantibus Comitibus, ordinavit *d. l. fol. 448.*

De aliis, quæ in mensa locutus fuit, ipse Electorali Celsit. Tuæ relationem faciam. (g)

(g) Quædam in relationem typis excusam inserta sunt *fol. 848. & 849.* partim etiam a nobis jam recensita.

Has literas Secretario Alberti Comitis properanter in calamum dictavi, præ mœrore enim ipsi scribere nequivimus.

Electoralis Vestræ Celsitudinis
subjectus & paratissimus
Justus Jonas, Doctor, manu propria una cum M. Michaele Cœlio, qui his omnibus adfuit.

ADDITIO.

D. Justus Jonas Schreiben an Churf. Johann Friedrichen / dat. zu Eißleben Donnerstags nach Valentini den 18. Februarii 1546.

(a) *Literæ D. Justi Jonæ Germanica de morte Lutheri.*

Durchlauchtigster hochgebohrner Churfürst. E. C. F. G. sind meine unterthänigste gehorsam, verpflicht, und gantz willige dienste zuvorn. Gnädigster Churfürst und Herr. E. C. F. G. gebe ich in unterthänigkeit / mit gantz hochbetrübten gemüthe / eilends zu erkennen. Nachdem der Ehrwürdige in Christo / unser aller lieber Vater D. Martinus Lutherus sich zuvor zu Wittenberg / und auch auff dieser reise etwas geklaget / auch im Wagen / da er anhero gefahren / und hart für Eißleben kommen / auch schwachheit sich beklaget / hat er doch / so lange wir zu Eißleben in diesen sachen der Grafen und Herren gewesen / alle mittage und abendmahl gehalten / über tisch ziemlich wohl gessen und getruncken / speiß und tranck auch sonderlich gelobet / wie es ihm wohl schmeckte in seinem vaterlande. Er hat auch alle nacht ziemlich geschlaffen / und geruhet / da sein diener Ambrosius / ich D. Jonas / seine zween kleine Söhne / Martinus und Paulus, sambt noch einen oder zween dienern bey ihm in der kammer gelegen / ihn auch mit wärmung der küssen (seiner schwachheit nach) alle abend zu bette geschickt und bracht / offt wir beyde M. Michael Cœlius, Prediger zu Manßfeld / und ich Jonas, da er uns frölich alle abend diese drey wochen durch gute nacht geben. Offt mit diesen worten: D. Jonas und Hr. Michael / betet für unsern Herr Gott / daß es ihm mit seinen Kirchen-sachen wohl gehe / das Concilium zu Trient zürnet sehr. Auch Gnädigster Churfürst und Herr / hat gemelter Herr Doctor seine Stärckküchlein / wasser und Aquavits (was er daheim zugebrauchen gehabt) von Wittenberg holen lassen / die Doctorin hat ihm auch zum theil von ihr selbst anher geschickt / ist also allezeit diese drey wochen durch (denn ie über zween oder drey tage einmahl handlung gewesen) bey M. G. H. Fürst Wolffen Von Anhalt / Graff Hans Heinrichen von Schwartzburg bey den händeln ie zu zeiten eine stunde / ie zu zeiten anderthalbe geweßt. Aber gestern Mitwochs nach Valentini den 17. Februarii ist er aus bedencken der Fürsten von Anhalt und Graffen Albrechts / auch auff unser bitten und vermahnen / dem vormittag in seinem stüblein blieben / zu den händeln nicht gangen / im stüblein aber / ausgezogen seiner beinkleider / im schäublein umher gangen / ie zu zeiten zum fenster hinaus gesehen und gebett / so emsig / daß wirs auch / die bey ihm in der stuben gewesen / gehöret / doch immer frölich gewesen / ja zu zeiten ein wort hören lassen / D. Jonas und Herr Michael ich bin hier zu Eißleben getaufft / wie wenn ich hie bleiben solte? Gedachtes nechst verschienen Mitwochs aber hat er dennoch nicht in seinem stüblein / sondern danieden in der grossen stuben mahlzeit gehalten / viel und von schönen sprüchen in der schrifft über tische geredet / auch in gemeinen reden einst oder zween gesagt / wenn ich meine liebe Lands Herren die Graffen vertrage / und wills Gott diese reise ausrichte / so will ich heim ziehen und mich in den sarg schlaffen legen / und den würmen den leib zuverzehren geben. Nachten desselben Mittwochs aber vor dem abendmahl / hat er angefangen zu klagen / es trücke ihm auff der brust / aber nicht zum hertzen / hat begehrt / ihm mit warmen tüchern zureiben / darnach gesagt / das trücken lasse ein wenig ab / hat die abendmahlzeit aber danieden in der grossen stuben gehalten und gesagt / allein seyn / bringt nicht frölichkeit / über dem abendmahl ziemlich gessen / und frölich gewesen auch mit schertzreden. Nach demselben abendmahl hat er sich wieder etwas geklagt / es trücke ihm auff der Brust / warme tücher begehrt / haben die Herren und wir den artzt wollen holen lassen / Magister und Doctor, hat ers verboten / und etwa zwey oder dritthalb stunden auffm Ruhbettlein geschlaffen / haben wir Herr Michael Cœlius, ich Jonas / der Wirth / Stadtschreiber zu Eißleben / und die Wirthin / seine zween kleine söhne / ungefehrlich biß halb eilffe bey ihm gewacht. Da hat er begehrt / man solte ihm das bette in der cammer wärmen / welches alles mit grossen fleiß geschehen / und haben ihn zu bette bracht / ist M. Cœlius in der cammer dabey gelegen. Aber sein diener Ambrosius / so von Wittenberg mit ihm kommen / und ich D. Jonas / seine zween kleine söhne / und die diener sind bey ihm in der cammer gelegen / ungefährlich um eilffe ist er eingeschlaffen / geruhet mit natürlichen schnauben. Darnach / Gnädigster Herr / um 1. Uhr in der nacht hat er den diener Ambrosius und mich D. Jonas auffgeruffen / erst dem diener gesagt / mache das stüblein warm / als der diener aber geeilet und als das stüblein allbereit warm gewesen / die gantze nacht darauff bereitet / hat er zu mir gesagt / O Herr Gott / D. Jonas / wie ist mir so übel / mich druckts so hart um die brust / o ich werde zu Eißleben bleiben. Indem ist Ambrosius und wir alle zugelauffen / ihm aus dem bette geholffen / als er ins stüblein kommen / ist er noch einmahl umher gangen / darnach aber warme tücher begehret / haben wir eilends beyde ärtzte in der Stadt / Doctor und Magister lassen auffwecken / welche auch eilends kommen / desgleichen M. G. Herr Graff Albrechten lassen wecken / welcher bald mit der Gräffin gelauffen kommen / aquavitæ und des Doctors artzney und alles versucht / da hat der Herr Doctor angefangen zu beten. Mein himmlischer Vater / ewiger barmhertziger Gott / du hast mir deinen lieben Sohn unsern Herrn Jesum Christum offenbaret / den habe ich gelehret / den habe ich bekant / den liebe ich / und den ehre ich vor meinen lieben Heyland und Erlöser / welchen die Gottlosen verfolgen / schänden und schelten / nim mein seelichen zu dir. Indem redet er is die dreymahl: In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Deus veritatis, ja / also hat Gott

die Welt geliebet. Indem / Gnädigster Herr / als die ärtzte und wir die besten stärckung brauchten / begunte er einmahl stille zuschweigen / als sincke er dahin / und auff unser hefftig ruffen und rütteln nichts zu antworten. Indem aber als die Gräfin ihn wieder aquavitæ einstreichen / und die ärtzte / begunte er wieder zu antworten / doch schwächlich / Herr M. Cœlio und mir D. Jonas / Ja und Nein. Und da wir ihm beyde einschrien / Allerliebster Vater / ihr bekennet ja Christum den Sohn Gottes / unsern Heyland und Erlöser / sprach er noch einmahl / daß mans hören kunte / eben starck ja / darnach war ihm stirn und angesicht kalt. Und wie hart man rieff / rüttelt und mit tauffnahmen nennet / D. Martine, antwortet er nicht mehr / that einen sanfften odem holen / und seufftzen / mit gefaltenen in einander geschlagenen händen. Und Gnädigster Herr / das wir mit betrübten hertzen und vielen trähnen klagen / ist also in Christo entschlaffen / ungefährlich zwischen zweyen und dreyen in der nacht gegen den Morgen. Graff Albrecht und unsere Gnädige Frau die Gräfin / auch mein Gnädiger Herr von Schwartzburg / sind zeitlich gennug da gewesen / zum theil zum ende kommen. Dieses / Gnädigster Churfürst und Herr / habe ich bald die folgende stunde / meiner unterthänigen schuldigen Pflicht nach / wie wohl wir armen seine discipul und Jünger (von fünff und zwantzig Jahren her) auffs höchste durch diesen fall betrübt / E. C. F. G. sollen eilend durch diese post zuschreiben und zu erkennen geben. Bitten unterthäniglich E. C. F. G. wollen uns des Begräbnüß halben / damit wir verziehen wollen biß auff E. C. F. G. antwort / Gnädigst ihr Gemüth zu erkennen geben / auch unsern Gnädigen Herrn dem Graffen schreiben / wessen Ihre Gnaden sich darinnen zu halten haben. Wiewohl Ihre Gnaden ihn gern in ihrer herrschafft als seinem vaterlande behalten wolten / doch stellen sie es in E. C. F. G. Gnädigen gefallen. Der Allmächtige himmlische Vater tröste E. C. F. G. und uns alle / welche dieser fall hertzlich betrübet hat. Es wollen auch E. C. F. G. Gnädigst der Doctorin seiner lieben Haußfrauen / und Domino Philippo, D. Pomerano und D. Creutzigern sonderlich ein trostbrieff zuschreiben / welches E. C. F. G. besser zu thun wissen / als wir unterthäniglich ersinnen können / bitten E. C. F. G. Gnädigste eilende antwort / der Herr Jesus Christus bewahre E. C. F. G. allezeit. Datum in eyl Eißleben Donnerstags nach Valentini um vier uhr frühe den 18. Februar. 1546.

Auch gebe ich E. C. F. G. unterthäniglich zuerkennen / daß gedachter Herr D. Martinus alle Sonntage eine kurtze predigt gethan / der abschrifft wir haben / und diese drey wochen zwier absolution empfangen und communicirt. Von andern seinen reden über tisch / will E. C. F. G. unterthäniglich bericht thun.

Gnädigster Churfürst und Herr / diesen Brieff hab ich hiermit in die Feder eilend Graff Albrechts Secretario dictirt, um 4. uhr / da wir für betrübnüß selber nicht alles haben schreiben können.

E. C. F. G.

unterthänigster williger diener

Justus Jonas Doctor, meine hand / sambt Ern. Michael Cœlio, der bey diesen allen gewesen.

§. CXXXIV.

(1) *Cochlæi calumniæ refutantur, speciatim de honore sessionis, & proverbio quodam.*

Ineptas *Cochlæi* sugillationes, quanquam vix referri mereantur, quoniam tamen lactucæ, utut insipidæ, labra, quibus sapiant, etiam hodie inveniunt, paucis considerabimus. Invidia ardens reprehendit, quod honorabilem ei locum in mensa dederint, & Pharisæis eum annumerat, priores accubitus amantibus. Hæc *Cochlæus* cautius reticuisset, ne in fastum Cleri, quæ a tot seculis extiterunt, querelas resuscitaret; quis enim, nisi *Cochlæo* similis, dubitet, *Lutherum* propter summa in Ecclesiam merita, & qui pro Electoris Legato habebatur, omni reverentia dignum fuisse? neque quicquam decessit dignitati Comitum illius hospitum, si quid extraordinarii honoris in tantum virum, quem ipsi & tot hominum myriades pro patre spirituali agnoscebant, contulerunt. Ex dictis sive apophthegmatibus ejus primum illud exagitat, quod in cœna sua ultima dixerit; *ideo tam diu vivere senes, ut in Diaboli posteriora respiciant.* Verba illa extant in relatione *Tom. VIII. fol. 849.* habentque, licet inter familiares liberius dicta sint, sensum non incommodum, quod Deus etiam charissimos suos, quibus vitam boni publici causa aliquando prorogat, Diaboli tentationibus & insultibus diu & sæpe exponat, ut testes esse possint nequitiæ Diabolicæ & vanitatis mundi, quo ipso etiam in iis crescit desiderium liberationis, & tædium odiumque mundi. Quanquam vero dicterium illud inter proverbia, quæ illo tempore magis, quam nostro, (quod factis pejus, verborum fucatæ verecundiæ studet) usitata, referendum, & alibi quoque a Luthero usurpatum sit; *Razebergius* tamen in *historia MS* (in exemplari, quo utor, *fol. 65.*) refert, Luthero illo ipso tempore, cum *Islebiæ* esset, & sub initium noctis, ut consueverat, ad fenestram stans oraret, spectrum oblatum fuisse, dæmonis nempe in castello seu receptaculo aquarum, quod e regione hospitii sui erat, sedentis, & Luthero posteriora ostendentis, & sic eum subsannantis, quod frustra de concordia inter Comites laboraret. Hoc *D. Jonæ* & *Michaëli Cœlio* narrasse perhibetur, & *Cœlius* ipse in concione funebri *Tom. VIII. Alt. fol. 860.* ex ore Lutheri, sed eatenus tantum narrat, quod spectrum illud diducto ore ei illuserit, cætera coram cœtu reticuit. Et hæc forte occasio fuit dicti illius a *Cochlæo* reprehensi. Mirabilis tamen est hujus & pietas & argutia, qua *d. l. fol. 317.* senes in *posteriora* potius *Dei*, quam *Diaboli* respicere jubet, Moysis historiam allegans Exod. XXXIII. 28. *Lutherus* sane non jussit *posteriora Diaboli*, id est, ejus nequitiam & turpitudinem respici, sed pro afflictione habuit, quod pii, quanto diutius in orbe vivant, tanto plus diabolicæ potentiæ & nequitiæ contueri & experiri cogantur. Interim *Cochlæo* digna est subtilitas illa, qui tot scriptis, paulo post quidem contemtu & oblivione sepultis, & ab ipso fere solo laudatis, id maxime agebat, ut Christianos ad *posteriora* illa *Dei*, sive velamen Moysaicum & sub jugum legum & rituum Pontificiorum reduceret. Ita, quantum in se erat, felicitatem Christianorum destruebat, quam Apostolus, postquam de velamine illo Moysaico, Judæos adhuc occæcante, questus erat, egregie celebrat, *2. Cor. III. 18.* scribens: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculamur, sublato scilicet velamine* illo, & obscuritate Veteris Testamenti, *in Christo*, ut dixerat *v. 14.* Saniora non sunt, quibus idem *Lutheri* Thersites alia ejus dicta allatrat, v. g. *d. Tom. VIII. fol. 849. Genus humanum est sicut ovile ovium occisionis.* Huic scilicet Cochlæo judice, obstat dictum Pauli, *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Hoc nimirum docere Lutherum *Cochlæus* debuit, qui de gratia & benignitate Dei erga genus humanum plus concionatus erat intra annos

(2) *Alii Cochlæi cavilli.*

An. 1546.

annos triginta, quam antea per decem fere secula in Ecclesia auditum fuerat, aut unquam pie expenderat *Cochlæus*. Sed non minus verum est, totum genus humanum morti obnoxium esse, plurimos etiam homines, totasque sæpe gentes, bellicis cladibus objici, sed & pios & fideles ipsos æstimari, sicut *oves occisionis* Ps. XLIII. 12. Rom. VIII. 36. ad quæ dicta haud dubie respexit *Lutherus*. Vapulat etiam idem *Cochlæo*, quod dixerat, *solitarium esse, non affert lætitiam*; Monachis enim etiam dictum esse a Paulo monet, *gaudete in Domino semper*; quanquam Pauli ignotæ fuerunt, quos seculorum infelicitas produxit, monachorum cohortes, & hi fere minime sciunt, quid sint gaudia pia & spiritualia, quæ Paulus commendat. Occasionem dicti sumsit Lutherus ex consideratione morbi & mœstitiæ, similiumque afflictionum, quæ amicorum præsentia & alloquio levantur, Salomonis igitur sententiam expressit, dicentis; *væ soli*, Eccl. IV. 4. quod si de conjugio locutus esset, nihil aliud dixisset, quam quod ex ore divino Moyses consignavit *Gen. II 18*. Perversa deinde inprimis est orationis, qua Lutherus moriturus usus fuit, pessima criminatio & cavillatio, a *Cochlæo* instituta. Negat, in Scripturis, Patrum libris, & Conciliorum actis reperiri talem orationis formulam, & pro jactantia habet, quod Lutherus gratias Deo pro revelatione filii sui Jesu Christi sibi facta egerit. Quodnam autem majus beneficium Dei in nobis agnoscere & prædicare possumus, quam revelationem illam & inde productam fidem, qua salvamur? annon Christus ipse hujus gratiarum actionis formulam primus præivit? *Matth. XI. 25. Luc. X. 21.* & quid est, pro quo majores gratias agunt Apostoli? aut quid aliud vult David, toties de revelatione illa, non in genere saltem Israëlitico populo, sed & sibi per verbum Dei facta, lætans & glorians? inprimis toto pene *Psalmo* suo longissimo *CXIX*. Ex *Cochlæi* sententia gratias agere Deo debuisset Lutherus, quod Ecclesiæ, id est, Papæ sese revelasset, & quod cognitionem & pietatem monachis tam largiter contulisset, ut ex eorum meritis ipse, velut canis ex mensa filiorum, fragmenta & micas acciperet. Tam ignota & invisa *Cochlæo* & similibus erat fiducia, quam pius quisque de gratia Dei & applicatione meritorum Christi ad se ipsum ex *Lutheri* doctrina habere potest & debet, & quam ipse in ultimo hoc agone suo tenuit, ut ejus professionem a moriente factam pro blasphemia habeat. Nec minus crimen est, judice hoc, quod *Lutherus* Papam *abominabilem* vocaverit, & ab illo omnibusque impiis Christum blasphemari dixerit. Aliter certe cogitare aut precari non poterat *Lutherus*, qui impietatis illius satis gnarus, per tot annos nil aliud pene egerat, quam ut eam detegeret, refutaret, corrigeret; quia omnia illa dogmata de hominum meritis & sanctorum cultu, ut & sacerdotum, in expiandis per sacrificia missatica hominum peccatis, vanos labores ad contumeliam Christi pertinere credebat. Revocare scilicet fidem doctrinamque suam debuisset, præsertim, quia scripserat, ut *Cochlæus* refert, *anathema sit, qui contra veritatem apostolicarum indulgentiarum loquitur*. Item: *Fateor, sub Papatu plurimum esse boni & Christiani; immo omne bonum Christianum*. Non puduit deterrimum sophistam cramben fœtidam, toties recoctam, denuo apponere. Centies responsum fuit, ab ipso inprimis proxime ante mortem suam *Luthero* in *præfatione Tomi I.* operum supra §. *CXXVIII. n. 8.* candidissime; quædam nempe sub initium cœptæ disputationis retenta, ut reliquias veterum errorum; illis vero plenius agnitis & correctis, rejecta fuisse. Quæ vero sub Papatu, & in Ecclesia ejus dominatui subjecta bona fuerint, & ab Evangelicis retenta sint, liquidissime indicavit, verbum nempe Dei & usum Sacramentorum, licet hic posterioribus seculis partim superstitiosis ritibus oneratus, partim etiam mutilatus fuisset.

(3) Defenditur oratio Lutheri ante mortem.

(4) De alia Lutheri oratione.

Razebergius in *Hist. MS. fol. 70. b.* aliam precationem producit, quam vespera ante obitum, & prius, quam vi morbi lethalis obrueretur, ad fenestram, ex qua cœlum, ut quotidie tam æstate quam hyeme orans facere consueverat, suspiciebat, clara voce pronunciavit, observatam a *Johanne Sickelio* Northusano, D. Jonæ famulo. Verba Germanica hæc sunt: **Herr GOtt himmlischer Vater/ ich ruffe dich an in dem nahmen deines lieben Sohns/ unsers Herrn JEsu Christi/ den ich durch deine gnade bekennet und geprediget habe/ du wollest mich nach deiner zusage/ zu deines nahmens ehre/ gnädiglichen auch in diesem erhören/ nachdem du mir nach deiner grossen Barmhertzigkeit nach deinem gnädigen willen geoffenbaret hast/ den grossen abfall/ blindheit und finsterniß des Pabsts/ für deinem heiligen tage/ welcher nicht ferne sondern für der thür ist/ so auf das licht des Evangelii erfolgen soll/ und ietzo in aller welt angehet/ du wollest doch die Kirche meines lieben Vaterlandes biß zum ende/ ohne abfall in reiner wahrheit und beständigkeit rechter bekäntniß deines worts/ gnädiglich erhalten/ auff daß die gantze welt überzeuget werde/ daß du mich darumb gesand hast. Ach lieber HErr GOtt/ Amen/ Amen.** id est: *Domine Deus, pater cœlestis, invoco te in nomine filii tui charissimi Jesu Christi, Domini nostri, ut secundum promissionem tuam, ad nominis tui gloriam etiam has preces meas propitius exaudire velis; nimirum, postquam mihi secundum magnam misericordiam & benignam voluntatem tuam, maximam apostasiam, cæcitatem & tenebras Papæ, ante diem tuum extremum, qui non procul abest, sed imminet, & lucem Evangelicam, quæ nunc per orbem effulsit, secuturus est, revelasti, ut ecclesiam dilectæ patriæ meæ usque ad finem, absque defectione, in pura veritate & constanti ac legitima confessione verbi tui conservare clementissime velis, ut totus mundus agnoscat, me a te ad hoc missum esse. Fiat, o Domine & Deus charissime, Amen, Amen.* Hac oratione speciatim patriam suam, in qua tunc erat, Deo commendavit, eaque huc usque exaudita fuit; neque reprehendi potest, quod sui quoque apud Deum meminerit, ut testimonium veritatis doctrinæ suæ, quam tanto studio, magnoque cum periculo ex verbo Dei proposuerat, perhiberet, eam ad finem usque seculi conservando; id enim ad ipsius Dei gloriam pertinebat. Observandum quoque est, *Lutherum* ad exemplum Apostolorum, veterumque Patrum, propinquitatem diei

An. 1546. diei novissimi semper mente versasse, & hunc flagrantissime desiderasse, nec non in spe fuisse, fore ante eum, ut lux Evangelica latius propagaretur. Sed ut arcana Dei consilia etiam piis occulta sunt, ita etiam hac in re *Luthero* contigit, Deoque causæ fuerunt, cur & diem illum protraheret, & multis magnisque provinciis, aspernantibus præsertim & vi contranitentibus, beneficium puræ doctrinæ denegaret, aliquibus etiam ob ingratitudinem auferret. Confirmatur quoque ex hac ipsa Lutheri precatione, in qua Papæ & mundi interitum conjungit, & ex aliis quoque dictis ejus, quæ alio loco notavimus, apparet, ejus sententiam fuisse, quod Papa & mundus una interituri essent. Non erat itaque, ut versum illum, quem circa vitæ finem pronunciavit, aut, ut *Razebergius* notat, post ultimam cœnam parieti creta inscripsit:

(5) *De versu Lutheri; Pestis eram vivus &c. & ejus occasione & sensu.*

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa! tanto cum stomacho exagitaret *Cochlæus*, *d. l. fol. 318* & tot alii ejusdem ingenii. Mortem corporis utique ominatus non est Pontifici, sed interitum dominatus sive regni; significans, eum nonminus post mortem Lutheri a doctrinæ ejus propagatoribus & assertoribus timere sibi debere, quam vivo illo metuisset. Universalem quidem & ultimum interitum, ut dixi, in adventu Jesu Christi, quem proxime instare sperabat, ei determinabat, at non exiguum esse æstimabat, quod jam senserat Papa, & continuatum iri judicabat *Lutherus* decrementum, damnum & pestem; liberatis & ereptis ex ejus servitute plurimis regnis & provinciis, vel totis, vel ex parte. Videtur etiam *Lutherus* temporis illius conditionem & faciem considerasse. Prævidebat, nec id apud amicos celabat, summum religioni & speciatim in Saxonia periculum instare: *Razebergius Hist. MS. fol. 63. b. & seq.* digna relatu narrat: Circa Festum Martini 1545. a Luthero *Pomeranum*, *Melanchthonem*, *Crucigerum*, *Majorem*, *Paulum Eberum*, aliosque ex amicis ad cœnam invitatos esse; jam vero, finita illa, discessuros graviter monitos fuisse, ut in doctrina Evangelica constanter persisterent, multaque ipsum de schismate inter Evangelicos post mortem suam secuturo prædixisse, dein addidisse: *dum vixero, Deo volente periculum non erit, & pax satis bona manebit in Germania, sed cum decessero, orate; precibus opus erit profecto, & liberi nostri hastas arripere cogentur, malus erit Germaniæ status. Concilium Tridentinum vehementer nobis irascitur & pessime cupit, orate igitur inquam, diligenter post mortem meam.* Conversus deinde ad *Eberum* Latine dixit; *Tu vocaris Paulus, moneo igitur te, ut exemplo Pauli studeas constanter conservare & tueri doctrinam, quam Paulus tradidit.* Postea, paulo ante quam *Islebiam* discessisset, sub finem concionis cujusdam, die Dominica, populum hortatus est ad diligentes preces, utque spiritus discernerent, & cum pluribus explicasset, quæ post aliquot annos, mutata ad tempus doctrina Wittenbergensium Theologorum, eventum habuerunt, rogavit auditores, ut, si fama ad eos perveniret, se ægrotum decumbere, Deum orarent, non ut longiorem vitam, sed ut placidæ mortis beneficium sibi concederet. *Mundum*, ait, *mei tædet, & me mundi, facile nos separabimus, sicut hospes cauponam haud invitus deserit.* Speciatim vero penetravit in interiora illa mala, & germinantia magis magisque inter *Electorem Saxoniæ* & agnatum *Mauritium* discordiæ semina. Extat epistola ejus *MS.* Latina *d. 8. Jan.* paulo ante iter ejus Islebiense ad *Amsdorffium* data, in qua vehementer de simultatibus illis queritur; culpam hominum vitiis imputat, & pejora metuit, a *D. Christophoro Turco*, Cancellario olim *Alberti* Cardinalis, Halensi, tunc vero ad Cancellarii munus in aula *Mauritii* evecto, quem *Moguntini & Georgii Ducis Saxoniæ* jam mortuorum, consilia renovaturum esse suspicabatur. De Cæsare vero sic loquitur: *Cæsar est aversus, & quod hactenus dissimulavit, nunc prodit; nos oremus, ut vivat in nobis Christus. Novum malum cogitat contra nos Satan, & solicitat multos Comites & Principes, & seditio periculosissima agitatur, & spiritus Munzerianus, post rusticos, nunc nobiles invasit contra nos & Principem nostrum. Deus illi adsit, durum illi certamen instat.* Hæc verba Germanice scripsit: Gott helffe ihm, es gilt ihm einen harten Strauß. *Sed speramus*, (addit) *quod Deus nostra oratione confundet eos, ut Mezentium.* (sic *Henricum Brunsuicensem* vocare solebat) Ex his demonstratum esse puto, *Lutherum*, non dicam ex inspiratione divina, licet non desint, qui haud levibus argumentis ita sentiant, sed prudenti & divinæ providentiæ conformi conjectura, periculum belli, quod instabat, paucisque post mortem ejus mensibus exarsit, aliasque mutationes prævidisse, ejusque intuitu tristem & solicitum fuisse, spe tamen erectum esse, fore, ut nihilominus religionis reformatio subsisteret & conservaretur; quanquam admirabilem illum modum, quo post cladem *Johannis Friderici Electoris* & *Landgravii*, per illum ipsum *Mauritium* Ducem, quem Lutherus suspectum habebat, quod ad ruinam Electoris plurimum collaturus esset, Deus Ecclesiæ Evangelicæ prospexit, nec ipse nec quisquam mortalium divinare potuerit. Interim in genere confidebat, quod morte sua, quam itidem proximam esse dudum crediderat & prædixerat, & propediem instare sentiebat, religio purior non esset interitura, neque futurum, ut Papæ potentia in provinciis, quæ eam excusserant, denuo vires reciperet, sed quod abjecta & veluti mortua manere deberet. Hanc *mortem Papæ* non dubito eum intellexisse.

(6) *Nota ad Maimburgii & Pallavicini judicium de eruditione Lutheri.*

Jam etiam *Maimburgii* judicium aut vituperium potius, quod mortuo Luthero impingit, considerabimus, junctis, quæ *Pallavicinus*, ex quo ille fere unice sapit, *Lib. VI. cap. X.* commentatus est, non parcens tamen acerbis injuriis; qui vero illis majori cum protervia indulserunt, *Cochlæus*, *Surius*, & qui eos magno numero & cœco affectu secuti sunt, inter recentiores etiam *Raynaldus*, tales sunt, quos contemnere, quam refutare satius est. Tribuunt Luthero *Pallavicinus* & noster ingenium, eruditionem & facundiam, in lingua populari, mallent quoque hæc omnia ei abjudicare; sed cum sine summa impudentia id non possint, rodunt tamen, deminuunt & deturpant, quanta valent malignitate & calumniandi arte, dona divinitus in illum collata. Eruditionem Lutheri copiosam vocat *Pallavicinus*, sed comparat eam

An. 1546. cum *plurima supellectilis congerie*, sive *nummis aeneis locuplete aerario*, non quasi cum *vestiario nobilium aulaeorum, sive unionum, gemmarumque thesauro*. Jam vero considerantibus, quam partem eruditionis praecipue excoluerit Lutherus, dubium esse non potest, quod maximum studium ad intelligendas sacras Scripturas, & probandos ex illis articulos ad fidem Christianam & salvificam necessarios, contulerit, ita ut nullum fere caput Canonicae Scripturae omiserit, quod non examinaverit & explicaverit, & tam dogmatum fundamenta, quam consolationes & exhortationes ex illis felicissime eruerit. Quod si huic uni labori, ut saepissime optavit, vacare potuisset, nec refutandis adversariis, informandis aliis, consiliis Principibus suggerendis, praeter omnem modum distractus fuisset, longe plura, quanquam maxima sint, quae per Dei gratiam praestitit, ei deberemus. Haec vero sunt aulaea & gemmae, immo margarita unica & pretiosa, cujus acquirendae gratia *vendenda sunt omnia*, Matth. XIII. 46. Posthabuit itaque *Lutherus* sacro illi studio omnem literaturam, philosophicam & scholasticam, grammaticam quoque & rhetoricam, licet ex his omnibus haud exiguam sibi supellectilem comparasset, ingenio, ut adversarii ipsi agnoscunt, ad omnia sufficienti, immo vastiori, quam quod repleri scientiarum copia posset. Vana itaque est similitudinis *Pallaviciniana* argutia; *Lutherus* enim omnia pro aeneis nummis, immo pro nihilo habuit, ut aurum orthodoxae fidei & religionis ex purissimis sacrae Scripturae fodinis erutum, & a scoriis commentationum scholasticarum & legum Pontificiarum purgatum teneret.

(7) *Item de scriptis ejus.*

Ex scriptis itaque ejus (nam haec speciatim condemnant ambo, quos allegavimus, Jesuitae) aestimanda & praeferenda sunt illa, in quibus ad sacras commentatur literas, nec habent adversarii, quos ex sua secta, quantaecunque sapientiae opinione tumida, producant, qui *Luthero* palmam possent praeripere. De verborum ornatu, dispositionum curioso ordine, inventionum varietate, argutiis sententiarum, gloriari quidem ex illis multi possunt, sed neque sectatus illa est Lutherus, neque ad scopum, quem sibi proposuit, faciebant. Dederat illi Deus *fidem electorum, & agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est.* Tit. I. 1. Hoc nos, qui gemmas has, & hanc margaritam in libris ejus reperimus, magnifacimus. Quam audax vero & infrunita est hyperbole, in quam *Pallavicinus* erumpit, *d. l.* scribens: *In tot ejus operibus ne unam quidem periodum inveniri, quae incultum & agreste quiddam non prae se ferat!* Satis apparet, hunc scriptorem superbiorem aut occupatiorem fuisse, quam ut *Lutheri* scripta ipse consuleret; credidit illis, qui, magistro *Joh. Fabro*, (cujus verba ex *Raynaldo* alibi produximus) emulserunt libros Lutheri, & pro melle venena ex illis suxerunt; aut, ut foeda quaedam animalia excrementa olfaciunt, scrutantur & in deliciis habent, ita ea saltem sectati sunt, in quibus invenirent, quae criminarentur. Sexcentas periodos vel in hoc opere meo productas ex Luthero esse existimo, in quibus incultum & agreste nihil reperient, nisi ii, qui ea mente sunt, qua illi, quibus Pauli epistolae displicebant, *2. Petr. III. 16.* sive quibus *Aristoteles* & pravi ejus discipuli *Thomas* aut *Scotus* Paulo praeferendi esse videntur. Nam hunc, si quis alius inter Doctores Ecclesiae, magistrum elegit & secutus est Lutherus. Posthabuit sacrae Theologiae philosophiam illam, quam multis annis excoluerat, & pro *inani* habebat *fallacia* Col. II. 8. *non evangelizavit in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi*, licet *verbum crucis* sciret *stultitiam* esse *sapientibus seculi* 1 Cor. I. 17. 18. *Non venit in sublimitate sermonis aut sapientiae*, & primum atque ultimum scientiae suae & praedicationis fundamentum, caput, scopum & finem habuit *Christum crucifixum*. Non locutus est in *persuasibilibus & doctis humanae sapientiae verbis*, sed in *doctrina Spiritus* 1. Cor. II. 2. 13. Hoc *depositum custodivit, devitans profanas vocum novitates*, heri & nudius tertius per homines, Theologiam Philosophiae subjicientes, in Ecclesiam invectas, βεβήλους κενοφωνίας, neque moveri se passus est oppositionibus τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, falsi nominis scientiae 1. Tim. VI 20. Non intendit *fabulis & genealogiis*, ad quas successiones Pontificum & Episcoporum tantopere jactatae, referendae sunt, 1. Tim. I. 4. nec secutus est stultas & sine disciplina, ἀπαιδεύτους, quaestiones II. Tim. II. 23. multoque minus *ineptas & aniles fabulas* I. Tim. IV. 7. de apparitionibus & fictis miraculis. Talia forte non agrestia, sed accedente inprimis inventionum acumine & verborum ornatu, egregia, perfecta, admiranda viderentur censoribus illis. Sed simplex in Luthero veritas nativumque ejus decus spernitur. O felicem ecclesiam, si nunquam ab hac recessisset! felices Doctores, qui Philosophia, ut instrumento quodam adversus sophismata ex illa producta, sobrie & modeste uti sciunt! felices etiam, qui Lutheri exemplo sacras tractant literas! Certe quanto propius ad id accedent, tanto majori cum fructu doctrinam Christi proponent. Ex libris vero Lutheri ii demum uberrimum emolumentum capient, qui eo spiritu, pro gratia a Deo concessa, illos legent, quo scripta sunt. Magnum testem produco *Johannem Fridericum* Saxoniae Electorem. Is, cum a fastigio suo dejectus a *Carolo V.* Imperatore captivus circumduceretur, seque totum studio pietatis & sacrarum literarum meditationi dedidisset, *Johanni Aurifabro*, qui illi a sacris & per aliquot menses in custodia comes fuit, affirmavit: *Lutheri scriptis corda affici, atque ossa & medullas penetrari, ita ut plus succi, solatii & roboris ex unius pagellae eorum lectione percipiat, quam ex integris aliorum foliis*, (D. Martin Luthers bücher hertzeten / giengen durch marck und bein/ und hätten reichen geist in sich: denn wenn er gleich einen bogen anderer Theologen schrifften läse / und nur ein blätlein Lutheri dargegen hielte/ so finde er mehr saffts und craffts/ auch mehr trosts darinnen / denn in gantzen bogen anderer Scribenten) Refert haec *Aurifaber*, in praefatione *Tomorum Islebiensium*, anno 1564. conscripta, quae cum aliis praefixa est *Tom. VIII. Altenburgensi*. Fatemur interim, Lutherum nonminus, atque alios, summae licet eruditionis viros, reliquisse aliis, quae fundamento, quod is recte posuit, superstruerent, *aurum* etiam, *argentum & gemmas*, & esse fortassis alicubi in opinionibus ejus, quae ad fundamentum illud non pertinent,

nent, *ligna & ſtipulas* I. Cor. III. 12. Neque id mirum eſt, ſi cogitemus, hominem fuiſſe, eoque, ut diximus, modo diſtractum, & quod prope omnia ex tempore, & frequentiſſime interruptus, aliquando quoque iniquiſſime tractatus, ſcripſerit aut concionatus ſit. Ipſe ſane, quod *Maimburgius* nimis quidem crude ſcribit, *nihil perfecti in ſcriptis Lutheri eſſe*, ingenue & moderate agnovit, dum defectus ſuos palam & ſæpiſſime profeſſus eſt, maxime in præfatione, paulo ante mortem ſuam conſcripta, *Tom. I. operum ſuorum Latin.* quam §. *CXXVIII. n. 8.* allegavimus: Neque aliter ſua æſtimare ſolet aut debet, qui pius & ſapiens eſt. Quod vero addit *Maimburgius*, omnes Lutheri libros infinitis convitiis & mille aliis alienis & pudendis vilitatibus repletos eſſe, indicio eſt, non hiſtoriam, ſed ſatyram illum ſcribere, & ex diſciplina ſophiſmatum a paucis ad omnia, & a levioribus & ignoſcendis ad teterrima argumentari. Sed de hac vituperatione, cujus cauſam in dictis quibusdam liberioribus cenſores illi inveniſſe ſeputarunt, jam ſæpius actum eſt; interim neque omnia neque plurima Lutheri ſcripta eam licentiæ aut acerbitatis imputationem admittunt. Multa etiam verba & dicteria, quæ hodie vilia aut ſpurca habentur, illo tempore, ſine turpitudine dici poterant, & inter facetias non inhoneſtas locum habebant, quod ex collatione veterum & recentiorum librorum haud difficulter demonſtrari poſſet. Excandeſcentiam, & quæ inde naſcitur, verborum aſperitatem, in ſeipſo, ut nævum, accuſavit *Lutherus*, ut alibi oſtenſum eſt. Hoc ipſo ultimo vitæ ſuæ anno, ut *Bavarus in collectaneis Part. I. p. 260.* notavit, de ſe dixit: *Ego liber ſum ab avaritia, a libidine vindicat me afflictum corpus, ſola ira adhuc eſt reliqua, quæ tamen plerumque neceſſaria & juſta eſt.* Majores defectus *eodem loco* in ſe agnovit, quos vere pii & Chriſtiani nunquam non deplorant, fidei, fiduciæ, & amoris erga Deum, precumque frigiditatem. Nos ergo non eximimus eum ex hominum numero, neque ego in commentario hoc meo id egi, ut omnia ejus dicta & acta promiſcue defenderem. Injurius in tanti viri manes, ut ita dicam, fuiſſem, ſi adulatoris potius, quam veracis & candidi ſcriptoris perſonam ſumſiſſem. Cæterum, quod Apoſtolus *II. Cor. VI. 8.* de ſe omnibusque veris Dei miniſtris prædicat, contemtor famæ & opinionis hominum fuit, nec magis gloriam, quam divitias, affectavit. Heroſtrati vanæ gloriolæ affectationem minime eſt ſecutus, ſprevit viam, quam *Cochlæus*, *Eccius*, *Faber*, & apoſtatæ *Vicelius*, *Staphylus* & ſimiles invenerunt, licet illam, quanto majoribus donis inſtructus, tanto facilius tenuiſſet. Quod ſi Heroſtratus, cujus exemplum huc maligne trahit *Maimburgius*, fortasſis non tam famæ cupidine, quam idololatriæ odio templum Dianæ ſuccendit, longe plus præſtitit *Lutherus*, qui, flammis Evangelicæ veritatis, per tot regna excitatis & ſparſis, in fumum & cineres redegit ſuperſtitionum infinitarum machinas. Quæ præterea *Pallavicinus* de affectibus moribusque Lutheri commentatur, arguta quidem, ſed ficta & falſa ſunt. Nam, ut taceam, quam illi, minime merenti, aſſignat, in periculis propius inſtantibus timiditatem, neque tamen exemplum ejus allegare aut probare poteſt. Futile inprimis eſt, quod ſcribit, ſæpius eum obtuliſſe ſilentium, ſi pariter adverſarii tacuiſſent; factum enim id eſt ab initio cœptæ diſputationis de indulgentiis, nondum expenſis & cognitis reliquis & gravioribus erroribus, ut ipſe non ſine doloris & pœnitentiæ ſignificatione agnovit & deprecatus eſt. De paupertate ejus, & quod Principes ditaſſet, ipſe vero ditatus ab iis non eſſet, neutram in partem *Pallavicini* ſugillationes valent, neque enim Lutheri conſilio vel aſſenſu divites facti ſunt Principes, ut invictis argumentis demonſtratum eſt, nec illi tam duri erga eum fuerunt, ut de egeſtate & miſeria queri potuerit, ſicut nec queſtus eſt, nec uxori liberisque honeſtæ facultates defuerunt, ut poſtea dicetur. Non minus calumnioſum eſt, quod ei de intemperantia & de ſuperbia intolerabili objicit. Magno erat & forti conſtantique animo, ſervilis adulationis expers, ſed illarum dotium ingenuitatem Reges Principesque amabant, & venerabantur. Ab auſteritate vitæ, cui in monaſterio ſuetus erat, & quam potiſſimum in publico oſtentant monachi, cum Curios ſimulant, receſſit, nec lautiorem victum recuſavit; de exceſſibus tamen convinci nequit. Joci aliquantum liberiores in conviviis & inter familiares ei exciderunt, ſed converſatio illa amœnior, & amorem ei conciliavit, & plurimis profuit; ſale enim condire noverat jocos, & in conviviis proponere etiam ſolebat, quæ ad firmandam fidem Chriſtianam & corrigendos mores facerent, ut vel ex libro *Colloquiorum menſalium*, minus quidem caute compoſito aut vulgato, conſtare poteſt, & ſcriptorum fide dignorum teſtimonio aſſeritur. Utinam autem vera eſſet *Pallavicini* gloriatio, quod occaſione actorum Lutheri, *Romana eccleſia in fide vegetior, & in omni virtutum genere fœcundior, moratior & ſanctior facta fuerit!* De nobilitate & numero eorum, qui veteribus erroribus inſiſtere, quam Lutherum meliora docentem ſequi maluerunt, jactantem ferre debemus Pallavicinum, gnari, quæ ſit natura, & quod fatum gregis Chriſti. Nobis modo is zelus eſſet in conſtanter tuenda veritate doctrinæ, & excolenda morum ſanctimonia, qui Luthero fuit in utraque docenda & promovenda!

(p) *De Verborum licentia & morum defectibus.*

(q) *Nota ad quædam Pallavicini dicta.*

§. CXXXV.

Reſtat, ut de honoribus funeri & memoriæ *Lutheri* exhibitis, qui *Maimburgio* parum placent, agamus, & alia quædam ad hiſtoriam viri beatiſſimi pertinentia ſubjungamus. Literæ D. *Jonæ* tam celeriter ad *Johannem Fridericum* Electorem Saxoniæ, qui *Vinariæ* tunc erat, pervenerunt, ut eodem die 18. Febr. (ſero, ſub veſpere) reſponderit, dolorem ingentem teſtatus, & ſimul epiſtolam ad Comites Mansfeldenſes, *Albertum*, *Philippum* & *Joh. Georgium*, adjungens. In hac ſcribit; *ſe ſummo cum animi dolore* (mit hoch betrübten und bekümmerten gemüth) *mortem Lutheri percepiſſe*; poſcit autem, *ut corpus ejus abduci ſinerent; Wittenbergæ in templo arcis* (collegiata quondam illa *omnium Sanctorum* æde) *condendum*; recenti etiam mentis ægritudine ſtimulatus

(r) *Literæ Electoris Sax. ad Comites Mansfeldenſes, & horum reſponſio.*

An. 1546. mulatus addit: *se optare, ut Comites virum ea ætate & tantis laboribus confectum molestiis illis negotiis suis non gravassent.* Eandem querelam *Razebergius in MS. fol. 69* effundit, scribens: reliquum illud vitæ suæ tempus *Lutherum* longe melius domi impendere potuisse, & minime probandum esse, quod Comites negotiis & laboribus suis iniquis & intricatis maximam solicitudinem & curam illi objecerint, qua morbus & obitus ejus acceleratus esset. Iidem Comites d. 19. Febr. Electori respondent; se quoque ex viri æstimatissimi (**des theuren mannes**) morte summum dolorem concepisse, quem etiam omnes Christi fideles sentire non dubitent, & se quidem corpus viri, ineffabilibus donis Dei ornati & summe venerandi, in ditione sua retinere & sepelire constituisse, obsecuturos tamen voluntati Electoris & permissuros, ut avehatur. De solennitate exequiarum in relatione prolixiori sæpe allegata, quam *D. Jonas, Cœlius* & *Aurifaber* ediderunt, *Tom. VIII. Alt. fol. 851. & seq.* vera & satis exacta legitur narratio; eam Latine ex *M. Balthasaris Mentzii Syntagmate epitaphiorum Wittenbergensium Lib. I. p. 76. seqq.* integram exhibeo. *Doctore Martino Luthero 18. Februarii, ipso die Concordiæ, Islebii in Domino beate mortuo: postridie, hoc est, die 19. Febr. hora secunda pomeridiana, funus Christiana cum solennitate & Ecclesiasticis cantionibus in templum D. Andreæ, ejus loci augustissimum, deportatum est. Deduxerunt illud Principes & Comites: inter quos fuit Illustris Princeps Dominus Wolffgangus, Princeps in Anhalt; & cum eo generosi Comites ac Domini, Philippus & Johannes Georgius, fratres: Volradus, Johannes & Wolffgangus, itidem fratres: & Dominus Albertus; omnes Comites Mansfeldenses. Item Comes Gebhardus cum duobus filiis, Georgio & Christophoro; Dominus Johannes Henricus, Comes Schwartzburgensis, aliique multi proceres, cum magno cœtu nobilium matronarum; Denique & plebeiorum hominum ingens multitudo. In templo D. Jonas orationem funebrem habuit ex loco quarti capitis epistolæ prioris ad Thessalonicenses. Hac finita discessum est, relicto corpore defuncti in templo cum decem civibus, ad custodiendum ipsum per noctem, adjunctis. Quamvis autem Comites Mansfeldenses Lutheri corpus retinere, & in sua ditione sepeliri cuperent: tamen cum id Dux Elector Saxoniæ, Johannes Fridericus, Witenbergam reduci postulasset, ipsi gratificari maluerunt. Itaque Sabbatho post natalem S. Valentini, qui erat dies vigesimus Februarii, matutinam concionem habuit M. Michael Cœlius, ex dicto Esaiæ 56. Justus perit, & nemo considerat. Deinde post horam meridianam congregati sunt iidem Principes & Comites & matronæ nobiles, quos supra nominavimus & cum illis magna plebis multitudo, qui omnes, eadem solennitate & pompa, qua antea, funus rursum e templo per urbem deduxerunt, extra portam usque, non sine maximo luctu. Id deinde avectum, eo die Halam perlatum est. Cæterum, cum Halam veheretur, ex singulis pagis propinquis agricolæ ad nolæ sonum cum uxoribus & liberis occurrerunt, animi dolorem, minime fictum, præ se ferentes. Deinde sub horam quintam vespertinam, cum jam ad urbem propius accederetur, egressi multi cives & matronæ per viam lapidibus stratam longo itinere funeri obviam processerunt. Tandem, ubi ad portam ventum est, occurrerunt concionatores: hos secuti sunt plerique omnes ex Senatorio ordine. Deinde Ludimagister cum universis suis discipulis more consueto cantiones funebres decantantibus. Vulgus autem promiscuum ad exteriorem portam magna frequentia funus excepit. Viæ etiam civitatis a turba ita obsessæ, & currus advenientium tam arcte cincti fuerunt, maximeque ille, quo Lutheri corpus vehebatur, ut sæpius eis subsistendum fuerit, eoque ad ædem D. Virginis vix ad mediam septimam perventum est, ubi a tota multitudine Psalmus de profundis non tam cantatus, quam fletu & verbis singultu interruptis, expressus est. Fuisset etiam sermo factus ad populum, sed quia jam sero erat, corpus illico in sacrarium, juncta custodia, depositum fuit. Proxima sequente Dominica, quæ erat 21. Febr. ad horam sextam matutinam, quando rursus avehebatur funus, Senatus, Concionatores & scholastici cum eadem solennitate & ceremoniis illud extra urbem deduxerunt, quibus priori die exceperant. Sub ejus diei meridiem, cum Bitterfeldium ventum esset, in confinio ejus ditionis Dominus Erasmus Spiegel, præfectus Wittenbergensis, Gangolfus ab Heilingen, Diebensis, Theodoricus a Taubenheim, Brenensis, missi a Duce Saxoniæ, Electore Johanne Friderico D. N. C. decenti reverentia & Christianis ceremoniis, Dominos Comites & reliquos, qui funus sequebantur, exceperunt. Deinde a prandio Kembergam deduxerunt. Fuerunt autem hi Comites generosi Domini, D. Joannes [illegible] Joan. Hoyerus uterque Mansfeldensis, qui cum Equitibus armatis circiter XLV. Islebia funus comitati sunt, & postero die Lunæ, id est 22. Febr. Wittenbergam deduxerunt. Cum Wittenbergam ad portam, ab Elistra fluvio denominatam, pervenerunt, repererunt congregatos ex mandato Principis Electoris Johannis Friderici, Dn. Rectorem, Doctores, Magistros, & omnem Universitatis cœtum cum Senatu & toto populo. Continuo processerunt Evangelii ministri cum Scholasticis usitato ritu & ceremoniis, Christianas cantilenas per totam illam viam usque ad templum arcis funeri præcinentes. Proxime ante funus equitarunt Præfecti, quos supra diximus a Principe funeri obviam missos fuisse: deinde Comites cum suis equitibus, tum quadriga, supra quam defuncti corpus positum erat, quam statim in humiliori vehiculo secuta est conjux ipsius, Catharina, cum filia & aliis quibusdam matronis. Inde tres filii: Johannes, Paulus & Martinus: Item frater ipsius, Jacobus Lutherus, civis Mansfeldensis, Georgius & Cyriacus Kauffmann, ex eadem civitate, sororis filii, & alii ipsius propinqui. Hos secutus est Magnificus Dn. Rector inclytæ illius Universitatis & nonnulli Principum, Comitum & Baronum filii, literarum gratia eo profecti. Deinde D. Gregorius Pontanus, Dn. Philippus Melanchthon, D. Justus Jonas, D. Pomeranus, D. Casparus Crucigerus & cæteri grandæviores ejusdem ordinis. Inde reliqui Doctores & Magistri: tum Senatores omnes: Postea studiosorum cœtus florentissimus, ac civium universum agmen. Postremo maxima turba mulierum, matronarum, virginum, puerorum, qui omnes hujus* An. 1546.

(1) *Narratio de exequiis Lutheri ex relatione D. Jonæ & aliorum.*

An. 1546. *jus viri mortem graviter lugebant, & lamentabili voce deplorabant. Incredibile est, quanta hominum turba, quam confertim, in foro & omnibus vicis, tam brevi temporis spatio confluxerit. Multi certo affirmabant, se tantam multitudinem Wittenbergæ nunquam vidisse. Porro Lutheri corpus in templum arcis deportatum, ad dextram suggesti collocatum est. Deinde præmissis funebribus quibusdam cantionibus venerabilis D. Pomeranus suggestum ascendit, & coram aliquot millibus ibidem auscultantibus, dulcissimam & valde piam concionem habuit. Concione finita, Dn. Philippus Melanchthon præclaram habuit orationem funebrem: cum ut affectum & luctum suum testaretur: tum ut ecclesiæ dolores mitigaret. His ita peractis, Magistri quidam viri docti, ad id officium electi, defuncti corpus in sepulchrum demittentes quieti dederunt. Atque ita in arce Wittenbergensi jacet terra mandatum corpus Reverendi Patris, Martini Lutheri, præstantissimum Spiritus Sancti organon. Jacet autem prope suggestum, in quo tot præclaras & sanctas conciones in præsentia Ducum & Electorum Saxoniæ totiusque ecclesiæ ante habuerat. Jacet, inquam, seminatus in infirmitate, ut in illo die resurgat in potentia, ut Apostolus loquitur I. Corinth. 15.* Honesta & religiosa utique funeris deductio fuit, sed quam insolitæ affectationis immerito arguit *Maimburgius*, scribens; tantos honores exhibitos esse Luthero, quantos maximus quisque post mortem expectare posset. Nihil enim inusitatum, aut conditioni viri inconveniens, in tota illa pompa invenitur, quam quod bene meritis & egregiis viris sacri & politici ordinis in civitatibus & regionibus cultioribus exhiberi consueverit. *Cochlæus* loculum stanneum nominatim accusat, quales tunc Principum tantum corporibus condendis parari solebant; addit etiam improbam cum loculo *Mahometis* ferreo comparationem ferreæ mentis & frontis homo; omnes tamen ejus & contumelias & ineptias libro suo inseruit, haud melior, *Raynaldus hoc anno n. 139. & seq.* Quæ vero *Maimburgius* de monumento marmoreo, duodecim Apostolos repræsentante, subjungit, mera est fabula, cujus nec occasionis origo indagari a me potuit. Nam nihil tale in templo Wittenbergensi extare, ante paucos annos visendi ejus causa illuc profectus, meis vidi oculis; silent etiam, qui omnia templi illius epitaphia descripserunt, plurimi autores, nec interrogati, qui nunc Wittenbergæ clarent, doctissimi viri, quicquam recordari aut referre ea de re potuerunt. Neque tamen plus justo fecisset Elector, si tale Luthero statuisset monumentum, quod profecto vix ulli post Apostolorum tempora majori jure meritoque tribui potuerit. Licet enim tertii decimi Apostoli locum aut nomen vir optimus nec affectaverit nec nos adulatione invidiosa ei assignemus; apostolicæ tamen doctrinæ studio & imitatione plerosque ante se superavit, & vix parem sibi reliquit; titulo *Apostoli Germaniæ* longe dignior, quam vel *Bonifacius* ille Moguntinus Præsul, superstitionum potius, quam puræ religionis præco, ut ex scriptis, quæ extant, satis apparet. Sed sinamus homines incorrigibili calumniandi cupidine ardentes, & reliqua expediamus.

(3) Nota ad Maimburgii & Cochlæi sugillationes.

Lapis sepulcro *Lutheri* impositus est cæmentitius, cum brevi inscriptione, nomen, titulum, tempusque obitus & ætatis viri exprimente. Effigiem in tabula lignea parieti affixa depictam postea hoc seculo addidit Senatus Academicus. Lamina vero ænea post exequias eodem loco in pariete constituta est, cum epicedio, quod *Joh. Stigelius*, Poeta celebris, composuit. Cur autem bis extet, rationem reddit *Mentzius d. l.* Cæterum carmen istud, quanquam a multis relatum & *Tomo II. Op. Lat. Luth.* hoc ipso anno 1546. edito, statim post titulum, pagina versa, insertum, legi hic omnino meretur.

An. 1546.

(4) Monumentum & epicedium Lutheri.

Continet hic tumulus Martini membra Lutheri,
Nosse sat hoc fuerat; sed tamen ista lege.
Quæ prius horrendis errorum pressa tenebris,
Atque operum obscura nube sepulta jacet:
Hoc monstrante, iterum patefacta est gratia Christi,
Quaque Deo acceptos nos facit esse, solus:
Namque superstitio cum regnum cuncta tenebat,
Et premeret longo dogmata vera situ:
Ille Dei afflatu monitus, verboque vocatus,
Lucem Evangelii sparsit in orbe novam,
Instructusque tuba Paulina & fulmine linguâ,
Exploso, cœpit vera docere, dolo.
Utque agnum in media Baptista ostendit eremo,
Qui pia pro populi victima labe foret;
Sic quoque monstravit te, maxime Christe, Lutherus,
Cum totus tenebris obrutus orbis erat.
Et legis tabula, quas in Sinaide Moyses,
Allisas fregit rupe, Propheta Dei,
Quid distent Evangelio; quod pectora sanat,
Conscia quæ culpæ terruit ira Dei;
Hoc primus amissum discrimen reddidit orbi,
Essent ut Christi munera nota magis.
Arguit Ausonii fraudes ac impia regna
Pontificis, populis exitiosa Dei.
Pollutasque monens vitare idola per aras,
Ad verum adduxit corda levata Deum.
Magnanimusque Deo cursum serviante peregit,
Insidias contra multiplicesque minas.
Tandem ex hac vita tranquilla morte vocatus,
Ardua propitio venit ad astra Deo.
Sentit ubi coram felicia gaudia Christo,
Veraque post obitum præmia vivus habet.
Grata Deo tanto sit pro Doctore futura
Ætas, quæ Christi dogmata vera sciet:
Atque oret precibus, Deus hanc, quam præbuit orbi,
Lucem Evangelii servet ut ipse sui.

Programma, quo ad exequias invitati sunt Academici, contenta præcipua concionum funebrium, parentationem a *Melanchthone* pronunciatam, nonnulla quoque de testamento & de posteris *Lutheri* in *Additionibus* producemus.

Nunc ex literis Principum quorundam Lutherum laudantium quædam commemorabimus. Primus inter omnes, *Wolffgangus Anhaltinus*, qui Islebiæ moriente Luthero, præsens fuit, eodem, quo is decessit, die (*Reg. N. lit. ...*)

(5) Elogia Lutheri ex literis Wolffgangi Anhaltini, Ams-

Vol.

An. 1546. *dorffii & Mauritii Ducis Sax.*

Vol. III.) Electori obitum viri, sua manu, significavit, breviter tamen, & ad Jonæ relationem provocans. Inter alia hæc scripsit: Man hat viel fleiß bey ihm gethan / da ist aber keine menschliche hülffe gewest/besondern der wille des Herrn ist bey ihm ergangen / und ist gantz sanfft mit guten sprüchen entschlaffen in Gott. Der Herr helffe uns mit gnaden hernach / Amen! id est, *Magna diligentia adhibita est*, (ad succurrendum ægroto) *sed omnis humana opera irrita fuit, facta est de eo voluntas Domini, placidissime & inter pia dicta*, (quæ pronunciavit) *obdormivit. Deus nobis gratiam det, ut eum sequamur, Amen! Nicolaus Amsdorffius*, tunc Numburgensis Episcopus, ad epistolam Electoris, qua ei mortem Lutheri significaverat, d. 25. Febr. respondit, (cum subscriptione, E. Churf. Gn. unterthäniger und gehorsamer Caplan: *Electoralis Celsitudinis Vestræ humilis & subjectus Cappellanus*) se non dolere tantum, sed plane territum & conturbatum esse, quod Deus hoc tempore Lutherum avocaverit, quo illo maxime opus esset; timere se, ne magna Dei ira & pœna in ingratos & Evangelii contemtores ingruat, quam celare virum hunc sanctum & sibi dilectum Deus voluerit. *Mauritius* Dux Sax. d. 22. Febr. *Friberga* ad Electorem scribens, mortem Lutheri graviter a se ferri testatur, (habe ihn mit beschwerten Gemüth vernommen) lubenter tamen percepisse, quod constans in fide, ut pius & christianus Doctor, perseveraverit & beate discesserit, neque dubitare, quin peracto labore diuturno æternum præmium receperit, idque ex Dei gratia se illi ominari & gratulari. Ad *Landgravium* Hassiæ Elector Saxoniæ d. 21. Febr. prolixe scripserat (*Reg. H. fol. 670. n. 209.*) hoc sensu: *Postquam inter Comites Mansfeldenses diuturnæ lites versatæ sunt, Reverendum & doctissimum D. Martinum Lutherum, qui in illorum ditione natus & educatus est, rogarunt, ut inter se de concordia tractaret. Id quidem ante hac una cum Phil. Melanchthone, sed frustra, tentavit. Jam vero ante hebdomadas fere tres, denuo Islebiam profectus est, quanquam debili & ægroto corpore. Relatum autem nobis est a D. Jona & M. Michaele Cœlio, die Jovis præterito, quod D. Martinus summo mane illius diei secundum voluntatem Dei omnipotentis, prorsus quidem pie & christiane, & usum rationis retinens* (gantz christlich und vernünfftig) *decesserit, cujus anima Deus, ut minime dubitamus, propitius & misericors erit. Hæc vero Dilectioni Vestræ animo valde mœsto & dolente significandum esse duximus, confisi, eam ob decessum viri tam egregii* (eines solchen theuren Mannes) *per quem Deus verbum suum in lucem restituit, non exiguum mœrorem esse sensuram. Si voluntati divinæ placuisset, vitam longiorem ei lubentissime optassemus, his præsertim tam arctis & periculosis temporibus, quibus omnia fere adversus Deum & verbum ejus concitata sunt & grassantur. Deus Dilect. Vest. & nos atque omnes verbi ejus confessores in sincera doctrina clementissime conservet, & omnibus sectis, adversariis & persecutoribus, ut quidem speramus & ab ejus omnipotentia seriis & assiduis precibus contendendum est, resistat.* Addidit exemplum relationis *D. Jonæ* Landgravius d. 28. Febr. respondit, (*Reg. H. fol. 676. n. 210.*) Se quoque ob mortem Lutheri, cui eadem, quæ Elector, elogia dat, intime dolere, præsertim temporis tam periculosi respectu. *Interim quantum dolorem*, ait, *nobis obitus ejus excitavit, tanto cum gaudio percipimus, quod tam bonum finem habuerit, & tam pie & christiane decesserit, ne adversarii nostri & Papistæ habeant, de quo jubilent, & plurima spargant mendacia, quemadmodum antehac fecerunt. Præterea sit a huc usque docuit, & tanta bona procuravit, ut Evangelium in eam lucem sit productum, & tot pii atque docti viri in Germania & exteris regionibus* (in Teutschen und Welschen landen) *illud agnoscant & doceant, ut sperandum sit, Deum id inter nos conservaturum esse. Jam, cum esset senex & decrepitus, Deus, cum per illum opus suum executus esset, in pace eum ad se vocavit, ne persecutiones & defectiones atque scandala videat. Johannes Ernestus*, Saxoniæ Dux, Electori fratri, qui ei mortem Lutheri significaverat, literis, d. 3. Mart. *Coburgi* datis, respondit, in quibus Lutherum vocat; Einen christlichen / theuren / fürnehmen Mann / welcher den dienst seines und unser aller allmächtigen Herrns mit höchsten treuen fleiß ausgerichtet / id est, *virum pium, christianum, egregium & præclarum, qui opus Domini sui & omnium nostrum omnipotentis summa cum fide executus sit. Magnus*, Dux *Meckelburgensis*, Episcopus Suerinensis, d. 23. Mart. itidem ad literas, quibus mortem Lutheri ei indicaverat, Electori respondens, sua manu hæc scripsit, ex autographo *Reg. H fol. 669. n. 208.* versa: *Quod Reverendus & doctissimus, pater noster charissimus, D. Martinus Lutherus, bonus ille senex & vir Dei* (der gute alte Gottesmann /) *ex hoc mundo discesserit*, (*cui Deus propitius sit*) *id mœsto intellexi animo. Satis & pie cogito, quod mortem viri tam egregii Clementia tua* (hunc enim titulum Electori, quem parentis loco venerabatur, tribuit) *justis de causis vehementer doleat. Sed licet inter alias virtutes singulari magnanimitate ornata sit, ut neque in prospero sese efferat, neque in adversis nimium moveatur, peto tamen & moneo, ut animum suum tranquillet, & voluntati divinæ causam committat, solatium capiens, quod viri hujus venerandi & optimi fideles discipuli & quasi Fortes ejus supersint*, (ad Davidis Heroes respicit,) *qui vestigia ejus sequentur. Albertus Brandenburgicus*, Borussiæ Dux, insignis Lutheri fautor fuerat, huic Elector d. 22. April. scribens, pluribus dolorem suum ex morte viri aperuit, ait enim; *ideo se lugere obitum viri, quia christianis populis in Germania, in propagatione verbi divini & salvifici, multum adhuc prodesse potuisset; Deum enim per illum, ut verum Eliam, verbum suum atque doctrinam divinam pure & sincere in lucem, pulsis tenebris, reduxisse, idque ipsum, usque ad vitæ terminum, pie prædicasse, scriptis explicasse & confessum esse. Deus illum*, dicit, *fine dubio in æternum regnum suum cœleste avocavit, ne videret pœnam & vindictam, quam in his ultimis temporibus, propter peccata nostra malosque mores, magnam inprimis ingratitudinem & contemtum verbi, minatur & expedit*; sperare tamen se addit, quia Wittenbergæ & in regione multi adhuc pii, docti & sinceri sint Doctores & concionatores, futurum inter eos Helisæum aliquem, qui verbi divini

(6) *Electoris Sax. Literæ de Luthero ad Landgravium, & hujus responsio.*

An. 1546.

(7) *Joh. Ernesti Sax. & Magni Meckelburg. Ducis literæ.*

(8) *Electoris Sax. ad Albertum Borussiæ Ducem litera, item hujus ad Ponicavium.*

An. 1546. divini propagationem procuraturus, & falsis atque sectariis dogmatibus repugnaturus sit. *Albertus* ipse ad *Johannem Ponicavium* Cubicularium Electoris scribens, famam in Borussia sparsam esse significat, conspici prope Wittenbergam & visitari a parochis quibusdam *Fridericum II.* Imperatorem redivivum. (quæ quidem fabula plus una vice olim divulgata fuit) Addit autem insignia *Lutheri* encomia, nec mirum esse dicit, si post tanti viri mortem extraordinarii aliquid contingeret, sicut, mortuo Augustino, falsarius aliquis ementito Moysis nomine Judæis imposuerit.

(9) *Electoris beneficia in liberos Lutheri collata, item Mansfeldensium.*

Neque tamen intra verba constitit Electoris Saxoniæ benevolentia & grata Lutheri recordatio; nam non solum literis benignissimis, d. 24. Febr. ad *Catharinam Boriam* Lutheri viduam datis, solatus eam est, argumentis a voluntate divina & pio atque optimo fine & obitu mariti sumtis, & singularem gratiam & curam propter ejus merita illi & liberis pollicitus; sed & postea curatoribus liberorum Lutheri d. 14. Junii, ut ex apocha constat, duo florenorum millia solvi jussit, filio etiam natu maximo *Johanni*, cum ingenio ad studia continuanda non satis idoneo esse censeretur, locum scribæ in scriniis Cancellariæ (**Cantzleygesellen** tunc vocabantur) assignavit. Comites quoque *Mansfeldenses* viduæ & liberis itidem bis mille florenos donarunt, data syngrapha de sorte anno 1548. solvenda, pensione vero interea annua 100. flor. præstanda. Silenda denique non est pietas Theologorum Wittenbergensium, *D. Pomerani, Crucigeri* & *Melanchthonis*, quam in literis, quibus Electori, mortem Lutheri illis significanti & ad continuanda studia theologica eos exhortanti ostendunt. Scribunt enim d. 5. Mart. *Ex gravibus causis summe territi & contristati sumus, quod Reverendus Pater & Præceptor noster D. Martinus, ex hac Ecclesia & schola subtractus est, cum tota Respublica Christiana adhuc opus eo habuisset. Nos jam orphani sumus, deserti & solitarii. Auget luctum nostrum, quod Celsit. T. El. pro sapientia sua mundi hujus curiositatem & malitiam ante oculos habens, casum hunc vehementer ad animum sit revocatura: Obsequendum tamen est voluntati divinæ, & innitendum consolationi & promissioni Salvatoris nostri, filii Dei, dicentis: non relinquam vos orphanos, item; Ero vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. His freti, serio orabimus, ut filius Dei naviculam suam ipse regat, tum Celsit. V. Elect. protegat & divino instruat consilio. Gratias etiam agimus, quod sollicitudinem de Ecclesia Christiana & hoc cœtu & Academia gerat, nobisque mandare voluerit, ut officium nostrum præstemus. Fatemur, grave hoc onus esse, immo gravius, quam cogitari possit, obligatos tamen nos esse agnoscimus, monente Paulo (1. Tim. VI. 20.) depositum custodi. Pulcherrimum sane depositum & cimelium nobis reliquit D. Martinus, purum nempe intellectum doctrinæ Christianæ; hoc libenter ad posteros minime obscuratum transferre vellemus; desideramus ad id Dei gratiam & Spiritum. Scimus etiam, concordia, humilitate & patientia opus ad hoc esse, & ad hanc nos ipsos & alios in Ecclesiis & Academiis reliquis excitamus, tum per Dei gratiam ita jungemus labores, ut nullus ex nobis turbarum causam sit daturus. Magna tamen hæc res est, quæ in Dei manu potissimum consistit, quem ideo gemitibus intimis, ut nos juvet & regat, propter filium suum Jesum Christum, gloriamque suam, imploramus.*

(10) *Theologorum Wittenbergensium litera de Luthero.*

An. 1546.

ADDITIO.

(a) *D. Jonæ concio funebris, Luthero habita.*

Inter conciones in funere *Lutheri*, prima est, quam *Islebiæ* d. 19. Febr. in templo S. Andreæ habuit *D. Justus Jonas*. Excepta fuit calamo cujusdam ex auditoribus, & postea revisa, aut potius post septem hebdomadas *Halis* repetita, ut in exordio ipse commemorat. Et hæc, quam repetiit, excusa fuit Wittenbergæ, una cum concione *Mich. Cœlii*, d. 20. Febr. habita, sed non nisi *Cœliana Tom. VIII. Alt. fol.* 853 inserta est. De persona *Lutheri* agens *Jonas*, summum ejus ingenium & admirabilem memoriam commendat, quas dotes in adolescente octodecim vel viginti annorum miratos esse dicit *Staupitium* & *Langium*, Augustinianos; etiam *D. Mellerstadii* judicium allegat, alibi relatum. Oratorem præterea excellentem & egregium Bibliorum interpretem fuisse dicit, tum in stylo Germanico tam peritum, ut Cancellariæ Principum Magistrum eum agnoverint. Ex scriptis ejus maxime laudat *commentarios in Genesin*, & in *cap. XIV. XV. XVI. XVII. Johannis*, in *epistolam ad Galatas*, in *Psalmos*, & in *Proverbia* atque *Ecclesiasten Salomonis*. Licet vero in sacræ Scripturæ lectione assiduus fuerit, eamque ab anno ætatis XXIV. ad mortem usque innumeris pene vicibus perlegerit, & tot commentariis, magno lumine a Spiritu S. instructus, illustraverit, fassum tamen esse semper, memorat, se tyronem esse. Duo inde memorabilia ejus dicta refert, *unum*, quo optaverit, ut primum fidei articulum de creatione intelligeret, dixisse enim: *Sum in hoc alphabetarius, sed id fero patienter, quia puto idem summis viris contigisse. Plus utique cognoverunt Adam, Noah, Abraham, David, aliique Patriarchæ & Prophetæ, sed & ii sine dubio tyrones sese agnoverunt, qui semper adhuc haberent, quæ discerent. Alterum*, quod dixerit: se velle, ut articulus de redemtione primarius & summus in Theologia haberetur, quemadmodum eum æstiment Paulus & omnes Apostoli. Narrat postea, ut ante obitum integro anno mortis cogitatione occupatus fuerit, & ad eam se præparaverit, multa etiam dixerit, quæ cum concionibus Noachi comparari possent. In Psalterium suum supra viginti dicta consolatoria consignasse eum ait, tam ex Scripturis, quam Patribus, quorum quædam referuntur, & quomodo ea sibi applicuerit, indicatur. Sæpe etiam eum dixisse memorat, se nemini mortalium aperturum esse, quæ & quanta propter doctrinam Evangelii passus sit, fore autem, ut in die novissimo innotescant, sicut & revelationes egregiæ, quas sub initium doctrinæ habuerit, & nemini detexerit. Denique etiam de malis, quæ post mortem Lutheri metuenda & ab ipso sæpe prædicta sint, aliquid commemorat, & auditores ad pœnitentiam hortatur. *Michael Cœlius* in sua concione explicavit dictum Es. LVII. 1. *Justus perit* &c. & ea potissimum laudat, quæ *Lutherus*, ut alter Esaias & Jeremias, in reformatione Ecclesiæ præstiterit. De morte ejus postea agens, queritur, quod, cum non nisi nudius tertius decesserit, jam tamen sint, qui dicant, eum mortuum in lecto repertum esse; illi mendacio opponit & prolixe recenset, quæ ipse viderat & audierat, & supra relata sunt. Tandem & ipse ex morte ejus futura ominatur mala, & homines ad pœnitentiam graviter exhortatur. Hæc *Islebiæ* pro concione dicta sunt, eoque ipso die, quo *Cœlius* concionatus est, funus *Halas*, sequenti *Kembergam*, tertio, id est, d. 22. Febr. *Wittenbergam* vectum esse, ex relatione supra allegata audivimus. Edictum, quo juventus Academica ad exequias stylo *Melanchthonis* invitata fuit, in compilatione *Wittenbergensium programmatum* extat, ex quibus id, quoniam breve est, & laudatissimum habet autorem, huc transscribi fecimus:

(b) *Alia Mich. Cœlii*

Rector

An. 1546.

(c) *Programma in funere Lutheri VVittenbergæ affixum.*

Rector Academiæ, Augustinus Schurff D.

Non dubium est, reverendum virum D. Martinum Lutherum, patrem, & præceptorem nostrum carissimum, divinitus excitatum esse; ad repurgandum Evangelii ministerium, & monstrandum filium Dei, ut Deus immensa misericordia subinde, missis bonis doctoribus, Evangelii lucem Ecclesiæ restituit, depulsis tenebris. Hoc beneficium Dei agnoscendum est, & cum Deo habenda est gratia, tum vero amandi ipsi legati cælestes. Sicut Ebrei ad Abraham dicunt: Princeps Dei es vere inter nos. Ita vere inter nos Princeps Dei fuit D. Martinus Lutherus. Doleamus igitur, eum ex hac nostra consuetudine evocatum esse, & oremus Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut Ecclesiam hanc clementer servet. Cum autem funus ei hodie faciendum sit, fortassis statim a meridie (nam horam nondum scimus, sed sonitu campanæ minoris, signum dabitur, quando conveniendum sit) mandamus, ut in foro omnes scholastici conveniant, ac ibi Reverendum D. Pastorem Ecclesiæ nostræ expectent, eumque deinde sequantur excipientem exuvias, quæ fuerunt, & rursus erunt Spiritus Sancti tabernaculum. In ipso autem funere cogitent de beneficiis donatis Ecclesiæ per hunc Doctorem, & pro eis Deo gratias agant. Certum est enim, doctrinam de pœnitentia, de vera Dei invocatione, & veris cultibus, ab eo pie illustratam esse, cum antea tetris sordibus, & falsis ac ethnicis opinionibus obruta fuerit. Hac doctrina, etsi a magna multitudine contemnitur, tamen verissime illud margaritum est, quod omnibus opibus anteferri Filius Dei jussit. Petant etiam ardentibus votis, ne Deus sinat extingui Evangelii lucem, & mores nostros majore cura regamus, ne Deus irritatus, iram suam adversus nos exerat. Stillico Dux de Ambrosio sæpe dixit, Italiam, extincto Ambrosio perituram esse; nec vanum fuit hoc vaticinium. Nam mortuo Ambrosio, statim Gothi & Vandali Italiam ubique vastarunt. Ita cogitemus, morte hujus nostri Doctoris, aliquas pœnas denunciari, quas Deus mitiget. Vigesima prima Februarii Anno 1546. Cur die XXI. Febr. datum sit, & tamen in eo dicatur, *hodie faciendum* esse funus, quod sequenti die factum est, nescio, autoris festinationi an typographi errori tribui debeat. Concio D. *Joh. Bugenhagii* Pomerani, ipso die sepulturæ habita, extat *Tom. Alt. fol. 853.* sed ita occupatus fuit dolore, & lacrymis impeditus, ut & brevi sermone defunctus sit, & ad textum, quem tractandum sumserat, *I. Thess. IV. 13. 14.* fere nihil dixerit. Lutherum in exordio a doctrina, pietate & constantia ex merito laudat, comparat eum cum Angelo, qui *Apoc. XIV. 7.* visus est per medium cœli volare, habens æternum Evangelium & dicens: *Timete Dominum & date illi honorem.* Utrumque hoc sequi dixit ex doctrina Lutheri, qua Legis & Evangelii doctrinam probe explicaverit & distinxerit. Recitat etiam *Joh. Hussi* vaticinium de cygno post centum annos venturo, quem assare, ut *Hussum* (ita lingua Bohemica anser vocatur) non possent, item, quod dixerit, se post annos centum responsurum esse; id per Lutherum egregie factum esse censet. Memorat, ut Lutherus, quoties aliquem placide mori vidisset, simile mortis genus expetiverit; & digreditur inde, ut cœtum a lacrymis, quemadmodum ipse fatetur, revocaret, ad narrandam historiam cujusdam *M. Ambrosii Bernhardi* Juterbocensis, Luthero affinitate juncti, qui in suavi quodam delirio anno 1542. VVittenbergæ decesserit, pia quidem multa, nihil vero de uxore aut liberis locutus, neque ullum dolorem morbi, aut instantis mortis insultum sentiens. Refert autem, Lutherum, cum sepulchrum illius, non diu post ejus obitum, comite *Pomerano*, præteriens, intuitus esset, sibi quoque placidum ejusmodi finem a Deo optasse; sæpe etiam rogatum se ab illo fuisse, ut Deum oraret, quo propediem ex vita hac avocaretur: Dixisse itidem, se jam nihil amplius præstare posse. Narrat postea quædam de obitu ejus, & ut voti sui compos factus, placidum vitæ finem habuerit, & quæ ultimæ ejus preces fuerint. In fine & ipse, ob adversariorum blasphemias & obdurationem, & ob Evangelicorum ingratitudinem, magnas calamitates metuendas esse, non tacet,

(d) *Concio D. Pomerani in exequiis Lutheri.*

pœnitentiam itaque suadet omnibus, & hostibus veritatis incorrigibilibus implementum versiculi, a Luthero compositi, de quo supra dictum est, precatur. Parentationem Latinam, quam, finita concione Pomerani, *Philippus Melanchthon* in templo pronunciavit, totam hic exhibemus. Etsi enim ad meditandum parum temporis habuerit, stylique ornatum neglexerit, ipsa tamen simplicitate placere potest hæc oratio, & quanto minus affectata & tumida est, tanto plus meretur fidei, & candorem dicentis ostendit. Versio ejus Germanica extat *Tom. VIII. Alt. fol. 867.*

An. 1546.

Oratio in funere Reverendi Viri D. Martini Lutheri recitata a Philippo Melanchthone.

(e) *Oratio Melanchthonis, itidem in exequiis pronunciata.*

Etsi in hoc publico luctu mea vox dolore & lacrymis impeditur: tamen in tanta frequentia aliquid dicendum fuit, non ut ab Ethnicis fiebat, tantum de mortui laudibus, sed potius ad commonefaciendum cœtum, de miranda gubernatione & periculis Ecclesiæ, ut quade re angi, quas res præcipue expetere, ad quæ exempla dirigere vitam debeant, juniores cogitent. Etsi enim homines prophani in tanta confusione vita temere omnia & casu ferri arbitrantur: tamen nos multis perspicuis Dei testimoniis confirmati sejungamus Ecclesiam a prophana multitudine, & statuamus, vere eam regi & servari divinitus: & ejus politiam recte aspiciamus, agnoscamus veros gubernatores, & eorum curriculum consideremus, & eligamus duces & doctores idoneos quos quidem & pie sequamur & veneremur. De his tantis rebus cogitari & dici necesse erit, quoties Reverendi viri D. Martini Lutheri, carissimi patris & præceptoris nostri, mentio fiet, quem etiam si multi prophani homines acerbissime oderunt: tamen nos, qui scimus, fuisse ministrum Evangelii divinitus excitatum, amemus ac probemus, & testimonia colligamus, quæ ostendunt, ejus doctrinam non esse seditiosas opiniones sparsas cæco impetu, ut homines Epicurei judicant. Etsi igitur in his orationibus, quæ tali loco habentur, multa de ornamentis privatis eorum, qui laudantur, dici solent: tamen ego, ea parte orationis relicta, tantum de hoc præcipuo loco dicam, videlicet, de munere Ecclesiastico. Ita enim bonæ mentes semper statuent: Si doctrinam in Ecclesia salutarem & necessariam illustravit, Deo gratias agendas esse, quod eum excitaverit, & ipsius labores, fidem, constantiam & cæteras virtutes laudandas esse, ac memoriam ejus bonis omnibus charissimam esse. Sit igitur hoc orationis nostræ initium. Sedet, ut Paulus inquit, filius Dei ad dextram æterni Patris, & largitur dona hominibus, id est, vocem Evangelii, & Spiritum sanctum: quæ ut impertiat, excitat Prophetas, Apostolos, Doctores & Pastores, & hos sumit ex hoc nostro, id est, discentium cœtu, qui legunt, audiunt, amant scripta Prophetica & Apostolica. Nec tantum illos vocat ad hanc militiam, qui tenent ordinariam potestatem, sed sæpe illis ipsis bellum infert per Doctores, ex aliis ordinibus delectos, estque jucundum & utile spectaculum, intueri Ecclesiam omnium ætatum & considerare bonitatem Dei, qui subinde salutares doctores ita continuato ordine misit, ut tanquam in acie, prioribus cedentibus, mox alii in horum vestigia insisterent. Nota series est primorum patrum, Ada, Seth, Enoch, Mathusalem, Noe, Sem. Hoc vivo & in vicinia Sodomorum habitante, cum jam oblita gentes doctrinæ Noe & Sem passim idola colerent, excitatus est Abraham, ut esset collega Sem, & socius hujus summi operis propagandæ veræ doctrinæ. Huic successerunt Isaac, Jacob, Joseph, qui universa Ægypto, quæ tunc fuit florentissimum regnum, toto orbe terrarum doctrinæ lucem accendit. Deinde Moses, Josue, Samuel, David, Elias, Elisæus, quem audivit Esaias; Esaiam Jeremias; hunc Daniel; Danielem Zacharias. Deinde Esdras, Onias. Post hunc Maccabæi. Deinde Simeon, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli. Hanc continuam seriem juvat aspicere, quæ est illustre testimonium præsentiæ Dei in Ecclesia. Ac post Apostolos, sequitur agmen, quod etsi fuit imbecillius, tamen Dei testimoniis ornatum est, Polycarpus, Irenæus, Gregorius Neocæsariensis, Basilius, Augustinus, Prosper,

Maxi-

An. 1546.

Maximus, Hugo, Bernardus, Taulerus, & alii. Etsi enim hæc postrema senecta squalidior est, tamen Deus semper aliquas reliquias servavit. Et lucem Evangelii splendidiorem accensam esse voce Lutheri, manifestum est. Annumerandus est igitur illi pulcherrimo agmini summorum virorum, quos Deus ad colligendam & instaurandam Ecclesiam misit, quos quidem præcipuum florem esse generis humani intelligamus. Fuerint sane magni viri Solon, Themistocles, Scipio, Augustus, & similes, qui magna imperia vel constituerunt vel rexerunt: tamen longe inferiores sunt his nostris ducibus Esaia, Baptista, Paulo, Augustino, Luthero. Hæc vera discrimina intelligere nos in Ecclesia decet. Quæ igitur res magnæ & veræ a Luthero patefactæ sunt, quæ ostendunt, ejus curriculum laudandum esse? Clamant enim multi, turbatam esse Ecclesiam, & controversias inextricabiles sparsas esse. His respondeo, talem esse gubernationem Ecclesiæ, cum Spiritus sanctus arguit mundum, dissidia propter impiorum pertinaciam oriuntur, & culpa est eorum, qui audire filium Dei nolunt, de quo cœlestis pater inquit: Hunc audite. Lutherus verum & necessariam doctrinam patefecit, fuisse enim tenebras in doctrina de pœnitentia densissimas, manifestum est. His discussis ostendit, quæ sit vera pœnitentia, & quis sit portus, quæ firma consolatio mentis, quæ expavit sensu iræ Dei. Illustravit Pauli doctrinam, quæ ait, fide justificari hominem. Ostendit discrimen Legis & Evangelii, Justitiæ Spiritus & politicæ. Ostendit & veram invocationem Dei, ac totam Ecclesiam ab ethnico furore revocavit, qui fingit, Deum invocari etiam, si mentes Academica dubitatione oppressæ fugiant Deum. Jussit fide & bona conscientia fieri invocationem, & quidem ad unum mediatorem, filium Dei, sedentem ad dextram æterni patris, & interpellantem pro nobis; deduxit nos, non ad statuas aut homines mortuos, ut horribili furore homines imperiti statuas & homines mortuos invocant. Monstravit & alia vera officia Deo grata, & vitam civilem ita ornavit & munivit, ut nullius unquam literis ita ornata & munita sit. Denique sejunxit a necessariis operibus puerilem pædagogiam humanarum ceremoniarum, & ritus, ac leges impedientes veram invocationem Dei. Et ut illustrata doctrina cœlestis propagaretur ad posteritatem, vertit in linguam Germanicam Prophetica & Apostolica scripta tanta perspicuitate, ut hæc ipsa versio plus lucis adferat lectori, quam plerique commentarii. Adjunxit & ipse multas enarrationes, quas longe antecellere omnium enarrationibus, quæ extant, Erasmus etiam affirmare solebat. Et ut scribitur de instaurantibus Hierosolymam, altera manu eos ædificasse, altera gladium ten[illegible] ipse & præliabatur cum hostibus veræ doctrinæ, [illegible] enarrationes plenas doctrinæ cœlestis cond[illegible] multorum conscientiis opem tulit piis consiliis. [illegible] magna pars doctrinæ supra humanum consp[illegible]sit, ut doctrina de remissione peccatorum [illegible] esse est fateri a Deo eruditum esse, ac multi [illegible] runt ejus luctas, in quibus didicit, fide sta[illegible] recipi & exaudiri a Deo. Semper igitur in [illegible]nitate bonæ mentes beneficia, quæ Deus Ec[illegible] Lutherum dedit, celebrabunt. Et primum De[illegible] agent. Deinde & ipsius viri laboribus multum [illegible]se prædicabunt, etiamsi homines athei, qui totam [illegible]clesiam rident, hæc καλοφθύματα judicant esse i[illegible]nem ludum aut furorem. Nec inextricabiles disputationes motæ sunt, nec contentionis pomum, ut aliqui falsò dicunt, Ecclesiæ objectum est, nec proposita σφίγγος ænigmata. Nam sanis & piis & non calumniose judicantibus, facile est, collatis sententiis videre quæ congruant cum cœlesti doctrina, quæ non congruant. Immo, in omnium pio[illegible] mentibus has controversias jam dijudicatas esse [illegible] est. Quia cum Deus conspici se & vol[illegible] in sermone prophetico & Apostolico vel[illegible] in quo se patefecit, non existimandum est, sermonem illum ambiguum esse ut folia Sibyllæ. Sed aliqui, non mali tamen, questi sunt, asperiorem fuisse Lutherum, quam debuerit. Nihil disputo in alterutram partem; sed respondeo id, quod Erasmus sæpe dixit: Deus dedit huic postremæ ætati propter morborum magnitudinem acrem medicum. Cumque tale organum adversus hostes veritatis superbos & impudentes excitarit, ut ad Jeremiam inquit: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ut destruas & ædifices, & voluerit eis tanquam hanc Gorgonem objicere, frustra expostulant illi cum Deo. Nec regit Deus Ecclesiam humanis consiliis, nec vult organa sua prorsus similia esse. Illud autem commune est, ut mediocria & moderata ingenia impetus ardentiores seu bonos seu malos minus probent. Vidit Aristides Themistoclem ingenti motu animi res magnas suscipere & feliciter gerere. Etsi autem felicitatem gratulabatur Reipublicæ, tamen incitatum illius animum ex eo cursu revocare studebat. Nec ego hoc nego, peccare interdum vehementiores impetus, nemo enim in hac natura infirmitate prorsus sine labe est. Interim tamen, si quis talis est, ut veteres de Hercule, Cimone, & aliis dixerunt, ἀκομψος μὲν, ἀλλὰ τὰ μέγιστα ἀγαθός, [illegible] bonus & laude dignus est. Ac in Ecclesia si, [illegible] inquit, recte militat, retinens fidem & bon[am con]scientiam, Deo placet, & a nobis venerandus est. [T]alem fuisse Lutherum scimus. Nam & constanter [doctr]inæ puritatem defendit, & con[illegible] retinuit. Nulla vaga libidines [illegible] animadversa sunt, nulla seditiosa consilia, immo autor potius aliquoties fuit abjiciendorum armorum; non miscuit causis Ecclesiasticis artificia augendæ potentiæ. Hanc & sapientiam & virtutem esse judico tantam, ut sola humana diligentia accersi posse non videatur; Sed divinitus etiam frenari animos oportet, præsertim acres, excelsos, ardentes, qualem omnino Lutherum fuisse res ostendit. Quid dicam de cæteris ejus virtutibus? Sæpe ipse interveni, cum lacrymans precationes suas pro tota Ecclesia dixit. Sumebat enim sibi fere quotidie certum tempus ad Psalmos aliquos recitandos, quibus sua vota gemens & lacrymans miscebat, ac sæpe dixit, se succensere istis, qui aut propter ignaviam, aut propter occupationes dicant, satis esse, solo gemitu precari. Ideo formæ nobis divino consilio præscriptæ sunt, inquit, ut lectio mentes accendat, immo ut [illegible] profiteatur, quem Deum invocemus. Itaque c[illegible]a graves deliberationes de periculis publicis sæpe [in]ciderint, animadvertimus, eum ingenti animi robore præditum fuisse, minimeque ψοφοδεῆ, nec ullis unquam fractum terroribus. Nitebatur enim sacra, ut dicitur, ancora, id est, auxilio Dei, nec fidem excuti sibi patiebatur. Cæterum & acie mentis tantum valebat, ut unus in obscuris rebus maxime videret, quid conduceret. Nec erat, ut multi putant, negligens in consideranda Republica, aut inspiciendis aliorum voluntatibus. Sed & Rempublicam norat, & omnium, cum quibus vivebat, sensus ac voluntates sagacissime perspiciebat. Et quanquam ingenii vis acerrima erat: tamen avidissime legebat scripta Ecclesiastica vetera & recentia, & omnes historias, quarum exempla singulari dexteritate ad præsentia negotia transferebat. Eloquentiæ vero ipsius perpetua monumenta extant, qui par fuit haud dubio iis, in quibus vis oratoria summa fuisse existimatur. Talem virum summa vi ingenii præditum, instructum doctrina, longo usu exercitatum, multis excellentibus & heroicis virtutibus ornatum, ac a Deo ad Ecclesiæ instaurationem delectum, denique complexum nos omnes paterno animo, ex hac nostra consuetudine evocatum esse, nostra causa merito dole[mus]. Sumus enim simillimi orphanis, præstanti & [fido] patre orbati. Sed quia Deo obtemperare necesse [est,] memoriam tamen virtutum & beneficiorum ipsius [nos interire non sinamus. Sciamus fuisse eum organ[um] Dei salutare, & ejus doctrinam studiose discamus. [V]irtutes etiam nobis necessarias pro nostra mediocr[itate] imitemur, timorem Dei, fidem, & ardorem in invocatione, integritatem in ministerio, castitatem, diligentiam vitandi seditiosa consilia, cupiditatem discendi. [Itaq]ue de cæteris piis gubernatoribus Ecclesiæ, quorum [ext]ant historiæ, sæpe multumque cogitandum est,

An. 1546.

est, de Jeremia, de Baptista, de Paulo; ita sæpe hujus viri doctrinam & cursum consideremus, & gratiarum actionem & precationem adjungamus, quod nunc quoque in hac frequentia fieri decet. Mecum igitur vera pietate animorum dicite: Gratias agimus tibi, omnipotens Deus, æterne pater domini nostri Jesu Christi, conditor Ecclesiæ tuæ, una cum filio tuo coæterno, domino nostro Jesu Christo, & Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, juste judex, verax, fortis & liberrime, quod colligis Filio tuo hæreditatem ex genere humano, & servas Evangelii ministerium, & nunc quoque per Lutherum instaurasti; ac ardentibus votis precamur, ut deinceps Ecclesiam & serves & regas, & obsignes in nobis veram doctrinam, sicut Esaias de suis discipulis precatur, & nostras mentes Spiritu sancto tuo accendas, ut te recte invocemus, & mores nostros pie regamus. Deinde quia magnorum gubernatorum interitus sæpe denunciant posteritati pœnas, vos obtestamur, ego & omnes, quibus docendi munus commendatum est, ut de periculis orbis terrarum cogitetis. Alibi Turci grassantur, alibi minantur bella domestica alii hostes, passim etiam magna est ingeniorum petulantia, quæ præsertim, postquam Lutheri censuram vereri desinent, majori audacia doctrinam recte traditam corrumpent. Hæc mala ut Deus avertat, diligentiam [illegible] moribus & studiis, semperque infixam hanc [illegible] animis teneamus, tantisper, donec putam Evangelii doctrinam retinebimus, audiemus, discemus, amabimus, fore nos Dei domicilium & Ecclesiam, sicut inquit Filius Dei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Hac nos amplissima promissione ad discendam doctrinam cœlestem accendamus, & sciamus propter Ecclesiam servari genus humanum & politias, & illam æternitatem futuram mentibus intueamur, ad quam nos Deus vocavit, qui quidem nec frustra se tam illustribus testimoniis patefecit, nec frustra Filium misit, sed vere diligit & curat hæc beneficia magnifacientes. Dixi.

(f) *Melanchthonis historia de vita Lutheri.*

Post paucos menses, nempe *Cal. Jun.* eodem anno, idem *Melanchthon*, cum in *Tomum II. Lutheri Latinum, Vitebergæ* editum, præfationem componeret, vitæ ejus historiam compendiose enarravit, cujus Germanica versio etiam in *Tom. VIII. Alt. fol. 874.* relata est. Multa illi præfationi debemus, & pleraque, quæ ad historiam spectant, in loco memoravimus. Continet autem etiam apologiam doctrinæ & scriptorum Lutheri, & lectu est dignissima, longior tamen, quam ut integram huc transferamus. Inseruit eam prope totam *Historiæ suæ Ecclesiasticæ Marcus Zuerius Boxhornius*, vir, inter eruditos Belgas, haud ita pridem, nominatissimus, *anno 1675. Lipsiæ recusæ p. 1050. & seqq.* Quædam tamen ex illa excerpta damus, in quibus *Melanchthon* de doctrina & moribus *Lutheri*, ut & de statu Ecclesiæ, integerrime judicat. Postquam narrasset, ut præter spem & intentionem neque incitatore neque applausore *Friderico* Saxoniæ Electore, in disputationem cum *Tezelio* inciderit, & lacessentibus eum impudentibus scriptoribus, cum quietis cupidissimus esset, & silentium offerret, ad aliarum materiarum tractationem veluti raptus fuerit, ab *Eccio* speciatim, qui quæstionem de potestate Pontificis ideo solum moverit, ut ejus & Regum atque Principum odia in Lutherum accenderet; moderationem ejus laudat, quod a seditiosis consiliis semper abstinuerit. Scribit enim:

(g) *Excerpta de moderatione Lutheri.*

Etsi fuit natura ardens & iracundus, tamen semper sui muneris memor, tantum docendo præliatus est, ac vetuit arma sumi, sapienterque distinxit officia toto genere diversa, Episcopi docentis Ecclesiam Dei, & Magistratuum, qui gladio coercent certorum locorum multitudinem. Quare, cum aliquoties Diabolus, qui scandalis dissipare Ecclesiam, & contumelia Deum afficere studet, &, ut est ἐπιχαιρέκακος, voluptatem capit ex hominum miserorum erroribus & exitio, inflammasset seditiosa ingenia ad excitandos tumultus, ut Monetarium & similes, acerrime illos furores damnavit, & dignitatem ac vincula omnia politici ordinis non solum ornavit, sed etiam munivit. Cum autem apud me cogito, quam multi magni viri in Ecclesia sæpe in hac re hallucinati sint, plane statuo, non sola humana diligentia, sed etiam divina luce pectus ejus gubernatum esse, ut intra sui muneris metas tam constanter manserit. Execrabatur igitur non solum hujus ætatis seditiosos Doctores, Monetarium & Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos urbis Romæ, qui audacissime, impudentissimeque decretis conditis, affirmarunt, Petro non tantum Evangelii docendi munus mandatum esse, sed etiam Imperia politica tradita esse. Denique erat hortator omnibus, ut, quæ Dei sunt, Deo darent, quæ Cæsaris, Cæsari; id est, ut vera pœnitentia, vera doctrinæ agnitione & propagatione, vera invocatione, & bona conscientia officiis Deum colerent: Suæ vero politiæ quisque in omnibus officiis civilibus reverenter propter Deum obtemperaret. Ac talis quidem Lutherus ipse fuit; quæ Dei sunt, Deo dedit, recte docuit, Deum recte invocavit, habuit & alias virtutes necessarias in homine, qui placet Deo; Deinde in politica consuetudine constantissime vitavit omnia seditiosa consilia. Has virtutes tanto esse judico decora, ut alia majora in hac vita expeti non possint. Egregia vero postea commentatur *Melanchthon* de mutationibus doctrinæ in Ecclesia, post Apostolica tempora, quarum quatuor potissimum observat.

(h) *De mutatione doctrinæ in Ecclesia quadruplici.*

Primam statuit *Origenicam*, qua Evangelium ad Philosophiam inflexum fuisse dicit, & licet non deessent, qui deliramenta illa improbarent, inter quos laudat *Methodium*, eam tamen in animis multitudinis persuasionem ortam esse existimat, ac si rationis disciplina aliquid apud Deum mereretur, & ex iis seminibus ortum esse *Pelagii* errorem. *Secundam* mutationem tribuit *Augustino*, qui a Deo ad emendandos illos errores excitatus sit. Ejus doctrinam cum Lutherana convenire non dubitat, licet adversarii sententias ex eo excerptas in contrarium sycophantice allegent. *Tertiam* periodum cum ætate gigantum comparat, cum homines profani & indocti in Ecclesia regnaverint, aulæ Romanæ artibus aut forensi doctrina exculti. In *quartam* locat *Dominicum & Franciscum*, qui cum luxum & opes Episcoporum viderent, & profanos mores detestarentur, modestiorem vitam instituerint; sed simul autores fuisse censet, superstitionis ex inscitia, & secutos *Albertum* & alios, qui, cum Theologica studia rabularum tricis, quibus Prælati Ecclesiæ studebant, substituere vellent, inopes consilii, in Aristotelicam Philosophiam transformaverint Theologiam. *Hæc ætas*, ait, *non cœnum solum, sed & venena, id est, opiniones manifeste idola probantes, in fontes Evangelicos infudit. Tantum labyrinthorum & falsarum opinionum est in Thomis, Scoto & similibus, ut semper saniores Theologi desiderarint aliud doctrinæ genus planius & purius.* Et [illegible] beneficii Ecclesiæ exhibendi instrumentum [illegible] fuisse *Lutherum* asseverat, eoque nomine gratias Deo agit, &, quod Lutherum quotidie fecisse [illegible] pro conservatione cœtuum, in quibus vera [illegible] sonat, preces fundit. De libris denique Lutheri [illegible] judicat:

(i) *Judicium Melanchthonis de libris Lutheri.*

Habet posteritas multa monumenta [illegible] doctrinæ & pietatis ipsius. Edidit scripta didascalica, in quibus doctrinam complexus est salutarem & necessariam hominibus, erudientem bonas mentes de pœnitentia, fide & veris fructibus fidei, de usu Sacramentorum, de discrimine Legis & Evangelii, de discrimine Evangelii & Philosophiæ, de dignitate politici ordinis, denique de præcipuis articulis doctrinæ, quam in Ecclesia extare necesse est. Deinde addidit *ἐλεγκτικὰ*, *in quibus refutavit multos errores perniciosos hominibus: Edidit & ἐξηγητικὰ, id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apostolica scripta, quo in genere, etiam inimici fatentur, eum superare omnes enarrationes, quæ extant. Hæc merita esse magna, omnes piæ mentes intelligunt. Sed profecto utilitate & labore æquat hæc opera interpretatio Veteris & Novi Testamenti, in qua tanta est perspicuitas, ut vice Commentarii esse possit ipsa Germanica lectio. Qua tamen non est nuda, sed habet adjunctas eruditissimas annotationes, & singularum partium argumenta, quæ & summam doctrinæ cœlestis monstrant, & de genere sermonis erudiunt lectorem,* ut

An. 1546.

rem, ut ex ipsis fontibus bonæ mentis firma testimonia Doctrinæ sumere possint. Volebat enim Lutherus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes deducere omnium mentes. Ipsam vocem Dei audire nos voluit, hac voluit in multis accendi verum fidem & invocationem, ut Deus vere celebraretur, & multi fierent hæredes vitæ æternæ.

(k) *Zochii & Majoris litera de obitu Lutheri.*

Post *Melanchthonis* testimonium superfluum videri posset, plura congerere; adjiciam tamen pauca quædam non vulgaria. Legati Electoris Saxoniæ ad colloquium Ratisbonense, *D. Laurentius Zochius* & *D. Georgius Major*, cum ex rescripto Principis mortem Lutheri intellexissent, (*Reg. H. fol. 663. n. 203*) d. 28. Febr. responderunt: *Charissimi Domini & patris nostri abitum ex hac vita magno cum animi mœrore percepimus, collegæ etiam nostri, quibus eum significavimus, in summum dolorem conjecti sunt. Gaudebunt adversarii, sed Deus illorum lætitiam in mœrorem & nostrum luctum in gaudium, convertere potest: Servantur sane nostra etiam corpora, nostræque animæ ad æternum gaudium, in quod beatus Parens ille noster, in Christo vocatus est. At hostes Christi, qui suis fidunt meritis, dignam illis mercedem accipient. Magnam fiduciam habemus, fore, ut Deus, qui D. Martinum, aurigam & currum suum, hoc tempore ad se transtulit, Elisæum quendam aliosque sit excitaturus, qui purum doctrinam Evangelii, hucusque restitutam & renovatam, conservent & propagent, promisit enim; non relinquam vos orphanos, &; ero vobi cum omnibus diebus.* Memorabilia etiam sunt verba eximii illo tempore Theologi, sæpe a nobis laudati, *Joh. Brentii*, qui tunc inter collocutores erat, in epistola ad *Amsdorffium* Episcopum d. 29. Febr. Ratisbonæ data, in qua inter alia scribit: *Quod a objectum fuit* (in literis nempe Amsdorffii ad D. Majorem scriptis) *de morte D. Martini Lutheri, quem ego semper toto pectore, ut Præceptorem & Patrem in Christo, veneratus sum, animum meum gravissime perculit. Non dubito quidem, quin, cum tam bonum certamen certaverit in Ecclesia, reposita sit ei corona justitiæ, & liberatus omnibus malis huic mundo impendentibus, felicissime in Christo vivat. Sed quantum vulnus Ecclesia morte tanti viri acceperit, res ipsa, heu! metuo, palam declarabit. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum ut plorem, non quidem interfectos, sed desertos filiæ populi? At Christus inquies, non periit, hic vivit adhuc & sedet ad dextram Patris. Recte: Sed electum Christi organon nobis ablatum est. Heroum oc ubitus olet esse portentum rerum non optimarum. Quid igitur nos, amisso tanto Heroe, sperabimus?* Denique ex *Achillis Gassari*, haud spernendi autoris *Hist. MS.* ubi dissolutionem colloquii Ratisbonensis retulerat, verba referemus: *Ecce tibi*, (scribit) *in ipsa tantarum rerum machinatione sanctus vir Dei Martinus Lutherus, post plurimos pro Ecclesia Christi exantlatos labores, dum dissidia Comitum Mansfeldensium pie componit, XVIII. Febr. in patria sua, Islebio, futuris malis ereptus est. O currus & auriga Israel! quo ad meliora sublato, quæ non hæreses corruptelæque apud nos in fide repullularunt!*

(l) *Joh. Brentii epistola de eodem.*

(m) *Relatio Achillis Gassari.*

(n) *De testamento Lutheri.*

Subjungemus, ut promisimus, de testamento & de posteris ejus quædam. Testatus est, ut exemplar *Tom. VIII. Alt. fol. 846* relatum ostendit, anno 1542. die *Euphemiæ* (d. 16. Sept.) uxoris potissimum gratia, cui testimonium perhibet probitatis, fidelitatis & honestatis, & quod ab ea semper amatus & omnibus officiis cultus sit, (Sie hat mich als ein fromm/ treu/ ehrliches Gemahl allezeit lieb/ werth/ und schön gehalten) nec fœcunditatem tacet, quod quinque liberos, tunc viventes, ediderit. Observavi sane ex literis *Pontani*, (*Reg. N. lit. G. n. 44. fol. 14.*) post mortem Lutheri ad Electorem scriptis; quod uxor Lutheri animum paulo elatiorem & imperiosum habuisse visa sit, & quod tenax in victu domestico, sumtuosa tamen fuerit in ædificia, inprimis in prædium illud *Zeulsdorff*, quod ei in hac ipsa dispositione sua, dotalitii nomine, assignaverat Lutherus. Sed tolerabiles illi nævi fuerunt, nec ab omnibus immunem eam judicavit ipse Lutherus, licet eam tenere amaret, dicere enim, ut apud *Bavarum Tom. I. p. 129.* refertur, auditus est, se *Catharinam suam nolle cum Galliæ regno aut Venetorum opibus commutare; primo*, quia sibi a Deo donata esset, cum eum multis precibus de bona conjuge sibi jungenda solicitasset, antequam eam duceret; *deinde*, quod, etsi non careret defectibus, minoribus tamen, quam aliæ fœminæ laboraret; & *tertio*, quod fidem conjugii servaret. Illi igitur ad vitam usumfructum prædii illius, quod dixi, legavit, cujus tamen pretium illo tempore non magni æstimavit *Pontanus*; deinde domum *ad fontem*, (nam *d. fol. 846.* ubi dicitur, am Bru: legendum est am Brunnen) intelligit nempe minorem; nam majorem postea *Augustus* Elector Saxoniæ a vidua & hæredibus Lutheri, dato fere 3000. florenorum pretio, comparavit: Præterea, quæ pretiosa habebat, & ad mille florenorum summam taxabat. Absolvi autem eam vult ab omni suspicione, ac si paratam pecuniam clam comparsisset, neque enim id facere eam dicit potuisse, cum ipse nihil in bonis haberet, & tantum ex salario & donariis Principum viveret. *Bavarus d. l. p. 136* ut animum Lutheri ab omni pecuniæ cupidine alienissimum ostenderet, notavit, eum, cum post parentis sui mortem a fratre & sorore *trecentos florenos* pro tota patrimonii parte accepisset, non ignorasse, se defraudari, de eo tamen damno minime questum esse, sed dixisse, se uno anno plus absumere, ali tamen a Deo cum liberis suis, & hos ditiores futuros esse, quam illorum, immo, se ingratorum liberos alere velle, itidem licet ingratos; pios enim omnia beneficia sua perdere & nihil inde sperare debere, (wer da will fromm seyn / der muß alle seine wohlthat verliehren) pro lucro æstimandum esse, si quid gratitudinis ad eos perveniat, ingratis tamen divinam ultionem instare. Sed ut ad testamentum redeam, non tam conditionem adjecit iis, quæ uxori destinaverat, quam fiduciam testatus est, quod uxor, si ad secunda vota transiret, (id quod ipsius voluntati & divinæ providentiæ prorsus committit) omnia cum liberis divisura sit. Liberos vero mavult a matre, quam hanc ab illis dependere, exemplis se territum dicens, quam inique sæpe liberi parentes tractent. Denique, omissa omni solennitate legali, confidere se ait, majorem fidem se mereri, quam Notarium quemcunque. *Notus sum*, inquit, *in cælo, in terra, & in inferno, & autoritatem ad hoc sufficientem habeo, ut mihi soli credatur, cum Deus mihi, homini licet damnabili & misero peccatori, ex paterna misericordia Evangelium filii sui crediderit, dederitque, ut in eo verax & fidelis fuerim, ita ut multi in mundo illud per me acceperint, & me pro Doctore veritatis agnoverint, spreto banno Papæ, Cæsaris, Regum, Principum & sacerdotum immo omnium dæmonum odio: Quidni igitur ad di positionem hanc in re exigua sufficiat, si adsit manus mea testimonium, & dici possit, hæc scripsit D. Martinus Lutherus, Notarius Dei, & testis Evangelii ejus.* Additæ tamen sunt subscriptiones *Melanchthonis*, *Crucigeri* & *Pomerani*; sed alio tempore, nec uno factas fuisse, inde constat, quod primo loco *Melanchthon*, ultimo *Pomeranus* scripserit, cum huic primus deberetur, *Melanchthon* vero & illi & *Crucigero*, Doctoribus quippe, quem titulum ipse non gerebat, cedere soleret. Elector vero Saxoniæ rogatus a vidua, diplomate, Dom. Judica hoc anno (*d. XI April.*) dato, testamentum Lutheri confirmavit, jubens, ut illud, etsi solennitates, a legibus requisitæ, abessent, validum haberetur & observaretur. Quanquam vero, ut intellectum est, mediocres facultates reliquerit Lutherus, accedentibus tamen donativis Electoris & Comitum Mansfeldensium, de quibus diximus, honestus victus non defuit viduæ & liberis ejus. Et vidua quidem postea, venditis, quæ VVittenbergæ habebat, *Torgaviæ* domicilium elegit, ibique anno 1552. d. 20. Dec. decessit & in templo Parochiali sepulta est, ubi monumentum ejus extat. Filius natu major, *Johannes* filiis Electoris *Joh. Friderici* ab expeditionibus Cancellariæ, & a Consiliis fuit, deinde in *Borussiam* ab *Alberto* Duce vocatus est. Uxorem habuit *Elisabetham*, D. *Crucigeri* filiam unicam, & ex ea filiam genuit, quæ sine prole decessit. *Martinus*, secundo genitus, Theologiæ operam

An. 1546.

(o) *De vidua & liberis Lutheri quædam.*

An. 1546.

peram dedit, & uxorem VVittenbergæ Consulis *Joh. Heiligeri* filiam duxit, ibique sine prole obiit anno 1565. ut epitaphium ejus a *Menzio Lib. 3. n. 25.* relatum ostendit. *Paulus*, natus anno 1533. excellens Medicinæ Doctor & Practicus fuit, artem suam in Jenensi Academia professus, sed mox in aulam *Joh. Friderici II.* Sax. Ducis Gothani vocatus, post ejus calamitatem ab Electore *Brandenburgensi* primarius in aula Medicus constitutus est. Post illius obitum idem officium ab *Augusto* Saxoniæ Electore ei collatum fuit. Uxorem habuit filiam *Viti VVarbeccii*, cujus *Lib. I.* mentio facta est, Consiliarii & postea Vice Cancellarii in aula *Joh. Friderici* Electoris, nobili genere in Svevia nati. *Paulus* itaque *Lutherus* vir fuit magnæ dignitatis & gratiæ, prædio etiam equestri ab Electore *Augusto* donatus, idem magnæ pietatis, & in doctrina a parente suo tradita, speciatim etiam in articulo de Sacramento, constantissimus. Obiit anno ætatis sexagesimo, anno 1593. Vitæ ejus historia a *Melchiore Adami* in volumine de *Vitis medicorum p. 338.* relata reperitur. Filius *Pauli* natu major, (cæteri enim in juventute decesserunt) *Johannes Ernestus*, Canonicus Cizensis, familiam propagavit, fuitque parens *Joh. Martini Lutheri*, viri doctissimi & honestissimi, mihique amicissimi, Consiliarii Electoralis, in regimine Misnensis Episcopatus, quod *VVurzena* est, possiditque in districtu illo ex donatione Electorali, equestre prædium *Hobburg*; uxores habuit primam *Guilielmi Lyseri* D. Theol. & Prof. VVittenberg. alteram celeberrimi Theologi Lipsiensis *Joh. Hulsemanni* filiam. Reliquit & hic liberos, ex quibus filius superstes est. Ex *D. Martini Lutheri* filiabus, *Margaretha*, (duæ enim aliæ infantes aut puellæ decesserunt, vid. *Menz. Lib. 4. n. 1. 5.*) Nobilissimo viro in Borussia, *Georgio a Cunheim*, nupsit, & filiam ex eo suscepit *Dorotheam*, quæ *Friderici Baronis a Kitliz* uxor fuit. *Paulo* quoque duæ fuerunt filiæ; ex iis *Margaretha* maritum habuit *Simonem Gottsteig*, redituum Archiepiscopatus Magdeburgi Præfectum (Möllen Voigt vocant, quod honestissimum & fructuosum officium est.) Altera, *Anna*, equestris Ordinis viro *Nicolao Mareschalco* nupsit. Possent plures a Luthero descendentes nominari, viri quidem honestis in Republica & Ecclesia muneribus functi, & fœminæ haud male elocatæ, sed isthæc quæ ex relationibus a posteris Lutheri ad me missis depromsi sufficiant, indicioque sunto, non defuisse posteritati Lutheri hucusque divinum favorem; diras vero calumnias & imprecationes, quibus matrimonium ejus clamosi & protervi adversæ partis monachi, clerici aut apostatæ, incessere ausi sunt, ut impias, ita & innoxias & irritas fuisse.

SECT. 37.

(1) Cædes Joh. Diazii, a fratre ejus perpetrata.

Secutus est hanc mortem non multo post funestus casus, qui non exiguos motus excitaturus esse videbatur, cædes nempe cujusdam Johannis Diazii *Hispani. Juvenis hic erat, aliquandiu Lutetiæ studiis operatus, qui mentem, lectis Lutheri libris & institutionibus Calvini, tum per commercium, quod cum occultis quibusdam hæretici hujus discipulis, quos tunc Lutheranos vocabant, colebat, corruperat. Eodem vero tempore curia seu Parlamentum, omnibus viribus pro conservanda religionis puritate allaborans, cruenta adversus novatores illos edicta emiserat & contra omnes, qui libros ejusmodi perniciosos vel distraherent, vel haberent. Metuens itaque accusationem, cito se subduxit, & Genevam petiit, ubi Calvinus, ante annos quatuor inde pulsus, nuper locum reciperat. Novus tamen hic proselytus haud diu ibi moratus est, ferum & morosum Calvini ingenium, ut & doctrinam ejus aversatus, quæ dura & a more veteris Ecclesiæ nimium discrepans videbatur. Relicto igitur hoc, alium magistrum quæsiturus, Argentoratum profectus est, ad celebrem nempe illum Martinum Bucerum, eum ipsum, qui, uti diximus, ad Lutheri partes penitus transierat. Hic novum discipulum satis dispositum ad instructiones suas, Calvinianis molliores, videns, perfectum illum Lutheranum fecit, cumque Argentoratensium nomine ad Comitia delegeretur, secum Ratisbonam duxit. Frater hujus* Alphonsus Diazius, *Advocatus in curia Romana, id rescifcens, equis dispositis, (postam vocant) Ratisbonam contendit, inde Neoburgum ad Danubium se contulit, quo apostata ille secesserat. Ibi eum, cum ad officium persuasione sua reducere nequiret, per sicarium quendam, tabellarii vestitu fallentem, occidi fecit, a quo misero illi, dum literas ab isto allatas legeret, caput, in cubiculo suo, magno securis ictu fissum fuit. Cum sicario Alphonsus, ad fores hospitii duos equos paratos habens, in fugam, post parricidium, falso religionis zelo patratum, se dedit; sed uterque captus fuit, & Protestantes vehementer urgebant, ut severe in eos animadverteretur, tum publicæ utilitatis causa, quæ crudeli illa actione læsa erat, tum maxime ob suarum partium respectum. Imperator tamen, suis propositis intentus, causam ad se avocavit, ut Ratisbonæ in Comitiis decideretur.*

Sleid. l. 17.

1541.

(2) Adventus Cæsaris ad Comitia Ratisbonensia, & quæ ibi acta sint.

Eo exiguo cum comitatu mense Majo adventavit. Improvisum ei accidit, quod neminem ex Principibus confœderatis reperiret, quos tamen valde cohortatus fuerat, ut ipsi comparerent, & ad pacem Germaniæ conciliandam conjunctim niterentur. Serio inde ad eos scripsit, & de Theologis questus est, quod colloquium, suo jussu cœptum, in quo de formula fidei conveniri, in pace vivi, & judicium Concilii Generalis aut Nationalis expectari potuerit, deseruissent, præcepitque iis, ut, quoniam ipse caput eorum & Imperator primus ad procurandum illud bonum Imperii venisset, ipsi quoque accederent. Videns autem, quod neque persuasionibus neque mandatis quicquam efficeret, illi vero conventum separatum celebrassent, ut media invenirent, quibus bona ejus proposita omnibus modis, armis etiam, intervertèrent, Comitia mense Junio habere non destitit, & eos, qui in conventu aderant, sententiam rogavit, qua via pax Germaniæ ob controversias de religione admodum turbata servari posset. Tum Catholici, majori longe numero, quam cæteri, præsentes, censuerunt, nullam aliam esse, quam ut Concilio

lio

An. 1546. *lio Tridentino obtemperaretur, rogaruntque Cæsaream Majestatem, ut Deputatos Protestantium eo adigeret; sed hi assentiri minime volebant. Eapropter Imperator dissimulandum ulterius, ut huc usque fecerat, non ratus, bellum illud palam contra rebelles decrevit, quod maximam gloriam sibi peperit, cujus successus omnes sequenti libro exacte traditurus sum.* An. 1546.

§. CXXXVI.

(1) *De Diazii historia ex Senarclæo.*

Quanquam scelus infandum, in cæde *Joh. Diazii* commissum, abominari videatur *Maimburgius*, parum tamen sinceri in narratione ejus deprehenditur, nam & occasiones quærit contumeliarum in Protestantium doctrinam, & tacet, quicquid ad veram *Diazii* laudem pertinet, itemque, quod parricidium illud pessimo exemplo impunitum manserit. *Sleidanus* satis prolixe historiam hanc tradidit initio *Lib. XVII.* debuit tamen eam *Claudio Senarclæo*, nobili Sabaudo, quem allegat *p. 493.* Is religionis & studiorum causa in comitatu *Buceri* & *Diazii* tunc versabatur, & hujus erat contubernalis, editoque postmodum libello Latino, non ineleganter scripto, rem omnem patefecit. In epistola dedicatoria ad *Bucerum* d. 10. Maji 1546. *Ratisbonæ* data, mire laudat insignem *Diazii* eruditionem, tum admirabilem vitæ puritatem, summam quoque eloquentiam, qua primarios fidei articulos exponere, & adversus contradicentes defendere, erroresque refutare noverit: eum inprimis, quem Romanorum partium Theologi aperte fovent, cum dubitare etiam pios & fideles jubent de animæ salute. Exempla etiam a *Diazio* referri solita, recenset trium Lovaniensium, qui de gratia Dei desperantes miserrime obierint; unum cujusdam *Guarlaci*, apud monachos Gertrudianos Theologiam professi; alterum *Arnoldi Bomelii*: quorum ille morbo correptus, de gratia Dei plane desperaverit, scholasticis disputationibus depravatus; hic eadem ex causa se ipsum occiderit. Tertium est (notissimi ex disceptatione cum Luthero viri, & quem hic, teste *Bavaro Tom. I. MS. p. 438.* omnibus adversariis suis præferre solebat, cæteros, cum illo comparatos, non nisi ranas coaxantes vocans) *Jacobi Latomi*. Hunc dicit ante triennium Bruxellis coram Imperatore stultam & puerilem orationem habuisse, a tota aula irrisam, pauloque post, cum Lovanium rediisset, furore quodam correptum, in publica quoque prælectione voces edidisse plenas desperationis atque impietatis, in quibus etiam ad mortem usque perstiterit, domi quidem clausus a cæteris Theologis, & inprimis *Ruardo (Tappero)* Enckhusano, homine crudeli & impio. Refert etiam *Senarclæus*, quam devote precari solitus sit, flexis semper genibus, *Diazius*, utque id, se præsente, pridie ante cædem (quæ d. 27. Mart. perpetrata fuit) fecerit, bonamque noctis partem consumserit, cubanti in eodem lecto *Senarclæo* considerationem operum Dei & adhortationem ad veram pietatem proponendo. *Ratisbonæ* etiam, antequam *Neoburgum* iret, præsagum veluti mortis, testamentum condidisse & confessionem fidei conscripsisse, memorat. Nescio tamen, an ea ipsa sit, quam libello suo adjunxit *Senarclæus*, titulo, *summa Christianæ religionis*, quam in *additionibus* integram producam. *Diazius* natus erat *Cuentæ* in ulteriori Hispania, finitima Bæticæ, supra fines regni Toletani, ut *Senarclæus* scribit. Excultus literarum studiis in Academiis Hispaniæ, Lutetiæ tredecim annis eas continuavit, in Theologia maxime, ita ut inter præclara Hispanorum, quæ tunc aderant, ingenia summis par, mediocribus superior sit habitus; non Latinæ saltem & Græcæ, sed & Hebraicæ linguæ peritiam sibi acquisivit, & in hac reliquos suæ gentis homines superavit. De *Petri Malvendæ*, qui eo tempore inter collocutores *Ratisbonæ* erat, actis cum *Diazio* multa memorat *Senarclæus*, ex quo aliqua *Sleidanus* retulit, quæ pessimam hominis fidem, summum in Evangelicos odium & fastum intolerabilem ostendunt. Neque enim solum dixit: *magis lætaturos esse Protestantes unius Hispani ad se defectione, quam decem millium ex Germania*; sed & cum *Diazius*, ab eo interrogatus, cur in Germaniam venisset, inter alia laudasset, quod tot doctos viros in ea invenisset, veram religionem profitentes, vultu ad superstitiosam quandam admirationem composito sic referente *Senarclæo* respondit: *Profecto, sex menses in Germania, non menses tantum, sed integri anni, aut certe totidem secula videri possent homini pio; usque adeo in Germania vivere miserum est ei, qui unitatem ecclesiæ Romanæ amat, autoritatemque veretur. Ego vero de me ipso ingenue profiteri possum, plus me canescere sex dierum spatio in Germania, quam si ubivis gentium sex integros annos extra eam regionem agerem ætatem, quæ totis jam annis viginti nullam vel doctrinam aliam audivit, vel libros legit, quam suorum doctorum.* Quod postremum quidem nec verum erat, nec, si fuisset, culpari magnopere potuisset, satis enim diu scholasticorum nugas audiverant legerantque. Longe vero memorabilius est colloquium prolixius inter *Malvendam* & *Diazium* postea habitum, quod *Senarclæus* ex ore *Diazii* descripsit, & summe dignum, ut ex libello, qui ob raritatem inter deperditos haberi potest, huc transscribatur. *Malvendæ* hæc fuit ad *Diazium* oratio. *Nuper te adhortabar, Diazi, ut hoc sodalitium, in quo nunc es, desereres, teque ad obedientiam Romani Pontificis, & majorum nostrorum religionem, pristino tuo more, referres. Idem nunc mihi esse faciendum statui. Quod nisi tu recte monenti obtemperabis, jam nunc oculis animi prospicio ingentia pericula, tum corporis, tum animi, quæ tibi sunt eventura. Etenim, quod te ignorare non arbitror, tibi certo persuadeas, eos omnes a Romano Pontifice excommunicatos esse, qui cum Lutheranis volentes ac scientes habent communicationem: atque ita terribili fulmine feriuntur, ut nemo alius, quam ipse Romanus Pontifex, vicarius Christi, queat ab isto crimine liberare. Hæc vero excommunicatio, quam jure divino factam esse atque institutam constat, minime contemnenda est: quippe quæ ab ipsa Christi*

(2) *Hujus relatio de desperatione trium theologorum Lovaniensium.*

(3) *Continuatio de Diazio.*

(4) *De Petri Malvendæ actis cum Diazio.*

(5) *Oratio Malvendæ ad Diazium.*

sti & Apostolorum institutione profecta, deinde ad vicarium Christi Apostolorumque successorem translata, penes quem summam ligandi & solvendi autoritatem residere credendum est, in usu nunc, ad reprehensionem malorum, divina ordinatione, versatur. Scis autem, clarissima Dei voce institutum esse, ne quis cum homine ab ecclesia excommunicato vel cibum capere vel sermonem habere audeat: sed eum, tanquam a corpore Christi resectum membrum, ac generis humani pestem exitialem, pro condemnato habeat. Ad hæc, si privata tui corporis ratio, aut animi salus ab instituto, sane perquam reprehendendo, te non deterreret, certe patriæ pietas, & vetusta majorum religio, quæ vitæ fortunisque nostris merito est anteponenda, ab ista tua depravata sententia deberet revocare. Quid enim dicturæ sunt reliquæ orbis nationes, cum videant, abs te solo ejus patriæ religionem contemni, atque impugnari, cujus in observandis majorum institutis constantiam, fidem, atque integritatem cæteræ gentes admirantur, eamque tantum ob causam ad Hispaniam nostram, tanquam arcem religionis, aut certe præclarum roboris ac fortitudinis exemplum, omnes, qui priscam majorum religionem cupiunt conservatam, suos oculos convertunt? Postremo, dementia est, cum magno etiam furore conjuncta, te solum in doctrina religionis majorem esse lucem consequutum putare, quam tot hominum millia multis jam seculis videre potuerunt. Quod tamen si verum esset, non proinde pene seditiose rem gerere, neque propter paucorum hominum opinionem continuo bene constitutam patriæ disciplinam violare, tranquillitatemque reipublicæ perturbare oporteret. Quare iterum te obtestor, ut tuæ saluti consulas, ut judicium Dei pertimescas, ut clamores patriæ respicias, quæ de ista sibi abs te illata injuria non modo queritur, sed pene jam edita voce clamat, ac istius depravatæ sententiæ abnegationem postulat. Ego vero te non solum in hac tanta causa placide ac peramice adhortor, sed meam quoque operam & auxilium tibi non defuturum polliceor, si meum consilium, quod tibi utile ac salutare fore confido, hac in parte sequi volueris. Itaque, si me audis, non expectabis, donec Imperator perveniat Ratisbonam, quod fortasse sine tuo malo fieri non posset: sed ipse potius illi obviam venies, atque in ejus aula ad pedes Confessoris, viri religiosi & prudentis, provolutus, veniam admissi criminis misericordiamque flagitabis.

(6) *Diazii responsum ad Malvendam.*

Sequentia verba ex persona *Diazii* refert *Senarclæus*, narrantis nempe quæ Malvendæ responderit: *Audivi equidem satis placido & tranquillo animo fucatam perversi quadruplatoris orationem: cujus insidiosa verba, etsi facile intellexi, quorsum evaderent, tamen quoniam non in hoc adveneram, ut cum homine, quem agnoscebam deploratæ verecundiæ, disputarem, multo illi modestius respondi, quam ipsius improbitas merebatur: & tamen non potui non aliquantulum commotus, ut in negotio summo, respondere. Ingenue professus sum, ita esse in animo meo constitutum, ut in causa omnium maxima & gravissima, a qua salus nostra in universum penderet, omnia pericula, quæ homini accidere possunt, subire, si ita res poscat, non recusarem, ut puritati doctrinæ cœlestis sua constaret integritas. Quin & vitam quoque ipsam profundere in testificatione Christianæ religionis, quam vel meo sanguine cuperem esse confirmatam, pulchrum mihi atque etiam gloriosum existimarem. Quid enim est aliud universa hominum vita in hac mortalitate, quam perpetua quædam miseriarum continuatio, si absit cognitio veræ religionis, unde firma præsidia & certissimæ consolationes ad leniendа mundi pericula petantur? Nec me adeo infeliciter per Dei gratiam in schola Spiritus sancti versatum esse arbitror, Malvenda, ut furores mundi, aut ullius hominis autoritatem æternæ Dei voluntati, quam in divinis oraculis expresse nobis patefactam reliquit ipsa veritas, mihi anteferendam putarim. Hanc autem æternam esse Filii Dei vocem agnosco, ad omnem posteritatem de cœlo sonantem:* Qui non confitebitur me coram hominibus, nec ego confitebor eum coram patre cœlesti. *Tristis nimirum comminatio, non ab ullo mortalium tyrannorum edita, sed ex arcano consilio supremi numinis pronunciata: quam cum audis, nisi tu serio contremiscis, Malvenda, non equidem te hominem humanum putabo, sed vere ferreum aut marmoreum pectus te habere judicabo. Suades, ut propter mundi pericula, quæ ut maxima sint, certe diuturna esse non possunt, abjiciam Christianæ doctrinæ professionem, qua una contineri audis omnium gentium salutem, ævo sempiterno duraturam. At vide, quanto rectius sentiebant homines ethnici, qui solo naturæ lumine illustrati, pro aris & focis, pro defensione patriæ, pro salute reipublicæ mortem oppetere, non modo necessarium, sed inprimis etiam gloriosum sibi putarunt. Gravissime profecto, dictum est a Demosthene:* Πέρας ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος. Κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ᾽, ὅτι ἂν θεὸς διδῷ, γενναίως. *Sic ergo unumquemque veræ pietatis amantem affectum esse oportere statuo, ut graviter ac diligenter æternam Dei veritatem, in oraculis divinis clara Dei voce patefactam, agnoscat, agnitam usque ad extremum spiritum constanter retineat, & in sua vocatione juxta verbum traditum legitime Deo serviat, nec ullis interim hujus mundi periculis, aut ullis tyrannorum furoribus, a veritate semel suscepta, & cursu bene instituto patiatur revocari. Quare, cum hoc ipsum mihi ego faciendum proposuerim, frustra concionaris, Malvenda, aut falsis tuis rationibus me atque alios a vera doctrina Ecclesiæ Dei conaris absterrere, quam tu ipse quoque deberes profiteri. Quam vero mihi [illegible] Romani Pontificis excommunicationem, valde miror, tam intemperanter te & ocio & verbis abuti, ut in re ludicra serio tibi ludendum proposueris. Quotus enim quisque est vel infimus puer, qui hodie ignoret, hæc esse bruta fulmina, solum ad tyrannidem Pontificiam stabiliendam comparata. Non disputabo in præsentia tecum de potestate aut potentia Romani Pontificis; cujus ego dignitatem, quantulacunque ei tribuenda sit, neque labefactare nunc institui, neque suis eam limitibus circumscribere. Usurpet ille per me, si ita volet, totius mundi opes & potentiam, modo nobis doctrinam cœlestem puram atque illibatam permittat. Hanc profecto constat ab eo, tanquam ab inimico Christi, turpiter esse laceratam,*

multis

An. 1546. *multis modis contaminatam, ac tristissima servitute oppressam, non sine pernicie multarum animarum. Hic sane & illi & tibi, & cuicunque ejus impietatis defensori, non leviter, neque obscure repugnandum est, ne gloria Dei per nos, quam unusquisque in sua functione deberet illustrare, vel neglecta, vel obscurata videatur. Illud igitur tibi a me responsum habe, plane ita confirmatum esse in animo meo, ut expressis Dei verbis, quam Pontificum tyrannidi, aut impiis hominum decretis, malim obtemperare. Jam vero, ne quid tibi ad explendos insidiosæ tuæ orationis numeros deesset, Malvenda, verisimili (ut tibi videtur) ratione urges, & patriæ pietatem mihi proponis: quam si tu perinde, ut ego, ardenter amares, nequaquam in ista securitate viveres, neque tuum ventrem atque inanes voluptates patriæ saluti ambitiose præponeres. Nihil hic de Hispania ipsa dicam, cujus sortem deplorare nunc libet magis, quam insectari. Te & eos omnes, qui in eodem tibi officio impietatis conjuncti sunt, graviter reprehendo, quorum opera fieri videmus, ut, cum hodie clarissima lux Evangelii totum pene orbem illustrarit, minime tamen vel tenuissimos hujus cœlestis fulgoris radios in Hispaniam sinant penetrare: ad quam etiam regionem redemtio Filii Dei non minus, quam ad reliquas orbis nationes, deberet pertinere. Noli quæso nimium gloriari, Malvenda, de pace, qua tuo judicio tranquille nunc & secure fruitur Hispania: nec aliarum regionum controversias vitupera, quæ si forte in magna varietate hominum & sententiarum interdum aliquæ exoriuntur, ut aliter in tractatione rerum maximarum fieri non potest; tamen & occasionem præbent inquirendæ veritatis, & ad illustriorem doctrinæ cœlestis explicationem, & ad gloriam Dei magis in terris propagandam opera piorum ac doctorum hominum convertuntur. Etenim, quam tu pacem existimas, Malvenda, non est pax, quæ cum Dei contumelia & manifesta impietate conjuncta est: aut si eam pacem volueris appellare, certe quovis cruento atque intestino bello erit calamitosior. Amo equidem patriam toto pectore, sicut debeo: atque ita ejus salutem desidero, ut si eam vel meo sanguine possem a tanta, in qua nunc versatur, impietate liberare, non dubitarem pro ea redimenda jam nunc facere hujus corporis sacrificium. At quo ego arctius patriam amplector, hoc magis toto animo ingemisco, quoties eam miseranda plane impiorum hominum servitute oppressam considero. Grassatur malus quidam in Hispania genius, qui eam universam in potestate habet, partim fœda superstitione atque idololatria fascinatam, ut jam necessum non sit hostibus Dei, pro aliqua ejus particula dimicare. Erras autem, Malvenda, erras, si carnificinam conscientiarum, quæ singulorum mentes horribiliter discerpit, non arbitraris longe nocentiorem esse pestem hominibus, quam si longo & civili bello totum regnum arderet, aut gladio atque incendio hostiliter vastaret. Qualis enim religionis forma esse potest, ubi populus universus ex imaginatione unius aut alterius deliri monachi pendere jubetur? ubi cœlestis doctrina ignoratur? ubi vox Dei non auditur? ubi sacrarum literarum lectio nec habetur, nec permittitur? Negas, esse in Hispania sectas. Circumspice ad omnes totius regni angulos, & mihi serio contemplare, utrum alia sit in Europa regio, qua cum sectis tam multis, atque adeo inter se dissidentibus conflictetur? Tanta est ibi monachorum turba & varietas, qui diversam religionem sequuntur, qui in verba hominum jurarunt, qui incredibilem sectarum varietatem profitentur, quasi Christiana religio omnibus non sufficiat, ut ipsi numero careant, & longo intervallo reliquas orbis nationes superent. Tanta rursus eorundem tyrannis & potentia, ut Regibus etiam ipsis ac Principibus sint formidabiles. At in quem usum tandem in suis ergastulis veluti porci saginantur? Quid præstant? Quam utilitatem adferunt reipublicæ? Nimirum hoc agunt, suam tyrannidem quo jure quaque injuria stabiliunt, expilant prætextu religionis populum, insidiantur matronarum pudicitiæ, impunitatem omnium facinorum sibi promittunt, lædunt gloriam Dei, corrumpunt puritatem doctrinæ cœlestis, & pro oraculis Dei suas imposturas, sua somnia, miseris hominibus & amplectenda & adoranda proponunt. Et cum tantis sceleribus sint inquinati, tamen sanctissimi ac perfectissimi (si diis placet) haberi volunt, & reliquos homines præ se tanquam profanos despiciunt, vixque Christiani nominis professione dignos esse arbitrantur. Non negabis, opinor, istos esse perniciosissimos sectarios, & eorum sectas instinctu Satanæ invectas in Ecclesiam Dei, ad perniciem generis humani, & Ecclesiæ Christi eversionem. Deinde, si oculos in alteram partem convertas, invenies quoque non paucos ibi fanaticos spiritus, qui novas quotidie sectas instituunt: quales sunt, Illuminatorum, Ignigistarum,* (Ignatii Loyolæ discipulos intelligit) *Beatarum, Magorum, Lamiarum, & hoc genus infinita portenta, ad quæ hominum ingenia necessario relabuntur, quando verbum Dei, tanquam certissimam vitæ ac veritatis regulam, non intuentur. Qui agnoscit ac deplorat tam gravia Ecclesiæ vulnera, qui veritatem inquirit, qui patriæ tanto in periculo laboranti cupit recte consulere, qui denique vitam ipsam non dubitat in discrimen adducere, ut saltem doctrinæ integritas restituatur, an is contra pietatem patriæ tuo judicio facere videbitur? Tuam conscientiam appello, Malvenda. Te ipsum considera. Descende in recessus pectoris tui. Senties omnino conscientiam ipsam tuam, serio tibi ipsi testificantem, verissima esse, quæ dico, omnia. Agnosces etiam, hæc flagitia, quæ jam ad summum pervenerunt, nec diutius stare jam possunt, tui muneris esse, patefacere, &, pulsa impietate, puritatem sacræ doctrinæ, nobis Dei beneficio quasi postliminii jure restitutam, propagare. Sed inebriatus inani spe miseræ alicujus prædæ, gaudes tibi ipsi fucum facere, neque attendere vis neque intelligere, quam necessaria sit in Ecclesia Dei veræ doctrinæ reformatio. Quid aliud est, amabo te, creaturam anteponere creatori, si hoc non est? Huc profecto omnium bonorum ac summorum principum cura incumbere debebat, ut omnes isti doliares monachi, qui in suis alveariibus suaviter in Hispania delitescunt, in aciem adversus Turcas producerentur, omnis idololatria ex templis atque animis Christianorum radicitus evelleretur, atque in ejus locum antiqua & vera doctrina de Filio Dei, a qua nimium posterioribus seculis degeneravit mundus, pura & integra restitueretur. Me autem non pudet Evangelii, neque doctrinæ Christi, quam vere agnosco esse potentiam Dei ad salutem omni credenti:* An. 1546.

An. 1546. *ti: eamque clara voce, quamdiu vivam, profitebor, ac pro modulo meæ facultatis & vocationis, quicquid in ea doctrina fuero consequutus, id totum ad celebrationem nominis Dei, Ecclesiæque suæ ædificationem libenter conferam. Neque vero tam arrogans sum, ut me solum plus cæteris videre posse putem: sed profecto disertis Dei verbis non assentiri, magnam esse impietatem judico. Non enim meas imaginationes sequor, aut aliud genus doctrinæ profiteor, in cerebris monachorum inventum & fabrefactum; sed cœlestem doctrinam profiteor, digito æterni Patris, per Prophetas & Apostolos, afflante ac benedicente Spiritu Sancto, scriptam, sanguine Filii Dei & multorum martyrum obsignatam, quam solam agnosco veram & salutarem esse toti generi humano, sine qua nulla creatura salutem consequetur. Tuum vero consilium adeo non probo, Malvenda, ut plane mihi persuadeam, non sine certa malitia abs te fuisse propositum. Qui enim, quæso te, misericordiam ego ab homine sanguinario & perfido expectare possem, cujus fraudes & proditiones erga homines innocentissimos extant, & cujus nefaria scelera notiora sunt, quam ut a me debeant commemorari? Quare tuum consilium tibi serva, Malvenda: quod quia ex malis initiis originem duxit, bonum finem sortiri non potest. Confessoris auxilium tu ipse implora, cujus autoritatem colendam, tanquam cœleste numen, tibi proposuisti, quoniam ad explendam insatiabilem istam ambitionem tuam, aut certe aliquam prædam consequendam, putasti fore tibi necessariam. Quod si tu vicissim non paulo saniorem tuo fraudulento consilio sententiam audire sustines, te obtestor, Malvenda, ut ad mentem redeas, judicium Dei, quod jam prope instare videtur, extimescas, & omnia tua consilia, omnes actiones, non ad insectandam Dei veritatem, in hoc tempore divinitus patefactam, sed ad gloriam potius divini nominis illustrandam convertas.*

(7) *Reliqui sermones utrimque & alia quædam.*

Dum ego hæc illi dicerem, (ita narrationem continuat *Diazius*, referente *Senarclæo*.) *etsi fremebat secum Malvenda, quoniam nimis vera esse agnoscebat, quæ a me dicerentur: nequaquam tamen permoveri potuit, ut in veram sententiam inclinaret. Sed induratus pristina malitia, respondit, nondum sibi esse per omnia satisfactum. Nam de autoritate Papæ, deque ea doctrina, quam Ecclesia Romana credendam proposuit, negabat fas esse dubitare. Quin & Papam ipsum tanquam vicarium Christi, errare non posse, diserte prædicabat. Ad hanc vocem quoniam nimis absurda videbatur, equidem cohorrui, & paulo acerbius respondi: Quæ hæc est hominum impudentia? aut quæ, malum, vesania est, hominem mortalem, multis sceleribus & publicis & privatis contaminatum, facere immunem a peccato, præsertim, cum disertis verbis oracula Dei omnem creaturam sub peccato concluserint? Cum igitur in promtu sint, atque etiam in conspectu tot tamque tetra facinora, quæ quotidie ab eo cum suis Cardinalibus committuntur, tot impiæ constitutiones, ex diametro pugnantes cum expresso verbo Dei, an quisquam inveniri poterit tam profligatæ mentis homo, qui dicat, Papam errare non posse? Ibi Malvenda, ubi sedulo excusasset vitia Pontificum, quamvis eosdem impuræ vitæ homines fateretur, rursus huc devolvitur. Rogat, cujus rei gratia venissem Ratisbonam? Respondi, quod verum erat: Publico me Argentinensium nomine esse missum, ut in hoc publico colloquio meas preces cum Ecclesiæ Christi precibus conjungerem, & conciliationem articulorum, qui hodie in disceptatione versantur, pro mea virili promoverem. Frustra, inquit Malvenda, huc venisti. Nam in hoc toto colloquio nihil omnino constituetur. Quod si tuam operam ad publicam utilitatem conferre volebas, ad Concilium, quod Papa instituit Tridenti, erat tibi proficiscendum, ubi convenient catholici præsules, ac in eo celebrando & perficiendo summo studio elaborabunt. Cum igitur ego audirem Malvendam diserte profitentem, nihil omnino fieri debere in colloquio Ratisbonensi, facile intellexi, omnia Pontificiorum consilia esse fraudulenta, a quibus, incolumi religionis integritate, nulla esset speranda concordia. Proinde valedixi Malvendæ, nec mihi est animus posthac eum amplius convenire. Habes igitur meum cum Malvenda colloquium, quod a me scire voluisti. Hæc sunt, quæ ab ipso ego Diazio audivi, & bona fide huc esse transferenda duxi: In quibus filum orationis & narrandi modum, quem a Diazio accepi, per omnia sum sequutus, (nisi quod gravitatem sermonis, & ejus in dicendo vehementiam non sum assequutus.) Neque ea, quæ a me narrata sunt, tantum ab eo audivi, sed eadem quoque ipsa manu Diazii, inter alias chartas, inveni annotata, quæ erat in rebus omnibus diligentia.* Hæc *Senarclæus*. Dubitari vix potest, hac parrhesia sua *Diazium* sibi exitium parasse. Plura de immani hoc parricidio ejusque instigatoribus & defensoribus, & inprimis de *Alfonsi* fratris incredibili nequitia, simulatione & astutia, *Senarclæus* & alii annotarunt. Interim, utcunque id improbare videatur *Maimburgius*, ex principiis tamen scholæ, quibus imbutus fuit, nescio an serio, & justa argumentorum consecutione, id facere potuerit. Si enim Lutherani ii sunt, pro quibus eos habet damnatque Romana curia, applaudentibus ejus mancipiis, inprimis iis, qui se ad singulare servitium in conservando ejus omnibus etiam sævissimis modis, dominatu devoverunt, sic affectis nihil obstat, quo minus etiam parricidia sancti legitimique zeli obtentu defendant. Extreme detestati sunt scelus hoc Protestantes, non tamen ita, ut ideo, (quæ *Maimburgii* hyperbole est) ad motum excitari possent, sed ut legitimam vindictam facinoris obtinerent. Extat *Joh. Friderici*, Electoris mandatum, Legatis suis ad Comitia d. 11. Maji datum, (*Reg. E. fol. 63.*) In eo queritur, quod ex parte Pontificia (auff der Pfaffen seite) nullus omittatur astus & dolus, quo sicariis effugium & impunitas procuretur, vel saltem, ut causæ legitima cognitio & decisio protrahatur. Refert, a *Landgravio* missas sibi esse literas Electoris *Palatini*, ejusque agnati, *Ottonis Henrici*, Neoburgici Ducis, in quibus desiderent, ut Proceres Evangelici, juncta hac in causa opera, Cæsarem in Comitiis adeant rogentque, ne se persuaderi iniquis & falsis suggestionibus patiatur, ut innocentis & ad cœlum clamantis sanguinis, nefando scelere profusi, justissimam ultionem impediat. Idem autem sibi probari scribit Elector, jubetque, ut Legati, habita cum reliquis consultatione, nihil omittant, quo a Cæsare & fratre ejus, *Ferdinando* Rege, æqua impetrentur; indicent

(8) *Evangelicorum, & speciatim Electoris Saxoniæ, de cæde illa querela.*

An. 1546. cent etiam, si religionis zelo dolosæ istiusmodi cædes excusarentur, Principibus Evangelicis tanto minus consultum fore, ut ad Comitia veniant. Extant etiam *Mauritii* Ducis Saxoniæ literæ, d. 27. Maji ad socerum Landgravium datæ, *Reg. H. fol. 676. n. 210.* in quibus promittit, se ipsum apud Cæsarem intercessurum esse, ut scelus *Diazii* cæde commissum puniretur. Elisa autem est omnis illa justissima Protestantium, atque inprimis *Ottonis Henrici* Palatini, in cujus urbe patratum erat flagitium, instantia; & quantum ex actis percipere potui, ultimum Cæsaris effugium fuit, sibi nullum jus esse *Ferdinando* fratri, in cujus urbe *Oeniponti* detinebantur sicarii, leges dandi; neque tamen invenio, quid *Ferdinandus* opposuerit.

ADDITIO.

(a) *Relatio Joh. Langii de cæde Diazii.*

Hortlederus Tom. II. Lib. III. cap. 1. exhibet relationem, hoc anno *vigilia Paschali* (d. 24. April.) a *Joanne Langio*, Ecclesiaste Erfurtensi, olim Augustiniano, sæpe memorato, de cæde *Diazii* editam, cum præfatione, in qua Pontificios plurimorum istiusmodi facinorum accusat. In hac narratione, præter illa, quæ *Sleidanus* ex *Senarclæo* retulit, traditur; *Diazium* arti typographicæ *Argentorati* operam dedisse, dein Biblia, aliosque libros Evangelicos in Hispanicam linguam versos, *Neoburgi* edere voluisse; item, quod Papa pretium in caput ejus constituerit. De his nihil certi mihi constat, & *Sleidanus* Diazium ob edendum quendam *Buceri* librum *Neoburgi* versatum esse scribit. *Langius* forte famam, ut tunc vulgata erat, secutus est. Idem refert, *Diazium* VVittenbergæ studio Theologico incubuisse, & *Luthero* carum fuisse. Cæterum ex actis Comitiorum Ratisb. *Reg. E. fol. 63.* percipitur, Electorem Saxoniæ d. 13. Jun. Legatis suis rescripsisse; periculum, quo *Diazius* interierat, reliquis etiam collocutoribus Evangelicis, qui *Ratisbonæ* erant, structum fuisse. Sed jam confessionem fidei, a *Diazio* editam, exhibeo.

(b) *Confessio fidei a Diazio edita.*

Christianæ Religionis Summa.
Ad Illustrissimum Principem Dominum
D. *OTTONEM HENRICUM Palatinum Rheni & utriusque Bavariæ Ducem,* &c.
Joanne Diazio Hispano autore.

Christiana religio iis duobus potissimum capitibus constat.
I. *Ut rite colatur Deus.*
II. *Unde salus sibi petenda sit, noverit homo.*

CAPUT I.

Dei cultum sic finimus: cujus præcipuum fundamentum est, Deum, sicuti est, omnis virtutis, justitiæ, sanctitatis, sapientiæ, veritatis, potentiæ, bonitatis, clementiæ, vitæ & salutis fontem unicum agnoscere: ideoque bonorum omnium gloriam illi in solidum adscribere, & tribuere: quærere in ipso solo omnia: atque idcirco, si quid nobis opus est, in ipsum solum suspicere.

Inde nascitur { *Invocatio* / *Laus* / *Gratiarum actio* } *Dei*

Quæ tria testimonia sunt ejus, quam illi tribuimus, gloriæ. Hæcque est vera nominis ejus sanctificatio, quam inprimis a nobis ipse requirit, & quam quotidie in Dominica precatione oramus, cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum.

Huic annexa est Adoratio, quæ reverentiam illi, magnitudine excellentiaque sua dignam, exhibemus.

Cui serviunt ceremoniæ, tanquam adminicula vel instrumenta, ut corpus una cum animo in cultus divini professione exerceatur; & quibus velut in conspectum Dei prodimus, & cultum ejus singulariter in Ecclesiæ cœtu profitemur: idque cumprimis agimus, ut & veniam impetremus ejus, quod a verbo, placitisque ipsius in cæteris nostris actionibus tam multipliciter defleximus. An. 1546.

Sequitur postea nostri abnegatio, ut renunciantes carni, & mundo, transformemur in novitatem mentis: quo jam non vivamus amplius nobis, sed nos ei regendos, & agendos resignemus.

Hac vero abnegatione ad obedientiam, obsequiumque voluntatis ejus comparamur: ita ut timor in cordibus nostris regnet, omnesque vita nostræ actiones moderetur: ubi enim est Dei timor, ibi est & salutis initium.

His partibus continetur verus & sincerus Dei cultus, quem solum probat, & quo delectatur Deus, tum Spiritus sanctus ubique in Scripturis docet, tum ipse quoque pietatis sensus, absque longa disputatione, id ipsum dictat. Nec alia fuit ab initio colendi Dei ratio, nisi quod hæc spiritualis veritas, quæ nuda & simplex apud nos est, figuris sub Veteri Testamento involuta fuit. Atque id est, quod volunt Christi verba: Veniet tempus, cum veri cultores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. *Non tamen negare his verbis voluit, quin a Patribus spirituali isto modo cultus fuerit: sed discrimen in externa tantum forma indicare; quod cum illi adumbratum habuerint spiritum multis figuris, apud nos simplex est. Atque ita semper valuit illud:* Deum, qui spiritus est, spiritu & veritate oportere adorari. *Ad hæc universalis est regula, quæ purum Dei cultum a vitioso discernit, ne comminiscamur ipsi, quod nobis visum fuerit, sed quid præscribat is, qui solus jubendi potestatem habet, spectemus.*

CAPUT II.

Alterum Christianæ doctrinæ membrum in eo posuimus, dum agnoscit homo, ubinam salutem quærere debeat.

Porro salutis nostræ cognitio his tribus constat:
I. *Propriæ miseriæ sensu.*
II. *Christi cognitione.*
III. *Solida in ipsum fiducia.*

I. *Primus ad sanitatem gradus est, seipsum infirmum agnoscere. Ideo a propriæ miseriæ sensu incipiendum est, qui adducere nos eo usque debet, ut animos despondeamus, tanquam mortui. Id autem fit, dum nobis originalis & hæreditaria naturæ nostræ vitiositas ostenditur, fons malorum omnium. Quæ diffidentiam, rebellionem adversus Deum, superbiam, avaritiam, libidines, & pravas omnis generis cupiditates in nobis gignit, quæ nos ab omni rectitudine & justitia aversos, sub peccati vero jugo captivos tenet: dum sua singulis peccata deteguntur, ut sua turpitudine confusi, cogantur sibimet displicere, seque, & sua omnia, pro nihilo ducere.*

Deinde etiam ex adverso, citantur conscientiæ ad Dei tribunal, ut agnita maledictione sua, & quasi accepto æternæ mortis nuncio, iram Dei horrere discant. Hic, inquam, primus est gradus, quo ad salutem pervenitur: ut homo in seipso prostratus, & attonitus, de omnibus carnis præsidiis desperet. Neque tamen adversus judicium Dei obduret seipsum, aut quasi obducto callo obstupescat, sed trepidus & anxius dolore ingemiscat, suspiretque ad remedium Christum.

II. *Hinc, ad alterum gradum homo surgere debet. Id fit, dum Christi agnitione erectus re spirat. Homini enim in hunc, quem diximus, modum humiliato, non aliud restat, nisi ut ad Christum se convertat, ut ejus beneficio a miseria liberetur. Verum salutem in Christo is demum quærit, qui ejus virtutem tenet: qui illum agnoscit unicum sacerdotem, per quem Patri reconciliamur: qui mortem ejus unicum sacrificium esse agnoscit, quo expiata sint peccata, satisfactum judicio Dei, vera & perfecta justitia acquisita. Hæc enim dilectio Dei erga nos, quæ unigenitum filium nobis exhibuit, & in eo iniquitates omnium nostrum posuit, tanta est, ut nullum cor humanum eam capere possit. Et coram oculis Dei tam gratum, acceptum, & infiniti meriti ac dignitatis Christi sacrificium est, ut nullo modo nos damnare possit, aut velit Deus, modo in Christum crediderimus. Et hæc hostia, seu sacrificium tam præclarum est, ut nulla peccati condemnatio, nulla etiam peccandi voluntas possit esse ibi, ubi hoc offertur. Denique salutem in Christo is quærit, & invenit, qui inter se & illum non dimidiat: sed*

An. 1546.

sed merum & gratuitum ejus beneficium esse agnoscit, quo justus coram Deo est.

III. *Ab hoc quoque gradu conscendere ad tertium necesse est: ut qui de Christi gratia, de mortis & resurrectionis ejus fructu edoctus est, in eo solida firmaque fiducia acquiescat, ac secum statuat, ita Christi passionem, mortem, resurrectionem, totum denique Christum cum suis donis, & innumeris gratiis, ita, inquam, suum esse, ut justitiam in ipso, vitamque æternam possideat. Hæc vero sentire & gustare, ac viva fide tantum Christi beneficium apprehendere, ac ex impetu hujus fidei bona operibus studere, incredibilem piis mentibus consolationem adfert, & illam in Christum fiduciam magis ac magis confirmat, & auget.*

In hac autem tria, ac in Dei cultum, nos ducunt, & dirigunt tria alia:

I. *Doctrina.*
II. *Sacramentorum administratio.*
III. *Ecclesiæ gubernandæ ratio.*

I. *Doctrina prima est in hoc ordine, idque merito: basis siquidem, & fundamentum est partium aliarum, per quam intelligimus Prophetarum & Apostolorum scripta, hoc est, Veteris & Novi Testamenti libros canonicos. Hæc divina Dei oracula, a Spiritu sancto inspirata, quibus se Deus mirabili consilio orbi terrarum patefecit, sunt fundamentum, petra & basis, supra quam Ecclesia Dei ædificata est in ipso summo angulari lapide Christo Jesu: inque his scriptis plene & perfecte omnia, quæ ad justitiam & salutem nostram utilia & necessaria, sunt comprehensa. Amplectimur nihilominus tria Symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasii, tanquam Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ epitomen. Quatuor etiam magna Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: & alia, quatenus quidem cum Scriptura sacra conveniunt, & quorum dogmata & decreta Scripturis sacris confirmata sunt: postremo sub hac doctrina scriptores Ecclesiasticos orthodoxos, ac sanctos Patres, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, &c. comprehensos volumus: sed quatenus ipsi se agnosci & legi volunt, & sententia eorum testimonium habet Scripturæ.*

II. *Sacramentorum administratio, baptismatos & eucharistiæ nimirum, in Ecclesia post verbum utilis & necessaria est. Deus enim illa instituit, ut sint symbola & instrumenta suæ erga nos benevolentiæ, & meriti Filii sui pro nobis depensi. Ac vult, ut his summa ejus beneficia percipiamus, remissionem peccatorum, communicationem cum ipso in Filio ejus, spiritum rectum, & benedictionem ejus in omnem vitam nostram: tum etiam ut invicem ipsum his sacramentis confiteamur, celebremus, & nos ei totos consecremus.*

III. *Ecclesiæ administrandæ ratio potissimum in his duobus continetur.*

I. *In pio Principe, seu Magistratu.*
II. *Et fideli ministro, seu Pastore.*

Si enim pius est Princeps, & Magistratus, ex animoque Deo, a quo potestatem habet, servire, sicut fidus servus, cupit: si minister & pastor vigil, & solicitus in ministerio verbi ac in instituenda in Catechismo pueritia fuerit: sibi, inquam, duo recte suo officio & vocatione fungantur, mutuasque operas sibi tradiderint, facillimum erit universæ Ecclesiæ administrationi prospicere, & providere puerorum institutioni, scholis, (seminaria enim ista sunt & Ecclesiæ & Reipublicæ, ideoque ab utroque diligentissime procuranda) morum correctioni, excommunicationi ad id vel maxime institutæ, pauperum necessitati, eleemosynis per Diaconos dispensandis, infirmis, hospitalitati, cantoribus, & aliis Ecclesiæ ministeriis. Nisi enim sua constet per verbi ministerium Principi ac Magistratui autoritas, suus ac debitus honos per Principem ac Magistratum verbi ministro & pastori adhibeatur: neque hic vitia reprehendere, mores & abusus cum majestate carpere: neque ille corrigere & emendare, cum velit, illa facile poterit. Hac tamen omnia a doctrina emanare & pendere certissimum est. Regimen enim Ecclesiæ, munus pastorale, & reliquum ordo, una cum sacramentis, instar corporis sunt: doctrina autem illa, quæ rite colendi Dei regulam præscribit, & ubi salutis fiduciam reponere debeant hominum conscientiæ ostendit, anima est, quæ corpus ipsum inspirat, vividum & actuosum reddit, ac denique facit, ut in Ecclesia omnia rite & ordine fiant. Ac proinde ministri, Principes magistratus & populus inspicere debent, quos eligant, constituant, & admittant ministros, & pastores. Ubi enim fidelis est vigilans & pastor, non modo populus, sed etiam magistratus, Princeps, Rex, & Imperator ipse (ut exemplum in D. Ambrosio habemus) per verbi autoritatem in suo continetur officio, & per illum tota respublica. Alias, ubi doctrina locum non habet, nec vim suam exercet ac exerit verbum, non recta est Ecclesiæ administrandæ ratio, omnia in deterius ruunt, ut antehac, & nunc multis in regnis magna cum multarum animarum (proh dolor) jactura videmus. Ut ergo omnia melius dirigantur, & diligentius administrentur in Ecclesia: amplectantur omnes, & summi & infimi gradus homines, Dei verbum, non tam brachiis, manibus, & auribus externis, quam interna mente & pectore: nec ab eo ulla ratione divelli patiamur: Illud, sicut lux cœlestis, omnium mentes illustret, sicut divinus ignis, in omnium animis ardeat, ad bona & Christiano digna opera excitet. Sic etenim fiet, ut & recte colatur Deus, & homines cum timore & tremore salutem suam operantes, sciant, unde salus illis speranda sit. Denique religio Christiana (cujus summam paucis his voluimus comprehensam) non solum constabit, verum etiam indies majores progressus faciet, ad Christi Jesu Domini nostri gloriam: cui sit laus, honor, & imperium in perpetuum: Amen.

An. 1546.

§. CXXXVII.

Priusquam de actis Comitialibus dicatur, narrandum aliquid est de accessu Landgravii ad Cæsarem, de quo multa retulit *Sleidanus Lib. XVII. p. 494. & seqq. ad 502.* quæ profecto digna sunt, ut legantur & considerentur. Concordant exacte cum protocollo, quod vocant, literis, a Landgravio *d. 31. Mart.* ad Electorem Sax. scriptis, adjuncto, *Reg. H. fol. 676. n. 210.* exscribere tamen Sleidanum nolui, cum libri ejus in plurimorum manibus versentur. Occasio itineris Landgravii ad Cæsarem, ut idem *Sleidanus Lib. XVI. p. 481.* retulit, a *Navio* data est, aliquid etiam contulit *Guilielmus, Comes Nuenarius*, & qui ejus nomine ad Landgravium scripsit, *D Lovenburgius.* Ex hujus literis mense Febr. datis, quæ extant, intelligitur, suspicionem Cæsari de Protestantibus, quod belli initium facturi, & Cæsarem aggressuri essent, a Galliæ Rege potissimum injectam esse. Id tamen *Turnonio* Cardinali, & in effectu Pontificis instinctui tribuebatur; filius enim Regis, Delphinus, qui post mortem parentis *Francisci*, sequenti anno defuncti, *Henricus II.* dictus fuit, displicere id sibi testatus est, ut ex arcanis literis apparet. *Navius* etiam Pontifici & Clero, ut *Lovenburgius* d. 21. Decemb. scripsit, in colloquio, cum Coloniensi Electore habito, culpam impegerat. His, sive sincere, sive callide dictis scriptisve moveri se passus est *Landgravius*, ut Cæsarem adiret, multa tamen cum cautela; literas enim tuti commeatus a Cæsare prius stipulatus est, & binis exemplis exaratas atque *d. 24. Mart.* subscriptas accepit; unum secum tulit, alterum ante abitum Electori custodiendum misit, quod etiam adhuc in *Archivo Vinar. Reg. H. fol. 670. n. 209.* asservatur. Venit autem *Spiram* d. 27. Martii, ut *Nicolaus Mamerânus*, Metator Cæsareus (**Hoff-quartiermeister**) vir doctus, in ephemeride itineris

(1) *De itinere Landgravii ad Cæsarem, ejusque caussis.*

A. 1546. neris a Cæsare tunc in Germaniam facti, annotavit. Hanc ephemeridem Latine, ut scripta fuit, operi suo subjunxit *Chytræus*, Germanice versam *Tom. II. Lib. I. cap. I.* inseruit *Hortlederus*. Cæterum ex actis *Spiræ* inter Cæsarem & Landgravium, itemque cum *Granvellano*, hæc potissimum notanda sunt. Landgravius benignissime auditus & habitus est, id quod Landgravius ipse in publico scripto apologetico, ab ipso & Electore Saxoniæ d. 15. Jul. publicato, refert. Vid. *Hortled. Tom II. Lib. III. cap. XI. n. 47.* sicut & paulo ante Cæsar filiam ejus, *Wolffgangi Palatini Bipontini* uxorem, tunc puerperam, d. 21. Martii comiter inviserat, & donaverat. Vide *Sleidan. d. lib. XVII. p. 494.* Simulavit etiam, sibi a Landgravio satisfactum esse in depellenda suspicione, ac si motus cieret. *Granvellanus* apud alios quoque ita disseruit, ut constare sibi diceret, nil nisi pacem ab Evangelicis desiderari. Idem & ante colloquium illud Spirense *Joh. Keudelium*, Consiliarium & Legatum Hassiacum, d. 21. Febr. monuerat, fidere debere Landgravium Cæsari, nihilque credere ex iis, quæ *Henricus Brunsuicensis* de consiliis Cæsaris jactasset, mentitum enim esse, pro quibus pœnam daturus sit. Cæterum, cum de colloquii Ratisbonensis dissolutione Cæsar quereretur, Landgravius quidem regessit, se suos non avocasse, (cautela enim, de qua §. *CXXXII. n. 22.* diximus, usus erat) causas tamen abitus exposuit, inprimis eam, quod vetiti essent Evangelici Theologi ad Heros suos referre. Negavit Cæsar, id a se mandatum esse, sicut & inscio se factum esse dixit, quod *Malvenda* & socii articulum de justificatione denuo in disputationem vocassent. Landgravius plus una vice ursit, ut libertas religionis, secundum decretum Spirense 1526. concederetur, sive per colloquia & tractatus amicabiles obtineri posset concordia, sive non posset; nisi enim autonomiæ illi locus esset, bellum & cædem multarum myriadum hominum evitari non posse. *Granvellanus* in Theologos invectus est, quod homines essent captiosi & inter se ipsos discordes; deligendos esse Electores & Principes dicebat, qui de articulis mediis convenirent, Cæsarem enim cum Germanis pacem culturum esse, plebi vero licentiam in religione non esse concedendam, fore alias, ut in Principes insurgeret. Landgravius dissensum inter Theologos Evangelicos nullum agnovit; antiquam fidem, secundum Apostolicam doctrinam & tria symbola, atque Confessionem Augustanam omnes profiteri asseverabat, consentire etiam cum patribus antiquis; litem de Sacramento sopitam esse, neque se ullum in Germania nosse, qui non confiteatur, verum corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna accipi, differentiam etiam in verbis potius, quam in sententia fuisse; Anabaptistas apud Evangelicos puniri, nullamque vim Catholicis inferri; medios articulos absque Theologorum consilio conscribi non posse; approbandos a Pontificiis esse, de quibus anno 1541. *Ratisbonæ* conventum fuerit, & concedendam Evangelii prædicationem, communionem sub utraque & sacerdotum conjugia, cætera, donec Deus ulteriorem gratiam largiatur, tolerand a esse: Hoc posito reciproce concedi posse libertatem religionis. Sed ista omnia suo tantum nomine se disserere dixit; deputari debere suadet viros bonos, sapientes & pacis cupidos, v. g. *Jacobum Sturmium*, Argentoratensem, *Georgium Bessereum*, Ulmensem, *Franciscum Burcardum*, Consiliarium Saxonicum, & *Wilhelmum a Massenbach* Wurtenbergicum, qui de mediis concordiæ cum aliis ex diversa parte tractarent. Hæc fere summa sermonum de religione fuit; testante *Granvellano*, quod Cæsar Pontificis causa a proposito de concordia religionis ne minimum quidem sit discessurus, (keines haares breit.) In hoc quoque colloquio mentio facta est *Hermanni Coloniensis*, ita, ut Cæsar eum indoctum esse diceret, Landgravius id non plane negaret; affirmavit tamen hic, Germanicos libros illum diligenter legisse, & religionis negotium satis intelligere. Causa dati accessus & mitis tractationis ex parte Cæsaris sine dubio fuit, ut Landgravium blandis verbis vel in partes suas pelliceret, vel a fœderatis distraheret, aut saltem molliorem redderet; ideo præsentiam ejus in Comitiis bis terve ursit, excusante tamen se semper Landgravio, tum sumtuum causa, tum, quod ad tractatum inter *Electorem* & *Mauritium* Ducem instituendum proficisci deberet, quod tamen Cæsar rejiciebat, differri id posse dicens. Ex his inter alia patet, non nisi ex suo ingenio scribere *Maimburgium*, Cæsari *Ratisbonam* venienti inexpectatum accidisse, quod Principes Protestantes non adessent; ex dictis enim constat, illum eorum adventum vix sperasse, & repulsam manifestam a Landgravio tulisse. Præterea Electori causas absentiæ alleganti nihil regessit. Vid. *Hortled. Tom. II. Lib III. cap. XI. n. 49.* Landgravius relationi, ad Electorem de hoc colloquio *d. 31. Martii* missæ, schedam addit, in qua scribit relatum sibi esse dictum *Granvellani*, quod Landgravius magno quidem animo esset, sed nullam haberet pecuniam; (Er habe keinen pfennig) *Obernburgerum* vero, Cæsaris Secretarium dixisse, se, si Cæsaris loco esset, negotio huic celerem finem esse impositurum, animadversionis exemplo in unum ex primariis (Landgravium innuebat,) edito; sic futurum esse, ut reliqui omnes animum desponderent. A. 1546.

(2) *Quædam ac actu ejus cum Cæsare & Granvellano.*

Maimburgius scopo suo convenire existimavit, ut colloquii inter Cæsarem & Landgravium, cujus amplam descriptionem ex *Sleidano* cognoverat, mentionem omitteret, & de actis Comitiorum, itidem a *Sleidano* probe enarratis, pauca, & non nisi quæ Protestantes gravare videntur, referret. Mihi etiam, labore pro ætate & viribus nimio satis fatigato, ad finem metæ adspiranti commodius fuisset, ut hic desinerem; Ne tamen ultima *Maimburgii*, quibus librum suum tertium clausit, verba, in mente legentium scrupulum relinquant, quasi culpa dissolutorum comitiorum & secuti belli Protestantibus tribuenda esset, ex actis, quæ inspexi, & cum *Sleidani* relatione *Lib. XVII. p. 503. & seqq.* consentientia inveni, aliqua addenda esse censui. Contradicit in clausula hujus libri *Maimburgius* exordio sequentis. Hic scribit, Cæsarem vidisse, quod apud Protestantes neque persuasionibus, neque minis quicquam effice-

(3) *Notatur Maimburgii de Caro-*

A. 1546. *li Cæsaris intentione judicium.*

efficeret, & hi *bona ejus proposita omnibus modis, etiam armis impedire niterentur;* Sequentis libri initio fatetur, & laudat, quod Papa & Imperator jam ante annum inter se convenerint, ut *Protestantes per viam armorum ad obsequium Tridentino Concilio præstandum adigerent;* (de les reduire par la voye des armes) item, quod Imperator consilium illud suum summo studio occultaverit, & Evangelicis fucum fecerit de concordia, per colloquia procuranda, Landgravii etiam satis feros & insolentes sermones (sic enim loquitur, nihil tamen ex iis refert,) *Spiræ* patienter tulerit, eumque blandis verbis delinitum dimiserit. Hæc erat vera intentio Cæsaris, si *Maimburgio* credimus, quanquam ad illam a Pontifice & pravis ministris impulsum fuisse verisimilius est. Modum quoque agendi ita describit *Maimburgius*, ut a prava simulatione & vili, atque indigna tanto Principe fraude excusari non possit. Interim Protestantibus succenset, quod bona illa proposita impediverint, id est, quod contra conscientiam suam Tridentinis decretis se non submiserint, & Pontifici & instigato ab hoc Cæsari, bellum nullo jure adversus se machinanti, non ultro colla subdiderint; peccarunt itaque, quod dolum animadverterint, colloquium, fraudulenter institutum & pessime a *Malvenda* & sociis tractatum, declinaverint, & ad defensionem se paraverint; quam sibi licitam esse, edito *d. 15. Julii* Elector Saxo & Landgravius cum sociis scripto amplissimo demonstraverunt. In hoc paucis verbis (vid. *Hortled. Tom. II. Lib. III. cap. XI. n. 53.*) momentum causæ exhauriunt. **Aber wie dem allen / so hat Käyserl. Majestät wegen obberührter ihrer Franckfurtischen** obligation *(capitulation)* **und des Reichs Landfrieden und anderer** constitution **nicht gebühret / unser unerhört und ausserhalb rechtlichem erkäntniß / diesen gewalt gegen uns und unsere mitverwandten fürzunehmen / darum auch Ihr. Majestät / sonder verkleinerung zu reden / nicht ihre Käyserliche** autorität **und amt / sondern das / so Ih. Majestät / als einem Römischen Käyser nicht geziemet / fürgenommen. Darum so wird auch uns und unsere verwandten unserer verhoffentlichen und vermeinten** defens **oder** resistentz **halben hinwieder niemand verdencken mögen.** Sensus est: *Cæsari, obstante capitulatione sua Francofurtensi, constitutione pacis publicæ, aliisque, fas non fuisse, ut Principes non auditos & sine cognitione causæ vi aggrederetur, eumque (quod sine contumelia dictum volunt) autoritate & officio suo, quod Imperatorem Romanum deceat, legitime non esse usum; ideo nec sibi & sociis vitio verti posse, si legitima & inevitabili defensione utantur.* Hæc fortasse ostendunt, eos non prætendisse defensionis suæ fundamentum, sed id ipsum tandem satis accurate deprehendisse, quod alibi indicavimus, vid. sup. *§. I. Add. a.* Hæc ad *Maimburgii* iniquas pariter & male cohærentes censuras sufficiant, & hic finis disputationis cum illo esto. Etsi enim ab initio propositum mihi fuerit, ut non solum tres priores libros, sed & reliquos tres Latine versos ederem, & refutarem, cogit tamen me ætatis & valetudinis ratio, ut laborem, qui superest, aliis relinquam, ut in epilogo operis pluribus (Deo volente) significabo. Redeo ad historiam Comitiorum.

A. 1546.

(4) *Mandata, Legatis Evangelicorum ad Comitia in conventu Francofurtensi conscripta.*

Evangelicos Principes, ut alibi jam dictum est, adversariorum in se consilia & machinæ non latebant, ideo in conventu *Francofurtensi*, quem hic sugillat *Maimburgius*, inter se de mandatis uniformibus, quibus Legatos quisque suos ad Comitia instrueret, convenerunt, conscripta formula, quæ *Reg. E. fol. 63.* extat. In hac summatim, quæ a multis annis acta secum & a se fuerant, recensent. Initium faciunt a studio concordiæ in causa religionis constituendæ, sine qua salutem Germaniæ consistere non posse existimabant. Allegant Decretum Comitiorum *Spirensium*, quo prudentissime constitutum fuerit, ut, donec ad concordiam illam perveniatur, quilibet Princeps & Magistratus ita se gereret, ut Deo & Cæsari respondere de actionibus suis possit. Queruntur, ut decretum illud pravis modis anno 1529. abolitum, deinde Augustæ, anno 1530. condito alio decreto, Evangelici condemnati, & pœnis, quæ in hæreticos constitutæ sunt, subjecti fuerint, renovato hoc modo edicto *Wormatiensi*. Pergunt, narrantque, quomodo, dum executio illius decreti sine bello & exitio Germaniæ obtineri non potuerit, pacificatio opera *Alberti* Moguntini & *Ludovici* Palatini Electoris anno 1532. *Suinfurti* & *Norimbergæ* secuta sit; pacem vero illam maligne explicatam, & non obstantibus mandatis Imperatoris & Regis, Evangelicos in judicio Camerali vexatos fuisse, dolent, donec *Francofurti* anno 1539. iterum ad pactionem aliquam, & denique ad Recessum Comitiorum Ratisbonensium 1541. perventum fuerit, cui cum acquiescere Evangelici non possent, declaratio Cæsarea addita sit, per quam aliis permittitur accessus ad societatem Evangelicorum, & Recessus Augustanus suspenditur. Hanc declarationem, porro memorant, per Commissarios in Comitiis *Spirensibus* anno 1542. renovatam, & postmodum anno 1544. interventu Electorum *Palatini* & *Brandenburgici*, habitis iterum *Spiræ* Comitiis, statutum fuisse, ut Recessus Augustanus aliique, & leges scriptæ adversus Status Augustanæ Confessionis, usque ad Christianam & perfectam concordiam, in Concilio libero & Christiano generali aut nationali, in conventu Imperii sanciendam, suspenderentur, & ut judicium Cameræ constitueretur; ad eum modum, de quo in Comitiis conventum erat. Præter spem vero Evangelicorum accidisse, ut anno 1545. in Comitiis *Wormatiensibus* talis interpretatio emerserit, ac si per Recessum & declarationem Ratisbonensem 1541. nulli Ordinum liceret in religione aliquid innovare aut ad Evangelium accedere, sed ut quilibet in statu priori persisteret. Inde severa mandata adversus *Coloniensem* Archiepiscopum, item civitates *Ratisbonam*, *Ulmam*, *Donawerdam* & alias prodiisse, ut reformatio christiana, dicto Recessu Ratisbonensi permissa, impediretur. Cameræ quoque judicium secundum decretum Ratisbonense constitutum non fuisse, multosque ex Ordinibus adversæ partis causatos esse, se in constitutionem illam non consensisse. Si autem istæc omnia locum haberent, futurum esse dicunt, ut pacificationes omnes subverterentur, & inter Ordines Imperii dissidia denuo foverentur, Reipublicæ exitiosa. Quapropter

A. 1546. pter Legatis suis injungunt, ut in Comitiis instantibus profiterentur, Evangelicos pactis illis stetisse & staturos esse, neminem ad religionis suæ consortium cogere neque coacturos, sed cuique in sua provincia & ditione liberam relinquere de religione statuendi potestatem, quomodo scilicet quisque existimaret, se apud Deum facti sui rationem reddere posse. Vicissim autem desiderare, ut illi, qui religionem Evangelicam pro vera agnoscant, aut posthac agnituri sint, minime vexentur, sed quieti relinquantur, suspensis usque ad concordiam in religione edictis Augustano & omnibus in contrarium publicatis; item, ut judicium Camerale secundum Recessum Comitiorum 1544. constitueretur, hoc enim omnes obligari, & exceptiones illi oppositas nullius esse momenti. Protestari etiam & ostendere jubentur Legati, si adversus pacificationes & constitutiones illas vi agatur, & ad executionem Augustani edicti & similium ab altera parte procedatur, adscitis forte auxiliis exterarum nationum, quanta damna inde Germaniæ metuenda sint. Interim Evangelicos coram Deo & mundo excusatos esse velle, quod per se non steterit, quo minus pax & quies conservaretur. Paratos etiam adhuc esse ad omnia legitima media, quæ ad illum scopum conducant, petere tamen, ut ab introductione militis peregrini, quam Papa aut alii molirentur, prorsus abstineretur. Ex his constat, quæ fuerint Evangelicorum desideria, quæ utique a rebellionis crimine pura sunt, & solidis nituntur fundamentis.

(5) *Speciatim de excusanda colloquii Ratisbon. interruptione.*

Istis cum mandatis, aliisque, quæ ad negotia Evangelici fœderis pertinebant, ex conventu Francofurtano *Eberhardus Thannius & Franciscus Burcardus* primo *Wormatiam*, dein *Ratisbonam* profecti sunt; submisit autem illis Elector *D. Erasmum a Minckwiz*, & d. 20. April. novis mandatis instruxit, in quibus præcipue agitur de excusatione rupti colloquii, hujus enim invidia valde gravabat Cæsar Protestantes. Multa fuit hac de re inter Evangelicos literarum communicatio; operosius cæteris responderunt *Argentoratenses, Buceri* consiliis adjuti, extatque eorum prolixum scriptum, nomine Electorum, Principum & reliquorum Ordinum Evangelicorum compositum, *Reg. H. fol. 663. n. 203.* cum epistola *d. 7. Maji* data, qua consilium illud suum Landgravio insinuant. Secundum illud etiam proposita fuit postea Cæsari excusatio, in qua multa memoratu digna leguntur. Ostenditur ab initio, Evangelicos in colloquium, obsequii & studii pacis testandi causa, consensisse, licet de successu parum sperare potuerint, cum Ordinum alterius partis consensus deficeret, & tam pauci ad tantam causam delecti essent. Tanto igitur minus suspectos se esse ajunt debuisse, ut, quod sponte & benevole in se recepissent, sine causa retractarent; quod autem suos avocaverint, factum esse ob difficultatem circa protocollum actorum, per Notarios conscribendum, sine quo tamen relatio exacta Wormatiæ decreta, fieri non potuisset; allegatur antiqua consuetudo in Conciliis & omnibus de religione colloquiis observata, in quibus ob gravitatem materiæ, utpote ad salutem animæ pertinentis, semper literis mandata sint quæ dicebantur. Non minus iniquam fuisse, urgent, denegationem communicationis actorum & scriptorum illorum, quibus collocutores carere neutiquam potuerint, multo minus prohiberi debuerint, ne ad Principes & Magistratus suos acta illa referrentur. Addunt plura de æquissimis oblationibus a collocutoribus Evangelicis factis, aliaque, quæ ex supra (§. *CXXXII.*) relatis percipi possunt; nec tacent, quæ Cæsar Landgravio *Spiræ* dixerat, quod rigorosa illa secreti observatio a se non esset mandata; Quoniam vero nihil æqui obtineri potuerit, & octodecim dies otiose & inutili cum sumtu transierint, antequam Cæsaris responsum *d. 26. Febr.* publicaretur, & cum per hoc desideriis suis satisfactum non esset, aliud non minori forte cum mora expectandum fuisset, merito sese Theologos suos domum vocasse, cum contestatione tamen, quod illos, si forma colloquii melior constitueretur, denuo missuri essent. Conditiones autem colloquii, si continuari cum fructu deberet, has proponunt: (1) Ut in illud expresse consentirent alterius partis Ordines, nec causam ad Concilium rejicerent. (2) Ut Præsides ex Principibus constituerentur, quibus negotium hoc cordi esset, & per quos sophismata & ambages cum autoritate præciderentur. Laudant quidem humanitatem Præsidum, Theologis Protestantium exhibitam; sed non dissimulant, quod eorum primarius, Episcopus *Aichstadiensis*, in colloquium ipse non consenserit, & quod nec ille nec reliqui controversias religionis ullo modo tractare voluerint, sed ut res, quæ ad se non pertinerent, removerint. Æquum etiam esse dicunt, ut Præsidum quidam ex Evangelicorum ordine, & sic pari numero constituerentur, quemadmodum *Augustæ* factum fuisset, cum tamen longe minor Protestantium numerus esset. (3) Collocutores eligendos esse, qui tam hostili & acerbo animo non essent, qualem nuperi ex altera parte in scriptis & concionibus ostendissent; inprimis *Cochlæum* accusant, quod in libello, *Ingolstadii* contra colloquium edito, omnes, Evangelicarum partium, non solum Theologos, sed & Principes & Ordines, ex Catholica, id est, Christiana ecclesia excluserit, & pro apostatis & rebellibus declaraverit, quibuscum colloquium come haberi non debeat, sed quibus pœnæ hæreticis dictatæ irrogandæ essent. Carmelitam Coloniensem, *Billicum*, scripsisse; satius esse, ut Turcis sese subjicerent, quos vocant, Catholici, quam ut Augustanam Confessionem acciperent. Queruntur quoque de concionibus Augustiniani (*Hoffmeisteri*,) Wormatiæ habitis. *Malvendam*, ajunt, dixisse; se Evangelicos pro damnatis hæreticis habere. Denudasse etiam hos omnes aversam a concordia mentem, quia articulum de justificatione, de quo in Comitiis Ratisbonensibus 1541. transactum esset, in nupero colloquio vehementi cum impetu subvertere conati fuerint, minime sic instructi a Cæsare, ut hic Landgravio nuper fassus sit. Alios itaque requiri, aut his adjungi saltem debere, qui tam parvi non faciant, aut pro damnatis hæreticis habeant Evangelicos, sed qui suæ quoque partis defectus agnoscant, eorumque emendationem cupiant. Non recusari viros, qui acriter & doctius, quam nuper delecti

(6) *Nova de colloquio oblatio, & monita adversus Concilium Tridentinum.*

A. 1546. cti contra Evangelicos disputent, & Augustanam Confessionem acerrime examinent, modo & adsint viri pii, candidi & pacis studiosi, & Præsides, qui sophismata & ambages rejiciant, & argumenta, quæ pondus habeant, proponi jubeant; deIn etiam tales desiderant, *qui docti sint in regno cælorum Matth. XIII. 52.* id est, qui simul pii & honesti, gratiam Dei & salutem patriæ æstiment & promovere cupiant, & qui, ut paulo post loquuntur, se tales esse moribus suis probent, quales in recessu *Wormatiensi* describuntur. (4) Poscunt, ut non exiguus auditorum numerus admittatur, ex omnibus ordinibus, virorum nempe vere piorum, prudentum & pacificorum, atque autoritate præditorum: Causam enim tam arduam esse & amplam, ut ipsius Cæsaris & Ordinum Imperii præsentiam mereatur, & hanc olim præstitisse Constantinum & Theodosium, atque in Veteri Testamento sanctos Reges, Davidem & Ezechiam, aliosque. (5) Etsi colloquio & sermone libero explicari materiæ possent, opus tamen esse, ut præcipua fundamenta, & quæ ad ea respondeantur, a Notariis ab utraque parte deputatis, vel per ipsos colloquentes, scriptis consignentur, & mutuo exhibeantur, ut in judiciis bene constitutis fieri solet. (6) Quoniam hæ res ad doctrinam & disciplinam Christianam spectent, aperte & libere in illis agendum, & scripta partibus, ut ea meditentur, & responsa reddant, tradenda esse. Hanc formam dicunt & confidunt Christianam & utilem esse, quod si post tot annorum moras & damna, durantibus discordiis, Germaniæ illata, ne in his quidem Comitiis remedium & via ad concordiam inveniatur, nihil certius esse, quam ut ira divina magis magisque ad miserabile nationis Germanicæ exitium sit exarsura; id quod pluribus & gravissimis verbis inculcant. Vehementer denique dolent, quod, quæ adversæ partis collocutores contra Augustanam Confessionem in nupero colloquio magna cum acerbitate & contumelia proposuerint, communicata cum Evangelicis, id licet impense desiderantibus & petentibus, non fuerint: petunt igitur, ut communicatio illa fiat, & ut exempla protocolli tria, quæ in arca reposita sint, producantur, & partibus exhibeantur, quo meditari ulterius de tanti momenti negotiis possint. Subjungunt quædam adversus Concilium Tridentinum, quo jam decisio controversiarum ab altera parte remittatur. Allegant confessionem *Adriani VI.* in Comitiis *Norimbergensibus* anno 1523. factam, qua corruptelas Cleri in capite & membris earumque necessariam emendationem agnoverit. Fortasse hanc fieri potuisse, ajunt, in Concilio Tridentino, si id autoritatem & titulum suum, ut quidam Episcopi, bono zelo præditi, postulaverint, obtinuisset; sed cum numero suffragiorum prævaluerint ii, qui ex Papæ beneficiis vivunt, Concilium sub jugum Pontificis redactum esse, quo fiat, ut nulla ab illo reformatio sperari possit. Taxant etiam decretum *quartæ sessionis*, pro authentia versionis vulgatæ, item pro autoritate traditionum, quia inter illas non referant solum canonem librorum Biblicorum, Symbolum Apostolicum, baptismum infantum, celebrationem Sabbathi & similia, sed etiam primatum & imperium Papæ in orbem terrarum, & quod ab ipso omnis interpretatio sacræ Scripturæ petenda sit, & quod laici a negotio religionis & ecclesiæ prorsus excludi debeant, item, quod pro ecclesia, quam sanctam matrem vocant, & cujus decisio suscipienda sit, tantum habeant Clerum Pontifici obstrictum. Ex quibus omnibus concludunt, loco emendationis & reformationis nil expectari posse a Concilio illo, quam ut lux Evangelii, per gratiam Dei his annis exorta, & per studia linguarum sacrarum bonasque interpretationes exculta, extinguatur, & omnia in pristinos errores & abusus doctrinæ, disciplinæ, ceremoniarum & morum denuo præcipitentur. A. 1546.

(7) *De actis Comitiorum quædam.*

Ista paulo prolixius recensui, quia fere præcipua sunt, quæ ex actis excerpi potuerunt, cætera a *Sleidano* satis explicantur. Cæsar *Ratisbonam* ingressus est d. 10. April. ut *Mameranus* annotavit; Postea d. 8. Maji adfuit *Albertus*, *Marchio Brandenburgicus Byruthensis*, de cujus hypocrisi & impiis sermonibus quædam in actis notantur. Non solum comitari Cæsarem ad Missæ sacra solebat, quod, exceptis Electoris Saxonici Legatis, non pauci ex reliquis Evangelicis faciebant; verum etiam de religione Evangelica, contemtim locutus, & conciones *Augustiniani*, in Evangelicos petulantissime debacchantis, frequentasse dicitur; immo paulo ante *Heidelbergæ*, cum essent, qui arma contra patriam & Evangelicos sumi nefas esse dicerent, respondisse fertur: *Diabolo, si stipendium solveret, militaturum se esse. (Reg H. fol. 676. n. 210.)* D. 9. Maji advenit *Ericus junior, Dux Brunsuicensis* non magis religiosus. D. 12. Maji *Johannes Marchio Brandenburgicus*, de cujus discessione a fœdere postea questi sunt, publicato scripto, Elector Saxo & Landgravius. D. 25. Maji Ratisbonam venit *Mauritius* Dux Saxoniæ, & cum Cæsare ea tractavit, quæ postea, exorto bello, cognita fuerunt. Ex Pontificiis Proceribus, præter Ferdinandum Regem, præcipui aderant Cardinalis Tridentinus, *Christophorus Madrucius*, Augustanus, *Otto Truchsesius*, vehementissimi belli adversus Evangelicos incentores, nec mitior *Hildesiensis* Episcopus. Supervenerunt præterea Elector *Moguntinus*, Episcopi *Bambergensis*, *Wurzburgensis*, *Aichstadiensis*, *Passaviensis*, *Tullensis*, item *Magister Ordinis Teutonici*; & ex Politicis *Guilielmus Bavarus*, *Fridericus Palatinus Simmerensis*, *Guilielmus Clivensis*, *Christophorus*, *Landgravius Leuchtenburgensis.* Adierunt Cæsarem Legati Protestantium d. 2. Junii, de cæde *Diazii* questi, & dato responso dilatorio dimissi. Initium Comitiorum solenne factum est d. 5. Jun. (qui erat Sabbathi, *Bonifacio* sacer) celebrante Missam Cardinale Augustano. Propositionis Cæsareæ contenta refert *Sleidanus p. 504.* Questus est *Carolus* de absentia multorum Principum, quam inexpectatam sibi esse simulabat, (idem supra ex *Maimburgio* intelleximus) item de ruptura colloquii; ideo consilium rogavit, sicut & de restitutione Cameralis judicii. Significavit, unius anni inducias Galliæ, Regis opera, cum Turcis pactas esse, & sic Germaniam recreari aliquantum a tributis posse. Cum vero Ordines Imperii, ut moris est, in curias classesque suas congre-

An. 1546.

gregati, post deliberationem in commune habitam, respondere Cæsari deberent, tunc Legati *Moguntini* & *Trevirensis* secessionem a *Coloniensis*, *Palatini*, *Saxonis* & *Brandenburgici* Legatis, quod Evangelici essent, fecerunt; idem factum in Principum curia, atque ex hoc manifesto dissidii indicio omen haud bonum captum est, ut ex relatione de his Comitiis, ab autore *anonymo* sub finem mensis Junii hoc anno publicata, & ab *Hortledero Tom. II. Lib. I. cap. II.* producta *n. 4.* intelligitur. Et Pontificii quidem causam religionis ad Concilium Tridentinum rejecerunt, petentes, ut Cæsar Protestantes adigeret, ut & ipsi decretis illius se submitterent. Evangelici, & inprimis fœderati, (nam non omnes his adstiterunt) pacem & æquabile jus, & ut de religione per colloquium aliud tractaretur, postularunt, excusationem etiam, cur sui collocutores nuper discesserint, proposuerunt, & adversus Concilium Tridentinum protestati sunt. Observatum est, Cæsarem gestu & vultu eodem, quo Augustæ 1530. ultimam Protestantium de religione sua professionem, cum dicerent: *portas inferni non esse adversus eam prævalituras*, hanc quoque responsionem Evangelicorum excepisse, subridentem nempe ironice. Erupit etiam ejus consilium, cum d. 9. Junii Cardinalem Tridentinum celerrime ex Comitiis dimissum Romam ablegasset, ubi & d. 22. Junii fœderis formula, cum Pontifice & Imperatore initi, in Consistorio recitata & approbata est; Vid. *Pallav. Lib. VIII cap. I. §. 2* postmodum d. 26. Junii subscripta. Vid. *Hortled. d. l. cap. III.* ubi Germanice versa refertur. Interim d. 11. Junii, Cæsar plurimos, quos *Ratisbonam* acciverat, duces, tribunos, & præfectos militares diplomatibus instructos, ad conscribendas copias dimisit. Deinde d. 16. Junii a Legatis Saxonicis, aliorumque Evangelicorum ex fœderatis, tum Coloniensibus quoque & Palatinis, de bellico illo apparatu querentibus, conventus, per *Navium* respondit, se quidem pro pace Germaniæ multum laborasse, neque nunc aliud propositum habere, quam ut ea conservetur, iis etiam ex ordinibus, qui sibi paruerint, omnem benevolentiam exhibiturum; at in illos, qui secus fecerint, pro jure & autoritate animadversurum esse. Hæc cum Legati in scheda consignassent, & *Navium* privatim rogassent, an cum iis, quæ Cæsaris nomine locutus esset, consentirent, affirmare id non dubitavit. Postridie ad civitates Evangelicas primarias, *Argentinensem*, *Norimbergensem*, *Augustanam* & *Ulmensem* literas expediri fecit, quarum contenta *Sleidanus d. l. p. 516* enarrat, exemplum autem refert autor dictæ relationis, apud *Hortled. d. l. n. 20.* Summa est, quam oretenus eodem die *Navius* Legatis civitatum, qui in Comitiis aderant, explicavit, nempe ut crimen rebellionis Principibus quibusdam (per quos, etsi non nominabantur, quilibet *Saxoniæ* Electorem & *Landgravium* designari sciebat) imputaret, & propterea, itemque quod intelligeret, arma adversus se ab illis parari, non vero ob religionem, contra istos vi acturum se esse diceret. In eandem fere sententiam ad *Wurtenbergicum* Ducem scripsit. Gravissimum responsum, quod *Argentinenses* Cæsari, qui etiam Legatum ad eos *Lazarum Suendium*, sicut & ad alias civitates, miserat, dederunt, *Sleidanus* prolixe recenset *d. l. p. 509.* Id veluti compendium quoddam actorum in causa religionis continet; sed illa in commentario hoc nostro jam sufficienter relata esse confidimus, ut repetitione opus non sit. Elector Saxo, intellectis, quæ acta erant, Legatis suis rescripsit, odium illud & persecutionem Cæsaris se non meruisse, & veram ejus causam a religione esse, se vero eventum Deo commendare, qui sine dubio rem ad gloriam laudemque divini nominis sui directurus sit. *Per ejus*, addit, *gratiam constituimus, usque ad mortem in professione verbi illius & veritatis semel agnitæ perseverare, cum periculo corporis, vitæ & omnium facultatum.* Durch Gottes Gnade gedencken wir bey seinem wort und der einmahl erkanten warheit biß in unsere Grube zu bleiben / und darüber leib / leben / und alles vermögen zu lassen. Cum postea ex Legatorum relatione perciperet, bono animo esse fœderatos, *libenter id se audire* scribit, addens; *sed auxilio divino bene sperare, & cum Landgravio facturum esse quæ posset.* Legatis denique mandavit, ut secreto & tacite abirent, & securitati suæ diligenter prospicerent, documenta quoque sive scripturas custodirent. Protocollum actorum finierunt illi d. 26. Junii, mandata vero sua (ut Secretarius in fasciculo actorum in his Comitiis notavit) igne combusserunt. Hoc modo ad extremum deductis omnibus, & instante jam bello, Cæsar tamen d. 24. Julii decretum breve, quo finem Comitiis imponebat, edidit, quod volumini *Recessuum* insertum legitur, sed omissa solita Ordinum, qui adfuerant, aut Legatos miserant, enumeratione, suaque tantum subscriptione & sigilli appensione firmatum. Refert ab initio, ut Comitia hæc d. 6. Jan. proxime præteriti indixerit, sed morbo impeditus fuerit, ut stato tempore adesse non potuerit, jam vero, ajebat, se non sine valetudinis incommodo, atque cum negotiorum suorum in provinciis hæreditariis dispendio ad Comitia profectum, expectasse etiam & habitasse habe gewohnet, *Ratisbonæ* satis diu, atque sperasse, venturos esse ipsos Principes, ut *Wormatiæ* anno 1545. conventum fuerit; ex Electoribus vero solummodo unum, (id est, *Moguntinum*) ex Principibus paucos advenisse. Cum his tamen & Legatis reliquorum paterna mente tractare cœpisse; sed impedimenta & molestias non minores, quam *Wormatiæ*, deprehendisse, & sic, absentibus Principibus, quorum quidam ob gravia illorum negotia, se permittente, Protestantium vero Legati fere omnes, absque suo præscitu & indultu, discesserint, nihil constituere potuisse. Testatur inde de sua ad pacem & concordiam in Germania conservandam studio, atque in eo se perseveraturum esse promittit; Cum vero in præsens nihil fieri possit, alia Comitia in annum sequentem, in civitate, quam denominaturus posthac esset, d. 2. Febr. habenda indicit: Ad ea vocat Principes ipsos, aut, si valetudinis causa impedirentur, Legatos mitti jubet, plena potestate instructos, ad agenda & expedienda, quæ in prioribus Comitiis infecta manserint; se quoque adfuturum esse promittit. Nominatim negotium de Cameralis judicii pleniori ordinatione ad

Co-

(8) *Cæsar propositum suum de bello aperit.*

(9) *Rescripta Electoris Sax. & Legatorum ejus abitus.*

(10) *Decretum Comitiorum, & discessus Cæsaris & Procerum.*

An. 1546. Comitia illa remittit; interim Judicem & Assessores, qui adhuc Spiræ erant, in munere suo confirmat, & quæ a die 6. Jan. proxime elapso, huc usque gessissent, rata habet, interea quoque, donec plures Assessores constituantur, quoniam præsentium numerus ad sententias definitivas non sufficiat, se alio convenienti modo, & more ab antecessoribus observato, jurisdictionem exerciturum esse recipit.

Calamitosissimo hoc tempore nuptiæ tamen filiarum Ferdinandi Regis, *Annæ* cum *Alberto, Bavariæ Duce*, Guilielmi filio, & *Mariæ*, cum *Guilielmo Clivensi*, illæ d. 4. hæ d. 18. Julii magna cum lætitia *Ratisbonæ* celebratæ sunt. D. 21. Jul. *Ferdinandus* Rex secundo Danubio *Lincium* versus navigavit; secuti eodem & sequentibus diebus sponsi, ad sua quisque redeuntes die 31. Augusti Cæsar ipse, postquam tormenta bellica *Vienna* accepisset, copiisque militaribus quibusdam instructus esset, *Ratisbonam* reliquit, *Landshutum* versus profectus, ubi castra metatus est, Italica auxilia expectans. In Saxonia & aliis Evangelicorum provinciis bellico apparatu omnia strepebant, preces etiam publicæ factæ sunt. Extat apud *Hortled. d. Lib. III. cap. IV.* Psalmus VII. cum brevi precationis formula, typis vulgatus. Ex mandato etiam *Mauritii* Saxoniæ Ducis *Georgius Anhaltinus Coadjutor in spiritualibus*, *Mersburgi* programma edidit, in quo concionum contenta, quibus populus ad pœnitentiam & corrigenda vitia, constantem etiam veræ doctrinæ professionem admonetur, itemque preces præscribit. Harum summa est, ut Deus peccata populo remittere, sectas & hæreses præcavere, verbi sui prædicationem in provincia conservare, Cæsaris & Principum mentes ad pacem flectere, & sanguinis profusionem atque interitum patriæ prævenire & impedire velit. Retulit etiam hanc formulam *Hortled. d. l. cap. IV.* ut & prolixiorem, quam Ministerium Ecclesiasticum Magdeburgense composuit, *cap. V.*

(11) *Preces publicæ in Saxonia institutæ.*

(12) *De urbis Leutkirchensis reformatione.*

Ex anni hujus gestis sequentia memoratu haud indigna subjicio. Periculosissimo rerum statu *Leutkircha*, urbs imperialis Sueviæ, publice religionem Evangelicam profiteri cœpit. Communicata mecum benevole est narratio, cujus summam refero. Post editam Augustæ anno 1530. Evangelicorum confessionem, etiam *Leutkircha* non exiguum veritatis illius desiderium natum est, cœpitque cum *Constantiensibus* Evangelii præconibus, inter quos *Joh. Schnellerus* nominatur, communicari. Verum acriter restitit *Joh. Faber*, Leutkirchæ natus, Episcopus postea Viennensis, cujus odium in Lutherum & Evangelicos ex scriptis actisque ejus satis notum est. Ejus autoritate factiones in urbe concitatæ sunt, quibus usque ad annum hunc 1546. publica reformatio impedita fuit. Moriens legavit *xenodochio sancti Spiritus* inter alia pecuniæ summam, ex cujus usura quatuor adolescentes in urbe nati in Academia *Viennensi* & *Friburgensi in Brisgovia* sustentari, & studia pontificiæ religionis excolere possent. Non minori zelo egerunt Abbates vicini cœnobii imperialis *Wingartensis*, ad quos jus patronatus in parochia urbis ad D. Martinum, excessione monasterii *Stamsensis* in Tyrolensi Comitatu, pervenerat, & nominatim *Gervicus*, cujus nomen ex actis plurimorum Comitiorum satis celebre est. In urbe ante alios magna cum vehementia veterem superstitionem tuebatur Consul *Melchior Baronius*, (Freyherr) cujus frater Parochus ad *D. Martini* erat; sed cum nimis fervide agerent cives, & præ cæteris, qui in tribu textorum erant, in domo sua hoc anno 1546. Consulem illum adorti, libertatem religionis Evangelicæ tam acriter flagitarunt, ut Consul una cum fratre ex urbe secederet. Amotis itaque, qui maximum præbebant obstaculum, in æde illa *S. Martini* Evangelicæ conciones haberi cœperunt impetratusque est ad biennium a Memmingensibus *Johannes Schalbeimerus*, cujus pia opera cives ad veram religionem conversi sunt. Addamus & reliqua, quanquam terminum temporis mihi præstitutum excedant. Anno 1548. prævalente tunc per Germaniam potentia Cleri Pontificii, & publicato edicto Carolino, missus *Leutkircham* a Cæsare *Henricus Hasius*, Procancellarius, nihil omisit persuadendo & comminando, ut cives ad vetera sacra reduceret; cum vero nihil efficeret, procuravit, ut reditus ecclesiastici, quos urbs in vicinis pagis Austriacæ ditionis, sive in præfectura provinciali Sueviæ (in der Landvogtey) percipiebat, retinerentur & parochis pontificiis assignarentur. Alio quoque modo civibus multiplex molestia creata est, ita, ut anno 1549. parochiali templo *S. Martini* cedere coacti fuerint; & *Schalbeimerus* Memmingam redierit; sic toto biennio nullus fuit in urbe cultus Evangelicus. Obtinuit postea Senatus continuis solicitationibus, & intercessione *Christophori Ducis Wurtenbergici*, ut religionis exercitium in templo *S. Martini* horis matutinis permitteretur; sed cum id quoque non sine variis molestiis fieret, æde hospitali *S. Jacobi* ab anno 1551. usque ad annum 1558. usi sunt Evangelici, docente in ea, quem iterum Memminga accersiverant, *Schalbeimero*. Accusabat diffamabatque eos supra dictus Abbas *Gervicus*, inter alia spargens, quod addicti non essent Augustanæ Confessioni, sed aliis sectis adhærerent. His & aliis modis etiam post pacem religiosam, anno 1555. lege publica sancitam civitati negotium exhibitum fuit, quamvis Senatus adversus insultus & minas adversariorum in Comitiis Imperialibus & circularibus magno studio pro Evangelicæ religionis libertate & exercitio laboraret. Anno 1558. cum *Schalbeimerus* altera vice Memmingam revocatus esset, *Christophori Ducis Würtenbergici* favore, *Albertus Abelinus*, Vaihingensium Pastor, *Leutkircham* missus, cultum publicum ad formam ordinationis Würtenbergicæ instituit. Vocatus est in urbem *David Breu*, Pastor in Rotenacker; Hujus pietate & diligentia urbs tota Evangelicæ religionis professionem suscepit, & Senatus *Gervico* Abbati, quæ acta erant, significavit, petens, ut parochiale templum *S. Martini* civium usui concederet; continuata tamen est oppositio, donec anno 1561. Procerum Suevici circuli autoritate transactio inter Abbatem & urbem sequeretur, cujus instrumentum d. 27. April. extat, subscriptum a Delegatis circuli Suevici, *Johanne*, Abbate Roggenburgensi,

An. 1546. si, *Sigismundo ab Hornstein*, Ballivo provinciali ordinis Teutonici in Suevia & Senatoribus *Ulmensibus* & *Bibracensibus* ad causam deputatis. Relictum est templum parochiale Abbati, cum jure patronatus & reditibus; Abbas autem non solum ab omni turbatione exercitii religionis Evangelicæ in urbe sese abstinuit, sed & præbendarum, quas vocant, quarundam reditus, & quicquid ex parochiæ proventu post erogationes solitas superesset, urbi ad alendum ministros Ecclesiæ & Scholæ concessit; transactum quoque est de fructibus, durante lite, perceptis, & aliis controversiis ex causa hac ortis. Postea anno 1613. Senatus novum templum ex reditibus sacris & collationibus civium extrui fecit, & *SS. Trinitati* dedicavit. Quamvis vero Abbates occasione temporum post annum 1624. novas contradictiones moverint, secuta tamen 1648. pace Westphalica, & postea anno 1672. transactione a Commissariis Cæsareis *Bibraci* procurata, urbi libertas circa sacra, cum exercitio publico, conservata fuit, qua etiam adhuc potitur, & inter civitates Germaniæ Evangelicas locum habet.

(13) *De Thoma Naogeorgo, ejusque opinione de electione & gratia.*

Strepente licet hoc anno belli apparatu & Electore Saxoniæ ejus solicitudine obruto, inter *Casparem* tamen *Aquilam*, Superintendentem Salfeldensem, & *Thomam Naogeorgum*, Straubingæ in Bavaria natum, vulgo Kirchmayer / antea Sulzæ ad Ilmam, tunc Calensis ad Salam oppidi in Thuringia Pastorem, dissidium ortum est, quod hunc exitum habuit, ut *Naogeorgus* Vinariam ad Consistorium Ecclesiasticum (cui, parentis Electoris jussu, Dux *Joh. Gulielmus*, filius ejus secundo genitus, Serenissimæ familiæ propagator, præsidebat) citatus, ex provincia, quod imperata facere nollet, & coërcitionem metueret, sese subduxerit. Erat vir doctus, sed concitatioris ingenii, poëta etiam, ut libri, qui extant, fidem faciunt, non spernendus. Dictum est §. *XLIX. n. 6.* in actis *anni 1536.* quod jam tum opinionem de electis & amissione fidei foverit, a Luthero & Collegis rejectam; sed non solum illam, (quam deserere tunc videbatur,) postea renovavit, verum & in articulo de sacra cœna ad *Zuinglii* sententiam accedere visus est. Ab hac quidem accusatione, cum d. 28. Aug. *Vinariæ* in Consistorio responderet, utcunque se purgavit, quæ docuisset, non Saxonicæ, sed Pontificiæ de transsubstantiatione sententiæ, opposuisse se dicens; sed de altera quæstione, an electi Spiritum sanctum & fidem amittere possint, subtilius respondit. Verba ejus ex *MS. Reg. N. fol. 133. R. n. 66.* asservato, Latine versa hæc sunt: *Dupliciter*, ait, *de membris Ecclesiæ judicari potest, aliter nempe de rebus manifestis, aliter de occultis. Priori modo Ecclesia de omnibus ex cœtu suo, qui Baptismum acceperunt, judicat, quod sint electi & filii Dei, habeantque Spiritum sanctum, nec fas est, mala de aliquo præsumere, donec aperte erumpant. Sic Paulus Corinthios pro electis & sanctificatis habet, quanquam non nesciret, hypocritas inter eos esse, & omnes baptizatos Christum induisse scribit; (Gal. III. 27.) Judam etiam Apostolum pro pio & probo habuerunt collegæ, quem tamen Diabolum vocavit Christus. Si vero aliquis crimina palam perpetret, de eo judicat Ecclesia, quod regni Christi hæres non sit, quod Spiritum sanctum non habeat, nec sit electus, videt enim opera tenebrarum & carnis, non vero Spiritus. Hoc vero judicium hominum coram Deo falli potest, quia corda introspici non possunt, nec sciri, qua futura sint. Judicium Ecclesiæ generale est, quod ratione piorum & malorum diversimode potest applicari. Sed Deus judicium fert de cordibus, ipse enim solus novit, qui sint sui & electi. Secundum hoc ex Paulo discimus, quosdam ab initio esse vasa iræ & contumeliæ, alios vasa honoris; (Rom. IX. 20. & sqq.) item quod non omnes ex Israël sint Israëlitæ; (ibid. v. 6.) & sic non omnes baptizati Spiritum sanctum accipiunt aut electi sunt, sicut dictum est; multi sunt vocati; pauci electi; ideo & discimus, electos non perire, nec ad mortem peccare, neque Spiritum sanctum amittere, sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei, (Rom. XI. 29.) item 1. Joh. III. 9. omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Addit dicta Christi *Joh. VI. 37. Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et XIV. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum.* An hæc sententia ea sit, quæ Calvino tribuitur, & quam etiamnum plurimi ex Reformatis docuerunt, de absoluta electione & inamissibilitate gratiæ; an bono & orthodoxo sensu explicari potuerit, ideo definiri non potest, quia *Naogeorgus* nimis præcipitanter litem & causam deseruit. Interim, si *Henricus Pantaleon* in *prosopographia* sua *Part. III. fol. 332.* comperta scribit, *Naogeorgus* in Ducatu Würtenbergico (nam *Tubingæ* Theologiam didicerat) Ecclesiasticis muneribus posthac probe functus est, &, licet edicti Carolini tempore ejectus, *Basileam* sese receperit, in priorem tamen stationem postmodum rediit.

(14) *De historia Sleidani quædam.*

Notari denique meretur, hoc ipso anno 1546. cum ingens illa belli moles & mutatio omnium rerum instaret, *Johannem Sleidanum* historiæ suæ scribendæ intentum fuisse. Patet id ex literis *Joh. Friderici* Electoris Saxoniæ & *Landgravii* d. 15. & 21. Maji, item d. 10. Jun. datis, quas *Hortlederus* Tomi sui II. præfationi subjunxit, & alibi a me citatas esse memini. Extat & Landgravii epistola ad Electorem *Reg. H fol. 676. n. 210.* d. 17. Jun. scripta, in qua ei gratias agit, quod *Sleidani* petitis de communicatione actorum, quibus ad opus suum, quod egregium & bonum (ein trefflich und gut Werck) in literis d. 21. Maji vocat Landgravius, uti volebat, annuerit: quanquam, orto mox bello, vix credam promissis ab Electore frui potuisse Sleidanum. Cæterum dum hæc *mense Majo*, hoc anno *MDCXCI.* scribo, haud mitioribus fatis urgetur Germania, hinc Gallorum, inde Turcarum sævis incursibus exposita, nec Ecclesia Evangelica caret periculis. Deum precor, ut nobiscum non pro meritis, sed pro sua agat misericordia, & quicquid de Republica statuerit, gregem tamen suum, quem ipse novit, in veritate conservet. Jam ad scriptorum *Lutheri*, quæ ad hunc annum pertinent, aut eo referri possunt, enarrationem, adeoque ad metam laboris progredior.

§. CXXXVIII.

(1) *Scripta Lutheri hoc anno.*

Ex scriptis *Lutheri* Latinis in hunc annum relatus est *Tom. IV. Lat. Jen. fol. 730. & sqq.* commen-

An. 1546. mentarius in *Psalmum II.* sed cum scriptus fuerit anno 1532. & versio ejus Germanica *Tomo V. Alt.* inserta legatur, occasione illius supra *§. XIV. n. 8. & sqq.* quædam ex Psalmi hujus explicatione excerpta sunt. Præfatio etiam in declamationes filiorum Electoris Saxoniæ, quæ d. *Tom. IV. Jen. fol. 780.* extat, relata est supra §. *CXII. n. 1.* Nihil itaque ex Tomo illo recensendum superest, quam *commentarius in Prophetam Joël*, qui anno 1547. prodiit, & *fol. 781. ad 822.* exhibetur. Versio ejus Germanica per errorem quidem, ut *§. XVIII. n. 1.* annotatum est, in *Tom. VI. Alt.* & annum 1536. relata fuit, cum alia tunc explicatio hujus Prophetæ, quæ *Tom. III. Lat. Jen. fol. 497. & sqq.* legitur, verti potuisset; illa vero ad scripta anni 1546. referri debuisset. Ex posteriori igitur hoc & ampliori Commentario nunc afferenda quædam sunt. In exordio *fol. 781.* tempus Prophetæ, quod, quia Reges, sub quibus vixit, non nominat, in enarratione priori in incerto reliquerat Lutherus, jam ad ultimos Ezechiæ aut ad Manassis annos per conjecturas refert. Materiam tam consolationis, quam minarum, suæ ætati *Lutherus* bene dicit convenire, cum & Ecclesiæ pericula instent a Turcis & a Papa, sub prætextu Concilii exitium ei intentante, & frustra & ad ravim usque clametur contra hominum in Ecclesia Evangelica luxum, ingratitudinem in alendo ministerio, & scandala plurima. Vaticinia vero de Evangelio & regno Christi illustrissima ab hoc Propheta proponi, ex prima concione Petri *Act. II.* omnibus notum esse dicit. Ad Cap. I. *fol. 782. b.* observat non solum, quod doctrinam de Christo & spe vitæ æternæ in Novo Testamento multo luculentiorem habeamus, quam Prophetæ habuerint, sed & quod minæ periculorum, a mutatione monarchiarum Ecclesiæ Veteris Testamenti imminentium, Novi Testamenti tempore minus necessariæ sint, quia vetus Ecclesia inter fines Palæstinæ fere coarctata, ex mutationibus illis multas turbas passa fuerit, hodie vero per totum orbem dispersa sit, & sic, licet in una parte turbetur, in alia vigeat & floreat. Notat etiam, donum prophetiæ in Novo Testamento non plane sublatum esse, sed inde ab Apostolorum temporibus futurorum quorundam præscientiam in Ecclesia fuisse, qua admoniti pii gubernaverint mores diligentius, & mitigationem calamitatum a Patre in cœlis cum certa spe liberationis expectarint. *Fol. 783.* temporis, quo prælectiones hæ factæ sunt, indicium quoddam datur, mentione damni a locustis illati anno 1544. ut & anno superiori, qui numeratur 1546. ut & factum est ab interprete Germanico, *Tom. VI. Alt. fol. 923.* Sed fateor me hoc explicare non posse, cum Lutherus anno 1546. mense Januario, ut audivimus, *Islebiam* profectus, & paulo post *d. 18. Febr.* mortuus sit. Invenio tamen anno 1542. locustas Saxoniæ damnum intulisse; erratum itaque in numeris esse oportet, nec commentarius hic anno 1546. scribi potuit: & fortasse non nisi in principio anni 1545. prælectus est.

(2) Commentarius in Joelem.

Ad cap. I. 5. *fol. 784.* graviter redarguit vitium ebrietatis, inter alia his verbis: *Ostendit* (Propheta,) *Deum odisse ebrietatem ac luxum, quæ peccata fere, sicut etiam hoc tempore in Germania vidimus, vastitatem & publicas calamitates præcedere solent. Mundi judicium si sequaris, exiguum quiddam videtur, adbibere plusculum & inebriari; ac tuo judicio plus peccant, qui avare cumulant opes, qui defraudant alios. Ebrietas enim prorsus privatum peccatum judicatur, quod etsi afferat sua incommoda, tamen, quia privata sunt, exigua esse judicantur. Itaque non solum nulla turpitudo in hoc peccato constituitur, sed etiam ceu curarum & laborum quædam permissa mitigatio, ab omnibus studiose appetitur. Ad hunc modum judicat mundus. Sed si recta via rem æstimaverimus, statuemus, ebrietatem esse peccatum omnium maximum, quod secum infinita alia peccata trahit.* Item, postquam contra hoc vitium egregias sententias adduxisset, & non ex Scripturis solum, sed & ex Poëtis Græcis confirmasset, dissertationem istam sic finit *fol. 785. Magna igitur nostrorum hominum cæcitas, amentia, & impietas est, quod tot modis noxium malum tam amplectuntur avide, & alios quoque ad id, quibus possunt, invitant modis. Nulla habita ratione salutis æternæ, nulla corporum & fortunarum, quas extreme periclitari certum est. Pii autem has sententias sibi proponent ob oculos, & cum audiant a Propheta, ebriosos calamitatibus frugum puniendos, cum gratiarum actione, moderate & sobrie utantur dono Dei, non ad luxum, sed ad corporis necessitatem. Ita fiet, ut non solum effugiant pœnas tristissimas, sed etiam certa pietatis suæ præmia ferant, ac gaudeant & exultent in benedictione Dei. Alii, qui tam graves Christi, Apostolorum & Prophetarum conciones contemnunt, & indulgent huic furori, hos nemo judicet Christianos esse.*

(3) Admonitio de vitio ebrietatis vitando.

Ad v. 11. & sqq. *fol. 785 b. & seq.* mirabilem animorum perversitatem esse dicit, quod, quanto malum est propius, tanto securiores fere sint homines. Id veteribus exemplis ipsaque experientia probat, scribens: *Experimur eadem hodie quoque. Loca vicina Turcæ, quæ quasi in foribus hostem vident, quam nihil metuunt? quam sequuntur & retinent cupide notas ac usitatas voluptates & delitias? Adeo semper sui similis est mundus. Cum jubetur pœnitentiam agere, dolere de peccatis, expavescere iram & judicium Dei, agit securus ludos, indulget voluptatibus. Merito igitur, cum postea premitur malis, & urgetur periculis, ac erigendi jam animi erant fiducia misericordia Dei, nullus lachrymarum finis, aut modus est, & pronus in desperationem fertur.*

(4) De securitate.

Ad v. 19. *fol. 787.* errare eos demonstrat, qui orationem vocalem negligunt, sufficere mentalem putantes, cum tamen Christus docuerit orationem Dominicam, & ipse precibus ter, iisdem verbis, repetitis patrem suum imploraverit, *Matth. XXVI. 44.* Refellit etiam eos, qui prolixam orationem promiscue improbant, quasi a Christo improbatam, cum tamen non tam verborum copia illi displiceat, quam adjuncta illi infidelitas aut opinio, quasi longa precatione facilius moveri possit Deus. Exempla autem longarum Deoque gratissimarum orationum allegat, Davidis, Danielis & ipsius

(5) De precibus brevibus aut longis earumque requisitis.

An. 1546. ipsius Christi in ultima cœna. Quam necessaria vero sit fides ad preces, & quales illæ esse debeant, egregie docet *fol. 788. Meminerimus igitur, admoniti hoc loco, in omni vera invocatione hoc primum esse, ut mens intueatur Deum, ac norit voluntatem ejus esse talem, quod velit nobis adesse, nos exaudire, nos liberare, siquidem promisit liberationem ab aeternis malis per Filium suum. Deinde ut intueatur etiam promissionem de exauditione peculiariter loquentem. Ita enim confirmabitur animus, ut cum certa fiducia oret, & excludetur dubitatio. Etsi enim in corporalibus malis nos submittere voluntati Dei æquum est, nec sic urgenda est exauditio, quin, si Deo ita videatur, volentes parituri simus ejus voluntati, ac humiliaturi nos sub ejus potentem manum, tamen cum hac obedientia fides recte conjungitur. Certus est enim animus de aeterna liberatione per Filium Dei facta, ac statuit, in levioribus quoque misericordiam Dei nobis non defuturam, si sic & gloria ejus & nostra salus postulet.* Ad Cap. II. v. 1. de *die mundi* & *die Domini*, & ingruentibus publicis calamitatibus graviter disserit; *diem mundi* esse dicit peccatorum impunitam & securam perpetrationem, cum contemtu iræ & comminationis divinæ, *diem Domini* vero justam post multam patientiam scelerum ultionem. Piis autem, qui in timore Dei vivunt, & expectant diem Domini, solatium affert, quod aut exemturus eos sit Deus per mortem futuris calamitatibus, quod Josiæ contigit, aut in ipsa calamitate consolaturus & recturus sit, sicut Danielem apud Babylonios. Ad marginem editor Tomorum annotavit: *Sic Lutherum, sanctum Dei organon, evocavit ante hos motus* (belli Smalcaldici) *Dominus.* Quadrant etiam ad nostra tempora, quæ de admirabili Dei judicio observat, qui Ecclesiam suam ob peccata puniturus, impias gentes advocat, & iis veluti suo utitur exercitu, suos autem, ut hostes, tractat. Id quod Judæis manifeste accidit; sed eorum exemplum etiam Christianis applicat Lutherus, scribens *fol. 789. Hodie iniquum videtur, tot victoriis ornari Christi & Ecclesiæ hostem, Turcam, crudelem tyrannum, & sceleratum idololatram. Nos autem, qui nomen Christo dedimus, & ad consortium cœlestis regni per baptismum vocati sumus, misere premi & affligi. Sed meruerunt has pœnas peccata nostra. Ac cum omnino necesse sit, ut humiliemur, facit hoc Deus per impias gentes, ut tanto major sit confusio nostra, nosque eo facilius ad confessionem peccati & emendationem redigamur. Convincit enim nos eventus, non ut de religione nostra dubitemus, vera ne sit an non, sed ut statuamus, Deum sic peccatis nostris offensum, ut differre pœnas amplius non potuerit.* Ista nos, qui hoc tempore infelicissimo progressum injustissimorum & sævissimorum hostium, cum maximis nostris aut fœderatorum damnis, experimur, tanto magis afficere debent, quanto vehementius conscientia convincimur, nos per incredulitatem nostram & pessimos mores nomen & dignitatem filiorum Dei amisisse & duplici pœna dignissimos esse, qui novimus voluntatem Domini, & non facimus, Luc. XII. 47. & tamen de puritate doctrinæ vane gloriamur, quam flagitiis nostris inquinamus, & nomen Domini blasphemari facimus.

(6) De calamitatibus publicis.

Egregia sunt, quæ ad *Cap. II. v. 13.* quo benignitas & misericordia Dei emphaticè describitur, commentatus est, veræque pœnitentiæ naturam ostendit, *fol. 790. b. ad fol. 793. b.* ubi tandem oppositam Pontificiorum de pœnitentia doctrinam his verbis taxat & rejicit: *Hac est admodum pulchra & sancta ad pœnitentiam exhortatio, quam si cum Papæ dogmatibus conferas, videbis in fœdissimum monstrum transformatam sanam doctrinam. Jubet Propheta ad Dominum converti ex toto corde, hoc est, attendere verbo, & sequi verbum, ac serio dolere de peccatis; deinde niti bonitate Dei & misericordia. His duabus partibus doctrinam de pœnitentia absolvit. Sed tu audi Pontificem. Contritionem mandat; eam statuit nostri arbitrii opus esse, ac mereri remissionem peccatorum. Utrumque autem falsum est. Deinde contritis imponit onus confessionis, hoc est, ut catalogum peccatorum texas, & recites ministro Ecclesiæ. Statuit autem confessionem quoque meritoriam esse. Tertio addit infinitum mare operum, satisfactionem scilicet, cum certa opera injunguntur. Hæc quia semper cum vitio sunt, nec unquam in eis acquiescere conscientia potest, recte mare appellatur, quod semel ingressus, portum nunquam attinges. Nihil monstrum hoc docet de pavore, quem excitat in animis Lex, cum ostendit iram Dei, & nos in judicio Dei accusat. Nihil docet de fide, de promissione nihil, quæ tamen sola remissionem peccatorum ad nos affert, & animos, turbatos metu iræ Dei, sola erigit. Si autem de operibus satisfactionum diligentius inquiras, ibi demum apparebit Satanæ dolus. Alius certis diebus jejunat, alius recitat certum numerum precationum non intellectarum. Invenias qui peregrinationibus, adoratione statuarum, & aliis nugis se veniam peccatorum consecuturos sperent. Hæc igitur perturbatio sanæ doctrinæ, immo eversio, an non satis magna & digna causa fuit, ut nos a Pontifice separaremus.*

(7) De vera & falsa pœnitentia.

Non minus notari merentur, quæ de utilitate ceremoniarum ad *Cap. II. 15.* & earum abusu in Papatu tradit. Quærit enim, cum vera pœnitentia agnitione peccatorum & fide in Christum absolvatur, quem usum habeant ceremoniæ illæ, quas Propheta a populo, ut solennia pœnitentiæ signa, edi vult? & respondet: *Ecclesia electorum admodum est exigua, habet autem maximam malorum turbam admixtam. Paucissimi igitur cum sint, qui vere pœniteant, major autem pars perpetuo sui maneat similis, necesse est, ut sicut alii, qui vera Ecclesiæ membra non sunt, scandalis nocent; ita, qui sunt vera Ecclesiæ membra, exemplo suo alios ad pœnitentiam invitent. Hoc igitur fine institutæ ceremoniæ, piæ & salutares sunt. Faciunt enim ad salutem proximi & gloriam Dei. Sed res exemplo fiet clarior.* Soliti sunt Judæi in

(8) De usu ceremoniarum in pœnitentia publica.

An. 1546. *in periculis, sicut ex hoc loco liquet, jejunium sanctificare, hoc est, publice mandare jejunium, ac id sanctificare, id est, tempore ejus jejunii petere vel synagogas, vel templum, & ibi audire verbum Dei, quo admonebantur de emendatione vitæ & de diligenti oratione. Hoc cum studiose fieret a piis, rudiores exemplo eorum moniti, intelligebant magnam rem agi, & invitabantur ipsi quoque ad cœtum sanctum, & ad orationem. Nam inusitata illa spectacula incurrunt non solum in oculos, sed etiam animos commovent. Ideo jubet Propheta non simpliciter præcipi jejunium, sed vult clangi tuba de Zion, ut scilicet insolito convocationis signo plurimi concurrerent ad templum, audirent verbum Dei, ac preces suas in communi periculo cum aliis conjungerent; ubi si absque hac ceremoniali & celebri convocatione esset, plurimi templum negligerent, neque ad audiendum verbum, & faciendas preces convenirent. Sunt autem utraque, hoc est, & conciones & orationes publicæ, organa, per quæ Spiritus sanctus hominum animos movere solet. Cur igitur, inquies, Papæ ceremonias abjecistis? Nam insignes pompæ, musica organa, & festivi cantus, ac quicquid ejusmodi fuit, hoc totum institutum fuit, ad vulgus invitandum in templa. Cur igitur reprehenditis tales ceremonias? Immo cur aboletis? Respondeo. Fines diversi sunt ceremoniarum in Papatu, & quos Propheta hic commemorat. In papatu enim ministerium docendi prorsus concidit. Ita enim idololatria invaluit, ut ministerium verbi inter cultus divinos non amplius numeraretur. Id quod inde liquet, quod inter mille templa vix erant centum, in quibus doceretur populus, & extructa essent suggesta. Celebrare, & audire Missas, procumbere ad statuas Sanctorum, eas ornare, & adorandas proponere, habebatur summus cultus Dei. Ad hunc populus invitabatur ceremoniis. Igitur ceremoniæ istæ prorsus eodem loco fuerunt habendæ, quo ipsi cultus. Non solum enim inutiles, sed etiam impiæ erant, & serviebant impietati, nec ædificabant rudiores, sed altius demergebant in superstitiones. Quæ autem hoc in loco Propheta jubet, ea omnia faciunt ad gloriam Dei, hoc est, ad notitiam Dei, ut homines per verbum discant voluntatem Dei, & ad salutem & ædificationem proximi.* Addit *pag. seq.* etiam in nostris ecclesiis ceremoniis suum esse fructum, & male facere, qui eas contemnant, aut Papatum restitui putent, si tempore calamitatis publicæ extraordinarii conventus ad sacra & preces instituantur. Commendat etiam *fol. 795.* disciplinam œconomicam, ut patresfamilias familiam & liberos ad preces assuefaciant, & exemplo ac hortatu præeant.

Alteram partem prophetiæ Joelis de ecclesia Novi Testamenti inchoat Lutherus a *versu 23. cap. II.* & tam præclara de natura & felicitate Evangelii docet, ut dolendum sit, hæc & alia viri scripta hodie ex satietate aut novitatis pruritu fastidiri. Pauca tantum, speciminis causa, annotabo. Ex v. 27. *fol. 802. b. In medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester &c.* summa cum eruditione & pietate evincit, de Christo agi, & divinam ejus naturam indicari. Neque enim Judæi tempore Joelis ignorabant, Deum habitare in medio Israel, sive in templo Hierosolymitano. Sed nova & plura promittit Propheta. *Significat nimirum*, ait, *Deum tempore Novi Testamenti alio, & longe propiore modo habitaturum in medio Israel, quam hactenus habitarat in domo sua, nempe, quod conceptus de Spiritu sancto & de virgine natus, nostra se carne vestiturus sit, sicut Evangelista dicit, hanc ipsam figuram imitatus: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et Baptista: In medio vestrum est, qui, cum ante me esset, post me venit. Sicut igitur supra (fol. 800. ad v. 23.) audivisti de doctore justitiæ, ita hic audis, quis sit, nempe homo, qui habitat in medio Israel, non sicut in templo habitarat, sed visibilis, qui nobis de ore ad os loquatur, & doceat justitiam, verus homo, sed de quo possis dicere, ut Esaias appellat, Immanuel, Nobiscum Deus.* Ita & *fol. 803.* ad vers. 28. tres personas in Deitate & divinitatem Spiritus sancti egregie demonstrat; & quomodo hic invocandus sit, allegato & explicato dicto Davidis *Ps. 51.* præclare docet; *fol. 805.* Addenda sunt, quæ de mediis, quibus Spiritus sanctus accipiatur, verbo nempe & Sacramentis, contra præparationes a monachis, & contra inspirationes a fanaticis falso jactatas, solide deducit *fol. 805. b. 806.* De revelationibus, quomodo Prophetis factæ sint, & ut ex verbi lectione & meditatione occasionem ad eas nacti fuerint, notabilia tradit *fol. 807.* Ibidem vero *fac. b.* per visiones, quæ in Novo Testamento *v. 28.* promittuntur, juncto *versu 29.* non apparitiones a Pontificiis confictas, nec somnia Anabaptistica, sed ipsum donum Spiritus sancti intelligit, purificantis corda fide, & animas gubernantis. *Hoc*, ait, *donum vere hujus temporis in Novo Testamento est. Etsi enim etiam posterioribus temporibus non desunt prophetiæ, seu vaticiniorum donum, tamen id longe infra hoc donum collocandum est, de quo Propheta hic commemorat. Vera enim cognitio Filii Dei affert cognitionem Patris, affert remissionem peccatorum, affert gubernationem, ne cedamus tentationi, neve dominetur nobis peccatum; affert in summa ipsam vitam æternam: Cum Prophetiæ donum de futuris eventibus etiam possit esse apud malos, sicut Bileam, & ille Judæ Propheta, qui Regi Jeroboam prædicit de Josia, & postea laceratur a leonibus; Quin ipse Satan ex instructione causarum, quas videt, sæpe prædicit futura. Hoc autem donum, quod hic promittitur, ejusmodi est, ut certo afferat æternam vitam. Ideo tam magnifice commendatur. Quid enim alia dona omnia ad hoc sunt, quod ipse Dei Spiritus æternus Deus, descendit in nostros animos, immo in corpora nostra, inque nobis habitat, nos regit & gubernat? Sicut Paulus clare dicit, 1. Corinth. 6. Nescitis quod corpora vestra sunt templa Spiritus Dei, qui est in vobis. Quod igitur ad præsentem Prophetæ locum attinet, unum sunt prophetia, visio, somnia, nempe cognitio Dei per Christum, quam Spiritus sanctus per verbum Evangelii lucere facit.* Ad verba v. 32. *Omnis, qui invocaverit nomen Dei, salvus erit*, veræ invocationis naturam & requisita *fol. 809.* explicat, addito dicto Pauli *Rom. X. 14. Quomo-*

(9) *De præsentia Dei in Novo Testamento & alia quadam.*

(10) *De dono Spiritus sancti in N. T.*

(11) *De vera invocatione, & de valle Josaphat, & alia quadã.*

An. 1546. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Ideoque Turcas, Judæos, Papistas, vera fide destitutos, invocationem recte facere negat. Cap. III. v. 2. ab interpretum plerorumque sententia discedit, & vocem *Josaphat* appellative explicat de judicio, & quidem non de judicio iræ, quod alii per errorem, ut ait, intellexerunt, sed de judicio gratiæ, sive de doctrina pœnitentiæ & gratiæ in Novo Testamento, *f. 810. b.* ex præsupposito illo etiam bellum, quod *v. 9.* prædicitur, eodem modo *fol. 811.* interpretatur. Ex vers. 16. *Dominus de Sion rugiet*, demonstrat, Evangelii prædicationem Hierosolymæ incipiendam fuisse, & Christum ejus autorem esse verum Deum, *fol. 815. b. & seqq.* Ad v. 17. *Et erit Jerusalem sancta &c. fol. 817.* notat, Scripturam dupliciter loqui de Ecclesia, nempe quod vel per Ecclesiam intelligat omnes, qui idem genus doctrinæ profitentur, & iisdem utuntur Sacramentis, licet inter eos sint multi hypocritæ & impii; vel electos, qui verbum Dei vera fide amplectuntur, & accipiunt Spiritum Sanctum. Licet enim hi non sint sine peccatis, immo soli peccata vere agnoscant, & eorum veniam poscant, sanctitatis tamen titulum propterea eos amittere negat. Scribit igitur *fol. 818. Si in Filium Dei credimus, si ejus sanguine nos redemtos confidimus, si sacro baptismate sumus abluti, profecto sumus sancti, sicut ipsa sancta Virgo Dei mater, sicut Petrus, Paulus, & alii. Etsi enim hi propria sua, ut sic dicam, sanctitate, hoc est, certis donis nobis anteeunt; tamen certum est, ipsos propter dona illa non esse sanctos, sed propter solam fidem in Filium Dei. Hanc autem nos quoque retinemus. Agnoscimus enim eundem Christum pro nobis factum victimam, & nos eodem baptismo baptizatos, eundem accepisse Spiritum Sanctum. Etsi igitur inter nos dissimilitudo aliqua est, tamen Christus ubique sui est similis, & quocunque venit, affert secum eadem dona, remissionem peccatorum, & Spiritum Sanctum. Hoc Pontificii non norunt; itaque cum Christi ignominia, sanctitatis nomen tantum illis relinquunt, qui exuerunt carnem.* Subjungit ibidem lectu dignissima de excommunicatione, & quanto cum damno Ecclesiæ verus illius usus impediatur. Sequitur *fol. 821. b. & seq.* syllabus insigniorum sententiarum, ex Joele collectarum, de pœnitentia, de pœnis ebrietatis, de precibus & ceremoniis publicis, de forma orandi, de fructibus pœnitentiæ, de regno Christi, de officio & persona Spiritus Sancti, de invocatione vera & quæ afferat vitam æternam, de vocatione gentium, de summa doctrinæ Evangelicæ, de sanctitate Ecclesiæ, de Baptismo, & denique de afflictione & liberatione Ecclesiæ. Ex his iterum nota temporis, quo hic commentarius conscriptus est, elucet, nam *fol. 821. b.* meminit thesium *Lovaniensium*, de quibus egimus *§. CXXVIII.* & Conciliabuli, quod vocat, *Tridentini;* unde satis constat, anno 1545. atque adeo proximo ante obitum anno hæc tractasse Lutherum, tam sancte, pie & erudite, ut senecta, de cujus tamen debilitate & incommodis ipse vehementer queritur, ei non obstiterit, quo minus officio orthodoxi & utilissimi interpretis fungeretur. Idem vero deprehenditur in *Commentario ad Genesin*, qui propter amplitudinem suam Tomis insertus non est, sed separatim typis excusus, de quo nunc dicendum est.

An. 1546.

§. CXXXIX.

(1) *De Commentario Lutheri in Genesin historica quædam.*

Prælectiones in Genesin inchoasse perhibetur *Lutherus*, ut §. *XLVIII.* in fine innuimus, anno 1536. temporis etiam nota in margine *Part. II. fol. 187. b.* adjecta reperitur, ex qua percipitur, in caput XXI. commentari cœpisse Lutherum anno 1539. d. 27. Octob. Absolvit autem hunc laborem d. 17. Novemb. 1545. tertio ante mortem suam mense, nec indigna relatu sunt verba, quæ finito opere prolocutus est. Diß ist der liebe Genesis. Unser HErr GOtt gebe / daß es andere nach mir besser machen. Ich kan nicht mehr / ich bin schwach. Orate Deum pro me, daß er mir ein seeliges Stündlein verleihe. Hoc est, *Iste est charus ille liber Genesis. Det Deus, ut alii post me melius eum tractent. Ego plura præstare non possum; infirmus sum. Orate Deum pro me, ut mihi bonam concedat beatam.* Cum vero pars prælectionum prima, Commentarius nempe in capita XI. priora, anno 1544. Wittenbergæ excuderetur, brevem præfationem ei præfixit Lutherus, die natali Christi dicti anni, cujus exordium hoc est:

(2) *Quædam ex præfatione Lutheri in partem primam, & ex prologo Viti Theodori.*

Lectiones meas in Genesin non in hoc institui, ut cogitarem aliquando edendas & invulgandas esse, sed ut præsenti schola pro tempore inservirem, & tum auditorium, tum me ipsum, in verbo Dei exercerem, ne desidiosa & prorsus inutili senectute mortem corporis hujus finirem, sicut Psalmus me excitavit: Psallam Deo meo, quamdiu fuero; simul, ut decessurus invenirer in grege illo parvulo & parvulorum, ex quorum ore Deus perficit laudem, qua destruat inimicum & ultorem. Memorat postea, lectiones istas incidisse in duos collectores bonos & pios, *D. Casp. Crucigerum*, quem sua ipsius opera, ut ait, testantur, quanto Dei spiritu & ope feratur, & *M. Georgium Rorarium*, Ecclesiæ Wittenbergensis Presbyterum: Eorum operam secutum esse scribit *Vitum Theodorum*, Concionatorem Norimbergensem. Dein, postquam & hos & omnes alios verbi Dei ministros editionem desideraſſe dixisset, hæc subjungit: *Mallem tamen tam pias operas & bonas horas in meliorem autorem collocatas esse. Neque enim ego is sum, de quo dicere posſis, faciebat: In ultimo consisto ordine, qui vix dicere audet, volui facere. Et utinam essem dignus in hoc ultimo ordine ultimus esse. Extemporaliter enim & populariter omnia dicta sunt, prout in buccam venerunt verba, crebro & mixtim etiam Germanica, verbosius certe, quam vellem.* Notari utique meretur hæc tanti viri modestia, qua quidem, cum apud suos loqueretur, frequenter utebatur, licet contra adversarios, inani fastu tumentes & convitiis grassantes, dona sibi a Deo data prædicare aliquando soleret, unde & sub finem præfationis scribit: *Adversariis & Diabolo eorum Deo, spero superbus & gloriabundus in Domino, me occasiones satis multas calumniandi & cavillandi dedisse, sicut ab initio feci semper & libenter.* Interim admirari licet incredibilem viri in Scripturis sacris, extemporali ser-

An. 1546. sermone explicandis soliditatem & facilitatem, & ridere *Pallavicini*, *Maimburgii*, aliorumque ineptas censuras, quibus Lutheri dotes, quas inter suos minime inveniunt, subsannant, aut altō contemnunt supercilio. Præmeditatus sane ad lectiones suas accedebat, consultis interpretibus, quorum opera tunc extabant, celeberrimis, ut ex toto patet opere, idque omnino requirebat materiæ sublimitas & dignitas, quam in allegata præfatione agnoscit. Quapropter cum caput XV. (*Part. II. fol. 50. b.*) prælegeret, professus est & doluit, quod distractus negotiis Ecclesiarum & aulæ, diligentius vacare meditationi non potuerit: Sed de verbis & phrasibus parum solicitus erat, nec quicquam dictabat ad calamum. Aliquando etiam, post aliquod temporis intervallum, eandem materiam, data occasione, repetiit, aliis tamen verbis, quorum copia illi non deerat. Post præfationem Lutheri sequitur *Viti Theodori* longa epistola, eodem die 25. Decemb. 1544. data, qua partem Commentarii hujus priorem *Joh. Ernesto* Sax. Duci, fratri Electoris, dedicavit, & magnam libri hujus Moysaici sanctitatem & utilitatem commendavit. Lutherum quoque meritis honoravit elogiis, testatur tamen & ipse, cum Luthero non vacasset literis mandare, quæ prælegebat, se opera *Crucigeri* & *Rorarii* excepta collegisse, & bona fide in literas retulisse, ejusque partem nunc edere.

(3) Præfatio Rotingi in Partem II. & Melanchthonis in Partem III.

In partem *secundam*, in qua capita, quæ sequuntur, usque ad *versum 10.* capitis XXV. enarrantur, *Michael Rotingus* præfatus est, qui anno 1550. post mortem *Viti* (is enim anno præcedenti obierat) editionis curam suscepit. *Tertiam* partem a capite XXV. v. 11. ad XXXVI. præloquio ornavit *Philippus Melanchthon* anno 1552. In eo præter illa, quæ ad materiam libri Geneseos spectant, acriter in decreta Concilii Tridentini invehitur, adeo, ut ea impia & execranda vocet, illud præsertim, quo jubent omnes homines manere in dubitatione; *Ita*, ait, *hoc totum caput in symbolo delent: Credo remissionem peccatorum, immo inquiunt; non credo, sed dubito.* Non veretur pronunciare, *eos, qui hæc statuunt, esse hostes Ecclesiæ Dei, & abuti his nominibus Ecclesiæ, Synodi & Catholici consensus, nec Ecclesiæ doctrinam proponere, sed ethnicas seu pharisaicas imaginationes statuere.* Subjungit non pauca contra enumerationem peccatorum in confessione & sacrificium Missæ: dein sperare se dicit, fore, si integrum legum Tridentinarum volumen edatur, ut & viri docti & pii & recte invocantes Deum errores ejus refutent, & toti orbi insidias & sophismata in decretis illis, & perversitatem autorum ostendant, qui astute multa ambigua sparserint, ut simul & populo fucum faciant, & veras reprehensiones possint eludere. *Melanchthon* hoc zelo dignum se Lutheri successorem esse demonstravit, hujus vero monumenta studiose legenda, & cæteris confessionibus ipsius adjungenda, vehementer commendat, & speciatim hanc enarrationem in Moysen, quam veluti cygneam dicit esse cantionem. *Hæc*, ait, *testimonia ad docendas & conformandas bonas mentes prosunt, quæ tanquam honestum depositum, ut Paulus sua testimonia nominat, bona fide tueamur, nec sinamus ea vel obrui falsis ac sophisticis decretis Pontificiis, vel astute perverti, ac in peregrinas sententias, præstigiis interpretationum transformari.* An. 1546. *Quartæ* parti præfatus est *Hieronymus Besoldus*, Ecclesiastes Norimbergensis, anno 1554. *Besoldus* is, Lutheri hospitio & mensa usus, magnam prælectionum, posteriorum præsertim, partem ipse excepit; laudat tamen *Viti Theodori* singularem in consignando dexteritatem, & nihilominus fassum illum esse refert difficultatem, quod auditores ea, quæ Lutherus magna cum gravitate, elegantia & copia verborum dixerit, quamvis celeri calamo, assequi & excipere, & pari felicitate disponere nequiverint, ideoque optasse & illum & plurimos, ut *Lutherus* ipse conscribere ista potuisset. Memorat etiam, ut tempore persecutionis, post edictum Carolinum excitatæ, schedæ, in quibus *Theodorus* & alii dicta Lutheri exceperant, apud *Hieronymum Baumgartnerum* occultatæ fuerint, & ut ipse postea (quiete nempe Ecclesiis post expeditionem *Mauritii* Saxoniæ Electoris reddita) ex collectaneis istis, suisque & *Joh. Stolzii*, quæ restabant, congesserit, & opus ad finem perduxerit. Cum vero *Besoldus* dicta quædam, a Luthero in mensa aut colloquio familiari prolata, maxime notabilia, in præfatione illa sua commemoraverit, & raro hodie Commentarius in Genesin inveniatur, ea hic addenda & conservanda esse censui.

(4) Hieron. Besoldi præfatio in partem quartam.

ADDITIO.

Besoldus in præfatione allegata ex ore Lutheri hæc refert: *Memini Lutherum aliquoties domi suæ in mensa, quæ mihi cum ipso communis fuit, de cæcitate & caligine suorum temporum verba cum gemitu & dolore facere. Narrabat inter cætera, cælibes Pontificios valde vituperasse Genesin, & ab ea, tanquam a scripto pleno spurcitie & obscœnitate, abhorruisse, quod nihil aliud doceret, quam quomodo Patriarchæ liberis & rei familiari operam dedissent. Addebat vero insignem commendationem, a verbo & voce divina, quæ toties ad patres sonuisset.* Das macht *Genesin* köstlich: *Loquutus est Dominus; Dixit Dominus; Apparuit Dominus,* das haben die Münche nicht geacht; *quia non habuerunt verbum Dei,* das hat kein Heide nicht / es habens die *Jura* nicht / *Medicina* auch nicht: die gantze *Biblia* hebt also an: *Dixit Dominus.* Das Neue Testament auch. *In principio erat Dixit.* Wer das *Dixit* verleurt / der ist verlohren. Sie haben das *Dixit* nicht / das ist *Pater*, so haben sie das *Fiat* nicht / das ist *Filius*. Das *Facta sunt*, haben sie / wie Paulus sagt / *quod creator per creaturam cognoscitur, a posteriori,* aber wir *Theologi* habens *a priori*, wir haben das *Dixit*, und das *Fiat.* Et post quædam *fol. eod. fac. b. Sæpe etiam in familiaribus colloquiis collationem faciebat scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, quæ ex Mose veluti fonte manassent, & non solum rerum congruentiam, sed & orationis discrimen in quibusdam monstrabat. Mosen dicebat esse* [illegible]*, Isaiam grandiloquum & Ciceronianum, Davidis orationem similem esse Sallustianæ, hoc est, brevem & puram. Salomonis vero pictu ratam esse; quanquam & copiam Davidis mirificam, præsertim in Psal. 119. prædicabat. Denique ex Novo Testamento adjungebat illis Paulum & Johannem, unquam interpretes Veteris Testamenti præstantissimos, propterea, quod longe altius, quam alii, Mosen & Prophetas introspexissent; ac hortabatur nos ad studium Hebrææ & Græcæ Linguæ, quo facilius inter se conferre & as-*

(a) Ex Besoldi relatione dicta Lutheri de præstantia libri Geneseos.

(b) Item de singulari scriptorum quorundam sacrorum stylo.

An. 1546.

& assequi Prophetarum & Apostolorum sententias posse-
mus. Quam admonitionem, cum studiosis sacrarum li-
terarum non solum non ingratam, sed & necessariam at-
que utilem fore existimem, iisdem verbis, quibus admo-
dum familiariter & comiter eam proposuit, commemo-
rabo. Nec dubito, reverendum virum, D. Justum Jo-
nam, pleraque adhuc memoria tenere, qui huic sermoni
interfuit, eique occasionem dedit. Forte enim ex Sali-
nis Saxonicis VVittenbergam exspatiatus erat, ad D.
Lutherum & reliquos Praeceptores invisendos, cumque
eos audivisset in Schola de variis rebus erudite & pie dis-
serentes, narrabat in prandio, se ex Dn. Philippo audi-
visse, totam Scripturam nihil aliud esse, quam certamen
serpentis & seminis. Ad illud subjecit Lutherus: Glaubt
ihr auch / das Joannes ein *Commentarius* sey über die
gantze Bibel? Paulus auch. Es ist kein wort / Jo-
annes wolt gern *Christum Deum* machen. *Sacra scri-*
ptura magis urget Filium, quam Patrem. Quia tota
Scriptura est propter Filium. Ideo plura sunt testimo-
nia, etiam in Veteri Testamento, de Filio, quam de
Patre. Inter alia autem, & versionis Septuaginta in-
terpretum mentio incidit, de ea tum dicebat: Paulum
in multis locis illam versionem retinuisse; Er hats nicht
veracht / *quia loquutus est cum Graecis. Psal. 18. (Hebr.*
19.) Hebraeus Textus habet: In omnem terram exi-
vit regula eorum. Paulus Rom. 10. sonum appellat,
atque idem prorsus dicit. Sic 1. Corinth. 15. inquit:
Absorpta est mors in victoriam. Ubi Hebraeus habet
Oseae 13. in finem, in aeternum, & Isaiae 25. Praecipita-
bit mortem in aeternum, er wird nicht wieder kommen.
In victoriam, id est, Vita vincet. Paulus est copiosus,
ein wort Pauli hat drey *orationes Ciceronis;* Er redet
ein wort / das sicht durch ein gantzen *Isaiam* oder *Jere-*
miam. O es ist ein feiner *Praedicator*, er heisset nicht ver-
gebens *Vas electum.* Unser HErr Gott sagt: Ich will
der welt einen Prediger geben / der soll köstlich seyn.
Es ist keiner / der das Alte Testament so wohl verstehet /
als er / Johannem nehme ich aus. Petrus ist auch
köstlich. Mattheus und die andern *scribunt quidem*
historiam, die seyn hoch von Noten / aber *illam vim*
& Verba Veteris Testamenti non exprimunt. Paulus
hat viel dings ex *Hebraeo Graece* vertirt / daß keiner sonst
thun könte / er redet in einem Capitel / das offt vier
fünff Propheten ausleget. O er hat Isaiam und Mo-
sen lieb gehabt / die seyns auch. *Verba & res Pauli* die
sind in Propheten und Mose. Darum sollen die jun-
gen *Theologi* studiren hebreisch / *ut possint conferre Grae-*
ca & Hebraea. Et imputatum est ei ad justitiam, sagt
Moses. Das hat ihm Paulus so nutz gemacht / und
stehet doch in *Hebraeo* nur: *& cogitatum est.* Wenn
ich jung wäre / und wolt nun ein hoher *Theologus* wer-
den / so wolt ich Paulum *conferiren cum Veteri Testa-*
mento, Er ist ein *Dialecticus* und *Rhetoricus* gewest.
Disputat inde *Besoldus* non pauca adversus *Andreae O-*
siandri errorem de justitia essentiali, & quae is ex Luthe-
ri scriptis eo detorsit, examinat, atque fallaciam osten-
dit; deinde haec subjungit: *Ex plurimis autem Lu-*
theri testimoniis valde memorabiles sententiae sunt in
postrema lectione harum Enarrationum de morte Christi,
adversus λογομαχίαν, qua dirimitur redemtio &
reconciliatio, annorum intervallo, a justificatione &
justitia Christiana. Etsi enim Christus semel, & praefi-
nito tempore passus est, & opus redemtionis perfecit; ta-
men virtus & efficacia ejus omnibus temporibus valet ad
justitiam & salutem eorum, qui id quolibet momento
fide sibi applicant. Nec curat fides arithmeticam an-
norum supputationem, aut ullius temporis spatia, sed
cum Luthero dicit: Scio Christum non tantum historice
mortuum, sed durare ejus mortem ab initio usque ad fi-
nem mundi, & succurrere omnibus Sanctis per totum
tempus mundi, Adae, Hevae &c. Tam recens mihi nunc
Christus est, ac si hac hora fudisset sanguinem. Qui-
bus quid potuit dici clarius & magis proprium? Nec sine
singulari ardore & spiritu ea proloquentem audivimus.
Nam eo ipso tempore his vocibus se erexit & confirmavit,
cum ad transitum ex hac vita toto pectore adspiraret, id
quod testatur postrema clausula, qua conclusit praelectio-
nes in Genesin. Saepe enim dixit, se cum Genesi vitam
cupere finire, ac sane desiderio & votis ejus annuit De-
us. Cumque abeadie, qua absolveras Genesin, non re-
diisset in scholam amplius, & sequenti anno 1546. Fe-
bruarii 18. die ad aeternam Dei consuetudinem evoca-
retur, repetivit aliquoties in extremo agone eandem con-
solationem, propositam in verbis Christi Joan. 3. Sic
Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum da-
ret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat
vitam aeternam.

(c) *De efficacia mortis Christi, per fidem apprehensa.*

Jam, ut ex aliis Lutheri libris factum est, etiam
ex his *in Genesin Commentariis* loca illustriora
excerpenda essent, quibus sane ita repleti sunt,
ut mihi difficillimum fuerit in tanta copia rerum
utilissimarum eligere, quae reliquis praeferrem.
Ratio etiam temporis haberi debuit, & modus de-
nique sat longo labori statui. Igitur veluti indi-
cem insignium materiarum exhibebo, aut quo-
rundam dictorum sensum potius in compendio,
quam verba integra referam. Parte *prima* in
praeloquio obscuritatem primi capitis Geneseos
fatetur, & haud spernenda de Aristotelis & Pla-
tonis sententia commentatur, hunc vero propius
veritati, cujus scintillas forte in Aegypto colle-
gerit, accessisse censet. Augustini lusus mysti-
cos de sex diebus & de cognitione vespertina &
matutina modeste declinat. Ad v. 1. *fol. 4.* Anthro-
pomorphitas fortassis nimis rigide condemna-
tos esse putat, cum Scriptura ipsa de Deo veluti
de homine loquatur. Ad v. 14. *fol. 13.* improbat
& rejicit praedictiones Astrologicas. Ad v. 26.
fol. 16. b. & fol. 17. de mysterio Trinitatis, quate-
nus ex verbis Moysis erui possit, (junctis, quae ad
v. 2. annotavit) pulchra docet, & Judaeos refutat;
fatetur tamen, obscuriora ea esse, quam ut per
ea sola tantus fidei articulus probetur; rectius au-
tem proposita ideo tunc fuisse, ut omnia aliquan-
do clarius discerentur a Christo, ad cujus adven-
tum restitutio omnis omnium rerum, & omnis
cognitio atque revelatio uberior servabatur. San-
ctos quidem Patres revelationem illius mysterii
habuisse a Spiritu sancto, sed non tam aperte ut
nunc, cum audimus in Novo Testamento nomi-
nari Patrem, Filium & Spiritum sanctum. *Ve-*
niente enim Christo, ait, *d. fol. 17. oportuit illa*
signacula solvi, & clare praedicari, quae obscuris
verbis antea erant tradita, tantum propter reve-
rentiam futuri Magistri. Ac nisi Spiritus sanctus
hanc cognitionem claram distulisset in Novum
Testamentum, longe ante Christum natum extitis-
sent Ariani. Quare ultimis temporibus voluit
Spiritus sanctus hunc solem cognitionis Diabolo ob-
jicere, ut praestringerentur ejus oculi, & ipse magis
invideret hanc tam claram cognitionem homini-
bus, atque ita vehementius torqueretur. De i-
magine Dei ad eundem versum tractat *fol. 17. b.*
fatetur tamen, eam per peccatum ita obscura-
tam & vitiatam fuisse, ut eam ne quidem intelle-
ctu possimus assequi.

(5) *Excerpta ex commentario, ad Cap. I.*

Ad cap. II v. 7. de
libero arbitrio *fol. 24. b.* dicit, illud aliquid vale-
re ad ea, quae infra nos sunt, sed nihil ad ea, quae
sunt supra nos, sive quae Deum attinent. De
Paradiso, ad v. 8. otiosas esse quaestiones, monet
fol. 25. b. utpote de re, quae non amplius extet:
Illum vero, quem Christus promittit latroni
converso, & in quo Paulus se fuisse dicit, statuit,
esse *conditionem, in qua Adam fuerit in Paradi-*
so, plenus pace, securitate & omnibus donis, quae
sunt ibi, ubi non est peccatum, id est, *vitam illam,*

(6) *Ad cap. II.*

qua

An. 1546. *quæ est in animabus defunctis in fide.* Ex v. 16. *fol. 30.* colligit, ecclesiam institutam esse ante œconomiam, cum Deus Adamo præcepta de arbore scientiæ boni & mali dederit, antequam crearetur Eva, ut ostenderet hominem ad alium finem esse conditum, quam reliqua animantia. *Quia enim*, ait, *instruitur verbo Dei, certum est, quod sit conditus ad immortalem & spiritualem vitam.* Præcepto autem illo cultum Dei sive religionem, & quidem *rudissimam, piissimam & simplicissimam* constitutam fuisse docet, *d. l. fac. b.* in qua nihil esset laboriosum aut sumtuosum. *Non enim*, pergit Lutherus, *præcipit (DEUS) mactationem taurorum, non fumum thuris, non vota, non jejunia, non alias afflictiones corporis; hoc tantum vult*, (concedendo fructus omnium arborum) *ut laudet Deum, ut gratias ei agat, ut lætetur in Domino, ut ei in hoc obediat, ne ex vetita arbore comedat.* Hujus cultus reliquias esse ait, quas Christus restituerit, ut & nos benedicamus & laudemus Deum, sed miseras, si conferantur cum prima illa conditione. Ex eodem versiculo disputat *fol. 31.* de Lege, quatenus etiam ante peccatum data sit, neque repugnet dictum Pauli, *Lex justo non est posita.* Addit haud pauca de justitia originali & peccato originis *fol. 32.* cui jungi possunt, quæ docet *fol. 40. b. & 41.* Ad v. 18. *fol. 33.* mirifice laudat bonum conjugii & generationis, ita tamen ut *fol. 3.* peccati originalis signa agnoscat, unde fiat, licet ante lapsum congressus viri & mulieris res fuisset honestissima, sicut cibus & potus, post lapsum tamen *fœda* jam sit & *horribilis* (ut scribit) *voluptas*, ut a Medicis comparetur cum epilepsia, atque sic morbus cum ipsa generatione conjunctus sit. Adde, quæ habet *fol. 41.*

(7) *Ad cap. III.* Ad Cap. III. v. 1. *fol. 41. b.* rationem, quod de Diabolo tam obscure tractet Moyses, eandem esse dicit, quam supra de mysterio Trinitatis reddiderat. Ad v. 4. *fol. 45. b.* de simplici fide, verbo Dei habenda, graviter docet, nec Anabaptistas solum, sed & Zuinglianos severe taxat, quod etiam aliis Commentarii hujus locis facit. Ad v. 12. & 13. *fol. 51. & 52.* gravitatem peccati exaggerat, quando culpa ejus in Deum rejicitur, & eatenus non humanum saltem, sed diabolicum esse ostendit. Immo *Diabolus*, inquit, *in æternum odit, accusat & damnat Deum, se autem justificat, nec possibile est, ut ex corde dicat, Domine, peccavi, ignosce mihi.* Et post alia: *Hic ultimus gradus peccati est, Deum afficere contumelia, & tribuere ei, quod sit autor peccati.* Vehementer inde *fol. 52.* reprehendit, quod in Papatu, excepto tempore, quo in ecclesia tractata fuit historia passionis, de fiducia in misericordiam Dei nihil auditum sit, sed homines, a promissione remissionis abducti, ad justitiam propriam ablegati fuerint, unde etiamnum in monasteriis plurimi attoniti & desperantes morerentur, reliqui divorum patrocinia idololatricis precibus implorarent. Ad v. 14. queritur, quod obscurissimum locum de maledictione serpentis, nemo, quod sciat, explicaverit, eaque occasione Episcoporum & Prælatorum ecclesiæ taxat negligentiam, non solum recentium, quos nominetenus saltem Episcopos esse existimat, sed veterum. *Augustini* allegoriam, quam *Lyranus* sequitur, rejicit, multoque magis, quod pro, *ipse conteret*, legatur *ipsa*, obscuritatem vero etiam hanc consilio Dei, clariorem lucem ad Christi adventum differentis, tribuit, *fol. 56.* unde etiam Satanæ sollicitudinem auctam esse dicit, ut omnes mulieres parientes suspectas habuerit. Quod autem per serpentem Diabolus intelligatur, demonstrat ad v. 19. *fol. 63. b.* Ad v. 17. *fol. 60.* vulgatum illud axioma; *crescentibus delictis crescunt pœnæ*, explicat, novaque mala orta esse notat, veluti in Germania morbum Gallicum, quem sub initium seculi, se puero, primum innotescere cœpisse refert, magno ab initio metu, sed qui ita evanuerit, ut nemo eum caveat. Exempla sane egregiorum & caste viventium virorum illius temporis in Actorum, quæ tractavi, pervolutione deprehendi, qui scabiem illam, non majori, quam alios morbos, verecundia, fatebantur. Cæterum hoc ipso loco Lutherus acerrime de impietate hominum queritur, & instantia Germaniæ mala prædicit, his inter alia verbis, *d. fol. 60. Sub initia Evangelii innotescentis apud nos, erat seculum satis tolerabile. Nunc, cum timor Dei fere nullus sit, & vitia quotidie crescant, accedentibus etiam Pseudoprophetis, quid aliud sperari potest, quam futurum, ut, postquam iniquitates nostræ completæ sunt, aut veniat consummatio omnium, aut alia occasione Germania det pœnas peccatorum? Ita in universum verum est, quod crescentibus peccatis etiam crescant pœnæ.* Plura vero eodem sensu reperiuntur ad VI. 13. *fol. 122. b.* & speciatim de periculo amittendi apud posteros verbi Dei, ad VII. 1. *fol. 128.* Ad v. 18. & 19. *fol. 61. & 62.* egregie commentatur de frugalitate veterum, & luxu sui seculi, qui tamen, cum nostro comparatus, sobrietatis forte loco haberi posset; item de labore omnibus incumbente, non quidem ex stulta *Carolostadii* opinione, ut omnes sint agricolæ, aut manu victum quærant, sed ut quilibet vel in œconomia, vel in politia, vel in ecclesia occupetur; & prioris quidem generis hominum sive agricolarum conditionem omnium optimam esse statuit: Licet enim duro labore exerceantur, singulari tamen voluptate laborem illorum conditum esse scribit; at in politia & ecclesia infinitas molestias objici iis ait, qui officium fideliter facere velint; hos uno die plus laborare & sudare dicit, quam agricolas toto mense. Allegat *Maximiliani* Imperatoris exemplum, & recte eum fecisse affirmat, quod aliquando se subduxerit, in sylvas veluti abdiderit, immo, mutata veste, privatorum cœtibus sese immiscuerit, ut liberioribus colloquiis sese reficeret. Ad v. 23. de allegoriis *Origenis*, item *Augustini*, & ineptiis *Lyrani* haud spernenda monet. Adde plura ex annotatis ad cap. IX. 17. *fol. 147. & seq.* Ad v. 24. *Dionysii* tradita de cœlestibus Hierarchiis pro nugis habet. Ad cap. IV. 1. *fol. 69. b.* contra impium cœlibatum pro dignitate matrimonii disputat. Ad v. 3. *fol. 72.* erudite explicat dictum Salomonis *Prov. VIII. 30.* quod enim dicitur *Sapientiam Dei lusisse coram Deo*, id ex fontibus Hebraicis interpretatur, quod habuerit respectum ad homines, atque his se revelaverit, quasi dicat, ego me semper in hominum oculos atque aures ingessi, ut me præsentem intelligerent, in sacrificiis,

(8) *Ad cap. IV.*

An. 1546.

An. 1546. ciis, in circumcisione, in incensionibus, *(holocaustis)* in nube, in mari rubro, in Manna, in æneo serpente, in tabernaculo Moysis, in templo Salomonis, in nebula, & fuerunt delitiæ meæ, ut sic me ostenderem & revelarem filiis hominum. Addit præclara de utilitate Sacramentorum. Ad v. 4. *fol. 73. b. 74.* graviter exprobrat Romanæ ecclesiæ genium Caini sanguinarium & crudelem. *Num ibi potius* (quærit) *ecclesiam esse judicatis, ubi nihil sani docetur, ubi injusta tyrannis exercetur, & cum opibus summa potentia conjuncta est; an vero, ubi doctrina est conscientiis utilis, ubi propter doctrinam hanc est crux, contemptus, paupertas, ignominia & cætera, quæ semper piorum pusillus grex sustinuisse legitur?* Et post alia: *Hæ sunt nostræ consolationes, & quasi saccharum illud, quo præsentes calamitates condiendæ sunt, & vincendæ; fiducia nempe de judicio Dei, qui, ut Caino Habelem prætulit, ita ecclesiam veram, patientem licet & esurientem, suscipiet, damnabit autem Cainiticam, hypocriticam & sanguinariam.* Ad v. 6. *fol. 76.* in ea est opinione, quæ *per Dominum* dicta hic esse referuntur, per Adamum, Dei nomine, dicta esse. Ad v. 7. *d. fol. 76. b. Augustinum* non quidem plane rudem Hebraicarum literarum fuisse notat, sed solidam tamen earum cognitionem habuisse non putat: Septuaginta quoque interpretes non satis fuisse instructos existimat pro magnitudine laboris; ideo lapsos esse & illum & hos in interpretatione; nec in omnibus esse sequendos. Laudat regulam, non ab *Aristotele* solum, sed & ab *Hilario* traditam, & a *Magistro sententiarum* relatam, *verba intelligi debere secundum subjectam materiam. Igitur* (ait) *in omni expositione primo subjectum considerari debet, hoc est, videndum est, qua de re agatur. Hoc postquam factum est, deinde verba, si ita fert Grammatica ratio, ad rem ducenda sunt, & non res ad verba. Hoc, quia Rabbini, & qui eos sequuntur, non faciunt (nam res amiserunt, & tantum in verbis hærent) sæpe in absurdissimas sententias incidunt: Quia enim non habent cogitationes dignas spiritualibus rebus, de quibus sacræ literæ tractant, a re aberrant, & verba trahunt ad vanas & carnales cogitationes.* His accenset sophistas sui temporis, taxat etiam *Gerundensem* & alios, quanquam ab illis se vinci fateatur cognitione Grammatices Hebrææ. Interim ad v. 11. *fol. 87. b.* Rabbinos legere se dicit & allegare, ne videatur eos superbe contemnere, sed legere cum autoritate veluti judiciali, ut ea rejiciat, quibus doctrinam christianam & verbum Dei obscurent. Cap. V. v. 22. *fol. 100.* observat, vitam Henochi, qui dicitur *ambulasse cum Deo*, non fuisse otiosam aut monasticam, quasi fugerit in desertum, aut latuerit in angulo, sed prodiisse eum censet secundum vocationem, & se opposuisse iniquitati & malitiæ Satanæ & mundi, ac confessum esse semen mulieris, damnasse religionem mundi & prædicasse per Christum aliam vitam post hanc. Hæc postea pluribus persequitur, & patriarchas doluisse existimat de improvisa Henochi amissione, antequam divina revelatione cognovissent, eum in cœlum esse raptum; inde Sethum, quem annis quinquaginta duobus post Henochi translationem

(9) *Ad cap. V.*

vixisse computat, tanto majori cum fiducia de spe vitæ æternæ pios docuisse conjicit. Cap. VI. ad v. 3. *fol. 109.* summam pœnam esse dicit, si Spiritus Dei ab hominibus auferatur, & cesset verbi divini vera cognitio & prædicatio. Hanc pœnam & sectarum multiplicationem Germaniæ prædicit. Ex Noachi etiam exemplo colligit, omnes pios Doctores esse *viros rixarum & judicii*, qui cogantur ex officio reprehendere, quicquid vitiosum est, & inde gravissima pericula sustinere. Addit de se ipso: *Si non singulariter confirmatus essem a Deo, jamdudum defatigatus & fractus essem ista pertinacia impœnitentis mundi: Ita enim contristant impii Spiritum sanctum in nobis, ut cum Jeremia optemus nonnunquam, nihil a nobis esse cœptum. Sæpe igitur Deum oro, ut generationem nostram sinat nobiscum mori, propterea, quod, nobis sublatis, periculosissima sequentur tempora.* Subjungit *d. l. fac. b.* postquam Heliæ exemplum *I. Reg. XVIII. 27.* allegasset: *Nos quoque hodie habemur pro conturbatoribus Germaniæ, sed bonum signum est, cum homines nos damnant, & vocant rixarum autores: Talis enim Spiritus Dei est, qui rixatur cum hominibus, eos arguit & damnat.* Ad v. 5. *fol. 185.* sententiam suam asserit, de libero arbitrio, sive quod homo sine Spiritu sancto & sine gratia nihil possit facere, quam peccare, & quod progrediatur in infinitum de peccato in peccatum. Dicit autem, etsi hæc ad ravim usque clamet ipse & alii, nihilominus, si futurum sit Concilium, errorem Papæ prævaliturum esse. *Fol. 116.* ad verba, quibus d. v. 5. dicitur, *Deum pœnituisse*, non rejicit quidem distinctionem de voluntate *signi & beneplaciti*, & quod illa sit mutabilis, v. g. cum circumcisioni substitutus est Baptismus; sed simplicissimum sensum verissimum esse putat, quod tunc pœnitere dicatur Deus, cum, licet ipse omnia sciat, & videat ab initio, postea tamen certo tempore revelet quædam piis, quæ & ipsi videant, & tunc demum intelligant. Ad v. 9. *fol. 119.* objectionem vulgatam, quod majores omnia rectius intellexerint & docuerint, etiam Noacho factam esse arbitratur, & agnoscit, *durum esse dicere, Patres errasse*, præsertim si de *Augustino, Ambrosio, Bernardo & tota optimorum virorum coborte, qui ecclesias verbo gubernarunt, & nomine illo augusto ecclesiæ ornati fuerint*, sermo sit. Ad v. 18. *fol. 124. b.* salutaria monet adversus curiosas speculationes de servatione paucorum, v. g. octo animarum ex toto mundo antediluviano, & hortatur ad timorem Dei, ne putemus, post semel acceptam gratiam nos non posse iterum ab ea excidere. Ad cap. VII. v. 1. *fol. 128. b.* fatetur dictum *I. Petr. III. 19.* de prædicatione Christi apud inferos esse obscurissimum, & quod pene fanaticum videri possit; & postquam sententiam, vel conjecturam potius suam aperuisset, notabiliter addit: *Honorificum nobis est, etiamsi quædam sacrarum literarum mysteria ignoremus. Habuerunt enim Apostoli suas singulares revelationes, de quibus multum disputare arrogans & stultum est.* Ad v. 16. & seqq. *fol. 133.* exemplo mundi prioris, a Deo rejecti, & Noachi cum paucissimis conservati, contra argumentum a multitudine, dignitate, potentia, præscriptione, in Papatu jactari soli-

An. 1546. (10) *Ad cap. VI.*

(11) *Ad cap. VII.*

An. 1546. solitum, acriter disputat, futurumque dicit, ut Deus, nullo ad ea respectu, abjecturus sit Ecclesiam Pontificiam, & delecturus sibi aliam, quæ humiliter se verbo submittat, & obviis ulnis excipiat beneficia Christi, quæ Papæ Ecclesia, fiducia proprii meriti, superbe contemnat. Ad cap. VIII. v. 21. *fol. 140.* egregie refellit opinionem *Scoti* de puris naturalibus, & quicquid ex illis, de viribus hominis in amando Deo, argumentantur Scholastici; graviter etiam judicat, Theologiam illam plane degenerasse in philosophiam; ostendit quoque defectum virtutum in ethnicis. Ibidem *fol. 140. b. & seq.* de vitiis, cum ætate hominis crescentibus, utilia monet. *In prima pueritia*, ait, *ratio & voluntas veluti dormit, ita ut bestialibus fere motibus rapiamur, qui prætereunt, sicut somnus.* Pergit *fol. 140. b. Vix dum evasimus quintum annum, cum quærimus otium, lusus, lasciviam, cupiditates; disciplinam autem fugimus, obedientiam conamur excutere, & odimus virtutes omnes, præcipue autem illas superiores, veritatem & justitiam. Evigilat enim tum quasi ex alto somno ratio, & videt quasdam voluptates, sed nondum veras, & mala quædam, sed nondum summa, quibus capitur. Ubi autem jam quasi adolevit ratio, ibi, post confirmata aliquo modo cætera vitia, accedit etiam libido & fœdus carnis furor, helluationes, ludi, rixæ, pulsationes, cædes, furta, & quid non? Sicut igitur apud parentes virga opus erat, ita nunc Magistratus carcere & vinculis indiget, ad coercendam malam naturam. Provectioris autem ætatis vitia, quis non videt? Ibi enim uno agmine ingruunt, avaritia, ambitio, superbia, perfidia, invidia &c. Sunt autem hæc vitia tanto nocentiora, quanto ea ætas callidior est ad tegenda & ornanda ea. Igitur hic gladius Magistratus non satis est, ignis gehennæ requiritur, quo tot & tanta flagitia puniantur.* Ad cap. IX. v. 20. *fol. 152. b.* vehementer objurgat adversarios, quos nihil aliud agere dicit, quam ut mores suos, (Lutheri) & aliorum, Evangelicam doctrinam profitentium, observent & scrutentur, quo calumniandi habeant occasionem. Fatetur sane, nec se nec alios carere infirmitatibus: Consolationes autem quærit a misericordia Dei, & exemplis Sanctorum, quorum lapsibus Deus ignovit; scribit itaque: *Laudandus & benedictus in secula Deus, qui vere mirificat sanctos suos, dum enim hos patitur esse infirmos & labi, dum sinit esse plenos displicentiis & offensionibus, eosque mundus judicat & damnat, ignoscit eis has infirmitates, & miseretur eorum; contra illos, qui sibi Angeli videntur, relinquit Satanæ, & penitus abjicit. Ad. v. 27. fol. 155. b.* videnda sunt, quæ de significatione vocis *Japhet*, & vocatione gentium commentatur. Item *ad cap. X. 9. fol. 160. b.* de *Nimrodo*, quem exemplum tyrannorum fuisse dicit. *Cap. XI. 4. fol. 167.* Canonem a se observatum tradit; de *actionibus hominum judicandum esse ex spiritu & affectu, ex quo agant*, idque se inprimis fecisse, neque aliter factarum esse testatur in judicio de actionibus Pontificum, quorum dogmata ad fallendum & occidendum comparata esse deprehenderit. Interitum Papatui *fol. 168. b.* prædicit, sed de tempore nihil determinat. Sub finem Commentarii *ad cap. XI. fol. 172.* quo partem *primam* claudit, veniam rogat a lectoribus, si non ubique assecutus sit spiritum tantorum virorum, qui primum mundum, ut scribit, gubernarunt, & religionis doctrinam cum vero cultu ad Abrahamum usque transmiserunt; *nos*, addit, *in mundi senectam & fere delirium incidimus.*

(12) *Ad cap. VIII.*

(13) *Ad cap. IX.*

(14) *Ad cap. X. XI.*

Parte *secunda* ad cap. XII. 4. *fol. 11.* veræ obedientiæ, quæ Deo præstatur, naturam describit, quod stricte inhæreat & obsequatur verbo Dei. Ad v. 10. *fol. 16. b.* causas, cur majores calamitates, orta doctrina Evangelica, extent, quam sub Papatu; ab ingratitudine hominum accersit, & quod Deus suos tentet & exerceat. Ad v. 11. *fol. 17.* distinctionem mendacii in jocosum, officiosum & perniciosum, propter Patrum, *Augustini* inprimis, reverentiam retinet, licet non satis sit propria seu accurata. Adde, quæ notat *fol. 149.* item *Part. III. fol. 36.* Verum hic *fol. 18.* de facto Abrahæ, Saram sororem suam esse fingentis, ab aliorum sententia discedit, nec lapsum in hoc Abrahamum esse putat, sed a diffidentiæ culpa eum excusat, & consilium istud arripuisse censet, ne Deum tentaret, licet promissioni ejus firmiter crederet, & speraret, Deum nihilominus Saram custoditurum esse, ne quid pateretur se indignum. *Fol. 19.* haud vulgaria docet, quatenus suspiciones habere & fovere liceat nec ne, ut & *fol. 23. b.* Ad v. 17. disquirit de ignorantia, an & quomodo excuset, ubi tamen dogma *Summæ*, quam vocant, *Angelicæ* de ignorantia invincibili examinat, & deprehendisse se dicit, cum olim in confessionibus, ad consilia confitentibus danda, ea uteretur, cum magno scandalo modum judiciorum forensium invectum esse in Theologiam, qui tamen ad res sacras & ad negotia conscientiæ transferendus minime fuerit. Ad cap. XIII. v. 1. (*folium* errore typographi numero caret, sequitur tamen post 26. qui & ipse per errorem bis ponitur; alius in sequentium foliorum numeris committitur) monasticorum ordinum autores errasse demonstrat, quod remedia vitiorum in rerum potius, quam in mentis (cujus corruptionem, scholasticæ, sive potius ethnicæ Theologiæ opinione præventi, non satis cognoverint) mutatione quæsiverint. *Ideo enim a proprietate rerum sive opum usu recessisse eos*, dicit, *fœminarum consortia evitasse, & vitia, quæ in homine sunt, cæca & fœda ignorantia ad creaturas, per se bonas, transtulisse. Franciscum quidem non putat malum fuisse; res ipsa tamen*, ait, *arguit, simplicem, seu potius stultum, fuisse.* Addit quædam de *Johanne XXIII.* Papa, qui monachos mendicantes condemnaverit, non ea, qua Evangelici eos reprehendunt, ratione, sed quod verebatur, ne possessione opum ipse & Clerus privaretur, quia hanc monachi illicitam esse dicebant: Vide etiam, quæ de vita solitaria, & de vero ac pio opum usu *fol. 26.* commentatur. Rejicit quoque *fol. 31.* ad v. 8. nimium rigorem monachorum, & exemplum *Carthusianorum*, a se

An. 1546.

(15) *Ad cap. XII.*

(16) *Ad cap. XIII.*

An. 1546. a se juvene Erfordiæ observatum, proponit, qui firma adhuc ætate per vigilias ita debilitati fuerint, ut & pallerent immodice, & gressus baculo regerent: charitatem autem dominam & magistrum legis esse probe ostendit. Ad v. 14. *fol. 135.* gloriam Abrahami cum ea, qua Christiani in Novo Testamento fruuntur, comparans, huic prærogativam asserit, & *illum parvas guttulas habuisse, nos vastum mare possidere* dicit. Dein vehementer reprehendit suæ ætatis homines, quod beneficium hoc lucis Evangelicæ non satis agnoscerent, & iis tristiora tempora post se secutura prædicit; *hanc enim esse usitatam fortunam Ecclesiæ*, ait, *ut quanto copiosius revele-tur verbum, tanto major hominum sit ingratitudo, abuti enim eo ad suam gloriam & ad tegenda peccata.* Pergit: *Ideo mittit Deus efficaces errores, sicut Papa exemplum docet, qui loco verbi decreta, decretales suos, legendas sanctorum & alias nugas Ecclesiæ obtrusit: vult enim mundus decipi.* Ad cap. XIV. 8. *fol. 40. b.* ubi pœnas, impietatis causa a Deo per bella & clades inflictas, considerat, his verbis comminationem repetit: *Accidet idem Germaniæ, me mortuo, siquidem adhuc vivens multa indigna videre & audire cogor, quæ sine gravibus pœnis non abibunt.* Ad v. 18. *fol. 45. & seq.* refutat solidissime, quæ ex historia Melchisedeci, panem & vinum proferentis, ad stabiliendum sacrificium Missæ, afferri solent. Ad cap. XV. 1. præclara sunt, quæ de visionibus divinis disserit, *fol. 52. b. & seq.* ubi inter alia notat, per divina somnia impressionem fieri in corda hominum, ut non solum intellectus, sed & voluntas præter solitum commoveatur. Adde *Part. III. fol. 88.* Ad v. 6. *credidit Abraham Deo. fol. 55. b.* scribit: *Hunc locum nemo melius, copiosius, lucidius, potentius tractavit, quam S. Paulus cap. III. ad Rom.* Sed profecto digna sunt lectu, quæ Lutherus ad ea commentatur, & Rabbinis opponit; de sensu tamen vocabuli חשב non multum se pugnare dicit *fol. 56.* sive *reputare*, sive *cogitare* significet: *Cum enim*, ait, *divina majestas de me cogitat, me esse justum, mihi esse remissa peccata, me liberum esse a morte æterna, & ego cum gratiarum actione in fide hanc cogitationem Dei de me apprehendo, vere sum justus, non meis operibus, sed fide, qua apprehendo cogitationem divinam.* Addit *fol. 57. b. Fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem & alia multiplicia dona.* Item: *Fides chorum pulcherrimarum virtutum secum ducit, neque unquam sola est. Sed non ideo confundit res, nec quod solius fidei est, aliis tribuendum est. Fides ceu mater est, ex qua soboles illa virtutum nascitur. Hæc nisi prima adsit, frustra quæres illas. Hæc nisi amplexa fuerit promissiones de Christo, non charitas, non aliæ virtutes aderunt, etsi earum quasi simulacra hypocritæ fingant ad tempus.* Ad v. 7. *fol. 58.* ex quatuor Scripturæ sensibus, *historico* seu literali, *tropologico*, *anagogico*, *allegorico*, unum tantum, priorem nempe, sive literalem, verum & certum esse statuit, *a quo, si discedatur, a Scriptura*, ait, *ipsa te discessisse scias, atque adeo incertam & dubiam sententiam sequi.* Ad cap. XVI. 1. *fol. 64. b.* veræ beneficentiæ naturam describit, quod ingratitudine ejus, cui benefit, irritari se non sinat. Ad v. 12. *fol. 70. b.* Grammaticum studium commendat, sed ita, ut res simul discantur, *alias*, ait, *nunquam fies bonus Doctor: oratio enim, ut ille dicebat, in pectore, non in ore, nasci debet.* Item ad v. 13. *fol. 72. Curate, ut primo res bene notas habeatis, postea facile erit Grammaticam discere; in ea qui peccat, peccat venialiter, sed in rebus peccare, est peccatum mortale.* Ad cap. XVII. 1. *fol. 74.* junctis, quæ ad v. 17. *fol. 80. b.* & ad v. 20. *fol. 91. 92.* solida & notabilia sunt, quæ de circumcisione docet. Ad verba: *Esto perfectus*; in Hebraico textu pluraliter enunciari dicit. *Sis perfecti*, quia scilicet pietas non solum in una, sed in omnibus virtutibus consistat, nec solius patrisfamilias, sed & familiæ ejus probitas requiratur; id quod Paulus exigit ab Episcopo irreprehensibili, id est, perfecto *I. Tim. III. 2. & seqq.* Ad v. 3. *fol. 81.* salutem infantibus Judæorum tribuit, qui intra octavum diem ante circumcisionem decesserant, & ex paritate rationis etiam Christianorum. Adde v. 10. *fol. 29.* ubi refellit *Magistrum sententiarum*, infantes non baptizatos damnantem. Ad eundem versum; *fol. 82. 83.* de Sacramentis & signis egregie disserit, & fallaciam signorum tutissime vitari posse dicit, si alia non recipiantur, quam quæ Deus posuit, v. g. in Novo Testamento *filium Dei natum, passum, mortuum, & visibiles formas, Baptismum & Eucharistiam*; rejicit autem signa in Pontificia Ecclesia jactata. Porro v. 7. ad verba: *ut sim Deus tuus fol. 85. b.* notat, nomen Dei esse relativum, & includere metum Dei: Adde *fol. 87.* ubi neglectum verbi divini Papæ exprobrat, eumque Anti-Christum esse demonstrat. Ad v. 15. *fol. 103.* utilia monet adversus quæstiones curiosas, eas inprimis, quas monachi agitare solent, & immensum disputationum mare in Papatu esse observat. Scribit *fol. 92. b. Si doctrinam papisticam omnem uno verbo complecti velis, recte dicas, eam nihil esse, nisi unum quare.* Ad cap. XVIII. v. 2. & seqq. *fol. 106.* cum Papistas cum Sodomitis comparasset, quia secundum *Ezech. XVI. 49. otium & saturitatem habeant*, insaniant etiam contra miseras Ecclesias & inprimis contra ministros verbi, sanguinem fundant, in bona involent, proscribant, in exilium agant, hospitalia fundent, sed suæ gloriæ causa; laudat quidem *Electorem Saxoniæ*, sub quo miseri tutum habeant refugium, sed timet, ne venturi sint, qui ignorent Joseph, & populi culpat avaritiam & tenacitatem erga ministerium Ecclesiæ. Philadelphiam inde egregie commendat, *fol. 108. b.* inter alia argumento *Hebr. XIII. 2.* his verbis: *O miseros & excæcatos nos, quibus hæc prædicantur sine fructu. Paucissimi enim sunt, qui credunt hæc vera esse. Quod si quis serio crederet, se suscipere Dominum ipsum, cum pauperem fratrem suscipit, non necesse esset tam anxiis, studiosis & solicitis adhortationibus ad charitatis opera. Paterent statim loculi, culina, cella, in usum fratrum, sine omni invidia, nosque cum pio Abraha ultro occurreremus miseris. Invitaremus ad nos, præriperemus aliis hanc gloriam*

(17) Ad cap. XIV.

(18) Ad cap. XV.

(19) Ad Cap. XVI.

(20) Ad cap. XVII.

(21) Ad cap. XVIII.

An. 1546. *riam & dignitatem, ac diceremus: O Domine Jesu, veni tu ad me, utere tu meo pane, vino, argento, auro. Quam recte a me collocatum est, cum in te collocio. Sed quia hoc non facimus, certum est, non credi hæc a nobis. Igitur surdis narratur fabula, cum hæc Patriarcharum exempla commemoramus. Sed profecto & in opprobrium nostrum hæc exempla scripta sunt, & habebit suam pœnam tam obstinata incredulitas.* De articulo Trinitatis, qui ex historia apparitionis, Abrahamo hoc capite XVIII. factæ, probari solet, *fol. 109.* notat; Sanctos Patres, v. g. *Cyprianum* atque *Hilarium*, bono animo ita argumentatos esse, eosque sequi nos posse, si agamus cum piis & Christianis; sed si cum hostibus Ecclesiæ, judæis puta, disputandum sit, tunc solida & firma argumenta proferenda esse; occulto tamen sensu mysterium Trinitatis ex historia hac Abrahami, qui tres *vidit & unum adoravit*, elici posse dicit *fol. 110.* quanquam ad v. 22. *fol. 121. b.* agnoscat, *Angelos tres, forma humana indutos, apparuisse, non vero Trinitatem substantialiter.* Adde *fol. 140.* ad v. 24. *pluit Dominus a Domino.* Ad v. 19. *fol. 118. b. & seq.* Antinomos refutat, & postea *fol. 124. b.* expresse nominat *Grickel* & *Jeckel*, *Agricolam* nempe *Islebium* & *Jacobum Schenckium* intelligens. Ad cap. XIX. 5. *fol. 127. b.* contra fornicationem, quæ in Papatu, Romæ præsertim, & apud Canonicos, atque etiam tunc inter Nobiles, multisque locis, non pro peccato sed pro ludo habeatur, graviter disputat, ut & *fol. 129.* contra lupanaria. Ad v. 8. *fol. 129.* verba Lothi, filias suas offerentis, pro hyperbole habet, & eatenus eum excusat. Ad v. 13. *fol. 132. Leonis X.* Papæ dictum refert, qui, audita disputatione, in qua unus immortalitatem animæ defendebat, alter oppugnabat, dixerit; *tu quidem vera videris dicere, sed adversarii tui oratio facit bonum vultum*, id est, lætiorem mentem, (Ital. *buona cera*) ex Epicuri scilicet sententia. Ad. v. 23. *fol. 134. b.* Germaniæ imminentia bella aliasque calamitates denuo prædicit. Postea *fol. 140.* speciatim Papatui subversionem denunciat, sive per adventum Christi, sive alio insigni modo. Ad v. 26. *fol. 141.* ad quæstionem, quomodo salvati sint homines in Papatu, (quanquam notum sit, quid alibi responderit) monet, ut ad præsentem vocationem quilibet respiciat. *Hodie*, ait, *valde nos urgent Papistæ exemplo prioris seculi, quo omnia jacuerunt in tenebris. Vestra doctrina, inquiunt, nova est, & ignota majoribus nostris; si igitur vera est, omnes majores nostri damnati sunt. Hi etiam respiciunt, (ut Lothi uxor) & verbum præsens sic negligunt. Quid enim ad nos, quale judicium Dei sit super illos, qui jam olim ex hac vita emigrarunt? nobis hodie prædicatur verbum Dei, id sine disputatione debemus audire & amplecti, non debemus fieri Quaristæ, qui Deum interrogant; Quare hoc tempore patefecerit sanam doctrinam, & non superioribus temporibus?* Ibidem existimat aut sperat, Lothi uxorem non fuisse damnatam, sed temporali saltem morte multatam. Cum ad v. 29. *fol. 143.* notasset, a Patribus & interpretibus antiquis præteritam fere fuisse historiam concubitus Lothi cum filiabus, curante forte Deo, ne Ecclesia multitudine librorum obrueretur; de *suis* quoque *libris*, ut alias sæpe fecerat, profitetur, *se eos odisse, & optare, ut intereant, ne homines a lectione Scripturæ avocent, quæ sola*, ait, *omnis sapientiæ fons est; ac terreor exemplo superioris ætatis. Postquam enim in hominum commentarios inciderunt, qui sacris studiis dediti erant, non solum plurimum temporis in lectione veterum Theologorum consumserunt, sed etiam tandem occupati sunt in Aristotele, Averroë & aliis, ex quibus postea nati sunt Thomæ, Scoti & similia portenta. Debet igitur modus librorum esse, inter quos hi soli probandi sunt, qui lectorem deducunt ad Scripturam recte intelligendam. Et in ipsis patribus nihil debemus amplecti, quod cum sacra Scriptura non conveniat: Ea sola maneat judex & magistra omnium librorum. Expedit sane, audire confitentes, sive mortui sint, in scriptis, sive vivant, & viva voce doceant, modus tamen esse debet.* Testimonium hoc est modestiæ Lutheri. Interim, cum scripta ejus, divina providentia, huc usque conservata sint, incitari potius hac ejus professione debemus, ut ea, (debito tamen cum delectu, & salva prærogativa sacræ Scripturæ, ad quam omnia examinanda sunt) lubenter legamus. Ad v. 31. *fol. 144.* multus est in historia de lapsu Lothi, id autem inprimis agit, tum ut Moysis narrationem a calumniis defendat; *Non enim possum ferre*, scribit, *quod canes illi* (Rabbinos intelligit) *dicunt, Moysen scribere impossibilia*, tum ut factum Lothi ex perturbatione animi & ebrietate, filiarum vero ex prolis cupidine ortum excusatione potius, qua scandalum minuatur, dignum esse ostendat, quam exaggeratione. Adde *fol. 151.* ubi locum de lapsibus sanctorum generalius tractat.

(22) *Ad cap. XIX.*

(23) *Ad cap. XX.* Ad cap. XX. v. 3. Jurisconsultos reprehendit, quod nondum desinant stultos & impios Canones Pontificum sequi. Querela illa sæpe usum esse Lutherum alibi diximus; sed illa in progressu reformationis, & impetrata per pacem publicam religionis majori libertate, apud nos cessavit, neque enim hodie ad decreta illa respicitur, nisi quatenus cum fundamentis juris divini & humani conveniunt, & usu sunt recepta. Ad v. 13. *fol. 157. b.* censuram stringit in *Hieronymi* iracundiam, & quod in invectivas vel ob unam oculam proruperit; Ipse autem suadet fidem, charitatem & humilitatem, quæ in sanctis Veteris Testamenti conspicitur; unde patet, si quid Lutherus per excandescentiam peccavit, id pro infirmitate & lapsu eum agnovisse. *Fol. seq.* laudat Electores Saxonicos, quod Ecclesiarum curam ad se pertinere existimaverint, scholas instituerint, & Ecclesias misere neglectas idoneis ministris adjuverint, dum alii persequerentur verbum, & sua tyrannide turbarent Ecclesias. Ad v. 17. *fol. 159.* ex vita *S. Ulrici*, sive historiam sive fabulam refert, de pretio orationis, quod Pontifex illius temporis dixerit, *majus esse* (unius scilicet orationis Dominicæ) *quam pro quo omnibus opibus suis satisfacere possit mundus.*

(24) *Ad cap. XXI.* Ad cap. XXI. v. 8. relata quadam allegoria *Augustini* parum commoda, scribit: *Hanc sententiam non recito, ut sugillem sanctum virum, qui solus locum hunc attigit, sed, quia bonum & necessarium est, sanctos hosce patres inveniri aliquando nobis similes, hoc est, homines esse, ut scilicet stet gloria Dei nostri firma,*

An. 1546. *ma, qui est fortis in infirmitate, & sapiens in stultitia & erroribus nostris. Hoc Papistæ non norunt, qui ex singulis dictis & verbis sanctorum Patrum faciunt articulos fidei, quibus non liceat refragari, etiam in minimo. Sed Deus in sanctis suis mirabilis est, & ita mirabilis, ut per ipsorum lapsus & errores nobis ostendat suam sapientiam. Ideo uni & soli verbo Dei credendum est, non canonibus, non sanctorum patrum dictis, nisi quatenus cum verbo consentiunt, sicut Augustinus ipse de se & libris suis dicit. Nemo enim habet potestatem onerandi Ecclesiam novis articulis.* Ad eundem v. 8. convivia ad exhilarandum animum licita esse dicit, & a sanctis celebrata, idque notari vult contra tristes hypocritas, qui prodigiosis jejuniis tantum non occidunt corpora; mediam viam tutissimam esse monet, *non in cubilibus & desideriis*, & ne fiat quod scriptum est; *sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Talia sunt* (inquit) *convivia Germanica, nimis liberalia, sed piι conviνantur ad exhilarandum cor & agendas gratias Deo, sicut Moyses inquit; epulabimini coram Deo vestro.* Ad v. 12. *fol. 168. b.* contra jactantiam de carnali felicitate, speciatim Turcarum, disputat, Deum enim etiam in indignos regna mundi transferre, & *Turcicum imperium, quantum quantum est,* (ait) *nihil est, nisi panis mica, quam paterfamilias projicit canibus. Hoc Turcæ nesciunt, Christiani autem norunt, & universum mundum cum omnibus suis opibus pro nihilo ducunt, expectant enim aliam vitam & meliorem, in qua una stella pulchrior & lætior erit hoc toto mundo.* Ibid. *fol. 169.* de vera & falsa Ecclesia differit, & pro hac habet Papalem. Ad v. 22. *fol. 183.* inter causas corruptæ Ecclesiæ has quoque tradit; *Papatus crevit, cum duæ illæ causæ concurrerent, prima quod ii, qui tenebant ministeria Ecclesiarum, natura erant ambitiosi, & implicabant se secularibus negotiis tractandis. Secunda, quod nobilitas & magistratus erat ignavus, & fugiebat labores, indulgebat voluptatibus, & curam gubernationis relinquebat ministris Ecclesiarum. Hæc adhuc hodie sacrificulorum potentiam augebunt. Dum enim Principes venantur, comessantur, ludunt, saltant, nec volunt componere causas, tandem parochis disciplina custodia retinenda est. Sed hi, varietate negotiorum secularium obruti, abjiciunt necessario Biblia, & studium sacrarum rerum. Non enim possunt simul Reipublicæ & Ecclesiæ servire.* Ad v. 27. *fol. 186. b.* commendat vitam civilem, & monasticam culpat his verbis: *Non igitur prætextu religionis officia politica recusanda sunt, aut fugienda, sicut monachi faciunt, qui ideo se abdunt in monasteria, ne cuiquam serviant: Cæcum hominum genus, & traditum in reprobum sensum, ideo neque primam neque secundam tabulam curat. Ferunt autem præmium dignum sua impietate, dum vitant œconomicas & politicas molestias, immerguntur in deterrima & fœdissima vitia, plusquam ulli, ut vocant, seculares.* Ad cap. XXII. v. 15. *fol. 203.* dogma de dubitatione, quod impium & blasphemum vocat, accurate refutat, & *fol. 204.* veræ fidei & fiduciæ naturam egregie explicat; eam ignorare dicit adversarios, scribit enim *d. l. fac. b. Quantum papyrus ista intelligit de hisce quinque literis,* (Fides) *tantum ipsi intelligunt; Papyrus legentium oculis objicit quinque literas; sic illi amplius nihil de fide norunt, existimant esse otiosam cogitationem, aut notitiam tantum, qualis in dæmonibus est.* Ad v. 16. *fol. 206.* iterum hortatur juvenes, ut proprietatem Hebraicæ linguæ discant, sed a Rabbinorum nugis sibi caveant. Ad eundem versum *fol. 208.* præclare explicat & demonstrat, quod semen Abrahæ benedictum debeat esse Deus & homo, & sine peccato nasci ex virgine. Deinde, quomodo justificatio, ex sola fide in semen illud, obtineatur, & quod opera minime concurrant, adversus Pontificum dogma solide evincit. *fol. 209.* Dubitationem omnino tollit, & Papistas sibi ipsi contradicere monet, dum justitiam in operibus quærunt, & tamen illis non fidunt. Ad v. 19. *fol. 214. b. & seq.* repetit contra vitam monasticam monitum, quod necessarium esse putat, ut juvenes vitent cultus electitios, & maneant in Ecclesia; taxat etiam dictum *Hieronymi*, quod infra referetur *§. CXL. n. 8.* Ad cap. XXIII. 4. *fol. 220. b. & seq.* de Simoniæ crimine docte & solide commentatur, multosque abusus & errores juris Canonici notat. Spiritualia autem vere esse negat, reditus, census, ædes, oppida, regiones & alia, quæ Clerus possidet. Inde etiam negat, Papam vere Simoniacum esse, dum ista & dignitates Ecclesiasticas vendat, vere enim spiritualia non vendere, quia ipse non habeat, *Verres*, ait, *esse potest aut Dionysius, raptor & latro, inexplebili & insatiabili ingluvie & cupiditate hauriendi & absorbendi bona corporalia. At verum Simoniæ crimen est, cum dona Spiritus sancti venduntur, v. g. si minister aut Pastor Ecclesiæ non vellet absolutionem tibi dare, aut Evangelium prædicare, nisi acceptis centum aureis. Hoc autem modo Simoniam committi* dicit *a Pontifice, quia pro pretio offert omnibus gratiam & remissionem peccatorum a Deo.* A Simoniæ etiam labe eximit, quæ ministris Ecclesiæ dantur in vicem alimentorum. Eadem fere repetit *Part. III. fol. 22.* Ad v. 6. *fol. 223.* vehementer queritur de barbarie hominum, inter quos vivebat, miratumque se sæpe esse dicit, cur hominibus tam incultis & feris Deus Evangelium ante alios patefecerit; speciatim in superbiam gentis invehitur, timetque, ne *id vitium Doctores Ecclesiasticos aliquando invadat, ut propter dona singularia sibi omnia arrogent, & inepto & rustico quodam fastu reliquos præ se contemnant, quos humaniter complecti & amare deberent. Ea,* ait, *magna pestis est Ecclesiæ!* Paulo post ad v. 7. *fol. 124. b.* observat, exemplisque sacris & profanis probari arbitratur, vix ultra viginti annos a populo vel regione quadam retineri traditam disciplinam, aut excoli virtutem & honestatem, sed in deteriora plerosque relabi. De Germania sui temporis idem acerbe queritur, & cum Moyse *Deut. XXXII. 6.* exclamat, *Haccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* Ad cap. XXIV. v. 1. *fol. 226. & sqq.* de conjugio multa & notabilia docet, & constitutiones juris civilis præfert Canonicis; inprimis & severe oppugnat clandestina sponsalia. Adde, quæ habet ad v. 35. & sqq. *fol. 232. b.* & *fol. 247.* Summam conjugii dignitatem *fol. 230.* a nemine satis laudatam esse dicit, præterquam a sacra Scriptura. *Fol. 231.* occasio-

(25) *Ad Cap. XXII.*

(26) *Ad cap. XXIII.*

(27) *Ad cap. XXIV.*

casionem idololatriæ ex bonis ritibus ortam esse ostendit, v. g. cum Abraham suos docuisset, exorto sole genua flectere & Deum laudare, morem illum a posteris retentum esse, sed oblitis Dei, & cultum ad solem referentibus. Applicat illa ad abusum sacræ Cœnæ, ex qua sacerdotes fecerint sacrificium, & in libro *de secretis sacerdotum* vetuerint, ne quis Canonem Missæ legat præter sacerdotes, & quod pro piaculo habitum fuerit, si quis verba Cœnæ clara voce pronuntiasset.

(28) *Ad cap. XXV.* Ad cap. XXV. v. 1. *fol. 250. b. & sqq.* occasione conjugii *Abrahami* cum *Cetura*, multa lectu digna notat, tam historica quam dogmatica, defenditque secundas nuptias. Ad v. 7. *fol. 253.* primum hunc locum Scripturæ esse observat, in quo doceatur, sanctorum mortem esse placidam, qualem postea descripsit *Esaias c. LVII. 1. 2. & XXVI. 20.* & suæ mortis (quam supra descripsimus) ideam quandam ipse præfiguravit, scribens: ***Justi coram mundo contemti sunt, spreti & abjecti, & mors eorum tristissima videtur, sed dormiunt suavissimum somnum. Quando decumbunt in lecto & agunt animam, moriuntur non aliter, ac si somnus paulatim membris ac sensibus illaberetur. Prius enim variis tentationibus humiliati, ac placidi & tranquilli facti sunt, ut dicant: Domine Deus, libens moriar, si sic tibi visum fuerit; non exhorrescunt mortem, sicut impii, qui trepidant & anguntur horribiliter. Hæc ad nos excitandos faciunt, ut discamus Deo evocanti nos ex his miseriis parere, & possimus dicere: non optarim unam horam vitæ meæ addi, Domine Jesu Christe, veni, quando vis; si ut moritur Abraham, satur dierum,*** **da er wohl zu frieden war.** Paulo post *fol. 254.* diserte de se prænunciat, quod & eventu probatum est; *sic nos moriemur in pace, antequam veniat malum & calamitas super Germaniam.* Ibi etiam, sicut & *fol. seq.* purgatorii & limbi patrum figmentum rejicit.

§. CXL.

(1) ***Excerpta ex Commentario ad Part. III. Gen. & speciatim cap. XXV. v. 11. & seqq.*** Parte *tertia* operis in Genesin (quod tamen Lutherus aliter distribuerat, vid. *fol. 1.*) præstantiam historiæ hujus sacræ commendat; quanquam eam sperni dicat ab hominibus profanis, qui Patriarchas illos, Isaacum puta aut Jacobum, vagatos esse legant sine certis sedibus, homines privatos, occupatos actionibus domesticis & servilibus; ***Sed non perspiciunt,*** ait, ***vera ornamenta harum historiarum. Non vident illud insigne donum verbi Dei, non fidem, non invocationem, non tolerantiam in adversis, quibus vicerunt Sancti mundum & Satanæ insidias: quæ certamina & victoriæ omnes res gestas & triumphos omnium heroum longe superant.*** Monet inde omnes, qui non frustra in hac lectione versari velint, ut ***statuant, Scripturam non esse humanam sapientiam, sed divinam. Eorum qui sic sentiunt animum accendi*** ait ***mirabili amore & desiderio rerum, quas continet. Talis enim*** (scribit) ***fons est, qui, quo magis hauritur & bibitur, hoc magis sititur.*** Incipit autem hanc commentarii partem a **v. 11. cap. XXV.** Notat inter alia *fol. 2. b.* differentiam œconomiæ divinæ ab institutis Diaboli; hæc dicit celeriter & præcipitanter procedere, at divinarum promissionum implementum diu quandoque differri. Adde *fol. 6. b.* ubi dicit, Deum appellari posse ***expectatum***, nos ***expectantes.*** Ad v. 20. ubi Isaacum quadragesimo ætatis anno uxorem duxisse traditur, *fol. 5.* difficile esse animadvertit, primum carnis fervorem restinguere, quo si vinci se a Satana patiantur illa ætate juvenes, postea contrario anhelitu infrigidari ab eodem eos asserit ad extremum odium mulierum; monet igitur, ut in prima illa pugna vincere discant; id quod speciem quandam martyrii esse, ex sententia quorundam Doctorum non negat; ***hic,*** ait, ***vere martyr est, qui crucifigitur quotidie passionibus carnis suæ.*** Ad v. 21. *fol. 7.* de continuatione orationis, ejusque summa difficultate præclare docet, & ut trepidatio, quam majestatis divinæ contemplatio producit, fide sit vincenda & superanda. Ad v. 21. juncto loco Pauli Rom. IX. 10. *fol. 8. & seqq.* carnalem nativitatem nullius valoris esse ostendit, quanquam ea saltem niti videantur Turci & Papistæ, operi operato confisi; sed omnia dependere ex secunda nativitate per verbum Dei, ex qua sola censenda sit vera ecclesia, licet magno cum scandalo afflictionibus hujus insultent Turcæ, vid. *fol. 11. b. & seqq.* Ad v. 23. ***fol. 14.*** oraculum Rebeccæ redditum esse existimat per Semum, quem tunc adhuc vixisse, ex temporum computo alibi demonstravit. Ad v. 25. ***fol. 16. b.*** alludit ad descriptionem Esavi, quod hirsutus & rufus fuerit, & duas has notas falsæ ecclesiæ observat, *mendacium & homicidium.* Paulo post *fol. 17.* de interpretationibus *Augustini & Ambrosii* loquens, illum huic præfert, in genere tamen eum interpretem probandum esse dicit, qui ad lucem verbi divini propius accesserit. Ad v. 27. ***fol. 18. a. & b.*** vitia divitum, & peccata, a Principibus in studio venandi committi solita, taxat. Laudat *Fridericum* Saxoniæ Electorem, quem ita venatum esse dicit, ut nemini obesset, & damna, colonis data, sæpe duplo rependeret. Ad v. 28. ***fol. 20. b.*** de instinctu monet, quod non temere sit probandus, nisi verbo Dei nitatur, aut postea ex eventu probetur, & de se dicit; ***se quidem ab initio sine verbo*** (sive revelatione singulari) ***ex instinctu aggressum esse Papatum, sine cogitatione & consilio, sed jam constare, quod divinus fuerit instinctus.*** Lutherus nempe, cum publicatis anno 1517. thesibus indulgentias improbaret, Papatum ipsum, sive munus pontificium adeo non impugnabat, ut potius magno cum zelo, & vel cum vitæ suæ discrimine (ut postea non semel professus est) tueri id cuperet. Sensit tamen postmodum instinctum quendam contra Pontificum dominatum, & suspicari cœpit, illum jure divino non niti, immo eo, quo exercebatur, modo, Antichristianum esse. Neque tamen statim perceperat, quæ ex verbo Dei illi opponenda essent, sed diligentiori meditatione & adversariorum futilibus argumentis, majori luce respersus, primum illum instinctum revera divinum fuisse deprehendit, & ex verbo accuratius considerato in eo confirmatus fuit. Ad v. 31. ***fol. 22.*** iterum, ut supra innui, tractat de Simonia, & inter alia ***fol. 24.*** existimat, non esse Simoniam, immo licitum & utile esse putat, si v. g. Papæ, itemque Cæsari, veluti lens rufa, offerantur a Principibus quotannis aliquot florenorum millia, ut liberam per-

 permittant prædicationem Evangelii, neque enim res sacras hoc modo emi, (quas jam habeant) sed pacem temporalem. Ibid. *fol. 25.* notas hypocriseos has tradit, *primo* gloriationem de Deo, sive vera ecclesia; *secundo* neglectum rerum, quæ ecclesiæ sunt substantiales, & usurpationem externi cultus; *tertio* appetitum voluptatum, gloriæ & opum. Ad cap. XXVI. v. 1. cum de utilitate & oneribus vitæ privatæ & conjugii pulchre disseruisset, hanc *fol. 27.* tradit regulam, qua vinci possint & conjugii & magistratus & aliarum functionum molestiæ, scribens. *Tu tantum apprehende verbum, & fac fructus dignos verbo, & statim videbis sequi crucem & tentationes. Eas vero sequitur oratio: Orationem liberatio: Liberationem, sacrificium laudis. Ita simul & crucem ferre & sacrificium laudis offerre poteris.* Negligi autem hæc omnia dicit a monachis. Ad v. 2. *fol. 29. b.* solatia proponit afflictis ecclesiæ ministris, quos, etsi pios & gratos habeant auditores, invisos tamen futuros esse dicit hæreticis, & insidias Diaboli multiplices passuros. Ibid. *fol. 31.* apparitionum in Veteri Testamento gloriam vinci docet ab iis, quas in Novo Testamento habemus, firmiores & apertiores, modo oculos & cor aperire velimus. *Habes*, inquit, *Baptismum, Sacramentum Eucharistiæ, ubi panis & vinum sunt species, figuræ & formæ, in quibus & sub quibus præsenter in aures, oculos, & cor Deus loquitur & operatur. Postea habes ministerium verbi, & Doctores, per quos Deus tecum loquitur. Habes ministerium clavium, per quod absolvit te, & consolatur: Noli timere; ego tecum sum. Apparet tibi in Baptismo, & ipse te baptizat, te alloquitur ipse. Non solum dicit; Tecum sum; sed, remitto tibi peccata, offero salutem a morte, liberationem ab omni pavore & potestate Diaboli & inferorum. Et non solus ego tecum sum; sed omnes Angeli mecum. Quid desiderabis amplius! Plena sunt omnia apparitionibus divinis & colloquiis.* Addit egregia de infirmitate fidei. Ad v. 8. *fol. 34. & seq.* felicitatem, ex amore conjugum orientem, pulchre describit. Ibid. *fol. 36. b.* audire se queritur, esse, inter magnates præsertim & nobiles, qui dicant; *Si sum prædestinatus, sive bene, sive male egero, salvabor, si non sum prædestinatus, damnabor, nulla habita ratione operum.* Contra hos pluribus disputare se velle dicit, si per valetudinem liceat. Ait autem, si veræ sint istæ voces, plane tolli fructum incarnationis, passionis & resurrectionis Filii Dei, & quicquid is fecit pro salute mundi; nihil prodesse totam Scripturam sacram, nihil sacramenta. Quæ omnia latius persequitur: Provocat etiam ad librum suum *de servo arbitrio*, & postea *fol. 37.* scribit: *Igitur in libello de servo arbitrio & alibi docui: esse distinguendum, quando agitur de notitia, vel potius de subjecto divinitatis. Aut enim disputandum est de Deo abscondito, aut de Deo revelato. De Deo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia & cognitio nulla. Atque ibi tenendum est, quod dicitur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Ejusmodi enim cogitationes, quæ supra aut extra revelationem Dei, sublimius aliquid rimantur, prorsus Diabolicæ sunt, quibus nihil amplius proficitur, quam ut nos ipsos in exitium præcipitemus, quia objiciunt objectum impervestigabile, videlicet Deum non revelatum. Quin potius retineat Deus sua decreta & mysteria in abscondito. Non est, cur ea manifestari nobis tantopere laboremus.* Vide plura in sequentibus; maxime vero notanda est declaratio ejus *fol. 38. b.* his verbis: *Hæc studiose & accurate sic monere & tradere volui. Quia post meam mortem multi libros meos proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua, esse omnia absoluta & necessaria; sed simul addidi, quod adspiciendus sit Deus revelatus, sicut in Psalmo canimus:* Er heist Jesus Christ / der Herr Zebaoth / und ist kein ander Gott. *Jesus Christus est Dominus Zebaoth, nec est alius Deus; & alias sæpissime. Sed istos locos omnes transibunt, & eos tantum arripient de Deo abscondito. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse, non esse inquirendum de prædestinatione Dei absconditi. Sed ea acquiescendum esse, quæ revelatur per vocationem & per ministerium verbi. Ibi enim potes de fide & salute tua certus esse, ac dicere: Ego credo in filium Dei, qui dixit: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Ergo in eo non est damnatio, aut ira, sed beneplacitum Dei patris. Hæc eadem autem, alibi quoque in libris meis protestatus sum, & nunc etiam viva voce trado. Ideo sum excusatus.* Ex v. 24. *fol. 45.* argumentum Christi (*Matth. XXII. 31.*) de resurrectione mortuorum accurate eruit, ait enim; *Si secundum vulgatum proverbium Principum literæ ter sint legendæ, divinas literas vel millies relegendas esse; adeoque quod in prima inspectione minime apparet, ex repetita tamen lectione & meditatione colligi.* Ad v. 34. *fol. 51.* hæresium originem superbiæ imputat, *Munzeri* exemplo, qui dixerit, *sublimius ascendendum est;* Man muß höher fahren. Ad cap. XXVII. v. 5. & sqq. de facto Rebeccæ, maritum fraudantis, multa disserens, verbum Dei speciale secutam illam esse existimat, *fol. 54. b. & fol. 55. Spiritus enim sanctus*, ait, *non venit sine verbo, sed per cytharam, hoc est, meditationem verbi:* Et *d. fol.* scribit; *Deus interdum tollit legem (seu regulam) ut non tenear obedire in secunda tabula, si repugnet tabulæ primæ.* Ad v. 11. *fol. 58.* de necessitate & utilitate orationis in omni statu hominum, multa monet. Dein v. 21. *fol. 59. b.* de natura fidei scribit, eam videri esse scientiam tenebrarum & nihilitudinis, hoc est, rerum, quas habet incompertas & non apparentes, ac fere impossibiles. *Qui volet*, ait, *Christianus esse, eum oportet hoc animo bene meditatum ac infixum habere. Aliæ enim scientiæ omnes docentur ex syllogismis, inductionibus & experimentis, non habent fundamenta aut principia sua in eo, quod nihil est, ac præsertim non apparens, impossibile, absurdum, stultum; sed fides apprehendens promissionem, figit cor in id, quod omnino est absurdum, impossibile, contentum verbo & promissione divina.* Pariter infra ad v. 14. *fol. 88.* scribit, *omnia apud Christianos fieri per modum desperationis & impossibilitatis, ita ut cogantur mortificari cum carne, cumque universa sapientia & ratione.* De benedictionibus verbalibus & realibus vid. ad v. 28. *fol. 62. b. & seqq.* De pœnitentia vera & falsa ad v. 36. *fol. 66.* Notabilis vero locus est, & integre adscribi meretur, cum de

(1) *Ad cap. XXVI.*

(3) *Ad cap. XXVII.*

An. 1546. de se ipso suaque pœnitentia & fide in monachatu scribit *fol. 67. b. Nos quoque cum monachi essemus, ideo macerationibus nostris nihil proficiebamus, quia nolebamus agnoscere peccatum & impietatem nostram. Immo, ignorabamus peccatum originis, nec sentiebamus incredulitatem esse peccatum, quin & dubitationem de divina misericordia statuebamus & docebamus. Itaque quo magis currebam & desiderabam ad Christum venire, hoc longius ipse a me recedebat. Post confessionem & missationem nunquam poteram acquiescere animo, quia conscientia non potest firmam consolationem ex operibus habere. Fruamur itaque præsenti benedictione, & oblata gratia, post renatam lucem Evangelii, nec simus negligentes aut ingrati. Si enim semel oblata est benedictio; non est id in nostro arbitrio, ut eam recuperemus, sed in donatione Dei gratuita, atque ita, ut nullius lacrymis, clamoribus, laboribus moveatur. Ego idprimum bene videbam, omnino opus esse gratuita donatione, ad lucem & vitam cælestem consequendam, atque anxie & sedulo laborabam de illa sententia intelligenda Rom. I. Justitia Dei revelatur in Evangelio: ibi diu quærebam & pulsabam. Obstabat enim vocabulum illud (Justitia Dei) quod usitate sic exponebatur: Justitia Dei est virtus, qua ipse Deus est formaliter justus & damnat peccatores. Sic omnes Doctores hunc locum interpretati fuerant, excepto Augustino. Justitia Dei, id est, ira Dei. Quoties vero legebam hunc locum, semper optabam, ut Deus nunquam revelasset Evangelium. Quis enim possit diligere Deum irascentem, judicantem, damnantem? Donec tandem illustrante Spiritu sancto locum Habacuc diligentius expenderem:* Justus ex fide vivit. *Inde colligebam, quod vita deberet ex fide existere, atque ita abstractum referebam in concretum, & aperiebatur mihi tota Sacra Scriptura & cœlum ipsum. Hoc vero tempore ingentem istam lucem videmus clarissime, ac licet ea nobis abunde frui. Sed contemnimus & fastidimus gemmam & thesaurum illum cœlestem. Olim igitur, rursus eo ademto, iterum clamabimus & pulsabimus, sicut de fatuis virginibus in parabola dicit Christus, sed frustra. Ideo timeamus Deum, & simus grati. Moveat autem vos inprimis meum & aliorum exemplum, qui viximus in morte & inferno, nec habuimus benedictionem tam copiose, ut vos habetis. Diligenter igitur exercete & cogitate doctrinam de benedictione, ut eam & retinere ipsi, & in alios quoque propagare possitis. Nos quod debuimus, fecimus.* Ad cap. XXVIII. v. 1. denuo multa docet de conjugio *fol. 75. & sqq.* Ad v. 10. *fol. 80.* disquirit, an & quatenus liceat cum hypocritis aut aliis conversari, qui doctrinam ex parte veram habeant, licet vitiis non careant, & affirmativam tuetur. Ad v. 12. *fol. 82. b.* de distinctione inter justificationem & sanctificationem hæc habet: *Hæc non satis possunt dici & inculcari, & est tamen facilis distinctio præcepti & promissionis. Aliud est verbum, quod absque charitate & justitia mea justificat credentem. Aliud est, quando præcepta Dei apprehendo, ut non furtum faciam, non committam adulterium. Sed Papistæ ita tenebris suis submersi sunt & obruti, ut audientes doctrinam hanc non audiant, neque nos ipsi satis firmiter retinemus.* Ibid. *fol. 83. & seqq.* pulcherrime disserit de scala Jacobi, ut significet incarnationem Christi. Laudat inprimis *Ambrosium*, *Bernardum* & *Bonaventuram*, qui cogitatione illa magnopere lætati sint, & *fol. 84. b.* opinionem *Bernardi* non improbat, qui Diabolum lapsum esse dicit ob invidiam, quod Deus futurus esset homo. Execratur autem impium Turcarum commentum, qui in *Alcorano* tradunt, Deum voluisse, ut Angeli Adamum adorarent, & qui hoc facere noluerint, dæmones factos esse. Ad v. 16. & 17. *fol. 90. a. b.* ostendit, ibi esse ecclesiam etiam in media Turcia & in Papatu, ubi auditur verbum Dei & Sacramenta administrantur, & sic portam esse cœli. De Papatu vero speciatim agit, & fatetur, in illo esse verbum & Sacramenta, sed veram ideo non esse ecclesiam, quia admixtas habeat doctrinas falsas, &, ut ait, Satanicas, & ideo maneri in illa non potuisse. Ad v. 20. *fol. 93.* plus solatii ad nos pervenire dicit ex meditatione infirmitatis Sanctorum, quam ab exemplis factorum heroicorum, quæ de iis legimus & imitari non possumus. Allegat querelas Davidis & Pauli, item trepidationem Petri, in mari ambulantis. Ibid. *fac. b. & fol. 94.* de votis disputat, & ante omnia regulam ponit, quod prima gratia, remissio nempe peccatorum & justificatio, adesse & a solo Deo venire debeat, ita ut homines nihil faciant, sed tantum patiantur. *Audimus*, ait, *Deum loquentem verbum, & sentimus operantem per verbum vocale & sacramenta, per quæ in nobis exsuscitat cognitionem sui. Hoc posito, quod est primum, sequuntur bona opera, quæ nihil aliud sunt, quam gratiarum actio & glorificatio. Igitur omnia opera, & speciatim vota monastica, quæ fiunt ad impetrandam remissionem peccatorum, sunt impia & sacrilega. Fac. seq.* exemplum Jacobi, voventis Deo domum & decimas, secutos suo tempore paucos quidem Principes esse dicit, sed tanto magis hos laudat, & nominatim *Henricum* Saxoniæ Ducem, inprimis mandantem, ut stipendia honesta constituerentur scholis & ecclesiis & pro ingenuitate sua dicentem; Ich muß dennoch meinen Pfaffen zu essen und zu trincken geben / ut & *fol. 95.* Electorem *Joh. Fridericum* celebrat, quod singulis annis conferat Academiæ Wittenbergensi 3000. florenos. Talia vota *moralia* vocat, quæ pro modo facultatum, & ut res exigit, necessaria sint, licet non fiant conceptis verbis: *Sunt vota*, ait, *de jure, non de facto.* Ad cap. XXIX. v. 1. 2. *fol. 96. b. & 97.* operum sanctitatem ex personis censendam esse ostendit, & ideo, cum paria aut potiora videantur Ethnicorum & Christianorum piorum opera, nihilominus sancta solum esse, quæ a piis & justificatis fiant. Refutat hic *Erasmum*, qui multum extollere soleat virtutes *Socratis*, *Ciceronis*, *Attici*; *Sic*, ait, *præferre potuisset Alexandrum*, *Hannibalem*, *Jul. Cæsarem*, *Scipionem*, *Davidi*. *At ego*, pergit, *si daretur mihi optio, eligerem unius Christiani, rustici aut ancillæ, sordidissimum & maxime agreste opus, præ omnibus victoriis & triumphis Alexandri Magni & Julii Cæsaris; quare? quia hic est Deus, illic est Diabolus.* Addit quædam de opinione sanctitatis, quam in monachatu de se conceperat, jam vero ita

(4) *Ad cap. XXVIII.*

(5) *Ad cap. XXIX.*

An. 1546.

An. 1546. ta de illa judicat, ut unam lectionem suam aut unum *pater noster* plus valere & Deo magis probari sentiat, quam omnes precationes, quas totis quindecim annis murmurasset; *quia*, ait, *scio, me exaudiri; Nec opus est ullis vigiliis aut singularibus jejuniis & abstinentia, quia Deus dedit angelum Satanæ, cum aliis difficultatibus & crucibus hujus mundi, quæ magis me, quam illa omnia, exercent.* Et *fol. 99.* generatim prædicat felicitatem vere piorum, quod omnia illorum, etiam minima opera & naturalia, placeant Deo. Es ist ein köstlich ding um einen christenmenschen / es ist nichts so geringe an ihm / es gefället Gott. *Primum omnium igitur vide, ut sias Christianus & persona grata & accepta per verbum, per Baptismum & Sacramenta.* Ad v. 20. *fol. 107.* factum Jacobi, duas sorores uxores habentis, heroicum sive singulare esse notat, nequaquam imitandum; *si non per omnia*, inquit, *similis fueris Jacobo, standum tibi erit in lege & moribus communibus.* Et postea: *Jacob non est persona moralis, sed heroica: heroico, non legali, modo ducitur, ideo non est imitandus, sed spectandus & admirandus. Tu non gestabis cœlum nec columnas Herculis, cum vix uno baculo gestando par esse queas,* das sind die Narren *in politia, qui volunt imitari heroicos viros, quos vident incedere supra & extra regulas. Tantus vir sic fecit, cogitavit; Ergo ego idem sequar. Sed tu habes aliud speculum, quod contempleris, nimirum communem morem, jus item & legem communem. Hanc ne transgrediaris,* brich du nicht herauß / *antequam Deus te vocet, & jubeat esse heroem aut Jacob.* Vid. etiam *fol. 111.* b. ubi idem notat ad concubitum Jacobi cum ancillis. Ad cap. XXX. v. 1. *fol. 111.* de impuritate coactæ castitatis sive cœlibatus, & de conjugii sanctimonia notabilia tradit, item de laude fœcunditatis. Ad v. 2. *fol. 113. b.* taxat Papistas, qui in historiis in Genesi propositis tantum carnalia aspiciant, & in Patrum exemplis lusus venereos carpant, item multitudinem conjugum & concubitus, ut ipsi sentiant, libidinosos; non vero cogitent, quomodo invocaverint & glorificaverint Deum, quomodo fuerint fide & incredibili patientia prædití. *Sic* ait, *judicant homines otio & luxu prædití, Canonici & Cardinales, qui sine omni tentatione vitam transigunt. Igitur alia & mitiori ratione Scripturam sanctam evolvamus. Ideo toties repeto & inculco, ut leviuscula hæc & carnalia prorsus, non carnis, sed Spiritus oculis intueamur. Tum videbimus mirabilia consilia Spiritus S. in ejusmodi descriptionibus, magis, quam in summis & maxime spiritualibus.* Ad. v. 8. *fol. 114. b.* observatu digna sunt, quæ de anticipatione sive prolepsi in historia Moysis commentatur, quibus multi scrupuli chronologici explicari possunt. Ibid. *fol. 116.* pulchram narratiunculam inserit de felicitate vitæ rusticæ, scribens: *Sapienter & præclare Dux Fridericus Elector Saxoniæ ad Staupitium dixit: Sibi, cum perlustraret animo totum orbem terrarum, & omnium hominum ordines, felicissimos videri rusticos, qui sunt infimo loco in Republica, propterea, quod soli fruuntur pace & vera tranquillitate, non macerantur curis & periculis Reipublicæ. Æstate colunt agros; hyeme fruuntur parto domi ad focum. Tametsi carent lautitiis regiis; tamen summis bonis fruuntur, tranquillitate & otio, ac habitant intra suam sepem tutiores & beatiores, quam Reges & Principes intra arces aut mœnia.* Adde *Part. IV. fol. 83. b. & 96. b.* De allegoriis utilia monet ad v. 9. *fol. 117.* & pericula earum vitari jubet, suum quoque exemplum citans; fatetur enim, se in monachatu, sensu literali neglecto, Patrum exemplo, *Hieronymi* potissimum & *Origenis*, allegorias sectatum esse. *Augustinum* quoque ad easdem adduci se passurum fuisse, nisi per certamina & disputationes cum hæreticis revocatus esset. Ostendit etiam errores & illusiones vitæ contemplativæ, a quibus per *Staupitium* abductum se fuisse memorat, & ad Theologiæ publicam professionem adactum, sumto Doctoris titulo. Ad v. 14. *fol. 119 b.* de *Tezelio* narrat, quod jactaverit, se plures animas per indulgentias salvasse, quam S. Petrum. Ad v. 22. *fol. 121.* præclara habet de precibus & gemitibus ineffabilibus, & exauditione divina; add. *fol. 158. b.* Ad v. 29. *fol. 123. a. & b.* observat, male parta & corrosa, præsertim avaritia Principum, cito disperdi & militum fere lucro (Bruder Veit) cedere, allegans exemplum motus bellici, propter oppidum *Wurzense*, eo, quo hæc commentatus est, anno, (id est, 1542.) exorti; meminit etiam *Clementis VII.* qui mira rapacitate ingentes auri summas collegerit, omnes vero postea, spoliata a militibus Roma, amiserit. Ad cap. XXXI. v. 1. *fol. 128.* avaritiæ vitium egregie describit & vituperat. Ad v. 3. *fol. 129. b. & seq.* syllogismum proponit ad firmandam fiduciam nostram: *Omnis populus Dei benedictus, Deo sanctus, Deo gratus & acceptus est; nos sumus populus Dei, E.* Difficultatem autem ostendit in propositione minori. Quanquam enim confidenter eam assumant Turci, Judæi, & Papistæ, pios tamen valde circa illam luctari notat, & singulis annitendum esse, ut in certamine illo fidei & diffidentiæ per divinam consolationem vincant, & ad ultimum respiciant exitum, licet impiorum felicitatem videant. Ad v. 14. *fol. 133.* de malitia & ingratitudine mundi queritur, eaque fieri dicit, ut ministri Ecclesiæ nihil habeant, nisi invito mundo, & quasi ex spoliis vivant, quæ Deus eripiat ex faucibus luporum & unguibus leonum. Acriter etiam taxat aulicos & quæstores, qui ministris Ecclesiæ avaritiam subinde imputent, dicantque die Pfaffen sind geitzig / & varios expilandi eos excogitent modos. Laudat *Electorem Saxoniæ*, neque tamen inter Præfectos harpyias deesse dicit, quorum nequitia retineantur aut imminuantur, quæ a Principe liberaliter ad ministerium alendum sint destinata. Concludit, *sinceros Doctores, bono & pio zelo servientes Ecclesiæ & scholis, invisos esse, sperni ab omnibus, neque unquam rem lautam habituros, ditescere autem, qui palpare & blandiri noverint Magnatum & Quæstorum avaritiæ.* Ad v. 19. *fol. 135.* regulam, alibi quoque propositam denuo stabilit, præceptis primæ tabulæ cedere præcepta secundæ. Sic defendit furtum idolorum, a Rahele commissum & seditionis incommoda, quæ oriuntur, si Deo

(6) *Ad cap. XXX.*

(7) *Ad cap. XXXI.*

An. 1546.

Deo potius obediatur, quam hominibus, ut factum erat in acceptatione doctrinæ Evangelicæ. Fraudem autem Pontificis vitari jubet, qui & ipse hac regula pro se utitur, & leges omnes secundæ tabulæ solvit, dum prima, qualem ipse format, servetur, & obsequium cœcum sibi præstetur. Taxat hic iterum dictum *Hieronymi*, qui scripserit: *Si occurrerit tibi pater & mater ingressuro in monasterium, & monstraverint ubera, & lacrymis suis te voluerint retrahere, contemne lacrymas, & conculca pedibus parentes, nudusque fuge ad crucem Christi.* Hanc vocem impiam dicit esse & diabolicam. *Fol. 136.* necessitatem & utilitatem studii Theologici & ministerii Ecclesiastici mirifice commendat, sine quo futurum sit, ut omnia rursus horribilibus tenebris Turcicis & Papisticis involvantur; frui igitur jubet ministros Ecclesiæ salariis suis ad victum necessariis, veluti spoliis mundo ereptis, & sinere, ut reliqua devorent impii, **Laß das andere den Laban und Nabal fressen/ laß ihn ein gutes Jahr haben.** *Fol. 137.* sanctam Ecclesiam merito vocari dicit, in qua ministerium sit purum, licet non desint zizania in moribus & populo. *Corpus*, ait, *est per se sanum, sed non caret sordibus, & ulceribus.* Ad v. 29. ubi Laban dicit: *Valet manus mea*, & in Hebræo, est vox *El*, quæ Deum ut plurimum significat, *fol. 142. b.* notat: Hebraicæ linguæ notitiam accuratam prope intercidisse; egregium tamen ipse specimen peritiæ suæ in illa præstat: Adde *fol. 145. b.* & infra *fol. 180.* ita *Parte IV. fol. 72. b.* ubi insigni exemplo dicta comprobat. Ad v. 42. *fol. 148.* ubi mysterium Trinitatis observat; *Intelligo* (ait) *hic Trinitatem, & alibi etiam, ubicunque hoc mysterium in locis Veteris Testamenti eruere possum*; & postea, cum verba illa, *Deus patris mei, Deus Abraham & timor Isaac*, explicasset; *fac. b. Ad hunc modum* (inquit) *mirifice dulcescant hæc emphatica vocabula, quæ spargit Moyses, tanquam gemmas, hinc inde in suis scriptis, modo ad Christum referantur*; *fol. 194.* Ad v. 43. *fol. 149. & seqq.* insigniter depingit ingenia hypocritarum, inter quos etiam refert duos illos antinomorum antesignanos, *Agricolam* & *Jacobum Schenckium.* Ad cap. XXXII. v. 1. *fol. 153.* locum de Angelis docte tractat, & *fac. b. Erasmum* culpat, quod custodiam Angelorum negaverit, ipsamque providentiam divinam; ab hac tamen imputatione *Erasmus* acriter sese defendit. Ad v. 9. *fol. 159. & seq.* notabilis plane & lectu dignissima est explicatio precum Jacobi, in quibus veræ orationis requisita considerantur. Ad v. 21. *fol. 163. b.* cum de paucitate piorum questus esset, solatium proponit ab efficacia verbi divini & fidei: *Ubi verbum*, ait, *docetur, ibi est fides, & ibi sunt pii vicini, famuli, conjuges, liberi. Ideo hodie etiam aliquos esse necesse est. Sicut enim pluvia non cadit propter unum culmum, sed propter multos agros, ut fœcundentur, & fructum copiosum ferant: Sic verbum non datur ad unum aut alterum tantum convertendum, sed propter multos omnium ordinum homines. Neque etiam, me aut Pomerano sublato, omnes pios & bonos rebus humanis exemptos cogitabitis*, **unser HErr Gott hat mehr fromme Leute.** *Sed tamen pii sunt miracula in mundo, & dona Dei, quia maxima pars est impia.* Ad v. 24. *fol. 165. & seq.* solide & pie commentatur de lucta piorum, adversus ipsum veluti Deum, in tentatione & ingruente propemodum desperatione. Ad v. 31. *fol. 169. b.* docet, sine ulla controversia credendum esse, quod Christus luctatus sit cum Jacobo, solitusque fuerit forma humana Patribus apparere, ut testaretur, se aliquando conversaturum nobiscum in carne & forma humana. Addit: *Hæc vera explicatio est, non a nobis inventa, aut ab aliis sumta; sed vir ipse sic se manifestavit, in ponendo Jacob nomen Israelis, & Jacob hoc loco inquit; vidi Dominum facie ad faciem. Ille ipse Dominus noster Jesus Christus tentavit Jacob, non ut perderet, sed ut confirmaret & corroboraret, utque in hac pugna vim promissionis rectius disceret. Immo has vires & robur addidit Jacobo, ut vinceret, & cum gaudio visionem Domini prædicaret.* Accommodat inde *fol. 170. & seqq.* historiam illam ad fatum Ecclesiæ & conditionem piorum. Ad cap. XXXIII. v. 3. 4. solvit difficultatem, quomodo impletum sit vaticinium, quod *Esavus* serviturus sit *Jacobo*, cum tamen opulentior & potentior illo fuerit; interpretatur itaque id de dominio spirituali, & *fol. 175. b. Esavum* ipsum salvatum fuisse conjicit. Ad v. 17. *fol. 179. b.* corrigit opinionem, quam olim in Chronico suo se habuisse dicit de tempore nati *Benjamin*, & diligentiam in chronologia commendat, negans eam reprobari a Paulo, cum genealogiarum curiosam indagationem rejicit *Tit. III. 9.* Junge, quæ habet *fol. 181.* Ad cap. XXXIV. (quod inchoat a v. 18. & seqq. cap. præcedentis XXXIII.) *fol. 181.* Judæos refellit, qui ex v. 20. cavillantur, altare a Jacobo extructum vocari *Deum*, & elidunt argumenta Christianorum, qui ex nomine *Jehova*, Christo, ut Messiæ, attributo, divinitatem ejus probant. Add. *fol. 199.* Ad v. 1. *fol. 182.* vires naturæ & mundi subinde decrescere statuit, & inprimis senecturis incommoda describit, sexagenarios fere omnes ad gubernationem inutiles esse dicens. Ad v. 3. *fol. 183. b.* acriter perstringit magnates, qui sibi omnia licere putant. *Minus*, ait, *licet Magistratibus, quam privatis, & libido illorum & licentia severius punienda est: Quia sunt gubernatores & custodes disciplinæ, & debent aliis exempla esse omnium virtutum. Sed clamant; Ego sum Princeps & Dominus terræ, cur non possim mihi indulgere? Immo, quo major es, hoc magis te humilia, ut & virtute & bonis exemplis aliis præire possis. Juxta sententiam usitatam: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Magnatum & Principum prava exempla sunt omnium pestilentissima, & latissime patent, quia multos corrumpunt, & ad licentiam peccandi pertrahunt. Privatorum exempla minus nocent, & facilius corriguntur. Principum delicta sunt plane diabolica. Ideo puniuntur atrociter.* Postea ad v. 8. ostendit, ut peccata Principum in populi, itidem peccantis, pœnam graviorem redundent, nec vane ominatur de futuris, scribens *fol. 187. Sic hodie grassantibus impune tot scele-*

An. 1546.

(8) *Ad cap. XXXII.*

(9) *Ad cap. XXXIII.*

(10) *Ad cap. XXXIV.*

An. 1546. *sceleribus in populo, securitate & contemtu Dei & hominum, fiet tandem, ut stultitia alicujus Principis accersantur pœnæ & calamitates, quibus oppressi pereamus.* Dieweil es das Volck so arg macht / wird ein *Princeps* eine Thorheit thun / wird ein Unglück anrichten / darüber werden wir alle mit gehen müssen / *quia non audimus, nec emendamur voce & comminationibus divinis. Ideo venient tandem pœnæ.* Id quod eventu paulo post comprobatum fuit, quanquam singulari Dei benignitate & providentia factum est, ut causa Evangelica non fuerit oppressa, qualiacunque fuerint Principum errata. Addit plura in eundem sensum *fol. 188. a. & b.* Ad v. 29. Judæos vituperat, qui factum Simeonis & Levi contra Sichemitas extenuant; item *Josephum* historicum, quem magnum virum vocat, sed studio suæ gentis turpissime dicit mentiri, contra Scripturam sacram. Ad cap. XXXV. v. 2. *fol. 193.* necessitatem reformationis, & ut a purgatione idololatriæ incipi debeat, ostendit verbis quidem paulo severioribus, sed consilio & fundamento optimo. *Hoc*, ait, *caput & fons est, unde omnia alia vitia promanant, & irrita est omnis reformatio, si non primum repurgetur doctrina. Vide enim stultitiam Pontificis, & omnium Conciliorum posteriorum, quæ primum ordinant aliquas ceremonias, jubent Sacerdotes longis vestibus uti, diligenter legere horas Canonicas, & Missas, prohibent aleam & scortationem. Hanc ipsi reformationem Ecclesiasticam appellant. Et tale aliquid statuetur in Concilio, si quod unquam futurum est. Sunt enim Cardinales & Episcopi homines stolidi & insulsi, qui nihil cogitant de verbo & doctrina, neque eam intelligunt aut curant. Necesse igitur est, ut securis ad radicem arboris admoveatur, & caput serpentis petatur. Ictus enim corporis, quantumvis graves, sustinere potest sine periculo: Sed si caput vel minima virgula ferias, statim extinguitur. Præcipua autem vis Satanæ posita est in oppugnando & delendo verbo ac doctrina, quæ continetur in primo præcepto, eam petit acerrime. Itaque danda est opera ante omnia, ut doctrinam veram & certam habeamus de Deo, ibi tum vera ordinatio & reformatio Ecclesiarum institui potest. Ferdinandus dum parat defensionem adversus Turcicas incursiones, indicit jejunia, processiones, supplicationes divorum. Hæc ad quid aliud prosunt, quam ut sint ludibrio Satanæ? Id potius agendum erat, ut fides sincera, & doctrina pura de cultu Dei traderetur. Sed illi invertunt ordinem, defendunt errores manifestos doctrinæ, & stabiliunt idolomaniam, postea ritibus & supplicationibus externis student placare iram Dei. Ita dupliciter irritatur & irridetur Deus.* Idolomaniæ autem in Papatu usitatæ descriptionem vide ad v. 3. *fol. 196.* Ad v. 4. *fol. 196. b.* de vero usu bonorum Ecclesiasticorum, & ut ad meliorem, cum pleraque male parta & pessime impensa sint, converti debeant, recta monet; sed & de iis queritur, qui illa ad se rapiunt, nec ministris Ecclesiæ & scholæ relinquunt, quantum satis est, ad depellendam inediam. Subjungit: *In Ducatu Electoris Saxoniæ sustentantur inde parochiæ & scholæ; quod reliquum est, concessimus, ut aut retineret Princeps, aut distribueret pauperibus scholasticis.* Ibid. *fol. 197. b.* Turcicæ potentiæ, Imperatorum, Regum, & Principum viribus ob magna illorum vitia, resisti posse negat, & solius Dei virtute impediri, quo minus Turci totam devastent Germaniam. *Carolo* Imperatori prædicit, eum in *Belgio* non esse progressurum, nec sæviturum ulterius, quam Deus præfiniverit. Ad v. 8. *fol. 200. & sqq.* occasione mortis *Deboræ*, nutricis Rebeccæ, quam annos prope ducentos natam fuisse computat, multa habet de virtute sexus fœminini, taxatque monasticæ vitæ austeritatem. Ad v. 9. & 10. *fol. 202. b.* de vita practica & speculativa, rejectis monachorum abusibus, hæc monet: *Qui volet pie & feliciter de Deo speculari, non faciat id sine verbo, sed apprehendat filium incarnatum, incipiat a præsepio & fasciis, quibus involutus est, donec veniat ad ascensum in cœlum. Ita fide accipiet, & manebit in verbo & promissione data. Novi quosdam, qui gloriabantur de suis speculationibus, quarum suavitate ita capti essent, ut viderentur sibi quodammodo rapti & sublati in cœlum. Tales ego non amo, nec unquam mihi exoptavero, quia sunt sine verbo, & qui eos sectantur, sunt homines ignari Legis & Evangelii.* Ad v. 16. *fol. 204.* exemplum obscuritatis linguæ Hebraicæ observat in voce כיברת quam nec a Judæis intelligi notat; ipse tandem, ut sensum qualemcunque habeat, interpretatur, quod *spatium viæ modicum* denotet. Ad v. ult. ex verbis; *Et appositus est populo suo*, sive *collectus est ad populum suum*, resurrectionem mortuorum *fol. 208. b.* eruit. *Siquidem*, ait, *est populus aliquis, ad quem colligitur, non autem evanescimus in auras, morientes.* Et post alia: *Diligenter tales loci notandi sunt, cum vocabulis, quibus Spiritus sanctus utitur, & non abjicit aut dispergit sanctos, sed congregat, ita ut ne unum quidem ex ossibus aut pilis eorum pereat.* Ad cap. XXXVI. *fol. 208* (per errorem denuo repetito) in principio hysterologiam notat, & calculo temporum ostendit, Isaacum mortuum esse anno ætatis Jacobi 120. quo tempore Josephus jam liberatus erat ex carcere Ægyptiaco, & Isaacum ab anno suo 77. quo jam caligabat, cum filiis benediceret, ultra 100. annos, misero quidem corporis statu, vixisse. Ad v. 2. *fol. 211.* vehementer invehitur in Rabbinos, qui, odio Edomitarum, turpissime nugantur de uxoris Esavi, *Oolibamæ*, natalibus, & scelere patris ejus *Ana*. Hac occasione de delictis occultis, & eorum confessione, *f. 212. b. & seq.* notabilia affert, & duos casus narrat: alterum de nuptiis inter patrem & filiam, ex incesto concubitu conceptam, per ignorantiam contractis, & prudenti responso tam Theologorum quam Jurisconsultorum: alterum de filio ex adulterio concepto, & matris morituræ cautela, quam in delicto illo suo revelando adhibuit. Ad v. 24. *fol. 213. b.* dubitat, num *Ana* mulos, an stagna invenerit; (sive, ut vulgatus interpres vertit, *aquas calidas*) levi enim vocis Hebraicæ mutatione uterque sensus locum habet: Suspicatur sane etiam, quod de mulorum inventione dicitur, non minus confictum esse a Judæis, quam quæ de incestu *Ana* commenti sint.

(11) *Ad cap. XXXV.*

(12) *Ad cap. XXXVI.*

Partem *quartam*, quam in sua partitione *sextam* fecit Lutherus, a capite XXXVII. incipit, ab historia

(13) *Ad Part. IV. c. XXXVII.*

An. 1546. storia nempe Josephi. Ad v. 3. *fol. 3. b. & seq.* difficultates Grammaticas & historicas erudite tractat & resolvit, quod Jacobus dicitur genuisse Josephum in senectute, item fecisse ei *tunicam polymitam*, ut Græci verterunt. Ad v. 9. *fol. 6.* ubi de altero Josephi somnio agitur, hæc scribit: *Non sum idoneus ad habenda aut interpretanda somnia, neque eam facultatem aut scientiam mihi expeto, & pactum feci cum Domino Deo meo, ne vel visiones, vel somnia, vel etiam Angelos mihi mittat. Contentus enim sum hoc dono, quod habeo Scripturam sanctam, quæ abunde docet & suppeditat omnia, quæ sunt necessaria cum ad hanc, tum ad futuram vitam. Huic credo & acquiesco, ac certus sum, me non posse falli. Neque tamen aliorum donis derogo, si cui forte præter Scripturam aliquid revelaret Deus per somnia, per visiones, per Angelos. Sint sane dona, sed quæ ego nec curo nec desidero. Moveor enim infinita illa multitudine illusionum, præstigiarum, imposturarum, quibus mundus horribiliter sub Papatu longo tempore deceptus est per Satanam: Deinde sufficientia Scripturæ sanctæ, cui si non adhibuero fidem, profecto nec Angelo, nec visioni, nec somnio facile credam. Sed, ut dixi, hæc ratio mihi peculiaris est, qua nihil aliis præscribere ausim. Satis enim superque revelationum habeo, cum sciam, quid credendum, quid sperandum, quid consulendum aliis, qua ratione pie & honeste hæc vita transigenda sit. Idque pro mea tenuitate libens cum aliis communico, ut & ipsi norint & intelligant Decalogum, Symbolum, Orationem Dominicam &c.* Repetit idem breviter *fol. 8.* & notari meretur hic locus adversus calumnias eorum, qui Lutherum inspirationes extraordinarias jactasse dictitant. Neque tamen verba Lutheri captanda sunt, cum dicit, *pactum se cum Deo fecisse*; nihil enim aliud significare voluit, quam id se precibus a Deo petiisse, & sperare se exauditum esse. Cæterum, quæ de somniis *d. fol. 6. & seqq.* tradit, lectu sunt dignissima, ut &, quæ ad scrupulos de matre Josephi, quæ dudum mortua erat, & de adoratione a parente filio præstanda, ad v. 10. *fol. 9. 10.* respondet. Ad v. 12. & sqq. *fol. 11.* de vita œconomica pie instituta, ut Deo longe acceptior sit, quam Cleri aut monachorum, præclare commentatur, & fucum Prælatorum abominatur, qui in Comitiis, quæ illo tempore habebantur, de restituendis monasteriis vehementer laborabant, cum interim dies noctesque heluari & pergræcari solerent. Egregiam consolationem affert *ibid. fol. 12. b.* ex verbis Christi *Luc. XVIII. 7.* Scribit enim: *Si huic voci filii Dei firmiter assentiri, & hunc Spiritum habere possemus, qui cum gaudio diceret; Age, eripiatur vita, corpus, bona, valeant omnia, certus sum Deum facere & permittere hoc optimo consilio, tum veri Christiani & victores totius mundi essemus, idque vere esset se tradere in obsequium & voluntatem Dei. Sicut monet Paulus Rom. 12. Renovamini in novitate mentis vestræ.* (Das *renovamini* thut aber wehe) *Quare? ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta; ibi discetis ferendo, dolendo, gemendo, quid Deus de vobis constituerit.* Ad v. 20. *f. 14. b.* de internis Ecclesiæ malis vehementer dolet, scribens: *Hodie magis urimur, magis lugemus scandala in nostris Ecclesiis excitata, quam Papistarum & tyrannorum persecutionem. Neque enim tantum nocent Ecclesiæ Pontificii, quantum falsi fratres, qui eandem fidem, doctrinam, spem, invocationem jactant, utuntur iisdem Sacramentis, & sunt nobis simillimi. Ideo Papistæ, talibus scandalis moti, rident nos, & dicunt; Es sind Buben in der Haut. Mordent se invicem & invicem consumentur.* Ista hodie quoque objici audivimus; sed non feriunt eos, qui quantum possunt, in retinenda veritate & vitandis rixis non necessariis, per Dei gratiam præstant. Culpa itaque tenebit suos autores. De stimulis conscientiæ, quos dolores afferant, etiam post agnita & remissa peccata, vide quæ tradit *d. l. fol. 17. a & b.* adde *fol. 123. b.* ubi memorabilem & præclaram, ut scribit, *Augustini* sententiam, ex *confessionibus* allegat: *Jussisti domine, & factum est ita, ut pœna sui sit omnis animus inordinatus.* Historiolam postea *fol. 126. b.* de se ipso narrat, voce rustici asperiori, licet donum offerentis, territo cum puer stipem cum aliis scholasticis colligeret. Videantur etiam, quæ notat de Theologia pharisaica, qua peccata fuco aliquo tinguntur & excusantur, ad v. 26. *fol. 22.* it. *fol. 24. b.* Ad v. ult. *fol. 26. b.* & *fol. 28.* miram Dei œconomiam in affligendis & conservandis, itemque liberandis & extollendis suis, pie considerat, utque *Deus veluti in cor eorum loquatur in silentio mirabili, ubi nihil videtur nec auditur, & Deus veluti cœcus & mortuus est. Credit interim,* ait, *fides generali ejus promissioni. Necesse est cor credentis vivere & resuscitari ab inferis, etiamsi immensa male totius mundi depressum jaceat.* Ad cap. XXXVIII. Post explicatas chronologiæ & alias difficultates, quod historiæ, quæ scandalosæ videntur, a Moyse narrentur, totum hoc caput ob unicam fœminam illam *Thamar*, ex qua Christus genus duxit, scriptum existimat, ad v. 6. *fol. 32. b.*

(14) *Ad cap. XXXVIII.*

Ad cap. XXXIX. 1. *fol. 42. b.* queritur de infirmitate virium, & optat alium ad continuationem interpretationis, cui integra mens & majora dona a Deo concessa sint, additque; *Dominus Deus donabit me rude suo tempore.* Ad v. 4. *fol. 45.* acerrime reprehendit ingratitudinem hominum erga ministerium Evangelicum, cum antea tam profusam liberalitatem in ditando dotandoque Clero exercuissent, nunc vero parcissime alant Pastores, & bona quoque Ecclesiastica invadant. Interim *d. l. fac. b.* Germaniam a Deo, in gratiam Evangelicorum, servari ab interitu haud dubitat. Ibid. *fol. 46.* de labore, absque anxia solicitudine, & cum animi tranquillitate peragendo pulchre disserit; de pigritia vero hominum haud leviter queritur, & de aulis speciatim notat, plerumque duos vel tres totum opus gubernationis sustinere, *Principem scilicet ipsum aut scribas aliquos; reliqua turba,* ait, *stertit dies noctesque, pergræcatur, belluatur, aut, si quid agit, non officii causa, sed mera avaritia & ambitione agit.* Josephi excellentissimas dotes & singularem industriam inde inter alia colligit *fol. 47. b.* quod in tota Scriptura nullius juvenis vita tam prolixe & accurate describatur. Lectu vero dignissima sunt & tantum Doctorem decent, quæ ad v. 7. & sqq. *fol. 49. & sqq.* de tentationibus Josephi, ejusque pietate & castitate commentatur. *Bernbardi* dictum *fol. 51.* citat; *habitare cum muliere &*

(15) *Ad cap. XXXIX.*

& eam non cognoscere. plus est quam mortuos excitare. Ipse vero de Josephi continentia ita pronunciat: *In tali occasione & copia peccandi non fuit minus miraculum vincere flammas libidinis, quam quod tres viri ex camino ignis salvi & incolumes evaserunt;* ideo incomparabile ejus exemplum esse asseverat. Ad v. 13. *fol. 52. b.* calumniæ eam dicit esse naturam, ut optima quæque propter unum defectum pessime accipiat & traducat. *Ita,* ait, *adversarii nostra bona opera interpretantur; Sunt quidem boni & docti viri, inquiunt, verum non recte consulunt rebus communibus & Ecclesiæ Dei, sed magis turbant & impediunt.* Speciatim de *Cochlæo* & *Fabro fol. 53.* queritur, quod virulentissimas calumnias & mendacia Romam aut ad Cæsarem perscribant, & doctrinam Evangelicam proscindant, quasi seditiosa & turbulenta sit; artificiosa autem malitia illa fieri dicit, ut hominum favorem & benevolentiam, qua multos lucrari & erudire Evangelici possent, his surripiant. Addit tamen; *disperdet tandem Deus universa labia dolosa & linguam magniloquam, sicut nuper Eccius dignum factis & dictis exitum invenit, cum sine agnitione & invocatione Dei, mente mota, miserabiliter periit; idem exitus manet reliquos quoque.* Observari hic potest tempus prælectionis istius, *Eccius* enim mense Februario 1543. decessit, anno ætatis suæ 57. natus enim erat An. 1486. De ejus morte egimus §. *CXII. n. 8.* ex relatione *Viti Theodori.* Nolo tamen data hac occasione silere, quod tunc mihi exciderat, longe aliam & honorabiliorem de obitu ejus narrationem ab amicis evulgatam esse, ut & *Vitus* in libris allegatis monuit. Compendium narrationis typis vulgatæ extat apud *Henricum Pantaleonem*, qui in encomia omnium promiscue, ut in præfatione operis ipse profitetur, facilis est, *Part. III. fol. 115.* Ad v. 19. *fol. 54. b. & seq.* de ingrato seculo suo hæc scribit Lutherus; *Hodie multi, qui initio immenso studio & amore Evangelii flagrabant, nunc infensissime & doctrinam & professores ejus oderunt. Ad hunc igitur modum instituenda erit vita, ut ad hunc eventum & fructus laborum nostrorum nos præparemus, ac si quid præter spem evenerit, omne id in lucro deputemus. Tu non mutabis mundum, sed sic dices:* Ich muß hindurch / *quia non propter ingratum mundum, sed propter Deum provinciam hanc suscepi. Sicut vitis præbet vinum magna copia & suavitate etiam pessimis hominibus: ita & nos, cum Filii Dei simus, imitemur patris nostri clementiam & benignitatem, & aliarum quoque creaturarum exempla, nec feramus impatienter ingratitudinem hanc, siquidem divinitus in hanc vitam & stationem positi sumus, ut serviamus mundo, & colligamus electos ad salutem æternam. Si qui boni sunt, qui nostra officia agnoscunt, est, quod gratulemur nobis, sin major pars maledicit, damnat, occidit nos, sciamus hanc esse mercedem nostram, & in hoc conformes fieri debere Filio Dei, & omnibus sanctis, qui pro summis beneficiis extremam ingratitudinem hominum experti sunt.* Add. *fol. 62. b.*

(16) *Ad cap. XL.*

Ad cap. XL. 14. *fol. 59. b.* Judæos taxat, qui Josephi petitionem improbant, qua se pincernæ regio commendavit. Licitum enim non solum, sed & debitum esse statuit, ut consilia honesta ad liberandos nos ex malis quæramus, neque pericula ipsi accersamus aut foveamus. Allegat Paulum *Col. II. 23.* qui corporis etiam rationem haberi & ei parci vult, & reprehendit eos, qui id negligunt. Addit: *talem se fuisse in monasterio, homicidam nempe & persecutorem pessimum corporis sui: Jejunabam enim,* ait, *orabam, vigilabam, fatigabam me supra vires. Hoc est sibi accersere & afferre mortem.* Ad v. ult. *fol. 63.* egregie disserit de *patientia sanctorum & piorum in diuturnis calamitatibus, utque etiam illi habeant carnem, & hujus sentiant murmura, spiritu autem ea vincant. Mortificant,* inquit, *carnem clamantem, murmurantem, & dicunt, fiat voluntas Domini.* (aber es ist ein trefflich schwer *fiat:* difficillimum est hoc *fiat*) *Item dicunt ex Psalm. IV. 4. Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.* (das *exaudiet* folget wohl/ aber das *clamavero* währet zumahl lange) id est, *sequitur utique exaudiet, sed valde diu durat, clamavero.*

(17) *Ad cap. XLI.*

Ad cap. XLI. 1. *fol. 64. b.* de patientia Josephi, incredibili modo, & plus quam omnes martyres afflicti, multa locutus, imitationem ejus commendat. *Ibid. fol. 65.* Taulerum allegat, scribens: *Extat vox Tauleri, quanquam non loquitur in terminis Scripturæ sanctæ, sed alieno & peregrino sermone utitur; Magnum damnum sciat homo se fecisse, qui non expectat opus Domini, videlicet, quando vult eum crucifigere, mortificare & redigere veterem hominem in nihilum, quod non fit nisi passione & cruce; ibi enim sustines opus Domini, qui format te,* hobelt dich und haut die grobe äste ab / *& quicquid est impedimenti ad ædificationem æternam, præcidit securi, serra, dolabra.* Inter consolationis exempla etiam refert progressum Evangelii *d. fol. 65. b.* his verbis: *Considerate nostrum exemplum, quam tenues & parvarum virium fuerimus initio adversus Papam: erant tum suspiria nostra tenerrima instar virgulæ fumi, cujus mentio fit in Canticis. Tantum vero lucem & gloriam non audebamus sperare, quantam hodie cernimus, quod Evangelium humiliat Papæ potestatem, & frangit tyrannidem Diaboli, tot hominibus ereptis ex potestate tenebrarum.* Ad v. 16. *fol. 67.* egregie observat divinam in gubernatione politica dirigenda providentiam, ad quam respicit Josephus, dicens: *absque me respondebit Deus prospera Pharaoni;* & docet, ut ea precibus impetrari debeat; dein, quod ad Rempublicam accedendum sit in timore Dei. Ibid. *fol. 69.* acriter taxat Principes id non observantes, præcipue in bellis Hungaricis. Ad v. 32. notat, *fol. 72. tautologiam in sacris literis non esse otiosam, sed confirmationem nostræ fidei; ita Esaiam fere semper eandem rem dupliciter efferre, non quod affectet laudem copiæ, aut sit tautologus, sed ut certitudinem fidei afferat, ut simus certi de Deo promittente & loquente.* Ad v. 33. *fol. 73.* cum curam annonæ Principibus incumbentem serio ursisset, exemplum illustre ex sua affert experientia, scribens: *Memorabile est exemplum Illustrissimi Principis Friderici, Ducis Saxoniæ, qui non tantum horrea & granaria publica, sed & fossas ad eundem usum in campis paratas frumento, & cellaria quoque vino repleri curavit. Cum autem a Staupitio & Consiliariis ob id reprehenderetur; respondit; se non avaritia aut quæstus*

An. 1546. *stus studio hoc facere, sed propter ignaviam civium & rusticorum, qui nihil cogitarent de futura fame, sed in diem viverent, colligere frumentum, ut haberet populus, unde viveret in difficultate annonæ. Ac fuit sane sapientissimum ac toti ditioni utilissimum consilium; prohibuit enim sua providentia, ne unquam, vivo & gubernante ipso, fieret annona arctior. Talia officia digna sunt Principibus, & nostris moribus inprimis necessaria. Nos Germani enim sumus ventres ac proci Penelopes, fruges consumere nati: postea vero famis tempore nihil reliquum est, unde egestatem & nostram & aliorum sublevemus. Principes igitur decet prospicere pauperibus, ac præcipue primæ ætati, ne fame pereant. Fac. seq.* in exactiones & pravitatem usurariam acerrime invehitur. *Fol 75. a. & b.* male ominatur fastui Principum & nobilium, qui generi & potentiæ suæ confidunt. Ad v. 40. *fol. 76.* æquivocationem & ambiguitatem in docendo caveri jubet, his verbis; *Doctor non debet esse æquivocus, nihil enim recte docebit, sed removenda est omnis ambiguitas a prædicamentis, hoc est, a docente & oratore, quem oportet esse univocum, & proprietatis studiosum. Ideo Hebræi interpretes infelicissime docent, siquidem totum eorum studium consistit in æquivocationibus, ac tantum ad sophisticen idonei sunt,* **werden unnütze wäscher draus** / *non dialectici aut doctores, sed sophistæ & impostores.* Ibid. *fol. 79. & seq.* de vitanda superbia, & de modestia in rebus secundis servanda, præclare commentatur. Ad v. 45. De gubernationum difficultate, *Staupitii* exemplum *fol. 83.* allegat; *Memini,* ait, *Doctorem Staupitium de suo gubernatione dicere, se primo triennio secundum Nemesin voluisse regere, sed ea via non successisse; altero juxta leges & consilia majorum & seniorum, ne id quidem cessisse feliciter; tertio secundum voluntatem Dei, adjuncta invocatione, verum id quoque fuisse infelix. Tandem igitur inquit, faciebam quod poteram, cum desperassem de hisce consiliis & rationibus omnibus. Etsi enim vult Deus invocari, tamen non exaudit secundum vota & cogitationes nostras, quibus ei sapientissima & pulcherrima consilia præscribimus. Faciamus igitur* (subjungit Lutherus) *quantum possumus, & cum objiciuntur impedimenta, paremus nos ad patientiam, ac retineamus tritum illud sermone proverbium: Mitte vadere, sicut vadit, quoniam vult vadere, sicut vadit.* **Wer den schweren stein nicht heben kan / der lasse ihn liegen.** *Nulla enim gubernatio sine querela & sine maximis difficultatibus unquam fuit.* Plura de eadem difficultate administrationum notatu dignissima vid. *fac. seq.* & *fol. 84.* Ibid. *fol. 85.* morem notat, nomina celebriorum Principum & virorum apud posteros repetendi; & inter exempla allegat familiam celebrem in Saxonia, a *Lotharto* vel *Luthero* Cæsare denominatam. (**die Lüder**) Id quod eo nolo quenquam interpretari, ut *Lutherus* vana quadam jactantia nobilitatem suæ familiæ ab incertis conjecturis conciliare voluerit, quamvis illuc propendere videatur *Mich. Cœlius* in sermone Lutheri funebri supra citato; sed quod revera familia nobilis in Saxonia illo tempore fuerit, cognomine isto insignita. In Hassiæ sane & Franconiæ finibus adhuc supersunt ex equestri ordine **die Lauter** / quod, variata licet dialecto, idem est, quod **Luder**. Ad cap. XLII. v. 6. 7. *fol. 93. a. b.* ex simulatione Josephi erga fratres, notat, Deum quoque cum suis ludere, licet aliquando tristi & acerbo modo, **wie die katze mit der mauß.** *Certo tamen,* ait, *statuamus, nihil aliud esse calamitates, gemitus, suspiria ac mortem nostram, quam jucundissimum & pulcherrimum ludum quendam divinæ bonitatis.* Ibid. *fol. 94.* solide refellit, quicquid Pontificii de satisfactione pro peccatis, legum civilium imitatione, exigunt, solamque remissionem in ecclesia locum habere demonstrat; monet tamen *fac. b.* etsi remissa sint peccata, hærere tamen in natura nostra & ideo expurganda semper esse, quasi Deus nobis dicat: *Tu quidem illuminatus & baptizatus es, sed adhuc fœtes, & multis magnis vitiis plena est caro tua, ideo mundare eam me oportet: Nam quod immundum & inquinatum est, non intrabit regnum cælorum. Ibi tum incipit ludus Dei, non ut perdamur, sed ut exploret, & ad agnitionem nostræ fœditatis nos perducat, ita tamen, ne desperemus, sed potius ut clamemus, & invocemus misericordiam ejus, & discamus, ipsum esse mirificatorem misericordiæ suæ. Ps. 16. id enim sibi voluit ludo suo.* Addit *fol. 95.* quo magis chari simus Deo, tanto severiorem esse illam expurgationem, interim tamen ludum esse; aliter vero Deum agere cum impiis, neque enim cum his ludere, sed relinquere eos sæpe in omnium rerum affluentia & felicitate, ut Sodomitas, postea vero uno subvertere impetu. Hanc doctrinam *fol. 96.* ignotam fuisse Papistis dicit, & cum in primis thesibus suis docuisset, *totam vitam fidelium esse pœnitentiam,* pene in rabiem actos esse, quia scilicet ipsi peccatum extenuent, & originale plane sublatum esse dicant, actualia vero expiari credant satisfactionibus. Ad v. 24. *fol. 104.* affectus in sanctis remanere, ostendit exemplo Josephi, & ἀπάθειαν Stoicam rejicit. *Munzerum* studuisse ait, ut eam moribus & vita, tanquam singularem sanctimoniam, exprimeret; itaque, cum nunciata illi esset nativitas filii, ante aram stetisse quasi mutum & surdum, nec lætatum esse, nec gratias egisse, ut ostenderet, se truncum & stipitem esse, & jactasse postea, naturam suam prorsus esse mutatam; *Id,* ait, *revera fanaticum fuit, longe deterius Stoicorum delirio: Deus enim vult servatam naturam, non extinctam, sed jubet eam corrigi, ut fiat purior, & affectus magis sint compositi in piis, quam in gentilibus, qui non regunt eos timore & fiducia Dei.* Add. *fol. 128. b. & 129.* ubi monachos vehementer taxat, parentes suos aversari solitos, & reliquam illorum hypocrisin. Ad v. 25. *fol. 105.* Simeonem a Josepho durius habitum putat, quia in ipsius persecutione veluti Dux & autor fuerit, deinde, post Rubenis casum, primogenituræ honorem affectaverit. Notat inde, de primogenitura quoque certari in ecclesia. *Nos hodie,* ait, *nullam aliam ob causam pugnamus contra Papam, quam propter primogenituram, hoc est, ecclesiam. Nam eam dignitatem sibi vendicant Papistæ, volunt esse ecclesia, & proximi Deo. Nos contra abjectos eos & damnatos esse statuimus, ac nobis populi & electorum Dei gloriam & nomen usurpamus. Hæc enim est primogenitura; esse ecclesiam & regere ac docere homines ad salutem, esse in populo*

An. 1546.

(18) *Ad cap. XLII.*

An. 1546. pulo Dei, & in numero Abelis & servorum Dei. Ibi tum opponit sese hæreticus aut fanaticus aliquis, ac se Doctorem ecclesiæ jactitat, reliquis omnibus damnatis & conculcatis. Hinc illa certamina & pugnæ veræ ecclesiæ, & hostium ipsius, omnibus temporibus extiterunt. Ad v. 26. fol. 106. plurima notat de anticipatione sive prolepsi historica in sacris literis, ex Augustini Lib. II. de doctr. Christ. & multis confirmat exemplis. De conscientiæ læsæ angoribus egregia habet fol. 108. & de peccato originis ad v. 29. & seqq. fol. 109. Ad hujus cognitionem ex Paulo hauriendam adhortatur auditores his verbis: Si vultis feliciter versari in Theologia, ac sacrarum literarum studiis, neque impingere in Scripturam clausam seu obsignatam, ante omnia discatis peccatum recte intelligere, ac epistola ad Romanos sit vobis janua & clavis ad Scripturam sanctam, alioqui ad ejus intellectum & cognitionem nunquam penetrabitis. Tum vero intelligetis, quantum malum sit peccatum, propter quod Deus misit Filium suum, ut purgaretur sanguine Filii Dei, & ineffabili illa victima. Ideo enim & malum ipsum inenarrabile esse necesse est. Ad v. 38. fol. 113. b. de significatione vocum Hebraicarum, quibus sepulcrum & infernus significatur, erudite commentatur, & vocabulo שאולה intelligi statuit communem illum locum, sive receptaculum, quo omnes post mortem abeunt, etiam quoad animas. Citat Augustinum in Enchiridio ad Laurentium, ubi scribit: abdita receptacula animarum. Chaos, pergit Lutherus, illud incognitum nobis est. Neque id mirum esse dicit fol. 114. (errore typographi numeratur 104.) quod nihil de illo loco intelligimus, cum nec capere queamus, quomodo vivat homo, qui dormit. Ibid. fac. b. & fol. 115 purgatorii fabulam, a Gregorio, apparitione decepto, stabilitam, prolixe & solide refutat. Patres vero ante Gregorium cum judicio legi vult, negatque ex eorum dictis articulos fidei extrui posse, licet superioribus seculis ea dementia, ut loquitur, horribiles tenebras in ecclesiam invexerit.

(19) Ad cap. XLIII. Ad cap. XLIII. v. 15. cum Jacobi summam afflictionem abducto Benjamin, facunde descripsisset, memorabilem annotationem addit fol. 123. (per errorem sic numerato) scribens: Hæc exempla nobis proposita sunt, ut imitari ea & sequi discamus; quanquam Christi passio ante omnia perpetuo ob oculos esse debet, tamen infirmiora exempla Patriarcharum magis afficiunt, quam sublime illud Filii Dei. In Christo major humiliatio fuit, quam in omnibus patribus, sed nostrum cor non ingreditur, obstat enim hoc, quod scimus, Christum esse Deum. Patriarchæ vero vehementius nos movent, qui fuerunt homines, & nobis per omnia similes, quando in extremis difficultatibus versati sunt. Christi exemplum admirabilius est in Sacramento & dono, quo factus est nobis redemtio & salus. Ad v. 24. fol. 127. utilia monet de mendicis incognitis, & impostoribus. Ad v. 32. fol. 130. b. notabilia sunt, quæ disserit, cur Josephus ritum & religionem Ægyptiacam non mutaverit, & ut impossibile aliquando sit, omnia mala omnesque abusus abrogare. Nos, ait, fol. 131. agamus gratias Deo, quod multos nobis adjungimus per verbum. Cæterum nos oportet vivere cum idololatris, sive sub Turca, sive sub Carolo. Manet illud perpetuo, quod exprobrat Amos populo Israelitico: Coluistis idolum vestrum Remphan. (Act. VII. 43.) Adde fol. 135. b. Ad v. ult. ubi dicitur, inebriatos esse fratres Josephi, negat eos ebrios fuisse more Germanorum, sed ad satietatem bibisse, fol. 132. a. b.

(20) Ad cap. XLIV. Ad cap XLIV. 1. fol. 133. cultus electitios & flagellationes corporis, quæ in Hispania, decumbente Regina, susceptæ fuerant, graviter reprehendit. Ad v. 18. fol. 137. (per errorem numeratur 132.) confidentiam orationis Judæ ad Josephum miratur, & optat, ut tanto ardore nos Deum invocare possemus. Si nos, ait, tam perfecte possemus orare, præsertim in nomine Salvatoris & Mediatoris Christi, impossibile esset, talem precationem non exaudiri. Multa postea de efficacia & utilitate precum locutus, fatetur tamen fol. 137. b. non semper adesse precantibus, etiam piis, motum Spiritus sancti. Addit: Optimum remedium & consilium est, ad excitandum impetum precationis, ut legamus, psallamus, audiamus verbum, adhibeamus psalterii lectionem, aut ad cœtum publicum Ecclesiæ accedamus. Ibi tum paulatim incalescet cor, & accendetur Spiritus. Regulare enim hoc & usitatum est, quod Spiritus sanctus non semper tangit corda nostra gemitu inenarrabili. Cum vero tangit, tum conclusum & definitum est, quod penetravit nubes oratio, & impetravit hoc, quod petitur in cœlo & terra. Oder Himmel und Erde müste eher brechen. Insignis igitur ea precatio est, ubi primo omnium verbum, postea necessitas urgens, oculis & animo obversatur. Quando Diabolus impellit, mundus affligit, tum quanto atrocius urgemur, tanto ardentius petimus. Quia animus credentis movetur, & exsuscitatur in eo clamor & gemitus inenarrabilis. Junge, quæ habet fol. 139. b.

(21) Ad cap. XLV. Ad cap. XLV. 3. fol. 141. (numerus hujus folii incuria typographi mutatus est in 161. item sequentes ad fol. 145.) postquam de immanibus vitiis, in urbe Roma potissimum grassantibus, questus esset, piorum vitam non nisi perpetuam peccati destructionem esse docet, verbis summe notabilibus: Si sumus justi, & in eorum numero, sicut certe sumus, qui regnum cælorum adipisci cupiunt, sciamus nos esse baptizatos in mortem Christi, quem oportet nos sequi ducem, ut destruatur corpus peccati. Ac vita nostra in oculis Dei nihil est, nisi destructio, mortificatio & deductio ad inferos, non quidem ad perdendum, sed ad salvandum, liberandum, purgandum. Ea vero non tantum in verbo, sed & in opere consistat necesse est, sicut inquit Paulus: Regnum Dei non est in sermone. Peccatum hæret in nobis, siquidem in eo nati & concepti sumus. Caro est corrupta, quam Diabolus incitat ad omnis generis flagitia. Quid aliud ergo faciat Deus, quam ut purget, quanquam non potest fieri sine dolore & cruciatu. Es muß ja wehe thun / es muß gefühlet werden. Hanc tamen regulam, quod humiliemur, non ut satisfaciamus, sed ut mundemur, non in Papatu solum, sed & a piis Doctoribus, Augustino & Bernardo, non satis intellectam esse, haud dissimulat. Ad v. 5. fol. 146. b. & seq. pulcherrime ostendit, quomodo consilia Dei plane diversa sint ab humanis, idque vel maxime ab exemplo Christi, ad salutem nostram, suam vero passionem missi, probar.

An. 1546. bat. Capit inde solatium adversus persecutiones *fol. 148. b. Quid igitur faciemus*, ait, *cum ingruet persecutio? Num dicemus doctrinam nostram falsam, & religionem erroneam esse, propterea quod Principes & Reges eam damnant ac crudeliter persequuntur? Nequaquam. Sed sic statuemus: Dominus vivit, ego sum baptizatus, habeo verbum, utut insaniat mundus contra me, & rapiat omnia bona, & vitam meam, aut si fractus illabatur orbis, & sanguine & cadibus omnia misceantur. Quid ad me? Caro hanc constantiam præstare non potest. Et tamen si firmiter hanc fidem retinuerimus, tum revera sentiemus, Deum, in quem credimus, & cujus verbum habemus, esse omnipotentem. Quo consilio sinat savire Turcam, & Papam furere in Christianos, ego sane nescio. Facies ejus est admodum terribilis, quando Turca, Pontifex & tyranni ense & cadibus; haretici vero erroribus, haresibus & scandalis grassantur. Quis hic ostendet nobis faciem Dei, quam sane exoptamus intueri? Sed nihil fiet. Posteriora mea videbis, ait Dominus. Adhare verbo, & crede, & mihi omnium rerum administrationem & conservationem permitte.* Laß mich machen. *Tu vero, ne dubita uxorem, liberos, & cuncta, qua possides, potius in discrimen adducere, quam verbum meum abjicias aut abneges. Si non vides, quid modo faciam, Petre, scies autem postea.* Adde, quæ ex *Augustino* allegat *fol. 150.* & quæ ad v. 7. scribit: *fol. 151. b. Hodie Cæsar, Papa, & Mahometista non aliam ob causam vivunt & manent in hoc mundo, quam propter Ecclesiam, verbum & Sacramenta, quibus ablatis, statim peribunt, ut testatur Dan. XII. 7. Cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hac. Interea vero manent politia, manet generatio & educatio liberorum, quia nondum completus est numerus electorum, quorum multi nondum editi sunt in lucem.* Wenn aber nun die zahl erfüllet ist/ so soll Pabst und Türcke wohl sehen/ wo sie bleiben. *Ecclesia vero sola est conservatrix omnium rerum, & seminarium in mundo, quo propagatur & retinetur verbum & sacramenta, ad eam accedunt indies proselyti, qui audiunt & amplectuntur doctrinam cælestem. Interea etiam insaniunt contra nos Papa, Cæsar, Turca, & pugnant adversus columnas & conservatores suos, quos Deus alioqui ne faba quidem dignaretur, sed propter reliquias Ecclesia, obruit eos coronis, opibus, potentia, gloria, pro quibus hanc gratiam referunt Ecclesia Dei, ut persequantur reliquias, & prorsus perditas & deletas velint.* Paulo post tamen firmissimum solatium ex ultima liberatione sumit *fol. 153. Hodie*, ait, *Ecclesia indignis modis exercetur & affligitur; funditur sanguis piorum impune a Mahometistis & Papistis, foris pugna, ut Paulus inquit, & plena omnia pessimorum exemplorum; intus trepidatio & pavor animi, qua omnia hanc lucem nobis acerbam & invisam reddunt. Quid igitur fiet tandem? Post tot calamitates & miserias sequetur haud dubie immensum gaudium, & maxima gloria, qua exultabimus & triumphabimus mirabili & optata victoria de cunctis hostibus nostris, sicut dicitur 1. Petr. I. de passionibus Christi, & gloria consecutura. Atque utinam cito veniat dies illa redemtionis nostra & extremi judicii, eam enim multo avidius desidero, quam liberationem aliquam corporalem.* Denn wir kriegen doch einen andern Mahomet und Pabst. *Melius esset semel omnia misceri & aboleri, cum universis malis & ærumnis hujus vita, quam aliquam temporalem mutationem fieri. Scimus enim in omni perpetuitate paratum & repositum nobis esse gaudium ineffabile, & coronam immarcessibilem, quam modo non videmus. Tantum gemitus, lacrymas, ærumnas, oppressionem pauperum cernimus,* sehen dem Teuffel in den hindern/ *anteriora Dei non videmus. Sed credamus, speremus, expectemus, oremus, audiamus verbum, & in illo hæreamus.* Ad v. 17. *fol. 157. b.* laudat felicitatem vitæ domesticæ pie institutæ, eamque præfert omnium Canonicorum & monachorum jactatæ sanctitati, exemplum allegans his verbis: *Ante hac tempora Canonicus quidam Erfurdiensis mihi notus fuit, qui solus viginti duo beneficia habebat; cum vero in extremis laboraret, & incertus esset, quonam ex hac vita ipsi emigrandum foret, miserabili gemitu & ejulatu hanc vocem emisit plenam desperationis: O utinam fuissem in vita mea opilionis aut subulci alicujus famulus. Vivunt enim in diem, dum valent, sine Deo, sine luce & cruce, & sic etiam moriuntur. Danda igitur est opera, ut habeamus in nostro vita genere etiam temporalem promissionem, qua acquiescat animus. Sicut inquit Paulus 1. Tim. 4. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vita, qua nunc est, & futura. Sicut Patres habuerunt promissionem æconomicam, politicam & ecclesiasticam, sive æternam.* Ibid. *fol. 158.* laudata Pharaonis benignitate erga patrem & fratres Josephi, severe taxat avaritiam & tenacitatem Principum in promovendo ministerio Ecclesiæ, tum rapacitatem in spoliandis Ecclesiis. Ex quibus, paulo ante mortem Lutheri dictis, præter tot alia testimonia, quæ attulimus, manifesto constat, nullam ejus culpam aut peccatum in hoc genere fuisse. *Nostri Principes*, ait, *tantum rapiunt & expilant Ecclesias, & quanquam multa abundant reditibus, tamen pauci inde suppeditant, quod sufficiat in usus necessarios ministrorum & pastorum.* Man giebt gar zu wenig davon. *Adipem vero monasteriorum & collegiorum rapiunt ipsi, quod quidem in hac βδλιμία Pri[illegible]ium utcunque toleramus, sed meminisse ta[illegible] debebant hujus exempli, ut, si non adipem vel[illegible]are, ne tamen pro pane paleas præbeant. Nos Dei beneficio optimum Principem habemus, ac sunt alii quoque, qui serio afficiuntur cura Ecclesia, qui alunt ac defendunt Pastores, sed admodum rari sunt.* Ad v. 22. *fol. 159.* occasione vestium, quibus Benjaminum donavit Josephus, de mutatione mundi statuit, fore, ut Deus terram non solum, sed & cœlum longe pulchrius sit facturus, cum illa veteri indumento fuerint exuta; Jam enim non nisi quotidianam vestem habere, sed postea induenda esse vestibus mutatoriis, sive, quæ in solennitatibus festorum geri solent, Osterrock und Pfingstkleid. Allegat Esa. XXX. 26.

(22) *Ad cap. XLVI.* Ad cap. XLVI. difficultates in enumeratione filiorum & nepotum Jacobi satis diligenter excutit & resolvit, utilitatem tamen genealogiarum illarum unice refert ad Christum, ut appareat, eum non ex inhonestis & erronibus, ut Mahometem & Papas quosdam, sed ex honestissimis majoribus ortum esse *fol. 165. b.* (quod erronee

An. 1546. nec numeratur 157. Deinde divinam providentiam observat, quæ etiam circa minuta illa & exilia occupetur, *fol. 166.* Ad v. 28. occasione Judæ a Jacobo in Ægyptum præmissi, mediis ordinariis prudenter utendum esse monet, exemplo ipsius Dei, qui eam servat methodum, ut v. g. homines post creationem Adami & Evæ propagaverit per generationem, & Ecclesiam regat per ministerium, idemque in actionibus vitæ communis servari velit, *fol. 167. a. b. Arbor, non est cadenda stipula & culmo, sed securi;* sive ut Germanice id exprimit: Ich soll den baum nicht mit der nasen von einander hauen / sondern eine axt oder Segen nehmen. *Hæc semper,* addit, *repetenda & agitanda sunt in Ecclesia Dei, ut regia via incedamus, neque ad dextram, neque ad sinistram declinemus. Neque enim dubitandum est de promissione, nec tentandus est Deus, posthabitis aut neglectis mediis ordinatis divinitus.* Ad cap. XLVII. 1. *fol. 169.* modestiam Josephi laudat, non nisi sinente & permittente Rege suis prospicientis. *Rarissima,* ait, *sed præstantissima virtus est in omnibus Præfectis & Quæstoribus, qui hodie non imitantur exemplum Josephi, sed metas officii & mandatorum temere & impudenter transiliunt.* Wenn einer eine hand breit befehl hat vom Fürsten/so nimmet er einer gantzen ellen lang. Ad v. 3. *fol. 170. b.* de vitæ aulicæ molestiis & periculis, & quam pauci labores, quos Principes a ministris requirunt, sustineant, haud spernenda monet, & *Maximiliani* Imperatoris dictum allegat, quod, etsi vulgatum alias est, Lutheri tamen verbis referri meretur. *Magnus,* scribit, *est splendor & dignitas aulica pulchra & necessaria est, ac cupiditas humana magis rapitur pulchritudine, quam utilitate aut necessitate; siquidem tantum opes & commoda sua, ac suavitatem cum gloria conjunctam appetit, sed officia & labores nemo quærit, quin potius oderunt & defugiunt omnes. Idque omnes Principes, Reges & Imperatores semper questi sunt, sicut ferunt Imperatorem Maximilianum nobilibus suis, expostulantibus cum eo, quod in omnibus officiis & actionibus potissimum opera hominis plebeji, & Sacerdotis uteretur, qui postea Episcopus & Cardinalis Salisburgensis factus est,* (*Matthæus Langius* vocabatur) *respondisse: Cur vos non facitis, quos docebat has partes suscipere & tueri? Mihi opus est homine industrio & sedulo, per quem negotia mea expediam, at vos defugitis hæc officia, ideo scriba hic mihi deligendus fuit, qui labores aulicos sustineat.* Wenns der adel nicht thun will / so muß der Schreiber oder pfaffe thun. *Equites ego facile possum facere, sed viros idoneos ad gubernationem, & tolerantes laborum, & onerum Imperii, non possum creare. Difficillima enim profecto res est gubernatio.* Ibid. & *fol. 171.* laboriositatem *Joh. Friderici* Electoris incomparabilem narrat, deinde aulicos, nobiles præsertim, hortatur, ut labores aggrediantur, & difficultates animi robore vincant. Addit: Wer das nicht thun will / der bleibe davon. *Quia Deus non ordinavit administrationes suas, ut sint otiosæ. Sicut inquit Paulus; qui præest, in diligentia ministret ad utilitatem proximi. Non sint fuci ignavi & otiosi, qui alieno labore fruantur, sed faciant imperata, & norint, se vocatione & ordinatione divina in hanc stationem collocatos esse, ut sint fortes & animosi, nec frangantur periculis & procellis, quibus concutiuntur Imperia, ut vere hoc sint, quod dicuntur, strenui, generosi, magnifici, illustres &c.* Daß sie recht vest und ehrenvest seyn *in rebus honestis; accedat enim, oportet, studium pietatis & virtutis, ac timor Dei ad quamlibet gubernationem.* Add. v. 14. *fol. 174. & seq.* multus est in recensendis corruptelis Germaniæ, tum apud Pontificios, tum apud suos, & luxum atque profusionem acriter reprehendit, ut & tributorum aggravationem & augmenta. Sed quid diceret vir optimus, si nostra videret tempora? Addit ad v. 22. *fol. 176. b.* querelas supra plus semel editas, de tenacitate in alendo ministerio Ecclesiastico, & interversione sacrorum redituum. *Electorem Saxoniæ* laudat, quod, cum ex suo non possit, ex spoliis Ægypti (ex bonis Ecclesiæ, qualia sub Pontificibus fuerant) Ecclesias & scholas sustentet; graves etiam pœnas minatur, quod non tantum multi nihil contribuere velint ad pias causas, sed & inviti audiant concionatores Evangelicos, etsi nihil poscerent, sed vel ipsi stipendia & pecuniam numerarent auditoribus. Man will uns nicht gern hören und leiden / wenn wir ihnen gleich geld zugeben. Ad v. 26. disquirit, an Josephus Ægyptios veram religionem docuerit, & de eo dubitare quidem non vult, putat tamen non omnes conversos esse, & postea in veteres errores, immo pejores, ut est natura humani ingenii, esse relapsos. De Ecclesiæ Christianæ corruptione hæc habet *fol. 178. b. In Ecclesia Novi Testamenti statim secuti sunt Apostolos hæretici; item Episcopi, qui non norunt Dominum, postea monachi, & tandem totus Papatus, & universa abominatio stans in loco sancto. Atque omnes hi clamaverunt: Serviamus Deo aliquanto ardentius & majore pietate. Multa enim reliquerunt Apostoli addenda Ecclesiæ, Patres parum devotionis & ceremoniarum habuerunt, accumulemus nos plures cultus & ritus. Ad hunc modum aucta sunt ceremoniæ in Ecclesia, miscente Diabolo vera falsis, & ruentibus posteris paulatim in deterius.* Ibid. *fol. 179. b.* Zwinglii opinionem de salute gentilium refutat, & cum audire se dicat, eum allegasse opinionem suam ex *Commentario in Genesin*, quod etiam ex Cainitis aliqui salvati fuerint, respondet, se id etiamnum docere, sed salvatos esse statuere, non ut Cainitas, sed ut conjunctos Ecclesiæ Patrum. Verum hæc de commentario anno 1528. edito & *Tom. IV. Alt.* relato intelligenda sunt; aut de discipulis Zwinglii; ipse enim occubuit ante cœptas a Luthero prælectiones, quas hic referimus. Ad v. 31. *fol. 18[illegible]* verba; *adoravit ad caput lecti*, propter puncta Hebraica, obscura & ambigua esse fatetur, eaque occasione opinionem suam, alibi a nobis relatam, repetit, & incertam punctandi rationem esse existimat, certissimum vero Veteris Testamenti intellectum ex novo eliciendum esse docet, mavult denique suspendere de verbis parum liquidis sententiam, quam æquivocationibus aut catachresibus uti, quod postre-

(21) *ad cap. XLVII.*

An. 1546.

An. 1546. mum in *Bernhardo* reprehendit *fol. 183.* Ad cap. XLVIII. v. 17. *fol. 186. & sequ.* notatu digna sunt, quæ de rigore legis & de ἐπιεικείᾳ disputat. Ad. v. 20. ubi de Ephraimo, quem Jacobus primogenito Manassi prætulit, agitur, epistolam ad *Hebræos cap. XI. 11.* allegans, his utitur verbis: *Quisquis autor est epistolæ, sive Paulus, sive, ut ego arbitror, Apollo.* Verum hodie doctissimi quique, etiam ex nostratibus, non dubitant, Paulum autorem esse. Ibid. *fol. 189.* queritur, quod in Papatu de verbo Dei, quatenus promissiones gratiæ continet, altum fuerit silentium, ita ut in Decretalibus & Canonibus Pontificiis *ne syllaba quidem de illis reperiatur, sed tantum intonetur de confessione peccatorum, contritione, satisfactione, obedientia Papæ, & observatione regularum monasticarum.* Adde plura *fol. 190. b. & seq.*

(14) *ad cap. XLVIII.*

(15) *ad cap. XLIX. & L.*

Ad cap. XLIX. *fol. 197. v. 3.* regulam tradit, in interpretatione probe observandam, de constructionibus vocum, & iterum monet, cavendos esse dubios & æquivocos sensus, quo nomine inprimis culpat Theologiam Scholasticam, quam nihil esse dicit, quam opinionem. *Ajunt enim*, (scribit) vel *sic, vel sic, docendum & credendum est.* Ad v. 7. Simeonem & Levi, ob crudelitatem in Josephum exercitam, maledictionem Jacobi commeruisse censet, & Levitis, etsi dignitate sacerdotii honoratis, miserum tamen vitæ genus contigisse, ut ex decimis & collatione populi, maligne sæpe facta, & ex re pecuaria vivere cogerentur *fol. 219.* Transit inde ad generalem observationem, quam ægre ministris Evangelii præbeantur alimenta & salaria, quantaque liberalitas exerceatur erga cultus corrupti autores, indulgentiarum præcones, sacerdotes missaticos, monachos, merita & preces suas jactantes. *Natura* (ait *fol. 219. b.*) *est idololatrica & superstitiosa, fugit verum Deum, verum cultum & timorem Dei; sed fiduciam suorum cultuum & operum exaltat.* Dein versum 10. de sceptro Judæ & de Schilo *fol. 222. & seq.* contra Judæorum cavillationes egregie defendit, & tuetur opinionem, quam alibi jam probaverat, *Bernardi Zegleri*, Prof. Lips. qui *Siloh* a voce *Siliath* sive *Siliah* שליה sive secundinis *Deut. XXVIII. 57.* deducit, ut natum ex virgine significet. Ad v. 11. *fol. 224. b.* ignorantiam verbi divini, & bonæ interpretationis neglectum in Papatu, reprehendit etiam in *Gregorio* Papa, sive Episcopo, quem tenuem admodum sacrarum literarum cognitionem habuisse notat; unde mirum non sit, quod tales locos difficiliores explicare non potuerit, & quod traditiones humanæ totum pervaserint Papatum. Ibid. *fol. 225. b.* magnifice deprædicat magnanimitatem Apostolorum, Judæis Christi necem, & Romanis aliisque gentibus idololatriam intrepide exprobrantium, spreto, quod manifesto incurrebant, vitæ periculo. Cur vero eodem loco Christiani cum asinis, ut putat, comparentur *fol. 226. b.* rationem reddit, quia non debeant esse bellicosi, ut equi, sed onera portare. Fatetur etiam infirmitatem suam fol. 225. b. quod etsi fulmina Pontificia spernat, metum tamen quandoque non omnino superare possit, immo & ob assuetudinem in monachatu, pleno diffidentiæ & dubitationis, imbecillitatem fiduciæ de amore & gratia Christi sentiat. Felices ideo juvenes prædicat, qui jam nihil audiant de doctrina Papæ, & de efficacia sanguinis & meriti Christi planissime doceantur. *Fol. 229. b. 230.* exprobrat Pontifici & Clero mentem sanguinariam, & quod non verbo, sed gladio regere Ecclesiam velint; item *fol. 230. b.* nundinationem ex indulgentiis & operibus supererogationis. De necessitate & utilitate ministerii Ecclesiastici tractat *fol. 231.* Studium pacis commendat ad v. 14. *fol. 234.* (per errorem legitur 228.) & laudat rusticum in pago *Dabrum* prope Wittebergam, qui dixerat; *eum, qui duas vaccas haberet, alteram conferre debere ad retinendam pacem.* Ad. v. 16. *fol. 235.* ridet fabulam, quanquam antiquam esse non neget, de Antichristo ex tribu Dan orituro; cur autem Papam pro eo habeat, rationibus probat *fol. 235. b.* nempe quod Christianæ doctrinæ contraria doceat & vi defendat, traditionibus & legibus, veluti laqueis, conscientias constringat, & Ecclesiam captivam teneat, denique horribiliter fulminet, & non obedientes Satanæ tradat. Verba *v. 18.* sensu literali non ad Christum, sed ad salutem publicam populi Judaici, cujus afflictiones Jacob in spiritu prævidebat, pertinere putat *fol. 236.* Fatetur *fol. 238.* nullum caput in tota Scriptura tot interpretamentis tam varie laceratum esse, quam hoc ipsum XLIX. Ad v. 28. Lovaniensium theses, dogma de dubitatione tunc demum acerrime defendentium, vehementer exagitat, & ipsissimam Antichristi Theologiam esse censet, *fol. 244.* Ad cap. L. v. 15. *fol. 247. b. 248. & 249.* de conscientiæ angore, & quod non nisi fide in Christum & de remissione peccatorum tranquillari possit, commentatur, & adversariorum dogmata rejicit.

An. 1546.

(16) *Elogia hujus commentarii quædam, & aliquid de ejus versione Germanica.*

Hæc apospasmatia ex vasto de Genesi opere placitura esse spero piis lectoribus: Satisfacere etiam possunt adversariis, quos supra stomachari audivimus, quod ne una quidem periodus in scriptis Lutheri reprehensione careat. Cæterum opus hoc post aliquot annos Germanice verti cœpit a viro docto, *Basilio Fabro*, satis ex scriptis suis celebri. Is commentarium ad capita 25. priora transtulit, ut ex præfatione ejus, d. 29. Sept. 1557. Magdeburgi data, percipitur. Laborem ejus excepit, & reliqua Germanice reddidit *Johannes Gudenus*, Ecclesiastes Magdeburgensis: Uterque magnis elogiis Lutherum mactant. *Faber* inter alia scribit: Corpus hoc esse, sive compendium omnium scriptorum Lutheri, ita ut *Theologia Martini* dici posit. *Gudenus* nucleum divinæ doctrinæ in eo contineri judicat, & provocat ad *Melanchthonem*, cujus approbatione se versionem composuisse & edidisse scribit, item ad *D. Jonam* & alios. Majoris vero ponderis est testimonium *Augusti*, Electoris Saxoniæ, qui in privilegio, Germanicæ illi versioni, cum anno 1558. ederetur, præfixo, d. 3. August. scribit: *Sibi*

An. 1546.

Sibi notum esse, quod commentarius Lutheri in Genesin ex ultimis & optimis scriptis ejus sit, magna cum diligentia & ex illuminatione Spiritus sancti ante mortem perfectus. Illa autem versio Germanica constituit *Tomum nonum Altenburgensem* anno 1663. editum; in cujus tamen rubrica erratum est, quando scribitur, commentarium incipere *a capite XI.* cum *a capite I.* incipiat.

§. CXLI.

Ex scriptis Lutheri Germanicis hujus anni, præter versionem *Commentarii in Prophetam Hoseam Tom. VIII. Alt. f. 593. & seqq.* insertam, (quam ex *Tom. IV. Lat. Jen.* supra §. CXXVII. retulimus,) non nisi conciones quædam mense *Januario* & *Februario* habitæ extant. Prima habita esse dicitur *Halis* in *Festo Epiphaniæ* d. 6. Januar. vid. *d. Tom. Altenb. fol. 504. & seqq.* Excurrisse itaque *Halas* oportet Lutherum ante iter, quod postmodum sub finem mensis suscepit. In illo vero sermone articulum de tribus personis in unitate divinæ essentiæ, ex historia baptismi Christi *Matth. III. 13. & seqq.* egregie demonstrat, & auditores *fol. 505.* serio hortatur, si Christiani esse velint, & salutem sperent, ut fidem illam firmiter teneant, absque qua cœlum frustra petatur. (Ohne dieses Articuls Erkäntniß nehme ihm nur niemand für gen Himmel zu kommen.) Notat etiam, Spiritum sanctum ipsum visibili specie tunc apparentem, veluti auditorem & testem vocis illius cœlestis & revelationis fuisse, qui sublimem hunc articulum, qui captus nostri vires longe superet, nostri loco acceptaret, crederet, & cordibus nostris credendum imprimeret *fol. 505. b.* Summam quoque sanctitatem & excellentiam baptismi Christi mire prædicat, ita tamen, ut cum eo noster baptismus inseparabiliter cohæreat. *Oportet te* (ait) *cum tuo baptismo Christi baptismo inseri, Christi baptismus tuus etiam sit baptismus, & tuus sit Christi, atque sic unus baptismus;* (*d. fol. 505. a.*) unde summum de adoptione nostra solatium elicit. Rejicit hic obiter tum Turcorum lavacra, tum abusum Pontificiorum, & speciatim vanam de monachismi, quem baptismo præferunt, sanctitate jactantiam. Post hanc concionem, quæ d. 6. Januar. *Halis* habita esse dicitur, collocari ex ordine temporis debuisset, quæ *fol. 511.* exhibetur, & ultima fuit, quam Lutherus *Witenbergæ* habuit, *Domin. II. post Epiphan.* (mendose legitur *Dom. I. d. f. 511.*) (*d. 17. Jan.*) ad verba Pauli *Rom. XII. 3.* Hic, quod semper & quotidie a se & aliis piis Doctoribus audivisse dicit cœtum, denuo proponit & urget, ut duo dogmata probe observentur, primum de fide, alterum de fructibus fidei. Hanc methodum Pauli esse monstrat, qui, cum in epistola ad Romanos usque ad caput hoc XII. fidem & ejus naturam explicaverit, jam illo capite de fructibus fidei docere incipiat, idque ad finem usque epistolæ continuet. Ostendit autem Lutherus, non solum corrigenda esse vitia enormia, quæ omnes sciunt turpia esse & pœnam mereri, sed & curiositatis humanæ pravitatem reprimendam, quæ in cultu Dei non verbum ejus, sed sua sequi solet figmenta, v. g. licet præceptum sit, Deum solum esse invocandum, & vox cœlestis Patris de cœlo audita fuerit, *Hunc audite*, & sic Christo salus nostra & omnis cultus debeatur, argumenta tamen inventa esse ex ratiocinatione humana, de invocanda etiam matre Christi. In hoc etiam *Bernardum* errasse notat, cum ex præcepto, quod parentes sint honorandi, concluderet, Christum honoraturum esse matrem, ut intercessioni ejus pro peccatoribus locum daret. *Scio*, inquit Lutherus, *Deum posse nos, si vellet, per matrem Domini vel Sanctos juvare, sed quia per solum Christum juvare nos vult, hic invocandus est, non vero Maria aut Sancti.* Talia igitur omnia ex humanæ sapientiæ falsa argutatione profecta, rejicienda esse graviter monet, idque velle Paulum, cum vetet *plus sapere, quam oportet sapere.* Se, ait *fol. 512.* a plus quam triginta sectariis & Pontificiis conventum fuisse, qui docere ipsum voluerint, illos autem omnes repulisse ex principio illo; *Hunc audite.* Se itaque expertum talia, & cautum factum esse, (ich bin wohl gewitziget) & inde rogat auditores, ut conservationem veræ doctrinæ ex verbo suo a Deo precibus impetrent, fore enim, ut non tantum a Papa aut Cæsare, sed etiam culpa doctorum, in ipsa Ecclesia Evangelica orientium, ab eo abducantur; speciatim ab errore Sacramentario cavere sibi eos jubet *fol. 512. b.*

(1) *Concio Lutheri de baptismo Christi.*

(2) *Ultima Lutheri concio Witenbergæ habita.*

Postea, cum *Islebiam* proficisceretur, & *Halis*, ut dictum est, ob inundationem fluminis commorari cogeretur, *d. 26. Januar.* historiam conversionis Pauli, cujus memoria die præcedenti celebrata erat, ex *Actor. IX.* pro concione explicavit. Vid. *Tom. VIII. fol. 507. b. & seqq.* In exordio summum pretium maximamque utilitatem Paulinorum scriptorum commendat, vehementer improbans cultum superstitiosum, qui corpori & capiti ejus, ficto forte & ligneo, Romæ præstari solet, omnemque illum apparatum reliquiarum, quem *Albertus Moguntinus* Halis magna cum pompa instruxerat, contemnit. Cum vero monachi *Franciscani* adhuc *Halis* essent, conviciis & scommatibus in religionem Evangelicam petulanter grassantes, mirari se dicit, cur tolerentur, aut non compescantur. Pontificis etiam & Prælatorum peccatum gravius Paulino esse censet, quia non ex ignorantia, aut ex persuasione conscientiæ, sed ex proposito, & meliora scientes, doctrinam Evangelicam persequantur. Errorem Pauli, & odium in Christianos ante conversionem, inde originem habuisse dicit, quod, etsi probe versatus esset in lectione Veteris Testamenti, vaticinium tamen Moysaicum de Christo *Deuteron. XVIII.* non intellexerit, neque Christum in Scripturis quæsiverit: Hoc vero ex revelatione cognito, conversum statim fuisse & Evangelium prædicasse, idem nempe, quod a se prædicari asserit Lutherus, nempe *pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi, Actor. XVI. 18.* Frustra igitur Papam cum suis aliam viam salutis per opera monstrare ait, immo, nisi ab hac desistat, æternam damnationem non esse evitaturum.

(3) *Alia de conversione Pauli, Halis habita.*

Islebiæ prima ex concionibus, quas *Joh. Aurifaber*, Vinariensis, ut ipse in præfatione ad Comites Mansfeldenses d. 20. Jun. (*d. Tom. IIX. fol. 513.*)

(4) *Prima concio Lutheri Islebiensis, ante*

An. 1546.

(4) Sermo ejus habita, de Christo in navi dormiente.

memorat, ex ore Lutheri excepit, & *D. Cruciger* revidit, extat *d. fol. 513.* habita *Dom. IV. Epiphan.* d. 31. Jan. ad Evangelium *Matth. VIII. 23. & seqq.* Probat ex illo, exordii loco, duas naturas in Christo, explicat inde naturam veræ fidei, quæ soli verbo Dei innititur, & catenus Christiana est, distincta a notitia Dei naturali & corrupta, quam habent Turci & pagani; *Fides enim* (ait) *vera credit in Deum, qui est pater Domini nostri Jesu Christi, per quem solum ad patrem veniendum est, Joh. XIV. 6. nec patrem honorificat, qui non honorificat filium, Joh. V. 23.* Hujus fidei antiquitatem, efficaciam & durationem ad finem usque mundi, egregie prædicat *fol. 514. 515.* Perstringit inde superstitionem & idololatricos cultus in Papatu, variasque ejus sectas, inter se tamen eatenus convenientes, ut quælibet suo abundet sensu, & cultum fingat pro arbitrio, æmulas etiam inter se, sed contra vere fideles communi odio incensas. Postea de afflictione tractat, quam veram fidem docentes & profitentes expectare & pati debeant, exemplo Christi & Ecclesiæ omnium temporum. Acriter vero reprehendit Pontificios *fol. 516.* qui tantum gloriæ & utilitatis ex sacris suis corruptis retinendæ causa, Evangelicos persequantur, tunc potissimum, cum infirmos esse deprehendunt, & Christum veluti in navi dormire vident. Solatium ab auxilio Christi petendum esse monstrat. Hunc ab adversariis caveri jubet, eo vel maxime tempore, quo dormire & stertere videtur; subito enim, ait, evigilare illum consuevisse & uno nutu opem ferre, neque infirmam suorum fidem, precesque spernere, sed *spiritus inenarrabilibus gemitibus, Rom. VIII. 26.* aurem præbere. *Secundo* concionatus est *Islebiæ* in festo *præsentationis Mariæ* d. 2. Febr. ad Evangelium Luc. II. 22. & sqq. *Tom. VIII. fol. 517. & sqq.* Tractat multa de Legibus Leviticis, & ut Maria cum filio suo iis sese subjecerit, licet non obligata, nam legem Moysis ad filium Mariæ, qui in peccato genitus non erat, non pertinuisse, ideoque nec ipsum nec Matrem purgatione opus habuisse; putat etiam a doloribus & molestiis partus immunem illam fuisse *f. 518.* Quanquam non desint rationes, quibus moti alii Theologi ex nostratibus diversum sentiant. Legis deinde Christianæ observantiam, i. e. charitatem, omnibus commendat, ut nempe vere pii etiam ea præstent, ad quæ lege civili non obligentur, v. g. in donando & mutuum dando *fol. 518. b.* Addit quædam de primogenitura, ut & ejus aut aliarum prærogativarum causa superbire nemo debeat; vehementer tamen queritur, quod id fiat, magnaque injuria potentiores & opulenti in tenuiores grassentur. *Tertia* concio *Dom. V. Epiphan.* d. 7. Febr. habita ad Evangelium Matth. XIII. 24. & seqq. legitur *d. Tom. VIII. fol. 520. & sqq.* Disputat in hac contra errorem *Donatistarum & Catharorum*, qui Ecclesiam prorsus puram & ab omnibus zizaniis purgatam exigebant, quorum insaniam *Münzerus* fuerit secutus; itaque mirandum esse negat, quod post reformationem Evangelicam non tantum plurimi vitam non emendaverint, sed & variæ sectæ sint exortæ, inter quas etiam refert *Sacramentarios.* Tractat deinde, quomodo zizania illa violentis quidem modis evellenda non sint, vitari tamen debeant. Exemplum a corpore humano sumit, quod sordibus nævisq; aut morbis non caret, neque tamen ideo occiditur, sed purgatur, aut medicaminibus sanatur; item a conditione Christianorum, qui fidem habeant, & nihilominus pravas in se cupiditates sentiant, in quibus frenandis & expurgandis tota vita occupentur. Addit notatu digna de infirmitate fidei, qua summa illa & incomprehensibilia beneficia Dei, per Christum nobis exhibita, ea cum animi lætitia, eaque cum infirmitate fiduciæ credere non possumus, qua debemus, & deplorat frigiditatem nostram. *Non penetrant* (divina illa bona) ait *fol. 522. in cor, in ossa & medullas, non sapiunt, non vivunt in nobis, non solantur & exhilarant, ut par esset.* Es wil uns nicht ins Hertz / Marck und Bein gehen / schmeckt und lebt nicht / tröstet und erfreuet nicht / wie es solte. Ideo a Petro admoneri nos dicit *II. Petr. III. 18. Crescite in gratia & in agnitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.* Hoc observandum scribit esse Christianis, ne cogitent, se omnia didicisse & perfecte credidisse, (hätten alles ausgelernt und ausgeglaubt) verum ut semper intenti sint & laborent, ut crescant, & vitam illam vere christianam, quæ plena est solatii & lætitiæ, in se habeant. Allegat ex historia martyrum exempla firmæ & robustæ fidei, & summæ etiam in tormentis & morte lætitiæ; fatetur autem, raro prægustum aliquem talis felicitatis sentiri; longissime vero abesse ab ea dicit non solum adversarios in Papatu, v. gr. Lovanienses, quorum theses nuper editas perstringit, sed & magnam Evangelicorum partem, quibus voluptates & opes bonis illis spiritualibus longe sint potiores. Commendat igitur *fol. 523.* gravissimis verbis primo quidem fiduciam in gratiam Dei & merita Christi, deinde continuam luctam & quotidianam expurgationem. *Non remittuntur nobis*, ait, *peccata, ut agamus postea, quæ lubet, sed injungitur; qui justificatur, justificetur amplius, Apoc. XXII. 11.* id quod pluribus egregie explicat. Ab illo exemplo, ut mala intra nos ferre quidem, sed superare & expurgare debeamus, disci posse docet, quomodo cum malis & zizaniis in Ecclesia agendum sit; Repugnandum illis esse statuit verbi divini prædicatione, seriaque cohortatione, renitentia etiam & excommunicatione, ne falsa docentes in suggestum adscendant, aut ad altare ministrent, aut in orthodoxos dominentur; sed vi & manu contra illos non esse grassandum. De his tribus concionibus dubium quidem non est, quin eo tempore habitæ sint, id enim in inscriptionibus, quas retulimus, indicatur, & congruunt textus Evangelici atque ephemerides, sed quomodo huc referri possit *quarta*, quæ in die *Matthiæ*, Apostoli, habita esse dicitur ad Evangelium Matth. XI. 25. sqq. & extat *d. Tom. VIII. fol. 526. & sqq.* id sane obscurum mihi esse fateor. Festum enim *Matthiæ* incidit in diem *24. Febr.* cum Lutherus decessisset *d. 18. Febr.* Accedit, quod autores apologiæ contra *Wolfium*, sæpe citatæ, *Kirchnerus, Selneccerus & Chemnitius fol. 512.* concionem Lutheri ultimam habitam fuisse dicunt d. XIV. Febr. id est, *Dominica XIV. Epiphan.* quarto ante obitum suum die. Ex ea autem allegant verba, quæ in hac ipsa concione, quam in *festo Matthiæ* habitam fuisse *d. Tom. IIX.* legimus, paulo post exordium reperiuntur. Per illa

(5) Secunda concio de purificatione Mariæ.

(6) Tertia, de zizaniis sive hypocritis in Ecclesia.

An. 1546.

(7) De quarta concione in festo Matthiæ.

An. 1546.

illa acriter reprehendit & veteres & novos hæreticos, qui non contenti verbis & institutis Dei, alia ex ambitione & curiositate excogitaverint, & inter hos diserte numerat, quos vocat, Sacramentarios. Ratio itaque Luthero aliqua fuit, ut ab ordinario textu Dominicali, ut quidem alio quoque tempore facere solebat, discesserit, & hoc Evangelium, festo *Matthiæ* destinatum, per anticipationem explicaverit. Brevis autem fuit concio illa. Severe in illa taxat sapientes & prudentes, quos Christus in oratione illa sua *Matth. XI.* rejicit, eosque phrasi Aristotelis vocat sapientes non re, sed δόξα, id est, opinione. *Horum unus* (ait *fol. 528.*) *consilia multorum sapientum impedit & inutilia reddit, & vult sapiens esse in nomine Diaboli, cum tamen sit stultus.* Ein solcher Mann im Rath hindert die andern / daß sie mit keinen Sachen fortkommen können / denn er wil ins Teuffels Nahmen klug seyn / und ist doch ein Narr. Commendat inde in rebus fidei sapientiam veram, a Deo revelatam, & a Christo prædicatam. *Hoc nunc* (ait) *liquidissime aut largissime fit. Antehac ad fines terræ cucurrissemus, si locus, ubi Deus loqueretur, notus nobis fuisset. At nunc quotidie in templo & domi verbum ejus audimus, aut in libris legimus, sed cum satietate & nausea. Itaque alia quæruntur, sudarium Christi in urbe Trevirensi, bracca Josephi & tunica B. Virginis Aquisgrani:* Illas superstitiones haud leviter exagitat, pios vero ad constantiam in audienda verbo Christi, & ad recipiendum jugum ejus, & ad patientiam in cruce hortatur. Claudit sermonem hoc voto: *Deus det nobis gratiam suam, ut verbum ejus pretiosissimum grata mente acceptemus, in agnitione & fide Jesu Christi filii ejus crescamus, & in professione verbi ejus beatissime ad finem usque persistamus. Amen!* Hæc ultima Lutheri verba fuerunt de suggestu pronunciata, quibus Deus hucusque annuit, ita ut & in oppido illo, in quo dicta sunt, & tot egregiis provinciis & urbibus veræ doctrinæ, quam Lutherus per annos fere triginta ore & calamo asseruerat, publica professio conservata fuerit. Rogandus autem est, ut eandem gratiam posteritati quoque ad finem usque seculi concedat, nec beneficium hoc suum ob ingratum plerorumque animum auferat. Supersunt fragmenta veluti quædam ex *Tomo VIII. Alt.* paucis recensenda. Repetendum autem est, quod *d. Tom. VIII. fol. 502. & seq.* in actis anno 1545. de dictis Lutheri ad *D. Georgium Majorem* narratur, pertinet enim ad acta hujus anni 1546. ut §. *CXXVIII. n. 13.* innui. Acriter nempe questus esse apud D. *Majorem*, sibi tunc valedicentem perhibetur *Lutherus*, quod inter Professores Wittenbergenses essent, qui de cœna Domini non satis clare docerent & concionarentur, eos autem hypocrisi illa sua plus nocere dicebat, quam apertos adversarios. Hæc, & quæ *Lutherus* in ultimis concionibus paulo ante relatis contra opinionem Helvetiorum publice professus est, item epistola d. 17. Jan. ad *Jacobum Præpositum*, Bremensem Superintendentem, scripta, certo sunt indicio, eum in sententia sua de præsentia reali ad mortem usque perstitisse.

(t) *De sermone Lutheri cum D. Georgio Majore, de cœna Domini.*

An. 1546.

Accedit, *D. Razebergii* testimonium, qui in *historia MS.* narrat, relatum esse, ut verissimum, & multa cum asseveratione, quod Lutherus, cum *Islebiæ* finem vitæ suæ instare animadverteret, cuidam *M. Johanni Rothio*, qui postea Pastor ad D. Nicolai Islebiæ factus est, negotium dederit, ut, si Wittenbergam veniret, *Melanchthonem* suo nomine serio hortaretur, ut memor esset ultimi inter sese colloquii, in quo constituissent, ut *Melanchthon* in Locis communibus, quorum novam editionem parabat, quædam omitteret; id quod ad quæstionem sacramentariam maxime pertinebat. Refert etiam *D. Joachimus Morlinus*, Episcopus Sambiensis, in libello anno 1565. edito, qui apologiæ *Wolfio* oppositæ & sæpe citatæ adjectus est, *fol. 512.* Lutherum Islebiæ paulo ante obitum, præsentibus & cum eo convivantibus egregiis viris, palam dixisse, inter alia, quæ, si viveret, effecturus adhuc esset, propositum sibi esse, ut dissentientes in articulo de Sacramento denuo refutaret. Hæc itaque & plura, quæ *Morlinus* in libello isto adducit, refellunt, quæ an. 1564. ab *Heidelbergensibus*, post colloquium *Maulbrunnense*, sparsa fuerant de *Melanchthone*, qui dixisse ferebatur, Lutherum in ultimo colloquio cum ipso habito eorum pœnituisse, quæ contra Helvetios scripserat, & fassum esse, nimia esse quæ fecisset, (es sey der Sachen zu viel geschehen) neque tamen, ut *Melanchthon* petebat, publico quodam scripto corrigere illa voluisse, veritum, ne doctrinam suam suspectam redderet. *Hospinianus* ista narrat *Part. II. Hist. sacr. fol. 201.* & quidem verbis *Alexandri Alesii*, autoris in hac materia non omni carentis suspicione. Interim conciliari illa cum tot paulo ante mortem dictis scriptisque *Lutheri*, quæ allegamus, & *Morlinus* pluribus prosequitur, nequaquam possunt. Verborum asperitatem agnoscere potuit *Lutherus*, & fortasse tale aliquid audivit *Melanchthon*, si modo vera sunt, quæ ex illius ore narrantur; sed in sententia ipsa quidquam illum mutasse, a vero plane abhorret, nec sine summa viri injuria, qui candorem & constantiam documentis irrefragabilibus probavit, præsumi aut asseri potest. Inter ea, quæ *d. l. Tom. VIII.* ex Lutheri scriptis referuntur, est collectio paraphrasium Lutheri, in dicta quædam illustria Scripturæ, quas rogatus Bibliis amicorum inscripsit. *Vid. fol. 531. ad fol. usque 567.* Adduntur etiam *fol. 567. & seqq.* alia quædam, quæ hoc anno recusa sunt, v. gr. *Forma benedictionis conjugum*, das Traubüchlein *d. fol. 567. Liber Cantionum fol. 570. Epistola* quædam, quæ diem & annum non habent, *fol. 588.* sed hæc, ut minuta præterimus, nec opus est, ut de versionibus Germanicis *Commentarii in Hoseam fol. 593. & seqq.* & *Chronici* sive *Millenarii fol. 733. & seqq.* agamus; factum enim id est in actis annorum, in quibus Latine prodierunt.

FINIS LIBRI TERTII.

****

Epilogus.

AD metam operis perventum est, non eam sane, quam mihi ab initio propositam, *in præloquio additionum libri primi* indicavi, sed quam necessitas non una mihi injunxit. Constitueram equidem Maimburgii distributionem sequi, & librum *secundum* in historia anni 1546. *tertium* in nostræ ætatis actis terminare: Nec impossibile fortassis hoc fuisset, si mihi quinque annorum tempore, quod post conscriptam a me partem *primam* præteriit, pro arbitrio & voto uti licuisset. Allegavi *in præfamine prodromi anno 1689. mense Aprili* editi, remoræ causas quasdam, turbatam inprimis anno 1688. Gallorum irruptione quietem Germaniæ publicam & privatam, natas inde mihi solicitudines, illata etiam in Franconia rebus meis damna, nec parum auctos, quos patriæ debeo, labores; turbata sunt studia, quæ tranquillitatem & attentionem desiderant. Sed supervenit, paulo post quam ista scripsissem, longe gravius impedimentum a morbo corporis, nam renes calculis, mense Julio anni illius turgere, eosque, ut solent, exquisitis cum doloribus expellere cœperunt, neq; hucusq; ab intestini hujus hostis insultibus liberari potui. Pugnandū cum eo fuit ductu Medicorum, tanto quidem iniquius, quanto minores sunt vires senili corpori, quantoque vehementius ejus imbecillitates & morbo & mœrore, quem publicæ calamitatis consideratio animo hominis, antiquæ rectitudinis & patriæ amantis, infligere solet, exasperantur. Certe plus semel despondi animum, & proxima hyeme, ingravescente tunc inprimis morbi intemperie, adjutorem vel successorem in hoc labore serio respexi. Singulari vero DEI benignitate factum est, ut continuata, magna quidem sæpe cum molestia & ægritudine, opera, non solum Librum *primum* revidere, multisque locis corrigere & amplificare, sed & *secundum* & *tertium* ab anno 1525. ad usque 1546. absolvere potuerim. Quomodo id præstitum sit, in novo, quod post titulum Voluminis legitur, *præfamine*, pluribus indicavi. Nunc rationem moræ reddo, & lectores rogo, ut contenti sint his, quæ præstare non sine insigni exhausti annis & morbis corpusculi defatigatione potui, utque perfectionem operis ab aliis, si qui ad id animum appellent, & adjumentis instructi erunt, expectent. Cæterum cum conclusio aliqua prolixo satis libro subjungenda sit, memini equidem ex *Lib. II. ad Herenn.* quod in genere, quale tracto, judiciali, tripertiti esse soleant epilogi, constentque *enumeratione, amplificatione & commiseratione*. Sed ab his scholæ legibus dudum emancipatus, quæ mihi, nunc ultima forte vice literatorum populum alloquenti, pro gravitate materiæ, de qua scribo, succurrunt, simpliciter potius, quam anxie servata ordinis ratione aut styli cura, exponam. Inserendum prius esse duxi epilogum, quo finem *Libro primo*, in *editione anno 1688.* imposui; continet enim pleraque, quæ de toto, quod nunc prodit volumine, dicenda mihi essent. Scripsi autem tunc sequentem in modum: *Finio Commentarium ad librum primum Maimburgianum ejusque Additiones, & Supplementum. Vellem equidem, ut dispositionis & elocutionis* ἀκριβείᾳ *& politura lectoribus judiciosis & delicatis satisfacere potuissem: sed, ut in* Præloquio *monui, a me exigenda non sunt omnia ornamenta, quæ a viris, qui ætatem in literis consumserunt, præstantur. Operam dedi, ut exhiberem, quæ pro ingenii viribus, tum pro instituto & conditione mea, potui. Ante omnia vero veritatis & bonæ fidei, in referendis, quæ ad historiam pertinent, rationem habui. Ex dogmatibus Lutheri, per hos annos publicatis, retuli, quantum opus fuisse existimavi, candide & adscriptis ejus verbis. Judicium aliquod meum ubi interposui, aut ad objecta respondi, curæ fuit, ut id modeste facerem. Mihi tamen non minus quam aliis scripsi: nec dissimulo, me, ut gravitas causæ poposcit, singula controversiarum, quæ tangenda fuerunt, puncta ita expendisse, quasi statuendum mihi nunc esset, in quas partes ire deberem. Id meditationis & examinis genus etsi periculosum esse videatur, nec omnibus forte expediat, putavi tamen pro qualicunque rerum, quam habeo, notitia, nihil magis ad firmandam in veritatis professione mentem conducere. Agitur de animæ salute, quam qui non summa inquirit diligentia, & inventam omnibus rebus præfert, Christianus dici potest, re non est. Horrendæ sunt vituperationes & minæ, quas quotidie, & nescio, quo omine, frequentius hoc tempore, quam a multis annis factum est, ab illa parte audimus, quæ nos pro hæreticis, immo (quæ impudentia scriptorum ex inimica gente est)* pro diaboli discipulis *palam pronunciat, pro trito illo maxime, immo si summam disputationum consideremus, unico argumento,* quod extra Ecclesiam, *qualem scilicet ipsi soli se habere ajunt,* non sit salus. *Sunt tamen, qui ne sola nitantur decretoriæ illius formulæ pronunciatione, nova indies procudunt vaframenta, aut veteres recoquunt argutias, quibus nostra refutent, sua incrustent.*

Experi-

Experimur quo eventu vibrentur tela ista. Plerosq; quidem prosterni apparet, quod major illis seculi ejusque præsentium commodorum, quam futuræ æternitatis respectus est: aliquos tamen injecti istis artibus conscientiæ scrupuli subvertunt. Cautiores itaque nos calliditas & insectatio adversariorum facere debet, ut veritati accurate & unice studeamus. Id quidem ut facerem, a teneris annixus sum, senecta tamen mea, tantoq; propius instans in tribunali divino comparitio, acriori ad id urget stimulo. Itaque libros illos, ad quos commentor, aliosque ejus generis plurimos, non curiositatis aut temporis fallendi causa, sed ita lego & examino, ut paratus sim ad refellenda falsa & acceptanda quæ vera sint: id enim Apostolico monito convenire credo, quo jubemur omnia explorare. Mirifice vero lætor (id quod in elaboratione hujus Commentarii sæpe mihi per Dei gratiam contigit) cum speciose licet & subtiliter ex adverso excogitata & prolata pervestigans, nihil deprehendo, quod ejus, in qua natus & educatus sum & adhuc versor, Ecclesiæ fidem convellere valeat. Sua quemque conscientia, adhibitis legitimis eam instruendi modis, fidere & obsequi debere, mihi indubitatum est: ut vero autoritatem & dictamina hominum in causa salutis æternæ pro lege agnoscam, huc usque persuadere mihi non potui. Sit expeditior illa via, & in tempore & loco ad commoda hujus vitæ & quietem politicam utilis, magnamque habeat speciem; quamdiu tamen non ostenditur a Deo ad salutem adipiscendam præscripta esse, & ad beatam æternitatem ducere, non potest mentem tranquillare. Hæc enim ex verbo Dei suoque intelligit testimonio, quod sua quisque fide vivat: illa autem altiori quam humanæ autoritatis fundamento niti debet. Ita sentiens, ut dixi, ad laborem hunc scribendi accessi, ut mihi ipsi quoque scriberem, utque in veritate tam historica quam dogmatica magis magisque firmarer. Sophistarum artes in hoc negotio locum minime habere debent: desendere enim, non ludi causa, sed adseverantis specie, verbis aut scriptis, quæ cor intus neget, si excusari (quod nescio) in quibusdam rebus possit, in religione utique non potest. Consentire in hac lingua menti debet mens linguæ; aut non est religio, sed hypocrisis & sycophantia. Habeatur licet ab aliis pro stultitia aut hæresi quod credimus, dicendum tamen cuivis vere Christiano est cum Paulo (Act. XXVI. 24.) coram tribunali quocunque, maxime illo quod Synagogæ dictaturam imitatur & superat: Confiteor, quod secundum sectam, quam dicunt hæresin, deservio patrio Deo meo, credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt. *Hanc ergo benignitatem a legentibus, iis etiam, quibus diversus de capitibus religionis sensus est, in conclusione libri hujus nunc pero, ut me serio & bona fide agere existiment. Facta, quæ retuli, documentis suis constant. Nihil a me confictum, detortum aut depravatum est; ignobile id semper & ubique, in sacris vero execrabile esse judico. Eandem autem, quam pro me exorare cupio æquitatem, aliis offero & præsto. Neminem, sicuti non possum, ita nec volo cogere, ut adversus conscientiæ suæ dictamen iis, quæ trado, adstipuletur. Neque illico & sine discrimine damno dissentientes. Quo loco illos habeam qui verborum strophis, dein si non succedat, armatis illis & cruentis doctoribus, quorum fama ad nos pervenit, raptare nos in suos cœtus obtorto collo volunt, celare non potui. At spero, immo confido, esse inter adversantes, etiam ex primoribus sacri & civilis ordinis, qui persuasi (erronee licet) de suæ sectæ veritate, non nisi hujus causa, eoque qui eam profitentes decet modo, nobiscum agere velint: ita scilicet, ut ab omni vi & dolo abstineant, & si quos argumentis sincere perpositis permovere non possint, ex sua sinant Deum colere & salutem sperare sententia, quam ex divina revelatione concepisse se credunt, cujusque publicam alicubi professionem stipulati sunt. Ea moderatione in Germania omnes esse oportet, in qua sanctissimis pacis legibus modus positus est, intra quem, diversa licet circa religionem sentientes, tranquille vivere & pro communi patria consilia & vires jungere possumus & debemus. Exteris itaque potissimum, quorum bilis in nos despumat, & qui, ubi possunt, moliuntur aut civibus nostris suggerunt suæ methodi, qua unitatem religionis domi procurant, exempla, in Commentario hoc meo oppono, quæ conducere existimo ad repellendas calumnias, quibus reformationem religionis, quam* Lutheranismum *vocant, diffamare sparsis tot historiis & libellis non cessant. Potuissem commodiori & accuratiori ordine in scribendo uti, sed dum libri Maimburgiani vestigia premo, aliquando & meo evagor arbitrio, facile fieri potuit, ut & turbatus sit ordo, aut allatum sit in* Additionibus *præsertim, quod tenue & minutum haberi possit, vel in repetitionem otiosam degeneret. Sua nempe quemque voluptas trahit. Ita quæ mihi notatu digna, nec lectu injucunda visa sunt, aliis forte levia esse videbuntur, aut fastidium parient. Ita fert humana conditio, & ut palati, sic ingeniorum infinita est diversitas. Neque tamen nocitura esse credo, quæ non prosunt, nec facile liber est, in quo non sint quæ abundent, aut absint quæ desideran-*

deranțur. Repetitionis vero vitium ætati, cui fere adhæreſcit, condonari peto.

Cæterum quod Epilogi officium eſt, κεφάλαιον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις (Hebr. VIII, 1.) brevem instituti & ſcopi, dein rerum præcipuarum recapitulationem ſubjungo. Scriptoris Galli librum primum integrum Latine verſum, ſed in partes ſive commata diſtinctum exhibui. Quæ vera attuliſſe viſus eſt, in Commentario & Additionibus intacta reliqui, eoque ipſo tacite, aliquanto & expreſſe, approbavi; ubi omiſit quæ tradi debere exiſtimavi, ſupplevi; ubi erraſſe cum judicabam, correxi. Materia utrique in univerſum eadem, mihi laxior, pro libertate quam habui, & pro eo quod delegi ſcriptionis genere. Itaque duplo plura ſunt & ultra, quæ ego ex autoribus MSS. & editis congeſſi: horum etiam ſtant fide. Quæ vero ipſe aut conjecto aut ſtatuo, cenſuræ legentium ſubducere non poſſum. Id in Præloquio agnovi, & judicia acerba & indecentia deprecatus ſum; feram autem qualiacunque, incertus an calumniis reſpondendi moleſtiam ſubiturus ſim. Obſtat ſenecta & inanis contentionis tædium, corrigam tamen quæ erronea eſſe demonſtrabuntur: immunem enim a lapſu inepte me venditarem. Præcipua vero rerum capita, ex quibus judicium de religione pendet, & circa quæ ab adverſario plerumque diſcrepo, hæc eſſe videntur. Statum Eccleſiæ ante annum 1517. bonum & legitimum præſupponit Maimburgius; ego miſerum & correctione digniſſimum, non tam ex meo quam illorum judicio aſſero, quorum teſtimonia rejici non poſſunt, cum earundem fuerint partium, immo partium capita. Nam Adriani VI. Pontificis confeſſio utique ab illa Eccleſia accipi debet, cujus is ſummus fuit antiſtes, immo ex ejusdem hypotheſi infallibilis. Indulgentiarum impugnationem juſtiſſimam, nulloque quam veritatis ſtudio a D. Martino Luthero inceptam fuiſſe, probatum, uti ſpero, dedi; monſtravi etiam, quam imprudenti conſilio, ſed Deo ſic gubernante, Lutheri monitis fuerit repugnatum. Ipſius dein Lutheri ortum, ſtudia, mores ita deſcripſi, ut neque dotibus, quas a Deo habuit, detraxerim, neque illi plus, quam fas fuit, tribuerim: hominem enim fuiſſe nævosque ſuos habuiſſe non diſſimulavi. Doctrinam ejus non ſubita inſpiratione, ſed meditatione & profectu incrementa & progreſſus habuiſſe trado, nec tanto hominum numero promiſcue & temere, ſed ita placuiſſe, quatenus divinæ veritati ex productis ſacrarum literarum, quæ eo usq; ſpretæ & neglectæ erant, teſtimoniis & operante intus in mentibus Spiritu ſancto congruere fuit deprehenſa. Pontificis Romani ſupremam circa fidem & regimen Eccleſiæ poteſtatem trepide quidem ab initio, ſed apertius poſtmodum in dubium vocaſſe Lutherum, dudum omnibus conſtat. Quibus id argumentis fecerit, non potui tacere, ſicut nec quæ pro defendendo illo potentatu, dicta, ſcripta & geſta ſunt. Hic cardo tunc, aliud licet ab initio agente Luthero, ſed & hoc dirigente Deo, factus fuit, & hodie eſt, litis & ſchiſmatis, quod tantis calamitatibus per duo pene ſecula orbem Chriſtianum involvit, tantoque conſtitit ſanguine. In hoc, quicquid de diſſenſu in dogmatibus multa cum acerbitate diſputetur, tota hæc malorum congeries, ſed & alterutrius partis conſcientia & ſalus, vertitur. Nam qui poteſtatem Pontificiam divini juris eſſe ſtatuunt, neque tamen iis evincunt probationibus, quæ Deo & conſcientiæ hominum ſatisfaciant, interim eam per anathematum fulmina, & per Regum ac Principum ſubſidiaria arma populis obtrudunt, illi, inquam, (ſic urgente hypotheſi) graviſſime peccant. Imperium enim illegitimum ſibi rapiunt, & pro libertate non illicite nitentes bonis, honoribus, vita, &, quantum in ſe eſt, etiam ſalute æterna ſpoliant. Sic graſſantes Antichriſti charactere ſe ipſos inſignire, licet in multis dogmatum capitibus aut mitius aut plane non errarent, graviſſimis argumentis ex Proteſtantium parte dudum oſtenſum eſt, & nunc quoque, ut ex libris recens editis apparet, magna allegatur evidentia: inter quos laudari utique merito debet Viri clariſſimi Samuelis Pufendorffii tractatus noviſſimus de habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem. Utinam hæc æquo & integro judicio conſiderarent, qui uno illo præſidio hierarchico nituntur, & intra cancellos Tridentinorum decretorum Eccleſiam Chriſti coarctant! Hæc eſt illa quæſtio, cujus, (quā recte ſic formatæ, hic non diſputo) deciſio aut tyrannidis Antichriſtianæ reos facit Hierarchiæ violentos propugnatores, aut rebellionis eos qui obſequium ei denegant. Ab hoc crimine Proteſtantes abſolvi non poſſe agnoſco, niſi ex iis, quæ majores noſtri pro ſe allegarunt, & nos quotidie contendimus, appareat, demonſtratum non eſſe, quod utique ab adverſa parte demonſtrandum erat, divinum quod jactatur, Pontificiæ poteſtatis jus. Eo enim non probato, liberum omnibus fuit ſalva republica, & illæſa cujusque conſcientia, poſt deprehenſos abuſus, nucleum veritatis Chriſtianæ retinere, & putamina circumpoſitorum curioſitate nimia dogmatum, multo magis quæ ad honores ſaltem & commoda cleri augenda inventa fuerunt, rejicere; poſteaquam præſertim nullis precibus & ſubmiſ-

submissionibus impetrari potuit excessuum & errorum emendatio. Sane quantumcunque pro zelo suo exarserit Lutherus, ea tamen his septem prioribus annis, & multis qui secuti sunt, immo ad finem usque vitæ, fuit moderatione, ut Pontificum, Episcoporum & Prælatorum dignitatem & functionem, licet eo quo invaluerat modo per homines introductam esse ostenderet, tolerare tamen, agnoscere & conservare vellet, si modo defectus quidam enormes corrigerentur, & dogmatum puritas stabiliretur, permissa & promota verbi divini prædicatione & lectione, usuque Sacramentorum Ecclesiæ ad debitam formam restituto. Satis itaque & tunc charitati & concordiæ datum fuit. Quia tamen nec auditus ipse est, nec obtineri ea postea potuerunt majoribus auspiciis, frustraque fuere tot consultationes & comitia, totque bellorum molimina, male profecto merentur de republica & religione, qui causam, post toties repetitas pactiones, in illud præcipitium denuo absque necessitate adducunt, ut vel tyrannos vel rebelles esse oporteat, qui circa sacra dissentiunt. Aliud egerunt Pacificationum in Germania augusti & magni autores, Cæsares & proceres; aliud Reges & Principes optimi, qui in partes venerunt, aut subditis libertatem sacrorum indulserunt. Vitarunt extrema ista, Deoque judicium pia cum submissione detulerunt, cujus etiam providentia & benignitate factum est, ut in ipso schismate, etsi de regimine & quæ ab eo dependent controvertatur, (cui cætera fere prætextus causa accedunt) in multis tamen & summis religionis capitibus consensus manserit, & verbi divini testimonia conservata fuerint, per quæ operante Spiritu sancto eo tempore eoque modo, quem Deus destinavit, errores corrigi possunt, quod nulla nec astutia nec vis humana effecerit. Huic ergo viæ tutissime insistitur, nec aliam Deus ab Ecclesiæ aut Reipublicæ capitibus exigit, immo intempestivum zelum raro impunitum sinit: magno enim ille cum periculo exercetur, ut aut falsa pro veris imperentur, aut cum zizaniis etiam triticum evellatur.

Cæterum defectus & errores, quorum causa disputatum illo tempore fuit, quanquam ab innumeris ante me adducti sint, intelliguntur tamen denuo ex illis, quæ ex Lutheri scriptis hoc septennio editis retuli, nempe de indulgentiis: *de* purgatorio: *de* Missa: *de* integra sacræ Cœnæ distributione: *de* conjugio Clericorum: *de* statu vitæ monasticæ: *de* viribus humanæ rationis & voluntatis in adipiscenda salute: *de* justificatione per fidem *& de* bonis operibus eorumque meritis: *item de* invocatione sanctorum. *Diffusa fuit per hæc omnia & alia, quæ sequentibus annis majori contentione auctoque quæstionum numero ventilata sunt, disceptatio de* autoritate definiendi in articulis fidei, *sive de* regula credendi. *Lutherus sacris literis solummodo obsequium deferebat, eas in patriam linguam translatas omni populo legendas offerebat, interpretationes nec veteres nec novas admittebat, quam quæ ex ipsis Scripturis inter se collatis peti possunt. Hoc intolerabile ex adversa parte videbatur, quæ plebem ignoratione mysteriorum optime frenari putabat, & pontificibus infallibilem de iis omnibus pronunciandi potestatem ex asse asserebat, specioso sub prætextu, quod sublato tali tribunali, litium nullius finis futurus esset. Hæc & plura quæ eo recidunt, ex una illa contra indulgentias cœpta a Luthero disputatione exorta, jam intra annos illos septem inauditis mutationibus causam dederunt. Per has patefactum est arcanum persuasionis, quo Majestas sacerdotalis per tot secula steterat. Ita Germania finitimaque provinciæ, immo & remotissima, excusso jugo tot seculis tolerato, in plurimis religionis & doctrinæ articulis, & in cultu publico ac disciplina, eam sibi sacrorum formam constituerunt, quæ cum veteribus abusibus collata, nova quidem haberi posset, sed piæ antiquitati primorum, post Christi doctrinam orbi annunciatam, seculorum quam maxime convenire videretur. Ita tamen animati erant, idque publice postulabant non solum qui reformationem moliebantur, sed & æquissimi quique ex iis, qui vetera retinebant, ut convocato generali aut Nationali concilio de modo reformationis optime & tutissime deliberaretur & definiretur. Sed de forma & potestate concilii in novas postea lites itum est, ut sequentium annorum historia ostendit. Ita quod pacis ecclesiasticæ remedium sperabatur, confirmandi schismatis momentum maximum fuit. Ista, quatenus in tempus illud septem annorum incurrunt, tractavi ut potui, cum fide certe, nec sine labore & assiduitate. Quæ autem* Maimburgius *falsa & invidiosa opposuerat, aliorumque quorundam sophismata, in Annotationibus meis ostendi & correxi. Felicem me æstimabo, si qualicunque hac opella mea Dei gloria & veritatis & pacis amor promoveatur. Summa enim votorum est, in quibus finem nunc scribendi facio, sicut initium ab iis habui, ut ii, quibus Lutheranismus inter crimina reputatur, vel palmam porrigant veritati, si eam, quod animitus opto, agnoscant, vel non condemnent nec persequantur, quos legitimo & Christiano modo erroris convincere nequeunt:*

queunt: Nostri vero, qui Lutheranorum nomen, etsi ignominiæ causa olim inventum, quatenus tamen veritatem Evangelicam ministerio Lutheri ab erroribus purgatam indicat, non refugiunt, sed honori potius ducunt, ut adversus renovatas indies calumnias, & instantes forte brevi acriores persecutiones, animum pia constantia roborent, dignosque orthodoxa fide fructus vitæ ferant. Det Deus *(1.Tim.VI,14–16.)* qui vivificat omnia, ut servemus mandatum sine macula, irreprehensibiles, in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis temporibus (*proximis, uti speramus!*) ostendet beatus & solus potens, Rex Regum & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum, AMEN.

Quæ hic de *libro primo* professus sum, multo magis de reliquis, quos exhibeo, asseverari a me posse existimo. Nam summa illa, quæ enumeravi, capita, sequentibus annis non Lutherus aut unus atque alter ex ejus discipulis & sectatoribus, sed magna pars Germaniæ, totaque regna Septentrionis publicis confessionibus & scriptis agnoverunt & defenderunt. Produxi, quæ intra annos, quorum historiam & acta narro, dicta & scripta, vulgata etiam olim, fere in oblivionem venerant, plurima etiam nunquam publicata. Ex iis omnibus demonstratum esse confido, *quod erat demonstrandum.* Ecclesiæ corruptio testibus ex summo, medio & infimo ordine hominum probata est; Ex impudentissimis & acerrimis Lutheri insectatoribus, *Eccius, Cochlæus, Faber,* negare eam non potuerunt; Pontifices ipsi, non *Adrianus* saltem *VI.* sed & successores, etsi minus candide & perfecte, fassi tamen eam sunt: Idem multoties fecit *Carolus V.* Cæsar, longe sapientissimus & maximus, per se & intimæ admissionis ministros *Gattinaram, Granvellanum, Naviũ,* immo quem conscientiæ rectorem habebat, *Johannem Glapionem,* Franciscanum, cujus verba ex Archivis produxi. *Loyolæ* quoque instituta Lutheranæ reformationi opposita, etsi contraria via incederent, emendandæ tamen, quam corruptam esse lamentabatur, religionis obtentu commendabantur. Tunc tempestivum fuisset opponere, quod hodie frustra & incredibili cum impudentia jactari audimus, optime dudum sese habuisse omnia, nullum in dogmatibus, exigua in disciplina & moribus vitia fuisse, quæ dissimulari aut ipsis Pontificibus corrigenda relinqui debuerint, prætensione tam ridicula quam iniqua. Intelligitur sane ex ore omnium, qui illo tempore cum aliquo candore de reformatione tractarunt, quorum verba & scripta passim adduximus, expectandam emendationem a Pontificibus, præcipuis corruptelarum autoribus non esse; soli aulæ Romanæ parasiti ferreæ frontis & abjecti ad infimas adulationes animi homines, simplicitati majorum nostrorum obtrudere methodum illam plusquam puerilem non verebantur. Ostendi porro, jus & fas fuisse, immo ex debito incubuisse Luthero & aliis, in munere docendi publice versantibus, errores, quos deprehenderant, indicare, correctionem postulare, & cum a Prælatis ecclesiæ, ad quos tunc ante alios eundum erat, impetrari nihil æqui posset, Principibus & populis querelas suas inclamare; obligati etiam hi fuerunt, ut veritatem, quam convicti in conscientia sua agnoscebant, admitterent, & tutam ejus professionem redderent. Dubitatum quidem ab ipsis Principibus & Magistratibus longo veluti lethargo rigentibus, satis diu est, de jure & officio suo, tardavitq; eos inveterata in contrarium opinio, remota per tot secula a Principibus religionis cura, invasus a clero per socordiam & ignorantiam populi dominatus absolutissimus; multos etiam quietis qualiscunque cupido, aut respectus utilitatis, ex obsequio Romanæ hierarchiæ præstito, ad se suosque pervenientis, retinebat; Theologi ipsi reformationis licet cupidi, principiis erroneis, sed diuturno usu receptis, de sacrorum jure ad solos Prælatos Ecclesiæ spectante, innutriti, ægre ex præjudicio liberare se potuerunt, donec tandem divinæ lucis radiis magis magisque illuminati, &, oppositæ sententiæ futilitate deprehensa, Principes, Doctores, cœtus & singuli perspicerent, quod jus, quamve potestatem in reformanda, constituenda & profitenda religione haberent, salvo erga summos Principes obsequio, sartis etiam tectisque legibus, quibus majestas Imperii & Reipublicæ constat & firmatur. Plerique ergo legitima via in reformatione progressi sunt, neque quæ per tumultum agebantur, probarunt, sed correxerunt. Usi etiam sunt circumspectione, ex lege charitatis, ut, introductis & stabilitis, quæ immotæ & necessariæ ad salutem veritatis sunt, cætera, immo omnia tolerarent, quæ salva fide & conscientia retinere poterant. De minuendis aut abolendis Procerum ecclesiasticorum honoribus aut invadendis eorum opibus, ne cogitatum quidem ab initio est. Immo exacerbatis licet illorum contradistinctione, quin & sævissima in innocentes persecutione animis, atque sic

mirum

mirum in modum læsa horum, qui reformationem procurabant, patientia, per annos plus quam triginta & ad rupturam usque anno 1546. secutam, ipsius Lutheri suasu oblata est plena conservatio honorum & opum Cleri, prolixius certe & liberalius quam pro temporum illorum conditione postulari potuisset. Eventus ipse post inopinatas belli *Smalcaldici* & *Passaviensis* revolutiones immo secutis nostro seculo gravioribus & diuturnioribus motibus, Deo sic gubernante, comprobavit, fundamento solido inniti, quæ pro reformatione acta erant, & prudentiores deprehendent, in universum consuli tunc potuisse Ecclesiæ per totum orbem Christianum, nisi Pontificiis artibus interversa fuissent, quæ æquissimo jure, ex parte Evangelica, desiderabantur, & a multis ex opposita optabantur. Hæc neque ex cerebro meo confinxi, neque rhetoricationibus exaggeravi, sed ex documentorum authenticorum fide recensui, & ex his potius, quam ex nuda autoritate eorum, qui ante me scripserunt, stabilivi; quanquam illorum, inprimis *Sleidani*, paribus fundamentis instructi, consensu confirmatum me esse non inficier. Quæ necessario & sanctissimo reformationis instituto objecta & olim fuerunt & nunc, tanto quidem impudentius & futilius, quia toties refutata sunt, a Gallis potissimum, (utinam non in Germania quoque, quæ etiam nunc maleferiatorum hominum, apostatarum inprimis, scriptis putidissimis inquinatur) recoquuntur; ita, puto, in opere hoc meo diluta esse, ut, si occæcatis divino judicio adversariorum animis satisfacere non possint, confirmationem tamen nostratibus & solatia afferant. Nævos in opinionibus & moribus Lutheri & aliorum non tacui: homines fuisse dudum novi, nec alios post diligentē eorum, quæ scripserunt & egerunt, considerationem, deprehendi; sed nihilominus firmo stare talo judicavi, quæ secundum ductum divinæ veritatis docuerunt. Hoc fine innumera Lutheri loca vel verbotenus adscripsi; vel quoad sensum retuli, & plura quidem in progressu operis, quam ab initio constitueram, & in præloquio Libri primi, posteaque Lib. II. §. LXXXIII. n. 1. professus eram. Mutavi, fateor, propositum, perpensa denuo utilitate, non solum a viris pientissimis & doctissimis monitus, sed & ex animi mei lubentia, auctoque inter scribendum excerpendi ardore. Habent igitur Lectores nucleum sententiarum Lutheri, & judicabit Ecclesia Christi, quo spiritu is scripserit. Mihi nullum plane dubium superfuit, quin verbo divino in articulis ad salutem animarum necessariis conformia, magnaque & inimitabili cum emphasi tradiderit, nullius vero qui in damnationem ducat, erroris reus fuerit. Vanus autem est (ut non semel monui, & hic in fine repeto) immo inverecundus, malignus, & qui Christianos minime decet, labor illorum omnium, veterum, & recentium qui ex dictis aut factis Lutheri excerpunt, aut, ut *Joh. Faber* scripsit, *emulgent* & mala ut plurimum fide deligunt, quibus eum infament, & talem fuisse calumnientur, a quo nihil boni & salutaris ad reformationem Ecclesiæ afferri aut præstari potuerit. Habitent Aristarchi illi secum, curtamque suam domi supellectilem noscant,

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

O quam facile tota illa Poëtæ satyra applicari illis posset, nisi sales & retorsiones in re tam seria refugerem. Ex Luthero tunc cognovit Germania, quæ is ex limpidissimis sacræ scripturæ fontibus derivavit, nulloque vel miraculorum vel singularis disciplinæ testimonio aut charactere corroborare necesse habuit; ita quoque vixit & mortuus est, ut pudere aut pœnitere talis Doctoris posteros non debeat. Defectus & lapsus Deus in sanctissimis charissimisque suis tolerat & ignoscit, nec minus Luthero quam Paulo pro solatio valet: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Paria de Principibus, qui reformationis primi autores fuerunt, tribus inprimis *Electoribus Saxoniæ* & *Philippo* Hassiæ Landgravio multisque aliis dici possent. Homines nempe & illi erant; fuerunt etiam *Moyses, David, Salomo, Assa, Ezechias, Josias, Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus.* Ex tota tamen historiæ, quam exhibeo, serie constare potest, quo candore & ardore animi veritatem Evangelicam amplexi & publice, magno quidem cum periculo & damno suo, professi sint. Inprimis observari velim ab iis, qui legendo huic operi meo tempus impendent, quod sine dolo & versutia, priscaque fide, in consiliis actionibusq; suis (quorum arcana plus quam unquam factum est, nunc in publicum producuntur) Proceres isti versati sint. Speciatim tot epistolis, schedis & consultationibus *Johannis Friderici* Electoris manu scriptis, aut interpolatis, ex Archivo mecum communicatis, convictus sum, nihil aliud quam sinceram fidei Christianæ professionem, ejusque bonis viis modisque & salvo omni in Cæsarem respectu, nulliusque lædendi proposito tuendæ studium innocentissimum in illo fuisse. Solertia aliquando paulo inquietior in Landgravii consiliis apparet, sed quam facile ad legitimam agendi normam reduci passus est. Non possum non illustris viri *D. Burneti* Episcopi Sarisberiensis testimonium de utriusque Principis ingenio afferre, verbis interpretis Latini, *Francisci Dassierii* ex *Parte II. Hist. Reform. Angl.* Genevæ 1689. excusa *fol. 13.* Ibi postquam Principes illos duos cæteris ob merita & virtutes prætulisset, ita loquitur: *Prior* (scilicet Joh. Fridericus, Saxoniæ Elector) *summus sui temporis omnibusque numeris absolutissimus Princeps. In eo solida pietas & sincera, nulli secunda animi moderatio spectabatur; prospera*

ra fortuna nunquam animo efferebatur, nec superbia turgebat; adversa nunquam frangebatur; rerum gerendarum peritum se præbebat; sed lente deliberando procedebat. Landgrafius Hassiæ vero ingenii mirifica vi eximioque vigore præditus erat, nihil patienti animo ferre poterat, & iis, quæ in vita accidebant, intus vehementer commovebatur. Neque tamen, ut alibi annotavi, vel errores Principum, vel diversa consilia aut instituta, causæ Dei ita nocuerunt, quin post afflictiones, quas illis divina sapientia præparaverat, intra terminos tamen divinitus præfinitos magnum illud reformationis opus, bona utique intentione ab illis cœptum & promotum, steterit hodieque consistat. Si vero artes, quibus adversus illos usi sunt pontificii dominatus assertores, in opere hoc meo fideliter relatæ, considerentur, discrimen manifestissimum nemo non agnoscet, cui libera a præjudicio mens erit. Non est præsentis instituti, ut ad criminationem, quam magna, ut putant, cum efficacia *Maimburgius*, & novissime *Bossuetus*, aliique, ex dissidiis inter Protestantes, quos in Lutheranos & Calvinianos sive Reformatos distinguunt, elicere solent, prolixe respondeā. Sufficere hic potest professio publica trium Electorum Imperii, XXV Principum, XXVI Comitum, XXXV illustrium Civitatum Germaniæ, quam in *præfatione Formulæ Concordiæ* anno 1580. ediderunt, asserentes; *se fanaticas opiniones, & earum pervicaces Doctores & blasphemos, duntaxat palam reprehendere & damnare, quorum errores expresso Dei verbo repugnent; nequaquam vero damnare eos homines, qui ex quadam simplicitate errent, nec tamen blasphemi sint in veritatem cœlestis doctrinæ, multo vero minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ vel alibi sint.* Aliorum ex Augustanæ confessioni addictis judicium hic non examino, qui *Reformatorum* sententias a nostris diversas pariter quidem rejiciunt, sed pro talibus non habent, quæ fundamentum fidei subruant. Non est igitur, quod tantos de schismate hoc clamores excitent adversarii. Videant ipsi potius manticæ quod in tergo est, suasque prius componant controversias a tot annis acerrime exercitas; illam inprimis, qua Galli cum Italis aliisque de infallibilitate capitis ecclesiastici litigant, & qua flagrante unionis hierarchicæ, quám tantopere jactant, vinculum servari non potest. Solatio interea sit Protestantibus utriusque partis, quod in tot tantisque articulis ad summam fidei pertinentibus consentiant, purgatumque ab innumeris superstitionibus, erroribus & abusibus cultum Deo exhibeant; gratulentur sibi de communi, quo ab Romanæ doctrinæ propugnatoribus premuntur, odio, idque quoniam absque detrimento veritatis evitare aut lenire non possunt, inter argumenta orthodoxiæ, de qua diximus, numerent. Minime tamen inveteratorum errorum patronos violentosque propagatores excusaverit, quicquid inter nos est discrepantiarum. Acceptent interim, si Catholicæ Ecclesiæ nomen tueri velint, articulos quos communiter probamus, quique vere catholici omnisque capitalis & damnabilis erroris expertes sunt, fundati in scriptis Prophetarum & Apostolorum, in Conciliorum œcumenicorum decretis, & in veterum Ecclesiæ Doctorum, quos Patres vocant, sententiis, quotquot hi absque singularitatis affectatione ex principiis sacrarum literarum hauserunt & formarunt. In his, si nobiscum concordent, tum porro preces, consilia & operas, ad perfectiorem, ubi opus est, emendationem jungant: præsens lumen sequentibus a divina gratia majus sperare licet; saltem nobis non invideant, quod nunc habemus, etsi per peccata illorum & nostra felix illa hora differatur, qua in spiritu & veritate Deum & Salvatorem nostrum Jesum Christum, uno ore & corde, absque schismate, in puritate fidei, adoremus & colamus; aut si non nisi adventu Domini glorioso tolli potest, quicquid antichristianum est, toleremus nos invicem mutua, quam debemus & possumus, charitate; & ubi pro conscientia intimiori & fraternæ locus non est, inprimis tamen absque fraude colamus & præstemus, quam in Germania pacis publicæ leges etiam dissidentibus in religione injungunt, & preces pro omniū correctione & salute fundamus. Denique ut in exordio operis monui, quoniam de veræ pietatis & morum studio & praxi nulla nobis lis est, huic sedulo & sincere incumbamus. Methodum Christus ipse præscripsit atque successum promisit, Joh. VII.17. *Si quis voluerit voluntatem ejus, (qui misit me) facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Sed repeto in fine laboris votum, quo cœpi, & Patrem Domini nostri Jesu Christi supplex invoco, ut ipse gregem suum, sibi optime notum, benigne respiciat, damnisque nostris id afferat remedium, quod ipsius sapientiæ & clementiæ optime scit convenire, nobisque in tempore & æternitate sit salutare. Fiat.

Finis Libri tertii totiusque Commentarii.

INDEX



INDEX I.
ISQUE HISTORICUS
Nomina hominum & locorum exhibens.

In hoc allegantur, ubi tres numeri concurrunt, *primo* liber; *altero* vel ſectio Maimburgiana, vel paragraphus commentarii; *tertio* & ſi qui plures minutiori charactere ſequuntur, particula paragraphi in margine numerata: Additiones per numeros & literas alphabeti minores citantur. Quando plures unius libri paragraphi allegantur, numerus libri non repetitur, ſed paragraphi ejusdem intelliguntur, donec ſequens liber citetur.

ALEN-

INDEX I.

INDEX I.

B.

INDEX I.

ma

INDEX I.

tur

INDEX I.

INDEX I.

im-

Matthias

 thero.

KYMÆ-

INDEX I.

INDEX I.

M.

prava

INDEX I.

Mun-

N.

NESTO-

INDEX I.

PARISII

INDEX I.

LXXX.


ROG-

zenhau-

Jeremias

WÜRTEN-

AD



AD INDICEM I. HISTORICUM SCHOLIA SIVE SUPPLEMENTA LXXXV.

Inter quæ LXVI ex Bibliotheca Serenissimi Brunsuicensium Ducis RUDOLPHI AUGUSTI, reliqua XIX. quæ asterisco notata inveniuntur, aliunde desumta sunt.

I.

ÆPINUS *Johannes*, celebris hujus Hamburgensium Pastoris & Professoris scripta sequentia ad me pervenerunt: *Prælectiones in Psalmum XV.* Latine scriptæ, sed dialecto Saxonica versæ a *Johanne Fredero* & anno 1543 editæ. Præclara inter alia sunt, quæ de usuris commentatus est *Æpinus*, fœditatem earum ex Scripturis sacris solide detegens, & quatenus aliquid justæ compensationis loco, vel titulo emtionis redituum, percipere liceat, ostendens. Prodiit dein anno 1544. *Explicatio in Psalmum XIV.* Ibi §. ult. disputat contra opinionem de conversione Judæorum universali ante diem novissimum & Judaicis fabulis illam accenset & locum D. Pauli *Rom. XI. 25. 26.* ita interpretatur, ut Apostolus doceat, Judæis perpetuum regressum ad salutem a Christo oblatam ad finem usque mundi patere. Per *omnem* seu *universum Israëlem* nil aliud ait significari, quam omnes fideles ex Judæis & gentibus conversos; & vocula *donec* non temporis ordinem sed durationem indicari. Sed rejecta ab Æpino sententia non caret multis magnisque Patronis. Vid. *D. Spenerus* in *Doctrina fidei* homiletica Dresdæ publicata, *conc. Dom II. Adv. p. 44. & sqq.* Eodem anno Joh. Frederus *commentarium Æpini in Psal. XVI.* ægre quidem permittente illo, descripsit, & Francofurti publicari curavit. In hoc ad v. 10. statuitur, animam Christi revera in infernum descendisse, & pœnas damnatorum sensisse, ut nostras animas ab illis redimeret, sed divina virtute inde ereptam fuisse, & sic penitus consummato opere redemtionis Christum cum corpore & anima gloriose resurrexisse. Hoc in Scriptura & veteribus symbolis, (licet non in omnibus descensus ad infernos mentio fiat) intelligi ex confessione de morte Christi. Adeo vero hoc certum esse putat, ut, nisi hoc admisso, nec satisfactio Christi plenaria asseri possit. Vid. quæ infra ex *Antonio Zimmermanno* adduximus. *Æpinus* etiam, licet purgatorium pro figmento habeat, locum tamen animarum pie defunctarum ante Christi adscensionem ad infernum refert, distinctum quidem ab eo, in quo impii cruciantur; illum vero *Paradisi* nomine intelligi statuit in parabola *Luc. XVI.* quod in eo quies & beatitudo fuerit sanctis. Hanc opinionem ex Judaicis traditionibus ortam, veteres quosdam fovisse, & ab Abessynis adhuc teneri, probavit Illustris vir *Jobus Ludolfus* amicus meus singularis in eruditissimo *commentario rerum Æthiopicarum Lib. III. n. XLII.* At anno 1545. *Æpinus* ipse edidit amplum *commentarium in Ps. XIX.* lectu profecto dignissimum, in quo præcipua fidei dogmata, & in primis de justificatione, lege, operibus, peccatis & imperfectione egregie tractantur & adversariis mascule respondetur. Dedicavit eum *Joachimo II. Elect. Brandenburg.* cujus pietatem & studium in propaganda vera religione ex merito laudat, de se etiam refert, quod in Marchia natus, sed a patre Electoris *Joachimo I.* prudentissimo licet, & liberalium studiorum amante, monachorum calumniis gravatus in carcerem detrusus, & postea in exilium missus fuerit, in quo tamen ob pertinax adversariorum odium nomen suum gentilitium, quod *Huch* vel *Huck* erat, in Græcum illud *αἰπεινὸς* mutare coactus fuerit, quo, immutato uno aut altero elemento, Germanicum illud significari, idque a se etiamnum, ut potius, servari dicit.

* II.

ALEANDER, *Cardinalis.* Theologiæ ejus specimen exhibet *Raynaldus Tom. XXI. Hist. Eccles. in anno 1538. n. 43.* ubi formula prædicationis refertur, *Augustino Tarvisino*, Augustiniano, qui in urbe Senensi concionatus Lutheranismi se suspectum fecerat, præscripta. Inter theses sophisticas, quas ei *Aleander* & *Thomas Badia*, Dominicanus, Magister sacri Palatii prædicandas injunxit, *septima* est de libero arbitrio, cui potestatem tribuit eligendi & recusandi quæcunque, & sic etiam spiritualia bona, quod Pelagianum esse satis patet. Dein *thesi VIII.* probabilitati locum dat in opinione de salute infantum, & sic etiam in aliis, his verbis: *Communis opinio Theologorum est, quod pueri decedentes sine Baptismate, tantum priventur vita beata, & nullam aliam patiantur pœnam; aliqui tamen tenent ex verbis B. Augustini, inter quos præcipuus est Gregorius de Arimino, quod etiam crucientur igne inferni, nec ab Ecclesia aliqua istarum est determinata: ideoque absque peccato hæresis potest hæc secunda opinio probabiliter teneri, utpote quæ veritati catholicæ non repugnat; consultius tamen esset majorem partem sequi.*

III.

ALESII *Alexandri*, Scoti, Theologiæ Doctoris, *cohortatio ad concordiam pietatis*, in patriam missa, edita est *Lipsiæ* in octavo anno 1544. Principibus, antistitibus, proceribus & universo populo regni Scotici dedicata, in qua errores & abusus veteres egregie describuntur & refutantur, suaderturque veritatis studium depulsa invidia novitatis, quam statuit esse veritatis reparationem. Scriptum breve sed acutum & elegans, quod in plurimorum manibus versari deberet.

IV.

ALTHAMERI *Andreæ* explicatio *epistolæ D. Jacobi* Germanice excusa *Wittenbergæ* ex concionibus Onolsbaci habitis, anno 1533. In exordio refert, se ante septem annos eandem epistolam cum annotationibus Latinis & Germanicis edidisse. Dubitat an sit Apostoli *Jacobi majoris* aut *minoris*, quia neque justificationis, neque passionis, mortis & resurrectionis Christi ullam faciat mentionem, neque autor se Apostolum nominet. Conjicit, aliquem fuisse virum pium, qui post destructionem Hierosolymæ, & plerisque Apostolis mortuis, scripserit; interim verba ejus *cap. II. 17. & sqq.* de fructibus sive probatione fidei explicat, ut Lutherus & alii fecerunt.

V.

AMBACHIUS *Melchior.* Extat hujus tractatus Germanicus *de saltationibus*, oppositus *Jacobo Razio*, concionatori Neostadiensi, ad Cocrum amnem, editus anno 1545. Francofurti. Inscripsit eum incolis *Stainachii*, quod nobilissima *Landschadiorum* familia, sed hoc seculo extincta, possidebat, oppidulum ad Nicrum, ubi per annos decem Evangelium concionatus erat, antequam Francofurtum vocaretur; patriam etiam suam indicat *Mainungam*, oppidum Hennebergensis Principatus primarium. Rejicit autem in hac dissertatione saltationes, quod non solum ex verbo divino (exceptis heroicis exemplis) probari non possint, sed & ex ebrietate, libidine & petulantia, calamitosissimo Ecclesiæ statu, fiant, & plurima produ ant flagitia. Respondet ad exsusationes, quibus defendi solent ut res mediæ. Scripserat ista ante triennium, refutatus tamen a *Razio* mentem suam ita explicat, ut choreas honestas non plane improbari a se testetur; defendit etiam famam & vocationem suam adversus convitia adversarii.

VI.

AMSDORFFII *Nicolai* scriptum ad Chilonienses & Holsatos omnes, quo *Melchiorem Hoffmannum* refutat, cui diem extremi judicii post septem annos venturum esse jactitabat anno 1528. *Ejusdem* breve epistolium ad *Canonicos Magdeburgenses*, quos charos suos hostes & persecutores vocat, & sese offert ad comparitionem in templo cathedrali & refutandum illorum concionatorem, qui vulgo *rufus* (der Rothkopff) dicebatur, hic enim *Amsdorffium* & alios, quos *fraterculos Martinianos* (die Martins-Brüderlein) nominare solebat, pro concione provocaverat, ut ex Scriptura probarent, sola fide justificari homines. Datum d. 8. Jan. 1527. *Ejusdem* scriptum contra *Joh. Mensingium* monachum Paulinum & concionatorem Dessaviensem,

sem, quo illius tractatum ad Goslarienses & Brunsuicenses contra se editum, acriter refutat, anno 1518. In fine non negat se scripsisse bona opera ad salutem non proficere, interim utilia esse docet, ut Deus per ea honoretur & proximo serviatur.

* VII.

ARNALDI *Antonii*, Tomus V. *Practica moralis Jesuitarum*, post excusum jam commentarium hunc prodiit ann. 1691. in quo persecutio *Bernardino de Cardenas*, Episcopo Paragayensi, & *Phil. Pardo* Archiepisc. Philippinarum illata, recensetur. *Ejusdem* nova disputatio *de peccato Philosophico* contra Jesuitas a. 1691. edita.

VIII.

AURIFABER *Johannes*, Uratislav. D. alius a Vinariensi, autor præfationis in computum Lutheri *Tom. VIII. Alt. f. 733.* an. 1550. scriptæ. Vid. *Melch. Adamus p. 186.* ubi sub finem descriptionis vitæ *Joh. Hessi* generi, etiam *Aurifabri* illius meminit, & epitaphium refert.

* IX.

BAIERUS *Christianus*, Johannis Sax. Duc. Cancellarius Vinariæ fuit, inde Wittenbergam venit Professor & Consul factus. Discedente vero ex aula, ob morbum, Pontano Bajerus denuo Cancellarii munus suscepit. Obiit anno 1535. A Luthero notatur ut captiosus & singularibus opinionibus deditus, veterisque juris Canonici scitis plus justo inhærens. Ex *MSS.*

X.

BARNESII *Roberti* sive *Antonii* (ut in Germania se nominabat) *articuli fidei* Latine editi cum præfatione *D. Pomerani*, cujus inquilinus tunc fuit, Germanice versi sunt & Norimb. excusi an. 1531. undecim plagulis. Theses sunt XIX. (1) Sola fides justificat. (2) Christus non solum pro peccato originis, sed omnibus satisfecit. (3) Præcepta Dei ex nostris viribus servari non possunt. (4) Liberum arbitrium ex propriis viribus nihil potest nisi peccare. (5) Justi etiam peccant in omni bono opere. (6) Veri characteres Ecclesiæ proponuntur. (7) Clavium potestas a verbo Dei dependet non a potestate hominum. (8) Concilia errare possunt. (9) Communio sub utraqve celebranda est. (10) Constitutiones humanæ conscientiam non obligant. (11) Confessio auricularis ad salutem non est necessaria. (12) Sacerdotes conjugium licite contrahunt. (13) Monachi propter cucullos & monasteria non sunt sanctiores laicis. (14) Jejunia Christiana non consistunt in discrimine ciborum. (15) Christiani omnibus diebus, non vero sola septima, feriantur, sive Deum colunt. (16) Injusta excommunicatio Pontificia non nocet excommunicatis. (17) In Sacramento altaris verum est corpus Christi (18) Sancti ut mediatores non sunt invocandi. (19) Errores missatici ostenduntur. Hæc omnia dictis Scripturæ, aut Patrum, aut utrisque probantur, additis annotationibus in margine & alicubi in textu. Ejusdem Barnesii *Vitæ Rom. Pontificum* an. 1536. Wittenb. excusæ apud *Joseph. Klug.* Incipit historia a *Petro* & continuata est usque ad *Alexandrum III.* Dedicavit eam autor *Henrico VIII.* Angliæ Regi d. 10. Sept. 1535. subscripto nomine *R. Barnes Doctor*: unde apparet verum nomen, *Roberti* illum non dissimulasse, cum Regi scriberet. Laudat Regis consilium, quod Papæ tyrannidem sustulerit, & hunc ita culpat, ut Cæsares & Reges, quos Papæ persecuti sint, inter martyres & sanctos Dei numerandos, Papas vero persecutionis autores pro Domitianis, Diocletianis & Neronibus habendos esse statuat. Addit multa ejusdem severitatis. Eam ob causam hoc compendium historiæ ex autoribus, qvos in frontispicio libri nominat, collegit & marginalia passim addidit, magna cum Pontificum insectatione. Sub finem libelli, qui plagulis 23. constat, & recudi meretur, reliquorum Pontificum historiam quoque scripturum se esse pollicetur, si Rex mandaverit. Præmissa est præfatio Lutheri, quæ in *Indice III.* sub anno 1536. refertur.

* XI.

BILLICANUS *Theobaldus*. Ex judicio theologico ministerii Nordlingensis MS. quod post excusam jam de reformatione Nordlingensi relationem *Lib. III. §. LXVI. n. 17. & sqq.* retulit *M. Joh. Dan. Haakius* Superintendens, suspectum de Zvingliana doctrina fuisse apparet *Billicanum*, ideoque confessioni ejus anno 1525. conscriptæ reliquos ex ministerio subscribere noluisse.

XII.

BODIUS *Hermannus*. Extat hujus autoris, (de quo nihil præterea cognitum habeo, quam quod se *divini verbi concionatorẽ* vocet) libellus, si qvid judico, egregius, *Coloniæ Agrippinæ 1531.* in octavo Latine excusus, in qvo, præter epistolam in fine annexam, nihil de suo affert autor, sed ex præcipuis Ecclesiæ doctoribus, loca insignia, ad articulos fidei explicandos & probandos, verbotenus collegit & adscripsit, præmisso prius uno aut altero dicto Scripturæ capitali de eadem materia. Inscripsit libellum, *Unio dissidentium*: cum enim scopum sibi præposuit, ut doctorum illorum veterum sententiæ concordantes methodum præberent de articulis controversis conveniendi. Licet vero isthæc methodus, ut scimus, non careat difficultate, si promiscue sequenda sint, quæ scriptores veteres statuerunt, nec ad fundamentum Scripturæ & consensum universalem & notorium, remotis singularibus opinionibus, respiciatur; recudi tamen & legi hic libellus mereretur, facta prius locorum allegatorum cum vetustis & incorruptis editionibus Patrum collatione, additis etiam aliis testimoniis æque illustribus. Bodius sua depromsit ex *Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Cypriano, Origene, Chrysostomo, Hilario, Fulgentio, Athanasio, Cyrillo, Theophylacto, Tertulliano, Clemente, Eusebio, Lactantio, Beda* & *Bernardo*. Prodiit versio hujus libri Germanica Argentorati anno 1541. excusa cum brevi præloquio *M. Gualteri Ryff.*

XIII.

BORNA, Misniæ oppidum. Refero sub hoc titulo conciones tres a Luthero ibi habitas, quas in *Indice III.* recensere potuissem, sed tardius in eas incidi, & annus, quo habitæ aut excusæ sunt, in editione non memoratur; conjicio tamen habitas esse anno 1527. Prima ante & post meridiem, duas enim ideo partes habet, *in octava*, ut vocatur, *Paschæ*, s. Domin. *Quasimodogeniti*; altera die *inventionis crucis*, seu 3. Maji; tertia, *Dom. Misericordiæ Domini*. Breves sunt & simplices, interim vel hoc exemplo constat, plenius concionum opus edi posse, si diligenter investigentur, quæ olim excusæ, neque in Postillarum codices, neque in operum volumina relatæ sunt.

XIV.

BRISMANNUS *Johannes*. Libellus ejus, monitu Lutheri, cujus prolixa epistola præfixa est, *Casp. Schatzgeyero* Norimbergensi, monacho Franciscano, oppositus, editus fuit correctior & auctior Wittenbergæ 1523. Inter alia sub finem salse exagitat adversarium, qui dicto Pauli *1. Tim. IV. 3.* hunc sensum affingit, quod eos tantum taxet Apostolus, qui omnes in universum cibos, non vero carnes ad tempus prohibeant; quasi unquam tam stulti fuerint, qui universalem illam prohibitionem fecerint, aut crediderint homines aura vesci posse.

XV.

BRUSCHIUS *Caspar*. Viri ex edita *monasteriorum Germaniæ* historia celeberrimi, pius extat libellus anno 1544. in usum scholæ *Arnstadiensis* publicatus; *Ammonii* nempe *de vita Jesu Christi* ex Græco ab *Ottone Luscinio* Latine versus cum præfatione *Bruschii* ad Comites Schwarzburgenses; in quibus & illorum virtutes laudat, & doctrinæ Evangelicæ curam commendat, hujus vero libelli utilitatem ita extollit, ut vix Christianum esse aut ad sacram Synaxin admittendum censeat, qui istum aut similem non habeat & legat: imitatur autem, quod allegat, effatum Synodi Nicenæ: *Non habendum eum pro Christiano, qui non habeat Biblia.*

XVI.

CAPITO *Wolffgangus*. Huic speciatim tribuendum est, quod de *Argentinensibus* scripsi *III. XX. 14.* Vidi enim posthac libellum *Erasmi de concordia* Germanice a *Capitone* versum, ejusque prolixam præfationem ad Albertum Card. Moguntin. cujus quondam Consiliarius fuerat, data, d. 10. Octobr. 1533. Satis tamen caute scripsit *Capito*, nec Erasmi sententiam per omnia sequitur. De Missa quidem dicit: si verba Canonis, *Hæc dona, hæc munera, hæc sacrosancta sacrificia*, saltem commemorationem significent, tunc Missam pro bono opere habendam esse; id quod & alii inter Evangelicos olim, sed frustra, proposuerunt, nec suis nec adversariis satisfacientes; Romana enim religio clerique status servari non potest, nisi Missa pro propitiationis sacrificio habeatur, & populus nunquam a superstitione retrahi poterit, aut distinctionis illius subtilitatem capere. Adhærebit potius externis ceremoniis veramque commemorationem, quæ fide & precibus fieri debet, ex pompa Missæ non discet. In eadem *præfatione* Zvinglii sententiam ita proponit, ut ei commodum sensum tribui posse & litem de verbis esse innuere videatur. Cardinalem ipsum ob studium pacificandæ de religione controversiæ non parum laudat, allegat etiam *Buceri*, quem *fratrem suum* vocat, libellum *de præparatione ad Concilium*, cujus contenta repetita esse puto in scriptis *Buceri*, de quibus in actis anno 1545. *III. CXXI. Add. I. II.* dictum est.

XVII.

COCHLÆUS *Johannes*. De hoc memorari meretur quod narrat *Conradus Cordatus*, Licentiatus Theologiæ, ut ipse refert, ante reformationem promotus, in præfatione prolixa ad concionem *Michaelis Cœlii*, qua *Georgii Vicelii* sermonem in templo arcis Mansfeldensis habitum & anno 1534. editum refutavit. Nempe cum *Cochlæus* in Comitiis Augustanis in colloquio

Theologorum idem quod *Vicelius*, nempe quod articulus de SS. Trinitate ex Scripturis probari non posset, protulisset Doctorem *Eccium*, hostem licet Evangelicorum, hactenus tamen ut virum bonum (als ein redlicher Mann) Cochlæo dixisse: Schweiget um Gottes willen/und haltets Maul / behüte GOtt / solte der hohe Articul nicht in der H. Schrifft stehen. id est, *Tace propter Deum & os tene, quomodo ad has ineptias dilaberis? Deus prohibeat, ut articulus tam arduus non reperiatur in S. Scriptura.* Addit, præsentes fuisse non solum Theologos & viros doctos, sed & Principes & magnates: Summam itaque impudentiam esse quod Vicelius adhuc talia crepet, ideoque vocat eum *Doctorem Theologiæ* sive *Scripturæ negativæ* der Nichts-Schrifft. Nam etiam transsubstantiationem per verba consecrationis (die Tyrmung) fieri, ex Scripturis adstrui posse negabat idem *Cochlæus*, indignante iterum *Eccio*. Lætatur interim *Cordatus*, quod hæc atque talia *Cochlæus* & *Vicelius* tradant, quibus Ecclesiæ suæ fundamenta ipsi subruant.

XVIII.

COLONIA AGRIPPINA. In historia reformationis ab *Hermanno* Archiepiscopo cœptæ, de qua *III. CVII.* & alibi dictum est, inter alia Clerus, Pontificii addictus, querelam instituit, de libello Germanico, quo compendium doctrinæ Lutheranæ continebatur, sub titulo *Enchiridii plebeji*, das Bürger-Handbüchlein. Talis excusus est sine temporis aut loci indicio in octavo, quem pro illo, cui Colonienses contradicunt, habendum esse puto. In præfatione autor se *laicum pauperem* & *civem Evangelicum* vocat. Libellus adeo reprehendi non potest, ut potius denuo edi mereatur; est enim insigne doctrinæ orthodoxæ compendium, ita concinnatum, ut sententia paucis & populariter proponatur, deinde ex sacris literis confirmetur, adscriptis omnibus fere dictis, quibus articuli fidei probari possunt. Divisus est in partes duas; in prima testimonia ex veteri, in secunda ex novo testamento producuntur: plagulas habet viginti & quatuor.

XIX.

CORVINI *Antonii*, Zithogalli (hac voce *Hannobera* a coctura cerevisiæ Breyhan innui videtur) tunc concionatoris Goslariensis in æde S. Stephani, *dialogus cum Autore Sandero* Brunsuicensi *an. 1529. VVittenbergæ* excusus, in quo *Corvinus* se ante sex annos ex monasterio propter Lutheranismum ejectum esse memorat, deinde statum civitatis Goslariensis ita describit, ut multos tum in senatu Evangelicæ doctrinæ adhuc resistere dicat, ut & Decanum & Canonicos Ecclesiæ collegiatæ. Seipsum a suspicione Zwinglianismi, ut & *Joh. Amandum*, quem Amsdorffius pastorem constituerat, excusat, negat etiam hunc seditiosas conciones habere, licet vitia Magistratus occasione textus, quem explicabat, taxaret. Narrat statuas lapideas Christi ex cœmeterio templi qui absque tumultu per Curatores ablatas esse, quia quidam ex plebe quotidie eas adorassent. Fatetur tamen Amandum propter ceremonias quasdam ad Norimbergensium exemplum introductas odiosum fuisse. Brunsuicensis ille *Sanderus* cives suos itidem a seditionis & furoris anabaptistici crimine, nec non *Martin. Görlitium* Pastorem excusat, quod non adultur Magistratui, cur tamen quidam ex illa urbe excesserint, causam occultam adhuc esse indicat. Ejusdem *Corvini* ad *Georg. Spalatinum* epistola de miserabili Monasteriensium Anabaptistarum excidio, data Wizenhusii 1536. *Ejusdem* expositio Decalogi, symboli Apostolici, Sacramentorum & Dominicæ precationis ad captum puerilem in dialogos redacta, excusa *VVittenbergæ* an. 1537. inscripta quarta post Lætare, discipulis & convictoribus suis Marpurgi *Hermanno Schelo* Dano, *Paulo Bleichenrodo* Gothano, *Bertoldo a Mandelslob, Melchiori a Steinberg*, & *Ascanio a Bortfeld. Ejusdem* versio Latina scripti quod Lutherus contra Henricum Brunsuicensem Germanice edidit & *Tom. VII. Alt. f. 443. & sqq.* extat, versum est a rubrica de Ecclesia *fol. 447.* usque ad §. Weiter weil wir fol. 459. & usque ad verba das ist die Summa. Anno 1541. inscripsit libellum *Severo* Kannengiesser Pastori Lichtenaviensi in Hassia. Epistola data est Ratisbonæ d. 26. Maji. In hac multa notabilia sunt de tractatu concordiæ aliisque rebus. De Cæsare scribit: *Omnia hactenus moderate, pie & clementer egit, & quod vehementer in tanto orbis Principe admirabile est, talem se per omnia gerit, in ipso etiam corporis vestitu, ut non solum a tyrannide, verum etiã a fastu omni videatur alienissimus. A civili in Germania bello prorsus abhorrere dicitur, ad pacem propensissimus, Religionis etiam causa consultum cupit. Quod si theologicarum rerum tam esset intelligens, quam nos Majestati illius ex animo imprecamur, haud dubie alia brevi futura esset rerum facies.* Nominat deinde viros doctos, quorum conversatione lætari se dicit, v. g. *Georg. Sabinum, Christoph. Bunonium, Joh. Stigelium, Georg. Acontium, Rudolf. VValtherum* Tigurinum & *Joh. Lorichium. De Luthero*, cujus scriptum verterat, hæc dicit: *Noster est, quod nosti, & semel secundum Christum studia sua omnibus nobis, qui veritatem cum ipso docemus, consecravit*: inde sperat versionem illi non esse displicituram. *Ejusdem* dialogus de seipso, ut falsa adversariorum fama sparsum erat, capto aut occiso cum *carminibus* ejusdem & aliorum, inprimis *Joh. Busmanni*, Hanoveræ 1546. in octavo.

XX.

CROSNERUS *Alexius*. Conciones ejus Dresdæ habitæ, in quas Lutherus præfatus est, vid. *III. VI. 2.* editæ extant *VVittenbergæ 1531. Prima* est de *Sacramento corporis & sanguinis Christi*, habita in festo corporis Christi d. 8. Junii 1527. ad dictum *Joh. VI 55.* In epistola dedicatoria *Georgium* Ducem Sax. d. 25. Decemb. alloquens, valde queritur, quod is, postquam veritatem agnovisset, & publice professus esset, in veteri tamen errore persistat, & communione sub una utatur. Mirum est hæc objici Principi, de cujus publica professione nihil constat, nisi apud Crosnerum concionatorem tunc suum illam ediderit, aut eo interpretandum hoc sit, quod communionem integram non improbaret, modo permissio Pontificis accederet. Docet autem in hac homilia plane ex sententia Scripturæ & Lutheri, & sacrificium Missaticum atque calicis prohibitionem aperte impugnat, nec circumgestationem & adorationem probat, Evangelicis quoque imputat, quod multi usum Sacramenti diu aut prorsus intermittant. *Alteram* habuit d. 29 Jun. eodem anno in festo Petri & Pauli. Huic quoq; epistolam ad Georgium præmisit *Crosnerus* eod. die 25. Decemb. datam, in qua multa cum libertate Pontificiam Ecclesiam *Antichristianam* vocat, laudatque Ducem, quod primam concionem de Sacramento benigne acceperit, petitq; aut optat, ut Dux jam in ultima vitæ periodo constitutus, in vera Ecclesia inveniatur, & pluris faciat Doctorem vere Catholicum, quam impium Papistam. Prolixe disserit hac concione ad *Matth. XVI.* de Ecclesia ejusq; autoritate, cum plurima reprehensione Pontificis, licet munus ejus, si recte geratur, necessarium esse putet, cum sine directione quadam Ecclesiæ regimen consistere non possit, id quod Evangelicorum exemplo probat, qui Superintendentibus, & in hos omnes *magno & Christiano illi Doctori D. Mart. Luthero*, (ut loquitur) ephoriam mandaverint. Taxat etiam conjunctionem Episcopalis & Ducalis dignitatis, & otiosam & luxuriosam Prælatorum vitam, neq; pravos Evangelicorum mores, & invasiones bonorum Ecclesiæ, eorumque abusus ad luxum & alia vitia tacet, & reformationis legitimæ modum ac viam ostendit. Notandum, quod monui. *Crosnerum* conciones has quarto postquam habitæ fuissent, anno edidisse, & ut ipse fatetur auxisse & emendasse, longiores enim sunt, quam ut recitari potuerint, quapropter conjecturæ meæ, quam *Lib. II. §. XXXIV. Add. II. d.* aperui, quod minus aperte Pontificios errores, dum in aula Georgii concionaretur, insectatus fuerit, adhuc locus esse potest; nisi conscientiæ impulsu & Georgii promissis fretus ultimo illo ministerii sui anno majori parthesia usus est, & ob eam prævalente Emsero & aliis Papismo addictis, abire, ut diximus, jussus fuerit. Natus erat *Colditii* Misniæ ad Muldam oppido, & Canonicatum habebat Altenburgi modi i reditus, ubi, ut ex literis ejus in Archivo Vinariensi asservatis intelligitur, in re tenui vixit, & nescio quam ob causam ad munera publica in Electoratu admissus non fuit.

XXI.

DOLTSCHIUS *Johannes*. Extat ejus tractatus pro Luthero anno 1520. *Augustino Alfeldensi*, Franciscano Lipsiensi oppositus & *VVittenbergæ* excusus, duorum quaternionum, in quo se nominat *Johannem Veldkirch*, a patria nempe, omisso cognomine, ut moris fere tunc erat. Titulus est, *Confutatio inepti & impii libelli Fr. Aug. Alfeldensis & c.* Stylus latinus minime vulgaris est, exornatus etiam Græcis sententiis, multisque humanioris literaturæ flosculis, nec salibus carens. Lutherum virum optimum & doctiss. felicius scribit occupari, quam ut vel *Eccio*, vel *Emsero*, vel *Ochsefardis*, vel *Alfeldensi* respondere debeat. Disputat autem de primatu Papæ, quem Lutherus tunc cum distinctione agnoscebat, jure scilicet Ecclesiastico & legitimos intra terminos, ineptissime vero defendi ab Alfeldensi dicit *Doltschius* impari plane & non magis sacrarum literarum perito, quam Marsyas fuerit Musicæ. Plura referri, quamvis elegantia libelli mereretur, hic non possunt. De *Alfeldensis* scripto dictum est *I. LXX. Add. II. a. & sqq.* Superest etiam concio *Joh. Doltschii* (in titulo legitur Tolt3/ frequenti tunc literarũ ejusmodi permutatione) ad Evangel. in *festo Adscens. Mariæ* explicari solitum, *Luc. X. 38. sqq.* in qua de virtute verbi divini & fidei, sive uno necessario haud male disserit. Exemplo tamen Christi, qvi Martham, labores suos jactantem, non rejecerit sed correxerit, monet etiam illo tempore, eos, qui opera sua jactent, die Gleißner uñ Werckheiligen / præsertim si non pertinaces sed infirmi sint, placide tractandos, non vero ut Papistas & Antichristianos conviciis proscindendos esse, quod fieri queritur ab hominibus præcipitis & turbidi ingenii. . . . Hæc concio, quæ Lutherum, aliosque severiores Papismi censores

res pungere videbatur, *Lipsiæ* anno 1525. excusa est. *Doltschius* scilicet inter Erasmi & similium discipulos erat, qui Lutheri primos conatus non improbabant, sed progressui reformationis severiori adversabantur. Vid. quæ *l. CXXX Add. l. d.* de Doltschii sententia in articulo de Missa annotavimus.

XXII.

EBERLINUS *Johannes*, Gunzburgensis ejus consolatio & adhortatio (eine freundl. tröstliche Vermahnung) ad Augustanos (an alle fromme Christen zu Augspurg) rogantibus quibusdam Wittenbergæ mense Novembri 1522. edita. In hac de Luthero honorifice quidem loquitur, quod sit vir doctissimus, pieque & honeste vivat, quem etiam sæpissime concionantem audiverit, & inquilinus ejus fuerit, hominem tamen esse, ut alios, peccatis & morti obnoxium, cujus doctrina ad normam Evangelii examinanda sit, nec religio ab illo, Carolostadio vel Philippo, sed a Christo denominandam. Eundem tamen dicit a Deo missum & instructum esse, ut sacras literas ab interpretationibus scholasticis, & conscientias a vinculis traditionum & Pontificis liberet; Clero titulum Christi & Ecclesiæ detrahat, eorumq; vitia ostendat, licet correctio illorum speranda non sit, item ut doctrinam de cruce & fide proponat, cujus omnes pene Doctores obliti fuerint. Dicit, se fere invitum scribere, & pœnitere, quod non intra conciones substiterit, parum profici libris in Theologia, & satius esse, ut Biblia diligenter legantur. *Ejusdem* concio de regno Christi & diaboli habita *Rotenburgi ad Nicrum*, in domo quadam privata præsentibus quibusdam & cœnantibus piis Christianis anno 1524.

* XXIII.

ECCIUS *Johannes*. Censura ejus in librum *Gropperi*, vel quisquis ejus autor fuit, Ratisbonæ 1541. colloutoribus a Cæsare traditũ, his verbis refertur in Actis Archivi Vinar. *Neque placuit neque placet liber iste insulsus, neque placebit, in quo tot errores & vitia deprehendi, unde judico, sicut semper judicavi, eum a Catholicis non recipiendum, qui relicto modo loquendi Ecclesiæ & Patrum melanchthonizat. Et ideo ego Eccius non consensi, neque vidi librum Cæsareæ Majestati oblatum, sed solum prælecti fuerunt mihi articuli Lutheranorum; multo minus consensi in scripta quorundam, quæ dicuntur Imperatori oblata cum libro, quem nunquam vidi.* Ad hæc *Julius Pflugius* & *Gropperus* in literis ad Præsides colloquii *Fridericum* Palatinum & *Nicolaum Granvellanum* sic respondent: *Gravem calumniam sustinemus, a quo tale nihil suspicati sumus & quem hoc facere ob graves & multas causas, si sui meminisset, non deceret.* Repetunt inde verba ejus supra relata & addunt: *Audimus eum mordaces censuras in singulos articulos tam conciliatos quam non conciliatos consarcinasse, forsan hæc febricitans effudit.* Ajunt postea: *totum librum a se non profectum, Eccio prælectum, & summa cum alacritate animi, priusquam colloquium iniretur, approbatum fuisse: eundem etiam voce & scripto, quæ concordata fuerint, probasse*; testes appellant ipsos deputatos Cæsaris seu Præsides, quibus utique major fides quam Eccio habenda sit. Speciatim comprobasse eum affirmant, quæ in articulo de Eucharistia composita fuerint, & articulum, ut scribunt, omnium maximum de justificatione, quod ipsius manu probare se posse testantur; autorem tamen fuisse, ut alius substitutus fuerit, qui tamen majori explicatione indiguisset. Hæc Eccii pravum ingenium pessimamque fidem indicant. Neque tamen in altero colloquio anno 1546. secuto impetrare potuerunt Theologi Evangelici, ut hoc testimonium ad acta saltem referretur, præsente licet *Pflugio* & jam Episcopi dignitate ornato, & colloquii illius Præside.

* XXIV.

FABER *Johannes*, Episcopus Viennensis. Memorabilis relatio de illo extat in commentario *Melanchthonis ad cap X. Daniel.* quæ ingenium ejus exprimit, & notabilem historiam & exemplũ divinæ providentiæ exhibet. Verba *Melanchth. P. II. Op. fol 476. & sq.* hæc sunt: *Hæc mihi scribenti, quædam nostri temporis exempla in mentem venerunt. Et quanquam historias plures certas & veras de honestis hominibus, & fide dignis, qui adhuc vivunt, narrare possem, tamen unicam recitabo de Simone Grynæo, qui ad excellentem eruditionem & virtutem adjunxerat veram Dei reverentiam, & maxime philosophiam illorum detestabatur, qui putant eo se plus videre cæteris, quod vel contemnere religiones audent, vel de omnibus sententiis Pyrrhonio more in utramque partem disputare solent. In Conventu Spirensi, qui fuit anno 1529 forte ad me ex Academia Heidelbergensi expatiatus erat. Ibi cum Fabrum Viennensem Episcopum audisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reverenter salutat. Postea narrat se non petulantia aliqua, sed bono studio moveri, ut quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium. Ibi Grynæus dolere se ait, quod vir instructus doctrina, & antecellens autoritate, confirmet errores palam contumeliosos adversus Deum, & quos constet manifestis testimoniis antiquitatis Ecclesiasticæ refutari posse. Scribit Irenæus Polycarpum solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominum. Quo te animo, putas, audisset jam Polycarpus disserentem, Quid mus comedat, arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiæ tenebras? Interpellat Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placide fatetur se Grynæum esse. Erat omnino Faber, ut multi norunt, flagitiose timidus in congressibus doctorum, vel potius erat, ut veteri proverbio dicebatur, Nullus, magnus, malus, piscis, id est, pavidus, procerus, insidiosus & infans. Quare cum Grynæi eruditionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat se a Rege vocatum esse, nec esse nunc otium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam. Simulat se maxime cupidum esse & amicitiæ Grynæi & colloquii longioris. Et cum sua causa, tum propter Rempublicam, orare incipit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit. Grynæus serio hæc dici putans non gravatim promittit. Relicto igitur Fabro ad nos recta accedit. Vix adsederat mensæ, jam enim cœnæ tempus erat, & recitaverat partem disputationis mihi & aliis. Cum ego adsiens ad mensam, subito ex conclavi evocor. Hic me, nescio quis senex, singularem gravitatem vultu, oratione & vestitu præ se ferens, nec quis fuerit unquam rescisscere potui, alloquitur, ac narrat, mox adfuturos esse in hospitio nostro lictores, missos jussu Regis, apud quem Faber Grynæum accusasset, ad abducendum Grynæum in carcerem. Jubet, ut statim ex urbe discedat, ac hortatur ne cunctemur. Ita dicta salute senex abit. Ego ad sodales redeo, jubeo ut surgant, ac narro quid senex nunciarit. Mox per publicam plateam deducimus Grynæum acceptum in medium agmen & ad Rhenum pergimus, ubi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynæus cum suo comite in parva cymba transvectus est. Postea reversi in hospitium intelligimus statim adfuisse lictores, cum nos exiguo spacio ab ea domo progressi essemus. Quanto autem in periculo futurus fuerit Grynæus, si in carcerem abreptus esset, ex Fabri sævitia facile æstimari poterat. Quare judicabamus consilium illud crudele illusum esse divinitus. Et ut affirmare non possum, quis fuerit Senex; ita lictorum ea fuit festinatio, ut nisi ab Angelis tectus fuisset Grynæus, evadere non potuisset. Rem autem ita gestam esse, ut narravi, certum est, & narrunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias DEO, quod nobis custodes Angelos addit, & eo tranquillioribus animis vocationis officia obeamus.* Cæterum *Raynaldus* in *anno 1525. num. 36.* scriptum Fabri producit, in quo insigne superstitionis inveteratæ documentum deprehenditur. Alloquitur enim inter alia virginem Deiparam de Lutheranis querens, his verbis: *Num recordaris, quod te posthac mediatricem nolunt esse coram dilectissimo filio tuo.*

* XXV.

FERDINANDUS I. *Rex Romanorum.* De ejus literis, quas ad Lutherum anno 1537. scripsisse fertur, dixi *III. LVIII. Addit. a.* Adscribere hic volui ipsa *D. Joh. Gerhardi* aut potius *D. Lyseri* verba, ex *Confess. Cathol.* 1679. in folio recusa *fol. 43.* ubi scribit: *Meminit hujus epistolæ imperialis etiam D. Polycarpus Lyserus in strena ad Jacobum Gretserum anno 1607. edita p. 43. hisce verbis: Non ita pridem quandam epistolam scriptam, & vetusto codici, qui olim Lutheri erat, insertam inveni, eam tecum communicabo &c.* Et *p. 49.* *Hujus epistolæ transsumtum, ut dixi, inveni in libro, qui mihi ex Bibliotheca Lutheri obtigit, authenticum, fateor, non vidi, nec, ubi lateat, novi. Neque enim mihi in archiva Principum, Regum vel superiorum inquirere licet. Qualiter illud inveni, taliter bona fide transscripsi. Non dubito, quin multi boni viri illud viderint, qui non minus de eo testabuntur, quam ego, illorum ergo fide hanc epistolam recitamus, ad exhibitionem vero authentici exemplaris nos minime obstringimus.*

* XXVI.

FRANCISCANI Vinarienses, cum a superstitionibus suis desistere nollent, & Evangelicis molestias exhiberent, anno 1527. abire jussi sunt. In templum tamen prius ingressi, cum Guardiano suo in tumbam *Guilielmi* Saxoniæ Ducis (qui *Friderici II.* Electoris Saxoniæ frater fuit, & monasterium illud fundaverat) procubuerunt, eumque inclamarunt, acerbe de ejectione querentes, id quod risu exceptum est, dicente etiam Consule: *hodie non audit Dux, nescio an cras sit auditurus.* Impletum postea est, quod *Johannes Hiltenius* monachus, ut alibi ex *Melanchthone* notatum fuit, anno 1516. prædixerat, ut ex monasterio stabulum fieret; grex enim ovium Ducis aliquandiu in porticibus deserti ædificii stationem habuit, *Paulus Wolff* Pastor Eischleb. in *MSS.*

AD INDICEM I. HISTOR.

* XXVII.

FRIDERICUS, *Elector Saxoniæ.* Autoribus, qui de imperio ei delato attestati sunt, accensendus etiam est acerbissimus ejus omniumque Evangelicorum insectator *Odoricus Raynaldus*, qui id in historia *anno 1519. n. 23.* etiam ex *Cajetani* Cardinalis literis ad Pontificem scriptis confirmat. Sed ne a pure atque veneno suo, quo exulceratum in Evangelicos pectus habuit, recederet *Raynaldus*, mox ingenuitatem illam protervo in Fridericum convitio corrumpit, non veritus scribere, *eum, quia vitam epicuream & suillam ducere consuevisset, delitias illas dignitati Imperii* (quæ scilicet curis & laboribus subjecta erat) *prætulisse*; nec tamen aliud argumentum affert, quam quod conniventia in Lutherum usus sit Ex Epicuri grege porcum fuisse oportet, vel canem potius invidia rabidum, qui hæc contra omnem non veritatem solum, sed & veri speciem, turpissime evomuit in Principem, cujus virtutis heroicæ documenta irrefragabilia habemus, partim etiam in hoc Opere adduximus.

* XXIIX.

FRIDERICUS, *Dux Lignitiensis.* Communicata mecum ab amico est prolixa & elegans epistola *Simonis Grunæi* Superintendentis Lignitiensis anno 1617. ad *Abrahamum Sculletum* Heidelbergensem Theologum exarata, ex qua de reformatione illius Ducatus sequentia excerpsi, ad periodum Historiæ, quam tracto, pertinentia. Post diditam doctrinæ Lutheranæ an. 1517. exortæ, longe lateque & celeriter quidem in Silesiam, & maxime Vratislaviam amplissimæ provinciæ metropolin, & Lignitiensem ac Brigensem Ducatum famam, animi hominum ad odium veteris superstitionis, novamque Evangelii lucem illico erecti sunt, & Lignitii quidem publice de ea docere cœpit in templo parochiali D. Virginis anno 1522. in festo Pentecostes *Fabianus* quidam *Eckelius*, qui tamen postea Enthusiastis & Anabaptistis accessit. In æde Franciscanorum concionatus est *D. Joh. Sebast. Schubertus*, ejus ordinis monachus, Budissina eo missus. Anno sequenti, quo Vratislaviæ *D. Joh. Hessus* in æde Mariæ Magdalenæ Dom. XXI post Trinit primam concionem Evangelicam habuit, Lignitii in altero parochiali templo Petro & Paulo dedicato concionari cœpit *M. Valentinus Rosenhayn*, evocatus ex agro Freistadiensi, constitutus vero a Friderico Duce Lector Theologiæ ordinarius fuit in cœnobio *D. Joh. Valentinus Cratoaldus* (*Krautwald*) Canonicus, vir doctus, sed Schwenckfeldii præceptor, ejusque erroris defensor & propagator postea primarius. Eodem implicitus fuit *Joh. Sigismundus Werner*, quum Dux anno 1524. aulæ concionatorem constituerat. Eo tamen anno tempore Quadragesimæ, sublata Missa, & communio sub utraque cœpta est, & Dux publice mandavit, ut absque ullius Doctoris humani, etiam ipsius Lutheri, respectu ad S. Scripturæ normam & regulam doceretur. Eodem tempore supra dictus *Caspar a Schwenckfeld*, equestri loco in agro Lubenensi natus suas sparsit opiniones. Eo vero anno 1526. progredi cœpit fanaticorum insania, ut administratio sacræ Cœnæ aliqvandiu plane intermissa, pædobaptismus quoque penitus prope fuerit exterminatus. Anno 1527. institutum fuit a Duce collegium Academicum XXIV. lectorum, inter quos etiam fuit *Bernardus Zieglerus*, nobilis Misnicus, Lipsiensis postea Professor, sed fanaticorum importunitate post triennium id fuit disturbatum. Edidit *Fridericus* illo anno scriptum Germanicum *Uratislaviæ* excusum, in qvo rationes reddi nt doctrinæ Evangelicæ; aliud quoque quo ab imputatione erroris in articulo de Sacramento se excusat. Nec multo post *Schwenckfeldius* Ferdinandi Regis edicto Silesia pulsus est, cum *Tiguri* anno 1528. publicato libello præsentiam corporis Christi in Sacramento negasset, & apologia, *Lignitii* anno 1529. cum præfatione *Capitonis* excusa, eandem opinionem defendisset. *Eckelius* quoque a Principe eodem anno 1529. *Goldbergam* translatus, sed a pueris exagitatus, Lignitium reversus, postea tamen ob pædobaptismum publice impugnatum, prorsus dimissus fuit, successore ei anno 1531. dato *M. Joh. Wunschelio*, sive Wunschelt / Theologo sincero & constanti, qui Superintendentis munus gessit. Exautoratus etiam fuit *Rosenhaynius* anno 1530. Anno 1535. d. 2. Novembr. Principis autoritate publicatum est scriptum cum consensu Ordinum provinciæ, tit. Vergleichung des Ausschusses etc. in quo usus sacrorum præscribitur. Anno 1539. *VVernerus* cum ad Melanchthonem Wittenbergam missus, a conceptis opinionibus dimoveri non posset, munere motus fuit. Suffectus ei est *Ægidius Faber* Meckelburgensis (nobis *III. XXXIV. 9.* memoratus) & Schwenckfeldiana Theologia penitus fuit exterminata, insignem operam præstantibus *VVunschelio* supra dicto, item *VVenceslao Kuchlero*, *Hieronymo VVittichio*, & ante omnes *Valentino Fridlandio*, qui a patria *Trocedorfius* dicebatur, Rector celeberrimus scholæ Goldbergensis. *Fridericus* enim Dux scriptis & legationibus ad Electorem Sax. & conventus Smalcaldienses mittendis non quievit, donec doctrinam publicam in ditione sua ad normam Augustanæ confessionis constituisset, publicato anno 1542. eum in finem edicto, & sic satis quietus fuit religionis in Ducatibus Friderici *Lignitiensi* & *Brigensi* status. Nominat etiam autor pastores & concionatores, qui *Ægidio Fabro* successerunt, nec tacet dissidia, in causa Sacramenti sub finem seculi proximi exorta. Sed ista, quæ metam nostram egrediuntur, omittimus.

XXIX.

FRIZHANS *Johannes.* Tractatus de causis hæresium & sectarum, Wer aller Rotten / Secten / und unchristlicher Lehre eine Ursache sey / *Magdeburgi 1535.* in quarto, dedicatus *Magno Hund*, Doctori Medico in valle Joachimica. Luthero malum illud perperam imputari scribit, inter alia hoc argumento, quod novi hæretici ipsi sint infensissimi. *Cochlæum* irridet, quod scribat, fanaticos occasionem errorum ex Lutheri doctrina hausisse, quasi scilicet Arius non ex *Joh. XIV. 28.* suæ hæreseos prætextum quæsivisset, aut schismata Corinthiorum non ab Apostolis occasionem habuissent. Tres igitur causas sectarum statuit, nempe Satanam, tyrannos politicos & ecclesiasticos, & plebis ingratitudinem & malos mores. Ob hos tamen veritatem doctrinæ in dubium vocari non debere contra *Vicelium* asserit, monetque paucissimos, etiam in cœtibus, in quibus verbum DEI egregie prædicatum sit, vere pios fuisse. *Ejusdem* libellus, quem *I. CXXXIX. Add. IV. a.* allegavimus, plagularum sex, etsi dicteriis acrioribus ab adversario Mensingio provocatus, indulgeat autor, solidus tamen est, & argumenta pro sacrificio Missæ a Mensingio allata, funditus destruit. Ex scripto hoc etiam manifestum est, vocabulum Germanicum die Dermung / sive (ut Lutherus scribere solitus est,) Dyrmung / significare consecrationem seu elevationem in Sacramento, quod vero sit etymologiæ fundamentum, percipi a me non posse fateor.

XXX.

GOCHIUS *Johannes*, Mechliniensis. Uno tantum verbo mentio viri hujus facta est ex epistola quadam *Erasmi. I, CXXXIII. Add. 2* sed ampliorem notitiam suppeditavit libellus *Tom. II. catalogi Bibliothecæ Rudolpheæ p. 77. & sqq.* memoratus, ex quo rubricæ scriptorum *Gochii* referuntur, quæ profecto desiderium excitant ut recudantur, quæ non possunt non clarissimum Evangelicæ veritati ante Lutherum in mediis Romanæ Ecclesiæ corruptelis servatæ testimonium exhibere.

XXXI.

GRONIGER *Johannes*, Ecclesiastes Servestanus. Hujus quoque viri notitiam acceptam ferimus *Bibliothecæ Rudolphinæ*, in qua libellus ejus extat, quem anno 1524. ad *Wolffgangum* & *Johannem* Principes Anhaltinos edidit, quorum jussu ad quæsita tria respondit, (1.) quo fundamento Scripturæ processiones, aquam benedictam, suffitus missasque votivas & exequiales abrogaverit. (2.) Cur monachum quendam publice de suggestu increpaverit. (3) Duorum cœnobiorum monachis minatus fuerit, ni a ceremoniis suis & Missis desistant, fore, ut tumultus a plebe excitetur. Utitur autem argumentis iisdem, quibus Lutherus & alii Evangelici Doctores uti solebant, nec spernenda cum facundia illa explicat, unde & Lutherus subsignatis nominis sui literis initialibus attestatus est, hunc libellum (qui plagulas habet 8) *a Deputatis Wittenbergensibus*, sive Consistorialibus revisum & approbatum esse. Imprimis vero defendit articulos de gratuita justificatione per fidem, nec minus urget sanctimoniam vitæ, id est, quotidianam veteris hominis castigationem & mortificationem & charitatis exercitium continuum; rejicit tamen fictitia illa opera a monachis laudari & morientibus potissimum suggeri solita, fundationes Missarum & similia. Validissime impugnat invocationem Sanctorum & cultum imaginum & reliquiarum, & alia ejusmodi. Monachi vero, quem reprehenderat, crassissimos errores, inprimis de communione sub una & sacrificio Missæ enumerat & refellit. Papam Antichristum & idolum palam vocat, informationem tamen ex Scripturis, per quam erroris convinci possit, non recusat. Hunc libellum reformationi Anhaltinæ in districtu Servestano magnum pondus attulisse dubitare non possum.

XXXII.

GUTTELIUS *Casparus*, Doctor. Extat concio Germanica in octavo anno 1538. *Erfurti* excusa *de lege & Evangelio.* In præfatione unam & summam sapientiam Christianorum esse dicit ex *Joh. XVII. 3.* ut agnoscant Christum quem Deus misit. Hunc thesaurum ex aurifodina verbi divini eruisse D. Lutherum, præcipue in scholis ad Prophetam Esaiam, & in commentario in epi-

pistolam ad Galatas, hunc se ait, quanquam soli DEO gloriam tribuat, pro summo præceptore agnoscere & ex ejus scriptis solatium adversus legem terrores, quæ mortis, diaboli & inferni cepisse, quale in nullo alio autore invenerit. Ejusdem *apologia* sive deductio causarum mutatæ sæpius conditionis suæ & *confessio fidei* anno 1535. *Erfurti* forma octava Germanice edita. Ex hac constat, natum fuisse in Bavaria & ut videtur Monachii. Fatetur, se a tenera ætate de salute sua solicitum fuisse & veluti ægrotasse, remedium autem ex nullis Ecclesiarum & scholarum illius temporis invenisse, sed imprudenti zelo justitiæ per opera impetrandæ flagrasse, nihilque unquam de justificatione per fidem audivisse nec credidisse. Rosariis & recitationibus inutilibus, jejuniis, peregrinationibus, bis in montes Bavariæ ad S. Wolffgangum, ter Oetingam, semel Aquisgranum & in Jubileo anno 1500. Romam excurrisse, sed nihilo meliorem rediisse, verum ut proverbium Germanicum habet (er habe Zwiebeln hinein geführet / und Knoblauch wieder herauß gebracht) pro cepis allium retulisse. Interea ut plusquam alii Christiani præstaret anno 1498. sacerdotem consecrari se fecisse, & quod de, lurat sacrificium factum esse: Cum vero nec in illo statu conscientiæ diu noctuque in quiete consulere potuisset, majorem perfectionem in monachatu quæsivisse, & anno 1514. *Neostadii ad Orilam* (Thuringiæ Austrasis oppido) Augustinianum factum esse, tanta quidem cum fiducia meriti ut, primo anno multoties mortem sibi optaverit, cœlum sine dubio intraturus, verum mox priores animi angustias & terrores perpetuo cum cruciatu rediisse, cum Christum non ut intercessorem & salvatorem, sed ut inexorabilem judicem respexisset. Non veretur sane dicere, monasterium esse infernum, in quo ipse Diabolus Abbas sit, monachos vero & moniales miseras & damnatas animas. Sequenti anno a *Joh. Staupitio* Vicario Augustinianorum generali Islebiam vocatum fuisse eo fine, ut in patriam Bavariam & in urbem Monachium mitteretur, sed retentum, permissu & jussu Staupitii Islebiæ, rogatu Alberti & reliquorum Comitum Mansfeldensium, ut exstructionem novi monasterii Augustiniani ad D. Annæ promoveret. Tantas, ait, stipes ardore hominum, præsertim in templo S. Andreæ collatos ad id opus fuisse, ut sæpe in exequiis & aliis solennitatibus missaticis quindecim aut viginti floreni (magna illo tempore summa) collecti fuerint. Indulgentiarum quoque promulgationem magno conatu ad annum usque 1518 ibi factam fuisse memorat, sed non sine scandalo hominum, qui vili pretio cœlum emi indignabantur. Refert inde summeque laudat Lutheri piam & magnanimam mentem, qui primus abusus arguere & lucem Evangelii jam accendere ausus fuerit. Hac se illuminatum errorem suum, quo huc usque laboraverit, aliosque imbuerit, publice Islebiæ agnovisse & scriptis Senatui Brixæ sito in Bohemia, ubi quatuor annis docuerat, detexisse, idemque Zviccaviæ & alibi, ubi concionatus erat, præstitisse, cujus facti, ut &, quod conjugem, quanquam serius duxerit, ex fundamentis, quæ nota sunt, reddit & defendit.

XXXIII.

HAUGVVIZ. *Christophori ab Haugwiz*, Canonici Budissini dialogus Germanicus *de Canonicis* anno 1536. *VVittenbergæ* cum præfatione *D. Pomerani* editus: idem anno 1660. ex Bibliotheca quadam insigni, ut in titulo innuitur, recusus. *Pomeranus* in præfatione autorem laudat, quod doctrinam Evangelicam & usum Sacramentorum legitimum Budissinæ licet magno cum periculo suo promoverit & moriturus vigilias & inferias, ut blasphemas & superstitiosas in funere suo fieri prohibuerit. Refertur in *Dialogo*, (qui nonnisi duas plagulas & dimidiam habet) vetus & bona intentio & institutio collegiorum, & quomodo in illis juvenes in sacris literis eruditi, & ad officia ecclesiastica idonei redditi fuerint, & postea per negligentiam introducti sint abusus per recitationem horarum Canonicarum absque intellectu, item per malos mores luxum & libidines: quæ omnia alter collocutorum vehementer taxat, alter præfracte defendit. Subjuncta sunt quædam ex ordinatione Ecclesiæ Hamburgensis, quam eo anno *Pomeranus* edidit, in qua plurima leguntur, quæ *Haugwitius* contra abusus Canonicorum disputavit.

XXXIV.

HENRICUS *Dux Brunsuicensis*. De ejus sub finem vitæ ad Evangelicam veritatem conversione testatur *D. Basilius Sattlerus*, concionator aulæ Guelferbytanæ in concione funebri *Julio* Duci Brunsuicensi p. m. d. 11. Jun. 1589. habita, quam mecum benigne communicavit *Serenissimus Dux Rudolphus Augustus*. Expresse enim Deo gratias egit, *Henrici* mentionem faciens, quod tandem lucem verbi sui in eo accendisset. Wir wollen GOTT dancken / daß er noch zuletzt das Licht seines Göttlichen Wortes Er. Fürstl. Gn. hat angezündet und scheinen lassen / (*quatern. O. fac. b.*) Addit. O. 3. Henricum testamento cavisse, ut schola illustris erigeretur, is quod filius & successor *Julius* effectui dedit Helmstadiensem Academiam fundando. De hac re ratione tanto minus dubitari debet, quoniam non nisi XXI. anni a morte Henrici effluxerant, cum *Sattlerus* ista solenniter & publice affirmaret, & tot essent superstites, qui Henricum noverant, & falsa narrantem redarguere potuissent. Meminit etiam aliquid *D. Nicolaus Selneccerus*, in præfatione ad commentarium suum in Psalmos, quod Henrici inclinationem ad veritatem Evangelii jam indicat. Cum reparato Ducatu & abrogata reformatione Evangelica ab Electore Sax. & Landgravio Hassiæ instituta, populus tamen doctrinæ illi adhæreret, & in ipso sacello arcis Guelferbytanæ hymnos a Luthero compositos aliquando decantaret, sacerdos Pontificius apud Henricum ea de re acerbe questus est. Henricus vero, etsi iratus Luthero, quæsivit prius, quales hymnos canerent? Sacerdos inde aliquos indicavit, & inter hos initium cantici ex *Psalmo LXVII* compositi: Es wolt uns GOtt genädig seyn. *Deus misereatur nostri &c.* Tum regessit Henricus: Ey / soll uns denn der Teufel gnädig seyn? Wer soll uns denn gnädig seyn / denn GOtt allein? id est, *An, Diabolus ne nostri miserebitur, aut alius quam solus Deus nostri misereri debet?* Ita repulso & confuso sacerdote continuatæ sunt Lutheri cantiones. Sed, ut dixi, non nisi sub finem vitæ apertius animum suum explicavit Princeps, recepto etiam in gratiam, quem ob religionis Evangelicæ studium diu aversatus erat, filio & successore *Julio*.

XXXV.

HERBORN *Nicolaus Guardianus*, Marpurgensis. Hujus libellus *de tribus votis monachorum religiosorum, obedientia, paupertate & continentia*, Germanice stylo semiWestphalico anno 1527. *Coloniæ* editus in octavo & dedicatus monachis utriusque sexus in Hassia. Est scriptum contumeliosissimum, & infinitis injuriis in *Lutherum, Melanchthonem*, maxime vero in *Franciscum Lampertum*, cum quo autor in Comitiis Hassiacis Homburgi anno 1526 disputaverat refertum. Inter alia prærogativam & merita votorum monasticorum probat ex *Luc. X. 35. quodcunque supererogaveris*, & consilia ex præceptis Christi facit, abusus vocabulo *Si quis vult. Matth. XVI. 24.* quasi scilicet liberum relinquat, an quis abnegare velit seipsum, crucem tollere & sequi Christum. Quando modestissimus est, Lutherum & ejus sectatores *lupos & canes* vocat.

XXXVI.

HESSUS *Simon*. Quis hic fuerit, compertum mihi non est, extat autem *Dialogus* Germanicus inter *D. Lutherum* & hunc *Hessum* adornatus, plagulas habet duas, absque anni ac loci indicio excusus. In exordio mentio fit disputationum, quas *Hessus* antehac contra Lutherum in scriptis instituisse se dicit, de quibus itidem nullam habeo notitiam. *Hessus* Lutherum, antequam in consessum comitialem ingrederetur, alloquitur, eique pericula sua proponit, & quos qualesque adversarios habeat, exponit, nominatim multa reprehendens in *Eccio*, tam Ingolstadiensi quam Trevirensi, *Murnaro, Cochlæo*, aliisque ut & in *Aleandro*. (cujus nomen mendose excusum est *Alexander*) Lutheri responsa brevia sunt, eoque fere tendunt, ut neque mortem a se timeri, neque ullo modo a veritatis professione dimoveri se posse asseveret. *Hessus* inter alia indicat, *Eccii* Ingolstadiensis literas extare Wormatiam scriptas, in quibus suadeat, ut Lutherus, non obstante salvo conductu, occidatur, multos etiam irasci Eccio dicit, quod Bullam Pontificis procuraverit.

* XXXVII.

HILDESIENSIS Episcopatus. Transactum est de lite illa anno 1642. d. 16. Januarii Goslariæ, autoritate Cæsarea, & restituta est pars Episcopatus minor das kleine Stifft / Episcopo, præfectura nempe *Peina, Steurwalda & Marienburgum*, partem majorem, das grosse Stifft / Duces Brunsuicenses retinuerunt, vid. *Theatr. Europ. Tom. IV. fol. 860. & seqq.*

XXXIIX.

JOHANNES *Elector Saxoniæ*. Sub hoc titulo referendum esse duxi, programma egregium anno 1531. *VVittenbergæ* jussu Electoris editum & de pulpitis Germanice recitatum contra popularia vitia blasphemiam & ebrietatem, contra quæ egregia ex sacris literis & rationibus moralibus proponuntur. Inter alia dictum Pauli *1. Cor. VI. 10.* quod ebriosi regnum Dei possidere non magis quam alii ibi indicatorum flagitiorum rei possint ita explicatur, ut regnum Dei etiam de regno gratiæ, sive Ecclesia intelligatur. Id enim (scribunt) hic incipit in iis, qui verbum Evangelii recte audiunt & Sacramentis salubriter utuntur, cum eo vero non congruit ebrietas & vita dissoluta. Nec in regnum

Chri-

Christi recipiuntur, nisi ii, qui afflicta sunt ob peccata mente & conscientia, & recreationem a Christo desiderant; nullo itaque modo his accenseri possunt, qui adhuc in ebrietate aliisque peccatis Ethnicorum vivunt. Si igitur regni Dei & Evangelii, thesaurique, qvem in Christo habemus, in Ecclesia & in tempore præsenti non fiunt participes, multo minus eo potientur olim in regno gloriæ; Qui enim hic non intrat in præsens regnum cœlorum (gratiæ scilicet) ex futuro in æternum excludetur.

* XXXIX.

JOHANNES FRIDERICUS *Elector Saxoniæ*, patrem *Johannem*, Electorem, in Comitiis Wormatiensibus comitatus est anno 1521. adolescens tunc annorum XVIII. Institutis autem ibi ludis eqvestribus, tam scite & fortiter egit, ut omnibus esset admirationi. Cæsar vero eodem ætatis flore, triennio tamen major, a Saxone armaturam ejus (Rennzeug) sibi donari petiit, ut & factum est. Inter aulicos Electoris tunc erat *Hermannus ab Hoff*, ex Nobilitate Misnica, is in hastiludiis illis præmium optimum den besten Gewinn (quod pro temporum illorum parsimonia non nisi centum florenorum pretio æstimatum fuit) meritus est, factus postea fuit Præfectus Wachsenburgensis in Thuringia. Ex *Pauli Wolffii*, Vinariensis, pastoris Eischlebiensis in præfectura Ichtershusana *annotationibus historicis MSS.*

XL.

JOHANNES a LEIDA. Fanatici illius Regis Monasteriensis acta, & inprimis errores in religione publicarunt, qui jussu Episcopi Monasteriensis & Landgravii Hassiæ eum in carcere examinarunt, *Antonius Corvinus* & *Joh. Kymæus*, Theologi tunc Hassiaci. Horum relatio typis excusa extat. Ex hac, omissis, quæ prius magna cum ferocia pro errorum scelerumque suorum defensione vociferatus erat, ea tantum in compendio referam, quæ in postremo cum Theologis illis habito colloquio & ore & subscriptione sua confessus est; quanquam non dissimulent Theologi, eum spe veniæ mitius locutum fuisse. Pollicitus sane ab initio est, se, si gratia sibi fieret, Anabaptistis omnibus, quorum in Hollandia, Brabantia, Frisia & Anglia magnum numerum esse dicebat, silentium, quietem & obsequium persuasurum, effecturum etiam esse, ut infantes suos baptizari sinerent, donec de religione inter Principes conveniri posset. Deinde ad septem capita illi proposita respondit. (1) *De regno Christi.* De hoc a sententia sua, quod Christus in terris regnum quoddam corporale annis mille instituturus sit, dimoveri non potuit, fassus tamen est, regnum Monasterii cœptum, vanam saltem ejus & veluti mortuam imaginem fuisse, & propter maximos abusus necessario corruisse; licet enim cum *Rothmanno* & Prophetis suis spem conceperit, duraturum id esse usque ad adventum Christi, dubitare tamen se & socios postea ipsos cœpisse, in carcere vero suo ab errore liberatum esse; questus inde est de quodam ex Prophetis suis, nomine Tusendschur / a quo ad regnum illud instituendum incitatus fuisset. (2.) *De Magistratibus*; agnovit, esse illos ex ordinatione divina, iisque parendum esse propter conscientiam, licet Turcæ essent, aut pessimis moribus; peccasse se itaque dixit, quod aliter sensisset, & quod Episcopo a iisque Proceribus, etiam captivus, nullam exhibuerit reverentiam Id autem ideo fecisse, ut autoritatem suam servaret, qua socios movere ad concordiam & obsequium posset, hunc enim sibi scopum post cladem suam se proposuisse. (3.) *De justificatione*, asseruit per solam fidem coram Deo justos salvosque fieri homines, absque concursu operum, hæc tamen ut testimonia fidei omitti non posse, si enim non sequantur, fidem non esse sinceram. Addidit: pios perpetuo paratos esse debere, ut propter verbum divinum omnia relinquant, perdant, & omnia, etiam mortem, patiantur. (4.) *De Baptismo* ita sensit, quod baptismus infantum sit inventum humanum, neque se illum unquam probare posse, quia infantes instrui in fide nequeant; repetiit tamen, quæ ab initio obtulerat, quod sua persuasione Anabaptistas ad obsequium & quietem inducturus esset, modo conscientia illorum libera & intacta relinqueretur; demonstraturum etiam se illis esse, quod anabaptismum non recte administraverint. (5.) *De sacra Cœna* dixit: se, ut omnes Anabaptistas, Zvinglii opinioni addictum fuisse, revelatum sibi tamen a Deo in carcere meliorem intellectum esse, ita, ut jam credat, in pane verum corpus, & in pane verum sanguinem Christi, non tamen visibiliter, sed invisibiliter distribui; quod vero etiam ii, qui non credunt, verum corpus & verum sanguinem Domini accipiant, credere se non posse. (6.) *De incarnatione Christi* negavit; se ullo modo credere posse, quod Christus aliquid ex carne Mariæ assumserit, licet ex ea natus sit; hoc tamen concedere, quod in utero Mariæ formatus & conceptus fuerit, sicut alius infans Hunc articulum se ad mortem usqve defensurum esse asseveravit, impetrata autem facultate, sperare se dicit, Anabaptistis etiam hoc in capite silentium & quietem persuasurum se esse. (7) Ratione *conjugii* confessus est, se cum suis deceptos a Propheta supradicto nimis præcipitanter egisse, & jam factum id nolle, melius quippe informatum; scire se tamen, majorem olim libertatem circa conjugia fuisse; æquum interim esse, ut hoc tempore secundum leges publicas agatur. Hæc in secunda illa disputatione, ut dictum est, *Bevergeræ*, ubi in vinculis erat, effatus est, atque in scripturam redacta & prælecta his verbis subscripsit: Jk Johann von Leiden mit myner eghenen Hand ondertekent. *Ego Johannes Leidensis, propria manu mea hac signavi.*

* XLI.

JONAS *Justus*, Doctor. Referri merentur, quæ *Reg. O. fol. 124. BB.* ex *Spalatini* historia *MSta* narrantur. *Jonas* canonicatum Erfurti habebat, ibi versanti Fridericus Saxon. Elector anno 1521. *Præposituram* in Ecclesia collegiata Wittenberg. obtulit, huic autem adjuncta erat *Professio juris Canonici.* At recusare hanc Jonas cœpit, causatus, a lectione illa se abhorrere & Doctoris Theologiæ gradum assumturum esse. Licet vero Elector remittere ei hoc onus lectionis vellet, si id alii, data ex reditibus præposituræ annua 50. florenorum pensione, delegaret, contradixit tamen Academia & statuta sua & Capituli opposuit. Jonas vero beneficio cariturum se potius, quam hac conditione id accepturum esse scripsit, jam enim, ajebat, Dei providentia erupisse & S. Scripturæ testimoniis probatum fuisse, quod olim *Laurentius Valla* aliiq; viri docti in Italia & Romæ movere cœperint, & Wittenbergensi Academiæ hanc laudem per Italiam, Galliam, Germaniam & Hispaniam, immo per totam Europam tribui, quod veritatem Evangelicam Spiritu vere Apostolico sermone & scripto publicet. Hanc ejus primam & summam prærogativam esse; alteram, quod lingua Hebraica & Græca ibi excoleretur, & juventus scholastica absque ambage ad omnes functiones apta redderetur. Addidit; magis convenire intentioni & fundationi, ut primarius ex Capitulo & Academia, *Præpositus* nempe, seu *Prælatus* S. Scripturæ peritus sit. Spretam hucusque Theologicam professionem ideo fuisse, quia nonnisi Thomistæ & Scotistæ pro Theologis habiti fuerint, homines neque ad scribendum, neque ad consulendum, neque ad concionandum idonei. Verum autem Theologum non esse hominem otiosum, sed industrium, qui ad lectiones, conciones, consilia & disputationes idoneus sit, & adhiberi ad omnia possit, qvæ Christiana charitas exigeret. Perstitit itaque in ea sententia, quod *Præposituram* cum conditione illa legendi jus Canonicum accipere nollet, viginti tamen florenos annuos ei offerebat, qui lectionis illius laborem sui loco susciperet. Sic evicit, ut, non obstante veteri more, lectio Canonum *D. Johanni Schwertfegero*, & postea *D. Apello* cum pensione illa, a *Jona* oblata, demandata fuerit; ipse in templo collegiato diebus Dominicis & festis concionatus est, & lectiones theologicas ex Scriptura Germanicas & Latinas quotidie habuit.

* XLII.

KANZIUS *Caspar*, Nortlingensium Pastor, cujus *III. LXVI. 21.* mentio facta est, Prior Carmelitarum anno 1518. fuit, ut ex *MSto* a *M. Hackio*, Superintendente, postea mecum communicato, percipitur.

XLIII.

KEMPIUS *Stephanus*. Exstat *Henrici Cnustii* non inelegans carmen in libello, quo confessionem Lutheri de Sacramento anno 1528. editam, ex parte Latinam vertit, quod mereri visum est, ut hic insereretur.

Hoc Stephane tu, qui cultor es Dei pius,
Fac Spiritu ingenti quoque asseras opus,
Dudum quod egisti, tuam quando patriam
Vera, pia, Christoque digna maxime
Fide refinxisti, pro ea cumque impiis
Acerrimo congressus es certamine;
Quos spiritu plenis libris tandem, Deo
Dante & juvante, rubore confudisti, ut es
Miles tui fortissimus Christi. Euge quod
Agis jam, agas perpetuo, & hujus probebe
Tu gloriam, sic ille te gratissimus
In sempiterna iterum beabit gloria.
Vive & diu vale mihi ac Ecclesiæ, &
Puerilibus studiis fave & me dilige.

XLIV.

KETTENBACH *Henricus*. Ejus Apologia pro Luthero, dialecto Suevica scripta, & 1523. duabus plagulis excusa extat.

XLV.

KLINGEBEIL *Stephanus*, Licentiatus. Hujus tractatus *de conjugio*

gio Sacerdotum (in quem Lutherus præfationem conscripsit) excusus est *Wittenbergæ* 1525. & dedicatus *Erasmo Episcopo Caminensi*. Fatetur autor, se in Scripturis parum peritum esse, de hoc articulo autem ita scriptum esse a viris illuminatis & doctis (quorum major numerus jam fit, quam multis seculis non fuerit) ut præcipui ex Pharisæis obmutuerint. Queritur autem inprimis de Dominicanorum & Franciscanorum Stetinensium calumniis & clamoribus, & contra illos conjugium a se contractum defendit. Fundamenta pro conjugio non alia allegat, quam quæ dudum Lutherus in tractatu de votis monasticis & alibi demonstraverat: citat autem etiam formulas interrogationis & responsionis cum sacerdotes consecrantur, in quibus nihil speciatim de cœlibatu continetur; sed consecrandus in genere. Saltem promittit & jurat, se statum sacerdotalem, in quantum possit & intelligat, secundum traditiones Patrum servaturum esse; eo ipso ad impossibile se non obligatum, immo conscientia adactum fuisse contendit, ut remedium divinitus concessum ad evitanda, quibus succubuisset, peccata admitteret. Objicit etiam Episcopis, quod contra dispositionem Can. *Si quis Episcopus &c.* & *Nemo quippe nocet &c. dist. 83.* pretio aut precibus concubinas permittant, neque unquam decreta illa publicent, aut pœnam *Nov. 5 cap. 8.* exequantur, exclusionem nempe a Clero omnium, qui concubinas habeant aut luxuriose vivant.

XLVI.

KNOPHIUS *Andreas*, vulgo *Knöpken*, Custrinensis. Hujus *interpretatio in Epist. ad Rom.* cum notis *Melanchthonis* extat excusa *Argentorati* 1525. & præmissa illi est brevis præfatio *D. Joh. Pomerani*, in qua excusat, quod autor, cum apud Livonos Rigenses istam interpretationem prælegeret, infirmiorum rationem habuisset, & aliorum quando que sententiam allegasset, nulla tamen probata, quæ cum sacris literis non conveniret. Sententiam quidem Lutheri satis manifeste in commentatione hac, quæ brevis est, tenuit justitiam operum, quæ in oculis humanis tantum justificet, a justitia in oculis Dei distinguens, quam solæ fidei acceptam fert. Veram autem fidem esse ubique urget, quæ per dilectionem sese effundit in opera.

XLVII.

KORN. Prodiit relatio *Galli Kornii* I. CXXXIX 3. allegata, *Wittenbergæ* anno 1522 unius tantum quaternionis titulo; Handlung wie es einem Prediger-Mönch zu Nürnberg mit seinen Ordens-Brüdern von wegen der Evangelischen Warheit gangen ist. Narrat autem, se die sequenti post ascensionem Domini (29. Maji) in templo monasterii Dominicani Norimbergensi dictum *Jacobi I. 27* explicasse & ex eo XII. propositiones formasse de unica & vera religione, quæ non in vita monastica, sed in una fide consisteret, & in baptismo promitteretur, quod fœdus votumque omni alii præferret. Hanc concionem sodalibus suis vehementer displicuisse, nec abstinuisse eos conviciis & contumeliis. Deinde, ut narrat, d. 6. Jun. a Priore & Subpriore objurgatus est, quod hæresin foveret, & denunciatum, quod in excommunicationem Pontificiam incidisset; pœna tamen alia illi non esse inflicta, quam ut concionandi munere ei interdiceretur. Tertia die, quæ erat Dominica Pentecostes, cum variis cogitationibus sese, quid agendum sibi esset, macerasset, *Cypriani* volumen fortuito impetu se evolvisse, & in dictum *Pauli 2. Thess. III. 6* primo aspectu incidisse, sancte testatur, quo Apostolus separationem *a fratre inordinate ambulante* præcipit. Hoc veluti oraculo, divinitus admonitum se esse existimans monasterio egressus est. Scripsit ista d. 11. Jun. 1522. Extat ejusdem disputatio cum *Johanne Neubero*, Diacono Baronis Schwarzenbergii d. 27. April. 1527. habita.

XLIIX.

LAMPERTI *Francisci* Commentarius in Oseam & Joelem cum privilegio Cæsareo *Argentorati* apud Hervagium anno 1525. editus in octavo, dedicatus *Friderico* Saxon Elect. epistola memorabili & prolixa. In hujus exordio gratias agit Deo, quod mysterium veritatis suæ sub stercoribus inventorum carnis & traditionum hominum, æquissimo judicio suo, multis seculis absconditum, his diebus denuo revelare dignatus sit. *Elegit ad id primum*, ait, *terras & dies principatus Clementiæ tuæ, ut sub te Duce piissimo, haud secus atque sub fidelissimo Zorobabel, restauraretur Hierusalem civitas Dei, id est, Ecclesia Sacrosancta, maxime eligens tuam felicissimam Wittenbergam & constituens principem operũ, Apostolum suum MARTINUM LUTHERUM.* Subjungit plura, ut impedire hoc opus non potuerint Sanabal at & socii, sive Antichristus cum omni sua fornicaria Babylone, utque Deus operarios fidelissimos per orbem multiplicaverit, qui una manu opus faciant verbo & scriptis docentes populos, altera Dei eloquiorum gladium teneant, eo se potenter a veritatis hostibus protegentes. Celebrat, ut passim Wittenbergam veniant, Comites, equites, nobiles & alii etiam e Gallia, ut inclytum Ducem videant, ac præfectum operum *Martinum Lutherum*. Hoc stimulo se actum scribit, ut ex *Avenione* Wittenbergam veniret, in qua ad publica Dei scripta enarrandi provinciam admissus fuerit, & in ea Deus, Principem ipsi vere patrem fecerit. Extollit beneficia ab illo accepta, & excusat, quod dissuadentibus *Luthero* & *Melanchthone* atque inscio Principe abierit, vocante Deo, ut Christum doceret *Metenses*, vel si id non liceret, *Argentoratenses*, aliasque Galliæ vicinas urbes. Narrat ut Metim venerit, ibique repererit *Johannem Castellanum*, qui spretis Antichristi prophetis, Clericis nempe Romanis, quorum nongentos in urbe esse memorat, Christum annunciaverit, sed in Lotharingia captus, atque annitentibus *Abbate Antonianorum* Viennensi in Gallia, & *Bonaventura Rennel* Minorita, qui præ cæteris insaniverint, ignis supplicium passus sit d. 12. Jan. 1525. degradatus primum, ut fieri solet a sacerdotio, quod *Antichristi functionem* vocat Lampertus. Quanquam vero sat multa de hoc martyrio viri narret, citat tamen *farraginem suam rerum Theologicarum paradox. 109.* & operis ejus conclusionem, in quo de sancti hujus viri triumpho egerit. Idem rationes, propter quas Minoritarum conversationem habitumque rejecit, plagula una sine die & anno edita publicavit. Refert, se quindecim annorum puerum externa Ordinis illius specie deceptum monasterium illorum ingressum esse; primo anno, id est, probationis, sibi, ut novitio, pro more omnia vitia & scandala occultata fuisse, sed facta professione & perspectis illorum internis, in summam animi inquietudinem incidisse: Missione postea ad conciones habendas invidiam sociorum incurrisse; quas cum ferre diutius non posset, ad Carthusianos transitum molitum esse, sed cum non reciperetur, ad Minoritas regressum, in novam persecutionem incidisse, quod libros Lutheri nactus esset: hos sibi ablatos, neque tamen inspectos, sed vix a limine salutatos, combustos fuisse a monachis; credere tamen se dicit, quod plus sincerioris theologiæ in illis contineatur, quam in omnibus scriptis omnium monachorum, qui a principio fuerint. Accepta postea venia ex Gallia in Germaniam eundi, tegumentum Pharisaicum & humanorum operum gloriam, carnisque sapientiam tandem abjecisse; testatur tamen, se nunquam rejecturum illos fuisse, si salva Evangelicæ veritatis libertate manere apud eos potuisset.

XLIX.

MELANCHTHON *Philippus*. Ejus *Catechesis puerilis* Halæ Suevorum 1540. edita, quæ in Tomis non extat, in octavo, cum præfatione *Joh. Brentii*, in qua necessitas & utilitas Catechismi egregie demonstratur. Libellus ipse tantæ est perspicuitatis, & in explicandis dogmatibus soliditatis, ut recusus atque additamentis quibusdam illustratus in omnium manibus versari mereatur. Ejusdem *Loci communes* rerum Theologicarum seu *hypotyposes* Wittenbergæ 1520. in octavo editæ, habent plagulas 17. & dimidiam. Autor nomen titulo non præfixit, sed in dedicatoria ad *D. Tilemannum Plettenerum*, quem *juxta pium atque eruditum virum* vocat, profitetur, dicitque se invito brevem illam lucubratiunculam, in qua argumenta epistolæ ad Roman. proposuit, publicatam esse, quam cum revocare non posset, locis hisce communibus explicare decrevisset, paucis verbis monens, e quibus summa doctrinæ Christianæ pendeat. Addit quæ notatu sunt dignissima. *Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas & impeditas disputationes a scripturis avocem studiosos; sed ut, si quos queam, ad scripturas invitem. Nam in universum non admodum æquus sum commentariis, ne veterum quidem, tantum abest, ut illo meo longiore scripto vel in quenquam a canonica scriptura studio retrahere. Immo nihil perinde optarim, atque si fieri possit, Christianos omnes in solis divinis literis liberrime versari, & in illarum indolem plane transformari. Nam cum in illis absolutissimam sui imaginem expresserit divinitas, non poterit aliunde, neque certius, neque propius cognosci. Fallitur quisquis aliunde Christianismi formam petit, quam e Scriptura canonica. Quantum enim ab hujus puritate absunt commentarii? In hac nihil reperias non augustum, in illis, quam multa, quæ a Philosophia, ab humana rationis æstimatione pendent, quæ cum judicio spiritus prorsus ex diametro pugnant. Non sic detribuerunt τὸ ψυχικὸς scriptores, ut nihil nisi πνευματικὰ spirarent. Ex Origine si tollas inconcinnas allegorias & philosophicarum sententiarum sylvam, quantulum erit reliquum? Et tamen hunc autorem magno consensu sequuntur Græci, & ex Latinis, qui videntur esse columnæ, Ambrosius & Hieronymus. Post hos fere,*

quo

quo quisque recentior est, eo est insincerior: degenerabitque tandem disciplina Christiana in scholasticas nugas, de quibus dubites, impiæ magis sint an stultæ. Breviter, fieri nequit, quin cauto etiam lectori sæpe imponant humana scripta. Quod si omnino prophetia & afflatus quidam est, cognitio sacrarum rerum, cur non hoc literarum genus amplectimur, per quod illabitur spiritus? An non omnia sui sermonis opera DEUS efficit? Multa enim docebit scripturarum usu spiritus, seu, ut Johannes ait unctio, quæ quantavis ingenii humani industria non queat assequi. Nos certe non aliud agimus, quam ut eorum, qui in Scripturis versari volent, studia utcunque juvemus. Id, si non videbitur præstare libellus, pereat sane, nihil enim mea referre censeo, quid de publico opere publice judicetur. Ejusdem *Scholia in epist. ad Colossenses*, diversa a Commentario, qui in Tomos operum ejus relatus est, impressa *Hagenoæ* mense Septembri 1527. in octavo. In iis insignis locus est p. *11. 12. 13.* de viribus liberi arbitrii Ejusdem enarratio brevis aliquot *Psalmorum* subjunctis alicubi versibus compendium Psalmorum referentibus *ibid.* excusa anno 1528. mense Augusto in octavo. Ejusdem *sententiæ veterum aliquot scriptorum de cœna Domini* bona fide recitatæ cum præfatione prolixa ad *Fridericum Myconium* edita in octavo *Wittenbergæ* 1530. Loca sunt ex Cyrillo, Chrysostomo, Hilario, Cypriano, & ex libellis qui inter Ambrosii opera habentur; adscribit etiam locum Augustini a Gratiano relatum, sed ex pluribus consutum, quem explicat, & præsentiam realem nihilominus egregie defendit & dicta Augustini ad sacram Cœnam non pertinere, sed de spirituali manducatione agere demonstrat.

Notare hic volui, *epistolarum Melanchthonis* non minus quam *Lutheri* ineditarum insignia superesse spicilegia Et Lutheri quidem, quas habeo, plerasque in opere meo allegavi, ut summatim ex *Indice III.* constat, sed in *Melanchthonianis* parcior fui, tum temporis causa, tum ne moles libri ultra modum excresceret.

L.

MENIUS *Justus.* Libellus ejus *de Spiritu Anabaptistarum* Germanicus excusus est *Wittenbergæ 1544.* & plagulas habet 17. Inscripsit illum d. 3. April. *Senatui Mülhusino*: In illa enim civitate Menius tunc Pastoris & Superintendentis vice permissu Electoris fungebatur, missus eo anno 1542. concedente Electore Saxon. & petente Senatu. Non tacet quæ damna passi essent Mülhusini, *Münzeri* erroribus decepti, nec opprobria ab illis orta, qui dictitabant evitari illa potuisse, si in veteri religione perstitissent. Gaudere tamen cives jubet, quod post afflictionem illam ad cognitionem veritatis pervenerint, & ministerium Ecclesiarum & Scholæ optime constitutum habeant, maxime vero laudat Scholæ Magistrum sive Rectorem, quo meliorem optare non possint. In fine tractatus comparat autor statum tempore Sauli & Davidis cum illo qui tunc erat, scribens: quemadmodum tunc dominante Saulo & in exilium ejecto Davide plurimi absque dubio de justitia causæ Davidicæ dubitaverint, ita & nunc non deesse, qui judicent, si doctrina Evangelica, quam Lutheranam vocent, vera esset, fore ut illam quoque Principes & proceres politici & ecclesiastici reciperent: *Sed væ illis*, ait, *qui fidei suæ melius fundamentum non habent, quam ab homine, dicuntque quæ hic tanta dignitatis aut tantæ eruditionis vir probat & credit, ego quoque probabo & credam. Verum nostra fides firmius habet fundamentum in verbo Dei infallibili; respicit id & apprehendit, quod Propheta, Christus & Apostoli docuerunt, licet totus orbis aliud crederet.*

LI.

MERSBURGENSIS Episcopi *Adolphi* Anhaltini actio cum Pastoribus in *Schönbach & Buch* d. 25. Aug. 1523 in cubiculo Episcopi, præsente Cancellario & Magistro quodam. Exprobravit Episcopus illis conjugium, opposuitque sententiam Patrum & Ecclesiæ Romanæ, quam præferre deberent Doctoris sui Martini traditis, item votum & juramentum. *Schönbacensis* opposuit verba Christi, *qui potest capere capiat*; & Pauli, *melius est nubere, quam uri*: Ad votum, quod sine peccato servare non potuerit, obligatum se amplius non fuisse, & clausulam illi additam esse dicebat, *quantum humana fragilitas permiserit*: Respici petiit scandala & peccata a Sacerdotibus etiam *Mersburgi*, ubi tanta scortorum copia esset, perpetrata. Episcopus regessit dictum Pauli: *alter alterius onera portate*, & tolerabilius esse, si sacerdos ex infirmitate cum scortillo aliquo peccet, quam ut contra juramentum & consuetudinem Ecclesiæ uxorem proterve ducat. *Buchensis* eadem fere respondit quæ alter. Disputarunt etiam de jejuniis & communione sub utraque. De Luthero dixit Episcopus, quatuor Ecclesiæ Doctoribus, & se, licet minimum, monstraturum quædam esse Luthero, de quibus ipse non cogitaverit, se illum dudum novisse, scire etiam, quomodo vivat. Defenderunt tamen mores ejus Pastores, & discesserunt nequaquam cessuros se profitentes Episcopi monitis, nisi ex sacris literis convincerentur.

LII.

MOSHAM *Rupertus.* De hujus scriptis dixi *III. LXXIX. Add. V.* Cognovi postea *Gesnerum* in *Bibliotheca p. 583. & sqq.* libros quosdam ejus recensuisse, dubitasse tamen, an opus illud, de quo *Moshamus* ad Electorem Sax. scripsit, editum fuerit. Eum sane nusquam hucusque reperire potui, ita ut *Moshami* literæ, quas allegavi, intelligendæ forte sint de MSS. edendis, non de editis. Ex *Bibliotheca* vero *Rudolphæa* non illos tantum, quos *Gesnerus* recenset, sed & alios, uno volumine modico compactos, accepi, quorum contenta referam eo, quo in volumine extant, ordine; nam *Moshamus*, cum novos libellos ederet, priores recudi fecit, & cum novis ad aulas misit. Exhibetur ergo (1) *Hierosolyma nova per microsynodum monachicam a septem Principibus Electoribus Sacri Rom. Imperii per verbum unitatis ædificanda & restituenda.* Pagina versa repræsentantur insignia autoris, quæ caprum dimidiatum in scuto, item ex corona galeæ apertæ prosilientem ostendunt. Alloquitur in tractatu hoc septem Electores Imperii; vocat se *Decanum Passaviensem & Consiliarium Regis Romanorum.* In *præfatione* per Hierosolymam novam *Apoc. XXI.* descriptam, intelligit veram Christi Ecclesiam, in qua nec Papismus, nec Lutheranismus valeat, sed quæ sit corpus seu communio Sanctorum ex Spiritu natorum, qui sunt nova creatura, *2. Cor. V. 16. 17.* christianum enim quemlibet, quem *microcosmum* vocat, & totum corpus Ecclesiæ, uno eodemque modo se habere debere, ita ut singuli se ipsos, ut novam quandam Hierosolymam concilio veluti habito, reforment, unde totum Ecclesiæ corpus non possit non reformari. Urget autem præcipue unitatem, sive ut ædificatio fiat *ex uno, per unum, in unum*, id est; ex *verbo*, per *fidem*, in *charitatem*. Sic sedentem & regnantem in Ecclesia Antichristum expelli & extirpari posse. Provocat ad libellos a se titulo *microsynodi* Norimbergæ, Moguntiæ & Treviris editos, item ad *apologiam* suam ad Pontificem, maxime vero ad quatuor libros suos primarios, die vier Haupt-Bücher / *de monarchia & palingenesia Ecclesiæ.* Quatuor ex Electoribus a se jam conventos, nempe Ecclesiasticos tres & Palatinum, & ab iis se auditum esse dicit, & tempus unionis adesse opinatur. Dein compendium operis sui quadripartiti exhibet, quod viginti pene annorum studio ex Papistarum, Lutheranorum, Zwinglianorũ & Anabaptistarũ libris consignaverit, querens, quod sumtus ad edendum non habeat, & vix in oppido quodam obscuro aliquem invenerit, qui parvos libellos & compendia sua excuderit. Fatetur tamen, se non esse secutum illorum verba, & literam veluti mortuam, sed quomodo ex spiritu vivificante loqui & docere voluissent; verum ut ex iis, quæ Luthero imputat, apparet, suum potius sensum illi affinxit. Ad rem inde progressus, excusat, quod Latinis & Græcis vocabulis quandoque utatur, jactans inter alia, quod summum fundamentum doctrinæ suæ in verbis Christi ad Jairum *Marc. V. 36. μόνον πίστευε, crede solummodo*, invenerit. In iis enim de fide justificante agi existimat, & taxat cœcosque vocat Lutheranos, qui Germanice verterunt, Glaube nur / cum vertere debuissent, Glaube allein. Non male quidem statuit, salutis fundamentum solummodo versari in verbo divino & fide, qua sola unum Deum & unum mediatorem Christum apprehendimus & cognoscimus, item, quod unum sit necessarium; sed non satis accurate addit: Christum esse ipsum verbum (loquitur autem de eo, quod prædicatur) & ipsam fidem; nec imitanda phrasis insolentia, cum verbum, fidem & charitatem vocat *trinitatem terrenam & deificatam* (die irrdische vergötterte Dreyfaltigkeit) aliisque ejusmodi Pythagoricis numerorum mysteriis utitur. Rejici quidem non potest, quod docet; qui fidem habet, eum etiam habere charitatem, quæ in verbo, quod fides apprehendit, præcipitur & ex fide nascitur; sed perperam & veteratorie Luthero insultat, ac si charitatem prorsus a fide separasset. Cæterum in hoc ipso libello, etsi de persona Pontificis honorifice, & cum titulo sanctitatis loquatur, objicit tamen Ecclesiæ Pontificiæ, quod opera & ceremonias absq; fide (Glaublose und Lieblose Wercke) doceat. Sequuntur *microsynodi* illæ, quas allegavit, & primo *Norimbergensis.* In hujus præloquio d. 24. Septembr. 1539. refert, se ante menses sex, relicto illustri, quod Passavii habuerat, domicilio, Norimbergam veritatis causa venisse, sed nec ibi, nec apud quatuor Electores supra nominatos quicquam a se profectum esse, quia Papismum & Lutheranismum æque rejecerit. Scripta sua Norimbergensibus prælegisse

giffe se scribit, quorum *primum* fuerit, concio Ferdinando Regi anno 1537. d. 10. Augusti Pragæ in faciem, ut scribit, lecta; *alterum*, informatio pro Pontifice & futuro Concilio, in qua quinque primarias causas corruptæ Ecclesiæ exposuit, & *Johanni Morono* Mutinensi Episcopo, Nuncio Apostolico Pragæ exhibuit, cum a Ferdinando tanquam Lutheranismi suspectus amplius non admitteretur; *tertium*, confutatio Bullæ indulgentiarum, quam Antichristianam vocat, a Paulo III. anno 1537. per regnum Bohemiæ publicatæ; *quartum*, Antibulla indulgentiarum anno 1537 nomine Pauli III. a Moshamo conscripta, quomodo Concilium generale celebrari, & Christianismus restitui possit. Narrat inde, ut his lectis *Moronus* pectus manu percusserit & dixerit: *Certe, si essem Pontifex, obtemperarem vobis, quamvis fieret magnus tumultus in toto orbe Christiano.* Produxit etiam Norimbergæ literas, quibus Pontifex, cui *Moronus* relationem fecerat, *Moshamum* Romam accersivit, sed mirabili modo iter illud impeditum fuisse ait. Prælegit quoque titulum libelli sui tertii de monarchia fidei, in quo demonstrari scribit, quomodo microcosmus, sive unusquisque secum ipse Concilium celebrare debeat, & quam vehementer aberret tam Pontificatus quam Lutheranismus in doctrina de fide & justificatione; deinde librum quartum pene integrum, in quo, ut ex compendiosa relatione colligi potest, Lutheri dogma de fide acerrime exagitavit, & diaboli um venenum esse dixit. Porro scriptum ad quatuor Electores, in quo librorum quatuor compendium proposuisse ait. Denique in Lutheranismo non minus ac in Papismo meretricem Babylonicam *impudenter*, *carnaliter & crasse sedere*, & *regere & utramque Ecclesiam sorores esse* statuit, ut *Sodomam & Gomorram*, atque hos duos Antichristos aperte nominavit, reliquos duos indicaturum se esse obtulit Septemviris a Senatu ad se audiendum deputatis, qui fuerunt *Lincus* & *Osiander*, *D. Johan. Epstein*, *D. Christoph. Gugel*, *Hieronymus Baumgartner*, (cui successit *Georgius Volckamerus*) *Sebastianus Gros*, & Secretarius *Guilielmus Herbartus*. Petiisse se inde memorata Senatu, quoniam neque alimenta nec sumtus ad excudendos libros suos, neque ut se ad Electorem Saxon. mitterent, impetrare potuisset, ut per Ecclesiæ suæ ministros instrui se & ab errore, si quem foveret, reduci mandarent. Deputati itaque sunt cum *Linco* & *Osiandro*, *Thomas Venatorius* & *Vitus Theodoricus*. Sed hi, ut refert, disputare oretenus noluerunt; itaque scripta sequentia illis exhibuit. (1.) Sententiam compendiosam de justificatione d. 14. Octobr. 1539. conscriptam contra fidem, quam vocat, monachalem, quia a Luthero ab operibus separaretur & solitaria sit. (2.) Considerationes ad conclusiones Lutheri contra Islebium. (3.) Responsum Theodidacticum Osiandro oppositum. Valde autem queritur de epistola Osiandri & collegarum contra se edita, in qua præcipua argumenta sua præterita ab aliis esse dicit, se vero paratum esse profitetur causam eousque prosequi; ut vel Osiandrum ad suam perducat sententiam, vel eum coram tota Germania convincat, & evidenter demonstret, doctrinam Lutheranam in summo fidei articulo, de justificatione scilicet, falsam, erroneam, impiam & antichristianam esse, non minus ac Romanam. Sequitur *microsynodus Moguntina*, Alberto Cardinali anno 1539. d. 9 Jun. inscripta. In præloquio ad lectorem studium suum, quod in veritate eruenda impenderit, commendat, narrans, ut quater coram Ferdinando Rege concionatus & ad colloquium admissus sit, dein, quid cum Morono (ut ex prioribus retulimus) egerit, a Canonicis vero collegis suis (quorum heterodoxiam & pravos mores vehementer culpat) apud Episcopum accusatus, & a concionandi facultate, qua per quinquennium usus erat, magno cum dolore populi prohibitus, præterea sessione in capitulo omnibusque reditibus privatus fuerit. Speciatim quædam memorat de *Stephano Rosino*, celebri Curtisano, sive aulico Romano, cum quo de religione disputaverat eo eventu, ut inquisitio contra se tanquam hæreticum metuenda sibi fuerit; Periculi itaque vitandi causa Norimbergam concessisse, discessusque sui rationes relicta epistola Administratori Passaviensi exposuisse. Quid vero apud Electores Rhenanos egerit, Papismum nempe & Lutheranismum pariter oppugnando, relatione hac de *Synodo Moguntina* complexus est. Compendio recenset contenta libri sui primi de monarchia & palingenesia Alberto Cardinali proposita, in quibus Romanæ Ecclesiæ superstitiones & hypocrises, charitate & fide carentes, Judæisque ac Paganis scandalosas, morumque turpitudines detectas esse affirmat, & imminens exitium prædicit ab augmento errorum in Ecclesia & a Turcicæ potentiæ progressu. Antichristum sane vivum & corporalem in templo Dei sedere, eumque esse, quem Paulus 2. *Thess. II.* prædixit, disertis verbis asseverat. Tria autem inprimis & summe abominanda Romanæ Ecclesiæ errata gravissimis verbis prolixe reprehendit & objicit. (1.) Fœdas & notorias plane libidines. (2.) Mutilationem Sacramenti corporis & sanguinis Christi. (3.) Nundinationem per indulgentias. Exprobrat etiam neglectum verbi divini, & ut id nunquam debito modo populo explicatum sit, sed is tantum ceremoniis externis occupatus fuerit. Postea emendationis remedia affert, fidem solam in verbum Dei, ex dicto Græco, quod perpetuo repetit, *crede solum*, dein rejectionem traditionum & apertam Pontificis & Cleri confessionem, quod peccaverint. Petit inde ab Electore Moguntino, ut cum Trevirensi & Coloniensi, ut & postea cum reliquis Electoribus Synodum instituat, in qua se modum reformationis ostensurum esse promittit, subinde ad libros suos, quorum titulos recitat, provocans, stipendium etiam sibi, ut Consiliario, ad hæc negotia constitui desiderat. Subjungit summarium aliud, præter id, quod septem Electoribus dedicaverat, & Moguntiæ exhibuerat, ejusdem sensus; denique compendium libri sui quarti, quo Lutheranismum in articulo de justificatione acerrime aggreditur, repetita calumnia putidissima, quod Lutherus fidem nudam & sterilem doceat, comminationes divinas contra peccata nullibi proponat, & inter legem carnis & spiritus distinguere non noverit, cum tamen *Moshamus* scire potuerit, quod nullus doctorum a multis seculis hanc doctrinæ partem, vitæque spiritualis sive fidei & charitatis naturam planius & accuratius explicaverit, aut in vitia omnium ordinum acrius invectus sit. Nulla quoque fronte Moshamus convitiatur, Lutheranos non concionari, quod damnentur, qui verbo Dei non obediant nec fidem operibus testentur. Prodit sycophantiam, cum addit, *non satis frequenter & serio id urgere*, id enim agnoscere debebat, hominum, non doctrinæ vitio fieri, nec in cujuslibet arbitrio esse determinare, quoties & quomodo dogmata de fide & operibus conjunctim aut divisim tradi debeant. Interim dici non potest, quoties Lutherus studium bonorum operum inculcaverit; præclara tamen quædam loca ejus in hoc commentario allegata sunt. Vanissime etiam de invento suo gloriatur, & proterve proscindit Lutheranos, quod vocabulum *sola* in loco *Marc. V.* non observaverint, & *Rom. III. 28.* mendaciter intruserint. Succedit *apologia* d. 29 April. 1540. publicata, contra imputatum sibi a Norimbergensibus Ecclesiastis errorem Anabaptisticum, qua de re jam aliquid *d. §. LXXIX.* diximus. Refert autem ipse, ut Administrator Passaviensis plus quam sexaginta Anabaptistas in vincula conjecerit, ipse vero duos primarios ex iis ab errore converterit; retentos autem ideo cum aliis ultra annos tres in vinculis ab Episcopo fuisse, quia communionem sub una improbaverint, at postea effracto carcere evasisse & Norimbergam venisse, ibique coram Senatu pro Moshamo, & quomodo ab eo conversi fuerint, testimonium dedisse. Addit: se in articulo de Sacramento, *Zwinglii* sententiam non sequi, & provocat ad concionem anno 1536. Passavii habitam typis excusam, & Wolffgango Comiti Salmensi dedicatam. Adjuncta est confessio unius ex Anabaptistis illis, quam ex Moshami sententia edidit. In libello *de Synodo Trevirensi* sive actis cum *Johanne* Archiepiscopo in Decembri 1539. repetuntur eadem, quæ ex actis Moguntiæ retulimus: eandem enim crambem semper recoquit. Addidit epistolas d. 6. Maji & 16. Febr. 1540. Colonia Agrippina ad Trevirensem, postquam ab illo, ut ab aliis, re infecta dimissus esset, datas, in quibus stipem petit, ad alimoniam, & ut propositum suum exequi possit; vehementer queritur, quod a Pontifice consilia sua spreta sint, ita tamen ut solatium ex divina voluntate capiat, & quod Romæ in occulto monere voluisset, jam per libros suos quatuor toti Christiano orbi detegendum sit. De Norimbergensium doctrina & vita vehementer queritur, laudat vero *Moguntinum*, a quo septem hebdomadibus, cum discipulis, quos vocat, quatuor & equis quinque Aschaffenburgi sustentatus fuerit; item *Coloniensis* parem liberalitatem, qua tunc fruebatur. Rogat inde, ut propositio sua Cæsari & Regi Romanorum, immo ipsi Pontifici aperiatur, quo discordia in religione tandem aliquando sopiatur, & vitiis ac depravationibus occurratur, *quod per annos viginti nec magnus ille*, ut scribit, *Erasmus*, *ornatu & acumine verborum, nec famigeratus Lutherus cum omnibus Apostolis suis clamore & vehementia increpationum, nec rustici terribili illo motu suo nec periculum a bina Turcorum in Austriam irruptione præstare & Germanos ex sopore excitare potuerit.* Describit hac occasione admodum pathetice infelicitatem Ecclesiæ, cui ex fundamento remedium quæri debeat, inducias vero, quæ tunc inter dissidentes procurabantur, rejicit. Alia epistola d. 24. Febr. significat, se Cæsarem Coloniæ frustra exspectasse, & nunc ab *Hermanno* Archiepiscopo Coloniensi accepto honorario quinquaginta florenorum auri dimissum esse,

m Colo-

Coloniæ autem se commoratum aliquandiu significat, ad Academiam ex libris suis informandam, & ideo subsidii petitionem iterat. Addita sunt exempla libellorum supplicum ad Cæsarem d. 4. Maji 1540. & ad Ferdinandum Regem d. 19. Octobr. 1539. ex quibus inter alia, ex supra dictis satis nota, percipitur, Senatum Norimbergensem editionem librorum quatuor, quos tantopere commendat *Mosbamus*, in urbe sua prohibuisse, apparet etiam magnum in Lutherum & ejus doctrinam odium, quanquam aliam causam non alleget, quam articulum de justificatione, cui is perversum sensum, ut diximus, affinxit. Laudat speciatim Ferdinandum (cujus se subditum & vasallum esse profitetur) quod Lutheranismum rejiciat; sed nec Romanæ parcit Ecclesiæ, significat etiam, se iter Romam distulisse, ut prius sententiam suam libris illis quatuor editis publicaret. Agnoscit fatum suum, quod Ismaeli similis sit, contrarius omnibus. Petit a Rege permissionem ad imprimendos libros suos, ut & subsidium aliquod pro se & discipulis (Jünger quos vocat) & ut Archiepiscopus Strigoniensis ad solvendam pensionem annuam aureorum ducentorum sibi debitam adigeretur. Aperte in fine profitetur, se quatuor sectas, Papæ, Lutheri, Zvinglii & Anabaptistarum doctrina sua extirpaturum esse, & ferre posse, ut Rex a viris piis doctisque, licet sibi adversari videantur, consilium de sententia sua roget, inter quos nominat *Johannem Moronum* supra dictum, & quendam *Salzerum*, Theologum Viennensem, item *Fridericum Nauseum*, cognatum *Johannis Fabri*, Episcopi Viennensis, sed hujus judicium plane rejicit, non minus ac Papæ & Lutheri, æque enim atque hos cœcum esse *Fabrum*, & solem divinæ lucis non videre. Se in Comitiis, si audiatur, effecturum esse promittit, ut Lutherus non minus turpiter confundatur, quam ille Papam & Cardinales in summum dedecus conjecerit; conditiones tamen propositurum esse ait, quas quatuor sectarum viri tandem omnes approbaturi sint. Idem confidentissime repetit in literis ad eundem Regem die 4. Maji datis, & ideo accessum ad Comitia Spiræ indicta petit, his verbis Latine insertis: *Romani & Lutherani sunt extrema quædam, & partes ex diametro diversæ & contrariæ, quæ conjungi & concordari non possunt, nisi per medium quoddam; hoc vero medium habeo ex divina gratia in libris & manibus meis. Ecce coram Deo scio, me non vana nec inania polliceri.* Omnia vero concordiæ media in prioribus Comitiis agitata plane improbat, concordandum enim esse ait cum verbo DEI, alias claudam compositionem semipontificiam & semilutheranam prodituram esse, nullius emolumenti. Sequuntur plures epistolæ, nempe ad *Johannem Moronum*, in qua eadem cum jactantia d. 24 Febr. & d. 4. Maji consilium suum commendat, & sibi credi petit, quia sit homo *Christianus ex genere nobili & militari, Juris utriusque Doctor, sacerdos consecratus, Canonicus, Prælatus, verbi Dei Ecclesiastes, Consiliarius Regius.* Memoriali ad Secretarium Moroni *Alexandrum Confalonerium*, quem de consiliis suis instruit, & in libris suis religionem vere Christianam cœlitus sibi donatam proponi asseverat, quæ neque Romana, nec Lutherana, nec Anabaptistica sit. Literæ ad Mathematicum Moguntinum *Nicolaum Brücknerum* d. 15. Jan. 1540. & hujus responsum, d. 27. Febr. Ad Moguntinum d. 7. Mart. 1540. quibus satis animose stipendia petit, allegans exempla Ferdinandi, qui *Fabrum* & *Nauseam*; Bavarorum, qui *Eccium*, immo duos Eccios; Saxoniæ Electoris, qui *Lutherum* & *Melanchthonem* largiter alant, se vero plus mereri & prodesse gloriatur. *Georgium Brunsuicensem*, Præpositum Coloniensem in epistola d. 22. Maji 1540. summopere laudat, tanquam consiliis suis faventem, eique mandatum dat, quid cum Cæsare, vel saltem cum *D. Matthia Heldo* sui causa agere & tractare debeat. Summa est: Si suis consiliis solus detur, Romanam Ecclesiam corrigi, Lutheranam gladio spiritus dissolvi, & doctrinam stabiliri posse, sacris literis & quatuor priscis Ecclesiæ doctoribus conformem, & secuturam esse Turcorum & Paganorum conversionem. Putat scriptis suis contra Lutheranos plus effectum esse, quam si Cæsar acie eos vicisset. Minas denique subjungit, scribens: Si Cæsar rejiciat propositiones has, fore ut Austria a fastigio suo cadat, Galliæ Rex pacem rumpat, Cæsar omne obsequium in Germania sit amissurus, & quod Turci irrupturi, & rustici denuo rebellaturi sint. Fortassis non evitabo reprehensionem, quod hujus viri, cujus memoria a centum quinquaginta annis sepulta est, historiam & scripta recenseam, mihi tamen has pagellas ad id impendere non visum est inconsultum, testimonium enim illustre præbent de corruptelis Ecclesiæ Romanæ in doctrina & moribus, quæ vir doctus & honoratus Cæsari, Regi & tot Electoribus sermonibus & scriptis apertissime proposuit, ut adeo notorias & in confesso eas illo tempore fuisse oporteat, alias Archiepiscopi & Electores hominem hunc ut calumniatorem aut insanum, ab aulis suis repellere, non vero liberaliter sustentare, audire & donatum dimittere debuissent. Deinde quod de *Erasmo* plus semel in opere hoc meo monui, hujus quoque viri exemplo probatur; frustra laborari in conciliatione religionis, nisi ex fundamento sacrarum literarum funditus correctis omnibus erroribus instituatur reformatio. Quantumcunque igitur sibi tribuerit *Mosbamus* (serio enim, & ex animi sui sententia scripsisse, qui stylum viri considerabunt, dubitare vix possunt) egregie tamen in opinione sua falsus est; arcem enim corruptelarum, pontificis & Cleri dominatum intactum reliquit, & quantum ex publicatis scriptis conjici potest, multos magnosque alios Romanæ Ecclesiæ errores. Displicere autem necessario etiam Pontifici debuit, quod in Luthero nihil nisi articulum de justificatione, & quidem pessime explicatum, rejicere visus sit. Quapropter vanus fuit & infelix omnis ejus conatus, miserumque exitum habuit; de quo accuratiorem notitiam utique desidero, sed huc usque præter ea quæ ex *Melanchthonis* literis adduxi, investigare non potui. Librorum suorum *de monarchia* elogia, quæ plenis buccis detonat, vix quidem sine fastidio legi possunt, neque scio, an operæ pretium sit, si alicubi extent, ut edantur; fortassis tamen paulo meliores in quibusdam capitibus fuerunt, quam a Norimbergensibus Ecclesiastis judicati sunt, Pontificiæ certe Ecclesiæ vulnera detegere potuissent, nobis vero parum nocere. Si enim in Luthero nihil aliud, quam quod in compendiis suis recenset, reprehendere potuit, frustra ei contradixit, statumque controversiæ minime assecutus est; quæ vero de moribus queritur, doctrinam ipsam non afficiunt. Cæterum epistola Decani anonymi, quam ex Goldasto *dict. Add. V.* retuli, cum responso pro Lutheranis apologetico Latine mense Junio 1540. edita superest in eadem *Bibliotheca Brunsuicensi.*

LIII.

MOIBANUS *Ambrosius.* Ejus tractatus in Psal. XXIX. cui *Lutherus* præfatus est, prodiit anno 1536. *Wittenbergæ*, dedicatus *Carolo* Duci Monsterbergensi & Oelsensi Silesiæ supremo Præfecto. Conscripsit autem eum occasione terribilis & prodigiosæ prorsus tempestatis, qua Cal. Sept 1535. oppidum & sedes Caroli Ducis Oelsa afflicta fuit, cujus descriptio, quæ tractatui addita est, sine stupore legi vix potest, & vix fidem inveniret, nisi jussu Caroli Consiliarius ejus *Laurentius a Rosenroth*, dictus *Knar*, literis ad Moibanum datis attestaretur Principem ipsumse & Præfecto Oelsensi *Bernhardo a Bora* dicto *Kessel* (quæ familia adhuc superest) comitantibus, plurima coram inspexisse, & senatores, aliosque fide dignos ex oppidanis audiri eorumque effata consignari fecisse. *Laurentius* iste *Knar*, sive ut hodie scribi solet *Knorr* Regi Ferdinando quoque a consiliis, & propagator fuit familiæ nobilis, ex qua natus fuit *OttoHenricus Knorr a Rosenroth* Legatus superior turmæ equestris Saxonicus, & postea Suecicus, sororis meæ maritus, dudum pie defunctus; tum etiam *Christianus*, vir, tum scriptis orbi literato æstimatis, tum insigni in aula Sulzbacensi munere, maxime vero pietate singulari, illustris, qui non ita pridem diem suum obiit, mihi quidem non nisi ex libris & fama notus. Alia quoque portenta non vulgaria a *Moibano* in dicto commentario referuntur notatu digna; inter quæ considerari a peritis medicis meretur partus masculus Neussæ in Silesia d. 9. Octobris 1531. non ex utero sed ex folle seu vesica quadam sinistro femori matris, quæ octo antea liberos pepererat, sed herniam quandam passa erat, adnata editus fuit. Sectus enim follis ille, qui ad genua usque propendebat, & eductus est puer integer & sanus, cui in baptismo *Thomæ* nomen accepit & octodecim menses vixit, mater vero post triduum decessit. *Ejusdem* Catechismi capita decem, thematibus explicata, deinde colloquiis puerilibus illustrata & juventuti Uratislaviensi proposita, extant stylo eleganti & terso conscripta, & cum præfatione *Melanchthonis* Wittenbergæ 1539. excusa in octavo.

LIV.

MONASTERIUM, urbs Westphaliæ. Præter ea, quæ sub titulo *Antonii Corvini* & *Johannis a Leida* retulimus, scripta de erroribus Anabaptistarum & obsidione urbis Monasteriensis, suppliciоque fanaticorum haud pauca & lectu digna supersunt. e. g. *Urbani Regii* refutatio, Widerlegung der Münsterischen neuen Valentinianer anno 1535. in quarto, *Wittenbergæ* edita plagulis

XVI.

XVI. cum præfatione Lutheri. Refellit autem *Regius* in hoc libello (1) errorem de conceptione Christi, quam negaverunt ex semine Davidis factam esse. (2) calumniam in Lutheranos, quod multa de fide, pauca de operibus concionentur. Mascule autem regerit *Regius* unumquemque ex Lutheranis concionatorem, (qui non sit rudis & hoc nomen sibi vane arroget, nicht ein jeder Bachant/der sich/ weiß nicht warum / Lutherisch nennet) de studio bonorum operum sedulo docere, immo longe melius & vehementius in Ecclesiis Evangelicis id fieri quam in ullo alio cœtu. Provocat ad exempla tot hominum, qui omissa fornicatione & ebrietate jam pie & absque scandalo vivant. Laudat successum catechisationis, qua fiat, ut pueri & puellæ duodecim annorum plus intelligant ex capitibus doctrinæ, quam Monasteriensium, quem vocat, Episcopus fanaticus *Bernardus Rothmannus*. Fatetur tamen non deesse inter Evangelicos, qui male vivant, sed id fieri cum dolore piorum, nec omitti dehortationes & censuras. Donatistas itaque esse, qui hoc nomine Ecclesiam Evangelicam vituperent. (3) Speciatim impugnat Anabaptismum, & (4) opinionem, quod matrimonii jura tantum inter fideles valida sint. Extat etiam *Henrici Dorpii* vera de actis monasteriensibus relatio 1536. edita, cum præfatione *D. Pomerani*. Habetur quoque Relatio actorum inter Philippum Landgravium Hassiæ & civitatem Monasteriensem, a *Corvino* edita, itemque inter concionatores ejus & Monasterienses, in qua multa memorabilia leguntur præter ea, quæ de ultimo cum *Johanne* Rege fanatico supra ab Hassiacis habito recensuimus.

LV.

MYCONII *Friderici* disputatio cum *Johanne Korbachio*, Dusseldorffii anno 1527. habita, edita extat non solum in quarto, ut eam retuli, sed & recusa in octavo anno 1585. cura *Johannis Wolfframi* Diaconi Gothani, qui in præfatione queritur, quod libri utiles & boni negligantur. Addidit etiam duos alios breves Myconii tractatus de consolatione ægrotantium, & quomodo cum obsessis a dæmone agendum sit. Myconio defuncto d. 8. April. 1546 parentavit *Justus Menius* Superintendens Isenacensis. Laudat ejus doctrinam & fidem, præsertim in articulo justificationis, quo cor ejus penitus immersum & veluti ebrium fuisse dicit, ita ut etiam in somno & in somniis sanctissimas de eo cogitationes habuerit, & de nulla alia materia libentius locutus fuerit omnes alias aversatus.

LVI.

OCCHINUS *Bernardinus* Senensis. De hujus ad Evangelicam doctrinam conversione & lapsu in hæresin dictum est. *Conciones* breves *viginti* in Italia habitæ & Latine versæ a *Josepho Hochstetero*, qui eas Ottoni Henrico Palatino Bavariæ Duci anno 1545. dedicavit, *Neoburgi* excusæ extant forma quarta. In præloquio *Occhinus* memorat, notum esse, quo statu in Italia vixerit, & ut eam veritatis Evangelicæ causa, cum se ad mortem sponte obeundam non satis firmum esse deprehenderet, reliquerit; non dissimulans, manere se voluisse, modo Christum, etsi occultius & veluti obvelatum, prædicare sibi licuisset. In his concionibus doctrina de justificatione, bonis operibus, confessione, satisfactione, indulgentiis, reservatis Pontificiis, purgatorio, aliaque fidei capita ita proponuntur, ut parum in iis desiderari possit, & pleraque cum Lutheri aliorumque Evangelicorum sententia conveniant. Concionatus deinde est Augustæ in epistolam ad Galatas, lingua Italica, sed & illæ homiliæ Germanice versæ prodierunt Augustæ 1546. in quarto, in quibus itidem vix quicquam est, quod non sit orthodoxum.

LVII.

OCHSENFART *Hieronymus*, Tungersheimensis, Theologus Lipsiensis, acerrimus Papismi defensor, *Raymundi* Cardinalis, qui Germaniam & Daniam indulgentiarum nundinatione sub finem seculi XIII. misere exhausit, Commissarius & prædicator fuit, ut ex autoribus fide dignis refert Vir clarissimus *Hermannus Hardius* in præfat. *Tomi II. Catalogi Rudolf.*

LVIII.

PICARDORUM sive *Waldensium* in Bohemia & Moravia libellus anno 1533. Wittenbergæ editus, dein Slesvici anno 1605. recusus in octavo extat. Inscribitur Rechenschafft des Glaubens der Dienst und Ceremonien/der Brüder in Böhmen und Mähren/ welche von etlichen Pickardten und von etlichen Waldenser genennet werden. Quæ de Sacramento Cœnæ in hac confessione habentur, hæc fere sunt: esse participationem non simplicis panis & vini, sed corporis & sanguinis Christi, ideoque indigne sumentes reos fieri non panis & vini, sed corporis & sanguinis Domini. Inde sequi, quod Christus cum toto merito suo in Sacramentis tam baptismi, quam sacræ Cœnæ adsit, spiritualiter nempe ad salutem hominum, non vero carnaliter ex sensu Capernaitico. De usu sacræ Cœnæ tradunt, quæ improbari non possunt; negant enim Sacramentum circumgestari, includi, aut adorari debere, cessante mandato divino, uno tamen tempore toti cœtui distribui volunt, prævia exploratione, itemque conciliatione, quam cuique commendant; confessionem particularem non exigunt. Concludunt, se simpliciter credere, panem in Cœna verum esse corpus Christi & vinum sanguinem ejus, sed non carnali verum spirituali modo; de nominibus nolunt contendere, sive *Sacramentum*, sive *signum*, sive *mensa* & cœna sive etiam *corpus* & *sanguis Christi* vel alia phrasi Scripturæ convenienti vocetur. De justificatione paulo quidem laxius loquuntur, ut etiam renovationem comprehendant, meritum tamen omne operibus detrahunt, & fidem ex mera gratia dari statuunt, quæ fides bona opera faciat, quæ per se exigua, sancta tamen & laudabilia sint, & promissionem a Christo habeant. Cultum sanctorum eorumque festa prorsus rejiciunt, servare se tamen profitentur ferias Deo & Christo dicatas. De jejuniis sentiunt, perpetua esse debere, quatenus in victus temperantia consistunt, sed quæ ad certum cibi genus aut statos dies coarctantur, meritique opinionem habent, improbant & aversantur. Ex ceremoniis baptismi exterminarunt sal, chrisma, insufflationem, & alia, ritusque simplicissimos describunt; sicut & in Cœna, quam celebrare se dicunt in altari vel mensa, linteo cooperta, pane azymo, in vase ad illum usum destinato absque ornatu vestium & signo crucis. Orationis formulam referunt, qua Deus invocatur, ut gratiam accedentibus largiatur & panem fieri sinat corpus suum & vinum sanguinem suum (das Brodt werden lassen seinen Leib / und den Wein sein Blut) Verba institutionis recitari dicunt consueta loquela, id est, absque cantu, & eo fine, ut populus simplici fide credat, hunc panem esse corpus & hoc vinum esse sanguinem. Totius libelli stylus simplex quidem est, pius tamen & devotus, Scripturæ verbis passim allegatis, vitata contentione, ita ut informationem & bonam interpretationem admittere videantur. Originem separationis & cœtus sui a cognitione veritatis, quæ majoribus suis ex sacris literis affulserit, deducunt, & quod rixantibus inter se in Bohemia Pontificiis & Calixtinis sacerdotibus a neutra parte debitam errorum reformationem impetrare potuerint, sed conscientiæ impulsu discessionem facere coacti sint, quanquam eam ob causam *Picardorum* Grubenheimer & *hæreticorum* nomine diffamati & immanibus calumniis onerati sint, passi etiam persecutiones & cruciatus; quicquid autem boni apud utramque Bohemorum religionem fuisset, id retinuisse se asseverant & maxime lætantur de reformatione in Germania cœpta, sperantque se in unum cœtum cum Evangelicis coalituros esse. De ministris Ecclesiæ hæc referunt. Eligi a se ex cœtu fideles & sinceros, qui primum se ipsos in studio sacrarum literarum diligenter exerceant & moribus probent; hos speciminis causa Diaconos primum, qui presbyteros adjuvent, illisque pareant, constitui, deinde bonis testimoniis probatos ad ministerium post preces & jejunia vocari, manuumque impositione confirmari. Si qui ex illis vel ex aliis cœtuum membris graviter peccet, sive in doctrina sive in moribus, eum post trinas admonitiones & censuras ex cœtu rejici & pro damnato haberi, resipiscentem tamen denuo suscipi. De *Lutheri* in hunc librum præfatione dictum est in *Indice Scriptorum Lutheri*.

LIX.

PIN. *Elia du Pin* Tom. III. Pars II. edita Parisiis 1690. in qua inter alia contra *Baronium* & *Bellarminum* negatur, Concilium Ephesinum autoritate Pontificis Rom. convocatum fuisse & S. Cyrillum loco Pontificis præsedisse; sed potius jure Patriarchatus, quem gerebat, eo jure usum, sicut & eo absente, Juvenalis Patriarcha Hierosolymitanus præfederit, minime vero Legati Pontificis Romani.

LX.

POLENZ *Georgii* Episcopi Sambiensis concio in festo Nativitatis Christi anno 1524. Regiomonti Borussiæ in templo cathedrali habita. Queritur in ea, Evangelium longo tempore silentio sepultum & propositis hominum commentis obscuratum fuisse:

Hoc negari non posse, se vero ut Pastorem a Deo, uti sperat, constitutum obligatum esse, ut verum & purum verbum Dei auditoribus annunciet. Cum vero ob multa impedimenta ipse semper concionari non possit, suo loco constituisse virum doctum & S. Scripturæ peritum *D. Joh. Brismannum*. Addit multa de inventis jactatisque operibus & meritis monachorum & sacerdotum, eaque omnia rejicit, statuitque sola fide, vera & viva, atque fiducia in misericordiam divinam propter Christum justificari & sanctificari homines, allegat dicta *Act. XV. 9. Gal. III. 8. Joh. VI. 47. Marc. XVI. 16.* Addit tamen, hoc Evangelium & hanc concionem de justificatione per fidem Clero & Monachis non magnum afferre emolumentum, nec ventres saginare, (Es bringet nichts in die Küche / macht auch nicht fette Bäuche) alias si tantundem lucri ex ea caperent, quam ex traditionibus & mendaciis humanis, libenter ita concionaturos esse. Denunciat, se posthac curaturum, ut Baptismus lingua Germanica administretur, & vehementer improbat usum Latinæ linguæ in sacris, vota monastica, peregrinationes, discrimina ciborum, maxime vero Missas solitarias & sacrificatorias. Fatetur, se aliter olim sensisse, sed per Dei gratiam deprehendisse errorem; allegat verba Evangelistarum & S. Pauli de institutione S. Cœnæ, in quibus nihil omnino (nicht ein Haar breit) reperiatur, quod ad Missas illas pertineat: Rejicit etiam purgatorium ut purum figmentum, & ut rete, quo opes venentur Clerus. Claudit sermonem his verbis, *cavete vobis ab insipidis nugis & mendaciis, persistite autem in claro verbo Dei.* Subscriptus est ex Ps. CXIX. versiculus 53. *defectio tenuit me pro peccatoribus delinquentibus legem tuam.*

LXI.

PRÆPOSITI, Pravest vel Probst, *Jacobi* Augustiniani, & quondam Prioris Antverpiensis historia utriusque captivitatis propter verbum Dei. Extat ejusdem epistola ad auditores suos Antverpienses anno 1522. Narrat ut persuasus a *Francisco van der Hulst* d. 6. Decemb. (1521.) Bruxellas venerit, ibique a *Francisco* illo, item a *Glapione* confessario Caroli, & duobus Hispanis aliis *Ludovico Coronell* & *Joh. Quintana*, Lovaniensibus etiam *Latomo* & *Nicolao Egmondano* auditus minisque & persuasionibus, Cancellarii inprimis, viri placidi, subactus, publice revocaverit, deinde cum Tpris iterum Evangelicas conciones haberet, denuo in carcerem conjectus, inde effugerit, miram vero hominum illorum truculentiam & importunitatem refert.

LXII.

REGIUS *Urbanus.* Inter plurima ejus opera notabilis est *Catechesis* ad usum *Francisci Ottonis* & *Friderici*, filiorum *Ernesti* Luneburgensium Ducis, dialogis inter fratres illos comprehensa, in octavo anno 1541 edita.

LXIII.

REINHARDI *Martini*, Eifelstadiensis, prope Wurzburgum concionatoris Jenensis, scriptum ad *Antonium Tucher, Hieronymum Ebner, Bilibaldum Birckheimer* & *Senatum Norimbergensem* d. 17. Mart. 1524. in quo illis mittit versionem postulatiin concilio Basileensi a Bohemis Legato Pontificio die Ascensionis anno 1430. exhibiti; quo quatuor articulos urgent, nempe reformationem Cleri, prædicationem Evangelii, disciplinam in corrigendis vitiis & sacramentum integrum, sive sub utraque.

LXIV.

SADOLETUS, Cardinalis, extat hujus epistola a *Cochlæo* edita ad *Johannem Sturmium*, Argentoratensis Gymnasii Rectorem, in qua mense Julio 1538. comiter scribit, multa se in Commentario ejus ad reformationem a Cardinalibus (inter quos *Sadoletus* fuerat) tentatam, homine libero & erudito digna reperisse, elegantiam inprimis Ciceronianam, quam optimi judicii signum esse, eoque nomine Sturmium a se mirifice diligi ait, etsi in sententiis quibusdam de sancta catholica fide ab eo dissentiat; profitetur, se majorum monumentis & seculorum legibus acquiescere, nova vero aspernari, quæ apud æquos & peritos judices sustinere sit perdifficile; favere se tamen dicit etiam *Melanchthoni* & *Bucero*, hominibus doctissimis; (verba allegari *l. XXXIV. Add. c.*) reprehendit deinde convitia, quæ a *Sturmio* intermixta esse dicit nitori orationis, & putasse se scribit, Luthero saltem id proprium esse. Laudes, quas Clementi VII. dederat, defendit, & literis ita dicit instructum illum fuisse, ut, cum Pontifex factus esset, omnibus admirantibus Latine loqui didicerit, quod antea non fecerat; fatetur tamen culpa ministrorum illum a pristino more & bonitate naturæ non minimum discessisse. Finit, repetita benevolentiæ in Sturmium & duos supra nominatos significatione.

LXV.

SCHENCKIUS *Jacobus* Doctor. Extat ejus tractatus Germanicus *Witteberga* 1539. editus de vera & christiana pœnitentia, *Vicelii* falso de eadem dogmati oppositus. Urget inter alia dictum Joh. Baptistæ *Joh. I 16. de plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia*, omniaque merita contritionis & bonorum operum rejicit. Interim illum, qui Christi gratia nititur & peccati onus sensit, a quo liberatum se per Christum agnoscit, non dubitat id esse acturum, ut Deum timeat, minimeque posthac offendat, Christum amet, & ejus causa divinis præceptis & decalogo obediat, etiam supra vires, precum auxilio adjutus; ita quidem ut legem Dei solide intelligat, neque externe & coram hominibus saltem, sed & intus ex toto corde illi satisfaciat, neque tamen coram tribunali Dei quidquam de sua pietate & meritis scire aut allegare velit, sed in plenitudine Christi acquiescat. Acriter inde refellit calumniam *Vicelii* quasi pietatis & bonorum operum studium ab Evangelicis rejiciatur, ut & dogma *Vicelii*, quo plus eum hominibus nocere dicit, quam Philosophi gentiles nocuissent. Constanter vero se & Evangelicos doctrinam hanc retenturos esse asseverat, inutilem esse justitiam humanam, nempe ad promerendam salutem æternam, hoc enim additamentum maligne & calumniose ab adversariis omitti. Extant & alia viri scripta, in quibus pauca reprehendi possunt.

LXVI.

SCHLEICHERSHOFERUS *Henricus*, Aurbacensis. Editus est *Wormatiæ* an. 1524. d. 11. Jun. tractatus ejus Germanicus, titulo Gründlicher Bericht / in quo ex dictis Scripturæ præcipuis docetur, solam fidem ad salutem sufficere, neque tamen ex propriis viribus proficisci; Fidem non esse opinionem otiosam, sed per bona opera efficacem; item, quod pii & fideles sint templum Domini; & quod sancti non sint invocandi, nec imagines eorum colendæ; ita ut in brevi hoc libello, sex tantum plagularum, nucleus Evangelicæ doctrinæ exhibeatur.

* LXVII.

SCHLICK *Caspar*, trium Imperatorum Cancellarius, in Misnia natus & illustris familiæ propagator, in Concilio Constantiensi, cum Hussus condemnaretur, ex consensu abiit. Sic refert *D. Justus Jonas* in præfatione ad versionem Latinam recusationis Concilii Tridentini anno 1546. a *Melanchthone* Latine editæ.

LXIIX.

SCHMIDBERG *Henricus* D. Cancellarius Cizensis anno 1520. defunctus, legavit D. Luthero 100 florenos. Extat *epistola MS.* regiminis Cizensis ad Electorem Sax. quæ mortem viri significant, & pecuniam paratam esse dicunt. Lutherus ejus cum elogio meminit in epistola ad *Spalatinum Lib. II. ep. p. 7.* scribens, eum constantissimum in fide Christi decessisse, atque adeo doctrinam suam & observasse & publice commendasse; constituisse sibi diem, quo Ilenbergæ cum Luthero colloquatur, sed ante eum decessisse.

LXIX.

SCHWEBELII. (Schwebli) *Johannis*, Ecclesiastæ Bipontini, concio, habita Pforzhemii in Xenodochio *Dominica Misericordias* Domini 1524. excusa extat *Spiræ*. Agit in ea de officio Christi pastorali, & in fine dehortatur auditores a doctrinis & traditionibus hominum & fiducia in sanctos, sed breviter & generaliter. In fine dicit, se non putasse, quod adhuc semel apud illos esset concionaturus, rogatque eos, quia ignarus sit, an posthac alloqui eos posset, ut in veritate persistant.

LXX.

SIAM. Regnum Indiæ; ex relatione *Act. erud. Lips.* hoc anno 1691. *p. 110.* inserta, cujus autor *Fargesius*, Gallici præsidii in regni illius munimentis præfectus, constat, certum esse, quod omnis ille Gallorum labor & sumtus in fumum versus sit, *Constantino* illo Græculo post mortem Regis crudeliter a tyranno, qui regnum invasit, sublato, & Gallis ex aula & præsidiis suis pulsis. De Jesuitarum, quorum magna in negotio illo opera fuit, fato, nihil in illa relatione invenitur; & aliis relationibus vulgatum postea fuit, *Fargesium* cum filiis suis in navigatione decessisse, antequam in Galliam rediisset. Diversa non ita pridem sparsa accepimus de restitutione Gallorum a novo Rege, qui tyrannum sustulerit.

LXXI.

Scholia Sive Supplementa.

LXXI.

SLEIDANUS. Quod contra *Varillasii* querelam de mutatis & interpolatis Sleidani editionibus speraveram, egregie præstitit alibi mihi merito laudatus excellentis vir doctrinæ & industriæ *Hermannus Hardtius*. Is enim editiones, quas Gallus ille allegavit, aliasque in Bibliotheca Rudolphina repertas, inspexit & inter se contulit. Ex literis itaque ejus d. 11. & 27. Julii ad me datis cognovi, Sleidano vivo non nisi unam editionem anno 1555. a *Vendelino Rihelio* typographo Argentoratensi cœptam & ab hæredibus ejus absolutam forma majori sive in folio, & mox a iam in octavo ex officina *Simonis a Bosco* (Antverpiæ, ut conjicit Hardtius) prodiisse, & hanc quidem inscio aut invito Sleidano, qui *Rihelio* soli (ut versa post titulum prioris editionis pagina publice professus est) potestatem editionis fecerat. Indignatus itaque est *Sleidanus*, quod alii lucri illiciti cupidine Rihelio nocerent, & librum suum ejusque versionem Germanicam procudere ausi sint, quapropter nulla genuina exempla agnoscere se testatur, quam quæ ex *Rihelii* officina exierint. Hanc Sleidani denunciationem *Rihelius* editioni in folio anno 1559 triennio ab obitu Sleidani, (qui anno 1556. decesserat) præfixit, addito simul, qui in prioribus deest, *libro XXVI.* itemque *apologia* Sleidani, obtrectatoribus & nominatim Cochlæo opposita. Collatis autem editionibus prioribus cum recentioribus, nihil plane mutatum invenitur, quod calumniam, aut, si mitius loqui velimus, conjecturam *Varillasii* juvet & confirmet; paucula quædam, & in *Bosci* quidem editione non nisi XIV. in *Riheliana* vero posteriori XXII. loca mutata invenit *Hardtius*, ex cujus catalogo sequentia refero. Primæ editionis fol. 11. Moguntia dicitur *quinque* milliaribus Francofurto abesse, in altera fol. 19 legitur *quatuor*, idque verius est. Fol 27. prioris, Lutheri appellatio a Bulla Pontificia interposita dicitur d. 17 Novemb. posteriori substituitur dies 18. Fol. 27. prioris, allegatur decretum contra Anabaptistas Monasterienses *Wormatiæ* factum; posteriori fol. 177. *Confluentiæ*. Fol. 231 prioris, Mauritius dicitur juvenis XXI. annorum, id in posteriori fol. 416. mutatum est in XVI. Huic etiam fol. 476. inserta est, quæ fol. 265. prioris non reperitur, mentio de morte *Alfonsi Davali* Cæsaris per Insubriam Præfecti, & successio *Ferdinandi Gonzagæ* in illo munere. Item fol. 515. posterioris, nominantur Fuggeri prædivites mercatores, qui Cæsari pecuniam suppeditabant, in priori fol. 292. Fuggerorum nomen non memoratur. Reliquæ mutationes tum in hac, tum in *Bosci* editione non nisi ad vocabula quædam minuta & ad rem nihil aut parum facientia aut ad sphalmata typographorum spectant. Ideoque ne unus quidem locus afferri potest, quo *Varillasii* accusatio probari & sustineri queat, neque quidquam in secunda editione Pontificios magis juvat quam in priori. Si tamen *Varillasio*, (id quidem minime merenti) aliqua excusatio suggerenda esset, sumi illa posset a marginalibus, quæ Sleidanus, ut ex prima editione constat, non composuit sed alius incertus ea in editione Bosci, invito, ut diximus, Sleidano publicata, adjunxit, idque in titulo professus est, ubi legitur, *cum novis copiosissimisque annotationibus*. In posteriori autem, mortuo Sleidano a *Theod. Rihelio* procurata editione, marginales illæ annotationes interdum correctæ sunt, iis potissimum locis, ubi Lutherum contumeliosæ esse videri poterant, & substitutæ sunt aliæ, quæ quandoque Pontificios pungunt, in textu autem, ut diximus, nihil mutatum est. Quicquid igitur hic displicet adversariis, nec Sleidano imputari potest, nec historiæ dat aut aufert, quod alterutri parti noceat aut prosit. Securi itaque omnes esse possunt, qui Sleidanum legunt, & inter alia *Varillasii* audacia & futilia commenta etiam hoc contemnere.

LXXII.

SPANGENBERGIUS *Johannes*. Ejus aut potius Diaconorum *Matthiæ Caleni* & *Andreæ Ernesti* conciones extant, Northusæ ad dictum Evangelicum *Matth. XIII. 30* habitarum, quibus demonstratur, Christum non prohibere, quo minus falsa doctrina v. g. Pontificia, publice redarguatur, deinde ex *Augustini* sententia *epist. 48. ad Vincentium*, statuitur, cogi posse a magistratu subditos, non quidem ad fidem, sed ad audiendum verbum Dei, & ut contrariam doctrinam & cultum vitent, & sic Senatus Northusani edictum laudatur, quo cives prohibebantur a frequentatione *templi collegiati* & jubebantur in parochialibus doctrinam Evangelicam audire. Eadem vero argumenta Anabaptistis opponit.

LXXIII.

SPENGLERI *Lazari*, Syndici quondam Norimberg. *confessio fidei* Germanica, extat post mortem ejus edita *Wittenbergæ* anno 1535. duabus plagulis, præfante Luthero. Meretur sane ut multis nota sit; complectitur enim paucis & perspicuis verbis summa capita doctrinæ, pro cujus agnitione autor Deo gratias agit, non dissimulans se in profundissimis erroribus magis quam alii hæsisse, & mirabili Dei consilio ex iis liberatum esse.

LXXIV.

STAUFIA. *Argulæ Grumbachiæ, Staufiæ* exhortationes Christianæ (1.) ad Fridericum Saxon. Elect. die Martis post Andreæ 1523. Norimbergæ scripta, dicit enim se præcedenti vespere cum *Johanne* Comite Palatino & aliis ex Regimento locutam esse de religione, & plura locuturam fuisse, si auditorum copia adfuisset. Excitat Electorem, ut in confessione veritatis alacriter pergat, conspici enim salutem, omnesque vires ex parte Evangelii a esse, licet adversarii furant & sæviant, Christum enim esse lapidem, ad quem impetus illorum rumpendus sit. (2.) ad *Johannem* Palatinum, præmissa gratiarum actione, quod pridie ad cœnam ab eo & aliis Regimenti proceribus vocata fuisset, lætatur quod sacram Scripturam legere cœperit, & hortatur, ut pergat & in luce ambulet. (3.) ad Senatum Ingolstadiensem: allegat, quæ ad Academiam scripserat, pro *Arsatio Seehofero* & a violenta veritatis persecutione (ad quam tamen ferendam se paratam esse profitetur) Senatum dehortatur. Data est d. 27. Octobr. 1523. (4) Ad *Adamum a Döring* (vocat *cognatum* & *Dominum Clementem*) Locumtenentem Ducatus Neoburgici. In hac epistola prolixiori cæteris constantiam suam in veritate & fide, ad quam in Baptismo obstrictam se esse dicit, profitetur, nulliusque hominis doctrina in contrarium moveri velle; negat se esse Lutheranam, ut vocari soleat, in Christi nomine baptizatam esse, scire tamen, quod Lutherus etiam Christum confiteatur; neque tamen illum velle ut suis scriptis fides habeatur, sed ad solam Scripturam homines ablegare. Minas, quas intentari sibi audiverat, spernit, & paratam se pro religione ad toleranda extrema omnia esse dicit, de fortuna etiam sua queritur, quod parentes sui sub Ducibus Bavariæ facultates suas amiserint, marito vero suæ a Canonicis Würzburgensibus ereptæ sint, item quod huic præfectura (Ditfurtensis in Palatinatu superiori) auferenda sit. Confidit nihilominus, Deo quatuor liberos suos curæ fore. Data est hæc epistola *Grumbachii* absque die & anno. Sequuntur articuli *Seehofero* ab Academia Ingolstadiensi præscripti, d 7. Septemb. 1523. cum refutatione ab *Argula* ad Academiam Scripta. *Ejusdem* scriptum Germanicum ad *Guilielmum* Ducem Bavariæ, Dominica post Exalt. Cruc. (d. 20. Sept.) 1523 *Ejusdem* rhythmi Germanici ad scholarem Ingolstadiensem anno 1524.

LXXV.

STAUPITII *Johannis* libellus de *executione æternæ prædestinationis* ex concionibus Norimbergæ habitis Latine a *D. Christophoro Scheurl*, Advocato Norimbergensi conscriptus & *Hieronymo Ebnero*, Senatori Norimberg. d. 1. Jan. 1517. a Staupitio dedicatus, lectu dignissimus, plagulas habet quinque, capita XXIV. Licet enim non omnes phrases & formulæ cum orthodoxia, quam postea Lutherus tenuit, conveniant, & quædam ad mysticorum argutias & hyperbolas accedant; sana tamen, & utilia plurima, quæ velut crepusculum lucis mox secutæ fuerunt, in tractatu hoc exhibentur. Subjunxit Epilogum *Scheurlius*, in quo refert, Staupitium anno 1506. Oratorem apud Julium II. Pontificem fuisse, & Doctoratum, a Scheurlio Bononiæ susceptum, præsentia sua decorasse. Ejusdem commendatione se Professorem Juris Canonici in Academia Wittenbergensi, item Consiliarium Electoris & Assessorem Judicii provincialis, per quadriennium factum esse.

LXXVI.

STIFELII *Michaelis*, Augustiniani Eslingensis, *de doctrina Christo conformi & solida D. Mart. Lutheri* hymnus pulcherrimus & artificiosus, ut dicitur (ein überaus schön künstlich Lied von der Christförmigen und rechtgegründeten Lehre D. Martin Luthers) absque die, loco & anno, dialecto Suevica sub insigni civitatis Eslingensis excusus, cum notis prolixis, in quibus capita doctrinæ de fide & bonis operibus; ut & de gratia & libero arbitrio, docte & pie explicantur; sed poema ipsum pro illius seculi more & captu horridum est, & jambicis imparibus ad modulum nescio quem, qui Bruder Veit dicitur, illo tempore sine dubio notissimum, compositum.

LXXVII.

STRAUSSI *Jacobi*, Doct. concio Germanica anno 1522. Halis ad Oenum (Hall im Innthal) in festo Pentecostes habita ad *1. Cor. XI. 28* & Senatui populoque Halensi dedicata, in cujus præfatione d. 28. Aug. Kembergæ scripta, pulsum se Evangelii causa Halis refert, in concione autem errores in Missa & confessionibus acriter perstringit & meliora docet. *Ejusdem* concio Isenaci habita anno 1523. in qua Chrisma in baptismo improbat, & *Simoniacum* vocat, quia ære vendebatur narratque se nuper, ne veterem consuetudinem intempestive omitteret, chrisma ex urbe Salza petere voluisse, sed gratis, quemadmodum ipse & alii Baptismum gratis administrarent, sacerdotem autem non nisi pretio numerato mittere id voluisse, dictitantem, se ex illa venditione victum sibi parare. *Ejusdem* theses LI. Isenaci publicatæ, contra usuras, a sacerdotibus tantopere, ut ait, probatas & petitas. Rejicit in his omnes usuras, etiam quas Concilium Constantiense permisit, prohibet usuras solvi, etiam præcipiente id Magistratu, vim tamen exactionum patiendam esse, peccare vero magistratus in exigendo statuit. Hæc cum fervide urgeret, &, ut dictum est, in motu rusticorum minus circumspecte se gessisset, a munere motus & in custodiam datus est.

LXXVIII.

VEHE *Michaelis* D. Dominicani, Halensis Ecclesiæ Præpositi, assertio sacrorum quorundam axiomatum contra Pseudoprophetas anno 1535. Lipsiæ publicata, & fratri ejus *Nicolai Vehe*, quem Professorem vocat, in arce Mergentinensi ordinis Teutonici. *Tractatu I. cap. I.* de Ecclesia disputat, malos quoque esse membra Ecclesiæ, sive, quod ex prædestinationis gratia aliquando fidem sint recuperaturi, sive quia per donum fidei (scil quatenus notitia est & cum charitate non conjuncta) influxum Spiritus Sancti participant. *Tractatu XV. cap 13.* statuit, bona opera esse meritoria vitæ æternæ ex gratioso scilicet pacto Dei. *Ejusdem* tractatus Germanicus pro communione sub una contra D. Pomeranum titulo Errettung der beschuldigten Kelch-Diebe vom neuen Bugenhagischen Galgen. Lipsiæ 1535. in quarto.

LXXIX.

VENATORII *Thomæ*, carmen elegiacum de potentia peccati originalis, præfixum est enarrationi D. Lutheri in Psal. LI. quam *Vitus Theodoricus* anno 1539. Argentorati in octavo edidit.

LXXX.

VERGERIUS *Aurelius*, frater *Petri Pauli*, vir doctissimus. *Spalat. hist. MS.*

* LXXXI.

VOIGT *Jacobus* Minorita, *Friderici*, Electoris Saxoniæ confessionarius, obiit anno 1522. in hebdomade sacra. *Spalat. MS.*

* LXXXII.

Johannes Voigt, alius a confessionario illo Friderici Electoris, inter Franciscanos Vinarienses fuit, & ad exemplum Myconii, audito anno 1521. Luthero in itinere Wormatiensi Vinariæ concionante, Evangelii doctrinam amplexus est, non sine vitæ periculo a monachis ei intentato. Patrocinati autem ei sunt Principes, & Pastorem Burgelæ illum constituerunt, ubi ducta uxore filium genuit *Davidem Voigtum* celebrem postea Theologiæ Doctorem & Professorem Wittenbergensem. *Paul. Wolff* Eischleb. Pastor *in MSS.*

LXXXIII.

WESTERBURG. *D. Gerhardus Westerburgius*, Coloniensis, edidit anno 1533. relationem Germanicam de actis inter se & inquisitores Colonienses, *Jacobum Hochstratanum* & *Arnoldum Tungeranum*, Vicarium Archiepiscopi in spiritualibus. Gerhardus publicaverat anno 1526. libellum, in quo negabat, animas in purgatorio cruciari igne corporali, sed tantum spirituali, id est, desiderio beatitudinis. Condemnatus fuit ob hunc & alios articulos, quos Lutheranos vocabant, extracta tamen causa est ad d. annum 1533. quo fuga sibi consuluit, & apologiam illam Marpurgi typis vulgari fecit. Multa ex hac de processu inquisitorum illorum cognoscuntur & quædam historica. *Cochlæus* etiam inquisitoribus adstitit, sodalis olim Westerburgii in Academia Bononiensi; mentio quoque fit libellorum a *Guilielmo* Comite Isenburgio contra invocationem Sanctorum Coloniæ publicatorum, item, quod *Westerburgius* apud Lutherum Wittenbergæ fuerit, ejusque libros, quatenus cum Scriptura concordarent, publice apud inquisitores laudaverit; Item, quod *D. Henricus Cornelius Agrippa*, quem iidem inquisitores ob libros *de magia naturali* in judicium vocaverant, liberatus a lite fuerit jussu Archiepiscopi. *Westerburgius* etiam ipse ad Cameram Imperialem appellavit.


LXXXIV.

WEIDENSEE sive WIDENSEE *Eberhardus* Doctor. Extat ejus sermo absque die & anno editus Magdeburgi, habitus Goslariæ & dedicatus civitati Halberstadiensi. Deprecatur, quod olim & ipse & quos sibi substituerit parochi & Diaconi ex ignorantia pessima docuerint, nunc vero sermonem hunc ex dicto *Esa. V. 22.* contra ebrietatem illis offert, cum & inter eos esse sciat, vitio illi populari deditos. Vocat autem ipse sermonem hunc *terribilem*, nec negari potest illum severissimum esse; sed orthodoxus est, & argumentis ex S. Scriptura solidissime stabilitus. Ostendit enim ebrietatem eodem loco a DEO haberi ac adulterium, turpitudinem sodomiticam, furtum, homicidium & similia; nec valere exceptionem, quod tantum ebriositas sive perpetuus temulentiæ habitus improbetur, non vero si quis cum sodalibus & per occasionem bis vel ter sese inebriet, quemadmodum non juvet, si quis dicat, se non nisi semel aut bis flagitia supra dicta commisisse. Rejicit etiam quod oggeri solet de antiqua consuetudine aut exemplo magnatū & nobilium, immo & pastorum & concionatorum; id enim omne apud Deum nullius esse pretii aut considerationis. Acriter inprimis reprehendit Ecclesiasticos, & eos cum Juda, qui inter Apostolos erat, comparat, culpamque illorum propter malum exemplum exaggerat. Addit multa relatu dignissima & gravissimas pœnas præsertim a Turcis, tandem vero infernum, nisi pœnitentiam agant, Germanis minatur. Notanda est hæc veteris Theologi & gemini Lutheri discipuli & sectatoris severitas, ne quis putet, justo acriores esse nostro tempore, qui eadem teterrimo huic vitio opponunt. Vid. *D. Phil. Jac. Speneri* exhortatio gravissima in *doctrina Fidei sive Postill. Dresd. p. 37. & seqq. Ejusdem* Widensee concio ad *Apoc. XIV. 1-5.* de veteri prophetia (ut loquitur) a Pontificiis non intellecta de ruina Papatus. Excusa est *Magdeburgi* in 4to 1541. & dedicata *Christiano III.* Regi Daniæ, autor tamen gerit titulum *Pastoris & Superintendentis Goslariensis.* In Dedicatoria scribit: se sex annos & dimidium Haderslebiæ, cum illam præfecturam & Tonningensem Christianus a Rege Daniæ parente obtinuisset, Ecclesiæ ministrum fuisse, cum Princeps omnem idololatriam in districtu illo aboluisset; memorat etiam se filiam Christiani Annam baptizasse.

LXXXV.


ZIMMERMANNI *Antonii*, Pastoris in Teuchern tractatus, in quo concionem Weissenfelsæ die Mercurii post Pentecosten anno 1525. habitam, & speciatim defendit, quod Christus post mortem in infernum quoad animam descenderit, ejusque pœnas usque ad tempus resurrectionis passus sit, & sic nos ab inferni pœnis redemerit; hoc probari putat non solum symbolo Apostolico, sed & dictis *Psal. XVI. 10. LXXXVI. 13. & LXIX. 3. Ejusdem* concio ad Evangelium Dom. VII. post Trin. anno 1523. habita ad verba *Misereor super turbam Marc. VIII.* in qua disputat de differentia legis & Evangelii & contra externa opera, quæ non ex fide proficiscuntur. Ejusdem *Apologia ad Georgium* Ducem Sax. Dom. post Joh. Bapt. (26 Jun.) 1524. scripta, cum audivisset se delatum esse ac si in doctrina & operibus multa novaret. Fatetur, se baptismum Germanice administrasse, magna cum populi devotione & attentione, deinde paratum fuisse nupero festo Paschali sacramentum sub utraque specie distribuere, cunctatum tamen esse intellecta Principis aversione, sed magna cum conscientiæ suæ afflictione. Rationes itaque Principi exponit, cur distributionem calicis, id est, sanguinis Christi, quo a peccatis mundamur, omittere noluerit. Innititur autem Christi promissioni, de sanguinis sui effusione, quæ Sacramento sive elemento vini & mandato confirmetur: *bibite ex hoc omnes*; & respondet vulgaribus objectionibus; paratum se etiam esse dicit ad defendendum libellum de juramentis, a se editum, quem improbari intellexerat.

INDICU-




Indiculus Alphabeticus

Virorum & Autorum, de quibus in Scholiis his mentio quædam fit, præter eos, quorum libri vel acta referuntur. Numeri respondent rubricis scholiorum.



INDEX SECUN-



INDEX SECUNDUS
DOGMATICUS ſive MATERIALIS.

A.

B.

C.

CALIX

INDEX II.

INDEX II.

D.

E.

LXVIII.

L.

N.

O.

INDEX II.

INDEX

INDEX TERTIUS

Scriptorum *D. Martini Lutheri*, editorum & non editorum, quæ in Commentario hoc allegantur, ſecundum ſeriem annorum digeſtus.

Acceſſit ſupplementi loco in fine cujuslibet anni, recenſitio etiam eorum, quæ in Tomis continentur, & in Commentario allegata non fuerunt, cum excerptis aut annotationibus quibusdam minutiori typo excuſis. Index autem hic, quoad ſcripta Germanica, reſpicit ad Tomos Altenburgenſes, quoad Latina vero, ad Tomos quatuor Latinos anno 1556. *Jenæ*, auſpiciis Ducum Saxoniæ, Electoris, *Johannis Friderici*, filiorum, editos, in quos non niſi illi Lutheri libri relati ſunt, quos ipſe ſcripſit aut vertit, vel verſos revidit & approbavit, præteritis aliis verſionibus, quæ in Tomis VVittenbergenſibus, inprimis ſeptimo, exhibentur, & in Jenenſibus omiſſæ ſunt. In epiſtolis uſus ſum voluminibus duobus in quarto primæ editionis, ex quorum priori, epiſtolæ per numeros ſingulis præfixos, in altero, (in quo non numerantur) indicatis paginis notantur. Epiſtolæ tamen, ex quibus in Commentario hoc nihil adductum eſt, in indice hoc non referuntur; Conciones quoque, quotquot in Tomos relatæ extant, inter cætera ſcripta index hic exhibet, non item reliquas, quæ in voluminibus poſtillarum, tam Eccleſiaſticæ quam domeſticæ continentur. Quanquam enim pleræque non minus quam cæteræ excerptu dignæ ſint, tempus tamen labori enarrationis non ſuffecit, & poſtillarum volumina in plurium manibus ſunt. Utile vero foret, ſi primæ concionum editiones, ab ipſo Luthero reviſæ, & quæ eo vivo prodierunt, compilationes poſtillarum cum recentioribus, ut & cum Tomis diligentius conferrentur, & plenior atque correctior concionum editio procuraretur. Conſtare inde poſſet, quando factæ eſſent mutationes, quæ alicubi deprehenduntur, ex quibus notabilem aliquam allegat D. Spenerus in ampliſſimo & utiliſſimo opere *Doctrinæ fidei*, homiliis Dreſdenſibus expoſitæ (in der Glaubens-Lehre) p. 45.

Supplenda.

(1) Tom. I. Jen. fol. 1. *Quæſtio de viribus & voluntate hominis;* quæ contra Papam & Sophiſtas diſputata eſſe VVittenbergæ hoc anno dicitur, hæc erat: An homo, ad Dei imaginem creatus, naturalibus ſuis viribus Dei creatoris præcepta ſervare, aut boni quippiam facere, aut cogitare, atque cum gratia mereri, meritaque cognoſcere poſſit. Negativa ex ſubjunctis tribus concluſionibus & additis cuique corollariis ſatis apparet, neque tamen conſtat, quod hoc nomine Lutherus publice redargutus, aut in judicium vocatus fuerit.

(2) Tom. I. Alt. fol. 12. *Præfatio in libellum, qui titulum habet Theologiæ Germanicæ.* Sperni libellum non vult Lutherus, ob verba Germanici idiomatis ſimplicia & inculta (ungefränzt) nullum librum ſe noſſe dicit poſt S. Scripturam & Auguſtini opera, ex quo plus didicerit, quid ſit Deus, Chriſtus, homo, & omnia. Conſtare hinc ait, etiam ante id tempus fuiſſe pios doctores, & ira Dei fieri, quod in Academiis S. Scriptura ſub ſcabellis veluti poſita & a pulvere & tineis conſumta fuerit. DEO etiam ſe gratias agere dicit, quod Germani a lingua legantur, quæ neque Latina, Græca aut Hebraica tractata hucusque fuerint.

(3) Tom. I Altenb. 13. Alia *præfatio in libellum Germanicum; quid ſit homo vetus & novus.* Hunc libellum, ait, non ex ſpuma, ſed ex fonte Jordanis, a vero Iſraelita, hauſtum eſſe, & ſapere ſtylum *Joh. Tauleri*, quem illuminatum virum vocat ex ordine Dominicano.

Supplenda.

(1) Tom. I. Jen. 13. *Concio de pœnitentia.* (quæ Germanice in Tomos relata non eſt.) In hac pleroſque errores in materia contritionis & confeſſionis examinat & refellit, quoad ſatisfactionem vero ad concionem Germanicam ex Tom. I. Alt. 56. relatam provocat.

(2) Tom. I. Alt. fol. 25. *Explicatio ſeptem Pſalmorum pœnitentialium.* In præloqu. indicat, ſe translationem Germanicam ex verſione Hieronymi vulgata ſumſiſſe, ſed adhibita interpretatione Reuchlini, temeritatis notam metuit, quod talia Germanice ſcribere audeat, a piis autem approbationem ſperat. Etſi vero annis ſequentibus majori luce & ſpiritu materiam Pſalmorum horum tractaverit, inſignia tamen orthodoxæ Theologiæ & eruditæ paraphraſeos documenta eum jam tum dediſſe lectores facile deprehendent.

INDEX III.

Supplenda.

(1) Tom. I. Alt. Fol. 76. *Explicatio orationis Dominicæ. Queritur in præfatiuncula, se nescire, quomodo scripta sua per amicos & inimicos vulgentur, cum utiliores libri non desint.* Quia vero hæc explicatio ab amicis publicata fuerit, se, ut omnibus, etiam adversariis serviret, recudi eam fecisse. Distinguit fol. 77. orationem in vocalem & mentalem, improbat illam, si solum fiat, ex præscripto sive lege monachorum, absq; interiori & pia attentione, quanquam etiam nudam recitationem aliquando fructu non carere, devotionem excitare, & Diabolo ægre facere non neget; Internam, quæ vera mentis attentione fit, etiam absque verbis proficere, verbalem tamen orationem minime contemnendam esse monet. Nondum audet rejicere precationes *S. Brigittæ & rosarii*, abusum tamen notat, quod nimia in iis ponatur fiducia. Orationem vero Dominicam omnibus præfert, quia reliquæ omnes fere ad commoda corporis & bona fortunæ impetranda dirigantur. Quæ ad singulas petitiones commentatur, maximi sunt ponderis. Quartam tamen fere de pane spirituali explicat, & quod Deus rogari quotidie debeat, ut Ecclesiæ bonos piosque Doctores & Prælatos det, neque enim majus damnum, ne per Turcos quidem fieri posse, quam si desint, qui verbum Dei recte doceant & Ecclesiæ utiliter præsint. Ad quintam, indulgentiarum seu remissionis peccatorum virtutem ostendit, negat tamen a se Romanas prorsus rejici, sed suo pretio æstimari fol. 95. Cultum etiam Sanctorum nondum improbat. vid. fol. 99.

(2) *Explicatio Psal. CX. Dixit Dominus &c.* Tom. I. Alt. fol. 101. In hac a erbe ad v. 2. f. 105. invehitur in *Picardos* seu Bohemos, qui ex Ecclesia Rom. ob vitia Sacerdotum secesserint, eosque pro hæreticis & blasphemis habet. Et ad v. 4. fol. 109. sacerdotium Melchisedeci æternum ad Sacramentum cœnæ applicat.

(3) Tom I Jen. 25. b. *Disputatio pro veritate inquirenda.* Theses continet 50. de pœnitentia, Sacramentis & fide, quibus corollarium subjicitur, sive *Summa summarum*; Justus non ex operibus, neque ex lege, sed ex fide vivet. Rom. I.

(4) Ibid. fol. 26. b. *Disputatio de circumcisione.* Theses habet 9. quibus contra Magistrum sententiarum statuit; circumcisionis sacramentum non nisi per fidem profuisse.

(5) Tom. I. Jen. 28. *Probationes conclusionum Heidelbergæ disputatarum.* Inter alia thes. 14. sententiam suam de viribus hominis sive liberi arbitrii dilucide proponit, *quod homo nil possit in vitam, sive bonum, nisi subjective, sed in mortem etiam active.* Idem nempe illi est *subjective & passive.* Dein thes. 15. contra *Magistrum sententiarum* ex Augustino asserit; Adamum ex creatione non habuisse potentiam activam, sed tantum subjectivam.

(6) Tom. I. Jen. fol. 122. *Decem præcepta populo Wittenbergensi prædicata ex Germanico Latine versa.* Excusatur in præfatiuncula simplicitas styli, extemporanei quippe, sed præclaris ad singula præcepta monitis refertæ sunt homiliæ istæ & utilissimæ. Specimen esto in explicatione præcepti I. in qua plurimis indicat & rejicit superstitiones, tunc quidem frequentissimas, nec hodie etiam apud nostrates penitus abolitas, abusum itidem invocationis Sanctorum, quorum præcipuos utriusque sexus, qui ut averrunci malorum & morborum quorundam colebantur, enumerat fol. 127. b. & seqq. interim eo tempore intercessionem Sanctorum precibus quæri nondum improbabat. *vid fol.* 130. 133. Jam tum tamen Scholasticos Theologos cum Pelagio comparavit fol. 133. scribens: hunc quidem id saltem Deo tribuisse, quod per doctrinam legis erudiret liberum arbitrium, Scholasticos vero habere (sive docere) dictamen rectæ rationis, ut eruditione legis pro commoditate, non pro necessitate opus sit, dissentire autem a Pelagianis, *quod sine Christo non posse meritorie vivi concedant*, & ita, ait, *Christus non est mortuus propter peccatum, sed propter non meritum.* Sed plura adscribere modus libri jam non patitur.

(7) Tom. I. Jen. 174. Ex quatuor concionibus latine versis, Germanice in Tomos non relatis, secunda est; *De digna præparatione cordis pro suscipiendo sacramento Eucharistiæ.* (Prima, de excommunicatione supra allegata est ex Lib. I. XXXV. I.) Fidem inprimis exigit a digne accessuris, & fiduciam in contritionem rejicit. Hæsit tamen tunc adhuc & in aliis erroribus, & speciatim in opinione, quod accedere liceat in fide Ecclesiæ, vel fidelis alicujus noti.

(8) Tom. I. Jen. fol. 176. b. Tertia concio *de triplici justitia; legali, infusa*, (uti eam adhuc nominat, applicari tamen per fidem docet) & *actuali*, i.e. renovatione sive studio bonorum operum.

(9) Tom. I Jen. 178. Quarta concio, *de justitia duplici*, quam considerat ut alienam sive infusam, & nostram, quæ per charitatem operatur.

(10) Tom. I Jen. 181. Explicatio loci Ecclesiast. VII. 21. *Non est justus in terra &c.* Disputat hic contra Scholasticos, qui perfectionem in observanda lege a Deo requiri non putant, & quod statuant, sufficere, si quis faciat quod est in se, id quod 24. argumentis refellit.

(11) Tom. I. Jen. fol. 184. *Instructio pro confessione peccatorum abbrevianda secundum decalogum.* Enumerat virtutes singulorum præceptorum, & peccata, quæ contra illa committuntur. Hoc scriptum anno 1521. Germanice versum est a D. Jona, & refertur Tom. VIII. Alt. 894.

(12) Tom. I. Alt. 71. *Sermo de sacramento pœnitentiæ* ad Margaretham, Ducissam Brunsuicensem, ejusdem fere cum eo, qui n. 1. relatus est, argumenti.

Anno 1519.

9. *Reso-*

INDEX III.

9. *Resolutio thesis XIII. de potestate Pontificis. I.LII. 2.Tom. I. Jen.311.*

10. *Epistolæ de resolutione illa ad Spalatinum & Langum. I.LII.1.2.Lib.I.ep.108.113.*

11. *Ad Petrum Lupinum & Carolostadium dedicatio epistolæ ad Galatas. I. LIII. 2. ep. 84.*

12. *Epistola ad Egranum.I.LIV. 2.Lib. I. ep. 88.*

13. *Sermo Lipsiæ habitus in festo Petri Pauli. I. LIV. 3. Tom.I. Jen. 292. I. Alt. 270.*

14. *Disputatio Lipsiensis cum Eccio I. LIV. 2. Tom. I. Jen. 242. & 519.*

15. *Epistola ad Spalatinum de disputatione Lips.I.LV. 1. Tom. I. Jen. 293. & Lib. I. ep. 114.*

16. *Altera epistola de eadem. I. LV. 1. Tom. I. Jen. 294. Lib. I. ep. 116.*

17. *Disputatio & excusatio adversus criminationes Eccii & Minoritarum. I.LVIII.1. Tom.I. Jen. 227.*

18. *Resolutiones conclusionum suarum Lipsiensium. I. LX. 1. Tom. I. Jen. 294.*

19. *Epistola apologetica de disputatione Lipsiensi, cui Carolostadius subscripsit. I.LXI.1. Tom.I. Alt.277.*

20. *Commentarius in epistolam ad Galatas. I. LXXXIV. & LXXXV. Tom. I. Jenens.389. editio secunda. Tom. III. Jenens. 1. tertia Tom. IV. Jen. 1. versio Germanica Tom. I. Alt. 151. VI. 509.*

21. *Epistola ad Staupitium de Bohemis. I. LXII. 1. Lib. I. ep. 121.*

22. *Adversus Emserum sive Hegocerotem. I. LXII. 2.Tom.I. Jen.370.*

23. *Adversus Eccii expurgationem. I. LXII. 5. & Add. I. a. Tom.I.Jen.378.b.Lib.I.ep. 117.*

24. *Epistola de dicto Tezelii. I. LXII. Add. II. l. Lib. I. epist. 104.*

25. *Epistola de nova Friderici Elect. Sax. fundatione in memoriam passionis Christi. I.CLIII.Add.II.c. ex MS.*

26. *Variæ epistolæ. I. LXIII. 1. 2. Lib. I. ep. 119. 124. 125. 131. 134. 135. 137. 149. 150. 152.*

Supplenda.

(1) Tom. I. Altenb. fol. 293. Programma ad informationem eorum, qui ex scriptis suis, & mala æmulorum suorum suggestione scandalum ceperint. Unterricht auff etliche Articul etc. In his statuit invocationem Sanctorum, addita ratione, quod miracula in eorum nomine a DEO fiant: Purgatorium asserit; Indulgentiis Pontificiis remitti censet satisfactionem pro peccatis; concedit etiam quod non peccent, qui eas redimant, neque etiam qui non redimant: Denique disputationes de his ad Scholas ablegandas esse monet. Præcepta quoque Ecclesiæ, nominatim jejunia, servanda esse concedit, ita tamen, ut minori æstimatione quam divinæ leges habeantur. Bona opera reprehendit, quæ non fiant a fidelibus seu credentibus, sive ex gratia, vel si propter illa superbiant & efferantur homines. Romanam tandem Ecclesiam a Deo ante omnes honoratam esse credit Pontificum successione & sanguine martyrum, ideoque illam ob vitia, licet notoria, non esse deserendam: De potestate vero ejus, quæ & quanta sit, a Doctoribus disquirendum esse, ad salutem enim animæ eam quæstionem non pertinere, cum Christus Ecclesiam suam in externa potentia non fundaverit.

Hæc atque alia tunc & paulo post scripta Lutherus ipse magno cum dolore deploravit, revocavit, & sibi propter Christum ignosci errores illos, sive, ut loquitur, stultitias suas petiit non una vice, solenniter autem in præfatione *Tomi I. Op. Lat. d. 5. Martii 1545.* conscripta, & alia, quam d. Tom. I fol. 521. disputationibus suis præfixit, ut vanissimi sint, malæque fidei, qui etiam hodie ex his scriptis antilogias eruant.

(2) Tom. I. Alt. fol. 296. Germanica, Tom. I. Jen. 341. b. Latine versa extat concio de meditatione passionis Christi. Habetur in Volumine Postillarum.

(3) Tom. I. Alt. fol. 299. Tom. I. Jen. fol. 352. Concio de matrimonio. Vom ehelichen Stande / quam in præloquio monet male antea editam nunc correctam esse. Habuit tunc adhuc matrimonium pro sacramento, quia significet mysterium unionis duarum naturarum in Christo. Salutaria tamen monet de contrahendo & probe gerendo conjugio, itemque de liberorum educatione.

(4) Tom. I. Alt. fol. 301. Tom. I. Jen. fol. 351. concio in hebdomade precationum, quomodo sit orandum. Vom Gebet und Procession in der Creutz-Woche. Habetur in Volumine Postill.

(5) Tom. I. Alt. fol 304. Tom. I. Jen. 354. Concio de præparatione animi ad mortem, in qua multa monet de usu sacramenti salutari, tempore mortis.

(6) Tom. I. Alt. fol. 310. Tom. I. Jen. fol. 337. Concio prolixa & egregia de Baptismo. In hac taxat eos, qui in baptismo omnia peccata ablata esse putant, nec vitiosos affectus pro peccatis agnoscant, ideoque contra eos non pugnant, & externis tantum operibus nituntur, majori horum studio, quanto debilior est in iis fides; queritur etiam, neminem hucusque dignitatem baptismi & voti, quo in eo obligamur, meminisse, aut quid sit, docuisse vel didicisse.

(7) Tom. I. Alt. fol. 356. *Sermo longus de Usuris.* Grosser Sermon vom Wucher. In hoc reprehendit & corrigit opinionem de consiliis Evangelicis, eaque pro præceptis habet & asserit; speciatim de beneficentia docet, ejus minimum gradum esse stipem, quam mendicis damus, imo mendicos (de monachis idem, tectius licet, jam tum tamen innuit) inter Christianos ferendos non esse. Taxat etiam promiscuas largitiones ad fabricam *D.* Petri & similes, sed levius: speciatim illos perstringit, qui statuunt, pauperibus non nisi in summa necessitate succurrendum esse, ut scilicet supersint, quæ indulgentiarum præconibus præbeantur. Postea ex professo contra usuras & interesse, venditionesque censuum disputat, & avaritiam Cleri in usuris exercendis graviter accusat, opinionem etiam suam, postea sæpius propositam, aperit, quod decimarum præstatio omni alii tributorum generi præferenda sit.

(8) Tom. I. Alt. 328. *Brevis sermo de usuris.* Kleiner Sermon vom Wucher. Eadem, sed succincte, continet.

(9) Tom. I. Jen. fol. 385. b. *Epistola ad Carolostadium* ante Disputationem Lipsiensem scripta, cum apostrophe notabili ad Eccium, cujus sophistica vitia & clamores jam tum prævidet & prædicit.

(10) Tom. I. Jen. 522. b. *Disputatio* sive theses XVI. Sententias varias de lege & fide complectitur.

Anno 1520.

1. Consolatio ad Fridericum Elect. Sax. *sive Tessaradecas cum epistola ad Electorem dedicatoria, in quibus eum summis ornat laudibus. I. LXIII. 2. Tom. I. Jen. 473. & 486. Tom. I. Alt. 368.*

2. Enarrationes in Evangelia. *I. LXIII. 4. Habentur in volumine Postillarum.*

3. Declaratio sermonis *de Eucharistia. I. LXIV. 4. Tom. I. Alt. 339.*

4. Ad Carolum Cæsarem epistola, *ne inauditus damnaretur. I. LXV. 1. LXXXI. 1. Tom. I. Alt. 342.*

5. Protestatio & oblatio *ex consilio Miltitii edita. I. LXV. 1. Tom. I. Jen. 268.*

6. *Epistola de* Erasmi *literis ad Moguntinum. I. LXV. 2. Lib. ep. 143.*

7. *Epistola ad* Moguntinum Archiep. & Ep. Mersburgensem. *I.LXVI. 1. 2. Lib.I. ep. 145. 147.*

8. *Epistola varia ad* Spalatinum. *I. LXVI. 3. Lib. I. ep. 149. 161. 167.*

9. *Epistola ad* Leonem X. *d. 6. April. seu potius d. 6. Sept. I. LXVII. 1. 3. 9. Tom. I. Jen. 461. Lib. I. ep. 166. Tom. I. Alt. 353.*

10. *Epistola varia. I.LXVII. 2.3. Lib.I. ep. 141. 171. 191. 193.*

11. *Libellus de* libertate christiana. *I. LXVIII. 1. Tom. I. Jen. 464. Extat versio Helvetica autore* Leone Judæ, *Tiguri ann. 1521. excusa, & monialibus in Ow & Albeck* zu Einsiedeln/ *quibus tunc autor concionabatur, inscripta, in Bibliotheca Rudolphæa Brunsuic.*

12. *Epistola ad* Spalatinum. *I. LXIX. 2. Lib. I. ep. 179.*

INDEX III.

Supplenda.

(1) Tom. VI. Alt. 1416. Tom. I. Jen. 487. Libellus *de ratione confitendi*, ubi adhuc titubans, extra captum suum esse dicit, an peccata cordis occulta, ac hic soli Deo & homini, qui ea fecit, nota, sacerdoti sint confitenda, ad-it se id libentissime negare velle, & suspicatur, totum id Confessionis particularis inventum esse avarum, curiosum & tyrannicum; abusum etiam in reservatione casuum jam tum penetrare cœpit, item de voto castitatis censet, obligari eo non debere mares, qui 18. vel 21. aut fœminas, qui 15. vel 16. ætatis annum nondum impleverint.

(2) Tom. I. Jen. fol. 524. b. *Disputatio* sive theses XII. *de Baptismate* Johannis & Christi. Subjunguntur disputationes sive theses aliæ anno 1521. 1522. 1528. 1530 1535. 1536. 1537. 1538. 1540. 1543. 1544. quæ ob numerum & varietatem materiarum enarrari non possunt, sed legendæ sunt, pleræque tamen oppositæ fuerunt *Johanni Islebio* sive a. tinomis.

(3) Tom. I. Alt 358. *Sermo de libertate hominis Christiani*, Predigt von der Freyheit eines Christlichen Menschen. Tractatur in hoc idem argumentum, quod stylo accuratiori in libello de libertate Christiana prosecutus est, ut & fidei singularem efficaciam & prærogativam, & simul bonorum operum exercitium ostendat & commendet. Dedicata hæc concio est *Hieronymo Mühlpfort*, Prætori tunc Zuiccaviensi.

(4) Tom. I. Alt. 395 *Brevis forma meditandi Decalogum, & Symbolum fidei, & Orationis Dominicæ.* Kurtze Form / die zehen Gebot und den Glauben zu betrachten. Habet enumerationem peccatorum & virtutum cujuslibet præcepti, aliis verbis, quam tractatus, quem ad annum 1518. n. 11. ex Tom. I. Jen. 184. retulimus. In oratione Dominica petitio quarta jam non solum de cibo spirituali, sed & naturali & de prosperitate status politici & œconomici explicatur. Præfatio huic libello præfixa refertur Tom. VIII. Alt. 891. in qua sub finem populum hortatur, ut orationi Dominicæ cum bono intellectu assuescat, & precibus, quas S Brigittæ vocabant, abstineat.

(5) Tom. I. Alt. 544. *Alia brevis orationis Dominicæ expositio*, in qua etiam præposterus ejus usus indicatur. Kurtze Auslegung des H. Vater unsers / für sich und hinter sich.

(6) Tom I. Alt. 409. *Sermo de bonis operibus.* Dedicatus Johanni Duci Sax Electoris fratri, cujus benignitatem laudat, quod oblationem libelli consolatorii gratam habuerit, idemque de Johanne sibi promittit. Eorum vero censura, quibus vile videatur, quod breves libellos paucarum pagellarum & simplices conciones laicis solum accommodatas, edat, moveri se non dicit, quo minus hoc scribendi genus continuet, optat ut vel unum ex populo toto vitæ suæ tempore, omnique labore suo convertisset, contentum se eo fore, Deoque gratias acturum, passurumque esse, ut omnes l bell. sui interirent. Wolte Gott / ich hätte einem Layen mein Lebelang mit alle meinem Vermögen zur Besserung gedienet / ich wolte mir genügen lassen / Gott dancken / und gar willig darnach lassen alle meine Büchlein umkommen. In tractatu ipso & veram bonorum operum originem ex fide deducit, & quæ atque quomodo fiant secundum Decalogum egregie explicat. Hic phrasi illa non semel postea repetita utitur fol. 476 Deum non odisse peccatores, sed infidelitatem, Gott ist denen Sündern nicht feind / sondern allein den Ungläubigen. Addit rationem, quia de peccatis non doleant, ea non confiteantur, nec auxilium a Deo petant. Nonum & decimum præceptum fol. 444 paucis de concupiscentia & peccato originali explicat.

(7) Tom. I. Alt. 474. *Sermo de banno*, vom Bann. Est autem alius, quam qui Tom I. Jen. 17. Latine extat, licet in margine tom i Alt. ex Tomo Jenensi Latinus allegetur, & pro versione habeatur. Docentur autem in concione hac multa utiliter de vero & salutari usu, ut & de noxio & perverso abusu banni.

Anno 1521.

Quod vero ex libro hoc primo epistolarum Lutheri ut & ex secundo, non omnes Lutheri epistolæ allegatæ aut relatæ sint, pro temporis & laboris ratione & instituto factum est. Ex proposito tamen nullam præterii, quæ ad historiæ illustrationem facere videbatur.

Supplenda.

(1) Tom. I. Alt. 612. Epistola *ad Fridericum Sax. El.* de comparitione sua in Comitiis Wormat.

(2) Tom. I. Alt. 550. *Concio in festo Epiphaniæ.* Ostendit efficaciam fidei, & ut ex hac sola bonitas operum æstimanda sit, omnisque pompa Papistica eruenda & evacuanda, & doctrina de Christo in cordibus hominum cum spe profectus plantanda sit.

(3) Tom. I. Altenb. 554. *Formula baptismi Germanica* Consuli cuidam oppidano breviter præscripta; convenit fere cum libello postea publicato, retinet ceremoniam salis ori infantis inferendi.

(4) Tom. I. Alt. 555. Epistola ad quendam (Hausmannum, ut videtur) qui ad Pastoris officium vocatus consilium Lutheri rogabat. Huic respondet; aut vitandum id munus ei esse, aut expectandum esse odium & persecutionem a Pontifice, de hoc enim se certo credere, quod sit adversarius Christi a Paulo II. Thes. II. 4 prædictus.

(5) Tom. I. Alt. 613. *Instructio ad eos, qui in confessione urgebantur a libris Lutheri abstinere.* Summa est, ut absolutione & communione potius careant, quam libros, quos dictante conscientia pro piis & orthodoxis agnoscant, condemnare audeant, & Bullæ Pontificiæ obsequium præstent.

(6) Tom I. Alt. 71[illegible] *Concio in die Viridium*, qua causas proponit, propter quas ad sacramentum accedendum sit.

(7) Tom. I. Alt. 726. *Forma precum*, quibus usus est in Comitiis Wormat. in qua se Deo vocanti penitus resignat, & ad mortem pro veritate subeundam offert.

(8) Tom. I. Alt. 74[illegible]. *Explicatio Ps. LXVIII.* in arce Wartburgensi in concionibus festi Paschalis, Ascensionis & Pentecostes. Versio Psalmi hujus difficillimi aliis verbis concepta est, quam quibus postea, cum totum Psalterium in Germanicam linguam transferret, usus fuit.

(9) Tom. I. Alt. 755. *Explicatio cantici B. Virginis*, Wittenbergæ ante iter Wormat cœpta, in arce Wartburg. continuata atque Joh. Friderico Principi, d. 10. Mart dedicata. In hac veteris persuasionis reliquiæ sunt, dum a Maria Virgine sibi procurari petit salutarem hujus cantici intellectum. Distinguit etiam hic spiritum hominis, ut nobilissimam animæ facultatem ad percipiendas res divinas ab anima sentiente & rationali, quatenus pro corporis commodis laborat. In epilogo iterum alloquitur Principem, & ad pietatis & virtutis studium graviter hortatur, utque caveat hostem omnibus aliis deteriorem, quem in cantico hoc indicari dicit verbis (Luc. II. 51.) *mente cordis sui.* Subjuncta est fol. 782. brevis paraphrasis & applicatio orationis, qua Salomon a Deo sapientiam rogavit.

(10) Tom. I. Alt. 805 *Versio Psal. CXIX. Germanica*, alia quidem, quam quæ postea in libro Psalmorum majori cura edita est. Additæ sunt annotatiunculæ brevissimæ.

(11) Tom. I. Alt. 844. *Concio ad Evangelium Dom. XIV. post Trin.* quæ in Postillis extat, & qua acriter impugnatur confessio Pontificia. Excusa autem est extra ordinem postillarum, cujus pars a Dominica Adventus ad festum Epiphaniæ tunc edita erat, & dedicata primariis ex nobilitate & aula Electoris, Viris *Hugoldo ab Einsidel, Johanni a Dolzig* & *Bernardo ab Hirsfeld* d. 17. Sept. ut præbiberet & prægustandum daret, ut loquitur, postillas suas ex medio dolio, i. e. materiam adversariis odiosissimam tractaret & publicaret.

(12) Tom. II. Jen 338 *Epistola ad Fridericum Electorem*, qua ei partem postillæ d. 3. Mart. dedicat, ex qua quædam apponere lubet. Agnoscere se dicit, quod Principi molestissimæ sint contentiones, & quæstiones, quas ventilari dicit de lana caprina, cum tam magnifice certetur de quæstu ecclesiastico, sed & de se testatur, quam invitus his turbis jactatus & a studiis suis avulsus sit, ut carni & sanguini suo non potuerit imperare, quin importunas improborum procacitates asperius quam pro religione & modestia tractaret, culpam itaque non deprecatur, sed veniam sperat ab iis, qui perpenderent, quantos leones Moab, quantos Rabsaces Assyriorum, quantos denique extremæ virulentiæ Semeios unus sustinere compulsus fuerit, ait tamen (ad id usque tempus) se nunquam spem pacis potiundæ despondisse, sed jam de ea desperare cœpisse, & Episcopi, licet titulum non gerat, munus tamen exerciturum esse, non docendo solum & ædificando, sed & pugnando, exemplo Nehemiæ. Addit quædam de concionibus suis, & Latinæ eloquentiæ & elegantiæ imperitum se esse confitetur, nec peritis scribere. Ad Electorem deinde conversus, judicium ejus formidabile sibi esse dicit, qui sacris literis non modo incomparabili studio faveat & inhiet, sed ita formatus sit, ut nulli Theologo vel ter maximo non queat negotium facessere, si quæstiones movere incipiat, tantum abesse, ut Romanenses fucis & nugis Bullarum suarum illi imponant, aut impiis superstitionum legibus irretire eum queant, quo tamen crasso ludibrio nullum non Episcopum hodie dementent.

Anno 1522.

INDEX III.

Supplenda.

(1) Tom. II. Alt. 1. *Concio in festo Epiphaniæ* ad II. Tim. III. 1.-9. in qua viginti capita vitiorum Cleri ex verbis Apostoli clarissime proponit & probat.

(2) Tom. II. Alt. 13. *Consideratio numeri septenarii*, duodenarii & LXXXIV. in sacris: Est lusus quidam sacræ philologiæ non inelegans.

(3) Tom. II. Alt. 79. *Dehortatio a seditione & tumultu.* Treue Ermahnung an alle Christen / sich für Empörung und Auffruhr zu hüten. Occasionem scribendi sumsit, ut puto, a motu plebis per Carolostadium Wittenbergæ excitato, quanquam de illo expresse non loquitur, sed famam allegat, quod Clerus sibi a populi insultu, conscius culpæ suæ, metueret. Hunc quidem timorem ipsi non invidet, optat potius, ut ad emendationem ejus proficiat, commonefacit tamen populum, vi & manu non esse agendum, & Papam non bello & seditione tollendum, sed verbo & spiritu Christi arguendum esse, finem autem sub adventum Domini demum habiturum. Pro vi autem non habet reformationem abusuum, autoritate Magistratuum factam, sed populum ab omni violentia vehementer dehortatur, negatque suos esse discipulos, qui aliter doceant. Suadet omnibus, ut agnoscant peccata & errores, Deum assidue orent, ut Pontificio dominatui resistat, & ut veritatem Evangelii cum fiducia prædicent, sed cum fundamento, & discrete, utque vitent præsumtiones & sectas. Hac occasione fol. 83. serio improbat, quod homines a se *Lutherani* nominentur, cum Christiani vocari deberent. Verba, Tom. I. L. Add. c. allegata, adscribi integra merentur: Nicht also / du Narr / höre und laß dir sagen; Zum ersten bitte ich man wolte meines Nahmens schweigen / und sich nicht Lutherisch / sondern Christen heissen. Was ist Luther? Ist doch die Lehre nicht mein / so bin ich auch für niemand gecreutziget. Paulus 1. Cor. 3. wolte nicht leiden / daß die Christen sich nicht solten heissen Paulisch oder Petrisch / sondern Christen. Wie käme denn ich armer stinckender Madensack darzu / daß man die Kinder Christi solte mit meinem heillosen Namen nennen? Nicht also / lieben Freunde / lasset uns tilgen die parthevische Namen / und Christen heissen / deß Lehre wir haben. Die Papisten haben billig einen parthevischen Namen / dieweil sie nicht begnüget an Christi Lehre und Namen / wollen auch Päbstisch seyn / so lasset sie Päbstisch seyn / der ihr Meister ist. Ich bin und will keines Meister seyn. Ich habe mit der Gemeine die einige gemeine Lehre Christi / der allein unser Meister ist / Matth. 23. Sensus est: se omnes rogatos velle, ut nominis sui mentionem non faciant, neque se Lutheranos, verum Christianos vocent, doctrina, ait, non est mea, neque ego pro ullo fui crucifixus. Paulus vetat a se Paulinos, aut a Petro Petrinos nominari, quid ego fœtida vermium esca desiderarem, ut filiis Christi vilissimum nomen meum tribueretur. Minime gentium. Extinguamus nomina factiosa & Christiani dicamur, quia doctrinam Christi habemus. Papistæ merito sectæ nomen habent, quia non contenti doctrina & nomine Christi etiam Papistæ esse volunt, sint itaque quia Magistrum illum habent. Ego nullius Magister esse cupio. Teneo cum Ecclesia communem doctrinam, quæ & unica est Christi, omnium nostrum Magistri. Matth. XXIII. 8.

(4) Tom. II. Alt. 84. Adhortatio ad quatuor ordines mendicantium, nomine *Hartmuthi a Croneberg* edita. In hac fol. 85. itidem rogat, ne doctrinam Lutheri pro ea habeant, quam ipse invenerit, neque ei aliter credant, quam quatenus convenientia cum Scripturis doceat.

(5) Tom. II. Alt. 89. Fragmentum censuræ & admonitionis de tumultu in abroganda Missa & abolendis imaginibus, Wittenbergæ se absente excitato, per quem contra charitatem peccatum & intempestive actum esse dicit, cum multis adhuc sufficiens desit informatio, & scandalum detur vicinis sub Duce Georgio, reformationi inimico, qui fortassis converti posset, si modeste ac prævia bona instructione agatur.

(6) Tom. II. Alt. 92. Epistola ad *Spalatinum* d. 7. Mart. *Ven. post Esto mihi* data, de eodem tumultu, & in eundem fere sensum.

(7) Tom. II. Altenb. 131. Brevis explicatio salutationis Angelicæ. Kurtze Auslegung des Ave Maria. Improbat fiduciam, quæ in ea ponitur, & salutationem, ut Germanice recitari solebat, sed omissa, quæ adjicitur, invocatione, *Ora pro nobis* &c. explicat. Vertit tamen ex vulgata *gratia plena*, voller Gnaden / aliter ac in Bibliis, ubi legitur holdselige; interpretatur id quod fit absque peccato, repleta a Deo omni bono, libera ab omni malo, & sic cæteras ejus felicitates extollit, propter quas laudari digna sit. Rogandum ait esse, pro conversione illorum, qui matri & filio maledicant, dum rosariis plurimis instructi continuo eam in ore habeant, vera tamen fide careant & ideo oratio eorum fiat in peccatum Psal. CIX. 7. Est hoc quoque scriptum inter rudimenta reformationis, postea enim recitatio illa prorsus evanuit.

(8) Tom. II. Alt. 133. *Sermo brevis, Dominica Cantate* ad Johan. XVI.

INDEX III.

XVI. 5. in quo fides, juſtitia & judicium Spiritus ſancti explicatur.

(9) Tom. II. Alt. 144. Fragmentum reſponſi ſeu conſilii. Bedencken und Unterricht von den Klöſtern und aller geiſtlichen Gelübde. Tradit hic, quæ alibi & præcipue in tractatu de votis monaſticis prolixe docuit: taxat etiam fol. 147. quod de remediis legitimis contra libidinem carnis minus aperte doceatur, quam ab ipſo Spiritu Sancto per Moyſen factum eſt.

(10) Tom. II. Alt. 158. Epiſtola ad *Nicolaum Sturmium*, Conſulem Magdeburgenſem, qua rationem reddit, cur acriter ſcribat contra Prælatos.

(11) Tom. II. Alt. fol. 159. Epiſtola *ad Eccleſiam Erfurtenſem* de cultu Sanctorum, cujus cauſa diſſidium erat inter miniſtros. Id improbat Lutherus, & concionandum eſſe monet de articulis primariis, & de uno neceſſario, inde per ſe ceſſaturos eſſe abuſus. Interim (pro ſuo tunc profectu) ſufficere ſcribit, modo nemo cogatur ad cultum ſanctorum, & ferendos eſſe, ait, qui eum adhuc teneant, modo abſit fiducia in illos, & hæc in ſolo Chriſto ponatur.

(12) Tom. II. Alt. 161. Epiſtolium ad *Spalatinum*, ut intercederet pro quodam piſcatore, cui mulcta pecuniaria dictata erat, quam petit in mulctam aliam converti, ne pecunia hominis, ſed emendatio quæri videatur.

(13) Tom. II. Alt. 183. Sermo *in feſto Petri Pauli*, quo probatur, non Petrum, ſed Chriſtum intelligi in verbis Matth. XVI. 18. *Super hanc petram &c.*

(14) Tom. II. Alt. 206. Epiſtola ad *Johannem Riedeſelium*, Camerarium Johannis Ducis, pro *Wolffgango Steinio*, ut bona cum pace Principis delatum ſibi Paſtoris ad D. Michaelis Erfurti munus accipere poſſit.

(15) Tom. II. Alt. 224. *Articuli primarii, per quos populus Chriſtianus hucusque deceptus & ſeductus eſt.* Scriptum hoc absque nomine editum Amsdorffius & Joachimus Weſtphalus Luthero tribuerunt, quanquam meo judicio cum ſtylo Lutheri vix conveniat, licet doctum piumque ſit. Agnoſcitur in eo ante omnia ſingularis & admiranda Dei gratia, quod tam brevi tempore etiam rudis populus ab erroribus tam vetuſtis, tantaque cum autoritate conſervatis liberari potuerit. Oſtenditur deinde, ut falſo illuſum ſit populo prætextu autoritatis, & quod Eccleſia errare non poſſit, item, antiquitatis ſeu præſcriptionis. Enumerantur & refelluntur dogmata de libero arbitrio, de operum concurſu in juſtificatione, de ſervili obſequio, quod legibus Eccleſiaſticis præſtari debuit, cum neglectu S. Scripturæ, cujus Theologi, etiam ſenes, plane imperiti fuerint: De præceptis & regulis Chriſti in conſilia converſis, & inde extincta monaſticæ vitæ prærogativa.

(16) Tom. II. Jen. 565. *Sermo de S. Antonio*, habitus Lichtenbergæ in feſto illius, cupiente id Electore Sax. & Præceptore ſodalitii Antoniani *D. Reiſſenbuſch*. Decerpſit ex Legenda Antonii id ſaltem, quod tradente Hieronymo in vita ejus c. 36. ſpiritualem lætitiam diſcipulis ſuis commendaverit; De hujus igitur cauſis & virtute verba facit. In fine juſtificationem per ſolam fidem proponit, ſed ita, ut bona opera nihilominus fieri debeant, & ex fide, quæ corda purificat, fluant.

(17) Tom. VIII. Alt. 903. *Sermo ad Johann.* XVI. 2. 3. 4. poſtridie Aſcenſionis Domini. Egregia monet de vera & intima cognitione Chriſti, diverſa a literali & hiſtorica.

(18) Tom. VIII. Alt. 891. Fragmentum *ſermonis ad 1. Tim. V. 21. 22.* in quo vota monaſtica de cœlibatu impugnat, qui ex dicto illo adſtrui ſolebant. Dicit autem ſua non multum intereſſe, quid admittat agatque Pontifex cum Clero & monachis ſuis, ſe enim curam illam dudum ex animo ejeciſſe, una cum ſpe emendationis & obſervata tyrannide Pontificia; ſed ut afflictis conſcientiis conſuleret, & veras conſolationes, quæ fruſtra in monachatu quærantur, oſtendat.

(19) Tom. VIII. Alt. 903. *Sermo Dom. Exaudi*, de perſecutione Apoſtolorum & aliorum piorum.

(20) Tom. VIII. Alt. 897. *Sermo Dom. XIII. poſt Trinit.* quæ tunc inciderat in feſtum exaltationis crucis ſive 14. Sept.

(21) Tom. VIII. Alt. 900. *Sermo in feſto D. Johannis Bapt.*

(22) Tom. VIII. Alt. 901. *Sermo in feſto Nativitatis Mariæ.*

(23) Tom. VIII. Alt. 905. *Sermo in feſto Aſcenſionis Domini.*

(24) Tom. VIII. Alt. 911. *Sermo in feſto Pentecoſtes.*

Quinque hi ſermones a n. 19. ad 23. inſerti ſunt Volumini Poſtill. Eccleſ. quod in plurimorum manibus verſatur.

Anno 1523.

1. *De* ſtatuto Leiſnicenſi, *ſive de* ærario Eccleſiaſtico. *I. CXXXVIII. 1. 2. Tom. II. Alt. 333.* Ordnung eines gemeinen Kaſtens.

2. *Epiſtola de ſtatuto illo dua ad Electorem Sax. I. CXXXIIX. Add. I. c. MS.*

3. *Formula Baptiſmi Germanica. I. CXXXV. 1. Tom. II. Alt. 324.* das Tauff-Büchlein verteutſcht.

4. *Libellus de* poteſtate ſeculari. *I. CXXVII. 4. & Add. II. a. Tom. II. Alt. 258.* von weltlicher Obrigkeit / wie weit man ihr Gehorſam ſchuldig ſey.

5. Præfatio in Epiſtolam ad Romanos. *I. CXXVII. Add. I. e. extat in Bibliis Lutheri Germanicis, Latina autem verſio anno 1523. excuſa. Tom. V. Witt. 96.*

6. *Epiſtola de aulæ Electoralis timore & cunctatione. I. CXLVII. 22. Lib. II. ep. p. 166. Germanice extat Tom. II. Alt. 365.*

7. *Libellus* contra calumniatores & falſarios edicti Cæſarei. *1523. I. CXLVIII. 1. Tom. II. Alt. 290. Tom. II. Witt. Lat. 387.*

8. *Epiſtola ad Electorem, qua libertatem ſcribendi defendit. I. CXLVIII. 2. partim ex MS. Tom. II. Alt. 348.*

9. Conſilium de defenſione religionis, *an armis fieri poſſit. I. CXLVIII. Add. a. ex Hortled. Tom. I. Lib. II. c. 1.*

10. *Epiſtola ad* Spalatinum. *I. CXLVIII. Add. b. Lib. II. ep. p. 111.*

11. *Epiſtola ad* Rigenſes & Livonos. *I. CXXXIX. 4. Lib. II. ep. p. 122. b.*

12. *Tractatus de egreſſu monialium* Nimpſchenſium. *I. CLIII. 1. Tom. II. Alt. 310.*

13. *Epiſtola alia de iis. I. CLIII. 1. Lib. II. ep. p. 131. 134.*

14. *It. de* Widerſtetenſibus. *I. CLIII. 1. Lib. II. ep. p. 139.*

15. *Variæ ad* Spalatinum. *I. CLIII. 2. & Add. I. b. Lib. II. ep. p. 111. 126. 131. 134. 140.*

16. *Ad Canonicos* Wittenberg. *de* abroganda Miſſa. *I. CLIII. 2. Tom. II. Alt. 355.* Ernſtliche Erinnerung an das Thum-Capitel zu Wittenberg.

17. *Excerpta ex concione contra eosdem. I. CLIII. Add. II. f. Tom. II. Alt. 356.*

18. *Epiſtola ad* Spalatinum *de* Münzero. *I. CXIIX. Add. b. Lib. II. ep. p. 41.*

19. *It. ad* Johannem El. Sax. *ibid. ex MS.*

20. *It. de Monachorum promiſcuo egreſſu ad* Spalatinum. *I. CXXIII. 5. Lib. II. ep. p. 139.*

21. *Libellus de adoratione Sacramenti corp. Chriſti, inſcriptus* Picardis *ſ.* Waldenſibus. *I. CLIV. 1. Tom. II. Alt. 299.* vom Anbeten des Sacraments des heiligen Leichnams Jeſu Chriſti.

22. *Epiſtola de iis. I. CLIV. 1. Lib. II. ep. p. 133.*

23. *Tractatus* de electione & ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ *ad Pragenſes Calixtinos. I. CLIV. 2. CLXXXIII. 1. Tom. II. Jen. 576. Germanice verſus a* Paulo Sperato *Tom. II. Alt. 496.* Eine Vermahnung / daß man von den Papiſten keine Weihe nehmen ſolle.

24. *Scriptum de* vocatione & remotione miniſtrorum Eccleſiæ. *I. CLIV. 3. Tom. II. Alt. 328.* Grund und Urſach aus der Schrifft / daß eine Chriſtliche Verſammlung oder Gemeine Recht und Macht habe alle Lehre zu urtheilen und Lehrer zu beruffen / ein- und abzuſetzen.

25. *De* ritu Eccleſiaſtico *brevis inſtructio. I. CLIV. 3. Tom. II. fol. 332.* von Ordnung des Gottesdienſts in der Gemeinde.

26. *Epiſtola ad* Carolum Ducem Sabaudiæ. *I. CLV. 1. Lib. II. ep. p. 156. b. Tom. II. Alt. 360. verſio Germanica.*

27. *Reſponſio ad* Georgium *Duc. Sax. de literis ad* Cronebergium. *I. CLV. 3. Tom. II. Alt. 257. Lib. II. ep. p. 112. 113. repetitur eadem tanquam noviter reperta, ſed per errorem. Tom. VIII. Alt. 964. a.*

28. *Litera ad Albertum Comitem Mansfeld. I. CLV. 3. Lib. II. ep. p. 134.*

Supplenda.

(1) Tom. II Alt. 274. & Tom. III. Alt. 770. (ubi per incuriam & omisso nomine Alberti Comitis repetitur, & annus 1517. adscribitur) Epistola ad Albertum Comitem Mansfeld. a quo amici cujusdam causa rogatus erat, ut demonstraret, an orthodoxa esset doctrina, quam proponeret, & publice confitenda & exercenda. Respondet igitur; doctrinæ veritatem ex hoc elucere, quod secundum Evangelium proponatur justificatio per fidem, usus Sacramentorum & sanctimonia vitæ sive bona opera, sequi vero inde, Papæ doctrinam & disciplinam, speciatim vitam monasticam rejici debere, fidei quippe contrariam. (2) Publicam confessionem & speciatim per usum Sacramenti sub utraque necessariam esse evincit ex dictis Christi Marc. VIII. 38. Luc. IX. 26. Rom X 9. contrarium qui faciant, Priscillanorum hæreticorum simulationes imitari.

(2) Tom II. Alt. 277. *Sermo Dom. I. post Epiphan.* ad Luc. II. 42. & sqq. Ostendit exemplo Mariæ piis omnibus vicissitudinem gaudii & afflictionum subeundam esse, & Christum in templo, i. e. tantum in verbo suo quærendum esse. Rejicit ergo triplicem theologiam Pontificiam, sive quæ statuuntur ex dogmate scholastico seu Aristotelico, quod Thomas Aquinas mirum in modum commendaverit, item ex Conciliorum & Patrum autoritate. Verbum autem Dei veluti fascias esse ait, in quibus pastores Christum quærere jussi sunt, non in sinu hominis, ne matris quidem.

(3) Tom. II. Alt. 282. *Epistola ad Johannem a Planiz*, Legatum tunc in Comitiis, a quo monitus fuerat, de stylo asperiori literarum ad *Georgium* Ducem Sax. datarum. Scribit autem se lenius egisse cum Georgio quam cum Papa, Episcopis & Rege Angliæ, nunc tempus esse, ut Magnates præter consuetudinem severe reprehendantur, & fore, ut in tempore consilium Dei intelligatur. Dein, si quos doctrina sua, & quæ scribat, offendat, liberum illis esse, ut ea spernant, se Deo rationem de scriptis dictisque suis redditurum esse.

(4) Tom. II. Alt. 343. Epistola de *Erasmo* & *Mosellano*, quem totum Erasmianum, sed nihilominus charum sibi esse dicit, versa est ex epistola Latina, quæ Lib. II. inter epistolas hujus anni extat.

(5) Tom. II. Alt. fol. 344. Brevem formulam indulgentiarum proponit, quam Christus publicat ex Matth. VI. 14. addit tamen, se non rejicere indulgentias Romanas, sed suo relinquere pretio.

(6) Tom II. Alt. 350. Epistola ad *Janum a Schleiniz*. Improbat prohibitionem matrimonii ex causa cognationis spiritualis, parum metuere se dicens iras Pontificis, qui tunc erat Adrianus. Hunc vocat *Magistrum nostrum* scholæ Lovaniensis, in qua tales asini cornentur, qui leges hominum divinis pares æstiment, dein pretio accepto relaxent, tanto forte nunc majori, ut damnum sublata indulgentiarum nundinatione resarciant.

(7) Tom II. 361. Testimonium legitimorum natalium pro *Georgio Morgenstern*, monacho Augustiniano, sodali suo, qui in patria documentum tale a Magistratu impetrare non poterat, exuebat enim cucullum, & in sudore vultus, ut scribit, panem suum jam quærere volebat.

(8) Tom. II. Alt. 368. Epistola ad *Leonhardum Puchlerum*, Halensem, in qua statuit, adorationem externam Sacramenti pro ritu indifferenti habendam esse, neque enim adorandi causa, sed ad fidem confirmandam institutum esse Sacramentum. Interim Christum, licet Marc. X. 45. profiteatur, se non venisse (in statu illo suo) ut ministraretur ei, passum tamen esse, sese adorari.

(9) Tom. II. Alt 369. Literæ ad monialem quandam nobilem, quæ plebejo nubere volebat. In his sententiam quidem liquide non aperit ob sufficientis informationis defectum, improbari tamen a se non dicit matrimonium ob conditionis differentiam.

(10) Tom. II. Alt. 491. Epistola ad *Fridericum El. Sax.* in qua suppliciter quidem, sed & satis rigide alimenta pro quodam, qui decreto Principis facultatibus mulctatus fuerat, poscit. Scribit enim, injuriam forte factam esse homini. Nullum enim esse Principatum, in quo non contra jus aliquando procedatur; deinde se ipsum mendicaturum pro homine aut aliquid rapturum esse, ex thesauris sacris, (innuit veluti per jocum, vasa reliquiarum, vasa pretiosa in templo Wittenbergensi,) quo succurratur egeno illi, ne fame pereat.

(11. 12.) Tom. VIII. Alt. fol. 926. 937. *Sermones* in festo Pentecostes & Dom. V. post Trinitatis, Extant in volumine recentiori Postill. Eccles.

(13. 14. 15. 16. 17.) Tom. VIII. Alt. fol. 913. *Sermo Dom. Miser. Domini* 918 *Dom. Cantate.* 920. *festo Ascensionis.* 931. *Dom. IV post Trinitatis.* 940 *Dom. VIII. post Trinit.* Extant omnes in veteri postillarum editione 1532. Essent non pauca, quia editio illa rarissime invenitur, quæ ex his sermonibus referri potuissent. Sed unum atque alterum saltem notabimus. Ad verba Christi Marc. XVI 17. dissentit ab iis, qui dicunt, donum miraculorum hodie penitus cessasse, nec eo opus esse post plantatam jam Ecclesiam, putat enim facultatem hanc etiam nunc dari Christianis, quatenus id exigat honor divinus, sed caveri debere a præsumtione & tentatione Dei, vid. fol. 910. & 924. Verba; *omni creaturæ*, d. Marc. XVI. 15. de omni loco & de publica prædicatione intelligit, non vero quod hominibus solum prædicandum esse indicetur, quia scil. id per se liquidum est, fol. 921. De limbo patrum indifferenter adhuc sentit fol. 925. Verba tamen Psalm. LXVIII. *cepisti captivitatem*, eo non trahit, sed explicat de statu cujuslibet hominis non conversi, captivi Satanæ & peccati.

(18.) Tom. VIII. Alt. 944. Versio Germanica epistolæ Latinæ MS. ad D. Pontanum, contra opinionem D. Straussii de usuris.

Anno

INDEX III.

Anno 1524.

Supplenda.

promulgatione legis Moysaicæ, ut ea solos Judæos obliget, & quod gentes ad Decalogum & moralia præcepta ablegentur, quatenus ea comprehenduntur lege naturæ, a Deo hominibus absque solennitate promulgationis implantatæ. Post hæc promissiones de Christo a Moyse traditas commendat, distinguendas ab iis, quæ populum Judaicum speciatim attinent, & fere temporalia respiciunt. Denique exempla fidei & virtutum observanda esse monet ex lectione Moysaica.

(3) Tom. II. Alt. fol. 493. Pars præfationis versionis Germanicæ Novi Testamenti, omissa in recentioribus editionibus. Indicavit autem Lutherus, quos libros Novi Testamenti præ cæteris frequentius & quotidie fere legendos censeat, nempe *Evangelium S. Johannis, epistolas Pauli*, inprimis quam *ad Romanos* scripsit, & *priorem Petri*. In his ait, non reperies multa miracula Christi describi, sed solide ac magistraliter deductum, (gar meisterlich ausgestrichen.) quomodo fides in Christum vincat mortem, diabolum & infernum, & det vitam, justitiam & salutem. Hunc esse Evangelii proximum & principalem scopum. Si autem carendum esset vel relatione de miraculis Christi, vel concionibus ejus; malle se carere dicit priori, & hanc ob causam prærogativam assignat libris, quos dixi, quia non tam facta quam verba & doctrinam Christi tractent.

(4) Tom. II. Alt. 493. Brevis explicatio seu paraphrasis cap. I. Joh. a. v. 29. ad 34.

(5) Tom. II. Altenb. fol. 755. Epistola ad *Rigenses & omnes Christianos in Livonia*. Queritur vehementer de Germanis ad Evangelium conversis, qui ad ministeria alenda, & scholas constituendas jam nihil fere contribuere velint, cum antea greges otiosorum Clericorum aluerint, & adhuc hodie non parum ex facultatibus suis per luxum prodigant. Addit explicationem Psal. CXXVII. in qua commendat piam œconomiam & educationem juventutis.

(6) Tom. II. Altenb. fol. 777. Epistola sive tractatus ad *Johannem Schottum*, equitem Francum, de conjugio, ad quod parentes liberos cogere non debeant, neque his fas sit absque parentum consensu matrimonium contrahere.

(7) Tom. II. Altenb. fol. 795. Fragmentum dissertationis *de usu & professione libertatis Christianæ*. Docet infirmis sese accommodare debere Christianos in ritibus indifferentibus, v. g. in jejuniis; sed proterve contradicentibus cedendum non esse. Sub finem ait: *Æquum est & decet sæpe jejunare, ut corpus dometur & subjugetur, corpus enim repletum neque ad conciones, neque ad preces, neque ad studia, nec quicquam bene agendum idoneum est, & sic verbum Dei inhærere non potest. Jejunandum autem non est, ut tanquam per bonum opus mereri aliquid jejunio velimus, sed tantum ut apti & alacres simus ad tractandum verbum Dei, & ut corpus contineatur & frenetur, Spiritus vero spatium habeat; alias jejunio non esset opus. Non refert itaque carnes an pisces edas; nec quot diebus jejunes, si enim Christum imitari velles, quadraginta diebus, omni cibo abstinendum tibi esset.*

(8) Tom. II Alt. 803. Literæ ad *Bartholomæum a Starenberg*, Baronem Austriacum, rogatu Magistri cujusdam *Wernsdorffii* scriptæ, quibus eum uxoris mortem lugentem, consolatur, & a vigiliarum, aliisque ejusmodi exequiarum superstitionibus dehortatur, & veritatem verbi divini commendat.

(9) Tom. II. Alt. 839. Epistola ad *Canonicos Wittenberg*, quæ fol. 849. & 851. leguntur, pertinent ad acta, quæ de illorum reformatione I. CLIII. Add. II. enarrata sunt.

(10) Tom. II. Alt. 849. Responsum Lutheri in causa matrimoniali, & quod deficiente consensu unius contrahentium sponsalia nulla sint.

(11) Tom. II. Alt. 855. *Præfatio* & *notæ* in *Bullas Clementis VII.* quibus Jubilæum anno 1525. intimavit. Acerrime exagitat auri cupiditatem, portam auream, annatas, pallia, putidam indulgentiarum ab omnibus jam explosarum venditationem, vel fabulæ de purgatorio renovationem, verumque gratiæ & remissionis peccatorum fontem in fide in CHRISTUM ostendit.

(12) Tom. II. Alt. 863. Epistolium, quo negat abstinendum alicui matrimonio esse, ob id solum, ut facultates suas ad collaterales transmittat.

(13) Tom. II. Alt. 863. Testimonium, cuidam *Joh. Aureo*, qui sacerdos fuerat, datum, quod legitimum cum uxore conjugium habeat. Testes nominat *Johannem Schnitter* Islebiensem; *Andream Crappium*, Baccalaureum juris; *Jacobum Præpositi*, Lic. Theol. & *Eberhardum Brisgerum*, Priorem Augustinianorum Wittenberg.

(14) Lutheri epistola, qua *Ottoni Brunfelsio* d. 17. Octobris 1524. gratias agit, pro dedicatis sibi tractatibus quibusdam Johan. Hussi. Hanc, quia brevis est, totam subjungo. Gratia & pax in Christo. Nihil est, quod suspiceris, mi Otto, me non agnoscere officium & affectum tuum in me. Agnosco sane, sed impar sum & indignus tali cultura. Gaudeo *Johannem Huss*, vere martyrem Christi, nostro seculo prodire, hoc est, recte canonisari, etiamsi rumpantur Papistæ. Utinam dignum sit nomen meum, cui talis vir dedicetur, & sub quo publicetur: tantum a laude mei abstineri velim. Alioqui, Dei gratia, eo progressus, jam longo maledictorum audiendorum usu, ut juxta æstimem benedictiones & maledictiones in hac vita. Accingere ergo, &, quod re iquum est, sub solem proferto; ut plene canonisetur. Nihil habeo, quod morer eam. Unum te oro, ut me Christo precibus commendes, mi erum hominem; in quo plurimum vale. Plura scribere non licuit, sic distrahor. Vale & saluta omnes nostros.

Anno 1525.

1. *Epistola ad* Gotscalcum Croppium. *I. CXLVIII. b. Lib. II. ep. p. 298.*
2. Adhortatio ad rusticos, *ut a malo proposito desistant. II. III. 3. Tom. III. Alt. 109.* Vermahnung an die Bauerschafft von ihrem bösen Fürnehmen abzustehen.
3. Præfatio in transactionem *cum rusticis Suevis. II. III. 4. Tom. III. Alt. 106.*
4. Admonitio de pace ad rusticos, *& refutatio XII. Articulorum. II. III. 8. & seqq. Tom. III. Alt. 114. 122.*
5. Contra rusticos rapaces & homicidas, wider die raubischen und mörderischen Bauern. *II. III. 14. Tom. III. Alt. 124.*
6. *Epistola* apologetica *pro illo scripto. II. III. 15. Tom. III. Alt. 141.*
7. *Epistolæ de motu rustico. II. III. 15. Lib. II. ep. p. 280. 289. 290.*
8. *Aliæ in eadem causa. II. IV. 4. Tom. II. Altenb. 886. 903.*
9. *Præfatio in narrationem de* Münzero. *II. IV. 6. Tom. III. Alt. 135.*
10. *Epistola ad* Amsdorffium. *II. IV. 13. Lib. II. epist. p. 295.*
11. *Literæ ad* Ruhelium *de matrimonio suo. II. V. 2. 4. Tom. III. Alt. fol. 140. 150.*
12. *It. ad* Stifelium, Spalatinum, Linccium, Amsdorffium, *II. V. 3. 4. 5. 6. 7. Lib. II. ep. p. 294. a. & b. & seqq. Tom. III. Alt. 150.*
13. *Ad* Ruhelium *II. V. 9. Tom. II. Alt. 886.*
14. *Ad* Stifelium. *II. V. 13. Lib. II. ep. p 300.*
15. *Epistola ad* Albertum Cardin. Mogunt. *qua ei nuptias suadet. II. VI. 1. 4. Tom. III. Alt. 139.*
16. *Ad* Ruhelium *in illa causa. II. VI 3. Tom. III. Altenb. 138.*
17. *Ad* Albertum Cardin. *intercessio pro rustico. II. VI. 3. Tom. III Alt. 155.*
18. *Epistola ad* D. Wolffgangum Reissenbusch, *cui nuptias suadet. II. VI. 7. Lib. II. ep. 274. Tom. III. Altenb. 100.*
19. *Epistola ad* Johannem Elector. Saxon. *& filium, de conservanda Academia & reformatione Canonicorum Wittenberg. II. VII. 3. ex MS.*
20. *Literæ ad* Hausmannum *&* Langum. *II. VII. 3. Lib. II. ep. p. 301.*
21. *Aliæ ad* Electorem Sax. *de* visitatione Academiæ. *II. VII 4. ex MS.*

22. *Aliæ*

 32. Jn

32. In JEsus Nahmen heben wir an. De via salutis.

33. Ein neues Lied wir heben an. De duobus martyribus Bruxellensibus autor nominatur Lutherus. Hoc canticum in quibusdam recentioribus etiam libris repetitur.

34. Mein Zung erkling ꝛc. Est versio hymni; pange lingua gloriosi.

35. O ein armer Hauff HErr thut klagen. Est paraphrasis psalmi decimi contra Antichristum.

36. Frölich wolln wir Alleluja singen. Est paraphrasis Psalmi cxvii.

37. O JEsu zart / Göttlicher Art. Stehet dabey / es sey verändert und Christlich corrigirt aus dem Liede / Maria zart; ist aber im andern Gesetz unverbessert gelassen worden / daß die Altväter in der Vorhölle Jahr und Tag mit Wehe und Klage umfangen gewesen / und um den Meßiam Gott angeruffen.

38. Christum vom Himmel ruff ich an. Wird auch gemeldet / es sey verändert und corrigirt aus dem Liede; die Frau vom Himmel.

Supplenda.

(1) Tom. II. Alt. 867. *Sermo de conjugio.* In hoc extollit (1) præstantiam hujus status, ex institutione divina, ex loco Paradisi, exemplo Patriarcharum, Lege divina, qua munitus est, immunitate neonymphis data Deut. XX. 7. nativitate Christi ex desponsata; primo miraculo in nuptiis facto; dono sponsis dato. (2) Monet, quomodo contrahi debeat conjugium in fide, præmissis precibus, & adhibito consensu parentum. (3) Officia mariti & uxoris explicat, & solatia adversus dolores puerperii affert. (4) Probat, indissolubile esse matrimonium, excepto casu adulterii, non vero morbi, etiam sontici.

(2) Tom. II. Alt. 876. Admonitio, editioni partis secundæ postillarum a festo Epiphaniæ ad Paschatos præfixa, in qua vehementer queritur, subreptum esse ex typographia Wittenberg. priorum sex concionum exemplum, & alibi excusum tam mendose, ut ipse suum non agnoscat laborem; quosdam etiam falso nomen Wittenberg. libris præponere, cum tamen alibi imprimantur. Hac occasione agnosci a se negat scripta, quæ ipse non reviderit, sæpe enim se emendare in revisione illa, quæ in autographo erraverit. Ideo merito primas editiones librorum Lutheri, quos ipse Wittenbergæ excudi curavit & revidit, pro avthenticis habendos esse monet, autor eruditissimus catalogi Illustriss. Bibliothecæ Rudolphéæ Brunsuic. Tom. I. p. 24.

(3) Tom. II. Alt. 878. *Sermo in festo Paschatos* ad dictum Gen. III. 15. in quo promissio de victoria Christi resurrectione sua contra Satanam obtenta egregie explicatur.

(4) Tom. II. Alt. 882. *Sermo* ad 1. Tim. I. 18. 19. 20. & ad Cap. II. 1. in quo de legitimo & salutari studio Scripturæ, & qua modestia id tractandum, & a temeritate fanatica abstinendum sit, commentatur. Hortatur inde Imperatorem, ut Principes in disciplina contineat; hos, ut nobilitatem & magistratus oppidanos regant; & superiores in inferiores severam exerceant visitationem & censuram, sollen ihnen auff die Köpffe greiffen und visitiren / daß ihnen die Schwarte krache / laxata enim, de qua queritur, disciplina, & per socordiam magistratuum maximum damnum reip. inferri, & periculum esse, ne seditiones & confusiones omnium ordinum sequantur. Regimine autem recte constituto & debita cum severitate executioni dato etiā Evangelii doctrinam promoveri. Wenn das Schwerdt strenge gienge / und ein recht Regiment wäre / so wäre gut Evangelium predigen.

(5) Tom. III. Alt. 109. Intercessio publica pro Carolostadio, ut ei, de rustici tumultus societate sese excusanti, fides habeatur, sperat etiam fore, ut errorem suum in articulo de Sacramento corrigat. Pertinet ad ea, quæ dicta sunt Lib. II. §. IX. Add. b.

(6) Tom. II. Alt. 903. Epistola familiaris & jocosa ad Leonhardum Koppe, quam omitti satius fuisset.

(7) Tom. II. Alt. 903. Epistola ad Rigenses, Revalienses, & Dorpatenses In Livonia, in qua iis de doctrina Evangelica gratulatur, & de fide & charitate egregie illos instituit & cohortatur.

(8) Tom. II. Alt. 903. Epistola ad *Senatum & Pastorem* in Dommitsch / qua secundas nuptias licitas esse dicit, si conjux prior alterum notorie deseruerit.

(9) Tom. VIII. Alt. 969. Epistola ad *Senatum Plavienſem*, quod deserta monasteria a magistratu curari debeant, salvis juribus patronorum, cum quibus transigendum esse suadet.

(10) Tom. VIII. Alt. 964. Sermo Dom. XIX. post Trinit. qui in editione 1532. integer, in recentiori vero, tantum ultima pars ejus invenitur. In prioribus autem duabus docet de regni Christi natura, & de fide salvifica contra operum merita, fanaticorum jactatas inspirationes & tumultus iconomachicos, præsertim quod non contenti sunt, (Münzerus puta & similes,) quod imagines sustulerint, sed & alios, ut idem statim & vi publica faciant, sub pœna damnationis obligatos esse contendant. *Permitterem* iis, ait fol. 965. ut *imagines omnes confringerent & abolerent, campanas & calices conflarent, modo conscientias aliorum non urgerent, aut meritum inde quærerent, nullum vero tempus infirmioribus concedere velint. Fanatici statim ad opera erumpunt, altiorem* Spiritum *affectant, de fide & charitate parum solliciti. Hoc non est ex Spiritu S. Christus ante omnia consulit conscientiis, si hæ recte se habent, per fidem in Deum, tum ad opera charitatis incitat & ducit, extollit ante omnia fidem & opera reprimit.* It. fol. 966. *Remissio peccatorum non sunt nisi duo vocabula, sed in iis consistit totum regnum Christi. Hoc est Evangelium, quod sequitur fides.* Et fol. 967. *Post fidem in opera erumpendum est, præcedit illa, hæc sequuntur, vivimus postea non nobis, sed aliis, maledictus sit, totaque vita ejus pereat, qui sibi vivit.* Alia non minus emphatica prætereo.

Anno 1526.

1. Formula Baptismi correctior. *I. CXXXV. 3. Tom. II. Alt.* 327. Das Tauffbüchlein auffs neue zugerichtet. *Collocatus autem est libellus in annum 1523. cum pertineat ad 1526. ut in margine agnoscitur.*
2. *Litera ad* Johannem Fridericum *Duc. Sax. quibus adjungitur apologia pro matrimonio Cleri. II. V. 14. Tom. III. Alt. 475.*
3. Præfatio in Syngramma Suevicum *contra Zuinglium. II. XI. 3. II. XIX. 4. Tom. III. Alt. 473.*
4. *Litera ad* Hausmannum *de Georgio Duce. II. XIII. 13. Lib. II. ep. p. 310. b.*
5. *Epistola ad* Electorem Sax. *de reformatione in Comitatibus* Schwarzburg. *&* Ruthen. *II. XVI. 2. ex MS.*
6. *It. de* Canonicis Altenburg. *II. XVI. 2. Tom. III. Alt. 339.*
7. *Alia de* salariis pastorum *& pro Carolostadio in provincia tolerando. II. XVI. 3. Tom. III. Alt. 519.*
8. *Consultatio ad* Pontanum *de jure defensionis pro religione. II. XVIII. 3. Tom. III. Alt. 521. Notandum: eam, qua fol. 522. refertur, & ejusdem argumenti est, pertinere ad annum 1528. ut ostendit MS. infra, inter scripta anni illius allegatum.*
9. *Epistola ad Electorem* de Lubecensibus. *II. XIIX. Add. a. ex MS.*
10. *Præfatio & epilogus* in icones Pontificis & Cleri. *II. XIX. 1. Tom. III. Alt. 380. 415.*
11. *Epistola ad* Amsdorffium. *II. XIX. 3. Lib. II. ep. p. 321.*
12. *Alia. II. XIX. 4. 5. 6. Lib. II. ep. p. 315. 317. 319. 320.*
13. *Epistola ad* Reutlingenses *in causa sacramentaria. II. XIX. 4. Tom. III. Alt. 332.*
14. Sermo de Sacramento & præsentia reali. *II. XIX. 7. Tom. III. Alt. 340.*
15. *Repetita & aucta editio de* ritu Ecclesiæ Wittenberg. *II. XX. 1. Tom. III. Alt. 461.*
16. Explicatio Prophetiæ Jonæ. *II. XXI. 1. Tom. III. Alt. 351.*
17. Explicatio prophetiæ Habacuc. *II. XXI. 5. Tom. III. Alt. 418.*
18. Explicatio quatuor Psalmorum. *XXXVII. LXII. XCIV. CIX. II. XXII. 1. Tom. III. Alt. 487.*
19. Sermo ad Esa. *ix. II. XXIII. 1. Tom. III. Alt. 304.*

20. Sermo

Supplenda.

(1) Tom. III. Alt. 327. Fragmentum *consilii* a Spalatino Germanice versi, quomodo motui plebis, per abrogationem cultus Missatici & vocationem piorum concionatorum occurri possit.

(2) Tom. III. Alt. 515. 516. Epistola, qua *matrimonium* amici *contra leges Pontificias* suo consilio initium defendit, & jus dispensandi, quod accepta pecunia Papæ sibi arrogant, falsè perstringit. De se scribit: *Ego quoque monialem duxi, quod faciendi non magnas causas habui, feci autem, ut diabolo & squamis ejus proceribus q. & Episcopis ægre fieret, qui in furorem incidere volunt, quod Clerici conjuges ducant.*

(3) Tom. III. Alt. 517. a. Epistola ad *D. Rubelium*, qua vehementer improbat, quod aliquis, qui Evangelicam doctrinam sectari volebat, ritum confirmationis admisisset, *Serio, ait, agitur ludum non fert verbum Dei* Lieber Herr / laßt uns hie nicht schimpffen; Jsts Ernst um Gottes Wort / so leidets des Gauckelns nicht.

(4) Ibid. Brevi epistola Pastorem Bornensem *Georgium Maurum*, qui Emseri versionem biblicam refellere volebat, monet, ut intra terminos refutationis suæ sisteret, & aliena omitteret. Defendit versionem suam Joh VI. 19. ubi *facit legem*, interpretatus est, *observat legem*; cum Emserus vertisset, *scribit aut condidit legem*, repugnante contextu & sensu.

(5) Ibid. Mansfeldensi cuidam *de esu carnis* seu rituum usu indifferenti consultanti respondet, charitatis regulam sequendam & infirmioribus gratificandum esse, nisi subsit dolus & sub prætextu indifferentiæ vetus reducatur superstitio & servitus, id quod *de Casimiri Marchionis Brandenburg.* constitutionibus, de quibus in loco dictum est, conjectat.

(6) Ibid Formula brevis *admonitionis ad communicantes.*

(7) Tom. III. Alt 518. b. Epistola ad Pastorem in *casu desertionis*; respondet, licere deserto aliam ducere, sed cum causæ cognitione.

(8) Ibid. Alia ad Pastorem Colditiensem in casu *sponsalitiorum*, qua resiliente sponsa, &, ut videtur, inique obstante Magistratu, sponso novum matrimonium permittendum esse censet.

Anno 1527.

Supplenda.

(1) Tom. III. Alt. 679. *Sermo Dom. V. post Epiphan.* ad Matth. XI. 25. ad 30. Refert fol. 681 inter parvulos a Christo laudatos concionatores pios & simplices, minime loquaces, præcipites & sapientiæ opinione inflatos. Ein rechter Prediger (ad marginem extat ein Kor-Prediger) eligendus præ omnibus, ist nicht also schwätzig / bricht nicht herein / als sey er voller Kunst / stellet sich / als könne er nichts etc. non simulat modo, sed & ita de se judicat, quod nihil sciat. Simplicitatem vero illam & modestiam, non ponit in ignorantia, aut qui quoad externa contemptim & viliter vivant, mendicum enim esse barbatum & pannosum, qui majorem superbiam intus foveat quam decem Principes, aureis torquibus ornatos, sed requirit veram mentis humilitatem, quæ sola nititur gratia Dei. Acriter hic taxat curiositatem in articulis fidei, & speciatim sententiam Helveticam de Sacramento, item novos, qui tunc gliscere cœperant Arianos, pura ex lectione petenda sunt, est enim concio hæc inter optimas referenda.

(2) Tom. III. Alt. 749. *Sermo in festo Ascensionis* ad dictum Psal. LXVIII. 8. 9. 10. plenus est egregiis solatiis: Gaudium, quod pii ex illis capiunt, eximie describit, ita tamen ut fol. 754. dicat, non posse illud neque explicari satis, neque in hac vita corde concipi, differendum esse in futuram, fore alias, ut homines præ gaudio illo morerentur, defectum tamen gaudii & fiduciæ omnem, indicium esse non negat, quod fides deficiat.

(3) Tom. VIII. Alt. 970. *Epistola ad Hausmannum*, qua reprehendit concionatorem, qui publice in magistratum invehebatur, ita ut per-

INDEX III.

14. Con-

Supplenda.

(1) Tom. IV. Alt. fol. 704. Epistola ad *Josephum Levinum Metsch*, splendidum in Voigtlandia equitem, in qua contraria religionis exercitia publica tolerari uno loco debere negat, suadetque, ut, etsi ad fidem nemo cogendus sit, cogi tamen possit, ut conciones adeat, & externæ saltem disciplinæ sive decalogo se submittat, dicit autem pastori Metschii (in oppidulo *Mila*) se ista pluribus esse explicaturum. Sane hæc sententia non caret difficultatibus, & ex aliis Lutheri scriptis interpretanda est.

(2) Tom. IV Alt. 704. Epistola ad *Hausmannum* Pastorem Zviccaviensem; fragmentum est ex Latino versum, in qua significat, se de bello Turcico concionem edere, quam etiam ex d. Tom. IV. 565. retulimus.

Nota dum est confessionem fidei, quæ hoc Tom. IV. Fol 520. ad 524. refertur, & de qua in margine dicitur, quod in veteri editione excusa non sit, nihil aliud esse, quam partem tertiam confessionis magnæ Tom. III Alt. relatæ. Vid. ibid. fol. 888. & sqq. itaque per errorem bis Tom. III. & IV. Alt. hæc pars confessionis inserta est.

Anno 1530.

45. Epi-

INDEX III.

INDEX III.

(3) Præ-

INDEX III.

(t) *Præfatio* in libellum Roberti Barnesii de vitis Pontificum, supra in scholiis ad Ind. I sub titulo Barnesii ex Biblioth. Rudolfi Brunsuic. relatum. Hæc, quia liber ipse rarissime invenitur, & pro deperdito haberi potest, ob rerum & verborum pondera hic integra inserenda visa est.

Eusebius Cæsariensis Episcopus, admirabilis vir (Sic S. Hieronymus eum honorat) præfatur in libris Ecclesiasticæ historiæ (verecunde incusans antecessorum ignaviam, vel temporum injuriam) sese cogi sine vestigiis novum iter ingredi, & vix raras stellas habere, quas sequatur, in tanto opere scribendo. Quod si illo tempore, veteri Ecclesiæ proximo, vel sub veteri Ecclesia, currente, adeo sunt neglectæ res Ecclesiasticæ, ab illis viris (quos & spiritu & studio nobis posteris, longe & merito præferimus) vel per iniquitatem temporis perditæ, ut nullam post se reliquerint historiam, quæ tanto viro digna vel satis esse videretur. Quanto oportet nos æquiore animo ferre nostrorum antecessorum negligentiam, qui post illos, seculo multo corruptiore & statu rerum turbatiore vixerunt, deinde & studio & spiritu fortasse haud paulum inferiore, ut & nos vix laceram quædam historiarum fragmenta verius quam historias habeamus. Sed credo Deum omnipotentem (ut fides nostra confitetur) sine cujus consilio & nutu hoc (sicut omnia alia) fieri non potuit. An vero factum id sit consilio furentis vel miserentis majestatis, meum non sit judicare. Miserentis mallem, furentis suspicor. Misericordiæ fuit olim, quod Judæis Mosen ita abscondit, ut nullus homo ejus sepulchrum invenerit unquam, ne templum & altare cultumque in loco illo gens idololatriæ dedita erigeret, & tandem Mosen pro Deo coleret. Licet hac salutari misericordia parum promotum sit, dum loco unius Mosis tot idola nihilominus invenerint impii homines, quot colles, arbores, fontes, plateas haberent: Ita potest misericordia videri, quod historiam multorum patrum veteris Ecclesiæ DEUS voluerit intercidere, ita ut nec ipsorum Apostolorum (excepto libro Actorum) res gestas ullius historiæ certa veritate cognitas habeamus, ne scilicet Christo neglecto, magnitudinem Sanctorum nimis admiraremur & adoraremus. Quanquam nec eo consilio quidquam est profectum, cum Satana diversum suadente, tot sanctorum cultus invenerimus, ut tandem & confictis Sanctis, puta Catharinæ, Barbaræ, Margarethæ, Ursulæ; Item Christophoro, Georgio, Rochio & multis aliis idolis serviverimus, ita perdite, ut Judæorum idololatrias magnifice justificaverimus, Deo scilicet ita misericordiam contemptam in furorem sævientem (nostris meritis) vertente, sicut Paulus prædixit, *Mittet* (inquit) *illis efficaciam erroris, ut credant iniquitati, qui noluerunt credere veritati.* Sic paulatim abolito Christo, abolitis testibus ejus fidelibus, nempe Apostolis, Martyribus, Confessoribus, successit tandem novus Christus, hoc est Anti-Christus, in templo Dei cum novis sanctis suis, docuitque nos adorare eos, quos nec patres nostri neque ipse, neque nos cognovimus. Et has delitias novæ divinitatis ornavit indulgentiis, templis, auro, argento, gemmis, omnibusque pretiosis rebus, distribuitque terras gratuito cultoribus, sicut in Daniele spiritus prophetaverat. Accessit ad cumulum iræ, quod nec hujus quidem monstri, & novi Christi dignam & justam historiam habeamus, ita suis adulatoribus turpitudines ejus honorantibus, & falsas virtutes ejus jactantibus, claves pictas & fulmen fictum terribiliter exaltantibus; ideo non solum vicarius Dei in terris, sed & mixtus ex Deo & homine velut turpe analogum Christi veri, terrenus quidam Deus, nobis ostentaretur, tamen supra omnem Deum (ut Paulus ait) formidabilis & adorandus. *Homo* scil. *peccati*, & *filius perditionis* vermis & putredo (ea est ira super ingratum mundum) ausus est in locum majestatis se levare, quod forte non fuisset factum, aut non tam feliciter factum, si res ejus gestæ fuissent aliquot fidelibus historicis proprie & vere traditæ, per quas pii homines fuissent admoniti, licet non defuisse videantur, qui istius Satanicæ cloacæ teterrimum odorem utcunque olfecerint, sed corpus ipsum invenire & producere in lucem non potuerunt. Dicitur de Turca, quam fœde prophanet sacra loca & reliquias Sanctorum. Res plane indigna, & quæ omnes pios merito moveat ad adorandum & agendum contra istum furiosum angelum Abyssi, sed si compares huic malo Sanctissimam Sanctitatem Vicarii Dei in terris, videbis Turcam velut hostem Ecclesiæ, corporaliter omnia prophanare & vastare, libertate tamen interim credendi in Christum cuilibet permissa. At amicus iste, imo sponsus novus Ecclesiæ, corporaliter quidem omnia sanctificat, & horribilibus edictis munit, verum credendi in Christum libertatem adeo non permittit, ut ne hiscere de eo uiquam tutum esse sinat. Turca Reges & Dominos terræ vi & armis opprimit (ut dicunt) jure belli; At noster novus Deus & novus Christus, fraude, dolo, mendaciis & omnibus pessimis artibus optimos quosque semper Reges & Principes vexavit & oppressit, donec eos coegit, pedes suos sanctissimos beatis osculis adorare, & colla calcanda supponere, *Maledicant tibi, qui maledicunt diei, & parati sunt suscitare Leviathan.* Amen. Hæc dolore animi simul & indignatione effutire volui, ut si quas possem pias & Christi amantes animas accendere, ad investigandum (quicquid investigari potest) de Papali tyrannide & sacro-sancta Ecclesia ejusdem. Nam dubium nullum est iis, quos Spiritus Christi tangit, quin sciant, sese offerre summum & gratissimum laudis sacrificium, quicquid contra hanc cruentam, blasphemam & sacrilegam meretricem diaboli legere, dicere, scribere possunt. Ego sane, in principio non valde gnarus nec peritus historiarum, a priori (ut dicitur) invasi papatum, hoc est, ex scripturis sanctis. Nun mirifice gaudeo, alios idem facere a posteriori, hoc est, ex historiis. Et plane mihi triumphare videor, cum luce apparente, historias cum scripturis consentire intelligo. Nam quod ego S. Paulo & Daniele Magistris didici & docui, Papam esse illum adversarium Dei & omnium, hoc mihi historiæ clamantes, re ipsa velut digito monstrant, & non genus neque speciem, sed ipsum individuum, non vagum (ut vocant) ostendunt. Dominus noster Jesus Christus, qui cœpit ore Spiritus sui occidere illum adversarium suum, velit prope diem etiam illustratione adventus sui destruere eundem. Amen dicat, & omnibus votis optet & in hoc quicquid poterit, faciat quisquis diligit regnum Dei & salutem suam.

Haud ego fallor.

Anno 1537.

INDEX III.

17. Præfatio *in explicationes epistolarum Dominicalium* Antonii Corvini. *III. LXI. 10. Tom. VI. Alt. 1073.*

18. *It. ad libellum* Joh. Kymei *de Concilio Gangrensi. III. LXI. 10. Tom. VI. Alt. 1098.*

19. *In epistolas quasdam* Husſi *cum epilogo. III. LXI. 10. Tom. VI. Alt. 1099.*

20. *In tractatum quendam* Moibani. *III. LXI. 10. Tom. VI. Alt. 1109.*

21. *Epistola consolatoria ad ægrotum. III. LXI. 11. Tom. VI. 1099.*

22. *Ad Pastorem* Grimmensem *de ferenda ministrorum Ecclesiæ mediocritate. III. LXI. 11. Tom. VI. Alt. 1110.*

23. *Ad* Præceptorem Lichtenbergensem *de monacho quodam liberaliter tractando. III. LXI. 11. Tom. VI. Alt. 1110.*

24. *Ad Judæum, cur pro eo apud Principem non intercedat. III. LXI. 11. Tom. VI. Alt. 1114.*

25. *Ad* Senatum Isnensem, *de concordia in causa Sacramentaria sub finem ann. 1536. scripta. III. LXI. 12. Tom. VI. Alt. 1115.*

26. *Ad magistratus civitatum* Helvetiarum *in eadem causa. III. LXI. 12. Tom. VI. Alt. 1111.*

27. *Alia ad eosdem brevior. III. LXI. 12. Tom. VI. Altenb. 1114.*

Supplenda.

(1) Tom. III Jen. 542. b. Conciunculæ quædam amico cuidam præscriptæ, incipiunt a Dominica I. Advent. & finiuntur Dominica XXIV. Trinitat. sed omissæ sunt plurimæ in ordine Evangeliorum Dominicalium. Queritur autem in præloquio, se Smalcaldiæ absente & ægrotante, conciones illas typographis traditas esse, neque sibi jam vacare, ut, quæ scripsisset, uberiora & pleniora faceret. Subjungit deinde, quæ relatu digna sunt, & quibus excusari possunt & debent non pauca, quæ inscio Luthero, post mortem maxime ejus, ex epistolis imprimis familiaribus aut sermonibus fortuitis publicata sunt, nemo certe idem de suis scriptis dictisve optaverit; Decet igitur, ut hæc tam ingenua confessio & æquissima petitio, viri tam egregie de Ecclesia Christi meriti locum habeat. Sic autem scribit: *Rogo tamen per Christum pios meos fures (scio enim id eos facere candido & sincero animo) ne faciles sint ad edendum, neque me vivo, neque mortuo, si quid, vel per insidias me vivo furati sint mearum cogitationum, vel me mortuo habuerint jam antea sibi communicatum. Quando enim sustinere cogor personam talem ac tantam, præsertim ullo tempore, necesse est, me dies & noctes æstuare & abundare cogitationibus mirabilibus, quas memoriæ imbecillitas (infinitæ enim sunt) cogit in chartam duobus aut tribus verbis signare, velut rude chaos, aliquando, si opus esset, formandum. Has autem furto aliquo vel dono ablatas, edere certe ingrati & inhumani ingenii esset Sunt in eis, ut sumus homines, quæ humana imo & carnem sapiunt. Dum enim soli sumus & disputamus, sæpius etiam irascimur. Deus videt nostras istas egregias sapientias, quibus coram eo gesticulamur, credo quod & delectetur istis suis morionibus, eum regere docentibus, id quod ego non raro feci, & adhuc facio sæpe, sed si in publicum proderentur, ne ego fabula pulcherrima fierem omnium fabularum totius mundi. Non quod impia & mala sint, quæ sic ardens cogito, sed quod præ nimia sapientia stulta sunt, etiam me ipso judice, post refrigeratum colorem inventionis, qualia sunt multa, quæ in principio causæ meæ fervens cripsi. Quare iterum oro, ut sine me nihil meum edat ullus amicus, aut ipse subeat onus & periculum operis, testimonio aperto. Hoc & charitas & justitia requirit. DEI enim gratia ego per me ipsum etiam optimis scriptis potui & possum me onerare periculis, invidia, oneribus plusquam satis, ut nullo mihi in hac re sit opus adjutore. Christus Jesus toleret nos & liberet nos tandem etiam a nobis ipsis. Amen.*

Anno 1538.

1. Consilium *Lutheri de ferendis adversus Turcos auxiliis. III. LXV. 3. ex MS.*

2. Commentarius *in Canticum Canticorum. III. LXVII. 1. Tom. IV. Jen. 270.*

3. Annotationes *in capita XVIII. priora Matthæi. III. LXVII. 2. Tom. IV. Jen. 293.*

4. Enarratio *Psal. LI. III. LXVII. 17. Tom. IV. Jen. 374. Germanice versa. Tom. VI. Alt. 1266.*

5. Præfatio *in epistolam Hieronymi ad Evagrium. Tom. IV. Jen. 413.*

6. Sermo *in caput II. Johannis. III. LXVIII. 1. Tom. VI. Alt. 1340.*

7. Conciones *in capita XIV. XV. & XVI. Johannis. III. LXIIX. 6. Tom. VII. Alt. 45.*

8. *Nova editio* libelli visitatorii *cum præfatione. III. LXIIX. 20. Tom. VII. Alt. 1.*

9. Præfatio *in articulos Smalcaldicos hoc anno editos. III. LXIIX. 25. Tom. VI. Alt. 1227.*

10. Programma *in probrosum carmen* Lemnii. *III. LXIIX. 27. Tom. VI. Alt. 1252.*

11. Sermo *ad Gal. I. 4. III. LXIIX. 29. Tom. VII. Alt. 22.*

12. Versio *symbolorum Ecclesiæ cum epilogo. III. LXIIX. 30. Tom. VI. Alt. 1255.*

13. Præfatio *in historiam* Mediolanensem. *III. LXIIX. 31. Tom. VI. Alt. 1251.*

14. *In libellum de actis* Adriani VI. *III. LXIIX. 32. Tom. VI. Alt. 1254.*

15. *In tractatum* Menii *de officio Christianorum circa doctrinas. III. LXIIX. 33. Tom. VII. Alt. 32.*

16. *Epistola adversus* Sabbatharios. *III. LXIIX. 34. Tom. VII. Alt. 32.*

17. Commendatitia *pro Æthiope converso. III LXIIX 34. Tom. VII. Alt. 22.*

18. *Epistola ad Senatum* Augustanum de Johanne Forstero. *III. LXIIX. 35. ex MS.*

Supplenda.

(1) Tom. VI. Alt. 1074. *Relatio* de dictis Lutheri tunc Gothæ decumbentis, ad Bucerum & Lyosthenem, ut errorem de sacramento publice agnoscerent, deinde, ut populo sublimia & abstrusa aut quæstiones alienas ne proponerent, sed simplicissime, fidelissime & apertissime docerent.

(2) Tom. VI. Alt. 1087. *Scriptum satyricum* ad Pontificem, nomine collusorum, qui de ludo chartarum quodam in Germania usitato, nec hodie plane abolito (Karnöffel vocatur) quæstiones proponunt, quibus Pontificis propositum de Concilio Mantuæ indicto, & de reformatione curiæ suæ salse exagitatur.

(3) Tom. VIII. Altenb. 993. Fragmentum epistolæ ad Theologos, quos Smalcaldiæ post discessum suum relinqueret, in qua eos bono animo esse, pacem sperare & Diabolum contemnere jubet.

(4) Tom. VI. Alt. 1259. Epistola ad quendam, cui suadet, ut vitiatam, quam ignorans uxorem duxerat, retineret.

(5) Tom. VIII. Alt. 993. Ad *VVolfgangum Principem Anhaltinum* qua moram in scribendo purgat.

Anno 1539.

1. Responsum *Lutheri & collegarum ad formulam reformationis ab Episcopo Misnensi propositam. III. LXXI. 13. ex MS.*

2. *Item de jure defensionis. III. LXXI. Add. IV. 4. ex MS.*

3. Consilium *speciale de reformatione* Henrico *Duci Sax. datum. III. LXXI. Add. IV. b. partim ex MS. Tom. VII. Alt. 381.*

4. *Epistola Lutheri ad Electorem de* Melanchthone *in Angliam non mittendo. III. LXXIII. Add. II. 1. ex MS.*

5. *Epistola ad* Joachimum II. *El. Brandenburg. de reformatione ab eo instituta. III. LXXV. 4. Tom. VII. Alt. 717.*

6. *Item ad* D. Georgium Buchholz *in eadem causa. III. LXXV. 5. Tom. VII. Alt. 718.*

7. Libellus de conciliis. *III. LXXVI. 1. Tom. VII. Alt. 239.*

8. *Scri-*

Supplenda.

(1) Tom. VII. 234 Consolatoria ad *Johannem a Taubenheim*, qui uxoris mortem lugebat. Laudat eum ob pietatem & amicitiam erga se, & de sua confidere eum jubet; addit tamen, se rebus magni momenti occupatum, & in statu (ecclesiastico) vivere, in quo, nisi Deus ope & auxilio suo præsto sit, labi facillimum sit, nihil se esse dicit, neque idoneum ad res gerendas, interim Christum uti instrumento tam misero & rubiginoso, (ein solch arm rostig Werckzeug) & tolerare se in regno suo inter infimos famulos, (hinder der Thür) optat, ut vel hac statione dignus sit.

(2) Tom. VII. Alt 717. Literæ ad Electorem Sax. quibus petit, ut annonæ curam gereret, & avaritiæ nobilium, qui frumentum æquo pretio vendere nollent, modum poneret.

Anno 1540.

Supplenda.

(1) Tom. I. Jen. 564. Ex disputationibus in Tom. I. Jen. & VVitteb. Latine relatis cur nihil aut parum referre potuerim supra dictum est, merentur tamen ante alias legi ea, quæ hoc anno de duodecim consiliis Evangelicis, qualia a Rom. Ecclesiæ Doctoribus formari solent, disputavit, summumque illius doctrinæ periculum ostendit, qua pietas Christiana prorsus profligata, & Clero falsa & hypocritica meriti singularis venditandi occasio data est. Notat etiam, ne *Hussum* quidem ab errore illo liberatum fuisse, tantoque majores Deo gratias agit, quod veritatem suam manifestaverit.

(2) Tom. VIII. Alt. 995. Epistolium ad Senatum *in Roswein*, quo placere sibi dicit, quod Pastorem, quem commendaverat, accepeerint, etsi non subesset Electoris ditioni.

Anno 1541.

 14. Con-

6. Epi-

INDEX III.

Supplenda.

Anno 1544.

Supplenda.

Anno 1545.

19. *Epistola*

FINIS INDICIS TERTII,

in quo allegantur scripta Lutheri mille centum & triginta septem, inque his manuscripta centum & novem. Aliqui tamen numeri epistolas aut conciones duas pluresve continent.

